K.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI, EPISCOPI KISAMI,

SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII,
CANONICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS,

Opera omnia, quæ iam extabant.

A R.^{MO} P. AMBROSIO MORANDO
BONONIENSI
EIVSDEM CONGREGATIONIS GENERALI,
Summo labore, ac ſtudio, recognita, veriori, certioriq́; lectioni multis in locis reſtituta,

NECNON AVCTA

Vita Auctoris,
Tribus libris in Lutheranos de Chriſtiana Religione tuenda,
Quadam reſponſione, quam ſcripſit, vt quædam ſibi obiecta crimina dilueret,
Emendata lectione quorumcunque operum,

Ac in tres Tomos diuiſa.
Cum Indice rerum, & materiarum locupletiſſimo.

AD S. D. N. GREGORIVM XIV.
PONTIFICEM MAXIMVM.

VENETIIS, M D X C I.
Apud Dominicum Nicolinum.

SANCTISSIMO
ET BEATISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO
GREGORIO XIV.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.


VS.XIIII. PONTIF.MAXIMVS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

XI
A.d

OPPORTVNE admodum cecidit, BEATISSIME PATER, vt, quo tempore Auguſtini Steuchi Opera, in vnum collecta, à me, & ad Catholicæ fidei, & ad Congregationis meæ ornamentum, rurſus eſſent edenda, S.T. ad ſummum dignitatis apicem eueheretur. Fuit ille, ſingularis doctrinæ vir, gratus Eccleſiæ Romanæ; gratus Pontifici Paulo III. acerrimo ingeniorum æſtimatori, & remuneratori; gratus etiam Illuſtriſsimo Cardinali FRANCISCO SFONDRATO, Patri Tuo. Eoq; magis, quod ambo ab eodem Pontifice (& à quo Pontifice?) ornati fuerunt; & in Vrbe Roma ijs viuere contigit. Vt iure Tibi, & quod ſummus es Pontifex, &

quod eius viri filius, cui ipſe plurimum debebat, Steuchi monumenta à me modo inſcribantur. Ad hoc etiam, præter hæc maxime me impulit ea coniunctio, quæ S. T. ſemper interceſsit cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinali Alfonſo Geſualdo, Congregationis meæ Protectore meritiſsimo. Qui, cum, ob ſingularem animi magnitudinem auctor ſemper mihi fuerit, vt opus hoc aggrederer, facile etiam nunc mihi perſuaſit, vt abſolutum Tibi dicarem. Offero igitur S. T. & meo, & Congregationis vniuerſæ, & vero (quod præcipuum eſt) Cardinalis ipſius Geſualdi nomine, Steuchum denuo editum, additis multis, quæ latebant, & emendatis plurimis, quæ impreſſorum incuria, & deſcriptorum negligentia, optimum ſcriptorem deformarant. Offero in Steucho me ipſum; & humillime S. T. Religionem meam commendans, ſupplex à Deo Opt. Max. bonorum omnium largitore, diutiſsimam vitam precor. Romæ. Kal. Ianuar. CIↃ. IↃ XCI.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus ſeruus,

Ambroſius Morandus, Bononienſis, Prior Generalis
Congregationis Sancti Saluatoris.

D. AMBROSIVS MORANDVS
BONONIENSIS,
PRIOR GENERALIS
CANONICORVM REGVLARIVM
CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

Lectori.

CVR Auguſtini Steuchi opera denuò edenda curarem; multæ me cauſſæ, eæque grauiſſimæ, impulerunt: Quod ea, nulla fere, diu à me quæſita, venalia reperirentur, verendumq; erat, ne, ſummo doctorum hominum damno, perirent, quod in ijs, libros tres contra Lutheranos, Reſponſumq; contra impium hominem deſiderari videbam; in quibus ea præcipue tractantur, quę flagitioſi hæretici hodieque ſceleſtiſſime oppugnant; Quodque cum ego Eugubij ante duodecim annos per biennium vixerim, à ciuibus Eugubinis omnibus (qui eorum mos eſt) ita benigne exceptus fuerim, vt non ſine maximo ſcelere, quęcunque ad eius ciuitatis ornamentum à me proficiſci poſſunt, omittenda mihi eſſe iudicem. Præterea, Sereniſſimus Guglielmus, Mantuæ Dux, omnium ſcientiarum genere excellentiſſimus, tanti dum viueret, huius viri ſcripta fecit, vt mihi dicere ſolitus fuerit, ex pulcherrimo Viridario prodiiſſe hunc florem; Viridarium nempe appellans Congregationem meam. Atque Sereniſſimus Franciſcus Maria, Dux Vrbini, litterarum, & litteratorum omnium Mæcenas, omniumque litteratorum litteratiſſimus, tanti ſcriptoris amore captus, eius ſcripta cum ſæpe in manibus habeat, effigiem quoque voluit in ſuo Muſæo aſſeruari, in quo ea tantum reponit, quæ cariſſima habet, argumentum certiſſimum amoris, quo meam Congregationem proſequitur. Debebam igitur hoc ego Orbi vniuerſo; debebam Congregationi meæ; debebam mortui viri memoriæ. Et ſane, ij, qui mihi modo crediti ſunt, cum videant mortuis me pietatem, quam poſſum, tribuere, facile ſibi perſuadebunt, maximo me in Religionem vniuerſam amore ferri. Fructum ego interim ſatis amplum ſum relaturus huius meę pietatis, ſi Catholici viri, diligenter Steuchum legentes, vtilitatem ex eius operibus (quæ proculdubio maxima erit) capient. Lector optime vale, & voluntatem meam ama, non tuo indignam amore.

AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI,
SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII,
CANONICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS,

Operum Catalogus.

TOMI PRIMI.

Coſmopœia, vel de mundano opificio, Expoſitio trium capitum Geneſis, in quibus de creatione tractat Moſes.

De rebus incorporeis, & inuiſibilibus.

Veteris teſtamenti ad Hebraicam veritatem recognitio, ſiue in Pentateuchum, Annotationes.

In librum Iob, Enarrationes.

An vulgata editio ſit, D. Hieronimi.

Quibus in ipſo initio addita eſt Auctoris vita.

Et in fine emendata lectio omnium operum.

TOMI SECVNDI.

Enarrationum in Pſalmos pars prima, Qui eſt primus Pſalmorum liber, iuxta diuiſionem Hebræorum, qui certe argumenta hæc continet,

De {
Rege Meſſia,
Creatione mundi,
Generis humani conditione
Spe Cæleſti.

Adiectæ ſunt illi tamen aliquot explanationes nobilium Pſalmorum, eorundem plane argumentorum.

TOMI TERTII.

De Perenni Philoſophia, libri decem.

De Mundi Exitio, quod est ultimum Caput de Peren. Phil.
De Nomine Patriæ, Eugubium.
Contra Laurentium Vallam, De falſa donatione Conſtantini Libri duo.
De reſtituenda nauigatione Tiberis, Oratio.
De reuocanda in urbem aqua Virgine, Oratio.
Pro religione Chriſtiana aduerſus Lutheranos, Libri tres.
Dilutio illatorum ſibi criminum, ſub titulo reſponſionis ad &c.
Quibus adiectæ ſunt in margine Annotationes, & in fine ſingulorum indices locupletiſsimi.

VITA

AVGVSTINI STEVCHI

EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI,

SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTECARII,

CANONICI REGVLARIS

CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS.

VMBRIA; quam tertiam Italiæ regionem Geographi conſtituunt, hodieque Ducatum Spoletanum maiori ex parte appellant, ob nominis ſui antiquitatem, Populorum frequentiam, Terræque vbertatem, ab antiquiſſimis quibuſque ſcriptoribus in primis celebrata eſt. Nominis Etymon tribus nititur rationibus. Alij enim memoriæ prodiderunt, Vmbros dictos, quaſi Imbres, ab ijs, qui Vniuerſi Orbis Terrarum cataclyſmo ſuperfuerunt, & cum Iano, & Dirino, quem alij etiam Atlantem vocant, ex Scythia in continentem (quæ iam Italia dicitur) traiecerunt, atque ibidem ſedes ſuas fixerunt. Alij Vmbriam dictam contendunt ἀπὸ τοῦ ὄμβρου, hoc eſt ab Imbre, quia Vmbri omnium Italiæ Populorum antiquiſſimi, inundationi terrarum, imbribusq; ſuperfuiſſe creduntur. Sed hæc potius poetica, quàm hiſtorica cenſenda ſunt. Poſtremi, quorum opinio non temerè mihi videtur refellenda, dicunt, Vmbriam eſſe appellatam ab Vmbra, quod ea regio, propter Montium altitudines, quibus ab Apennino ad mare Hadriaticum tota referta eſt, & ob Apennini vicinitatem, ſit veluti ſuboſcura. Verum, vt vt hæc ſe ſe habeant, conſentiunt omnes, tantam eſſe Vmbriæ antiquitatem, vt cum Arcadia, quæ Luna priorem ſe eſſe iactitat, certare de palma poſſe videatur. Tanta quoque fuit eius regionis, ea tempeſtate, celebritas, & incolarum frequentia, vt trecenta opida habuiſſe feratur. Nec mirum ſanè: cum tàm incredibilis ſit in ea telluris fertilitas, vt eſt apud Stephanum, vt, extra ſummos rerum neceſſariarum prouentus, quos ipſa, in aliorum etiam populorum vſus, abundè ſubminiſtrat, pecora in ea ter fetus emittant vnius anni ſpatio, arbores bis fructus ſuos producant, & mulieres plerumque ſemper gemellos pariant. Habet ſcilicet aeris illam temperiem, quæ, terræ accedente non praua diſpoſitione, in animantium corpora, & plantas, vim habet non mediocrem. Vbi enim cum cæleſti illo igne terræ humores benè temperati concurrunt, non poteſt non fieri generatio maxima. Vmbriam autem clementi illa aeris temperie carere, non eſt veriſimile, cum ęſtate circa montium vertices, aura ſemper paulò vehementius ſpirante, ſummi æſtus ſolares mitigentur. De terrę temperata humiditate dubitari non poteſt, cum tanta montium frequentia teſtetur, ſolum eſſe robuſtius, & durius; quod nihilominus humores ſuos habere, hinc facilè colligi poteſt, quod vberrima aquarum ſcaturigine Tiberis ex eo, Arnuſque emanent. In hac regione, pręter alias Ciuitates, celebris eſt Iguuium ad radices Apennini, adeò munita, vt, cum bello ciuili Fanum, Piſaurum, & Anconam, Cæſar ſingulis cohortibus occupaſſet, tres illuc miſerit, cum Pompeius eam quinque cohortium præſidio cum prætore Thermo teneret. Perantiquam illam eſſe, Mauſolæum ibi vetuſtum, & mœnia, & theatrum declarant. atque, cum ea etiam Gothica rabie funditus eſſet euerſa, poſteà, rurſum reſpirante Italia, ciuium ſuorum opera, & impenſis fuit inſtaurata. Planitiem, & colles circum ſe habet, frumenti, vini, olei, & aliarum rerum feraciſſimos; maximeque Sancti Vbaldi, Ciuis, & Epiſcopi ſui, præſidio illuſtratur. Subeſt ditioni Ducum Vrbinatium, qui ſunt ex Illuſtriſſ. atque Sereniſſ. Familia Ruuerea; quæ cum emiſerit duos ſummos Pontifices, Siſtum Quartum, & Iulium Secundum, religione præſtantiſſimos, omnibus virtutibus ornatiſſimos, Sanctę Sedis Apoſtolicæ propugnatores acerrimos, vigilantiſſimoſque Protectores Religionis Canonicorum Regularium Congregationis Sancti Saluatoris, non exiguum etiam Cardinalium, Ducumq; numerum Eccleſiaſtici, ſæculariſque Imperij gubernaculis ſubminiſtrauit; quorum tàm ingenua fuit in regendis populis induſtria, & tàm prudens in ancipiti rerum condicione conſilium, vt, maximo ſui relicto deſiderio, in vitam æternitate circumſcriptam ex hoc corpore emigrantes, ſempiternum ſibi nomen pepererint. Atq; hac noſtra tempeſtate duo ſuperſunt nobis eiuſdem familiæ columina; Illuſtriſſ. D. Hieronymus S. R. E. Cardinalis, & Taurinenſis Archiepiſcopus, de cuius ſingularibus virtutum ornamentis, & eruditione perfecta, hoc loco aliquid dicendũ eſſet, niſi ſatius eſſet ſilere, vt Salluſtius de Carthagine, quàm, orationis tenuitate, aliquid de earũ amplitudine detrahere; Alter eſt Sereniſſ. Dux Frãciſcus Maria, qui totus litteris deditus, omni humanitate, & doctrina imbutus, tàm inculpatè viuit, vt perpetuam ipſi vitam illius ſubditi votis ſummis exoptent. Atque hic idem, ſumma beneuolentia Ciuitatem hanc complexus, admirandæ doctrinæ philoſopho, ſpectatæq; induſtriæ medico, omnium denique artium peritiſſimo viro, Baldo Angelo Abbati, vitam, incolumitatemq; ſuam commiſit. Nec ignorans, Religionem, de qua ſuprà diximus, Monaſterium habere Sancti Ambroſij extrà muros Iguuinos, à Guidone Antonio Feltrio Comite Vrbinate conceſſum, vnice ei fauet, & indefeſſis vigilijs proſequitur. non mediocri id veneratione, & cultu, ab indigenis obſeruatur, ob corpus Beati Archangeli Cannedoli Bononienſis, quod ibi iacet; cuius gratia, & meritis, admiratione digna in dies eduntur miracula. De huius Religionis vetuſtate multa audiens Auguſtinus Steuchus, Iguuij natus, quæ cæpta Gregorio Septimo Pontifice, Monaſterijs ad quadraginta numerũ referta, Beatis tribus decorata, duobus Senenſibus, tertio Bononienſi, Pontificibus Maximis quattuor, Cardinalibus decem, Epiſcopis centum, & nouẽ, Archiepiſcopis tribus, Patriarcha vno, & multis alijs honeſtiſſimis Prælatis; ad eam animum applicuit. Is ergò, ſatis honeſtis ortus parentibus, at tàm egenis, vt vix haberent vbi pedem ponerent in ſuo, ſuſtentandæ vitæ cauſſa, eam parce, ac duriter agens, ferroque pectine dies, & noctes lanam carpens, ſibi victum quæritabat. Cumq; deformi eſſet corpore, ab omnibus maximo habitus eſt odio; & impetu, pugnis, & calcibus eiectus è paupere caſa, vel è gurguſtio potius, ſub dio quauis tempeſtate ſomnum capere cogebatur. quod vitę genus vſque ad duos & viginti ætatis annos æquiſſimo animo tulit. Hic mox, aut quod tanta mala perpeti amplius nequiret, aut quia (quod proximum vero videtur) Diuino lumine colluſtratus eſſet; (Deus enim eligit, quos hic mundus deſpicit) dedit nomen in laudatiſſimam Domini Saluatoris ſodalitatem, cuiuſdam viri opera, Iguuienſi Cęnobio eo tempore præpoſiti; qui, vt primum ſacris, & ſollemnibus eum veſtibus induit, impulſus à Spiritu Sancto, nec id proptereà ſentiens, ſed Auguſtinum, veluti ſomni plenum, ignauum, ineptum deridens, clara voce dixit; Hodie Epiſcopum in Collegium noſtrum cooptauimus. Iàm vix Steuchus hanc viuendi rationem iniuerat, cum cæpit eaſdem fere calamitates, ſuſtinere quas in ſæculo perpeſſus erat. Nam ludibrio, & deſpectui erat quibuſdam, qui libros, quos euolueret ex animi ſententia, & lucernam, ad quam noctu lucubraretur, deferri non patiebantur. Ex ijs prima dumtaxat elementa linguarum didicit, prætereà nihil. Verumtamen, videte, qualem, & quantum aculeum habeat contumelia. Hæc, vellet, nollet, procul remotis frenis omnibus, ad excitandos magis virtutum amores acrius calcar admouit, quod probè tenebat Stheucus, virum fortem nec dici, nec eſſe, cui non creſceret animus in ipſa rerum difficultate; & maximis corporis laboribus, ſumma animi contentione, opera, ſtudio, diligentia ſuperari cuncta. Quamobrem de multa nocte, Demoſthenem imitatus, è lecto ſurgebat, & ſtragulis contectus in templum deſcendens, ad huius lychnum, per ſeptem perpetuos annos omne litterarum vorauit genus. Quod ab ipſo ea potiſſimum de cauſſa fiebat, quod ſcilicet nollet vigilias ſuas a Superioribus reſciri; qui, dum eius valetudinis curam maximè haberent, verentes, ne, maximo eius damno, & Religionis detrimento, (nam iam, quo ingenio eſſet, in multis oſtenderat, & omnium inuidiam, atque liuorem, virtute ſuperauerat) in aliquam ægritudinem incideret, iniunxerant ipſi, vt parcens valetudini, ne nimius eſſet in litterarum ſtudijs. Hic per ſe, ſicuti Heraclitum aiunt feciſſe, vno Deo inſtruente, tantum profecit, vt non Latinæ ſolum, ſed etiam Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, Syriacæ linguæ maximam cæperit cognitionem. Deinde, quot, & quantos in liberalibus ſcientijs, in omni philoſophiæ genere, & Theologia progreſſus fecit? prorſus vt eum Cratetis in Grammatica, Ciceronis in Rhetorica, Ariſtotelis in Dialectica, & Philoſophia, Archimedis in Geometria, & Arithmetica, Apollinis in Muſica, & Ptolomęi in Aſtrologia auditorem fuiſſe dixiſſes. Cum autem harum rerum peritiſſimus fuerit, easque pro temporis condicione docuerit, nihil tamen magis coluit, quàm Theologiam. Nec iniuria: legerat enim, hanc vnam vniuerſam continere philoſophiam; cum, quod omnes omnium naturarum cauſſæ in Opifice Deo conſiſtunt; tum verò, quia, eiuſdem beneficio, benè, & honeſtè viuitur, atque ſanctè: nam, quæ diligenda, amanda, colenda ſunt, diliguntur, amantur, coluntur. Deus videlicet, & proximus. Hanc item legerat, ſcientias omnes, & virtutes habere; qui verò eam complectatur, hęc omnia etiam complecti. quinimmò credamus velim, Auguſtinum D. Auguſtini veſtigijs ſemper inſtitiſſe. Nam, ſi hic impias ſcriptis ſuis obtriuit hæreſes, ipſe quoque ſceleſtos Lutheros omnes ijſdem confregit armis. Nùm in Martinum, eiuſdem hęreſis Principem, Clemente ſeptimo Pontifice Maximo, doctiſſimum libellum Bononię typis impreſſum eſſe non cognouimus? quem ſanè (quod ſciam) nemo ex illius ſectatoribus auſus eſt refellere: nùm in eo libro, in quo impudicam Laurentij Vallæ, & aliorum, qui Conſtantini Cęſaris donationem culpauerant, impudentiam repreſſit, Italicum Herculem (iure optimo) illum non appellemus licet? Nam quis illorum optimis ipſius, & ſanctiſſimis ſententijs in poſterum interceſſit? nemo vnus. Nùm idem alio opere, quo διὰ τοῦ ἀξιώματος τῆς Ἐκκλησίας vulgatam, & ab initio receptam editionem Bibliæ à S. Hieronymo ex Hebraica, Arabicè, Græcè, Latineque ad verbum, & fideliter redditæ, ſed ab hæreticis eiuſdem Hieronymi tranſlationē eſſe precisè negatam, non diligentiſſimè tuetur? Sic habeamus, illum, veluti alterum Carneadem, nullam vmquàm rem defendiſſe, quam non probauerit; nullam oppugnauiſſe, quam non euerterit. nec protinus à mendacio contra verum ſtare auſus eſt, neque voluit; præſertim cum ſapientis ſit, non mentiri, eaq; nouerit & mentientes alios redarguere. Verum quot, & quantis laudibus doctiſſimum illud de Perenni Philoſophia volumen commendandum videtur? & cuiuſnam hominis animus tanta in Steuchum maleuolentia ſuffuſus eſſe poteſt, vt, ſi verborum elegantiam, ſententiarum grauitatem, orationis ſubtilitatem amet, hoc elegantiſſimum, grauiſſimum, ſubtiliſſimum dicendi genus, quo veritas ipſa quæritur, quæſita inuenitur, inuenta limatur, limata firmiſſimis munitur præſidijs, nō ſuſpiciat, non admiretur? Sed hoc in præſentia, aut hominum incuria, aut temporum prauitate, aut quia, quod opinor verius, apud aliquem, qui ſibi, non autem omnibus, conſulat, in tenebris lateat, debita luce carens deſideratur à cunctis. Mitto in Πεντατεύχον, in Iob, in Pſalmos commentarios, Græcè, & diligentiſſimè ſcriptos. Mitto poema, quod adhuc iuuenis condidit, olimque aſſeruabatur apud Fabium Steuchum, Cathedralis (vt ita dicam) Aedis Iguuinæ Canonicum, & ipſius Auguſtini germanum fratrem: ex quo facilè perſpici affirmant, qui legerunt, Auctorem noſtrum pares profectò paucos, ſuperiorem quidem habuiſſe neminem. quod vtinam nunc exſtaret, & inter manus hominū verſaretur. Nàm, quæ gens tàm remota, tàm barbara, tàm Latini ſermonis ignara, quę eius etiam lingua (ò rem miram) artes, ſcientias, rerum omnium ab orbis terrarum primordijs notionem non caperet? Hoc autem carmē artificioſa verborum constructione, quàm maximè aptum, & lectiſſimis exornatum ſententijs, nouem, & viginti natus annos cōtexuerat, in Comitijs, ſcilicet, Religionis, vbi Eccleſiæ Regij Lepidi, cuius adminiſtrationem hęc Sodalitas gerit, per triennium Prępoſitus eſſe fertur. Hic Steuchus noſter nonnulla opera curauit edenda, vt illud in Lutherum, aliud in Eraſmum Roterodamum, quo recentium hæreſum auctores quodammodo proſtrauit, fudit, occidit. Mitto ὑπὲρ τῆς Γενέσεως, καὶ Πεντατεύχου κοσμοποιΐαν. Mitto, quę alijs in locis cogitauit, opera, cogitata conſcripſit, conſcripta lentè legit, lecta recognouit, & probata ad Sebaſtianum Gryphium, Lugdunenſem per id temporis librarium, quotannis perferenda dedit; qui, quo ſibi plura mitterentur, curabat ſtatim, vt ſuo ipſius nomine ſatis ingens Steucho penderetur pecunia. Mitto, quæ Manuccij, quę contra Lutherum Boniæ, quæque Germanorum etiam typis impreſſit. Mitto denique ſexcenta alia: nullum enim intermittebat temporis punctum, quin genus hominum lucubrationibus iuuaret ſuis. nullis prętereà delicijs, nullo otio, nulla deſidia ſeipſum inficiebat, quod delicijs, quaſi torrente, rapiantur omnia, otio contabeſcat corpus, deſidia verò animus. Deinde, quid naturę magis conſentaneum, quàm prodeſſe? quàm in tenebris verſanti clariſſimum lumen præferre, & viam ad fontem vitæ commonſtrare? Qua in re omnes ętatis, induſtriæque ſuæ neruos hic noſter contendit. Proindè Paulus Tertius Pontifex Maximus, qui liberales diſciplinas efferebat, atque pręmijs ornabat ampliſſimis, Steuchum accerſiuit, accerſitum, cognita eius prudentia, bonitate, doctrina, moribus, in Cretenſi inſula Epiſcopum creauit. quo in munere, tùm eloquentia, tùm ratione, conſilio, integritate, quorum in omnibus natura ipſa fundamenta iecit, ſed reliquum ędificium induſtria abſoluit in paucis, ſic ſe geſſit, vt inſulani homines haberent, cur immortaliter lætarentur. Sed vix annum apud Cretenſes commoratus erat, cum, in Vrbem reuerſus, Vaticanæ Bibliothecę prępoſitus eſt, quam præſtanti fide ſemper tractauit. Verùm ęſtiuo tempore, vitandi caloris cauſſa, exiens Roma, aut Peruſiam, aut Iguuium proficiſcebatur, vbi de Angeli Colotij ſententia potius, quàm ſua, diſſeruit de Patrię nominibus. Iam verò Steuchus, cum de reſtituenda Tiberis nauigatione ad Paulum Pontificem ſcripſiſſet Peruſia, & iccircò parauiſſet nauem, in eam conſcendit, & Truſiamno, Peruſini agri opido, ſoluens, vehebatur Romam, at, vel quorundam inuidia, (vt enim, qui ambulat in Sole, eum comitatur Vmbra, ità, qui ad gloriam contendit, eius comes eſt inuidia) vel caſu, quia omnia, quęcumque agimus, (vt Liuius ait) mille caſibus ſubiecta ſunt, noctu nauigium fregit in Tiberi, qua per Tudertinum agrum, aſperrimoſque montes ipſe fluit; quę loca ſi ei licuiſſet tutiſſimè tranſuehi, ſine controuerſia in Cardinalium Collegium (qua gratia erat apud Paulum) cooptatus fuiſſet. Verum, etſi tantus Pontifex hoc conſilium ſępenumerò ceperat, tamen aut Iguuinę Vrbis condicio, aut maleuolorum improbitas, quæ maiorem ad nocendum vim habet, quàm ad adiuuandum amicorum beneuolentia impedimento fuit, quominus tàm doctum hominem, tàm prudentem virum, tàm iuſtum, tàm ex omni parte laudandum, in hoc dignitatis collocaret gradu. Cuius ſi doctrinam, prudentiam, ęquitatem, temperantiam, vigilantiam, fidem, caritatem, religionem, & cęteras virtutes perpendamus, dicemus certè, eum fuiſſe digniſſimum, qui ad ſummum imperium per omnes honorum gradus efferretur. Interim, etſi Bononiæ vniuerſale indictum erat Concilium, Tridenti tamen coactum eſt, vt, quam nonnulli ſibi, & alijs nefariam hæreſum machinabantur peſtem, ea, quoad eius fieri poſſet, auerteretur prorſus. Verumtamen Pontifex, Regum, & aliorum Principum rogatu, ne quos attingeret peſtilentia iàm exorta, iterum Bononiam Concilium indixit, indictum coegit, coactum habuit. Ad quod quamplurimi accerſiti ſunt Epiſcopi, in quibus fuit Steuchus noſter: nec immeritò; quod nouerat Pont. hunc ab hæreticis laudari ſummoperè, & reformidari ſimul. ſed erat laus ficta, quia, cum te inimicus laudat, id efficit profectò, vt ipſum impugnare deſiſtas. At oleum, & operam, (vt aiunt) perdebant impij: quoniam Steuchus in eos inuehi tantiſper conſtituerat, dùm ad ſanitatem rediuiſſent, & Matrem Eccleſiam, ſuam ipſorum impietatem deteſtantes, iterum eſſent amplexi. Quocircà in Tridentinis rebus ſe ſic habuit, vt in illis oſtenderit ſæpè pro communi ſalute lumen animi ingenijque ſui, numquàm inops à conſilio in ambiguis cauſſis, numquàm in maximis, & difficillimis à conſtantia relictum. Aſt ibi, cum grauem in morbum incidiſſet, impetrata à Pontificis Maximi Legatis venia, Venetias vſque nauigauit. Vbi, quoniam morbus vehementius graueſcebat, & deſtituebatur ab omnibus, mortem tandem obijt. Bibliothecam eius mirificam, quam ab Alberto Pio Carpenſium Principe acceperat dono, magna ex parte Fabius, Steuchi frater, Marcello Ceruino, Iguuinæ Vrbis iàm Epiſcopo, ſed tunc Cardinali Ampliſſimo, & mox Pontifici Maximo, largitus eſt. Hæc de Patria, genere, facie, fortuna, moribus, vita, morte Auguſtini, illius, inquam, Auguſtini, qui Iguuinæ Ciuitati, qui Sodalitati Canonicorum Regularium, qui Cretenſi Populo, qui vniuerſæ Italiæ ornamento, & præſidio vſquequaque fuit. quod enim ex eius ludo, tamquàm ex Equo Troiano, exierint doctiſſimi homines, teſtis ſit eius ſodalitas; ſed Leonardus præſertim Malaſpina, quem omni doctrina ex ipſius operibus pręditum eſſe nouimus. Verum nonne Steuchus vir fuit ſanè magnus, memorabilis, atque etiam pęnè diuinus, & in cuius laudes exſequendas Cicerone laudatore opus eſſet? Nonne Clemens Septimus, Paulus Tertius, & Leo Decimus, Pontifices Summi, eius eruditionis cum probitate, & fide coniunctæ periculum ſępe fecerunt? Sed mortuus eſt. quid verò mortuus? immò ſempiternam vitam viuit, & beatiſſimam. Quandoquidem contumeliæ, ludibria, fames, iniuriæ, labores, ærumnæ, dolores in terris, patienter, placidè, ſedatè lati, ad cœlum viam commonſtrant, commonſtratam muniunt, adeò, vt nulla mora retardauerit eum, quo minus ad ſuperos euolauerit, & nunc cum eis, & in perpetuum feliciſſimo perfruatur æuo.

AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI,
SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTECARII,
CANONICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS.

Præfatio
IN COSMOPOEIAM.

DVAE ſunt res, quibus in terris nihil habere melius homines potuerunt, in quibus ſeſe exercentes, vitam tranquillam atque optimam, vitamq́ue diuorum proximè adæquantem, agerent: Pietas, & id quod Philoſophari dicitur. Quæ quidem adeo inter ſe ſimiles ſunt, & finitimæ, vt vix altera ſine altera reperiatur. Sed præcipuè vera Philoſophia numquam fuit ſine pietate. Nam cùm pietas primam quidem ſedem in animo teneat, tùm ſe præclaris actionibus oſtendat, hæc philoſophia non in ſola contemplatione detinet hominem, ſed ad eas actiones adducit, in quibus Dei cultus, vitaq́; beata maxime exiſtit: Efficitq́; tùm eas operationes, quibus humana vita neceſſario agitatur, meliores: tùm rariores quaſdam, magiſq́; cęleſtes, quam humanas docet. Vt per diuinam philoſophiam, & actiones vitæ melius inſtituantur, & ad ſublimiores quaſdam & auguſtiores, quas heroicas appellari poſſe credidit Ariſtoteles, mentes accendantur, in quibus maxime eſt homini cum Deo, & immortalibus animis ſimilitudo. Ac, quamquam eſt ipſa rerum omniũ generalis contemplatio nobilis, atque præcipua: in ſola tamen hac permanſiſſe, nec veram, ardentemq́; in agendo expreſſiſſe pietatem, & religionẽ, videtur, & ab ipſa philoſophia, & ab omnium, qui penitus in arcana eius penerrarunt, alienum. Nam, cùm & omnis vita, in agendo tranſigatur, & philoſophia diuina plena ſit præceptis viuendi, hunc ſibi videtur ea ſtatuiſſe finem, vt homines operari doceret, nec in ſolis indagandis, ac legendis oraculis, ac dictis ſuis, debere eos mentem defigere: ſed vt his inueſtigatis aliquando, aut (quoniam, & tãtum eſt pelagus, & crebra repetitio demittit altius) ſemper conſideratione vigente, iungerent etiam actiones, aut in actionibus exprimerent, quod aliquando didiciſſent. Duo ſunt, vt dixi, actionum genera: Quædam ad vitam ſuſtinendam faciliusq́; degendam neceſſariæ, Aliæ ſublimiores, ſupra corpora, puriores, quibus ſe pium maxime, & cęleſtem potius, quàm terreſtrem, & vltra res humanas aliquid ſibi promittentem, demonſtrat homo. Tunc igitur exiſteret beata vita, cùm & audiretur, indagareturque, quod loquitur hæc philoſophia, & actionum, qui maximè quæreretur finis appareret. Non ego quidem vanas, inutileſque ſine actionibus, perennes lectiones dixerim, ſed à fine ſuo tamen ſemper longinquas. Vt pari ferè errore ducantur, & qui agentes, ſeſe a contemplatione, ſiue lectione ſubduxerunt, & qui ſolum in legendo laborem, ſpemque omnem ſuam, & gloriam conſtituerunt. Non enim videntur verum contemplationis, ac lectionis fructum conſequuti. Eſt quidem hoc ipſum contemplari, laudabile, ac præcellens animi actio, ſed altiſſimæ, veræque, de qua loquimur, Philoſophiæ finis eſſe videtur, vt etiam prodeat aliquando, quod te diu docuiſſet. Accidit quidem, vt ea diuerſis interpretationibus diſtrahatur: ſed vnus eſt tamen notus, & certus finis eius: vt vtraſque quas dixi actiones, priores quidem, iuſtè, recteque inſtituas, poſteriores item aſſequaris, vt te, & rerum caducarum propter Deum contemptorem, & curam carnis, ac voluptates abieciſſe, & in excolendo ſpiritu, omnem ſpem, laudemque apud eum, collocaſſe comprobes. Hæ ſunt enim celſiores illæ, heroicæque virtutes. Hæc, vt de ſacris litteris, & omni Philoſophia diuina loquerer, coegit neceſſitas ipſa: quoniam, vti eſt, diximus eam beatæ vitæ ducem. Et ad eam diſſerendam nūc ingredimur, vt vim, & finem prius eius conſideraſſe, non fuerit alienum. Ac præter omnem, quæ continetur affatim in ea, vberrimam vtilitatem, non dubium eſt, vt Philon diſertiſſimus Iudæorum, multique alij mortalium aſſeruerunt, quin omnis humanæ vitæ vera, & certa, omniumque virtutum ſtabilis conſtitutio, ſit in cognitione creati mundi. Nam mundi creatione conſtituta, conſtituitur creator, gubernator item: Itaque, & pietas, & cultus eius: tum, & peccandi metus, propter eum, qui creatis ab ſe, operibuſque ſuis præſidet. Cunctæque actiones habent aliquod caput, quo referantur, ſine quo in ſumma confuſione verſarentur. Omnes denique virtutes hinc habent initium, ſicut omnia ſcelera ex contraria perſuaſione, vt magnæ cùm in cæteris, tùm vero in hoc ipſo gratiæ a mortalibus Deo debeantur, qui res tàm arcanas, tamque à poſteritate ſummotas, & ſæculorum caligine obuolutas, ſæpius per interpretes ſuos reuelauit, & fecit, vt antiquiſſimis litteris fideliter traditæ, omnium temporum decurſu conſeruarentur. Hoc igitur tantum, tamque præcipuum, in omni Philoſophia diuina à Moſe perſcriptum de mundi creatione opus, etſi habuit ſemper, apud Hebræos, Græcos, ac Latinos innumerabilem interpretantium multitudinem, nos tamen, nec numerum interpretum, nec ingeniorum magnitudinem veriti, huc ingeſſimus, illud vſurpantes, quod prius doctiſſimus, ſanctiſſimuſque Hieronymus, deinde eminentiſſimus Philoſophus Ioannes Picus, cæteros aurum, & purpuram, byſſum, coccum, & hyacintum ad tabernaculum Domini obtuliſſe: nobiſcum bene agi, ſi & pelles, & pilos caprarum obtulerimus. Nec præiudicamus illis, volumuſque ea ſuum habere locum. Cæterum fieri poteſt, vt, Deo docente, ad cuius imaginem facti ſumus omnes, & cuius numquam eſt manus abbreuiata, aliquid à poſterioribus deprehendatur: quod, vel ſuperiores latuiſſet, vel cognitum, illi non prodidiſſent. Nos quidem aut credimus perfeciſſe, aut certè conatus ipſe non defuit, vt hoc opus, quod erat magnis difficultatibus obſcurum, multaque erant in eo pœnè indiſſolubilia, eſſet clarius; & ijs, quæ videbantur inexplicabiles quæſtiones, aut veras, aut vero proximas expoſitiones arbitramur dediſſe.

E quibus ſunt, Spiritus Domini ſuper aquas, Creatio Lucis, & Solis, quarta die, Aquæ ſuper cęleſtes, & firmamentum interiectum: tum Ordo dierum, Paradiſi terreſtris ſitus, & condicio: & quod prius diſſoluere non potuimus, de fluminibus Phiſon, & Geon, credimus ſuper his nunc veriores ſenſus reperiſſe. In quibus etſi prolixiores fuimus, fecit neceſſitas ipſa, & magnitudo rerum, vt vitare, hoc dumtaxat opere, longitudinem commentationum non poſſemus. Ac nos ſuperiore quinquennio annotationes in Pentateuchum edidimus, cuius commentationis ratio diuerſa eſt ab hac aliquantum: cùm ibi magis ſuper editione, vocumq́ue varietate, & pondere, & variantibus locis ſcripſerimus; hic de re, ipſaq; mundi hiſtoria. Idem tamen auctor, & res eædem, & ſæpe eorundem hic neceſſaria repetitio. Quod ſi interdum hoc opere aliquid diuerſum ſenſimus, id euenit, partim, quia illic aliorum placita referebamus; partim, quòd iugis meditatio, & curæ poſteriores ſæpe patiunt meliora. Pauca tamen id genus ſunt. Iterumq́ue hoc loco affirmamus, vulgatam editionem eſſe ſanctiſſimi, doctiſſimiq́ue Hieronymi: quam veritatem, quoniam intelleximus adhuc habere aduerſarios, latiore argumento diſſeruimus. Ac ſperamus, nullam, niſi apud pertinaces, futuram amplius ſuper hac dubitationem. Quoniamq; argumentum eſt prolixius, operi poſtpoſitum eſt, ne ex tam longo interuallo ad Geneſim accederemus.

E quibus ſunt; Spiritus Domini ſuper aquas, Creatio lucis, & Solis, quarta die; Aquæ ſuper cœleſtes, & firmamentum interiectum: tum Ordo dierum, Paradiſi terreſtris ſitus, & conditio: & quod prius diſſoluere non potuimus, de fluminibus Phiſon, & Gehon; credimus ſuper his nunc veriores ſenſus reperiſſe. In quibus etſi prolixiores fuimus, fecit neceſſitas ipſa, & magnitudo rerum, & vtilitas; hoc dumtaxat opere, longitudinem commentariorum non poſſemus. A nobis ſuperiore quinquennio annotationes in Pentateuchum edidimus, cuius commentationis ratio diuerſa erat ab hac aliquantum: cùm ibi magis ſuper editione, vocumque varietate, & pondere, & variantibus locis ſcripſerimus; hic de re, ipſaque mundi hiſtoria. Idem tamen auctor, & res eadem, & ſæpe eorundem hic neceſſaria repetitio. Quod ſi interdum hoc opere aliquid diuerſum ſenſimus, id euenit partim, quia illic aliorum placita referebamus; partim, quòd ingenij maturatio, & curæ poſteriores ſæpe pariunt meliora. Pauca tamen id genus ſunt. Iterumque hoc loco affirmamus, vulgatam editionem eſſe ſanctiſſimi, doctiſſimique Hieronymi: quam veritatem, quoniam intelleximus adhuc habere aduerſarios, latiore argumento diſſeruimus. Ac ſperamus, nullam, niſi apud pertinaces, futuram amplius ſuper hac dubitationem. Quoniam; argumentatio eſt prolixior, operi poſtpoſitum eſt, ne ex tam longo interuallo ad Geneſim accederemus.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

COSMOPOEIA.

In tria capita Moſis expoſitio, vſque ad eiectum Adam de Paradiſo.

AN MVNDVS SIT AETERNVS.

B SCRIPTVRVS de creatione mundi, iuxta theologiam Moſaicam, quæ & initium mundi tradit, & rationem creati eius claram oſtendit, non incongruum exordium & ipſi Theologiæ, & rebus à nobis dicendis fore putaui, ſi prius mundum creatum probarem: probarem autem rationibus maximè ex hac theologia petitis, poſthabitis multis, quæ ſolent à cæteris afferri. Mirari enim mecum, ſimul & miſereri multorum imperitiam, ne dicam inſaniam, ſæpe ſoleo, qui clariore & anguſtiore ſapientia deſtituti, & certam irrefragabilemque veritatem non agnoſcentes, iudicia potius deceptorum hominum ſequuntur. Mundum quidem ęternum non eſſe, ęternumque nihil eſſe poſſe, niſi Deum, fit omnium rationum concurſu manifeſtum & irrefragabile. Variæ ſunt autem rationes, vt quæ non ſolum è fontibus naturæ, ſed ex hiſtoriis etiam, & ſignis, ac coniecturis colligantur. Quæ & ſi per ſe debiles ſunt, coniunctæ tamen, & in vnius rei aſſenſum conſpirantes, vim habent validiſſimarum rationum, vel earum pondus ęquantium, quæ de natura duci putantur, quibus & philoſophi tantopere gloriantur. Nec eſſet in numero prudentum, ſynceréque de rebus ęſtimantium referendus, qui ſpretis hiſtoriis, ſpretis aliis innumerabilibus indiciis & teſtimoniis, eas tantum rationes probaret, quas è natura profectas ipſe crederet: aut qui naturales tantum rationes appellandas cenſeret, quæ C apud vnum Ariſtotelem inuenirentur. Ac qui putant ſacrorum librorum, quibus nunc omnis orbis aſſentitur, autoritatem ſola legentium fide teneri, nec afferre ſecum diuinas quaſdam, potentiſſimaſque rationes, magnorum animorum ad ſe iudicia trahentes, ideo falluntur, quia non ſunt horum è numero, quorum mentes & naturali bonitate, & aſſidua, variaque exercitatione philoſophandi, altiſſima & veriſſima quęque ſolerter apprehendant. Quòd ſi cui data eſſet, quantam rerum ęſtimandarum magnitudo poſtularet, prudentia, diuinorum oraculorum tantum eſſe pondus ſentiret, vt ſola pronunciatio ad ingenerandam validiſſimam, ſubitamque fidem ſufficeret. Omnibus ergo rationibus conſtat mundum, neque fuiſſe, neque eſſe potuiſſe ab ęterno, quem ęternum non eſſe, omnes religiones, omnium gentium vetuſtiſſima monimenta confitentur. Quæ ſi ſecum diſcreparent, negari fortaſſe autoritas eorum poſſet: ſed quia cuncta conſentiunt, omnium neceſſe eſt, concorditer hoc aſſerentium, magnam eſſe autoritatem. De mundi autem ęternitate nullum eſt vſquam indicium, quę tamen eſſe plurima deberent, ſi eſſet ęternus. Deberent extare aliqua vetuſtiſſima monimenta, ſi non centum millium annorum, at quadraginta, at viginti, at decem. Debuit aliquibus monimentis comprehendi, quæ bella olim geſta fuerint, qui reges claruerint, quæ nationes cæteris imperauerint. Nam ſi ſemper fuit mundus, ſemper artes fuiſſe, & bella inter mortales ſemper exarſiſſe, & aliquos, cæteros ſuperos neceſſe eſt, ſic neceſſario ſemper aliqui philoſophati ſunt, & in omni diſciplina aliqui claruerunt.

Mũdi creationem primus Moſes docuit.

Solus Deꝰ ęternus.

Sacrorum librorum autoritas.

Id copioſiſſimè diſputatur ab eodem Eugubino, toto 7. de perẽni Philoſophia.

D

At vbi nomen eſt eorum, qui ante ſex millia annorum mundi ſcilicet veriſſimum ortum, floruerint? Quæ linguæ eos demonſtrant? quæ litteræ loquuntur? Neque enim poteſt fieri, quod philoſophi quidam, ſuos errores defendentes, fabulantur, diluuia quædam ſemper extitiſſe, mundumque labefactaſſe, vetera ſecum abſtuliſſe. Primum, hæc diluuia, aut vniuerſalia, aut particularia fuerunt. Si vniuerſalia, neceſſe eſt vnum fuiſſe quodam tempore diluuium, quo toto humano genere deleto, nullus qui cladem poſteris poſſet referre, eſſet ſuperſtes. Sin autem particularia, nationes à clade ſeruatæ, & de diluuiis ipſis teſtarentur, & millia præteritorum ſæculorum commemorarent: Artes, & diſciplinas, & bella geſta, reges, & exercitus oſtenderent. Tum ſi fuerunt hæc diluuia, quo tempore ea inundaſſe probabile ſit? Si ab ęterno fuit mundus, fuerint ea, ab hinc centum millibus annis, fuerint quadraginta millibus elapſis. At vbi ſunt monumenta, ſęcula poſt diluuia conſecuta deſignantia? Cur neque natio, neque imperium, quod ante ſex annorum millia extiterit, nullis in litteris & lingua extat? An vno tempore omnia conticuerunt, omnes memoriæ conflagrarunt? At ſi memoriæ & monimenta conflagrarunt, etiam homines, qui ea vbique tenerent, ſunt concremati. Nemoque hoc tempore, qui iſta ſuſpicari, vel ſcire poſſet, adeſſet. Si quatuor noſtris millibus annis tot res geſtæ ſunt, & monimentis comprehenſæ, tot artes apparuerunt, tot claruerunt ingenia philoſophorum, tot bella memoratu digniſſima ſunt pugnata: cur tot annorum millibus, tam innumeris ſæculis nihil eſt geſtum? Cur non fuerunt, qui retulerint caſum alterius nationis, incendium, aut cataclyſmum, quo genus aliquod eſſet extinctum? ſicut poſtea litteris mandatum eſt, quæ fluctibus alluentibus vrbes abſorptæ fuerint, quas terræ motus complanarit. Commemoraſſet igitur altera natio caſum & interitum alterius, ſi diluuia & incendia extitiſſent, & ad poſteritatem tranſmiſiſſent, ſi homines erant, quales nunc. Non enim tot ſæculis neque litteras fuiſſe, neque homines diſcendi & ſcribendi cupidos non fuiſſe veriſimile eſt. Neque ſi vniuerſalibus cataclyſmis & incendiis prohibiti non fuerunt, par eſt eos non ſua ſæcula commemoraſſe. Cùm hæc igitur ſint luce clariora, neceſſe eſt ſermonem illum eſſe fabuloſum. Semper mundum fuiſſe, ſemper artes apud aliquos floruiſſe, ſed ad hæc ſæcula non perueniſſe propter incendia, & cataclyſmos. In contrarium autem extant inuictæ rationes, mundum & principium aliquando habuiſſe, & nec alio temporis principio cępiſſe, quàm quo demonſtrant ſacræ litteræ. Nomina terrarum, gentium, principia regnorum, nationum exordia mirabiliter cum atteſtatione ſacrarum ſcripturarum conſentiunt. Nullas enim litteras præter ſacras inuenies quæ gentes, qui progreſſus humani generis ante diluuium fuerit, demonſtrantes. Ac regnum Caldæorum omnium ab omnibus ſcriptoribus fertur vetuſtiſſimum, longè tamen poſt diluuium excitatum. Quod ſolæ diuinæ litteræ, quod initium, quam inchoandi occaſionem habuerit, quis autor fuerit, quæ ipſum anteceſſerint, oſtendunt: omniumque inueniuntur veriſſima propter expreſſam temporum, locorum, hominumque commemorationem, quæ ſolent oſtendere hiſtoriæ veritatem. Illud quidem eſt certiſſimum, non ante, ſed poſt diluuium genus humanum per totum orbem ſe diffudiſſe, & in regione tantum Caldæorum, atque Armeniorum (quibus in locis & arca extructa eſt) eos primo tempore habitaſſe. Terræ enim atque inſulæ nomina ab his, qui eas poſt diluuium occuparunt, acceperunt: poſtea quidem magna ex parte retenta: alia paululum, alia prorſus immutata. Hæc gentium, inſularum, prouinciarumque nomina declarant veram eſſe ſacrarum litterarum deſcriptionem, docentem quo tempore genus humanum fuerit in varia loca diſtributum, qui primi nomina locis & terris indiderint: quorum, vt dixi, apud omnes gentes integris litteris ac prolatione plura remanſerunt, nonnullis prorſus aboletis. Nam libri ſacri docent tres filios Noe, alios filios genuiſſe, ex hiſque fuiſſe Ghomer, Magog, Madai, Iauan, & Tiras. Ex quibus Ghomer Gordieis, Madai Mediæ, Iauan Ioniæ, Tyras Tyro nomen dedit. Quæ nomina, vt videmus, remanſerunt apud Græcos & Latinos, etiam ſi neſcirent, vnde ad ſe perueniſſent. Ex hiſce nominibus apparet veriſſimum theologiæ teſtimonium, docentis hos earum terrarum, inſularumque primos habitatores fuiſſe, & illis à ſe nomina feciſſe. Quę concordia oſtendit ſcripturarum veritatem. Collige enim eorum nominum catalogum, quem hominum poſt diluuium natorum, & in diuerſas prouincias abeuntium, nominaque illis ſua imponentium, veritas comprehendit. Quæ tametſi non remanſerunt cęteris gentibus ſincera, poſſumus tamen facilè, ſi volumus, intelligere, omnes ab illis hominibus nationes ſatas, omnes item regiones habitatas, eaſque ab eis nomina accepiſſe. Primæ terræ vbi nati ſunt homines ante diluuium, poſt diluuium rurſum reſtauratæ, ſunt Caldæa, Meſopotamia, Armenia, Babylonia, Elam, Aſſyria, Arabia, Paleſtina, Sidonia, Tyrus, Cyprus, Rhodus, Saba, Lydia. Quæ ſi quis eorum originem veteremque theologiam ignoraret, crederet eſſe Græca, fabulaſque Græcorum audiret, fingentium neſcio quos Genarchas, his appellationibus nuncupatos, cùm ſint Hebraica, reſtaurationem hominum & propagationem, ac terrarum poſſeſſionem illam poſt diluuium, litteris Hebraicis comprehenſam, locupletiſſime teſtantia. Homines ergo qui prouinciis his ſua nomina indiderunt, fuerunt hi, quos antiquiſſimæ Hebræorum litteræ deſcribunt. Ab Aram, Armenia, quæ & Aramea: Babylonia Hebraicè Babel, propter confuſionem: à Caſdim, Caldæa: ideo ſine aſpiratione: Aſſyria, ab Aſſur: Elamitæ, ab Elam. Apud Græcos Sidon:

apud

E

F

Veritas ſacrarum litterarũ, earumq; antiquitas.

Terræ primum habitatæ.

Genealogiæ primę.

A apud Hebræos Zidon: Paleſtina Græce, Hebraice Peleſtin: Tyrum Græce, Hebraice Tiras, mas, non fœmina. Cyprum Græce, antiquiſſima deſcriptio Cittim, vnde Cittiæus Zeno è Cypro: Rhodus non Græcum, ſed Hebraicum eſt, neque à roſis, vt illi fingunt, ſed primus inſulæ conditor, qui eam de ſuo nomine nuncupauit, dictus eſt Rhodanim, qui in illo antiquo catalogo inſulam dicitur habitaſſe: Lydia Hebraice Lud, ſi quidem & Græci y,pſilon per v,olim proferebant: Saba quoque in ea deſcriptione eſt, quos & gentes Sabæos dixerunt: Nabaioth Hebraicum antiquiſſimum nomen, à quo Nabatei, partem Arabiæ tenentes, quam pater Nabaioth tenuit primus. Hæc igitur hominum antiquorum nomina, cùm ſint toto orbe celebria, trita, vulgatiſſima, apparet reſtitiſſe terris, ab antiquis illis impoſita, progreſſumque humanæ propagationis, principiumq; oſtendunt. Tunc enim hæ terræ ſunt habitatæ, cum ad eas venerunt ij, qui eis ſua nomina indiderunt: nominaque docent originem, & principium habitationum, cum quo & generis humani principium, & omnis ſucceſſus continetur. Generatim quidem Hebræi nominibus primorum habitatorũ, qui & aliquam gentem genuiſſent, & terras primi habitaſſent, eas ipſas terras appellant. Neque enim Aegyptus ab eis dicitur, ſed Mizraim à principe. Sic Arabes & totus penè Oriens non Aegyptum dicit, ſed Mizraim. Plura quoque ſunt alia, quæ ſunt a Græcis deprauata, apud gentes tamen Orientis propter locorum propinquitatem, & cum Hebræis ſermonis & generis affinitatem, integra. Maxima tamen pars etiam Græcis, reſtitit ſincera. Hæc ratio & ſuperior omni luce clarius oſtendunt, mundum nec ſemper fuiſſe, nec exordium eius alio tempore, alio modo extitiſſe, quàm in theologia demonſtrato. Nam aut fuit diluuium, aut non fuit: ſi fuit vniuerſale, cur non omnes extincti ſunt? Et ſi non omnes B perierunt, qua ope, qua ratione ſeruati ſuperſtites, niſi videlicet ea, quam docent illæ litteræ? Quarum ſi hac in re verum eſt teſtimonium, etiam verum, cùm mundum confitetur creatum. Si autem non fuit vniuerſale diluuium, oſtende nomina terrarum, ac gentium, quibus antea vocarentur: Doce vel vnam nationem aliud ante nomen habuiſſe: Dic etiam cur facta nominum mutatio fuerit: cur generatim totus mundus, omneſque prouinciæ, omnes inſulæ nomina concorditer innouarint: cur Reges & Principes id fieri permiſerint. Hæc cùm neque fuerint, neque eſſe potuerint, neceſſe eſt illorum philoſophorum fallaces ac præſtigioſas eſſe rationes, qui vt nouas, & à tota vetuſtate diſſentientes diſciplinas ſuas corroborarent, mundum ſtatuerunt ęternum. Non poterant enim eorum ſtare decreta, niſi huic fundamento niterentur. Ac mundum ęternum non fuiſſe oſtenſum eſt, nunc ęternum nec eſſe debuiſſe, nec potuiſſe docendum eſt. Dico autem mundum nec eſſe debuiſſe ſempiternum, nec eſſe potuiſſe, meliuſque eſſe, vt factus aliquando fuerit, quàm vt fuerit ſemper. Ruina igitur omnium rerum ſecutura, ſi mundus eſſet ęternus, caſus & flagitia, & ſumma omnium rerum calamitas, confuſio, & deſperatio, docet eum ęternum non fuiſſe. Taleque eſt hoc argumenti genus, quale ſi quis ex ruina quæ ſequeretur, ſi non eſſet Deus, oſtenderet neceſſario aliquem eſſe Deum rectorem omnium, & viuificatorem. Si enim mundus eſſet ęternus, nulla pietas eſſet, nulla religio, ſublato eo quod & ęgritudinem tollere, & iuſtitiam vbique ingenerare poteſt, te principium à rege vniuerſi habuiſſe, & immortalem ad triumphos claritatemque indeficientem eius aliquando venturum eſſe: quæ Spes & Fides tanquam clauus vitam regit humanam: quo ſublato, totius mortalitatis cymba fluctuaret. Si enim ſemper fuit mundus, homines quoque C ſemper exiterunt. Itaque à nullo habuere principium. Quem igitur noſtrarum rerum principem ac caput haberemus? Quem earum autorem dicere, ac de eo gloriari poſſemus? In quem tantis in anguſtiis, quibus hæc vita vexatur, figere ſpem noſtram, ac lachrymoſos oculos attollere, eiuſque implorare fidem poſſemus? Quis aſpiceret ex alto, gemente iuſto, exultante impio, & inter cruentas cupiditates etiam blaſphemante? Omnis hæc proculdubio turpitudo volitaret, ſi nullum naturæ noſtræ caput, ac genitorem haberemus. Quod rurſum animal homine miſerabilius natura feciſſet, in quo ſolo eam & crudelem & diram fuiſſe libere confiteri poſſemus, in quem vnum tot morbos congeſſiſſet, tantam cæcitatem errorum, malarumque cupiditatum ſtirpem ingenuiſſet? Non enim tantarum miſeriarum cauſas', in noſtras & præſentes, & antiquam quandam culpam poſſemus referre, ſi mundus eſſet ęternus. Eſt autem magna in his miſeriis conſolatio ac recreatio, cùm eas intelligimus ab errore noſtro & proficiſci, & profectas, cùm nos noſtrorum malorum autores fuiſſe ſcimus. Vide autem quid conſequens ſtatuere neceſſe fuit his, quibus placuit mundum eſſe ſempiternum. Eſſet enim numerus animorum infinitus, ſi mundus eſſet ęternus, eorumque vagaretur infinita multitudo, olim ex infinitis corporibus egreſſorum. Omne cœlum & omnes terræ eorum eſſent plenæ. Quod quoniam videbatur eis abſurdum, duo coacti ſunt decernere, alterum monſtrum, alterum inexpiabile flagitium: aut vnum eſſe vaſtum, & per omnia tendentem animum, in quem animi noſtri poſt mortem reſoluerentur, aut animas eſſe mortales, in nihilum ab omni ęuo reſolutas. Quorum vtroque euertitur vita humana, funditus tollitur religio, iuſtitia ex humano genere fugatur, infamatur philoſophia, quæ rerum bonarum, & hominibus vtiliſſimarum inuentrix eſſe debet. Eas autem poſitiones abſurdas & falſas eſſe neceſſe eſt, ex quibus & falſa, & abſurda, & mala ſequuntur. Eas autem oportet opiniones eſſe veriores, ex quibus ſequuntur meliora. Ordine

Terris primùm indita nomina.

Mundũ nõ potuiſſe eſſe ęternũ.

Lactan. de opif. Dei, cap. 3. & ſequen.

Opiniones veriores q.

& ratione flagitante naturæ, vt meliora ac rectiora ita cum veritate magis conſentiant, ſicut ſunt D propinquiora naturæ. In omnibus enim rebus præualuiſſe videtur, quod eſſet melius. At cùm ex ęternitate mundi, tantorum malorum moles, tanta omnium rerum turpitudo ſequatur, quis ſibi perſuadeat eum ęternum eſſe poſſe? Sequitur autem cum ęternitate mundi, ad alia, aut animas eſſe mortales, aut vnum eſſe animum. Cum primo hæret ruina rerum humanarum, non ſolum ipſa mortalitas, ſed auerſio ab amore & a cultu Dei, quo nihil eſt præclarius, honorificentius, & quod res ipſas magis ſuſtineat, regat, amplificet, a turpitudine, interitu defendat. Qua igitur opinione hoc tantum bonum tollitur, eam & abſurdam & falſam, minimeque naturalem, eſſe neceſſe eſt. Bona enim & naturalia & vera, eadem ſecum ſunt. Cum ſecundo ſequitur fędiſſimarum & prodigioſarum opinionum turba, Centauri, Scyllæ, Harpyæque. Nunquam igitur erit verum, quod & naturæ, & diuinis, humaniſque rebus tam ſit aduerſum. Quare enim cogimur Deum fateri ſempiternum? quia ſi quis daret Deo principium, eum in abſurdiſſima cadere neceſſe eſſet. Sicne tot abſurda ſequantur, velis nolis cogeris mundo ęternitatem denegare. Nam ſi eſſet ita nunc hominibus perſuaſum, ſemper mundum fuiſſe, ſicut perſuaſum eſt, aliquando cępiſſe, alia facies eſſet rerum humanarum, nulla templa cernerentur, nemo pietatem, iuſtitiamque coleret: nec impius ſcelerum ſe pęnas daturum, nec iuſtus pietatis præmia ſe recepturum putaret. Omnes ad hanc mundi vanitatem, ad inanes vmbras has inhiarent. Cumque nunc in tanta rerum diuinarum claritate, tam caliget genus humanum, quid fore tunc putes, cùm nec à Deo ſe fuiſſe profectum, nec vlla iuſtæ vitæ præmia propoſita intelligeret? Sequerentur autem hæc omnia, ſi mundus eſſet ęternus. Tolleretur etiam ex hominum opinione Dei prouidentia: quia ſicut a nullo principio mundus & homo eſſet profectus, ſic neminem E eſſe putarent, qui rerum ad ſe nihil attinentium vellet eſſe cuſtos & gubernator. Quoniam igitur peſſima quæque inducerentur, ſi ęternæ res eſſent, & quia nec debent eſſe, neque eſſe natura poſſunt tanta dedecora, mundus ęternus eſſe non poteſt. Porrò rationem quis non perſpicit, ſicut ad vnum fontem neceſſe ſit riuos reuocare, ſic neceſſario ad vnum caput cuncta referri, à quo tanquam principe, omnium rerum ordines prodierint? Vnam enim neceſſe eſt eſſe omnium originem, à qua propter ſummam diuinitatem ac poteſtatem potuerint cuncta proficiſci. Vnam fuiſſe ſapientiam, in qua decor ordineſq; rerum viſibiles prius comprehenſi exire in lucem atque depromi potuerint.

Deus an ab ęterno ſuſtinuerit omnia. Dependentia.

Atque ornamenta hæc mundi, omnes quidem intelligunt vnum exornatorem habuiſſe, ſed eum ab ęterno dicunt ſuſtinuiſſe, aluiſſeque ſemper vniuerſa, quandam perennem creationem comminiſcentes, quæ poteſt dependentia vocari. Quos operæpretium eſſet intelligere errorem ſuum. Primum nulla eſt dependentia, quæ non cęperit aliquando dependere, niſi & dependens, & a quo dependeas ſint ęqualia natura. Ea enim mutuo ſemper coniuncta fuerunt, in quibus eſſet eadem ſimiliſque ſemper exiſtendi poteſtas. Non poteſt autem alteri dare vim ęternitatis ſuæ magna ac ſuprema poteſtas: Quod tam fieri non poteſt, quàm non poteſt alterum ſimilem efficere ſui Deus. Eſſent enim duo capita, maxima duo. Duobus autem ſummis conſtitutis, neuter eſſet ſummus. Sicut ergo Deus non poteſt vndequaque ſimilem ſui efficere Deum, ſic efficere non potuit, vt haberet vllius ab ęterno ſocietatem. Vbi eſt enim ęternitas, ſemper item eſt exiſtendi vigor ac poteſtas, quæ ſolo in Deo eſt. Tantaque eſt hæc diuinitas & poteſtas, vt alteri etiam ab ipſo Deo, non queat conferri, non propter impotentiam, ſed quia capi non poteſt. Videant igitur, probeque diſcutiant, quanto impietatis errore demergantur, qui dant mundo ęternitatem. F Non enim animaduertunt ſe dare mundo potentiſſimam diuinitatem, ac ſemper exiſtendi poteſtatem: quæ non ſolum non poteſt cuiquam dari a Deo, ſed a nullo etiam poteſt recipi. Nam cui data eſſet hæc ſemper exiſtendi potentia, id & genitum de ſubſtantia Dei neceſſe eſſet, & totam in ſe diuinitatem recipere, perinde atque filium Dei, qui ideo eſt ęternus, quia generatus a Deo.

Exempla parum cōgruentia, radiorum Solis, & corporis vmbra.

Reputet autem ſecum, qui prudens eſt, quid ſit aliquid eſſe ſempiternum. Inueniet enim nihil diſtare inter hoc & diuinitatem, ſiue infinitam, & incomprehenſibilem poteſtatem. Idem enim eſt, ſi recte perpendas, ęternitas ac diuinitas. Non eſt autem eadem iſta rerum manatio a Deo, atque fluxus radiorum a Sole, aut vmbrarum à corporibus profectarum, & corpora ſemper comitantium. Exempla minime ſimilia & congruentia. Nam ideo radij ſemper cum Sole fuerunt, quia de ſubſtantia Solis generantur. Si ergo vis ita manationem rerum à Deo ſemper fuiſſe, ſicut fluxus radiorum a Sole; dicas etiam oportet, res a Deo generari, ac de ſubſtantia illius procedere, ſicut fluunt radij a Solis ſubſtantia: Sic enim eſſet mundus ęternus, ſi ab ęterna Dei ſubſtantia manaret. Si autem manaret, eſſet etiam Deus. Non quadrat etiam exemplum: Falsò enim iſta rerum à Deo dependentia, manatio vocatur, cùm tamen hoc recte de radiis dicatur. Quis enim non intelligit longè aliud eſſe hoc ab illo? non ſolum quia diſſimillimæ ſunt omnes res a Deo, ſed etiam quia ſi veniunt & ſuſtinentur ab eo, voluntate quadam veniunt & ſuſtinentur. Intellige vero exempli diſſimilitudinem, Deus ſine omnibus rebus eſſe poteſt, Sol ſine radiis eſſe non poteſt. Eſſet enim Deus, etiam ſi genus humanum, ſi cęlum, ſi terræ non eſſent: ſed non eſſet Sol, ſi radij non eſſent: non fons exiſteret, ſi riui non fluerent: ſunt enim riui de fontis ſubſtantia. Nauis quidem fluctuaret, raptataque & vaga per pelagus, nouiſſimeque fracta mergeretur in præceps, ſi guber-

nator

A nator abeſſet: gubernator autem in regno ſuo degere ſine naui poſſet. Hoc Deus in mundo,
ſine mundo. Vmbrarum quoque a corporibus profectarum exemplum, propter multimodam
diſſimilitudinem nihil eſt. Nam vmbræ non ſemper cum corporibus exiſtunt, longeq; alia fluunt
ratione, quàm opificia ab opificibus, aut mundi conſtitutio a Deo. Eſt enim carentia lucis vmbra,
non res vlla: at corpora aliquid ſunt. Eoque non manant, nec veniunt a corporibus vmbræ:
quia non poteſt quod nihil eſt, ab eo quod aliquid eſt, proficiſci. Deus autem optima res, quæq;
ab eo ſuſtinentur, aliquid ſunt. Fluxus igitur rerum non eſt a Deo, ſed ſubita operatio, a potentiſſima,
& ſapientiſſima eius voluntate procedens. Quamobrem quibus hæc & id genus exempla
placuerunt, quibus a Deo perennem manationem oſtenderent, facilè ſuos errores agnoſcerent:
ſi paulò attentius quid loquantur, conſiderarent. Sed ſunt quidam adeò pertinaces, &
hebetes, vt malint ſemel hauſtos errores defendere, quàm ad verum reſipiſcere: parati ac coniurati,
quos ſequuntur philoſophorum, animis inuictis opiniones tueri. Sed eos quando aliud
non poſſumus, ſuis placitis delectari patiamur. Duas autem rationes, quæ palmares ſunt illis,
quibus mundi comprobent ęternitatem, diſſoluamus. Si mundus, inquiunt, non ſit ęternus,
duos execrabiles errores ſequi neceſſe eſt: Deus vt mutabilis ſit, & ab opinione ad opinionem
tranſiens, ceu mortalis: tum vt tempus factum ſit in tempore, id eſt vt fuerit antequam eſſet:
quod quàm ſit abſurdum, nemini dubium eſt. Nam (vt primùm in eorum gratiam diſſeramus)
qui fieri potuit, vt tam repente mundi opifex extiterit, ab ęterno ceſſator? Qua tandem libidine
permotus, eo initio, quo creatus eſt mundus, non infinitis ante ſæculis hæc omnia molitus?
Quoniamque in Deo non poteſt cadere mutatio, cuius eſt immutabilis, ſemper in ſumma
B bonitate ſua conſiſtens ſubſtantia, neceſſario negandum eſt, mutata ſententia, in qua fuerat
ab ęterno, ad mundi conſtitutionem eum veniſſe. Tempus autem idcirco factum in tempore
fuiſſe, quia quicquid fit, in tempore fieri certum eſt. Quòd ſi, vt autor eſt Plato, tempus
vna cum cœlo eſt generatum, ſine dubio non potuit in tempore fieri cœlum. Tempus item
eſt, quod inſtat, præſenſque eſt, præſens nunquam caruit præterito & futuro: nullum igitur
habuit tempus principium, cum quo ex vtraque parte ſemper eſt præteritum, & futurum.
Hæ ſunt eorum validiſſimæ rationes, quibus adducti mundo dederunt ęternitatem. Sed nullus
erit labor, quantum præſtigiarum his argumentis inſit perſpicere, ſi relicta ſuperna cute,
oculos in receſſum inferamus. In arcanis enim, ac reconditis naturæ penetralibus inueniemus
veritatem. Dicis in tempore fieri omne opus. Quæro igitur, quo modo tibi ſit neceſſarium,
vt omnia fiant in tempore: quid dicas etiam tempus, ſcire cupio. Eſt, inquiunt, numerus
motus cœleſtis, id eſt diſtributio, & quaſi diuiſio motus illius, & conſideratio. Eſt enim
tempus vniuerſum annorum multitudo: particulare tempus, hora: ex horis dies, è diebus menſes,
è menſibus anni, ex annis tempus vniuerſale colligitur. Horæ autem, dies, menſes, & anni,
è motu cœli. Reſpondeo igitur, eò te falli, quòd tantum tempus eſſe contendis, quod è motu
cœli componitur & cogitatur, cùm non in cogitatione ſolum, ſed etiam in natura, alia poſſint
eſſe tempora. Vnumque genus temporis eſt, quod cœleſti motu conficitur, ſicut ipſe motus,
non omnis eſt motus, ſed vna tantum ſpecies, multis præter motum cœli, motionibus occurrentibus.
Nam ſi perhibentur multi ſub altiſſimis cauernis toto vitæ tempore habitare,
hiſque ſuas operationes diſtribuere placeret, quo motu eas diuiderent, qui cœlum nunquam
ſuſpexiſſent? Aut ergo aeneas machinas erigerent, ad continuum motum incitatas, aut clepſydris
C vterentur, & ad iſtos motus, ſuas horas, dies & annos colligerent: ad motum autem
cœli nihil metirentur. Eſt ergo tempus numerus, aut menſura motus: ſed non cęli ſolius.
Nam quamquam fiant a cęlo noctes ac dies, fiunt alia neceſſitate. Quòd ſi cogente Deo, cęlum
curſum ſuum ſiſteret, nihilominus tempus eſſet. Sublato ergo & amoto cęlo, non tolleretur
hac de cauſa tempus & motus, ſed ea ſolum, quia non eſſet, qui viuerent, quique motus
vllos exercerent, eoſque metiri poſſent. Ac ſi poſſent ſine luce, & calore cęleſti viuere
animantes, ſine dubio motus & tempus eſſent. Non eſt igitur inuicta neceſſitas, ſe tempus &
motum cęli mutuo conſequi, vt indiſſolubili vinculo alligentur. Ita enim potuit tempus ſine
motu cęli exiſtere, ſicut poſſet nunc his, qui ſub altiſſimis cauernis aut carceribus habitarent.
Quod exemplum & ſi non facilè inuentu ſit, eo tamen probatur, motum cęli & tempus non
eſſe inſeparabiliter coniuncta. Quod puto eſſe clariſſimum. Factum eſt igitur cęlum in tempore,
ſed non eo tempore, quod poſtea è motu cęli pependit. Quis enim non intelligit ante
motum cęli, quoddam ſpacium, ſiue ęternitas vocetur, ſiue quocunque alio gaudeat nomine,
fuiſſe? Quid quod Ariſtoteles ait, ſupra vel extra cęlum nullum eſſe tempus, vbi ſint res
beatiſſimæ, tota diuinitas, degens ęuum fęliciſſimum? In hoc ęuo Deus exiſtens acceſſit ad
mundi conſtitutionem. Adde quod alij dicerent, eum non in tempore, ſed inſtanti creaſſe, ſubita
& momentanea operatione, omnia enim obediebant naturæ diuinæ: tempus autem menſura
continua eſt, potens in multas partes ſecari. Non enim creauit Deus mundum aut anno,
aut menſe, aut die, aut hora, ſed actione inuiſibili: aut ſi qua maiore actione, ea certe, quæ
quodam ſpacio, non cęli motu tranſigeretur. Initio, ait Theologus, tu Domine terram fundaſti.
Cùm terra fundata eſt, nullum erat cęlum, nullum tempus: at quodam ſpacio & alio genere

Rationes quibus mũdi ęternitatem probare nituntur.

Refellit eas rationes. Tempus quid.

Quomodo factum cœlum in tempore.

Pſal. 101.

D

temporis tamen eſt fundata, quod ipſe appellat initium. Dicerent fabulæ noſtræ, nullum initium eſſe poſſe, vbi non ſit tempus, quæ deceptio & exemplo, & ratione, & autoritate coarguitur. Nam ſupra cœlum, vt dixi, nullum cenſet eſſe tempus Ariſtoteles, viuitur tamen illic beatiſſimè eodem autore. Aliquam igitur actionem cogitabat vbi non foret tempus, & non adeſſe tempus aſſerebat, vbi non eſſet cęlum. Sic ante cęlum aliqua fuit actio, qua partum eſt cęlum, non in tempore. Hæc etiam diſſoluunt, quæ de præſentia temporis argumentabantur. Aliam enim vitam, alios annos, aliam ętatem degit Deus, in qua cùm eſſet, venit ad mundi conſtitutionem. Illud præſens fuit ab ęterno, tempus aliud diuinius; quod, (vt nunc dixi) Ariſtoteles cenſet eſſe ſupra cœlum, ſic erat etiam antequam eſſet cęlum. In illa igitur præſentia Deus conſiſtens mundum creauit, tempuſque cępit: ęternitas autem eſt ſempiterna, ſempiterna præſentia, ſempiternum nunc. Omnis etiam operatio initium temporis facit: ſi operatio habet initium, habet etiam tempus: Et vt non habet ſemper prius, & poſterius operatio, ſimiliter nec tempus. Hoc item patet de magna illa mundi operatione, qua inchoata, inchoatum etiam eſt tempus. Itaque non neceſſario, omne tempus habet præteritum, ſicut nec particularia tempora particularium operationum: nec verum eſt omne tempus ex duabus partibus conſtare. Quod autem de mutatione Dei obiiciebatur, eadem ratione ſpecioſius eſt, quàm verius.

Duę ī Deo proprietates.

Non ſolum enim Scriptura diuina teſtante, ſed veriſſima etiam ratiòne docente intelligimus duas in Deo ineſſe proprietates, ſic enim eas puto poſſe nuncupari: Vnam ad infinitam & incommutabilem, ęternam & immenſam diuinitatem ſuam ſpectantem: Alteram ſpectantem ad res noſtras, eaq; omnia, quæ ſunt extra ſubſtantiam diuinam.

E

In prima Deus eſt ęternus, immenſus, immutabilis, id eſt in rebus ſuis, in diuinitate ſua, in diuitiis, in altiſſima, profundiſſimaque ſapientia & ſanctitate, quæ nulla poteſt ratione mutari. Ampliſſimum & admirabile regnum, quæ ſunt, quæcunque eſſe poſſunt, complectens, omnium pelagus bonorum, altiſſima caligo, in quam nemo poſſit oculos inferre. Hæc ſubſtantia neque variari poteſt, neque mutari. Altera eſt in Deo proprietas, ſpectans ad res noſtras, earumq; adminiſtrationem, in qua Deus non ſolum non eſt immutabilis, ſed fieri etiam non poteſt ne non ſit mutabilis. Neceſſe enim eſt Deum mutare diſpoſitiones ſuas ad rerum noſtrarum mutationem: iniuſtiſſimuſque eſſet, niſi mutaretur, implacabilis, inexorabilis. Quæ cùm ſit crudelitas (crudeles enim dicuntur a cruditate, quia nunquam matureſcant, miteſcant, molleſcant) vix etiam in Tyrannis, nedum in Deo locum habet. Nam ſi cum primùm iniuſti peccauerunt, continuo pęnis ęternis a Deo deputantur, poſt reſipiſcentes redeunt in gratiam cum iuſtitia & probitate, nonne & Deum ſuper his decreta ſua mutaſſe dices? Quoties iratus, poſtea placatus eſt? Quibus exemplis refertiſſima eſt theologia: Quæ ne a philoſophis quidem, niſi velint eſſe impij, negari queunt. Spectant enim ad prouidentiam, quam nemo bonus philoſophus ſuſtulit vnquam.

Deus quomodo mutetur.

Mutatur ergo Deus in rebus noſtris, quem & pęnituit, quòd hominem feciſſet, ſuper eo creato mirum in modum antea lætatus. Multis ſæpe eſt multa pollicitus, quæ non conceſſit, non merente eorum improbitate, quorum priori probitati promiſiſſet. Optauit etiam, idque veriſimile eſt, omne genus humanum ad ſuos triumphos euehi, quæ cupiditas non omnem habuit ſucceſſum. Quicquid aliud dixeris impium erit, & abſurdiſſimum. Sic ergo voluit facere mundum, nihil in ſua diuinitate mutatus, manente regno ſuo incolumi: nec gratia ſubſtantię & diuinitatis ſuæ, & vt vel tantillum res augeret ſuas, eum fecit, ſed impellente, quæ præcellit, ſolaque apud eum dominatur, ſola placet, bonitate, & clementia.

F

Quanta, quæſo, res eſt mundus ad maieſtatem diuinam, quæ poſſet mille mundos facere, ſi vellet, cuius creatio timemus, ne quid mutationis afferret Deo? Reſpice res humanas, non diuinas, quæ mutari non poſſunt: reſpice quas creari propter ipſas oportuit. Non debuit ergo eas creare Deus, ne ſcilicet mutaretur, aut omnino non creauit? Vt igitur apparet, Deum ſæpe in rebus noſtris fuiſſe mutatum, ſic mutatus eſt, ad mundi conſtitutionem manus admoliens. Creauitque hoc tempore, non prius, quia quocunque tempore creaſſet, neceſſario aliquando ęternus ipſe creaſſet. Eademq; ſemper eſſet quæſtio, cur hoc tempore, non prius. Tum in ęternitate, in qua Deus exiſtens creauit mundum, nihil eſt prius & poſterius, quæ res noſtræ ſunt, & animi noſtri cogitationes. Fuitque mundus creandus, res a diuinitate ſeparata, & aliena, in quo Deus creando hactenus eſt mutatus, quatenus ſe mutauit, cùm eum pęnituit, quòd hominem feciſſet. Qui autem ex conchis repertis in montibus, tam facilè ad aſſerendam mundi ęternitatem feruntur, animaduertent errorem ſuum, ſi primo occurſu relicto, in receſſu pectoris ſui rem exactius ponderauerint. Inuenientque apud hiſtoricos ſæpe ſanguine, & lapidibus pluiſſe, cùm nec ille ſanguis verus, nec hi veri lapides eſſent, ſed res verarum rerum aliquo modo ſimiles. Sic montanæ conchæ, ſimiles marinarum, non marinæ: Ideo non fuit in montibus mare. Cur non cogitent etiam, ſi hæ marinæ conchæ eſſent, non fuiſſe tot millibus annorum diſſolutas? Sit etiam verum aliquos montes inundaſſe mare, ſequeturne illico ęternitas? Ex diluuio remanſiſſe potuerunt, ex illis immenſis ab exordio mundi aquis, quibus non ſubito tota terra, ſed paulatim nudata, multa in montibus reſtitiſſe potuerunt creati, omniaque inundantis maris indicia. Denique omnes vetuſtiſſimi Philoſophi, & priores Theologi, & Poetæ creationem mundi aſſeruerunt.

A ruerunt. Vnus Ariſtoteles ſuſpectus eſt: nam Democritum & Epicurum nulli vnquam in numero bonorum philoſophorum habuerunt. Quem quidem Ariſtotelem ob eos ęternitatem induxiſſe conſtat, quos materiam informem, ſiue chaos ęternum aſſeruiſſe credidit. Quo ſine dubio melius eſt, mundum dicere ſempiternum. Minus inquam malum, pulchritudini & venuſtati atque ordini dare ęternitatem, quàm confuſo elementorum aceruo, quod horribile quoque eſt ad cogitandum. Hoc cùm videret, aut crederet, Anaxagoram, Timæum, Platonem tradidiſſe, oppoſuit ſeſe, mundique ęternitatem & ordinis inuexit, quam illi dabant confuſioni, materiæ informi, & ei quod dixere chaos, infinitum tempus à chaos ad mundum creatum inducentes. Sed quoniam nec veritas, nec fortaſſe quiſquam, niſi qui priores theologos & Moſen non intellexerunt, a chao ad creatum mundum infinitum tempus interiecerunt, dicemus è duobus male conſtitutis, illud Ariſtotelicum eſſe tolerabilius. Vna quoque hirundo non facit ver: vnius in tanto & Philoſophorum & Theologorum numero teſtimonium quid valere poteſt? Poſſet quoque ex dictis ſuis conuinci, quibus prudens, vel imprudens mundum creatum eſt confeſſus. Sed quando tantus eſt maximarum rationum fulgor, quas ille videre non potuit, tantum robur, vt quantacunque audacia quis opponat ſeſe, facilè ſit proſternendus, non eſſet prudentis contendere aduerſus eum, quaſi eo deuicto, vel eſſet maiorem lucem veritati daturus, aut labenti auxilium laturus: cùm nec illum, ſi ad Theologiæ veros fontes aſpirare potuiſſet, a toto mundo par ſit fuiſſe diſſenſurum.

Moſis ſapientia.

INchoata igitur eſt creatio quodam certo temporis initio, non fuit aut ęterna mundi a Deo dependentia, aut creatio quidem quodam initio, materia verò ſempiterna. Ac Moſes, vt B ait Philon, qui & ἐπ' αὐτὴν φθάσας φιλοσοφίας ἀκρότητα καὶ χρησμοῖς τὰ πολλὰ, καὶ συνεκτικώτατα τῶν τῆς φύσεως ἀναδιδαχθεὶς, ἔγνω δὴ ὅτι ἀναγκαιότατον ἐστὶν ἐν τοῖς οὖσιν, τὸ μὲν εἶναι δραστήριον αἴτιον, τὸ δὲ παθητόν. Ad ſummum philoſophiæ culmen perueniſſet, quique oraculis, præſtantiſſimas vires & cauſas naturæ didiciſſet, cognouit neceſſario in natura rerum, eſſe cauſam agentem, & patientem: ſic Philon. Qui tollit igitur creationem, qui negat hoc omne a quadam magna cauſa aliquando habuiſſe principium, is non ſentit, ſe auferre hominibus, quo nihil habere poſſint ſalutarius. Quod quoniam idem Philon intellexit & prædicauit, cupio vocem eius omnibus eſſe notam: τόνδε κόσμον οἱ φάσκοντες ὡς ἐστὶν ἀγένητος λελήθασι τὸ ὠφελιμώτατον, καὶ ἀναγκαιότατον τῶν εἰς εὐσέβειαν ἡκόντων ὑποτεμνόμενοι, τὴν πρόνοιαν, τοῦ μὲν γὰρ γεγονότος ἐπιμελεῖσθαι τὸν πατέρα καὶ ποιητὴν, ἱστορεῖ λόγος πρὸς δὲ μὴ γεγονὸς οἰκείωσις οὐδεμία τῷ μὴ πεποιηκότι. Qui mundum prædicant increatum non perſpiciunt, nec ſentiunt, ſe quæ potiſſimum pietatem conſtituunt, & ad eam adducunt, clam abſcindere, dico prouidentiam. Docet enim ratio vnumquemque factorem, & creatorem rei ab ſe factæ eſſe cuſtodem. Erga rem, quam tu non condideris, nulla charitas, & beneuolentia. Hæc Philonis ratio veriſſima eſt. Quòd ſi prouidentiam nolumus tollere, nec tulit philoſophus bonus vnquam, ne tollere quidem poſſumus, aut debemus creationem. Sequitur etiam ingens ruina, labente eo, quo cætera ſuſtinentur. Qui tollit creationem, tollit prouidentiam: ſublata prouidentia, pietas omnium regina, princepſque virtutum aufertur: pietate ſublata, nullæ virtutes, genus humanum nullam habet a brutis differentiam. Inſolitumque eſt, vt idem ait, & prorſus alienum, vt ſi videmus vbique ἀναρχίαν eſſe turpiſſimam, eam a re omnium maxima, ac pulcher- C rima, id eſt hoc mundo, remouere. Quæ eſt enim vrbs, quæ nauis, omniſque alia res, in qua aliquis ordo cernitur, quæ principem, rectoremque non habeat ſuum? Idcirco Moſes mundi creationem inuulgauit, è cuius hiſtoria, & ſcientia plurima bona prouenerunt. De quo idem Philon, ſunt enim obſeruanda, eaque non vereor proferre: Διὰ δὲ τῆς λεχθείσης κοσμοποιΐας, πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἡμᾶς διδάσκει, πάντα δὲ τὰ κάλλιστα, καὶ πάντων ἄριστα, πρῶτον μὲν ὅτι ἐστὶ, καὶ ὑπάρχει τὸ θεῖον διὰ τοὺς ἀθέους. δεύτερον δὲ ὅτι θεὸς εἷς ἐστὶ διὰ τῆς εἰσηγητὰς τῆς πολυτέου δόξης, τρίτον δὲ ὡς ἤγη λέλεκται ὅτι γενητὸς ὁ κόσμος οὗτος διὰ τοὺς αὐτὸν οἰομένους ἀγένητον καὶ ἀΐδιον εἶναι. τέταρτον ὅτι καὶ εἷς ἐστὶν ὁ γενητὸς κόσμος οὗτος. ἐπειδὴ καὶ εἷς ὁ δημιουργὸς, πέμπτον δὲ, ὅτι καὶ προνοεῖ τοῦ κόσμου ὁ θεος. Propter traditam a Moſe creationem, præclariſſima & omnium optima edocti ſumus. Primum, eſſe & ſubſiſtere in natura rerum aliquod numen, aliquam diuinitatem, idque propter impios oſtenſum. Secundum, quòd Deus ſit vnus, propter eos qui multos Deos introduxerunt. Tertium, quòd, vt iam aſſignatum eſt, mundus is eſt creatus, propter eos, qui eum ſtatuerunt ſempiternum. Quartum, quòd vnus ſit etiam iſte mundus, quia creator eius ſit vnus. Quintum, quòd gubernet Deus, & regat hunc ipſum, quem fecit. Sic Philon in ſua Coſmopœia. Deinde pulcherrimè, ac ſapientiſſimè concludit: ὁ δὴ ταῦτα μὴ ἀκοῇ μᾶλλον ἢ διανοίᾳ προμαθὼν, καὶ ἐν τῇ αὑτοῦ ψυχῇ σφραγισάμενος θαυμάσια καὶ περιμήχητα εἴδι ὅτι τε ἐστὶ καὶ ὑπάρχει θεὸς, καὶ ὅτι εἷς ὁ ὢν οὕτως ἐστὶ, καὶ ὅτι πεποίηκε τὸν κόσμον, καὶ πεποίηκεν ἕνα ὡς ἐλέχθη, κατὰ τὴν μόνωσιν ἐξομοιώσας αὐτῷ, καὶ ὅτι προνοεῖ τοῦ γεγονότος, μακαρίαν καὶ εὐδαίμονα ζωὴν βιώσεται. Qui hæc igitur, non tam auribus, quàm cogitatione arripuerit, imprimens præclaras has & admirandas in animum ſpecies, Deum eſſe, & vnum eſſe, qui verè eſt, & hunc creaſſe mundum, & creaſſe vnum tantum,

Creator & cuſtos idẽ.

vt dictum eſt, ſingularem eum ſicut ipſe eſt faciendo, & quod facto proſpiciat, fœlicem & beatam aget vitam. Hæc præclarè, & diuinè mortales omnes docuit Philon, vt ex creatione Moſis, quicquid ad mundum ſpectet, & res humanas, poſſit perſpici, de eius creatione, vnitate, prouidentia. Sed ſæpe furioſæ quædam inuadunt animum cogitationes, dicentes; Si creatus eſt mundus, cur non multis ante ſæculis eſt creatus? cur non centum millibus elapſis annis? Contra quam inſaniam (inſania enim profecto) nullum inueni ſalutarius ac præſentius remedium, quàm quod extat apud doctiſſimum Gennadium. Eum igitur auribus intentis audi: vera enim. & præſentia, ad tollendam hanc ęgritudinem, loquitur: εἰσί τινὲς οἵ φασὶ δεῖν τὸν θεὸν βουληθεντα κτίσαι τὰ σύμπαντα, μὴ ὕστερον οὕτως, ἀλλὰ προπολλοῦ τοῦτο ποιῆσαι, ἔστιν δὲ οὗτος ὁ λόγος, πρὸς μὲν τῷ τολμηρῷ, λιὰν εὐήθης. ἀΐδιου γὰρ τοῦ θεοῦ καὶ ὄντος καὶ εἶναι πιστευομένου, πάντοτε ἂν ὁμοίως τὸ αὐτὸ τοῦτο, τοῖς ἐθελουσι, λεγειν ὑπῆρξεν κἂν εἰ πρὸ μυριάκις μυρίων ἐτῶν ἐπεποίητο τὰ γεγεννημένα: πάντοτε γὰρ πρὸς τὸ τοῦ πεποιηκοτος ἀπέραντον ὁμοίως ἂν ἀπελέπετο, ἀνιούσις μὲν ἀεὶ καὶ ἀναχωρούσις εἰς τὸ ἄνω τῆς διανοίας ἡμῶν ἐξικνουμένης δὲ οὐδαμῶς, οὐδὲ πώποτε πρὸς τὸ ἀναρχοντε αὐτοῦ, καὶ ἀΐδιον, ὥστε οὐδὲ τοῦτο θρασυνομένοις πολυπραγμονητέον ἡμῖν, ἀλλ᾽ εὐλαβῶς τοῖς παραδεδομένοις στερητέον. Sunt, ait, qui dicunt, Deum condere vniuerſa decernentem, oportuiſſe non tandiu a creando eum ſuperſedere, ſed multo ante tempore opus aggredi. Quorum verba præterquam quòd temeraria ſunt, etiam ſunt ſtulta vehementer. Nam cùm Deus & ſit & credatur ſempiternus, ſemper id ipſum poterit qui volet, dicere: etiam ſi innumerabilibus annis antè, mundus fuiſſet creatus, ęquali ſemper ſpatio remanente, reſpectu creatoris infiniti, & cogitatione noſtra ſemper progrediente, nec vſquam ſiſtente ac perueniente, ad id quod eſt ſine principio, & ſempiternum. Quapropter his audacia noſtra debet ſuperſedere, ſtandumque religioſe eſt, & acquieſcendum his, quæ ſunt erudita. Huc uſque Gennadius. Quoniam autem hanc traditam a Moſe creationem, & cum cæteris omnibus credimus oraculo eum didiciſſe, & alia quoque ratione fieri potuiſſe, vt a primis vſque ſæculis inuulgata ad eum peruenerit, hoc ipſum excutiamus.

D

E

QVOD COGNITIO MVNDANAE CREATIONIS fuerit etiam ante, & poſt Moſen penes gentes.

ORIGINEM mundi, omniumque rerum inuentionem quondam fuiſſe, nec in ſempiternum retro tempus, innumerabilibuſque ſæculis cœlum ac terras, homineſque extitiſſe, ipſam quoque creationem fuiſſe qualem libri ſacri tradiderunt, non his ſolum oraculis, quibus nemo niſi demens atque impius fidem derogabit, ſed & omnium penè gentium monumentis, continuatiſque doctrinæ per totum orbem terrarum, apud omnes populos, ſucceſſionibus, conſtat. Vt tradita per manus a primo genitore, transmiſſaque ad poſteros videatur: Si quidem & apud Aegyptios, & qui priores illis, floruerunt Chaldæos, atque Phœnices, demum Græcos ipſos, præcipuè antiquiſſimos eorum Poetas ac Theologos, clara atque diſtincta, eademque non pauca Moſaicæ philoſophiæ, quæ ſola pura ſynceraque, cæteris maggis erroribus temeratis, reſtitit, apparent membra, vt facile ſit prudentibus ea recognoſcere. Fieri quidem non poteſt, quoniam tanta eſt doctrinæ, ſermonumq́, de mundo condito, & ordine condendi, nominum, appellationum, & principiorum, apud omnes ſimilitudo, quin quemadmodum fluminum orientium ab vno iugo, & in diuerſa abeuntium, ſic ab vno homine multa in omnes terras magnæ, atque inclitę cognitionis iſtius facta ſint diuortia. Potuerunt quidem librum Moſis, quippe qui omnium ſcriptorum eſt antiquiſſimus, cuncti legiſſe, & inde hauſiſſe, quæ nos in libris eorum reperta, ſoliti ſimus admirari. Sed cauſam iſtarum rerum, ipſaq; primordia penitus indaganti, occurret fortè certius, ac probabilius, primæuos homines; quibus, cùm is qui primus ſatus a Deo fuit, plus nongentos annos egit, cuncta quæ ipſe de creatione rerum vel vidit, oculiſque conſpexit, aut proximus quare quæque facilè diſcere potuit, vberrime ac pleniſſime omnes docuiſſe. Quid enim aliud tam veriſimile, quàm magni ac ſapientiſſimi, & à Deo creati hominis illius vitam ac ſermonem, maximis de rebus priſciſque illis cœli ac terræ, & hominis initiis fuiſſe? Neque verò ante Moſen Hebræos & cæteras gentes ignaros rerum tantarum fuiſſe putandum eſt, vt Noe, & Abraham, cæteroſque ſanctitate ac ſapientia principes. Quid Iob, cùm diceret: Manus tuæ fecerunt me? Quis enim eum hoc docuit, cùm ante Moſen multa ſæcula floruerit? in cuius libro non poſſet hominis diſcere creationem. Quis ea quæ tam multa de Deo, rebuſq; humanis cęleſtibus ac terreſtribus philoſophatur, cùm nec dum philoſophia Moſis extaret? Certè igitur credendum, ante illa ſæcula omnes, ſed eas pręcipuè gentes, quæ primæ conditæ ſunt, cęteriſque antiquiores fuerunt, cuncta & litteris tradita, quæ de mundi creatione perhibentur, habuiſſe, & omnibus ea nota, celebriaq; fuiſſe, quemadmodum hoc tempore omnium in ore ſunt, propter earum magnitudinem, ac temporum propinquitatem, res Romanorum. Quo tempore a florentiſſima Republica eorum, ideſt a noſtra ſalute

F

Iob ante Moſen.

mille

A mille quingentos annos triginta tres abſumus, eorumque res incredibili celebritate circunferimus: ſic eo tempore, quo tantundem ſæculorum à mundi principio fuiſſet decurſum, quanquam proximum inſtabat diluuium, fuere vt par eſt cunctis principia rerum notiſſima, deque his paſſim feruebat hominum ſermo. Quis autem vel ab aliquo memorabili bello, vel à remotiſſimis terris proficiſcens, non auide quæcunque viderit, audieritque cunctis refert? Quis eorum, qui longè in ętatem prouecti ſint, non creber eſt rerum ſui temporis commemorator? Hoc priſcos illos homines feciſſe multo magis neceſſe eſt, quo & numeroſiſſime viuebant, & erant pietate, iuſtitiaque inſignes: tum ea quæ narranda occurrebant, non parui erant ponderis. Hinc, vt dixi, in omnes gentes tota iſta de mundo manauit ſcientia, deferentibus ſecum eam his, quos parentes colonos in varios orbis terrarum tractus dimittebant. Omnium autem gentium primi ſunt Chaldæi, Armenij, Charanei, id eſt Meſopotamij, qui primi has à ſe nominatas regiones tenuerunt, ibique res geſtæ ſunt priorum ſæculorum. Creatio hominis, diluuium, arca, ſeu nobiliſſima memoratiſſimaque nauis, quæ in montibus Armeniæ conquieuit: deinceps turris illa ingens: Poſt, Phœnices, Aegyptij: nouiſſimi autem omnium Græci conditi ſunt: quorum ſicut genus, ſic qualiſcunq; apud eos fuiſſet, ab Eois philoſophia, vt autor etiam eſt Plato & Plutarchus, manauit. Hanc igitur de creatione rerum Moſis deſcriptionem, cùm apud omnes prope gentes reperiam, fit vt ſuſpicer, plurima quoque alia antiquis de mundo ſcripta fuiſſe, vnde hæc veluti fruſta, ac quædam naufragia ad poſteriora ſæcula peruenerint. Refertque ad alia Iamblicus & Philon Phœnix, Mercurium Triſmegiſtum plura volumina de natura rerum & creatione ſcripta reliquiſſe. Conferam igitur, antequam Moſen aggrediar, quædam cum deſcriptione eius, B vt conſtet veras eſſe coniecturas, omnes quondam gentes creationem mundi, qualem tradidit Moſes, cognouiſſe: eamque ante & poſt tantum virum vbique fuiſſe decantatam. Dico autem ſolas coniecturas, quæ ſint quaſi certiſſima ſcientia: Principio docuit Moſes omneſque deinceps prophetæ, cuncta in principio fuiſse permiſta, aquas videlicet ac terras, nulla deſuper cęleſti luce radiante: terramque fuiſſe aut vanitatem quandam, ac deformitatem, aut obſcuram atque inuiſibilem, propter aquarum multitudinem, quæ tanta fuit, quanta poſtea reſolutis illis ad aerem efficiendum ſufficeret, & pars pro mari in terra reſideret. Non enim temere & incaſſum tanta fuit aquarum copia. Alioqui nec aer ex aquis euaporatis fieri, nec continua vaporum, nubium, è quibus in aere pluuiæ, in montibus & cauernis, fontes & flumina generantur, concreſcere ac liquefieri potuiſsent. Denique ſi recte aciem mentis in rerum naturam intendas, ſi bene veritatem conſulas, quanto tenuior leuiorque natura ſit aquarum, natura terrarum, tanto maiorem aquarum copiam, fieri debuiſse probabis. Quid enim, an a principio, antequam aer & nubes, ac fontes, fluminaque eſsent, ſi fingamus tantas quantæ nunc, aquas fuiſse, & creata luce, Soliſque ardore hæ in aerem, ſudoremque tantum abiiſsent, quantum natura coegiſset, nonne conſumptæ breui omnes in aerem euanuiſsent? Sic neque mare fuiſset, nec ex marinis vaporibus genitæ nubes ac pluuiæ, nec aeris, vllis ex aquis continua reparatio ac reſtitutio. Ad alendas igitur terras, ad efficiendum extendendumque per omnem mundi tractum aerem, debuit a principio maxima fieri, fereque decuplo maior terris aquarum vbertas: quibus, vt dixi, per Solis ardorem euaporatis ac reſolutis, duo ſunt magna bona conſequuta, quòd pars terrarum habitabilis vna remanſit, & creatus deſuper effectusque eſt aer, quo animantes viuunt, terræ vitalibus eius humoribus fœcundantur. C Atque etiam philoſophi veris rationibus oſtendunt, maiora ex proportione alterum altero elementa eſse, vt maior ſit certo naturalique exceſsu globus aquarum globo terrarum, tantundem excedat aer, aquas. O ſingularem igitur opificis rerum ſapientiam. Erant ergo primo terra & aqua commiſtæ, aquæque altiſſimæ circumquaque terras veſtiebant. Hæc fuerunt rerum exordia duo, & inchohationes, iacta veluti reliqui ędificij fundamenta. Nam quia terris aquæ ſuſtinentur, aquæ autem vapores, vitaleſque halitus ex ſe terris ſuppeditant, terræ autem propter animantes & homines creabantur, iure fuerunt ea duo omnium rerum veluti principia. Erat autem terra inuiſibilis & incompoſita, vt tranſtulerunt Septuaginta: ſiue inanis, & vacua, vt Hieronymus. Sine herbis videlicet, ſine arboribus, ſine animantibus, nulla ei pulchritudo, nullus decor, nulla ſpecies & forma, tantum rudimentum quoddam, & principium, & inchohatio, qualis ſtatuarum, ſignorum, tabularumque pictarum: quales item facit vbique natura, ſiue plantas, ſiue animantes reſpectes, quorum ſunt omnium exordia inuiſibilia, incompoſita, inania, vacua. Quid homo, quando inchohatur? Monſtrum ſine oculis, ſine manibus, nuſquam cætera membra. Sic terra, quæ regina eſt omnium elementorum, ſolaque apta ad generandos, ſuſtinendoſque animantes, tunc omni decore, iſtaque mirabili, quam nunc aſpicimus omnes carebat varietate. Tum duabus de cauſis obſcura & inuiſibilis, quòd tenebræ eſsent, nondum creata luce, quòd ſub aquis latitaret. Primo igitur fuit terra & aqua, ſed aqua longe maior, altiorque terris. Nox autem etiam fuit à principio, non aeris obſcuratio, ſed lucis abſentia, nondum Sole, ac cœlo creato. Hoc fuit confuſum, miſtumque rerum initium, poſtea cunctorum ab inuicem ſeparatio, & in ſeparatione duarum rerum, cunctorum creatio. Hæc omnia habet, commemoratque philoſophia Moſis rerum principia, quorum nomina ſunt, terra, abyſsus, horum confuſio, nox, ſeu tenebræ, ſpiritus ſuper aquas.

Primæ gentes in terra.

Philoſophia ab Eois ad Græcos.

Mercurius Triſmegiſtus.

Terra erat inanis, & vacua.

Nomen

ארץ

תהו בהו

D

Nomen terræ diſtinctæ, ac ſeparatæ & formatæ Hebraice, eſt Arez: confuſæ, & informis, vel inuiſibilis, Thohu & Bohu.

Nullam fuiſſe rerũ confuſionẽ ab æterno ante creatum mundum.

E

DOceo igitur à cæteris gentibus hæc credita & prodita, quin & nomina Hebraica, quę lingua primorum hominum fuit, vt clarum eſt, ad alias nationes tranſiſſe. Repetens igitur, vt res clarior ſit, dico principio fuiſſe confuſum ac miſtum, & indigeſtum quiddam, cui reliqua mundi moles ſuperſtructa fuerit. Non autem fuit ante, decorem deformitas, ante pulcherrimas formas, & ordines rerum magna quædam vniuerſaliſque ab ęterno confuſio. Hoc calumniatur Ariſtoteles, Anaxagoram, & alios quoſdam exiſtimaſſe, in quo errabunt ſolum hi, qui non recte de rerum naturis cenſuerint, & eorum quæ dicantur ignari. Non enim vel ab ęterno fuit illa moles indigeſta, vel aliquo temporis interuallo creationem anteceſſit: Sed fuit prima hæc baſis, primum fundamentum & ſolum, quod ab opifice ad cæterarum rerum creationem præparabatur. Creanda erant in terra animalia: Sed præcipuè creandus homo, idque erat primum, ac mouens quàm maxime opificem, conſilium. Ad ſuſtinendos autem animantes, excogitandum aliquid ſolidum fuit, quod in ſe haberet alimentum, ſuſtinens iuxta ac nutriens animantes. Ad alimentum, omniumque terreſtrium rerum fęcunditatem & partum, aquas, id eſt exilius penetrabiliusque elementum, quod per viſcera terræ ſubiens, complecteretur vterum eius ac fœcundaret, oportuit fieri. Aquæ autem nihil egiſſent, niſi calore tepefactæ ac commotæ, & in aerem extenuatæ, perque omnes partes terrarum diductæ. Hæc cùm vidiſſet ille opifex rerum & mundi melioris origo, id eſt inuentor mundanarum formarum, qui fuit mundus melior, quædam iſtius melioris mundi iecit principia. Quid enim aliud poteſt dici? Quid aliud faciunt humani opifices? Quid ipſa natura? Omnibus in rebus ſunt exordia quædam informia, connexa tamen atque apta ad totum opus, naſcentemque deinceps formam, paulatimque ſurgentem. Antegreſsa ac facta docet Moſes creationem, formationemque mundi duo rerum principia, terram & aquam, facta autem vel antegreſsa non quodam tempore ęterno, quod & impoſſibile, & abſurdiſſimum, perinde ac ſi opifex ſtatuæ formandæ cupidus, rudimentum principiumque ſtatuæ quodam temporis ſpacio permitteret otiari, ac quieſcere, quod ad cogitandum irrationabile eſt. Prægreſsa ſunt igitur initia, ſed neque ab ęterno tempore, neque à reliquo corpore ſeiuncta. Hæc dixit & monſtrauit Moſes: idem Heſiodum, Anaxagoram, Platonem, veteres Græciæ theologos doceo credidiſse ac prædicaſse. Atque Heſiodus cùm ait.

In Theogonia.

Extitit ante chaos, poſt hæc latiſſima tellus,
Quam ſuper innixum pondus rerum incubat omne.

Terra pes mundi.

Chaos vnde dictum.

Chohus.

F

Duo dixit ſcitu digniſſima, & cum Moſe vndequaque conſentientia. Primum fuiſse chaos, id eſt terram & aquam informia, ac ceu maſsam: id enim etiam voce Hebraica dicitur chaos, id eſt Thohu, vel Bohu. Deinde terram extitiſse, quod Moſes appellauit ſecluſionem aquarum à terra. Ea enim fuit terræ creatio, cum primum ab aquis, quibus circumobruta, atque oppleta latebat informis, & quia nondum exſiccata, magis erat aqueum quiddam, quàm terra, emerſit. Tum dicit Heſiodus creatam terram, quæ omnia ſuſtineret, eoque vocat eam εὐρύστερνον amplos, patenteſque habentem ſinus. Docet nimirum doctiſſimus vates, terram ideo fuiſse creatam, vt ſuſtineret omnium rerum pondus. Is finis, hoc opificis conſilium, condere elementum ſolidum, ſedem firmam ac robuſtam, qua cuncta ſuſtinerentur, cum primis aqua, tum plantæ & animalia. Hinc veluti baſis ac radix fuit omnium rerum prior nominata, ac iacta in omni creatione. Cor mundi terreſtris, ceu tergus in naui, in animalibus coſtæ & latera. Nam tametſi quæ poſt ſecuta ſunt, longè ſunt ea meliora, lux deſuper, in terris animalia, & homines: vt tamen pedes ſuſtinent caput, ſenſus, rationem, res longè pedibus ipſis meliores, ſic creata veluti mater ac genitrix, ſedeſque firma peſque totius magni animalis, prior omnibus terra: ſed antequam eſſet ac diceretur terra, chaos erat & confuſio. Cùm autem dico ante, non tempus dico, ſed inchoationem, ac initium. Hæc cauſa, quòd Deorum antiquiſſimam terram, & altricem ac matrem poetæ ac theologi dixerunt, Deos elementa, cœlum & ſidera vocantes, quorum antiquiſſimam, ac matrem, id eſt genitricem, alumnamque terram nominarunt. Homerus in hymno γαῖαν παμμήτειραν πρεσβίστην, id eſt, terram omniparentem antiquiſſimam, ſeu venerãdam. Plato autem in Timæo, mirabiliter cum Moſe conueniens; πρώστην καὶ πρεσβυτάτην σωμάτων, ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γεγονέναι. Primam & antiquiſſimam omnium corporum, quæ intra cœlum ſunt fuiſse terram. Hoc enim eſt quod Pſalmus; Initio Domine terram fundaſti. Concors igitur cum Moſe eſt vndequaque Heſiodus. Quodq; magis mireris ac ſtupeſcas, hanc vocem Chaos quam diximus eſse illam Hebraicam Thohu, facta permutatione vnius, quæ ſimilis eſset illi, litteræ Thau, & Chet in Thau tranſeunte factum ſit Thohu, dico veteres Latinos, ac Græcos, totumque penè mundum, primam illam rerum commiſtionem, ac ceu maſsam, mundique initium, appellaſse eadem voce, atque Hebræos & Moſen: vt ex nomine ſit perſpicuum omnes gentes audiſse quondam & cognouiſse, illud initium rerum, quale primum extiterit. Chaos appellatur à Græcis, Thohu appellatur ab Hebræis, Latinos autem veteres perhibet Feſtus Pompeius, mundum appellaſse Chohum, nomen à cohibendo vt certum eſt: habebatque,

vt Ioannes

Error de Chao, rerũ omnium principio.

A vt Ioannes Pontanus perhibet aſpirationem in medio, quemadmodum Hebraica dictio. Remanſit ergo apud Latinos vetuſtiſſima mundi nuncupatio. Namq; prima, quæ fuit Thohu, ſiue Cohu, poſtea cœlum & terra & mare, omnibus digeſtis, & mundus dictus eſt. A choho illo dehinc factum eſt verbum inchoho, vt in omnium rerum deinceps principiis, vſi ſint ea voce, quæ mundi ſignificat primordium: & inchoare diceretur, cùm res rudis & informis ante oculos aſtaret. Talis erat ante mundus, talem habuit naturam, erat Chohus, id eſt rudis inchoatio, ac vitæ principium. Ab ea re communiſſima, vniuerſaliq; inchohatione, omnis dicta ac vocata eſt particularis inchohatio, vt vbicunq; aliquid rude atq; indigeſtum aggrederemur, inchohare diceremur. Rudis igitur illa, indigeſtaque moles, erat quædam inchohatio, non anteceſſit tempore ęterno, cum toto opere ſecuta eſt, ſicut in particularibus operationibus, non ſunt principia ab operatione tota ſeparata. Nec deſiſtunt, cum ſemel artifices quid aggreſſi ſunt, ab opere, niſi aut impediti, aut operis pœniteat eos inchohati: at Deum neque qui prohiberet erat, neque cur eum pœniteret, vlla fuit ratio. Quicunque igitur putarunt illud exordium, ac maſſam ęternam fuiſſe, magno ſunt errore, & animi hallucinatione obcæcati, nec quid ſiue Hebræorum, ſiue cæterarum omnium antiquarum gentium, vetus theologia, totuſque maiorum maximorumque hominum chorus tradidiſſet, agnouerunt. Poſterorum fuit is error, ſicut & alia pleraque à maioribus bene tradita, praue fecit aut humanus ſenſus ſemper caligans, aut ſemper obſcurans veritatem, temporum diuturnitas. Hoc Chaos; ſic enim, vt oſtendimus ſcribendum, proferendumque eſt, vocatum eſt ab aliis ἀταξία, inordinatio, eaque appellatio eſt Anaxagoræ & Platonis, vera & ipſa ſicut & chaos. Fuiſſe autem apud vetuſtiſſimas Græcorum gentes eadem, B quæ perhibet Moſes, de rerum commiſtione, atque chaos, & maſſa, prodita, atque monimentis eorum relata, conſtat non ſolum Heſiodi teſtimonio, ſed noſtrorum quoque, qui Græcam theologiam de origine mundi, verſibus Latinis expreſſerunt, eaque omnis tota fere eſt Moſis. Narrat theologia Græcorum quam & Heſiodus, & Anaxagoras, & Plato, & Ouidius apud noſtros, ſecuti ſunt, hoc modo fuiſſe mundi primordium: κατὰ γὰρ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν, μίαν ἔχειν ἰδέαν, οὐρανόν τε καὶ γῆν, μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως. In principio, omnes res vnum aſpectum habuiſſe, cœli & terræ commiſta inter ſe natura. Poſtea cunctorum ſeparationem extitiſſe. Anaxagoras quidem, vt Plato & Ariſtoteles & Laertius perhibent, dixit mentem ad illam confuſionem acceſſiſſe, & in ordinem quæque redegiſſe. Qua cauſa mirifice ſe Plato dixit lætatum, mentem fuiſſe omnium ordinum inuentricem. Confuſionem igitur primum & Thohu ac Bohu, poſt ordinationem per mentem Græca theologia proponit, quod plurimis verbis apud illos explicatur, ſolum teſtimonium Euripidis, quem Anaxagoræ ferunt fuiſſe diſcipulum, proferam, qui veterem de mundo famam, vſque ad ſua tempora venientem excipiens, ſic cecinit, nihil à Moſe diſſentiens:

Ὡς οὐρανός τε γαῖα τε ἦν μορφὴ μία
Ἐπεὶ δὴ δὲ ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα, κἀν ἔδωκαν εἰς φάος,
Δένδρα, πτεινὰ, θῆρες, οὕς τε ἅλμη τρέφει.
Γένος τε θνητῶν. Quæ ſunt.

C *Cœlumque terraque vnius formæ fuit.*
Sed cum fuiſſent abiuncta amplexu mutuo,
Emerſit omnis in lucem res progenita.
Arbores, aues, feræ, quaſque affert Mare.
Genuſque mortalium.

Animaduertimus eum illam vnam omnium rerum & cęli, ac terræ figuram, per circumlocutionem, ambitumque verborum dixiſſe, quod ſuperior Heſiodus vocarat chaos. Neque vero Heſiodum putandum eſt, non habuiſſe quem ſequeretur, eius ſententiæ, ac nominis autorem, non fuiſſe aliquem ante eum à quo & nomen chaos, & rem didicerit. Deuoluta eſt igitur ad eum, & ad cæteros ęquales eius, quorum non extant ſcripta ſcientia maiorum. Figuram autem cœli & terræ eandem dicunt, aut quia cęlum nondum eſſet creatum, aut quòd non perſpicue intellexerint, quæ vel Moſes, vel antiquiſſimi memoriæ prodidiſſent, arbitrati eos vna cœlum cum terra dixiſſe concretum. Quæ ſententia hactenus vera eſt, ſi cœlum, aut pro aere acceperint, aut tanquam in origine ſua lucentes ſtellarum orbes in illa aquę cum terra confuſione, extiterint, poſtea creati ex ipſis. Illumque cenſeant fuiſſe globum, informemque congeriem, terreſtrium viſibiliumque rerum. Quoniam autem eadem Græcorum Theologia refert, primum terras & aquas, his autem ſeparatis, omnes ordines rerumque nitorem effloruiſſe, fulſiſſe in cœlo ſydera, aerem agitari cœpiſſe, igneamque eius ac puriorem partem ſublimiora loca petiuiſſe, poſſimus fortè ſuſpicari ex eo facta ſydera. Quicquid id ſit, in cunctis videmus eſſe conſenſum, nulli non mirandum. Cæteras coniecturas, & indicia ſequamur, noſtram theologiam totius quondam mundi fuiſſe theologiam probantes.

FViſſe cum terra permiſtas, atque confuſas aquas, abyſſumque vaſtam, atque excelſam ſuper terras incubuiſſe, prodidit Theologia Moſis. Tunc nullum in terra fuiſſe decorem, eamque ſua venuſtate, & nomine ac natura caruiſſe, ſed congeriem potius, ac cœno ſimile quid fuiſſe, exerta prope voce clamat Moſes, & ſequi ex illis aquis cum terra turbatis, re & cogitatione aliud non poteſt. Hanc rem aliis veriſſimis coniecturis probo notiſſimam, famigeratamque omnibus gentibus fuiſſe: duoque nomina aſſumo, quæ quidem nomina terræ ſunt, ſed alterum eius, cùm eſſet aquis concreta, prioris ſcilicet ſtatus eius, alterum eius ab aquis ſeparatæ. Ex his autem nominibus, quæ ſunt apud exteras gentes vſitatiſſima, dico nobis repræſentari, quod traditur à Moſe ſuper hac re, audiſſe omnes gentes & agnouiſſe, aut audiſſe quidem, ſed quid ab antiquis celebratum fuiſſet non agnouiſſe ſtatum illum priorem, & denudationem terræ. Eſt apud Græcos notiſſima, & philoſophorum, poetarum, theologorumque ſermone trita, ea quæ dicitur D
Hyle qd. HYLE: cuius nominis vim poſteriores non cognouerunt, fuit quoque ſcriptura ab illis deprauatum. Philoſophi materiam quondam primam non illam in mundi exordio, ſed omnibus naturis corporeis adiunctam, in quam formæ inhæreant, ab ea viciſſim recedentes, ac redeuntes: alij quidam neſcio quid aliud, ſed minime quod eſſet verum, nec minus quàm philoſophi praue interpretantes, ſuſpicati ſunt. Veritas igitur habet, Hyle eſt nomen terræ informis, & aquis obrutæ, antequam ab his ſeparata, in ſe coaluiſſet, ſummotis aquis. Dicoque hoc nomen ſic eſſe deprauatum, quòd factum eſt hyli, quod erat Ilys, quæ deprauatio notior eſt in ſcriptura
ὕλη. ἰλίς. Græca, prior ὕλη. poſterior, ἰλίς. Deſignat autem Græcis hæc vox, cęnum, limum. Hoc fuit nomen terræ cœnoſæ, aquisque ſepultæ. Hæc illa eſt philoſophorum hyle, id eſt, limus, cęnum, & quod Græcis βόρβορος. Talis erat terra, cùm eſſet cœnoſa, veluti limus, quem paludes & ſtagna, aquæque ſtagnantes vbique efficiunt. Quin ipſa hæc latina vox limus, à Græca fluxit ilys, litteris adiectis. E Hyle igitur illa celeberrima, & philoſophis notiſſima, multorumque ſermone crebro vſurpata eſt, id quod dicitur ilys. Reuoca litteras in ſuum quanque locum, & corrige quod eſſet conſuetudine deprauatum. Hæc hyle dicitur ante omnia fuiſſe, dicitur ergo, quod Moſes docuit, terram antequam informaretur, fuiſſe limum, fuiſſe altiſſimarum aquarum ſolum ac pauimentum, ſcilicet fuiſſe, quod nunc eſt omnis terra, aqua commiſta. Hoc nomen oſtendit antiquam terræ naturam, docet eſſe verum, quod prodidiſſet Moſes. Venit enim a vetuſtiſſimis ſæculis hæc vox, ſicut & chaos, quod ſimili errore Ariſtoteles ἀπὸ τῆς χώρας aſſeruit dici, quo hylen, & ipſe & alij multi, ſunt, vel præiacentem materiam, vel materiam formarum δεχομένων, id eſt receptaculum, vt ait Plato, interpretati. Aſcribitque idem Ariſtoteles inter principia non quondam naſcentium rerum, ſed omnium quæ fiant, hylen, neſciens videlicet vim eius, & quid antiquis ea deſignaſſet. Sunt ergo hyle & chaos antiquiſſima nomina terræ, cum eſſet Thohu & Bohu, & aquis demerſa, cùm ilys eſſet, id eſt limus, & cœnum. Stoici igitur eadem atque Moſes referentes, duo rerum principia conſtituiſſe dicuntur, θεὸν καὶ ὕλην ἄποιον, τὸν μὲν θεὸν ποιεῖν, τὴν δὲ ὕλην πάσχειν τε καὶ τρέπεσθαι. Deum & hylen informem, Deumque egiſſe, hylen actori atque opifici paruiſſe. Deceptos autem poſteriores in hac appellatione, nec aliud apud veteres fuiſſe hylen, niſi limum, ſeu terram limoſam, apparet eo, quòd ex libris Mercurij Triſmegiſti antiqui Græci hylen nominare cęperunt, ſicut item chaos. Mercurius autem in ſermone ad Aſclepium ſic loquitur: Fuit Deus & hyle, quem Græce credimus mundum, & mundo comitabatur ſpiritus. Ex hoc limo, cùm adhuc recens aquis terra madeſceret, creatus eſt homo: ex ea beſtias pullulaſſe & philoſophia profana confitetur, & vero eſt maxime propinquum, accedente fauore, & afflatu quodam diuino, quod Moſes. Sed quod diximus clarius faciamus.

OMnium terrenarum rerum fuiſſe principiũ hylen informem, optimamque hanc aquæ cum terra creandæ, ſiue creandæ terræ limoſæ fuiſſe rationem, vt cuncta ex ea fierent, hylen ſiue limum à ſacra theologia eſſe in libros & animos aliarum gentium profectam, teſtimoniis cer- F
ὕλη quaſi ἰλίς. tis probatur. Oſtendimus enim hylen eſſe quaſi ilyn, id eſt, limum. Duo igitur ex ſcripturis demonſtremus, tum omnia ex antiquo limo conſtitiſſe, tum nomen & ſenſum iſtum ad alios è ſcripturis, aut veteris theologiæ ſucceſſione perueniſſe. Primùm ſciendum eſt, limum appellari Hebraice עפר aphar, quam vocem Græci & Latini in ſuum idioma vertentes, Græci quidem ilyn, Latini limum dixerunt. Quod igitur vetuſtiſſimi Græci ſcripſerint, omnia ex hyle, id eſt limo creata, doceo famam ab Hebraica theologia manaſſe. Eoque & ipſam theologiam, famamque rerum è limo creatarum, & eius ad Græcos ab Hebręis deſcenſum demonſtro. Primum in Geneſi, apparet terram à principio fuiſſe limoſam, propter ſparſas vſquequaque aquas. Tum ipſum iſtud nomen, & ſi in cæterarum creatione rerum non commemoratur, in creatione tamen hominis, qui præſtat omnibus animalibus & inanimis rebus, ſic dicitur: Formauit autem Dominus Deus hominem ex humo terræ, pro humo Hebraice עפר aphar, quod nomen conſtat Græcos duobus modis vertere ſolitos, χοόν choon, vnde forte dictum eſt chaos, id eſt antiqua omnium rerum origo, & hylen limum, vt chaos, & hyle, apud veteres ſint idem. Salomon igitur interpretans ſententiam antiquæ theologiæ, dicit: Omnia de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Qui locus Hebraice vt voces agnoſcas habet, הכל היה מן העפר והכל שב אל העפר.
Eccleſ. 3. Omnia, inquit, fuerunt ex aphar, id eſt, humo, limo: omnia reuertuntur in aphar. Septuaginta

autem

A autem interpretes hunc locum tranſtulerunt: τὰ πάντα ἐγένετο ἐκ τοῦ χοός, καὶ τὰ πάντα ἐπιστρέψει εἰς χοῦν. Videmus hoc loco vertere ſeptuaginta interpretes Hebraicam aphar, choon vel chon, vt quaſi videatur dicere Salomon, omnia facta ſunt ex chaos: Dicitur autem chaos Græce, vel χοός in caſu gignendi, à verbo χέω cheo, fundo. Recte igitur hoc nomine antiqua illa materies, quia fuſilis eſſet, & liquabilis, eſt vocata: quod non tacuit Iob, loquens de primæuæ terræ fundatione. Quando, inquit, fundabatur humus, & glebæ eius compingebantur. Fundabatur, ait, quod Græce χεύω cheuo, & pro humo eſt aphar. Venio ad alia teſtimonia Salomon ait; Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Pro cardinibus Hebraice eſt aphar in numero multitudinis עפרות apheroth. Tota ſcilicet terrarum quaſi medullarum lutulenta compactio. Totius mundi medulla, inde oſſa & caro, id eſt montes, & ſolidior meliorque terra. Inde ſanguis, id eſt ſuccus herbarum, & plantarum, & animantium propago. Inde ſpiritus, id eſt aqua. Inde ſenſus, nempe ętherius ignis, ſubſtantia luminum cęleſtium, ſenſus quaſi totius mundi, vt puriſſimus omnium, ſic vitaliſſimus, & leuiſſimus. Eſt aliud apud Dauid hoc ipſum reſpiciens teſtimonium; Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum conuertentur. Pro puluere eſt aphar, primum ſcilicet materiale exordium, docetque cunctorum animalium principium eſſe aphar. Reuertentur, inquit, in ſuam aphar, ſicut dicebat Salomon omnia ex aphar, & in aphar omnia reuertuntur. Hæc omnia conſiderans ſiue Salomon, ſiue Philon, aut quiſquis fuit, qui librum Sapientiæ ſcripſit. Non impoſſibilis, ait, erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terræ, ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorum. Qui locus clarius in verbis Græcis liquet, οὐ γὰρ ἠπόρει ἡ παντοδύναμος σοῦ χεὶρ, καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμορφου ὕλης. B Pro eo igitur, quod Latinus vertit inuiſa materia, Græcè eſt, materia informis; Sicque habent codices emaculati. Ex hac omnia confitetur creata, cuncta videlicet præter ipſam. Ipſam fuiſſe quoque à Deo creatam, ſæpe probauimus, hic dicuntur omnia ex ipſa conſtitiſſe. Vertit ergo, Græcè loquens, hylen informem, quod Hebraice eſt aphar. Vt enim Salomon omnia facta aſſerit ex aphar, ſic is quiſquis erat, omnem mundum ex hyle informi. Omnem autem mundum, quia corpora humana, arbores, herbæ, ſtirpes, animalia, aqua autem erat ei admiſta, ex aqua, aer, ether. Sicque omnis mundus, ergo hyle, vel chaos, ſunt Hebraicæ vocis aphar: nomina Græca, res Hebraica eſt, vel potius omnium linguarum, & hominum olim, qui de materia mundi, & rerum origine certiſſimam ſcientiam tenebant: & quanquàm chaos potuiſſe ab Hebraico Thohu proficiſci credimus, addimus tamen hoc loco, etiam à chaos poſſe deſcendere, quæ eſt prima materia, id eſt, humus aquoſa, lutulenta, cœnoſa: vt chaos ſit, vel vacuitas, vanitas, inanitas, ante omnia, & priuatio, aut ipſum lutum, materiaque informis, & idem atque hyle. Cumque ſint hæc apud omnes celeberrima, nos aperta eorum ſignificatione, oſtendimus ex his, antiquos, antiquam materiam mundi originemque rerum celebraſſe, cognouiſſe, prædicaſſe, & chaos atque hylen eſſe nomina mundi naſcentis, noti, & perfecti.

Pſal. 103.

Sapien. 11.

ALtera vox, nominatioque terræ, qua luce clarius panditur, veteres de mundi principio cuncta cognouiſſe & confirmaſſe, quæ traduntur à Moſe, eſt, quod Hebraicè dicitur, haiabasha, Latinè arida, Græcè ξηρά. Dicoque hac voce fuiſſe deſignatum, terram quondam aquis oppreſſam, atque circundatam, his ipſis fuiſſe poſtea denudatam, atque ſubmotis illis arefactam. Hæcque cauſa eſt, quòd ſæpiſſimè in ſcripturis ſacris terra dicitur arida: dicitur enim C non ob præſentem, ſed ob antiquiſſimæ conditionis naturam, cum aquis demerſa, dein his ſecluſis, arefacta, exſiccataque eſt. Atque id diuinam perhibere theologiam, nouimus omnes, cùm ſcribitur iuſſu Dei, aquas in vnum locum, vt appareret arida, ſeceſſiſſe, quo nomine poſtea terram nuncuparit. Hoc etſi vim fortè non perceperunt, eſt apud Græcos theologos & philoſophos, ſed fuerunt etiam qui perceperint, non tam clare forte, quàm Moſes. Ariſtoteles cuius in id mens & induſtria ſæpe intenta fuit, vt antiquis gentis ſuæ detraheret philoſophis, qui ne præceptori quidem, vbi vel laudatiſſimè ſcripſiſſet, pepercit: veluti fabuloſa locutum ait Aeſopum vetuſtum hominem, & ante philoſophorum tempora natum, quòd dixiſſet, δὶς μὲν ἡ χαρύβδις ἀναρ ῥοφήσασα τὸ μὲν πρῶτον, τὰ ὄρη, ἐποιήσε φανερὰ, τὸ δεύτερον τὰς νήσοις, τὸ δὲ τελευταῖον ῥοφήσασα ξηρὰν ἐποιησε τὸ πάμταν. Quæ ſunt, Bis quidem Charybdin exæſtuantem montes detexiſſe, ſecundo detexiſſe inſulas, poſtremo exæſtuantem, totam detexiſſe aridam. Sic enim ſcripſit Aeſopus non in poſterum id fore, ſed in præteritum factum aſſerens. Quis dubitet ſupradictum hominem, quippe qui vetuſtiſſimus eſt, theologorum ferè ęqualis, Charybdin dixiſſe id quod Moſes Thehom, Græcè abyſſus, quæ primo impetu commota, montes aperuerit, tum ruens, quoniam diuina eam impellebat potentia, eamque ad vnum locum cogebat, inſulas oſtenderit, ſecedens ad caua loca. Tum demum procurrens, & exæſtuans totam monſtrauerit aridam, id eſt quicquid eſt terrarum non aquis opertum. Hinc ab illa vaſta & impenetrabili aquarum profundaq; abyſſo, dicta eſt omnis vorago Charybdis. Nemo enim quam retulit Aeſopus, quoniam eam montes, inſulaſque, nouiſſimè cunctam vbique aridam detexiſſe dixit, illam freti Siculi potuit reſpicere. Omnis autem tendens in immenſum, & exæſtuans terribili fremitu vaſtitas aquarum, Charybdis ab illa prima eſt vocata, quæ cum altiſſima fuit, vt canit Dauid,

היבשה Arida terra.

תהום Abyſſus.

Charybdis omnis vorago.

Pſal. 103.

quam dicit montes ſubiectos habuiſſe: Abyſſus, ait, ſicut veſtimentum tegebat eam: de terra D loquens, ſuper montes ſtabunt aquæ, tum fremitu ingenti, & motu atque ęſtu, in loca caua conſedit. Idcirco vocatur Hebraice Thehom, ab originis ſuæ verbo hom, abiecta littera thau, ideſt, fremere, conſonare, tumultuare, rumoreſque ciere. Hinc apparet Homerum atque alios eo vetuſtiores, aquarum alicubi vaſtitatem, horribili ſonitu frementem, dixiſſe Charybdin, vetuſtiſſima voce vſurpata, voce quæ fuiſſet, primarum antiquarumque aquarum, magno ſonitu, reboantium. Eſſe autem vocem Hebraicam Thehom, quæ deſignat abyſſum, deductam à fremitu, & ſonitu, conturbatione, & rumore, quem tunc in illo efficeret exordio, eſſe vera, quæ dixit Aeſopus, ac de illa abyſſo antiquiſſima eum fuiſſe locutum, propone teſtimonium Dauid eodem ferè modo, de ęſtu eius abyſſi, & commotione loquentis, ſic legitur in pſalmo, Hebraice .רעמך יחפזון תהום כלבוש כסיתו על הרים יעמדו מים מן גערתך ינוסון מן קול Quæ hoc modo, ſonant. Nam in vulgata tralatione non ita clareſcunt. Abyſſus ſicut veſtimentum tegebat eam, ſuper montes ſtabunt aquæ; Ab increpatione, vel ſonitu tuo diffugerunt, à voce fragoris tui præcipitarunt. En Dauid ait aquas illas, quibus montes obruerentur, omnes terræ demergerentur, a ſonitu quodam diuino, & iuſſu vaſto, terribili, commotas præcipitaſſe, montiumque vertices magno fragore liquiſſe, à terris ſubitas, atque incitatas, & impulſas diffugiſſe. Quantus erat, aquarum è montibus ruentium, & ad caua interque montes iacentia ſola properantium fragor ac tumultus, quandoquidem tantus eſt paruæ Charybdis, tantus & catarractarum Nili fragor, vt accolas exterreat? Hanc præcipitationem Græcè dicit Aeſopus ἀναῤῥοφεῖν, quod deſignat ęſtuare, & abſorbere cum ſonitu, & fragore, immanique tumultu. Itaque Charybdis veteris illius abyſſi nomen eſt, forte à Chaos deductum. Quod putat etiam Suidas non mediocriter E laudandus ſcriptor. Χαρύβδις ἡ ἀναπινομένη θάλατσα περὶ τὰ γάδειρα, καὶ πάλιν ῥαγδαίως ἀναστρέφουσα, εἴρηται δὲ παρὰ τὸ εἰς χάος καὶ ὄλεθρον κατάγον. Charybdis, ait, mare eſt, quod reſorbetur circa Gades, iterum prærupte regrediens. Dicta quòd in Chaos & baratrum adducat. Apparet igitur hanc fuiſſe vetuſtiſſimæ voraginis, euntis & redeuntis, donec in ſuas digrederetur, conſideretque ſedes, appellationem. Quemadmodum autem inchoatio, quia dicebatur à choho, ideſt, naſcente mundo, illius antiquæ rei eſt nomen, poſtea ad particulares inchoationes eſt tranſlata, ſic quæ veterem voraginem, furentemque ęſtum ſignificaret, ad alios conſimiles eſt tralata. Chaos igitur & hyle, & Thehom, ideſt abyſſus, & Charybdis, atque arida, ſunt antiquiſſimarum rerum Theologiæ Moſaicæ, aut Moſaicam Theologiam referentium nomina. Moſaicam dico Theologiam, Tum quæ ab illo eſt ſcripta, Tum ea quæ peruagata gentes ſimilis eademque fuit vbique. Alias propono coniecturas.

Charybdis veteris. Abyſſi nomen.

MOſes has tradidit fuiſſe res à principio, Chaos, Thehom, ſiue abyſſum, tenebras, ſeu noctem, & ſpiritum, Chaos atque Hyle eadem res ſunt. Quoniamque ſpiritum præcipuè commemorat Moſes, veluti principium agens atque operans, & omnem moderans creationem atque informans, doceo hoc principium omnium gentium Theologos, pari conſenſu eſſe confeſſos, à quo fuerit omnis profecta creatio, & animatio. Primus Heſiodus, vt eius poeſis teſtatur, autorque eſt Ariſtoteles, hæc dixiſſe cognoſcitur:

In Theogonia.

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα.
Γαῖα εὐρίστερνος πάντων ἕδος ἄσφαλες, αἰει,
Ἠδ' ἔρος, ὅς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισι. F
Extitit ante Chaos, poſt hæc latiſſima tellus,
Qua ſuper innixum pondus rerum incubat omne,
Atque amor, inter qui cæleſtes enitet omnes.

Ante exutam ac denudatam aquis terram, fuiſſe vnum terrę atque aquę corpus Moſes ait & Heſiodus: ille Thohu, is Chaos, Latini Chohus hoc appellauerunt. Emerſiſſe terram poſt hæc, pariter Moſes & Heſiodus referunt. Moſes expreſſè palamque memorat aquarum denudationem, Heſiodus hoc ipſum, creationem, ſiue exiſtentiam terræ dicens, vt prius Chaos, deinceps terra extiterit. Moſes ait ſpiritum Domini incubaſſe & agitaſſe ſe ſuper aquas. Heſiodus amorem clara voce cum his, quæ à principio extitiſſent, fatetur. Amorem vocans, quem ſpiritum Moſes. Eſt enim, vt claret in noſtris litteris, ſpiritus diuinus amor. Hoc ipſum Empedocles & Parmenides comprobans, amorem & ipſi ad rerum principia adiunxerunt. De Heſiodo & Parmenide teſtatur Ariſtoteles loquens de principiis ὑποπτεύσειε δ' ἄν τις ἡσίοδον πρῶτον ζητῆσαι τὸ τοιοῦτον, κἂν εἴ τις ἄλλος ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἔθηκεν ὡς ἀρχὴν, οἷον καὶ παρμενίδης. Suſpicetur quis primum Heſiodum de principiis quæſiſſe, tametſi etiam nonnulli amorem, ſiue deſiderium ſtatuerunt principium, ceu Parmenides. Interpretatur autem Ariſtoteles amorem, deſiderium, ſeu cupiditatem vſquequaque rectè, & ad eorum amuſſim mentem, qui hoc inuexiſſent. Parmenides igitur hoc carmine apud philoſophos celeberrimo, theologiam ſuam declarauit:

Spiritus diuinus amor.

Πρῶτον ἔρωτα θεῶν μητήσατο πάντων.
Cunctorumque Deum, primum quæſiuit amorem.

A Amorem,ęque ait Parmenides, primũ deorum cogitaſſe primordia,atq; Heſiodus, cuius videtur ſententiam ſecutus. Hoc ipſum Empedocles amplexus & confeſſus eſt, non eodem atque Heſiodus,ſed ſimili vſus nomine. Siquidem quod ille ἔρωτα, ipſe φιλότητα, id eſt amorem, ſiue amicitiam dixit. Hunc amorem docuit inuentam litem,& non bene iunctarum diſcordia ſemina rerũ modificaſſe,& ad concordiam reuocaſſe,quæq; erant deformia,confuſa,interq; ſe pugnantia, ſocia,atque amica,& decora feciſſe. Hunc illi fuiſſe ſenſum,cùm tota eius diuina poeſis declarat,tũ non deſunt qui conſtanter teſtentur apud Græcos, præcipue Sextus Empiricus. Nam ſic omnes concordant, vt quod Chaos & amorem Heſiodus,Thohu & ſpiritum, ſiue Deum opificem Moſes,litem & amorem Empedocles,hylen & Deum Stoici,ἀταξίαν, id eſt confuſionem & mentem Anaxagoras prædicauerint. Vt hæc ſint vnius rei apud omnes,nomina,Thohu,Chaos,lis,diſcordia,ſemina,hyle,ἀταξία. Similiter hæc vnius apud omnes, Deus,Spiritus,Amor,Amicitia,Mẽs. Atque Anaxagoras prorſus cum Moſe ſentiens fertur dixiſſe, ἰῶ πάντα ὁμοῦ χρήσματα, νοῦς δὲ ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. Fuiſſe omnia confuſa, & commiſta, ingreſſam autem mentem cuncta diſpoſuiſſe & digeſſiſſe. Moſes autem erat Thohu & Bohu,veniens Deus dixit,Sit lux,Sit firmamentum,diſcedant aquæ, naſcantur omnia. Vehementer autem obſeruandum, eundem Anaxagoram,non vt Ariſtoteles,qui veterum ſuæ gentis theologorum vel ignorauit, vel noſſe diſſimulauit ſenſus, ac dicta, vel vt alij plerique,praue ſunt interpretati,illam quã primus vocauit ὁμοιομερίαν, homœomeriã, id eo nomine ſenſiſſe,quod aliis ſæpe verbis expreſſiſſet. Perpetuus enim fuit prædicator, vana quõdam & inuiſibilia cuncta fuiſſe, Deum autem ordines lite dirempta,addidiſſe. Itaque Homœomeriam vocabat terram informem & Chaos, quod & Latinus diſcordia
B ſemina rerum. Vis enim erat in terra limoſa,illa cunctarum rerum. Reſpiciens tempus illud antiquum Anaxagoras,non particulares materias: philoſophatur enim de primis vbique rerum exordiis. Non mirum autem Ariſtotelem (is enim primus in veteres, quòd quam nouam moliebãtur philoſophiam infirmam reddituri eſſent,inuectus eſt) eorum ſententiã quaſi ſenum delyria, exiſtimaſſe, aut abſurdis interpretationibus deprauaſſe. Quod alias, vt enim nec amorem & litem Empedoclis,nec hylem veterum theologorum cognouit,ſic neſciit homęomeriam Anaxagoræ. Homœomeria igitur Anaxagoræ eſt omnium rerum ſeminarium, eſt maſſa illa antiqua rerum. Quæ poſtea ſylua rerum dicta eſt. Namq; ſylua, ἀπὸ τοῦ ὕλης addito s. Stoici priorum decreta confirmantes dixerunt,authore Athenagóra, δι᾽ ὕλης χωρεῖν τὸ πνεῦμα οὗ τεοῦ, per hylen verſatũ ſpiritum Dei. Mercurius itaq; Triſmegiſtus Aegyptiæ philoſophię antiſtes,videtur laxaſſe fontes Græcis,& vbertate ſua totã regionem repleuiſſe. Omnis enim hæc philoſophia Græcorũ Mercurij eſt. Ille primus hylen,ille Chaos,ille ſpiritum Dei,& amorem,ille litem & mẽtem commemorauit. Is ad alia in ſermone ad Aſclepium, hæc ad verbum, Erat Deus & hyle, & mundo comitabatur ſpiritus. Quibus pateſit idem omnes (nam & Phœnices ad rerum creationem ſpiritum adhibuerunt) aſſeruiſſe,credidiſſe,confirmaſſe quod Moſes: eandemq; de toto orbe fuiſſe de mundo theologiam. Certe & Homerum inuenio apud Græcos, qui crediderint hæc, quæ diximus poſteris ſuppeditaſſe principia: τὸν μὲν πρῶτον καὶ ἀρχικώτατον αἴτιον, πρώτεα καλῶν, τὴν δὲ εἰς εἴδη τρεπομένην οὐσίαν εἰδοθέαν. Vt primam quidem præcedentemq; omnia cauſam Proteum vocarit,ſubſtantiam autem quæ formas ab illo recepiſſet, Idotheam. Alias profero coniecturas.

Amor, antiquiſſim᾽ Deus.

Deus, Spiritus, Amor, Amicitia, Mẽs, vnius rei apud omnes nomina.

Homœomeria Anaxagoræ quid.

Mercurius Triſmegiſtus.

C VEteres ante Homerum & Heſiodum, plures deinde poſt illos,omnium aquas rerum principium aſſeruerunt. Vbique enim peruagatur carmen Homeri,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν. Quod rectius noſtri,

Oceanum rerum patrem Tethynque parentem.

Aquæ rerum principium. Iliad. ξ᾽.

Deos enim elementa dixit Homerus, Hoc perſpicuum eſt eos, aquas illas antiquiſſimas, abyſſumque reſpexiſſe, quæ fuit omnium gignendarum rerum principium. Eadem his ipſis mens ac ſenſus atque illis, qui hyle & Chao dederunt principatum. Quippe qui dicunt res ex humenti terra,limoſa,ac molli,creatas, dicunt aquas fuiſſe cauſam & originem rerum condendarum. Alij ergo terram, alij ſeorſum aquas nominatim genitrices omnium deſignarunt. Eodemque ſenſu ſpiritum, ſiue amorem qui fœcundaret,animaretque aquas induxerunt. Itaque in hymno veterem eccleſiam canentem de ſpiritu diuino ſcimus; Tu ſuper aquas,foturus eas, numen tuum expandiſti ſpiritus. Tu animabus viuificandis, aquas fœcundas. Ergo etiam theologia ſacra,aquas animatas ac fœcundatas, rerum parentes ac formatrices fuiſſe fatetur. Nimirum non aquas ſolas, ſed has iuxta cum terra. Seorſum igitur aquas alij, ſeorſum alij terram nominarunt. Thales ergo Mileſius,ex antiquioribus Græciæ theologis (theologos enim appello, quoniam Ariſtoteles negat eos fuiſſe phyſicos, idq; veriſſimum eſt,veteris enim erant theologiæ aſſertores) vt alijs in multis, ſic item in aſſignatione principiorum maiores ſecutus,aquas omnium fuiſſe rerũ principium, hiſque fuiſſe mundum animatum præcauit. Habuit enim teſte Laertio præceptores Aegyptios, vt Homerus, & Heſiodus. Is & mundum factum à Deo fatetur, eamque ob cauſam omnium eſſe rerum pulcherrimum: hæc omnia maiores ſciens tradidiſſe. Alitam autem & animatam humiditatem appellaſſe veteres Oceanum, eamque aſſeruiſſe mundi principium, teſtatur etiam Diodorus. Omnes famam illarum vetuſtarum priſcarum aquarum audientes.

Aqua, prĩcipium rerũ ex Thalete.

D

Et perſpexit Thales, Deum fuiſſe mundi conditorem, eadem ſcientia. Item eſt & mundi conditionem, & ex quibus conditus eſſet, contuitus. Quo enim oraculo didiciſſet creationem, hoc eum neceſſe eſt, principia creationis didiciſſe. Igitur aquarum fœcunditatem, quibus terra irrigata, & humefacta, molliſque effecta eſt, conſtat cunctis principium dediſſe. Priſci autem illi, vt Anaxagoras quoque, de rerum primordiis loquebantur. Hinc autore Ariſtotele, per aquas, ſtygiamque paludem, Deos iurantes poetæ inducunt, ideſt per id quod eſſet vetuſtius. Vetuſtiora enim eſſe ſanctiora, vetuſtiſſimum ſanctiſſimum; Ad alia autem quod maximè mireris, Thales cùm aquam principium protuliſſet, autore Ariſtotele τὴν γῆν ὑφ' ὕδατος εἶναι ἀπεφήνατο. Terram ſub aquis fuiſſe pronunciauit, planè Moſaicum. Poſtea addit Ariſtoteles, εἰ μὲν οὖν ἀρχαῖα τις αὔτη καὶ παλαιά τε τύχηκεν οὖσα περὶ τῆς φύσεως ἡ δόξα, ταχ' ἂν ἄδηλον εἴη. An antiqua ſit & peruetuſta hæc de natura opinio non eſt adeo clarum. Claret ergo omnem quam tradit Moſes theologiam, cæteris gentibus patuiſſe, & omnium ſapientum voces in ea aſſerenda, & ad omnem poſteritatem, tranſmittendam, conſonaſſe. Vt conſtet, & mundum, quia conſtanter à cunctis affirmatur, principium habuiſſe, & tale principium, quale Moſes deſignauit.

Vetuſtiora eſſe ſanctiora.

HOc quoque clarum eſt, de theologia Moſis manaſſe, aut ab exordio mundi, & antiquiſſimis ſæculis, ad poſteros ex relatione maiorum perueniſſe, vt theologi Græcorum omnia ex nocte genuerint. In his enim rebus quas Moſes & Mercurius Triſmegiſtus aſſerunt à principio extitiſſe, cenſentur etiam tenebræ, quas poſtea iuſſit Deus appellari. Oraculumque Moſis ſuper hoc, clarum eſt: Mercurius autem, ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ. Erant tenebræ immenſæ in abyſſo. Heſiodus item noctem cuncta præceſſiſſe commemorat. Generabant autem omnia ex nocte, non tanquam principio gignendi, ſed oſtendebant ex nocte, id eſt poſt noctem, ſicut ex nocte, fieri dicimus diem, res eſſe creatas. Thales etiam rogatus, quid prius, noxne an dies fuiſſet: noctem fertur reſpondiſſe. Atque eò perſpicuum eſt, noctem illam immenſam, tenebraſque abyſſo incubaſſe, antiquos ſpectaſſe, quod Heſiodus ait vnà Chaos noctemque extitiſſe, illam videlicet noctem, quæ Chaos comitabatur: Moſes autem, erat Thohu & Bohu, & tenebræ ſuper abyſſum. Coniungunt igitur omnes Chaos & noctem. Ariſtoteleſque theologos appellat, eos qui generarent ex nocte καί τοι εἰ ὡς λέγουσι οἳ θεολόγοι οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες, ἢ ὡς οἱ φυσικοὶ, ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα. Theologi, inquit, gignunt ex nocte, aut phyſici fuiſſe cuncta ſimul. Hos quoque Ariſtoteles antiquiſſimos fuiſſe teſtatur, item affirmat veteres poetas, qui idem ſunt & theologi eodem autore, hæc prima dixiſſe, νυκτὰ οὐρανὸν, χάος, ὠκεανόν. Noctem, Cœlum, Chaos, Oceanum. Moſes autem, cęlum, & terram, & thohu, abyſſum, aquaſque. Oceanus ergo illorum, aquæ Moſis, Chaos eorum, Moſis Thohu & Bohu, ſiue terra inuiſibilis & incompoſita, nox iſtorum, Moſis tenebræ ſuper faciem abyſſi.

Ex nocte omnia gigni ſecundum Græcorũ Theologos.

Nox prior die.

E

THeologia quoque veterum Græcorum, quæ ſine controuerſia, omnis eſt Aegyptiorum. Aegyptia naſcitur ab Hebraica, poſt aſſignata, ſæpiuſque repetita rerum principia, in quibus ſtatuendis vbique cum Moſe concordes monſtrantur, deſcribit ſeorſum quaruncunque rerum creatarum rationem, quo cęlum ac ſydera, quo plantæ, beſtiæque terreſtres ac marinæ natæ modo. Quæ ratio eo differt à Moſaica, quòd Moſes ſanctius ac venerabilius ad vnamquamque rem, nomen, & imperium & autoritatem adhibet opificis. Illa Græcorum rarius, exempli cauſa: Quod Moſes ait Deum feciſſe ac præcepiſſe, terra plantas & animalia vt produceret. Illa poſt diſceſſum aquarum, poſt omnem vbique aridam denudatam, cùm recens adhuc humus eſſet tellus, id eſt: aquarum humore mollis ac fluxa, inde aſſerit cuncta pullulaſſe, cęli adiuncto vitali calore. Fiebat quidem id à cauſis naturalibus, quæ non aliæ eſſe potuerunt, atque hæ ipſæ, vt ex humenti & confota ac concalefacta deſuper terra, naſcerentur, ſed hæc omnia voluntas, imperium ac prouidentia diuina adminiſtrauerat. Ac Moſi ſatis ſuperque viſum eſt, principem cauſam, moderatricem, reginamque totius creationis commemoraſſe, omiſit veluti minora, ac leuiora, qua quicque ratione fuerit creatum. Humus igitur vniuerſalis illa, & terra primæuis aquis irrigata, cęleſti ſimul luce & calore deſuper aſpirante, omnes animantes & plantas procreauit, id eſt, ex hac cauſa Deus terreſtria produxit, aut producere ac naſci fecit. Sic enim ſunt intelligenda & interpretanda, quæ paſſim Deo vendicantur à ſcriptura. Intonuit de cœlo Deus, & altiſſimus dedit vocem. Nimirum intonare fecit, ſic cùm dicitur, produxit Deus de humo terræ omne lignum pomiferum, produci fecit: creauit cete grandia, vt crearentur fecit, principiumque aptum excogitauit. Sic dicerentur nunc à Deo naſci eadem illa. quia principia ad naſcendum & procreandum apta excogitauit. Reſpice igitur ac conſule theologiam Gręcorum, quam maxima ex parte poeta noſter expreſſit, Latiniſque carminibus illuſtrauit, apud Gręcos repertam. Anceps quidem ille, an Deus, an natura, & litem elementorum illam diremerit, & ornauerit orbem tanta varietate, poſtea it prorſus in ſententiam, vt Deus autor fuerit, ex illa theologia, vt appareat quanta concordia, poſt rerum aliarum creationem idem poeta, ſimiliter atque Moſes, hominem creatum fuiſſe docuit:

F

Pſalm. 17.

Ouid, primo Methamorph.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.

Ecce

A Ecce quod dixit Moſes, & poſt omnia creatum hominem, & vt cæteris dominaretur creatum, confeſſus eſt poeta interpres antiquæ theologiæ. Nam Moſes; Faciamus hominem, inquit, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Ad imaginem Dei homo creatus eſt, dicit Moſes: Poeta verò,

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

אלחים

Ac fortè Deos vocauit (audi ſuſpicionem) quia Hebraice pro Deo eſt Elohim, id eſt Dij, & in numero multitudinis Moſes loquitur: Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Hoc plures Deos, ad quorum imaginem eſſet homo creatus, ſuſpicati illi ſunt. Vni tamen adſcribit creationem, vnum dicens fuiſſe. Finxit ad imaginem, dominantum cuncta Deorum. Ex humo terræ, vel limo formata, & in imaginem humanam protracta; Moſes ait Deum creaſſe: poeta de terra, mixtam fluuialibus vndis; Finxit in effigiem. Vſurpat etiam modum loquendi Hebraicum poeta. Neque enim dicitur; Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: Sed, Bezalmenu, Bidmuthenu, in effigiem noſtram, in ſimilitudinem noſtram. Credendum eſt enim olim pro Caph, fuiſſe Beth, in dictione Bidmuthenu. Eundem opificem mundi tradit poeta hominis fuiſſe conditorem, nec ſcit, an eum diuino ſemine fecerit, an quia prior materia, è qua poſſet homo naſci cognati, id eſt, ſimul nati cęli, ſemina retineret. Quorum vtrunque, verum eſt, alterum ad corpus, alterum ad animum pertinens. Hæc igitur cùm cura Dei facta referat vates, cùm nuſquam fere diſſentiat à vero, cùm vetuſtiſſimæ theologiæ ſit interpres, apparet certe, confeſſam, prædi-
B catam, vulgatam toto orbe rerum atque hominum creationem. Apparet omnes audiſſe mundum habuiſſe principium, quale theologia Moſis demonſtrauit.

בצלמנו
בדמותנו

In eos qui mūdi creationē ἀλληγορικῶς interpretantur.

EX his duæ veriſſimæ rationes ſequuntur, quòd & poſteriores philoſophi, ſi qui fuerunt, contra mundi totius conſenſum, extra communes omnium gentium, omnium ſæculorum litteras ac philoſophiam reiecti, mundo dederunt ęternitatem: & quidam Chriſtiani, & infinita Hebræorum caterua magis ad ſuum arbitrium, quàm ſcripturarum voluntatem, hanc traditam a Moſe creationem allegoricè ac myſticè ſunt interpretati. Ad quam, cùm propter aduerſa, ac repugnantia quædam nequirent penetrare, ſe ad allegorias receperunt. Hoc enim ſupererat refugium. Cum ergo ea, quæ fortè allegoricè dicta viderentur, eodem apud omnes gentes ſermone, ac ratione celebrentur, vnam atque eandem tantum rationem creationis illam fuiſſe, neceſſe eſt. Hanc rationem, nos apud vnumquenque abunde poſſe teſtari credimus, mundum habuiſſe quondam principium, & omnium initia rerum talia fuiſſe, qualia eſſe debuiſſent, & eſſe noſtra theologia demonſtrauit. Quod & ipſa conſideratione fit manifeſtum. Facileque erit prudentibus cauſas cuiuſque rei, allegoriis amandatis, reddere. Omnis hæc ſuperior tractatio comprobauit, cur aqua cum terra ante omnia exiſtere debuerint. Repetens autem omnium iſtorum conabor afferre rationem. Moſes viſibilis iſtius, noſtriſque oculis ſpectabilis mundi, de quo loquimur ſemper, cuius initia ſemper inquiruntur, indagantur, cuius inuentio reperta atque aſſignata, multis ac magnis erroribus eſſet humanum genus liberatura, explicare voluit ac docere. Non illi de his quæ non videntur, quorumque cognitio ac ſcientia a pauciſſimis deſideraretur, curæ fuit. Qualis autem mundi creatio fuerit, veriſimile eſt etiam ante Moſen, Hebræos, & genitores
C eorum, Abraham, & Noe, vſque ad primum hominem perceptum habuiſſe, & Moſen hæc ipſa clarius ac melius oraculo diuino audito conſcripſiſſe. Exiſtimandum verò eſt totam Hebraicæ gentis ante Moſen genealogiam, ſimiliter fuiſſe monumentis antiquorum comprehenſam, vt Regum & regnorum ſucceſſiones, & Iudicum poſt Ioſuhe. Hocque ſibi ſanctiſſimos ac ſapientiſſimos quoſque munus omni ſæculo ſuſcepiſſe. Priores illæ gentium ante Moſen genealogiæ, vſque ad creationem mundi mirabili, ac prope diuino ordine reuocantur, comprehenſis cum vnaquaque temporibus ac regnis, & principibus, & rebus clarioribus, quæ eſſent ad ſciendum vtiles ac neceſſariæ. Quod planum ac perſpicuum eſt teſtimonium, tale res humanas & principium & proceſſum habuiſſe, qualem hæc fideliſſima, inſtructiſſimaque temporum, ac regnorum, nationumque concatenatio demonſtrat. Requirendum autem erat hominis initium, vnde & quando originem habuiſſent hæc, quæ ſurſum ac deorſum aſpicimus, quæ propter hominem fuiſſe creata, omnes confitentur, facile eſſet cognoſcendum. Duplex eſt autem rerum explanandarum, cognoſcendarumque ratio, vna cum ab initiis earum inchoantes, vſque in nouiſſima deſcendimus: altera, cum per reſolutionem reflectimur ad prima: A tota igitur genealogia, ab ętatum, hominumque enumeratione, ad primam hominum originem peruenimus: ab homine, ad mundum ipſum, & partes eius, à poſterioribus partibus ad priores eodē ordine ſemper. Cuius autem cauſa facta ſint priora, oſtenditur ex conſequentibus deinceps. Ergo propter hominem & poſteriores genealogias, quæſita eſt, & prodita prior origo. Humana autem origo, cum terra, rebuſque terreſtribus habet cognationem: vt autem in hominum genealogia a poſterioribus, ad vnam primam radicem aſcendimus, ſic quædam rerum ipſarum inter ſe eſt genealogia, vt à poſteris ad aliqua prima peruenire ſit neceſſe. Res terreſtres ſunt animalia, plantæ; priores animalibus plantæ; plantæ animalia ſine luce, & habitu, & calore, nec viuere poſſunt, nec naſci.

Duplex ratio rerum cognoſcendarum.

Ordo & natura rerum creatarum.

D Nata ſunt animalia & plantæ de terra, corpus etiam humanum de terra ſumptum. Aluntur autem & creſcunt a plantis quidem animalia, plantæ autem a terra irrigata, & tepefacta. E duriſſima atque arida terra, aut humida, ſed calore non affecta, nec animalium corpora coagmentari, nec arborum ſtirpes & ſuccus coaleſcere potuiſſet. Irrigare igitur eam prius ac mollem tractabilemque reddere oportuit. Hæc quoque ipſa irrigatio, ſine calore & luce infęcunda fuiſſet. Extenuatur enim & digeritur & coaleſcit calore, vis tenuis aquarum. Omnium igitur rerum principium fuit terra, ſed irrigata, mollefacta, quaſi limus reddita, quod ſine aquis fieri non potuiſſet. Inde animalium corpora, & anima, quæ & ipſa puriſſima pars aeris & caloris eſt, compacta ſunt, inde ſtirpes originem habuerunt. Natis autem animalibus halitus ab aere, cibus a terris ſuppetit. Aer gignitur ex aquis, ſed non ſine calore, qui eum ex aquis eliciat ac diſſoluat. Plantis id ipſum calor ſubminiſtrat, vt niſi diſſoluat aquas, elicere ex eis ſuccum radices non queant. Aquæ quoque non irrigarent, niſi deuectæ ac ſparſæ paſſim. Hæc talia ac tanta, ac longe plura, excogitanda ac prouidenda mundi autori fuerunt. Igitur propter altricem terram cuncta ſunt parta & quæſita, terra vt eſſet hominum domicilium, his ſuſtinerentur, naſcerentur, viuerent. Atque hæc quanquam prior fuit intentio, ſunt tamen innumerabilia bona, & incredibilis multarum rerum venuſtas inde conſecuta. Si cuncta igitur ad hominem rediguntur, ſi propter hominem factus eſt viſibilis iſte mundus, omnia commoda, & ad vitam eius neceſſaria, debuerunt excogitari. Arbores, & plantas, & animalia creare oportuit, animalia vt his iuuaretur, veſceretur: plantas, vt his & ipſe & illa viuerent. Vt plantæ naſcerentur & creſcerent, & terram priorem ac primordialem oportuit eſſe, & paſſim irriguam. Eadem enim eſt ratio naſcendi, atque creſcendi. Vt irrigatione creſcunt & augentur omnia, ſic nata ſunt. Hæc igitur veriſſima ratio, cur vnà cum terra aquas eſſe oportuerit, vt eſſet terra limoſa, & fęcunda, inde animalia ac plantæ pullularent. E Terra ſeorſum eſſe non potuit, aquæ minus, quæ neque ſolum habuiſſent. Nulla vel terræ, vel aquæ ſeparatim vtilitas. Nec vllum extra hæc aliud, rerum gignendarum principium. Creata ſunt igitur vt Moſes, & Græca, & Aegyptia theologia confeſſa eſt, primæua illa animalia è terra, cuius creationis ratio talis extitit, qualem probamus, & aſpicimus quotidie, vt ea, quæ Nilo deuecta humus, Solis operante calore, dicitur procreare. Namque paulatim è terra molli animalia concreſcunt. Quæ omnia mirabiliter deſcribentem, canentem, confitentem Ouid. audi:

1. Methamorph.

Cætera diuerſis tellus animalia formis,
Sponte ſua peperit, poſtquàm vetus humor ab igne
Percaluit Solis, cœnumq́ue, vdæq́ue paludes
Intumuere æſtu, fœcundaq́ue ſemina rerum
Viuaci nutrita ſolo, ceu matris in aluo
Creuerunt, faciemq́ue aliquam cepere morando.
Sic vbi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alueo,
Aetherioq́ue recens exarſit ſydere limus, F
Plurima cultores verſis animalia glebis,
Inueniunt, & in his quædam modo nata, ſub ipſum
Naſcendi ſpatium quædam imperfecta, ſuisq́ue
Trunca vident humeris, & eodem corpore ſæpe
Altera pars viuit, rudis eſt pars altera terra.
Quippe vbi temperiem ſumpſere, humorq́ue calorq́ue
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumq́ue ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Hæc carmina locupletiſſime docent, vt nihil poſſit eſſe clarius, quamobrem opifex mundi, ante omnia terram creatam immenſis aquis alluerit: ecce humor antiquus. Plantarum quoque naſcentium ratio eadem eſt. Principium ergo omnium, fuit aqua limoſa & mollis, quod non Moſes ſolum confeſſus eſt, ſed & idem poeta. Moſes; Formatis igitur Dominus Deus de humo, cunctis animantibus terræ: & de homine; Et formauit Dominus Deus hominem de humo terræ. Poeta; Mixtam fluuialibus vndis tellurem fictam a Prometheo, id eſt ſagaci, prouidoq́ue Deo in effigiem hominis edocet. Intelligimus igitur quamobrem terram & aquam omnium rerum parentes fundare ac iacere ante omnia ſapiens architectus debuerit. Quoniam autem ſunt omnia propter hominem facta, non terræ propter cęlum hoc viſibile, ſed cęlum propter terras

creatum

A creatum eſt. Habitat enim homo in terra, cui parare pabulum, omnemq; opem Deus decreue-
rat. Hoc omne ſuppeditat à cœlo irradiante terras, & aquas, terraſque concalefaciente, hocq;
conſilio ſydera ſunt creata. Vt luceant, ait Moſes, ſuper terram. Hinc conſtat poſt creatam
maſſam illam, congeriemque terræ & aquarum, cęlum eſſe creatum, quod & Moſes ipſe docuit.
Mirabilis eſt igitur & creationis & deſcriptionis ordo: ſed ſingula perpendamus.

Jn principio creauit Deus cœlum, & terram.

PRoponit totum opus ante oculos, vt autorem oſtendat, quicquid oculis aſpicimus à Deo
quondam docens creatum ac conſtitutum, vt ſi cui peregrino primum Romam contem-
planti, obuius quis diceret, hæc vrbs, quam cernis, a Romulo condita eſt. Deinde aſſumens to-
tam conditionem, eamque per partes ſuas diſtribuens, oſtenderet ſingula. Primum cęlum com-
memorauit, non quòd ante maſſam & chaos, Sol, ſydera, cęlumque omne fuerit, ſed quòd po-
ſtea declarauit, cęlum eſſe creatum ante terram, terram autem tunc eſſe & diu terram cępiſſe,
cùm eſſet aquis denudata, quod poſt creatum cęlum eſt effectum. Erat prius terra Thohu &
Bohu, inuiſibilis atque incompoſita, nondum poterat terra nuncupari; Siquidem prodit theolo-
gia, tunc appellatam a Deo terram, cùm facta eſſet haiabasha, id eſt, arida: & aridam, inquit, ap-
pellauit terram. At à principio arida non erat, aquis omnia præmentibus. Terra igitur, id eſt,
hoc quod poſtea terra eſt nuncupatum, creata tunc eſt, cùm facta eſt aquarum ſeparatio, quod
tertia die eſt effectum. Lux autem, id eſt cęlum, ante primam diem. Duæ ſunt autem res me-
B morabiles, quæ primæ cogitabantur, decernebanturque ab opifice, altera ab altera habens exor-
dium, cęlum & terra, vniuerſales res, cęterarumque rerum capaces & effectrices, id eſt humor,
& calor. Haſque primas memorauit. Quicquid autem ſub aſpectum oculorum veniat, cęlum
ac terra eſt, tota vrbs rerum viſibilium, cęlum ſupernæ regiones, inferiores terræ, omnium po-
ſtea natarum rerum cauſæ. Ideoque Orpheus duo hæc magna principia pronunciauit, ęthera,
& chaos: chaos, ſiue terram recipere vti genitricem, ęthera agere veluti patrem. Vere nihil ſi-
ne calore cęleſti, ſine humore, materiaque terreſtri, fieri potuiſſet. Has duplices cauſas opifex
primas excogitauit, quas & ſi hæc vtilitas, neceſſitaſque creare compulerat, multa tamen ac va-
ria, tum vtilitas, tum dignitas eſt conſecuta. Hominum dentes, ad terendum cibum dati ſunt,
ſed iidem incredibilem ori adhibent decorem. Cęlum vt luceret, illuſtraretque terras, dulcemq;
lucem, creatoremque calorem præberet, deſuper eſt protenſum, vndique terras amplectens: ſed
ex hac ipſa vtilitate, inenarrabilis euenit pulchritudo, vt non ſolum ſalutis, ſed etiam voluptatis
cauſa inuentum eſſe videatur. Non quidem venuſtas, ſed neceſſitas ipſa quæſita eſt. Euenit
autem ob infinitam creationis ſapientiam, vt idem tantam haberet dignitatem, quam habuit vti-
litatem. Cęlum ergo duabus de cauſis in hoc primo ſermonis ingreſſu, debuit præferri terris,
quòd in ordine creationis prima die creatum eſt: tertia autem, terra aquarum pondere & allu-
uie eſt liberata. Aut primam eius creationem innuit. Tunc terra cępit vocari, cùm in lucem
emerſit, viſaque eſt. Deinde cum ſint duæ cauſæ creandi, vna agens, altera recipiens: illa quaſi
genitor, hæc vti genitrix: hæc eo præcedit, quo eſt valentior, maioreſque habens in creatione
vires. Cætera quæ ſunt occultiora, cur cęlum præſtet terris, non commemoro. Poſſum & hoc
C oſtendere, non ſeruare Moſen certum ordinem. Siquidem in ſecundo capite, vbi in noſtra edi-
tione dicitur; In die quo fecit Deus cęlum & terram, Hebraice eſt, terram & cęlum. Sed natu-
ræ eſt inſtinctus, vt priora dignitate & natura nominemus, Cęlum autem hic proculdubio in-
telligendum eſt, quod Ariſtoteles in tertio ſignificato poſuit. Tripliciter enim dicitur eodem
autore cęlum, primum id quod eſt habitatio Deorum, extra cęleſtem vertiginem, vbi neque lo-
cus ſit, neque vacuum, neque tempus, ſed res tantum beatiſſimæ. Secundo dicitur cęlum, ſub-
ſtantia orbium cęleſtium, orbis Solis, Lunæ. Tertio cęlum eſt, quicquid eſt præter terras. Quic-
quid eſt ſupra terras, cum quo & aer & ęther eſt adiunctus. Hoc igitur poſtremum memoratur
apud Moſen. Quare & ab Hebræis, & Latinis, & Græcis, quorum nonnulli cenſent, hic cęlum
empyreum deſignari, quod ante omnia fuerit creatum, duabus de cauſis cogor diſſentire. Pri-
mum, quòd non ſit veriſimile Moſen rerum corruptibilium, viſibiliumque origines deſcriben-
tem, ab inuiſibilibus inchoaſſe ſermonem, & cùm reliqua hiſtoria ſit naturalis tota & phyſica,
nihil erat quamobrem principium eſſet theologicum. Qui ſi cęlum empyreum reſpexit, mira-
bile eſt, cur non & Angelorum creationem induxerit, & vna tantum ſpirituali re commemora-
ta, refugerit ſubito ad res corporeas. Altera eſt cauſa, quia non videtur cęlum empyreum, niſi
quod dixit Ariſtoteles, habitaculum Dei, vbi neque locus ſit, neque tempus, neque res vlla cor-
ruptibilis. Hoc ergo non poteſt eſſe creatum. Nam quod creatum fuit, fuit locus, & tempus,
id eſt, ipſe mundus. Deinde cùm illud ſit regnum Dei, non videtur fas regnum Dei non ſem-
per fuiſſe. Eſt enim cęlum empyreum claritas diuina, quam ſemper fuiſſe cum Deo neceſſe eſt.
Ad quam claritatem admiſit Angelos, incredibili humanitate ſua, & homines pios. Regnum Dei
eſt regnum omnium ſæculorum, ait Pſalmus. Semper Sol ille lucem ęternam ſuam habuit co-
mitem. Nec poteſt aliud eſſe cęlum empyreum, id eſt, igneum, niſi claritas illa, manans a Deo
circun-

Aether & Chaos, duo magna principia.

Cęlum tripliciter dicitur.

Cęlum Empyreum quid.

Pſal. 144.

circunquaque, extra mundum, extra rerum creatarum corruptibiliumque regnum. Fueruntq; apud Græcos, qui quod ait Moſes; In principio creauit Deus cœlum, exponerent, ἐν πρώτοις, prius, primùm ſcilicet cęlum eſt creatum, aut ἀρχὴν ἐποίησεν τὸν οὐρανὸν. Principium creauit cęlum, omnium videlicet rerum creatarum. Et Theodoritus τί δήποτε τὸν οὐρανὸν, πρῶτον ἐποίησε, ἔπειτα τὴν γῆν, πρῶτον τὸν ὄροφον, εἶτα τὸ ἔδαφος. Cur prius cęlum, poſtea terra eſt a Deo creata? quia prius fit tectum, tum pauimentum. In contrarium videtur eſſe ſcriptum; Initio Domine terram fundaſti. Quòd ſi ex aquis factum eſt cęlum, poſt aquas neceſſariò eſt creatum, cœlum empyreum videtur eſſe cęlum increatum, nec videtur eſſe apud Moſen. Dico vt mihi videtur, ſi fallor, errorem non defendo. Duobus ergo nominibus, Moſes comprehendit totum viſibilem mundum, cęlum appellans quicquid ſupra terras imminet, aerem, ęthera: terram autem quicquid infra eſt. Nam cùm terra, etiam aqua eſt creata. Licet enim Moſes non referat creationem aquę, ſequitur tamen cum creatione terræ, cuius rei locupletiſſimus teſtis eſt Timęus Locrenſis in libro ſuo de creatione mundi, & quaſi quodã altero Geneſi, οὐδέποκα ὕδωρ ἐγεννάθη δίχα γᾶς. Nunquam ait, fuit, vel facta eſt terra ſine aqua. Et Græci pulcherrimè demonſtrant, præcipuè Theodoritus; quia cum Moſes dicit; Terra erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, oſtendit vnà cum terra aquas eſſe creatas. Item de Sabbato præcipiens dixit Deus ipſe; Sex dies operaberis, Sabbato autem eſt requies Domino Deo tuo, qui creauit cęlum & terram & mare, & omnia quæ in eis. E quibus colligit, omnia quæ in his ſint, excepta diuina ſubſtantia, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, opera eſſe Dei, habere naturam creatam. Item Dauid; Beatus cuius eſt Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Dominum Deum ſuum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eo. Præter hæc teſtimonia, etiam Iob, vt paulò poſt oſtendemus, clamat mare à Deo creatum.

D

Pſal.101.

Timæus Locrenſis.

Exodi 20.

Pſal.145.

E

Terra autem erat inanis, & vacua.

Hoc principium deſcriptionis, hinc fieri quondam mundus à Deo, à Moſe poſtea cępit deſcribi: re à Deo, ſermone creatus à Moſe. Terram dicit, id quod poſtea terra eſt vocatum, explicatq; quo hæc ſit creata modo. Duas habuit terra creationes a Deo, easque ambas a Theologis commemoratas. Prima cum vnà cum aquis eſt effecta vna rerum ſylua, vna congeries, & homœomeria. Hanc innuit, cùm ait: In principio creauit Deus cęlum, & terram. Secunda creatio tertia die fuit, cùm ab aquis eſt ſegregata. Priorem creduntur apud Græcos, veteres Philoſophi abſtuliſſe, vt negarent materiam à Deo generatam, quod Ariſtoteles crimen imputat Anaxagoræ φησὶ γὰρ ἐκεῖνος ὁμοῦ πάντων ὄντων καὶ ἠρεμούντων τὸν ἄπειρον χρόνον, κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν καὶ διακρῖναι. Dicit enim ille, ſimul cunctis exiſtentibus, & infinito tempore quieſcentibus, mentem motum dediſſe, & diremiſſe. Ait Ariſtoteles de Anaxagora, ſecutusq; eum Lactantius, ſed nimis fortaſſe calumnioſe. Nam cùm Anaxagoras, perinde atque Moſes ſit locutus, omnibus quieſcentibus, ſimulque exiſtentibus, mentem motum dediſſe & exornaſſe, plane præter eorum fortè opinionem, additur temporis infinitas. Dicunt quidem omnes ante chaos fuiſſe, dicit Heſiodus, dicit Plato, dicit Anaxagoras, dicit Moſes: ſed hoc ante, vel tempus interpretari, vel infinitum tempus, eſt ab animis eorum alienum. Veluti ſi dicente aliquo, Primum vel ante in templo columnas poſitas fuiſſe, alius qui id audiret ſuſpicaretur, aut tempus aliquod, aut etiam infinitum tempus ante poſitas. Vel ſi in animali cor, ſi cerebrum ante omnia membra extitiſſe ſcriberet Hippocrates, infinitum tempus quis exiſtimaret ab eo ſcriptum? Aut ſi in arbore radices anteceſſiſſe faterer, magnum à radicibus, ad reliquam arborem intermiſſum à natura tempus dixiſſe, quis me calumniaretur? Sic cùm Moſes referat, Terra erat inanis, qui hinc inuiſibilis terrę ęternitatem arriperet, aut malitioſus calumniator, aut iniquus rerum ęſtimator eſſet. Eadem ratione locutus eſt Heſiodus; Ante fuit chaos, poſtea terra: & Poeta.

Terræ duę creationes.

F

Ouid. ibid.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum.
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe.

Eodem modo Mercurius Triſmegiſtus, Plato quoque: Quicquid erat, inquit, quod in cernendi ſenſum caderet, id ſibi aſſumpſit, non tranquillum & quietum, ſed immoderatè agitatum & fluctuans, idq; ex inordinato in ordinem adduxit. Vbi eſt hoc loco, tempus infinitum. Lactantius vir eloquentiſſimus, Ariſtoteli & Ciceroni ſubſcripſit. Eorum igitur inter chaos, & ordines digeſtos temporis, aut interuallum, aut infinitum, nemo niſi fortè Timæus, interiecit. Creata ſunt omnia ſimul, ait vir ſapientiſſimus, id eſt, coniunctim, cauſæ cum effectibus, totum opus, ſimul iacta ſunt omnium rerum fundamenta, ſimul prouecta & ſuper impoſita reliqua moles. Ante principiis locatis, excogitata, & ſagaciſſime reperta origine, omnes deinde ex ea formæ ſunt depromptæ, vt ſpecies & formæ ſequerentur, eorum mirabile quoddam oportuit cogitare principium. Quis eſt tam male peritus, quin perſpiciat, ideo fuiſſe ab eodem inuentam originem, ſyluamque a quo res ipſas? Iſtarum enim ſucceſſus declarauit, quid ille tunc cogitaſſet. Alioqui ſi non a ſe factam, ſed caſu repertam materiam informaſſet, vtique non eam quocunque res poſtulaſſet flexiſſet, nec illam ſibi parere coegiſſet, ſed contra ſequi naturam ipſe eius coactus fuiſſet.

Neque

A Neque enim opifex ex omni materia omnem educit formam, ſed aptitudinem cuiuſcunque materiæ perſequitur, coactus quaſi parere trahenti. Similiter Deus niſi materiam ipſe ſibi creaſſet, ac paraſſet, nunquam fuiſſet tantus ornatus, tanta rerum omnium dignitas conſequuta, multaq́; omiſſa fuiſſent, propter aſperitatem difficultatemque materiæ, quam ſibi aduerſantem, reſiſtentemque in multis moderator habuiſſet. Ratio igitur coarguit eundem fuiſſe principij, ac totius ſucceſſus creatorem, non coarguit autem, quia Theologi tradiderint anteceſſiſſe quoddam primordium, iſtius primordij ęternitatem. Quæ cogitatio facilè vaneſcet, ſi referamus animos ad omnium naturalium & artificioſarum rerum naturas, eaſque pro exemplo obſcuriſſimæ rei habeamus. Nunquam enim tanto ſtupore, ac ſocordia ſumus, quin percipiamus, inq́ue animos inducamus, quicquid vbilibet producitur, iam antea inchoari, poſt informari, ac diſtingui: & hoc quod dicitur, ante ac poſt, quo pertineat, probe non intelligamus. Erratum igitur ab illis eſt, & praue interpretatum, quod dicebatur ante, vel primum, vt ait Heſiodus: vel erat, vt Moſes; Terra erat inanis, & vacua. Fuitq́ue peculiaris error Manichæorum, de qua re Theodoritus οὐ χρὴ τὸ ἦν κατὰ μανιχαίους, τὸ ἀγέννητον δηλοῦν, οὐ γὰρ ἀεὶ τὸ ἦν, τὸ ἀΐδιον δηλοῖ, ὡς τὸ ἦν ἄντρωπος ἐκεῖνος εὐγενὴς τῶν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν. Non eſt quòd erat, deſignet iuxta Manichæos ęternitatem. Non enim ſemper deſignat ęternum, erat: vt erat homo ille inſignior omnibus orientalibus. Sic ille, cuius declarandæ rei cupiditate, pluribus forte, quàm deceat verbis vtor. Nam prudentibus toties non debuit inculcari.

Inanis, & vacua.

B QVem habuit ordinem creatio, quemq́ue diuini Theologi deſcriptio, eundem noſtra habet interpretatio, qua probare conamur, nihil eſſe in hac deſcriptione abſurdum, & abſonum, nihil allegoricum, non planum, & vſitatum, ſenſibile, nihil ab hac vitæ, & naturæ conſuetudine alienum. Non debuiſſe aut eſſe potuiſſe aliud, vel primordium, vel conditionis progreſſum. Omniaque facta Dei, dicta Moſis ſummum habere conſenſum & rationem. Terra erat inanis & vacua, Hebraice, Thohu & Bohu, quarum vocum proprietas eſt, hoc quod noſter, ſequutus Aquilam & Symmachũ, tranſtulit. Quippe prior vox, habet originem a verbo, היה haiah, quod ad alia, deſignat euertere, deſtruere, in nihilum redigere, vanitatem efficere. Hinc Thohu ſonat, vanum, nihilum, cuius nullus ſit aſpectus. Exemplum eſt ex aliis locis, præcipuè Reg. 1. Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt. Quo loco, bis eſt Thohu, quod vana traduxit diuinus interpres. Idolaque appellauit, vanitatem & Thohu, quòd nullus in eorum cultu eſſet fructus, & quod coleretur, eſſet vaniſſimum, eſſet nihil, non extaret, nec oculis & ſenſui pateret. Eſaias quoque: Tanquam nihilum & vanitas reputata ſunt ei, ijſdem vocibus. Secunda vox Bohu, ſimiliter deſignat, quod non eſt, rem latentem, obſcuram, quæ non veniat in conſpectum. Quæ vox vt alia pleraque, remanſit fortè in lingua Italica, quæ antiquiſſimæ Latinæ linguæ eſt colluuies. Figmenta ſunt Hebræorum, Bohu eſſe materiam deſiderantem formam, quaſi in eo: figmenta ex iunioribus Philoſophis petita. Ergo Bohu fortaſſe eſt, quod dicunt Buio, id eſt obſcurum, tenebroſum, opacum, ideo Sept. tranſtulerunt ἀόρατον. Talis erat terra priuſquam & a Sole deſuper mundus inclareſceret, & aquis quarum profundo cooperta latebat, ipſa emergeret. Dixi hoc fuiſſe, nec aliud eſſe potuiſſe rerum ſenſibilium, corporaliumq́ue primordium, vt ante omnia fundare in medio mundi terram, poſt
C aquas maius quoddã, exilius & fragilius, ac debilius elementum, diffundere ac ſuperiacere oportuerit. Terra in obſcuriſſimis & denſiſſimis tenebris & profundiſſimis aquis latitabat, quibus fuerat ante ſubſtrata, vt ſolidius elementum eas ſuſtineret, vt earum aſſidentia ad rerum creationem molleſceret, diſponereturq́ue ad vniuerſalem rerum partum. Hoc præcipuum, diuinumq́; conſilium, Deiq́ue prouidentiam, in primo ingreſſu Moſes declarat. Cur autem non ita commemorauerit aquas ſicuti terram, nec dixerit eas fuiſſe creatas; ea ratio eſt, quòd propter terras crearentur. Non enim terra propter aquas, ſed aquæ propter terram, vt tum in illo primordio ab his irrigaretur, tum deinceps ſemper aſcendentibus ſuperius ijſdem extenuatis a Sole, volucribuſque effectis. Quod Dei, naturæque conſilium clarum eſt. Res ergo præcipuas cœlum, & terram, fatetur a Deo creatas, quibus vniuerſa, quæ toto in mundo continentur, comprehenduntur. Inuiſibilem autem & incompoſitam tranſtulerunt ſeptuaginta interpretes, neque ipſi ab Hebraico diſſentientes, neque ab illis diſſentiente Hieronymo. Eas enim cauſas, quæ terram inanem & vacuam redderent, (nam nec videbatur, ob aquas, & tenebras, nec plantis & herbis, & animantibus erat ornata, & quaſi extructa, & compoſita) declarant interpretes, alter verbi proprietatem, alteri rem ſub verbo latentem explicantes. Obſcuræ autem erant terra & aquę: ſed terram aquæ, aquas tenebræ ſuper incumbentes opacabant. Vtrunque Moſes terram dicens fuiſſe Thohu & Bohu, ſuper aquis autem tenebras inſediſſe. Omnia neceſſitate cogente, tenebras lucis abſentia, aquis terræ obſcuritatem inducente. Terra propter aquas, & quia futura proles plantarum & animantum, aquæ propter terras mollefaciendas, altiſſimæ aquæ, quia circunquaque mollefacere terras, & pars aquarum in vapores erant extenuanda, & aer ex ea efficiendus. Non alia rerum creandarum ratio, nec ſapientius quicquam, hæ veræ ac ſolæ rerum origines.

Thohu.

Bohu.

Aquæ cur non dicantur creatæ.

Terra inanis & vacua quomodo.

origines. Terram oportebat condere, ſed aquis aſſociatam, quia ſine terra nihil peperiſſet. Mater, D & genitrix, & altrix, omnium prior generata, ante lucem, ante cęlum, ante aerem, animalia, plantas, homines. Tres igitur habet ſenſus, terram fuiſſe inanem & vacuam, aut quod propter aquas & tenebras, non videretur, aut quòd eſſet informis, ſine plantis, animabus, hominibus, ſine luce, ſine vlla vita. Aut dicit terram fuiſſe inanem & nihil, hoc eſt, vt poſtea ex theologia Iob clarebit, hoc quod fuit poſtea terra, antea fuit nihil. Erat terra nihil: in loco vbi terra condita fuit, nulla res erat: vanitas, inanitas erat: erat vacuitas, erat rerum carentia: ex quo conuinceretur eorum error, ſi qui fuerunt, qui ſiue materiem, ſiue ipſam terram ęternam aſſeruiſſent. Quare recentiores Hebræi, qui Bohu dicunt eſſe materiam formas deſiderantem, Ariſtotelica loquuntur, non Moſaica. Quandoquidem Bohu, & Thohu ſint nomina vanitatis, inexiſtentiæ, inapparentiæ, ſiue materiæ primæ, ſiue cuiuſcunque rei, vt declarant varia exempla ſcripturarum. Quas videbis ſemper, cùm rem non extantem, vanam, nauci, nihil volunt deſignare, vſurpare hæc duo nomina: è quibus duo proferam exempla. Eſaiæ, Et extendetur ſuper ea menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum ad deſolationem. Hoc de Babylonis excidio Propheta, quam in nihilum redigendam vaticinatur, pro nihilo in Hebraico eſt Thohu, pro deſolatione eſt Bohu, quaſi idem his duabus vocibus pollentibus. Hieremiæ quoque cap. 4. Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihili: pro vacua & nihili, Hebraice Tohu, & Bohu. Quibus exemplis declaratur idem eſſe Thohu & Bohu, nec in ſola materia prima vſurpari, ſed vbicunque nihil ſit. Suntque ſibi comites hæ voces, propter ęquipollentiam ſignificatus: placita ſunt Philoſophorum, illa Hebraica. Nam & eoſdem ſequuti iſto loco, dicunt duas materias primas Deum fuiſſe, vnam rerum terreſtrium, alteram cęleſtium. Fortaſſe magis eſt theologiæ E conſentaneum, principium rerum cœleſtium fuiſſe aquam, & eandem terram & aquam, omnium extitiſſe origines rerum viſibilium. Nam ex aqua aer, ex aere ęther fit, ex ętheria ſubſtantia lumina cœleſtia. Priores duos ſenſus inuenies apud Græcos: Acaciuſque eam inuiſibilem ait dictam propter aquas (vnde paulo poſt: Congregentur aquæ, & appareat arida.) Deinde & propter luminis abſentiam. Inuiſibilemque non Deo, ſed hominibus, tum nondum exiſtentibus, tamen ſi extitiſſent, propter altiſſimas aquas inuiſibilem. Seueriano non placet propter aquas terram dictam inuiſibilem, patrum quorundam ſenſum εὐσεβὲς μὲν, οὐκ ἀληϛὲς δὲ, pium quidem, ſed minime verum. Mihi omnino videtur poſſe defendi. Baſilius quem magis probat Seuerianus, inuiſibilem, quia ſine cultoribus, ſine fructibus, quaſi ἄμορφος. Aquilas autem qui vertit κένωμα καὶ οὐδὲν, inanitas, & nihil, quem ſequutus eſt Hieronymus, præbuit occaſionem poſtremi ſenſus, quem nos de fontibus Hebræorum eruimus. Nobis omnes probantur, quia Thohu & Bohu, etiam de ſolitudine informi, & horribili dicuntur, & de euerſa Babylone.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Tenebræ quid.

CReata ſylua, ac maſſa, vnde promenda, ac gignenda cuncta terrena fuerant, nondum autem creata luce, neceſſariò erant tenebræ, non quidem illæ, quæ nunc ſingulas abſente Sole noctes efficiunt, quæque ſunt aer tenebroſus, ſed quales neceſſe ſit nos cogitare, exiſtente illa rerum congerie, ſed nondum condito cęlo inhorruiſſe. Nondum erat aer, nondum lux, ſola maſſa, rerumque congeries. Quid ergo aliud occurrit animo, quam tenebras fuiſſe? poſſunt autem tenebræ eſſe tam & ſi aer non adſit. Nihil enim eſt vmbra, nec habet aerem vti ſedem F ac ſubiectum, vt ei neceſſariò inhæreat, priuatio lucis eſt, vbicunque non eſt lumen, ſunt tenebræ. Nunc tenebræ ſunt aer obſcuratus, tunc erat lucis abſentia, qua luce carebat chaos, ſubmoue lucem cogitatione, ſubmoue aerem, remaneat terra, finge oceanum cum terra, quid ſuper immenſis aquis illis inſideret? Nonne denſiſſimus & teterrimus horror? Fac talem eſſe totum orbem, qualis nunc oceanus, vbi mare vndique, & vndique cęlum, talis ſit orbis, nuſquam terræ, florenteſque campi, & montes, ne ſit lux, non aer, iam vides horribiles tenebras, aquis illis, & omni oceano incubantes, eas videlicet tenebras, vt non modo lux, ſed ne alia quidem res adſit. Ac ipſe tibi quaſdam tenebras proponam, tamen non aerias, tum his longe tetriores, quæ in aeris obſcuritate cernuntur. Quæ ſunt illæ tenebræ, cùm nihil clauſis oculis videmus? Quid tenebricoſius, eo quod cæcorum oculis occurrit? & is tamen non eſt aer tenebroſus, & obſcuratus: obſcurum tamen eſt quiddam, quod cuiuſmodi ſit, ex ipſa dulciſſima luce perſpicimus, ac ponderamus. In tenebris cęci dicuntur eſſe, cùm perinde ac cæteri ſint in luce. Tenebras videlicet appellamus, omnem lucis abſentiam, ſiue in aere, ſiue quouis alio modo. Tales erant ſuper aquis immenſis, ſine aere, merum nihil, lucis & aeris priuatio, abſentia non modo per corpus perſpicuum penetrantis lucis, ſed ipſius etiam corporis perſpicui: perſpicuum corpus, aer. Erant autem hæ tenebræ ſuper faciem abyſſi. Faciem appellat ſuperficiem. Cogebat eſſe tenebras neceſſitas, ſola aqua deſuper incumbente, in imo iacente terra, illæ duæ res ſolitariæ, aliud præterea nihil. Nam tenebrarum commemoratio, nullius rei commemoratio commemoratio eius, quod lucem anteceſſiſſet, vt conſtaret, quantum ſit ex luce creata bonum conſecutum. Hæc illa cùm aqua & terris nox, eoque chaos, & nox apud Theologos ante omnia, prima de

quibus

A quibus lux inducta ſurſum, terra detecta deorſum. Tenebras ergo vocat lucis paulopoſt creatæ abſentiam, quod doctè & ſapienter etiam Gennadius oſtendit contra Manichæos inuectus σκότος λέγει, οὐ πονηρὰν τινὰ φύσιν ὡς ὁ τῶν ἀθέων μανιχαίων βούλεται χῆρος, ἀλλὰ τὴν φωτὸς ἀπουσίαντι καὶ ἀπόλειψιν. Tenebras, inquit, non prauam quandam naturam dicit, vt impiorum Manichæorum nugæ volunt, ſed lucis abſentiam & defectum. Non igitur aliqua ſubſtantia tenebræ, nec ſunt à Deo creatæ, ſed accidens quoddam erat, proueniens ex lucis abſentia, quod etiã Theodoritus fatetur: οὐ τοίνυν ἀγέννητος οὐσία τὸ σκότος οὔτε μὴν γεννητή τις ὑπόστασις, ἀλλὰ πράγμα συμβεβηκός. Non ergo aut ęterna & increata, aut creata ſubſtantia ſunt tenebræ, ſed res accidens. ſic ille. Ergo tenebrarum commemoratio apud Moſen, non propter ipſas eſt, quaſi aliquid ſint, ſed propter lucem paulo poſt creatam. Quod pulchre deſcribitur a ſanctiſſimo Chryſoſtomo, ἐμάθομεν ἐντεῦθεν ὅτι ἅπαν τὸ ὁρομένον, ἀβυσσὸς, ἦν τῶν σκότει κεκαλυμμένη, καὶ ἐδεῖτο τοῦ σοφοῦ δημιουργοῦ, ὥστε πάσαν ταύτην τὴν ἀμορφίαν ἐξελεῖν, καὶ εἰς εὐκοσμίαν τινὰ τὰ πάντα ἀγαγεῖν. Hinc didicimus quicquid videretur abyſſus erat, tenebris obtecta, & opus erat ſapiente aliquo opifice, qui hanc deformitatem ſubmoueret, & omnibus decorem daret. Sic ille. Declarat autem Diodorus quid ſit abyſſus. Eſt, ait, abyſſus aqua ingens, cuius profundum aut eſt incomprehenſibile, aut vix comprehenſibile: ἀβυσσὸς ἐστὶν ὕδωρ πολὺ, οὐ τυβάθος ἀκατάληπτον, ἢ δυσκάληπτον σφόδρα τοῖς ἀνθρώποις.

Abyſſus quid.

Et ſpiritus Domini ferebatur.

B TErtium principium poſt terram & aquam. Primum igitur tellus mater & ſinus animantium rerum fœcunda parens, poſt aũt pariter aquæ, quibus tunc & deinceps irrigaretur, & commadeſceret. Spiritus deinde quem malim diuinum interpretari, quam ventum, quòd omnis omnium gentium Theologia, ſpiritum intelligibilem & ſanctum hic confeſſa eſt, & ventus abſente aere, abſente luce, nondum eſſet generatus. Tum nihil acturus ventus eſſet in rerum creatione. Spiritum igitur hunc veteres amorem, Ariſtoteles ἐπιτυμίαν cupiditatem, Platonici animam mundi, alij mentem, quidã Deum palàm recte omnes dixerunt. Hebraica vox eſt רוח ruach, ea declarat, ventum, ſpiritum, afflatum, impetum. Vox quidem rem corpoream repræſentat, ob affinitatem, etiam incorpoream. Vt afflatus corporeus à re ſpirante dimittitur tenuis, & inuiſibilis, atque exilis, ſic manat ab animis incorporeus quidam. Vim igitur diuinam, ac fauorem ſpirantem a Deo, & manantem, quaſique lucem prodeuntem, ſpiritum vocat vbique ſacra philoſophia. Vocat interdum benedictionem, quoniam quod Latinè dicitur benedicere, Hebraicè eſt ברך barach, quæ vox vbertatem, affluentiamque deſignat. Hinc eadem voce bereka dicitur, fons, piſcina, quaſi largitas, vbertas, affluentia, & ברכה birka, munus, largitio. Spiritum hunc rebus creatis præſentem dedit Deus, iteratoque largitus eſt, cùm benedixit opera quæque ſua. Ergo ſpiritus & is in creatione, rectè ab antiquis Philoſophis, amor & cupiditas eſt appellata. In amore enim eſt benignitas & largitio, vt in maleuolentia, & odio, malignitas. Amor item eſt cupiditas ſeſe diffundens, amplectens res amatas, & fouens. Is amor, hæc cupiditas erant animandi, fœcundandi, viuificandi mundi, bona ſua largiendi: iuſtiſſimèque idem dictus anima mundi, largitio diuina, bonorum ſuorum affluentia, rerum cunctarum animatio, & iure quidem ab aliis mens, ab aliis Deus. In mente enim & ratione, ordinatio, diſpoſitio. Animabat ergo,
C ordinibus repertis, nuſquam eſſe ſinens temeritatem. Hæc autem non ſine Deo. Is ſpiritus, quòd mundi fuerit principium, quòd rerum creatarum viuificator, quòd ſine eo nihil naſci, ac fieri, etiam terra & aquis & luce creata, potuerit, ab omnibus gentibus cognitum eſt & confeſſum. Eum, vt dixi, alij animam mundi, alij ſpiritum dixerunt. Idem enim eſt re & verbo, anima & ſpiritus. Siquidem anima ab ἄνεμος anemos, ventus Græcè, ventus autem & ſpiritus idem. Anima igitur & ventus idem, quia quod anemos Græcè, ſpiritus Latinè: & ſæpe anima, halitus, & ventus etiam apud Latinos, vt,

Spiritus Domini.

Spiritus ab antiquis amor dictus.

Amor quid.

Anima mundi.

Anima, ſpiritus, & vẽtus idem.

- Animas & olentia, Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anheli. Et,
Quantum ignes, animæque valent.

Anima autem mundi apud omnes eſt celeberrima, omneſque libri veterum & recentium Platonicorum ſunt eius commemoratione pleni. Ab hac natum, naſcique quotidie mundum, nulli non fuit perſpectum, mirabileque eſt ſuper hoc teſtimonium Mercurij Triſmegiſti, ſic dicentis, in ſermone ad Aeſculapium: Spiritu agitatur, & gubernatur omnis in mundo ſpecies, ſpiritus implet omnia. Mundus nutrit corpora, ſpiritus animas. Spiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in mundo, & quaſi organum vel machina, ſummi Dei voluntati, ſubiectus eſt. Hæc ſparſim ad Aſclepium. In ſermone autem tertio, abſolutiſſimè hæc de Spiritu ſancto. Nunc quod reſtat, inquit, in hac ratione audite. Hoc ſpiritu, vt ſæpe ante diximus, omnia indigent, omnia enim portat, pro cuiuſque dignitate & meritis omnia viuificat & alit. A fonte ſancto producitur, ſpiritu & vita fœcundiſſimus. Ac niſi prouidentia quædam eſſet eius, qui dominatur omnibus, quæ & ipſum Dei verbum reuelaret, neque nos nunc talis amor tenuiſſet, vt de eo loqueremur.

remur. Hæc ait Mercurius de ſpiritu, cuius dictis innoteſcit, quæ vis & natura ſit is ſpiritus, quem ad creationem, viuificationemque rerum Moſes, & is idem, cæterique omnes adhibuerũt: quàm fuerit, ſitque neceſſarius. Huic & adminiſtrationem ſpecierum, & animarum, quaſi ſatum aſcripſerunt, vt ſi hæc vis abfuiſſet, exorbitare ſpecies neceſſe fuerit, animæ nec naſci, nec ſuſtineri, propagari potuerint. Hoc & Dauid, & profani vates ſunt confeſſi. Quos iucundum eſt Pſal. 103. inter ſe concordes audire. Dauid, Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. In contrario autem: Auertente te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſiue lutum ſuum, (Hebraice עפרם apharam) conuertentur. Declarat vates, quid in rerum creatione, dum mundus conderetur, dum nunc eodem curſu inſiſtit, ſpiritus ille, benignitaſque diuina valuerit. Aeneid. 6. Nobilis autem Poeta, nobiliter. D

Principio cœlum, ac terras, campoſque linquentes
Lucentem globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Deum immortalem, quanta carminum iſtorum maieſtas: vt Theologiam Moſaicam ſacrorumq; vatum reſipiunt: Moſes dicit principio, ſpiritum ſuper aquas incubuiſſe, omniaque diuina benedictione creuiſſe. Poeta vſque a principio, ſpiritum totam machinam aluiſſe, inde homines animanteſq; terreſtres ac marinos pullulaſſe. Quàm finitime quoque verbis Moſaicis vſus eſt? Nam E quod Moſes dicit: & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Hebraice eſt merachephet מרחפת, quod proprie ſonat, fouere, Græcis aſſentientibus, alere, fętare, agitare, Poetaq; ait, ſpiritum molem aluiſſe, Moſes confouiſſe, fętaſſe, id eſt, ad fętum fęcundaſſe, & aquas commouiſſe. Moſes ab hoc principio creationem deducit: Poeta inde omnigena animalia in lucem docet prodiiſſe. Eundem etiam ſpiritum & mentem appellat Poeta. Moſes ſpiritum ſuper fętaſſe, Deum creaſſe, Virgil. ibidem. eundem videlicet. Siquidem eundem alibi Deum vocat Poeta:

-Deum namque ire per omnes,
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum:
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

De ſpiritu enim ſentit conſentanee Dauid; Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Pythagoras ergo è vetuſtioribus Philoſophis, intelligens quam vim ſpiritus haberet, cenſuit eum eſſe animum, per naturam omnium rerum intentum & commeatum, ex quo noſtri animi caperentur. Interpretatusque eſt Marcus ψυχὴν animum, quod cæteri animam. Sentiebat autem de anima mundi Pythagoras. Ergo alij ſpiritum, alij animum, & animam mundi eum appellauerunt. Omniumque eſt vna confeſſio, & conſenſus fuiſſe, & eſſe mundo afflatum quendam ſpiritumq; diuinum, & animationem neceſſariam, ſine qua nec naſci quicquam, neque ali potuerit. Quin & ſapientiſſimus Orator, idemque & philoſophus quam vim proprietatemque is haberet, à Pla- F tone, priſciſque viris mutuatus vidit, eumque ſuo nomine appellauit. Hæc ait, de natura rerum loquens, ita fieri, omnibus inter ſe concinentibus mundi partibus, profecto non poſſent, niſi ea, vno diuino & continuato ſpiritu continerentur. Et ſpiritum diuinum euntem per omnia confitetur ſicut Poeta.

-Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum.

Ab eo tantos vitæ, rerumque ordines, qui ſunt in toto mundo extitiſſe ſolo dicit, vt ſi abeſſet, nec inter ſe rerum conſenſus & ordo, nec reditus eorundem vniformis ſemper extare potuerit. Mercurius autem docuit ſpecies ac formas, & animas ſpiritum moderari, ac viuificare. Ergo iam intelligimus, hoc tertium, præter terram & aquas principium, quibus viribus, qua proprietate ſit, quem locum ac principatum in omni ſatu tenuerit. Ipſe enim eſt verus ſator, omniumque animator, & altor, omnium formarum repertor, earundemque ſeruator, vt quæ fęlicitas mundi naſcentis, fertilitaſque fuerit, talis eſſet in omnem poſteritatem. Vniuerſale animalium ſpiraculum, id eſt, ſpiraculorum largitor. Magnus alens magnos commiſtus corpore fœtus. Propterea dicitur Hebraice ruach, quod conſiderare eſt plurimum operæpretium, ab origine ſua רוח ruach, ideſt, affluxit, exuberauit, vt ruach deſignet exuberantiam, largitatem, affluentiam. Cumque dicitur, & ſpiritus Domini ferebatur, quaſi intelligendum ſit, fauor ceu benignitas, vitarumque affluentia, & inuentio diuina. Duæ ſunt autem vitę, vna maxima, potens, vaſta quędam vis, & ſubſtantia: aliæ ſunt vitæ minores, quæ ab illa præpotenti, veluti fonte vberrimo profluxerunt. Hac ſententia dixit Moſes referens fermè quod in creatione docuiſſet. Domine

Deus

A Deus ſpirituum omnis carnis. Magnus ſcilicet ſpiritus, ſpirituum minorum procreator, ac Dominus. Vt vates: Magnus alit magnos commiſtus corpore fętus. Salomon: Et ſpiritus reuertetur ad Dominnm qui dedit illum. Principio ergo omnium corporalium rerum, ſed præcipuè vitarum fuit, eſtque ſemper, inuiſibilis quædam, quoniam incorporea, magiſque ſub intelligentiam, quàm ſub oculos cadens, diuina virtus, quæ dicitur, dictaque eſt ab omnibus ſpiritus, ſiue anima mundi, dans omnes animas ac ſpiritus orbi, ac quaſi procreans, Solis procreatrix & rerum à quibus ſpiritus terreſtres. Hæc poteſt duabus de cauſis ſpiritus Dei appellationem habuiſſe, aut qnòd ſit tertium principium illud, & hypoſtaſis manans à Deo, aut quòd non id quidem ſit intelligendum, ſed ſatus quidam, atque animatio, & fauor à Deo, & quod Ariſtoteles Theologorum ſenſa aperiens, amorem illorum ἐπιθυμίαν cupiditatem eſt interpretatus, quæ rerum induxerit exordium. Itaque quod poſſit quæri ac dubitari, an terris, aquiſque, præter lucem caloremque cęleſtem, ſit aliud ad rerum generationem neceſſarium. Dicendum veteres docuiſſe, tantam ordinum mundanarum in tanta varietate concordiam, nunquam conſtare potuiſſe, niſi ea vno diuino continuatoqne ſpiritu regerentur. Nunquam ex ſeminibus rerum tam exiguis, tantas formas gigni potuiſſe, nunquam ſpecies, ac formas, ſine moderatore non confundi, & commiſceri potuiſſe. Nos lucem & calorem, terraſque limoſas aſpicimus, principium illud inuiſibile non aſpicimus, ſed ratione offertur nobis, præterquam quod theologiæ, & hominum conſenſus locupletiſſimus teſtis. Ne imitemur eorum leuitatem, qui ſolas viſibiles eſſe, nullas autem inuiſibiles, quia non viderentur ab illis, ſubſtantias putarunt. Creatis itaque rebus benedixiſſe Deum prodidit Moſes, adeſſe videlicet monſtrauit hoc robur, ſecretamq; rerum cuſtodiam, B vt qua parte eadẽ ſeruaretur ope, & qui incubabat aquis, inducens primordium, eundem affore præſto, abſoluto mundo. Præter igitur hæc viſibilia rerum principia, ęthera, & chaos, aquam ſcilicet cum terra, aliud inuiſibile latet principium, tam antiquæ ac primæ, quàm deinceps conſecutæ creationis cauſa, & conſeruatio. Dicitur ſpiritus, quòd occultè perinde atque ventus, ſpiret, & animet, dans animas inuiſibiles inuiſibiliter. Triaque hucuſque poſuit Moſes principia, duo viſibilia, ęthera, & chaos, vel cœlum ac terram, tertium autem inuiſibile, ſpiritum operatione tantum, vt anima, quæ latet in nobis, manifeſtum. Et ſi igitur Hebræi & Græci hic ſpiritum, tum diuinum ſpiritum, tum aerem qui ſuper aquis eſſet, putent intelligi poſſe, omnino priorem ſpiritum dixerim ſpectatum à Moſe, vt magis oſtendam.

Eccleſ.12.

Ferebatur ſuper aquas.

EX verbis Hebraicis, quæ ſunt hoc loco, videlicet תהום ורוח אלהים מרחפת id eſt, abyſſus, ſpiritus Domini agitabatur, vel actitabat ſuper aquas, hanc ſiue ſcientiam, ſiue opinionem colligimus, ad fontem enim reſpectandum eſt, principio ſpiritum diuinum primordiales aquas commouiſſe, inde illam voraginem aquarumque vaſtitatem ſonantem, citam atque ruentem, appellatam Thehom, id eſt, tumultuationem, ſi etymon reſpicias, quòd eam ſpiritus diuinus impelleret, ſpiritum Domini hic interpretor præter animationem etiam impetum diuinum, animoſitatem, oſtendens ſæpe ſpiritum vim, impetum in ſcripturis deſignare. De Sampſon cùm tria millia hominum proſtrauit, dicitur: Et arripuit eum ſpiritus Dominĩ. Impellebatur igitur vorago ſiue abyſſus, & agitabatur à ſpiritu, poteſtate, potentiaque diuina. Illa turbata ruebat. Inde vocata eſt Hebraice, thehom, id eſt, ſi etymon diſſoluas & enodes, ſonitus, fremitus, turbatio. C Hanc aquarum vaſtarum à ſpiritu diuino commotionem, declarat ipſa vox ſpiritus, ipſa vox thehom, id eſt reſonans abyſſus, demon vox Hebraica merachephet מרחפת quam Septuaginta tranſtulerunt ἐπεφέρετο, ſuperferebatur, ea notat tum fœtationem, tum commotionem, agitationem, vt verba Moſaica hoc per ſe ferant, ſpiritus, aut impetus diuinus, vt terra diluta aquis appareret, voraginem conturbabat, & commouebat, illaque tum ſecedebat, tum ſiccabatur, tum animabatur. Hoc ſenſu dixit fortè Salomon; Sapientia illius eruperunt abyſſi, clarius Hebraicè נבקעו fractæ ſunt, patuerunt, ſciſſæ ſunt. Eius ſapientia, quam infinita poteſtas ſequebatur, ſcindebat abyſſum, vt id quod vidimus, fieret. Nam primum poſt fundatam terram, opus, prima in terrenis rebus operatio, fuit aquarum ſeceſſus, poſt, quinque dierum ſunt opera conſecuta. Totaque creatio à ſciſſa voragine, à moderatis beneque conſtitutis aquarum tantis agminibus pependit. Hæc forte ſciſſio, & impulſio, & moderatio fuit, quàm veteres decantauerunt, omnia quondam in vna congerie exiſtentia, ingreſſam mentem ſecuiſſe, ac diſtinxiſſe, & moderaſſe, quod præclarè Ouidius vt nemo melius.

Spiritus pro vi & impetu.

Prouerb.3.

Quæ poſtquam euoluit, cæcoque exemit aceruo:
Diſſociata locis, concordi pace ligauit.

Ouid. initio. 1. Metamorph.

Cæcum dixit aceruũ, vt & Moſes, tenebræ erant ſuper abyſſum. Totum hoc Moſes vno linguæ ſuæ verbo expreſſit, merachephet. Vnam quidem diuini ſpiritus operationem, aquarum ſciſſionẽ & ruptionem, commotionemq; id deſignat, ſed ſub eo continetur, omne quod Theologi fando proſequuti, tradiderunt rerum aceruos conglobatos, tum mentis cuiuſdam ſapientia, & conſilio, diſſociatos & diremptos, quoſque ſuas regiones tenuiſſe. Vt ergo Theologus, cęlũ ac terras ſcribit à Deo creatas, poſtea totam expolit creationẽ, cuncta nominatim appellãs, ſic ante totam

D formationem, hoc præfatur exordio, ſpiritus Domini merachephet, id eſt, ferebatur, mouebatur, inualeſcebat ſuper aquis. Magnus ait tumultus, valida impreſſio & agitatio erat in aquis, diuini impetus ſubmouentis aquas, litemque diſſociantis, cęlum deſuper tendentis. Hinc Chaldæa tralatio, quod Moſes dixit, merachephet, reddidit ipſa מנשבא menasheua, flabat, pellebat, remouebat. Quæ vox quid habeat ponderis, nam & Hebraica eſt, agnoſce ex illo loco Pſal. 147. Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Et ex illo Gen. 15. Et abigebat eas Abraham, eſt enim vtrobique נשב nashab. Vt ergo abigebat, ac ſubmouebat aues Abraham, ſic voraginem, & immenſas aquas, impetus ille diuinus. Et vt poſt creatum mundum, ſpiritu illius flante, diffluunt aquæ, ſic idem fiebat tunc in exordio. Appellatq; illic ſpiritum non ventum, nam nondum erat ventus, ſed ſapientiam cœlum deſuper extendentem, & diuinam potentiam mouentem & animantem aquas, quod antiqui Theologi dixiſſent, litem aceruumque rerum dirimentem, ac diſſociantem. Hunc igitur ordinem ac progreſſum habuit creatio. Terra ante omnia fundata eſt. Initio ait diuinum oraculum, terram fundaſti, pro quo quiddam lucidius Hebraice lephanaim לפנים ante, prius. Terræ magna vis aquarum eſt ſuperiniecta. Quibus poſitis, ac iactis, Deus ad reliquum opus mentem adiecit, & vt aperiret terras, ſuper aquis porrexit molem cœleſtem. Dumque omnia ab inuicem abſcinderet, ęthera primum creauit, quod poeta docet:

Ouid. ibidem.

Hanc Deus, & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cœlum.

E Moſes autem primum gradum creationis lucem, ſiue Solem & ęthera, vt ipſe interpretor, docuit fuiſſe, ſed principium inde habuiſſe, quòd ſpiritus ſuper aquas fluitaret, ac commoueretur. Atque animo in illam ſpiritus diuini actionem vel commotionem penetraſſe, perdifficile ſit, eam tamen & aquarum animationem, & agitationem fuiſſe, ex proprietate vocum occurrit animo ſuſpicio. Appellauit enim Moſes, agitationem, actionemque Dei, quam Anaxagoras διάκρισιν, id eſt diuiſionem, diremptionem, quam dixit feciſſe mentem; eam commotione, ac tumultu quodam rerum factam, ſed aquarum præcipuè neceſſe eſt. Quaſſabat iugiter impetu vaſto, ſpiritus aquas, quod Hebraicè dicitur hic & alibi rachaph, & quaſſando rumpebat, & animabat. Ac plane videntur priſci Aegypti Græciæque theologi, vidiſſe quod ſcripſit Moſes, qui concuſſionem aquarum illam, rerum abinuicem abſciſſionem vocauerunt, Moſes aquarum tantum fuiſſe prodidit. Sed cum ijdem antiqui principium, originemque rerum aquis adiudicarint, in his poliſicas rerum vires ac ſeminarium videntur ſtatuiſſe. Ergo quem Anaxagoras rerum congeriem cenſuit ſecuiſſe, eundem & abſcidiſſe aquas ac ſeiunxiſſe (quia ſunt illis hæ principium, & origo) confeſſus eſt. Ac doceo vera & ſacris oraculis conſona, antiquos illos aſſeueraſſe, omnia tunc coniuncta ac quaſi conglobata diuini ſpiritus impulſu, & agitatu fuiſſe creata & ſecreta. Primumque ex commotione, concuſſioneque aquarum conceptum eſſe ignem, effectamq; ſubſtantiam puriorem ętheriam. Nam etiam mortales cernunt ex concuſſione aquarum ignem accendi, & ſæpe noctu horrentibus tenebris, totum repente cęleſtem tractum vidimus irradiari, & alia quàm Solis luce illuminari ſubiectas terras, colliſis inter ſe nubibus aquoſis, & ex colliſione inflammatis. Hæc illo primordio, ſpiritu diuino, multo potentius operante, veriſimile F eſt puriorem quandam ſubſtantiam, accenſam poſtea conſtipatam in orbem à ſapientiſſimo artifice fuiſſe. Ideo ſubito ex hac agitatione creata eſt, apparuitque repente teterrima illa in nocte, quæ ſuper abyſſum inſideret, inſperata lux, vt nunc denſiſſimis in tenebris, concuſſis ac commotis ſupernis aquis, exoritur aperiens & illuſtrans omnia, tenebraſque amoliens, maxima lux. Decet enim nos de rebus conſecutis, intelligere quales hæ in exordio fuiſſent. Tales enim poſtea extiterunt, qualem habuiſſent à principio naturam. Factumque eſt tunc, quod poſtea principiis nitens ſuis per omnia ſæcula cucurrit. Nec vſquam diſſentiunt ab extremis initia, ſed horum natura, illorum eſt fœtura. Ideo poeta dicit, opificem ſecreuiſſe primum ex aceruo, id eſt ex aquis, abſcidiſſeque puriorem ac meliorem ſubſtantiam. Nonne vides id ipſum in omni natura, actione vehementi, optimaque ſecerni? Sic oritur ac ſecernitur per calorem, ex ſanguine ſpiritus, ſic aquis extenuatis à Sole, efficitur purior his aer. Itaque & ęthera, id eſt liquidiorem ſubſtantiam, genitum ex aquis in illa commotione credendum. Vides ex aquis naſci aurum, naſci argentum, lapides pretioſos. Quis ſilici & ferro ignem ineſſe putaſſet, ſi non vidiſſet? quando ne ineſt quidem: ſed mirabiliter oritur his attritis. Duo autem mirabiliter, quòd cùm terra & ignis ſint duo tam diſparia elementa, ſubito naſcitur ignis, vbi non eſſet, vt ex nihilo naſci videatur. Mirabilius autem, vt ex attritu aquarum idem generetur. Si natura poteſt, ex aquis ignem accendere, idque ſæpiſſimè facit, quanto potentius id feciſſe Deum credendum eſt, autorem naturæ, vt compulerit ex aquis oriri puriorem ſubſtantiam? Hanc ob cauſam, ęthera cęleſteſque ſubſtantias dixerunt ex aquis eſſe creatas, & nomen habuit cœlum apud Hebræos shamaim, quod ſonat aquas igneas, tum poeta canit:

שמים

Ouid. ibidem.

Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cœlum.

Ex aceruo,

A Ex aceruo, ſcilicet illo cæco & aquis, eduxit ac deprompſit ętheriam ſubſtantiam. Hoc & Salomon ſentiens, cùm in creatione rerum quam breuiter & compēdioſè tradiderat Moſes, deſpatiaretur dixit; Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos. Quod Hebraice habet חוג על פני תהום בחקו. Cùm poneret ordinaretque ambitum, ſiue ſphæram ſuper faciem abyſſi. Innuit enim ſuper abyſſum à principio cęleſtem orbem Deum poſuiſſe, quaſi cum abyſſo continuatum, ac cognatum. Omnium igitur rerum fuit terra & abyſſus origo: terra animalium & plantarum, ſed non ſine complexu aquarum: aquæ ſubſtantiarum cęleſtium, quas ſolus, qui creare principia earum, potuit excudere. Vt autem nubes ex aquis tenuatis craſſeſcunt, eædemque accenſæ incredibile lumen reddunt, aptiſſimæ ignis ſedes, ac conceptacula, ſic factum eſt ex his cęleſte corpus, paulò magis denſatum & conſtipatum, eoque leuis eſt ęther, tenens ſupernas natura regiones. Mihi quidem ante oculos occurrit columna ignis, quæ noctu tenebras vſquequaque propellens, colluceret Hebræis ea vice Solis erat illis, eratque nubes vt locus declarat, inſtar oblongæ in medio aere columnæ. Denique omnia perſpicua ſunt aquea, vt aer, chryſtallus, vitrum, lapides pretioſi, humores oculorum. Ex aquis ergo, & aer eſt effectus, & corpora cœleſtia, vt nubes; ſed his denſiora. Idem fuit ętheris, atque aeris principium, & nunc quoque ex aquis vapores aerij, ex his igneæ trabes, Cometæ, Stellæ cadentes, quæ hoc ſolo differunt ab illis cęleſtibus, quòd illæ perpetuo conſtant, intra certos limites ab artifice coactæ, hæ fluxæ ſunt, & diſſolubiles. Plato vir ſapientiſſimus, ob hanc cauſam diſſolubile ratus eſt corpus cęleſte. Videbat enim id eadem ex materia, atque omnia lucentia, & perſpicua conſtare. Rectè igitur, & ex intimis philoſophiæ, theologiæque arcanis, ex Chao nata veteres omnia prodiderunt, & Moſes ante creationem cęleſtium terreſtriumque rerum Thohu & Bohu, terram & aquam commemorauit, vt omnes intelligerent, inde cuncta fuiſſe deprompta, & prudentiſſimè alij ſyluam, alij homoiomeriam, id vocarunt. Trahunt igitur omnia ab his duobus originem. Hoc ſpiritus diuinus agitabat, quatiebatque, aquas dirimens, & educens ex his cætera principia. Prius ergo terra & aquæ factæ ſunt, ex his cęleſtis ſubſtantia, & ea quæ in terris. Atque hucuſque ſpiritum animatorem, poſtea & conditorem cęli ſumus interpretati.

Prouerb.6.

B

Spiritus Domini ferebatur.

SPiritum, animationem, halitum, vitamq; omnium rerum, omnium naturarum adminiſtrationem prior ſenſus docebat. Eſt alius ſenſus huic finitimus ac ſimillimus, ferèque idem, ſed fortaſſe verior. Varius eſt enim ſpiritus in ſcripturis: Eſt primum animatio, ſatus viuificatio: eſt item ſpiritus ſapientiæ & ſcientiæ. Talis ſpiritus erat prophetandi, futuraque proſpiciendi, nobiliſſima ſcientia, & ſapientia, Dei propria poſſeſſio, quam hominibus communicare ſolitus eſſet. De ſapiente igitur tabernaculi artifice Bezaleel dicit Deus: Repleuit eum ſpiritus ſapientiæ: Hebraice רוח חכמה ruach, chokmah. Ibidem de eodem: Et repleui eum ſpiritu Domini: Hebraice רוח אלהים ruach elohim, eodem modo vt loquitur hic in Geneſi Moſes: Ibique obſeruandum eſt, quòd eundem poſt appellat ſpiritum Domini, quem paulò ante ſpiritum ſapientiæ. In libro Numerorum dicitur Moſi: Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi. Non procul inde; Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumq; requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetarunt, nec vltra ceſſauerunt. Ibidem, cùm duo, qui in caſtris remanſiſſent, eodem afflati ſpiritu C prophetarent, nunciarentq; id Ioſuhe, vt eos prohiberet, Moſes, increpans eum dixit: Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum? Quibus exemplis, intelligimus ſpiritum Domini, eſſe ſpiritum ſapientiæ, eſſe intellectum, ſenſum, ſapientiam infinitam Dei, & incomprehenſibilem ſcientiam. De qua etiam Dauid; Quo ibo à ſpiritu tuo, id eſt ſapientia, ſcientia, cognitione. Quibus etiam perſpicuum eſt ſimiliter iſthic in Geneſi locum eſſe exponendum, vt ſpiritum Domini, ſapientiam eius intelligamus, ęternamque eius, omnium inueniendarum rerum prudentiam. Quæ ſuperuecta aquis, & mouens eas operanſque, cęleſtes ſubſtantias, ętherioſque orbes, quod opus diuinam maximè teſtatur ſapientiam, ex his educeret. Declaratur hoc ipſum aliis ſcripturæ locis, qui perſpicue docent, eſſe ſpiritum diuinum, ſapientiam Dei, quæ ante omnia, omnibus præfuerit, intelligendum. Salomon exponens ferè theologiam Moſaicam, multis, mirisq; laudibus vehit ſapientiam, eam dicens habuiſſe Deum in omnium rerum creatione ſociam ac participem, dans illi non modo anteceſſionem ad cæteras res, ſed etiam ęternitatem. Ac qua gratia ſpiritum Domini ante opera, ante mundum, ornatumque rerum præmiſerit Moſes, optimis ſententiis declarat Salomon. Oſtendimus enim idem eſſe ſpiritum hic & ſapientiam, ſicut ſuperiora declarant exempla. Sicut ergo refert Moſes ſpiritum Dei, qui aquas creaſſet, ſuperuectum aquis, vt cęlum, ſyderaque crearet: ſic Salomon attribuit ſapientiæ diuinæ omnem creationem: Dominus, inquit, ſapientia fundauit terram, quod pulcherrimè Hebraice בחכמה יסד ארץ Bechokma, Iaſad, Arex. In ſapientia, vel cum ſapientia fundauit terram: Totius mundi fundamentum, terram principio iecit, & ſtabiliuit. Deinde ſtabiliuit cęlos prudentia, pro ſapientia, Hebraice תבונה Thebuna, id eſt, intellectu, intelligētia. Cape igitur dictū Eſaiæ; Et repleuit cū ſpiritu intellectus: pro intellectu, eſt Thebuna. Ergo Thebuna, id eſt intellectus eſt ſpiritus.

Spiritus varius in ſcripturis.

Exodi 28. & 31.

Prouerb.3.

Is erat ſpiritus Domini, nempe intellectus, ſapientia, quæ etiam terram ante omnia fundauit, & D
cœlos ſtabiliuit. Nec poſſum admiratione ſatiari, quomodo fuerit hoc à veteribus Græciæ Theologis cognitum, & celebratum. Siquidem cùm ſpiritus Domini, iſto loco deſignet intellectum, mentem, quæ ex aquis mirabilia cęli opera produceret, video Anaxagoram νοῦν, id eſt, mē-tem, ſiue intellectum, ad Chaos & congeriem vt ſepararet, & crearet, adhibuiſſe. Video id ipſum Platonem, Socratem, plurimosq́; alios aſſeruiſſe, quos & poeta ſecutus. Hanc Deus & melior litem natura diremit. Qui etiam νοῦν, nun illam Græcam, video eſſe Thebuna Hebraicam, ſiquidē banun intellectus dicitur Hebraice. Detraxere igitur Græci primam ſyllabam, ſicut in θεραπεύω Therapeuo, id eſt ſano, quod Hebraice rapa, priorem addiderunt: plurimaque id genus. Ergo quod apud Anaxagoram, cæterosque eſt νȣ̃ς, nus, hoc apud Moſen ſpiritus Domini, qui idem eſt ſpiritus ſapientię, & intellectus. Proſequitur Salomon; Scientia illius eruperunt abyſſi, ecce idem ſunt, ſapientia Dei, & intellectus, & ſcientia, quæ hic & alibi, à Moſe, cæteriſque prophetis, ſpiritus Domini dicuntur. Nam Eſaias cùm dixiſſet; Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, declarans quàm multiplex, quantarumque virium eſſet ſpiritus, adiecit; Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij, & pulchritudinis. Hunc ſpiritum ne mireris & ad creationem, & ante creationē aſciuiſſe Moſen, audiendus eſt tibi Salomon, de ſapientia Dei tam multa, miraque canens,
Prouer. 6. Deus, inquit, loquēs ex perſona ſapientiæ, poſſedit me in initio viæ ſuæ, ſic enim Hebraice דרכו. Viam autem appellat, opificium, rationem, ingreſſum, modum creandi, ipſamque creationem, quam viam, quaſi inuentionem, operationemque Dei vocat. Antequam faceret quicquam. Ab ęterno, antequam eſſet terra, ante abyſſos illas terris incumbentes, ante montes & colles. Dum ſtabiliret cęlum, dum ſphæras cęleſtes ſuper abyſſum extenderet, ſociam ſe Deo fuiſſe gloriatur E
cum eo, cuncta componentem, & operantem. Spiritus ergo Dei, id eſt ſapientia, quæ erat ab ęterno, iure ad mundi adhibetur à Moſe opificium, ſine qua, nec terra fundari, aquaque ſpargi deſuper, nec ſtabiliri, & conglobari cœleſtes orbes potuiſſent. Eſſe autem ſpiritum Dei ipſam ſapientiam, declarat idem ſiue Salomon, ſiue Philon, quod teſtimonium quoniam eſt præclarū, multiſque vſurpatum, profero ſuis verbis. In libro Sapientiæ diffinitur, ſapientia ea quæ ſpiritus eſſe dicitur: ἐςὶ γὰρ αὐτῇ πνεῦμα νοερὸν, ἅγιον, μονογενὲς, πολυμερὲς, λεπτὸν, εὐκίνητον, τρανὸν, ἀμόλυντον, σαφὲς, ἀπήμαντον, φιλάγαθον, ὀξὺ, ἀκώλυτον, εὐεργετητικὸν, φιλάνθρωπον, βέβαιον, ἀσφαλὲς, ἀμέριμνον, παντοδύναμον, πανεπίσκοπον, καὶ διὰ πάντων χορῶν πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν, λεπτοτάτων, πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερον σοφία. Eſt enim, ait, Sapientia, Spiritus intelligens, Sanctus, vnigenitus, multiplex, ſine mole, mobilis, penetrabilis, infici non potens, clarus, innocuus, bonarum rerum amator, acutus, ſolutus, beneficus, humanus, ſtabilis, tutus, ſecurus, omnipotens, omnibus proſpiciens, per omnes ſpiritus intelligibiles, puros, tenuiſſimosq́; penetrans. Omni enim motu velocior eſt ſapientia. Hæc & plura alia, quiſquis ille fuit. In quo
Mercurius Triſmegiſtus. illud eſt mirabile, quomodo cum Moſe & Mercurio tantopere conueniat. Siquidem Mercurius Triſmegiſtus Moſi ferè ęqualis, ſpiritum, quem Moſes, ait, delatum ſuper aquas, eiſdē prorſus vocabulis, quibus eſt Salomon, vel Philon vſus appellet πνεῦμα λεπτὸν, νοερὸν. Spiritum nudum, intelligentem, vt in annotationibus ex verbis Mercurij in Pimandro citauimus. Quem animorum concurſum non ſine ſtupore conſidero. Aut enim eſt ordo à primo homine ſuccedentis & per omnia ſæcula delabentis doctrinæ: aut is ille de quo loquimur: Spiritus diuerſis temporum interuallis ſeſe in humana pectora inſinuans, eundem ſe omnibus oſtendebat. Quod F
Sapiens ipſe teſtatus etiam eſt, καὶ κατὰ γενεὰς εἰς ψυχὰς ὁσίας μεταβαίνουσα φίλȣς θεȣ̃ς, καὶ προφήτας κατασκευάζει. Et ſingulis, inquit, ętatibus in ſanctos animos tranſiens, amicos Dei, & prophetas facit. Cum Moſe autem mirabiliter conſentit, vt quaſi interpres eius videatur, ꝗ quem ſpiritum ad rerum creationem, & ad opificium aquarum ipſe adhibuerit, interpretatur, dicens: fuiſſe ſapientiam. Cùm ergo Mercurius ſpiritum illum Moſis dicat πνεῦμα, νοερὸν, λεπτὸν, ille autem ſapientiæ laudator, interpretetur ſapientiam, diffiniatque eam ſpiritum intelligentem, & nudum, certe perſpicuum eſt: ſpiritum Domini qui ferebatur ſuper aquas, intelligendam eſſe ſapientiam diuinam, quæ ex aquis eas agitans, & vt opifices ſolent, ciens, cœleſtes formabat ſub-
Iob ante Moſen. ſtantias. Quod alius antiquiſſimus Theologus ante Moſen, id eſt Iob, mirabiliter teſtatur his
Iob 26. dictis; Spiritus Domini ornauit cœlos. Claret ergo ſpiritum intelligendum eſſe ſapientiam.
Tria principia rerū. Admirando autem expleri nequeo, conſiderans quod reperi ſacramentum. Etenim apud Platonicos, tria cùm ſint rerum principia: τὸ ἀγαθὸν, νȣ̃ς, ψυχή. Excellentiſſima primaque Bonitas: Mens, ſiue Intellectus: Animus, vel animatio: eaque à vetuſtiſſima Theologia (nam & apud antiquiſſimos habentur) deſcendant: tam priores illi, quàm poſteriores cogniti & comperti ſunt:
Pater. primum intellexiſſe fontem bonitatis, ac diuinitatis Patrem ac genitorem: ſecundum ipſum Fi-
Filius. lium, quem mentem genitam ab ęterno à Patre, ipſam autem mundi, omnemq́; rerum genitricē dicebant, vt noſtrarum conformationum libri oſtendunt. Hanc mentem cùm Anaxagoras, cæterique ante eum complures ad mundi creationem adhibuerint: ſpiritus autem apud Moſen ſit, id quod apud Anaxagorā mens, hunc autem ſpiritum ſapientiam Dei diffiniat, deinde fateatur eam eſſe. ἀπαύγασμα γὰρ ἐςὶ φωτὸς ἀϊδίȣ, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τȣ̃ θεȣ̃ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτȣ̃. Hoc eſt: Radius eſt luminis ęterni, & ſpeculum virtutis diuinę carens omni ſorde,

A & imago bonitatis eius. Ex his apparet filium Dei eſſe, quem ſpiritum ſuper aquas dixit Moſes. Mens enim apud Græcos Theologos, eſt filius Dei, ad creandum cęlum & terram adhibita, apud prophetas ſpiritus Domini exornãs cęlos, eſt ſapientia, eſt radius, & ſpeculum diuinæ bonitatis, quemadmodum videlicet apud Græcos, qui mentem à ſummo bono fulgere dicebant. Sapientia autem & radius ſummi genitoris eſt filius. Ergo hunc Moſes dixit & ſpectauit quando ait, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: eodem enim omnes conſenſu filium Dei, cœli & rerum creatorem aſſerunt, diuerſis eum nominibus, ſed eundem ſonantibus, appellantes. Anaxagoras νοῦν, intellectum, mentem rerum ornamenta depromentem: Moſes ſpiritum Domini: Salomon, ſapientiam: Philon, ſiue Salomon, & ſapientiam, ſpiritum puriſſimum, & intelligentem, tum radium & exemplum, imaginemque ſummi boni, ſummaque concordia decernitur ab omnibus cœli conditio filio Dei. Siquidem & alius propheta, eundem & verbũ Dei, & ſpiritum eius perinde atque Moſes, appellans, adſcribit ei cœli & omnium ſyderum conſtitutionem. Verbo, ait, Domini cęli facti ſunt, & ſpiritu oris eius omnis ornatus eorum, vt habet Hebraicum צבאם Zobaam. Quam ſacroſanctam Theologiam, mirabiliter demiror etiam Orpheo fuiſſe perſpectam, qui & verbum Dei commemorauit & formatorem eum dixit vniuerſi, ad filium ſcribens:

Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας τούτῳ προσέδρευε
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτριτοῦ μοῦνον δὲ ἐσόρα κόσμοιο τυπώτην.
Inque Dei verbum aſpiciens, huic ſemper adeſto,
Defigens animi altas luces, perge viamque
B *Rectam, & qui ſolus dedit orbi, cerne, figuram.*

In verbum diuinum mundi formatorem hortatur filium Muſæum, ſemper intueatur, Formatorem mundi, dicens ſicut Anaxagoras νοῦν intellectum, quam digeſſiſſe Chaos, formamque mundo dediſſe ſemper prædicabat. Quod & Platoni fuiſſe cognitum, eſt ſupra quàm dici poſſit admirandum. Cui notum fuit ornatum, & certos ac conſtantes cœli motus à verbo diuiniſſimo fuiſſe repertos. In Epimenide: μίτε τίνα χρόνον τάττωμεν, ἐν ᾧ διεξέρχεται τὸν αὑτοῦ πόλον ξυναποτελῶν κόσμον, ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν. Neque tempus, inquit, vllum ſtellis venerandis præſcribamus, in quo vnaquæque proprium orbem conficiens ordinem abſoluit, quẽ ſpectabilem, oculiſq; notum omnium diuiniſſimum verbũ inſtituit. O Deum immortalem aſſertorem tã clarum eſſe Platonem Hebraicę Theologiæ, Hebraica enim Theologia dicit: Verbo Domini cęli facti ſunt. Plato autem, diuiniſſimum verbum, motus illos cęli rationeſq; cęleſtes ordinaſſe. Si enim motus, vtique & ipſa corpora mota, & orbes eorum. Vt etiam agnoſcas ſpiritum apud Moſen, ſubito in veſtibulo creationis aſcitum, eſſe ſapientiam diuinam, quæ more Hebraicæ linguæ dicitur ſpiritus. Latini quoque ingenium ſpiritum dicunt. Hanc autem ſapientiam eſſe filium Dei, & filio Dei dari ab omnibus ſæculis, à toto mundo, ab omni philoſophia concorditer rerum creationem, teſtes ſunt intonantes & ſæpe in aures noſtras idem repetentes permulti. Hoc enim eſt quamobrem filius Dei appellatur concorditer ab omnibus λόγος, ideſt, verbum, ratio, principium, inuentio, interpres Dei, miſſus ad rerum creationem. Hunc Caldæi, Sibyllæ, Mercurius, Orpheus, Plato, Philon, Numenius, Amelius, rerum creationem appellant, cele-
C brant, adorant, expreſſe dicentes ei datam à patre rerum creationem & adminiſtrationem: patrem eſſe ſummum bonum, ſummam diuinitatis arcem, habentem filium, quo tanquam miniſtro, nuncio ad omnia vtatur, ad creationem primum, tum adminiſtrationem & prouidentiam. Pauca quædam ex fontibus eorum delibabo. Nam Sibyllæ, & Orphei, & Mercurij, tum noſtri ſæpe, tum cæterorum libri demonſtrant teſtimonia. Philonem autem ac Numenium hæc confitentes ſcias, filium eſſe Ideam Idearum, Ideam archetypam, originariam, vt filius Dei, ſit quaſi mundus νοητὸς intellectualis mundus, idealis ille mundus, illa ratio rerum vaſta, vniuerſalis, plena originum, fons originum, εἰ δὲ τις ἐθελήσειε γυμνότερον χρήσασθαι τοῖς ὀνόμασι, οὐδ' εὖ ἂν ἕτερον εἴποι τὸν νοητὸν κόσμον, ἢ θεοῦ λόγον, ἤδε κόσμον ποιοῦντος. Quòd ſi quis velit, inquit, loqui nudius & apertius, remota omni obſcuritate, nihil aliud dicat eſſe mundum intellectualem, vel idealem, quam verbum Dei creantis ipſum mundum, ait Philon: vt oſtendat perfectiſſimum archetypum, vniuerſalemque rerum rationem verbum Dei, qui & ſapientia Dei. Iureque Deus creaturus mundum, per verbum ſuum, & ſapientiam ſuam creauit, in qua erant omnium rerum idealiter, virtute quadam diuina, origines, atque primordia: & iure narraturus creationem rerũ Moſes, nominauit ante omnia hanc ſapientiam, eam appellans iuxta ſermonem ſuum, ſpiritum. Quem idem Philon, propter luminum cęleſtium creationem, propter eorum creandorum ſcientiam cum illo inſitam, & natam, exiſtentemque ſemper παναύγειαν, quaſi luminoſitatem, omniluminem vocat. Eidem dicit datam à patre omnium rerum adminiſtrationem, appellans eum legem vniuerſi, & ὕπαρχον magiſtratum, officiis Dei patris ſui fungentem. Orientem quoque, iuxta Zachariam, iure eum appellari, quia primogenitus prodiit ex ore patris: τοῦτον μὲν γὰρ πρεσβύτατον ὁ τῶν ὅλων ἀνέτηλε πατήρ, ὃν ἑτέρωθι πρωτόγονον ὠνόμασε, καὶ ὁ γεννηθεὶς μέν τοι μιμούμενος τὰς τοῦ πατρὸς ὁδοὺς πρὸς παραδείγματα ἀρχέτυπα τὰ ἐκείνου βλέπων ἐμόρφου τὰ εἴδη.

Filius Dei cur λόγος dictus.

Deus, ſpiritus, ſapientia.

Hunc antiquiſſimum (id eſt ęternum, vt Hebraice ſolet dici, qui antiquum dicunt ęternum, & D mundi ęternitatem, Kadmut, id eſt antiquitatem) hunc, inquit, ęternum genuit pater omnium, quem alibi vocat primogenitum. Genitus autem ipſe imitans vias paternas, & ad exemplaria eius reſpiciens, creauit ſpecies. Sic ille. Intelligimus creationem eſſe primogeniti filij, vias paternas imitantis. Hæc eſt enim doctrina etiam Chriſtiana. Ergo formator ille apud Moſen ſpiritus, eſt filius Dei primogenitus, ſapientiſſimus, patris ſui imitator. Numenius autem Pythagoreus, quod maximè eſt admirandum, ait patrem vacare ab omni opere, data filio omni creatione & adminiſtratione, totiusque regni prouincia: τὸν μὲν πρῶτον θεὸν ἀργὸν εἶναι ξυμπάντων, καὶ βασιλέα, τὸν δημιουργικὸν δὲ θεὸν, ἡγεμονεῖν δι' οὐρανοῦ ἰόντα. Cito enim Græca, vt ſit apud omnes, quod teſtor, clarum, fidele, pluraque philoſophatur eximia, ſtupenda, profundiſſima de patre fonte diuinitatis, de filio creatore, quem mirabili conſenſu, omnes Platonici, ſequentes antiquiſſimam theologiam, vocant δημιουργὸν opificem, propter creationem, quam omnes ſciebant eſſe filij Dei: ac Plotinus interpretans Platonem, qui in epiſtola ad tres amicos, vocat filium Dei, αἴτιον: id eſt cauſam, propter creationem, mirabilia diſſerit, quæ ſi citarem, quoniam copioſiſſima ſunt, non carerem reprehenſione. Ad alia ait δημιουργὸς γὰρ ὁ νοῦς αὐτοῦ. Opifex ait mens eius eſt, ſcilicet patris. En quem Anaxagoras mentem, Plato opificem in Timæo dixit: hunc filium Dei, vel Deum ſecundum, vt illi loquebantur, dicit Plotinus: cùm verò ait, χρέττον, ἀπάντων νοῦς, ὅτι τ' ἄλλα μετ' αὐτόν. Ante omnia mens, & melior omnibus, quia cætera poſt illam: indicat creationem per mentem, ſupra quam ex ſententia Platonis confitetur eſſe ſummum bonum, ipſum nempe patrem, ipſam autem mentem, omnium aliarum rerum primam. Obſeruemus igitur apud Platonem ſequentem veterem theologiam celebrari Deum, E λόγον δημιουργὸν, νοῦν, αἴτιον, opificem, mentem, cauſam, verbum, quæ ſunt nomina filij Dei, exponentibus etiam ipſis Platonicis, & veritate ipſa manifeſta. Nam Plato vbi commemorauit cauſam, ſcilicet in epiſtola, patrem quoque iſtius cauſæ expreſſit. Ergo ſunt hæc nomina filij Dei, propter creationem, quam ei omnis lingua, omnis philoſophia concorditer aſcribit. Sic & Baſilius magnus putat hic ſpiritum appellatam eſſe potuiſſe efficaciam, operationemque diuinam his verbis. εἰ δὲ πνεῦμα θεοῦ καὶ τὴν ἐνέργειαν λέγει, λέγεται γὰρ πνεῦμα καὶ ἡ ἐνέργεια οὐκ ἀπόβλητος ἔσται, καὶ γὰρ ὁ θεὸς τῷ μωσῇ προστάσσει πρεσβυτέρους ἐκλέξασθαι ἑβδομήκοντα, τοῦ μωσαϊκοῦ πνεύματος μέρος ὑποσχόμενος αὐτοῖς μεταδώσειν. Eſt autem eſt hæc efficacia Dei, filius eius. Poſtremo Ariſtobolus, qui tempore Ptolomæi floruit, explicans theologiam Hebraicam apud ſupradictum Regem, commendat ſapientiam diuinam, quam quidam ex peripateticis ſcripſerint eſſe λαμπτῆρος τάξιν, quaſi ſplendorem quendam, & radium, & lucem. Pulchrius autem & clarius noſter inquit Salomon πρὸ οὐρανοῦ καὶ γῆς αὐτὴν ὑπάρχειν, eam fuiſſe ante cęlum, & terram. Sic claret quem ante lucem, ante cęlum, ante omnia, nominauit Moſes, fuiſſe ſapientiam Dei. Huic à patre rerum creationem datam dixere Caldæi: huc Amelius vocans verbum Dei, & admirans quæ de eo ſcripſiſſet Diuus Ioannes, quem barbarum nuncupat, affirmat ante chaos, in ipſo chao ſtantem, quod ipſe ait ἀταξίᾳ καὶ τάξει, digeſſiſſe, moderaſſe, decoraſſe. Hanc etiam ob cauſam, omnium pulcherrimam Salomon appellat ſapientiam, & quod cæteri omnes de rerum ornatu per mentem effecto protulerunt, hoc reſpiciens idem, vocat ipſam ſapientiam τοῦ κάλλους γενεσιάρχης, quod ſonat pulchritudinis artificem, genitricem, inuentricem, principium pulchritudinis. Denique quem ſpiritum ſpectauerit Moſes, optimus F interpres erit Poeta Latinus, qui eundem vocat mentem, ac ſpiritum:

Virgil. 6.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Idem igitur eſt ſpiritus atque mens. Probauimus autem apud vetuſtiſſimos Græcorum theologos, quorum Plato, Platonicique ſententias ſunt ſecuti, mentem eſſe filium Dei. Primum principium ad res crearas, ſecundum ad ſummum bonum, & patrem. Hæc etiam omnia cum Hebræis mirabiliter conſentiunt, qui imprudentes, & ſecretis quibuſdam machinis ad ſe veritate eos attrahente, confeſſi ſunt duo miranda: primum, per ſecundum principium creatum eſſe cęlum & terram: deinde per ſapientiam; ex quo, vt dixi, imprudentes per filium Dei, cum Gręca antiqua Theologia, & Chriſtiana confitemur omnia creata. Colligitur autem ab eis hoc myſterium ex litteris, ex quibus exactè ſolent philoſophari: etenim, In principio creauit, Hebraice dicitur, Breshith bara. In alphabeto autem Hebraico, Beth, quæ eſt ſecunda littera, duo, vel ſecundum ſignificat. Reshit autem denotat principium. Igitur Breshit, idem eſt atque ſecundum principium. Ergo dicit Geneſis: Secundum principium creauit cęlum & terram. Hoc autem ſecundum principium eſt filius Dei, quem dixere antiqui mentem, creatricem mundi. Primum principium, ſummum bonum: ſecundum, ipſa mens. Aliud ſuper eo myſterium eſt apud antiquos Hebræos: ſunt apud eos decem ſephiroth, ideſt decem loca, ad quæ reducunt omnes res diuinas, vt ſint quaſi decem fontes totius Theologiæ. Perinde ſi quis conſtitueret ſummum bonum, deinde ipſam mentem, tum animam. Sic apud eos diſponuntur quædam eiuſmodi: primus fons vocatur corona altiſſimi, vt ſit quaſi ſummum bonum, ipſeque altiſſimus pater,

Secũdum principiũ.

quem

A quem antiqui concorditer τὸ πρῶτον primatum, primam naturam, primum eſſe vocitarunt. Secundum locum poſſidet ea, quæ dicitur, cochmah, id eſt ſapientia. In hac igitur, vel per hanc dicunt omnia creata, allegantes dictum Salomonis: Dominus ſapientia fundauit terram. Me autem non dicere fictitia, præter alia, videre hæc potes apud Ramban, antiquorum, ſenſa exponentem. Ex quo intelligimus creatorem illum apud Moſen eſſe ſecundum principium, eſſe ſapientiam, eſſe filium Dei, qui ſecundus eſt à patre, per quem omnia creata, vno ore autores ſunt omnes. De quo pro cæteris Græcis concordans cum his omnibus, Serapion. τὶς ἡ ἀρχὴ τῶν πάντων εἰμὴ ὁ κύριος καὶ σωτὴρ πάντων Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ πρωτότοκος πάσης κτήσεως, ἐν αὐτῇ οὖν, τουτέστι λόγῳ αὐτοῦ ὁ θεὸς τὸ οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐποίησε. Quod eſt principium omnium, niſi Dominus & ſeruator omnium Ieſus Chriſtus, qui eſt primogenitus omnis creaturæ? Per hoc igitur principium, id eſt per verbum ſuum, Deus creauit cœlum & terram.

Ferebatur ſuper aquas.

QVid ſpiritus faceret ſuper aquis, quęve eſſet commotio, quam vox Hebraica denotat, non quidem Moſes declarat, ſed oraculis cæterorum prophetarum quibus erat, & Theologia Moſaica probe nota, & in illa vetuſtate cui quãto propius ad originem mundi accederet, tanto erat notior, florebant, innoteſcit: ex Theologia Iob & Salomonis oſtendo. Primum non prophetarum modò, ſed omnium penè gentium litteris prædicatur, cùm Deus mentem ad creationem eius, quem poſtea mortales cęlum & mundum dixerunt, adieciſſet, fundamentum ante omnia, ante cęlum & aſtra, ante Solem & Lunam, ante aerem, antequam eſſet quicquam, terram ex nihilo & in medio nihilo, vbi nihil erat, quod poſtea mundi medium fuit, poſuiſſe. B Hoc cum primis teſtantur tres magni Theologi, quorum ſum ego interpres, Iob, Dauid, Salomon, prior in ſua Theologia ad hunc modum: Qui extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihil. Extenſam terram ſuper vacuum affirmat, vacuum appellans id quod erat ante terram, ante mundum: erat autem nihil, erat vacuum: Neque locus erat, neque corpus locatum. Dicit autem aquilonem, pro tota terra, præcipuè verò aquilonem, quòd cùm terra ſit corpus vaſtum, longeque porrectum, partes latiſſimas habens, id in creatione paulatim coaluiſſe ſicut cætera, ſicut arborum & animalium corpora, neceſſe eſt. Vt autem in corpore animalium, in arboribus, in rebus artificioſis item, quædam partes prius quædam mediæ, aliæ poſtremæ formantur: ſic oportet totam terram ab aliqua parte fuiſſe inchoatam. Hæc pars appellatur aquilo, pars ſcilicet prior, & altior, & vbi homo creatus inque lucem editus, & tota poſteritas eius vixit. Ab hac parte qua terra conſurgit, Mundus vt ad Scythiam, Riphæasque arduus arces. Conſurgit, premitur Libyæ deuexus in Auſtros. Vocatur etiam à Salomone ראש עפרות caput apharot, id eſt terræ limoſæ, caput terræ naſcentis. Hieronymus tranſtulit cardines terræ, principium ſcilicet, ab aquilone, terræ creandæ principium, & vt terra fuit mundi fundamentum ac baſis, ſic terræ totius fuit aquilo, pars editior, ac melior, & habitabilior. Idcirco hæc & primum aquis detecta, & homo illic creatus eſt, & tota vixit antiquiſſimorum hominum natio. Nam cęteræ terræ ante diluuium non ſunt habitatæ, & forte nondum detectæ aquis erant, ſed paulatim, eſt in ſeſe mare coactum, quanto magis humanum genus augebatur. Ab hoc igitur principio terra ſuper nihilo fundata eſt, nihil erat, vbi glebæ illæ infigebantur, vbi cæmentum illud iaciebatur. C Quid dico vbi? cùm & ipſum non adeſſet. Hæc vanitas, & nihil, quod terram anteceſſit, vbi terra fundata eſt, appellatur Hebraice Thohu. Et vt loquitur Iob dicens; Super nihilo terram eſſe fundatam, ſic fortè cogitauit Moſes, cùm dixit: Terra inanis & vacua. Ante ſcilicet quàm conderetur, & vbi condita eſt terra, nihil extabat, rerum erat carentia, quaſi diceret, Cùm terra creata eſt, omnium rerum fuit abſentia, ipſeque arbitror eundem prope ſenſum eſſe Iob & Moſis de Thohu, Aliud teſtimonium ſuper hac re è Theologia Iob, eſt, cùm interrogat eũ Deus, Vbi eras cùm fundarem terram? Quo loco eſt expreſſiſſimum, in Hebraico verbum iaſad, quod fundamentum, fundationem, inchoationem quaſi ędificiorum, quibus magnæ moles ſuſtineantur, ſignificat. Hoc teſtimonio, magnitudinem diuinitatis ſuæ Deus oſtendit, quòd iacere, & inuenire totius mundi tale ac tantum potuerit fundamentum. Hanc rationem, quoniam ſtupenda, propeque incomprehenſibilis erat, humana ſcientia nec quibus ferramentis, ac vectibus vſus tantam molẽ poſuiſſet, nec vnde extrahere potuerit, poſſet intelligi, Deus in teſtimonium potentiæ ſuæ citat. Oſtenditur igitur quondam terram, ſuper nihilo conſtipatam habuiſſe principium. Quis, ait ibidem: poſuit menſuras eius? Quis tendit ſuper eam lineam? More ſcilicet artificum, qui vel columnas, vel quadrangula, vel rotunda corpora formantes, lineis & perpendiculis vtuntur. At Deus cùm pulcherrimum, immenſæque magnitudinis orbem tornaret, quibus artibus, quibus inſtrumentis id fecerit, intelligi non poteſt. Poetæ quoque, qui non ſine afflatu loquuntur, hoc ſunt admirati, & confeſſi:

Iob 26.

עפרות

Iob 38.

יסד

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis,
- Tellurem medio librauerit axe. **Claudianus.**

Oui. 1. Metamorph.
De laudib. Stilicon.

Perſequitur Iob terræ miraculum. Cui columnæ & baſes eius nituntur? Aut quis illi angulares D lapides iecit? Vbi ſunt, inquit, columnæ, & anguli quibus ſuſtineatur? Si ſuper nihilo fundata Iob 38. eſt, quibus porticibus, more mortalium ędificiorum, ſuſtinetur? Aliud teſtimonium apud Iob de creatione terræ totiuſque mundani opificij fundamento eſt, cùm ait: Quando fundebatur puluis in terram, & glebæ eius compingebantur. Quo loco primum ſciamus, pro puluere Hebraice eſſe עפר aphar, quæ fuit terræ natura, dum eſſet aquis concreta, nondum arida, nondũ habitabilis. Præclare igitur ait, Hebraicorum enim pondus verborũ examinari debet: בצקת עפר למוצק. Quod quanquam noſter interpres elegantiſſime reddidit, propriè tamen ſonat, Dum funderet humum infuſionem. Quibus verbis, quæ terræ, dum crearetur, natura fuiſſet, demonſtratur. Glebæ enim erant fuſiles ac cœnoſæ, & limoſæ, lentæ, vt quaſi funderentur, dum in ſeſe conſtiparentur. Eoque dicta eſt ab antiquis hyle, id eſt limus, & ipſam hylen ijdem veteres autore Plutarcho, dixerunt τρεπτὴν, ῥευστὴν, ὅλην δι᾽ ὅλου, ἀλλοιωτὴν, μεταβλητὴν. Verſatilem, fluxam, totam per totum, mutabilem, & tractabilem. Audierat enim hæc in antiqua theologia. Limus ergo funditur, & ſpargitur; ſpargebatur autem ille limus à Deo tanquam fons erumpens, eratque eius creatio quaſi quædam fuſio, fluxuſque lentarum glebarum, qualis eſt tota inferne terra. Talis enim fuit terræ natiuitas & conditio, qualis arborum, oſſium, carnis, animalium. Principio oſſa antequam dureſcant, medulla ſunt lenta, fluxa, liquabilis. Arborum cortex, antequam dureſcat, ſuccus eſt, in medullis contentus, liquabilis, fluxus. Sic caro, antequam dureſcat, eſt chymus, eſt ſanguis. Lapides quoque & metalla, primum ſunt lenta, fluxaque materies, omnia autem calore dureſcunt. Talis fuit cùm naſceretur terra. Quam conditionem ac naturam adhuc retinet, quippe quæ in profundis partibus, tota cœnoſa eſt, ac limoſa. Hæ glebæ liquabilis terræ, E tanquam creta naſcentes cogebantur a Deo, & in ſeipſas adducebantur. Ac vox illa Iob muzak eſt etiam apud alios pro eodem. Reg. 1. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem. Hebraice, pro cardines terræ מצקי ארץ fuſiones terræ. Vides eum dicere ſuperfuſiones terræ, id eſt fundamenta, fluxa, lenta, lutulenta, iactum orbem. Alia ex hoc theologo teſtimonia non cito. Supereſt Dauid, qui ait: Initio terram fundaſti. Dixit initio, quod Hebraice lephanaim לפנים, id eſt prius, anterius, in priore opere. Primum, inquit, opus tuum terræ fuit fundatio. Hæc terræ fundatio, ante dies facta eſt. Nam tunc dies eſſe cœperunt cùm Sol creatus circum globum terrarum vehebatur, viciſſim eum more lucernæ irradians circumeundo ſemper, portatur ſemper circum terras hæc lucerna. Terra igitur quando fundata eſt, nondum dies erat, ſpatium erat aliud quoddam, quod vocatur initium, vel anteceſſio, ſeu principium. In hoc תישאר principio creauit Deus cęlum & terram, vocatur Hebraice reshith & lephanaim: quæ quidem vocabula, etiam de cæteris dicuntur, quæ inchoantur. Itaque terra non eſt in die creata: nam dies fuerunt poſt creatam terram. Terræ autem creatio, proprio nomine dicitur fundatio; quo, & inchoamentum omnis mundanæ molis deſignatur, & rerum omnium profundum ac meditullium. Rurſum hoc ipſum Dauid reſpiciens dixit, opera diuina commemorans: Qui fundauit terram ſuper ſtabilitates ſuas. Quo loco eſt vocaliſſimum fundationis verbum יסד iaſad. Stabilitates autem ſimiliter atque Iob dixit, eodem eas atque ille ſenſu appellans מכונים meconin, quaſi baſes, ſtabilimenta. Iob autem אדנים columnas. Quæ ſint autem hæ, non aliud dicendum, quàm quod poeta docuit; Ponderibus librata ſuis, & philoſophi hoc eſſe medium mundi naturale dixerunt, ſicut naturalis in altum ignis aſcenſus. Verum iſtorum ratio aſſignari non poteſt, niſi ad F ſapientiam, ſpiritumque eum refugiamus, qui ipſam quoque terram reperit, traxitque è nihilo. Reliquus eſt Salomon, duoque eius de fundatione terræ cito teſtimonia. Primum quoniam nullum poteſt principium conſiderari, vt è nihilo terra prodiret, ſapientiæ diuinę vires admirans dixit, vt ſuperius demonſtratum eſt; Dominus ſapientia fundauit terrã: eſtq; ibi ſolita vox יסד iaſad. Sola mirabilis illa, & infinita ſapientia potuit quod non eſſet, exculpere & depromere, & veluti omnium initium, ac fundamentum totius ędificij iacere. Addit Salomon ſociam fuiſſe Dei, in omni creatione ſapientiam demonſtrans. Quando appendebat fundamenta terræ: Hebraice, non quòd interpres optimè non reddiderit, ſed vt ipſa verba noſcantur בחוקו מוסדי ארץ bechuko, moſede, arez. Hoc eſt, cùm ordinaret, inſtitueret fundamẽta terræ. Vnde חקות chukoth, pręcepta, inſtituta, mores, ordinationes. Omnia quæ ordine certo, certaq; lege formantur: ſic certa lege & ordine, terræ fundamenta iaciebantur. Poſt fundatam terram, ante dies, ante cęlum, ante Solem, abyſſus ſiue vis aquarum penè infinita creata eſt, de cuius creatione eã ob cauſam neque Moſen, neque cæteros prophetas, nihil arbitror dixiſſe, quòd creationi terræ quæ limoſa, & hyle fuiſſe traditur, hæc item creatio ſit adiuncta. Tum ſi de abyſſo & aquis eſt locupletiſſima mentio, contineri autem niſi terra aquæ non poſſint, traditur autem expreſſe terræ creatio & fundatio. Profecto cum creatione terræ intelligenda eſt aquarum creatio. Terra igitur & aqua ſimul creata, ſimul fundata, quod & poetæ confeſſi ſunt, etiam ſacrarum litterarum ignari:

Oui. 1. Metamorph.

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis:
Tum freta diffudit.

A Aqua igitur vel abyſſus etiam creata eſt, duoque cito teſtimonia. Primum locupletiſſime multis verbis teſtatur Iob. Apud quem de creatione & opere mirando ſuo, Deus diſſerens, & vt in omni creatione prima fuit, ſic primum commemorata fundatione terræ, mox adiecit: Quis concluſit hoſtiis mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi; Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Hucuſque ſublimis theologus, cuius teſtimonio natales maris panduntur, conditio, leges. Natales quidem, quòd ſimiliter dicitur erupiſſe, vt de vulua progreditur infans. Erumpebat autem è nihilo, quemadmodum & ipſa terra. Terræ creatio dicitur יסד iaſad, fundatio. Aquarum autem גיח id eſt eruptio, inundatio. Quaſi igitur è quadam vulua mare fluebat, non quidem, vt nunc ex aliquo loco, ſed è nihilo. Ab illa eruptione, forte vocata eſt abyſſus, Hebraice thehom, id eſt reſonans, tumultuans, quem fragore ac tumultu, eam in erumpendo veriſimile eſt feciſſe. Conditio autem declaratur, quòd ſtatim natum, caligine circundatum eſt. Quæ res & à Moſe deſcribitur. Tenebræ, ait, erant ſuper faciem abyſſi. Nec putes tenebras, & hanc caliginem, & nubem, veras tenebras, & aerem caliginoſum fuiſſe: ſed terra fuit, horridaque omnis cæcitas ac priuatio. Nondum enim erant dies, non iucundiſſima lux, non Sol, non Luna, ſyderaque cęleſtia. Hæc priuatio dicitur ab antiquo Theologo, nubes, caligo, ערפל araphal, id eſt obſcuritas, horror, à Moſe חשך tenebroſitas, exponiturque ac declaratur Theologia Moſis, à Theologia Iob, quia dicit vterque ſuper mare ſiue abyſſum, horrorem & tenebroſitatem, terramque caliginem fuiſſe. Leges autem declarantur mari præſcri-
B ptæ, quòd dati ſunt termini à Deo, dati montes altiſſimi, & immenſorum ſaxorum aggeres, ac munimenta, ad quæ mare inſanum procurrens, reflecti cogitur, vltra procedere non potens. Factique ſunt hoc conſilio montes, vt mare primum coercerent, tum hæc in terris eſſet montium, & camporum iucunda varietas, pluraque alia commoda. Nullumque ferè eſt mare, ſi priſtinum ſtatum reſpicias, cui aerij montes, fortiſſimaque ſcopulorum mœnia non impendeant. Hæc oſtia, hi vectes à Theologia commemorati. Sequitur teſtimonium Salomonis, apud quem ęternitatem ſuam prædicans, ſapientia ſe ante omnia fuiſſe dictitat. Nec dum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Nec dum fontes aquarum eruperant. Quando librabat fontes aquarum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Ante mare, abyſſumque gloriatur ſe fuiſſe ſapientia. Quod ſi fuit ipſa ab ęterno, fuit etiam ante mare & abyſſum, creatum vtique eſt mare, quoniam ęternorum nullum ante it alterum. Abyſſos ergo numero multitudinis vocat, infinitos propemodum illos cumulos aquarum, quæ vna cum terra creatæ, circunquaque per omnem, ac ſuper omnem terrarum orbem ſunt proiectæ. Ipſum hoc clarius exprimit, cùm addit: Et librabat fontes aquarum: pro librabat, Hebraice בעזוז baazoz firmabat, ſtabiliebat, fontes autē dicit abyſſi, primas illas aquarum naſcentes, & è nihilo ſcatentes origines. Firmabat autem, & ſolidabat tum in profundis terrarum cauernis, tum eas ipſas inter ſe cogens. Creata igitur terra & aqua, quod ab omnibus conſtanter affirmatur, & fundata quidem & ſubiecta ac ſubſtrata terra, aquis autem altiſſimis ſuperiectis, quas propter innumerabiles earum copias, abyſſum, & abyſſos appellant, ac Moſe & Iob affirmantibus tenebras deſuper teterrimas inhorruiſſe: quid poſtea factum fuerit, ex eorundem theologorum teſtimonio eſt demonſtrandum. Moſes ergo
C dicit, diuinum ſpiritum ſuper aquas, concitationem, motumque feciſſe. Declaro ergo quid ſenſerit Moſes auxilio & face reliquorum prophetarum. Spiritum Domini diximus intelligendam eſſe ſapientiam, ingeniumq; diuinum. Siquidem & noſtri ſpiritum appellant ſenſum, ingenium, ſolertiam, ſedibus ętheriis ſpiritus ille venit. Quid is ſpiritus ſuper aquas à ſe concitatas ageret, ex Theologia Iob & Salomonis oſtendo. Iob qui parem cum Moſe tenorem in deſcribenda creatione fuerat ſecutus, terræ è nihilo fundatione, aquarum eruptione deſuper, tum tenebris commemoratis, addit: Terminum circundedit aquis vſque dum finiantur lux & tenebræ. Qui locus quem præ ſe ferat ſenſum clarius patet ex Hebraico: חק חג על מים עד תכלית אור עים חשך. Hoc eſt, diſpoſuit ſphæram ſuper faciem aquarum, vſque dum finiatur lux & tenebræ. Hic non pro figura mathematica reperta, hecatombe ſacrificanda eſſet, vt dicitur feciſſe Pythagoras, ſed magnæ gratiæ habendæ illi ſpiritui, quem inuenimus quid ageret ſuper aquis; Sphæram videlicet orbemque cęleſtem, tendebat. Maximumque habent Hebraica verba pondus, ſuntque valde perpendenda. Primum ait חק chok, quod declarat, ordinauit, diſpoſuit, digeſſit, locauit quod maximè congruit cœleſtibus, quorum eſt inexplicabilis ordo. Deinde eſt חג chag, ſphęram, orbem, ambitum, circuitum. Hinc ea voce circinnum vocant Hebræi; Deinceps על פני מים; Super facies aquarum. Moſes autem de ſpiritu Domini: ferebatur, ait, alpene hamaim, eiſdem verbis, eodem ordine, & ſenſu; Ac Moſes dicit, quòd ſpiritus diuinus, merachephet, ſuper facies aquarum. Quid valeat, quidve ſonet, quid reſpiciat, merachephet, offero tibi duos ſapientiſſimos interpretes, Iob & Salomonem: nunc Iob, Salomonem poſtea. Ferebatur ergo, Hebraice merachephet, non eſt aliud niſi chok chag, id eſt orbem, ſeu circum extendebat. Hoc laborabat ſolertiſſimus ſpiritus, is erat motus eius, ſtupendum ſcilicet infinitæ conſiderationis opus cœli. Hoc reſpiciens apud eundem Salomonem, diuina ſapientia, & ſpiritus ille Moſaicus de ſe prædicat.

Oſtia, & vectes maris quid.

Iob 26.

Eccleſ.24. Iob 22. dicat: Gyrum cęli circuiui ſola. Quòd hæc vox chag, orbem cęleſtem deſignet, ipſe idem Iob D paulo ante teſtatur: Et circa cardines cęli perambulat, pro cardines cęli, Hebraice חג שמים chog ſhamaim, ſuper facies autem aquarum hæc moles à prudentiſſimo ſpiritu tendebatur (eſt enim & iſtud profunde conſiderandum) quòd aquarum vaſtitas, in tantam altitudinem aſcenderet, vt earum ſumma facies eo in loco eſſet, vbi cęlum eſt extenſum, vt quaſi cęleſtis orbis aquas contingeret. Poſſumus autem, quoniam ex aquis ętheriam ſubſtantiam, quæ dilucida & perſpicua eſt, coalitam & defęcatam meminimus, non quidem contigue ſuper aquas cęlum extenſum arbitrari, ſed dum moles cęleſtis conderetur, tantum ex aquis fuiſſe detractum ac ſubſediſſe, quantum orbes illos ętherios crearet, extenuatam in illos aqueam naturam, reliqua aer & mare eſſet. Si enim poteſt natura in puriſſimam chryſtallum aquas mirabili modo conſtipare, & in tenebris lucentes quoſdam puriſſimos lapillos ex aquis eadem natura fecit; quid poterat Deus, omnium naturarum maxima natura, repertor? Proſequitur Iob: Vſque dum finiantur lux & tenebræ. Ex intima philoſophia locus: ea enim ſapientia, ea prudentia, & eo vſque factus, & protractus eſt orbis cęleſtis, ſuper quo Soli eſſet incedendum, quouſque legitimum lucis & tenebrarũ procederet interuallum. Tantum eſt autem noctis ac diei ſpatium, quantus eſt deſuper orbis, per quem Sol circumeundo, noctes ac dies efficit. Quod ſi duplo latior ambitus ille cęleſtis eſſet, duplo item noctes, dieſque maiores, quia defertur, orbe illo ſuperno Sol, circunquaque labens per cęlum. Latius igitur Solis iter, eoque tempus etiam diuturnius. Quoniam igitur id noctium dierumque interuallum, eaque vtriuſque intermiſſio quærebatur, quæ terris prodeſſet, non noceret, eouſque protractus & extentus eſt ſolaris orbis, quouſque vtiliter noctes & dies, viciſſim interquieſcerent. Obiter hoc loco apud Iob duo maximè conſideranda ſuccurrunt, de luce, & E aquis. Expreſſe enim & clara voce fatetur Theologus, ſuper aquas iactum eſſe orbem cęli: ex quo intelligimus, quod Moſes dixit inter aquas ſupernas & infernas poſitum cęlum, non eſſe ſentiendam ſphæram cęleſtem, orbemque ſydereum, ſed aliud quoddam cęlum, nimirum aerem, aerios tractus, regionem aeriam, quæ poſt Solem eſt creata. Docet enim Iob (quod & Salomonem fateri paulò poſt oſtendam) ſuper faciem aquarum immenſarum, ac primordialium, gyrum, vel circum, ſiue orbem cęli à Deo fuiſſe diſpoſitum: non inter aquas ergo, ſed ſuper: illud autem Moſis inter aquas, quod teſtimonium eſt clarum & perſpicuum. De luce autem admonemur expreſsè, quòd quam lucem dixit Moſes principio creatam, intelligenda eſt lux Solis, Sol ſcilicet ipſe. Hocque pluribus de cauſis. Poſt enim terras fundatas, poſt commemoratas aquas, aſſerit Iob deſuper orbem, quo lux & tenebræ finirentur, extenſum. Moſes commemoratis terra & aquis, ait lucem eſſe, ſpiritu diuino ſuper aquis operante, creatam. Tum hanc lucem diem appellaſſe, tenebras noctem. En cauſam Iob declarat, cur ſit orbis creatus, vt Sol delatus eò, dies & noctes viciſſim efficeret. Paulò autem poſt eodem loco Iob ait, ſpiritus eius ornauit cęlos. Ergo ſpiritus ille Moſis, cùm ſuper aquis operaretur, cęlum creabat, certe ipſum Solem, quem creabat ſpiritus ille diuinus opificans, Moſeſque eum appellat lucem, Iob cęlum, & chag, id eſt, gyrum, ambitum. Intelligo autem Solem & orbem eius pariter. Vt qui dixit Solem creatum ſiue lucem, neceſſario orbem quem Iob expreſſerit, comprehenderit. Venio ad teſtimonium Salomonis, quod verbis & ſenſu idem prope eſt, atque illud Iob. Opera mundi antiqua narrans ſapientia dicit de Deo: Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos. Vt ſenſum priorem Prouerb.8. & verba Iob recognoſcas, Hebraica profero: כהקו חוג על רני תחום: Hoc eſt. Dum ipſe gyrum, F vel circum, ſuper facies abyſſi. Verba in Hebraico eadem ſunt atque illa Iob, cok, chag, vel chug, al pene thehom. Iob dicit poſitum gyrum, al pene hamaim, ſuper facies aquarum. Salomon ſuper facies thehom. Idem enim eſt abyſſus apud vtrunque. Declaratoque loco apud Iob, claret dictum Salomonis. Ecce omnes dicunt ſuper aquas poſitum ordinatumque orbem. Ergo dicente Moſe, ſpiritum Domini operatum ſuper aquis, interpretantibus Iob & Salomone, debemus intelligere creationem cęleſtis orbis. Quod & Moſes expreſſit, cùm ſtatim dicat lucem eſſe creatam. Cæteri ergo orbem nominarunt, lucem Moſes: concurrentibus autem omnibus, intelligimus orbem, Solem, lucem, tria ſimul creata. Orbem Iob & Salomon, lucem Moſes & Iob, Solem cæteri prophetæ, qui Solem & lucem ſimul commemorant. Spiritus ergo Domini operans ſuper aquis, ornauit cęlum, orbem, ſcilicet Solis, quo Sol delatus, dies & noctes circum terras finiret. Continuo igitur Moſes, vt dixerat, ſpiritus Domini ferebatur, id eſt operabatur, ſubiecit creationem lucis, ideſt Solis. Hoc illud eſt quod Thales Mileſius, maiorum dogmata ſecutus, eodem præciſè modo atque Moſes, & quos citauimus Theologi, locutus eſt. De quo philoſophus noſter, Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſiuit, aquam dixit initium rerum, Deum autem eam mentem, quæ ex aquis cuncta fingeret. Theologi autem veriores, dicunt ſuper aquis Deum fingentem, non cuncta ex eis feciſſe, ſed ſuper eis ambitum cęleſtem tetendiſſe, quem ex aquis creaſſe, cùm naturales rationes coarguunt, tum vero hæc ipſa, quòd ideo ſuper aquis, quia ex illis. Aquea enim eſt ſubſtantia ętheria. Nuncque è terra fit aqua, ex aqua aer, ex aere ęther, cęleſtis autem ſubſtantia ętheria eſt. Creatum eſt igitur cęlum à ſpiritu diuino, idque faciebat ſuper aquis, hoc moliebatur, operabaturque. In quo clariſſimè, & vocaliſſimè de ſeipſa ſapientia, loquens apud Sirak gloriatur: Gyrum cęli circuiui ſola, & in fluctibus

A maris ambulaui. Sed clarius habet Græcè in ſuo fonte γύρον οὐρανοῦ ἐκύκλωσα μόνη, καὶ ἐν βάθει ἀβύσσου περιεπάτησα. Gyrum ſiue ambitum cœli circunduxi ſola, & in profundo abyſſi deambulaui. Eccleſ. 24 Etenim ἐκύκλωσα, malim interpretari, circunducere, circum, orbemque facere, quàm in orbem ire. Illud denique poteſt comprobare ſpiritum, id eſt ſapientiam diuinam, ſuper aquas cœleſtem orbem tetendiſſe, Moſem tradidiſſe, quòd multorum philoſophorum ac theologorum conſenſu cęlum ex aquea eſt natura, in ętheriam ſubſtantiam tranſlata. Seuerianus, vt in annotationibus oſtenſum eſt, τὸν οὐρανὸν τοῦτον οὐ τὸν ἐπάνω, ἀλλὰ τὸν ὁρώμενον, ἐξ ὑδάτων ἐποίησεν ὁ θεὸς, πήξας ὡς κρύσταλλων, εἶπεν καὶ ἐν μέσῳ τῶν ὑδάτων ἔπαγε πῆγμα κρυσταλλῶδες οὐρανός. Cęlum non ſupremum illud, ſed quod videtur, ex aquis fecit Deus, cogens & ſtipans inſtar cryſtalli, dictoque eius, congelata eſt materies cryſtalli ſimilis, cęlum in medio aquarum. Quam Seueriani ſententiam, ſecutus eſt etiam poſterior Damaſcenus Ioannes: ἐν τῷ μέσῳ τῆς ἀβύσσου τῶν ὑδάτων ἐστερεώθη τῷ δεσποτικῷ προστάγματι· κρυσταλλώδης οὐσία, ὅθεν καὶ στερέωμα εἶπεν ὁ θεὸς γενέσθαι καὶ ἐγένετο. In medio, inquit, abyſſi aquarum diuino imperio roborata, firmata eſt, ſubſtantia quædam glacialis. Vnde dixit Deus, vt in medio aquarum fieret firmamentum. Theodoritus item pari ſenſu ſe duci permiſit, loquens de firmamento, ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τῆς ῥοώδους τῶν ὑδάτων οὐσίας συνέστη καὶ ἡ ῥυτὴ φύσις, στεγανωτάτω γέγονε καὶ στερέμνιος. Quoniam ex fluxa aquarum ſubſtantia compactum eſt. Et natura liquabilis duriſſima fuit, & ſolida. Hoc ipſum etiam dicitur ſenſiſſe Empedocles, de quo Plutarchus; Ἐμπεδοκλῆς στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανὸν, ἐξ ἀέρος συμπάγεντος ὑπὸ πυρὸς, κρυσταλλοειδῶς. Id eſt, Empedocles ſolidum eſſe cęlum, ex aere coacto ab igne, in ſpeciem cryſtalli. Idem Plutarchus teſtatur ſimile quid
B Ariſtotelem ſenſiſſe. Ἀριστοτέλης ἐκ πέμπτου σώματος πυρὸς, ἢ ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος. Ariſtoteles, ait, è quinto corpore, igne, aut calido & frigido cęlum conſtare aſſeruit. Quanquam Chryſoſtomus negat ſciri poſſe, qua ſubſtantia ſit cęlum, τί ἂν εἴποι τις τοῦτο εἶναι τὸ στερέωμα, ὕδωρ πεπηκτῶς, ἀλλ' ἀέρα τινὰ συνεστραμμένον, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ οὐσίαν, οὐκ ἄν τις ἁπλῶς τῶν σωφρονούντων διϊσχυρίσαιτο. Quid dicas, inquit, hoc eſſe firmamentum an aquam gelatam, aſtrictam, an aerem quendam conglobatum & condenſatum, vel vllam aliam ſubſtantiam, nemo qui benè ſentiat, tam facilè aſſerat. Poteſt igitur, vt his relictis, ad meipſum reuertar, facilè intelligi, quàm rectè ſit interpretatum, ſpiritus Domini inferebatur ſuper aquas: id eſt, ſapientia diuina ſuper aquis, & ex aquis cęlum moliebatur. Spiritus enim eius ornauit cęlum. Ex aquis ſcilicet Solem & alia lumina fabricabatur, in tenuiſſimam, liquabilemque ſubſtantiam eas adducens. Vnde Baſilius & ſanctiſſimus Ambroſius cum aliis multis hærent dicto Eſaiæ, volentes ſibi ſatisfacere ſuper ſubſtantia cęli, qui ait; Fecit cęlum ὡς καπνὸν, tanquam nubem candidam, leuem. Quod & ipſum teſtatur ex aquis fuiſſe cęlum.

Fiat lux.

DEſcriptis principiis, quorum ad cæteras res cognoſcendas ſcientia eſt neceſſaria, creationem aggreditur. Sic Philoſophi, Theologique omnes imitati naturam, primos habent de principiis ſermones, tum quid quaque ex his ratione coaluiſſet, expediunt. Principia ſunt indicata ac patefacta, poſitus ante oculos earum rerum ſtatus, quæ comitarentur principia. Ante omnia fuit nihil, poſt nihil, initia indigeſta & informia, poſt hæc, magna mundi moles. Manus
C tua omnipotens, ait ſapiens, κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης, mundum ex informi materia creauit. Vt in animalium artificioſiſſimis corporibus, ex vno principio ſanguine, fiunt medullæ, carnes, oſſa, chartilagines, & quod eſt omnium admiratione & artificio maximum, fit ſpiritus & ſenſus, fit vita ſenſibilis: ſic ex vna maſſa ſunt omnes eductæ res, tanquam autem ſenſus & ſpiritus, puriſſimum ętherium corpus. Vt ſenſus ob puritatem & leuitatem altiſſimas corporis tenuit ſedes, ſic altiſſimam mundi regionem occupat ęther, quo nihil in omni re corporea eſt defęcatius. Miraris quòd ſydera, quorum cenſes incorruptibilem ſubſtantiam, ex eadem maſſa atque res ſubiectæ, fuerint nata: ſed mirabilius, ex ſanguine, puriſſimos ſenſus, velociſſimos illos, inſcrutabileſque motus, tenuiſſimas ſed poteſtate, virtuteque mirabiles ſubſtantias procreari. Ex ea materia ſydera conſtant, quæ luces gignit aerias, quarum ſi altior eſſet ſedes, ſi eſſet & natura incorruptior, idem terris officium atque ſydera præſtarent. Si ſapiens eas artifex validioribus vinculis alligaſſet, veluti aeriæ ſtellæ, Soleſque minores eſſent. Per tractum cęleſtem velociter feruntur, lucent & terras illuminant, vt altiores illæ: quantum diſtat inter lapides, plantas, animalia, quæ vt ex eadem origine terreſtri habeant ortum, omnia tamen ſunt in ſuo genere plurimum diſparia, tantum inter aerias, ſuperioreſque luces. Prima igitur ex aquis genita res lucida ſubſtantia ſit. Hunc fuiſſe Solem, vna tantum deterret, plures autem aliæ inuitant, perſuadentque nos aſſerere rationes. Deterret, quòd quarta die ſatum eſſe Solem, Lunam, & ſtellas, Theologus videtur dicere. Quod autem in contrarium, tantum non vociferatu magno, nos attrahunt rationes, hæ cum primis ſunt, quòd ſolus Sol (dictus quia luceat ſolus) lucis corporeæ eſt genitor, ſolus is ignis cęleſtis, vna terreſtris mundi lucerna, quam ſuper candelabrum mundi, vt ab omnibus videretur, poſuit Deus. Deinde cùm à principio cęlum ac terras creatas dixerit, gradum hunc primum dans cęlo creationis, non poſſumus non eadem ſententia, ac cogitatione

Solem comprehendere. Cum cęlo enim creatum eſſe Solem, quoniam Sol & ſtellæ ſunt cęlum, neceſſe eſt. D Qui ergo primum dedit locum in creatione cœlo, dedit etiam Soli. Vaſtus enim orbis eſt Sol, nec aliud quidem cœlum videtur, niſi Sol ac ſydera. An ſint orbes horum corporum vectores, nec viſu perſpicitur, nec prodidit Moſes, cui conſilium vnum fuit, res viſibiles deſcribere. Nam cęruleum quod ſuſpicimus aeris immenſi eſt decoloratio. Non videntur autem circumplexi aerem orbes. Non quòd negem orbes illos. Sol. Præſtantiſſimum item, mirabiliſſimumque opus, omniumque rerum ſenſu carentium primum eſt Sol, quem Homerus διὸς τέκος prolem ſummi Iouis, Plato filium ſummi boni, regem luminum cœleſtium Aſtronomi, omnium ſatorem procreatoremque rerum philoſophi prædicauerunt. Hunc primum ex aceruo debuit autor producere, cuius illuc incubuiſſe prudentia cernitur, vt ante particulares effectus, vniuerſales cauſas excogitaret. Sicut autem vnde cuncta depromeret, terram & aquas primas iecit: Sic quo aerem, animalia, plantas conderet, Solem iſtarum rerum præmiſit genitorem. Deus, Sol & Homo gignunt hominem. Deus, quia Solem, hominemque primum creauit, à quo tota proles ſemen traxit: Sol, quia fouet, alitque terras. Sic Leonem Deus, Sol, Leo, tres cauſæ generant: ſic item in plantis, Deus, Sol, & palma gignunt palmam. Hæc igitur cùm rerum omnium terreſtrium prima cauſa ſit, ſine qua naſci, fierique nihil potuerit, debuit prima omnium fieri, vt eius auxilio cętera fierent. Illud quidem probat ratio primum extitiſſe, quòd omnium futurum eſſet cauſa rerum corporearum, à quo ſydera lumen, terræ & aquæ fœcundas, prolificaſque vires nanciſcuntur: A quo accedente ſatus, diſcedente interitus omnium rerum adeſt: primum rerum gignendarum principium, fons & origo. Iam in Theologia Moſis, idem eſt nomen, effectusq; Solis atque lucis: etenim cùm de Sole ſcribit idem. Vt luceant ſuper terra, eandẽ E vſurpat vocem, atque cùm prodit primo lucem fuiſſe. Illic, fiat or, אור id eſt lux: hic lehair להאיר ad lucendum, vel vt luceant. Præterea cùm dixit; Fiant luminaria, eadem eſt vox atque eius rei, quæ prior dicitur ſata. Hæc or, illa maor, Maor luminare vel corpus lumen reddens, quod Græce φωϛήρ, or ipſa lux. Nuſquam vero nomen Solis, qui dicitur Hebraice שמש shemesh vſurpat Moſes, cùm de creatione agit, ne illi quidem, vbi nemo dubitarit eum loqui de Sole, quarta videlicet die, eoque non mirum, nec prima die fuiſſe ab eo commemoratum. Sed maluit eum tum lucem, tum luminare vocare, quòd id eſſet efficacius nomen, & quamobrem eſſet creatus, oſtendens: Mater autem atque altrix, & rebus vt naſcantur, & videantur, animalibus vt oriantur, ac videant cauſa, quemadmodum ait Plato, eſt lux, ampliſſima rerum gignendarum cauſa, Sol & lux idem. qua nihil habet mundus iſte iucundius, vitalius. Deinde idem eſſe & apud Moſen, & cæteras gentes lucem atque Solem, ſatis ſuperque docet loquendi conſuetudo. Latini lucem vocant diẽ, vt ab eodem lucem, atque diem effici monſtrent. Moſes autem quod maximo eſt argumento, illã primogenitam lucem fuiſſe Solem, idem munus huic primogenitæ rei attribuit, atque ei, quæ die quarta eſt creata. De luce ſic loquitur: Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitq; diem lucem, & tenebras noctem. De luminaribus autem magnis: Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit ea in firmamento cęli, vt lucerent ſuper terram & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucẽ & tenebras. Hoc teſtimonium Sole ipſo de quo loquimur clarius eſt, primogenitam lucem eſſe Solem. Vtrique datur munus fugandarum tenebrarum, vtrunque ad efficiendũ diem creatur. Vtroque dies à nocte ſeparatur, nec ſecus loquuti ſunt cæteri, atque ipſe Moſes: F

Nam cùm diſpoſiti quæſißent fœdera mundi:
Et lucis noctiſque vices.

Ecce lux appellatur dies, & illa diei ac noctis viciſſitudo diuinum opus fuiſſe dicuntur. Tũ non aliud, quàm iſtud ipſum, quod quotidie fieri videmus, illi, ſicut & Moſes loquentes, innuebant. Quid quod aliis ſcripturæ lucis Sol vocatur lux, veluti Reg. 2. Sicut lux auroræ, oriente Sole, mane abſque nubibus rutilat. Quod Hebraice clarius וכאור בקר יזרח שמש, hoc eſt: & ſicut luce mane oritur Sol. Quo loco ſunt duo nomina, Or, id eſt lux: shamesh, Sol. Dicit Dauid: Luce matutina naſci Solem, coniungit ergo Solem & lucem appellans lucem eodem atque Moſes nomine. Eſaiæ 60. Namque Moſes ait primam fuiſſe creatam or, Dauid cum or, oriri Solem. Eſaias quoque: Non erit, inquit, amplius tibi Sol ad lucendum. Hebraice Sol לאור laor ad lucem. Hic quoque Hiere. 31. apparet or cum Sole coniungi: vt qui dicat or lucem, neceſſarium dicat etiam Solem. Hieremias etiam ſic loquitur: Qui dat Solem ad lucem diei Hebraice לאור יומם laor iomam. Vides & hic lucem cum Sole, & Solem cũ luce ac die. Vt autem Hieremias datum eſſe Solem à Deo, ad lucem diurnam, aſſerit: ſic eiſdem prope modum verbis, eadem ſentẽtia comprehenditur, exihbeturque a Moſe. Etenim Moſes, creata luce, ſubito primam diem ait extitiſſe. Non enim in die prima creata eſt lux, ſed luce creata, dies extitit. Cape Moſen, diligenterque penſita locum. Dies ergo Pſal. 148. & lux a Sole, omnium prophetarum teſtimonio efficitur. Pſalmus quoque lucem de ſtellis eſſe Iob 38. fatetur, recipiunt enim à Sole: Laudate eum כוכבי אור ſtellæ lucis, ſtellæ or. Apud Iob quoque de luce hæc dicuntur; Indica mihi viam in qua lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius. Per quam viam ſpargitur lux, A tur lux, diuiditur ęſtus ſuper terram. Ex his duobus locis declaratur, quam Moſes quoque lucẽ ſpectauerit: Similiter enim loquitur Iob antiquus Theologus, atque Moſes. Generalem vterque lucem quandam, & cum ea tenebras item vterque commemorat. Apud Iob non Sol citatur, ſed lux: de luce Solis tamen eſt ſermo, vt ex toto patet loco. Deſcriptio eſt Solis, nomenclatura expreſſa lucis, ſimiliter latet in deſcriptione Moſis Sol, palam ſonat lux. Maluitq́, vterque dicere lucem, non Solem, quia funditur paſſim lux vno in loco immorante Sole, tum propter lucem Sol eſt creatus, ſolaque lux quærebatur, hæc vna ab opifice deſiderabatur. Vt antiquitate pares, Moſes & Iob, ſic in loquendo ſimiles. Hieremias item capite quarto, ſic loquitur: Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cęlos, & non erat lux in eis. Proculdubio cęleſtem lucem intelligit Solem, aut id quod de Sole manat, propheta: Vt minimè mirari debeamus, ſi Moſes quoque ſimiliter ſit loquutus, nominans vniuerſaliter lucem, non Solem. Nam lux comprehendit omnia, Sol exiguus eſt oculis noſtris. Talem ergo dixit Moſes lucem creatam, qualem propheta dixit non apparere in cęlo. Iob quoque cap. 34. ſic loquitur de Deo: Subter omnes cęlos ipſe conſiderat, & lumen eius ſuper terminos terræ. Docet Deo omnia eſſe curæ, eum omnia tueri & gubernare, efficere vt terræ vſquequaque illuminentur. Sic & ipſe appellat Solem ipſam lucem. Nam lux non Sol ſpargitur vſque ad terminos terræ, ob id malunt dicere lucem, vtpotè vniuerſalem, effundentem ſeſe vbique. Hoc clariſſimè docet Lactantius, vt aperiat & prophetas, & Moſen, loquens de inſanis idolatris. Si cęleſte, inquit, lumen, quod dicimus Solem, contemplari velint, iam ſentiant, quòd non indigeat lucernis eorum Deus, qui in vſum hominis tam candidam lucem dedit: & tamen cùm in tam paruo circulo, qui propter longinquitatem non amplius, B quàm humani capitis videtur habere mẽſuram, tantum ſit fulgoris, vt eum mortalium hominum acies non queat cernere, etſi pauliſper intenderit, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ conſequantur: quid tandem luminis, quid claritatis, apud ipſum Deum, penes quem nulla nox eſt, eſſe arbitremur? Qui hanc ipſam lucem ſic moderatus eſt, vt neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus. In his Lactantius expreſsè lucem appellat Solem, cùm ait cęleſte lumen, quod Solem dicimus. Ergo cùm Moſes lumen, vel lucem dicit creatam, non poſſumus niſi ipſum Solem arbitrari eum dixiſſe, quem lucem appellauit, ſicut hi omnes quos diximus. Nam lux quæ penes Deum eſt, non eſt creata. Eo etiam probatur lucem corpoream, id eſt Solem, intelligendam hic primo creatam, quòd omnes prophetæ, qui locuti ſunt de creatione, aut res creatas nominarunt, Solem expreſſerunt, vel lucem corpoream. Pſalm. 148. Commemoratis angelis, ait: Laudate eum Sol & Luna. In quo Pſalmo, cùm res omnes creatæ nominẽtur, nulla alia eſt lux, niſi Sol & Luna. Item Pſalm. 103. tota creatio nominatur, cùm ait: Amictus lumine ſicut veſtimento, Hebraicè עישה ote, id eſt, amiciens, veſtiens: vt poſſit de corporea luce intelligi, qua Deus omnia veſtiat. Sic Iob loquens de creatione: Solem corpoream lucem, nominauit. Qui quod Philon ait, in omni viſibili re, præcipuam primamq́ue naturam eſſe τὸ φῶς, lucem, ſiue lumen, Hanc, inquam, dicit eſſe ἡγεμονικόν rem præſtantem cuncta, & præcedentem, ſicut in animo mens, in corpore cor, vel cerebrum, in plantis radix. Illud ergo in omni re corporea primum fieri debuit, quod eſt omnium primum ac principale. Nuſquam autem inuenies in diuinis litteris lucẽ nominari propriè, niſi corpoream iſtam: quòd ſi aliquando aliam, illam profectò, quæ eſt claritas diuina, quam fuiſſe creatam impium eſt credere. Cùm autem lux iſta noſtra manet ab igne, à nubibus colliſis, à ſyderibus, à Luna, præcipua tamẽ viſibilium eſt Sol C ἡγεμονικόν. Vt fictitia ſit, & à non conſiderata ſcripturarum loquendi conſuetudine profecta, neſcio quæ nubecula & materia quædam luminoſa, ab Hebræis & noſtris aſcita non multis. Quòd autem quarta die fertur Solem & Lunam atque aſtra Deus feciſſe, ne te res turbet. Creauit enim vſque ad eam diem alias ſtellas: repetit autem Solem, vt cum cęleſtibus eum adnumeraret corporibus. Sæpe Moſes aliquid perfectè atque abſolutè deſcripturus, ſolet res ſuperiores repetere, veluti cùm de fœmina creata loqueretur, primo capite: Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fęminam creauit eos. Inferius autem, Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Creat hoc loco fœminam, quam ſuperius creatam tradiderat. Iterat videlicet ſexti diei opus. Paradiſum quoque terreſtrem tunc par eſt conſitum fuiſſe, cùm tertia die Deus iuſſiſſet, vt virides herbas, arboreſque fructiferas, tellus eniteretur. Tunc veriſimile eſt hortum illum, arboribus, omniq́ue florum varietate amœniſſimum, qui primum in omni ſatu diuino locum obtineret, effloruiſſe, iam quod etiam omnes confitentur. Eodem iſto loco renouatur deſcriptio conſitionis omnium arborum, quæ prima die dicitur facta. Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignũ pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Pertinet enim ad omnes generatim arbores terrę hęc deſcriptio. Ibidẽ dicitur: Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Hoc omne dictum eſt ſuperius, quando ait, Faciamus hominem: Et illud item repetitur; Formatis igitur ex humo terræ cunctis animantibus. Nam Hebraicè, & formauit. Sunt alia non proſequenda nobis exempla, quæ tota ſcripturæ lectione ante oculos verſabuntur. Sed omni hac præcipuè Moſis rerum naſcentium deſcriptione, in quibus vt ſit vbique, quod dicitur, inter ſe aptũ & connexũ, reuocat quæ ante narraſſet,

Τὸ φῶς, ἡγεμονικόν.

oculos intentos habens ad exquiſitam rerum explicationem. Sic cùm prima die Sol conditus D fuiſſet, quarta autem veluti minus neceſſaria, Luna & ſtellæ, totusq; cęli ornatus, quæ potius decorem habēt, quàm vtilitatem, complexus eſt omnia lumina cęleſtia, relegens quod ante ex parte tradidiſſet. Hoc declarat, quòd in quarta die refert conditorem iuſſiſſe, Fiant luminaria, ſtellas videlicet omnes, numero multitudinis. In quibus & Solem veluti non omittendum in cęleſtium rerum deſcriptione voluit complecti, vt cùm in deſcriptione Paradiſi, oēm terrarum rememorauit propaginē. Quod autem in ſcripturis fiat interdum, quod Græci dicunt ὕστερον πρότερον, declarat locus Geneſis, cùm Sara fertur adeo prouectæ fuiſſe ętatis, vt ſibi perſuaderet, filium generare non poſſe. Quo loco refertur: Erant ambo ſenes, prouectæq; ętatis. Non procul inde rapitur Sara ob pulchritudinem à Rege Palæſtinorum. Quis addubitet ordinem hic eſſe præpoſterum, & raptum accidiſſe, cùm virides eſſent anni, & oculis grata iuuenta, animos inflammaret amore? Sic primo ſatu editus Sol, quarto reuocatur, vt expleat comitum numerum. Ipſe quidem ſtellarum Rex, vt omnibus corpore, ſic lumine maior, aſſeclæ eius ſtellarum cuncta cohors. Ipſe prior ſatus, & dictus, poſterius ſyderum agmen. Eſſe autem quanquam etiam de Sole, præcipuè tamen de Luna & ſtellis quarta die ſermonem, declarat quod dicitur: Vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, pro tempora Hebraicè מועדים mohadim, id eſt ſolennitates, cętus, celebritates, ſtata tempora. Hæc autem ad curſum Lunæ apud Hebræos agebantur. Sic annos lunares numerabant, id eſt, è Lunæ curſibus confectos. Anni fiunt è menſibus, menſes à curſu Lunæ numerantur, dies quoque ab exorta Luna. Hæcque certior temporum, quàm ex Sole ſupputatio. Signa quoque magis è Luna, quàm Sole, cuius eſt motus vniformis, colliguntur. Nam nunc maior, nunc minor, nunc antegrediens, nunc ſubſequens Solem, certiſſima temporum, dierum, menſium, annorum eſt indicatrix. E Hinc eodem nomine apud Hebræos, ac Græcos dicitur menſis & Luna, Hebraicè ירח iareach, Græcè μήνη, vnde Latinè menſis. Quæ omnia mirabiliter etiam aſſeuerantur à Sirach cap 43. Et Luna, inquit, in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum ęui. A Luna ſignum diei feſti, menſis ſecundum nomen eius eſt. Intelligis Lunam ſignum diei feſti, quæ hic appellantur mohadim, ab ea colligi tempora, & ęui labentis indicia. Menſem appellari à nomine Lunæ. Homerus item in hymno à Luna ſigna fieri docet:

Hymno in Lunam.

Τέκμωρ δὲ βροτοῖς καὶ σῆμα τέτυκται,
Indicium, ſignumque fuit mortalibus ipſa.

Quare hæc facit tempora, menſes, dies, & annos, & de ea propriè loquitur hic Moſes, & ſint in ſigna: Sol potius lucet, dans & Lunæ lumen. Eoque excellenti nomine vocatus eſt lux, lumen: propriaque eſt Solis nuncupatio Or, raro de Luna dicitur: quod te varia ſcripturarum docebunt exempla. Propriè Or eſt Sol, propriè Luna Maor, quaſi lucefactum, irradiatum, accēſum à Sole. Pſalm. Tu fabricatus es auroram & Solem: pro aurora Hebraicè maor. Hebræique exponunt, Lunam & Chaldæus. Salomon Eccleſiaſtes: Antequam obſcuretur lux & Sol, & Luna, & ſtellæ. Ecce lux & Sol ſimul, quaſi eadem res: plurima quoque exempla coarguent idem eſſe or, & Solem, vt apud eundem: Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre: Solem pro lumine Hebraicè or, ſic lux & Sol, & hoc loco ſimul. Proprie igitur or eſt Sol, maor Luna. Et de hac propriè quarta die ſcribitur deſcripto prius Sole. Cùm ergo per Solem omnis in terris fiat generatio, omnis aquarum in tenues vapores, puriſſimumque aerem reſolutio, quo & animalia veſcerentur, plantæ orirentur, & aeria paſſim genita ex aquis ſubſtantia ſterneretur, hunc certè antèa F parari ac fieri decuit. Hinc hac creata luce, poſtera die, incipiens illa ipſa prima, effectus eſt aer, eodemque tempore, aquis arefactis, ſolæ marinæ reſtiterunt, apparuitque arida, cæteris aquis, quibus obruta terra deliteſceret, in immenſam aeris regionem, per Solem euaporatis. Ac doceo non philoſophorum ſolum teſtimonio, ſed ipſa quoque ratione, vna die tantum diſſoluere in vapores Solem, quantum vix tota terra capiat. Omnia enim flumina intrant in mare non creſcens, eiſdem ſemper littoribus coercitum & incluſum. Cauſa eſt, quòd quantum flumina important, tantundem Sol quotidie diſſoluens reddit aeri. Quòd ſi omnia flumina, quotidie mare ſubeuntia, nihil extenuante Sole, in terras inundarent, eas vſquequaque complentia, ad priſtinum ſtatum redigerent. Sic illo antiquiſſimo ſæculorum, rerumq; exordio, creata luce, vna die tantum ex aquis illis eſt detractum, vt primum aer ſit effectus, poſtera die patefacta tellus, cæteris diebus magis ac magis aperta. Hinc ea ipſa die, volente Deo, dare in lucem terra fructus cępit, editis herbis & arboribus. Quoniamque ſine Luna, quæ regina eſt aquarum, cuius auctu augentur, decremento decreſcunt, maria, congelationesque marinæ vix hæ naſci potuiſſent, iuſtiſſimis de cauſis poſt creatam Lunam quarta die, quinta ſtat in pedes cuncta marina propago. Cùm ergo hunc creationis ordinem, & ratio & philoſophia demonſtret, neceſſe eſt Solem vt in cauſis habet, ſic in naſcendo habuiſſe primatum. A quo omnia naſcuntur & viuunt, aer, animalia, plantæ. Tunc & dies illos verè ſine coactis allegoriis interpretabimur. Veros fuiſſe dies, quales noſtros, veram creationem, qualem deinceps principia ſua ſequente natura, vidimus in mundo, cognoſcemus. Nam Sole conſtituto, & igne illo rapido, & præpotenti, ſuſpenſo, perq; aquas delabente, & aer factus, & terræ nudatæ eadem opera, & plantæ, omnesque arbores progenitæ.

Luna aquarum regina.

Addita

A Addita autem & Luna, tota eſt maris progenies excitata. Factumque quod vidimus quotidie fieri. Huncque ordinem fuiſſe creationis declarat ordo reſolutionis. Fac vt inſperato Deus Solem de mundo tollat, eum apud ſe, vel in interiora cęli reuocans, vel prorſus amoliens. Primum aer horrefactus & tenebroſus, animalia & plantas interficeret. Ipſe in aquas, nulla per Solem facta reſolutione, totus ac ſtillas diffluerer. Ecce autem omnes terræ breui, diſtillante paſſim aere, fontibus ac fluminibus, & mari redundante, quia non detraheret Sol, quantum flumina importaſſent, alluerentur. Omnis terra ſex dierum ſpacio ſub aquis eſſet. Cuncta enim aqua, quæ vna die à Sole in cęlum trahitur, in mari remanens, extra littora, eo ipſo die excurreret. Altera montes iam omnes ſuperaret. Sicq́, extinctis animalibus, & plantis, terra inundata aquis, aere in aquas reſoluto, deficiente die, omnia in antiquum chaos, id eſt, terram & aquam altiſſimam reuerterentur. Sol igitur omnium eſt cauſa rerum, ſine quo ita quinque dierum opera (nam primam fecit ipſe creatus) fieri nequiuiſſent, ſicut ſi ipſe interiret, illa quoque conciderent. Nam quod de aere diſtillante diximus, probatur maximè exemplo diluuij, quod factum eſſe aere in humiditatem, & pluuias reſoluto etiam ſacræ litteræ teſtantur. Auguſtinuſque ait, ſe in quadam canonica epiſtola legiſſe, tempore diluuij aerios cęlos periiſſe. Nunc ad ſapientiſſimos, ſanctiſſimoſque Græciæ Theologos me transfero, quos quidem ferè concordes cum hac interpretatione inuenies. Offendit quidem eos, quòd Sol creatur à Moſe quarta die, vt pronunciare prorſus primogenitam lucem fuiſſe Solem, id eos non permiſerit. Ac cenſent lumen, ſeu materiam quandam luminoſam primo fuiſſe creatam: quarta autem die quicquid eſſet purius & defęcacius, in ſolarem orbem à Deo redactum. Apollinarius, τοῦ δὲ πρωτογόνου φωτὸς, ὅσον

Sol omniũ rerũ cauſa.

B μὲν καθαρώτατον, ἐνέθηκε τῷ ἡλίῳ, τὸ δὲ λοιπὸν σελήνῃ, καὶ τοῖς ἄστροις ἐμέρισε, E primogenita inquit luce, quicquid puriſſimum eſſet, in Solem ſelegit, reliquum Lunæ, & aſtris deputauit. Similia ferè ſenſit Theodoritus, qui quærens, quidnam fuerit prima illa lux, creatis quarta die luminaribus, reſpondet Deum è nihilo ποιεῖν, facere vel creare, ex aliquo δημιουργεῖν fabricari, moliri, primumque cęlum è nihilo, ſecundum ex aquis feciſſe: Sic terram è nihilo, ex ipſa verò arbores & ſemina, καὶ τὸ φῶς τοίνυν ἐδημιούργησεν ὡς ἠθέλησεν διελὼν δὲ αὐτὸ, τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους, καὶ τοὺς μικροὺς κατεσκεύασεν. Etiam lumen, inquit, creauit, vt voluit, partitus autem ipſum, lumina maiora & minora eſt molitus. Alius quoque ἀνώνομος. Sicut, ait, aqua à principio ſparſa vſquequaque in certas ſedes coacta, Deus creauit mare tertia die & flumina & fontes, οὕτω καὶ τὸ φῶς τὸ ἐν ἀρχῇ κτισθὲν πρότερον διακεχυμένον, ἀθρόως ὕστερον τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ συναγαγὼν ὁ θεὸς ἐποίησεν ἐξ αὐτοῦ, τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς λοιποὺς ἀστέρας. Sic & lumen iam inde ab exordio creatum, cùm eſſet vagum ac ſparſum, poſtea quarta die, ex eo coacto fecit Solem, Lunam, & alia ſydera. Nos igitur diceremus, Solem prima die perfectè fuiſſe creatum. Non enim fuiſſet prima, ſecunda, tertia dies, non veſperum, non mane, niſi talis fuiſſet Sol, qualis poſtea. Tum reperta reſolutione creationis in quarta die, ceſſat cauſa, quæ coegit eas excogitare. Sunt autem concordes, quòd totus ille cęleſtis ornatus vſque ad quartam diem eſt abſolutus. Talemque eorum mentem fuiſſe credendum eſt. Philon quem ſecutus eſt Baſilius, vult idcirco poſt natas arbores Solem eſſe creatum, vt idololatriæ dempta eſſet occaſio, quæ ferebat Solem, rerum terreſtrium autorem, ac genitorem. Cuncta hæc fecit excogitare Solis creatio repetita quarta die: quam quidem repetitionem ſolitam fieri à Moſe, inuenimus

C etiam à Gręcis obſeruatum. Vnde Theodorus cenſet virum atque mulierem pariter fuiſſe creatos, reuocans in priſtinum caput, cùm dicitur; Maſculum & fęminam creauit eos: Id quod eſt in capite ſecundo de creatione mulieris: τότε γὰρ ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. ἀκόλουθον δὲ ἦν εἰπεῖν, ὅπως μὲν τὸ ἄρσεν ἐγένετο. ὅπως δὲ τὸ θῆλυ ἁρμοδίως τῇ τοῦ ἀδὰμ ποιήσει, τήν τε εὔαν ἐπισυνάπτων εὑρίσκετο ταῦτα μὲν οὖν εἰρήκαμεν ἀναγκαίως εἰς δήλωσιν τε τῆς τῶν νοημάτων ἀκολουθίας, καὶ εἰς διδασκαλίαν, εἴτε καὶ τῶν κατὰ παρένθεσιν, κειμένων, εἴτε καὶ τῶν κατὰ ἐπανάληψιν εἰρημένων. Tunc, inquit, maſculum & fęminam creauit eos. Conſequens autem erat dicere, quomodo quidem mas factus eſſet, quomodo autem & fęminam congruè cum creatione hominis adiungeret, inuentus eſſet. Hæc neceſſariò diximus, vt ſenſuum clara eſſet conſecutio, & vt demonſtraremus tum ea, quæ per parentheſim poſita ſunt, tum quæ per reaſſumptionem dicuntur. Hæc ille. Eadem ferè vbi animalium recapitulatur creatio, admonens: Non, inquit, alia animalia dicit Moſes Deum creaſſe, ſed de iam creatis ſcribit. Quod autem ait ἔτι, id eſt, inſuper, ex quadam ſermonis Hebraici proprietate fit. Sicut & illud; Produxit etiam Deus de terra, ſic Theodorus. Memorat ergo duobus in locis τὴν ἐπανάληψιν. Vt & omnibus rationibus, & clara aduerſantium obſtantiumque ſolutione, Sol ſit primogenita lux.

Dixit Deus.

NVlla philoſophia, nulla naturalis cauſa, ſed ſola loquēdi cōſuetudo facit, vt hic locutiones, & ſermones introducantur. Priuatus mos Hebraicæ dialecti, qua & Hebræi frequenter admonent lectorem, bilshon Adam, id eſt, humana lingua loqui, ſermones humanos ſonare. Nō ſic Græci & Latini loquerentur. Plato quidem his vtitur verbis, quæ & propriora ſunt, & Dei, hominumq́; communia, Fecit, creauit, vidit, conſiderauit: dicendi autem verbo nunquā eſt vſus.

Nunquam etiam Poeta Latinus, ſed quæ magis Deo conueniant, litem diremit, abſcidit terras D ab vndis, ſecreuit cœlum ab aere, euoluit, exemit, ligauit, congeriem ſecuit, diffudit freta, & cætera id genus. Ne cæteri quidem qui de rerum creatione ſunt locuti. Qua autem conſuetudine dant digitos Deo, dant manus (Digitus Dei eſt hic, aiunt magi Pharaonis. Manus mea fecit cœlum & terram, ſæpe audies) eadem dant linguam. Haud equidem crediderim ab aliqua ratione profectam hanc conſuetudinem, ſed vt in omni lingua & gente priuatus eſt dicendi mos, ſic habere ſuos Hebræos tropos, ac ſimilitudines, ac tralationes. Similitudo autem eſt, vt quemadmodum reges ac dictatores, imperiis ſolis ac dictis, immenſa opera excitant, ſic magno dictatore imperante, ſurgerent omnia, omnibus illi naturis parere paratis. Vt autem agnoſcamus eſſe in hoc ſermone non abſtruſiorem interioremque aliquam rationem, ſed conſuetudinem loquendi ſolam, ex eo liquet exemplo, quod eſt apud Ionam: Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam. Hic aut iuſſum, motumq; reconditum interpretari cogimur, potius quàm locutionem, aut ſimilitudinem quandam eſſe. Qua etiam dicitur: Odoratus eſt Dominus ſacrificium. Quibus enim naribus? Eſt autem duobus modis figuratum & tropicum ſuperius, quod dicitur, quòd neque loqui Deus, neque irrationales beſtiæ poſſint, quæ dicantur.

Ionæ 8.

Itaque pro dictione Poeta poſuit iuſſionem,

Iuſſit & ambitæ circundare littora terræ.

Hocque ſonant illæ locutiones Hebraicæ: Et Claudianus.

De laudib. Stilicon.

Qui variam Phœben alieno iuſſerit igni
Compleri, Solemque ſuo.

Sic Deus iuſſit exiſtere Solem, iuſſit eum ſuo igni compleri, idcirco luminare eum appellauit. E Dicere eius eſt velle, velle autem & poſſe idem apud eum, etiam autore Ariſtotele. Has dictiones Moſaicas reſpiciens Dauid, & ipſe confeſſus eſt: Verbo Domini cœli firmati ſunt. Quę de verbo ſunt aſcita à nonnullis, mihi viderentur ab eis potuiſſe non credi, ſi ſermonis Hebraici nota fuiſſet conſuetudo. Nam & Hebræi probant, dicere in ſua lingua, eſſe quaſi cogitare, ſecumque meditari. Dant enim dictionem etiam cordi. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Salomon: Dixi ergo in corde meo, vadam, & affluam diuitiis, & fruar bonis. Et in libris Regum: Porrò Anna loquebatur in corde ſuo. Quæ ſit autem locuta, ſuperius oſtendit. Ergo cùm ait, & dixit: Idem erit, atque cogitauit in corde ſuo, meditatus eſt, decreuit eſſe lucem. Secernentes ergo Hebraiſmos à naturalibus, omniumque gentium communibus locutionibus, iter ad veras rerum intelligentias tendemus. Plurimam enim ſubmouet ex animo cognitionem fontis, ex quo rerum iſtarum ſcientia hauritur, ignoratio. Ac magni refert ipſum ſua verba ſonantem Moſen audire. Eodem tropo canit Pſalmus: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Vult verbo diuino emiſſo omnem glaciem liqueſcere. Eodem ſenſu dixit Salomon: Omnipotens Dei verbum veniens à regalibus ſedibus, in media nocte, in primogenitos Aegyptiorum feciſſe vaſtitatem. Non enim hic filium Dei, qui verbum dicitur, debemus intelligere: ſed imperium, voluntatemque ipſius filij Dei, eaque referre in priuatam Hebræorum loquendi conſuetudinem. Tale imperium veniens à regia ſede, & autoritate filij Dei, quæ ante mundum, in mundo diuinitatis ſuæ præſidebat, iuſſit primam omnium exiſtere lucem. Explicaturque Hebraiſmus is in Pſalmo: Quoniam ipſe mandauit, & creati ſunt. Loquitur enim de cęlis, ſine aquis. Dictum F igitur eius fuit imperium, voluntas, decretum, aſſentientibus Græcis & Hebræis. Theodoritus autem ſolertiſſimè alium ſenſum iſtarum locutionum excogitauit. Non alloquitur, inquit, quenquam, ſed vocat ea quæ non ſunt. Quod ſi locutus eſt, δῆλον ὡς οὐ τῶν ἀψύχων ἕνεκα στοιχείων ἀλλὰ τῶν ἀοράτων χάριν δυνάμεων ἵνα γνῶσιν, ὡς αὐτοῦ κελεύοντος, τὰ μὴ ὄντα συνίσταται. Videlicet non propter inanimata elementa loquebatur, ſed propter inuiſibiles poteſtates, vt intelligerent, eo iubente, fieri quæ prius non eſſent. Omnes ergo alij, videlicet Baſilius, Chryſoſtomus, Seuerianus, non vocem mortalem & articulatam, ſed voluntatem & imperium Dei ſentiendum eſſe docuerunt, dicentes non verba hæc eſſe, ſed ἔργων κατασκευάς, operum molitiones. Noſque aperuimus, vnde ſit hæc conſuetudo loquendi profecta.

Pſalm.32.

Pſalm. 13.
Eccleſ.2.
1.Reg.1.

Pſal.147.
Sapiē.18.

Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.

HOc quoque ad eandem ferè rationem, atque ſuperius ex Hebraiſmo eſt profectum, vt dicat Deum vidiſſe, lucem eſſe bonam. Ea facilitate gens illa loquitur, attribuens Deo, quos à conſuetudine hominū ſermones ſumpſerit. Non enim conſtitutum ac certum erat Moſi apud plebē philoſophari, nec dum ſubtilior philoſophia erat reperta, ſed promiſcui de Deo atque homine, Deo tanquam humano rege, iuſtiſſimo illo quidem & potentiſſimo, ferebantur. Huic & iram & indignationem, dolorem, & pœnitentiam, commiſerationem, ſententiæ mutationes, placationem, munerumque oblatorum gratam recordationem attribuebant. Quod philoſophandi genus vulgarius fortaſſe videatur: ſi quis autē perſpiciat, longè melius ac ſanius iſto poſterorum ſæculorum. Genus ergo Theologiæ Moſaicum, ſcripturarumq; ſacrarum, humanius fuit ac ſimplicius, & antiquorū ſanam illam, incorruptamq; ſimplicitatem retinens. Quod & apud nationes

Sermone accommodato ad ſenſum popularē Moſes vſus.

apparet

A apparet floruiſſe, appellatũ ab Ariſtotele, contemptim ἀρχαῖον. Omnia verò antiqua hoc meliora, quo ſimpliciora. In hanc igitur conſuetudinem referendum eſt, quòd Theologus dixerit, vidiſſe Deum lucem à ſe creatam, eſſe bonam: humanius ſcilicet quiddam dixit, hominumque ſermonibus accommodatius. Quis enim adduci non debeat, vt credat, quæ fierent à Deo, non fuiſſe optima? Optime quoque locutus eſt Moſes. Siquidem & Plato quaſi ex iſto loco mutuatus, aſſeruit opera iſta mundi, mundumque ipſum, eſſe optima, quia nefas ſit, ab optimo non optima fieri. Quod vel à Moſe, vel Mercurio, Moſis vbique ęmulo, didicit. Cuius explicans Marcus ſententiam, inquit: Quæramus igitur cauſam quæ eum impulerit, qui hæc machinatus ſit, vt originem rerum, & molitionem nouam quæreret. Probitate videlicet præſtabat. Probus autem inuidet nemini. Itaque omnia ſui ſimilia generauit. Hæc nimirum gignendi mundi iuſtiſſima. Fas autẽ nec eſt, nec vnquam fuit quicquam, niſi pulcherrimum facere eum, qui eſſet optimus. Intellexerunt igitur etiam illi, omnia quæ feciſſet Deus, bona eſſe neceſſario, propter opificis bonitatem. Quibus verbis ſubeſt etiam pulcherrimum myſterium. Declaratur enim, de quo ſæpe ſolent animi mortalium dubitare, an quæ facta ſunt, fieri meliora potuerint. An mundus melior, homo, aer, terra, aqua, arbores meliores. Dicendum enim Deus quæ feciſſet, fuiſſe optima, quia nefas ſit ab optimo, niſi optima fieri. Nihilque eum omiſiſſe, quod melius fieri aut potuiſſet, aut debuiſſet. Imperitis autem, aut perturbatis non ſecus atque his accidit, quorum malis humoribus infecto palato, dulcia, amara videri ſoleant. Sic imperitiſſimis Manichæis, magis portentis quàm hominibus, videbantur omnia mundana opera mala, à malo principe profecta. Qui vinum etiam diaboli fel dicere non dubitarunt. Quos non Chriſtianorum B modò, ſed etiam Philoſophorum rationes retuderunt tanquam inſipientiſſimos, ſenſuſque etiam communis expertes. Duplicem autem habet naturam in omni lingua, quod dicitur bonum, non ſolum bonitatem, ſed venuſtatem quoque deſignans. Erant ergo omnia quæ fecit Deus venuſta, apta, congrua, ornata. Et prudentiſſimus idem ſcriptor pulchritudinem nominauit, nefas eſſe dicens, quæ fierent ab optimo, non eſſe pulcherrima. Fertur primus Pythagoras mundum ſua lingua vocaſſe κόσμον, ob venuſtatem. Quæ nuncupatio propriè deſignat lucem, id eſt, cœlum. Quod pulcherrimè idem Orator ex Platone, circaque cœlum ęqualiter diſtribuit, vt hunc varietate diſtinctum benè Græci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. Lucentem mundum interpretatur, quod Græce κόσμος. In luce igitur, propria mundi nuncupatio. Lux vt ſatu, ſic venuſtate & pulchritudine prior, primum pulchrum, prima in rebus corporeis venuſtas. Hinc omnia lucentia ſunt pretioſa. Nihil eſt enim oculis, luce delectabilius. Græcorum ac Latinorum eſt dicere γλυκὺ φῶς, dulcem, iucundamque lucem, vt & Moſes bona lux, pulchra, iucunda. Hanc ob cauſam lucem iſtam, neceſſe eſt fuiſſe Solem, quo nihil vident oculi pulchrius, & ſuauius, non ſolum omnium creandarum, efficiendarumque rerum cauſam, ſed omnium rerum primam pulchritudinẽ, primus ſenſus eſt oculorum, prima item in omni pulchritudine pulchritudo oculorum, in hac item lucis prima pulchritudo, omniaque ſordent ſine luce. Solis igitur eſt hæc lux, à quo efficitur lucidus mundus, & κόσμον venuſtatem, ſiue ornamentum, lucentemque mundum interpretantur. Proprieque mundus & coſmus eſt cęlum. Catullus:

Concuſſitque micantia ſydera mundus. Lucret.
Nec magni ſydera mundi.

Error Manichæorũ de creatione.

Catull. Argonauticis. Lucret. lib. 5

C Moſes autem venuſtam, ſiue bonam, vel decoram dicit lucem, vt idem ſit apud Moſen bona lux, atque iſtos, lucens mundus: quia coſmos, id eſt, venuſtas, & lux venuſta, videntur idem. In Hebraiſmum autem, ſimplicioremque gentis eius conſuetudinem referes, quòd dixerit vidiſſe Deum lucem eſſe bonam. Multa ſunt id genus in ſcripturis. Cernens autem Dominus Moſen, quòd pergeret ad videndum, Hebraice: Et vidit Deus quòd pergeret ad videndum. Attribuunt auditum, viſum, tactum, membra Deo. Eum conſiderantem, mirantemque opera ſua propter eorum venuſtatem ac decorem, optimo iure inducunt. Pulcherrimè quoque & ſuperioribus ſimilia philoſophantur Græci ſuper hac re: ἵνα πείσῃ τοὺς ἀχαρίςοις, μὴ ψέγειν ἅπερ ἡ θεῖα ψῆφος ὀνομάζει καλοί. Vt perſuaderet ingratis, ne vituperarent, quæ teſtimonium diuinum ac ſubſcriptio bona vocaſſet, dixit: Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona, ait Theodoritus.

Et diuiſit lucem à tenebris.

NOn ſeparatim, ſed eadem opera, ſimul creata eſt lux, ſimul diſiectæ, fugatæq; tenebræ. Ab eodem lucis autore, qui eo condiderat lucem, quo nox ab abyſſo diſcederet. Non poſt lucẽ creatam diuiſit lucem à tenebris, ſed orta luce, dies facta eſt. Nec aliud fuit lucis creatio, quàm noctis & diei ſeparatio. Declarat enim quamobrẽ fuerit ab eo lux reperta, nempe vt faceret quod fecit. Noctis videlicet, & diei ſpatia diremit. Tolle lucem de mundo, nox ſola, horrorque dirus obumbrat. Reperta eſt lux, non quidem quæ totum ſurſum ac deorſum mundum ſimul colluſtraret, quòd animalibus, & plantis, peſtis, non ſalus fuiſſet, ſed quæ viciſſim per omnes terras decurrens nocte recreatas, quæ luce attactæ fuiſſent, pulcherrimũ ordinem præberet. Voluit ergo lucẽ creatam id habere muneris, vt noctem diemq; ſepararet. Idcirco nata luce, ſtatim effectus eſt dies, quẽ dicitur Deum feciſſe, quia lucis euntis in orbem, quæ noctes, dieſq; efficit, fuit inuẽtor.

Lucis creatio quid.

Idcirco enim lucem volucrem, circumeuntemque fecit, vt noctes & dies eſſent. Iure igitur & lucis, D & diei, noctiſque creator idem prædicatur. Vide igitur, quod loquendi genus id ſit, quaſi ſeparatim ſit creata lux, & à tenebris ſeparatim item diuiſa, non ſimul dicit, & diuiſit lucem à tenebris. Iſto modo loquitur hæc lingua. Ne te igitur id turbet. Salua res eſt. Eſt quædam loquendi ſimplicitas. Debuerat quidem in hunc modum loqui, & creauit Deus lucem, ad diei noctiſque interuallum. Interpoſuit autem quoddam ſpacium verbo, non re. Sicut in ſuperioribus locutionibus apparebat Hebraiſmus. Duobuſque locis dies oſtenditur, cùm ſeparatio noctis ac lucis facta perhibetur, & cùm fertur primus dies extitiſſe. Ac cùm ſcribit Theologus, & diuiſit lucem à tenebris, repetit rem ſuperius memoratam, vt fiat lucidior, & explicatior. Debuit item veluti res eximia ac præcellens, & in rebus creatis memoratu digniſſima, ac præcipua, creatio diei, à quo omnia moderantur, deſcribi. Lux & dies principatum in omni opere diuino, primumque locum habuerunt. Ad lucem pertinet, quod ait; Et dixit Deus, fiat lux. Ad diem, & diuiſit inter lucem & tenebras. Idem quidem ferè eſt lux ac dies, & vbique lucē comitatur dies, ſed is fuit ordo Dei, vt ne ſemper eodem in loco lux commorata ab aliis terræ partibus abeſſet. Non ſolumque lucem creauit, ſed talem ei ordinem præſcripſit, vt abſens noctem, præſens diem efficeret. Atque hoc loco multas res comprehendit ac deuincit Moſes, lucem, diem, noctem, ſeparationem, ſpaciumq; interiectum inter noctes & dies, licet ſpacium non ſit vllum, niſi ipſa nox & dies. Qui fecit ergo lucem mouentem ſeſe, non tardam, non vno in loco morantem, idem diuiſit inter diem & noctem. Moſes dicit finem, dicit conſilium opificis. Fuit autem conſilium vt lux vagaretur, per omnes terras funderetur. Ex quo duo miranda opera ſunt conſecuta, quòd lux omnibus terris eſt data, tum inuentum eſt interuallum noctis, ſine quo lux inutilis pernicioſa E fuiſſet, nihil profuiſſet, tam pulchram, delectabilemque rem creaſſe. Volo vt audias loquentem aurea Ioannem. Non citabo Græca ne ſim prolixior. In libro περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου. Quod ſi & ipſam noctem, inquit, volueris exactè perpendere, videbis & hinc magnam opificis prouidentiam. Hæc tibi corpus diurnis laboribus feſſum reſtaurat, & membra attrita & fatigata, operando remittit, reparatque vires amiſſas: nec ſolum in ea corpus labore quieſcit, ſed abeunt etiam curæ ex animo. Sæpe & laborantis febrem eiecit antipharmacum ſomnum adducens. Et vbi defecerant medicorum artes, ipſa ſubueniens, ęgritudine corpus liberauit. Tot ſunt eius commoda, tanta vtilitas, vt ſine ea diem claudicare, inutilemque maiore ex parte eſſe oportuerit. Si quis enim ſubmoueat cogitando requiem & remiſſionem & inducias, quibus cūcta quieſcunt, & animus fatigatus, & corpus attritum cogitatione vigenti ad ſubſequentem diem reparatur, videbit inutile hoc animal eſſe. Si enim noctes adderet diebus ſemper vigilans & operans, & vigens, idque aliquandiu faceret, breui moreretur, aut certè longa ęgritudine confectum, nullam è die vtilitatem aſſequeretur. Hæc aureus ille, quod ad hominem attinet, noctis vtilitatem, & neceſſitatem demonſtrans. Ariſtoteles autem oſtenderet ſine nocte nihil in mundo eſſe poſſe. Nam niſi tantundem vaporum caderet ex alto, noctu, quantum die detraxiſſet Sol, non flumina, non fontes eſſent, non venti, non nubes, non pluuiæ. Deficeret mare, quarum omnium rerum defectu cætera quoque interirent. Eadem Chryſoſtomo locutus eſt Theodoritus: ἀναγκαῖα τοῖς ἀνθρώποις ἀμφότερα, τὸ μὲν γὰρ πρὸς ἐργασίαν τε καὶ φιλοπονίαν, συνεργεῖ τοῖς ἀνθρώποις καὶ ὑποδείκνυσι τὰ ὁρώμενα, καὶ τὸν τούτων ποιητὴν ὑμνεῖσθαι παρασκευάζει, τὸ δὲ διαναπαύει, καὶ νεουργεῖ τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸν ἐν τῆς ἐργασίας ἐγγινόμενον, διαλύει πόνον, καὶ τοὺς F ἀνθρώποις μὲν οἴκαδε συναγείρει, τοῖς δὲ θηρίοις ἄδειαν παρέχει νομῆς.

Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.

DVobus ſenſibus poteſt intelligi, vt vel ad ipſa nomina voceſque rerum, vel res ipſas in ſolidum ſpectet. Non fuiſſe videlicet factas ac notatas has appellationes à rerum creatore, ſed eum ſtatuiſſe de rebus ipſis, vt lux eſſet id quod vocatum eſt poſtea dies, quaſi hoc Moſes dicat. Et Solem ſtatuit eſſe diem. Sicut enim non dicendo, ſed vel iubendo, vel volendo creauit lucem, licet Theologus ſcribat, & dixit Deus; Fiar lux: ſic non expreſſo vocis ſono, diei ac noctis nomina ſignauit, ſed voluit lucem eſſe diem, & ad diem efficiendam eam creauit, vt mirabile vereque diuinum eſſet iſtud noctium dierumque interuallum. Quo ſicut nihil eſt pulchrius ac melius, ſic primum hoc, par eſt in omni illo primæuo opere extitiſſe. Lux ante omnia reperta, & cum luce dies. Hinc dulciſſimus & à veterum aliquo doctiſſimo viro editus, totius Eccleſiæ voce canitur hymnus, quem quoties pronuncio vix lachrymas præ gaudio continere queo. Lucis creator optime, Lucem dierum proferens, Primordiis lucis nouæ, Mundi parans originem. Qui mane iunctum veſperi, Diem vocari præcipis, Tetrum chaos illabitur. Ecce ſapientiſſimus vates intellexit lucem illam in primordio creatam, fuiſſe hanc, qua dies ac noctes diuiduntur. Quàm prudenter ait hac luce partam originem mundi? Creata enim luce, totus mundus editus eſt. Illud fuit omnium oriturarum rerum principium, quod ipſa totius mundi declarat deſcriptio, cum luce creata, dies eſt effectus, veſperum & mane, effectus aer, ſecluſæ aquæ, creatę plantæ, animalia terreſtria & marina, nouiſſimè homo. Partaque eſt & excogitata mundi origo in primordio, inuentioneque lucis, in qua cæteræ res creandæ continebantur. Illud idem pruden-

Lux, origo mundi.

tiſſimè

Hebraica lingua antiquiſſima.

Adam.

Eua.

Abel.

Cain.

Seth.

A tiſſimè cecinit. Qui manè iunctum veſperi, Diem vocari præcipis. Hæc nimirum Dei nuncupatio diei ac noctis. Fecit aut præcepit vt ſpacium à matutino ad veſperum tempus, dies vocaretur. Non indidit ipſe nomen, ſed edidit rem talem, vt hæc ſortita ſit nomina. Quoniam autem omnium antiquiſſima eſt, qua conſtat etiam primum hominem vſum, lingua Hebraica, fortaſſe vt homo eſt à Deo creatus, ſic omnium rerum nomina credi poteſt eum docuiſſe. Conſtat autem Hebraicam linguam eam eſſe, qua primus homo, cæterique ante & poſt diluuium ſunt locuti, quòd nomina & etymologiæ nuncupationum, primorum hominum, ab ea naſcantur. Siquidem אדם Adam, ab אדמה Adamah, terra, eſt nuncupatus. Sic autem neceſſe eſt priores homines appellaſſe terram Adamah, ſicut nunc ſcimus ab Hebræis eam vocari, quòd ab hac deductum fuerit antiquiſſimum nomen. Prima quoque fœmina dicta eſt חוה Chaua (Eua corruptè dicitur à noſtris) habente ſuam in lingua Hebraica nomine etymologiam. Nam quia fuit mater omnium חי Chai, id eſt, animalium, quod de hominibus tantum videtur dici, vocata eſt Chauah. Et Abel dictus eſt חבל Chebel, fortè littera he, in locum chet propter affinitatem tranſeunte, luctus, qui primus luctum attulerit patri. Is enim primus in omnibus mortalibus ante paternos oculos iacuit extinctus. Aut Hebel dictus cum littera he, id eſt, vanitas, quia cito euanuit. Kain קין autem dictus acquiſitio קנה Kana acquirere, quia primum hunc pater adeptus eſt à Deo, ipſo dicente; Poſſedi hominem per Deum. Et qui in locum interfecti Hebel redditus eſt patri, vocatus eſt שת Seth, id eſt, reſtitutio, redditio. Omnia hæc, cùm ſint antiquiſſimorum hominum nomina, ſumpta ex lingua Hebraica, hanc eã eſse, neceſſe eſt, qua priores illi loquerētur, ex qua ſibi ipſis nomina imponerent. Hac vſi ſunt omnes vſque ad diluuium, poſtea, maximè verò cùm turris ędificaretur, ad quod prodigioſum ędificium ex omnibus locis illis homines confluxerunt, corrupta eſt in B linguam Chaldæam, Arabicam, Syram. Iniecta inter omnes diſſenſione, omnibusque in diuerſas terras diſſipatis. Ex quo facta linguarum diuerſitas eſt. Hanc igitur linguam partim à Deo, partim à primo homine conflatam par eſt. Primarumque nomina rerum à Deo notata. Tum hæc & res ipſas Deum, Adam docuiſſe. Neque credibile ſit totam linguã ab homine ſignatam, ſed quoniam vbi creatus eſt, & dum crearetur, homo ſeſe creantem Deum vidit, eſt allocutus, viciſſimq; ille hominem, quandam inter eos linguam oportet fuiſſe, ſubito eius ſcientia homini donata, ſicut donara eſt vita, intelligentia, ſenſus. Audiuit igitur Adam in omni eo colloquio, Deum ſolitum appellare lucem diem, & tenebras noctem, & aeris effuſionem, cœlum. Quemadmodum autem, quod poſtea clarius dicetur, Deum, id eſt, filium Dei, autoritatem ac poteſtatem, cui cōdendarum adminiſtrãdarumque rerum pater tradiderat poteſtatem, vidit Adam, quia vidit eum & Abraham, vidit inquam imaginem ſuam gerentem, ad quam fuerat ipſe formatus, ſic audiuit eum in illa humana figura loquentem. Sermo autem fuit è rerum creatarum nominibus, & cæteris, quos vſus poſtularet. Cùm multa vero in quacunque hiſtoria oporteat reticere, tantumq; referre magis prementia, & vrgentia, multa omiſſa ſuper homine, ſuperque cæteris rebus, ſola creatione, & origine demonſtrata. Quomodo autem & à Deo primum reperta, & homini cum multis, præclariſque ſcientiis tradita, locupletata autem poſtea fuerit, & ſi Theologia non laborauit referre, ſuſpicari tamen ipſi nobiſcum poſſumus, quod cum diu multumque volutauerimus cogitando, hoc quod dictum eſt, probabilius (debet autem noſtra mortalitas probabilibus eſſe contenta) reperiemus. Iure autem, nec ſine ratione Deus appellauit diem יום Iom, ſic enim dicitur Hebraice, ductum, vt dixi à verbo ham, fremere, ſtrepere, conſonare, quòd in die cuncta C fremant, & perſtrepant, noctu contra cuncta ſileant, plenaque horroris omnia, & tenebroſa. Cęperuntque nato Sole & die, cuncta perſtrepere, idque tum primum fecerunt, quod poſtea ſemper factum eſt. Dies enim vigiliæ, nox omnium rerum quieti data, vt eorum nomina declarant. Diciturque Iom dies Hebraicè, à verbo, vt dixi, ham, in futuro formatur iom, ſicut à Zachak verbo, nomen & futurum יצחק. Nox quoque congruam naturæ ſuæ habuit etymologiam. Vocauit eam Deus, לילה fortaſſe à Laha defatigari, in qua feſſa diurna vigilia, & ſtrepitu quieſcunt omnia & reparantur; Quod pulchrè Flaccus:

Nox hominum genus, & duros miſerata labores,
Retulerat ſomnos, & feſſa ſilentia terris:
Sic dono diuum gratiſſima ſerpit.

Aut ab horrore & triſtitia tenebrarum. Hæc ante hominem, & alia ab homine reperta nomina, à natura rerum ſunt indita.

Factumque eſt veſpere & mane dies vnus.

O Præclarum & creatarum rerum, & earum deſcriptarum ordinem, iuſtiſſimum ac rectiſſimũ illo quidem antiquo ac naſcente conditoris, inſecuto autem & adulto tempore, ſcriptionis ſeriem, creata luce, dies ſubito fulſit, rotarique Sol, ad eum, quem conſtantiſſimum ex illo tempore tenuit ordinem, cœpit, arripiens rapidam motus ſui vertiginem. Ille fuit primus dies, illa temporum, ſæculorumque origo. Simul enim ait ſapientiſſimus Plato: Cœlum & tempus nata ſunt, vt ſimul ſi placuerit ei qui ligauit, diſſoluantur. Si cum cęlo tempus creatum eſt, non poſ-

D ſumus aliud cœlum interpretari, niſi Solem, à quo ſolo tempus generatur, datore luminis Lunæ, à qua dies, menſes, & anni colliguntur, ad motumq́ue Solis lumen variante, in quo tempus ineſt, primus ille dies in mundo refulſit.

Dies & lux idem.

Eſt autem dies idem atque lux, ſed lux intra certum interuallum concluſa, duos habens terminos, mane & veſperum. Sed prima dies non habuit mane, veſperum tantum habuit. Quia mane tunc eſt, cùm Sol conſpectus ſuper Orizonte, luſtrat omne cœlum curſu vſque in occaſum. At in creatione, in medio cęlo, refero enim ad ſitum vbi creatus eſt homo, vbi cœli terræq́ue dicta, ac promulgata fuit creatio, vbi homo cęlum, Solemq́ue ſuſpexit, & in ſuum orizontem reſpectans, dies numerare cœpit, creatus eſt Sol. Vbique quidem ſi ad totum orbem terrarum, diuerſosq́ue ſitus reſpicias, eſt Sol, in ortu, in occaſu, in medio cęli. Qui cum nobis oritur, occidit degentibus ſub noſtro hemiſphærio, quorum ortus, eſt occaſus noſter, & occaſus, ortus. Oriturq́ue aliis, & occidit, cum noſtris verticibus imminet.

Homines primi vbi terrarum habitauerint. Paradiſus vbi.

Sed quoniam eſt & teſtimonio Theologiæ, & certiſſimis coniecturis clariſſimum, in terris noſtris, dico in ſuperiore hoc noſtro hemiſphærio, & vero mundo, genus humanum habuiſſe principium, & cõſtat primos homines in Armenia, & Chaldæa, Meſopotamia, locisq́ue paſſim illis habitaſſe, ibiq; primum totius humanæ prolis ſatorem creatum, & commoratum, ibique Paradiſum fuiſſe; hinc neceſſe eſt ad hunc ſitum cuncta oportere referri. Vt hæ terræ detectæ aquis primum, & ad harum poſitum, Sol ſuper hemiſphærium, non ab inferiore, vt nunc emergens, ſed in prima origine ſua illic in cœlo conſiſtens, velut ſi quis accenſam lucernam in laqueari ſuſpendat, à Deo ſuſpenſus ille fuerit. Vt Sol hemiſphærium noſtrum luſtrare primum cęperit, inde per totum circunquaque orbem vagatus, & ad antipodas delatus fuerit. E Quod cùm ſit vehementer neceſſarium, rectè ad id docendum, tradidit Theologia primum omnium temporum, ſæculorumq́ue illum diem, non mane, ſed veſperum duntaxat habuiſſe. Ob eamq́ue cauſam ſcriptor dixit; Et factum eſt veſpere. Nam cùm in deſcribendo vnius diei interuallo, debuerit mane primum, poſtea veſperum cenſere, videlicet factum eſt mane, & veſpere, tuncq́ue dicere, diem vnum fuiſſe, huncq́ue ordinem vbique Moſen ſeruare decuerit, ea certè cur non ſeruarit, cauſa fuit, quòd primus ille dies, quia ſuper Orizonte Sol eſt creatus, dimidius prope dies fuit, nec auroram, antecedentesq́ue Solem lucis afflatus habuit, caruitq́ue matutino. Eoque dixit; Factum eſt veſpere. In quo ordine admiratione digno ſi quis introſpiciat, clara manifeſtaq́ue continetur demonſtratio, ſuper creatione Solis præcedente cæterarum rerum creatione. Ac quod adiecit, Et mane. Ad diem ſecundum ſpectat. Progrediens enim, & inchoatum opus cum tempore proſequens, totum ſequentium dierum eſt ordinem, quaſi præpoſterum, niſi prudenter animaduertas, complexus: Ac cùm dicit; Factumq́ue eſt veſperum, & mane, dies vnus: Sic ſonare ſcias; Vt veſperum primi diei, vt mane ſubſequentis accipias, vt non cum primo die, mane comprehendas, ſed primi diei interuallum comprehendentem Theologum dediſſe veſperum ei ſcias, noctis veluti non neceſſariam tacuiſſe. Non enim noctem idcirco non commemorauit, quòd omittere Deus opus, laboremq́ue interpolare cogeretur, ſed ſicut quod de viris dicimus, de fęminis item, cùm de natura ipſa diſputatur, intelligimus, licet illæ ſileantur: Sic tametſi non meminit, commemorato tamen veſpero primi diei, mane ſequentis, planè & nocturnum ſpacium deſcriptione complectitur. Atque totum diuinum opus, Sole creato, nocte, dieq́ue ſequebatur, aquæ exhauriebantur in aerem, nudabantur terræ, præcipuè quas primas Sol attigiſſet, quasq́ue minus aquis Deus oppleuiſſet, fiebatq́ue maximus aquarum à terris diſceſſus ac fragor. F Nam cùm & eas Sol exſiccaſſet, tum ad cæteras aquas circum rotatus & has exhauriret in loca caua pelagus terras patefactas relinquens, ruebat.

Dies prim' fuit ardentiſſimus.

Veriq; eſt ſimillimum, primum illum diem, fuiſſe ardentiſſimum, quòd id & diuinus impulſus vrgeret, & nubes ac vapores, qui Solis ardorẽ retunderẽt, pauci & perexiles eſſent. Eadem flagrantia, rapidusq́ue ęſtus eſt cæteris diebus conſecutus. Eoque animalia ex humo vehementer concalefacta & confota, affatim pullularunt. Cuius rei, plura poſtea natura referens, & ſequẽs ortus ſuos, dedit exempla. Eas enim terras nouimus & varietate formarum, & numero plures beſtias edere ſolitas, in quas potentius Sol ac rectius ardores ſuos dirigeret.

Dies prim' nullũ mane habuit, ſed veſperum duntaxat.

Primus ergo dies nõ mane & veſperum habuit, ſed veſperum tantum, quod fecit ipſa neceſſitas. Nam mane antecedit Solem, ex inferiorę hemiſphærio aduentantem. Tum in matutinos prædicit Lucifer ortus. Sed quos ortus prædixiſſet, ſi Sol non erat ſatus? Naſciturq; mane & efficitur a Sole: abſente Sole nullum mane potuit eſſe. Sicq́ue neceſſario, poſt creatum Solem, ſecutum eſt veſperum, & mane alterius diei, & neceſſariò poſt creatum Solẽ, naturali ordine commemoratur mane. Non enim naſcens Sol in exordio naſcebatur vt nunc, ſed ſubito lampas conſtitit in cęlo. Quod argumentum clariſſimè conuincit, primogenitam illam lucem fuiſſe Solem naſcentem, à Deo, & in exordio ſuo & creatione, mane non habẽtem. Quid enim Solem creatum anteceſſit? Conſule Moſen, terra videlicet, & aqua, & tenebræ. Dicitur a Græcis mane φωσφόρος Lucifer, propriè quidem de Venere, ſed quam lucem attuliſſet nondum natam? Sicq; non primus ille dies genitus ex mane, ſicut nec primæ plantæ ex plantis, nec prima animalia ex animalibus, ſed diuerſa fuit omnium tunc natorum, atque poſtea naſcentium origo. Sic iuſtiſſimè, naturaliſſimè poſuit Moſes veſperum primi diei, mane dedit ſequenti. Nam vt primus dies caruit mane, ſic cępit habere ſecundus. Eundemq́ue ordinem ſequitur in cęteris diebus, non cu-

A rans meminiſſe noctis. Nam & interuallum quod vnó rotatu, ac vagatu efficit Sol, id eſt, naturalem diem, vt loquuntur Aſtronomi, reſpicit, & ſi non reſpicit, ſcimus ſaltem ſeruari ab eo primum ordinem. Bene ergo dixit tunc primum diem fuiſſe, cum ad occaſum Sol reſpectu illius ſitus, & occaſu ad ortum rediiſſet. Nec fuit is animus illi, matutinum diei ſequentis complecti, quaſi ad complendum primum diem id exigeretur, ſed cuncta connectens, & prima cum ſecundis, quaſi coniungens, rationemq́ue primam ęmulatus vbique, & principium, pari ſemper ſermone locutus eſt. Hæc eadem eſt ratio, quòd per hunc ordinem incedens, & veſperum antecedentis, ac mane ſubſequentis diei colligens, perueniensq́ue vſque ad Sabbatum docet, Deũ opus ſuum eodem abſoluiſſe, & eodem requieuiſſe. Vltimum enim mane, quod in deſcriptione ſextę diei ponitur, fuit mane ſequentis Sabbati. Eouſque peruenit opus eminentiſſimi Dei, exiguoq́; ſpacio, tantum, tamq́ue immenſum, per ordines naturales progrediens excitatum eſt, & creuit. Tanto ſpacio initia rerum extiterunt, initia plantarum, animalium, quædam terræ nudatio. Pauca enim & exigua fuerunt, vt ſunt principia, ſicut vnum hominem tot hominum ſatorem creauit Deus, poſtea magna ex initiis creuit caterua. Hæc exigua initia ſex diebus, vſque ad mane ſeptimi. Quando autem terra & abyſſus eſt creata, non erat dies, quia nec Sol, nec lux, ſed paulo ante lucem condita, velut initium; Initio Domine terram fundaſti. Lux ergo pariter cum die: Ante lucem & diem, terra & aqua, id eſt, in initio: Cætera poſt lucem & ſub luce. Priora illa alio ſpacio, non quidem die, ſpacio tamen, quod Theologia vocat initium, ſicut inſecuta ſpacia, dies: quod intellectu facilè eſt. Reddidimus igitur rationem, quo ſitu Sol creatus, cur veſperum prius, poſtea mane extiterit, Moſeſq́ue commemorauerit: quòd dies illi, veri ac naturales B dies quales noſtri fuerint: quod prima die non eſt creata lux, ſed lux creata fecit diem: Totamq́ue creationem comprehendentes dicimus, terram fuiſſe inanẽ & vacuam, id eſt, Deum creaſſe terram è nihilo, quod Hebraicè vocatur Thohu, Bohu. Tum eundem Deum, ſiue ſpiritum operantem ſuper aquas, creaſſe lucem: luce creata natum eſſe diem, immo ipſam lucem fuiſſe diem, fuiſſe lucem iſtam diurnam, dicente Moſe: Et appellauit Deus lucem, diem. Cumq́ue in ortu ſuo eſſet Sol, in cœlo, neceſſario caruiſſe mane, veſperum tantum, primum illum diem habuiſſe, non antecedente alio die, cuius mane eſſet initium diei ſequentis.

Dixit quoque Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, &c.

SI mihi poetarum more, Deos Deaſq́ue omnes inuocare liceret, vt in re difficili atque ardua, & vt tempore antiquiſſima ac remotiſſima, ſic à cogitatione maximè longinqua, nobis præſentes eſſent, eamq́ue oculis ſubiicerent, profecto ſerius numen illud eſſet inuocandum, quod fecit & creauit, affuitque ipſe operi ſuo. Nunc magnis difficultatibus nobis circumuentis, ambiguum, quid pronunciare, quomodo, qua conſecutione, poſt lucem creatam, cęlum deinceps ſit creatum, cùm lucem, Solem fuerimus interpretati. Solem autem, ipſum ex parte cœlum, quod etiam profana philoſophia κόσμον, id eſt, vt Tullius interpretatur, lucentem mundum, & cœlum vocat, vt κόσμος, & mundus, & cęlum, & lucens mundus ſint idem, lux autem cęli ſit à Sole. Vt lucens cęlum, ſit ipſe mundus. Omnis autem lux in cęlo, à Sole in omnia perſpicua illa, luciſq́ue capacia corpora, dimanet. Quo fit, vt ſi cęlum non intelligitur ſine luce, cùm Sol C dicitur creatus, neceſſario fuerit & cęlum comprehenſum. Tum illud penitus incomprehenſibile, inter quas aquas poſitum ſit firmamentum, quæve aquæ illæ ſuperiores. Ad fontem igitur ſacrorum oraculorum recurrentes, quem portum in omni difficili atque aſpera quaſi iactatione & tẽpeſtate, ſine dubitatione inuenimus tutiſſimũ, docemus aliud intelligendum hoc loco firmamentum, & cęlum quàm ſubſtantiam illam orbium cęleſtium, ſiue perpetuum quendam & terras circunquaque ambientem globum, quem quidem oculis non percipimus, ſed tum philoſophi tradidere nobis, tum fit ratione manifeſtus, quòd corpora fulgentia deſuper, quorumq́; ſunt perpetui curſus & conuerſiones, hos certos tenere motus non poſſint, niſi ab vnoquoque orbe ſuo deferantur. Tum apparet eodem in loco cardinibus inſiſtentibus, fieri totius ſimul, eundem locum cunctis ſtellis tuentibus machinæ cęleſtis conuerſionem, quod ſine orbe qui gerat infixas luces illas, fieri non poteſt. Quod vt veriſſimum ſit, quia tamen non patent oculis hi orbes, arbitramur autem Moſen, omnium ſenſibilium, oculiſq́ue apparentium rerum originem docere voluiſſe, nullum de his orbibus dicimus hic eſſe ſermonem. Sed tum ordinem deſcriptionis à natura, tum nominum proprietatem à ſcripturis petentes, hæc duo nomina ſhamaim, & rakia, primum deſignat cęlum, alterum diffuſionem, pro aere dicimus hic eſſe accipienda, ordo autem eſt deſcriptionis & naturæ, vt poſt Solem ſequatur aer, quòd ardentiſſima Solis lampade inflammata, eaque ſuper immenſas aquas, quæ nullis inferne fluminibus, quibus nunc, nullis ſupernè hymbribus augebantur, iubar ſuum præpotens, rapidum, demittens, magnam aeris regionem, perinde atque nunc ſolet, effecerit. Quod ſimul effectum eſſe, vt Sol extiterit, deſcriptio & natura demonſtrat. Quid enim aliud flagrante deſuper Sole, inferius tantarum agminibus aquarum, iacentibus, & latè abyſſo decumbente fieri debuit, quàm aeria ſubſtantia, quam Deus ad

Firmamẽtum quid hoc loco.

שמים
רקיע

infinita omnium generatim rerum commoda, ſed animalium præcipuè, excogitabat? Hac enim D audiunt, vident, olfaciunt animantes. Neque enim quia aër non eſſet, calere Solis lux & radij non poterant, nam hi in aquas infigebantur, ordo autem eſt alius poſt res creatas, quotidianus conſecutus. Duoq; duorũ dierũ magna & admiranda opera, fecit Sol creatus, immo per creatum ab ſe Solem fecit Deus, quòd cum eum prima die ſtatuiſſet, ſecunda factus eſt aer, tertia denudata terra ea aqua, quæ terram tegeret, in vapores diſſoluta. Quomodo enim vnum in locum aquæ conueniſſent, quod prodit Moſes, ſi plena erant aquis vniuerſa? omnes voragines, omnes conualles, montes item omnes eſſent ſub aquis? Stabant enim, ait Dauid, ſuper montes aquæ. Quo inquam modo in vnum locum ſeceſſiſſent? Quis enim erat locus, quin aquis eſſet demerſus, & circumfuſus? Certè igitur id fecit denudationem terrarum, & aquarum in vnum locum conceſſum, quòd maxima earum pars in vapores, aerioſque tractus abierunt. Vno rotatu Sol orbem circumuectus, tantas exoluit cateruas aquarum, vt tunc cœlum, id eſt aer, & rakia, id eſt diffuſio aeriæ regionis effecta, mox autem & terra ſit detecta. Ob hanc cauſam, magnam aquarum vim Deus creauerat, vt his tum tota terra madeſceret, tum fieret ex eis aer. Pars autem quę remanſiſſet, eſſet aeriarum nubium materia, & continua aeris reparatio ac regeneratio, vnde pluuiæ, venti, generarentur. Nam piſcium mirabilis ac varia natura, nauigationes item, magis ad voluptatem & commodum quæſita videntur. Ad vſum autem & neceſſitatem mare, quod inde nubes, & omnes aerij vapores, quibus viuitur, erant creandi. Nam & ſi è terris humefactis hi generantur, verus tamen eorum pater mare eſt. Hoc etiam eſt quamobrem cum commemoratione iſtius cœli, miſcet Moſes etiam aquarum ſuperiorum & inferiorum mentionem: Aquarum ſcilicet, quæ in aere generantur, quæque remanſerunt in terris. Quid enim oportuiſſet, E cum cœlo aquas commemorare? Quæ cognatio? Quid ſimile? Quid finitimum? Qua præterea cauſa, qua ratione, a firmamento interiecto, in creatione rerum, tanquam mœnibus, quibus ſuperiores & inferiores diuiderentur, ſunt aquæ ſeparatæ? Quicquid enim quod ante coiret, aliqua re interiecta, hinc atque hinc partibus ſuis ſepoſitis, ſeparatur, partes habet illas inter ſe adhærentes, ſola mediatrice re ſeparante. At ſi firmamento interiecto aquæ ſupernæ quædam ſunt ab inferioribus diremptæ, deberent hinc atque hinc hæ adhærere ipſi firmamento. Nunc autem videmus infinitam propemodum diſtantiam ab aquis inferioribus ad cœlum, ſiue firmamẽtum, vt cum creatione firmamenti commemoratas aquas eſſe marinas, nulla ratione factum videatur. Quæ enim neceſſitas, quæ ratio cœli conditionem ſtabilitatemque deſcribentem, cogebat inferiores aquas, id eſt mare, cum eadem conditione comprehendere? Quid enim ſimilitudinis ac ſocietatis mari cum cęlo? Quid aquis nunc facit etiam firmamentum? Nam quod tunc factum eſt, debuit vſque ad hoc tempus perſeuerare. At mare à firmamento nihil accipit, à quo immenſis regionibus & magno naturæ diſcrimine ſeiungitur. Quoniam ergo in creatione molis cęleſtis ſuperuacanea fuiſſet illa inter ſuperiores & inferiores aquas interſiti diſcriminis commemoratio, neceſſe eſt illud cęlum intelligere, quod & natura cum aquis & ſitu ſit contiguum. Ordo enim rerum eſt, vt terra ſubiaceat, ob id ante omnia creata, poſt aqua, deinceps aer, qui ſtatim interiacet inter aquas infernas & ſupernas. Sicque omnia elementa commemorantur à Moſe, id eſt totus, qui venit ſub oculorum obtutum, mundus. Terra, aqua, aer, ęther, id eſt Sol, Luna, ſtellæ. Terras enim & aquas ante omnia, poſtea lucem, ſiue Solem, inde cęlum, ideſt aerem.

Cęli cœlorum.

Regiones illæ celſiſſimæ propriè cęli cęlorum, aut cęlum cęli dicuntur, quæ viſibili & noſtro cęlo F altiſſimè aſſurgunt. Quod Moſes, qui neque angelos, eorumque natales, nec vitam, moreſq; deſcripſit, tacuit, ſolaſque noſtras, mortales regiones, vnde eſſent ortæ, indicauit. Intelligitur tamen per continentiam propinquitatemque cum iſto.

Cęlum pro aere.

Cęlum ergo hic deſignat aerem, cui ſupernè ſunt hymbres & pluuiæ, infernè mare. Reſpicit enim Moſes tempus illud antiquum creationis, quando à mari vapores eleuati, aerem creauerunt, & deſuper aquæ poſtea generantur, medio ipſo interfuſo aere. Sed de his aquis ſupercęleſtibus latius diſſeramus, tum quòd cęlum fuerit ſecunda die creatum, patebit. Sæpe quidem perobſcurum, & perdifficile, nonnunquam etiam inexplicabile de ſupercęleſtibus aquis mihi viſum eſt iudicium. De quibus non iſto modo loco, ſed tota paſſim philoſophia diuina fit mentio. Hic inter aquas ſuperiores & inferiores interiectum firmamentum aſſeueratur, poſt in deſcriptione diluuij, aquarum tria genera commemorantur, fontium, abyſſi immenſæ, pluuiarum, poſtremo earum, quæ lapſu confragoſo magnarum catarractarum, è cęlo præcipitarunt. Tum Pſalm. 103. Vates diuinus, opera Dei, totumque mundanum opificium, carmine proſequens, ait de cęlo: Qui tegis aquis ſuperiora eius. Quod Hebraicè vt locus appareat: המקרה במים עליותיו. Qui contignas aquis ſummitates eius. Significat autem carmen, quædam cęleſtia laquearia, ac quaſi ſuperiora tecta, & id quod in cęlo vice contignationis vates ſibi fingebat, aquis à Deo fuiſſe contectum ac contabulatum, non ſecus atque domos terreſtres, trabibus, aſſeribuſque ſupernè ſoleant contegere mortales. Quæ autoritas eos maximè in eorum opinione firmat, qui putant cęlum ex aquis ſolidiſſimè concretum, inde & perſpicuum eſſe, & firmamentum, ſiue validiſſimum robur, & cryſtallum appellatũ. Alio quoque in Pſalmo dicitur: Et aquæ, quæ ſuper cęlos ſunt, laudent nomen Domini. In hymno trium puerorum: Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cęlos ſunt, Domino. Sunt alia

fortaſſe

A ſortaſſe teſtimonia, quæ ſacras litteras euoluentibus occurrent. Hæc igitur inextricabilibus anguſtiis nos coarctant, quòd & ſcripturas arbitrari fabuloſas, illiſque fidem abrogare impium ducimus: & ex aduerſo quod dicitur, nec naturæ capit ratio, nec poteſt percipere cogitatio. Propriç enim ſedes elementis datæ ſunt infra ambitum Lunæ. Quod corruptibilium, mutabiliumq; omnium rerum eſt regnum. Quòd ſi ſupra cęlos aquæ exiſterent, magna incommoda admitterentur, corruptibilibus enim his in regione incorruptibilium rerum exiſtentibus, & nubes illic euaporatis aquis concreſcerent, & pluuiæ quales in terris, caderent ex alto. Multæ quoque illic animantes, ac formæ omni varietate diſtinctæ ex aquarum corruptione generatæ, tum in aquis natarent, tum exirent in ſiccum ſæpe. Deinde non eſt probabile Moſen deſcribentem viſibilia induxiſſe rerum inuiſibilium hiſtoriam, à quo conſtantiſſimè ſe abſtinet. Hanc ob cauſam plerique inuiolatam eſſe debere, vti eſt, ſcripturæ diuinæ autoritatē exiſtimantes, dixerunt his aquis, cęli quandam ſubſtantiam deſignari, quæ niſi ex aquis propter perſpicuitatem, non potuerit concreſcere. Duaſque eſſe & repręſentari in cęlo ſubſtantias, alteram igneam, quæ calore & nitore & luce: alteram aqueam, quæ ſoliditate & perſpicuitate ſit manifeſta. Nihil eſt enim cęlo ſolidius, cuius ſoliditas, perennem in eo efficit conſtantiam, vt ne fruſtillum quidem, tot annorum ſæculorumque decurſu è corpore eius deceſſerit, aut quemadmodum cæterarum viſibilium, corporearumque rerum extiterit tabes ac diſſolutio. Victrix omnium temporum natura, ab incredibili ſoliditate, inconcuſſoque robore profecta, vnde plus quàm adamantinam neceſſe ſit eſſe cęli materiam. Quoniam autem idem eſt & perſpicuum ac tralucidum, vtraque hæc vis, hinc aqueam quandam ac veluti cryſtallum eſſe molem cęleſtem ſibi perſuaſerunt. Calorem autem ac lumen dicerent igni atteſtari. Suffragatur nomen Hebraicum. Vt enim cęlum, quia ſyderi- B bus quaſi cęlatum ſit, & exculptum, ſiue quia arcana multa contineat, cęletque, dictum eſt à Latinis, Græcè οὐρανὸς, quaſi ὅρος ἄνω terminus ſupernus, extrema ora, & determinatio mundi, omnium rerũ ſuperna diffinitio, ſic Hebraicè vocatũ eſt שמים shamaim ab אש igne, מים maim aquis. Hinc Græcorum ac Latinorum, quin & Hebræorum plures, non dubitarunt totam cęli compagem dicere quaſi ſolidiſſimam cryſtallum, concretam, firmatamque ex aquis, vti gemmæ (ſi parua licet componere magnis) prætioſique lapilli, & has eſſe aquas ſupercęleſtes. Nihil certè de aquis illis, ſi ſunt, dici poterat probabilius. Nos autem non quidem hæc inficiantes, quæ à doctiſſimis hominum iudiciis, magno conſenſu comprobata ſunt, a quibus & in annotationibus nõ diſſenſimus. Sed quia videre viſi ſumus quiddam aliud ſentire ſcripturas his de aquis, teſtimonia & rationes in aliam ſententiam, in medium proferemus. Primum aſſerentes fieri poſſe cęlum, vt cryſtallinum ſit & aqueum, idque magis affirmari, quàm negari à philoſophia diuina, eamque nos ſequi ſententiam: aquas autem iſtas eſſe aliud prorſus ab hoc ipſo: Nullas ſupercęleſtes aquas in ſacris litteris commemorari, & omnem locum, qui porrigat hanc ſuſpicionem, aut non probe intellectum, aut non rectè in peregrinas linguas ex Hebraico fuiſſe tralatum. Hincque errorem (vt nos quidem putamus) de his accidiſſe. Hæc autem dicimus, non aliorum quorumcunque ſententiam, quæ fortaſſe vera eſt, oppugnantes, ſed quæ nobis ex ſcripturis viſa ſint, oſtendentes, quas nullas vſquam arbitramur ſupercęleſtes aquas agnoſcere. Ac refugio Hebraicarum litterarum vſi, quarum cognitione, multa intelliguntur, quæ à cæteris, quòd carũ ſenſa, ex linguis externis hauſerunt, non percipiuntur, veriorem ſententiam exiſtimamus, nullas ſuper cęlum aquas à ſcriptura conſtitui. Declarabimus autem, ac ſoluemus, quæ in diuerſam C ſentētiam adducere lectores potuerint. Primus locus eſt, cùm in deſcriptione rerum creatarum dicitur ſecunda die poſitum firmamentum, diuidens inter aquas & aquas. Qui locus, vt probè intelligatur, in quo ſolutio cæterorum continetur, horum admonendi ſumus. Duos eſſe in cęlo ſuſpectus, vel duo ſuperna: vnum ſecretum atque abditum, à nullo vnquam mortalium cognitum, ac viſum, ſecretiores cęli partes, interioreſque eius ſedes, conuexum eius ſupernum, in quo inambulare pedibus eos qui ibi ſint neceſſe ſit. Alterum aſpicientem terras, obuerſum circunquaque atque ambientem inferiorem mundi globum, qui noſtris oculis patet: Cui Sol ac ſydera ſint affixa, & omnino quod primum, conuexum, ſecundum concauum cęli philoſophi dicerent. Horum prior ille raro à ſcripturis commemoratur, quia ſecretus & ſeparatus ab oculis ſit, nec quid illic ſit, facilè poſſit cognoſci: ſæpiſſimè autem ſecundus, quia propter ea, quæ in mundo gerantur, crebro eius incidat mentio. Vtrunque etiam vocatur in ſcriptura cęli ſupernum, ſiue cęleſtis ſummitas, ac vt dixi ſuſpectus, ſed frequentius ſecundus ille, quem & ſublimis poeta cęli ſuſpectum dixit:

Cœlum ſolidiſſimũ cryſtallum ex aqua concretũ.

Aquas ſupercœleſtes nullas eſſe.

Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus olympum. Virgil. 6.

Hæc appellatio ad noſtrorum obtutum oculorum indita, vt dicatur ſuſpectus, vel ſublimitas. Non appellatur ſupernum propter eos, qui ſunt intra & extra cęlum. Id quoque conſtet, vt apud Latinos dicitur cęlũ, aer, & quicquid inferius inter ſydera & terras interiacet: ſic ſcripturam, cęlũ & firmamētum dicere, quicquid eſt infra cęlum, totum aerium tractum, & quicquid patet a terris ad ipſum cęlum. Quod his exemplis eſt manifeſtum: Volucres cęli, & piſces maris. Et: Qui operit cęlum nubibus. Et: Sit cęlum quod ſupra te eſt, ęneum, multiſque aliis. Duplexq; eſt cęli

Cœlũ pro toto aerio tractu.

nuncupatio in Hebraico, shamaim & Rakia, primo apud nos reſpondet cœlum, ſecundo firmamentum, quanquam non firmamentum propriè vox deſignat, ſed extẽſionem, expanſionem, veluti aulæa, cortinæ, tentoria diffunduntur. Talem ſua quadam vulgari conſuetudine vtentes, cœleſtem tractum vocant Hebræi. His ergo duabus vocibus, tam ipſum cœlum, corpuſque ipſum, in quo ſtellæ viſuntur, quàm omnem inferiorem regionem ſcriptura vocat. Quibus duabus declarationibus facilè poſſumus oſtendere nullas eſſe ſupercęleſtes aquas: aut non rectè hoc, quod Hebraicè dicitur ſupercęleſte, intelligi, ſi creditur eo deſignari id quod ſit vltra Solem, ac Lunam. Atque cùm dicitur, Deum poſuiſſe firmamentum, quo aquæ ſuperiores & inferiores diuiderentur: doceo iſtud ſupra cęlum ac firmamentum, non eſſe intelligendum quaſi vltra ſydera, & extra Solis, Lunæq; regnum, ſupraque molem cęleſtem, ſed circum cœlum, ac ſupra, reſpectu noſtri. Quod ne mihi finxiſſe videar, perſpicuo & claro exemplo docebo, quo hoc quod obſcurius eſt, facilius intelligetur. Vtimur, vt dixi, quoniam hæc omnia ab Hebræis fluxere, Hebraicarum litterarum refugio. Vbi in noſtra tralatione dicitur: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terra, ſub firmamento cęli: hoc quod dixit noſter, ſub firmamento cęli, Hebraicè habet, אל פני רקיע השמים ſuper firmamento cęli. Quam locutionem ſciens id Hebraicum ſonare, quod ipſe retulit Latinè, prudenter noſter deflexit. Septuaginta verò ſequentes Hebraicum, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς, κατὰ τὸ ϛερέωμα τοῦ οὐρανοῦ. Et volucres volantes ſuper terram, in firmamento cęli. Sed & ipſi noluerunt dicere ſuper firmamento cęli. Nemo igitur eſt mortalium, tametſi ſuper cęlo, vel fuſione cęleſti, aues volitare iubeantur, qui putet id intelligendum de quibuſdam extra cœlum, Solemque auibus, quæ quaſi diuis in delitiis ſint. Nam declarat deinceps quid ſentiat. Et aues, inquit, multiplicentur in terra. Ecce claret exemplo, hoc quod dicitur ſupra cęlum, non ſonare, & ſi ſonare videatur, vltra ſydera, quos locos nuſquam veriſimile eſt Moſen, vt qui nec angelorum creationem indicauit, & apud plebem loqueretur, & de interioribus theologiæ myſteriis loqui recuſaſſet, commemoraſſe. Transfer auium exemplum ad aquas, vt tales aquas intelligas, quales aues, quas ſupra firmamento iuſſerit ſator naſci ac volitare. Vt nullas ſupercęleſtes aues cogitamus, ſic nullas ſupercęleſtes aquas in animum inducamus, ne par abſurditas conſequatur. Vt autem in auibus illud ſuper firmamentũ cęli, ſonat quidam ſupra terras, ac ſupra aerem, & circum cęlum, ſic ſonant aquæ ſupercęleſtes, aerias, & pluuiales, quas ſupra firmamentũ, quadam Hebraica phraſi, dixit exiſtere, & inter eas, atque inferiores, terreſtreſque iſtas interiectum cęlum, id eſt, aeriam regionem, quæ ſolet à ſcripturis cęlum appellari, vt ſuperiora declarant exempla. Et vt ait Zacharias: Cęli dabunt rorem ſuum, quod non de corporea cœli mole, ipſove ęthere, ſed tota regione, quæ nobis imminet deſuper, dicitur. Vtque volatilia cęli appellat vbique, quæ ſupra cęlum dixerat volare, ſic aquas cęleſtes aerias quaſdam dicemus, & ſurſum, aut ſuper cęlo, ſupernum aeris, cęlique tractum, omnemque cęli altiſſimam regionem interpretabimur, non quidem temere, & ex noſtris inſomniis, ſed ob notam, crebròque vſurpatam à Theologia conſuetudinem, quæ nuſquam non præſto eſt. Obſeruandum quoque, atque altiſſimè in pectus demittendum, non declaraſſe, aut non ita demonſtraſſe nec Moſen, nec cæteros prophetas, cœlum eſſe vaſtum quoddam, ac validiſſimum, robuſtiſſimumque corpus, molem quandam extenſam, cui cœleſtia lumina ſint affixa: ſed tantum dictitaſſe in aeriis tractibus, regionibuſque ſupernis, poſitam omnem ſyderum multitudinem, non quòd id credi non debeat, aut quòd tollatur ab eis, ſed quòd non fuerit commemoratum. Cęlum autem, & rakiam, id eſt fuſionem appellaſſe ſupernos mundi tractus, omnes à terris ſurſum ac deorſum, ac circumtendentes regiones. Nam vox Græca ϛερέωμα, id eſt ſoliditas, firmamentum, non reſpondet ad ſenſum vocis Hebraicæ, deſignantis fuſionem, non ſoliditatem. Dixerimq; cęlum & fuſionem appellaſſe eos tantum regiones ſupernas, quas oculis ſuſpicimus, quæq; cæruleæ nobis videntur, non ſedes illas firmas ac ſolidas, niſi raro: nec illam è philoſophia rationem eos proponere voluiſſe, eas quas aſpicimus luces, non ſolitarias ac vagas circunferri, ſed habere vectores ſuos, ſolidos orbes, à quibus circum terras deferantur: ſed nuda tantum, & viſibilia, ac nota eos dixiſſe, cęlumque non orbes illos, ſed omnem ſupernam, cæruleamque regionem, quam oculis, vbi fugatis nubibus, ſerenam nobis venti reddidere, longè lateq; ſuſpicimus, appellaſſe. Cùm autem dicitur de ſtellis, Sole, ac Luna: Et poſuit ea in firmamento cęli: intelligendum eas poſuiſſe in ſuperna regione. Et: Qui habitat in cęlis; In ſuperna mundi regione, etiam vltra ipſum cęlum. Et: Dominus in cęlo ſedes eius. In ſuperna mundi regione, altiſſimis mundi partibus. Et: Extendens cęlum ſicut pellem, ſiue tentorium, fuſionem illam aeriam: qua de cauſa dicitur rakia, quod etiam ſolet de aere vſurpari. Cùm vero ait Salomon: Quando præparabat cęlos, aderam, quod Hebraice בהכינו, quando firmabat, ſtabiliebat, quod de robore & corpore videtur dici, non de aere, quod non poteſt firmari ac ſtabiliri: reſpondeo me dixiſſe, frequentius nomen cęli eſſe totius ſupernæ regionis, quàm orbium cęleſtium: quod pro orbe aliquando reperiri non diffiteor. Verùm neque nos illud prætereat, firmitatem à Salomone dari etiam nubibus, vt poſſis intelligere cęli firmationem etiam de aeria regione. Nam paulò poſt, cùm ait: quando ęthera firmabat ſurſum: pro ęthera, Hebraicum habet שחקים shechakim, id eſt nubes. Sic paulopoſt, & librabat fontes aquarum: pro librabat, eſt בעזוז baazoz, dum firmabat,

Pſal. 122.
Pſalm. 10.
Pſal. 103
Prouerb. 8.

A mabat, ſtabiliebat. Declaranſque, quid ſibi voluerit, quod de cęlo, nubibus, fontibus, ſtabilitis & firmatis dixit, addit: Et legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Hæc inquam eſt ſtabilitio, ſitus, poſitus, locatio, præſcriptæ ſedes omnium rerum, & elementorum. Denique audiendus hoc loco Ariſtoteles, qui variam ſignificationem cęli afferens, quotque modis ſoleat dici cęlum docens, vnum ait eſſe, quòd quicquid ſupernum eſt, ſolemus cęlum appellare, εἰώθαμεν γὰρ τὸ ἔσχατον, καὶ τὸ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανὸν, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν. Solemus enim extremum, & ſupernum vocare cęlum, in quo dicimus, totam diuinitatem conſiſtere. Ergo cùm prophetæ dicunt, Deum & angelos habitare in cęlo, proculdubio, vt autor eſt Ariſtoteles, non in orbibus Solis & Lunæ dicunt, ſed in altiſſimis totius mundi regionibus. Quod quidem neque cęlum eſt. Nam eſt alia cęli ſignificatio, quæ corpus cęli, & orbes Solis, & Lunæ, & aſtrorum deſignat, quam raró aut ferè nunquam credo à ſcriptoribus ſacris commemorari. Eſt nouiſſima ſignificatio, totum à terris ad cęlum, ambitum mundi deſignans. Hos ille affert cęli ſignificatus: pro aere igitur, & tota ſuperna regione creberrima eſt Theologiæ conſuetudo, dicere cęlum. Quæ regio iure merito vocata eſt à Deo shamaim, & hoc eſt verius etymon, & verior vocis ſenſus, quàm ſuperiores, à sham illic, maim aquæ, vbi aquæ generantur, inde ad nos deſcendentes. Aquarum regnum. Ergo cùm dixit: Fiat firmamentum in medio aquarum: intelligitur omnis ſuperna regio, quam primum fuſionem, & ſpatium extenſum, vocauit, poſtea shamaim, quaſi ſedem, regionemque aquarum. Eaque diſcluſit aquas inferiores, ac ſuperiores. Inferiores autem, quia nondum fuerant à terris ſeparatæ, dixit hac regione ſeparatas à ſupernis aquis fuiſſe, nullas ſupernas aquas innuens, niſi quæ deſuper concreſcunt, B & delabuntur ſemper, quas loquens populo, qui nondum philoſophari poterat, quaſi ex altiſſimis cęli regionibus delabi monſtrabat. Hanc regionem, quæ diſiungebat aerias aquas, ſic enim putant vulgares, ab aquis infernis, fuſionem, tractumque cęleſtem, quem inter eas aquas, quibus tunc omnia tegebantur, & eas quæ nunc inde deſcendunt, tradidit poſitum, appellauit. Quantum autem ab omni ſæculo, deſuper, agmen aquarum defluxit in terras, omnibus fluminibus ac fontibus terrarum, ipſo quoque latiſſimo Oceano vberius? Et mare ſuum, ſuoſque fontes ac flumina habet cęlum, quæ regio finibus immenſis circumſcripta, ſydera ac terras attingit, ipſis terris, quas perennibus aquis fęcundat, longè vaſtior: quas niſi fontibus, natura ſiccas, irrigaret ſuis ariditate & ſquallore deſætæ, nihil vtile ac ſpecioſum animalibusque alendis aptum, continerent. Genitor autem ac pater omnium aquarum eſt aer, à quo non hymbres ſolum, ſed & terreſtres fontes, qui de montibus cauis, plurimique aeris, & propter Solis abſentiam frigidiſſimi, oriuntur, fluminaque ingentia, quæ maris ampliſſimis ſinibus recepta, ipſum augent, & efficiunt, habent initium. Hinc veteres omnium rerum principium aeri adiudicarunt, & plures flumen appellarunt aerem. Orpheus & Plato, tartarum, fontium, ac fluminum, itemque maris genitorem. Nec melius quiſquam docebit hæc, & interpretabitur Moſen, quàm Ariſtoteles, qui loquens de ſitu aeris, vt cauſas aeriarum rerum aſſignaret, diſtribuit eum in duos locos: primum aſcribens cometis, facibus volantibus, capris ſaltantibus, & id genus: de ſecundo autem loquens ait, περὶ δὲ τοῦ τῇ θέσει μὲν δευτέρου τόπου, μετὰ τοῦτον, πρώτου δὲ περὶ τὴν γῆν, λέγωμεν, οὗτος γὰρ κοινὸς ὕδατός τε τόπος, καὶ ἀέρος, καὶ τῶν συμβαινόντων περὶ τὴν ἄνω γένεσιν αὐτοῦ. De ſecũdo, inquit, loco reſpectu eius quem diximus, primo autem circa terram dicamus: C ſiquidem is communis eſt locus aquæ & aeris, & eorum quæ accidunt ſurſum, vbi ipſe deſuper generatur. Ecce Ariſtoteles & Moſes mirabiliter concordes, immo philoſophiæ Moſaicæ Ariſtoteles interpres. Nam quem apud Moſen Deus appellauit ſecunda die, shamaim, id eſt ibi aquas, vel ſitum aquarum, hunc Ariſtoteles quoque locum communem aquæ & aeris appellat. Duoque nomina Moſaica declarant, quæ dicit Ariſtoteles, rakia, shamaim, quæ ſunt nomina aeris, primumque eſt aeris effuſi, ſecundum aeris aquas generantis: & vtraque illa aeris & aquæ, quam dicit Ariſtoteles, communitas declaratur. Quid quòd idem Ariſtoteles ait eſſe quendam fluuium labentem inter cęlum & terram, communem aeris & aquæ, modoq; ex aqua fieri aerem, modo ex aere aquam? Merito igitur aeris creati Moſes faciens mẽtionem, aquas ſimul ſupernas & infernas memorauit, quæ alteræ ex alteris generantur, interfuſo aere, & loco communi aeris, & aquæ. Hunc communem locum inter vtramque rem ſeparantem, Moſes vocat rakiam, & shamaim: primum, quia fuſus eſt circum terras: ſecundum, quia habet gignitque aquas. Cum quo iuſtiſſimè vtraſque aquas commemorauit, quia infernæ aquæ gignunt ſupernas, ſupernæ item infernas, interiacente aere & loco, quo fit iſte reditus & reciprocatio ab aquis marinis euaporatis, ab eiſdem deſuper congelatis, & in terras iterum redeuntibus. Quæ cùm ſit maximum diuinumque opus, ad rerum terrenarum mundanarumque procreationem neceſſarium, vt maxima pars ſit philoſophiæ, iure inter diuina opera habuit locum præcipuum. Eſt autem Geneſis iſte Moſis quaſi quidam liber philoſophiæ naturalis, non rerum gignendarum cauſas, ſed earum primo natarum origines docens. Nec eſt fortaſſe fictitium quod docemus, omnium viſibiliũ rerum Moſen quæſiſſe & docuiſſe principia. Videntur autem mare, terra, aer, ſydera: ignis autem quem circũ Lunam conſiſtere tradidere philoſophi, non ſenſu, ſed ratione percipitur. Sed enim etiam ipſe Ariſtoteles eũ non ignem, ſed aerem ignitum, & igni quiddam ſimile eſſe, teſtatus eſt.

Aer omniũ aquarum genitor.

Hoc quia non videtur, nec eſt ab aere natura ſeparatum, nō commemoratur etiam à philoſophia D ſacra. Quid igitur, ſi dicamus, quoniam terras & aquas creatas docuiſſet, id eſt, duo elementa, ſupereſſent autem duo, quorum vnum non venit ſub oculorum obtutum, nec eſt ab aere ſeparatum, reliquum alterum ei commemorare ac deſcribere neceſſe fuiſſe? Itaque poſteaquā abyſſum, id eſt, aquas, & terras nominaſſet: poſtquam lucem, hoc eſt, Solem deſcripſiſſet: vbi eſt aeris, quæ maxima eſt mundi pars, deſcriptio? Non enim eſt, vt Hebræi ſuſpicantur. Et ſpiritus Domini ferebatur, quomodo enim aer ſpiritus, pars aeris? Et quomodo ſpiritus ante Solem & aerem? Nimirum igitur ibi eſt aer. Fiat firmamentum, vel vt habet Hebraicum, rakia, effuſio, expanſio in medio aquarum. Sciant igitur omnes, atq; quod obſeruauimus ipſi ex cognitione Hebraicarum litterarum, audiant, nullam eſſe ſacris litteris aeris appellationem. Eſt nomen terræ, eſt aquarum, terra dicitur Arez, aquæ dicuntur maim, aeris appellatio nuſquam eſt. Nam אד ed, ſignat vaporem quendam, vt tranſtulit Symmachus ἀτμὶς, ענן anan, deſignat nubem, ſic & שחקים ſhehakim, nomen autem totius elementi nuſquā eſt. Hinc & Caldæi, & qui apud Hebræos philoſophātur, vſurparunt vocem Græcam aer, vti & Latini. Dico autem eſſe neceſſario iſtius rei, quæ certè non debuit in creatione rerum, cunctis rebus nominatis, ſilentio præteriri, appellationem rakiam, id eſt diffuſionem, ſiue ſhamaim, quod ſonat illic aqua, aqueam regionem, aquarū regnum. Hinc volucres cęli, & ſuper rakia volantes aues, id eſt aere, hinc aquæ ſuper hac fuſione, id eſt deſuper generatæ inter aſpectum noſtrum, & eas quibus terræ obruebātur, aeriis campis interfuſis. Hinc & Theodoritus ait, τὰ νέφη τὰ φέροντα ὑετὸν, οὐρανὸν καλεῖ ἡ γραφὴ, καὶ τὸν ὑετὸν οὐρανόθεν ἔρχεσθαι. Nubes ferentes hymbrem, cęlum vocat ſcriptura, & de cęlo pluuiā labi. Ac fortè ſhamaim primum ſignificat aerem, deinceps cęlum ipſum ſydereū, quod aeri imminet, E ſydereoſque globos, in omnes mundi partes diffuſos, cęleſtes aulas, quarum vna eſt aula Dei, à ſplendore perenni vocata ab antiquis cœlum empyrium. præcipuè igitur ac primo ſhamaim, ac rakiam aerem fuiſſe nuncupatum, poſt ex loci propinquitate ipſum iam cœlum, non eſt credere abſurdum: idque traditum ac deſcriptum à Moſe, cùm dixit: Fecit Deus firmamentum in medio aquarum: id eſt diffudit ex altiſſimis aquis illis terreſtribus, quæ omnium cacumina montium, teſte ſacro vate Dauid, excellerēt, inter eas, quas vident omnibus ſæculis, delabi mortales, aeriam regionem, eam vſquequaque velut velum tenuiſſimum pandēs (ſic enim nobis ſuſpicientibus apparet porrectum quiddam & effuſum) eoque veſtiens terras. Declaranda nunc, vel ſoluenda ſunt alia, quæ ſupercęleſtes aquas credere nos cogerent. Quod enim dicitur: Qui tegis aquis ſuperiora eius: quem ſenſum habeat, ex alio ſcripturæ loco declaro: Qui operit cęlum nubibus. Eadem cùm ſit vtrobique oratio, idem debet eſſe orationis ſenſus. Cùm cęlum dicit nubibus à Deo cooperiri, quid percipis? quo te vocari & impelli animo ſentis? Nempe cœli, hoc eſt, aeris regiones ſupernas nubibus offundi, per latas cœli regiones, Deum nubila ſpargentem, auferre ex oculis ſerenitatem: poſſumque audacter aſſeuerare, cęlum à vate hoc loco non ſupernos illos orbes, qui non videntur, non veniunt ſub aſpectum noſtrum (nam cęruleum illud, aeris immenſi eſt decoloratio) nominari, ſed viride iſtud ac ſerenum, quod tegi, vel operiri, atque abſcondi nubibus poteſt, non poſſunt orbes, qui non videntur. Sicut ergo cęlum operit nubibus Deus, ſic contegit aquis. Vtq́, non ſemper nubes adſunt, cęlum veſtientes, ſic nec ſemper aquæ, ne fortè ſuſpiceris perpetuam quandam aquarum aſſiſtentiam eum dixiſſe. Decet enim nos ſecum Theologiam conferentes, eam propriis facibus illuſtrare. Idem ergo eſt de aquis atque nubibus cęlum contegentibus ſenſus. F Vtriſque cęlum contegit Deus. Vbi enim ſunt aquæ, niſi in nubibus? Qui tegit nubibus cęlum etiam aquis, quæ nubibus continentur: ſuperiora autem dixit, id eſt ſupernas partes eius, quæ diſtant plurimum à terris. Intellige enim quid ſit cęli ſupernum. Non vltra Solem ac Lunam, & extra cęleſtem vertiginem, ſed ſacris litteris cęli, id eſt, aeris ſupernum eſt, quicquid eſt ſupra nos. Quod & à Græcis dicitur μετέωρον: vnde & ventos, & pluuias, & cometas, grandineſq; vocant meteora, Latinè ſuperna, ſublimia. Ergo quod dixit; Qui tegis aquis ſuperiora eius, rectè dixeris: Qui tegis aquis ſublimitates eius, ſiue meteora. Ac nubibus condenſatis, veluti tecto, cęlum, id eſt aerius tractus, contegitur: hiſque confertis ac conglobatis, fit per totum cęlum, valida contignatio ac quaſi tabulatum. His etiam quæ diximus patet illud oraculum. Et aquæ, quæ ſuper cęlos ſunt, laudent nomen Domini. Dicendum enim cęlum, propter morem linguæ Hebraicæ: & ſuper, intelligendum reſpectu noſtrorum oculorum, non cęleſtium globorum ac ſphærarum, quaſi vltra ac ſupra illas. Cęlum quoque aerem, totamque regionem ſublimem exponendum. Aquas ergo, quæ ſuper cęlos, nubes ac pluuias voluit ſignificare, cuius eſt in promptu euidentiſſima ratio. Nam cùm omnia ad laudem Dei conuocaret, Solem & Lunam, & ſtellas luminoſas citans, tum cęlum & aquas, quæ ſuper cęlo. Dein cetos marinos, & abyſſos, hinc ignem, grandinem, niuem, glaciem, ſiue iuxta Hebraicum קיטור kitor, vaporem & nebulam, deinde ventū & procellam, quæ omnia meteora ſunt. In his non eſt vſquam pluuia. Quid igitur eſt, quòd omnibus ſublimibus commemoratis, pluuiam, quæ præcipuè ac cū primis fuit commemoranda, reticuit? Certè igitur hanc aquas ſupercęleſtes vocauit. Quod clareſcet magis teſtimonio de catarractis cęleſtibus, vt & iſtud diſſoluamus. Dicitur enim; Et catarractę cęli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia ſuper terrā quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Aeris nullum apud Hebræos vocabulū.

Cęlum empyreum.

Supercęleſtes aquæ.

Geneſ. 7.

Catarractæ quid.

Pſalm. 17.

Cęlũ quid apud gentes omnes.

A Vides cauſas largiſſimorum hymbrium,quia ruptæ eſſent catarractæ cęli. Quos appellant pręcipitantes magno cum impetu, rapidoq; deſcenſu nimbos. Nimbos ergo appellat catarractas Hebraico dialecto. Quos & Græci catarractas hymbres vocant. Sunt autem catarractæ præcipites, ac vaſti largarum aquarum ex alto loco deſcēſus, veluti catarractæ Nili. Tales ac tanti nimbi fuerunt inundante diluuio. Non ſunt autem duo genera aquarum catarractæ cęli & pluuia,ſed exponens cauſam cur facta tanta pluuia eſſet, dicit cœli catarractas patefactas. Idemq; illic pluuiæ & catarractæ, aggeratio prioris eſt poſtremum. Talis eſt autem ibi locutio, qualis cùm noſtri poetæ dicunt, labi præcipites ex æthere nimbos. Neque enim eos putamus è cęlo præcipitare,quòd ita poetæ loquantur. Has ipſas aquas reſpexit planè Dauid,cùm cecinit de Deo: Poſuit tenebras latibulum ſuum,tenebroſas aquas in nubibus aeris. Hebraicè clarius. Tenebroſitatem aquarum, denſas vel denſitatem nubium. Nominat quaſdam aquas, quæ ſint latibulum Dei, easq; ne credas cęleſtem ſubſtantiam, craſſas ac denſas eſſe nubes dicit. Conſideratis igitur locutionibus Hebraicis, deprehendemus ſupercęleſtes aquas, eſſe nimbos & pluuias, quæ ſuper firmamento, cœliq; ſublimitate generantur. Et ſi verò permultum ſupra nubes interualli ſuperſit, populari tamen ſuſpicioni inſeruiens, firmamentum & fuſionem,quicquid eſt infra nubes appellauit: quòd autē in hymno trium puerorum ſtatim poſt Angelos, ante Solem & Lunam aquæ nominantur,dicendum autorē eius carminis in ea ſententia fuiſſe, ſicut & Hebræi poſtea, vetuſtiores autem ſecus crediſſe. Ex cognitione igitur cęleſtium aquarum,innoteſcit quod cęlū fuerit ſecunda die creatum. Nam cùm aquas coniunxerit cum commemoratione cęli, id certum eſt indicium, id cęlum ab eo deſcribi,quod habeat,generetq; aquas. Non enim,vt a principio dixi,oportebat cum cęlo, ſi cęlum hic orbes illos cœleſtes deſignat, aquas comprehendere: ſicut nec in commemoratione B Solis,Lunæ, cæterorumq; aſtrorum. Quid enim iſtis corporibus cum aquis? Vt ergo catarractas cęli, & cęleſtes aquas, more quodam ſuo,pluuias vbique ſcriptura dicit: Sic tale cœlū, à quo iſtæ aquæ deſcēdunt,ſecunda die eſt factū. Ac ſicut ſolita eſt,pluuias & nubes dicere,conſiſtere ſupra cęlū, ſic hoc loco locuta, ſubiecit quoddā cęlum illis aquis, ſemper enim ait ſupra de cęlo, vel deſuper cęlo delabi aquas. Ergo quoddam cęlum ſubiicit illis aquis. Eademque eſt phraſis apud Moſen ac cæteros prophetas, in cæteris itē locutionibus inter ſe ſimiles. Vt cùm ait Dauid: Verbo Domini cęli facti ſunt. Reſpexit enim ad illud Moſaicum: Et dixit Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum. Quanquam apud Dauid magis, cęli ſuperior pars ſignificatur. Eſt igitur omnium linguarum, ac gentium mos, cęlum vocare omnem ſuperiorem tractum, vaſtam circumquaque regionem. Ideo vocatur Hebraicè shamaim, id eſt ſitus, generatioque aquarum, & ab Ariſtotele τόπος ὑδάτων, locus aquarum, vt ſit quaſi Hebraicæ vocis interpretatio. Sham locus, illic,maim aquæ. Tres autem ſunt res, vt natura,ſic nomine finitimæ,in quarum appellationibus eſt nomen aquæ, shamaim, iamim, maim, cęlum, maria, aquæ. Omnium igitur rerum, terra & aqua fuere principium, terra terreſtrium arborum, plantarum, animalium: aqua cęleſtium aeris, ignis, ætheris, lucis. Atque aer à calore Solis eſt effectus. Qui ſi abeſſet, aut prorſus deferueret, omnis in aquas aer rediret. Hinc aer in cauernis,aqueus totus,& in fontes,fluminaq; diſtillans. Nos igitur (quāquam doctiſſimi Græci duos cęlos induxerint: Primum ſupernum quoddā ſupra firmamentum,de quo dictum ſit; In principio creauit Deus cęlum & terram:alterum creatum ſecunda die, appellatum firmamentum, hocq; ſecundum velint eſſe cryſtallinum) dicimus, C habita prius omni veneratione tātis viris,ex his quæ nobis videtur,hos cęlos ſic eſſe digerendos, vt cęlum quod creatum dicūt ſecunda die,reuocetur in primum,vt ſpiritus Domini creauerit cęlum illud cryſtallinum ex aquis, non ſecunda vel prima die, nā nulla dies ſine cęlo eſſe potuiſſet, cui Sol eſt affixus diei creator, ſed ante diem,quādo ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: ideo ſubito lux extitit; Deinde cęlum quod dicunt eſſe primo creatum,ſupra firmamentū, dixerim nō eſſe apud Moſen,vt qui nec de Angelis ſit vſquā locutus. Nā cęlum illud,ſi eſſet,eſſet cęlum empyrion, de quo non eſt credendum Moſen ſcripſiſſe, apud quem de ſolis corporeis rebus creatis eſt ſermo. Deinde cęlum ſecundi diei dicimus eſſe aerem,de quo nihil illi ſunt locuti. Duabusq; rationibus neceſſe eſt, quod illi cęlum ſecundum eſſe voluerunt, eſſe primum: quia dies non eſt ſine Sole,Sol quoque non eſt ſine cęlo,ſine orbe vectore. Ergo quoniam fuit ante cęlum ſecundi diei,dies & lux,non eſt cęlum in quo eſt Sol & lux,cęlum ſecundi diei. Neceſſeque eſt prius eſſe, aut ſimul creatum firmamentum cum Sole & luce & die. Aut inquam ante Solem, lucem,diem, quæ ſunt eadem,firmamentum eſt creatum,aut vnà,dum fabricaretur orbis vector, etiam Sol ac ſydera creabantur, quia ſunt de orbis ſubſtantia. Et vt Aſtrologi volunt, talis eſt ſtella in orbe, qualis nodus in arbore. Ne ſequatur igitur confuſio,neceſſe eſt ponere iſtum ordinem,vt cęlum ſecundi diei, ſit aer, cuius ſunt multa indicia, orbis autem cęleſtis creatus ſit ante lucem,aut vnà cum luce, quod niſi fecerimus, magna incommoda ſequentur. Præterea reſoluta eſt ambago, quæ coegit hæc dicere. Videbant enim commemorari cum cęlo aquas quaſdam ſupercęleſtes, quam rem nos reſoluimus, & ad ipſam naturam reduximus, ſecundum illud cęlum inuenientes eſſe aerem. Nam quod fecit locutio ſuſpicari de aquis ſupra firmamentum, quas deſuper remanſiſſe confitentur ad temperādum calorem corporum cęleſtium,certum eſt eos coactos id dixiſſe: δίχῃ δὲ διεῖλεν τὴν ὑδάτων τὴν φύσιν ὁ τῶν ὅλων θεός, καὶ τὰ μὲν ἄνωθεν ἐπιτέθεικεν τῷ στερεώματι, τὰ δὲ κάτω καταλέλοιπεν, ἵνα τὰ μὲν ἄνωθεν ἐπικείμενα, τῇ τε ὑδρότητι, καὶ ψυχρότητι μὴ D συγχωρῇ τῷ πυρὶ τῶν φωστήρων, λωβᾶσθαι τὸ στερέωμα. τὰ δὲ κάτω μεμενηκότα διατρέφει τοῖς ἀτμοῖς τὸν ἀέρα διαβαινόμενον καὶ ξηραινόμενον ὑπὸ τοῦ ἄνωθεν ἐπικειμένου πυρός. Bifariam, ait Theodoritus pro Baſilio, Seueriano, Acacio, Deus vniuerſi diuiſit aquarum naturam, aliasq; deſuper impoſuit firmamento, alias reliquit inferius: vt deſuper impoſitæ, humore & frigiditate non ſinerent ignem luminum cęleſtium labefactare firmamentum. Quæ autem inferius remanſiſſent, nutrirent vaporibus aerem, quem iugiter permeat, & exſiccat ſupernus ignis. Nos ergo gratias habemus Deo, reperta via, qua poſſemus iſta nimium à natura diſſidentia, effugere: inuenientes ſecundum cęlum eſſe aerem, cum quo naturaliter hæreant aquæ ſuperiores & inferiores. Dicerent enim multi, nulla indigere refrigeratione firmamentum. Eſſet enim corruptibile: Aliaque ſequerentur impoſſibilia. Duos ergo cęlos nonnulli è ſanctiſſimis illis Theologis à Moſe inductos crediderunt, quia ſecunda die fit etiam quoddam cęlum. E quibus Acacius, quaſi tamen dubius: μή ποτε στερέωμα ὠνομάσθη οὗτος ὁ οὐρανὸς πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ προτέρου οὐρανοῦ εἰκὸς γὰρ τὸν πρότερον λεπτομερέστερον σῶμα τυγχάνειν, καὶ εἰλικρινέστερον. Quæ ſunt; An firmamentum appellatum eſt iſtud cęlum, ad diſcrimen prioris cęli? Par enim eſt, prius illud, eſſe corpus rarius & purius. רקיע Ecce Acacius ſi vocem Hebraicam rakia, quæ ſonat effuſionem, & extēſionem, in firmamentum tralatum à Septuaginta cognouiſſet, non ſonare propriè firmamentum, nihil addubitaſſet: nunc autem dubitat an ſit dictum firmamentum hoc ſecundum cęlum, quia robuſtius, & ex aquis, & denſius quàm illud, quod propriè cęlum ſit dictum. Atqui vox Hebraica, non ſolum non ſonat robur, & firmamentum, vt potius deſignet raritatem, extenuationē, fuſionem. Sicq; ea nō cogit hoc eſſe cęleſte corpus. Theodoritus etiam fuit in eadem ſuſpicione, E ὁ μὲν πρότερος οὐρανὸς, οὐκ ἐκλήθη στερέωμα, ἀλλ' οὐρανὸς ἐξ ἀρχῆς ὠνομάσθη, οὗτος δὲ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος τὴν προσηγορίαν ἐδέξατο. Primum, ait, cęlum non eſt appellatum firmamentum, ſed mox a principio cęli appellationem eſt ſortitum. Iſtud autem ex ipſa re nomen accepit: poſt declarat quia ex aquis denſatum. Ego igitur ſemper alioqui veneratus eorum doctrinam & ſanctitatem non arbitror eſſe duos illos cęlos apud Moſen, ſed duos hoc modo, vt vnum ſit tota ſubſtantia orbium, luminumq; cęleſtium: alterum ipſe aer: Et vtrunque Moſen ſpectaſſe, quando dixit; In principio creauit Deus cęlum: vt hic deſignet cęlum, quicquid eſt ſupra terras, aerem, ętheriamque ſubſtantiam: poſtea explicans, commemoret antea primum, id eſt lucem, ſeu Solē, qui cum ſuo orbe eſt creatus, poſtea ſecundum, in ſecunda ſcilicet die. Bifariam quoque diuiſi ſunt Hebræi, alij prima die creatos eſſe cęlos aſſerentes, & cęlos interpretantes, nouem hagalgalim, id eſt rotas vel orbes cęleſtes, ſiue ſphæras, quorum eſt præcipuus Rabi Moſes, & maiores. Alij ſecunda die, cęlumque exponunt rakiam, id eſt effuſionem. Sed priores eadem ſequitur impoſſibilitas, ſequitur etiam poſteriores, niſi cęlum, aerem interpretentur.

Fiat firmamentum.

TAmetſi in annotationibus ſecutus ſum veterum Theologorum opinionem, quæ maximè pendet ex interpretatione Septuaginta, qui reddiderunt vocem Hebraicam rakia, στερέωμα Firmamētum. firmamentum, ſoliditatem, non deſtruuntur tamen illa ab iſtis. Ea ſunt de ſubſtantia cęli, quam tum. ſoliditatem, immutabilitatemque Philoſophi, Poetæ, Theologi eſſe dixerunt. Et Homerus Iliad. ε. vocat, nunc πολύχαλκον, ferreum, duriſſimum: nunc χαλκοβατῆ, ærea pauimenta, ſolum fir- Odyſſ. ζ. miſſimum: nunc, ἕδος ἀσφαλὲς, tutam, incorruptibilemque ſedem; hoc tamen, quod hic pro- F ponimus ſpectat in aerem, & aliud quoddam cęlum. Vt abeunte voce rakia in duos ſignificatus, & ſignificante tum cęlum ipſum ſolidum, tum aerem, illic pro cęli ſoliditate ſit expoſita, hic pro aere. Deſignat enim vox diffuſionem, diffuſio autem pertinet ad cęlum ipſum ſydereum, & aerem. Non quidem proprius eſt ſignificatus huius vocis rakia, quam tranſtulerunt Septuaginta, στερέωμα, ſed ad priorem ſenſum tamen reſpondet. Commodè de nubibus dicitur, & campis aeriis, qui fuſi partes monſtrantur in omnes. Cumque vox ducatur à raka diffundere, extendere, verè dicitur de aere, qui diffunditur & extenuatur. Vt enim malleus aurum in laminas dif- Aer quid. fundit, quod iſta voce Hebraicè ſignificatur ſic Sol aquas extenuat in aerem. Nec aer eſt aliud, quàm aqua ſubtiliter explicata. Cùm autem hæc naturalia ſint, quæ diximus de hoc cęlo, minimè autem naturalia, quæ nonnulli Hebræi, philoſophiæ cognitione carentes, dixerunt, conſtat ea eſſe aſpernanda, Dixerunt enim hac ſecunda die materiam illam cęleſtem, principio creatam, nunc diffuſam vſquequaque, rakiam appellatam. Hæc qui fieri poſſunt? Cur non eodem tempore cęlum creatum & effuſum credamus? Deinde prima die, qua creata eſt lux, ſi lux corporea fuit, fuit ſine cęlo? ſine orbe? ſi incorporea, quomodo aggreſſus creationem rerum corporearum, & viſibilium, inchoauit ab incorporeis? Quomodo ante abyſſum, terramque commemorans, refugit ſtatim ad lucem incorpoream?

In medio aquarum.

AQuas non quæ tunc eſſent, ſed in omne tempus, vniuerſalemque naturæ conſuetudinem reſpicit. Erant quidem aquæ infernæ, ſupernæ autem non quidem tunc, ſed ad ſua, omniaque alia ſæcula reſpectat Theologus, quoniam deſuper creantur, gentis ſuæ more locutus, A quæ ſolet vbique quaſdam ſupernas, & cęleſtes aquas vſurpare, non ſuas quidem ſemper in ſublimi pendentes, ſed aquas ſupernas ſemper appellatas, propter tempora, quibus delabi videntur. Nam & cœleſtes ſunt appellatæ, non quòd ſemper morentur in cœlo, ſed quòd ſæpenumero inde cadant, priuataque eſt Hebraicæ gentis loquendi conſuetudo.

Diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento.

HEbraicè non eſt verbum erat, ſed habet ad hunc modum. Diuiſitque aquas, quæ ſub firmamento, ſiue diffuſione, temporis diffinitione ſublata. Itaque non tunc quidem aquas deſuper innuit fuiſſe, quanquam vaporibus exhalatis, nubes tunc cogi poterant; ſed, vt dixi, ad omnem naturæ conſuetudinem pertinet. Neque de diuiſione aquarum tanquam re præcipua, ac inter cæteras principe, loqui Theologo conſilium fuit, ſed ſicut de auium, plantarum, piſciumq́; origine eſt locutus, ſic iſta aquarum interpoſita eſt ab eo diuiſio, vt declararetur vnde pluuiæ, quarum in his litteris eſt celebris commemoratio, & inter maxima Dei beneficia recenſentur, à quibus ali terras, annuos prouentus effici demonſtrant. Quam habuerunt & cauſam & principium. Id ſcilicet principium habuerunt autore & indice Moſe, quòd interiecta eſt quædam regio, & cęlum, quod nubes ſuperuolantes ſuſtinens, ab altis locis, non minorē vim demittat aquarum, atque earum, quæ ſinibus marinis continentur. Quòd ſi de mari loquendum ſibi exiſtimauit, certè & de cęleſtibus aquis, non erat quamobrē reticeret. Vniuerſales enim origines & cauſas rerum cunctarum genitrices, quæq́; omnem mundum & naturas omnes amplectantur, ſibi demonſtrandas putauit. E quibus autem omnia nata eſſe dicuntur ſunt Sol, cęlum, aqua, terra. Si
B Solem dicas, non tam vniuerſalem, totoq́; mundo vagantem rem, cuius ſint omnes res participes, dices: ſin lucem, ecce res omnes aſpicit, omnibus locis, omnibus animatis & inanimis rebus adeſt. Similiter vbique eſt cœlum, id eſt aer: mare quoque omnes terras intra & extra, circumque vagatur: generalis quoque omnium terrarum eſt pluuia. Has vniuerſales res deſcribere Moſes curauit. Summa ergo ſapientia, cęleſti afflatu, in ſecunda die, tres res eſt complexus, cœlum ſiue aerem, mare infernum, mare ſupernum, id eſt eam regionem, à qua tanta vis aquarum deſcendit, quantam mare continet. Simile enim eſt mare in cœlo, atque in terris. Totum ſiquidem mare fluminum, fontium, ac pluuiarum concurſu efficitur, flumina & fontes, de montium latiſſimis cauernis, quæ frigidiſſimi ſemperque ſtillantis, & in his ipſis cauernis, ob frigus, Soliſque diſtantiam, in aquam coacti aeris, ſunt plenæ, oriuntur. Hymbres quoque à cęlo. Ergo in cęlo quoque id ipſum eſt mare. Eunt ergo redeuntque in ſemetipſa, mare terreſtre & cœleſte. Ex aquis terreſtribus aer gignitur, aer per flumina & fontes, & hymbres ad genitorem ſuum reuertitur. Vno die totum mare circunquaque trahitur in cœlum, & eodem die reuertitur in proprias ſedes, præcipuè noctu. Nam tot flumina, fontes, hymbres, quæ mare quidem ſubeunt, ſed augere non poſſunt, eodem die à Sole in cęlum reuocantur: quæ omnia pulcherrimè etiam docuit Ariſtoteles, vt ſit eum audire operæpretium, γίνεται δὲ κύκλος οὗτος μιμούμενος τὸν τοῦ ἡλίου κύκλον, ἅμα γὰρ ἐκεῖνος εἰς τὰ πλάγια μεταβάλλει, καὶ οὗτος ἄνω καὶ κάτω, καὶ δεῖ νοῆσαι οὗτον ὥσπερ ποταμὸν ῥέοντα κύκλω, ἄνω καὶ κάτω κοινὸν ἀέρος, καὶ ὕδατος. πλησίον μὲν γὰρ ὄντος τοῦ ἡλίου, ὁ τῆς ἀτμίδος ἄνω ῥεῖ ποταμὸς, ἀφισταμένου δὲ, ὁ τοῦ ὕδατος κάτω, καὶ τοῦτο ἐνδελεχὲς γίνεσθαι κατά γε τὴν τάξιν. Quæ ſunt. Fit autem iſta conuerſio, Solis circuitum imitata. Nam ſi-
C mul ac ille flectere ſeſe cępit, ea ſurſum ac deorſum it, reditque. Oportetq́, quaſi circum euntem fluuium iſtum communem aeris & aquæ cogitare. Nam cùm proximus nobis eſt Sol, vaporum flumen ſurſum aſcendit: cùm verò diſceſſit, flumen aquæ reuertitur deorſum. Idque iungitur, ordine quodam certo. Hæc Ariſtoteles. Ex intima ergo philoſophia & Moſes aquas ſuperiores & inferiores, inter quas interfuſus ſit aer, nominauit. Quod Ariſtoteles dixit inter cęlum & terrā commune flumen. Et verè prophetica ſapientia vtrunque mare eſt commemoratum. Etenim, vt regio maris terreſtris eſt terra, ſic regio maris cœleſtis eſt cœlum. Inter vtrunque mare, ſeparat quaſi latiſſimum velum, ipſum cœlum ſiue aer, propriè que cęlum eſt aer, vnde color cęleſtis, cæruleus. Hoc cœlum, hæc regio, cum aquis ſuis facta eſt & conſtituta, à prudentiſſimo illo omnium rerum & cauſarum, è quibus alia naſci poſſent, inuentore.

E quatuor elementis nata oĩa.

Vocauitque Deus firmamentum cælum.

NOmina iſta, nuncupationeſq́; Dei, quidam Hebræi & Latini diſpoſitiones interpretantur, vt cùm dicitur vocaſſe, quaſi ſit eum diſpoſuiſſe, ſtatuiſſe, decreuiſſe. Mihi videtur ipſum etymon ſpectādum, quod à rerum natura dependeat. Vt autem natus Adam iuxta proprietates, naturaſq́; cuiuſque nomina animalibus indidit, ſic antequam naſceretur, eas res quæ creationem eius anteceſſerunt aliquis neceſſario nūcupauit, & nuncupauit iuxta naturas & proprietates cuiuſque. Quis autem & naturas earum rerum norat, & nomina poterat indere, niſi ſolus opifex? Merito igitur iſtarum rerum primordialium nomina, Dei nuncupationes fuiſſe dicuntur, quibus eas ipſas res eum appellātem Adam audiuit. Atque à natura rerum nomina indita à Deo certum eſt, ſicut & à primo homine, & cæteris qui in quacunque lingua floruerunt. Vera igitur etymologia nominis cœli, ducta eſt à natura eius. Nam cū multas habeat vtilitates & proprietates, aer, Cœli apud Hebræos etymon.

vna eſt notiſſima, & maxima, quòd continet aquas, eſt aquarum genitor, à quibus omnia affatim D bona ſuppeditantur. Ab aquis ergo iuſtiſſimè nomen eſt ſortitus. Atque hanc vocem shamaim declarare propriè aerem: & ab aquis nomen accepiſſe tres ſunt rationes: priores duæ ſæpe adductæ ſunt, quòd ſcriptura creberrimè pro aere eam vocem vſurpet, volucres cęli, nubes cœli, pluuias cęli: quod eius rei, quæ hoc nomine ſignificatur, ibi facta ſit mentio, vbi & de aquis terreſtribus, & cęleſtibus, cùm in deſcriptione orbium cęleſtium non fuit operæpretium aquarum meminiſſe. Poſtremo quòd ipſum nomen apertè declarat ab aquis eſſe deductum. Nam aqua apud Hebræos in numero multitudinis ſemper, in numero ſingulari nunquam profertur Maim. Nomen quoque cęli ſemper eſt in numero multitudinis shamaim. Hæcque eſt vera ratio, quòd cęlum ſemper in plurali profertur apud Hebræos: non quòd ſub nomine cęli aliqua multitudo cęlorum ſubſit. Itaque quoties hæc vox, ad Latinos & Græcos traduceretur, debuit numero ſingulari reddi cęlum, non cęli, quia non à multitudine cęlorum, numerum multitudinis accepit, ſed à nomine aquarum, quæ ſemper in plurium numero deſignantur, eſt formata. Quod vehementer obſeruandũ reor, vt ſciatur, quid hæc vox propriè deſignet, & quam ob cauſam Deus eam ſic formauerit, Diuina nempe ratione.

Congregentur aquæ, quæ ſubter cœlo.

Mirabili ordine naturam creatio, creationem ſequitur deſcriptio. Nulla eſt ea philoſophia probatior, quæ cum Theologia eſt commiſta, id eſt quæ cauſarum ingreſſa indaginem, eas primas & veras repertura, ad earum primum autorem ſæpius reſpectat. Talis eſt philoſophia Moſis, quæ philoſophia quidem eſt, quia rerum naturalium veras cauſas, antiquiſſimaque aſſignat exordia; Theologia verò, quia Deum, ſine cuius numine naſci proculdubio nihil potuiſſet, E autorem, dictatoremque omnium monſtrat. Lætatur Socrates apud Platonem, audita ſententia Anaxagoræ, qui cenſuiſſet ordines iſtos rerum inuentos omnes à mente, vnum hoc cauſarum verè reddendarum refugium arbitratus, ſi ad mentem ſapientiſſimam cuncta referantur. Primam igitur diem fecit Sol creatus, ab excellenti, diuinaque operatione lux appellatus. Pariter autem Solem fecit Deus, ac Sol fecit diẽ. Eo die ac ſequenti à Sole ſimul concoctis vaſtis aquis, aer, quem dicimus cęlum, eſt creatus. Quod cùm eo temporis ſpacio Sol egiſſet, apparuere terræ Solis ardore ſublatis ſupra terras aquis. Nam cùm toto oceano hæc lampas ſuperuecta, circunquaque omnem aquarum orbem exureret, ab altioribus locis, in depreſſiores aquæ conſidentes, terras vbique celſiores nudas reliquerunt. Eſt autem hoc loco, quo dicitur, Congregentur aquæ, vox Hebraica קוה kaua, ea congregationem Hebræi dicunt deſignari: ſed propriè ſonat, vt ex ſcripturis apparet, voraginem, concauum quid. Et vt tam multa Græca ac Latina nomina ab Hebraico deducuntur, ſic clarum eſt, iſtud Latinum eſſe factum, cùm idem ſit & Hebraicum. Caua igitur dicta ſunt poſtea omnia voraginoſa, & cauernoſa, quod fuit locorum profundarumque ſedium nuncupatio, quas Deus aquis illis immenſis præparaſſet. Veri enim eſt ſimile, eundem ipſum terræ & aquarum conditorem, terram à principio ita diſpoſuiſſe, vt eas haberet ſedes, quibus aquæ receptæ, terras altiores, habitabiles relinquerent. Ideo non eſt his aſſentiendum, qui ferunt terras nunc arboribus & animalibus plenas, quondam mare fuiſſe, rurſum redituras ad eundem ſtatum, idque viciſſim:

Terra ac mare an ſibi viciſſim cedant.

Ouid. 15. Metam.

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras, F
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ,
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis,
Quodque fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & eluuie mons eſt deductus in æquor.

Hæc quidem vera ſunt ex parte. Verum quidem eſt mare prope vetuſta littora alicubi diſceſſiſſe, quod quidem ſpatium non multum eſt ac latum. Nunquam autem probabis voragines ſuas, altiſſimosque ſinus mare liquiſſe. Nec vllis exemplis oſtendes montes eſſe deductos in mare. Eſt perſuaſio latius, quàm deceat patens, & à breuibus aquarum ſinibus ad vniuerſum mare tralata. Nec vero mirum hæc dicere Ariſtotelem, quem poeta eſt ſecutus, quippe qui maris ęternitatem ex ſalſedine eius argumentatur. Cuius operæpretium eſt videre rationem, & locus exigit, quo creatio maris aſſeritur, vt conuincamus ac refutemus talem argumentationem. Hæc apud eum ſuper hac re habentur. Hi qui gignunt mare, negare id eſſe ſalſum coguntur. Siue enim circum obſidente terras omnes omni humore, & à Sole ſurſum eleuato, quod remanſit mare fuit, ſiue tantus ſuccus inerat in aqua vaſta, & dulci, quia admixta eſſet pars aliqua terræ dulcis, nihilominus delapſa iterum ea aqua, quæ fuiſſe ſurſum euaporata, neceſſe eſt, cum ęqualis copia extiterit à principio, vel ſi non à principio, ne poſterius quidem ſalſum fuiſſe. Quòd ſi à principio mox eſſet ſalſum, quæ cauſa id fecerit, dicenda. Et ſimul quamobrem ſi tunc euaporaretur, non idem fiat & nunc. Hæc ille in priſcos Theologos vno omnes autores ore, cęli ac terræ, & maris quondam initium extitiſſe. Ratiocinatur autem ad hunc ferè modum. Audierat eos dixiſſe,

Maris ęternitas refutatur contra Ariſtotelem.

totam

A totam vndique terram oceanum complexũ fuiſſe à principio. Si aquarum, inquit, illarum terras vndequaque premẽtium tantum eſt à Sole euaporatum, quantum in terra mare reſedit, idemq; ipſum poſtea recidit è cęlo, efficitur neceſſariò, vt ſit partim ſalſum, partim dulce ipſum mare: ſalſum propter remanentes aquas: dulce, quia tantundem dulcium aquarum è celo per pluuias, roreſque nocturnos fuerit poſtea reſtitutum. Quod ſi non fuit tunc ſalſum, quia delapſus è cęlo humor reddidit ei dulcedinem, ne poſtea quidem, cum fuerit eadem ſemper ſubſidẽtis, atque aſcendẽtis aquæ proportio. Hæc eſt ratio Ariſtotelis: Nos autem exemplis & rationibus neceſſariò factum docemus, vt mare, quod cùm crearetur, dulce eſſet, qualis eſt propria vis aquarum, poſtea ſalſum fuerit effectum. Scire enim conuenit ex immenſis aquis duplex aeris genus fuiſſe creatum: vnum quod in totam aeriam regionem abierit, maximo inter cęlum ac terram ſpatio repleto. Alterum, quod nubes & quotidianas pluuias efficit, ſuſtineturque ab illo primo. Dico ſcilicet præter effuſum vbique aerem, vapores à toto mundo aſſurgentes. Nam cùm Moſes & cęlum, & aquas, quæ ſuper cęlo, citauerit, Ariſtoteles autem reuertentem noctu fluuium aere remanente, commemorauerit, magnam aquarũ vim ad efficiendam hanc duplicem aeris naturam conſtat fuiſſe neceſſariam. Vt probabile ſit, maiorem aquarum copiam eſſe abſumptam, quàm reſediſſe. Sepoſita autem hac conſideratione, dico, tametſi fiat per Solem euaporatio, maius eſſe quod reſidet, eo quod abſumitur. Quod in potione quoque cernas: nam quod ſubſidet ſi quis exempli cauſa metretam vini abſumpſerit, multo copioſior vrina conſedit, quàm quod fuerit excretum. Do autem vt eadem ſit reſidentis atque aſcendentis, & euaporatæ aquæ proportio, non ne claret, ſi quis duas ex ęquo partes dulcis vnam, alteram ſalſæ aquæ in cyathum infundat, magis euicturam ſalſam, vt totus ſit ſalſus cyathus, quàm dulcem, vt ſit dulcis? Sic in omni mari, B cùm dulce eſſet totum à principio, etſi idem fuit reſidentis atque aſcendentis, & per Solem vanefacti humoris numerus, perfecit tamen quod remanſit, vt totum mare eſſet ſalſum. Mitto alias rationes, præcipuè quòd ſalſedo efficitur non ſolum euaporatione, ſed concoctione, concoctio autem tota aquarum commotione. Naturale quidem videtur, quotidianam Solis euaporationem, & quaſi concoctionem, dum dulciſſimum ac puriſſimum quodque reſoluit, craſſius autem quicquid eſt, & denſius, magiſque terreſtre, quaſi excolatum dimittit, efficere mare vt ſit ſalſum, eſſeque Solis ardorem, quaſi naturalem calorem totius mundi, ſicut naturalem habẽt ſuum animantes, euaporationem autem marinarum aquarum eſſe quaſi digeſtionem, marinas aquas reſidentes, quaſi vrinam, ſed hoc præcipuè factum, cùm recens creata Solis ardentiſſima flamma, quæ tunc, quia per mare ferebatur, nec inter ipſam ac terram obſtabat aer, fuit potẽtiſſima, radioſque habuit flagrantiſſimos, vaſtas aquas adeo concoxit, vt tunc præcipuè, tunc primum, facta fuerit ſalſedo. Illam enim Solis aquarum diſſolutionem, ideo neceſſe eſt fuiſſe potentiſſimam, quòd per eam infinitam vim aeris elicere, creareq; Deus ſtatuiſſet. Hæc aeris poſtea vaſtitas à cęlo vſque ad terras denſata, Solis calorem temperauit. Vt autem nunc per aerem, lux & aer feruntur, ſic tunc licet exiguum tempus, per inane in aquas deſcenderunt. Quod quanquam eſt decretis Ariſtotelis contrarium, tẽdere per inane aliquid poſſe, ratio tamen alia eſt deprehẽſa melior ac verior. Bene ergo & Moſi conſentanea dixerunt veteres Græciæ Theologi, diuinæ creationis non ignari, & bene laudat eos Ariſtoteles, ἀλλὰ μᾶλλον εἰκὸς ὥσπερ φασὶ τινὲς, ἀπελθόντος τοῦ πλείστου καὶ μετεωρισθέντος τοῦ ὑγροῦ διὰ τὸν ἥλιον, τὸ λειφθὲν εἶναι θάλατταν. C Magis eſſe probabile, quòd quidam aſſeruiſſent, plurima per Solem, aquarum parte recedente, ac in ſublime leuata, quod remanſiſſet mare fuiſſe. O veritatem, omnia tempora, omnes animos penetrantem. Hoc quod illi dixerunt apud Ariſtotelem, prodidit nobis Moſes. Hanc ob cauſam terra tertia die nudatur, mare efficitur, ſublata ſcilicet in altum parte aquarum, per rapidi potentiam Solis. Deum igitur, vt ad principium reuertar, terras cauaſſe, aptaſque ad aquas recipiendas eas feciſſe, veriſſimum eſt: contineturque ſinibus, voraginibuſque ſuis mare, à quibus ipſum nulla dimoueat ęternitas. Solas mari adiacentes paludes, temporum diuturnitas immutauit, & circum littora in ſe coarctatum, ea ampliora reliquit, ſed non magno progreſſu. Veras autem ſedes nunquam deſeruit, dico voragines quaſdam, & loca caua, quæ vox tunc eſt reperta, cùm proprius locus, legitimæque ſedes ſunt datæ mari. Hoc fortaſſe ſit, quod toties vociferantur ſcripturæ, Deum, mari terminum præſcripſiſſe. Obiecit enim magnorum longas, & inter ſe implicatorum montium ſeries. Vt nullum ferè ſit mare, cui vel non immineant, vel non proximi ſint, altorum ordines montium, in quos penetrare, ne tota quidem ęternitate poſſit. Sæpe ad ignota littora, & à littoribus paulo vlterius progreſſus, & circum editiſſimos montes, & ſcopulos procurrentes aſpiciens, agnoui mirabile Dei conſilium, quòd eos montes veluti munimenta & aggeres, fluctibus inſanis obieciſſet. Exhauſtæ quidem ſunt paludes, quas circum littora ſtagnare irrumpentium in mare fluminum oſtia coegiſſent: Veluti palus, quæ ſub Auguſto, Strabone ſcribente, multoque etiam poſt, totam circumibat Italiam, Rhauenna in media palude relicta, quæ nunc omnis ferè, partim natura, partim opere humano, euanuit, ingenſque ſpacium circa montes rèliquit. Sed id raris in locis, vt à mari condito, cui creato montes pro littoribus & clauſtris, dati, non latè campi excreuerint circum littora, quos olim mare allueret. Sed reſpice montes illos altiſſimos, mare vndique cingentes, ac munientes, ſiue in Italia, ſiue in Græcia,

Aeris duplex genus.

Paludes exhauſtæ.

Gallia, Hiſpania. Iam ab vno tantum latere fit diſceſſus. Hinc eſt ille, qui in Libya dicitur catabathmos, hoc eſt, deſcenſus. Ab Italia quoque in idem mare fit maximus deſcenſus, in quandam profundam, vaſtamque voraginem, ab Aphrica & Italia recipiente ſe mari, vt iure ab accolis appelletur chonca. Contra ſunt autem vſi quàm decuiſſet, ratione, qui ex his conati ſunt probare maris ac terræ mutationes. Nam quia facta eſſet aliquorum locorum mutatio, eo argui voluerunt, quia mundus eſſet ęternus, fore aliquando vt mõtes in campos deſcenderent, in campis montes ſurgerent: ſic viciſſim mare & terræ ſibi ſuccederent. Fieri quidem id poſſet, ſi mundus eſſet ęternus. Nam cùm omnia particularia in ęternitate corrumpantur: vtique & montes laberentur, & mare decederet, & aliæ terræ frugiferique campi inundarentur. Sed quoniã non eſt mundus ęternus, nullum vnquam erit tempus, cum imas illas, profundaſque ſedes mare deſerat, tametſi fiat in littoribus paululum. Mirabile igitur videmus Dei conſilium, qui maria vaſtis vndique montibus ſepiuerit, ſedes ei in profundum, vt latiſſimè ſubſideret, deiecerit, terras munitiſſimis immenſiſque ſaxorum aggeribus, tantarum ab impetu aquarum protexerit. Itaque quod noſtri tranſtulerunt: Congregentur aquæ, Hebraiceque habet יקוו המים ikauu hammaim, quaſi dicendum eſſet: Excauentur aquæ, in cauernis ſubſidant aquæ. Fuit enim mare quaſi totius aquæ ſedimentum, in altiſſimas regiones purioribus ſubleuatis. Eoque vocatur quaſi ὑπόςασις, quod idem & vrinæ animalium eſt nomen: Sedimentum autem ad imas partes defertur. Tanquam vrina totius mundi fuit mare, in vnam quaſi κύςιν vaſtiſſimam cauernam delapſa. Sol autem melius detraxit, quod animalia paſceret ac nutriret. Hinc tanquam philoſophiæ haud ignari poetæ loquuntur, mortales veſci auris.

D

Appellauitque Deus aridam, Terram: congregationesque aquarum appellauit maria. E

QVoniam autorẽ non modo rerum, ſed etiam nominum ipſarum Deum Theologus oſtendit, aliquas hæc nomina ad naturas ipſarum rerum proximas etymologias habere neceſſe eſt. Terra igitur, aquarum alluuie ſegregata, dicta eſt arida, ſeu ſicca, Græcè ξηρα. Hanc ſiccitatem Solis vehementiſſimus æſtus, qui in primordio fuit rapidiſſimus, effecit: ſiccitas autem eſt aquarum diſceſſus. Qua gratia porrò Deus aquam ſegregaſſet, terram nudam eſſe voluiſſet, ipſo nomine terræ indicauit. Appellauit enim eam lingua illa vetuſtiſſima, in qua nomina primarum rerum à veris ipſarum naturis ducebantur, Erez ארץ. Nomen propriè deſignat, quod calcatur, à verbo razaz, addita iuxta idioma Hebraicum, littera Aleph, quod conſilium creandæ terræ demonſtrat. Creata eſt vt ab animalibus nobiliſſimis, quibus omnia creabantur, calcaretur. Hoc reſpiciens antiquiſſimus Græciæ Theologus, ſapientiſſimè totam hanc Dei voluntatem, vno verſu declarauit:

Terra vnde dicta.

Γαῖα δ᾽ ὐρίστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.
Tellus lata ſinu, cunctis tutiſſima ſedes.

Heſiod. Theogon.

Tantundem valet apud Heſiodum ἕδος, atque Moſen Erez. Ac fortè vox Græca ἕδος, ducta eſt ab Hebraica, mutata littera, vt quod eſſet Erez, factum ſit edes. Edos Græcè pauimentum, ſolum, idem Hebraicè Erez, quod premitur, calcatur, quod ingredientes homines, reliquoſque animantes ſuſtinet. Oſtenditurque eo quam ob cauſam & terra creata, & aquis enudata fuerit. F Idem iſtud probat terram, & ſi cæteris elementis grauior, denſiorque ſit, tamen præcipuè, quia hominum futura erat habitatio, Deum condere voluiſſe. Omniumque prima condita, & fundata eſt terra, æquè conditione ac dignitate prior. Quod autem mirabilius eſt, neſcio qua ſorte, quo caſu, qua ratione, niſi potius diuina, & ob ſucceſſionem ſæpius nobis commemoratam, eadem etymologia, antiquiſſimi Latini appellarunt terram à terendo, atque Deus, Erez à razaz, id eſt terendo, vt Erez ſignet terram, quia teratur, ita Hebraicè, ſicut & Latinè. Hinc ſunt illa, quòd apud omnes gentes, terra ſinus ac mater antiquiſſima & altrix dicitur: & Homerus ignauos appellat, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρις. *Terræ inutile pondus.* Hæc terræ in Theologia appellatio coarguit eam ita accommodatam, vt vndequaque poſſet ab animantibus habitari. Quod nunquam eueniſſet, niſi rotundam, vt ęquè cęleſtis eſſet vbique luminis particeps, figuram habuiſſet.

Iliad. ς.

Terra rotunda.

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis.

Oui. 1. Metamorph.

Sic enim habitari, ac teri veſtigiis animantium vbique poterat. Itaque hoc nomen terræ indicat tum ad habitationem animalium eam fuiſſe creatam, tum ad id, aptum ſitum, diſpoſitionemque habuiſſe. Maris quoque nuncupationem, quoniam Dei eſt, Hebraicè autem vocatur Iam, arbitrandum ab aliqua maris proprietate factam. A fremitu videlicet, perpetuoque ſtridore. Siquidem & aquæ, quæ Hebraicè dicuntur maim, à fremitu, ſonituque habent nomen. Fremitus, vociferatus, ac ſtridor Hebraicè ſignificatur hoc verbo המה. Ab hac origine dicuntur hamaim המים, id eſt reſonãtes, ſtridentes, tumultuantes, numerus multitudinis à ſingulari hamah. Inde eliſione hinc atque hinc hiantis litteræ, fit Iam, id eſt conſonans, fremens, tumultuans. Iod littera ad futurũ ſpectat, ſicut in nominibus Izchak, Iaacob, Iſrael, à verbis, Zadiak, Aakab, Sara.

Maris etymon.

Aequè ab ham, Iam, & Iom. Ab eodem hoc verbo fit thehom: Omnia ſonitum, fragorem, tumultumque ſignificantia. Ab vno verbo ham, hæc quatuor, hamaim, iam, iom, thehom, id eſt aquæ, mare, dies, abyſſus. Fremunt omnia & conſonant, ſubitoque nata fremuerunt, ab illo, & ab iſto ſonitu, nomina ſortita. Hoc appellatum eſt mare, quo natura eius nunquam conquieſcentis, ſed in perpetua commotione ſemper frementis ſignificatur. Agitatus facit fremitum, à ventis fit agitatus. Sed vt nulli incumbant venti, ſunt tamen ſecretiores cauſæ, à quibus moueatur. Nam cùm inconſtantes aquæ natura ſint, hæ latiſſimè patentes, motus illos ſuos habent liberiores, facilique impulſu ſeu ventorum, ſeu feruore Solis, qui concoquat, ęſtumque quaſi ignis in olla efficiat, ſeu radiis Lunæ, quibus mouendorum, augendorumque humorum vis ineſt mirabilis, incitatur. Verior autem cauſa vt ſemper agitetur mare ea cùm primis eſt, quòd vt videmus flumina tametſi per planũ ferantur, vt in ſumma ęqualitate conſiſtere videantur, ire tamen ſemper in aliquam partem & impelli, ſic aliquò ſemper decurrit oceanus, tametſi videatur in plano. Reiectus autem à littoribus, quæ habet vbique tanquam clauſtra, nec valens vlterius progredi, neceſſario reflectitur. Quod idem facerent & flumina, ſi oſtia maris nacta, aliqua vi refunderentur. Nam quæ in plano ſunt, breui momento, huc, illucque impelluntur. Hinc ſemper it, reditque ſtatis horis mare, tanquam flumen vaſtum, quod non habeat vbi conquieſcat. Si terra eſſet inæqualis alibi profundior, alibi celſior, vnus tantum eſſet motus, nunc quoniam ęqualis eſt vndique & rotunda, ſtare autem in tanto ſpacio non poteſt, neceſſario eum tenet curſum vt eat, redeatque. Eſt autem in tanta vaſtitate ex omni parte in rotundum decliuitas, quocirca facilè eunt, redeuntque maria ad vnam decliuitatem, & à littoribus repulſa, ad aliam decliuitatem reflectuntur. B A motu iſto vocatus oceanus Græcè: à ſonitu, qui fit ex motu, Hebraicè Iam, quaſi ſonans & tumultuans. Sic fremit ſemper, ſic ſemper littora plangunt, hanc habuit à Deo, & naturam, & naturæ aptiſſimum nomen.

Mare cur moueatur etiam ſine ventis.

Et ait, producat terra herbam virentem.

PErſpicuum eſt, quamobrem eodem tempore, aquarum ad vnum locum concurſus, terrarum emerſio, tum earum fœcunditas extiterit, vna omnia, die, non vna dies in profundas ſedes abeuntibus aquis, vna terrarum partui ſit data. Narratur enim quam ob cauſam, quove conſilio extiterit primum. Non propter ſe videlicet mare, terris aquarum contagio ſolutis, in ſedibus ſuis conſtitiſſe, ſed vt longè lateque montium & camporum viriditas, omnigenaque vbertas, primæuis aquis humefacta, deſuper autẽ Solis ardore confota tellure, pullularent. Idcirco vna eademq; die, dum cogitur mare, dum celſiores terræ patefiunt, producitur in his omnis arbos, & herba. Ac prima die, quam fecit Sol creatus, quædam facta eſt aquarum reſolutio, ſecunda terræ magis aruerunt, tertia ex his arefactis, ſed adhuc humentibus, omne genus ſtirpium exortum eſt. Quod habuit ordinem mirabilem & prouidentiæ & naturæ. Naturaliter enim, quia prudentiſſimè parata & prouiſa fuerant, ſequebantur. Natæ ſunt igitur plantæ, ſed herbæ primum, teneriores ſcilicet, & ad naſcendum faciliores, tum priores natæ, quàm plãtæ, quia nata prius animalia, quorum herbæ cibus eſſet futurus, poſterius ea, quorum arborei fructus. Sæpe autem mecum ſoleo demirari, quæ reperio apud philoſophos aut ſumpta de Theologia Moſis, aut quadã ſorte conſentientia. Theophraſtus probat Diis non ſanguine & animalium adipe eſſe litandum, ſed potius frugibus terræ, & floribus, atque herbis ſuaue olentibus, quòd hæc ipſa priora, quàm C animalia terra enixa ſit; ex his autem, quæ terra genuerit priores herbas, quàm plantas. Quod his verbis docuit, Δένδρα μὲν γὰρ δὴ πρὸ ζώων ἀνέδωκεν ἡ γῆ, καὶ τῶν δένδρων τε πολὺ πρόσθεν, τὴν ἐπέτειον γενομένην πόαν. Quod eſt: Arbores ante animantes terra edidit, multo autem ante arbores, iſtam quæ annuatim herba producitur. Hæc ille: Legimus autem hoc loco apud Moſen, tertia hac die, herbam virentem, & lignum pomiferum, terram protuliſſe. Sexto autem die producta eſſe animalia. Et quod Theophraſtus ait, multo antè herbas è terra natas, quàm animalia: ſexta nempe die, ille tertia: tum Moſes antè herbam, poſt arbores ait è terra pullulaſſe: prius enim dicit: Producat terra herbam virentem: poſtea, Et lignum pomiferum, id eſt arbores. Moſesque ait, imperatum eſſe terræ, vt produceret. Theophraſtus vtitur verbo producendi ἀνέδωκεν ἡ γῆ, quod Moſes Hebraicè, ותוצא הארץ Et protulit terra. Septuaginta paulo vulgarius, καὶ ἐξήνεγκεν ἡ γῆ. Herbam annuam ait Theophraſtus, id eſt fęnum, quod brutorum animalium eſſet cibus. Eaq; Græcè dicitur πόα, qua voce vſus eſt idem philoſophus. Moſes autem ſua lingua עשב, quod propriè fęnum deſignat. Septuagintaque trãſtulerunt βοτάνην χόρτου, herbã fęni. Salomon autem illa voce Moſis vtens: Et collecta, inquit, ſunt fęna de montibus. Quo loco eſt עשבות. Arbores autem in cibum humanum datas, etiam oraculum oſtendit. Vt duo genera animalium, alterum ante alterum ſunt creata, ſic ciborum genera duo eodem ordine. Sexta die bruta de terra naſcuntur, poſt eadem die, creatur homo. Tertia die tęrra profert herbas aut fęnum, poſt frugiferas arbores. Itaque herba, quam iuſſit cùm primis è terra naſci, eſt fęnum Hebraicè עשב. Hæc dicitur דשא quando pullulat, & virere cępit, quando ſicca colligitur eſeb. Quidam tamen Hebræi putant eſeb plantas maiores dici, minores autem דשא Deſe. Arguiturq; Salomon à nonnullis, quòd aſſeruerit Deſe virorem herbarum, non herbas ipſas appellari. Oſtendunt

Herbæ priores plãtis.

Prou. 27.

dunt autem Deſeim eſſe numerum multitudinis à Deſe, quod non eſſet, ſi virorem ipſum terrarum A deſignaret. Hoc ergo fuit brutorum cibus: frugiferæ arbores, cibus humanus, delicatior. Quod doctiſſimus vates, de antiquiſſimis, paulo poſt creationem hominibus loquens, confitetur, quaſi Moſis interpres:

Oui. I. Metamorph.

Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus,
Contentique cibis, nullo cogente, creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis:
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Hæc clara & expreſſa traduntur apud Moſen, cibus animalium brutorum fęnum prius de terra, tum arbores fructuum feraces producuntur. Nam tametſi nonnullis herbis homo, fructibus quibuſdam beſtiæ veſcuntur, proprius tamen cibus iſtius, fructus arborum, illarũ id quod Theologia proprio nomine dixit eſeb, id eſt fęnum, vt tranſtulerunt Septuaginta. Hac de cauſa erant arbores in paradiſo, quibus, vna excepta, veſci homini conceſſum. Poeta notas ſibi arbores nominauit, ſed alias longè potiores, tum ob ſitum orientis, tum ob paradiſum locum fortunatum ibi floruiſſe putandum. Excluſo tamen, quod quidam ferunt, cuius aiunt etiam Bedam autorem, ſeptuaginta duo genera fructiferarum, ſuaueq́, olentium arborum fuiſſe in paradiſo, ꝙ quidem non arbitror Bedam ſanè bonum Theologum ſcripſiſſe: quanquam non magni apud me hæc referunt. Nondum ergo terra ſegetes dabat. Ille fuit hominum antiquorum cibus, quod vſque ad B rauim, ſuccedente inuicem ſibi ordine ſæculorum, Poetæ ſunt vociferati: & in inſulis fortunatis, nec veteribus incognitis, paucis ante annis reperti ſunt, qui paſſim hoc cibo veſcerentur, ſegetum boumq́; ignari. Itaque non fabuloſè hæc finxere Poetæ, ſed à primoribus illis fama vulgata, poſt multa ſæcula cùm ſcribi & decantari ortus humanus cœpit, repleta ſunt ea carmina veterũ Poetarum, quos poſtea recentiores ſecuti ſunt. Quam & Theophraſtus & Porphyrius confirmarunt.

Herbam virentem, facientem ſemen.

Primordia rerum fœcũdiſſima.

Deus & natura idem.

CVm de arboribus loquitur, duas ab eis res exigit, vt faciant fructus, vt habeant ſemen, iuxta genus ſuum: cùm vero de herbis, vnam tantum, vt habeant ſemen. Non fructus ergo efflagitat ab herbis, ſed eas vult eſſe cibum animalium humi reptantium, reddituras terræ ſemen, vnde generis ſui aliæ naſcerentur. Fęnum igitur, veluti herba medica, ideſt τρίφυμον, iubetur naſci, quæ ſe ipſa, non fructu vt arbores, animalia paſceret. Ac quod ait inferius: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementẽ generis ſui, promiſcue de homine & brutis animantibus loquitur, cibum eorum ſimul decernẽs: non quòd fœnum hominum eſcam præſcriberet, quod explicat, cùm ait: Vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus. Fuiſſe igitur primordia fœcundiſſima, illaſque in ſua origine terras, & aquas, & Solem fuiſſe efficaciſſimum, vt quemadmodum nunc multi de terra naſcuntur frutices & herbæ, natæ tunc arbores fœliciſſimæ ſint, quas fortaſſe terra nunc non pareret, omnium rerũ exempla & earum principia conſiderata confirmant. Qua enim priores homines formoſa & procera, robuſtiſſimaque corpora, morborumque omnium, propter ſanguinis bonitatem, neſcia habuerunt, viuebantq́ue numeroſiſſimè: eadem omnem terram, omnes aquas & cęlum, quæq́ue C ex his naſcuntur, alunturq́ue, fęlicitate fuiſſe genita, neceſſe eſt. De ſolis hominibus, eorumq́; longæua vita declaratur, ſed ex hac humanæ vitæ longinquitate, quam ex originis bonitate pependiſſe intelligimus, in cæterarum rerum fęlicibus exordiis, conſiderando verſamur, habuiſſe terras, proceras, aſpectuq́ue & fructuum dignitate inſignes arbores, iucundius rutilaſſe Solem, nitentioribus radiis compleſſe late terras. Hoc, vt dixi, non modo ratio, omniumq́ue conſideratio rerum, quarum ſunt exordia ferè ſemper meliora, ſed ipſa quoque ſcriptura demonſtrat, de genere humano, parte rerum meliore, proteſtans. Quod latius patet in cæteras res exemplum. Terra itaque facilè eſt in illo fęcundo primordio, imperio Dei obſecuta, vt omne genus herbarum, amęnarumq́ue arborum produceret, cùm adhuc vſquequaque humeſceret, & nouus Sol deſuper illi animationem abunde ſuppeditaret. Species quidem arborum, naturali ratione, ſicut in carne pili, in terra continebantur. Vt enim in cauſis effectus, quia ſimiles ſunt cauſis, de quarum ſubſtantia procreantur, inſunt: ſic in terra omnium ſtirpium erat materies, vt quamcunque formam, quæcunque ſe daret, capere poſſet. Omnia quidem referenda ſunt in Deum, qui genitrices cauſas, in quibus cunctarũ rerũ lateret origo, creauit tales, vt his conſtitutis, tanti, tãq; mirabiles effectus generarentur. Nam quemadmodum aere conſtituto, ſecuti ſunt venti, pluuiæ, nebulæ, grando, nix: ſic poſita terra, poſitum eſt id quod in omnes ſtirpium formas, mirabilibus modis variaret. Eoq́; idem fuit terræ fundator, atque plãtarum, herbarum, fructuumq́; ſator, quia matrem, quæ tãtarum eſſet rerũ parens, ad hoc creauit. Requiſiuitq́; poſtea ab ea, ob quæ fundamenti & parẽtis altricisq́; loco eã paraſſet. Ideoq́; in diuinis litteris idem eſt Deus atque natura, omnia, quæ cæteri, in ęternas, ſtabileſq́ue rerũ leges referrent, ad voluntatem conſtitutionemq́ue

Dei,

A Dei, redigentibus. Quot autem formas edere mare potuit, totidem quot potuiſſent, ſtirpium edidere terræ. In quantam potuit aquarum vitalis humor, formarum prodigioſam cadere varietatem, tantas, tantorumque generum protulit terra, naturalem cum illa ſimilitudinem, coniunctionemque habentium. Quid enim aliud ſunt ſtirpes, quàm ipſa terra & aqua, in quandam aliam ſpeciem traductæ, & quaſi excolatæ? Formas autem efferunt omnigenas, in quas ſe cunq; vis ipſa transformet: vt quot venire in animos opificum formæ poſſint artificioſæ, tot de ſe ferre terra naturæ inſtinctu potuerit. Ac ſæpe ipſe mecum quærere ſoleo; Factane ſint naturalia & ęterna, quæ Deus feciſſet, vt quemadmodum ab artificibus dictæ & factæ ſunt res artificioſæ, ſic à naturali operatore, naturæ ſint omnes repertæ, idque eſſe naturale contigerit, quod poſt creationem ſucceſſit, an reperit ipſe quod eſſet maximè è natura, extra quod melius fieri non poſſet? vt decem tantum, verbi cauſa, rerum creandarum, mundique totius rationibus propoſitis, meliorem Deus viderit, eumque naturam omnium rerum eſſe contigerit. Soleoque aſſentiri poſtremo, Deum feciſſe non quidem omnia, quæ fieri, aut ipſe facere potuiſſet, quia minus bona vtiliaque eſſent, ſed quod eſſet optimum ac pulcherrimum. Quod quoniam eſſet melius ac perfectius, accidiſſe, vt eſſet omnium vera natura. Poterat enim Deus creare terras, plantis & frugibus ſteriles, duras, ſaxeas, ſine aqua primordiali, vides quid fuiſſet conſecutum. Decem alij ſi proponantur modi, in his fuiſſe melius & abſolutius probabis, quod fuit, vt natura fuerit cuiuſque rei. Eſt autem natura id, quod in vnaquaque re fuit melius. Tantas igitur terra, ſpecies, & formas edidit, quantas naturæ eius conditio, virtuſque reciperet. Quod quidem & ſi principium habuit ab ipſa terra, niſi tamen quiddam ſecretius, ordinem formis dediſſet, ſtare ac ſeruari quicquam nequiuiſſet. Hinc ingenio magni viri, cùm in conſideratione rerum iſtarum ver-
B ſarentur, & ad mirabiles eſſent hominum rerumque naturalium ordines conſiderando progreſſi, non habentes quid amplius in horum aſſignanda ratione dicerent, Deum & naturam aſſociarũt, naturam ordines eos, Deum eorum inuentorem & moderatorem appellantes. Sic Ariſtoteles Deum & naturam clamat nihil ocioſum ac ſuperuacaneum feciſſe, quod non fuit niſi ſummæ ſapientiæ: Idemque ait, Deum, quia res eſſent in terra corruptibiles, paraſſe vt eſſet inuicem ſibi ſuccedentium perpetuus generationum ordo. Cuius impellor hoc proferre, quia longè eſt clariſſimum teſtimonium, vt qui non conſiderarunt, vel quæ ab illo, vel à Moſe dicerentur, fiant hac noſtra admonitione attentiores. Etenim Moſes docet Deum dixiſſe, imperaſſe, ſtatuiſſe, vt omnia è terra naſcerentur, vim gignendi ſimile ſui retinentia. Hoc imperium & legem, ac placitum, fuiſſe Dei Moſes docet. Ariſtoteles autem, ἐπειδὴ γὰρ ἐν ἅπασιν ἀεὶ τοῦ βελτίονος ὀρέγεσθαι φαμὲν τὴν φύσιν, βέλτιον δὲ τὸ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι: τοῦτο δὲ ἐν ἅπασιν ἀδύνατον ὑπάρχειν, διὰ τὸ πόῤῥω τῆς ἀρχῆς ἀφίσασθαι, τῷ λειπομένῳ τρόπῳ, συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐνδελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Quoniam, ait in quocunque genere rerum, deſiderare melius naturam aſſeueramus, melius eſt autem eſſe, quàm non eſſe, id autem fieri vbique non poterat, quia longa eſſet ab ipſa origine diſtantia, quod ſupererat. Deus dedit vniuerſo, perpetuam generationem. Aſpicis interpretem & aſſertorem Theologiæ Moſis Ariſtotelem? Moſes quidem non aſſignat cauſam, cur ſit rerum terreſtrium ſucceſſus, & formarum ingenitis rebus, rerum gignentium ſimilitudo locata: docet Ariſtoteles duas cauſas, vnam propinquam, alteram ſuperiorem proponens. Volebat, inquit, Deus aut natura facere, quod eſſet melius, eſt autem melius eſſe, quàm
C non eſſe, quod Ariſtoteles ratione, Moſes teſtimonio Dei, quod optima eſt ratio, probat. Siquidem aſſerit eum ad vnamquanque rem creatam affirmaſſe, fuiſſe bonam. Fieri autem perpetuum eſſe non poterat, quia ab origine ſua ęterna, nimium res recederent, non ſubſtantia ſolum, ſed etiam loco. Vult, ait vterque, Deus quod eſt bonum, nam ſi noluiſſet, non creaſſet: aſſertum eſt autem, quod creaſſet, eſſe bonum. Ecce & bonum dixit eſſe, & creare ipſum voluit. Id igitur maximè habuit in votis. Idque docet Ariſtoteles. Fieri autem non poterat, vt eſſet perpetuum eſſe, perpetuum rerum æuum, perpetuæ plantæ illæ primordiales, & animalia. Cauſam non docet Moſes, quia clara, docet Ariſtoteles, quòd à perfectiſſima, ęterna omnium origine, res eſſent longè diſiunctæ. O potentiſſimam veritatem non patientem tenebras, & ſilentium. Rerum originem, quaſi Theologus, Deum clamat Ariſtoteles, hoc fortaſſe diſcrepans cum Moſe, quòd is feciſſe, quodam temporis initio, Ariſtoteles facere quadam dependentia perpetua, & creare affirmat. Hocque ſenſu ἀρχὴν, id eſt, principium, & originem Deum fortaſſe dicit: Quæ ſententia facilè ſeipſa, ſuique verbis autoris refellitur. Loquitur enim idem in præterito συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐνδελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Dedit vniuerſo perpetuam generationem, ſpectantque in præteritum, hæc præteriti temporis verba συνεπλήρωσε, ποιήσας. Dependentia debuit præſenti tempore deſignari. Veritas igitur inuito quaſi de pectore erupit: Exciditque imprudenti, Decretum quoddam Dei & inuentum fuiſſe ait, hanc perpetuam generationem: Moſes Hebraicè, & ſua phraſi, vnum ſibi ſuccedentium rerum ordinẽ, vt vnumquodque, iuxta genus ſuum, ſemen retinentem prolem produceret. Id enim eſt ἐνδελεχὴς γένεσις, habere vim alterius ſui ſimilis gignendi, Generari à matre arbore cum generandi alterius facultate. Idque viciſſim quodam ordine ſempiterno, quem nullus caſus, niſi is qui ligaſſet vnus, vt ait Plato, reſcindat. Hunc perpetuum, continuatum, catenatimque per omnia ſæcula labentem

bentem ordinem generationumq́ue ſeriem (eſt enim res diuina, magnæq́ue admirationis) communi conſenſu & conſilio Moſes & Ariſtoteles Deo aſcribunt, vterque præterito quodam tempore factum: Moſes, Et dixit Deus, producat terra: Ariſtoteles συνεπλήρωσεν, ὁ θεός. Et eodem conſenſu originem & principium rerum Deum fatentur. Triá ſcilicet paribus ſuffragiis: Perenne flumen ſimilium ſibi ſuccedentium formarum: Dei opus, & ſapientiam vterque: originem rerum ipſum Deum, à quo res corruptibiles plurimum recedant, eaq́ue cauſa ſit corruptionis, vterque: perennem iſtam ſucceſſionem quodam olim tempore inſtitutam, vterque. Philoſophi igitur propter neceſſitatem ſcrutantes fontem, cauſamq́ue rerum pulcherrimarum, quarum admiratione animos ſatiare non potuerant, Deum autorem, temporis initium coacti ſunt aſciſere.

Iuxta genus ſuum.

GEnus ſiue ſpecies, Hebraicè מין min. Vox à verbo מנה mana, diſtribuit, decreuit, inſtituit. Itaque propriè ſonat decretum, inſtitutum, normam, legem. Quaſiq; dicitur à ſcriptore, iuxta legem, decretumq́ue ſuum ſiue curſum, vel inſtinctum ſuum. Fiat, inquit, è terra quicquid fieri, & ad quas vſque formas progredi terrarum queat vbertas. Quos & quàm varios fœtus, terra ſinu complectitur, tam varios edat in lucem. Hoc diuino imperio probatur omnes omnium rerum cauſas & origines in Deum referri oportere, eius cauſæ creatorem, quæ mater innumerabilium ſeminum fuit & cauſarum. Omnia quæ ex igne naſcuntur, quod rerum cauſa eſt aqua, quantum valent ſpiritus & impulſus aerij, quicquid de terra naſcitur, efficiturq́ue cum terra, opere terrena quot aſpicimus, tot ſunt in autorem primum redigenda. Viderat enim, animoq́ue comprehenderat ſator ille, quid eſſet vſquequaque tum ad decorem aptiſſimum, tum ad vſum maximè opportunum. Eos ergo parabat, tot perennium generationum fontes, quos ad vitam ſuſtinendam, tempusq; per ſæcula propagandum, & ad perfectiſſimam pulchritudinem efficiendam, E

Natura rerum quid.

poſcebat vſus. Hoc conſilium eius, omnium fuit poſtea natura rerum: quæ eſt continua rerum per eaſdem formas, in exiguis ſeminibus, quorum vim eſſe maximam voluiſſet, contentas, ſucceſſio. Quod ſine Deo fieri non potuiſſe certum eſt. Factum autem & Moſes indicauit, & Ariſtoteles, ac ſapientiſſimi quique crediderunt & prædicauerunt, vt fuerit ars Dei, ipſa natura. Quodq́ue ars in hominibus, hoc in Deo natura.

Fiant luminaria in firmamento cœli.

CReatis rerum cunctarum, terra & aqua, initiis: aqua rerum cęleſtium, id eſt, aeris, ætheris: terra ſtirpium, & animantium, cæterarumq́ue mole pręditarum rerum, ex his poſtea has ipſas res creauit, quæ & ipſæ quædam aliarum rerum eſſent origines. Omnium autem origo & autor, id eſt, cuius ope & auxilio, omnes ſupernæ infernæq́ue naturæ naſcerentur, fuit Sol: quem

Solis creatio.

ante omnia, quæ eius ope eſſent creanda, fuiſſe creatum, hæc ipſa neceſſitas demonſtrat. Creato Sole, duo rerum natarum ordines ſunt in duas partes ſecuti, terreſtrium & cęleſtium: cęleſtes res appello nunc, omnem cęli ornatum, innumerabilem aſtrorum multitudinem: terreſtres ſunt, vt dixi, aer, quatenus eius reſpirationibus viuunt animantes, ipſi animantes, plantæ, mare, terræ ſeparatæ. Harum rerum diuinus ſcriptor, cùm totam ante oculos haberet creationem, alterumq; poſt alterum, & ſi ſimul fuiſſent creata, eſſet ei commemorandum: maluit tamen, quod natura monſtrabat iter ſequi, & explicare cuncta deinceps, vnumq́ue ordinem aggreſſus, eoq́ue abſoluto, reuertitur ad alterum. Prior ordo fuit, ꝙ creato Sole, fuſæ & extenuatæ aquæ, aerem fecerunt, F nudatæ ſunt terræ, immenſaq; reſiduarum aquarum copia in vnam voraginem, coercita. Terris autem nudatis, natæ ſunt omnigenæ ſtirpes, veſtiti floribus, herbis, arboribus, montes & campi. Vides vnum deinceps ordinem, quem totum abſoluere deſcribendo coactus ſit Theologus. Eodem autem tempore quo factus eſt aer, mare intra legitimos fines coercitum, terræ nudatæ, ſtirpes & herbæ genitæ, deſuper Luna & omnia ſydera creabantur. Conglobatus & accenſus, ſapientiſſimeq́ue conſtipatus Sol: in terris quidem ipſe reliqua opera faciebat. Ipſe factus fecit diem, fecit aerem, fecit denudationem terræ, aquas exhauſit, ſtirpes & animalia creauit. Deſuper autem Deus cęleſtia lumina, ex eadem atque Sole, ſed diuerſa ratione, maſſa creabat, proceſſitq; opus vſque ad quartum. Primum enim creatus eſt Sol, poſt Luna, poſt ſeptem errones, demum ſydera, vel ἀπλανῆς. Prima dies nata eſt à Sole creato; ſecunda creata eſt Luna; tertia creatæ ſe-

Solus Deus rationem rerum creatarum tenet.

ptem errantes; quarta omnium ſyderum multitudo. Nihil enim temerè fit à Deo, & ſi fiunt omnia mirabiliter, quorum nulla poſſit, niſi poteſtas eius, qui creauit, ratio aſſignari. Tria igitur opera in terris exequente Sole, cęlum, ſiue expirationes cęleſtes aeriamve regionem, reuelationem terrarum, aquis in profundum ſubſidentibus pòſt, ſatum arborum, herbarum ac florum, deſuper creabat aſtra Deus implens mundum luminibus, quod quidem opus non ſolum non minoris momenti fuit, quàm illa tria terrarum, ſed longè etiam maioris. Vt ſi duobus diebus, in cęleſtem lenitatem diffuſa eſt pars aquarum, & terræ patefactæ, frugibus & plantis ſunt repletæ, tantundem temporis aut plus etiam tam mirabili ac vaſto dandum ſit ætheriarum ſubſtantiarum opificio. An ſi vna dies in creatione Solis, id eſt ſpacium ſimile vnius diei, eſt exactum, in omnium opere ſtellarum, quarum ſingulæ vix credibili magnitudine dicuntur excedere terras, non diuturnius ſpacium abſumptum debemus arbitrari? Omnis hæc ratio demonſtrat iiſdem diebus

cęlum

A cęlum ſtellis exornatum, quibus inferioris mundi opera peragebantur. Etenim à principio per ſpiritum, ſapientiamque diuinā operantem, & eam quam dixere Theologi διάκρισιν diremptionem, & quaſi extractionem facientem, totus ęther effectus eſt, Sol ante omnia, cuius a cæteris corporibus plurimum diſtare volebat dignitatem, quorum neque calida eſt, neque lucida natura, ſed quædam quaſi cryſtalli, puriſſimaque veluti ſpeculorum ſpecies, vt ſi lumen adſit, collucceant, ſin minus, quemadmodum cætera ſint tenebricoſa. Atque illud eſt veriſſimum, & à Theologis quoque vetuſtiſſimis aſſertum, eadem ratione fuiſſe ex aquis eductā ętheriam ſubſtātiam, atque ipſum cęlum, expirationesque cęleſtes. Videmus enim aquam in aerem, in nubes, in faces, vapores igneos mutari. Itaque eodem illo tempore id factum exiſtimandum eſt, cùm ſapientia, ingeniumque Dei ferebatur ſuper aquas, & ex his puriores ſubſtantias educebat, Solem primum, cuius operoſa magnitudo & pulchritudo vincit omnia, cęleſtia & terreſtria. Agitans igitur & concutiens creatas ab ſe aquas ſecreuit & accendit ignem, puriſſimaque lumina, defęcatasque materias veluti ſpeculorum & nubium, vt eædem & luminoſæ ſint, & leuiſſimæ: quales nitidiſſimæ nubes, quæ quo puriores ſunt, hoc altiores ſedes appetunt, ipſeque ignis, id eſt flamma non eſt aliud, quàm accenſus aer. Ideoque aquarum magnitudinem tantam fuiſſe credendum eſt, quanta & ad ſpiritus aerios efficiendos, & ad effundendum totum ęthera, cęleſtesque ſubſtantias ſufficeret. Hoc antiquarum gentium monimentis, perpetuisque ſucceſſionibus traditum erat. Quam penes eos Poeta repertam ſapientiam referens ad amuſſim cum Theologia Moſis conſentit:

Sol pulcherrimus & maximus rerũ omnium.

Hanc Deus & melior litem natura diremit:
B *Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas,*
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cœlum.

Ouid. Metam. 1.

Niſi Theologia Moſis ſuccurreret, Poetarum more eum fabuloſè locutum putaremus. Sed vera canit, ſi tamen Theologiam Moſis adhibeas. Non enim prorſus erat lis illa cum terra, congeries aquarum, ſed iacta & præparata fuerant ceu rerum ſupernarum, infernarumque origines. Ergo ſapientiſſimus ille, & infinitæ poteſtatis ſpiritus diremit litem, diremit quam parauerat congeriem, ad opus magnitudini, ſapientiæque ſuæ congruum accinctus. Nam cęlo terras, & terris abſcidit vndas. Primum enim ſuper illam aquarum vaſtitatem operans (id enim propriè ſonat Hebraicum מרחפת merachephet, motum ſcilicet magni opificis, immanemque operis immanis operationem) abſcidit cęlum à terris. Secreuit enim puriſſimum ex aquis illis ęthera, eamque ſubſtantiam aſſumptam redegit in orbes, qui terras illuminantes, ſigna quoque & tempora diſtinguerent, hominumque in terris opera gubernarent. Denſiora fecit ipſa luminoſa corpora, orbes autem eorum rariores. Abſcidit ergo terras à cęlo, cęlumque à terris, in altum ętheria ſubſtantia ſublimata. Secutum eſt deinde, vt vndæ fuerint ab eodem à terris ſeparatæ. Scribit enim Moſes; Congregentur aquæ ad locum vnum, & appareat arida. Ecce abſcidit terras ab vndis: & liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cęlum. Cernis & hunc eundem ordinem ſeruare non potuiſſe, & repetiſſe quod ante dixerat. Nam cęlo abſcidit terras. At hoc commemoratum eſt. Nunc autem, & liquidum cęlum è ſpiſſo aere ſecreuit. Bis ergo idem inculcat. Non poteſt enim in tanto ſimul vrgente opere non fieri repetitio. Repetit ergo & Moſes in quarto die Solis operationem. Sed carmen confero: Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere
C cęlum. Moſes autem ſecunda die docet cęlum, id eſt diffuſiones, aerias, ſpiritalesque animationes extractas: addo ego, ex aquis. Debet autem ſummopere conſiderari quod ait, liquidum cęlum, ſpiſſum aerem: Oſtendit enim ſubſtantiam cęleſtem eſſe ipſo aere puriorem. Sicque fatentur omnes, ex aquis aerem, ex aere ęthera generari, ętheria verò eſſe cęleſtia lumina. Non mirum igitur, ſi mundi altiſſimas regiones obtinuerunt. Confitentur autem & ipſi ex aquis ęthera creatum, vt annotationes oſtendunt: Simile quid enim eſt ęther, atque puriſſimæ nubes, quę & albeſcunt, & altiſſimis ſedibus immorantur. Faces etiam per inane feruntur. Quo modo autem ſempiternis ſæculorum ętatibus, pares in eadem ſemper varietate teneant curſus, Dei opus fuit, & ſpiritus idem. Idem Poeta iterat tertio quod bis ante dixerat:

Separatũ cœlum à terris.

Ignea conuexi vis, & ſine pondere, cœli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Ouid. ibid.

Cogebatur enim vt ſeries eſſet perfecta, ſæpius idem memorare. Et Moſes cùm primum dixiſſet creatam lucem, ideſt Solem, quarto cum cæteris eum adnumerat, vt eſſet inter ſe apta, & connexa deſcriptio, ne ſeparatim quaſi cæſa membra, moles & ornatus cęleſtis deſcriberetur. Debemus enim naturam in his aſſignandis ſectari, non turbari verbis. Nam tametſi deſcriptio ſequitur operationes, multa tamen ſemel fiunt, quæ ſemel nequeunt tantum commemorari. Natura hanc rationem creationis oſtendit, vt lux fuerit Sol, duoque ſtatim naſcentium rerum riui, alter cęleſtium, alter terreſtrium in duas ſemitas abierint. Neque enim credendum eſt, dum in terra naſcerentur plantæ, fuiſſe cęlum ſine Luna, & ſyderibus. Sed non poterat ſimul vtrũque opus deſcribi. Aſſumpta eſt deſcriptio earum rerum, quæ à prima recreata factæ eſſent.

Nam Luna & ſtellæ non fiunt à Sole, & ſi irradiantur. A Sole autem & aquæ in aerem euaporatæ ſunt, & exhauſta abyſſus, & terræ patefactæ, & ex his calore cõfotis generatæ arbores & omnes ſtirpes. Hæc Moſen deinceps narrare oportebat. Occurrendum eſt autem errori, quem non ſcriptoris quidem vitio,ſed ipſa natura ſolet in his legendis animus arripere. Vt enim videbatur prima die fuiſſe Sol creatus, veritas autem erat, Solem ſiue lucem creatam,diem feciſſe,vt ſecuta poſt Solem,dies fuerit: ſic hac quarta die,qua videntur legenti creata ſydera,Luna,Sol,non in ipſa creata ſunt,ſed his creatis,quarta dies circumacta & abſoluta eſt.Dies ergo quarta,poſt opera,ſecuta eſt, non in die quarta ſunt facta opera, qui ſenſus nõ eſſet niſi animi ludificatio & exorbitatio. Ecce igitur ſic debes intelligere,opus eouſque perueniſſe,vt abſoluto ornatu cęleſti, dies quarta exacta fuerit. Sicque totus ornatus à calce ad caput proceſſerit. Ne videamur autẽ ſomnia, commentitiaſque fabulas, quanquam eſt ratio in promptu eorum quæ dicta ſunt,induxiſſe, & Solem,qui prima die fuiſſet ſatus, quaſi repetitum quarta die fuiſſe, & cætera ſydera cũ Luna, totum illud ſpacium,dum fierẽt,confeciſſe,quaſique rememorationem primi diei,eſſe quartam, nec debere nos his repetitionibus turbari, nonnullas eiuſmodi his ipſis etiam locis oſtendam. Quod & ſi feci ſuperius,addam tamen exempli cauſa,hoc quoque loco. Bis homo creatur,bis in paradiſo ponitur,bis beſtiæ naſcuntur,bis plantatur paradiſus. In quibus eſt etiam ordo præpoſterus. Quòd repetatur hominis creatio ſuperius oſtendi, ſed & ſubiicio hoc loco. Primo capite ſexta die creatur. In ſecundo, Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inſufflauit in faciem eius. Hic tum repetitur humana creatio, tum additur quod fuerat prætermiſſum. Non enim ſexta die ſcribitur, Deum hominem de limo feciſſe, & in eum ſpiraſſe. Quaſi ergo fuerat omiſſum. Sic tametſi omiſſa eſt in prima die commemoratio ſyderum, non eſt ꝙ ſenſum quem oſtẽdimus,id vel tantillum dimoueat loco. Eodem capite ſic legitur: Plantauerat autẽ Dominus paradiſum voluptatis à principio,Hebraicè מקדם ab oriẽte: in quo poſuit hominẽ quem finxerat. Paulopoſt: Tulit ergo Dominus hominem,& poſuit eum in paradiſo voluptatis. Nam prudenter addidit noſter, ergo, cùm non ſit in Hebraico: intelligens videlicet eſſe repetitionem. Primo capite dicitur: Ad imaginem Dei creauit illum,maſculum & fœminam creauit eos. At homo ſexta die creatur, in qua ſi & maſculus & fœmina creata eſt, vtique quod poſtea de coſta narratur, ibi fuerat omiſſum. Eodem loco legitur: præcepitque ei dicens, Ex omni ligno paradiſi comede,& quæ ſequuntur. Hoc præceptum ſimiliter mulieri atque viro datum,certum eſt,at mulier nondũ creata paulo poſt è latere Adam educitur. Ibi dicitur: Formatis igitur Dominus Deus de humo terræ cunctis animalibus terrę. Pro formatis,Hebraicè eſt ipſum verbum formauit. Quod quidẽ ante multo,quàm homo crearetur,factum fuerat. Fit igitur vbique neceſſaria repetitio, & quæ ante narrata non fuiſſent,ſecundæ deſcriptioni relinquuntur: In priore tamen intelligenda. Quæ exempla, cùm ſint vera, cùm non diſcedant à ſimilitudine Solis, Lunæ, ſtellarumq; conditarum, ſic debemus arbitrari hoc opus in primi diei commemoratione prætermiſſum. Solis autem conditionem in quarta repetitã, ſicut in cęteris eſt factum. Dico autẽ ex his exemplis tria de ornatu cęli: Tum omiſſam eſſe in prima die partẽ cęli, id eſt aliorum ſyderum creationem,ſicut pars hominis,ꝙ inſufflauerit,& ipſius mulieris conſtructio. Et vt reuocata eſt poſtea,ſic poſtea reuocatã Lunæ,ſtellarumq; creationem,prius omiſſam. Tum Solem, & ſi primum fuiſſet editus,repetitum eſſe poſtea cum cæteris,tametſi conſtet ea poſt abſoluta. Poſtremo totum opus à primo ad quartum diem dico perueniſſe. Supereſt vnus ſcrupus,qui tantum animum torqueat,de die quarta,in qua hæc creata memorantur, vt ſpacium quaſi temporis certum præfigatur, quem ſic remoueo: oſtendens non in die ea opera facta, vt quaſi narretur hac die factum eſſe cęlum, altera primum ſydus: ſed hunc eſſe veriorem ſenſum oſtendo, his operibus exactis, diei ſpacium circumactum, & abſolutum. Sicque ordinem fuiſſe conditorum, vt neque noctu, neque interdiu, primæ cauſæ ab effectibus producẽdis interquieuerint. Quod ne fieri quidem poterat. Eundemque ordinem cætera opera habuiſſe quem primum opus, quo nato & facto dies eſt ſecuta. Illud verò non ſine maxima admiratione mecum conſidero,quòd Poeta Latinus repertam apud Græcos,ad Gręcos autem à Barbaris tralatam creationem deſcribens, poſt omnem cœli ac terrę, poſt ętheris & aeris, aeriarumque regionum diſpoſitionem, ſtellas ſcribit toto cœlo exortas. Ideo enim demiror, quòd dicitur ab eo, quod traditur à Moſe, qui poſt creationem lucis, poſt aera, poſt ęthera, poſt partas herbas, & ſtirpes, & arbores, affirmat à Deo ſydera creata: Poeta verò,

Vix ita limitibus diſcreuerat omnia certis,
Cum quæ preſſa diu, maſſa latuere ſub ipſa,
Sydera cœperunt toto efferueſcere cælo.

Res certè cõtẽplatione digniſſima. Interpretatur enim Moſen,cuius viderat apud Gręcos theologiam, non illã quidem in libris ipſius Moſis, ſed Phęnicum, Mercurij Triſmegiſti, Orphei. Latebant,inquit, preſſa & occulta ſydera cęleſtia,ſub maſſa,maſſa ſcilicet ętheria,cęlique ſubſtãtia. Aetherium corpus, materies ætheria qualis facum in cęlo volantium,nuper ex aquis abſciſſum, arreptum,ac ſecretum,& in globum protractũ, vt ait Plato, quod ſuper aquis in Theologia Moſis moliebatur ſpiritus,ingeniumve diuinũ. Parata igitur hac ſubſtãtia,& artificio Dei compacta,

qui ſu-

A qui ſubito mirabiles & inſolitos ignes & ſplendores ſępe accēdit,vt ignis in rubo,vt is quo mons Sina ardere videbatur, vt ſplendor de facie,veſtibus eius manans in monte,exorta repēte eſt lux. Interea cōglobata & incluſa,& quaſi in ſua origine,in illa maſſa latentia cætera ſydera, veluti ſua vi & ſponte naſcebantur. Sicut enim creata terra, fuit in ea mox partus fęcunditasque ſtirpium, quæ paulo poſt prodierunt,ſic erant in maſſa cęleſti,nondum quidē nata, ſed paulatim naſcentia & ferueſcentia, certatimq; erumpentia ſydera. Quod opus vſque ad quartum diē,trium dierum interuallo proceſſit, abſolutumq; eſt. Feruebantq; per omne cęlum ſydera, perinde atque innumerabiles lucernæ. Naſcebantur autem è maſſa cęleſti,ętheria,ſicut è maſſa terreſtri ſtirpes. Aſſeritur enim & ab Aſtronomis ſydus in orbe eſſe quaſi nodum in arbore. Vt ergo è terra ſtirpes & animalia,partes ſcilicet quædam terreſtres, condenſatæ in debitas formas fingebantur, & vt ex aquatili materia,quidam denſati humores & coacti,exiguo ſpacio in mirabiles formas euaſerūt, ſic mirabiliter denſatā liquiditate cęleſti,ſtellæ colluxerunt. Idq; fiebat dum certis omnia limitibus diffinirētur. Atque vbi Poeta occupatur in deſcribendis mundi regionibus,qua lege creator eas ligaſſet,Moſes interea,ad maximas generationum cauſas generationeſque ipſas,quod erat potius progreſſus, deſcripſit aerem, & maria in ſinus coacta,terras patefactas, & natos camporum, montiumq; veſtitus, amnium ac riparum, cibos ſcilicet brutorum herbas, hominum fructiferas arbores. Ac poeta quod erat mirabile,& carminibus aptiſſimum,repetēs creationem, multus eſt in deſcribendo aere, æthere, ac cęlo, terræ forma, vt globoſa ſit, flumina,fontes habeat: aere vt ventos,fulmina gignat.Moſes hæc veluti minora minimè moratus,breuibus maximas cauſas cōprehendit. Poeta igitur poſteaquam ſitus aerios ac meliora deſcripſiſſet, demum hæc addidit:

B *Hac ſuper impoſuit liquidum & grauitate carentem*
Aethera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.

Quo dicto, vt è maſſa hac ætheria aſtra creata monſtraret, adiecit:

Vix ita limitibus diſcreuerat omnia certis, Ouid. ibid.
Cum quæ preſſa diu, maſſa latuere ſub ipſa,
Sydera cœperunt toto efferueſcere cœlo.

Non eſt igitur cur miremur, ſi poſt mare coactum, poſt terras apertas, poſt natas arbores, & herbas, dicuntur à Moſe ſtellæ creatæ. Ordine pari, atque æquo, iuſtiſſimoque dicuntur. Cęperant quidem efferueſcere toto cęlo ſtellæ, cùm primum ætheria maſſa,mox Sol eſſet creatus,ſed ne impediretur deſcriptio,naſcentibus ac ferueſcētibus ſyderibus, terreſtria aggreſſus eſt Moſes: Ibiq; non diu moratus, reuerſus eſt ad aſtra, iam nata, iam rutilantia: cum quibus Solē, & ſi iam fuerat ſatus, oportere cōmemorare cenſuit. Nam neque ipſe Poeta, Solem in deſcriptione ſtellarum retulit, quippe quem ante dictum eſſe oportuit. Deſcribit enim ante nata ſydera, fontes, flumina,ſyluas,ventos, quæ omnia ſine Sole fieri non poſſunt. Nec mireris quod Moſes aſſerat Deum ſydera creaſſe, tametſi è maſſa cęleſti pullularēt: proponit enim Deum tanquam cauſam principalem, ſicut in creatione arborum & aquaticorum dixit: Et dixit Deus; Producat terra: creauitque cete grandia: & animam viuentem,quam produxerant aquæ. Sic tametſi dicat; Fiant luminaria in firmamento cęli: intelligenda quoque eſt alia cauſa, è qua ſic facta ſint ſydera, ſicut è terra ſtirpes, ex aquis piſces. Tacet quidem Moſes hanc cęleſtium ſyderum materiam, quòd C eſſet ab oculis remotior, nec intimos & obſcuros philoſophiæ locos tangere decreuiſſet. Eſſe autem quaſi interpretem Moſis hunc Poetam, formamque Moſaicæ Theologiæ eum ſequi, declarat idem apud vtrumque rerum deſcriptarum ſeruatus ordo. Moſes quarta die creat ſydera, quinta piſces, beluaſque marinas, ſexta beſtias terreſtres, & hominem: Poeta quoque eodem ordine, poſt ornatum ſyderibus cęlum,digerens quæque in ordinem.

Aſtra tenent cœleſte ſolum formæque deorum: Ouid. Metamor. 1.
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus vndæ: Die quarta.
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer: Quinta.

Sexta, in qua & homo creatus eſt, lege Moſen: Poeta vero,

Sanctius his animal, formæque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.

Hoc omne traditur à Moſe,animal altæ mētis,ideſt imaginis diuinæ defuiſſe.Et homo ait,non erat,qui operaretur terram. Formatur igitur, vt in omnes accipiat dominatum. Quocirca ſi ſunt vbique ferè ſimiles, certè intelligimus quartum opus à Moſe deſcriptum, cùm deſcribatur idem eodē ordine à Poeta, de ſolis ſyderibus & Luna eſſe intelligēdum. Nam & Poeta, cùm primum fuiſſe chaos prodidiſſet, poſt in diremptione tantæ litis cęlum,ætheriamq; ſubſtantiam,primum factam narraſset, poſt ad ornatū rerum terreſtrium ſe tranſtuliſset, fieri iſta ab eo deſcriptio non poterat,niſi præmiſſo Sole,quē nullo etiam in loco nominat: Moſes autem ſub nomine lucis,rei ſcilicet in omni mundo,vt ait Philon, ἡγεμονικωτάτου, principaliſſimæ. Cuius dictū ſit Moſis interpretatio. Nā ſi natura lucis res eſt in mundo principaliſſima,habēs præcipuū in omnibus locū:

hæc vt cætera dignitate anteit, ſic item creatione & tēpore debuit præcedere. Nulla eſt autē alia lux in mundo niſi Solis, cui dādus ſit principatus: hæc igitur & creari primum debuit,& creatam primum in deſcriptione Moſis debemus credere. Quarto autem loco veluti minoris momenti, quod a Moſe & à Poeta Moſaicæ Theologiæ interprete deſcribitur, fuit aſtrorum multitudo. D

Sint luminaria.

Editio Caldaica quæ dicatur.

SVccurrit editio Chaldaica, id eſt, Biblia tralata quo tempore Hebræi eſſent in Babylone, in idioma illud Chaldæorum ex Hebraico, quartum hoc opus eſſe quaſi primum, vt hic quaſi commemoretur, quod prior deſcriptio tacuiſſet. Eodem ſiquidē nomine vocat opus primi diei, atque quarti. Primi נהורא nehora, ideſt lumen, ſplendorem: quarti נהורים nehorim, lumina, ſplendores, numero multitudinis. Creatur itaque hic iterum cœlum, cum repetitione eorum, quæ fuiſſent omiſſa: ſicut creatur iterum homo, addita ratione creationis, quam prius tacuiſſet. Additur autem in deſcriptione, vt ſint in ſigna, tempora, & annos, & vt luceant ſuper terram, & vt dominentur noctibus ac diebus, lucis & tenebrarum ſpacia moderantia, quorum nihil prius dictum fuerat: ſicut additur in repetitione creationis humanæ, quod finxerit lutum, quòd inſufflauerit in faciem, quòd traxerit coſtam,& tamen dixerat; Maſculum & fœminam creauit eos: & fœminæ creationem ibi non narrauerat. Dicat igitur mihi, qui quartum diem aliorum dierum explere numerum contenderet, an ſi ſexto die homo creatur, pars autem hominis eſt mulier, efficitur altera dies muliere creanda? Certè igitur hæc ſeparare non debet ratio, & ſi ſeparauit deſcriptio, nec ſeparata, debent nos ad inania figmenta reuoluere. In quibus & Hebraiſmus eſt, & omnium ſcriptorum, omnis quotidiani ſermonis crebra conſuetudine vſurpata eorundem enarratio. E

In ſigna.

Zodiacus.

Luna temporum index.

Hymno in Lunam.

SIgna quoque à Græcis ac Latinis ea ſydera dicuntur, quibus menſes, Soliſq; efficiens diuerſa tempora conuerſio, internoſcitur. Et ſignifer is circuitus, quem Sol annuis reuolutionibus totum peragrat. Signaque ea aſtra, ſub quibus incedens Sol, menſes efficit, quanquam hæc ſigniferi (qui Zodiacus, quòd zodia, ideſt parua animalia deferat, dicitur) notatio, nondum erat tempeſtate Moſis vt reor reperta. Vera igitur ſignorum, temporum, feſtorumq; dierum rerumque gerendarum, & ſolēnitatum, quæ Hebraicè מועדים mohadim, monſtratrix eſt Luna. Ab ea certiſſima rerum gerendarum, omniumque humanarum actionum ſigna & indicia colliguntur. Hinc Heſiodus & totius agricolationis, & aliarum humanarum actionum ſigna, notat ex Lunæ crementis & decrementis. Et Homerus eadem prorſus ratione loquitur de Luna atque Moſes:

> Τέκμωρ δὲ βροτοῖς καὶ σῆμα τέτυκται.
> *Indicium fuit, & ſignum mortalibus ipſa.*

Solis munus.

Propriè igitur hæc de Luna dicuntur, Solis munus eſt lux, idq; ei datum à principio, & hic idē officium confirmatur. Quare falluntur ac ſupra quàm dici poſſit mentiuntur, qui ex hoc loco, ſigna rerum futurarum iudiciariamq; aſtrologiam defendunt, & peruerſiſſimè locus ab eis interpretatur, vt quod de agris & feſtis ac celebritatibus ſcriptum fuerat, nulla prudentia, ad bella & fœdera, ad dies fœlices & infœlices ab eis transferatur, imprudentiſſimè ſcilicet à corporeis ad incorporea, ab exterioribus humanæ vitæ, hiſque non omnibus exercitationibus, ad ſecretos & diſtantiſſimos motus animorum aſcendentibus. Deus autem per prophetam admonet. A ſignis cœli nolite timere, quòd ſcilicet eſſet metus vaniſſimus, & falſa ſuſpicio: optimèque hos irridet Apollinarius, οὐ γὰρ θείων ὁρισμῶν ἀστρολόγοι γνῶσιν ἔχουσι. Non enim ſciunt diuinas diffinitiones aſtrologi. Stent, ait Propheta, & ſeruent te aſtrologi. Signa ergo ſunt agricolis, vt ait Heſiodus, nautiſque, vt Auguſtinus, cæteriſque rebus, in quibus temporum, ideſt ſereni, nubili, pluuijque, frigentis, vel calentis neceſſaria eſt obſeruatio. Sol quoque & exoriens & cùm ſe condet in vndas, ſigna dabit, ait egregius poeta. Signa Didymus ea quæ leguntur in ſcripturis, vt ſtella Magorum: Signum Sol manens immotus ſub Ioſuhe, ſub Eſaia retrogradiens. Item ſigna nauigantibus, arantibus. Baſilius, ventorum, ſiccitatum, hymbrium, ſignum exitiale cometæ, pluuiales hœdi, aquoſus Orion. Philon, ſigna rerum futurarum ſyderum ortu, occaſu, deliquijs, occultationibus, frugum prouentus, caritates annonæ portendi, fœtus animalium, interituſque, ſerenitates, cœlum nubilum, ventorum tranquillitates, aut violentias, fluuiorum inundationes, aut exhauſtus, maris tempeſtates, aut tranquillitates. Quatuor temporum mutationes, frigidas æſtates, aut ardentes hyemes, aut veris autumnantis, aut autumni vernantis. Iam & terræmotus, & alia multa ſigna ex aſtris accipi. F

Et tempora.

Tempus.

Editio Syra.

CVr diebus & annis commemoratis, menſes tacuerit, hæc videtur ratio, quod Moſes reſpiciens in conſuetudinem legis, & mandata quæ condidiſſet, cùm hæc ſcriberet, voluit mēſes deſignare, cùm dixit, tempora, Hebraicè מועדים mohadim, qua voce cuiuſque menſis celebritates denotantur: quāquam Chaldaica tralatio, quæ in declaratione Hebraiſmi ſic vſui eſt, ſicut olim Græcis neſcio quæ Syra editio, alijq; Græci interpretes, in qua Hebraicorū verborum proprietas

Psal.103.

Occaſio.

A ſæpe clareſcit, pro moadim tranſtulit זמנין zimanin, id eſt tempora, ſed ſtata tempora, & cerimonias intelligit. Nam & Pſalmus: Fecit lumen in tempora: quo loco eſt moadim. Ex quo perſpicitur, quod ſuperius demonſtrauimus, hæc omnia, vt ſint in ſigna, tempora, & annos, propriè de Luna fuiſſe dicta, non de Sole, cuius ſit munus tantum præbendæ lucis: Iſtam autem deſcriptionem quartæ diei propriè eſſe Lunæ. Præclarè autem diffinit tempus, & huic loco maximè conſentaneè auctor Latinus: Tempus, inquit, eſt id quo nunc vtimur. Nam ipſum quidem generaliter diffinire difficile eſt, pars quædam æternitatis, cum alicuius annui, menſtrui, diurni, nocturnive ſpacij certa ſignificatione. Intelligitur etiam hac voce Occaſio, quæ eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. Hoc addidimus ad ea, quæ in annotationibus habentur.

In firmamento cœli.

Cœlum.

Firmamentum.

PRo firmamento eſt ſolita diffuſio in Hebraico, quam propriè aerem eſſe docuimus. Quemadmodum autem & Latini aerem, & orbem cęleſtem appellant cęlum, ſic in ſcripturis ſacris, vterque vſitatiſſimus eſt ſignificatus: poſſumusque arbitrari (vt ſupra demonſtratum eſt) vel in ſublimibus aeris regionibus dicere Moſen, opificem lumina poſuiſſe, vel ipſi extenſo orbi affixiſſe. Totos autem ſupernos tractus ſolitum eſſe cęlum appellari, omnis quotidiani ſermonis conſuetudo teſtatur. E cęlo fulmina deſcendere, delabi cęleſtes hymbres, per cęlum ferri ventos, ſalubre, noxiumque cęlum, variare & fingere cęlum humana ingenia. Nam cęleſtes orbes à nemine videntur. In cęlo igitur poſita ſydera, quaſi in altiſſimis regionibus, quantum acies oculorum ſurſum extenditur ſcriptorem dicere, poteſt ipſa conſuetudine probari. Taliſque erit hic B locutio, qualis cùm Deuteron. cap. 4. dicitur: Ne faciant imaginem iumentorum, vel auium, ſub cęlo volantium: quo loco Hebraicè eſt, Auium quæ volant בשמים in cęlo. Quam prudenter noſter locutionem mutauit. Sic in cęlo ſunt ſydera poſita, ideſt in ſublimi regione. Itaque quod alibi admonuimus firmamentum in ſcripturis, non eſt vt creditur, & ab indoctis prædicatur, octaua ſphæra, quæ Græcè ἀπλανὴς aplanes; in contrarium videlicet, quàm ſeptem planetæ, id eſt errantes, tendens, ſi quidem ad alia, hoc loco ſcribitur, Sol, Luna, ſydera, poſita in firmamento, cùm Sol & Luna procul infra firmamentum, omnium philoſophorum & aſtronomorum teſtimonio, ſuis orbibus deferantur. Quapropter vel de tota ſublimi aeris regione, vel tota cęli compage eſt ſermo. Nunquam autem ſeparatim orbis & ſydus nominantur.

Et illuminent terram.

Deuter. 4.

Aſtra pro Diis perperam habita.

Ad quid cœlũ creatum.

TReis habet cęlum res, lucem, calorem, motum, propter duo tertium, non quòd vlla ex eo terris vtilitas. Deferente ergo motu lumina circum terras, fit id quod diuinum oraculum declarat: ne fortè, ait, eleuatis oculis in cęlum, videas Solem & Lunam, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cęlo ſunt. Quem locum & ſi ad ſenſum prudentiſſimè vertit interpres, id tamen quod tranſtulit, creauit, Hebraicè ſignificantius eſt, חלק, ideſt diſtribuit, diuiſit, partitus eſt, communicauit. Hoc inquam facit motus, cuius circumactu lumina rotata, omnibus cęlo ſubiectis gentibus, æqualiter diſtribuuntur, cunctis, ver, æſtas, autumnus, hyemſque adeſt. Non ſunt multæ terræ, quæ vel appulſu Solis nimio, vel longiore diſceſſu, crementur, aut frigore torpeant. Ecce ſeſe, ſuaq; conC ſilia declarat diuina ſapientia, cur Solem, & Lunam, & ſtellas cęlo ſuſpenderit. In Hebraico quidem non eſt, In miniſterium, licet ſit intelligendum: ſed habet; Quæ partitus eſt, ſiue communicauit Deus cunctis populis. Propter vtilitatem igitur omnium populorum, quæ vera eſt de cęlo luminibusque illis philoſophia, ſunt aſtra creata. Quod cùm eo loco in Deuteronomio, tum verò hoc ipſo expreſsè declaratur. Vt luceant, ait, ſuper terram: Is finis, hæc gratia. Motus autem datus eſt propter lucem & calorem: Lux autem præcipuè, non calor memoratur, quòd hæc ſpiritualior & communior, & dignior. Ea omnis vita regitur, hac humanæ operationes diriguntur. Tale inter lucem & calorem differt, quale inter calorem animantis & ſenſum. Solus enim ſenſus, licet ſine calore ſenſus eſſe non poſſit, in animali quæritur, & deſideratur à natura. Iam voce Hebraica, quæ lucem declarat, ſimul etiam calor intelligitur. Vnde Or, ſiue Vr, & lux eſt, & fornax, vt Vr Chaldæorum. Quare qui dicit luminaria, dicit & quæ luceant, clareſcant, atque flammeſcant. Philoſophos igitur coarguit ipſa philoſophia, qui cęlo quod propter vtilitatem, neceſſitatemque humanæ vitæ pulcherrimis aſtris decoratum eſt, quoad omnis vſus exigeret, diuinitatem vendicauerunt, aſſerentes hos motus ęternos, non niſi ab ęternis ſapientiſſimiſque mentibus poſſe regi. At vera philoſophia, non philoſophia Platonis & Ariſtotelis, docet propter homines cęlum creatum. Prohibeturque idololatria cœleſtis, ne fiat quod aiunt, ἄνω ποταμῶν. Nam cùm propter humana commoda, & quaſi in miniſterium ac famulatum, & vt vſibus humanis deſeruirent, ſint lumina cęleſtia creata, nos ſi contra ſeruiremus illis, pergerent quaſi flumina retro. Quis ergo non miretur fęlicitatem hominum, & indefeſſa voce non laudet creatorem, quem terras, omniaque terreſtria nobis feciſſe dubitare quidem non poteramus? cęlo autem, quod videbatur incorruptibile, & diuinum, propter mirabiles, conſtantiſſimoſque motus, nemo ferè erat, qui non nefarium ſcelus duceret, vt Plato dicit, non adſcribere diuinitatem, honoresque diuinos tribuere quaſi ſeruatori, datori omnium bonorum. Vera philoſophia errorem detexit, & indicauit, contrà cœlum eſſe homini debitorem, eſſe ſeruum & miniſtrum, perinde atque ignem & aquam, iumenta, quorum vtimur obſequiis. Sic homo lætari, fœlicitateque gloriari ſua debet, cùm videat omnia ditioni ſuæ latè parere, ipſum etiam pulcherrimum cœlum. Gratias agamus ei, qui falſos & impios philoſophorum errores detexit & coarguit. His enim teſtimoniis & fabulæ Platonis, qui ait in Epinomide, Τίνα δὴ καὶ σεμνύνων ποτὲ λέγω θεόν, ὦ μεγιλλέτε, καὶ κλινία, σχέδον οὐρανόν: τόδε καὶ τῶν ἄλλων αἴτιον ἀγαθῶν πάντων ἡμῖν αὐτὸν γεγονέναι, πάντες ὁμολογοῖμεν. Quemnam potiſſimum veneratus Deum dixerim ò Megille & Clinia? Certè ipſum cęlum Quod omnium nobis cauſam & auctorem bonorum, nemo eſt qui non fateatur. Ariſtoteles autem in metaphyſicis cùm ad ſummam diuinitatem aſpiraret, ad cœleſtes motus ſubſtitit, eosq; potiſſimum Deos approbauit. Hæc igitur commemoraui, quoniam hic expreſsè docemur, ad vtilitatem, ad lucendum facta eſſe ſydera, vt quod faciunt ſit miniſterium, ſicut aliorum corporum, ignis, aquæ, terræ, quæ & ſi nos iuuant, non tamen veneramur, nec venerari debemus. Sed ſi cœlum videri ſicut hæc terreſtria potuiſſet, intellectum fuiſſet, motus illos eſſe naturales, non ab aliqua intelligentia, ſed machina ſic à Deo inſtituta, profectos.

A

Duo luminaria magna.

Stellas nō eſſe maiores Sole, & Luna.

EX his fortè poſſet probari eos errare, qui ſtellas Sole Lunaque maiores contendunt: Duo enim luminaria magna tantum. Tum ratio coarguit, ſi ad illuminandas terras Sole & Luna erat ſatis, non debuiſſe maiora lumina fieri, a quibus neque calor, neque lumen abunde ſuppetit. Solus ornatus quæſitus. Fieri quoque non poſſet, ſi tanta eſſet ſingulæ cuiuſque ſtellæ magnitudo, vt ne lux eſſet & quantus quantus ſit calor terris manifeſtior. Eſt fortaſſe probabile, orbem ſtellarum eſſe Solis ac Lunæ altiorem, & longè minores ac ſint, has nobis videri: ſuperare autem eas magnitudine Solem, non eſt credendum. Sint igitur ſtellæ maiores, quàm nobis videantur: lumina maiora dicta ſunt Sol & Luna tantum, non ſolum reſpectu noſtrorum oculorum, ſed etiam naturæ, reſpectuque ſui, vt ait Beda, & ſtellarum.

B

Luminare maius.

Sol Luna maior.

Sol an maior terris.

Sol mundi oculus.

SI magnitudinem Solis ac Lunæ oculis metiamur, non videtur Sol maior Luna. Sed non ſenſibus ſolis, ſæpe fallacibus, verum & rationi ſimul credendum eſt. Cum ratione Theologia quoque conſentit. Ea autem eſt ratio Solem eſſe Luna maiorem, quòd tantam oporteat eſſe Solis magnitudinem, quanta ſplendore totam Lunam, quæ non natura, ſed lumine Solis refulget, comprehendēs, ſtellas quoque illuminet circunquaque ſparſas. Quod fieri non poſſet, niſi eſſet maior. Maior quoque dicitur, quaſi regius, quaſi auguſtior, clarior, venuſtior, principalior. Tria conſtat efficere Solem, ex quibus magnitudo, pulchritudo, poteſtasq; eius intelligatur. Illuminat terras, illuminat Lunam, illuminat ſtellas eodem tempore. Tantamq; eius neceſſe eſt eſſe lucem, quanta primum terras procul, id eſt vnum hemiſphærium, tum ſpargens radios in Lunā, exuperansq; eodem fulgore Lunā, in omnes circum ſtellas euibret. Veluti ſi lucerna procul emicans, treis deinceps res illuminet. Idem facit autem Sol in Lunam, atque in terras. Vt enim terrarum latè ſpatia larga luce complet, ſic inuectus in latiſſimam Lunam, eodem tempore eam, quo & terras colluſtrat. Ex quo perpendimus radios Solis eſſe eximiæ virtutis, tantumq; habere curſum, vt in terram eiaculati, in medio quaſi ſpacio exiſtant, tum delati potenter ad alterū cęli hemiſphærium excurrant. Ex quo clarum eſt, eum non terras ſolum, ſed totum etiam cęlum vndique luce ſua, veluti totius mundi lampada, complere, quæ totùm templum, & ſi qua in medio penderent ſigna, vel tabulæ pictæ, aut aliud viſendum opus, tum laquearia ſurſum deorſumque omnia contingeret. Quod exemplum facilè declarat, quantus Sol exiſtat, non terris, vt mea fert opinio, maior, fortaſſe à ratione non aliena. Vt enim vna parua lampade totum cubile inclareſcit, ſic vaſta quidem illa, ſed ad terras non vaſta, luce Solis, cœlum & terræ niteſcunt. Maior eſt enim ſine cōparatione res illuminata, quàm illuminans: cùm res illuminata ſit corpus infra certas menſuras præſcriptum: lumen ſpirituale quiddam longè latèque excurrens: Egrediturque à corpore luminoſo, lux ipſo corpore incomparabiliter latior, quemadmodum exigua acies oculorum, vno intuitu, cœlum & terram comprehendit. Oculus eſt quaſi totius mundi Sol, corpore quidem non vaſtiſſimus, ſed plurima luce, & ſua virtute ac dote, maximus. Incredibiliter luce, quàm corpore maior. Iam ſi Sol eſſet tota terra maior, vt Plato in Epimonide; Τὸν γὰρ ἥλιον ὅλον, τῆς γῆς ὅλης μείζω διανοηθῆναι δυνατὸν, ὀρθῶς. Solem totum, tota terra maiorem rectè nos arbitrari poſſe. Marcusque ſecutus ex ęthere, inquit, innumerabiles flammæ ſyderum exiſtunt, quorum eſt princeps Sol, omnia clariſſima luce colluſtrans, multis partibus maior atque amplior quàm vniuerſa terra. Et Anaximander Solē dicitur exiſtimaſſe, ὀκτὼ καὶ εἴκοσι πλασίονα τῆς γῆς. Viginti & octo vicibus terra maiorem. Quod quidem credendum, ſi ipſe metitus eſſet, oculisq; propius aſpexiſſet. Si hæc inquam eſſent, non lateret terras hæc tanta vaſtitas, videreturq; profecto maior. Dices fortaſſe eum adeo ſublimaſſe opificem, vt aufugiat oculos magnitudo. Quod duabus rationibus reprobatur: Qua enim gratia eo vſque ſeparaſſet à terris, an ſcilicet, ne proximus terras inflammaret? Erat ergo melius eum & minorem facere, & terris admouere propinquius.

C

A pinquius. Fruſtra enim tanta magnitudo parata fuiſſet, ſi ne terras concremaret, remota eſt. Tantopere autem illuſtratæ à minore luce, & idcirco propiore terræ fuiſſent, quantopere à vaſta illa, ſed ne nimia tum luce, tum calore exuperante læderet, à terris ſubmota. Tum ſi tantus eſt creatus, tam exiguus apparuit, fieri non poteſt, quin à terris ad cœlum infinita propemodum eſſet diſtantia. Et tamen ſi non certiſſimis rationibus, optimis certè coniecturis ambitum cœli conſtat non eſſe maximum. Par eſt quidem Solem eſſe maximum, vt qui tantum abſens, tantum conficiens iter, moueri tamen non ſentiatur, quod infinitam penè diſtantiam indicat, diſtantia autem arguit magnitudinem. Verum etiam Luna, non videtur moueri, quam tamen omnes fatentur terra minorem. Vidi autem ego ſæpenumero media in nocte, ſubito exigua nube vt fit, cùm ſero vel noctu collidunt ſeſe, omnem ſubiectum tractum, quemadmodum in media die fit à Sole, illuminari. Diffuſaque luce copioſa ex paruo nubeculæ corpore, maxima terræ ſpacia compleri, nulla vt ad magnitudinem, ſubito illuminatarum terrarum, cum magnitudine nubis, quæ lucem deſuper accenſa profudit, ſit proportio. Vidique nubeculam tenebris horrentibus ſubito inflammatam, detegere mihi ante oculos circunquaque terras, campos, arbores, ſemitas, ędificia. Quod ſi exiguæ nubeculæ corpus, magna terrarum ſpacia, perinde luce larga complet, vt altiſſimus Sol implet lumine terrarum orbem: eo perſpicuum fit, ad illuminationem terræ, non tantam corporis luminoſi molem Deum feciſſe, quanta eſſet ipſa terra: Tantoque eſſe ſolare corpus magnitudine terrarum minorem, quantum breui lumine poſſunt maxima ſpacia colluſtrari, vt corpus illuminatum & illuminans, nulla queant inter ſe menſura ponderari. Nam & ſi, vt Homerus ait, verum ſit, Solis luce exorta, cœlum, id eſt, vt ille ait:

B Οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον, ἵν᾽ ἀθανάτοισι φαείνῃ, — Iliad.ε.
Καὶ θνητοῖσι βροτοῖσι ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.
Extulit in cœli ſe vt dijs appareat, oras
Mortales, videantque illum terræ ſuper aruis.

Verum inquã ſit, corpus à Sole illuminatum eſſe, non modo terras, ſed totum vndique mundum, ad cuius magnitudinem Sol illuminans ſit minimus: certa tamen ac fixa creatoris mẽs fuit, vt Sol irradiaret terris, eaque eſſet propria ſedes radiorum. Itaque ſi paruo corpore poterant incommenſurabiliter latiores terræ colluſtrari, eius magnitudinis lampada par eſt à Deo fuiſſe inflammatam, quanta caperet luce ſua, pauloque etiam magis in vnoquoque finitore, terras. Venientes ergo à minore luce, & à minoribus ſpaciis, ad lucem maiorem, maximaque ſpacia, horumque inter ſe proportiones componentes, poſſumus ſic decernere, vt ſi nubeculæ exiguũ corpus magnitudine puta vnius iugeris, multa iugera terrarũ circunquaq; adeo illuminat, vt non minus atque in media die, omnia ſubito clareſcant, ſic multa iugera terrarum, à longe minore Sole illuceſcere. Certum quidem eſt Solem circum terras rotatum, ſemper earum dimidium, vnumve hemiſphærium illuminare. Quòd ſi verum eſſet, quod tradit Ariſtoteles, ſupputari à mathematicis craſſiciem terræ, quadraginta myriades ſtadiorum, id eſt ſtadiorum quadringenta millia, hemiſphærium eſſet ducenta millia. Tantoq; ſpacio Solem eſſe minorem exiſtimandum eſſet. Sunt quidem magnitudinis Solis, vt Beda ſanè bonus Theologus ait, cùm alia, tum vero illud clarum argumentum, quòd omnibus idem orbis eius videtur, qui ſi minor aliis, cæteris maior appareret, C exiguum eum eſſe id cõuinceret. Conuincit quidem id eum eſſe maximum, ſed terris maiorem, non conuincit. Tùm qua tandem ratione fieri poſſe putauit, vt aliis minor, aliis maior videretur? ſi terra in medio ſita, Sol & ſydera per certos, & æquales cęli ambitus deferuntur. Si fit in monte lampas, & à populis circum æqualiter diſtantibus videatur, eadem, parq; ab omnibus videretur. Sed fortaſſe id reſpexit, ꝙ tametſi in medio ſit terra, ſunt tamen quibus ſuper verticibus fertur Sol, velut his qui ſunt Syenæ, & vltra tropicum Cancri, quos propiores eſſe ſoli neceſſe eſt. Nec ſolus æqualis ambitus cœli eſt conſiderandus, ſed etiam terræ craſſicies, & ſumma ſuperficies, quam multa circum millia patere oſtenſum eſt. Quo fit, vt Sol magis diſtet à nobis, cum eſt in ortu, vel occaſu, quàm cùm in meridie. Nam non ſolum abeſt illo ſpacio, quod eſt infra cœlũ & terram, ſed etiam quod patet à nobis ad finem horizontis. Sed hoc reſpectu diſtantiæ cęleſtis, nihil propemodum eſt. Sic idem Sol & nobis videtur cum ęſtate propior, atque hyeme, cùm longinquior, quod apud nos maximas facit mutationes, eoque neceſſe eſt, magnum interuallum eſſe à Sole ęſtiuo, ad hyemalem. Quòd ſi, vt perhibent multi, lucis magnitudo teſtatur Solem maiorem tota terra, non obſtabo pertinaciter. Nam rationes Plinij facilè mihi videntur poſſe diſſolui. Illud quidem de calore Solis & luce ſolet interdum ſuccurrere, an Sol albeſcat, vehementerq; caleſcat, quòd ab orbe ſuo deuectum lumen eius tranſit in terras, per orbes inferiorum planetarum, ſaltem Lunæ perſpicuum ac quaſi cryſtallinum, in quem radij Solis immiſſi, colligant ſeſe veluti in corpore denſiore, ex quo denſati, & clariores ſint in terris & calidiores, ſicut videmus fieri, ſi quando Sol per cryſtallum, aut vitrum tranauerit, à tergo vt redditi radij longè clariores & calentiores cernantur, vt mirum ſit, & lætiſſimum lumen. Fieri autem non poteſt, quin Solis & Lunæ ſit proprius orbis à quo deferantur, ſi ſtemus aſtronomorum, philoſophorumq; iudiciis, cẽſentium multos eſſe orbes, ibique peculiarem eſſe orbẽ, vbi peculiaris ſit motus.

Ex quo & ſeptem planetarum, ſeptem eſſe orbes ſeorſum aſſeuerant. Ac fieri poteſt, vt Solis in regno ſuo nullus ſit calor, vt cenſet Ariſtoteles, ſicut cum non ſint ignei radij eius, tamen in corpore perſpicuo recepti, fiunt ignei, non ſecus atque ignis comburentes: eodem modo à regno Solis radios non calidos venientes, ſed in cryſtallina lunaris orbis denſitate receptos, ſparſoſque per orbem, & inde in terras delapſos, calidos fieri. Vidi ego Solem, per phialam plenam aquæ penetrantem, admotam à tergo materiam penè accendiſſe. Sicque poſſe diſſolui, quod & Ariſtoteli fieri non poſſe videbatur, vt Sol eſſet calidus, vt caliditas eius aliunde proueniat. Ille quidem ait aerem vehementi cœleſti motu circum aerem, inflammari, fortaſſe per orbes alios penetrantes perſpicuos radij fiunt calidi, denſari, & albeſcunt, ſicut lumen Solis aut lucernæ per cryſtallum tranſiens fit lucentius, & calor eſt maior. D

Ut præeſſet.

AN tropus & is Hebraicus eſt dicere de ſyderibus ea regnare ac dominari, quemadmodum habet Hebraicum לממשלת lememsheleth, hoc eſt in dominatum, ſicut ſydera, ſtellaſque ipſas cœleſtes, ſolent cœli exercitum appellari? Dicitur enim omnis cœleſtis ornatus צבא zaba, id eſt exercitus, militia. Huius exercitus duos fortaſſe dominos ac principes, qui cæteros magnitudine corporis & luminis antecedant, prætendunt eodem tropo. Fortè regem diei atque autorem, ſiue operum diurnorum rectorem Solem, nocturnorum Lunam, quam noctilucam, decus noctis, reginam cęli, idololatræ quondam dicebant, Iulianus Solem βασιλέα regem in hymno nuncupat, ſimiliter aſtrologi: ſed vt hic veritas, ſic apud illos ſuperſtitio. Tullius item. Ex æthere, ait, innumerabiles flammæ ſyderum exiſtunt, quorum eſt princeps Sol, omnia clariſſima luce colluſtrans. Sic auctor Latinus principem appellat Solem, ſicut ei dat Moſes dominatum. E Præſides ergo diei ac noctis hæc duo ſtatuuntur, tanquam duces ac rectores, quorumque ductu & ſignis terrena regantur, vt quaſi ſigniferi nobis ſint ac ductores, ſicut ſtella Magos, columna in deſerto ductabat Hebræos. Et vt de cardinibus, & his quæ circum polum ſunt, vt de Cynoſura ſiue Helyce.

Hac fidunt, duce nocturna, Phœnices in alto.

Dominari ergo ac præſidere dicit ingredi ante oculos, iterq́, oſtēdere, ac duces eſſe diei ac noctis. Idemq; eloquentiæ princeps in ſomnium, de Sole, moderator & princeps luminū cęterorum.

Luminare minus.

HEbræis, qui aſtrologis Arabiæ aſſenſerunt, omnes ſtellas & planetas, Venere excepta, maiores eſſe Luna: Lunam autem apparere maiorem, quia ſit terris propior, niſi certas ac probatas ſuper eo rationes attulerint, aſſentiri non debemus. Eſt enim locus iſte in contrarium, qui plurimi faciendus eſt, quo duo tantum maiora lumina eſſe feruntur. Tum ipſa ratio non conſentit, vt ſydera, quæ tantum ornatus cauſa, Sole & Luna ad vtilitatem creatis, ſunt reperta, tantam habeant corporis vaſtitatem. Certè & eorum lumina in cœlo maiora refulgerent, ſi hoc eſſet. Quid autem prodeſſet vaſtitas, ſi neque vtilitatem afferret, neque venuſtatem non viſa? De magnitudine corporum cęleſtium, vt nulla certa poteſt eſſe veſtigatio, ſic certa & expreſſa eſt temeritas pronunciare quantum vnumquodque ſit. Poteſt quidem augurari & coniectare animus ea eſſe magna, eſſe maiora alteris altera. Sed hic quoque fallaciſſimis omnia ſunt erroribus expoſita. Luminare igitur minus eſt Luna, propter Solem, à quo irradiatur, eoque infima eſt, F proximaque terris, vt radios Solis propior melius exciperet. Eſſe autem Lunam tum corpus denſum, non perſpicuum ac tralucidum, tum Sole inferiorem declarant Solis eclypſes, quas Luna Soli ad lineam rectam oppoſita efficit, vt penè dimidius ſplendor Solis videatur. Si igitur Sol eſt longè Luna ſuperior, vt probat exemplum, & ſi tantas in ea diſtantia videtur, quanta Luna, certè hoc palam teſtatur Solem, & Lunam eſſe duo maiora lumina, ſed Solem eſſe Luna maiorem. Nam quanto ſunt res longinquiores, tanto minores videntur. Si Sol eſſet Lunæ æqualis, minor videretur, quia remotior. Sint autem duæ lampades, vna proxima, altera remotior, ęqualis autem magnitudinis oculis noſtris videantur, proculdubio longinquiorem illam, conſtat hac propiore eſſe minorem. Si poſſet autem ſciri quantum diſtet Sol à Luna, quanto quoque eſſet Sol Luna maior, ſciremus, ſed poſſe ſciri deſpero. Illud quoque arguit Lunam eſſe Sole minorem, quòd ab eo illuſtratur, Lunamq; quaſi lucentem luce aliena dictam putant, quāquam id non omnino probat exceſſum. Hoc loco admoneo Solem & Lunam hic non fuiſſe propriis nominibus nuncupatos. Sol dicitur Hebraicè שמש shemesh, Luna ירח Iareach, quę nomina iſto loco non habentur. Ex quo intelligimus, id quod fuit primo creatum, eſſe id quod repetitur quarta die. Tam enim illic non proprio nomine, quàm hic non appellatur. Appellantur autem ab vna præſtanti, diuinaque facultate, lumina, luces. Mirabilis autem, quæ eſt in calore Solis & Lunæ, virtus non commemoratur, aut quia eſſet abſtruſior, oculiſque remotior, aut quia minus honorifica. Nam tametſi ſine corde ſpiritus generari, vita ſuſtineri non poſſit, dignior tamen & pretioſior corde & phantaſia & ſenſus. Sic tametſi ad vitam ſit calor neceſſarius, ſpiritualior tamen, diuiniorque eſt lux: Et res ad perfectos animantes, perfectiſſimaſque operationes pertinens, calor autem ad inchoationem, ac rudimentum. Tum lux ad ſenſus puriores, calor ad corpus &

Luminare minus.

Sol maior Luna.

pus &

A pus & corporeas congeries: operaturque lux ſpiritualiter, calor corporaliter. Sunt aliæ rationes, quibus intelligitur in omni re corporea, quæ ad vſum ac vitam ſit neceſſaria, dignitate ac venuſtate & vtilitate lucem eſſe primorem, idcirco ante omnia creatam, quia cuncta natura anteit. Cuius nomine cùm cœleſtia corpora nuncupentur, liquet eius cauſa ea eſſe creata. Luminare autem dicitur Hebraicè מאור maor, quaſi illuminator, & Græcè φωςήρ. Ergo duos magnos illuminatores Deus creauit.

Et ſtellas.

DEſcripſit noctium ac dierum diuidendorum Solis & Lunæ munera, quo commemorato, quaſi ad aliud diuerſum tranſiens, ait, & ſtellas. Ex quo probatur, luminis fundendi munus eſſe Solis & Lunæ, non ſtellarum. Quæ tametſi luminoſæ ſunt, non eo tamen vſque luminoſæ, vt ad euincendas tenebras ſufficiant. Venus quidem exiguum iacit lumen, vt vmbram in eo corpus efficiat. Quod autẽ addit & poſuit ea (ſic enim legendum eſt, non eas, ne ad ſolas ſtellas pertinere videatur) in firmamento cœli, vt diuiderent, ad Solem & Lunam referendum, de quibus omnis ſermo fuerat: ſtellarum autem tanquam appendix addita, & ſtellas. Mirabile autem eſſet, cur de Sole & Luna multa dicantur, ſeptem planetæ nominatim non exprimantur, niſi videremus certum huius philoſophiæ conſilium: è tribus rebus in cęlo pulcherrimis lumine, calore, motu, priorem præcellentem, totam ſpectare deſcriptionem. Tenebrarum enim ſuper abyſſo inſidentium, inducta eſt mentio, de die ac nocte, varius multiplexque ſermo. Nam nihil fuit luce, quæ tenebras illas horribiles ſuſtulit, mirabilius, ob hanc cauſam ſtellæ à quibus nec dies efficitur, nec noctes admodum illuminantur, & tanquam minores & aſſeclæ ſunt duorum B principum, particulariter non deſcribuntur. Atque planetæ ſolo ferè motu ſunt mirabiles, lumine vix à cæteris ſtellis dignoſcuntur. Lumen autem Solis & Lunæ, noctes & dies illuminat, tenebraſque repellit, motus autem horas, dies, menſes, & annos, & tempora efficit. Quorum nihil fit à ſtellis ſiue his quæ ἀπλανεῖς, id eſt non errantes, dicuntur, ſiue planetis, quos errones Latini dixerunt, ipſumque nomen, eorum proprietatem, naturamque declarat, quæ omnis in motu, non in lumine eſt. Vt autem illa duo à lumine, veluti natura, fineque ſuo illuminatores ſunt appellati, ſic ab errore, id eſt per varios cęli tractus vagatu, iſti. Superiores autem à contraria natura vocati ſtantes, non quidem quòd non moueantur, ſed quòd vnam perpetuò ſedem, contra quam illi ſeptem, tuentes, ad vnum curſum moueantur. Tacetur ergo motus, ſola lux potior, regalior nominatur. Sic quoque omnes, qui Solem & Lunam laudabant, tantum pulcherrimæ lucis meminerunt. Homerus:

Hymno in Solem.

- Λαμπραὶ δὲ ἀκτῖνες ἀπ᾽ αὐτοῦ,
Αἰγλῆεν στίλβουσι, παρὰ κροτάφων τε παρειαὶ
Λαμπραὶ ἀπὸ κρατὸς, χαρίεν κατέχουσι πρόσωπον
Τηλαυγὲς, καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔθος.
Formoſi affulgent capiti radÿ, ora, genaſque
Inſignit nitor, & facies cum vertice, crineſque
Elucent, ſplendorque & gratia corpore toto eſt.

De Luna quoque ſimilia, quam à ſolo nitore collaudat.

C Hymno in Lunam.

Ἧς ἀπὸ αἴγλη γαῖαν ἑλίσσεται οὐρανόδεικτος
Κρατὸς ἀπὸ ἀθανάτοιο, πολὺς δ᾽ ὑπὸ κόσμος ὄρωρεν,
Αἴγλης λαμπούσης, στίλβει δ᾽ ἀλάμπετος ἀήρ,
A qua telluri nitor emicat actus ab axe,
Vertice ab æterno, totus citatur & orbis,
Lumine fulgente, atque aer clareſcit opacus.

Nec motum nec calorem hic agnoſcit Homerus, nimirum quia vera gratia in lumine ſolo. Ideo & à Moſe vocatur lux, luminare, vel illuminator.

Producant aquæ.

REs perſpicua, quo ordine, poſt cæteras operationes, poſt certum ac naturalẽ neceſſariumq; præteritorum dierum, numerum, ſecuta ſit animalium aquaticorum terreſtriumq; creatio. Nam cùm poſt primas origines terram & aquam ab ingenio diuino repertas, orta eſſet ab eodẽ, lux, id eſt omnium futurarum generationum inſtrumentum, qua fecit vniuerſa, quæ conſecuta ſunt, opifex, tum ex aquis aerij vapores ſe ſupra terras à Sole rapti extuliſſent, eodemq; tempore & aquæ, in latebroſos ſinus recederent, & terræ caput madidum extollerent, nec ipſæ terræ à producendo, nec aquæ, Sole, & fęcunditate primordiali, omnia in lucem vocante, ceſſabant. Itaque terræ facili de genitali vtero ſuo, herbas primum, paulo poſt arbores, non longè poſt beſtias & reptilia generarunt, generataq; in lucem ediderunt. Interea dum terra patefacta ab aquis, plantas produceret, dum operi cęleſti à principio inchoato ſupremam manum Deus imponeret, aquæ quoque non ceſſabant. Itaque & ipſæ paſſim feruentes, omnigena naturæ ſuæ monſtra procrearunt. Quo loco diuina hæc philoſophia, quæ veras cauſas, & motus origineſq; omnium nouerat, multa nos edocet præclara, poſtea perpetuis ſæculorum curſibus & exemplis cõfirmata.

Animantium genera tria.

Omnes quidem animantes ex humo & limoſa terra creatos, quorum ſunt tria genera, ea quæ perpetuo in aquis, quæ perpetuo in terris, quæ viciſſim in terra & aqua degunt, quæ Græcè dicuntur ἀμφίβια quaſi ambiuiua, duas vitas habentia. Deprehẽſum eſt autem quotidianis exemplis, ea quæ ſemper ſunt aquatica, naſci quidem atque ali ex aquis, ſed aliquo terreſtri principio ac materia inchoata.

Mira experiẽtia quorundã animantium natorum.

Veluti exempli cauſa chonchæ, naui eodem in loco diu immoranti paulatim ad latera eius coaleſcunt, aqua alimentum ſuggerente, terra defixas eas, vt adhæreat alimentum continente. Sic anguillæ è limo naſcuntur. Audiui etiam qui ſe vidiſſe dicerent, fruſtum funis in littore, quodam temporis ſpacio putrefactum in ſerpentem, ac quaſi anguillam euaſiſſe: capillos etiam muliebres eodem modo putreſcentes, in totidem ſerpentes conuerſos vidi: vidi ſetas equinas aliquandiu in aqua cænoſa moratas ad Solem, ſerpentes fuiſſe. Multa quoque ſunt exempla naſcentium è terra, ſed ſuppetẽte perenni ex aquis humore, quo coaleſcunt, diuerſi generis piſcium. Nam & phocæ & crocodili eodem modo naſcuntur, licet etiam ex propagatione naſci poſſint. Eorum ergo principium tametſi terra ſit comes, præcipuum tamen eſt aqua, quæ alat, membraque componat, ſic ad generationem terreſtrium tametſi aqua concurrat, è terra tamen, maxima ex parte ducta ſunt. Amphibia vero corpora cum vtraque habent affinitatẽ. Omnium igitur aquaticorum animantium, aqua eſt præcipuum principium & alimentum. Hoc loco obſeruandum obiter (tota enim ſeſe declarat philoſophia) ſi quis iudex ęquus eſſe velit, quinti huius diei opus, non ad amuſſim, hac quinta die conditum, quin in ſuperioribus diebus aliquod principium habuerit.

Aduerte quo ſenſu creatio rerum diſtinguatur diebus.

Cui enim non neceſſarium videatur, ſubito eademque die è terris patefactis naſci herbas & ſtirpes cępiſſe, eademq; ſeorſum ex aquis aquatilia pullulaſſe? Neque enim quintum diem, parturientes aquæ expectarunt, ſic quando de terris plantæ naſcebantur, parte alia, animalium terreſtrium exordia inchoabantur. Itaque hoc atteſtatur his, quæ de Sole & Luna creatis ſcripſimus, non prorſus quarta die fuiſſe creata, ſed eum certum narrationis ſitum, locumque tenuiſſe. Etenim poſſunt multa eodem tempore diuerſis in locis fieri, quæ non poſſunt, ſi quis certum ordinem tenere inſtituiſſet, narrari. Eſtque ſingulare iſtarum euadendarum pedicarum, quod ſuperius demonſtrauimus, quod etiam eſt veriſſimum, nõ in diebus facta hæc opera, ſed operibus abſolutis, dies eſſe peractas, & ſecutas. Sicut non in die Sol eſt, luxque creata, quem errorem rectè offerebat animo ipſa lectio, ſed creata luce, dies ſecuta eſt. Sic creatis cum Sole & Luna ſtellis, eſt quarta dies circumacta. Et natis aquatilibus abſoluta eſt quinta. Quo tẽpore etiam terreſtres animantes naſcebantur. Quibus perfectis, ſexta dies affuit, ſicq; à ſcriptore poſitum eſt. Naſcebatur item poſt creatum Solem cum Luna totus ſtellarum chorus; quo abſoluto quarta dies aderat. Idque ipſum narrat ſcriptor eminentiſſimus philoſophus. Hæc igitur exempla, niſi omnino tardi, hebeteſque ſumus, abunde nos docent, ne ad nubes, quæ prima die dicuntur creatæ, eamq; fuiſſe lucem primogenitam dicunt, refugiamus. Agnoſce, perpende conſuetudinem, modumque loquendi, & phraſes ſcripturæ. Porrò quod ait, producant aquæ: Hebraicè ישרצו ishrezu pulcherrimè ab interprete redditum. Deſignat enim porro ducere, in auras, in vitam, motu quodam emittere. Eoque Chaldæus, qui ob affinitatem clarè & expeditè, ad Chaldaicam linguam, Hebraicam accommodabat, pro eo tranſtulit ירחשון irchashum, eructent, promoueant, ęſtuẽt. Nam ab hac ipſa voce dicitur מרחש marchash, cacabus, quaſi ęſtuarium: pullularunt autẽ ac quaſi ebullierunt ex aquis affatim omnia genera aquatilium animantium. Quod verò dixit reptile, Hebraicè שרץ quaſi pullulatio, res mobilis, motatio. Septuaginta ἑρπετά, quod noſter ſequitur. Sed propriè deſignat motabile, germinationem, propagationem: & id propriè, quod animaduertimus in ranis, quæ è limo primum naſcuntur: quarum ortus & productio hoc ipſo verbo exprimitur in Exodo; Et ebulliet fluuius ranas: Hebraicè, sharaz præſens verbum. Hebræi dictum arbitrantur שרץ sharaz quaſi, שהו רץ she hu raz, quia currat, moueatur: quo nomine alij eorum minora reptilia vocari putant. Maiora verò, quæ dicuntur רמש ramas, quaſi calcantes. Deinde quod ait: Et volatile, quaſi referatur ad creationem aquarum, Hebraicè ועוף יעופף. Et volucris volet, vt ſi locum ipſum conſulas, non videatur ad creationem aquarum referẽdum. Separatim enim præcipitur, vt aquę ebulliant piſcibus omnigenis, & vt volucres volent ſuper terram: vt non cogaris ex aquis volatilia producere. Sed quoniam auium creatio cum creatione piſcium coniuncta eſt, videtur originem volucrum potius aquæ, quàm terræ adſcribere. Quod veriſſimum eſſe, & ex interiore philoſophia dictum ratio & exempla declarant. Credendum eſt enim talẽ fuiſſe tunc auium generationem, qualem penè prodigioſam, & ad cuius conſiderationem animus ſtupeſcat, hodie quarundam auium accepimus.

Aues ex fungis.

Sæpe fit vt ad oceani littora appulſum nauis aliquod fragmen & ſabulo affixum, diuq; fluctibus contuſum, & aquis & diuturnitate pereſum, fungos albentes primum proferat: poſt certo temporis ſpacio, & calente Sole, pedibus, aliſque adformatis, è ligno auellunt ſeſe aues, quondam fungi, nunc volucres aera tranantes.

Aues ex arboribus.

Eſt extra Italiam locus vbi (mirabile dictu) naſcuntur in frutice quaſi formæ teretis vellera. Hæc certo temporis ſpacio ex arbore in flumen, quod inferne elabitur, decidentia, vt primum aquam attigerunt, dant aues volatum, & in ſublimes regiones more cæterarum auium aufugiunt. De ephero ſimile quid prodit Ariſtoteles. Quid tam multa genera volucrum, ſtagna, lacus, paludes & flumina accolentium, nonne teſtantur originem ſuam id fuiſſe, quo nunc maximè oblectantur? Credendum eſt autem omnes aues generatim aquam procreaſſe, conuerſam in aliquam materiem denſiorem, quales aquatiles aues cernimus. Ex hiſque temporis progreſſu, quaſdam quæ longius ab aqua receſſiſſent in remotiores terras, mutaſſe colorem cum ſedibus, ibique ex propagatione naſcentes, his in locis perſeueraſſe, vt ab aqua non videantur habuiſſe principium. Leuia quoque auium corpora, & volatus atque alæ, quibus cum piſcibus conueniunt, declarant vnam vtriſque fuiſſe originem. Habent enim piſces ſquammas, & per grauius elementum, inſtabiles vt aues ſemper natant, & quod illis volatus, hoc natatus iſtis. Illæ quaſi piſces aerij, hi volucres aquarum, ſola ſedium denſitate diſcrepantes, ſed tamen vtraque perſpicua & penetrabili. Generaſſeque ſic aues aerias, aquas probabile eſt, ſicut eſt ex aquis aer ipſe generatus. Omnium enim leuium aqua principium, ſicut terra grauium. Neque vero puto ita aquis volucrium generationem deputatam, quòd per aquas aer turbulentus ſit intelligẽdus, ſed licet aer volucres ſuſtineat, principium tamen vt naſcerentur, genitaliſque materia fuit aqua. Ex aquis enim primum cœlum creatum eſt, tum aer, tum animalia aquea & aeria. E terris autem herbæ, arbores, animalia terreſtria. Ergo nec ſola terra terreſtres animantes, nec aqua ſola, aquatiles procreauerit: ſed terra commiſta aquæ, & aqua commiſta terræ: ſecreta tamen quædam vis, maiorque materies, hæc terreſtria, illa aquea & volucria reddidit, partimque ex his natarunt, partim auolarunt. Quod autem ait, Animæ viuentis, obſeruaui animam in omni lingua, quæ mihi aliquatenus nota eſſet, id eſt Græca, Latina, Hebræa, Chaldæa, nomen animæ eandem habere etymologiam. Hebraicè dicitur נפש à voce נפש naphash, ſpirauit, ſufflauit: vt ſit nephes quaſi ſpiritus: Latinè anima quaſi anemos, id eſt, ventus, quem Græci dicunt πνεῦμα, ſpiritum, quaſique ventus, Latinè anima. Græcè ψυχὴ ſimiliter vt Hebraicè à ſpiratione, refrigeratione. Chaldaicè quoque vt Hebraicè, naphsha. Ex quo perſpicimus animam propriè id eſſe, quod commune eſt ad omnes generatim animantes, quæ terrenum habuit principium. Illud autem quod immortale eſt, homini datum, præter cæteros animantes, à ſpiritu diuino, quodq; Ariſtoteles dicit cum Moſe prorſus conſonans, venire θύραθεν extrinſecus, eſt id quod appellatur Græcè νοῦς mens, Hebraicè תבונה thebuna. mens, ſiue intellectus. De quo poſtea. Quod vero ait, Sub firmamento cœli: ſcito in fonte haberi, על פני רקיע השמים ſuper firmamento cœli. Qui locus abunde teſtatur, quid ſit Hebræis ſuper cęlo, aut quid ſit cœlum, illaque diffuſio, quæ dicitur rakia, admonuique ſuperius ſumens ex iſto loco teſtimonium & exemplum, declarans aquas ſuper firmamento cœli. Quod tamen ſuper firmamento eſt infra Lunam, non procul à nobis. Idem locus aquarum ſupercęleſtium atque auium. Sunt ſupercęleſtes aues, ſunt & aquæ ſupercœleſtes. Vt non procul à verticibus noſtris, & infra Lunam, aues ſupercęleſtes, ſic aquæ ſupercęleſtes. Ex quo intelligimus, phraſin Hebraicam non intellectam, errorem ingenuiſſe, quem nos diuino auxilio, vt alia pleraque in hoc libro, remouimus. Et quod dixit: Cete grandia: videtur vnum præcipuum genus in cunctis aquatilibus commemoraſſe, vt ſi Deum intellexeris magnarum maris beſtiarum creatorem, multò facilius cognoſcas cætera eſſe in ingenium eius referenda. Non fit idem in deſcriptione volucrium, vt aliquam maximam auem memoret, cuius dicat Deum creatorem: nec in deſcriptione arborum. Credo quòd in cæteris id fieri indignum eſſet: digniſſimum autem in vno genere, quod eſſet prodigium, & immenſæ magnitudinis, quale, nullo alio in genere inueniretur. Tanto enim præcellit cetus omnes beſtias terreſtres, quanto ſedes ipſa, ideſt omne mare, eſt terris latius. Itaque miræ magnitudinis beſtiam, quippe quæ inſulæ procul aſpicientibus præbeat ſpeciem, cum primis, quaſi rem memoratu digniſſimam induxit. Vocatur enim Cetus Græcè, quæ vox ſonat magnitudinem, latitudinem, vaſtitatem. Hinc Homerus μεγακήτεα πόντον, magnicetum pontum dicit, id eſt vaſtum, latum. Et κητώεσσαν λακεδαίμονα, quaſi latam, ſpacioſam. Græcè declinatur neutro genere κῆτος, quam inflexionem (ſi quidem & Septuaginta τὰ κήτη μεγάλα tranſtulerunt) ſecutus eſt noſter. Cæteri apud Latinos malunt dicere cetus, ceti, inflexione Latina. In Hebraico exprimitur, quod Græca vox ſonat, cete enim dicuntur Græcè quaſi vaſtitates, granditates. Hebræus autem dixit: Creauit Deus cete grandia. Hunc proprio nomine ſoliti ſunt cæteri ſcriptores ſacri vocare Leuiathan, quem Septuaginta vbique ferè cetum interpretantur. Et hos piſces hoc loco veteres Hebræorum expoſitores Leuiathan nominatim appellant: vt quod in Iob dicitur; Qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan: Septuaginta tranſtulerunt pro Leuiathan, magnum cetum. Adeoque ſunt magni ceti, vt quemadmodum ait Theodoritus, ὡς καὶ νήσων, πολλάκις φαντασίαν παρέχεσθαι ἐπειδάν, ποτε ἐπὶ τὴν ἄκραν ἐπιφάνειαν τοῦ ὕδατος ἀνανήξεται, οὐ δὲ περὶ αἰγιαλοὺς διατρίβει, ἀλλὰ τὸ λεγόμενον ἀτλαντικὸν πέλαγος ἐνοικεῖ. Vt ſæpe inſularum præbeant ſpeciem, ſi quando in ſummos fluctus enatarint. Neque circa littora morantur, ſed colunt quod pelagus Atlanticum nuncupatur. Quòd autem benedicuntur hæc genera, profundæ philoſophiæ eſt ſacramentum. Benedicto Hebraicè dicitur barach, qua voce largitas, affluentia, & quod Græcis πόρος, deſignatur. Benedixit ergo propriè poſitum pro eo quod eſt, largitus eſt, largitatem fecit, vbertatem dedit, fontes laxauit. Adhibeturque hic præcipuè benedictio & affluentia, quòd infinita ſit marinorum animalium

A

Animæ etymologia.

B

Anima propriè quid.

Cete grandia.

C

Cetus.

Leuiathā.

Benedicere quid.

Hebræi ſuperſtitioſi.

Cauſarum omnium regina eſt Deus.

malium multitudo. Infinita formarum ac generum, & in omni genere infinita multitudo. Quot ſpecies cogitando fingi, quot artificio naturæ formari, quocunque cadere, & in quas ire partes diuerſi generis temperatura queat, tot genita ſunt ex aquis, id tum aquarum natura ferente, tum decernente Deo, quòd ex ſeipſis piſces & ſe mutuo deuorando, quod raro terreſtres faciunt, vi-ctitant. Hæc benedictio & affluentia, & largitas diuina iuſſit, vt hoc genus in omnes generatim formas procederet. Conſilium enim ſcriptoris fuit, docere quicquid eſſet, vel cęlo, vel terris quacunque ratione natum, à Deo genus & modum habuiſſe. Hebræi & ſi multa indignè ac ſuperſtitioſè per omnes ſacros libros comminiſcuntur, à quorum commemoratione abſtinere calamum certum eſt, in hoc fortaſſe non omnino fabulantur: Ideo marinas beluas benedictas, non terreſtres, quod in his eſſet calidus ſerpens, paulopoſt maledicendus. Gennadius ait hæc, non plantas benedici, quia propter animalia plantæ, benedici digniora, tum ad appetitum mutuamq; miſtionem benedici. Theodorus & ipſe egregiè, quia facilius herbæ naſcantur. Diodorus, quia conſtent ſenſu, phantaſia, digniora, homini propiora: pulchrè item ait Origenes ſuper hac benedictione. σημαίνει ἡ μὲν αὔξησις, τὴν ἐπὶ μέγεθος ἐπίδοσιν, τὸ δὲ πληθύνεσθαι τὴν ἐκ τῆς μίξεως εἰς πλῆθος διαδοχήν. Deſignat, ait, auctio, incrementum ad magnitudinem: multiplicari autem, ex miſtione in multitudinem ſucceſſum. Id item obſeruandum magnopere cenſui, quanta ſit philoſophiæ diuinæ maieſtas, quippe quę duas omnium rerum producendarum cauſas perinde atque Ariſtoteles omneſque philoſophi prætendat. Vt enim philoſophi dicunt Solē, Deum, & hominem gignere hominem: ſic duæ cauſæ primarum originum hic proponūtur. Creauitque, inquit, Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ. Deus ergo creauit, aquæ produxerunt. Proxima videlicet ac princeps cauſa, maximaq; harum gerendarum auctoritas fuit Deus: ſecunda cauſa aqua, ſicut Deus & homo gignunt hominem. E Quicquid ergo cæteræ cauſæ fecerunt, multo maximè & principaliſſimè fecit Deus, vt ſit in omni creatione & cauſa ipſe, quod Græcè dicitur τὸ ἡγεμονικώτατον, principatus ipſe, maximaque omnium cauſarum regina & magiſtra. Hanc diuinæ cauſæ in creatis marinis animantibus vim declarat ipſa benedictio, quæ eſt maris immenſa propago. Benedictio autem à Deo miſſa eſt. Facta igitur à Deo innumerabilis natantium fœcunditas. Has ferè duplices cauſas, etiam in cæteris expreſſit. Nam cùm ait: Et dixit Deus, producat terra; duæ ſunt cauſæ, maxima, præpotens, regnatrix, dictatrix: & inferior, & obſequens imperanti. Reliqui quoque, qui de creatione rerum diſſeruerunt, in medium has cauſas protulerunt.

Producat terra animam viuentem.

Creare q̄d.

Meſopotamia, & Armenia primæ hominibus habitatæ.

DE aquis dicitur, ęſtuent, efferueſcant, ebulliant: de terra, producat, emittat, erumpat, exire faciat, iuxta Hebraicum תוצא. Quod & in creatione ſtirpium, herbarumque dixerat. Terra igitur conſtipata, & quaſi, teſte Iob, inter ſe glebæ fuſiles eius ſunt compactæ. Aquæ congregatæ, illuminatores & ſtellæ factæ. E terris ſtirpes, & animantes terreſtres educti, aquæ piſcibus & volucribus ęſtuarunt. Verbum creandi ad omnia vſurpatur, ſiue his quæ è nihilo, ſiue his quę ex aliquo: non, vt aiunt quidam Hebræi, qui verbum ſuum ברא bara, id eſt creauit, dicunt de his dici, quæ è nihilo, à Latinis vſurpata licentia fingendi. Cœlum & terra creantur, & creata ſunt cete grandia, & homo creatus eſt. Produxit ergo terra ſuperioribus aquis conſperſa, & Sole tumefacta, quæ gremio ac ventre ſuo parturiebat, animalia. Prius generata, quinque dierum ſpa- F cio, & concreſcentia, membriſque informata, quinta luce edita iam & perfecta. Generabantur autem, ſimul atque aquæ ſeparatæ terras apertas reliquerunt. Tunc (mirabile dictu) paſſim feruebat humus, vtque terreſtris humor in medullas arborum vitalem ſtirpium ſuccum, Solis calore conuertitur, ſic vertebatur humus in carnes. Vt in vtero matris exiguum ſemen tepefactum creſcit in carnem, & membra, ſic item exigua ſemina, & humorum partes coaleſcebant in diuerſorum generum animantes. Fiebat id volente Deo, qui omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis: ſed & naturas parauerat ipſe tales, vt inde naſci hæc poſſent, terram tanquam matrem ac genitricem, Solem tanquam genitorem: iacentem, ſtratamq; latè terram, Solem deſuper incumbentem, cupidiſſimum hunc generandi, hanc cupidiſſimè rapientem, in ſeque continentem cœleſtem genituram. Attulimus ſuperius de ſtagnante Nilo, & conſidente, terraſque humentes relinquente, & animalibus naſcentibus exemplum, flagrante regione Aegypti magno Solis ardore. Non fieret idem in locis frigidis. Ideo vbi inchoata eſt creatio, locus erat calidiſſimus, in Arabia ſcilicet & Meſopotamia, vbi paradiſus erat prima pars Aquilonaris. Eoque ſciendum eſt, iſtam animalium primo tempore propagationem, non in cunctis terris extitiſſe, ſicut nec omnes aquis principio patefactas, ſed in locis tantum ęſtuantibus, Soliſque ardore flagrantibus. Hæc, vt dixi, Meſopotamia eſt, & Aramea, id eſt Armenia, vbi fuit etiam prima hominum habitatio, & paradiſus terreſtris, & homines ante diluuium. Hic ardore Solis nata ſunt primæua animalia, ex hiſce natis & per orbem proſeminatis, nata ſunt alia ex propagatione. Arbitrorque multa animalium genera calidioris naturæ in locis illis remanſiſſe, frigus refugiētia, & in frigidiores terras abire recuſantia, aut allata celeriter extincta, ac Satyrorū, magnorumq; ſimiorū greges, & greges elephantum, aliaq; plura animalia, ſunt in Aethiopia, A & in locis feruore Solis ardentibus, quæ antequam terræ dureſcerent, atque arerent, credendum eſt ibi procreata remanſiſſe, cæteros animantes in diuerſas terras, difficile tamē atque ęgrè, diſceſſiſſe. Autorque eſt Ariſtoteles, eos qui ſuperioris noſtræ habitabilis Zonæ regiones probarent cum inferioribus eſſe coniunctas, eo argumento contendere, quòd elephantes extremæ noſtræ regionis ſint earum elephantibus ſimiles: quod non eſſet, niſi in diſtantiſſimos tractus diſcederent, & ſecum miſcerentur. Hæc autem quæ dicuntur in theologia Moſis de animalibus è terra natis, audita & prædicata ſunt, & credita à cæteris gentibus, præcipueque habebantur in theologia Phęnicum & Aegyptiorum, quorum fama allata quoque eſt ab antiquis theologis ad Gręcos, qui hæc audientes, dixerunt à principio rerum, certa Solis diſpoſitione atque afflatu, extitiſſe maturitatem quandam animalium ſerendorum, nouamq́, terram, genitale ſemen retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in vterorum ſimilitudinem protuliſſe. Quæ omnia non ex ſe quidem, nec ex ſua ſecta, quæ fuit delyrātiſſima, ſed à ſuperioribus ſęculis deſcēdentia Lucretius latè deſcripſit. Quē (excepto vbi non eā peruerteret ſuis vanitatibus) Moſaicam penè theologiā recitantē audies, non quidem vt Moſaicam, ſed vt ab antiquiſſimls traditam. Sicut enim Moſes cùm primum tellus eſſet aquis exuta, docuit herbas & virgulta, omniaque viridia peperiſſe: ſic idem.

Principio genus herbarum, viridemque nitorem.
Terra dedit circum colles, campoſque per omnes
Florida fulſerunt, viridanti prata nitore,
Arboribuſque datum eſt varijs, exinde per auras,
B *Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.*

Lucretius de rerum natura, libro 5.

Hæc omnia ſi rectè perpendas, fluunt à theologia Moſaica, aut quod credibilius eſt, deuoluta rerum creatarum à priſcis fama ad poſteros. In creatione plantarum traditum eſt à Moſe, herbas primum, poſt arbores terram protuliſſe. Idem a poeta. Natis autem plantis ac ſtirpibus è terra, Moſes deſcriptionem ſyderum primum, exinde piſcium eſt aggreſſus, tum terram ſecundo partu, imperio Dei, animalia, beſtias, omniaque iumenta docet edidiſſe. Poeta quoque ſimiliter,

Vt pluma atque pili primum, ſetæque creantur
Quadrupedum membris, & corpore pennipotentum,
Sic noua cum tellus, herbas virgultaque primum
Suſtulit, inde loci mortalia ſecla creauit,
Multa modis multis varia ratione coorta.

Lucretius ibidem.

Hæc omnia retulit Moſes, omniumque leges apud eum animalium varietatem, varia ratione, formaque è terra natorum. Iuſſit enim ſator magnus, vt vnumquodque iuxta genus ſuum oriretur. Quoniamque nonnulli non valentes adduci vt crederent animalia è terris progenita, finxerunt abſurdius, ea de cœlo cecidiſſe, hoc ipſum refellens, exemplis oſtendit quo quæque modo beſtiæ è terra naſci potuerint,

Nam neque de cœlo cecidiſſe animalia poſſunt,
C *Nec terreſtria de ſalſis etiam eſſe lacunis.*
Linquitur vt merito maternum nomen adepta
Terra ſit, è terra quoniam ſunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exiſtunt animalia terris,
Imbribus, & calido ſolis concreta vapore,
Quo minus eſt mirum, ſi tum ſunt plura creata,
Et maiora, noua tellure atque æthere, adulta.

Ibid. Lucret.

Pulcherrimam rationem, & cognitione digniſſimam attulit, cur tam multa, tamque vaſta animalium corpora tunc è terra erumpere potuerint. Si, inquit, videmus hodie terram dilutam imbribus, & Solis tepore calentem, quædam animalia creare, id eo tempore multo magis neceſſe eſt factum, noua tellure & quaſi puella, nouo Sole, nouo ęthere, quam maximis viribus in principio, & flore ſuo, & multo quàm nunc maioribus fuiſſe, ęquum eſt. Omniumque eſt magnorum virorum conſenſus, ante diluuium omnia fuiſſe meliora, ſicut erant hominum corpora formoſiora, fortiora, magiſque procera. Hæc igitur eſt veriſſima ratio natarum e terra beſtiarum, quòd erat noua terra, omniaque primæuis & fœcundis aquis madefacta, & potentiſſimo Sole, qui tum vires experiebatur ſuas, fouebantur. Hanc etiam cauſam fuiſſe dubitauit alius poeta, corporis humani,

Siue recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat ſemina cœli.

Oui. 1. Metamorph.

Sed poſtea ad veriſſimā Theologiam prodidit ſumptam è limo effigiem à Prometheo, id eſt ſagaci D prouidoq; Deo, formatā in ſpeciem humanam. Quod Lucretius quoque ſi videre, vt certè poterat, & debebat, voluiſſet, non homines item, vt & beſtias è terra genuiſſet, nec arbitrarios illos folliculos, terreſtreſq; vteros commentus fuiſſet. Nā cùm ratio ab ea opinione eum dimouere debuerat, tū ea ipſa Theologia, vnde ſuperiora illa ſumpſerat. Naſci enim atque ali ſine matre, propter ſummam fragilitatem homo non poterat. Rationabilius ergo eſt, & verius, vt corpus è terra ſumptum, ſpiritus à Deo datus fuerit. Et vnus homo perfectæ ętatis creatus, materni famulatus non indiguerit, ſimulq; natus generare, ſtirpemq; ſuam propagare potuerit. In quo ſunt aliæ quoque interiores rationes. Ad Moſen igitur reuertor. Complexus eſt enim omne genus beſtiarum terreſtrium, primum eas generali nomine appellans animam viuentem, omnes ſcilicet generatim animantes, quæ & Latinè, & Græcè, & Hebraicè animantes nuncupantur. Hebraicè נפש חיה anima vitæ, aut ſpiraculum vitæ. Eſt enim nephes quaſi ſpiraculum, ſpiramentū: addiditq; vitæ, ꝗ ſpiracula eſſe poſſint non viuētia. Ventus ſpiritus ſiue ſpiraculum dicitur, ſed ſpiritus vitæ non dicitur. Poſt ſeorſum tria genera omnium vniuerſaliter terreſtrium diſtinguit, iumenta, reptilia, beſtias terræ. Hebraicè, quę noſter vertit aptiſſimè iumenta, dicuntur בהמה behemah, id eſt beſtia, quo quidem vaſtiores animantes intelliguntur. Hæcque proprie dicuntur beſtiæ, non feræ, quas Nicolaus dictas arbitratur beſtias, quaſi vaſtias à granditate, & vaſtitate: potius forte nomen eſt à Græco βόσκω voſco, hoc eſt paſco: & beſtia quaſi paſcēs, & beſcens, id eſt veſcēs, vt à boſco Græco, factum ſit beſco Latinè, quod iuniores dixerunt veſco, inde veſtia, aut beſtia. Et hoc omne ab Hebraico fonte omnium linguarum, behemah, quod ſonat beſtiam. Intelligentes autem Septuaginta quid valeret vox Hebraica behemah, eā tranſtulerunt τετράποδα, quadrupedia, E quę vox in antiqua Latina tralatione habebatur. Citaturque à Beda commemorante antiquam tralationem, eandemque Auguſtinus in ſua editione habebat. Ex quo perſpicimus, innumerabilibus item ſuffragantibus coniecturis, antiquam eccleſię Latinę tralationē fuiſſe ipſorū Septuaginta, nouam autē alterius quàm Hieronymi eſſe non poſſe, ſunt irrefragabiles rationes. Behema igitur verterūt τετράποδα, quadrupedia. Propriè enim eas deſignat, quę quatuor pedibus incedunt. Latinè dĩr iumenta à iuuando, boues, equi, aſini, cameli. Vnde de equis præcipue,

Quadrupedantis equi ſonitu quatit vngula campum.

Beſtia vnde dicta.

Iumenta.

Quanquam Hebraicum & Græcum ad ceruos, leones, vrſos, & id genus pertinere poteſt, quę forte iumenta non dicerentur. Sed ea cum primis, quibus homines eſſent iuuādi, theologia ſpectauit. Siquidem & nonnulli Hebręi behemah exponūt ea quibus vtimur ad veſcendū & equitādum. Alterū vniuerſale genus eſt ſerpentium ac reptantium, pedibuſque carentium, aut ventre terram radentium. Sequuntur beſtię terrę, Quo patet ſuperiorē vocem behemah, iumenta, commode interpretē vertiſſe. Nā ſi qua eſſent alia quadrupedia, quemadmodū ferę ſilueſtres, quibus homines nō iuuarētur, ea in hac appellatione remanebāt. Beſtias ergo terrę, Hebręi beſtias agri, feras appellant, quæque his in locis, vbi nullā ſit hominibus habitatio, commorentur. Quocirca & Septuaginta tranſtulerunt, τὰ θηρία, feras, quarū ſcilicet eſt venatio, à quibus θηρῶ, venor. Omnium igitur brutorum partes ſunt comprehenſæ, iumentorum, domeſticorumve animātium, ferarum, reptilium. Quæq; Hieronymus vertit iumenta, & Hebraicè dicuntur behemah, duobus modis trāsferunt Septuaginta τετράποδα quadrupedia, & κτήνη pecora. Quæ voces ſunt in editione diui Auguſtini. Iumenta maiores beſtiæ, equi, boues: pecora minores, oues, capræ. Hieronymus F iumēta perpetuo, quòd ea præcipuè innuebantur. Chaldæus itē Hebraicū transfert, בעיר quod nunquam non eſt pro iumento. Non eſt autem eadem nominatio reptilium aquaticorum, & terreſtriū, illa שרץ sherez, hæc remes רמש. Vtraque ἑρπετὰ reptilia Septuaginta dixerunt, quod à noſtro eſt comprobatum. Hebraice priores dicuntur currentes, tales enim piſces: poſteriores calcantes, ingredientes vel pedibus, vel corpore. Nomen vnum apud noſtros eorum, ex motus affinitate ac ſimilitudine. Hæc tradunt Græci, ideo cùm homine, ſexta die creata, quia eorum auxilio vtatur, ex his viuat, piſces quinta, ad ſolum cibum idonei. Exacta igitur creatione beſtiarum, quarum è terra naſcentium, & è terra Soleque duobus principiis naſci valentium, vna erat ratio, reſtabat aliud animal, longe alia ratione creandum.

Iumenta & beſtiæ quomodo differant.

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.

Diuerſa creatio, diuerſo genere loquendi ſignificatur, cætera iuſſa ſunt vt ex aquis, è terra naſcerentur, hominis creatio fit à Deo immediatè. Creauerat piſces ex aquis, animantes terreſtres & arbores è terra, iubens, & procul aſtās: hominem creaturus acceſſit ipſe, manus ſuas adhibens. Illa è terra ſubſtantiam, principium, formam accipiebant, volente quidem & imperante Deo: humana ſubſtantia aliunde infuſa forma aliunde formata. Maximaque diſtantia inter hominē & irrationabiles animantes ſignificatur, cùm nihil habeant in creatione, modoque creandi inter ſe ſimilem. Tribus autem ſummum, creatio hominis diſcrepat cum creatione beſtiarum: primum, quod ipſe Deus fecit non iubens aut terrę, aut igni, aut ætheri, vt produceret, deinde ad imaginem ſuam fecit: poſtremo quod exterius ſpiritum ipſe dedit. Imperium autem datum ſuper omnes animantes etiam maximum facit diſcrimen. Rex igitur omnium homo creatus. Illi

Creatio hominis quibus differat à beſtiarū creatione.

creata

A creata fuiſſe aſtra cœli, oraculo diuino ſuperius comprobauimus. Poſt cœlum, nihil eſt ſenſu animalium melius. Melior eſt enim terra & aquis, melior aere & ęthere. Meliora ſunt ſenſibilia inſenſibilibus. Datum eſt igitur homini imperium à Deo ſuper omnibus animantibus. Ad eius autem vſum factum eſſe cœlum, cœleſtiaque ſydera, prædicant oracula cœleſtia. Omnes igitur hæ præſtantes & eximiæ conditiones, palam immortalitati, diuinitatique noſtrorum animorum atteſtantur. Quas præclaro ingenio viri conſiderantes: immortalitatem hominum ſunt confeſſi: partim rationis, conſilij, ſolertiæ, prouidentiæ, & acuminis exemplum ſequentes: partim hæc ipſa oracula, & hanc de humana origine certam reuelatamque de cœlo Theologiam. Alijque vnam, alij alteram harum conditionum, quæ narratæ ſunt à Moſe offerente eas natura, in teſtimonium immortalitatis aſciuerunt: Videas, quoſcunque ad aliquam hominum conſiderandam originem, naturæ inſtinctus vocaſſet, alios confeſſos hominem eſſe ſimulacrũ Dei, alios animum humanum à Deo creatum, quoſdam ipſum animum, ſicut & Moſes, extrinſecus afflari. Nemoque ferè eſt philoſophorum, qui non perceperit omnia, quæ in omni mundo continẽtur, eſſe hominum cauſa reperta. Has præclaras hic poſitas à Moſe conditiones, diuino quodam theologicoque afflatu Tullius Latinæ philoſophiæ princeps, qui de fontibus quidem Græcorum philoſophiam hauſit, ſed pluribus ac maioribus eam bonis ingenij ſui vbertate locupletauit, proponens ait: Non faciam longius. Huc enim pertinet, hoc animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo Deo. Hæc vir ille ſummus, omnia cum Moſe conueniens, exprimenſque primam Theologiæ eius partem, hominem factum, ſiue creatum à Deo, ſecundum autem, creatum eſſe à ſupremo Deo ſolum, cœli videlicet & terræ, omniumque terreſtriũ

B & cęleſtium rerum creatore. Is enim eſt ſupremus Deus, quem τὸ πρῶτον, primam naturam, primum eſſe vocat Ariſtoteles, Platonici ſummum bonum. Ab hoc inquam factum eſſe clamat hominem. Tertium autem quod in Theologia quoque Moſis dicitur, præclara quadam conditione eum eſſe generatum, vt eſſet videlicet omnium creatarum rerum dominus, plenumque rationis, prouidentiæ, conſilij animal. In quo quidem habuit cum Deo ſimilitudinem. Nihil eſt enim, vt idem inquit, in omni cęlo ac terra, ratione diuinius, in quo cum maximè Deus excellat, fecit tantæ rei hominem participem. Quod ſi ratio, eſt vera diuinitas, factus eſt autem à Deo rationis particeps homo, particeps etiam diuinitatis eſt factus. Ergo & immortalitatis, ſola enim immortalis eſt diuinitas. Illud porro quartum, quòd homo ad imaginem Dei ſit factus, idem & ſi ſuperius dixerat, præcipuè tamen expreſſit, concludens enim. Eſt igitur, ait, homini cum Deo ſimilitudo. Ortum igitur hominis à Deo & ſimilitudinem confitentur & illi. Ariſtoteles autem illam Theologiæ Moſaicæ partem, qua demonſtratur, ſpiritum humanum à ſedibus ętheriis veniſſe, veniſſe à Deo inſufflatum & immiſſum, plenis verbis ſæpiuſque repetitis, comprobauit. Siquidem aſſerit eam, quæ dicitur mens, venire θύραθεν, id eſt exterius, extrinſecus: partem inquam hominis diuiniorem, per quam habet cum Deo cognationem, & affinitatem. Quam immortalem negare propter hanc cum Deo naturæ ſimilitudinem, non poterat. Nam cùm de anima loquitur, ſemper reſpicit eam, quæ communis eſt inter homines & beſtias, quam & diuinæ litteræ ſuo ſeorſum nomine exprimunt, vitam vel ſpirationem eam dicentes: mentem autem, ſimilitudinem, imaginemque diuinam. Hanc etiam Ariſtoteles clariſſimè ſeparat ab illa

C mortali, his verbis præcipuè, περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως, οὐδέπω φανερὸν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον οῦ φθαρτοῦ, quæ ſunt: De mente autem & facultate ſpeculatiua non adeo compertum, ſed par eſt eam eſſe aliud animæ genus, idque ſolum poteſt ſeparari & diſcedere, veluti ęternum ab corruptibili. Hac confeſſione nihil clarius & illuſtrius, vt mirabilis ſit quorundam impudentia, qui falſis interpretationibus hæc non contenti deprauaſſe, etiam clariores locos obſcurarunt. Neque vero quia loquitur quaſi dubitando, protinus ſuſpicari par eſt eum negaſſe. Loquitur de re incerta, de re obſcura, eoque prudenter loquitur & cautè. Etenim hanc ipſam partem, quæ verè homo eſt, quamque eſſe diuinam Moſes oſtendit, quia & ad imaginem Dei facta eſſet, & extrinſecus accederet, ſic idem expreſſit, ὁ δὲ νοῦς ἔοικε ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα, καὶ οὐ φθείρεσθαι. Mens autem videtur ineſſe, aſſiſtere ſubſtantia quædam, nec corrumpi. Deinde, καὶ τὸ νοεῖν δὴ καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται |, ἄλλου τινὸς ἔσω φθειρομένου. αὐτὸ δὲ ἀπαθές ἐστιν, ὁ δὲ νοῦς ἴσως θειωτέρον τι καὶ ἀπαθές ἐστι. Intelligere quoque & ſpeculari deletur interdum, ſed alia re exterius corrupta, nam ipſum impaſſibile eſt. Menſq; fortè diuinius eſt quiddam, ab anima ſeparatum & impaſſibile. Hæc quæ quaſi dubitanter ac neſcius protulerat, demum audacius & conſtantius, περὶ δὲ τοῦ θεωρητικοῦ νοῦ ἕτερος λόγος. De mente contemplatrice eſt alia ratio. Quibus teſtimoniis, cùm neſciret prius, an animus eſſet immortalis, declarauit demum ęſtu veritatis abreptus, vim illam diuinam intelligendi, quæ eſt imago Dei, eſſe immortalem, vt plurimum ab illa alia anima differat, quæ in nobis eſt & in brutis, quamq; Moſes ſpiraculum vocauit, natum è terra & aquis, eoq; & in hæc ipſa reſoluendum. Quid porrò eſt illo teſtimonio clarius, quod de generatione animalium differens poſuit, vt videatur hanc Moſis Theologiã interpretari. Nã de anima brutorũ dixit, fieri nõ poſſe,

Homo omnium rerũ creatarum Dominus.

Homo particeps diuinitatis.

Mens imago & ſimilitudo diuina.

ὥστε καὶ θύραθεν εἰσιέναι, ἀδύνατον οὔτε γὰρ αὐτὰς καθ' ἑαυτὰς εἰσιέναι οἷόν τε ἀχωρίστους οὔσας, οὔτ' D ἐν σώματι εἰσιέναι, τὸ γὰρ σπέρμα περίττωμα μεταλαβούσης τῆς γαστρός ἐστί· λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐ δὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια. Vt ingrediantur extrinſecus, Quia nequeunt ipſæ per ſe introire, cùm non ſint ſeparabiles à corpore. Eſſe enim ſemen continentis ipſum ventris excrementum. Relinqui igitur ſolam mentem exterius ingredi, cum cuius operatione nihil habeat actio corporea affinitatis. Hæc Ariſtoteles, quibus expreſſè reuelat, & pandit, quæ dubitanter in libris de anima poſuerat, aut non quidem dubitanter, ſed cautè & prudenter, nunc autem illuſtri voce de ſeparatione animæ immortalis pronunciat, aſſerens eam non à corpore, vel ſemine produci, ſicut illam brutorum, ſed exterius infundi, omnia cum Moſe conueniens. Erat autem obſcurius Ariſtoteli, illud exterius, aut ſi non obſcurius, non confeſſum. Confeſſus eſt Moſes, omniumque hominum ferè eſt conſenſus, venire, ac dari ſpiritum humanum à Deo. Hominem præterea eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & hac ſimilitudine immortalitatem declarari, alio nobiliſſimo, clariſſimoque loco idem Ariſtoteles demonſtrauit. Nam cùm in libris de virtutibus, de vera felicitate, quam in contemplando & intelligendo ſitam, veris rationibus conuinceret, diſſereret, eoſque qui in hac beatitudine verſarentur, maximè pios, Deoq; caros eſſe demonſtraret, ea potiſſimum ratione probauit, quòd hi maxime exercerent, excolerèntque partem optimam, Deique ſimillimam. Eſſe autem mentem quod in nobis ſit optimum, Deoque maxime propinquum & cognatum, ſua verba reſonantem eum audi, ὁ δὲ κατὰ νοῦν ἐνεργῶν, καὶ τοῦτον θεραπεύων καὶ διακείμενος ἄριστα, θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων, ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον, χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ, καὶ τῷ συγγενεστάτῳ, τοῦτο δὲ E ἂν εἴη ὁ νοῦς, καὶ τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τοῦτο, καὶ τιμῶντας ἀντευποιεῖν ὡς τῶν φίλων αὐτοῖς, καὶ ὀρθῶς τε καὶ καλῶς πράττοντας. Quæ ſunt: Qui autem ſecundum mentem operatur, & viuit, hancque maximè excolit, hunc eſſe Deo chariſſimum veriſimile eſt. Nam ſi Deus curat humana, vt certè apparet, & rationi eſt conſentaneum, eum re optimè & maximè conſanguinea delectari, æquum eſt. Id autem eſt mens. De his item eum bene mereri qui hoc honorent & ament, tanquā de amicis ſuis, & bene ac rectè viuentibus eſt item æquum. Hæc Ariſtoteles, confitens animum ſeu mentem eſſe rem optimam, Deoque συγγενέστατον, propinquiſſimam, ſimillimam, eiuſdem naturæ, eiuſdem generis. Quod Moſes imaginem & ſimilitudinem, Plato in legibus, θεοῖς οἰκειότατον, Diis proximam, familiarem. Hancque rem prædicat excoli oportere, quam qui ornent, & in pretio habeāt eſſe Deo chariſſimos prædicat. O venerandam, adorandam, exoſculandamq; philoſophiam, Aſſeuerat etiam Deum curare res humanas, idque clarere & eſſe rationi conſentaneum, dicens. Conſiderate quæſo omnes quid philoſophi naturam ſequentes fateantur. Hanc diuiniorem partem idem confitetur eſſe verum hominem his verbis. Optimum ac ſuauiſſimū eſt cuique, quod illi eſt maximè è natura, καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος. Etiam homini erit maximè beatum viuere ſecundum mentem, quæ verè ac præcipuè eſt homo. Ergo cùm Moſes ait hominem factum ad imaginem Dei, intelligimus Ariſtotele interprete, quem hominem. Hanc ipſam mentem, partem hominis meliorem, verumque ipſum hominem ibidem vocat, id eſt, βέλτιον μόριον. Quo loco tacere non poſſum, quæ ſcribit Michael Epheſius. Incurrunt enim omnia in Theologiam hanc Moſaicam: βέλτιον μόριον καὶ ἄνθρωπον λέγει τὸν νοῦν ἡμῶν· τὸν γὰρ ὄντως καὶ μάλιστα ἄνθρωπον ἐν λογικῇ ζωῇ τίθεται, καὶ διττὸν F αὐτὸν διὰ τούτων ἀποφαίνεται, ἕνα μὲν τὸν ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος ᾧ καὶ τὸ εὖ ζῆν, καὶ τὸ εὐδαιμονεῖν ἐν τῷ κατὰ τὰς ἀρετὰς εἶπε ζῆν εἶναι ἐν τοῖς μεγάλοις ἐθικοῖς. καὶ ἐν τῷ πρώτῳ δὲ βιβλίων· ἄλλον δὲ τὸν πρώτως, καὶ ὄντως ἄνθρωπον, τὸν ἐν ἡμῖν νοῦν, ὑπὲρ οὗ προϊὼν ἐρεῖ χωριθεὶς δὲ τοῦ σώματός ἐστιν αὐτὸ τοῦτο, ὅπερ ἐστί· καὶ δῆλον καὶ ἐκ τούτων ὡς οἱ λέγοντες τὸν ἀριστοτέλη θνητὴν δοξάζειν τὴν ψυχὴν, οὐδὲν τι λέγουσιν ἀληθές. Quæ ſunt: Meliorem particulam, vel hominem, dicit mentē noſtram. Nā verum hominem animam rationalem ſtatuit, duplicemque in his eum eſſe demonſtrat. Vnum ex anima & corpore conſtantem, cui bene ac beatè viuere ſit, ſecundum virtutes, in magnis moralibus, & primo iſtius operis libro docuit. Alteram autem verè ac præcipuè hominem, mentem noſtram, de qua dicet poſtea. Separataque eſt hæc à corpore, quicquid eſt. Ex hiſque fit perſpicuum, eos qui dicant Ariſtotelem opinari animam eſſe mortalem, minimè vera dicere. Hæc Michael. Libenterq; citaui locum, vt vndique eorum error innoteſcat, qui hæc neſciētes philoſophum immortalitati animorum detrahere incuſarunt. Itaque & Salomon, cuius ſapientia tralata eſt ex Hebraico in Chaldaicum, ex ſermone Chaldæo in Græcum (nā legi Chaldaicè quædam ex hoc libro) hominem ad imaginem Dei factum aſſeruit, & ob hanc cauſam eſſe immortalem. Atque impias eorum coarguit opiniones, qui dicerent, hominem eſſe tantum vitam ſenſibilem ac corruptibilem, cuius accuſabāt Ariſtotelem. Coarguit autem, quòd ad imaginem Dei ſit factus. Sapient. 2. Ignorauerunt, inquit, myſteria Dei, qui dixerunt tanquam fumum ac vaporem eſſe vitā noſtram, nihil ſuperante poſt mortē, neque præmium eſſe probitati putauerunt, neque merita incorruptorū animorū diiudicarunt, ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισεν τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσία, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον.

Quoniam

A Quoniam Deus condidit hominem ad immortalitatem, & imaginē propriæ naturæ fecit illum, inuidia autē diaboli mors introiuit in mundū. Hæc vir ſapiētiſſimus, myſterium & rem arcanam appellans immortalitatē animorū, pręmiumq́, conſtitutum ac paratum animis ſynceris,& incorruptis,non infectis labe terrena. Hi enim ſunt,quos Ariſtoteles dicebat caros eſſe Deo maximè, & eos remunerari,immortalitate ſcilicet & cęleſti præmio. Verè autem myſterium,quia latet imperitas,& craſſas,terreniſq; cupiditatibus graues mentes. Probationem autem eam præfert, ꝙ factus ſit homo ad immortalitatem,quia Deus imaginis ei ſuę proprietatem indidiſſet. Inuidia autē diaboli redditum eundem,id eſt quod ex anima & corpore conſtat, mortalem. Immortales autē eſſe animas ſuperius oſtenderat,dicens eſſe præmium animis incorruptis, appellans animum, vel animā quod Ariſtoteles, cæteriq; νοῦν mentem, intellectum: quod & Michael Epheſius, ſenſum Ariſtotelis explicans,docuerat: Duplicem videlicet eſſe hominē, ſed alterā eſſe partem βέλτιον, potiorem,meliorem,quā dari exterius Ariſtoteles cum Moſe confitebatur. Obſeruandū autem, quòd Methodius apud Græcos,allegās ſupra dictum ex Salomone locum, pro eo quod impreſſi codices habent, ἰδιότητος, ipſe legit ἀϊδιότητος, Vt Salomon dicat: Et imaginem propriæ ęternitatis fecit illum. Ex quo multo magis affirmet hominem immortalē. Denique ne ſim prolixior, nemo ferè eſt magnorum virorum,quin naturæ inſtinctu inciderit in id quod Moſes docuit nos, à Deo reuelatum, totaque ſubſecuta philoſophia, ſubſcripſit antiquiſſimæ Theologiæ Moſaicæ. Nam & Mercurius à Deo factum & formatum hominem aſſeruit, appellans eum θεοειδῆ, Dei ſimilem, vt annotationes priores oſtendunt. Sibylla quoque cum Moſe prorſus,

Εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμὴ λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.
B *Eſt mea homo recta ratione inſignis imago.*

Seuerianus itē putat hoc philoſophos agnouiſſe, quippe qui diffiniret philoſophiā, φιλοσοφία ἐστὶν ἐξομοίωσις ἄνου πρὸς τὸ κρεῖττον κατὰ τὸ δυνατόν. Philoſophiā eſſe aſſimilationē ad id,quod eſt ſuperius & melius,quoad licet. Cyrillus ſapienter, & dignum, quod ab omnibus obſeruetur, duo ait diſcrimen magnū inter hominē,cæteraq; animalia demōſtrare, αὐτουργία, καὶ προβουλία, quòd ipſe Deus fuit operator, & quòd quodam conſilio antea eſt vſus. Quoniamque Moſes diuerſo loquendi genere vſus eſt hoc loco, ſingulum quodque verbum ponderemus.

Faciamus hominem.

CAeteri alij ſecū Deum eſſe locutum,alij cū Angelis,maximè verò Hebræi aſſeruerunt,ne in Trinitatē Chriſtianorum inciderēt. Quos error impius trāſuerſos agens,impulit fateri Deū locutum cum Angelis,ad quorū ſimilitudinem Deus fecerit hominē: hinc eos inuidiſſe, ęgreq; tuliſſe ęquatum ſibi hominē: Imaginem autē Dei eſſe Angelū. Alij fabuloſius,eadē caligine grauante,Deum locutū cū terra,quaſi duo principia,faciamus ego & terra. Terra corpus,Deus animum. Quæ quoniā abſurda ſunt,& ab ea gente conficta,cui certum erat nunquā dicere, ꝙ Chriſtianorū dogmata probaret,ac roboraret, nos imperitioribus & recētioribus hiſce relictis,quibus neque erudita mens, neque pia & ęqua fuit, vnum ex illa gente & t̄pe, & doctrina ſuperiorem, quem ego omnes Hebræos rerum magnarum multarumq; cognitione, & philoſophia ſuperare aſſerere non dubitauerim,proferā in medium,Philonem illum Iudæorum diſertiſſimum, de quo propter dicendi ac ſentiēdi ſimilitudinem, ſolitum erat dici, ꝙ aut Plato eſſet ipſe Philō,aut Philon ipſe Plato. C Hunc exiſtimare non poſſum,niſi diuini ſpiritus inſtinctu,aut antiqua ſucceſſione doctrinæ,tam mirabiliter,tā clarè locutum de filio ac verbo Dei iſto ipſo loco. Duoq; dixit omnibus viris Chriſtianis admirāda,amplexāda,exoſculandaque, Tum hominē eſſe diuinum & immortalem,quia factus ſit ad imaginē Dei,tum iſtum ipſum,ad cuius imaginem ſit factus,eſſe filiū Dei. Cuius grauiſſimi & doctiſſimi viri auctoritas deberet ſummo pudore afficere pertinaciam Iudæorum,niſi eſſent tanto ſtupore, tāta cæcitate & imperitia grauati, vt ne poſſint vnquam, attollere oculos ad veritatem, nec ſaxea eorum pectora,adamantina durities obfirmaſſet. Eſſe igitur fabulas de Angelis, quæ ſuperius dicebantur, agnoſce tāti viri teſtimonio. Proponam primū, hominē factum ad imaginē Dei. In libro de mundo,qui liber qm̃ impreſſus eſt,non proferam totum locum Græcè: Pręcipuā vero,inquit,ac differentem à cæteris creationem ſortitus eſt homo. Nam cæterorum animantium os in terram deflexit,eoq; in terram nutant: hominis autem è conuerſo ſublimauit, vt cęlum ſuſpiceret. Cęleſtis enim eſt propago non terreſtris, vt vetuſta fama perhibet. Ac cæteri, ętheriæ naturæ partem animum noſtrum dicentes, cum ęthere dederunt ei affinitatem,at magnus ille Moſes,nulli creatæ rei,formam animæ rationalis dixit eſſe ſimilem,ſed diuini, & inuiſibilis Dei illius imaginem: δόκιμον εἶναι νομίσας ἧς εἴωθε καὶ τυπωθὲν σφραγῖδα θεοῦ, ἧς ὁ χαρακτὴρ ἐστὶν ὁ ἀΐδιος λόγος. ἐνέπνευσε γὰρ φησὶν ὁ θεὸς εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, πνοὴν ζωῆς, ὥστε ἀνάγκη πρὸς τὸν ἐκπέμποντα, τὸν δεχόμενον ἀπεικονίσθαι, διὸ καὶ τὸν ἄνθρωπον κατὰ εἰκόνα φασὶ θεοῦ γεγενῆσθαι οὐ μὴν κατὰ εἰκόνα τινὸς τῶν γεγονότων. Probabile eſſe ratus accepiſſe ſimilitudinem Dei rem ipſam formatam, cuius character eſt verbum ęternum. Inſpirauit enim, inquit, Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ. Quo factum eſt, vt neceſſariò ſit aſſimilatus is qui reciperet, ei qui inſpiraſſet & emiſiſſet. Hæc ille. In quibus eſt clara iſtius loci expoſitio. Primum, quòd Moſes nulli creatæ rei confitetur hominem ſimilem. Angeli autem ſunt creati.

Philonis Iudęi laus.

Deinde neceſſariò fieri, vt is qui reciperet nempe homo, ſimilis ſit effectus ei qui inſpiraret. D Eo enim apparuit in homine diuina ſimilitudo, quòd à Deo veniret, non quidem tanquam particula ſubſtantiæ diuinæ, ſed tãquam fluxus ab illa, & largitio quædam proxima rebus ſuis, aut vna è rebus ſuis: Et vt optimè docet ipſa Theologia, vti afflatus. Tum ait vetuſtum eſſe ſermonem, hominem eſſe plantam cœleſtem, non terreſtrem. Omnium ergo hominum & omnium ſæculorum conſenſus fuit, hominem habuiſſe à cœlo, id eſt Deo, originem, non ab aqua aut terra, ſicut cæteri animantes è terra generati. Hæcque tum communi & antiquo ſermone iactabantur, tum in illa Theologia habentur, quæ tota eſt ex oraculis cœleſtibus perſcripta, & perfecta. Illud quoque cœleſtem hominis originem ait indicare, quum in cœlum, contra quam reliquæ animantes, verſos vultus habeat, quaſi in originem, priſtinumque domicilium. Quo argumento grauiſſimi quique prudentiſſimique ſunt vſi in aſſerenda quadam in homine diuinitate. Nam & Tullius: Nam cùm cæteras, inquit, animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad cœlique quaſi cognationis, domicilijque, priſtini conſpectum excitauit. Et Poeta, quod omnium in ore eſt:

Oui. 1. Metamorph.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terras,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Græcè quoque Plato perhibet hominẽ appellatum ἄνθρωπον, à ſuſpiciendo, ἄνω ἀθρέω, ὦπα, ſurſum aſpiciens vultus. Quaſi ἄνθρωψι, ἄνθρωπος. ἀνθρώπου etymon. Poſtremo quod maximè mirabile dicitur à Philone, eſt, humanum animum factum ad imaginem verbi diuini. O verè cęleſtem Philoſophiã, & à regalibus ſedibus venientem. E Sciendumque eſt, Philonem multa ac præclara de verbo filio Dei ſcripſiſſe, quoniamq́, erat à Platonicis, qui veteris ſapientiæ cultores, admiratoreſque præ cæteris Philoſophis fuerunt, tum quia ſacris litteris, maiorumque ſuorum ſapientia erat imbutus, verbum iſtud diuinum, vt à principio oſtendimus. Ideam idearum, omnium reginam rerũ, mundi creatricem, hominis archetypum, & prototypon prædicauit. Quem igitur Moſes appellans ſpiritum, creatorem mundi & hominis introduxit, hunc Philon filiũ Dei aſſeruit & demonſtrauit. Huncque ipſum eſſe formam & imaginem patris ſui. Ipſum quidem imaginem patris, hominem autem imaginem eius. Quoniamque pater ipſe ſedet in excelſa diuinitatis arce, non putat Philon fas, vt ad eius ſimilitudinem quicquam creatum diceretur. Imago verbi, homo. Ergo ex profundiſſima philoſophia, altiſſimiſque Theologiæ cœleſtis penetralibus, imaginem patris filium, ſeu verbũ, imaginem autẽ verbi hominem, ideſt ad ſimilitudinem eius, qui eſſet imago patris, hominem docet creatum. Duoq; narrat præclara, creatorem hominis fuiſſe filium Dei, quem pater tanquam auctoritatem ſuam miſerit ad creandum, ſicut & poſtea ad redimendum, tum ad huius imaginem, qui eum creaſſet formatum, vt facilè poſſis intelligere, quantum diuinitatis inſit verbis Moſaicis iſto loco. Sed quoniam quæ ſuperius ex libro Philonis de mundo citauimus, parum emendata ſunt, vbi hac de re loquitur, extat aliud teſtimonium ex alio eius libro de quæſtionibus, & ſolutionibus longè clarius. Super enim his verbis Moſis, Ad imaginem Dei feci illum, ſic ſcribit: Διὰ τί ὡς περὶ ἑτέρου θεοῦ φησὶν τὸ ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ οὐ τῆς αὐτοῦ: παγκάλως καὶ σοφῶς τοῦτο κεχρησμώδηται: θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον θεὸν, ὅς ἐστιν ἐκείνου λόγος: F ἔδει γὰρ τὸ λογικὸν ἐν ἀνθρώπου ψυχῇ τύπον, ὑπὸ θείου λόγου χαραχθῆναι, ἐπειδὴ ὁ πρὸ τοῦ λόγου θεὸς, κρείσσων ἐστὶν ἢ πᾶσα λογικὴ φύσις: τῷ δὲ ὑπὲρ τῶν πάντων ἐν τῇ βαλτίστῃ καὶ τινι ἐξαιρέτατω, καθεστῶτι, ἰδέα, οὐδὲν θεμὶς ἦν γεννητὸν ἐξομοιωθῆναι. Quæ ſunt: Quamobrem veluti de altero Deo dicit: Ad imaginem Dei feci hominem, non autem ad imaginem ſuam? Ad imaginem Dei homo factus. præclarè & ſapienter hoc oraculum editum eſt. Nihil enim quod eſſet mortale, poterat ad eum qui ſupremus eſt, paterque vniuerſi, figurari: ſed ad ſecundum Deum qui eſt verbum eius. A diuino enim verbo neceſſe erat animæ humanæ formam rationalem animi formari, id eſt à logo diuino, logicum humanum. Nam Deus qui eſt ſupra verbum, melior ac potior eſt omni rationali creatura. Quocirca nefas erat quicquam aſſimile illi fingi, qui in optima, excellentiſſimaque Idea ſubſiſteret. Hæc Philon: in quibus tanta eſt, tamque profunda Theologia, vt ſi eam velim diffundere, nimium quantum proceſſura ſit oratio. Sed claret mebs hominis, claret altiſſima philoſophia, Patrem eſſe altiſſimum, ſupremum, in altiſſima ſede, & caligine diuinitatis exiſtentem, filium eſſe imaginem, & characterem paternæ ſubſtantiæ: Quem alterum Deum eſſe dicit, non quidem, quòd duo eſſent, ſed quòd veterum illorum ea eſſet loquendi conſuetudo, nondum propter hæreſes, diſtinctioribus verbis repertis. Nam aliàs prædicat patrem cum filio vnum Deum. Creator igitur hominis fuit Dei filius, & idem qui creauit redemit. Is idem verbum mundum quem creaſſet, ſemper adminiſtrauit. Is legem Moſi tulit, is Prophetas, ipſumque Moſen eſt allocutus. Huius imago fuit homo; Non mirum, ſi voluit imaginem ſuam redimere. Hæc imago tanquam filius. Filius enim eſt imago patris. Hoc Græci filium Dei vocant hominis πρωτότυπον, exemplum. Omnes ſuperius dicebant ad imaginem Dei eſſe hominem, nunc exquiſitius & exactius intelleximus cuius Dei. Lætetur igitur & glorietur homo, quòd tantus ſit factus, quantus fieri potuiſſet.

A Quid enim aliud reſtabat? Tanquam patrem habet filium Dei, cuius eſt ipſe imago, & filius. Ideo enim imago, quia tanquam filius. Emendandus eſt autem locus, in libro de mundo. Siquidem liber ille, multis in locis ſcatet mendis. Veluti cùm ait, firmiſſimum omnium rerum robur eſſe verbum Dei, quem genitor eius pater voluerit eſſe validiſſimum vinculum vniuerſi. Quo loco, pro λόγος, poſitum eſt mendoſe νόμος. Νόμος δὲ ὁ ἀΐδιος θεοῦ αἰωνίου, τὸ ὀχυρώτατον, καὶ βεβαιώτατον ἔρεισμα τῶν ὅλων ἐστί. Dicendum eſt logos, vt apparet in emendatioribus exemplaribus. Quod quidem & ipſe locus abunde teſtatur. Conſidera enim, an de lege rectè & congruè poſſit dici, quod paulo poſt infert, δεσμὸν γὰρ ἄρρεκτον τοῦ παντὸς ὁ γεννήσας ἐποίει πατήρ. Vinculum indiſſolubile vniuerſi fecit eum pater qui genuit. Perſpice an congruat, vt de lege dicatur, eam à patre eſſe generatam. Obſecroque omnes, vt emendent locum. Nefas enim eſt tanta philoſophia erroribus librariorum obſcurari. Hortarer autem deſperatiſſimos Hebræos, vt hæc penitus intenderent, niſi ſcirem, & multis, quæ mihi fuere cum illis, colloquiis expertus eſſem, eos non ſolum eſſe feros & ferreos, ſed omnium etiam bonarum litterarum impetitiſſimos, ſolumque prodigioſarum ſuorum doctorum, fabularum admiratores. Quibus nulla vis queat extorquere confeſſionem veritatis, non ipſi cælicolæ, ſi placidè, non viribus agendum eſſet. Quos iure ait Baſilius hoc loco γεγυμνασμένην πρὸς ψεῦδος γλῶσσαν ἔχειν, exercitatam ad mentiendum habere linguam. Sed reuertor ad creationem hominis. Non eſſe autem ad imaginem Angelorum, vt fabuloſi Hebræi freneticantur, ſed ad imaginem Dei, ideſt filium, hominem creatum. Euſebius euidenti argumento conuincit. Quoniamque liber non tam facilè in manus eruditorum venit, oſtendam Græcè totum locum. Quarto de euangelica, ἀποδείξεως, B demonſtratione, hæc ad verbum: καὶ εἶπεν ὁ θεὸς ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, καὶ αὖθις. καὶ εἶπεν ὁ θεὸς οὐ καλὸν εἶναι τὸν ἄνθρωπον μόνον, ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν: καὶ ἵνα δὲ μήτις πρὸς ἀγγέλους ταῦτα εἰρῆσθαι νομίσειεν παραχρῆμα δηλοῖ τὸν κεκελευσμένον, οὐκ ἄγγελον ὄντα θεοῦ, λέγων, καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν. Quæ ſunt: Et dixit Deus; Faciamns hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrā. Rurſum, Et dixit Deus; Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus illi adiutorem ſecūdum ipſum. Et ne quis cum Angelis hæc eum eſſe locutum ſuſpicetur, mox declarat eum qui iuſſiſſet, non fuiſſe Angelum Dei, dicens: Et creauit Deus hominem, ad imaginem Dei creauit illum. Hæc Euſebius. Qui contēdit, Faciamus hominem, eſſe verba patris ad filium, eo maximè quòd addidit, Ad imaginem Dei fecit illum: Filius ſcilicet, hominem, ad eum qui eſt imago Dei, nempe filium, vt & Philon interpretatus eſt. Filius eſt enim patris imago. Hinc Græci dicunt εἰκὼν θεοῦ, λόγος ὁ θεῖος, εἰκὼν δὲ εἰκόνος ἀνθρώπινος νοῦς. Imago Dei, verbum diuinum, imago imaginis ipſe homo. Igitur maximorum hominum eſt iudicium, non ſolum è Chriſtianis, ſed doctiſſimorum etiam ex Hebræis, latitare ſub hiſce Moſaicis verbis ſublime, reconditumque myſterium diuinitatis. Atque alij, quòd in numero multitudinis dictum ſit; faciamus, Trinitatem aut plures perſonas augurantur expreſſam: alij quòd dicatur; Ad imaginem Dei feci, Reſponſumque eſt à doctiſſimis Græcorum, hæreticis & Hebræis aliis, ſecum Deum fuiſſe locutum: aliis, cum Angelis, aſſerentibus. Siquidem Baſilius in eos qui ſecum Deum eſſe locutum dicerent: Quis, ait, faber aut opifex loquitur ipſe ſecum? nonne tacitè operatur? cui niſi filio hæc loquitur? Dicitque Moſes, ad imaginem, propter gentes: non imagines, ne plures Deos oſten-C deret. Faciamus autem propter Hebræos, qui negant numerum perſonarum. Idem aſſerit Theodoritus. Tum Seuerianus ait indicari verbo faciamus, σύμβουλον conſiliarium. Eſſe autem filium conſiliarium, Eſaia teſte, Magni conſilij Angelus. Eadem aſſeruntur à Chryſoſtomo, qui & illud perpendit, cùm dicat; Ad imaginem noſtram, vnam imaginem deſignari, Dei autem & Angeli non eſſe vnam imaginem. Quod & Theodoritus agnouit. Seuerianus verò; Hæc dicuntur, ait, vt agnoſcas, per quem factus es, per eundem te ſeruandum: præcipueque ſubdit, ὁ υἱός ἐστιν ὁ συνδημιουργήσας τῷ πατρὶ τὸν ἀόρατον, καὶ ὁρατὸν κόσμον. Filius eſt cooperator cum patre, mundi viſibilis & inuiſibilis. O miraculum, inquit Cyrillus, conditur cœlum, creatur Sol, nullo præcedente conſilio, ſolo verbo: in ſolius hominis opificio, conſiderat, conſultat opifex. Deus ergo qui prius loquebatur imperans cauſis maioribus, vt particulares innumerabileſque effectus producerent, in creatione humana ſermone mutato, imperat ipſe ſibi, vt quaſi diceret mundanus ille opifex, ſator hominum atque deorum: Hucuſque res mortales, & in alterius commoda paratas, maximæ cauſæ imperiis actæ meis ediderunt, nunc ò pater, à quo creatio mundi eſt mihi credita, cuius ego ſum ſapientia, quique meorum omnium conſiliorum, & inuentionum particeps fuiſti, non alienæ cauſæ, ſed nos ipſi, præclarum opus moliamur, regemque omnium rerum iſtarum, quas paulo ante naſci voluimns, conſtituamus. Sic opifex mens, cum genitore.

Hebræi, nō ſolum feri, ſed & impetiti.

Filius, imago patris.

Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.

NOn ſum hoc loco veritus, quandam animi ſuſpicionem ferre in conſpectum, quam aliis in locis memini me aperuiſſe. Hanc imaginem ſimilitudinemque diuinam, non ſolum inuiſibilem quandam & internam iuxta cæteros omnes ſcriptores, Hebræos, Græcos, & Latinos,

prudentiæ

Ad quomodo viderit Deũ deambulãtem in paradiſo.

Primi hominis pulchritudo.

prudentiæ ſcilicet & ſapientiæ, mentis & intelligentiæ, poſſe intelligi: ſed aliam quãdam, quam D nunc deſcribam. Homo creatus & compactus ex anima & corpore, ſenſus habuit corporeos: videbat, audiebat, vidit Deum deambulantem, audiuit loquentem. Hæc opera, quoniam niſi in imagine corporea & humana inhærere non poſſunt, fit vt neceſſariò oporteat credere, Deum ſub imagine quadam excellenti, ſed humana tamen, viſum à primo homine. Tres autem ſunt vnius alicuius rei imagines. Vna ipſa res & archetypum: altera ſpiritualis hærens in animum, quales, omnium in animo rerum formæ: tertia, quæ videtur oculis corporeis. Poſteriores duas imagines videre ſæpe Prophetæ, alij ſcilicet imagines animorum, ideſt, in animis per quietem, aut ſoporationẽ ſenſuum inſidentes & aſtantes, alij qui oculis corporeis eas intuerentur. Vtraſque enim mirabilis Deus, cuius eſt ingenium & poteſtas infinita, poteſt formare. Itaque quemadmodum Abraham tres viros, id eſt tres cęleſtes in virili habitu vidit, è quibus ipſa ſcriptura teſte, vnus erat Deus is, qui creauit mundum & hominem, quem ibi יהוה Iehouah, id eſt, Iouem, vel exiſtentem, & eum qui eſt, nuncupat, quem Abrahã videbat euntem, ſedentem, manducantem, loquentem: ſic primo homini cenſendum viſum fuiſſe. Acceſſit ergo filius ac verbum Dei, ad creationem humanam, in forma, imagine, habituque humano, gerens ſpecioſiſſimam, diuiniſſimamque formam, & iucundiſſimam, omnium humanarum formarum pulchritudinem ſuperantem. Quam videntem & intuentem generis noſtri principem cenſendum eſt amore inſaniſſe, creatoremque omnibus fęminis ſpecioſiorem penè deperiſſe. Hanc ſpeciem, diuinamque pulchritudinem, clementiſſimus, formoſiſſimusque aſſumens, quam erat poſt multa tempora vſque ad carnem & oſſa aſſumpturus, creabat hominem largiens ei ſpeciem hanc tantam, ipſe primus archetypus, ſpecioſiſſimus ipſe, ſpecioſiſſimæ prolis creator. Quantam qualemve cre- E das fuiſſe primi hominis illius venuſtatem? quantum in ore decus, quas gratias inſediſſe? Duoque dij ſtatim conſpecti ſunt, alter alterius ſimilis, quoad ferret facultas: vnus creator, alter creatus. Sed ille Deus verus, & incomparabiliter pulchrior, is Deus fictitius, & paruus quidam Deus, ſimilis tamen magni illius. Quanta gaudia, quantum lætitiæ & voluptatis, dum hæc fierent. Siquidẽ & Petrus, talem quandam, primæuamque in illo creatore formam intuẽs, dicebat, Bonum eſt nos hic eſſe. Tales ac tantæ fuerunt illo primo tempore delitiæ & voluptates, ab eo fluentes & naſcentes, qui vt omnium rerum, ſic omnium voluptatum eſt Idea, & fons, & torrens, & theſaurus. Iam tum declarabat ſuam exuberantem clementiam, benignitatemque creator, donans ſeipſum homini, & pulchritudinem, diuinitatemque ſuam munus faciens, & quantum quod creabat, formam donans ei ſuam, diligeret, comprobans. Quicquid ergo fuit homo, hoc erat ante Deus. Videbat eum ſe creantem, manuſque ſibi admolientem, fingentemque manibus manus ſuas & corpus. Talem ſpecioſiſſimam, inenarrabilis venuſtatis formam vt Petrus in monte, ſic Moſes in rubo intuens expauit lumine circumfuſus, texitque vultum: talem poſtea vidit in monte Sina: Talem vidit Abraham cùm loqueretur cum eo, ideo & gauiſus eſt. O diem illum beatiſſimum: Gerebat enim ſecum germanam illam pulchritudinem, internæ diuinitati reſpondentem. Ideoque ineffabili gaudio quicunque hanc ſpeciem viderunt, ſunt affecti. Species quidẽ corporea, quia videbatur oculis: rurſus non corporea, quia tanta ineſſet diuinitas, quantam nulla corpora recipiant. Quis enim reddet probabilem formæ, quod eſt vbique commodũ exemplum, rationem viſæ in monte, quæ fuerit? qua ex materia aſcita, cùm nefas etiam ſit dicere illum fuiſſe materiam? Quemadmodum igitur, præter ea quæ ſuperius diximus exempla, il- F lic Moſes, & Elias glorioſi affuerunt, oculiſque Apoſtolorum conſpiciebantur, poſteaque euanuerunt: ſic Deus filius & verbum, vt dicebat Philon, ſimili quadam ratione, in gloria maieſtateque ſua, faciem ſimilitudinemque gerens humanam, id eſt, quæ poſtea hominum fuit, venit in conſpectum, & ad illam ſimilitudinem, hominem creauit. Ideoque non fuit Deus ſimilis hominis, ſed homo ſimilis Dei. Hæc autem dicens, non attendo eorum deliramenta, qui corporeos Deos introduxerunt: ſed ſimile quid dico, quale ſuperiora exempla indicant. Non erat nefas, Deum illam, quæ poſtea noſtra fuit, tunc aſſumpſiſſe ſimilitudinem. Nam ſi nefas fuiſſet, nunquam aſſumpſiſſet. Repetit poſtea, quod quondam habuiſſet, habiturus iterum cùm is eſſet redimendus, & in conſpectum, colloquiumque cum eo veniendum, cum quo quondam verſatus & locutus ab ſe nato fuiſſet. Quomodo enim eum vidiſſet homo deambulantem? non enim poſſunt mentes ſeparatę videri, & deambulare. Vox quoque ore corporeo formatur. Cùm fingeretur homo, manus illas diuinas aſpexit, ambroſioſque vultus illos, pulcherrima brachia, corpus ſuum fingentia, ſinguloſque artus ducentia. Mitto hoc loco, quia copioſiſſima ſunt in litteris ſacris exempla, de aſſumpta ſępe à cęleſtibus humana forma, è vetuſtiſſima poeſi, quæ ſpeciem habet theologiæ, teſtimonia. Quid illud de Ioue res humanas circumſpiciente apud Poetam?

Oui. 1. Metamorph.

Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.

Quid itẽ differt, quod Homerus ſæpe Palladẽ varias aſſumentẽ formas fingit ire comitẽ adoleſcenti, atque id quod noſtra Theologia Raphaelem ſpecioſi iuuenis in habitu, prodit comitem adoleſcentis Tobiæ fuiſſe? Redolent enim poetica illa ſanctiſſimã antiquitatem, è vera, vt par eſt, Theologia accerſita. Duos quoque Angelos vidit Lot, quos vti videbantur, homines eſſe ſuſpi-

catus

A catus eſt. Erant autẽ forma ſpectatiſſima. Ob id à tota ſcelerata ciuitate, factus eſt ad hoſpitium, quo iuuenes diuertiſſent, confeſtim concurſus, venuſtiſſimorum adoleſcẽtium pulchritudine inflammatis. Nã multa, quæ Poetarum licẽtia, in hoc genere poſtea finxit abſurda, finxit ad ſimilitudinem verorũ ac decẽtium Hinc aiunt Homerus & Heſiodus, olim deos cũ hominibus verſatos,

Η'έρα τε ἑσάμενοι πάντη φοιτῶσιν ἐπὶ γαῖαν.
Aeraque induti tota tellure vagantur.

Operũ 1.

Aeria enim illa Angelorũ corpora, quibus hoſtibus apparebãt, ſuſpicati ſunt. Et noſter Catullus:

Præſentes nanque ante, domos inuiſere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu,
Cælicolæ, nondum ſpreta pietate, ſolebant.

Argonauticis.

Hanc diuum ſpectatiſſimam pulchritudinem, ſpecioſiſſimamque iuuentam recipient generatim omnes, ab eo qui eam habet incomparabilem & archetypam, largituſque in primo homine fuerat, toti poſteritati, niſi eam peccato coinquinaſſet: recipiemus autem, ſi optimis decretis eius, contra quàm ille, parebimus. Neque hic nauci habuerim, quod Hebræi obiicerent, qui ſua lingua dicunt; Abſit, abſit, vt Deo ſit vlla ſimilitudo. Nam iſtius nationis iudicium, non eſt vſquam multi faciendum. Non tã enim in Theologia, quàm Philoſophia abſurdiſſimè peccant; In odium Chriſtianę religionis cuncta finguntur. Eademque execratione vterentur in aſſumptã formam humanam à Deo. Et hoc quia dicitur, Cui aſſimilaſtis me, dicit Dominus? Rectè, ſi rectè locum interpretarentur (latiſſimè enim patet iſta Dei aſſimilatio) poſſet dici, ſed impiè diceretur, tantam in aliquo eſſe ſapientiam, quantam in Deo, ęqualem fortitudinem, ęqualem maB ieſtatem. Hoc execratur Propheta. Præcipuèque ipſos Hebræos inceſſebat, qui idolis parem atque Deo tribuebant cultum. Præclaras autem illas ſpecies à Prophetis ſiue in ſpiritu, ſiue corporeis oculis viſas non reſpicit. Quomodo enim defenderent, quòd Eſaias vidit Deum ſedentem in throno, regia fulgentem veſte, & latus eius ſtipantia agmina Angelorum? In ſimilitudine ergo regis vidit Deum. Et Abraham vidit tres viros, è quibus duo ad excidium ſceleratarum vrbium ſunt profecti, tertius remanſit cum Abraham, eumque vocat ſcriptura illo peculiari nomine tetragrammo, ſuperius autem virum cum duobus nuncupauerat. Non excluſa igitur interiore mentis ſimilitudine, ad illam quoque formoſiſſimam ſpeciem dicitur homo creatus, in qua creatis omnibus, homini ſe conſpicuum ſpectabilemque exhibuit, vt creatorem ſuum omnibus modis cerneret, agnoſceret, omnique poſteritati eum prædicaret.

Et præſit piſcibus maris.

OMnis theologia vociferatur, ſolæque imperitæ & tardæ mentes vocem eius non audiunt, quantũ inter homines & beſtias interſit. Quid enim ſibi vult iſte dominatus, iſta ſuper omnes animantes euectio, niſi magnum quoddam naturale & factum, conſtitutumq; à Deo diſcrimen? Hunc dominatum Philoſophi ſuæ diſciplinæ verbis vtentes dicerent eſſe mentis ſupra ſenſum, vt quaſi domina ſenſus ac regina ſit mens. Debilis viſus, & veræ cognitionis imago, ſenſus, mens ſumma regina per vniuerſalia diſcurrens, per tempora vniuerſa, per vniuerſas formas, per principia, media, fines, lumen quoddam magnum in omnes ſeſe partes explicans. Vt imago eſt veræ lucis Luna, ſic veræ lucis ſenſus. Menſque quaſi Solis lux, ſenſus Lunæ, debile & opacum, C & ſimile illius, non illud: prudenterque ait Auguſtinus, continuo vt dixiſſet, ad imaginem noſtram, ſubiunxiſſe, Et præſit piſcibus maris & volatilibus: vt hinc intelligamus, hoc eſſe imaginem Dei, quod antecellere ac præſtare omnes animantes. Et Chryſoſtomus ſimiliter κατὰ τὴν τῆς ἀρχῆς εἰκόνα φησίν. Manifeſtum eſt autem hominis ſuper animalia bruta imperium. Sic imago Dei manifeſta. Claret etiam hoc imperio, omnes animantes in ſeruitutem ac miniſterium humanum creatas, ſicut & cœlum creatum probatur. Nos enim bobus, nos equis, nos canibus & dominamur; & eos parere nobis cogimus. Aliaque proſunt ad ſubuectanda noſtra corpora, & quæ noſtris ceruicibus, ſi ea defuiſſent, nos ferre oportuiſſet, onera ducenda, alia ad veſcendum, quædam ad velanda corpora, nonnulla ad voluptatem ac delitias. Quid enim (ait eloquentiſſimus Philoſophus, Græcam & Romanam explicans & illuſtrans Philoſophiam, & prorſus cum Moſe congruens, vt non cogamur meliorem quærere interpretem) oues aliud afferunt, niſi vt earum villis confectis, atque contextis, homines veſtiantur? Quæ quidem neque ali, neque ſuſtineri, neque fructum edere ex ſe, ſine cultu hominum, & curatione potuiſſent. Canum vero tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid ſignificat aliud, niſi ad hominum commoditates eſſe generatos? Quid de bobus loquar, quorum ipſa terga declarant non eſſe ad onus accipiendum figurata, ceruices autem natæ ad iugum, tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda? Longum eſt mulorum perſequi vtilitates, & Aſinorum, quæ certè ad hominum vſum paratæ ſunt. Sus vero quid habet præter eſcam? Cui quidem ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam eſſe dicit Cryſippus. Qua pecude quòd erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. Quid multitudinem, ſuauitatemque piſcium dicam, Quid auium? Ex quibus tanta percipitur voluptas, vt interdum

Dominatus hominis in beſtias.

Oues.

Canes.

Boues.

Muli.
Aſini.
Sus.

pronoe noſtra, (id eſt, diuina prouidentia.) Epicurea fuiſſe videatur. Hæc & id genus ille. Produxi autem totum locum, quòd ſi voluiſſem, ipſe melius declarare Moſen non potuiſſem. Nam eruditiſſimè quoque, & adeò conſentiens cum vera iſta Theologia, vt ſit mirabile, quemadmodum Moſes in Deuteronomio, ſic idem ſcripſit etiam cælum, Solem, Lunam, ſtellas, hominum cauſa eſſe facta: quia ſi hominibus ſolis nota ſunt, hominum cauſa facta eſſe iudicanda ſunt. Soli enim ex animantibus nos aſtrorum ortus, obitus, curſusque cognouimus. Ab hominum genere finitus eſt dies, menſis, annus, & alia eiuſdem generis plurima, plurimumque admiranda, quòd quæ oraculo ſcientiaque diuina à Moſe ſcribebantur, eadem ſcripta & prolata ſunt ab illis inſtigatione naturæ. Quis enim melius iſtum Moſis locum atque aptius interpretetur, cùm idem ait? Efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipſis affert vim & celeritatem. Nos onera quibuſdam beſtiis, nos iuga imponimus, nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum, ad vtilitatem noſtram abutimur. Sed deſinam ipſe plura ex illa Philoſophia proferre. Claruit certè ipſo vſu omnibus poſt illud exordium ſubſecutis ſæculis, omnia facta hominum cauſa. Porro quod ait Moſes, Et vniuerſæ creaturæ: Hebraice, In omni terra, id videlicet quod interpres declarauit. Quicquid in terris procreatur, tam in animantibus, quàm plantis ac ſtirpibus ſit ſub humana poteſtate, eius ditioni pareat vniuerſa terra. Nihil enim eſt natura hominis melius ac præſtantius. Ratio enim præſtat omnibus. Quin & ipſe Deus vt dixere prudentes, non eſt fortis & omnium dominus robore corporis, aut auro & argento. fulminibus, militum, exercituumque cęleſtium multitudine, ſed ſcientia & ſapientia. οὐ γὰρ ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ μακάριον τὸ θειὸν, οὐ δὲ βρονταῖς καὶ ἀστραπαῖς ἰχυρὸν, ἀλλὰ ἐπιστήμῃ καὶ φρονήσει, ait Plutarchus. Hac igitur præſtat omnibus homo, animatis & inanimatis. Nam ſi animatis, multo maximè etiam exanimis. Ergo cęlo & terræ, elementiſque primum, tum his quæ conſtant ex elementis. Hæcque eſt etiam imago, ſimilitudoque illa diuina, vt quo anteſtat Deus omnibus, id autem eſt ratio, & ſapientia: hoc antecedat omnibus homo. Deus autem immortalis per hoc ipſum quo & maximus & dominus. Eodem igitur & immortalis homo, quo & in omni terra dominatur. Septuaginta quoque iuxta Hebraicum καὶ πάσης τῆς γῆς. Noſter ἀντωνομικῶς terram intellexit, pro his quæ in terra: ſicut cęlum, pro his quæ in cęlo. In neminem autem hærere præclara illa ſuperius poſita ſpecies potuiſſet, niſi interius quoque & ſenſu & intelligentia eſſet Dei ſimilis. Alteraque cum altera intelligitur.

Et creauit Deus.

QVatuor vicibus repetit humanã creationem: Primum, cùm quaſi imperat ipſe ſibi. Tum cũ ad opus acceſſit, & ad imaginem ſuam creauit. Inde ne quis praue hæc interpretaretur, vt poſtea multi, & vt fieret certius, iterat. Ad imaginem Dei creauit illũ. Sublata eſt enim, hoc multiplex impia perſuaſio. Et enim Hebraice Elohim Deus dicitur, dicũtur & Angeli. Aut ergo quod Plato, fortè ex iſto loco fama non rectè manante, Angeli creatores hominis crederentur: Plato enim introducit deos minores, ad creationem hominis, aut creatum quidẽ hominem à Deo, ſed ad imaginem non Dei, ſed Angeli. Ergo ſcribit primum: Faciamus ad imaginem noſtram. Secundo: Et creauit ad imaginem ſuam: Tertio, Ad imaginem Dei creauit illum. Sublatus eſt enim omnis error, nec poteſt quiſquam, niſi qui ſe præcipitem daret, in errorem labi. Non repetit autem tertio loco ſimilitudinem, ſed tantum, Ad imaginem Dei creauit illum, quia duo nomina, eãdem rem pollentia ſunt imago & ſimilitudo, & ad declarationem prioris poſitum eſt poſtremum. Primum tamen eſt validiſſimum, plenumque ponderis. Dicitur enim Hebraice imago צלם zelẽ quod expreſſum ſubſtãtiæ deſignat ſimulacrum. Eoque id ſolum poſitum tertio loco. Ne ſolum autem vnicum ſexum factum à Deo putares, addidit: Maſculum & fęminã creauit. Quod quomodo factum ſit, omittitur hoc loco, ſolumq; creationem à Deo extitiſſe declaratur. Partes autẽ creationis omiſſas recenſebit in recapitulatione. Siquidem hic quoque rationem creati hominis non declarat, vt finxerit limum in effigiẽ: vt inſufflarit, vt in paradiſo poſuerit. Quę omnia reliquit in repetitione commemoranda, contentus nunc indicaſſe, hominem à Deo creatum. Itaque quod ait,

Maſculum & fœminam creauit eos.

HOc quoque ſpectabat ad id quod nunc compendioſè propoſitum, poſtea latius & copioſius innoteſcet. Sicut enim quomodo creatus eſſet homo nondum expreſſit, ſed tantum creatum fuiſſe dixit: ſic quomodo maſculum & fęminã creauerit eos, hic non declarauit. Oſtendet autem poſtea quid ſit, Maſculum & fęminam creauit eos. Itaque tota hæc deſcriptio tantum non mutila eſt, imò vero compendioſa. Quod ergo ſcribitur hoc loco, narrabitur poſtea, narratione quidem ab illo diſiunctum, re autem coniunctum. Itaque ſcire nos conuenit caput ſequens, ſecundamq; narrationem eſſe repetitionem iſtius primæ. Et omnia quæ ibi dicantur, pertinere ad iſtum locũ. coniungantur igitur ea cum iſtis, vt ſic dicatur: Et creauit Deus hominem: Nam finxit Deus eũ ex humo terrę, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculũ vitę, & factus eſt homo in animã viuentẽ. Deinde Deus intellexit, non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, ſecumq;, id eſt, cum ſua origine collocutus dixit, Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Ergo cùm non inueniretur tale adiutorium, immiſit ſoporem in Adam, & obdormiuit. Interea tulit vnam è coſtis aut è lateribus eius,

& repleuit

A & repleuit carnem pro ea: coſtam autem ędificauit in mulierem: Sicque maſculum & fœminam creauit eos. Hunc ordinem non ſeruauit Moſes, quod fieri, in diuerſas partes deſcriptione omnes ei comprehendendas tendente, non poſſet. Eoque ſimul multa comprehēdit, multa quoque vt congruum eſt, reperit. Siquidem & paradiſum, quem multo poſt plantatum à Deo dixit, tertia die cum cæteris arboribus probabile eſt, & omnes aſſentiuntur fuiſſe conſitum, ibiq; Deū in aſpectu, habituq; mirabili, res mirabiles tractantem ac gerentē viſum, ibi & hominem eum formaſſe, & res glorioſiſſimas feciſſe. Sicut in monte quem gloria repleuerat, Moſi tulit legem, tāta gloria diſcedente, cæterorum poſtea montium ſimili. Declaratur ergo ab ipſo eodem ſcriptore, quomodo maſculum & fœminam creauit eos. Quocirca non ad ſenſum verum fortè quidam ex antiquioribus Hebræis ſuſpicantur, hominem fuiſſe creatum à principio biſne parzuphin בשני פרצופין vt ipſi dicunt quaſi geminum, & quod Græci dicunt ἀνδρόγυνον androgynum, id eſt, maſculum & fœminam. Quod Plato, neſcio qua fama cognitum, prodidit, olim marem & fęminam fuiſſe connexos, vt quaſi à priſcis ſæculis fama videatur deſcendiſſe. In Sympoſio, ἡ γὰρ πάλαι ἡμῶν φύσις οὐκ αὕτη ἦν, ἥπερ νοῦν ἀλλ' ἀλλοῖα: πρῶτον μὲν τρία ἦν τὰ γένη τὰ τῶν ἀνθρώπων οὐχ ὥσπερ νοῦν δύο ἄρρεν καὶ θῆλυ, ἀλλὰ καὶ τρίτον προσῆν, κοῖνον ὂν ἀμφοτέρων τούτων, οὗ νοῦν ὄνομα λοιπὸν, αὐτὸ δὲ ἠφάνισαι, ἀνδρογυνον γὰρ ἓν τοτὲ μὲν ἦν, καὶ εἶδος καὶ ὄνομα ἐξ ἀμφοτέρων κοῖνον τοῦτε ἔρρενος καὶ θήλεος. Quæ ſunt: Olim enim noſtra hæc natura, non eadem fuit atque nunc. Principio enim tria hominum genera fuerunt, nō vt nunc duo, maſculus & fęmina, ſed aderat & tertium commune amborum. Cuius quidem nunc nomē ſuperſtes eſt, re ipſa extincta. Androgynumque erat forma & nomine, ex maſculo & fœmina. Hæc Plato. Addiditque Deum

B eos diuiſiſſe vt multiplicarentur. Sed indigna multa adiecit, fuiſſe hoc tertium genus robuſtiſſimum, diiſque bellum inferre voluiſſe. Verum ſi androgynū illud Moſis fuiſſet, non dixiſſet, Maſculum & fęminam creauit eos. Idque etiam admonuit Auguſtinus. Nicolauſque indignum cenſet, vt à monſtris humanum principium opifex ſit auſpicatus. Illud me maxime, quod homine creato dicitur, Et homini non inueniebatur adiutorium ſimile ei: parte quidem alia ſunt rationes, vt non coſtam, ſed partem quandam integram raptam ex homine in ædificium mulieris innuat ſcriptor & ratio cogat aſſerere. Sed vt hoc verum ſit, non ſequitur tamen ex eo androgynum. Nec Hebræi, vt poſtea docebo, androgynum, ſed duas perſonas tradiderunt.

Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

TOrquet vehementer is locus, ſimiliter & omnis qui ſequitur, cùm datur homini poteſtas ſuper omnes animantes, decernitur humanus cibus, iubetur replere terram, eamque ſubiicere. Hæc enim coarguunt hominem fuiſſe creatum mortalem, aut ſi non mortalem, ea certè cōditione, qua ſumus omnes hodie præter mortem. Atqui & propagatio ſucceſſionem interiturorum ſingulorum quorumcunque, & cibus interni caloris continuam flammam, eoque & iuuentam & ſenectam declarat. Certumque eſt hominē ante caſum comediſſe, nuptias pręceptas fuiſſe. Quamobrem relinquet ait: Et quæ ſequuntur. Tum quod dicitur: Multiplicamini. An dicendum eſt eum habiturum fuiſſe, nondum habentem immortalitatem, creatum autem, quales nunc omnes, non quidem in peccato, ſed ſimplices, quia nuper nati & quaſi paruuli. Miles ergo fuerat creatus, nondum accepto præmio, ſed coronandus, ſi fortiter in bello ſtetiſſet. Ideo de eo

C loquitur tanquam eo qui nihil accepiſſet. Sicut autem nunc promittitur regnū cęlorum rectè viuentibus, ſic fuerat illi promiſſum ſi abſtineret ab eo, in quo ad hoc præmium & immortalitatē vocabatur, ſed per probationem, & per varios caſus, vna pręceptione cōtentos. Vtq;, tametſi nihil dum aſſequimur ipſi, promittitur tamen, ſperaturque futurum, interim autē ſors alia eſt, nondum immortalitate acquiſita, ſic ille talis erat, qualis probandus, venturus in aciem, deque eo vti immortali nihil dicitur, quia nihil factum fuerat, quod poſt ſuperatam tentationē eſſet futurum. Ac ſi Adam nō peccaſſet, poſtmodū immortalitatem aſſecutus fuiſſet, idq; poſteritati profuiſſet. Licet & in aliquo etiā poſteri fuiſſent probati, & fortè in illa ipſa arbore, in qua fuiſſet pater probatus. Aut fortè ſicut vnius peccato ſunt omnes à regia cęli excluſi, ſic vnius virtute tota poſteritas fuiſſet glorificata. Poſtea ſunt omnes variis tentationibus relicti, ſic diuinis legibus ferentibus, vt qui in paruo & facili imperiū neglexìmus, maioribus vexationibus obſideremur. Ac qđ tunc eramus per obedientiam aſſecuturi patente cęlo, poſt à filio Dei redditum eſt, ſed & nunc obedientibus. Quemadmodum autem nunc non adeſſet præmium, niſi adeſſet libertas, ſic in aliquo debuit tunc libertas probari, vt præmium ſequeretur. Dicuntur igitur omnia tanquā de milite & certante, tanquam mortali, nondum immortalitatem & coronam aſſecuto. Tanquam de animali ex mortali corporis natura, quam de humano traxerat, conſtanti. Seorſumque eſt creatio, ſeorſum probatio, nec habet alterum cum altero commercium, nec debes cum creatione miſcere immortalitatē & probationem. Ac poſt leges creationis ſequuntur leges probationis. In creatione memoratur propagatio, cibus, dominatus ſuper animātes, vtilitas ex illis. In probatione mortis & vitæ legis lignum, comminatio tāquam ſimplici ac paruulo, nudo nondum laureato, veſtibus nectareis induto, ſed, quia non peccaſſet, nondum nuditatem agnoſcenti. Eſt autē immortalitas præmium maximum, trahens ſecum diuinitatem, diuinitas ne poſſit amplius peccari.

Ea enim eſt diuinitas, vt qui prius errare potens, ſe continuit, acquirat diuinitatē, quæ eſt vt am- D
plius peccare non poſſit, cui eſt item immortalitas coniuncta. Ad hoc autem non peruenitur niſi
antecedente probatione. Quid autem de animalibus ac cibis, & habitatione terreſtri ſi non pec-
caſſet, futurum eſſet, optime omnia Deus, cuius eſt infinita ſapientia, diſpoſuiſſet, nec probatio
cæteris fortè venturis ad immortalitatem, primo parente in cęlum ſine morte, ſublato, ſubtracta
fuiſſet. Tam bene autē Deus rebus conſuluiſſet, quàm bene ipſi cogitare non poſſumus, non con-
ſultando nobiſcum valemus aſſequi, quadamque alia meliore quam nunc ratione. Quod vero
dicitur; Et dominamini piſcibus: pertinere poteſt ad humanam naturam ſimpliciter, nōdum glo-
rificatam, nondum immortalem, ſed vt nunc habentem. Poteſt eſſe iuxta Bedam & alios quoſ-
dā duplex dominatus, ante caſum, & poſt, illeq; verus dominatus. Tum quod dicitur: Ecce dedi
vobis omnem herbam. Et ſuperius docuimus, & omnium Hebræorum, qui hæc maximè cōtem-
plati ſunt, eſt conſenſus: & poetæ aureum ſęculum, antiquiſſimamque hominum vitam canētes
docuerunt, cibos eorum fuiſſe fructus arborum, quas veriſimile eſt multo vberiores, dulcioresq;
atque nunc fuiſſe. Itaque herbas pecudibus, feris, ac iumentis adiudicauit, arboreos fructus ho-
mini. Adhuc etiam quædam regiones, fructibus, baccis, melle, roreque cęleſti commodo homini-
bus cibo veſcuntur. Sic tellus inarata quotannis reddebat non cererem, ſed fructus dulciſſimos.
Eaque ſine raſtris, nec vllis ſaucia vomeribus per ſe dabat omnia, videlicet omnes fructus qui
nunc, & alios plures ac meliores nobis incognitos. Quorum feraces arbores recens tellus & ſub
optima cęli, Soliſque poſitura iacens enixa erat. Viuebant ergo ſine ſudore ac labore, nec raſtris,
ligonibuſque, nec falcibus, nec trahis & tribulis, ac ventilabris erat opus, nec fruges erant metē-
dæ, & in areā congregandæ, excutiendæq; plauſtris vt frumenta diſſultarent. Ac terra quia non- E
dum erat maledicta, maledictio enim eſt vbertatis repreſſio, & agris iniecta infelicitas, ſicut bene-
dictio vbertas late prorumpens, omnium fuiſſe rerum feraciſſimā neceſſe eſt, vt & plures ſpecies
ſuauium fructuum ediderit, & longè meliores. Is erat primorum illorum panis, ſine ſudore ex ar-
boribus decerptus, labens ipſe & ſeſe ex arboribus offerens, mirificeque alens corpora, & ſenſus,
viſum, tactum, olfactum mira voluptate afficiens. Quoniamque ſpeciem habet crudelitatis quę-
cunque ſanguinis effuſio, ſimplici autem ſæculo, nihil immane ſanguinolentumque congruebat,
tacetur eſus animalium, & tacendo prohibetur: ſub Noe permittitur, non larga manu laxatur iā
ſæculo fœdato effuſione cruoris, & ſanguine iam hominibus noto: Et quia terra maledicta fere-
bat bonos & malos. In omnes item partes genus humanum propagabatur, cùm ante diluuium,
nulla in varias terras hominum diſtributio memoretur. Tum terra maledicta, vbertatis ſuæ fon-
tes exſiccauerat, multiq; fructus & arbores deerant. Aquæ quoque diluuij arbores ſubuerterant,
nec poterat earum cibus expectari, ſed ex eis animalibus quæ aderant in arca, ibique nata & au-
cta fuerant, egreſſis ex arca fuerat veſcendum. Sed cum primis non conueniebat vllam creaturā
interfici primo illo ſæculo. Impium quoque habitum, & Cyclopicum apud gentes etiam poſt
Noe, & à feris hominibus dicitur inchoatum.

Ferrea tum vero proles exorta repente eſt,
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum, domitumque iuuencum.

Arbitrorque idcirco ſub Noe fuiſſe permiſſum, quòd iam ætas ferrea, id eſt, Gigantum id au- F
ſa fuerat ante diluuium, vt quod erat antea lege tacente vetitum, nunc ceſſaret eſſe illegiti-
mum, lege palam permittente. Nam ꝙ ſimpliciore ſæculo non fuerit vſitatum, mirabiliter cum
Moſe poetæ concordes canunt.

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aues tutæ mouere per aera pennas,
Et lepus impauidus medijs errauit in agris.
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo.
Cuncta ſine inſidijs nullumque timentia ferrum.
Plenaque pacis erant.

Vltima denique poteſt eſſe cauſa, cur eſus animalium ſit interdictus, quòd pauca extarēt animalia, pauca inquam in vnaquaque eſſe ſpecie è terra nata, quibus totum erat genus propagandum. Vt igitur in omnibus terris cuncta genera creſcentia inuenirentur, primis autoribus parcendum fuit. Quanquam & ſub Noe erant ad exiguum numerum redacta, ſed illi erant paulo poſt diſtribuendi, & cum illis brutæ quoque animantes; quarum partim illi ſecum in terras ferrent, pars iret ipſa per ſe, ac proſeminaretur.

CAPVT SECVNDVM.

Igitur perfecti ſunt cœli & terræ, & omnis ornatus eorum.

ETRIBVS temporibus, aut tribus ſpaciis conſtat creatio: initio, medio, fine. Initium ſiue principium fuit ante dies & tempora, quæ è motu cœli colliguntur. Genus aliud temporum, alia pars ęternitatis, vocata principium. In hoc principio creata eſt terra & aqua, limus, informis qui fuiſſe dicitur, quod ſine aquis fieri non poterat, & abyſſus palam apud Moſen cæteroſque prophetas nominatur. Hoc etiam principio Sol cum orbe creatus. Nam ſi Sol, etiam orbis. hucuſque principium proceſſit. Quantum autem fuerit hoc interuallum, Deus ſolus habet notum, nos iudicare poſſumus tantum fuiſſe, quantum non rapidus opificis impetus potuiſſet, ſed quantum prodire è nihilo res ipſæ poſſent. Hoc item principio fuerunt tenebræ, id videlicet quod lucem antecedit. Abſentia quædam, quædam lucis inopia: Fuit etiam ingenium ſpiritusque diuinus. Quatuor autem ſunt, ſi velis omnia complecti, ſpatia ante initium. Initium eſt ęternitas, in qua duæ res fuerunt, ſpiritus ipſe diuinus ſapientia ve, quæ de ſeipſa clamat: Ab initio & ante ſæcula creata ſum, id eſt in ipſo initio, & quod latius, ante ipſum initium: tum priuatio lucis, tanquam nihil: ſpiritus autem & ſapientia verum eſſe. Itaque vna tantum res propriè ante initium. In initio, terra & aqua ab ipſo ſpiritu, ſapientia ve creatæ, è quibus cætera creare cogitabat. Itaque orbem cęleſtem, qui eſt leuiſſimæ puriſſimæque ſubſtantiæ, defęcatiſſimæque naturæ, habens ob idipſum perſpicuitatem ac leuitatem, primum ſegregauit. Tunc inductum eſt tertium ſpacium dies, quem Deus vocauit iom, quòd in eo fremuerint, fremantque omnia nata, ac naſcentia, ſtrepitumque vitæ ſuæ cierint. In hoc tertio ſpacio è ſex diebus confecto, tota in pedes ſtetit creatio, habens naturale congruentiſſimumque temporis interuallum, nec longiore indigẽs, nec valens minore perfici. Origines autem ipſas paruaque initia notis his diebus eſſe nata, non totam propagationem, & cuiuſcunque formæ caterua. Vt enim è tot millibus hominum vnus homo caput ſequentium, ſic è tot millibus equorum, boum, camelorum, pauci omnino equi, pauci boues, & cameli: Terra quoque ardore Solis non vbique nudata, ſed quodam tantum altiore eminentioreque loco, videlicet Aquilone verſus ortum (ſicut dicebat Iob) qui Hebraicè vocatur Zaphon, à zapha, id eſt ſpectando contemplando, quia hæc terra prima conſpecta ſit. Hic exigua, prima die, tellure nudata, cœperunt herbæ & arbores enaſci, paulatimque conſota & condenſata, & duorum dierum Sole magis coalita, quædam paucæ natæ ſunt animantes, omnia per naturalia initia tendentia. Nam prima qua terra detecta eſt die, arbores ſenſim oriebantur, & animantium corpora inchoabantur. Vixque illa die emerſerant è radicibus ſuis, cùm animalium quoque corpora quinque dierum ſpacio coaleſcebant, arboreſque tertia, animantes quinta die parta, prius quaſi naſcentia. Erant animalia tunc tanquam pulli, ſuperioribus diebus in terra quaſi in vtero matris pullulantia, piſces autem facilius, propter faciliorem materiã, prius ſunt editi. Sexta igitur die illæ paruæ exiguæque numero origines, non quidem perfectè auctæ, ſed perfectè natæ ſunt omnes. Non enim proceræ ſtatim arbores, ſed mirabiliter natæ, mirabiliter etiam creſcentes, ſic equi & boues cæteraque animalia, primum quaſi pulli & è gremio terræ tanquã matris vtero procreati, tumque primum teneris pedibus ſtantes. Sex igitur Solis conuerſionibus creata & perfecta ſunt omnia. Mirabiliter aũt homo perfectæ ætatis & iuuenis creatus & factus eſt. Nam imago illa limoſa, quem perfectæ ſtaturæ hominem finxerat opifex, ſubito eſt, afflante Deo in carnem mutata. Iuuenisque erat talis creatus, qui nullius matris miniſterij indigeret, quique ſubito natus ſaperet, & ſuum, & rerũ intelligeret creatorem. Tertio igitur hoc ſpatio, quod dies dicitur, ſexies circumacto, omnia ſunt ſurſum ac deorſum abſoluta, eamque habuerunt origines hæ ſtaturam vt perfectæ dici poſſent: Indeq; ſemper augerentur & creſcerent, nec animantes lactis indigerent. Perfectum autem erat cęlum, id eſt, omnis quę ſupra terras eſt regio, incipiens ab aquis, tendenſque per aerios campos vſque ad ipſum æthera; Quicquid ibi eſt in ſyderibus, & volucribus, quę cęleſtia dicuntur, ſicut quicquid eſt præter terras terrenaque, cęlum eſt. Ac quod noſter iuxta Hebraicum tranſtulit, perfecti ſunt cęli, ſonat quod tranſtulerunt Septuaginta, συνετελέσθησαν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, perfecta ſunt cęlum & terra, vt numero multitudinis cęlorum, vnum tãtum intelligas cęlum, quod plurale eſt ob deductionis neceſſitatem. Ducitur autẽ shamaim, id eſt cęlum, à Maim aquis, quod ſemper multitudo eſt, ideo cùm ait, perfecti ſunt cęli, intelligendum, perfectum eſt cęlum, ne plures cęlos ob id fingas: omnis autem ornatus eorum, arbitror ad ipſum cęlum referri, cuius propriè eſt κόσμος, vt Septuaginta tranſtulerunt, id eſt ornatus. Coſmus Latinè mundus, mundus autem cęlum: Concuſſitq; micantia ſydera mundus, ait Catullus. Quocirca vt numero multitudinis, perfecti ſunt cęli, etiam numero multitudinis, ornatus eorũ. Neſcio autem an poſſit etiã de terra dici zaba, ornatus autẽ exercitus quaſi acies. Duplex autẽ exercitus cęli, ſtellæ ipſæ, quę tanquã acies diſpoſitæ incedunt per cęlum: tum angelorum cateruæ, qui quaſi ſunt exercitus & infinitę robuſtiſſimęq; legiones Dei. Exemplum primi, cùm toties arguuntur Hebræi, quod adorarent militiam cœli, quod altaria

Initium.

Hominis mirabilis creatio.

Cœlũ vnũ tantum.

Exercitus cœli duplex.

Theologia abstruſior.

erigerent omni cœleſti exercitui, quæ fuit antiqua Aegyptiorum, Chaldæorum, Græcorum, D etiam philoſophis approbata idololatria. Exemplum ſecundi ad alia, cùm tertio Regum Michæas ait: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cęli aſſiſtentem & à dextris & à ſiniſtris. De primo videtur eſſe ſermo, quòd nuſquam apparet Moſen, vel minimum de creatione angelorum ſcripſiſſe, puto quod vel difficilior eſſet minimeque conueniens rudibus philoſophia, aut alterius negocij res, parumque ad mortales & terrarum incolas pertinens. Nondum abſtruſiore patefacta Theologia, de angelis, de anima, de immortalitate, de futuris poſt hanc vitam: quorum nihil habetur expreſſum in libris Moſis. Myſticis autem modis ſolebant olim, ſolentque à Cabaliſtis apud Hebræos erui digna quidem, ſed parum certa, ac tuta res. Sicut autem eſt duplex cęli exercitus, ſic duplex cœlum. Primum aer totus, & ęther, vſque ad ipſa veſtibula cœleſtia, poſt ſuprema aeris pars, altiſſimaque regio, quæ vocatur cęlum, cęli Hebraicè שמי השמים, Græcè οὐρανὸς οὐρανοῦ, vt quod ait Syrach ἰδοῦ οὐρανὸς, καὶ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τοῦ θεοῦ. Ecce cœlum, & cœlum cœli Dei eſt. Vt autem de poſtremo exercitu non putamus Moſen fuiſſe locutum, ita neque de hoc poſtremo cœlo, quod habitaculum eſt illius exercitus. Vtrunque enim ſpirituale, & νοητὸν. de quibus non conſtat Moſen aut voluiſſe, aut potuiſſe loqui. Cœlum ergo & terram docet abſoluta, cum cęlo intelligens cuncta cęleſtia, cum terra quoque cuncta terreſtria. Septimoque die narrat Deum hoc opus abſoluiſſe, & in eodem requieuiſſe.

Et requieuit in die ſeptimo.

Quieuiſſe Deū quomodo intelligendum.

NAturaliter ad hoc quantum ſpacium tota peruenit creatio, tãtusque fuit numerus dierum, E quantus rerum creatarum: Tantus autem rerum creatarum, quantus in natura eſſet optimus ac iuſtiſſimus. Nihil ſupereſt, quod his ſex diebus in lucem non emerſerit. Propterea Deus benedixit ac ſanctificauit, ſolennem ac ſanctum & venerandum haberi voluit hunc diem, in quo deſiit creare, omnibus neceſſariis creatis. Nec turbari debemus audientes Deum requieuiſſe, & ceſſaſſe, quaſi feſſum ac mortalem, ſed ad verum ſenſum penetrandum eſt. Nam tametſi communicamus cum Deo, multis in nominibus, & operationibus, non communicamus tamen cum ſubſtantia. Quemadmodum autem dictus eſt creator, factor, productor, idque diuine ac potentiſſime, ſic item modo quodam diuino, fuit quieſcens ac ceſſator. Vox igitur Hebraica, requieuit, non trahit, licet trahere videatur ſecum defatigationem, languorem, laſſitudinem, ſed ſimplicem ceſſationem, finemque operandi, vt etiam Beda admonuit, quæ res Deo eſt conuenientiſſima, ſicut & ipſa operatio. Naturalis autem operationis aliquis finis, res autem naturales Deo maximè conueniunt, omnis naturæ optimo repertori. Propterea numerus ille ac dies, quia maximè naturalis, operibusque diuinis conuenientiſſimus fuit, habitus eſt deinceps in omni ętate apud omnes gentes venerabilis ac ſacer. Hinc inuenies numerum ſeptenarium in ſcripturis celeberrimum, & efficaciſſimum, ſic die ſeptima ſepties ſacerdotibus circumeuntibus męnia Hierico, & ſeptem tubis canentibus, ipſa męnia corruerunt, quodque mirabilius eſt, Pythagorei ſeptem Græcè dici putauerunt ἑπτὰ, quaſi σεπτὰ, ſacrum, venerabile, quod Latini ſecuti addita s, littera, expreſſerunt: σεπτὸν enim Gręcè ſanctum. Vt ergo ſanctificauit diem ſeptimum ipſe magnus opifex, ſic id veteres Latini & Græci antiquam famam ſequentes, hunc numerum vocarunt ſepton, id eſt ſanctum, ſacrum. Ac Theodoritus iuxta conſuetudinem ſcripturæ putat poſitum ſanctificauit pro ἀφώρισεν, ſeparauit, diſtinxit à cæteris: Selectam, egregiam haberi voluit. F Expreſſius autem & clarius in antiquis Græcorum monimentis, Heſiodi & Lini, antiquiſſimorum poetarum, laudes de ſabbato inuenies, quo referendo ac demonſtrando, ſcio me incredibilem voluptatem legentibus allaturum. Heſiodus,

Septenarius numerus ſacer.

2. dierum.

Πρῶτον ἕνη τέτρασε καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ,
Ἑβδομάτη δ' αὖτις λαμπρὸν φάος ἠ ἐλίοιο,
Ἑβδομάτη δή ἦ λίπομεν ῥόον ἐξ ἀχέροντος. Hoc eſt,

Quarta dies, ſupremaque lux & ſeptima ſacra:
Septima candeſcunt præclari lumina Solis:
Septima qua triſtes Acherontis liquimus vndas.

Conſtat his carminibus priſcos illos creationem, qualem tradit Moſes non ignoraſſe, eademque de creato mundo, atque nos ipſos ſenſiſſe. Videtur enim Heſiodus innuere, ſeptima die, cuncta fuiſſe perfecta, eademque nos Acherontis vndas, id eſt Chaos, & priuationem & tenebras euaſiſſe, referens res creatas ad diem vniuerſalis abſolutionis. Linus item non minus mirificè:

Ἑβδομάτη δὴ ἦ τετελεσμένα πάντα τετίκται,
Ἑβδόμη εἰν ἀγαθοῖς, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
Ἑβδόμη εἰν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελείη
Ἑπτὰ δὲ πάντα τέτυκται ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι,
Ἐν κύκλοισι φανέντα ἐπιτελλομένοις ἐνιαυτοῖς. Hoc eſt,

A *Septima qua fuit omnis res perfecta creata:*
Lux bona, natalisque fuit lux ſeptima cunctis:
Septimaque in primis & ſeptima fine ſuprema.
Sydereo ſunt cuncta polo ſeptena creata:
Orbibus apparent ſemper vertentibus annis.

Completa ſunt igitur omnia die ſeptima, aut quod in ea ceſſatum prorſus ſit, quod videtur expreſſiſſe, cū ſubdidit; Et requieuit: vt hoc quaſi ſit interpretatio eius, quod anteceſſit, & compleuit Deus in die ſeptima. Aut finis, & ſumma manus, vſque ad eam diem peruenit. Audiui qui dicerent, mulierem die ſeptima creatam. Adductis enim à Deo ſexta die cunctis animantibus coram Adam, eoque in appellandis excogitandiſque nominibus eorum, defeſſo, & in ſoporem nocturnum lapſo, detractam interea coſtam, & in mulierem ędificatam. Idque factum matutino tempore ſabbati, cum tota nocte Adam obdormiſſet: euigilantemque mane vidiſſe mulierem ex ſe natam. Porrò quod ait: Ab omni opere, quod patrarat, pro patrarat Hebraicè עשה fecit, & Septuaginta ἐποίησε, Bene ergo noſter eo vſus verbo, quo abſoluta operatio deſignabatur. Quoniam autem ſex dies ſuperiores obſcuram intelligentiam, vixque explicabilem habebant, diuerſiſque ſenſibus ab omnibus interpretibus accipiebantur, non mirum ſi dies quoque ſeptimus, & quies, varia interpretatione iactantur. Sed res clara & perſpicua eſt, nec ad allegorias abhorrenteſque ſenſus eſt refugiendum. Nihil habet ſeptima lux, & quies laborum, abſurdi, ne poſſint vt ſonant intelligi. Intellectis enim cæteris diebus, vt intelligi debuerant, hæc quoque ſuprema erit
B perſpicua. Longumque eſſet enumerare ſenſus, quos in re, quæ videretur obſcuriſſima, excogitare neceſſe fuit. Poteſt autem, ad animi voluptatem, in varios ſenſus eadem res diffundi, ſed vbique littera vigilantiſſimè perpendenda. Opus autē Dei dicitur mundanum opificium, quicquid enim natura fecit, Dei, qui maiores molitus eſt naturas, fuit opus: ſanctificatioque ſeptimi, cùm antea eſſet celeberrima, renouata eſt ſub Moſe. Ac ſub Adam, quemadmodum rerum creatio, ordoque creandi, principiorumque inuentio fuit nota, ſic quod ea die Deus ceſſaſſet, eamq; ſanctificaſſet, ſolennemq; haberi, & operibus vacuam voluiſſent, vt animus curis terrenis exoneratus, omnis in eam creationis memoriā fixus inhæreret, & ex admiratione cōtemplationeq; operum, opifex ipſe quæreretur. Siquidem vt Plutarchus & Alcinous teſtantur, ἐν τῷ οὐρανῷ θεασόμεθα ἀστρῶν τε φορὰς καὶ οὐρανοῦ, καὶ τὸν δημιουργὸν νυκτὸς, καὶ ἡμέρας μηνῶν τε καὶ ἐνιαυτῶν ἕξων κατά τινα οἰκείαν ὁδὸν, καὶ τὸν ἁπάντων δημιουργὸν ζητήσομεν, Quæ ſunt: In cęlo admirabimur, aſtrorum curſus & cęli, opificemque noctis ac diei, menſium & annorum. Ex quibus via quadam propria & naturali etiam ad omnium conditorem aſpirabimus. Sic igitur & ſabbatum propter ceſſationem vocatum eſt & ſanctificatum, vt in eo creatio tota conſideraretur. Sanctificatio autem fuit qualē ſub Moſe intelligimus, ocium & ceſſatio, & veneratio creatoris, totiuſq; operis recordatio, vt doctè admonet Beda, ſic veneranda fuit poſtea hæc dies, & aliis magnis facinoribus Dei & quaſi ſtratagematibus inſignita, ſicut initio. In ea enim conſummatum eſt, dixit CHRISTVS. Dico autem ſextam vel ſeptimam eandē, quia ſi refertur in ſeptima Deum quieuiſſe, interpretatio fermè eſt ſuperioris conſummationis: In ſexta ergo homo creatus, mundus
C abſolutus, homo redemptus, opuſque non minus magnum ac mundi creatio, ſalutis eſt factum, Vtque ſeptimo quieſcebat in ſepulchro, incommemorabilibus rebus morte ſua perfunctus, ſic omnibus ingenio ſuo natis, ſtelliſque matutinis eum laudantibus, florentibus, ſtantibus, vegetis, viuentibus, ipſe quieuit. Vt autem Adam in illa mirabili ac θεοπρεπῆ diuina inquam figura, Deum creantem ſeſe contemplabatur, ſic audiuit eum, ſeptimam ſanctificantem, multaque ſuper ea loquentem, Viditque Adam ſextam, ſeptimamque diem, vidit omnium diuinorum operum ſummam, ipſa vero opera, cæteroſque dies antecedentes à Deo audiuit, ſuſpicorq; ſic quaſi eum cum Adam fuiſſe locutum: O dulciſſima optatiſſimaque proles Adam, ob quem cuncta, quæ ſuſpicis creata ſunt. Ecce nihil ſupereſt, quod tibi ad vitam bene beateque tranſigendam ſit neceſſarium. Ecce omnia mirabili varietate diſtincta ſex dierum numero abſoluta. Iam primum contemplare terram quæ te ſuſtinet, quam tot arboribus, tanta herbarum & florum copia veſtitam aſpicis. Hæc ante omnia ob has ipſas cauſas à me fundata, aquam item immenſam accepit, vt ipſa tota, paſſim diluta, plantas & animalia produceret, & vt ex aquis vitales, quas hauris tu & omnes animantes, expirationes exurgerent, totumque inter cęlum & terram ſpatium perſpicuo, & præclaro vitaliq; aere compleretur. Id & omnis deinceps creatio vt fieret, mox poſt terram & aquam iucundam dulciſſimamq; iſtam, omniumque rerum pretioſiſſimam creaui lucem, eamque ita ſum moderatus, vt dies ac noctes diuidens, omnia ſalubri varietate temperaret, tum circumacta terras communicaretur cunctis gentibus. Hac creata, feci primum vt dies eſſet, diciq; dies inciperet, eadem feci vt aquis inflammatis, & feruefactis crearetur aer iſte vitalis, quem dixi, inter aquas inferiores à quibus ductus eſt, & quas omni deinceps tempore gigneret, interiectum: tū à terra ſeparata aqua, quippe quā ipſa exhauſiſſet, plantę & animalia in terra naſcerētur. Quibus exactis, ſex dies confecti: primum nudata eſt terra, tum natæ ſtirpes, deinde piſces, poſt

Mulierem die ſeptima creatā ſecundum aliquos.

Sãctificatio ſabbati qualis.

Dei ad Adã creatum verba.

omnes terreſtres animantes. Interea poſt ortam lucem eadem noſtra opera orta ſunt aſtra. Sex- D to autem die, quo iam omnis creatura eſt perfecta, ortaque animalia, tu quoque manibus quas cernis noſtris creatus. Ecce igitur omnis eſt decor ad apicem perductus, cuncta viuunt, exultãt, lætantur, lucent ſydera, volant per aera volucres, florent arbores & herbæ, piſces in mari laſciuiunt, ludunt animantes. Tu vero omnium Dominus omnia conſpicis, creatorem agnoſcis: Decernimus igitur hanc diem, qua cuncta ſimul exiſtunt, cũ cęteris diebus vnum horũ aliquod non omnia extiterint, ſacram ſemper & venerandam. Tu quoque hoc poſteritati trades tuæ, vt ſi quiſquam rogauerit te, quamobrem iſta die terrenis operibus intermiſſis, totus in laudibus diuinis verſeris: reſpondeas, ea totum mundum, id eſt omnes partes è quibus mundus perficitur, quę antecedentibus diebus altera poſt alteram, naturali ordine ſequentes orirentur, fuiſſe abſolutas, totumque numerum hodiernarum rerum, hac die expletum: cæteris diebus, & ſi erant plantæ, non fuiſſe animalia, interdum fuiſſe lucem, ſed terram non fuiſſe, quàm aquæ contegebant, aliquando piſces tantum, non etiam cæteras animantes. Nonnunquam hæc omnia, ſed te omnium dominatorem defuiſſe: quo igitur die totus exercitus, & omnes acies pulcherrimo in decore cõſiſtunt, erit omnibus ſæculis venerabilis, ſemperque colendus & memorandus.

Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ.

Geneſis liber cur ſit dictus.

HEbraicè eſt תולדות, id eſt natiuitates: quod appoſite Græci, Latinuſque interpres, tranſtulerunt generationes, Græcè γενέσεις Geneſis, quaſi conditiones, facturæ. Vnde Geneſis, liber eſt, quoniam has generationes cœli & terræ continet. Qua theologia antiquiſſima ac probatiſſima arguitur poſterorum philoſophorum error, qui ſine initio mundum aut crea- E tum quidem mundum, materiam autem fuiſſe Deo coæternam, crediderunt. Primum errorem vnus propemodum Ariſtoteles inuexit, quem ſi vellem illi dictis ſuis recitatis poſſem coarguere. Materiam æternam neminem ex antiquis (nam Timæus poſt antiquos floruit) arbitror aſſeueraſſe, licet in eo accuſentur ab Ariſtotele Anaxagoras, Plato autem ab aliis, de qua re ſuperius. Ipſe Plato Aegyptiam theologiam, quam plurimum ſuſpexit, explicans Græcis, vnà cum Moſe, intrepide generationem cœli & terræ confitetur, omnia dicens quæ cadant ſub ſenſus eſſe corporea, corporea eſſe diſſolubilia: Itaque æterna eſſe non poſſe. Mundum autem eſſe corporeum, eoque & factum & natura diſſolubilem, non prohibente Deo. Quam confeſſionem non video qua fronte quidam Platonici nitantur ſubuertere, & fabuloſiſſimis quibuſdã inſomniis obſcurare. Non enim audiendus eſt Alcinous de Platone ita dicẽs, ὅταν δὲ λέγῃ γεννητὸν εἶναι τὸν κόσμον, οὐχ οὕτως ἀκουςέον ἀυτοῦ, ὡς ὄντος ἀποτὲ χρόνου, ἐν ᾧ οὐκ ἦν κόσμος, ἀλλὰ διότι ἀεὶ ἐν γενέσῃ, καὶ ἐμφαίνει τῆς αὐτοῦ ὑποςάσεως, ἀρχικώτερον τι αἴτιον, καὶ τὴν ψυχὴν δὲ ἀεὶ οὖσαν τοῦ κόσμου οὐχὶ ποιεῖ ὁ θεός, ἀλλὰ κατακοσμεῖ. Cùm autem dicit mundum generatum, non ita audiendus eſt, quaſi tempus fuerit aliquando, cùm mundus non eſſet: ſed quia ſemper eſt in generatione, & oſtendit ſubſiſtentiæ ſuæ cauſam quandam maiorem. Animam quoque mundi ſemper exiſtentem Deus non facit, ſed exornat. At iſto modo Alcinoe omnia poterunt peruerti, & leges quæ iubeant adulteros & homicidas interfici, poterunt ita interpretari, ſi quis formam interpretandi veſtram ſequatur, vt imperare hoc ipſum non videantur, poterunt & hiſtoriæ credi, quæ laudes egregiaque Romanorum facinora decantent pro Romanis Græcos innuere voluiſſe. Quid enim aliud eſt Pla- F tone creatum mundum prædicante, iſtos pro creato æternum interpretari, pro temporis initio aut dependentiam, aut continuam generationem exponere? quaſi ſit obſcure Plato locutus. Sed videbatur eis nimium vulgare, & quaſi triuiale, mundo, quem Deum aſſerere non dubitarunt, denegare æternitatem. Itaque hoc deuitantes, coacti ſunt ineptire, fictitio Deo ficticia immortalite excogitata. Sed his quoniam reſpondet ſolerter & acutè Ioannes grammaticus, oſtendens Procli imperitiam eadem atque Alcinous aſſerentis, & velitari cum his non eſt animus & hæc quàm inuiti & à noſtro opere ferme aliena commemorauimus, ab eo exquiſitius perpendendo ſuperſedebimus. Nam & Philon diſertimus has coactas Platonicorum expoſitiones & traducit, & refellit in libro de mundo, quem pulcherrime fecit Latinum eruditiſſimus Budæus, his verbis: Quidam arbitrantur ſophiſticis perſuaſionibus, Platonem mundum creaſſe, non quòd acceperit generationis initium, ſed quia ſi factus eſſet, non alio modo eſſet factus, quam prædicta ratione. Aut quia partes mundi ſint in continua generatione. Sed melius eſt, & verius opinari quod eſt ante propoſitum, non ſolum quia in toto opere patrem & creatorem & opificem Deum prædicat hunc prolem archytepi mundi, & idealis exemplum ſenſibile comprehendens omnia quæ ille, perfectiſſimum ad mentis perfectionem, ſpecimen & exemplum ad ſentiendum. Deinde quia Ariſtoteles teſtatur de Platone, ob philoſopiæ reuerentiam. Nihil ſane mentitus, Heſiodumque cenſent Platonici dogmatis autorem, Hęc Philon. Generatum ergo ſiue natum cęlum & terram Moſes antiquiſſimus theologus ſcribit, illa ipſa ante memorata generatione, non quòd in æternum habeat cauſam naſcendi ac viuendi à Deo, vt homo non æquus magiſtri ſui interpres cõmiſcebatur, qui ne mũdum quidem in Deorum numerum referre erubuerit, ſed initio temporis.

A Exponuntque Hebræi tholedoth, natiuitates שהולידו sheholido, quibus naſci fecerat, Deus cœlum & terram. Et quod ait, quando creatæ ſunt, refertur ad cœlum & terram, Hebraiceque eſt neceſſitate ſermonis בהבראם. In creari ipſorum, in creari ipſa, in creandis ipſis: & quod commodè noſtri, quando creati ſunt, Græce ὅτε ἐγένετο.

In die qua fecit Dominus cœlum, & terram, & omne virgultum agri.

PRimum obſeruandum, habere fontem, ſicut noſter interpres vertit. Itaque quod refert Auguſtinus, alia translatio habet: Hic eſt liber cœli & terræ, cùm factus eſt dies, fecit Deus cęlum & terram, & viride agri: ſciendum hanc lectionem eſſe apud Septuaginta, αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὅτε ἐγένετο, ἡ ἡμέρα: ἧ ἐποίησεν κύριος ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Septuaginta rectè ad fontem Hebraicum tranſtulerāt, ſed ille quiſquis fuit, qui Græca, Latina fecit, cuius tralationem citat Auguſtinus, tā ipſe non rectè è Græco, quàm recte Septuaginta ex Hebraico. Superiora enim Græca verba ſic certum eſt Græcè ſcientibus eſſe interpretanda: Iſte eſt liber generationis cœli & terræ, quando facta ſunt. Hucuſque cōma eſt. Tum ſequitur: Dies qua fecit Deus cœlum & terrā. Ille igitur quiſquis fuit, non enim fuit Hieronymus, non debuit verbum ἐγένετο, quod ad partem antecedentem ſpectabat, referre ad ſubſequētem. Quæ amphibologia non eſt in Hebraico. Tum arbitrandum eſt, pro ἡ ἡμέρα. Septuaginta poſuiſſe iuxta fontem ἐν ἡμέρᾳ, in die. Hæc igitur commemoraui, quia diuus Auguſtinus hinc confirmat, quod fuerat à principio ſuſpicatus, vnam tantum diem factam à Deo, eamque ſex vicibus in creatione repetitam. Quoniam igitur locus habet in contrarium, ſuper hac expoſitione non arbitror laborandum. B Ergo quod ait, in die, non acceſſerim etiam quorundam Hebræorum interpretationi, cēſentium hinc oſtendi in vna die prima, cūcta fuiſſe creata. Potius quod venerabilis Beda quem ſequitur Nicolaus, probant alij apud Hebræos, dies more ſermonis Hebraici, tempus indefinitum deſignare, aut ſingulare pro numero multitudinis poſitum. Nam quod dies tempus quoddā deſignet, plena ſcriptura eſt exemplis. Tum hic eſſe digeſtionem & ordinem etiam ipſi conſentiunt, vt ſic loquatur Moſes. In die qua creauit Deus terram, & cœlum, herbas, animalia, hominem. In quibus & ſi ad ſingulam quanque rem non inculcetur dies, intelligitur tamen in vnaquaque. In die qua creauit terram, in die qua creauit cęlum, qua herbas, & alia. Quodque legitur in noſtra editione: qua creauit cęlum & terram: & Septuaginta τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Hebraicè alio ordine, terram & cęlum. Non arbitror quidem aliqua ratione, licet ratio ſubſit, Moſen hic terram ante cęlum commemoraſſe. Creata quidem eſt terra ante cęlum: Initio, ait terrā Pſal. 101. tu fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cęli, præcipuè autem duplex cęlum, poſt terram eſt creatum, tum quod ſuſtinet adfixa & cognata lumina cęleſtia, quod prima & quarta die creatur, tum aer ipſe, totaque ſuperna regio, quæ videtur ſecunda die creata. Erat autem terra ante omnia, deſuper aquis incumbentibus, ſuper aquis ſpiritu diuino, Solem, totamque molem cęleſtem extruente. In ſuperioribus vero cęlum ante terram commemoratur, In principio creauit Deus cęlum & terram. Terra præterea nō eſt in die, ſed ante diem creata. Tunc enim dies extitit, cum lux extulit os ſacrum, quod fuit poſt conditam terram. Ante terram fuit thohu, bohu, ideſt nihilum, è nihilo facta eſt terra: poſtea creatum eſt cęlum, id eſt Sol, ſolariſque orbis cùm cæteris ſyderibus. Ex quo fit perſpicuum, diem hoc loco pro quodam indefinito tempore poſitum, quod C eſt ad ſimilitudinem natorum poſtea dierum ac temporum, dies appellatum. Sicut enim ante Solem & ſydera non erat tempus, & tamen dicimus terram ante, vel initio fuiſſe, quæ ſunt aduerbia temporis, ſic vſurpamus diem. Imago enim ęternitatis, aiunt Mercurius Triſmegiſtus, & Pythagorei cum Platone, eſt tempus. Intelligimuſque ęternitatem per tempus, quemadmodum Tempus eſt imago ęternitatis. per omnes ſimilitudines, archetypa: ſic quod anteceſſit dies & annos, cùm fuerit ęternitas, quadam ſimilitudine dies dicitur. In cuius vna particula terra eſt creata: communeq́, eſt nomen dies antecedentis & ſubſequentis aſtra ſpacij. Itaque & virgulta, ſiue virores, in die creati dicuntur. Quæ cùm expeditè & rationabiliter ſequātur, cùm poſſit planè & rectè littera quod ſonat, intelligi, cùm ſuperius ſublata ſit difficultas, quæ non ſinebat ad numerū ſex dierum aſpirare, non videtur vnius diei, qua ſimul omnia creata ſint, neceſſarium auxilium. Nā quod ait Eccleſiaſticus: Eccleſ. 18. Qui regnat in ęternum creauit omnia ſimul. Sciendum pro eo quod neſcio quis reddidit ſimul, auctorem dixiſſe Græcè κοινῆ, id eſt communiter, promiſcue, referturq́; non ad vnitatem temporis & dierum, ſed rerum. Nec vno tempore, id eſt vna die, vno momento, omnia narrat creata, quod tametſi à Deo fieri potuiſſet, nō fuiſſet tamen naturale, & ad eum curſum, quem poſt in tota natura vidimus. Ad omnem creationis coniunctionem refertur, quaſi diceret, coniunctim, cōtinuo, alia ex alia re, pendente & naſcente, & quadam cauſarum ſerie res comprehendente, cuncta fuiſſe creata. Creato enim Sole, multa coniunctim ſunt effecta. Nudata eſt terra, aqua in vapores aerios exhalata, continuoque ſtirpes & animalia coaluerunt, quibus paulo poſt exortis, & homo creatus eſt. Atq́; auctor ille videtur eos maximè vt meriti erant, ſugillare, qui rerū creatarū quaſi corpus lacerabant, aliud ęternum, id eſt hylen, ſiue chaos, aut terram, alia infinito poſt tempore nata contendentes. Sed cùm vnus, inquit, ſit ęternus, nec alia res poſſit parem cum illo habere ęternitatē, is omnia coniunctim creauit, principio terrā, poſt, aquam cū terra, deinceps cęlū, tum animalia vſque ad hominem coniunctim omnia, non interquieſcente, vel immenſo, vel pro D diuturno tẽpore à terra creata, ad cæteras res. Tum illud κοινῆ etiam eò pertinet, quòd multa ſimul creabantur, ſimul herbis pullulantibus, animalia in terris, ſydera in cęlo cooriebantur. Eadẽ opera Sol & terras denudabat, & aerem creabat, & terram vitali calore ad fętus animabat.

Et omne virgultum agri antequam oriretur in terrà: Omnemq́ue herbam regionis priuſquam germinaret. Non enim pluerat Dominus.

PRo virgulto Hebraice שיח ſiach, arbuſcula, propriè & virgultum. Forteq́ue reſpicit principium illud arborum natarum, quas non ſit veriſimile principio, illoq́ue ipſo die quo productæ ſunt, fuiſſe proceras & excelſas, ſed paruas, perinde atque nunc exortas, deinceps adoleuiſſe. Eoq́ue virgulta & ſtirpes eas dixit. Sept. trãſtulerunt πᾶν χλωρὸν, omnem virorem, viriditatem, Latinaq́ue antiqua editio habebat omne viride. Sed id non tam ad arbores, quàm herbas, omnemq́ue camporum virorem ſpectat. Hebraicum autem vt & Latinum ad arbores duntaxat. Nã herbam & fęnum mox commemorat, cùm ait: omnemq́ue herbam regionis, herbamq́ue appellauit fęnum, iuxta Hebraicum עשב eſeb, & Græcum χορτόν. Duplexq́ue eſt plantarum genus, quę Græcè communi nomine à naſcendo dicũtur φυτὰ, arbores & herbæ, quibus omnia ferè viridia comprehenduntur. Virgultaque dixit Moſes in hac ἀνακεφαλαιώσει, quas ſuperius arbores fructiferas, ætatis hic indicium magis exprimens. Addit autem ſæpiſſimè, antequam oriretur: eo enim tempore facta ſunt, cùm ante non fuiſſent. Erant paulo ante terra & aqua ab inuicem ſeparatæ, arbor, & herba, & ſtirpes nondum erant. Producta ſunt autem de terra, à Deo, quia quod terra faciebat, imperium, diſpoſitioq́ue diuina adminiſtrabat. Simulq́ue duas res arcanas pandit, E tempus fuiſſe, quando non erant arbores, & omnis agrorum viriditas, & quando pluuia nondũ in terram deſcenderat. Nondum erat ordo iſte rerum. Naſcentibus enim arboribus & herbis, naſcentibus animalibus, credendum eſt vbique fuiſſe claram cęli ſerenitatem, nondum vaporibus condenſatis, & in aerem eleuatis. Factum autem id paulo poſt oſtendit. Oſtendit autem harum plantarum ac ſtirpium ſatum non fuiſſe, qualem oculis poſtea experti ſumus. Nunc enim pluente, herbæ, ſtirpesq́ue oriuntur & ſuccreſcunt. Atque vbi noſter & Septuaginta concordes poſuerunt μορίον αἰτιατικὸν, illi γὰρ, is enim, Hebraicè eſt כי ki, quæ non ſolum cauſam, ſed etiam tẽpus declarat, poteſtq́ue pro eo quod illi tranſtulerunt, Non enim pluerat: etiam ſic interpretari: quando non pluerat, iuxta Hebraicum כי לא המטיר ne videatur innuere antea multis diebus terrã ſine pluuia extitiſſe, idq́ue fuiſſe in cauſa, ne ſtirpes naſcerentur. Quomodo autem ſtirpes nondum imbre cęleſti delapſo, ſint exortæ, & ſi Moſes non laborauit referre, certa tamen cauſa eſt. Habebat videlicet terra paulo ante, immenſa aqua ſeparata, perinde copioſum, vitalemq́; humorem, ac ſi cęleſtibus aquis eſſet irrigua. Similisq́ue erat tunc omnis terra, vt vtar ſæpe vſurpato & accommodo exemplo, Aegypto, Nilo qui paſſim ſtagnaret iam conſidente, camposq́ue lutulẽtos & humidos relinquente: tunc varia monſtra, & ſemina oriuntur. Simile quid Moſes oſtendit factum illo exordio. Nam neque vnquam ferè Aegyptus pluuia cęleſti immadeſcit. Diuerſa igitur fuit à principio irrigatio terrarum. Duas autem res per negationem monſtrat fuiſſe creatas, pluuiam, & hominem. Etenim cùm negaſſet tunc pluuiam fuiſſe, hominem item, vtrumque docet fuiſſe creatum. pluuiam, cùm ait, Sed fons aſcendebat: Hominem, Formauit igitur Deus hominem. Huncq́; conſentaneum eſt eſſe ordinem totius ſermonis Moſaici. Iſtæ ſunt generatio- F nes, ſiue natales cęli & terrę, quando creati ſunt: Dico quando Deus ſummus & ſublimis creauit terram & cęlum, omnesq́ue arbores & herbas, antequam orirentur è terra & germinarent. Dico videlicet eas creatas à Deo, prius non exiſtentes. Quando nec pluuia erat, neque homo agrorum cultor & ſator. Poſt hæc igitur cœpit aſcendere fons, id eſt vapor è terra, eoq́ue omnis ipſa irrigari, homo quoque formatus eodem tempore à Deo eſt. Sicq́ue facta ſunt, quæ prius non erant. Non terra, non cęlum, non viriditas terrarum, non arbores. Quandoquidẽ nec pluuia, nec homo. Creauit ergo Deus cœlum, terram, herbas, arbores, vapor autem aſcendit & irrigauit terras: isq́; fuit modus natæ pluuiæ. Hunc ſermonem cùm præ ſe ferat apertè Moſes, non video cur aliis interpretationibus, & ab ipſa littera remotis oportebat abuti. Clara ſunt omnia, ſi verba clareſcunt, obſcurantur autem, cùm verbis non perceptis, delabi ad aliquem qualemcunque ſenſum neceſſe eſt. Mirabile enim eſt, quas deceptiones fecerit fons is, quem ſcribit Moſes aſcendiſſe, de terra, pro quo Hebraicè, vt in annotationibus mõſtrauimus eſt אד Ed. Ac præter ea quæ ibi ſcripſimus, vt melius res intelligatur, quædam adiecimus hoc loco. Vox hæc, quam fontẽ Septuaginta eosq́; ſecutus noſter, tranſtulerunt, vno tãtum alio in loco reperitur. Iob cap. 36. Qui aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum, qui de nubibus fluunt. Quod noſter interpres vertit, & effundit imbres ad inſtar gurgitum, Hebraicè eſt לאידו יזקו מטר leedo iazoku matar. Quod ſonat, ad vaporem eius effundent pluuiam. Aquas ait Iob ſummus philoſophus, gignere imbres ad vapores ſuos. Nam niſi prius in leues vapores extenuentur, non efficiant imbres. Eſt enim imber aqua terreſtris extenuata in vapores, & in cœlum eleuata, illicq́ue concreſcens iterum reddita terris. Ac quaſi dictum Iob eſt dicti Moſaici interpretatio, qui & ipſe abſolutus philoſophus, cũ prius negaſſet fuiſſe pluuias: Nondũ enim, inquit pluerat Dominus ſuper terram: vt doceret

Fons pro vaporibus.

quomodo

A quomodo cœperit pluere, perhibet vaporibus è terra ſublatis irrigari terram ab his cœpiſſe. Si-
millimam cauſam Lucretius & Ariſtoteles reddunt pluuiæ: Lucretius dicens pluuiam eſſe halitū
terræ: Ariſtoteles in Meteoris eiſdem penè verbis, eodem genere ſermonis, vt videatur à Moſe
didiciſſe. Moſes ait ואיד יעלה Veed iaalech. Et vapor aſcendebat: Ariſtoteles autem crebro refert
ἀτμίδα μετεωρισθεῖσαν, vaporem eleuatum & cōdenſatum pluuiarum eſſe cauſam. Omnium, in-
quit, rerum iſtarum cauſa eſt ſolaris reuolutio, acceſſuſque & diſceſſus, à cuius radiis, omniq; ſu-
perno calore, quicquid humoris in terra reſedit, euaporatum fertur in altum, calore autem qui
ſurſum tolleret, partim in ſuperiores regiones diſſipato, partim extincto, quia nimium à calore
terreſtri in aerē qui eſt ſupra terras, frigidiſſimus, abſceſſiſſet, interim vapor frigefactus fit rurſum
aqua, qui eſſet aer, refertúrque in terram. Et euaporatio quæ ex aquis tollitur, dicitur ἀτμὶς, quæ
ex aere in aquam redit vocatur νέφος, id eſt nubes, nubilum. Hoc docet Ariſtoteles interpres phi-
loſophiæ Moſis, quę neruoſa, compendioſaque eſt. Nam Hebraicū Ed id propriè tranſtulit Chal-
dæus quod Ariſtoteles dixit νέφος, ille ענגא nubem, nubilum. Aquilas autem iam ipſam conden-
ſatam pluuiam ἐπιβλυγμὸν. Et Hebræi hanc vocē interpretantes ſubiiciunt loco eius עשן eſen,
id eſt vapor fumus. Nec fortè procul à ratione Septuaginta tranſtulerunt fontem vberem iſtum
vaporum aſcenſum, perhibet enim etiam Ariſtoteles eſſe quaſi perennem quendam labētem in-
ter cęlum & terram fluuium, vaporum aſcenſum & deſcenſum, ὥσπερ ποταμὸν ῥέοντα κύκλῳ, ἄνω
καὶ κάτω, κοινὸν ἀέρος καὶ ὕδατος. Hęc igitur erat vera Moſis philoſophia. Duobus enim locis
commemorat hoc omne, quod de pluuia, vaporibusque plurimum eſt, & ſcitu digniſſimum, ſe-
cunda die creationis, & hoc loco. Quemadmodum enim Ariſtoteles duos locos affirmat, in quo-
B rum ſublimiore cometæ & faces volantes gignantur: Secundum, qui & potior eſt & memorabi-
lior, & à terra primum eum eſſe docet. Et de quo idem, οὗτος γὰρ κοῖνος ὕδατός τε τόπος καὶ ἀέρος,
communis aquæ & aeris locus. Sic Moſes, ſecunda die docet iſtum locum genitum & poſitū atq;
aere repletum: ideoque in eius commemoratione, aquas ſuperiores & inferiores retulit, ſicut
Ariſtoteles paulo ante. Hæc autem obiter admonui, vt confirmaretur expoſitio diei ſecūdi, qua
dicitur poſitam inter aquas ſuperiores & inferiores diffuſionem quandam cęleſtem, id eſt aeriā,
vbi hæc quæ ſunt oculis manifeſtiſſima, pluuiæ, nubes generentur. De ſuperiore cometarum, fa-
cumque volantium, draconumque igneorum loco, non erat ſcribere neceſſarium. Ex his ergo fit
perſpicuum, quem fontem oporteat intelligere, & magnis alioqui viris ac doctiſſimis parcēdum,
quos iſta fontis nuncupatio fefellit. Nam & nos proculdubio eſſemus lapſi, niſi Hebraicę linguæ
cognitio fuiſſet opitulata. In primiſq; miror Nicolaum hominem Hebraicarum litterarum mini-
mè ignarum, dicentem, oſtendere Moſen modum quomodo facta eſt productio ex parte mate-
riæ, ſcilicet per hoc quod aquæ latentes ſub terra diſcooperta aquis, diuina voluntate aſcenderūt
vſque ad ſuperficiem terræ per modum fontis, in qualibet parte terræ, vbi erant plantæ & herbæ
producendæ. Sanior ergo ſenſus quē adducit ex Hebræis, cēſentibus hic nubes pro fonte eſſe in-
telligendas. Beda vero egregius theologus ait, huius fontis irrigationē iam terra herbis & lignis
veſtita, ſuperueniſſe, fontemque vnum pro aliqua in terræ finibus vnitate, aut ſingulare poſitum
pro plurali, quod & Eucherius poſtea. Quæ quidem ſi eſſent, nimium quantum à natura recede-
rent. Auguſtinus quoque varios adducit ſenſus, è quibus & ille, vt poſſint per vnum fontē, plu-
res intelligi, regiones proprias irrigantes. Et alia id genus multa. Nouiſſimè enim fatetur ſe neſci-
C re. Vide quanti ſit cauſa boni ſcripturas è ſuis fontibus haurire. Sed quid mirum, quando & Phi-
lon Iudæus dubitat, an quemadmodum dicitur vniuş equi nomine equitatus ἡ ἵππος, ſic vno
fonte ſint omnes terræ ſcaturigines appellatæ? Omnis ergo ceſſat anguſtia, ſi legas autorē vt ip-
ſe ſcripſit, mentemq; eius ſolerter explores. Atque quod noſter interpres ordinem quendam fi-
lumque orationis Latinæ ducens, tranſtulit, Sed fons aſcendebat. In Hebraico non eſt aduerſati-
ua particula, ſed: verum conſecutiua texens aliud orationis exordium, videlicet ואיד יעלה Ac va-
por ſeu nubes aſcendebat. Innuitur enim pluuia, quam paulo ante nondum delapſam dixerat. Si-
militer quod noſter trāſtulit: Formauit igitur Dominus, Hebraicè & hoc eſt cōſequutiuum. וייצר
Et formauit. Reſpondent ergo duæ affirmationes, duabus negationibus pręcedentibus. Negaue-
rat eſſe pluuiam, negauerat eſſe hominem. Aſſerit pluuiam extitiſſe, modumque eius oſtendit,
aſſerit & hominem, modumq; creationis humanæ declarat. Liber enim iſte tanquam ſolida phi-
loſophia omnium conditarum rerum conatur demonſtrare rationes. Ac de creatione hominis
ſcribens Moſes, omiſſam ſuperius explet deſcriptionem. Primum ergo quod ait, Et homo non
erat qui operaretur terram, referendum partim ad mortalem hominis conditionem, antequam
eſſet probatus, nondū exiſtens, ſed futurus fortiter præliatus, immortalis, partim ad pręſentē ſta-
tum, ad quem reſpicit Moſes, & ſi non conueniat ei qui ante caſum fuit. Loquebatur enim more
temporis ſui. Ac vox Hebraica Ed, de qua diximus, ſonat etiam perditionem, abolitionem, ex
quadam cum fumo ſimilitudine. Dicitur enim Ed perditio, quaſi abire in fumum, deleri, atq; ex-
tenuari. Vnde eſt apud prophetam, Dies Edam, id eſt caliginis eorum, vaporis eorum, dies ſcili-
cet perditionis: quem eadem de cauſa diem appellant. Atque Abraham Hebræus etiam ſuperio-
ri expoſitioni aſtipulatur dicens, Ed eſt fumus, vapor, docetque aſcendiſſe de terra vaporem vi
caloris cœleſtium luminum, & irrigaſſe, parereque feciſſe omnem terram.

Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ. D

PRæter ea quæ in annotationibus diſcuſſimus, hæc item ad maiorem declarationem addidimus. Dictum eſt aphar apud Hebræos propriè limum, lutum, hylemq; ſonare, vt quod Moſes teſtatur hominem fictum ex aphar, quaſi ſit homo ex hyle, vel chaos. Oſtendimus etiam externam philoſophiam hæc agnouiſſe, quod poeta pro omnibus facilè teſtetur.

Ouid. Metamor. 1.

Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo,
Siue recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat ſemina cœli.
Quam ſatus Iapeto, miſtam fluuialibus vndis,
Finxit in effigiem dominantum cuncta Deorum,
Sic modo quæ fuerat rudis, & ſine imagine tellus,
Induit ignotas hominum conuerſa figuras.

Hæc omnia dicuntur à Moſe, ex recenti tellure vndis fluuialibus mixta ac temperata, quæ fuit omnium rerum origo terrigenarum, diciturque Hebraicè aphar. Hieronymusque vertit limũ. Septuaginta χοῦν, fictam imaginem humanam. Verbumque fingendi eſt apud Moſen & poetam quod Hebræis eſt צרי iazar, vnde יצר forma, cogitatio. Septuagintaque explanant Hebraicum dicentes, Formauit Dominus hominem, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς accepto è terra, limo, luto, chao. E Videtur ergo idem principium fuiſſe corporis humani, atque animalium brutorum & plantarũ. Atque explanator eſt quaſi Moſis, poeta, idemque ſenſus apud vtrunque. Vt enim perhibet poeta tellurem madidam ac lutulentam, ideſt limum, fictum in effigiẽ humanam: ſic perhibet Moſes loquens Hebraicè ad hunc modum, pro eo quod dixit noſter, Formauit igitur Dominus hominẽ de limo terræ: Formauit humũ terræ. Humum videlicet aut tellurem madidam ac limoſam finxit hominẽ, finxit terram illã in effigiem humanam. Hoc loco ait Abraham virtute corporũ cęleſtiũ quemadmodũ animalium brutorũ, ſic hominis corpus coaluiſſe. Quod mihi videtur dixiſſe, quia eſſet aſtrologus. Vbique enim deprehenditur auram captare ſyderibus. Quod faciunt omnes, qui ſuperſtitioſius aliquas artes ſequuntur. Iulianus Imperator adeo Solis amore eſt captus, vt ad diuinitatem eius aſſerendam, omnia cęleſtia ac terreſtria conuocarit: eum, id eſt intelligentiam Solis & filium Dei eſſe, & omnium Deorum ſatorem, quos illi νοητοὺς appellant, noſtrorum item datorem animorum affirmãs: quæ & id genus vanitates iam dudum exploſæ & exibilatæ, omniũq; conſenſu profligatæ, non debent iterum ad tormenta vocari. Cenſendumque eum qui dixit, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, fuiſſe interioris & exterioris hominis autorem. Ac ſiue ad illam diuinam, formoſiſſimamque ſpeciem, quam pro eo tempore aſſumpſit, hominem formauit, ſiue ad inuiſibile animi ſui ſpecimen, ita corpus effinxiſſe credendus eſt, ita ſedes illas diſpoſuiſſe, vt poſſent animum recipere, & continere. Idque ſine ope ſua fieri non potuiſſe. Omniũ enim magnarum ſtupẽdarumq; rerum mirabiliſſima exiſtimatur animi cum corpore, & aduenientis exterius, diuinæque naturæ cum natura corporea & mortali coniugiũ. Quis eſt porrò tam incogitans, & ſenſus communis tam expers, quin putet hoc dixiſſe Moſen, quod ex F illius libro ad omnes gentes aut perenni fama manauit. Siquidem à gentibus eſt aſſertum, nõ Solem & corpora cœleſtia, finxiſſe corpus humanum, ſed Prometheum, quod eſt, vt admonuimus, ſummi ac ſolertiſſimi Dei nomen. Græci προμηθέα dicunt ſapientem, prouidentem, ſagacem. Omnium igitur ſiue Lucretij, ſiue Auicennæ, ſiue aliorum quorumcunque clara eſt ex iſto loco reprehenſio. Bene ergo ait Auguſtinus & Beda & Eucherius corpus de limo, animam de nihilo Deo inſpirante formatam. Et Dei nutu animam ad corpus veniſſe. Quod fatetur etiã Apuleius, vt eius vtar verbis dicens, Animam hominis extrinſecus in hoſpitium corporis immigranti quid ex iſtis addi poteſt. Limum igitur vertit Hieronymus, quod eſt Hebraicè aphar, quæ vox & ſi interdum deſignat puluerem, creber tamen ſignificatus eſt, limus, lutum. Ad quam ſimilitudinem dicit Iob, Ferrum de terra tollitur, Hebraicè de aphar. Innuit ferrum de limo, terraq; lutulenta tolli. Tale enim eſt ferrum antequam dureſcat, lutum eſt, & lenta materies. Quare non aſſentior Nicolao aſſerenti Hebraicum pro limo terræ, habere puluerem. Puluis quomodo cùm puluis eſt, in effigiem duci ac tractari poteſt? Quod ergo tractatur & formatur, aquoſum, madidumque eſt, & limus. Puluis cùm exaruit, aquaque abſceſſit, diſſoluitur. Quod autem dicitur; Quia puluis es, & in puluerem reuerteris: eadem eſt vox, idem ſignificatus, lutum, limus, lenta materies, aquaque commixta. Hinc homo dictus eſt Adam, id eſt terrigena. Quod declarat Salomon in libro Sapientiæ, εἰμὶ γὰρ κἀγὼ θνητὸς ἄνθρωπος ἴσος ἅπασιν, καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου. Sum enim, inquit, & ipſe ęquè atque omnes, mortalis, & terriginæ protoplaſti proles. Duo ſunt ergo, vt hinc liquet, nomina primi hominis in Græca dialecto, quæ felix eſt in componendis nominibus, γηγενὴς, πρωτόπλαστος, Gigenis, protoplaſtus. Primum ſonat terrigenam, alterum primo fictum, vtraque vim Hebraici nominis Adam declarantia.

Iuliani Imperatoris de Sole opinio.

Prometheus ſummi Dei nomen.

Et in-

A *Et inſpirauit in faciem eius.*

PRimum vox Hebraica apaim duos habet ſignificatus, faciem, atque nares. Ac præter id,
quod in prioribus commentationibus oſtendimus, eo fit probabilius nares, ſiue naſum hic
intelligendum, quòd conſimilis locutio pro naribus apud cæteros reperitur. Salomon ſapiēs ſub
perſona impiorum, ὅτι καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν. Quoniam fumus eſt, vel flatus, vel ſpiratio
in naribus noſtris. Eademq; vox apud Septuaginta interpretes cum ea, qua vſus eſt Salomon;
Et inſpirauit in faciem eius πνοὴν ζωῆς. Redarguit autem impios ille, quod hanc diuinam inſpirationem
dicerent eſſe quaſi mortalem fumum. Eſt item in Noe conſimilis locutio: Vniuerſi
homines, & cuncta in quibus eſt ſpiraculum vitæ. Pro quo Hebraicè, cuncta in quibus ſpiraculum,
ſpiritus vitæ in naribus eorum. Vniuerſalem ergo omnium animalium communem ſpirationem
communi nomine vocauit, eamq́ue docuit in naribus ſitam. Sed quoniam qui in nares
ſpirat, in faciem quoque ſpirat, eo fortaſſe pertinet editio Septuaginta, quos ſequitur noſter
Hieronymus. Quomodo autem intelligenda ſit inſufflatio perſcrutandum eſt. In Ezechiele dicitur:
A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos. Erant ergo licet imaginariè,
& per viſionem, corpora exanguia & exanima, corpora tamen formam, membraq́ue humani
corporis habentia, ſolus ſpiritus qui ea excitaret, ac circumferret, deerat. Vocatus acceſſit
ſpiritus, factaque eſt maxima commotio ſurgentium, & in pedes ſtantium occiſorum. Erat
igitur & Adam corpus exangue, ductis ac delineatis artubus, & forma, habituq́ue deſignato.
Iacebatq́; ante pedes Dei terreus quidam homo, quales in officinis figulorum aſpicimus. Spiritus
B non aderat. Non eſt autem ſpiritus vocatus, quemadmodum in occiſis, quorum ſpiritus iam
dudum egreſſus in priſtina domicilia reuocabatur, ſed datore, & opifice ſpirituum præſente,
procul eum vocare non oportebat. Dabaturq́; illico non per prophetam aſcitus, ſed à creatore
formatus. Quoniamq́ue in corpore, domicilium ac vehiculum mētis, ſiue intelligentiæ, eſt anima
ſentiens, factum eſt, vt ingreſſa intelligentia corpus omni vita ſubito animauerit. Suppetebat
autem vita corporea ab eadem atque cæteris animantibus cauſa: vita intelligens, maximaq́ue
vita, ab alia maiore cauſa. Inexplicabile autem eſt, quomodo intelligentia exterius infuſa, eſt
etiam corpus reliqua vita animatum. Nec facile dictu, quomodo cum anima ſentiente ſit intelligens
alligata, niſi ſciremus pleraque alia minoris ponderis nobis eſſe inexplicabilia. Præclarè
autem docuit Ariſtoteles facultates, matreſq́ue ipſas operationum obſcuras, ex operationibus
notis ac manifeſtis cognoſci. Duas diuerſiſſimas operationes videmus ſentire & intelligere, à
duabus ergo diſtantiſſimis matribus eas naſci fateri cogimur. Nulla quoque eſſet internorum,
& externorum membrorum explicatio, niſi ad arcem ęternæ ſapientiæ confugeremus, artificemq́ue
ſpiritum, qui cęlum creauit & ornauit, aſciſceremus. Quomodo videlicet membra terreſtria
in carnem ſubito mutata, ſanguinem habuerint, muneribus extemplo ſuis inſtiterint.
Eiuſdem fuit ſapientiæ, animæ ſentientis & intelligentis ligamen, aut vt anima quæ infunderetur
extrinſecus, omni vita ſubito corpus ditauerit, quæ tantam terræ molem è nihilo traxit, cęteraq́ue
magis ſtupenda. Si autem humana vita poterat è terra, ſicut & cæterarum animantium
ſuffici, cur addita eſſet in ſolo homine diuina inſpiratio? Tum animalia bruta corpus & animam
è terra trahentia, non prius terrena formata ſunt, poſtea ſunt in carnē mutata, ſed dum orirentur,
C caro erant, ſpiritum ſuum habentia. At homo vt corpus & ſpiritum à diuerſis principiis habuiſſe
videretur, de terra fictum eſt corpus, poſt effícto ac delineato eſt animus exterius infuſus.
Quodq́ue validius eſt, infuſus à Deo. Separatus ergo erat ſpiritus à corpore, & corpus à ſpiritu.
Eratq́ue quando corpus ſine ſpiritu iaceret immotum, corpora brutorum nunquam ſine ſpiritu
fuerūt, vt appareat ab eodem principio corpus eorum & ſpiritum, natum & auctum. Creatus eſt
igitur ſpiritus humanus à Deo, qui veniens in corpus, omnem ei vitam ſuggeſſit, ſicut angelorū
corpora, vt vtar nō eodem, ſed ſimili exēplo, à ſpiritibus illis omniformiter quo ad vſus poſceret,
animabantur. Sapiētiſſimorumq́, conſenſum ſuperius vidimus. Is ſpiritus per nares ingreſſus eſt,
quod non haberet Moſes notius, quod rudi populo proponeret, quando & illic hiatus intranti &
exeunti patet. Nam ne anima quidem ſentiens & corporea, nedum intelligens in naribus exiſtit,
ſed ſpiratio ſola, quæ pulmones tantum refrigerat, qui veluti folles viciſſim ſeſe pandentes & cōtrahentes,
refrigerationem exterius receptam tranſmittunt ad calorem cordis, eumq́, temperantes,
in venas quoque diſtribuunt, vt pulſæ ſanguinem non ſinant concreſcere. Sed hæc minima
pars eſt vitæ ſenſibilis, infimumq́ue munus. Quid ſenſus communis? Quid auditus, tactus? quid
ſpiritus ille qui fertur ad caput per venas colli latiores, quo maximè viuitur? De quibus cùm ſint
præcipuæ partes animæ ſentientis, nihil Moſes eſt locutus. Non mirum, ſi neque intelligentis vitæ
ſigna propoſuit. Non erat philoſophandi tempus, contentus eſt aliquid dixiſſe, & quaſi digito
monſtraſſe, humanū ſpiritū, quē animū dicimus, extrinſecus afflatu Dei, in corpus terreum ingreſſum.
Quid quod etiam omnis lingua partē nobiliſſimam, quæ ſapit, ſentit, cogitat, cognoſcit,
vocat ſpirationem? Quid enim aliud eſt animus vel anima, niſi, anemos, id eſt ventus? Et ſpiritum
dicunt omnes linguæ, ipſum intellectum, ipſum ingenium, ſapientiam, etiam in Deo, in quo cum
nulla ſit ſpiratio, ſapientiam tamen eius appellant ſpiritum. Certè igitur vt nomine aperto & no-

Animus, & anima quid. Spiritus quid.

to,ſic re aperta,& omnium in oculis poſita,res obſcura eſt appellata, & deſignata, dicente Moſe per narem ingreſſum animum,ſiue ſpiritum humanum,quaſi ex ſimilitudine, ſicut ex ſimilitudine partem Dei & angelorum, hominumque diuinam, ſpiritum vel ſpirationem animumque vocamus. Quod fit Hebraicè, Græcè, Latinè, Chaldaicè. Quid quòd etiam ſenſum appellamus etiam ipſam mentem, ex corporeis ſcilicet ſpiritualia ac intellectualia declarantes. Sic igitur per ſpirationem & nares apud Moſen totus interior ſpiritus quodā Hebraico tropo ſignificatur. Ipſa quoque inſpiratio cùm facta ſit ſpiritualiter, corporeo tropo deſignatur. Sed ea duobus fortè modis poteſt intelligi: vno, vt ſpiritualis actio, hoc actu corporeo ſit expreſſa. Quemadmodum quod vidiſſet, dixiſſet, rebus nomina indidiſſet. Eritque inſufflatio, quaſi infuſio. Et quod ait inſufflaſſe Deum vel inſpiraſſe,erit perinde ac ſi dixiſſet, infudiſſe. Nec animi creatio poteſt accōmodatiore nomine ſignificari, quàm inſpirationis & infuſionis. Simul enim creabatur,ſimul in corpus dimittebatur,quod erat inſpirare & infundere. Ipſa quoque ſpiritus conditio, rectiſſimè dicitur infuſio & ſpiratio. Vt enim creatio propriè de carne eſt,nam creare à Græco κρέας creas, id eſt carne, quaſi carnem facere, vnde creare vel procreare propriè animalium eſt, ſic animi aut mentis conditio vocata eſt ſpiratio,infuſio. Iure ergo dixit, Et inſpirauit,quaſi ſpiritum creauit, & creatum indidit. Ac ſanctiſſimus Irenęus quid inter ſpiritum animantem, atque ipſam animationem intereſſet pulchrè diſtinxit, ἕτερον ἐστὶ πνοὴ ζωῆς, ἡ καὶ ψυχικὸν ἀπεργαζομένη, τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἕτερον πνεῦμα ζωοποιοῦν, τὸ καὶ πνευματικὸν αὐτὸν ἀποτελοῦν. Aliud,inquit,eſt ſpiritus vitę,qui & hominem efficit animalem,aliud ſpiritus viuificās, qui efficit hominem ſpiritualem. Alter eſt ſenſus, vt quemadmodum imaginem diuinam expoſuimus, ſpeciem quandam magnificā, glorioſam, inſignem, lucentem, Solis iubar, ſyderumque omnium, & lapidum pretioſorum omnium, venuſtatem, colorumque ſuperantem, quam pro eo tempore opifex aſſumpſerat, qualis viſa eſt Abrahæ, viſa Moſi, Apoſtolis item oſtenſa in monte: ſic item conuenientem huic formæ ſpirationem, ore illo diuino, ſacerrimoq; effuderit. Video enim eum per paradiſum deambulaſſe, allocutum hominem fuiſſe,illoque conſpecto voceque eius audita, hominem aufugiſſe. Audientes igitur theologiæ cęleſtis claram & illuſtrem vocē,magnis nos erroribus liberabimus, nec his qui partem Dei, vt Auguſtinus ait, animam dicunt,aſſentiemur,nec quorundam Platonicorum figmentis decipiemur,animam partim è cęlo præcipitantium,partim à Sole, cæteriſq; aſtris ferentium. Hic enim declaratur eius origo, diuina inquam origo: non quòd à cęlo venerit præceps, gaudiis æternis in corpus exul,quia refrixerit amore Dei, vnde ψυχὴ Græcè ſit dicta, quaſi refrigeratio, ἀπὸ τοῦ ψύχοις. Quod & Chaldæi quondam ſenſiſſe videntur, & Empedocles hoc carmine;

Exul ab æterno venio delapſus olympo.

Quos & alios multos fefellit paradiſus ille terreſtris,quem myſticum & cœleſtem interpretabantur. Nullum enim ſeruarunt modum quidam Platonici in fingendis allegoriis, nihil terrenum,ſed omnia νοητὰ, & idealia & archetypa eſſe volentes. Itaque & paradiſum huc vocarunt, & lapſum Adæ, id eſt, animæ humanæ, illinc quoniam in amicitia Dei non perſtitiſſet, in hunc mundum expulſæ. Super quibus bene admonuit Chryſoſtomus, φεῦγε τὰς βεβιασμένας ἀλληγορίας, Execrare,inquit,& aduerſare coactas allegorias. Verè enim coactę & violentæ ſunt allegoriæ, ex humana libidine, veritatem, quam non percipit, deprauante, naſcētes: de quibus aliàs. Afflatus autem, vt docet Auguſtinus, non arguit partem diuinam, ſed ſpiritus creationem, quæ dicitur afflatus, infuſio. Quo & origo animi & diuinitas, immortalitaſque fuit declarata. Hebræi ſuperiora & inferiora ad hanc creationem aſſerunt conueniſſe, ex inferioribus corpus, animum ex ſuperioribus. Quodque ſequitur.

Allegoriæ coactæ vitandæ.

Et factus eſt homo in animam viuentem.

ARguit, vt ijdem auctores ſunt, repente animum extitiſſe, non anteceſſiſſe quodam ſpacio corpus, animæque cæteras partes. Chaldæus pro, in animam viuentem, tametſi id habeat Hebraicum, tranſtulit לרוח ממללא, in ſpiritum loquentem, vel rationalem. Fortaſſeque eo pertinet editio, quod quidam è noſtris, quos citat Auguſtinus, ſunt opinati, ſuperius homini creato, infuſum hic Spiritum ſanctum, quaſi ſpiritum meliorem, & βέλτιω μόριον, vt dicebat Ariſtoteles. Mihi videtur magis naturæ conſentaneum, totam repente animationem extitiſſe, quòd alligata & implicata ſit altera in alteram anima rationalis & irrationalis, alteraque alterius ſit vehiculum. Eſt enim præſentia mentis, etiam corporis viuificatio. Sed res arcana eſt, & non ſolum oculis corporeis, ſed cogitatione etiam impenetrabilis. Dixerat autem Moſes ſuperius, Deum creaſſe arbores & herbas, quippe quæ nondum eſſent exortæ, nec pluuia, nec homo agricolator adeſſet, eoque aſſeruit & pluuiam extitiſſe, & hominem in lucem à Deo prodiiſſe. Quo dicto reuertitur ad arbores & lucos & terræ viriditates, ac amœnitates. In nemoribus, inquit, ac florentibus omnigenis arboribus, ſyluis, quas è terra imperio Dei, natas, naturalibus, & diuinis augmētis auctas docueram, fuit placidiſſimum, amœniſſimumque nemus, omnibus delitiis ac voluptatibus refertiſſimum: In quo Deus pulcherrimam quanque, & ſuauiſſimi cuiuſque fructus arborem naſci fecerat. Hic erat homo iamdudum creatus, & hic degebat. Hoc igitur loco obſeruanda cauſa eſt, quamobrem de paradiſo Moſes loquatur, quidve rationis habuerit hæc deſcriptio. Ac ſciendum cauſam commemorandi paradiſi, nõ talem fuiſſe, qualem fortaſſe ſuſpicemur, ſuſpicatique ſunt multi, quòd ille beatitudinis locus ſit, ꝙ illic Adam eſſet perpetuo, ſi non peccaſſet, manſurus, ſemper beatè victurus. Quæ ſuſpicio animo inſedit, propter ſermonis ſimilitudinem de rebus ſupernis, atque paradiſo terreſtri. Sed non fuit ea cauſa, nec id mens altiſſimi theologi ſpectauit, potius vt Græcis docentibus oſtenderet Deum locum in terris fortunatum, amœniſſimum delegiſſe, in quo & hominẽ crearet, & tota mundi publicaretur in eo conditio. In quo viſus ipſe Deus, ſpecioſiſſimę Dei & angelorũ ſpectatæ viſiones, homo primus ibi creatus, & Dei cognoſcendi factus compos. Aliaque locus ille myſteria diuina conſcius agnouit, perinde atq; altera Hieruſalem, tantorum myſteriorum, tamque magnarum rerum ſpectatrix. Delectus eſt igitur locus amęniſſimus, in quo fierent hęc omnia. Locus apricus, herbis & arboribus fertiliſſimus, vt ibi & animalia naſci & nata viuere, & homo nudus verſari poſſet. Ac ſicut ſcriptorum mos eſt, vt prius locum aliquem deſcribant, poſtea perſequantur quæ geſta ſint in loco. Sicut Lactantius deſcripturus Phęnicem ſic ab iſtius loci deſcriptione ingreditur,

Eſt locus in primo, felix oriente remotus,
Qua patet æterni maxima porta poli. Et quæ ſequuntur.

Homo creatus in paradiſo.

Sic Moſes prius deſcribit locum, exinde narrat quæ geſta ſint in eo. Nos autẽ partim conſiderantes quæ ab eo ſcripta ſunt, partim quæ nos ſentire cogit ratio, cenſemus primum ibi fuiſſe hominem creatum, non putantes aduerſari huic ſententiæ, quòd dicitur, In quo poſuit hominem quem finxerat. Non enim cogit hoc nos fateri, hominem fuiſſe creatum extra paradiſum, ſed genus quoddam loquendi eſt, cuius eſt clarum exemplum. Nam cùm tuliſſet coſtam de viro, eamq; in mulierẽ ædificaſſet, creatamque in proſpectum adduxiſſet, dicitur: Et adduxit eam ad Adam. Et certiſſimum eſt tamen, ibidem mulierem fuiſſe. Scriptura vero quaſi innuit eam procul à viro fuiſſe creatam, quia dicit eam adductam coram Adam. Adducuntur enim procul diſſita. Mulier de coſta vel latere viri eſt creata, non poterat igitur adduci, tam adhærens & coniuncta. Sic tametſi ſcribit hominem adductum in paradiſum, intelligendum eſt eum ibidem fuiſſe creatum, quo fuiſſet adductus, vel locatus, ſicut illuc adducta eſt mulier, vbi fuiſſet creata. Eſt enim ratio quædam dicendi referens poſteriora, non præſentia vel præcedentia, referens non quidem ibi creatum, ſed ibi manſiſſe & habitaſſe. Atqui veriſimillimum eſt, tũ in loco pulcherrimo ac digniſſimo hominem creatum, tum ibi ſemper manſiſſe, vbi fuiſſet creatus. Quid enim opus erat ſimul ac in lucem veniſſet vagari ac circumferri? Cætera vero clareſcunt, omnia diuina, admirandaq; creationis myſteria in iſto loco fuiſſe peracta, vt ſi myſteria humana, etiam mundana. Ex quo fit vt appareat huius rei cauſa tantum, factam cõmemorationem paradiſi, non quòd eſſet locus immortalis & beatus, dico ſicuti cęlum, ſydereive campi. Perſpicimus item eiectionem Adæ de paradiſo, non fuiſſe quaſi eiectionem de cęlo, & beatitudine ſua, ſed cũ in loco quo fuerat creatus, etiam probaretur, & per probationem ad præmium cęleſte, & immortalitatem vocaretur, ibidẽ eſt morti damnatus, vbi erat glorificandus ſi ſtetiſſet, glorificandus autem non illa terrena manſione, ſed aſſumptione cęleſti. Siquidem is locus & terreſtris erat, & exiguus, ſimiliſque cęterorum locorum, habens aquas, arbores, terram, quæ ſi corruptibilia ſunt, vtique & locus ipſe totus. Ergo nõ erat id præmium immortale, prẹmium probationis, ſed eodem in loco fiebat probatio, in quo facta fuerat creatio. Quod cùm intellexerimus, magnis nos anguſtiis & difficultatibus exemerimus, quas offert ipſa non cautis deſcriptio, ſicut & alia complura toto iſto libri principio. Mortalis erat Adam (imò vero in confinio mortalitatis & immortalitatis. Et vt ait Theophilus & Serron prior, μέσος οὖν ὁ ἄνθρωπος τῆς δυὸ ἐγεγόνει οὔτε θνητὸς ὕλως οὔτε ἀθάνατος καθόλερως δεκτικὸς δὲ ἑκατέρου, οὕτω καὶ τὸ χωρίων ὁ παράδεισος ὡς πρὸς καλλονὴν μέσον τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ κόσμου γεγένηται. Medius inter vtranque ſortem creatus homo. Neque mortalis prorſus, neque penitus immortalis, vtriuſq; ſortis ſi vellet particeps. Sicut & locus pro pulchritudine medius cęli & mundi factus eſt. Serron autẽ μεθόριον θνητῆς καὶ ἀθανάτου φύσεως, μέσος μεγέθους καὶ ταπεινότητος ἤτοι ὢν μεταξὺ ἀθανασίας καὶ θνητότητος, καὶ οὔτε τοῦτο οὔτε ἐκεῖνο· ἀμφιτάλαντοι γὰρ ὁ θεὸς ἐποίησεν αὐτόν. Situs, inquit, inter mortalitatem & immortalitatem. Medius inter altitudinem, & humilitatem, & neque hoc neque illud, Anceps à Deo factus ad vtrumque) mortales arbores, mortalia flumina, mortalis tellus ipſa, & corruptibilis, vtique & ipſe totus paradiſus, ſed hic ſi fortiter pugnaſſet, ſi viciſſet, ad immortalitatis gradum & locum conſcendiſſet. Quando autem eiectus eſt in terram, indignatio fuit fugantis hominem non è loco immortali (nam ſolo in cęlo eſt immortalitas) ſed è loco vbi erat arbor vitæ, & amœnitas quædam maior quàm in reliqua terra, & cum eiectione erat adiuncta condemnatio. Non procul tamen inde habitauit, ſicut ipſa euidenter ſcriptura teſtatur. Quo arguitur locum illum fuiſſe cæteris ſimilem, amœniorẽ quidem & virentiorem, eiectionemque ex illo fuiſſe non condemnationem, ſed condemnationis iræque diuinæ ſignum. Sæpe enim probatum eodem ſcelere amiſſa bona præſentia minora, atque cęleſtia maiora. Terra & animalia, & humana conditio, eodem in ſtatu remanſerunt, quo condita fuiſſent. Nam & illa peperit noxias beſtias & herbas, tribulos & ſpinas, ſicut

Paradiſum non fuiſſe locum immortalẽ.

erat

Homo creatus mortalis.

erat antea paritura, & animalia eadem fuerunt, & homo qui eſſet de humo, mortalis remanſit. D Quod ſi ſe a cupiditate vinci non permiſiſſet, & probatus fortiſque fuiſſet, adeptus fuiſſet immortalitatem, cum qua erant bona innumerabilia adiuncta, ipſa primum diuinitas, tum corporum eximius candor & leuitas, poteſtas ſuper elementa, & ea quæ conſtant ex elementis. Tunc imperare igni potuiſſet, tunc omnes beſtias calcaſſet, tunc à nulla re lædi potuiſſet. Qualia vidimus & probauimus in poſteritate, in his, quos ſanctitas eodem prope dignitatis gradu collocaſſet, quo futurus eſſet Adam, ſi non peccaſſet. Vidimus ad Eliæ imperium igneas flammas ſubito deſcendiſſe, ad eiuſdem vocem, cęlum trium annorum ſerenitatem continuaſſe. Vidimus eundem curru igneo ſublimem volaſſe: & Paulum vidimus viperam quæ eum mordere viſa eſſet, excuſſiſſe. Quem circunſtantes arbitrati mox periturum, mox admirati ſunt non ſolum non periiſſe, ſed ne dolorem quidem ſenſiſſe. Vidimus Moſen tanto ſplendore & claritate ob commercium Dei, fulſiſſe, vt non minus in eum, atque in Solem oculi intueri non poſſent. Eundem quadraginta diebus non eſurientem, maioribus autem gaudiis, & inenarrabili quadam voluptate fruentem vidimus non manducaſſe. Deniq; quod ait ſapientiſſimus Paulus, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij. Hæc & id genus alia præmia immortalitatis fuiſſet Adam aſſecutus, ſi magno imperio voluiſſet obſequi: non obſecutus remanſit mortalis, omneſq; naturæ, nulla re mutata, aut curſibus inſtitere ſuis, aut in deterius ſunt relapſæ. Vide igitur quàm ſapiēter omnia fuerint ordinata, quanta cum æquitate proceſſerint. Nihil enorme & abſurdum, nihil non naturaliſſimè factum. Nunc quoque eadem propemodum eſt conditio, atque illorum primo cōditorum. Probamur omnes, probatis & victoribus promittitur immortalitas, id eſt, regnum cęlorum, victis & ſuccumbentibus mors intentatur, id eſt, lucis & immortalitatis amiſſio. E Perditiſſimis, illorum commercium, quorum improbitati obſequi maluiſſent. Idemque fit nunc in vniuerſa terra, quod tunc factum eſt in paradiſo, amœno quodam creationis loco, aſtantibus Angelis & Deo, & in habitu humano conuerſantibus. Idem tentator, eadem res tentata, ſiue per quam tentamur, idem ſpectator præmiorumque largitor. Ecce igitur omnia clareſcunt, Sole ipſo, quod aiunt, clariora, ſine violentis allegoriis, quæ peruertunt non intellectam veritatem. Sed nos ipſa verba diſcutiamus, vt ſynceriores ſenſus exprimamus.

Plantauerat autem Dominus paradiſum voluptatis.

O Mentem eorum lepidam & perſpicacem, quibus cùm videretur abſurdum, Deū quaſi hortulanum fuiſſe, quendam fabuloſiſſimū nobis, id eſt, Cabaliſticum paradiſum dederunt, plenum animorum ſuorū inſomniis & chimeris: pro paradiſo Dei ſcilicet paradiſum ſuum: pro veris arboribus, quaſdam commentitias Ideas, pro homine vero, ex animo & corpore conſtante, Idealem quendam hominem, & pro fluminibus naturæ, quaſi quædam, quæ ſoliti ſimus ſomniare flumina. Itaque quantum diſtat mendacium à veritate, tantum diſtat paradiſus eorum à paradiſo Dei. Sed qui probe ac diu apud philoſophos, Theologiæque prudentiſſimos ſcriptores ſint verſati, ad eorum animos non facilè ſuperſtitiones has aſpirare videbis, Cabaliſtarum ſunt figmenta. Quorum duplex genus, partim qui miracula, virtuteſque mirificas venditent, partim qui hæc ipſa ad litteras ac Theologiam tranſferant, videlicet quòd quantum illi ſunt in iactandis operationibus, tantum hi in ſpeculationibus fingendis fabuloſi. Vtrique Cabaliſtæ dicuntur: Alij ergo mirabiles operationes, alij mirabiles ſpeculationes profitentur. Sed ex altero diſce alterum. F Speculationes ſæpe ſunt enormes allegoriæ, mirabiles operationes nunquam vidimus. Quæſo igitur eos vt reſipiſcant, ne ſimiles eorum ſint, quos cùm non eſſent aut ſcientia, aut operatione diuini, Ennius iure inceſſuit:

Ex Ennio Cicero retulit ad finem 1. de diuinatione.

Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, leti monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab his dragmas ipſi petant.
De his diuitijs ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Sed nolo in hanc rem multa nunc ſcribere, ne videar vnà cum ineptis, viros ſapientes ac bene doctos inceſſere, qui in hac quæ dicitur Cabala, verum delectum habere ſolent, vt operationes quidem in vniuerſum tanquam magicas vanitates reiiciant, ſpeculationes autem eas tantum recipiant, quas grauioris ponderis iudicent. Et hæc quę dixi ſciant me omnes quorundam ineptias deſtomachantem dixiſſe, qui nec inſomnia quædam vendere, nec allegorizantes iſtos veris antiquiſque ſcriptoribus erubeſcant præferre. Non fuit igitur Hortulanus Deus, quia plantaſſe paradiſum dicitur, ſicut nec figulus quia finxit hominem luteum, nec homo eſt, tametſi eum pœnituerit, nec nares habet, licet odoratus ſit ſacrificium: nec habet manus, licet manus eius cęlū molita fuerit. Quis enim eſt qui verum ſenſum iſtarum locutionum & quaſi proſopopœiarum non percipiat? Qui ergo terræ iuſſit vt omnigenas herbas & arbores produceret, idem fecit vt amœniſſimum nemus tertia illa ipſa die, omnibus aſſentientibus frondeſceret, floribus & pratis, omnibuſq; arboribus diſtinctum. Quod cùm diuina voluntate factum fuerit, iure dicitur ipſe plantaſſe, A taſſe, ſicut reges, qui nō manus, ſed voluntatem & imperium adhibuiſſent, dicuntur domos, ędificia erexiſſe. Dicitur Semiramis muros Babyloniæ ędificaſſe, Artemiſia Mauſoleum excitaſſe, ſic plantauit Deus paradiſum: Qui & Liæ vuluam aperuit. Bene ergo monuit Chryſoſtomus. Quantum, inquit, eſt periculi his qui ſcripturas ſenſu corporeo legunt? Deus plantauit paradiſum, τί οὖν, σκαπάνης ἐδεεῖτο καὶ γεωργίας, καὶ τῆς ἄλλης ἐπιμελείας, ἵνα καλλοπίσῃ τὸν παράδεισόν, μὴ γένοιτο: πάλιν γὰρ καὶ ἐνταῦθα τὸ ἐφύτευσεν οὕτως δεῖ νοεῖν, ὅτι προσέταξεν ἐν τῇ γῇ παράδεισον γενέσθαι, ὥστε τῆς παραχθέντα ἄνθρωπον τούτῳ ἐνδιαιτᾶσθαι. Quæ ſunt: Quid igitur, ligone ne indigebat, & agricultura & alia cura & diligentia, vt coleret paradiſum? Abſit, Hic enim etiam plantauit, intelligere debes eum imperaſſe terræ, vt paradiſum produceret, in quo degeret homo creatus. Verum ergo ſenſum docuit Chryſoſtomus eius, quod dicitur plantauerat.

Paradiſum voluptatis.

Paradiſus in Eden.

CVm Hebraicum habeat paradiſum, ſiue גן Gan, id eſt hortum in Eden, idq; etiam tranſtulerint Septuaginta, παράδεισον ἐν ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς, Paradiſum in Eden in oriente: clarè arguitur, hanc eſſe loci deſcriptionem. Siquidem præpoſitio in, chorographiæ eſt indicium. Vnde & Lactantius hunc ipſum locum deſcribens,

Eſt locus in primo felix oriente remotus.

Quocirca & hinc probatur eſſe nomen loci, non delitiarum, Eden: Et ſermonem eſſe loci deſcriptionem. Quis enim diceret plantatam paradiſum in voluptate? An rationabilis & naturalis eſſet, non potius coacta & exorbitans locutio? Quanquā Seueriano locutio non diſplicuit: Eden, B inquit, interpretantur delitiæ ὡς ἂν εἴποι τις, ἐφύτευσεν ὁ θεὸς παράδεισον ἐν τρυφῇ, ἀντὶ τοῦ ἐν τρυφερῷ τόπῳ καὶ καλῷ. Quaſi, inquit, dicas; Plantauit paradiſum in voluptate, vel delitiis, pro eo quod eſt, in loco delicato & amœno. Sed molliuit interpretando. Duoq; ſunt hic, quæ ſolent arguere locorum deſcriptiones, locus communis, & proprius. Communis mi kedem, id eſt in oriente, vel ab oriente: proprius, in Eden, quæ & Græci docuerunt. Quod autem dicit gloſſema ordinarium ex eo, quod ſcribitur in noſtra editione, à principio, Hic apparet quod priuſquam cęlum, & terram crearet, paradiſum condiderat, Hieronymi eſt dictum in quæſtionibus Hebraicis. Cui viro & ſi plurimum deferendum eſt, propter maximam ſanctitatem, rarum ingenium, ſummam eloquentiam, incredibilem eruditionem, ſenſum tamen ſcripturę conſtat eum non eſſe. Et poteſt ex dictis eius colligi eum non perſtitiſſe ſemper in hac ſententia. Nam cùm, vt oſtendi in prioribus commentationibus, improbet myſticum paradiſum, quis alius eſſe potuiſſet ante cęlū & terram paradiſus, niſi myſticus, non terreſtris, vt qui ante terram? Qui ergo improbat myſticum paradiſum, improbat eum qui eſſet ante terram paradiſum. Nam ſi ante terram, vbi arbores, vbi animalia, vbi Adam poſt dies creatus? Certè igitur ſecus ſenſit poſtea. Perſuaſus tunc à tribus interpretibus Græcis, Aquila, Symmacho, Theodotione, quorum prior vocem Hebraicam mikedem, verterat ἀπ' ἀρχῆς ab exordio: ſecundus, ἐκπρώτης, à principio: nouiſſimus, ἐν πρώτοις. Quibus, & ſi tres ſint, aduerſantur Septuaginta, aduerſantur concorditer Hebræi, & quod maioris eſt ponderis aduerſatur theologia & ratio. Et ipſe ſeipſum reuocat Hieronymus. Beda igitur ſanè clarus C Theologus, vt optimis etiam adnumerari merito poſſit, ad veterem editionem, quæ erat ipſorū Sept. refugit, dicens, vt eius vtar verbis, Quod dicimus à principio, antiqua tralatio dicit, ad oriētem. Vnde volunt in orientali parte eſſe paradiſum, longo interiacente ſpacio vel maris vel terrę à regionibus quas incolunt homines. Et quæ ſequuntur. Tum exponens editionem Hieronymi à principio, principium interpretatur non ante cęlum & terram: ſed cùm terra remotis aquis, herbas & ligna producere cępiſſet. Igitur & Rabi Salomō mi kedem interpretatur במזרחו של עדן bemiſracho ſhel Eden, à parte orientali ipſius Eden. Scito tamen Chaldæum, quem ſecuti videntur Aquila, Symmachus, Theodotio, tranſtuliſſe מלקדמין mille kodamin, à principio: vel, in primis. Cui vt videmus Hebræi non aſſentiuntur. Nam & Abraham perinde vt Salomon מפאת מזרח à parte orientali. Hoſque maiores, minores approbant, & eorum ſententiæ ſubſcribunt. Annotationes docuerunt paradiſum eſſe terreſtrem, non cęleſtem, aut ſpiritualem quendam, & extra mundum noſtrum paradiſum. In quo maior hominum diuinorum, & doctrina, ſanctitateq; præſtantium paribus ſuffragiis conueniunt. Nec poteſt alio modo paradiſus fieri cęleſtis, aut allegorizari niſi quadam ſimilitudine: vt ſi quis ſapientiam fontem appellaret, aut per ſimilitudinem & metaphoram, vrbes & męnia & domos conſtitueret in cęlo. Qui autem introducentes cęleſtem paradiſum, terreſtrem ſuſtulerunt, ſcient ſe à ſcripturis longius aberraſſe. Fuitque cum primis Chaldæorum, multorumque hæreticorum is error, non capientium ea, quæ in Theologia dicerentur, & male intellectis alienum ſenſum attribuentium. Auguſtinus quidem aſſerit ſibi eam placere ſententiam, quæ cęleſtem quandam, & terreſtrem paradiſum introducit. Id videlicet ſentiens quod nos diximus, per ſimilitudinem rei perfectiſſimæ, maximeque in terris voluptuoſæ, cęlum, quo nihil poteſt beatius cogitari, paradiſum appellatum. Gregorius autem Nazianzenus eodem modo eſt intelligendus, cuius ſenſa Serron doctiſſimè explicans ſcribit, ὅστις ποτὲ ἦν ὁ παράδεισος οὗτος εἴτε αἰσθητὸς, εἴτε νοητὸς: πλὴν ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ, ὅτι ὥσπερ ὁ ἄνθρωπος αἰσθητὸς ἅμα καὶ νοητὸς δεδημιούργηται, οὕτω καὶ τοῦτο ἱερὸν τέμενος, αἰσθητὸν ἅμα καὶ νοητόν,

Paradiſus myſticus.

καὶ διπλῆν ἔχον τὴν ἔμφασιν: τῷ γὰρ σώματι, ἐν τῷ θειοτάτῳ χώρῳ αὐλιζόμενος, τῇ ψυχῇ ἐν ἀσυγκρίτῳ τόπῳ διέτριβεν: ἔλαβε δὲ παρὰ θεοῦ, καθάπερ τινὰ τιμὴν, τὴν αὐτεξουσιότητα, ἵνα κοινὸν ᾖ τὸ κατορθούμενον ἀγαθόν: ἀλλ᾽ ὁ μὲν αἰσθητὸς παράδεισος, δῆλος ἂν εἴη ἀπὸ τῆς ἱστορίας: ἐφύτευσε γὰρ ὁ θεὸς παράδεισον ἐν ἐδὲμ κατὰ ἀνατολὰς, ὅγε μὴν θεολόγος μεταφέρει τὴν ἱστορίαν εἰς ἀναγωγὴν, καὶ νοητὸν νοεῖ παράδεισον, τὴν οὐρανίαν ζωὴν ἤγουν τὴν τῆς ψυχῆς καθαρότητα καὶ λαμπρότητα: φυτὰ δὲ ἀθάνατα, τοὺς λόγους καὶ τὰς θείας ἐννοίας: ὧν αἱ μὲν ἀτελέστεραι, αἱ δὲ τελειότεραι: γυμνὸς γὰρ φησὶν, ἦν καθ᾽ ἁπλότητα. Quinam fuit, inquit, paradiſus iſte terreſtris, an ſenſibilis, vel intelligibilis? Mihi quidem videtur, quemadmodũ homo corporeus ſimul & intellectualis eſt factus, ſic ſacrum illum lucum corporeum pariter atque intellectualem fuiſſe, duplicem habentem perſpicuitatem & expreſſionem. Etenim corpore, in optimo diuiniſſimoque loco habitans homo, animo erat, in regione cum qua nulla alia poteſt cõferri. Accepitque à Deo liberum arbitrium, vt quaſi commune eſſet, hoc eſt à Deo, & ab homine, quicquid bene fit. Vtrum corporeus paradiſus, ex hiſtoria eſt perſpicuus. Plantauit enim Deus paradiſum in Eden, ad ortum. Theologus tamen transfert hiſtoriam ad anagogiam, paradiſumque intellectualem ſentit, vitam cęleſtem, videlicet animi puritatem ac claritatem. Plantas autem immortales, colloquia & cogitationes diuinas. E quibus quædam perfectiores, aliæ minus inſignes & perfectæ. Nudus enim ad puritatem, vel ſecundum ſimplicitatem, inquit, erat. Sic S. rron. Quo loco & corporeus paradiſus affirmatur, & paradiſus incorporeus anagogicè tantum, nõ re vera ex illo corporeo transfertur, & ſumitur. Fortaſſe ad hunc etiam modum locutus eſt, ſi amicum & concordem ſanctiſſimis patribus eum volumus oſtendere, Philon in ſua Coſmopœia, licet porrigat apertã ipſe ſuſpicionem, eum non crediſiſſe terreſtrem paradiſum: ταῦτα δέ μοι συμβολικῶς μᾶλλον ἢ κυρίως δοκεῖ φιλοσοφεῖσθαι, δένδρα γὰρ ἐπὶ γῆς οὔτε πέφηνέπω πρότερον οὔτε αὖθις εἰκὸς φανεῖσθαι, ζωῆς ἢ συνέσεως: ἀλλ᾽ ὡς ἔοικεν αἰνίττεται. Διὰ μὲν τοῦ παραδείσου τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν, ὅπερ ἐστὶ κατὰ πλέων οἷα φυτῶν μυρίων ὅσων δοξῶν. Διὰ δὲ τοῦ δένδρου τῆς ζωῆς, τὴν μεγίστην τῶν ἀρετῶν θεοσέβειαν δι᾽ ἧς ἀθανατίζεται ἡ ψυχή. Διὰ δὲ τοῦ καλῶν καὶ πονηρῶν γνωστικοῦ, φρόνησιν τὴν μέσην ᾗ διακρίνεται τ᾽ ἀναντία φύσει: θέμενος δὲ τοὺς ὅρους τούτους ἐν ψυχῇ καθάπερ δικαστὴς ἐσκόπει πρὸς πότερον ἐπικλινῶς ἕξει: ὡς δὲ εἶδε ῥέπουσαν μὲν τὴν πανουργίαν ὁσιότητος, δὲ καὶ εὐσεβείας ὀλιγωροῦσαν, ἐξ ὧν ἡ ἀθάνατος ζωὴ ἐπιγίνεται προυβάλετο κατὰ τὸ εἰκὸς καὶ ἐφυγάδευσεν ἐκ τοῦ παραδείσου. μηδ᾽ ἐλπίδα τῆς εἰσαῦθις ἐπανόδου, δυσίατα καὶ ἀθεράπευτα πλημμελούσῃ ψυχῇ παρασχὼν, ἐπεὶ καὶ ἡ τῆς ἀπάτης πρόφασις ἐπίληπτος ἦν οὐ μετρίως, ἣν οὐκ ἄξιον παρασιωπῆσαι. Hæc, inquit, potius ſymbolicè, quàm reuera & propriè videtur mihi Moſes philoſophatus. Siquidem arborem vitę, & arborem cognoſcendi, par eſt, nunquam vel antea, vel poſt è terra pullulaſſe. Sed videtur per paradiſum quidẽ innuere animi principatum, qui quaſi infinitarum arborum, variarum opinionum eſt plenus. Per arborem autem vitæ innuere pietatem, quæ maxima eſt omnium virtutum, per quam anima efficitur immortalis. Arbor autem dignoſcendorum bonorum & malorum, deſignat illi prudẽtiam in medio poſitam, qua natura contraria diiudicantur. Poſitis his igitur terminis in animo, tanquã iudex contemplabatur in quam ſe rapi partem permitteret. Vt verò aſpexit in ſcelus quidem inclinantẽ, pietatem autem & ſanctitatem, ex quibus immortalis efficitur vita, contemnentem, proiecit, vt par erat, & fugauit è paradiſo, vt ne ſpẽ quidẽ redeundi reliquã ei fecerit. Immedicabilia, & irreparabilia dans præuaricanti animæ. Ea enim deceptionis occaſio, vel excuſatio, fuit non mediocriter deteſtabilis. De qua tacere indignum eſt. Hæc Philon. Quæ quidem vt allegoriæ, audiri ęquo animo poſſent, ſed vt ea quæ ſpectarit Moſes, & quæ concordibus animis à Theologis decernantur, non poſſunt. Quos intentiſſimis viribus videbis deſtruere paradiſum iſtum fictitium, & Cabaliſticũ, potius quàm Moſaicum. Sunt autem præcipui in hac deſtructione, Chryſoſtomus, Hippolytus, Epiphanius, Dionyſius, Alexandræus, Theophilus, Theodorus, Theodoritus. Ac Chryſoſtomus ad alia, quæ longum eſſet & operoſum huc proferre. Διὰ τοῦτο καὶ τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐντίθησιν ὁ μωσῆς, ἵνα μὴ ἐξῇ τοῖς φλυαρεῖν βουλομένοις ἀπατᾶν τῶν ἀφελεστέρων τὰς ἀκοὰς, καὶ λέγειν μὴ εἶναι ἐν γῇ τὸν παράδεισον, ἀλλ᾽ ἐν οὐρανῷ. Eã, inquit, ob cauſam appoſuit nomẽ loci Moſes, vt adẽpta nugantibus, & his qui aures ſimplicitũ fallere cupiunt, eſſet libertas, qui aſſerant nõ in terra, ſed in cęlo eſſe paradiſum. Idẽ prudentiſſimus ſcriptor monet & p̃dicat, vt credas eſſe paradiſum ĩ certo terrę loco, quẽ ſcriptura deſignarit, à qua ſine periculo recedere nõ poſſis. Epiphanius autẽ plurimis rationibus reiicit paradiſum myſticũ, maximũ fore periculũ oſtendens, ne ſi paradiſum allegorizes, tota hiſtoria de hoĩe creato fiat fabuloſa: ad alia dicẽs εἰ τοίνυν οὐκ ἔνι παράδεισος αἰσθητὸς οὐκ ἔνι πηγὴ, εἰ οὐκ ἔνι πηγὴ οὐκ ἔνι ποταμὸς, εἰ οὐκ ἔνι ποταμὸς, οὐκ ἔνι τέσσαρες ἀρχαὶ οὐκ ἔνι φησὼν, καὶ γηὼν καὶ τίγρις, καὶ εὐφράτης, οὐκ ἔνι συκὴ, οὐκ ἔνι φύλλα, οὐκ ἔφαγεν ἀπὸ τοῦ ξύλου εὔα, οὐκ ἔνι ἀδὰμ, οὐκ εἰσὶν ἄνθρωποι ἀλλὰ μῦθος λοιπὸν ἡ ἀλήθεια καὶ ἀλληγοροῦνται τὰ πάντα. Si paradiſus, inquit, nõ eſt ſenſibilis & corporeus, nõ eſt etiã fons. Si nõ eſt fons nõ eſt flumen, ſi non eſt flumẽ, nõ ſunt quatuor principia, nõ Phiſon, nõ Geõ, nec Tigris, nec Euphrates. Nõ eſt ficus, nõ folia, nõ comedit Eua ex arbore, nõ eſt Adã, id eſt terrigena, non ſunt homines, ſed veritas iã fabula eſt, & omnia ad allegorias reuocantur. Hæc inductio Epiphanij veriſſima eſt, quã vtinã omnes attenderent, p̃cipuè ſomniatores Cabaliſtę, quos rerũ verarũ imperitia, ad obſcura & coacta rapuit figmenta. Hippolytus eodem atque Epiphanius argumento paradiſum verè terreſtrem cõfirmat,

D

E

F

quòd

A quòd flumina non ſint in cœlo, ſed in terra, manifeſta, nota cunctis propemodum mortalibus. Poſtremoque ſubiicit, ἐστὶ δὲ τόπος ἀνατολῆς καὶ χωρίον ἐκλογῆς. Eſt, inquit, locus in oriente, lectiſſimus, præcipuus. Quod & Theodorus, οὗτω τῆς γῆς ἁπάσης, ἐκεῖνο προτιμότερον. Totius terræ ſedes formoſiſſima. Eademque affirmant Hebræi. Dionyſius item Alexandræus, ſanis rationibus conuincit, ſi in cœlo eſſet paradiſus, quomodo terrenum hominem Deus illuc intro duxiſſet? Quomodo ibi animantes è terra volucresq; creaſſet? Vbi vir & mulier? vbi lignũ fuit θανατηφόρον letiferũ, & ſerpens deceptor, quæ quidem in cœlo eſſe non poſſunt. Theophilus item pulcherrimum in terra, Deum ſelegiſſe ſibi locum docet, diuerſis & formoſis arboribus inſignem. Eſſe autem in terra paradiſum apertiſſimum à ſcriptura demonſtrari, cùm dicat Deum plantaſſe hortum in Eden ad ortum. Terram & ortum expreſsè docere paradiſum eſſe terreſtrem ſub cęlo, ſub quo & terra & oriens ſit. Sic & Theodorus vaſtam, plurimamque terræ partem affirmat eſſe Eden eius loci, vel eo argumento dignitatem maximè comprobari, quòd plantatus à Deo dicatur. Hæc & id genus multa in deſtructionem myſtici, aut ſymbolici paradiſi à doctiſſimis illis, ſanctiſſimisque viris adducuntur, quorum dicta mirabiliter etiam à tota ſcriptura roborantur, & illuſtrantur. Non enim ſi paradiſus eſſet aut myſticus aut cęleſtis, terreni loci cum eo compararentur. Quis enim compararet corporea cum ſpiritualibus? Eſaiæ autẽ cap. 51. Hieruſalem à Deo in priſtinum decorem reſtituenda, poſtquam à Chaldæis fuiſſet euerſa, horto Dei comparatur. Et ponet deſertum eius quaſi delitias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Pro delitiis, in Hebraico eſt Eden, locus ſcilicet, ſiue regio paradiſi. Ezechielis capit. 27. Eden regio paradiſi inter alias regiones orientis annumeratur, Eiuſdem cap. 28. Pulchritudo, & proceritas, & altitudo, & fortuna, virorque Regis Tyri paradiſo Dei comparatur. In delitiis B paradiſi Dei tu fuiſti. Pro delitiis Hebraicè Eden. Eiuſdem cap. 31. Fęlicitas Regis Aſſyriorum arboribus paradiſi comparatur, his verbis, cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei. Paulò procul: Omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini eius. Aemulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo Dei. Pro voluptate, Hebraicè Eden. Proculdubio hæc comparatio non fieret, niſi paradiſus locus terreſtris fuiſſet, plenus arborum excelſarum, cedrorum, malorum punicorum, citronũ, & id genus. Videmus enim hic expreſsè cedros nominari. Eiuſdem cap. 36. Terra Iſrael reſtituta in priſtinum ſtatum, cùm fuiſſet à Babiloniis euerſa, paradiſo Dei comparatur, vt populi dicerent: Terra illa inculta, facta eſt vt hortus voluptatis. Pro voluptate Hebraicè Eden. Ioelis item 11. Terra Iſrael antequam euerteretur à Rege Babyloniorum, paradiſo Dei ſimilis fuiſſe dicitur. Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, id eſt, ante eum. Omnis igitur hæc comparatio proculdubio non fieret, niſi fuiſſet paradiſus terreſtris, terreſtremq; naturam habuiſſet: Habuiſſet arbores florentiſſimas, pulcherrimas. Ex quibus dicta magnorum illorum virorum vera probantur. Locus ergo paradiſi eſt Eden, regio in terris nominatiſſima ac cantatiſſima in ſcripturis ſacris, ex parte Græcis etiam nota. Quorum Theodorus, ἐδὲμ δὲ ἔοικεν ὀνομάζειν τὸν τόπον κατ᾽ ἀνατολὰς μείμενον, ἐν ᾧπερ ὁ παράδεισος ἦν, οὐ μικρόν τι γῆς μέρος οὕτω καλῶν. Eden, inquit, videtur appellare locum in oriẽte, in quo paradiſus erat, non exiguum terræ ſpacium ſic appellans. Sic ait Theodorus. Nos autem hunc locum Deo adiuuante, ſi non fallimur, reperimus, inuenientes eum eſſe prope Charan: Charan autẽ eſt nundinarium Arabię, iuxta Euphratẽ. Cæterũ etiã Origenes videtur neſcio quę de hoc loco audiſſe, C ἐστὶ μὲν ἑρμηνεία τοῦ ἐδὲμ κυρίως ἡδονή, οὐδὲν δὲ παραδεδώκασιν ἑβραῖοι ὅτι ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἐφύτευσε τὸν παράδεισον ἢ τὸν κῆπον κύριος ὁ θεὸς ἐδὲμ καλεῖται, καὶ φασὶν δὲ αὐτὸν μέσον εἶναι τοῦ κόσμου ὡς κόριν ὀφθαλμοῦ: διὸ καὶ τὸν ποταμὸν τὸν φισὼν ἑρμηνεύεσθαι στόμα κόρης ὡς ἐκ τῆς ἐδὲμ πορευομένου, τοῦ ποταμοῦ τοῦ πρώτου: ὁ δὲ παραδιδόασιν, τοιοῦτον ἐστὶ, ἐδὲμ ὃς ἑρμηνεύεται ἡδονὴ, ἦ πρὶν τὸν κῆπον γενέσθαι: ἐν αὐτῷ γὰρ καὶ ὁ κῆπος ἐφυτεύθη. Quæ ſunt. Eden propriè interpretatur voluptas. Nihil porro tradiderunt Hebræi locum in quo Deus paradiſum, ſiue hortum plantaſſet, vocari Eden. Dicuntq; eum medium mundum eſſe vt pupillã in oculo. Eoque fluuium Phiſon interpretari os pupillæ, quaſi ex Eden proficiſcente iſto primo è quatuor, flumine. Quod tradiderunt, huiuſmodi eſt, Eden qui appellatur voluptas, erat priuſquam hortus factus eſſet. In eo enim hortus eſt plantatus. Hæc Origenis verba ſunt obſcuriora, nec prorſus intelligo quid ſentiat. Videtur autem dicere in medio mundi iacere regionẽ paradiſi Edẽ, id præcipuè cõprobari ex nomine primi paradiſiaci fluminis Phiſon, vt quod deſignet os, ſiue ſcaturiginem, caputque pupillæ, id eſt loci, qui quaſi totius mundi ſit pupilla, vel meditullium. Ideoque fuit hęc regio ante conſitum paradiſum. Prius enim terra eſt, quàm conſeratur. Eden autem ſonare voluptatem in voce Græca perſpicitur, quæ fluxit ab Hebraica Heden, ἡδονή, hedone. Non placuit etiam doctiſſimo Hieronymo allegoricus paradiſus, ſuaque eum auctoritate deſtruxit ſuper Daniele, delyrare fallique & fallere dicens eos, qui in veritate vmbras & velamenta quærentes, hortum & arbores, totamque diuinam hiſtoriam allegoriæ legibus nitantur ſubuertere. Ipſa quoque varietas opinionum, ſuper paradiſo myſtico & allegorico, declarat ea eſſe mera animi figmenta. Secus enim à Chaldæis, ſecus à Cabaliſtis, ſecus item ab Origene, & ſecus à Philone myſticus inducitur paradiſus. Iã ſi res vna benè procedit, vt lapſus è cęlo, veſtes pelliceæ, cæteræ res ſumme diſſentiunt, vt arbores, flumina, ſerpẽs, vt appareat in prioribus capitibus nõ natura aliquã accidiſſe veriſimilitudinẽ, Sed ad hæc coacti ſunt homines deuenire, quòd multa ſunt in paradiſo difficilia. Refugium autẽ D imperitiæ ſolet eſſe plerunque allegoria. Nos autem, nihil alioqui de nobis ſuperbum, nihil ventoſum ſentientes, ſed Deo cuncta referentes, primi fuimus, qui neque ab Hebræis, neque Græcis, neque Latinis repertam rem deprehendimus. Oſtendimusque vbi regio paradiſiaca ſit Heden, ſiue Eden; & errorem ſuperioris ætatis patefecimus eorum, qui Phiſon & Geon, Nilum & Gangem aſſeruiſſent. Multa quoque ſunt alia in hoc opere à nobis primum inuenta: vt creatio lucis & Solis, creatio ſecundi cœli, aquæ ſupercęleſtes, quibus arbitramur veriores, quàm apud ſuperiores reperirentur, ſenſus attribuiſſe. Cùm ergo dicitur, Plantauerat autem Dominus: Hebraicè eſt: Et plantauit, claraq́ ἀνακεφαλαίωσις. Quæ igitur prius digeſta ſunt, omnia debent, quia hic repetuntur, in ſuos antecedentes dies reuocari. Repetitur enim plantarum, pluuiæ, hominis, animalium creatio. Pluuiam reuocabis ad ſecundum diem, paradiſum ad tertiam, hominem & animalia ad ſextam. Hucq; pertinet præteritum pluſquam perfectum Hieronymi, plantauerat. Quod vero dixit, In quo poſuit hominem: Superius expoſitum eſt, ibi poſitum hominem vbi fuiſſet creatus. Nec aſſentior Nicolao dicẽti hinc argui, hominem extra paradiſum formatum, ad oſtendendum, quòd ille locus non debebatur ſibi ex natura, ſed ex gratia. Mihi videtur tutius & rationabilius, antiquis item ſcriptoribus, & ipſis diuinis litteris conformius, non adeo deificare paradiſum, locum mortalem, caſibusq́ue mortalitatis obnoxium, è rebus corruptibilibus conſtantem, fluminibus, arboribus, animalibus, ipſa terra. Quam nec diuiniorem ipſa Hieruſalem & mõte Sina crediderim, in quibus tot miracula, cęleſtiaq; prodigia viſa ſunt, tellus à diuinis pedibus calcata, ſpectatrix Dei, & angelorũ ſuorum. Quæ ſanguinẽ eius abſorbuit, cibum Deo ſuo prębuit. An putas talia ac tanta facta in paradiſo? Et tamen Hieruſalem ſæpe capta, ſæpe etiam deſtructa, E & euerſa eſt, & tellus tota mutata. Sina vero vbi diuina maieſtas, in decore ſuo viſendam ſe præbuit, vbi tanta diuinitas tantum numinis fuit, vt ad ea ſtuperent circumſtantes, quę ibi videbantur, & audiebantur, ſcimus tamen eſſe montem deformem, ſquallentem ſaxorum aceruis, peneq́ue omnibus montibus inferiorem. Hunc tamen veriſimile eſt, eo tempore fuiſſe glorioſiſſimum, vt fuerit quaſi paradiſus, id eſt, locus ipſe cœleſtis, vbi eſt præſentia Dei: Qui ſi vel apud inferos eſſet, ipſam ſecum beatitudinem, felicitatemq́ue deferret. Quoniam ergo non ignobiliores hi loci, nec minus inſignes, minorumque facinorum teſtes, ſed potius maiorum, quàm paradiſus fuerunt, ſuæ tamen naturæ remanſerunt: talem arbitrandum eſt fuiſſe paradiſum, non locum æternum, & perbeatum, quem ex gratia, non natura eſſet Adam habiturus. Iſta enim ἀποθέωσις multas anguſtias pariet animo, quas vix vnquam liceat euadere. Locus erat creationis, locus amęniſſimus, in diuinis litteris cantatiſſimus, palmam ei omnium locorum in amęnitate facile concedentibus. Sed quoniam terreſtris erat, credendum eſt, ſuę naturę peracta creatione, & Adã cum indignatione repulſo, eum relictum, & iuxta ac oẽs paradiſos regum Perſarũ & Salomonis, regumq́; cęterorũ ſqualluiſſe, ac defeciſſe, aut loci fertilitatem, vberq́: ſolum ſemper retinuiſſe, dotes aũt quaſdam peculiares illius temporis fuiſſe. De quo multa dicta ſunt & dicentur.

Produxitq́ue Dominus de humo omne lignum.

TOta deſcriptio paradiſi, qualem pulcherrimus amœniſſimusq; locus exigeret, Deſcripſerat ſitum vniuerſalem & particularem: vniuerſalem in oriente, particularem in Eden, deſcribit amęnitatem, quæ viriditate & inundatione conſtat. Viriditas erat, quòd in eo arbores, F quæcunque & ſpecie procerę eſſent, & decoræ, effloruerunt, qualis palma, quam cùm primum videris, miraberis ramos & ſtipitem, totumq́ue habitum arboris, à cęteris plurimum differentem. Fructus non ramis, ſed ſummo ſtipite croceos, virides, ſubrubentes progignentem. Tales atq; id genus, quarum ſunt regiones orientis feraciſſimæ, erant in paradiſo, fructibus grauatæ, ramosq́ue hinc inde curuantes. Ac quoniam, vt ait ſublimis Orator, ſæpe parua magnis aptiſſimè comparãtur, referam quæ mihi dum hæc ſcriberentur, dum hæc meditarer, contigiſſent. Neque puto me abſurde facturum, vtens notis & claris exẽplis ad ea quæ ſunt obſcura, illuſtranda. Eram Ferrariæ cupidus viſendi locum extra mœnia, amœniſſimum pomarium ducis eius vrbis. Facta eſt poteſtas, Huc primum introgreſſo, atque omnia contemplanti, occurrit paradiſi Moſaici deſcriptio. Locus eſt medius inter duos amnes, quos Padus, vbi ad eum ſitũ appuliſſet, efficit, vt ab vtraque parte à pulcherrimo flumine alluatur. Qua parte deſuper ac circum flumine cõtingitur, procurrit ordo ingens ac ſylua opaca denſiſſimorum arborum, ſummam amœnitatis ſpeciem, incredibilemq́ue voluptatem oculis, in tantam viriditatem, iuxta flumine delabente, expatiantibus, exhibentium. Semitæ circum ripas fluminis decoræ, herbis & floribus, arboribusq́ue ſpecioſæ. In nemore vmbrifero laſciuiebant diuerſorum generum animalia, Strutiones miræ magnitudinis, Gallinæq́ue quas indicas dictitabant, Pauones item prodigioſæ figuræ, vt eos contemplanti omnia facta eſſe quæ fieri potuiſſent, quæq́ue natura fieri poſſe negaſſem, mihi viderentur. Aſellos item perexiguos, Arietes quoq; caudam vaſti põderis trahentes, cęteraq́; multa erant in nemore. Omnia igitur hęc intelligebam habuiſſe paradiſum Dei, ſimilemq́; quendam fuiſſe locũ: Siquidem & ille in medio magnorũ fluminũ virebat, florens omnigenis arboribus, diuerſorũ animaliũ plenum, quibus nomina indidit Adã: Paradiſus Dei, ſicut is paradiſus principis.

Pomarij ducis Ferrarij deſcriptio.

Vt vo-

A Vt voluntate principis conſitus is locus, ibi interdum deambulantis, alioqui regiam ſuam in vrbe inclytam habentis: ſic ille Dei voluntate, interdum ibi præſentis, ideſt quo tempore hominem creauit, fuit, degit, habentis alioqui regiam in inclyta vrbe ſua. Hic ergo hominem creauit, & probauit an dignus eſſet, quem ad regiam, maioremque dignitatem ſublimaret. Videbam quoque tunc facilè eſſe intellectu, hominem eiectum è paradiſo, vt ne quid alienum à rebus humanis ſuſpicaremur. Siquidem egreſſus è loco, nauique delatus, aditu que clauſo locum paulo procul contemplabar, carens tamen qua prius fruebar voluptate, vt viderer mihi è magnis gaudiis excidiſſe. Super omnia vero illius paradiſi Dei gaudia cumulabat eius præſentia, ſecum quocunque proficiſcitur fœlicitatem deferens. Vnde & Petrus optauit ſemper degere in monte. Sic Adam pulſus è loco maximis gaudiis, dulciſſimoque fructu conſuetudinis caruit, priuatus aſpectu illo diuino, angelorumque conſpectu, & amœniſſimo, pulcherrimoque loco. Degebat autem propè, oculis proſpiciens locum, quem amiſiſſet, tum damnatus ad maiores labores, grauiores probationes. Longo autem poſt tempore, ſqualluit nemus. Nam diuina præſentia peractis omnibus ſubito diſceſſit, ſicut data lege de monte Sina receſſit. Hæc igitur qui nō intelligunt, refugiunt ad Ideas, mundumq; meliorē, cogitabilem ſolum, nō viſibilem, & ſæpe ad eas Ideas, quæ neque ſint, neque poſſint exiſtere. Quas audiēs animus à natura quæ ſemper eſt, alienas, triſtatur, rationem & modum earum non valens apprehendere. Quis ergo non perſpicit quomodo Dominus produxerit de humo terræ omne lignum, ideſt, omnem arborem pulchram viſu, & ſuauiſſimorum fructuum feracem? ſic dicit de ſe Salomon, Plantaui hortos & paradiſos. Sed hæc quorum notiſſima eſt ratio, relinquentes, ad obſcuriora penetrare conemur.

B *Lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali.*

NOn aliam habet rationem, iſta arborum, quæ Hebraicè ligna dicuntur, deſcriptio, quàm quòd cibus humanus erant fructus, homoque ſimul ac exortus eſt, hoc cibo cœpit veſci. Formatus & creatus erat in paradiſo, de fructibus paradiſi alebatur, quorum erant in amœniſſimo nemore plenæ arbores. Siquidem & flumina circumlabentia totum locum vberrimo humore nutriebant, qualem ferunt eſſe Meſopotamiam, vbi erat is ipſe paradiſus, cuius tantam ferunt vbertatem propter circumlabentia flumina, Tigrin ab ortu, ab occaſu Euphraten, vt neceſſe ſit pecora, ne pinguedine rumpantur, abigere à paſtu. Cauſam vbertatis referunt, vt dixi, in flumina inter quæ ſita eſt Meſopotamia, vt ipſum Græcum nomen indicat, Hebraiceque eodem modo vocatur Aram maharim, id eſt Syria, vel Armenia fluminum. In his arboribus medio in nemore latè florentibus, erat ingens proceraque arbor, quam pulchritudo & proceritas à cæteris arboribus magno diſcrimine ſeparabat, quaſi,

Meſopotamiæ vbertas.

In medio ramos, formoſaque brachia pandens
Arbor opoca, ingens.

Virgil. 6.

Hæc fructus habuit ſpecioſiſſimos, poſt illud tempus mortalibus incognitos, nulli deguſtatos vnquam, viſos tantum à primis parentibus. Arborem procul nondum ad eam valentes accedere, intuebantur. Quare autem arbor vitæ dicta ſit, collatis inter ſe pluribus exemplis fortaſſe poterit intelligi. Non poſſum quidem ſatis demirari, quomodo tacitus ſæpe Moſes & cæteri Pro- C phetæ deſcribentes ſub imaginibus terrenis res occultiores, occultas dimiſerunt, notis imaginibus tantum memoratis. Quorum nonnulla exempla ſubijciam. Serpens, vt clarum eſt, erat diabolus, ſub imagine ſerpentis: de inſidiatore tamen ipſoque dæmone mirum ſilentium. Tota deſcriptio ſpectat in ſerpentem terreſtrem, terram comedentem, & ſuper pectus ingredientem. Inſpiratio quoque Adam dicitur facta per nares, quaſi Deus haberet halitum, quem in Adam inſpiraret: ſi halitum, vtique & pulmones, halitum inquā corporeum, quippe qui per nares penetrarit. Tum id non eſt ſolum ſpiraculum vitæ, cum longè meliores partes efficiant vitam. In Pythone quoque Samuelis, is qui appareret, dicitur quaſi à muliere ſuſcitatus, dicitur & Samuel fuiſſe: Et Python tamen erat ſumma & anicularis vanitas, & de ſuſcitato nihil eſt dictum, quod declarare oportuiſſet, vt ſciretur & ſuſcitatus & qui ſuſcitaſſet. Quibus non declaratis, magnis perturbationibus relicti ſumus. Sic arbor iſta vitæ, cùm haberet aliquid occultius ac melius, ſolū quod appareret exterius eſt deſcriptum, quicquid videlicet eſſet corporeum, & oculis ſpectabile. Ac neſcio quo conſilio Moſes, vbique à rebus ſpiritualibus ac reconditis cōſtantiſſimè abſtinet, qui nec Angelos, nec creationem eorum, nec vitam, nec mores explicet. Nunquam de cœlo empyreo loquatur, nunquam de animorum immortalitate, de dæmonibus, caſu, moribus, inſidijſque eorum. Super quibus poſtea coacti ſunt homines philoſophari: Ac niſi ſecunda Theologia fuiſſet opitulata, verſari nos in maximis erroribus oportuiſſet. Ita ergo occultat arborem vitæ Moſes, ſicut arborem ſciendi bonum & malum. Neque declarat, qua tandem cauſa fructus vnius arboris homo deguſtans bonum malumque cognoſceret, aut quomodo bonum & malum oporteret intelligi. Quas ambiguitates cū nobis enodādas reliquiſſet, maximis periculis nos expoſuit. Vt igitur occultatur ſerpēs interior, nihil de eo Propheta loquēte, poſtea tamen intelleximus per aſtutias diaboli, mortem introiſſe in mundum, ſic occultatur ſpiritualius quiddā ſub arbore vitæ,

Arbor vitę cur ſit dicta.

Serpens.

Inſpiratio Dei in Adam.

Python Samuelis.

Arbor vitæ.

præclareque docet Theodoritus, τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, καὶ τὸ ξύλον τοῦ οὐδέναι, γνωστὸν τοῦ καλοῦ, καὶ πονηροῦ, νοητὰ χρὴ λέγειν, ἢ αἰσθηταὶ ἐκ τῆς γῆς· καὶ ταῦτα βεβλαστηκέναι εἶπεν ἡ θεῖα γραφή· οὐ τοίνυν ἑτέραν τινὰ φύσιν ἔχει παρὰ τὰ ἄλλα φυτά· ὥσπερ γὰρ τὸ τοῦ σταυροῦ ξύλον, ξύλον ἐστὶ, καὶ σωτήριον ὀνομάζεται διὰ τὴν ἐκ τῆς περὶ αὐτὸ πίστεως σωτηρίαν γενομένην· οὕτω καὶ ταῦτα, φυτὰ μὲν ἐστὶ ἐκ τῆς γῆς βεβλαστηκότα, διὰ δὲ τὸν θεῖον ὅρον, θάτερον αὐτῶν ξύλον ζωῆς ὠνομάσθη, τὸ δὲ ἕτερον διὰ τὸ περὶ αὐτὸ γενέσθαι τῆς ἁμαρτίας τὴν αἴσθησιν, ξύλον ἐκλήθη γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ, καὶ περὶ τούτου μὲν, ὁ ἀγὼν τῷ ἀδὰμ προετέθη, τὸ δὲ τῆς ζωῆς οἷον τι ἔπαθλον προύκειτο τετηρηκότι τὴν ἐντολήν. Lignum, inquit, vitæ, & lignum ſciendi bonum & malum, an intelligibiliter, & ſpiritualiter, an ſenſibiliter debent intelligi. Verum è terra & hæc nata, ſcriptura prodidit. Non ergo aliam à cæteris plantis naturam habuerunt. Vt enim lignum crucis, lignum eſt, ſalutare autem appellatur, propter eos qui ei credunt: ſic hæ, plantæ quidem è terra natæ erant, ſed propter diuinum decretum, alterum vitæ, alterum noſcēdi bonum & malum, quia peccati notio in eo fuit, lignum eſt vocatum. Et de eo certamen Adæ fuerat propoſitum. Lignum autem vitæ tāquam præmium ſtabat præceptum ſeruanti. Acacius etiam perhibet arbores omnino fuiſſe terreſtres: nec mirandum ſi per pomum, vitam Deus eſſet largiturus, quandoquidem panis & vinū ſanctificet ea deguſtantes, & per aquam ſenſibilem fiat remiſſio omnium peccatorum. Ex ſigno igitur, & quodam maiorum, altiorumque rerum exemplo id erat. Credendum eſt igitur talem eſſe arborem vitæ apud Moſen, quale apud antiquiſſimos Poetas, eoſdem & theologos, nectar & ambroſia, & nepenthes: quibus rebus, cùm diuinorum animorum & corporum immortalitas deſignaretur, ſi quis tamen voces exterius ſonantes audiat, cibum quendam, potionemque deſignant, quibus veſcentes ſuperi, mori non poſſint. Dicitur de nectare idem, atque arbore vitæ, earumque præfert rerum etymologias, quæ ſub hac arbore latitant. Vt de arbore vitæ à ſcriptoribus ſacris fertur, quòd fructus eius, homines deguſtātes, nunquam ſenuiſſent, ſic appellatum eſt nectar, quaſi, vt Suidas ait, νεόκταρ τὸ νέους ποιοῦν τοὺς πίνοντας, Neoctar, quia iuuenes faciat bibentes. Aut cuius priuatio multis ſit, id eſt, quod à longe paucis poſſideatur. Pauci enim perueniunt ad verā immortalitatem. Dicitur etiam nectar, à νὴ, id eſt ne, non, & κτείνω interficio, quaſi mortalitatem auferens, non ſinens mori. Ambroſia quoque earum rerum habet etymologias, quarum ſignificatio latet ſub arbore vitæ. Appellatur enim quaſi abroſia, id eſt ſine morte, ſine mortalitate, aut qua caret mortalis, βροτὸς mortalis. Cuius poſſeſſio nulli ſit mortalium. Hos cibos ſapientiſſimi poetæ aſſeruerunt ab Hebe, id eſt iuuentute, Dijs ad menſas immortales miniſtrari, quia ſemper omnis Deorum natura floreſcat, ſemper iuuenes ſint. Per cibos ergo tam in ſacra Theologia, quam Theologia poetica, quæ bona parte imitatur illam veram & ſacram, immortalitas eſt deſignata. Ac quoniā innumerabilia deprehendimus à Theologia Moſaica manaſſe ad veteres Græciæ Theologos, tot exemplis adductus ac perſuaſus, crediderim illum Deorum cibum, quo veſcentes dicebant eos nunquam poſſe ſeneſcere, eſſe quaſi fructus iſtius arboris. Ac ſapientes bene norunt, quid ſit Nectar & Ambroſia, quid iuuenta apud ſuperos, cibos hos miniſtrans. Facileque quo reſpexere poetæ, percipiunt. Non enim eſt apud ſuperos alius cibus, quo ſint ſemper immortales & beati, niſi diuinitas & vita exuberans illis à Deo, nec eſt alia ciborum iucunditas niſi videre & noſſe pulcherrimum & iucundiſſimum conſpectum Dei, cuius intuitus immortales & beatos efficit. De quo Ariſtoteles. οἷον οἱ μὴ εἰδότες τὸ νέκταρ, οἴονται τοὺς θεοὺς οἶνον πίνειν, καὶ οὐκ εἶναι τούτου ἥδιον οὐδὲν: τοῦτο δὲ πάρχουσι διὰ τὴν ἄγνοιαν, Id eſt: Similes ſunt qui veras neſciunt voluptates, his qui ignorant Nectar, ſuſpicantur enim deos bibere vinum, nec habere eos dulcius quicquam. Quod eis accidit propter imperitiam & inſolentiam. Hæc ait ille: In illo autem terreſtri cibo poteſt immortalitas & fœlicitas exiſtere. Nec arbor vlla, cuius fructus terreſtris humor augeat, poteſt ſemper à ſenecta corpus defendere. Virtute quidem diuina fieri poteſt, vt in re terreſtri ſit immortalis vis, qui poteſt etiam corpus vegetare ſine cibo, ſed non eſt credendum, præmium immortalitatis ac fœlicitatis aliud futurum fuiſſe, ſi fortiter Adam in probatione ſe geſſiſſet, mandatiſque Dei paruiſſet, niſi fructum ex commercio & præſentia Dei iucundiſſimum. Nec arbitrandum eſt aliam tunc, aliam nunc eſſe fęlicitatem. Nunc auctore, & præcone filio Dei, fęlicitas eſt regnum cęlorum, eandem arbitrandum eſt futuram tunc fuiſſe primis illis. Deſignata eſt autem re & nomine figurato. Quod etiam Seuerianus ſenſit, δέδωκε τὸ δένδρον χαρακτῆρα τῆς βασιλείας. Dedit arborem, quæ regni foret inſigne. Quo loco ſciendum eſt, duplex eſſe in diuinis litteris figurarum genus, in dictis & factis. Non ſolum, inquam, ſunt dicta figurata, ſed facta etiam figurata. Figuræ dictæ, figuræ factæ. Figurata res fuit, cùm Haias Salonites ſcidit pallium in duodecim partes, vndecimque tradidit Hieroboam. Deſignabat enim regnum, quod è duodecim Tribubus conſtaret, ſcindendum, vndecimque Tribus Regnum Hieroboam integraturas, vna relicta filio Salomonis. Figurata res fuit, cùm percuſſus & ſanguinolentus propheta coram Achab, qui Regi Syriæ pepercíſſet, proceſſit. Innuebat enim fore ab eo cui pepercerat, ſanguinem & cædem. Figurata res item, cùm propheta iuſſu Dei, catenis oneratus, ante oculos omnium, per vrbem inceſſit, quo portendebatur, tales breui capta vrbe, multos futuros, præcipuè Regem, omneq; regium genus. Figurata etiam res, ſed occultior & remotior, ſerpēs ſuſpēſus in ligno, in eremo. Sunt aliæ plurimæ imagines, quæ pſto erūt indagati.

Nectar.

Ambroſia.

Figurata, & dicta & facta in ſacris litteris.

D

E

F

Dicta

A Dicta figurata & tropi clari ſunt, vt parabolæ, id eſt, comparationes rerũ verarum in Euãgelio, aut ſimplices locutiones figuratæ. Omninoque tria ſunt genera figurarum, dicta, facta, viſa. Quędam dicuntur figuratę, quædam fiunt, quædã videntur. Ac facta & viſa figurata familiaria ſunt, & vſitata ſacris litteris, cæteris litteris non item. Dicta figurata omnium linguarum. Dicendum igitur quemadmodum priſcorum theologorum ſapientia, ſuauiſſimis cibis, immortalitatem, viſionemq; ſupernã innuiſſet, ſic hoc ipſum re Deũ feciſſe, Feciſſe re, quod illi fecerunt loquendo. Fecerunt autem eſſe quoſdam cibos, quibus veſcentes Dij, emori non poſſent, ſemper eſſent iuuenes, ſuauitatem quandã æternam deſignantes. Sic Deus fecit re, & in oculis rem quandam deguſtabilem, qua declararet immortalitatem, ipſamque diuinitatem, quaſi ſtatuens hanc eſſe Ambroſiam & Nectar, ſub quibus nominibus per negationem mortis, latet vita. Vt autem Ambroſia eſt cibus Deorum, ſic pomum vitæ, in hac exprimitur vita per negationem mortis, in illo Hebraico clare vita nominatur. Quod ſi ea cibus Deorum, etiam hæc poma. Cibus autem Deorum non eſt in vſu, nam regnum Dei, non eſt cibus & potus: ergo ambroſia, quanquam cibus dicitur, non cibus eſt, ſic pomum vitæ cibus erat, ſed ſignum æterni alimenti. Non erat in eo permanſura diuinitas & immortalitas, Terreſtris erat vt dixi paradiſus, terreſtres, arbores terreſtris humor, quo nutriebantur, à Tigri & Euphrate, aliiſque duobus fluminibus irrigatæ: Omniaq; terreſtria, in quibus natura felicitas & immortalitas eſſe non poterat. Quæ eſt alia felicitas, aut quid aliud poteſt animos explere, & æſtum quendam quem ſemper in pectore gerimus, extinguere, & tollere ex animo omnem mœrorem, niſi Deus, ϑεορία, id eſt viſio diuina, videre lucem æternam illam, intereſſe gaudiis quibuſdam inenarrabilibus, quæ neque cogitari, neque dici fando poſſunt? B In cibo corporeo id eſſe non potuit, non potuit, nec aſſentitur ratio. Fuit ergo res figurata arbor vitæ. Erat in medio paradiſi tanquam exemplum oculatum immortalitatis, tanquam ſpectabile præmium, tanquam Nepenthes, id eſt herba ſeu potio, quæ dicitur omnem adimere dolorem & luctum, vocata νηπένθης. Luctus Græcè πένθος. Erat tanquam celebratus ab Homero flos Moly, cuius mirabilem eſſe vim perhibuit. Eratque arbor illa, ſicut ſerpens ſuſpenſus: ille in Eremo pependit è ligno, poma vitæ pendebant ex arbore in media paradiſo: Sanabantur aſpicientes ſuſpenſum, quo ſanandi ſuſpiciẽtes appenſum in ligno protendebantur. Optimusque eſt Moſis interpres Salomon, qui prædicat, ſapientiam eſſe lignum vitæ, id eſt arborem, declarans videlicet, quid arbor illa Moſaica deſignaret, nempe id quod eſt ſapiẽtia, quodq, ſapientia largitur. Nã declarãs hoc ipſum Salomon. Et qui tenuerit (ait) eã, beatus. Hoc erit videlicet lignũ vitæ beatitudo, quæ efficitur ex ſapientia. Vitalis eſt fructus ſapientia poſſeſſoribus ſuis, ipſaque beatitudo. Nec aliud eſt lignum vitæ, niſi beatitudo & præmium ſapientiæ. Quid eſt autem ſapientia eodẽ autore, niſi timor Domini, & obedire mandatis eius? Si ergo hanc ſapientiam Adam tenuiſſet, abſtinuiſſetque à fructibus inconceſſis, in quo probabatur, an eſſet obſequens, ad arborem vitæ perueniſſet, beatus effectus, & præmium ſapientię vberrimum aſſecutus. Quid etiam eſt beatitudo, in quo poteſt quiſquam fieri beatus? Idem ipſi ſapientes docuerunt, beatum eſſe dicentes, qui ſuffert tentationem, quoniam poſt probationem, accipiet coronam. Hoc de Adam verè dicitur, qui poſt ſuperatam tentationem, poſt probationem, beatus fuiſſet accepta corona immortalitatis. Appellat enim eam coronam vitæ, quæ fuit illo primo tempore per arborem vitæ deſignata. Idem corona vitæ atque arbor vitæ. O ſapientiam igitur Dei infinitam, qui rebus apertis C & notis, & ſenſui patentibus, hominibus corporeis rerum ſuarum magnificentiam, quæ videri non poterant, voluit oſtendere. Ac Moſes refert pure & ſyncere, quæ in oculis gerebãtur, ſenſus interiores non tangens, exponens ſimpliciter quid geſtum ſit, quo ordine res proceſſerit. Videntur autem & è noſtris ſapientiores agnouiſſe hanc interpretationem. Auguſtinusque memorat Hieruſalem terreſtrem ſignificantem cęleſtem, quaſi innuens eodem modo arborẽ iſtam terreſtrem perpetuam beatitudinem declaraſſe. Et in cęteris, ait lignis fuiſſe alimentum. In iſto ſacramentum, id eſt rem arcanam, occultam: quem Beda ſequitur. Recordemur ergo fluminum de vẽtre fidelium manantium, recordemur illam aquam viuam, quam dixit æterna ſapientia, exituram ex eorum pectore, qui in ſe credidiſſent, ipſam videlicet innuens ſapiẽtiam. Nam quod per aquas viuas poſtea loquendo deſignauit, expreſſit à principio per fructus viuos re & effectu, non ſermone: Idem in vtroque tempore figurator, tunc rebus ipſis corporeis, poſt ſermone: Tunc vtens re figurata, poſt vſus ſermone figurato. Repetamus item quod idem dixit, Amplius non bibam de hoc genimine vitis, niſi cùm bibam illud vobiſcum in regno patris mei. En & ipſe ambroſiam, & nectar vſurpat, quæ ſe prædicat in cęlo bibiturum. Semper ergo delectatus eſt his figuris, vt faceret opes regni ſui inuiſibiles, & animis noſtris imbecillis incomprehenſibiles, clariores, vtens in ſermone rebus noſtris ſuauioribus, melioribus ad rerum æternarum ſignificandam dignitatem ac bonitatem. Vidi ego hominem doctiſſimum ac ſapientiſſimum, nouum quoddam abſtruſumq; philoſophiæ genus excogitaſſe, collegerat ingentem numerum pulcherrimarum figurarũ, easq; in æs inciderat. Sub his totam humanam vitam, quicquid aut ad amicitias fictas & veras, aut cæcas hominum, inconſiderantesque cupiditates pertinet, expreſſerat. Erantque imagines oculis ſpectantium manifeſtæ, ſed quid innuerent, non erat intellectu facile, niſi autor indicaſſet. Is beatitudinem deſignarat hoc exemplo. Erat arbor excelſa, pomis aureis, ſtabat difficili & perarduo in loco.

Figurarũ tria genera.

Ambroſiæ, & Pomi vitæ cõparatio.

De Nepẽthe, Odyſ. δ.

Homerus. Moly.

Prouer. 3.

Lignum vitę beatitudo.

in loco. Multi eò aſpirare nitebantur. Pluresque erat videre, qui aſcenſu defatigati curſum reflecterent, D paucos qui ad aureos ramos manum extenderent. Cebes quoque Thebanus, diſcipulus Socratis, tempore videlicet illo florens, quo maximè viguit hoc philoſophandi genus, per ſimiles figuras, tale quid deſignauit ponens in cacumine excelſi montis beatitudinem, ad quam pauci peruenirent, cæteris a diuerſis caſibus & cupiditatibus, abſtractis. Recordare igitur & nuptias regias, ad quas plurimi non acceſsiſſent. Fecit ergo qui veras & viuas poterat imagines effingere, naturaliter & viuè, quod propter imbecillitatem ſimulate & picte fecerat homo. Cyprianus autem vir eloquentia & ſanctitate inſignis, talem quandam rem depinxit carmine. Finxit arborem proceram, & excelſam, natam quidem in Iudæa, ſed paucis diebus mirabiliter creſcentem, totum orbem ramis amplexam, ſub quam innumerabiles populi coirent.

Hic vbi, multigenis flexos incumbere pomis
Certabant auidis ramos attingere dextris,
Gaudebant madidos cœleſti nectare fructus,
Nec prius hos poterunt, cupidis decerpere palmis,
Quàm lutulenta viæ veſtigia fœda, prioris
Detererent, corpuſque pio de fonte lauarent,
Ergo vbi cœleſtem ceperunt ora ſaporem,
Permutant animos, & mentes perdere auaras.

Hæc apud diuum Cyprianum, cuius deſcriptio in propatulo quidem arborem quandam felicem ac vitalem, cuius fructus tantam haberent vim, vt poſſent animos permutare, exhibet, ſed E in occulto deſignat crucem, populis vniuerſis ſalubres fructus ſuggerentem. Sic arbor antiqua illa, vt reſponderent inuicem priora & poſteriora ſibi ſacramenta, deſignabat ſimilem quandam vitam, & beatitudinem. Philoſophaturq; his arboribus Deus apud hominem, per facilia & aperta, eum ad occulta & maiora perducens. Præmium occultum, præmio manifeſto declarans, & fructu corporeo & terreſtri fructum quendam maiorem & occultum. Quæ philoſophia fuit antiquis vſitatiſſima, vt quod Anacharſis Scytha inuentus eſt dormiens, vnam ad os, alteram ad pudenda manum continens. Oſtendebat enim vtrumq; membrum eſſe continendum. Et Pythagoras rogatus quid eſſet humana vita, ingreſſus cubiculum, ſubito egreſſus eſt, docens videlicet vitam eſſe introitum, celeremque exitum. Symbola quoque eius, actus erant corporei. Hirundines ſub tecto ne nutrito, Ignem ne tranſuerberato, Ambula per diuerticula. Primum loquaces iubet arcere, alterum prohibet iracundos laceſſere, tertium ſequi communes errores.

Lignumque ſcientiæ boni & mali.

VT occultauerat Moſes interiorem ſenſum arboris vitæ, ſic ſimpliciter proponit arborem ſciendi bonum & malum, merus rerum diuinarum recitator, non explicator. Quæ ſimplicitatis arguit ſynceritatem ac ſanitatem, ipſosq; ſcriptores demonſtrat tantùm in deſcriptione veritatis oculos poſuiſſe. Quod fecerunt etiam Euangeliſtæ, in quorum ſcriptis ſumma ſynceritas deprehenditur. Vt quod CHRISTVS in forma hortulani apparuit, quòd matri dixit, Mulier ecce filius tuus: Cęteraque id genus multa. Vnam igitur atque eãdem fuiſſe conſtat arborem ſciendi bonum & malum. Quæ quidem & ipſa iuxta arborem vitæ adiacebat, vireſcens in media F paradiſo, pomis quidem diſtincta, ſed & ipſis formoſis. Alteraque à dextris, altera ſurgebat à ſiniſtris. Vna vitæ & præmij ſignum, altera probationis: quaſi duæ viæ, quod figurauit antiquitas, altera tendens ad beatitudinẽ, & campos elyſios, id eſt alyſios, indiſſolubiles ſcilicet & immortales, altera ferens in Tartarũ. Et ſicut duæ mulieres, quas in adoleſcẽtia apparuiſſe cuidã dicit Prodicus, altera laſciua, altera caſta, ſeuera: Virtus hæc, illa voluptas. Non erat aũt hęc arbor beatitudo, aut illa ſuppliciũ & mors, ſed ſymbola quædã erãt, ſymbola quibus probari virtus, non tantũ demonſtrari poſſet. Nam ſi arbor illa ſciendi, ramos tantum & folia habuiſſet, ſymbolum quidem virtutis eſſe potuiſſet, ſed vim probandi non habuiſſet. Electum eſt id, quo poſſet, conſtantia, virtus, ſapientia, ea eſt obedire Deo, probari. Eoque vocata arbor ſciendi bonum & malum, id eſt virtutis & vitii, ſapientiæ & inſipientiæ, dignoſcendæ. Vna arbore poterat intelligi quæ conſtantia, quæ continentia, quanta ſuo creatori, qui ſummum eſt ius, mundanaque autoritas, eſſet apud hominem obſequendi voluntas. Rurſum an inconſtantia, incontinentia, contemptus, negligentiaque parendi. Nam facillima re, minimeque dura eſt probatus. Durior fuit ac difficilior tentatio Abrahæ iuſſi vnigenitum & dilectum filium ſacrificare. Quæ potuit eſſe maior probatio, maior ex ipſo fructu, quæ vnquam perſpecta eſt. Tunc enim primum ſtatuit ex propagine eius naſcens redimere genus humanum, & in vnius probatione, eluceſcente virtute, abolere damnum, quod in probatione prioris accidiſſet. Ideo durior probatio quiddam etiam magnificentius eſt aſſecuta. Difficilius enim eſt reſtaurare collapſa. Dicitur quoque arbor ſciendi bonum & malum, vt Græci & Latini ferè omnes interpretantur, quia qui fructus eius comediſſet, quantum inter bonum atque malum intereſſet, facile dignoſceret. Damnatus enim homo per illam arborem,

Arbor ſciẽtię boni & mali quid.

cognouit

A cognouit quam beatitudinem amiſiſſet, cognouit bonum amiſſum, malum poſſeſſum: tunc ingemuit, tunc largis fletibus ora rigabat. Non cognoſcitur enim bonum, niſi vbi in poteſtatem mali ventum eſt. Tum vero cernitur malum præſens, bonum abſens. Hoc enim boni habet malum, quòd præbet cauſam agnoſcendi boni. Eſo igitur fructu eo, Adam vidit qualem ac quantam iacturam feciſſet, vidit mortalitatem & immortalitatem, hanc amiſſam, illam infeliciter acquiſitã. O quantos dabat gemitus, cùm à conſpectu Dei angelorumq́; fugatus abiret. E quo ſe gradu dignitatis cecidiſſe videbat. Duos igitur hucuſque habes ſenſus de arbore ſciendi bonum & malũ. Neq; enim erat in fructibus virtus hęc cognoſcendi, in quibus ſola corporum nutriendorũ vis ſola terrenorum fructuum ſpecies fuit. Erat res morſibus apta, ad ventrem demittẽda, at in corporeis rebus, nulla vis ſpiritualis. Stabat igitur hæc arbos, ad probationem ſiue tentationem. Non eſt enim naturæ conſentaneum, nec fieri poteſt, vt coronetur, qui non legitimè certauerit. Erat autem Adam coronandus, coronatio eſt immortalitas, erat ad immortalitatem, diuinitatẽ, ęternamque ſtabilitatem vocandus, non ſolum hac in parte Deo in illum ſuam clementiam declarãte, quòd eum cunctarum rerum nobiliſſimum ac dominum creaſſet, ſed etiam quòd ad maiorem gloriam vocaret, ad quã ſine labore & certamine, ſine virtute probata ac perſpecta, aſpirare nefas. Nec vero, niſi earum veritatis & naturæ gnari, admirabuntur dolebuntque, Deum Adam probare voluiſſe, vt ei quaſi ſcandalum ante oculos, in quod offenderet, propoſuerit. Patitur enim vim regnum, hoc æternũ decretum, in natura inciſum: nec niſi à violẽtis (id eſt his qui ſibi vim & conatum attulere, & contra cupiditates iere ſuas) acquiritur. Hæc virtus ſola coronatur, remuneratur: Sola immortalitem promeretur. Debemus ergo tum dicta ſapientum, magnorumq; B theologorum, tum varia in diuinis litteris exẽpla colligentes, animorum noſtrorum imbecillis & obtuſis cogitationibus ſatisfacere. Probatus eſt Abraham, & quidem grauiſſimè: probatus Iob, etiã ſupra vires humanas: probatus Thobias, probatus Noe, qui creditur omnes à gigantibus, Deiq́; contemptoribus iniurias eſſe perpeſſus. Quid memorem tot millia martyrum? Quid quòd & ipſe CHRISTVS voluit probari, & tentari, accedente ad eum tentatore, ſiue probatore, vt Græcè ſonat πειραστής, quo Deus ad omniũ probationem vtitur, & eum in eadem re atque primum hominem aggrediente? Sed fortiter reiectus eſt, vt quo non facto à primo, damnatio eſt conſecuta, facto ab illo vindice, ſequeretur liberatio. Et lapſus ille, ab iſta conſtantia redimeretur. Idem ille vitam vexationesque ſuas tentationes appellauit. Vos, inquit, eſtis qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis. Quid quòd oportet hæreſes eſſe, vt probati & iuſti eluceſcant? Quid quòd permittetur Antichriſtus ſigna & prodigia facere, occidere, vexare, diripere? Nempe vt illo ſcelerato ſæculo, quibus placebit iuſtitia, pietaſque, intelligatur, multorumque fiat virtus illuſtrior, & cœlo digna. Denique vnuſquiſque à ſenſibus, à cupiditatibus ſuis in hac vita probatur, nec amota eſt tentatio, ſed eius plena eſt humana vita. Quocirca ſapientiſſimus quidam dixit; Militiam eſſe (quod Septuaginta intelligentes quem haberet ſenſum, tentationem tranſtulerunt) vitam hominis ſuper terram, Hebraicè quidem eſt צבא zaba, Græcè πειρασμός. O pręclarum & illud exemplũ, quod refertur apud Hieremiam de Rachabitis, quibus cùm pater iuſſu Dei præcepiſſet, ne biberent vinum, accedenſque ad eos Hieremias propoſuiſſet calices vini, id iubente etiam Deo, ipſi memores paterni præcepti, vinum bibere recuſarunt. Tunc iubetur propheta dicere illis; Pro eo quòd obediſtis patri veſtro, non deficiet vir de ſtirpe eius ſtans in C conſpectu meo, cunctis diebus. Vides quantum illi conſtiterint, quantum Deo placuerit? Etiam prophetæ cõtra præceptum patris obedire noluerunt. In vino tentati ſunt, vinum prohibiti non bibere vinum non bibentes, ad ęternos honores à Deo ſublimantur. Quid intereſt inter vinum & pomum? Tranſgredi noluerunt illi, etiam propheta hortante: Adam trãſgreſſus muliere hortante, mulier ſerpente. Audi autem quid alius quidam ſapientiſſimus, huius myſterij apprime gnarus, ad omnes mortales dixerit: Fiet enim antiqua illa probatio, ſiue tentatio ſic manifeſtior: Eccleſ. 2.

τέκνον εἰ προσέρχῃ δουλεύειν κυρίῳ θεῷ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου, εἰς πειρασμὸν εὔθυνον τὴν καρδίαν σου, καὶ καρτέρησον, καὶ μὴ σπεύδῃς ἐν καιρῷ ἐπαγωγῆς, κολλήθητι αὐτῷ καὶ μὴ ἀποστῇς ἵνα αὐξηθῇς ἐπ' ἐσχάτων σου, καὶ ἐν ἀλλάγμασι ταπεινώσεως σου, μακροθύμησον, ὅτι ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσὸς καὶ ἄνθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως, Hæc IESVS Sirak. Græca enim protuli, vt eum audires ſua lingua loquentem, & quia Latina minus ſunt fideliter tralata. Horumque eſt ſenſus. O fili, cùm te ad cultum Dei contuleris, præpara animum tuum ad probationem. Adorna ac ſurrige & intende ſenſus tuos, & fortiter tolera, neque præcipites cum titillaris & oppugnaris. Hære illi, ne diſcedas, vt creſcas in nouiſſimo. Inuictus eſto in commutationibus, aut præmiis humilitatis tuæ. Quoniam igne probatur aurum, homines autem grati & accepti fornace humilitatis. Hæc vir ille, quaſi totam hanc probati hominis primi philoſophiam, omnemque rationem perfectæ virtutis explicans, aperienſque arcana non cuiuis nota. Quantum his in verbis reconditæ ſapientiæ? Quantum interioris philoſophiæ? Affatur eos, qui amicitiam, gratiam, beneuolentiamque diuinam ambiunt. Hos autem præcipuè, quia diuinus amor debet eſſe nitidus, probatus, fortis, ſtabilis, ęternus. Neque enim eſt verus amor, neque multum diſtat ab odio, non ſtabilis, non conſtans, non ſemper manens. Debet autem amor ille, & illa virtus, cui beatitudo, conſortiumque Dei promittitur, paratur, omnes habere perfectionis numeros,

ineros, omnem lucem, omnem decorem. Creatus ergo Adam, ad virtutem, ad amorem, ad cul- D
tum Dei vocabatur. Vt animum ad probationem pararet, tum ſua ſapiẽtia inſtructus eſſe debuit,
tum audita voce Dei. Credendum eſt enim tametſi non ſit ſcriptum, ei ſublata manu, Deum
oſtendiſſe arborem illam vitæ, in qua præmium eſſet: oſtendiſſe & eam, quam linquere intactam
iubebatur. Hic ſurrigere & intendere ſenſus ſuos debuerat. Quàm facilis enim erat probatio?
quàm minima labendi compulſio? niſi ipſe ſponte præcipitem ſe dediſſet? Maluit enim mulieri,
quam Deo obſequi. Fortior fuit Abrahã, fortior Iob, & Thobias, totq; hominum fortunatorum
millia, quorum patientiæ, & tolerantiæ Deus dedit regnũ cęlorũ. Poterat igitur animum ad pro-
bationem parare, ſenſus in vigilia cõſtituere, arrigere mẽtem illinc ad pęnam, hinc ad ſupplicium,
excipere fortiter, quod quidem non erat difficile, impetum illum fœmineæ vocis, ſtare inuictus
in tempore ἐπαγωγῆς, adductionis, perſuaſionis, cùm per fœminam, dimouere mentem loco
tentator conabatur. Erat abductio à recto, ab imperio Dei, à virtute. Tum vero conſiſtere, non
præcipitare, non feſtinare debuerat: cogitare, meditari ſecum exquiſitius, non ilico aſſentiri.
Duæ voces erant inter ſe perpendendæ, Dei prius locuti, mulieris tũ loquentis. Vidẽdum quan-
tum inter vtranque diſtaret, oppugnabatur, titillabatur, ſed hęrẽdum Deo fuerat, tum demũ cre-
uiſſet, qui tunc prohibitus ne manducaret, quaſi humiliabatur. Creuiſſet in immenſum, è morta-
li factus immortalis, ex homine Deus. Creuiſſet in nouiſſimis ſuis, quia ad cœleſtes triumphos
ſublimatus fuiſſet, relicta fortaſſe prole, quam ſine peccato genuiſſet. Erant enim antea ſynceri,
ſine malitia, veluti paruuli, vnde nudi non erubeſcebant. Delapſis autem ad ſupplicium amiſſa
eſt innocentia, & puritas, ac ſynceritas, omniaque mala cognouerunt. Eadem enim eſt omnium
membrorum corporis ratio, ſicut os peccauerat comedendo non peccaturum ſi è cęteris fructi- E
bus comediſſet, ſic membra genitalia non habebant, quo poſſet homo tunc erubeſcere. Erube-
ſcimus enim ob peccatum. Habuerunt autem poſtea, quando delatis eis in errorem & ſupplicium
& cõdemnationẽ, in his partibus erubuerunt, in quas ex alio fuerat dedecus & pudor profectus.
Comedebatur ante caſum, cætera quoq; mẽbra muneribus functa ſuis ſine peccato fuiſſent, ſi &
ſine peccato comedebatur. Cõuerſa & mutata ſunt oĩa ex vno peccato, quod fuit origo erubeſcẽ-
di, qa neceſſe fuit erubeſcere, vbi peccatũ erat futurũ, & vbi fuerat ſynceritas prius. Vtamur hoc
exemplo: Sub priore ſtatu latebat puritas, candor, veluti ſi quis in thalamo figuras quas non cer-
nat, tunc allatis ardentioribus facibus videat quod prius latebat. Sic Adam propter ſummam in-
nocentiam ac ſynceritatem, omniumque malorum inſcitiam non erubeſcebat, accedente pecca-
to, pulſaque ſynceritate, acceſſit rubor & pudor. Quot enim etiam nunc nobis ſunt occulta, vt
minimè videantur, minimè cogitentur, per aliquam occaſionem poſtea elucentia? non mutatis
nobis, ſed mente irradiata? Sic occaſio pudoris & erubeſcentiæ fuit peccatum, manente eadem
humana natura, ſola non manente conſcientia. Sæpiſſime euenit mihi vt ad quam eſſem antea rẽ
veluti cęcus, ſubito per aliquam occaſionem expergiſcerer. Recordare in Euangelio quando in
fractione panis aperti ſunt oculi diſcipulorum, & cognouerunt CHRISTVM. Sic illi antiqui
fracto & guſtato pomo, lapſique in peccatum, omnia mala cognouerunt, primum nuditatem, tũ
Nuditatis cognitio quid. omnia deinceps mala. Cognitionem nuditatis vocat theologia ſcientiam boni & mali: non quòd
illic bonum fuerit, ſed quòd cum cognitione mali & nuditatis, vtriuſque ſit coniuncta notio. Tũ
more quodam ſuo vocat illam nuditatis cognitionem ſcientiam boni & mali, non propriè, ſed
per ſimilitudinem paruulorum. Qui cum incipiunt erubeſcere & tegere nuditatem, bona & mala F
dicunntur agnoſcere. Donum autem Dei erat illa ignoratio nuditatis, idem faciebat vt ne eam
agnoſcerent, qui fecit vt diſcipuli, quibuſcum tandiu vixerat, ſe non cognoſcerent. De quibus
Arboris ſcientiæ boni & mali triplex ſenſus. poſtea. Tres igitur ſunt ſenſus arboris ſciendi bonum & malum, ſed eodem concurrentes. Dici-
tur enim, quia per eam ſciendum eſſet, bonusne an malus, parens an ſpernens, fortis & conſtãs,
an imbecillus homo. Dicitur etiam quia per eam cogniturus eſſet homo, quantam iacturam fe-
ciſſet, quãtum præmium amiſiſſet, omnibus in ſe ruentibus malis, fugam omnium bonorum, ma-
la cum mortalitate & maledictione, bona cum immortalitate. Dicitur tertio, quia per deguſtati
fructus occaſionem cognouerunt ſe eſſe nudos, amiſſa ſcilicet puritate, & quadam ſynceritate,
à Deo largita, à peccato ſublata. Et vt ait Euſebius, ἀπὸ τοῦ γυμνάσιον τῆς ὑπακοῆς, καὶ τῆς παρα-
κοῆς αὐτῷ δίδοσθαι οὕτως ἐκλήθη. Sic appellata eſt arbor, quòd homini exercitationi obedien-
di, aut non obediendi data eſſet. Idem Theodorus & Seuerus qui bonum & malum, obedientiã
& inobedientiam interpretantur, & vt aliquis locus teſtis eſt & ſignum alicuius facinoris, ſic ho-
rum fuiſſe ſignum eam arborem. Sicut Galaad: id eſt tumulus teſtis, & puteus iuramenti. Et ſi-
cut lex lata Iudæis vocata eſt mors non natura, ſed ex præuaricatione. Arbor erat probandi, q
ſiletur, ſicut alia pleraque in omni hoc libro, tantum manifeſtioribus relatis, prius nudi non eru-
beſcentes, poſtea lapſi gnari nuditatis facti & pudibundi. Sed minimũ id in hac arbore, magnaq;
myſteriorum pars reticetur. Sicut inſpiraſſe per nares, & ſpiritum humanum infudiſſe. Dixit
enim quod eſſet manifeſtius & certius. Alioqui totum ſpiritum, animamque viuentem non de-
clarauit, minima pars eſt inſpiratio: Sic cognitio boni & mali relata eſt ad nuditatem tantum, co-
gnitam pomo guſtato, cùm latius tendat hæc cognitio, & hoc malum. Omnes autem hi ſenſus
inter ſe conueniunt, implicati mutuo, ſicut arboris alicuius propagines. Nam Moſe more ſuo,
compendioſe

A compendioſe loquente, ſolamq; cognitam nuditatem proponente, ſapientes cognouerunt, hominem fuiſſe probatum,in virtute an vitio exiſteret,& hominem ſuam infelicitatem probaſſe, cū qua cognitio quidē nuditatis eſt ſecuta,ſed & alia multa quę poterūt prudentes intelligere. Symbolum quidem totius infelicitatis, fuit cognitio nuditatis cognitio boni & mali, cognitio autem nuditatis, fuga ſynceritatis. Quæ breuibus ſcripta,ſunt cogitatione & ratione euoluenda.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.

HAec quoque ex his ſunt, quorum perdifficile ſit, probabilem, naturalemque,non coactam aut commentitiā afferre rationem.Quomodo ſcilicet concors theologia,cùm hiſtoria poſſit oſtendi,vt perhibente hiſtoria, quę vera rerum dicitur cognitio, diuerſas origines inter ſe diſſitas, habere hęc flumina,ex vno loco fluere dicantur in theologia. Tres igitur loci in hac deſcriptione paradiſi inducuntur à Moſe, oriens, Heden, hortus, ſeu paradiſus. Oriens locus vniuerſalior, Heden particularis, minus particularis hortus ipſe. Atque in oriente aut ab oriente, erat Heden,in Heden erat hortus. Si locus igitur vniuerſalis erat oriens, ab hac neceſſario parte erat regio Heden. Ac licet variatis habitationibus, varietur ortus & occaſus: in diuinis litteris tamē, quæ ab Aegyptijs & Iudæis ſcriptæ ſunt (Aegyptium dico Moſen, quia natus & educatus ſit in Aegypto: Iudæos autem, qui poſtea ipſam Iudæam tenuerunt) oriens appellatur id quod etiam apud ſcriptores profanos ex parte dicitur oriens, Arabia, Perſis, Babylonia, Meſopotamia. Iob igitur,qui fuit Arabs,adnumeratur inter filios oriētis quos ſuperaſſe diuitijs dicitur. Et mare ſalis, B quod mare mortuum, ab aliis lacus Aſphaltis, ponitur pro parte orientali Iudęæ,qui concremata & euerſa fertili regione, erupit. In libro Numerorum deſcribitur terra Iudęæ, quibus terminis eſſet incluſa: pars meridiana ponitur à ſolitudine montis Zin, quæ eſt Arabia deſerta, ex parte ſabulo & montibus infrugiferis & aſperrimis horrida : pars oriētalis, quod Hebraice kedma, eſt mare ſalſiſſimum. Atque tametſi alij termini orientis cenſeantur, non adduco tamen niſi notiores. Ioſue quoque cap. 15. Mare ſalſum,idem ſcilicet lacus, eſt terminus orientalis. Iudicum quoque cap.6. Vicini Amalek & Madian dicuntur filij orientis. Erat autem Amalek in Paleſtina. Madianitæ tenebant Arabiam, vnde portabant aromata in Aegyptum. Eodem loco Iſmaelitæ tales fuiſſe dicuntur. Tertio quoque Regum, dicitur ſapientia Salomonis præceſſiſſe ſapientiam filiorum orientis, & Aegyptiorum, fortaſſeque primos innuit Magos Perſarum. Eſaiæ quoque cap.8. Aram quæ ex Hebraico dicta eſt à Græcis & Latinis extenſa dictione,Armenia, cēſetur ab oriente. Sequenti capite Paleſtini cum filiis orientis adnumerantur,Idumea,Moab, Amon. Item Hieremiæ cap.49. prædicatur ſapientia Theman. Erant enim aſtronomi & harioli, vnde Balaam de Armenia habitans iuxta Euphraten. Ibidem dicitur, ſurgite & aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios orientis. Cedar communiter ab Hebręis dicitur Arabia. Ibique fit mentio de tabernaculis & tentoriis & camelis,quibus ea potiſſimum vtitur natio. Ezechielis cap.25. minatur traditurum ſe Amon filiis orientis, vicinis ſcilicet,quibus caulas & pecora attribuit, adnumeranturque ibidem filij orientis cum filiis Amon. Eiuſdem capit.39. Orientem maris memorat, quaſi ſinum Perſicum. Gen. quoque cap.29. dicitur Iacob profectus in terram orientalem, proculdubio profectus eſt in Aram,id eſt Armeniam,ſiue Meſopotamiam,vnde & flumen tranſiuit. Trans flumen C autem habitauerunt patres, & ad eorum ſtirpem miſſus eſt Iacob ad Laban. Nam in Meſopotamiam Syriæ, Hebraicè Aram nabarim, id eſt Armeniam fluminum,iubetur ibidem à patre proficiſci,Gen. item cap.25. cùm nati eſſent è Cetura alij filij Abraham è quibus erat Madian & Epha, dicitur eis dediſſe pater Abraham, partem ad plagam orientalem, Hebraicè ad terram Kedem. Ex hac terra cùm ibi multiplicati eſſent, poſt diluuium, profecti ſunt in Senaar, id eſt Chaldęam, & Babyloniam ij, qui ædificarunt turrim. Quorum ſuperius deſcribit catalogum, è quibus erat Euilat, & Iobab. Terram autem Euilat dicitur Phiſon primus fluuius Eden circumire. Iobab autem erat in Arabia,de cuius proſapia fuit Iob. Ex quibus teſtimoniis ſub vnum aſpectum collocatis ſine vlla dubitatione pronunciandum eſt, Eden regionem paradiſi, quæ inter regiones orientis cenſetur, eſſe regionem attingentem Arabiam, Meſopotamiam, quæ aut maximè, aut ſolæ penè dicuntur orientales. Quod etiam & locus vniuerſalis & particularis, & fluminum deſcriptio conſtanter affirmant. Primum quòd kedem, id eſt partem orientalem, in Arabiam, Perſida, Meſopotamiam, Armeniamque inferiorem, obuerſam vbique à theologia prædicatur, In Paleſtinam quoque & Iſmaelitas,& Idumæos. In quo etiam noſtri conſentiunt autores. Siquidem poetæ, Nabathæa regna, quæ vero nomine Nabaioth dicuntur, in ortum collocant. Totumque orientem conſentiens diuinis litteris ſic comprehendit Ouidius,

Oriens in ſacris litteris.

Cedar. Arabia.

Ouid. Metam. 1.

Eurus ad auroram, Nabathæaque regna, receſſit,
Perſidaque, & radijs iuga ſubdita matutinis.

Sunt autem Nabathæa regna in Arabia,de quibus & Geographi multa,& noſtri. Tenemus ergo locum vniuerſalem,vt è manibus elabi vix poſſit. Vt autem hæc melius intelligantur, & quid in diuinis litteris ſit oriens, & eorum perſuaſio non recta innoteſcat, qui remotiſſimas ab homi-

Orientis duplex pars.

num habitatione, paradiſo attribuunt partes, eas orientem dici à Moſe putantes, ſciendum eſt, D duplicem eſſe partem orientis, alteram celebrem, notam, cuius omnes ſunt, præcipue ſacri libri commemoratione pleni, habitatã, hominibuſque frequentem vt primum à Noe facta eſt in diuerſas terras filiorum diſtributio. Hæc vt dixi eſt Arabia, Chaldæa, Babylonia, ſinus perſicus. Altera autem pars orientis obſcura, ignota, præcipue ſcripturę ſacræ, quicquid vltra Babyloniam iacet verſus orientem, Perſis, India intra, & extra Gangem. Hunc inquam orientem neque à filiis Noe habitatum, nec vſquam in catalogo gentium, primorumque colonorum deſcriptione, dico commemoratum, vt remotiorem à Paradiſo, & quo genus humanum, propter diſtantiam, nondum perueniſſet. Sicut nec in libris Moſis, & in catalogo inuenies Italiam, Hiſpaniam, Germaniã, Galliã. Nam hæ nationes ab illis ipſis quæ in catalogo cẽſentur, poſt multa ſæcula deſcenderunt, diffundente ſeſe paulatim & veluti ſtagno creſcente, humana prole. Quare quod à ſcripturis ſacris perhibetur, & veriſſimum fuit, omnium gentium principium continetur intra extremum occidentem, & extremum orientem: Intra Perſida, Indiam Gangeticam ab ortu, ab occaſu maximam partem Europæ & Aphricæ. Sciantque omnes primam habitationem, principium quoque & natales generis humani fuiſſe in oriente celebri ac noto, id eſt, cis Indiam, Gangem, Suſianam, Perſida, eo loco qui appellatus eſt Kedem, quod fuit nomen vnius eorum, qui gentem Arabum creauerunt, à quo totus oriens, vicinæque regiones ſunt nomen ſortitæ. Nati autem in Armenia, aut propinquis Armeniæ locis, homines ſenſim totam terram repleuerunt, ſed primum vicinas regiones, id eſt Aſſyriam, Mediam, Babyloniam, Arabiam, Syriam: Ac quaſi in orbem in quodam veluti cẽtro ac meditullio nati ſe diffundebant. Nati quidem ſunt in Eden regione, quam peragrant duo cunctis ſcriptoribus cantatiſſima flumina Euphrates & Tigris. E Inde ante diluuium alij in ortum, alij in occaſum, in ſeptentrionem alii, cæteri in meridiem abierunt. Non tamen procul inde priſco illo tempore. Ac ſecundus homo, omnium hominum primogenitus Kain abiit ad orientem verſus ſcilicet Babyloniam, & Perſida, non quidem procul à patre. Qui & ipſe in oriente vbi & paradiſus, quaſi non procul à paradiſo, licet eiectus è paradiſo. Poſt diluuium magna facta ſunt diuortia, ſuperſtite Noe, plus trecentis annis, & nepotes quàm maximè latè in omnes partes diffundente. Tres autem, tanquam tres humani generis fontes, liberos ſuſcepit Noe, quorum maior Shem eos genuit qui Septentrionem tenuerunt, Iaphet populos orientis, Cham meridianos. A quibus extremæ mundi poſt multa ſæcula, vicinæ primis illis ætatibus regiones ſunt repletæ. Oriens igitur in theologia, quę hanc deſcriptionem catalogumq; gentium, & principium & propagationẽ reſpicit, eſt omnis Arabia, & quicquid Arabię adiacet. Hinc Magi venerunt ab oriẽte, his ſcilicet Arabiæ, Chaldęęq; locis. Quare locus paradiſi vniuerſalis oriens, nõ inſolẽs, aut vlterior ille paucis incognitus, aut vllus oriẽs vltra Lunã, Soliſq; vias, habitatiſſimus & nominatiſſimus in ſcripturis. Vtiq; igitur & regio paradiſi incluſa cum oriente, habitabatur, habitaturque præcipue. Adeo enim hæ regiones habitatæ, vt hæ primæ expertæ conſuetudinem humanam fuerint. Hæc de vniuerſali loco, particularem flumina nobis ipſa demonſtrabunt circumeuntia terras Euilat, vel vt Hebraicè, חוילה Chauila, & Aethiopia, Hebraicè כוש Cus. Tum Tigris & Euphrates: primumque noſſe oportet,

Fluuius Paradiſi.

Eden.

Cùm dicitur, Et fluuius egrediebatur, vt demonſtretur cum hiſtoria conſentire theologiam, F hortum ſeu paradiſum fuiſſe locum particularem in Heden. Locum credo non magnum, ſed tamen ſpatioſum. Eden autem vnam regionem puta trecentorum millium paſſuum. Veniebat igitur in Eden aliũde maximus fluuius, ab Eden manabat in paradiſum, irrigato paradiſo, & in quatuor amnes diſtributus, ibat in diuerſas partes. Quo circa cùm ait: Egrediebatur de Eden: non ortum deſignat, neque fluminum manationem ex Eden, neque dicit in Eden flumen naſci. Execũt enim Tigris & Euphrates de monte Tauro, dehinc per plana feruntur vſque in ſinum Perſicum. Inde igitur longo tractu, ab origene ſua fluuius remotus, influebat Eden in Meſopotamia, Ibi cũ paradiſum inundaſſet, erat enim ducenta ſtadia patens, exempli cauſa, paradiſus, diuidebatur in diuerſas partes. Propoſui ſuperius exemplum notum & oculatum, noſtriſque hominibus clarum de nemore, nec poteſt eſſe accommodatius. Nam Padus antea nemus illud opacum quàm ſtringat, maximus eſt fluuius labens ex Apennino, centumque amnibus auctus pleno alueo feſtinat in ſinum Adriaticum: Anteaquam attingat paradiſum, in duos amnes ſciſſus, in meridiem altero, altero in ortum contendit. Is qui Ferrariam petit, neſcio quo caſu an arte potius propè ſupradictam vrbem in duos alueos diſtributus cingit paradiſum, dehinc redit in ſeipſum, efficiens rurſum, nõ procul inde, duo flumina, inter ſe plurimum diſſita. Tale quiddam efficiebat in Meſopotamia fluuius natura, & ad morem cæterorum fluminum. Quòd ſi non eſſet nunc eadem fluminum diſtributio, norimus non flumina modo, ſed etiam maria & fontes & paludes, lacuſque mutaſſe ſæpe ſedes, ipſoſque amnes ſæpe alueum variaſſe, ſæpe plura capita, ſæpe pauciora habuiſſe. Refert Polybius, vt iſto nunc ſim exemplo contentus, ſuo tempore Padum duobus hoſtijs in mare inferri. Ex quo manifeſtum eſt, tertium alueum, quo nunc nauigatur Rhauennam, poſt illud tempus acceſſiſſe. Nàm cùm magnas extra alueum eruptiones faciat Padus, quod etiã Geographi perhibent de Euphrate, fieri potuit, vt vna fuerit eruptio, quæ vſque ad mare continuata, deinceps eundem, quem cepiſſet, curſum ſemper tenuerit. Quamobrem cùm magnus

quoque

A quoque eſſet fluuius, qui de monte Tauro, vel ſuperius oriens, in ſe omnes circumuicinos amnes reciperet, cum delatum per latiſſimos Meſopotamiæ campos, idem multo magis feciſſe quod nunc Padus, eo neceſſe eſt, quo eſt Pado incredibiliter maior, Tigris & Euphrates, quæ maxima ſunt flumina. Nam & ſi Tigris videatur aliam quàm Euphrates habere originem, propinqui tamen fluentes, paulopoſt inter ſe coeunt, vt vnus locus vtriſque aſcribatur. Clara eſt igitur tota ratio, tenemuſque vniuerſalem & particularem locum paradiſi. Tenemus etiam concordiam Theologiæ cum hiſtoria. Non enim egreſſus iſte qui eſt in deſcriptione Moſaica, ſignificat ortum, neque laborauit Moſes horum fluminum originem oſtendere, ſed cùm eſſet paradiſus locus amplus in Eden, regione lata, ab ea docet veniſſe ad paradiſum maxime flumen, quam vbi attigiſſet, diuidebatur in plures partes. Effeceratq; volente Deo natura neceſſario, vt locus quidam beatiſſimus ac feliciſſimus eſſet inter hæc flumina, à quibus intus & extra, paſſim irrigabatur. Eoq; arbores paradiſi ſunt in ſcripturis cantatiſſimæ, quarum proceritati ac viriditati, maximi ac florentiſſimi reges comparentur. Non recedamus ab oculato inſigniq; exemplo: Padus non facit vſquam has alueorum, amniumq; diſtributiones, niſi ab Apennino vbi oritur, remotiſſimus, & iam mari propinquus. Sic in Meſopotamia, quæ eſt multipliciter campis Italiæ Apennino ſubiectis, latior, non fiebat fluminum, niſi diſtantiſſime ab origine, partitio. Diuiſio duobus modis potuit fieri, vt vel maximus fluuius vbi paradiſum efficeret, in quatuor alueos diſtribueretur, inter quos ipſa paradiſus floreret, in tres quaſi partes diuiſa, quatuorque quaſi riuis irrigata, qui inde in diuerſas partes contenderent, aut primum in duas partes, paulo autem inferius diuidebatur vterque. Aut quod poſt dicetur, duos amnes magnus facit Euphrates Phiſontem, & Gehonem, proficiſcensque vlterius iungitur cum Tigri, qui & ipſe bibens aquas B Euphratis, cum Euphrate in eadem regione memoratur. Atque id quod ait Moſes. Qui inde diuidebatur, poteſt aut ad paradiſum, aut Eden referri, vt in regione quidem fieret diuiſio, paradiſus ab vno iſtorum irrigaretur. Hinc locus dictus Eden, quaſi voluptas, fertilis, fortunatus, plenus paſcuæ & amœnitatis, plenus fructuum, vbi & nata animalia facile nutriri herbarum fertilitate, & homo fructibus affatim expleri poterat. Quibus declaratis ad ipſa flumina, quibus omnia dicta facilius noſcentur, accedamus.

Nomen vni Phiſon, ipſe circumit omnem terram Euilat.

Phiſon fluuius.

HAec flumina non cognita, totam deſcriptionem paradiſi & locum obſcurabant. Atque in opinionibus ſuperiorum, Hebræorum, Græcorum, & Latinorum nihil fuiſſe certi declarat varietas ipſa ſententiarum. Noſtri paſſim arbitrantur Phiſon eſſe Gangem: Quidam Hebræorum Nilum, quos citans Rabi Moſes Maimon ait, Et ſecundum priores Phiſon eſt Nilus Aegypti, qui circumit omnem terram Chauilæ huius, inde ſuper faciem totius Aegypti extenſus influit mare magnum ad Alexandriam. Alij auſi ſunt hac tempeſtate dicere Indum Phiſon, Gangem Gehon, qui de monte Caucaſo oriantur. Eoq; ad montem hunc, paradiſum conſtituerunt. Quod non ſacris litteris modo, ſed etiam naturæ eſt contrarium. Eſt enim illic locus frigidiſsimus, vt neque Adam nudus illic verſari, neque pecora & arbores naſci facile potuerint. Tum locus eſt, quē nuſquàm ſcripturæ agnoſcant. Refragatur etiam Euphrates & Tigris, qui procul à Caucaſo & oriuntur & fluunt. Nec ſatis erat duorum fluminum origines habere concordes, oportebat & aliorum duorum ortum conciliare, & alia videre conſequentia. Nam & illud eos fefellit, ꝙ Euilat C crediderunt eſſe & dici Indiam, ſecuti videlicet perſuaſiones aliorum. Nos autem probabimus Euilat nō eſſe Indiam. Rabi Salomō eſt vnus horum, qui citant Moſen, Nilum dicēs eſſe Phiſon, dictum ab Hebraico פשה paſa, id eſt excreſcere, inundare: id autem facere cum primis Nilum in Aegypto. Atqui ſi hoc eſſet, non dixiſſet, Ipſe eſt qui circumit omnem terram Euilat, ſed potius, omnem terram Aegypti, quod ſæpe de Nilo in theologia dicitur. Eucherius noſter, vide quàm recte, Phiſon ait eſt Ganges, qui nunc eſt Nilus. Nos autem tempus fuit cum auxilio diuino ſperabamus ambiguitatem ſeſe in his fluminibus offerentem, poſſe diſſoluere. Itaque nunc ſi pro diagrammate reperto dicitur Pythagoras ampliſſimum feciſſe ſacrificium, multo maiores decet nos habere gratias, ꝙ duos fluuios Phiſon & Gehon aut deprehendimus, aut proxime ad eos acceſſimus. Obſcurabat autem paradiſum ꝙ Gehon, quem Nilum multi, propterea ꝙ omnem terram Aethiopiæ obire dicitur, putare cogebantur, fluit à meridie, paradiſus ab ortu ſitus eſt. Tum videbat ratio fieri non poſſe, vt diſtantiſſima flumina, vnum locum alluerent. Nos igitur obſeruatis regionibus, quas hæc peragrare flumina dicuntur, docemus neque Phiſon eſſe Gangem, neque Gehon Nilum. Non poteſt enim in ſcripturis ſacris eſſe mendacium, aut à vera hiſtoria diſcordia. Euphrates & Tigris à ſeptentrione, Nilus à meridie, quomodo vnius loci flumina? Primum ergo dicimus Phiſon, Gangem eſſe non poſſe. Ganges vltra Perſida, vltra Parthorum montes per campos Indiæ decurrit, ille naſcens in paradiſo neceſſario adiacet duobus. A Meſopotamia, ab origine duorum ad Gangem, latitudo fermè viginti graduum: Quomodo vno in loco? Chauilam præterea inuenimus Meſopotamiæ, Arabiæq; adiacere. Siquidem tametſi duo Chauila fuerunt, hunc tamen, cuius regionem peragrat Phiſon, conſtat eſſe filium Iactan. Nam fratres Sabæ, qui nationem Sabæorum Arabum condidit, fuit Ophir, quæ memoratur inter regiones aut inſulas ſinus maris rubri: fuit Iobab, vnde Iob Arabs, eſtque regio Arabiæ, Nominibus virorum primorum colonorum, terris & prouincijs nuncupatis. Credendum igitur fratres propinquas habitationes tenuiſſe. Habitatio quoque Chauilæ ponitur à Meſſa, regione Arabiæ, Meſopotamiæ adiacente. Ergo inter Arabes, Chauila. Tũ aurum quod in iſto flumine perhibetur naſci optimum, teſtatur regionem propinquam Ophir, vnde tempore Salomonis aduehebatur aurũ. Hinc etiã aromata, aromata aũt in Arabia. Ergo vicina Arabiæ Eden. Nã apud Ezechielem c.27. nominatis negociatoribus deferentibus in Tyrum merces, nominantur negociatores regionis paradiſi Eden, dicunturque portaſſe aromata, lapides pretioſos his verbis. Venditores Saba, & Rema, ipſi negociatores tui, vniuerſis primis aromatibus, & lapide pretioſo, & auro, quod propoſuerunt in mercatu ſuo, Charan & Cannæ, & Eden negociatores Sabæi. Sic enim habet Hebraicum, pro eo quod noſtra habent negociatores tui רכלי שבא negociatores Sabæi. Ecce negociatores Sabæi, negociatores Eden. Ecce aurum, in flumine paradiſi naſcens, omnia beatitudinẽ, opulentiam, fortunamque loci teſtantia, Et nomen felicis Arabiæ reſpondens, Eden voluptati, Hedoni, Græcè ἡδόνη. En & arbores paradiſiacæ vitales. Sic & Gręcum σέβεσθαι, Sebeſthæ, id eſt colere, venerari, à Saba, quòd ibi eſſet thus, quo Deus colitur, & à diuinitate regionis. D

Solis thurea virga Sabæis.

Ac fortè Canne vna adiacentium prouinciarum Heden, dicta eſt quòd canna ſit calamus aromaticus, licet Canna per coph ſcribatur apud Hebræos: Sed caph & coph, vt nominis, ſic tranſitus affinitatem habent. Auri igitur & lapidum pretioſorum, tantum in iſto flumine Phiſon commemoratio, arguit ibi paradiſum eſſe, vnde poſtea docuit theologia afferri aurum. Ac Bdelium incunctanter aſſerendum eſſe vnionem ſeu margaritum, cryſtallum nulla ratione, aut arborem aromaticem, in fluminibus non naſcentia. Et hic de lapidibus ſermo eſt: Atteſtantur aliquot Hebræi, ſuffragatur mannæ ſimilitudo, quo exemplo vidi poſtea quoſdam Hebræos vti. Atheneus item multis in locis perhibet naſci margaritũ, è quibus vnus eſt, vbi ſunt flumina paradiſi. in Armenia, Babylonia. τοδὲ ἐϛὶ ἁδρὸν καὶ προμήκης, ἔχον ἐν αὐτῷ σάρκα καὶ μεγάλλω. Idq; margaritum eſt ingens, oblongum, & in eo carnis plurimum. Plinius inſulas Caſcandron & Tylon in ſinu Perſico, vbi erumpunt flumina paradiſi, quæſtuoſas margaritis eſſe perhibet. Quod autẽ vertit onychinum, lapis eſt ad ſimilitudinem vnguis, à quo & dictus. Chaldæus dixit Burla, id eſt berillum, Septuag. πράσινον praſinon, porraceum, quaſi hoc ipſum quod & Chaldæus. Rabi Moſes lapidem album, id ſcilicet quod & Hieronymus, Aquilam & Symmachum ſecutus. Talis enim fere eſt onyx. Retulit igitur hęc Moſes ad ſua tempora, cùm adhuc regio paradiſiaca ferret aurum, lapideſque pretioſos. Temporeque Salomonis perſeuerauit. Paradiſus igitur ante hominem exortus, à fluminibus, quibus natus erat, alebatur, irrigabatur vegetabatur. Flumina præſtiterant, vt nemus opacum ante natum hominem, omnigenis plantis humore fluminum, & calore regionis vehementi fertiliſſimum ſurgeret. Phiſon ergo eſt Hebraicum nomen, ſonatque incrementum, exuberantiam, fœcunditatem, naſcens ex Euphrate, vna quaſi ex eo eruptio, vnus alueus verſus Arabes Chauilateos proficiſcens. E

Nomen fluuio ſecundo Gehon, ipſe eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ.

Gehon nõ eſſe Nilũ.

Regionem paradiſi clamant rationes, & theologia eſſe orientalem, tria flumina deprehendimus orientalia, Euphraten, Tigrin, Phiſontem: liquidò igitur Gehon non eſt Nilus meridionalis, naſcens ad montes lunæ, & per catarractas delapſus, alluenſq; Aegyptum, mare Aegyptium influens: Illa autem mare oceanum, ad ſinum Perſicum. Tum ſi Gehon eſt Nilus, cur, quod maximè memorabile, non dixit eum circumire Aegyptum, quam non ſolum peragrat, ſed etiam inundat totam? Cur non dixit. Iſte eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ & Aegypti, aut Aegypti tantum? Alius ergo Gehon quàm Nilus, particularis eruptio ab Euphrate. Proboque & Gehon eſſe Iudeę propinquũ, & Aethiopiam in libris Moſis & apud cęteros ſcriptores eſſe, non illã ſolum meridionalem, ſed etiam aliam quãdã orientalem. Eſt igitur duplex Aethiopia, vt Homerus antiquiſſimus vates, & conſentanea diuinis litteris ſępe canens, locupletiſſime teſtatur; F

Aethiopia duplex. Homer. Odyſſ. α.

Αἰθίοπας τοι διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἳ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἳ δ' ἀνιόντος.
Aethiopes extremi homines, geminique coloni,
Namque ſub occaſum hi degunt, alijque ſub ortu.

Occidentalus.

Homerus ait alios Aethiopes vergere in occaſum, alios in ortum. Qui ſunt enim alij occidentales Aethiopes, niſi quos peragrat Nilus, fluuius ſub occaſu hyemali, fereque vlterius exoriens? Hęc Aethiopia Libię eſt, maximum latus totius Aphricę. Eaq; eſt Aethiopia in qua degunt Chriſtianiſſimi hominum, ſicut olim optimi omnium ethnicorum, quippe ad quos libenter Deos diuerterentur. Alia eſt Aethiopia orientalis, alterum videlicet latus. Finduntur enim duo latera à mari rubro, introeunte in terras, & pene mari mediterraneo ſeſe aſſociante: alterumque cadit in ortum, alterum in occaſum, inter quæ labitur, ſinus Arabicus, ab alijs mare rubrum appellatum.

Orientalis.

A Quo fit vt ob propinquitatem, ſolo enim mari diuiduntur, vtrique dicti ſint Aethiopes. Quod
etiam Strabo teſtatur, hos ab Homero dictos oriẽtales Aethiopes aſſerens. Vide igitur quàm bene
declaretur per Homerum Moſes: Moſes omnesq; alij ſcriptores ſacri, teſtantur paradiſum eſſe
orientalem, Homerus monſtrat quoſdam oriẽtales Aethiopas. Hos igitur, non illos circumit Gehon.
Ideoque is non eſt Nilus, quippe qui occidentales & meridionales Aethiopas circumfluit.
Deinde quod clarius eſt, refert Rabi Dauid nominum Hebraicorũ interpres in ſuo cornucopiæ,
eoſdem eſſe Aethiopas, Madianitas, & Iſmaelitas. Claret autem è ſacris & profanis ſcriptoribus,
hos eſſe Arabes. Madiam & Epha filij Abraham ex concubina, quos pater adhuc ſuperſtes, dicitur
à filio Iſaac ſeparaſſe ad plagam orientalem. Ergo Madianitæ orientales, qui & cum Iſmaelitis
adnumerantur. Et Geneſ.cap.37.dicitur, Vendiderunt eum Iſmaelitis: Tum addit, Madianitæ Madianitæ Arabes.
vendiderunt Ioſeph in Aegypto. Ex quo videmus Madianitas eſſe Arabes, qui deferrent in
Aegyptum aromata, & è Paleſtina, vbi emerant Ioſeph, proficiſcerentur in Aegyptum. Apertè
autem Iſmaelitæ ſunt Arabes. Iam vero concordat & hoc, quòd vxor Moſis, filia Ietro ſacerdotis Iſmaelitæ Arabes.
Madian, dicitur fuiſſe Aethiopiſſa, Hebraicè Cuſith. Erat ergo de Madian. Quaſiq; hoc loco
apud Moſen, cùm dicitur; Ipſe circumit omnem terram Aethiopiæ, intelligendum eſt, omnem
terram Madiã. In oratione quoque Habakuk, cùm dicitur; Vidi tentoria Aethyopiæ, turbabuntur
pelles terræ Madian; Duo expreſſa indicia eorum, quæ diximus, colliguntur: primùm quòd
memorat ſimul Madian & Aethiopiam, ex quo ſuperiora confirmantur, tum attribuit pelles &
tentoria his gentibus, quo claret hos eſſe Arabas Shenitas, id eſt ſub pellibus aut tentoriis degentes. Schenitæ Arabes.
Shenitæ autem Arabes adiacent Meſopotamiæ, immo pars eorũ in Meſopotamia eſt, ad paropotamiam.
B Tum in Pſalmo, cùm dicitur; Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Aethiopum hi
fuerunt illic. Aſpicimus gentes vicinas ab eo comprehendi, & pro alienigenis ſemper in Hebraico
eſt, Palęſtini, quos Septuaginta transferunt ἀλλοφύλους Omnia igitur clarent. Nam Chauila,
quæ corruptè Euilat regio primi fluminis Phiſon, eſt propinqua Sabæis. Madianitæ verò erant
Sabæi, & ex Arabia. Hic quoque circum ſunt Euphrates & Tigris. Nam Tigrim expreſsè dicit
Moſes ferri per Aſſyriam à parte orientali, cùm ait, Ipſe vadit contra Aſſyrios, Hebraicè Kidmat
Aſſur, plagam orientalem Aſſyriæ: idq; etiam Strabo & cæteri: præterea ſuſpicatos etiã Septuaginta
interpretes Aethiopiam dici latus maris rubri, quod vergit in ortum, atteſtãtur hi loci. Vbi
dicitur in Pſalmo; Tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Aethiopum. Pro Pſal.73.
dracone Hebraicè Leuiathan, piſcis ingens. Figurate, innuit Pharaonem, in mare demerſum, &
ad littora cum omni exercitu eiectum. Eiectus autem eſt in ea littora in qua erant Hebræi.
Erant autem ad latus orientale verſus Palæſtinam, & montem Sina, qui in Arabia. Huc canit eiectum
piſcem ingentem, ſuperbum, datumque in eſcam populis Aethiopum. Ac quanquam pro
Aethiopibus in Hebraico ſunt ציים Ziim, exuſti, ſquallẽtes, ſitientes, ſignatque populos Arabiæ incultæ,
Septuaginta tamen eos crediderunt eſſe & dici poſſe Aethiopas. Similiter alio in Pſalmo Pſalm.71.
quo dicitur: Coram illo procident Aethiopes, ſunt item pro Aethiopes, Ziim. Canit autem Pſalmus,
venturos de Saba populos aurum & thus deferentes. Appellatq; hos Aethiopas prædicens
eos Regem adoraturos. Sic Magi ſub Chriſto veniſſe dicuntur ab oriente, aurum, thus, & myrrhã
C deferentes. Tria cõgruunt cum paradiſo & Aethiopia irrigata à Gehon prædicuntur Aethiopes
venturi ad adorandũ Regem. Vbi venerunt, dicuntur Orientales, portaſſe aromata, ex quo erant
Arabes, qui idem & Aethiopes in Pſalmo dicebantur. Tum erant Magi, Magorũ autem patria fuit
Babylonia, Chaldæa, Perſia, Meſopotamia. Nam Balaham Magus dicitur habitaſſe ſuper flumen Balaham.
filiorũ Arnon, Chaldæusq; interpretatur Euphraten, & Hebræi ſubſcribũt. Aramæus igitur erat,
ſiue Meſopotamites. Aurum quoque allatum, auriferum paradiſi flumen demonſtrat. Tres locos
de auro perhibentes conferas. Chauila in Geneſi propter flumen Phiſon producit aurũ optimum.
Aurum in libris Regum aduehebatur ſub Salomone, de Ophir, qui fuit frater Chauilæ. In Euangelio
venientes ab oriente Magi portant aurum. Omniaque inclinant in Arabiam, ſiue Arabiæ
vicinas regiones, & omnia in oriẽtem vniuerſaliter, particulatiter in regiones fluminum paradiſi,
quas eſſe propinquas, qua flumina ab inuicem ſeparantur, neceſſe eſt. Nulla denique ſupereſt
dubitatio, quin Aethiopia in ſacris litteris, ſit Arabiæ propinqua. Dicitur enim 2.Paralipo.21.
Suſcitauit ergo Dominus contra Ioram, ſpiritum Philiſtinorum, & Arabum, qui confines ſunt
Aethiopibus, Hebraicè Cuſ. Ecce Palæſtini, Arabes, Aethiopes vicinæ nationes. Ergo fluuius
Cuſ. fluuius Arabiæ propinquus. Quibus ritè examinatis, probeque diſcuſſis, cognoſcimus
Aethiopes non ſolum eſſe meridionales & occidentales, ſed in diuinis litteris potius orientales.
Quoniamque ſub Ezechiele negociatores Heden vendebant aurum, lapides pretioſos, & odores,
quæ ſunt à Magis oblata, cognoſcimus, quaſique manu tenemus paradiſum. Inde & Magos veniſſe,
Inde Sabæos, & Arabes opulentos, reginam Sabæ, quæ quòd de genere Magorum ſapientumque
erat, deſiderauit audire ſapientiam Salomonis, voluitque eum tentare in ænigmatibus.
Et quia Sabæa erat & prope regionem paradiſi tulit aromata, aurum, gemmas, quæ ſub Ezechiele
in Tyrũ è regione paradiſi Heden aduehebantur. Eoque forſan hęc natio cęteris melior, quòd
propinqua paradiſo, & humanum genus natum ibi & propagatum, & audita vox tot annis primorum
parentũ, tum ad cultum poſteritatem inflammantium, tum myſteria multa tradentium.

D Hinc Homerus fortaſſe,ſcriptor antiquiſſimus,in quo magnæ ſæpe veſtigia ſapientiæ deprehendimus, fingit ad Aethiopas diuerti & epulari Deos, Sabæos videlicet iſtos pios & ſapientes, & odoribus ſuauiſſimis altaria Deorum ſuffumigãtes, quos odores Dij captantes,ſæpe ad eos adeãt epulaturi. Hoc Homerus dicens, certiſſimè non occidentales, ſed orientales Aethiopes innuebat, eoque ſtatim appoſuit diſcrimen, alios ad ortum, alios ad occaſum ſitos. Nam Aethiopia occidẽtalis paucis ab hinc annis habitata,vel cognita. Et ſuo tempore Hieronymus ſupra Nili catarractas omnia dicit fuiſſe plena ſerpentibus,& monſtris. Nunc etiam ſquallet regio latè multorum dierum iter,ſatyrorum gregibus, pantherarum,pardorum,horribilis, incolarum vero relatu à nobis audita. Ac quos Aethiopas minatur Eſaias à Rege Babylonio euertendos,erant infra catarractas. Quibus declaratis oſtenſa eſt regio paradiſi,& Gehon cæteris fluminibus adiacere. Ac fortè Gehon iſte eſt,de quo liber Regum loquitur. Cùm de Rege Salomone vngendo pater præcipit. Et ducite eum in Gehon, & vngat ibi eum Sadok ſacerdos,& Nathan propheta in Regem ſuper Iſrael. Quod ſuſpicatus eſt etiam Rabi Abraham. Quanquam Chaldæus tranſtulit Siloe,& ſequitur Nicolaus cum Rabi Salomone. Eſt,inquam,fortè Gehon iſte,ille paradiſiacus. Nam Euphrates alter fluuius paradiſi, attingit Iudæam. Erat enim vnus è terminis, quibus terra ſancta claudebatur. Itaque & Gehon potuit ad aliquod aliud latus eam attingere, ibique tanquam in finibus regni reges vngi. Porrò Gehon,Hebraicè Ghihon, dictum eſt à Gacha,exuberare,erumpere,vt ſonet ſcatentem,longeque manantem fluuium. Nec nos moueat,quòd recentes Aethiopes,qui è regionibus illis interdum veniunt ad noſtra loca,Nilum appellent Ghehon : ſequuntur enim ſuſpicionem cæterorum, propter in libro Moſis commemoratam Aethiopiã. Minus etiam quòd Septuaginta interpretes Shichor, id eſt Nilum,interpretentur interdum Gehon; Fuit enim E eorum ſuſpicio Gehon eſſe Nilum. Euphrates autem & Tigris etiam Hebræis notiſſimi. Tigris à velocitate, vel animalis, vel quia lingua Perſica & Medorum Tigris ſagitta Hebraicè Kidekel, Chaldaicè Diglath. Et Plinius locum vbi Tigris tardior fluit, ait appellari Diglito, qui & flumini dedit nomen apud Chaldæos. Vbi concitatior fertur, dici Tigrin. Euphraten Græci, quos ſequitur diuus Ambroſius ab ἐυφραίνω, lętifico,propter vbertatem,fortè & ab Hebraico hu perath.

Vt autem demonſtratio ſit perfectior, hæc iterum & quaſi ſub epilogo repetimus. Non ſolum non cogi nos quicquam enorme,& extra terras de paradiſo fingere,ſed eum penè à ſcriptura,quo ſit in loco demonſtrari. Si notiſſima ſunt flumina Tigris & Euphrates regionem paradiſi influentia, ſi duo alia flumina Phiſon & Ghehon ſunt duobus his notis fluminibus propinqua, certè tenemus ipſam prorſus regionem,nulla re diſſentiente,nihil non mirabiliter congruente & concordante. Dico Aethiopiam regionem fluminis Phiſon non diſtare à Meſopotamia, imò adiacere, dico Chauilam ſimiliter non diſtare,ſed adiacere. Chauila propinquat,adiacetq; Meſopotamię, duabus clariſſimis rationibus. Dicitur in Geneſi: Habitauerunt à Chauila vſque Sur, quæ reſpicit Aegyptum. Cap.autem 10. Chauila & Ophir fratres,& Sheba filij Iactan,dicũtur habere habitationem à Meſſa vſque ad Sepher montem oriẽtis. Meſſa igitur vnus ex his, qui Arabiam deſertam occupauerunt. Ptolomæus quoque Meſſanos ponit in Arabia deſerta,& Eſitas, qui Vſitæ, vnde Iob Arabs de terra Vs,& in oriente. Ponit ibidẽ Themma, & Nabathæos iuxta Syriam. Si Meſſa ergo regio eſt in Arabia deſerta, & ab ea vſque ad Sepher montem Babyloniæ habitauit Chauila, profecto intra montem & Meſſam eſt Chauila. Vt Meſſa ſit occaſus, mons ortus. Termini Meſſæ ſunt à Chauila, termini Chauilæ ſunt à Meſſa,ergo vbi Meſſa,ibi Chauila, Meſſa in F Arabia vbi attingit Euphraten,teſte Ptolomęo cum cæteris,ibidem ergo & Chauila. Sicque probatur neque Chauilam eſſe Indiam,neque Phiſon Gangem. Deinde probatur hanc eſſe regionẽ cum cæteris fluminibus paradiſi adiacentem. Nam Strabo & Ptolomæus oſtendunt Arabiam attingere Meſopotamiam. Et Syriam, quæ dicitur Hebraicè Aram, id eſt Aramæa habere ab ortu Euphraten & Arabas Shenitas. Partemque Meſopotamiæ hos Shenitas Arabes incolere. Et ipſa ſcriptura ait, Chauila & Sur, id eſt Syriam fuiſſe terminos habitationis filiorum Iſmael, ſcilicet Theman,Cedar,Nabaioth,& Maſſa. A quibus Arabum gentes exortæ ſunt, Themanitæ,Cedareni,Nabathæi,Maſſanitæ. Et à Ptolomæo commemorantur omnes inter Arabes. Ergo iſtorum habitatio duos habuit terminos,Chauila & Sur. Non diſtat ergo Chauila à Sur,id eſt Syria,imò inter Syriam & Chauila ſunt nationes Arabum. Ergo vna è regionibus Arabiæ eſt Chauila,vt videar eam ſic poſſe deſcribere. Chauila eſt regio orientis adiacens Meſopotamiæ, habens ab occaſu Arabes Meſſanitas, à Meridie Aegyptum, ab ortu montes orientis Sepher, à Septentrione Aſſyriam. Altera ratio,quæ palam demonſtrat,quæ regio ſit Chauila,& aſtipulatur his quæ diximus,eſt quòd inter gentes Arabiæ,qua parte contingit Meſopotamiam, Strabo cenſet hos populos Chaulatæos,Nabathæos,Agræos. Quis ergo nõ liquidiſſimè perſpicit Chaulatæos eſſe Chauilatæos, id eſt, prouinciæ vel regionis populum à Phiſonte peragratæ? Hos Ptolomęus appellat Chanchabenos corruptè, imò verò non Ptolomæus, ſed hi qui vera populorum, nationumque nomina neſciẽtes, ea vbique deprauarunt, ſicut vocant Agarenos, Agræos, id eſt filios Agar. Et Armenos qui Aramei apud Syros dicuntur Strabone teſte. Sunt ergo Chaulatęi gens, vt oſtẽdit Ptolomęus & Strabo,habitãs iuxta Euphratẽ. Sicq; videmus Geographiã cũ theologia vndequaque cõcordẽ. Theologia demõſtrabat Chauilã eſſe regionẽ Arabię,id ipſum cõfitẽtur Geographi.

Euilath, quam Hebræi Chauila, vbi ſita.

Meſſani.

Vſitæ.

Themma.

Nabathæi.

Sur.

Chauilæ regionis deſcriptio.

Ex geo-

A Ex geographis quiddam clarius accedit,eos eſſe iuxta Euphraten, prope Nabathæos. Quod clarè atteſtatur paradiſo, eum videlicet fuiſſe locum, cuius flumina ibi inter ſe propinqua in propinquas regiones abirent. Quid quòd vicum nomine Chalaa in Arabia in locis pacatis, ad flumen Euphraten ſitum commemorat Strabo? quem videtur Ptolomæus appellare Calathua, corruptè certè. Eſt enim Ptolomæus apud Latinos mendoſiſſimus.

Cus regio.

Madianitę & Cuſęi ſunt ijdem.

Ex his ſequitur alia perſpicua demonſtratio de regione fluminis Gehon. Regio vocatur Cus, noſtri tranſtulerunt Aethiopiam, nos oſtendimus Aethiopiam vel Cus, eſſe & ipſam regionem Arabiæ. Etenim Madianitę ſunt Arabes, quia ſunt ijdem Iſmaelitæ & Madianitæ. Iſmaelitæ autem ſunt Arabes,ergo & Madianitæ. Madianitæ autem & Cuſęi ſunt ijdem. Nam vxor Moſis de Madian dicitur fuiſſe Cuſęa, & tentoria Madianea & Cuſęa apud Habacuc, demonſtrant vnam & eandem hanc eſſe gentem,& demonſtrat eam eſſe Arabas Shenitas qui à tentorjis vel pellibus, ſub quibus degunt, ſic vocantur. Vide igitur, quid ſequatur. Prior ratio probauerat Chauila eſſe regionem Arabum Shenitarum, hæc ratio probat etiam Cuſęos eſſe Arabas Shenitas. Ergo liquet Cuſęos & Chaulatæos eſſe ſibi propinquos,& facile in propinquas has regiones diuidi duo flumina paradiſi. Ex quibus omnibus ſequitur perfecta demonſtratio,ſitus,fluminum,regionum, & ipſius regionis paradiſiacæ. Vna eſt regio Heden quam quatuor circumeunt & influunt flumina,inde petentia propinquas terras, Tigris & Euphrates Meſopotamiam, Phiſon & Gehon Arabiam, hinc Cuſæos, illinc Chaulatæos. Adiacent autem Meſopotamia & Arabia. Ac quanquam hæc duo poſteriora flumina non commemorantur à Geographis, ſcito tamen eos maiora flumina celebrare,innumera minus inſignia omittere. Phiſon & Gehon non inclyta,nec lata B flumina ſuſpicor eſſe,ſed multo Tigri & Euphrate minora. Atq, arbitror,qui primum ſolus Euphrates eſt poſtea commiſcetur Tigri, appellari primum Euphraten,deinde hunc ipſum mixtum cum Tigri, Tigrin dici. Ex Euphrate autem vbi Arabiam & Syriam attingit, duos amnes diuidi, quorum alter Chaulatæos, alter Cuſæos præterfluat. ſicq; fieri vt ex vno fluuio qui locum voluptatis allueret, fierent quatuor flumina. Primum Euphrates eſt ipſe ſolus, qui idem poſtea cum Tigri commixtus, ibiq; nomen Euphratis amittens,ab incolis Tigris appelletur. Fit autem id in Babylonia ſupra locum qui dicitur Teredron, Propoſui ſuperius aliam quoque rationem. Antequã autem Euphrates cum Tigri miſceatur, ſolus ipſe duos alueos aut eruptiones faciens verſus Arabiam proficiſcitur, ſicut Nilus multas habet foſſas, multos efficit amnes. Septemplex eſt cùm in mare euadit. Danubius itẽ in multos amnes diuiditur, vbi ponto Euxino propinquat. Padus itẽ non procul à mari ſeſe in plures amnes partitur. Quorum vnus circumit omnẽ terram Rhauennæ, vt more ſcripturæ loquar, alter omnem agrum Ferrariæ.

Quibus poſitis addo quaſdam coniecturas ſuper regione paradiſi, quam cùm in Arabiæ finibus & Meſoptamiæ inuenerimus, dico non iniuria fuiſſe hic paradiſum locum fertiliſſimum,feliciſſimum. Triaque adhibeo ſuper fertilitate & felicitate huius loci teſtimonia. Primum Quintus Curtius hæc loca deſcribens,& omnia quæ ad hunc locum attinent, declarans,de Alexãdro ab Arbella vico vbi ſuperauerat Darium proficiſcente Babyloniam hæc memorat.Euntibus, inquit, à parte læua,Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campeſtre iter eſt, inter Tigrin & Euphraten iacens, tam vberi & pingui ſolo, vt à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſacietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè ſolo per venas aquarum C reſudante. Ipſi amnes ex Armeniæ mõtibus profluunt, & magno inde aquarum diuortio iter quod cepere,percurrunt.Duo millia & quingẽta ſtadia emenſi ſunt,qui ampliſſimum interuallum circa Armenię montes notauerunt. Item cùm Mediæ & Gordianorum terras ſecare cęperunt,paulatim in arctius coeunt, & quo longius manant, hoc anguſtius inter ſe ſpatium terræ relinquunt. Vicina maximè ſunt in campis,quos incolæ Meſopotamiam vocant.Mediam namque ab vtroq; latere concludũt.Eadem per Babyloniorum fines in rubrum mare prorumpunt.Hęc ille,Quibus & deſcriptionem & ortum & naturam,diſtantiam quoque inter ſe duorum paradiſiacæ regionis fluminum cognoſcimus.Fertilitatem item & fertilitatis cauſam.Deinde Arabiam inter hæc duo flumina odoribus nobilem,ſolo pinguiſſimo & vberrimo, loca beata,& paradiſo vndequaq; congruentia. Audimus Arabiam & Meſopotamiam incluſas inter hæc duo flumina. Tum hæc ipſa inter ſe maximè propinqua in Meſopotamia, ex quo non ſolum qua ratione demonſtrauimus regio paradiſi ab his duobus irrigabatur, ſed etiam ſeparatim ab vtroque intra & extra flumina iacens. Strabo quoque felicem Arabiam teſtatur tertio libro eſſe intra Euphraten, partem videlicet eius extremam,nõ eam quæ vergit in mare rubrum.Idem refert terram Nabathæorum Arabũ,omnium rerum eſſe feracem. Poſtremo hoc argumento, ait Arabię fertilitatem comprobari, quòd Alexãder qui totum orientem ſubegiſſet, Arabiã prę cunctis regionibus elegerit, in qua regni ſedẽ conſtitueret.Quanta ſit itẽ Meſopotamię & Arabię & Syriæ, id eſt regionum,quas peragrant flumina paradiſi,affinitas ſic demonſtrat: Armeniorũ, inquit,Syrorum,Arabum natio,magnam præ ſe fert generis coniunctionem, ſeu linguam, ſeu viuendi ritus,ſiue corporis lineamenta conſideres, cùm maxime finitimi ſint. Indicio eſt Meſopotamia ex his tribus conſtituta gentibus. Et quos Græci Syros,ipſi Armenios & Aramæos vocant.Hæc dicẽte Strabone,profecto videmus omnia rationi cõſentire,vt his in locis ſint flumina,locis & nationibus inter ſe propinquis.

Idem, Meſopotamia, inquit, regio à multis fluminibus irrigatur, quorum maximi ſunt Tigris & Euphrates. Idem quoque Euphrates, ait effuſiones, quæ Arabiam verſus, & lacus & paludes efficiũt mari Perſico proximæ. Ecce eruptiones Euphratis verſus Arabiam, videlicet Chalautęos, & Cuſæos, quæ quidem in ſinum Perſicum deferuntur. Sic & flumina multa in Meſopotamia perhibet eſſe, quam regionem dicebat è tribus gentibus conſtitutam. Plinius autem ait ſcindi Euphraten, in duos alueos, læuo Meſopotamiam, dexteriore Babyloniam petere vſque Vram, quæ Vr, in ſcripturis. Hi aluei poſſunt eſſe flumina paradiſi. Has etiam profero coniecturas paradiſum in his eſſe locis. Siquidẽ propheta Amos intentans ruinam Syriæ numerat loca & reges. Primũ Damaſcum, tum campũ Idoli, quem Hebraicè campũ Auen. Deinde, Beth Heden, quòd Hieronymus tranſtulit domum voluptatis. Verùm Hebræi dicunt eſſe nomen loci: poſtea addit propheta, Et transferetur populus Aram. Ergo cùm prius & poſterius minetur Aramæis, & in his includat Beth Heden, certe in his locis erat illa Heden Moſis, vbi erat paradiſus. Et flumina conſentiunt, & regiones Meſopotamia, Arabia; Præterea Ptolomæus & Strabo & Stephanus vrbẽ in Syria cenſent, eam appellantes paradiſum. Aut igitur ibi eſt paradiſus Moſis, vnde apud Hebræos & Græcos nomen traxerit, aut certè non procul. Deinde conſtans quædam fama eſt, in agro Damaſceno hominem fuiſſe formatũ. Crede mihi, non ab re vulgata eſt hæc fama. Et ager Damaſcenus laudatiſſimus ab hiſtoricis & Geographis perhibetur, plenus odoratarum arborũ, citrorum, citriorum, quæ fortè fuerunt arbores paradiſi aſpectu decoræ, dulces in locis illis calẽtibus, allatæ è Media in Italiam, antipharmaca, pocula, ſi quando ſæuæ infecere nouercæ. Mala aurea hortorum heſperidum fortè paradiſi, vbi & ſerpens cuſtos. Deinde cùm ſuperius oſtenſum ſit, Charan & Heden eſſe propinquas, probamus Charan eſſe cis Euphraten. Venerunt, inquit, vſque Charan, & habitauerunt ibi. In Ioſue autem dicitur, Trans flumen habitauerũt patres noſtri. Ergo traiecerunt flumen Euphraten, venientes in Charan. Aut circum Euphraten erant. Sic & Heden quæ cenſetur cum Charan duobus locis apud Ezechielẽ, & apud Eſaiam. Prior: Charan & Canne & Heden negociatores tui. Poſterior, cap. 37. Nunquid eruerunt eos Diis gentiũ, quos ſubuerterunt patres mei, Gozan, & Charan, & Reſheph, & filios Heden, qui erant in Thalaſſar. Quo loco expreſsè nominantur filij, id eſt incolæ Heden, regionis paradiſiacæ, quos à patribus ſuis euerſos iactabat Rex Aſſyriorum. Neque enim ſunt duo Heden, nec ſolita diſtinctio. Hic habet locum, omnibus in vnum atque eundem conuenientibus. Charan quoque, vt etiam obſeruauit optimus doctiſſimusque vir Hermolaus Barbarus, eſt oppidum haud procul Euphrate Arabiæ nundinarium. Ecce Charan, iuxta flumina paradiſi. Sic circum erat Heden.

Charan oppidum.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis,
vt operaretur, & cuſtodiret illum.

OStendimus ſuperius non ſolum ratione ſuffragante, ſed etiam Hebraica locutione arbitrio atteſtante, hominem non extra paradiſum, ſed in ea ipſa creatum, ibique conſtitutum habitaſſe. Eſtque hoc loco tertia propemodum ἀνακεφαλαίωσις, quaſique nouus epilogus, primũ enim creationem vſque ad ſextum diem protraxerat. Iterum eandem repetens nonnunquam ordinem, vt omnia faceret clariora, perſequens denuo eadem affirmat. Nec dum terram nec hominem, nec arbores fuiſſe, nec pluuias quibus vniuerſa terra irrigaretur. Omnia igitur à Deo fuiſſe reperta, hominem, pluuiam, plantas. Hic ei occurrit paradiſus, cuius deſcriptionem aſſumens, creationem humanam paululum intermittit. Expleta autem tota paradiſi deſcriptione, præcipuè in commemoratione fluminum, quorum irrigatione & varia inductione, ortus paradiſus fuerat, conſiſtente, reuertitur ad deſcriptionem humanam, memorabilibus myſteriis conſtantem. In omni autem recapitulatione non fit cunctorũ recapitulatio, ſed quibus hæreant, & apta ſint ſequentia. Ex ſuperioribus igitur aſſumit hominem fuiſſe poſitum in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret. Dixerat enim etiam ibi nondum hominem extitiſſe, qui terram operaretur. Eadem ergo iſtius atque illius loci declaratio. Docuimus omnia dici de homine aut tanquam mortali, nondum coronato, nec ad immortalitatem prouecto, tanquam ex animo & corpore conſtante, aut ſtatum resque humanas poſt caſum reſpicere Moſen: Sicut docuit nominã fluuiorum paradiſi ac regionum, ipſe circuit omnem terram Chauila, omnem terram Cus. Hæc tamen nomina, tempore eo quod hac deſcriptione deſignatur, nõ erant, nondum natus erat Chauila, nondum Cus, nati poſt diluuium, ſic nomina fluminibus nondum indita. Tempeſtatem ergo ſuam reſpicit Moſes, ſic fortè in homine. Sequentes priorem ſenſum, cui magis fauemus, dicemus omnia fuiſſe mortalia. Mortalis erat etiam paradiſus, ſquallori obnoxius, & vaſtationi, poterat à feris diſſipari, poterat tempore labefactari, quod & factum eſt. Et cuſtodiam iſtam à feris dicunt Hebræi. Hunc ſi operaturus, ſi cuſtoditurus fuit Adam, arguitur profecto locum non ex gratia ſibi debitum tanquam diuinum ac cœleſte præmium. Quæ enim felicitas in laborando? Laborando igitur, & à feris, vepribus, & ſqualloreo cuſtodiendo deſudaſſet. Ex quo perſpicimus omnia eſſe terrena & mortalia. Si paruiſſet, alius ſermo, alia hiſtoria. Quoniam autem hæc myſteria peracta ſunt in paradiſo, neceſſaria fuit eius deſcriptio, fluminum cum primis, quibus creuit & floruit, omnia terreſtria, & ab iſto naturæ curſu vſitato non diſſidentia: homo laborans,

Homocreatus mortalis, ſic & paradiſus.

A terrarumque custos, arbores irrigatione creſcentes, custodiam à feris, laborem, irrigationem. Violenta Hebræorum quorundam expoſitio, vt operaretur, vel faceret, & custodiret illum, quia illum ſit fœmineum genus in Hebraico, relatum ad paradiſum fœminini generis Hebraicè, deſignari legem & præceptum. Vt faceret ipſum præceptum & custodiret. Hoc excogitarunt, quia & illis durum ac difficile viſum, hominem operaturum & custoditurum ante caſum. Sed ſi locum, vt Theologia demonſtrat, intellexerimus, & ad naturam rerum cunctarum magiſtram, retulerimus, nulla erit perturbatio. Homo mortalis, in ſua natura conſiſtens, non prouectus, nondum ad triumphum immortalitatis aſſumptus. De tali locutus Moſes, quale & de nobis dicendum eſſet. Confer & illud; Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam. Declarant futura, iſta quæ fuerunt, totamque eſſe hominis non glorificati hiſtoriam. Auguſtinus quidem, quod ſequitur Nicolaus, hanc operationem non laborioſam, ſed voluptuariam, & animi cauſa, custodiam autem vt quaſi vigilaret, ne de ſua terra pelleretur. Aut laborem, id eſt, cultum & custodiam Dei, quo custoditurus eſſet Adam. Vt custodiret, Deus ſcilicet hominem. Sunt alij ſenſus, quos ne ſim longior prætermitto. Res mihi videtur clareſcere. Eſt item operatio & custodia habitatio. Sic nobis Latinis cultus non ſolum operatio, ſed habitatio & frequentatio. Coloni Tirij, cælicolæ. Hoc ipſum Hebraicè, עבד habad, vnde ſerui Dei, & cultores, quique in eum ſemper intenti, ſæpe eum adeant, & frequentent עבדים. Eadem vis in verbo custodiendi. Vtque ſolet Moſes ſecretiores ſenſus abſcondere, vulgaria & cuiuis nota ac domeſtica proponere, fecit etiam hoc loci. Poſitus quidem illic homo fuerat vt ibi habitaret, locumque eum frequentaret, ſed potior cauſa, vt habitando probaretur, vt occaſione & abſtinentia rerum terrenarum fieret diues rerum cœleſtium. Hoc conſilium reticet Moſes, ne quid nimis occultum, B minusq; probabile apud craſſam plebem philoſopharetur, vt candorem, ſimplicitatemque loquentis, vbique agnoſcas.

Præcepitque ei dicens; Ex omni ligno paradiſi comede.

MVltarum quæſtionum, ambagumque ſolutio ac quaſi portus eſt, quem ipſæ nobis diuinæ litteræ oſtendunt. Vt Deus locutus, vt paradiſum inambulauerit. Vera enim eſt ſolutio, quòd in habitu, ſpecieque humana, primo homini conſpiciendum ſe præbuit, qua Moſes cũ vidit in rubo, ante Moſen, Abraham, viderunt Apoſtoli in monte. Sic eodem ore ſacro præcepit ipſi Adam, quo poſtea alterum eximium incomparabilemque virum eſt allocutus. Tres illi, è quibus vnus erat יהוה Iehouah, Iouem ego dixerim, ſciſcitati ſunt vbi eſſet Sara. Si vocales, quibus abundat Hebraica dialectus, ſubmoueas, qui eſt Hebraicè Iehouah, qui cum Abraham loquebatur, videbatur, epulabatur, viri habitu cernebatur, erit Ioues. Hanc eandem formoſiſſimam, radiantiſſimamque ſpeciem vidit & audiuit loquentem, deambulantemque per paradiſum Adam. Viſus eſt per ſpeciem, ſimilitudinemque corpoream, re autem non corpoream. Quod genus viſionis ab inſomniis & viſionibus animi, apertè disiungit eadem ipſa Philoſophia. Si quis, inquit, fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei: vel, per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: Ore enim ad os loquar ei: palam, & non per ęnigmata & figuras Deum videt. Hoc quod de Moſe loquitur, apparet ſimilibus multis & ęqualibus pietate & meritis viris conceſſum, vt ore ad os, Deum alloquerentur, duplici facie, duplici ore præſente, Dei & hominis. Talis fuit Adam an- C tequam laberetur, talis Abraham. Teſtantur item Græci, eum quem veteres patres vidiſſent & audiſſent, Deum fuiſſe. Euſebius de Euangelica ἀποδείξεως: ἐπάκουσον γοῦν ὡς πάλιν αὐτὸς ὁ Μωσῆς τὸν ἐπιφανέντα τοῖς θεοφιλέσι, καὶ πολλάκις χρηματίσαντα αὐτοῖς, τὰ ἀναγεγραμμένα ποτὲ μὲν θεὸν καὶ κύριον· ποτὲ δὲ καὶ ἄγγελον θεοῦ προσαγορεύει, θεὸς μὲν καὶ κύριος τῶν θεοφιλῶν ἀνδρῶν ἀνηγορευμένος, ἄγγελος δὲ τοῦ ἀνωτάτω πατρός. Quæ ſunt: Agnoſce, inquit, vt idem ipſe Moſes, eum qui apparuit piis & amicis Deo patribus, & cum eis ſæpe eſt locutus, interdum Deum ac Dominum, interdum etiam Dei Angelum appellet. Deus quidem ac Dominus eſt piorum, amicorumque Deo viuorum. Angelus autem altiſſimi patris. Sic Euſebius. Sanctiſſimus item Auguſtinus eadem ſenſit, dicens, Vt potius credamus ſic eſſe locutum Deum homini in paradiſo, ſicut etiam locutus eſt poſtea patribus, Abrahæ, Moyſi, id eſt, in aliqua ſpecie corporali. Facilè igitur eſt intellectu quomodo præceperit Deus Adam. Quòd autem præceptum ei ſoli videtur, non etiam mulieri: clarum eſt omitti potius à Moſe, dicendum alio loco, cùm mulier reſponderet ſerpenti. Nondum enim de muliere creata quicquam fuerat locutus, omiſit enim etiam ſuperius, cũ de creatione hominis ſexta die loqueretur. Texiturque hiſtoria prudentiſſimè, multis in locis fit eorundem repetitio, non quidem omnium, ſed eorum quibus hiſtoria continuatur, hærentq; ſequentia cũ præcedentibus. Credendum eſt autem tunc creationem mulieris fuiſſe, cũ dixit; Maſculum & fęminam creauit eos. Iniecta eſt autem neceſſaria cõmemoratio paradiſi, cum qua ſequitur, fluuiorum & arborum deſcriptio, cum arboribus præceptum ſuper fructibus vetitis & conceſſis. Quibus exactis reuertitur ad id quod omiſerat, omiſerat autem rationem creatæ mulieris. Quod quidem fuerat commemorandum ſubito, cùm viri creationem deſcripſiſſet. Sed hiſtoria melius hoc modo cõtinuatur. Noſtrũ autẽ, ordinẽ ſcriptoris agnoſcere. Vt ergo mulierem

pariter

D pariter atque virũ creatos intelligimus, ſic vnum idemq; præceptum vtrique datũ ab eodem pro certo habeamus. Id quoque ſciendũ, Adã deſignare vtrunque ſexum, principaliter quidẽ virum, ſicut apud Græcos & Latinos ἄνθρωπος & homo. Itaque quod de Adam dicitur, ſpectat ſæpe in vtrunque ſexum. Quòd ipſe textus teſtatur cap. quinto. Iſte eſt liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominem. Ad ſimilitudinem Dei fecit illum, maſculum & fœminam creauit eos, & benedixit eis, & vocauit nomen eorum Adam, in die qua creati ſunt. Quid clarius? Etenim cùm ait, Iſte eſt liber generationis Adam, perinde eſt ac ſi dixiſſet. Iſta eſt hiſtoria creationis humanæ quomodo creatus ſit homo, vt ad imaginem Dei à Deo eſt creatus, vt maſculum & fœminam eodem tempore, eadẽ die eos creauit, compacta & efficta vna maſſa in duas inter ſe perſonas cohærentes. Quocirca ſi vocauit eos omnium creator, Adam, clarum, quod Adam præceptum eſt, in alterutrum pertinere. Vocatur quidem Adã principaliter ipſe vir, ſicut apud Græcos & Latinos: ſed cùm de ſpecie, reque communi eſt ſermo, vterque ſexus ſub vno nomine intelligitur. Cùm autem communis fuerit eiectio, commune etiam fuiſſe præceptum neceſſe eſt. Auguſtinus putat fieri poſſe, vt à viro præceptum peruenerit ad mulierem. Mihi & hoc quod diuus dixit placet, & vt, quoniam locutam cum Deo, & reſpondentem ſuper eſo pomo mulierem oſtendit Moſes, etiam audierit eum iubentem. Creatis igitur illis, ſtatim legem facilem ac placidam tulit. Duæ ſunt autem leges, altera vetans, altera iubens. Mitior vetans, nam in faciendo labor, maior quàm in non faciendo. Quodq; dixit. Ex omni ligno, Indicauimus tropum Hebraicum, lignum pro arbore, arborem pro fructu. De morte autem quam intentauit, eo quòd dictum ſit, Morte morieris, Hebraicè autem, moriendo morieris, Hieronymus docet melius Aquilam tranſtuliſſe, Mortalis eris: poteſt autẽ defendi quod tranſtulerunt Septuaginta θανάτῳ ἀποθανεῖσθε E morte moriemini, quia ſit conſuetudo ſermonis Hebraici, & idem ſit ſenſus etiam iuxta hanc lectionem. Auguſtinusque ait eos ſtatim neceſſitatem moriendi incurriſſe. Quam mortem autem intelligat, fateor me olim addubitaſſe, cùm multa in deſcriptione paradiſi occurrerent indiſſolubilia, potius mortem animi quandam æternæque felicitatis priuationem credidiſſe, quàm corporis: nunc ambagibus illis, alia meliore via reſolutis, vtramque cum quibuſdam alijs crediderim, caruiſſe perenni bono, quo per probationem vocabatur, & mortem corporis, quam amiſſa felicitate incurrit. Non eſt enim vera felicitas & æternitas ſeparata, pariter eſt corporis atque animi. Vt ergo per filium Dei in eundem ſtatum ſunt omnia reuocata, in quo fuiſſent Adam non cadente, ſed vincente, reuocata eſt autem reſurrectio totius hominis, & ad cęlum aſſumptio, ſic ſi Adam non cecidiſſet, animo & corpore immortalis fuiſſet. Lapſus autem, totam beatitudinem immortalitatemq; amiſit. Vt enim ſunt vno tempore animus & corpus creata, & homo vtrumq; eſt, ſic debet vtrumque fortunatum eſſe & beatum. Quæ quidem apud Moſen, ſermone res humanas reſonante, corticemq; ſummum vbique offerente, ſunt expreſſa. Quocirca quod dicitur, Morte morieris, Non eſt peculiare loquendi genus, & ſolo iſto loco vſurpatum: ſed Hebraicè eo modo loquuntur, expectans expectaui: Laudans laudabo Dominum. Atque quod Hieronymus in traditionibus Hebraicis aſſeruit, noluit ſequi in editione, quam mille rationibus conſtat eſſe eius, prudentiſſimè non recedens à littera. Nec illa Aquilæ erat tralatio, ſed expoſitio. Theodoritus autẽ Hieronymo conſentanee locũ explicat: οὐκ εὐθὺς ἀπέθανε, τὴν ἐντολὴν παραβάς· φαμὲν καὶ πρὸς τοῦτο, ὅτι τὸν τῆς θνητότητος ὅρον θάνατον ὠνόμασεν: οὕτω γὰρ καὶ σύμμαχος ἡρμήνευσεν, ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φαγῇ ἀπὸ τοῦ ξύλου θνητὸς ἔσῃ, μετὰ γὰρ τὴν θεῖαν ἀπόφασιν καθ' ἑκάστην F ὡς εἰπεῖν ἡμέραν, τοῦ θανάτου προσεδέχετο. Non ſtatim mortuus eſt, poſt tranſgreſſionem, Dico diffinitionem & decretum mortalitatis, mortem ſcripturam appellaſſe. Sic enim & Symmachus vertit, Quacunque die comederis, mortalis eris. Nam poſt diuinam ſententiam, ferè quotidie mortem expectabat. Ac Septuag. interpretes tranſtulerunt, morte moriemini. Hebraicè tamen vbiq; eſt numerus vnicus morieris, comedes ex eo οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ, ᾗ δ' ἡμέρα φάγητε ἀπ' αὐτοῦ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. In Hebraico idem ſemper vnicus numerus. Innuunt ergo Sept. præceptum vtrique datum, & vtrumque ſexum ſub nomine Adam oſtendi.

Peccatum Adæ intulit nobis mortem animi & corporis.

Dixit quoque Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.

HAec quoque quæ iſto loco dicuntur, non ſunt ab his quæ ſexta die geſta narrantur, ſeparata. Quod poteſt ex ipſa deſcriptione, qua animantum omnium creatio retexitur, & creata coram Adam adducuntur, innoteſcere. Siquidem die ſexta dum è terra animalia, quæ ſuperioribus diebus ex humida terra, tanquam in vtero materno fingebantur, perficerentur & abſoluerẽtur, interea Deus hominem creauit. In qua commemoratione complura memoratu digniſſima acciderunt. Fit igitur eorundem nunc quoque quidam epilogus: nec nos debemus, & ſi diuiſa deſcriptio eſt, res ipſas putare diuiſas: Itaque & hoc ipſum quod hic propoſuit, recapitulans paulo poſt affirmabit, non placuiſſe Deo, hominem eſſe ſolum. Quod niſi hanc ſcriptoris ſeriem, qua continuans hiſtoriam, non veretur eadem ſæpe retexere & iterare, intentis oculis obſeruauerimus, cogemur arbitrari ab animo eius plurimum abhorrentia. Eadem repetitio fuit quarta die, de Sole, quem cum ſyderibus & Luna deſcribendis noluit præterire, ne cæſa eſſet, ac diſiuncta

pulchritudo

A pulchritudo cœleſtis, præcipue decus habens à Sole & claritatem. Quæ res cùm primum à nobis, quod ſciamus (abſit autem arrogantię ſuſpicio) ſit patefacta, arbitramur eam tota iſtius hiſtoriæ obſeruatione poſſe comprobari, in qua ſemper aliquid dimittitur paulo poſt referendum, & in relatione reſumitur quid narratum. Quæ conſuetudo iam notiſſima eſt, eamque obſeruauit ex parte etiam diuus Auguſtinus, & Theodorus apud Græcos, cuius obſeruatio neceſſaria, & opportuna, ad omnes difficultates diſſoluendas, oſtendendamq; prudentiam ſcriptoris, qui hęc q̃ dubia & incerta apud multos ferebantur, nõ contentus dixiſſe ſemel, ſæpiſſime confirmat. Nos igitur vt omnia clareſcant, quæque ſeiuncta ſunt ad vnum locum reuocentur, agnoſcanturque coniuncta, quaſi mentem Moſis interpretantes, dicamus: Ecce autem tota terra, quæ propter aquarum alluuionem, erat vbiq; limoſa, deſuper autem à Sole ardentiſſime confouebatur, quoniam hæc fiebant, vbi nunc quoque ſunt maxima Solis incendia, id eſt in Meſopotamia, Arabia, vbi & propter optimam cœli temperiem, naſcitur aurum, naſcuntur lapides pretioſi, & aromata, paſſim oriebantur animalia, ſextaque illa celeberrima die ſteterunt in pedes, omnia iam perfecta, perfecteque concreta. Quæ dum fierent, Deus ipſe optimus maximus, eandem limoſam terram diuinis propriiſque manibus aſſumens, in effigiem, qua ipſe tunc temporis eſſet, informauit. Erant autem quaſi duo latera, duoque inter ſe homines connexi, propterea vno nomine vocabantur Adam, quod ſonat terrigenam. Quod cùm de muliere quoque dicatur, vocauit enim eos Adam, neceſſario & mulier ex eadem atque vir maſſa terreſtri eſt informata. Videbat enim optimus ille, prudentiſſimusque opifex, qui fecerat omnia, bona, eaque bona eſſe ſuo teſtimonio comprobauerat, non eſſe bonum, vnicum hominem creari, nec humanæ propagationi opportunum. Hoc ergo animaduerſo, terram illam limoſam, è qua corpora brutorum fingebantur, aſſumens, primum quem fingebat protraxit in alterum, qui perinde inter ſe cohærebant vt duo qui ſe mutuo amplectantur. Tunc eos ſpiritu viuenti & intelligenti pariter afflauit, animatusque eſt homo. Repente autem, eo ſoporato, & in altiſſimum ſomnum, vt à ſenſibus abiret, ne quis dolor eſſet ex ſeparatione, delapſo, ambos ab inuicem diſſociauit. Atque vbi facta eſſet ſeparatio, nondum autem limus eo loco in carnem perfecte coaluerat, caro concurrit. Extaſi autem illa euaneſcente, tum vidit Adam, perfectior videlicet homo, à quo fuerat inchoata creatio, quod factum eſſet. Vidit mulierem quaſi vnum è lateribus ſuis, quaſi ex ſeipſo prodeuntem, quaſi dimidium ſui. Tunc eam dilexit, amandamque cuique tanquam ſociam, corpusque ex ſe depromptum præcepit & prædixit. Simul autem facta eſt creatio duorum, ſimul ſoporatio & extaſis, nullo temporis ſpacio interiecto. Poterat quidem eos ſeparatim Deus creare, ſed vt homo intelligeret eandẽ eſſe carnẽ, atque ſubſtantiã viri & mulieris, & eodem Dei afflatu eos animatos, vt quaſi vnũ corpus, & vnũ ſpiritũ habuerint, hincq; ſe amore indiſſolubili diligentibus, non ſolum futura eſſet generatio, ſed omnia ex mutua beneuolentia & charitate bona, eodem tempore, ex eadem maſſa, vtrunque finxit, eodem ſpiritu animauit. Non enim in ſolum Adam inſufflauit Deus, mulieris inſpiratio non memoratur, quia cùm dicitur Adam inſpiratus, vterque eſt inſpiratus. Tunc Adam adducta ad ſe animalia, ipſamque mulierem contemplatus, agnoſcensque Dei mirabile conſilium, cuncta propriis nominibus appellauit. Primam autem atq; præcipuam omnium animantium, quæ ante oculos eius aſtarent, quòd eam videret egregiam, cæteriſque illis plurimum differentem, ex ſe autem depromptam, & ex maſſa ſua conſtitutam, duobus, vt ait Apollinarius, nominibus vocauit, אשה Isha quaſi viram, viri ſimilem, quaſi maſculam, & חוה Chaua, id eſt, matrem, vt ipſe Adam interpretatus eſt, atque principem omnium animalium; aut matrem ac genitricem omnium futurorum hominum. Hæc fortaſſe dicerentur à Moſe. Quod autem ad verba attinet, in noſtra editione, Faciamus ei, Hebraicè habet, אעשה faciam, quod etiam Chaldaicum. Irrepſit autem ex editione Septuag. ποιήσωμεν ad imitationem ſuperiorem. Adiutorium Auguſtinus quod & Nicolaus putat referri, vt adiutorium ſemini eſt terra. Item quod eos ego arbitror credidiſſe adiutorium, quaſi ſocietatem, ſub qua non ſolum generatio latet, ſed totum etiam commercium & conſuetudo. Vnde creata muliere & ſocia, cognitoque Dei conſilio Adam dixit, Quamobrem relinquet homo patrem ac matrem, & adhęrebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Hæc igitur ſocietas, hoc adiutorium, ac quaſi ſuffulcimentum viri. Partitaque eſt humana natura in duo, omniaque vitæ, naturæque negocia partim in virum, partim in mulierem ſpectant. Quocirca pro adiutorio bene habet Chaldaicum סמך ſemach ſuffulcimentum. Dicunturque & hæc de conditione humana aut nondum glorificata, aut in ſua tempora ſcriptore reſpiciente. Quòdque noſter tranſtulit eleganter, ſimile ſibi, Hebraicè כנגדו kenegdo, pro illo, vel iuxta illum, ſiue ad illum: quaſi pro conditione eius, iuxta naturam ſuam, quod Septuaginta κατ' αὐτὸν ob illum, iuxta illum, dixerunt. Quidam Hebræi, è regione illi, id Græci exponentes alij παραπλησίαν καὶ οὐδὲν αὐτοῦ διαλλάττουσαν κατὰ τὴν οὐσίαν, Similem nihilque à viro in ſubſtantia diſcrepantem, ait Theodorus, Seuerianusque eodem modo τὸ βοηθὸν, ἵνα εἴπῃ κοινωνὸν τῶν κατὰ τὸν βίον πάντων, δὶς καλῶς, καὶ τὸ κατ' αὐτὸν, ἵνα δείξῃ τὴν τῆς φύσεως ὁμοτιμίαν, Auxiliatricem dixit, quaſi omnium quæ in vita geruntur participem. Eoq; rectè dixit ſimile ſibi, vt oſtenderet naturæ ſimilem in vtroque dignitatem. Ex his oſtẽdit Apollinarius iuxta diuum Paulum mulierem factam propter virum, non virum propter mulierem,

Adami creatio.

B

C

quia lateri prius adhæreret, poſtea prodijt in conſpectum creata & ſeparata à latere, ductaque D ante oculos.

Formatis igitur Dominus de humo cunctis animantibus.

EXpreſſa & clara ἀνακεφαλαίωσις, & omnium inter ſe apta continuatio. Repetiturque animalium creatio, quod adducta eſſent coram Adam, & proprijs ab eo nominibus notata. Itaque quod Hieronymus innuens recapitulationem dixit, Formatis igitur: Hebraicè eſt, Et formauit Dominus. Addensque, igitur, noſter, & per participium loquens docuit eſſe quendam ordinem dictorum & dicendorum. Fit igitur animalium commemoratio propter indita nomina. Quid ergo mirum, vt hoc obiter hoc quoque loco admoneam, ſi quarta die cætera cęleſtia opera, totamque ſtellarum choream narraturus Moſes, Solem iam creatum reuocauit, ſicut hic iamdudum creata animalia, iterum creat? Recenſet autem eodem ordine, eadem phraſi dicens, ויצר יהוהאל הים מן אדמה. Et creauit, ſeu finxit Dominus de terra, omnes beſtias agri, & omnes volucres cęli. Sic in quarta die, Et creauit Deus duo luminaria, luminare maius vt præeſſet diei, quod idem dixerat in principio, creatum lumen vt faceret diem. Addidit autem in repetitione magni ſyderis omiſſa primo loco, vt in ſigna & tempora, dies & annos, vt ſuſpenſa in ſublimi ad lucendum. Nulla igitur ſupereſt admiratio, cùm fiat idem tota hiſtoria Deinde quod ait, Et adduxit ea ad Adam: Et hoc argumento eſt, verbum iſtud adducendi, non offerre ſitum extra paradiſum. Siquidem veriſimile eſt animalia creata in paradiſo, loco amplo, & arboribus & herbis fœcundo, faciliori ſolo, ad generandum & plantas & ipſa animalia. Nec alibi putandum eſt toto orbe, omnium rerum inchoatam creationem, præcipuè animalium, quàm feliciſſimo & fertiliſſimo loco. E Quare animalia adducta coram Adam non aliunde quaſi è longinquis locis & extra paradiſum iacentibus venerunt, ſed erant ibi circum, latè, ex humo coorta recenti. Et quo volente coorta, eodem exhibẽte homini, & oſtendente, & quaſi ſub aſpectum collocante, adducta coram Adam quo tẽpe ſunt creata. Siquidem continua eſt nominum impoſitio ad creationem, ſimul creata, ſimul vocata. Rebus enim natis extẽplo nomina induntur. Hæc etiam nominũ impoſitio adhæret; (quod & Theodorus ſentit ἐξουσίας δηλωτικὸν, τὸ ὀνόματα τιθέναι: poteſtatis eſt indicium nominum impoſitio, inquit) ad conceſſum à Deo ſuper omnibus illis dominatum. Vt primũ enim dixerat, Et dominamini piſcibus maris, volatilibus cęli: continuo adductæ animantes in conſpectum hominis, tanquam omnium eorum Domini creati & promulgati ſteterunt. Pariter ergo, quæ quidem diſiunctim narrantur, multis propoſitis, quæ ſermone comprehendere opus erat, animalia ſunt creata, atque ſuperadductis coram datus eſt à Deo dominatus, ab homine nominibus notata, cęſim relata à ſcriptore, ob multarum rerum concurſum. Nominum autem impoſitionem factam ab Adam, ſumme eſt rationi conſentaneum. Siquidem etiam Pythagoras eum qui primus nomina rebus indidiſſet, ſapientiſſimum quendam fuiſſe ſuſpicatus eſt. Primæ igitur rerum nuncupationes, partim diuinæ ſunt, partim humanæ. Diuina rerum ante hominem natarum, cœlum & terra, dies & nox, quibus vocibus audiuit homo Deum res ipſas appellantem. Humanæ nuncupationes, particularium rerum fuerunt. Nec vero difficile primo homini fuit notare nomina animalium, qui omnium eorum audiuit à Deo proprietates, & ſapientia ab eo largita cognouit. F Vt enim idem ipſe vocauit primogenitum ſuum, quem à Deo acquiſiſſet, Kain, quaſi poſſeſſionem & acquiſitionem, alterum autem Hebel, reor ipſe Chebel, id eſt, luctum, ſuper quo primum ingemuit interfecto: aut Hebel, id eſt vanitatem, quia ſubito euanuit, non diu vixit, & vt omnium mortalium genitricem Chaua, ſic cæteros animantes, alios à ſonitu ac voce, alios à colore, omniq; ingeniorum & corporum qualitate nuncupauit. Id quod & inſecutis temporibus, à reliquis hominibus eſt factum. Dracones appellant Græci, quaſi dercones, id eſt, perſpicaciſſimè videntes: pantheras à varietate ac quaſi flore corporis, quo ſunt diſtinctæ, πᾶν, totũ, omne, ἀνθῶ floreo. Dicunt hominem ἀνθρώπον exponente Platone, & omnibus aſſentientibus, quia os ſublime habeat, ἄνω ſurſum, ἀθρέω aſpicio. Nobis homo ab humo, quaſi ab Hebraica theologia profectum, vnde humanus, alij ab homoios ſimilis, quia ſimilibus gaudeat, appetensq; ſit ſocietatis: Hebraicè Adam, ab Adama terra, vnde ſumptus, quaſi terrigena, γηγενής. Hanc & ſimilem philoſophiam, feciſſe Adam credendum eſt, videntem & agnoſcentem omnium animalium proprietates, & colores, habitusq; corporum. Quas poſtea mortales, & ſi non omnes, aliquas certè in ipſis nominibus deprehenderunt. Igitur in omni hac primarum rerum deſcriptione, ſicut facta eſt cęterarum rerum commemoratio, ſic declaratum eſt exordium linguæ & dialecti. Hæc autem ſine dubio fuit Hebraica, qua locutus eſt Adam, è qua rebus & hominibus nomina notauit, cuius certã & claram vidimus ſuperius rationem. Hieronymus etiam humani generis linguã ait fuiſſe Hebræam, quia nomina quæ vſq; ad linguarum diuiſionem in Geneſi legantur, Hebręã linguam reſonent, habeantq; deductiones Hebraicas. Illud hoc loco nouiſſimè admoneo, quod etiam quidã Hebręi, ſuperius dici ex aqua volucres exortas, hoc loco è terra, nimirũ quia ex vtraq; re. Quanquam Auguſtinus nomine terrę cuncta grauiora elementa putat intelligenda. E terra autem & aqua ſunt natę omnes animantes, ſed ad alias maior è terra, ad alias maior ex aqua vis acceſſit. Repetit autem vt deſcribat creationem mulieris, quòd homini non eſſet ſocia.

Lingua Hebraica locutum Adam.

Ada vero

A *Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Immiſit ergo dominus Deus ſoporem*
in Adam, Cumq; obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius.

VTinam poſſem, ſi non veram, certe vero propinquam docere tum ſopiti hominis, tum
eductæ de latere eius, & in mulierem ædificatæ coſtæ rationem. Mirabile enim eſt, cùm
multis fieri modis ea potuerit, cur vel maxime placuerit iſte Deo. Ac fortaſſe tale ac tantum la-
tet ſub hac ratione ſacramentum, vt oculis attingi noſtris, quorum eſt obtuſa acies, non poſſit.
Forte & ipſa Theologia eſt clare locuta, ſed eam vel modus loquendi ſuus, vel in peregrinas lin-
guas tralatio obſcurauit. Duo ſunt igitur ſenſus cùm dicitur, vnam è coſtis hominis dormien-
tis Deum tuliſſe, cum quibus ſequitur diuerſa totius loci explicatio: Euoluendaque nominum
ambiguitas, & anceps ſignificatus, à quibus diuerſi ſenſus ſequantur. Etenim vox צלע quam
coſtam tranſtulit, Hebraice & coſtam vnam & totum latus, ac quaſi dimidium hominis, ſicut &
vox Græca πλευρὰ deſignat. Vt poſſit intelligi Deum tuliſſe latus ac quaſi dimidium hominis,
& in mulierem ædificaſſe. Quod idem poſſet ex Græco intelligi, καὶ ἔλαβε μίαν τῶν πλευρῶν
αὐτοῦ. Et tulit vnam è coſtis, aut vnum è lateribus. Vnde Græce πλεύρεσιν, idem νόσον πλευρῖ-
τιν noſtri morbum laterum, ac dolorem. Atque apud Hebræos zela quod coſtam & latus ſo-
nat, frequentius denotare latus, coſtam vero per quam raro, multa docent exempla. Princi-
pio ab eadem iſta voce videtur duci alterum conſimilem rem deſignans verbum צלע zolea quod
quidem ſonat claudicare, quaſi laterare, abire in alterum latus, ac pendere, quod de vna coſta
non intelligeretur. Deinde applicatur ſignificatus ad eas res quæ quidem latus habeant, coſtas
B autem non habeant. Exod.cap.x. Duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero, pro latere He-
braice eſt צלע zela, præſens videlicet vox. Paſſimque eo loco eſt commemoratio laterum arcæ.
Inferius ſequenti capite, latera tabernaculi ſub hac eadem voce ſæpius referuntur. Eodem libro
ſunt latera altaris: latus etiam montis in libris Regum. Latera quoque templi hinc atque hinc
in ædificio Salomonis. Latera quoque abiegna & cedrina. In Pſalmo quoque 35. cùm ait: Ad-
uerſum me lætati ſunt, In Hebraico, In latus meum, quaſi inſultauerunt, percuſſerunt. Et apud
Ezechielem: Latera templi, latera propitiatorij. Quibus omnibus intelligimus propenſius eſſe
vocis ſignificatum, vt deſignet latus, quàm coſtam. Hebræi quoque magis huic acquieſcunt.
Et tum recentiores, tum vetuſtiores eorum, hic pro zela ſunt interpretati zad, id eſt, latus, alte-
ramque partem. Alij dixerunt hominem fuiſſe duo פרצופין parzuphin, quaſi Græcam vocem cor
rumpentes duo proſopin, id eſt, duas facies, duas perſonas. Videtur ergo rationabilius & ad in-
telligendum facilius, naturæ quoque congruentius, vt ne coſtam ſed alterum quaſi latus, ac di-
midium ſit interpretandum ſumptum ex Adam. Nam quanquam Deus quæcunque velit po-
teſt, etiamque ex lapidibus homines creare, vt qui ex nihilo: naturam tamen, quam ipſe reperit,
videmus ſequi certos ordines, ac pulchritudinem, nihil enorme videmus fieri. Non videtur au-
tem tantopere naturale, & cuius poſſit congruens afferri ratio, vt è coſta vna ſit mulier creata.
Ex minimo oſſe tanta caro, tot membra coaluerint. Præſertim cùm hoc ſolum dicatur, inſpiratio
autem, maxima pars mulieris, reticeatur: probabile tamen eſt, eodem vtrunque cæleſti afflatu
animatum, eiſdemque diuinis manibus vtrunque formatum, & eandem vtriuſque, cum ſolo ſe-
xu differant, fuiſſe creandi rationem: Et ex eodem limo effigiem effictam vtranque. Duobus
C igitur propoſitis iſtius Hebraicæ vocis (ad Hebraicum enim tanquam ad portum eſt recurren-
dum) ſignificatis, & duobus ſenſibus ex eis, ſe diuidentibus, vt vel de coſta, ſumpta mulier &
ædificata ſit, vel ab vno latere ſeparata cohærens prius, vt quaſi fuerit hominis pars altera, ierim
ipſe magis in hunc poſteriorem ſenſum. Primus quidem videtur confirmari quia dicitur, Adæ
vero non inueniebatur adiutor: Et, Immiſit dominus ſoporem. Probatur enim his Adam fuiſſe
ſolitarium à principio, eaque de cauſa Deum ſtatuiſſe vt eſſent duo. Volentes autem tueri ſe-
cundum, qui probabilior & congruentior eſt, aptioremque habens rationem, hoc declarando, &
priora illa ſoluendo, ſic nobis eſt maxime dicendum: Deum volentem, hominem creare ad ima-
ginem & ſimilitudinem ſuam, id neceſſario feciſſe, quod in vtrunque ſexum competeret. Nam
alioqui aut non eſſet, aut non diceretur mulier ad imaginem Dei creata, niſi ſimul intelligeremus
vtrunque creatum. Et quod dicitur de vno, ſit item comprehenſum de altero, quia vterque ho-
mo ſit. Igitur dicentes, Deum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam finxiſſe, homi-
nem neceſſe eſt interpretari maſculum & fœminam, quod ipſa quoque theologia teſtatur. Et vo-
cauit, inquit, eos Adam. Adam autem, id eſt, homo, factus eſt de maſſa terreſtri, ergo vterque
de terra, non vnus è terra, alter è coſta, vel carne. Finxit ergo Deus hominem primum, iudi-
cansque minime decorum, & opportunum, vt maſculus eſſet ſolus, dum eum effingeret, alterum
latus ac perſonam fingendo adiecit. Vtrunque hominem creauit ad imaginem ſuam, vtrunque
ſpiritu afflauit ſuo, maſculum alterum, alteram fœminam. Hanc ſocietatem vocauit homo. Ho-
mineque ipſo, ac ſocietate ſoporata, abiunxit alterum ab altero. Soporatos autem ea de cauſa
par eſt, vt ne eſſet in ſeparatione dolor. Quandoquidem ſunt, qui tanta extaſi corripiuntur,
adeoque abſcedunt à ſenſibus, vt admotos ignes, doloresque non ſentiant. Separatio autem hęc,
non quidem quaſi membrorum fuit, ſed tanquam rerum cohærentium. Et ipſa ſoporatio, grauiſ-
ſimus

ſimus ſomnus fuit. Eoque Aquila pro extaſi,quod interpretati ſunt Septuaginta,ſignificatq; alienationem D à ſenſibus, vertit κάρον quaſi ſomnum profundum,ac tantum,vt ipſa diſſecatio nō ſentiretur. Hæc autem dicens,non dico Platonis androgynum, quod reprobat Auguſtinus, ſed dico duas perſonas ſimul creatas, duoſque diſtinctos homines, at inter ſe tamen cohærentes. Androgynum autem eſt vnus homo tantum, habens vtrumque membrum genitale, Cætera vnus homo ſingularis. Eos autem vt ait Theologia maſculum & fœminam Deus creauit. Quod illico factum, & eo ipſo tempore, quo figuratum eſt corpus,& ſpiritus infuſus. Eadem vtriuſque formatio,& eadem inſpiratio. Cùm crearet & fingeret Deus vidit non eſſe bonum,vnicum eſſe hominem, effigianſque primum traxit in alterum, quod erat primus figurandus. Quod cùm poſt ſoporem eſſet ſeparatum, & perfectè ſeiunctum, atque alterum effectum, iure dicitur ex ſopore factum ædificium mulieris. Tunc enim perfecta fuit mulieris creatio, perfectumque indiuiduum,cùm eſt ab altero ſeparatum. Diuiduatio, perfectaque diuiſio dicta eſt ædificium. Repleuit autem carne, vbi ſeiunctio ac ſeparatio facta eſſet. Leuiter enim cohærentes ſunt diſiuncti, adhucque quaſi limus erat, nondum perfectè verſus in carnem. Itaque & ſi partes humanæ creationis Moſes ſeparat in hiſtoria, non omnia eodem tempore comprehendere ſtatuens, quod in cæteris ab eo factum animaduertimus, non tamen nō habent inter ſe ſocietatem. Humana creatio conſtat formatione corporis, quod de limo eſt aſſumptū,conſtat inſpiratione. Si igitur in figmento & afflatu,eſt tota creatio,vtrunque ratione componendum, conſociandumq; eſt, etſi ſit ſermone ſeparatum. Diceteque Moſe de viro quaſi ſolitarie per prata paradiſi vagante: Adæ vero non inueniebatur ſimilis, debet error ratione repelli, & ſpatium inter vtrunque creatum nō interponi, cùm ad rationem habeas etiam Theologiam apertè teſtantem, maſculum & fœminā E creauit eos. Et vocauit eos Adam in die qua creati ſunt. Et quòd cùm vterq; ſit homo vel Adā, vterque neceſſario de terra, vterque γηγενής. Et quòd eodem afflatu vtrunque animatum ſit veriſimile. Et cùm poſt hominem creatum dixerit, Creſcite & multiplicamini, ergo ad vtrunque. Ergo cùm hoc dictū eſt,iam erat mulier creata. Dictum eſt autem,poſtquam deſcripſiſſet figmētum hominis, in quo & mulierem fuiſſe neceſſe eſt, cùm è terra ſcilicet fingeretnr. Theodorus etiam teſtatur μετὰ γὰρ ταῦτα κατ᾽ ἐπανάληψιν προσέθηκε τῆς γυναικὸς τὴν ποίησιν, ἔνθα δὴ καὶ πέρας ἐπιτέθεικε τοῖς περὶ αὐτῆς λόγοις, poſt per reaſſumptionem ait, adiecit creationem mulieris, vbi & finem impoſuit is qui de ea creata loquitur. Et tamen poſtea dicit, Adæ vero non inueniebatur ſimilis. Quomodo non inueniebatur, ſi dixerat ante, ambobus, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam? Debet ergo eſſe coniuncta creatio amborum, creatio corporum & afflatus animorum. Vides quibus de cauſis hoc ſit neceſſarium. Formatos igitur ex eadem maſſa & luto coniunctim, & ſe mutuo complectentes, tanquam fratrem & ſororem, dicendum eſt. Referam oculatum exemplum,quod mihi quondam ingreſſo figuli officinam occurrit. Erat figulus habens ante oculos lutulentam maſſam ſubactam, paratamque ad fingendum, eam manibus aſſumens cœpit protrahere & effingere in hominem. Primum formauit os, ceruicem, ac caput, tum brachia & crura: Cumque latera,& brachia effingeret,diſtingueret, & expoliret, reuerſum eſt ad eum priſtinum conſilium,recordatuſq; eſt quod antea pulcherrimum iudicaſſet. Voluerat autem duos effingere,qui inter ſe brachia porrigerent. Itaque eandem ipſam maſſam,cuius media pars iam erat formata, informis autem à latere ſiniſtro, & tanquam prior maſſa pendebat, in alteram priori ſimilem effigiem finxit accipiens de toto latere F & parte quæ priorem integrabat, brachiaque amborum altera in alterius ſuperiniecta ceruice formauit. Eratque videre duos quaſi ſimillimos fratrem & ſororem, ſe altero brachio amplectentes, alteroque latere cohærentes. Erat autem frater à dextris, ſoror à ſiniſtris. In amplexu hærebat capiti caput, lateri latus, pedi pes, cruri crus. Vnoque erant coniugio ſociati. Hoc exemplo poteſt humana creatio intelligi, prior maſculus creatus,deinceps ex latere & à latere eius fœmina, tanquam ſocia. In ſoporatione autem ſunt ab inuicem ſeparati, & caro reducta, ſi quid in diſiunctione, ſectioniſque loco defuiſſet. Vocatumque ædificium, perfecta diuiſio, reſpiciente tamen ſcriptore maſſam protractam in mulierem. Hinc Hebræi cenſent vt dixi aduerbium כנגדו Kenegdo, quod noſtri transferunt ſimile ei: ſignificat autem è regione illi, innuere, mulierem quæ fuiſſet à latere, ducendam in conſpectum & è regione. Defuiſſeque mulierem, quæ aſtaret viro, & facie ad faciem cum eo iungeretur. Repleuit autem carnem, locum ſectionis dicunt. Et cùm ait: Et ædificauit coſtam in mulierem, exponunt, Vt eſſet in mulierem, ſicut cùm dicitur: Et fecit eum Gedeon in Ephod, quaſi vt eſſet Ephod. Fecit vt latus eſſet mulier. Hæc interpretatio ad ſenſum & naturalem creationem eſt aptior. Nam ſuper creatione ex coſta afferre nequeo certam ac naturalem rationem. Et apud Sept. interpretes vt admonui, ſermo & tralatio eſt anceps ἔλαβε μίαν τῶν πλευρῶν, Tulit vnam è coſtis,aut vnum è lateribus. Nam quòd πλευρὰ ſit latus indicant figuræ mathematicæ Iſopleuron ἰσόπλευρον, æquilaterum noſtri: creberrimaque eſt vox πλευρὰ, apud eos pro latere, pro coſta non congruens. Per me autem licet,ſi quis velit coſtam intelligere detractam,& in mulierem ædificatam,illumq; alium ſequi iſtius interpretationis ſenſum. Porrò quod ait, Adæ non inueniebatur, Eſt Hebraice מצא inueniebat, Admoneo apud Hebræos verbum imperſonale, aut tertia perſona paſſiuorum, A rum ſæpe agendi voce declarari. Vnum tantum nunc proferam exemplum, cætera fortaſſe alijs in locis. Apud Eſaiam cap. 9. Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis: quo loco non eſt corruptus textus, vt quidam ſuſpicantur: ſed habet rectiſſime ויקרא vaikra, actiua voce & lectione. Significatus autem eſt qualis iſtius loci: qui cùm eſſet vocis agentis, in patientis ſignificationis vocem verſus eſt à Septuaginta & noſtro, recognoſcentibus idem ſignificatum apud Eſaiam, Sicut & in omni ſcriptura. Sed huius rei abunde ſuo loco.

Immiſit dominus ſoporem.

QVæſiuit venuſtius aptiusque apud Latinos verbum in quod verteret Hebraicum ויפל vaippel, fecit cadere, fecit delabi. Septuaginta quoque imitatur, ἐπέβαλε, immiſit. Quod autem ipſe vertit ſoporem, Hebraice eſt תרדמה chardema, dicitur etiam ab Hebræis plus eſſe hoc, quàm ſomnum. Vt intelligas quanta harmonia cuncti tranſtulerint, Septuaginta ἔκστασιν, extaſin, exceſſum: Aquila καταφορὰν, quaſi deſcenſum, totius vigiliæ lapſum: Symmachus κάρον ſomnum profundum, & quaſi lethargum. Conueniunt ergo cum Hebræis. Chaldæus ſimpliciter poſuit שנתא shineta, ſomnum: Vnde ſequitur, obdormiuit. Quodque ait, Repleuit carnem pro ea, Hebraice ויסגר clauſit carnem pro ea. Replere & claudere aliquem hiatum & ſciſſuram. Idem Septuaginta quoque ἀνεπλήρωσεν, repleuit. Hæc ita ad viuum non reſecarem, niſi me interdum ſtomacho afficeret Hebræorum, & quorundam qui fabulas eorum nequeunt B dijudicare, imperitia, qui ſæpe venuſtatem tralationis, verborumque vim non intelligentes, pronunciant, interpretem Hebraicum non calluiſſe. Animaduertique id maxime ab Hebræis manare, quorum aut nemo Latine eruditus eſt, aut tam male eruditus, vt raro vocum Latinarum noſcat proprietatem. Vnde in lectionem Latinam incidentes (ſanguis item ad detrahendum, præferendumque ſua prouocat) verba elegantiora, quibus à doctiſſimis declarata ſunt Hebraica, filum item orationis Hebrææ, quæ dura nobis, barbaraque eſſet, ad noſtram dialectum accommodatum, non videntes, inſultant in interpretem. Sunt forte quædam quæ melius videbuntur transferri potuiſſe, ſed & hic ſæpe fallimur, & re probe diſcuſſa, deprehendimus recte & venuſte interpretem vertiſſe. Repleuit etiam Chaldæus ומלי. Ac poteſt eſſe ſenſus, vt vel alia caro ſit reſtituta, vel vt hiatus ac quaſi diſceſſus coierit. Vnde pro ea, ſunt Hebræi qui dicant, locum eius: vt ſit ſenſus. Et clauſit carnem loci eius lateris vel coſtæ, clauſit, & reduxit, ac coire diſcedentes partes fecit: ſicut ſi duæ manus coniunctæ diſiungerentur, & in ſeparatione hians caro reduceretur. Quod quidem natura non facit, niſi alia carne reuocata. Deus autem fortaſſe fecit ſine alia carne, tantum ſeparata coniungens. Qui ſenſus poteſt de latere, alteraque cohærente perſona, bene intelligi. Sunt pleraque hoc loco ad phraſin Hebraicam penitus humanam, redigenda. Adæ non inueniebatur, vel non inueniebat Deus, more humano propoſitum cum eodem tempore ſocia mulier ſit creata. Et: Adduxit ad Adam. Erat enim in conſpectu' & propinqua: parque eſt manu apprehenſam ad virum ſuum more patrum, opificem adduxiſſe, ſanctiſſimaque fœdera iunxiſſe, in hunc maxime modum loquentem: Hanc ſociam de latere, principiiſque natam tuis accipe, eamque velut dimidium tui dilige, à me quiC dem formatam eodem atque tu tempore. Sed cùm te fingerem, videbam hanc tibi neceſſariam. Itaque eandem ipſam materiam, quam iam in carnem tuam vertebam, à te deprom ptam ac deductam traxi in hanc alteram, vt agnoſceres quod factum eſſet, dimidiumque tui, quaſique alterum te hanc eſſe ſcires. Ex te enim, qui ſolus aſtabas, creata eſt. Accipe igitur eam coniugem, comitemque tuam, eamque vt temet, ſubſtantiamque tuam dilige. Hoc audiens Adam ſubſcripſit dictis, iuſſiſq; diuinis. Hoc os ex oſſibus meis, ſanguis ex ſanguine, caro ex carne, corpus ex corpore: ex me homine alter homo, ijdem natales, pater idem vtrique: Vt habet à me ſubſtantiam, ſic habeat nomen. Ab Adam dicta eſt, egoq; dicor איש Ish vir, hæc dicetur vira. Nulloque caſu amor iſte, quem pater & opifex ſanxit, debet diſſolui. Sed pater etiam & mater deſeratur. Sic iſta philoſophia Moſaica originem totius mundi, cæli, terræ, aquæ, aeris, ſtellarum, animalium, arborum, declarat originem item orationis, non omnem quidem, ſed quæ maxima pars eſt, nominum omnium animantium, tum quando, quibuſve rationibus ſancitum eſt coniugium. Porrò quod ait: Os ex oſſibus meis, qui nollet ad coſtam referre, facile poſſet oſtendere eum dixiſſe os tanquam partem corporis. Addidit enim, & carnem, locutio enim Hebraica eſt, Vt cùm conſanguinitatem & affinitatem declarant, dicebat Dauid populo: Os meum, & caro mea vos. Declaraturque hac locutione, quod Latini dicerent per ſanguinem. Proiice tela, ſanguis meus. Hebræus diceret, caro mea: Et illud, de proximo, & carnem tuam ne deſpexeris. Sic in Italia vnuſquiſque carnem ſuam, propinquos appellat. Ex quo perſpicimus, quòd ſi omnes gentes, ab vna ſtirpe deſcendentes, eiuſdem carnis & ſanguinis dicuntur, naturali, vſitatoque procreationis modo naſcentes, non cogi nos de coſta ſentire ob locutionem Hebraicam, ſed potius de quodam alio naturali modo. Nam ſi hi qui ſolo paterno ſemine communicant, dicuntur eandem habere carnem & os, multo magis congruit, vt eſſet caro viri mulier habens maiores nexus arctioremque cum eo ſtirpem. Cæteri D ergo eiuſdem carnis & oſſis, eiuſdemque ſanguinis eſſe dicuntur, ſolis exiguis principijs communicantes: Adam autem & Eua, maiore affinitate aſtringebantur. Quorum caro, ſicut cæterorum ex paruo ſemine, inchoata concreſcit, ſic habuit terram mollem ac ſubactam, tanquam ſemen ſuum & principium. Quemadmodumque videmus, & aliquam reddere rationem poſſumus, quomodo ex ſemine, paulatim fiat caro, ſic iſto exemplo poſſemus doceri, quomodo è terra caro concreuerit. Eſt autem ſemen tanquam reſoluta caro per calorem, temperiemque naturalem aſtrictum in carnem, ſicut lac in caſeum. Et charta antequam dureſcat, aqua eſt alba. Celeriter autem typo accepta conſtringitur. Talis erat eo tempore, ſub optima cæli temperie tellus, ſeminis inſtar diſpoſita, quod principium fuit ſerendæ carnis, maturata cęlo. Hoc principium fuit commune viro & mulieri. Quod tametſi fuit etiam omnium animalium, præter terram tamen, plura interceſſerunt in creatione hominum, quibus à creatione animalium plurimum differat. Et id quod priorem hominem tanquam principium creabat, tractum item & formatum in mulierem. Vt ergo ſi ex eodem ſemine ſimul, eodemque tempore duo velut Eſau & Iacob concreſcerent, eandem carnem & ſanguinem habuiſſe dicerentur, ſic longe rationabilius Adam dixit Euam, ſanguinem, carnemque ſuam, cum qua maius quoddam principium commune habuerit. Plures autem videmus coaleſcendæ carnis, vt quomodo è terra vel humo caro primorum illorum coaluerit intelligamus, rationes. Coaleſcit & quaſi congelaſcit ex ſemine, ex ſanguine quoque. Vt autem per calorem fit humoris & iniecti cibi conuerſio in ſanguinem, ſic per calorem ætherium, humum vertebat Deus, & aſtringebat in carnem. Quod quidem etiam alia ratione à Deo fieri potuiſſet, cui ſunt omnia miris modis poſſibilia. Sed omnium rerum, quæ poſſit iuſta & rationabilis reddi ratio, reddenda eſt. E Et quod ait: Quamobrem relinquet homo, Apparet vxorem cum viro illo primo tempore, rebuſque naſcentibus, fuiſſe ſociatam, futuraque omnia fuiſſe, quæ poſtea fuerunt. Immortalitatis autem, ad maioremque diuinitatem ſcandendi ratio non fuiſſet etiam diuerſa, omnia autem præter mortem, & id quod ex præuaricatione contigit, fuerunt qualia nunc. Propagatio ſancitur & coniugium, cibus memoratur, pluraque id genus alia. Nunc relinquitur pater & mater, propter vxorem. Relinquet autem dixit, aut imperando, ſiquidem & per futura imperamus: Aut quaſi prophetando & prædicendo, quæ poſtea fuerunt. Pertinent autem hæc ad id quod Deus proſpexerat, non eſſe bonum, hominem eſſe ſolum: coniugiumq; & perpetuam vitæ ſocietatem innuunt. In carnemq; vnam dixit, autoribus nonnullis Hebræorum, ſicut erant prius, vt ad eandem coniunctionem reuerterentur: Et in idem conſortium ſociaretur caro: Ex qua vnitate alia quoq; caro generaretur, duobus in vnam carnem principijs vnitis. Vxorem autem ſuam dixit Hebraicè mulierem ſuam, mulieres vxores, viros, maritos dicente ea lingua. Commemoratoq; coniugio & carnis vnitate, quæ & vitæ ſocietate & generatione conſtat, continuo ſubdit eos non erubuiſſe ob eas partes, quibus fiat hæc generatio & aſtrictio. Quod ſimplicitatem, & innocentiam, & puritatem, candorem animi declarare, omnibus qui confiteantur aſſentior. Sanctitas autem & puritas non erubeſcit. Stat autem vt qui eſt aliàs ſapientiſſimus, idem ſit & ſimpliciſſimus: ſicut qui aſtutiſſimus, idem ſtultiſſimus in vita & cæcus. Qui ergo habuit omnium appellandorum animalium à Deo ſcientiam, habuit ab eodem autore & opifice ſuo quaſi tunc recens natus & paruulus, malorumque neſcius, ſummam innocentiam & puritatem. Hinc F quo fuerunt huic ſtatui res propiores, eo fuerunt meliores & ſimpliciores, canentibus hæc etiam poetis. Aſtutias autem callidus ſerpens, bonitatis & innocentiæ populator inuexit, cuius inuidia etiam mors introiuit in mundum. Recte ergo reſpondent hominum ſimplicitas & draconis aſtutia, vt ablatio ſimplicitatis ab aſtutiſſimo facta cognoſcatur. Quo circa eadem voce nudus & aſtutus Hebraice vocatur, ערים harum, quaſi duobus contrarijs inter ſe ſignificatis ſub eadem voce latentibus.

A

CAPVT TERTIVM.

Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus, quæ fecerat dominus Deus.

QVOD philoſophia Moſis, iuxta ac totius gentis eius ſcriptores, ſit humanior,
& ſimplicior, res tantum vt geſtæ ſint, nihil interius & arcanum deſcribens,
hoc facit, vt quæ clarior hac de cauſa eſſe debuiſſet, obſcurior nonnunquam
ſit effecta. Verba & locutiones ſimplices & exteriores ſunt omnes & corporeæ,
totusq; ſermo ex humanis tum verbis, tum operationibus contexitur.
Raro aut nunquam de ſupercæleſtibus: tum ſi quando cæleſtia ad terrena
ſe tranſtulerint, ſolas ipſas formas corporeas deſcribẽs, raro interiorem
oſtendit diuinitatem. Veluti quod ait, Abraham tres viros vidiſſe, ſummas tantum facies, interiores
autem qui ſub viris laterent, non explicans. Neque enim dicit, vt poſtea res ipſa docuit:
Abraham tres ſpiritus ætherios, in ſpecie humana vidiſſe, è quibus duo à dextris, & à ſiniſtris
medium ſtipantes, eſſent Angeli, medius Deus ipſe, qui ſolet nomine quatuor litterarum
ſemper appellari. Similiter cùm Iacob de Meſopotamia in Chanaan cum tota familia, & gregibus
reuerteretur, & iam illuceſcente aurora proficiſceretur, quendam virum ſcribit obuium habuiſſe,
qui ſenem amplexus, eum deijcere in terram, quale fit in Palæſtra, conaretur: ſenem autem
victorem fuiſſe, viro illo non quidem deiecto, ſed ſuperato ne ſe ſterneret, eaque de cauſa
ab eo ipſo viro appellatum Iacob, Iſrael, id eſt victorem Dei. Quicquid hic factum eſt, ſub humana
imagine factum, habitus ipſe viri, nomen, lucta, & ſuperatio, omnia rem humanam repræſentantia,
B ſolo ex eo quod ille ſuperatus locutus eſt, & ex nomine impoſito intelleximus eum
fuiſſe ſiue Angelum, ſiue Deum, ſiquidem El frequentius eſt nomen Dei, quàm Angeli. Eſt
aliud item exemplum. In libris Regum ſcribitur & innuitur per Pythonem Samuelẽ fuiſſe ſuſcitatũ,
& tamen idem ipſe qui Pythonem ſeu ventriloquam adierat, iamdudum qui genus iſtud ſuperſtitionum
exercerent, amolitus tanquam magicas vanitates fuerat. Tum ſceleratiſſimum &
omnibus rationibus improbiſſimum eſt, tantæ potentiæ credere mulierculam fuiſſe, vt virum ſanctitate,
& amicitia, commercioque diuino maximum, frigidis incantationibus exſuſcitarit. Quaſi
ſit ſcriptura poeſis, quæ fingat Circen quandam potentibus herbis homines in lupos, & vrſos,
& ſues, tum ex his iterum in homines vertere ſolitam. Quod niſi ratio ſuccurreret, proculdubio
à ſcriptore in maximum, inexpiabileque facinus traheremur, non quidem ipſo fallente, falſaque
referente, ſed modum, remq; ipſam non declarante, vt doceret Samuelem non à vili contemptiſſimaque
muliercula, ſed à Deo fuiſſe ſuſcitatum, qui apud Ezechielem promittat ſe etiam
per fallaces prophetas reſponſurum, daturumque ſigna & viſiones. Sed poſtea daturum pœnas
prophetam illum mendacem, & impoſtorem. Hæc aut id genus ſignificare ſcriptor ille debuit.
Neque vero reprehenſor nunc ſim, ſed potius monitor, docens ſæpiſſime multa à ſcriptoribus
ſacris præcipue interiora, ac latentiora reticeri, vt minime miremur factum idem, hoc etiam
loco à Moſe, qui ſupernum duntaxat ſerpentem exhibens, internum ſpiritum reticet, cùm tamen
loqui ſerpentes non poſſint. Et vt bene monet Seuerianus, σιωγᾷ δὲ μοσῆς τὸν ἐν αὐτῷ λαλήσαντα
χριςὸς δὲ μόνος γυμνῶς ἀπεκάλυψεν, Tacet Moſes qui è ſerpente loqueretur, ſolus detexit
Chriſtus eum mendacem dicens, & homicidam. Et Theodorus neceſſario Moſen, ait reticuiſſe
C diabolum, quippe quem decepti non congoſcerent. Plura quoque dicenda fuerant in
hac deſcriptione, quomodo mulierem acceſſerit, cur eã potius quàm virum attentauerit. Quomodo
quæ traderet, forent credibilia, vt eſſent ſerpentes locuti, cogitare etiam antea debuit.
Nec mirum ſerpentem iſtum non totum, ſed exteriorem tantum eum deſcripſiſſe. Qui etiam ſerpentes
illos quos ipſe vidit, à maleficis exhibitos Pharaoni, ſerpentes fuiſſe dixit, non referens
quales eſſent: magica autem phantaſmata, ſimulatique dracones erant, qualis & ille in paradiſo.
Collectis igitur ex omni ſcriptura compluribus exemplis, datur nobis aditus ad intelligendũ
quid ſub hac deſcriptione ſit omiſſum, cur ſit exterior tantum ſerpens propoſitus. Agnoſcimus
idem in cæteris factitatum, apparentias, imagineſq; rerum ſcriptores ſacros tantum referre,
interiores res omittere. Reuertor ergo ad propoſita ſuperius exempla, dicoq; ſcriptores ſacros
eſſe ſimplices rerum narratores, non interpretes, poſteris autem hunc laborem eos reliquiſſe, vt
in intelligendis occultis deſudarent, oblata paſſim occaſione ex cæteris exemplis. Dicoque tametſi
ſerpens iſte paradiſi, & ſerpens appelletur, & tota deſcriptio conueniat in animantem terreſtrem,
talẽ tamẽ ſerpentem fuiſſe quales illi Magorum & maleficorũ Pharaonis, qui & ſi dæmones
eſſent, aut oblata per dæmones phantaſmata, ex eo tamen quod videbantur, à Moſe ſerpentes
vocantur. Similiter tametſi Deus in medio, cingentes autem à dextris & à ſiniſtris duo erant
angeli, tamen quòd in habitu viri viſi ſunt, viri ſunt appellati. Sic tametſi eſſet aut Deus aut angelus,
qui cum Iacob eſt luctatus, eum tamẽ, quòd videretur vir, virum theologia vocauit. Quæ
conſuetudo cùm ſit his exemplis nota, admirari non debemus, ſi in deſcriptione Moſaica, tantum
ipſa imago, & apparentia deſcribatur. Vtque intelleximus in Abraham, medium illum fuiſſe
Deum ſummum, duo circumſtipantes, Angelos, quia duos Angelos poſtea narrat Sodomã pro-

fectos, Deum autem remanſiſſe cum Araham, ſic ex cæteris quidem cognouimus ſerpentem paradiſi, fuiſſe ſerpentem: ſed quia locutus eſt rationalem eum fuiſſe cognouimus, quia fefellit ſpiritum malum: omnis enim cognoſcens & loquens ſpiritus, aut eſt homo, aut Angelus, aut Deus. Homo in nullam ſe poteſt vertere figuram, Angelus & Deus vertunt, ſed ex operatione & aſſumpta figura fit res manifeſta. Deus conuenientiſſimam diuinitati ſuę figuram aſſumet, aut humanam ſcilicet, aut diuiniſſimam quandam, qualem vidit in rubo Moſes, Apoſtoli in monte, humanam quoque ſed formoſiſſimam, qualem vidit Abraham & Moſes. Angelus ſimiliter congruentiſſimam, pulcherrimam, clementiſſimam, ferinam autem, & truculentam, dæmon, Angelus malus: prauitati & interiori deformitati congruentem. Aſſumpſiſſe autem pulcherrimas & clementiſſimas ſpecies Deum & angelos, conſentiunt etiam antiqui poetæ, varias autem & truculentas ſpecies aſſumere ſolitum dæmonem ex ipſis etiam poetis antiquiſſimis oſtendo. Et quod admiratione dignius, celebratur apud poetas forma colubri, in quam ſeſe vertat ſpiritus ille malus. Homerus igitur inducens Proteum, cui magica phantaſmata dęmones ſubminiſtrarent, in quæ ſeſe ille eorum auxilio, aut ipſi pro eo, verterent, ſcribit varias formas has, & monſtra fuiſſe. D

Odyſſ. δ.

Α'λλ' ἤτοι πρώτιςα λέων γένετ' ἠυγένειος,
Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις ἠδὲ μέγας σῦς,
Γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον.

Principioq; leo ſenior fuit ille iubatus,
Inde draco, & pardus, mox vero terribilis ſus,
Liquidaq; vnda fuit, tum celſo vertice planta.

Apparet ergo etiam illos (nam Homerum hæc ad magica phantaſmata Aegyptiorum, probatiſſimi ſcriptores aſſerunt, retuliſſe) magnam fingendorum falſorum ſimulacrorum dæmonem habere poteſtatem crediſiſſe. Erant, vt dixi, ſimulacra interiorem crudelitatem, feritatemq; decentia. Leo, vnde etiam in diuinis litteris, tanquàm leo rugiens peſſimus dæmon inducitur. Draco, forma congruens aptiſſime venenis, quibus afflare peccantes, eosq; qui ſub vmbram alarum diuinarum non refugiant, ſolitus eſt. Nam aſtutias ac inuidias, malitiasq; eius nulla re quàm nomine veneni tam bene quis expreſſerit. Vrit enim curis, & cæcum ſpargit in præcordia virus. Quod mortales incauti non ſentientes, ſæpe putant bella & ſæuas cupiditates, humanis & naturalibus cauſis accidere. Hac forma decepit primos homines. Tum vrſus cæteræq; formæ quadrant ad illuſiones diabolicas. Claret igitur etiam illos agnouiſſe phantaſmatum fingendorum, id eſt non rerum verarum, ſed ſimulatarum, quales oculis ſolent à circulatoribus exhiberi, dæmonem habere facultatem. Hoc ipſum clarius demonſtrauit noſter poeta, qui quaſi è Chriſtianis theologis vnus, deſcribit locum, naturam, mores, ingenium, cupiditatem, auiditatem, modumq; fallendi, & in omnia ſe transferendi, dæmonis poteſtatem: Deſcribit autem monſtrum horribile, ſanguinis, diſcordiarumq; ſitibundum, ſecreta venena mentibus inſpirans, figuram autem ei præcipue dat ſerpentis & colubri, vt vel antiquis relationibus, vel huc ducente natura, videatur iſta tradidiſſe. E

Satan.
Diabolus.

Appellatur in diuinis litteris hoc monſtrum Satan, id eſt aduerſans, quaſi hoſtis, & inimicus, quam aduerſationem in calumniando præcipue poſitam credentes Septuaginta interpretes, διάβολον, calumniatorẽ verterunt eius nomen in Græcum. Sed enim latiſſime patet malum eius, nec calumniatur ſolum, ſed omne genus exercet fraudum malarum, quod ſub Hebraica voce ſatan, deſignatur, & ſub poetica Alecto, quaſi inſatiabilis. Nunquam enim nocendi ſitis extinguitur, ſemper vt in noſtris litteris extat, inſidians. Dicitur etiam Megæra, id eſt inuidens, intelligẽtibus nominis autoribus quod eſſet traditum in ſacra theologia, inuidia diaboli mortẽ introiſſe in orbem terrarum. Sed audiamus poetam tantum monſtrum deſcribentem, referentemq; eadem quæ traduntur à noſtris, tum non mirabimur hoſtem inuidentem homini immortalitatem, & eius pacem cum Deo, & concordiam, à principio ſeſe in figuram colubri conuertiſſe: F

Luctificam Alecto, dirarum ab ſede ſororum,
Infernisq; ciet tenebris, cui triſtia bella,
Iræq;, inſidiæq;, & crimina noxia cordi.
Odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum, tot ſeſe vertit in ora,
Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Primum deſcribit locum, infernas ſedes, appellat luctificam, totam vim malorum ab eo patratorum exprimens. Nihil enim præterquàm fletus & gemitus concupiſcit. Tum locum luctuoſum, lachrymis & luctibus fœtum, vbi ipſa inhabitat, cupiens omnes adducere: vbi inquam fletus eſt ſemper, & ſtridor dentium. Tum naturam, mores, & ingenium luculentiſſime declarat, ei ſolas placere dicens iras, inſidias, domos, vrbes & nationes vaſtantia crimina. Diabolus aiunt noſtræ litteræ inſidiatur vt pereas. Et à Christo, de eo dictũ eſt ἀνθρωποκτόνος ἀν ἀπ' ἀρχῆς, homicida fuit

A fuit ab initio. Tum ſeſe in omnes facies vertendi potentem oſtendit, facies quidem prauitati ſuæ congruentes, nimirum ſæuas, & truculentas, ac formidabiles: præcipue colubroſas, plenas ſerpentibus & anguibus, quibus venena ſua, tanquàm ipſe maximus anguis, effundit. Eoq; in anguem verſus primos homines decepit, delectatus à principio hac figura. Progrediens poeta hæc addit:

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs verſare domos, tu verbera tectis,
Funereasq; inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

Non poterat deſcribere diuinius, peſſimi dæmonis vim. Odit enim pacem & concordiam, exhibens mille earum diſiungendarum occaſiones, incognitas quidem nobis, & callidiſſime oblatas. Sunt autem ei mille nomina, ſub quibus mille nocendi artes continentur, è quibus quædam notę ſunt, quædam ſumma eius calliditate occultantur, poteſt enim & in ſomnijs decipere, naturales appetitus accendere, tum furias animo hianti & ſupino inijcere. Siquidem & ille qui totum eum norat, ad mentes ocioſas reuertentem, easq; ſibi paratas inuenientem, omnia dicit euertere. Mille ergo artes, nempe quot ſcelera cogitari & fieri eius ſuaſu poſſunt, tenet impoſtor, plures item, quæ nominari non poſſint. Summum autem munus eſt diſiungendæ pacis, vt luctus & diſcordia, cædesq; ſequantur. Quam naturæ ſuæ malignitatem, ſimul homine exorto, cœpit exercere, diſiecta pace, quæ inter hominem, atque opificem intercederet: facesq; funereas intulit in orbem, & verbera manus plangentium ac lamentantium, proſequitur vates quomodo fœminam natura B leuiorem, faciliusque deceptioni patentem, verſus in colubrum decepit, quo factum, vt maxima cædes, & ſanguis ac luctus ſit conſecutus. Quo loco admiratione digna profecto res, vt quemadmodum Moſes ſcribit colubrum iſtum primam mulierem decepiſſe, & ab ea deceptum virum: ſic poeta hoc monſtrum vxorem Latini inflammaſſe ac decepiſſe canat, per colubrum, vnde bellum crudele exarſerit. Sed fœminam primum natura ſua ad malum patentem demonſtrat:

Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic Dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Conijcit, inque ſinum præcordia ad intima ſubdit.
Quo furibunda domum, monſtrum permiſceat omnem.
Ille inter veſtes, & leuia pectora lapſus
Voluitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inſpirans animam.

Ecce & fœmina hoc loco decipitur, & per anguem decipitur, qui veniens ad eam, alio quodam modo quàm primam mulierem fefellit. Rectè enim dicunt noſtri, non fuiſſe antiquam vehementem tentationem, nec interiorem animum attigiſſe, ſed exterius tantum, & loquendo monſtrum virus afflaſſe. At ille anguis ſubter præcordia lapſus, perque omnem fœminam oberrans, furore eam decepit, ſed ardentem prius & expoſitam. Non ſic priorem fœminam meliorem C & ſanctiorem, vt facile ſi voluiſſet, potuerit eum reijcere, cùm & ſerpens horridus eſſet, & exterius prodigioſe loqueretur. Quibus e ueſtigio poterat deceptio patefieri. Inſpirauit ergo vipeream animam vtrique mulieri, ſed priori non inſpirauit, niſi perſuadendo, verbisque exterius ſonantibus: Illam autem validius. Tum ſi poetam legas, illa quoque afflata, hac anima viperea, maritum aggreſſa eſt, cum ex oraculo diuino dimouere conata. Sed grauis ille vir perſtitit immotus. Paulo poſt iterum ait poeta, *--penituſque in viſcera lapſum Serpentis furiale malum.* En & apud eum, ſerpens deceptor, malum furiale inijciens mulieri, inflammans fęmineum animum, fraudibus ſuis aptiſſimum. Hęc igitur carmina citaui, vt ex omnium ſcriptorum teſtimonio agnoſceremus, quæ ſacris litteris traduntur, ne miraremur tanquam inſolitum ac prodigioſum, antiquiſſimam fœminam à ſerpente deceptam. Nam niſi ſuperius poeta originem totius mali explicuiſſet, quæ vis eſſet Alecto, qua poteſtate & artibus inſtructa, quomodo obſediſſet limen Amatæ, dubitaſſemus proculdubio de ſequentibus, nec potuiſſemus inducere in animum, qua ratione à ſerpente ſpirituale venenum eſſet inſpiratum. Intelleximus autem ex priori deſcriptione, eum fuiſſe ſpiritum malignum, ſeſe in quacunque velit formas vertentem. Verum apud Moſen compendioſe loquentem tantum ſubſequentia, non etiam antecedentia referuntur. Neq; enim perinde atque poeta narrauit, etiam ſi totius mali originem referre neglexiſſet, fuiſſe à principio ſpiritum impium, crudelem, ſuperbum, inuidum, qui ob arrogantiam ac ſuperbiam, paulo ante de cęlo cecidiſſet. Qui cum ſe poſſet in omnigena monſtra mutare, inuideret autem homini, quam ipſe amiſiſſet diuinitatem, eiusque & totius poſteritatis funus affectaret, in ſerpentem mutatum, conſtitiſſe in paradiſo, tacitumq; limen reginæ obſediſſe, vipereā animam inſpiraturū. Retulit ergo ex omni deſcriptione, pauca tantū, finē & effectū deceptionis, & formā qua ſit facta deceptio, principium autē totius mali non retulit. Nos autem ex cæteris locis, & ex vniuerſa philoſophia, hæc duo cognouimus. Spiritum eſſe quendam inuiſibilem, perditum, inuidiæ, atrociſſimarumq; D cupiditatum plenum, tum viſibiles formas induendi potentem. Idque intelleximus multis ſimul teſtimonijs & exemplis concurrentibus. Ac fortaſſe priora illa reliquit Moſes, quòd poſſent, niſi ſtulti & tardi ad cogitandum eſſemus, facile animaduerti. Quandoquidem & aſina Balaham locuta eſt, licet eo loco dictum ſit, Dominum aperuiſſe os aſinæ. Quod ſi & hoc loco, ſimile quid poſuiſſet, omni nos anguſtia liberaſſet. Sed non credo eum dicturum fuiſſe, Dominum aperuiſſe os ſerpentis vt loqueretur, ſed diuerſum quiddam, aut angelum malum, aut aliquid conſimile. Conſtat igitur teſtimonijs etiam prophanarum litterarum primum, eſſe monſtrum quoddam inuiſibile, malorum ſitibundum, lachrymarum, funerum, ſanguinis & cędis auidum, id ipſum eſſe verſutum, verſipelle, verſatile, & quod Græci πολυμήχανον, diuerſis artibus inſtructum, ad fallendum, pectus fœcundum malorum. Has artes eſſe cum primis, quòd poteſt quaſcunque velit formas aſſumere: poteſt fieri canis, draco, aper, & ex his latrare poteſt, & loqui. Demum conſtat è formis in quas ſe conuertat, quibus decipiat, frequenter aſſumpſiſſe colubrum. Denique facinus aliquod aggreſſurum, ad fœminas primum aſpiraſſe. Cuncta ergo hæc aſſenſu omnium litterarum conſtant, eſſe ſpiritum impium, inuidum, tum verſutum, id eſt verſantem formas, tum forma colubrorum eum delectari, tum hac decipere, præcipue fœminas. Colligentes ergo, & quod ait CHRISTVS de Iudæis, γεννήματα ἐχιδνῶν proles viperarum, quod exponunt, filij diaboli. Et quod Paulus dominus conteret ſatanam ſub pedibus veſtris. Item q CHRISTVS, pugnare cũ antiquo ſerpẽte. Tũ ſerpẽtes Magorum Pharaonis. Et canes oblatos à Simone Mago corã Nerone, iam vero & phantaſmata Protei: Facilem omniũ inueniemus ſolutionẽ, ad hæc & duas rationes adhibentes, quarum vna eſt, quòd oratio, eſt oris ratio, animiq; ſimulacrũ, quòd vbi ora- E tio ſit, neceſſario adſit mens cognoſcens, verbaque formans: deinde non eſſe difficile ſpiritui ſolertiſſimo è quocunque corpore & animali loqui, quando è ſimulacris ligneis & lapideis loquebatur, è quercu, è percuſſo lebete, è ventre, vnde ventriloquæ Græce ἐγγαστρίμυθοι. Et vt ait Serabus, ſic loquebatur per ſerpentem, ſicut per fanaticos. Quencunque enim arripuit, intellectum & rationem tollit, ipſeq; regit habenas: ac tota erit res enodata ac patefacta. Nunc ſingula verba perpendamus.

Serpens erat callidus.

SErpens Hebraice dicitur נחש nachash, cui voci ſubeſſe quoque ſignificatum incantandi, magicamque exercendi, & diuinandi, ac tentandi, incredibiliter demiror. Siquidem Hebraice nachash etiam augurari, futurarumque rerum ſcientiam quærere deſignat. Vt Gen. cap. 44. Sciphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet: id eſt ſcientiam quærere, futura veſtigare, probare quid eueniat, quid impendeat. Et cap. 30. Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. Quod Hebraice, נחשתי probaui, inquit, & benedixit me Deus propter te. Et Chaldæus loco probaui, habet נסיתי tentaui. Omninoque vox deſignat explorare, artibus quibuſdam arcanis ſecreta quærere, præcipue vt ſolebant ſuperſtitioſi. Mirabile igitur eſt à nomine ſerpentis, factum eſſe verbum nichas, probandi quærendi, futura, idque arte quadam: ſicut à dabar quod eſt verbum, dicitur dibher, loqui. Videturque ex iſto loco idem eſſe nomen ſerpentis ac tentantis, & verbum nichash, quod quaſi ſonat ſerpentare vſurpatum pro eo quod eſt probare, diuinationem, certitudinemque futurę rei capere: F vt videatur aut Adam inſtinctu quodam diuino, ſerpentem appellaſſe tentatorem ac probatorem, per quam quaſi diuinare, & cognoſcere Deus decreuiſſet, an diligeretur ab homine, aut ex illo tempore totam gentem, quæ quidem omnis Hebraicè loquebatur, cognouiſſe per ſerpentem hominem fuiſſe probatum, ac quaſi per eum ſuper homine augurationem ac diuinationem Deum cepiſſe. Exin, omnem rerum futurarum artem, qua ſecreta veſtigationem ac examinationem appellatam quaſi ſerpentationem. Rectè igitur ſerpens erat diabolus, quia vocat eum tentatorem theologia. Nam ſerpens & tentator Hebraicè idem ſunt, idem quoque tentator & dæmon. Et acceſſit, inquit, ad eum tentator dicens, Verte lapides iſtos in panem. Eſcam quoq; propoſuit mulieri, quaſi & illi ſuggerens, Comede fructus hos ſuauiſſimos, & ad cognoſcendum aptos. Serpens igitur fuit augurium, ac quædam diuinatio, & probatio. Eamque ob cauſam dicitur Græcè dæmon πειραστής, opera eius πειρασμός. Duplices autem ſunt omnino ſerpentes, hi qui dracones dicuntur, & hi qui ſerpunt. In ſcriptura interdum vtrunque genus nuncupatur nachas, nonnunquam nomine differunt, appellanturque dracones, thaninim. Poteſt igitur hoc loco nomine ſerpentis aut draco ingens & alatus, aut coluber intelligi. Magis autem draconem crediderim, vt quaſi in forma baſiliſci ſe obtulerit, quem Latinè regulum potes appellare, quòd geſtet in capite quaſi coronam perinde atque gallus. Duæque ſententiæ poſſunt occurrere, vt vel per verum terreſtremque ſerpentem dæmon ſubiens in præcordia ſit locutus, aut ipſe in forma & phantaſmatę ſerpentis apparuerit, ſicut coram Pharaone per incantationes Magorum, & quales canes oblati à Simeone Mago, cæteraque multa. Superior diſputatio in hunc poſteriorem tendit ſenſum. Fieri quoque poteſt vt prior ſit verus, quod tota ſerpentis maledictio corroborat. Illæ quidem meræ fabulæ, vt opinati ſunt quidam Hebræi, mulierem voces animalium

A tunc intellexiſſe, nutumque ſerpentis agnouiſſe. Quidam ex eis Satan ſerpentem ſunt arbitrati, ſed ab aliis propter maledictionē coniectam in ſerpentē terreſtrem, vt ingrederetur ſuper pectus, vt comederet terrā, reiicitur. Sed hi à Scylla in Caribdin quod aiunt, referuntur. Quomodo locutionem in brutis animantibus oſtendent? Nō poteſt ergo melius dici, quàm fuiſſe dæmonem. Et Hebræus ſiue Salomon, ſiue Philon aſſenſus eſt, φθόνῳ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, Inuidia diaboli, iſtius ſcilicet ſerpentis, mortem ingreſſam in mundum: quod quidem artificioſe & malitioſe fecit, ſicut oīa, & ſicut decet fraudulentū. Duo ſunt autem hoc loco dæmonē declarantia, calliditas, & ſermo. Nā & ſi ſunt multæ fraudes in animalibus brutis, maiores tamen fraudes, artis & rationis & ſermonis indigentes, non ſunt. Quomodo autem tanta fraus, niſi à ſolertiſſimo & ingenioſiſſimo deceptore fieri potuiſſet? Quod autem dixit callidior, Hebraicè ערום arum nomen fere in malum propenſius, quàm bonum, magiſq; malignam aſtutiam, quàm bonam denotans. Vnde ſunt illa: Super populum tuum malignauerunt conſilium: quod Hebraice hac ipſa voce ſignificatur. Super populum tuum יערימו iaarimu. Quod Septuaginta trāſtulerunt κατεπανουργήσαντο, ex quo intelligimus, quòd iſto loco cùm dicitur ſerpens erat callidior, intelligendum eſt, malignior, propriumq; eſt nomen diaboli, πανοῦργος, id eſt veterator, malignus. Suntq; idem πανοῦργος πονηρός, & vtrunque eſt nomen diaboli. Et Aquila & cum Theodotione, quod Septuaginta iſto loco ſapientem tranſtulerunt, ipſi πανοῦργον. Exodi quoq; vbi in noſtra editione dicitur, Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum: Hebraice eſt בערמה bearema, quaſi per malitiam, per malignitatem & fraudem, & verſutiam, ſtudioque maligno. Omnibuſque collectis, hac voce illa nocendi ars, & ingenioſa malitia denotatur, quæ B declarauit declaratque ſemper autorem ſuum. Serpentem autem omnibus animantibus callidiorem dixit, reſpiciens poſteriores fraudes non præſentem naturam. Non inquam quia haberet natura calliditatem, ſed quia fecerit rem ſummæ calliditatis. Ideoque non in terreſtrem naturalemque ſerpentem hæc pertinent, ſed illum qui ex vna malitioſiſſime re perpetrata, cognitus & vocatus eſt malitioſus. Quod cùm nulla cæterarum animantium fecerit, iure præfertur omnibus illis, hac parte. Sicut autem nunc ante omnes animantes calliditate præfertur, ſic ante omnes animantes paulo poſt maledicetur. Appellatuſque eſt ab eo qui genus humanum ab illata morte ex fraude eius, liberauit, ſerpens antiquus, cōtra quem docuit eſſe pugnandum, vt præmium æternum acciperemus. Quaſi referens eadem, quæ par eſt eum cum Adam in paradiſo locutum, cùm in aciem deſcenderet. Idem vtrobique princeps, & hortator magnus, in fine temporum clamans apud mortales, pugnate cum antiquo ſerpente: In principio, pugnate cum nouo iſto ſerpente, aut mandata mea ſeruate, nullius ſuaſu à legibus meis diſcedite, & accipietis præmium æternum. Quare conſtat Abraham Auen Eſdra falli, & fallere, aſſerentem hæc iuxta ſonum accipienda, vt ſerpens fuerit verus, naturaliſque ſerpens, cui Deus ſcientiam dederit ante omnes beſtias, ſed non ante hominem. Quæ & antiquorum Hebræorum, & quod irrefragabile eſt, ipſius veritatis teſtimonio refelluntur. Ratio quoque pugnat aperte. Paulus etiam eximius, aſtutias ſatanæ commemorans, credoq; eum ſua dialecto pro aſtutia vſum voce iſta Moſis ערמה arema, attribuit illi quod & Moſes, & mulier. Moſes, Serpens callidior cunctis animantibus: Mulier, Serpens decepit me. Paulus autem, Timeo ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam, ita corrumpantur ſenſus veſtri per aſtutias Satanæ. Ergo vt antiquiores Hebræi cēſuerunt, is erat Satan. C Eadem autem ſunt nunc atq; tum bella, eædem inſidiæ, eadem victoria, idem præmium. Si pugnatur fortiter, præmium æternum eſt paratum: ſi pugnatum tunc fortiter fuiſſet, etiam præmium æternum fuiſſet conſecutum. Sed corporalius tunc agebantur. Aſtabant corporaliter præmium, bellum: Ventum in aciem viſibilem, oblatus viſibilis hoſtis, propoſitum viſibile præmium.

Serpēs antiquus.

Qui & dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?

PRo eo quod noſter tranſtulit, cur, imitatus fortaſſe Septuaginta τί ὅτι εἶπεν, quid eſt quòd dixit, Hebraice habet אף כי duæ particulæ, quæ ſonant, etiamq;, eſto vt. Ex quo putant nonnulli Hebræi, quia ſermo imperfectus ſit, alia quæpiam antea dixiſſe ſerpentem, vt tandem ſermonem abſoluens, addiderit, nedum, non quòd, multo minus præcepit. Quaſi ad hunc modum loqueretur: Vos creauit inclytus iſte princeps ac dominus, rerum nihil vobis ad beatitudinem denegauit, non denegauit dominatum ſuper omnes animantes, nihil eorum ad alimentum, quæ è terra naſcuntur, multo minus igitur arborem iſtam contingere, fructibuſque eius veſci prohibuit. Chaldæus tamen vt annotationes oſtēdunt בקושטא ארו in veritate quòd, verum ne eſt, quòd dixerit. Quod admirabundus cum deceptione ſerpens loquebatur, quaſi ſuper re noua, & inſolita, & incredibili, perinde atque illud. *Id cinerem aut manes credis curare ſepultos?* Non eſt, inquit, veriſimile, Deus vt iſta curet, &, vt ſecutura mors ſit, pomorum eſu, ſecutura eſt quæ denegatur, inuideturque, ſcientia boni & mali, quæ vos ipſi Deo adæquabit. Ac potius reor inuidere vobis Deum iſtam diuinitatem. Tale quid videtur ſerpens eſſe locutus. Ex quo recte tum deceptor & fraudulentus, tum calumniator eſt appellatus. Decipit mentiendo. Vnde & diabolus & mendax, decipiens cum maxima fraude, tum vt ait Chryſoſtomus, iure calūniator: quia Deum apud nos,& nos apud Deum calumnietur. Loquitur apud mortales de Deo falſa, eum rerum huma- D narum autorem negans, aut contemptorem prædicans, negans omnipotentem, noſtri apud Deũ calumnia occultior. Dicuntur autem ſicut & cætera breuibus à Moſe, multaque tum dicta tum facta neceſſario interfuerunt, quæ reticentur: credendum eſt, enim pleraque alia ante tentationem & in ipſo tempore ſerpentem feciſſe. Quem vbi conſtiterit an iuxta arborem, an nemore maligno, opaco aut in via, Moſes non deſcribit. Tum non oſtendit an Eua cum viro tunc eſſet, aut ſeparatim deambularet animi cauſa per paradiſum. Deinde vtrum in paradiſo natus, an exterius ſerpens aduenerit. Breuibus maxima & copioſiſſima complectens. Credendum eſt autem fuiſſe draconem pulcherrimum, criſtatum, ſublato pectore & collo: qui ſpeculatus formoſiſſimã fœminam per paradiſum exultantem, corporeaſque delitias captantem, eam minime occupatam, nec ad creatorem ſuum animo, ſed ad delitias illas intentam, inuaſit. Nec alterius generis aggreſſionẽ fuiſſe putandum, quàm quas homines ſæpe faciunt, cùm aut amicos, aut inimicos circumueniunt, aut cùm inſidioſe ad aliquem accedunt. Sed præcipuam diuinæ litteræ teſtantur dæmonem habere vim, cũ mentes offenditocioſas. Nam, *Ocia ſi tollas periere cupidinis artes.* Quod ipſe veridicus autor etiam docuit, cùm in domum, id eſt mentem vacantem, paratam, ocioſam, eos ventitare ſociatos aſſeruit. Alij eum obambulare, vt deuoret. Ergo obambulantem, cauſamq; nocendi quærentem, credendum eſt, in mulierem ocioſam incidiſſe. Par eſt autem, ſi illa oraſſet, ſi cum Angelis & Deo, mente manſiſſet, nullam hoſtem vim habiturum fuiſſe. Interea cum & Adam ſeorſum procul, fruens amœnitate paradiſi deambularet, tempus opportunum callidus impoſtor quæſiuit, vt tunc mulierem aggrederetur, cùm nec in cęlum intentos oculos haberet, & virili adiumẽto careret, qui fraudum occultarum eam forte cautiorem, attentioremque feciſſet. E Nam ſerpentem viſum ab Adam non eſt credendum, ſed perpetrata deceptione, & illis comedentibus ſubito delituiſſe. A muliere autem allatum eſt pomum, viro deambulanti. Ideo perſuaſus eſt, non deceptus, vt aiunt Græci, dictum Pauli exponentes. Cùm ergo vidiſſet eam cęteris omnibus fructibus veſcentem, ſolam, quæ in medio erat, arborem non attingentem, tum memor eorum quæ fuerant antea decreta, vt ſi non comederet, mortalitate careret, talibus aggreditur dictis, Cur præcepit vobis Deus? Admonent autem Hebræi in hoc ſermone ſerpentis nominari nomen Dei Elohim duntaxat, non etiam nomen tetragrammum Iehouah, quod ſemper in ſuperioribus nominatur, dicentes hoc nomen ſerpentem ignoraſſe. Atque credendum eſt non ignoraſſe hoc nomen ſerpentẽ, ſed potius reticuiſſe, ſicut ſæpe multa diuina reticuit. Veluti cùm rogatus Apollo qui vir fuiſſet IESVS, reſpondit, eum fuiſſe virum ſapientem, à Chaldæis occiſum, ſuppreſſit diuinitatem. Sic nomen ſuppreſſit dæmon, quod diuinitatem veram ac ſolam ſignificaret. Tum nominum diuinorum nimia veneratio, quæ ſola prope eſt apud Hebræos philoſophia, in ſuperſtitionem abit, dum magis quàm par ſit, ventilantur, & excutiuntur, ſuſque deq; volutãtur. Porrò cum hac ſerpentis interrogatione, expreſſum mendacium eſt adiunctum, quod mulier ſi voluiſſet, facile deprehendiſſet. Aſſerit enim Deum præcepiſſe ne ex omni ligno veſcerẽtur, cùm contrà Deus dixerit, Ex omni ligno quod eſt in paradiſo comede. Quod quidem mendacium mulier coarguit incauta, recitans memoriter mandatum. Ex omni ligno veſcimur. Quod & Seuerianus obſeruauit. ἡ γυνὴ νομίσασα ἄγνοιαν εἶναι διορθοῦται τὴν λέξιν, οὐχ οὕτως φησὶν, οὐκ εἶπεν ὁ θεὸς μὴ φαγεῖν ἀπὸ παντὸς ξύλου, ἀλλ' ἀπὸ παντὸς μὲν ξύλου ἐπέτρεψεν ἀπὸ δὲ ἑνὸς ἐκώλυσεν, ἔδοξε μανθάνειν ὃ οὐχ ἤδει. Hoc eſt: Mulier arbitrata quod ſerpens dixerat, F cur præcepit ne comederetis ex omni ligno, inſcitiam eſſe, corrigit dicens, nõ vetaſſe Deum, ex omni nos arbore veſci, ſed ex vna tantum. Tum verò viſus eſt didiciſſe, quod neſciret. Triplexq; mendacium monſtrat idem fuiſſe in ſerpente, Ne ex omni ligno comederent, vno tantum vetito. Non morte moriemini. Et, Nouit Deus quòd in quacunque die comederitis, eritis ſicut Dij. Denique vbique deprehenditur mendax ſerpens, ſcelerum, mendaciorumque pater & artifex, cùm etiam eos morituros negauerit. Cum ergo ait, De fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi. Apparet ex iſto loco, quod & Hebræi quidam arbitrantur, in medio paradiſo & quaſi eodem loco, propinquas fuiſſe arborem vitæ, & arborem ſciendi bonum & malum. Etenim ſuperius ſic ſcribitur, Et lignum vitæ in medio paradiſi, hic vero etiam lignum ſciendi eſt in medio paradiſi. Erant ergo quaſi duæ præſtantes cæteris arbores, inſignia mortis & vitæ. Sicut enim mortis arbor dicta eſt, & tamen non eſt illico mors ſecuta, fructibus eius deuorat is, tum arbor ſciendi dicta, cùm poſtea ſi fructus eius attingerentur, mortem futuram prædiceret, quæ omnia ſymbolica ſunt, minime ſub cortice remanentia, ſic veram vitam in illa, mortem verã in iſta debes intelligere. Atque attentius quod dixi conſidera. Arbor ſciendi dicta eſt, cuius qui fructibus veſceretur, moreretur. Quid ergo conuenit inter ſcire bonum & malum, ac mori? Cur in eadem arbore vtraque tam ſecum diſſidens res apponitur? Videlicet ſic habent quiddam paulo magis reconditum, ſicut quod dixit ille, Non bibã amplius de hoc genimine vitis, niſi cùm fuero in paradiſo vobiſcum. Hæc, inquit, conuiuia, & dulciſſima ſympoſia in terris deinceps nulla vobiſcum celebrabo, ſed poſtea exercebimus in cælo, vina ſuauiſſima in domo paterna bibentes. Vinum, conuiuium, domus, cæleſtes voluptates, perennemq; habitationem deſignantia vſurpantur. Hæc repeto ſæpius, allectus cupiditate rem abſtruſam explicandi. Veſcebantur ergo

fructibus

A fructibus cæterarum omnium arborum, qui cibus erat illius temporis, vno ſolo veſci prohibebãtur. Nam arbor vitæ aſtabat quidem & ipſa veluti præmium, de cuius fructu veſci non quidem prohibebantur, ſed vetabantur attingere, inacceſſusque erat locus & arbor. Itaque quod ſæpenumero admonui, apparet eſſe verum, pleraque omitti à Moſe, quæ à minimè tardis in deſcriptione eius poſſint intelligi. Nam cùm daretur facultas omnium fructibus arborum veſcendi, vna duntaxat prohibita, arbor vitæ tamen reticetur, nec dicitur ferme quod dicendum fuiſſet, & quod dictum par eſt. Si abſtinueris ab iſta, fructus iſtius æternos deguſtabis, aſſequeris qui terreſtris es, vt ſis immortalis & cæleſtis. Hęc fuiſſe dicta eſt veriſimile, quando poſtea vidimus eiectum Adam, ne comederet ex arbore vitæ. Quo perſpicitur, ſi non fuiſſet eiectus, ad illa poma aditum ei fuiſſe pandendum. Hæc tamen non dicuntur. Quodque ait mulier, De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: Quanquam fons habet, De fructu ligni, vnico numero, intelligendæ tamen ſunt omnes arbores. Figuraque eſt ſynecdoche, qualis inferius: Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi: eos enim intra denſa nemora aufugiſſe credendum eſt. Sunt ergo caute & accurate omnia exploranda, & quod vno in loco omittitur, declarandum ex altero, plena eſt enim repetitionibus hæc deſcriptio ob ea quæ in antecedentibus omittuntur. Nam & hoc loco mulier repetens mandata Dei, præcepit ne comederemus, & ne tangeremus illud. Addidit, ne tangeremus, quod quidam etiam monent, & Hebræi ſuperius omiſſum. Atqui veriſimile eſt, in mandatis traditum, quo magis eſſent cauti, & periculi ſecuri, ne tangerent. Quorundam enim vitiorum fuga victoriam aſſequimur: alia eundo obuiam, & reſiſtendo ſuperamus. Voluptates & illecebræ, qui velit ex eis victoria potiri, fugiendæ ſunt, atq; auertendæ: remouendus aſpectus, tactus, quæ prima ſunt tunc abſiſtit acceſſus. inſanit autem B qui ſe putat inter arma & tela poſſe verſari ſecurum & illæſum. Cui autem eſſet à rege mandatum à meretrice ſe contineret, nonne tutior eſſet, ſi conſpectum eius aufugeret, longe autem ſi colloquium, multo autem magis ſi contactum? Nulla igitur ſuperfuit excuſatio: præceperat Deus vt ne attingerent fructus, ne tactis his & irritata gula, comederent. Superius ergo in deſcriptione, contactus fuerat omiſſus Et mulier totum imperium animo retinebat, vt excuſatio locum non habeat. Hocque mihi magis probatur, quàm quod Salomon, & Nicolaus ſuſpicantur, mulierem præceptum aggrauaſſe ex diſplicentia: plurima enim ſæpe probauimus omitti, poſtea referanda. Nam & minas mortis, non eo refert modo, quo fuiſſent pronuntiatæ. In quacunque, ſuperius dicebatur, die comederis ex eo, morte morieris: & id ſoli viro videtur ibi præcepiſſe: nunc mulier etiam ſibi ait à domino imperatum numero multitudinis referens præceptum. Tum ait: Ne fortè moriamini, quod quodam diuerſo modo fuerat antea pronuntiatum. Quod autem ſerpens reſpondit, Non morte moriemini, & quæ ſequuntur: Duo manifeſtaria mendacia, & impoſturæ duæ: Omnis enim deceptio fit cum mendacio. Ac primum falſa imago ſumpta, tum dixit eos non morituros, poſtea ſimiles Dijs futuros iſta arbore, cùm non iſta, ſed illa vitæ ſimiles futuri eſſent Deo, vel Angelis. Idque credendum eſt Deum pollicitum. Contemplare fraudem, artificioſumque mendacium. Inferius Deus dixit, Nunc ergo ne fortè ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Hæc inquam erat futura ſimilitudo, in immortalitate ſcilicet & æterna vita, cum qua omnia diuina bona ſequebantur. Omnibus enim erumnis caret immortalis, tum eam non habent niſi animi puri, & à contagio peccatorum liberi. Quare hæc erat immortalitas vera, occultata, & ſuppreſſa à ſerpente. Atque prudenter docuit Gregorius dæmonem C apud nos, aut imminuere, pondusque detrahere præceptis Dei, aut recitare in contrarium. Imminuit autem recitauitque in contrarium, primum quòd Deus non conſtituerat immortalitatem in cognoſcendo bono & malo, ſed in abſtinendo ab altera arbore, & in deguſtando fructu vitæ, tum iſta ſimilitudo cognoſcendi bonum & malum, non ſolum non erat profutura, ſed iacturã incredibilem præbitura. Quod tacebatur ab illo referente quædam tantum, & quaſi letiferum hamum ſub oblata ſuperne eſca occultante: Eſcam cognitionis, & ſimilitudinis offerente, venenum letale tegente. Ac cupiebat nocere pręſentius, addens ſcientiam Dei. Scit, inquit, Deus oculos veſtros reuelandos, Dijsque ſimiles vos futuros. Si Deus ſcit, certum eſt, & neceſſarium. Non erit ſecus. Ac quod ait,

Deceptio fit cúm mendacio.

Eritis ſicut Dij.

PRo Dijs Hebraicè eſt Elohim. Quod cum & Deum & angelos, & maximos quoſque viros ac principes deſignet, varium poteſt hic efficere ſenſum. Abeuntque & Hebræi & Græci omnes in diuerſas ſententias. Primumque Chaldæus pro Diis poſuit רברבין rabrebin, magnos, principes, ſummates, quod angelorum etiam eſt nomen. Hebræi exponunt, ſicut Angeli. Septuag. ὡς θεοὶ, ſicut Dij, aſſentiturque Hieronymus. Poteſt etiam dici, ſicut Deus: eadem enim eſt hic in Hebraico ſemper oratio. Scit enim Elohim, quòd in quocunque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Elohim. Et inferius: Ecce Adam ſicut vnus ex nobis, ſciens bonum & malum. Rabi Salomon exponit ſecretorum cognitores, vt aperiendos eorum oculos, ſit occulta & abſtruſa eos cognituros. Dicẽdum eſt igitur, calliditatem & fraudem, quam tribuit Moſes ſerpenti, ob multiplices fraudes eam tribuiſſe, non ſolum quòd homines negaue-

Calliditas & fraus ſerpentis dæmonis.

rit morituros, ſed quòd futuros ob hanc cognitionem oculosque patefactos, Dei ſimiles prædicauit. D Quare videtur, hoc modo maximè poſſe diſſolui quod occurrit, qũo videlicet ſequatur ſimilitudo Dei ex oculis patefactis & nuditate cognita. Videntur enim hic ſe hæc tria conſequi, oculorum apertio, ſcientia boni & mali, ſimilatio ad Deum. Quę ſi vera eſſent, multa indiſſolubilia ſequerentur. Primum, quòd antea non fuerint Dei ſimiles: tum quòd videretur inuidia, ſi noluiſſet eos ſcire, ſed potius imperitos eſſe maluiſſet, nec probabile ex hoc conſecutum eſſe peccatum. Tum ſi Deus & angelus ſcientiam boni & mali habent, vt poſtea demonſtratur, quomodo ipſi ſine peccato, homo cum peccato? Oportet igitur eſſe cautos, ne à ſimplicitate ſermonis decipiamur. Sermo enim ſimplex eſt, non addens ea quæ amoliri dubitationes poſſent. Aſſeramus igitur hãc eſſe illam calliditatem, quam propoſuit à principio, cùm aſſerit eos ſimiles Dei futuros, ſciendo bonum & malum. Nam quanquam Deus poſtea dixerit: Ecce Adam factus eſt ſicut vnus è nobis, ſciens bonum & malum: retulit ea quæ ſuggerente ſerpente homo concupiſſet, & quaſi ironice: Bene, inquit, ecce aſſecutus es, vt eſſes ſimilis noſtri, habes quod tota mente petiſti, & vocem ſerpentis audiſti: eſto, ſed lignum vitæ non guſtabis. Quare qui exponunt, Eritis ſicut Dij, ſcientes per vos, & cauti, & quaſi ope diuina non indigentes, aut abſtruſorum cognitores, non remouent ſcrupum, male habentem eos qui hæc legunt. Non enim ob iſtud, ſimilitudo cum Deo videtur demonſtrari, ſed quòd aperti ſunt oculi, & cognouerunt ſe eſſe nudos. Hæc ſcientia, hæc aſſimilatio, de hac locutus ſerpens, & quæ locutus eſſet, videntur conſecuta, conſecuta dico aſſerente Deo, factum hominem ſimilem vni ex ipſis. Sed quia non vidimus per amiſſam ſimplicitatem, cognitamque nuditatem, quicquam diuinius hominem habuiſſe, imò diuinitatem perdidiſſe, cogimur interpretari, verba iſta ſerpentis eſſe meram E impoſturam, nec futuram vnquam ſimilitudinem cum Deo, in cognoſcendis malis & bonis fuiſſe. Verba autem Dei poſterius, Ecce Adam ſicut vnus è nobis, cogimur interpretari, quaſi ironice recitata, ſub eadem forma, qua fuiſſet ſerpens locutus. Attigiſti ait, quo voluiſti, & noſtri ſimilis effectus: egredere igitur de paradiſo, videamus iſtam ſimilitudinem, iſtam quam oblatam à ſerpente non recuſaſti diuinitatem, vt cognita turpitudine tua, mortis etiam neceſſitatem incurras. Hæc erit diuinitas ſerpentis, pro ea quam tibi paulo ante in alia arbore pollicebar. Pro me, ſerpentem: pro vitali arbore, arborem ſcientiæ miſeriarum & turpitudinis tuæ elegiſti. Sint igitur fructus electioni reſpondentes: Vt,

Virgil.7.

Virgil.11.

Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo. Et,
Bis capti Phryges hæc Rutulis reſponſa remittunt.

Quod genus apparet etiam apud Eſaiam, cap30. Cùm populus diceret, Nequaquam, ſed ad equos fugiemus. Propheta vero ex perſona Dei aſſerit quod illi dicerent, ſed in alium ſenſum, Ideo fugietis. Ita, inquit erit, vt dicitis, fugietis, ſed perſequente vos hoſte. Sic & Adæ, Factus eſt ſicut nos, cognoſcet bonũ & malum, ſed in ſuã perniciem. Hæc nos dicere & ad iſtũ modum interpretari cogimur, perſpectiſſimum habentes ſermonem Moſaicum eſſe partim ſimpliciſſimum, partim compendioſiſſimum: ſermone humano & ſimplici & breui ac quaſi rudi, non copioſo, & ornato, & locupleti, maxima ſacramenta recitari: multaque non dici, dicenda, quod ex Hebraica loquendi conſuetudine ſcimus proficiſci. Nec fas eſt nos hanc conſuetudinem non videntes decipi. Vt cum dolore cordis tactus eſt, & pœnituit. Et contra turrim ædificantes, Venite F confundamus eos. Quomodo enim ex ea arbore erat cum Deo ſimilitudo futura, ſi ex ea mors erat conſecutura? Falſa igitur & adumbrata promiſſione eos circumuenit, quaſi ſcire bonum & malum, eſſet, eſſe Dei ſimilem: cùm potius eſſet eſſe diſſimilem, & oculos habere patefactos, non ſcientiam qua Deo ſis ſimilis, ſed miſeriam & calamitatem eſſet comparaturum: Clarumque eſt homines poſt caſum non ſolum maiorem ſcientiam, quaſi ſimiles eſsent Dei, non habuiſſe, ſed omnium conſenſu, longe minorem, in miſerioremq; conditionem eos cecidſse. Quos antea fuiſse ſapientes, declarat nominum impoſitio. Quis credat autem maiorem ſcientiam ex ruina acceſſiſse? Acceſſit quidem vt oculi eorum aperirentur, vt noſcerent ſe eſse nudos, ſed in eo nulla eſt cum Deo ſimilitudo. Id quoque eſt admiratione dignum, qua tandem ratione noſse nuditatem, ſit noſse bonum & malum. Quid eſt enim bonum & malum? an non antea norant hæc ipſa? Si non noſsent, non homines vtiq;, ſed bruta fuiſsent. Duæ ſunt igitur hoc loco Hebraicæ locutiones, ſcire bonum & malum, & oculos aperiri. Tertium eſt adijciendum, non arborem hanc vim habuiſse aperiendorum oculorum, quod ſolum à Deo fieri poteſt: ſed peccatũ ex arbore conſecuturum. Sunt ergo locutiones Hebraicæ, primum ſcire bonum & malum, ex alijs autem locis declaro quam habeat vim genus iſtud loquendi. Nam quanquam multiplex eſt bonum & malum (eſt enim in ſubſtantia, in qualitate, in relatione, tum in varia qualitate: nam forma bona dicitur etiam Hebraicè, & pomum bonum, & homo fortis, bonus ad bellum eſt, & bonum vtile, & honeſtum: Totidemque modis dicitur etiam malum) ſcire tamen bonum & malum duos habere poteſt ſenſus, vt deſignet partim profundam quandam cognitionem & calliditatem, quam certum eſt hominem non habuiſse, ſed habuiſse ſerpentem. Ideo vocatus eſt callidus, & Salomon paruulos hoc habere denegat, dicens: Vt detur paruulis aſtutia. Vbi pro aſtutia

Noſſe bonum & malum quid.

eſt eadem

Scire bonum & malum.

Oculos habere clauſos ſiue apertos quid ſignificet.

A eſt eadem illa vox qua ſerpentis aſtutia denotatur ערום & hæc iſto loco ex parte intelligenda eſt. Alter autem ſenſus eſt, qui facit hanc eſſe peculiarem Hebraicæ linguæ locutionem, quòd appellant ſcire bonum & malum, id quod ſeparat omnem aliam ætatem à pueritia. Quod apparet apud Eſaiam: Antequam puer ſciat reprobare malum & eligere bonum. Idem enim eſt etiam hic in Geneſi, ſcire bonum & malum, ſcire eligere bonum, reprobare malum. Quod non eſt in paruulis & ſimplicibus. Eaque res præcipue in rebus venereis exiſtit. Vt qui neſciat hanc rem, eum dicant neſcire bonum & malum. Eamque ob cauſam corpora non tegunt pueri, ignorantes ac non videntes quid ibi rei ſit. In libris quoq; Regûm Berzelai ait, Nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue aut delectabile? Hebraicè, An cognoſcam bonum aut malum? Ex quo exemplo intelligimus hoc referri etiam poſſe ad voluptates, ſicut tranſtulit Hieronymus: apud Eſaiam vero, non refertur ad ſenſus, ſed animum, idque etiam iſto loco. Cùm hac inſcitia, eſt omnium malorum ac bonorum ferè adiuncta imperitia, vniuerſaliſque ſimplicitas. Noſcunt quidem multa pueri, norunt parentes, norunt ſocios & amicos. Alia quoque multa credendum eſt primos illos tenuiſſe, quę neſciant paruuli. Vt fuerint quidem ſapientiſſimi, ſed fraudum & aſtutiarum imperiti. Declarant enim magnam in homine ſapientiam, non ſolum nominum inuētio, ſed prophetia, cùm intellexit relinquēdum patrem, & matrem ob vxorem, & cognouit eam de latere & carne ſua creatam. Hæc paruuli neſcirent. Erant ergo clauſi eorum oculi ad agnitionem turpium. Sicut puer Eliſæi, aliàs vti reliqui homines, veluti autem cæcus non videbat equorum igneorum plenum montem: Orauitque Eliſæus: Domine aperi oculos pueri huius vt videat: Et aperuit, inquit, Dominus oculos pueri, & vidit, quia ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu. B Eliſæi hoc exemplum plurimum adiuuabit imbecillitatem ad intelligendum iſtum in Geneſi locū, Scimus enim hinc quid ſit oculos habere clauſos, quid eoſdem patefieri. Intelligimus fieri poſſe, qui ſint aliàs oculatiſſimi, poſſe habere in vna re clauſos oculos. Scimus id fieri à Domino, vt tum non videamus, tum reuelentur oculi. Siquidem iſto ipſo loco eſt pulcherrimum eorum quæ diximus exemplum. Subdit enim: Hoſtes vero deſcenderunt ad eum. Porrò Eliſæus orauit ad Dominum dicens, percute obſecro gentem hanc cęcitate: percuſſitque eos Dominus ne viderent iuxta verbum Dei: Ecce Domini eſt claudere oculos, id eſt mentem: Vt qui oīa alia, quoad mortali fas ſit, cernat, vnā tamen aliquā rem non cernat. Nam hi ipſi, quos vt cæcitate percuteret precibus impetrauerat, non erant omnino cæci, ſed in eo tantum, quòd Eliſæum, & vrbem Samariam non cognoſcebant, illum alterum quendam hominem, hanc alteram vrbem exiſtimantes. Sequitur enim: Dixit autem ad eos Eliſæus, Non eſt hæc via, neque iſta eſt ciuitas: Sequimini me, & oſtendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam, Cumque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſæus, Domine aperi oculos iſtorum vt videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ. Quo exemplo agnoſcimus conſuetudinem tum ſcripturæ diuinæ, quę oculos appellet mentem, & videre ipſum intelligere: tum non ſolum diuinam poteſtatem, ſed modum quo poteſt effici vt non agnoſcamus videamuſque, etiam ſi eſſent in conſpectu quæ poſtea reuelantur volente Deo. Eſt aliud memorabile exemplum, quod etiā adducitur à Gennadio, de Ionatha, cùm pugnaret pater aduerſus Paleſtinos, guſtauit in ſylua fauum mellis. Apertique ſunt, ait ſcriptura, oculi eius. Nec dicit quam oculorum apertionem, cùm antea proculdubio videret, de qua re C nunc non diſputo, tantum oſtendo etiam alibi ex guſtu, effectam eſſe cognitionem. Sicut & in Euangelio, oculi diſcipulorum in fractione panis. Erant igitur clauſi eorum oculi ſic ad turpitudinem, quod ſcire bonum & malum iuxta ſcripturæ conſuetudinem appellauit, ſicut illorum ne viderent Eliſæum, nec ſe adduci ab eo in Samariam agnoſcerent. Illico autem ſunt ad preces iuſti oculi patefacti, & intellexerunt ſe eſſe in mediis hoſtibus. Sic homines primi eſo pomo cognouerunt bonum & malum, id eſt, nuditatem ſuam cognouerunt, non ligno hanc vim habente, fieri enim id non poteſt, ſed peccato, permittente tamen iuſtitia, vt qui præuaricatus eſſet iuſſa Dei, amitteret quandam felicitatem & inſcitiam malorum. Erat autem Adam aliàs oculatiſſimus, ſicut illi nihil humanum ignorabant, niſi quòd ſe duci in Samariam non videbant, ductorem, viam, vrbem ignorantes, videntes autem omnia alia. Duo ſunt igitur de patefactis oculis exempla, quibus locus Geneſeos enodatur. Crediderat autem Adam, quod à ſerpente fuerat aſſertum, iſtam cognitionem, & oculorum reuelationem eſſe ſcientiam diuinam: ſed eum opinio & impoſtura fefellit. Sicut illis melius fuiſſet neſcire ſe eſſe in hoſtili vrbe. Nam incredibili pauore & gemitu credendū eſt eos circumuentos, à rege interficiendos, niſi iuſtus obſtitiſſet. Ac fortaſſe & eo decepti ſunt primi parentes, quòd cognitio boni & mali erat amphibola, quemadmodum idem ille ſerpens in reddendis reſponſis poſtea fuiſſe perſpectus eſt, quæ ſemper obliqua, vt in diuerſas ſententias poſſent interpretari, reddebat: ſic eludens quam ſibi diuinitatem comparare apud homines nitebatur.

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe. Et,
Cræſus Halin penetrans magnam peruertet opum vim.

Cice. 1. de diuinatione.

Amphibola igitur erat ſcientia boni & mali. Optima quidem ac laudatiſſima eſt hæc ſcientia, eamque iuſti & angeli & Deus poſſident, cognitioque eſt ſummorum bonorum: aliàs autem cognitio boni & mali eſt nocentiſſima innocentiæ & ſynceritatis ablatio, detractio niuei candoris. Quale dicitur in Exodo de populo in ſcelus idololatriæ prolapſo. Videns ergo Moſes populum, quod eſſet nudatus, Spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat. Hac amphibologia oraculi deceptos par eſt primos illos: oraculum enim appello, quod plerunque reſponſa dæmonum ſic ſolita ſint poſtea vocari. Mouit quidem Græciæ theologos quòd ſerpens futurum cognouit, & prædixit, eorum oculos aperiendos, cùm ſit apud omnes diffinitum, ſolum Deum habere cognitionem futurorum. Reſpondet ergo Gennadius ſapientem, vel callidiſſimum à ſcriptura dæmonem prædicari. Itaque poſſe eum e minimis maxima, è præſentibus futura colligere. Ex his autem quæ Deus præcepit, minis intentatis Adæ, cùm comederis ex hac arbore, ſcito te moriturum, eum agnouiſſe, fore vt lapſi & præuaricati, nuditatem agnoſcerent, pulſis omnibus bonis. Deinde ex eo quod ſenſerat arborem appellatam ſciendi bonum & malum, agnouiſſe, ex ea fore nuditatem, nomine hanc vim indicante. Quanquam Theodorus prudenter & ipſe iſtud diſſoluit increpans neſcio quos, qui dicerent impletum eſſe vaticinium ſerpentis, cùm ſe nudos eſſe agnouerunt. Non enim de nuditate locutum eſſe ſerpentem, ſed ex eo quòd audierat ab eis appellatam arborem ſciendi bonum & malum, arripuiſſe id, & dixiſſe eos ſapientes futuros, ſi fructus illos deguſtarent, ὁ μὲν γὰρ διάβολος τὴν διανοίξιν τῶν ὀφθαλμῶν οὕτω φησὶν, ὡς ἂν καὶ ἔννοιαν ὀξυτέρων ἐσομένων, καὶ δυνησομένων δίκην θεῶν ὁρᾶν τιταῖς ἐννοίαις. Hæc Theodori ſententia vehementer mihi placet, vt aliud fuerit, ſe nudos agnouiſſe, aliud quod ſerpens innueret, ſuſpicatus maiorem quandam ſcientiam & æqualitatem cum Deo, ex guſtu fructuum oſtendi: Sicque volens eum in exitium pertrahere. Crediderat eſſe ſublimem quandam & diuinam Heroicamq; ſcientiam, erat autem ignobilis, miſerabilis, auerſanda, fugienda. Oculi igitur eorum tenebantur, ne nuditatem ſuam agnoſcerent, licet aliàs eſſent homines prudentes, ſicut hi qui cum reſurgente comedebant. Hocque erat mirabile & clementiſſimum donum Dei, amiſſum poſtea ex peccato.

Oraculū.

D

E

Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.

Vidit pro eo quod eſt intellexit, Hebræi exponunt & bonum dulce deſignat. Vidit autem ex ſerpentis monitu demonſtrantis mirificeque commẽdantis eorum fructuum dulcedinẽ, & ad eam capeſcendam incitantis. Fortè non eſt abſurdum quod aiunt nonnulli Hebræi, venenũ quaſi ſubeſſe fructibus illis propter minas Dei, mulierem dubitaſſe. Hancque ſuſpicionem ſerpentem remouiſſe. Fitque ſolitum à Moſe vt quod fuerat omiſſum, repetat. Tacuerat ſerpentem fructuum eorum ſuauitatem prædicaſſe, ſed de cognitione tantum docuerat mulieri fuiſſe locutum. Nunc iuxta indicium ſerpentis docet tria, & ſuauitatem fructuum mulierem audiſſe, & pulchritudinem vidiſſe, & ad cognoſcendum valere, ſenſiſſe. Nihildum guſtauerat, eoque ſcire non poterat fructuum ſuauitatem: par eſt ſic ſerpentem dixiſſe, En fructus huius arboris, quam vetuit Deus vos tangere, omnibus qui ſunt in Paradiſo, guſtu ſuauiores, pulchriores aſpectu, quin & pandere abdita poſſunt, vt animus veſter, qui nunc propemodum caligat, plurima ſit cogniturus, quorum ſcientia, vel ipſi Deo adæquemini. Quin igitur eos attingis? Neque enim quod reris ſubeſt periculum, ſed amplior vberiorque cognitio, quam profectò vobis Deus iſte veſter inuidet: eamque ob cauſam, habens exploratum fore vos illi ſimiles, fructu iſto deguſtato, prohibuit vos ad hunc gradum conſcendere, ſed ſi me audieris, non carebis tanto diuinorum pomorum guſtu quominus & animo cognitionem, & palato ſuauitatem hanc capias. Hæc ille malus. Porrò quod ait: Aſpectuq; delectabile, vt in annotationibus oſtenſum, Hebraice ad hũc præciſe modum ונחמד להשכיל concupiſcibile ad cognoſcendum, expetibile ad intelligẽdum. Quocirca cùm verbum Hebraicum deſignet cognoſcere, poteſt tamen aut ad oculos, aut mentem referri, quia & apud Græcos νοῆσαι videre eſt interdum, & viciſſim videre pro intelligere, & intelligere pro videre, καπνὸν ἐπιθρώσκοντα νοῆσαι. Fumum ſpectare micantem, ait Homerus. Sed quoniam & de cognitione eſt ſuperius dictũ, & hic quod ad oculos pertineret propoſitum, cùm ait pulchrum oculis, videtur hoc poſtremum ad cognitionem referendum, & Hebræi eò pertinere dicunt, quòd eo eſſent oculi eorum reuelandi, & cognituri bonum & malum. Quidam ex eis delectabile ad cognoſcendum, quòd in intellectu ex eo crediſſet delectationem fore, quòd voluptatem daturus eſſet fructus menti. Collectis igitur omnibus ſententijs videntur omnes propenſiores, vt hoc pertineat ad intelligendum non ad aſpiciendum. Nam & Chaldæus, לאסתכלא ביה ad intelligendum per eam. Poſſet qui vellet tueri quod tranſtulit Hieronymus, quia ſicut videntes dicebantur intelligentes, & oculus etiam cognitionem Hebraice deſignat, & apud Græcos item præter ſuperius apud Homerum exemplum, etiam illud:

F

Homer, Odyſſ. α.

Τοῖος ἐὼν, οἷον μὶν ἐγὼ, τὰ πρῶτ' ἐνόησα,
Iſque foret talis, qualis cùm vidimus illum.

Sic viciſſim intellectũ pro viſu poſitum nos poſſe arbitrari. Quodque ſequitur: & tulit de fructu eius, etiam apud Hebræos fuerunt, qui crederent hanc arborem fuiſſe ficum, quia texuerint

inferius

A inferius è folijs ficus perizomata. Reprobatur ab alijs, quia ſi id eſſet, dixiſſet eo loci, Tulit folia arboris ſciendi bonum & malum, &c. Alij frumentum. Varias arbores teſtatur theologia in paradiſo extitiſſe, pluresq; ferunt regiones orientis vbi erat paradiſus, nobis incognitas. Itaque diffiniri non debet. Nam folia ficus acceperunt, quòd hæc ſint latiora, aptioraq; ad tegendum. Sunt ex ijs qui putent in paradiſo ſola, nuſquam terrarum alibi fuiſſe has duas arbores, vitæ, & ſciendi. Quodque ait: Deditque viro ſuo, additur Hebraicè עמה ſecum: ſuſpicantur quidam Hebræi, ibidem fuiſſe etiam virum, nec latuiſſe eum dolos ſerpentis, eamque ob cauſam pœna capitis fuiſſe mulctatum, & cum ingenti indignatione eiectum de paradiſo. Sed id vtcumque, deſignat hoc in Hebraica dialecto, ſimul, pariter dedit, inquit, pariter etiam viro, aſcito & aduocato ad ſe. Neque enim credendum eſt, eum impoſturæ affuiſſe. Quidam Hebræi aſſerunt idcirco eam viro dediſſe, ne ipſe ſola moreretur, aliamque vxorem vir acciperet. Erat videlicet fœminarum copia in paradiſo. Potius ea eſt ratio, vt apud Pythagoreos circumferebatur, τὰ τῶν φίλων πάντα κοινᾶ, Sunt omnia communia amicis, etiam mala, trahimusque amicos nobis charos & gratos, ſæpiſſime in commercium noſtrorum malorum. Sic illa non patiebatur, quem ardentiſſime diligeret, ea carere re, quam pulchram viſu, guſtu ſuauem, ad cognoſcendum idoneam iudicaſſet. Putabat ſe theſaurum, Magicenque veram reperiſſe, quibus vanitatibus quotidie videre eſt qui miſerabiliter inſtar primæ mulieris eludantur. Dæmonum inuentum, qui, ſicut tunc ſcientiam pollicebatur, ſic nunc his ludificatis & deceptis per impoſtores promittit. Hoc credebat mulier ſe manu tenuiſſe, eoque fuit grauiſſimum ſcelus. Et vt ait Auguſtinus, nimium poteſtatem ſuam amabant, & pares eſſe Deo voluerunt. Aptiſſimum deceptionibus inſtrumentum mulier, quo viri decipiuntur. Ipſaque ſola à ſerpente decepta eſt, ſicut teſtatur ſapientiſſimus

B Paulus, cuius teſtimonio totus mundus debet aſſurgere, Adam inquit πρῶτος ἐπλάσθη, εἶτα εὔα, καὶ ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη, ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε. Primus fictus eſt, poſtea Eua: & Adam non eſt deceptus, ſed mulier decepta in præuaricatione fuit. Ex quo perſpicimus virum non affuiſſe fraudi, & vt ait Nicolaus, ne delitias ſuas contriſtaret, non recuſauit pomum oblatum ab amata, vt incurrerit crimen δυσωπίας, de quo pręclare ſcripſit Plutarchus. Eſt enim noxia quædam, & deteſtanda verecundia, vt ſi quis rem turpem amico petenti erubeſceret denegare. Et quod ait, Et aperti ſunt oculi amborum. Nota eſt conſuetudo diuinarum litterarum, oculos non tam corpori quàm animo tribuentium. Qui cùm non vident neque agnoſcunt quid, clauſi in eo dicuntur: patefieri autem cùm euigilant. Allata varia ſuperius exempla, & nunc illud: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Poſtulabat ſapientiam, cognitionem. Psal. 118. Sic primi illi affectauerunt ſapientiam, & quam affectauerunt, potiti ſunt, vt cognoſcerent bonum & malum, cognoſcerent nuditatem. Quæ fuit exitialis, pernicioſaque ſcientia, trahens ſecum multa malorum examina. Neque ego aſſenſerim quibuſdam Hebræis qui cenſent, fructum iſtius arboris appetitum Veneris iniecisſe, eoq; eſo, homines turpitudinem ſuam texiſſe, perſpecto eo, quod has ſedes obtineret. Aliud latentius, abſtruſiuſque ſubeſt: omnes enim fructus, omnis eſca poteſt efficere, quod illi in vno ſuſpicantur. Ex præuaricatione fuit cognitio nuditatis, & vt daretur eis quod poſtularunt, & in quo ſerpenti crediderunt, quamque ſapientiam concupierunt, credideruntque illi. Nuditas, autem, vt dixi, facile poteſt ex Theologia ipſa oſtendi: eſt quidem corporis, ſed deſignat confuſionem, quam prius ignorabant, non quod in confuſione eſſent, ſed non erant in eo, quod non intelligebant. Cùm vero ſe nudos vidiſſent, tunc bonis om-

C nibus exutos ſe agnouerunt. In Deuteronomio tria mala commemorantur infligenda, fames, ſitis, nuditas. Et apud Ezechielem quęritur Deus, quòd cum nudam in Aegypto vidiſſet Eccleſiā Iudaicam, texeritq; eam, recipiat pro beneficio contemptum. Ergo ſicut ſymbolica fuit arbor vitæ, ſic ſymbolica cognitio nuditatis, quaſi cognitio miſeriarum, quæ nuditate continentur. Quæ prius neſciebantur, & quia neſciebantur, etiam non aderant. In hac cognitione nuditatis eſt amiſſio ſynceritatis, & candoris, tum cognitio nuditatis, & malorum. Porrò quod ait,

Fecerunt ſibi perizomata.

Perizomata.

GRæcum eſt, Latinè ſonat ſubligacula, eademq; eſt deductio Hebraica חגרת chagoroth, à chagar, ligauit. Alligauerunt autem fœmori ramū cum folijs, ramum oblongū, qui fœmora vndique cingeret. Sunt igitur ex Hebræis, qui idcirco exiſtiment eos fędas partes texiſſe, quòd eſo fructu, illico libidinis amor virum arripuerit, vxoremque cognouerit, hancque volunt fuiſſe boni & mali cognitionem. Siquidem & pueros, cum primum agnoſcere bonum & malum incipiāt, appetitu fœminæ irritari. Sed hæc ideo ſtare non poſſunt, quia tametſi etiam non peccaſſent, futuram tamen prolem fuiſſe, non ſolum ipſa ſcriptura demonſtrat, ſimul ac enim ſunt creati, aſſociati ſunt, Et eam vxorem ſuam pronuntiauit Adam, idque ante caſum: tum cum ratione maxime conſentit, non vnum tantum futurum fuiſſe, cui cælum & terræ, omneſque res, quæ ſub oculos cadunt, crearentur. Deberemus igitur humanam propagationem peccato. Arbitratur quidem etiam doctiſſimus Hieronymus quodam loco, eos ſi non peccaſſent, in perpetua virginitate permanſuros, virgineſque in cælum ſubleuandos: ſed tum Theologia videtur alia ſtatuiſſe, tum Auguſtinus, pluresque alij, quorum ſcriptis & illuſtrata & confirmata eſt ſapientia

D Chriſtiana,cēſent eos ſi non peccaſſent, ſine peccato prolem fuiſſe procreaturos,nulla irrationabili,& inordinata libidine membris irritatis,ſed rationi obſequētibus. Sed forte Hebræus voluit facta tranſgreſſione , extemplo motum inordinatum membra ſenſiſſe , animamq́; in voluptatem carnis acquieuiſſe , eoq́; texiſſe illos eas partes,quarum officium per peccatum , quod vniuerſale in animos & corpora malum effudit, ſapientiamq́; & clauo,& reliquæ compagi abſtulit, erat deprauandum. Et Auguſtinus ait oculos patefactos ad concupiſcendum ſe inuicem , & animum rationalem,motum beſtialem erubuiſſe. Oſtendimus autem ſuperius ꝙ ſicut comedebant, officiiſq́; ſuis cætera membra fungebantur,ſic illa, quæ ablata innocentia,ſimileſq; cæteris mortalibus effecti cooperuerunt,fuiſſe ſua munera abſolutura . Omnino autem fieri non poteſt,vt ſolum pomū & libidinem accenderet,nō è cæteris fructibus deuoratis vnquam antea incenſam, & nuditatem ſubito detegeret,vnoq́; momēto omnia panderet.

Nuditatis cognitio.

Ad maiores ergo cauſas videtur referenda cognitio nuditatis,ad peccatum validiſſimarum virium, vt quod mortem induxerit, multo certe facilius alia quædam minora mala,coorta,regina malorū præſide tranſgreſſione . Nam ſi quis cauſam quærat quamobrem aperire fœdiores partes erubeſcamus, quas & ipſa natura recondit , videntur plures cauſæ: præcipua eorum membrorum deformitas,in quibus , natura , quia tegenda erant,non decorem,ſed vſum quæſiuit, eoq́; cùm cætera membra ſint venuſta, in his ſumma turpitudo eſt:propterea obſcœna dicuntur,& fœda,& ob fœditatem,pudenda . Omnia enim turpia oculus humanus deteſtatur. Nam & exonerare ventrem in propatulo erubeſcimus,habitu quoque deformi incedere,mores item turpes,qui varij ac multiplices ſunt,naturali ſenſu execramur. Ac ſicut mirifice quacunque venuſtate ſiue oculorum,ſiue aurium,ſiue cæterorum ſenſuum,delectamur , ſic aſpernamur contrariam turpitudinem . Quicquid autem in his membris eſt, turpe E eſt & deforme,figura,motus,poſitus:Ipſaq; generatione & partu nihil eſt fœdius.quæſiuit igitur in his natura vtilitatem , non venuſtatem , eoq́; abſcondit in infimas , auerſaſq; ab oculis partes: quā & ars imitata,in ædificijs ab oculis amandat ſeceſſum,quem Græci vocant ἀπόπατον , quaſi à frequentia remotum , eaq́; pars in toto ædificio eſt deformior : Et apud viros probos ad eū locum non acceditur,niſi capite velato,& ſilendo, vel videri illic, & loqui erubeſcentes . Quare nō propter peccatū videmur ea membra contegere . Siquidem non minus atrocia peccamus lingua, & manu,oculis.Ipſe quinetiam animus,quæ ſanctiſſima pars eſt,non ſolum peccat,ſed fœdiſſimarum rerum ſæpe fons eſt , & hoſpitium . Quocirca cenſuerim magis illam hominum primorum nuditatis ſuæ cognitionem fuiſſe,qualem ſuperius vno claro & euidenti exemplo demonſtratum eſt , cùm de populo in turpiſſimam idololatriam prolapſo dicitur . Videns ergo Moſes populum quod eſſet nudatus,ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis,& nudum inter hoſtes conſtituerat . Vt hæc cognitio nuditatis fuerit ſymbolum omnium miſeriarum. Nam tametſi prius eſſent nudi,non agnoſcebant tamen nuditatem,eoq́; nihil oberat,nullum habēs malum nuditas , quaſi non eſſet, vt quæ non ſentiebatur, nec videbatur . Tales enim erant,quales fuerunt creati . Neque enim ſericum ſutoreſq́; aderant . Texerunt autem cognita nuditate , corpus , venientes ad totam humanam conditionem . Nam paulo poſt ſudare & laborare cœperunt , feceruntq́; omnia,quæ nunc fiunt à mortalibus .

Nuditas ꝑ ruina.

Vt ergo tropice dicta eſt nuditas illa in Exodo , pro ruina populi contracta ex ſcelerata idololatria , ſic ſymbolice , quandoquidem erant in paradiſo figuræ , ſymbolaq́; viua, ſtantia, manifeſta,qualibus vſus eſt ſæpe Deus, vt cùm iuſſit prophetam in ſignum imminentium miſeriarum,ire nudum & catenatum,ſic nuditas Adæ cognita miſerias, F & ruinam eius ex peccato contractam,deſignabat . Illic verbis, hic re , eadem calamitas oſtenſa: incognita prius,nulla cauſa præſente & docente,eam eſſe nuditatem. Candorem igitur & puritatem,ſimplicitatemq́; obtinebat,qua ſpoliauit eos tranſgreſſio. Quatuor igitur ſunt ſententiæ,vna quòd ſymbolica eſſet cognitio nuditatis,omnium malorum totius humani generis ruentis: altera quòd libidinis motum ſenſiſſent,quem non ſentirent ante tranſgreſſum , eoq́; agnitas libidinis partes celaſſent:tertia quòd motum inordinatum , & irrationabilem non quidem tunc primum ſenſiſſent,ſed fore in his partibus tranſgreſſionem & peccatum cognouiſſent , eoq́; ob hanc erubuiſſe : Quarta quòd candor & innocentia,& ſynceritas puerilis deſignetur hac inſcitia nuditatis,quæ amiſſa ſit in tranſgreſſu,exutis eis hac innocentia,quia exuti quoque omnibus bonis eſſent . Omneſque interpretes horum aliquid dixerunt,nec placita poſſunt in maiorem numerum excreſcere . Fateor mihi placere ſenſus omnes, quos ſi quis exacte examinet , eodem fermè tendere cognoſcet . Nam cognoſcentes ſe eſſe nudos,cognouerunt bonum & malum: bonum & malum præcipue eſt irrationalis motus . Tum ad hanc cognitionem non peruenerunt , niſi exuti innocentia. Itaque hoc poſtremum videtur probabilius . Similia quædam,quæ mihi vehementiſſime placent,locuti ſunt Græci . Serapion : Fit,inquit,quotidie quod factum eſt in prioribus illis, ὅτε ἁμαρτάνομεν, ὡς τυφλοὶ ἁμαρτάνομεν, ὅτε ἡμαρτήσαμεν, τότε ὁρῶμεν τὶ ἐποιήσαμεν. Quando,ait,peccamus,quaſi cæci ſumus:cùm peccatum eſt,tum vero agnoſcimus quod fecimus . Itaque & Theodoritus ait,non oculos eos,clauſos antea habuiſſe,nam vidit mulier lignum quod eſſet pulchrum aſpectu,ſed apertionem oculorum,ſenſum peccati, & ſceleris theologiam appellare : Nam ſcelere patrato , obiurgare & inſurgere conſcientiam .

Oculorū apertio.

τὴν οὖν μετὰ τὴν ἁμαρτίαν, αἴσθησιν, τοῦτο κέκληκεν ἡ γραφή. εὐθὺς γὰρ, μετὰ τὴν ἁμαρτίαν κεντεῖται τὸ συνειδός.

Et cùm

A *Et cùm audiſſent vocem domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.*

DVo in illa viſibili, ſed admirabili ac diuina ſpecie quam ſuperius aſciuimus, qua clare intelligentur quæ hoc loco dicuntur, facta ſunt corporeas actiones repræſentantia, deambulatio, & vocatio. In forma igitur ſpectabili, miranda quidem illa & decora, ſicut viſus eſt Abrahæ (vnde vidit & gauiſus eſt) videbatur etiam in paradiſo. Illamque ipſam viſionem Abrahæ accipientes, expedite & facile res iſtas paradiſiacas interpretabimur. Eadem enim eſt vtroque in loco deſcriptio, conferamus igitur. Venit Deus ad Abraham, duobus Angelis tanquam miniſtris hinc atque hinc comitantibus. Fitque temporis deſcriptio, quo venit, diciturq;, in ipſo feruore diei, Hebraice vt agnoſcas, quod hic dicitur de aura diei, habet כחום היום Kechom haiom, id eſt, circa calorem diei, aut in ipſo calore, iſto autem loco in Adam לרוח היום Leruach haiom, ad auram, aut ventum diei. Illic ergo circa calorem diei, hic circa ventum, quando incipiunt flare Eteſiæ, flant autem circa meridiem. Idem tempus vtroque in loco. Eſt in meridie feruor, eſt ventus datus ad temperandum hunc feruorem. Hoc tempore venit Deus ad Abraham, venit & ad Adam. Vidit eum venientem & loquentem Abraham, vidit & Adam, & audiuit. Quid dixit ad Abraham? Vbi eſt Sara vxor tua? Ad Adam vero, Vbi es tu? Audito illo Sara poſt oſtium tabernaculi latebat, audito eodem, vxor & Adam ſeſe celarunt. In eo habitu apparuit Deus Abrahæ, vt etiam comederit, recubuerit, locutus, viſusque fuerit: Sic viſus eſt, & auditus ipſi Adæ. Eſt igitur chronographia in Adam & in Abraham eodem modo, Hæc aura diei, quæ non diffinitur in Hebraico, diuerſa tempora homines ei tribuerunt. Septuaginta tempus veſpertinum B trãſferentes, pro eo quod Hebraica veritas, ad ventum diei τὸ δειλινὸν, id eſt, veſpertinum. Quod etiam quidam Hebræi ſunt ſuſpicati, dicentes, inclinante in veſperum die, tolli ventum: Eoque tempore, quaſi deſpatiante per paradiſum Adam, poſt poma deguſtata, Deum ſuperueniſſe. Quidam ex eis non tempus, ſed ſitum ſunt opinati, ventum diei dicentes qui flat à meridie, eamque partem diem appellari, & ab ea Deum veniſſe. Sed collata diuina ſcriptura, videntur ea veriſſima quæ diximus. Non deſunt ex Hebræis, qui putent hoc ſecus intelligendum, vt referatur potius ad ventum, quem antecedere aduentum Dei ſcripturis diuinis eſt manifeſtum. Cùm ad loquendum cum Iob veniſſet, erat in turbine, & de turbine ei reſpondit. Et ad Eliam eo veniente anteceſſit ventus & tempeſtas valida, ſcindens montes, & ſcopulos conterens. Et veniente ſpiritu diuino, factus eſt ſonitus ſpiritus vehementis. Talem ventum volunt hic deſcribi, & venientem Deum, qualem vidit eum Elias, & ipſe ait, & ambulabo in medio veſtri. Vt referatur ad ipſam diuinitatem, numenque omnia circumuagans, quod ipſi appellant shekina. Sed hæc quanquam poſſent eſſe, ipſa tamen deſcriptio oſtendit propius ad verum eſſe, vt ſit chronographia, quia dicitur, Ad ventum diei, cognita ſimili deſcriptione in Abraham. Et aduentum ac præſentiam ſub ſpectabili forma debemus interpretari, vt ſæpe oſtendimus. Vox autem quam audierunt, talis profectò fuit, qualem cæteri prophetæ audierunt, ſed præcipue, vt hæream ad idem exemplum, qualem vidit & audiuit Abraham. Sic eandem viſibilem ſpeciem interpretor. Fuit autem hæc ſine dubio ea, quam poſtea exprimit, Adam vbi es? Nam cùm duas ſe res offerentes haberet enarrandas, vt ſe abſconderint, & corpus celauerint, vt vocem audierunt loquentis, primum vnum, deinceps alterum enarrat. Hocque ordine par eſt rem accidiſſe, licet, ſolitum illi, C Moſes has partes ſeparet. Comederunt igitur mulier & Adam fructum. Tunc aperti ſunt amborum oculi, ſeq; eſſe nudos agnouerunt. Deinceps ſub ortum Eteſiarum meridianum, Deus qua ſolitus eſſet præſentia per paradiſum deambulabat, & quanquam ſciret quid Adam feciſſet, tamen ex eo prudenter voluit elicere facinus. Quærens igitur eum, & oculis omnia colluſtrans, nec vſquam reperiens inclamauit. Adam vbi es? Ille autem iam ſe condiderat, & corpus foliis ficus velauerat Deo per paradiſum perambulante, & præſentia voceque eius conſpecta, & audita. Ergo contextus foliorum non ſimul ac ſe nudos agnouiſſent, fuit, ſed cùm audiſſent Deum venientem, nec inter ſe forte erubeſcebant. Non enim erubeſcunt amantes, nec motum inordinatum, vt reor, par eſt eos ſenſiſſe, nec ſi ſenſiſſent, inter ſe erubuiſſent. Vox igitur quam audiuerunt, quæque fecit vt in denſiſſimum nemus aufugerent, & corpus tegerent, fuit terribilis illa & formidabilis: Vbi es? Iam erant ſceleris conſcij, & cùm imminentis ſupplicij expectatione, aggrauabat cognita culpa, ſeque & perpetraſſe male cognoſcebant, & male perpetrati ſupplicia expectabant. Quo fiebat, vt in ſummo metu verſarentur, multo magis perculſi voce formidabili. Ea enim ſunt munera voluptatum, cum delectatione quidem & animi valida & ſuaui commotione percipiuntur, ſed relicto aculeo euaneſcunt, præcipue ſi percepta voluptas erat ante vetita & inconceſſa. Reſpondit igitur, quanquam abditus iam & inter folia tectus. Non commemoro, quod aiunt quidam Hebræi vt vitarent Deum deambulaſſe, viſum, locutum, quod clare & manifeſte prædicat Moſes, deambulationem non ad dominum, ſed ad vocem referri, vt ſit ſenſus. Cumque audiſſent vocem domini Dei obambulantem, & quaſi reſonantem per paradiſum. Ac monſtrãt & probant dari aliis in locis inceſſum ſiue progreſſum voci. Sed rationabilius videtur vt inceſſus ſpectet ad eundem opificem, qui prius eos creauerat, & creatam mulierem in cõſpectum viri adduxerat, in quo ingreſſum neceſſe eſt intelligere. Neq; veriſimile eſt,

Qũo Deus ad Abrahã venerit.

Qũo venit Deus ad Iob & Eliam.

Quo ſenſu dicat. Deū ad auram deābulaſſe

D ea præclara myſteria, ſine præſentia Dei, viſa, manifeſta, peracta fuiſſe. Quando omnibus ſimilibus ſacramentis adfuit ipſe myſtagogos & initiator, & princeps, In lege condenda, in promiſſione ſanctiſſimo viro futuræ prolis, nouiſſimo in redimendo humano genere. Tria hęc manifeſtam Dei & ſpectabilem habuere præſentiam, Viſio Abrahæ, prolisq; futuræ promiſſio, è qua omnia erant magna & incommemorabilia bona elicienda: Lex in monte Sina: generis humani redemptio. Ergo & ipſa creatio mundi, hominum caſus: illaque ipſa voce pronuntiata ſunt myſteria creationis, hominis expulſio, qua pronuntiabitur ſuper damnandis, ſuo tempore. Non ergo Deus ad auram deambulabat quaſi deſpatians, ne te ſermo decipiat, ſed ad auram, ſcito eſſe chronographiam, non deambulationem, vt adſonet tempus, non occaſionem deambulandi: tum verbum deambulandi ipſum aduentum, & acceſſum ad hominem, lenem & humano quodam modo deſignat, ſubduxerat enim ſe Deus tantiſper, qui antea cum eis verſabatur, dum probaret, quid homo faceret, an in mandatis ſuis perſeueraret, ac quaſi procul pugnam contemplabatur, propoſita occaſione, coronandi hominis agonothetes. Quod facit interdum & iſto ipſo tempore relinquens nos, præcipue quos minus imbecilles nouit, probationibus. Et Apoſtolos amiciſſimos, familiariſſimosq; ſuos, vt ait prudentiſſimus Chryſoſtomus, cùm lacerari videret, & excarnificari, verberari, contemni, expelli, vexari, quæ probatio erat, & coronæ occaſio, ſuſtinebat, patiebatur, & quaſi ſpectaculo delectatus non commouebatur: Sic expectauit videre quid ageret, quo ſe verteret, data libertas, an propoſitam arborem vitæ, ſuperata cupiditate oblatorum à ſerpente pomorũ, quæ & ſenſus expetenda iudicabat, vellet contingere. An breui labore vincendi, arrectosq; ad vetita ſenſus deprimendi, vellet per paradiſum incedens coronatus, & ex arbore vitæ laureatus, in numerum deorum immortalium adſcribi. Sed heu miſerã conditionem, vt labimur omnes, noxiaq; ſalubribus ſæpe præferimus? E Eadem enim etiam nunc in toto genere eſt miſerãda calamitas, quæ fuit in autore: pauciſſimos videas, qui propoſito præmio cæleſti, & per præcones diuulgato, aſtãtibus autem fragilibus & caducis bonis, quorum quotidiano interitu vanitas coarguitur, ad hæc tamen properamus ardentius, illa tum non curantes, tum non, niſi coacti, ſuſpicientes. Et nos ipſi, qui hæc philoſophamur, horum è numero fortaſſe ſumus. Tanta noſtra eſt inertia & imbecillitas. Cogitare autem debemus, quanta cum maieſtate obambularet Deus per paradiſum, credendum eſt enim & Angelos innumerabiles fuiſſe, & gloriam, ſplendoremq; mirabilem cuncta repleuiſſe, multaque alia inenarrabilia contigiſſe. Meritoque perterritus Adam aufugit agnita nuditate, quam prius ne agnoſceret, animus eius præpediebatur, non permiſſus, vt ait Auguſtinus aduertere nuditatem. Et nuditas quæ prius erat ad candorem, per peccatum conuerſis omnibus facta eſt ad pudorem, vt quo prius erat glorioſus, eodem fuerit ignominioſus.

Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei. Adam vbi es? Qui ait:
vocem tuam audiui in paradiſo &c.

Ad quid ea Dei interrogatio.

Dauid.

AGnoſce ſingularem Dei humanitatem & clementiam, cùm ſciret eum & quid feciſſet, & quo in loco eſſet, ne ſubito tamen malo perculſus, grauius periret, & iniuſte ſe damnatum putaret, ingreſſurus in condemnationem, hoc quaſi fecit exordium. Quod Hebræi in cæteris etiã locis fieri oſtendunt. Ad Kain, Vbi eſt Habel frater tuus? Et ad Balaam, proficiſcentem cum his, qui eum aſciuerant, vt populum Iſrael malediceret: Quid ſibi volunt viri iſti? Et ad Ezechiam, cùm legatos miſiſſet ad eum rex Babyloniorum: Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te? F Omnibus his locis Deus rogat, vt ex reſponſo conuincat errorem, & condemnet. Quod & Serapion vidit apud Græcos, πυνθάνεται οὐχ ἵνα μάθῃ, αὐτὴ γὰρ ἡ ἐρώτησις δείκνυσιν εἰδότα, ἀλλ' ἵνα τῆς παρακοῆς αἴσθωνται· μεγίστη γὰρ τοῦ πλάσματος κατηγορία τὸ κρύπτεσθαι. Sciſcitatur non vt diſcat, ipſa enim interrogatio oſtendit eum cognouiſſe: ſed vt ſentiant tranſgreſſionem. Magna enim erroris accuſatio eſt, ſubterfugere & abſcondi. Theophilus autem ſapienter & ipſe, & non diſcrepanti ſenſu, non tanquam ignarum Deum interrogaſſe, ἀλλ' μακρόθυμος ὢν ἀφορμὴν παρεῖχεν αὐτῷ μετανοίας, καὶ ἐξομολογήσεως· ἐλεύθερον γὰρ, καὶ αὐτεξούσιον ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον. Sed cùm eſſet miſericors, præbuiſſe occaſionem pœnitendi & confitendi. Liberum enim & ſuæ poteſtatis hominem feciſſe Deum. O præclaram & auream pronuntiationem, ait Deum confitendi & pœnitendi obtuliſſe Adæ occaſionem. Hæc ergo vox ea eſt, quam audierunt emiſſam in paradiſo à deambulante, ſeq; abſconderunt, & abſconſi reſponderunt è loco opaco & ſepto, putantes ſe à Deo non videri, aut putantes quidẽ, ſed rubore, quæcunq; ſe daret opportunitas, arripere cogente, ne nudi Deo, & Angelis eius ſpectatiſſimis circumaſtantibus viderentur. Quare fit ſolita apud Moſen repetitio, primũ dicit, Et audierunt vocẽ domini Dei: ſecundo, Et vocauit dominus Deus. Hoc enim audierunt, quod vocati ſunt. Itaq; iam nota eſt ſcribentis conſuetudo. Kain rogatus vbi eſſet frater, auſus eſt etiam, cum deſtomachatione ſuperboq; reſpõſo, non ſolum celatum ſcelus, ſed nec apud Deum etiam excuſatum, denegare. Quid enim ſi numen non quæſiſſet, tanto profundior animi durities perſtitiſſet? Quod, inquit Deus, tu negas, cum magna voce, terra reſperſa cruore apud me fatetur. Vt ergo fiebant omnia tunc claris viſibilibusq; exemplis, exigente rerum creatarum cuncta perfecta & clara principio, ſic peccatum manifeſtum, manifeſto & rationabili iudicio eſt conuictum & condemnatum, reſpondentibus inuicem ſibi iudice

&reo,

A & reo, & è reſponſo peccantis tranſgreſſione patente. Ipſeque non quidem tranſgreſſionem eſt confeſſus, vt nec cæteri quos vti reos & parum pios diuina ſcriptura demonſtrat, qualis ille ipſe homicida Kain. Cain. At Dauid excepto eo ſcelere, quod grauiſſimum in omni vita admiſit, cætera iuſtiſſimus vir, vt etiam ſe affinitatemque omnem perſequenti hoſti parceret, à Propheta ex peccato ſuper ſe, domumque omnem venturis, auditis, dixit, Peccaui domino. Ille ipſe Dauid, vt omnia recognoſcas, ſuis verbis, propoſito ſimili ſceleris ſui à Propheta exemplo, ignarus & imprudens conuictus eſt. Perpetrauerat ipſe homicidium cum adulterio, ſapiens Propheta accedens narrauit, qui tale quiddam feciſſet, quem rex furibundus ad ſupplicium trahi iubebat. Reſpondit propheta, Tu ille ipſe es, te tua voce condemnaſti, & quam ex ſcelere pœnam alterum promeritum iudicaſti, in te, qui idem flagitium perpetraſti, recidit. Ecce ergo iudicium. Reuertantur omnia in caput tuum, quamque voluptatem peſſime quæſiſti, maioribus pœnis dolendo cum omni poſteritate perſolues. Tali quodam exemplo apparet peccatum primorum hominum, perpetratum, patefactum, condemnatum. Cognitio nuditatis quid faciebat. Illic à Propheta, hic quoniam erat principium, in manifeſta Dei præſentia. Similes res vtrinque, Seipſum condemnauit Dauid, ſeipſum Adam. Sed ante, Dauid non ſe condemnabat, latebatq; animum peccatum, in altero egit Propheta ſcelus, vt ſuum agnoſceret: Reſponſo, & fuga, & rubore, cognitaque nuditate, fecit Deus vt errorem ſuum Adam cognoſceret. Aperti oculi, & nuditas cognita, occaſio fuerunt ſceleris cognoſcendi. Hoc fuit ſignum & indicium flagitij commiſſi. Cùm te nudum videris, inquit, tunc cognoſces te peccaſſe. Hoc peccati datur exemplum, & argumentum, exemplis enim & factis, & dictis Deus tunc vtebatur. Nunc loquebatur exempla & argumenta, nunc faciebat. Exemplo aſcito, & ſermone pronuntiato, ſcelus Dauid eſt confutatum: oculato autem & practico conuictum eſt ſcelus Adam. B Nathā ad Dauid. Argumentum ſceleris Dauid fuit alius quidam, qui vaccam pulcherrimam, vnicamque pauperi abſtuliſſet, argumentum ſceleris Adam non verbum, ſed cognitio nuditatis, & fuga, & protectio corporis. Hæc argumenta grauiſſimi ſceleris, Quod quidem leue eſt ſi verba reſpicias, magnum autem fuiſſe docet ratio, penetranſq; intime cogitatio, tum exempla, & quod ſecutum eſt. Audiamus enim totam condemnationem Dauid. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir, qui feciſti hanc rem. Hæc dicit dominus Deus Iſrael. Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael, & ego erui te de domo Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael & Iuda, & ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multo maiora. Quare ergo contempſiſti verbum domini, vt faceres malum in conſpectu meo? Vriam Ethęum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Amon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum, eo quòd deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Ethæi, vt eſſet vxor tua. Itaque hæc dicit dominus, Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius. Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis huius. Huc vſque iudicium Dei formidabile, ac tremendum omnibus, qui legent, cognoſcent grauiter indignari Deum, quòd ſcelera perpetrando contemnatur. Eum ne amiciſſimis quidem (neque enim niſi pios & iuſtos amicos habet) parcere ſi à iuſtitia deſcierint. Hæc igitur condemnatio poteſt eſſe quaſi exemplum antiquæ illius, ſi ſingula ſingulis conferas, vt quaſi hunc in modum Deus ſit locutus non per Prophetam, ſed præſentia manifeſtaque: Ego creaui te regem ac C principem totius mundi, omnium animalium, volantium, natantium, humiq; ſerpentium, omnium beſtiarum principatum tradidi, tibi lucem, ſydera, terraſq; ipſas cum omni arborum, fructuum, herbarumq; varietate creaui, feci vt omnibus delitijs circumfuſus, locum iſtum amœniſſimum, hos fontes, campos, has arbores, ſalubribus ſuauibuſq; fructibus oneratas, ad omnem poſſideres voluptatem, & ſi parua hæc viderentur, arborem quoq; vitæ, & diuinitatem, immortalitatemq; pollicebar. Quare ergo imperium meum contempſiſti, vt ſcelus tantum oculis meis oſtenderes, vxor tua tibi præponderaret, eam Deo tuo & creatori anteponeres, factus eius quaſi venerator, memet abijceres? Quamobrē tu cum omni poſteritate morieris, nō recedet gladius de domo tua vſq; in ſempiternum, vt à te tota pereat poſteritas, quia contempſiſti, ſpreuiſti, pro nihilo habuiſti me, fœminam potius quàm me amaſti, ei audiſti, obediſti, eam optaſti, concupiſti, plurimi feciſti. Itaque ecce ego efficiam, vt omnibus in tuam perniciem conuerſis, ex ipſa quam audiſti, ſemper ingemiſcas, eandem habeas omnium miſeriarum autorem, cuius obtemperare voluntati maluiſti. Hæc recurrens, ſimilitudo rerum humanarum docet quid tunc factum ſit, quamq; cauſam habeat diuina indignatio. Dei contemptus. Intelligimus hinc quoties peccamus, contemni Deum, & ex contemptu indignationem ſequi. Maximus autem fuit ille contemptus, ꝙ non vt poſteri ratione & natura duce, & legibus commonentibus, peccatum cognoſcebant, ſed clara & illuſtri Dei voce & præſentia. Ibi apparuit incredibilis contemptus. Quicunq; ergo exiguum hoc malum fuiſſe queruntur, aſpiciant & ſciant fuiſſe grauiſſimum, quia Deus contemptus eſt, & in hac vna præuaricatione, omnium peccatorum, præuaricationumq; reluxit imago. Si enim in re facili, cōtemptor neglectorq; fuit, quid in maximis? Hac igitur præuaricatione, cætera ſunt omnia patefacta, in vno ſcelere, cuncta ſcelera apparuerunt. Oſtenſumque ſimilem in alijs futurum hominem fuiſſe parum Dei

D veneratem, voluptatum potius & fœminæ, quàm ſummi & optimi patris, principisq́; ſui obſeruantem. Ecce Deus ſe contemni cùm peccatur, plus enim ea ipſa res, quam ſuſcipimus, diligitur, quàm ille quem ſcimus prohibuiſſe, omniaq́; iſta ſe mutuo conſequuntur. Qui peccat, contemnit: qui contemnit non ſolum non amat, ſed etiam ſpernit: Deus autem qui ſe ardentiſſimum amatorem vbique probauit, nonne indignari debet & iraſci, ſi quos amauit, ſui videat contemptores? Quæ enim eſt maior indignatio, maius incendium, maior cruciatus? Sciunt qui aliquādo amarunt. Non eſt ſupplicium grauius, quàm videre quem ames tui ſpernentem: nulla maior voluptas, quàm amari ab amato. Hos affectus in Deo cognouimus, quia idem demonſtrauit, & ratione innoteſcit. Omnis enim animus rectus amat: ſi amat homo, nonne Deus longe magis? Amorem autem naturali coniunctione ſequuntur quæ diximus. Merito ergo & pulcherrimo philoſophiæq́; pleno modo, iſta grauiſſima præuaricatio, per nuditatem cognitam & expreſſam, eſt demonſtrata. Cognitio nuditatis, & abſconſio, & corporis velatio, omnes miſerias, ſtragem, peccatum inexpiabile deſignabant, oſtenſum quidem hominem ardentiſſimi amatoris ſui ſpernentem eſu pomi. Sed quid hunc impium neglectum, & non redamare amantem, ſequeretur, cognitio nuditatis manifeſtauit. Si enim ſtetiſſet, nube candida veſtitus, ad deos qualis Ieſus tranſiſſet. Hoc intelligebat inuidus dæmon. Omnes miſeriæ patefactæ in cognitione nuditatis. Ideo fugerunt, & ſe totos quoad poſſent, & corpora texerunt. Nec ſimilis ipſi Dauid extitit homo, vt diceret, Peccaui tibi domine: ſed alter in alterum culpam reiecerunt: Omnia videlicet abſcondentes, corpora, ſeipſos, peccatum: plena pudoris omnia, magnaque mentis confuſio, & tumultus, ſubita quaſi & inopina nuditas, ſubita deſpoliatio, ſubita deprædatio. Vno momento cuncta depopulata, nudiq́; prædati, victi, capti coram è veſtigio apparuerunt. Mirare ſingularem E Dei ſapientiam, qui ex cognitione nuditatis voluit eorum peccatum & oſtendere, & conuincere, confitendoq́; ille nuditatem, confeſſus eſt peccatum, & prædam, & ſe in manus hoſtium veniſſe. Duobus modis ſcelus ſuum propter nuditatem, confeſſus, fugiendo & dicendo, confitendoq́, ipſam nuditatem. Et ex profunda ſapientia, Deus in cognitione nuditatis, voluit omnia mala patefieri. Accerſiuit peccatum nuditatem, mortem, & labores, ac ſudores, omnium bonorum deſpoliatio, & præda infelix fuit. Deſcenderat Adam nudus in aciem, adhuc in conflictu, adhuc miles erat, necdum coronatus, & laureatus, veſteq́; nectarea decoratus, necdum damnatus, in cōfuſione & pudore ſuæ nuditatis. At vbi qualis eſſet, cognitus eſt, tunc qui cæleſti purpura velut vnus è cæleſtibus erat induendus, ignorata etiam nuditate, tunica pellicea eſt veſtitus, & pro paradiſo ætherio, caliginoſas terras eſt ſortitus, pro vita, mortem. De qua re diuina loquitur Baſilius, οὔτε οὖν ἐκ φύσεως ἔπρεπεν αὐτῷ ἔχειν σκεπάσματα, οὔτε ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἕτερα ἦν εὐτρεπισμένα ἐπιδειξαμένῳ τὴν ἀρετὴν, τὰ ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος ἐπανθεῖν τῷ ἀνθρώπῳ καὶ περιαστράπτειν μέλλοντα, φωτειναί τινες περιβολαί, ὁποῖαι αἱ τῶν ἀγγέλων, ὑπὲρ τὴν τῶν ἀνθῶν ποικιλίαν, ὑπὲρ τὴν τῶν ἀστέρων στιλπνότητα. διὰ τοῦτο οὐκ εὐθὺς τὰ ἐνδύματα, ἐπεὶ δὲ ἆθλα ἦν ἀρετῆς ἀποκείμενα τῷ θεῷ; εἰς ἀφθάσαι ἀπὸ τῆς πονηρίας τοῦ διαβόλου οὐκ ἐπετράπη. Quæ ſunt: Neque igitur ex natura, neque ex arte conueniebat eum habere veſtes, ſed erant aliæ paratæ, fortiter pugnanti, edito virtutis exemplo. Dico veſtes fulgentes ex diuino munere circum hominem flagraturæ, quales ſunt Angelorum, omnium florum varietatem, aſtrorumq́; nitorem ſuperantes. Quocirca non ſtatim his indutus eſt, quippe præmium erant virtutis, à Deo repoſtæ. Ad quas aſpirare diabolica prauitate homo non eſt permiſſus. O pulcherrimam vereq́; diuinam Philoſophiam, vt cùm F adhuc eſſet nudus, deſignaretur, nondum quicquam eum promeritum, deeſſe coronā, deeſſe præmium. Quod nondum cognoſcere permitteretur, qui non careret velut ſemper cariturus, ſed adhuc eſſet ad vtranque ſortem anceps, adhuc ἀμφοτερίζων ἀμφιτάλαντος, vt Græci pulcherrime dicerent, cognoſceretur ac pateret perfecte nuditas ſublata ſpe, eum cæleſti amictu amplius induendum, ſymbolice cuncta, & ſapienter, & per Philoſophiam. Arbor vitæ, arbor ſciendi bonum & malum, nuditas, ſerpens. Euolue & enoda ſingula. Arbor vitæ, quaſi nectar & vinum, quod in regno patris bibitur: ſcire bonum & malum, ſcire nuditatē: Sub cognita nuditate cuncta mala, quia ſymbolum amiſſorum præmiorum. Serpens, dæmon. Hinc non propterea quòd obſcœnum motum in membris ſenſiſſent, cenſuerim eos aufugiſſe.

Cognitio nuditatis quid faciebat.

Cui dixit dominus: Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, &c.

VT orationem noſter efficeret clariorem, addidit, dominus. Hebraice tantum, Et dixit. Deinde Hebraice non dicitur, enim. Et quod ait, Niſi quòd, interrogatio eſt המן העץ An de ligno comediſti? Ad quod reſpondit, Mulier dedit, & comedi. Sed noſtra non variāt, ſed illuſtrant ſenſum. Nam Septuaginta εἰμὴ, niſi quòd. Vnde, inquit, didiciſti te eſſe nudum, & quod in nuditate oporteat erubeſcere? Vidiſti nuditatem, & erubuiſti, vnde ſimul & nudum te eſſe ſenſiſti, & eò erubeſcendum didiciſti? Et quod eſt Hebraice המן poteſt eſſe interrogatio, & admiratio. An comediſti de arbore? Vel, Fieri ne poteſt vt comederis? Poteſt enim eſſe interrogatio cum admiratione, & ſine admiratione. Quodque ait, Mulier quam dediſti mihi, quaſi hæc eum dicere voluiſſe docent Hebræi: Hoc tibi debeo domine, qui hanc mihi comitem dediſti. Tu eam

mihi,

A mihi, ipſa dedit mihi: à te data dedit: credebamq́, vt quam mihi adiutricem & comitem dederas, quicquid obtuliſſet, vtile foret & auxilio. Ex hoc condemnatio potius profecta eſt. Imo, ait, quoniam eam hic audiſti, coronam perdidiſti. Neque enim illam, vbi imperium meum ſtaret ex aduerſo, debueras audire. Veteres quoque Hebræi ſimile quid volunt reſpondiſſe Adam. Scandalum ante oculos mihi obieciſti, quæ mihi auxilio eſſe debuerat à te data, hæc fuit offendiculo. Sed locum non habebat hæc excuſatio. Non enim cogebat, & ſi hortabatur. Sola neceſſitas poteſt excuſari, libertas præmio afficitur, vel ſupplicio. Atque vt pulcherrime ait Theodorus, Non dederam eam tibi imperatricem & conſulentem, ſed ſociam. Tu caput es, corpus à capite, non caput à corpore vel membro regitur. Te igitur ducem eſſe, illam ſequi oportebat. Tu potius fraudem ſerpentis debueras animaduertere. Quodq́ue noſter vertit, Quam dediſti mihi ſociam, eſt עמדי immadi, mecum. Quam mecum, inquit, poſuiſti: mihi addidiſti in paradiſo, ait Auen Eſdra, Mecum in paradiſo verſari, & eſſe iuſſiſti. Et Septuaginta ſequentes Hebraicum μετ' ἐμοῦ, mecum. Quodq́ue ait mulieri, Quare hoc feciſti? Pertinet ad duas culpas, cur comederit, cur viro dederit, Quorum vtrunque grauiſſimum, & iuxta vtrunque pœna importata, vt deinceps ei ſubijceretur in omnibus, quem in errorem induxiſſet. Serpentem autem non interrogauit, vt monent Hebræi, quoniam clarum erat facinus: & interrogatio viri & mulieris facta eſt, vt ex ea eligeretur condemnatio. Serpens autem interior iamdudum fuerat condemnatus, vt ait Nicolaus: Incipitq́ue condemnatio ab improbiore & prior, & grauior.

Maledictus eris inter omnia animantia & beſtias terræ.

HAec quoque ex his ſunt, quæ ſcriptores ſacri, magnis tenebris, non quidem volentes, ſed B ea vt geſta eſſent, referentes, obfuſcarunt. Quòd cùm multis in locis poſtea ſit factum, non erit tam mirum in hac antiquiorum rerum deſcriptione accidiſſe. Nam hæc maledictio duas maximas ſpargit ambages, vnam de dæmone, alteram de ſerpente. Nihil enim eorum quæ in iſta maledictione continentur, dæmoni congruit. Tum nõ eſt naturale vt ſerpens alius a principio, alius poſtea fuerit, vt ne ſuper pectus ambulauerit, ne terrã comederit. Nam in deſcriptione animalium terreſtrium ſuperius adnumerantur etiam reptilia, quæ ſine dubio, ſunt ipſi ſerpentes. Reptabant ergo & ſine pedibus ingrediebantur, etiam ante maledictionem. Tum morſus ſerpentium naturalis eſt, ſi quis eos calcet. Hæc igitur obſcuriſſima facta ſunt à ſcriptoribus, non referentibus niſi ea quæ ſunt geſta, exemplum de Samuele. Michæas item cùm vidiſſet Dominum ſedentem & exercitus angelorum circumſtantes, vnum ex his ſurrexiſſe aſſerit promittentem ſe mendacem ſpiritum futurum in ore omnium prophetarum impij regis Achab. Succurrat prudentia, ne inter cęleſtes ſpiritus aſſeramus ſpiritus mendaces. Vt ergo interpretor in Samuele, eum fuiſſe ſuſcitatum quidem, ſed à Domino, non frigidis mulierculæ incantationibus, licet à ſcriptore taceatur, ſed à muliere potius factum ſcribat: aſſeroque ibi & res manifeſtas, & abſtruſas quaſdam accidiſſe: manifeſtas, quæ impoſtrici cęteriſque viderentur, abſtruſas quas mihi ratio, ipſaque ſcriptura diuina collata inter ſe, ſuggerit, & vt in Michæa audio quidem in his qui Deum circunſtarent, qui ſe mendacem & deceptorem promitteret, ſcio tamen eadem diuina ſcriptura monẽte, à ſanctiſſimis innocentiſſimiſque animis deceptionem proficiſci non poſſe, ſic audio terreſtrem ſerpentem maledici, ſed cogor aliud item quàm audio interpretari. Nam & ſuperius audiebam ſerpentem ante creatas à Deo animantes, callidum extitiſſe, & allocutum mu-C lierem fefelliſſe: quia tamen in brutis animalibus nec calliditatem eſſe poſſe ſcio (dico calliditatem, quæ ratione regitur & exercetur) nec alloquium (quia nec ratio, eloquij fons) cogor aliud quàm audio addere deſcriptioni. Hæc conſuetudo cùm mihi ſit multis exemplis perſpicua, nec ſint petenda procul teſtimonia, ſed habeam ea domeſtica, monent enim ſuperiora, aliud ibi quàm ſerpentem fuiſſe, hic quoque aliud quàm quod ſit deſuper, cogor interpretari. Recurrentes igitur ad ſuperiora, nam ſub arbore vitæ, occultabatur vera vita: ſub arbore ſciendi bonum & malum, nuditatis cognitio: ſub cognita nuditate latitabat mortaliras, coronæ amiſſio, & expoliatio, ſub ſerpente maius quoddam monſtrum: ſic videbimus iſthęc duas habere anſas, vnam à ſcriptore, alteram à ratione & conſideratione exhibitam. Quicquid ſuperius loquebatur de ſerpente ſcriptor, conueniebat in ſerpentem terreſtrem, eratq́ue animus eius intentus in beſtias illas proiectas humi, ſed occaſiones quaſdam obtulit, quibus ad aliud abſtruſius penetraremus. Sic animus hic totus in ſerpentem terreſtrem reſpicit, conuenitq́ue in illum deſcriptio, ſed nos aut à ſcriptore, aut à ratione pariter adiuti, ſcimus aliud item ſubeſſe, vt ſingula ſingulis reddentes dicamus ſerpentem, in quo fraus execranda peracta eſt, merito fuiſſe damnatum, ſed hãc maledictionem ad quandam interiorem aliam penetraſſe. Duo ſerpentes, ſimiliter maledictiones duæ: ſed vt vnum ſerpentem exhibet Moſes, ſic maledictionem vnam, tantum occaſionem non deſcriptionem exhibens alterius ſerpentis. Ac magis in deſcriptione ſerpentis exhibuit occaſionem, vt alterum ſerpentem intelligeremus, quàm in maledictione, vt alterum latentiorem intelligeremus. Sed quod deeſt ab illo, à reliqua ſcriptura, & à ratione ſuppetet. Ac vt dixi nihil eſt propemodum in iſta maledictione, quod in alterum ſerpentem congruat. Superius erat calliditas, erat ſermo, mendacium, maioris ſerpentis, occultiq́ue monſtri indicia, hic ingredi ſuper pectus, humum incolere, & ex ea viuere, quod eorum venena teſtantur, quòd mordaces ſint,

Diſtinguendi mali ſpiritus a bonis.

Serpens terreſtris.

Duo ſerpẽtes, maledictiones duæ.

hoc omne ſerpentium eſt terreſtrium. Duas igitur habemus res, ante oculos, alteram à Moſe, D alteram à ratione oblatam. Moſes offert maledictionem ſerpentis terreſtris, quia etiam ſuperius dixerat, ſerpentem omnibus animantibus terræ fuiſſe callidiorem, quaſi ea eſſet natura eius, non alterius, ratio autem offert, vt tum ex ſcelere patrato, intelligamus ſceleris patratorem, tum ſi damnatus eſt ſerpens exterior per quem ſcelus patratum eſt, multo magis interior, à quo deceptio, ſcelusque manauit. Sed quam maledictionem maioris ſerpentis debeamus intelligere, non habemus à Moſe, niſi vnam maledictionem in duos ſerpentes diffundamus, vtrique ſuam applicantes. Si enim ſub vno cogimur duos intelligere ſerpentes, forſan & ſub vna maledictione, duas. Quod quidem Moſes non oſtendit. Maledicitur ergo ſerpens exterior, non curante reliqua ſcriptore. Vt ergo præ omnibus animantibus maledictus & damnatus eſt exterior, ſic præ omnibus animis ac ſpiritibus perditus, profligatus, ſerpens interior. Sicut ſuper pectus ingredi, id eſt deiectus, proſtratus, tenens terras ſemper, iubetur exterior, ſic interior in centro terræ verſari ſemper humi, ſemper in tenebris, nunquam ſuperiora petens. Vt terra ſiue vt habet Hebraice expreſſius עפר id eſt humo, terra lutulenta, cœnoſa, quæ in ſubterraneis eſt locis veſci exterior iubetur, ſic interior, in inferis depreſſiſque & lutulentis, cœnoſiſq; cauernis habitans, hic agere vitam, hic veſci omni æternitate. Nam ſi ſerpens exterior moritur, interior ſemper viuit, vt omnia maiora ſub interiore illo cognoſcas. Vt inimicitia intercedit æterna, naturaleque odium inter homines & ſerpentes: nam conſpicati hominem aut fugiunt, aut reſiſtunt vt inuadant, ac noceant: & vt ſemper homines ſi poſſint conſpicati ſerpentem, aliud telum nõ habentes, caput eius calcaneo perfringunt, aut humi & in herba latentem, & non ſentientes calcant, illeq; verſus remordet pedem: ſic odium eſt æternum ſerpentis interioris cum genere humano, & viciſſim nunc homines eum inſidiantem, ac latentem reijciunt, abigunt, profligant, nunc viciſſim E ipſe retortus mordet eoſdem, niſi caueant. Et vt intelligas Moſen, Paulus inquit, Dominus conteret Satanam ſub pedibus veſtris. Ecce loquens de Satana, vtitur ſermone ſerpenti terreſtri congruente. Cùm non poſſit pedibus Satan ſpiritus premi, quid Paulus ait, Dominus conterat ſub pedibus? Figurata igitur locutio. Non habet quidem ſemen interior, nec per propagationem creſcit, eoque hæc deſcriptio eſt exterioris tantum ſerpentis, genus tamen vnum dæmonum theologia demonſtrat. Merito igitur dixerunt noſtri, & ratione confirmatur, non impune fraudes has exercere ſerpentem, ſed maiora ei accumulari ſupplicia, ſi quid ſceleris peragat. Si enim dant homines pœnas ob cædes, rapinas, cæteraque peccata: eum ſcelerum Deo non perſoluere pœnas non eſt credendum? Vtque ait Sapiens, potentes potenter tormenta patientur, dæmones ſpiritus magnos ac potentes, dare atrociſſimas pęnas par eſt. Vt magnitudo eorum faciat ſceleris magnitudinem, hæc magnitudinem ſupplicij. Muſca, formica, vel digito obteritur, at bouem mactare volenti, totis conatibus, vinculis, ſecuribus eſſet opus. Damnatus eſt igitur, & atrocibus ſupplicijs addictus ſerpens interior eſt. Ac non hoc loco diſputo, an quod ex parte Dãnatio dæmonis. videtur aſſerere, Athenagoras, Dionyſius Alexandræus, è Latinis Auguſtinus, damnatio dæmonis fuerit iſta ipſa inuidia, & fraus, vt antea bonus quidem fuerit, ſed hominis felicitati inuidens, & in ſcelus eum pertrahens, inde damnatus fuerit, vt & proditor, & proditus dederint pęnas. Multas enim habet difficultates hæc aſſertio. Ad alia, quòd innumerabilis prope eſt multitudo ſpirituum malorum, vnum autem tantum certum eſt, hominem decepiſſe: cæteri ergo vnde contraxere ruinam? Deſcriptio igitur maledictionis tota eſt ſerpentis exterioris: & vt vbique ſolet diuina prouidentia, prudenter eluſit ſpiritum impoſtorem maledicens eum in ea forma & F animali, quam tam libenter expętiſſet, eique dans omnia ad proportionem, quæ ſerpenti dediſſet. Quaſi diceret ei, Serpentem elegiſti tuarum fraudum laruam & perſonam, eiſdem ſupplicijs igitur atque ille ſubiacebis. In te recidant omnia, quæ congruunt illi. Atque ait ei cum hoc genere eſſe familiaritatem Auguſtinus, & diabolica vi è latebris trahi ſerpentes Magorum verbis. An autem ſerpens talis ante maledictionem fuerit, cogitatio quidem exhibet, vt idem, eodem corporis habitu, eodem ingenio fuerit, ſed aliud videtur referre theologia. Multaque ſunt, quæ noſtris cogitationibus viderentur, aut fieri non potuiſſe, quæ tamen facta ſint: aut alio modo fieri debuiſſe, quàm ſint facta: complura item ſunt, quæ niſi oculus vidiſſet, alio referente credere ratio noluiſſet. Hebræi multa ſuper hac re dicunt. Alij quòd maledictio ſerpentis, abbreuiatio vitæ eius fuerit, alij quòd cùm antea os ſublime & pedes haberet, his detractis, in ventrem proiectus ſit. Quæ refelluntur à Nicolao: ſed certe maledictionem eſſe terreſtris ſerpentis Maledictio mulieris. negare non poſſumus. Soluitur autem ambago ex alio loco. Nam & mulieri dat maledictio ea, quæ videtur ante habuiſſe, conceptum, dolorem, ſubiectionem. Viro etiam labores & ſudores. Dicendum hæc quidem antea fuiſſe, nondum ſtatu humano determinato, fuiſſe in ancipiti, partum, laborem, ſudorem: tamen vt mortales fuerant creati, confirmata ſunt ex maledictione. Sic ſerpentis talis & antea erat natura, ſed quia ſub hac forma peccatum eſt, confirmata eſt infelix 1. Cor. 9. conditio, & hominibus monſtrata, quę prius latuiſſet, nihilque de ea dictum fuiſſet. Neque enim Deo cura eſt de bobus, idcirco nec de ſerpentibus. Voluit autem eſſe ſupplicium, quod prius eſſet natura: Sicut arcus in nubibus, erat antea naturalis arcus, ſed poſtea ſignum fuit, quia exiſtente arcu, diluuium eſſe non poteſt. Signum eſt enim arcus temperatorum, & cito recedentium

A tium imbrium, exiſtens per Solem & nubem aquoſam, ac ceſſante fere pluuia. Serpens etiam
antea erat ille idem, ſed cuius forma ſumpta eſt ad maleficium, damnata eſt ad ſupplicium, pronuntiato
ad dedecus eo, quod naturale prius viſum eſſet. Neque enim & dæmon talem ſumpſiſſet,
niſi ſuis fraudibus proprium & familiarem. Igitur confirmatum, patefactum, demonſtratum
quod ab eo eſt factum. Hæcque fuit damnatio, cuius natura ſumpta eſt ad fraudem, confirmata
eſt ad dedecus, vt eſſet ei turpe eſſe talem, cui decorum fuiſſet antea & naturale. Non enim vt
dixi, Deo cura erat de ſerpente. Nec ſerpens quicquam commeruit, ſi diabolus, id eſt ratio potens,
formam ſuam aſſumpſit ad impoſturam. Alioqui quòd quis indumenta, mores, laruamque
vnius alicuius cepiſſet ad ſcelus, inſcius ille horum malorum, dabit pœnas? Sed vt dixi non fuit
cura Deo de ſerpente, cuius tota tendit ad genus humanum prouidentia. Nec curauit patefaciēs
antiquam fraudem, & iudiciorum ſuorum ordinem aperiens, damnare ſerpentem, vt natura, quā
haberet ſe volente naturaliter, deinceps inſtituto ſuo, cuius conſilijs omnis obſequitur natura,
eſſet ad dedecus, & ſupplicium. Nam ſi recte cenſeas, ne ſerpens ipſe quidem quicquam mali eſt
aſſecutus, qui nihil commeruiſſet, tantum infame iuſſum eſt eſſe, quod ſi non eſſet iuſſum, fuiſſet
naturale. Vt autem veneramur ac benedicimus crucem, in qua genus humanum eſt redemptum,
ſic maledictus eſt ſerpens, in quo fraus eſt perpetrata. Veneramur loca, tempora, domos,
indumenta, propter eos qui hæc tenuiſſent, deteſtamur item eadem ipſa & auerſamur: ſic Deus
execrans ſerpentem, & oculis eum toruis aſpiciens, maledictis & imprecationibus, ſibi conuenienti
modo, in eum inuectus eſt. Nec opus erat ſupplico, abunde enim in hoc animali malorum
erat. Viuit humo, venenatum eſt, habitat iuxta ſepulchra, lucifugum eſt, eoque ad maleficia
B vtuntur. Tantum erant hæc demonſtranda, decretoque diuinio ad dedecus & ſupplicium referenda.
Nam poſtremum quod de inimicitia poſitum eſt, proculdubio nouum acceſſit, quod niſi
homo cecidiſſet, hoc genus inimicum, vt nec cætera, nunquam habuiſſet. Quæ ne à ſanctiſſimis
quidem Græciæ theologis diſſentiunt. Primum Serapion cur deceptorem Deus non interrogarit,
pulchram aſſignat cauſam. Nam peſſimos non ſcrutatur Deus & examinat, ſed ſubito
condemnat. Quemadmodum dicit Dauid: Non reſurgent impij in iudicio. Non quod non reſurgent,
ſed quia non examinabuntur. Theodoritus non minus prudenter, Nullam in ſerpente
quęſitam correctionem & condemnationem, iamdudum eum fuiſſe damnatum. Terreſtrem autem
ſerpentem habuiſſe ex maledictione, quod habebat ex natura, *μνημόσυνον αἰώνιον* ſempiternam
memoriam pręuaricationis. Idem ait, Deum inuiſibilē ſerpentem pęna inuiſibili inſequi, organum
autem deceptionis manifeſtum, manifeſtæ maledictioni ſubieciſſe, volens argumentum
& memoriam hominibus relinquere in ſerpente manifeſto, occulti & inuiſibilis deceptoris, vt
videntes inſurgentem, aut reptantem homines, ſerpentem, antiqui doli recordarentur. Idem vt
dixit Theodoritus, ad hominum vtilitatem, illatam in ſerpente maledictionem. Quæ mihi vehementiſſime
ſatisfaciunt, præferunturque fabulis Hebræorum, cenſentium rectum aliquando
ſerpentem fuiſſe, poſtea in terram depreſſum. Quos aut ſimiles eorum redarguit oculatiſſimus
Didymus. Quidam, ait, ex eo quòd ſerpens maledictus eſt, *ὠήθησαν ὀρθὸν ποτὲ τὸν ὄφιν εἶναι, καὶ
λογισάμενοι, ὅτι οὐκ ἂν ἐξ ἁπάντων τῶν ἑρπετῶν ὁ θεὸς ἐκεῖνον μόνον ὄρθιον ἐποίησεν*, arbitrati ſunt,
arduum aliquando fuiſſe ſerpentem, non animaduertentes, quòd non illum ſolum è reptilibus
Deus rectum feciſſet: ſed quoniam, inquit, eum diabolus allocuturus mulierem erexit, ideo iuſſus
C eſt vt in pectus & ventrem caderet. Et hoc Didymi pulchrum ac ſcitum eſt. Arbitratur autem
Serapion ex eo quòd vox ſerpentis non eſt maledicta, eum articulatam vocem minime habuiſſe.
Bellum igitur *ἄσπονδος* irreconciliabile eſt, aduerſus ſerpentem, decernente Deo, vt idem ait
Didymus *αἴνιγμα δὲ τῆς πρὸς τὸν διάβολον ἔχθρας ἡμῶν*, Aenigma, ſignum, indicium noſtræ aduerſus
diabolum inimicitiæ. Eſt igitur maledictio execratio, deteſtatio, imprecatio. Potes autem
in voce Græca agnoſcere vim vocis Hebraicæ. Nam vt pleraque alia, ſic vox Græca, qua imprecantur,
ducta eſt ab Hebraica. Græcè dicitur araomæ *ἀράομαι*, Hebraicæ arar, & Græcè *ἀρὰ* ara
ſonat imprecationem. Hoc ergo loco vbi nos dicimus, Maledictus eris, Hebraicæ ארור אתה Arur
atta, maledictus tu. Quaſi, ſint meæ ſuper te imprecationes & diræ. Quodque ait, inter omnia
animantia, & beſtias terræ, duo genera ponuntur Hebraicè, pro primo eſt behema, beſtia, iumentum,
pecus, quod paſcit: pro altero, fera campeſtris. Ante omnes ergo brutas animantes,
nam omnes ſub hoc duplici genere continentur, ſerpens maledicitur. Quodque ait: Super pectus,
pro pectore Hebraicè eſt גחון Gachon. Non deſunt etiam qui hanc vocem apud Hebręos
pectus interpretentur. Auen Eſdra eam interpretans ponit pro ea חזה, quę vox pro pectore
ſemper eſt. Noſtri pectus ſerpentibus attribuunt, Squamea conuoluens ſublato pectore terga.
Inuenies apud interpretes Latinos, citari aliam editionem quę habeat, pectore & ventre repes.
Eſt ſcilicet editio Septuaginta antiqua apud Latinos. Ex quo apparet eam quæ poſt recepta eſt,
eſſe ipſius Hieronymi. Nam idem Hieronymus in traditionibus Hebraicis, hęc ad verbum.
Ventrem addiderunt Septuaginta, ſed in Hebræo habetur pectus tantum. Quare conſtat hoc
quod nos habemus, eſſe ipſius Hieronymi. Quodque ait, Et terram comedes, pro terra, vt ſuperius
monuimus, eſt עפר aphar, humus, terra lutulenta. Nec ſcriptura ſolum ſacra, ſed etiam profana
prædicat ſerpentes veſci humo: poeta,

Vita ſerpentis.

Virgil. 3. Georgico.

Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & vmbræ: D
Fouit humum.

Apud Eſaiam dicitur, & ſerpenti puluis panis, Hebraicè pro puluere, eſt עפר aphar, id eſt humus, lutum, terra limoſa, quæ panis ſiue cibus ſerpentis eſſe dicitur Apud Michæam: Lingent puluerem ſicut ſerpentes. Pro puluere, ſimiliter eſt aphar, humus. Quare cuncti fatentur cibum ſerpentum eſſe humum, hanc fouere, hic degere. Hinc trahit venena. Quodque ſequitur, Inter te & mulierem, ex ſequenti intelligitur. In ſemen ſcilicet, & poſteritatem recidere. Quanquam & tunc certum eſt, hoc cœpiſſe ſub muliere. Sunt quidem & alia animalia hominibus inimica, ſed vulgatur hoc in ſerpente, propter ea quæ acciderunt. Ac neſcio quomodo per eum animorum ruina eſt peracta, à quo mors corporum in hominibus, & omnibus generatim animalibus contingit. Siquidem idem poeta de colubro,

Ibid. Virg.

Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus.

Quodque ait Moſes, Conteret, non ſatis percipio quid Chaldæus reſpexerit transferens, Ipſum ſcilicet ſemẽ tibi reuocabit ad memoriam, quid ei feceris à principio, & tu reſeruabis ei in finem. Videtur caput & calcaneum allegorice interpretari, & cùm homo interficit ſerpentem adimpleri, quæ dicuntur iſto loco. Recordari hominem fraudum ſerpentis, ſerpentem in eadem inimicitia perſiſtere inſidiando, & lædendo. Quidam Hebræi caput & calcaneum aiunt, multo maiorem fore hominis ſuper ſerpentem, quàm ſerpentis ſuper hominem poteſtatem. Illum enim caput calcando daturum letum ſerpenti, ſed ſerpentem calcaneum mordendo, non æque. Plures enim ſerpentes ab hominibus, quàm homines à ſerpentibus interficiuntur. Suntque quaſi ex aduerſo E caput & calcaneum. Duratque odium, & inimicitia, non eadem cauſa qua cæterorum animantium, quarum & ſi quædam hominum ſunt inimicæ, cauſa tamen prædæ, ſunt, & quia carniuoræ, ſerpentes autem neſcio quo arcano odio, virus afflare lætantur. Quanquam remordere calcantem eſt naturale, & cæterarum animantium, apum, ſcorpionum. Dixi pro ipſa interpretem vertiſſe ipſum, vt referatur iuxta Hebraicum ad ſemen. Dixi & Septuaginta vertiſſe non αὐτὸς, ſed αὐτὸ neutro genere. Quæ lectio à Leone papa maxime demonſtratur. Apud quem eloquentiſſime vt omnia, hæc ad verbum: Deus enim omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus miſericordia, ſtatim vt diabolica nos malignitas, veneno ſuæ mortificauit inuidię, prædeſtinata renouandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignauit, denuntians ſerpenti, futurum ſemen mulieris, quod noxij capitis elationem ſua virtute contereret. CHRISTVM ſcilicet in carne venturum, Deum, hominemque deſignans. Hæc ille, Legerat ergo vt apparet apud Septuaginta, quorum editio erat illis temporibus vſui, ipſum, videlicet ſemen. Et Serapion, à quo & alijs Græcis, puto didiciſſe Leonem, eodem ferè modo expoſuit, καὶ μὴν σπέρμα ἡ γυνὴ οὐκ ἔχει, ἀλλ' ὁ ἀνὴρ, πῶς οὖν πρὸς τὴν γυναῖκα εἴρηται τοῦτο, ἢ δῆλον, περὶ τοῦ χριστοῦ, ὃν χωρὶς τοῦ σπέρματος, ἔτεκεν, ἡ ἁγία παρθένος, ἑνικὸν γὰρ ἐστὶ τοῦ σπέρματος, καὶ οὐ πληθυντικόν. Hoc eſt, Atqui mulier ſemen non habet, ſed vir: Quomodo igitur mulieri id dictum eſt? An clarum eſt, Pronuntiatum de CHRISTO, quem ſine ſemine peperit intemerata virgo? Singulare enim eſt ſemen, non numero multitudinis, ſemina.

Mulieri quoque dixit, Multiplicabo erumnas tuas, & conceptus &c. F

HAec quoque, niſi quædam maior prudentia ſuccurrat, naturalia eſſe videbuntur, vt ſi nunquam homo lapſus eſſet, futuraque eſſet propagatio, non potuerit aliud eſſe. Debile eſt iudicium noſtrum, quia vires fragiles quoque ſunt, & ad conſcientiam noſtræ facultatis iudicamus quæ non ſunt facta, nunquam fieri potuiſſe, & quæ facta ſunt, aliter fieri nequiuiſſe, conſtet autem nobis mille modis potuiſſe Deum efficere, vt manente propagatione, non maneret preſſuræ & dolores. Quandoquidem virgineum partum ſine dolore extitiſſe certum ſit, Et reliquæ in omni genere animantum, fœminæ citra dolorem quoque pariant. Habent autem diuina decreta tantam vim, vt natura fiant, quodque voluntate Dei fit, fieri naturali quodam impulſu exterius contemplantes ſibi perſuadeant. Nanq; & venti qui ranas in mare proiecerunt, cùm eſſent à Deo extraordinarie impulſi, phyſiologos quis in naturales cauſas retuliſſet. Sic ipſas exortas ranas & cyniphes, ſiue cniphes, vt vocat Ariſtoteles, in anni temperiem. Dolores ergo mulieris auctos in tranſgreſſione audientes cœleſtem theologiam referentem, non eſt fides deroganda, cogitareque debemus, variis modis Deum & infligere hos potuiſſe, & prohibere ſi affuiſſent. Quod pleraque alia exempla contemplantes intelligemus. Adde quòd hoc loco habetur, Multiplicans multiplicabo dolores tuos, vt ante ruinam, conditionem eandem habuiſſe videatur mulier nondum coronam immortalitatis aſſecuta, aut mortalitatis ſententia damnata, dolores autem ex tranſgreſſione accumulatos. Siquidem etiam homo erat terram culturus, erant multiplicandi, & per omnes terras, quam eis ſubieciſſet, proſeminandi, ſed longe meliore conditione. Terra quoque maledicta eſt, vt tribulos & ſpinas pareret, vt vbertatem ſuam frænaret, quę res tamen naturales cauſas habere cernuntur. Sed apparet omnia, quemadmodum item erant homines viuaciores, vt ętas illorum ſit nunc incredibilis, futura fuiſſe meliora, etiam in hac

Deus omnipotens.

A terrena conditione. Quis enim eſt qui non miretur primorum illorum diuturnitatem, & quod non multis eſt notum, corporum generalem proceritatem? Hæc vtique incredibilia, ſi præſenti conditioni aſſentiamur, corporum imbecillitatem & exiguitatem, vitæ breuitatem intuentes, videbuntur. Vt autem quaſi alterum hominum genus videmur nos ab illis, altera natura terrarum: ſic altera fuiſſet quædam, ſi nunquam tranſgreſſio accidiſſet: & erat ante tranſgreſſionem. Arbitror quidem ſtatum illum ante caſum fuiſſe breuiſſimum, ſed decreta Dei ante caſum & poſt intuens, differre priorem & poſteriorem ſtatum, diſcrimine magno, naturali tamen & illum & iſtũ, quoniam à Deo, conſtanter aſſeuerauerim. Etenim quod ipſæ nos crebro docent diuinæ litteræ, leges diuinam prouidentiam ad tempora variaſſe, aliamq; legem Adæ tuliſſe, aliam Noe, aliam Moſi, aliam nouiſſimis hiſce ſæculis, ſic cenſendum eſt, duas ſuper Adam leges tuliſſe vnam ante, alteram poſt caſum, vtranque autem pro humana conditione variantem. Quod ſi in probatione & certamine fortis fuiſſet, tertia quoque lex & conditio fuiſſet renouata, quę quidem quotidie ſuper pijſſimis iuſtiſſimisque viris poſt iſtius vitæ certamina, innouatur ab ipſo Dei filio regni immortalis principe, & capite poſita. Quocirca tres conditiones humani generis poſſumus numerare, vnam cùm adhuc eſſet anceps, nec mortuus, nec viuus, nec coronatus, nec eiectus. Tunc dicitur, Creſcite & multiplicamini, & ſubijcite terram, dominamini animalibus cæteris, veſcimini fructibus arboreis, quos optimos ac vberrimos fertiliſſima tellus ferebat: ante caſum factum eſt coniugium, & quaſi deſponſatio, de prole, cibo, dominatu, ſuper omnia animalia ſancita lex. Secundus ſtatus fuiſſet, non fuit, ſi Adam ſummam obedientiam, quæ exigitur à Deo magnopere, præſtitiſſet. Talia enim fuiſſet præmia conſecutus, qualia promittuntur hodie mandata Dei obſeruantibus. B Hæc eſt enim gloria eius, & honor in terris, inuiolabilibus eius obedire decretis. Hic amor, hæc veneratio, pietas, & hoc poſtulat, cupitque, non aliud à nobis. Cuius tanta vis eſſe cognoſcitur, vt Propheta (non vereor enim digredi) iubente cuidam vt ſe in verbo Dei, id eſt mandante Deo percuteret, illeq; prophetam Dei percutere deteſtaretur, pronuntiauit in illum propheta, Ecce quia non obediſti Deo, & non percuſſiſti me, percutiet te leo. Alteri autem cui ſimiliter præcepiſſet, non accidit ſimile, quia obtemperaſſet. Rem inauditam & ſtupendam, ait Chryſoſtomus: quia rem, vt videbatur, deteſtabilem facere noluit, dedit ille pœnas: alter autem nullas pęnas dedit, qui ſanctum ſanguinem effudiſſet. Quid aliud hinc docemur, niſi obedientiam velle ſummam, omnia regentem, & moderantem autoritatem? Hoc opus, hoc viuum ſacrificium, hanc ſi Adam præſtitiſſet, ad arborem vitæ perueniſſet. Tertius ſtatus fuit poſt lapſum, in quo eſt ille primus, retentus quidem, ſed variatus. Eademque manſit conditio, propagatio, cibus, dominatus, ſed nimis, heu nimis variata. Additi propagationi dolores, & erumnæ: cibo additum, vt ſudore & labore pararetur, qui prius ſponte in humanas manus deueniſſet: dominatus, quòd cùm eſſent ad nutum eius omnia animalia obſecutura, aut nullum ab eis detrimentum accepturus eſſet homo, facta ſunt maiore ex parte inimica, & nocentia, veluti ſerpentes. Quod declaratum expreſſe eſt, cætera reticentur. Recte ergo dictum. Multiplicabo, quaſi non eſſet iſte cumulus malorum ante caſum, ſed ſimilis eademque mulieris conditio, cladibus tamen his libera. Ac quaſi virgineos partus Eua antea edidiſſet, omnia ſacra, beata, felicia, angelica. Quemadmodum tellus, ſpinas & tribulos non peperiſſet, qualis erat, cùm deambularet homo in paradiſo, omnibus vbertate, viriditate, odore plenis. Docui enim non eſſe noC ſtræ imbecillitati, noſtris ridiculis iudicijs aſſentiendum, ſi negent rem ſecus habere potuiſſe, quam habuit, nec aliam naturam eſſe potuiſſe. Sunt non rationes ſolum hanc mentis deceptionem arguentes, ſed etiam exempla: Gygantum formoſa, proceraque corpora, antiquorum vita longæua. Quæ ſi quis cum noſtris conferat, inueniet illos quaſi alios homines fuiſſe, aliud genus præſtantius, diuinius: vnde & Heroes, & Semidei dicebantur. Quales ſunt, cùm eiuſdem generis videantur feles & leo, & teſtudines terreſtres atque marinæ, Simij & Satyri, cęteraque id genus animalia, & plantę. Agnoſcamus ergo ex his quid fieri potuiſſet, quandoquidem propemodum etiam facta ſunt. Nam quorundam antiquorum hominum longæua vita, docet cęteros omnes, mares & fęminas tales fuiſſe. Itaque minus, matres, ad hanc ſanguinis bonitatem, roburque primæ matris retinentes atterebantur aſſiduo partu. Quod ergo ait, conceptus tuos, vt breuiter priores annotationes admonent, non ſimplex conceptus innuitur, vt in eo videatur mulieris maledictio, ſed credendum eſt eſſe ſenſum, quem expreſſerunt Septuaginta στεναγμὸν, gemitum ſcilicet, & dolorem ipſius conceptus. Quod & ante & poſt exprimitur, poſitis inter ſe idẽ pollentibus duobus verbis, quorum alterum alterius declaratio, erumna, & conceptus. Declarat hoc poſtremum quid ſit pręcedens. Erumnę, vt ait Marcus, proprie labores Herculei ſunt, qui quoniam fuerunt validi & acerbi, omnes deinceps labores duriores, erumnæ ſunt appellati. Declaratur & in ſequenti, quid ſit antecedens. In dolore paries, Id nempe erat conceptus. Atque vt ſolent Græci ὠδῖνην, id eſt partum, etiam dolorem vocare, ſic Hebraicè, nomen conceptus, eſt etiam nomen doloris. Hebręus Salomon exponens vocabulum partus, baron, dicit, Is eſt dolor conceptus: quod Nicoalus & quidem alij ſequuntur, vt deſignet vexationem mulierum conceptum fętumque portãtium, quæ eſt earum ſumma moleſtia. Nicolaus ait pro conceptu haberi impregnationes in Hebraico, quaſi non ſit idem vtrunque. Sed ſui ſimilibus loquebatur, Latinè neſcientibus.

Multæ leges diuinæ variis latæ tẽporibus.

2.Reg.20.

Heroes.

neſcientibus. Quod autem, ait, Et ſub viri poteſtate eris, patet in annotationibus ſenſus, redditumque eſt Latinè clarius, quod erat Hebraicè: Et ad virum tuum deſiderium tuum. Quo loco ſoleo contemplans multa myſteria & nomina ex Hebraico & ſacris litteris, in alias linguas & litteras manantia, vehementer admirari. Hoc loco quaſi imperium eſt & decretum Dei, idcirco etiam natura, vt deſiderium mulieris ſit ad virum: Græcè vero vir ſiue maritus (appellatur enim Hebraicè maritus, vir) dicitur πόσις, id eſt deſiderium, à verbo ποθῶ, Apud Homerum in Odyſſea Penelope: D

Odyſ. ζ.

Ἡ' πρὶν μὲν πόσιν ἐσθλὸν ἀπώλεσα θυμολέοντα
Παντοίῃς ἀρετῇσι κεκασμένον ἐν δαναοῖσι Id'eſt,

Quæ primum forti ac iuſto ſum orbata marito,
Omnigenis clarum virtutibus inter Achiuos.

Maritus ergo deſyderium vocatur Græcè: hic autem dicitur, Et ad virum tuum, hoc eſt maritum, deſyderium tuum. Hoc deſyderium, vt aiunt Hebræi, facit vt fœmina non ſentiat ſeſe viro in concipiendo & pariendo, cæteriſque muneribus inferiorem: Aiuntque ſibi inuicem pœnam & peccatum reſpondere. Illa fecit vt vir ſibi obſequeretur, offerenti pomum: factum deinceps, vt ipſa viro ſemper pareret. Serapion ſcite de hac re locutus eſt: ὑπομένουσα γὰρ τὰς ἐν ταῖς ὠδῖσιν ἀνάγκας, οὐκ ἀπαγορεύει τοῦ συνοίκου τὴν συζυγίαν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐμπιπτόντων ἀεὶ δυσχερῶν, ἐν αὐτῷ, τίθεται τὴν ἐλπίδα, Nam cùm neceſſitates quæ in partu contingunt, perferat, non auerſatur tamen mariti coniugium, ſed etiam ſemper aduerſis irruentibus, in eo omnem ſpem collocat. An hæc quidem conditio eſſet ante caſum, vel ſi non cecidiſſet, futura fuiſſet, bene ſoluitur ab Auguſtino, poſſe ſe inuicem homines & coniuges ſeruire ex dilectione, omnem E aliam ſeruitutem ex peccato manaſſe. Credendum igitur facile, & pulcherrimo modo, vt ex vna maſſa, vno tempore eſſent generati, ſic vnam eandemque futuram fuiſſe autoritatem, & egregiam, heroicamque dilectionem: quales fere ſunt inuicem vir bonus, & coniux bona: nihil inter ſe in omni vita diſſentientes, iugum ſuaue æqualiter trahentes. Quomodo enim non defuiſſent omnia incommoda, quibus neceſſario parent viris vxores, ſi beata omnia, & felicia, & in ſtatu immortali ac diuino, omnibus miſerijs & erumnis abactis? Vt trahit altera alteram miſeria & incommodum, mutuiſque nexibus implicata dependent, mortalitate principe & regina, ſic felicitate, & ſtatu beatiore omnium bonorum vbertas inter ſe implicata veniſſet. Diuina vtriuſque coniunctio, diuina quædam vtriuſque ſexus harmonia, non ſe plus, quàm Deum amantibus. Hoc omne igitur innuitur edicto. Multiplicabo. Quaſi fuerit antea, ſed quadam alia ratione meliore, conceptus, partus, & quæ fuit variatio imperantis & obſequentis, fuiſſet tunc æqualitas. Idque erit intellectu perfacile, res diuinas & humanas conferenti. Omnia enim hæc habent excepta immortalitate, pij, Deique venerantes in terris. Idque fere habuiſſe Abraham & Saram cenſuerim, Izaac & Rebeca, & ſi qua fuit alia optima, & ſanctiſſima coniunctio. Vnum malum, cauſa & fons eſt multorum, ſic vnum bonum multorum bonorum. Vnum ſcelus Dauid, luctus, & cædis, & totius populi fuit euerſio. Ita vnum ſcelus illorum, omnia incommoda inuexit, naſcentia tamen ex abſceſſu Dei, qui peccatis offenſus auertit ſeſe, & in penetralia cœli ſe claudit, ſubmouens ſicut ſubmouit ab Adam felicem iucundiſſimumque conſpectum ſuum, qui præſens omnia bona largitur. Sunt alia, quæ vidiſſet, noſſet, tetigiſſet beatus, quorum ignoratio efficit ea nunc incredibilia. Sicut non poſſumus credere & animis noſtris F oſtendere, niſi cogamus eos, & eorum inſcientiam exemplis & rationibus coarguamus, reſurrectura corpora incorruptibilia, beata, felicia, leuia, ſplendentia, quandamque beatitudinem, omni quæ nobis nota eſt, maiorem, ſortita.

Adæ vero dixit, Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam ne comederes, Maledicta terra, &c.

Benedicere, & Maledicere quid.

SIcut benedictio Hebraicè, eadem voce atque vbertas, largitaſque deſignatur, barak, ſic idem ex aduerſo ſenſus maledictionis. Benedicere eſt quaſi largiri, laxare fontes: maledicere ſubmouere, adimere vbertatem. Hoc homines verbo cùm faciant, non eſt eorum facultatis efficere, vt res, verba ſequantur. Deo autem benedicente, vel maledicente, habent verba ſucceſſum. Recurrendum igitur eſt ad eum, qui quaſi portus eſt ambagum multarum diſſoluendarum, nec nos decipi patiamur, credentes hominem ante caſum talem fuiſſe, qualis erat futurus poſt coronam. Dico ſtatum hominum ante coronam quæ non fuit, & ruinam quæ fuit, eundem propemodum fuiſſe, atque eum qui poſt ſecutus eſt. Notum clarumque eſt ex his quæ dicuntur ante & poſt ad alia. Superius dicebatur, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. hic vero in maledictione, & comedes herbas terræ. Superius, Creſcite & multiplicamini: hic, Multiplicabo conceptus tuos. Illic, Non erat homo qui coleret terram, & poſuit eum in paradiſo vt coleret: hic, In ſudore vultus tui: confirmatur videlicet prior conditio, & ex parte mi-

A nuitur, redigiturq; ad peiorem gradum, ex ſcelere, quæ ad maiorem fuiſſet ſublimata ex obſeruantia, & veneratione, ac pietate. Hic eſt verus portus ſoluendarum difficultatum. Non enim erant immortales creati, ſed tales erant, quales fere poſtea fuerunt. Creuiſſet autem gloria, ſicut nunc creſcit poſt probationem, mutaturq; conditio. Ergo terræ conditio, partim quæ antea fuiſſet, confirmatur, partim ex vbertate detrahitur. Cognouit enim Deus, quòd vbertas & ocium & felicitas, tum immeritis contigiſſet, tum magis eos corrupiſſet, videbatq; homines pronos in malum, prudenterq; reſecuit magnam partem prioris felicitatis: probauit autem ſi homo primus à ſe creatus, ſe conſpicatus, præſentiam vocemq; ſuam intuitus, noluiſſet imperatis parere ſuis, ſed potius à libidine ſe rapi permiſiſſet, multo magis facturos id cæteros homines, ætate ſemper ad deteriora tendente. Compeſcuit igitur largitatem, id quod maledictio Hebraicè eſt dictum: & hoc propter hominem, vt fons habet. Hoc ergo & poetæ obſcura quadam & incerta fama audientes aſſeruerunt & decantarunt, Iouem dicentes hoc feciſſe, quod & ſcriptura Iouem fatetur feciſſe. Nam quem poetæ Iouem, vocalibus detractis dicunt, iuxta veram appellationem antiquiſſima ſacraq; lingua vocat Iehouah: ſummoue vocales, fit Ioua. Hunc ergo ferunt poetæ, terram maledixiſſe. Idque poſt aureum ſæculum, poſt caſum ſcilicet:

Hõmines nõ eſſe im mortales creatos.

Ouid. 1. Metam.

Iuppiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes, æſtusq;, & inæquales autumnos,
Et breue ver, ſpatijs exegit quattuor annum.
Tum primum ſiccis aer feruoribus vſtus
B *Canduit, & ventis glacies aſtricta pependit.*
Tum primum ſubiere domos, domus antra fuerunt.
Et denſi frutices, & iunctæ cortice virgæ,
Semina tum primum longis cerealia ſulcis,
Obruta ſunt, preſſique iugo gemuere iuuenci.

Hæc illi dicunt, non quidem vt ſoliti ſunt, fingentes, ſed audientes ab antiquis, & relationibus & ſcriptis habentes cognita. Quod ſi perſuaſum ac certum fuit illis mutatam hominum priſtinam felicitatem, & ad deteriorem conditionem redactam, credendum vtique etiam nobis, antiquiſſima theologia referente, cui & vetuſtas, & autoritas ſcribentium, & quo perſcripta modo fuit arrogant intemeratam fidem. Nec difficile eſt cognitu, quo modo priore conditione mutata, tempora aſperiora, & ſteriliores anni ſucceſſerint, & cùm prius eſſet æternum ver, totoque anni decurſu, felix illa lætaque temperies, & partu terrarum beatiſſima, in exiguum ſpatium ſit redacta, Omniumque cauſa malorum, temperies ſubmota, quanquam & alia, ſub terræ maledictione continentur. Memento quando ad ſubitum Dei imperium, manna cecidit de cælo: memento è petra duriſſima prodeuntium aquarum: ſic memento ſterilitatis ſub Achab, impio rege, quando trium annorum ſquallor perſeuerauit. Recordare etiam eorum quæ ſæpe minantur prophetæ, defuturam pluuiam, terram non daturam ſolitos fœtus. Recordemur benedictionis, & maledictionis Moſis: prioris, ſi obſeruarent mandata Dei: poſterioris, ſi præuaricarentur. Quadrãt C enim ad intelligentiam iſtius loci. Si audieris, inquit, vocem domini Dei tui, vt facias atq; cuſtodias omnia mandata eius, faciet te dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus. Venientq; ſuper te omnes benedictiones iſtæ, & apprehendent te. Hæc eadem in Adam conueniunt, vt tametſi non ſit ſcriptum, Deus illi in hunc maxime modum quaſi locutus ſit: Si audieris vocem domini Dei tui, vt facias & cuſtodias mandatum eius, excelſiorem aut æqualem Angelis te faciet: dabit tibi immortalitatem, quæ in ligno vitæ eſt deſignata. Omneſque benedictiones te comitabuntur, tecumque erunt ſemper. Benedictiones Moſes ſic recenſet: Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuę, fructuſque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit dominus inimicos tuos qui conſurgent aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo. Per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua. Emittet dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicetque te in terra quam acceperis. Audis quantam vim habeat, vocem Dei audire, eſſe mandatorum eius obſeruantem? panditur tota beatitudo, felicitas tantopere quæſita ab omnibus & expetita erumpit. Hæc ſuper Adam copioſiſſima, omnibus partibus abſolutiſſima deueniſſet. Idem requiſiuit ab eo tunc Deus, quod poſtea à cæteris mortalibus. Dedit legem ſimul ac natus homo eſſet, voluitq; eum probare, vt & populum, teſte Moſe, obſeruanti ſe, & in mandato ſuo colenti, non hæc quidem ipſa, quæ Moſes numerat, ſed quod omnium iſtorum bonorum eſt cauſa, omnia enim bona quæ in immortalitate continentur ei dediſſet. Proſequitur Moſes narrans eadem, quæ primis item hominibus mandatum Dei cuſtodientibus eueniſſent. Suſcitabit, inquit, te dominus in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi, ſi cuſtodieris mandata domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius. Videbuntq; omnes terrarum populi, ꝙ

Benedictiões Moſis.

Moſis maledictio.

nomen domini inuocatum ſit ſuper te, & timebunt te. Abundare te faciet dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ. Aperiet dominus theſaurum ſuum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ, in tempore ſuo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Hæc & id genus alia fas eſt eum Adæ promiſiſſe, vt quidem ratione claret & neceſſitate, longe potiora ac meliora, ipſo humano genere naſcente, ipſumque Deo, ſublimare, & Angelis æquare volente promittuntur omnia bona, tota felicitas obſeruantibus Dei, & pijs. Eſt enim eximia perfectaque pietas, mandata Dei ſiue ſcripta ſiue naturalia cuſtodire, intemerata ſeruare. Huc quæſo curas cogitationesque omnes intendamus, videbimus res antiquas, videbimus originem humanam, & rationem intelligemus cur Adæ quædam lex data ſit, & obſeruanti præmium, arbor vitæ, deſtruenti ſupplicium, nuditatis cognitio, & maledictio quæ ſecuta eſt. Audiamus enim etiam maledictionem per Moſen, latam populo non cuſtodienti pręcepta diuina. Quòd ſi nolueris audire vocem domini Dei tui, vt cuſtodias & facias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro: maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ: Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum: Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens: Mittet dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies, donec conterat te & perdat velociter, propter adinuentiones tuas peſſimas, in quibus reliquiſti me. Percutiet te Dominus egeſtate & febri & frigore, ardore & æſtu, & aere corrupto, ac rubigine, & perſequatur, donec pereas. Sit cælum quod ſupra te eſt, æneum, & terra quam calcas, ferrea. Hæc apud Moſen, videmus tum poteſtatem Dei variam, valentem tum vbertatem effundere, tum cohibere & frenare, & vertere in exitium, quod ante eſſet ſaluti. In eius eſſe viribus dare pluuias, fructus, felicitatem, omnigenamq́, hominibus & iumentis fœcunditatem: rurſum eiſdem hæc ſubducere, & in contrarium omnia deprauare, ſi velit. Deinde videmus, quemadmodum ob pietatem & ſanctitatem quæ eſt parere mandatis eius, omnem felicitatem remittat, & effundat, ſic in contrarium iratum compeſcere. Videmus eum teſtantem & declarantem, ſe contemni, ſe derelinqui, cum ſceleratis cogitationibus noſtris aſſentimur, cùm ab imperijs eius deflectimus, cùm praue viuimus. Videmus hoc eum in ſuam vertere contumeliam & contemptum. Agnoſcimus vt mutet cœlum, terras, fructus, tempora, temperiemque, ſi deſeratur, & contemnatur, prouoceturque malefactis ad indignationem. Ecce, & hominem cùm vidiſſet ſui contemnentem, ſe deſerentem, vocem ſuam audire nolentem, ſed potius vxori obſequentem, iure ſe indignatum & læſum, & offenſum, ſi non tunc, ex conſequentibus clare confeſſum cùm eum propemodum eiſdem maledictionibus ſubiecit, quibus & populum hic poſtea per Moſen. Videmus & potuiſſe Deum hoc facere, & faciendi iuſtiſſimam cauſam habuiſſe. Indignatur, furit, cùm ſe videt contemni & derelinqui, & cùm mundum propter hominem creauerit, omnia bona repererit, iure reuocat ſententiam, cùm eum videt auerſum, corruptum, melioris conditionis ſi nunquam natus eſſet. Tunc quærit eum amoliri & extinguere, & tollere de medio. Ergo terra maledicitur, tollitur ex ea felicitas, quam crede diuinis litteris, maximam, exuberantem fuiſſe ante caſum, maiorem futuram niſi mandatum Dei homo ſpreuiſſet. Claret ſcriptura diuina, maxima in luce ſunt cauſæ, rationes, Dei poteſtas, & affectio, & inclinatio animi, quid velit à nobis, cur fecerit omnia, cur det abundantiam, cur coerceat. Ac mihi quidem fingo & propono ſtatum illum, beatiſſimum proculdubio futurum, ſi præuaricatus ille prior non fuiſſet. Doceor ex ipſis diuinis oraculis. Collige enim benedictiones Moſis, quantum beatitudinis ibi, quid felicitatis ſupereſt? Maior certe illa Adam, qui ipſam immortalitatem cum omnibus bonis adiunctam habuiſſet, poſtea vt intelligamus hanc maledictionem Adam, addidit Moſes, Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vaſtabitur vermibus. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo conſumet. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & nõ vngeris oleo, quia defluent, & deperibunt. Sic Moſes. Ergo Dei eſt vbertas, & maledictio, ſiue infelicitas: ipſe poteſt inducere vermes ſuper fructus, & locuſtas: ſi has beſtiolas, ergo & ſpinas, & tribulos. Vermes & locuſtas minatur & intentat populo, ipſi Adæ tribulos & ſpinas: Minatur illis fructuum infelicitatem, Adæ ſimiliter & hoc, & quod nondum fuerat expertus, labores & ſudores. Minatur illic & in parte maledictionis reponit, tradere ipſos in manus hoſtium, à quibus agantur captiui, ſic enim Moſes, Filios generabis & filias, & non frueris eis, quoniam ducentur in captiuitatem. Hoc in Adam non dicitur, ſed claret, & quaſi certũ occultatur, datos filios eius in manus inimicorũ, dęmonum, quorum fuit poſt caſum poteſtas ſuper homines, & impoſtura maior, implens orbem peſſimis ſuperſtitionibus & ritibus. Ecce peccatum patrum in filios, propter coniunctionem naturæ redundans, vt ſicut bene eſt filijs ſæpe propter patres, bene enim fuit omni poſteritati Dauid propter ipſum, ſic male propter patrum ſcelera. Propter peccatum parentum, filij in captiuitatem aguntur: propter primorum peccatum, omnis poſteritas ſubiecta eſt maledictioni. Pie tamẽ viuentibus, nec ſceleri paterno acquieſcẽtibus multa ex priſtrina felicitate redierunt, nouiſſime, penitus extincta maledictio, reditumq́; in gratiam, ſed illis tantum qui pater-

A no ſceleri non aſſentiuntur, non contemptores, non deſertores Dei. Nouiſſime addit Moſes, Et venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & perſequentes apprehendent te donec intereas, quia non audiſti vocem Domini Dei tui, nec ſeruaſti mandata eius: Et erunt in te ſigna, atque prodigia, & in ſemine tuo vſque in ſempiternum. Eo quòd non ſeruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordiſque lætitia, propter rerum omnium abundantiam: ſeruies inimico tuo, quem emittet tibi Dominus in fame & ſiti, & nuditate, & omni penuria. Sic Moſes. O litteras diuinas inter ſe collatas, lucem obſcuris locis & facem præferentes. O res conſideratione dignas. Hæc omnia minatus, intulitque in Adam. Idem ſermo: & venient ſuper te hæc omnia mala ò Adam, donec intereas, donec reuertaris in terram. Et quia non audiſti vocem Domini, nec ſeruaſti mandatum eius, erunt in te, & in omni poſteritate quæ naſcetur ex te, dira portenta, cladibus humanis litteræ perſonabunt, loca, tempora, flumina, montes, campi erunt calamitatum ſeminis tui teſtes. Et quia Deum tuum lætus colere in tanta bonorum vbertate & affluentia, & cum eo verſari felici charitate & amore, recuſaſti, cum inimico tuo, infelix præſtans obſequium verſaberis: Totus enim adorabat, ſeruiebatque hoſtibus ſuis dæmonibus, mundus. Hæcque vſq; in ſempiternum futura erant, niſi idem ille, qui hæc dicendo pronuntiaret, crudele edictum refregiſſet. Sed tamen multæ ex priſtrinis illis malis reliquiæ remanſerunt, adhibitaq; eſt alia medicina? qua melius fortaſſe fuiſſet caruiſſe. Tum ſequitur Moſes, Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis ſicut aſtra cęli, prę multitudine: quoniam non audiſtis vocem Domini Dei veſtri. Et ſicut ante lætatus eſt dominus ſuper vos, bene vobis faciens, voſque multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens. Hæc omnia non in priuatum illum populum tantum, ſed in omne genus, quando in autore ſuo maledicebatur, congruunt. Nam ſicut egregij alicuius B diuinique facinoris patrum ſunt filij participes, accipientes ab eis non ſolum ſubſtantiam & ſanguinem, ſed etiam mores, facultates, gloriam, nomē, dedecus etiam, ſic ex illo primo in omnem, poſteritatem manauit maledictio. Ac credendum eſt hac maledictione effectum, vt qui innumerabiliter creuiſſent, valet enim in multitudinem quod in ætatem immortalem, ſic eos ad longe pauciſſimos redactos, non quidem volente Deo, ſed eum humano ſcelere cogente, peſtilentia, fame, omni malorum facie homines extinguere, quorum peccatis non ſinitur vita propagari. Simul enim ex ſcelere Adam cognita eſt inclinatio hominum in malum, ſimul paratę ſunt clades & peſtes, ne ſemper, aut diu viuerent, qui vitam peſſime viuendo, dedecorarent, reſpiciente in diuerſa & omnia colluſtrante diuina prouidentia. Coactus eſt diluuio delere totum genus, non multo poſt euertere quinq; vrbes, ſæpe peſtilētia, ſæpe fame, cæteriſq; malis deſęuit, vt tēpus futurum ſit, cùm totā machinā diruere cogatur. Creuiſſent ergo multo plures & lętiores homines, quia tot malis, tot cladibus eos extinguere, nulla pręſente cauſa, non oportuiſſet. Neq; enim tot ſcelera forſan in orbe extitiſſent, illo primo non cadente. Cum peccatis ſecutę ſunt pęnæ, pęnæ redegerunt ad paucos, ſed tum permiſſi & à Deo peccato abſente viuere, & vitam ſuam longiorem demumq; immortalem, habuiſſent, & poſteritatem maiorem reliquiſſent. Hæc naturali ordine ſequuntur. Eadem eſt ergo ſub Moſe & ſub Adam cauſa maledictionis, quia non eſt audita vox Dei, non eſt ſanctiſſimis eius clementiſſimiſq; decretis obtemperatum. O clementiam ſingularem, fecerunt peſſima hominum peccata, vt qui incredibili gaudio elatus, hominē creando lætabatur, verſis fatis pęnituerit eius creati: & cui immortalitatē, diuinitatem, omniaq; bona promitteret ac pararet, coactus ſit ſæuire in eum morte, omnigeniſq; malis. Non iniuria igitur ſuper C hominem malis his congeſtis, detractum eſt de priſtina felicitate, quia non ſolum, peccatum perpetratum oportuit plectere, ſed etiam occurrere futuris, quæ ſunt in illo primo diiudicata. Nam pie viuentibus, & vocem eius deinceps audientibus nihil prope de priſtina felicitate amotum eſt: ſed quicquid Adam habuiſſet, hoc aſſecuti ſunt pij poſt illum, felicitatem olim iſtius vitæ, tum per redemptorem immortalitatem. Mala corporis, ſunt eædem atque primi probationes. Hanc igitur Moſaicam maledictionem appoſui, vt collatis his, quæ quo propiora nobis ſunt, hoc item clariora, intelligeremus res illas antiquas, agnoſcentes poſtea ſæpiſſime factum, quod accidit in illa rerum humanarum origine. Cumq; multa ſubſecuta hominum vita ſimilia tulerit, non obſtupebimus ad ea tanquam inſolentia, & inuſitata. Idem Deus ſemper, idem homo, eædem bonorum & malorum cauſæ, eadem præmia, eadem ſupplicia. Non patitur contemni ſe Deus, & ardentiſſimus amator, cuius amoris fuit omnium rerum optimarum creatio teſtis, ſe non amari, non obſeruari, non agnoſci. Quam ingratitudinem non ſolum quia ingrata eſt, cogitur caſtigare, ſed etiam quia flagitioſa, turpis, plena fœditatis & dedecoris, vt ſi eam non puniret, quaſi aſſentiri, lętari, acquieſcere videretur. Quod illi non ſolū, ſed etiam nobis ipſis demū diſpliceret, iuſtitiamq; eius deſideraremus, dormitare diceremus, res humanas negligere, vltra cæleſtem cardinem abditum, diſtantiſſimas hominum res ignorare & contemnere. Quod ſi quis queritur, ſe patris maledictioni eſſe ſubiectū, is videat an patre grauiora peccet, vt etiā ſi ipſe in paradiſo affuiſſet, non fuerit idē peccaturus, qui nunc eiſdem propoſitis mandatis, non ceſſet ea præuaricari. Ac Chryſoſtomus putat ne vnam quidem perfectam diem fuiſſe eos in paradiſo: cui aſſentitur Theodorus his reſpondens, quibus videretur incredibile, hominem eodem die natum ſubitoque præuaricatum, mox etiam eiectum. Primum quòd non tam facile lapſus eſſet poſt multa tempora, & roboratam conſuetudinem præcepti obſeruandi. Deinde quòd non proderat diu eſſe in paradiſo ei, D qui aliquando inde eſſet eijciendus. Credendum autem, etiam ſi hæ rationes Theodori ſatisfacerent, ſubito poſt creationem factam probationem, myſteriaque fuiſſe inuicem ſibi ſuccedentia. In verbis hæc ſcienda ſunt, quod ſanctiſſimus noſter Hieronymus vertit, In opere tuo: ſecutus, vt annotationes oſtendunt, Septuaginta: Hebraicè habet non in opere tuo: ſed, Propter te. Hoc ergo quanquam Hieronymus in transferendo ſequeretur Septuaginta, tamen animaduertit, vt reor, & annotauit in quæſtionibus Hebraicis: Exponens enim in opere tuo, addit, Non ruris colendi, ſed peccato, ſicut in Hebræo habetur. Hæc verba Hieronymi declarant eum legiſſe בעבורך aboreka, non בעבודך abodeka, Ait enim in Hebræo haberi id opus, quod ſignet peccatum, abor vero ad alia ſonat præuaricari, prçterire. Itaque Hebraicè aboreka, vt eſt in contextu, ſonat propter te, vt & Chaldæus tranſtulit vel in præuaricatione tua, quod Hieronymus dicit, peccatum. Eſt autem idem ſenſus, Maledicta terra propter te, & propter præuaricationem tuam: clarius tamen poſtremum. Aſſenſus eſt autem Septuaginta in transferendo, intelligens eos potuiſſe legere abodeka, & quia non magni referret. Dicitur ergo in Hebraico, Maledicta terra propter præuaricationem tuam. Quia præuaricatus es edicta mea, hæc tibi impendent. Terra maledicitur, detrahitur illi prior felicitas: & Hebræi dicunt, non producet fructus vberes. Quod vero ait, In laboribus comedes. In, vice cum, iuxta morem Hebraicum. Reſpondetque pœna peccato, deliquit comedendo, caſtigatur comedendo. Nam pro victu omnis eſt labor, & ſudor, cuius non fuiſſet neceſſitas aſſecutis immortalitatem. Tum arborei fructus antea perennes ſuppetebant, poſt ſeminandum, metendum, è ſpicis excutiendum, in quibus magni ſudores. Antea, Non cererem tellus inarata quotannis, reddebat, ſed fructus meliores, arboribus eos homini producentibus, in vere perpetuo, perpetuo parientes. Pro laboribus, iuxta Hebraicum Septuaginta ἐν λύπαις in mœroribus, vexationibus: pro ſpinis & tribulis Hebraicè קוץ ודרדר kuz dardar, Etiã Hebræi interpretantur ſpinas maiores, & minores. Has peſtes terra non protuliſſet, nec ſi protuliſſet, nocuiſſent. Nam & in maledictione populi vermes & locuſtæ intentantur, vt tametſi à natura producãtur, etiã à Deo extraordinarie & cohiberi & ſuſcitari poſſint, ſicut in Aegypto. Comedes ergo, ait, herbas terræ, loco nectaris, & ambroſiæ, loco immortaliũ fructuum. Hebræi loco fructuum quibus in paradiſo veſceretur. Confirmatur, vt reor, tum ſtatus prior mortalitatis, tum hoc opponitur fructibus immortalibus. Quodque ait, Dequa aſſumptus es, pertinet ad creationem, & limum ipſum, vt poſtea manifeſtum eſt, non quòd terram extra paradiſum innuat. Quodque ait, Quia puluis es, pro puluere eſt עפר lutum, cœnum. Sonat, interdum puluerem. Homo creatus eſt ex aphar, id eſt luto cœno, limo, in idipſum reuertitur caro, in antris & ſepulchris. Hocq; argumento eſt, eum futurum fuiſſe, non factum immortalem, corpusq; eius vincentis corruptibile, glorificandum, ſicut in reſurrectione. Quodq; ait, & vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua. Non habeo quid proferam, an hic ſit ſolita omiſſio, vt quo tempore vocauit eam Isha, id eſt viram, & quando nomina cæteris animantibus impoſuit, tunc etiam Euæ, an iſto ipſo loco poſt lapſum. Dixerim, & hoc præter ſuperiora, etiam quibuſdam Hebræis non diſſentientibus, eſſe hyſteron proteron, vt ordo ſic habeat. Poſt maledictam terram, poſt diras illatas homini, tunc addidit, Ecce noſter Adam, qui noſtri ſimilis eſſe voluit: tendant fata in contrarium. Tunc indutos eos veſte pellicea, eiecit paradiſo, cernensq; futuram hominum propagationem Adam, vocauit vxorem ſuam, quam cognouit, Euam. Hæc autem eo credimus, quia ſit idem vbique co- F gente narratione, vt aut priora poſt referantur, aut poſterius dicenda, prius narrentur, vt declarant complura producta exempla. Non video autem vnde Nicolao innotuerit, Euam ſignare vitam pœnalitatibus ſubiectam, vt hoc nomen fuerit ſortita ſcilicet, quia viuentes miſeros eſſet genitura. Hebraicè Chai dicitur viuens, etiam de Deo: Vt cùm iurant, Viuit dominus, Hebraicè חי יהוה chai iehouah, Viuit Deus. Inde dicta eſt Chaua, quaſi vitalitas, genitrixq; viuorum, principium viuentium, vt ſit quaſi denominatio, ſicut bonitas, diuinitas, à bono diuino, ſic à chai iuxta Hebraicam dialecton, chauah. Quidamque ex illis putant eſſe Vau loco Iod, vt pro chaia, id eſt viua, factum ſit cha uah. Septuaginta expreſſerunt, quid nomen haberet ponderis, pro Eua ponentes ζωὴν vitam. Porrò quod ait, Mater omnium viuentium, ad homines ſolum ſpectat. Id quod Chaldæus etiam indicat, transferens, Mater omnium filiorum hominis. Et quod ait, Fecitque dominus, Sententia eſt Gennadij, vt quemadmodum Adam ex relatione diuina dixiſſet. Relinquet homo patrem, ſic nunc Moſen adſcribere in Deum, quod ex iuſſu Dei feciſſet Adam, vt ſe veſtiret. Veſtes autem pelliceas quidam, apud Græcos dixerunt ἐκ φλοιῶν, exponuntque ijdem φύλλων, ex folijs. Nam Theodorus ait, οὐ μόνον τὰ ἐκ τῶν ζώων ἀφαιρούμενα δέρματα λέγεται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῶν δένδρων, ἃ καὶ φλοιοὺς ὀνομάζειν ἔθος τοῖς πολλοῖς. ἐκ δένδρων τοίνυν ἐπιτηδείους πως φλοιοὺς ἐχόντων εἰς ἐνδυμάτων κατασκευὴν οἱ περὶ τὸν ἀδάμ, τοῦ θεοῦ κατ' ἔννοιαν αὐτοῖς ὑποθεμένου, πῶς χρὴ τοῦτο ποιῆσαι. Id eſt: Non ſolũ dicũtur pelles, quæ ex animalibus detrahũtur, ſed etiã quæ ex arboribus, quia multis ſolent cortices appellari. Ex his ergo, quæ tales haberent aptos ad induendum detraxit, & fecit ſibi Adam veſtis inſtar indumentum, Deo animis offerente, qua ratione oporteret id fieri. Hęc ſi vera ſunt, facile diſſoluitur, quod ſolet occurrere, vbinam pelles illas Adam reperiſſet, quorumve eſſent animaliũ, cùm nulla adhuc animalia

Eua vnde dicta.

Veſtes Adæ & Euæ an fuerint pelliceæ.

par ſit

A paraſit occidiſſe. Sunt autem pelles Græce δέρματα, nomenque dicitur à δείρω, excorio, decortico, vt videatur dici poſſe etiam de arboribus: Non æque autem fortaſſe Hebraicum עור hor ſemper pro pelle animalium. Quod ſi patitur vox Hebraica hanc expoſitionem, eam valde approbauerim. Theodoritus nec eos probat, qui pelles mortalem carnem ſentirent, nec eos qui ex folijs ſiue corticibus arborum, dicens: ἐγὼ δὲ οὐδέτερον τούτων προσίεμαι, τὸ μὲν γὰρ περίεργον, τὸ δὲ ἄγαν μυθῶδες. Ego horum neutrum admitto, Alterum enim ſuperuacuum, alterum nimium fabuloſum. Nimium fabuloſum dicit, pelles eſſe corpus, Nam multo antequam peccarent, habebant corpus, vt ait etiam Theodorus. Superuacuum autem exiſtimat, quærere quæ veſtes illæ fuerint, quaſi Deus non poſſet, quas vellet, ſubito parare. Confirmatur ergo ſymbolum nuditatis, vt quod tanquam in certamen nudi deſcenderant, induendi pro meritis, tali ſint amicti veſte, qualem facinus poſtularet. Corruptibilem igitur & ferinam, & ad repellendum frigus tunicam, pro immortali corona, pro roſea, purpurea, nectareaq; veſte, qualem CHRISTVS aſcendens in cælum veriſimile eſt habuiſſe, qualemque mutauit in monte, cùm veſtimenta eius, vt nix facta ſunt candida, acceperunt. Quod ſi ſtrenue ſe habuiſſet, ſi vocem Dei ſui exaudiſſet, ex templo delapſa veſte de cælo, imò nubis amictu, angelorum manibus formato, veſtitus fuiſſet. In contrarium ergo eo tegumento, protectus eſt, quo antiquiſſimi homines vtebantur, vtunturq; etiam nunc nonnullæ nationes, apud quas deficiente artificio, corpora ad frigus repellendum pellibus animalium velantur. Tali primus homo eſt vſus, eodem & cæteri, multis poſt ſæculis mortales, donec textura reperta eſt. Veſtitus eſt pelle ab angelis, aut etiam ab ipſo opifice, qui limum attrectauerat, formauerat, qui cum Abraham comedit, recubuit, multa diſſeruit. Si homo detracta B alicui animali pelle pro veſte vtitur, idem hoc facere omnipotens ille poterat, qui poterat etiam alia ratione, qua videlicet tantum terræ è nihilo creauit, & qua faciebat ardere rubum, & non comburebatur. Vnde ſubitus ille candor in veſtibus exiſtentium in monte? Vnde è quinque piſcibus & duobus panibus, tot hominibus ſatiatis, tot reliquiæ? Quod corpus illud Raphaelis, quo comitatus adoleſcentem, ibat, comedebat, dormiebatq; cum eo? Quibus membris hæc inhærebant? Nos craſſæ mentes, noſtris ineptijs aſſueti, ad illa maiora non penetramus, cogitamus maiora ad ſpeciem minorum. Habemus autem vnde noſtros errores abunde coarguamus. Quòd vero vbi primum condemnationem pronuntiaſſet, continuo adiecit,

Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis, ſciens bonum & malum. Nunc ergo ne forte, &c.

SVperius quo rationabiliore modo, nec diuinis litteris inuſitato, deberet intelligi, declaratum eſt. Inuenio etiam Nicolaum aſſerere hic ironiam eſſe, quaſi diceret: En quod ſerpens promiſit aſſecutus, certe ad amuſſim. Et veluti illud: Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla reportas. Eſſe autem interdum in ſacris litteris ironiam, ſuperius adducta exempla comprobabant. Sunt Hebræi qui addant, vt ipſe credit, vt ei viſum eſt: Ecce Adam factus eſt ſimilis nobis, vt ipſe arbitratur. Quidam ex ipſis Chaldæum ſecuti, qui locum fermè vertit, Ecce Adam factus eſt vnicus in mundo iſto ſuo, conceſſa ei ſcientia boni & mali: videndum ne ſit ſimilis in alio, cùm non mereatur, æternum viuere. Quidam dicunt, ſimilis nobis, ſed habens in pœnam, ſcientiam, quam Deus in gloriam decuſque: ſcientiã quæ nobis honori, homini ſupplicio. Promiſerat autem illi dæmon: Eritis ſicut Dij. Sed quoniam certum eſt hominem antea fuiſſe ſapientem, ad imaginem Dei creatum, credendum eſt illi ex præuaricatione nihil acceſſiſſe, quo ſimilis Dei dici poſſet: principio enim erat ſimilis Dei, quandoquidem ad imaginem eius erat factus, tum nomina indidit animalibus, tùm à peccato non naſcitur quicquam laude & admiratione dignum, cum pœnæ potius & dedecus, quod ipſa quoque maledictio declarauit. Cogitemus etiam nobiſcum, quid nouum fuerit Adam aſſecutus, vt ſimilis Dei fieret. An ſcientia boni & mali ſit apud Deos, cuius ſi forent homines participes, Deorum ſimiles dici mererentur. Nam eorum, qua genus humanum præcellunt, ſcientia, boni & mali immerito diceretur, cognitio ſubita rerum cunctarum in omnes locos & tempora diffuſa, & quod ait diuinus Paulus, quod ex parte in nobis, vniuerſale ac perfectum in illis. Hoc, inquam, ſcientiam boni & mali dici debere, non ſolum, non patitur ratio, ſed exemplum conſecutum, cum hauſtis fructibus ab homine, nihil aliud cognouit, quàm ſe eſſe nudum, clamans oſtendit. Hæc potius diceretur ſcientia ſapientia. Sed forte Hebraice ſcientia cognitioq; hominum, dicitur boni & mali ſcientia, quia cùm pueri careant ſenſu, ſolertia, ingenio, tunc dicuntur ſcire bonum & malum, cum oculorum quodam quaſi velamine depoſito, cognoſcunt ea quorum nullum haberent antea ſenſum. Idque præcipue fit, cùm erubeſcunt nudi incedere, quod antea ſine dedecore & pudore facerét. Hæc cognitio Hebraicè & oculorum apertio, & ſcientia boni & mali diceretur. Sed quoniam Adam non erat veluti puer, neque enim puerorum vllus animalium naturas cognoſceret, eaq; ſuis appellare nominibus poſſet, eſt enim id abſolutæ ſapientiæ, tum quoniam adductam ad ſe mulierem natam è latere ſuo, cognouit, ſuper coniugio & charitate coniugum, præclara vel ſanxit, vel prophetauit, quoniam loquebatur, capax erat diuini mandati, hæc omnia arguunt eum non quaſi puerum fuiſſe, qui ne ignem quidem cognoſcit, niſi tactu. In pueris quoque om-

C

Ironia in ſacris litteris.

Sciẽtia boni & mali quid.

nium legum conſenſu, nullum eſt peccatum, nec habent vel benefacta præmium, vel culpa ſupplicium, D
nec ratum eſt dictum vel factum, in ea ætate. Quod ſi leges hanc ætatem quicquam facientem
id habere non poſſent pro crimine, vt ſi pater puero præciperet, ante oculos poſita poma,
ne caperet, ille tranſgrederetur, non eſſet id culpa, tum ſi nemo tam demens eſſet, qui pueris
ea præciperet, minus certe de Deo ſunt credẽda. Quibus omnibus probatur, ſic feciſſe ſcripturam,
hoc loco, ſimpliciter & mutilate, apertaque tantum loquentem, ſicut in deſcriptione ſerpentis
& ſuſcitatione Samuelis, omittentem ſcilicet multa, partemque tantum rerum proferentem,
quæ ad totam rei cognitionem non ſufficiant. Cognitionem enim nuditatis appellauit
ſcientiam boni & mali, cùm hæc ſcientia ſit latiſſima, ſcientia hominum, cùm homini in ætatem
maiorem prouecto, panduntur omnia, quorum in pueritia nullam haberet cognitionem: nec ſolam
nuditatem cognoſcit, ſed generationem, amicos, voluptates, vim rei cuiuſque & pondus, vt
è millibus rebus, vna ſit cognitio nuditatis: ſcriptura vero quoniam Adam noſſet nuditatem,
hoc ſcientiam boni & mali appellauit, cùm ea minima pars ſit totius ſcientiæ. Hocque in dubitationem
& ambages præcipitat. Nam ſi eam audiamus deſcribentem ſerpentem, cogimur omnino
credere, ſerpentes fuiſſe locutos, dolos & fraudes non ignoraſſe. Cogimur etiam credere
vnius execrendæ mulierculæ ſapientiſſimum prophetam, diuiniſque alloquijs aſſuetum, ſedibus
ſuis quietis excitum, coactum reſpondere ſciſcitanti. Sed quantum velit ſimpliciter & nudè ille
ſermo loquatur, non decipientur prudentes, præcipue ſi totam ipſam theologiam habeant animaduerſam.
Vno enim in loco declaratur, quod in altero miro ſilentio occultaretur, Nec omnia
referre ſcriptores vel potuerunt, vel debuerunt. Sunt etiam in Euangelio vix extricabiles ambages,
ſed tamen extricantur, ſi cogitandi legendique laborem non fugiamus. Dico igitur, quòd E
cùm ſcientia boni & mali ſecundum Hebraicam dialecton ſit ea ſcientia, qua carentes pueri, aſſequuntur
cùm in adultam ætatem peruenerint, huiuſque cùm ſit vna pars cognitio nuditatis, tanquam
per ſynecdochen, nomine partis, ſcripturam appellaſſe totum, quemadmodum totam ſyluam
appellauit arborem, cùm ait eos abſcondiſſe ſe in medio ligni paradiſi. Quemadmodum
item cùm in arbore ſit lignum, fructus, folia: lignum, quæ eſt vna pars, ipſam arborem appellat:
ſic inquam, cùm ſcientia boni & mali conſtet è multis partibus, vnius tantum earum nomine ipſam
totam nuncupauit. Ergo pro certo ſtatuentes intelligi ſub ſcientia boni & mali, niſi vnam
partem tantum, cognitionem nuditatis, cætera vero ſapientiſſimos eos fuiſſe aſſerentes, ſicut qui
ſciunt bene & male facere. Nam pueri neſciunt bene & male facere, ideo non dicuntur habere
ſcientiam boni & mali, patebunt cætera facile. Primum quod ſicut cognitio nuditatis improprie
vocata eſt ſcientia boni & mali, ſic iſta ſcientia boni & mali non ſolum improprie, ſed etiam
cum fraude dicta eſt aſſimilatio Deorum. Atque improprietatem priorem ſcripturæ tantum &
ſermoni nudo ac ſimplici attribuemus, ſecundam ſæuo impoſtori. Nam antequam loqueretur
ſerpens, tametſi arbor cognoſcendæ nuditatis diceretur arbor ſcientiæ boni & mali, nunquam
tamen dicta eſt aſſimilatio Dei. Vt autem primum loqui ſerpens cœpit, adiectum eſt in ea, quòd
Dei ſimiles eſſent futuri. Etenim ſuperius cùm Deus præciperet: De ligno autem ſcientiæ boni
& mali ne comedas. Vbi eſt hoc loco aſſimilatio Dei? Euentus igitur ipſe patefecit mendacium
ſerpentis, Nullam enim cum Dijs ſunt ſimilitudinem aſſecuti, omnia prius cognoſcebant, excepta
nuditate. Quod ergo Deus dixerit, ecce factus eſt, ſicut vnus ex nobis: recitantur non vt
ſunt, ſed vt promiſſa, & quæſita ſunt: promiſſa à ſerpente, quæſita & optata ab homine. Recitatur F
res vt geſta eſt, ſcelus vt perpetratum eſt. Sicut ſæpe apud prophetas facit, quemadmodum
Elias ad Acab: Occidiſti inſuper & poſſediſti. Hæc dicit dominus: In loco hoc, in quo linxerunt
canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Præcedit ſcelus, ſequitur
ſupplicium. Recitatur ante flagitium, poſtea pœna infligitur. Sic in Adam, duæ recitationes, &
condemnationes duæ, aut eadem repetita. Prior, Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & præceptum
violaſti, maledicta terra. Poſterior, Factus eſt ſicut vnus è nobis, quaſi illud, Occidiſti, & poſſediſti:
optaſti, & habuiſti. Nunc, Ne admoueat manus ad arborem vitæ. Priorque verſus ipſum,
poſterior apud alios duos, vel angelos. Recitatur ergo peccatum vt geſtum eſt, non quòd
Deus affirmet mendacium ſerpentis. Optauit eſse ſicut Deus, factus ſicut vnus ex illis. Triaque
peccata oſtendit eum perpetraſse, quod vocem vxoris audierit, quòd præceptum tranſgreſſus
ſit, quod eſse ſimilis Dei eo modo, quo ſerpens dicebat, voluerit. Nam non inuidebat hanc illi ſimilitudinem
Deus, qui eum ad imaginem fecit ſuam, propoſuit præmium immortalitatis: Sed recitatur,
vt dixi, fraus, totaque præuaricatio vt erat perpetrata, vt ſequatur condemnatio. Sicut
autem opponitur condemnatio peccato, ſimilia ſimilibus condemnante Deo: in Dauid adulterium
in occulto, ſtupratio manifeſta concubinarum: in Acab, ſanguinis Naboth effuſio, & canes
lambentes ſanguinem ipſius: idemq́; ex aduerſo in ipſum, ſi ex condemnatione poſſumus intelligere
culpam. Damnatur ne viuat, ne tangat arborem, ergo fecerat aliquid contra veram immortalitatem.
Vetatur quod erat dandum, ſicut deſiderauit eſse Deus, præuaricando, ſic prohibitus
ne eſset guſtando vitales fructus, ſicut contigit vnam arborem qua falsò ſperauit immortalitatẽ,
ſic alteram vetitus eſt tangere, quæ veram haberet immortalitatem. Illamq́; ſerpens, hanc Deus
promiſerat. Hanc & ſuperiores expoſitiones nõ videram, apud Græcos, poſt vbi reſpexi codices

inueni

A inueni eam eſſe Epiphanij & Theodori,& Theodoriti. Priores, ἐλεγκτικῶς τὴν ὄιησιν τοῦ ἀδὰμ πεισθέντος τῇ πλάνῃ τοῦ ὄφεως μεμφόμενος λέγει, μὴ ὃ ἐνόμισας γενέσθαι, ἐγένετο. τοῦτο ἐστὶν, ἰδοὺ ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, ἐπιθυμήσας γὰρ ὑψηλότερος γενέσθαι, εἰς τὸ ἧττον ἐξέπεσε. Quæ ſunt Refellendo opinionem Adam, & quaſi obiurgans dicit: An quod putaſti, euenit, vt eſſes quaſi vnus è nobis? Hoc enim eſt, quod dixit, Quaſi vnus è nobis, Nam cùm deſideraſſet altior fieri in peiorem ſtatum eſt relapſus. Theodoritus vero εἰρωνικῶς τοῦτο εἴρηκεν ὁ τῶν ὅλων θεός, ait id Deum dixiſſe, quaſi refellens & irridens diabolica mendacia. Non vetaſſe autem Adam inuidioſe arborem vitæ contingere, ſed peccato pœnam importaſſe, nec in tam miſero ſtatu eum immortalem eſſe voluiſſe. Fuiſſet enim immortale malum. Medicinam igitur eſſe mortem, non ſupplicium. Gennadius item pulcherrime & pari ferè ſenſu exponit locum. Vehementi dolore affecit ipſum Adam Deus, hoc dicens: reuocans ad memoriam, promiſſionem falſam ſerpentis, qui dixerat: Eritis ſicut dij. Quid, inquit, indiget Adam noſtra hac arbore vitæ, aſſecutus eſt, quæ ſerpens promiſit, ἰδοὺ γοῦν ἀκριβῶς μεμάθηκεν ὅπως γέγονεν εἷς ἐξ ἡμῶν. En igitur exquiſite & ad vnguẽ cognouit quomodo factus ſit velut vnus e nobis. Diſcedat igitur: Nefas enim præuaricatorem, & in mortem prolapſum ex peccato, vitalem arborem attingere, quæ cibus eſt immortalium. Alij putant eſſe ſenſum. Sicut vnus è nobis: Sicut is qui erat vnus è nobis, dæmonem enim antea vnum è diuis fuiſſe. Lapſus eſt poſtea de cęlo, propter peccatum. Huic ſimilis factus eſt Adam, Lapſus eſt, peccauit, cecidit, pulſus è paradiſo. Priores ſenſus mihi magis probantur, inter quos omnes nihil fere eſt diſcriminis. Vnus autem è nobis, quidam Hebræi cum angelis: noſtri ipſam ſecum trinitatem, ſicut. Faciamus hominem. Vtrumque reor poſſe B defendi, ſi quis velit. Igitur quod ait, Ne forte ſumat de ligno vitæ & viuat in æternum: Eſt Hebraica emphaſis in voce פן pen, quod ſonat ne fortè, nequando, cauentis eſt, & dubitantis. Nam quod ſequitur, & ſumat de ligno vitæ, additur Hebraicè גם gam, etiam, ſignificaturque eum ante de alijs pomis guſtaſſe, Ne fortè, inquit, etiam de hac arbore accipiat, ſicut fructus prioris decerpſit. At cum homo iam peccaſſet, quomodo viuere ex arbore vitæ æternum potuiſſet? Dicendum hac ipſa ratione, arborem vitæ, non æternam vitam habuiſſe, ſed ſymbolum æternæ fuiſſe, ſicut vinum, quod in regno patris diceret ſe CHRISTVS bibiturum. Immerito ergo dari nec debuit, nec potuit. Nunquam autem manum eo tetendiſſet, licet dubitando dicatur, ne forte. Eſtque fatalis prohibitio, non habens regreſſum irreuocabile dictum: nec ſolum dubitatio, ſed etiam irreuocabilis prohibitio. Quare nunquam extendiſſet eo manus. Reſpicit ergo ſtatum illum priorem, non datum nec dari valentem, ſed dandum, ſi peccatum non eſſet. Aeternumq́;, tametſi interdũ deſignet ſæculum, hic tamen, ſicut ſæpe, veram æternitatem. Vt, A ſæculo vſque in ſæculum tu es, ideſt: Ab æterno vſque in æternum: ubi eſt præſens uox עולם olam. Aliaq́; plurima exempla. Quodq́, ait, Emiſit eum, Hebraicum שלח, eiecit, fugauit. Nec ſimplicem tantum innuit miſſionem. Simplex miſſio ſignificatur, cùm eſt inflexionis primæ: in ſecunda, vt hoc, ſignat proiectionem, violentamq́; miſſionem. Primumque eſt שלח shalah, ſecundum שלח shalliach. Hoc cùm ſæpe fecerit Deus in cæteris, cùm ſæpe prophetæ dicant eum eieciſſe à facie ſua gentes, facile eſt intellectu hoc ipſo loco, licet illic alia quadam ratione: hic ipſe cum angelis eo munere ipſo imperante fungentibus, illic gentium, inimicarum crudelitate. Quodque ait, Vt operaretur terram: confirmat priorem conditionẽ immortalem, & homo non C erat qui operaretur terram. Nam mutata hæc fuiſſet conditio. Et quod ſequitur: De qua aſſumptus eſt, ſicut ſuperius, Donec reuertaris in terram de qua aſſumptus es: omnia terreſtrem compagem teſtantia, quam ille nullo cęleſti facinore redemerit, nec ſe cùm poſſet, immortalem reddiderit, in terrena conditione perſeuerauerit. Omnibus clamantibus eum euadere potuiſse immortalem, ſi modo officium coluiſset, fortunamq́ue ſuam meminiſse voluiſset, nec minoribus bonis corrumpi fœmineæ libidini ſe permittens, ſuſtinuiſset. Multorum poſtea, tendente curſibus ſuis humana natura, viris malorum cauſa fęminæ fuerunt. Dauid in maximum adulterij & homicidij ſcelus pertractus, Salomonem tam ſapientem, quàm ſanctiſſimum patrem à cultu Dei fęminæ auerterunt. Iezabel ad ſanguinem innocẽtem effundendum virũ aſſentire & perpulit, & impium conſilium ſuggeſſit. Aliaque multa docuerunt non decere nos tanquam alienas, inſolitasq́ue res illas antiquas admirari. Denique quod ait,

Eiecitque Adam & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubinos & flammeum gladium, &c.

BIs eiectionem commemorat, non quidem eodem verbo, ſed apertius poſtremo prioris vim exprimente. Horum autem quæ hic dicuntur facilis erit ſenſus, ſi ad alia notiora, & toto iam referto hominibus orbe incidentia, & exempla recurramus; nec fabuloſas allegorias opus erit aſciſcere. Nam quicunque vel Hebræorum, vel è noſtris, flammeo gladio torridam Zonam vel curſum cęli, aut aliquem ignem materialem intelligi putauerunt, non ſolum ſcripturæ conſuetudinem non animaduerterunt, ſed etiam voluerunt eam enormia, altiſſima, & ab humano ſermone, quem tantum abeſt vt ea refugiat, vt potius nimium appetat, remotiſſima loqui. Sciendum

Gladius flammeus & verſatilis.

Cherubin. dum ergo quod quibuſdam etiam Hebræis eſt viſum. Cherubin non prorſus eſſe vnius gentis angelicæ, ſed generatim omnium angelorum nomen: ſonat enim Cherub alatum, volucrem. Quoniamque angelorum ſunt velociſſimi motus, velociſſimus famulatus, & ſubita mandatorum Dei executio, hoc appellati ſunt omnes volucres, volantes. Hinc ſuper arcam cum alis paſſis ab vtraque parte, & contegentibus arcam erant exculpti. Eorum vis ac velocitas ſicut habere dicitur alas, ſic etiam ventis, igni, fulguribus comparatur, Dauid canente: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Quod Hebraicè etiam hoc modo ſonat: qui facit angelos ſuos ventum: pares ſcilicet ventis velociſſimis: tum ignem vrentem, id eſt, fulgur. Non poterat enim quicquam vſurpare celerius, cui velocitatem angelorum compararet. Vno oculorum ictu adſunt è cęlo in terras, ab ortu in occaſum, à terris, ad cęlum, omnia intuentes, per omnia diſcurſantes. Hanc velocitatem litteræ ſacrę declarantes, nec offerente ſe vllo animis noſtris notiore exemplo, volucres eos appellarunt. Perſuaſum ſit igitur Cherubinos omnium eſſe generatim nomen angelorum, ſicut angeli dicuntur omnes, id eſt, miſſi: eandem enim habet vim miſſio, ac volatus. Mittuntur, miſſique volant ventis rapidiſſimis, & fulminibus velociores. Iſto igitur primo loco, cœpit Moſes commemorare naturam, nomenque angelorum, de quorum creatione, nihil vſquam tradidit. Volucres autem non tam dicebantur, quòd alas habere viderentur, ſicut ſupra arcam, quam quòd per aera, & æthera volantes, ſupra caput aſtare. Ideoque in Abraham dicitur, Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: Hebraicè, ſupra eum: quod quidem etiam prope poteſt interpretari. Motus igitur diuinuſque diſcurſus & aduentus, dicta eſt volatio, non quod illi cum alis apparerent, imminebant verticibus, rapidiſſime ferri videbantur. Hoc erat primum quod nos ſcire oporteret. Alterum ex conſuetudine ſcripturæ declarari. E Angelos ſolitos aſſumere formam humanam cùm ſe prodere, palamque oſtendere vellent, aut aliquo in manifeſto munere verſari, eoque ſcriptura, quæ nuda, ſimplicia, apparentiaque loquitur, ſolet eos vocare viros, ſicut alatos, quia volare viderentur. De Abraham dicitur, Et ecce tres viri ſtantes prope eum. De Iacob, Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane, & Lot vidit duos angelos in platea Sodomæ in habitu proficiſcentium, eosq́; vti viros hoſpitio recepit. Tobias item inuenit Raphaelem veluti iuuenem ad iter paratum & expeditum, eumque ſibi comitem poſtulauit. Tertium quod nos ſcire conuenit, non iſto ſolum loco, ne forte miremur, ſed aliis etiam viſos angelos diſtrictum gladium tenentes: è quibus duo clara proponam exempla: Primum eſt, cùm proficiſceretur Balaam ad Balac regem, à quo ad maledicendum imprecationeſque quaſdam Magicas (quas illi plurimi faciebant, & potentiſſimas aſſe arbitrabantur) effundendas in populum Hebræorum (Erat enim Balaam Chaldæus Magus) fuerat accerſitus, gladio euaginato occurrens angelus obſtabat aſinæ Magum vehenti. Sic enim dicitur, Cernens aſina angelum ſtantem in via, euaginato gladio, auertit ſe de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam reducere, ſtetit angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur: quem videns aſina iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem. At ille iterum verberabat eam, & nihilominus angelus ad locum anguſtum tranſiens, vbi nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram poterat deuiari, obuius ſtetit: cumque vidiſſet aſina ſtantem angelum, concidit ſub pedibus ſedentis. Hæc eo loci dicuntur. Dauid quoque vidit angelum gladio cędentem populum. Paralip. 1. hæc habentur: Porrò angelus Domini ſtabat iuxta aream Hornam Iebuſci, leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit angelum Domini ſtantem inter cęlum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Hieruſalem. F Paulo poſt dicitur. Porro Hornam cùm ſuſpexiſſet, & vidiſſet angelum, quatuorque filij eius cum eo, abſconderunt ſe. Paulo poſt: Præcepitque Dominus angelo, & conuertit gladium ſuum in vaginam. In fine autem capitis: Et non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Deum. Nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium angeli Domini. His ergo ex ſcriptura euidentiſſime demonſtratis, probamus rem vſitatam, notam, non inſolentem fuiſſe, angelum cum romphæa, vt non ſit zonas torridas, aliaſque prodigioſas allegorias neceſſe confingere. Angelos cum gladiis micantibus iuſſos ſtare, dico ante paradiſum, Adamque eiectus eſt extra paradiſum vt primum indutus eſt pelle, ab angelis, ſicut per angelos multa non ſpiritualia ſolum, ſed etiam corporalia munera ſunt patrata. Ab angelis inquam gladio ſtricto occurrentibus, à quibus fuerat veſtitus, eſt eiectus. Nam quicquid facit Angelus, iuſſu Dei facit: deinde dico iſtos ipſos gladio, quem in omnes partes mouerent, locum aliquandiu, non ſemper defendiſſe, dum vepribus ac ſentibus cęteriſque caſibus obſitus penitus ſqualleret: aut dum eſſet ibi Deus. Eruditiſſimus Euſeb. cenſet vt Adam filios moneret, & exemplo ſui auerteret à peccato ὐχῶν ἡ τῆς φλογινώης ῥομφαίας ὅρασις, καὶ τὰ χερυβεὶμ τότε ἐχρησίμευον ἕως ὅτε ἔζη ἀδάμ. Ob id ait, & fulminantis gladij aſpectus, & cherubim vtilem terrorem præbuerunt, quouſque vixit Adam. Vt ergo angeli in habitu viri, ardentem gladium ſæpe tenere viſi ſunt, & exterrere mortales, ſic non eſt inſolens & alienum à conſuetudine, vt in paradiſo cum Domino principeque ſuo, in habitu formaque humana viſi tenere gladium, poſtea pepulerint Adam, non quidem cædentes, ſed minantibus & gladium attollentibus ſimiles. Si vidit aſina angelum, gladiumque eius obiectum aſpiciens, eouſque exterrita eſt, vt nullam in partem ſeſe flecteret: Et ſi eouſque exteritus eſt Dauid, A eſt Dauid, & tanta formidine correptus, vt ire ad altare non potuerit, & Horna cum filijs viſo angelo, fugerunt: multo magis videre potuit Adam, & mulier, ſeſe eijcientes, & gladium formidabilem attollentes angelos. Igitur clarus eſt locus ex cæteris exemplis, de quibus poſſumus iſtum cognoſcere. Eiecerunt angeli Adam, quos Cherubim appellat, quia non in terra, ſed in aere ſuſpenſi, deſuperque imminere videbantur, ſimiles volucribus ſeſe vel mouentibus, vel ſiſtentibus in aere. Tum eodem vel eiſdem illis gladijs ſtabant ad loci cuſtodiam à parte orientali ipſius paradiſi, ad quam videlicet eiectus homo fuerat, & Kain ad eam paulo poſt dicitur habitaſſe. Habitauit, inquit, profugus ad orientalem plagam Eden. Ab hac erat aditus in paradiſum ſpectans in ortum. Hic ſtetit angelus, euaginato flammifero gladio, veluti videbatur aſinæ, Viſus poſtea & ipſi ſedenti: Viſus ipſi Dauid, viſus Iebuſeo, & filijs. Diciturque de Balaam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum ſtantem in via, euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. Paulo autem poſt adiecit angelus: Et niſi aſina declinaſſet de via dans locum reſiſtenti, te occidiſſem, & illa viueret. Hæc omnia accidere tunc potuiſſent. Deuitans igitur Adam gladium ceruicibus imminentem, rapida fuga terga vertit, gladius ad cuſtodiam loci remanſit. Quocirca cùm dicitur: Et flammeum gladium atque verſatilem, vt quidam etiam Hebræi non diſſentiunt, non eſt cur fallamur, gladium ſeparatim, & Cherubinos ſuſpicantes. Sic enim intelligendum eſt, Cherubinos, id eſt, volucres angelos, ac quaſi deſuper imminentes ac pendentes, gladijs ſtrictis ſtetiſſe ad arboris cuſtodiam. Eſt autem nudus & ſimplex loquendi modus, non dicere angelos cum gladijs euaginatis ſtetiſſe, ſed angelos & gladios, ſeparatim. Ac quod dixit per numerum vnicum gladium, dixerim intelligendos multos gladios, per ſynecdochem, ſicut ſuperius cum dixit eum ſe abſcōdiſſe in medio arboris, pro ſylua ponens B arborem, æquè gladijs multis, multorum angelorum vnum gladium. Creberrimaque eſt in his litteris ſynecdoche, vt cùm vnam nationem, nomine vnius conditoris appellant, Aegyptios, Mizarim, conditorem totius gentis. Multorum igitur angelorum pulſu fugatus eſt Adam è paradiſo, ſicut multorum poſtea auxilio eſt in cęlum reuocatus. Flammeum autem gladium dicere, non ſolum non eſt inſolens, ſed etiam cęteris linguis vſitatum, cùm & gladios, & loricas, & galeas rutilantes, dicant vomere flammas. Manat enim & ſcintillat, perinde nitor è ferro, ſicut à Sole & aſtris, qui quidem propter ſimilitudinem flamma dicitur. Erant autem hi gladij ancipites in manibus angelorum: ſiquidem & Dauid ſanctos appellans eoſdem angelos, ait eos habere gladium ancipitem in manibus, vt faciant iudicium in nationes, ſicut tunc contra Adam lapſum tranſgreſſumque mandatum Dei. In Hebraico habetur, Et flammam gladij, non poteſt enim ea lingua dicere, flammeum gladium, priuata deriuatiuis: ſicut nec dicit agricolam, ſed virum, terræ, virum agri. Chaldæuſque eodem fere ſenſu interpretatus eſt gladium flammeum שנן shenan acutum. Alij ergo parum inter ſe differentes, ad acumen, alij ad ſplendorem retulerunt. Sed gladius acutus non eſt, quin etiam ſit rutilans, vibrans, ſcintillans, ſimul & nitorem & acumen recipiens. Verſatilem autem dixit, aut quod quemadmodum in Balaam, in omnes partes mouerentur fulminantes gladij ab angelis, Adam prohibentes redire volentem in paradiſum, aut certè quod maxime reor, vt in annotationibus dicebamus, verſatilem ancipitem intelligit, hinc atque hinc ferire & diſcindere valentem, ſiue in dextram, ſiue ſiniſtram torqueretur. Deſcribitur ergo gladius abſolutus, quod videlicet tum eſſet nitidus, rutilans, ſcintillans, C tum anceps. Quibus potius ab ipſa theologia quàm à nobis declaratis, patet figmenta eſſe, meraque animi arbitria, gladium eſſe vel zonam torridam, vel aliquem ignem materialem. Nec Philoni hoc loco aſſentior, motum flammei gladij, cæli vertiginem interpretanti, quia in dexteram & ſiniſtram cælum moueatur, in dexteram primum mobile, in ſiniſtram ſeptem errones. Aut duas in Deo virtutes. Neque enim tam alienè locutæ diuinæ litteræ fuiſſent, vt ignem appellarent gladium. Modus autem verus loquendi non cognitus, has ſuſpiciones ingenerauit. Factum eſt illo exordio, quod poſtea ſępiſſime. Nec vero procul ab hac noſtra expoſitione eſt Theodorus. τὴν μὲν γὰρ φλογίνην ῥομφαίαν λέγει ἀντὶ τοῦ φοβερὸν πῦρ ἐξαστράπτον ἐν σχήματι ξίφους, ὡς ἂν δειχθῇ φοβεράτις ἡ τῶν ὁρόντων ὄψις, ἔκ τε τῆς φυσεως, ἔκ τε τοῦ σχήματος τοῦ δεικνυμένου. ἣν καὶ στρεφομένην εἶπεν, ὡς ἂν τῇ συνεχεία, τῆς κινήσεως ἐξαστράπτουσαν, φοβερὰν καὶ μείζονα τῷ θεωμένῳ. τὸν φόβον ἐμποιοῦσαν. τὰ χερουβεὶμ δὲ, ζώων λέγει τινὰς μορφὰς καταπληκτικὰς ἱκανὰς φοβεῖν τὸν ὁρῶντα. Quæ ſunt: Gladium flammantem dicit igne informidabilem, fulgurantem inſtar gladij, vt eſſet formidabilis aſpectus intuentibus, tum ex natura ignea, tum ex forma, quę cernebatur, quem & verſatilem dixit, quaſi aſſiduo motu flagrantem, & ob id cernentibus maiorem terrorem incutientem. Cherubinos autem dicit quaſdam formas animalium horrificas, non mediocriter aſpicientes terrentes. Hæc expoſitio vt dixi ferè non diſcrepat cum noſtra. Hoc tantum, quòd nos putamus gladium fuiſſe quendam viſibilem gladium, quem Cherubini tenerent flagrantem, ſinguli ſcilicet ſingulos gladios, non putantes eſſe diuiſos angelos & gladios. Cherubinos vero putauit animalium quaſdam horrificas formas, formas ſcilicet humanas, ſed horribiles, terrificas, ingentes, qualem vidit Dauid, & pauore concidit. Fueruntque apud Græcos, qui has formas, etiam malorum ſpirituum eſſe potuiſſe, putarent. Nam facit Deus immiſſiones per angelos malos: Sed nuſquam legi dæmones appellatos Cherubinos:

Cherubini.

Pluraque

Pluraq́;alia prohibent ne aſſentiar, Hæc igitur angelorũ cuſtodia, dicitur præcipue viã ligni vitæ D cuſtodiſſe, totum quidem paradiſum cuſtodiebat, arborem autem præcipue, quòd id lapſo & transgreſſo maxime prohibebatur, ſicut non transgreſſo fuiſſet conceſſum. Dixerimq́;, nec cuſtodiam, nec paradiſum arboreſque diu ſtetiſſe, ſed ceu alia præclara diuinaque, poſt numinis diuini diſceſſum, ad ſolitam naturam redierunt præſentia diuina quondam clariſſima ac beatiſſima, ſic paradiſum cum omnibus infra breue temporis ſpatium, aut dum vixit Adam ſqualluiſſe. Eiectus eſt autem non procul vt ſæpe nos docuimus, & elegantiſſime proponitur ab Euſebio. Veluti, inquit, humanum, manſuetumque regem ſe exhibens, qui merito iratus, ſeruum E eieciſſet è regia non procul autem habitare permiſſum, ad ſolamen & ſpem, eum aliquando rediturum, ἡμερότητος ἐςὶν καὶ τινὰ ἀνακλήσεως ἐντιθέντος ἐλπίδα. Præclarum vero, atque aureis vbique litteris ſcribendum dictum Epiphanij hoc loco, ἐπειδὴ οὖν ἐν ἐλαττώματι γέγονεν ὁ ἀδάμ, οὐκ ἠθέλησεν αὐτὸν ὁ θεὸς ζῆν εἰς τὸν αἰῶνα ἐν ἐλαττώματι, ἀλλ᾽ ὡς ἄριςος κεραμεὺς εἰς τὸ ἴδιον φύραμα τὸ ἀφανισθὲν σκεῦος, δι᾽ ἑαυτοῦ εὐδόκησεν μεταβαλεῖν. ἵνα δὲ ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ τοῦ, ἰδίου φυράματος πάλιν ὡς ἐπὶ τὸν τροχὸν μεταβάλοι ἀνασκευάσας καὶ ἀνακαινίσας τὸ σκεῦος ἄνευ ἐλαττώματος εἰς τὸ δύνασθαι διηνεκῶς ζῆν. Quæ ſunt: Quoniam igitur in diminutione erat Adam, F noluit eum Deus viuere in æternum in detrimento, ſed vt optimus figulus in proprium figmentum, vas extinctum & contractum, per ſeipſum reparare conſtituit. In regeneratione igitur quaſi iterato in rotam reuocatum reficiet vas, vt poſſit ſemper viuere ſine priore detrimento

COSMOPOEIAE FINIS.

AVGVSTINVS STEVCHVS EVGVBINVS.

EPISCOPVS KISAMI SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARIVS, CANONICVS REGVLARIS
CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

De creatione Angelorum.
De cælo Empyrio.
Quòd tempus ſit creatum cum cælo, non ante.
Quòd cælum Empyrium non ſit creatum.

B PERVAGATIS rebus corporeis,iuxta deſcriptionem Moſis,operi conſentaneum eſt, quid de Angelis creatis ſit iuxta ſcripturas cenſendum, noſcere. Nõ vt quidem hoc tanquam præcipuum à nobis diſſeratur,ſed quoad huic operi ſit aptum. Primumq́; arbitror pro certo & comperto habendum, nihil vſquam de rebus incorporeis ſcripſiſſe Moſen, id eſt eum neque Angelorum habitaculum,quod cælum Empyrium creditur eſſe, neque creationem aſſignaſſe,vt neceſſe ſit apud alios ſcriptores ſacros, hanc cognitionem,ſi vlla eſt,haurire. Primumq́ue,quod ait Iſidorus,quatuor ante omnium rerum creationem feciſſe Deum cælum Empyrium, Angelicam naturam, tempus, materiam informem, dicendum eſt tempus ante rerum creationem non fuiſſe, ſed ſimul cum cælo iſto corporeo,& viſibili factum etiam tempus,ſi tempus factum rectè dici poſſit. Tempus, ait Plato in Timæo & cœlum ſimul facta ſunt, vt ſimul
C diſſoluantur. Tempus autem cùm ſit iuxta Ariſtotelem menſura motus, id eſt cogitatio metiens motus cœleſtes, profecto de creatione temporis, quippe quod non ſubſtantia, ſed quantitas eſt collecta ex motu cœli, non eſt diſſerendum. Meliuſq́ue & quod concorditer ſacris ſcripturis & traditioni Moſaicę Plato, & Ariſtoteles, & Timæus Locrenſis, & Philon prodiderunt, de tempore arbitrari, qui id diffinientes, cum eo ſimul & cœlum commeminerunt. Et Moſes commemorans, dies, menſes, & annos, quæ conſtat eſſe particularia tempora, & ex his tempus vniuerſale fieri, tunc deſcripſit, cùm de creatione ſyderum cœleſtium tractauit. Quare ſi Plato, cęlum & tempus ſimul facta dicit, ſi Ariſtoteles ait tempus eſſe menſuram collectam è motu cæli, ſi Moſes creata dixit ſydera maiora in cœlo, vt tempora facerent, certè liquet tunc factum eſſe tempus, cùm factum eſt cœlum, cœlum autem vel Sol & Luna, in creatione commemoratur. Quare non ante creationem, factum eſt tempus. Tunc enim dies eſſe cęperunt, cùm cępit ſuper terras Sol rotari, diebus autem circumactis, horæ, dies, hebdomades, menſes, anni, extiterunt. Accedit opinio Pythagoreorũ, quorum diſſerens Timæus Locrenſis ſententiam, tempus diffinit imagine æternitatis, id videlicet eſſe tempus dicens reſpectu æternitatis veræ, æternęq́ue ſtabilitatis, quod ſunt imagines reſpectu archetyporum, imago Cæſaris, ad ipſum viuentem Cæſarem. Quaſi mortuam ſimulatamq́ue vitam & interruptam innuentes eſſe tempus,æternitatem vel æuum, ipſam veram ſtabilitatem, vitam Dei ac deorum. Hæc mundum anteceſſit, poſt mundum igitur creatum, ſecutum tempus. Idemq́ue ait, ὁ δὲ χρόνος σὺν κόσμῳ ἐδαμιουργήθη. Tempus, ait, cum mundo eſt creatum. Deinde: Non enim erant aſtra ante mundum, Deo neque annus, horarumq́ue interualla, quibus menſuratur mundus iſte creatus. Philon inſignis Platonicus,libro de mundo pulcherrime, δημιουργὸς δὲ καὶ χρόνου, καὶ ὁ θεὸς, καὶ γὰρ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ πατὴρ,

Tēpus an creatum.

πατὴρ δὲ κόσμος χρόνου, τὴν αὐτοῦ κίνησιν γένεσιν ἀποφήνας ἐκείνου. Creator, ait etiã temporis fuit D
Deus, qui genitorem temporis creauit. Tempus autem à mundo generatur, motum mundi generationem temporis ſtatuens. Et in ſua Coſmopœia χρόνος γὰρ οὐκ ἦν πρὸ κόσμου, ἀλλ᾽ ἢ σὺν αὐτῷ γέγονεν, ἢ μετ᾽ αὐτὸν ἐπειδὴ γὰρ διάστημα τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως ἐστὶν ὁ χρόνος, πρότερον τοῦ κινουμένου κίνησις, οὐκ ἂν γένοιτο. ἀλλ᾽ ἀναγκαῖον, αὐτὸν, ἢ ὑστερὸν, ἢ ἅμα συνίστασθαι ἀναγκαῖον ἄρα τὸν χρόνον, ἢ ἰσήλικα κόσμου γεγονέναι, ἢ νεώτερον ἐκείνου, πρεσβύτερον δ᾽ ἀποφαίνεσθαι τολλᾶν ἀφιλόσοφον τοώντι Tempus, inquit, non erat ante mundum, ſed vel cum eo fuit, vel poſt eum. Nam cùm tempus ſit ſpacium mundani motus, nunquam motus ante rem motam eſſet vtique. Sed neceſſe eſt aut vna, aut poſt exiſtere. Sic aut erit tempus mundo coætaneum, aut poſt natum. Antiquius enim pronuntiare eſt à philoſophia alienum. Sic ille. ſanctiſſimus item Ambroſius, ſimiliter, Tempus, inquit, ab hoc mundo, non ante mundum. Neque vero aſciſcere cogimur tempus, ne non in tempore factum mundum confiteri cogamur, ſuperſtitioſa nimis hæc, cùm potuerit vno momento Deus creare, & creans cęlum, crearet cum motu, idque in æternitate ſua exiſtens. Quod enim tempus eſt ſupra Solem, cùm vita ſit ibi optima, non tamen ſub tempore, quia neque ſub Sole & Stellis? Quod autem tradit de cœlo Empyrio, idipſum quod à principio dubitamus, nihil apud Moſen videre eſſe ſuper hoc declaratum. Veri quidem ſimile eſt, ſi cęlum Empyrium eſt habitaculum Angelorum, & Angeli facti ſint ante creationem rerum ſenſibilium, fuiſſe hanc eorũ ſedem præparatam: ſed nullum eſt clarum ſuper eo in ſcripturis teſtimonium. Videturque alia quædam magna theologia de creatione Angelorum, & eorum habitatione, vt quomodo de noſtro mundo & habitatoribus ac partibus mundi, quędã philoſophia collecta eſt, ſic de illo alio mundo alia quædam theologia, & alias quædam Geneſis ſit neceſſaria. Illum qui- E
dem mundum, ſi tantum anteit dignitate mundum noſtrum, ſi non ſolum maior eſt, & diuinior, ſed etiam immortalis, habet immortales ciues, ſi digniora præcedere ſemper debent, fas eſt ante noſtrum iſtum creatum. Ac quoniam tempus tunc fuit, cùm fuit Sol & luna, hæc autem fuerunt poſt creationem, hinc fit, vt ſi cęlum empyrium eſt creatum, vt ne ſit in tempore creatum, ſed alia quadam ratione. Illud quidem videtur oportere diſſolui, ſi cælum empyrium eſt creatum ante firmamentum, quantum interceſſerit ab illo creato ad mundum noſtrum creatum, & quare ſpatium interquieſcere opifex voluerit. Deinde cùm vna ſit reſpublica hominum atque deorum & Angeli non ſolum diuina præſentia fruantur, ſed per eos à Deo res humanæ gubernentur, cùm inquam illi rectores ſint & principes, minores & obſequentes, videtur probabile vno eodemque tempore, totam hanc rempublicam extitiſſe, non prius principes, poſtea parentes, & ſubiectos, ſicut eodem tempore ſunt reges, & recti, ſunt gubernatores, & gubernati, caput & membra: totiusque corporis coniuncta procedit creatio, nunquam interrupta, nunquam ſiſtens, ſed à corde ſi vera dicunt, vel à capite inchoata dicitur, deinde ad reliqua membra, totaque ſimul res abſoluitur. Lacerum aũt fuiſſet corpus reipublicæ mundanæ, ſi ab illis creatis, ad nos creatos non intercedente infinito, interceſſit aliquod certum diffinitumque ſpatium, nec videtur quicquam in hoc ſpatio probabile, quod aſſignatum, animos tranquillet, & dubitationis fluctu ſedato reuocet ad quietem. Si impium eſt, & aſſertioni ſcripturarum contrarium Angelos eſſe æternos dicere, non quidem impium, ſed non probabile, ab illis creatis ad creationem rerum noſtratium, vel diuturni, vel quiduis ſpatij interfuiſſe. Poſitum igitur ſit primum, id eo Moſen creationem Angelorum non prodidiſſe, & ſi maximum erat, plenumque diuinitatis, vltra mun- F
danas mentes myſterium, quia vel non eſſet neceſſarium, vel altiſſimum, nimiumq; captum humanum excedens, & rudi populo penè incomprehenſibile. Alterum poſitum ſit, creationem Angelorum affirmari, & Angelos veluti creatos à Deo in theologia demonſtrari: quibus iactis hæc dicimus. Qualis ſit viſibilis & inuiſibilis creatio, poſſe ſic colligi. In Pſalmo 115. ex numero rerum quas creatas Deo, eiuſque imperio ſubiectas docet vates, & ex diſpoſitione earum, poſſe aliquid de creatione cognoſci. Primumque ait, Dominus Deus magnificatus es vehementer. Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimentum. Hoc quod Septuaginta tranſtulerunt, amictus lumine ſicut veſtimentum, cùm in Hebraico habeat, עטה אור oteor, veſtiens lucem, anceps videtur an ad lucem quam Deus ipſe ſeipſum veſtiat, an lucem quam circumfuderit, veſtieritq; omnia, debeat referri. Et quoniam de rerum creatione ſermo eſt, videtur ſermo illam ſpectare lucem, qua Deus omnia veſtierit, eam vſquequaque diſpergens, & non terras tantum, ſed etiam cęlum vndiq; complens. Sequitur enim quaſi Moſis theologiam imitatus, extendens cęlum ſicut pellem. Vt cum Moſes primum dixit lucem creatam, Deinceps cęlum ſecunda die, ſic Dauid Deum clamat, omnia veſtiſſe, & repleuiſſe iucundiſſima luce, deinde cęlum diffudiſſe, tanquam velum & pellem, ſiue tentorium. Eaque eſt vis vocis Moſaice rakia, qua vſus eſt in creatione, vt interpretetur eam quaſi Dauid, appellans diffuſionem ſicut pellis. Quod quidem & de ſubſtantia orbium cæleſtium, ipſiſque orbibus, qui circum terras amplexi, ſint deſuper extenſi, aut omni aere, qui circumquaque in omnes mundi partes ſit diffuſus, totum ſupernum tractum, ipſaſque circumquaque terras cingens dicitur. Sed quoniam qui lucem dicit, non dicit ab ardore cęleſti ſeiunctum quicquam, & cum ſydere, orbem neceſſe eſt ſyderis intelligere, videtur qui lucem creatam prædicaſſet, prædicaſſe ſimul & orbem creatum.

Quare

A Quare magis cenſuerim pro aerijs regionibus, & vſquequaque campis diffuſis, intelligendum quod ſecũdo loco commemorauit, ſicut in Moſe expoſitũ eſt. Proſequitur enim, & quod infert, declarat, nõ ſolum ipſum Moſen, ſed quod cælum ante dixerit diffuſum. Qui tegis aquis ſuperiora eius. Superiores cęli partes dicit repleri aquis à Deo. Repletur autem aer aquis. Nam de quibuſdam ſupercæleſtibus aquis non arbitror eum loqui. Has aquas narrat à Deo ſuper cælo diſtendi, vt tanquam contignatio ipſi fiant. Si ergo non ſunt ſupra ſydera aquę, & ſi in Moſe docuimus, probabilius eſſe, & ad phraſim Hebraicam accommodatius, quæ alioquin à peregrini ſermonis hominibus non intellecta, alium ſenſum ingenuerat, magis de aquis aerijs & pluuijs, omniq; ſcatente deſuper regione, hæc prædicari, quam Solaribus quibuſdam, & vltra mundanis aquis, ſequitur clarus Dauidicorum verborum ſenſus. Qui tegis aquis ſuperiora eius. Partes ſuperiores cæli diffuſi & vſquequaque in omnem mundum expanſi, replentur aquis à Deo. Iſta ſuperiora philoſophi appellant μετέωρα, meteora, pluuiaſque hoc nomine dicunt, & cometas, ventos, grandines, & quicquid ſupra verticibus noſtris in aere generatur. Has aquas non adiecit Dauid tanquam opus peculiare creationis, ſed tanquam conſequens, & cohærens operi ſecundo. Primum igitur opus fuit lux ſparſa per omnem mundum, ſecundum, cælum, id eſt, aer, cui cohæret commoratio cęleſtium aquarum. Ex quo declaratur Moſes quòd cęlum factum ſecunda die aſſeruerit, quem cùm ſecutus ſit Dauid, Dauid interprete, Moſes ſecunda die, creationem aeris narrauit, cum qua ſuperiores aquas & inferiores item, ſicut Dauid cum iſto cęlo, etiam aquas ſuperiores adiecit, ſuperiora repleta tectaq; aquis apud Dauid, ſunt ea, quæ apud Moſen ſuper firmamento ponuntur, aquæ ſcilicet pluuiales. Sic non ſimiles modo in loquendo, ſed interpres etiam Moſis eſt Dauid. Duo opera duorum dierum hucuſq; procedunt lux effuſa, cælum exten-B ſum, & aquis deſuper contectum. Nam quas aquas, quibus contecta ſuperiora cæli dixerat, innuat Dauid, declaratur ex ſequenti: Qui ponis nubem aſcenſum tuum, comprehendit cum cælo, omnia meteora, omnia cæleſtia, in primis aquas cæleſtes, id eſt, pluuias, tum nubes, dehinc ventos. Nam per aſcenſum Dei ſuper ventos, & ambulationem, equitationemq; ſuper nubes, Hebraicos tropos vſurpans, ſignificat pluuias, nubes, ventos, à Deo fieri. Ideoque cùm ait portari, deferri per cælum, quia ad nutum eius præſto ſint pluuiæ & nimbi, parere parati: quaſi quidã hoc imperio ſit Aeolus. Cùm ergo cæli commeminiſſet, concluſit vnà, & meteora, cęliq; affectiones, & cuncta aeria, pennas quoque ventis tum Hebraica phraſi, tum poetica ſimilitudine attribuit, reperieſq; apud poetas, ventos, volucres, barbatos, crinibus madidos, & id genus. Ad tertium accedens Dauid, ait: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem vrentem. Hæc illa loci obſcuritas oblata oculis, & eadem caligine atque Moſaica, ante aciem noſtram denſata. Non enim claret an creationem Angelorum, an miniſterium & velocitatẽ eorum hic deſcribat. Nam quod ait, Qui facit angelos ſuos ſpiritus, pro ſpiritibus eſt in Hebraico id quod etiam Latine & Gręce & ſpiritum ſeparatum ſignificat, & ventum רוחות. Duoq; proinde ſenſus efficiuntur, Aut Angelos à Deo velociſſimos ventos, & quaſi volucres, ſicut ſubdit, Et miniſtros ſuos ignem vrentem: Aut eorum ſubſtantiam eſſe ſpiritalem. Qui hoc poſterius ſequerentur, plurimi enim è Græcis ſequuntur, dicerent etiam angelos eſſe igneos, quia teſtetur vates facere Deum angelos ſuos ignem, referentes ſuperius, & inferius ad ſubſtantiam angelorum, non eorum velocitatem. Ergo Græci & Latini non admodum phraſes Hebraicas tenẽtes, ſecuti ſunt poſtremum, igneam C ſpiritalemq; & angelorum ſubſtantiam prætendi à Dauid factam: Hebręi ad vtrunq; ſenſum inclinant. Quoniam autem quod Septuaginta tranſtulerunt, ignem vrentem, Græcè πυρὸς φλόγα, ignis flammã, Hebraicè habet אש להם ignẽ fulgurantem, radiantem, ſplendentem, ſubſtantia autem Angelorum fulgurare non poteſt, & ſplendere, cùm ſint inuiſibiles, & incorporei, videtur potius eſſe comparatio, de eorum velocitate, quàm proprius ſermo de ſubſtantia, vt dicat Deum feciſſe angelos ſuos velociſſimos, perniciſſimos, vẽtis velociores, fulguribus ſimiles, vno oculi ictu à cęlo ad terras, à terris ad cælum diſcurſantes. Ecce igitur ſolita obſcuritas, quę quidem neq; à Moſe eſt diſcuſſa, de creatione, & creationis tẽpore angelorum. Hic neq; modus creationis, neq; tempus proponitur. Nam poſt primum & ſecundum opus commemorantur, nec cõſtat an dederit eis hunc locum vel certum ordinem ſequens, vel promiſcue multa memorans. Neque vero certum videtur ordinem ſequi, poſt multa opera referẽs fundationem terrę, cùm tamen, Initio dominus terram fundauerit, at ipſe hoc loco, qui fundaſti terram. Quo fit vt nihil poſſimus affirmare tantũ, quod à principio dicebamus creatos angelos, & inter opera creationis eos adnumerari. Quanquam ne creationem quidem eorum hic memorat, ſed potius functionem ac munus, & qualitatem, & velocitatem, quæ quidem vna pars eſt proprietatũ angelicarum: Ac ſcientia, ſapientia, immortalitas, diuinitas, poteſtas? Sed concedamus id dixiſſe Dauid de angelis, quod clarius eſſet in populis, aptius, & cõſuetudini hominum ſimilius. Creationem certe eorum non deſcribi, & tempus, clarum eſt. Cætera quæque perſequitur Pſalmus, quoniam diſſeruimus in Moſe, relinquemus hoc loco. Eſt Pſalmus centeſimus quadrageſimus octauus, in quo ſimiliter diuina opera commemorantur. Et quod non eſt à Moſe narratum de angelis, ſuppletur eo loci. Laudate, inquit, eum omnes angeli eius. Ecce ante ſolem & lunam & ſtellas, memorat angelos. Nam poſt angelos ſubdit, Laudate eum ſol & luna, laudate eum ſtellæ luminis, vel luminoſæ, vt habet Hebraicum.

braicum. Ex quibus intelligimus creationem angelorum, ſed affirmare non poſſumus audacter, D quia prænominat ante Solem & ſtellas, angelos, ideo factos ante Solem & lunam. Quod ſi certum ordinem teneret, ſingulaque ſingulis temporibus referret, poſſemus ſuſpicari ante cælum, angelos creatos, ſed quum in ſuperiore Pſalmo, quo ad laudandum Deum, animum ſuum cohortabatur, non tenuerit ordinem certum, nam poſt pluuias, ventos, cælum, fundationem terræ narrauit: ſic fortaſſe confudit hic, creatarum rerum ordinem, quaſcunque laudes impetus offerret, depromens: confirmariq́; poſſet ex iſto loco, quod in Moſe docuimus, propterea que poſt angelos commemoratos, ſubdit ſolem & lunam, hæc ipſa creata ante omnes res ſenſibiles. Idemque eſſe apud Dauid ſolem, atque Moſen or, id eſt, lucem. Angelos autem prænominaſſe, aut quod reuera ante omnia corporea, viſibiliaque ſint creati, aut quòd teneant in omni creatura principatum. Poſitis igitur in deſcriptione angelis, ſiue dignitate principatum habentibus, ſiue tempore, vel anteceſſione, ſubiecit ſolem: vt abunde hinc doceamur, principium creatarum viſibilium rerum apud Moſen habuiſſe ſolem, quem ipſe ab diuina excellentique operatione, appellarit lucem. Hanc offerimus forte non exigui ponderis coniecturam, quam vel conſequentia confirmare videntur. Etenim quaſi Moſen ſecutus poſt ornatum cæleſtem deſcriptum, quaſi hoc primum opus poſt creata principia fuerit, adiecit ſubito res inferiores ſyderibus: Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos. Cælos cælorum, videtur altiſſimam cæli partem appellaſſe, id eſt, id quod ſuccedit cæleſtibus orbibus, vt cælum ſit ſimplex cæli locus, id eſt, aer omnis, ſublimis autem cæli locus, cælum cæli, ſicut alibi, cælum cæli domino. Et ſicut ſancta ſanctorum, quaſi remotior, priorque in templo, meliorq́; pars. Ac quanquam cælum cæli, poſt ſolem & lunam commemoret, nec ſit veriſimile imò minime verum, regiam Dei E inferius ſolem, & lumina cæleſtia ſitam, tamen cælum cæli, ſublimem cæli, id eſt, aeris partem dicens, comprehendit ſublimiſſimam & altiſſimam quanque regionem, quæ infra ſolem, & lunam & ſupra ſe diffundat. Alibi quæ ſupra, nunc quæ infra eſt, paulo longinquior à ſole & luna, referens: commemorataque altiſſima cæli regione, & ordinem rerum inter ſe propinquarum perſequens, addit aquas quæ ſupra cælum, id eſt, pluuias, vt in Moſe oſtendimus, & vt ordo ipſe magiſter eſt. Ergo prius angelos, mox corpora cæleſtia, tum altiſſimas ſupra terras cæli regiones, deinde pluuias diſponit. Hæcque an dignitate præcedant altera alteris, an creationis ordo fuerit, non liquet, ſed creationis ſit ordo, & anteceſſerit quidem omnium rerum viſibilium creationem, creatio angelorum, tum ſecuta ſit fundata terra cum aqua, creatio lucis, id eſt, ſolis & lunæ & ſtellarum, cum quibus & orbium cęleſtium ſecuta ſit creatio. Deinde iuxta traditionem Moſis creatus ſit aer, effectus à ſole vt eſt oſtẽſum, ab aere pluuiæ aquę cęleſtes. Deſcendit deinceps ad res terreſtres & marinas, ſolam terram pro omni re terreſtri adhibens, ſolos cetos, quos dracones Septuaginta tranſtulerunt, pro omnibus marinis animantibus: mox reuertitur in cælum, id eſt, aerem, & meteora perſequitur, conuocans ea ad laudem Dei, Ignis, grando, nix, glacies, pruina, tempeſtas, montes, colles, arbores, beſtię, reptilia. In quibus partim ordinem Moſaicum eſt ſecutus, partim ſe à ſpiritu ſuo rapi permittens, carmen quo volebàt protraxit. Ac quoniam pręmiſit in commemoratione angelos, quorum non meminit Moſes creationem, ſciendum Moſen non idcirco creationem angelorum ante cætera corporea, aut ipſam eorum prorſus creationem, putandum eſt ſiluiſſe, quia dixerit eos creatos. Nam nec creationem terrę, nec aquę quãdo ſit facta declarauit. Lux creata fecit primam diem, poſt ſecuta omnia ſenſibilia. at, Initio terrã F fundauit, & aquas item, quæ in commemoratione & hiſtoria rerum originalium ſunt, neceſſario creauit. Verùm de ipſis creatis nihil meminit. Eas tamen non creatas, dicere non poſſumus, & creatas quidem ante omnia, vna cum terra. Sic tametſi angelorum non ſit manifeſta per Moſen creatio, ideo non eſt credendum eos non & creatos, & ante omnia creatos, ſicut & ante omnia terra fundata non promulgatur. Quod ante dico quaſi caput & principium fuiſſe totius creationis, vt creato mundo maiore ac diuiniore, quod non declarauit Moſes, mox ad creationem rerũ terrenarum diuina poteſtas acceſſerit. Terra igitur & aqua ſunt ante omnia creata, Moſes tamen inchoationem à luce videtur feciſſe. Nam totam deſcriptionem, hiſtoriamq́; creandarum rerum aggreſſurus, artificem pręmiſit, Primumq́; docuit eum feciſſe lucem ſuper aquis moliens & operans. Ergo cum aquę & terrę, aquę inquam altiſſimæ non meminerit creatæ, non creatam ſuſpicari nec debemus, nec poſſumus: ſic non commemoratam angelorum creationem, nõ poſſumus in ſuſpicionem trahere, vt ne nunquam fuerit. Vtq́, ordo fuit rerum, veriſſimusque tenor, vt illa prius fingerentur primordia, conſequenter & deinceps incederet reliqua creatio, ſic ordo fuit vt angelorum creatio omnia terreſtria præcederet: præcederet inquam terreſtria primordia. Primum locum igitur habuit creatio angelorum, poſt primordia rerum terreſtrium, ſecuta deinde rerum diuerſarum creatio. Non narrat Moſes creationem angelorum, duas ob cauſas, quòd non eſſet negocium hominum, & opus humanę ſcientię, tum non mundus noſter. Alio loco declaratur creatio rerum terreſtrium, in qua etiam fieri videtur mentio de angelis, cum Iob diſſerens Deus, ait, Vbi eras dum fundarem terram? Primum fecit narrationis exordium à fundatione terræ, de cuius fundamentis, primaq́; inchoatione permulta diſſerit. Dumq́; in hac cõmemoratione perſiſteret, hæc intulit: Cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes

filij

A filij Dei. Quo referendo, induxit etiam mentionem aquarum creatarum. Et circumcluſit oſtijs mare, poſt ſubdidit creationem lucis. Nunquid à diebus tuis præcepiſti matutino, cognouiſti auroræ locum, vt comprehenderes plagas terræ, & vociferarentur ſcelerati ab ea, odientes ſcilicet lucem malefici? Peruertitur tanquam lutum, ſuſtentatio eorum, & ſteterunt tanquam indumentum. Et prohibita eſt ab impijs lux eorum. Hæc & id genus apud Iob. Primum igitur apud eum, locum habet terræ fundatio, ſecundum creatio aquarum, tertium creatio lucis. In quibus partim eſt ordo Moſaicus, partim non eſt: eſt quidem, quod poſt initia, & origines illico diſponit lucem: non eſt autē, quia creationem primordiorum Moſes narrare non videtur. Poſſumuſq; facile intelligere, & ſi Moſes non retulit, ex Iob primordia fuiſſe creata. De eo autem quod dixit, cùm me laudarent aſtra matutina, Iubilarent filij Dei. Idq; dicit, dum terram fundaret Deus, videtur declarari in fundatione terræ angelos affuiſſe, quia fundante Deo terram, & primordia rerum terrenarum creante, iubilabant filij Dei. Oportet igitur locum diligenter perpendere. Nam ſi res ita habet, vt verba præ ferre videntur, ſublata eſt omnis dubitatio de creatione angelorum, eam ante terram rerumq; terrenarum primordia extitiſſe. Sed quoniam locus non adeo clare hoc innuit, non poſſumus clare & audacter proferre. Eſt igitur ſententia Græcorum, maxime Chryſoſtomi, Seueriani, Diodori, Baſilij, quos è noſtris quidam ſequuntur, cum primis Eucherius; præcipue ex iſto loco colligi angelos fuiſſe ante creationem rerum terreſtrium. Pauca Chryſoſtomi verba ad fidem ſubijciam. Propter te, inquit, fecit Deus vniuerſa, διά σε, οὐδὲ γὰρ ἄγγελοι ταύτης ἐδέοντο. πῶς γὰρ οἱ καὶ πρὶν ἢ γενέσθαι αὐτὴν ὄντες. ὅτι γὰρ ἐκεῖνοι πολλῷ ταύτης πρεσβύτεροι, ἄκουσον τί φησιν τῷ Ἰὼβ διαλεγόμενος. ὅτε ἐγένετο ἄστρα ᾔνεσάν με πάντες ἄγγελοι μου φωνῇ μεγάλῃ, καὶ ὕμνησαν ἐκπλαγέντες τὸ πλῆθος, τὸ κάλλος, τὴν θέσιν, τὴν χρείαν. B Propter te, ait, hæc omnis corporea eſt creatura, non enim angeli eius indigebant. Qui enim fieri poteſt, qui ante extiterant? Nam quòd multo ſint priores angeli creatura corporea, audi quid dicat is qui cum Iob diſſerebat. Quando facta ſunt aſtra, laudabant me omnes angeli mei voce magna, & celebrabant ſtupentes ſuper multitudine, pulchritudine, poſitu, vtilitate. Hæc ille, Quæ ſunt etiam, atque etiam perpendenda. Non enim habet Hebraicum, à quo proficiſcitur Græcum, angeli mei. Sed Septuaginta interpretantes, quod Hebraicum habet, aſtra matutina, & filios Dei, tranſtulerunt angelos. Tum locus totus eſt, vt ſuperius citauimus, ambiguus. Quanquam poteſt etiam quadrare id quod tranſtulerunt Septuaginta. Primumq; dubius eſt is locus, nec videtur clare exhibere creationem angelorum ante res terreſtres. Nam ſi interpretemur vocem Hebraicam banim, quæ filios deſignat, & opera à בנה bana ædificauit, potius filios quàm opera, hæc ſequuntur, aut aſtra eſſe animata, aut fuiſſe cælum antequam eſſet, ſi dum crearetur cælum, aſtra matutina Deum laudarent. Loquens autem ibi de creatione terræ & maris, tum ad ſydera aſcendens, inquit, cùm exultarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Ex quo videntur ad ipſorum ſydera creationem & exultationem hæc referenda. Quorum conditionem quaſi vocat exultationem, & iubilum, vt naſcentia quaſi exultare ac lætari viderentur. Idq; ſimul fieret oriente terra & mari, quæ dum ſubito crearentur, etiā aſtra apparere cœperint. Quare filios Dei, quos angelos ſunt interpretati Septuaginta, potius ipſa opera cæleſtia ego appellauerim. Vt non ſit id mihi certum argumentum de eorum ante rerum viſibilium creationem. Cæterum Chaldæus hūc locum non diſſentiens ab opinione Sept. tranſtulit, ומיבבי כל כתי מלאכיא Et exultarent omnes acies angelorum. Quo fit perſpicuum, fuiſſe veterem quandam ſuſpicionem, locum illum apud Iob de C angelis eſſe. Sint igitur duæ ſententiæ: vna quam prætulimus, vt filij Dei quaſi creationes reſq; creatæ dicantur, quibus attribuatur per proſopopœiam iubilatio, ſicut cæli enarrāt gloriam Dei: Et, dies diei eructat verbum. Vt loquens de rerum creatione Iob, amplexuſque ſuperiora & inferiora, dum terra fundaretur, dum in glebas conſtringeretur, dixerit exultaſſe ſydera matutina naſcentia & erumpentia, quod Moſes ſimul ac factum eſſet terreſtre primordium, factum oſtendit. Nam creationem terræ iſto modo tantum promulgauit, In principio creauit Deus cælum & terram. Nec aliud diſſerit de terra creata: at Iob multa de fundatione, ſitu, ſtabilitate ipſius, dum crearetur, docet: interimque interſerit commemorationem cæleſtium ſyderum creatorum, exultantium, erumpentium, iubilantium, lætantium. Moſes vero commemorato eo, quod Deus crearit cælum & terram, ſtatim principium a ſyderibus creatis facit. Et creauit Deus lucem, cum qua omnia comprehendi aſtra, ſolem præcipue, certum eſt, vt ſimilis ſit apud vtrunque theologia: Iob creata & conglobata, & iacta terra, ſtellas exultaſſe: Moſes, creata terra, lucem creatā. Ex quo poſſemus ea confirmare quæ ſuperius ſuper luce creata, quam Solem interpretabamur, ſunt expoſita, Iob expreſſe ſydera matutina & filios vel opera Dei memorat, hæc ipſa Moſes appellat lucem, præcipue ipſum Solem, lucis pater primus & fons. Sicq; eſt vnus ſenſus. Alter erit, vt filios Dei angelos interpretemur, ſed non video, quomodo nos ab idololatria tueri poſſimus, quam olim veteres patres diffinierunt, ſi quis animata ſydera fateretur eum eſſe anathema. Nam ſi poſtremum eſt de angelis, filios, inquam, Dei, ſi angelos exponas, etiam primum erit de eiſdem, vt ſydera matutina ſint ſpiritus diuini, corpora rutilantia regentes, & circumducentes, quæ fuit vetuſtiſſima idololatria non diſplicens, ſed approbata etiam à philoſophis, Deos eſſe perſpicuos quoſdam ſtellas illas. Hoc, inquam, non video an theologia concederet, cum præſertim nunquam

Filij Dei.

quam apud Moſen in hanc ſententiam pronuntietur, ſed in contrarium potius vbicunq; ferat ne- D
ceſſitas tacentem, & tacendo fortaſſe negantem, ſtellas animatas. Illumq; apud Iob locum, quo-
niam quidam Hebręi non magni ponderis homines, parum mihi ſatisfaciunt exponentes, non ci
to eorum teſtimonia. Nam alij quaſi Chaldaicum ſecuti, & quem Septuaginta prætulerunt ſen-
ſum, dicunt aſtra orbibus affixa, primum ac fuiſſent creata, & exultaſſe lætata in conſpectu Dei,
cum omnibus angelis. Alij filios Dei, ſupernas diſpoſitiones, ſtellas matutinas, ſeptem planetas,
exponunt. Sed quoniam ſumus in hanc ſententiam, & omnes & Hebræi & Græci, ac Latini pro-
penſiores, angelos ante res terreſtres creatos, permittam hunc ſibi locum quemuis in confirma-
tione huius ſententiæ vſurpare. Siquidem & alij magni Græci theologi, quos citaui, conſtan-
ter affirmant angelos ante viſibilem mundum creatos, è quibus Seuerianus citans ſuperiorem
ex Iob locum, ſcribit ἐγένοντο ἄγγελοι πρὸ τοῦ οὐρανοῦ, μετ' ἀγγέλους ὁ οὐρανὸς, καὶ τὸ ὑπ' οὐρανόν. παρα-
στήκασιν οὖν οἱ ἄγγελοι τῇ δημιουργίᾳ, ἡδράζετο ὁ οὐρανὸς, ἐπῄνουν ἄγγελοι. ἐπειδὴ γὰρ ἑαυτοὺς γινομέ-
νους οὐκ εἶδον, τὸν οὐρανὸν γινόμενον ἐθαύμασαν, ἔβλεπον ἥλιον ἐξαπτόμενον, σελήνην δᾳδουχοῦσαν,
ἀστέρας γινομένους καὶ ἐξεπλήσσοντο. λέγει γὰρ ὁ θεὸς πρὸς τὸν Ἰώβ, ὅτε ἐποίουν τὰ ἄστρα πάντες ἄγ-
γελοί μου ᾔνεσάν με. Creati, inquit, ſunt angeli ante cælum: poſt angelos, cælum, & quæ intra
cælũ ſunt. Aderant igitur rerum creationi, angeli. Stabiliebatur cælũ, angeli laudabant. Nã quo-
niam ſeipſos naſcentes non viderant, cęlum creatum admirati ſunt. Intuebantur Solem rutilan-
tem, videbant Lunam radiantem, item nata ſydera, attonitique ſtupebant. Dicit enim Deus ad
Iob, Quando faciebã aſtra, omnes angeli mei laudabant me. Diodorus item, μετὰ τὰς ἀοράτους,
καὶ νοερὰς οὐσίας, οὐρανὸν ὁ θεὸς κατασκευάζει εὐθὺς μετὰ τῆς γῆς, οὐ τὸν ὁρώμενον, δευτέρα γὰρ ἡμέρα
οὗτος γίνεται, ἀλλὰ τὴν ἀνωτερω, ὃν ὁ Δαβὶδ οὐρανὸν οὐρανοῦ καλεῖ. Poſt inuiſibiles & intelligi- E
biles ſubſtantias, cęlum mox molitur pariter cum terra Deus, non viſibile iſtud, nam ſecunda die
iſtud eſt creatũ, ſed ſuperius quoddam, quod Dauid vocat, cęlum cęli. Theodoritus vero quan-
quam ſuperuacaneum putat quærere an ante cęlum, vel cum cælo ſint creati angeli, propenſior
tamen eſt in eam ſententiam, vt vnà cum cęlo ſint creati, ea ratione, quæ neſcio an probetur. Eſſe
enim naturam angelorum definitam, circumq; ſcriptam, indigere ergo loci, πῶς οἷόν τε προϋπά-
ρχειν οὐρανοῦ καὶ γῆς τοὺς ἀγγέλους, οὐ γὰρ ὄντος τοῦ φέροντος πῶς ἔνεστι τὸ φερόμενον. Fieri non poteſt
vt ante cęlum, & terram extiterint angeli. Cùm enim non eſt quod ferat, non erit etiam quod fe-
ratur. Verum ad hanc rationem Theodoriti ſuperiores theologi fortaſſe reſponderent, Angelos
& ſi definitam habeant ſubſtantiam, nullius tamen indigere loci, cùm ſint ſpirituales. Locum eſ-
ſe rem corpoream, ſuperficiem ſcilicet corporis ambientis locatum, neceſſariam corporibus, non
animis. Sed viros magnos non credo inter ſe diſſentire. Nam quod ſuperiores dicunt ante cęlum,
non ſonat multo tempore ante cęlum, ſed ordinem quendam, quod Theodoritus ſenſit. Ita-
que, quod diximus, tota mundi reſpublica eodem tempore debet eſſe edita in lucem, inchoata
quidem à rebus melioribus. Quod idem Seuerianus aperte eſt confeſſus interpretans. In princi-
pio creauit, τουτέστι ταύτῃ τῇ κατὰ χρόνον οὐ γὰρ δὴ κατὰ πρεσβυγένειαν, πάντων τῶν γινομένων
προέχειν τὸν οὐρανὸν μαρτυρεῖ, λέγων ἐν ἀρχῇ γεγονέναι, ἀλλὰ μετὰ τὰ ἀόρατα, καὶ νοούμενα, τῶν
ὁρατῶν τούτων, καὶ αἰσθήσει ληπτῶν τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως διηγεῖται. Hoc eſt: Hoc ſecundum
tempus, principio. Neque teſtatur ſecundum anteceſſionem, cęlum omnia creata præcedere, di- F
cens in principio eſſe factum, ſed poſt inuiſibilia, & intelligibilia, principium exiſtentiæ eorum,
quæ ſunt viſibilia, ſenſuque comprehenſibilia, enarrat. Gennadius autem fortiter reſiſtit non
eſſe angelos ante mundum creatos, viderique ait ſibi ex dogmatis Platonis id aſſumptum, qui
cenſeat, ante creatum mundum, fuiſſe Deos quoſdam, & νοητὰ τῶν αἰσθητῶν πρεσβύτερα, quia
ſint meliora. Deſtruitq; hanc rationem, alia clara ratione, quia ſit etiam anima corpore melior,
prius tamen eſt corpus creatum, poſt anima infuſa. Credendum igitur Moſi dicenti, In principio,
id eſt: ante omnia creatum cęlum & terram: ſuperioresque illos arguit, quaſi dent coadiutores
Deo mundanæ creationis. Deinde omnia eſſe bipartita in creatorem & creata: creata ſubeſſe tẽ-
pori, Deum eſſe, in æternitate. Tempus eſſe vel cum mundo, vel poſt mundum creatum. Tum
Theodoritus & in teſtimonium illud ex Iob, inuectus, Quando creabam aſtra, laudabant me an-
geli: Aſtra, inquit, quarta die creantur. Quid ergo iuuantur hoc teſtimonio, qui creant ange-
los ante mundum? Sicque abeunt omnes in varias ſententias. Quorum eſt ea concordia, quòd
quemadmodum nos ex ipſa ſcriptura initio terram fundatam diximus, id eſt etiam cœlum præ-
ceſſiſſe, idque non tempore quodam ſempiterno, quando ne tempus quidem adhuc erat, ſed
quadam naturali anteceſſione, cui fuerit adiuncta reliqua creatio: ſic qui ſentiunt ante res ſen-
ſibiles, angelos eſſe creatos, non æternum tempus ſentiunt, ſed breuem quandam, naturalem-
que antecedentiam. Quod nec Gennadio, nec Theodorito diſpliceret, & rationabile admo-
dum eſt. Illud quidem ſapienter concludit Theodoritus, vt habito pro claro & certo, ange-
los eſſe creatos, non labefactari religionem aſſerere eos creatos ante cœlum. Inanemque pu-
tat eiuſmodi quæſtionem, eamque appellat digniſſimo nomine, γολομαχεῖν εἰς οὐδὲν χρήσιμον.
Sanctiſſimus autem Auguſtinus de ciuitate Dei diſſerens, tum angelos cum omnibus creatos à
ſcripturis demonſtrari dicit, Tum ait neminem auſurum poſt viſibilem mundum eos creatos
dicere. Audaciam poſſe conuinci, eo quo & Græci vſi ſunt, ex Iob teſtimonio: Quando fa-

A ſtra ſunt ſydera, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. Eorum creationi nec tertium, nec ſecundum diem, poſſe deputari. Eſſe igitur eos lucem vel diem illum primum. Illud quidem ego non facile conceſſerim, vt lux apud Moſen, & quarta die ſtellæ ſint angeli: nec aſſentirer Angelos aut lucē, aut diē, aut ſtellas à Moſe dictos. Tria igitur ſunt teſtimonia præter teſtimonium Moſaicum de creationis ordine. In Pſalmis duobus locis, & apud Iob, non enim dico de creatione, quam tota ſcriptura teſtatur, ſed creationis ordine. Apud Moſen angeli nuſquam ſunt, apud tres illos ſunt, & tum in principio rerum terreſtrium, tum in ipſa rerum terreſtrium creatione commemorantur. Apud Iob dum fundatur terra, apud Dauid dum lux expanditur & cęlum diffunditur vſquequaque, ſicut velum & tentorium. Poſſumuſque hinc, vel ante cęlum viſibile & terras angelos creatos arbitrari, aut dum hæc ipſa inchoarentur. Triaque deſiderantur cognoſci de angelis, an ſint creati, quando creati, quomodo creati, quæ partim teſtimonijs ſunt noſcenda, partim ratione perſequenda. Creatos eos eſſe omnes ſacræ & profanæ litteræ confitentur, quando creati, omnes item aut ante res viſibiles, aut dum inchoarentur rerum viſibilium exordia. Creatos autem poſt res viſibiles, nemo nec ſacer, nec profanus aſſeruit. Modum autem, rationemq; creandi, nulla quidem nec docuit, nec docere potuit philoſophia, ratio quoque in eo parum ſuffragatur, impos ad tam abſtruſam rem attingere. Creatos angelos oſtendunt, & alia innumera, & quæ ſuperius citauimus oracula, rationeſque vndequaque ſeſe offerunt, philoſophia quoq; Grecorum ab antiquis deſcendēs eſt confeſſa. E quibus Empedocles aſſeruit ab vno, quo nomine aſſertore Ariſtotele ipſum ſummū Deū vocauit, creata omnia terreſtria, arbores, herbas, homines, animalia terreſtria, piſces, Denique & ipſos Deos.

Hi verſus citantur li. qui circūfertur Ariſto. nomine, περὶ κόσμου ad Alexādrū.

B Ἐκ τοῦ ἑνός.
Πάνθ᾽ ὅσα τ᾽ ἦν, ὅσα τ᾽ ἐστί, ὅσα τ᾽ ἔσται ὀπίσσω,
Δένδρεά τε ἐκβλάστητε, καὶ ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες,
Θῆρές τ᾽ οἰωνοί τε, καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς,
Καί τε θεοὶ δολιχαίωνες. Hoc eſt,
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ poſt ventura ſequentur,
Et plantæ viruere mares; & fæminæ quæque,
Atque feræ, volucreſque, habitantes æquora piſces,
Longæuique Dei.

Angeli à Deo creati.

Hęc Empedocles de his quę ſunt ab vno generata, quorū omnium vnam eandemq; fuiſſe creandi rationem neceſſe eſt, quòd ſimul commemorantur. Vt ergo ſunt arbores, animalia, homines à Deo creata, ſic & angeli, id eſt eadem prorſus ratione, ne genitos ab eo, perinde atque filios ſuſpiceres, eodem verbo complexus eſt totam creationem rerum ſenſibilium & inuiſibilium, ἐβλάστησε, id eſt pullularunt, germinarunt, proceſſerunt. Non eſt varia rerum terreſtrium, atque Deorum creatio, ſed vno verbo tota ſignificatur. Dixit etiam Empedocles, Deos longæuos, quaſi non æternos à principio, ſed in poſterum, Deo volente, vt ait Plato: Quare clarum eſt quod teſtatur Empedocles pro omnibus ſui temporis theologis. Illud quoque colligitur ex eo ſimul angelos cum cęteris creatos, vnam fuiſſe omnium creationem, quia pariter cenſentur cū rebus terreſtribus. Deos autem eſſe angelos multiplex ratio, ſiquidem & Hebraicè vocantur Dij. Vt illud: In conſpectu angelorum pſallam tibi, Hebraicè in conſpectu Elohim, id eſt, Deorum. Et, Minuiſti eum paulo minus ab angelis, Hebraicè Paulo minus ab Elohim, Dijs. Plato quoq; affirmat in Timæo Deos creatos, præcipue Deos minores, quos ipſi dæmones vocant, eos & diſſolubiles natura, indiſſolubiles volente Deo, non dubitauit aſſerere. Sunt autem idem dæmones & Dij ſi veteres poetas audias. Dij autem & angeli ſunt ijdem. Et Platonicus Philon teſtatur, eoſdem eſſe angelos, & dęmones ſolo nomine differentes: Plato igitur palam ſic ſummum Deum opificem, & creatorem inducit loquentem cum dæmonibus. Omne, inquit, creatum & ligatum aliquando eſt diſſolubile διὰ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ᾽ ἄλυτοι τὸ πάμπαν, οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτε ἐγίγνεσθε συνεδεῖσθε. Ob quam cauſam cum & vos ſitis generati, immortales quidem non eſtis, neque omnino indiſſolubiles. Non tamen diſſoluemini, neque conditioni mortali ſubiacebitis, quòd voluntatem meam & maius fortiuſque quoddam vinculum eſtis aſſecuti, quàm ea fuerunt, quibus dum crearemini, aſtringebamini. Sic Plato demonſtrat natura creationis fieri, vt quod aliquando cœpit, aliquando diſſoluatur. Sed rurſum ait, eſſe quandam vim maiorem, naturæ vim afferre potentem, valentemque deſtruere leges eius, & obiectis legibus quibuſdam maioribus ſuis, potentem delere quod ipſa ſtatuiſſet. Sic certe eſt. Et plena eſt omnis theologia, hiſtoriaque exemplorum, quibus attulit Deus vim naturæ, eamque loco & curſu detorſit ſuo. Sic erat vniuerſalis attingens animos & corpora neceſſitas, vt quod ſemel extitiſſet, & creatum eſſet, eodem curſu in corruptionem, priſtinumque ſtatum reflecterent. Sic animos creatos è nihilo redire in nihilum fuit opus. Sed eſt vis maior voluntas Dei, & vinculum quoddam validius robuſtiuſque eo, quo res creatæ natura ſua alligantur,

Angelos uocari Deos.

C

Dęmones & dii idē.

gantur. Cui vinculo ſi relinquas eas, proculdubio diſſoluentur, obſtat autem illud validius D vinculum, quod quidem eſt voluntas Dei, ſed voluntas rei incorruptibilis inuentrix & ſeruatrix, omnia continens ac regens, omnibus dans vitam, vt dicit Philon de verbo, δεσμὸν γὰρ ἄῤῥηκτον ἐποίει πατήρ. Vinculum enim vniuerſi indiſſolubile fecit eum pater. Creator ergo verbum opifex, etiam volens conſeruat, quæ creaſſet, qua diuinitate creauit, eadem ſuſtinens creata. Eſt ad hæc teſtimonium antiquiſſimorum poetarum & Homeri & Heſiodi, quos in numerũ ſummorum philoſophorum & theologorum, demptis quæ poetica conſuetudo cogebat effingere, referre non dubitarim. Apud eos ſemper ſummus pater, eadem atque apud Moſen Dauid, Iob, Empedoclem & Platonem ratione, pater hominum, atque Deorum aſſeritur, & pronuntiatur. Vt enim ab vno clamat Empedocles natos homines, & longæuos Deos, & vt canit Dauid, Laudate eum omnes angeli eius, quaſi creaturæ eius. Et, Qui facit angelos ſuos ventos vel ſpiritus, ſpirituales ſubſtantias, & perniciſſimas, volucres non graues, & corporeos, non mole preſſos: Et vt Iob appellat eos filios Dei, ſic Homerus & Heſiodus ſemper eum patrem hominum, atque Deorum vocant, id eſt creatorem. Aratus item maiores ſecutus, ab Ioue procreatos omnes & omnia confitetur: Et genus nos eius eſſe. Platone igitur de rerum creatione diſſerente & cum creatione hominum, cæterarumq; rerum terreſtrium, comprehendente creationem Deorum, ſiue quos perſpicuos & aſtra regentes, ſiue quos ignotos appellauit, facile intelligimus omnes hos & homines, cæteraq; deinceps eſſe ſimul producta. Atque ille qui pater hominum fuit, atque Deorum, vtroſque eodem tempore, ſed deinceps naturaliq; ordine creaſſe cenſendum, vt nati quidem ſunt filij maiores, ac digniores antea, poſtea per ſucceſſionẽ rectiſſimi ordinis, filij minores. Quare autem non retulerit Moſes creationem Angelorum, Theodorito placuit hanc afferre cauſam, E quam multi Græcorum & Latinorum ſequuntur. οὐδὲν στεῤῥὸν εἶχον, οὐδὲ βέβαιον οἱ νομοθετούμενοι, αὐτίκα γοῦν, καὶ μετὰ πολλὰ καὶ ἄφρασα θαύματα, τὴν εἰκόνα τοῦ μόσχου θεὸν ἀνηγόρευσαν, οἱ δὲ τὰ τῶν κτηνῶν ἰνδάλματα ῥαδίως οὕτως, θεοποιήσαντες, τί οὐκ ἂν ἔδρασαν, εἰ τῶν ἀοράτων φύσεων τὴν γνῶσιν ἐδέξαντο, τούτου χάριν μέχρι τῆς τοῦ Ἀβραὰμ τελειότητος, οὐδενὶ τῶν πάλαι ἀνθρώπων δι᾽ ἀγγέλου ὁ τῶν ὅλων θεὸς διελέχθη ἐπὶ δὲ τῆς ἄγαρ πρῶτον, ἀγγέλου μνήμην ὁ θεσπέσιος ἐποιήσατο Μωσῆς. Nihil ait firmum & ſtabile habebant hi quibus lex dabatur. Itaque ſtatim, poſt etiã multa & incommemorabilia prodigia, imaginem vituli pro Deo publicarunt. Alij qui effigies pecorum tam facile deificaſſent, quid nam feciſſent, ſi cognitionem inuiſibilium naturarum habuiſſent? Quamobrem vſque ad perfectiſſimum Abraham, nemini vnquam per Angelum Deus vniuerſi eſt locutus. Primumque ſub Agar fecit mentionem Angeli, diuus Moſes. Hæc vt dixi ratio multis arriſit. Seuerianus autem putat Moſen eò maxime ſpectaſſe, vt deſtrueret idololatriam Aegyptiorum, qui ſtellas, omnemque cæli ornatum adorarent vti Deos æternos. Oſtendere igitur eis voluiſſe, ea non Deos, ſed opera Dei eſſe, & de alijs Moſen non laboraſſe, κατέλιπεν τὴν τῶν ἀοράτων δημιουργίαν, καὶ κενοῖ τὸν λόγον εἰς τὰ ὁρώμενα. ἵνα πείσῃ τοὺς ταῦτα προσκυνοῦντας, μὴ νομίζειν ταῦτα θεοὺς ἀλλ᾽ ἔργα θεοῦ. Habitatio autem eorum an ſit ſupra cælum, ſupra Solem & lunam, & an ſit effecta: effectam quidem non conſtat, niſi ratione, & teſtimonijs hominum cenſentium, cùm Moſus ait, In principio creauit Deus cælum & terram, cælum illud ſacerrimum, fulgentiſſimum, fortunatas ſedes indicari ante omnia creatas, quod vidi & Hebræos multos & Græcos & Latinos aſſerentes, & à diuo Petro apud Clementem affirmatur. Cæterum forte quidem probabile eſt creatam hanc ſedem, tanquam diuinorum animorum habitationem. F Eſſet forte qui ſuſpicaretur ideo nunquam fuiſſe creatam, quia ſit fueritque ſemper habitatio ſummi & æterni Dei, ad quem locum admiſit, admittitque inaudita quadam, & inæſtimabili bonitate & manſuetudine, Angelos olim creatos, & homines iuſtos ac pios, habitatio ſanctiſſimæ trinitatis, imò Trinitas ipſa, mundus maximus, Deus eſt maximus alius mundus, imò vero ipſum vniuerſum, ipſa vniuerſitas, tanto maior vniuerſitate mundi, quod hæc finita eſt, illa infinita, iure vt dicatur infinitas, & immenſitas. Regnum ergo patris certo eſt æternum ab omni parte, quia quandocunque fuit Deus, comitabatur infinitas quædam & megacoſmus, id eſt, magnus mundus, ſi enim à Deo omnia naſci potuerunt, factaque eſt tanta rerum moles, tot naturæ, tot genera, neceſſe eſt in eo eſſe infinitam quandam lucem, vaſtas rerum origines, maximam potẽtiam, & vbi Deus ſemper fuit, hinc atq; hinc rutilaſſe lucem ſemper diuinitatis ſuæ, quæ regnum eius dicitur. Nam ait item pſalmus, Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Euangelium autem: Venite benedicti patris mei, poſſidere regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Hoc regnum quod omnium eſſe ſæculorum dixit pſalmus, Paratum autem iuſtis à conſtitutione mundi, paratum quidem tunc & deſtinatum, ſed antea æternum. Nunquam autem par eſt regem fuiſſe ſine regno, Solem ſine lumine, ſine radijs. Difficile quidem nobis erit cogitare quid illud, quale, quantum illud regnum. Et tamen tota trinitas, tota diuinitas, manansque ab ea lux, poteſtas, tota beatitudo, omnia gaudia. Nos magnum illud quiddam, & infinitum, lucem appellamus, & tamen aliud quiddam eſt quàm lux, luce maius, latius, lætius, diuinius, ſublimius. Nec aſcendit in cogitationem noſtram, niſi locus ſit in cælo ſupra ſydera, poſſe ibi habitare, deſpatiariq; Deos, & læte viuere, credentes neceſſarium eſſe quendam locum, quoddam pauimentum,

Angelorũ habitatio vbi.

A quod pedes ſuſtineat, & corpora beata. Scimus tamen corpora glorioſa, nubibus eſſe leuiora, vt ſupra nubes ferantur. Sic deprehendimus propter conſuetudinem noſtrarum rerum, falli nos in conſideratione rerum ſupernarum. Regnum ergo Dei qualecunque fuit, quod nos capere non & dicere poſſumus, ſemper fuit. Hoc etiam regnum, hæc gloria, de qua filius Dei, Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret. Quot opes comitabantur Deum, quot diuitiæ, quanta gloria, quanta maieſtas? Et nos imbecilles & miſeri putamus Deum antequam mundum crearet, fuiſſe quaſi in gurguſtio, fuiſſe ſolitarium, quaſi in tenebris habitaſſe. O cogitationem falſam, & Deo & nobis indigniſſimam: Erat ſemper cum eo regnum eius diuiniſſimum, maximum, latiſſimum, ditiſſimum, gaudiorum, triumphorum, vitæ pleniſſimum. Ea erat claritas, quæ omnem mundum noſtrum euinceret. Non poteſt comprehendi, nec fando declarari, poteſtas, diuitiæ, opes, lux, decor, bonitas illius regni, ab omni parte ſempiterni. Cæterum & Plato & Ariſtoteles & omnes item antiquiſſimi poetæ, ſupremas mundi partes, partes vltra mundanas attribuerunt Deo habitandas: totusque hominum, & totius eſt philoſophiæ, & theologiæ conſenſus, Deum in ſupernis regionibus habitare, cui quo propiores ſint, hoc beatiores eſſe res aſſeruit Ariſtoteles. Hinc corpus ætherium eſſe maximè incorruptibile. Ac nobiliſſimum eſt non dictum, ſed penè oraculum eiuſdem Ariſtotelis hoc loco, qui de mundo loquens & quot modis dicatur mundus demonſtrans, ait oſtenſum optimis rationibus ſibi, extra cęlum neque eſſe, neque poſſe corpus: loquitur enim de corruptibilibus. Clarum item eſſe, ibi neque locum eſſe, neque vacuum, neque tempus, quia neque in loco ſint quæ ibi ſint, neque tempus ea faciat ſeneſcere, nullaque ſit immutatio earum rerum, quæ extra ſupremam vertiginem degant. Sed immutabiles, impaſſibileſque, optimam B vitam, & copioſiſſimam, indeficientem, αὐταρκεστάτην omne æuum agant. Hæc oracula Ariſtotelis, vere cœleſtia oracula. Paulo ante cælum ait etiam dicimus ſubſtantiam extremæ vertiginis vniuerſi, aut corpus naturale quod eſt in extrema circunferentia totius. Solemus enim extremum, & quod ſupra eſt maxime vocare cælum, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρύσθαι φαμέν. In quo dicimus totam habitare diuinitatem. Hæc Ariſtoteles, quæ phyſica ratione ab eo pronuntiantur. Ex quibus intelligimus regnum Dei increatum, incorruptibile, inalterabile, immutabile. Hoc illud eſt, quod fuit ante mundum: Vides enim eum confiteri neque locum neque vacuum eſſe ſupra cœlum, non corpus. At mundus, & locus, & corpus eſt. Ante mundum idem fuit ſupra cælum, atque poſt mundum. Erat regia Dei: Regia autem Dei neque locus eſt, neque vacuum, neque tempus, vt ait Ariſtoteles. Quod factum eſt poſtea, fuit mundus & locus, tempus: fuerunt etiã animi, quod Ariſtoteles non dicit, dicit Empedocles & Plato, Homerus & Heſiodus: & quod validius, dicit doctrina cęleſtis. Et quanquã ſupra cælum non ſunt illæ noſtræ res, id eſt mundus, tempus, corpora, tamen ait Ariſtoteles ibi eſſe ſummam diuinitatem, ſummã felicitatẽ, ſummam incorruptibilitatem, totam diuinitatem, optimam vitam. Ergo tametſi non ſit ibi mundus noſter, non locus, nõ corpus corruptibile, non tempus, multa tamen ſunt noſtris meliora: eſt optima, eſt ditiſſima, fertiliſſima, indeficiens, incorruptibilis vita. Eaque erat ante mundum, nunquam mundi indiga, cùm ſupra mundum ſit melius quiddam quàm mundus. Hoc erat diuinitas, hoc regnum patris, & ſanctiſſimæ trinitatis, quo beneficio & clementia eius vocati ſunt Angeli & iuſti animi. Ideo Ariſtoteles ait ibi degere πᾶν τὸ θεῖον, totam diuinitatem, quicquid diuinum eſt, eumque eſſe omnium mortalium conſenſum. C Quod iterum in libris de mundo ſiue ipſe, ſiue Thropraſtus melius & clarius explicuit, ipſe, inquit, Deus in ſupremo cælo habitat, qui & Olympus dicitur, quaſi ὁλολαμπὴς totus lucens, ab omnibus tenebris & inordinato incompoſitoque motu ſepoſitus, cuiuſmodi ſunt apud nos, tempeſtates, & venti & turbines. Quod proditur etiam ab Homero: Olympus ait,

Semper vbi ſedem firmam dixere Deorum Odyſſ. ζ.
Eſſe, neque hæc ventis quatitur, neque ſpargitur imbre.
Non nix albeſcit, ſed ſemper lucidus æther,
Nubibus inſuetus nitida & circumuolat aura.

Atteſtatur ait & tota vita dans ſupremam regionem Deo: ex quo & manus porrigimus in cęlum, deprecantes: qua ratione non male ille cecinit, Iuppiter accepit latum cęlum æthera, nubes, ſic ille. Ex quibus Homeri & Ariſtotelis verbis ſignificatur, declaratur, oſtenditur, quod ſentiunt Chriſtiani, qui ſolent vſurpare & dicere cęlum empyrium, id eſt igneum, lucidiſſimum, fulgentiſſimum. Homerus enim canit locum diuorum eſſe lucidiſſimum, puriſſimæque lucis locum, eaque eſt appellatio empyrij ὁλολαμπὴς ἀνέφελος. Quod Cælum etiam eodem modo diuus Paulus, vt mirum ſit, vocat lucem inacceſſibilem, eamque dicit à patre inhabitari. Nimirum à ſeipſo manantem, non alienam ab ſe. Ipſo in medio à ſua circumflammante luce circumfuſo. Hocque nunquam creatum eſt. Quod & Baſilius videtur innuere. Quod teſtimonium quod diuinum eſt, ſubijciam. ἦν τις πρεσβυτέρα τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως κατάστασις ταῖς ὑπερκοσμίοις δυνάμεσι πρέπουσα ἡ ὑπέρχρονος, ἡ αἰώνιος, ἡ ἀΐδιος, δημιουργήματα δὲ ἐν αὐτῇ ὁ τῶν ὅλων κτιστὴς, κτίσεις, καὶ δημιουργὸς ἀποτέλεσεν. Erat ait ante mundi constitutiona, quidam antiquior ſtatus, D ſupermundanis poteſtatibus congruens, ante tempora æternus, perpetuus, in quo creator & opifex, creaturas abſoluit. Ecce Baſilius hunc ſtatum, vbi ſint Angeli, ſempiternum dicit. Hæc lux, an corporea ſit, an incorporea quædam, non facilè dixerim. Arbitrarer tamen talem eſſe, vt hæc corporea & noſtra poſſit eſſe & dici quaſi ſimulacrum eius, vt illa ſit diuiniſſima lux, nota, viſibiliſque & animo & oculis, qualem CHRISTVS oſtendit in monte, cùm veſtimenta eius facta ſunt alba vt nix, & facies vt Sol enituit, & qualem oſtendit Moſi in rubo. Hæc lux manat dumtaxat à Deo. Quæ cùm ſit lux diuinitatis eius, ſemper eam cum eo fuiſſe neceſſe eſt. Et hęc ſi cęlum empyrium eſt, ſemper ab æterno fuit cęlum empyrium, id eſt, immenſa lux diuinitatis, beatiſſimum illud, quod eſt ſupra cęlum, quod appellare non audeo. Nam neque locus eſt, neque corpus, neque tempus. Et tamen beatius eſt quiddam, vita bonis omnibus refertiſſima, autore Ariſtotele. O rem mirandam: Ariſtotelem cognouiſſe & diffiniſſe regionem Deorum, eam cognouiſſe eſſe ſupra cælum, diffiniſſe per negationem & affirmationem: per negationem, quòd E ibi neque locus ſit, neque corpus, neque tempus, & omnino nihil iſtius noſtri creati mundi: per affirmationem, quòd ſit ibi beatiſſima, ditiſſima, ſufficientiſſima vita, tota degat ibi diuinitas, viuens æuum beatiſſimum. Et Homerus indicante & confirmante Ariſtotele affirmauit, nominauit cęlum empyrium, appellans eum olympum, quaſi totum lucentem, vbi dicit eſſe αἴθρην ἀνέφελον, λευκὴν αἴγλην, id eſt carentem nubibus æthram, & purum ſplendorem. Hoc enim eſt cęlum empyrium, naſcens, proficiſcens, manans à diuinitate. Quod nunquam dixerim ego creatum, paratus recantare, ſi male ſentio. Nam veluti à ſole diuiniſſimo, maximo, fulgentiſſimo, variã, & multiplicem, & admirandam manare hinc inde à Deo lucem, & gaudia, & felicitatem eſt neceſſe, quã nefas eſt, non ſemper cum illo fuiſſe. Alienum aũt à nobis eſt, quomodo ſint Angeli creati, docere. Nam platonicos quoſdam qui cenſent, eos ſe inuicem quaſi luces generare, vt alter ab altero fluat, & pendeat, quoniam & à ſacra philoſophia, & Platone principe aliena, deinde nimium incerta dicere videntur, non habuerim nunc in numero verorum iſtarum rerum interpretum. Videnturque ἐλλάμψεις, irradiationes illas Dionyſiacas crediciſſe generationes ſubſtantiales, Dionyſioque maiores minoribus irradiare ſapientiam dicente, id ipſos generatio- F nem ſubſtantiæ aſſeruiſſe. Si animi noſtri, quem præſentem habemus, imò qui ipſe de ſeipſo loquitur hæc ipſa, originem, modumq́ue naſcendi penitus ignoramus, an cognoſcemus creationem Angelorum? Quorum etiam tenuem magni ſcriptores & alloquijs diuinis imbuti, cognitionem reliquerunt. Sed nos dixiſſe contenti, latiorem diſputationem cæteris relinquemus.

FINIS.

REVEREND. D. DN.

MARINO GRYMANO

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI,

tituli S. Vitalis, & Patriarchæ Aquileiæ, Auguſtinus Steuchus
Eugubinus Epiſcopus Kiſami, ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarius Cano. Reg. Congregationis
S. Saluatoris, S.

B SIQVIS diuinarum litterarum quanta ſit maieſtas, Antiſtes ampliſſime, ſecum perpenderit, intelliget proculdubio, non iniuria accidiſſe, vt tot apud omnes gentes fuerint earum interpretes, apud quas primum hæ litteræ florere cœperunt. Quis enim neſcit non poſſe vnumquenque per ſe, earum perfecte intelligentiam conſequi? Quas cùm varijs ſenſibus plures excepiſſent, ob id varias, & inter ſe diſcrepantes editiones creauerunt. Idq́, non eſt eorum, qui tranſtuliſſent eas, imperitiæ argumentum: ſed indicium potius, poſſe has litteras varium habere ſenſum, qui diuerſis rationibus in linguas peregrinas transferatur. Mitto primum commemorare, quot addiderint, ſubtraxerint, vel commutarint illi omnium primi Chaldæi interpretes, quos tamen ita venerantur Hebræi, vt ad eorum interpretationem, velut ad ſacram anchoram in locis ambiguis confugiant. Septuaginta vero, quorum nō modo apud Chriſtianos, verum etiam apud Hebræos nomen ſacroſanctum eſt, qua varietate omnia repleuerunt? Qui cum Aquilæ non vehementer placuiſſent, aggreſſus & ipſe nouam editionem eſt. Sed is neque Theodotioni, neque Symmacho ſatisfecit. Itaque, & ipſi alias interpretationes condiderunt. In quibus omnibus multa deprendit Origenes, quæ eius animum offenderent. Ergo contulit omnes in vnum volumen, quod Hexaplum inſcripſit. Verum Lucianus aliquid in eo deſiderauit, remq́; non inutilem ſe facturum putauit, ſi quid & ipſe ederet. Sed cùm ex Hebraico verteret Hieronymus, ac modo Septuaginta, modo Hebraicum, aliquando Aquilam, interdum Theodotionem, vel Symmachum ſequeretur: demonſtrauit, neque omnia omnium ſibi placuiſſe, C neque diſplicuiſſe. In eius tandem editione ſunt qui multa, aut veriora, aut clariora deſiderent. Atque ea tanti momenti quibuſdam viſa ſunt, vt perſuaſum ſit eis, hanc editionem non eſſe ipſius Hieronymi. Ex quibus omnibus ſapientiſſimus quiſque intelligere profecto poterit, non ſine cauſa me aggreſſum hoc opus: in quo & veritas Hebraica, & reliquorum editiones breuiter, & clare omnes conferentur. Sed in primis de noſtræ editionis veritate quæretur, cui non ceſſant derogare petulanter Hebræi, & hi qui Hebræis aſſentiuntur. Mea quidem ſemper fuit opinio, noſtram hanc Hieronymi translationem, ita præſtare ſuperioribus omnibus, ſicut omnium poſterior edita eſt. Hoc autem opus iure tuæ ſapientiæ dedicatur, qui non ſolum nobis ad hanc rem præclarum lumen oſtendiſti, ſed & omni religioni Chriſtianæ incredibilem vtilitatem attuliſti, cùm tu patruusq́; tuus Dominicus Grymanus, & ipſe Cardinalis, collectis ex miſerabili naufragio pretioſiſſimis libris: qui toto orbe terrarum diſperſi, vel in tenebris deliteſcebant, vel proximum eorum ab igne, vel alio caſu impendebat exitium: magnaq́; eorum ex omnibus linguis facta caterua, præclaram, & cui fortè nulla ſecunda ſit; toto orbe Chriſtiano, bibliothecam in Aedibus ſancti Antonij Venetijs erexiſtis. In quibus libris ſine dubio religionis noſtræ decus, & dignitas conſeruatur, & viget. Tantumq́; hoc diuino munere omnibus Chriſtianis profuiſtis, quanto erat futurum maius diſpendium, ſi hęc diuina ſupellex periiſſet. Pro quo tanto erga genus humanum beneficio, & in hac vita erit laus nominis veſtri ſempiterna, & adiutæ hac re Chriſtianæ religionis præmium in cælo dabit Deus. Vale.

Chaldæi.
Septuaginta.
Aquilas.
Theodotion.
Symmachus.
Hexaplũ
Origenes.
Lucianus.
Hieronymus.

AVGVSTINI STEVCHI D
EVGVBINI
EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARIVS, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

In recognitionem veteris teſtamenti ad Hebraïcam veritatem, Præfatio.

CVM omni opera, atque ſtudio in id potiſſimum ſit incumbendum, quod ad humani generis vtilitatem fuſius patet: tum id circa litteras, atque philoſophiam, longe accuratiſſime eſt agendum, quòd hinc maior, quàm ex alia quacunque re vtilitas in genus humanum proficiſcatur. In his enim vitæ documenta ac præcepta continentur: ab his quid ipſi ſimus, E & quamobrem erupimus in lucem, aut quid tanquam ſupremum nobis propoſitum ſit, edocemur. Harum præcepta ſi ſequemur, in hac corporea vita ſummam iucunditatem, futuræ vero immortalitatem nobis pariemus. Cui vni rei nos factos eſſe, eiſdem docentibus, intelleximus. Quod inſtitutum cùm omnium litterarum totiusque philoſophiæ eſt, tum vel in primis illius, quæ ſola digne philoſophia nuncupari poteſt. Quæ & vera viuendi tradit præcepta, & ea non ab humano ore deprompta, ſed ab illa ſapientia æterna, quæ neque fallitur, neque vt fallantur, cæteris poteſt eſſe cauſa. Has ergo litteras omni cum veneratione tractare, ſapientiſſime atq; vigilantiſſime perſcrutari neceſſe eſt, ſi vtilitatis publicæ, ſi ſalutis noſtræ ratio vlla in nobis eſt.

Philoſophādi corruptiſsimū genus:

Ad quam rem, eo magis hoc tempore compellimur, quo corruptiſſimum philoſophandi genus iam multos annos inualuit: quo quaſi impuriſſimis Harpyis, cùm omnes diſciplinæ fœdatæ ſunt, tum ſacræ litteræ, & contemptiores habitæ, & ab his, qui eas attigerunt inhoneſtiſſimè affectæ. Quodque longe miſerius eſt, contra veterum ſanctiſſimorum ſapientiſſimorumque theologorum conſuetudinem, non modo gentilium diſciplinis placuit adhærere, quod per ſe erat non improbandum, ſed eorum etiam autoritate religionem noſtram aſſerere. Quæ res quantum detrimenti Chriſtianis attulerit vix explicari poteſt: cum optima eruditione nihil diuinius, nihil ad beatitudinem F aſſequendam præſentius ſit: ita corrupta ac praua, nihil aut peſtilentius, aut ad deprauandos animos efficacius. Sed in hunc errorem minus fortaſſe nobis eſt inuehendum, quòd iam aut detectus ſit, aut ita ſperemus fore, vt non diutius animis præſtigium offundat. Quia igitur pietatem, quæ omnium virtutum præſtantiſſima, ac earum quaſi genitrix eſt, quæ & generi humano, præſentem ac futuram parit felicitatem, ſacræ litteræ nos docent: eò ardentius opera eſt his impendenda, quàm reliquæ philoſophiæ, quò pietas, quàm omnis eruditio præclarior exiſtit.

Fōs ſacrarū litterarum.

Omnium vero ſacrarum litterarum fontem ſcimus nouo veterique teſtamento contineri. Ab his enim fœcundiſſimi ſacratiſſimique riui propagati ſunt: hinc ſapientiſſimi theologi, & ſentire & loqui didicerunt: hic de Deo, diuiniſque affectibus, quid inquam illi maieſtati ſempiternæ gratum placitumque ſit, quibusve potiſſimum rebus delectetur, copioſe diſſeritur: quanta ſeueritate, omnia flagitia puniat, quanta charitate erga pios probosque afficiatur. Hic noſtram vitam fingere poterimus, ſi nos aut ad eorum vitam componemus, qui in his litteris Deo acceptiſſimi extitiſſe feruntur, aut eorum execrabimur improbitatem, quos ad miſerabilem exitum, acerbiſſimaque ſupplicia ſua traxere ſcelera. In his igitur deſudare, omne ocium impendere, aliquid ad eas illuſtrandas excogitare, tempus, & ætatem in his conſumere, non modo rem omnium laudatiſſimam arbitramur, ſed longe

etiam

A etiam vtiliſſimam. Et quanquam hic tot adeo præſtantiſſima ingenia ſeſe exercuerint, Græ-
corum præſertim, Hebræorum, Latinorum, Arabumq́ue, & Aethiopum, omnisq́ue propè
orbis, cùm veræ eſſent addicti religioni, non redditur tamen eò res ſterilior, cùm vt ab Ori-
gene dictum eſt, noua ſemper vbertate diuina ſcriptura eﬄoreſcat, præſertim ſi varium in-
terpretandi genus fuerimus ſecuti, quando ne hi quidem defuerunt, qui eam in carmen re-
digere conati ſint. Noſtram vero operam, quam & alius quiſque certe præſtare potuiſſet,
adeo deſiderare hæ litteræ videbantur, vt non mediocrem vtilitatem earum ſtudioſis, ex no-
bis acceſſuram ſperemus. Nam & occultum ſi quid, abſtruſumq́ue fuerat, reddemus illu-
ſtrius: aut ſicubi noſtram editionem calumniantur Iudæi, vel optime ſeſe habere oſtende-
mus, vel cur ab eorum codicibus varia ſit; aperiemus: vel certe ſi quid erat ante depraua-
tum, in ſuum locum reſtituemus. Quæ omnia maxime erant neceſſaria, quòd minus fortè
vos allatrabunt Iudæi, & in ſacris litteris verſari volentibus, qui Hebraicè neſciant, tu-
tior ad eas dabitur aditus, rectiusq́ue eas interpretabuntur. Neque vero vniuerſum ve-
tus inſtrumentum ex Hebraico vertere placuit, quod & immenſi penè ſit negocij, & non ita
neceſsarium, ſed tantum quædam loca erant, vel reſtituenda, vel illuſtriora reddenda.
Quod facientes, tum minus laborabitur nobis, tum minus ſcandali exhibebitur his, qui ægre
B ferant, toties diuinas litteras immutari: quod & in Hieronymo non æquo animo accipiebat
Auguſtinus, Septuaginta interpretes carpente, nouamq́ue & diuerſam ab illorum interpre-
tationem edente. Proferemus autem ex Chaldaica editione, locos, Hebræos interpretes fre-
quenter citabimus, vbi recte fuerint interpretati: vbi perperam, pro viribus refellentur.
Græci etiam patres, ac peruigiles in ſacris litteris hierophantæ, non raro adducentur, quo-
rum nobis vberrimam exhibuit copiam diuina bibliotheca, quam doctiſſimi, & omni virtu-
tum genere clariſſimi viri Dominicus Grymanus Cardinalis, eiusq́ue ex fratre nepos Mari-
nus & ipſe Cardinalis, omni librorum genere refertiſſimam in ædibus noſtris Venetijs ere-
xerunt: quibus & laus apud poſteros, & in cœlo clariſſimus locus, pro tanto erga genus hu-
manum beneficio patebit: noſtrorum quoque ſæpenumero vtemur teſtimonio, quorum forte
longe plures haberemus, ſi per Auerroem, aliosq́ue impios & ineruditos ſophiſtas licuiſſet: qui
multa ac nobiliſſima ingenia infecerunt, & à ſanctiſſimis ſtudijs auerterunt. Nam poſt ferè
interpretatum Auerroem omnis illa plebeiorum philoſophorum colluuies emerſit. Neque
etiam in dubium vocandum cenſeo, ſit ne hæc noſtra Latina interpretatio diui Hieronymi,
an non. Cur enim id cuiquam dubium videri debeat? Nam apertiſſimis argumentis hæc il-
C la eſſe editio comprobatur, quam ſanctiſſimus, doctiſſimusq́ue Hieronymus Latinorum ec-
cleſijs legendam tradidit. Primum enim ſi illius non eſt, cuius obſecro? hanc enim eam
non eſſe qua tempore Cypriani, Tertulliani, Auguſtini, eccleſiæ vterentur, ex his locis diſci-
mus, quos illi ex veteri citant teſtamento: qui adeo diuerſi ſunt ab his, quos nunc noſtra
continet tranſlatio, vt vel hinc facilis ſit coniectura, aliam noſtram eſſe ab illa interpreta-
tione: patet id ex Auguſtino, qui Geneſin ad litteram exponit, diſſonum vbiq́ue à noſtro:
idemq́ue ex omnibus eius ſcriptis licet cognoſcere. Clariſſimum vero id fit ex ſermone eiuſ-
dem, qui vltima diuini aduentus dominica legitur: vbi cùm varia prophetarum de CHRI-
STI aduentu citaſſet teſtimonia, inter alia, hæc quoque infert, Veniat & alius teſtis.
Dic tu Abachuc teſtimonium de CHRISTO: Domine, inquit, audiui auditum tuum,
& timui, conſideraui opera tua, & expaui. Deinde infert, quæ ſunt iſta opera, ipſe decla-
rat propheta dicens: In medio duorum animalium cognoſceris. At hoc in noſtris codicibus
non inuenitur. Sume Abachuc prophetam, & id teſtimonium apud eum non reperies: imò
loco eius teſtimonij eſt alia ſententia, hæc ſcilicet, In medio annorum viuifica illud. Vides-
que quantum inter vtrunque interſit. Septuaginta igitur eo modo eum locum reddiderunt,
vt videre cuique facile eſt. Hieronymus autem noſter Hebraicam veritatem ſecutus vertit,
vt hodie habetur in noſtris codicibus, & bene, vt ſuo loco annotabimus. Alios ex alijs
thelogis

Auerrois.

Vulgata editio an ſit diui Hieronymi.

theologis locos citare operæprecium non duco, quòd ſit per ſe perſpectum, modo quis libros conferre velit. Conſtat igitur hanc noſtram interpretationem antiquam illam non eſſe: ſi ergo alia eſt, vt certe eſt, aut ex Græco, aut Hebraico verſa eſt: quòd ex Græco, edita non ſit, cùm permultis locis eſt manifeſtum, tum illo præſertim, Terra erat inanis & vacua. Græcè eſt ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *id eſt, Inuiſibilis & incompoſita. Quæ vt ex Hieronymo Græciſque ſcriptoribus cognoſcitur, Septuaginta editio eſt: quanquam enim alij fuerint apud Græcos interpretes, nemo tamen eorum publice receptus eſt, præter Sept. Eorum itaque interpretatio nunquam Latina facta eſt, quæ etiam ſi Latina facta fuiſſet, non eſt tamen hæc noſtra: citantur enim tum à Græcis, tum à noſtro Hieronymo pleraque ex editione Aquilæ, Symmachi, alijſque interpretantibus, inuenimuſque eos plurimum à noſtris codicibus diſſentire: ſi itaque ex Græco verſa non eſt, relinquitur vt ex Hebraico. Sed quis id ex Latinis præter Hieronymum præſtare potuiſſet, quum veterum neminem habuerimus, qui Hebraicè ſcierit? Præterea hanc noſtram editionem, veterem illam Latinam non eſſe, ſed illam Hieronymi, plurima indicio ſunt. Hieronymus enim ſuper Geneſin ad litteram, & ſuper prophetas, citat ſuam & ipſorum Septuaginta, conferimuſq; hanc noſtram, inuenimuſq; illam eſſe, quam ibi vt ſuam profert Hieronymus. Loci præterea, quos ipſe teſtatur in Septuaginta editione non haberi, ſed in ſua quam nuper ex Hebraica veritate ediderit, habentur in hac noſtra. Iam illæ præfationes, quæ in hac noſtra inueniuntur, cuius eſſe par eſt credere, niſi Hieronymi? quæ & ipſius redolent eloquentiam, & ſanctitatem: Cur ergo interpretationi non ſuæ adhibitas eſſe crediderimus? Tanta præterea eſt huius noſtræ interpretationis elegantia, tanta proprietas, tam mirabili prudentia vitat Hebraiſmum, ſeſeque noſtræ phraſi accommodat, vt alterius eſſe, quàm eruditiſſimi Hieronymi; minime vt credam adduci poſſim. Mouet quibuſdam ſcrupulum, quòd quædam loca in hac noſtra perperam ſeſe habeant, ſuſpicanturque non adeo potuiſſe Hieronymum hallucinari: auxeruntque hanc ſuſpicionem nobis ſemper inimici Iudæi, quorum non aliud opus, quàm rebus noſtris ſemper detrahere, ſacra, cerimonias, legeſque noſtras calumniari. Hi ergo & apud principes noſtros, ſi quando de his rebus ſermo incidit, maximis aſſertionibus iactant, noſtram editionem corruptam, deprauatamque eſſe. Itaque impulerunt etiam nuper Romanum principem, vt noua eo iubente fieret editio, quæ profecto minime erat neceſſaria. Si quid enim in hac noſtra diuerſum ab Hebraica veritate inuenitur, perleue certe eſt, & quod vno apice reſarciri poſſit. Fateor in prophetis aliquid varietatis eſſe, quòd varia etiam ſit vocabulorum ſignificatio, quæ tamen prudentiſſime verſa ſit à Hieronymo. Huius noſtræ editionis dignitatem, vel id abunde teſtatur, quòd ad eam ſæpenumero recurrant interpretes Hebræi, ſicut nos pleraque loca apud eos notauimus. Hanc ſi cum editione Septuaginta contuleris, auſim hac vti ſimilitudine, vt lucem ac tenebras à te collatas aſſeram: id quod nos toto hoc opere oſtendemus. Inueniemus certe hanc adeo fuiſſe eccleſiis neceſſariam, vt niſi hanc operam diuinus Hieronymus nobis præſtitiſſet, verſari adhuc nos in multis erroribus certe neceſſe fuerit. Si quid enim in computatione annorum Chriſtiani ab Hebræis diſſentimus, in cauſa fuit ipſorum Septuaginta editio: quæ cùm in cæteris, tum in hac re maxime eſt deprauata. Mitto reliqua, quæ à nobis ſunt paſſim producenda: hanc quoties cum Hebraica veritate contulimus, toties in magnas ipſius interpretis laudes erupimus, admirati tantam maieſtatem, tantam in transferendo prudentiam, tantum iudicium, tantum leporem, tantam perſpicuitatem: cuius ſemper ſit nomen benedictum, quando aliud pro tanto munere ſoluere non poſſumus.*

Septuaginta interpretũ uerſio.

Quamobrem non eſt cur vlla ratione de hac re dubitemus. Operæ vero precium ducimus, quid nos in vniuerſum de his editionibus ſentiamus, exponere: ſaluo ſemper meliore iudicio. Prima ſacrarum litterarum editio à Septuaginta ſub Ptolomæo Philadelpho, aut Ptolomæo Lago facta eſt, quam & in Serapidis fano repoſuiſe dicitur. Nam quod ait Euſebius ante Alexandrum, & ante regnum Perſarum, pentatheucum eſſe tranſlatum, vix

A *mihi credibile ſit. Hæc igitur, ſiue Græcarum litterarum cognitionem abſolutam non tenerent Septuaginta illi ſeniores, ſiue alijs exemplaribus vterentur, quàm nunc, aut Hieronymi tempeſtate haberentur, ſiue ſtudio quodam, deditaque opera vellent ita transferre, plurimum ab Hebraica veritate inuenitur diſſentire. Quædam etiam apertiſſimam præ ſe ferunt Græci ſermonis imperitiam: in alijs maxima Hebraicæ linguæ ignoratio deprenditur: dura alia, & vix intelligibilia. Hac itaque editione, quantum Græcos autores legendo aſſequi potuimus, omnes, qua Græcè loquerentur, orientis eccleſiæ vtebantur. Aliorum enim interpretationes, vt Aquilæ, Symmachi, Theodotionisque publice ab eccleſiis non ita receptæ ſunt. Maxima enim præcipuaque reuerentia editioni Septuaginta deferebatur, ea paſſim in eccleſiis legebatur, eam interpretabantur ſacri ſcriptores, ex ipſa teſtimonia proferebantur, ſicut & apoſtoli fecerunt. Hæc poſt* IESV CHRISTI *aduentum, Latina facta eſt, circa ipſa Apoſtolorum tempora, vel paulò poſt. De cuius interprete, nihil comperti habetur, eaque paſſim occidentalis eccleſia, vt antea, ſic etiam tempeſtate Hieronymi, vtebatur. Quicquid ſcripturarum citatur à Tertulliano, Cypriano, Auguſtino, Ambroſio, ex hac depromptum eſt. Quæ, quia ex Septuaginta verſa fuerat, eadem in ea errata contineri erat neceſſe, quæ in Græcis etiam codicibus inuenirentur.* B *Quod cùm eſſet Hieronymo, viro omnium doctiſſimo, maxime perſpectum, hoc impulſus eſt, vt nouam editionem ex Hebraica veritate, non tam Latinis, quàm etiam Græcis vtilem moliretur. Quæ res fecit, vt in maledicta ac blaſphemias hominum illius temporis frequenter incideret, quando etiam ab Auguſtino in eo obiurgatus eſt, licet ab eodem poſtea ſit mirifice commendatus. Cumque eius nomen toto orbe eſſet celeberrimum, receptus ſenſim ab eccleſiis eſt, amotaque illa antiqua Septuaginta editio, eiusque editione vſque ad hæc noſtra tempora, vſa Latina eccleſia eſt: Neque nos moueant rationes, quas ad infringendam hanc ſententiam, hanc ſcilicet editionem Hieronymi non eſſe, attulit Paulus Foroſempronienſis epiſcopus, vir etiam doctiſſ. Vna enim ratione omnes ſoluuntur: nam ſuper Geneſin ad litteram, aut libro Hebraicarum quæſtionum, editionem Septuaginta emendabat, collatis editionibus aliorum interpretum. In interpretanda vero Hebraica veritate, aliud ſequebatur: quod miror tantum hominem non vidiſſe: Reliquæ vero illius rationes adeo leues ſunt, vt me ipſum in eius gratiam vehementer pudeat ab illo eſſe productas. Sed de his toto opere dicemus.* C *De Pſalterio, hoc ſciendum: quòd id quo nos paſſim in eccleſiis vtimur, non eſt ex editione Hieronymi: ideo diſſimillimum eſt pſalterio Hebraico: quòd enim hoc noſtrum, ex editione Septuaginta ſit, id argumento eſt, quia nihil ab eo diſcrepat, quo tanquam ipſorum Septuaginta vtuntur Græci. Quanquam igitur amota ſit editio Septuaginta, & recepta Hieronymi, Pſalterium tamen retentum eſt, eo quòd paſſim in eccleſiis caneretur, fuiſſetque maxima perturbatio, ſi priſtinum fuiſſet dediſcendum. Nolebant etiam vſque adeo improbare editionem Septuaginta. Emendatum tamen eſt à Hieronymo hoc noſtrum pſalterium ad Græcos codices, cùm eſſet Romæ, ſicut ipſe teſtatur. Separatim autem vertit & ex Hebraica veritate Pſalmorum librum, quem eius ſcriptis annumeratum inuenies. Quod autem de Luciani editione ſcribitur, facile ſuper pſalmos ſoluemus. Quæ cùm ita ſint, patet certe hanc Latinam editionem eſſe Hieronymi, qua nulla vnquam ſiue apud Græcos, ſiue apud Latinos fuerit melior, elegantior, lucidior, dicam etiam Latinior. In qua ſi quid aut mendoſum reperitur, aut ab Hebraica veritate diſſonum, aut additum, aut detractum: vel nullius eſt momenti, aut ſcriptorum vitio contigit. Si qua vero alia eſt cauſa, oſtendetur à nobis toto opere. cuius vnius rei gratia hunc laborem eccleſiis vt ſperamus, non inutilem ſuſcepimus. Quod ſi Plato, atque alij in rebus ſuis Deum orare ſolebant, ne vllo in errore verſarentur, quanto æquius fiet id à nobis Chriſtianis,*

Editio Septuaginta quo tempore latina facta ſit.

Quid Hieronymum impulerit ad nouam editionē.

Pſalterium quo vtimur non eſt Hieronymi.

nis, vt Deum precemur, ne qua noſtris animis illabatur caligo? Quòd cùm in omnibus eſt optandum, tum his in primis, quæ ad animi cultum, atque pietatem pertinent. Nihil autem hic pollicemur aliud, quàm meras voces nos interpretaturos, neque quiſquam à me expectet de rebus altiſſimis quæſtiones, aut abditiſſimas explicationes: hæc enim ſunt aliunde petenda, quod fortè & ipſi aliquando ſumus præſtaturi. D

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

Veteris teſtamenti ad Hebraicam veritatem recognitio.

GENESIS CAP. I.

B PRIMVM vero annotandum videbatur, diuerſam eſſe apud Græcos & Hebræos ſacrorum librorum inſcriptionem. Hebræi ſiquidem triplici inſcriptione ſolent vti. aut enim ab inchoatione libri, aut ab autore, aut à materia, de qua in eo libro agitur, inſcribunt. Itaque Geneſis apud eos Bereſchit vocatur, quòd ab eis verbis liber ille inchoetur. ſic & Exodus Semot, quòd libri exordium ſit veelleſcemot. Eodem modo Leuiticus, inſcribitur vaiicra, id enim eſt libri initium. Eandemq; rationem omnes pentateuchi libri ſequuntur. Lamentationes etiam Hieremiæ, Aeca inſcribuntur eadem de cauſa. Ab autore verò, vt omnium prophetarum libri, primi quoque duo libri Regum, libri Samuel vocantur, quòd partim ab eo conſcripti ſint, partim ad ipſum omnia, quæ ibi geruntur, referantur. Sic fortè & liber Ioſue. Veri enim eſt ſimillimum, Ioſue rerum ſuarum commentarios ſcripſiſſe, quanquam Hebræi diſſentiant. Interdum à materia, vt Iudicum lib. de his enim potiſſimum agitur. Eodem modo omnes libri Salomonis. Liber quoque Paralipomenon Hebraicè vocatur Dibre haiamim, id eſt verba dierum, hiſtoria temporum ſcilicet, id enim maxime agitur in eo libro. Sic Heſter & Iudith, quia de his præcipue ea hiſtoria eſt. Pentateuchus quoque libri Moſe vocantur, quòd ab eo teſtibus etiam Hebræis ſint conſcripti. de qua re ſicut apud eos extat: וספר איוב ופרשת בלעם
משה כתב ספרו Moſes, inquiunt, ſcripſit librum ſuum, librumque Iob, & ea quæ de Balaam narrantur: neque intelligunt aliud de Balaam, niſi quæ in libro Numerorum ſcribuntur.

Triplex ratio inſcribẽdi libros apud Heb.

בראשית

Ioſue.

Pentateuchus à Moſe conſcriptus.
Iob.

C Diuus quoque Baſilius fatetur & ipſe hos libros Moſen conſcripſiſſe his verbis in Exameron ſcribens, Μωυσῆς τοίνυν ἐστὶν ὁ τὴν συγγραφὴν ταύτην καταβαλλόμενος. Μωυσῆς ἐκεῖνος ὁ μαρτυρηθεὶς ἀστεῖος εἶναι παρὰ τῷ θεῷ, ἔτι ὑπόμαζος ὤν. ὃν εἰσεποιήσατο μὲν ἡ θυγάτηρ τοῦ φαραὼ, ἐξέθρεψε δὲ βασιλικῶς, τοὺς σοφοὺς τῶν αἰγυπτίων διδασκάλους αὐτῷ τῆς παιδεύσεως ἐπιστήσασα. hoc eſt, Moſes igitur huius libri autor eſt. Moſes inquam ille quem venuſtate, vrbanitateque præditum, cùm adhuc coram Deo infans eſſet, ſcriptura proteſtatur. quem adoptauit quidem ſibi filia Pharaonis, ſed eum regaliter educauit, ſapientibus Aegyptiorum præceptoribus adhibitis. hoc idem prodit de Moſe Artabanus, qui commendata ſapientia Moſis, & quàm à Deo diligeretur in eius rei fidem, hęc inter alia de eo ſcribit. κατακλεισθεὶς εἰς φυλακὴν μωσῆς ὑπὸ Νεχεφρέους τοῦ αἰγυπτίων βασιλέως, ἐπὶ τῷ παραιτεῖσθαι τὸν λαὸν ἐξ αἰγύπτου, ἀπελύθη νύκτωρ ἀνοιχθέντος τοῦ δεσμωτηρίου κατὰ βούλησιν τοῦ θεοῦ, ἐξελθὼν, καὶ εἰς τὰ βασίλεια παρελθὼν ἐπέστησε κοιμωμένῳ τῷ βασιλεῖ, καὶ ἐξέγειρεν αὐτὸν, ὁ δὲ καταπλαγεὶς τῷ γεγονότι, ἐκέλευσε τῷ Μωσεῖ τὸ τοῦ πέμψαντος εἰπεῖν ὄνομα θεοῦ· καὶ ὁ μὲν προκύψας πρὸς τὸ οὖς εἰπεῖν, ἀκούσας δὲ βασιλεὺς, ἄφωνος ἔπεσε, διακρατηθεὶς δὲ ὑπὸ Μωσέως, πάλιν ἀνεβίωσε. Quorum hæc ſententia eſt, propter eos qui Græce neſciunt: Cùm in carcerem coniectus eſſet Moſes à Nechefre Aegyptiorum rege, eo quòd conaretur liberare populum ab Aegypto: noctu ſolutus eſt, patefacto, Deo volente, ipſo carcere. Egreſſus autem, & in regiam irrumpens, aſtitit dormienti regi, eumque expergeſecit. qui ſubito pauore perterritus, imperat Moſi, vt eius Dei nomen efferret, qui eum in regiam intromiſiſſet. Moſes autem ad eius aurem acclinans inſuſurrauit, quo nomine audito rex, ſubito exanimatus cecidit, ſed confirmatus à Moſe rurſum reuixit. hæc ille: quæ obiter citata ſunt. De Iob libro teſtatur Origenes in antiquiſſimis monumentis ſe reperiſſe, Moſen cum Hebræi in Aegypto grauiſſima ſeruitute premerentur, librum Iob circunferre ſolitum, vt illius viri exemplo, fortius ad eas calamitates perferendas omnes animaret. credimus igitur, cum Hebræis, eum librum à Moſe eſſe conſcriptum. Ioſue vero, librumque Iudicum, & Rut, & primos duos Regum libros, partim à Samuele: reliquos autem duos, librosque Salomonis ab Eſaia. Primum itaque inſcriptionis genus dimiſerunt Septuaginta, ſecutiq; ſunt tantummodo reliqua duo. Neceſſeque fuit eis nouas librorum inſcriptiones, excogitare, ab eo, quod in quocunque libro contineretur. Igitur primum librum Geneſin inſcripſerunt, vt oſtenderent contra quàm gentiles opinarentur, cęlum atque mundum aliquando cœpiſſe. Philon autem, Moyſen autorem fuiſſe tradit qui primum ſuorum librorum, Geneſin vocarit. ita enim in libro de mundo refert: ὁ τοῦ ἰουδαίων ἔθνους νομοθέτης μωσῆς, γενητὸν καὶ ἄφθαρτον ἔφη κόσμον ἐν ἱεραῖς βίβλοις. εἰσὶ δὲ πέντε. ὧν τὴν πρώτην ἐπέγραψε γένεσιν, ἐν ᾗ ἄρχεται τὸν τρόπον τοῦτον, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. hoc eſt: Gentis Iudaicæ legiſlator Moſes, genitum & incorruptibilem aſſeruit mundum in ſacris libris. Sunt autem quinque, quorum primum Geneſim inſcripſit, qui hoc modo incipit, In principio fecit Deus cælum & terram. Veruntamen arbitror ipſe, Septuaginta, non Moſen eam inſcriptionem feciſſe. In cæteris item libris eandem rationem ſequuntur: aut enim ab eo, quo de agitur, aut ab autore eos appellant. Quos etiam nos vbique ſequimur, aliquando nomina græca relinquentes, vt Geneſin, Exodum, Deuteronomium: interdum ea immutantes, vt Numeri, vt Cantica Salomonis. Bereſchit ergo apud Hebræos Geneſis appellatur, quòd illud ſit libri initium, non quòd ea verba Geneſin ſignificent, vt quidam in dogmatica panoplia dixit.

Iob liber à Moſe ſcriptus.

Geneſis, cur ſic inſcriptus.

Bereſchit.

In principio.] Præpoſitio, in, apud Hebręos inuenitur etiam ſepænumero ſignificare, cum, maxime quando inſtrumentum & τὸ μηχανικὸν denotamus: vt eſt illud, In haſta mea percuſſi eum. Et Præualuit Dauid contra Philiſtęum in funda & lapide: id eſt, cum funda & lapide. Et illud: Viſitabo in virga peccata eorum. Et illud: λιθοβολήσετε αὐτοὺς ἐν λίθοις, id eſt, lapidabitis eos in lapidibus. Vbi niſi ſciremus huius præpoſitionis proprietatem, fortaſſe laberemur. & alia innumera, quæ paſſim occurrent: de qua re nos in libro de locutionibus Hebraicis, plura ſcripſimus. Eadem phraſi vtuntur & Græci quandoque, vt Homerus in Iliade, de interitu patriæ ſic. καὶ νήπια τέκνα, βαλλόμενα ποτὶ γαίῃ, ἐν αἰνῇ δηιότητι, id eſt, & ſua pignora matrum, Allidentur humi ſæuos agitante furore. Sæpe quoque cauſam atque autorem ſonat: vt, In manu domini facta ſunt omnia: ipſa nimirum fecit, & Omnia in ſapientia feciſti: ipſa videlicet omnia inueniente, & in lucem promente. Et Salomon ἐν τῇ σοφίᾳ ἐθεμελίωσε τὴν γῆν, ἡτοίμασε οὐρανοὺς ἐν φρονήσει, id eſt, Dominus in ſapientia fundauit terram, parauit cælos in prudentia. qui loquendi modus abhorret ab vſu noſtro. Et illud בדבר יהוה שמים נעשו id eſt, in verbo Domini cæli facti ſunt. quam præpoſitionem prudenter omiſerunt Septuaginta. Potuit igitur verti, In principio, & cum principio. Vtranque interpretationem Græci maxime & Latini amplecti videntur, cùm exponunt, in principio, in initio, inchoationeque temporis: & in filio, vt dicamus in principio, id eſt cum filio Dei: vt, in, ſignificet autorem & cauſam, & id quod eſt Græcis διά. Quod à noſtris theologis tum Græcis tum Latinis minime abhorret, vt Origene Baſilio aliiſq;. Baſilius contra impium Eunomium, πῶς καὶ καθ᾽ ἡμᾶς διὰ τοῦ υἱοῦ. τὰ πάντα, ὅτι τὸ θεῖον βούλημα, οἷον πηγῆς τινος, τῆς πρώτης αἰτίας ἀφορμηθὲν, διὰ τῆς οἰκείας εἰκόνος τοῦ θεοῦ λόγου πρόεισιν εἰς ἐνέργειαν, id eſt, quomodo etiã ſecundum nos, omnia per filium facta ſunt? certe quia diuina voluntas, ex prima cauſa tanquam fonte progreſſa, per verbum tanquam propriam Dei imaginem, in operationem procedit. Alibi quoque. χριστὸς γὰρ θεοῦ δύναμις, καὶ θεοῦ σοφία, καὶ οὕτω πάντα δι᾽ αὐτοῦ, ἐγένετο, καὶ πάντα δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. Chriſtus, inquit, Dei poteſtas, & Dei ſapientia eſt, atque ita omnia per ipſum facta ſunt, & omnia per ipſum & in ipſum cõdita. Et Auguſtino ex latinis, Hilarioq; & Leone Papa: qui vna voce: In principio creauit, &c. exponunt in filio. Atque tunc neceſſe eſt, dicamus vel per filium, aut cum filio.

In præpoſitionis vis apud Hebr.

Pſal. 88.

Deut. 18.

Prouer. 3.

Pſal. 32.

In principio, id eſt, in filio.

Principio.] Hebraicè ראשית reſcith, nomen à capite deductum, ראש propterea omne initium, inchoationemque ſignificat, ſiue temporis, ſiue loci, ſiue operis, aliarumque rerum principia: quorum copioſa vbique occurrent exempla. Hic temporis inchoationem ſignificare videtur, patetq; id ex editione Chaldaica, quæ loco reſcith habet cadmin. Quæ vox Chaldæis, temporis exordium ſonat. ideoque Hebræi, maiores vetereſque ſuos appellant cadmonin. quanquam eadem vox inueniatur pro mundi anteriore parte poſita, id eſt, ſolis ortu. ideo non ad exordium temporis tantum eſt referenda. Interpretari autem in filio, non tam Chriſtianorum, ſed etiam antiquiſſimorum theologorum eſt opinio. Mercurius enim in filio Dei, omnia eſſe condita clariſſime pronunciauit. apud quem ſic extat. ὁ δὲ νοῦς ὁ θεὸς ἀῤῥενόθηλυς ὢν, ζωὴ καὶ φῶς ἀπεκύησε λόγῳ, ἕτερον νοῦν, δημιουργὸν, id eſt, mens autem Deus, cùm maris atque fœminæ

ראש

קדמין

In filio.

Mercurius Triſmegiſtus.

vim

A vim haberet, vitaque eſſet & lumen, peperit verbo alteram mentem opificem. Et paulo inferius.
ἅγιος εἶ, ὁ λόγῳ συστησάμενος τὰ πάντα id eſt, benedictus es, qui verbo vniuerſa condidiſti. conſi-
mile illi λόγῳ κυρίου οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν. & quod ab Athanaſio in Arrianos depromitur, ὁ δὲ λό-
γος ἐστὶν αὐτοῦ ποιητικὸς καὶ δημιουργός. verbum inquit eius eſt operatiuum, atque opifex. quod
autem per verbum intelligat filium Dei Mercurius, clarum eſt ex alijs locis. Hanc opinionem
deprauarunt poſtea Platonici, vt nos in libro contra theologiam Platonicorum oſtendimus. Ne-
que tamen fateor Mercurium, quid diceret, penitus intellexiſſe. Sentit quidem & Auguſtinus,
eum diuinitatem filij intellexiſſe: cuius ſententiam citat ex eo libro, quem ille inſcripſit λόγος
τέλειος. in quo præter cætera illud quoque reperitur: filium enim ſic alloquens, ait: Filius be-
nedicti, atque bonæ voluntatis, cuius nomen non poteſt humano ore narrari. Secunda quo-
que Chaldaica editio in principio vertit, בכחמתא id eſt in ſapientia, quod quàm ſit noſtris theo-
logis conſonum, planè intelligis, præſertim Origeni, viro qui nihil neſciret, quique vetuſtatis
eſſet studioſiſſimus: cuius ſententiam citans Theodoritus inquit, ὁ δὲ ὠριγένης τὸ ἐν ἀρχῇ βούλε-
ται ἀντὶ τοῦ ἐν σοφίᾳ τουτέστι ἐν υἱῷ. Origenes inquit, illud in principio creauit, vult pro eo eſſe
poſitum, quod eſt, in ſapientia, hoc eſt in filio: quanquam ſint, qui putent id in editione Chal-
daica eſſe cabaliſticum. Quibus an fides adhibenda ſit, nos in libro contra Cabaliſtas explicui-
mus. Auſi etiam quidam ſunt apud Græcos vertere in principio, ἐν κεφαλαίῳ, id eſt in capi-
te: exponebantque hoc ἀθρόως id eſt ſimul, vt omnia ſimul condita dicerent. quos citat Baſi-
lius in Exameron.

Creauit.] Aduertendum hic, non eſſe omnino veram differentiam illam theologorum, qua
B dicunt creare actionem eſſe diuinam, qua ex nihilo aliquid producatur: facere vero materiam Creare & facere quo modo differant.
præexigere, vt aliquid ex aliquo fiat. primo enim vbi noſtra editio habet creauit, Hebraicè eſt
ברא barà, quod omnem ferè actionem, & formationem ſignificat. Septuaginta quoque verterunt
ἐποίησεν, quod verbum nos ſemper facere interpretamur. Inferius quoque inueniemus, crea-
uit Deus cete grandia, creauit hominem. patet autem tam eiuſmodi animalia, quàm ipſum ho-
minem ex aliquo facta fuiſſe, quæ tamen dicimus non facta, ſed creata eſſe. Facere igitur atque
creare, hoc proprie differunt, quòd facere generale eſt, tam animatorum, quàm eorum quæ ani-
ma careant: at creare proprie de his dicitur quæ per propagationem gignuntur: vnde fit etiam
procreare, quod ad prolem tantum refertur. creatur ergo ab homine homo, domus autem fit. Procreare.
Quia vero Deus non tam à nobis, quàm gentilibus pater mundi appellatur, propterea ab eo Deus pater
mundum genitum ac creatum dicimus. ſic enim de hac re extat apud Platonem in Timæo, Θεοὶ mundi di-
θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων ἃ δι᾽ ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε ἐθέλοντος, id eſt, dij citur.
deorum, eæ res, quarum ipſe pater, repertorque extiti, non poſſunt me nolente interire. Et ab
autore grauiſſimo idem pronunciatur in libro de vniuerſitate: idcirco ſingularem Deus hunc
mundum atque vnigenam procreauit. Ecce ipſe linguæ latinæ princeps, procreatum à Deo di-
cit hunc mundum. Tam igitur Septuaginta, quàm Hieronymus optime ſunt interpretati: ſed Mundus
hoc Hieronymi clarius operationem illam diuinam explicat. Nam & Mercurius dicit Deum procreatus
hunc mundum genuiſſe, ac procreaſſe. Sed aduerte, quia fortè & Mercurius & Plato & Mar- à Deo.
cus, idcirco genuiſſe Deum hunc mundum aſſerunt, quòd nō ſolum animal, verum etiam Deum
mundum putarent: quod & à vera philoſophia, & Chriſtiana veritate maxime abhorret, niſi
C rectè eorum ſententiam interpretemur. quòd autem magis ad veritatem ſit Deum aſſerere mun
dum creaſſe, quàm feciſſe, ex his compertum maxime eſt, quæ à Ioanne Grammatico in primo
de generatione ſcribuntur, qui hoc modo eam rem explicat. καὶ ἐντεῦθεν τὴν αἰτίαν ἔχεις, δι᾽ ἣν
οὐ φαίνεται ἀριστοτέλης ποιητικὸν εἶναι λέγων τὸν θεὸν τοῦ κόσμου εἰ γὰρ ποιεῖν ἐστὶ τὸ κατὰ ποιότητα με-
ταβάλλειν. ὁ δὲ θεὸς τῆς οὐσίας τοῦ παντὸς ἐστὶ δημιουργός, δῆλον ὅτι οὐκ ἂν κυρίως λεχθείη ποιεῖν τὸν
κόσμον ἀλλὰ μᾶλλον δημιουργεῖν καὶ παράγειν. hoc eſt, atque hinc ratio tibi aperta eſt, quamob-
rem Ariſtoteles non videtur fateri cauſam effectricem huius mundi eſſe Deum. nam ſi facere
eſt ſecundum qualitatem immutare, Deuſque vniuerſi opifex eſſe dicitur, non proprie dicetur
hunc mundum feciſſe, ſed potius extruxiſſe, aut produxiſſe. Et paulo infra, διὰ τοῦτο ἄρα, οὐδα-
μοῦ φαίνεται τὸν θεὸν ποιητικὸν αἴτιον τοῦ κόσμου ἐπειδὴ γὰρ τὸ ποιητικόν, τοῦτο φησὶν εἶναι, τὸ διὰ
ὁδοῦ τινος καὶ γενέσεως ἄγον εἰς τὸ εἶναι τὰ γινόμενα, ὁ δὲ θεὸς οὐ μετὰ χρόνω ποιεῖ, οὐδὲ ἀτελῆ, διὰ τοῦτο, οὐ
ποιητικὸν αὐτὸν φησὶν ἀλλ᾽ ἢ παράγωγον αὐτὸν δεῖ καλεῖν, id eſt, propter hoc igitur nuſquam vi-
detur Ariſtoteles protuliſſe effectricem mundi cauſam eſſe Deum: aſſerit enim facere nihil eſſe
aliud, quàm via quadam, & per modum generandi, aliquid in lucem efferre. at Deus neque tem-
pore operatur, neque ſine ſubita perfectione. ex eo igitur negat eum mundum effeciſſe, ſed ma-
gis dicendum eſſe eum produxiſſe. Hæc quæ citauimus ex Ioanne videntur cum noſtris theolo-
gis conuenire. Athanaſius tamen cùm in eos inueheretur, qui ex aliqua ſubiecta materia mun-
dum à Deo effectum eſſe contenderēt, eos refellit ea ratione: quia ſi vera hæc eſſent, Deus non Deus fa-
factor, ſed opifex, vel faber potius appellaretur, innuens proprie Deum appellari factorem. quòd ctor, non
ex nihilo omnia condiderit, eius verba hæc ſunt contra Arrianos, εἰ ὁ θεὸς ἐξ ὕλης ἐργασόμενος, opifex ſeu
καὶ συντιθεὶς, ἑλληνικὸν φρόνημα, καὶ τεχνίτης. οὐ ποιητὴς ἂν κληθείη ὁ θεός. faber mun di.

Deus.] Hebraice אלהים nomen plurale ductum ab אלה eloha eius ſingulari. Dubium itaque אלהים

P 3 videtur,

Creauit dij.

videtur, cur vocem verbi ſingularem, nomini plurali addiderit, vt diceret creauit elohim, ac ſi dixiſſet creauit dij, quod non ſolum hoc loco, ſed toto etiam veteri teſtamento poſitum reperies. D

אדני

Quidam Hæbræorum dicunt, eum Hebraicæ linguæ morem eſſe, quem & Iſmaelitæ & Itali ſequantur, vt principes atque optimates viros nomine plurium ſalutent, atque appellent: eadem ratione & ſacram ſcripturam, Deum deos appellare: idque non ſolum in hac voce, ſed alijs etiam diuinis nominibus, vt eſt Adonai, plurale enim eſt hoc, ſicut & illud: quo loquendi more non modo erga Deum vti Hebræos, verum etiam ipſos homines. Nam quis herum ſuum vocans dicere poſſet adonai, id eſt heri mei: vt dicimus Italicè vos feciſtis, ad vnum tantum ſermonem dirigentes: quod & in hac voce fit bahalim, id eſt, heri. multaſque eſſe eiuſmodi voces, quæ peculiarem aliquam perſonam nomine plurali denotent. Atque hoc modo tuentur ſe Hebræi, quorum dicta ſi vera eſſent, fruſtra nos Chriſtiani ab eo nomine teſtimonium peteremus diuinam trinitatem ex veteri teſtamento aſſerere volentes. Scire, itaque oportet, nos ſæpe numero in torquendis ſacris litteris, intolerabiliores eſſe, quod faciunt concionantes: vt enim multa ſunt in veteri teſtamento, quæ ad Chriſtum ſpectant, ita ſunt pleraque, quæ ad illa tempora ſint tantummodo referenda. Iudæi tamen quo ſuos errores tuerentur, veritatique tenebras offunderent, falſas multis in locis interpretationes excogitarunt. Igitur credere par eſt, in ſacris litteris longe aliam eſſe diuinarum rerum, atque humanarum rationem, ita & alium habere ſenſum, quæ deum exprimat, quàm quæ hominem, reſque humanas. Non eſt igitur, cur credamus, ſi qua loquendi conſuetudine in rebus diuinis vtimur, eademque vtamur in rebus humanis, ſubito conſequi, vt eadem ſint: inuenimus enim, id nequaquam verum eſſe, vt verbi cauſa in hac eadem re de qua agimus. ſi quis enim dixerit, faciemus, ſcribemus, & tamen vnus ſit, qui loquatur, qua phraſi Græci atque Latini maxime delectantur, non conſequitur, vt ſi eodem modo loquatur Deus, ſubito de vno tantum intelligendum ſit, vt deus eo modo loquatur ſecum. E Hebræi etenim illud, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et illud rurſum, venite & deſcendamus & confundamus, exponunt & ipſi vt nos. ſed ipſi dicunt Deum Angelos alloqui, nos patrem ipſum filium.

אלהים

Trinitatẽ ſignificare.

Itaque nomẽ elohim, ſignificare S. trinitatem, multa poſſunt eſſe argumẽto. principio enim, Elohim, & Deum ſignificat, & angelos, & præclaros viros, ac iudices, vt nos alibi dicturi ſumus: nuſquam vero eo nomine peculiarem angelum aut iudicem denotamus, ſed multos ſimul. Cur ergo & cùm deum ſignificat, non ad plures illud referamus? neque alia certe debet eſſe hic, atque ibi ratio.

Ioſue 24.

Gen. 35.

Gen. 20.

Præterea quòd aliquam pluralitatem cùm ad deum refertur, complectatur, illud quoque indicio eſt, adiungitur enim & verbis & nominibus pluralibus, vt Ioſue. כי אלהים קדשים הוא id eſt, quia dij ſancti eſt, id eſt quia deus ſanctus eſt. capite quoque xxxv. inferius inuenimus כי שם נגלו אליו האלהים id eſt, quia ibi apparuerunt ei dij. capite quoque xx. כאשר התעו אתי id eſt, poſt quam abduxerunt me dij, quem locum noſtra editio interpretatur. Poſtquam eduxit me deus de domo patris mei. His atq; alijs innumerabilibus coniecturis cognoſcimus nomen illud non ſine diuino quodam myſterio, per plurale efferri, præſertim cùm id nulla neceſſitate fiat: inuenitur enim eius ſingulare eloha.

Deus cur potius Elohim, quã Eloha.

cur itaque placet magis ſacris litteris Deum elohim appellare, quàm eloha? niſi myſticè id fieret? plura de hac re referre ſuperſedeo, quòd aliud agamus.

Elohim vox, idololatriæ cauſa fuit.

Idem fuit Deucalion qui & Noach.

Sunt enim etiam qui opinentur, idololatriæ errorem ex hoc potiſſimum nomine pullulaſſe, Deoſque plures opinatas gẽtes fuiſſe, cùm tam hoc, quàm alia peruerſe interpretarentur, vt diluuium Deucalionis, cui tot commenta gentiles affixerunt: cum certe Deucalion, ipſe Noach fuerit, vt nos aliquando probaturi ſumus. F Cur & Beroſus Chaldæus de tempore illo ſcribens, dicit: Noach Deorum fuiſſe venerantiſſimum? niſi quia fortè legerat hiſtoriam Hebraicam, & inuenit ibi traditum Elohym, id eſt Deos creaſſe mundũ, & eoſdem colere ſolitum Noach? quæ tamen ita referuntur à nobis, vt neque probemus, neque improbemus. Elohim vero & Deum & dominum vertere poſſumus, ſicut promiſcue id nomen Septuaginta & Hieronymus interpretantur. Neque hoc oſtendit, hanc editionem non eſſe Hieronymi, vt conatur Paulus epiſcopus Foroſempronienſis probare.

יהוה

κύριος.

ſi quidem & nomen Tetragrammaton Septuaginta interpretantur κύριον, id eſt dominum, quos & Hieronymus ſequitur.

Terra autem erat inanis & vacua.] Hebraice quoque duo nomina ponuntur, quæ idem pollent תהו ובהו tohu vauohu, id eſt, inane & vacuum, Quanquam igitur nomina diuerſa ſint, res tamen eadem eſt. Colligitur autem ex omnibus locis, vbi ea nomina reperiuntur, ea ſignificare modo inanitatem, ipſumq; nihil: modo vaſtitatem, ac ruinam, & quaſi deformitatem. Ideo Septuaginta verterunt, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, id eſt, inuiſibilis & incompoſita: eius rei deformitatem atque vanitatem optime exprimentes.

Chaos.

Reſpexerunt autem, vt puto, ad Chaos ab antiquis celebratum, cuius corpus ex confuſis elementis erat conflatum, quæ res faciebat, vt & inuiſibile eſſet, propterea quòd ignis in alijs elementis deliteſcebat, & incompoſitum ob eandem cauſam. Quid enim differt id quod de Chao ab Ouidio refertur, & quod à Septuaginta hic de ipſa terra? cùm ille rudem indigeſtamque molem ipſum appellet, hi vero incompoſitam? de ipſo Chao ergo ſenſerunt hic Septuaginta:

Terra inanis & vacua, & Chaos, an idem ſint.

quanquam mihi non ſatis compertum ſit, an idem ſit terra inanis & vacua in ſacris litteris, & Chaos apud gentes. Nam ſi chaos elementorum confuſio eſt, conſtat certè ante mundum conditum aliquid extitiſſe, quod ſacris ſcripturis aduerſatur. Plato enim deum in condendo mundo, nihil aliud vult feciſſe, quàm confuſa elementa in ordinem redegiſſe, cuius ſen-

tentiam

A tentiam explicans Tullius, inquit: Hęc nimirum gignendi mundi cauſa iuſtiſſima: nam cùm conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiſcere, quoad natura pateretur, quicquid erat, quod in cernendi ſenſum caderet, id ſibi aſſumpſit, non tranquillum & quietum, ſed immoderate agitatum & fluctuans, idque ex inordinato ad ordinem reduxit. hæc ille. Si itaque terra inanis & vacua Chaos eſt, fuit ergo aliquid ante mundum conditum, atque ita cum gentibus ſentimus. Optimum igitur fuerit quid nos de ipſo Chao ſentiamus, exponere: neque enim diuerſa eſt antiquorum opinio à ſacris litteris, ex hoc enim Geneſis loco ſumptum eſt Chaos. Audeamus igitur, ſicut facit & Plato, nominis etymologiam explicare, quæ fortè ſi non vera, proxima ſaltem vero erit. Sciendum igitur omnes ferè antiquiſſimarum gentium theologorum opiniones ex ſacris litteris acceptas eſſe, quanquam illi eas vel propter diuerſitatem linguarum, vel diuturnitatem temporum longe immutarint, vt quod de diluuio modo dictum eſt, & quod de Gigantibus traditur: cùm hi & tempeſtate Noach, & paulo poſt fuerint, neque hi alij ab his qui ibi traduntur ſint: ſed de hoc alibi. Chaos itaque ex ſacris litteris eſt acceptum, quæ vt omnium ſunt antiquiſſimæ, ita ab omnibus illo primo tempore cognitæ. Quidquid enim de mundo condito, de creatione Adam, de Gigantibus, & de his quæ poſt Noach ſucceſſere, accidiſſe narratur, neceſſe eſt per ſingulas ætates ab vſq; Adam commemorata fuiſſe. Moyſes quoq; non tam quæ ex ore diuino excipiebat, ſcripſit, quàm quę ferebantur paſſim ea tempeſtate. Ideo & Mercurius qui proximus illis temporibus fuit, maxime Moyſi conſentanea ſcripſit. Erat ergo apud vetuſtiſſimos homines opinio, fuiſſe ante mundum conditum, æternam quandam priuationem, æternas tenebras, ſempiternamque caliginem, è qua mundum Deus effeciſſet, id eſt quatuor elementa, cùm in mundo nihil ſit aliud, & quoniam in illa æterna priuatione omnia B indigeſta ac permiſta deliteſcebant, propterea appellata eſt ἀταξία, id eſt, inordinatio: quod poſtea non ita probe intelligentes poſteri theologi, crediderunt hanc priuationem fuiſſe iam exiſtentium elementorum confuſionem, id eſt, Chaos. Sed profectò hæc vera fuit apud vetuſtiſſimos de Chao ſententia. Chaos itaque eſt ſempiterna illa ante creationem mundi priuatio, ſempiternum illud nihil, denſiſſimæ non exiſtentium rerum tenebræ: neque enim hic tenebras appello, quæ luci opponuntur, ſed ipſum non eſſe. Quod itaque in ſacris litteris nuncupatur thou & bou, ab alijs gentibus vocatur Chaos. Quod nomen cùm Græcam etymologiam non admittat, putamus ab Hebraico ſumptum eſſe, vt pleraq; etiam alia inde ſumpta ſunt. Menſura enim nomen eſt Hebraicum, ſaccus quoque, ſimiliter quod dicimus vado, illi dempta vna ſyllaba, va, vel ba, quo & lingua Italica vtitur. Et rachamar e Hebraicum eſt, infinitaque ſunt alia, quæ piget referre. Itaque cùm ab vna lingua in alteram transeunt nomina, maxime ſolent immutari. Littera igitur th apud Hebræos, & ch maximam habent in ſcriptione affinitatem. Prima enim ſic ת, altera ſic ח, ſcribitur. Quod itaque erat in ſacris litteris, & apud Hebræos thou, gentes per linguæ diuerſitatem, chou appellauere. Facilisque eſt à chou ad Chaos tranſitus, maxime in deſinentia Gręca, in qua omnia ferè Hebraica nomina ſiue in u, ſiue in i deſinant, in os mutantur. Quod autem dictum eſt de thou, idem dicendum etiam de bou, vna tantum littera commutata. Quare fortaſſe non ſentit rectè Ariſtoteles, qui Chaos ἀπὸ τῆς χώρας dici putauit, quaſi veteres illi Chaos putaſſent eſſe omnium rerum receptaculum, quod plurimum abeſt à vero. Minus quoque Proclus, qui putat Orpheum per Chaos, materiam primam intellexiſſe, vt eſt illorum C hominum mos, omnia in ſua dogmata torquere, etiam quæ ſint fabuloſiſſima. Itaque quod Heſiodus de Chao refert:

Mercurius Moſi conſentaneus.

Chaos q̃d. & vnde dictum.

Tenebræ quid.

Vocabula ab Hebręis ſumpta.

Ariſtot. error.

Procli.

Ἤ τοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα.
Γαῖ᾽ ἐυρίστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί. id eſt,

Extitit ante Chaos, poſt hæc latiſſima tellus,
Quam ſuper innixum pondus rerum incubat omne.

Idem eſt cum eo, quod hic in Geneſi traditur: Terra erat thou, & bou: id eſt, terra erat nihil. Tam enim Heſiodus, quàm ſacræ litteræ per terram totum intelligunt mundum, eo quòd ei ſunt admiſta, & annexa reliqua elementa. Ille igitur dicit ante terram fuiſſe Chaos, id eſt, nihil. Geneſis autem, terram fuiſſe nihil, eſt enim phraſis Hebraica, antequam enim terra effecta fuiſſet, erat ipſum nihil. His conſentanea etiam ſunt quæ à Mercurio de eadem re traduntur, qui in ſuo Pimãdro ſic inquit: ἦν σκότος ἄπορον ἐν ἀβύσσω, καὶ ὕδωρ καὶ πνεῦμα λεπτὸν νοερὸν δυνάμει θεία, ὄντα ἐν χάει. Erant inquit tenebræ infinitæ in abyſſo, & aqua & ſpiritus tenuis intelligibilis, quæ diuina virtute erant in ipſo Chao. Tenebras itaque appellat ſempiternum illud nihil. Quod autem dicit eas fuiſſe in abyſſo, idem eſt quod & ſacræ recenſent litteræ, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, tantum in phraſi, & loquendi modo differunt. Idem vero eſt apud Mercurium tenebræ, abyſſus, & Chaos, quod & in ſacris litteris thou & bou, & tenebræ & abyſſus. Sicut ergo diximus terram, id eſt, mundum fuiſſe thou & bou, id eſt nihil: ſic poſtea repetimus idem explicare magis volentes, dicimusque tenebras fuiſſe in abyſſo. Per abyſſum enim hic nihil aliud intelligitur, quàm profunditas illa tenebrarum, non exiſtentium rerum, & quaſi æterna nocte ſepultarum. Nox igitur illa æterna tam à Moſe, quàm à Mercurio abyſſus nuncupatur. Quod autem

Tenebræ, abyſſus, chaos Mercurio idē.

tem tam Moſes, quàm Mercurius addunt aquas, idem eſt: per has enim intelligimus ipſam iam memoratam abyſſum. Neque enim nos turbare debet, quòd varie loquantur, idemq́ue per varia nomina ſignificent: ea enim theologorum eſt loquendi conſuetudo. Per tenebras ergo, abyſſum, aquam & thou & Chaos idem ſignificant. Addit poſtea Mercurius nihil à Moſe diſſentiens, Et ſpiritus tenuis & intelligens, exiſtens in Chao: nimirum ſpiritus ſanctus, qui per æternam illam priuationem ferebatur, diuinitateq́, ſua fruebatur: nihil enim ope indigebat aliena, vt eſſet. Ab infinita igitur æternitate fuerunt tenebræ illæ: fuit & Deus, cuius ſpiritus per vaſtam illā æternitatem agitabatur, ac viuebat. Idcirco addit Mercurius, quæ diuina virtute erant in ipſo Chao. Quis enim non intelligit diuinitatem ipſam cum illa priuatione ſemper extitiſſe? quanquam hoc non ſit aliud, ac ſi diceremus: Deus ſemper fuit, cùm nihil aliud eſſet. Chaos itaque, & thou, & bou, & nihil, idem ſunt. Propterea Aquila, ſecundus poſt Septuaginta, interpres, thou, & bou, vertit κένωμα καὶ οὐθέν, vanitas & nihil. Symmachus autē ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον, ocioſum, & indigeſtum, id eſt inanitatis & priuationis confuſio. Theodotion autem κενὸν καὶ οὐθέν, hoc eſt, inane ac nihil: cum quibus ſentit & Chaldaica editio, quæ & ipſa habet. וארעא הות צדיא ורקניא hoc eſt, & terra erat deformata & inanis. Neque me præterit permultos eſſe tum Græcos, tum Hebræos, qui ea omnia, quę diximus, aliter interpretentur: vt primum dicant cęlum, ac terram facta eſſe, terram vero ideo fuiſſe obſcuram & informem, quòd aquis tegeretur, quarum tāta eſſet magnitudo, vt ſupra ſydera etiam pertingerent, meritoq́; eas, abyſſum appellatas eſſe. Abyſſus enim profunditas eſt aquarum, ſuper quam abyſſum erant diffuſæ tenebræ, cùm lux adhuc effecta non fuiſſet. Spiritus autem domini: id eſt, ventus quo illæ aquæ agitabantur, vel certe ſpiritus ſanctus, qui futuram diſtinctionem meditabatur: Totam autem illam aquarum & terræ congeriē Chaos antiquos appellaſſe. Certum quoque eſſe etiam diuinarum ſcripturarū teſtimonio aquas ſupra cœlos adhuc eſſe, inter quas, & has noſtras, poſitum ſit firmamentū. Quam interpretationē tametſi non improbo, verior tamen mihi videtur, & cum antiquitate magis ſentiens, quam ipſi attulimus. Quod autem quidam Hebręi thou & bou, ad materiam primam referunt, vt thou ſit ipſa priuatio materiæ, bou deſiderium eius, & aptitudo ad formas, non tam eſt Moſaicum, quàm Peripateticum. Hebræi ſiquidem eadem qua & nos conſuetudine corrupti ſunt, vt ſacras litteras ad placita Ariſtotelis, atque Auerrois voluerint torquere. Infinitaque huiuſmodi extāt apud eos deliramenta. Neque vllus prope apud illos liber inuenitur, quin ſit & placitis & vocabulis philoſophorum corruptus. Iamq́ue apud eos inuenitur hæcceitas, quidditas, relatio, & id genus. Nulla itaque ratione credendum eſt, quod de materia prima commenti hic ſunt. Hyle enim, id eſt, prima materia, inuentum eſt philoſophorum, quam ne ſomniauit quidem Moyſes, vt atteſtatur Origenes, & Euſebius: de qua re nos alibi copioſius. Qui ergo thou & bou, materiam primam interpretantur, cùm toto cœlo, vt aiunt, à ſacris ſcripturis diſſentiant: audiant quid Ioānes induſtrius, vir non tam optimus Chriſtianus, quàm ſapientiſſimus philoſophus, contra Proclum, qui per ataxiam & Chaos putauit Platonem materiam primam credidiſſe, vociferetur. ὥστε μῦθος ψευδὴς ἡ περὶ τοῦ ἀσωμάτου τε καὶ ἀνειδέου ὕλης ὑπόθεσις ἀποδέδεικται, κἂν μύριοι πλάτωνες καὶ λοιπὸς τῶν ἀρχαίων κατάλογος τὴν περὶ αὐτῆς εἰσηγήσαντο δόξαν. id eſt, Quapropter fabula commentitia eſſe demonſtrata eſt, incorporeæ & informis materiæ cui innituntur authoritas, etiam ſi ſexcenti Platones, reliquuſq́ue antiquorum catalogus huius opinionem inuexerint. Hæc in medium attulimus, quia plerique ex noſtris etiam præſtantiſſimi viri fidem Hebræis adhibere voluerunt, qui vt in reliquis omni laude ſuperiores ſunt, ita in hoc, meo iudicio, non ſunt admittendi.

Chaos, Thou, Bou, Nihil, idem ſignificāt.

Græcorū & Hebręorum de Chao opinio.

Abyſſus.

Spiritus Domini, quid.

Chaos.

Hyle philoſophorū inuentum.

Super faciem abyſſi.] Facies dimitti poterat, ſicut omittitur à Septuaginta, qui hunc locum vertunt, καὶ σκότος ἐπέκειτο ἐπάνω τῆς ἀβύσσου. hoc eſt, & tenebræ incumbebant ſuper abyſſum. Et quemadmodum ipſe noſter interpres omiſit ibi: Spiritus domini ferebatur ſuper aquas: Hebraice enim dicitur ſuper facies aquarum. Solent ergo Hebræi his aduerbijs contra & ſuper vt plurimū adiungere faciem, dicentes contra faciem deſerti, contra faciem firmamenti, & ſuper faciem terræ, contra faciem terræ. In noſtra itaque & Græca lingua facies taceri debet, ne quid aliud ſiniſtrum ſuſpicari contingat: ſuper abyſſum, ſuper firmamentum dicentes: nam neque aliud Hebraice ſignificat.

Contra faciem, Sup faciem, hebraiſmus.

Spiritus Domini ferebatur.] Spiritus Hebraice: רוח eſtq́ue ambiguum & ad ventum, & ad ſpiritum ſanctum, reliquoſque ſpiritus, vt ait Baſilius contra Eunomium. πνεῦμα λέγεται καὶ ἀνθρώπου, ὡς τὸ ἀνατελεῖς τὸ πνεῦμα αὐτῶν καὶ ἐκλείψουσι: πνεῦμα καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ὡς τὸ οὐ μὴ καταμείνῃ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις. καὶ τὸ ἀνεμιαῖον, ὡς τὸ πνεύσει πνεῦμα αὐτοῦ καὶ ῥυήσεται ὕδατα. καὶ ἕτερα πολλὰ εὕροι τις ἂν, hoc eſt. Spiritus etiam hominis eſt, vt illud: Auferes ſpiritum eorum, & deficient. Diuinus etiam eſt ſpiritus, vt illud: Non permaneat ſpiritus meus in hominibus his. Ventus etiam dicitur ſpiritus, quale illud eſt: Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ: multoſq́ue alios quis inuenire poterit. Sed quia hic additur domini, conſtantiſſime aſſeuerandum videtur, de ſpiritu ſancto hic loqui Moſen. Vtrunque teſtatur & diuus Baſilius ſic ſcribens, εἴτε τοῦτο λέγει τὸ πνεῦμα τοῦ ἀέρος τὴν χύσιν, δέξαι τὰ μέρη τοῦ κόσμου συναριθμοῦντά σοι τὸν συγγραφέα. εἴτε καὶ ὃ μᾶλλον ἀληθέστερόν ἐστι, καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν ἐγκριθέν, πνεῦμα θεοῦ, τὸ ἅγιον εἴρηται. id eſt, Si hunc dicat ſpiritum, aeris videlicet diffuſionem, cognoſce, totius mundi partes connumerantem tibi

Spiritus multiplex.
Gen. 6.
Pſal. 147.

ſcriptorem.

A ſcriptorem. aut certe, quod etiam verius eſt, & à noſtris maioribus comprobatum, ſpiritus Dei hic ſpiritus ſanctus appellatur. Variant & noſtri, alij ventum, alij ſpiritum ſanctum hunc eſſe aſſerentes. Hebræorum ferè omnes interpretes, de vento hic dici volunt. Præſertim Auen Ezra, qui hoc loco hæc refert בחפץ השם ליבש המים סמאף חרף אל השם בעבור איתו שלוח, hoc eſt, Ideo additum eſt ventus domini, quia diuina voluntate miſſus fuerat, vt exſiccaret aquas. Theodoritus conſtanter affirmat, de vento hic eſſe ſentiendum: habita enim mentione de aqua, de terra, de cælo, atq; igne, congruum quoque fuerat vt de aere aliquid referret: ſoluit etiam quod huic ſententiæ aduerſari videretur, ſic: εἰ δέ τις τοῦτον οὐ προσίεται τὸν λόγον, ἐπειδὴ γέγραπται πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος. ἀκουέτω τοῦ μακαρίου δαβὶδ λέγοντος περὶ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων. πνεύσει τὸ πνεῦμα αὐτοῦ καὶ ῥυήσεται τὰ ὕδατα, ὅτι δὲ τὸν ἄνεμον αὐτὸς ἐκάλεσεν, δῆλόν ἐστι κἂν μὴ λέγω: εὔρου γὰρ, ἢ νότου πνέοντος, τὸ περιπηγὸς ὕδορ διαλύεσθαι πέφυκεν, id eſt, quod ſi quis hanc rationem non admittat, eo quòd ſcriptum ſit, ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, audiat beatum Dauid dicentem de vniuerſorum Deo: Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Clarumque eſt de vento eum loqui, nulla explicatione etiam adhibita. Nam Euro aut Noto ſpirante, diffluere ſolet aqua, quæ concreuiſſet. Hanc ſententiam adiuuat editio Chaldaica, quæ hoc loco habet: מנשבא ורוחא דייי id eſt, & ſpiritus Domini flabat ſuper faciem aquarum. Cùm vero ſupra duplicem interpretationem poſuerimus, cùm de Chao loqueremur, ſi primam admittere voluerimus, neceſſe eſt de ſpiritu ſancto proculdubio hic ſentiamus, nihil enim erat neque aquæ, neque ventus in ipſo Chao. Quod ſi ad ſecundam declinauerimus, poſſumus vtrunque ſpiritum intelligere, tam Dei, quam ipſum ventum. Primum vt interpretemur vt in eccleſia canitur de ſpiritu ſancto: Tu B ſuper aquas foturus eas ferebaris. ſin vero ad ventum reſpexerimus, exponemus ſicut modo Auen Ezra: Spiritus ergo ſanctus diſponebat aquas, & terram ad partum, meditabaturque futuram creationem: ventus autem agitabat, & ſiccabat aquas: quod verò ventus ſpiritus ille eſſet, multa quoque indicio ſunt. Dicetur enim paulo inferius, cum diluuium totum alluiſſet orbem, ventum adeo immiſſum eſſe, quo aquæ in vapores verterentur. In Exodo quoque per ventum à Deo excitatum, mare rubrum ſiccatum eſt. Mercurius tamen vetuſtiſſimus theologus, qui proximus tēporibus Moſis extitit, de ſpiritu ſancto ſentit, appellauit enim eū πνεῦμα λεπτὸν καὶ νοερὸν, ſpiritum exiguum & intelligentem, & in libro vetuſtiſſimo apud Hebræos qui inſcribitur Bereſcit Raba, id eſt maximus Geneſis, ſcribitur hunc eſſe ſpiritum Meſſiæ, ſcilicet ſpiritum ſanctum: nihil itaque prohibet quin de vtroque ſpiritu ſentiamus.

Spiritus, ventus.

Theodoritus ſpiritum ventū affirmat.

Pſal. 147.

Mare rubrū vento exſiccatū.

Ferebatur.] Septuaginta ſequitur, qui & ipſi verterunt, ἐπεφέρετο, ſuperferebatur. Sed alibi ſecundum Hebræos exponit. Hebraicè enim eſt מרחפת participium à verbo רחף Rachaph: quæ vox, vt ex omnibus alijs ſcripturæ locis colligitur, tum incubationem, tum agitationem ſignificat: vt eſt illud Pſal. cantici Moſis: Sicut Aquila prouocans ad volatum pullos ſuos, & ſuper eos volitans: Hebraicè על גוזליו ירחף vbi eſt præſens verbum. Volitans autem interpretantur Hebræi deſuper incumbens, concuſſionem autem, aut agitationem, vt illud Hieremiæ ca. 23. רחפו כל עצמותי id eſt, concuſſa ſunt omnia oſſa mea. Innuit igitur hic Moſes illam venti agitationem, ac frequentem commotionem, quam efficit in aquis ventus. Neque ignorarunt ſanctiſſimi patres Græci, id quod de hac voce ab Hebræis traditur: dicunt enim Hebræi præſentem vocem, proprie incubationem auium ſuper oua ſignificare. Baſilius ergo ſic: τὸ οὖν ἐπεφέρετο ἐξηγοῦνται, ἀντὶ τοῦ C συνέθαλπεν καὶ ἐζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν κατὰ τὴν εἰκόνα ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις, id eſt: Superferebatur igitur exponunt pro eo quod eſt, confouebat, & viuificabat aquarum naturam, quemadmodum ſolet auis ouis incubare, & vitalem quandam vim eis infundere. Hæc ſibi a quodam Syro relata dicit, quorum lingua ſimilis Hebraicæ eſt. Diodorus autem & ipſe optime idem explicans, inquit: βούλεται ἡ ἑβραϊκὴ λέξις ἡ τοῦ ἐπεφέρετο σημαίνειν, ὅτι καθάπερ ὄρνις ᾠὰ θάλπει ταῖς πτέρυξιν, ἁπλῶς ἐφαπτομένη, εἰς τὸ ζωογονεῖν οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα ἐπεφέρετο τοῖς ὕδασι ζωοθαλποῦν, id eſt, Innuit hæc dictio ſuperferebatur, apud Hebræos, quod quemadmodum auis, oua confouet alis, vt ea quaſi animet: ſic ſpiritus ſuperferebatur aquis, vt eas procreabiles efficeret. Quod ſi ventum, ſpiritum ſanctum interpretari voluerimus, dicemus, vt ſupra expoſuimus, ſpiritum ſanctum per æternitatem illam, vel per aquas ipſas ſemper fluitaſſe, vt ad partum eas diſponeret. Septuaginta videntur certiſſime hic de ſpiritu ſancto ſentire, neque enim de vento dixiſſent, ſuperferebatur: cùm quibus etiam videtur ſentire Hieronymus. Vtcunque vero ſit, neque enim hoc, aut illud repudiandum: verbū certe Hebraicum, motum & agitationem ſonat: ſicut & interpres vocabulorum apud Hebræos exponit, qui de ea voce ſic ait. ופירושו כדבור ותנועה, id eſt Significatio eius eſt, commotio, atque agitatio.

Rachaph incubatio agitatio.

Fiat lux.] Vbicunque noſter Hieronymus vertit fiat, & Septuaginta γενηθήτω, Hebraicè eſt, יהי id eſt, ſit. Quanquam id minimi momenti ſit, ſed nos annotauimus, vt ne minima quidem prætergrederemur: & vt eos rideremus, qui carpunt hoc loco editionem Hieronymi, quod verterit fiat, quod eſſet interpretandum, ſit. Hi ne Latinas quidem litteras tenere videntur: quandoquidem eſſe & fieri ſæpe idem apud nos ſignificet, ſicut apud Græcos γενέσθαι. Nihil vero refert quòd Septuaginta verterint pro luce φῶς, id eſt lumen: neque enim in ſacris litteris

Eſſe & fieri quandoq; idem.
Lux.
Lumen.
φῶς.

eſt diſtinctio illa philoſophorum, lucis atque luminis: quòd lux quaſi mater luminis & procreatrix ſit, lumē vero, id quod ab ea efficitur: de qua re & Albertus, nō ſemper malus autor, ſcribit: lumen irradiationē eſſe defluentem à ſubſtantia lucis: lucem vero fontalem ſubſtantiam, quod idem & Lynconienſis ſuper Dionyſium docet. Hebraicum certe verbum, vtrunque exprimit, אור, id eſt lux, aut lumen.

אור

Vnus, pro primus.
Vna ſabbati.
Vna dies.

Dies vnus.] Sic eſt Hebraicè, יום אחד, id eſt. Dies vnus. Apud Hebræos autem vnus etiam ordinis eſt. Primus ergo, vnus in ea lingua dicitur, atque ita hoc loco etiam eſt intelligendum. Quod loquendi genus etiam in euangelijs reperitur, quorum phraſis tota Hebraica eſt: Vna enim ſabbathi, ſicut & Theophylactus exponit primam ſabbati ſonat, id eſt primam hebdomadæ: & vna menſis, primā diem menſis. Sed Chryſoſtomus, vnam diem idcirco hic dictam putat, quia & diē, & noctem ſimul complecteretur. Vna igitur dies, id eſt nox ſimul, atque dies. At vero Hippolytus, puto quod Hebraicam loquendi conſuetudinem ignoraret, aſſerit conſtanter, vnam, non primam diem, fuiſſe dicendum: apud quem ſic extat: ἔδει μὴ πρώτην λέγειν, ἀλλὰ μίαν. ἵνα διὰ τοῦ μίαν εἰπεῖν, ταύτην δείξῃ κυκλευομένην, καὶ ἑβδομάδα διατελοῦσαν, μίαν δὲ ὑπάρχουσαν. hoc eſt, non primam, ſed vnam dicere, erat neceſſe, vt vnam dicendo, oſtenderet eam circumductam, & hebdomadam perfeciſſe, vna cùm eſſet. Innuit ergo vnam fuiſſe dicendum, vt in vna die tota hebdomas appareret expreſſa. Sed certè vt dixi, locutio Hebraica eſt.

Firmamētum στερέωμα.
Rachia.

Firmamentum.] Nos in hac voce Septuaginta ſequimur, qui & ipſi hoc loco verterunt στερέωμα, firmamentum: ſed vox Hebraica רקיע Rachia, extenſionem ſonat, aut id quod extenditur, ac diffunditur, vt vela, ac cortinæ. ducitur autem à verbo רקע, id eſt extendit, vt Exodi capite trigeſimonono, וירקעו את פחי הזהב id eſt: Extendent laminas aureas. Sciendum itaque eſt diuinas ſcripturas ita loqui ſolitas, vt cùm elementa diffuſa ſint, ac longiſſime porrecta, dicant Deum ea effudiſſe, atque porrexiſſe, ideo Eſaias capite 42. רוקע הארץ וצאצאיה, id eſt: Qui extendit terram, & germina eius. Et eiuſdem capit. 44. רוקע הארץ מאתי, id eſt: Quis porrexit terram præter me? De quibus nos ſuis locis dicemus, præſertim in Ezechiele, vbi huius vocis creberrima fit repetitio. Tota itaq; cęli porrectio, ac quaſi effuſio Hebraicè appellatur Rachia: neq; proprie firmamentum ea vox ſonat. Quare dubium fit cur tā diſſimili voce verbum Hebraicum reddiderint Septuaginta, & poſt eos Hieronymus. Præſertim cùm eius vocis inuentores, ipſi videantur fuiſſe: neque enim apud gentes vſquam inueniemus cęlum appellari στερέωμα, id eſt, firmamentum. Quæ nos de hac re cognita habeamus, in medium afferemus. Igitur Septuaginta cęlum στερέωμα nuncuparunt, aut eius ſoliditatem atq; duriciem innuere cupientes, vel ſtabilitatē, quam in ſuo ſitu accepit à Deo. Quod non ſolum cęlo tribuunt ipſi interpretes, verum etiam terræ, vt Pſalmo nonageſimo ſecundo, ἐστερέωσεν οἰκουμένην ἣ οὐ σαλευθήσεται, id eſt, firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Apud Eſaiam: στερεώσας τὸν οὐρανὸν, ὡσεὶ καπνόν. Eandem etiam firmitatem atque ſtabilitatem pleriſque alijs vendicarunt. Vt igitur terram à Deo ſtabilitam eſſe dixerunt, idem fortaſſe ſentiunt & de cælo, cùm ſoliditatem aut firmamentū ipſum appellant. Nam & illud quod erat Hebraicè Pſal. 32. נעשו בדבר יהוה שמים. hoc eſt, Verbo domini, cæli facti ſunt: ipſi verterūt ἐστερεώθησαν, id eſt firmati ſunt. Hebræi ergo ad porrectionem ac diffuſionem reſpexerunt, Septuaginta ad ſtabilitatem. Eſt ergo cælum porrectum ac firmatum, ſicut & terra. Vel certè quod eſt melius, firmamentum appellarunt, vt eius duritiem ac ſoliditatem innuerent. Nam & Homerus ſæpe in ſuis rapſodijs appellat χάλκεον οὐρανὸν id eſt, æreum cęlum, id eſt, ſolidiſſimum, & χαλκοβατῆ δώματα, id eſt, æneas domos, aut ære ſtratas. Quandoque σιδήρεον οὐρανὸν id eſt, ferreum. Quod ſentit etiam Theodoritus, qui cęlum ex aquis conflatum eſſe vult, atque ex his duriſſime coaluiſſe, ſic enim inquit. ἐπειδὴ γὰρ, ἐκ τῆς ῥοώδους τῶν ὑδάτων οὐσίας συνέστη, καὶ ἡ ῥυτὴ φύσις στεγανωτάτη γέγονεν, καὶ στερέμνιος, προσηγορεύθη στερέωμα. Quoniam inquit, cęlum ex fluxa aquarum natura conſtitit, & quæ prius liquabilis eſſet natura, ſolidiſſima eſt effecta, ea de cauſa, firmamentum eſt appellatum. Gennadius autem & ipſe ſanctiſſimus, στερέωμα μὲν, ὡς ἐκ τῆς δημιουργίας, προσεῖπεν αὐτὸν, ὅτι ἐξ ὑγρᾶς τε, καὶ ῥευστῆς φύσεως τῶν ὑδάτων, καὶ εὐδιαλύτου, στεῤῥὰν καὶ ἀδιάπτωτον τὴν πῆξιν ἐδέξατο, id eſt, Firmamentum inquit ex ipſius rei opificio, ipſum appellauit, eo quòd cùm prius lenta, fluxa, ſolubiliſq; natura eſſet, ſolidam & minime mobilem conſtipationem accepit. Idem ſentit Baſilius. Plato quoque in legibus Aſtrologiam verſari dicit circa στερεοῦ φορὰν, id eſt, ſolidi motum: per ſolidum cœlum intelligens. Cumq; pleraque alia ſint ſolida, vnum cęlum, ſolidum κατ' ἐξοχὴν vocatur. Quanquam fortaſſe ſit dicendum, quod duo ſolida ſint, vnum quieſcens, alterum ſemper agitatum. Propterea & apud Theonem στερεωμετρία vocatur, quæ circa cœleſtia corpora verſatur. quanquam etiam ſit alia στερεωμετρία. Inuenimus etiam apud Platonicos celum firmamentū vocari, ſicut inuenitur apud Damaſcium, τῶν στερεωμάτων σειρὰ, ἐμπύριον, αἰθέριον, ὑλαῖον. Hoc eſt firmamentorum catena. Empyreum enim eſt firmamentum, eſt ætherium, eſt materiale. Quæ ex Chaldaicis Zoroaſtreorum oraculis ſumpta ſunt, ſic enim Pſellus: ἑπτὰ φασὶ σωματικοὺς κόσμους, ἐμπύριον ἕνα καὶ πρῶτον, καὶ τρεῖς μετ' αὐτὸν αἰθερίους, ἔπειτα τρεῖς ὑλαίους, ὧν ἔσχατος χθόνιος εἴρηται, καὶ μεσοφανὴς, ὅς τις ἐστὶ ὁ ὑπὸ σελήνην τόπος. Septem, inquit, corporeos aſſerunt mundos, empyrium vnum & primum, id eſt igneum, & tres poſt ipſum, ætherios: deinde tres alios materiales, quorum extre-

Cur cælū firmamentum dicatur.

Cœlū ex aquis conflatū ſentit Theodoritus.

Cœlū ſolidū dicitur per excellentiam.
Στερεωμετρία.

Chaldei 7. mūdos aſſerunt.

mus

A mus terreſtris, & ſemilucidus vocatus eſt, qui ſublunaris locus eſt. Sententia quoque extat apud eos de ſummo & omnipotenti Deo, quod ἑπτὰ ἐξόγκωσεν στερεώματα κόσμου. id eſt, Septem conglobauit firmamenta mundi. Extat quoque apud Syrianum τὰ ἄϋλα στερεώματα ὑμνούμενα, materia carentia firmamenta, laudantur in ſacris. Quanquam hi omnes videntur id nomen à nobis accepiſſe, ſicut pleraque alia apud eos furta deprendimus, de qua re nos fuſius in noſtris libris contra Theologiam Platonicorum. Hęc itaque ratio eſt, cur primi Septuaginta in ſacris ſcripturis vocarint cælum firmamentum, cùm Hebraicè appellaretur Rachia, id eſt, porrectio, ac dilatatio. Cælum quoque etiam ſolidum, videtur Ariſtoteles ſentire, primo enim Meteororum, ſcribit à corporis ſolidi motu, ſcindi aerem: per corpus ſolidum ſolem intelligens: cuius ſententiam explicans Alexander, ſic inquit: διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν, μάλιστα μὲν ἡ τοῦ στερεοῦ κίνησις διακρίνει αὐτὸν, ἔοικε καὶ τὸ τοῦ ἡλίου σῶμα, καὶ τὸ τῶν ἄστρων, στερεὸν λέγειν καὶ διαφανές, id eſt, cùm dixerit Ariſtoteles corporis ſolidi motum maxime diſcindere aerem, videtur aſſerere, & ſolis, & reliquorum aſtrorum corpus eſſe ſolidum, & perſpicuum.

Cur Deus non benedixerit ſecundę diei.

ADVERTENDVM quod ſecunda die, non dicitur: Et vidit Deus quod eſſet bonum, & neque in textu Hebraico, neque in noſtra editione habetur, ſed in editione Septuaginta additum eſt ex errore: non ab ipſis quidem, ſed quod ex vno loco facile in alium aliquid tranſportetur, ſi qua ſimilitudo arriſerit. Annotauit ergo hoc Hieronymus in Iouinianum, non dici de ſecunda die, bonum Deo viſum eſſe, quia numerus binarius infauſtus ſit, à quo vnitas primum diſcerpatur, quòd cauſa corruptionis eſt, quod pulcherrime explicatur à Platonicis, maxime Damaſcio, viro in ea familia excellentiſſimo. Rabi vero Salomon, aliam huius rei affert rationem,

Binarius numerus cur infauſtus.

B cuius verba ſubſcribenda ſunt, ſic enim inquit: מלאכת המים עד יום השלישי והדבר שלא נגמר איננו במלואו וטובו ומפני מה לא נאמר כי טוב בשני לפי שלא נגמרה. hoc eſt, at quamobrem non dicitur de ſecundæ diei opere: Et vidit quod eſſet bonum: quia nondum erat opus aquarum, niſi tertia die perfectum: quamobrem negauit eſſe bonum, eo quod erat imperfectum. Nicolaus de Lyra, neſciens fortaſſe de binario eſſe Hieronymi ſententiam, eam verbo fœdiſſimo reprobauit, ſed eius confutatio ridicula eſt, itaque iure carpitur à Burgenſi.

רשא
עשב

Producat terra.] Hebraicè verbum eſt ab herba ductum תדשא thadſe, id eſt, herbificet, ſi dicere liceret: à deſe דשא id eſt herba. Perinde ſi dixiſſet, Herbificet terra herbam. Sed quia non erat ſatis Latinum, propterea alio modo idem Latine expreſſit. quanquam Rabi Salomon, aliud vult eſſe דשא, aliud עשב. primum enim ſignificare dicit vniuerſam herbarum viriditatem, qua terra veſtiatur, ſecundum ipſas herbas. ſed quis non videt hæc adeo eſſe inter ſe ſimilia, vt facile confundantur? Illud quoque inferius, faciens ſemen, Hebraicè eſt, מזריע זרע ſeminificans ſemen. ſic & inferius producat terra, Hebraicè eſt תוצא, id eſt, faciat exire, quæ & alia infinita, prudentiſſime noſter Hieronymus, Latinæ phraſi accommodauit: quod & Septuaginta fecerunt in lingua Græca: quanquam hi ſint longe in fingendis, ac notandis nominibus, nobis feliciores, propterea Hebraico ſæpe accedunt propius, quàm nos.

Tempus quid.

Erunt in ſigna & tempora.] Tempus hic non id eſt, quod à philoſophis menſura motus vocatur, & de quo Plato, μετ' οὐρανοῦ γέγονεν ὁ χρόνος, ἵν' ἅμα γεννηθέντες ἅμα λυθῶσιν, ἄν ποτε λύσις αὐτῶν γίγνηται, hoc eſt, vna cum cælo conditum eſt tempus, vt quia ſimul effecta ſunt, ſimul & diſſoluantur, ſi qua eorum futura ſit vnquam diſſolutio. De hoc enim tempore intellexit inferius cùm

Dies ſtati ac ſolennes Hebræis Mohadim dicuntur.

χρόνους.
καιρούς.

C dixit, erunt in dies & annos: ſed hic tempora vocantur, dies ſtati, ac ſolennes, quos Hebræi à conteſtatione atque admonitione מועדים appellant à verbo יעד id eſt, teſtatus eſt: quarum dierum frequentiſſima eſt mentio in ſacris litteris: earum itaque Sol & Luna indices ſunt, ad ſolis enim ac lunæ curſum, huiuſmodi dies celebrantur, ac repetuntur. Primum itaque tempus Hebraicè vocatur עת het, ſecundum מועד mohad. Septuaginta quoque, non verterunt hic. χρόνους, quod tempus ipſum eſt, ſed, καιρούς, quæ eſt bene gerendarum rerum occaſio, & vt ait Plato ἄνθος τοῦ χρόνου, id eſt, flos temporis, quòd ſit ſelectiſſimum, atque maxime opportunum tempus. Hoc dictum ſit quo proprietatem Hebraicam explicaremus, cuius ignoratio fecit, vt plerique tam Græcorum quàm Latinorum, hunc locum, aliter quàm fas eſſet, interpretati ſint. Quorum ſumma ſolertia non propterea, non eſt mirifice in cæteris commendanda.

Ἀρχὴ, varie ſumitur.

Vt præſint.] לממשלת vt præſint, vt dominentur: longe melius quàm Septuaginta, qui vertunt, εἰς ἀρχὰς ἡμέρας, id eſt, in poteſtates diei: lumen minus εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτὸς, id eſt, in poteſtates noctis. dubia enim tranſlatio eſt, quia ἀρχὴ, & inchoationem temporis ſignificat, & poteſtatem atque imperium. Non vitarunt igitur hanc amphibologiam Septuaginta, volentes ſeruare integrum Hebraicum nomen, nam ממשלה ſignificat poteſtatem ac ditionem. vertentibus ergo eis, εἰς ἀρχὰς ἡμέρας, non tam intelligeremus in poteſtatem diei, quàm in principium diei, ſic & de nocte dicendum. Præterea cur vertunt ἀρχὰς, & non ἀρχήν, cùm Hebraicè ſit ſingulare, & ſenſus non admittat vt dicamus ἀρχὰς, dominatus in plurali? quod tamen non fecerunt alibi, vt Pſal. 135. τὸν ἥλιον εἰς ἐξουσίαν ἡμέρας, id eſt: Solem in dominatum noctis: cur non idem & hoc loco factum eſt, cùm idem nomen ſit hic & ibi, eodem modo prolatum? Hæc autem Septuaginta editio pleroſq; apud Græcos in errorem induxit: non enim ἀρχὰς, pro poteſtate aut imperio hoc loco ſumpſerunt, ſed pro principio: itaque aſſerunt lunam quia in principio noctis facta eſſe dicitur, fuiſſe è diametro ſoli oppoſitam, cùm condita eſt. Neque forte ab re fuerit, ſi D ipſa verba ſubdiderimus. Lunam inquiunt, cum quarta die, Geneſi atteſtante facta ſit, in plenilunio fuiſſe neceſſe eſt, οὐδέποτε γὰρ, τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος, δύναιτ' ἂν καὶ ἡ σελήνη, κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτὸς ἤγουν ἀκρόνυκτος ἀνατέλλειν, μὴ διαμετροῦσα τὸν ἥλιον, καὶ πανσέληνος ἐντεῦθεν γινομένη. εἴπερ ὑποθείημεν, ἀπὸ προγεγονυίας συνόδου, ταύτην γεγενημένην. Sed hoc potuit quidem eſſe, ſed ex iſto loco non colligitur, non enim ἀρχὴ principium hic ſignificat, ſed poteſtatem, quæ amphibologia in contextu Hebraico neutiquam eſt.

Congregentur aquæ, & factum eſt ita.] In Hebræo non repetitur, & congregatæ ſunt aquæ, quæ erant ſub cœlo, ſicut neque in noſtris codicibus: ſed repetitur apud Septuaginta, apud quos totum hoc redundat. καὶ συνήχθη, τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά. hoc eſt, & collecta eſt aqua, quæ erat ſub cœlo, in collectiones ſuas, & apparuit arida. Annotauit igitur hoc diuus Baſilius in hexameron his verbis, καὶ ἐγένετο οὕτως. ἀρκοῦσα αὕτη ἡ ἐπαγωγὴ πρὸς τὸ δεῖξαι εἰς ἔργον ἐλθοῦσαν τοῦ δημιουργοῦ φωνήν, πρόσκειται δὲ ἔντισι τῶν ἀντιγράφων, καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ, εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά. ἅπερ οὔτε τινὲς τῶν λοιπῶν ἐκδεδώκασι τῶν ἑρμηνέων οὔτε ἡ χρῆσις τῶν ἑβραίων ἔχουσα φαίνεται. καὶ γὰρ τῷ ὄντι παρέλκει μετὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ, ὅτι ἐγένετο οὕτως, ἡ τῶν αὐτῶν πάλιν ἐπεκδιήγησις. τὰ τοίνυν ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων ὠβέλισται, ὁ δὲ ὀβελὸς, ἀθετήσεως σύμβολον. Hoc eſt, & factum ita eſt, ſatis erat id dixiſſe, vt oſtenderetur diuinam vocem opus ſtatim eſſe ſubſecutũ. additum vero eſt in quibuſdam codicibus, & congregata eſt aqua, quæ eſſet ſub cęlo, in collectiones ſuas, & apparuit arida: quæ neque alij interpretes addiderunt, neque in contextu Hebraico reperiuntur. Et profecto ſuperuacanea eſt, poſt illud teſtimonium & factum eſt ita, eo- E rundem explicatio. Et in emendatioribus exemplaribus, inuenitur totum hoc obeliſcis eſſe deletum. Obeliſcus enim expungendi, & obliterandi nota eſt: hæc ille.

Obeliſcus quid.

Producant aquæ.] ישרצו hoc quoque Latinè verti non potuit: ſicut enim ſupra de terra dicendum fuerat, herbificet terra: ita nunc fingendum eſſet nomen, quanquam ne illud quidem reperiri poſſit. Quod enim eſt ipſi terræ herba, hoc שרץ ſcerez aquis. Proles ergo, ac pullulatio aquarum, Hebraicè ſcerez vocatur. Nec proprie reptile ſignificat, cùm repere ſit terreſtrium. Sed Hieronymus elegantius nomen inuenire non potuit: eodem enim modo piſces ſerpunt per aquas, quo reptilia per terram. Imitatus eſt quoque Septuaginta, qui, & ipſi verterunt ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ, id eſt, producant aquæ reptilia. Hoc dictum velim propter eos, qui ſunt ἐν λόγῳ κομψοί. vt facile etiam à ſummis viris non abſtineant, & in leuiſſimis quoque eos carpant.

Aquarum proles.

Creauit Cete grandia.] התנינים Hataninim, id eſt, dracones. Eodem vero nomine dracones terreſtres atque marini vocantur. Neque enim Cete, & maximi piſces aliud in aquis ſunt, quàm dracones ac ſerpentes in terra. Quanquam igitur nomen Hebraicum draconem ſonet, tamen & piſces, qui eadem forma ac magnitudine ſint, ſignificat. Inuenimus & alibi ingentes piſces dracones vocari, vt Pſal. 147. תנינים וכלתהמות id eſt, Dracones, & omnes abyſſi: per abyſſos aquas copioſiſſimas intelligens: per dracones maximos piſces. Nam dracones terreſtres eodem loco inferius citat dicens רמש id eſt ſerpentes. Eſaiæ quoque cap. 27. והרג אתהתנין אשר בים, id eſt, Et interficiet dra- F conem qui eſt in mari. Intelligiturque figuratè is, qui late maris imperium teneret, Tyri videlicet, rex, aut eiuſmodi alius. Ezehielis quoque triceſimoſecundo ואתה כתנין בימים, id eſt, Et tu tanquam draco in aquis. Recte igitur hos dracones, Hieronymus Cete vertit, ſimul etiam Septuaginta ſecutus, qui & ipſi interpretantur, καὶ ἐποίησεν, ὁ θεὸς τὰ κήτη τὰ μεγάλα, id eſt, Et fecit Deus Cete grandia. Neque per Cete vna eorum piſcium ſpecies intelligitur, ſed omnes grandiores piſces ſic vocantur. De qua re & Theodoritus, inquit: κήτη γὰρ, ἅπαντα τὰ ἐν τοῖς ἐνύδροις ὑπερμεγέθη καλεῖ, κἂν διαφορά τις, φαίνηται ἐν αὐτοῖς, ὅθεν προσέθηκε τὰ μεγάλα, id eſt, Cete enim omnia ea vocat, quæ inter aquea vaſta ſint, quanquam eorum quoddam ſit diſcrimen, quamobrem addidit magna.

Dracones maris piſces maximi.

Abyſſus.

Cete quid.

Per cete piſces grandiores.

Creſcite, & multiplicate.] Quod Latinè eſt, creſcite: Hebraicè פרו peru: hoc eſt, fructificate: à nomine פרי, id eſt, fructu. Idem vero eſt creſcere in animalibus, quod fructificare in arboribus. Eleganter itaque hoc in illud mutauit, cùm fructificare, non ſatis eſſet Latinum. Secutus præterea eſt Septuaginta, qui & ipſi vertunt, αὐξάνεσθε. id eſt creſcite. Vt autem intelligas, quàm vera hæc ſint, quæ hic dicuntur, & quàm à vetuſtiſſimis etiam gentibus cognita, verba Mercurij ſubſcribam. ὁ δὲ θεὸς εὐθὺς εἶπεν ἁγίῳ λόγῳ, αὐξάνεσθε ἐν αὐξήσει, καὶ πληθύνεσθε ἐν πλήθει, πάντα τὰ κτίσματα, καὶ δημιουργήματα. hoc eſt, At Deus ſtatim diuino verbo locutus eſt, ac dixit: augeſcite cum incremento, & multiplicemini copioſe omnia condita, & opificia. Dein de generatione, tandem hæc infert, καὶ ἐπληθύνθη κατὰ γένος τὰ πάντα. id eſt, & multiplicata ſunt generatim omnia. Hæc à nobis prolata ſunt, quo cognoſceremus nihil antiquiſſimos illos de rebus diuinis ſenſiſſe aliud, quàm nos ſentiamus.

Creſcere. Fructificare.

Aquas maris.] המים בימים, id eſt, aquas in maribus: verum erat durius. Venuſte ergo, & appoſite vertit aquas maris: quod, quia lingua Græca facilius patiebatur, non immutarunt Septuaginta: vertunt igitur ὕδατα ἐν θαλάσσαις, id eſt, Aquas in maribus. Vitare enim oportet

Hebraiſmum, ne in aſperam & difficilem orationem incidamus, quod enim apud illos elegantiſſimum eſt, vix apud nos poſſet audiri.

Hebraiſmus.

Faciamus hominem.] Dictum eſt ſupra, Hebræos conuenire nobiſcum, in exponendis hiſce verbis. Græci enim patres, quos & noſtri poſtea ſecuti ſunt, opinantur hic trinitatem innui, cùm dixerit faciamus, non faciam, aut aliquid huiuſmodi, patrem ſcilicet locutum cum filio. Quam expoſitionem plures Græcorum ſequuntur, & è noſtris maximè Auguſtinus. Quidam vero Hebræorum, vt fugerent hunc ſcrupulum, dicunt Deum, tum cùm angelis habuiſſe ſermonem, ſicut principum moris eſt, vt quanquam ſeruos ſuos non conſulant, ſæpe tamen fit, vt aliquid facturi, eo ſermonis genere apud eos vtantur. Quod & quidam Hæretici opinati ſunt, quos citat Theodoritus, eorumque redarguit impietatem. τινὲς μὲν τῶν δυσωνύμων αἱρετικῶν, πρὸς τοὺς ἀγγέλους αὐτὸν εἰρηκέναι καὶ τοὺς πονηροὺς δαίμονας, ἔφασαν, οὐ συνιέντες οἱ ἐμβρόντητοι, τὸ κατ' εἰκόνα ἡμετέραν. id eſt, quidam execrabiles hæretici, Deum cum angelis & prauis dæmonibus tunc locutum aſſerunt, non intelligentes id quod dicitur ad imaginem noſtram. Baſilius de hoc, citans Iudæos. οὕτω καὶ τὸ ἐχθρὸν τῆς ἀληθείας γένος ἰουδαικὸν, στενοχωρούμενον, πολλά φασὶν ἐστὶ τὰ πρόσωπα, πρὸς οὓς ὁ λόγος γέγονε θεοῦ. τοῖς ἀγγέλοις γὰρ λέγει τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ, ποιήσωμεν ἄνθρωπον. ἰουδαικὸν τὸ πλάσμα, τῆς ἐκεῖθεν εὐκολίας τὸ μυθολόγημα. ἵνα τὸν ἕνα μὴ δέξωνται, μυρίους εἰσάγουσι. καὶ τὸν υἱὸν ἀθετοῦντες, οἰκέταις τὸ τῆς συμβουλίας ἀξίωμα περιάπτουσι. καὶ τοὺς δούλους ἡμῶν, κυρίους ποιοῦσι τῆς ἡμετέρας δημιουργίας. id eſt, Sic & Iudæi, genus hominum veritati inimicum, non valentes aliam afferre cauſam, aſſerunt multas eſſe perſonas, quibuſcum Deus locutus fuerit: nam aſtantibus ſibi angelis dixiſſe, faciamus hominem. Iudaicum ſanè commentum, & illius nationis ad mentiendum propenſæ fabula: id ſcilicet dant operam, vt vno repudiato, infinitos admittant: & reiecto filio, famulis conſulendi tribuant autoritatem: & eos qui nobis ſeruitute pares ſunt, noſtræ creationis dominos efficiant. Hoc refellit & Gregorius theologus, abſurdumque eſſe dicit, vt Deus cum angelis ſic loqueretur. Alij eorum perplexi, dubijque ſunt, ne quis hinc πολυθίαν ethnicorum, aut trinitatem Chriſtianorum eliciat: eamque ob rem aliam interpretationem excogitarunt, vt dicerent Deum ſecum tum locutum fuiſſe, de quibus idem Theodoritus. ἰουδαῖοι δὲ εἰς ἑτέραν ἐξώκειλαν παραφροσύνην. φασὶ γὰρ πρὸς ἑαυτὸν εἰρηκέναι τὸν τῶν ὅλων θεὸν, ποιησωμεν ἄνθρωπον, κατὰ μίμησιν τὰς τῶν μεγάλας πεπιστευμένων ἀρχάς. καὶ γὰρ ὕπαρχοι καὶ στρατηγοὶ, πληθυντικῶς εἰώθασι λέγειν τὸ κελεύομεν, καὶ γράφομεν, καὶ προστάττομεν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ οὐ συνεῖδον οἱ παραπλῆγες, ὡς ἑνικῶς τὰ πλεῖστα λέγει ὁ θεός. Hoc eſt, Iudæi vero alia dementia præcipitati ſunt: aſſerunt enim ſecum dixiſſe Deum, faciamus hominem: quemadmodum ſolent hi qui ſummis funguntur magiſtratibus: nam Prætores, ac Tribuni ſub numero plurium ſolent dicere, imperamus, ſcribimus, iubemus. & id genus: dementes profecto, qui non intellexerint Deum ferè ſemper ſingulariter loqui. Hæc ille, citatq; innumera exempla, vt illud. Finis omnis carnis venit coram me. & illud, Non erunt tibi dij alij præter me: & alia. Inuenies autem veriſſimum eſſe ita ſentire Iudæos, vt ait Theodoritus, ſi legeris hoc loco Auen Eſdra. Sed nonne probabilius eſt, quod attulerunt noſtri? perperam enim & ineptiſſime Iudæi poſt Christi aduentum ſcripturas interpretati ſunt, vt paſſim in eorum ſcriptis videre licet. Alij quoq; ad philoſophorum placita, alij ad aſtrologorum eas torquere conati ſunt. Eorum itaque commenta, pueríleſq; nugæ nihili ſunt faciendæ, ſed autoritati potius ſanctiſſimorum doctiſſimorumque patrum ſtandum, qui & diuinitus ſunt locuti, & eorum mentes omni lynceo erant acriores.

Tryadis myſteriũ.

Hæretici Deũ, in homine formando angelos allocutum falſo exiſtimantes.

Iudæorum commentum.

Deũ de ſe ſingulariter loqui.

Ad imaginem noſtram.] בצלמנו id eſt, in imagine noſtra: nihil refert quod præpoſitio mutata ſit: ſic enim erat Latine dicendum, vt & Septuaginta fecerunt, qui, in, verterunt, in πρὸς, ad. Quæ à Platonicis numeratur inter cauſas exemplares, eamque appellant πρὸς ὅ. id eſt, ad quod. Notat Rabi Moſes, in ſuo More hanibchim צלם, id eſt, imaginem, hic ſignificare imaginem ſubſtantialem, quam philoſophi εἶδος, aut ἰδέαν appellent, non illam quæ lineamentis, atque coloribus exprimitur. eam enim appellari תאר thoar, id eſt, corporis qualitatem. Propterea ad imaginem diuinam factus homo dicitur, hoc eſt, quatenus ad ipſam Dei intelligentiã ac rationem ſubſtantiamque ſpectat, ad cuius ſimilitudinem effectus homo eſt, quòd homo in ipſa ratione, atque intelligentia homo ſit. Quam opinionem refert Plutarchus etiam Homeri fuiſſe. Idem poſtea ſenſit & Socrates, quem Marcus ſecutus, pronunciauit corpus eſſe quaſi animi receptaculum. Sic & Epictetus Stoicus, & eum ſecutus Simplicius. Syriani quoque de ea re hæc verba ſunt ὁ νοῦς ὁ ἐν ἡμῖν, ἄνθρωπός ἐστιν ὁ κυρίως. id eſt, mens quæ in nobis eſt, proprie homo eſt. Quia igitur homo, id eſt ratio, & intellectus humanus ad imaginem intellectus diuini factus traditur, ineptè certe eum locum Manichæi, atque Gentiles intelligebant, credentes id de corporea imagine dici, nosque impietatis reos agentes, cùm is ſenſus & à ſacris ſcripturis, & ipſa natura plurimum abhorreret. Quamobrem iuſte ab autore Latino carpitur Epicurus, qui hanc hominis cum Deo ſimilitudinem in corporeis lineamentis ponebat, apud quem hæc ſunt: Ad ſimilitudinem enim Deo propius accedebat humana virtus quàm figura. Factum autem hominem ad imaginem Dei teſtatur & ipſe Mercurius dicens. ὁ δὲ πάντων, πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύησεν ἄνθρωπον, αὐτῷ ἴσον. οὗ ἠράσθη, ὡς ἰδίου τόκου, περικαλλὴς γὰρ ἦν, τὴν τοῦ πα-

πρός.
צלם
εἶδος, ἰδέα
תאר

Homo factus ad imaginem Dei.

Homo, ratio, intellectus, mẽs.

Prima mens.

Animus humanus ſimulacrũ Dei.

Ad imaginẽ, & ad ſimilitudinem, an idem.

τρὸς ἔχων εἰκόνα. Hoc eſt, Pater autem omnium mens, cùm vita eſſet & lumen, peperit hominem D ſibi ſimilem, quem amauit tanquam propriam prolem, erat enim pulcherrimus, cùm paternam teneret imaginem. Et paulo inferius. φῶς καὶ ζωὴ ἐστὶ ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ, ἐξ οὗ ἐγένετο ἄνθρωπος. id eſt, lumen, & vita eſt Deus & pater, ex quo homo effectus eſt. Pſellus in Chaldaicis oraculis aut ſententijs, de hac re etiam ſcribit fuiſſe, & Chaldæorum eam opinionem. ὥσπερ ἡ μωσαϊκὴ βίβλος, κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ πλάττει τὸν ἄνθρωπον, οὕτως καὶ ὁ χαλδαῖος, τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ κόσμου φησὶν συμβολα ἐν κατασπεῖραι ταῖς ψυχαῖς, τῆς ἑαυτοῦ ἰδιότητος, id eſt, Quemadmodum liber Moſis ad imaginem Dei fingit hominem, ſic & Chaldaica hæc ſententia pronunciat, mundi huius opificem & patrem, ſuæ ipſius naturæ quædam ſymbola animis humanis inſeruiſſe. Proclus etiam, inter Platonicos celeberrimus, hoc modo de ea re ſentit ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς, τοῦ πρώτου νοῦ εἰκών. Hoc eſt, Mens quæ in nobis eſt, eſt imago primæ mentis. Niſi forte aliud ſentire videatur: nam primam mentem, non ſummum Deum, ſed Saturnum eſſe fabulantur. Idem & apud eundem ſcriptorem quem modo citauimus extat, qui in legibus ait: Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Alibi quoque ſcripſit noſtrum animum, diuinum eſſe ſimulachrum. Quod igitur in ſacris litteris traditur, ne gentilibus quidem ſapientioribus erat abſconditum. Vt hinc facile intelligas, quanta ſit ſacrarum litterarum maieſtas, ad quas qui propius acceſſerunt, cæteris ſapientiores apud gentes habiti ſunt. Eam diuinam ſimilitudinem, quanquam in animo ſita ſit, poſſunt tamen homines facile amittere, ſi ſcelerate & impure vixerint. ideo Gregorius Nyſſenus, in animi expiatione eam poſitam eſſe aſſerit dicens. hæc inquit ſimilitudo, eſt καθαρότης, μακαριότης, ἀπάθεια, κακοῦ παντὸς ἀλλοτρίωσις, καὶ ὅσα τοιούτου γένους εἰσὶν, id eſt, Puritas, beatitudo, carere affectibus, ab omni prauitate eſſe ſeiunctum, & id E genus alia. Cui conſone fatetur & Empedocles, homines probos eſſe Dei ſimillimos, & poſt vitam fieri Deos, dicens, ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοί. id eſt, poſt hanc vitam inquit, viri ſapientes, dij efficiuntur, & quaſi repullulant. Eſt autem & illud obſeruandum, diuinis patribus noſtris, alijs quidem viſum eſſe idem eſſe ad imaginem & ſimilitudinem, alijs autem aliud. Apud interpretem Gregorij. καὶ τῷ μὲν ἁγίῳ κυρίλλῳ, τὸ αὐτὸ καὶ ἓν εἶναι δοκεῖ τὸ κατ᾽ εἰκόνα, καὶ καθ᾽ ὁμοίωσιν. τοῖς δὲ λοιποῖς θείοις πατράσιν κατὰ εἰκόνα μὲν τὸ νοερὸν, καὶ αὐτεξούσιον, καὶ τὸ ἀρχικόν. καθ᾽ ὁμοίωσιν δὲ τὸ ἐν ἀρεταῖς τέλειον, ὡς ἐφικτὸν ἀνθρώπου φύσει, ἀρεταὶ γὰρ οἱονεὶ χαρακτῆρες τῆς θείας ὑπάρχουσι φύσεως. id eſt, Et ſancto quidem Cyrillo idem viſum eſt, eſſe ad imaginem & ſimilitudinem: cęteris autem diuinis patribus aliud, vt ad imaginem ſignificet ipſam intelligendi vim, & ipſius intellectus libertatem, & imperium: at, ad ſimilitudinem referri ad virtutes, quantum natura datur ad eas homini attingere. Nam hæ tanquam ſimilitudines diuinæ naturæ ſunt: mitto etiam ſententiam Chryſoſtomi, Auguſtini, & aliorum, quia infinitæ propè ſunt.

Hominis varia etymologia.

ἄνθρωπος Homo Adam.

Adam nõ proprium nomẽ, ſed ſpecificũ.

בני אדם Filii hominis, locutio Hebraica.

Defenditur Auguſtini interpretatio nominis. ADAM.

Hominem.] אדם Adam. Varia vero eſt hominis etymologia tam apud Græcos, quam Hebræos ac Latinos. Primi enim vocum inuentores, non eandem rem ſpectabant. Itaque is, qui apud Græcos finxit nomina, ſiue Deus, ſiue quiuis alius, non idem animaduertit, quod & is qui Hebræis appellationes notauit. Græce enim ſi Platoni credimus, homo ἄνθρωπος vocatur, quod os ſublime teneat, ſurſumque aſpiciat, ab ἄνω ſurſum, & ἀθρῶ, aſpicio. Si autem homo Latinè ab humo dicitur, conuenit cum etymologia Hebraica, ab adama enim, id eſt humo, Adam dictus eſt: quãquam Ioſephus ab edom hoc eſt rubro id nomen duci putet: fictum enim eſſe hominem in agro Damaſceno, eamq; terram, è qua cõpactus fuerit, rubram extitiſſe. Quod tametſi non improbo, F ſacræ tamen litteræ docent, ab adama, dictum eſſe Adam. Veriſſima igitur hominis, ac maxime ad hominis proprietatem accedens etymologia erat, vt à terra vocaretur. Deus enim, more figulorum his litteris docentibus, hominem luteum prius finxit, omni ſenſu, omni motu carentem, cui cùm inſpiraſſet, repente animatus eſt. Igitur ſi id potiſſimum ac maxime memorabile dum efficeretur homo, contigit, vt prius fuerit terreus, honeſtiſſima fuit eius appellatio, vt Adã quaſi terreus vocaretur. Vt ergo humanum corpus è terra ductum factumq; eſt, ita nomen hominis, à terræ nomine duci par erat. Adam igitur non eſt nomen illius primi hominis proprium, ſed totius ſpeciei humanæ. Ideo vtrunque ſexum complectitur: dicetur enim inferius ca. 5. in die qua creauit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, maſculum & fęminam creauit eos. Hebræi quoque pro eo quod nos dicimus, homo animal rationale: ipſi, Adam chai medaber. Quapropter obſeruanda eſt phraſis Hebraica, qua & Græcos inuenio aliquando vti. Sicut enim Græci frequenter dicunt, ἰατρῶν παῖδες, ἰνδῶν παῖδες. id eſt, medicorum filij, Indorum filij, ipſos medicos, ipſosque Indos intelligentes, non eorum filios: ſic & Hebraicè homines appellantur bene Adam, hoc eſt filij hominis, videlicet genus humanum. In euangelio ergo, cùm Deus appellat, ſe filium hominis, idem eſt ac ſi vocaret ſe hominem, neque aliud ibi ſuſpicandum eſt: eſt enim locutio Hebraica: neque enim ſe filium hominis vocabat, quòd ex Maria natus eſſet, quanquam illud eſſet veriſſimum: ſed quòd figuram ac naturam geſtaret humanam, & quòd vere eſſet homo. Filius itaque hominis, id eſt homo. Vt enim elegantiſſime quis apud Hebræos loqueretur, ſi omnes homines filios Adam diceret, ita in ſingulari quoque homine venuſte id fieret. Hanc phraſim & ad loca Hebræi accommodant: appellant enim filios orientis eos, qui ad ortum habitant. Filium pacis, filium timoris, filium mendacij.

A dacij. De quibus nos alibi copioſius. Qui autem frigidam expoſitionem Auguſtini huius nominis Adam appellant, quòd is ſanctiſſimus, ſapientiſſimusque vir, Adam putet dici, quod per has quatuor litteras, omnes mundi partes intelligamus, per a ἀνατολὴν, per d, δύσιν, aliud a, ἄρκτον, vltimam μεσημβρίαν: miror cur ijdem non taxarint & Cyprianum, qui ante Auguſtinum hoc idem tradidit: qui & illud addidit, ideo quatuor mundi partes eo nomine cõprehendi, quòd ex omnibus mundi cardinibus terra illa ſumpta ſit, è qua fictus Adam eſt. Si hæc itaque frigida ſunt, cur eodem modo non frigent omnia, quæ à Platone in Cratylo ſcripta ſunt? cur & Varronis etymologiæ non frigebunt? qui etiam conatur nominibus Græcis etymon Latinum accommodare. In qua re maxime reprehenditur à Seruio Donatus, quòd is vellet Lenæum Bacchum dici, à leniendo animo. Mira igitur eſt horum hominum impudentia, qui pluris vnam Ciceronis voculam facerent, quàm quicquid diuini illi homines dixerint: quorum, vt eſt maxima ſanctitas & eruditio, ita maxime à vaniſſimorum hominum latratibus tuta. Hos certe nunquam ſatis demirari potuimus: qui ſi vel minimam labeculam apud ſanctiſſimos illos viros repererint, miras excitant tragœdias: Clamant, vociferantur, ingemiſcunt errorem, lachrymas ſe continere non poſſe proteſtantur, dicunt eos in alio verſari mundo. Idque non alia gratia fit ab eis, quàm vt ſummis viris detrahendo, gloriolam quandam, cuius auidiſſimos eos eſſe, eorum ſcripta proclamant, adipiſcantur. Vbi igitur modeſtia illa Chriſtiana, quàm in alijs tantopere deſiderant ipſi omnium egentiſſimi? Hocne eſt, prodeſſe poſteritati, & non magis obeſſe? cui ſuæ maledicentiæ ipſi præclara relinquent exempla. Quæ igitur eſt hæc tam inaudita, tam inſolita barbaries? Vbi hoc hominum genus ortum, educatumque eſt? num apud Chriſtianos, non magis ad Hyrcanas ſyluas, & ſcopulos Caucaſeos? Vtri efferaciores, ipſi an Tybareni illi, ac B Derbices, qui patres mactabant, è ſcopulisque præcipitabant? At ipſi omnes ordines, omnem ſexũ, & ętatem defędarunt, crudeliter lacerarunt, immaniſſime dilaniarunt. Hocne eſt eſſe Chriſtianum? an non magis pluſquã Turcam, ac Sarracenum? Vſi ſunt fateor etiam ſanctiſſimi viri reprehenſionibus, etiã Apoſtoli, etiam CHRISTVS. at quanta cũ modeſtia, quanta cũ lenitate etiam profanos, & Deo aduerſantes caſtigabant? quàm humane Origenes reprehendit Celſum? Baſilius Eunomiũ, ac reliqui. At hi Chriſtianos ipſos, diuos ipſos, quanta cum ignominia, quibus ſannis, quibus ſcommatis carpunt, allatrant, ſubſannant? Pudet profectò quoties in eorum ſcripta incidimus, in quibus nullum Chriſtianæ pietatis apparet veſtigium, ſed omnia ethnicis oſtentationibus, virulentijs pluſquam Iudaicis ſcatent: Omnia vano ſtrepitu, vaniſſimis iactationibus reſonant, & quod miſerius, cum ętate creſcit delyrium, ac tunc inueniuntur deteriores, quando & diuina minitante Nemeſi, & toto orbe terrarum in eos vociferante, debuerant reſipiſcere, & præteritæ ætatis errata recantare. Sed hi, ne cum Phrygibus quidem volunt ſerò ſapere. Quid ergo de his poſteritas dictura ſit, ipſi viderint. Nos & ſanctitatem, & eruditionem ſummorum virorum ſemper admirabimur: quorum vtinam ſanctimoniam, ac pietatem aſſequeremur, etiam cum imminutione noſtrę eruditionis. Vt enim eruditio optima quædam res eſt, ſi pietati ſit coniuncta, ita certe peſtilentiſſima, ſi ſit ab ea ſeiuncta. Non eſt ergo quòd de eruditione gloriemur, in qua ſiue æquemus, ſiue ſuperemus diuinos illos viros, ſanctitate certe ſumus adeo inferiores, vt ſine lachrymis referri non poſſit. Nos certe dum nihil neſcire videri volumus, in flagitioſiſſimas oſtentationes incidimus, à quibus omnes boni viri abhorruerunt.

Eruditio abſq; pietate peſtilens.

C CAPVT II.

PErfecti ſunt cæli.] Sicut in principio tranſtulit, creauit cęlum & terram: ita nunc fortaſſe vertendum fuerat, perfectum eſt cælum: Cęli enim nomen apud Hebræos plurale eſt, nunquam ſingulare: quod vel ex Hebraiſmi proprietate eſt, vt pleraque alia, quæ in plurali declinantur, vt maim, id eſt aquæ, & alia id genus: vel certè myſterium complectitur. non enim vnum tantum cęlum innuere videntur ſacræ litteræ, ſed plures vel angelos, vel quãcunque aliam ſubſtantiam. Sunt enim qui naturam angelicam, quam Platonici νοεροὺς καὶ νοητοὺς appellant, cælos interpretentur. Atque propterea factum eſt, vt in ſacris tantum libris inueniatur cæli appellatio in numero plurium: neque enim vſquã in alijs libris, cælos reperies: ſicut neque apud Græcos οὐρανοὺς. Primi itaque Septuaginta apud Græcos, cælum in plurali ediderunt: volueruntque, aut myſterium, quòd ea voce continebatur, exprimere, vel ſtylum ac modum Hebraicum ſeruare: perinde ſiquis tenebras Latinè Græcè verteret σκότη. Vtrunque certè voluit oſtendere Hierony. dum ſupra eandem vocem per ſingulare, hic per plurale vertit: quòd autem per cælum aliud etiam intelligamus, teſtatur Theodoritus hoc loco ſic. μετὰ τὰς ἀοράτους καὶ νοερὰς οὐσίας, οὐρανὸν ὁ θεὸς κατασκευάζει, εὐθὺς μετὰ τῆς γῆς· οὐ τὸν ὁρώμενον. δευτέρα γὰρ οὗτος ἡμέρα γίνεται. ἀλλὰ τὸν ἀνώτερον, ὃν ὁ Δαβὶδ οὐρανὸν οὐρανοῦ καλεῖ, id eſt, Poſt inuiſibiles, & intelligibiles ſubſtantias, Deus illico cęlum conſtruit vnà cum ipſa terra, non hoc quod videtur, nam ſecunda die id conditum eſt, ſed ſuperius quoddam, quod Dauid, cælum cęli vocat. Idem ſentit etiam Baſilius, & Origenes, qui primus eius ſententiæ autor videtur fuiſſe. Hoc idẽ copioſe oſtendit & Theodorus. Videtur autem is neq; litteras Hebraicas ignoraſſe, qui

Cælum in ſolis ſacris libris pluraliter inueniri.

Duos tantum cælos eſſe.

Cęlum empyrium.

Cælum ex aqua & igne conſtat.

Cęlum cryſtallinũ & firmamentum idem.

Cęlum eſſe quintã eſſentiam, falſum eſt.

& duos tantum eſſe cœlos vult, ſupremum omnium vt nos paulo ante diximus, & firmamentũ. D Præter hæc fabulas eſſe cenſent, etiam pietati aduerſantes, quæ de pluribus cælis ab alijs dicta ſunt. Quod neſcio an propter Chaldæos dixerit, qui ſeptem aſſerebant firmamenta, vt nos ſupra oſtendimus. Quanquam hoc idem multi ex noſtris ſint opinati. Albertus refert tanquam noſtrorum theologorum ſit ſententia, eſſe ſeptem cęlos, aerium, ætherium, olympium, igneum, firmamentum, aqueum, empyrium. id eſt, cælum angelorum: verum hæc neſcio, an fabuloſa ſint, licet & Beda idem ſentiat. Opinio vero Chriſtianorum de cælo empyrio non tam noſtra videtur eſſe, quàm vetuſtiſſimarum gentium, vt modo diximus, præſertim Chaldæorum, qui ſeptem corporeos mundos numerantes, principatum tribuebant mundo empyrio. ſic enim Pſellus de Chaldæis vt ſupra citauimus. ἑπτάφασιν σωματικοὺς κόσμους, ἐμπύριον ἕνα καὶ πρῶτον. Hoc autem primum cælum fortaſſe eſt de quo ſentit Theodoritus, dum primum quoddam cælum fuiſſe aſſerit, alterum autem poſt ipſum, hoc quod firmamentum appellatum eſt. De quorum diuerſitate ſic ſcribit, ἔδει τὸ διάφορον γνῶναι. ὁ μὲν γὰρ πρὸ τοῦ φωτός, ὁ δὲ μετὰ τοῦ φωτός, καὶ ὁ μὲν οὐκ ἐκ τίνος, ὁ δὲ ἐξ ὑδάτων. Neceſſe eſt inquit, quid inter vtrunque cælum interſit cognoſcere. cum primum ante ipſam lucem conditum ſit, ſecundum vna cùm ipſa luce: & illud quidem ex nihilo, hoc autem ex aquis. Quod autem incredibiliter adiuuat ad cognoſcendam cæli naturam eſt, nam cælum appellatur Hebraicè שמים shamaim, ab es, quod eſt ignis, & maim aquæ: ex aqua enim & igne ipſum conſtare, videntur ſacræ litteræ innuere. Quod non modo Hebræis, ſed etiam ſanctiſſimis illis patribus Græcis placuiſſe videmus, ſicut modo Theodoritus, & paulo ante aſſerebat: quod vult maxime per illud innui, fiat firmamentum in medio aquarum. Seuerianus etiam in eadem eſt ſententia, cuius verba ſubſcribam. τὸν οὐρανὸν τοῦτον, οὐ τὸν ἐπάνω, ἀλλὰ τὸ ὁρώμενον, ἐξ ὑδάτων ἐποίησεν ὁ θεός, πήξας ὡς κρύσταλλον. E id eſt, cælum autem non ſupremum illud, ſed illud quod oculis patet, ex aquis fecit Deus, ipſum coagmentans inſtar cryſtalli. Ex quibus etiam verbis licet animaduertere, falsò atque imprudenter numerari à quibuſdam theologis recentioribus cælum cryſtallinum, inter alia firmamenta, vt quaſi vnum à reliquis ſeparatũ ſit, idem enim Seuerianus ait, ἐπάγη ἐν μέσῳ τῶν ὑδάτων, πῆγμα κρυσταλλῶδες ὁ οὐρανός, id eſt, coaluit inter medias aquas quædam inſtar cryſtalli conſtipatio. firmamentum igitur & cryſtalleum cælum, inſcite ab inuicem ſeiunguntur, cum idem ſint etiam teſtimonio Hebræorum, atque Græcorum, ipſa quoque atteſtante veritate. Qui ergo apud nos tot cælos numerant, videant ne in gentilium fabulas incidant, & in eam reprehenſionem, qua hoc loco vſus eſt ſanctiſſimus, doctiſſimusque Theodoritus. Poteſt etiam shamaim, iuxta Hebræos illud etymon recipere, à sham שם hoc eſt, ibi, & maim aquis, quòd ibi ſint aquæ, eritque propè idem veriloquium cũ ſuperiore. His tot teſtibus acclamantibus, ipſa quoque voce admonente diuina, cognoſcimus delyrantium hominum hallucinationem fuiſſe, & noua reperire cupientium, cælo quintam eſſentiam tribuere. Quod inuentum non tam veritati aduerſatur, quàm alijs etiam philoſophis, præſertim Platoni, qui ab antiquiſſimis theologis cælum ex elementis igne præſertim factum, & didicit, & illuſtriſſima voce pronunciauit. Quo magis carpendus eſt Proclus, qui bene ſentientem philoſophum conatur alienis delyrijs implicare. Qui & illud optime nobiſcum ſentire videtur, vt cęlum aſſerat corruptibile quidem eſſe, accepiſſe autem à Deo ἐπίκλητον ἀθανασίαν, id eſt aduentitiam immortalitatem.

צבא Στρατία

Militia cęli quid apud Hebræos.

Ornatus cæli.

Dominus exercituũ Deus cur dicitur.

Militia cęli.

Et omnis ornatus eorum.] וכל צבאם, id eſt, omnis militia eorum. zauà igitur Hebraicè, non ornatum proprie ſonat, ſed militiam aut exercitum, & quod Græcè eſt στρατιά, ſicut in eccleſijs canitur, Dominus Deus zebaoth, id eſt exercituum. F Quo epitheto maxime vtuntur ſancti prophetæ. Hieronymus autem putauit hoc loco ornatum eſſe vertendum. Phraſis enim & conſuetudo Hebraica eſt, vt in ea lingua, vniuerſa ſtellarum multitudo, militia, atq; exercitus appelletur, propterea militiam cęli adorare prohibentur Hebræi, id eſt ſtellas ipſas. Cęli ergo ornatus ſunt ipſa ſydera, totuſque cęli apparatus, atque opificium. Quod vt facilius perciperetur, Hebraica loquendi conſuetudine dimiſſa, exercitum vertit ornatum, quod tamen non fecit alibi: ſimul etiam Septuaginta ſecutus eſt, qui & ipſi vertunt κόσμος αὐτῶν, id eſt, ornatus eorum. Vitarunt nimirum & ipſi Hebraiſmum. Cùm ergo Deus à prophetis Dominus exercituum vocatur, innuunt eum cęli, cęleſtiumque ſyderum autorem ac parentem eſſe. Etiam & illud myſtice ſignificant, quòd ſit dominus angelicæ multitudinis, qui in diuinis litteris appellantur etiam militia, ſiue exercitus cæleſtis. Ac præter alia teſtimonia, in euangelio legitur, facta eſt cum eo multitudo cæleſtis exercitus: hæc inquam omnia innuuntur eo nomine à prophetis. Itaque militia cęli, tam omnes ſtellæ, quàm vniuerſa angelorum multitudo vocatur: ſicut etiam ſcribit quodam in loco Hieronymus.

Ab omni opere ſuo quod patrarat.] מכל מלאכתו ab omni opere ſuo in ſingulari. At Septuaginta per plurale ediderunt, ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, id eſt, ab omnibus operibus ſuis. Nihil vero id refert. Quanquam aperte intelligam, vnde factum ſit, vt Septuaginta per plurale verterint. Vltimum enim tau huius nominis, videtur eos fefelliſſe. Eſt enim ea littera apud Hebræos finalis nominum maſculinorum pluralium, interpoſita vau. צבאות zebaoth. Verum hoc loco ea littera non eſt. Quod itaque ſingulare erat, putarunt illi eſſe plurale. Conſimilis error etiam

ſupra

A ſupra deprehendit, qui ממשלת memsheleth, putarunt plurale eſſe. Itaque & illum locum verterunt ἀρχὰς, id eſt, imperia, potentias, idem frequentius reperitur. Neque exiſtimandum eſt, nos alios codices habuiſſe, cùm editio Chaldaica per ſingulare idem nomen efferat, עבידתיה, id eſt, opere eius, vel ſuo: Noſtra quoque interpretatio clariſſimum ad id afferat teſtimonium. Quod inſuper erat Hebraicè עשה, id eſt, fecit, ipſe vertit patrarat.

In die ſeptimo.] Ex hoc loco poſſunt corrigi codices Græci, quorũ plures habẽt, ϗ συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, τὰ ἔργα αὐτοῦ, id eſt, compleuit Deus in die ſexto opera ſua. ſeptimum habet Hebraica veritas ויכל אלהים ביום השביעי מלאכתו, id eſt, & compleuit Deus in die ſeptimo, omne opus ſuum. Quod autem vetuſti codices Græci ita habuerint, indicio ipſi interpretes Græci ſunt, qui eodem modo citant eum locum. Theodoritus ϗ συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ & quæ ſequuntur apud ipſum. Theodoritus quoque eo modò interpretatur, vt vſque ad ſextam diem Deus operatus narraretur, ſabbato autem quieuiſſe. Sed idem eſt ſi vel in ſexto, vel ſeptimo opus perfectum dicamus. Certum ſiquidem eſt in ſeptimo nihil effectum fuiſſe, ſed ſex illis diebus tantum. Quod ergo in die ſeptimo Deus opus ſuum perfeciſſe dictus ſit, hoc innuitur in ipſo ſabbato ceſſatum eſſe, vt tamen in eo nihil operis prius fuerit inchoatum. A Septuaginta autem dicitur Deus ſexta die quieuiſſe, quippe qui eadem die omnia abſoluerit. Quod etiam exponitur ab Auen Ezra, & ceſſauit, inquit, ab omni opere ſuo, quod fecerat ſcilicet ביום הששי שלפני שבת, id eſt, in die ſexto, ante ſabbatum. Annotatur is locus etiam ab Hieronymo.

Græcorum codicũ erratũ, ſexto pro ſeptimo habentium.

Deus ceſſauit ab opere die ſexto.

Iſtæ ſunt generationes.] תולדות eſt autem nomen ductum ילד, Hoc eſt, genuit: ſignificatque natiB uitatem, generationem, vel cognationem, ac familiam. Septuaginta verterunt αὕτη ἡ βίβλος τῆς γενέσεως, id eſt, iſte eſt liber generationis, quod non eſt in Hebraico: non enim dicitur iſte eſt liber, ſed vt vertit Hieronymus, iſtæ ſunt generationes. Arbitror autẽ à librarijs eſſe additum iſte eſt liber, ex quinto capite, vbi ſcribitur זה ספר תולדות, id eſt, iſte liber generationum, Vel fortaſſe fecerunt ipſi Septuaginta, ex illo loco explicantes iſtum. Sed cur hæc minima annotamus? quod autem verterunt Septuaginta generationes, non generationem, vt Hebraice eſt, & vt tranſtulit Hieronymus, ex eo crediderim contigiſſe, quia cum illi biblia ſine punctis vterentur, vt infinitis penè coniecturis deprehenditur, & vt ſæpe nos monſtraturi ſumus, fortaſſe eandem dictionem legerunt tholedoth, quæ pluralis eſt, vel tholedath in conſecutione, quæ ſingularis eſt, Sic enim ſcribitur ſine vocalibus תולדת ſine cholem: atque ita factum vt plurale ſingulare effectum ſit: quod vt minimi momenti eſt hoc loco, ita alibi plurimi referret. Satis eſt autem nunc cauſam varietatis oſtendiſſe: Videbimus enim quàm vtile fuerit alibi, id à nobis eſſe animaduerſum.

Et omne virgultum agri.] Tam Hieronymus, quàm Septuaginta nomen atque etymon Hebraicum exprimere voluerunt, virgultum enim in ea lingua appellatur ירק ierec: à iarac, id eſt, viridi. Atque ierech proprie virorem aut viriditatem ſonat. Omne igitur quod viride eſt, ſiue in herbis, ſiue in plantis, ierec nuncupatur. Quod optime reddiderunt Septuaginta, πᾶν χλωρὸν ἀγροῦ, id eſt, omne viride in agris: noſtra vero vox non totum id attingit, quippe cum virgultum, magis de plantis quàm de herbis dicatur. Alibi tamen vertit Hieronymus ירק virens, Septuaginta imitatus.

C *In die qua fecit Deus.*] יהוה אלהים, Id eſt dominus Deus. Atq; hic primum additur nomen tetragrammaton, id eſt quatuor litterarum, quod ineffabile eſt, neque vllus eſt hominum, qui ipſum vel audeat, vel poſſit proferre. Sunt quatuor litteræ, quæ quid ſonent, nemo nouit hominũ. Profertur autem ab Hebræis alieno ſono ſcilicet Adonai, cùm tamen ea nominis tetragrammaton vox minime ſit. Quod nomen vt diuiniſſimum eſt, ita ad varias & execrabiles ſuperſtitiones ab Hebræis, gente omnium ſuperſtitioſiſſima trahitur. Omittitur autem hic & ab Hieronymo & Septuaginta, forte ea inductis ratione, quod duo diuina nomina idem polleant: tam enim primum, quàm ſecundum ſonat Deum. Nam quod Hebraicè eſt Adonai Eloim, Latine & Græce Deus diceretur. Cur vero verterent nomen tetragrammaton, cum nulla neque Græca, neque Latina voce exprimi poſſit? quòd ſi Eloim Deum interpretari voluerimus, nomen tetragrammaton quo nomine exprimemus? Hæc itaque cauſa eſt cur & à Septuaginta, & Hieronymo id nomen verſum non ſit, licet alibi dicant dominus Deus: cùm id etiam nihil ad ſignificationem faciat. Cur autem hoc primum loco additum ſit, cùm taceatur ante vbique, varja dicuntur ab Hebræis, quæ à nobis conſulto omittuntur, eo quòd aliò tendimus. ſolum quod Auen Ezra, ait proferamus: הנכבד והנורא עמו ומה יקרו דברי קדמוננו ז״ל שאמרו נקרא שם מלא על עולם מלא ודע כי מהפסוק הראשון עד לעשות הזכיר הכתוב אלהים ואחר כן השם id eſt, Animaduertito, inquit, quòd à primo verſu vſque ad operis cõſummationem ſacer contextus ſemper nomen Dei Eloim ſeparatim poſuit. ab eo autem loco adiunxit ei nomen tetragrammaton, quod diuine interpretati ſunt maiores noſtri dicentes, neceſſe fuiſſe, vt ibi eſſet perfecta Dei appellatio, vbi perfectum eſſet opus.

Tetragrammaton ineffabile.

Nomen Iehoua cur verſum nõ ſit.

Fons aſcendebat.] Imitatur Septuaginta, qui & ipſi vertunt. πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς, id eſt, Fons autem aſcendebat è terra. Carpitur autem is locus à Iudæis, quod Hieronymus verterit fontem, cùm Hebraicè ſit אד, id eſt nubes. Moſen enim ſcribere, non fontem, ſed nubem

Fons pro vapore. Terra hortus nuncupata.

è terra eleuari ſolitam, qua irrigaretur vniuerſa tellus, vt natura ſit. Alioqui quomodo cohæret, D vt fons aſcenderet è terra, quo vniuerſa humectarentur? Sed Hieronymus, vt dixi, imitatus eſt Septuaginta, qui vaporem hunc, quem ſol ſuo calore efficit, fontem interpretati ſunt: non quod re vera fons eſſet, ſed quod inſtar fontis, omnia inundaret. Terra quoque quaſi hortus nuncupata eſt, quam is fons irrigaret. Alioqui neq; ſanctiſſimi patres Græci ignorarunt hoc, quod de vapore modo dictum eſt. Neque propterea quod Septuaginta verterint fontem, non intellexerunt de vaporibus, ac nubibus hunc locum eſſe intelligendum. Theodoritus enim ea de re hæc refert. Docet, inquit, Moſes terram fuiſſe tunc incultam, quod nemo adhuc inueniretur qui eam excoleret, neq; ſuperne caderent imbres, quibus ἀρδείαν ἔχουσα τὴν μετὰ τὸν χωρισμὸν τῶν ὑδάτων ἐν ἀπομείνασαν αὐτῇ νοτίδα, καὶ ἰκμάδα, id eſt, quibus inquit, fœcundaretur terra, quæ vitalem illum poſt aquarum receſſum, contineret vaporem. Ita enim, inquit, interpretatus eſt Aquila, καὶ ἐπιβλυγμὸς ἀνέβη ἐκ τῆς γῆς, id eſt, irrigatio aſcendebat è terra. Ita atteſtatur & Euſebius, quendam Hebræum ſibi retuliſſe, non fontem haberi Hebraicè, ſed quoddam vaporis genus.

Philō ſuarum litterarū ignarus.

Philon autem Iudæus videtur ſuas litteras ignoraſſe, quod cùm ex multis locis licet cognoſcere, tum ex hoc præſertim. Exponit enim de fontibus qui è terræ viſceribus ſurgunt, non de vaporibus. Videtur certe codices Hebræos non legiſſe. Vt enim fuit Græcè doctiſſimus ita fortaſſe ignorauit Hebraicè. Is mirifice approbat editionem Septuaginta, cùm tamen in ea tot errata deprehendantur. omnes autē qui hunc locum (aliqui enim inuenti ſunt) de ſubterraneis fontibus interpretati ſunt, editione Septuaginta decepti videntur: vt eſt Vgo de ſancto Victore, qui in libro de ſacramentis per hunc fontem, quandam ſubterraneam abyſſum putat intelligi. Chaldaica quoque editio, quæ ſemper vera inuenitur, nubem non fontem interpretatur ſcilicet עננא, id eſt nubes. E Eſt autem & Hebraicum id nomen & Chaldaicum. Illud quoque obſeruandum, quòd Hebraicè non eſt aſcendebat ſed עלה id eſt, aſcendet: neque propterea futuræ ſignificationis eſt, ſed vt verterunt Septuaginta, & Hieronymus.

Hebræi futuris pro præteritis imperfectis vtuntur.

Nam peculiare in lingua Hebraica eſt, vt futuris pro præteritis imperfectis vtantur: ſiquidem eo carent tempore, ſufficiuntque per futurum, quod vehementer obſeruari velim. Dicetur quoque inferius de fluuio, diuidebatur in quatuor capita, cùm ibi etiam futurum ſit. Hanc rem nos multis in locis annotabimus.

Formauit hominem de limo terræ.] Hebraicè expreſſius, & quod verum eſt, magis ſignificans. Finxit enim Deus primo hominē terreum, vt figulorum moris eſt, ideo Hebraicè habetur. האדם עפר וייצר יהוה אלהים את id eſt, & finxit Deus Tetragrammaton, hominem terreum: ac propterea vſus eſt verbo finxit.

Terrigenæ homines.

Atque hæc eſt cauſa quòd à Mercurio antiquiſſimo, & maximo Theologo, homines appellantur γηγενεῖς. i. terrigenæ, neq; aliud eſt Adam Hebraicè, quàm terrigena Græcè, & Latinè. De qua re Gregorius Nyſſenus. ideo inquit Apoſtolus, τὸν ἐκ γῆς ἄνθρωπον, χοϊκὸν ὀνομάζει, οἱονεὶ μεταβαλὼν τὴν τοῦ Ἀδὰμ κλῆσιν εἰς τὴν ἑλλάδα φωνήν, id eſt, hominem qui è terra fictus eſt, terreſtrem vocat, quaſi nomen Adæ in Græcam vocem vertens.

Corpusne an anima prius facta ſit.

Homini autem ita effícto inſpirauit animam Deus. Atque hinc argumentum eſt, prius corpus, quàm animam factum eſſe. Gregorius autem Nyſſenus diui Baſilij frater, vtrumque reijcit, neque, ſcilicet corpus ante animam, neque animam ante corpus effectum eſſe. Hoc enim magis Platonicum eſſe, & ab externa philoſophia petitum, quàm Chriſtianum. Illud autem, non quadrare naturæ. Nunquam enim eſſe organum ſine virtute. quapropter ſimul facta eſſe confirmat.

Corpus ante animā factum.

Ioannes autem Damaſcenus corpus ante animam effectum eſſe aſſerit, vt & ſacræ atteſtantur litteræ, & vt ordo F poſcebat, cæterarumque rerum exemplum. Cùm enim homo omnium finis ſit, nouiſſimus tamen omnium conditus eſt. ait igitur, ἀλλ' ἴσως εἴποι τις ἂν καὶ τίνος ἕνεκεν, εἰ τιμιώτερον ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος, τὸ ἔλαττον, πρῶτον δημιουργεῖται, καὶ τότε τὸ μεῖζον, οὐχ ὁρᾷς ἀγαπητὲ, ὅτι καὶ ἐπὶ τῆς κτίσεως, τὸ αὐτὸ τοῦτο γέγονεν, ὥσπερ γὰρ οὐρανὸς καὶ γῆ, καὶ ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐδημιουργήθη, καὶ τὰ ζῶα, καὶ τὰ ἄλογα· καὶ μετὰ ταῦτα ὁ ἄνθρωπος ὁ τούτων πάντων τὴν ἀρχὴν μέλλων ἐγχειρίσεσθαι· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐν αὐτῇ τοῦ ἀνθρώπου διαπλάσει, πρότερον τὸ σῶμα προάγεται, καὶ τότε ἡ ψυχὴ ἡ τιμιωτέρα. & reliqua, id eſt, at quamobrem, dixerit fortaſſe quiſpiam, ſi anima longe præſtat corpori, quod imbecillius eſt, prius eſt conditum? Deinde quod præſtantius? At non cernis cariſſime, idem in vniuerſa conditione accidiſſe? Vt enim cęlum, ac terra, Sol, Luna, animalia, ac bruta, reliquaque omnia prius effecta ſunt, ac deinceps homo, cui omnium harum rerum imperium erat tribuendum: eadem ratione, in ipſo humano opificio, prius corpus, deinde anima multo eo præſtabilior, efficitur. Arbitror ipſe vtrumque verum eſſe poſſe. Illud autem verius cui à ſacris litteris euidentius eſt teſtimonium. Ruphinus tanquam rem hęreticam exiſtimabat, ſi quis crederet animam ante corpus eſſe conditam: atque in eo accuſat Hieronymum, licèt falsò.

In faciem. In nares.

In faciem eius.] באפיו, id eſt, in faciem vel nares eius: vtrumque enim nomen Hebraicum ſignificat. In nares autem fortaſſe magis eſſet conſentaneum, quòd in his reſpiratio ſit poſita, & inde halitus hauriatur, & eo diuina penetrarit afflatio: atque ideo Aquila, & Symmachus μυκτῆρας vertunt, hoc eſt nares.

Plantauerat autem dominus Paradiſum.] Quanquam multa ac varia ab Hebræis, Arabibus, Chaldæis, Græcis, ac Latinis de paradiſo referantur, nihil tamen eorum attingere decreuimus, cùm

noſtro

A noſtro id refragetur inſtituto, qui circa ſimplices voces tantum, nos verſaturos ſumus polliciti. Quod ſi quis ea de re accuratius cognoſcere voluerit, ab his petat neceſſe eſt, quorum eſt munus copioſius hæc explicare. Apud quos quanta eſt rei ignoratio, atque obſcuritas, tanta eſt varietas ſententiarum. Neque tamen hæc tam ſicco pede præterire voluimus, quin tam obſcuræ, & ab humana intelligentia ſubmotæ rei aliquid luminis afferremus. Textus itaque Hebraicus ita ſe habet ויטע יהוהאלהים גן בעדן id eſt, Et plantauit dominus Deus hortum in Heden. Quod igitur vertit Hieronymus paradiſum voluptatis: Hebraicum habet paradiſum, vel hortum in Heden. Id quod & Septuaginta ſecuti ſunt, qui non Paradiſum voluptatis, ſed Paradiſum in Heden vertunt. καὶ ἐφύτευσεν ὁ θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲν, Quanquam inferius transferant & ipſi, παράδεισον τῆς τρυφῆς. id eſt, Paradiſum delitiarum. Tam igitur Hieronymus, quàm Septuaginta dubitaſſe videntur, an Heden eſſet nomen loci proprium vbi ſitus ſit Paradiſus, vel nomen ſignificans delitias, aut voluptatem, Vt eſt libro ſecundo Regum capite primo, qui veſtiebat vos in delitijs. Vbi Hebraicè eſt. בעדינם in he-danim: plurale à ſingulari Heden. Pſalmo quoque 36. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Hebraicè נחל עדניך id eſt, Torrente voluptatum tuarum. atque alia eiuſmodi. Quòd vero loci proprium ſit, primum ex Geneſi manifeſtum, cap. 4. Egreſſus Cain habitauit profugus ad orientalem plagam Heden. Neque ibi Hieronymus Heden interpretatus eſt delicias, puto quòd nomen loci ſentiret eſſe. Euidentius etiam id cognoſcitur ex Ezechiele cap. 27. vbi multi populi, ac nationes numerantur, à quibus importarentur in Hieruſalem merces, inter quos populus Heden & Charan cenſentur. Ex quo loco apertiſſime intelligitur, habitatam tunc regionem paradiſi, & hunc eſſe locum, ſicut & reliquos. B Ezechiel igitur ſic inquit: Charan, & Heden negociatores tui. Nomina locorum, pro ipſis incolis ponens. Si ergo ab Heden, id eſt, paradiſi loco, ac regione negociatores in Iudæa accedebant, clarum eſt locum illum & habitatum fuiſſe, & non maximis ſpatijs remotum ab Iudæa extitiſſe. Et quoniam ibi per ordinem loci & populi numerantur, clariſſime patet, cum ſimul Charan, & Chemma, & Heden recenſeantur, iſtum Heden prope Charan atque ei vicinum fuiſſe. Charan vero ſcimus locum eſſe in Chaldæa, vel certe Iudææ propinquum, id eſt, Meſopotamiam, De quo Gen. capit. 2. ſic habetur: Eduxitque eos dominus de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaam, veneruntq; vſq; Charan. Quæ res facit mihi fidem, fuiſſe ibi illũ decantatiſſimum paradiſum. Primum quia hic ſunt illa quatuor flumina, quæ è paradiſo egredi feruntur, præter Nilum, ſed hoc ſoluemus inferius: Deinde quia terra illa omnium eſt amœniſſima. Præterea etiam ex ſcriptoribus Græcis nouimus ibi plures fuiſſe nobiliſſimos paradiſos, quorum nonnullos influeret etiam Euphrates: Sicut traditur & à Xenophonte. Nomen quoque paradiſi, Perſicum eſt. Quemadmodum & idem Xenophon ſcribit. Hortos inquit quos illi paradiſos appellant. Philoſtratus quoque in vita Apollonij, de Paradiſis Perſarum hoc modo meminit, μέλλων ἔφη ὁ Δάμις πρὸς θήραν γίνεσθαι τῶν ἐν τοῖς παραδείσοις χωρίων, εἰς οὓς λέοντες τε ἀπόκεινται, τοῖς βαρβάροις, καὶ ἄρκτοι καὶ παρδάλεις. id eſt, Cùm, Rex inquit Damis ad venandum iturus eſſet ad loca paradiſorum, vbi leones, vrſos, pantheraſque claudere barbaris moris eſt. Procopius quoque Cæſarienſis, non aliud ſcribit de quodam in Africa paradiſo, vbi regia Vuandalorum eſſet, quàm quod traditur hoc loco, de paradiſo Dei: in hunc modum ἔνθα δὴ βασίλειά τε ἦν τοῦ βανδίλων ἡγουμένου, καὶ παράδεισος κάλλιστος ἁπάντων, ὧν ἴσμεν ἡμεῖς, ταῖς τε γὰρ κρήναις κόμι δῆ κατάρρυτός ἐστι, καὶ ἄλσους ἔχει πάμπολυ χρῆμα, ὀπώρας δὲ τὰ δένδρα μεστά εἰσι ξύμπαντα, ὥστε τῶν στρατιωτῶν ἕκαστος, τὴν καλύβην ἐν δένδροις ὀπώρας ἐπήξατο, καὶ τῶν καρπῶν, τηνικάδε ὡραίων ὄντων, ἐς κόρον μὲν αὐτῶν, ἀφίκοντο πάντες. C Hoc eſt: Ibi regia principis Vuandolorum ſita erat, & omnium quos ipſe viderim pulcherrimus paradiſus. Nam & fontibus totus erat irriguus, & nemora vndequaque vireſcebant. Arbores autem pomis erant onuſtæ, adeo vt ipſi milites, defixis late ſub arboribus tentorijs, inde poma decerperent, & pro ſua quique auiditate ſatiarentur, quæ pro anni tēpore erant tunc matura. Eo nomine vtuntur & Hebræi aliquando, Salomon Eccleſiaſtici capit. 2. עשיתי לי גנות ופרדסים ונטעתי בהם עץ כל פרי Hoc eſt, Feci mihi hortos & paradiſos, & plantaui in eis omne lignum fructiferum. Quod igitur fecit in terris mortalis Salomon, & alij Barbarorum reges: cur non idem longe diuinius ac venuſtius fecerit Deus, vt plantarit paradiſum, in quo amœniſſimæ inuenirentur arbores? Veriſimile autem eſt, fuiſſe ibi collem aliquem amœnum, atque excelſum, quem Deus omnibus ſuauiſſimis herbis, ac floribus, & plantis repleuerit. Ex quo poſt peccatum eiectus Adam fuerit, habitarit tamen prope ipſum. Quod potiſſimũ ſacrarum litterarum teſtimonio cognoſcimus, quæ tradunt. Cain circa locum illum paulò longe à patre habitaſſe: Profectus eſt inquit ad plagam orientalem Heden. Habitata itaque eſt plaga illa ad quam ſitus erat Heden, primum à Cain, dein ab alijs eius poſteris: de quibus Ezechiel meminit. Non eſt igitur, vt quicquam abſurdum de paradiſo comminiſcamur, vt eũ vel extra noſtrum orbem transponamus, vel non ad litteram, ſed myſtice quæ de eo commemorantur, intelligamus. Neque adeo inhumanus fuit Deus, vt voluerit huius rei ignoratione per omnes ætates homines torqueri: cùm neque vllum in ſacris ſcripturis eſſe paſſus ſit locum, quem ſi accurate penſitemus, interpretari non poſſimus: vt enim hoc loco ait Theodoritus, ἡ ἁγία γραφὴ ἐπειδ᾽ ἂν βούληταί τι τοιοῦτον ἡμᾶς διδάσκειν, ἑαυτὴν ἑρμηνεύει, καὶ οὐκ ἀφίησι πλανᾶσθαι τὸν ἀκροατήν.

Paradiſus in Heden.

Hedē propriū loci.

Paradiſi regionē habitatā nec lōge remotam ab Iudæa.

Charan.

Paradiſus vox Perſica.

Procopius de paradiſo.

Paradiſum non eſſe ſitam extra orbem noſtrum.

Scriptura sacra seipſam declarat.

D

τὴν. id eſt, Sacra ſcriptura, cùm explicare aliquid grande vult, ipſa ſeipſam declarat, neque patitur errare auditorem. Nam ſi extra noſtrum orbem is eſſet, quomodo in terras noſtras perueniſſet Adam è paradiſo pulſus? Cum præſertim doceant diuinæ litteræ, ab eo loco propagatum eſſe genus humanum, id eſt à regione Chaldaica. Vbi & turris exædificata fuerit. Et inde in omnes terrarum partes homines ſeſe diffuderint? Regiones inſuper illæ, nominibus filiorum Adam ac Noe, appellantur. Vt Magog, Madai, quæ eſt media. Quid, nonne Babylon, à Nenrod in ea regione exædificata eſt?

Paradiſus vbi ſita. Niniue.

Iam vero arca Noe, nonne in montibus Armeniæ requieuit, non longe ſcilicet ab habitatione Noe? Ibi igitur eſt paradiſus, vbi conditus eſt homo, & vbi fuit prima hominum habitatio, & vnde propagatum eſt genus humanum. Hæc autem eſt Chaldęa, atque Aſſyria, vbi & Niniue à primis illis hominibus extructa eſt. Qui ergo paradiſum, vel ſub æquinoctiali, vt Aſtrologi, vel extra noſtrum orbem, vt alij multi conſtituunt, non videntur accurate omnes ſacras litteras conſyderaſſe. Qui item myſtice, eundem paradiſum intelligunt, eodem errore inuoluuntur. Quare neſcio an erret Proclus, qui apud Heſiodum inquit, μακάρων δὲ νήσους, εἰπὼν παράδεισον αἰνίττεται, ἤγουν τὸ ἠλύσιον πεδίον παρ' αὐτοῖς λεγόμενον, παρὰ τὸ ἄλυτα τηρεῖν σώματα ἢ παρὰ τὴν λύσιν τῶν κακῶν. Hoc eſt, Vbi Heſiodus fortunatorum inſulas meminit,

Elyſius cāpus paradiſus.

Paradiſum innuit, id videlicet, quod apud ipſos poetas, Elyſius campus appellatur, ab eo quod corpora immortalia præſeruet, vel quod malorum ſolutionem efficiat. Quod ſi vates illi antiquiſſimi, pleraque à ſacris litteris acceperunt, eaque alijs nominibus appellarunt, vt nos ſæpius admonuimus, id quod etiam facturi ſumus, non erit fortaſſe abſurdum, iuxta Procli ſententiam, vates illos vetuſtiſſimos credere, de paradiſo ſenſiſſe, cùm beatorum inſulas, & campum Elyſium ſæpius laudarunt. Nam & quidam è noſtris, apud Græcos idem ſenſerunt.

E

Apud Gregorium ſic legimus ἠξίωσαν δὲ καὶ αὐτοὺς, καὶ ἠλυσίων πεδίων· τουτέστι γῆς τινὸς ἀκηράτου, ὠνόμασαν δὲ οὕτως, τὸν καθ' ἡμᾶς παράδεισον ἀπὸ τῶν μωσαϊκῶν βιβλίων, κἂν πρὸς τὄνομα τοῦ παραδείσου διεφώνησαν ἠλύσιον, πεδίον, καὶ ἀσφοδέλων λειμῶνα προσαγορεύσαντες. Sapiētes inquit, qui fuiſſent, in Elyſios campos receptos aſſerebant, terram ſcilicet immortalem. Quo nomine appellabant noſtrum Paradiſum, ex Moſaicis libris edocti, licet in appellando eo diſcreparent, campū Elyſium, vel pratum herboſum ipſum vocantes.. Hunc paradiſum non ignorarunt etiam Chaldæi. Extat enim in magicis eloquijs zoroaſtræorum, ζήτησον τὸν παράδεισον. quære inquit paradiſum, quanquam Pſellus aſſerat, eos myſtice hic de paradiſo loqui. Sic enim ea verba interpretatur. χαλδαϊκὸς παράδεισος ἐστὶ πᾶς ὁ περὶ τὸν πατέρα χορὸς θείων δυνάμεων· καὶ τὰ ἐμπύρια κάλλη τῶν δημιουργικῶν πηγῶν, ἄνοιξις δὲ αὐτοῦ δι' εὐσεβείας, ἡ μετουσία τῶν ἀγαθῶν. φλογίνη δὲ ῥομφαία ἡ ἀμείλικτος τοῖς ἀναξίως προσερχομένοις δύναμις, καὶ τούτοις μὲν κέκλεισται διὰ τὴν ἀνεπιτηδειότητα, τοῖς δὲ εὐσεβέσι ἀνήπλωται. εἰς ὃν ἀνατείνονται. πᾶσαι αἱ θεουργικαὶ ἀρεταί. Chaldaicus inquit, iſte paradiſus eſt vniuerſus diuinarum virtutum, quæ circa patrem ſunt chorus, pulchritudineſque igneæ, promanationum à mundano opifice.

Paradiſus Myſtice interpretatus

Aditus autem eius per pietatem, eſt bonorum participatio. Flammeus autem gladius eſt inexorabilis potentia, his qui indigne accedunt. Et his quidem clauditur, quòd digni non ſint: patet vero pijs: dignos enim tanta re pietas eos reddidit. Quem ſpectant omnes virtutes quæ diuinos efficiunt homines. Rurſus idem autor, clarius hoc ipſum paulo poſt explicat, vbi eadem præcepta Chaldaica, ad beneuiuendum eum cohortantur, qui paradiſum velit adire. Quod hoc carmine innuitur.

F

Μέλλων εὐσεβείης ἱερὸν παράδεισον ἀνοίγειν, id eſt,

Qui ſacrum cupias ſuperum paradiſon adire:

Pſellus inquit, ἱερὸς δὲ παράδεισος κατὰ χαλδαίους, οὐχ ὃν ἡ τοῦ μωσέως βίβλος φησὶν, ἀλλ' ὁ λειμὼν τῶν ὑψηλοτέρων θεωριῶν. ἔνθα τὰ ποικίλα τῶν ἀρετῶν δένδρα, καὶ τὸ ξύλον τὸ γνωστικὸν τοῦ καλοῦ καὶ κακοῦ, τουτέστιν ἡ διακριτικὴ φρόνησις· ἡ διαιροῦσα τὸ κρεῖττον ἀπὸ τοῦ χείρονος, καὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, τουτέστι τὸ φυτὸν τῆς θειοτέρας ἐλλάμψεως, τῆς καρποφορούσης τῇ ψυχῇ ζωὴν ἐν τούτω γοῦν παραδείσω, καὶ ἀρετὴ καὶ σοφία, καὶ εὐνομία φέρονται. Hoc eſt: Sacer paradiſus ſecundum Chaldæos, non is eſt, quem Moſis liber deſcribit: ſed pratum ſupernarum contemplationum, vbi variæ inueniuntur virtutum arbores.

Chaldæorū ſacer paradiſus.

Lignum quoque ſciendi bonum ac malum, ſcilicet iudicandi prudentia, quæ bonum à prauo ſeiungit. Lignum etiam vitæ ibidem inuenitur, nimirum planta diuinioris illuſtrationis, quæ vitalem fructum parit animo. In hoc igitur paradiſo, & virtus & ſapientia, & optimus reip. ſtatus eſſe perhibentur. Vides ergo Chaldæos de myſtico paradiſo hic loqui. Quia vero non tollit Pſellus paradiſum terreſtrem, etiam ad opinionem Chaldæorum, permittamus eum de cælo ſentire. Improbatur autem etiam à ſanctiſſimis viris Græcis contra Origenem myſtica paradiſi interpretatio.

Myſtica paradiſi interpretatio improbatur.

Præſertim cùm ad alia teſtimonia illud etiam maxime argumento ſit, paradiſum eſſe terreſtrem, quia terra Iordanis & Pentapoleos ob amœnitatem, paradiſo dei comparatur. Si autem myſticus eſſet paradiſus, quo modo terreni loci ei compararentur? Epiphanius quoque contra Origenem oſtendit paradiſum eſſe terreſtrem, quòd flumina ex eo egredientia, terreſtria ſint, quorum ex aqua ipſe biberit, & ſi flumina terreſtria, etiam reliqua. Animalia quoque adducta ſunt corām Adam, ergo in eo erant animalia. Non igitur erat, aut myſticus, aut extra noſtrum orbem, aut ad lunarem circulum.

A Quanquam Philon Iudæus paradiſum eſſe terreſtrem neget. Nam cùm de plantis latiſſime diſ-
ſeruiſſet, demum hæc intulit. τοῖς εἰρημένοις ἐστὶν ἀκόλουθος καὶ ἡ τοῦ παραδείσου φυτουργία. λέγεται
γὰρ, ἐφύτευσεν ὁ θεὸς παράδεισον ἐν ἐδὲν κατὰ ἀνατολάς, καὶ, ἔθετο ἐκεῖ τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἔπλα-
σε. τὸ μὲν οὖν ἀμπέλους καὶ ἐλαίων, καὶ μηλέων ἢ ῥοιῶν, ἢ τῶν παραπλησίων δένδρα, οἴεσθαι. πολ-
λὴ καὶ δυσθεράπευτος ἡ εὐήθεια. His inquit quæ dicta ſunt, conſentaneum eſt, vt de paradiſo lo-
quamur: ſcriptum enim eſt, Plantauitq́; Deus paradiſum in Heden ad ortum verſus, poſuitq́; ibi
hominem quem finxerat. Arbitrari igitur, in eo vites, oliuas, poma, mala punica, & id genus ar-
bores inueniri, adeo non eſt verum, vt ſumma etiam ſtultitia ſit credere. Sed certe fallitur: Nam
& Theodoritus hoc modo improbat eos, qui paradiſum, cælum eſſe volunt τῆς θείας γραφῆς λε-
γούσης, ἐξανέτειλεν ἔτι ὁ θεὸς ἐκ τῆς γῆς, πᾶν ξύλον ὡραῖον εἰς ὅρασιν, καὶ καλὸν εἰς βρῶσιν, τολμη-
ρὸν ἄγαν, τὸ τῆς οἰκείοις ἀκολουθεῖν λογισμοῖς καταλιπόντας τὴν διδασκαλίαν τοῦ πνεύματος, id eſt,
Cùm aperte ſacra ſcriptura perhibeat Deum præterea pleraſque è terra protuliſſe arbores, qua-
rum aſpectus eſſet pulcherrimus, guſtus autem ſuauiſſimus; audaciſſimorum plane hominum eſt,
diuini ſpiritus doctrina relicta, capitis ſua ſomnia conſectari. Hoc vt puto in Origenem dicitur,
qui totam hanc de paradiſo hiſtoriam myſticam eſſe vult, magis argutè quàm verè. Sacris igitur
& ſcripturis & ſcriptoribus conſentientibus, veriſſimam eſſe de paradiſo ſententiam inuenimus,
quam nos attulimus. Quanquam vero inueniantur apud Græcos, qui Heden, nomen regionis
paradiſi eſſe intellexerint, nemo tamen, qua terrarum parte ea eſſet, aperuit. Siquidem ſæpe ci-
tatus Theodoritus inquit, Ἐδὲν οἱ μὲν τὸν παράδεισον αὐτὸν λέγεσθαι φασὶν, οἱ δὲ τὸν τόπον πάντα,
ἐν ᾧ, καὶ ὁ παράδεισος ἦν, ὅθεν καὶ ὁ ἀδὰμ ἐπλάσθη, καὶ ὁ ἀδὰμ ἀπὸ τῆς γῆς ἐν ἐδὲν γεγενῆσθαι
B προσηγορεύθη ἐδὼμ γὰρ τὸ πυῤῥόν. Heden inquit alij quidem paradiſum appellari aſſeuerant, alij
locum vniuerſum, in quo ſitus eſſet paradiſus: quamobrem etiam Adam nuncupatus eſt, quod è
terra ſit effectus, quæ fuiſſet in Heden. Quanquam hoc minime verum ſit, non enim Adam ab
Heden appellatus eſt, cùm varia ſit vtriuſque nominis & ſcriptura & ſignificatio: Hæc tamen
cum Hebræorum interpretatione cōſentiunt. Auen Ezra, ודע כי מקום האדמה שנברא ממנו האדם קרוב לגן עדן
id eſt, Neque ignorare debes inquit, terram è qua homo fictus ſit, non procul à paradiſo Heden
extitiſſe. De hinc infert, ויש אומרים כי אדמתה היא ארץ ישראל והנה שכחו, id eſt, Et ſunt qui putent hanc eſ-
ſe terram Iſrael, ſed non conſiderarunt illud, Et factum eſt dum proficiſcerentur ab oriente. Per
quod teſtimonium, vult intelligi, longè eam regionem ſemotam à terra Iſrael fuiſſe. Igitur He-
den regio eſt paradiſi, quæ forte ab amœnitate ac voluptate nomen ſortita eſt. Omnes enim re-
giones ac terræ, nomina acceperunt ab his, qui eas primi incoluerunt. Itaque Aegyptus voca-
tur Hebraicè Mizraim, qui fuit filius Chan, primuſque tenuit Aegyptum. Cus quoque apud
eos Aethiopia dicitur, primum à Cus filio Chan, & fratre Mizraim habitata. Atque item alia.
At vero regio Heden, non ab vllo homine, vt ex ſcripturis colligimus, vocata eſt, ſed à loci amę-
nitate. Hæc vt ſæpius dictum eſt, neque extra noſtrum orbem iacet, neque ſub æquinoctiali po-
ſita eſt, neque ſydera attingit, vt quidam opinati ſunt, ſed & ſub ea cæli poſitura eſt ſita, quæ &
habitari poſſet, & habitata ac frequentata à primis hominibus eorumq́ue poſteris fuerit, vt reli-
quæ prouinciæ: alioqui cur poſiti ſunt cherubini ad cuſtodiam, ne quis ingrederetur, niſi ibi pro-
pe eſſent homines? In hac Adam vixit: In hac educatus eſt Habel: Ad eius orientalem ſitum ha-
bitauit Cain: Hinc omnes profecti ſunt homines: In ea habitatum eſt ante diluuium, quo tem-
C pore, neq; Aegyptus, neq; Aethiopia, neque Palęſtina, neque terra Chanaan ab vllis hominibus
tenebantur. Nã poſt diluuium, Mizraim, id eſt Aegyptus, & Cus primus Aethiopiæ incola, natus
eſt. Eo tẽpore, neq; Italia, neq, Græcia, neq; Arabia incolebantur. Eius autem loci homines, cùm
eſſent corrupti, diluuiũ perpeſſi ſunt. Atque ideo in montibus Armeniæ requieuit arca, non pro-
cul ſcilicet ab Heden, id eſt prima hominũ habitatione, vbi & Noac degebat. Hæc vna eſt cauſa,
quod Chaldęi, omniũ ſeſe antiquiſſimos iactãt, numeranturq́; apud eos quadringenta ſeptuagin-
ta annorum millia. Quod quanquam falſum ſit, fuerunt certe hi omnium vetuſtiſſimi, & apud
eos inuenti ſunt homines. In his itaq; locis erat & prouincia Heden, in cuius amęniſſimo loco, di
uina voluntate hortus pullularat. Neq; enim Deus manibus ſuis eas arbores conſeruit, ſed is lo-
quendi diuinarum litterarũ modus eſt, quę omnia referunt in Deum. Dicunt & eum Cete gran-
dia procreaſſe, cùm tamen ex aquis hæ natæ ſint, Et in Iona, Cetum allocutum fuiſſe. Omnia
quæ vel aere, vel terra proueniunt, diuina ſcriptura facit ea à Deo proficiſci. Is hortus appella-
tus eſt etiam paradiſus Dei, eo modo quo Hieruſalem ciuitas Dei dicitur, & Sion mons Dei,
non quòd præter cætera, ea loca crearit Deus, ſed quòd aliqua Dei memoria in his eſſet. Ea-
dem ratione, non eſt ſuſpicandum, Paradiſum fuiſſe aliquem immortalem locum, aut neſcio
quid maximum ac diuinum habuiſſe, quòd & à Deo conſitus narretur, & ibi, primi homines
habitarint. Is enim, locus erat vt reliqui: amœnior tamen, ac ſuauior, quales inſulæ fortunatæ eſ-
ſe memorantur. Atque hæc eſt cauſa, quòd priſci illi homines in tot annos vitam propagarent.
Obtinebant enim regionem temperatiſſimam circa paradiſum, vt qui inſulas fortunatas inco-
lunt, qui diu viuere feruntur. Cognoſcimuſque, hunc locum non adeò magnum fuiſſe, cùm hor-
tus appellatus ſit. Delegerat ſiquidem Deus locum periucundum, ac beatum, in quo primum
fingeret hominem, eumq́ue ſibi per ſummam charitatem aſſociaret, quæ potiſſimum in eo

erat

Philon contra.

Adam ab Heden.

Heden regio paradiſi.

Paradiſum in noſtro orbe ſitã.

Armenia non longe ab Heden.

Chaldæi omnium antiquiſſimi.

Paradiſus Dei.

Cur priſci in plures annos vitam propagarent.

erat ſita, vt Deum ſuum amaret, eumque vt dominum coleret, ea obſeruando, quæ præcepiſſet. D Quod cùm non feciſſet, non iniuria pulſus inde homo eſt. Quapropter fabulas eſſe arbitror, quæ iſte paradiſus comminiſci homines fecit: Niſi Adam peccaſſet, fore vt in eo paradiſo iugiter homines habitaſſent: Nam etiam ſi Adam non peccaſſet, habitata tamen iſta terra fuiſſet, vt nunc fit, & homines vel mortales fuiſſent vt nunc, aut cõgruo tempore in cælum fuiſſent aſſumpti. Neque enim delictum Adæ, corporis mortem intulit, ſed animi: quia à diuino ſe diſiunxit amore, eumque vt dominum non eſt veritus. Nam cur IESVS CHRISTVS, generis humani reparator, cùm nos à peccato Adæ eripuiſſet, ex illo tempore corpora noſtra immortalia nõ reddidit? Hæc dico non ignorans grauiſſimos, ſanctiſſimosque viros, aliter ſentire: quæ ſi parum Chriſtiana ſunt, retracto, prompteque refello. Habitata igitur tota terra fuiſſet, dictum enim eſt, Neque erat homo qui operaretur & cuſtodiret eam, quanquam de paradiſo id quidam intelligunt, non recte: fuiſſent tamen omnia lætiora, ac quaſi aurea ſæcula, & ab iſta felicitate tranſmiſſi homines ad æternam illam fuiſſent: tranſmiſſi inquam, vel per aſſumptionem animi vnà cum corpore, vel per ſuauiſſimum è corpore diſceſſum: Omniaque extitiſſent pacatiſſima, plena pacis omnia, & ſuauitatis. Quem ſtatum voluit reddere hominibus Dei filius, quod & fecit, in his qui pijſſime viuunt. Cuius aduentus in terras, imbuit nos cognitione diuina, illamq; amiſimus ruſticitatem, quam cum patre noſtro Deo, ob peccatum Adæ contraxeramus: regreſſiq; ad priſtinum illum ſtatum ſumus, vt Deum conditorem autoremque noſtrum agnoſceremus, ſicut & ipſe Adam cognoſcebat: ſed is ob peccatum, ad diuinam fruitionem admitti non poterat. Atque hæc eſt ſalus, quam mundo attulit Dei filius, quod & à culpa Adæ per ipſum liberati ſumus, & Deum patrem noſtrum recognouimus: qui niſi veniſſet, mortem animi ſempiternam E defleuiſſemus. Cuius diuinitatis ignoratio ſparſerat per genus humanum miſerabiles errores, è quibus ſæuiſſimæ calamitates poſtea pullularant. Erat ergo paradiſus Heden, locus quidem amœnus atque odorus, his tamen caſibus obnoxius, quibus & cætera mortalia noxia ſunt. Atque hanc eſſe cauſam puto, quod is paradiſus non inueniatur nunc, incultus enim fortaſſe redditus eſt, neque illam amœnitatis formam ſeruat. Eodemque fortè modo, is Dei hortus deformatus eſt, quo Hieruſalem ciuitas Dei euerſa eſt, & Sion mons Dei. Arca quoque Dei vetuſtate contabuit. Omnia denique ea, temporis diuturnitate abolita ſunt, in quibus longe diuiniora opera perpetrata a Deo ſunt, quàm in Heden creatio Adæ. Vt ergo illa obliterata ſunt, ita incultum, & informem nunc eſſe paradiſum neceſſe eſt. Placetque vehementer, quod ait Chryſoſtomus, ante diluuium, & paradiſum, & viam, quæ duceret ad ipſum, notam hominibus fuiſſe: poſt diluuium penitus ignoratam, his verbis: πρὸ γὰρ τοῦ κατακλυσμοῦ εἴδησαν καὶ τοὺς τόπους, καὶ τὴν ὁδὸν, τὴν ἀπάγουσαν· εἰς τὸν παράδεισον· τοῦ δὲ κατακλυσμοῦ γενομένου, ἔξω ἐγένοντο τοῦ παραδείσου, καὶ μήτε νῶε λοιπὸν ἐγνώριζεν, μήτε οἱ ἐξ αὐτοῦ. id eſt, Ante enim diluuium cognoſcebant homines & locum, & viam quæ duceret ad paradiſum: poſt diluuium, extra paradiſum eſſe reperti ſunt, & neque Noe, neque poſteris eius vltra cognitus eſt. Innuens, vt puto, aquarum illuuie arbores amœniſſimas eſſe euerſas, terram autem quæ ſuaues herbas pareret, vorticibus rapidiſſimis diſſipatam fuiſſe, atq; ita locum delicatum concidiſſe, eque oculis mortalium euanuiſſe, vt poſt diluuium, ne veſtigium quidem appareret: facta diuini & cæleſtis loci miſera immutatione, propter hominum ſcelera: quod alijs etiam locis & rebus accidit, vt quas Deus reperiſſet, propter hominum impietatem ſint dirutæ, ac diſſipatę. Quod autem Enoch, & Elias, & F Ioannes Apoſtolus, in eum locum tranſlati feruntur, id eadem facilitate refellitur, qua aſſeritur. Quo quæſo ex idoneo loco ſcripturarum id colligitur? Elias fateor aſſumptus eſt: ſed num in paradiſum? quis tam audax eſt, qui hoc auſit aſſerere, cùm id nuſquam memoriæ proditum inueniatur? Eodem modo Enoch aſſumptus eſt: ſed quem in locum ſcriptura non refert? Eadem de Ioanne dici poſſunt. Quòd ſi hi cum corpore aſſumpti ſunt, arbitror eos ibi poſitos, vbi & IESVS cum corpore verſatur. Neque vero propter corpus in hunc paradiſum erant transferendi, cùm glorificata corpora, aliam recipiant naturam: quod & in IESV Chriſti corpore accidiſſe didicimus, qui ianuis clauſis ad Apoſtolos penetrauit. Quod enim in paradiſum terreſtrem hi tranſmiſſi non ſint, indicat & Pſellus in Chaldaicis præceptis, hoc modo: Hoc inquit præceptum: παραινεῖ ἵνα καὶ αὐτὸ τὸ σῶμα, ὅπερ φησὶν ὕλης σκύβαλον, πυρὶ θείῳ ἐκδαπανήσωμεν, ἢ ἀπολεπτύναντες εἰς αἰθέρα κουφίσωμεν, ἢ μετεωριθῶμεν ὑπὸ θεοῦ εἰς τόπον ἄϋλον καὶ ἀσώματον, ἢ ἐν σώματον μὲν αἰθέριον δὲ, ἢ οὐράνιον, οὗ δὴ τετύχηκεν, ὅ, τε θεσβύτης ἠλίας, καὶ πρὸ τούτου Ἐνὼχ μεταθέντες ἀπὸ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς, καὶ εἰς θειοτέραν λῆξιν ἀποκαταστάντες, καὶ μηδὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον ἤτοι τὸ ἑαυτῶν σῶμα κρημνῷ καταλιπόντες, id eſt, Admonet, vt corpus etiam ipſum, quod materiæ fruſtum & quaſi excrementum eſſe dicit, diuino igne abſumamus, vel extenuatum in æthera ſubleuemus: vel tollamur à Deo in locum immaterialem & incorporeum: aut corporeum quidem: ſed ætherium, aut cæleſtem. Quam ſedem ſortitus eſt Theſbytes Elias, & ante eum Enoch, tranſlati ab hac vita in ſtatum diuiniorem, vt neque ipſius materiæ fruſtum, vel proprium corpus in hac valle reliquerint. Quamobrem non eſt cur putemus eos homines, in paradiſo eſſe poſitos propter eorum corpora. Quanquam igitur inueniatur regio Heden in qua erat paradiſus, ipſe tamen paradiſus non inuenitur, idque in cauſa, quòd ab illo tempore is

Adæ peccatũ non intuliſſe nobis corporis, ſed animæ mortẽ.

Refellit hic auctor hãc opinionem, & clarius ĩ Coſmopœa.

Paradiſus mortalitati obnoxius.

Paradiſus diluuio euerſus.

Enoch, Elias & Ioãnes an ĩ paradiſũ trãſlati.

Paradiſus cur nõ ĩueniatur, cũ locus ĩ quo ſitus erat, extet.

locus

A locus ſquallidus & incultus eſt affectus. Erat enim hortus, atque ea eſt hortorum natura, vt facile poſſint ſqualleſcere. Animaduerte itaque, quàm clarè ac perſpicuè de paradiſo loquantur diuinæ litteræ. Primum regionem deſcribunt, in qua is eſſet poſitus, deinde in quam mundi partem ſpectaret. Hebraicè enim ſic eſt: Plantauerat autem Dominus paradiſum in Heden ab oriente vel à plaga orientali, ſic enim transferendum eſt, quod Hieronymus vertit à principio, vt poſtea dicemus. Deinde nomina fluuiorum ponuntur, qui ex ea regione egrederentur: atque inde profecti, quas terras peragrarent. Quos cùm in Chaldæa eſſe compertum ſit, vel circum, neque enim adamuſſim deſcribere poſſum: quid ſupereſt iam, quod de cognoſcendo terreſtri paradiſo deſideretur? Reliquum itaque eſt explicare, quod omnem hanc rem perplexam tenet. Nam ſi paradiſus in ea mundi parte eſt poſitus, quam diximus, quo modo cohæret vt quatuor flumina, infinitis ſpacijs à ſe diſſita, tanto etiam mari interiacente, ex eo loco egredi poſſint? præſertim cùm horum fluuiorum fontes iam alibi eſſe reperti ſint. Et de Euphrate quidem ac Tygri nihil commouemur, cùm eandem habeant originem: & ex ipſo Heden certum ſit eos emanare, aut alibi naſcentes Heden primum influere, indeque egreſſos à ſe inuicem abiungi, vbi mox abiunctis diſſociantur aquis. At Ganges? at Nilus? quorum tametſi fontes non adeò certi ſint, alter tamen à meridie, alter ab aquilone oritur. Poſſunt igitur hi vnum habere fontem? Aut poteſt eſſe verū, quod alij prodiderunt, vt ex vno fonte prodeāt, ſed ex editiſſimo loco ruētes, in viſcera terræ condantur, perque immenſos terrarum tractus profluant, poſt hæc emergentes, diuerſas habere origines videantur? Num poſſunt tantam maris vaſtitatem traijcere, tot terras, tot montes penetrare, dein in auras erumpere? Quæ quia vera eſſe non poſſunt, quærenda eſt alia B huius nodi ſolutio. Primum itaque verba ex contextu Hebraico proferamus, quæ in hunc modum habent, ונהר יוצא מעדן לדשקית את חגן ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים Hoc eſt, Et fluuius egrediebatur de Heden, ad irrigandum hortum, & inde diuidebatur, & erat in quatuor capita, ſicut vertunt & Septuaginta. Primum igitur ſcribit fluuium non de paradiſo, ſed de regione Heden promanare, atque inde ferri per hortum, vt eum irrigaret: quem cùm eſſet egreſſus, quatuor efficeret capita, ſicut Padus, qui Ferrariæ proximus, in duos ampliſſimos amnes diſtribuitur. Cumque eorum alter ad Ferrariæ mœnia attigerit, ibi in duos quoque latiſſimos amnes diuiditur, qui diuerſis itineribus, mare Adriaticum influunt. Non erat itaque in paradiſo, fluuij illius maximi, qui in quatuor flumina diuideretur, origo, ſed in regione paradiſi, procul aut prope paradiſum, qualis erat paradiſus ille Cyri, ſua ipſius manu conſitus, quem Euphrates à ſuis fontibus remotiſſimus influebat. Potuit itaque etiam Dei paradiſus, ab ortu huiuſmodi fluuij, eſſe quam remotiſſimus. Quod autem dicit illinc diuidebatur, non illinc, id eſt, à paradiſo, ſed à regione Heden, quæ vt erat ampliſſima, ita in varias terras mittebat diuiſos amnes: quorum ſeparatio, procul aut prope fieret à paradiſo. Hunc itaque maximum fluuium arbitror eſſe eum, qui ex Tigri & Euphrate commiſcetur. A ſuis enim fontibus profecti coëunt inter ſe, dehinc Meſopotamiam efficiunt: atque hoc eſt, quòd Heden ad hæc loca eſſe neceſſe eſt. Nam apud Ezechielem recenſentur ſimul Heden & Charan. Charan autem eſt Meſopotamia. Igitur Heden ei vicina, illic ſit neceſſe eſt. Inde itaque Tigris atque Euphrates diuiduntur, quorum origo in monte tauro eſt, vt teſtatur Strabo: eorum vero fontes: περὶ διϲχιλίους καὶ πεντακοσίους ϲαδίους, id eſt, circiter bis mille & quingenta ſtadia abiunctos eſſe tradit. Quod etiam clarius exponit Procopius, C qui cùm de Meſopotamia obiter ſcriberet, hæc de his fluuijs refert. καὶ πηγαὶ δύο ἐν θένδε ἐξίασι, ποταμοὺς δύο ποιοῦσαι αὐτίκα, εὐφράτlω μὲν ἡ ἐν δεξιᾶ, ἡ δὲ ἑτέρα, τίγρlω ὄνομα, id eſt, ex hoc monte duo fontes oriuntur, qui illico duo efficiunt flumina: dexter quidem fons Euphratem, lęuus autem Tigrim. Igitur ambo ex vno loco non prodeunt, niſi forte alibi oriantur, ſubterque terram profluentes, inde ex monte tauro emergant. Atque hoc modo facile eſt, de Tigri & Euphrate ſoluere. Quod autem de Gange & Nilo traditur, vix explicari poteſt. Hoc vnum afferre poſſumus, non conſtare, an Phiſon ſit Ganges, ſunt ex Græcis, qui dicant hunc eſſe Danubium. Quidam Hebræorum aſſerunt eum eſſe fluuium Aegypti: ideo Auen Ezra, אמר הגאון כי פשון יאור מצרים Vir, inquit, præſtantiſſimus aſſeruit Phiſon amnem eſſe Aegypti. Quid quod ſacræ litteræ tradunt, hunc terram Chauila, quæ corrupte à nobis terra Euila dicitur, circumire? & tamen inferius capit. 10. inuenies Chauila appellari Getuliam. Si igitur Phiſon eſt Ganges, num circuit omnem Getuliam, quæ in Aphrica eſt, ille autem in India? Quanquam non me fugit, duos Chauila fuiſſe, quorum alter Getuliæ nomen indiderit, alter regioni quæ proxima eſt Ophir, vnde aduehebatur aurum: quorum prior nepos erat Cham: alter ex linea Scem filius Heber. Sed tametſi hanc influit ac peragrat Phiſon, non eſt tamen compertum, an hæc ſit India. Nam inferius capit. 25. dicitur. Habitarunt à Chauila vſque Sur: ex quo loco cognoſcitur hæc non eſſe India, neque Aethiopia. De Geon quoque maxima ignoratio: tradunt plerique hunc eſſe Nilum, eo quod ſcriptura eum aſſerat omnem terram circumire Aethiopiæ. Alij prope terram Iſrael eum eſſe perhibent. Sic enim Auen Ezra: כתוב והורדתם אותו אל גיחון ויד ועכי גיחון קרוב לארץ ישראל כי כן, Hoc eſt: Conſtat Geon prope terram Iſrael eſſe, eo quòd ſcriptum ſit: Et deducetis eum in Geon. Locus autem quem citat, eſt Regum 3. capit. 1. Quanquam ibi Geon Nicolaus non malus autor interpretatur piſcinam Siloe, alij autem fontem eſſe aſſerant: is tamen

Padus.

Euphratis & Tigris ortus.

Phiſon.

Chauilæ. Euila. Getulia.

Geon. Nilus.

Dorinx fl. Araxes flu.

Cus & Aethiopia & Arabia dicitur.

Phiſon nõ eſſe Gangem.

Chauila Cabalia Cabana.

is tamen Hebræus ſentit hunc eſſe eundem Geon, qui ex regione paradiſi oriretur. Si autem is proximus terræ Iſrael eſt, fieri non poteſt, vt is Nilus ſit. Quare neſcio an error habendus ſit, ſi dixerimus, nec Geon eſſe Nilum, nec Phiſon Gangem, ſed duos alios fluuios, qui proximi ſint Euphrati & Tygri. Nam & Iſidorus refert flumen, qui dorinx appellatur, ſiue Araxes è paradiſo emergere, vt ſcribit etiam Albertus, non ſemper malus autor: licèt eius lapſus non poſſit eo loco ferri, qui de rerum proprietatibus libro quarto ſcribit Geon, id eſt Nilum, eſſe fluuium Meſopotamiæ. Procopius etiam ſcribit Narſinum flumen eſſe non exiguum prope Euphratem, quem etiam influit. Hæc inquam flumina dicerem potius eſſe Geon, & Phiſon, niſi nomina regionum obſtarent, quas illa peragrare feruntur, verum etiam hoc Deo duce, ſpero me aliquando ſoluturum. Nam Cus non videtur ſemper illam Aethiopiam ſignificare, vbi Nili fontes eſſe perhibentur: ſed etiam Arabiam, & omnem eam oram, quæ in mare oceanum ſpectat. Nam Madianitæ, Aethiopes aliquando vocantur, qui tamen propè Palæſtinam poſiti ſunt Et Sephora vxor Moſis Aethiopiſſa dicitur, & tamen ex terra Madian erat. Quare ſi Geon peragrare Aethiopiam dicitur, non cogimur propterea de Nilo id ſentire, ſed etiam de alio fluuio. Phiſon quoque non eſſe Gangem, vel illud argumento eſt, quòd ſcribitur, terram Chauila peragrare, at hæc ea eſſe videtur, quæ ab hiſtoricis vocatur Cabalia aut Cabana, quæ prope Meſopotamiam eſt, atque ideo vnus ex fluuijs Heden eam influit & peragrat. Procopius quoque ſcribit vrbem eſſe Meſopotamiæ, quæ vocatur Phiſon, quæ forte à flumine nomen ſortita eſt. Hæc igitur ſunt adeo obſcura, adeoq; à noſtra intelligentia remota, vt non permittant nos quicquam certi aſſerere. Erit igitur ſacrarum litterarum ſtudioſſimi cuiuſque, ea perquirere, quos plurimos iam fore auguramur: nos quod potuimus, in hac re præſtitimus.

קדמון קדם

Paradiſus an ante cęlũ & terram factus ſit.

A principio.] Diximus paulo ante, Hebraicè eſſe מקדם hoc eſt à principio, vel ab oriente. Itaque Hebraica vox tam ad tempus, quàm ad locum refertur: quicquid ergo vel loco vel tempore antecedit, Chadmon dicitur, & huiuſmodi anteceſſio Cheden. Hinc igitur facta eſt varia & Septuaginta & Hieronymi interpretatio: ſiquidem Septuaginta, hoc quod Hieronymus vertit à principio, illi κατὰ τὰς ἀνατολὰς, id eſt, ad orientem, nempe ad locum reſpexerunt: Hieronymus autem ad tempus. Ad tempus enim id nomen aliqñ ſpectare, Deuteron. cap. 33. cognoſcitur. ומראש הררי קדם Et de capite montium æternitatis. & Pſal. 44. כימי קדם in diebus æternitatis, & alia infinita vbi ſemper eadem eſt vox quæ & hic. Pro loco vero ponitur inferius cap. 3. את הכרבים
וישכן מקדם לגן עדן Et poſuit à parte orientali horti Heden Cherubinos, vbi Hieronymus, quod eſt à parte orientali paradiſi, vertit paradiſum. Intellexit itaque ibi eam vocem ad locum, non ad tempus referri: mirum igitur eſt cur & hic non idem ſeruarit. Et quod magis mirum, non per inſcitiam eo modo tranſtulit, ſed ſtudioſe: opinatus, ante cęlum & terram factum eſſe paradiſum. ſecutus etiam aliquot interpretes, Aquilam ſcilicet & Theodotionem. Sed hoc falſum eſſe comprobatur, ex paulo ante citato loco: quanquam cognoſcimus. eum non ſemper in ea ſententia perſtitiſſe. Omnino igitur ad locum ſpectat, ſicut & Septuaginta verterunt, & vt admonent Hebræi: præſertim vocum interpres apud eos, qui huiuſq; vocis multiplicem ſignificationem aſſerens inquit. ויש המשמש לפאת המזרחית, hoc eſt ſignificat quoque partem, quę in ortum obuerſa eſt. Dein citat hunc locum. Quare non ad tempus, ſed locum referenda eſt.

Produxitque Dominus de humo.] מן האדמה è terra, nequis deciperetur, credens hic aliud humum, aliud terram eſſe.

Arbores Hebræi ligna vocãt arboresq; pro fructu ponunt.

Arbor vitæ, pro vitalis.

Bdellium varie verſum.

Omne lignum pulchrum viſu.] Primum obſeruandum eſt, moris Hebræorum eſſe, vt ligna, arbores ipſas appellent. Cùm ergo lignum vitæ dicitur, non eſt de materia illa arida ſentiendum, vt craſſi quidam credunt: ſed de arbore quæ eiuſmodi fructus ederet. Arbor quoque in eadem lingua pro fructu ponitur. Quare lignum vitæ, arbor erat, è qua vitales fructus carperentur, immortalitatemque illam efficerent. arbor inquam, cuius fructu deguſtato, vita quędam per omnia corporis membra ſe diffundebat, quam ſi poſt lapſum, homo deguſtaſſet, mori nullatenus potuiſſet. Ante caſum vitam & iucunditatem illi ſuggerebat, adeo fuit humanus in ipſum Deus. Obſeruare vero oportet locutionem Hebraicam. in ea enim lingua denominata non inueniuntur, ſed eorum loco denominationibus vtuntur, vt dicant virum mendacij, virum veritatis, id eſt mendacem, & veracem: ita hoc loco, arbor vitæ dicitur, id eſt arbor vitalis, quemadmodum ambroſiam aut nectar, aut lucem vitalem diceremus. omnia videlicet, quæ vitam quandam afferunt, ſicque hoc loco, vitalem dici arborem exiſtimo, quia illius fructus vitales eſſent, & vires corpori ſuggererent.

Bdellium.] Ex Hebræo ductum בדולח bedolac. Maxima circa hoc nomen tam apud Græcos quàm Hebręos diſcrepantia. Septuaginta hunc lapidem vertunt ἄνθρακα. id eſt, carbunculum, qui lapis eſt fulgidus ac lucens, vt etiam teſtatur Hieronymus: quamuis ijdem Septuaginta alibi cryſtallum interpretati ſunt. Alij ſmaragdum. Hebræi hodie communiter dicunt eſſe cryſtallum. Hebræus autem Agaon ſentit bdolac lapillos eſſe perexiguos, ac rotundos, qui ex aquis prodeant: de qua re Auen Ezra ויאמר הגאון כי הבדולח הם האבנים הקטנים עגולים היוצאים מהמים שהם דקים hoc eſt: Vir excellentiſſimus opinatur bdolac eſſe lapillos paruos ac teretes, qui ex aquis emergant, qui minime craſſi ſint. Plinius autem bdellium gummi eſſe ſcribit, diſtillans ex arbore eiuſdem nominis, A nominis, inde congelaſcere, lapidemque fieri. Nicolaus autem id ignoraſſe videtur, qui ſentiat arborem eſſe aromaticem, neque aliud addit: verum ſi bdellium gutta eſt, vt vult Plinius, quomodo in fluminibus naſcitur, vt hic traditur? Quare obſcuriora ſunt hæc, quàm liceat explicare, vel ad pietatem referat, nam quanta ſit in interpretandis his lapidibus diſſonantia, ex eo vel manifeſtum: nam hunc, qui mox ſequetur ſcilicet shoham, Aquila Symmachus & Theodotion, onychinum ſunt interpretati: lxx. in Exodo, ſmaragdum verterunt: Ioſephus dicit eſſe ſardonychum. Similiter hunc qui tharſis Hebraice vocatur, Aquila chryſolitum, Symmachus hiacynthum interpretatus eſt. Ego quidem exiſtimo bdellium vniones ſignificare, quia manna in ſacris litteris huic comparatur, Numerorum libro cap. 11. vbi dicitur, ſpecies eius erat הבדלח כעין hoc eſt, Sicut ſpecies bdolac, Manna vero ſicut margaritum eſt.

In lapidorum nominibus mira interpretũ diſcrepãtia

Bdolac vniones.

Et lapis onychinus.] שהם shoham. Quod Septuaginta vertunt ϗ ὁ λίθος ὁ πράσινος, hoc eſt lapis praſinus, qui vt nomen indicat, viridis ac coloris herbacei eſt: at onychinus, potius ad cãdorem vergit, ac nigrorem. Vnguis enim humani ſimilitudinem, vnde & dictus eſt, imitatur. Quare longe alius eſt is ab illo. Cum Hieronymo aliqui Hebræorum ſentiunt, præſertim Agaon, qui de eo lapide hæc perhibet, השהם אבן יקרה לבנה והיא צחה ואנחנו לא נדע hoc eſt: Shoham, lapis precioſus eſt, candidus ac impermiſtus. deinde addit Auen Ezra. Nos autem hæc ignoramus: quamobrem etiam Hebræi, ſe proprie quales hi lapides ſint, neſcire ingenuè fatentur. Cur itaque mirum, ſi & Hieronymus, & lxx. à ſe inuicem diſcrepant? quanquam Hieronymus ſecutus ſit alios interpretes, qui onychinum verterunt, vt ipſe teſtatur in quæſtionibus Hebraicis.

Praſinus. Onychin⁹.

Ipſe vadit contra Aſſyrios.] קדמת אשור hoc eſt plagam orientalem Aſſyriæ. Aliquid autem hoc B diſcrepat ab illo. Hieronymus imitatur Septuaginta, qui & ipſi vertunt κατέναντι ἀσσυρίων. aduerſus Aſſyrios. Strabo de eo flumine eadem prope ſcribit, quæ & Hebraicum. ῥεῖ δὲ πρὸς τὴν ἑώαν συρίας. fertur autem Tigris ad Aſſyriam quæ in ortum ſpectat.

Ipſe eſt Euphrates.] הוא פרת hu Perat. Duæ ſunt partes: hu id eſt, ipſe eſt: Perat, Euphrates. quas corrupte videntur antiqui copulaſſe, nomenque Euphratis feciſſe: cùm tamen Perat ſit eius nomen, itaque Phrates Græcè eſſet dicendum.

Euphrates.

Præcepitq; ei dicens.] ויצו יהוה אלהים על האדם Et præcepit dominus Deus ſuper Adam. Perinde ac ſi diceret, legem promulgauit de homine, cui ſemper eſſet obtemperaturus: prępoſito etiam tranſgredienti capitali ſupplicio. Eſt autem & Phraſis Hebraica, quam neque ſeruarunt Septuaginta, ſicut neque Hieronymus.

Faciamus ei adiutorium, &c.] Hebraice non eſt faciamus ſed אעשה faciam, Quòd autem vertit, ſimile ſibi: Hebraicè כנגדו è regione illi: vel, correſpondens illi: neque aliud eſt, quam quod vertit Hieronymus. Quòd autem vertit, faciamus, non faciam, ſecutus eſt Septuaginta, qui ipſi transferunt ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν. id eſt, Faciamus ei auxiliatricem congruentem illi. arbitramur autem hoc ſumptum eſſe ex præcedentibus vbi eſt, faciamus. Verum hæc nihil ad rem.

Immiſit Dominus ſoporem.] ויפל תרדמה Fecit illabi ſoporem: quem Aquila vertit κάρον, id eſt, ſomnum profundum, ac quaſi lethargum: at Septuaginta ἔκστασιν ecſtaſin, hoc eſt, mentis ſeceſſum & alienationem. Quæ erat & Latina antiqua interpretatio, ſicut exponit & Auguſtinus: at verbum Hebraicum ſoporem ſignificat, thar dema: ducitur enim à רדם radam, dormire. Septuaginta vero, ignoro an de ſomno ſenſerint: poteſt enim ecſtaſis accidere non dormientibus. Omni- C no verbum Hebraicum, ſomnum intenſum ſignificat, ſicut interpres vocum exponit, qui de ea voce inquit, שענינו השינה חזקה Cuius vocis ſignificatiò, eſt ſomnus vehemens. Editio quoq; Chaldaica vertit, שנתא id eſt, immiſit ſomnum.

תרדמה

Hæc vocabitur virago.] לזאת יקרא אשה, Huic vocabitur virago. Ex hoc eliciunt Hebræi, ſuam linguam primam omnium extitiſſe: vt enim à viro mulier ducta eſt, ita à viri nomine, nomen mulieris ductum eſt, ipſo impoſitore Adam, quod in nulla alia fieri lingua aſſerunt. Iſc enim Hebraicè vir, Iſca mulier: quam analogiam ſi nos ſequi vellemus, à viro, vira dicendum eſſet. propterea hanc rem Hieronymus, quantum Latinitas pateretur, expreſſit: voluit enim à viro ducere viraginem, cùm tamen virago Latine mulier cordata ac robuſta vocetur. Septuaginta non auſi fingere nouum nomen, non oſtenderunt quid traderet ſacra ſcriptura, vertunt enim αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη. Hæc vocabitur mulier, quia de viro ſumpta eſt. Verum hoc pacto, quid mulieri cum viro, cùm nulla ſit in nominibus affinitas? hoc certe & à Diodoro animaduerſum eſt, qui hoc loco ſic ait, τὸ μὲν τοι αὕτη κληθήσεται γυνή· ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη, οὐ δοκεῖ τινα σώζειν ἀκολουθίαν, εἰ γὰρ ἐπειδὴ πλευρὰ τοῦ ἀδάμ, ἡ εὔα διὰ τοῦτο γυνὴ, αἱ μετὰ ταῦτα γυναῖκες ἄρα οὐκ εἰσὶν ἐκ τὸν ἀνδρῶν. Illud inquit, hæc vocabitur mulier, quod de viro ſuo ſumpta ſit, nullam videtur ſeruare conſecutionem: ſi enim propterea Eua mulier eſt, quòd è coſta viri conſtructa ſit, reliquæ mulieres non erunt, quia ex viris non ſunt. Deinde infert, ἀλλὰ παρὰ τοῦτο ἑρμηνεύσαντας τὸ σφάλμα. μὴ γὰρ εἰρηκέναι τὴν γραφὴν γυνὴ, ἀλλ' ἡ ἄνθρωπος. Sed ab ipſis inquit interpretibus error emanauit: non enim diuina ſcriptura dixit, hæc vocabitur mulier, ſed homo. ὅσα μὲν γὰρ ὀνομάζει τὸν ἄνθρωπον, δασυτάτῃ προφορᾷ τῆς φωνῆς χρωμένη. ἴεσα δὲ τὴν εὔαν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου. καὶ τοῦτο δοκεῖ μοι, μᾶλλον ἔχειν τὴν ἀκολουθίαν. Quatenus quidem hominem ipſum vocat, craſſo vocis ſonitu vtens, Iſcã vero ipſam Euan à viro, atq; hoc mihi magis videtur cõſentaneum.

Lingua Hebraica an prima.

איש, vir.

אשה, vira.

Virago.

neum. Habes ergo etiam diuinos illos viros non ignoraſſe, quæ velut abſtruſa in ſacris litteris delitescunt. Fuerunt etiam apud Græcos qui Hebraicam analogiam ſecuti ſint: nam Aquila nouum excogitauit nomen Gręcis antea inauditum, ſiquidem ab hoc ἀνὴρ hoc eſt vir, duxit ἀνδρὶς, quaſi vira: alij ex Hebraico & Græco, vnum nomen fecerunt εἴσανδρος, ab Iſca mulier ἀνὴρ, vir: quaſi vir in mulierem formatus: idem enim ſunt, ſolo ſexu diſcrepantes. D

Et adhærebit vxori ſuæ.] Nihil referre putamus, quod Hebraicè ſit באשתו Cum vxore ſua: Non vxori ſuæ: quanquam ea ſit phraſis Hebraica: verbo enim דבק hoc eſt adhæreo, præpoſitionem, in, adiungunt. Septuaginta appoſitiſſime verterunt καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ. Et adglutinabitur vxori ſuæ. Ea enim viri ac mulieris coniunctio eſſe debet, vt nulla arctior reperiri poſſit. Quod autem dixit vxori ſuæ, aduertendus eſt ſacrarum litterarum loquendi mos: maritus enim in his litteris, vir nuncupari ſolet, vxor autem, mulier: neque in ea lingua, nomen viri à nomine mariti diſtinguitur: ſicut neque nomen mulieris, à nomine vxoris: ideoq; hic cùm dicitur: & adhærebit vxori ſuæ, eſt אשתו quod ſupra ſignificabat virginem, aut mulierem, hic autem vxorem. Hoc fecit vt Cyprianus, tractatu de bono patientiæ, citarit locum ex ſequenti capite hoc modo ex Septuaginta: Quia audiſti, inquit, vocem mulieris tuæ, & manducaſti ex illa arbore. Rabi Moſes hanc linguam ideo ſanctam ac ſacram nũcupari exiſtimat, quod honeſtiſſime ſemper loquatur, remotiſſimaque ad ea exprimenda quærat vocabula, quæ fortaſſe parum pudica atque honeſta nonnullis viderentur. Quod autem additur, & erunt duo in carnem vnam: Hebraicè non eſt, erunt duo, ſed tantum, Erunt in carnem vnam. Septuaginta vero etiam duo addiderunt ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν ſed hæc euidentiora hi reddere voluerunt, neque abſurdum eſt, explicationis gratia, aliquid addere. E

Hebraica lingua, cur ſancta vocetur.

Erunt duo in carnem vnam.

CAPVT III.

SEd & ſerpens erat callidior.*] Quod Hieronymus vertit callidior, Septuaginta ὁ δὲ ὄφις ἦν φρονιμώτατος. At ſerpens erat prudentiſſimus: optime autem vterq; verbum Hebraicum reddiderunt: nam pleriſque in locis inuenimus in bonam & in malam partem eam vocem accipi. Prouerbiorum primo לתת לפתאים ערמה Vt detur paruulis aſtutia. Et eiuſdem libri capite octauo הבינו פתאים ערמה Intelligent pueri prudẽtiam aut aſtutiam. In malam partem accipitur vt להרגו בערמה וכי יזיד איש על רעהו ſi quis per induſtriam, & per inſidias occiderit proximum ſuum: vt vertit Hieronymus. Pſalmo quoque xciij. על עמך יערימו סוד Super populum tuum malignauerunt conſilium, vt vertunt Septuaginta. Igitur & hoc loco videtur in malam partem accipi. Et quanquam Septuaginta verterint ſerpens erat prudentiſſimus: non de vera tamen ac ſyncera prudentia ſentiũt: quam rem in dubium vocat & ſoluit Theodoritus ſic ſcribens. εἰ φρόνιμος ὁ ὄφις, καὶ ἐπαινούμενος, μόριον γὰρ ἡ φρόνησις ἀρετῆς. Si prudens inquit eſt ſerpens, ergo & laudabilis: nam vna virtus eſt etiam prudentia. Dein ſoluit πολλὰ τῶν ὀνομάτων ὁμωνύμως προφέρεται· καὶ γὰρ τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν θεοὺς ὠνομάκασι. Sed pleraque inquit nomina æquiuoce dicuntur: ſicut & idola gentium, deos vocant ſacræ litteræ. Philoſophi quoque per antiphraſin, aut ęquiuoce ſapientes appellantur. Sunt enim omnium mortalium ſtultiſſimi, vt eorum facta indicant. Eiuſmodi igitur erat prudentia ſerpentis, quem diabolum fuiſſe, omnes propè perhibent, qui animi malignitate ac præſtigijs, omnes ſpiritus ſuperat. Ideo rectè vertit Aquila ὄφις ἦν πανοῦργος, ſerpens erat veterator ac præſtigioſus. Quod ſapienter explicat Diodorus, ſic inquiens, φρόνιμον νῦν οὐ τὸν συνετὸν λέγει, ἀλλὰ τὸ πρὸς ἀπάτην ἐπιτήδειον ὄργανον, prudentem hic non ſapientem appellant, ſed ad decipiendum aptiſſimum inſtrumentum. Veruntamen quòd Septuaginta verterint, ſerpens erat prudentiſſimus, etiam teſtimonio euangelico defendi poteſt, vbi prudentia ſerpentum commendatur, putoque eos idcirco prudentes appellari, quòd longiſſime cernant: quanquam iſtud ſit corporis, illud mentis. Dracones certe Grece à δέρκω quod acerrime cerno ſignificat, vocantur: vnde fit & ὀξυδέρκω acute intueor. Aquila & Theodo. verterunt, Serpens erat callidus: quos etiam Hieronymus ſequitur. F

Philoſophi ſapientes per antiphr.

Serpens erat diabolus.

Serpẽtum prudentia.

Draco vnde dictus.

Cur præcepit vobis Deus.] Hebraica paulum variant, אף כי אמר יהוה quod varijs modis exponitur. Nonnulli enim, ita omnino: aut verene, etiamne. quod videtur conſentire cum editione Chaldaica בקשטא אמר יהוה id eſt, In veritate dixit Deus? Hieronymus ſecutus eſt Septuaginta, qui vertunt: ὅτι εἶπεν ὁ θεός, cur dixit vobis Deus: vel, quid eſt, quod dixit Deus.

Elohim.

Eritis ſicut dij.] Potuit etiam verti, eritis ſicut Deus: diximus enim elohim plurale eſſe, eoque nomine deum vel deos appellari. Accommodatur ſcilicet tam ad verum Deum, quàm ad reliquos deos. Quare dicit eos futuros prudentes ac peritos, quemadmodum ipſe deus eſſet, qui eos condidiſſet. Neque enim tantæ arrogantiæ Adam fuiſſe putandus eſt, vt oblatam diuinitatẽ voluerit appetere, vt eſſent dij, ſicut deus in ea cognitione: eo enim ſcelere pollutus eſt Satan. Adam autem per inobedientiam peccauit, leges diuinas tranſgrediendo. Licet Serapion ſcriptor Græcus, velit eum diuinitatem optaſſe. Pro eo quod nos attulimus, facit ſententia aliquorum Hebræorum, qui exponunt eritis ſicut dij, id eſt ſicut angeli: elohim enim, angelos quoque ſignificat: ideo grauiore ſententia non eſt damnatus Adam. Nam ſi deus fieri optaſſet,

Adam nõ cupiuit ſimilis fieri Deo.

A quid illi diſſimilis fuiſſet, qui dicebat, Ponam ſedem meam in Aquilone, eroq; ſimilis altiſſimo? Hieronymus autem ſequitur Septuaginta, qui & ipſi vertunt, ἔσεσθε ὡς θεοί. id eſt eritis ſicut dij.

Aſpectuque delectabile.] Variat hic paululum Hieronymus & ab Hebraico, & ipſis Septuaginta. Quod enim ad oculos corporis retulit ipſe: Hebraice ad ipſum animum, atq; intelligentiam refertur. Sic enim in contextu eſt: Vidit mulier quòd arbor eſſet ונחמד להשכיל id eſt, expetenda, vel deſiderabilis ad percipiendam ſapientiam, vel ad intelligendum. Verbum igitur Hebraicum non ad oculos corporis ſpectat, ſed ad ſcientiam. Hoc enim eſt quod ſupra pollicitus fuerat ſerpens, eos fore ſapientes, ſi ex ea arbore deguſtaſſent, quæ deguſtata eorum patefecit oculos. Licet diabolus ea ratione eos feſellerit, promittens eos fore, aut deos aut angelos. Eandem ſententiam videntur ſecuti etiam Septuaginta qui vertunt, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι. & quod pulchra arbor eſſet, ad intelligendum, vel intuendum. Veruntamen Hebraica, etiam hoc pacto verti poſſunt, Et quòd ea arbor cognitu appetibilis eſſet. vt quemadmodum dixerit eam oculis corporis ſpectatam delectationem afferre ſolitam, ita eandem exhibere voluptatem, ſi quis eam agnouiſſet, animoque comprendiſſet, & quod intelligentiæ eximium pareret gaudium. Hanc ſententiam fortè ſecutus eſt Hieronymus: mihi certe, vtrunque videtur probabile. Hunc locum impius Porphyrius, ſic enim Græci appellant. δυσεβῆ, hoc modo labefactabat. ſic dilemma texens, τὸ φυτὸν ἐκεῖνο, ἢ κακῶς, ἢ ἀγαθῶς ἐφυτεύθη, μέλλον προξενεῖν τοῖς ἀνθρώποις θεόν, πάντως φανερῶς ἀπηγορεύθη φθονοῦντος τοῦ θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις τῆς γνώσεως, καὶ μωροὺς αὐτοὺς βουλόμενος. Ea, inquit, planta, aut in bonum, aut in malum plantata eſt. ſi in bonum, vt vos aſſeritis, eo quòd per eam diuinitatem acquiſituri eſſent homines, inuide certe prohibita eſt à Deo hominibus, quaſi volens B eos ea cognitione carere, & in ſumma ſtultitia eos viuere. Reſpondet diuus Gregorius, quòd in bonum plantata ſit, ſed οὐ καλὸν, ὅτι οὐκ ἐν καιρῷ, καλὸν μὲν ἁπλῶς, Non fuiſſe bonam: quia non in tempore, ſed bonam ſimpliciter. Et optime quidem reſpondet: nam pleraque optima ſunt, quæ ſibi reddunt homines peſtilentiſſima, propter errorem & inſcitiam. Porphyrius autem & in alijs pleriſque falsò Chriſtianos inſectatus eſt, quod & reliquis philoſophis peculiare fuit. Arborem autem ſciendi bonum & malum, non ratione deguſtantium appellatam puto, ſed experientiæ boni & mali. hoc eſt, qua probaretur, an homo bonus eſſet vel malus, vt eam in medio paradiſi poſuerit Deus, quo bonitatem vel prauitatem hominis experiretur. Bonum ſiquidem & malum, obedientia & inobedientia hoc loco appellantur. Quæ ſententia probabilis admodum mihi videtur. Vbi autem dicitur, eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum: dicendum, eos diabolum decepiſſe, perſuaſiſſeque eis, vocari eam arborem ſcientiæ, non probationis: atque ita in errorem induxiſſe. Hæc expoſitio non pertinaciter à me aſſeritur: puto enim etiam aliquid arcanum ſub hiſce verbis contineri.

Porphyrii δυσεβής. id eſt impius.

Arbor ſciẽtiæ boni & mali, cur ſic dicta. Bonum & malũ quid hic.

Dedit viro ſuo.] Nihil refert quòd omiſerit, עמה id eſt, Dedit viro ſuo ſecum, quod non omiſerunt Septuaginta μετ᾽ αὐτῆς, indicat eos ſimul comediſſe: quanquam id erat notiſſimum.

Et cùm audiſſent vocem Domini, &c.] וישמעו את קול יהוה Et audierunt vocem Domini Dei. Primum obſeruandum, tam Hieronymum, quàm Septuaginta, variare ab Hebraico: neque enim Hebraicè eſt, poſt meridiem, additum à Hieronymo ac Septuaginta, qui ſic aiunt καὶ ἤκουσαν φωνὴν κυρίου τοῦ περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ, τὸ δειλινόν: & audierunt vocem Domini Dei deambulantis circa veſperum. Et mirum etiam eſt, cur auram omiſerint, cùm in Hebraico ha-C beatur. Eſt autem רוח quod & ventum & auram ſignificat. Nulla itaque eſt cauſa cur Septuaginta, ventum aut auram ſilerent. Quod autem Hieronymus verterit poſt meridiem, ex eo eſt, quòd Hebraicè לרוח היום deambulabat, inquit, Dominus ad ventum diei: diem ergo retulit ad meridiem: Septuaginta ad veſperam. Dicunt aliqui ex Græcis, Adam circa horam ſextam comediſſe, ad veſperam autem Dominum ad eum acceſſiſſe. Die autem ſexta conditus eſt Adam, eademque è Paradiſo pulſus, quod & Græcis placet.

In medio ligni.] Forte clarius fuiſſet, ſi ſic ſe habuiſſent: Inter medias arbores. Duæ enim hic ſunt Hebraicæ figuræ: Synecdoche, in qua per partem intelligitur totum: atque hanc puto eſſe, cùm Hebraice lignum ponitur pro arbore, quæ totum eſt, eius autem partes, lignum, folia, fructus. Altera figura eſt etiam Synecdoche, ſed alia eius ſpecies, qua ex vno diſcimus omnes, qua & poetæ & oratores vtuntur. Sæpe enim apud oratores inuenies, admonit militem, ſtipendium dedit militi. Et illud: Conſitus arbore multa, lucus: quanquam ita ſit Hebraice vt vertit Hieronymus. Septuaginta prudenter non ſeruarunt phraſin Hebraicam, καὶ ἐκρύβησαν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, Et abſconditi ſunt in medio paradiſi. Quod cùm ita ſit, miror cur Serapion, hunc locum ſecundum locutionem Hebraicam interpretetur: τοιγαροῦν θορυβούμενοι, εἰς αὐτὸ τὸ δένδρον ἐκρύβησαν: Igitur conſternati animo, in ipſam arborem ſe abſconderunt. An ne vt Eſaiæ fertur, arboris ſtipes illis patuit? In medias ergo arbores, denſaque paradiſi nemora ſe intulerunt.

Ligni pro arbore Synecdoche.

Deambulantis.] Redundat apud Septuaginta deambulantis. Non enim contextu Hebraico eſt deambulantis: neque quod addit Hierony. domine: ſed tantum, קולך שמעתי בגן Vocem tuam audiui in paradiſo. Non tamen ſuperfluo poſita ſunt.

Quam dediſti mihi ſociam.] Elegantius Hieronymus quàm Septuaginta: Hebraicè enim eſt, quam dediſti mecum, hoc non immutarunt Septuaginta, ἣν ἔδωκας μετ' ἐμοῦ. quam dediſti mecum: more autem noſtro loquitur Hieronymus. D

Serpens decepit me.] Eodem modo & Septuaginta. ὁ ὄφις ἠπάτησέν με, quod alij interpretes verterunt, ἐπηγάγετό με, id eſt, ſeduxit, Hebraicum autem השיאני, id eſt, adduxit aut ſubleuauit, aut eleuare me fecit.

Inter.

Maledictus es inter omnia animantia.] Hebraicè comparatio fit ארור אתה מכל הבהמה. Maledictus es præ omnibus brutis, aut ante omnia bruta: licet inter τὴν ἐξοχὴν aliquando ſignificet. Septuaginta quoq; morem Hebraicum intactum ſeruantes, quo peccato ſæpe delinquunt, obſcuriorem interpretationem fecerunt, ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων κτηνῶν Maledictus tu ab omnibus brutis. quid certe Græcè ſibi vult, ab: quæ apud Hebræos comparatiui vicem gerit? tam enim comparatiuo quàm ſuperlatiuo caret illa lingua. Superlatiuum ſupplent per aduerbium repetitum מאד valde: dicentes, meod meod: valde valde: comparatiuum autem per præpoſitionem ab, aut præ. Græcè vero aliter erat loquendum.

Hebr. & comparatiuo & ſuperlatiuo carent.

Super pectus tuum gradieris.] על גחנך תלך, Super ventrem tuum gradieris. Septuaginta addunt Hebraico: vertentes ἐπὶ στήθει καὶ κοιλίᾳ πορεύσῃ, Super pectus & ventrem, redundat pectus. Chaldaica quoque editio habet על מעיך, id eſt, ſuper ventrem tuum. Hieronymus autem vt ipſe facile intelligo, ideo vertit pectus, quòd in ſerpentibus, nullum prope diſcrimen ſit pectoris ad ventrem: ſuntq; ad eo vtraque commiſſa: vt alterum pro altero facile in his accipi poſſit, atque hæc eſt cauſa, quod Septuaginta, verbum vnicum Hebraicum, duobus exprimere voluerunt.

Ipſum cõteret.

Ipſa conteret caput tuum.] הוא ישופך ראש. Ipſum conteret tibi caput. Non refertur itaq; ad mulierem, ſed ad eius ſemen, qua interpretatione plerique decepti, malam expoſitionem inuexerunt E in hunc locum. Et quoniam ſunt qui quod hic dicitur, accõmodent ad IESVM CHRISTVM, qui ex ſemine Euæ natus ſit, contriueritque caput ſerpentis: Vides quàm iuuentur hi, ſi Hebraica vt ſe habent legantur. Hieronymus autem videtur legiſſe היא, ipſa, non הוא. faciliſque eſt ab vna ad alteram vocem lapſus, protracta tantum iod. Septuaginta Hebraica ſequuntur: ſed in alio eſt maxima deuiatio: αὐτό σοι τηρήσει κεφαλήν. Ipſum (ſic enim exiſtimo legendum eſſe non αὐτός) obſeruabit tibi caput. Neque intelligo vnde hanc interpretationem arripuerint, cùm vox Hebraica nihil ſonet aliud, quàm conterere, ac lacerare, vel calcare: ſeruare autem nunquam. Clare enim loquuntur ſacræ litteræ: fore vt ſemen Euæ, id eſt, homines calcaturi eſſent caput ſerpentis, vt natura comparatum eſt: ille vero inſidiaturus eſſet calcaneo: quanquam Hebraicè non ſit inſidiaturus, ſed idem verbum. Ipſum ſemen, inquit, conteret tibi caput, ac tu conteres eius calcaneum, ſic enim habent Hebraica ואתה תשופנו עקב. Et tu conteres, eius calcaneum. Hieronymus, certe ſenſum, non verba ſequitur.

Erumnas tuas.] עצבונך, dolorem tuum, quod Hieronymus ad omne anguſtię doloriſque genus retulit: Septuaginta vero, τὰς λύπας σου καὶ τὸν στεναγμόν σου, mærores tuos, & gemitum aut ſuſpirium tuum. Quod autem verterunt στεναγμὸν, Hebraicè eſt, והרנך & conceptum ſiue partum tuum, ſicut vertit Hieronymus, ſed puto Septuaginta gemitum, quem parientes edunt, innuere voluiſſe. Nam conceptus cùm exoptatus ſit mulieribus, affert tamen gemitum, atque in hac re tantum poſita eſt mulieris maledictio.

Maledictio mulieris.

Et ſub viri poteſtate eris.] ואל אישך תשוקתך. Et ad virum tuum, deſiderium tuum: ſicut vertit Symmacus. Locutio eſt Hebraica, quàm optimè, licèt varijs modis, Hieronymus & Septuaginta ex- F preſſerunt, hi enim καὶ πρὸς ἄνδρα σου, ἀποστροφή σου, id eſt. Et ad virum tuum, conuerſio tua. Quicquid enim ſub poteſtate alicuius eſt, ad ipſum ſemper ſpectat, ſemperque id intuetur, id ſemper exoptat, præſertim ſi non voluntate, ſed natura, ea ſubiectio facta ſit. Nos enim cùm natura ſub diuina poteſtate ſimus, ad eam quicquid agimus, ſemper referimus: ipſum imploramus, ipſe deſiderium noſtrum eſt, noſtraq; virtus. Elegantiſſima igitur eſt phraſis Hebraica: ita enim fert natura, vt maiora ſemper appetamus. Quicquid igitur appetitur: ferè maius eſt. Ad ipſum etiam conuertimur, atque inclinamur. Hoc certe indicat & Chryſoſtomus, qui de ea apoſtrophe, id eſt, conuerſione mulieris ad virum, inquit, τουτέστι καταφυγὴ καὶ λιμὴν, καὶ ἀσφάλεια, καὶ ἀγάπη, τῷ φόβῳ συνέζευκται, id eſt, Refugium ac portus, pręſidium, ac amor, timori coniuncta ſunt. Non ſolum enim recurrit mulier ad virum, tanquam ad tutum portum ac pręſidium, verum etiam amat & veretur. Hebræi quoq; eodem modo hanc ſententiam interpretantur. Auen Ezra תשוקתך משמעתך והטעם שתשמעי כל אשר יצוה עליך כי את ברשותו. Hoc eſt: Deſiderium tuum, ſcilicet auſcultatio tua: omnia enim quæ præceperit, exequeris, ſub eius imperio conſtituta es. Atque hoc modo, propius ad Hebræorum ſententiam videtur acceſſiſſe Hieronymus. Eandem enim phraſin inueniemus paulo inferius, vbi neceſſe eſſet ipſis Septuaginta, alia vti interpretatione, cùm eodem modo loquatur ibi Hieronymus.

Scriptura Heb. an deprauata.

Maledicta terra in opere tuo.] בעבורך, id eſt, propter te. Ita quidem nunc habet textus Hebraicus. At ego permultis ſæpe coniecturis adducor, minime quidem deprauatas eſſe ſcripturas Hebraicas, ſed tamen multis in locis immutatas eſſe, vbi facilis eſſet lapſus, facileque poſſet aut dictio in alteram dictionem, aut littera in alteram, aut ſyllaba in ſyllabam tranſire, quibus aliqua eſſet affinitas, quod nos ſæpe admonituri ſumus: nunc quod inſtat agamus. Duæ ſunt dictiones Hebraice

A braice עבור cuius vltima littera eſt reſc: altera עבוד, quæ daleth habet vltimam. primaque adiuncta bet littera, ſignificat propter: altera infinitiuũ eſt ab עבד, hoc eſt, operari, ſeruire. Hieronymus itaque videtur legiſſe בעבוד, hoc eſt, in operando, in colendo, quod ipſe vertit in opere: nunc autem apud Hebræos alia lectio eſt: infinitæque ſunt eiuſmodi totis ſacris litteris varietates, quę à variatis codicibus ſunt profectæ. Cum Hieronymo conueniunt & Septuaginta, qui & ipſi eandem lectionem habuiſſe videntur, vertentes. ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου, id eſt: Maledicta terra in operibus tuis. Editio tamen Chaldaica, quæ & ipſa vetuſtiſſima eſt, ſentit cum Hebraico ליטא ארעא בדיליך:, id eſt, Maledicta terra propter te. Quicquid enim miſeriarum in terra reperitur, propter hominis ſcelus inuectum eſt.

In laboribus comedes.] בעצב, id eſt, in dolore. Sicut ſupra mulieri proteſtatus fuerat: quanquam inter dolorem ac laborem, nihil propè interſit, cùm alterum ex altero oriatur, propterea Græcis κόπος vtrunque ſonat. κόπος, Dolor, labor.

Induit eos veſte pellicea.] עור, id eſt, corio: quod χιτῶνας δερματίνους, veſtes coriacias Septuaginta, de quibus Gregorius theologus, καὶ ἐνεδυσάμεθα χιτῶνα δερμάτινον, ἱστορικῶς μὲν, ζώων νεκρῶν δέρματα, ἀλληγορικῶς δὲ παχυτέραν ταύτην σάρκα, καὶ θνητὴν, id eſt: Et induti ſumus veſtem pelliceam: hiſtorice, quidem mortuorum animalium pelles, allegorice vero craſſam iſtam & mortalem carnem. Hoc modo expoſuit etiam Origenes, quod non videtur diuinis litteris admodum conſentaneum.

Et vocauit Adam nomen uxoris ſuæ.] Quod ſolet omnibus propè linguis accidere, vt vocabula B vnius, in alteram tranſeuntia, aut immutentur, aut penitus deprauentur, id in primis linguæ contingit Hebraicæ. Ex qua, ſi qua in noſtrum aut Græcorum ſermonem, nomina ſumpta ſunt, nullum ferè apparet in eis priſtinæ compoſitionis veſtigium. Vt eſt iſtud Euæ nomen, quod corruptiſſimum eſt tam apud Græcos quàm Latinos. Neque vllam etymologiam recipit, ſi eo modo proferatur, vt nos & Græci proferimus. Itaque Chaua dicendum eſſet, non Eua. Ducitur enim à Chai, id eſt, viuenti, vel animali: quippe, quæ fuit omnium viuentium mater. Huius nominis corruptela, fecit vt putarent Aue dictum eſſe ab Eua, per inuerſionem litterarum: ſicut contraria fuerunt his quæ beata virgo intulit quæ inuexit Eua: Quæ quanquam pia ſunt, non ſunt tamen vera: & pietas non falſis, ſed maxime veris debet inniti. Eua corruptum vocabulum: nã Chaua dicendũ erat. Aue an ab Eua. Huiuſmodi ineptiæ infinitæ prope inueniuntur apud Latinos, propter linguarum inſcitiam: ſed ſilentio prætereunda ea ſunt, ne in immaniſſimam quorundam petulantiam incidamus, in quibus nihil ineſt modeſtiæ & candoris: ſed æſtu comparandæ gloriolæ aguntur in omnia præcipites, neque cuiquam vel ſanctiſſimo viro parcunt. Septuaginta quod proprium nomen primæ mulieris fuerat, non ſatis vt reor commode appellatiuum fecerunt. Quod etiam ab Hebraica veritate diſſentit, ἐκάλεσεν ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ζωή, id eſt: Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ vitam. Hebraicè tamen non eſt vita, ſed nomen à vita deductum, vita enim חים Chaim, vocatur, à quo nomine, Chaua, hoc eſt, Eua.

Et collocauit ante paradiſum.] מקדם לגן עדן, id eſt: A plaga orientali ipſius Paradiſi Heden. Sicut & ſupra annotauimus. Indicat ergo, Cherubinos ab ea parte eſſe collocatos, qua ſol oriretur ad Paradiſum. Septuaginta vero neſcio qua opinione ducti, hoc quod de Cherubinis dicitur, C tribuunt ipſi Adæ, vt dicant eum ab ea parte à Deo conſtitutum. καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντίου παραδείσου τῆς τρυφῆς. id eſt, & expoſuit eum in aduerſa Paradiſo delitiarum parte: quanquam poſtea interpretentur quod de Cherubinis dicitur, ſed non vt habent Hebraica, καὶ ἔταξεν τὰ χερουβεὶν, id eſt, Et adhibuit Cherubinos ad loci cuſtodiam. Quod autem in noſtra editione habetur, & collocauit Cherubin, eſt maſculini generis, numeri pluralis: eius enim ſingulare eſt Cherub. Miror ergo Septuaginta cur neutro genere protulerint. τὰ χερουβίν. cùm id genus apud Hebræos non extet. Qui neque alia norunt nomina, niſi maſculina, ac fœminina. Hebr. neutro genere carent. Nos quoque fortaſſe non recte pronunciamus, beata Seraphin. Emanauit is error ab Alexandro, qui cenſet dicendum Cherubin Seraphinque beata, quanquam Aquila & Theodotion, Septuaginta ſecuti, etiam per genus neutrum protulerint Seraphin. Eſaiæ cap. 6. Symmachus autem per maſculinum, vt annotat Hieronymus in epiſtola ad Damaſum papam. Non erat præterea vt diximus, vnus Cherub. tantum ad cuſtodiam adhibitus, ſed plures. Ac fortaſſe non alienum eſt, ſi duos fuiſſe dixerimus, propter dualem numerum, apud Hebræos vſitatum, vt inferius annotabimus.

Et flammeum gladium.] ואת להט החרב, id eſt, Et flammam gladij, vel laminam gladij, ſicut interpretatur Rabbi Moſe in gloſſa ſua ordinaria, qui de ea voce inquit להט לעז למא id eſt, Lingua inquit Italica, ſignificat laminam gladij. Quod ergo dicitur & laminam gladij: hoc eſt, ipſum gladium ardentem, atque expolitum, qui flammam euomere videretur, tantus erat ſplendor. Atque eo aſpectu, exterrebat adeuntes, pauoremq; horribilem inijciebat. Propterea Septuaginta verterunt τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην, i. gladium flammeum, ac verſatilem. Verſatilem autem quidam Hebræi interpretantur, non quod ſeſe verteret, ſed quòd eſſet anceps, duoque ora haberet. Sic enim Auen Eſdra הא המתהפכת ויש לה.ב.פיות וזה פרוש Is inquit gladius, bina habet ora, atque is eſt ſenſus eius quod eſt, Et gladius erat verſatilis. Gladius verſatilis. Quod Hebraicè eſt המתהפכת

hoc eſt anceps. Verſatilem autem Septuaginta verterunt, quos & Hieronymus ſequitur. Si qui autem apud nos, præter hanc veriorem ſententiam, hunc locum interpretati ſunt, propter editionem Septuaginta accidit. Clarum etiam eſt fruſtra quoſdam voluiſſe, per hunc gladium intelligi allegorice zonam torridam, quòd per eam ſit obliquus ſolis curſus. Paradiſus autem ſit ſub ęquinoctiali: neque quicquam ad id iuuat Arrianus etiam φιλαληθής. D

CAPVT IIII.

Poſſedi hominem per Deum.] Hebraicè Chana, vnde Chain. Licet idem verbum, zelari ſignificet, vnde Chananęus, qui zelotes interpretatur. Neque eſt per Deum, ſed a Deo. Sic enim habent Hebraica, את יהוה Quoddam ſcholium apud Græcos hic extat, quod tradit Hebraice atque Syriace haberi ἐκτησάμην ἄνθρωπον ἐν θεῷ, id eſt acquiſiui hominem in Deo. Quod tamen minime verum eſt. Hebraica enim quomodo ſe haberent vidimus. Per Syram editionem, quæ ſæpiſſime à Græcis ſcriptoribus citatur, neſcio an aſſeram, eos ſentire de ea, quæ nunc apud Hebræos ſub nomine Onchelos Ionathæ circunfertur, in qua non eſt in Deo, ſed מן קדם יהוה. Hoc eſt à Deo. Poſſedi autem vel acquiſiui erat dicendum. Vtranque enim ſignificationem verbum Hebraicum complectitur, ſicut apud Græcos κτῆμαι, & magis acquiritur.

Poſt multos dies.] מקץ ימים. à fine dierum, Septuaginta μετὰ ἡμέρας. i. poſt dies: neque addunt multas: non ponitur ergo apud vllos numerus diffinitus. Interpretantur autem Hebræi poſt dies, quibus coluerat Chain terram, eaque fructum protulerat. Auen Ezra מים שעבד קין את הארצה מקץ, E id eſt, poſt finem dierum, quibus excoluiſſet Chain terram.

Et reſpexit dominus ad Hebel. וישע יהוה אל הבל id eſt, Et reſpexit dominus ad Hebel. Quod Theodotion vertit: Et inflammauit dominus ſuper Hebel. Quam interpretationem etiam ipſe approbat Hieronymus: quod magnopere miror. verbum enim Hebraicum non inuenimus ſignificare aliud, quàm attentionem, intuitum, conſiderationem. Sicut interpres vocum apud Hebræos, de hac voce hæc ſcribit: כל פה שפרושו השקפה והבטה או התמדה Eius inquit ſignificata ſunt, animaduerſio, conſideratio, vel defixus intuitus, accontinuatio. Quamobrem non habet locum Theodotionis interpretatio. Videtur autem is magis ſententiam, quam verba ſecutus. Nam & Hebræi fatentur, eo indicio intellexiſſe Chain, ſuum ſacrificium acceptum non fuiſſe, quòd cælitus non eſſet combuſtum, ſicut ſacrificium Hebel. Sed neque potuit accendi ſacrificium Chain, cùm eius oblatio, ex frugibus terræ eſſet. quanquam nihil prohibeat, vtrunque potuiſſe effici, vt tam hoſtiæ Hebel, quàm fruges Chain exurerentur, quo vtriuſque oblatio cognoſceretur accepta. In quæſtionibus igitur Hebraicis, tametſi Theodotionis interpretationem laudarit Hieronymus, hic tamen veritatem Hebraicam ſequitur. Neque hoc indicio eſt, hanc editionem non eſſe Hieronymi: recte enim & prudenter à ſeipſo diſſentit, vt aliud ibi diceret, aliud hoc loco ſecutus ſit.

Oblatio apud Hebr. quid.

Munera.] Quid refert quòd Hebraice ſit מנחה oblatio? Hanc oblationem, Septuaginta vertunt modo δῶρα, id eſt munera, modo θυσίας, hoc eſt ſacrificia. Oblatio autem appellatur Hebraice omne ſacrificij genus. ducitur autem à Nacha obtulit, apportauit, adduxit, & de hoc multa Gennadius, quæ nihil ad nos. F

Iratuſque Chain.] Propius ad ſignificationem Hebraicam acceſſit Hieronymus quàm Septuaginta, nam חרה intranſitiuum eſt, ſignificatque iraſci, excandeſcere. At Septuaginta & tranſitiuum fecerunt, & eius ſignificationem immutarunt vertentes, καὶ ἐλύπησεν τὸν Κάιν: id eſt, Et mœrore affecit Chain. Videnturque hi ſenſiſſe, Deum, mœrorem attuliſſe ipſi Chain. Notum enim eſt, quid ſonet λυπῶ. Poteſt tamen & ad factum ipſum referri, vt dicamus, rem illam & id quod coram accidiſſet, ſollicitum reddidiſſe Chain, vehementerque ei rem diſplicuiſſe. Sed Hebraice ad iram ac furorem refertur: de qua re Theodoritus, ἠνίασεν αὐτὸν οὐχ ἡ αὐτοῦ πλημμέλεια, ἀλλ᾽ ἡ τοῦ ἀδελφοῦ εὐπραξία, τοῦτο γὰρ καὶ ἀκύλας ᾐνίξατο. ἔφη δὲ οὕτως, καὶ ὀργίλον τὸν Κάιν σφόδρα. Angebat enim inquit non quòd ipſe peccaſſet, ſed quòd videret fratris ſucceſſum: hocque innuit Aquila, qui tranſtulit, & iratus eſt Chain vehementer: hæc ille. Secutus igitur Aquilam eſt Hieronymus.

Nonne ſi bene egeris recipies?] הלא אם תיטיב שאת id eſt, An non ſi bene egeris, reportatio, vel eleuatio. Aliqui ex Hebræis volunt id referri ad vultum ipſius Chain, qui conciderat. Nonne inquit ſi bene egeris, eleuatio ſcilicet vultus tui erit, qui decidit? Huius locutionis permulta ſunt in ſcriptura, exempla. Vt illud, Tunc eleuabis faciem tuam à peccatis meis. Hanc eleuationem Hieronymus refert ad remunerationem ex bene actis recipiendam. Septuaginta hic omnia perturbant, deuiantque vehementer à contextu Hebraico. οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες, id eſt, An non ſi recte obtuleris, recte autem non diſtribueris, peccaſti. Quorum nihil eſt in Hebraico. Et Sybilla indigent. Explicabo paulopoſt cauſam huius varietatis.

Si autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum.] ואם לא תטיב לפתח חטאת רובץ, id eſt, Et ſi non benefeceris,

ad hoſtium

A ad hoſtium peccatum accubat. Dura profecto explicatu ſententia, & quæ varijs modis exponatur ab interpretibus. Quidam enim apud Hebræos ita hunc locum intelligendum eſſe autumant: Ad hoſtium, id eſt cordis cogitationes, vbi mala & bona verſantur, accubabit peccatum tuum. Scelere igitur & flagitijs, nos polluti excruciamur à conſcientia, quæ ad noſtri cordis fores ſemper excubat, quæ quicquid agimus aut molimur, illico nobis præſto eſt, neque lętos vnquam eſſe permittit. Atque hæc prima ſupplicia ſunt, quæ ex male actis reportamus. Hanc pęnam proteſtatus eſt Deus ipſi Chain, quæ certe eſt omnium miſerabiliſſima. Quæ neque ad tempus deſæuit, ſed poſt multa temporum ſpatia, ad plectendum lacerandumque animum reuertitur. Quæ & fratres Ioſeph, poſt quindecim annos, ad amiſſi ſceleris memoriam reuocauit, multarumque calamitatum metum eis iniecit. Hæc ergo ſemper excruciatura erat Chain, niſi à meditato ſcelere abſtineret. Alij exponunt: Ad hoſtium ſepulchri, ſemper peccatum tuum acubabit, quouſque dies ille iudicandi acceſſerit, quo tempore de omnibus perpetratis facinoribus pęna luenda eſt. Quæ omnia videtur ſenſiſſe Hieronymus. Admiſſo enim ſcelere, ad iudicis portam pœna ſuſpenſa manet, donec ille ferat iudicium. Vide ergo inquit, quid facturus ſis Chain, pœnas enim lues. Quæ hic afferunt Septuaginta, diuerſiſſima. οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκης ὀρθῶς δὲ μὴ διέλης ἥμαρτες, ἡσύχασον, πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ. id eſt, Nonne ſi bene obtuleris, bene autem non diuiſeris, peccaſti, quieſce. ad te conuerſio eius. Quis autem tam acri ingenio fuerit, qui ex hiſce verbis aliquem ſenſum eruere poſſit? Quid obſecro eſt, ad te conuerſio eius: cuius? cum peccati nihil meminerit. Vbi enim Hebraicè eſt, in foribus peccatum tuum accubat, illi ἡσύχασον. id eſt, quieſce verterunt. Videmus igitur B quàm neceſſaria eſſet Hieronymi editio. Ex hoc certe loco deprehenditur etiam, non adeo exquiſite Septuaginta grammaticam Hebraicam calluiſſe. Cauſa igitur, quòd tam varie tamque obſcure hunc locum verterint, eſt ex grammatica profecta. Quod ergo vertit Hieronymus, nonne ſi bene feceris: huc vſque facto commate, illi ſine commate, nonne ſi bonam feceris oblationem, ſcilicet שאת, quod illi dixerunt ὀρθῶς προσενέγκης. Secundam partem. Recte autem non diuiſeris ולא תיטב לפתח. Hæc verba Hebraica hoc modo intellexerunt. Et ſi non bene feceris ad diuidendum: hæc enim vox פתח cùm ſit nomen verbale ſignificans portam, putarunt eſſe infinitiuum a פתח, id eſt, aperuit: vt transferrent, Et ſi non bene feceris ad aperiendum: eſtque maxima hallucinatio. Quòd autem vertunt peccaſti, non peccatum, eò eſt, nam חטאת putarunt ſecundam eſſe perſonam à חטא id eſt, peccauit. Sed chatat peccatum dicitur: chatata verò ſecunda eſt perſona peccaſti: facileque in hunc errorem inciderunt, cùm eorum tempeſtate notulæ non haberentur, id eſt vocales. Quod autem vertunt, quieſce, id eſt רובץ quod participium eſt, exiſtimarunt imperatiuum eſſe, cùm tamen imperatiuus ſic formetur רבץ reboz participium autem robez. Sed cur non animaduerterunt, nullum fore eorum verborum ſenſum, ſi eo modo verterentur?

Peccatum in foribus eſſe quid.

Conſcientia in cordis forib. excubat.

Egrediamur foras.] Carent hac clauſula codices Hebræi, neque in his explicatur quid dixerit Chain ad Hebel. Sed vt ait Hieronymus ſubaudiendum, quæ locutus eſſet. Dominus dixit Chain. Hebræi aliqui interpretes, dicunt Chain, oēs reprehenſiones, quas in eum intorſerat dominus, coram Hebel expoſuiſſe, quaſi ei dedecus acceſſiſſet propter Hebel. Sepuaginta vero arbitrati ſunt, Chain dixiſſe Hebel, Egrediamur foras. Origenes hoc idem ſcribit. ἐν τῷ ἑβραϊκῷ, C τὸ λεχθὲν ὑπὸ τοῦ καῒν πρὸς τὸν ἄβελ, οὐ γέγραπται, καὶ οἱ περὶ ἀκύλαν ἔδειξαν, ὅτι ἐν τῷ ἀποκρύφῳ φασὶν οἱ ἑβραῖοι κεῖσθαι τοῦτο ἐν ταῦθα κατὰ τὴν τῶν ἑβδομήκοντα ἐκδοχήν. Hoc eſt, In Hebraico non ſcribitur, quid Chain ad Habel dixerit. Et ipſe Aquila demonſtrauit, Hebræos dicere, in arcanis haberi quod excipientes poſuerunt hoc loco Septuaginta. Chaldaica vero editio quæ optima & fideliſſima reperitur, hæc habet, Dixit Chain ad Hebel fratrem ſuum: Non eſt iuſtitia, neque iudex, neque ſæculum aliud, nec præmia recipient iuſti, neque pęnas luent improbi, ac tunc interfecit eum. Sciendum vero, ex antiqua editione Latina interiectam eſſe particulam, eo quòd Hieronymus indicat ſe eam non poſuiſſe: haberi autem in libris Samaritanorum & ipſorum Septuaginta: Quare puto additam eſſe ab imperitis. Aut certe, quod ſæpe facit Hieronymus, aliud in quæſtionibus Hebraicis, aliud hoc loco ſequitur.

Vox ſanguinis.] Nihil referre puto, quod Hebraicè ſit דמי, id eſt, vox ſanguinum, De more iſtius linguæ. Quam vocem, etiam Septuaginta vt Hieronymus, per ſingulare ediderunt. Ideo arbitraria magis ſunt quàm vera, quæ ſuper hanc vocem diſſerit Nicolaus. In primis enim ad intelligendas ſacras litteras, neceſſe eſt noſſe morem loquendi Hebraicum.

Maledictus eris ſuper terram.] ארור אתה מן האדמה קול, id eſt, Maledictus es è terra vel ab ipſa terra, à qua profecta eſt maledictio in Chain, quæ teſtabatur contra ipſum, eumque homicidij reum agebat. Eodem quoque modo vertunt & Septuaginta ἐπὶ κατάρατος σὺ ἀπὸ τῆς γῆς, id eſt, Maledictus tu è terra, vel à terra.

Non dabit tibi fructus ſuos.] כחה id eſt, Virtutem ſuam, vim ſuam; quam in edendis frugibus oſtendit. Hanc ergo virtutem, Hieronymus vertit fructus. Septuaginta quoque Hebraicum ſequuntur. οὐ προσθήσει ἰσχὺν αὐτῆς δοῦναι σοὶ, id eſt. Non addet dare vim ſuam tibi. Atque hæc eſt ſecunda pęna Chain, inter ſeptem plagas, quæ à ſanctis ſcriptoribus Græcis recenſentur. Quod autem Septuaginta vertunt: non addet dare, hebraiſmus eſt, quem prudentiſſimè non ſecutus eſt Hieronymus. D

Vagus & profugus.] נע ונד Melius vt opinor Hieronymus, quàm Septuaginta, qui hæc duo vertunt ςένων καὶ τρέμων, id eſt gemens, ac tremens. Sed vera earum vocum ſignificatio eſt, vt vertit noſter interpres. Quod patet per alios interpretes, qui verterunt ἀκαταςατεῖν. Quod exponunt τουτέςι πλανᾶσθαι ἐπὶ τῆς γῆς. Inſtabilem eſſe, hoc eſt vagari ſuper terram. Hæc igitur fuit pęna, qua damnatus eſt Chain, vt & Hebræorum plures volunt, vt procul ab eo loco, vbi pater habitabat, ſecederet, ad plagam ſcilicet orientalem ipſius paradiſi, & cùm nactus eſſet locum, ne eum quidem teneret, ſed vagus vbique erraret. Quem locum copioſiſſime tractat Hieronymus. At Græci, Septuaginta ſequentes, ſcribunt, Chain nunquam à lachrymis ac gemitibus poſt illud ſcelus ceſſaſſe, trementemque omnibus eſſe viſum, vt fędum occurrentibus, ac miſerabile eſſet ſpectaculum. Alij ergo ad locorum inſtabilitatem referunt, vt Hieronymus, & multi Hebræorum, alij ad corporis tremorem, vt Septuaginta, & Græci.

Maior eſt iniquitas mea.] גדול עוני מנשא id eſt, Maior iniquitas mea, quàm propitiatio, vel quàm ferre poſſim, vel quàm dimitti poſſit: ſicut vertunt & Septuaginta μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναι, id eſt, Maior cauſa mea, vel accuſatio mea, quàm vt dimittatur. Hebraicè autem pro eo quod hic eſt dimitti, ponitur verbum נשא, hoc eſt leuare: leuare autem peccatum dicunt, parcere ac dimittere, vt inferius capite decimo octauo לא תשא למקום למען החמשים id eſt, Et non parces loco propter quinquaginta?

Ecce eijcies me.] הן גרשת אתי, id eſt, eiecisti me, Non per futurum, quanquam etiam Septuaginta per futurum. εἰ ἐκβαλεῖς με σήμερον. id eſt, Si eieceris me hodie, vbi redundat, ſi: affirmat enim quod de ſe fore augurabatur Chain. E

Nequaquam ita fiet.] Non eſt nequaquam לכן, id eſt, imò ſic. vel hoc modo. Imò inquit, ſic erit. Quiſquis enim occiderit te, punietur ipſe ſeptuagies. Sequitur Hieronymus Septuaginta, qui & ipſi οὐχ οὕτω. non ita erit.

Septuplum punietur.] Varijs modis ab Aquila, Symmacho, Theodotione, ac Septuaginta is locus transfertur. Aquila ſeptempliciter. Symmachus hebdomada. Id eſt ſeptenarium numerum. At Septuaginta, ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει, id eſt, Septem ſcelera exoluet. Septenarium itaque numerum, alij ad genera pęnarum, occiſori ipſius Chain inferendarum referunt: alij ad generationem ſeptimam, qua natus eſt Lamech occiſor Chain, vt nonnullis placet, Præſertim Hebræis, vt Auen Eſdræ, qui de eo numero ſcribit, Septuplum inquit עד שבעה דרין id eſt, Vſque ad ſeptem generationes. Eſt ergo hæc ſententia, Septies ille vindicabitur, qui occiderit Chain: hoc eſt, ſeptimo tempore, ac ſeptima generatione, de eo ſumetur ſupplicium, qui tantum ſcelus admiſſurus eſt, vt eum interficiat, in quo Deus ſignum poſuerit, ne à quoquam occideretur. Ego magis crediderim, ad pęnæ magnitudinem ipſius homicidæ referendum. Quippe qui & homicida ſecundus fuerit, & eum interfecerit, quem Deus cauerit etiam ſigno non interficiendum. Quanquam de hominis eius pęna, nihil ſcriptura referat. Nec refert quidem à quoquam interfectum eſſe Chain. Nam quod Lamech dixit, quia virum occidi in vulnus meum, plerique ſentiunt, eum non de Chain tunc locutum, ſed alio viro: præſertim cùm addiderit, & adoleſcentem in liuore meo. Nam quo modo Chain erat adoleſcens, cum ferè F atauus eſſet ipſi Lamech? Quæ quia vel ſcire vel ignorare, non plurimi refert, permittamus cuique de eo ſentire, quod ſibi verius videatur. Hieronymus quoque in Iouianum eſt adeundus, qui copioſe ſuper eo diſſerit.

Habitauit profugus in terra.] Hebraicè, habitauit in terra Nad. Reprehēdit Hieronymus, qui putarent Nad terræ proprium eſſe nomen, vultque hanc Periodum hoc modo intelligi: Habitauit Chain in terra Nad, id eſt profugus, vt poſt comma, ponatur Nad. vtrumque vero eſſe poteſt, vt & proprium & appellatiuum nomen ſit. Septuaginta vt proprium verterunt, καὶ ᾤκησεν ἐν γῇ ναὶδ, Et habitauit in terra Nad. Veriſſima autem mihi ſententia Hieronymi videtur, cùm & Hebræorum lexica, id nomen tanquam appellatiuum citent, & editio Chaldaica, non vt proprium, integrum reliquerit, ſed vt appellatiuum in aliam vocem mutarit, id eſt ויתיב בארע גלי ומטלטל id eſt, Et habitauit in terra vagus & profugus. Nec refert quòd adiuncta ſit vau, נוד Nod, idem enim pollet.

Ad plagam orientalem Heden.] Corruptus eſt is locus apud Septuaginta, apud quos extat ἐν γῇ ναὶδ, κατενάντι ἐδώμ, id eſt, In terra Næd, ex aduerſo Edom. certum quippe eſt, Edom, plurimum differre ab Heden, cùm alterum nomen gentis ſit, alterum regionis: Dicendum præterea fuerat, vt vertit Hieronymus, eſt enim Hebraicè. קדמת עדן, id eſt, ad ortum Heden. Nam ex aduerſo, id proprie non ſonat.

Pater habitantium in tentorijs.] הוא היה אבי ישב אהל ומקנה, id eſt, Ipſe fuit pater habitantis tabernaculum, & peculij. Patrem Hebræi appellant principem, reique alicuius autorem. Quod autem dicitur, & peculij, eleganter vertit Hieronymus & paſtorum, ſicut & Septuaginta πατὴρ οἰκούντων ἐν σκηναῖς, καὶ κτηνοτρόφων, id eſt, pater habitantium in tentoriis, & eorum qui nutriūt pecora.

Ipſe fuit pater canentium.] הוא היה אבי כל תפש כנור ועוגב id eſt, Ipſe fuit, pater omnis tractantis cytharam

A ram & organum. Variant Septuaginta. quanquam eandem innuunt, οὗτος ἦν ὁ καταδείξας ψαλτήριον καὶ κυθάραν, id eſt, Ipſe fuit, qui oſtendit pſalterium & cytharam. Non conuenit itaque inter eos, de nominibus horum inſtrumentorum, quanquam ne Hebræis quidem id ſatis perſpectum eſt. Cinnor autem, Hieronymus ſemper vertit cytharam, ſecundum autem organum, quãquam hoc commune ad omnia harmonica inſtrumenta ſit, verum quia hæc neſcire non magni eſt momenti, & magis obſcura ſunt, quàm vtilia, dimittenda ſunt. Quis enim ſcire poſſit, cuiuſmodi cytharæ atque organa eius tempeſtatis eſſent, cum ſingulis diebus vetera aboleantur, nouaque excogitentur? Quando neque ipſis Hebræis ſatis liquet, qua forma, quo modulatu fuerit decantatiſſima Dauid cythara. Extat tamen etiam tractatus Hieronymi, de harmonicis ſacræ ſcripturæ inſtrumentis.

Genuit Tubal Chain.] Duo nomina, Vnum tamen virum ſignificantia. Inuenimus autem omnes prope linguas interdum vſurpare, vt pluribus vnum appellent nominibus. Apud Chaldæos Nabuchodonoſor duo ſunt nomina, nabuch & hazar. Apud Arabes, Auicenna duobus quoque nominibus ſignificatur, Auen & Sena. Niſi per Auen intelligamus filium, & Sena ſit Patris nomen. Eodemque modo, & is Tubal Chain. Quanquam Septuaginta tantum Tubal verterunt, quod librariorum errore factum crediderim. Nihil autem referre puto, quod in ſequentibus Septuaginta, verbis diſcrepent ab Hebraico, quod habet, לטש כל חרש נחשת וברזל, Id eſt, Expolitor omnis opificij ærei, & ferrei. Eadem tamen ſentiunt, vertuntque venuſtius.

Et vocauit nomen eius Seth.] Ab etymologia Hebraica, à verbo ſath, hoc eſt poſuit. שת

Iſte cœpit inuocare.] אז הוחל לקרא בשם יהוה, id eſt: Tunc cœptum eſt inuocare in nomine Domini.
B Refertur ergo ad tempus, non ad perſonam, ſicut vertit & Aquila apud Græcos, τότε ἤρχθη, id eſt, tunc cœptum eſt. Quam interpretationem approbat etiam Theodoritus. At Septuaginta neſcio quamobrem vertunt, οὗτος ἤλπισε ἐπικαλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου. Iſte ſperauit inuocare in nomine Domini. Neque vlla apud nos extat ratio, vt cauſam afferamus, quamobrem ita verterint. Quòd autem ea ſit editio Septuaginta, & locus non ſit corruptus, illud quoque indicio eſt, nam Gregorius Nazanzenus, in oratione ad eos qui morbo ſacro eſſent impliciti, ſic hunc locum citat: καλὸν πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη, τὰ τρεία ταῦτα, καὶ μάρτυς τῆς πίστεως ἀβρὰμ δικαιωθεὶς ἐκ πίστεως. τῆς δὲ ἐλπίδος ἐνώς. ὃς πρῶτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ θεόν. Præclara, inquit, res eſt fides, ſpes, charitas, tria hæc. Et de fide teſtimonium attulit Abraham, qui iuſtus habitus eſt propter fidem. De ſpe Enos, qui primus ſperauit inuocare nomen Domini.

Ad ſimilitudinem Dei, fecit illum, ſiue creauit.] Porrò dixerat, Deum finxiſſe ſiue formaſſe hominem, hic autem dicit eos creaſſe. Annotarunt itaque plerique id, apud Græcos aſſerentes tum de corpore dictum fuiſſe, fingere enim & formare ad corpus ſpectare, creare autem ad animum. Obſeruatum quoque eſt à diuo Baſilio, cuius hæc de ea re extat ſententia: ἤδη τινὲς ἔφασαν τὸ μὲν ἔπλασεν ἐπὶ τοῦ σώματος εἰρῆσθαι, τὸ δὲ ἐποίησεν ἐπὶ τῆς ψυχῆς, ἴσως οὐκ ἔξω τῆς ἀληθείας ὁ λόγος. ὅπως μὲν γὰρ εἴρηται, καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτὸν, τὸ ἐποίησεν εἴρηται. ὅπως δὲ λοιπὸν περὶ τῆς σωματικῆς ὑποστάσεως ἡμῖν διηγεῖται, τὸ ἔπλασεν λέγει. διαφορὰ δὲ ποιήσεως καὶ πλάσεως, καὶ ὁ ψαλμῳδὸς ἐδίδαξεν εἰπών. αἱ χεῖρές σου ἐποίησάν με, καὶ ἔπλασάν με. ἐποίησε τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ἔπλασεν τὸν ἔξω. καὶ γὰρ πρέπει ἡ μὲν πλάσις τῷ πηλῷ, ἡ δὲ ποίησις τῷ κατ' εἰκόνα. ὥστε ἐπλάσθη μὲν ἡ σάρξ, ἐποιήθη δὲ ἡ ψυχή. Hoc eſt: Iam qui-
C dam reperti ſunt, qui dixerint formauit Deus, dictum eſſe de corpore, creauit vero de anima: & forte non abeſt à vero. Vbi enim dicitur Deus creaſſe hominem ad imaginem ſuam, creandi verbum vſurpatum eſt. Vbi autem de figmento corporis habetur mentio, verbo fingendi id ſignificatum eſt. Pſalmiſta quoque hanc differentiam fingendi & creandi aperte oſtendiſſe videtur, ſiquidem canit: Manus tuæ crearunt & finxerunt me: creauit enim interiorem hominem, finxit autem exteriorem. Nam fictio luto conuenit, creatio vero ad imaginem Dei pertinet, quare caro quidem formata, animus autem creatus eſt.

Fingere.
Formare.
Creare.

CAPVT V.

Et genuit filium.] Redundat filium: eſt enim tantum, genuit. Quod à Septuaginta omittitur, καὶ ἐγέννησε κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ, id eſt, genuit ad imaginem ſuam, vel ſpeciem ſuam.

Vixit Seth poſtquam genuit Enos.] Septuaginta editio, cùm multis in locis mendoſa deprehenditur, tum vero in recenſendis his annis. Quæ res fuit in cauſa, vt Chriſtiani ab Hebræis plurimum in aſſignatione temporis à mundo condito, differrent. Is autem malus computus, non ab ipſis interpretibus vt ipſe arbitror emanauit, ſed librarijs, ipſaque vetuſtate. Facileque fuit in his numeris addere vel ſubtrahere aliquid. Cùm itaque maiores noſtri tam Græci quàm Latini, editionem lxx. ſequerentur, in deſcribendis quoque temporibus eos ſecuti, à veritate Hebraica plurimum receſſerunt. Veriſſima vero temporum ſupputatio, & ſacris litteris conſentanea, ea eſt, quæ apud Hebræos extat. Neque certe in hac re poſſumus ab eis diſcrepare, licet in alijs δὶς διαπασῶν. Omnis itaque inter Chriſtianos & Hebræos differentia in computandis temporibus, ab

Hebr. non habere plura annorũ genera vt quidã ſomniant.

editione Septuaginta profecta eſt. Quare commentitia, & non admodum Chriſtiana Bacchonis differrentiæ huius aſsignatio. Is enim fingit plura annorum genera apud Hebræos haberi, quoſdam enim annos lunares, alios bimeſtres, alios ſemeſtres. Quæ vt falſiſſima ſunt, ita omnes diuinas euertant litteras. Et quoniam noſtra editio, ex Hebraica veritate verſa eſt, ideo ea cum Hebræis in ſupputando conſentit, neque quicquam diſcreparemus ab ipſis, ſi hanc noſtram ſequeremur. Corruptus itaque eſt hoc loco numerus, tam apud nos, quàm Græcos: ſunt enim שבע שנים ושמנה מאות שנה, id eſt: Octingenti & ſeptem anni. Septuaginta vero, ἔζησε σὴθ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτῷ τὸν ἐνὼς, ἑπτὰ ἔτη, καὶ ἑπτακόσια, id eſt: Vixit Seth poſtquã genuit ſibi Enos, ſeptingentos ac ſeptem annos. Deſunt ergo centum in Græcis codicibus: in noſtra editione, ſeptem.

Vixit vero Enos xc.] Quanquam is locus recte apud nos ſe habeat, quantum ad numerum attinet, apud Septuaginta tamen deprauata ſunt omnia καὶ ἔζησε Ἐνὼς ἔτη ἑκατὸν, καὶ ἐννενήκοντα καὶ ἐγέννησε τὸ Καϊνάν, id eſt, Et vixit Enos centum & nonaginta annos, & genuit Cainan. Redundat ergo centum.

Anni quoque, quos vixit Enos, poſt natum Cainan: ſunt ſicut eſt apud Hieronymum, non vt habent Septuaginta πέντε καὶ δέκα ἔτη, καὶ ἑπτακόσια. Id eſt, ſeptingentis quindecim annis, apud Hieronymum dccc. xv.

In numero quoque apud Septuaginta error eſt, annorum quos vixit Cainan, antequam genuiſſet Mahalael, cùm enim is ſit lxx. Septuaginta interpretes habent, ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν, id eſt, clxx.

In ſequenti quoque numero annorum, quos vixit Cainan poſt genitum Mahalael, error eſt, nam cùm ſint dccc. xl. illi τεσσαράκοντα καὶ ἑπτακόσια, id eſt, dcc. xl.

In numero quoque annorum, quos vixit Mahalael ante ortum Iared, ijdem erant: nam cùm ſint lxv. ſicut & noſter vertit Hieronymus: illi addunt huic numero ἑκατὸν ἔτη, id eſt, centum annos.

In ſequenti quoque numero annorum, quos vixit Mahalael poſt ortum Iared. Sunt enim dccc. xxx. illi faciunt τριάκοντα καὶ ἑπτακόσια, id eſt, dcc. xxx.

In numero quoque ipſius Iared ante genitum Enoch, ſunt enim lxij. illi δύο καὶ ἑξήκοντα ἔτη καὶ ἑκατόν, hoc eſt, c. lxij.

Inferius quoque vbi cenſentur anni Enoch, antequam genuiſſet Metuſalach, quem nos corrupte, ſicut & Græci, Matuſalem appellamus, idem error. Sunt enim lxv. illi autem apponunt centum.

Et ambulauit Enoch cum Deo.] Sic eſt Hebraice ויתהלך חנוך. Hanc locutionem Hebraicam, alio modo expreſſerunt Septuaginta, εὐηρέστησε δὲ Ἐνὼχ τῷ θεῷ, id eſt: Placuit Enoch Deo. Ambulare igitur cum Deo, ſacris litteris, eſt eum timere, pie ac ſyncere colere: quanquam hoc loco aliud fortaſſe ſignificat. Ambulauit enim cum Deo, hoc eſt, ad locum diuinitatis aſſumptus eſt, profectus eſt in beatorum terras, licet mox interponatur, & vixit. Error quoque in numero apud Septuaginta hoc loco. Cùm enim trecentum annis eſſet dicendum, illi διακόσια ἔτη, id eſt, cc. Vbi autem repetitur, & ambulauit Enoc cum Deo, & non apparuit: Hebraicè, ואיננו, id eſt, Et non ipſe. Quod Septuaginta eodem propè modo, quo & nos interpretantur, καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, id eſt: Et non eſt inuentus. Adduntque ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός, id eſt: Quia tranſtulit eum Deus, Hebraicè, כי לקח אתו אלהים, id eſt: Quia tulit eum Deus. Quæ igitur de Enoch dicuntur, alio modo ab Hebræis, Græcis, Latinis traduntur. Nam interpretatio Septuaginta, qua dixerunt Enoch eſſe tranſlatum, fecit vt Chryſoſtomus, atq; Ephrem, alijq; ſcriptores Græci, eadem de Enoch opinarentur, quæ & de Elia feruntur. Eſſe ſcilicet eos in aliquem amœnum, fortunatumque locum à Deo tranſpoſitos. Et de Elia quidem, conuenit inter nos, atque Hebræos, eum & tranſlatum, & mittendum ſuprema die, vt apud Malachiam prophetam extat. Ad de Enoch non ita conſtat: Neque aliquid huiuſmodi traditur. Sunt enim apud eos, qui eum locum, Et tulit eum Deus, interpretentur, mortuus eſt: quòd is loquendi ſcripturarum mos ſit, vt aliquem ſumptũ dicant, hoc eſt, è medio ſublatum, vt tolle animam meam, nimirum ex hac vita. Sic exponit Auen Ezra, נא נפשי ואני לוקח ממך מחמד עיניך ויקח אותו אלהים מת וכן קח ſic & alibi. Hoc eſt: Tulit eum Deus, ſcilicet mortuus eſt. Vt illud: Tolle obſecro animam meam. Et illud: Ego tollo abs te, quod omnium gratiſſimum eſt oculis tuis. Hanc itaque de Enoch ſententiam, ex Septuaginta arbitror profectam. Neque enim aliud eorum interpretatio videtur innuere. Qui forte per illam receptionem, quæ Cabala nuncupatur, acceperunt ea, quæ transferendo prodiderunt, & quæ paſſim apud nos & Græcos, ea de re circumferuntur. Et certe melius noſtri, quàm Hebræi, de hac re ſentiunt: ſic enim peculiaris mentio, de aſſumptione Enoch, quòd in cæterorum vita & morte deſcribenda, minime factum eſt.

Ambulare cum Deo quid.

Enoch an tranſlatus, ſicut Helias.

Tulit eũ Deus, id eſt mortuus eſt.

Calaba, id eſt, receptio.

Iſte conſolabitur nos.] זה ינחמנו ממעשנו, id eſt: Iſte cõſolabitur nos ab operibus noſtris. Hæc eſt veritas Hebraica, ſcilicet vt vertit Hierony. Septuaginta videntur verborum duorum ſimilitudine decepti. Hebraicè ſiquidem Nacha ſignificat ſedare, mitigare, & quieſcere facere: ſed Nacham cum mem, conſolari: quo verbo viſus eſt hoc loco ſcriptor. Verterunt itaque Septuaginta, οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν, id eſt, Iſte requieſcere nos faciet ab operibus noſtris,

נחה

נחם

A ſtris, alterum verbum pro altero vertentes. Eadem verborum ſimilitudo fefellit & Nicolaum, qui tradit Hebraicè haberi, Iſte quietabit nos. Nam verbum quietandi, vt ipſe loquitur, non eſt Nachan, ſed Nacha. Poteſt tamen dici in defenſionem Septuaginta & Nicolai, vltimum, m, non eſſe de verbi eſſentia, ſed additum eſſe in pronomine nos, quod ſæpe fit apud Hebræos. A qua ſententia ne videtur quidẽ abhorrere Hieronymus, qui quodam loco, Noach interpretari requiem, atq; à quieſcendo eum eſſe appellatum aſſerit. Attamen lexicon Hebręorum, verbum cuius hic habetur mentio, deducit à Nacham. Error quoq; apud eoſdem in annis quos vixit Lamech poſt genitum Noach. Cùm enim eſſent quingenti Septuaginta, illi πεντακόσια ἑξήκοντα πέντε. id eſt, d. lxv. Inferius quoque omnes anni Lamech ſunt ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem, non ἑπτακόσια καὶ πεντήκοντα τρία ἔτη, hoc eſt, dcc. liij. vt apud eos habetur

Noach.

CAPVT VI.

VIdenteſque filij Dei.] בני האלהים Cùm is locus in ſacris litteris ſit obſcuriſſimus maximos errores peperit, in variaſq; ſententias hominum mentes diſtraxit. Neque adhuc fortaſſe exploratum perceptumq́ue eſt, quid hic per filios Dei innuant diuinæ litteræ. Hos enim Lactantius angelos eſſe putauit: neque eos bonos, ſed eos qui mulierum concubitum appetierint: ex hiſq; tertium quoddam genus procrearint, id eſt, dæmonas. Alij filios Dei intelligunt filios Seth, ſicut multi Hebræorum ſentiunt: filias autem hominum, filias Chain. Quod video etiam Græcis ſcriptoribus placuiſſe. Duæ enim lineæ ductæ ab Adam ſunt, eorum qui ex Chain eſſent procreati, & qui ex Seth, qui ſuffectus eſt in locum Habel, quem interfecerat B Chain. Qui ergo à Chain originem acceperunt, non fuerunt patri diſſimiles, ſed cùm in alijs facinoribus, tum in homicidijs paternam impietatem referebant. Qui autem ex Seth ducerentur, hi quoque patris pietatem ac modeſtiam perſecuti ſunt. Erantq́ue hi non tam genere vitæ diſcrepantes, quàm loco: alteri alteros execrabantur, à ſeſe procul diſiuncti. Vigebantq́ue in genere Chain ſtupra, adulteria, veneficia, homicidia: at apud illos, pietas religio, Deiq́ue ſumma veneratio. Ob eamq́ue rem Dei filij nuncupabantur, nimirum ſacrum ac celeſte genus. Annis autem decurrentibus, totoque vertente mundo, corrupta omnia ſunt. Prima corruptelæ fuit cauſa, eorum, qui Dei filij haberentur, cum illo genere peſſimo, ſceleratiſſimaq; natione admiſtio. Cumq; diuinum genus eſſet potentiſſimum, ac nobiliſſimum pulchritudine infamiũ mulierum capti, eas ſibi vxores acceperunt, quarum commertio & ipſi polluti ſunt, auerſiq; à religione: & hi quos ſuccedentibus temporibus procreaſſent, ſceleratiſſimi, bellis, homicidijs, violentia, adulterijs inſignes. Alij filios Dei opinantur filios iudicum, ac virorum præpotentum, eorumq́ue qui gerant res publicas, qui ex more linguæ Hebraicæ dij nuncupentur, quòd ſint inſtar deorum in terris: Eoſque ſummus pater, deos appellari voluit, vt & ipſi ſeſe quid forent, agnoſcerent, & alij eos maxime venerarentur. Frequentiſſimeq́ue inuenies iudices ac ſacerdotes Deos appellari, vt Exodo. והגישו אדניו אל האלהים id eſt, Et applicabit eum Dominus ſuus ad Heloim, hoc eſt iudices, vt interpretantur omnes. Dei ergo filios, iudicum filios vocari, qui propter patrum autoritatem, nullum facinus eo tempore non auderent, adiuuante eorum ſcelera ipſa corrupta tempeſtate, opprimentes inopes, eorumq́ue puellas conſtuprantes. Vt autem ſcelus Sodomitarum, præpoſtera libido fuiſſe memoratur: ita quoque tempe- C ſtate illa vigebat chamas hoc eſt violentia, atque oppreſſio. Sic enim intelligendum eſt cùm dicitur, Repleta eſt terra iniquitate, Hebraicè chamas. præualebant ergo filij Dei, in alios homines, omniaque luctibus, ac bellis perturbabant. Corruptis autem principibus, facile reliqui deprauati ſunt, in quos principum impuritas deriuabatur. Atque hoc modo refellitur, quod obijcit Nicolaus. Hęc & ſuperior videtur veriſimilior ſententia, & quę magis viris grauiſſimis placeat, omneſq́ue ſcriptores Græci videantur harum alteri adhærere. In dogmatica panoplia extat, υἱοὶ θεοῦ, οἱ ἐκ τοῦ σὴθ, θυγατέρες δὲ ἀνθρώπων, αἱ τοῦ καὶν. Hoc eſt, Filij Dei, hi qui ex Seth genus ducerent, filiæ autem hominum, quæ ex Chain. Theodoritus quoque hos Dei filios, poſteros Seth eſſe ſentit, hoc modo: ἐκεῖνοι οὖν, ὡς εὐσεβεῖς ὠνομάσθησαν υἱοὶ θεοῦ, κεχώρισαι γὰρ τοῦ σὴθ τὸ γένος. καὶ οὐκ ἐπεμίγνυντο τοῖς ἐκ τοῦ καὶν διὰ τὴν ἐπενεχθεῖσαν αὐτῷ παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων ἀράν. ἀλλὰ διελθόντων χρόνων συχνῶν & quæ ſequuntur, id eſt, Illi igitur, hoc eſt poſteri Seth, ob egregiam erga Deum pietatem, Dei filij nuncupati ſunt. Erat enim genus Seth procul à tota natione Chainea ſequeſtratum, propter in eum coniectam à ſummo Deo diram imprecationẽ, multis autem exactis curriculis: & alia quæ ſequuntur apud ipſum. Quod autem de angelis quidam ſenſerunt, id tanquam profanum atque impium rejiciendum. Non ſolum enim à ſacris ſcriptoribus refellitur, ſed etiã in Chriſtiana veritate eſt commentum improbiſſimum. Propterea in eiuſmodi homines, acerbiſſime inuehuntur Theodorus & Cyrillus, præſertim vero & Theodoritus hoc modo. ἐμβρόντητοί τινες, καὶ λίαν ἠλίθιοι, ἀγγέλους τούτους ὑπέλαβον, ἴσως ἀκολασίας ἀπολογίαν σχήσειν ἡγούμενοι, εἰ τῶν ἀγγέλων τοιαῦτα κατηγοροῖεν. hoc eſt: Stupidi quidam, vehementerq́ue deſipientes homines, hos Dei filios, angelos eſſe putarunt: ſuæ fortaſſe improbitatis patrocinium ſe habituros ſperantes, ſi tanti ſceleris reos angelos agerent.

Filij Dei hic qui di Angeli. Filij Seth.

Filij Iudicũ, ac prę potentiũ, qui & Dij vocãtur.

חמס

agerent. Deinde profert rationes, quibus eorum redarguatur error. Quod vero hi eſſent iudicum filij ac principum, autor eſt Auen Ezra משפט אלהים בני אלהים בני השופטים שהם עושים בארץ Filij, inquit Dei, filij iudicum, qui ius diuinum exercent in terris. deinde infert שות בנבות שממשפחת קין ויש אומרים כי בני אלהים בני id eſt, Sunt qui dicunt, filios Dei, filios Seth, filias autem hominum quæ ab Cain genere profectæ fuiſſent. Editio autem Chaldaica, quæ & ipſa veridica eſt, בנת אינשא וחזו בני רברביא ית id eſt, Et viderunt filij principum, filias hominum humilium. Refert autem Chryſoſtomus, filios Seth creatos à Deo fuiſſe excelſæ & proceræ ſtaturæ, corpore autem robuſtiſſimo, filios autem Chain imbecillo & exiguo corpore. hoc modo γίγαντας ἐκάλεσεν τοὺς ἥρωας, τοὺς εὐμήκεις, τοιούτους γὰρ ἐποίησεν ὁ θεὸς, τοὺς υἱοὺς τοῦ σὴθ, ὑψηλούς. τοὺς δὲ τοῦ καῒν, ταπεινούς. καὶ ἀτελεῖς, ἵνα καὶ ἀπὸ τῆς ὄψεως φαίνηται ἡ διαφορά. D

Bonum & pulchrū eadem voce Hebr. ſignificat, טוב καλόν.

Quod eſſent pulchræ.] טבות id eſt, Pulchræ. Ex quo loco elicitur, etiam in Hebraico ſermone, hoc eſt vera ac natiua generis humani lingua, pulchrum & bonum eadem voce ſignificari: ſiquidem tou, & bonum & pulchrum ſignat. Neque igitur bonitas à pulchritudine ſeiungitur, neq; pulchritudo ab honeſtate ac bonitate. Quod magis erat in hac lingua obſeruandum, quòd in ea voces rerum naturas ſequantur. Sicut nituntur & Hebræi probare. Fit etiam id in lingua Græca, voce καλὸν: & Latina aliquando. Si qua vero rectitudo nominum quærenda eſt, quod conatur Plato in Cratillo, id maxime in lingua Hebraica faciendū. De qua re copioſe diſſeruit Cęlius meus Ferrarienſis, cuius & incomparabilis eruditio, & incredibilis modeſtia, omnibus, qui propius acceſſerint, admirationi erunt. Quare ille locus in Canticis capite primo, meliora ſunt vbera tua vino, vertendus erat, pulchriora ſunt vbera, &c. nam & ibi vocabulum boni poſitum eſt. Quanquam non vbera, erat vertendum, quod, ſuo loco annotabitur. E

Non permanebit ſpiritus meus.] לא ידון רוחי Quod variis modis exponitur. Alij: non diſceptabit ſpiritus meus. Quidam: non vaginabit ſpiritus meus. Neden enim vagina, à quo fit verbum nadan, vaginare, induere, ſubire, manere, quod tam Septuaginta quàm Hieronymus ſecuti ſunt. Siquidem Septuaginta, οὐ μὴ καταμείνῃ πνεῦμα μου. id eſt, Non permaneat ſpiritus meus: ſpiritus enim in corpore quemadmodum in vagina gladius conditur. Alij à don, hoc eſt iudicauit duci putant: & in futuro iadon, ſicuti eſt hoc loco. vtrunque vero Hebræi comprobant, Chaldaica editio primum לא יתקיים בישא הדין קדמי id eſt, Non ſubſiſtet, non perſiſtet generatio iſta peſſima coram me. Rabi autem Iſach à don vult duci, hoc eſt iudicauit, diſceptauit. Atque ita videmus, alia alijs placuiſſe: quo fit, vt vtrunque poſſit admitti, quanquam ſunt, qui negant poſſe id verbum à Neden, hoc eſt vagina duci: ſed tantum à don, iudicauit: quod ſi id intellexerunt etiam Septuaginta ac Hieronymus non mirum quòd vertant, non permanebit. Neq; enim aliud id ſignificat, quàm non imperabit, non regium locum ratio in poſterum obtinebit. Auferam ſanctum ſpiritum meum ab eis, & bonitatem meam, neque patiar vltra naſci homines: vt Auen Eſdra explicat, כי הרוח דין בגוף id eſt, quia ſpiritus dominatur corpori. Sed aduerte, quòd Hieronym. in quæſtionibus Hebraicis, non approbat editionem Septuaginta, dicitque in Hebræo haberi, non iudicabit: hoc eſt, quia homines frageles ſunt, non iudicabit eos ſpiritus meus pro ſcelerum grauitate. Ex hoc fit, vt ſuſpicer Hieronymum vertiſſe, non iudicabit: ſed ex antiqua editione Latina, quæ erat Septuaginta, interiectum eſſe, & non permanebit. Quod obſeruaui in multis. aut certè dicendum aliter hic, aliter ibi ſentire Hierony. cum eo ſentit & Rabi Salomon, qui hoc exponit. לא יתרעם, ויריב רוחי hoc eſt, Non diſceptabit, non iudicio contendet ſpiritus meus. F

Spiritus Dei quomodo hic capiatur.

Aeternū non ſemper pro infinito.

Spiritus meus.] Non quo Deus ipſe viuit, ſed quem ſingulis diebus effundit in corpora. Atq; idcirco ſuum appellat, ſicut & ſupra, ventus appellatus eſt ſpiritus domini. Videtur ergo minari interitum, qui per diluuium conſequutus eſt. Quod autem dixit in æternum, certum eſt, vt Rabi quoq; Moſes ſcribit, dictionem hanc æternum, non perpetuo, æternitatem in ſacris litteris ſignificare, ſed durationem aliquam, quæ tamen aliquando rumpatur: permulta enim in ſcripturis ęterna promittuntur, quæ tamen breuiſſima temporum ſpacia obierunt. Promittitur Abrahę, terram quam tum peregrinaretur, æternam poſſeſſionem ſemini ſuo futuram. Promittitur Dauid, regium ſceptrum perenne in domo ſua futurum, quod tamen celeriter ereptum eſt: niſi forte myſtice hæc interpretari velis. Eodem modo hic minatur ſe genus humanum in ſempiternum aboliturum: quod per Noach reparatum eſt, qui eiuſmodi minis non erat obnoxius.

Et erunt dies eius,] Varia quoq; eſt huius dicti ſententia. Plerique Hebræorum putant hic non pręſcribi terminū vitæ humanę, ſed ſpacij, quod daretur illi ſeculo, vt pęnitere poſſent: vt exponit Auen Eſra: qui cùm multis verbis eorum redarguiſſet ſententiam, qui exiſtimarent pręſcribi hic finem humanæ vitæ, intulit, ואם ישובו ימלטו ואם לא ישובו ימותו והאמת מה שאמר המתרגם ארמית שנתן קץ לאדם בטעם עוד ארבעים יום hoc eſt. Vera inquit, huius dicti explicatio eſt, ſicut habet editio Chaldaica, pręſcriptum ſcilicet eſſe quodam ſpacium ad pęnitendum illius tempeſtatis hominibus, ſicut apud Ionan inuenitur, adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, vt ſi pęnituerint, ab interitu eripiātur: ſin minus, cum ſuis flagitijs extinguantur. Si hæc itaque veritas eſt, vt ipſe vult, errauit Lactantius, qui ait eo tempore imminutam vitam humanam: errauit Chryſoſtomus ac Theodorus, eadem ſentientes. Et quod magis mirum, errauit & Ioſephus vir Hebræus, qui de hac re, A antiquitatis Iudaicæ primo, inquit, συνετέμνετο γὰρ ἤδη τοῖς ἀνθρώποις τὸ ζῆν. καὶ βραχύτερον ἐγίνετο μέχρι τῆς Μωσέως γενέσεως ἑκατὸν ἔτη πρὸς τοῖς εἴκοσι, ζήσαντος. Iam inquit, illa annorum numeroſitas interrupta fuerat, breuiuſque viuebant homines vſque ad natiuitatem Moyſi, qui ſupra viginti, centum egit annos. Quanquam arbitror Ioſephum non propterea ſenſiſſe, tum diuinitus decretum eſſe, ne centum ac viginti annos, homines viuendo ſuperarent. Vera quidem dicit, tum coarctari cępiſſe annos, ſed in eum numerum, non puto eum ſcripſiſſe. Patet autẽ non fuiſſe Dei conſilium, vt mox poſt diluuium, nemo hominum cẽteſimum ac vigeſimum annum excederet. Nam vniuerſa illa ſeries, quæ à filijs Noe ducta eſt, numeroſiſſime vixit. Ipſe quinetiã Abraham, eum terminum longo interuallo ſuperauit: quippe qui ad centeſimum ac ſeptuageſimum quintumque acceſſerit annum. Quare probabilior eorum videtur ſententia, qui hos annos non vitæ, ſed pœnitentiæ eſſe conceſſos arbitrentur. Scribit enim etiam Auguſtinus, centum annorum ſpacio exædificatam eſſe arcam, quo tempore, Noe omnes commonefaciebat, vt genus vitæ infandum deſererent, Deumque humani generis autorem agnoſcerẽt, pijſſimeque colerẽt, Quod idem aſſerit & Beroſus Chaldæus. Qui etiam ſcribit Noe Gigantem fuiſſe, ſed pium, Deorumque cultui deditum. Solitumq; eum cæteros admonere gigantes, ne tam ignominioſam agerent vitam, neque tam ſuis viribus fiderent, vt Deos etiam, per ſummum contemptum blaſphemarent, eiſque cælum eripere minarentur. Hoc idem in Cabaliſticis libris aſſeritur, id eſt his, qui in ea præclara ſynodo cuius princeps Eſdras fuit conſcripti ſunt, cuius opera omnia hæc hiſtoriæ mandata ſunt. Vbi & illud additur, eam ſententiam viginti annos antequam Noach genuiſſet filios latam eſſe. Sexcenteſimo enim vitæ Noe anno, inundauit diluuium, quingenteſimo B autem nati ſunt tres filij, ergo viginti annos ante, ea ſententia in genus humanum lata eſt. Chaldaica quoque editio apertiſſime hoc loco, idem declarat, hoc modo eam ſententiam interpretans, Erunt dies eius, &c. ארכא יהיב להון מאה ועשרין שנין אם יתובון Hoc eſt, ſpacium dabitur eis, ſi quo modo eos pœniteat, centum ac viginti annorum. Hieronymus tamen dicit, Deum non expectaſſe tempus decretum, quia non pœniterent, & abrupiſſe ex numero promiſſo viginti annos.

Cabaliſtici lib. tempore Eſdræ conſcripti.

Viri famoſi.] אנשי השם .i. Viri nominis celebres, ac inter omnes mortales nominatiſſimi. Ideo famoſus hoc locos, non in malam partem accipitur, vt ſomniat Nicolaus. Celebres autem non ſolum ea tempeſtate, ſed tota poſteritate propter corporis vaſtitatem, vireſq; præſtantiſſimas fuere, quanquam eo diuino munere abuterentur. Reſpexit ergo ſcriptura ad homen, ac famam Gigantum, qua, tempeſtate Moyſi, & antea, per omnes terrarum partes celebrarentur.

Gigantes.] Hebraicè נפלים Nephilim. Putant aũt quidam apud Hebræos, eo nomine dæmones ſignificari, quod Nephelim appellentur à naphal, hoc eſt cecidit. Nephelim ergo, hoc eſt lapſos. Hos fuiſſe opinantur qui incubi ac ſuccubi appellentur, quorum maximã copiam tum per genus humanum vagari ſolitam aſſerunt: qui & fœminarum amore capti fuerint, omneſq; homines nefando ſemine corruperint, ex quibus homines ſceleratiſſimi procreati fuerint. Atque hoc eſſe, quod ſacræ litteræ peculiariter tradant Gigantes fuiſſe tum ſuper terram, id eſt dæmones. Sed hæc præterquam ꝙ falſa ſunt, ſunt etiam abſurdiſſima, tum quod à ſacris ſcriptoribus maxime refelluntur, tum quia à Chriſtiana veritate admodum abhorrent. Eademq; hic de his dæmonibus dici poſſent, quę ſupra de angelis prolatá ſunt. Quis autem tam inſani capitis, tam inſulſo ingenio fuerit, qui putet, tantam tunc improborum ſpirituum fuiſſe licentiam, vt mulieres palam aggredi C auderent, aut mulieres eos non reformidarent? Quod autem per Gigantes, non ſint praui ſpiritus intelligendi, indicio eſt & Chaldaica editio, quę nephelim interpretatur גבריא hoc eſt fortes, ac robuſtos. Et Symmachus vertit robuſtos. Quos Græci à fortitudine, quaſi terræ filios nuncuparunt: nam Gigantes quaſi gigenis, hoc eſt terrigenæ dicuntur. Neque hi ab ipſo nomine ſatis patrocinij habere poſſunt, cùm alij aliud etymon ei accomodent. Quippe Auen Eſra nephelin, inquit, שיפול כל הרואה אותם שיתמה מגבה קומתם A naphal, hoc eſt, cecidit appellantur, quia omnes qui in eos inciderent, corporis vaſtitatem mirati, ac formidine correpti, corruebãt. Non ergo nephelim dicuntur quaſi è cęlo lapſi. Alioqui cur eodem nomine alij gigantes appellati ſunt, vt paſſim in diuinis libris reperire licet? Theodoritus quoq; nihil horum meminit, ſed exponens quod hominum genus eſſent hi Gigantes, inquit, τίνας καλεῖ γίγαντας ἡ θεία γραφή, τίνες φασὶ τοὺς ἔτι πολλὰ βεβιωκότας· τίνὲς δὲ τοὺς θεομισεῖς καὶ ἀντιθέους ἀνθρώπους. οἱ ταῦτα οὕτω νενοηκότες, οὔ φασιν τούτους μείζονα τῶν ἄλλων ἀνθρώπων σώματα ἐσχηκέναι ἡγοῦμαι δὲ ἐγὼ γεγενῆσθαι τινὰς παμμεγέθεις ἀνθρώπους. Quosnã vocat ſacra ſcriptura Gigantes? quidã aiunt, eos qui multos annos vixiſſent: alij vero eos qui Deũ non venerarentur, impijq; eſſent. Atq; hi qui hoc ſentiunt, non eos exiſtimant celſiore, q̃ reliquos, fuiſſe ſtatura. Ego vero inquit, ex multis diuinæ ſcripturæ locis, colligo fuiſſe homines proceros ac vaſto corpore. Ioannes quoq; Damaſcenus de his ſic ſcribit. γίγαντας ἐνταῦθα τοὺς ἰσχυροὺς τὸ σῶμα οἶμαι λέγειν τὴν θείαν γραφήν. Hoc eſt Gigãtes eos hic appellare ſcripturã exiſtimo, qui robuſtiſſimo eſſent corpore. Vt illud: Non ſaluabitur Gigas in multitudine virtutis ſuæ. Ioannes autem Chryſoſtomus etiã ipſe, dãnata illorum opinione, qui filios Dei, angelos interpretarẽtur, quinã eſſent Gigãtes, his verbis expoſuit, i. γίγαντας καλεῖ ἡ γραφὴ οὐ ξένην πλάσιν οὐδὲ ξένην μορφὴν ἀλλὰ τοὺς ἥρωας τοὺς πολεμικοὺς τοὺς ἰσχυρούς, i. Gigantes vocat ſcriptura, non inuſitatũ hominũ genus, aut inſolitam formam, ſed Heroas, & viros fortes, ac bellicoſos.

Gigantes incubos & ſuccubos fuiſſe volunt nonnulli.

Gigantes, nõ eſſe dæmones, vt quidã volunt.

Gigantes quaſi gigenis.

Gigantes qui fuerit.

Potentes à ſeculo.] הגברים Fortes. Neutrum addunt Septuaginta, neque fortes, neque potentes. ſed γίγαντες οἱ ἄνθρωποι ὀνομαστοί Gigantes viri nominati, & ſi ſecundum Apuleium loqui licet, famigerati: quod tamen in Hebraico non eſt: expreſſerunt autem eandem ſententiam, varijs vocabulis. D

Pœnituit eum.] Eodem modo & Hebraice וינחם יהוה id eſt, Et pœnituit dominũ. At quid ſibi volunt Septuaginta, ꝙ vertunt, καὶ ἐνεθυμήθη ὁ θεὸς, ὅτι ἐποίησεν τὸν ἄνθρωπον, id eſt, Et cogitauit Deus ꝙ hominem feciſſet. Quod autem ita verterint Septuaginta, argumento ſunt quæ citat Diodorus, qui cùm produxiſſet editionem Septuaginta, intulit, ἢ κατὰ ἀκύλαν, καὶ μετεμελήθη ὁ θεὸς, id eſt, Vel ſecundum Aquilam, Et pœnituit Deum. Atque hæc eſt veritas Hebraica.

Et præcauens in futurum.] Nihil horum eſt in Hebraico, ſed tantum ויתעצב אל לבו id eſt, Doloreq; affectus eſt erga cor ſuum. Septuaginta quoque & ab Hieronymo, & ab Hebraico diſſentiunt. καὶ διενοήθη καὶ εἶπεν, id eſt, Et cogitauit, & dixit.

Noe inuenit gratiam.] Mirum cur hæc vox apud Græcos & Latinos, in ſacris litteris corrupte legatur, apud Beroſum tamen legatur vt legenda eſt. Appellat itaq; eum Noach, vt Hebraice quoque profertur, docetq; eum Gigantem fuiſſe, vt paulo ante meminimus. Qua ex re elicitur falſo eos opinari, qui exiſtiment Gigantes illos fuiſſe Dæmonas. Shem quoque omnes ferè Hebræi ſentiunt fuiſſe Melchiſedech, ſicut & Hieronymus annotauit. Iaphet etiam veriſimile eſt, eum fuiſſe, qui Iapetus à poetis appellatus ſit, præſertim cùm & Beroſus Chaldæus Iapetum eum vocet. Notum enim eſt, nominum Hebraicorum deſinentiam accommodari ſæpe litteraturæ Græcæ, vt ex Iacob, factum eſt Iacobus, & Ioſeph Ioſephus, ſic ex Iaphet Iapetus, φ, in π, conuerſo. Quod & in alijs multis nominibus fit, dicunt enim ἰώσηπος, vbi Hebraice fuerat, f. Quod autem Proclus, vt ſui moris eſt, vult in Theologia Platonica hunc Iapetum eſſe νοερὸν θεὸν, aſſeritque duci περὶ τὸ ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι, cùm id plane commentitium ſit, ſuo loco refellitur. E

Noach.

Shem.

Iaphet.

חמס *Repleta eſt terra iniquitate.*] Diximus nomine Chamas quod hic Hieronymus iniquitatem interpretatur, Hebraice violentiam vimq; ſignificari. Quod malum peculiare fuit ei tempeſtati, propter robur, immanitatemq; Gigantum, quorum eximia erat proceritas, vires autem penè ferreæ, vt habetur Deuteronomio, ipſius Dei teſtimonio dicentis: Tradidi tibi Amorræum, cuius proceritas inſtar cedri erat, robur autem vt quercus. Veriq; eſt ſimile, bella crudeliſſima tunc fuiſſe, factamque maximam humani ſanguinis effuſionem. Vires enim corporis, hominem ſuperbum atque arrogantem, Deiq; contemptorem reddunt. Eoq; non iniuria ſcribuntur, Deum ſuis detrudere regnis, manibuſq; cęlum reſcindere voluiſſe. Dei ergo contemptus, generiſque humani contrucidatio intulit diluuium. Quæ prauitas abfuit à Noach, qui iuſtus ac timens Deum, hoc eſt pius ſcribitur fuiſſe. Quorum primum innuit eum, rapacem, noxium, immanemque minime fuiſſe, quod ad homines ſpectat: alterum, Deum non ſpreuiſſe, ſed ſumma eum pietate coluiſſe. Gigantes autem Deum neſciebant, ac ſi ſciſſent, ſe eum formidare negabant. Quod in Cyclope illo Homeri facile cognoſcitur, qui apud Vlyſſem, hunc in modum ſeſe iactabat:

Causa diluuij.

Οὐ γὰρ κύκλωπες, Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσι,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων. ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι εἰμὲν, id eſt,
Nos neque cælicolas colimus, neque Iuppiter ipſe
Eſt curæ: cælum nobis nam viribus impar.

De horum Gigantum, qui tempeſtate Noe inuenirentur immanitate ſuper Heſiodum loquens Proclus, inquit, ἡ γὰρ αὐθάδεια πρὸς καταφρόνησιν ἐγείρα τῶν ἄλλων ἁπάντων. Immanitas, inquit, ac peruicacia hoc vnum agit, vt ad ſpernendum alios vehementer incitet. Fuiſſe igitur ea tempeſtate infanda bella, maximamque humani generis conciſionem, tantumq; bellis intentos fuiſſe Gigantes, cùm argumento ſunt quæ ſupra attulimus, tum ea quæ paſſim in omnium gentium litteris inueniuntur, primum Baruch cap. xxxj. extat teſtimonium de Gigantum bellandi auiditate. Ibi fuerunt Gigantes nominati, illi qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum, rerum bellicarum periti vocati. Apud Heſiodum quoque, cùm genus aureum, argenteum, ac ferreum, numerentur, intelligimus eum, per genus ferreum, ſentire de Gigantibus, quorum incredibiles eſſent vires, habituſque corporis vaſtiſſimus. Sic enim eos deſcribit. μεγάλη βίη, καὶ χεῖρες ἄαπτοι ἐξ ὤμων ἐπέφυκον. Quem locum explicans Proclus, ſic ſcribit. δηλοῖ γὰρ ὅτι τῆς σωμάτων τὴν ῥώμην ἤσκουν, οἱ ἐν τούτῳ τῷ γένει τῶν ἄλλων ἀμελοῦντες, καὶ περὶ τὴν τῶν ὅπλων κατασκευὴν διέτριβον, καὶ τῷ χαλκῷ ἐν τούτοις ἐχρῶντο διά τινὸς, αὐτὸν βαφῆς στερροποιοῦντες, εἶτα φύσει χαλκὸν, ἐκλιπούσης δὲ τῆς βαφῆς ἐπὶ τὸν σίδηρον ἦλθον. i. Indicat, inquit, vires corporis exercuiſſe hos, qui ſub tertio genere recenſentur. Qui cætera aſpernati, tantum in armis fabricandis verſabantur: in quorum ſtructura ære vtebantur, quibuſdam ad id ſolidandum medicamentis adhibitis. Quod temperamentum cùm defeciſſet, ad ferrum tandem ventum eſt. Et paulo inferius. τρίτοι ἐμπαθεῖς καὶ φονικοί, καὶ τὸ μὲν τρίτον γένος ἐξέλιπεν διὰ κατακλυσμοῦ. Tertium, inquit, genus erat maximis perturbationibus obnoxium, ad effundendum ſanguinem maxime præceps: ſublataque hæc natio eſt per diluuium. Eoque magis clarum eſt Heſiodum de illa tempeſtate Gigantum ſentire, quòd poſt tertium genus ſcribat ſucceſſiſſe diuinam gentem, quam ἡμιθέους ſemideos ipſe appellat. F

A appellat. Et proclus hoc ipſe comprobat, μετὰ δὴ τὸν κατακλυσμὸν γένος παρῆλθεν εἰς τὸν βίων, ἱερὸν, τὸ τῶν ἡμιθέων, ἀρκέσαν ἕως τῶν τρωικῶν ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ γενεὰς, ἀρετῇ διαπρέψαν. Poſt diluuium, inquit, genus in vitam ſucceſſit ſacrum, eorum qui ſemidei dicti ſunt, quod in ſeptem aut octo ſæcula vſque peruenit, virtute coruſcans. Hæc eadem referuntur à Beroſo Chaldæo, omnem illius ſæculi gentem deſcribenti.

Auen Ezra.

De lignis leuigatis.] גפר Gopher. De quo ligno varia ſcribuntur. Auen Ezra, quem frequentiſſime citamus, quòd is inter omnes interpretes Hebræos, primæ ferè notæ videatur eſſe. רע לו במקרא שם עץ קל הוא על פני מים ואין, Gopher, inquit, ligni leuiſſimi eſt nomen, quod ſuper aquas leuiter fertur, quod nomen alibi in ſacris litteris non inuenitur: & fortaſſe ſentit cum his qui id lignum exiſtimant eſſe abietem. Chaldaica editio interpretatur cadros, hoc eſt cedrum. Quæ cùm ita ſint, neſcio quamobrem Septuaginta vertunt, fac tibi arcam de lignis quadratis. ἐκ ξύλων τετραγώνων. Cùm enim id lignum vel cedrus eſſet, vel abies, quid quadrati nomen cum his? Hieronymus quoque non ſatis exploratum habeo, quod ligni genus intellexerit, cùm omnia ligna leuigari poſſint, non tam ſcilicet abies, quàm reliquæ arbores. Sed aduerte, quòd idem in quæſtionibus Hebraicis dicit, in Hebræo haberi, de lignis bituminatis, patet autem quàm differant nomen bituminis, & huius ligni, cùm bitumen vocetur, כפר copher, at ligni huius nomen eſt, גפר gopher. Exiſtimamus ergo eum ibi eſſe lapſum, non quòd hanc varietatem ignoraret, ſed ex eo quod frequenter ſolet fieri, vt aliquid facientes, non omnia aduertamus: indicioque eſt, quia hic, non eodem modo ſcripſerit.

Hierony. lapſus.

Manſiunculas in arca facies.] קנים hoc eſt, Nidos, ſicut verterunt & Septuaginta, νεοσιὰς ποιήσεις
B κατὰ τὴν κϊβοτὸν, id eſt: Nidos per totam arcam facies. Hieronymus ſententiam vertit: quanquam in Iouinianũ nidulos & manſiones legit, domunculæ enim inſtar nidorũ erant, quod etiam fit in nauibus. Hebraicum autem elegantiſſima metaphora vtitur, ſiue ad homines, ſeu cæteras animantes, nidos referat: idem ſiquidem nobis domus eſt, quod illis nidus: propterea Epictetus apud Adrianum, ait: δεῖξον τὶ διαφέρει, οἰκία ἀνθρώπου, καὶ νεοσιὰ πελαργοῦ. oſtende, inquit, quid differant hominum domus, & ciconiarum nidi.

In latere deorſum.] Deorſum Septuaginta, ad cœnacula & triſtega accommodarunt, κατάγαια, δυόρωφα καὶ τριόρωφα ποιήσεις Hoc eſt, ſubterranea, bicamerata, ac bicamerata facies. Sicut apud Herodotum ſunt tecta πεντόρωφα, καὶ ἑξόρωφα. Quod etiam ad Hebraicam veritatem eſt. Non enim deorſum ad ipſum latus refertur, ſecundum autem Hebraicum, quod in hunc modum habet, שנים ושלשים תעשה addendum noſtræ editioni fuerat etiam aliquid, vt non ſolum diceremus triſtega, verum etiam diſtega facies, quod neque à Septuaginta omittitur: ſicut etiam in Iouinianũ legit idem Hieronymus, per cœnacula vero, cùm Hebraice non habeantur, puto Hieronymum idem intellexiſſe, quod & diſtegum. Nam δίστεγον eſt ſupernus thalamus.

Vt poſſint viuere.] Quanquam leue ſit, proprie tamen eſt quod Septuaginta verterunt, ἵνα τρέφης μετὰ σεαυτοῦ. Vt nutrias ea tecum, ſic & Hebraicè, להחיות id eſt, vt viuere ea facias.

CAPVT VII.

Delebo omnem ſubſtantiam.] כל יקום Eſt autem nomen à iacham, hoc eſt, ſurrexit ductum: ſignificatque ſubſtantiam, ſubſiſtentiam. Quam nominis formam ſeruare cupientes Septuaginta, obſcurius fortaſſe verterunt, ἐξαλείψω πᾶν τὸ ἀνάστημα, id eſt: Delebo
C omne ſuſcitamentum, omne quod ſtat, aut ſurgit.

Anno ſexcenteſimo.] Eodem modo & Hebraicum. Græci autem codices impreſſi, hoc loco mendoſi ſunt, in quibus eſt, ἐν τῷ ἑνὶ ἑξακοσιοστῷ ἔτει, id eſt: Anno primo & ſexcenteſimo. Eſſet ergo maxima deprauatio, vel vnius anni facta acceſſione, cùm omnes ſacræ litteræ, omniſque annorũ ſeries apertiſſime proteſtetur, Noe ſexcenteſimo vitæ ſuæ anno, arcam ingreſſum, eodemq; anno inundaſſe diluuium. Quanquam vetuſtiores codices non eo modo habebãt, ſed ſic: diluuium, inquiunt, inundauit, ἐν τῇ γῇ, ἐν τῷ ἑξακοσιοστῷ ἔτει. In terram anno ſexcenteſimo vitæ Noach. Error autem accidit, quia paulo inferius eodem capite, cùm iam vnus exactus eſſet annus dicitur, ἐν τῷ ἑνὶ καὶ ἑξακοσιοστῷ ἔτει ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε τοῦ πρώτου μηνὸς, μιᾷ τοῦ μηνὸς ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ, id eſt, primo & ſexcenteſimo anno vitæ Noe, primo menſe, prima ipſius menſis die defecit aqua. Error quoq; eſt apud Septuaginta, in numero dierum mẽſis, quo aquæ cœperunt excreſcere. Nam cum Hebraica veritas ac noſter Hieronymus habeant, ſeptimo decimo die menſis, Græcè ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, id eſt: Vigeſima ſeptima. Eſt autem & hæc particula, vt & ſuperior ex eodem capite ſumpta. Vigeſimo enim ſeptimo die arefacta eſt terra, vbi Græcè eſt ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ δευτέρῳ, ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς ἐξηράνθη ἡ γῆ. Hoc eſt: Menſe ſecundo, vigeſima ſeptima die menſis exaruit terra. Eſt autẽ hæc deprauatio in codicibus Septuaginta creberrima.

Abyſſi magnæ.] תהום רבה id eſt: Amplæ, effuſæ. Quam magnitudinem Septuaginta ad multitudinẽ retulerunt, ἐρράγησαν πᾶσαι αἱ πηγαὶ τῆς ἀβύσσου. id eſt: Rupti ſunt omnes fontes abyſſi. Eſt aũt abyſſus, vt ait diuus Baſilius contra Manichæos, ὕδωρ πολλὸν δυσέφικτον, hoc eſt: Vaſtiſſima aqua, & quę tota tranſmitti non poſſit. Videtur ergo duci ab ἀβαίνω, hoc eſt, non peruenio, quanquam litterę mutatæ ſint. Ex quo ridere eum neceſſe eſt, qui dixit abyſſum appellari, ab à quod eſt ſine, & byſſus, id eſt, linum, quaſi ibi linum naſci non poſſit.

Abyſſus quid.

Catarractæ quid.

Et Catarractæ cæli.] ארבות. Nos Græcum nomen integrum ſeruauimus: nam & illi κατάῤῥακτας appellant. Duciturque à καταῤῥήγνυμι, dirumpo, diſcindo vel deorſum ruo: quo nomine non ſignificantur cęli quædam feneſtræ, vt à quibuſdam aſſeritur, niſi ad Hebraicum reſpexerint, ſed aquarum è loco eminentiſſimo atque præcipiti deſcenſus, de quibus apud hiſtoricos creberrima mentio. Qualis eſt Nili deſcenſus ad locum, qui catadupe dicitur, cuius accolæ, ob aquarum deſcendentium fragorem, obſurdeſcere feruntur, de quo loco Eliodorus: ἦλθον δὲ καὶ εἰς τὴν σὴν αἴγυπτον, καὶ καταδέπως καθ' ἱστορίαν τῶν καταῤῥακτῶν τοῦ νείλου. Demum, inquit, & in hanc tuam Aegyptum acceſſi, & ad ipſa catadupe, id eſt, reſonantes locos, vt præcipitem Nili deſcenſum cognoſcerem. Apud Strabonem quoque, libro ſextodecimo, de eiſdem catarractis mentio fit, οἱ μὲν οὖν πέρσαι τοὺς ἀνάπλους κωλύειν θέλοντες, φόβῳ τῶν ἔξωθεν ἐφόδων, καταῤῥάκτας χειροποιήτους κατεσκευάκεισαν. Perſæ, inquit, cum repentinos impetus qui per flumen ab externis fieri potuiſſent, formidarent, id prohibituri catarractas per totum flumen erexerunt, vt omnibus ad nauigandum ſurriperetur occaſio. Indicat ſcilicet eos moles quaſdam extruxiſſe, vt inde dilaberentur aquæ, ne per planum ferretur flumen, atque ita nulla eſſet in eo nauigatio. Apud eundem quoque catarractum imbrem Symmachus Arſinoen conditurus ſcribitur obſeruaſſe: id eſt, imbrem præcipitoſum ac confragoſum, vt eſt ex eminentiſſimo loco aquarum deſcenſus. Hoc idem igitur veriſimile eſt, diluuij tempore accidiſſe, vt plurimis in locis cęlum patuerit, aquarumque vaſta flumina maximo fragore delapſa fuerint. Inter aquas enim poſitum eſſe firmamentum, certiſſime ſacræ aſſerunt litteræ. Supercęleſtes quoque aquæ, ſæpe ſæpius celebrantur. Cùm igitur ſupra cælum ſint aquæ, quæ à nonnullis etiam cęlum cryſtallinū vocentur, hæ nimirum patefacto cęlo, horribiliter eruperunt, breuique totum orbem inundarunt. Nam his quoque aquis erat opus ad efficiendum generale diluuium, alioqui ſi imbribus tantum res acta fuiſſet, non modo quadraginta dierum ac noctium ſpacio tantum diluuium effectum fuiſſet, ſed ne quadraginta quidem annorum.

Firmamentum inter aquas poſitum. Aquæ ſupercœleſtes.

In articulo illius diei.] Videtur obſcurius tranſtuliſſe, quod erat clariſſimum in Hebraico, היום בעצם, id eſt: In ipſomet die. Sic etiam Septuaginta, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. In hac die. Hieronymus autem innuit Noach diei illius opportunitatem obſeruaſſe, (quæ à Latinis interdū articulus vocatur, vt eſt apud Terentium) atque in ea occaſione arcam ingreſſam, neque alio modo loquitur Marcus Tullius in oratione pro Publio Quintio, quàm hic Hieronymus, vbi ille ait: Vt hominem ſuis conditionibus, in ipſo articulo temporis, aſtringeret. Idem quoque Hieronymus in epiſtola ad Iulianum ſic loquitur, Filius meus, frater tuus Auſonius, in ipſo iam profectionis articulo, atque in puncto temporis, vacuum ſe redire arbitratus eſt. Ex quibus concluditur, idem eſſe Latinis articulum, quod Græcis ſit ἀκμήν. Punctum videlicet & quaſi extremitatem temporis, aut id quod in tempore eſt maxime eligendum. Ergo in articulo illius diei, nempè opportuniſſima ac maxime idonea hora. Quæ non ſatis intelliguntur à Nicolao. Veritatem autem Hebraicam Hieronymus paulo inferius expreſſit, cùm vertiſſet: Eadem die ingreſſus eſt Noe, cum filijs ſuis in arcam. Sicut & alibi, vt cap. xij. Exodi.

Articulus Latinis, quid. ἀκμήν.

C A P V T VIII.

ET adduxit ſpiritum.] ויעבר, id eſt: Et fecit tranſire ventum. Dictum enim ſupra eſt, ruach apud Hebræos & ſpiritus ſancti eſſe nomen, & venti. Ventum ergo hic innuit. Eadem quoque amphibologia eſt & apud Græcos, propterea ſunt, qui hoc loco per ſpiritum intelligant ventum, alij ſpiritum ſanctum, ſicut Theodoritus, de ea re ſic ſcribens: οὐκ ἀνέμῳ ὕδωρ μειοῦται, κυμαίνει δὲ, καὶ ταράττεται, πάλαι γὰρ τὰ μέγιστα τῶν πελαγῶν ἐξανάλωτο, πνεῦμα τοίνυν τὸ θεῖον φησὶν, ᾧ δὲ πάντα γίνεται καὶ λωφᾷ. Non ſolent inquit aquę ventis imminui, ſed potius fluctuare, atque turbari. Iam enim hoc pacto, etiam capaciſſimi ſinus eſſent exhauſti, ſpiritum ergo diuinum innuit, quo ſanè omnia fiunt, & agitata quieſcunt: hæc ille. Veruntamen ratione docēte inuenimus quoſdam eſſe ventos, quibus exſiccandi maxima inſit vis, qui & aquas in vapores conuertant. Nonne idem in mundi conditione accidit, cum ſpiritu domini, qui per aquas fluitaret, eædem ſiccatæ, abſumptæque ſunt? vt ibi copioſe diſputatum eſt. Filijs quoque Iſrael Aegyptum egreſſuris, mare rubrum per flantem ventū exſiccatur. Eodem itaq; modo & aquæ diluuij imminutæ ſunt. Quod ſingulis etiā diebus fieri animaduertimus. Ineſt autē ventis præſertim aquilonibus, vis ſiccandi incredibilis, ac longe maior quàm ſoli: ſicut auſtro flante vehementiſſime intumeſcit mare, omniaque propè in vapores reſoluuntur, alluunturque aquis vniuerſa, vt clarum fit auſtro flante, ſiue noto, Venetijs, vbi hæc ſcribebantur. Quo tempore omnia luctuoſis bellis ardebant, miſerabileque vitæ genus paſſim ducebatur. Quo etiam tempore Roma, ſiue peccatis ſic exigentibus, ſiue prauitate quadam, qua ſolet fieri, vt diabolus ad peſſima quæque inflammet humanum genus, & nihil in terris diutius permaneat, à militibus Cæſarianis infeliciſſime capta, direpta, incenſaque eſt: vbi (vt in eiuſmodi miſeriis ferè accidit) miles crudeliſſimus, cùm in omnes pro ſua immanitate eſt debacchatus, tum vero in religionem reſque ſacras: vt etiam ſacras virgines ad lupanaria per vim traxerint. Vbi omnes ſacerdotes

Venti quibus maxima exſiccandi vis.

Romanæ vrbis excidium per Cæſarianos anno 1527.

A dotes capti, & aut trucidati, aut pecunia redempti: correpti ab vberibus matrum pueri, coramque miſerabiliter trucidati: cætera nefanda. Multa vero corruptela omnem eo tempore ordinem Chriſtianorum occuparat, quæ & anſam maledicendi cupientibus præbuerat, & ad blaſphemandum præcipites homines, vehementer exaſperarat. Hæc eadem fecerat, vt omnia diuina inſtituta, ſanctiſſimorumque patrum decreta, audacter à viliſſimo quoque reſcinderentur, carperentur, vituperarentur: vt ea omnia (nefandum) ad quæſtum excogitata vbique prædicarent. Itaque & omne iam vulgus concitarant: paſſimque inueniebantur, qui ieiunium ineptias eſſe dicerent, Confeſſionem prophanam quandam rem, recens inuentum, & ad coaceruandas pecunias excogitatum: omnes quoque tollendas imagines, omnes cerimonias amouendas. Tantus autem furor alios inuaſerat, tanta de ſe exiſtimatio, vt grauiſſimos viros, Chriſtianæque religionis proceres, per ſummum contemptum ridere ac ſubſannare auderent, eoſq́; hallucinatos fuiſſe contenderent. Tam igitur ſcelera noſtra, quàm horum peſtilentem exitialemq́; audaciam mecum deplorans, opus proſequebar, prauitatem rerum humanarum collachrymans: Illud verens, ne peſſimæ quibus concuteremur diſcordiæ, in luctuoſum exitum deſinerent, & ad alienos noſtra transferretur hæreditas, quod Deus auertat.

Menſe ſeptimo vigeſima ſeptima die.] Tam in noſtris, quam Græcorum codicibus error. Subducendi enim ſunt ex hoc numero decem, vt decem ac ſeptem relinquantur, ſicut habet veritas Hebraica. Neque quiſquam non intelligit, id mendum à librarijs, non interpretibus irrepſiſſe. Septuaginta itaque etiam ipſi habent, ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, id eſt, Vigeſima ſeptima. Neque credere par eſt, Hebræos codices eſſe corruptos, quando is numerus conſentit cum centum ac quinquaginta diebus, quibus terras labefactauit diluuium, & Chaldaica editio idem atteſtetur.

B *In montibus Armeniæ.*] Sic enim interpretatur Ararath, quam regionem ignorantes, fortaſſe Septuaginta, eo nomine ſignificari, vocem ipſam non interpretatam dimiſerunt. Scribit ergo Hieronymus, Ararath eſſe Armeniam, in cuius montibus adhuc appareant veſtigia arcæ, & eius quædam fruſta in miraculum tantæ rei ab incolis oſtendantur. Quod idem proditur à Ioſepho. Ab alijs quoque hiſtoricis gentilibus, de diluuio & arca mentio habita eſt. Requieuiſſe autem in montibus Carduenorum dicitur, idque confirmatur per editionem Chaldaicam, quæ refert arcam reſediſſe על טורי קרדו id eſt, in montibus Carduorum, vel Carduenorum. pro eo quod Hebraice eſt, in montibus Ararat. Hos montes Cordeos appellat Quintus Curtius. Chryſoſtomus quoque in Armenia requieuiſſe arcam teſtatur his verbis, ἐν τῇ ἀρμενίᾳ ἡ κιβωτὸς κατεσκήνωσεν. Arca inquit, in Armenia reſedit.

Ararath.

Carduenorũ in montibus quieuiſſe arcã.

Cacumina montium.] Corrigendus is locus in impreſſis codicibus Græcis, ὤφθησαν αἱ κεφαλαὶ τῶν ὀρίων, Dicendumque ὀρέων vel ὄρων, id eſt montium.

Qui egrediebatur & non reuertebatur.] Is locus non male vt arbitror redditus, ſed aut à librarijs, aut temporum diuturnitate corruptus, fecit vt fabuloſiſſimas interpretationes huc inuexerint expoſitores, & quæ ſecum maxime pugnent. Nam quia ſcribitur coruus egreſſus quidem, ſed non reuerſus, putant eum in aliquo cadauere deuorando eſſe detentum, vt apud nos paſſim opinio eſt, & à Græcis ſcriptoribus eſt exiſtimatum, apud quos etiam, is locus corrupte legitur. Coruus ergo quem emiſit Noach, egreſſus eſt, & reuerſus: ſic enim habent Hebraica. וישלח את הערב ויצא יצוא ושוב hoc eſt, Et emiſit coruum, qui & egreſſus eſt, & reuerſus. Si enim reuerſus non eſt, quo obſecro loco commoratus eſt, ac reſedit, cùm aquæ ſiccatæ nondum eſſent? Deinde ſi coruum reuerſum negauit, quomodo cohæret, quod mox additur, donec ſiccarentur aquæ? Quid enim ſibi vult qui egrediebatur & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ? Nunquid poſt areſactas aquas, eſt reuerſus, quod ne columba quidem fecit? Subtrahenda itaque in noſtris ac Græcis codicibus negatio eſt, nam & illi idem peccant ἐξελθὼν, οὐκ ἀνέστρεψεν. id eſt, Egreſſus eſt & non reuerſus. Videtur autem & hoc Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis annotaſſe, ſed locus ibi corruptus eſt, neque legitur vt eſſet legendus, quare ex priſtina editione, addita eſt negatio in noſtra hac interpretatione. Sed alius mihi ſoboritur ſcrupulus, nam Hieronymus, ad Oceanum in epiſtola ſic ait de coruo: Statimque columba ſpiritus ſancti, expulſo alite teterrimo deuolat ad eum. Ecce palam fatetur expulſum eſſe coruum, quaſi amplius non redierit, quamobrem etiam cum negatione videtur ipſe legiſſe. Sed ſæpe ſequitur editionem Septuaginta, quia ea paſſim haberetur, & aliam editionem nondum ipſe edidiſſet. Itaque multa in epiſtolis inuenies expoſita ſecundum codices Septuaginta, quorum tunc erat celeberrima autoritas. Dignus vero venia eſt Iſidorus, qui de pietate Noe ſcribens, ſic ait: Serpentibus & beſtijs ſociatur, & non terretur: cui feræ colla ſubmittunt, volucres famulantur: emiſit enim columbam, & reuerſa eſt: ſed fraude corui decipitur.

Fabuloſa de coruo quem Noe emiſit.

C

Miſit columbam poſt eum.] מאתו. Hoc eſt, A ſe. Non refertur ergo ad ipſum coruum: ſed eum qui miſit: ſcilicet Noach, vertendumque fuerat, Emiſit columbam à ſe: quanquam Hieronymus ſequitur Septuaginta, qui & ipſi vertunt καὶ ἀπέστειλε τὴν περιστερὰν ὀπίσω αὐτοῦ: Et miſit columbam poſt eum. Diuerſa interpretatio orta ex eo eſt, quòd Hebræis אתו & ſeipſum ſonat, & eſt relatiuum ad alterum, cùm ea voce careant, quæ ad ſe refertur.

Ramum oliuæ virentis.] והנה עלה זית טרף בפיה Et ecce folium oliuæ, ramus in ore eius. Aſſerit autem hic Auen Ezra fieri poſitionem, & quaſi ταυτολογίαν. idem enim dicit eſſe folium oliuæ & quod mox ſubditur. ſicut eſt inquit אדמה ועפר terra & cinis. Ideo Septuaginta nihil Hebraicum immutantes verterunt ἔχει φύλλον ἐλαίας κάρφος, Geſtabat folium oliuæ, ramum aut ſurculum. D

Creſcite & multiplicamini.] וישרצו ופרו ורבו. Hoc eſt, Et creſcant & multiplicentur ac propagentur. Eſt ergo futurum, ad illa, non ad Noe, quanquam etiam Septuaginta eodem modo verterint καὶ αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε. Ex quibus verbis frigida neſcio quæ elicit Nicolaus.

Et ait ad eum.] Videtur innuere, Deum ita locutum cum Noach, Hebraica tamen ſic habent ויאמר יהוה אל לבו id eſt, Et dixit Deus ad cor ſuum. Quam phraſin eleganter expreſſerunt Gręcè Septuaginta, καὶ εἶπεν ὁ κύριος διανοηθεὶς. id eſt, Cumque cogitaſſet Deus, dixit. In lingua enim ſacra, omnium cogitationum receptaculum eſt cor, ac vt verius dicam, vbi omnes gignuntur cogitationes, vnde in lucem efferuntur: autore etiam ipſa veritate. In eiſdem etiam litteris τὸ ἡγεμονικὸν, tribuitur cordi, non capiti: de qua re noſter Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam. Quæritur vbi ſit animæ principale. Plato in cerebro: Chriſtus in corde, profertque exempla.

Propter hominem.] Sic eſt & Hebraicè: at Septuaginta διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων. Hoc eſt. Propter opera hominum, licet hoc minimi ſit faciendum. Idem enim eſt. Maledictio enim Dei in terram deſæuit propter humana facinora, cùmq; homo impius fuerit, omnia miſera ſint neceſſe eſt. Vt enim propter hominem cætera facta ſunt, ita corrupto homine tanquam principe, reliqua eadem corruptela & calamitate conflictantur. Intabeſcunt elementa, inſanit mare, iraſcitur cælum, palleſcunt herbæ, ſitiunt agri, iumenta moriuntur, aues etiam miſeriarum fiunt participes: ergo maledicitur terræ propter actiones humanas, propter prauitatem, quam agendo exprimunt.

Nox & dies.] Longe melius Hieronymus quàm Septuaginta: ſiquidem hi volunt, frigus & E æſtum, æſtatem & ver factura, vt nunquam nox, & dies deficiat, cùm tamen in vniuerſum pronunciarit Deus, nunquam hyemem, æſtatem, & ver, diem, ac noctem, defuturam. Diluuij enim tempore, ea omnia erant confuſa. Erit inquit ęſtas, vt poſſint fruges matureſcere: erit hyems, vt nutriantur: nunquam reliquus anni interrumpetur ordo. Quid certe ſibi velint Septuaginta, exploratum ipſe haudquaquam habeo. Quid enim hyems, atque æſtas ad diem efficiendam. Vertunt itaq;, σπέρμα καὶ θερισμὸς, ψῦχος, καὶ καῦμα, θέρος καὶ ἔαρ, ἡμέραν καὶ νύκτα οὐ καταπαύσουσι, hoc eſt, Satio, & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & ver, diem ac noctem non ſiſtent. In eo quoque inſignis diſcrepantia, cùm enim חרף Hebraicè ſonet hyemem, ipſi hoc ἔαρ ver fecerunt. In reliquis autem cùm phraſin Hebraicam nihil immutent, ſumma eſt obſcuritas, multaque offunditur legentibus caligo.

CAPVT IX.

EXcepto quòd carnem cum ſanguine.*] אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו, id eſt, Excepto quòd carnem, in anima ſua, in ſanguine ſuo non comederis. Ex quibus verbis, quanquam aliquid detraxerit Hieronymus, eadem tamen innuit, quæ & Hebraica veritas. Scire igitur operæpretium eſt, Hebraicæ linguæ proprium ac quaſi peculiare eſſe, vti frequenter eo ſchemate, quæ appoſitio vocatur. Sæpeque idem per multa nomina inferunt, nulla interpoſita copula, quemadmodum, & ſupra de ramo oliuæ dictum eſt. Deinde & illud non ignorare oportet, animam F apud eos frequenter eam vitam ſignificare, quæ ſanguine & halitu continetur, & quod a philoſophis ſpiritus appellatur. Hoc ergo innuit Hieronymus, quanquam verba ipſa non adamuſſim vertat. Quod enim Hebraica veritas ait: Excepto quòd carnem cum anima ſua, ſanguine ſuo & quæ ſequuntur: Idem eſt cum eo quod vertit Hieronymus, alterum enim per alterum exprimitur. Siquidem idem eſt anima & ſanguis in ea lingua. Omiſit autem alterum Hieronymus, ratus quod & verum fuerat, vtraq; nomina tam animam quàm ſanguinem idem pollere. Qui ergo diceret: Excepto quòd carnem cum ſanguine non comederis: idem innueret cum eo qui verteret, Carnem cum anima non comedetis. Hæc eadem prodit ſuper hoc loco & Auen Eſra, apud quem ita eam ſententiam explicari inuenies [illegible] [illegible] quorum hęc ſententia eſt, Carnē cū anima ſua ne comedatis inquit, anima enim eius, ſanguis eſt, perinde ac ſi præciperet, ne deuores animam cum carne, eo quòd quorumcunque animalium anima, ipſorum ſanguis eſt: atque hæc eſt anima ſenſoria ac vegetatiua, & quæ mouetur, nempe corpus ipſum. hæc ille. Aſſerit igitur hic præcipi, ne animantes ipſas cum ſanguine vorarent homines, propterea quòd cuiuſcunque animantis anima, ſanguine continetur. Quod & Chryſoſtomus ſentit hoc loco ſcribens ὁ λόγος αἰνίττεται ὅτι τὸ αἷμα τῶν ἄλλων ζώων, ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐστι. Innuitur inquit his verbis, ſanguinem cæterarum animantium, eſſe earum animam. Deuteronomij quoque capite duodecimo, idem aperte ſignificatur, vbi de ſanguine dicitur. כי הדם הוא הנפש. id eſt, Quia ſanguis eſt anima. deinde dicitur: Atque ideo non comedes animam cum carne. Eſſet enim immane facinus, etiam ipſas animantes quibus nullum nobiſcum ius intercedit, vna cùm ipſarum anima deuorare. Septuaginta quoque eadem ſentiunt, licet paulo ſecius locum hunc reddiderint.

Anima apud Hebręos vita.

Sanguis & Anima, idē in lingua Hebr.

Sanguis brutis anima.

πλὴν

A πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς, οὐ φάγεσθε, id eſt, Præterquam quòd carnem in ſanguine animæ, ne voretis. qui quia locutiones Hebraicas non immutarunt, vides quas tenebras ſuæ interpretationi aſperſerint. Quem ſcopulum prudentiſſime vitauit Hieronymus, vt nullus in eius editione hoc loco reliquus ſit gryphus. Quanquam explicatu arduum eſt, quid proprie præcipiatur Hebræis hic. An, ne carnem comederēt cum ſanguine, hoc eſt animantem ipſam viuam, & cuius adhuc membra palpitarent. Sed quis vſque adeo atrox ſit, qui iſtuc fecerit? cuius obſecro ſtomachus id pateretur? Niſi forte ad Polyphemi illius Homerici partes, aut Anthropophagos, & ſi qua alia eiuſmodi natio eſt, defeciſſet. Quapropter honeſtiſſimum eſt exiſtimare, non iſtud hic à Deo inhiberi Hebræis, ne videlicet carnes cum ſanguine abſumerent: ſed ne ſanguis effunderetur humanus, quod hic paſſim declaratur, vt etiam beſtijs minetur Deus, ſi qua earum in hominem inuecta fuerit. Nam & cornupetas boues lapidibus obrui præcepit. Nec Origenes abeſt ab hac ſententia, ſic hunc locum explicans. δυνατὸν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν κτηνῶν αὐτὸ ἐκλαβεῖν, ἀφ᾽ ὧν τὸν κεράστην ταῦρον λιθοβολεῖν προέταξεν, id eſt, Poteſt etiam & de iumentis ac pecoribus hoc accipi, ex quibus bouem cornupetam lapidibus obrui præcepit. Atque hoc eſt, quòd omnia quæ ſequuntur ad cædes humanas pertinent, totuſque iſte locus de homicidio eſt. Deuorare igitur carnes crudas, eaſque viuentes & cum ſanguine deglutire, Barbaricam crudelitatem ſignificat, ſanguiniſque humani ſitim. Ideo & Homerus, bellum σαρκοφάγον appellat, quòd in eo cędes crudeliſſimæ perpetrentur, & quaſi abſumantur homines. Nam beſtias interficere, non abhorret ab humanitate: ſed homines, vtpote animal ad imaginem diuinam effectum, id quod & in contextu adducitur. Vt ergo docet Porphyrius de abſtinentia animalium, arbitrati ſunt mortales εἶναι τῷ ἀνθρώπῳ κατὰ φύσιν σαρκοφαγεῖν, παρὰ φύσιν ὠμοφαγεῖν, id eſt, Eſſe homini è natura, carnibus veſci, abhorrere autem à natura, cruda deuorare. Videbant enim illi, hoc beſtiarum immaniſſimarum eſſe proprium. Si ergo vnà cum ſanguine, homines animalia abſumerent, conſequeretur etiam, vt crudas carnes etiam voraturi eſſent: quod penitus beluinum eſt, & vt dixi ſummæ crudelitatis eſſet indicium. Solent autem & alio modo hæc accipi. Quidam enim aſſerunt prohiberi, ne beſtiæ ſuffocatæ, aut quarum ſanguis effuſus prius non eſſet, comederentur, quòd & Iudæi hodie ſequuntur. Et in Actibus apoſtolorum inter cætera, à quibus abſtinere gentes docerentur, erat, ne ſuffocato veſcerentur. Alij opinantur ſeparatim hic tradi præceptum, ne quiſquam ſanguinem comederet: quod & in lege præcipitur. Abhominantur quoque vbique Iudæi, carnes cum ſanguine comedere. Vt Regum primo de Saul. Comeditque populus cum ſanguine: & paulo infra. Nunciauerunt autem Sauli dicentes, quòd populus peccaſſet domino, comedens cum ſanguine. Sed quia ad polluendum hominem nihil agit ſanguis, eodemque modo pij eſſe poſſunt, tam qui à ſanguine ſibi temperant, quàm qui ex eo veſcantur, optimum eſt exiſtimare, ea omnia, ad homicidia pertinere. Atque hoc vnum his præceptis innui, ne cædibus mutuis pollueremur. Sicut & Pythagoras vir ſuorum temporum optimus, à beſtiis abſtineri volebat, ne vlla ratione, ad ſanguinem effundendum afficerentur homines. Totus ergo is locus ad cædes ſpectat, idque clarius fiet, ſi omnia quæ hic dicuntur, accurate conſiderata fuerint.

Bellũ ſarcophagũ.

Temperare ſibi à ſāguine, id eſt, à cædibus.

De manu viri & de manu fratris eius.] מיד איש אחיו id eſt. De manu cuiuſcunque fratrem ſuum requiram. Aduertenda Hebraici ſermonis proprietas: vir enim in ea lingua vnumquenque ſigni- C ficat. Ideo quod hic vertit Hieronymus, de manu viri: dicendum fuerat, de manu cuiuſque. Frater quoque in eodem idiomate, tam is appellatur, qui ex eiſdem parentibus ſit ortus, quàm omnes alij, qui & à nobis & Græcis proximi vocari ſolent. Frater ergo hoc loco, proximum ſonat. Itaque dicendum eſt, de manu vniuſcuiuſque proximum eius requiram. Quare arbitrarium eſt, quod hic comminiſcitur Nicolaus, vt frater hic eum ſignificet, qui tanquam frater proprius (vt eius vtar verbis) ab homicida diligebatur, eoque putat grauius eſſe ſcelus. Septuaginta quoque, minime quid Hebraica locutio poſtularet animaduertentes, obſcure ſunt interpretati. ἐκ χειρὸς ἀνθρώπου ἀδελφοῦ, id eſt, De manu hominis fratris requiram. Hoc νὴ τὸν κύνα quid ſibi velit, non planè intelligo.

Vir apud Hebræos ſignificat vnumquēque.

Frater proximus.

Ad imaginem Dei factus eſt homo.] Hebraicè non eſt paſſiuum, ſed עשה. Hoc eſt fecit: nimirum Deus. Quod Septuaginta per primam perſonam pronuntiarunt. ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον, id eſt, In imagine Dei feci hominem. Poteſt quoque eſſe tanquam imperſonale, quam verborum qualitatē non per paſſiua vt nos, ſed per actiua Hebræi exprimunt: vt illud: Adæ non inueniebatur ſimilis, vbi eſt מצא inuenit, ibi tamen perſonale eſt, vertendumque fuit, vt fecit Hieronymus. De hac re alibi locupletius.

Ingrediemini ſuper terram.] שרצו Propagamini, pullulate, ſicut & Septuaginta πληρώσατε τὴν γῆν, Replete terram.

Arcum meum ponam, &c.] Is quoque locus ex his eſt, quorum obſcuriſſima ſit explicatio. Cui enim non conſentaneum videtur, fuiſſe ante Noach tempora, pluuias, & inter humentes nubes irin ſæpe conſpectam? Quæ quia naturalia ſunt, ſemper eadem eſſe neceſſe eſt, mutuoque ſeſe conſequi, non aliquando fuiſſe diſiuncta. Quia igitur pluuiæ fuerunt, fuit iris quoque: quanquam iſtud fortaſſe non omnino verum ſit: ſæpe enim pluuia fit, non apparente iride: nam

Iris an fuerit etiã ante diluuiũ.

quanquam iris à pluuia efficitur, id eſt, ab humefactis nubibus, in quas irradiarit Sol, non tamen id perpetuo eſt: neque enim ſola pluuia iridis cauſa eſt. Abſentibus itaque alijs cauſis, iris non fit. Pluerat igitur etiam ante Noach, ſed iris nunquam conſpecta fuerat, Deo ita volente, idque non contra iura legesque naturæ. Poteſt & illud afferri, fuiſſe quidem ante id tempus iridem, non tamen in ſignum à Deo ſuſceptam, idque ferè ex contextu Hebraico elicitur, ſic enim habet קשתי נתתי בענן, id eſt, Arcum meum poſui in nube. Indicat ergo fuiſſe quidẽ & ante id temporis iridem, ſed tum primum ſignum fœderis eſſe cępiſſe. Hieronymus autem ac Septuaginta ad Hebraicam conſuetudinem reſpexerunt, cui proprium eſt præterita pro futuris, viciſſimque vſurpare, aut eadem pro præſentibus. Quod ergo erat Hebraicè præteriti temporis, Hieronymus futuri fecit, Septuaginta præſentis: ſiquidem vertunt, τὸ τόξον μου τίθημι ἐν τῇ νεφέλῃ, id eſt, Arcum meum pono in nube. Vt autem veritas cohortari videtur, vertendum fuerat vt habent Hebraica, eaque ratione, omnia incommoda effugiemus. Fuiſſe autem ante iridem, deinde in ſignum electam, aſſerunt & Græci. Hæc tam pauca dicta hoc loco ſint, dimiſſis eorum fabulis, qui iridem appellent arquum dæmonis, & per ruborem in ea, portendi diuinæ clementiæ indicia contendunt. Auen Eſra hoc loco ὑγιὲς μηδ' ἐν.

Ab his diſſeminatum eſt omne genus.] נפצה כל הארץ id eſt, Propagata eſt omnis terra: quod paulo obſcurius tranſtulerunt Septuaginta ἀπὸ τύτων διεσπάρησαν ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. id eſt, Ab his diſſeminati ſunt ſuper vniuerſam terram, genus ſcilicet humanum.

Cœpitque Noe vir agricola exercere terram.] Explicuit clariſſime, quæ paulo obſcuriora erant in contextu Hebraico: ſic enim habent. Cæpit Noe איש האדמה eſſe vir terræ. Quod non erat aliud quàm quod & Septuaginta tranſtulerunt ἤρξατο Νῶε ἄνθρωπος γεωργὸς τῆς γῆς, Cœpit Noe vir agricola. Neque enim vllo pacto felices ſunt Hebræi in componendis nominibus. Neque vlla apud eos nomina ex aliis vocibus conflata inuenies. Sed in alijs quamplurimis ea lingua manca eſt. Itaque virum terræ vocant, colendæ terræ deditum, Sicut virum mendacij, mendacem, virum veritatis, veracem.

Vir terræ. Vir mendacij.

Verenda Patris ſui.] ערות. Neque mirum videri debet, quòd Septuaginta vertant γύμνωσιν, hoc eſt nuditatem: pudenda ſiquidem Hebraicè denudatio vocatur, quam ſemper Hieronymus turpitudinem appellat, cuius vocis crebertima in ſequentibus libris mentio erit. Hæc dicta ſunt vt Hieronymum tueremur, Septuaginta illuſtraremus.

Pudenda Heb. denudatio.

Euigilauit à vino.] וייקץ מיינו, id eſt: Euigilauit à vino ſuo. Num dormierat? Aut ſine ſomno illico reſipuit? vt velle videntur Septuaginta ἐξένηψε δὲ Νῶε ἀπὸ τοῦ οἴνου, id eſt: Reſipuit Noach à vino, aut ad ſobrietatem reuerſus eſt, quod in ebrijs non facile fit, niſi per ſomnum. Verbum autem Hebraicum יקץ innuit eum prius dormiſſe, quippe quod expergiſci ſignificat. At Septuaginta vt dixi, innuunt eum non dormijſſe, ſed ebrium iacuiſſe, & de ſomno Noe hoc loco nulla mentio.

Dilatet Dominus.] Sequitur Septuaginta, qui eodẽ modo vertunt πλατύναι ὁ θεὸς τῷ ἰαφὲθ. At Hebraicum aliquanto ſecus, יפת אלהים ליפת Condecoretur, aut venuſtum ſe ferat dominus ipſi Iaphet. Alluditur enim ad nomen Iaphet hoc modo: Iaphethe le iaphet. Iaphet autem venuſtas interpretatur: quanquam hæc ſententia exponitur ab Hebræis ad opinionem Hieronymi ac Septuaginta: ita enim Auen Eſra, ולא יפתח הרש רקמא כמו ירחיב id eſt: Neque alio modo præſens verbum exponendum eſt, quàm dilatet & extendat. Deuteronomij quoque capite vndecimo dicitur: Cauete vobis, פן יפתה לבבכם, ne forte dilatetur cor veſtrum: vbi eſt præſens verbum.

CAPVT X.

OMnia propè nomina in præſenti capite tam apud nos, quàm Græcos corrupta ſunt. Vt is qui Iauan Hebraicè appellatur, primus ſcilicet qui Græciam tenuerit, is in contextu Græco Ἰωυὰν vocatur: quanquam fortaſſe immutarint eam vocem Septuaginta, quòd viderent hunc eſſe, à quo Ionia nomen acceperit, ſeruaruntq; conſuetudinem Græcam. Ex hoc autem capite cognoſcitur diuinarum litterarum maieſtas, & incorrupta veritas, cognoſcitur quoq; omnium à mundo condito ſæculorum ſeries, ea veriſſima eſſe, quæ ab hiſce litteris traditur. Quarum autoritate atque auxilio, facile redarguitur Aegyptiorum error, gentiſq; illius pudenda mendacia, quæ ſe decem annorum millia, monumentis habere cõprehenſa iactabat. Error quoque Chaldæorum, hoc eſt, nationis fabuloſiſſimæ, & ad ſuperſtitiones procliuiſſimę, qui quadringenta ſeptuaginta annorum millia ſuis annalibus relata ſe habere mentiebantur. Mendacium quoque Hermodori Platonici, qui à Zoroaſtre vſque ad bellum Troianum, quinq; annorum millia interfuiſſe ſcribit. Aliarum quoque gentium temeritas, quæ ſeſe vetuſtiſſimas iactabant, & mendacem temporum numerum in medium afferebant. In cęleſtibus enim hiſce litteris, omnis annorũ ſeries deſcribitur, adhibitis ætatibus, quã quiſq; eorum qui in eo catalogo cẽſentur, à primo homine, vixiſſet. Dein vt clariſſima ac maxime vera, omnis horum annorum ſeries eſſet, ponitur quam quiſque hominum primus terrarum partem occuparit, quorum nomina adhuc regiones retineant. Prima igitur humani generis propagatio facta eſt poſt diluuiũ.

Iauan. Ἰωυὰν. à quo Ionia ſumpſit appellationem.

Chaldæorũ ac aliarũ nationum error qui ſe vetuſtiſſ. iactant.

Nam ante diluuium ſola ea regio hominibus erat frequens, quam tenuerat Adam, prope ſcilicet paradiſum. A conditione autem mundi, ad diluuium interceſſere mille ſexcenti quinquaginta ſex anni, licet noſtri Græcos ſecuti, non recte duo millia ac plus fuiſſe opinentur. Hoc itaque ſpacio, minimum orbis terrarum angulum homines tenebant, atque hoc eſt, ꝙ in hiſce litteris, nulla fit eorum deſcriptio, qui tum per terras diffuſi eſſent, nam neque erãt diffuſi. Poſt diluuium autem, in omnes terras diſtributi ſunt homines. Eorumque nomina vt modo dixi, adhuc in regionibus, quas primum tenuerunt, remanent. Nam Media à Madai filio Iaphet nomen ſortita eſt. Tyrus autem à Tyras eiuſdem Iaphet filio: ſic & Iauan Ioniæ nomen dedit. Non ergo hæc nomina Græca ſunt, aut alterius gentis, vt plerique apud Græcos mentiuntur, falſaſque etymologias comminiſcuntur, vt ſunt qui Tyrum, mulierem fuiſſe volunt, quæ nomen regioni indiderit, atq; ideo, Tyrus fœminini eſt generis, cum maſculini debuerit eſſe, eo quòd Tyras, à quo Tyrus, fuerit filius Iaphet, vir inquam, non mulier, vt Græci mentiuntur. Neque me clam eſt, immutata apud alias gentes eiuſmodi nomina, pleraque tamen eorum incorrupta ſeruantur. Apud Hebræos integra perſeuerant. Neq; alio nomine orbis terrarum regiones ab eis vocantur, quàm eorum nomine qui primi eas adierint, atque incoluerint. Nam Mizraim Aegyptus apud eos appellatur, quod is primus eam tenuerit. Cus etiam vocatur Aethiopia, eadem de cauſa, eademque eſt in aliis ratio.

Prima humani generis ꝓpagatio poſt diluuium.

Media. Tyrus. Ionia.

Mizraim. Cus.

Dodanim.] Ex hoc loco, vt & alijs pleriſque, elicitur, apud Hebræos aliquando eas litteras immutatas, inter quas aliqua eſſet affinitas. Tam enim à Septuaginta, quàm omnibus nationibus, Rhodus per R, profertur non D, vt fit apud Hebræos. Et veriſimile eſt, ab eo tempore eam inſulam Rhodon vocari cœptam, quo primum eam incoluerit Dodanim. Quis ergo non crediderit eum non Dodanim, ſed Rhodanim à patre appellatum, cùm maxima ſit inter has duas litteras Res ſcilicet, & Dalet apud Hebræos affinitas: cùm altera hoc modo ſcribatur ר, altera ד, præcipueque id in his cognoſcitur, qui Hebraicè diſcunt, qui ſæpe ſæpius inter legendum labuntur, litterarum ſimilitudine decepti. Is itaque Dodanim, primus Rhodon tenuit, ab eoq; inſula nomen ſortita eſt, vt teſtatur & Hieronymus, & Septuaginta, qui hunc Dodanim, ῥόδιοι vertunt, quanquam fortaſſe in eo errent, quòd putarint pluralem eſſe: omnes quoque eius fratres, alias Cycladas tenuerunt. Quare cùm is Dodanim filius Iaphet fuerit, par eſt credere, à patre de diluuio audiſſe, aut eum in arcam cum patre ingreſſum, quod ille poſteris ſuis tanquam memorabile reliquerit. Atq; huc tendere opinor, quæ in libro de mundo referuntur à Philone, ῥόδος τε καὶ δῆλος, αὗται μὲν τὸ παλαιὸν ἠφανισμέναι κάτω τῆς θαλάττης ἐδεδύκεσαν ἐπικλιζόμεναι, χρόνῳ δὲ ὕστερον, ἐλαττουμένης, ἡμέρα κατ᾽ ὀλίγον ἀνίσχουσαι διεφάνησαν. ὡς περὶ αὐτῶν γραφεῖσαι μηνύουσιν ἱστορίαι. Quorum verborum, propter eos qui Græce neſciunt, hæc fere ſententia eſt. Indicio, inquit, ſunt & Rhodus & Delus, mare continuis decrementis imminui, quod hæ inſulæ olim ſub fluctibus conditæ delituerint, poſtea vero paulatim decreſcente mari, ipſæ quoque ſenſim apparere cœperunt, vt earum annales proteſtantur. Hæc itaque de Dodanim dicta ſint, cuius pater Iauan, Græciam occupauit, quo nomine etiam nunc Gręcia ab Hebræis appellatur: miſſuſque eſt à Patre, ad inſulam Rhodon: alij autem eius fratres ad cæteras Cycladas. Quod ergo recenſet hic Philon, eas inſulas aliquando ſub fluctibus delituiſſe, de diluuij tempore neceſſe eſt credere, nam ab ea tempeſtate nunquam Rhodus ſubmerſa, delituiſſe memoratur.

Rhodus inſula vnde dicta.

Dodanim.

Græcia Hebræis Iauan.

Filij autem Cus Saba.] Hoc quanquam ab Hieronymo, & Ioanne Phricenſi viro laudatiſſimo annotatum ſit, afferendum tamen huc erat. Duæ igitur ſunt vrbes aut duę regiones, quæ eodem nomine Saba à nobis & Græcis appellantur: apud Hebræos tamen inſigne diſcrimen eſt. Alteraq; in Aethiopia, altera in Arabia, eſt. Quę Aethiopiæ eſt, ſcribitur apud Hebræos per ſ, exile, hoc eſt סבא Seba: quæ vero in Arabia, per ſ, craſſum, ſic שבא. Quod & ab Hieronymo in Hebraicis quæſtionibus annotatur. Regina ergo Saba, quæ ad Solomonem munera atque aromata attuliſſe memoratur, non Aethiopicæ, ſed Arabicæ Sabæ regina erat. Ex eadem magi ad Iesvm Chriſtum generis humani reparatorem venerunt, ex his quę regio afferret dona ei portantes. Myrrham ſcilicet ac Thus. De eadem ſcribitur apud Vergilium:

Saba duplex.

Regina Sabæ.

Magi tres Sabæi.

India mittit ebur, ſolis ſua thura Sabæis.

De eadem, Iſaia, omnes de Saba venient. De Saba vero quę in Aethiopia eſt, multa ſcribuntur à Strabone. Fallitur autem, meo quidem iudicio, Ioſephus, qui ſcribit reginam Sabæ, de qua in libris Regum ſcribitur, fuiſſe non eius quę in Arabia, ſed quę in Aethiopia eſt. Quippe quæ ea tempeſtate Aegypto atque Aethiopię imperaret. Sed omnibus ex locis certe colligitur, eam reginam Arabię fuiſſe. Ideo ab Eſaia, eodem loco vbi dixit, omnes de Saba venient, ponitur, omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi. Cedar autẽ omnes apud Hebręos ſciunt eſſe Arabię partem. Nabaiot quoque Arabię populi ſunt, qui à Gręcis, & Latinis, paululum luxato nomine Nabathei vocantur. Sic & Dauid canit: Reges Arabum & Saba, vicinę autem ibi regiones ſimul ponuntur. In Arabia pręterea feruntur eſſe aromata, quę illa ad regem attulerit. Pręterea cùm dixerimus Saba per ſ, craſſum ſignificare eam quę in Arabia eſt, patet huius eam mulierem reginam fuiſſe, quia tertio Regum ſcribitur ומלכת שבא, id eſt, Et regina

Ioſephi lapſus.

Cedar Arabiæ pars.

Nabaioth, qui à nobis Nabathei.

Sabæ, quod nomen per ſ, craſſum ſcribitur. Quamobrem non poſſumus probare ſententiam Ioſephi. Neque nos moueat, quod in euangelio appelletur regina Auſtri: nam Sabæi reſpectu Iudææ, in Auſtrum poſiti ſunt, & ea plaga auſtralis aliquando nuncupatur. Hæc ideo animaduerſa ſunt, quia plerique apud nos & Græcos, horum nominum amphibologia decepti ſunt: eodem autem verſu, vtraque Saba hoc loco memoratur. D

Nembrod.] Quam corruptum ac deprauatum hoc nomen, & apud nos, & Græcos? Nam cum ita ſit efferendum Nimbrod, nos Nembrot, Græci, Νεβρώδ. Eadem corruptela in omnibus ferè nominibus Hebraicis eſt. Quod quanquam non maximi ponderis ſit, ad intelligendas tamen rerum propietates, neceſſaria eſt nominum incorrupta pronuntiatio. Adde quod cùm ab omnibus rebus debet abeſſe deprauatio, tum vero à ſacris, quæ ſunt, procul omni ſequeſtrata impuritate, tractandæ. Litteris autem diuinis, is deferri debet honos, vt eas veneremur, exequendo quæpræcipiunt. Quod vt poſſimus quàm facillime conſequi, illuſtrandæ extergendæque ſunt, & in ſuum nitorem vendicandæ.

Nimbrod.

Iſte cœpit eſſe potens.] גבור, id eſt, Fortis. Videtur ergo potius ad vires corporis referendum, quàm ad imperium, quanquam de regno Nembrod, mentio quoque fiat. Veruntamen quod vertit hic Hieronymus potentem, paulo inferius interpretatus eſt robuſtum. Iſte, inquit, fuit robuſtus venator coram domino. Mirum vero eſt, cur Septuaginta, interpretati hoc modo ſint, ὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας. Iſtæ cępit eſſe Gigas, cùm vox Hebraica גבר tantū fortem ac robuſtum ſignificet. At non abſurdum eſt dicere, hunc cępiſſe eſſe Gigantem, cùm & ante ipſum, & ea tempeſtate, quàmplurimi fuerint Gigantes? & quod eſt abſurdius, vbique Gigantem, interpretati ſunt hoc loco, quod erat גבר, id eſt, fortis, quod certe eo loco ſaltem tolerari non poteſt, ὗτος ἦν γίγας κυνηγὸς ἐναντίου κυρίου Iſtæ fuit Gigas venator coram domino. Cur enim hoc tanquam memoria dignum recenſetur? Si enim Gigas erat, quid opus fuit dicere, is erat Gigas venator? Certe igitur erat vertendum vt fecit Hieronymus גבר enim apud Hebræos ſemper fortem declarat. Quod autem ita verterint Septuaginta, indicio illud eſt, quod Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei eo modo citat hunc locum, vt habetur apud Septuaginta. Et Chryſoſtomus oſtendens à Cham cępiſſe tyrannidem, id ea ratione probat, quia ab illo deſcendit Nembrod. Producenſq; hunc locum ait. ὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας, τουτέστι τύραννος id eſt, Iſte cœpit eſſe Gigas, hoc eſt tyrannus. Duabus autem de cauſis, puto eo modo reddidiſſe Septuaginta. Primum interpretati ſunt ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος. Hi erant Gigantes à ſæculo: ſed tamen ibidem ſeorſum ponitur nomen Gigantis, & id quod fortem ſignificat. Altera cauſa eſt, quia Chaldaicè Gigantes, גבריא id eſt, robuſti vocantur: quanquam apud eos quoq; & nomen Gigantis & fortis, aliquid diſcrepent. E

גבור

Coram domino.] Ita dicendum fuerat, quia Hebraicè לפני ſignificat coram, contra vero nunquam. Quare Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 16. putans quoſdam vocis Græcæ ambiguitate deceptos, quia ἐναντίον, & coram, & contrà declarat, dicendumque contra dominum non coram domino exiſtimat, quia ſcilicet is Gigas cùm fuerit, domino aduerſatus eſt: ipſe potius propter Hebraicæ linguæ imperitiam lapſus eſt, quoniam vt diximus לפני coram, vel in conſpectu denotat: cum vero ſignificare volunt contra, alia voce vtuntur. Quanquam & Chryſoſtomus, eadem opinione ductus eſt, qui hunc locum exponens, dicenſq; Nembrod tyrannum fuiſſe coram domino, vbi Græcè habetur, ἐναντίον, exponit ἀντὶ τοῦ ἐναντιούμενος τῷ θεῷ. Id eſt, pro eo quòd eſt, aduerſarius Deo. Verum diximus quomodo ſit intelligendum. Coram domino enim ſæpe in ſacris litteris inuenitur, eſtque peculiaris loquendi modus in ea lingua. F

Ab hoc exijt prouerbium.] על כן יאמר id eſt, Ideo dicetur. Propterea Septuaginta Hebraica ſequentes, ſic hunc locum reddiderunt, διὰ τοῦτο ἐροῦσι, propterea hoc dicent. Aduertendum tamen, quod & paucis ante meminimus, moris linguæ Hebraicæ eſſe vti futuris pro præteritis imperfectis, eo quòd id tempus non ſit apud eos. Cuius rei tot ſunt exempla, vt pigeat referre. Is itaq; locus melius opinor à Hieronymo per præteritum, quam à Septuaginta per futurum redditur. Non enim ad poſteriora tempora id prouerbium reſpicit, ſed ad eam tempeſtatem, quæ paſſim eo prouerbio vtebatur. Sic ergo erant vertenda Hebraica. על כן יאמר Ideo dicebatur, licet ſit futurum.

Et plateas ciuitatis.] Quod ad noſtram editionem attinet, optime cuncta ſe habent. Septuaginta vero neſcio qua ratione hoc loco ferendi ſint, quippe qui Hebraicis perperam redditis, in ipſam quoque editionem caliginoſas tenebras iniecerint. Hebraica itaque veritas poſt vbi dixiſſet: Et ædificauit Niniue, dehinc intulit ואת רחובֹת עיר אותכלח Hoc eſt, Et plateas ciuitatis & Calac. At Septuaginta, quod Hebraicè ſonabat plateas, interpretati ſunt ἀνὰ μέσον, per medium. Puto vero eos vocis amphibologia deceptos. Eo quòd eadem vox Hebraicè, & latitudinem & plateam ſignat, quam latitudinem ipſi ἀνὰ μέσον interpretati ſunt. At quis obſecro eorum verborum eſſet ſenſus? Dimittitur præterea apud eos עיר Hoc eſt ciuitas. ſic enim tota habet periodus καὶ ᾠκοδόμησε τὴν Νινιυὶ, ἀνὰ μέσον χαλάχ. Hoc eſt. Et ædificauit Niniue per medium Calac. Annotatumque eſt hoc etiam ab Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis, & ad Damaſum Papam.

Paleg.

Thaleg, quia in diebus eius.] Paleg autem eſt dicendum, per p, exile. Hunc perhibent Hebræi, A à patre longe ante linguarum diuiſionem, Paleg appellatum, hoc eſt diuiſionem, quòd diuino inſtinctu pater didiciſſet, eo ætate florente, linguarum diuiſionem futuram: de qua re Diodorus. ἐπὶ τοῦ φαλὲκ γέγονεν ἡ πυργοποιΐα. Sub Phaleg, turris extructa eſt. Et quoniam præclare de hac re ſcribitur in libris Cabalæ, id eſt his: qui de illa magna ſynodo, cuius caput erat Eſdras, & quo autore facta eſt, conſcripti ſunt, ipſa verba ſubſcribam ex libro qui inſcribitur ſeder haholā, id eſt, chronica mundi, עמו נביא גדול היה עבר שקרא בנו פלג ברוח הקדש שנאמר כי בימיו אבינו אברהם היה בפלגה בן ארבעים נפלגה הארץ ושמונה שנה נמצא נח היה אחר הפלגה עשר שנים אמר רבי Hoc eſt. Abrahā, inquit, pater noſter, quo tempore linguæ diuiſæ ſunt, agebat quadrageſimū octauum annum. Inuenitur autem Noe, poſt eam diuiſionem vixiſſe decem annos. Dicit autem Rabi Ioſe, Heber ſapientiſſimum prophetam fuiſſe, eo quod filium ſuum diuino afflatus ſpiritu, vocarit paleg, id eſt diuiſionem, quia eo viuente, linguæ diuiſæ ſunt. De linguarum diuerſitate, Sybilla quoque in hunc modum cecinit. Cùm omnes mortales, vna lingua vterentur, quidam ex his, altiſſimam turrim ædificauerunt, cęlum per eam cupientes ſcandere. Dij vero, turbines mittentes, euertere turrim, & propriam & diuerſam vnicuique tribuere linguam. Eſt autem idem nomen etiam apud Græcos deprauatum.

Libri Cabalę Eſdrę tempore editi.

Sybilla de linguarū diuiſione.

CAPVT XI.

D*Ixitque alter ad proximum ſuum.*] Niſi odioſa eſſet comparatio, non dubitarem aſſerere hunc locum longe melius Hieronymum reddidiſſe, quàm Septuaginta. Siquidem vt paulò ante diximus, ish, apud Hebræos & virum ſignificat, & vnumquenque: cumque B hoc loco ſit ויאמרו איש id eſt: Et dixerunt vnuſquiſque. Eleganter vertit Hieronymus vt viſum eſt. At Septuaginta, nihil Hebraica loquendi immutata conſuetudine verterunt, καὶ εἶπεν ἄνθρωπος τῷ πλησίον αὐτοῦ. Et dixit homo proximo ſuo. Quod ſi quis morē loquendi ſcripturarum ignoraret, non facile, quid ea ſibi vellent, aſſequeretur. Vna certe intelligendarum ſacrarum litterarum ratio eſt, ſi quis Hebræis loquendi mos eſt, non ignoretur.

Faciamus lateres.] Septuaginta propter linguæ Græcæ commoditatem, non omiſerunt hic, quin formationem Hebraicam ſeruarent. Eſt enim Hebraicè verbum à latere deductum, à לבנה hoc eſt, later: à quo, ילבן quaſi laterare, & vt vertūt Septuaginta πλινθεύσωμεν πλίνθους, quaſi dixeris, laterificare lateres: quod apud nos nemo eſſet, qui auderet: quanquam eodem verbo apud Græcos etiam Ariſtophanes in nephelis vſus eſt.

Et bitumen pro cemento.] והחמר להם Et bitumen pro cemento. Nihil diſſentit ab Hebraico Hieronymus. Prima ſiquidem vox, ſæpe bitumen inuenitur ſignificare. Abundant autem eæ regiones vbi arca fabrefacta, & turris exædificata eſt, Bitumine, eoq; pro cemento & calce vti ſolent, ſicut extat apud Strabonem: ex quo neceſſe eſt huc tranſcribamus, quæ ille de bitumine ſcribat, quem Græci ἄσφαλτον vocant. Itaque cùm in Babylonia deſcribenda verſaretur, hæc inter alia ab eo narrantur. γίνεται δὲ ἐν τῇ βαβυλωνίᾳ ἄσφαλτος πολλή· περὶ ἧς ἐρατοσθένης μὲν οὕτως εἴρηκεν, ὅτι ἡ μὲν ὑγρά, ἣν καλοῦσι νάφθαν, γίνεται ἐν τῇ σουσίδι, ἡ δὲ ξηρὰ δυναμένη πήττεσθαι, ἐν τῇ βαβυλωνίᾳ· ταύτης δ' ἐστὶν ἡ πηγὴ πλησίον εὐφράτου· πλημμυροῦντος δὲ τούτου κατὰ τὰς τῶν χιόνων τήξεις, καὶ αὐτὴ πλημμυρεῖ, καὶ ὑπέρχυσιν εἰς τὸν ποταμὸν λαμβάνει· ἐνταῦθα δὲ συνίστανται βῶλοι μεγάλαι, πρὸς τὰς οἰκοδομὰς ἐπιτήδειαι τὰς διὰ τῆς πλίνθου, καὶ τὰ λοιπά. hoc eſt: Naſcitur in Ba-C bylonia copioſum bitumen, de quo memoriæ prodidit Eratoſthenes, duo eius inueniri genera, alterum lentum atque humidum, alterum ſiccum. Et lentum quidem quod ab incolis naphtha vocatur, in agro Suſarum tradit gigni: at ſiccum, quod & condenſari poteſt, in Babylonia: cuius fons non procul ab Euphrate ſit, ſiquidem exondante per niuium liquationem Euphrate, ad eius incrementum, fons quoq; augeſcit, atq; tunc altiſſimæ glebæ conſtipantur, lateritijs ædificijs idoneæ. De eodem & in Iudeæ deſcriptione locutus eſt. Si itaque etiam Strabonis teſtimonio hominis ethnici, & ſacrarum ſcripturarum ignari, vti ſolitos Caldæos Bitumine cognoſcimus, in ædificijs præſertim lateritijs: liquet certe, non alio modo hunc locum eſſe intelligendum, quàm vt verterunt Septuaginta & Hieronymus: quamobrem fallitur Theodorus, qui de hac re ſcribens, inquit, ὁ ἑβραῖος καὶ σύρος ἔχει καὶ ἄσβεστος ἦν αὐτοῖς πηλός. hoc eſt, Hebraica & Syra editio habent, Et erat eis calx, lutum: quod certè minime verum eſt: quid enim in contextu Hebraico eſſet, vidimus, eademque vox eſt, in Syriaca editione, ſi tamen ea eſt, quæ apud Hebræos Targum appellatur, quod dubito. At grauius peccat, addens, καὶ μᾶλλον εἰκότως, ἄσφαλτος γὰρ εἰς οἰκοδομὴν ἄχρηστος, ἄσβεστος δὲ ἐπιτηδειοτάτη. Atque hoc inquit longe probabilius eſt, eo quòd bitumen ædificijs non idoneum ſit, ac calx vehementer commoda. Hæc inquam Theodori ſententia, & ſcripturarum ipſarum & hiſtoricorum teſtimonio falſa deprenhenditur. Theodoritus quoque vir ſanctiſſimus, optime hanc rem explicuit, damnatis inſuper quorundam opinionibus, & forte ipſius Theodori, qui calce turrim eſſe conſtructam aſſeruit. Is itaq; ſuper hoc loco, hæc prodit, ἀγνοοῦντες ὡς εἰκὸς τὰς ἐν τῇ ἀσσυρίᾳ πηγάς, ᾠήθησαν ἀσβέστῳ τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαι. ἀκριβῶς δὲ παρὰ τῶν ἐκεῖθεν ἀφικομένων μεμάθηκα, ὡς εἰσὶν πηγαὶ ἀναβλύζουσαι τὴν ὕλην μεθ' ὕδατος, καὶ ὅτι τὰς ἐν ὕδασι οἰκοδομίας στεγνοφαίνοντες, ἐπὶ ταύτας τὴν ὀπτημένην συνετίθεσαν πλίνθον. οὕτω τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαι φασίν. καὶ οἱ αὐτόπται τοῦτον, καὶ διορύξαντες μέρος ἰσχυρίσαντο καὶ ἀκριβῶς διαγνῶναι,

Naphtha.

διαγνῶναι, ὡς ἄσφαλτος ταῖς ὀπτημέναις ὑπέςρωται πλίνθοις. ἄλλως τε ϗ λίθων εἶναι σπάνιν ἐν τῇ ἀσυρίᾳ φασὶ, ϗ διὰ τοῦτο, ταῖς πλίνθοις ἀντὶ λίθων κεχρῆσθαι: λίθων δὲ δίχα, πῶς ἂν γένοιτο ἄσβεςος, hoc eſt, vt Græci ſermonis imperitis hoc gratificemur. Quidam, puto quòd ignorarent in Aſſyria bituminis fontes inueniri, aſſeruere, calce exædificatam eſſe turrim. At ipſe diligenter ex his percunctatus ſum, qui inde ad nos venerunt, didicique ipſis referentibus, eſſe in Aſſyria fontes, qui hanc materiam, vnà cum aquis extra aluum eijciant. Quinetiam loci incolas perhibent, ſi in aquis ædes erecturi ſint, lateres coctos in eam materiam conijcere, atque ea ratione constructam eſſe turrim aſſerebant. Qui autem propius, hæc contemplati ſunt, effodiſſe alicubi ſe dicebant, remque probe didiciſſe, eſſe videlicet bitumen coctis lateribus ſubſtratum: præſertim quia in Aſſyria ſummam eſſe lapidum penuriam aſſerunt, atque idcirco loco lapidum lateribus vtuntur. Quod ſi lapides ibi non inueniuntur, ne calx quidem: ſine enim lapide, calcem fieri non poſſe, nemo ferè eſt, qui neſciat, hæc ille. Multa quoq; alia ex Quinto Curtio, Suida, Diodoro Siculo, Philoſtrato, Vegetio citari potuiſſent, qui vna omnes voce fatentur Babyloniæ mœnia, bitumine eſſe constructa. Atq; hæc vna ratio eſt, quòd in Chaldæa, Aſſyria, ac Babylone, maximę ac munitiſſimæ vrbes eſſe perhibētur, vt eſt apud Xenophontem, propter Bituminis copiã.

Antequam diuidamur.] Concordes ſunt Hieronymus & Septuaginta, nam & illi, πρὸς τοῦ διασπαρῆναι ἡμᾶς, antequam diſſeminemur, At Hebraica paululum variant. פן נפוץ ne forte diſpergamur. Non enim adhuc erat eis compertum, ſe fore abinuicem diuellendos, ſed id futurum verebantur, quod fore quadam humana coniectura aſſequebantur. Chryſoſtomus exponit etiam ſecundum editionem Septuaginta, ne forte, inquit, diuidamur, ἡ κακία καθ' ἑαυτῆς μαντεύεται, id eſt, prauitas contra ſeipſam vaticinatur.

Filij Adã. Hebraica phraſis. Adam nomẽ appel. commune & viro & mulieri.

Filij Adam.] Clariſſime locutionem Hebraicam expreſſerunt Septuaginta, vertentes υἱοὶ ἀνθρώπων, filij hominum. Atque eodem modo ferè ſemper reddunt. Dictum autem nobis eſt, Hebraicam phraſin eſſe, vt genus humanum appellentur filij Adam. Atque hoc eſt quod annotat Hieronymus, vbi Latine ſit filius hominis, Hebraicè eſſe filius Adam: nam Adam, non ſolum illius primi hominis nomen eſt, ſed & omnium hominum: quilibet enim Adam eſt. Eadem vox & marem, & fęminam ſignificat, qui communi vocabulo Hebraice Adam appellantur. Vt autem omnia rerum genera, nullis proprijs nominibus ſignata ſunt, ſed vno communi toti ſpeciei nomine, vt primus equus, equus appellatus ſit, primusque cetus, cetus, hoc eſt toti ſpeciei congruo, ſic & homo. Neque vllum eſt primi hominis nomen proprium, niſi quod à Græcis repertum eſt protoplaſtus, quod ſoli primo congruit: ſed de his copioſius alibi.

Nec deſiſtent.] לא יבצר מהם Non prohibebitur ab ipſis. Obſcure vero reddiderunt hoc Septuaginta. οὐκ ἐκλείψει ἐξ αὐτῶν πάντα ὅσα ἂν ἐπιθῶνται ποιεῖν, id eſt, Neque deerunt ab ipſis omnia quæ decreuerint facere. Hanc ſententiam videntur innuere, Nihil futurum, quod eos prohibeat, quin quod ſtatuiſſent exequantur. At Hieronymus aliud quiddam Hebraica indicant, niſi Deus prohibuiſſet, omnia eos executuros, quæ voluiſſent: non quòd turrim in cælum erigerent, ſed impijſſima conſilia ſua ſequerentur.

Venite deſcendamus.] Putant nonnulli ex Hebræis, hic Deum cum Angelis loqui, non patrem cum filio & Spiritu ſancto, vt nos. Quod tamen vt retro dictum eſt, etiam ad id tendit, quod noſtri exponunt. Et certe probabilius & rectius eſt, quod nos ſentimus. Non enim abeſt à figmento, quod traditur ab Hebræis, vt ſuo loco confutatum eſt.

Nomen loci illius.] Hebraicè, nomen nõ ad locum, ſed ipſam vrbem refertur. Siquidẽ relatiuum nominis, fęminum eſt שמה ſicut verterunt & ipſi Septuaginta. καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτῆς. Et vocatum eſt nomen ipſius. Vbi relatiuum etiam eſt fœmininum: quanquam Babylonia & metropoleos, & totius regionis nomen ſit.

Babel.] Septuaginta hoc nomen quoque interpretati ſunt: vocatum eſt nomen vrbis σύγχυσις. Hoc eſt confuſio. Quanquam igitur Babel interpretatur confuſio, vrbis tamen proprium eſt Babel. Nomen itaque ipſum erat relinquendum, quod fecit Hieronymus. Nam & apud omnes gentes, ipſum nomen Babyloniæ retentum eſt. Quare non à Belo, nomen, accepit, vt plerique falſo exiſtimant.

Babel non à Belo. Septuaginta error in annorum numero.

Error eſt in numero apud Septuaginta: Nam cùm Hebraica veritas tradat, Shem, poſt genitum Arpacſad, vixiſſe quingentos annos, ſicut habet & noſtra tralatio, hi neſcio, quamobrem, hunc numerum faciunt πέντε καὶ τριάκοντα καὶ τριακόσια ἔτη. Hoc eſt, Trecentos tringinta quinque annos. Neque conijcere poſſumus, is error vnde irrepſerit: cùm Hebræi numerorum notis non vtantur, in quibus facilis eſt lapſus: ſed ipſis numerorum nominibus, quæ facile immutari non poſſint. Conſentit quoque is numerus cum tota annorum ſerie. Addunt hic quoque Septuaginta, quædam quæ in Hebræo non ſint, ſcilicet, Vixit Shem poſtquam genuit ſibi Arpacſad 35. annos, & genuit filios ac filias, καὶ ἀπέθανε, & mortuus eſt: hoc inquam redundat.

Error quoque in numero ſequenti vitæ Arpacſad, is enim triginta ac quinque egit annos, ſicut habet & noſtra editio, & genuit liberos: illi autem, ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη, Hoc eſt, Centum ac triginta anni: redundant nonaginta quinque.

A Error quoque in eo eſt, quòd ſcribant Arpacſad genuiſſe Cainam, cùm genuerit Salac, ſicut & noſtra habet editio. Atque ideo error apud eos accidit, quia additi ſunt ſuperfluo anni ducenti & triginta. Hinc factum, vt idem error ſit Lucæ tertio, vbi genealogiæ cenſentur: ſequebantur enim Septuaginta, qui iam erant toto orbe receptiſſimi.

Error quoque in numero apud nos & Septuaginta: Arpacſad enim poſt genitum Salac, vixit quadringentos ac tres annos, non vt Septuaginta τριακόσια τριάκοντα, hoc eſt trecentos triginta annos, in quo & nos peccamus.

Errant quoque idem in annis Salac, antequam genuiſſet filios. Vixit enim 30. annos, ſicut habet noſtra tralatio, illi autem ἑκατὸν τριάκοντα. Id eſt centum triginta.

Error quoque in numero annorum, quos vixit Salac poſt genitum Heber. Is enim eſt שלש וארבעה מאות Hoc eſt. Quadringenti tres anni, ſicut, & in noſtra editione eſt, at ſunt apud illos τριακόσια τριάκοντα, trecenti ac triginta. Adduntque poſtea ἀπέθανε, quod neque in Hebraico eſt.

In annis quoque Heber ante genitum Paleg, error eſt apud eoſdem, ἑκατὸν τριάκοντα τέσσαρα, centum triginta quatuor: cùm tamen ſint vt apud nos habetur. Erratur & in ipſo nomine, & apud eos & nos. Paleg, enim eſt dicendum, ſic enim Hebraicè פלג nos autem Paleg, illi φαλὰκ, licet hoc leuiſſimum ſit.

Error quoque in annis Heber poſt genitum Paleg. Sunt enim שלשים וארבע מאות Quadringenti triginta, vt & nos habemus: at apud Græcos ἔτη τριακόσια καὶ ἑβδομήκοντα, annos 370.

In annis quoque Paleg antequam genuiſſet filios, erratur in codicibus Græcis. Sunt enim triginta, vt habent noſtra: at illi huic numero addunt centum.
B Rheu quoque corrupte apud eos appellatur ῥαγαῦ.

In annis autem quos vixit Rheu antequam genuiſſet Serug, quem nos corrupte vocamus Saruch, error eſt apud nos & Græcos, ſunt enim שתים ושלשים triginta duo, huic numero nos addimus tres annos, at Græci centum, dicentes καὶ ἔζησεν ῥαγαῦ, ἑκατὸν τριάκοντα δύο ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν σερούχ. Hoc eſt, Vixit Ragau, centum triginta annos, & genuit Saruch.

Error quoque in Serug, antequam filios procreaſſet: ſunt enim שלשים triginta, at apud Græcos ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη, centum triginta anni.

In annis quoq; Nachor, antequam genuiſſet Tarach, ſunt enim תשע ועשרים viginti nouem anni, at apud illos ἑβδομήκοντα ἐννέα. 79.

Error quoque in annis Nachor poſt genitum Tarach, ſunt enim תשע עשרה ומאת שנה, Hoc eſt, centum decem ac nouem anni, ſicut & noſtri habent codices: at illi ἑκατὸν εἴκοσι ἐννέα. centum viginti nouem.

Mortuus eſt Aran, ante Tarach patrem ſuum.] על פני Super faciem, vel coram facie. Ideo quod hic vertit Hieronymus, ante, non refertur ad tempus, ſed ad ipſum patrem, coram quo mortuus ſit filius. Hanc etiam ſententiam Septuaginta ſequuntur, qui & ipſi habent ἐνώπιον θαῤῥὰ τοῦ πατρός. Coram Tarrha patre, mortuus eſt Aran. Exponunt itaque Hebræi, coram facie. Quæ autem hoc loco fabulantur Hebræi, vt moris eorum eſt, de Aran & Abram in fornacem coniectis, adeo contemnuntur à nobis, vt ne digna quidem ducamus, quæ vel à nobis recenſeri debeant, aut ab vllo ſciri. Quod ſi quis eius rei curioſior eſt, videat apud Burgenſem, aliosque interpretes.

C *Et eduxit eos de Vr.*] Aliquanto ſecus Hebraica ויצאו אתם Et egreſſi ſunt de Vr cum eis. Et forte ad mulieres refertur, quæ cum viris egreſſę ſint, alioqui ad Tarach referri non poteſt. Quoniamque Septuaginta habent ſicut & Hieronymus, nam & ipſi καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐκ τῆς χώρας τῶν χαλδαίων. Et extraxit eos de regione Chaldæorum: videntur vtrique legiſſe loco אתם cum eis, אותם eos, & loco, ויצאו egreſſi ſunt ויצא, id eſt, extraxit, inter quæ, ſine punctis, non poteſt facile dijudicari. Atque hoc vt opinor, non ad ipſum Tarach eorum patrem, qui cum eis è Chaldæa proficiſceretur, referri volunt Septuaginta, ſed ad Deũ, qui eos inde extraxerit: cuius beneficij memor Abrã, iurabat per Deum, qui eũ de Vr Chaldæorum extraxiſſet. Ex editione autem Septuaginta, cui fides ſumma in multis rebus eſt adhibenda, cognoſcimus falſas eſſe fabulas Hebræorum, qui aſſerũt Aran & Abram in fornacem eſſe à Chaldæis coniectos, quod ignem adorare nollent, idque colligunt ex eo loco, Et extraxit eos de Vr Chaldæorum, Vr enim fornacem ſignificare contendunt. Cognoſcimus inquam id figmentum eſſe, cum Septuaginta viri grauiſſimi, ſuarumque rerum peritiſſimi, Vr non fornacem interpretati ſint, ſed tanquam loci proprium eſſet nomen, uerterunt χώραν regionem, vt paulo ante citauimus.

Hebræorũ fabulæ de Abram in fornacem coniecto. Vr Chaldæorum.

Veneruntque vſque Aran.] Primo notandum eſt, corruptum eſſe hoc nomen, ne credamus idem nomen & loci eſſe & eius viri, cuius modo mentio facta eſt. Ille enim appellatur Aran, is autem locus Charan. deinde, Hebraica habent ſicut & Hieronymus, at Septuaginta neſcio quamobrem per ſingulare loquuntur. καὶ ἦλθεν ἕως χαῤῥὰν, καὶ κατῴκησεν ἐκεῖ. Et venit vſq; Charan, & habitauit ibi. Videnturque de Tarach eorum omnium patre qui eò profectus ſit, loqui: at ad omnes hoc pertinet, qui de Vr egreſſi ſint.

CAPVT XII.

Egredere de terra.] לך לך, Hoc eſt, vade tibi, ſecede tibi. Locutio eſt Hebraica, quam optime Septuaginta ac Hieronymus verterunt, egredere: perinde ſi diceretur, amoue te, abſtrahe te.

Denominatio pro denominato Hebr.

Eriſq; benedictus.] והיה ברכה. Et ſis benedictio. Eſt ergo imperatiuus: nam tunc primum benedixerat eum. Quod autem dicit benedictio, Hebraiſmus eſt. In ſacra enim lingua, hoc eſt Hebraica, frequentiſſimum eſt, vt denominationes pro rebus denominatis ponantur. Itaque non dicitur in ea lingua, id eſſe falſum, ſed falſitatem: neque verum, ſed veritatem, atque id genus innumera. Qua locutione & nos quoque vtimur, vt Comici, cùm ſceleratum appellant ſcelus. Eſt autem idem & denominatio & denominatum, ſicut idea, & id quod ideæ particeps eſt. Sed hoc differunt, quod denominatio totam rem ſimplicem amplectitur, at denominatum tanquam pars eſt, ideo neſcio quid vehementius eſt, aliquem ſcelus appellare, quàm ſceleratum: & bonitatem, quàm bonum, quaſi totam rem amplectaris. Eodemque modo Abram, benedictio promittitur futurus, quanquam vt dixi, is ſit mos Hebraicus. Nam & redemptorem noſtrum vocant diuinæ litteræ ישועה, hoc eſt, Seruationem, vel ſaluationem: non ſaluatorem. Septuaginta quoque hoc modo immutarunt phraſin Hebraicam, καὶ ἔσῃ εὐλογημένος. Et eris benedictus: commentitia igitur eſt quædam ſuper hoc Hebræorum expoſitio, quam adducit Nicolaus.

Anima pro toto homine.

Animas quas fecerant in Aran.] Et hæc Hebraica locutio eſt. In ea ſiquidem lingua, anima & ea pars nuncupatur, quæ eſt diuinior, & ab ea totus homo denominatur, homo ſiquidem, vt & gentilibus philoſophis non diſplicet, per intellectum ac rationem homo eſt. Atque hæc pars proprie homo nuncupatur, quamuis etiam in diuinis litteris ſit homo interior & exterior. Anima ergo, hoc eſt, homo ipſe. Ad quod, & illud ſpectat, qui animam ſuam amat, perdet eam, id eſt, Qui ſeipſum amat, perdet ſeipſum. Et illud: Vt ſaluam facias animam meam, hoc eſt, meipſum. Hæc dicuntur, dimiſſis fabulis Hebræorum, qui dicunt Abram prædicatione, & publicis cohortationibus, animas feciſſe in Aran, & quaſi domino procreaſſe.

More. Manre. Hebron.

Pertranſit Abram, vſque ad conuallem illuſtrem.] עד אלון מורה. Vſque ad quercum More. Variat ergo ab Hebraico Hieronymus, ab ipſis etiam Septuaginta, qui & ipſi ſecundum Hebraicum vertunt, ἐπὶ τὴν δρῦν, τὴν ὑψηλήν. Vſque ad quercum excelſum. Sciendum igitur non conuenire inter Hebræos de loco, quem videtur nuncupare More. Alij enim dicunt eſſe vrbem, quæ alio nomine appelletur Manre, quæ & Hebron, cùm vero, alijs litteris & illud, & iſtud nomen ſcribatur, non dicunt alij, hoc & illud eſſe idem. Hieronymus autem vertit illuſtrem, quòd More à raa ראה ducatur, hoc eſt aſpexit, & in paſſiuo nire, à quo verbale more, quaſi proſpectus, aut ſpectabile, & perſpicuum. Dicuntq; ideo eum locum More appellatum, quòd is ſit, in quo apparuerit deus Abrahæ, eiq; præceperit, vt iret in terram viſionis. Hæc eadem eſt cauſa quòd Septuaginta, More interpretati ſunt ὑψηλὴν, id eſt, excelſam, ad proſpectum, & viſionem aſpicientes. Quod autem Hieronymus vertit conuallem, quod erat Hebraicè אלון quercus, ſicut & Septuaginta interpretantur, ex eo eſt, quòd figuram videret eſſe ſynecdochen, in qua per vnum, multa intelligimus, quam fortaſſe non animaduerterunt Septuaginta. Vna ergo quercus vniuerſam conuallem indicat, locum ſcilicet quercubus frequentem. Et quod magis hanc rem adiuuat, credo Hieronymum, eum locum conſideraſſe, cùm in Iudæa verſaretur, ac conuallem eſſe didiciſſe.

Et inuocauit nomen eius.] Hoc in noſtris codicibus redundat. Eadem clauſula carent & Septuaginta, ſed tantum eſt, ויבן שם מזבח. Et ædificauit ibi altare domino. Sumptum eſt autem ex alio loco, paulo ſcilicet inferius, vbi eadem eſt clauſula.

Ab occidente.] בית אל מים והעי מקדם. Bethel à mari, & Hai ab ortu. Quod ergo Hebraice eſt à mari, Hieronymus ab occaſu interpretatus eſt: neque id male, nam mare, Iudææ ab occaſu eſt. Eſtq; iſtud Hieronymi explicatius. Neque enim fortè omnibus perſpicuum eſt, mare ab occaſu ipſi Iudææ eſſe. Septuaginta Hebraica ſequuntur, κατὰ θάλασσαν, ad mare. Sed animaduerte deeſſe in impreſſis codicibus Aldi, καὶ ἀγγαὶ, vt tota periodus ſic ſe habeat. Bethel κατὰ θάλασσαν, καὶ ἀγγαὶ κατὰ τὰς ἀνατολὰς, quod impreſſi codices non habent.

Ad meridiem.] ויסע אברם הלך ונסוע. Et profectus Abram eundo & caſtra mutando, ad auſtrum, ſeu meridiem. Quod eſt ad auſtrum Hebraice, Septuaginta ἐν ἐρήμῳ, in ſolitudine. Vt enim Hieronymus ſupra, ad mare, vertit ad occaſum, ſic Septuaginta hic in deſerto. Nam vaſta illa ſolitudo, in auſtrum ſpectat: quanquam opacarunt eam ſententiam Septuaginta: poſſunt enim ea ratione omnes ad quamuis cæli poſituram ſpectantes ſolitudines intelligi, niſi quid ipſi compertius de hac re habuerunt. Annotatumque eſt hoc, etiam à diuo Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis.

Mulus ἡμίονος. id eſt, ſemiaſinus.

Et Aſini & cameli.] Non admodum referre puto, quòd Septuaginta aſinas, mulas interpretentur, ἡμίονοι καὶ κάμηλοι. Eiuſdem enim ferè generis ſunt, dictique ſunt Græce ἡμίονοι, quaſi ſemiaſini, de qua re contra Proclum de mundi æternitate, Ioannes induſtrius, οἱ γὰρ ἄνθρωποι ὄνον ἵππῳ

μίξαντες

A μίξαντες ἐτεχνήσαντο ἡμίονον ποιῆσαι, id eſt, Nam & homines, aſino equæ admiſſo, effecerunt vt muli procrearentur.

Abram bene vſi ſunt.] Imitatur Septuaginta, qui idem vertunt, τῷ ἀβρὰμ εὖ ἐχρήσαντο, quod Hebraicè eſt ולאברם היטיב. Et ipſum Abram beneficio affecit, ſcilicet Lamech: vel ipſi Abrahæ bene fuit.

Propter Sarai.] על דבר שרי. Propter verbum Sarai. Vbi aduertendum, Hebræos ſolitos vti verbo, pro re, quod in ſacris litteris paſſim occurret. Vt illud ſecundo Regum, Quod eſt verbum, quod factum eſt, dicendum enim fuerat, quid factum eſt, & illud: Excepto ſermone Vriæ Etæi, quod & ipſum intelligendum eſt, excepto facinore, in Vriam Etæum perpetratum. Idem loquendi mos eſt & apud Græcos aliquando, vt οὐδὲν πρὸς ἔπος, nihil ad verbum, pro eo quod eſt nihil ad rem.

Verbũ pro re Hebr.

CAPVT XIII.

ET *Lot cum eo.*] Error apud Septuaginta, & forte à librarijs profectus. Quod enim hic de Lot dicitur, referunt ad ea quæ ſuperius dicta ſunt, faciuntq; ipſum Lot egreſſum ſimul cum Abram ex Aegypto, quod minime habetur in contextu, καὶ ἐνετείλατο φαραὼ ἀνδράσι περὶ ἀβρὰμ συμπροπέμψαι αὐτὸν, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ πάντα ὅσα ἦν αὐτῷ, καὶ λὼτ μετ' αὐτοῦ, id eſt: Et præcepit Pharao de Abram viris, vt proſequerentur ipſum, vxoremque eius, atque omnia quæ poſſidebat, & Lot cum eo. Hoc itaque poſtremum, non eſt præcedentis capitis, B ſed huius ſubſequentis, quod ab ipſis Septuaginta hic omiſſum eſt, quod ſupra poſuerunt, emendandus itaque codex Græcus.

Ad auſtralem plagam.] Hoc quoque, vt & ſuperius, Septuaginta vertunt εἰς ἔρημον, in deſertum. Quod neſcio an commode fiat.

In poſſeſſione auri & argenti.] In poſſeſſione, Hebraicè eſt במקנה in armento. Deinde additur. Et in auro & argento, ſeorſum, vtroque poſito: Erat, inquit, diues armentis, auro, & argento, ſicut & Septuaginta, ἦν ἀβρὰμ πλούσιος σφόδρα, κτήνεσι καὶ ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ. Erat Abram diues armentis, argento & auro.

Quò venerat.] Clarius Hebraice, למסעיו per manſiones ſuas, quò ſcilicet prius diuerti ſolebat. Ideo & Septuaginta vertunt ὅθεν ἦλθεν, Vnde venerat. Nam quò venerat, vix ſatis percipi poteſt, quid ſibi velit.

Quod fecerat prius.] Ita eſt Hebraice, non vt Septuaginta, qui facere referunt ad tabernaculum, non ad altare, in quo vehementer peccant, οὗ ἐποίησεν, τὴν σκηνήν. Vbi prius fecerat tabernaculum. Eadem ſcilicet hic peccandi ratio, quæ & in cæteris.

Ecce vniuerſa terra.] הלא כל הארץ, id eſt, An non vniuerſa terra? Sic quoque apud Septuaginta interrogatiuum eſt οὐκ ἰδοὺ πᾶσα ἡ γῆ. An non omnis terra coram te eſt?

Sicut Paradiſus Dei.] Ex hoc loco ſuſpicantur quidam Hebræi celebrem illum paradiſum in hiſce locis fuiſſe, cùm ea regio fuerit feliciſſima, vſque adeo, vt eximia fertilitate habitatorem corruperit, quæ corruptela, diuinam vltionem perpeſſa eſt. Licet Strabo ignarus fortaſſe ſacrarum litterarum, eius incendij cauſam, non in Deum, ſed loci ipſius naturam referat, ſic enim li-C bro xvj. de hac re ſcribit: τοῦ δὲ ἔμπυρον εἶναι τὴν χώραν, καὶ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι παλλά· καὶ γὰρ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι τραχείας, περὶ βοάσαδα, καὶ σήραγγας πολλαχοῦ ὥς τε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρα ᾤκουν πώ ποτε τρεισκαίδεκα πόλεις ἐν ταύτα ὧν τῆς μητροπόλεως σοδόμων σώσοιτο κύκλος, ἑξήκοντα που σταδίων, ὑπὸ δὲ σεισμῶν καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν, καὶ θειωδῶν. ἡ λίμνη προπέσοι, καὶ πέτραι πυρίληπτοι γένοιντο, ὥς τε πόλεις αἱ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δὲ ἐκλείποιεν. οἱ δυνάμενοι ἐκ φυγεῖν. hoc eſt. Eam regionem incendijs eſſe obnoxiam, pleraque indicia afferunt incolę. Nam & petras exuſtas oſtendunt circa Boaſada, & multis in locis cauernas, vt facile crederemus, quæ ab ipſis ferebantur, eam regionem tredecim aliquando vrbes habuiſſe, quarum metropolis Sodomon, ſexaginta ſtadia ambitu amplecteretur, cuius circuitus adhuc extarent veſtigia. Terræmotibus autem igniumq; eruptionibus, aquarumq; calidarum quæ & bitumine & ſulfure eſſent concretæ ſcatebris, lacum eſſe effectum, petræq; exuſtæ fuerint, vt & vrbes aliæ quidem ſint abſorptæ, alias incolæ deſeruerint, qui ex incendio euadere potuiſſent, hæc ille. In regionis ergo naturam, maximi illius incendij cauſam refert, eodem ſcilicet errore, quo & interpres Ptolemæi in quadripartito mentitur, Hebræos idcirco mare rubrum ſiccis pedibus tranſmiſiſſe, quòd ſinus Arabicus, fluat ac refluat, vt euripi facere ſolent, Hebræosq; obſeruaſſe, quando aquæ penitus profluxiſſent, atque ea occaſione mare eſſe tranſuectos: quæ quàm ridicula ſint, & quam impoſſibilia, facile eſt cuilibet iudicare. Eadem ſtultitia lapſi apud eos multi, ferunt, Moſen magum fuiſſe, quos late refellit Ioſephus, contra Appianum grammaticum. Et Iuſtinus ex Trogo, Moſen filium Iſrael aſſerit fuiſſe, & omnem eam hiſtoriam falſiſſime recenſet. Multaq; id genus ſunt apud eos delyramenta. Ignorabant enim diuinos libros, & tamen earum rerum, quas aliquo modo didicerant, cauſam afferre conabantur.

Ptolemæi error de trã ſitu maris rubri.

Et occidentem.] ימה id eſt, Ad mare. Quod ergo ad occidentem vertit Hieronymus, Hebraicè eſt ad mare, vt & ſupra dictum eſt. Ad occaſum enim, ſinus Iudaicus ſpectat. Septuaginta vero D ſecundum Hebraicum vertunt, καὶ ἀνατολὰς, καὶ θάλασσαν ad ortum, & ad mare, quanquam fortaſſe ſuperfluum eſt hoc annotare, cùm retro obſeruatum ſit.

Conuallem Mamre.] Conuallem interpretatur, quemadmodum & ſuperius, cùm Hebraice ſit. אלוני ממרא Querceta Mamre, quod & Septuaginta ſequuntur κατώκησεν περὶ τὴν δρυῦ τὴν μάμρε. Habitauit circa quercũ Mamre. Reſpicit ergo Hieronymus. ad locum nemoroſum, quercubusq; frequentem, eumq; interpretatus eſt conuallem, licet id non habeatur in contextu.

CAPVT XIIII.

Pontus.

R*Ex Ponti.*] Cùm Pontus, aut mare ſignificet, aut prouinciam notiſſimam, maximis interuallis, ab his locis remotam, de quibus hic agitur, vehementer ambiguum eſt, quid Hieronymus voluerit hoc loco per Pontum intelligi, niſi forte locus corruptus ſit. Videtur autem, quantum ad Hebraicum nomen attinet, nomen eſſe vrbis, quæ appelletur אלסר Ellaſar: neque id nomen in aliud verti poteſt. Septuaginta quoque integrum reliquerunt καὶ ἀρεὼχ βασιλεὺς ἐλλασάρ. Et Areoch, rex Ellaſar. Sic & Chaldaica interpretatio. Atque hæc quatenus ad varietatem hanc ſpectat. Quod autem de Hieronymo dicendum eſt, non arbitror eum, Ellaſar, Pontum temere reddidiſſe. Eorum ſiquidem locorum, inſpector atque explorator ipſe extitit, diligenterque ex his percunctatus eſt, qui locorum peritiam tenerent. Quod autem magis hunc locum adiuuat, illud eſt, quia hi reges, qui contra Pentapoleos reges conſpirarunt, erant Perſæ: inter quos & rex Senahar memoratur fuiſſe. Senahar autem notum eſt eſſe in Babylonia, de quo loco Beroſus Chaldæus. Nimbrot inquit cohortante Noac, E cum multitudine in campum Senahar profectus eſt, ibiq; vrbem ędificare cœpit, & turrim excelſam. Atteſtantur & Græci, eos reges fuiſſe Perſas: nam Diodorus τὰ ἐπέκεινα τοῦ ἰορδάνου διηγησάμενος ὁ μωσῆς, τουτέστιν τὸν πόλεμον, ὃν ἐπολέμησαν οἱ πέρσαι πρὸς τοὺς βασιλεῖς τῶν σοδομιτῶν. Hoc eſt. Scribit Moſes quæ trans iordanem acciderint, hoc eſt, bellum quod contra reges Sodomitarum geſſerunt Perſæ. Quapropter arbitror Hieronymũ, aliquo modo didiciſſe Ellaſar regionem Pontum eſſe, cuius rex, vna cum rege Perſarum, contra Palæſtinos pugnarit, ſed de eo bello nihil in hiſtorijs gentilium comperti habetur. Nam cætera bella, quæ contra eas gentes geſſerunt Perſæ, recentiſſima ſunt, ſi cum eo primo conferantur.

In vallem ſylueſtrem.] עמק השדים Hoc eſt, In vallem deſertam: ac deuaſtatam, & informem. At Septuaginta τὴν φάραγγα ἀλυκὴν, id eſt, Vallem ſalſam. Nam ἀλυκὴ ſalſam ſonat, vt apud Ariſtotelem, qui in problematibus aſſerit τὰ ἀλυκὰ, τῶν γλυκέων ἧττον ψυχρά. Hoc eſt, Salſa dulcibus minus frigere ſemper. Et forte ab ἅλς ducitur, hoc eſt ſale. Hæc interpretatio ex eo quod paulo poſt ſequitur, nata eſt. הוא ים המלח ipſum eſt mare ſalis de eadem valle loquens. Eam ergo, Septuaginta vocant, vallem ἀλυκὴν, id eſt ſalarem vel ſalſam: propter mare, quod poſt euerſam Sodomam, ibi collectum eſt. De hac eadem quarto Regum. והוא הכה את אדום בגיא המלח id eſt, Ipſe percuſſit Edom in valle ſalis.

Percuſſerunt Raphaim.] Diximus eo nomine Gigantes ſignificari, ideoq; hunc locum vertunt Septuaginta κατέκοψαν τοὺς γίγαντας. Ceciderunt gigantas. Hieronymus opinor, gentis alicuius nomen putauit eſſe. Sed tamen hic per Raphaim gigantes ſignificari, indicio eſt & Chaldaica editio, quæ in hunc modũ habet ומחו ית גבריא. Et percuſſerunt gigantes. Approbare tamen etiam F Hieronymus videtur editionem Septuaginta in quæſtionibus Hebraicis.

Et Cuzim cum eis.] Hoc quoque, quaſi appellatiuum eſſet non proprium, interpretati Septuaginta ſunt, καὶ ἔθνη ἰσχυρά. Et gentes fortes. Cuzim enim fortes Hebraice ſignificat. Non eſſe autem proprium, ſed gentem fortem per id nomen intelligi, colligi etiam poteſt ex editione Chaldaica, quæ vocem Hebraicam Cuzim, interpretatur, ac vertit וית תקיפיא & fortes. Non improbat tamen Hieronymus interpretationem Septuaginta, ſed eos magis ſenſum quàm verba ſecutos eſſe dicit.

Vſque ad campeſtria Pharan.] Redundat campeſtria, ſed tantum eſt עד איל פארן. Vſque ad arborem Pharan. Quam arborem Septuaginta terebinthum faciunt, ἕως τερεβίνθου τῆς φαράν. Hieronymus autem eum locum campeſtrem, ac planum eſſe dicit, quippe qui per ea omnia loca verſatus ſit. Quapropter neuter male reddidit, ſed illi verba, is ſententiam ſequitur.

Quæ eſt in ſolitudine.] על המדבר. Super, vel trans deſertum. Quod explicatur ab editione Chaldaica דסמיך על מדברא. Quæ adiuncta eſt deſerto.

Omnem regionem Amalechitarum.] כל שדה העמלקי. Omnem agrum Malachitarum. Quod miror Septuaginta non ad regionem, ſed principes ipſos referre πάντας τοὺς ἄρχοντας ἀμαλὴκ. Omnes principes Amalec. Animaduertite quæſo varietatem, quæ etiam in codicibus Hebraicis reperitur. Nam Septuaginta procul dubio, non, שדי ſed שרה per reſc legiſſe videntur. Eſt enim vt ſæpe dictum eſt, maxima inter eas duas litteras ſimilitudo, neque putandum eſt, eos adeo hallucinatos fuiſſe, vt litteram pro littera acciperent, quod ne pueris quidem accideret. Certiſſime igitur non dalet, ſed reſc legerunt. Mirorque ipſe hanc varietatem. Eaque res facit etiam vt ſuſpicer, pleraque alia tota Biblia immutata eſſe.

A *Omnem ſubſtantiam Sodomeorum.*] Permulta hoc loco redundant apud Septuaginta καὶ ἐπρονόμευσαν πᾶσαν ἵππον σοδόμων. Prædati ſunt vniuerſum equitatum Sodomeorum. Addunt ergo ex ſuo hoc: ſcribuntque, quæ putaſſent accidiſſe: quod neſcio, an recte in hiſce litteris fiat. In eo quoque error eſt quòd רכוש quæ ſubſtantiam ſignificat, verterint equitatum, vt etiam annotat Hieronymus.

Abram Hebræo.] Varia eſt opinio Hieronymi ac Septuaginta, & inter Hebræos ſumma diſceptatio, alijs Hebræos ab Heber dictos putantibus, alijs ab Abram. Ipſum quoque Abram hic Hebræum appellari, vel ab Heber vt velle videtur Hieronymus, alij ab Habar, hoc eſt tranſiuit, vt Abram traiector appelletur, quod Euphratem iuſſu diuino, relicta patris ſui domo, tranſierit. Atque ex eo tempore, Hebræum appellari cœptum, hoc eſt tranſeuntem. Atque hoc ſentiunt Septuaginta, qui hoc loco non Abram Hebrǽum vertunt, ſed Abram περάτην id eſt, tranſuadantem, aut tranſfluuialem, vt habebat antiqua Latinorum editio, quos plerique Græci interpretes ſequuntur: nam Theodoritus ἐγὼ οἶμαι ἑβραίους ὠνομάσθαι ἐκ τοῦ τὸν πατριάρχην ἀβραὰμ, ἀπὸ τῆς τῶν χαλδαίων χώρας εἰς τὴν παλαιστίνην ἐλθεῖν, τὸν εὐφράτην ποταμὸν διαβάντα, ἑβρὰ γὰρ τῇ σύρων φωνῇ ὁ περάτης ὀνομάζεται. εἰ δὲ ἐκ τοῦ ἕβερ, ἑβραῖοι καλοῦνται, οὐ μόνους τούτους ἐχρῆν οὕτως προσαγορεύεσθαι. πολλὰ γὰρ τὰ ἔθνη, ἐκ τοῦ ἕβερ κατάγει τὸ γένος. ἵνα τοὺς ἄλλους πάντας παρῶ, ἐκ τούτων εἰσὶν ἰσμαηλῖται, καὶ οἱ ἀπὸ τῆς χεττούρας, καὶ ἰδουμαῖοι, καὶ ἀμαληκῖται. Hoc eſt, ipſe quidem arbitror Hebræos dici, ex eo quòd Abram patriarcha cùm è Chaldæa in Palæſtinam proficiſceretur, fluuium tranſmiſerit, Nam Hebræus Syrorum lingua tranſiens appellatur. Quod ſi ab Heber Hebræi vocantur, non eos modo Hebræos nuncupare neceſſe eſſet, ſed pleB raſque etiam alias gentes, quæ ab Heber genus ducunt. & vt alias prætermittam, ex eo profecti ſunt Iſmaelitæ, & hi qui à Cetura, & Idumæi, & Iſmaelitæ, atque alij. Hæc ille. Alij autem ab Heber omnino eos dici contendunt, ſicut hoc loco vertit Hieronymus, & Acacius, qui & ipſe hæc refert, καὶ ἀπήγγειλεν φησὶν ἀβραὰμ τῷ περάτῃ, τὸ ἀπὸ τοῦ προπάτορος τοῦ ἀβραὰμ, λέγω δὲ τοῦ ἕβερ, ἐθνικὸν ὄνομα ἑρμηνευθὲν ἐτέθη. οἷον ἀντὶ τοῦ ἀβραὰμ τῷ ἑβραίῳ, ἀβραὰμ τῷ περάτῃ, ἑβραῖος γὰρ περάτης ἑρμηνεύεται. Et nunciauit inquit Abram tranſuadanti, nomen gentilitium quòd à progenitore ſuo acceperat Abram, hoc loco in Græcam vocem verſum ponitur. Nam Hebræus traiector dicitur. Sentit ergo diuus Acacius, Abram, Hebræi cognomentum ab Heber accepiſſe. Nulla vero ratione admitti poteſt, vt Hebræi ab Abraham appellentur, propter litterarum varietatem, vt arbitratur alicubi Auguſtinus: licet idem de ciuitate Dei decimo ſexto exiſtimet Hebræos ab Heber eſſe vocatos: potius enim Abrahamæi eſſent appellandi. Hebræi autem reſpuunt ſe ab Heber cognominari, quòd is idololatra vt ferunt, fuerit: nefaſque ſit, tam ſanctam gentem, ab homine prophano atque impuro nomen ſortiri. Mihi certe probabilius videtur Hebræos ab Heber dici, quàm ab Habar, hoc eſt tranſiuit, nam id etiam ipſa vox demonſtrat. ſiquidem nomina gentilia apud Hebræos, per iod in vltima proferuntur. vt eſt יהודי, Iudæus, ישראלי, Iſraelita, & עמלקי Hamalachita, atque ita de ſingulis. eandem formam habet hoc loco, & עברי hoc eſt Hebræus. vt quemadmodum Iſraeli ab Iſrael ducitur, ita ab Heber Hibri. Quod ſi ab Habar duceretur, vt Hibri traiectorem ſignificet, potius hober diceretur, vel habar per camez, quod fit in nominibus appellatiuis. Numquam itaque appellatiua nomina, eam formam ſequuntur. Teſtis eſt & Chaldaica editio, quæ & ipſa vt gentile id nomen interpretatur, ſciliC cet עבראה vbi forma ipſa eſt nominum gentilium. Veriſſima igitur videtur Hieronymi ſententia. Nam poſt diluuium, cùm adhuc viueret Heber, linguarum confuſio facta eſt. Ac vera antiquiſſimaque lingua, in ea domo remanſit: cumque totius familiæ caput eſſet Heber, ab eo nomen ea lingua ac natio accepit. Et cùm in domo Abraham, integra ac ſyncera permanſiſſet, hi ſoli Hebræi, eaque lingua Hebræa vocari meruit. Cæteri quidem qui ab Heber deſcendiſſent, non ſunt Hebræi vocati, propter eam, quam diximus cauſam. Non enim puritatem illam ſeruarunt. Atque hoc modo refellitur, quod obijcitur à Theodorito. Eademque ratione non recte ſentient Hebræi: nam & cognati Abraham idololatræ fuerunt, à quibus ille procreatus eſt, nihilque obſtat, quòd idololatra Heber fuerit: cum ab eo ſi non linguam, ſaltem genus ducerent Hebræi. Sunt autem Hebræi in rebus ſuis æquo ſuperſtitioſiores, nimiumque ſibi eblandiuntur.

Hebræi vnde dicti.

Abrahamæi.

Numerauit.] Sequitur Septuaginta, qui & ipſi ἠρίθμησεν τοὺς ἰδίους οἰκογενεῖς. Numerauit proprios vernaculos, pro eo, quòd Hebraice eſt, וירק id eſt, & duxit in prælium, aut expediuit.

Et Phœnicem.] Non eſt in contextu, neque apud Septuaginta, ſed tantummodo vſque Soba. Soba quoque, non autem Phœnix, ad leuam Damaſci ſcribitur eſſe, vt & ipſi Septuaginta dicunt κατεδίωξεν αὐτοὺς, ἕως σοβὰ ἥ ἐστιν ἐν ἀριστερᾷ δαμασκοῦ, perſecutus eſt eos vſque Soba, quæ eſt ad lęuam Damaſci.

Vniuerſam ſubſtantiam.] Subſtantiam tantum ad equos referunt Septuaginta, ſicut & ſuperius καὶ ἀπέστρεψεν πᾶσαν τὴν ἵππον τῶν σοδόμων, & auertit omnem equitatum Sodomeorum, cùm tamen nomen Hebraicum, quod hic ponitur ſcilicet רכיש totam facultatem, vniuerſaque bona ſignificet: ſicut & ſupra de Lot atque Abram dicebatur: & erat facultas eorum copioſa. vbi eſt præſens nomen: vertendum itaque, vt fecit Hieronymus.

Ipſa eſt vallis regis.] Paulo diuerſius Septuaginta, τοῦτο ἦν τὸ πεδίον τῶν βασιλέων, is eſt campus regum. Hebraica vero habent, vt vertit Hieronymus הוא עמק המלך ipſa eſt vallis regis, quæ tempeſtate Hieronymi appellabatur à Palæſtinis, Auſon. D

Melchiſedec q̃s fuerit.

Melchiſedec.] Hunc alij angelum, alij ſpiritum ſanctum fuiſſe aſſerebant. Origenes angelum fuiſſe exiſtimat, & eius diſcipulus Didymus. Hæc improbantur ab Hieronymo. Probabilius eſt, aut quod opinãtur Hebræi, hunc fuiſſe, Scem filium Noe, aut alterum quemuis hominem. Quod vero is Scem filius Noe fuerit, argumento ſunt quæ apud Hebræos extant, in eorum enim monumentis habetur, dixiſſe Iacob ſe ſeruiſſe Scem regi Solymorum, hoc modo שנקרא מלכי צדק חמשים שנה
אבינו אומר שמשתי אני את שם מלך שלם שנקרא מלכי צדק חמשים שנה יעקב שמש את אברהם אבינו חמש עשרה שנה ואת שם בן נח
נמצא יעקב Hoc eſt, Iacob ſeruiuit Abrahæ patri noſtro quindecim annos, & Scemo filio Noe, qui vocatus eſt Melchiſedech, ſeruiuit annis quinquaginta. Memoriæ enim proditum accepimus, dixiſſe Iacob, ipſe miniſtraui Scem regi Salem, qui vocatus eſt Melchiſedec, quinquaginta annos.

Salem.
Iebus.
Hieruſalē.

Salem quoque quidam eſſe Hieruſalem crediderunt, quæ prius Salem, deinde Iebus, poſtea ex Hebraico & Græco facto nomine, appellata ſit Hieruſalem: quod abſurdum eſſe ex ipſo nomine cognoſcitur. Quare melius eſt quod aſſerit Hieronymus, non eſſe hanc Hieruſalem, ſed oppidum iuxta Scythopolim, quod etiam tempeſtate Hieronymi Salem appellabatur, vbi oſtendebatur palatium Melchiſedec, ex magnitudine ruinarum, veteris ædificij demonſtrans magnificentiam: hoc ex pleriſque alijs ſacræ ſcripturæ locis cognoſcitur. Ego vero exiſtimo nomen Hieruſalem, non ex Græca Hebraicaque voce eſſe compoſitum, ab ἱερὸς id eſt ſacer, & Salem, quaſi ſacra ciuitas: ſed aut corruptum eſſe nomen, etiam apud Hebræos, aut ſtudioſe factam eſſe litterarum mutationem: vt quæ prius vocaretur Iebuſalem, dicta ſit Hieruſalem. Nam ea ciuitas olim appellabatur Iebus, deinde vocata eſt Salem, poſtea nomen vnum è duobus factum eſt Iebuſalem. E

Iebuſalem

Proferens panem.] Clarius erit, ſi vertas vt habet Hebraicum להם ומלכי צדק מלך שלם הואצי & Melchiſedech, rex Salem protulit panem: ſicut & Septuaginta ἐξήνεγκεν, extulit, protulit.

Qui creauit cælum.] Aliquanto ſecus Hebraica קונה id eſt, qui poſſidet. & qui Deus cæli ac terræ eſt. nam יקנה Poſſidere, & acquirere ſignificat. Quem ergo Hieronymus conditorem vocauit, Hebraice chone dicitur. Sequitur autem noſter interpres, ipſos Septuaginta: apud quos eſt, ὃς ἔκτισεν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. qui condidit cælum & terram: hoc ipſum & philoſophi confitentur. Proclus enim inquit. ὅτι πάντα, ἢ γεννήματα, ἢ κτήματα θεοῦ. id eſt, omnia eſſe aut poſſeſſionem Dei, aut eius prolem.

Quo protegente.] אשר מגן. Qui protexit ab inimicis, quam locutionem alio modo reddiderunt Septuaginta. ὃς παρέδωκεν τοὺς ἐχθρούς σου. Qui tradidit inimicos tuos. Nam verbum Hebraicum etiam claudere ſignificat. Potuit ergo etiam dici: Qui clauſit, ſicut alibi dicitur, qui concluſit inimicos tuos in manus tuas.

Animapro homine.

Da mihi animas.] Recte immutarunt Septuaginta, quòd erat animas in Hebraico, vertentes δός μοι τοὺς ἄνδρας, da mihi homines. Diximus enim animam, pro toto homine accipi.

Cætera tolle tibi.] Perſtant Septuaginta, vertentes recus, quod facultatem ac ſubſtantiam ſignificat, τὴν ἵππον, id eſt, equitatum. Pro cætera ergo, in Hebraico eſt recus, hoc eſt ſubſtantia.

Leuo manum.] Quàm diuerſe huius verbi tempora vertuntur ab omnibus interpretibus. Hebraice enim eſt הרמתי Leuaui: at Græcè ἐκτενῶ. id eſt, Leuabo, nos per præſens, quanquam id ad ſententiam nihil referat, quod in alijs eſſet magnopere cauendum. F

A filo ſubtegminis.] מחוט A filo, non additur ſubtegminis, ſicut neque apud Septuaginta. ἀπὸ σπαρτίου. Sed hæc adeò leuia ſunt, vt nos etiam pigeat annotare.

Et partibus virorum.] Aliquanto obſcurius, dicendum enim, excepta portione virorum, quæ ſcilicet eis ex præda obueniret.

CAPVT XV.

HIs tranſactis.] אחר הדברים האלה Septuaginta non mutant hoc loco locutionem Hebraicam. μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα. Quod tamen prudenter fecit Hieronymus. De ea locutione alibi dictum eſt.

Prophetę, Videntes.

Per viſionem.] Eodem modo & Hebraice במחזה. Redundat autem quod additur à Septuaginta, ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς, In viſione noctis: potuit enim & diurnam eſſe viſionem, ſicut & paulopoſt cognoſcetur. Nam viſionem Hebræi, non tantum eam appellant, quæ noctu fit, ſed omne prophetiæ genus: quam ob rem & prophetas vocant videntes: quam rem quia pulcherrime explicat diuus Gregorius Nazanzenus in oratione de ſpiritu ſancto, eius verba producenda ſunt. οἱ μὲν πατριάρχαι, θεὸν ἐφαντάσθησαν, οἱ δὲ προφῆται καὶ τὰ μέλλοντα προέγνωσαν, τυπούμενοι τὸν νοῦν δίκην κηροῦ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ τὰ ἐσόμενα ὁρᾶν καὶ ἀκούειν δοκοῦντες ὡς παρόντα, διὸ καὶ τὴν προφητείαν ὅρασιν ἐκάλουν, καὶ αὐτοὶ ὁρῶντες ὠνομάζοντο. τοιαύτη γὰρ ἡ τοῦ πνεύματος δύναμις φωτιστικὴ πάντας φωτίζουσα πρὸς τὴν τοῦ καλοῦ κατάγνωσιν. φῶς γὰρ ἐστὶ νοητὸν πάσης δυνάμεως λογικῆς πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας εὕρεσιν, οἷον τίνα καταφάνειαν παρ' ἑαυτοῦ παρεχόμενον, hoc eſt, Patriarchæ inquit, Deum ſub imagine viderunt, at vero prophetæ etiam futura proſpiciebant, affecti

mentem

A mentem à ſpiritu ſancto tanquam cera: quo fiebat, vt ſibi futura tanquam præſentia videre viderentur. Ideo & prophetiam viſionem vocare ſolebant, & ipſi prophetæ videntes appellati ſunt: ea enim eſt ſpiritus ſancti vis, vt quemlibet mirabiliter illuminet ad intelligendum & percipiendum ipſum bonum: quia lumen eſt intellectuale omnis animę rationalis: eamq; ita afficit, vt poſſit veritatem reperire: quaſi quibuſdam radijs à ſubſtantia ſua in eam coniectis. hæc ille eximius theologus. Pluraque vero ſunt viſionum genera, vt à Moſe Aegyptio ſcribitur. Nam quędam eſt, qua vigilantibus nobis, tota membrorum compago reſoluitur, vt de ſeſe Daniel prodit. Alia, qua id minime contingit, ſed tanta eſt eius hominis qui videt expiatio, tantaque cum diuino numine familiaritas, vt diſſolutione atque ecſtaſi minime opus ſit, ſed amice ac familiariter cum Deo loquatur, quod Moyſi ſolum volunt Hebræi accidiſſe.

Viſionum plura genera.

Filius autem procuratoris.] ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר. Et filius: relictitium domus meæ, ipſe eſt Damaſcus Eliezer. Quæ neque ſatis aperta ſunt, neque adeo facilia intellectu, quid ſibi velint: præſertim propter verbum meſech, quod rem derelictam ac dimiſſam ſignificat: qua appellatione vocauit Abram, hæredem ſuum, quem ſibi ſucceſſorem erat relicturus. Ideo Hieronymus vertit, filium procuratoris domus meæ: quanquam filium, nolint Hebræi referri ad filium procuratoris, ſed ipſum procuratorem, qui velut filius, erat ad hæreditatem Abram aſſumendus. Septuaginta cum Hieronymo concordant filium alterius vertentes, non ipſius Abram, ὁ δὲ υἱὸς μασὲχ τῆς οἰκογενοῦς μου, οὗτος δαμασκὸς ἐλιέζερ, Filius autem vernaculæ meæ iſte Damaſcus Eliezer. Eodem vero hic errore videntur decipi, quo decipiuntur ſæpe, vt nomen appellatiuum, putarent eſſe proprium: idque mulieris non viri, quod ipſa quoque vox recuſare videtur. Sed neque non optimum erit, interpretum citare expoſitiones. Gennadius qui quaſi Abram B loqueretur hæc ait. διαδέξεται γοῦν, ὡς ἔοικεν τὰ ἐμὰ, ὃς ἐκ τῆς μασὲχ τῆς δαμασκηνῆς οὗτος ἐλιέζερ, οὐ γὰρ ἐκείνην τὴν οἰκογενῆς φησὶν ἀλλ' ὁ ἐξ αὐτῆς, ὡς διὰ τῆς ἐπαγωγῆς ἐσαφήνισεν. δύναται δὲ καὶ ἐπὶ ἑνὸς ὡς διωνύμου λέγεσθαι τὰ ἀμφότερα, τὸ δαμασκὸς καὶ ἐλιέζερ. ἴσως δὲ καὶ ὡς ἓν ἐκ δύο τελείων συγκείμενον καὶ υἱὸς ποτίζοντος οἶκον οὗτος δαμασκὸς ἐλιέζερ. Succedit igitur inquit, vt videtur in hæredem mihi, is Eliezer, qui ex Maſech Damaſcena, ortus mihi eſt: neque enim ipſa erat verna, & domi nata, ſed qui ex ipſa natus eſt, vt poſtea repetendo demonſtrauit. Poteſt & de vno, qui duobus nominibus appellaretur, intelligi. Damaſcus ſcilicet & Eliezer, forte ex duobus integris nominibus vnum effectum eſt, & vnus tantum per ea ſignificatur, ſcilicet filius irrigantis domum iſte Damaſcus Eliezer. Exponit igitur quantum ab editione Septuaginta doceri poterat: ſed tamen maſech, non eſt nomen proprium vt diximus. Erit ergo vera explicatio, ſecundum Hebraicam veritatem. Et filius relictitius domui meæ, Damaſcus Heliezer, is ſcilicet qui relinquetur ad hæreditatem ſuſcipiendam, is mihi erit hæres.

Ex vtero tuo.] ממעיך. Ex intimis tuis, aut lumbis, vel viſceribus. Quam locutionem Hebraicam, Septuaginta recte immutarunt ἀλλ' ὃς ἐξελεύσεται, Sed qui egredietur ex te.

Reputatum eſt ei ad iuſtitiam.] ויחשבה צדקה Et reputata eſt ea res, iuſtitia, vel iuſtificatio, vel probitas. Sacrarum enim litterarum moris eſt, iuſtitiam non eam modo virtutem, quæ cuique quod ſuum eſt tribuat, appellare: ſed & omne probitatis æquitatiſque genus. Iuſtus quoque his litteris, is eſt, qui omni ex parte abſolutus ſit, qui neque in Deum, neque in homines peccet. Quæ neque à noſtris diſſentiunt, cùm Marcus Tullius ſcribat, proprie ab hac virtute, homines, bonos C appellari. Idemq; certe eſt vir bonus, iuſtus. Eſt enim iuſtitia, diuina quædam mentis humanæ integritas, ac rectitudo per quam nuſquam labimur, nihil peruerſa opinamur, ſed vt imaginem decet diuinam, & illius diuinitatis ſimulachrum, ęqui, inerrabiles ſumus, ac ſicubi etiam prolapſi fuerimus, tanta tamen eſt animi ſynceritas, vt in culpam nobis verti non poſſit. Eiuſmodi erat Abram, vir omnium laudatiſſimus, & integerrimus. De cuius fide, & probitate, hæc apud veteres memoriæ prodita reperimus, τῷ δὲ ἀβραὰμ πιστεύσαντι, δικαιοσύνη ἐλογίσθη. οὗτος τὴν μετάρσιον τῶν κατὰ τὸν ἀέρα συμβαινόντων, καὶ τὴν μετέωρον τῶν κατὰ τὸν οὐρανὸν κινουμένων φιλοσοφίαν μετιὼν, ἀβρὰμ ἐκαλεῖτο, ὃ μεθερμηνεύεται πατὴρ μετέωρος. ὕστερον δὲ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εἴτε τὸν υἱὸν ἐν τῷ πνεύματι ἰδὼν ὡς ἐξηγοῦνταί τινες, εἴτε ἄγγελον ἔνδοξον, εἴτε καὶ ἄλλως ἐπιγνοὺς κρείττονα τῆς ποιήσεως, προσλαμβάνει τοῦ ἄλφα τὴν γνῶσιν τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου θεοῦ, καὶ λέγεται ἀβραὰμ ἀντὶ φυσιολόγου· σοφὸς καὶ φιλόσοφος γενόμενος. ἑρμηνεύεται γὰρ πατὴρ ἐκλεκτός. Abram vero, qui crediderat, iuſtus ob eam rem habitus eſt: ille inquam qui cæleſtium rerum, & eorum, quæ in aere fiunt erat peritiſſimus: cuius ſi nomen interpretari volueris, pater ſublimis rite vocabitur: qui deinde cælum ſuſpiciens, & filium per ſpiritum ſanctum agnoſcens, ſicut quidam aſſeruerunt, vt angelum glorioſum, conſpiciens ſiue alio modo, cognouit eum, qui omnibus creatis rebus maior eſt, & ad vnius ac ſummi Dei intelligentiam peruenit: ac tunc appellatus eſt Abraham, ex naturalium rerum contemplatore, ſapiens & philoſophus effectus. Siquidem Abraham pater electus interpretatur. Hæc obiter citata ſunt.

Iuſtus quis in litteris ſacris.
Iuſtitia quid.

De Vr Chaldæorum.] Hic quoque Septuaginta vertunt χώραν regionem, licet nomen proprium aut loci aut vrbis eſſe videatur, dimiſſis fabulis Hebræorum.

Et abigebat eas Abram.] Mira Septuaginta hoc loco varietas, adeo vt diſſimulari non poſſit; qui videntur aut ſuam linguam ignoraſſe, quod nefas eſt aſſerere: aut alio vſi exemplari; vel certe quod

Tempore 70. lingua Heb. carebat pũctis.

te quod ſæpe meminimus, & memoraturi ſumus, vbi opus fuerit, cum ea tempeſtate, vt etiam D Hebræi opinantur, diuinæ litteræ ſine punctis, quæ vice vocalium apud Hebræos funguntur, legerentur, eamque ob rem, ambigua non facile diſtingui poſſent, vt hæc vox עמך, quæ ſine punctis ęquiuoca eſt: nam & populum tuum, & tecum ſignificat: cui ſi puncta ſubieceris, amphibologiam diſtingues, & alterum quidem erit עמך id eſt, populus tuus, alterum עמך, id eſt, tecum: hinc factum eſt, vt Septuaginta, pleraque aliter interpretati ſint, quàm vel ſententia poſtularet, aut nunc Hebraici habeant codices: iſque facilis fuit lapſus. Quis enim non facile laberetur in hac dictione, ſi ſine punctis ſcribatur וישב quæ ſignificat, modo ſedit, modo reuerſus eſt, aliquando expulit, alias reuerti fecit. Quod ſi vocales, id eſt, notulę illæ adhibitæ fuerint, illico omnis ambiguitas diſtinguitur. Eſt ergo hoc loco eadem ipſa vox, ſcilicet נשב. Quod cùm ſit futurum, ducitur à ſuo primitiuo ישב hoc eſt amouit, expulit: in futuro autem abijcitur prima littera nun, & per tertiam coniugationem ſubtracta iod, & chirich eius loco ſubſtituto, ſignificabit mouebit, vel moueri faciet. Quod ſi à verbo ישב ducatur, id eſt ſedit, his punctis notabitur ישב, hoc eſt, & ſedit, vel ſedebat. In hunc igitur ſcopulum impacti Septuaginta, cum extricare ſeſe non poſſent, alterum pro altero reddiderũt καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς ἄβραμ. Et ſedebat cùm eis Abrã: vt toto cęlo ab Hebraica veritate diſſideant, cùm ea referat, Abram aues expuliſſe: at ipſi: vel cum eis eum ſediſſe, vel ſimul cum ipſis collocaſſe, ſic enim συνεκάθισεν interpretari poteſt, vt hoc modo exponamus & appoſuit eis Abram, ſcilicet auibus diuiſis, aues ſuperuolantes.

Sopor irruit.] Melius opinor Septuaginta, qui vocem Hebraicam תרדמה, quæ ſoporem etiam ſignificat, verterunt ἔκστασιν, vt & ſupra fecerunt, eo loco, Immiſit dominus ſoporem in Adam. Is enim ſopor, cuius hic fit mentio, non ſomnus videtur fuiſſe, ſed potius ecſtaſis, ſicut ex hac E viſione colligitur, in qua facta eſt, illa membrorum diſſolutio, quæ in aduentu numinis fieri, ſolet, in qua ita torpemus, adeo iacemus exanimes, vt profundo ſopore oppreſſi videamur: quanquam ſint, qui ſomnum etiam ecſtaſim appellent.

Et ſeruient eis.] Hoc quoque Septuaginta faciunt tertiæ coniugationis, cùm ſit primæ apud Hebræos δουλώσουσι αὐτοὺς, in ſeruitutem abducent, ſubigent. Hebraicè tamen יעבדו Et ſeruient eis. Quod neſcio, an errore factum ſit.

Sepultus in ſenectute bona.] Error in impreſſis codicibus Græcis, qui habent τραφεὶς ἐν εἰρήνῃ, cum dicendum ſit ταφεὶς ſubtracto ῥῶ.

Caligo tenebroſa.] עלטה. Quod non aliud ſignificat, quàm vt vertit Hieronymus, quod non ſatis proprie reddiderunt Septuaginta, φλὸξ ἐγένετο, flamma facta eſt.

διαθήκη.

Pepigit fœdus.] Sic eſt Hebraicè כרת ברית. Quod Septuaginta interpretati ſunt διέθετο diſpoſuit: vnde dicta eſt διαθήκη, diſpoſitio, teſtamentum. Percutere autem Hebraicè dicitur de more, quem in iungendo fœdere obſeruabant: de qua re Dauid Chimcheus copioſe apud Hebræos diſſeruit. Eo more vſus eſt Deus cùm iniret amicitiam cum Abram.

CAPVT XVI.

INique agi. contra me.] חמסי עליך, Offenſio mei ſuper te: quanquam enim verba varient, ſententia tamen eadem, cùm præſertim eodem modo & Septuaginta vertant ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ. Offendor abs te.

Bonũ eſt in oculis meis, id eſt, placet mihi. Boni duplex natura.

Vt libet.] הטוב בעיניך Vt bonum in oculis tuis. Eſt autem Hebraica locutio, non enim habent verbum placet: ſed eius loco vtuntur, bonum eſt in oculis meis. Carent quoque verbo habendi, pro quo vtuntur eſt mihi, eſt tibi. Eſt autem maxime naturalis locutio, dicere pro eo, quod eſt placet, bonum eſt in oculis meis. Proprium enim τοῦ ἀγαθοῦ, eſt τὸ ἐφετὸν, eamq; ob rem omnia ipſum appetunt. Duplex quidem eſt boni natura, vt ait Proclus, eſt προοδικὸν, id eſt, propagans omnia, & eadem bonitas facit, vt ipſum omnia appetant: quanquam id ſolum in primum ac vere bonum competat, id eſt Deum. Omni autem bono proprium eſt, vt exoptabile ſit. Dicunt quoque in oculis, quia hi quaſi internuntij ſint, iudiciumq; ferant de pulchritudine, quamuis ea etiam per alios ſenſus percipi poſſit, ſed omnium excellentiſſima eſt, quam oculis haurimus, licet ſit etiam earum rerum pulchritudo, quæ intelligentia comprehenduntur, quæ eſt omnium eminentiſſima, quæ oculis animi percipitur: hæc tamen, quaſi πάρεργα dicta ſunt.

In ſolitudine.] Addunt hic Septuaginta quiddã, quod in Hebraico minime eſt, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐπὶ τῆς γῆς. In ſolitudine, in terra: redundat in terra: eſſet quoq; maxime ambiguum, quid ſibi velet.

Ferus homo.] Hebraicum metaphora vtitur, neq; enim eſt ferus, ſed, פרא hoc eſt onager, eum ergo onagrum ob feritatem appellauit. Hieronymus cum Septuaginta ſentit, οὗτος ἔσται ἄγροικος ἄνθρωπος, id eſt, Is erit agreſtis homo, meritoque eo nomine appellantur Iſmaelitæ, mera omnis barbariæ colluuies.

Figet tabernacula.] ישכן Habitabit, ſicut & Septuaginta κατοικήσει.

Poſteriora videntis me.] ראיתי אחרי ראי Vidi poſt videntem me. Septuaginta, paulo ſecus, εἶδον ὀφθέντα μοι. Vidi eum qui apparuit mihi, aut qui mihi viſus eſt, quod certe videtur à ſuperiore plurimum differre ab Hebraica veritate.

Viuentis

A *Viuentis & uidentis me.*] Sic & Hebraice לחי ראי. Viui, videntis me: at Septuaginta ſilent, viui: imò ne ipſa quidem Hebraica ſyncere vertunt, ἕνεκεν τούτου ἐκάλεσεν τὸ φρέαρ ἐκεῖνο φρέαρ, οὗ ἐνώπιον εἶδον. Quamobrem vocauit puteum illum, puteum, ex aduerſo cuius vidi: quid obſecro vidit, cùm ipſa potius viſa ſit? Erratum eſt itaque in participio ראי roi, quod à ראה ducitur, id eſt vidit, & participium ראה, videns, cui ſubtracto, h, ה, appoſitaque iod, ſignificat videns me, non, ego videns, vt illi putarunt.

C A P V T XVII.

EGo dominus omnipotens.] אני אל שדי. Ego dominus omnipotens: at cur Septuaginta tacēt omnipotens, cùm expreſſe habeatur in Hebraico? Neq; eſt ἐγώ εἰμὶ ὁ θεός σου, Ego ſum dominus tuus: redundat enim tuus. Quod vero mox ſequitur התהלך לפני, Ambula coràm me, vt vertit Hieronymus: illi εὐαρεστήσεις, placitus erit mihi. Mihi quidem vehementer arridet, ſiquidem illuſtrarunt, quod erat inuolutum propter locutionem Hebraicam: neque enim aliud eſt, coràm Deo ambulare, quàm pro viribus ſe ei gratum, atque amicum oſtendere, ſicut & retro de Noe dictum eſt, quem locum Septuaginta eodem modo reddiderunt.

Pater multarum gentium.] אב המון גוים. Pater multitudinis gentium: ſicut & Septuaginta, ἔσῃ πατὴρ πλήθους ἐθνῶν, quanquam illuſtrius reddiderit Hieronymus eo modo vertens.

Non Abram, ſed Abraham.] Hæc eſt etymologia, nomen enim priſtinum erat Abram, Hamon autem multitudinem ſonat, quod ſi cum Abram componatur, vltima ſyllaba dempta, fiet
B Abramham, ſed quia eſſet cacophonia, m, nominis Abram demitur, fitque Abraham, ex Abra, & ham.

Abraham.

Et ſtatuam pactum meum.] והקימותי את בריתי. Et ſuſcitabo pactum meum. Quod pactum ac fœdus Septuaginta vertunt διαθήκην, hoc eſt, diſpoſitionem, teſtamentum: quod recte fœdus ac teſtamentum nuncupatur, quia in eo teſtibus adhibitis, pepigit Deus fœdus cum Abram, eumque hæredem terræ Chananæorum inſtituit, deinde terræ cæleſtis.

Quam empticius.] Recte Septuaginta ἀργυρώνητος, Emptus pecunia: ſic enim eſt & Hebraicè מקנת כסף, Poſſeſſio argenti, vel pecuniæ: tam enim Hebraicè, quàm Græce pecunia, argentum appellatur.

Quicunque non fuerit de ſtirpe noſtra.] Poſt hæc verba, interponitur aliquid in Hebraico, quod non eſt verſum à Hieronymo, המול ימול יליד ביתך ומקנת כספך, id eſt, Circuncidendo circuncidetur natiuus domus tuæ, vel puer domus tuæ, & poſſeſſio pecuniæ tuæ. Quæ quia ſupra dicta fuerant, fruſtra hic repeterentur. Is enim eſt mos linguæ Hebraicæ vt eadem frequenter in ea inculcentur ocioſe, vt eſt cap. v. Noe erat vir iuſtus, & Noe inuenit gratiam coram domino. Et genuit Noe tres filios, quæ in pauciora verba coarctaſſet & Græcus & Latinus ſermo: hæc ergo prudenter omittuntur à Hieronymo.

Filium cui benedicturus ſum. Hæc benedictio non refertur ad filium, ſed ipſam Saram: ſic enim habet Hebraicum וברכתיה. Et benedicam eam: licet idem peccarint & Septuaginta, καὶ εὐλογήσω αὐτόν: Et benedicam eum. Videntur autem legiſſe ברכתיו addita vau littera: quod vehementer probabile eſt.

C *Duodecim duces generabit.*] Neſcio quid in mentem venerit ipſis Septuaginta vt duces, ſic enim habet Hebraica veritas, verterint ἔθνη hoc eſt gentes: claritas enim Iſmael in eo erat futura, vt reges aut duces procrearet, gentes autem non ita: ideo peculiariter inter alia eius hominis inſignia, numeratur & illud.

Et Iſmael filius eius.] Totum hoc omiſſum eſt à Septuaginta, quod quamobrem acciderit, nulla cõiectura aſſequi poſſumus, niſi deprauatis codicibus ſit aſcribendum. Prætermiſſa eſt hæc tota periodus. וישמעאל בנו בן שלש עשרה שנה בהמלו את בשר ערלתו Et Iſmael filius eius agebat tertium decimũ annum, quando circunciſus eſt ipſe carnem præputij ſui.

C A P V T XVIII.

IN ipſo feruore diei.] כחם היום In calore diei, quod recte vt arbitror interpretantur Septuaginta ἐπὶ τῆς μεσημβρίας. In meridie.

Prope eum.] עליו Quod verti etiam poteſt ſuper eum: ſicut & Septuaginta τρεῖς ἄνδρες εἱστήκεισαν ἐπάνω αὐτοῦ. Tres viri ſteterant ſupra ipſum, indicantq;, eos ex eminenti loco ſeſe oſtendiſſe: quanquam Hebraica præpoſitio על ſignificet etiam prope, & aduerſum. Stat ergo & Hieronymi & Septuaginta ſententia.

Et adorauit eos.] Hoc loco irridemur à quibuſdam Iudæorum, quòd hinc velimus trinitatem elicere. Putant enim plerique apud nos id in contextu bibliæ haberi, quod paſſim circunfertur, Tres vidit & vnum adorauit: cùm tamen id in Hebræo non inueniatur, neque in noſtra etiam editione: lege, ac perpende. Collecta tamen eſt ea ſententia ex præſenti capite. Eſt autem optimum, neque diſſimulanter præterire, vbi in diuinis litteris de diuinitate patris ac filij ſpiritusque

Tres vidit, & vnũ adorauit, non habetur in biblijs.

De trinitate ſilet vetus teſtamẽtum.

ſancti aliquid reperitur: neque rurſum extorquere,& quaſi per vim eas litteras in noſtra placita trahere: vtrunque certe vituperatione dignum. De trinitate autem libenter ſilet vetus teſtamentum,ne Iudæi,alioqui in idololatriam propenſi, facilius hinc errandi occaſionem ſumerent: quod etiam Septuaginta in transferendo vehementer cauiſſe videntur. Quæ igitur hic de tribus viris narrantur, placet vt ipſe contextus docet,exponantur. Hi enim tres viri, tres angeli fuerunt,quorum duo poſtea Sodoma acceſſerunt, alter quidem vt eam vrbem euerteret: alter vt tueretur Lot: de tertio nihil ſcribitur. Quidam Hebræi tradunt, primum ipſum Deum Abrahę per viſionem apparuiſſe, dein Abraham leuaſſe oculos ſuos,treſque angelos vidiſſe. Tres autem angelos apparuiſſe Abrahæ, teſtatur & Cyrillus ſic ſcribens ὁ ἀβραὰμ, τρεῖς ἀγγέλους εἶδεν, εἰς τύπον τῆς τριάδος, δύο ὁ λὼτ, εἰς τάξιν υἱοῦ καὶ πνεύματος. Tres inquit angelos vidit Abraham in figuram trinitatis,duos autem Lot, vt oſtenderetur ordo filij ad ſpiritum ſanctum:quanquam Euſebius, velit Deum ſub trium virorum eorum typo ſeſe oſtendiſſe: cuius non male erit, citare ſententiam, ſic enim, inquit, ὁ ἀβραὰμ τὸν θεὸν ἐξενοδόχησεν, ἐν ἀγγέλων τάξει καὶ ἐν ἀνδρῶν ὄψει φανέντα. Abraham Deum excepit hoſpitio ſub angelorum numero, & habitu virorum: & paulo infra, οἱ τρεῖς ἄγγελοι, οἱ τῷ ἀβραὰμ λαλοῦντες, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις σημαίνουσι τῆς θεότητος. Tres,inquit,angeli,qui cum Abraham loquerentur, tris deitatis perſonas ſignificant. Ex his ergo perſpicuum fit etiam Græcos cum Latinis ſentire,in hac opinione,ꝙ trinitas Abrahæ ſe oſtenderit. Quapropter ſi tot optimi ac diuini viri,hoc idem ſenſerunt,nonne etiã æquum erit, & nos ſentire cum illis,& inuidentes Iudæos nihili facere,pręſertim ipſum Auen Eſra,qui hoc loco nos ita calumniatur, תעי רוח אמרו כי השם שלשה אנשים הוא אחד והוא שלשה ולא יתפרדו ושכחו ויבאו שני המלאכים סדמה hoc eſt,Qui erroneo ſpiritu ducuntur, dicunt Deum eſſe tres viros, ipſumque eſſe vnum & tres,& non ſeiungi abinuicem: verum hi non aduerterunt, quod infra dicitur. Et venerunt duo Angeli Sodomam: hæc ille. At quid ad nos,quid iſta Belua loquatur? qui etiam ignorabat,quid nos de trinitate ſentiamus? Quamobrem ſiquis accurate conſiderare voluerit,quæ in contextu habentur,& quæ ab autoribus tum Græcis tum Latinis dicuntur, facile intelliget, non abſurde, nos ex hoc loco trinitatem colligere: malignos autem ac deprauatiſſimos Iudæos non ſolum hic,ſed alijs quamplurimis in locis interpretationes abſurdiſſimas excogitaſſe, vt Chriſtianæ veritati tenebras offunderent. Verum hæc apud alios copioſius. Auguſtinus & ipſe de Ciuitate dei lib.xij. cap.xvij. tres angelos fuiſſe ſentit, quos hoſpitio ſuſcepiſſet Abraham.

Adorare apud Heb. quid.

Adorauit.] Aduertendum eſt, non eſſe apud Hebræos illam differentiam, vt alia adorari dicantur ſecundum latriam,alia ſecundum hyperduliam: nam in ſacris litteris adorare, quo verbo vtimur hic,non proprie cultum ſignificat,ſed reuerentiam illam,quam corpore exhibemus, cùm ſcilicet incuruamus nos, quod obſeruantiæ genus ſolemus etiam hominibus exhibere, dicitur enim, השתחוית incuruor, aut inclinor. Non eſt ergo aliquid ſiniſtrum de Abraham ſuſpicandum, quòd dicatur tres viros adoraſſe: vertendum enim potius fuerat,incuruatus eſt coram eis, quomodocunque id fecerit. Nam & Lot angelos adorauit,hoc eſt,incuruauit ſe ante illos.

Requieſcite ſub arbore.] Melius fortaſſe quàm Septuaginta,qui verbum Hebraicum hoc eſt השענו accumbite, vel corpus declinate, verterunt καταψύξατε, id eſt, Refrigeremini: quanquam magis ſenſum quàm verba ſequantur.

Et confortetur cor veſtrum.] Quod alio modo vertunt Septuaginta, καὶ φάγεσθε comedite: ſed Hebraice eſt vt interpretatur Hieronymus.

Poſtea tranſibitis.] Hoc in Hebraico non habetur, ſed videtur Hieronymus à Septuaginta accepiſſe, qui & ipſi καὶ μετὰ τοῦτο παρελεύσεσθε εἰς ὁδὸν ὑμῶν. Poſt hæc tranſibitis in viam veſtrã, quæ ex alio loco, his interiecta ſunt.

Tria ſata.

Tria ſata.] סאים id eſt, Tres menſuras, licet incerta ſit magnitudo. Sic etiam Septuaginta, τρία μέτρα, tres menſuras. Habes ergo quid hoc loco tria ſata ſignificent.Hieronymus hanc menſuram, exiſtimat eſſe Amphoram.

Quem coxerat.] Explicatius forte,quàm Septuaginta,qui Hebraica vt ſe habẽt, vertunt ὃ ἐποίησε. quem fecerat: ſic enim eſt & Hebraice. Neque certe aliud erat, quàm quod vertit Hieronymus, licet per alia verba,& per aliud loquendi genus.

Vita comite.] Hoc non modo Latine, ſed & Hebraice, & Græce videtur obſcurum. ſic enim habent Hebraica. שוב אשוב אליך כעת חיה id eſt,Reuertens reuertar ad te, iuxta tempus vitæ, vel viuentis: quod Auen Eſra exponens ait בעת הזאת בשנה האחרת ושרה חיה Iuxta tempus hoc inquit,in anno altero,& Sara viua erit, atque incolumis. Quæ ſi vera eſt ſententia, non abeſt ab interpretatione Hieronymi,licet ea ſit obſcuriſſima. Quid enim eſt vita comite, num hoc ad ipſum qui loqueretur,an ipſam Saram refertur? quod certe non explicatur: quanquam & Hebraica non erant clara. Septuaginta more ſuo,non ſolum nihil euidens attulerunt,verum etiam maiores addiderunt tenebras, ἥξω πρός σε, κατὰ καιρὸν τοῦτον, εἰς ὥρας. Veniam ad te,in tempore iſto,in horas. Qui fieri poteſt, vt quod erat Hebraicè כעת חיה ſecundum tempus vitæ, ipſi verterunt, in horas: nam quid diuerſius? quòd ſi dixiſſent εἰς ὥραν ταύτην, ſublata fuiſſet omnis ambiguitas. Hoc idem quarto Regum inuenitur ſub eadem ſententia למועד הזה כעת חיה In tempore hoc, ſecundum tempus vitæ. Quem locum eodem modo vertit Hieronymus.

A *Quo audito Sara.*] Hæc non ſunt in contextu Hebraico hic, ſed paulo inferius: itaque poſt illa verba, Et habebit filium Sara vxor tua: non ſequuntur hæc, quæ ponuntur hic à Hieronymo, ſed ושרה שמעת פתח האהל והוא אחריו Et Sara audiuit ad oſtium tabernaculi, & ipſe erat poſt eam. Eodem quoq; modo habent & Græca, ſicut vertimus hic Hebraica σάῤῥα δὲ ἤκουσε πρὸς τῇ θύρα σκηνῆς. At Sara audiuit ad oſtium tabernaculi.

Deſierant Saræ fieri muliebria.] חדל להיות לשרה ארח כנשים Et Saræ ceſſauerat eſſe decurſus ſecundum mulieres. Quod forte, etiam ad aliud, quàm menſtrua poteſt ſpectare. Hieronymus ſequitur Septuaginta, τὰ γυναικεῖα. muliebria.

Poſtquam conſenui.] Ita habent & Hebraica, verum quàm perperam vertitur is locus a Septuaginta, riſit in ſe Sara dicens, οὔπω μὲν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν. Nondū mihi fuit, vſque nunc. In quibus intelligendis clarum eſt, opus eſſe Sibylla: patet autem quid velit Hebraica veritas: non erat ergo, cur eam inuoluerent Septuaginta.

Ac robuſtiſſimam.] Longe melius quàm Septuaginta, qui vertunt εἰς ἔθνος μέγα καὶ πολύ. in gentem magnam, ac multam: nam vocabulum עצום proprie fortem ac robuſtum ſignificat: alioqui nonne idem eſt magnam ac multam, ibi?

Aggrauatum eſt.] כבדה Inualuit, accumulatum eſt. Septuaginta καὶ ἁμαρτίαι αὐτῶν μεγάλαι σφόδρα. Peccata eorum magna vehementer. Hebraicæ linguæ peculiare, grauitatem ad omnem exceſſum ac magnitudinem referre, ſicut paſſim reperies. Inde & gloriam appellant כבוד.

Non parces loco.] לא תשא Non admittes, non tolles. Ideo Clarius Hieronymus quàm Septuaginta, qui Hebraicum verbum, non ſatis accommodarunt Græco ſermoni. οὐκ ἀνήσεις πάντα τόπον. B Non dimittes omnem locum. At verbum נשא quod inuenitur hic, tum leuare ſignificat, tum parcere, ſicut vertit Hieronymus. Eſſet certe ſacrarum litterarum imperitis non facilis intellectu interpretatio Septuaginta.

Nequaquam facies iudicium hoc.] Quanquam leue admodum ſit, tamen annotare placuit, ne vel minima prætermitteremus: ſiquidē Hebraice eſt, neque vt vertit Hieronymus, neque vt Septuaginta, ſed חלילה לך השפט כל הארץ לא יעשה משפט החלתי hoc eſt, Abſit à te, qui iudicas omnem terram, vt iudicium non facias, quod Septuaginta μηδαμῶς ὁ κρίνων πᾶσαν γῆν, οὐ ποιήσεις κρίσιν. Nequaquam qui iudicas omnem terram, non facies iudicium: quapropter accedunt magis ad veritatem Hebraicam.

Quia ſemel cœpi.] Is quoque locus ex his eſt, quos aliquando ſecus ſe habuiſſe arbitror, quòd facilis ſit lapſus, ab vna in alteram dictionē. Ergo Hieronymus ac Septuaginta videntur loco eius, quod nunc in textu Hebraico habetur החלתי id eſt, volui, deſideraui, הואלתי legiſſe, hoc quod ei ſimile eſt, hoc eſt cępi: licet plurimum in ipſa ſcriptione differant, & varius ſit canoniſmus. Dicendum ergo, ſi Hebraica vt ſe habent legere volumus, qui ſemel optaui, aut volui, concupiui, vel auſus ſum. Septuaginta ſicut & Hieronymus νῦν ἠρξάμην. nunc cœpi.

Cum ſim puluis & cinis.] Variant Septuaginta, puluerem vertentes γῆν, terram, Hebraicè vero eſt עפר puluis, vt alibi diximus.

Ne iraſcaris.] Hoc apud Septuaginta obſcurum, & Hebraico minime conſentaneum μήτι κύριε ἐὰν λαλήσω. Ne quid domine, ſi locutus fuero: niſi audiendum ſit, iraſcaris, vel quid eiuſmodi.

C *Quia ſemel cępi.*] Hoc quoque parum clarè verſum eſt à Septuaginta ἐπειδὴ ἔχω λαλῆσαι, poſtquam poſſum loqui: ſed Hebraica habent, vt vertit Hieronymus.

CAPVT XIX.

Pveri veſtri.] עבדכם Serui veſtri: ne quid erroris afferret ambiguitas: quanquam etiam eodem modo uerterint & Septuaginta, εἰς τὸν οἶκον τοῦ παιδὸς ὑμῶν. In domum pueri ueſtri: licet tam Græce quàm Hebraicè puer ſeruum ſignificet, tamen vertendum hic fuerat, ut habent Hebraica. Puer ſeruus.

Fecit conuiuium.] Neſcio quid in mentem uenerit Septuaginta, quod conuiuium, locum uertant, καὶ ἐποίησεν αὐτοῖς τόπον. Et fecit eis locum: quid enim loco, cum cõuiuio? Hebraice משתה hoc eſt, conuiuium: ducitùrque à שתה bibit: quemadmodum apud Gręcos ἀπὸ τοῦ πίνειν, fit συμπόσιον. Quod tanquam patrocinium eſſe poſſet Gręcis, vt ſe tuerentur ab his qui melius Latinos conuiuium à conuiuendo, qua à compotando vt Græci, appellaſſe contenderent: cum illud ſit veræ & omnium linguarum principi, etiam proprium. Verum hæc nihil ad nos. Cõuiuium vnde.

Priuſquam irent cubitum.] Hoc male à Septuaginta refertur ad ſuperius, vertentibus. καὶ ἔφαγον πρὸ τοῦ κοιμηθῆναι. Et comederunt antequam irent accubitum: qua interpretatione quid abſurdius? licet fortaſſe librarijs id aſcribendum ſit, eſſet enim lapſus intolerabilis. Quis enim dixerit? aliquem comediſſe antequam iret cubitum? num poſt accubationem cœnare ſolent homines? quapropter referendum eſt ad ea, quæ mox ſequuntur, legendumque vt habet Hieronymus, id eſt, noſtra editio.

Vt cognoſcamus eos.] Honeſtiſſime ſacra ſcriptura loquitur: propterea vt ait Rabi Moſe, lin- Lingua ſancta.

gua ſancta nuncupatur. Hanc honeſtatem detexerunt Septuaginta, καὶ συγγενώμεθα αὐτοῖς. Et coeamus cum illis.

Accludens oſtium.] Sic habetur & Hebraicè: at Septuaginta in contraria, προσέωξεν ὀπίσω αὐτοῦ. Apperuit fores poſt ſe, quo quid mendoſius? niſi error in codicibus ſit: videntur & alibi exiſtimaſſe סגר vel סכר quod claudere ſignificat, ſignificare potius aperire: itaque etiam eum locum male reddiderunt: poteſt tamen & locus à librarijs eſſe corruptus, vt pro ſigma ſit ξι, cùm dicendum ſit προσέωσεν. à verbo ὤθω, id eſt impello.

Ingreſſus es vt aduena.] האחד בא לגור Vnus venit ad peregrinandum, & iudicabit. Septuaginta, vt Hieronymus. Variant autem in alio εἰσῆλθες παροικεῖν, μὴ κρίνειν κρίσιν. Ingreſſus es, vt habitares, non vt iudicares. Varijs certe modis, eandem ſententiam exprimunt.

Vimque faciebant.] ויפצרו Et coegerunt: ſicut & Septuaginta παρεβιάζοντο.

Vt oſtium inuenire non poſſent.] וילאו למצא הפתח Et defatigabantur ad inueniendum oſtium: ſicut & Septuaginta, παρελύθησαν ζητοῦντες τὴν θύραν. Defeſſi ſunt quærentes ianuam.

Diſſimulante illo.] ויתמהמה Et negligebat. At quàm deuiant Septuaginta, ἐταράχθησαν: Perturbati ſunt. Lapſus autem ex eo accidit, quia תמה Pauorem ſignificat, à quo duci putarunt præſens verbum, quod certe non eſt: conſule omnes ſcripturas.

Suſcepi preces tuas.] נשאתי פניך Suſcepi faciem tuam. Eſt locutio Hebraica, quam clare explicuit Hieronymus. Septuaginta adeò à veritate receſſerunt, vt meipſum pudeat ἐθαύμασά σου τὸ πρόσωπον. Miratus ſum faciem tuam. Vides quid inter vtrunque diſcrepet. Annotatur is locus etiam ab Hieronymo.

Facere quicquam.] לעשות דבר Facere verbum. Quod optime Hieronymus vertit in quicquam, vt ſæpius annotauimus: nam verbum, rem quoq; Hebræis ſignificat: ideo & Septuaginta οὐ γὰρ δυνήσομαι τοῦ ποιῆσαι πρᾶγμα: Non enim potero facere rem. Quapropter in libris Regum, non eſſet dicendum, ſicut ſcriptum eſt in libro verborum dierum Regum Iſrael, ſed in libro rerum geſtarũ. Et illud, Excepto ſermone Vriæ Ethæi, id eſt, excepto facinore: ſicut retrò diximus.

Verbũ & ſermo pro re apud Hebr.

Dominus pluit à domino.] Hunc locum arbitratur Cyrillus eſſe ex his, ex quibus colligitur trinitas in veteri teſtamento: quemadmodum & illud: Dixit Dominus domino meo: & Sedes tua Deus in ſæculum, propterea vnxit te Deus tuus: eſt enim ſermo de patre ad filium.

CAPVT XX.

Miſit ergo Abimelech.] Adduntur hic pleraque à Septuaginta, quæ in contextu Hebraico minime habentur, ſuntque ex alio loco huc tranſpoſita: poſt itaque ea, Soror mea eſt: Septuaginta inferunt, ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν γυνή μου ἐστιν, μή ποτε κτενοῦσι αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως, διὰ αὐτήν. id eſt, Timuit enim dicere, vxor mea eſt, ne interficerent eum ciues eius vrbis propter ipſam. Sunt autem ſumpta ex cap. 12. quanquam neque eodem ordine ibi ſe habeant: conſultis autem vetuſtioribus codicibus, inuenimus eam periodon non haberi, quapropter delenda eſt in codicibus impreſſis.

Abimelech non tetigerat eam.] לא קרב אליה Non cohæſerat ei. Atq; ita videmus hoc ab illo, aliquid differre: quod in cauſa fuit, vt Origenes id verbum arripuerit, & annotarit: nam & Septuaginta eodem modo verterunt οὐχ ἥψατο αὐτῆς. Itaq, ait Origenes, ἔμφασιν ἔχει τό, οὐχ ἥψατο αὐτῆς, ὡς τὸ καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. ὅπερ ἐστὶ, καὶ χωρὶς μίξεως. Euidentiam, inquit, habet id, quod dicitur non tetigerat eam, quaſi decorum homini ſit, etiam mulierem non tangere, quod ſine concubitu, fieri etiam poteſt. Verumtamen, vt hæc optima ſunt, quæ dicit, ita nullum haberent locum, ſi Hebraica vti habent, legerentur: nam de tactu, nulla hic mentio fit.

Gentem ignorantem.] Ignorantem redundat. Mirorque cur Hieronymus à Septuaginta non diſcrepet, quod alijs in locis, ne pili quidem facit: nam & illi ἔθνος ἀγνοοῦν. gentẽ ignaram: ebraica ſic habent הגוי גם צדיק תהרוג Num gentem etiam iuſtam interficies? Non propter ea tamen diffiteor, non optime vtrunque vertiſſe, eo quòd nil aliud innuat is locus.

Et mundicia manuum mearum.] בנקיון In innocentia, mundicia: quod Septuaginta non ita proprie ἐν δικαιοσύνῃ χειρῶν μου. id eſt, in iuſtitia manuum mearum.

Cuſtodiui te.] אשך Et prohibui te. Paulo diuerſius Septuaginta ἐφεισάμην ἐγώ σου: Ego peperci tibi. Clarumque eſt eam non eſſe ſententiam: niſi peperci vſi ſint vice eius quod eſt, retinui, repreſſi. Nam & id verbum Græcum ſignificat. Sic & πένης, ab Ariſtophane φειδόμενος vocatur, hoc eſt parcus.

De nocte conſurgens.] וישכם Et manicauit, ſi eo verbo velimus vti, aut mane ſurrexit. Ideóque & Septuaginta καὶ ὤρθρισεν Ἀβιμελὲχ, Diluculo ſurrexit Abimelech.

Quæ non debuiſti facere, feciſti.] מעשים אשר לא יעשו עשית Opera quæ non ſolent fieri, operatus es. Propterea & Septuaginta ἔργον ὃ οὐδεὶς ποιήσει πεποίηκας. Opus quod nemo faciet, feciſti. Eſt idem, quod & Hieronymus vertit.

Timere Deũ, idem quod venerari.

Forſitan non eſt timor Dei.] Hic ego non poſſum non mirifice commendare Septuaginta, qui timorem Dei, verterunt θεοσέβειαν pietatem, Deiq; venerationem: declarantes nihil eſſe aliud,

Deum

A Deum in ſacris litteris timere, quàm apud gentes eum venerari, pieq; colere: vt eorum occurrerent calumniis, qui Hebræos putarent δυσιδαίμονας, id eſt, ſuperſtitioſos: quod hi timere Deum dicantur: eo quòd ſuperſtitio, ſit vanus Deorum metus, eumq; reformidare qui minime ſit noxius, Itaque φοβεῖσθαι θεὸν, nihil eſt aliud, quàm θεοσεβεῖν. Eſt autem memoria dignum, quid de hac pietate ſcribat Hierocles Pythagoreus. πασῶν ἀρετῶν ἡγεμὼν ἡ εὐσέβεια, πρὸς τὴν θείαν αἰτίαν, τὴν ἀναφορὰν ἔχουσα. hoc eſt, Omnium virtutum princeps eſt pietas, quæ in diuinam cauſam reſpicit ſemper.

Poſtquam deduxit me Deus.] התעו אתי אלהים Declinare fecerunt me dij. Is locus, ex his eſt, ex quibus poſſit intelligi nomine Elohim trinitatem ſignificari. Nam cùm plurale ſit, etiam ei numerus verbi plurium adiungitur, ſi enim vnus ſignificatur, cur ab vtraque parte plures demonſtrantur? nullaq; ratio occurrit probabilior, ac melior quàm Chriſtianorum, dicant quicquid velint praui Hebræi. Septuaginta & Hieronymus, per ſingulare loquuntur, certe aliquid veriti.

Hanc miſericordiam facies.] Retrò Septuaginta, mundiciam ac puritatem, nomine iuſtitiæ nuncupabant, hic autem miſericordiam iuſtitiam vocant, quod ad veritatem percipiendam, neſcio an admodum idoneum ſit: vertunt itaque ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις ἐπ' ἐμέ. Hanc iuſtitiam facies in me. Niſi forte, eo pacto defendi poſſint, quòd iuſtitiæ duæ partes ſint, quarum vna continet, ne noceamus: altera vt benefici, liberaleſque ſimus: tamque iniuſtus eſt qui nulli vnquam profuit, quàm qui læſit.

Iuſtitiæ duæ partes.

In velamen oculorum.] Sic & Hebraica veritas. כסות עינים At cur tam diſſimiliter verterunt Septuaginta? εἰς τὴν τιμὴν προσώπου. In honorem faciei: nomen profecto Hebraicum, non aliud quàm B velamen ſonat, quòd ſi neſciri cognoſcerem, teſtimonia proferrem.

Ad omnes qui tecum.] Hoc Septuaginta ad fœminas tantum referunt καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ. Et cunctas quæ tecum. Hebraicum indifferens eſt, ſcilicet כל, quod omnium generum & numerorum eſt.

Et quocunque perrexeris memento te deprehenſam.] Tota hæc periodus addita ab Hieronymo eſt, explicandæ rei gratia, vno ſiquidem verbo totum hoc exprimitur Hebraicè נכחת Et admoneberis, & caſtigaberis, & documento tibi erit. Id enim indicabat ſignum ad omnes: atque ita non malum eſt aliquid addere, vt res fiat apertior. At Septuaginta hoc loco tolerari non poſſunt, qui tranſtulerunt καὶ πάντα ἀλήθευσον, Et in cunctis eſto veridica. Ego certe non poſſum aſſequi, vnde ita interpretati ſint. Si enim Hebraica ita habent, vt vertimus, ſi velamen ab Abimelech Saræ impoſitum, erat ei documento futurum, vt de cætero meminiſſet, quid ei accidiſſet: cur obſecro iſtuc ad veritatem illi retulerunt, cùm in mendacio non fuerit deprehenſa Sara, ſed potius Abraham? verum hæc non ita fortaſſe magni refert, quo modo ſeſe habeant.

CAPVT XXI.

Concepit & peperit filium in ſenectute ſua.] בן לזקניו Filium ſenectutis eius, ſcilicet Abrahæ: vt ſenectus non ad Saram, ſed Abraham referatur, vt patet ex pronomine Hebraico, & ipſa vocis cadentia, quæ maſculina eſt. Septuaginta ambiguum eſt, ad quem ſenectutem iſtam referant. ἔτεκε σάῤῥα τῷ ἀβραὰμ, υἱὸν εἰς τὸ γῆρας. Peperit Sara Abrahæ filium in ſenectute. Ve- C ritas autem eſt vt nos vertimus: nam viris ſuis dicuntur in his litteris mulieres filios parere, eorumque ſenectæ, aut iuuentæ, ſicut & paulo infra clarius patet.

Riſum fecit mihi Dominus.] צחק עשה לי אלהים. Ridere fecit me Dominus, eſt enim infinitiuum; veruntamen etiam Septuaginta eodem modo reddiderunt γέλωτα μοι ἐποίησε κύριος. Sed hæc exigua ſunt, nec variant quicquam ipſam ſententiam.

Quis auditurus crederet.] מי מלל לאברהם. Quis locutus fuiſſet Abrahæ, aut quis dixiſſet Abrahæ. Septuaginta per futurum τίς ἀγγελεῖ quis nunciabit. Videtur ergo in alium ſenſum accipiendum, quàm vertit Hieronymus: de eo enim intelligit Sara, qui nuncium Abrahæ allaturus eſſet: nimirum de re prodigioſa, & παραδόξου.

Peperit ei iam ſeni.] Hic quoque labuntur Septuaginta, ſenium non ad Abraham, ſicut veritas habet Hebraica, ſed ipſam Saram referentes: at Hebraicè eſt ילדתי בן לזקניו. Peperi filium ſenectuti illius, verum ipſi ὅτι ἔτεκον υἱὸν ἐν τῷ γήρᾳ μου, quia peperi filium in ſenectute mea.

Ludentem cum Iſaac.] Iſaac additum eſt à Septuaginta & Hieronymo, ex opinione: eſt enim veriſimile eum cum Iſaac luſiſſe. Tacetur ergo Iſaac in Hebraico, ac tantum eſt מצחק ludentem vel ridentem. Septuaginta, ſicut & Hieronymus παίζοντα μετὰ τοῦ ἰσαὰκ. Mittimus ridicula quędam, quæ ſuper hoc verbo diſſerit Nicolaus, vt moris eius eſt, amplecti ſcilicet ſemper quæ ſint peiora. Neque enim omnia quæ dicunt Hebræi ſunt admittenda: & iuſte quidem & recte caſtigatur à Burgenſe, inuito etiam neſcio quo alio.

In ſolitudine Berſabee.] Septuaginta Etymologiam vertunt, non ipſum nomen, ſcilicet τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου. Puteus iuramenti, ſic enim interpretantur Berſabee: nam שבע iuramentum: at באר puteus.

Subter vnam arborem.] Genus Hebraicè ponitur ſcilicet תחת אחת השיחים, hoc eſt, ſub vnam arborem vel virgultum : at Septuaginta ponunt ſpeciem, ὑποκάτω μιᾶς ἐλάτης, ſub vnam abietem, D quod mihi ſuſpectum eſt. Nam שיח quo nomine vtitur hic autor, non ſignificare abietem, ipſi quoque teſtes eſſe poſſunt, qui hanc eandem vocem, cap. 3. Geneſ. non eodem modo verterunt, ſed χλορὸν ἀγροῦ, id eſt, Agri viriditatem: aut χόρτον, id eſt fœnum, & Hieronymus ibidem vertit virgultum.

Quantum poteſt arcus iacere.] Comparationem dimittunt Septuaginta : ſed tantum vertunt μακρόθεν, à longe ſcilicet ſedit.

Principis exercitus.] Sic & Hebraicè שר צבאו, princeps exercitus. At quàm deprauate faciunt hunc Septuaginta νυμφάγωνον, id eſt pronubum : quid enim exercitui cum nuptijs? Vocem autem Hebraicam ſcilicet שר ſignificare principem, adeo eſt clarum, vt pudeat citare teſtimonia: veruntamen deprauatum eſſe codicem arbitror, propterea quod mox additur, καὶ φιλὸχ ἀρχιστρατηγός. Et Philoc princeps militiæ eius : quapropter fruſtra hoc loco ponitur νυμφαγωγός, ſumptum eſt enim ex cap. 26. Quem locum an recte etiam reddiderint ſeptuaginta, ibi explicabitur. Solet autem frequentiſſime ea eſſe corruptela in codicibus Græcis, vt ex vno loco in alterum ſimilem multa tranſponantur: quod ſemper, vbi opus fuerit, admonituri ſumus.

Ne noceas mihi.] אם תשקר לי Non mentieris mihi, aut doloſus eris in me. Hieronymus cum Septuaginta ſentit, qui & ipſi μὴ ἀδικήσειν με, non offenſurum me: quod vehementer ipſe approbo.

Stirpiq; meæ.] ולנכדי Et nepotibus meis. At cur tam deuiant Septuaginta, μηδὲ τὸ ὄνομά μου. Neque nomen meum. Videmus quàm non modo veritatem Hebraicam ſyncere non reddiderint, ſed ne ipſam quidem rerum ſeriem ſeruent: & certe tolerari non poteſt, vt nomen verterint, quod erat vertendum nepotes. E

Plantauit nemus.] Aliquanto ſecus Septuaginta, ἐφύτευσεν ἀβραὰμ ἄρουραν. Plãtauit Abraham agrum. Hebraice, אשל, id eſt arborem: & forte melius Septuaginta, quàm Hieronymus, ne videatur Abraham more gentilium, nemus plantaſſe, ibique Deum adoraſſe.

CAPVT XXII.

IN terram viſionis.] ארץ המוריה. Terram viſionis, quod neſcio an recte verterint Septuaginta γῆν ὑψηλήν terram excelſam. Nam terra viſionis dicta, quòd ibi ſe Abrahæ oſtenderit Deus, non quòd perſpicua atque eminens foret.

Deus prouidebit.] Forte melius quàm Sept. ὄψεται ἑαυτῷ πρόβατον. Videbit ſibi pecudem, licet eodem modo ſit etiam Hebraicè אלהים יראה לו. Deus videbit ſibi. Attamen non eodem modo ſignificaret Græce, ideo vertendum fuerat, vt fecit Hieronymus. Variat quod in eo aliquid Hier. victimam in genere vertit id quod erat Hebraicè ſpecies השה id eſt, pecus.

Inter vepres.] בסבך. In perplexu, implicatione: id ſcilicet quod vertit Hieron. At quam hallucinantur hoc loco Sept. qui nomen Sabech, quod perplexionem ſignificat, tanquam loci alicuius, vel plantæ proprium nomen eſſet, ita id reliquerunt in editione? κριὸς, εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ. Aries vnus, interceptus ad arborem Sabec. Neque latuit is error ſapientiſſimos patres, & in diuinis litteris exercitatiſſimos. Itaque Theodoritus, τὸ ἐν φυτῷ οὐκ ἔχει ὁ σύρος, μόνον δὲ τὸ σαβὲκ. τοῦτο δὲ ὄνομα τοῦ φυτοῦ εἶναι νομίζω. τοῖς δὲ ἑβραίοις δοκεῖ τὸ σαβὲκ ἄφεσιν σημαίνειν. In arbore inquit, interceptus non habet Syra editio, ſed ſolum Sabec. Id autem, nomen arboris F alicuius eſſe arbitror. At Hebræis videtur Sabec dimiſſionem ſignificare. Gennadius quoque eadem ferè, τὸ σαβὲκ, τινὲς ἄφεσιν ἐκδεδώκασιν, οἱ δὲ ὄρθιος, δύναται δὲ καὶ τὸ φυτὸν οὕτω προσηγορεῦσθαι. Sabec, inquit, quidam dimiſſionem interpretati ſunt. Alij erectus. Poteſt autem & arboris eſſe nomen : hæc ille. Sed Hebraice, denſitatem perplexionemq; arbuſtorum ſignificat, vt diximus. Mirumq; eſt cur Septuaginta non idem nomen hoc loco interpretati ſint, cùm veram eius interpretationem attulerint pſalmo 73. vbi eſt בסבך עץ. Quem locum Septuaginta interpretati ſunt, In ſylua lignorum, & recte. Aquila quoque vertit veprem vel ſpinetum. Symmachus rete. Theodotion ipſum nomen ſicut & Sept. reliquit : quos cùm approbaſſet quondam Hierony. reuocauit ſententiam, Symmachumque & Aquilam ſecutus eſt. Nam & ipſi Septuaginta videntur in pſalmis reſipuiſſe, vt ex paulo ante citato loco apparet.

Vnigenito.] את יחידך. Septuaginta ἀγαπητὸν dilectum. Optime certe, & Græco ſermoni conſentanee, in quo ἀγαπητὸς filius, vnigenitum ſignat, ſicut prodit & Philotheus contra Nicephoram, qui ait : τὸ ἀγαπητὸς ἴσον τῷ μονογενής, id eſt, Dilectus idem eſt, quod vnigenitus : citatque Homeri teſtimonium, qui in Odyſſea, de Telemacho vnico Vlyſſis filio, ſic inquit, μοῦνος ἐὼν ἀγαπητὸς, dilectus, atque vnicus illi.

ἀγαπητὸς

In monte Dominus videbit.] בהר יהוה יראה. In monte Dominus videbitur. Quare apud nos locus corruptus eſt. At Septuaginta aliquanto ſecus, ἵνα εἴπωσι σήμερον, ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη, vt dicant hodie, in monte Dominus viſus eſt: per paſſiuum non actiuum, etiam ipſi protulerunt, licet quod erat futurum, præteritum fecerint, quod neque male: nam futurum pro præterito, eo loco eſt, vt moris Hebræis eſt.

Patrem Syrorum.] Non expreſſe ponuntur Syri. ſed אבי ארם. Patrem Aram : licet Hebræis non

aliud

Aſſur. Aram.

A aliud ſonet Aram, quàm Syriam, quæ eſt prope Iudæam, cuius metropolis Damaſcus: quæ cum Aſſyria non eadem eſt. Nam Aſſyria Hebraice appellatur אשור Aſſur, à primo incola: Syria vero Aram licet apud Græcos & Latinos, Syria interdum pro Aſſyria ſumatur: vt apud Tullium, vt mittam alios, qui Sardanapalum Syriæ regem dicit fuiſſe, cùm certe Aſſyriæ fuerit. Sequitur quoque hoc loco Hieronymus Septuaginta, qui & ipſi ἔτεκεν καὶ τὸν καμυὴλ πατέρα σύρων. Peperit & Camuel patrem Syrorum.

Nomine Roma.] Nequid ſuperſtitioſe comminiſceremur, non Roma legitur ſed, ראומה. Reuma: quæ vox, non eſt corrupta apud Septuaginta ῥεῦμα.

CAPVT XXIII.

Q*Væ eſt Hebron.*] Additur hoc loco aliquid à Septuaginta, quod in Hebraicis codicibus non inuenitur, nam poſt illud, in ciuitate Arbee inſerunt, ἐν κοιλώματι. In ciuitate, aut valle: quæ neſcio vnde huc irrepſerint: ſcriptura habet vt vertit Hieron.

Princeps Dei.] Paulo diuerſius Septuaginta βασιλεὺς παρὰ θεοῦ συ. Rex à Deo es tu. Hebraice כי שר אלהים Princeps Dei.

Pecunia digna.] כסף מלא Pecunia plena, ſatisfaciente, ſufficiente. Hieronymus à Septuaginta non diſſentit. ἀργυρίου ἀξίου. Pecunia digna.

Quæſo vt audias me.] Longe ſecus Septuaginta ἐπειδὴ πρὸς ἐμοῦ εἶ. Poſtquam pro me es, vel ex affinitate mea es. Quare propius ad Hebraicam veritatem accedit Hieronymus, quæ in hunc B modum habet, אך אם אתה שמעני, Hoc eſt. Verum quæſo, vel vtinam ipſe audias me: aut in modum quo verſum eſt Hieronymo.

Audi Domine.] Vt autem intelligatur quàm corruptus ſit is locus apud Septuaginta, totam periodum Hebraicam & Græcam apponemus ויען עפרון את אברהם לאמור לו: אדוני שמעני ארץ ארבע מאת שקל כסף. Hoc eſt, Et reſpondit Hephron Abrahæ, dicens ei, Domine mi, audi me, Terra quadringentorum ſiclorum eſt. At Septuaginta, ἐπεκρίθη δὲ ἐφρὼν τῷ ἀβραὰμ λέγων, οὐχὶ κύριε, ἀκήκοα γὰρ ὅτι τετρακοσίων διδράχμων ἀργυρίου ἀνημεσὸν μοῦ καί σου, id eſt, Reſpondit autem Hephron Abrahæ, dicens: minime domine, audiui enim quòd quadringentarum didrachmarum argenti, inter me & te. Cauſa vero tantæ diſcrepantiæ fuit, quia alios habebant codices. Vbi igitur nunc in Hebraicis codicibus legitur לו, hoc eſt, ei, Ea tempeſtate videtur legi ſolitum לא, hoc eſt, non: quæ duæ voces, in ſono quidem nihil diſcrepant, in ſcriptura non mediocriter. Quis ergo crederet tantos viros adeo hallucinatos eſſe, vt alterum pro altero redderent? niſi in codicibus varietas ſit? Secundo quoque loco vbi diſſentiunt, ſcilicet audi me, quod ipſi, ἀκήκοα γὰρ, audiui enim, ex eo accidit, quia legiſſe videntur pro eo quod eſt, שמעני, id eſt, audi me: hoc, quod ei ſimile eſt שמעתי כי, audiui quòd. Eſt enim in hiſce vocibus mira affinitas. Quare hæc vna cauſa eſt, quæ tantam varietatem in codicibus Septuaginta peperit, vt ſæpius nobis dictum eſt. Quod ſi eodem modo habebant codices, vt nunc habent: & id quod erat לא, id eſt non, putarunt eſſe לו, hoc eſt, illi: dicerem eos imperitiores fuiſſe, quàm ſint hodie pueri apud Hebræos, qui minime in ea re cæcutirent, quod nequaquam putandum eſt.

Probatæ monetæ publicæ.] כסף עבר לסוחר, Pecuniæ tranſeuntis mercatori: ſicut & Septuaginta. ἀργυρίου C δοκίμου ἐμπόροις, pecuniæ probatæ mercatoribus. Eadem tamen omnes ſentiunt.

Confirmatus eſt.] ויקם. Et ſurrexit, & ſtetit. Error non Septuaginta opinor, ſed librarij, qui codice Græco impreſſo, pro eo quòd dicendum fuerat ἔστη ſtetit, poſuit ἐστὶ, eſt.

CAPVT XXIIII.

P*One manum tuam ſuper fœmur.*] Non alienum eſt, in medium afferre quid hoc loco ſcribat Diodorus, ait enim τινὲς φασὶν τὸν σύρον καὶ τὸν ἑβραῖον. μὴ οὕτως ἔχειν, θὲς τὴν χεῖρά σου ὑπὸ τὸν μηρόν μου, ἀλλ᾽ εἰς αὐτὸ τὸ παιδαγόνον ὄργανον, ὅτι δι᾽ αὐτοῦ, τὸ γίνεσθαι. Quidam inquit, tradunt non habere Syram & Hebraicam ſcripturam, pone manum tuam ſuper fœmur meum, ſed ſuper ipſum genitale membrum, eo quòd per ipſum fiat procreatio. Hæc quidem ab eo dicuntur, perinde ab alijs relata, & non ab eo ipſo probata: quapropter non mirum eſt, ſi vera non ſint, quòd ad Hebraicum attinet: eſt enim hoc loco ירך, quod non ſonat aliud, quàm quod verterunt Septuaginta μηρὸν, id eſt, fœmur, ſiue coxam, vt vertit Hieronymus: genitale membrum, nunquam. Syra vero editio, ſi quidem alia ſit, quàm hæc quam Thargum hodie Hebræi appellant, nulla mihi cum ipſo controuerſia eſt, at ſi hæc ipſa eſt, fatendum eſt eam quoque ab Hebraica veritate non diſſentire. Et certè non eſt ſatis tutum, aliorum ſe fidei committere, quin adeundæ ſunt ipſæ res, & introſpiciendæ. Iurabant igitur ſub fœmur manu poſita, vel propter rationem quam ipſe attulit Diodorus, quòd fœmur totam genitalem partem amplectatur, atque ideo per ipſum iurabant, quod inde poſteritas eſſet futura, eoque veluti res ſacra haberetur. Aut ſi per fœmur, coxam intelligimus, mos eius erat tempeſtatis, vt aliquot Hebræis quoque placet, præſertim Auen Eſra, qui ita de hac re ſcribit, ויקריב אלי שהיה

Cur olim iuraturi manū ſub fœmur ponerent.

משפט בוטים ההם לשום אדם ידו תחת ירך מי שברשותו והטעם אם אתה ברשותי שים נא ירך תחת ירכי והאדון יושב וירכו על היד וטעם D
הנה ידי תחת, רשותך לעשות רצונך וזה המשפט עודנו היום בארץ הודו. Hoc eſt: Dimiſsis inquit aliorum ſententijs, arbitror ipſe eius temporis morem fuiſſe, vt eo pacto iurarent, poſita videlicet manu ſub fœmur eius, qui Dominus ac ſuperior eſſet, perinde ac diceret Dominus: ſi tu ſub poteſtate mea es, pone manum tuam ſub fœmur aut ſub coxam meam, ac Dominus ipſe ſedere ſolebat poſita coxa, ſuper manum iurantis, qui quaſi diceret: ecce manus meá ſub coxa tua, fateor me tibi debere, & promptus ſum, vt tuis obſequar mandatis: eoq́ue more hodie quoque quædam regiones vtuntur, ſcilicet India, hæc illè. Hæc autem annotare voluimus propter ſacrum ſcriptorem Diodorum. Qui autem ad Chriſtum ex Abraham oriturum referunt, poteſt & eorum probari ſententia, nam & nonnulli Hebræi per circunciſionem eum iuraſſe aſſerunt.

Vt adiurem te.] ואשביעך Et adiurabo te, vel iurare te faciam: quod multo diuerſius Septuaginta, καὶ ἐξόρκισε κύριον. Et adiura Deum. Mutarunt ſcilicet & ſignificationem & perſonas.

Intra ſe.] Hoc quanquam in Hebraico non habeatur, additum eſt tamen à Septuaginta & Hieronymo explicandæ rei gratia, ſiquidem & Septuaginta λαλοῦντα ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ. Loquentem in mente ſua.

Siclos duos.] בקע משקלו Semiſsis, vel dimidium ſicli, pondus eius. Non ergo duos ſiclos, ſed dimidium vnius: ſicuti & alio loco videbimus. Septuaginta quoque diuerſius, ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς. Pondere vnius drachmæ. Eſtq́ue & id mirum, quòd ſiclum verterint drachmam, cùm ingens ſit inter vtrumque diſcrimen. Siclus enim teſte ipſa ſacra ſcriptura conficitur è viginti obolis. ſic enim Exodi cap. 30. ſcribitur: Siclus inquit, viginti obolos habet. Et ſuper Ezechielem, cap. 4. Hieronymus, Siclus, inquit, ſtater eſt, hoc eſt drachmæ quatuor. Et idem ſuper Geneſim. Siclus, E inquit, vnciæ pondus habet, exiſtimatq́ue ſiclum eſſe vnciam. Ioſephus quoque antiquitatis Iudaicæ tertio, Siclus, inquit, Hebræorum numiſma, quatuor drachmas Atticas valet. Quare Septuaginta hoc quoque loco neſcio an lapſi ſint. Alio autem errore deceptus eſt Eupolemus ſcriptor, qui de Iudæis ſcribens, hoc modo inquit, Talentum dico, quem illi ſiclum appellant. Quantum enim diſtet talentum à ſiclo, neminem latere puto, diciq́ue poteſt ea diſtare ἐκ τῆς διαμέτρου. quod quia non muneris eſt noſtri latius explicare, mittimus alia ſuper ea re loqui. Cùm itaque ſiclus teſte Hieronymo, & Ioſepho efficiat quatuor drachmas, patet erraſſe Septuaginta, qui volunt ſiclum eſſe drachmam.

Siclus.

Et armillas totidem.] ושני צמידים. Et duæ armillæ. Neque eſt decem ſiclorum pondere, ſed עשרה זהב משקלם Hoc eſt, Decem aureorum, pondus vel precium eorum. Patet autem quantum interſit inter ſiclum & aureum: ſiquidem plures ſicli, aureum cōficiunt. Septuaginta quoque cum Hebraica veritate ſentiunt δέκα χρυσῶν ὁλκὴ αὐτῶν, decem aureorum pondus earum. Mirumq́ue cur hoc loco ab Hebraico & Septuaginta diſſentiat Hieronymus.

Iuxta camelos.] על הגמלים. Vbi præpoſitio eſt, quæ modo, ſupra, modo propè, ſignificat, eratq́ue is locus vertendus vt vertit Hieronymus: ideo Septuaginta non rectè, ἑστηκότος αὐτοῦ ἐπὶ καμήλων. Stante illo ſuper camelos: eſtq́ue ortus error ex præpoſitione על quæ non ſuper, ſed iuxta, hoc loco ſignificat, vt ipſa indicat ſententia.

Pedes Camelorum.] רגליו. Pedes eius, ſcilicet ſerui Abraham, non camelorum. Septuaginta quoque non de pedibus camelorum loquuntur, ſed eius viri καὶ ὕδωρ τοῖς ποσὶ αὐτοῦ. Et aquam pedibus eius. quare enim in hoſpitio camelorum pedes lauentur, non video. F

Ad ornandam faciem eius.] Hoc neſcio cur tranſtulerint Septuaginta περιέθηκα αὐτῇ τὰ ἐνώτια ἐπὶ τὸν βραχίονα, id eſt, Et applicui ei inaures ſuper brachium. Nam ſi erant inaures qua ratione brachio eas appendit? Hebraica habent vt vertit Hieronymus.

Deambulabat per viam.] Quid obſecro volunt ſibi Septuaginta, quòd vertunt Ἰσαὰκ δὲ ἐπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου, id eſt, Iſaac ambulabat per ſolitudinem: cum ſolitudo hoc loco nuſquam ſit.

Ad meditandum.] לשוח. Quod verbum, aliquando ſermocinari, aliquando meditari ſignificat: ideo eſt factum, vt ſecundum primum ſignificatum verterint Septuaginta: Hieronymus autem ſecundum ſit amplexatus: nam illi ἐξῆλθεν Ἰσαὰκ ἀδολεσχῆσαι, id eſt, Egreſſus eſt Iſaac, vt diſſereret aut confabularetur. Sed vide quàm ſe euertant Septuaginta: Scribunt Iſaac per ſolitudinem ambulaſſe, vt diſſereret ac nugaretur, ac niſi cum arboribus, cum alijs certe non poſſumus intelligere. Hebræi autem in exponenda hac voce longè ab Hieronymo, ac Septuaginta diſcrepant. Eſt enim præſens verbum deductum à שיח id eſt, virgulto, vt velle videtur Auen Eſra: itaque exponit ipſum hoc modo לשוח ללכת בין השיחים. Egreſſus eſt inquit Iſaac vt iret inter arbuſta, inter arbores. Quare cùm ambigua vox ſit, arbitror ei omnia ſignificata accommodari poſſe. Chaldaica editio ונפק יצחק לצלאה Egreſſus eſt Iſaac ad orandum.

CAPVT XXV.

D*Eficiensq; mortuus eſt.*] Non poſſumus hoc loco non reprehendere Nicolaū, qui dicit in Hebraico non haberi mortuus eſt, ſed tranſiit: atque inde elicit neſcio quæ: Hoc enim falſum eſſe ipſa veritas comprobat. ויגוע וימת id eſt, & defecit, & mortuus eſt. Verbum autem tranſeundi

hic

A hic nuſquam eſt. Præterea גוע interitum, & defectum & abolitionem ſignificare, non tranſitum, ex eo loco maxime manifeſtum Geneſis capite ſeptimo, Conſumptaque eſt omnis caro: vbi Hebraicè legitur ויגוע כל בשר vbi eſt præſens verbum, quod Nicolaus dicit ſignificare tranſitum, & de iuſtis tantummodo dici: videmus enim hoc Geneſis loco, de omnibus ſceleratiſſimis hominibus eſſe dictum. Quare ſine iudicio ſequitur Hebræos plerunque, maximeque rabbi Salomonem, qui huius commenti primus fuit autor, licet id, reſpectu aliorum, ſit leuiſſimum.

Habitauit autem à Chauila.] וישכנו מחוילה, id eſt, Habitauerunt à Chauila: vt non de vno Iſmahele dicatur, ſed omnibus filijs eius, qui ea loca paſſim incoluerunt, quæ & hodie nominibus filiorum Iſmahel vocantur: ſcilicet Nabaiot, qui & Nabatei, & Cedar, quæ eſt Arabia, atque itidem alij. Poſſederunt autem omnem eam regionem, quæ à ſinu Perſico incipit, vbi ſunt oſtia Tigris & Euphratis fluminis, vſque in Aſſyriam: hodieque regio vocatur Cabana, ſi tamen ea eſt, non enim penitus aſſero. Quare locus emendandus eſt, vt per pluralem numerum efferatur. Accidit autem error ab Septuaginta, qui etiam per ſingulare extulerunt κατώκησε δὲ ἀπὸ εὐιλάτ. Habitauit autem ab Euilat, vbi id nomen eſt vehementer corruptum.

Nabaio.
Cedar.

Cabana.

Coram fratribus ſuis obijt.] נפל. Cecidit. At cur hoc quod ad interitum ſpectat, Septuaginta ad habitationem referunt? κατὰ πρόσωπον τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατώκησε. Coram omnibus fratribus ſuis habitauit: niſi error in codicibus ſit. Atque ita videmus non iniuria nouam editionem attentare voluiſſe Hieronymum: quòd multa abſurda, pleraque etiam falſa haberentur in editione Septuaginta. Neque nos moueat quòd idem Hieronymus in epiſtola ad Dardanum de locis ſanctis, citet hunc locum ſecundum editionem Septuaginta, morem enim apoſtolorum ſequebatur,
B qui in docendo, arbitrabantur non eſſe de editionum varietate diſquirendum. Poteſt autem & illud dici, & defendi ſententia Septuaginta, ſi ſequamur ſententiam rabbi Salomon, qui hoc loco verbum cadendi dicit ſignificare habitationem, producitque alterum locum ei ſimilem. Sed cæteri Hebræi, in contrarium ſunt, & locus quem adducit, contra illum potius eſt, quàm in eius tendat ſententiam. Ipſa quoque verba indicant de interitu dici, & ſignificatio verbi quæ habitationem ſignificet, nuſquam reperitur.

CAPVT XXVI.

POſt eam ſterilitatem.] מלבד הרעב הראשון. Præter famem priorem: ſicut & Septuaginta. χωρὶς τοῦ λιμοῦ τοῦ πρότερον, id eſt, Excepta fame priore.

Et ceremonias.] חקותי. Inſtituta mea, decreta mea. Nam ceremonias, quæ à Cerete oppido dictæ ſunt teſte Valerio, ſcimus ritum ſignificare, quem in ſacrificando numineque diuino colendo obſeruamus: at iſtud latius patet, multaque alia diuina inſtituta amplectitur: vt eſſet illud, ne forniceris, quod ad cultum non pertinet, & tamen eſt חקה hoc eſt inſtitutum. Propterea Septuaginta non vertunt ceremonias, ſed ἐφύλαξε τὰ προστάγματά μου καὶ ἐντολάς μου. Obſeruauit præcepta mea, & mandata mea.

Ceremoniæ vnde.
Ceremoniæ ritus in ſacrificijs.

Grande peccatum.] Sic & Hebraicè אשם, hoc eſt, peccatum: quod potius ad ſententiam, quàm ad proprietatem reddiderunt Septuaginta ἄγνοιαν, ignorantiam. Licet omne peccatum inſcitia ſit, neque alia ratione oſtendit Plato, inuitum vnumquemque peccare, niſi quia ignorans pec-
C cat, quicquid autem imprudenter facimus, nolumus cùm factum eſt, factum fuiſſe: ergo inuiti peccamus, neſcimus enim quid faciamus.

Omne peccatũ ignorantia.

Centuplum.] מאה שערים, id eſt, Centum modios. Deerat itaque euidentior explicatio, licet idem peccarint etiam Septuaginta. εὗρεν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ ἑκατοντεύουσαν κριθήν. Inuenit anno illo, centuplum ordei. In eo quoque variant Septuaginta: quia quod dicitur in vniuerſum de omnibus frugibus, id ad ordeum coarctarunt. Mendum præterea in codice Græco impreſſo, vbi enim dicendum fuerat ἑκατοντεύουσαν, eſt ἑκαστοτεύουσαν.

Serui patris filius.] עבדי אביו. Serui patris ipſius, ſcilicet Iſaac: ideo non recte Septuaginta ſeruos ad ipſum Iſaac referunt, ἃ ὤρυξαν οἱ παῖδες αὐτοῦ, quos effoderant ſerui eius.

Ex eo quod acciderat.] Hebraice expreſſe ponitur quid acciderit עשקו, id eſt, quia rixati ſunt: appellatique ſunt putei haſech, hoc eſt, iurgij, calumniæ, forte non tam proprie. Septuaginta quoque diuerſius hanc diſcordiam faciunt ἀδικίαν, Hoc eſt, iniuſtitiam, ſiue violentiam.

Dilatauit me.] Hebraice plurale eſt. הרחיב לנו. dilatauit nobis: ſic & Septuaginta, ἐπλάτυνεν ἡμῖν κύριος, dilatauit nobis Dominus.

Ghazat amicus eius.] Sic quoque Hebraice מרעהו id eſt, Amicus eius, addita littera mem, hunc neſcio quamobrem faciunt Septuaginta νυμφαγωγόν, id eſt, pronubum: puto ea ratione fortaſſe, quòd opinarentur, participium eſſe tertiæ coniugationis, ſicuti eſt, משקה & מגלה ita à רע hoc eſt amicus duceretur מרעה, quaſi amicator, ac ſociator, quod etiam ſi foret, non tamen poſſemus eo nomine intelligere pronubum.

Quæ ambæ offenderunt.] ותהיין מרת רוח Et fuerunt amaræ ſpiritu ipſi, ſcilicet Iſaac: vel fuerũt exacerbantes ſpiritum: quam amaritudinem retulerunt Septuaginta ad iurgium, καὶ ἦσαν ἐρίζουσαι τῷ ἰσαὰκ καὶ τῇ ῥεβέκκᾳ, Erant contendentes cum Iſaac & Rebecca: licet poſſit & ad alia ſpectare.

CAPVT XXVII.

E*Gredere.*] ויצא השדה Et egredere in agrum: quemadmodum etiam Septuaginta ϗ ἔξελθε εἰς τὸ πεδίον, Egredere in campum ac planum.

Timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere.] Hoc venuſtius reddidit Hieronymus: audi enim Hebraica. והייתי בעיניו כמתעתע Hoc eſt, Et ero in oculis eius, tanquam deludens vel parui pendens, Septuaginta vero nihil Hebraica immutarunt, ϗ ἔσομαι ἐναντίον αὐτοῦ, ὡς καταφρονῶν. Et ero in conſpectu eius tanquam illudens.

Colli nuda.] חלקת צואריו. id eſt, molliciem colli eius: vel glabrum colli. Sequitur autem Septuaginta Hieronymus, qui & ipſi γυμνὰ τοῦ τραχήλου. colli nuda.

Voluntas Dei fuit.] כי הקרה יהוה אלהיך לפני Quia occurrit Dominus Deus tuus ante me. Variant aliquid & Septuaginta. ὁ παρέδωκε κύριος ὁ θεὸς ἐναντίον μου. Quod tradidit Dominus Deus ante me.

Abundantiam frumenti, vini.] ורב דגן ותירש. Et abundantia tritici & olei: vini autem nihil meminit. Septuaginta vero dimittunt oleum: addunt autem vinum. ϗ πλῆθος σίτου ϗ οἴνου. & multitudinem frumenti & vini.

Et vltra quàm dici poteſt.] Hoc additum ex ſententia autoris, vt euidentius faceret, quod quaſi obſcurum eſſet Hebraice. Septuaginta quoque per hyperbolem maximam loquuntur ϗ ἐξέστη Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, Alienatus eſt Iſaac alienatione magna nimis, aut exceſſit, ſiue obſtupuit.

Frumento & vino.] Vinum hoc quoque loco non habetur, ſicut nec ſupra, licet addatur à Septuaginta, ſed hi tacent oleum, eius enim loco, vinum ſubſtituunt.

Cumq; eiulatu magno fleret.] Additur poſt hoc aliquid à Septuaginta, ſcilicet κατανυχθέντος δὲ Ἰσαάκ. Cumque affligeretur Iſaac.

In pinguedine terræ benedictio tua.] משמני הארץ יהיה מושבך Ex pinguedine terræ erit habitatio tua. Sicut & Septuaginta, ἀπὸ τῆς πιότητος τῆς γῆς, ἔσται ἡ κατοίκησις σου. Ex pinguedine terræ erit habitatio tua. Atque eodem modo forte habebat & noſtra editio: ſed à librarijs locus corruptus eſt, vt quod eſſet habitatio, in benedictionem ſit commutatum.

Tempus veniet cùm excutias.] Quod dubie vertit Hieronymus, clarũ eſt in Hebraico, והיה כאשר תריד Et erit quando dominaberis. Tempus inquit erit, quando non tu ſeruies, ſed fracto ſeruitutis iugo, fratri tuo econuerſo tu dominaberis, & ſeruitio premes. Non diſſentit autem Hieronymus à Septuaginta: nam & ipſi, ἔσται δὲ ἡνίκα καθέλῃς ϗ ἐκλύσεις τὸν ζυγὸν αὐτοῦ id eſt, Erit quando auferes, & diſſolues iugum eius. Huc torquent Iudæi ſua ſomnia, dicentes Chriſtianos, id eſt Romanos, ab Eſau deſcendiſſe, & nunc dominari eos ipſi Iacob, hoc eſt Iudæis: ſicut & alia pleraque falſa comminiſcuntur.

Venient dies.] Hoc per imperatiuum efferunt Septuaginta: ἐγγισάτωσαν αἱ ἡμέραι, id eſt, Accedant dies: cùm Hebraicè ſit vt vertit Hieronymus.

Dies paucos.] ימים אחדים Dies vnos: quod & Septuaginta verterunt ἡμέρας τινας. dies aliquot. hoc enim videtur ibi ſignificare אחדים id eſt, vni, ſcilicet aliquot dies, aut paucos dies.

CAPVT XXVIII.

I*Nnixum ſcalæ,*] נצב עליו. id eſt, Stantem ſuper ipſum, vt eſſet clarius.

Ad occidentem.] ימה Ad mare. Sed dictum eſt ſinum Iudaicum, in occaſum ſpectare: id quod non latebat Hieronymum: atque eo certe modo, melius explicuit veritatem Hebraicam, nam & de ortu habetur mentio, & de meridie. Septuaginta Hebraica ſequuntur, ϗ πλατυνθήσεται ἐπὶ θάλασσαν. Et dilatabitur ad mare.

Vere dominus.] Ita & Hebraice אכן יש יהוה Vere eſt dominus: ſed quàm aliter Septuaginta? ϗ εἶπεν, ὅτι ἐστὶ κύριος. Et dixit quia dominus eſt in loco iſto, dimittunt ſcilicet, aduerbium, à quo totius orationis ſpiritus pendebat.

In titulum.] מצבה, id eſt, Signum erectum, & forte melius quàm Septuaginta, qui titulum hunc, columnã faciunt, ϗ ἔστησεν αὐτὸν στήλην. Et erexit ipſum in columnam. Nam ſi lapis agri erat, quo modo erat colmuna? niſi columnã pro quolibet ſigno ac titulo voluerint accipere. Nam & apud Græcos στήλη, pro lapide quo terminãtur agri ſumitur, vt apud Demoſthenem in oratione pro Cteſiphonte, ἔδοξε τοῖς πυλαγόραις, στήλαις διαλαβεῖν τοὺς ὅρους. Viſum eſt, inquit, magiſtratibus Amphictionenſiũ, colũnis diffinire terminos, licet ibi corrupte legatur, ὅρκους, loco ὅρους.

Fundens oleum deſuper.] ויצק שמן על ראשה. Et effudit oleum ſuper caput eius, non ipſum totum lapidem, ſicut & Septuaginta optime id expreſſerunt, ϗ ἐπέχεεν ἔλαιον ἐπὶ τὸ ἄκρον αὐτῆς. Et effudit oleum, ſuper ſummum eius. Quare hoc loco, deſuper, de ſummitate tantum accipiendum eſt.

Bethel.] Septuaginta vt moris eorum eſt, non nomen ipſum, ſed quod nomen interpretetur, vertunt, ϗ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου, οἶκος θεοῦ, id eſt, Et vocauit nomen loci, domum Dei: ſic enim & nomen interpretari licet, Beth domus & El Deus.

Quæ prius Luza vocabatur.] ואולם לוז שם העיר לראשונה, id eſt, Veruntamen Luz nomen vrbis erat prius. Primum ergo obſeruandum eſt, vrbis nomen corruptum eſſe, dicendumque Lus: dein Septuaginta hoc loco aperte eſſe lapſos. Nam aduerbium Hebraicum veulam, id eſt, veruntamen, arbitrati ſunt partem eſſe nominis eius vrbis. Itaque ex nomine Lus, & veulam, vnum nomen conflarunt hoc modo, ϗ οὐλαμμαὺς ἦν ὄνομα πόλεως. Et Vlammaus erat nomen vrbis. Neq; hoc mirum, nam & eiuſdem generis errata quàm plurima apud eos reperies. Hoc idem annotauit & apud Græcos grauiſſimus ſcriptor Acacius, cuius verba citabo, ἰστέον ὅτι τὸ οὐλὰμ, καὶ πρότερον εἶπον οἱ περὶ ἀκύλαν καὶ οὐχ ὡς μέρος τοῦ ὀνόματος λοῦζα δὲ τὴν πόλιν ῥητῶς μετὰ ταῦτα καλεῖ. Sciendum, inquit eſt, Vlam non vt partem nominis reddidiſſe Aquilam, ſed vt ſignificans & prius. Ipſam vero vrbē, aperte & expreſſe poſtea vocat Luſam. De hac re etiā diuus ſcribit Hieronymus.

Vocabitur domus Dei.] והיה בית אלהים Erit Bethel, vel domus Dei, ſicut & Septuaginta ἐπορεύθη εἰς γῆν ἀνατολῶν. Erit mihi domus Dei: quanquam mihi redundat: non enim ei tantum, ſed & omnibus, erat eo nomine vocanda.

CAPVT XXIX.

IN *terram orientalem.*] ארצה בני קדם. In terram filiorum orientis. Phraſis Hebraica eſt, ſicut & genus humanum appellant filios Adam: Et filios Iſrael, populum Hebræorum: filium quoque mortis, filium ſapientiæ, Quod & de locis dicunt. Septuaginta ſapiēter & ipſi hanc phraſin immutarunt, ἐπορεύθη εἰς γῆν ἀνατολῶν. Profectus eſt in terram orientis.

Sanus ne eſt.] Quod ad ſanitatem & incolumitatem referunt Septuaginta & Hieronymus, Hebraicè videtur & alia proſpera complecti: ſiquidem hoc modo Hebraicè legitur השלום לו Nunquid pax ei eſt? Omnem ergo ſanitatem, omnem tranquillitatem videtur complecti. Quod & ex eo cognoſcitur: nam vbi Gręci in epiſtolis dicunt εὐπράττειν, quod omnem ſecundum ſucceſſum, bonamque fortunam ſignificat. Hebræi ſcribunt שלום, hoc eſt pacem. Vnumque id apud eos celebratur ſalutationis genus. Hieronymus, vt dixi, non diſſentit à Septuaginta, qui & ipſi εἶπε δὲ αὐτοῖς, ὑγιαίνει, hoc eſt, dixit autem eis, ſanusne eſt?

Εὐπράττειν.
שלום

Adaquemus greges.] והשקנו הצאן, Potum demus gregi: ſicut, & Septuaginta, καὶ ποτιοῦμεν πρόβατα, Potum ducamus pecudes. Sunt qui dicant non inueniri verbum Latinum, cui poſſit accommodari ποτίζειν, præſertim ſi de animalibus ſermo ſit, in cuius locum ſubſtituit Hieronymus, adaquemus.

ποτίζειν.

Lia lippa erat oculis.] ועיני לאה רכות, id eſt, Et oculi Leæ erant debiles. Quare non is videtur ſenſus, fuiſſe videlicet oculos Leæ lippos, ſed magis luſcioſos, leuiterque aſpicientes: quod ad deformitatem permultum refert. Vox autem Hebraica, vbicunque reperitur, inuenitur ſignificare debilitatem, ac molliciem, vt paulo poſt, cap. 33. dicet de paruulis ſuis Iacob, cum Eſau, הילדים רכים. Pueri debiles ſunt, atque item alia quàm plurima. Septuaginta quoque in hanc eandem ſententiam interpretati ſunt, οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ λείας, ἀσθενεῖς, id eſt, At oculi Liæ debiles. Niſi forte Hieronymus ex ea debilitate, opinatus ſit lippitudinem cōtingere, quod tamen nō perpetuo fit.

Dixitque ad Laban.] Hoc totum deeſt in impreſſis codicibus Græcis, vſq; eo, qui vocatis vxoribus ſuis. Patet autem non interpretum vitio id contigiſſe, ſed librariorum errore, nam non decrant in vetuſtioribus exemplaribus, quare ſupplendum eſt in impreſſa Biblia.

Imple hebdomadam dierum huius copulæ.] Aliquanto obſcurius Latine quàm Hebraicè. Hebdomas igitur dierum hoc loco, ſecundum quoſdam, ſignificat ſeptem reliquos annos, quos ſeruiturus eſſet Iacob, ſic & Danielis capit. 9. Septuaginta hebdomades commemorantur annorum videlicet, non dierum. Hebdomas enim ſignificat quidem, quemlibet ſeptennarium numerum, ſed in diuinis litteris proprie de annis intelligimus. Septuaginta per plurale efferunt hebdomada, συντέλεσον οὖν τὰ ἕβδομα ταύτης. Imple ſeptenaria huius, intelligentes per id, omnes annos ipſius ſeptenarij: quamuis exemplar Hieronymi habebat hebdomadem, atque ita legēdum puto. Interpretatur autem hunc locum Auen Eſra aliter: quippe qui opinatur hic per hebdomadam intelligi ſeptem dies conuiuij, poſt quos acceperit Iacob Rachel, non poſt ſeptem annos: ſic enim ait, מלא שבע זאת שבעת ימי המשתה ותק על לאה. Imple, inquit, hebdomadam huius, hoc eſt, ſeptem dies conuiuij. huius autem, hoc eſt Rachel. Quæ ſententia videtur veriſimilior, nam eodem capite ſcribitur. Et ingreſſus eſt ad Rachel, & ſeruiuit pro ea ſeptem alios annos, quod etiam placet Hieronymo.

Hebdomas dierum.

CAPVT XXX.

COmparauit me Dominus.] נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי, id eſt, Subuerſiones Domini, ſubuerſa ſum cum ſorore mea. Hoc innuit ſe de gradu deiectam, quem prius teneret apud virum ſuum, quòd ei Lea plures peperiſſet filios, ſe autem in ea re longe inferiorem eſſe effectā.

In aliam ſententiam interpretantur Septuaginta, nam eam ſubuerſionem, comparationē eſſe volunt, hoc modo apud eos legimus συνελάβετό μοι κύριος καὶ συνεστράφη τῇ ἀδελφῇ μου, hoc eſt, Adiuuit me Dominus, & comparata ſum ſorori meæ. Quos & Hieronymus ſecutus eſt. At Auen Eſra alio quodam modo exponit: fatetur enim ſe victam à ſorore Rachel. Itaque hæc ſuper hunc locum ſcribit, וטעמו כאדם שאבק עם אחר ומתעקל לנצח אותו כדי להפילו וכן תתפתל, hoc eſt. Hac ratione is locus intelligitur, vt cùm quis luctatur cum altero, ſeq; in omnes partes torquet, vt eum poſſit ſuperare ac deijcere: atque ita Rachel luctata eſt, hæc ille. Subuerſionem ergo interpretatur corporis obliquationem, quam luctantes efficiunt, nam & id verbum Hebraicum ſignificat: ſcilicet torquere.

Feliciter.] Hoc forte melius quàm quod Septuaginta: cùm Hebraica ita legamus, בגד hoc eſt, fortunatè, aut cum fortuna. Gad enim fortunam interpretantur, licet eam alij aliud quiddam eſſe affirment. Septuaginta vt dixi nihil immutarunt Hebraicum, ἐν τύχη, in fortuna. Quod multis apud Græcos mouit ſcrupulum. Scribunt Hebræi, eo nomine ſignificari propitium ſydus, quod Arabes vocant כוכב צדק, id eſt, aſtrum libræ.

Pro beatitudine mea.] באשרי. In beatitudine mea, aliter etiam Septuaginta, μακαρία ἐγώ, Beata ego, quæ omnia ad idem tendunt.

Inuenit Mandragoras.] Pro eo quod eſt Hebraice דודאים, hoc eſt, Mandragoras, Septuaginta vertunt, μῆλα μανδραγώρου, id eſt, Mala mandragoræ, vt quod de toto frutice diceretur, ipſi ad partem retulerint: ſunt enim in mandragoris, teſte Dioſcoride, mala inter folia ſita, ſunt & ipſa folia: radices quoque ternæ vel binæ cuiuſcunq; caulis, eæq; mutuis complexibus coniunguntur, non puero diſſimiles. Proditum à medicis eſt, hanc herbam menſtrua ciere, vuluamq; muliebrem ad conceptum mirifice accommodare. Odore quoque commendabiles ſunt: propterea in Canticis dicitur הדודאים נתנו ריח, hoc eſt, Mandragoræ dederunt odorem. De his prodit Auen Eſra E idem quod & Dioſcorides, ſcilicet והם על צורת בן אדם כי יש להם דמות ראש וידים, hoc eſt, Humanam habent effigiem, eo quòd & capite porriguntur, & manibus videntur extenſæ.

Mecum erit vir meus.] הפעם יזבלני. Nūc cohabitabit mecum vir meus, quod Septuaginta ad aliud neſcio quid retulerunt, αἱρετιεῖ, id eſt, eliget.

Experimento didici.] Verbum ambiguum, & multarum apud Hebræos ſignificationum ſcilicet, נחש varie à lxx. & Hieronymo vertitur: modo enim experiri & vſu percipere ſignificat, modo augurari. Ergo hinc factum eſt, vt hoc quod Hebraicè eſt, נחשתי verterit, οἰωνησάμην. εἰ εὗρον χάριν ἐναντίον σου, οἰωνησάμην ἄν, εὐλόγησε γὰρ ὁ θεὸς ἐπὶ εἰσόδῳ σου, id eſt, An inuenerim gratiam coràm te, augurio didici, nam benedixit me Deus ad introitum tuum. At ipſe puto veriorem eſſe ſententiam, quam vertit Hieronymus. Siquidem & Auen Eſra Hebræus acutiſſimus interpres, id verbum exponit, נחשתי כמו נסיתי, hoc eſt, Quaſi tentaui ac probaui. Ex hac Septuaginta interpretatione, factum eſt, vt Origenes annotarit verbum οἰωνησάμην. ſic enim apud eum legimus. οὐκ ἔστιν οἰωνισμὸς ἐν ἰακὼβ, ὁ δὲ λαβὰν φησὶ, οἰωνησάμην ἄν, ἀλλότριος. τῆς τοῦ ἰακὼβ προαιρέσεως. non eſt, inquit, augurium in Iacob. Laban autem quòd erat gentilis, dixit auguratus ſum, quaſi alienus ab inſtitutis Iacob.

Conſtitue mercedem tuam.] נקבה שכרך Recenſe vel ęſtima mercedem tuam. Quod à Septuaginta, aut obſcure aut in aliam ſententiam accipitur διάστειλον τὸν μισθόν σου, diſtingue mercedem tuam, diuide, quod forte aliud eſt.

Ad introitum meum.] Accommodauit Latinitati phraſin Hebraicam quæ ſic habet ויברך יהוה אתך לרגלי, Et benedixit te Deus ad pedem meum. Qua interpretatione ſi vſus fuiſſet Hieronymus F non erat non obſcuriſſima futura: quod non eſt cautum à Septuaginta, adeo vt aliquid aliud videantur innuere, καὶ εὐλόγησε κύριος ὁ θεὸς ἐπὶ τῷ ποδί μου, id eſt. Et benedixit te Dominus ad pedem meum, vel in pede meo. Eſt autem hæc locutio peculiaris Hebræis vt ſæpius videbimus. Non deſunt tamen apud Grecos, qui optime exponant eam locutionem: nam ſuper ea re Theodoritus. δήλη ἡ τοῦ διάνοια, πόδα γὰρ τὴν παρουσίαν ἐκάλεσεν. id eſt, Clara, inquit, eſt ſententia, pedem enim hic appellat præſentiam.

Prouideam domui meæ.] ועתה מתי אעשה גם אנכי לביתי Et nunc quando operabor & ego domui meæ. At ſeptuaginta, quod ad curam & gubernationem pertinet, videntur ad ædificium retuliſſe. νῦν οὖν πότε ποιήσω κἀγὼ ἐμαυτῷ οἶκον. Nunc igitur quando faciam & ego mihi domum: in quo arbitror eos non id quod erat, exiſtimaſſe.

Gyra omnes greges.] Hoc de ſe dicit Iacob, non imperat ipſi Laban. אעבר על צאנך hoc eſt, Tranſibo per gregem tuum: at Septuaginta neque ad Laban, neque Iacob id referunt, ſed ipſas pecudes, παρελθέτω πάντα τὰ πρόβατά σου σήμερον. id eſt. Tranſeant omnes pecudes tuæ hodie. Quod certe maxime miror, vnde factum ſit.

Et ſeparauit in die illo capras.] התישים Hircos, quemadmodum & Septuaginta διέστειλεν τοὺς τράγους. id eſt, Separauit Hircos: licet paulo inferius ponat etiam Hircos Hieron.

Detractiſq; corticibus.] Totum hoc vſque eò, poſuitque eas in canalibus, quo magis intelligatur, Hebraica vertemus: videbimusque tralationem noſtram hoc loco non ſatis claram eſſe. Sic Hebraica habet veritas. ויפצל בהם פצלות לבנות מחשוף הלבן אשר על המקלות id eſt. Et decorticauit in eis decorticationes albi, quod erat ſuper virgas. Innuit ergo, Iacob virgas denudaſſe, quantum candor qui intus eſſet, apparere poſſet: quæ cùm ita eſſent denudatæ, viſæ ſunt albæ ac virides: nam non

A erant penitus denudatæ, ſed quouſque quædam ex albo & viridi varietas efficeretur: nam viror, ſuperne alicubi remanſerat, & vbi amota viriditas fuerat, apparuit candor. Non erant autem variæ virgæ, quarum aliæ penitus eſſent decorticatæ, aliæ virides penitus, vt ex editione noſtra forte colligitur, ſed eædem vt dixi. Quod & Septuaginta videntur ſentire, καὶ περισώρων τὸ λευκὸν, ἐφαίνετο ἐπὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ λευκὸν ὃ ἐλέπισε, ποικίλον: hoc eſt, Et denudans virorem, apparuit in virgis candor, quem decorticarat, varius.

Factum eſt in ipſo calore.] Totum hoc, quod de calore hic dicitur, omittitur à Septuaginta, quod maxime erat neceſſarium. Nam ab ipſo ardore ſemen varietatem contraxit. Ideo Hebraice legitur ויחמו הצאן אל המקלות Et incaluit grex ad virgas.

Diuiſit gregem.] והכבשים הפריד id eſt, Et agnos diuiſit. Sic & Septuaginta τοὺς δὲ ἀμνοὺς διέστειλεν ἰακώβ, id eſt, Agnos autem ſeparauit Iacob: amouit enim ab ipſo grege quæ vel parere vel gignere non poſſent, aut certe ſuum, atque ipſius Laban gregem ſeorſum ſeparauit.

Poſuitq; virgas in canalibus.] Hoc fruſtra additum eſt ex ſuperiore loco. Hebraica ſic habent ויתן פני הצאן אל עקד Et poſuit faciem gregis è regione pecoris: ſicut & apud Septuaginta legimus καὶ ἔστησεν ἐναντίον τῶν προβάτων, τὸν κριόν. id eſt, Et poſuit ante pecudes, arietem, quanquam in eo à veritate diſcrepent, quòd arietem verterint, quod erat עקד hoc eſt, grex.

Erant alba & nigra.] Non de albis, ſed rufis tantummodo habetur ſermo וכל חום בצאן לבן id eſt, Et omne rufum, ſiue fuſcum in grege ipſius Laban. Eſt autem lapſus non ferendus hoc loco, apud Septuaginta. Confundunt enim nomen Laban, quod apud Hebræos modo proprium eſt, modo ſignificat album, itaque alterum pro altero ſumunt: vt quod erat Hebraice וכל חום לבן, id eſt, Et
B omne rufum ipſius Laban, illi διέστειλεν κριὸν διάλευκον καὶ πᾶν ποικίλον ἐν ἀμνοῖς, Hoc eſt, Separauit arietem candentem & omne varium in agnis.

Separatis inter ſe gregibus.] Interiectum eſt hic aliquid, quod ad explicationem ſuperioris poſitum eſt, ſcilicet, ולא שתם על צאן לבן, Et non poſuit ipſos greges, iuxta gregem Laban, ideo Septuaginta, καὶ οὐκ ἔμιξε αὐτὰ εἰς τὰ πρόβατα λαβάν, Et non admiſcuit ea cum ouibus Laban.

Primo tempore.] Cùm hic manifeſte commemorentur duo tempora, alterum primæ admiſſuræ, alterum poſterioris. Et prioris quidem fœtus, menſe Martio edantur, alterius autem, Aprili, nihil omnino horum temporum meminerunt Septuaginta, ſed vehementer ab Hebraica veritate aberrarunt. Primum enim tempus vertunt, ἐν καιρῷ, ᾧ ἐνεκίσσων. In tempore, quo concipiebãt: alterum vero, quando ſcilicet eſt ſecunda admiſſura, ἡνίκα ἔτεκε τὰ πρόβατα. id eſt, Quando pepererunt pecudes. Nam quomodo cohærere poteſt, vt tunc parerent cùm aſcendebantur?

C A P V T XXXI.

DEcem vicibus.] עשרת מנים, id eſt, Decem mnas. Scire igitur oportet, mnam, vocem eſſe Hebraicam, quamuis eam & Græci & Latini vt ſuam vſurpent. Ea cum centum drachmarum ſumma eſt, tum partem aut numerum quemlibet ſæpe ſignificat. Hoc itaque loco, numerum ſignat: ideo Aquila vertit hic Hebraica δέκα ἀριθμοὺς, id eſt, Decem numeros. Symmachus autem δεκάκις ἀριθμῷ, decies numero. Innuuntque omnes, Laban decies pacta cum Iacob fregiſſe: conuenerat enim inter eos, vt quæ maculoſa eſſent ac varia, Iacob obuenirent,
C reliqua eſſent Laban: at Laban cùm videret hac ratione, longe plura cedere Iacob, iubebat pacta immutari vt albæ eſſent Iacob, maculoſæ Laban: atque in hunc modum exponit Diodorus, apud quem hæc ſunt. τουτέστι παρέβη, καὶ ἤλλαξεν τὸν μισθόν, ἀντὶ τοῦ πολλάκις με ἠθέτησεν, ὡς διαβάλλων τὰς συνεχεῖς αὐτοῦ μεταβολὰς γνώμης πρὸς αὐτόν. Decem, inquit, vicibus, tranſgreſſus eſt pactum, & immutauit mercedem meam, ac ſæpius fefellit me. Damnat ſcilicet eius multiplicem erga eum mentis inconſtantiam. Eodem modo Euſebius, qui etiam citat Syram editionem, ὁ σύρος λέγει ἤλλαξε τὸν μισθόν μου δεκάκις ἀντὶ τοῦ πολλάκις. εἶπεν γάρ φησιν ὅτι ἐὰν γεννήσῃ ποικίλα, καὶ φαιὰ, ἔσται σοί. ἰδὼν δὲ, ὅτι ἐπληθύνθη τῶν τοιούτων ἡ γενεὰ πάλιν λέγει, ἐὰν γεννήσῃ τὰ πρόβατα λευκὰ, ἔσται σοι. Syra, inquit editio ſic habet: Immutauit mercedem meã decies, id eſt, ſæpe numero. Siquidem dicebat Laban, vniuerſa proles quæ fuſca ac maculoſa fuerit, tua erit: cumq; videret ea ratione augeri gregem, rurſum dicebat, ſi albos pepererint oues, tota fœtura tua eſto. Eodẽ modo interpretatur & Origenes δεκάκις ἠθέτησεν τὰς συνθήκας πρὸς ἰακὼβ ὁ λαβάν. id eſt, Decies reſcidit quod pepigerat cum Iacob Laban. Ex his autem licet videre, quàm cõmode atque eleganter eum locum verterit Hieronymus. Eſt autem obſeruatione dignum, cur tantopere hic editio Septuaginta, veritati Hebraicæ ſit diſſimilis, vt quod eſſet עשרת מנים id eſt, Decem vices: ipſi verterent δέκα ἀμνάδων: hoc eſt, decem agnas. Neque poſſumus exiſtimare, adeo linguæ Hebraicæ eos ſeniores imperitos fuiſſe, vt tam turpiter laberentur: atque hoc vnum mihi indicio eſt, non multo poſt factam editionem, multis in locis corruptos fuiſſe libros Græcos, ſiue à ſcriptoribus, ſiue alijs cauſis. Nam huius loci corruptela, quæ certe à Septuaginta non eſt profecta, vt mox demonſtrabo, erat etiam tempeſtate Origenis, aliorumq; ſcriptorum ſanctorum, vt ſupra vidimus, qui locum apud Septuaginta corruptum, aliorum editionibus emendabant, vt Aquilæ, Symmachi, aliorumq; interpretum, qui hæc bene verterant. Aduertendum igitur non

Mna, vox Heb. & q̃d ſignificet.

fuiſſe errorem Septuaginta, vt quod eſt et מנים, id eſt, mnæ, ipſi facerent agnas, ſed librariorum potius. Septuaginta enim proculdubio מנים, id eſt, monim, verterunt μνᾶς, non ἀμνάς, à librarijs autem ἄλφα adiectum eſt, factúq; eſt vt exiſtimati ſint vertiſſe δέκα ἀμνάς, qui vertiſſent δέκα μνάς, quod certe non eſt. Eo igitur errore quidam decepti apud Græcos, aſſerunt de decem agnis conueniſſe inter Laban ac Iacob.

Subſtantiam.] מקנה, id eſt, Peculium, Armenta: licet & poſſeſſionem ſignificet. Septuaginta quoque non diſſentiunt ab Hebraico ἀφείλετο ὁ θεὸς πάντα κτήνη πατρὸς ἡμῶν, id eſt, Abſtulit Deus omnia armenta patris noſtri.

Comprehendit eum.] Nequid ſuſpicemur Hebraica ſic habent וידבק אתו בהר הגלעד Et attigit eum in monte Galaad. Sic & Septuaginta κατέλαβεν αὐτὸν ἐν τῷ ὄρει τῷ γαλαάδ.

Eſto.] Ea quidem eſt ſententia optime ab Hieronymo Latinitati accommodata: at Septuaginta Hebraica vertunt ſicuti habent ועתה הלך הלכתה, id eſt, Et nunc eundo iuiſti. Septuaginta νῦν οὖν πεπόρευσαι, id eſt, Nunc igitur profectus es.

Tabernaculum Iacob.] אהל, id eſt, Tabernaculum: quod non proprie Septuaginta οἶκον, id eſt, domum interpretantur.

Deluſa ſolicitudo.] Hoc venuſtius adhibitum eſt ab Hieronymo, cùm Hebraica alio modo habeant. Nam poſtquàm dixiſſet Rachel iuxta conſuetudinem fœminarum accidit mihi, ſequitur in contextu ויחפש ולא מצא את התרפים, id eſt, Et ſcrutatus eſt, & non inuenit idola. Quod eiſdem penè verbis interpretantur ſeptuaginta, ἠρεύνησε λαβὰν ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, καὶ οὐχ εὗρεν τὰ εἴδωλα.

Cum iurgio.] וירב בלבן. Et iurgatus eſt cum Laban, quod non proprie Septuaginta καὶ ἐμαχήσατο λαβάν. Et pugnauit contra Laban.

Exarſiſti poſt me.] דלקת אחרי id eſt, Perſecutus es poſt me. Eodem modo & Septuaginta, καταδεδίωξας ὀπίσω μου. Perſecutus es poſt me, quanquam verbum דלק & perſequi, & exardere ſignificet.

Die noctuq; æſtu vrgebar.] Hoc quod ad frigus & æſtum refert Hieronymus: Hebraicè refertur ad ipſum furtum, hoc modo גנבתי יום וגנבתי לילה id eſt, Furtum meum die, & furtum meum nocte: quicquid, inquit, aut interdiu, aut noctu rapiebatur, mihi erat ſoluendum: atque eodem modo etiam Septuaginta παρ' ἐμαυτοῦ κλέμματα ἡμέρας καὶ κλέμματα νυκτός, id eſt, A meipſo furta diei, & furta noctis. Nota vero eſt ſententia.

Aeſtu vrgebar.] Hebraicè ἐμφατικώτερον אכלני חרב id eſt, Deuorabat me frigus.

Sex annis pro gregibus.] Quod non ita clare à Septuaginta, ἓξ ἔτη ἐν τοῖς προβάσι. Sex annis in pecudibus: nam ſi bene præpoſitionem Hebraicam ב. id eſt, in, ſuperius accommodarunt, eam vertentes in ἀντὶ eo loco ἀντὶ τῶν θυγατέρων, cur & idem hic non intellexerunt eſſe faciendum? Quis enim apud Græcos ſatis percipiet ἐν τοῖς προβάσι ἐδούλευσε, inter pecudes ſeruiuit: is enim eſt eorum verborum ſenſus: cùm dicendum fuerit pro pecudibus.

Decem vicibus:] Idem error hic apud Septuaginta, qui & ſuperius, mutatis tantum caſibus, ibi enim genitiuus eſt, hic dandi caſus δέκα ἀμνάσι patet & hunc errorem librariorum fuiſſe.

CAPVT XXXII.

MInor ſum cunctis miſerationibus tuis.] Ea quidem ſententia eſt: at Septuaginta in alium ſenſum ediderunt. ἱκανός εἰμι ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης καὶ ἀπὸ πάσης ἀληθείας. ἧς ἐποίησας τῷ παιδί σου. Plurimus atque ingens ſum ab omni iuſtitia, & ab omni veritate quam feciſti ſeruo tuo. Si tamen bene etiam à nobis reddita ſint, cùm nullus ex his verbis poſſit elici ſenſus, eo quod non recte ex Hebraico ſermone nihil immutarunt. Atque hæc quidem locutio, cum Græce intelligi non poſſit, Hebraicè tamen ſatis nota eſt, propterea quòd alia loquendi proprietas eſt. Hebraica itaque ſic legimus, קטנתי מכל החסדים ומכל האמת אשר עשית את עבדך, hoc eſt, Minor ſum præ omnibus miſerationibus, & præ omni veritate quam feciſti cũ ſeruo tuo: patet autem quàm interſit inter ἱκανὸν & id quod eſt minor. In eo præterea error non ferendus, quod Hebræis mos eſt præpoſitione מ, quæ ſignificat ab, poſitiuis adiuncta, facere comparatiuos, neque alia comparatiuorum forma apud eos reperitur. Non enim dicerent melior ſum te, ſed bonus præ te, nec minor te, ſed paruus præ te. Ex quo genere ſunt & illa, quia multi filij deſertæ, hoc eſt plures: & aliud, Bonum eſt confidere: hoc eſt, melius eſt: & alia innumera. Is autem mos cùm non ſit apud Græcos, id tamen non eſt cautum à Septuaginta, vt quod erat מחסד, id eſt, ab miſerationibus, ipſi, ἀπὸ δικαιοσύνης. Ac mirum cur hoc loco ſui ſimiles non ſint, cùm alibi ſermonem Hebraicum, appoſitiſſime ſermoni Græco accommodent.

In baculo tranſiui.] Hebraiſmus eſt quòd in, vſurpatur pro cum, quanquam & Septuaginta eadem phraſi vtantur.

Forſitan propitiabitur mihi.] Recte locutionem Hebraicam commutauit, quæ eſt אולי ישא פני id eſt, Forſitan ſuſcipiet faciem meam. Quod tamen non attenderunt Septuaginta ἴσως γὰρ προσδέξεται πρόσωπόν μου, id eſt, Forſitan ſuſcipiet faciem meam. Hæc quidem aſſuetis nota eſſent, ſed harum litterarum imperitiores hic tanquam ſcopulo adhærerent, quod in multis nobis compertum eſt.

Luctabatur cum eo.] Eodem modo Hebraice ויאבק עמו & Septuaginta ἐπάλαιεν, id eſt, luctabatur: & Chal-

A & Chaldaica editio ואישתרל id eſt, Et concertabat. Attulimus, non quòd eſſet quicquam diſſonum, ſed ne quid ſiniſtrum ex eo verbo ſuſpicaremur.

Tetigit neruum fœmoris.] כף ירכו id eſt, Latitudinem coxæ: aſſeruntq́; Hebræi ſignificare hoc loco כף latum os coxæ: vt ab Auen Eſra quoque annotatum eſt: in ea parte neruus coxæ eſt, atque hoc eſt, quòd poſt neruum arefactum claudicabat Iacob. Non enim neruus hoc loco, membrum genitale ſignificat: quomodo enim claudicaſſet, cùm membrum genitale extabefactum, non impediat inceſſum? ſed neruus, quo crura ſuſtinentur, & per quem motus exercetur.

Phanuel.] Etymon ſic eſt, pane facies dicitur, El autem Deus: quod præclare etiam à Septuaginta εἶδος θεοῦ id eſt, forma aut ſpecies Dei.

Iſrael.] Patet hoc loco verum eſſe quod ait Hieron. magis argute quàm vere, quoſdam voluiſſe hoc nomen interpretari virum videntem Deum, aut mentem videntem deum. Sunt enim falſa vt manifeſtum eſt ex litteris Hebraicis. Nam Hebraice שרה id eſt, Sara: dominari ſonat, à quo שר Sar, princeps ac dominator. Idem verbum in futuro profertur ישרה Iſra. Huic futuro adiungitur El, id eſt Deus: atque inde nomen Iſrael conflatur, quod ſonat, dominator Dei, vel ſuperans Deum, vel princeps cum Deo, vt & ipſe angelus hoc loco Iacob appellauit. Quam formam nominum etiam ſequuntur Izchah, Iacob, ſunt enim futura tempora, ea omnia. Quamobrem, qui putarent Iſrael ſignificare virum videntem Deum, decepti ſunt vocum ſimilitudine. Nam cùm Iſra ſit futurum à Sara vt vidimus, & vt ipſe litteræ indicant, arbitrati ſunt eam vocem è duobus conflari, ſcilicet ראה raa, id eſt, vidit, & איש is, id eſt, vir: quod certe commentitium eſt. Fallitur quoque Nicolaus, qui idem nomen aſſerit directum cum Deo interpretari

B poſſe. Nam ישר Ishar, hoc eſt rectus, ſcribitur per ſcim craſſum, at Iſrael per ſcim exile, eo quòd ducitur à Sara.

Iſrael vnde dictus.

Quod eſt mirabile.] Hoc non habetur in præſenti loco, ſed eſt ex libro Iudicum, huc interiectum. In eo enim lib. cap. 13. habetur quod Manne interrogauit angelum, quod eſt nomen tuum? qui reſpondit, למה זה תשאל לשמי והוא פלאי, id eſt, Quare poſtulas de nomine meo, quod eſt mirabile? Ex eo itaque loco, quod erant admodum ſimilia quæ ibi atque hic dicuntur, huc appoſitum eſt. Neque id mirum videri debet, nam & pleraque alia in noſtra hac editione eiuſmodi annotauimus, vt ſuis locis dicetur. In editione vero Septuaginta, id genus errati tam frequens eſt, vt in omni penè capitulo, aliquid huiuſmodi reperiatur. Quare & Septuaginta hanc clauſulam habent adiectam, ἵνα τὶ τοῦτο, σὺ ἐρωτᾶς τὸ ὄνομα μου ὅ ἐστὶ θαυμαστόν. id eſt, Vt quid quæris nomen meum, quod eſt mirabile?

Neruum qui obſtupuit.] הנשה Qui eluxatus eſt, è loco motus: ideoq́ue claudicabat Iacob. Emarcuiſſe autem non puto veridice à quibuſdam eſſe ſcriptum. Hieronymus ſequitur Septuaginta, qui & ipſi eodem modo ἐνάρκησε hoc eſt, obtorpuit, & quaſi inutilis effectus eſt: ſed Hebræi ſentiunt coxam dimotam fuiſſe, propter neruui eluxationem.

CAPVT XXXIII.

D*Iuiſit filios Leæ.*] ויחץ את הילדים על לאה Et diuiſit filios prope Leam. Præpoſitionem Hebraicam על quæ tum prope, tum ſupra ſignificat, Septuaginta pro eo quod eſt, in, aut, ad,

C acceperunt: atque hinc eſt factum, vt longe illuſtrior noſtra ſit editio hoc loco, quam Septuaginta, qui hunc in modum tranſtulerunt. καὶ ἐπιδιεῖλεν Ἰακὼβ τὰ παιδία ἐπὶ Λείαν, καὶ ἐπὶ Ῥαχὴλ. Et diuiſit Iacob pueros ad Leam, & ad Rachel: quo, neſcio quid dici poſſit obſcurius, præſertim in ſermone Græco. Quæ hoc loco annotantur ab Hieronymo, in quæſtionibus Hebraicis, apud eum videnda ſunt: non enim vtile eſt, quæ ab alijs obſeruata ſint, hic ſuperuacanee repetere.

Sic enim vidi faciem tuam.] Secundum Hebraicam veritatem על כן id eſt, In hunc modum. At male Septuaginta, & à tota loquendi ſerie diſſone interpretantur ἕνεκα τούτου. id eſt, ob hoc, ſiue quamobrem: nam hoc modo, quid diceret Iacob?

Oues & boues fœtas mecum.] והצאן והבקר עלות עלי id eſt, Et oues & boues aſcendentes ſuper me. Quorum verborum ea eſt ſententia, in ſe totius gregis curam recumbere. De fœtu autem nulla hic mentio: nam quod hic ſomniat Auen Eſra, reijciendum penitus videtur: neque propterea improbandum quod vertit Hieronymus, videtur enim ſententiam ſecutus: neque refert plurimi ſi quid in hiſce minimis aliquid diuerſum inueniatur. Septuaginta in aliam penitus ſententiam, καὶ τὰ πρόβατα καὶ αἱ βόες χωλεύονται ἐπ' ἐμέ. hoc eſt, Et pecudes & boues claudicant ſuper me. Quod quidem & ſi forte eſſe potuit, vt claudicarent, nihil tamen eius rei meminit contextus Hebraicus. Super me quoque ſubabſurde tranſtulerunt: propterea quòd Hebraicum idioma penitus ſequuti ſint.

Quas ſi plus inambulando fecero laborare.] Hæc tota ſentētia hoc verbo clauditur Hebraice ודפקום Et pulſabunt eas, ſcilicet paſtores, vt exponit & Auen Eſra ואם דפקום המנהיגים אותם אז ימותו כל הצאן hoc eſt, Pulſabunt eas ductores earum, & tunc omne pecus morietur. Sed diſſonantius Septuaginta. ἐὰν οὖν καταδιώξω αὐτά. id eſt. Si itaque perſequutus eas fuero. Videntur autem verborum ſimilitudine

דבק
דפק

militudine decepti, ſcilicet dabach, & daphach: quorum prius perſequi ſignificat, alterum quod hic reperitur pulſare: idque genus hallucinatio creberrima eſt apud eos. Forte quoque, non ſecundum, ſed primum legerunt in ſuis codicibus.

Veſtigia eius ſicut videro paruulos meos poſſe.] Vt autem intelligas quàm malè verterint hæc Septuaginta, totam periodon Hebraicam proponam: quæ ſic habet ואני אתנהלה לאטי לרגל המלאכה אשר לפני ולרגל הילדים hoc eſt, Et ego deferar paulatim ad veſtigia totius ſupellectilis, quæ ante me eſt, & ad veſtigia paruulorum: at Septuaginta ἐγὼ δὲ ἐν ἰσχύσω ἐν τῇ ὁδῷ κατὰ σχολὴν τῆς πορεύσεως τῆς ἐναντίον μου, καὶ κατὰ πόδα τῶν παιδαρίων. hoc eſt, Ego vero cōfortabor in via, per ocium itineris, quod ante me eſt, & ſecundum veſtigia paruulorum. Eſt autem probabile eos putaſſe, מלאכה quod ſupellectilem ſonat aut facultatem ac ſubſtantiam, duci ab הלך id eſt, profectus eſt, vt ab eo fieret מלאכה interpoſita aleph, & adiecta mem, atque ideo id nomen verterunt πόρευσιν. Quæ certe denominatio non eſt vera, cætera tolerari facilius poſſunt.

Centum agnis.] מאה קשיטה. Centum denarijs, aut obolis. Hieronymus noſter ab editione Septuaginta errorem habuiſſe videtur, quæ ſua tempeſtate, ſicut & nunc, erat corrupta. Septuaginta itaque & ipſi verterunt, ἑκατὸν ἀμνῶν, centum agnis. Arbitrorque eundem errorem hoc loco à librarijs aut vetuſtate accidiſſe, qui & ſuperius. Vt enim ibi non erat legendum, ἀμνῶν, aut ἀμνάδων, ſed μνῶν, quam rem ipſa quoque ratio docebat, ita hunc locum non reddidiſſe puto Septuaginta, δέκα ἀμνῶν, ſed δέκα μνῶν: vt mnas pro quolibet numiſmate acceperint, ſiue pro eo nummo cuius hic mentio fit. Quod mendum cùm Hieronymi tempeſtate inueniretur, ſecutus & ipſe eſt, in voce præſertim ambigua, in qua ſequi tantos viros non indignum putaret. Emendanda igitur noſtra editio hoc loco, vt pro agnis, legatur nummis. Aſſerunt enim Hebræi קשיטה nummum ſignificare, non agnum, vt interpres vocum apud eos, qui de hoc nomine ait, והוא מין מטבע כה Eſt, inquit ſpecies cuiuſdam monetæ. Atque hoc eſt, quod Actuum apoſtolorum cap. ſeptimo is locus vertitur vt habet Hebraica veritas. Ibi enim diuus Stephanus ait, de hoc iſto agro, Poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Iacob precio argenti à filijs Hemor patris Sichem: ſic enim ſcribendum eſt. Non dixit ergo, quod emit centum agnis, ſed precio argenti. Illud quoque mirum, quòd Hieronymus non ſibi conſtet. Nam Ioſue vltimo, vertit ouem, quod hic verterat agnam, vbi de hac eadem re fit mentio. Hanc quoque eandem vocem Iob vltimo interpretatus eſt ouem. Dederunt ei, inquit, vnuſquiſque ouem vnam, vbi eſt. קשיטה E

Fortiſſimum Deum.]. אל אלהים Duo nomina diuina, El, & Elohim, quorum primum à fortitudine duci opinantur Hebræi, ſecundum commune eſt tam vero Deo, quàm reliquis, qui dij habiti ſunt, aut qui diuinam habeant ſimilitudinem. Omiſerunt autem Septuaginta primum. καὶ ἐπεκαλέσατο τὸν θεὸν ἰσραήλ. Et inuocauit Deum Iſrael: quod non recte factum eſt. Niſi forte putarunt, in ſermone Græco non licere dicere θεὸν θεόν. Nam alio modo ea vox exprimi non poterat, cum nullum ſit nomen ſiue apud nos ſiue Græcos, in quod, id diuinum nomen poſſimus commutare, quod multis in locis obſeruarunt Septuaginta. Probandum itaque eſt quod fecit Hier. vt non per proprium aliquod Dei nomen fieret tralatio, ſed per adiectiuum.

CAPVT XXXIIII.

F

DOrmiuitq; cum illa.] Redundat hoc loco aliquid in codicibus Græcis impreſſis, ἐκοιμήθη μετ' αὐτῆς, καὶ ἔτεκε. Dormiuitque cum ea, & peperit: amouendum eſt, καὶ ἔτεκε. nam de partu Dinæ, ex congreſſu cum Sichem, neque ipſe ſacer contextus meminit, neque vlli interpretes, tam Hebræorum, quàm noſtratium, Græcos dico atque Latinos. Eſt autem ſumptum ex alio loco, vbi conſimilis periodus inuenitur. Dormiuit, & concepit, & peperit: neque hoc vno in loco in ſcripturis reperies: quare non erat quicquam in teſtimonium adducendum.

Triſtem deliniuit blandicijs.]. וידבר על לב הנער Et locutus eſt ſuper cor adoleſcentulæ. Quam locutionem vult Hieronymus fuiſſe mœroris cōſolationem: quod neq; ipſe quidem improbo: quod inuenies obſcure verſum à Septuaginta, propterea quod intactam pene reliquerunt phraſim Hebraicam, καὶ ἐλάλησε κατὰ διάνοιαν τῆς παρθένου αὐτῇ. Et locutus eſt in mentem puellæ ipſi. Illud vero magnopere placet, quòd cor, verterint διάνοιαν, ſiquidem ex corde eiuſmodi omnia proficiſci. quæ ex mente procedere diceremus, ipſa quoque veritas docuit, & vt aliquando dixi, τὸ ἡγεμονικὸν, in hiſce litteris, tribuitur cordi, contra quàm philoſophi opinentur.

Rem illicitam perpetraſſet.] Eleganter, quod Hebraice. יעשה Ac ſic non fiet. Mos enim & decorū, per futurum, in Hebraico ſermone exprimitur, vt dicant non fiet, hoc eſt non debet fieri, aut non ſolet fieri, eademq́; in reliquis ratio eſt. Quod non eſt animaduerſum à Septuaginta, καὶ οὐχ οὕτως ἔσαι. Et non ſic erit, facileq; implicaretur hic tanquam grypo imperitior.

Si autem circuncidi nolueritis.] Hoc penitus in contrariam ſententiam accipitur à Septuaginta, nam cum Hebraicè ita legatur, ואם לא תשמעו אלינו להמול ולקחנו את בתנו והלכנו hoc eſt, Quod ſi non audieritis nos, vt circuncidamini, tollemus filiam noſtram & abibimus. At vero ipſi, ἐὰν δὲ εἰσακούσητε ἡμῶν, A τε ἡμῶν, τοῦ περιτεμνῆσθαι, λαβόντες τὰς θυγατέρας ἡμῶν, ἀπελευσόμεθα, id eſt, Si autem audieritis nos, vt circuncidamini, acceptis filijs noſtris abibimus, primum ergo erratum eſt, quia negatio dempta eſt: deinde, quod de vna Dina dicebatur, ipſi ad plures fœminas retulerunt: potuitque primus error facile librariorum eſſe, ſecundus autem omnino videtur ab ipſis interpretibus profectus. Nam Tau finalis ſæpe eos decepit, putaruntque eam ſemper pluralem numerum efficere, vt primo cap. Geneſis, לממשלת הלילה Hoc eſt, In imperium ac dominationem noctis: eſtque ſingulare, verterunt illi, εἰς ἀρχὰς in imperia, ac dominationes: atque alia id genus quàm plurima. Eadem itaque & hoc loco fuit labendi cauſa, vt bat, id eſt filiam, crederent eſſe id quod eſt, בנות id eſt, filiæ.

Ecce die tertio quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt.] ויהי ביום השלישי בהיותם כאבים id eſt, Et factum eſt in die tertio, cùm eſſent illi dolentes. Dicunt enim Hebræi in circuncisione maximum fieri dolorem, præſertim tertia die, ſi quis iam adultus circuncidatur. Vulnera itaque hæc, & is dolor, de circunciſione ſunt intelligenda. Quod certe male innuunt Septuaginta, ἐν ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, ὅτε ἦσαν ἐν τῷ πόνῳ, id eſt, Die tertia cùm eſſent in labore: niſi fortaſſis πόνον, ſumpſerint pro eo quod eſt κόπος, ſcilicet dolor: quod raro fit, à πόνος quoque fit πόνηρος, erumnoſus, ac calamitoſus. Dolentibus ergo Sichimitis, propter præputij abſciſſionem, & in lecto poſitis vt ſanarentur, inuaſerunt vrbem Simon, & Leui. Atque is eſt dolus, in quo locuti ſunt ad eos, ſciebant enim eſſent facturi.

Nos pauci numero.] Non ſecus Septuaginta, ὁ λιγοστὸς εἰμὶ ἐν ἀριθμῷ, hoc eſt, Minimus ſum numero: ſe enim loco totius familiæ ponit. At Hebraicum habet emphaſim, ואני מתי מספר, hoc eſt: Et ego, hoc eſt domus mea, mortui ſumus numero. Indicat, ſe familiamque ſuam, eſſe veluti mor-
B tuos, ſi cum illis comparentur: ſicut exponit etiam Auen Eſra.

CAPVT XXXV.

S*Vbter terebinthum.*] תחת האלה. Subter quercum, aut aliam arborem, ſicut alibi quoque vertit Hieronymus, vt Ioſue cap. vltimo: Tulit lapidem grandem Ioſue, & poſuit eum, תחת האלה id eſt, Subter quercum, vt ibi vertit Hieronymus. Permultum vero intereſt inter quercum, ac terebinthum. Eſt autem hoc quod ponitur hic aqud Hebræos generale nomen omnium arborum. Quocirca potuit tam ad terebinthum, quàm aliam arborem accommodari. Secutus eſt quoque hoc loco Septuaginta, qui & ipſi, καὶ κατέκρυψεν αὐτὰ Ἰακὼβ, ὑπὸ τὴν τερέβινθον ἐν σικήμοις, id eſt, Et abſcondit ea Iacob ſuper terebinthum in Sichimis. Corrupte autem, appellatur Sichimi in libris Græcis, regio, aut vrbs, quæ uocanda eſt שכם Shechem, de qua retro dictum eſt: quanquam Septuaginta fortaſſe voluerunt per hoc diſcrimen facere inter Shechem principem regionis, & ipſam urbem, ſiue regionem. Nam eum appellent συχέμ, regionem uero aut urbem σίκιμοι, Hebraice tamen eodem nomine tam locus, quàm princeps à quo locus nomen accepit, uocatur, ſcilicet שכם Shechem. Vrbs autem in qua perpetratum eſt illud crudele homicidium, Hieruſalem eſt, quæ hoc loco appellatur Shechem, ſi multitudini & oſepho credimus.

Sicimi Hieronymi.

Subter quercum.] Septuaginta. Fructum loco arboris ponunt, καὶ ἐτάφη κατώτερον βεθὴλ, ὑπὸ τὴν βάλανον, id eſt, Et ſepulta eſt infra Bethel, ſubter glandem, qui mihi videtur error non fe-
C rendus, nam nemo eſſet, qui facile intelligeret, niſi alijs editionibus iuuaretur. Hebraice itaque legitur, ut uertit Hieronymus, תחת האלון ſubter quercum.

Ego Deus omnipotens.] Eodem modo & Hebraice, אל שדי hoc eſt, Deus fortis. Cumque hoc loco, duo nomina diuina legantur, dimiſerunt alterum Septuaginta, ſic ſcribentes, ἐγώ ὁ θεὸς σοῦ. Ego Deus tuus. Quod eadem de cauſa factum eſſe arbitror, quam & ſuperius attulimus, ſiquidem non poteſt præterquam uno nomine apud Græcos ac Latinos Deus exprimi, præter enim θεὸς, aut Deus, non extat apud utroſque aliud nomen. At apud Hebræos non una eſt diuinitatis exprimendæ uox, ſed præter nomen tetragramaton, eſt Elohim, El, Shadai, Ia, atq; alia quam plurima, quæ neq; in Græcam neq; Latinam linguam uerti poſſunt. Laudandus autem Hieronymus, quòd quantum fieri potuerit, numen illud nobis declarauerit.

Verno tempore.], כברת הארץ id eſt, Circa uiridationem terræ. Sunt autem, qui aliter hunc locū interpretari aſſerant, non enim dicendum uerno tempore, ſed circa interuallum terræ. Legunt ergo totam periodon Hebraicam hoc modo, ויהי כברת הארץ לבא אפרתה hoc eſt, Et erat quaſi interuallum terræ, ut uenirent Ephratam, ſcilicet Bethlehem. Cauſa uero huius diuerſitatis, eſt in una uoce Hebraica, ſcilicet, כברת quæ uel ex duabus uocibus poteſt eſſe coniuncta, uel unius rationem poteſt habere, ſicut eſſet apud nos, ſuſtineamus, quæ & una dictio eſſe poteſt, & tres, ſus, tinea, mus. Eandem rationem habet & hæc dictio Hebraica, poteſt enim legi coniunctim, כברת ſignificabitque interuallum, poteſt & legi diſiuncta, כברת ſignabitque circa uer, circa uiriditatem, aut cùm ager paſcuus eſt. Hieronymus diſiuncte legit, quam lectionem approbat apud Hebreos etiam Auen Eſra, qui ſuper hoc loco hæc ſcribit, ויתכן להיות הכף לדמות hoc eſt, poteſt eſſe in hac dictione, una pars, quæ ſit aduerbium ſimilitudinis, circiter, aut quaſi. Approbat & alteram

Ephrata Bethlehē.

lectionem, poteſt eſſe, inquit, etiam · פרת בהלך Spacium itineris. Hoc idem habetur cap. xlviij. quã quam illud ſit potius intelligendum de ſpacio terræ, eum tamen locum vertit Hieronymus cùm adhuc vernum tempus eſſet, vbi Iacob de hac ipſa re loquebatur. Sed teſtibus Hebræis vidimus vtrunque defendi poſſe. Septuaginta vero, more ſuo labuntur abſurde. Hanc enim eandem vocem, de qua tot verba fecimus, ignorantes quid ſignificaret, ſi credere dignum eſt, veluti alicuius loci eſſet nomen, intactam reliquerunt, & in Græcum ſermonem verterunt. Igitur ſic apud eos legimus, ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν εἰς χαφραθ, τοῦ ἐλθεῖν εἰς γῆν ἐφραθά: id eſt, Factum eſt, cùm appropinquaret in Caphrath, vt veniret Ephrata. Vides ergo eos, quod eſſet Hebraice Ciphrat, feciſſe Caphrat, è duobusq; appellatiuis nominibus, vnum proprium conflaſſe. A quibus merito diſſentire voluit Hieronymus. Chaldaica editio, hoc loco ſentit cum eis, qui carpunt Hieronymum, non fuiſſe vertendum verno tempore, ſed cùm eſſet ſpatium ad veniendum Ephrata, ea ſic habet: כרוב ארעא id eſt, Cùm eſſet ſpatium, ac interuallum terræ.

Quod illum minime latuit.] Additur hoc loco aliquid à Septuaginta, quod in Hebraicis codicibus non inuenitur. Nam poſtquam ſcriptum fuerat, quod illum minime latuit, inferunt illi, καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ, id eſt, Et malum viſum eſt in oculis eius.

Ciuitatem Arbeæ.] Eodem modo habent & Hebraica: קרית ארבע id eſt, Vrbem Arbeæ. At Septuaginta more ſuo penitus aliquid aliud ſenſerunt, hoc modo vertentes, πόλιν τοῦ πεδίου, id eſt, Vrbem campi. Videntur legiſſe non · ארבע ſed · ערבה Et primum quidem nomen eſt vrbis, de qua hic fit mentio: alterum ſignificat deſertum ac vaſtitatem. Quare aut hoc in eorum inueniebatur codicibus, aut certe, quod frequentiſſime eis accidit, hallucinati ſunt. Chaldaica item editio, quę & ipſa vetuſta eſt, non habet vt verterunt Sept. ſed vt Hebraica veritas.

CAPVT XXXVI.

Mulorum inuentor.

Iſte inuenit aquas calidas.] Aduertendum hoc loco, neque Hieronymum, neque Septuaginta, cum Hebraica veritate ſentire. Siquidem Hebraice hoc modo legitur. Iſte inuenit, ימים id eſt, mulos. Dicunt ſiquidem Hebræi, hunc cùm paſceret aſinas in deſerto, didiciſſe ex aſina & equo, mulum procreari. Eiusque rei eum hominem inuentorem fuiſſe, cùm ipſe ſpurius eſſet, & idolorum repertor aliquando fuerit. Nulla ergo hoc loco de aquis calidis mentio fit, ſed de eo quod erat mirabilius. Videndum vero, quamobrem eo modo interpretatus ſit Hieronymus, eritque tolerabilior ipſe quàm Septuaginta. Pro eo igitur, quod in Hebraicis codicibus habetur nunc, ימים id eſt, muli, Hieronymi temporibus videtur fuiſſe aut, מים id eſt, aquæ, aut ימים hoc eſt, maria. Et ſine dubio legebatur · ימים ſed quia ea tempeſtate non erant ſacri codices, notulis, quæ apud Hebræos vice vocalium funguntur, diſtincti: ideo putauit Hieronymus eam vocem legendam eſſe, ימים id eſt, maria, non · ימים hoc eſt muli. Et vocem, quæ ſignificat maria, vertit aquas calidas: quod cur fecerit, non ſatis eſt compertum. Si enim vertiſſet aquas tantum, facile intellexiſſemus ex qua cauſa id feciſſet, ſed quòd addiderit calidas, non conſtat nobis. Niſi quòd huius traslationis ipſe affert cauſam in quæſtionibus Hebraicis, dicens quoſdam tempeſtate ſua putaſſe, eo vocabulo aquas calidas ſignificari, iuxta linguam Punícam, quæ Hebrææ ſimillima eſt. Chaldaica quoque editio, quæ veriſſima eſſe reperitur, & quam mirifice approbant Hebræi, loco eius quod eſt iemim, habet, גבריא id eſt, fortes, animalia ſcilicet robuſtiſſima, quale id genus eſt. Hæc tot, & tanta ignorarunt ſi fas eſt credere Septuaginta interpretes, vocemque, quæ omnino aliquid ſignificabat, tanquam nomen alicuius hominis proprium eſſet, ita eam reddiderunt, quemadmodum ſi vertendum ex Hebræo eſſet, Iſaac, & Iacob, nihil ea nomina immutaremus. Itaq; ſic apud eos legimus: οὗτος ἐστὶν ὠνὰν, ὃς εὗρε τὸν ἰαμεὶμ ἐν τῇ ἐρήμῳ. ὅτε ἔνεμε τὰ ὑποζύγια σεβεγὼν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, id eſt, Iſte inquiunt eſt Onan, qui inuenit Iamim in deſerto, quando paſcebat iumenta patris ſui. Hoc certe adeo mihi mirum videtur, vt nullam rationem inueniam, qua me explicem. Siquidem apud Hebræos, ne pueri quidem tam fœde laberentur, vt Iemim, putarent eo loco aliquem hominem ſignificare. Cogimurque vel inuiti, fateri eos linguæ Hebraicæ, non vſquequaque peritos fuiſſe. Videmusque vel ex hoc, quàm neceſſaria eſſet Hieronymi editio: qui niſi id beneficium nobis præſtitiſſet, adhuc in eiſdem verſaretur erroribus latina eccleſia, quibus erat antea implicita, dico quantum attinet ad hæc. Sciendum eſt autem, eum errorem, non latuiſſe expoſitores Græcos, attamen neque ad id quod verum eſſet acceſſerunt. Itaque Theodoritus ſuper hoc loco hæc ſcribit: ὁ σύρος λέγει αὐτὸν πηγὴν εὑρηκέναι, ἡ γὰρ πηγὴ αἰνὰν καλεῖται τῇ σύρων φωνῇ. πανταχοῦ δὲ τὸ ὕδωρ, ἐμμαεὶν λέγεται ἐν τῷ ἑβραϊκῷ. οὐκ οὖν ἔτε ιεαμὶν κατὰ διόδωρον εὗρεν ἀντὶ τοῦ ὕδατος οὔτε ἀντὶ πηγῆς, τὸ αἰνὰν, hoc eſt, Syra editio habet, eum hominem, fontem inueniſſe. Nam fons, Syrorum lingua, Euan vocatur. Vbique autem in Hebraico, inuenies aquam appellari Emmaim. Igitur ſm Diodorum, non erat dicendum, eum inueniſſe Emmaim, loco eius quod eſt aqua, neq; pro eo quod eſt fons, fuerat vertendũ Euan. Diodorus quoq; quẽ hic citauit Theodoritus, hęc refert. ὁ σύρος καὶ ὁ ἑβραῖος τὸν ιεαμεὶν ὕδωρ βούλονται. λέγειν ἀντὶ τοῦ εὑρεῖν πηγὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ. οἱ δὲ ἰμμὴν δόσαντες αὐτὴν πᾶς τὴν λέξιν τὴν ἑβραϊκὴν τετείχεσαν. Syrus inquit &

A Hebraicus codex, per Neamim ſignificant aquam. Inuenit ergo is fontem in deſerto, at interpretes, ipſam Hebraicam vocem hic poſuerunt. Ex his ergo videmus, eos opinatos idem quod & Hieronymus, eam vocem ſignificare aquas. Patet autem etiam Syram editionem, ſi tamen hæc eſt, quæ Targum appellatur, cum Hebraica veritate ſentire: quanquam arbitrer ipſe per Syram editionem, non eam illos intelligere, quæ hodie apud Hebræos, ſub Ionathæ & Onchelos nomine circumfertur, qua ad intelligendas Hebraicas ſcripturas mirabiliter adiuuamur, quæ ſi quid obſcurum in Hebraicis codicibus inuenitur, luculentiſſime explicat, vt ſæpe nos in hoc opere monſtrabimus, cui nos imponere finem, diuina clementia permittat. Non ignorauit tamen Hieron. id quod de ea re ſentiunt Hebræi, ſignificari ſcilicet ea voce, mulos, recitatq; omnem ſententiam Hebræorum in quæſtionibus Hebraicis.

Syraeditio Targum.

CAPVT XXXVII.

Accuſauit fratres ſuos crimine peſſimo.*] ויבא את דבתם רעהאל אביהם, id eſt, Et retulit infamiam eorum malam ad patrem eorum, Exaggerauit ergo Hieronymus vertendo, quod erat malum, in id quod eſt peſſimum: quanquam & alibi idem ſæpe faciat, ea vt arbitror opinione inductus, ꝙ apud Hebræos, non ſit nomen peſſimi. Carent enim vt diximus & comparatiuis & ſuperlatiuis. Quæ igitur ſuper hoc ſcelere prodant aut Hebræi, aut noſtri tam Græci quàm Latini, intelligo non mei inſtituti eſſe huc afferre. Præſertim cùm id ſcelus dubium ſit, & ad varias ſententias poſſit trahi. Ex quo & Hebræi à Latinis diſſentiunt & Græcis, crimenq; iſtud leuius faciunt quàm poſſunt. B Arbitror quidem ipſe, non de vno ſcelere hic dici, ſed in vniuerſum de omnibus, & de tota vita fratrum Ioſeph, quippe qui in pleriſque, non admodum probi eſſent. Præſertim cùm id ſentiat & Theodoritus, qui ſuper hunc locum ad alia, hæc ſcribit, ὁ ἰωσὴφ διέβαλεν τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ, ὡς οὐκ εὐτάκτους ὄντας. Hoc eſt, Damnabat Ioſeph fratres ſuos apud patrem, eo quòd intemperati eſſent, & minime modeſti. Hæc itaque ſcrutari altius non meum eſſe duco. Sed quod ad ipſam interpretationem attinet, cùm præſertim hoc loco Septuaginta ab Hebraica veritate, & à noſtra editione diſſentiant. Quare non ſcripſerunt Septuaginta, Ioſeph fratres ſuos accuſaſſe, ſed contra, eum accuſari ſolitum ab illis in inuidiam atque odium, quo in eum laborabant. Itaque apud eos hoc modo legimus, κατήνεγκαν δὲ κατὰ ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν, πρὸς ἰσραὴλ πατέρα αὐτῶν. Hoc eſt, Detulerunt autem contra Ioſeph, vituperationem malam ad Iſrael patrem ſuum. Vt autem intelligas, hanc eſſe editionem Septuaginta, & non eſſe deprauatos codices, producemus ipſorum expoſitorum ſententias. Omnes enim hi vna voce atteſtantur, accuſatum Ioſeph à fratribus in inuidiam apud patrem, quòd ab eo vehementer diligeretur: nam Theodorus, in hunc modum eam rem declarat. καὶ πρῶτον μὲν ἐπειράθησαν, κακῶς αὐτὸν τῷ πατρὶ διαθεῖναι, πολλαῖς κατ᾽ αὐτοῦ λοιδορίαις χρώμενοι. Id eſt, Et primum quidem, conati ſunt, male apud patrem eum calumniari, multis in ipſum accuſationibus vtentes. Eodem modo & Iſidorus, qui de ea accuſatione ſic inquit, ἐκ τούτου γὰρ καὶ ψόγον πονηρὸν ἔπλασαν κατὰ αὐτοῦ. Id eſt, Ex eo factum eſt, vt peſſimam in eum vituperationem commenti ſint. At ſunt apud Græcos, qui hunc lapſum intellexerint, & detexerint: ſiquidem Diodorus hæc refert, ἀκύλας καὶ σύμμαχος, ἔτι δὲ καὶ ὁ σύρος, ἀντὶ τοῦ κατήνεγκαν, ἔχει κατήνεγκεν, τουτέστιν ὁ ἰωσὴφ διέβαλεν τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ, ὡς οὐκ ὄντας εὐτάκτους. C Aquilas inquit, & Symmachus inſuper & Syra editio, pro eo quod eſt detulerunt, habet detulit: innuens ipſum Ioſeph accuſare ſolitum fratres ſuos, quod non ſe probe gererent. quanquam etiam hæc verba, Theodoriti videantur eſſe, ſed hoc nihil refert. Quæ cùm ita ſint, miror Eraſmum, cur multis in locis editionem Septuaginta, noſtræ prætulerit, cùm aperte & Hebraica ueritas refragetur, & ipſi Græci interpretes.

Vide Eraſmi inſcitiam.

Quia in ſenectute ſua genuiſſet eum.] Non placet, quod annotauit Burgenſis vir doctiſſi. & maxime Chriſtianus, inuito eo, qui ne nominari quidem dignus eſt, qui conſpurcauit vniuerſam veteris teſtamenti ſcripturam, fœdiſſima eam barbarie, & barbara fęditate referciens. Quod ergo annotat Burgenſis, quia in ſenecture ſua genuiſſet eum, non eſſe eo modo veritatem Hebraicam intelligendam, ſed potius, quòd Ioſeph, filius ſenectutis eſſet, id eſt, prudens, modeſtus, & caniciē præ ſe ferens. hocque contendit verum eſſe, non ſolum propter veritatem Hebraicam quæ habet, כי בן זקנים לו, id eſt, Quia filius ſenectutis erat ei. Sed etiam, quia plerique alij geniti ſunt in ſenectute à Ioſeph, etiam poſt Ioſeph: dico inquam hæc vehementer extorta eſſe & magis eſſe arguta quàm vera. Nam ex eo loquendi modo, docemur non eſſe aliud intelligendum, quam quod vertit Hieronymus. Nam & alibi filij ſenectutis eſſe monſtrantur, qui in ipſa ſenectute naſcuntur. Ioſeph ergo præter cæteros, erat carus Iacob, quia & ſenex eum genuiſſet, & eius inceſſum, & naturam optimam videret, quod in cæteris non videbat.

Exiſtimo ego Leon. hunc eſſe peſſimum. Eraſmum.

Filius ſenectutis.

Veſtem polymitam.] Id eſt multorum filorū, ac variam, ſicut & Septuaginta verterunt, ποικίλον, Hoc eſt, variam. Hebraice eodem modo כתנת פסים Hoc eſt. Veſtē ex multis licijs confectam: quā inferius Hieronymus, magis quid ſentiat ipſe ſecutus, quàm quod ſignificet ipſa, vertit talarem. Eam volunt fuiſſe ſericā Hebręi, licet fortaſſe non vere, vt ſępe de eius vocabuli vi, viſuri ſumus.

Polymita veſtis.

Veſtroſq; manipulos circunſtantes.] Hebraice non ad ſtatum, ſed motum refertur תסבינה אלמתיכם id D eſt, Circumuoluebantur manipuli veſtri, & adorationem & venerationem exprimebant. Eadem ratione & Sept. περιστραφέντα τὰ δράγματα ὑμῶν, conuerti manipulos veſtros.

Pater rem tacitus conſiderabat.]. ואביו שמר את הדבר Et pater eius obſeruabat rem: ſicut & Septuaginta ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ διετήρησε τὸ ῥῆμα. At pater eius obſeruauit verbum. In eo autem parum luculenta explicatione vſi ſunt, quod verterint verbum, quod magis ſonabat rem: de qua re, multa nobis dicta alibi ſunt.

Nitebatur liberare eum.] At Hebraica aperte fatentur, Ruben eripuiſſe fratrem ſuum de manibus eorum: ſic enim ibi legimus, ויצלהו מידם Et eripuit eum de manibus eorum: quod & apud Septuaginta clariſſimum fit. ἐξείλετο αὐτὸν, ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν, id eſt, Eripuit eum è manibus eorum. Nam Ruben liberauit Ioſeph, ne interficeretur, quanquam inhibere non potuerit, quin in ciſternam deijceretur.

Hebr. lingua cæteris omnib. admixta.

Et reſinam.] Ab Hebraico idiomate ſumpta vox eſt, in quo rezi is liquor appellatur, quod & Græci ſecuti ſunt, qui & ipſi eam ῥητίνην, vocant. Eſt autem lingua Hebraica, vt cæteris linguis prior ac vetuſtior, ita omnibus admiſta, ac quaſi interſperſa. Ex eius enim vocabulis, in omni lingua reperies, quod & ab Hieronymo ſæpius eſt obſeruatum. Nam & linguam Chaldaicam, Arabicam, Syram, Punicam & Aethiopicam ſileo, quarum tanta eſt cum Hebræa ſimilitudo, vt eædem penè eſſe videantur.

Viginti argenteis.] Eodem modo & Hebraica, עשרים כסף id eſt, Viginti argenteis, quod ex errore, à Septuaginta ſcribitur viginti aureis, εἴκοσι χρυσῶν. Si enim Hebraica veritas de auro hoc loco ſentire voluiſſet, non dixiſſet. כסף ſed, זהב ſicut & ſuperius fieri vidimus: quem locum bene verterunt Septuaginta, δέκα χρυσῶν. E

Cilicium.

Indutus eſt cilicio.] Quid refert, quòd Hebraicum dicat, Indutus eſt שק, ſacco: niſi quis forte ſcrupuloſius hanc rem velit perpendere, quòd cilicium, ex pilis equinis aut eiuſmodi materia cõſui ſoleat, at ſaccus ex canabi, & eo, quod terra oritur. Nam quod è pilis conficiantur cilicia, teſtatur & Procopius in hiſtoria, hoc modo: Obiecerunt inquit iaculantibus, περικαλύμματα ἐκ τραγείων τριχῶν, ἃ δὴ καλοῦσι κιλίκια. Hoc eſt, Tegumenta ex hircinis pilis facta, quæ vocant cilicia. Sed facile hæc confunduntur. Eſt autem ſaccus, vox Hebraica, Græca, ac Latina: vt enim modo nobis dictum eſt, permulta vocabula Hebraica in cæteris linguis remanſerunt, quod præſertim in lingua Italica nos obſeruauimus, nam præter alia quamplurima, quem meſchinum appellant, videlicet pauperem, ac calamitoſum, eodem modo vocatur Hebraice meſchim. Alma quoque lingua Africa, virgo vocatur, ſicut & Hebraice, virgo inquam abſcondita.

Saccus.

שאל Infernus pro ſepulcro, foſſa. Gehenna.

Lugens in infernum.] שאלה. Ad inferos aut foſſam ad ſepulchrum: ne quid prauum hoc loco ſuſpicemur, quòd Iacob, vir Deo amiciſſimus, dicat ſe deſcenſurum ad inferos, de qua re nos paſſim in hoc opere loquemur. Hebraice itaque vbicunque Hieronymus ac Septuaginta infernum interpretati ſunt, eſt sheol, hoc eſt foſſa, ſiue ſepulchrum. Neque enim ſignificat eum locum, vbi ſceleratorum animas recipi antiquitas opinata eſt. Is enim ab Hebræis recentioribus Gehenna vocatur, quod videntur à nobis accepiſſe, quandoquidem in veteri teſtamento nuſquam inuenimus, Gehenna, locum in ſempiternum damnatorum ſignificare. De quo loco Rabbi Moſe in lib. de reſurrectione ſic ſcribit. והענש נקרא גיהנם הוא מקום בוער כאש מלהשישרפו שם הפגרים ויענשו שם חרש עים כמיני הענש אשר יארך שם פרושו. Hoc eſt, ſupplicium vero, quo ſcelerati cruciabuntur, aſſerunt eſſe Gehennam. Quem locum eſſe dicunt, flammis ardentem, vbi vnà cum corpore ſint exurendi impij, non vno ſuppliciorum ac pœnarum genere, ſed adeo varijs ac exquiſitis, vt longum ſit referre. Hucuſque Rabbi Moſes Aegyptius. Quare non proprie inferos ſignat sheol. Obſeruandũ quoque eſt, quòd Auen Eſra hoc loco reprehendit editionem Chaldaicam, quæ quod erat, sheol, vertit גיהנם id eſt gehennam: operæprecium duxi eius verba in medium proferre, is enim inquit, ופה תעה המתרגם לשיעים שתרגם שאול גיהנם. Hoc eſt, Errauit hic editio Chaldaica, quòd verterit Gehennam, id quod eſt sheol. Deinde citat varia ſcripturarum loca, in quibus cognoſcitur, sheol, ſemper ſepulchrum ſignificare. Duo vero nobis ſatis ſit proferre. Primus eſt apud Eſaiam. Quia non infernus confitebitur tibi, vbi eſt sheol: patetque ibi de foſſa dici. Alter eſt Iob cap. xxvj. Nudus eſt inferus coram illo: videturque omnino de ſepulchro ibi ſentiendum. Sed de hac re ſæpe ſæpius dicturi ſumus. Septu. ſicut & Hieronymus interpretati ſunt, εἰς ᾅδου, ad inferos. Hæc diximus nihil, facientes, quæ de hac re ſomniat Nicolaus. Vere enim figmenta ſunt, quæ de limbo ſcribit hoc loco. F

Phutiphari.] Quàm corrupte id nomen apud Septuaginta legitur? Ideo eum locum annotauit Origenes apud Græcos, hoc modo. πετεφρῆς παρ' ἀκύλα, καὶ συμμάχῳ, φουτιφὰρ εἴρηται ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ. Hoc eſt, Petephres, apud Aquilam & Symmachum, Phutiphar hoc loco vocatur. Annotat & Hieronymus.

Phutiphar magiſter coquorũ, aut militũ.

Magiſtro militum.] שר הטבחים. Principi militum, aut coquorum. Quare ambigua vox eſt, eo quòd טבח ſignificat occido ac macto, & ab eo ducitur tabac, hoc eſt occiſor, ac mactator. Ex eo factum eſt vt & Hieronymus & Septuaginta, vehementer diſcordes ſint in vertenda hac voce. Septuaginta enim hunc magiſtrum ſiue principem militum interpretati ſunt ἀρχιμάγειρον,

Hoc

A Hoc eſt, Coquorum principem: ſiue eum, qui coquis præfectus ſit. At alij ſicut & Hieronymus, ad carnificinam, vel militiam hoc referunt. Video autem Hebræis vtrunque placere. Nam Auen Eſra, hæc de ea re ſcribit. Eum enim ſæpius, quàm reliquos citamus, quòd is peculiariter circa litteram verſetur, reliqui magis circa ſenſa, & ea ſæpiſſime fabuloſa. Quare noluimus hæc latinorum auribus prodere: nam & ipſe in eis legendis penè iugulor. Is ergo hæc de ea voce ſcribit, תמצא זאת הקול שום על הרג ועל בשול Hoc eſt, Inuenies hanc vocem, tam ad occiſionem referri, quàm ad id, quod ad culinam ſpectat. Sunt autem rationes in vtranque partem. Inferius enim habetur. Et tradidit eum in cuſtodiam principis hatabachim, id eſt, militum, ſeu carnificum: nam coquorum princeps, cur carceris cuſtodiam habeat? Rurſum cum is Phutiphar, ſcribatur Eunuchus fuiſſe, nimirum è genere hominum vili, effœminato, quamobrem is militibus erat præficiendus? At certe videtur de eo intelligendum, qui regijs ſicarijs, carnificibus, ac mactatoribus erat præfectus, quique damnatorum plectendorum curam haberet. Verum hæc tam leuia, ſcrupuloſius perquirere, vitium fortaſſe ſit.

CAPVT XXXVIII.

Non naſci ſibi filios.] Hoc clariſſime expreſſerunt Septuaginta γνοὺς δὲ ὁ αὐνὰν, ὅτι οὐκ αὐτῷ ἔσται τὸ σπέρμα, id eſt, Sciens autem Onam ſemen non ſuum futurum. Idcirco enim ſemen effundebat in terram, ſciens non ſuos futuros filios qui naſcerentur, ſed fratris ſui. Mos enim erat Hebræis, vt fratres ducerent vxores fratrum ſuorum, qui ſine filijs defuncti eſſent, ac qui ex eis procreati fuiſſent, defunctorum cenſerentur. Hoc ergo obſcurum erat in noB ſtra editione.

Ipſe & Iras opilio gregis.] וחירה רעהו. Et Iras ſocius aut amicus eius. Diſſentit autem ab Hebraica veritate Hieronymus, primum quia ſequitur Septuaginta, qui & ipſi hunc locum interpretati ſunt, καὶ κατέβη εἴρας ὁ ποιμὴν αὐτοῦ. Et deſcendit Iras paſtor eius: deinde quia maxima eſt earum vocum affinitas, ſcilicet eius quæ ſignificat paſtorem, & quæ ſocium. Eſt tamen aliquod diſcrimen: paſtor enim vocatur rohe, eſtq; participium à raha: ſocius autem vel amicus rehe: hacq; ſcriptura vtitur hoc loco contextus Hebraicus. Quare non paſtor, ſiue opilio erat vertendum, ſed amicus, quod & vocum interpres aſſerit, qui de eo nomine ſcribit ſic מה שענינו חברות hoc eſt, Eius ſignificatio eſt amicitiæ, ſiue ſocietatis. Deinde profert huius loci teſtimonium, arbitror vero ipſe, ex antiqua editione, Septuaginta, qua Latini vtebantur, relictam eſſe hanc ſcripturam, vt quod bene verterat Hieronymus, ad idem mendum redierit, propter codices antiquos qui erant mendoſi. Quod ſæpe ſæpius obſeruauimus. Nam Hieronymus taxauit hoc loco Septuaginta, qui tranſtulerant, Et Iras paſtor eius, ſiue opilio. Quare non eſt credendum, eum in transferendo Septuaginta eſſe ſecutum, quos erraſſe cognouiſſet.

Aſſumpſit theriſtrum.] A Septuaginta id nomen accepit, qui & ipſi περιέβαλεν τὸ θέριστρον, id eſt, Amicta eſt theriſtro, velo ſcilicet æſtiuali: ducitur ἀπὸ τοῦ θέρους. Hoc Hebræi vocant צעיף. dicuntq; eſſe peplum, ſiue ſindonem, amictumq; lineum. propterea ab æſtate, nomen ſortitur apud Græcos: eratq; is ornatus fœminæ, quæ nullo in mœrore eſſet. Ideo poſitis vidualibus veſtibus, aſſumptus eſt à Thamar. Nicolaus autem, cùm probe ſe geſſiſſet, in exponendo huius vocis ſignificato, poſtremo falſam ei etymologiam accommodauit. Dixit enim duci à tero, teris. C huicq; aliud abſurdius annexuit, quod me piget referre.

Theriſtriū

Sedit in biuio.] בפתח עינים In oſtio, aut propatulo Henain, vel in propatulo oculorum. Eſt autem ambigua ſententia, an Henain, quod plurale eſſe poteſt ab hana, oculo ſcilicet, ſignificet hic ipſos oculos, vel loci propriū nomen ſit, ſicut volunt Septuaginta, & apud Hebræos nonnulli. Septuaginta enim hanc vocem vt nomen loci vertunt καὶ ἐκάθισε πρὸς πύλαις αἰνάν. Et ſedit ad portas Enan. Auen Eſra quoque inquit ויש אומרים כי שני מעינות היו בדרך ויש להם בדמות פתח ומשם יעבור יהודה. Hoc eſt, Sunt qui dicant, duos ibi fuiſſe fontes in via, qui & portarum haberent ſimilitudinem, atque inde tranſijt Iuda. Hæc ideo ſcribit Auen Eſra, quòd Henaim, Hebraice fontes quoque ſonet, poteſtque numerus dualis eſſe, qui apud Hebræos ſæpe reperitur. Quod autem Hieronymus vertit biuium, ſatis clarum eſt, vnde ſumptum ſit, quia ſcilicet locus patens eſſet, & omnibus notus vbi illa ſederat. Chaldaica vero editio, quaſi & ipſa innuere videtur, Henaim nomen eſſe loci, eo quòd nomine ipſo vſa eſt. Ipſe quoque Hieronymus, in libro de locis Hebraicis teſtatur Hebræos ſentire, Henaim ſignificare biuium, quaſi locum, vbi quoquo velis, oculos poſſis flectere.

Quod & nurus ſua eſſet.] Non diſſentit ab Hebraico, כלתו id eſt, nurus ſua. At perperam Septuaginta hanc, ſponſam eius faciunt, dicentes, οὐ γὰρ ἔγνω ὅτι ἡ νύμφη αὐτοῦ ἐστί, id eſt, Neque enim ſciebat, quod ſponſa ſua eſſet. Quòd ſi ſponſa Iudæ erat, nullum ſcelus perpetratum fuiſſet. Neque ea vtendum fuerat excuſatione. Quare locus emendandus omnino eſt.

Patiar quod vis, ſi dederis harrabonem.] Additum hoc totum ab Hieronymo explicandæ rei gratia, tantummodo enim in Hebraico legitur אם תתן ערבון עד שלח, hoc eſt: Num dabis harrabonem quouſq; miſeris? Eodemq; modo Septuaginta, ἐὰν δῷς ἀῤῥαβῶνα. Si dederis harrabonē. At illud

obſeruan-

obſeruandum, quòd male vterque accepit coniunctionem Hebraicam אם, id eſt, ſi, quæ aliquando conditionalis, ſæpe negatiua, ſæpe interrogatiua eſt, vt hoc loco. Quare non erat vertenda in, ſi, ſed, at, aut, non. Vt diceret Thamar, an dabis mihi harrabonem? Narrabo autem vox eſt Hebraica, ſicut hinc facile licet cognoſcere, qua Latini & Græci vtuntur. D

Armilla.
Hormilla.

Armilla.] A Græco ducitur, hormos enim humerus, à quo diminutiuum hormiſcos, humerorum ſcilicet ornamentum. Atque ideo fortaſſe, ſcribi debet hormilla, non armilla: quanquam ſolemus in pleriſque vocibus Græcis, cùm Latinæ fiunt, aliquas litteras immutare, ſunt tamen qui putent duci, ab armis.

Certe mendacij nos arguere non poteſt.] At Hebraicè non is ſenſus eſt, hęc enim aliud ſonant תקח לה פן נהיה לבוז, id eſt, ſumat ſibi ne forte ſimus in contemptum. Nolebat enim pignus repetere, accuratiusque de eo inueſtigare, ne in vituperationem ſibi verteretur: quod & Septuaginta innuere videntur, ἀλλὰ μή ποτε καταγελασθῶμεν. At ne forte irrideamur.

Iuſtior me eſt.] Eodem modo Hebraice צדקה ממני, Iuſtior præ me eſt. At male hæc locutio exprimitur à Septuaginta, δεδικαίωται θαμὰρ ἢ ἐγώ, id eſt, Iuſtificata eſt Thamar, quam ego: obſcuritasq; hæc profecta eſt, quòd non accommodarunt ſermoni Gręco modum loquendi Hebraicum. Quod autem hoc loco Hieronymus, in Hebræo ait haberi, Iuſtificata eſt ex me, patet non modo reſoluendam comparationem Hebraicam, explicat tamen ipſe ſeipſum.

Repagulū
Maceria.
Phares.

Quare diuiſa eſt ſuper te maceria.] מה פרצת עליך פרץ, eſt, Quare diuiſiſti ſuper te diuiſionem. Eſt ergo in multis varietas, Hieronymus ſecutus eſt in totum, hoc loco Septuaginta, τί διεκόπη διὰ σὲ φράγμα, id eſt, Quare diſiecta eſt per te ſepes, aut repagulum? Repagulum autem ſiue maceriam intelligit Hieronymus, ſecundas, quæ embryonem contegunt, quæ à Phares diruptæ ſunt, ex eoque nomen accepit. Phares enim Hebraicè diuiſio. Nam cùm Zaram debuerit eſſe primogenitus, eo quòd prius protulit manus, attamen rupta membranula exijt prior Phares, quod annotatur & à Diodoro ſic, δεῖ δὲ ἐπισημαίνεσθαι, ὅτι ἡ μὲν φύσις τὸν ζαρὰ πρωτότοκον ἐποίει, προσενεγκόντα τὴν χεῖρα, ὁ δὲ θεὸς, τῷ φαρὲς παρέχει τὸ ἀξίωμα, ἐξ οὗ τὸ βασιλικὸν γένος, καὶ ὁ δαβὶδ, καὶ ὁ κύριος, id eſt, Animaduertendum eſt, quod natura quidem, primogenitus erat Zaram, qui prior manum protulerat: at vero Deus, ipſi Phares tribuit principatum: ex quo genus regium profectum eſt, & Dauid, & ad poſtremum, etiam dominus. Symmachus autem & Aquila, etiam ipſi verterunt diuiſionem, id quod interpretatur Hieronymus maceriam. Quod & ab aliquibus Græcis magis approbatur, propter nomen ipſius Phares. Diodorus enim inquit, ὁ δὲ σύρος καὶ ὁ ἑβραῖος φασὶν, τί διεκόπη ἐπὶ σὲ διακοπή. Syra inquit, & Hebraica editio habent: cur diuiſa eſt ſuper te diuiſio? E

CAPVT XXXIX.

NEc quicquam aliud nouerat.] Ipſe videlicet dominus, quia omnia in manu Ioſeph tradiderat: quod clarius his verbis Hebraicè exprimitur, ולא ידע אתו מאומה, id eſt, Et non recognoſcebat quicquam cum eo. Nullam ſcilicet rationem reddebat Ioſeph rerum ab ſe geſtarum, hero ſuo. Septuaginta quoque apertius quàm noſtra editio, hoc quòd de hero Ioſeph dicitur, explicant, καὶ οὐκ ᾔδει τῶν καθ᾽ αὐτὸν, οὐδέν. hoc eſt. Neque norat quicquam eorum, quæ ad ſe pertinerent, herus ſcilicet. F

Operi nefario.] Additum exprimendæ rei gratia, ab Hieronymo, nam Hebraice tantummodo eſt, וימאן, id eſt, Et recuſabat. Atque eodem modo apud Septuaginta inuenies, ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν. At is nolebat.

Nec quicquam eſt, quod in mea non ſit poteſtate.] Hebraice ad perſonas refertur איננו גדול בבית הזה ממני id eſt. Et non eſt me maior in hac domo. Quæ ſententia male à Septuaginta verſa eſt, καὶ οὐχ ὑπάρχει, ἐν τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ, οὐθὲν ἐκτὸς μοῦ, id eſt, Et non eſt in hac domo quicquam præter me, niſi forte à librarijs locus corruptus ſit, vt deſit μέγα, vel μεῖζον.

Phutiphar

Domina ſua.] אשת אדוניו id eſt, Vxor heri ſui, quemadmodum & Septuaginta, ἡ γυνὴ τοῦ κυρίου αὐτοῦ. Vxor domini ſui. Quod certe mirum videtur: cùm is ſit Phutiphar Eunuchus, de quo ſuperius habita mentio eſt. Quamobrem, ſi Eunuchus erat, quomodo habebat vxorem? frigidaq; admodum eſt expoſitio Nicolai, quòd is non fuerit vere Eunuchus, ſed quòd mos eſſet, omnes regios miniſtros qui fideles eſſent, Eunuchos vocare. Neque enim eum diuinæ litteræ Eunuchum vocaſſent, ſi non fuiſſet, cùm non ſoleant alibi eo modo loqui: quanquam hoc quod attulit Nicolaus, etiam quidam Græci expoſitores adduxerint, quòd miniſtri regibus fideles, Eunuchi vocentur. Quod an verum ſit, non auſim aſſerere. Iuuantur tamen hi & ab editione Chaldaica, quæ innuit, hunc vocatum Eunuchum, non quod re vera eſſet, ſed de more, quia omnes regij miniſtri, quibus pellicum aſſeruandarum cura traderetur, Eunuchi efficerentur. Appellat enim hunc, quem Hebraica veritas vocauit Eunuchum, Onchelos rabrabam, hoc eſt præfectum ac ſatrapam. Eunuchi vero, quanquam exectis eſſent virilibus, non propterea, amore fœminarum non capiebantur & eis vt poterant non abutebantur, in cuius rei fidem, voluimus in medium afferre quæ de ea re apud Philoſtratum in vita Apollonij extet, licet fortaſſe plura quàm æquum ſit.

Eunuchi etiã amore mulierum capiebantur.

A ſit. Apud eum ergo hæc legimus. Intertogauit enim Apollonius regem Babiloniorum, ὦ Δάμι ἔφη θεωρῶ πρὸς ἐμαυτὸν, ἐξ ὅτου ποτὲ, οἱ βάρβαροι, τοὺς εὐνούχους σώφρονας τε ἡγοῦνται· καὶ ἐς τὰς γυναικωνίτιδας ἀπάγονται, ἀλλὰ τοῦτο ἔφη, ὦ ἀπολλώνιε, καὶ τῷ παιδὶ δῆλον, ἐπειδὴ γὰρ ἡ τομὴ, τὸ ἀφροδιάζειν ἀφαιρεῖται σφᾶς, ἀνεῖνται σφίσιν γυναικωνίτιδες, κἂν συγκαθεύδειν ταῖς γυναιξὶ βούλωνται. τὸ δὲ ἐρᾶν εἶπεν, ἢ τὸ συγγίνεσθαι γυναιξὶν, ἐκτετμῆσθαι αὐτοὺς οἴει, ἄμφω ἔφη. εἰ γὰρ σβεσθείη τὸ μόριον, ὑφ' οὗ διοιστρεῖται τὸ σῶμα, οὐδὲ ἂν τὸ ἐρᾶν ἐπέλθοι, οὐδένα. ὁ δὲ, βραχὺ ἐπισχὼν, αὔριον ἔφη, ὦ Δάμι μάθοις ἂν, ὅτι καὶ εὐνοῦχοι ἐρῶσι, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, ὅπερ εἰσάγωνται διὰ τῶν ὀφθαλμῶν, οὐκ ἀπομαραίνεται σφῶν, ἀλλ' ἐμμένει θερμόν τε καὶ ζώπυρον. δεῖ γὰρ παραπεσεῖν, ὃ σὸν ἐξελέγξει λόγον. multis autem interpoſitis, infertur. τοιαῦτα διαλαλούντων πρὸς ἀλλήλους κραυγὴ τῶν βασιλείων ἐξεφοίτησεν, εὐνούχων τε καὶ γυναικῶν ἅμα. εἴληπτο δὲ ἄρα εὐνοῦχός τις, ἐπὶ μιᾷ τῶν τοῦ βασιλέως παλακῶν συγκατακείμενός τε, καὶ ὁπόσα οἱ μοιχοὶ πράττων, καὶ ἦγον αὐτὸν ἀμφὶ τὴν γυναικωνῖτιν, ἐπισπῶντες τῆς κόμης, ἐπειδὴ ὁ πρεσβύτατος τῶν εὐνούχων, ἐρῶντα μὲν τῆς γυναικὸς πάλαι ᾐσθῆσθαι ἔφη, καὶ προειρηκέναι οἱ. μὴ προσδιαλέγεσθαι αὐτῇ, μηδὲ ἅπτεσθαι δέρης ἢ χειρὸς, μηδὲ κοσμεῖν μόνην τῶν ἔνδον, νῦν δὲ συγκατακείμενον εὑρηκέναι, καὶ ἀνδροιζόμενον ἐπὶ τὴν γυναῖκα. Quorum omnium is ſenſus eſt, vt gratificemur his, qui Græce neſciunt. Confabulabatur Apollonius cum Dami Babyloniorum rege, interque cætera dixit, Sæpe ò Dami mecum miratus ſum, cur barbari putent Eunuchos caſtos ac modeſtos, eiſque mulierum cuſtodiam permittant? At hoc, inquit, Damis, vel puero eſt perſpectum. Nam cum eis coeundi facultatem, exectio ademerit, eò ad cubilia fæminarum ſeruanda dimittuntur, permittiturque eis, vt cum illis pro arbitratu ſuo quicquid velint faciant, etiam ſi vna dormire voluerint. An verò, in-
B quit Apollonius, eo quòd execti ſunt exiſtimas, eis & amandi & coeundi cum mulieribus facultatem ademptam eſſe? Vtrunque, inquit. Nam ſi ea pars extincta eſt, quæ ad libidinem vniuerſum corpus inflammat, ne amore quidem rei venereæ affici poſſunt. Tum Apollonius aliquandiu tacitus, cras inquit, intelliges, eunuchis non eſſe extinctam cupiditatem ac libidinem, earum rerum, quas oculis hauſerint, ſed ardere in eis ac viuere. Neceſſe enim eſt aliquid eiuſmodi incidere, quo tua poſſit refelli oratio: deinde interiectis multis, additur, Hæc cùm inter ſe diſſererent, clamor ex tota regia cooritur, eunuchis & fæminis ſimul vociferantibus. Deprehenſus autem fuerat quidam ex Eunuchis, ſuper vnam ex pellicibus incubare, & ea omnia agere, quę ſolent adulteri. Trahebatur autem per comam, per vniuerſum locum, vbi pellicibus erat habitatio. Nam cùm omnium Eunuchorum maior natu, eum amare pellicem ſæpe percepiſſet, eique & acceſſum & colloquium cum ea interdixiſſet, neu aut manum aut genas eius contingeret, neque eam vnam ex omnibus, excoleret, is tamen tunc ab eo inuentus fuerat, cum ea concumbere, & ea omnia abſoluere, quæ viri ſolent cum mulieribus, hæc ille. Hoc fit etaim manifeſtius ex his quæ inueniuntur apud interpretem Gregorij de quibuſdam virginibus. Vbi citatur quorundam ſententia, καὶ φασὶν ὅτι πολλαὶ τῶν γυναικῶν, ἵνα δοκῶσι παρθενεύειν, εἰώθασιν ἐπιρρίπτειν ἑαυτὰς τοῖς εὐνούχοις διὰ τὸ ἄγονον, οἵ τινες, οὐκ ἄνδρες, ὡς ἄγονοι, ἄνδρες δὲ διὰ τὸ δύνασθαι συνουσιάζειν, hoc eſt, Dicuntque hi, quòd pleræque mulieres, vt viderentur ſeruare virginitatem, ſolebant ſubijcere ſe Eunuchis, eo quod eſſent infœcundi, neque poſſent gignere: qui viri quidem non ſunt, quod gignere non poſſunt, viri autem ſunt, quia poſſunt coire. Obſeruandum quoque eſt, quòd is non eſt ille Phutiphar, ſacerdos Heliopoleos, cuius filiam duxerit
C Ioſeph. Nam is, alijs litteris Hebraice ſcribitur. Is ergo cuius hic meminimus, vocatur פוטיפר, id eſt, potiphar, at ille פוטיפרע, hoc eſt, potipherah. Sunt autem ſimillima nomina, non tamen eadem, ſicut pleraque eiuſmodi, in hiſce litteris inueniuntur, quæ apud Latinos videntur eſſe eadem, vt eſt Ioachin, & Iehoachin, & Isboſeth, & Miphisboſcet, quæ clariſſime diſtinguuntur Hebraicè. Hæc diximus, quòd multi Hebræorum aſſerant ſacerdotem illum Heliopoleos eſſe hunc, qui emerit Ioſeph, eumque domui ſuæ præfecerit, quod an verum ſit, neque refelli, neque approbari ſine temeritate poteſt.

Eunuchi etſi non gignant, coeunt tamē.

In dominum meum.] Non ipſum herum intelligit, ſed Deum: quod dubium fecit Hieronymus addendo, meum, cùm Hebraice non haberetur. Dominus autem hic eſt nomen Dei, ſcilicet Elohim, ſic enim, ait Ioſeph, וחטאתי לאלהים, id eſt, Et peccabo Deo, quemadmodum Sept. καὶ ἁμαρτήσομαι ἐναντίον τοῦ θεοῦ, id eſt, Et peccabo coràm Deo. Ex his autem quæ poſt hæc ſequuntur, licet videre, quàm eleganter, quàm dilucide, locutiones Hebraicas verterit Hieron. quæ per ſe horridæ ac triſtes ſunt. Confer editionem Septuaginta, videbis quantum interſit, tum in ſententijs exprimendis, tum tota orationis proprietate.

Dormi mecum.] שכבה עמי id eſt, Iace, concumbe mecum: eodemque modo alijs in locis exponendum. Eſt autem idioma Hebraicum. Septuaginta tamen etiam ipſi vertunt, Dormi mecum κοιμήθητι μετ' ἐμοῦ. Clarius autem hæc proprietas cognoſcitur Exodi cap. 22. vbi præcipitur כל שכב עם בהמה מות יומת quæ ſententia ſi Latina reddenda eſſet, eſſet dicendum, Omnis qui dormierit cum iumento, morte moriatur. Quod patet eſſe abſurdum: nam id non præcipitur, quod poteſt ſine crimine fieri, eum tamen locum præſtiterunt Septuaginta interpretantes πᾶν κοιμώμενον μετὰ κτήνους. vbi dupliciter erratur, vt ibi notatum eſt.

CA-

CAPVT XL. D

D*Vo eunuchi.*] Hoc in contextu Hebraico non habetur : ſed tantum חטאו משקה מלך והאופה id eſt, Et peccauerunt, pincerna regis & piſtor. Etiam apud Septuaginta tacentur eunuchi hoc loco, ἀρχοινοχόος & ἀρχισιτοποιός. id eſt, Pincernarum princeps, aut princeps vinariorum, vt habebat antiqua editio Latinorum, ac piſtoribus præfectus. Poſitum tamen eſt hoc loco, quod paulo poſt declaratur, ſequitur enim ויקצף פרעה על שני סריסים id eſt, Et iratus eſt Pharao, contra duos eunuchos. Quod autem dicit Hieronymus eodem nomine appellari hic pincernam, quo ſuperius, ſeruus Abraham, miror, cum hoc minime verum ſit. Ille enim vocatus eſt משק Meſech, at is, משקה maſche. Et alterum quidem, nomen proprium eſt, alterum, participium à שקה hoc eſt, bibit : credo ex codicibus varietatem hanc accidiſſe, vt alia eiuſmodi deprehendimus.

Tria caniſtræ farinæ.] Pro eo, quod farinam vertit Hieronymus, Hebraice eſt חורי id eſt, candida : per candorem itaque putauit intelligendam eſſe farinam: quod tamen quidam Hebræorum, ad caniſtra referunt, quæ viminea ſint ac propterea alba, ac candida : vt textus Hebraicus, ita ſit intelligendus, Tria caniſtra candidiſſima, quæ eorum eſt natura. Quoniam vero vox Hebraica חורי, etiam foramen ſignificat, ſunt qui interpretentur tria caniſtra foraminata. Quæ vtraque expoſitio, propter verborum πολύσημον non videtur improbanda. Septuaginta ſunt cum Hieronymo τρία κανᾶ χονδριτῶν, id eſt, Trina caniſtra farinarum. Quod annotauit etiam diuus Auguſtinus, qui teſtatur eo modo, vt nos protulimus haberi Græce, ſed χονδριτὰ hoc loco panes cibarios ſignificare, propterea vertit in dubium, an in eis caniſtris, panis eius generis eſſe potuerit. Tollitur autem ambiguitas, ſi ad Hebraica animaduertamus, quæ alio modo habent, quàm verterint Septuaginta. E

Vt coniectatoris veritas probaretur.] Eadem Hebraicè, ſed alio modo כאשר פתר להם יוסף id eſt, Quemadmodum interpretatus fuerat eis Ioſeph. Quod etiam Septuaginta καθὰ συνέκρινεν αὐτοῖς ἰωσήφ, Quemadmodum coniectarat eis Ioſeph. Neque id refert magnopere, cùm is ſit interpretum mos, vt mutent verba ac ſeriem orationis, non immutatis ſententijs : quòd ſi quis Iudæus id damnet, ſciat ſe per inſcitiam labi ac prauitatem : aut, quod illi genti peculiare eſt, ex maledicendi libidine, quod in noſtram editionem ſolent ſæpe facere, calumniari. Sed facile ab eruditis, & qui eorum animos propius olfecerunt contemnuntur.

CAPVT XLI.

P*Oſt duos annos.*] Is locus in codicibus impreſſis corruptus eſt, habent enim ἐγένετο δὲ μετὰ δύο ἡμερῶν. Dicendumq; ἐγένετο δὲ μετὰ δύο ἔτη ἡμερῶν. Hoc eſt, factum eſt poſt duos annos dierum, ſicut habebant vetuſtiores, & emendatiores codices. Quod autem addiderunt Septuaginta interpretes, dierum, ex Hebraico idiomate eſt profectum, quod hoc loco, eo modo loquitur, מקץ שנתים ימים id eſt, Poſt duos annos dierum. Eleganter autem & venuſte omiſſum eſt ab Hieronymo, dierum. Aduerte quoque quòd hoc loco, eſt dualis numerus, frequens in ſacris litteris, cùm ſcilicet pluralis ponitur, nullo addito numero, qui crebro nobis occurret. F

Deuorauntq; eas, quarum mira, &c.] Poſt hæc verba redundat in codicibus impreſſis aliquid, quod inepte pariter & ſuperuacaneo eſt additum. καὶ ἰδοὺ ἄδηλοι ἐγένοντο, ὅτι εἰσῆλθον, εἰς τὰς κοιλίας αὐτῶν, id eſt, Et ecce, euanuerunt, quia in ventrem earum fuerant ingreſſæ, eſt autem ea ſententia paulo inferius.

Percuſſæ vredine.] Eleganter, hoc & accommode à Septuaginta, ἀνεμόφθοροι vento corruptæ.

Abſque me Deus &c.] Eodem modo habent & Hebraica בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה id eſt, Abſq; me Deus reſpondebit pacem Pharaoni. At Septuaginta aliquanto ſecus ἄνευ θεοῦ, οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον φαραῶ. Abſque Deo, non reſpondebitur ſalutare quicquam Pharaoni. Eadem tamen eſt ſententia, aliterque Græco ſermoni accommodata à ſeptuaginta.

Quintam partem fructuum.] וחמש את ארץ מצרים Et quintam colligat partem ex terra Aegypti. Is locus videtur eſſe mendoſus apud Septuaginta in codicibus impreſſis : nã cùm vellet verbi Hebraici proprietatem exprimere, finxerunt & ipſi nomen ab eo quod eſt πέντε, ſicut Hebraice à chamas, hoc eſt quinque, factum eſt chimes, perinde ſi diceres quinquauit, ſicut à decem decimauit : ergo & Septuaginta à πέντε, fecerunt πεντοῶ, inde ἀποπεντοῶ. Ita hoc loco eſt ἀποπεμπέτωσαν, hoc eſt mittant : pro eo, quod erat dicendum ἀποπεντάτωσαν, id eſt, quintam partem capiant : conſultis quoque vetuſtioribus codicibus eos ſic habere inuenimus ἀποπεντωσάτωσαν.

Saluatorem mundi.] Voces quæ hoc loco ponuntur, quas Septuaginta non interpretatas omiſerunt, quaſi earum ſignificata ignorarent, aut Aegyptiacæ aut Chaldaicæ ſunt : faceturque ſe ignorare Auen Eſra, Hebræorum interpres, quid proprie ſignificent, itaque ſuper hunc locum ait, אם זאת המלה מצרית לא ידענו ואם מתורגמת לא ידענו שם יוסף hoc eſt, Si ea vox Aegyptia eſt, interpretari eam

non

A non poſſumus, at ſi Chaldaica, ignoramus nomen Ioſeph. Hieronymus tamen interpretatus eſt Saluatorem mundi, dicitque eas Hebraice ſignificare abſconditorum repertorem: ſed non eſſe eas Hebraicè interpretandas, ſed Aegyptiace. Nam ipſarum litterarum forma videtur externa eſſe, non Hebraica. Itaque veriſimile eſt, eum diligenter ſuper ea re requiſiſſe, atque eo modo reddidiſſe. Cui etiam gratiæ plurimæ ſunt habendæ, quòd rem obſcuram, & ab ipſis Septuaginta ignoratam & ab Hebræis, nobis aperuerit. Sunt autem hæ voces corruptæ apud Septuaginta. Cùm enim Hebraice hoc modo ſcribantur צפנת פענח zaphanat phanac, apud illos legimus ψὸμ θομφανὴχ. Niſi forte ſtudioſe eas immutarint, quòd ab Aegyptijs intellexiſſent, apud Hebræos potius eſſe corruptas. Quod mihi non fit veriſimile. Theodoritus earum vocum, eandem attulit ſignificationem quam & Hieronymus. Siquidem hæc ſcribit, τίνα ἑρμηνείαν ἔχει, τὸ ψὸμ θομφανὲχ, τὴν ἀπορρήτων ἑρμηνευτὴν αὐτὸν κέκληκεν, ὡς τοὺς ὀνείρους διασαφήσαντα. Hoc eſt, Quam interpretationem habet pſon thomphanec reſpondet. Pharao appellauit Ioſeph arcanorum interpretem, eo quòd ſomnia interpretari potuerit.

CAPVT XLII.

NE forte in itinere quicquam patiatur mali.] פן יקראנו אסון id eſt, Ne forte occurrat ei mors: at Septuaginta, Neſcio quid aliud μήποτε συμβῆ αὐτῷ, μαλακία ἐν ὁδῷ, id eſt, Ne forte laſſitudo accidat ei in itinere.

Quaſi ad alienos durius loquebatur.] Hoc obſcurius vertitur à Septuaginta, Hebraico idiomati nimium adhærentibus, ויתנכר אליהם Et alienum ſe reddebat eis, alienabatur eis: at illi ἠλλοτριοῦτο
B ἀπ' αὐτῶν. Alienatus eſt ab eis, nam ad locum potius id apud Græcos pertineret.

Infirmiora terræ.] ערות הארץ Deformitatem aut nuditatem terræ: cur vero, tam varij ſunt Septuaginta vertentes ἴχνη τῆς χώρας, veſtigia regionis: patet enim, id multo diuerſius eſſe, quàm Hebraica veritas habeat.

Pacifici venimus.] כנים אנחנו id eſt, Recti, ſynceri ſumus. Hieronymus ſeptuaginta ſequitur, qui eodem modo reddiderunt εἰρηνικοί ἐσμέν, id eſt, pacifici ſumus.

Per ſalutem Pharaonis.] חי פרעה id eſt, Viuat Pharao. Secutus eſt ipſe noſter interpres Septuaginta, qui & ipſi νὴ τὴν ὑγίειαν φαραώ. Per ſalutem, vel incolumitatem Pharaonis.

Et non moriamini.] Hebraica quoque ſimiliter. ולא תמותו Et non moriamini. Septuaginta quanquam parum referat, multo diuerſius. εἰ δὲ μὴ ἀποθανεῖσθαι. Quod ſi non moriemini. Patetque non fuiſſe eo modo ſententiam peruertendam.

Merito patimur.] אבל אשמים אנחנו id eſt, Profecto ſcelerati ſumus nos: ſic & Septuaginta, ναὶ ἐν ἁμαρτίᾳ γάρ ἐσμεν, id eſt, Vtique in peccato enim ſumus. Eſt autem mendoſus is locus in codicibus impreſſis, in quibus pro ναὶ, ſcriptum eſt ναιὸν, quod nihil omnino ſignificat.

CAPVT XLIII.

NOs & paruuli noſtri.] וכאת id eſt, Paruuli noſtri: quod male Septuaginta, ad vniuerſam ſupellectilem retulerunt. καὶ ἡ ἀποσκευὴ ἡμῶν. Hoc eſt, Et ſupellex noſtra: quod videmus longe aliud eſſe, nullaque coniectura aſſequi poſſumus, ex qua cauſa id profe-
C ctum ſit. Aſcribere autem eorum inſcitiæ, videtur penè nefas, inexpiabileque facinus: ſed vtcunque, non poſſumus non vera loqui, in ſequentibus quoque inuenies eos ſemper reddidiſſe ſupellectilem, quod erat infans.

Et ſtoracis.] וכאת Necoth, quod ſuperius verterat aromata, ideoq; & Septuaginta, hoc interpretantur thymiama. Dicunt autem Hebræi, eo nomine, omnia aromatum genera ſignificari. Atque ideo Chaldaica editio, id nomen vertit gazam, omnia ſcilicet cara ac precioſa.

Et terebinthi.] בטנים hoc eſt, Pineæ, ſicut aſſerunt Hebræi. Aquila & Symmachus vertunt amigdala. At Hieronymus non diſſentit à Septuaginta, καὶ στακτὴν, καὶ τερέβινθον. Et ſtactem & terebinthum. Quæ autem ſcribat Dioſcorides, Plinius, atque alij de terebintho, longe abeſt à noſtro inſtituto huc proferre, cum nec res adeo obſcura ſit. Eſt autem terebinthus quæ τέρμινθος vocatur, vtilis in folijs, fructu, & cortice, vt teſtatur Dioſcorides, de qua non eſt prolixius loquendum, cùm in Hebraicis codicibus nulla ſit de terebintho mentio. Terebinthus.

Adhuc viuit.] Poſt hæc verba, redundat aliquid in codicibus Græcis impreſſis, ſcilicet εὐλογητὸς ἄνθρωπος ἐκεῖνος κυρίῳ. Benedictus vir ille à domino: quod Hebraice non habetur, interiectumque eſt ex alio quodam loco.

Illicitum eſt Aegyptijs comedere cum Hebræis.] Hic quoque aliud redundat in Græcorum codicibus, additaque eſt periodus, ex alio loco, quæ nequaquam huc quadrat, additur ſcilicet βδέλυμα ἐστὶ γὰρ αἰγυπτίοις, πᾶς ποιμὴν προβάτων, id eſt, Abominatio enim eſt Aegyptijs, omnis paſtor ouium. Nihil enim de paſtoribus hic narratur, ſed multo inferius, in alio capite.

CA-

CAPVT XLIIII.

D

AN ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei, in augurandi ſcientia.] Paulò diuerſius ab Hebraico הלא ידעתם כי נחש ינחש איש אשר כמוני id eſt, An neſcitis quia augurando auguratur vir, ſicut ego. Hieronymus videtur legiſſe cum negatione: attamen etiam Septuaginta non diſſentiunt ab Hebraico, οὐκ οἴδατε ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνίσεται ὁ ἄνθρωπος, οἷος ἐγώ. Num ſcitis quòd augurio auguratur vir, qualis ego. Quamobrem, non eo modo ſeſe iactat Ioſeph, ſed rem omnibus principibus ſolitam, de ſe refert. De quo augurio ſcribit Theodorus, ταῦτα δὲ ἔλεγεν, οὐ μαντείᾳ καὶ οἰωνοῖς κεχρημένος, ἀλλὰ πρὸς τὴν προκειμένην ὑπόθεσιν σχηματίζων τοὺς λόγους. Hæc, inquit, dicebat, non quod vaticinio, atque augurijs vteretur, ſed quæ ad propoſitam fabulam facerent, loquebatur.

Tu es poſt Pharaonem.] Sequitur Septuaginta, ὅτι σὺ μετὰ φαραώ, quia tu es poſt Pharaonem. At Hebraicum aliquid maius כי כמוך כפרעה quia ita tu, ſicut & Pharao.

CAPVT XLV.

Terra Goſea.
Iſai pater Dauid non Ieſſe.

HAbitabis in terram Ieſſen.] Ne quam falſam expoſitionem ex hoc loco, vt fit, eliceremus: aduertendum, id nomen eſſe corruptum. Nam pro eo quod eſt גשן ghoſen, factum eſt Ieſen. Ieſſe quoque vt ſuo loco dicetur, corruptum eſt. Et vbicunque Ieſſe apud nos reperitur, Hebraice eſt Iſai, pater ſcilicet Dauid. Eo quoque loco, exiet virga de radice Ieſſe, dicendum eſt, de radice Iſai: falluntur itaq; qui putant, patrem Dauid fuiſſe binominem, vocatumque Iſai & Ieſſe, ſed corrupte eo modo à Græcis Latiniſq; nuncupatur. Addiderunt etiam hic aliquid Septuaginta κατοικήσεις ἐν γῇ γεσὲμ ἀραβίας. Habitabis in terra Geſem Arabiæ. Nam is locus, in Arabia eſſe non poterat, cùm ea poſita ſit trans mare rubrum, interque Aegyptum & Arabiam, interiaceat ſinus Arabicus: quare amouenda eſt ἀραβία, quod etiam annotatur ab Hieronymo. E

Gauiſus eſt Pharao.] וייטב בעיני פרעה Et placuit in oculis Pharaonis, Hieronymus à Septuaginta non diſſentit ἐχάρη δὲ φαραώ. gauiſus eſt autem Pharao.

Medullam terræ.] חלב הארץ Pinguedinem terræ, adipem terræ. Septuaginta quoque, ſicut Hieronymus μυελὸν τῆς γῆς medullam terræ: idem certe ſentiunt.

Stupor.

Quaſi de graui ſomno euigilans.] Hæc omnia addita ſunt ab Hieronymo explicandæ rei gratia, cùm Hebraicè tantummodo habeatur ויפג לבו כי לא האמין להם, id eſt, Et vacillauit cor eius, quia non credebat eis. Septuaginta tamen etiam ipſi ad ſtuporem referunt καὶ ἐξέστη τῇ διανοίᾳ ἰακώβ. Et extaſi correptus eſt Iacob. Patet autem, non ad ſtuporem, ſed incredulitatem referendum. Additur enim quia non credebat eis. Quod ſi obſtupuiſſet, vtique etiam crediſiſſet. Siquidem ſtupor, eſt rerum vehementiſſime impreſſarum, & quarum eſt maxima repræſentatio, quæ autem non creduntur, nullum efficiunt in animo veſtigium.

CAPVT XLVI.

E

OMnes animæ quatuordecim.] Sicut habent Hebraica. ארבעה עשר, id eſt, Quatuordecim: at Septuaginta, qui maxime in his numeris recenſendis mendoſiſſimi inueniuntur, habent πᾶσαι ψυχαὶ δεκαοκτώ. Omnes animæ decem & octo. Atque eodem modo etiam habebant vetuſtiores codices: quod certe maxime mirum: atque ex hac cauſa, natus eſt & is qui ſequitur error.

Fuere ſeptuaginta.] Non diſſentit ab Hebraico. שבעים, id eſt, Septuaginta. At interpretes Septuaginta, addunt huic numero quinque. Hæc corruptela ſiue à librarijs profecta ſit, ſiue ab ipſis interpretibus, fecit vt etiam Actuum apoſtolorum cap. 7. is locus male legatur. Neque opinandum eſt, diuum Lucam, Hebraica quomodo ſe haberent ignoraſſe, ſed vel hunc locum, vt ſe haberet ea tempeſtate, citaſſe, vel eandem ibi corruptelam, à librarijs accidiſſe, quæ & hic. Hæc ergo eſt eius nodi ſolutio, quem dicunt Hieronymum ligaſſe, ac non ſoluiſſe: quòd ille locus diſſentiat ab iſto in noſtra editione: vt ibi habeatur cum ſeptuagintaquinq; animabus deſcendiſſe Iacob in Aegyptum, hic cùm ſeptuaginta tantum. Facilis autem erat ſolutio, ſi Septuaginta in omnibus locis, editio animaduerſa fuiſſet, cùm ea in numeris ſit mendoſiſſima. Quod autem non ſit profectus à Septuaginta is error, indicio eſt, quia in Deuteronomio, apud eos is locus recte legitur, & ſecundum Hebraicam veritatem. Neque etiam illud eſt verum, quòd per anticipationem locuti ſint. Alioqui, & alia errata, eſſent eadem ratione defendenda: ſed quod eſt & pium & verum, non Septuaginta, ſed librarijs eum errorem adſcribamus. Lucas autem, ſiue quòd Hebraicè neſciret, ſiue quia ad docendos homines nihil referre putaret ab Hebraica veritate alicubi diſſentire, ſed potius approbare editionem Septuaginta, quæ vbique erat receptiſſima, & maximæ venerationi habita, teſtimonium, vt erat iam vulgatum citauit: quod & reliqui Apoſtoli fecerunt, qui magis ad gis ad editionem Septuaginta, teſtimonia citabant, quàm ex Hebraicis codicibus. Sæpe enim ſolet eſſe magis arguta quàm pia eiuſmodi ſollicitudo, vſque ad vnguem reſecare, quid quęque dictio ſignificet, quod grauiſſimi ſanctiſſimique viri libenter vitabant.

Et ille occurrit in Ieſſem.] Ex hoc loco etiam cognoſcitur, quod modo dicebamus, non omnia errata, quæ in editione Septuaginta reperiuntur, illis eſſe attribuenda. Quis enim adduci poſſet, vt crederet, tam paruo ſpacio, eſſe eos homines ſui oblitos, vt locum, quem ſuperius verterant Geſem, hic eundem in Raceſſam commutarint, transferentes εἰς γῆν ῥακεσάμ. cum Hebraice ſit idem nomen hic atque ibi: quare alijs cauſis tantam deprauationem aſcribamus. Ex eadem etiam re prouenit, vt additum ſit, occurrit eis, καθ' ἡρώων πόλιν. Ad vrbem heroum: cuius vrbis, quia neque ſacer contextus meminit, neque interpretes alij quicquam ſuper ea re tradiderunt, fateamur neceſſe eſt, additum id eſſe ab alijs, ſiue peritis, ſiue imperitis, quod etiam annotauit Hieronymus.

Superſtitem te relinquo.] כי עודך חי, Quia adhuc viuis: ſic & Septuaginta ἔτι γὰρ ζῇς. Adhuc enim viuis, nec ad mortem ipſius Iacob id referamus.

CAPVT XLVII.

NOn celamus domino.] לא נכחד Non celabimus. Duplicis autem ſignificationis eſt verbum cachad, nam & celare, & extirpare denotat, atque hinc factum eſt, vt in alium ſenſum verterint Septuaginta μή ποτε ἐκτριβῶμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Nunquid abſcindemur à domino noſtro: vel, ne forte excindamur a domino noſtro. Sed clarum eſt, hunc locum intelligendum eſſe, vt vertit Hieronymus.

כחד

Salus noſtra in manu tua.] החיתנו Viuificaſti nos. Atque inde eſt, quòd etiam Septuaginta ad Hebraicam ſcripturam loquuntur. σέσωκας ἡμᾶς. Seruaſti nos, beaſti nos.

Conuerſus ad lecti caput.] על ראש המטה Super caput lecti. At Septuaginta, æquiuocatione decepti ſunt. Nam eadem dictio, ſine punctorum diſtinctione, & lectum, & baculum ſignificat: at ſi punctis diſtinguatur, mox nihil remanet ambiguum. Hoc autem modo ſcribuntur. prima מטה id eſt, lectus, ſecunda מטה baculus. Igitur pro eo quod erat vertendum ad caput lecti, ipſi ad caput virgę interpretati ſunt: quod quàm abſurdum ſit, & non intelligibile, ſatis eſt clarum. Eſſetq; id nobis mirum, niſi infinita alia eiuſmodi occurrerent. Sic ergo apud eos legimus, καὶ προσεκύνησεν ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου. id eſt, & adorauit Iſrael ad ſummum virgæ. Atq; hoc eſt, quod & Græci interpretes hoc exponunt, vt poſſunt, ſicut Gennadius, ζεβιαται μὲν ἑαυτὸν πρὸς ἀνόρθωσιν· ἐπιστηριχθεὶς δὲ, καὶ ἐπαναπαυσάμενος τῇ ἐν χερσὶ βακτηρίᾳ πληροῖ τὴν προσκύνησιν, Iacob, inquit cùm vellet Deo gratias agere atque adorare, ſeſe obnoxius erigebat ſuper ſummum baculi, eique innixus adorationem impleuit. Diodorus quoque eodem modo. ῥάβδον μὲν εἶχεν ὁ ἰακὼβ οἷα δὴ γέρων. πότερον δὲ αὐτὸς ὁ ἰακὼβ γέρων ὢν, καὶ δυσκίνητος ἔχων, τῷ ἄκρῳ τῆς ῥάβδου ἁψάμενον τοῦ ἰωσὴφ, κατεφίλησεν αὐτὸ τῆς ῥάβδου μέρος, οὗ ἥψατο, ἢ ἰωσὴφ προσκυνήσας τῷ πατρὶ, ἥψατο τοῦ ἄκρου τῆς ῥάβδου. id eſt, Iacob vt pote ſenex baculum tenebat, an vero ipſe Iacob iam ſenio confectus, & qui non facile ſeſe mouere poſſet, baculi ſummitate tetigit Ioſeph, eamque partem, qua eum tetigerat oſculatus eſt, Vel ipſe Ioſeph adorato patre tetigit baculi ſummum: hæc ille. Eſſe autem legendum vt vertit Hieronymus, ex eo quoq; manifeſtum eſt, quòd Symmachus hunc locum ſic interpretatus eſt, καὶ προσεκύνησεν ἰσραὴλ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. id eſt, Et adorauit Iſrael, ad caput lecti. Regum quoque ſecundo bene, & vt eſt legendum, conſimilem locum reddiderunt Septuaginta. Vbi ſcribitur adoraſſe Dauid ad caput lecti, aut in lecto ſuo, quod Septuaginta interpretati ſunt, καὶ προσεκύνησεν Δαβὶδ ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτοῦ. Et adorauit Dauid rex ſuper lectum ſuum.

CAPVT XLVIII.

QVod ægrotaret.] Non diſſentit ab Hebraico. חולה ægrotaret: at non ſatis explicauerunt hoc Septuaginta: vertentes, ἐνοχλεῖται. perturbatur, moleſtatur: cùm ad corporis morbum tantum ſit referendum.

Erat que vernum tempus.] De hac varietate ſatis ac ſuper ſcriptum eſt retro, cap. 34.

Do tibi partem vnam.] Hic quoque lapſi ſunt Septuaginta, nominis ſimilitudine decepti, nam שכם Scechem, & partem ſignificat, & locus eſt, cuius frequens mentio in his litteris fit: at hic partem ſignificat, eo quòd Hebraicè legimus נתת לך שכם Dedi tibi partem vnam. Neque enim vnam additum fuiſſet, ſi de loco ſcriberetur. Græce ſic legitur, ἐγὼ δὲ δίδωμί σοι σίκιμα, Ego vero do tibi Sicima. Licet quidam Hebræi hanc partem, Sichem eſſe aſſerant.

CAPVT XLIX.

Primogenitus principium doloris heb.

Principium doloris mei.] Sicut,& Hebraicè ראשית אוני, Principium doloris mei. At Septuaginta hunc dolorem referunt ad procreationem, vertentes, ἀρχὴ τέκνων μου, id eſt, Principiū filiorum meorum : quod tamen potuit & ad alia pertinere, & quicquid miſeriarum perpeſſus ſit propter ipſum, maxime, qui aſcendit eius cubile, vt ipſe quoque meminit: quanquam etiam Diodorus hic ſcribit, ὁ σύρος ἔχει ῥουβὴμ πρωτότοκος μου ἡ δύναμίς μου καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ἰσχύος. Syra, inquit æditio habet, Ruben primogenitus meus. Quod prudentiſſimorum iudicio relinquitur, an de filiis dicat Iacob. Auen Eſra quoque, cum Septuaginta ſentit, ſic ſcribens, והבכור יקרא ראשית און כפו כי הוא ראשית אונו. Primogenitus, inquit, ſolet vocari principium doloris, quaſi ille incipiat dolorem afferre patri. Deutero. quoque cap. 21. principium doloris vocatur primogenitus, quod Hierony. vertit, principium liberorum eius, vbi Hebraicè ראשית אני.

Prior in donis, maior in imperio.] יתר שאת ויתר עז, id eſt, Exceſſus portādi, & exceſſus roboris. Hieronymus eum ſenſum adhibuit : nam non putauit nude vt Hebraicè ſe haberet, vertendum eſſe. Verba tamen ſunt obſcuriſſima, & quæ ad varia torqueri poſſint, ſicut, & verba prophetarum, ideo, in his Hebraica tantum producemus vt habent, vt liceat cuilibet pro arbitrio, quem velit ſenſum ex eis elicere. Septuaginta vero editio, toto hoc capite, vehemēter diſſentit ab Hebraico, propter verborum πολύσημον, & maximam obſcuritatem. Nam, & hunc locum reddiderunt, σκληρὸς φέρεσθαι καὶ σκληρὸς αὐθάδης vel αὐθαδεία, vt videtur legiſſe Hieronymus, hoc eſt, Durus ad portandum, & durus præfractus, ſeu durus pertinaciter. Quæ vt videmus, ſunt, & ipſa non ſatis clara, eo quòd aliter vertuntur, quàm ſe habeant, quod enim Septuaginta referunt ad violentiā & pertinaciem Ruben, Hieronymus, & Hebræi, ad eius imperium ac vires, quę maximæ eſſent futuræ : ſic quoque ſentit Auen Eſra : neque hoc prolixius explicandum eſt, quo modo ſe habeat.

Effuſus es ſicut aqua.] Ita ſignificat verbum Hebraicum pacaz. Scilicet feſtinare, erumpere, quod Septuag. ad violentiam atque impetum retulerunt, ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ. Iniurioſus fuiſti ſicut aqua, aut inſultaſti ſicut aqua : credo eos voluiſſe impetum, atque æſtum libidinis, quo inſaniuit Ruben cùm patris cubile aſcendit, furori aquarum comparare, quod non abeſt à vero. Alij vero dicunt effuſus es ſicut aqua, hoc eſt euanuiſti, in nihilum redactus es propter ſcelus tuum, quo nomine dicit Auen Eſra ſignificari, אנשים ריקים, id eſt, homines leues ac vanos, ac diffluentes, atque ita vocantur hoc loci.

Vaſa bellantia.] כלי חמס מכרתיהם, id eſt, Vaſa violentiæ habitationis ipſorum. Cætera quidem clara ſunt, quod violenti, & iniqui, Simon, & Leui appellentur, propter cędem Sicimorum. At illud habitationis ipſorum, quod Hieronymus vertit bellantia, vel arma eorum, vt videre licet in quæſtionibus Hebraicis, maxime annotandum videtur. Nam cùm vox perplexa eſſet, varias habere deductiones Hieronymo, viſa eſt, ducique eam putauit à כר, id eſt, viro forti, ac milite à quo fit carithi, id eſt, milites, ac bellicoſi, quos corrupte, cerethi, nos appellamus. Hanc deductionem etiam apud Hebræos quidam ſuſpicati ſunt, quos citat Auen Eſra, at ea non eſt vera deductio, ſed nomen ſimplex, ſignificans habitationem, vt etiam habetur in editione Chaldaica, quæ hunc locum vertit, Simon, & Leui viri fortes, in terra habitationis ſuæ operantur fortitudinem. Interpres quoque nominum apud Hebræos, de ea voce ſic ſcribit, משורהמקום התושבת התמידית, id eſt, Significat & locum habitationis perpetuæ, deinde citat hunc locum. Hieronymus quoque hanc eandem vocem Ezech. capite decimoſexto, vertit radicem, ſic ſcribens, Radix tua, & generatio tua. Et quod eſt expreſſius, eiuſdem prophetæ capit. 21. eam vocem vertit locum natiuitatis, atque eo modo & hic vertenda fuerat. Ex his quoque videre datur, ne Septuaginta quidem eam vocem bene vertiſſe, ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, Ab electione ipſorum. Putarunt ſcilicet, & ipſi, non vnam ſed duas eſſe voces, ſcilicet, præpoſitionem ac nomen ipſum : quod non eſt, vt iam diximus. Hæreſin autem quare verterint aut ex qua deductione nomen ſumpſerint, ipſi quidem conſulendi ſunt.

Gloria mea.] Eodemque modo, & Hebraicè כבודי Gloria mea, dignitas mea. At cur Septuaginta hoc interpretantur, ἐν συστάσει αὐτῶν, μὴ ἐρείσωσι τὰ ἥπατά μου. In collegio ipſorum, non innitantur, aut emulentur intima mea. Quæ adeo à veritate ſunt diſſona, vt me ipſum pudeat. Nam nulla eſt, vel minima ſimilitudo in textu Hebraico eorum, quæ, illi tranſtulerunt. Acceditque hoc loco, maxima deprauatio.

Suffoderunt murum.] Non diſſentit ab Hebraico עקרו שור, Effoderunt murum. Quia vero vox Hebraica Shor, tam murum, quàm taurum ſignificat, propterea alio modo verterunt hoc Septuaginta, ἐνευροκόπησαν ταῦρον, id eſt, Eneruauerunt taurum, intelligentes taurum adoleſcentem Sichem. Sed patet melius reddidiſſe Hieronymum, propter verbum effoderunt, quod non accommodaſſet ſcriptura ad Taurum: eſſet enim, ἀκυρολογία. Auen Eſra שור חומה Shor, inquit, hoc loco, murum ſignificat.

Ad prædam aſcendiſti.] מטרף A præda, vt dicat eum à præda veniſſe: quoniam vero nomen prædæ, ad

dæ, ad

A dæ, ad germen etiam ac ſurculum quandoque refertur, ſicut retro cap. x. dictum eſt, ideo Septuaginta verterunt, ἐκ βλαστοῦ ἀνέβης, id eſt, ex germine aſcendiſti. Eſt certe, & hæc hallucinatio maxima: nam & ipſe orationis proceſſus oſtendebat de præda dici, non germine, cùm Leoni Iuda comparetur. Auen Eſra quoque eam vocem ſic exponit דמית בני לגור אריה כאשר עלית מטרף, hoc eſt, Aſſimilatus es fili mi catulo Leonis, quia à præda aſcendiſti. Quod autem Hieronymus dicit in quæſtionibus Hebraicis Taraph ſignificare hoc loco captiuitatem, ecce ſeipſum emendauit, dubitationiq; ſatisfecit.

Non auferetur ſceptrum.] לא יסור שבט, id eſt, Non auferetur, nō ceſſabit ſceptrum ſiue virga. Quod Septuaginta clarius explicant, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ ἰούδα, id eſt, Non deficiet, non ceſſabit princeps ex Iuda. Nam per ſceptrum nihil aliud intelligebamus. Atque huc vſque, ſatis clara ſunt omnia, & Hebræi à Chriſtianis non diſſentiunt. omnes enim, eam virgam & ſceptrum, regnum, atque imperium ſignificare conſentiunt, at in eo, quod paulo poſt ſequetur, erit diſſidium.

Et dux de femore, &c.] ומחקק, Et præceptor aut ſcriba ſiue legiſlator, vel rerum agendarum deſcriptor. Ducitur enim à חקק, id eſt, præcepit, ordinauit, inſtituit: à quo חקות id eſt, Præcepta ac decreta, ac leges: cumq; hoc proprie principum, ac maximorum virorum ſit, ideo eum, ducē vertit Hier. ſicut & ſeptuaginta, ἡγούμενον. Duo vero hæc, regnum efficiunt, ſcilicet ſceptrum, & legum condendarum poteſtas. Quamobrem eundem intelligimus hunc, quem & ſuperius, aut duo per quæ regnum efficiatur. Chaldaica quoque editio pro duce ponit ספרא, hoc eſt, ſcribam.

De femore eius.] מבין רגליו, id eſt, de medio pedum eius. Quo modo vero non deficiet de pedibus eius dux? Hieronymus quidem, & ante eum Sept. videntur totum, ex parte accepiſſe, vt pedes
B eis ſignificarent femur, vnde fit procreatio. At Auen Eſra aliquid aliud tradit, cuius verba ſic habent ושעם מבין רגליו שכם דוד כל סיפר להיות בין רגלי קצין, Sententia, inquit, eius quod dicitur, De medio pedum eius, quia is mos eſt ſcriptorum, vt inter pedes principum ſedeant. At quid propterea dicit, aut quid poteſt dici abſurdius? Ego vero locutionem Hebraicam eſſe puto, quam & alibi reperiemus vt ſæpe dicetur. Non enim pedes ipſos intelligimus, ſed aduerbij vice ſumitur, pro eo, quod eſt de medio eius, & quaſi ex eius domo, ſiue natione. Vt enim apud Græcos ἐμποδὼν, non inter pedes ſignificat, ſed impedimentum atque obijcem declarat, & ἐκτὸς τῶν ποδῶν, non extra pedes, ſed, amoto omni impedimento, ſic & Hebraice de medio pedum eius, de medio eius, aut ex ipſo. Quare commentitia eſt expoſitio Auen Eſræ.

Qui mittendus eſt.] שילה, Scilo. In hac vna voce tot tamq; varia ab Hebræis, & Latinis, ſimul & Græcis proferuntur, vt omnem penè mentem poſſint confundere. Tam varia affertur eius vocis ſignificatio, vt nulla editio cum altera conſentiat. Nos tametſi noua quædam afferemus, ſuum tamen cuique liberum permittimus iudicium. Nam primo vbi nunc Hebraice habetur שילה, Adducor facile vt credam tempeſtate Hieronymi fuiſſe שילח aut שלח. Shilach, aut ſaliach, vt loco he, fuerit chet: quæ litteræ maximam habent affinitatem. Eaq; vox ſi eo modo ſcribatur, ſignificat miſſum. Exiſtimo igitur hunc locum corrupiſſe Iudæos, vt pleraque alia ab eis eſſe deprauata comperimus, vbi commode poſſet fieri, vt ſæpius admonituri ſumus. Quod ergo clare de Meſſia diceretur, & ad religionem Chriſtianam penitus tenderet, per vnius litteræ immutationem, ipſi ad neſcio quid aliud transferre conati ſunt. Huiusq; deprauationis vel id eſt maximum teſtimonium, quòd neque ex ſacris conſtat litteris quicquam de eo quod illi commenti ſunt, ſci-
C licet Scilo, neque ipſi quicquam habent certi proferre. Atque ideo maxima ſunt apud eos diſſidia, alij alia exiſtimantibus. Multæque multorum citantur ab Auen Eſra ſuper ea voce opiniones, quas non libuit producere, quòd videremus, rem non magni emolumenti eſſe, ſed magis vexaretur ſpiritus. Ad ipſam potius rem veniendum eſt. Dimiſſis ergo omnibus fabulis & delyramentis Hebræorum, & extortis expoſitionibus, clarum eſſe cognoſcimus, hunc locum de Meſſia eſſe intelligendum, adiuuante nos editione Chaldaica, quæ ſolet eſſe tanquam aſylum Hebræis, quo confugiant, vbi aliquid obſcurum & ſenticoſum occurrit. Quæ, ſi quid in diuinis libris propter prophetiam, aut ſermonem Hebraicum, minus clarum dictum fuerit, apertiſſime explicat. Ea itaque hoc loco habet, Donec veniat Meſſias. Mutauitque Scilo in Meſſiam. Rabbi quoque Salomon exponens, Donec veniat Scilo, ſic ait. מלך המשיח שה מלוכה שלו, hoc eſt, Donec veniat ille Meſſias, quia regnum eius eſt. Omnes quidem reges Iſrael, Meſſiæ vocabantur, ſed vnus κατεξοχὴν, Meſſias nihilo addito vocatur. Credo igitur, etiam ipſum Chaldæum interpretem legiſſe in cōtextu Hebraico, ſaliac, id eſt miſſum, non Scilo, ſicut & Hieronymum. Eamq; vocem mutauit in alteram eiuſdem formæ, ſcilicet Maſſias. Vnum igitur hoc poterat conuincere pertinaciſſimos Iudæos, qui vt ſuos errores tueantur, non ceſſant quotidie ad ſua mala placita diuinas litteras torquere. Is ergo locus tam ſecundum Hieronymum, quàm Chaldaicam editionem debet intelligi. Et quod dixi de permutatione litterarum, he, in chet, adeo mihi ſit probabile, vt penitus in ea ſim opinione. Inuenio etiam in libris Hebræorum, Meſſiam appellari Shaliac, id eſt miſſum vel miſſionem. Miſſus enim eſt à patre, vt nos à funeſta morte liberaret, quam per peccatum Adæ omne genus humanum contraxerat. Quod autem Septuaginta hunc locum verterunt ἕως ἐὰν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, ſic enim legendum eſt, non vt habet impreſſio, non ſatis aſſequor, vnde prouenerit, cùm præſertim nihil eorum habeatur in contextu Hebraico. Niſi

Chal. editio aſylum Hebræorum.

Meſsias Hebræis Shaliac, i. miſſus dicitur.

forte diuiſim legerint nomen Scilo, ſci, id eſt quod, & lo, id eſt ei, vt totum ſit hoc modo legendum. D Donec veniat, quod ei, aut cuius eſt: quod illi verterunt ὧ ἀπώκειται. Cui repoſitum eſt. Eritque ſenſus, Donec veniat cui regnum illud perenne repoſitum, paratumque eſt, ſcilicet Maſſiac: atque ita exponunt Græci & Hebræorum nonnulli. Cætera quæ de hac re dicenda fuerãt, videantur apud Nicolaum, non malum auctorem.

Expectatio gentium.] Varie quoque & hoc exponitur. Eſt enim Hebraice יקהת, quod nonnulli, collectionem ſignificare autumant: vt Hebraice hoc modo legamus ולו יקהת עמים. Et ei aggregatio populorum: aut, Ad illum aggregabũtur populi. Alij à נקה deducunt, id eſt, obediuit: exponuntq́; Et ei oſculatio populorum: omnes enim Meſſiæ obtemperaturi erant. Alij aliter exponunt. Quæ omnia, ferè eodem tendunt. Hieronymus Septuaginta ſequitur, καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. Et ipſe expectatio gentium. Chaldaica vero editio habet, Et ei auſcultabunt populi.

Aſinus fortis.] חמר גרם. Aſinus oſſeus, ac propterea fortis, ſicut & ipſe Hieronymus in libro Hebraicarum quæſtionum exponit. Sed quis non miretur varietatem apud Septuaginta, qui aſinum fortem verterunt τὸ καλὸν ἐπεθύμησε, pulchrum deſiderauit. Hoc profecto adeo eſt mirũ, vt mens ſtupeat. Neque ignoramus vnde tanta deuiatio acciderit. Nam vt ſæpe teſtati ſumus, r, & , d, apud Hebræos eandem penè habent formam, nec facile diſtinguntur, Itaque alteram pro altera littera legerunt vt non חמר, id eſt, aſinum, ſed ſubiecto, d, loco, r, haberent חמד. id eſt concupiuit. In ſecunda quoque dictione, huiuſmodi quædam etiam ratio eſt.

Tributis ſeruiens.] Non diſſentit ab Hebraico למס עבד Tributo ſeruiens. Verum tributum pro labore ſumpſerunt Septuaginta: verteruntque καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός, Factus eſt vir agricola: quanquam permultum deuient: nec forte adeo admittendum eſt.

Salutare tuum expectabo domine.] לישועתך קויתי יהוה. In ſalute tua ſperaui domine. At Septuaginta, hanc ſententiam, non ad Iacob, ſed ipſum equitem referunt, vertentes καὶ πεσεῖται ὁ ἱππεὺς, τὴν σωτηρίαν περιμένων κυρίου. id eſt, Et cadet eques, ſalutem expectans domini. Quod certe meo iudicio, non ſine maximo errore factum eſt.

Et ipſe accingetur retrorſum.] והוא יגד עקב, id eſt, Et ipſe expedietur, aut oppugnabit calcaneum. Hoc autem, quod de accingendo & expediendo dicitur, Septuaginta ad tentationem referunt γὰδ πειρατεύσει πειρατήριον, αὐτὸν, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει κατὰ πόδας. Gad inquiunt, tentatione tentabit ipſum, ipſe autem tentabit pedes. Hieronymus autem in quæſtionibus Hebraicis ad latrocinium. Omnis autem ea diuerſitas accidit ex multiplici ſignificatione huius verbi gad. quod & latrocinari, & expediri ad pugnam ſignificat, quod forte etiam Septuaginta innuunt, ſi per verbum πειρατεύσει, de piratis intelligant. Hieronymus loco citato videtur legiſſe πειρατήριος quod exponit latrunculum.

Neptali ceruus emiſſus.] Nihil diſſentit ab Hebraica veritate. Septuaginta vehementer diſcrepant, vt penè incredibile ſit νεφθαλεὶ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. Nephthal, ſtipes remiſſus, augens in germine pulchritudinem. Quæ diſſonantia accidit ex eo quod ſæpius teſtati ſumus: nam non erant ſacræ litteræ punctis diſtinctæ. Itaque vox ambigua poterat ad varia ſignificata torqueri, in multis præterea, deprehenduntur illi, ſermonis Hebraici minus quàm deceat periti.

Et decorus aſpectu.] בן פרת עלי עין. Filius accreſcens ſuper fontem, aut ſuper oculum. Eſt autem hic vocabulum anceps. עין quod & oculum, & fontem ſonat. Atq; ideo alterum pro altero reddidit Hieronymus. F Putauitq; hanc ſententiam, filius accreſcens ſuper oculum, ſic enim diceremus Hebraice, ſignificare decorum aſpectu. At Hebræi dicunt hic עין ſignificare fontem, vt dicat Iacob, eum creſcere ac profluere, pluſquam fontem. Eodem tamen ſententia tendit, licet varijs vocibus explicata. Septuaginta quoque ſequitur Hieronymus ἰωσὴφ ζηλωτὸς υἱός. Ioſeph amabilis filius. Quòd autem addunt μου νεώτατος, filius meus nouiſſimus: redundat, additumq́; eſt à librarijs. Eſt enim etiam falſum, cum non is, ſed Beniamim nouiſſimus fuerit.

Super murum.] Ecce & alia maxima Septuaginta ab Hebraica veritate deuiatio. Nam hoc reddiderunt πρός με ἀνάστρεψον, ad me conuertere: quo quid poteſt eſſe diſſonantius? Eſt autem eadem huius veritatis ratio, quam ſæpe attulimus. Nam עלי ſi ſine punctis ſcribitur, poteſt ſignificare, aut ſuper, abſolute, aut ſuper me. Altera quoque vox שור & murum declarat, & eſt imperatiua vox a verbo שור hoc eſt vidit. Cumq; tam multa eiuſmodi reperiantur, admirari iam deſinemus. Legendum autem eſſe vt nunc habet Hebraica veritas, & vt vertit Hieronymus, ratio quoque admonet: præcedit enim filiæ diſcurrerunt, cui inepte ſubderetur ad me conuertere.

Sedit in forti.] ותשב באיתן. Et ſedit in fortitudine, ſcilicet arcus. Quod Septuaginta, neſcio cur tam diuerſe interpretati ſint συνετρίβη μετὰ κράτους, Confractus eſt cum robore, aut vi: eſtq́; penitus in contrarium. Feſellit autem eos verborum ſimilitudo, quod frequentiſſime peccant.

Et diſſoluta ſunt vincula.] ויפזו זרעי ידיו. id eſt, Et roborata ſunt brachia manuum eius. Quare contraria eſt ſententia, ſecutus eſt enim Septuaginta in re ambigua, qui & ipſi καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χειρῶν αὐτοῦ. Et diſſoluti ſunt nerui brachiorum manuum eius. Laudatur enim eius fortitudo, ſicut hic paſſim videre licet.

Inde paſtor lapis Iſrael.] Eodem modo & Hebraicè משם רעה אבן ישראל Inde paſtor lapis Iſrael.

A At Septuaginta, ſenſum non verba interpretantur, ὁ καταχύσας, Qui roborauit, aut, Qui tenuit Iſrael. Sic enim clarum eſt, Deum appellatum lapidem Iſrael, quòd eorum ſit fortitudo & virtus, quæ Græcè ἴχυς vocatur. Dimittunt quoque rohe, hoc eſt paſtorem.

Abyſſi iacentis deorſum.] תהום רבצת תחת. Abyſſi iacentis deorſum. Quod Septuaginta in aliud quid vertunt, nihil verbi vim exprimentes. γῆς ἐχούσης πάντα, Terræ habentis omnia, ſed tamen aliud eſt abyſſus, quàm terra omnia continens. Alibi tamen thehom, abyſſum interpretati ſunt.

Patrum eius.] הורי Genitorum meorum. Quod & Septuaginta remotius εὐλογίας πατρὸς καὶ μητρὸς σοῦ. Benedictiones patris ac matris tuæ. Videntur etiam legiſſe Septuaginta non הרים ſed הורי, id eſt, montes, eo quòd inferunt ὀρέων μονίμων, id eſt, montium ſtabilium. In reliquis quoque multa varietas.

Collium æternorum.] Poteſt etiam dici, collium mundi. Nam holam æternitatem ſignificat, & mundum. Quomodo autem ſit hoc intelligendum interpretes conſulendi ſunt, quorum maxima eſt copia.

In vertice Nazaræi.] ולקדקד נזיר אחיו. Et in vertice Nazaræi fratrum ſuorum, id eſt, Sanctificati ac diuini hominis, vel ſeiuncti à multitudine. Septuaginta loco Nazaræi aliud penitus diuerſum poſuerunt ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν, id eſt, Quibus imperauit ex fratribus. Quæ obſecro tanta varietas? Eos ignaros fateri erubeſcimus. Codices mutatos eſſe; non eſt ferè probabile. Reſtat vt verborum ſimilitudo, eos fefellerit, quod illis creberrimum eſt.

Veſpere diuidet ſpolia.] Eodem modo & Hebraicum יחלק שלל. Diuidet ſpolia. Quæ duo, peni-
B tus immutarunt Septuaginta, vt quod eſt Hebraice, diuidet, ipſi reddiderint σώσει, id eſt, ſeruabit. Prædam autem faciunt τροφὴν, id eſt, eſcam: licet præda, ſit eſca ipſius leonis.

Ibi & Lia condita iacet.] ושמה קברתי את לאה. Et ibi ſepeliui Leam, vt id de ſeipſo dicat Iacob, non ab aliis factum fuiſſe aſſerat, quemadmodum etiam Septuaginta καὶ ἐκεῖ ἔθαψαν λείαν, Et ibi ſepeliui Leam. Hanc quadrageſimoquarto vitæ ſuæ anno ſcribunt Hebræi mortuam eſſe.

Liæ obitus.

CAPVT L.

S*Eruis ſuis medicis.*] Nihil diſſentit ab Hebraico עבדיו את רפאים. Seruis ſuis medicis. At Septuaginta longe diuerſius ἐνταφιασταῖς. quæ vox vt arbitror, ſignificat eos, qui cadauera ſepeliunt. At illud quid ſignificet, ſatis notum eſt.

Seruo Dei patri tuo.] עבדי אלהי אביך Seruis Dei patris tui: de ſeipſis ergo loquuntur, non Iacob, ſeruosq; Dei ſeſe appellant, qui etiam Deus Iacob ſit, ideo & Septuaginta καὶ νῦν δέξαι τὴν ἀδικίαν τῶν θεραπόντων τοῦ θεοῦ πατρός σου. Et nunc ſuſcipe iniquitatem ſeruorum Dei patris tui.

Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?] התחת אלהים אני. Num pro Deo ego ſum, vel vice Dei, aut loco Dei? Num Deus inquit ego ſum, vt poſſim vobis detrimentum, aut emolumentum afferre? Poteſt etiam verti vt fecit Hieronymus. At vero Septuaginta penitus eam ſententiam mutarūt, μὴ φοβεῖσθε· τοῦ γὰρ θεοῦ εἰμί. id eſt, Ne timeatis, nam Dei ego ſum. Quod non ſolum ab Hebraica veritate eſt diſſonum, verum etiam eſt perobſcurum.

Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea.] Septuaginta expreſſe ponunt, quando ea oſſa eſſent efferen-
C da ἐν τῇ ἐπισκοπῇ. ᾗ ἐπισκέψεται ὑμᾶς ὁ θεός, συν ἀνοίσετε τὰ ὀστᾶ μου. In viſitatione, qua viſitabit vos, auferetis oſſa mea.

In loculo.] בארון. In arca. Septuaginta ἐν σορῷ. In ſepulchro: quod fortaſſe non recte redditum eſt. In arca enim eſt conditus, quòd eſſet aliquando à fratribus efferendus, quanquam & arca ſepulchrum ſit. In Hebræorum quoque monimentis habetur, Ioſeph conditum eſſe in arca ænea, & in Nilum eſſe proiectum, relatumq; inter Deos Aegyptiorum, licet hæc falſa mihi videantur, & Hebræorum commentis ſimilia. Sunt tamen & apud Græcos qui putent, Ioſeph Deum ab Aegyptijs habitum eſſe.

Ioſeph ab Aegyptiis Deus habitus.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

RECOGNITIONVM IN EXODVM.

PRAEFATIO.

ERAM *hunc librum, cum præcedente ſine vlla præfatione proſecuturus: ſed quia permulta à me in eo expectari animaduertebam, vt late ſcilicet de ſacris veſtibus, de toto arcæ opificio, de cæteris, quæ maxima ſunt, diſſererem, id quod & mihi faciendum eſſe aliquando ſuſpicabar, Putabam enim maximam hoc libro eſſe cum Hebraica veritate noſtrorum & Græcorum codicum diſcrepantiam, propter rerum difficultatem, vocabulorumq́; varietatem, quæ res, adeo meam opinionem fefellit, vt nullum propè librum repererim, in quo pauciora & leuiora eſſent diſſidia: eò igitur admonere omnes libuit, ne ſpe fruſtrarentur, cauſamq́; cur tam expedite librum omnium difficillimum percurrerim, haberent exploratam: neque meum curſum interrumpi ibi poſtularent, vbi minime eſſet opus, qui etiam compendioſe & breuiſſime neceſſaria tantum luſtrare & explicare conſtitueram. Si enim ipſe noſter interpres & ſapientiſſimus fuit, & doctiſſimus, quid erat opus, omnem eius editionem euoluere, & omnia ad viuum reſecare? Quod certe & curioſi nimium, & ocio, & tempore abutentis hominis fuiſſet. Sed erant ea tantummodo obſeruanda, quæ vel ſenſum læderent, vel apertam maledicendi anſam Iudæis præberent. Nec tamen fateor, omnia me videre potuiſſe, ſed quantum diligentia atque ſtudio poſſet effici, operam dediſſe, vt is error e noſtrorum latinorum mentibus erueretur, quem in omnium propè pectora diſſeminarunt Iudæi, noſtram hanc editionem eſſe deprauatiſſimam. Quorum in omnia noſtra, os mendaciſſimum, mentemq́; maleuolam, non eſt quòd reformidemus: ſed potius irrideamus, & eos eſſe mendaces cognoſcamus. Videmus enim eſſe tum pauciſſima, tum leuiſſima ea, in quibus noſtra, ab Hebraica veritate diſcrepet editio. Huic igitur libro, eo plus operæ, atque induſtriæ adhibuiſſe Septuaginta interpretes & Hieronymum arbitror, quo videretur eſſe difficilior. Jtaque fecerunt, vt minima, vel propè nulla eſſet inter codices Hebræos, ac Latinos differentia.*

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

EXODVS. CAP. I.

B ANIMAE *quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob ſeptuaginta*.] Quod ſupra de hoc loco diximus, idem & hic eſſet dicendum. Eadem enim corruptela in numero hic apud Septuaginta reperitur, quæ & ſuperius. Nam hi, huic numero addunt quinque. Non quòd ipſi huius errati autores fuerint, ſed quod librarijs potius ſit adſcribendum. Nam in numeris mendoſiſſima reperitur Septuaginta editio, quanquam is error, etiam tempore apoſtolorum in Græcis codicibus videatur fuiſſe. Verum de hoc iam dictum eſt. Græce igitur ſic legitur, ἦσαν δὲ πᾶσαι αἱ ψυχαὶ ἐξ ἰακὼβ, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. id eſt, Erant autem omnes animæ quæ ex Iacob natæ ſunt, ſeptuaginta quinque. Septuaginta vero animæ ſunt, computato Iacob, vt notat etiam Auen Eſra. Nam ſuperius annumerauerat Iacob his, qui Aegyptum eſſent ingreſſi, quos & hic repetit eodem numero.

Impleuerunt terram.] ותמלא הארץ אתם Repleta eſt terra ab ipſis. Verbum autem תמלא ſine punctis potuit legi in actiua ſignificatione ac paſſiua. Verum hoc tempore notulæ ſubiectæ indicant paſſiue eſſe legendum. Itaque Septuaginta actiue interpretati ſunt ἐπλήθυνε δὲ ἡ γῆ αὐτούς. Hoc eſt, Multiplicauit eos terra: quod certe, vt hypallage eſt, ita eſt obſcuriſſimum, & quaſi ſubabſurdum. Addunt vero Septuaginta, καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο, id eſt, & copioſi facti ſunt. Viſumque eſt quibuſdam χυδαῖοι in malam partem dictum eſſe ab ipſis interpretibus, quaſi innuerent, Hebræos factos eſſe promiſcuos, vulgares, ac viles, ita enim verbum ſignificare poteſt,
C hoc ergo refellit Theodoritus his verbis. οὐχ ὡς τινὲς νενοήκασιν ὑβριστικῶς αὐτὸ τεθείκασιν ἀλλὰ τὸ πλῆθος δεδηλώκασιν. οὕτω γὰρ φασὶν ηὐξήθησαν, ὡς κατὰ πάσης ἐκείνης ἐκχεχθῆναι τῆς γῆς. οὕτω καὶ οἱ περὶ τὸν ἀκύλαν ἡρμήνευσαν, Hoc eſt, Non vt quidam exiſtimant, in iniuriam interpretes tranſtulerunt χυδαῖοι ἐγένοντο, ſed eorum copiam ſignificarunt: adeo enim inquiunt aucti ſunt, vt per omnem terram illam effuſi ſint: atque eo modo etiam Aquila interpretatus eſt, hæc ille. Fuit autem Aquila, teſte Hieronymo, in explicanda verborum proprietate diligentior.

Vrbes Tabernaculorum.] ערי מסכנות. Vrbes tabernaculorum. Quanquam vero Hebraica vox tabernaculum ſignificet, accipitur tamen hoc ab Hebræis, non pro tabernaculis, ſed arcibus, ac præſidijs. Quod potiſſimum intellexerunt Septuaginta vertentes πόλεις ὀχυράς. Vrbes munitas: quam ſententiam ſecutus eſt & alibi Hieronymus. Nam præter alia loca, Paralipomenon cap. viij. quod hic vertit vrbes tabernaculorum, ibi ciuitates munitiſſimas interpretatus eſt, vbi eſt ערים מסכנות Studioſiſſimi autem cuiuſque eſt, veritatem ipſam, accurate perquirere, & non ilico autores optimos reprehendere, quod plerique faciunt. Itaque Hebræi ad labores & onera coacti, arces munitiſſimas, tutiſſimaque præſidia ædificarunt Pharaoni. Quem morem etiam hodie ſeruant principes, ruſticos ad conſtruenda mœnia, ac propugnacula cogentes. Quod autem narrat Nicolaus Hebraice haberi, vrbes theſaurorum, clarum eſt, eſſe falſum, eſt enim textus Hebraicus vt vertit Hieronymus, ſed tabernacula, ab Hebræis, etiam præſidia atque arces vocantur: confirmatur à Philone hoc modo, οἱ δ᾽ ἦσαν ἀποτεταγμένοι πρὸς οἰκιῶν καὶ ποίχων καὶ πόλεων κατασκευάς. id eſt, Iudæi autem ad vrbes, domos, mœniaque ædificanda, à rege delegati ſunt.

Oderunt filios Iſrael Aegyptij.] ויקצו בני ישראל. Et ſtomachabantur in filios Iſrael. Atque hæc quidem D eſt ſententia, quæ in contrarium à Septuaginta verſa eſt, vt non Aegyptij Hebræos, ſed Hebræi Aegyptios abominarentur. ἐβδελύσσοντο οἱ αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν ἰσραηλ. id eſt, Vilipendebantur Aegyptij à filijs Iſrael, Niſi forte aliquid aliud innuunt, hoc eſt, Abominationem patiebantur à filijs Iſrael: cauſa vero eſt, quia Hebraica ſimpliciter ſequuntur, nulla facta immutatione, quod tamen periculoſe fit.

Aedificaueruntq; vrbes Phiton & Rameſſes.]His duabus vrbibus alteram addunt Septuaginta: quod certe non puto ab eis eſſe factum, ſed ab eadem cauſa, quæ ſæpius à me allata eſt. Nam ex vno loco facile in alterum, ſententiæ traſponuntur, vbi aliqua arriſerit ſimilitudo. Itaque quod erat ſuperius poſitum Geneſi cap.xlj. de vrbe Heliopoleos, ſuperflue huc tranſpoſitum eſt in Græcorum codicibus. ὠκοδόμησαν τὴν τε πειθὼ, καὶ ῥαμεσσὴ, καὶ ὢν, ἥ ἐστι ἡλίου πόλις, id eſt, Aedificauerunt, & Pitho, & Rameſſa, & On, quæ eſt ciuitas ſolis. Quod certe non poteſt eſſe verum, cum Heliopolis ante aduentum Hebræorum in Aegyptum, eſſet condita. Eradendum itaque hoc mendum in Græcis codicibus. Neque etiam Septuaginta interpretibus eſt adſcribendum. Nam & ſæpe alibi admonemur, eiuſmodi additiones, non ab ipſis accidiſſe, ſed alijs cauſis. Eſt autem maxime mirum quòd Origenes vir grauiſſimus, & qui ſermonem Hebraicum non ignoraret, hunc errorem non modo non viderit, ſed etiam ſecutus ſit: quippe qui has tres vrbes myſtice interpretatur, quæ apud eum copioſius videnda ſunt, nos non commentarios teximus; hæc certe mihi maxime mira videri ſolent. Debuerat eum admonere habitam eſſe huius vrbis mentionem multis annis ante, quàm Hebræi ab Aegyptijs ad ædificia eo tempore compellerentur: E neque tum ædificatam eſſe Heliopolim, cuius ſacerdos iam ſupra trecentis annis elapſis, ſocer Ioſeph fuerit.

In terræ operibus.] Veriſimilior editio Septuaginta & ad Hebraicam veritatem propenſior, quæ habet, ובכל עבדה בשדה id eſt, Et opprimebant eos omni ſeruitute in agris, ſeu ruribus. illi καὶ τοῖς ἔργοις, τοῖς ἐν τοῖς πεδίοις. Omnibus inquit operibus, quæ in agris fiunt. Clarum vero eſt, quid innuatur. Afferre enim ex agris cogebantur paleas & lapides, & cementum, atque aquam, & ad ipſa ædificia comportare. Non itaque placet, quod ait Ioſephus, eos cogi ſolitos efferre ſtercora extra vrbem, ac fæces, & eiuſmodi materias, quod tametſi verum eſſe potuerit, non tamen colligitur ex ipſo contextu. At Philon & ipſe Iudæus, in vita Moyſi, εἰργάζοντο δὲ οἱ μὲν πηλὸν, εἰς πλίνθον σχηματίζοντες, οἱ δὲ πανταχόθεν ἄχυρα συγκομίζοντες, πλίνθου γὰρ ἄχυρα δεσμοί. Hoc eſt, Alij quidem lateres ex humo formabant, alij vndique paleas afferebant, eo quòd eæ aptæ ad ſolidandos lateres ſint.

Ipſæ habent obſtetricandi ſcientiam.] Hebraice aliquanto ſecus, tametſi ſententia eodem recurrat. Neque enim ad ſcientiam ac peritiam refertur, ſed robur, ac vires quibus eſſent præditæ mulieres Hebrææ, & obſtetricum auxilio minime indigerent, hoc modo כי חיות הנה. Non ſunt inquiunt Hebrææ ſicut Aegyptiæ. Nam illæ ſunt viuaces ac fortes, atque in hunc modum etiam exponit Auen Eſra. כי יש להן כח חיים בלב, id eſt, Quia tenent robur viuax in corde. Præueniunt inquiunt nos, eo quòd mulieres robuſtiſſimæ ſint, neque noſtra ope indigeant. At neutrum commemorant Septuaginta, neque obſtetricandi peritiam, neque robur ac fortitudinem.

Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit illis domos.] Quia eodem modo habent & Hebraica, non ſunt aliter producenda. At vero editio Septuaginta, tam male hunc locum deprauatum F habet, vt nihil dici poſſit deprauatius. Non itaque verterunt, Deum eis domos ædificaſſe, ſed eas ſibi. Vtque intelligas eodem modo etiam olim ſe habuiſſe codices Græcos, proferam expoſitionem Theodoriti. Cùm enim Septuaginta vertiſſent ἐπειδὴ ἐφοβοῦντο αἱ μαῖαι τὸν θεὸν, ἐποίησαν δὲ ἑαυταῖς οἰκίας, hoc eſt. Quoniam timuerunt obſtetrices Deum, ædificarunt ſibi domos, ille ſic ea verba exponit. τοῦ φαραὼ κελεύσαντος διαφθείρειν τὰ ἄρρενα, ἐκεῖναι δι' εὐλάβειαν, ὑπουργῆσαι τῷ τῆς παιδοκτονίας οὐκ ἠνέσχοντο νόμῳ. οὗ δὴ χάριν αὐτὰς ὁ θεὸς ἀμειβόμενος ἀφθονίαν αὐταῖς ἀγαθῶν ἐδωρήσατο. hoc eſt, Cùm iuſſiſſet Pharao interfici mares, illæ ob religionem, noluerunt infanticium exequi. Quamobrem remunerauit eas Deus, bonorum vbertate conceſſa. Innuit enim, eas ſibi domos conſtruxiſſe, hoc eſt omnium rerum, quæ ad familiam gubernandam exiguntur, copiam habuiſſe. Confirmatur autem hoc ipſum auctoritate Theodori, qui cum editione Aquilæ ac Symmachi ac Theodotionis, emendauit codices Septuaginta: apud eum ſic legimus. ἡ τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνεία, τὴν ταχυτῆτα δοκεῖ σημαίνειν τῶν ἑβραίων γυναικῶν τὴν κατὰ τὸ τίκτειν φθάνουσαν τὴν παρουσίαν τῶν μαιῶν, & paulo infra, φανερώτερον ἑρμήνευσαν ἄλλοι ἑρμηνεῖς. οὐ γὰρ αἱ μαῖαι ἐποίησαν ἑαυταῖς οἰκίας ὅπερ ἄν τις οἰηθείη κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα. ἀλλ' ὁ θεὸς ἐποίησεν αὐταῖς οἴκους οὐ χειροτεύκτους. ἀλλ' οἵους φησίν. ὁ Δαβὶδ οἶκος ἰσραὴλ εὐλογήσατε τὸν κύριον, hoc eſt, Septuaginta interpretatio, celeritatem videtur innuere Hebræarum mulierum, & earum præſentiam in pariendo: deinde, Clarius inquit, interpretati ſunt alij interpretes. Non enim obſtetrices fecerunt ſibi domos, ſed Deus fecit eis domos, non quidem manu factas, ſed quales ait Dauid, Domus Iſrael benedicite dominum. Arbitror itaque ipſe, non fuiſſe hunc lapſum ipſorum Septuaginta, ſed potius quiduis aliud eum intuliſſe. Nulla enim erat in contextu Hebraico obſcuritas, vt illi tam in aperta & luculenta re laberentur. Quod autem

exponunt

A exponunt Græci de domibus non manufactis, conuenit cum ſententia Hebræorum, neque enim aliud hi ſentiunt, quàm eas ſortem inter filios Iſrael accepiſſe, quod fuſius explicatur à Nicolao.

In flumen proijcite.], תשליכהו id est, Exponite eum, abijcite eum: de flumine nulla mentio. Ex eo autem quod contigit Moſi, addidit flumen Hieronymus. Septuaginta tamen etiam ipſi flumen addiderunt, εἰς τὸν ποταμὸν ῥίψατε. In flumen proijcite.

CAPVT II.

P*Verum elegantem.*], טוב Formoſum: quod non tam proprie Septuaginta reddiderunt ἀστεῖον, id eſt, vrbanum. Vna tamen omnium ſententia eſt. Philon autem Iudæus in vita Moyſi, Septuaginta ſecutus de ipſo Moſe ſic ſcribit ex hoc loco accipiens, γεννηθεὶς οὖν ὁ παῖς, εὐθὺς ὄψιν ἀνέφαινεν ἀστειοτέραν, ἢ κατ' ἰδιώτην. ὡς καὶ τῶν τυράννου κηρυγμάτων ἐφ' ὅσον οἷόν τε ἦν, τοὺς γονεῖς ἀλογῆσαι, hoc eſt, Natus itaque infans, mox vrbaniorem præ ſe ferat vultum, quàm quis de priuato homine ſuſpicari poſſet: adeo vt parentes quantum poſſent, tyranni edicta facile paruipenderent.

Fiſcellam ſcirpeam.], תיבת גמא id eſt, Arculam ſcirpeam, ſiue papyream, vt verterunt Septuaginta, θίβην παπύρου. Arcam ex papyro. Et forte veriſimilius, eo quòd papyrus propria illius fluminis ſit, at ſcirpus ſiue iuncus etiam reliquorum. Vſi ſunt hoc loco Septuaginta vocabulo Hebraico, arcam exprimere volentes, neque ipſam vocem immutarunt. arca enim Hebraicè thebat dicitur. At illi inuſitato apud Græcos nomine, eodem modo appellarunt θίβην. Quæ vox B nuſquam apud alios auctores reperitur: atque hinc factum ſuſpicor, quòd Philon Iudæus Hebraicæ linguæ imperitus, vt ex multis fit manifeſtum, totam hanc rem de fiſcella ſcirpea omiſit. Apud quem ſic legitur, φοβηθέντες μὴ σωτηρίαν ἑνὶ μνώμενοι, πλείους ὄντες αὐτοὶ σὺν ἐκείνῳ παραπόλωνται, δεδακρυμένοι τὸν παῖδα ἐκτιθέασι παρὰ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ καὶ στένοντες ἀπῄεσαν, hoc eſt, Verum cùm timerent, ne dum vni ſalutem molirentur, plures cum illo interirent, illachrymantes, puerum ad ipſam fluminis ripam expoſuerunt, gementesque receſſerunt. Ecce de arcula nulla fit apud hunc mentio: credo quòd ignoraret quid eſſet thibi. Sequebatur enim Græcos codices: linguamque Hebræam eum ignoraſſe, multis ex locis colligitur. Quod autem aſſerit Origenes, thibin eſſe tegimen è papyro contextum, patet non eſſe verum, nam theba ſignificat omnem arcam, ſiue papyream, ſiue ligneam. Arca enim Noe theba vocatur, quæ tamen non erat ſcirpea.

In Papyrione.], סוף Quod tum papyrum ſignificat, tum carectum, id eſt locum caricum plenum: quod hic papyrionem vocauit interpres, ſepem ſcilicet & quaſi ſyluā papyrorum. Septuaginta aliquanto diſſimilius vertunt ἕλος hoc eſt, paludem: quanquam ſententia eadem omnium ſit. Auen Eſra שם צמח נמצא סביב היאור hoc eſt, Nomen fruticis eſt, qui circa fluminum ripas naſcitur. Cognitus eſt autem Moſes à filia Pharaonis, quod eſſet ex pueris Hebræorum, non tam quòd ſciret à patre decretum eſſe, vt filij Hebræorum exponerentur, quàm quia vidit puerum circunciſum: atque hoc etiam indicant ſcriptores Græci, maxime Theodoritus, qui de hac re ſic ſcribit, ἡ περιτομὴ τοῦτο δεδήλωκεν. ἐντεῦθεν δῆλον, ὡς κατ' ἐκεῖνον χρόνον αἰγύπτιοι, οὐ περιετέμνοντο, ὕστερον δὲ τοὺς ἑβραίους ζηλώσαντες τὸν τῆς περιτομῆς ἀσπάσαντο νόμον, hoc eſt, Circunciſio hoc fecit manifeſtum. Atque hinc clarum eſt, ea tempeſtate non vſos circunciſione Aegyptios, poſtea Hebræos ęmulantes, eum ritum amplexi ſunt. C

Papyrio.

Vocauit nomen eius Moyſen.] Cùm hoc nomen, à verbo Hebraico originem ducat masha, id eſt extraxit, atque inde fiat Moſes, Patet corrupte proferri tam à Gręcis, quàm Latinis Moyſes, cum Moſes dicendum eſſet, quandoquidem & etymologia ita pronunciandum demonſtret, & non alio modo proferatur Hebraicè. Eademq; in hoc nomine corruptela, quæ & in cęteris nominibus. Obſeruandum quoque, ꝙ Philon aliam etymologiam ei nomini accommodat, ſic enim de hoc ſcribit, ὄνομα θεμένη Μωσῆν ἑτοίμως διὰ τὸ ἐκ τοῦ ὕδατος αὐτὸν ἀνελέσθαι, τὸ γὰρ ὕδωρ μῶς ὀνομάζουσιν αἰγύπτιοι, id eſt, Nomenq; ei indidit Moſes, eo ꝙ ex aqua extraxiſſet eum: nam Aegyptij mos aquam appellant. Eſſe quidem id poteſt, videtur tamen duci ab Hebraica etymologia. Auen Eſra vocauit eum Moſe, פתרון מלשון מצרים בלשון הקדש ושמו בלשון מצרים מוניוס hoc eſt, Tranſlatum eſt è lingua Aegyptiaca in linguam ſanctam. Nomen autem eius Aegyptiace eſt Monios. Atque ita videtur conuenire cum Philone, à voce Aegyptia, non Hebraica inditum ei nomen. Sed in Hebręam & nomen verſum eſt, & accommodatum ad ſuum etymon.

Moſes:

Ad Iethro patrem ſuum.] Quanta corruptela eſt in hoc nomine apud Latinos? Non enim Iethro ſcribitur hoc loco ſed Reuel, quanquam idem vir, inferius etiam Iethro vocatus ſit, patetque hunc fuiſſe binominem. Non peccant idem Septuaginta, ῥαγουήλ. Erat autem is ſacerdos Madian, quę regio verſus Arabiam ſpectat, vt ſcribit Ioſephus. Quadragenarius erat Moſes, cùm ad ſacerdotem profugit. Elapſis autem aliis annis quadraginta, Deus illi apparuit, vt ad tam pręclarum munus tunc aſſumeretur, cùm per ętatem foret ſapientior, & extincti in eo eſſent omnes mali affectus.

Iethro:

Iurauit Moyſes.], ויואל id eſt, placuit aut voluit. At diuerſius Septuaginta, καὶ κατῳκίσθη. Et habitauit

uit Moyſes, vel collocatus eſt. Sic eadem ſententia à diuerſis per diuerſa verba exprimitur. Sed D non ita propè tam à noſtro interprete, quàm ab illis. Nam de iuramento nulla mentio.

Et cognouit eos.] Sic quoque Hebraice, וידע אלהים Et cognouit Deus. At Septuaginta ſi fas eſt ita loqui, per ignorationem Hebraicæ grammaticæ, paſſiue protulerunt, καὶ ἐγνώσθη αὐτοῖς. Et cognitus eſt eis. Quod tamen longe aliud eſt. Nam illi, non ſatis tunc Deum agnoſcebant, quando ne ſub Moyſe quidem agnouerunt, ſed Deus, eos reſpexit & vt ſuam plebem recognouit. Et de hoc quidem nulla controuerſia eſſe poteſt.

CAPVT III.

I*Etro cognati ſui.*] , יתרו Quo nomine tametſi omnis affinitas ſignificetur, dicendum tamen fuerat ſoceri ſui, ſicut & Septuaginta fecerunt, τὰ πρόβατα ἰωθὼρ τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ. Hoc eſt, Oues Iothor, ſoceri ſui, licet nomen corrupte proferatur.

Ad interiora deſerti.] , אחר המדבר id eſt, Poſt deſertum, vel retro in deſertum. Septuaginta & ipſi ab Hieronymo non videntur diſcrepare, ὑπὸ τὴν ἔρημον. Sub deſertum, hoc eſt interius, vt arbitror, & vt ait Philon in locum nemoroſum atque herbis copioſum, apud quem ſic legimus, ἐξάγων τὴν ποίμνην εἰς τόπον εὔυδρόν τε καὶ εὔχορτον, ἔνθα συνέβαινε καὶ πολλὴν πόαν προβατεύσιμον ἀναδίδοσθαι. γενόμενος ἐν πρός τινα νάπην, θέαμα πληκτικώτατον ὁρᾷ. Hoc eſt, Cumq; eduxiſſet gregem, in locum aquis irriguum, & floridum, vbi multa pecudibus herbarum exhibebatur copia, & in conuallem iam deueniſſet, videt hic prodigioſum ſpectaculum. Et quæ apud eum ſequuntur. In penitiſſimas ergo deſerti partes ſeſe contuliſſe ſcribit Moſes, diuinitus fortaſſe E promotum, vt in tanto ſeceſſu, rem mortalibus abſtruſam videret. Vel ipſe locum deſcribit.

Apparuit ei dominus.], מלאך id eſt, Angelus. Miror quòd Hieronymus & ab Hebraico diſſentiat, & ipſis Septuaginta, qui & ipſi ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος, id eſt, Apparuit ei angelus. Philon quoque Iudæus ei angelum apparuiſſe confirmat dicens, ὡς ἄν τις ὑπετόπασεν εἰκόνα τοῦ ὄντος εἶναι, καλείσθω δὲ ἄγγελος ὅτι σχεδὸν τὰ μέλλοντα γενήσεσθαι διήγγελλε. Quantum, inquit, quis ſuſpicari poſſet, erat ea viſio, atque præſentia eius qui eſt, vocetur autem angelus, eo quòd quę ventura eſſent, denunciabat. Atque ita & ipſe videtur ſentire, Deum ſub figura angeli, Moſi ſe oſtendiſſe, quod & omnes prope Græci patres confirmant. Siquidem Baſilius pluribus nominibus, Dei filium in ſacris litteris appellari ſcribit, è quibus & nomen angeli eſſe. Quippe qui patris conſilia hominibus reuelauit: Qui & apud Eſaiā magni conſilij angelus vocatur, de qua re magnus Dionyſius, de cæleſti Hierarchia ſic ſcribit, αὐτὸς ἐστι Ιησοῦς, ὅτι κατὰ τὴν ἡμῶν σωστικὴν ἀγαθουργίαν, εἰς ἐκφαντορικὴν ἐληλυθὼς τάξιν, ἄγγελος μεγάλης βουλῆς ἀνηγόρευται, καὶ γὰρ ὡς αὐτὸς ἀγγελοπρεπῶς φησὶν, ὅσα ἤκουσε παρὰ τοῦ πατρὸς ἀνήγγειλεν ἡμῖν. Hoc eſt. Ipſe inſuper IESVS, quia propter ſalutare nobis beneficium, in ordinem denunciantium deſcendit, angelus magni conſilij eſt vocatus, etenim vt ipſe angelice dixit, quæcunque audiſſet à patre, annunciauit nobis. Eſtque peculiaris apud theologos quæſtio, num Deus an angelus cum Moſe tum loqueretur, & cùm montem Sinai poſtea conſcendit: nam is cum Moſe loquebatur: & qui aliis patribus apparuit, modo angelus, modo Deus vocatur. Sed quoniam hoc fuſius à theologis tractatur, prætermittendum nobis eſt. Etenim potuit fieri vt ſub præſentia angeli Deus ſeſe oſtenderet, & tamen per ea quæ fierent, eſſe Deus cognoſceretur, vt habetur hoc lib. cap. xxiij. Vbi Deus alloquitur populum. F Ecce ego mitto angelum meum, obſerua eum, quia in medio eius ſum. Deum enim, vti eſt, nemo vidit vnquam. Qui ne nominari quidem poteſt, nedum videri. Videmus autem hic, eundem appellari angelum & Deum, idque nomine illo tetragrammato, quod in ſolum Deum poteſt competere. Nam vbi dicitur, cernens autem dominus, quòd pergeret ad videndum, Hebraicè eſt nomen tetragrammaton. Alia quoque ſuper hac re diſſeri poſſent, quæ vltro dimittuntur. Itaque Hieronymus quod vertit, Apparuit ei Deus, non angelus, hoc idem ſentit, Deum, eum angelum fuiſſe, vt etiam ex toto capite colligitur. Sequiturque non verbum, ſed ipſam ſententiam. Nam & Hebræi aſſerunt, hunc angelum, Deum eſſe. Erat tamen vertendum ſicut & Septuaginta verterant, vt quilibet poſſet pro ſua facultate ſuper ea re meditari, Siquidem & angelum dicit beatus Stephanus Moſi apparuiſſe, Actuum capite nono.

Chriſtus angelus dictus.

Deꝰ ne angelus Moſi locutus ſit ĩ rubo.

Videbat quòd rubus arderet.] Quanquam nulla diſſonãtia in ipſis auctoribus ſit, vt tamen clarius hoc fiat, proferam quæ de rubo in vita Moſis, ſcribit Philon, qui ampliauit iſtum locum. Is enim refert βάτος ἦν, ἀκανθῶδες φυτὸν, καὶ ἀσθενέστατον, οὗτος οὐδενὸς πῦρ προσενέγκαντος, ἐξαίφνης ἀνακαίεται. καὶ περισχεθεὶς ὅλος ἐκ ῥίζης, εἰς ἀκρέμονα, πολλῇ φλογὶ κατάπερ ἀπό τινος πηγῆς ἀνομβροῦσις, διέμενε σῶος, οὐ κατακαιόμενος, οἷά τις ἀπαθὴς οὐσία, καὶ οὐχ ὕλη πυρὸς αὐτὸς ὢν, ἀλλὰ τροφῇ χρώμενος τῷ πυρὶ, κατὰ δὲ μέσην φλόγα μορφὴ περικαλλεστάτη τῶν ὁρατῶν ἐμφερὴς οὐδενὶ, θεοειδέστατον ἄγαλμα. Erat ibi, inquit, rubus, plantula videlicet ſpinoſa ac debiliſſima, atque ea, à nemine admoto igne, repente tota accendi viſa eſt. Quam cùm ignis radicitus occupaſſet, & ingenti flamma omnes ramos ac cacumen teneret, ea tamen perinde manebat illęſa, ac ſi ſuperne fons delaberetur, incendiumq; reprimeret, & quaſi materia incorruptibilis eſſet, nõ ea eſſet igni pabulum, ſed contra ea nutriretur ab igne. In media vero flamma, forma præſtantiſſima viſa eſt,

Rubus.

quæ

A quæ nulli harum rerum quæ videntur, eſſet ſimilis, Diuiniſſimum ſimulachrum. Huc vſque Philon. Quapropter patet, quo modo hoc intelligendum ſit, quod de accenſo rubo hoc loco ſcribitur. Quæ quia vehementer placent, non ſunt alia proferenda. Ardere rubus viſus eſt, quia natura diuinitatis, igni ſolet in ſacris litteris comparari, tum propter eius inter cætera elementa excellentiam, tum quia illa natura luciſſima eſt, & procul ab omni caligine ſequeſtrata, tum quia eius operatio, igni eſt ſimillima, celeriter, ſcilicet omnia conficiens, & alia quidem purgans, alia penitus abſumens. Sub hac ſpecie, Deus Moyſi viſus eſt. Græci quoque aliam afferunt rationem, cur ſub rubi ardentis ſpecie videri Deus voluerit. Nulla ſcilicet Deo figura eſt, nulliſque lineamentis exprimi poteſt, ergo ſi ſe ſub ardente rubo oſtendiſſet, non erat futurum, vt Hebræi occaſionem inde eius figuræ depingendæ ſumerent, & in errores peſſimos corruerent. Nam rubus ardens nullam exhibebat figuram, quam quiſquam Deo conuenire poſſe putaret: quanquã Philon ſcribit in media illa flamma, Deum eſſe conſpectum. Verum de hoc nulla in contextu fit mentio, ſed vocem tantummodo vocantis auditam eſſe. Nam cùm dicitur apparuit ei, magis ad vocem pertinet. Sed veriſimile eſt, aliquam præſentiam eum in igne vidiſſe. Neque tamen hoc impedit, quin expoſitio Græcorũ optima ſit. Nam nulla illius qui Moſi apparuerit traditur figura.

Non combureretur.] Hebraicè ἐμφαντικώτερον. איננו אכל Hoc eſt, Non deuorabatur, non exedebatur, à verbo אכל id eſt, comedit, deuorauit. Græce quoque venuſtiſſime per antonomaſian, idem ſignificatur ἡ βάτος ἐκαίετο, καὶ οὐ κατεκαίετο. Quod fortaſſe Latine poſſet verti, vrebatur, ſed non exurebatur.

Imolabis Deo ſuper montem iſtum.] תעבדון id eſt, Seruietis, adorabitis, ad plures ergo ſpectat: & ad

B omne adorationis genus: ſicut verterunt etiam Septuaginta καὶ λατρεύσετε τῷ θεῷ, ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, & adorabitis Deum in monte iſto. Nam habad Hebraice, omnem diuinum cultum ſignificat, non tantum immolationem. Prædicit ergo Deus fore, vt omnis Hebræorum multitudo Aegypto egreſſa, eum ad montem illum adoratura ſit.

go E ſum qui ſum.] אהיה אשר אהיה id eſt, Ero qui ero. Per futurum pronunciatur Hebraice. Futura tamen pro præteritis ac præſentibus ſolent vſurpari in hac lingua, ſicut & lingua Italica, & alijs quamplurimis. Neque certe aliud eſt, quàm quod vertit Hieronymus & Septuaginta, qui etiam per præſens locuti ſunt: ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Notatur autem non ſolum à Chriſtianis, ſed etiam gentilibus maxime Platonicis, Dei nomen eſſe, qui eſt, eo quòd is ſit, omnis eſſentiæ, omniſq; vitæ plenitudo, & ab eo omnia viuant ab eo profecta, vt & quòd eſſent poſt ortum, & quòd orirentur ille fuerit cauſa. De quo apud Aegyptios, in templis erat ſcriptum ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψε. id eſt, Ego ſum quod fuit, quod eſt, quodq; futurum eſt, velum meum nemo vnquam reuelauit: Credoq; ex hoc Exodi loco, eos accepiſſe, præſertim cùm Mercurius eius ſententiæ vt exiſtimo auctor, non modo tempeſtate Moſi proximus fuerit, ſed etiam ſimillima in multis & ſacris litteris conſentanea ſcripſerit. De hac eadem re Gregorius eximius theologus θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ καὶ ἔστι καὶ ἔσται, μᾶλλον δὲ ἔστι ἀεί. τὸ γὰρ ἦν καὶ ἔσται, τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα, καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως. ὁ δὲ ὢν ἀεί. καὶ τοῦτο αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζει τῷ Μωϋσῇ χρηματίζων ἐπὶ τοῦ ὄρους. ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ ἀεὶ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον μήτε παυσόμενον. οἷόν τε πέλαγος οὐσίας ἄπειρου, ἢ ἀόριστον, πᾶσαν ὑπερεκπίπτων ἔννοιαν καὶ χρόνου καὶ φύσεως. Hoc eſt, Deus, inquit, fuit quidem ſemper, eſtque & erit. Imò vero ſemper

C eſt. Nam fuit, aut erit, diuiſiones ſunt fluxæ naturæ, & temporis cui ſubijcimur nos. At Deus ſemper eſt. Quo nomine ipſe ſeipſum appellauit, cùm Moyſen alloqueretur in monte. Totum enim in ſe ipſum eſſe complectitur, quod neque cœpit vnquam, neque deſinet, quaſi quoddam eſſentiæ pelagus infinitum, & immenſum, omnem & naturæ, & temporis rationem tranſcendens. Dionyſius quoque ille magnus, & vere diuina & apoſtolica ſapientia plenus, de hoc ipſo, inquit, οὐ ποσόν ἐστιν ὤν, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ ἀπεριορίστως ὅλον ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν τὸ εἶναι, καὶ προειληφώς. Appellauit, inquit, ſeipſum, qui eſt, non enim ſecundum aliquam quantitatem ac dimenſionem eſt, ſed ſimpliciter, & interminabiliter, totum eſſe in ſe comprehendens. Thales quoque Mileſius, interrogatus quid eſſet diuinitas, reſpondiſſe fertur, τό μήτε ἀρχὴν ἔφη, ἔχον, μήτε τέλος. ideſt, Quod neque principium habet, neque finem. Plato quoque vir eminentiſſimi ingenij, mortales quaſi reprehendit, quòd futurum aut præteritum tempus, diuinę naturę accommodarent, eadem propè quę & Dionyſius, & Gregorius, in Timęo ſcribens. τὸ ἦν καὶ ἔσται, χρόνου γεγόνασιν ἴδη, ἃ δὴ καὶ λανθάνοντες ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν φέρομεν οὐκ ὀρθῶς, τῆδε, τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει, τὸ δὲ ἦν καὶ ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν. id eſt, Fuit, aut erit, temporis ſpecies unt, quas temporis partes, nos per inſcitiam, ſempiternę naturę attribuimus. Non ſatis recte c rationabiliter. Et ſi quidem tantum competit, & ſecundum veram rationem, tempus prę ens, illę vero diuiſiones, naturę, quę tempori ſubiecta eſt. Hęc ille. Appellat ergo ſe id quod ſt, propterea quòd ante omnia ac ſupra omnia eſt, quod ab omnibus gentibus ac religionibus ſt cognitum. Proclus enim & ipſe gentilis, Chriſtianos fortaſſe ſecutus de ea natura ait: πάν- ων τῶν ὁπωσοῦν τοῦ ἀγαθοῦ μετεχόντων ἡγεῖται τὸ πρώτως ἀγαθόν, καὶ ὃ μηδὲν ἔστιν ἄλλο ἢ ἀγαθόν. d eſt, Omnibus quę quoquo modo bonum participant, excellit ac prẹſtat, quod primo bonum ſt, & quod non eſt aliud, quam ipſum bonum. Cui etiam Iamblicus conſone de eadem natura ſic

Qui eſt, cur Dei nomẽ.

ra ſic loquitur, ἔστι δὴ οὖν τἀγαθὸν, τό τε ἐπ' ἐκεῖνα τῆς οὐσίας, καὶ τὸ κατ' οὐσίαν ὑπάρχων, ἐκείνην λέγω τὴν οὐσίαν τὴν πρεσβυτάτην, καὶ τιμιωτάτην, καὶ καθ' αὑτὴν οὖσαν. Eſt igitur, inquit, bonum, id quod ſupra eſſentiam eſt, & quod ſecundum eſſentiam: Illam dico eſſentiam, quæ primæua eſt, & præclariſſima, & per ſe exiſtit. Non fuit ergo abſurdum, hæc ex gentilibus theologis proferre, vt ſit perſpicuum, quàm proprie, quàm vere, Deus appellarit ſe, qui eſt, & quàm ſapienter Septuaginta & Hieronymus per præſens extulerunt, quod ſecundum idioma Hebraicum pronunciabatur per futurum. Omittimus hoc loco multa quæ ab Hebræis & Latinis ſuper nomen tetragrammaton diſſeruntur. Conſilium enim nobis fuit, omittere quæ minus neceſſaria viderentur. Cùm præſertim de eo nomine ſatis nobis diſſertum ſit in libro contra cabaliſticas ſuperſtitiones. Scire vero omnes volumus Burgenſem, virum alioqui in litteris Hebraicis doctiſſimum, virumque optimum, mea quidem ſententia hoc loco non attigiſſe, cuius expoſitio poſtea citabitur. Duoque in eo mihi carpenda viſa ſunt, primum quòd cùm eſſet Hebraici ſermonis peritus, non animaduerterit eius linguæ proprietatem: deinde quòd Auen Eſræ, atque aliorum multorum Hebræorum ſequatur expoſitionem, quæ certe minime vera eſt. Primum quod diximus, ſermonis Hebraici proprium eſſe, futura pro præſentibus vſurpare, adeo clarum eſt, vt nihil ferè notius ſit, exempla tamen proferamus. Iob capite primo vbi in noſtra editione habetur. Vnde venis? Hebraice eſt מאין תבוא quæ ſi Latine reddenda ſunt, dicendum eſſet, vnde venies? quo nihil eſſet abſurdius, etiam apud Hebræos. Geneſis quoque capite trigeſimoſeptimo, vbi Latine dicitur de Ioſeph, inueniſſe eum errantem, quendam virum, qui eum hoc modo interrogauit, מה תבקש quod ſi Latine reddas, dices, quid quæres, quid veſtigabis. patet tamen de præſenti interrogationem fieri, innumerabiliaque alia dimittuntur exempla, ne in re manifeſta tempus conteramus. Potuit ergo hoc non vidiſſe Burgenſis? deinde non animaduertit etiam Septuaginta interpretes, viros ſapientiſſimos, vtriuſque linguæ intelligentes proprietatem vertiſſe, qui eſt, & non qui erit, vel qui ero: quorum interpretationem approbauit etiam Philon Iudæus, vir & ipſe Græce doctiſſimus, qui hunc locum in vita Moyſi exponens ſcribit. Ἐὰν οὖν φησι πυθάνωνταί τι τὸ ὄνομα τοῦ πέμψαντι, μηδ' αὐτὸς εἴπειν ἔχω. ἆρ' οὐ δόξω διαπατᾶν, ὁ δὲ τὸ μὲν πρῶτον λέγε φησὶν αὐτοῖς ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. ἵνα μαθόντες διαφορὰν ὄντος τε καὶ μὴ ὄντος, προσαναδιδαχθῶσιν, ὡς οὐδὲν ὄνομα τὸ παράπαν ἐπ' ἐμοὶ κυριολογεῖται, ᾧ μόνῳ πρόσεστι τὸ εἶναι. Hoc eſt, Dixit Moyſes, at ſi, inquit, percunctati ex me fuerint, quod nomen ei ſit, qui me miſerit, eiſque dixero, ne me quidem poſſe hoc explicare, nonne eos circumuenire ac fallere videbor? Tum Deus, reſponde, inquit, quòd ego ſum ille qui eſt, vt intelligant quantum inter eum qui eſt, & qui non eſt, interſit: doceantur inſuper nullum mihi proprie nomen conuenire, qui ſolus habeo, ipſum eſſe. atque hæc Philon. Sciendum etiam illud eſt quòd nomen tetragrammaton, quod proprium Dei nomen eſſe exiſtimatur, & quod apud Hebræos quaſi proferri non poteſt, non eſt alia vox, nō aliud nomen, quàm id de quo diſſeritur hic: id eſt, qui eſt. Quod Græce melius ὁ ὤν. Eſt enim vox futuri temporis verbi ſubſtantiui. Nam prima vox eius verbi eſt: היה hoc eſt, fuit: cui in futuro tertiæ perſonæ additur iod, fitq́;, יהיה id eſt erit: atque ipſum eſt nomen tetragrammaton, duntaxat protacta iod, vt fiat vau. Putoque olim loco eius quod nunc eſt vau, fuiſſe iod: faciliſq; eſt à iod, ad vau tranſitus, propter maximam affinitatem. Atque ex hoc Exodi loco, natum puto nomen tetragrammaton. Nomen ſcilicet, quo ſeipſam diuinitas appellauit, ab eſſendo: quanquam eo in libro Geneſeos vſus ſit Moſes: vtq́; hoc clarius percipias, vbi in noſtra editione habetur, Dixitq; iterum Dominus ad Moſen, Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac &c. Hebraice in ipſo exordio ponitur יהוה hoc eſt, nomen tetragrammaton, id eſt, qui eſt Deus patrum noſtrorum: deinde ſubdit, hoc nomē mihi eſt in æternum. Neq; de alio nomine intelligit, quàm eo, quod expoſuerat Moſi ſcilicet, qui eſt. Nomen ergo tetragrammaton tempus futurum eſt verbi ſubſtantiui, ſub ea forma quam expoſuimus. Atque idem eſt, vbi dixit ero qui ero, & ipſum nomen quadrilitterum. Nam ſi ipſum interpretari voluerimus, dicemus, qui eſt, vel erit, ſine relatiuo: quod fit ſecūdum idioma Hebraicum, in quo relatiua ſæpe dimittuntur: hæc dico non ignorans Hieronymum tanquam duo diuerſa nomina ponere nomen tetragrammaton, & qui eſt, ſed ſi quis prudentiſſime conſiderarit, inueniet hæc vera eſſe, cōſentiente etiam Theodorito apud Græcos, qui Syriace & Hebraicè erat peritiſſimus. Si hæc ergo vera ſunt, vt certe ſunt, non erat cur damnaret noſtram editionem Burgenſis hoc loco. Damnata enim noſtra editione, damnatur editio Septuaginta, qui ſapientiſſime hunc locum reddiderunt per præſens: quamobrem clariſſimum eſt, quàm laudabiliter, quàm rectè expoſuerint hunc locum, ſanctiſſimi noſtri interpretes tam Græci quàm Latini. Ex his quoq; cognoſcitur, quàm commentitia ſit expoſitio quorundam Hebræorum, quos ſequitur Burgēſis, qui exponunt, Ero qui ero, ero cum eis, qui ero illorum Deus, quæ liquet quàm abſurda ſint & Hebraicis commentis ſimilia: neq; enim ſunt omnia admittenda, quæ finguntur ab ea gente, quo vitio fœdiſſime plerique reſperſi ſunt, vt quicquid apud Hebręos inueniant, ſit eis oraculum, præſertim hi, qui cabaliſticis delyramentis ſunt addicti.

Tetragrāmaton.

Vocauit nos.] נקרה עלינו Occurrit nobis. Sunt enim ſimillima apud Hebręos vocandi verbum, & id quod ſignat occurrit: ideo etiam Septuaginta ſicut, & Hieronymus προσκέκληται ἡμᾶς.

Aduocauit

A Aduocauit nos. Auen Eſra נפגש id eſt, occurrit. Chaldaica quoque editio: dominus, inquit, איתקרי עלנא apparuit nobis.

Niſi in manu valida.] ולא ביד חזקה Et non in manu forti. Sic & Chaldaica, ולא מן קדם דחילא תקפא, id eſt. Et non prius, quàm robur meum comprehendat eum vel tangat. Sic exponunt reliqui Hebræi. Rabi Salomon. עד שאני מודיע ידי החזקה לא יתן אתכם hoc eſt, quouſque meam manum robuſtam notam ei non fecero, non permittet vos ire. Vt ipſe Deus paulo poſt infert. In manu ergo valida, id eſt, robore, potentia, vt non dimiſſurus ſit Hebræos, niſi maximis prodigiis conſpectis, niſi cognita diuina potentia: niſi ambiente Hebræos exercitu cæleſti, vt eos ab Aegyptijs tueatur: niſi maximis ſint Aegyptij calamitatibus oppreſſi.

CAPVT IIII.

M*Itte quem miſſurus es.*] שלח נא ביד תשלח Mitte obſecro per manum cuius mittes. Conſentiuntq; omnes ſentire eum de Aaron, qui poſſet, & ſciret loqui. Sicut & Septuaginta ſentire videntur. δέομαι κύριε προχείρισαι ἄλλον δυνάμενον, ὃν ἀποστελεῖς. hoc eſt, Obſecro domine adhibe alium qui poſſit, quem mittas. Editio quoq; Chaldaica & ipſa ferè in eandem ſententiam ייי שלח כען ביד מן דכשר למשלח hoc eſt, Obſecro domine mitte nunc per manum eius, quem decet mitti. Atque itaq; interpretantur omnes Hebræi. Rabi Salomon ביד מי שאתה רגיל לשלח או ביד אחר שתרצה hoc eſt, Per manum eius, quem paraſti mittere, ſiue per manum alterius, quem tu volueris. Notat autem hic Auen Eſra, vt in libro Ezechiel ſcribitur, Deum ante Moſen alios etiam miſiſſe prophetas, qui populum Iſrael erudirent, atque ex his quempiam voluiſſe hic intel-
B ligere Moſen, ſiue Aaron, ſiue alium. Quod autem hoc tribuitur redemptori, dicam certe quod ſentio, non fieri pie. ſed magis ſuperſtitioſe, hoc enim eſt extorquere diuinas litteras. Medium iter tenendum eſt, & Meſſiæ tribuenda ſunt, quæ eius ſunt, & quæ aliorum alijs. Quæ res ſi confundatur, fieri ſine maximo flagitio non poterit. Qui enim quod de Meſſia ſcribitur, ad alias torquet perſonas, is certe & impius eſt, & malignos Iudæos imitatur: qui vero quę de alijs dicuntur, ei tribuit, is in eorum numerum referēdus eſt, qui ſuperſtitioſi ſunt, & imperite has litteras interpretantur. Hæc tamen dico, vt ſemper recipiamus & approbemus, quidquid diuini ſcriptores prodiderunt, ne quorundam ſtultam & barbaram audaciam imitemur.

Mitte quē miſſ. non poſſe Chriſto tribui

Eris ei in his quæ ad Deum pertinent.] Modeſtiæ cauſa tam Hier. quàm Sept. noluerunt penitus hoc loco ſequi textum Hebraicum in quo eſt. ואתה תהיה לו לאלהים Et eris ei in Deum. Septuaginta verò, σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν. Tu autem eris ei, quæ ad Deum pertinent. Quod etiā fecit editio Chaldaica, ואת תהי ליה לרב id eſt, Et tu eris ei in magiſtrum, ſiue principem. Atque hoc patet qua cauſa factum ſit. Quod tamen in ſequentibus nec Hieronymus, nec Sept. curaſſe videntur.

Occurrit ei dominus.] Etiam iſtud Septuaginta ſapienter alio modo verterunt συνήντησεν αὐτῷ ἄγγελος κυρίου. Occurrit ei angelus domini: licet contextus habeat vt vertit Hieronymus. Nam promiſcue loquuntur ſacræ litteræ, eodem nomine tum Deum, tum angelos appellantes. Atque hoc longe eſt honeſtius, vt vertūt Septuaginta, quod & Chaldaica fecit editio, quæ & ipſa habet וערע ביה מלאכא hoc eſt, Et occurrit ei angelus domini. Tolerari enim poteſt, vt angelus ſumpta viri forma minaretur Moſi: at de Deo, non poſſet ſine perturbatione id cogitari. Hoc modo exponunt omnes propè Hebræi: cæteri interpretes alij Deum, alij angelum verterunt. De qua re etiā
C Theodoritus ſcribit. οὐχ ὁρῶ πῶς ἄγγελος ἀνελεῖν ἠβούλετο τὸν μωσέα, ἢ κατὰ τοὺς ἄλλους ἑρμηνευτὰς ὁ κύριος, πλὴν εἰ μή τις ὅπερ ἀληθές ἐστιν, εἴποι ὅτι ὁ μὲν μωσῆς ἐνόμισεν τὸν θεὸν ὀργίζεσθαι αὐτῷ ἐπειδὴ τὸν λαὸν ἔμελλε πρὸς αὐτὸν ἀναγαγεῖν, καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα ἀπεφέρετο εἰς αἴγυπτον διὸ δὴ καὶ ἀπέπεμψεν αὖθις τὰ φίλτατα πρὸς τὸν πενθερόν. hoc eſt, Non video quamobrem angelus voluerit occidere Moſen: aut ſecundum alios interpretes Deus. Fortaſſe dicendum eſt, quòd Moſes putarit Deum ſibi eſſe iratum, quòd cùm eſſet populum ad illum ducturus, vxorem & filios ſecum afferret in Aegyptum, ideo tranſmiſit ſtatim cariſſima pignora ad ſocerum, hæc quidem ille. Non defuerunt igitur ex his, qui Deum etiam interpretati eſſent.

Tetigit pedes eius.] Eodem etiam modo Hebraice. Quod Rabi Salomon interpretatur, proieciſſe eam coram Moſe, præputium. Nam iſtud aperte refertur ad Sephoram, quæ proiecit ante Moſen præputium, dixitq;: Sponſus ſanguinum tu mihi es. Septuaginta innuunt neſcio quid aliud προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, cecidit ad pedes eius: & dixit quod neſcio an verum ſit, eam contigiſſe pedes Moſi, & quaſi ſupplicaſſe, & veneratam fuiſſe.

Sponſus ſanguinum.] Mira varietas apud Septuaginta. Qui pro eo quod eſt ſponſus. Verterunt ἔστη. hoc eſt, ſtetit: ſic enim tota ſententia habet, ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. id eſt, Stetit ſanguis circuncisionis pueri mei. Quod ſuſpicari non poſſum vnde ſumptum ſit: quando ne ex æquiuocatione & amphibologia quidem contigit. Vnicum enim eſt eius vocis ſignificatum: propterea & reliquum huius periodi abſurde apud eos ſeſe habet. Et ſententia quidem ſatis manifeſta eſt, vt exponit Nicolaus. Vnum illud eſt annotandum dici ſanguinum de more linguæ Hebraicæ, quæ ſanguines ponit pro ſanguine, vt illud, Vox ſanguinum fratris tui, cùm ſanguinis apud nos dicendum ſit.

Et receſſit ab eo.] Mira hoc loco hallucinatio Nicolai, qui cùm ſciret Hebraice, non viderit, hoc non referri ad Sephoram vt ille exiſtimat, quæ indignata, à Moſe receſſerit: nam verbum Hebraicum maſculina vox eſt, non fœminina. Rabi quoque Salomon, quem ille ſequebatur, exponit, receſſit, inquit, המלאך ממנו id eſt, Angelus ab eo. Receſſit ergo à Moſe angelus, non Sephora a Moſe: dimittitur autem hoc totum à Septuaginta.

Et audierunt.] וישמעו Et audierunt. Septuaginta legiſſe videntur · וישמחו id eſt, Et lætati ſunt, eo quòd loco audierunt, verterunt ἐχάρη ὁ λαὸς, id eſt, Et lætatus eſt populus. Eſtq; inter vtrunque verbum, non mediocris ſimilitudo. Nam שמח quòd lætari ſignificat, ſimillimum eſt huic שמע id eſt, audiuit, atque alterum pro altero Septuaginta legiſſe videntur.

CAPVT V.

QVare ſollicitatis populum ab operibus eorum.] תפריעו את העם hoc eſt, Vacare facitis. Idem quidem innuit Hieronymus, ſed obſcurius. Septuaginta vero per aliud verbum, idem ſignificant διαστρέφετε τὸν λαὸν, ἀπὸ τῶν ἔργων. Auertitis populum ab operibus. Hebraicè igitur hæc ſententia innuitur. Quare populum ſubleuatis & falſis perſuaſionibus imbuitis: interimque opera intermittuntur, pendent machinæ interruptæ, conaminique eum ab hoc ſeruitio auocare?

Quanto magis ſi ei requiem dederimus.] והשבתם אתם מסבלתם hoc eſt, Populus, inquit, tam multus eſt, & eis ocij copiam datis: aut, Cùm multus ſit populus, reuocabitisne eos à laboribus eorum? At alio modo hoc efferunt Septuaginta μὴ οὖν καταπαύσωμεν αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἔργων. Ne igitur quieſcere permittamus eos ab operibus. Atque ita diuerſe omnes protulerunt, cum Hebraica veritas habeat vt nos citauimus.

CAPVT VI.

IN Deo omnipotenti.] באל שדי In Deo omnipotenti. Quod non ita proprie Septuaginta θεὸς ὢν αὐτῶν, cùm eſſem Deus ipſorum. Exponitur autem hoc ab Hebræis ſicut late ſcribit Nicolaus, & vt clarum per ſe eſt. Rabi Salomon ואמרתי להם ואני אל שדי Et dixit eis me eſſe Deum illum omnipotentem.

Nomen meum adonai non indicaui.] ושמי יהוה Et nomen meum tetragrammaton. Non adonai. Hieronymus Hebræorum morem ſecutus eſt, qui nomen illud diuinum, vt ſæpius diximus, non ſua voce, pronunciant, ſed aliena, ſcilicet Adonai: dicunt enim id, vel non poſſe, vel non conuenire proferri: ideo etiam Septuaginta, per aliud nomen ipſum expoſuerunt, ſcilicet κύριος, cùm ne hoc etiam quadret.

De nomine tetragrāmaton.

Non indicaui eis.] Hoc ſatis apertum eſt, quo pacto ſit intelligendum, nullaque eſt inter omnes tum Hebræos tum Græcos tum Latinos interpretes diſſonantia. Quæ autem de nomine tetragrammaton, ab Hebræis traduntur, ne Græci etiam patres ignorarunt, doctiſſimusque Theodoritus copioſe de hac re ſcribit. Neque ab re eſt, totam eius expoſitionem huc afferre, quia optima eſt διδάσκει ἔφη, πόσης τιμῆς καὶ εὐμενείας ἠξίωσεν. ὃ γὰρ τοῖς πατριάρχαις οὐκ ἐδήλωσεν ὄνομα, τοῦτο αὐτῷ δῆλον ἐποίησεν. ἔφη γὰρ πρὸς αὐτόν. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. τοῦτο δὲ παρ᾽ ἑβραίοις ἄφρασον ὀνομάζεσθαι. ἀπείρηται γὰρ αὐτοῖς τοῦτο διὰ τῆς γλώττης προφέρειν. γράφεται δὲ διὰ τῶν τεσσάρων στοιχείων, διὸ καὶ τετράγραμμον αὐτὸ λέγουσι, τοῦτο καὶ τῷ πετάλῳ ἐπεγέγραπτο τῷ χρυσῷ, ὃ τῷ μετώπῳ τοῦ ἀρχιερέως ἐπετίθετο, τῇ ταινίᾳ τῆς κεφαλῆς προσδεσμούμενον. καλοῦσι δὲ αὐτὸ σαμαρεῖται μηνιαμέ. ἰουδαῖοι δὲ αἰά. ἐστὶ δὲ τέσσαρα γράμματα τοῦ ὀνόματος ταῦτα. ἰώδ, ἀλὰρ οὐαλε. τὸ δ᾽ ἀϊδίως ζῆς καὶ ἀΐδιον εἶναι τὸν θεόν. σημαντικὸν τὸ ὄνομα. τοῦτο τοίνυν φησὶ τὸ ὄνομα οὐδὲ τοῖς περὶ τὸν ἀβραὰμ ἀπεκάλυψα. ἀλλά σοι πάντως πρῶ. ἐπειδὴ μὴ ἦν καιρὸς εἰπεῖν τοῖς πατριάρχαις τὸ ὄνομα, ὃ ἐχώρισεν τὸν θεὸν τῶν εἰδώλων. ἐπειδὴ γὰρ καὶ οἱ δαίμονες θεοὶ καὶ κύριοι ὠνομάσθησαν ὑπὸ τῶν θηραπευόντων αὐτοὺς. τὸ τετράγραμμον ὄνομα ἔδωκεν ὁ θεός. τὸ τότε ἀνέκφρασον τοῖς πιστοῖς. id eſt, Docet quanto honore quantaque beneficentia dignus eſſe meruerit. Quod enim patriarchis nomen non explicuit, clarum ei fecit. Dixerat enim ad eum, Ego ſum qui eſt. Eſt autem hoc apud Hebræos innominabile. Prohibitum enim eis eſt, ne ore ſuo ipſum proferrent. Scribitur autem quatuor litteris, ideo & quadrilitterum appellant. Idem & aureæ laminæ ſolebat inſcribi, quę vitta capitis, fronti ſummi pontificis alligabatur. Vocatur à Samaritis Meniame, ab Hebręis aia. Quatuor litterę quibus ſcribitur hę ſunt, iod, he, vau, he. Cumque per id ſignificetur eſſe Deum ſempiternum, ipſum dicit, ſe ne Abrahę quidem reuelaſſe. Non enim commodum tunc erat aperire patriarchis nomen, quod ſeparabat Deum ab idolis. Siquidem cùm etiam dęmones, dij, & domini à ſuis cultoribus vocarentur, dedit Deus nomen quadrilitterum, quod fidelibus tunc erat innominabile.

Incircuncisus labijs.] Quamuis eo etiam modo habeant Hebraica, hoc tamen intelligendum eſt, ſecundum Septuaginta, qui vertunt, Ego ſum, inquit, ἄλογος. Careo ſermone, deſunt mihi verba, quaſi balbus ſum, & labia mea ſunt pinguia, non eſt caro execta, quę orationem impedit.

Anni vitæ Chaat cxxxiij.] Sicut & Hebraice. שלש ושלשים ומאת At huic numero apud Septuaginta deſunt tres: ſic enim habēt, τὰ ἔτη τῆς ζωῆς καὰθ ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη, id eſt, Anni vitę Chaat centum

centum triginta. Eademque fuit in hoc labendi ratio, quæ & in cæteris aliorum annis, vt magis aſcribatur ſcriptoribus & vetuſtati, quæ omnia ſolet immutare, quàm interpretibus. Facileque eſt hoc intellectu, vel hebetiſſimis.

Patruelem ſuam.] Hoc eſt, Filiam patrui. At Hebræi דודת. Dicunt ſignificare ipſius patrui ſororem. Puto vero Hierony. per patruelem intellexiſſe patrui ſororem, hoc eſt materteram. Iocabet igitur vt habetur Numeri 26. ſoror erat Cahat patris Hamram. Non videtur igitur verum, quod dicit Burgenſis, hanc fuiſſe auiam ipſi Hamram. Locus enim is refragatur. Septuaginta non diſſentiunt à noſtra editione, ἔλαβεν ἄμβραν τὴν ἰωχαβὲθ θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ πατρός. Sed ea vt dixi non filia, ſed ſoror patrui.

CAPVT VII.

A*Rcana quædam.*], בלהטיהם Quod varijs modis interpretari ſolet, Septuaginta in vniuerſum omnem incantationem & præſtigium intellexerunt. φαρμακείαις αὐτῶν, Quæ vox ſonat præſtigium & veneficium. Chaldaicè autem aliud innuitur, per ſuſurrationes ſcilicet & verba, præſtigiatores illos operatos eſſe. Sic legitur Chaldaice, ועבדו אף אינון חרשי מצראי בל חשיהון hoc eſt, Fecerunt etiam incantatores, ſuis ſuſurrationibus. Atque ita etiam interpretatus eſt Rabi Salomon. Neque quicquam aliud ſuper hac re memoriæ proditum apud ſcriptores cõperimus. Et quoniam vox Hebraica hoc loco ſonat etiam fulgorem gladij, ac nitorem, & per hunc dicuntur perfeciſſe ſuas præſtigias illi, non erit forte abſurdum, ſi de eo genere incantationis quod fit per fulgorem armorum intelligamus. Extat enim & apud Ezechielem, huius vaticinij & incantationis mentio, quæ fit per fulgorem armorum. Quoniam vero obliterata hæc ſunt, ideo non ſatis intelligi ſolent, Philon Iudæus, latius hunc locum explicat, eius verba producamus, πάντων οὖν τῶν δυνατῶν συῤῥύεντων εἰς τὰ βασίλεια, λαβὼν τὴν βακτηρίαν ὁ μώσεως ἀδελφὸς· καὶ κατασείσας μάλα ἐπιδεικτικῶς, εἰς τοὔδαφος ῥίπτει, ἡ δὲ μὲν δράκων αὐτίκα γίνεται οἱ δ' ἐν κύκλῳ κατεθεῶντο καὶ ἅμα θαυμαστικῶς ἔχοντες. ὑπὸ δέους ἔξω χωροῦντες ἀπέφευγον. σοφισταὶ δὲ ὅσοι καὶ μάγοι παρετυγχάνοντες, τί καταπλήττεσθε εἶπον, οὐδ' ἡμεῖς τῶν τοιούτων ἀμελετήτως ἔχομεν ἀλλὰ χρώμεθα τέχνῃ δημιουργῷ τῶν ὁμοίων. εἶθ' ἑκάστου, τὴν βακτηρίαν ἣν εἶχε ῥίψαντος, δρακόντων πλῆθος ἦν καὶ περὶ ἕνα τὸν πρῶτον εἱλοῦντο. ὁ δ' ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος διαναστὰς πρὸς ὕψος, τὰ μὲν στέρνα εὐρύνει, τὸ δὲ σῶμα διοίξας, ὁλκοῦ πνεύματος ῥύμῃ βιαιοτάτῃ καθάπερ βόλῳ ἰχθύων πάντας ἐν κύκλῳ σαγηνεύσας ἐπισπᾶται, καὶ καταπιὼν, εἰς τὴν ἀρχαίαν φυσιν τῆς βακτηρίας μετέβαλεν, Hoc eſt, Cumque omnes præpotentes ad regiam confluxiſſent, tum frater Moſis ſumptam virgam maxima cum expreſſione in terram proiecit. Atque ea quidem mox in draconem verſa eſt. Qui autem circunſtarent, rem omnem non ſine maxima admiratione intuebantur, & præ formidine fugam quoque arripuerunt. Sapientes autem & magi qui tum forte aderant, Cur ſtupetis inquiunt? Nam neque nos non poſſumus hæc facere. Artem denique eam profitemur, quæ hæc faciendi vim habeat. Ac dicto citius, cùm ſinguli ſuas virgas proieciſſent, facta eſt draconum multitudo, omnes tamen circa illum primum vertebantur. Qui paululum immoratus, mox pectus ac totum corpus, arduus erexit. Patefactoque ore, & ſpiritu violentiſſimo attracto, omnes tanquam piſces in ſaginam ad ſe attraxit. Quibus deuoratis, in priſtinam naturam quæ virga erat, reuerſus eſt, hæc ille.

CAPVT VIII.

I*N immenſos aggeres.*] Hoc modo ſapientiſſime mutauit locutionem Hebraicam Hieronymus. Nam cùm Hebræis ſuperlatiua non ſint, id loquendi genus ſupplent per eandem vocem repetitam, vt eſt de quo hic loquimur, Hebraice ſiquidem, חמרים חמרים id eſt, aceruos aceruos: quod intelligitur, ſicut vertit ipſe Hieronymus. Septuaginta penitus Hebraicum loquendi morem ſecuti ſunt, καὶ συνήγαγον αὐτοὺς θημωνίας θημωνίας. Congregauerunt eas, aceruos aceruos. Quod pauci admodum apud Græcos intelligerent.

Erunt ciniphes.]. כנם Quod Ioſephus & Rabi Salomon, pediculos interpretantur. Videturq; ex Hebraico ſumptum, additis quibuſdam litteris. Ideo & Septuaginta & Hieronymus vocem Hebraicam intactam dimiſerunt. Videmus certe ciniphes veniſſe à cinam vel cinas, additis, vt dixi, aliquot litteris. Neque puto apud alios tum Græcos tum Latinos ſcriptores, eam vocem reperiri. Credo igitur Septuaginta vocis proprietatem exprimere non valentes (quanquã non erat difficile) ipſum Hebraicum nomen reliquiſſe. Philon autem non pediculos intelligit, ſed muſcarum genus infeſtiſſimum, apud quem ſic legitur, τόδε ζῷον εἰ καὶ βραχύτατον, ἀλλ' ὅμως ἀργαλεώτατον, οὐ γὰρ μόνον λυμαίνεται τὴν ἐπιφάνειαν, κνησμοὺς ἐμποιοῦν ἀηδεῖς, καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς βιάζεται διὰ μυκτήρων καὶ ὤτων. σίνεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰς πετώμενον, εἰ μὴ φυλάξαιτο τίς. hoc eſt, Ea beſtiola tametſi exigua admodum ſit, infeſtiſſima tamen ſolet eſſe, non ſolum enim ſummam cutem lædit, pruritum infenſum immittens, ac noxium, ſed etiam interius penetrat per nares atque aures. Lædit etiam oculos, niſi quis cautus fuerit.

Cinipher vnde dicti.

Omnem muſcam.] הערב Quod alij muſcam in vniuerſum interpretantur. Alij vero muſcam caninam, vt etiam Septuaginta, qui & ipſi κυνομυῖαν, hoc eſt, muſcam caninam. A quibus nec Philon diſſentit. At Rabi Salomon, de hac ipſa voce ait, אל מיני חיות ונחשים ועקרבים וערבביא hoc eſt, omne genus beſtiarũ noxiarum, ſerpentes quoque ac ſcorpiones. Aduertendus vero error in Græcorum codicibus. Siquidem vt ſcribit etiam Hieronymus, Septuaginta interpretati ſunt non muſcam caninam, ſed κοινομυῖαν, id eſt generalem muſcam. Et quoniam maxima eſt ſimilitudo inter κυνομυῖαν, id eſt, communem muſcam, & κυνομυῖαν, hoc eſt, muſcam caninam. Ex eo factum eſt, vt à ſcriptoribus alterum in alterum deprauatum ſit: optime igitur reddiderant Septuaginta, ſed corruptus locus eſt ab imperitis. D

CAPVT IX.

ET *miſit Pharao ad videndum.*] Hoc omittitur à Septuaginta, non eorum vitio factum, ſed tẽporum. Quod vel ex eo fit manifeſtum. Nam ſubditur in Græcis codicibus, ἰδὼν δὲ φαραὼ ὅτι οὐκ ἐτελεύτησεν ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν τῶν υἱῶν ἰσραήλ. Videns, inquit, Pharao, quòd nullum iumentum filiorum Iſrael interijſſet. Atque ex hoc capite, nihil aliud viſum eſt dignum quod annotaremus. Quare deſinant Hebræi vituperare noſtram editionem, qua certe nulla melior & elegantior poteſt inueniri. Illi autem vt ſibi maledicendo gloriolam compararent, & religionem noſtram vtcunque oblatrarent & perturbarent, ex qualibet re anſam arripiunt, modo tutò & ſine ſuſpicione fieri poſſet. Noſtri autem Chriſtiani, cum viderint me hunc laborem ſuſcepiſſe, & diligentiſſime veritatem noſtrorum codicum examinaſſe, fidem mihi habebunt, inculpatam eſſe noſtram editionem, fallaces autem & ſemper maledicos Iudæos conſtanter retundent. E

CAPVT X.

NOn *vis ſubijci mihi.*], לענות מפני Humiliari coràm me. Eodemq; modo exponit Auen Eſra. Rabi quoque Salomon dicit hunc locum intelligendum eſſe ſecundum editionem Chaldaicam, quæ habet ſicut & noſtra editio, לאתכבעא Recuſas humiliari. Quamobrem, non plane intelligo, quid innuant Septuaginta, ἕως τίνος οὐ βούλει ἐντραπῆναί με. Vſquequo non vis conuerti me, deeſt fortaſſe πρὸς, aut non μὲ, ſed μοὶ, eſt legendum, vt dicas quouſque non vis conuerti ad me: vertendum tamen ſecundum Hieronymum.

Quo modo dimittam vos & paruulos veſtros.], טפכם id eſt, paruulos veſtros. Hanc tamen vocem, ſemper alio modo interpretati ſunt Septuaginta, ſcilicet τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν, hoc eſt, ſupellectilem veſtram. Verum omnes loci atteſtantur id nomen paruulos, non ſupellectilem ſignificare. Quoniamq; id apertiſſimum eſt, nulla proferam teſtimonia. Idq; vel ex hoc loco cognoſcitur. Mox enim aliquid mali ſuſpicatus eſt Pharao, vt dixerũt, ſe ſuos paruulos ſecum ducturos, quòd ſi aliam rem ſe aſportaturos dixiſſent, non vſque adeo dubitaſſet. Præterea repetit Pharao, quę ante dicta ſunt: at de ſupellectile nulla mentio, exceptis pecoribus.

Quod peſſime cogitetis.] Non alio modo intelligenda eſt veritas Hebraica, quæ habet ראו כי רעה נגד פניכם. Videte quia malum eſt coram nobis. Quod clarius verterunt Sept. ἴδετε ὅτι πονηρία πρόσκειται ὑμῖν. Videte, quia ſcelus vobis propoſitum eſt. Rabi autem Salomon alio modo interpretatur, aliud ſcilicet innuiſſe Pharaonem. Cauete, inquit, nam vobis pernicies maxima ex aſtris in deſerto futura portenditur. Video vobis imminere malum aſtrum. Quod quàm commentitium ſit, & ex ſuperſtitione Iudaica profectum, ſatis ipſa res indicat. Huiuſmodi vanitatibus & delyramentis omnia apud eos referta ſunt: dicitq; hoc eſſe midras, id eſt, quandam opinionem & quaſi traditionem ac ſecretum. F

Ventum vrentem.] קדים id eſt, calidum. Non dubium eſt eſſe auſtrum. Quippe qui ſit ventus calidiſſimus, & à zona torrida profectus, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptiſſimus. Itaque Sept. expreſſe auſtrum verterunt, καὶ κύριος ἐπήγαγεν ἄνεμον νότον. Et dñs adduxit ventum noton, qui & auſter. Appellaturq; notus ab humiditate, quæ in rebus omnibus, eo flante, ſolet contingere. Miror autem Nicolaum, qui cùm ſciret Hebraice non intellexerit hunc ventum eſſe auſtrum: eo quòd aſſerit hic de vento calido & ſicco ſcribi. Nullus autem ferè eſt ventus calidus, qui ſiccus ſit: cùm in ventis, ex caliditate efficiatur humiditas. Atque hoc eſt, quòd locuſtæ, flante borea, omnes extinctæ ſunt, & in mare rubrum coniectæ.

Flare fecit ventum ab occidente.]. רוח ים Ventum maris. Eſt enim Aegypto, mare, in quod Nilus ſeptem hoſtijs ſeſe infert, ab occaſu, ac verſus ſeptentrionem. Atque ideo flantibus æteſijs, qui venti aquilonares ſunt, commoda nauigatio in Alexandriam eſt. Quæ cauſa etiam facit, vt intumeſcat Nilus flantibus æteſijs, & per totam Aegyptum ſeſe effundat, ventis illum ex aduerſa parte retundentibus, vt ſcribit & Philon, & Lucretius his verſibus:

Nilus in æſtate creſcit, campiſq; redundat.
Vnicus in terris Aegypti totius, amnis.

A *Is rigat Aegyptum, medium per ſæpe calorem.*
Aut quia ſunt æſtate, aquilones oſtia contra.
Anni tempore eo, qui ætesiæ eſſe feruntur.
Et contra fluuium flantes remorantur & vndas.
Cogentes ſurſum replent coguntq; manere.

Quod idem aſſerit & Plinius. Ab occidente ergo vertit Hieronymus: ipſam ſententiam ſecutus à mari autem Septuaginta ad verbum, Hebraica exprimentes, hoc modo ϗ μετέβαλεν κύριος ἀπὸ θαλάσσης ἄνεμον σφοδρόν. Et mutauit dominus à mari ventum vehementer.

Tenebræ horribiles.] Non diſſentit ab Hebraico. Septuaginta paulo ſecus, σκότος, γνόφος, tenebræ, caligo: deinde additur θύελλα, Tempeſtas aut procella: quod quia omnino redundat, delendum eſt. Ex alio enim loco, huic ſimili, ſumptum eſt, vt infinita penè eiuſmodi apud eos inueniuntur.

De loco in quo erat.] מתחתיו Deſubter ſe. Non alio modo quàm vt vertit Hieronymus. At Septuaginta paulo diuerſius, ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ, Nemo ſurrexit de lecto ſuo. Nam de lecto hic nulla mentio. Auen Eſra מביתו לעשות מלאכה וללכת מביתו id eſt, De domo ſua ad faciendum opus & eundum foras. Quare deſubter ſe, non eſt intelligendum vt exiſtimarunt Septuaginta.

Quæ offeramus.] Eleganter vertit quod erat עשינו faciamus: quanquam etiam latine facere, ſacrificare ſignificet, ſicut & Hebraice: vt illud, Cùm faciam vitula. Septuaginta vero non mutarunt verbum ἃ ποιήσωμεν κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν. Quæ faciamus domino Deo noſtro: neque B ſatis mihi compertum eſt, an Græce recte dici eo modo poſſit.

Facere pro ſacrificare.

CAPVT XI.

ET *exire compellet.*] כשלחו כלה. Quaſi mittat perfecte, Hoc eſt, penitus, ſine vllis conditionibus, & vt exponit Rabbi Salomon. גמירא כליל כלכם ישלח Hoc eſt, In vniuerſum & penitus dimittet omnes vos. Quod optime ſignificarunt Septuaginta σὺν πάσῃ ἐκβολῇ, cum omni eiectione, & expulſione.

Dices omni plebi.] Eleganter vertit phraſin Hebraicam. באזני העם. In auribus populi loqueris. Neque ſignificat aliud, quàm quod vertit ipſe Hieronymus. Non enim loqui in auribus, ſignificat latẽter & in auriculam loqui, vt innuunt Septuaginta λάλησον οὖν κρυφῇ. Loquere igitur clam: ſed mos illius gentis is eſt. Ocioſe quoque addunt poſtea Septuaginta εἰς τὰ ὦτα, in aures.

CAPVT XII.

TOllat *vnuſquiſque agnum.*] שה id eſt, Pecudem: quod tam de agno poteſt intelligi, quàm pecude adulta, ſed quia mox additur agnus anniculus, Patet de agno eſſe intelligendum. Septuaginta quoq; ouem verterunt πρόβατον. Vox autem Hebraica tam ad hœdum quàm ad agnum pertinet.

C *Iuxta quem ritum.*] מן הכבשים ומן העזים תקחו Hoc eſt, Ex pecudibus, & ex capris tolletis, ſicut & Septuaginta ἀπὸ τῶν ἀμνῶν καὶ τῶν ἐρίφων λήψεσθε. Ex agnis & hœdis ſumetis. Neque tamen aliud eſt. Quare non diſtinguitur hic quicquam.

Seruabitis eum.] Hebraice hoc tam de hœdo, quàm de agno dicitur. והיה לכם למשמרת Et erit vobis in reſeruationem. Neque diſtinguit quem intelligat. Ac ſicut ſuperius promiſcue locutus eſt, vt agnus & hœdus tolleretur, ita & nunc. Hoc idem innuunt etiam Septuaginta καὶ ἔσται ὑμῖν διατετηρημένον. Et erit vobis reſeruatum. Vtrunque ſcilicet. Nam quod de vtroq; præceptum ſit, vt tolleretur & ſeruaretur vſque in quartamdecimã diem, indicat & Theodoritus κελεύει αὐτοῖς, λαβεῖν οὐ μόνον ἐκ τῶν προβάτων ἄρνας ἐνιαυσιαίους, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν αἰγῶν ἐρίφους οὐχ ἵνα κατὰ ταυτὸν, τοῦτον κἀκεῖνον θύσωσιν, ἀλλὰ ἵνα ὁ μὲν πρόβατον ἔχων, τοῦτο θύσῃ ὁ δὲ ἀπανίζων τοῦ προβάτου τὸν ἔριφον. Hoc eſt, Præcipit itaque eis, vt ſumant non ſolum ex pecudibus agnos anniculos, verum etiam ex capris hœdos: non vt eadem ratione tam illi quàm iſti ſacrificarentur, ſed vt qui agni copiam haberent, agnum ſacrificarent, qui autem eo carerent, hœdum. Ex quibus patet, quo modo ſit hic locus intelligendus, quem quaſi dubium fecit Hieronymus dicendo, iuxta quem ritum. Nullum enim hic traditur ſacrificium diſtinctum agni & hœdi: & optime, & breuiter explicuit hoc Theodoritus. Tractatur & copioſius à Nicolao. Gregorius vero Nazanzenus in eandem ſententiam hæc ſcribit, ἐκλέγεται δὲ οὐκ ἀπὸ τῶν ἀρνῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ χείρονος εἴδους, ϗ τῆς ἀριστερᾶς χειρὸς τῶν ἐρίφων, ὅτι μὴ ὑπὲρ δικαίων μόνων, ἀλλὰ ϗ τῶν ἁμαρτωλῶν σφαγιάζεται. Hoc eſt, Eligitur inquit non ſolum ex agnis, verum etiam peiore ſpecie, & ex ſiniſtra, quæ hœdis tribuitur in Euangelio, quia non ſolum pro iuſtis, ſed etiam peccatoribus ſacrificatur. Falluntur ergo, qui duo diſtincta ſacrificia hœdi, & agni præcipi hic opinantur, in quem errorem ex editione prolapſi ſunt.

Cum lactucis agreſtibus.] · על מררים Cum amaris. Quamobrem volunt hoc eſſe de omnibus herbis quæ acres ſint, & aſpero ſucco intelligendum. Rabbi autem Salomon, lactucas agreſtes etiam ipſe intelligit, ſecutus (vt reor) noſtrum Hieronymum, à quo multa etiam didicerunt Hebræi, vt ipſe ſæpius animaduerti. Septuaginta quoque non vertunt lactucas, quæ Græce appellatur θρίδαξ, ſiue θριδακίνη, ſed quemadmodum habent Hebraica ἐπὶ πικρίδων, Hoc eſt, cum amarulentis, ſiue ſubacerbis herbis. Præceptum enim eſt Hebræis vt herbas amaras deguſtarent, quo ſe eo argumento ab acerba & amarulenta ſeruitute redemptos cognoſcerent. Id enim Deus dabat operam, vt ſua illis beneficia ſemper ingereret, quibus ad ſe diligendum prouocarentur. Eadem fuit ratio, quòd panis azymus comedebatur, quia is non tam ſuauis eſt, vt fermentatus. Ex quibus fiebat, vt præteritam ſuam amaritudinem recolerent, & Deum, qui ab hac eos redemiſſet, laudarent: ſi tamen hoc fecerunt, & non aliud potius. Auen Eſra quoniam abſurde hunc locum interpretatur, eius teſtimonium non cito. D

Non comedetis ex eo crudum.] · נא. Quam vocem Rabbi Salomon ſic exponit שאינו צלוי כל צרכו קירכו קורהו בלשון ערבי. Hoc eſt, Appellat Moſes hoc nomine, id quod non eſt, quãtum neceſſe ſit, coctum, voce Hebraica vſus. Non ergo crudum, ſed ſemicoctum erat dicendum, propterea additur mox ſemicoctum in aqua.

Phaſe.
Peſec.
Paſcha.

Eſt enim phaſe.] Cùm Hebraice Peſec dicatur, varijs modis id nomen tam apud nos quàm apud Græcos corruptum eſt. Græci enim in aliam vocem eius ſimilem eam immutarũt ſcilicet paſcha. Quod nomen quamplurimos decepit, qui putarunt à verbo Græco πάσχω, duci, ex quibus eſt Lactantius, & multi apud Græcos. reprehendit tamen hos Auguſtinus, qui ab eo verbo ſcilicet patior eam vocem duci putarent. Liquet enim non eſſe vocem Græcam, ſed Hebræam corruptam. De qua re ſcribit fuſius Gregorius Nazanzenus in ſermone de paſcha hoc modo, τὸ πάσχα τοῦτο τὸ μέγα τε καὶ σεβάσμιον, φάσκα τοῖς ἑβραίοις προσαγορεύεται. κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν, δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν, ἱστορικῶς μὲν διὰ τῆς ἐξ αἰγύπτου πρὸς τὴν χαναναίαν, φυγήν τε καὶ μετανάστασιν, πνευματικῶς δὲ διὰ τὴν ἐκ τῶν κάτω, πρὸς τὰ ἄνω καὶ τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας πρόοδον καὶ ἀνάβασιν, ὅπερ δὲ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς συμβὰν εὕρομεν ἀπὸ τῶν ἀσαφεστέρων μετὰ ποιηθέντα τινὰ τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὸ σαφέστερον, ἢ τῶν ἀγροικοτέρων ἐπὶ τὸ εὐσχημονέστερον. τοῦτο κἀνταῦθα τεθεωρήκαμεν: τοῦ γὰρ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναι τινες νομίσαντες. εἶτα ἐξελληνίζοντες τὴν φωνήν, πάσχα τὴν ἡμέραν προσηγορεύκασι, παραλαβοῦσα δὲ ἡ συνήθεια τὴν φωνὴν ἰσχυροτέραν ἐποίησε προσρεχούσης τῆς τῶν πολλῶν ἀκοῆς ὡς εὐσεβεστέρῳ τῷ ῥήματι. Hoc eſt, Hoc venerabile, ac diuinum paſcha, ab Hebræis paſcha ſecundum eorum linguã vocatur, quæ vox ſignificat tranſitum: hiſtorice quidem, eum quo ex Aegypto in terram Chananæorum commigrarunt Hebręi: ſecundum ſpiritum vero, eum tranſitum, quo nos ab his caliginoſis locis deuolamus ad ſuperos. Et quod ſolet ſæpe in diuinis litteris vſu venire, accidiſſe etiam hoc loco cõperimus, ſcilicet trãſferri aliqua nomina, quę aut obſcura ſunt, aut horrida, in alia nomina, quæ & illuſtriora ſint & venuſtiora. Nam hoc nomine putarunt quidam vocari ipſam ſalutarem ſeruatoris paſſionem, ad Græcamq; linguam vocem accommodantes, fecerunt ex phaſcha, paſcha. Quod cum vſus recepiſſet, iam vehementer inoleuit, aſſentientibus ipſis auribus, vt pote ſanctiori nomini. hæc ille. Quæ talia ſunt, vt verius dici non poſſit: nam & ſignificationem declarauit, & cauſam erroris in prolatione oſtendit: ſiue magis rationem, vt Hebraicam vocem inſuauem & horridam, in elegantiorem commutarent. Neque tam eſt errore, quàm ſtudio factum. Huius quoque nominis variæ interpretationes apud alios inueniuntur. Philon Iudæus vult eo nomine ſignificari διαβατήρια, hoc eſt, non ipſum tranſitum, ſed ea ſacrificia, quæ libamus tranſituri: quod certe non eſt verum. Ioſephus autem interpretatur ὑπερβασία tranſgreſſus, vel progreſſiones: Symmachus autem vertit ὑπερβάσιν, hoc eſt, tranſcenſum. Theodotion vero ipſam Hebræam vocem non interpretatam reliquit φασέχ. Eſt tamen clariſſimum quid ea vox ſonet, neque opus eſt tot ambagibus. Eſt enim nomen verbale à paſac tranſiuit, à quo fit peſec, tranſitus: atque vbi nos habemus, & tranſibo vos, Hebraice vpaſacthi: à quo factum peſac. Non eſt autem ſilentio prætereundum, hunc diem: adeo ſacrum ac venerabilem viſum eſſe Hebræis, vt in eo multis ante annis, præclariſſima multa, accidiſſe commemorẽt: de quibus etiam apud nos fit commemoratio. Sed quod eſt præcipuum, & omnem eorum facile poteſt cõuincere pertinaciam, ſentiunt nobiſcum eadem die redimendum eſſe populum Iſrael à Meſſia, quem venturum expectant. Ponamq; ipſa Hebraica verba vt facilius intelligantur. In libris enim Cabalæ ſic ſcribitur ובו ביום בחמשה עשר בניסן עתידים ישראל ליגאל בימות המשיח בשם שנגאל ואותו יום שנאמר בימי צאתך מארץ מצרים אראנו נפלאות. Hoc eſt, in eadem die videlicet quintadecima die menſis Niſan ſcilicet Martij, redimendus eſt Iſrael in diebus Meſſię, quemadmodum redempti ſunt, eo die, de quo ſcribitur, in diebus egreſſionis tuæ ex Aegypto oſtendam mirabilia. Ecce refragari gens pertinaciſſima non poteſt, quin ille ſit verus Meſſias quem colimus ipſi, qui ea die vniuerſum redemit orbem. Condemnabuntur igitur ipſis contra ſe teſtimonium ferentibus. E F

Exceptis his quę ad veſcendum pertinent.], אך אשר יאכל לכל נפש Hoc eſt, Excepto eo, quod comedetur ab omni anima. Hanc certe ſententiam aut aliam fecerunt, aut obſcure verterunt Sept. πλὴν ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ, τοῦτο μόνον ποιηθήσεται ὑμῖν, id eſt, Veruntamen ea quæ fient omni anima, A anima, hoc ſolum fiet vobis. Nemoq; eſſet, qui non aliud intelligeret, quàm quod eſſet intelligendum. Videnturque decepti verbi ſimilitudine אכל quod cum comedere ſignificet, aliud illi eſſe putarunt, propter verbum ſimile, vt eſt מלאכה id eſt, opus. Clara vero eſt apud nos ſententia, apud Græcos obſcuriſſima, propter editionis improprietatem.

Qui eſt in limine.] Hoc quo modo poteſt eſſe verum? Iam enim ſanguis in limine non erat. Preterea quo modo is ſanguis de limine ſumptus eſt? Manifeſte igitur is locus eſt corruptus, temporum iniuria, non auctoris vitio, itaque Hebraice ſic legitur אשר בסף id eſt, Intingite in ſanguine qui eſt in pelui, vel catino: quanquam id erratum inuenitur etiam apud Septuaginta. ἀπὸ τοῦ αἵματος ὅ ἐστι παρὰ τὴν θύραν. Tollite de ſanguine, qui eſt iuxta fores. Atque hos fortaſſe ſecutus Hieronymus eſt. Cauſa vero varietatis fuit, eius vocis mul tiplex ſignificatio, quæ ſæpe etiã limen ſignificat. Verum hoc loco pro pelui accipiendam eſſe, teſtes ſunt omnes Hebræi. Primum interpres vocũ apud eos, hoc modo de eo nomine ſcribit. הוא יחדד לשלשה ראשים מתפרשו פורק שפות בדם אשר בסף, Hoc eſt, Eius vocis ſignificatio triplex eſt. Primum declarat peluim ſeu catinum, vt eſt Exodi cap. xij. In ſanguine intingetis, qui eſt in pelui. Rabbi quoque Salomon, exponit בסף בלי, Hoc eſt, ſanguine qui eſt in pelui. Liquet etiam quàm ſit verum, non limen hic, ſed peluim, qua ſanguis reciperetur, ſignificari. Sed Hieronymus vt dixi partim Septuaginta ſecutus eſt, partim vocis ambiguitas eum in eam interpretationem induxit.

Exceptis paruulis, & mulieribus.] Septuaginta ſemper exiſtimarunt, taph, ſonare ἀποσκευήν, ſupellectilem. Quare factum eſt, vt omnem locum, vbi eius vocis vſus incidiſſet, male interpretati fuerint. Cumque hic cenſeatur numerus virorum, & excipiantur paruuli, & manifeſtum cuilibet eſſe poſſit, quorum fieret exceptio, perſtiterunt tamen illi vertendo ἀποσκευὴν, Cui rei etiam
B ratio refragatur. Quis enim ita loqueretur: Erat eorum numerus ſexcenta milia, excepta ſupellectile, quæ enim affinitas viris & ſupellectili? Hieronymus præterea excipit etiam mulieres, non quòd in codice Hebraico habeatur, ſed quòd ſic ſit intelligendum. Potuit tamen rationabiliter omitti, nam de mulieribus nulla habetur mentio.

Anni quibus manſerunt in Aegypto.] Falsò atque ocioſe additur in codicibus Græcis, quibus manſerunt in Aegypto & in Canaham. Quis enim non intelligit id eſſe falſum? Amouendum igitur καὶ ἐν γῇ χαναὰν. Neque enim Hebraice habetur, & eo modo eum numerum annorum longe ſuperarent.

Omnis cœtus Iſrael faciet illud.] Id eſt ſacrificabit, vt diximus, & vt Hebraicæ linguæ eſt proprium.

CAPVT XIII.

S*Eptem diebus azyma comedetis.*] Solita corruptela in Græcis codicibus ἓξ ἡμέρας. Sex dies, azyma comedetis. Paulo tamen poſt reſipiſcunt ἑπτὰ ἡμέρας. Poteſt & ea ratione eſſe factum, vt ſex dies intelligerent, qui feſtum præcedunt, & ſeptima factum ſit.

Quod ſi non redemeris interficies.] De hoc quantum ad noſtros attinet codices, nulla controuerſia eſt, non enim aliter habent Hebraica. At Græci codices permultum & ab Hebraica veritate, & ipſa ratione diſcrepant. Præcipitur enim hic, vt primogenita eorum animalium quæ ſacrificari non ſolent, vt aſini, & equi, redimantur vel commutentur alijs animalibus ſacrificio aptis. Quæ com-
C mutatio ſi facta non fuerit, præcipit vt eius animalis primogenitum non permittatur viuere. Hoc igitur quo modo in codicibus Græcis exprimatur, cognoſcamus. ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς λυτρώσεις αὐτό. id eſt, Quod ſi non commutaueris, redimes. At nonne idem eſt commutare & redimere? Vertendum igitur erat vt fecit ieronymus: nam & Hebraice eſt. ואם לא תפדהו וערפתו Hoc eſt, Et ſi non redemeris, deceruicabis eum, aut excerebrabis eum.

Et quaſi appenſum quid.]. טוטפות Qua voce ſignificatur Hebræis id quod fronti præligant, in huius rei geſtę recordationem. Huic autem ſiue vittæ ſeu ornamento tempore Chriſti legem affigebant, vt eius eſſent ſemper memores. Atque hoc reprehenduntur in Euangelio quòd in fronte & non in corde geſtarent legem. Seruatur etiam & hodie is mos apud Hebræos, & in ſynagogis ſuſpendunt ſuorum puerorum frontibus & manibus id ornamentum. Septuaginta nihil tale innuere videntur. Niſi forte exiſtimarunt, non poſſe eam vocem Gręce exprimi. Interpretati igitur ſunt hoc ἀσάλευτον, id eſt, inconcuſſum ac firmiſſimum, quemadmodum & alibi.

Armati aſcenderunt.] In hac voce mira eſt diſſonantia Septuaginta & Hieronymi, Et veritas quidem Hebraica eſt, vt vertit Hieronymus, vel eam propius acceſſit. Sic habet Hebraica וחמושים עלו בני ישראל. Et accincti aſcenderunt filij Iſrael: ſic interpretatur etiam Auen Eſra חגורי חמישים id eſt, Accincti per ſingulos quinque, aut quini. Rabbi quoque Salomon inquit. אין חמושים אלא מזויינים Nõ ſignificatur inquit aliud, quàm ꝙ armati aſcenderent. Quod confirmat per editionem Onchelos Chaldęi. quę & ipſa habet, Armati aſcenderũt. At Septuaginta, eo ꝙ vox Hebraica à חמש ducitur, hoc eſt quinque, penitus aliam ſententiam verterunt, πέμπτῃ δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ ἰσραὴλ ἐκ γῆς αἰγύπτου, Hoc eſt, Quinta generatione aſcenderunt filij Iſrael ex Aegypto. Vide quale & quantum erratum hoc ſit: Nam quarta generatione reuerſi ſunt in terram Chanaam populus Iſrael, ipſo domino dicente ad Abrahã Geneſis cap. xv. Generatione autẽ quarta reuertentur huc.

Ex vocis ergo ſimilitudine accidit error. Neque is locus eſt aliter intelligendus, quàm vt interpretantur Hebræi. D Aquila quoque eodem modo vertit ſicut & Hieronymus καὶ ἐνοπλησάμενοι ἀνέβησαν υἱοὶ ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς αἰγύπτου. Theodotion ὁπλῖται. Vtrunque ſcilicet armati reddiderunt. Hieronymus in Epiſtolis copioſe hũc locum tractat, vbi quaſdam ſibi propoſitas ambages ſoluit.

CAPVT XIIII.

E *Regione Phiaroth.*] Omnia hæc, locorum eſſe nomina aſſerunt Hebræi, licet appellatiua videantur. Auen Eſra. שמות מקומות Nomina locorum ſunt. Chaldaica etiam editio, nomina hæc non immutat. Quare neſcio cur hoc primũ Septuaginta verterint, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, E regione villæ aut ſtabuli, licet alia vt propria reliquerint.

Trecentos currus.] שש מאות רכב id eſt, Sexcentos currus, Deeſt ergo dimidium. Septuaginta quoque eodem modo habent, ſicut Hebraica veritas καὶ ἔλαβε ἑξακόσια ἅρματα, id eſt, Sumpſit ſexcentos currus. Quis autem non videt hunc errorem non eſſe ipſius interpretis, ſed librariorum & temporum? Nunquam enim ferè in numeris ſolet labi noſtra editio.

Et quicquid fuit curruum.] כל רכב מצרים Omnis currus Aegypti. Quod Septuaginta ad equitatum referunt πᾶσαν τὴν ἵππον τῶν αἰγυπτίων. Omnem equitatum Aegyptiorum. non recte vt opinor. Nam & curribus & equitatu vtebantur.

Et duces totius exercitus.] Suppoſita eſt hæc ſententia quæ minime in contextu Hebraico habetur, loco eius quæ habetur, eaque eſt ושלשים על כלו, Hoc eſt, & terni ſuper vnumquenque eorum: videlicet curruum. Septuaginta quoque idem non ſiluerunt καὶ τριστάτας ἐπ' αὐτῶν. Et ternos E aſcenſores ſuper eos. Verum Rabbi Salomon interpretatur, quemadmodum & Hieronymus producta etiam editione Chaldaica, כל שרי צבאות id eſt, Omnes principes exercitus: ſicut interpretatur Onchelos. Quod tamen per ipſum nomen non innuitur.

Et erat nubes tenebroſa.] הענן והחשך id eſt, Et nubes & tenebræ. Non erat ergo nubes tenebroſa, ſed nubes & tenebræ. Tenebræ quidem Aegyptijs, nubes autem Hebræis. Nec Septuaginta etiam nubem tenebroſam verterunt, ſed tenebras tantum, καὶ ἐγένετο σκότος καὶ γνόφος. Et factæ ſunt tenebræ, & caligo. Niſi forte nubes non ad illam Hebræorum nubem referenda ſit, ſed ipſas ſimpliciter nubes. Verum nonne impoſſibile eſt, quod dixit, Et erat nubes tenebroſa & illuminans noctem, & quidem ſibi non cohærens: nam nubes deſuper oſtendebatur, vt illuceret Hebræis, viamq́ue oſtenderet. Aut certe intelligendum eſt hoc modo, vt de illa Hebræorum non fiat mentio, ſed vt oſtendatur factas eſſe tenebras, ereptamq́ue oculis ſerenitatem, omniaq́ue ſydera eſſe condita, vt formidabilior eſſet nox Aegyptijs. Quod videtur vero eſſe propius. Atque hoc modo, bona fide vertit Hieronymus.

Interfecit exercitum eorum.] ויהם את מחנה. Et conturbauit, & infremuit ſuper exercitum, terrorem immiſit. Sicq; Septuaginta συνετάραξεν παρεμβολὴν αὐτῶν, Conturbauit aciem eorum, quanquam alibi eo modo vertit Hieronymus.

Subuertit rotas curruum.] ויסר את אפן. Et impediuit rotas. Septuaginta quoque aliquid ſimile. καὶ συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων αὐτῶν, Et impediuit axes curruum eorum. Rabbi autem Salomon, hoc idem ſentit, ſed alio modo, cuius hæc verba ſunt, מכח האש נשרפו הגלגלים והמרכבות נגררות והיושבים בהם נבכים מתרדים. Hoc eſt, propter vim ignis, accenſæ ſunt rotæ, & currus impliciti ſunt, & qui ſuper eos ſedebant, excutiebantur, & membra eorum diſcerpebantur. Verum hoc magis paraphraſtice, quàm ad litteram.

Ferebantur in profundum.] וינהגהו בכבדת. Et deduxit eas, ſcilicet rotas, cum pondere. Sic etiam Septuaginta, & clarius καὶ ἤγαγεν αὐτὰς μετὰ βίας. Et duxit eas cum vi. Quorum omnium ſententia eſt, quòd eas impulit vehementer Deus, & præcipitauit in profundum, atque ita idem ſentiunt omnes, licet varie.

CAPVT XV.

T*Vnc cecinit.*] אז ישיר Tunc cantabat: vbi eſt futurum pro præterito imperfecto: licet quidam diuinius conſiderantes, putent futurum poſitum, quoniam etiam ad futurum tempus ſpectaret id quod eo hymno canebatur ad CHRISTI ſcilicet reſurrectionem & victoriam, qua cælum adepti per eum ſumus.

Cantemus.] אשירה, id eſt, Cantabo, & forte de ſeipſo ait Moſes. Verum quia dictum eſt, & Moſen & filios Iſrael, ipſum ceciniſſe, propterea per plurale protulit. Sic enim Septuaginta ᾄσωμεν. Editio quoque Chaldaica per plurale.

Omnipotens nomen eius.]. יהוה Nomen tetragrammaton, quod aliud quàm omnipotentiam ſignificat, eſſentiam videlicet, & quod eſt Græcis ὁ ὢν, qui eſt: ſic etiam Septuaginta κύριος ὄνομα αὐτῷ. Dominus nomen illi: atque ita etiam canitur in eccleſia ad miſſam, quia vtebantur editione Septuaginta.

Quaſi vir pugnator.] איש מלחמה Vir belli. Dominus inquit eſt vir bellicoſus. Quod miror quamobrem

A obrem verterint Septuaginta κύριος συντρίβων πολέμους, dominus conterens bella. quod erat viri nomen, putarunt participium eſſe. Neque vlla fere coniectura aſſequor, vnde hoc arripuerint. Niſi forte putarunt abſurdum eſſe, apud gentes dicere Deum eſſe virum bellicoſum, atque ideo ei quod ſuum eſſet tribuerunt: quod certe ſi verum eſt, videtur rationabiliter factum.

Mare rubrum.] Et ſi id erat ſuperius annotandum, nunc tamen, quod videretur commodius, obſeruandum duximus. Nam mare rubrum, non ita Hebraice nuncupatur, hoc eſt nomine ſignificante rubrum, סוף, quod caricem ſeu papyrum ſonat. Appellari ergo dicunt Hebræi, mare caricoſum, vel papyroſum, eo quòd ad eius littora, copioſiſſima ſint carecta, & papyriones. Multa ſuper hoc ſcribit Auen Eſra, primumq; dicit ſoph eſſe nomen loci. Melius autem eſt eius verba proferre, vt eum loquentem audiamus, ויש אומרים שנקרא כן בעבור שיש סביביו סוף ואחרים אמרו שהוא מגזרת סוף שהוא סוף העולם והוא ים אוקיינוס, Hoc eſt, Dicunt nonnulli vocari mare eo nomine, quòd per eius circuitum naſcantur papyri. Alij autem exiſtimarunt, ideo vocari mare ſoph, quia ſoph etiam finem ſonat. Dicuntq; hoc mare terminum eſſe mundi, hoc eſt ipſum oceanum, hæc ille. Refellitq; hanc vltimam opinionem: Non enim ſinus Arabicus, eſt mare oceanus, vt ſatis compertum eſt. Rabi quoque Salomon, hoc ipſum idem ſentit וסוף הוא לשון אגם שגדלים בו קנים, Soph inquit, hoc loco ſignificat iuncum, quo nomine mare illud appellatur, quòd calamorum ac papyrorum copia in eo naſcatur. Non ergo ex eadem cauſa à nobis & Hebræis, ei mari inditum eſt nomen. Nam rubrum à Græcis appellatum eſt, Plinio teſte, quòd harena eius rubra ſit, & aquæ quaſi rubere videantur, ſicut omnes propè aſſerunt. Alij autem cum quibus eſt Quintus Curtius, Erythreum mare vocatum contendunt, ab Erythro rege, cuius ſepulchrum in littore ab incholis oſtendatur, quæ non videntur admodum veriſimilia.

Mare rubrũ Hebr. dicitur nõ Rubrũ, ſed caricoſum, ſeu papyroſum.

Cur Græcis rubrum dicatur.

B

Depoſuiſti.] תהרס id eſt, Excuſſiſti, concuſſiſti, afflixiſti: cui etiam Septuaginta ſimile neſcio quid attulerunt, συνέτριψας, confregiſti.

Congregatæ ſunt aquæ.] נערמו Coaceruatæ ſunt. Quod Septuaginta non male ipſam ſententiam, ſed verbi proprietatem exprimentes reddiderunt, διέστη τὸ ὕδωρ. Diuiſa eſt aqua. Clarum vero eſt, hoc intelligendum eſſe iuxta editionem Hieronymi.

Stetit vnda fluens.] נצבו כמו נד נוזלים, hoc eſt, Steterunt tanquam aceruus, vndæ fluxæ. Septuaginta hoc idem per alia verba ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα. Congelatæ ſunt aquæ tanquam murus.

Flauit ſpiritus tuus.] נשפת ברוחך, id eſt, Flaſti tu ſpiritu tuo. Septuaginta paulo ſecus, ἀπέστειλας τὸ πνεῦμα σου. Miſiſti ſpiritum tuum.

Quis ſimilis tui in fortibus.], באלים Quod tum fortem, tum Deum ſignificat. Ergo dicendum, quis ſimilis tui in dijs fortibus domine? Septuaginta non ferè ſecus, τὶς ὅμοιος ἐν θεοῖς κύριε. Quis ſimilis inter deos tibi domine.

In ſanctitate.] Eodem modo Hebraice, בקדש In ſanctitate. At Septuaginta ad perſonas retulerunt, ἐν ἁγίοις, inter ſanctos. Verum illud prius verius.

Laudabilis.], תהלות Laudum, Deus laudum, Deus omnibus laudibus dignus.

Dux fuiſti populo.] Imitatus eſt Septuaginta qui & ipſi, ὡδήγησας ἐν δικαιοσύνῃ, hoc eſt, deduxiſti in iuſtitia. Hebraice non aliud, נחית caſtra duxiſti, caſtrametatus es.

Et portaſti.] Ita & Hebraice, נהלת Portaſti, At Septuaginta diuerſius, παρεκάλεσας. Admonuiſti, Hortatus es.

C *Irati ſunt.*], ירגזון conturbati ſunt, contremuerunt, expauerunt. Sed Hieronymus Septuaginta ſecutus eſt ὠργιάσθησαν, irati ſunt.

Tunc conturbati ſunt principes.] Sicut eſt etiam Hebraice. נבהלו At quamobrem Septuaginta, τότε ἔσπευσαν ἡγεμόνες ἐδώμ. Tunc feſtinauerunt principes Edom, niſi & ipſi quandam commotionem innuere voluerunt.

Obriguerunt.], נמוגו Defluxerunt, reſoluti ſunt, pauore extabuerunt: ſicut & Septuaginta, ἐτάκησαν, id eſt, liquefacti ſunt.

Fiant immobiles.] ידמו id eſt, Sileant, obmuteſcant, quod ferè maius eſt: omnem enim immobilitatem hoc complectitur. Hieronymus non diſſentit à Septuaginta qui & ipſi ἀπολιθωθήτωσαν, id eſt, Lapideſcant, lapidei fiant.

Firmiſſimo habitaculo.] מכון לשבתך Stabilitate habitaculi tui: atque ita non diſſentit ab Hebraico. Septuaginta paulo ſecus, εἰς ἕτοιμον κατοικητήριόν σου. Ad paratum habitaculum tuum. Hebraice tamen ſignificat, כון firmare, ſtabilire, vt ſæpe dicturi ſumus: aliquando etiam parare.

Eques Pharao.], סוס פרעה Equus Pharaonis, poteſt etiam dici vt vertit Hieronymus. Vtrunque enim ſonat Hebræis equus, tam ipſum animal, quàm animal vna cum aſcenſore. Septuaginta quoque, ἵππος φαραώ. Equus Pharaonis.

Dominus regnabit in æternum.] Eodẽ modo & Hebraice. יהוה ימלך לעלם Deus regnabit in æternum. Sept. non proprie. καὶ κύριος βασιλεύων τὸν αἰῶνα καὶ ἐπ' αἰῶνα. καὶ ἔτι, dominus regnans æternitatẽ, & in æternum, & inſuper. Quod annotatur ab Origene, quod additum ſit, inſuper, adhuc vel vltra, dicitq; eo ſignificari omnem æternitatem. Vana autem eſt annotatio Nicolai, nam ſęculum apud Hebræos non eodem modo ſumitur, ſicut apud Latinos: ſed ipſam æternitatem ſignificat & aliquando mundum, non annos quinquaginta, vt ille exiſtimat.

Sęculum Hebr. qd.

Maria.] Dicendum eſſet Miriam, ſic enim eſt Hebraice, מרים ſed fortè propter vocis aſperitatem, Mariam verterunt Septuaginta. Vbi & illud obſeruandum, m, eſſe de nominis eſſentia, ideo non poſſe Græcè ac Latinè declinari, niſi ea ratione, qua inflectimus Adam, Abram. Hanc Hebræi, ideo Mariam vocatam aſſerunt, quia per receptionem quæ cabala vocatur, ea nata amarum imperium Aegyptiorum ſuper Hebræos acceperunt cœpiſſe. Nam marar, Hebraice amarum ſonat: verba ipſa Hebraica ſubijciam, ולמה נקרא שמה מרים על שום מרר hoc eſt, Maria vixit vſque ad libertatem, vocatumq; nomen eius eſt ſic, propter imperij amaritudinem, quo tunc oppreſſi Hebræi ſunt. Nam prius tametſi ſeruirent, non tamen vſque adeo premebantur.

Maria vnde dicta.

Prophetes.] Veriſimile eſt, non ita ſcripſiſſe Hieronymum, nam prophetes maſculinum eſt. Sed Septuaginta ſecutum & Græcam formam potius vertiſſe prophetis, cuius genitiuus eſt prophetidos, vel more Latino vertiſſe prophetiſſam, ſicut multi habent codices.

Quibus præcinebat.], ותען להם Et reſpondebat eis Maria. Inchoando ſcilicet rurſum canticum. Eſt tamen eadem ſententia. Illa enim inchoabat ac præcinebat, illæ proſequebantur. Septuaginta etiam ſecundum Hieronymum, ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν μαριάμ. Inchoabat eis Mariam: quanquam id magis ſignificet imperabat, aut præfecta erat eis Mariam.

Tulit Moſes Iſrael.], ויסע Et diſcedere fecit, eleuare fecit, Septuaginta cum Hieronymo conſentiunt, ἐξῆρε δὲ Μωϋσῆς τοὺς υἱοὺς. Eleuauit autem Moyſes filios Iſrael, caſtra moueri fecit.

Congruum nomen impoſuit.] קרא שמה. Vocatum eſt nomen eius: nam imperſonalia & paſſiua, ſæpe voce actiua apud illos efferuntur. Sicut & illud: Et Adæ non inueniebatur adiutorium: vbi legitur, מצא, inueniebat: paſſiuum tamen eſt vel imperſonale. Septuaginta quoque hoc idem intellexerunt, ἐπωνομάσθη τὸ ὄνομα τοῦ τόπου, id eſt, Cognominatus eſt locus. Quare paſſiue aut imperſonaliter eſt legendum.

Cunctum languorem quem poſui in Aegypto.] Patet male legi in impreſſis codicibus Græcis, πᾶσαν νόσον ἣν ἐπήγαγες, Omnem ægritudinem, quam intuliſti Aegyptijs: cùm legendum ſit ἐπήγαγον. Nam & Hebraice eſt, שמתי poſui.

CAPVT XVI.

MAne quoque iacuit ros.] Hoc quidem non alio modo intelligitur etiam Hebraice, ſed apud Septuaginta aliud diuerſum verterunt. Hi enim videntur innuere, mane quoque apparuiſſe coturnicem, cùm ros iam ſuper herbas appareret. De mane autem aut rore nulla mentio: ſic enim vertunt, τὸ πρωῒ δὲ ἐγένετο καταπαυομένης τῆς δρόσου κύκλῳ τῆς παρεμβολῆς. Mane autem fuit, quieſcente rore per circuitum caſtrorum. Quæſo quid ex his innuitur? Niſi forte aliquid deſit, quod certe admodum probabile eſt.

Quaſi pilo contuſum.] מחספס id eſt, Minutum, collectum, aggregatum, ſicut exponit Rabbi Salomon, qui ait מגולה id eſt, aggregatum, inuolutum: cui non dicit inueniri ſimile in ſacra ſcriptura. Onchelos quoque Chaldæus ſimiliter כגיר id eſt, ſicut lapillus. Septuaginta quoque optime eius rei naturam expreſſerunt, λεπτὸν, ὡσεὶ κόριον λευκὸν, ὡσεὶ πάγος ἐπὶ γῆς, id eſt, Exiguum tanquam coriandrum candidum, ſicut glacies ſuper terram. Neque alia recitat Onchelos de eius rei natura. Auen Eſra eadem propè quæ & hi והקרוב מרובע. Et quod conſentaneum eſt, quadratum erat. Numerorum quoque cap. vndecimo ſcribitur, eius figuram fuiſſe quæ & bdelij id eſt, vnionis, aut margariti.

Manhu.] Erat vox Hebraica ponenda, vt inde cognoſceretur ductum nomen manna, quod non eſt obſeruatum à Septuaginta, qui Græca tantum poſuerunt, εἶπαν ἕτερος πρὸς ἕτερον, τί ἐστι τοῦτο. Dixerunt alter ad alterum quid eſt hoc. Ab hoc itaque ductum eſt nomen manna, nec Græcum nec Latinum, quanquam eo ſint vſi Græci vt ſuo, & latini eos imitati: atque hoc nomen eleganter etiam explicat Theodoritus hoc modo, διὰ τί μάννα ἐκλήθη. Cur, inquit, manna vocatum eſt? reſpondet, εὐθὺς αὐτὸ θεασάμενοι, ἀλλήλους ἠρώτων τί τοῦτο. ἐπέθεσαν οὖν αὐτῷ προσηγορίαν τί τοῦτο. τοῦτο γὰρ ἑρμηνεύει τὸ μάννα, οὐ γὰρ ᾔδεσαν τί ἦν, ἐγένετο τοίνυν ἡ ἐρώτησις ὄνομα, hoc eſt, Quod cum mox conſpexiſſent, ſe mutuo interrogabant quid eſſet. Itaque hanc ei appellationem indiderunt, ſic enim manna interpretatur. Neſciebant enim quid eſſet. Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis habuerit. Inuenitur autem etiam hac tempeſtate multis in locis manna, etiam in Italia: coaleſcit in folijs virgultorum: ſpecie eſt, qua & pruina: mane colligitur, antequam ſole liquefiat. Eius vſus eſt in medicina ad multas ægritudines. De manna, quod filijs Iſrael cælitus miſſum eſt, hæc ſcribit Philon, τῇ ὑστεραίᾳ περὶ τὴν ἕω, δρόσος βαθεῖα καὶ πολλὴ περὶ σύμπαν ἦν, ἐν κύκλῳ τὸ στρατόπεδον, ἡ ἐπένιφεν ἡσυχῇ ἀέθη ὑετὸν καὶ παρηλλαγμένως, οὐδ᾽ ὕδωρ οὐ χιόνα, οὐ κρύσταλλον. ταῦτα γὰρ αἱ τῶν νεφῶν ἀπεργάζονται μεταβολαὶ ταῖς χειμεριναῖς τροπαῖς, ἀλλὰ κέγχρον βραχύτατον καὶ λεπτότατον ἡ διὰ τὴν ἐπάλληλον φορὰν, σωρηδὸν προκέχυται τῶν σκηνῶν ἄπιστος ὄψις. quæ ſic Latine poſſunt reddi, Poſtera die, inquit, ros condenſus ac creber circa vniuerſa caſtra viſus eſt. Qui ſenſim è cælo cadebat, non quòd pluuia eſſet, aut aqua, aut grando, ſiue nix, vel glacies, nam hæc hyeme nubibus varium habitum induentibus ſolent effici, ſed quaſi milium tenuiſſimum ac breuiſſimum. Is autem ros, propter crebrum deſcenſum, quaſi aceruos circa tentoria effecerat. Res plane incredibilis: hæc ille.

Manna vnde.

Mãna etiã hodie reperiri.

Gomer.] Tres chœnices Atticæ, teſte Hieronymo. Ioſephus quoque de hac menſura, inquit, τρεῖς ἡ μισυκοχτύλας ἔχει. Tres continet ſemicoctulas: quanquam res abeat in infinitum. Nam & hoc eſſet declarandum. Nam cotylam Priſcianus heminam eſſe dicit, hoc verſu,

At cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit.
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.

Quodcunque operandum eſt facite.] אשר תאפו אפו id eſt, Quod coquendum eſt coquite: quod vero mox ſequitur ad lixandum pertinet: ſic & Septuaginta, ὅσα ἂν πέσσηται, πέσσετε. quodcunque coquendum eſt, coquite. Sic enim hoc loco πέσσω ſignificare arbitror.

Sume vas vnum.] צנצנת hoc eſt, vas, ſeu phialam. Quod Septuaginta venuſte verterunt στάμνον χρυσοῦν. vas aureum, aut vrnam auream. Quod autem aureum addiderunt, id ex opinione eſt, licet non exprimatur in codice Hebraico.

Decima pars ephi.] Hoc late exponit diuus Hieronymus, dicuntq; Hebræi eſſe id quod à nobis appelletur modius. Quamobrem, dubie verterunt hunc locum Septuaginta, ipſum ephi, hoc modo exponentes τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων ἐστί. hoc eſt, Gomor eſt decima pars trium menſurarum. Videnturq; intellexiſſe modium eſſe tres menſuras, nam loco trium menſurarum ponitur ephi, Hebraice, quod neſcio an recte exiſtimatum ſit, vel ſaltem clare expoſitum.

Ephi Modius.

CAPVT XVII.

D*ominus exaltatio mea.*] Quoniam verbum anceps eſt apud Hebræos, modo exaltationem, modo refugium ſignificans, ideo Septuaginta interpretati ſunt κύριον μου καταφυγή. Dominus refugium meum.

Quia manus ſolius Domini.] Hoc loco verba perobſcura inueniuntur in contextu Hebraico, quæ ſic habent ויאמר כי יד על כס יה hoc eſt, Et dixit, quia manus ſuper thronum Domini, bellum Domino, contra Amalech. Quæ Hebræis, hoc ferè modo exponuntur. Innui per hæc iuramentum, iuraſſe ſcilicet Dominum per thronum ſuum ſempiternum. Manus enim ſignificat iuramentum, vt illud, Leuo manum in cælo: & illud, Eleuauit dexteram ſuam, ac ſiniſtram ſuam in cœlum. Cuius iuramenti rationem eſſe dicunt, quòd quemadmodum ſtant cęli, ſic firma erit res, quam iuramus. Sic iurauit hoc loco Deus, per thronum ſuum, nimirum rem ſempiternam, & immutabilem. Hoc idem innuit & Chaldaica editio, & Rabbi Salomon eam vehementer approbat. Sic & Auen Eſra. Quare alio modo verterunt hoc ſeptuaginta, & nihil conueniunt cum Hebræis, ſic ὅτι ἐν χειρυφαία πολεμεῖ κύριος. Quod in manu excelſa pugnabit Dominus. Minus etiam hunc ſenſum attigit Hieronymus. Aut textus deprauatus eſt, vt deſit, ſuper, dicendumq; ſit. Quia manus ſuper ſolium Domini, vel aliquid eiuſmodi.

Manus pro iuramētu.

CAPVT XVIII.

E*T quòd liberauerat eos Dominus.*] ויצלם Liberauerat eos. Nihilq; aliud exprimitur, innuitq; eos de labore viæ eripuiſſe. At Septuaginta addiderunt ὅτι ἐξείλετο τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐκ χειρὸς αἰγυπτίων, καὶ ἐκ χειρὸς φαραώ. Quod eripuiſſet populum ſuum de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis. hoc inquam ocioſe additum eſt: deinde non hoc innuebatur.

Lætatusq; eſt iethro.] Hoc idem & Hebraice ויחד Et lætatus eſt. Attamen non ita interpretati ſunt Septuaginta, ἐξέστη δὲ ἰωθώρ. Obſtupuit Iethro: & recte mea quidem ſententia. Nam tot prodigijs auditis obſtupuit.

Eo quòd ſuperbe egerint contra vos.] זדו עליהם Superbe egerunt in eos: vel, quia ſuperbi fuerunt in ſe, intumuerunt in animis ſuis. Aut, eos, refertur ad ipſum Iſrael. Septuaginta hanc ſententiam penitus immutarunt, & aliud ab Hebraico omnino diſſonum innuunt ὅτι ἐπέθεντο αὐτοῖς. Qm̄ impoſuerunt eis: referuntq; id forſitan ad calũnias, & onera, quibus Aegyptij affligebãt Hebręos.

Stulto labore.] Ita & Hebraice נבל תבול Rem ſtultam facis, quod Septuaginta diſſimillime interpretati ſunt, φθορᾶ φθαρήσῃ. Corruptela corrumperis: aut interitu interibis. Patetq; quàm non rectum ſit. At infinitum laborem indicant, & qui perniciem afferat.

Tribunos.] שרי אלפים Principes militum: ſicut optime ſeptuaginta χιλιάρχους. Patet ergo, qui per tribunos intelligendi ſint.

Et qui oderint auaritiam.] Præclare quidem, nam בצע Non aliud Hebræis ſonat: ſed quam non recte, ſi fas eſt ita loqui, hoc ſeptuaginta interpretati ſunt ὑπερηφανίαν ſuperbiam: cùm nuſquam id ſignificare inueniatur.

Implebis imperium Domini.] וצוך אלהים Et imperabit tibi Dominus, hoc eſt tum tibi Deus præcipiet quæ populo relaturus ſis. Quod multo ſecus ſeptuaginta καταχύσει σε ὁ θεός. Tenebit te Deus aut auxiliabitur tibi: quod minime intelligendum hic eſt.

Decanos.] Redundat in Græcorum codicibus, γραμματοεισαγωγῆς. quod ſignificat eos forte, qui litteras perferunt, vel ſcribas.

CAPVT XIX.

Eritis mihi in peculium.] סגלה id eſt, Eritis mihi appropriatio, peculiaritas, ſelectio: quod idem & Septuag. videntur innuere. ἔσεσθε μοι ὁ λαὸς περιούσιος ἀπὸ πάντων. Eritis mihi populus ex omnibus ſelectus: ſuperſtes mihi ex omnibus.

Regnum ſacerdotale.] ממלכת כהנים id eſt, Regnum ſacerdotale, aut regnum ſacerdotum. At Septuaginta in contrarium vt dicerent regale ſacerdotium βασίλειον ἱεράτευμα, videturq; non idem eſſe. Regnum enim illud ex ſacerdotibus, & rebus ſacris ac diuinis eſſe conflandum innuit, vt differat ab ijs regnis, quæ opibus & armis conſtabant: at hoc, ſacrũ ac diuinum erat futurum. Quod ſi hæc ſententia eſt, non hoc, ſed aliud interpretati ſunt Septuaginta, vt innuerent hoc ſacerdotium futurum præclariſſimum, & penè regale: quod certe hoc loco non intelligitur.

In caligine nubis.] בעב הענן In nube nubis: quaſi in denſa caligine. Septuaginta non proprie παραγίνομαι πρός σε ἐν στύλῳ νεφέλης. Accedo ad te in columna nubis: columnæ enim hic nulla mentio. Immo ea caligo longe maior ac denſior, quàm per columnam poſſit ſignificari. Non deſcendiſſe quoque Dominum in columna, & illud indicio. Nam ea caligo, totum cooperuit montem: quare columna delendum eſt, quod aliunde eſt ſumptum.

Sanctificentur ne percutiat eos.] פן יפרץ Ne forte deſtruat, conficiat: quod Septuaginta longe ſecus reddiderunt μήποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ' αὐτῶν κύριος. Ne forte recedat ab eis Deus. Hebraica tamen vox inuenitur ſemper ruinam, deſolationemque ſignificare, aut diuiſionem ac dirruptionem. Hoc idem paulo inferius in extremo huius capitis alio modo ſunt interpretati, non ſatis aperte, μήποτε ἀπολέσῃ ἀπ' αὐτῶν κύριος. Ne forte perdat ab eis Dominus: vel clarius, ne forte perdat ex eis.

CAPVT XX.

Deos alienos coram me.] Ita habent & Hebraica על פני Super me, aut prope me, vel ſuperiores mihi. Quod Septuaginta aliquanto ſecus, οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Non erunt tibi dij alij præter me. Eſt tamen eadem ſententia. De hoc primo præcepto hæc ſcribit Theodoritus οἱ μίαν οὐσίαν τῆς τριάδος ὁμολογοῦντες, φυλάττουσι τὸν νόμον τῆς θείας φωνῆς, ἄλλο γάρ τι παρὰ τὴν θείαν φύσιν θεοποιεῖν οὐκ ἀνέχονται, οἱ δὲ τὴν ἀρείου καὶ εὐνομίου περικείμενοι λώβην, τὸν θεῖον νόμον ἄντικρυς παραβαίνουσι. θεὸν μὲν τὸν υἱὸν ὁμολογοῦντες, κτιστὸν δὲ ἀποκαλοῦντες καὶ τῆς θείας οὐσίας ἀπαλλάττουσι. τοῦ γὰρ θεοῦ λέγοντος, οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ, οὗτοι ἕτερον θεὸν ἐπεισάγουσιν. Hoc eſt, Qui vnam in trinitate fatentur ſubſtantiam, huic diuinæ vocis præcepto obtemperarunt, neque enim vlla ratione induci poſſunt, vt præter diuinam naturam, alij tribuant diuinitatem. At qui Arij & Eunomij peſte contaminati ſunt, apertiſſime hanc legem infringunt, qui filium, Deum quidem confitentur, at eum conditum aſſeuerant, & à diuina abiungunt ſubſtantia. Nam cùm Deus dicat: Non habebis deos alienos præter me, hi contrà alterum Deum inuexerunt.

Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, &c.] Idem quoque Hebraicè פסל וכל תמונה Idolum & omnem ſimilitudinem: ſicut etiã Septuaginta. οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. Non facies tibi idolum, neque cuiuſuis ſimilitudinem. Quæritur autẽ ab interpretibus Græcis, quid idolum & ſimilitudo differãt: ſoluitq; Theodoritus, τὸ εἴδωλον οὐδεμίαν ὑπόστασιν ἔχει. τὸ δὲ ὁμοίωμα, τινός ἐστιν ἴνδαλμα καὶ ἀπείκασμα. ἐπεὶ δὲ τοίνυν ἕλληνες ἀναπλάττουσι τὰς οὐχ ὑφεστώσας μορφὰς, σφιγγίας καὶ τρίτωνας καὶ κενταύρους, εἴδωλα καλεῖ. τὰ δὲ τῶν ὑφεστώτων εἰκάσματα, οἷον ἡλίου, σελήνης, ἄστρων, ἀνθρώπων, θηρίων, ἑρπετῶν, καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων, τούτοις κελεύει, μὴ προσκυνεῖν μήτε λατρεύειν, οὐχ ἁπλῶς δὲ ἀπαγορεύει ἀμφότερα, ἀλλ' ἐπειδὴ συμβαίνει τινὰς προσκυνῆσαι μὲν διὰ φόβον ἀνθρώπινον, οὐ μὴν καὶ λατρεῦσαι κατὰ ψυχήν, ἐδίδαξεν ὡς ἑκάτερον ἀσεβές. Hoc eſt, Idolum, inquit, nullam habet ſubſiſtentiam: at ſimilitudo rei exiſtentis expreſſio eſt. Quoniam igitur gentiles, ea quæ nuſquam forent effingebant, vt ſphynges, tritones, & centauros: Aegyptij vero, homines ſub effigie canina, & bouina, ea ſacræ litteræ idola ſolent appellare. Similitudines autem, & expreſſiones vocant eorum, quæ ſunt: vt ſolis, lunæ, aſtrorum, hominum, beſtiarum, reptilium, & id genus. Hæc inquam prohibet adorari: neque id tantum, ſed cum acceſſione. Sunt enim qui cùm propter pauorem, adorare coacti fuerint, intus tamen in animo id non faciant. Oſtendit igitur vtrunque eſſe impium.

Idolum & Similitudo quid differant.

Deus tuus fortis zelotes.] אל קנא Deus ęmulator: qui ardentiſſima charitate eos diligo, qui ad me adhæſerunt, neque poſſum perpeti vt à me diuellantur, & alium amatorem habeant. Theodoritus quoque quid ſit ego Deus zelotes, explicat his verbis. ὁ νόμος τάξιν ἐπείχεν ἀνδρός. ὁ δὲ λαὸς γυναικός. καὶ τοῦτο ἡμᾶς ἐδίδαξεν ὁ δεσπότης θεὸς, διὰ μὲν ἠσαΐου εἰπών, ποῖον βιβλίον τοῦτο ἀποστασίας μητρὸς ὑμῶν. διὰ δὲ ἱερεμίου. καθὼς ἀθετεῖ γυνὴ εἰς τὸν συνόντα αὐτῇ, οὕτως ἠθέτησεν εἰς ἐμὲ οἶκος ἰσραὴλ, καὶ οἶκος ἰούδα. Lex, inquit, rationem viri ſolet habere, populus autem Dei, mulieris: quod etiam ipſe Dñs docuit nos per Eſaiam dicens, quis liber is, apoſtaſiæ matris veſtræ: per Hieremiã vero, ſicut ſpernit mulier cõiugem ſuum, ſic aſpernata eſt me domus Iſrael, & domus Iuda:

atque alia producit exempla, quæ non ſunt neceſſaria, ne verba prodigamus. Hoc enim damus operam, vt breuiores ſimus, quantum fieri poſſit, eo quòd opus maximum futurum eſt.

Pacifica veſtra.] Hebraice, pax, ſignificat etiam ſanitatem, incolumitatem ac valetudinem: quæ autem ſacrificia in horum gratiam offeruntur pacifica vocantur: indicio eſt & editio Septuaginta, quæ pro pacifica veſtra, habet σωτήρια ὑμῶν. id eſt, ſalutaria veſtra: quæ videlicet pro ſalute & pace offeruntur: ſoliti etiam ſunt Septuaginta שלום quod pacem ſonat, vertere ὑγίειαν ſalubritatem, incolumitatem.

CAPVT XXI.

CVm quali veſte intrauit.] אם בגפו יבא בגפו יצא Hoc eſt, Si cum ſuo corpore venit, cum ſuo corpore exibit. Non ergo de veſte loquitur, ſed de ipſo corpore: vt innuat, ſi ſolus ipſe ſine vxore aut filijs acceſſit, ſolus quoque exibit: quod autem hæc ſit ſententia clarum eſt. Nam quomodo cum eadem veſte exibit ſeruus à Domino poſt ſex annos, an non attrita ac dilacerata veſtis tunc erit? Niſi intelligit eius ſimilem. Præterea ad diſtinguendum hoc quod dixerat, mox addit, ſi habens vxorem, & vxor egredietur ſimul. Septuaginta quoque ſermonis Hebraici proprietatem intelligentes verterunt, ἐὰν δὲ αὐτὸς μόνος εἰσέλθη, καὶ μόνος ἐξελεύσεται. Hoc eſt, ſi autem ipſe ſolus ingreſſus fuerit etiam ſolus egredietur. Quibus conſentit etiam Onchelos Chaldæus, qui & ipſe eiſdem verbis hunc locum reddidit. Rabbi quoque Salomon, hoc exponens, inquit, שלא היה נשוי אישה hoc eſt, ſi ipſe eſt non vxori adiunctus. Ionatę quoque Chaldæi editio & ipſa habet ſicut & Hebraicum: quare de veſtimento nulla hoc loco mentio: quare miror Nicolaum qui hunc loquendi modum & hanc ſententiam non intellexerit, cuius expoſitio omnino falſa eſt, ſignificare ſcilicet גוף hoc loco pannum, cùm corpus ſemper ſignificet. Eſt autem & idem erratum in noſtra editione paulo inferius. Ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo, propter eandem vocem.

Efferat eum Dominus dijs.] אלהים Dijs. Qua voce diximus ſignificari etiam iudices, ac ſummos viros, ſeu etiam ſacerdotes. Hoc ergo innuit hic ſacer contextus, quod Septuaginta ſtudio quodam texiſſe videntur, aut certe non hoc intellexiſſe, ſed aliud, quippe qui ſic loquuntur. προσάξει αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ, πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ hoc eſt, Adducet eum Dominus eius ad iudicium Dei. Quod idem & in ſequentibus ſemper fecerunt, vt de iudicibus & ſacerdotibus nunquam ſenſerint, ſed Deo ſemper: excepto ibi, Dijs non detrahes: vbi Theodoritus τοὺς κριτὰς ὀνομάζει θεοὺς ὡς κατὰ μίμησιν τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ κρίνειν πεπιστευμένους. Hoc eſt, Iudices vocat deos: vtpote quibus iudicium commiſſum eſt, quod ſummi Dei proprium eſt. Quid autem prohibet, vt de Deo hic ſentiamus, non de iudicibus, vt præcipiat eum præſentari coram Domino in templo, atque ibi eum ritum peragi? ſed obſtat & Chaldaica editio, quæ vertit, לקדם דיניא hoc eſt coram iudicibus, eum ſcilicet ſiſtet: & interpretes Hebræi. Rabbi Salomon, לבת דין ſiſtet inquit, eum in forum iudicis: vocari autem deos, & ſummos angelos, & viros optimos, etiam Dionyſius Areopagita proteſtatur, ſic ea de re ſcribens. εὑρήσεις δὲ ὅτι καὶ θεοὺς ἡ θεολογία καλεῖ, τάς τε οὐρανίας, καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐσίας. καὶ τοὺς παρ' ἡμῶν φιλοθεωτάτους καὶ μακαριωτάτους ἄνδρας. hoc eſt, Inuenies autem, quòd theologia deos etiam vocat, cæleſtes & quæ ſupra nos ſunt, ſubſtantias, & amiciſſimos Deo, ac beatiſſimos viros.

Iudices dij dicuntur.

Prouidebit puellæ nuptias & veſtimenta.] Neſcio quid aliud verba Hebraica præ ſe ferunt. Quæ habent שארה כסותה ועונתה לא יגרע hoc eſt, Alimentum ſuum & veſtimentum, & tempus nubendi non auferet. Vtque ita etiam exponit Rabbi Salomon. Paulum igitur diſſonant verba, ſententia tamen eadem eſſe cognoſcitur: quamobrem Nicolaus non ſatis hoc animaduertiſſe videtur, qui dicit, plurimum noſtram editionem ab Hebraica littera diſſentire. Patet certe eandem quidem ſententiam eſſe, licet alijs verbis & elegantius expreſſam, quod illum ſæpe præterit, propter ſummam Latinæ linguæ imperitiam. Idem enim & de Septuaginta eſſet dicendum, qui bene hoc interpretati ſunt, licet alijs verbis, ἐὰν δὲ ἄλλην λάβῃ ἑαυτῷ, τὰ δέοντα καὶ τὸν ἱματισμὸν καὶ τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς οὐκ ἀποστερήσει. Si autem aliam ſibi acceperit, neceſſarijs, & veſtimento, & coniugio eam non priuabit.

Sed ipſa vixerit.], ולא יהיה אסון Et non fuerit mors. Quod male mea quidem ſententia reddiderunt Septuaginta, qui huius vocis ſignificatum ignoraſſe videntur: nam quod mortem ſonat, ſcilicet אסון, illi ad abortiuum retulerunt: vertentes, vt ſi puer qui ex percuſſa matre egredietur, nõ fuerit perfectus & effigiatus, non ſit is qui percuſſerit culpæ obnoxius, hoc modo καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον. id eſt, Et egreſſus infans eius fuerit, non effigiatus: quod certe minime hic ſignificatur, multumq́; ab ipſo vero diſcrepat: de morte enim matris dicitur.

Et arbitri iudicauerint.] בפללים id eſt, Secundum ipſorum iudicum ſententiam: ſicut interpretatus eſt Hieronymus, & vt exponit Rabbi Salomon, qui de hoc ipſo ait. עלפי הדיינים Secundum ſententiam iudicum. Hoc ergo non videntur intellexiſſe Septuaginta, quoniam interpretati ſunt has duas dictiones Hebraicas καὶ δώσει μετα ἀξιώματος, & dabit cum æſtimatione.

CAPVT XXII.

INuenerit ſpicas.], קוצים hoc eſt, ſpinas: nam de ſpicis paulo inferius loquetur. Sentit enim agrũ ea etiam ratione lædi poſſe, ſi ſepes exurantur. Septuaginta quoque verterunt ſpinas, ἐξελθὼν πῦρ εὕρη ἀκάνθας. Egreſſus ignis inuenerit ſpinas. Id quod etiam Hieronymum vertiſſe arbitror, ſed a librarijs locus corruptus eſt, vt pro ſpinis, ſpicas ſubſtituerint.

Suſcipietq́; Dominus iuramentum.] Non Deum intelligit, ſed ipſum patronum, aut rei poſſeſſorem: eſt enim ולקח בעליו & accipiet poſſeſſor eius iuramentum: ſic etiam habent & Septuaginta ὁ κύριος αὐτοῦ.

Deferat ad eum, quod occiſum eſt.] יבאהו עד Afferet id quod occiſum eſt, in teſtimonium: quod neſcio quamobrem verterint Septuaginta ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν. ducet ipſum ad prædam: niſi forte mendoſus codex ſit, vt potius ſit legendum ἄξει πρὸς αὐτὸν, τὴν θήραν. Hoc eſt, Ducet aut apportabit ad eum, prædam.

Pro mercede operis ſui.] Videlicet, erit loco mercedis quod mortuum vel fractum fuerit: ſic & Septuaginta ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ, αὐτοῦ. Erit ei pro mercede ſua.

Qui coierit cum iumento.] Non dubium eſt, quin male hoc ſe habeat in Græcis codicibus. πᾶν κοιμώμενον μετὰ κτήνους. Omne quod dormit cum iumento: primum erratum eſt, quia de hominibus percipitur, non de cæteris rebus: deinde non erat dicendum qui dormit, licet Hebraicus is modus ſit loquendi, ſed qui coierit, vt vertit Hieronymus.

Decimas tuas non tardabis offerre.] מלאתך ודמעך לא תאחר id eſt, Plenitudinem tuam & liquorem tuum non differes: quorum primum ad fruges ſpectat, ſecundum ad liquamina, vinum ſcilicet, & oleum. Septuaginta & ipſi aliquid eiuſmodi innuunt, elegantius tamen, ἀπαρχὰς ἅλωνος, καὶ ληνοῦ σου. Primitias areæ tuæ, & torcularis tui: quod tamen arctius eſt, nec tot complectitur, quot Hebraicum, vt patet.

CAPVT XXIII.

VOcem mendacij.] שמע שוא Auditionem vanam: quod ad mendacium & ad omnem turpem orationem ſpectare poteſt. Septuaginta quoque non diſſentiunt ab Hebraico. ἀκοὴν ματαίαν. Auditionem vanam. שוא autem mendacium plerumque ſignificat.

Vt pro impio dicas falſum teſtimonium.] Non puto ſic ſcripſiſſe Hieronymum, ſed potius, vt cũ impio dicas falſum teſtimonium: quod eſſet Hebraicæ veritati cõſonum, quæ habet אל תשת ידך עם רשע להיות עד חמס Hoc eſt, Ne ponas manum tuam cum impio vt ſis teſtis iniquus: patetq́; aliam eſſe ſententiam hanc, & res quidem clara eſt. Eodem quoque modo habent etiam Septuaginta. οὐ συγκατεθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου γενέσθαι μάρτυς ἄδικος: non conſenties cum impio, vt ſis teſtis iniquus.

Non declinabis in iudicium pauperis.] Hoc quoniam obſcurum eſt, Hebraica ponamus, quo fiat illuſtrius. לא תטה משפט אבינך בריבו Non peruertes iudicium pauperis tui, in cauſa ſua: ſic etiam interpretati ſunt Septuaginta οὐ διαστρέψεις κρίμα πένητος ἐν κρίσει αὐτοῦ. Non deprauabis iudicium pauperis in iudicio eius.

Quia aduerſor impium.] Ea quidem eſt ſententia, ſed Septuaginta eam non attigerunt, quamuis longius hi receſſerunt: nam ſic habet Hebraicum, כי לא אצדיק רשע Quia non iuſtificabo impium. Si quis, inquit, peſſime egerit, vt peſſimus eſt, ita iudicabitur, neque eam ſententiam accipient, quam ſolent iuſti accipere. Hoc ergo penitus diuerſum fecerunt Septuaginta. καὶ οὐ δικαιώσεις τὸ ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων. Et non iuſtum exiſtimabis impium propter munera: nam de ſeipſo loquitur Deus: de muneribus quoque non hic, ſed ſtatim in alio præcepto infertur.

Per nomen deorum externorum non iurabitis.] Non ad iuramentum tantum pertinet, ſed omnem commemorationem, hoc modo ושם אלהים אחרים לא תזכירו id eſt, Et nomen deorum externorum nõ memorabitis: ſic quoque Septuaginta καὶ ὄνομα θεῶν ἑτέρων οὐκ ἀναμνησθήσεσθε. & nomen deorum alienorum non recenſebitis.

Menſis nouorum.], חדש האביב Hoc eſt, Menſis nouarum frugum: cùm ſcilicet incipit aperiri tellus, & parere. Septuaginta quoque verterunt menſem nouorum. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ μηνὸς τῶν νέων. Tempore menſis nouorum.

Sanguinem victimæ tuæ.] זבחי Victimæ meæ. Sic & Septuaginta αἷμα θυσιάσματός μου. Sanguinem victimæ meæ.

Redundat. Hoc loco tota hæc ſentẽtia in Græcorũ codicibus. Vbi enim dictũ, Ter in anno apparebit omne maſculinũ tuũ coràm me, mox inferũt. ὅταν γὰρ ἐκβάλω τὰ ἔθνη ἀπὸ προσώπου σου καὶ ἐμπλατύνω τὰ ὅριά σου. οὐκ ἐπιθυμήσει οὐδεὶς τῆς γῆς σου, id eſt, Cum enim eiecero gentes à facie tua, & propagauero fines tuos, nemo deſiderabit terram tuam. Hoc totum ſuperfluum eſt, ſumptum ex alio loco, vt poſt videbimus.

Benedicam panibus tuis.] Redundat quoq; apud Græcos τὸν οἶνόν σου. Et benedicam vinum tuum: nulla enim huius in Hebraico mentio: quanquam ad declarationem poſitum ab illis arbitrer.

A *Et à deſerto vſque ad flumen.*] Septuaginta exprimunt hunc fluuium ἕως τοῦ ποταμοῦ τοῦ Εὐφράτου. Vſq; ad flumen Euphratem. Sic alibi pollicitus eſt, eſſe terminos eius terræ fluuium Euphratem.

CAPVT XXIIII.

V*itulos duodecim.*] Redundat duodecim, Tantum enim eſt פרים id eſt, vitulos: quod neque à Septuaginta eſt poſitum, qui veritati Hebraicæ conſentientes, ſic interpretati ſunt, καὶ ἔθυσαν θυσίαν σωτηρίου κυρίου κυρίῳ τῷ θεῷ μοσχάρια. Et ſacrificauerunt inquiunt, ſacrificium ſalutis, Domino Deo vitulos. Nam & plures quam duodecim eſſe potuerunt, vt ſacrificium Salomonis atque aliorum, quibus innumerabiles penè hoſtiæ adhibebantur. Clarumq; eſt non interpretis, ſed aliorum errorem eſſe. Cur enim peccaret ille in re manifeſta?

Et viderunt Deum Iſrael.] Sicut etiam legitur Hebraice. ויראו את אלהי ישראל Et viderunt Deum Iſrael. Quod Septuaginta neſcio quamobrem non ita verterunt, non eos ſcilicet vidiſſe Deum, ſed locum in quo ſtetiſſet καὶ εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ἐκεῖ ὁ θεός. id eſt, Et viderunt locum, vbi ſtetiſſet Deus. Veruntamen veritas Hebraica aliud docet.

Lapidis ſaphyrini.] Nomen eſt Hebraicum, Nam illi appellant ſappir: patetque Græcos ab eis accepiſſe, & vt in ea lingua ſolitum aliquando eſt, vltimum p, in p, craſſum commutarunt Græci, ſcilicet φ.

Et quaſi cælum cùm ſerenum eſt.]. וכעצם השמים לטהר Et quaſi ipſummet cælum in puritate ac claritate: ſic & Septuaginta καθαριότητι, non quòd aliud ſit, quàm quod vertit Hieronymus, vt exponunt omnes Hebræi, præſertim Rabbi Salomon.

B *Necnon ſuper eos qui procul receſſerant.*], ואל אצילי בני ישראל לא שלח ידו Hoc eſt, Et ad principes Iſrael non extendit manum ſuam. Et quoniam tota hæc ſententia male, vt videtur, reddita eſt, adhibeamus expoſitiones Hebræorum. Siquidem innuitur, non fuiſſe cognitam diuinam potentiam principibus Iſrael, qui intelliguntur Nabad & Abiud, quamuis viſionem eam viderint. Quod etiã innuit Chaldaica editio, quæ in hunc modum habet. ולרברבי בני ישראל לא הות נזקא Et principibus filiorum Iſrael non fuit clarus. Quare conſtat non eam eſſe ſententiam, quam vertit Hieronymus. Auen Eſdra, ויש אמרים כיפרוש ראהו ולא שלח ידו להם כאשר שלח למשה id eſt, Sunt qui dicunt, hunc eſſe horum verborum ſenſum. Viderunt quidem eum, ſed eis non porrexit ipſe Deus manum ſuam, quemadmodum Moſi. Nota igitur omnia ſunt.

CAPVT XXV.

V*T tollant mihi primitias.*], תרומה Hoc eſt, oblationem, & anathema: earum videlicet rerum quæ ſuſpenduntur. Proprie enim hæc vox ſonat eleuationem, ſuſpenſionem. Primitias autem vertere non eſt tam proprium, quamuis in hoc Hieronymus Septuaginta ſecutus ſit, qui etiam ipſi λάβετέ μοι ἀπαρχάς. Sumite mihi primitias. Non enim hæ erant primitiæ, de quibus ante dictum eſt, ſed aliud oblationis genus, quod erit toto capite, manifeſtum. Onchelos quoque vertit ſegregationem.

Hyacinthum.] Reliqua notiſſima ſunt, de hoc autem, quod Hebraice vocatur תכלת dicet Rabbi
C Salomon. צמר צבוע בדם חלזון וצבעו ירוק Lana, inquit, eſt tincta in ſanguine purpuræ, tincturaque viridis eſt. Septuag. quoque verterunt Hyacinthum, χαλκὸν ὑάκινθον, æs, hyacinthum. Ex quatuor tuor autem coloribus omnia iſthæc confecta ſunt, qui referunt elementorum proprietates, quod ab antiquis ſcriptoribus proditum quoque eſt, apud quos ſic legimus. ἐξ ὕδατος μὲν ἡ πορφύρα, βυσσός τε ἐκ γῆς, ὑάκινθος δὲ ὡμοίωται ἀεριζοφώδης ὤν. ὁ δὲ κόκκος τῷ πυρί, id eſt, Ex aqua quidem purpura, byſſus è terra naſcitur. Hyacinthus autem, qui ſubobſcurus eſt, aſſimilatur aeri, coccus autem igni. Quod etiam ſcribit Hieronymus. Tabernaculum enim totum repræſentat mundum, vtque è quatuor elementis is mundus, ſic tabernaculum è quatuor coloribus, qui elementa quatuor exprimant. Hyacinthus igitur aerius eſt, vt ipſi quoque vidimus. Allatus eſt nuper Venetias è Conſtantinopoli à Franciſco Maſſaro, viro harum rerum ſcientiſſimo. Eſt penitus cæruleus, odore laudatiſſimo.

Hyacinthus.

Et byſſum.]. שש Additur à Septuaginta κεκλωσμένον. Interpretantes, καὶ βύσσον κεκλωσμένον, byſſumq; retortum. Quod neſcio quo tendat: per byſſum enim etiam Hebræi intelligunt linum tenuiſſimum: cuius tela, in opus diuinum adhibita eſt. Et forte eò tendunt Septuaginta, vt innuant linum tortum, & iam telam effectum. Quod ſæpiſſime ponetur inferius.

Byſſus.

Rubricatas.], מאדמים hoc eſt, Rufas, rubentes, vt eſt corium rubicundum, & in ſanguineum colorẽ tendens, ſicut eſt huius vocabuli paſſim vſus. Septuaginta. δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα, hoc eſt, pelles arietum rubefactas.

Pelles hyacinthinas.] Certum eſt locum eſſe corruptum, reſtituendumque hianthinas: eſtque vox Græca, ducta ab ἴα, id eſt, viola, & ἄνθος, flore: quaſi dixeris florum ſimiles, quaſi floribus diſtinctas ac varias: quamuis etiam Septuaginta habeant vt noſtri habent codices, ἐ δέρματα ὑακίνθινα. Et pelles hyacinthinas. Hebræi vero aliter hunc locũ interpretãtur. Nã quod hic vertitur

Hyacinthinæ pelles.

hyacinthus à Septuaginta & Hieronymo. Hebraice , עורות תחשים pelles tecaſcim . Quos alij taxos interpretantur, alij vt Rabbi Salomon, aliam eſſe feram dicunt, de qua ipſe מן חיה ולא היתה אלא לשעה והרבה גונין היו לה , hoc eſt, Beſtia eſt, quæ ſolum ea tempeſtate inueniebatur, quæ plurimas habebat maculas. Quod etiam confirmat authoritate editionis Chaldaicæ, quę etiam eo modo habet. Sed vt verum fatear minus hæc videntur habere cognita Hebræi, quàm omnes aliæ gentes: ſiquid abſtruſius retegendum eſt, inueniuntur quàm omnes, perplexiores. Nullam enim tenent hiſtoriarum peritiam, non norunt naturas animalium, non herbarum nomina, non earum colores, non proprietates. Audi igitur quid de hoc animali dicat Auen Eſra ועורות תחשים עור בהמה שהוא עב כי הנעל לא יעשה כי אם מעור עב כעור השור ולפי דעתי שהוא שור , hoc eſt, Et pelles thecaſcim, pelles ſunt beſtiæ, quæ præpinguis eſt, quia calceamentum non fit niſi ex corio pingui, vt eſt corium bouis. Ac mea quidem ſententia eſt, hanc belluam eſſe bouem. Quid igitur ex his tam varijs tam ambiguis Hebræorum ſententijs colligi veri poteſt? Verum de hoc etiam inferius dicemus. In talmud hæ pelles mira varietate diſtinctæ eſſe narrantur.

Heb. ignorantia.

Sethim lignum.

Ligna ſethim.] Vox Hebraica eſt, quam Septuaginta verterunt, ξύλα ἄσηπτα. Ligna incorrupta. Mittimus hic quoque diſcordias Hebræorum ſuper hoc ligno, quę tot ſunt vt pudeat me eorum inſcitiæ. Sunt autem qui putent eſſe cedrum, alij piceam, alij buxum, placet ſtare ſententiæ ipſorum Septuaginta. Hoc lignum cùm non inueniretur in deſerto, dicunt Hebræi, ſecum filios Iſrael, ex Dei præcepto, ex Aegypto aſportaſſe. Quod neſcio an verum ſit, an fictum ab ipſis, vt multa eiuſmodi apud illos reperiuntur, opinati ſunt hæc, quia in deſerto non erant arbores.

In vnguentum.] לשמן המשחה . In oleum vnctionis. Nec putandum eſt eſſe aliud, quàm quod vertit Hieronymus: clariſſime etiam Septuaginta, εἰς σύνθεσιν θυμιάματος. In compoſitionem thymiamatis. Interiectum eſt in Græcorum codicibus hoc quod in contextu Hebraico non habetur hic, ſcilicet, καὶ λίθους σαρδίους, lapides ſardios: eſt enim inferius.

Ephod duplex.
Super humeralis.
Talaris.
Poderes.

Ephod & rationale.] Duo ſunt ornaměta ſiue amictus. Ephod, poſterioris partis, atq; humeros tegit, ideoq; à Septuaginta vocatur ἐπωμὶς, hoc eſt, ſuperhumeralis: alter huic oppoſitus, quem vocant חשן, choſcen, qui pectus tegit. Hoc itaque vltimum clarius reddiderunt Sept. ποδήρη, talarem: non quòd ad talos applicetur, ſed quòd à pectore deſcendens, vſque in talos ſeſe porrigat. Quo habitu vtuntur etiam apud nos ſacerdotes: appellaturq; tam à Latinis quàm Græcis poderes, quod Latine verti poteſt talaris.

Panis propoſitionis, panis facierum.

Panes propoſitionis.] , לחם פנים Panis facierum. Quare fit vt varijs modis hoc omnes interpretentur. Dicunt nonnulli Hebræorum panem facierum appellatum, quod quatuor angulis eſſet expreſſus, quos illi facies vocant: hocque genus panis ſacrum erat, & tantum ſacerdotibus licebat contingere. Alij aliter exponunt. Nam cùm Hebraice panim faciem ſignificet, non ſolum inquã ipſam humanam faciem, ſed & omnem pręſentiam & aſſiſtentiam, & anteriorem partem, propterea appellari panes facierum exiſtimant, hoc eſt panes aſſiſtentiæ, panes propoſitos, qui ſemper coràm Deo reperirentur, quod certe videtur eſſe veriſſimum: mox enim vbi dixiſſet panes faciei, intulit , לפני faciei meæ, præſentiæ meæ. Atque inde videntur appellati, quòd ſemper coram Domino, ſtarent poſiti: hoc idem ſentiunt & Septuaginta, qui hos panes appellarunt ἐνωπίους, quaſi dixeris præſentes, ſiue expoſitos.

CAPVT XXVI.

ANſulas.] , ללאות Feneſtellas, vt exponunt Hebræi, quanquam idem ſit. Nam quibus cortinæ cortina adiungebatur, anſulas recte appellauit Hierony. Non minus quoque recte Septuag. qui eas ſunt interpretati ἀγκύλας, hoc eſt, vncinos, ac ſuper hoc prolixius argutari, vitium fuerit.

Saga cilicina.] Quod ſupra verterat cortinas ſiue tentoria, hic interpretatus eſt ſaga. Facile igitur intelligitur is locus eo modo expoſitus, quem dubium habebat noſtra editio, non enim tam proprie, illud ſuperindumentum ſagum appellatur. Excogitatæ autem ſunt hæ cilicinæ cortinæ, vt tegerent tabernaculum. Vertunt has Septuaginta δέρρεις, id eſt, pelles: innuentes, non fuiſſe velum ex pilis caprarum contextum, quo circuntegeretur tabernaculum, ſed ipſas pelles: verum Hebraice eſt, יריעות עזים hoc eſt, Aulæa vel cortinæ ex caprinis pilis, quanquam etiam poſſit verti, ex pellibus caprinis.

Pulchra varietate contextum.] , ועשה אותה כרבים id eſt, Et faciet ipſum opus Cherubin: putoq; præceptum eſſe, vt opus eſſet variatum Cherubinis intextis, aut quòd Cherubini eſſent pulchra varietate contexti. Sept. quoque non tacuerunt Cherubin, ἔργον ὑφαντὸν ποιήσεις αὐτὸ χερουβίμ, hoc eſt, Opus contextum facies ipſum Cherubin.

CAPVT XXVII.

NOn ſolidum ſed inane.] . נבוב לחות Vacuum ex tabulatis: aut, vacuum tabularum, vt intus nulla materia ſit. Quemadmodum præclare & Septuaginta, κοῖλον σανίδωτον, concauum ex aſſeribus. Atque ita in hoc capite nihil viſum eſt aliud annotatione dignum, tam in noſtris

A quàm Græcorum codicibus, his duntaxat exceptis, quæ ſunt leuiſſima, & quæ nullam habent diſſonantiam, vt mihi mirum videatur, tam præclaras eſſe noſtram & Septuaginta editionem in hoc libro, qui eſt omnium difficillimus, & obſcuriſſimus, propter rerum & vocum varietatem.

CAPVT XXVIII.

Facies & vncinos.], משבצות Coarctaturas, texturas : & vt vertit Hieronymus. Septuaginta vehementer ab Hebraico diſſentiunt, ac neſcio quomodo tolerari poſſint, καὶ ποιήσεις ἀσπίδας, facies & clypeos. Horum enim hoc loco nullus eſt vſus, & ad ſacerdotalia veſtimenta non erant idonei. Hos alibi vncinos vertit Hieronymus.

Quatuor ordines lapidum.] Cùm in his lapidibus interpretandis Hieronymus ſemper Septuaginta ſequatur, & eorum in ea re approbarit editionem, non mihi viſum eſt afferre in medium, quæ de his lapidibus ab Hebræis dicuntur : cùm & ipſi vehementer à Septuaginta & Hieronymo diſcrepent, & leuior apud eos de hiſce rebus inueniatur cognitio, quàm omnes alias gentes. In tanta igitur rerum ambiguitate, tantaque diſcrepantia, magis erat Septuaginta adhibenda fides, quàm omnibus Hebræis, & Chaldæis interpretibus : cùm iſtos etiam & mendacij & inconſtantiæ arguere poſſimus. Hæc quidem neceſſaria & vera excuſatio. Exempli cauſa : lapis is qui Hebraice appellatur פטדה quem Septuaginta & Hieronymus, topazium interpretantur : ab alijs creditur eſſe ſmaragdus, ab alijs praſinus vocatur, hoc eſt porraceus. Aliter Theodotion, aliter Aquila eum interpretatus eſt. Quare Septuaginta, & Hieronymo ſtandum. De B hac etiam varietate viſum eſt in Geneſi : neque video magnopere referre, ſi exacte hæc cognoſcantur.

Doctrinam & veritatem.] האורים ואת התומים id eſt, Illuminationem rectitudinem ſiue integritatem. Nomen ſcilicet diuinum. Septuaginta, propter verbi multiplicem ſignificationem אור quæ lucem declarat, & poteſt duci ab הורה docuit, primum ſecuti verterunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, declarationem & veritatem. His itaque duobus nominibus nomen tetragrammaton intelligendum eſſe aſſerit Rabbi Salomon : dictumque eo modo exiſtimat, quòd ſacerdotem illuminaret, doceretque viam rectam perſequi, & vt ſciret, quid ei foret dicendum. De duobus itaque ſic ſcribit, הוא כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן שעל ידו הוא מאיר דבריו ומתמם את דבריו Hoc eſt, Doctrina & veritas, erat ſcriptura nominis tetragrammaton, quæ erat poſita, vbi coniungebatur ſuperhumerale, per quod nomen ſacerdos lumen verbis ſuis adhibebat, & diuinitus loqui videbatur. Mitto igitur quæ de hoc ſcribat Hieronymus.

CAPVT XXIX.

Eo quod ſit aries conſecrationis.]. מלאים Aries repletionis. Neque aliter eſt intelligendum, quàm vt vertit Hieronymus. Implere enim hoc toto capite pro conſecrare ſumitur, ſicut & pauloante eſt poſitum, vbi dicitur, Et implebis manum eorum. Aries ergo repletionis dicitur, id eſt, quo repletur & conſecratur ſacerdos, ſicut exponit etiam Rabbi Salomon : quare Septuaginta neſcio an hoc ſenſerint, qui verterint, vt vox ſonabat ἐστὶ γὰρ τελείωσις αὔτη. id eſt, C Eſt enim conſummatio hæc, Atque ex his verbis videtur mihi aliud eſſe intelligendum quàm quod veritas exigat. Quod hic annotatum eſt, toto hoc capite annotatum eſſe volumus.

Implere pro conſecrare.

Et cedet in partem ſuam.]. והיה לך למנה. Et erit tibi in partem : ſic & Septuaginta. καὶ ἔσται σοι ἐν μερίδι.

Per ſingulos dies iugiter.]. ליום תמיד Per ſingulos dies iugiter. Septuaginta per alia etiam verba idẽ clariſſime expreſſerũt δύο τὴν ἡμέραν, ἐνδελεχῶς κάρπωμα ἐνδελεχισμοῦ. Duos inquit agnos ſumes per ſingulos dies iugiter, oblationem continuationis. Nam Græce iuge illud ac nunquam intermiſſum ſacrificium ἐνδελεχισμὸς vocatur. Vnde dicitur ἐνδελέχεια, non illa Ariſtotelis.

Iuge ſacrificium.

Quartam partem hain.] Septuaginta quoque vocem Hebraicam reliquerunt non verſam. Menſura eſt de qua ſæpe ſcribit Hieronymus, & nos pauloante diximus.

CAPVT XXX.

Tam craticulam eius.], גגו hoc eſt, Tectum eius, ſuperficiem eius. Craticulam autem vertit, imitatus fortaſſe Septuaginta, qui eodem modo interpretantur τὴν ἐσχαρίδα αὐτοῦ, focum eius. Locum ſcilicet ſuperiorem, vbi adoletur incenſum, vbi focus eſt, cui ſuper imponitur thymiama. Neque exiſtimo hoc altare habuiſſe craticulam, vt habebat altare ſupra memoratum. Illud enim erat holocauſti, & cæſorum animalium altare, hoc vero incenſi. Et illi quidem craticula neceſſaria, huic autem minime. Quare amouenda craticula eſt, & tectum eius loco ponendum.

Ipſos quoque vectes.] Quod ſupra verterant Septuaginta παστίλλους, Miror quòd vertant hic σκυτάλας. quaſi dixeris ferulas, quod & aliud ſignificat, vt apud Lacedæmonios.

Suaue fragrans.] סמים id eſt, Aromatizans,& ſuaue: quod non tam proprie Septuaginta, λεπτόν, id eſt, Tenue quiddam, quod penitus aliud eſt. Dicunt tamen Hebræi eo nomine, puluerem tenuiſſimum odoris fragrantiſſimi ſignificari.

Sume aromata.]. בשמים recte Septuaginta ἡδίσματα, id eſt, Fragrantias, ſuauitates.

Myrrhæ primæ: & electæ.] דרור id eſt, Liquidiſſimæ, puriſſimæ. Sequitur autem Septuaginta: qui & ipſi σμύρνης ἐκλεκτῆς, Myrrhæ electæ.

Calami ſimiliter.] Quod apertiſſime Septuaginta καλάμους εὐώδους. Calami odoriferi.

Et dederit ex eo, alieno.] ואשר יתן ממנו על זר. Et poſuerit ex eo ſuper rem alienam. Quamobrem non refertur ad perſonas, ſed alias res. Sequutus eſt autem Septuaginta, qui etiam ipſi καὶ ὃς ἂν δῷ ἀπ' αὐτοῦ ἀλλογενεῖ, id eſt, Et qui dederit ex eo alienigenæ. Sed Hebraice prohibetur vt non ſolum ad vſum hominum ſiue indigenarum, ſiue alienigenarum, adhibeatur ea vnctio, ſed ne ad alias quidem res.

Stactem & onycha.] Stactes quid ſit, ſatis notum: ſic interpretati ſunt etiam Septuaginta, quæ Hebraice vocatur. נטף Quam Rabbi Salomon dicit Italice appellari goma: quanquã ferè aliud ſit ſtactes, quàm gumi.

Onycha.] שחלת Hanc tradit Rabbi Salomon eſſe radicem candentem, ac puram, ideoq; vocari nomine vnguis. Sic enim ſignificat Græce onyx. Atque eodem modo vertunt etiam Septuaginta, Chaldaica quoque editio etiam ipſa vertit, טופרא hoc eſt, Vnguem.

CAPVT XXXI.

ET in corde hominis eruditi.] Non refertur ad illum primum, ſed reliquos omnes, quos ſpiritu ſancto repleuiſſet. Sic enim legitur Hebraice ובלב כל חכם נתתי חכמה id eſt, Et in corde omnis ſapientis, cor dedi ſapientiæ. Sic & Septuaginta, καὶ παντὶ συνετῷ καρδίᾳ δέδωκα σύνεσιν, id eſt, Et omni ſapienti corde, dedi ſapientiam, ſiue intelligentiam.

CAPVT XXXII.

FOrmauit opere fuſorio.] בחרט Quod exponitur, & formauit eum ſtylo, ſicut etiam Septuaginta interpretantur καὶ ἔπλασεν αὐτὰ ἐν τῇ γραφίδι. Et finxit ea cum ſtilo, vel calamo: vbi ἐν eſt loco præpoſitionis μετὰ. Chaldaica editio בזיפא id eſt, enſe ſculpſit. Vbi eſt vocabulũ ξίφος, videnturq; ab illis Græci accepiſſe. Quomodo vero ſculpſerit ipſum, indicat Rabbi Salomon, exponens vocabulum חרט, dicitq; ſignificare, כלי אומנות, Hoc eſt, Inſtrumentum artificum deaurantium, quo deaurant, & exculpunt, ſicut qui ſcribunt litteras in tabulis, ſcalpellum ſcilicet innuit. Atq; ita vitulus effectus eſt, non ꝙ in fornacem ſit coniectus, & imago in igne coaluerit, vt quidã exiſtimant, ſed conflarunt totum aurum in fornace per ignem, in vnã maſſam, & eam rudem materiam ſcalpello poſtea formarunt, expreſſeruntq; vituli imaginem. Quod fit ab his qui ſigilla & aurea vaſa exculpunt. Atque hoc ſignificatur in contextu Hebraico, in noſtro obſcurius.

Et deleam eos.] ואכלם Et deuorabit eos, ſcilicet furor, vt oſtendat vehementem & repentinum interitum: quanquam etiam Septuaginta ſicut & Hieronymus verterunt καὶ ἐκτρίψω αὐτούς. Et conteram eos.

Calide eduxit eos.] ברעה In malum, cauſa detrimenti ac ruinæ, ſicut & Septuaginta μετὰ πονηρίας. Cum prauitate, aut malignitate, ſiue malicia.

Non eſt clamor adhortantium.] אין קול ענות גבורה ואין קול ענות חלושה id eſt, Non audio vocem vociferationis fortis, aut vocem vociferationis debilis, ſed vocem vociferationis audio. Neq; certe aliud eſt, quàm quod vertit Hieronymus. Eo enim modo exponit etiam Chaldaica editio. Septuaginta etiã ipſi tale quiddam innuere videntur, οὐκ ἔστι φωνὴ ἐξαρχόντων κατ' ἰσχύν, οὐδὲ φωνὴ ἐξαρχόντων τροπῆς, ἀλλὰ φωνὴ ἐξαρχόντων οἴνου ἐγὼ ἀκούω. Hoc eſt, Non eſt vox imperantium violẽter, neque vox imperantium conuerſionem. Siue hoc modo, Non eſt vox incipientium violenter, neque vox incipientium fugam: ſed vocem incipientium, vel imperantium vino, ego audio. Additum vero ſuperuacaneo eſt vinum, & puto textum eſſe deprauatum, quia nullus eſt horum verborum ſenſus. Nuſquam enim hic in contextu Hebraico vinum reperitur.

Quod pronus ſit ad malum.]. וידעת את העם כי ברע הוא Noſti quòd populus is in malo ſit: ſicut interpretatus eſt Hieronymus. Quod non eſt tam luculenter expreſſum à Septuaginta σὺ γὰρ οἶδας τοῦ λαοῦ τούτου τὸ ὅρμημα. Tu enim noſti huius populi impetum, voluntatem, auiditatem, ſtudium, propenſionem.

Videns Moyſes populum quòd eſſet denudatus.] פרוע id eſt, Denudatus, vel vacuatus, priuatus, ſicut habet editio Chaldaica, ſcilicet בטיל id eſt, Exinanitus, exutus. Septuaginta aliter, magis ſententiam quàm verba ſecuti ἰδὼν Μωυσῆς τὸν λαὸν, ὅτι διεσκέδασται, Vidẽs Moyſes populum, quòd eſſet diſſipatus, vt quandam ruinam innuerent & interitum.

Propter ignominiam ſordis.], לשמצה בקמיהם Hoc eſt, Propter ignominiã eorum qui inſurgerent in eos: aut propter vituperationem hoſtium ſuorum. Quod exponit etiam Rabbi Salomon his verbis, להיות להם הדבר הזה לגנות בפי בקמים עליהם Hoc eſt, Eo quòd ea res, erit ſummo dedecori in ore ho-

A ore hoſtium ſuorum. Atque hanc ſententiam melius expreſſerunt Septuaginta, quàm Hieronymus, ἐπίχαρμα τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν, id eſt, Quæ res erat futura gaudio hoſtibus eorum.

Conſecraſtis manus veſtras.]. מלאו ידכם Hoc eſt, Conſecrate manus veſtras, Eſt ergo imperatiuus. Deinde notum eſt, implere, apud Hebræos ſumi pro conſecrari, vt retro quoque viſum eſt. Quare prudentiſſime vertit Hieronymus, etiam diſſentiendo à Septuaginta, qui verbi proprietatem non videntur intellexiſſe, ſi dicere fas eſt. ἐκπληρώσατε τὰς χεῖρας ὑμῶν. Hoc eſt, Explete manus veſtras. Neque quiſquam eſſet apud Græcos, qui explere, hoc loco ſumeret pro conſecrare, ſed potius ſaturare, vel huiuſmodi.

CAPVT XXXIII.

E*T eijciam.*] Cum Hebræo ſentit. וגרשתי id eſt, Et eijciam. Quod male à Septuaginta profertur per ſecundam perſonam. καὶ ἐκβαλεῖς. Et eijcies, de ſe enim loquitur Deus.

Et nullus ex more indutus eſt.] Non diſſentit ab Hebraico ולא שתו איש עדיו עליו Et nemo poſuit ornamentum ſuum ſuper ſe. Quæ clauſula omittitur à Septuaginta, innuuntq; hoc per alia verba κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς. Defleuerunt in lugubribus, ſcilicet veſtibus. Atque hoc modo intelligunt, eos nullo ſolenni indutos ornamento, ſed pullis amictos fleuiſſe.

Semel aſcendam.]. רגע אחד אעלה Hoc eſt, Vno impetu aſcendam & delebo te. Quæ ſententia, penitus deprauatur in alium ſenſum à Septuaginta. ὁρᾶτε μὴ πληγὴν ἄλλην ἐγὼ ἐπάγω ἐφ᾽ ὑμᾶς. Cauete ne plagam alteram infligam vobis. Toto cęlo à veritate abhorrent.

B *Vt ſciam.*]. ואדעה Et ſciam. Male à Septuaginta δείξω. oſtendam. Nam vel mediocriter Hebraice eruditis, res nota eſt.

Reſpiciebant tergum.] Fortaſſe tam ad corpus ſpectat quàm ad motũ, quàm oculos. והביטו אחרי משה Et declinabant poſt Moyſen: quanquam etiam Septuaginta, ad intuitum referant, καὶ εἱστήκει πᾶς ὁ λαὸς σκοπεύοντες ἕκαστος. Et ſtabat vniuerſus populus conſiderantes.

Oſtende mihi faciem tuam.] Non hoc poſtulat Moſes, ſed aliud הודעני נא את דרכך Hoc eſt, Oſtende mihi, vel notam fac mihi viam tuam. Ecce non poſtulat videre eius faciem, aut ſubſtantiam, ſed vt oſtenderet viam qua ituri eſſent, ne in aliquem miſerabilem errorem inciderent. Sed peius tranſtulerunt Septuaginta, & maiorem errandi occaſionem præbuerunt. ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν, Oſtende mihi te ipſum: quod plurimum abeſt à vero, & humilitate Moſis.

Si non tu ipſe præcedas.]. אם אין פניך הלכים Niſi præſentia tua, vel vultus tui veniant.

Et glorificemur ab omnibus.] Quàm præclare Septuaginta καὶ ἐνδοξασθησόμεθα παρὰ πάντα ἔθνα, Et glorificemur ſuper omnes gentes. Nam & eo modo ſunt Hebraica intelligenda, מכל העם Præ omni populo. Supra omnes populos. Noſtra editio paulo obſcurior.

Ego oſtendam omne bonum tibi.] Tota hæc periodus, penitus in contrarium ſenſum vertitur à Septuaginta, & aliquanto ſecus ab Hieronymo. אני אעביר כל טובי על פניך id eſt, Ego faciam trãſire omne bonum meum ſuper faciem tuam, vel ante faciem tuam. Sed audi quid dicant Septuaginta, ἐγὼ παρελεύσομαι πρότερός σου ἐν δόξῃ μου. Ego inquit præcedam te prior, in gloria mea. Clarumq; eſt, quàm alienum hoc à vero ſit, & ipſa veritas, mea quidem ſententia apertiſſima eſt.

Et vocabor in nomine Domini.], וקראתי בשם יהוה לפניך Hoc eſt, & inuocabo in nomine Domini coram
C te, id eſt, Inuocabo nomen Domini, in præcedendo te, cum antegrediar, nomen meum oſtendã, inuocabitur abs te. Sic & Septuaginta καὶ καλέσω τῷ ὀνόματι κυρίου ἐναντίον σου, id eſt, Et inuocabo nomine Domini ante te. Is igitur qui cum Moſe loquebatur, aut angelus erat, atque ita facile locus intelligitur, aut Deus, de ſe alio quodam modo referens.

Et miſerebor cui voluero.] Forſitan non ea ſententia eſt. וחנתי את אשר אחן ורחמתי את אשר ארחם Hoc eſt, Et miſerebor quem miſerebor, & viſcera mea commouebuntur erga eos in quos commouebuntur: & forte Hebraiſmus eſt, ſicut & illud, Quod ſcripſi ſcripſi: hoc eſt: ſcripſi quod volui: atque ita ſtat ſententia Hieronymi. Septuaginta quoque cum Hebraico contextu ſentiunt. ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω.

CAPVT XXXIIII.

E*T de nocte conſurgens.*]. וישכם בבקר Et mane ſurrexit, ſicut & ſeptuaginta καὶ ὀρθρίσας μωϋσῆς τὸ πρωΐ. Et de mane conſurgens Moyſes.

Nullusq; apud te per ſe innocens.]. ונקה לא ינקה Et innocens non erit ſine piaculo. In contrarium Septuaginta. καὶ τὸν ἔνοχον οὐ καθαριεῖ, id eſt, Et noxium, non habebis pro innocente. Male igitur ſententia verſa eſt.

Nullus inſidiabitur terræ tuæ.] Senſum non verba ſequitur, quæ habent. ולא יחמד איש את ארצך Et nõ deſiderabit quiſquam terram tuam.

Faciẽ Moſi non fuiſſe cornutam.

Et ignorabat quòd cornuta eſſet facies.] Vox ambigua fecit in editione errorem: quamuis etiam ſit diſcrimen inter nomen cornu, & id quod ſignificat radians. Nam cornu vocatur קֶרֶן per duplex ſegol, at radians. קרן Igitur non habetur in contextu Hebraico faciem Moyſis fuiſſe cornutam, ſed radiantem: quod ex verbis ipſis apertiſſime intelligitur, quæ in hunc habent modum ומשה לא ידע כי קרן עור פניו: Hoc eſt, Et ignorabat Moſes quòd cutis faciei ſuæ eſſet radians. Non ſcribitur igitur, faciem fuiſſe cornutam, ſed cutem radiantem. Ex hoc ergo poteſt emendari praua vulgi conſuetudo, qui duobus cornibus pingunt Moſen. Non enim cornua è fronte egrediebantur, ſed & frons & naſus, & os, & mentum radiabant. Et mirum quòd Hieronymus non conſiderata veritate Hebraica, non animaduerterit etiam quid Septuaginta trãſtuliſſent, qui bene hunc locum verterunt καὶ Μωϋσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Et Moſes ignorabat quòd glorificatus eſſet aſpectus cutis faciei ſuæ. Rident itaque nos & execrantur Iudæi, quoties Moyſen in noſtris templis cornuta facie depictum aſpiciunt, quaſi nos eum diabolum quendam, vt ipſi ſtulte interpretantur, eſſe putemus. Ex hoc editionis Septuaginta loco cognoſcitur, antiquam illam editionem, qua ante Hieronymum vtebatur eccleſia, fuiſſe ipſorum Septuaginta. Nam in officio transfigurationis Saluatoris canitur, Glorificata eſt facies Moyſi: quod ex editione Sept. ſumptum eſt, qua Latini vtebantur, vnde & antiphonas ſumebant.

CAPVT XXXV.

OBtulerunt mente promptiſſima.] Non de omnibus hoc dicitur, ſed Hebraica ſic habent ויבאו כל איש אשר נשאו לבו וכל אשר נדבה רוחו. Et venerunt vnuſquiſque, quem incitauerat cor eius, & quem promptum feciſſet ſpiritus eius: ſicut etiam Septuaginta. καὶ ἤνεγκεν ἕκαστος ὧν ἔφερεν ἡ καρδία αὐτῶν καὶ οἷς ἔδοξεν τῇ ψυχῇ αὐτῶν, Hoc eſt, Et obtulit vnuſquiſque ea quæ ferebat cor eius, & quæ viſa fuiſſent animæ eius.

Sed & omnes mulieres doctæ.] Quamuis in contextu Hebraico non habeatur, ſubintelligitur tamen quod addiderunt Septuaginta καὶ πᾶσα γυνὴ τῇ διανοίᾳ σοφὴ ταῖς χερσὶ νήθειν, Hoc eſt, Et omnis mulier ingenio docta, manibus operandi aut texendi vel nendi.

Opera abietarij polymitarij.] מלאכת חרש וחשב Per quæ nomina, omne opificij genus intelligitur, quod recte Septuaginta, ἀρχιτεκτονεῖν.

CAPVT XXXVI.

TOtum hoc caput & ſequens, nihil habet, quod annotari poſſit, quia tantum fit repetitio eorum quæ ante dicta ſunt, vt nec voces variæ ſint, neque res aliæ.

CAPVT XXXVIII.

DE ſpeculis mulierum, quæ excubabant &c.]. במראת הצבאת De ſpeculis earum, quæ ſe exercerent, ſeu militarent ad oſtium tabernaculi. Sic enim habet & Chaldaica editio, quæ expreſſe ponit earum mulierum opificium. Septuaginta ferè & ipſi, in eundem modum. ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς. De ſpeculis mulierum, quæ excubarent ad fores tabernaculi: vbi νηστεύειν pro vigilare ponitur non ieiunare. Explicatur autem copioſiſſime is locus à Rabbi Salomone, & alijs interpretibus, quare expoſitio noſtra minime neceſſaria eſt.

Additur ocioſe in codicibus Græcorum, ſtatim poſt ſupra citatam ſententiam hoc totum ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἔπηξεν αὐτήν. In qua die erexit ipſum tabernaculum: nam neque in Hebraico contextu, neque noſtro habetur.

Labium. λουτήρ.

Fecit & atrium.] Dimittitur totum hoc, quod de atrio ſcribitur, in codicibus Græcis, & eius loco ponitur deſcriptio labij, hoc eſt eius vaſis quo aqua recipitur, quod Græce vocatur λουτήρ. Cumq; in eius deſcriptione diutius immorarentur Septuaginta, interim integrum ferè caput ex contextu omiſerunt, ab eo loco vbi incipit, Fecit & atrium, vſque eò, Omne aurum. Quæ quanquam non ſint magni momenti, non erant tamen omittenda, cùm in contextu Hebraico haberentur, ideo & noſtram editionem ea habere videmus.

Septingentorum triginta ſiclorum.] Conſuetus error apud Septuaginta in numeris. Veritas enim habet vt vertit Hieronymus: at huic numero apud illos deſunt decem hoc modo ἑπτακόσιοι καὶ εἴκοσι σίκλοι. Septingenti & viginti ſicli.

Oblatum eſt autem.] Deeſt hoc loco in noſtris codicibus, tota hæc periodus וכסף פקודי העדה מאת ככר ואלף ושבע מאות וחמשה ושבעים שקל. Hoc eſt, Et argentum cenſuum ſynagogæ, centum talenta, & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli. Quod certe mirum eſt, quia non deeſt is cenſus in editione Septuaginta: hoc modo, καὶ ἀργυρίου ἀφαιρέματα παρὰ τῶν ἐπεσκεμμένων ἀνδρῶν τῆς συναγωγῆς ἑκατὸν τάλαντα καὶ χίλιοι ἑπτακόσιοι ἑβδομήκοντα πέντε σίκλοι, id eſt, Et argenti oblationes, ab his qui rationes agebant ipſius ſynagogæ, reperta ſunt eſſe centum talenta, & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli.

Deeſt quoque alia clauſula quæ maxime erat neceſſaria, vbi enim dicitur oblatum eſt, primum hoc ponitur. בקע לגלגלת מחצית השקל Hoc eſt dimidium ſicli per vnumquodque caput oblatum eſt: deinde

deinde

A deinde ponitur ætas. Septuaginta quoque non dimiſerunt hoc, δραχμὴ μὶ τῇ κεφαλῇ τὸ ἥμισυ τοῦ σίκλου. Drachma vna vnicuiq; capiti dimidium ſicli. Licet in alio error ſit, vt alibi annotauimus.

Talenta ſeptuaginta, duo millia.] Hoc modo diſtinguenda oratio eſt, dicendumq;, talenta ſeptuaginta, & duo millia quadringenti ſicli, aliter maximus eſſet error, ſic habet veritas Hebraica & Septuaginta, καὶ ὁ χαλκὸς τοῦ ἀφαιρέματος ἑβδομήκοντα τάλαντα, καὶ δισχίλιοι τετρακόσιοι σίκλοι, id eſt, Et æs oblationis ſeptuaginta talenta, & bis mille quadringenti ſicli.

CAPVT XXXIX.

IN hoc etiam capite omnia vocabula & res repetũtur, quæ antea commemorata ſunt, vt quaſi ſuperflue repetita videantur. Atque hanc cauſam fuiſſe puto, quòd totum penè hoc caput omiſerint Septuaginta: contenti illud ſcripſiſſe, quòd Moyſes fecerit omnia, quæ Deus illi præcepiſſet. Itaque à principio capitis vſque eò. Feceruntq; filij Iſrael cuncta quæ præceperat dominus Moyſi, omiſſa omnia ſunt ab illis: & fortaſſe non abre. Nam ſermo Hebraicus in eo B plerunque peccat, quòd inculcat eadem ſine vlla neceſſitate, quod alibi annotauimus.

CAPVT XL.

E*T vnctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat.*] Quanquam ſapientioribus, ſententia aperta ſit, propter imperitiores adhibenda ſunt Hebraica, totum enim hoc vno verbo ſignificatur Hebraice. והיתה להיות להם משחתם לכהנת עולם Hoc eſt, erit vt ſit eis vnctio eorum in ſacerdotium ſempiternum. Sic etiam Septuaginta, καὶ ἔσται, ὥς τε εἶναι αὐτοῖς χρίσμα ἱερατείας εἰς τὸν αἰῶνα, id eſt, Et erit vt ſit eis vnctio ſacerdotij in æternum: nam quod additum eſt ab interprete, proficiat, hoc obſcurior locus factus eſt.

Etiam in hoc capite, aliqua dimittuntur à Septuaginta, quæ ſuperflue in Hebraico textu toties repetuntur.

Si quando nubes tabernaculum deſerebat.] Quanquam notum ſit quid innuatur, Hebraica tamen clariora ſunt. ובהעלות הענן מעל המשכן Hoc eſt, Et dum eleuaretur nubes deſuper tabernaculum. Quare C profecturis filijs Iſrael, non nubes deſerebat tabernaculum, ſed eleuabatur ſuper ipſum & præibat: ſic etiam vertunt Septuaginta. ἡνίκα δ᾽ ἂν ἀνέβη ἡ νεφέλη ἀπὸ τῆς σκηνῆς, id eſt, Quando autem aſcendebat nubes à tabernaculo. Quod autem infertur mox, ſi pendebat deſuper, Hebraice hoc modo, ואם לא יעלה id eſt, Et ſi non aſcendebat: quanquam etiam is ſenſus poſſit ex interpretatione Hieronymi elici.

Et ignis in nocte.] Hoc quoque Hebraice aliter intelligitur. Nubes enim per diem ſe oſtendebat, at de nocte dicit, ואש תהיה לילה בו id eſt, Et ignis erat nocte in ipſa: vt ex nube appareret ignis, ſic quoque Septuaginta, καὶ πῦρ ἦν ἐπ᾽ αὐτῆς, νυκτός. id eſt, Et ignis erat in ipſa, noctu. Eadem itaque nubes, quæ interdiu ſeſe oſtendebat, noctu in ignis ſpeciem vertebatur, & illucebat Hebræis. Non erat ergo alia nubes: quod & de columna dicendum.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

LEVITICVS. CAPVT I.

ET VOCAVIT *Dominus*.] Ab Hebraico non diſſentit, ויקרא id eſt, Et vocauit, quam proprietatem etiam Septuaginta ſequuntur, καὶ ἐλάλησε. Quare miror Iſychium, qui luculentiſſima expoſitione hunc librum illuſtrauit, quòd ſcribit Septuaginta tranſtuliſſe reuocauit, quorum vt videmus interpretatio non diſſentit ab Hebraico. Qui ſi aliter tranſtulerunt, ſcilicet ἀπεκάλεσε, vt veriſimile eſt, nullum tamen locum haberet eius annotatio, quia Hebræorum aliter habent codices. Reuocatum autem à Deo dicit Moſen, quia & in multis ante locis vocatus ſit, & nunc rurſum ab eodem reuocetur, ſed hæc vt dixi, quanquam vera ſint, à verborum tamen proprietate longe abſunt.

Ad placandum dominum.] לרצנו לפני יהוה Hoc eſt, Secundum voluntatem ſuam, coram domino offeret. Hieronymus retulit ad ipſum Deum, ſed tamen de eo dicitur, qui offert: quanquam etiam Septuaginta cum Hieronymo conſentiunt, ϗ προσοίσει αὐτὸ δεκτὸν ἐναντίον κυρίου. Et offert ipſum acceptabile coram domino.

Adolebit ea ſacerdos.] Hoc omittitur à Septuaginta, & de adolendo nihil meminerunt, καὶ ἐπιθήσει ὁ ἱερεὺς τὰ πάντα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Hoc eſt, Et imponet ſacerdos vniuerſa ſuper altare: deinde inferunt καρπωμά ἐστι θυσία ὀσμὴ εὐωδίας, id eſt, Holocauſtum eſt, ſacrificium odor ſuauitatis. Adolere autem hoc loco, idem eſt quod incendere, & admoto igni, vaporem excitare, quod ſacrificata hoſtia fiebat.

Agnum anniculum, & abſque macula.] Primum redundat, tantumque in Hebræo legitur זכר תמים, יקריבנו Hoc eſt, Maſculum immaculatum offeret ipſum: poteratque is & anniculus eſſe, & id tempus excedens, ſicut patet fieri ſolitum in ſacrificijs. Etiam Septuaginta ab Hebraica veritate nõ diſſentiunt, ἄρσεν ἄμωμον προσάξει αὐτό. Maſculum immaculatum offeret ipſum. Niſi forte Hieronymus ex alijs locis id ſuſpicatus ſit, vbi de agno ſcribatur. Semperq; anniculum eſſe oportere dicatur. Quilibet pro ſuo captu de eo iudicet.

Si autem de auibus holocauſti oblatio.] Tota hæc periodus omittitur in impreſſis codicibus Græcis, quæ certe maxime erat neceſſaria, ibi enim inchoant ſententiam, καὶ προσοίσει ἀπὸ τῶν τρυγόνων. Et offeret ex turturibus.

Super crepidinem altaris.] על קיר המזבח, Super cornu vel murum altaris, quod male à Septuaginta ad baſin refertur, ſic ϗ στραγγιεῖ τὸ αἷμα πρὸς τὴν βάσιν τοῦ θυσιαστηρίου. Hoc eſt, Et effundet ſanguinem ad baſin altaris. Neque enim erat ratio ſacrificij, vt ad baſin ſanguis funderetur.

Veſiculam gutturis.] De veſicula hac nulla fit in contextu Hebraico mentio: ſed hoc modo is locus legitur והסיר את מראתו בנצתה, Hoc eſt, Et auferet quod apparet cum pennis eius. Et per quod apparet intelligitur roſtrum, vtpote quod extatatque eminet, ſic tranſtulerunt etiam Septuaginta, καὶ ἐκβαλεῖ τὸ πρόβολον σὺν τοῖς πτεροῖς, id eſt, proijciet roſtrum cum pennis. Sic exponunt etiam peritiores Hebræi: patet igitur, quid hoc loco præcipiatur, vt oſtendit etiam editio Septuaginta.

Confringetq; aſcellas eius.] ושסע אתו בכנפיו, Hoc eſt, Et diuidet eam in alis ſuis, ſiue findet alas eius non

A non ipſam totam. Sed Hieronymus nõ diſſentit à Septuaginta καὶ ἐκκλάσει αὐτὸ ἐκ τῶν πτερύγων, Hoc eſt, Et franget ipſum ab alis, ſiue in alis.

CAPVT II.

SI oblatio fuerit de ſartagine.] Etiam Septuaginta verterunt ſartaginem, ἐὰν δὲ θυσία ἀπὸ τηγάνου. Hebræi quoque maxime Rabbi Salomon, de ſartagine intelligit, exponit enim eſſe inſtrumentum non profundum, quo in ſanctuario vterentur, in quo coquebantur quæ ex farina eſſent.

De ſpicis virentibus.], גרש כרמל Quibus nominibus ſignificatur omne maturum, pertinetque ad omne frugum genus, non ad frumentum ſolum. Nam ſpicæ, ſolum de tritico intelliguntur: ideoque ea omnia appellantur à Septuaginta, πρωτογεννήματα χίδρα. Hoc eſt, primogenita legumina. Illud quoque obſeruandum, quod minime recte habetur in noſtra editione, & confringes in morem farris: nam hoc non habent Hebræorum codices, præterea nuſquam id præcipitur. Tacetur etiam à Septuaginta. Quare redundat. Nam fruges ſimplices offerri præcipiuntur, non confractæ.

Partem farris fracti.] Hoc quoque male poſitum, & ex ſuperiore pendens errato, hæc enim oblatio, ad omnes refertur fruges. Nam far fractum quorſum tendit? omittitur etiã ab Septuaginta.

CAPVT III.

B SVper caput victimæ.] Quæ Hebraice appellatur קרבן chorban, quod Septuaginta non tam proprie δῶρον, id eſt, munus verterunt. Dicitur autem apud Hebræos à, קרב hoc eſt, accedo, appropinquo, vnde chorban appropinquatio, & oblatio: qua nos Deo appropinquamus, aut quod nos Deo appropinquare facimus. Chorban.

Per altaris circuitum.] Quod etiam habetur in textu Hebraico, סביב ſed omittitur hoc à Septuaginta, καὶ προσχεοῦσι τὸ αἷμα, ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, hoc eſt, Et effundent ſanguinem ſuper altare: qua quam non magni momenti ſit.

Qui operit vitalia.], המכסה את הקרב Qui operit inteſtina. Septuaginta vero paulo & ipſi diuerſius, στέαρ τὸ κατακαλύπτον τὴν κοιλίαν: Adipem qui operit aluum. Itaque vitalia pro totis viſceribus ac præcordijs videtur ſumpſiſſe Hieronymus.

Duos renes cum adipe quo ligantur ilia.] Obſcurum faceret locum vocabulorum diuerſitas, cùm ſit hoc modo dicendum, שתי הכליות ואת החלב אשר עליהן hoc eſt, Duos renes & adipem, qui eſt ſuper ipſis: quanquam poſtea additur על הכסלים id eſt, quod eſt ſuper interiores lumborum partes, quod Septuaginta non male, ἐπὶ τῶν μηρῶν, id eſt, ſuper femora, ſcilicet interius: dicendum igitur fuerat, duos renes cum adipe, quo ipſi integuntur.

Et reticulum iecoris.] ואת היותרת על הכבד Hoc eſt, Et reſiduum quod eſt ſuper iecur. Septuaginta diuerſiſſime, καὶ τὸ λοβὸν τὸν ἐπὶ τοῦ ἥπατος. Et fibras, ſiue fruſtum, quod eſt ſuper iecur. Locus autem manifeſtus eſt, quid innuat.

In holocauſtum.], על העלה אשר על העצים id eſt, Super holocauſtum adolebunt, inquit, quod eſt C ſuper ligna, quaſi vna cum ipſo holocauſto. Sic Septuaginta, ἐπὶ τὰ ὁλοκαυτώματα. Super holocauſta.

Caudam totam.] Clarum eſt ita ſumendum eſſe hoc loco, תמימה Quod alias ſignificat immaculatum, ſed hic integrum, perfectum: ideo non recte Septuaginta, κέρκον ἄμωμον, id eſt, caudam immaculatam, & ſine vlla nota. Amphibologia eos fefellit. Sic & cùm legem immaculatam appellant, cùm perfecta eſſet dicendum, vt ibi dicetur.

Pabulum ignis.] Imò non ad ignem refertur: ſic enim, לחם אשה ליהוה Hoc eſt, Panis ſacrificij domino. Quod omittitur à Septuaginta, eiuſque loco ponunt ὀσμὴν εὐωδίας, id eſt, Odorem ſuauitatis. Panis igitur is, Dei, non ignis eſſe perhibetur.

CAPVT IIII.

PEr imperitiam.] Longe clarius, quàm quod Septuaginta καὶ λάθῃ ῥῆμα ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν συναγωγῆς, id eſt, Et latuerit verbum ab oculis ſynagogæ: vbi verbum pro re ponitur.

Quod ſi peccauerit anima per ignorantiam.] Primo obſeruandum eſt, quod omiſſa eſt ab Hieronymo tota hæc periodus, quæ ſequitur poſt illud, & dimittetur ei. Sequitur enim in contextu Hebraico, והוציא את הפר אל מחוץ למחנה ושרף אתו כאשר שרף את הפר הראשון חטאת הקהל הוא hoc eſt, Et extrahet vitulũ extra caſtra, & concremabit eum, ſicut concremauit vitulum primum, pro peccato multitudinis eſt. Dimittitur id ab Hieronymo, quia ſæpius eſt repetitum, licet non taceant Sept.

Quod ſi peccauerit anima per ignorantiam.] Totum hoc peccatum, non de qualibet anima dicitur, ſed de principibus, quia ſic habetur. אשר נשיא יחטא Princeps qui peccauerit. ideo apud Septuaginta legitur, ἐὰν δὲ ὁ ἄρχων ἁμάρτῃ, id eſt, Si autem princeps peccauerit. Peccatum autem hoc

Principum, dimittitur in noſtris codicibus: verum peccatum cuiuſuis animæ poſitum eſt paulo poſt. Quare locus emendandus eſt.

Capram immaculatam.] שעיר עזים. Hœdum caprarum, ſic & Septuaginta, χίμαρον ἐξ αἰγῶν, Hœdum ex capris, hoc ſacrificium cuiuslibet animæ ſit capra: ſed omiſit Hieronymus vt di peccatum principis, pro quo offertur hœdus.

CAPVT V.

AVt per ſe mortuum.] De hoc, quod per ſe mortuum eſt, nulla in contextu Hebraico fit mentio, quod etiam omiſſum eſt à Septuaginta. Et quoniam pulcherrime explicatur à Septuaginta hoc quod de beſtijs dicitur, adhibeamus eorum editionem, ἡ ψυχὴ ἥτις ἐὰν ἅψηται παντὸς πράγματος ἀκαθάρτου, ἢ θνησιμαίου ἢ θηριαλώτου, hoc eſt anima quæ tetigerit omnē immundam rem, ſiue morticinium, aut à fera captum. Eo enim modo habent & Hebraica.

Intellexerit delictum ſuum.] Sic habet & Hebraicum והוא ידע id eſt, Et ipſe cognouit: quare Septuaginta non recte, καὶ ἐξαγορεύσει τὴν ἁμαρτίαν. Et publicabit peccatum aut confitebitur.

Qui emi poteſt duobus ſiclis.] Hic quoque dualis numerus eſt apud Hebræos. Cùm ſcilicet ponitur numerus plurium, ſine numerorum nominibus, duo aut tres. Atque hinc factum, quòd Septuaginta hunc numerum non intelligentes verterunt τιμῆς ἀργυρίου σίκλων. Precio argenti ſiclorum. Erat certe aliquis numerus adhibendus, nam abſurda eſſet aliter locutio apud nos & Græcos, apud Hebræos vero duo ſignificaret, de qua re nos ſæpe ſæpius.

CAPVT VI.

ET contempto domino.] מעלה מעל ביהוה hoc eſt, Præuaricationem præuaricata eſt in dominum. Secutus eſt Septuaginta, καὶ παριδὼν παρίδῃ τὰς ἐντολάς. Et paruipendens paruipenderit præcepta Dei.

Et dabit eum ſacerdoti.] In ſacrificium ſcilicet Dei, vt indicat totus contextus.

Cremabitur tota nocte.] Optime ea ſententia reddita eſt, nam & Hebraica ſic habent העלה על מוקדה על המזבח כל הלילה. hoc eſt, Ipſum eſt ſacrificium ſuper exuſtionem, aut ſuper incendium, ſuper altare, tota nocte. Neque certe aliud innuitur quàm quod vertit noſter interpres, qui ſi verba nihil immutaſſet, ratio loquendi fuiſſet abſurda. Hæc annotauimus propter excellentem virum Ioannem Phorcenſem, qui non approbat noſtram editionem hoc loco: id quod ſæpe ſine vlla cauſa facit.

Io.Capniō *Ignis ex eodem altari erit.*] Obſcura interpretatio, & forte codices mendoſi, vt pro ex, legendum ſit, in. Ignis, inquit, in altari erit: nam & ſic leguntur Hebraica, ואש המזבח תוקד בו hoc eſt, Et ignis altaris ardebit in ipſo: quemadmodum etiam Septuaginta, licet alio modo, οὐ σβεσθήσεται, τὸ πῦρ τὸ ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου. Ignis qui ſuper altare eſt, non extinguetur.

Et fœminalibus lineis.] Ita quidem vox Hebraica ſignificat. מכנסי Quod Septuaginta non admodum recte tranſtulerunt. περισκελές. Nam periſcelides, diuerſæ ſunt à fœminalibus, & potius crura ornant: quàm pudendorum tegumentum ſint. Scribit Ioſephus, hæc vt dura & ad rumpendum minime idonea eſſent, fieri ſolita ex byſſo in multas partes comminuta, atque iterum conſuta, vt nullo pacto ſcindi poſſet.

Cineres.] Recte Septuaginta κατακάρπωσιν. quaſi dixeris, abſolutum ſacrificium.

In loco ſanctuarij tabernaculi.] בחצר אהל hoc eſt, In atrio tabernaculi: ſicut & Septuaginta ἐν αὐλῇ τῆς σκηνῆς.

Quia pars eius in domini offertur incenſum.] Immo non refertur ad Deum, ſed Aaron eiusque filios: hoc modo, חלקם נתתי אתה מאשי hoc eſt, Partem eorum dedi eam, ex ſacrificijs meis. Dedi inquam ex omnibus quæ mihi offeruntur hanc eſſe eorum partem: hoc modo, etiam Septuaginta, μερίδα αὐτοῖς αὐτὴν δέδωκα ἀπὸ τῶν καρπωμάτων κυρίου. Hoc eſt, Particulam ipſis, eam dedi ex ſacrificijs domini.

Oleo conſperſa.] Dimittitur hoc quoque מרבכת id eſt, Inuolutam, ſicut & Septuaginta ἑλικτά, id eſt, volucria, inuoluta.

CAPVT VII.

SIcut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto.] Apud nos forte nihil differt peccatum & delictum, atque ideo non recte fortaſſe verſum eſt: diſtinguuntur autem apud Hebræos, non tam nomine, quàm etiam ſignificatione. Nam חטאת quodlibet delictum indicat, at אשם delictum quod per imprudentiam admittitur. Nam quanquam hæc diſtinctio, non ſemper vera eſt: hic certe clariſſime intelligimus, eo modo hic ſumendum eſſe. Siquidem & de vtraque hoſtia vtriusque delicti commemoratio habita eſt: cæterum & ipſi Septuaginta hoc diſtinxerunt ὥσπερ τὸ περὶ τῆς ἁμαρτίας, οὕτω καὶ τὸ τῆς πλημμελείας. Sicut ſacrificium quod pro peccato, ita & quod pro delicto. De hac re etiam Iſychius.

Collyridas.] Alia panis ſpecies. Apud gentes quoque varia placentarum genera inueniebantur, quæ dijs ſuis offerre ſolebant. Ab his forte litteris edocti, vt multa alia hinc ab illis ablata cognoſcuntur. Apud Ariſtophanem multa ſunt eiuſmodi dico placentarum genera. Sicut μελιτοῦττα, ἐσχάρα, πόπανα. Quæ ſcribit Porphyrius prima mortalium ſacrificia extitiſſe: cœptum eſſe autem poſtea ex mala conſuetudine animalia offerri. Plinius quoque ſcribit, omnibus ſacrificijs adhiberi ſolitam libam ſalſam. Quod & Ouidius in Faſtis declarat his verſibus:

Ante, deis homines quod conciliare valeret,
Far erat & puri lucida mica ſalis.

Ecce & iſtud, hinc fuerat deſumptum, vt in ſacrificijs ſemper ſale vterentur.

Ex quibus vnus pro primitijs offertur domino.] Diuerſius Hebraice. Nam de primitijs nulla fit mentio. והקריב ממנו אחד מכל קרבן תרומה ליהוה hoc eſt, Et offeret ex eo, ex omni ſacrificio vnum oblationem domino: ſicut habent etiam Septuaginta καὶ προσάξει ἀπ' αὐτοῦ ἓν ἀπὸ πάντων τῶν δώρων αὐτοῦ ἀφαίρεμα κῶ. id eſt, Et offeret ex ipſo, vnum ex omnibus muneribus eius, oblationem domino. Vnum autem non tam ad panes, quàm omnes oblationum partes poteſt referri. Vt vna pars ex omnibus rebus debeatur Deo.

Qui fuerit immundus comedet ea.] Quo modo hoc poteſt eſſe verum, cùm omnis immunda caro præcipiatur igni exuri? quare non recte verſa eſt: ſententia ſic habet, והבשר כל טהור יאכל בשר hoc eſt, Et carne omnis mundus comedet carnem: aut ſic, Et omnis caro munda comedetur: nam, יאכל quanquam vox actiua ſit, poteſt tamen eſſe tanquam imperſonalis, quæ ſimilis actiuæ eſt apud Hebræos. Septuaginta quoque cum Hebraica veritate conſentiunt, & ab Hieronymo diſcrepãt. πᾶς καθαρὸς φάγεται κρέα. id eſt, Omnis mundus comedet carnes. Inhibetur ergo immundarum carnium eius vbique. Mundus autem & immundus poſſunt comedere licita & ſacrificata, vt habetur Deutero. cap. 15.

Pectuſculum erit Aaron.] Sic certe eſt dicendum, contra quàm verterint Septuaginta τὸ στέαρ τὸ ἐπὶ τοῦ στηθυνίου, adeps qui eſt ſuper pectuſculum.

CAPVT VIII.

V*Eſtiuit ſubucula linea.*] Quam alibi appellauit tunicam. In epiſtola ad Fabiolam dicit eſſe, quæ vulgò dicitur camiſia. Septuaginta nõ diſſentiunt à ſeipſis, vertentes χιτῶνα, quod & aliam veſtem, quàm interiorẽ illam poteſt ſignificare. Nam quod Homerus vocat armatos χαλκοχιτῶνας. i. veſtitos ferro, patet χιτῶνα eo loco, non pro illa interiore veſte accipi.

CAPVT IX.

H*Odie dominus apparebit vobis.*] Hæc eſt veritas Hebraica non vt verterunt Septuaginta. ὅτι κύριος σήμερον ἐν ὑμῶν ὀφθήσεται. id eſt, Quia dominus hodie apparebit in vobis. Quod mihi longe aliud eſſe videtur.

Laudauerunt dominum.] Sic ſignificat verbum Hebraicum, רנן Ideo non recte tranſtulerunt Septuaginta καὶ εἶδε πᾶς ὁ λαὸς, καὶ ἐξέστη, καὶ ἔπεσον. Et vidit omnis populus, & animo conſternatus eſt, & conciderunt. Nam in pſalmis frequenter videbimus ranan ſignificare laudem, exaltationem: ſtuporem vero, vel admirationem nunquam.

CAPVT X.

T*Acuit Aaron.*] Sic habet etiam Hebraicum, quod forte non recte Septuaginta, κατενύχθη ἀάρων. Compunctus eſt Aaron, ſiue perculſus eſt. Nam idem verbum, nihil præter ſilentium ſignificat.

Et omne quod inebriare poteſt.] Septuaginta ipſam Hebraicam vocem poſuerunt ſicera, licet corrupta ſit, pro eo quod Hebraice dicitur shecar. Sicera igitur vox eſt Hebraica, quæ Latine ſonat ebrietatem, aut inebriamentum, id ſcilicet, quod inebriare facit. Vnde & shacher, apud Hebręos, ebrius dicitur. Quare non ſignificat Sicera, ſuccum quendam, qui maxime apud Germanos cõficitur, quòd vini copia apud eos non ſit, ſed omne, quod ebrietatem inducit, ſiue ille ſuccus ſit, ſiue etiam alius. A Septuaginta vero profectum eſt, vt vox Hebraica vſui fuerit & Græcis & Latinis, vt ex iſto loco colligitur.

Sicera.
Shecar.

Quod datum eſt tibi.] חקך וחק בניך Hoc eſt, Legitimum tuum, legitimumq; filiorum tuorum, ſicut & Septuaginta, νόμιμόν σου. καὶ νόμιμον τῶν υἱῶν σου.

Comedere debueratis.] Immo imperat vt deinceps facerent, quod prætermiſerunt, אכול תאכלו comedendo comedetis.

CAPVT XI.

C*Vſtodite omnia quæ dixi vobis.*] Hæc ſententia redundat, neque in Hebraicis codicibus habetur, minus etiam habetur apud Septuaginta.

Quod ruminat.] מעלת גרה id eſt, Quod reuocat ruminationem, quod eam aſcendere aut recipi facit. Quod probe etiam exprimitur à Septuaginta, καὶ ἀνάγων μυρικησμόν. id eſt, Et reducens ruminationem. Nota vero ſunt omnia.

Quidquid habet vngulam, ſed non diuidit eam.] Paulo ſecus Hebraica את זה לא תאכלו ממעלי הגרה וממפרסי הפרסה Hoc eſt, Veruntamen hoc non comederis, ex his quæ ruminant quidem, ſed vngulam bifidam non habent. Apud Septuaginta maior corruptela, πλὴν ἀπὸ τούτων οὐ φάγεσθε ἀπὸ τῶν μὴ ἀναγόντων μηρυκισμὸν, καὶ ἀπὸ τῶν μὴ διχιλούντων τὰς ὁπλάς. Hoc eſt, Veruntamen hoc nō comedetis, his inquam quæ neque ruminant, neque ex his quæ findunt vngulas. Eſt autem obſeruandum, quod vbique hoc loco additur ſuperflue à Septuaginta negatio, ſicut ibi τὸν κάμηλον ὅτι οὐκ ἀνάγει μηρυκισμόν. id eſt, Camelum quia non ruminat: immo contextus declarat camelum ruminare, ſed non habere vngulam bifidam, ſic & de chœrogryllo.

Chœrogryllus.] Sic enim ſcribendum eſt, non vt corrupte apud nos legitur. Eſt autem quem Latini appellant herinacium ſiue ericium. Quod maxime patet ex pſalmo 103. vbi quem noſter interpres vertit, petra refugium erinacijs, præſenti vocabulo ſignificatur ſcilicet שפן quanquam non poſſumus non mirari Septuaginta, qui quod hic verterunt chœrogryllum, ibi interpretati
Chœrogryllus, Erinacius. ſunt λαγωὸν, hoc eſt leporem, aut cuniculum, quod & alijs locis fecerunt. Chœrogryllus ergo vox Græca eſt, ſumpta ex ipſis Septuaginta, ducitur autem à χοῖρος porcus, & γρύλλος, quæ vox etiam ipſa porcum ſignificat. Ex quo manifeſtum fit eſſe hunc quem vulgo porcum ſpinoſum appellant. Eſſe autem hunc erinacium ex eo poſſe comprobari videtur, quia in pſalmo ſuperius citato, eius habitatio exprimitur, id dicitur, סלעים מחסה לשפנים hoc eſt, Petræ tecta ſunt erinacijs, hocque animal inuenimus ſub petris deliteſcere. Gloſa ordinaria teſtatur hunc eſſe erinacio quidem ſimilem, ſed maiorem. Veruntamen ex eo quod mox ſequitur, vbi habetur mentio de lepore, videtur omnino non eſſe is chœrogryllus, ſed cuniculus potius. Nam & lepus & cuniculus ſimillimi inter ſe ſunt, ideoque ſimul ponuntur. Atque hoc etiam teſtantur Hebræi: cur autem de ericio, hic loquatur ſacra ſcriptura cùm id genus animantis prohibeatur inferius? Refugium vero petra eſt, non erinacijs, ſed cuniculis, ſubter qua deliteſcunt, vnde & cuniculi foueæ ſubterraneæ vocantur. Quamobrem nec Septuaginta nec noſter interpres, recte forte de eo animali ſenſerunt.

Lepus quoque.] De hoc nulla controuerſia eſt: tantummodo eſt annotandum, quod fortaſſe male Septuaginta hunc vertunt δασύποδα. Nam daſypus apud Græcos, non lepus, ſed cuniculus eſt. Licet in eum errorem, multi iamdudum inciderint: ſed Græci etiam ipſi, dicunt δασύπουν eſſe, quem Romani appellent cuniculum. Et quia res clara eſt, & iam à multis exagitata, non opus eſt comprobationibus. Chœrogryllus quoque non recte repetitur, in impreſſis codicibus Septuaginta, quod non interpretum ſed librariorum vitio contigit. Additur quoque hic aliquid in Græcorum codicibus, vbi de aquatilibus commemoratio habetur: ſcilicet ἀπὸ πάντων ὧν ἐρεύγεται τὰ ὕδατα. Ex omnibus à quibus eructatur aqua. Non enim hic locus eſt.

Et Gryphum.] Quis non riſerit hoc loco Nicolaum, qui fabulamenta Alberti & Hugutionis ſecutus, dicit Gryphum, eſſe animal quadrupes, volatile & pedeſtre. Caput & alas aquilæ habere,
Gryphus fabuloſus. reliquo corpore eſſe ſimile leoni. Quis enim neſcit, hæc eſſe meras nugas? cùm gryphus, quem Græci etiam grypa vocant, fabuloſiſſimus ſit. Neque certe veriſimile eſt ſcripturam, inter aues hanc commemoraſſe, quibus veſci prohibeat, ſi certe talis eſt, quaſi poſſit aliquando comedi. Prohibuit enim quæ facile edi potuiſſent: at gryphis, ſi huiuſmodi ſunt, nunquam veſci contigit, aut continget. Quamobrem ſi per eiuſmodi nomen, eas aues intellexiſſe Septuaginta credimus, proculdubio tam ipſi errarunt, quàm Hieronymus, qui eos in hoc ſecutus eſt. Sed per gryphos, aliud auis genus intellexerunt, nam & Hebraicum nomen פרס, genus accipitris denotat, vt paulo ante diximus. Siquidem tria ſimul auium genera inter ſe ſimilia ponuntur, Aquila, Halietus, & genus
Porphyrio aliud rapax. Pro grypho igitur accipiter, aut aquilæ genus ponatur. De porphyrione multa ſcribit Aelianus præſertim quòd ſit ὡραιότατος καὶ φερωνυμότατος τῶν ζώων, id eſt pulcherrimum & formoſiſſimum omnium animalium, quaſi totus purpureus, vnde & nomen accepit. Sed eius luxuria eſt inſignis, ideo inter immunda computatur.

Onocrotalum.] Quem Septuaginta Pelicanum verterunt: quos Latini appellant plateas. Eſt autem difficilis harum auium cognitio, & Hebræi facile & ipſi ſuam in his imperitiam confitentur. Fallitur autem Nicolaus, qui Septuaginta dicit loco porphyrionis, poſuiſſe pelicanum, nam & porphyrion apud eos ponitur, & pelicani nomen ſeorſum. Sed pro pelicano, in Latino habetur
Onocrotalus. Pelicanus. onocrotalus. De qua aue neque apud Ariſtotelem, neque Aelianum, ſcriptum quicquam reperi. Plinius oloris ſimilem eſſe dicit. Quare non videtur onocratalum fuiſſe ponendum in Latino, ſed vel pelicanum, aut plateam. Nam onocratalum à pelicano diſtingui facile arbitror.

Sed habet longiora retro crura.]. אשר לא כרעים ממעל לרגליו Cuius nō ſunt crura ſupra pedes eius. Sept. quoq; ſecundum hanc ſententiam ἃ ἔχει σκέλη ἀνώτερον τῶν ποδῶν αὐτοῦ. id eſt, quæ habent crura ſupra pedes ſuos. Non aliud, quàm quod interpretatus eſt Hieronymus, clarioribus verbis.

Attacus.]. סלעם Scarabeus vt Hebræi putant, vel genus eorum quoddam. Septuaginta & ipſi ἀττάκην. Credo potius eos vertiſſe ἀττάλαβον, attalabum, quem noſtri bruchum interpretatur.

Locuſta quoque.] Hæc per bruchum intelligitur, quia Hebraice ארבה id eſt, locuſta: quanquam Septuaginta ponunt & ipſi bruchum. Facile autem hæc confunduntur, tam hic quàm alibi.

Ophiomachum.] Neſcio quamobrem Septuaginta, nam ab illis accepit Hieronymus verterint

eo modo

A eo modo vocem Hebraicam, חרגל duod teſtibus Hebręis, etiã ipſum eſt genus locuſtę. At ophiomachus, vt nomen indicat, animal eſt, quod cum ſerpentibus pugnam committit, de quo neque Ariſtoteles, neque alij boni ſcriptores quicquam memoriæ prodiderunt. Putoq; nihil omnino eſſe. Quod etiam ſi extaret, non fit tamen hoc loco de eo mentio, ſed vt dixi genus locuſtæ eſt. Ophiomachus.

Crocodilus.], צב Quomodo ponitur inter muſtellam & murem crocodilus, diſſimillimus? Non erat ergo vertendum crocodilus, nam neque eſculentus eſt, ſed potius bufo, id eſt, rana campeſtris. Sic enim exiſtimant aliqui Hebræi, & ordo eo modo exigit. Rabbi quoque Salomon exponit ſic פרויש שרומה לצפרדע hoc eſt, Bufo, is ſcilicet, qui ranæ ſimilis eſt. Hieronymus, Septuaginta ſecutus eſt, qui etiam verterunt κροκόδειλος. Fruſtra quoque additur apud illos χερσαῖος. id eſt, terreſtris. Quaſi duo genera crocodilorum reperiantur, vnum terreſtre, alterum aquaticum, cùm idem animal ſit ἀμφίβιον. Crocodilus. Bufo.

Mygale.], אנקה De hoc quoq; alio modo ſentiunt Hebræi, Rabbi enim Salomon vult eſſe ericium. Neque ſatis mihi conſtat, quod animantis genus intelligant hic per mygalen Septuaginta, & Hieronymus, qui eos ſecutus eſt, quandoquidem etiam Ariſtoteles, de eo nihil ſcribit. Nomen indicat eſſe id quod ex mure & muſtella conflatum ſit. Mygale.

Chameleon.] כח Etiam in hoc maxima diſſonantia, etiam apud Hebræos, alij limacam, alij pantheram, alij chamæleonta, alij ſtellionem eſſe arbitrantur: adeo ſunt & ipſi ignari. Cameleon

Stellio.], לטאה Lacertam putat Rabbi Salomon, alij limacam. Septuaginta & ipſi ſtellionem verterunt φαλάγγιον, id eſt, phalangium.

Lacertam.] חמט Hanc limacam vult eſſe Rabbi Salomon, alij teſtudinem. Septuaginta σαῦραν, id eſt lacertam reddiderunt.

B *Talpa.*] תנשמת Conſentit & Rabbi Salomon, hunc eſſe talpam.

Quid comedere & reſpuere debeatis.] In fine huius capitis additur apud Septuaginta tota hæc periodus, καὶ συμβιβάζειν τοὺς υἱοὺς ἰσραὴλ ἀνάμεσον τῶν ζωογονούντων τὰ μὴ ἐσθιόμενα. hoc eſt, Et doceatis filios Iſrael, inter medium prolificantium quæ comeduntur, & inter medium prolificantium, quæ non comeduntur, quæ ex alio loco huc tranſpoſita ſunt.

CAPVT XIII.

I*Pſam ſpeciem lepræ humiliorem.*] עמוק מעור Hoc eſt, Cute profundiorem: vt ſcilicet plaga introrſum deſcendat, relicta ſuperne integra cute. Septuaginta eodem modo, ſicut & Hieronymus καὶ ταπεινὴ ἡ ὄψις αὐτῆς ἀπὸ δέρματος. id eſt, Et humilis fuerit aſpectus eius, præ pelle, aut cute.

Et ad arbitrium eius ſeparabitur.] וטמא אתו id eſt, Et polluti loco eum habebit: ſic & Septuaginta καὶ μιανεῖ αὐτόν, pollutum eum habebit: quanquam hoc potius ſignificet polluet eum.

Mundabit eum.] וטהרו Et mundum eum habebit, non pollutum reputabit: ſic & Septuaginta καὶ καθαριεῖ αὐτόν. id eſt, Et mundum eum ducet.

Habebit veſtimenta diſſuta.] פרמים id eſt, Sciſſa, dilacerata: licet Septuaginta etiam ipſi παραλελυμένα. id eſt, diſſoluta.

CAPVT XIIII.

C D*Vos paſſeres.*] שתי צפרים Duas auiculas, Ponitur enim nomen generale omnium auicularum, vt non tam paſſeres, quàm aliæ ſint aues intelligendæ. Septuaginta tamen, etiam ipſi diſſentiunt ab Hieronymo, immo Hieronymus diſſentit ab illis, δύο ὀρνίθια. duas auiculas: quod certe miror, cur Hieronymus ſecutus non ſit.

Quos veſci licitum eſt.] Additum ab ipſo interprete, quod certe miror: non enim opus erat ea cautione, cùm paſſeres non ſint niſi vnius generis, id eſt, aut eſculenti, aut non. Omittitur etiam apud Septuaginta.

Si fuerit plaga lepræ.] ונתתי נגע צרעת. Et dedero plagam lepræ. Oſtendit igitur à ſe plagam lepræ futuram. Ideo & ſacrificia adhiberi voluit & preces, non tam quòd res immunda eſſet, quàm quod ſecundum ſcelera incutiebatur. Septuaginta & ipſi videntur reddidiſſe καὶ δώσω ἁφὴν λέπρας. id eſt, Et dedero plagam lepræ: licet loco δώσω ſit nunc δώσει in impreſſis codicibus.

Ne immunda fiant.], ולא יטמא כל id eſt, Et non polluetur quicquam: ſicut & Septuaginta.

Vermiculum.] Coccum ſcilicet, ſicut & Septuaginta κεκλωσμένον κόκκινον. id eſt, coccinum retortum.

CAPVT XV.

F*Luxum ſeminis.*] Quanquam non ponitur diſtincte vllus fluxus in contextu Hebraico, ſed in generali loquatur, ſicut etiam habetur apud Septuaginta ἀνδρὶ ᾧ ἂν γένηται ῥύσις τοῦ σώματος. id eſt, viro, cui ſit fluxus corporis: licet idem addant poſtea ῥέων γόνον. id eſt, fluẽs ſemen: inferius tamen exprimitur, de quo fluxu intelligendum ſit.

Si ſalinam huiuſcemodi.] Nihil intelligitur aliud quàm ipſum ſemen, quod forte non proprie ſaliua nuncupatum eſt. D

Sagina ſuper quod.] Sagina præter pinguedinem ſignificare aliud neſcio, ideo emendatiores codices habent ſagma. Hebraice pro hoc poſitum eſt, מרכב id eſt, ſella, currus, quadriga. Septuaginta tamen etiam ipſi poſuerunt ἐπίσαγμα, id eſt, ſtramentum.

Qui facit vnum pro peccato.] Etiam hoc loco facere pro ſacrificare ponitur in lingua Hebræa, quamuis etiam Septuaginta poſuerint facere.

Semen coitus.] Quàm improprie redditur hoc à Septuaginta κοίτη σπέρματος. id eſt, cubile ſeminis: nam quis ſenſus in his verbis eſt? Eo ſcilicet errore factum eſt, quia שכב, quod dormire, concumbere, & coire ſignificat, ſemper pro eo quod eſt cubare acceperunt.

CAPVT XVI.

Caprum emiſſarium.] עזאזל Longe aptius & ſignificantius apud Septuaginta ἀποπεμπαίῳ. Quamuis enim interpretari vox poſſit, quemadmodum fecit Hieronymus, proprie tamen declarat caprum expiatiuum, & qui mala arcet, aut quo arcentur mala, ſicut ſonat vocabulum Græcum.

In medio ſortium habitationis eorum.] טמאתם id eſt, Sordium aut pollutionis eorum: ſicut & Septuaginta ἀκαθαρσίας αὐτῶν. A librarijs autem locus corruptus eſt, vt pro ſordium, legeretur ſortiũ, & hoc quidem clarum eſt.

CAPVT XVII.

E

Homo quilibet de domo Iſrael.] Additur huic ocioſe apud Septuaginta ἢ τῶν προσηλύτων τῶν προσκειμένων ἐν ἡμῖν. Hoc eſt, Aut de proſelytis ſiue aduenis, qui admiſti ſunt vobis. Sumptum ex paulo poſt ſequentibus.

Et nequaquam vltra imolabunt hoſtias ſuas dæmo.] לשעירים Quod dæmonem proprie ſignificat, ducitur que à pilis, eo que nomine appellatos dæmones putant, quòd horripilare eos faciant, qui in eos inciderint. Rabbi quoque Salomon exponit hoc nomen, שעירים hoc eſt dæmones. Citat que illum Iſaiæ locum. Et piloſi ſaltabunt ibi, vbi per piloſos, eos intelligit Hieronymus, quos hic appellauit dæmones. Quare mirum eſt cur Septuaginta, hanc ſignificationem non expreſſerint, vt dæmones interpretarentur ματαίους. hoc eſt vanos, vertentes. καὶ οὐ θύσουσι, ἔτι τὰς θυσίας αὐτῶν τοῖς ματαίοις. hoc eſt, Et non ſacrificabunt amplius ſacrificia ſua, rebus vaniſſimis: hoc certe non magis ad dæmones ſpectat, quàm reliqua idola. Neque exiſtimo eos hic per hoc nomen, intellexiſſe eos qui fatuelli nuncupari ſolent, aut incubi & ſuccubi, ſed omnia vana. Eſa. 13.

CAPVT XVIII.

Moloch idolum.

Et conſecretur idolo moloch.] Varia de hoc idolo ſentiunt Hebræi. Quidam aſtrum eſſe aiunt. Alij diabolum. Alij omne idolorum genus, eo modo vocari aſſeuerant. De hoc idolo, & de modo, quo ei filios conſecrabant, hæc refert Rabbi Salomon ע״ז היא ששמה מולך וזו היא עבודתה שמוסר בנו לכומרים ועושין שתי מדורות גדולות ומעבירין את הבן ברגליו בין שתי מדורות האש לא תתן זו היא מסירתו לכומרים להעביר למולך זו העברת האש. hoc eſt, Idololatria eſt quę vocatur Moloch, cuius cultus hoc modo fiebat. Siquidem filios ſuos tradebant ſacerdotibus templorum, qui duos faciebant maximos ignes, & inter eos tranſire puerum cogebant. Primum ergo dicit ne dederis, ſcilicet ſacerdotibus illis: deinde ponitur Moloch, quæ eſt idololatria, quæ fit per ignem, hæc quidem ille. Scribunt autem alij fuiſſe apud veteres hoc ſuperſtitionis genus, ex opinione qua putabant omnibus elementis ineſſe quoſdam dæmonas: ac ei, quem ignẽ habitare opinabantur, filios conſecrabant, & per ignem tranſire faciebant. Quid ergo ſit per ignem facere filios tranſire apertiſſime demonſtratur Deuteronomij cap. xij. Vbi prohibentur Hebræi, eo modo Deum colere, quo ſolerent gentes, qui filios & filias ſuas igni in gratiam Deorum comburebant. Neque erat alia ſuperſtitio, niſi quia filios exurebant, dæmonibus eos ſacrificantes. Neque opus eſt tantis opinionibus. Septuaginta, vocum ſimilitudine deluſi, non poſuerunt hic ipſum nomen idoli Moloch, ſed nomen ἄρχοντα, i. principem. Nam moloch participium eſt à malach, imperauit: & molech imperator aut regnator dicitur. Verterunt igitur, καὶ ἀπὸ σπέρματός σου, οὐ δώσεις λατρεύειν ἄρχοντι, i. Et ex ſemine tuo non dabis, vt ſeruiat principi. Omnes tamen Hebræi, & Latini atteſtantur hoc loco Moloch eſſe idolum, aut idololatriæ genus. Id quod ex alijs etiam locis facile colligitur. Quod etiã atteſtatur Theodoritus, apud quẽ ſic legimus, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει τὸ μολόχ, καὶ οἱ λοιποὶ δὲ ἑρμηνευταὶ τοῦτο τεθείκασιν. εἴδωλον δὲ τοῦτο ἦν· διὸ καὶ διὰ τοῦ προφήτου φησὶν ὁ θεὸς μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι ἐν τῇ ἐρήμῳ ἔτη τεσσαράκοντα υἱοὶ Ἰσραήλ, καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν μολώχ. καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν ῥαφάν, τοὺς τόπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. ἀπαγορεύει τοίνυν τὸ τοὺς παῖδας ἱεροδούλους τοῖς εἰδώλοις προσφέρειν. ὡς δέ τινές φασι τὸ τοῖς ἀλλοφύλοις ἄρχουσι μὴ διδόναι τοὺς παῖδας, ὥστε εἶναι αὐτῶν οἰκέτας ἢ δορυφόρους ἵνα μὴ τῆς αὐτῶν μεταλάχωσιν ἀσεβείας. hoc eſt, Hebraicum F

A habet moloch, quod & reliqui interpretes poſuerunt. Erat autem idolum. Ideo per prophetam loquitur Deus, Nonne hoſtias & ſacrificia obtuliſtis mihi in deſerto annos quadraginta, filij Iſrael? & aſſumpſiſtis tentorium moloch, & aſtrum Dei veſtri Raphan. Imagines quas feciſtis vt eas adoraretis. Prohibet ne filios ſuos, huius idoli ſacerdotes facerent. Alij autem dicunt prohiberi, ne exteris regibus filios traderent, vt eorum eſſent ſerui, ac ſatellites, ne impietatis eorum fierent participes, hæc ille. Sed ne ipſe quidem omnino verum attigit. Moſes enim Deuteron. cap. xij. declarauit, quæ eſſet idololatria moloch. Semen quoque hoc loco, ſumitur pro ipſis filijs, more linguæ Hebraicæ. Qua de re alibi dictum eſt. Non ſatis itaque recte ab interpretibus factum eſt, vt non mutarint Phraſin Hebraicam, nam in alium ſenſum fortaſſe acciperetur. Falſa quoque eſt & commentitia prima expoſitio Nicolai, poſſe videlicet ſemen hoc loco pro ipſo ſemine accipi. Eſt enim ſermonis Hebraici proprietas, vt filij ac ipſa proles, ſemen appelletur, vt ſemen Iacob, ſemen Abraham, & alia infinita, ſic & hoc loco.

Semen pro filijs.

Vt euomat habitatores ſuos.] Ita habet & Hebraicum, ותקא id eſt, Et euomet. At Septuaginta lõge diuerſius, καὶ προσώχθησεν ἡ γῆ, τοῖς ἐγκαθημένοις, id eſt, Et ſtomachata eſt terra contra habitatores, aut indignata eſt, vel odio habuit. Quanquã pulcherrime & veridice exponitur hoc à ſanctiſſimis patribus Græcis. Theodoritus enim hoc modo de ea re ſcribit, μὴ βδελύξητε φησὶν ἡμᾶς, ὡς ἐβδελύξατο τοὺς χαναναίους. ἀντὶ τοῦ ὥσπερ ἐκείνους διὰ τὰς πολλὰς αὐτῶν παρονομίας πανωλεθρίᾳ παραδοὺς, ὑμῖν τὴν γῆν παρέδωκα. οὕτως ὑμᾶς τὰ ὅμοια δράσοντας τιμωρήσομαι, hoc eſt, Ne execretur terra, inquit vos, ſicut execrata eſt Chananæos: pro eo quod eſt, ſicut illis, ob eorum ſcelera internetioni penitus datis, terram vobis tradidi, ſic vos ſimilia facientes vlciſcar.

B

CAPVT XIX.

E*T impietatis reus.*] לא ירצא. Non erit acceptabilis, non placebit, ſicut & Septuaginta, οὐ δεχθήσεται. Non acceptabitur.

Ciuium tuorum.] את בני עמך, id eſt, filios populi tui. Neque puto alio modo intelligendum, quàm vt vertit Hieron. Sic & Septuaginta, καὶ οὐ μηνιεῖς τοῖς υἱοῖς τοῦ λαοῦ σου. Et non excandeſces, aut iram continebis in filios populi tui.

Agrum tuum.] Non recte fortaſſe vinea, pro agro ponitur à Septuaginta, καὶ τὸν ἀμπελῶνά σου, οὐ κατασπερεῖς διάφορον. Vineam tuam non ſeres ex diuerſis.

Quæ ſit ancilla nobilis.] Imò aliter, והיא שפחה נחרפת לאיש hoc eſt. Et ſit ancilla deſponſata viro. Septuaginta neſcio quid ſimile & ipſi videntur innuere, καὶ αὐτὴ οἰκέτις διαπεφυλαγμένη ἀνθρώπω. Et ipſa famula eſt reſeruata viro. De ancilla itaque nobili nihil ſcribitur.

Vapulabunt ambo.] De hoc quidem, nulla hoc loco mentio, ſed aliud præcipitur בקרת תהיה id eſt, Inquiſitio erit: requiretur iſtud, inquit. Quod & Septuaginta videntur innuere, ἐπισκοπὴ ἔσαι αὐτῆς. Prouidebitur ei, pro ea ratio habebitur: quanquam Rabbi Salomon alio modo hunc locum exponit, ſed nihil ad rem.

Congregantes poma quæ proferunt.] לכם תבואתו. Vt augeant vobis prouentum ſuum, ſicut etiam Septuaginta, πρόσθεμα ὑμῖν τὰ γεννήματα αὐτοῦ, hoc eſt, Acceſſio erit vobis fructus eius.

Nec obſeruabitis ſomnia.] ולא תעוננו. Quod ad varia incantationum & auguriorum genera refertur. Septuaginta enim ad auſpicia, οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσετε, id eſt, Neque aues aſpexeritis, ſiue neque augurabimini. Doctores Hebræorum aſſerunt hoc referri ad prædictiones dierum & temporum felicium vel infelicium, quod proprium eſt Aſtrologorum. Propterea citatur hoc à laudatiſſimo & excellentiſſimo principe Ioanne Pico Mirandulano aduerſus aſtrologos: Hierony. alibi interpretatus eſt ſciſcitari hariolos. Male quoque vertitur apud Septuaginta, μὴ ἔσθιετε ἐπὶ τῶν ὀρέων. Ne comedatis ſuper montes: pro eo quod dicendum fuerat vt vertit Hieronymus, ne comedatis ſuper ſanguinem, neque certe aſſequi poſſum, quomodo, ſanguinem, montes interpretentur. Credo locum eſſe corruptum, vt pro ἐπὶ αἵματος poſitum ſit ἐπὶ ὀρέων.

C

Non attondebitis comam.] לא תקיפו פאת ראשכם. Hoc eſt, Non circungirabitis, ſiue, non calamiſtrabitis angulos capitis veſtri, ſiue extremitates. Refertur ergo ab Hebræis ad cincinnos. Septuaginta vero ſic interpretati ſunt, οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, id eſt, Non facietis ſiſoin ex coma capitis veſtri. Quid autem per ſiſoin ſit hic intelligendum explicatur à ſcriptoribus Græcis, qui hunc locum varijs modis expoſuerunt. Sic enim legimus apud Theodoritum, τινὲς τὸ σισόην τὰς ἐξ ἐπιτηδεύσεως οὔλας γινομένας τρίχας ἡρμήνευσαν. ἐγὼ δὲ ἄλλο οἶμαι, τὸν νόμον ἀπαγορεύειν. εἰώθασιν ἕλληνες μὴ ἀποκρείρεν τῶν παιδίων τὰς κορυφὰς, ἀλλὰ μαλλοὺς ἐᾶν. καὶ τούτους μετὰ χρόνον ἀνατιθέναι τοῖς δαίμοσιν. εἰώθασιν δὲ καὶ τὰ γένεια ξυρᾶσθαι ἡνίκα ἐπένθουν, καὶ τέμνεσθαι τὰς πορείας εἰς τὴν τῶν τετελευτηκότων τιμὴν. καὶ τίνα δὲ τοῦ σώματος μόρια βελόναις ἐκέντουν, καὶ μέλαν ἐπέβαλον, εἰς θεραπείαν δαιμόνων. ταῦτα ὁ θεῖος νόμος ἀπαγορεύει. Quidam, inquit, ſiſoin interpretati ſunt capillos ſtudioſe cincinnos factos. At ipſe aliud legem prohibere exiſtimo. Solebant enim gentiles, ſuorum filiorum non tondere capita, ſed permittebant cæſariem creſcere, quam multo poſt tempore, dæmonibus offerebant. Illud etiam moris erat apud illos, vt cum eſſent in luctu barbas abraderent,& genas ferirent in eorum honorem, qui eſſent defuncti. Quinetiam quaſdam corporis partes acu vulnerabant, atramentumq; ſuperponebant, totumque in cultum dæmonum fiebat. Hæc omnia interdicit hic diuina lex, hæc ille. Quod ergo de coma præceptum eſt,præcipitur etiam de barba. Atque vtrunque amplexa eſt propoſita expoſitio. D

Neque radetis barbam.] Non hoc præcipitur, ſed, ולא תשחית את פאת זקנך Hoc eſt,Et non corrumpes, non temerabis, non deprauabis angulos barbæ tuæ, aut extremitates barbæ tuæ: ſicut faciebant gentes,quemadmodum à Theodorito ſupra eſt expoſitum. Septuaginta quoque cum Hebraica fide ſentiunt, οὐδὲ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος. id eſt, Neque corrumpetis formam barbæ veſtræ. Non prohibetur itaque Hebræis ne raderent barbas: quod neque hodie fit apud illos: ſed ne more gentium,& conſuetudine quadam praua,in diſponenda barba vterentur.

Et ſuper mortuo non incidetis carnes.] Præcipitur ne vllo pacto,ſicut gentes, ferirent carnes ſuas, nõ tam ſuper mortuo,quàm ob alias res, quemadmodum ſacerdotes Cybeles, & deæ Syrorum, vt refert Lucianus,& tertio Regum ſcribitur. De mortuo igitur in contextu Hebraico non fit mentio,hoc enim modo habet. ושרט לנפש לא תתנו בבשרכם Hoc eſt,Et dilacerationem animæ,non ponetis in carne veſtra. Anima igitur,& pro toto homine,& pro defuncto accipitur,vt inferius ſæpe videbimus. Poſſumus itaque etiam editionem Hieronymi approbare quæ hoc loco, editione Septuaginta multo eſt clarior,qui nihil immutantes, penitus quoq; cum Hebraico ſentiunt, καὶ ἐντομίδας οὐ ποιήσετε ἐπὶ ψυχῇ, ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, id eſt, Et vulnuſcula aut ſectiones non facietis, ob animam,in corpore veſtro. Quid certe eſt,ob animam?

Ventriloquæ mulieres.

Pythia.

Sternomãtes.

Phyton.

Non declinabitis ad magos, & hariolos.] Vtrunque diuinationis genus eſt,primum Septuaginta interpretantur, ἐγγαστριμύθους. Quos noſtri ventriloquos appellant,maxime Tertullianus, qui de E hac re,etiam peculiariter ſcribit. Ventriloquæ mulieres etiam tempeſtate noſtra vidimus,quibus ſedentibus vocula quædam, ab earum pudendis excitabatur, reſpondebatque ſciſcitantibus: ipſeque audire volui,non quod vllam fidem his adhiberem,ſed vt dæmonum præſtigias cognoſcerem. Præſtigiæ certe ſunt,& miſerarum genera vanitatum. Naſcuntur ex his calamitoſi errores, & incredibiles calamitates.Huiuſmodi ſcribunt patres Græci fuiſſe Pythiam,cuius impuriſſimus dæmon, impuriſſimam & fœdiſſimam elegerat partem,in qua verſaretur,& inde reſponſa efferret. De his extat apud Theodoritum,ſuper Leuiticum,qui his verbis hunc exponit locum, τινὲς ὑπὸ δαιμόνων τινῶν ἐγγαστρίμυθοι ἐξηπάτων πολλοὺς τῶν ἀνοήτων, ὡς δῆθεν προαγορεύοντες, οὓς στερνομάντεις οἱ ἕλληνες προσηγόρευον ὡς ἔνδοθεν δοκοῦντος τοῦ δαίμονος φθέγγεσθαι. Hoc eſt, Quidam à nonnullis dæmonibus repleti,pleroſque dementium ſolebant decipere, quaſi futura prædicerent. Hos Græci vocabant ſternomantes, à ſternos pectore,& mantia vaticinio: eo ꝙ intus in præcordijs dæmon loqui crederetur,hæc ille. Interpretatur autem alibi Hieronymus hoc ipſum nomen,ſcilicet, אוב pythonem. Pythonis autem vt ex primo Regum colligitur,aliud incantationis genus fuiſſe videtur,quàm hoc,de quo hic agitur. Non enim ibi reſponſa dabantur,ſed ſimulachra ſuſcitabantur,animæque defunctorum euocabantur,quas de rerum euentis interrogabãt. Sed facile hæc confunduntur. Nam & quod vertit ibi Phytonem Hieronymus,hic magos interpretatus eſt: in fine quoque ſequentis capitis vertit Phytonem, arbitratus fortaſſe non ſpeciem, ſed genus magicæ artis,eo nomine ſignificari. Quod & mihi fit veriſimile. Python autem quod incantationis genus ſit,& quæ ſint phythoniſſæ mulieres non ab re viſum eſt,ſi ex libro qui apud Hebræos ſepher hicarim inſcribitur,id eſt,liber articulorum,demonſtremus,vbi auctor de hac re F ſic ſcribit. Citat enim ea quæ ſuper hac re ſcribit Rabbi Moſes, qui hoc vaticinium fieri ſolitum dicit per virum & mulierem. Adeunt enim ad cadauer alicuius nuper defuncti, alter ad pedes eius,alter ad caput ſtat: tenentque turribulum,recitantq; voces magicas & incenſant. Interimq; mulier conſpicit animam defuncti. Vir autem percunctatur. Defunctus de his quæ proxime impendent,eos certiores reddit. Sicut inquit in libris Regum legitur. Sed ego exiſtimo Rabbi Moſen, ſicut in multis eum reperi, imperitiſſimum & mendaciſſimum, ita in hac re eſſe illum ſupra quàm dici poſſit mendacem. Sed aliud puto fuiſſe incantationis genus pythonem. Verioremq; eſſe cenſeo,ſanctorum patrum Græcorum opinionem. Nam cadauer Samuelis iamdudum erat ſepulchro conditum,ideo non potuit à muliere circunſiſti. Ieſus autem CHRISTVS generis humani vindex,fecit vt hæc feliciter ignoraremus. Quare ſtultitia eſt, ea diligentius inquirere: dicemus & in libris Regum de ſuſcitato Samuele.

Hariolos.] Ferunt Hebræi hos appellari iddehonim,ab aue quæ vocetur iaduha, quam dicunt eſſe Iyngen ſiue motacillam,de qua & Theocriti pharmaceutria meminit,qua in incantationibus vtebantur. Huiuſq; generis ſuperſtitioſos vocari hoc loco iddhonim: quanquã facile hæc ignorantur. Ideo melius eſt,vertere genera, quàm ſpecies.

Non exprobretis ei.] . לא תונו אתו Hoc eſt,Ne affligatis eum,ne lædatis: ſicut & Septuaginta οὐ θλίψετε αὐτὸν, id eſt, ne atteratis, ſiue affligatis eum.

CAPVT XX.

SI *quis dormierit cum nuru.*] Omnibus his locis, dormire, pro eo quod eſt coire ponitur, de qua re alibi dictum eſt. Nurum quoque appellant Septuaginta hic quemadmodum in Geneſi

A fecerunt, νύμφην, id eſt, Sponſam vertentes ἐάν τις κοιμηθῇ μετὰ νύμφης, quod neſcio an recte factum ſit.

CAPVT XXI.

SI paruo vel grandi, vel obtorto naſo.] Hæc omnia genera ab ipſo interprete ficta ſunt, cùm neque in contextu Hebraico, neque apud Septuaginta habeantur. Hebraice ſiquidem tantummodo ponitur, חרם Hoc eſt ſimus: de naſo igitur grandi, torto, paruo, nulla fit mentio, ſed de naſo ſimo. Nam neq; tam exiguus vnquam naſus conſpectus eſt, aut tam magnus, qui cuiquam dedecori eſſe poſſet, ſed fœditas in naſo ſimo eſt. Septuaginta paulo ſecus κολοβόριν id eſt, naribus mutilis. Iſta vero differentia grandis, aut parui, ad alia membra refertur, quæ Hebraice vocatur. שרוע quod membrorum inæqualitatem ſonat.

Vel hernioſus.] . מרוח אשך Quod interpretantur Hebræi, cuius teſticuli contuſi ſunt, quemadmodum exponit his verbis Rabbi Salomon. שלו כתותים פחדיו Hoc eſt, Cui contuſi ſunt teſtes. Probatque id per editionem Chaldaicam, quæ habet, מרים פחדין id eſt, Qui ſuſpendunt teſticulos, perinde ac fracti ſint & eliſi, eoque medicamentis & id genus rebus eos ſuſtinet. Quare & de hernioſis fortaſſe intelligitur, his maxime, qui eo morbo enormiter laborant. Septuaginta aliquid eiuſmodi innuere videntur, qui vertunt ἢ μονόρχις, id eſt, qui vnicum habet teſticulum. Sed Hebræi ſecus ſentiunt. Inter has omnes mutilationes additur à Septuaginta ὠτότμητος, id eſt, cuius aures abſciſſæ ſunt, eſſe ſubaudiendum, propterea quòd omnes hic corporis mutilationes cōprehenduntur: & Hieronymus eos ſecutus etiam eſt.

CAPVT XXII.

B QVi tetigerit immundum ſuper mortuum.] , והנגע בכל טמא נפש id eſt, Qui tetigerit omne immundum hominis aut animæ: quod forte ad plura ſpectat. Quemadmodum pulcherrime exprimunt Septuaginta, καὶ ὁ ἁπτόμενος πάσης ἀκαθαρσίας ψυχῆς, id eſt, Et qui omnem immundiciem animæ tetigerit, licet anima ſæpius his locis pro defuncto ponatur.

Cuilibet ex populo.] Imo ſic, כי תהיה לאיש זר Hoc eſt, Cùm fuerit nupta aduenæ: ſicut etiam Septuaginta, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἀλλογενεῖ, Hoc eſt, Cùm fuerit viro alienigenæ tradita. Quare eſt omnino contraria ſententia.

Si cicatricem habens.] חרוץ id eſt. Eliſum, ſiue mutilum: diuerſius etiam Septuaginta, qui ad linguam tantummodo id retulerunt. γλωσσότμητον, id eſt, Lingua eliſum, cui lingua adempta eſt. Verbum Hebraicum, ad omne mutilum ſpectat.

Omne animal quod vel contritis, vel ſectis teſticulis.] Animaduertito, quòd de contritis & ſectis teſticulis non fit commemoratio: ſed omnia verba Hebraica, omnem eliſionem, contritionemque ſignificant, nam מעוך attritum ſignificat, & כתות atque item alia: pertinet igitur, non magis ad teſticulos, quàm cæteras corporis partes. Vt prohibeatur nihil offerri poſſe, quod vlla in parte ſit mutilum. Licet Septuaginta totam hanc periodum, in hunc modum verterint, θλασίαν, καὶ ἐκτεθλιμμένον καὶ ἐκτομίαν καὶ ἀπεσπασμένον. Hoc eſt, Eliſum, confractum, caſtratum, abſciſſum. Quæ vniuerſa ad teſtes pertinent.

CAPVT XXIII.

C ALtero die ſabbati.] . ממחרת השבת Hoc eſt, In craſtinum ſabbati: aut, die ſequenti poſt ſabbatum: ſicut & Septuaginta τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης τῶν σαββάτων, id eſt, In craſtinum primæ ſabbatorum: quanquam in multis diſcrepant. Ex hoc loco poſſem multa colligere contra ſententiam docti viri Pauli Foroſempronienſis epiſcopi de die paſchatis, ſed quia aliud agimus, & eius ſententia pia eſt, mittimus omnia.

Liba quoque vini.] Patet locum mendoſum eſſe, cùm ſic habeat contextus . ונסכה יין Hoc eſt, Et temperatio, commiſtio vini: quid enim hoc loco liba ſignificat? niſi ad hauſtum retulerit Hieronymus, imitatus fortaſſe Septuaginta, qui ſunt interpretati καὶ σπονδὴν οἴνου. Et libationem vini.

Affligetis animas veſtras.] . עניתם Pertinet hoc verbum Hebraicum ad omnem humiliationem, mentiſque ſuperbæ depreſſionem: vt nitidæ veſtes deponantur, vt de eſcis dematur, vt omnes prælatæ ac ſuperbæ actiones deprimantur: ita quoque interpretantur Septuaginta ταπεινώσετε τὰς ψυχὰς ὑμῶν, Humiliabitis animas veſtras.

Eſt enim cœtus.] . עצרת Hoc eſt, Collectio, cœtus: quod forte etiam recte Septuaginta ἐξόδιόν ἐστί. Egreſſio eſt, euocatio eſt: & quod ab illis proprie ἐκκλησία dicitur.

Et ſalices.] Addunt Septuaginta καὶ ἄγνου κλάδους ἐκ χειμάῤῥου, id eſt, Et agni caſti ramos ex torrente: quod certe ſuperfluit. In contextu enim Hebraico non habetur.

CAPVT XXIIII.

CVmq; blaſphemaſſet nomen domini.] Prudenter addidit Hieronymus domini, nam hoc loco domini non additur in Hebraico, propter ſummam reuerentiam, ne in blaſphemia, Dei nomē commemoretur, quod etiā fit in alijs, ab Hebræis. Deum enim ſæpe appellant השם id eſt nomen, innuentes nomen Dei, aut ipſum Deum. Septuaginta igitur, Hebraica ſequuti, ne ipſi quidem D addiderunt Dei, hoc modo καὶ ἐπονομάσας ὁ ὑὸς τῆς ἰσραηλίτιδος τὸ ὄνομα κατηράσατο. Hoc eſt, Et inuocans filius mulieris Iſraelitidis nomen blaſphemauit.

Qui percuſſerit hominem punietur.] Credo olim bene ſe habuiſſe codices, dicendum enim eſt non punietur, ſed morietur, ſicut habet contextus Hebraicus. ומכה אדם יומת id eſt, Et qui percuſſerit hominem, moriatur.

CAPVT XXV.

V*Vas primitiarum tuarum.*], ענבי נזירך id eſt, Vuas ſeparationis tuæ: ſiue ſanctificationis tuę: quemadmodum etiam Septuaginta interpretantur τὴν σταφυλὴν τοῦ ἁγιάσματος, id eſt, Vuam ſanctificationis tuæ, ſed non eſt aliud, quàm quod noſter ſenſit interpres.

Terra non vendetur in perpetuum.], והארץ לא תמכר לצמתת Hoc eſt, Et terra non vendetur ad internitionem, ac deſolationem, vel in perpetuum: quanquam non ſit alius ſenſus: quàm vt ipſe noſter vertit interpres. Septuaginta neſcio quid aliud, καὶ ἡ γῆ οὐ προσθήσεται εἰς βεβήλωσιν, id eſt, Et terra non addetur in prophanationem: quod perobſcurum eſt: cum Hebraicus ſermo ſit apertiſſimus. Putoq; eos non recte hunc locum intellexiſſe, patetq; prudentibus.

Si redemptæ non fuerint.] Imò aliter, ואשר יגאל מן הלוים ויצא בית ועיר אחוזתו ביבל id eſt, Et qui redemerit ab Leuitis, reuertetur domus & vrbs poſſeſſionis ſuæ in tempore Iobelei. Sicut & Septuaginta, καὶ ὃς ἂν λυτρώσηται παρὰ τῶν λευιτῶν, καὶ ἐξελεύσεται ἡ διάπρασις οἰκιῶν πόλεως κατασχέσεως αὐτῶν, ἐν τῇ ἀφέσει. Hoc eſt, Et qui redemerit ab Leuitis, regredietur emptio domuum vrbis poſſeſſionis eorum, in remiſſione, videlicet Iobeleo. E Solent enim Iobeleum appellare remiſſionem, de qua re dicemus poſtea. Clara igitur eſt ſententia.

Iobeleus, remiſſio.

Time dominum tuum, vt viuere poſſit.], וחי אחיך עמך id eſt, Et viuat frater tuus apud te.

Et frugum ſuperabundantiam non exiges.] Imò ad aliud refertur hoc modo ובמרבית לא תתן אכלך, Hoc eſt, Et cum fœnore ac augmentatione non dabis ei cibum tuum. De frugibus itaque nulla mentio. Quod etiam Septuaginta clariſſime reddiderunt, καὶ πλεονασμοῦ οὐ δώσεις αὐτῷ τὰ βρώματα σοῦ, id eſt, Et cum multiplicatione, ne dederis ei alimenta tua: cum vſura, cum acceſſu, vt fœnerantes faciunt.

CAPVT XXVI.

A*Pprehendet meſſium tritura.*] Vbique ponitur verbum, השיג Hoc eſt, Subſequetur, ſuccedet, nihil ſpatij interponetur, quin poſt meſſem ſuccedat tritura, poſt trituram, ſatio. Aut poſt trituram vindemia, poſt vindemiam ſatio, Nullus hoſtis impedimento erit, nulla calamitas, nullæ tempeſtates, nullæ grandines.

Non abijciet vos anima mea.] Quàm præclare Septuaginta καὶ οὐ βδελύζεται ἡ ψυχή μου ὑμᾶς, id eſt, Et non execrabitur vos anima mea. Hæc enim detrimenta afferunt nobis noſtra ſcelera. Execratur nos Deus, alienuſque fit à nobis, relinquimur peſſimis cogitationibus noſtris. Diabolus maiores in nos accipit vires. Ex quibus fit, vt ex vno peccato, ſuccedant alia, tandemque in miſerabile exitium protrahamur. F

Viſitabo vos velociter in egeſtate.]. בהלה Faciam inquit inſurgere pauorem ſuper vos, ac perturbationem: quam Septuaginta vertunt, ἀπορίαν, poteſtque referri tam ad animi perturbationem, inopiamque conſilij, quàm ad egeſtatem, atque ideo ſecutus eſt eos Hieronymus. Verbum tamen Hebraicum, proprie terrorem ſonat.

Et ardore.]. שחפת Tumore, & corporis plaga, quod etiam Septuaginta interpretantur τὴν ψώραν, Hoc eſt, Impetiginem, ſcabiem, & id genus. Quod autem ſequitur in contextu Hebraico, id ſignificat ardorem. Additur enim, ואת הקדחת id eſt, Et in ardore, ſiue febre, aut æſtu corporis, aut id genus morbis: quibus corpora inflammantur. Septuaginta ἤκτερον, morbo icterico, qui non hic innuitur, nam neque tam acerbus eſt, vt in vltionem iniectus videatur.

Donec erubeſcat in circum, &c.], יכנע לבבם הערל Hoc eſt, Et humiliabitur cor eorum incircunciſum. Aliquid ſimile etiam Septuaginta τότε ἐντραπήσεται ἡ καρδία αὐτῶν ἡ ἀπερίτμητος. Tunc conuertetur cor eorum incircunciſum.

CAPVT XXVII.

H*Omo qui votum fecerit, & ſpoponderit.*] איש כי יפלא נדר בערכך נפשות ליהוה Hoc eſt, Vir cum ſeparauerit votum, cum exiſtimatione ſua animarum domino. Quæ tametſi obſcura ſint, is tamen eorum eſt ſenſus, cùm enim inquit, quiſquam Deo aliquid vouerit, ea deuotio ſecundum exiſtimationem cuiuſque eſſe debet, vt non maius ſit votum quàm vires vouentis: cum ratione inquit iſtuc fieri debet, vt tantum voueatis, quantum fas eſt vobis, aut ſecundum annos & ſecundum ſexum exiſtimatio habenda eſt. Hoc enim loco, anima de more Hebraicæ linguæ

Anima pro hoīe Heb.

pro

A pro quolibet homine ponitur. Talemq; præcepit habendam voti rationem, qualis ea ipſa anima, aut ille ipſe ſit qui vouet. Quare non erat vertendum, qui ſpoponderit animam ſuam. Neque enim id dicitur in contextu, vt quiſquam ſpondeat animam ſuam, nam & votum alterius generis eſſe poterit. De omni etenim genere voti hic intelligitur: fruſtraque additur, votum animę ſuæ. Septuaginta vero aſſequi non poſſum, quid ſibi hoc loco velint, niſi codices deprauati ſint. Legitur enim hoc modo, ὅς ἂν εὔξηται εὐχὴν ὥστε τιμὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. id eſt, Quicunque vouerit votum, vt precium animæ ſuæ: niſi forte, pro eo quod eſt ὥστε, legendum ſit ὡς, aut κατὰ, vt dicatur, ſecundum exiſtimationem animæ ſuæ. Vides autem neque eos de deuouenda anima quicquam meminiſſe.

Ad menſuram ſanctuarij.]. בשקל הקדש Secundum ſiclum ſanctuarij: de quo ſiclo ſupra, memoria habita eſt in Exodo. Secundum enim conſuetudinem ſanctuarij ſeu templi ſiclum accipiendum ſignificat: quanquam ſiclus, etiam pondus ſignificet, & poſſit hoc loco pro pondere & menſura accipi, quemadmodum interpretantur Septuaginta, τῷ σταθμῷ τῷ ἁγίῳ, id eſt, Pondere ſancto: licet noſtra editio ſit clarior, quæ vertit ſanctuarium ſicut habet Hebraicum. Nam ſanctum pondus pauci fortaſſe perciperent quem in ſenſum deberet accipi.

Siclus.

Nec melius malo, nec peius.], לא ימיר אתו טב ברע או רע בטוב id eſt, Non commutabit bonam in malam, nec malam in bonam hoſtiam, aut animal quod offertur. Eſt ergo hoc modo ſententia apertior, prohibet enim in hoſtijs vllam fieri commutationem, aut pecunia redimi. Sunt enim ſacrificabiles, & totum quod ſunt, Deo exhibentur. Quod in homine aut beſtia ſacrificijs non idonea fieri non poteſt. Septuaginta quoque clarius hoc ipſum explicauerunt, οὐκ ἀλλάξει αὐτὸ, καλὸν πονηρῷ, οὐδὲ πονηρὸν καλῷ, id eſt, Non commutabit ipſum bonum in malum, neque malum in B bonum. Et ſententia quidem clara eſt, nam & de hac commutatione ac redemptione, ſupra quoque eſt ſcriptum. Bona autem & mala, immundam intelligit, aut mutilam & maculatam hoſtiã. Quemadmodum exponit Rabbi Salomon ſic ſcribens. תם בעל לום Bonum inquit pro malo, hoc eſt, integrum ac ſanum, pro maculato, ac notato. Nam & hoc ipſo polluta appellantur, quæ integra non ſint, eo quod ea prohibeantur offerri:

Si triginta modijs.]: זרע חמר Satio vnius cori, ſi vnius cori fuerit. Scribit alibi Hieronymus, corum capere triginta modios, de qua re ſuper Ezechiel loquemur, quanquam igitur, triginta modij in contextu Hebraico non habeantur, ſub nomine tamen cori intelliguntur. Septuaginta cum Hebraico conſentiunt ἔσται ἡ τιμή. κατὰ σπόρον αὐτοῦ. κόρου κριθῶν πεντίκοντα δίδραχμα ἀργυρίου, Hoc eſt, Erit exiſtimatio eius ſecundum ſementem eius, & cori tritici, quinquaginta ſicli.

Corus.

Si autem poſt aliquantulum temporis.] Credo propter æquiuocationem erraſſe Septuaginta, nam אחר poſt, ſignificat. Aliquando ab eo nomina deducta extremitatem, ac ſupremum denotant. Igitur Septuaginta, penitus in contrarium, hanc ſententiam ſunt interpretati. Quod enim noſter interpres reddidit aliquantulum, ipſi ἔσχατον, id eſt extremum, ſupremum, tandem, ἐὰν δὲ ἔσχατον μετὰ τὴν ἄφεσιν ἁγιάσῃ ἀγρὸν αὐτοῦ. Hoc eſt, Si ſupremum poſt remiſſionem ſanctificabit agrum ſuum, cùm de toto tempore poſt Iobeleum intelligendum ſit, non ſupremo.

Iuxta annorum numerum qui reliqui.] Fruſtra quoque ponitur is numerus definitus apud Septuaginta, cùm in vniuerſum poſſit intelligi, tam de ſeptem, quàm octo aut decem annis: coarctarunt autem illi in ſeptem annos hoc modo προσλογιεῖται αὐτῷ ὁ ἱερεὺς τὸ ἀργύριον ἑπτὰ ἔτη τὰ ἐπίλοιπα C ἕως εἰς τὸν ἐνιαυτὸν τῆς ἀφέσεως, Hoc eſt, Computabit ei ſacerdos pecuniam ſeptem reliquos annos, vſque ad tempus remiſſionis. Et forte tota ſententia male reddita eſt.

Siclus viginti obolos habet.], עשרים גרה יהיה השקל id eſt, Viginti minutiſſimi nummi erit ſiclus, pro minima itaque pecunia ponitur hoc loco obolus, tam à Septuaginta quàm Hieronymo. Et ſiclus viginti minimos denarios habet. Eritque ſiclus apud Hebræos, quaſi ſeſtertius latinus, aut ſolidus. Quanquam harum rerum exacta cognitio difficilis ſit, cùm etiam Hebræi imperitiſſimi in hiſce inueniantur, pecuniaſque non nominibus ſacris appellant, ſed ſecundum vſum cuiuſque prouinciæ.

Obolus.
Siclus.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

NVMERI. CAP. I.

Capur, pricipiũ, cenſus, ſumma.

TOLLITE *Summam*.] .שאו את ראש Hoc eſt, Tollite caput: nihilq́; aliud intelligitur, quàm quod vertit Hieronymus, vt omnium ſcilicet ciuium capita cenſerentur: propterea caput, cùm aliàs ſignificet principium, interim vero, cenſum atque ſummam. Non ſatis hanc differentiam obſeruaſſe Septuaginta hoc loco videntur, quippe qui principium verterint, quod pro capite erat ſumendum, hoc modo, λάβετε ἀρχὴν πάσης συναγωγῆς ἰσραήλ. Hoc eſt, Sumite principium vniuerſi cœtus Iſrael. Quis exiſtimarit hoc loco principium pro ſumma aut cenſu ſumendum eſſe? Atque ideo effectum eſt, vt nonnulli ea editione lapſi apud Græcos ſint: quanquam reliqui interpretes non eo modo tranſtulerunt. Aquila ſcilicet, Theodotionque, ac plures alij qui ab Hebraica fide non receſſerunt.

Omnium virorum fortium.] כל יצא צבא id eſt, Omnis qui egreditur ad pugnam, omnis qui militare poſſit, aut omnis qui conficere poſſit exercitum. Fortem pro belligerante & milite accepit Hieronymus. Septuaginta ſecus, partim cum Hebraico conſentientes, partim diſcrepantes. πᾶς ἐκπορευόμενος ἐν δυνάμει. Omnis qui egreditur in virtute. Licet δύναμις hoc loci, etiam exercitum deſignet, & bellicas copias. Sed alia eſt ibi phraſis Hebraica, quæ obſcuram reddat orationem, ſcilicet in præpoſitione ἐν. quæ apud Hebræos ſumitur pro cum. Quod forte non ita vſitate fieret in ſermone Græco aut Latino. Igitur ἐν δυνάμει idem eſt quod σὺν δυνάμει. cum exercitu.

Hi nobiliſſimi.] .אלה קרואי Iſti vocati, iſti appellati à Moſe & Aaron, tanquam domuum ſuarum principes: qui quidem tametſi nobiles eſſent, non tamen id locus is innuit. Septuaginta quoque ab Hebraico non diſſentiunt οὗτοι ἐπικλητοὶ τῆς συναγωγῆς. Hi vocati ſynagogæ Iſrael. Non diſſentio tamen, quin & nobilem, & inſignem notet .קרואי Hoc eſt, Nominatum, vocatum: ſicut & Græce ἐπικλητός. Auen Eſra exponit quare hi vocati, aut nominati ſynagogæ Iſrael appellarentur, hoc modo. .וטעם שהעדה לאיעשו דבר עד שיקראום Hoc eſt, Nominati ſynagogæ dicebantur, quia nihil factura eſſet, niſi eos prius vocaſſent, atque hi tanquam omnium duces familiarum habebantur.

Capita exercitus Iſrael.] ,ראשים אלפי ישראל id eſt, Capita millium Iſrael: nec dubium eſt, quin millia hoc loco, pro omni ea copioſiſſima multitudine ſit ſumendum, non pro numero millium determinato: atque ideo Septuaginta non tam proprie fortaſſe verterunt χιλίαρχοι ἰσραὴλ εἰσί Millenarij Iſrael ſunt, aut millium principes: frequens autem is ſcripturarum mos eſt, vt numero millenario, pro qualibet maxima multitudine vtantur.

OBSERVA quod in recenſenda hac multitudine dimittitur cenſus tertius, ſcilicet tribus Gad apud Septuaginta, poniturq́ue in vltimo fere loco, Qui error minime in noſtram editionem irrepſit. Neque exiſtimo à Septuaginta eum eſſe profectum, ſed ex alijs cauſis, quas ſæpius diximus, tranſcribentium ſcilicet varietate, & quod fere omnibus non tam libris, quàm præclariſſimis rebus vſu venit, detrimentum attuliſſe ipſam vetuſtatem. Multa enim in ea editione comperimus, quæ clariſſime oſtenderent, non omnia ab illis interpretibus errata accidiſſe. Multa quo-

que

A que ſtudioſe feciſſe illi deprehenduntur,& vltrò ab Hebraicis codicibus diſſentire voluiſſe,quod quamobrem fecerint declaratum eſt ſæpe ab Hieronymo. Oſtenditur etiam in Talmud apud Hebræos,licet pleraque falſa ſuper hacre,in libris illis tradantur,vt eſt eius nationis ad mentiendum procliuitas. Demonſtratur quoque ſæpius apud Græcos eiuſmodi varietatis cauſa. Et quia res omnibus notiſſima eſt, non video noſtram in ea explicationem deſiderari. Mentiri autem in Talmud Hebræos, in his quæ de hac editione ſcribunt, illud argumento eſt, quòd aſſerunt ſolum pentateuchum à Septuaginta eſſe translatum, quod falſum eſſe, tota editio proclamat. Affirmant etiam quatuor tantum locis,eos à codicibus Hebraicis diſſentire. Quod etiam falſum eſſe, omnis hæc noſtra opera retro coarguit,quod clarius etiam fiet in ſequentibus. Licet & Ioſephus affirmet eos tantummodo pentateuchum tranſtuliſſe. Cui opponimus alterum eruditiſſimum Hebræum, nempe Philonem,qui honorificam habuit de his interpretibus mentionem,& eos totius legis ac prophetarum contextum,in Græcam linguam vertiſſe commemorat. Totus etiam antiquitatis cõſenſus refragatur,& omnes qui eruditiſſime ſcripſere ex noſtris apud Græcos,quique & Hebraicam & Syram linguam,quæ Hebraicæ ſimillima eſt,calluere. Nec multas in hanc comprobationem rationes affero,quia res certiſſima eſt,vt negari non poſſit, temerarium certe eſt,tam apertam & omnibus cognitam rem velle infringere.

Ac per gyrum tabernaculi metabuntur.] וסביב למשכן יחנו. Hoc eſt, Ac circum tabernaculum verſabuntur,ſiue conſtituentur. Paſſiue videtur accepiſſe Hieronymus metari. Septuaginta optime Hebraicam veritatem exprimunt καὶ κύκλῳ τῆς σκηνῆς παρεμβαλοῦσι. id eſt,& circum tabernaculum ſtationem habebunt:& vt acies ſolet,omnes erunt ita digeſti,vt quaſi exercitus eſſe videatur. Tantus enim præcipitur eſſe circa tabernaculum ordo, vt omnes ex tribu Leui, circa ipſum B eſſent diſpoſiti,quiſque ſuis fungentes officijs,maximeque dum tabernaculum portaretur. Atque ita incedebant omnes Leuitæ, id eſt, hi qui ex tribu Leui eſſent. Neque Leuita nomen eſt officij,vt poſtea ab eccleſiaſticis eſt vſurpatum,ſed illius tribus:vtque à Iuda,Iudæi dicti ſunt,ab excellentiſſimo ſcilicet in ea gente,ita à Leui, Leuitæ. Ex quo cognoſcitur error & mendacium Plutarchi,viri quidem grauiſſimi ac eruditiſſimi, ſed qui in rebus externis dijudicandis ſæpe lapſus ſit, & quæ quidem in hiſtoria Romana peccarit dimitto, quod autem ad præſentem locum pertinet,non eſt ſilentio prætereundum. Is in ſuis ſympoſijs,nomini huic Leuitarum, quod audierat frequenter apud Hebræos commemorari, conatur ætymon Græcum accommodare: gentem enim Hebræam Bacchum in primis venerari ſolitam, & in eius honorem à carne porcina abſtinere, & Leuitas, eorum eſſe ſacerdotes, dictos, παρὰ τὸν λύσιον, ἤτε μᾶλλον παρὰ τὸν εὔιον τῆς ἐπικλήσεως γινομένης, id eſt, à Lyſio, ſeu magis ab Euio,quę Bacchi nomina ſunt. Quis autem non riſerit Porphyrium, qui Hebræos à carne porcina abſtinere dicit, quod id animal, in eorum regione non reperiatur? ſic enim de abſtinentia animalium ſcribit, φοίνικες, καὶ ἰουδαῖοι, τῶν χοίρων ἀπέχοντο, ὅτι οὐδὲ ὅλως ἐν τόποις ἐκείνοις εὑρίσκονται. Hoc eſt, Phœnices & Iudæi, à porcis abſtinebant, quòd in locis illis minime id genus animal reperiatur. Quæ ne refelli quidem digna ſunt. Fuit autem peculiare omnium prope gentilium ſcriptorum vitium, vt aut res noſtras ſilerent,aut deprauarent,aut falſis figmentis dehoneſtarent. Quid enim Cornelius Tacitus de Chriſtianis mẽtitus eſt? Suetonius de Iudæis? Plinius genus magicæ artis eſſe dicit,quod à Moſe profectum ſit. Atque alia penè infinita. Sed ſagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eo- C rum,& in ipſos auctores,eorum in ſe iacula retorſere, vt eorum mendacia & patefacta ſint, & de ipſis nunc iudicetur ab alijs,qui quondam alios iudicare ſoliti eſſent.

Leuita.

CAPVT II.

Rvben ad meridianam plagam.] Non diſſentit à veritate Hebraica, תימנה id eſt, verſus meridiem. Quod etiam apud Septuaginta clariſſime exprimitur, πρὸς νότον, Verſus notum: hoc excepto,quod fortaſſe non tam videretur idem ſignificare verſus notum,& verſus meridiem,eo quod notus à latere meridianæ plagæ exoriatur,meridies autem ea pars ſit,quę polum antarcticum aſpicit: verũ cùm hæc friuola ſint, ac nulla propemodum obſeruatione digna, non ſunt exactius diſcutienda. Certum enim eſt,etiam Latinos hæc nomina ſolere permiſcere.

Notus.

Leuabitur autem tabernaculum.] ונסע אהל id eſt,Et recedet,& abibit: quod recte tam à Septuaginta,quàm Hieronymo in aliam vocem mutatum eſt. Imitatus eſt autem Septuaginta, καὶ ἀρθήσεται ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, id eſt,Et eleuabitur tabernaculum teſtimonij.

Per officium Leuitarum.] Declaratum eſt ab ipſo interprete, quod circa tabernaculum fieri erat neceſſe, licet aliter habeant Hebraica hoc modo: tabernaculum, inquit, eleuabitur, מחנה הלוים Hoc eſt. Cum caſtris Leuitarum: ſiue, caſtra Leuitarum eleuabunt tabernaculum. Septuaginta præclare, καὶ ἡ παρεμβολὴ τῶν λευιτῶν, μέσον τῶν παρεμβολῶν, Et acies Leuitarum, in medio acierum Iſrael.

Ad occidentalem plagam.] , ימה id eſt,Mare verſus: quod in occaſum ſpectat, ſiue mare Tyberiadis id ſit,lacus ſcilicet Iudeæ, ſiue mare ipſum, quod in Iudęa poſitis,ad occaſum vergit. Sic & Septuaginta, τάγματα παρεμβολῆς ἐφραὶμ παρὰ θάλασσαν, id eſt, Acies caſtrorum Ephraim verſus mare, vel ad mare. De qua quidem re ſæpius dictum eſt. Sed magis ad totum mare ſpectat, quod occaſum aſpicit Iudæam incolentibus.

CAPVT III.

Generatio, pro familia.

HAe ſunt generationes Aaron & Moſis.] Generationem diximus ſumi pro familia, cognatione, affinitate, & quanquam contextus quaſi proponit vtriuſque cognationis tam Moſis quàm Aaron, vnius tamen Aaron tantummodo familia deſcribitur, eo quòd hi potiſſimum in miniſterium aſſumpti ſunt. De filijs autem Moſis nihil eiuſmodi traditur, imò quod mirum, omnibus ferè locis ſilentur. Cognatio igitur & Moſis & Aaron eadem eſt, & quicquid de Aaron ſcribitur, de Moſe quoque narratur. Quare non vehementer mihi placent, quæ in excuſationem huius rei adducuntur à Rabbi Salomone. Quòd ſcilicet filij Aaron, ſint etiam filij Moſis, eo quòd docuerit eos diuinam legem, & omnis præceptor, parentis loco habendus ſit. Quod quanquam verum ſit alibi, non videtur tamen hic, eo modo ſumendum. Non enim figurate loquerentur ſacræ litteræ, vbi rerum tractatur hiſtoria, quæ ita exprimenda eſt, vt ſemper rem ſine vllo colore deſcribamus. Alia vero lex eſt, vbi loquimur allegorice & figurate, & ſecundum alios loquendi characteres.

Applica tribum Leui.] הקרב את מטה לוי, Hoc eſt, Admoue, fac accedere, fac propinquare. Sept. minus proprie, λάβε τὴν φυλὴν λευὶ, id eſt, Sume tribum Leui. Eodem tamen omnes ſpectant.

Et excubent.] ושמרו, id eſt, Et cuſtodient: quod ad omnem obſeruationem pertinet, tam noctis quàm reliquarum horarum, & ad omnem obſeruationem & cuſtodiam continuam. Septuaginta penitus Hebraicam phraſin ſequuntur, καὶ φυλάξουσι τὰς φυλακὰς. Et cuſtodient cuſtodias. Nam & eodem modo habent.

Leuitarum officium.

Sacerdotes cõſeruatores populi.

Quicquid ad cultum pertinet.] Explicatum ab ipſo interprete, quod obſcurius fortaſſe erat Hebraice, ואת משמרת כל העדה id eſt, Et cuſtodias totius multitudinis: neq; aliud certe eſt, quàm quod interpretatus eſt Hierony. Quod non fecerunt Septuaginta, qui Hebraica nihil immutarunt, καὶ φυλάξουσι τὰς φυλακὰς τῶν υἱῶν ἰσραὴλ, id eſt, Et cuſtodient cuſtodias filiorum Iſrael. Omnis ergo cultus ad Leuitas, omniſque cuſtodia deferebatur circa tabernaculum: hi excubabant, ne qua ſordes ipſum contingeret, quique ad ſuas partes delegati: omnia ſacra hi obibant, quicquid hodie in re diuina per clericos & religioſos fieri ſolet, fiebat olim apud Hebræos per Leuitas: præſertim nequid deprauate ac contra diuinam maieſtatem fieret: ne quod ſcelus ab vllis admitteretur: Ne per inſcitiam grauius aliquid committerent: Ne falſis opinionibus implicarentur: Ne præſtigijs incumberent: Ne vaniſſima quæque ſectarentur: Ne ſacram ac veram religionem, ſuperſtitionibus corrumperent. Poſtremo rectum omnibus iter oſtendebant, & quomodo Deus coleretur, præcipiebant. Quo ritu, quibus ceremonijs eſſet venerandus, Qua religione placaretur, Quibus delictis grauiter iraſceretur, Qua pietate leniretur. Cumque totum illius religionis corpus, multis eſſet ex partibus perfectum, Leuitarum erat ſingula quæque explicare, religionemque interpretari. Hi ergo & pontifices & flamines, hi religionis erant interpretes. Atque hæ ſunt cuſtodiæ, quæ ad illos demandatæ à Deo fuerant. In ſacerdotibus tota populi cuſtodia poſita eſt, eo quòd omnia bona & mala pendent ab religione: quæ ſi recta & pia fuerit, innumerabilia parit bona: ſin corrupta ac deprauata, omnia teterrima, & miſerrima mala. Ergo quia ſacerdotes religionis ſunt cuſtodes, iure totius populi conſeruatores vocantur: Et his, tanquam ducibus, populus aſſeruandus traditur. Alienus autem prohibetur ad adminiſtrandam religionem accedere, quia peſſimi ſacerdotes, & rerum diuinarum imperiti, erroribus & falſis opinionibus imbuunt populum, & à Deo quaſi auertunt. Non permittitur ergo quilibet accedere, ne tam periculoſam rem, in qua & ſua & cæterorum ſalus poſita ſit, quiſquam non delectus adeat.

Populus, pro familia.

Vita humana ſeptẽ viris vſq; in finẽ mũdi cõtinuata.

Cognatio cahat habebit populos hamramitas.] ולקהת משפחת העמרמי, Hoc eſt, & ipſi cahat erit cognatio hamramea. Hanc ergo cognationem, ſcilicet cahat, vult eſſe cum quatuor alijs cognationibus aut familijs coniunctam, ad eadem munia circa ſanctuarium & in re diuina obeunda. Clarumq; eſt Hieronymum, hoc loco populum pro familia ac cognatione ſumpſiſſe: quanquam etiam Septuaginta populum ſunt interpretati quod erat familia, ſic τοῦ καὰθ δῆμος ὁ ἀμραμεὶς. Ipſi caath populus vnus Hamram. Is Hamram pater Moſis, traditur in monumentis Hebræorum maxime longæuus fuiſſe. Septem enim viris omnem à mundi principio vſque in finem, vitam humanam continuatam aſſerunt. Primus homo Adam, hunc vidit Matuſalem. Vitaq; primi hominis vſque in Matuſalem ſe porrexit. Matuſalem vidit Scem filium Noe. Scem peruenit vſque ad Iacob. Iacob vſque ad hunc Hamram de quo hic ſcribitur. Hamram peruenit vſq; ad Ahiam Salonitem. Ahias autem vſque ad Eliam. Elias vero vſque in finem mundi.

Populus Marari ſex millium ducenti.] Recte is numerus apud nos cenſetur, at apud Septuaginta male, οὗτοι εἰσὶν οἱ δῆμοι τοῦ μεραρὶ ἑξακισχίλιοι πεντήκοντα, id eſt, Hi ſunt populi Merari ſex millia quinquaginta. Deſunt ergo centum quinquaginta. Quod credo non ipſorum interpretum vitio, ſed potius ſcriptorum accidiſſe. Multa ſępenumero de hac re verba fecimus.

In pretio autem ducentorum.] Quoniam primogeniti omnium Hebræorum erant cum Leuitis æquandi,& conſecrati erant Leuitæ illorum loco,& domino ſanctificati: nunc quia ſumma primogenitorum excedebat ſummam Leuitarum,præcipitur vt qui ſupereſſent ex Hebræis, pretio quali redimerentur,& pro eorum vnoquoque ſoluerentur quinque ſicli, vt ea merces cederet in rem ſacram,loco eorum qui fuerant conſecrandi, vel pro quibus conſecrati fuerant Leuitæ, ne quiſquam à diuina charitate eſſet diſiunctus. Pro eo igitur, quod in noſtra editione habetur in pretio,Hebraice eſt, ואת פדויי id eſt, Et redemptiones, illorum ſcilicet, qui ſuperfuiſſent: quod melius explicatur à Septuaginta in ſermone Græco, καὶ τὰ λύτρα τριῶν καὶ ἑβδομήκοντα ϗ διακοσίων. Hoc eſt, Et redemptionis pretium ducentorum ſeptuaginta duorum. Siquidem λύτρα proprie eam pecuniam ſignificat, qua captiuos redimimus.

λύτρα.

Iuxta verbum domini.] Eadem Hebraica locutio diuerſe ab Hierony. & Septuaginta verſa, ſcilicet. על פי יהוה Hoc eſt, ſecundum os Dei. Neſcio vero quem proprie ſenſum reddat quod vertitur à Septuaginta. Dedit Moſes,inquiunt, omnem eam pecuniam Aaron & filijs eius, διὰ φωνῆς κυρίου. Hoc eſt,Per vocem Dei. Nam quòd διὰ ſignificet ſecundum, aut propter, mihi quidem non conſtat. Verum hæc leuiſſima ſunt,neque periclitatur res Chriſtiana, ſi quod verbum paulum à ſua proprietate diſtrahatur.

CAPVT IIII.

A *Trigeſimo anno.*] Cõſuetus error in codicibus Sept. in quibus huic numero deſunt quinque, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, ϗ ἐπάνω. Hoc eſt, A viginti quinque annis & ſupra: puto & hunc non interpretum eſſe lapſum,ſed aut tranſcribentium, aut temporum.

Quod pendet ante fores.] , פרכת המסך Hoc eſt, Velum quod tegit, quod operit. Ante fores autem non ponitur,ſed explicandi gratia ab interprete additum eſt. Velum enim ante propitiatorium erat poſitum, quo ſancta ſanctorum ab alia tabernaculi parte diuidebantur. Septuaginta in totum Hebraica ſequuntur ſic καὶ καθελοῦσι τὸ καταπέτασμα τὸ συσκιάζον. Hoc eſt, Et deponent velum,quod obumbrat,quod obiectum eſt,& quod tegit.

Velamine hyacinthinarum pellium.] Diximus ſuper Exodum quæ ſint pelles hyacinthinæ: quæ apud Hebræos fortaſſe non ita ſicut apud nos intelliguntur: nos enim, id eſt, Septuaginta, & Hieronymus, videmur eas à colorum varietate appellaſſe,at Hebraice vocantur עור תחש Hoc eſt, pellis thacas: dicuntque eorum aliqui thacas eſſe bouem,alij taxum, & eius pellis vſum fuiſſe ad tegendum tabernaculum, quòd duriſſima eſſet, & imbribus poſſet reſiſtere. Verterunt autem hoc Aquila & Symmachus ianthinum: credo tamen eos potius anthinum vertiſſe, id eſt floribus diſtinctum,ac variatum: verum hæc niſi diuinitus reuelentur, difficile eſt coniecturis & ſcientia conſequi: de hoc & paulo ante diximus.

Pelles hyacinthinæ Hebr. quæ dicantur.

De ſuper pallium totum hyacinthinum.] Nemo exiſtimet eandem eſſe vocem hic & paulo ante,cùm diceretur, Et pelles hyacinthinæ: nam illud תחש thacas vocatur: is autem color תכלת thecelet. Atque hoc mihi indicio eſt,non eſſe pelles illas hyacinthinas appellandas, quia eodem nomine ea res illic ſignificata fuiſſet, quo ſignificatur hic, eademque voce appellata. Neque enim alio nomine vſa ſacra ſcriptura fuiſſet,quę nunquam ferè ſynonimis vtitur. Et hic tam paruo ſpacio, diſſimilibus nominibus non erat opus. Quare non videtur credibile thacas ſignificare hyacinthum, ſed potius animal, ſicut Hebræi ſentiunt.

Menſam propoſitionis.] , שלחן הפנים Hoc eſt,Menſam facierum,aut præſentiarum: & vt eleganter & veridice vertit Hieronymus,menſam propoſitionis, id eſt, quæ proponitur coràm Deo: ſicut & panes propoſitionis vocantur, qui coràm Deo proponerentur. In eam quoque ſententiam verterunt & Septuaginta qui menſam hanc vocant τὴν τράπεζαν τὴν προκειμένην. Hoc eſt, menſam propoſitam.

Menſa & panis propoſitionis.

Ad liba fundenda.] Clarum eſt,quomodo accipiat ſæpe Hieronymus libum,cõtra vſum fortaſſe. Libum ergo hoc loco,effuſionem aut temperationem ſignificat. Sic habet textus Hebraicus ואת קשות הנסך Hoc eſt, Et crateras propinationis aut infuſionis vini. Ideo Septuaginta Hebraica ſequentes verterunt καὶ τὰ σπονδεῖα ἐν οἷς σπένδει. id eſt,Et libatoria, in quibus libare ſolent.

Libum.

Quod rurſum operient indumento hyacinthinarum pellium.] Hoc etiam loco, in Hebræo ponuntur pelles animalis tacas: nequis per errorem labatur, vocum ſimilitudine deluſus. Certe vel hinc manifeſtum eſt pellem tacas, non eſſe pellem hyacinthinam, quia hyacinthinum operimentum hic ſubijciebatur.

Fuſcinulas ac tridentes.] In voce Græca,qua Septuaginta vſi ſunt, huius rei ſignificatio maxime intelligitur. Qui pro duabus hiſce vnicam ponunt κρεάγρας. Quæ vox ſonat id,quo carnes extrahimus è lebete. Atque is erat fuſcinularum vſus in ſacrificijs, vt ipſis carnes extraherent, vtcunque res poſtularet.

κρεάγρας. Fuſcinulę.

Vncinos.] , יעים Hoc longe aliud eſſe Hebræi confitentur, ſiquidem id nomen יעים ferunt du- à verbo יעה hoc eſt purgauit,mundauit: nomenque ipſum ſignificare ſcobas,quibus purgaretur altare, cùm cineres eſſent aſportandi: ea ex porcinis ſetis, aut alio genere pilorum ſolebat confici. Septuaginta nec cum Hieronymo, nec cum Hebraicis codicibus ſentiunt: quippe qui interpretati ſunt φιάλας. Cur vero phialam interpretati ſint, cuius nullus erat hoc loco vſus, id eſt in adminiſtratione altaris, niſi forte ad cineres aſportandos eas neceſſarias crediderint: atque has vertit Hieronymus batilia, nota vox eſt. Vncini quoque non erat cur repeterentur, qui per fuſcinulas ac tridentes intelliguntur. Aduerte quòd apud Septuaginta ponitur etiam deſcriptio λυτῖρος,, quem Hieronymus vertit labium, id eſt, vas in quo manus ac pedes lauarentur, quod omittitur in textu Hebraico.

In commotionem caſtrorum.] בנסעהם חנה. Hoc eſt, dum caſtra proficiſci parant: aut, Dum eleuantur: nequid ſiniſtrum, per hoc noſtrum ſuſpicaremur. Septuaginta quoque ab Hebraico non diſſentiunt ἐν τῷ ἐξαίρειν ἐν τῇ παρεμβολῇ. id eſt, dum caſtra eleuantur.

Non tangent vaſa ſanctuarij ne moriantur.] Ex hoc fortaſſe loco ſumptum eſt, quòd apud nos, laici prohibentur calices & patenas contingere, vt alia penè infinita ex veteri lege accepta ſunt, quia illa erãt typus iſtorum, quamobrem, non videtur eſſe contemnendum. Eoq; magis his reuerentia exhibenda eſt, quo hæc ſunt illis longe meliora: quanquam non in hoc pietas poſita eſt.

Compoſitionis incenſum.] קטרת הסמים Hoc eſt, incenſum, aut ſuffumigationem thymiamatis, ac ſuauiſſimorum odorum: quanquàm Septuaginta eo etiam modo verterunt, καὶ τὸ θυμίαμα τῆς συνθέσεως. id eſt, Et thymiama compoſitionis. Compoſitionem acceperunt vtrique pro eo quod eſt Hebraice סמים quod ſignificat aromatas & optimam ſuauiſſimamq́ue bene olentium rerum miſturam.

Nulla curioſitate.] Hoc totum ſic habet Hebraice. Alij vero non accedant ad videndum. כבלע הקדש ומתו Hoc eſt, Quaſi vt inuoluant aut operiant ipſum ſanctuarium, ſicut & illi, vt exponit Rabbi Salomon. Vel hoc modo, quaſi polluant, ac contaminent ſanctuarium. Septuaginta diuerſius καὶ οὐ μὴ εἰσέλθωσιν ἰδεῖν ἐξάπινα τὸ ἅγιον.. id eſt, Et ne introeant, vt videant repente. Quod fortaſſe à ſenſu alienius eſt, & minus veritatem attingens.

Tentoriumq; quod pendet.] ואת מסך פתח אהל מועד, Hoc eſt, Et velum, portæ tabernaculi teſtimonij, de quo ſæpius ſcriptum eſt. Ideo Septuaginta, ab Hebraico non diſſentientes, in hunc modum verterunt. καὶ τὸ κατακάλυμμα τῆς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου. Hoc eſt, Et velum portæ tabernaculi fœderis.

A triginta annis.] Sic habent & Hebræorum codices, ſed conſuetus error apud Septuaginta ἀπὸ πέντε τῆς εἰκοσαετοῦς. Hoc eſt, à vigeſimo quinto anno. De qua re paulo ante diximus. Error ex eo eſt, quòd inferius cap. xij. Leuitæ à vigeſimo quinto anno cenſentur.

Cum baſibus & paſillis.] Ocioſe additur in codicibus Septuaginta poſt illud καὶ τὰς βάσεις αὐτοῦ, hoc quod mox ſequitur καὶ τὸ κατακάλυμμα. Hoc eſt, Et velum. Nam non ad Gerſonitas ſpectabat velum portare, ſed Mararitas. Erantq; omnium diſtincta officia, nec confundebantur, vt ex Dei præcepto fuerat inſtitutum. Veriſimile vero eſt, eſſe per errorem hæc tranſpoſita, nam & paulo inferius hæc additur clauſula καὶ τὸ κατακάλυμμα τῆς θύρας τῆς σκηνῆς. id eſt, Et velum portæ tabernaculi. Patetque ſumptum eſſe ex ſuperioribus, quæ tranſpoſitio creberrima eſt apud illos.

CAPVT V.

Pollutusq; ſuper mortuo.] כל טמא לנפש Hoc eſt, Omnis pollutus anima, aut propter animam: diuerſiusq; à Septuaginta hoc intelligitur, quàm vt ſentit Hieronymus: videntur enim innuere omnem prohibitam in Leuitico pollutionem ſignificari, nõ ſolum mortui, καὶ πάντα ἀκάθαρτον ἐπὶ ψυχῇ. id eſt, Et omnem immundum propter animam: Nihilq; ab Hebraico diſcrepant. Quamobrem forte dubium eſſet, an de ſolo mortuo eſſet intelligendum, aut de omni pollutione: de qua re etiam ſupra ſcripſimus. Theodoritus tamen ſentit hoc loco, de eo qui cadauere tacto pollutus ſit, hoc modo ſcribens τὸν τοῦ τεθνηκότος ἁψάμενον, ἢ ὀστέοις νεκρῶν πελάσαντα καλεῖ ἀκάθαρτον ἐπὶ ψυχῇ. Hoc eſt, Eum qui defuncti tetigit cadauer, quique mortuorum oſſa propius acceſſit, in anima pollutum appellat. Et paulo inferius ſexto capite, clarius idem fit, vbi dicitur de Nazaræo, על נפש מת לא יבא hoc eſt, Prope animam mortuam non accedet. Ponitur enim anima, pro eo quod eſt homo: & anima mortua, idem eſt quod homo mortuus. Editio quoque Chaldaica non diſſentit à Theodorito, quæ & ipſa hoc loco, ſi quis acceſſerit ad טמא נפשא לאינשא Hoc eſt, oſſa hominis mortui. Et Rabbi Salomon ita exponit.

Cùm habitauerint vobiſcum.] Hoc non ad illos refertur, ſed ipſum Deum, qui habitaret cum filijs Iſrael, id hunc modum. Ne polluant, inquit, caſtra אשר אני שכן בתוכם id eſt, In quorum medio ipſe cohabito. Ideo Septuaginta non aliter interpretati ſunt, quàm vt habent Hebraica. ἐν οἷς ἐγὼ καταγίνομαι ἐν αὐτοῖς. id eſt, In quibus ego verſor, & forte pro habitauerint, legendum apud nos eſt, habitauerim.

Confitebuntur peccatum ſuum.] Diximus vniuerſa penè, quæ nunc eccleſia habet inſtituta, ex ſacris veteris teſtamenti libris eſſe deſumpta: quod certe facile, ſi quis voluerit, poterit cognoſcere. Videmus igitur inſtitutum confitendi non modo recens non eſſe, vt calumniatur Lutherus, multique illius ſequaces: ſed etiam vſque ab illis antiquiſſimis cœpiſſe temporibus. Et quod

A his maius eſt,non eſſe humanum inuentum,ſed diuinum,& ab ipſo Deo primo repertum. Quorum vtrunq; impudentiſſimi illi homines inficiari & contraria perſuadere non erubuerunt. Quibus nihil afferũt patrocinij eorum ſacrarum litterarũ extortæ interpretationes. Cùm enim quidquam in eos ex ſacris ſcripturis depromitur,ad ſolita hęreticorum præſidia confugiunt,negantes aut non auctorum ipſorum eos eſſe libros,aut dicentes, eos fuiſſe homines, & potuiſſe ſicut cæteros errare. Cùm vero in opinionem ſuam hi citantur,nihil tale dicitur. Quæ etiam ſcribit Leo ſanctiſſimus & eloquentiſſimus antiſtes,Manichęorum fuiſſe refugia. Quorum cùm ex ſcripturarum teſtimonijs redarguerentur errores,negabant Apoſtolorum aut Euangeliſtarum eſſe ipſa volumina. Vetus inſtrumentum omne tollebant,Euangeliorum vix vnum admittebant. Hæc peſtis noſtris repullulauit temporibus in Martino,& alijs eiuſdem factionis, quibus vnum potiſſimum fuit ſtudium,vt Eccleſiæ vnitatem tollerent,ſacratiſſima inſtituta abolerent,& impune peccandi licentiam omnibus præberent. Dicique non poteſt,quàm hi omnes ſacras litteras in ſua peſſima dogmata torſerint. Quis enim non riſerit eos,qui conati perſuadere,ex Romano Pontifice, Eccleſiæ vnitatẽ minime pendere:ſed eſſe illum cæteris æqualem, oſtendunt ea ratione,ꝙ Cyprianus Epiſcopus Chartaginenſis, cùm ad Cornelium ſummum põtificem ſcribit, fratrem ſuum appellat,& hi quæ in eo toto volumine habeantur,aduertere noluerunt:in quo adeo ea res declaratur,vt ex nullis potius ſcriptoribus poſſit colligi. Sed de hoc iudicabit poſteritas. Igitur, Vt ad inſtituta reuertamur, eodem habet modo textus Hebraicus & Septuaginta, quo apud nos legitur, והתודו את חטאתם אשר עשו id eſt, Et confitebuntur peccatum ſuum quod fecerunt. Septuaginta, eodem modo. ἐξαγορεύσει τὴν ἁμαρτίαν ἣν ἐποίησε. Hoc eſt, Effabitur peccatum quod fecit. B Ipſa Hebraica protulimus,vt intelligeretur,ea non ſecus ac noſtra habere. Nec me fugit,dici hic de confeſſione furti potius,quàm aliorum facinorum: ſed ſi quis recte conſiderare voluerit, inueniet primo omnium peccatorum confeſſionem eſſe poſitam.

Et reddet ipſum caput.] והשיב את אשמו בראשו, Hoc eſt, Et conuertet peccatum eius, ſuper caput illius,id eſt,Reuerti faciet rem in ſuum locum, & ad poſſeſſorẽ ſuum, & ad eum in quem peccauerat. Nam peccatum hoc loco accipitur pro ipſa re,quæ reſtituenda ſit:ſicut & Sept. καὶ ἀποδώσει τὴν πλημμέλειαν τὸ κεφάλαιον. Hoc eſt,Et reſtituet peccatum ſuum ipſam ſummam.

Aquas amariſſimas.] Quemadmodum & Hebraice, מי המרים המאררים hoc eſt, Amaras, & maledictas:hoc igitur vltimum dimittitur ab Hieron. primum autem à Septuaginta, & ponitur ſecundum τὸ ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ τὸ ἐπικαταρώμενον. hoc eſt,Aquas redarguẽdi, execratas ac maledictas: ponitur autem paulo inferius à Latino interprete, ibi in quas maledicta congeſſi.

Et tumens vterus tuus dirumpatur.] בטנך צבה Hoc eſt,Et vterus tuus dirumpatur intumeſcens. Hoc non tam proprie tranſtulerunt Septuaginta. Det dominus τὴν κοιλίαν σου πεπρησμένην. id eſt, Vterum tuum ardentem,exuſtum, incenſum.

Amen amen.] Vox Hebraica eſt,quæ apud Hebræos eum habet vſum vt per eam confirmemus quæ ante dicta ſunt. Tres enim voces ſunt quibus precantur rebus ſuis felicitatem ac ſucceſſum. Sela,id eſt,ſemper. Et ſhalom hoc eſt pax. Et Amen,id eſt,fiat. Atq; hæ frequenter in ſacris libris inueniuntur,præſertim in pſalmis,in quorum fine aliquando eſt,Amen amen:aliquando, Sela,id eſt ſemper: quo dicto optatur ſucceſſus & adimpletio antedictarum rerum. Mirumq́; eſt ꝙ Septuaginta verterint ſela, διάψαλμα. De qua re fuſius ſuper pſalmos diſſeremus. Igitur amen C vox eſt ducta ab haamin,credidit,firmauit,aſſeruit. Qua voce optatur omnium quæ dicuntur ſucceſſus ac perfectio: præclareque hoc verterunt Septuaginta γένοιτο γένοιτο, fiat fiat.

Sela.
Shalom.
Amen.

CAPV VI.

VT *ſanctificetur.*] להזיר ליהוה, Hoc eſt,Vt Deo conſecrẽtur,vt Nazaræus fiat:neq; Nazaręus hoc loco ſignificat,eum qui eſt ex oppido Nazareth,nam & Hebraice vtrunque nomen maxime diſtinguitur, tam in ſcriptura, quàm toto ipſo nomine. Siquidem qui ſanctus eſt,& quaſi religioſius ac monachus efficitur,appellatur nazir,per z,exile ac lene & zita Gręcum: at qui ex oppido Nazaret,Hebraice vocatur nozri,per z,barbarum atque aſperum. Quam varietatem ignorantes multi, dixerunt IESVM Nazarenum dici quaſi ſanctificatum ac ſanctum ac ſacrum,quod à vero abeſt plurimum: de nazir ergo hoc loco ſcribitur, id eſt, ſanctificato ſeu conſecrato,à verbo nazar,hoc eſt ſeparauit,amouit. In qua voce interpretanda diſſimiles Sept. ἀνὴρ ἢ γυνὴ, ὃς ἂν μεγάλως εὔξηται εὐχὴν ἀφαγνίσασθαι ἁγνείαν κυρίῳ. hoc eſt,Vir ſiue mulier quæ vehementer vouerit votum,mũdari mundiciem ac puritatem dño,ſeu caſtitatem vouere domino: nam ἁγνὸς caſtum purumq́; ſignificat. Poteſt autem eſſe, vt eandem ſententiã alijs verbis expreſſerint:& ἄγνεια, pro omni ſanctificatione & abſtinentia eis vſurpata fuerit. Non eſt vero prætereundum,cur nutrire comam Nazaræis præceptum ſit. Alijs enim viſum eſt,myſtice id eſſe inſtitutum,vt dum coma nutriretur, virtutes quoque augendas eſſe ſignificaretur, quia videlicet è capite vtrunque:alij dixere,vt ritus offerendarum comarum dijs, transferretur ad Deum. atque ita inuenimus tradidiſſe Cyrillum. ἑλλήνων μὲν οἱ ἀνέστατοι παῖδες, ταῖς παρὰ σφίσι παρεπόμενοι συνηθείαις καὶ κτηνῶν ἀλόγων διαβιοῦντες δίκην, ἀνίεσαν κόμην δαιμονίοις, αὐτὴν σκηπτόμενοι τρέφειν. καὶ ὁ μὲν τὶς αὐτὴν, νύμφαις ὀρειάσιν, οἱ δὲ ποταμῷ, κατὰ καιροὺς ἀπεκείραντο. καὶ λατρίας

Nazarꝗus.
Nazarenus.
Comã nutrire cur Nazaræis præceptũ.

ἦν τρόπος τὸ χρῆμα αὐτοῖς. μωϋσῆς γε μὴν ὁ σοφώτατος, μᾶλλον δὲ διὰ μωϋσέως ὁ θεὸς, δυσαπόνιπτον ἔχουσι τοῖς ἐξ ἰσραὴλ τὴν ἐν αἰγύπτῳ πλάνησιν, τὰ ἴσα νομοθετεῖ, διὰ τῶν ἀρχαίων ἐθῶν, κατὰ βραχὺ μεθιστὰς, εἴς γε τὸ δαίμοσι μὲν οὐκ ἔτι, θεῷ δὲ τῷ πάντων, ὡς διὰ τύπου καὶ σκιᾶς ἀνάπτειν τὸ σέβας. Hoc eſt, Gentilium dementiſſima natio, ſuas conſuetudines ſecuti, & mutarũ pecudum more viuentes, offerebant comam dæmonijs, eam nutriri permiſſam. Atq; alius quidem nymphis quas Oreades appellabant, alius fluuio cùm viſum eſſet offerebat. Atque religionis loco res apud eos habebatur. Itaque ſapientiſſimus Moſes, imò vero per Moſen Deus, cùm intelligeret, non facile Hebræos, quos in Aegypto errores imbibiſſent deponere poſſe, ſimiles ritus inſtituere decreuit, ſenſim eos à priſcis erroribus diſiungens. Quibus ritibus, non dæmones vltra, ſed Deum omnipotentem, quaſi ſub vmbra ac figura colerent. hæc ille. Ego vero etiam illud dicerē, gentes vt plurima alia, ita hoc, ex ſacris libris accepiſſe, vt dijs ſuis comas enutrirent, quod vel ab hac lege, vel Hebræa gente fieri didiciſſent. Diabolum quoque dediſſe operam, vt quæ veri Dei eſſent, ſua efficerentur. Id quod alia penè innumera nos édocent. Tota enim ſacrificiorum ratio apud eos, ex his ferè libris ſumpta eſt. Vtrunque certe exiſtimo nos opinari poſſe. Intelligimus autem omnia ferè, quæ in Leuitico ad cultum diuinum exhibendum, præcepta fuiſſent, maiorũ rerum quaſi typum eſſe, & non eſſe ſimpliciter, & ſecundum corticem intelligenda: pleraq; etiam inſtituit Deus, vt ritus antiquorum transferrentur in cultum diuinum, aut etiam penitus extinguerentur: nam abſtinere à carne porcina, indicat, à rebus terreſtribus cogitationes diſiungendas, eo quòd porcus animal ſit penitus terreſtre, & nihil habeat rationis, nihilq́; diuinum. Pollutos autem eos eſſe iuſſit, qui defunctorum cadauera cõtigiſſent, quòd ſolerent non tam Aegyptij quàm omnes gentes, per ea corpora exercere necromantiam, & ſceleratiſſimos errores ſequi ac perniciosiſſimos. Vt ergo omnis ea tolleretur occaſio, iuſſit haberi pollutos, qui propius acceſſiſſent: quanquam non me prætereat etiam apud Platonicos huius rei, aliam afferri cauſam: qui ſacerdotes Aegyptiorum ſciebant defunctorum corpora tanquam fœdam rem nõ tangere, quòd corpus ſine animo, res ſit fœdiſſima. Cætera quoque inſtituta omnia in aliquam eiuſmodi cauſam referenda eſſe ſcimus. Quod forte & hic de Nazaræorum nutrita coma eſt ſentiendum. Sampſon qui & ipſe erat Nazaræus, omnem vim ſuam dixit in capillis conſiſtere, cuius cùm coma abraſa fuiſſet, omnes illico in eo vires extinctæ ſunt: quod fortaſſe ea ratione accidit, non quòd ea vis ſit capillorum, ſed quòd dum capillus inſectus permaneret, Dei præceptum ſeruaretur, ac conſecratio illa, qua ſe Deo obtulerant homines, non eſſet extincta.

Acetum ex vino.] Acetum ex ſententia poſitum eſt, non quòd in contextu Hebraico habeatur, ſed tantummodo מיין ושכר יזיר Hoc eſt, à vino, & ſycera abſtinebit: quanquam additur paulo poſt.

Et armum coctum arietis.] Scilicet ſacerdos ſumet, non Nazaræus: nam in eadem clauſula dicitur. Et tradet in manus Nazaræi: monſtratur id quoq; in contextu Hebraico & Græco. καὶ λήψεται ὁ ἱερεὺς τὸν βραχίονα ἑφθὸν. Hoc eſt, Et ſumet ſacerdos brachium coctum. Licet fortaſſe non tam proprium fuerit, brachium pro armo poſuiſſe, quanquam non diſſentit ab Hebraico: puto vero in emendatioribus noſtris codicibus, haberi ſacerdotem.

Manũ inuenire aliquid, quid ſit.

Exceptis his quæ inuenerit manus eius.] Vbique hæc locutio Hebraica ſignificat facultatem, vires, copiam. Inuenire enim manum aliquid dicitur, hoc eſt, attingere poſſe. Nam & manus in ea lingua, accipitur pro potentia, facultate, ac virtute. Ergo videtur hoc loco innui, vt hæc quidem lex ſit Nazaræi, quæ nequaquam infringi poſſit, & nihil ex his oblationibus tolli: Sit quantumlibet pauper: quòd ſi plus offerre potuerit, nõ prohibetur is ex lege plura quoque ſi voluerit, Deo largiri. Vt minus quidem offerri non poſſit, plus autem, quantum quiſque potuerit ac voluerit, relicto cuique ſuo iudicio. Hæc locutio, etiam apud Septuaginta perobſcura eſt χωρὶς ὧν ἂν εὔξηται ἡ χεὶρ αὐτοῦ. id eſt, His exceptis quæ deuouerit manus eius: neque facile harum litterarum imperitis cognitu eſſet, quid ſentiendum foret.

Et benedicetis eis.] Tranſpoſita eſt hoc loco apud Septuaginta, clauſula, quæ in fine ponenda eſt, ſcilicet καὶ ἐπιθήσουσι τὸ ὄνομά μου, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς ἰσραήλ. id eſt, Et ponent nomen meum ſuper filios Iſrael. Patetq́; ſuperfluo hic eſſe poſitam, quia iterum paulo infra inculcatur. comprehenditur autem hac benedictione, primum vt eius bonitas in nos deſcendat, oſtendatq́; nobis lucem & veritatem ſuam, in qua omnis poſita eſt ſapientia. Deinde vt noſtris parcat erroribus, & non aſpernetur nos, quòd ei ſimus diſſimiles, id eſt, imbecilles, cæci ac delinquentes. Poſtremo vt nos ab omni prauitate cuſtodiat, nequid in eum peccemus. Et quod ex his omnibus efficitur, vt nobis incolumitatem tranquillitatemq́;, animiq́; & corporis ſalutem largiatur. Atque hæc oratio mihi tam diuina videtur, vt quolibet temporis momento, iudicem ab optimo quoque eſſe repetendam: quia pauciſſimis verbis, omne ſalutis genus comprehenditur.

CAPVT VII.

SEx plauſtra tecta.] Pro tecta in Hebræo ponitur צב quod varie ab ipſis interpretibus accipitur, Nam Septuaginta verterunt ἓξ ἁμάξας λαμπηνικάς. Hoc eſt, Sex currus relucentes. Editio Chaldaica ſecunda, Sex plauſtra bijuga. Verum eſſe hunc locum intelligendum ſecundum interpre-

A interpretationem Hieronymi: Rabbi Salomon facile oſtendi: qui præſens vocabulum exponēs, ſic ſcribit: Significantur hac voce, plauſtra, tecta, ac plauſtra Sabin, vocantur plauſtra cooperta. Non poſſum vero aſſequi, quid velit editio Septuaginta hoc loco.

In dedicationem altaris.] חנכת המזבח Initiationem altaris, conſecrationem altaris. Septuaginta ἐγκαινισμὸν τοῦ θυσιαστηρίου. Ex quo cognoſcitur ἐγκαινίζειν, apud Græcos, proprie conſecrare, initiari, & erigere ſignificare: & aliquid noui inſtituere.

Acetabulum argenteum.] קערה, Quam vocem dicunt Hebræi ſignificare ſcutellam & liquidarum rerum receptaculum. Septuaginta & ipſi aliquid tale τρυβλίον, id eſt, Acetabulum, vel id genus vaſis.

Phiala argentea.] מזרק, Quod nomen ducitur à זרק Hoc eſt, fudit, eoque ſignificatur peluis aut gutturnium. Quare non ita proprie fortaſſe phialam interpretantur Hieronymus & Septuaginta.

Conſperſa oleo.] Non diſſentit ab Hebraico, בלולה בשמן Hoc eſt, Oleo immerſa, aut inuoluta. Ideo non admodum proprie Septuaginta σεμϊδάλεως ἀναπεποιημένης ἐν αἰλαίῳ. Similę refectę, vel ſæpius factæ in oleo.

Mortariolum.], כף Ferunt Hebræi proprie ſcyphum aut cōcauum quid eo nomine ſignificare. i. Septuaginta diuerſius interpretantur θυΐσκαν. id eſt, Acerram. Interpretati autem eo modo ſunt, quod inferius ſcribitur oblata eſſe eiuſmodi vaſa plena thymiamatis. Sed ibi innuitur, vaſe eiuſmodi allatum eſſe thymiama, non quòd eo incenſum ſuper altari exhiberetur.

Cumq; ingrederetur Moſes.] E tabernaculo viua vox audiebatur aliquando quidem à ſolo Moſe, interdum à tota circunſtante multitudine: vt facile hinc redargui eorum poſſit error, qui ſcri- B bere auſi ſunt, ita Moſen finxiſſe ſe cum Deo colloquium habuiſſe, quemadmodum finxerunt Numas, quidem apud Romanos: qui cum Aegeria ſe congredi dicebat, & apud Græcos Minos, quem refert Plato Iouis, ὀαριστὴν, id eſt, collocutorem, nouem annis fuiſſe. Atque hæc quidem finxerunt illi, quò ſuas leges venerabiliores efficerent: & propenſiores ad eas obſeruandas, quòd diuinitus eſſent latæ, ciues ſuos redderent. Ita finxiſſe Moſen ſcribunt. Hæc inquam eò falſa eſſe deprehenduntur, quia cernente innumerabili populo, & vocem exaudiente, lex diuinitus lata eſt: & poſtea cùm oraculum peteretur, ſæpe ab eodem populo exaudiebatur, vt nullus præſtigijs locus eſſe potuerit. Ex eodemque mendaciorum genere hæc ſunt, cuius & alia, quæ ſæpius diximus, vt tranſitus maris rubri apud Ptolomæum, & apud Plutarchum de Leuitis, quæ non ſunt iterum repetenda. Exiſtimo vero diabolum vt pleraque alia deprauauit, & in ſuam venerationem tranſtulit, vt quod vero Deo exhiberetur, impenderetur ſibi, ita iſtud immutaſſe, & eodem modo oracula gentilibus fudiſſe, quò à vero Deo funderentur. Vt ergo à propitiatorio, id eſt, ſacratiore tabernaculi parte vox audiebatur, oraculúmque edebatur, ita hoc ipſum diabolus, qui ad peſſima quæque humanum impellit genus, imitatus eſt. Reddebatque etiam ipſe oracula, neſcio qua edita voce: idque è cortina, quæ velum erat ante adytum, vt ipſe quidem exiſtimo. Et vt ab intimis propitiatorij partibus vox excitabatur, ſic ab intimis adytis ille ſuas promebat voces: docuitque mortales, vt eo modo ſe Deum crederent, & de futuris oracula peterent, quo verus Deus oſtendiſſet Hebræis. Atque his præſtigijs eum in omnibus penè vſum fuiſſe comperi- C mus, & de hac quidem re ſatis.

Moſē vere Deum allocutum.

Numam, & Minoa fictè.

CAPVT VIII.

IN *auſtrali plaga.*] Hoc in contextu Hebraico nuſquam ponitur, neque vel minima apparet huius vocis expreſſio. Videturque aliud omnino legiſſe Hieronymus. Hebraica itaque ſic habent. Dum pones, inquit lucernas, אל מול פני המנורה hoc eſt, Ex aduerſo candelabri. Mirorque cur Septuaginta quoque ſecutus non ſit, qui & ipſi iuxta Hebraicam veritatem interpretantur, ὅταν ἐπιθῇς τοὺς λύχνους ἐκ μέρους κατὰ πρόσωπον τῆς λυχνίας, hoc eſt, Cùm poſueris lucernas ex parte, contra faciem candelabri. Quamobrem neſcio an noſtra editio probanda ſit: neque ſatis liquet cur in partem auſtralem voluerit candelabrum, ſeu lucernas ſpectare. מול quoque apud Hebræos ſemper, ex aduerſo ſignificat. Et quod mirum magis videri ſolet, additur in noſtra editione, tota hæc periodus, quæ minime habetur apud Hebræos. Hoc igitur præcipe, vt lucernæ contra boream è regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis: contra eam partem qua candelabrum reſpicit, lucere debebunt. Clarumque eſt, id ex ſe addidiſſe Hieronymum, eo quòd neque apud Septuaginta, habetur ea particula. Arbitramur tamen, ſententiam magis quàm verba, Hieronymum ſequutum, vt interpretaretur quid eſſet ex aduerſo candelabri: quanquam niſi clarius exponatur, non facile hoc poterit percipi. Igitur Rabbi Salomon ſeptem dicit in candelabro fuiſſe lucernas, tres in ortum ſpectantes, tres in occaſum, media vero vna erat, & de hac dici, contra faciem candelabri, vt per candelabrum media lucerna intelligatur, contra quam cæteræ ſpectarent. Dicit ergo hic candelabrum intelligi lucernam mediam, quæ non in haſtilibus candelabri eſſet, ſed ipſius corpore ac ſtipite, hæc ille: claraque eo modo ſententia eſt.

Ex auro ductili.] מקשה. Eodem modo exponitur ab Hebræis, ex auro ſcilicet malleis & incudibus ſubacto, & quocunque neceſſe fuiſſet, protracto: quoniam vero vox Hebraica à קשה id eſt, Induruit, ſolidum euaſit, ducitur: putant aliqui non aurum ductile dicendum, ſed ſolidum. Quo nomine ad omnia metalla vtuntur Hebræi, eorum rigorem exprimere volentes. Itaque magis ex auro ſolido dicendum eſſe aſſeuerant, quàm ex auro ductili: ex his ſunt etiam Septuaginta interpretes, qui pro auroductili, verterunt στερέον, id eſt, ſolidum: ſicut paſſim hoc loco datur intelligi.

Quam cuncta quæ ex vtroque latere &c.] עד פרחה id eſt, Vſque ad flores eius, aut lilia eius: haſtilia ſcilicet, quæ liliorum ſimilitudinem imitabantur: atque ideo Septuaginta Hebraica verba ſequentes, verterunt, καὶ τὰ κρίνα αὐτῆς στερεὰ ὅλα, hoc eſt, Et lilia eius ſolida tota.

Aqua luſtrationis.], מי חטאת hoc eſt, Aquæ peccati, aquæ piaculi, aquæ quibus expiatur peccatum. Septuaginta & ipſi optime, περὶρρανεῖς αὐτοὺς, ὕδωρ ἁγνισμοῦ, hoc eſt, Aſperges eos aqua expiationis, purificationis.

Radant omnes pilos.] Nihil refert quod verba paulo ſecus habeant, cùm ſententia eadem ſit והעבירו תער על כל בשרם id eſt, Et facient tranſire nouaculam ſuper omnem carnem ſuam, propterea Septuaginta, qui verbis plurimum adhæſerunt, ſic habent, καὶ ἐπελεύσεται τὸ ξήρον ἐπὶ πᾶν τὸ σῶμα αὐτῶν, hoc eſt, Et excurret nouacula ſuper totum eorum corpus. Illud autem vehementer mihi placet, quod carnem in corpus commutarint, cùm illud ſit magis ex idiomate Hebraico. Caro igitur in ſacris litteris corpus ſignificat, & quicquid in illis de carne dicitur, de corpore eſt intelligendum. Et quoniam hæc omnia quæ hic & alibi præcipiuntur, rerum maiorum quaſi typus erant: clarum eſt, ideo præceptum, vt caro mundaretur, & pili ſecarentur, quòd hi quaſi ipſa carnis vitia repræſentent. Vt enim à carne pili, ita vitia ab eadem pullulant: ac veluti retro coma aliud præclarius innuebat, ſic in contrarium hoc loco pili intelligendi ſunt. Theodoritus quoque apud Græcos præclare hoc explicat ſcribens. Quærit enim, τί δή ποτε τοὺς λευΐτας ἁγιασθῆναι κελεύσας, ἅπαν τὸ σῶμα τῶν τριχῶν γυμνωθῆναι προσέταξεν, id eſt, Cur cum ſanctificari iuſſiſſet Leuitas, totum corpus pilis denudari præceperit, reſpondet, αἱ τρίχες τῆς νεκρώσεως σύμβολον· νεκραὶ γὰρ αὗται, καὶ ὀδύνης αἴσθησιν οὐ δεχόμεναι, τὴν ἀληθινὴν τοίνυν τὴν ζωὴν ἔχειν κελεύει τοὺς τῷ θεῷ λειτουργοῦντας, καὶ μηδὲν ἔχειν νεκρὸν, μήδε δυσῶδες, τοῦτο καὶ ὁ θεσπέσιος ἡμᾶς διδάσκει παῦλος. Χριστῷ φησὶν συνεσταύρωμαι, ζῶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστὸς ταῖς γὰρ θείαις φησὶν ἐνεργείαις ἐμαυτὸν ἀφιέρωσα. hoc eſt, Pili mortalitatis ſunt indicium. Mortui enim ſunt, & nullum doloris ſenſum patiuntur. Iubet igitur eos veram agere vitam, qui Deo miniſtrent, nihilq; habere mortale & fœtidum, quod etiam nos docet diuinus Paulus: Cum CHRISTO, inquit, crucifixus ſum, viuoq; non amplius ipſe, ſed viuit in me Chriſtus, Quaſi ita innuens, quòd ſe ſacris officijs, diuiniſq; actionibus conſecraſſet. Quamobrẽ cauſa nota, cur his ritibus vti voluiſſet Deus Hebræos. Qui niſi myſtice interpretentur, Iudaica delyramenta erit neceſſum incurrere. Sunt myſtice interpretanda quæ myſtice dicuntur: ad litteram vero, quæ ſupra litteram non tranſcendunt.

Caro, pro corpore.

Galat. 2.

Purificatique ſunt.] ויתחטאו id eſt, Et peccauerunt. Eſt obſeruandum, etiam apud Hebræos duplicis eſſe ſignificationis verbum peccandi: ſicut apud Latinos piaculum, ſcelus ſcilicet ipſum, & id quo ſcelus expiamus: quapropter peccare idem eſt quod & expiare. Sicut & retro aries pro peccato, hoc eſt pro expiatione. Sunt autem & pleraque alia apud Hebræos, quæ contraria ſignificent, ſicut ברך, hoc eſt, benedixit, ſignificat enim & maledicere, ideo locus ille in libro Iob, Ne forte benedixerint Deum in corde ſuo: per contrarium eſt intelligendus, hoc eſt, ne forte maledixerint: vt ibi dicemus. Et illud quarto Regum, Benedixit Nabor Deum & regem, id eſt, maledixit, & קדשה id eſt, Sancta & meretrix. Sicut apud Græcos ἀργὸς, ſignificat enim celerem & tardum.

Peccare, pro expiare, & peccatum expiatio. Voces cõplures contraria ſignificantes apud Hebr. reperiri.

CAPVT IX.

ET iuſtificationes eius.] Hoc eſt, Iudicia eius, & id quod vertit Hieronymus, ius, ordinem, modum. Quare Septuaginta multo ſecus, κατὰ σύγκρισιν, id eſt, ſecundum comparationem, aut ſecundum iudicium.

Ad veſperam in monte Sinai.], במדבר סיני Hoc eſt, In deſerto Sinai. Videoque aliquid diuerſum eſſe in monte, & in deſerto, aut ſolitudine. Septuaginta quoque non in monte, ſed in ſolitudine interpretantur, ἐν τῇ ἐρήμῳ τοῦ σινᾶ, in deſerto Sina.

Immundi ſuper anima hominis.] Etiam hoc ſecundum locutionem Hebraicam eſt intelligendum, de qua ſæpenumero ſcripſimus. Animam enim mortui, intelligimus ipſum mortuum. Septuaginta ἀκάθαρτοι ἐπὶ ψυχῆς ἀνθρώπων, hoc eſt, Impuri propter animam hominis.

State vt conſulam.]. עמדו ואשמעה State & audiam: ſicut & Septuaginta, στῆτε αὐτοῦ, καὶ ἀκούσομαι, id eſt, ſtate ibi, & videbo.

Procul in gente veſtra.] Omiſſum eſt hoc ab Hieronymo quod in Hebraico ſequitur. Nam poſitum eſt in gente veſtra propter id quod ſequitur. או לדרותיכם Hoc eſt, Aut in generationibus veſtris:

A veſtris: id eſt, tam hac tempeſtate, quàm futuris ſæculis: quod non eſt omiſſum à Septuaginta, ἢ ἐν ὑμῖν ἢ ἐν ταῖς γενεαῖς ὑμῶν, hoc eſt, Vel in vobis, aut in generationibus veſtris.

Et tamen non fecit phaſe.] Non qui non fecerit, iubet exterminari, ſed qui in ſuo tempore: quod per vocem Hebraicam declaratur, וחדל לעשות הפסח id eſt, Et tardauit aut diſtulit facere paſcha: ſicut etiam Sept. καὶ ὑστερήσῃ ποιῆσαι τὸ πάσχα, hoc eſt, Et diſtulit facere paſcha.

A veſpere autem ſuper tentorium.] Eandem rem, eodem penè verſu, & tentorium & tabernaculum appellat, neque diuerſa hæc eſſe exiſtimanda ſunt. Septuaginta vero, idem duobus appellant nominibus, eodem in loco, ἐκάλυψεν ἡ νεφέλη τὴν σκηνὴν, καὶ τὸν οἶκον τοῦ μαρτυρίου, id eſt, Et texit nubes tabernaculum, & domum teſtimonij. Ex textu autem Hebraico intelligitur, quam tabernaculi partem nubes amplecteretur, ſic enim ſcribitur. כסה הענן את המשכן לאהל העדות Hoc eſt, Operuit nubes habitaculum, ad tabernaculum teſtimonij. Habitaculum vero pro eo ſumitur, quod vbique tabernaculum vocatur: aut intelligi poteſt, quemadmodum exponit Rabbi Salomon, eandem enim rem dicit appellari hic habitaculum Dei, & tentorium ſiue tabernaculum teſtimonij, & vocari habitaculum Dei, quia Deus vt proprium locum eum delegerit: tentorium autem, vt eſſet locus vbi tabulæ teſtimonij reponerentur.

Habitaculum & tabernaculũ & tentoriũ Dei ꝑ eodem.

Quaſi ſpecies ignis.] Sæpe fit, vt non mediocriter ad cognoſcendas rerum proprietates adiuuemur, ſi quo modo in varijs linguis eadem res appelletur, nouerimus. Omnia ſiquidem nomina ab aliqua rerum proprietate ducuntur, ſed hæc conſideratio impoſitorum varia fuit. Nam qui Latinis hominem vocauit, conſiderauit quidem aliquid quod hominis proprium eſſet, ſed eam in homine proprietatem, quam animaduertit is, qui Græcis nomina ſignabat, non conſiderauit. B Igitur quæ ſpecies ignis à nobis & Septuaginta hoc loco vocatur, Hebraicè, כמראה אש Hoc eſt, Sicut viſio ignis, ſicut aſpectus ignis. Non ſecus ac ſi quis ſe ignem videre opinaretur. Ardebant quaſi flammæ, & longe lateque fulgorem ac lumen fundebant, & in media nocte, flammarum nitor cernebatur. Ideo enim à veſpere vſque in mane ignis ſpecies tabernaculum occupabat, vt in medijs tenebris tanta gloria cerneretur, euidenſque diuinæ maieſtatis teſtimonium eſſet Hebræis. Eſſe autem ignem Deo ſimilem, opinatæ etiam ſunt reliquæ gentes, quæ propter hoc, ignem in templis aſſeruari iubebant, vt diuinæ naturæ quaſi ſymbolum eſſet, vt ſcribit Porphyrius: propterea capitale erat, ſi ſacerdotes ignem extingui permitterent, quaſi diuinitas ex eo loco pelleretur, & quaſi extingueretur. Sed non propterea credendum eſt, eos non vehementer etiam in hoc erraſſe.

Nomina ab aliqua proprietate reb⁹ impoſita.

Ignis Deo ſimilis.

Excubias domini.]. את משמרת יהוה Hoc eſt, Cuſtodiam domini: à qua, ſcilicet Deus præcepiſſet, ne eius iniuſſu abirent: ne nube non ſurgente ſurgerent. Græca quoque cum Hebraico conueniunt, καὶ φυλάξουσι φυλακὴν τοῦ θεοῦ, id eſt, Et cuſtodient cuſtodiam Dei, quaſi præcepta Dei, vel quod Deus cuſtodiri iuſſiſſet, obſeruabantque quid nubes faceret.

Quotquot diebus.] Eleganter ab Hieronymo omiſſum, מספר hoc eſt, numero: quia ex more linguæ Hebraicæ poſitum eſt. Sic enim habet. ימים מספר Hoc eſt, Dies plures numero. Superuacanee quidem additur numero, quod non eſt obſeruatum à Septuaginta ὅταν σκεπάζῃ ἡ νεφέλη ἡμέρας ἀριθμῷ, Hoc eſt, Cùm obumbraret nubes dies numero. Omiſerunt etiam illud, vt non dicerent dies plures, ſed dies tantum, non obſeruata Hebraici ſermonis proprietate: qua fit vt ימים pluralis C numerus ab יום id eſt, die, ponatur pro quolibet indefinito dierum numero: quod forte non fieret in ſermone Græco: quapropter ἡμέρας ἀριθμῷ, id eſt, Dies numero, non ſatis intelligeretur quid eſſet.

Si biduo vel longiore tempore.] Obſeruatione hoc loco dignum eſt, duas diſtinctè poſitas eſſe voces numeri plurium, à nomine, יום & יומם Hoc eſt, Die: neceſſeque eſt eas non idem ſignificare, non enim fruſtra repeteretur. או יומים או ימים Hoc eſt, Aut diebus, aut diebus. Ex quo fit perſpicuum, primum ſignificare duos dies, iuxta eum linguæ Hebraicæ morem, quo diximus, ſolere numerum plurium ſimpliciter poſitum, dualem numerum denotare, quod frequentiſſime in hiſce litteris reperies. Secundum autem, ſignificare non duos ſed plures dies, propter vſum, quo ſolet fieri vt, ימים id eſt, dies, multos indefinitos dies ſignificet, aut annum vt vult Rabbi Salomõ. Hoc ergo prudenter obſeruauit Hieronymus quod non ita Septuaginta, quorum huius loci hæc interpretatio eſt ἡμέρας, ἢ μηνὸς, ἡμέρας πλεοναζούσης τῆς νεφέλης σκιαζούσης. Hoc eſt, Dies aut menſe, die multiplicante, nube incumbente deſuper. Ecce dualis numeri nulla mentio fit, quod certe erat quàmmaximè neceſſarium. Tota quoque oratio obſcuriſſima eſt, vt ſit manifeſtum quòd ſæpius de noſtra & Septuaginta editione diximus.

Per verbum domini.] Recte tam à noſtro interprete: quàm ipſis Septuaginta immutata locutio eſt, vt quod dicitur Hebraicè. על פי יהוה Hoc eſt, Secundum os domini: ſecundum verbum domini dixerit Hierony. Septuaginta διὰ προστάγματος κυρίου, id eſt, ſecundum præceptum Dei. Quibus loquendi modis immutatis, & clarior fiet noſtra oratio, & minus abſurda videbitur, præſertim in alijs, quæ multo ſunt obſcuriora. Ineptum quoque eſt, tantum verba transferre, cum maior orationis vis ſit in locutionibus, & loquendi proprietatibus, quàm ipſis vocibus: Ideo interpretem obſeruare oportet, vt non verba tantummodo: ſed linguæ vtriuſque proprietates intelligat, & pro viribus exprimat.

CAPVT X.

DVctiles.] , מקשה Idem eſt hoc loco dicendum de tubis ductilibus, quod & paulo ante dictum eſt: volunt enim quas is noſter interpres appellarit ductiles, magis ſolidas eſſe vocandas & rigidas, aut incudibus, malleiſque ſubactas. Quamuis diſſimiles ſint ſibi hoc loco Septuaginta quippe qui quod ſolidum paulo ante interpretati ſunt, nunc vertant σάλπιγγας ἐλατὰς, id eſt, tubas ductiles, ſiue quæ facile impelluntur, aut agantur, quam rem quo modo intellexerint non mihi conſtat, neque quærendum quidem eſt, nam veritas habet vt diximus: tubas ergo ductiles intelligemus pro eo quod eſt ſolidas, rigidas: aurumq; ductile, id eſt aurum ſolidum: ſic & de argento dicendum.

Aurum ductile,

Si autem prolixior, atque conciſus ſonus.] , ותקעתם תרועה Hoc eſt, Et clangetis ſonitum prolixum, ſonitum condenſum, vt aiunt nonnulli taratantara, quod non ſatis innuitur à Septuaginta καὶ σαλπιεῖται σημασίαν, Hoc eſt, Et buccinabitis ſignum, quãquam ea vox etiam in ſignum ederetur.

Qui dimicant contra vos.] , הצורר אתכם והרעותם Ho eſt, Contra eos qui tribulant vos, & affligunt vos, vt bellum iuſtis de cauſis ſuſcipiendum, & non niſi laceſſantur, & ſui defendendi cauſa demonſtret. Septuaginta neque ipſi hoc expreſſerunt. πρὸς τοὺς ὑπεναντίους, καὶ ἀνθεστηκότας, Hoc eſt, Contra aduerſarios, & qui obſiſtunt vobis.

Si quando habebitis epulum.] . ביום שמחתכם Hoc eſt, In die lætitiæ veſtræ: quod etiam voluit innuere Hieronymus. Septuaginta, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς εὐφροσύνης ἡμῶν, Hoc eſt, Et in diebus exultationis veſtræ: quando ſcilicet epulæ, aut id genus feſti, ac læti dies celebrantur.

Per turmas ſuas.] , למסעיהם Hoc eſt, Per ſtationes ſuas, aut profectiones ſuas, ſiue manſiones ſuas, Septuaginta quoque, & ipſi aliquid eiuſmodi, σὺν ἐπαρτίαις αὐτῶν. Quod nomen ab ἀπαίρω duci videtur, id eſt, tollo, eleuo: quare potuit melior hoc loco eſſe noſtra editio.

Moueruntq; caſtra primi.] . בראשנה Hoc eſt, Primò. Neque refertur ad vllam tribum, ſed omnes in vniuerſum: innuitq; primam caſtrorum motionem factam eſſe ex imperio Dei, licet & Sept. cum Hieronymo concordes ſint, καὶ ἐξῆραν πρῶτοι, Hoc eſt, Et mouerunt caſtra primi. Hebraice itaque potius aduerbium eſt: primò inquit moti ſunt . על פי יהוה Hoc eſt: per os domini: aut, ſecundum imperium domini. Nam tum moueri cœperunt, cùm diuinitus eſt illis imperatum, ſpectatq; ad vniuerſam multitudinem: quare hæc ſententia multo priori illi diſſimilior eſt.

Portantes ſanctuarium.] . מקדש Quæ vox ſanctuarium ſignificat, id eſt, diuinitatis locum, ſedem ſacram, ſanctiſſimum habitaculum, idem ſcilicet, quod & tabernaculum. Quare Sept. variare ab hac ſententia videntur qui ſanctuarium interpretantur ἅγια, id eſt ſancta: cum hoc ad omnia ſacra & ſanctificata pertineat, illud ad habitaculum tantum, quod ſanctuarium nuncupabatur.

Et eris ductor noſter.] Variè hoc à noſtro interprete & Septuaginta interpretatum eſt. Hebraica ſiquidem in hunc modum habent . והיית לנו לעינים Hoc eſt, Et eris nobis in oculos. Hoc eſt, Tu eris oculus noſter, quo videbimus, ac quaſi ductor noſter, tu huius deſerti itinera, tu hanc multitudinem optime noſti, poteriſque mecum regere hunc populum, vt tuo quaſi lumine omnes videãt. Septuaginta multo diuerſius καὶ ἔσῃ ἐν ὑμῖν πρεσβύτης, id eſt, Et eris inter nos legatus, aut ſenex: vt ſenem, ac pro duce acceperint, quod forte à ratione non abhorreret.

Quicquid optimum fuerit ex operibus.] Superflue additum eſt operibus, dicendum enim eſt, quicquid optimum fuerit, aut Hebraica non fuerant aliter immutanda, quæ ſic habent והיה הטוב ההוא אשר . ייטיב יהוה עמנו Et cùm fuerit bonum illud, quo benefacturus eſt nobis Deus, ideo Septuaginta eiſdem penè verbis hanc ſententiam interpretati ſunt, καὶ ἔσται τὰ ἀγαθὰ ἐκεῖνα ὅσα ἂν κύριος ἀγαθοποιήσῃ ἡμᾶς, Hoc eſt, Et erunt bona illa quot benefacturus eſt nobis Deus. Non dubium vero cuiquam eſt, quænam ea bona eſſent. Terra ſcilicet promiſſa, & omnia quæ in ea bona erant reperturi, quæ ſæpe commemorantur.

CAPVT XI.

QVaſi dolentium præ labore.] Placet magis ſententia Septuaginta qui רע quæ vox Hebræis, dolorem & prauitatem ſignificat, pro eo quòd eſt prauum acceperunt. Innuitur enim peſſimum eos murmur contra Deum excitaſſe, impieque & iniuſtè de Deo conqueſtos fuiſſe. Quare non erat ad laborem referendum. Nulla enim tunc anguſtia premebantur, vt dolendum eis eſſet. Itaque ſic vertunt Septuaginta καὶ ἦν ὁ λαὸς γογγύζων πονηρά. Hoc eſt, Et erat populus murmurans peſſima. Hæc autem peſſima Rabbi Salomon dicit eſſe eam cupiditatem quæ certe fuit peſſima, & irrationabilis: quanquam ſententiam Hieronymi adiuuat Theodoritus, qui populi lamentum dicit fuiſſe ὅτι ὁδοιπορίας ἐδυσχέραναν πόνον. Hoc eſt, Quia ægre ferebant itineris laborem. Sed veritas in contrarium eſt.

Et abſorptus eſt ignis.] , ותשקע האש Non quòd in terræ viſcera ſeſe condiderit, ſed quòd illico extinctus ſit, vt quaſi abſorptus videretur, & diuus quidem Hieronymus verbum Hebraicum in aliud non mutauit: Septuaginta vero omnino id fecerunt, eadem manente ſententia καὶ ἐκόπασε τὸ πῦρ· Et ceſſauit ignis: ignis ſedatus eſt.

A *Vulgus promiſcuum quod aſcenderat cum eis.*] , אשר בקרבו id eſt, Qui in medio eius erat: ſicut etiã Sept. καὶ ὁ ἐπιμικτὸς ὁ ἐν αὐτοῖς. Et promiſcuus populus qui inter illos erat. Rabbi tamen Salomon, exponit iuxta interpretationem Hieronymi. Qui videlicet ex Aegyptijs cum eis miſti aſcendiſſent: qui idololatriam ſapiebant, & ad peſſimaquæque eos ſemper induxerant, vt natura comparatum eſt. Contrahunt enim eam res qualitatem, quam in alijs iuxta ſe poſitis ſenſerint.

Coloris bdelij.], עין הבדלח Hoc eſt, Specie bdelij: vt non magis ad colorem, quàm reliquam formam referatur. Ex quo cognoſcitur, bdelium eſſe margaritum, quia ei manna ſimile fuiſſe dicitur. Manna vero margaritum & colore, & ſpecie refert, quod & ſuo loco annotatum eſt: atque ita etiam traditur ab his qui apud Hebræos de lapidibus ſcribunt. Mirari autem ſatis non poſſumus Sept. qui quod Geneſi verterunt ἄνθρακα, id eſt, carbunculum, nunc interpretantur cryſtallum, καὶ τὸ εἶδος αὐτοῦ, ὡς εἶδος κρυστάλλου, ideſt, Et ſpecies eius, ſicut ſpecies cryſtalli. Quod certe neque credere dignum eſt. Nullam enim habet manna ſimilitudinem cum cryſtallo: licet bdelium eſſe cryſtallum, ſentiat & Rabbi Salomon, verum ecce veritas refragatur. Nam ſi manna coriandro ſimile eſſe perhibetur, & quaſi quidam acini & minutiſſima grana erant, & colore albere videbatur, quid huic ſimile eſſe poteſt cum cryſtallo?

Bdelium.

Et faciens ex eo tortulas.] . עגות id eſt, Tortulas, aut ſubcinericios panes, ac placentas, quibus oleum adhibetur. Quod & Septuaginta interpretati ſunt καὶ ἐποίουν αὐτὸ ἐγκρυφίας, id eſt, Et faciebant ex eo panes ſubcinericios, vt enim è farre, panico, & id genus farina exprimitur, ita è multis eius rei granis in vnum collectis tale quiddam cogebatur, quod panis vſum propè præſtaret. Ex quo cognoſcitur non eiuſdem fuiſſe generis manna illud, & hoc quod reperitur hac tempeſtate. Nam hoc, neque contunderetur, neque eum vſum poſſet præſtare, vt ex eo placentæ B fierent, niſi forte illud ſolidius fuerit. Neque hoc exigit, vt coquatur, ſed abſque alia diligentia edi ſolet.

Quaſi panis oleati.] . לשד השמן Hoc eſt, Humefacti oleo: ideſt, eius quod oleo perfuſum eſt, ſicut placentæ, & id genus panis: nam & eam expoſitionem ſacræ ſibi adhibent litteræ, & ipſæ ſeipſas explicant. Toto enim hoc loco, eius rei natura declaratur. Septuaginta & ipſi ὡσεὶ γεῦμα ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου, Hoc eſt, Quaſi ſapor eius, quod oleò admiſtum eſt: licet peruerſè verba perplexa ſint, nam quorſum tendit ἐγκρίς?

Quia grauis eſt mihi.] , כי כבד ממני id eſt, Quia grauior me eſt: comparatio fit: licet etiam Septuaginta eodem modo reddiderint ὅτι βαρύ μοι ἐστὶ τὸ ῥῆμα τοῦτο, Hoc eſt, quia grauis eſt hæc res mihi, patet autem ex præpoſitione Hebraica מ comparationem fieri.

Et inueniam gratiam in oculis tuis.] Ex hoc loco cognoſcitur, vbicunque ea locutio reperiatur, reperitur autem ſæpiſſimè, accipi gratiam pro miſericordia, à verbo Hebraico, חנן id eſt, miſertus eſt: itaque & Septuaginta hoc intelligentes, gratiam verterunt ἔλεος, id eſt, miſericordiam: neq; inuenies apud Hebræos gratiam pro venuſtate ac decore accipi, vt fit apud Græcos ac Latinos: ſed beneficio, charitate, miſericordiaque, & animi erga alterum propenſione, ſiue illi benefaciendum ſit, ſiue illius delictis ſit parcendum: quod certe etiam beneficij præclariſſimum genus eſt. Tamque liberalis habendus eſt, qui iniuriam condonauit, quàm qui ſuas large profudit facultates. Imò illud maius, quia difficilius, & Deo ſimilius. Hoc itaque nomine, ſæpe in diuinis litteris Deus vocatur ſcilicet, חנון hoc eſt miſericors, propter vtrunque beneficij genus, In quo mirabiliter eius nobis elucet maieſtas, ac magnitudo. Quis enim eo, ad largiendum propenſior? quis C ad iniurias condonandas procliuior? atque hæc præclariſſima illa ſunt, quæ de natura diuina, comperta non habuere philoſophi.

Gratia, pro miſericordia apud Hebr.

Senes populi ac magiſtri.] ושטרי hoc eſt, Ac principes, ſeu caduceatores, & comites: quos more ſuo Sept. vocant γραμματεῖς, id eſt, ſcribas: cùm tamen non ita rectè vocentur. Aliud enim ſonat ſcriba. Quamobrem eſt etiam in Euangelijs aduertendum, ſumptam eſſe appellationem hanc ex hoc loco, vt magiſtratus ac principes populi, ſcribæ appellarentur. Clarumq; eſt quid ſcriba denotet, non quod fortè ſentire cogimur, ſed quod ex hoc loco poteſt colligi, principes ſcilicet & ſummos viros, ac ſapientiſſimos, quales eſſent ῥήτορες apud Græcos ac σοφισταί.

γραμματεῖς. Scribæ.

Donec exeat per nares veſtras.] Quanquam אף narem ſignificet, os tamen ac faciem ſæpe denotat, quamobrem & pro ore videtur hoc loco ſumendum, id quod videtur veriſimilius. Donec inquit exeat ex ore veſtro, donec euomatis has carnes præ ſaturitate: quamuis & Septuaginta concordes cum Hieronymo ſint, ἕως ἂν ἐξέλθῃ ἐκ τῶν μυκτήρων ὑμῶν, id eſt, Donec exeat è naribus veſtris.

Nunquid manus domini inualida eſt.] חקצר, id eſt, Arctata eſt, breuiata eſt, decurtata eſt: ſumiturque manus, pro potentia, de more linguæ Hebraicæ. Loquitur enim diuina ſcriptura iuxta humanæ naturæ morem: quoniamque hominum robur in brachijs ac manibus ferè conſiſtit, ideo id de Deo prædicant, quod de hominibus foret dicendum. Non quòd Deo ſit adſcribendum, quod humanum eſt: ſed quod res diuinas, per res noſtras intelligamus. Quare dicit diuinam potentiam non eſſe diminutam, quæ inexhauſta eſt, & infiniti roboris. Recteque hunc locum interpretantur Septuaginta, μὴ οὐχὶ τοῦ κυρίου ἡ χεὶρ ἐξαρκίσει, id eſt, Nunquid non ſufficiet manus domini? Nam inter multas, quas Deo adſcribunt proprietates Platonici, eſt quòd vocatur

Manus, pro potentia.

tur αὐτάρκης, id eſt, Sibi ſufficiens: quia eius vis inexhauſta eſt, & ſibi perennis fontis vbertatem ſuppeditat, non aliunde accerſitam, ſed è domeſticis diuitijs atque infinitate natam. Non abbreuiari ergo manum Dei, eſt eius vires nunquam deficere, vt nullo tempore minores ſint, quia nunquam ſunt maiores. Quod enim augeri poteſt, poteſt etiam decreſcere, quia eadem vtriuſque rei eſt natura.

Nō abbreuiari manum Dei quid.

Vtrum meus ſermo opere compleatur.], היקרך דברי id eſt, Num pretioſum tibi ſit verbum meum: hoc eſt, num gloria ac potentia mea tibi admirationi futura ſit, num eam in pretio habiturus ſis, & diuinis laudibus exaltaturus. Quare cùm ea ſit ſententia, vehementer ab hac diſſentiunt Septuaginta ἤδη γνώσῃ ἐπεὶ καταλήψεταί σε ὁ λόγος μου. Hoc eſt, Iam cognoſces poſtquam comprehendet te verbum meum. Quæ quia veritatem non attingunt, non eſt quærendum quis eorum verborum ſenſus ſit, quem ne Sibylla quidem eruere poſſit.

Electus è pluribus.], מבחריו Hoc eſt, Ex iuuenibus eius, ex electis eius. Ne credamus electum de pluribus, id ſignificare, quòd inter cæteros Septuaginta eſſet electus. Et Septuaginta clarius hoc explanant, ὁ ἰησοῦς ὁ ἐκλεκτὸς αὐτοῦ. Ieſus inquiunt electus eius: poteſt ergo Hebraice intelligi ex iuuenibus eius, & electis, ſed primum probabilius.

Quis tribuat.] Hoc aduerbij loco vtuntur Hebræi: pro eo enim quod nos dicimus vtinam, illi quis dabit: atque eo modo exponendum eſt, vbicunque eius phraſis vſus acciderit.

Et ſiccauerunt eas per gyrum.], וישטחו להם id eſt, Et extenderunt expanderuntque ſibi. Tanquam inquiunt aceruos, quilibet ſuas congerebat coturnices, & ante ſuum tentorium coaceruabat, tanquam cumulum. Et quoniam magna earum cuilibet erat multitudo, eas extendere cogebantur. Atque hæc cùm ſententia ſit, neſcio quid opinatus ſit Hieronymus, quòd eas ſiccaſſe Hebræos ſcripſerit: num vt ea ratione coquerentur? quod certe abſurdum eſt credere. Si enim tanta ſolis fuiſſet vis vt coturnicum carnes exſiccaret, vtique & Hebræorum carnes ſiccaſſet. Septuaginta tamen eodem modo etiam tranſtulerunt, καὶ ἔψυξαν ἑαυτοῖς ψυγμούς, Hoc eſt, Siccauerunt ſibi ſiccationes: atque ita eos imitatus videtur noſter interpres.

CAPVT XII.

Propter vxorem eius Aethiopiſſam & dixe.] Deeſt in noſtra editione, alia particula, per quam infertur cauſa, cur in Moſen iraſcerentur: ait enim, כי אשה כשית לקח Hoc eſt, Eo quòd vxorem Aethiopiſſam ſumpſiſſet: quod vxorem Aethiopiſſam haberet: quod tamen non omittitur à Septuaginta. Refert hanc Ioſephus, Moſen duxiſſe, eo caſu quòd cùm in regia Pharaonis educaretur, electus imperator ſit contra Aethiopas, atque inde mulierem abduxerit captiuam, vxoremq; ſibi eam fecerit, filiam regis Aethiopum: duasq; vxores habuerit Moſes, hanc & Sephoram. Quod ego fabuloſiſſimum eſſe exiſtimo. Mentitur etiam Apollinaris duas vxores habuiſſe Moſen, quis enim non videt hæc ab eis eſſe ficta? Clarum enim eſt hanc eſſe Sephoram filiam ſacerdotis Madian: non quòd Madian Aethiopia ſit, quæ vltra Aegyptum eſt, ſed ea Aethiopia, quæ Arabiæ iuncta eſt, contra enim Madianitas pugnarunt filij Iſrael in Palæſtinam venientes. Et Madianitæ ex eis locis deſcendebant in Aegyptum.

Quod cùm audiſſet dominus, iratus eſt.] Non ponitur in contextu Hebraico, quòd Deus iratus ſit, ſed tantummodo וישמע יהוה Hoc eſt, Et audiuit dominus. Septuaginta quoque eam particulam non addiderunt, ſed tantummodo καὶ ἤκουσε κύριος, id eſt, Et audiuit dominus: quare abradenda eſt. Sumpta vero eſt ex inferiore loco, vt plerunque ſolet fieri, raro quidem in noſtris codicibus, creberrime vero apud Septuaginta, quod tranſcribentibus eſt attribuendum. Qui locos inter ſe ſimiles in margine notatos, in contextum intulerunt: vt quaſi ex eius corpore viderentur.

In viſione apparebo ei.] אתודע אלי id eſt, Cognoſcar ei, certus ei fiam: ſicut & Septuaginta, ἐν ὁράματι, αὐτῷ γνωσθήσομαι, Hoc eſt, In viſione cognoſcar illi: quanquam etiam alibi vtitur ſacra ſcriptura verbo apparendi: neque puto aliud eſſe apparere dominum per viſionem, & ſe ipſum reuelare, vt agnoſcatur, quantum mortalibus datum eſt. Quomodo autem fierent viſiones prophetarum, ipſe nouit qui dominus prophetarum eſt. Puto eis angelum apparere, & de futuris eos certiores reddere ſolitum; non quòd res futuras per quandam conceptionem præſentirent, ſed quòd alloquente eos angelo, rerum futurarum arcana intuerentur. Fiebat etiam alia ratione futurorum præſenſio, cùm ipſæ rerum imagines præſentes cernerentur, vt incendium, vt captiuitas alicuius vrbis. Ipſa enim ſe res eorum menti ratione quadam diuina exhibebat, ſicut & virga Moſis in draconem verſa eſt, vltimaque harum rerum cauſa eſt, quia Deus hoc, & alia maiora poteſt. De genere autem prophetiæ quo Moſes adeo dignus effectus eſt, ecce clarum eſt, quid ſit ſentiendum. Non enim per viſiones ac ſomnia quicquam eam proſpecturum dicit, ſed familiariter Deo per angelum eum alloquente, rerum veritatem intellecturum. Quinque autem prophetiarum genera ex hoc loco poſſunt colligi. במראה id eſt, Per viſionem, cùm rem intuemur per viſiones. בחלום id eſt, In ſomnio, quod per viſionem etiam eſſe poteſt, בחידות id eſt, In ænigmate, cùm aliud videtur, aliud innuitur, vt erat cùm librum comederet Ezechiel, & Ioannes in Apocalypſi.

Quinque prophetiarum genera.

A calypſi. בתמונות id eſt, Per figuras, hoc eſt cum rerum imagines intuemur, cùm acies, cùm choros, cùm pompas, cùm præclariſſima quædam conſpicimus. Hæc autem ſuperiora genera omnia per reſolutionem corporis fiunt, ſiue dormiendo, ſiue etiam vigilando, cùm ſenſus terrenarum rerum eripitur, vt neque videamus oculis, neque audiamus, neque tangamus, totaque mens ad eas corripiatur viſiones. Ideo vltimum præſtantiſſimumque genus eſt, quod non fit per reſolutionem, ſed nihil ſtatu corporis immutato, allocutio diuina fit, quod puto pauciſſimis contigiſſe. Atque hoc genus prophetiæ eſt quo Deus affatur ſanctiſſimos angelos, atque archangelos. Prophetia enim appellatur, omne cum Deo commercium, omnis conſuetudo, omnis confabulatio. Igitur ſanctiſſimi angeli, ab illa æterna ſapientia rerum futurarum ſcientiam, omnemque agnitionem propter continuam aſſiſtentiam, & diuinam familiaritatem, ſacratiſſimamque amicitiam hauriunt: cuius & Moſen participem ſe feciſſe teſtatur, rei nimirum admirabilis, & quæ ſupra omnes theſauros ſit exoptatiſſima, in qua diuinas & inauditas voluptates poſitas eſſe cenſeo: commercium feliciſſimum, amicitia fortunatiſſima. Finis omnium deſideriorum, vita beatiſſima. Oportet autem, ſi eò tranſuolare cupimus, ſimiles angelis nos reddere, vt nulla in noſtris animis labes, nullus dolus, nullæ fraudes, nullæ improbitates appareant: quibus qui purior fuerit, propius ad æternas illas admittetur voluptates.

Prophetia quid.

Contra eos abijt.] Non contra eos abijt, ſed ſimpliciter, abijt, ac receſſit ex eo loco, vt poſtea declaratur. Septuaginta vero puto recte quidem vertiſſe, ſed locus mendoſus eſt, καὶ ἀπῆλθον, id eſt, receſſerunt, Pro eo quod dicendum eſt, καὶ ἀπῆλθεν, id eſt, & abijt.

Donec reuocata eſt Maria.] עד האסף id eſt, Donec adiuncta eſt, congregata eſt. Septuaginta dimiſſis verbis, ipſam rem explicant ἕως ἐκαθαρίσθη ἡ μαριάμ, id eſt, donec expiata eſt Mariam. Nam B reuocata non fuiſſet, niſi à lepra mundata.

CAPVT XIII.

O *See filium Nun.*] Incredibilis in his duobus nominibus corruptela & apud nos & Græcos. Nam cùm Ioſue duobus nominibus appellaretur, Iehoſua, & Osheha, ita hæc corruperunt Græci, vt primum in Ieſum commutarint, alterum in Auſes: quos etiam nos ſecuti ſumus non vſquequaque quidem, nam Hoſea, ſuo nomine appellamus. In altero quoque nomine ſcilicet Nun, ſumma deprauatio, quia hunc, qui Nun erat dicendus, Naui vocarunt Græci, quos etiam nos aliquando ſequimur, neque hæc litterarum permutatio rationabiliter facta eſt, ſed eadem fuit cauſa vt hæc deprauarentur, qua cætera deprauata ſunt. Nam & Iſai, vocatus eſt Ieſſe, & Reuma, Roma: atque ita pleraque alia.

Ioſue nominis deprauatio.

Per meridianam plagam.] Perſtant Septuaginta vertentes id quod meridiem apud Hebræos ſignificat, τὴν ἔρημον, id eſt, deſertum. Neque abeſt à veritate vt ita interpretentur: de qua re ſæpe alias ſcrip ſimus: nam deſertum Arabiæ ac Palæſtinæ, in mare rubrum ac meridiem ſpectat.

Erat autem tempus quando præcoquæ.] , והימים ימי בכורי ענבים hoc eſt, Et dies illi, erant dies primitiæ vuarum. Cùm ſcilicet primæ vuæ matureſcunt, & principium antumni appetit: quamobrem male is locus habetur apud Septuaginta, καὶ αἱ ἡμέραι, ἡμέραι ἔαρος πρόδρομοι σταφυλῆς, hoc eſt, Et dies illi, dies verni, qui præcedunt vuas. Videmus autem quantum inter vtrunque tempus C interſit. Deinde & illud impoſſibile eſt. Quo modo enim cohæret, vt ver eſſet, & prima maturitas vuarum? Puto autem per corruptelam additum eſſe ἔαρος, dicendumque tantummodo eſſe, καὶ αἱ ἡμέραι, ἡμέραι πρόδρομοι σταφυλῆς. Patetque non eſſe ipſorum interpretum errorem, ſed ad alias recurrendum eſſe cauſas.

Filij Henach.] . ילידי הענק hoc eſt, Filij Henach, aut natiui ex Henac, vt non filij Henac mox eſſent, ſed inde genus ducerent Quemadmodum ſentiunt & Septuaginta, hoc modo hunc locum vertentes, καὶ ἐκεῖ σεσεὶ, καὶ θελαμεὶ γενεαὶ ἐνάκ, id eſt, Et ibi erant Seſi, & Thelami, progenies Henac: quos paulò poſt ſequitur & ipſe Hieronymus. Obſeruandum vero eſt, quòd Henac & viri alicuius proprium nomen eſſe poteſt, & omnium in vniuerſum gigantum, quia is gigas fuerit. Propterea Chaldaica editio hunc appellat hoc loco גבריא id eſt, gigantem, & quos Hebraicus contextus vocat filios Henac, ibi בני גבריא id eſt, filij gigantis, nuncupantur.

Ante Thanim vrbem Aegypti.] Credo Septuaginta didiciſſe eo modo eam vrbem vocari apud Aegyptios, cùm alioquin Hebraice nuncupetur Zohan. Huic rei facit fidem, quòd & Chaldaica editio eam appellat Thanim, de qua Rabbi Salomon וצען היא המעולה שבארץ מצרים ששם מושב המלכים, hoc eſt, Zohan præclara vrbs Aegypti eſt, vbi regum erat habitatio. Ideo dicitur de plagis Aegypti in campo Thaneos, quia ibi primum apparebat plaga, & ab ea vrbe per vniuerſam Aegyptum diffundebatur, vt caput prius tangeretur, dein reliqua membra. Si aqua corrumpebatur, ea prior vrbs calamitatem patiebatur. Si ranæ proferrentur, ibi primum oſtentum cernebatur. Quia & ſcelerum colluuies ibi potiſſimum vigebat. Vbi enim regiæ ſunt, maiora & crebriora flagitia admittuntur, ſiue propter frequentiam, ſiue quòd id genus hominum curias potiſſimum adeat. Hieronymus itaque Septuaginta ſecutus, zohan vocauit Thanin.

Cãpus Thaneos.

Portauerun

Portauerunt in vecte.] במוט id eſt in haſtili, ſude, vectes etiam vertunt Septuaginta καὶ ἦραν αὐτὸν ἐπ' ἀναφορεῦσι. id eſt. Eleuauerunt ipſum ſuper vectes.

Detraxerunt terræ.] ויוציאו דבת hoc eſt, Extraxerunt vituperationem terræ: id eſt, Protulerunt, detraxerunt. Quamobrem cùm is ſit ſenſus, & verba non aliud ſignificent, miror Septuaginta quòd longe diuerſius ediderint, καὶ ἐξ ὤνεγκαν ἔκστασιν τῆς γῆς, id eſt, Et extraxerunt aut emiſerunt, aut protulerunt extaſin terræ. Patet Hebraicarum litterarum vel mediocriter peritis דבה ſignificare infamiam, dedecus, extaſin vero nunquam. Illud vero maiorem affert admirationẽ, non enim alibi eo modo interpretati ſunt, ſed vt ipſum ſignificat vocabulum, maxime Pſal. 31. vbi quod hic interpretantur extaſin, ψόγον verterunt, id eſt vituperationem. Et in Geneſi de infamia fratrum Ioſeph. Quamobrem exiſtimo alios eorum editionem deprauaſſe. Non enim à ſeipſis in re tam manifeſta diſſentirent.

Monſtra quædam filiorum Henac.] Explicandæ rei gratia poſitum hoc à Hieronymo eſt, cùm alioquin contextus ſic habeat, ושם ראינו את הנפלים בני ענק מן הנפלים hoc eſt. Ibi vidimus gigantes filios Henac ex genere giganteo, aut ex gigantibus. Silent Septuaginta filios Henac. Hi igitur gigantes illius terræ fuiſſe memorantur, quorum ingens eſſet corporis vaſtitas. Dicti autem

Filij Henac sunt filij Henac quia is ſæculis illis nominatiſſimus erat, & de eius proceritate paſſim fama increbuerat. Quod neque Græci ſilent ſcriptores, apud eos de Henac ſic legimus, ὀνομαστώτατος ὢν οὗτος, καὶ πολλυθρύλλητος ὡς εἰκὸς, διὰ τὸ τοῦ σώματος μέγεθος, καὶ τὸ γένος πάντως τῷ πρωτογόνῳ ἐώκει, id eſt, Nominatiſſimus is erat, & celeberrimus, vt veriſimile eſt, propter corporis vaſtitatem, totumque reliquum genus, primum parentem referebat. Ex hoc loco eorum con-

Nephilim. uincitur error, qui putant per nomen, נפילים non gigantas, ſed ſpiritus immundos ſignificari, qui tempore Noe per orbem terrarum verſarentur, appellatoſque Nephilim, à Naphal, id eſt cecidit, quia hi ſint, qui è cælo ceciderint, conuincitur inquam eorum error. Nam ſi eo nomine dæmones è cælo lapſi ſignificarentur, non gigantes, non vtique etiam homines hoc vocabulo vocarentur. Ecce enim hoc loco filij Henac vocantur Nephilim, quos homines fuiſſe, nemo inficiaretur. Vt autem eo nomine hic gigantes ſignificantur, ſic in Geneſi. Quod ſi verum non eſt, oſtendant rationem diuerſitatis.

CAPVT XIIII.

SI dominus propitius fuerit.] אם חפץ בנו יהוה hoc eſt, Si dominus voluerit nos: Si procliuis in nos fuerit: ſi voluntas eius erga nos propenſa eſt. Quod & Septuaginta eodem ferè modo, εἰ αἱρετίζει ἡμᾶς κύριος, id eſt, Si dominus eligit, aut excipit nos.

Receſſit ab eis omne præſidium.], סר צלם מעליהם hoc eſt, Receſſit protector eorum, aut præſidium eorum ab eis. Atque ita etiam exponunt interpretes Hebræi. Rabbi Salomon, Præſidium, inquit, eorum, receſſit ab eis, & protector eorum, & qui roborabat eos, quia principes qui erant inter eos mortui ſunt, Iob præſertim qui erat eorum defenſor. hæc Rabbi Salomon. Quamobrem cum is ſit ſenſus & ſignificatio dictionis, צל vt tranſtulit Hieronymus & vt exponunt Hebræorum interpretes, miror cur Septuaginta tantopere ab hoc deuient, hoc modo, ἀφέστηκε γὰρ ὁ καιρὸς ἀπ' αὐτῶν, id eſt, Receſſit enim occaſio ab ipſis. Præſidium, occaſionem facere, non mediocris differentiæ eſt. Neque poteſt quicquam eos tueri, niſi dicamus occaſionem in ducibus & præſidijs & auxilijs eſſe poſitam, atque hanc intellexiſſe Septuaginta: occaſionem videlicet qua ſe tueri poſſent, quod non omnino eſſet improbandum.

Super tectum fœderis.] באהל מועד id eſt, In tabernaculo fœderis. Neque ferè eſt aliud, quàm quod opinatus eſt Hieronymus, qui ſæpenumero ea prudenter adhibet, quæ clariorem facere poſſint editionem. Septuaginta partim cum Hebraico conueniunt, partim diſſentiunt, καὶ ἡ δόξα κυρίου ὤφθη ἐν τῇ νεφέλῃ ἐπὶ τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, hoc eſt, Et gloria domini viſa eſt in nube, ſuper tabernaculum teſtimonij. Diſſentiunt in eo, quod in nube dicunt apparuiſſe, cuius rei nulla in contextu ſit mentio.

Feriam eos peſtilentia.]. בדבר Quod peſtilentiam ſignificat: quare Septuaginta diſſentiunt, πατάξω αὐτοὺς θανάτῳ, hoc eſt, Percutiam eos morte.

Te autem faciam principem ſuper gentem ma.] Redundat principem, & forte corrumpitur ſententia ſi addatur princeps: non enim alterius gentis principem eum ſe facturum dicit, ſed illum ipſum Moſen aucturum, genus eius & progeniem propagando. Quare principem abradendum eſt, neque enim in contextu habetur. Credo tamen Hieronymum id ſenſiſſet, vt Deus promitteret Moſi, illum ſe facturum in gentem magnam, cuius Moſes caput eſſet, ac totius generis auctor, & princeps. Septuaginta vero aliud ſuperfluè addiderunt, te inquiunt, faciam in gentem magnam, καὶ τὸν οἶκον πατρός σου, hoc eſt, Et domum patris tui, ſumptum ex alio loco.

Μακρόθυμος. Longanimis. *Dominus patiens.*] ארך אפים id eſt, Tardus in ira & furore, Sero puniens, pœnitentiam expectans. Eleganter autem Septuaginta propter Græci ſermonis commoditatem in vnum nomen, totam hanc ſententiam contulerunt, Deum vocantes μακρόθυμον, quod multi interpretati ſunt longanimem, quæ certe ſententia nominis minime eſt. Ibi enim θυμὸς non animum ſignificat, ſed iram & furorem. Ergo μακρόθυμος dicitur, qui ſuum furorem compeſcit, & in longum protrahit, ſero puniens, cuius furor non illico efferbet, ſed maxima interponit interualla, vt detur peccantibus reſipiſcendi locus. Vt ſi puniendi ſunt, ſero tandem puniantur, nulla eis erepta prius reuocandi ſui commoditate. De qua re præclarè ſcripſit Plutarchus. Adeò ne gentibus quidem erat incognitum, Deum eſſe patientiſſimum, qui cùm offenſus grauiter fuerit, ſiue in illum primo coniecta iniuria ſit, ſiue quia mutuo ſe lædunt homines, in qua re & ipſe grauiter læditur, expectat tamen, & condonat tanta patientia, vt nemo hominum inueniri poſſit, qui æquiore animo iniurias toleret: Nec mirum ſi tanta eſt per totum orbem terrarũ flagitioſorum hominum multitudo, qui non ſint illico poſt perpetrata facinora perempti: expectat enim clementiſſimus & humaniſſimus dominus. Neque debet quiſquam tam cæco & imprudenti eſſe iudicio, vt hanc humanitatem, negligentiam ſiue improuidentiam interpretetur, vt plerique etiam philoſophorum fecerunt: ſed intelligat diuinæ proprium eſſe naturæ, peccantibus condonare, humaniter parcere, reſipiſcentiam expectare: quod etiam mortales principes ſi facerent, laudatiſſimi haberentur, & Dei ſimiles dicerentur. Nihil vero tam remotum à diuina natura eſt, quàm crudelitas, & inhumanitas, quæ propria eſt belluarũ, & hominum qui belluis quidem ſimiliores ſunt, diſſimiliores autem Deo. Neque quicquam eſt quo magis delectari diuinam naturam intellexerimus, quàm humanitate, charitate, beneuolentia, iure, atque æquitate. Quæ qui magis fuerit amplexus, is erit Deo ſimilior, ac propterea ſapientior & magis homo.

Plutarch. de Dei ſapientia.

Viuo ego.] Additum eſt in codicibus Septuaginta, καὶ ἀεὶ ζῶν τὸ ὄνομα μοῦ, hoc eſt, Et viuit ſemper nomen meum. Appoſitum fortaſſe ex alijs locis ſimilibus.

Neque quiſquam ex illis qui detraxit.] Etiam hoc loco, in codicibus Septuaginta multa redundant, quæ aliũde ſumpta ſunt, ἀλλ' ἢ τὰ τέκνα αὐτῶν ἅ ἐστὶ μετ' ἐμοῦ ὧδε, ὅσοι οὐκ οἴδασιν ἀγαθὸν ἢ κακὸν, πᾶς νεώτερος ἄπειρος τούτοις δώσω τὴν γῆν. hoc eſt, Sed filij eorum qui mecum hic ſunt, qui neſciunt bonum ſiue malum, omnis iunior, malorum neſcius, his inquam dabo terram. Tota hæc periodus ſuperflua eſt, & non ab ipſis interpretibus addita, ſed ſcriptoribus, qui ſimiles locos in ſimiles commiſcuerunt. quod vt alias dixi, aliquàndo & apud nos fit, ſed raro, in Græcorum autem codicibus præſertim in Italia impreſſis creberrime.

Et ſcietis vltionem meam.], חנואתי id eſt, Prohibitionem meam, qua prohibebo vos, ne ad terram perueniatis. Veruntamen etiam ſecundum Hieronymum verterunt Septuaginta, aut Hieronymus ſecundum illos καὶ γνώσεσθε τὸν θυμὸν τῆς ὀργῆς μου. hoc eſt, Et cognoſcetis furorem iræ meæ. Quare paulo diuerſior eſt ſententia.

At illi contenebrati.], ויעפלו Quod alio modo exponitur ab Hebræis. Dicunt id verbum ſignificare robur, vires. Exponit ergo Rabbi Salomon, Et roborati ſunt, & confortati ſunt, & ſe mutuo ſolati ſunt: aut ad arma eſt referendum, quòd probe armati aſcenderunt: videtur autem noſter Hieronymus legiſſe, יאפלו vt loco hain fuerit aleph, quod certe valde probabile eſt. Rabbi quoque Salomon, producit aliam expoſitionem, quæ cum noſtra editione ſentit, quòd tenebrati, aſcenderunt. Sicut illi miſeri Troiani:

Inſtamus tamen immemores cæciq́; furore.

Ita hi Deo inuito, furore & inſania correpti, terram attingere volebant. Chaldaica vero editio, וארשעו למסק לריש טורא hoc eſt, Et ſcelerate auſi ſunt cacumen montis conſcendere. Septuaginta vero, horum nihil poſuerunt, ſed quaſi non eſſet in contextu, nullam huius verbi mentionem fecerunt καὶ διαβησάμενοι ἀνέβησαν. id eſt, Et tranſeuntes aſcenderunt.

CAPVT XV.

ITa & de pulmentis.], ראשית עריסתיכם hoc eſt, Primum, aut primitiæ omnis eius rei ex qua panis fit, id eſt, ea quæ in procinctu ſunt, vt ex his fiant panes & coquantur, vt eſt paſta, & id genus. Hæc, inquit, antequam comedantur à vobis, date operam vt prius placentulam inde tollatis, quæ Deo offeratur, vt prius os veſtrum non contingat, quàm Deo veſtro ex ea aliquid obtuleritis, in memoriam Dei, ne è veſtro pectore illius recordatio excidat. Atque hoc etiam modo exponit Rabbi Salomon. Ponitur autem expreſſe in contextu Hebraico quid offerre ex his debent, quod omiſſum eſt ab Hieronymo: ſcilicet חלה Offeretis, inquit, ex his omnibus chala, quod Rabbi Salomon exponit Italice tortulam. Quod neque etiam apud Septuaginta ponitur. Is itaque erat cenſus Dei, quem illi offerebant, quo ſe eius imperio ſubiectos eſſe ſignificarent, & vt oſtenderent ea ſe ab eo accepiſſe: adeò genus humanum non vult ſui conditoris obliuiſcatur. Præclare vero Septuaginta verterunt φύραμα, quod Hieronymus reddidit pulmentum. Illud enim magis veritatem attingit: quo ſignificatur, corpus ex aqua & farina iam conflatum, vt ex eo panis fiat, quod non ita exprimitur per pulmentum. Nam aliud forte per hoc intelligeremus.

Anima quæ per ſuperbiam.] Quod ſæpe admonuimus, oportere non tam verborum ſignificationes transferre, verumetiam locutiones & phraſes immutare, ne quod in vna lingua venuſtiſ-

Manus ꝓ audacia.

Peccare manu excelſa.

ſimum eſt & clariſſimum, in altera fiat obſcuriſſimum : id vel ex iſto loco licet cognoſcere. Tota enim locutio immutata eſt : ſic enim habet, Anima quæ peccauerit, aut fecerit aliquid ביד רמה id eſt, Cum manu extenta, excelſa, elata. Quam locutionem niſi immutaſſet Hieronymus, pauciſſimis cognitum fuiſſet, quid per eam ſignificaretur : quod non eſt omnino obſeruatum à Septuaginta, ſiquidem vertunt : Anima quæ fecerit aliquid ἐν χειρὶ ὑπερηφανείας. id eſt, In manu ſuperbiæ : quod, vt dixi, non adeo multis eſſet notum, quid ſibi vellet. Diximus itaque ſæpenumero manum pro audacia, fortitudine, arrogantia ſumi. Igitur peccare in manu excelſa, eſt totis conatibus peccare, & omnibus viribus adhibitis, & cum audacia atque arrogantia, & quaſi per contemptum. Nam qui per inſcitiam peccat, effugit eius mentem cognitio peccati : qui autem in manu elata, hunc quid faceret non latebat. Neque ex imprudentia proficiſcebatur peccatum, ſed alia deteriore animi affectione, ſcilicet ſuperbia, atque audacia, & barbaro ſpiritu. Quare Septuaginta obſcuriores ſunt quàm deceat.

Quoniam domino rebellis fuit.] מגדף, hoc eſt, Blaſphemat, ſiue contemnit, reijcit, rebelli animo in Deum exiſtit, quòd à ſua ſignificatione diuerſius verterunt Septuaginta οὗτος παροξύνει τὸν κύριον, Is exaſperat dominum, ad furorem concitat.

Et præceptum illius fecit irritum.] הפר, Hoc eſt, Exinaniuit, euacuauit, irritum fecit, ac diſſoluit. Quod præclare etiam Septuaginta καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ διεσκέδασεν. Hoc eſt, Et mandata eius diſſipauit, deſtruxit, diſcidit.

Vt faciant ſibi fimbrias per angulos quatuor.] Per angulos quatuor non ponitur, ſed tantummodo על כנפי בגדיהם, Hoc eſt, Super oras veſtimentorum ſuorum : ſicut alibi vertit etiam Hieronymus quod neque à Septuaginta poſitum eſt, ſed tantummodo καὶ ποιησάτωσαν ἑαυτοῖς κράσπεδα ἐπὶ τὰ πτερύγια τῶν ἱματίον. Hoc eſt, Et facient ſibi fimbrias, ſuper alulas veſtimentorum. Vertunt autem alulas, non diſtinguentes nominis Hebraici amphibologiam, nam כנף alam ſignificat, & oram, & angulum, ſed pro angulo erat hoc loco accipiendum. Dico igitur non tantum de quatuor angulis præcipi, ſed de tota ora veſtimenti totaque extremitate, per quam fimbrias ducerent. Quæ puto ab apoſtolis vocem IESV CHRISTI in Græcam linguam vertentibus,

Phylateria

phylateria eſſe vocata, à verbo Græco φυλάττω, id eſt, cuſtodio, quia per ea ſignificaretur, diuina mandata memoriæ eſſe tenenda, & diligenter cuſtodienda. Igitur per totam veſtimenti oram, fimbria hyacinthini coloris, id eſt, cærulei ſe porrigebat, quæ vocatur Hebraice zizith. Græce phylaterium. Vitta cærulea erat ipſa fimbria, aut tota hyacinthina, aut partim, vt tamen veſtigium appareret. Quamobrem ſuper fimbrias vitta non ponebatur, vt noſtra & Septuaginta innuit tralatio, ſed vitta & fimbria erat idem.

CAPVT XVI.

Ecce autem Chore.] Hoc principium alio modo inchoatur Hebraice ſic ויקח קרח Hoc eſt, Et tulit Chore : ſubaudiuntque Hebræi tulit ſeipſum, id eſt, diuiſus eſt à toto cœtu Iſrael : quia ſeditionem excitare parabat : propterea Chaldaica editio, quæ in locis obſcuris maximo Hebræis adiumento eſt, ſic habet, ואתפליג קרח Hoc eſt, Et diuiſus eſt Chore. Et Separatus eſt ab alijs, aut ſectam ſibi peculiarem facere molitus eſt. Quapropter & Rabbi Salomon, hanc ſecutus ſententiam, his eam verbis explicat. Tulit inquit Chore לקח עצמו לצד אחר להיות נחלק מתוך העדה לעורר על הכהונה וזהו שתר אוקלוס ואתפליג. Quorum verborum is ſenſus. Tulit, inquit, ſeipſum Chore ex alia parte, vt ab vniuerſo cœtu eſſet abiunctus, & de ſacerdotio contenderet. Atque hoc eſt, quod interpretatus eſt Onchelos, Et diuiſus eſt Chore : hæc ille. Quamobrem id erat capitis huius principium, quod certe omiſſum eſt à Hieronymo. Septuaginta vero aliud omnino diuerſius interpretati ſunt καὶ ἐλάλησε χορέ. id eſt, Et locutus eſt Chore. Neque ponunt quid locutus ſit, quod profecto mihi videtur mirum : ſed quoniam clarum eſt, quomodo locus ſit intelligendus, nihil ad eius explicationem citabimus aliud.

Sufficiat vobis.] רב לכם, hoc eſt, Multum vobis eſt, plurimum eſt vobis, quod Rabbi Salomon, hoc modo exponit, הרבה יותר מראוי לקחתם לעצמכם גדולה, hoc eſt, Plurimum vobis eſt, & pluſquam æquum eſſet vobis vſurpaſtis : omnes inquiunt æquales ſumus, & Deus apparuit æque omnibus, vos tamen vſurpaſtis vobis totius populi imperium, quaſi vobis ſolis Deus apparuerit, allocutuſque ſit. Quamobrem cùm hæc ſit ſententia, noſtra editio eam non expreſſit : minus etiam Septuaginta qui ſuo more, cùm quid obſcurum inciderit, obſcurius faciunt interpretando, ἐχέτω ἐν ὑμῖν. id eſt, Habeat in vobis. Quis obſecro ex hiſce verbis ſenſus elici poteſt, non ſolum ille verus, ſed vel alius ? ſententia vero clara eſt.

Quia omnis multitudo ſanctorum eſt.] Hoc etiam obſcurum eſt, & fortaſſe in aliam ſententiam quàm res expoſcat, verſum. Textus ſic habet, כלם קדשים Hoc eſt, Omnes hi ſancti ſunt : æqualis, inquiunt, eſt omnium ſanctitas : omnes æqualiter per conſortium diuinum ſanctificati ſumus : omnibus illud numen innotuit : cuius commercio omnes æquè conſecrati ſumus. Non eſt quòd vos ſuperiores cæteris faciatis.

Mane notum faciet.] Cùm hæc vere ſit ſententia, nequaquam declaratur à Septuaginta, ſed

aliud

A aliud neſcio quid ſenſiſſe videntur ἐπέσκεπται καὶ ἐπέγνω ὁ θεὸς τοὺς ὄντας αὐτοῦ. id eſt, Animaduertit & cognouit Deus qui ſui eſſent. Ecce omiſerunt etiam mane, quòd omnino erat neceſſarium, & tempus immutarunt.

Multum erigimini.], רבל כם id eſt, Multum vobis eſt, multum vobis tribuitis. Septuaginta longe diuerſius ἱκανούσθω ὑμῖν. ſatis ſit vobis: quare non eſt ea ſententia.

An & oculos noſtros.], העיני האנשים ההם תנקר hoc eſt: Nunquid oculos illorum erues? non enim de ſeipſis loquuntur, ſed de exploratoribus, Vis, inquit, eis oculos adimere ne improbarent, quæ eſſent improbãda, ne damnarent, quæ forent damnanda: terram, ſcilicet illam, quã tu iactas lactis & mellis fontibus diſcurrere. Eorum oculi hoc didicerunt. Tu aũt nolles eos vidiſſe illius deformitatem, quia imperium concupiſcis, & damnari nos conaris. Sept. quanquam cum Hebraico cõueniunt, aliter tamen diſcrepant. τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων ἀπέκοψας. hoc eſt: Oculos hominum illorum eruiſti. Ecce primo interrogationem dimittunt, in qua tota ſignificatio conſiſtit, deinde per præteritum pronunciant, quod omnino in futurum ſpectabat.

Nec aſellum quidem.] Septuaginta aſellum verterunt ἐπιθύμημα. id eſt, Cupiditatem: ſicut vltimo Geneſis capite, fecerunt. Credo eos ſimilitudinem decepiſſe, quæ eſt inter duas dictiones, חמד. id eſt, concupiuit, & חמור id eſt, aſinus. Aut certe ea tempeſtate loco reſc, erat dalet, inter quas litteras quia maxima eſt ſimilitudo, facilis eſt ab vna ad alteram lapſus.

Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis.], אל אל חי הר ואות לכל בשר hoc eſt, Deus deorum ſpirituum omnis carnis: & vt vertit Hieronymus fortiſſime Deus: nam אל nomen vnum diuinum eſt, à fortitudine ductum. Hanc autem totam periodon male admodum redditam apud Septuaginta le-

B gimus, θεὲ θεὲ τῶν πατέρων καὶ πάσης σαρκός. id eſt, Deus Deus patrum & omnis carnis: pro eo quod dicendum fuerat, Deus deorum, aut Deus deus ſpirituum, illi Deus patrum: videnturque legiſſe aliquid aliud puta, אבות id eſt, patrum. Rara tamen ſolet eſſe hæc permutatio, & non eſt admodum veriſimile codices adeo nunc eſſe ab illis immutatos, vt dictio pro dictione irrepſerit. Adſcribendum igitur potius ſcriptorum imperitiæ: quia ſcriptura horum nominum apud Græcos admodum ſimilis eſt, ſcilicet πατέρων & πνευμάτων. Atque ideo alterum in alterum facile commutatum eſt.

A tabernaculis impiorum.], הרשעים האעה .i. Impiorum iſtorum. Quare male apud Sept. τῶν ἀνθρώπων τῶν σκληρῶν τούτων. id eſt, Ab hominibus duris aut proteruis iſtis: nam רשע ſignificare impium, ipſi mihi Septuaginta teſtes ſunt, qui primo pſalmo, Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum: vbi eſt præſens vocabulum, verterunt ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. hoc eſt, In conſilio impiorum.

Si rem nouam fecerit.], אם בריאה יברא id eſt, Si creaturam creabit: aut ſi aliquid producet tanquam nouum & inſolitum. Quare etiam hoc Septuaginta non conſentaneæ Hebraico reddiderunt. εἰ ἐν χάσματι δείξει κύριος. id eſt, Si in hiatu oſtenderit Deus: vt ſcilicet terram faciat aperire: declarant enim rem in particulari, quæ in vniuerſum fuerat poſita.

CAPVT XVII.

Teſtari, ꝓ loqui Dei cum homine.

VBi loquar ad te.], אשר אועד לכם שמה hoc eſt, Vbi teſtificabor vobis, aut teſtimonium mei vobis exhibebitur, vbi mei conteſtatio vobis fiet. Apparet autem teſtari hoc loco, ſumi

C pro eo quod eſt loqui Deum cum homine, & teſtimonia Dei eſſe eius oracula, eius voces, eius eloquia. Et cùm ille precatur, inclina cor meum in teſtimonia tua: nihil aliud eſt, quàm voluntatem meam, cogitationes meas, deſiderium meũ inflecte ad ea quæ locutus es, ad tua oracula, præcepta tua, in quibus vita & animi & corporis poſita eſt. Septuaginta vero hunc locum verterunt, ἐν οἷς γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖ. id eſt, Vbi cognoſcar tibi: & certe non eſt ea ſententia omnino, Videnturq; duo verba quæ ſimillima inter ſe ſint, non diſtinxiſſe, ſcilicet אועה, & אודע quorum alterum futurum eſt à verbo, ידע id eſt cognouit, alterum etiam futurum, à verbo יעד, hoc eſt teſtatus eſt: ſed primum profertur iuahed, id eſt, teſtificabor, alterum iuadeha, hoc eſt, cognoſcar. Atque alterum pro altero videntur illi accepiſſe: poteſt autem & illud dici, teſtificari nil eſſe aliud quàm cognoſci, cùm de re teſtimonia exhibentur. Sed in eo poſita eſt verior expreſſio, & euidentius res de qua hic ſcribitur, per id verbum declaratur: quanquam fortaſſe hæc non ita ad vnguem reſecanda ſunt.

Abſque virga Aaron.] Omittitur quod erat maxime neceſſarium, ſcilicet, ומטה אהרן בתוך מטותם hoc eſt, Et virga Aaron, in medio virgarum eorum erat poſita: quod non eſt omiſſum à Septuaginta καὶ ἡ ῥάβδος ἀαρὼν ἀνὰ μέσον τῶν ῥάβδων αὐτῶν. hoc eſt, Et virga Aaron, in medio virgarum illorum: quippe qui à Deo ſacerdos electus fuerat, & inter cæteros principatum obtineret. Quod autem loco huius ſententiæ ſubſtituit Hieronymus excepta virga Aaron, neſcio an ſit veridice dictum. Cùm neque in contextu Hebraico habeatur, neque etiam verum ſit, fuiſſe xij. virgas, excepta virga Aaron. Imò vnà cum virga Aaron. Quælibet enim virga tribum repræſentabat. xij. vero erant tribus, quare nec virgæ plures xij. eſſe potuerunt. Superfluit igitur abſque virga Aaron, ſed loco eius ponendum eſt, Et in medio earum virga Aaron: nam neq; apud Septuaginta ea ſit exceptio.

In domo Leui.] Quanquam prudentioribus notum ſit, imperitis tamen Hebraica eſſent notiora, quæ ſic habent, לבית לוי Domui leui: germinauit, inquit, virga Aaron, domui Leui. Quod magis à ſua proprietate alienum à Septuaginta eſt redditum, εἰς οἶκον λευὶ, in domum Leui, quod certe ſubabſurdum eſt. D

In amigdalas deformati ſunt.] Totum hunc locum elegantiſſime vertit Hieronymus, obſeruata diligenter & verborum & ſententiarum proprietate: & quod maius quoq; eſt, obſeruato etiam quo modo apud Latinos eſſent hæc clariora: nam ſi verbum è verbo ex Hebraico reddideris, præter maximam abſurditatem, etiam illud accedet, quia vix intelligentur. Quamobrem Ioannes Phorcenſis, vir alioquin eruditiſſimus, non iuſte mea quidem ſententia, noſtræ editioni Hebraica verba ſimpliciter verſa hoc loco prætulit. Quod igitur vertit Hieronymus, In amigdalas deformati ſunt, Hebraice eſt, ויגמל שקדים Hoc eſt, Et protulit amigdalas. Septuaginta vero magis genus quàm ſpeciem tranſtulerunt, ſcilicet καὶ ἐβλάςησε κάρυα, id eſt, Et protulit nuces: quod ad alia quàm amigdalas poteſt quoque pertinere. Hebraicum tamen nomen, amigdala ſignificat. Afferuntque Hebræi interpretes cauſam, cur magis amigdala quàm alium fructum virga protulerit, quia is fructus, facilius & celerius quàm reliqui erumpat, & alijs locis inuenitur id nomen amigdalum ſignificare, quare non genus, ſed ſpecies erat magis vertenda: quanquam κάρυον etiam aliud quàm nucem ſignificet. De qua re non eſt hic diſſerendi locus.

Num vſque ad internitionem.] Ecce & hoc ipſum abunde teſtatur, non eſſe penitus verbum è verbo exprimendum, nequid obſcuritatis habeat oratio: nam cùm Hebraicũ ſic habeat, האם תמנו לגוע hoc eſt, Nunquid moriemur in conſummationem, ad conſumptionem? quàm elegantiſſime vertit hoc Hieronymus, nihil ſententia immutata, ſed clariore reddita. Ideo Septuaginta, verbis & E idiomati Hebraico plus æquo adhærentes, duram & difficilem fecerunt interpretationem, ἕως ἀποθάνωμεν εἰς τέλος. id eſt, Quouſque in finem moriamur: omittunt primum interrogationem, reliqua forte non ſatis clara, ne dicam aliud.

CAPVT XVIII.

TEcum, *portabitis iniquitatem ſanctuarij.*] Non dubium eſt, quin textus deprauatus ſit apud Septuaginta, vt pro eo quod fuerat dicendum, tu & domus patris tui λήψεσθε τὰς ἁμαρτίας, tolletis peccata, nunc legatur λήψεσθε τὰς ἀπαρχίας. id eſt, Tolletis primitias. Nam non eorum errorem fuiſſe, vel id argumento eſt, quòd paulo inferius idem nomen interpretati ſunt ἁμαρτίας. id eſt, peccata. Atque hoc etiam indicio eſt, non omnia errata illorum eſſe, ſed eſſe in alias cauſas referenda.

Primitiarum mearum.], תרומתי hoc eſt, Oblationum mearum, omnium eorum quæ mihi offeruntur, non tantum primitiarum: quanquam & Septuaginta eodem reddiderint δέδωκα ὑμῖν διατήρησιν τῶν ἀπαρχῶν ἐμοῦ. hoc eſt, Tradidi vobis cuſtodiam omnium mearũ primitiarum. Quod autem vocarunt primitias Septuaginta interpretes, apud Hebræos ducitur à verbo רום hoc eſt eleuauit, extulit: quo innuitur ritus, quo eleuabant ea quæ forent oblaturi, Eleuabant autem coram Deo, ſuper altare.

Omnem medullam.] Ita ferè quidem habet & Hebraicum, obſeruata translatione, & ſimilitudine, כל חלב יצהר וכל חלב תירוש Hoc eſt, Omnem pinguedinem olei, & omnem pinguedinem muſti. At vero Septuaginta metaphoram ſeruare noluerunt πᾶσα ἀπαρχὴ ἐλαίου. Hoc eſt, Omnis pri- F mitia olei: ſed res erat ſuo nomine, aut alio ſimili exprimenda.

Omne quod ex voto.], כל חרם hoc eſt, Omne anathema, omne quod Deo deuotum conſecratumque eſt. Vocantur enim eo nomine apud Hebræos, quæ ex aliqua maxima cauſa Deo deuouentur: vt erat illud, cùm Ioſue omnia quæ in Hiericho reperiſſet, ſacra Deo eſſe voluit, neque licebat cuiquam ea contingere. Hodieque apud Hebræos excommunicatio vocatur cherem. Atque huius vocis proprietatem melius Septuaginta quàm noſter interpres expreſſerunt πᾶν ἀναθεματισμένον: omne quod Deo deuotum conſecratumque eſt.

Pactum ſal, eſt ſempiternum.] Quod ſæpe admonuimus Græcorum codicum deprauationem non eſſe ab ipſis interpretibus ſemper profectam, vel nunc licet cognoſcere. Legitur enim is locus apud illos hoc modo διαθήκη λαός. id eſt, Teſtamentum populus: quis ergo non intelligit à ſcriptoribus eſſe locum deprauatum, & pro ἁλὸς, ſubiectum eſſe λαὸς, qui lapſus eſt facillimus? Legendum itaque eſt διαθήκη ἁλός. id eſt, præceptum ſalis, aut id quod de ſale ſtatutum eſt. Fuerat autem ſtatutum, vt omnibus ſacrificijs & oblationibus ſal adhiberetur. Ex quo cognoſcitur, contra quàm Iudæi humi ſemper reptantes opinentur, maximam harum ceremoniarum partem eſſe myſticam. Sal enim adhiberi omnibus, quæ ſibi offerentur, præcepit: vt oſtenderet ſapientiam omnibus diuinis rebus præſentem eſſe oportere, & inter omnes res ſacras eam acceptabiliſſimam eſſe, vt ſiquid Deo offeratur, & ea non adſit, non ſit acceptabile futurum.

Nec committant peccatum mortiferum.], לשאת חטא למות Hoc eſt, Ne ſumant peccatum & moriantur. Sic enim melius intelligetur, & ad alium ſenſum deuiare non poterimus. Secutus vero eſt Hieronymus Septuaginta εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου λαβεῖν ἁμαρτίαν θανατηφόρον. id eſt, In tabernaculum teſtimonij non accedent ad ſumendum peccatum mortiferum.

A *Egregia vobis & pinguia reſeruatis.*] בהרימכם את חלבו ממנו. Hoc eſt, Dum eleuatis, dum tollitis pinguedinem ex eo. Eadem quidem eſt ſentẽtia, ſed clarius in noſtro idiomate ab interprete expreſſa. Sept. ſemper hoc loco חלב quod pinguedinem ſignificat, reddiderunt ἀπαρχὴν .i. primitias, cùm fortaſſe aliud ſit. Nam primitia, non id eſt, quod in vnaquaque re eſt egregium & præcipuũ, ſed quod tempore primum eſt: prima rerum delibatio. Primitiæ ſiquidem frumenti non eſt præſtantiſſimum atque optimum frumentum, ſed id quod primo conſpicitur, quod præcox eſt.

Primitiæ quid.

CAPVT XIX.

S*I quis hoc ritu non fuerit expiatus aqua luſtra.*] Ex hoc loco admonemur, quod ſæpius diximus, omnes propè ritus quibus nunc vtitur Eccleſia, ex veteri teſtamento eſſe ſumptos. Ac propterea maiore debere quemlibet circa eos vti veneratione, quo non humana, ſed diuina ſunt inſtituta. Ritu igitur expiandi ſeſe per aquas ab his præſertim peccatis quæ leuiora ſunt, etiã nunc vtitur Eccleſia: non quod in aquis ea poſita ſit vis, vt poſſit etiam animi ſicut & corporis ſordes abluere, ſed per diuinæ virtutis inuocationem id efficitur, cuius præſentia vniuerſa ſanctificãtur, quia ipſe eſt ſanctiſſimus & fons ſanctitatis. Vt ergo cuncta iuxta leges & iuſtitiæ vim procederent, nihilque abſque iure fieret, voluit Deus aliquo iure noſtra aboleri peccata. Simul enim & miſericors eſt & iuſtus, & auidiſſimus quidem omnibus ſceleribus parcendi eſt, ſed id ſine iure atq; æquitate facere non poteſt. Omne enim peccatum deprauatio diuinæ legis eſt. Ideo remiſſio peccati, fieri non poteſt, niſi iuſtitia atque æquitate in ſuum locum reuocata. Poſſet quidem ſi vellet
B Deus, etiam ſine vllis intercedentibus ritibus expiare, ſed æquitatis & ſanctiſſimæ naturæ ſuæ eſt, vt id ſine iure non fiat. Quæ ratio etiam Dei filium in terras deduxit, ne quæ futura erat ſummi delicti remiſſio, ſine iure atque æquitate fieret. Et potuiſſet id quidem à Deo fieri, etiam ſi in terras noſtras, carne veſtitus humana non acceſſiſſet. Sed quia omnis æquitas & ius, & rectum & decorum, eius naturæ concomitantur, & ab ea in naturam profecta ſunt, non poterat niſi à ſeipſo diſſentiret, id efficere. Atque hæc eſt ratio qua damnantur impij, innocentes ac pij ſeruantur, & ad diuinas voluptates perfruendas admittuntur. Eſſet quidẽ illius inæſtimabilis clementiæ, omnes æquè in beatiſſimum conſortium aſſumere: ſed ius hoc non admittit, quod proprium naturæ diuinæ eſt. Igitur non mirum eſt, ſi noſtra ſcelera purgantur ritibus & expiationibus adhibitis. Ipſe idem auctor docuit quo iure placaretur, qua ſanctitate & religione foret colendus, quæ nam eſſent adhibenda, quibus impuritates abolerentur, quæ non docuiſſet niſi ſuæ naturæ proprium eſſe ſentiret, ſine iure atque æquitate peccata ſe non poſſe condonare. Tota denique horum rituum diſciplina, eam rationem continet, quæ ſit æquitas colendi Dei, & delicta atque flagitia expiandi. Quoniamque difficile eſt omnibus eam rationem per ſe aſſequi, quæ in venerando Deo & oblitterandis peccatis ſit poſita, etiam id cęlitus reuelatum eſt. Quamobrem non inane inſtitutum eſt, quòd aquas ſale & orationibus ſanctificamus, vt ad earum aſperſum noſtra aboleantur delicta. Et id quidem inane non eſt, quia diuinitus eſt oſtenſum, & è mente diuina, diuinaque æquitate profectum. Leuiora vt dixi his aquis delicta purgantur, expurgandis autem maioribus, maiores ſunt ritus, vota, preces, vires adhibendæ, quia per ea maior facta eſt æquitatis deprauatio, quam qui peruertit, turpi nota commaculatus eſt, quæ ritibus & ſacris inſtitutis aboletur:
C vtque in noſtris rebus, eadem eſt ratio rerum in ſuum locum reuocandarum qua peruerſæ ſunt, ſic eadem recuperandi decori, quæ fuiſſet deprauandi. Hunc ritum & gentiles ſeruabant, etiam in maximis criminibus. Vt illud Ouidij:

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis,
Exigua, tolli poſſe putatis, aqua.

CAPVT XX.

I*Ngreſſusq; Moſes dimiſſa multitudine.*] De dimiſſa multitudine nihil ſcribitur, ſed locus ſic habet, ויבא משה ואהרן מפני הקהל hoc eſt, Et venit Moſes & Aaron à facie multitudinis. Vt enim clamorẽ & ſeditionem excitari animaduerterunt, ſeſe in tabernaculum Dei ab illorum præſentia receperunt, adhuc populo eodem in loco perſiſtente, nõ quòd eos dimiſerint, aut abire iuſſerint Moſes & Aaron. Ideo & Septuaginta cum Hebraico conſentientes interpretati ſunt, ϗ ἦλθε Μωϋσῆς καὶ Ἀαρὼν ἀπὸ προσώπου τῆς συναγωγῆς, hoc eſt, Et venerunt Moſes & Aaron à facie multitudinis. Neque hoc magni refert, eſſet tamen alibi maximè neceſſarium, translationis varietatem cognoſcere.

Clamauerunt atque dixerunt.] Quid clamauerint non ponitur in contextu, ſed magis innuitur, in faciem ſuam eos corruiſſe, atque illico ad hanc eorum inflexionem, gloriam Dei ſeſe oſtendiſſe, locus ſic habet, ויפלו על פניהם וירא כבוד יהוה אלהם hoc eſt, Et corruerunt in vultus ſuos, & apparuit eis gloria domini. Sine igitur vllis precibus atque clamore, videtur gloria Dei apparuiſſe. Functus autem Hieronymus officio interpretis eſt, quorum non ſolum eſt verba transferre, ſed etiam explicare interpretãdo. Quod ergo exiſtimauit vt in eum modum oratio Moſis & Aaron ſe haberet, huc adhibuit. Si tamen quiſquam eſt, qui hoc libenter admittat, vt è noſtro ingenio D ſuppleamus, vbi quicquam deſit, Septuaginta quoque neque ipſi quid Moſes orauerit poſuerũt, ſed ſolum, καὶ ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον, ϗ ὤφθη ἡ δόξα κυρίου πρὸς αὐτούς, hoc eſt, Et corruerunt in faciem, & viſa eſt eis gloria domini. Quamobrem cùm & Septuaginta eam particulam taceant, arbitror non ab Hieronymo, ſed ab aliis eſſe adiectam, quod & aliis plerìſque locis factum reperies, in quibus verba ex ſimilibus in ſimiles locos tranſponuntur.

Audite rebelles & increduli.] המרים. Pertinaces, exacerbatores, rebelles, qui alios ſemper exaſperatis & amaritudine repletis. Hæc enim vniuerſa eo nomine ſignificantur. Hieronymus eandem vocem duobus nominibus expreſſit, magis vocabulum Græcum quàm Hebraicum ſequutus. Siquidem Septuaginta interpretantur, ἀκούσατε ἀπειθεῖς, hoc eſt, audite rebelles, aut increduli, aut refractarij, & inobedientes.

Num poterimus eijcere.] Non perſequor hæc leuiſſima, quod Hebraicum non habeat, num poterimus eiicere, ſed potius נוציא לכם מים id eſt, Num extrahemus uobis aquas, aut faciemus exire: quod & Septuaginta verterunt, ἐξάξομεν ὑμῖν ὕδωρ, id eſt, Educemus vobis aquas: hæc inquam non annotamus, quia leuiſſima ſunt, quæ ſi perſequamur, nec multus erit legentibus fructus, & volumen in immenſum excreſcet, & ipſius noſtri interpretis maieſtatem non intellexiſſe videbimur, qui ſummo decore & noſtræ etiam vtilitati conſulens, locutiones mutauit Hebraicas, & quæ per ſe fuiſſent obſcura, & difficilia intellectu, reddidit apertiſſima. Mitto enim quàm diuine, totum Hebraicæ orationis filum immutauit, vt eſſent omnia noſtris auribus magis conſona, & intelligibiliora, idque etiam diſſentiens à Septuaginta. E

Aqua contradictionis.] מי מריבה, id eſt, Aquæ contentionis, iurgij: ſicut paulo infra explicatur, vbi iurgati ſunt filij Iſrael contra dominum. A Septuaginta vero id ſumpſit Hieronymus, qui & ipſi, τοῦτο ὕδωρ ἀντιλογίας. Hæc eſt aqua contradictionis. Propterea & paulo ante, vbi dicitur in noſtra editione, conuenerunt aduerſus Moſem & Aaron, eſt verbum huius nominis ſcilicet וירב העם עם משה, hoc eſt, Et litigauit, contendit populus cum Moſe, inde nomen ductum, מריבה, id eſt contentio.

Angelus eſt quicunque à Deo mittitur.

Et miſit angelum ſuum.] Non eſt hoc loco ſilentio prætereundum quod ſentiunt Hebræi, dicunt enim nomine angeli etiam prophetas vocari. Quiſquis enim mittitur à Deo, angelus eſt, ſiue ex beatiſſimis ſpiritibus, ſiue ex perſonis trinitatis, ſiue ex hominibus ſit. Vocatus eſt enim & filius Dei angelus, vt ait Dionyſius ille ſummus. Vocantur etiam beatiſſimi ſpiritus, quorum præcipue miniſterio vtitur Deus, ad exequenda & moderanda quę generis humani ſunt. Angelum itaque ſuum arbitrantur hic de ipſo Moſe dici. Quod ego certe non improbo, dico tamen etiam de angelis intelligi poſſe, quorum ductu ex Aegypto Hebræi euocati ſunt, & in libertatem aſciti. Et quicquid à Domino fiebat, angelo intercedente fiebat: nam & ipſe Deus, Hebræis proteſtatus eſt, vt angelum ſuum obſeruarent, in quo ipſe eſſet. Et alibi dixit, Pręcedet te Angelus meus. Omnis denique Iſraelitici populi ſalus & ductio per Angelos adminiſtrata eſt.

Via regia.

Sed gradiemur via publica.] Ductum ex Hebræis eſt, quod viæ publicę ſiue regię vocentur, hæ quæ ampliſſimæ ſunt, & frequentes, quibus videlicet, regibus cum totis copiis iter eſt. Hebraice itaque ſic habet דרך המלך נלך, hoc eſt viam regis ibimus: quod LXX. interpretantur, ὁδῷ βασιλικῇ πορευσόμεθα, hoc eſt, Via regia proficiſcemur. F

Dabimus quod iuſtum eſt.] ונתתי מכרם hoc eſt, Dabo pretium eorum: ſicut etiam ſunt Septuaginta interpretati, δώσω τιμήν σοι, id eſt Dabo pretium tibi. Quanquam vt ſæpius diximus, non ſemper verba, ſed magis ſententiam ſequitur Hieron. idq; rationabiliter, vbi fieri ratio pręcipit.

Per tritam gradiemur.] Hoc neſcio qua rõne verterint Septuaginta παρὰ τὸ ὄρος παρελευσόμεθα, id eſt, Iuxta montem gradiemur, niſi forte dicendum ſit, per viam regiam, eam intelligi quæ in media planicie poſita eſt, per hanc vero, quæ minus lata ſit, quæ prope radices montis decurrat. Hebraicum certe nomen, מסלה, ſemitam ſignificat, vbicunq; ea ſit.

Nulla in pretio difficultas.] רק אין דבר ברגלי, hoc eſt, Tantum non ſit verbum in tranſitu meo: & vt vertit Hieron. appoſitis etiam aliis verbis, quibus ſententia clarior efficeretur. Septuaginta ferè & ipſi eodem modo, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα οὐδέν. Sed res nulla eſt, aut nihil eſt.

Congregari ad populum ſuum, Heb. moti.

Pergat aharon ad populos ſuos.] יאסף אהרן, hoc eſt. Congregetur Aharon. Quæ phraſis frequentiſſima in diuinis libris eſt. Aggregari enim ad populum ſuum dicunt, pro eo quod eſt, ad totam ſtirpem, ſuoſq; maiores proficiſci, & ad eos coadunari, & cum eis connumerari, & inter defunctos conſeri. Hanc locutionem etiam nihil Septuaginta permutarunt, προστεθήτω Ααρὼν πρὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, id eſt, Adiungatur Aharon ad populum ſuum.

Moſis & Aaron ad aquas peccatum.

Eo quod incredulus fuerit.] על אשר מריתם את פי hoc eſt, Eo quòd exacerbaſtis, aut rebelles fuiſtis, aut non obedieritis ori meo. Hæc enim vniuerſa poſſunt eo verbo intelligi. Septuaginta primum amplecti videntur, διότι παρωξύνατέ με ἐπὶ τοῦ ὕδατος, id eſt, eo quòd irritaſtis me ad aquas. Poſſunt inquam ea omnia intelligi. Nam quale fuerit Moſis & Aharon peccatũ ad aquas non ſatis liquet, neq; põt clare cognoſci quid ſuper hac re ſit ſentiẽdum. Recitabo autem opinionem aliquorum Hebræorum, præſertim in libro articulorum fidei eorum, vbi de hac re ſic habetur. Putant enim id peccatum fuiſſe, quia Moſes & Aharon non obtẽperauerunt præcepto Dei, qui

A qui eis præceperat, vt petram alloquerentur coram populo, atque eo modo aquam elicerent, Deumq; apud ſpectantes ſanctificarent. Conueniunt, inquit ſcriptor, duo præſtantiſſimi auctores, vterque Moſes Rambam, & Ramban illud peccatum non fuiſſe aliud, שלא דברו אל הסלע hoc eſt, quia petram allocuti non ſunt. Non enim petram, ſed populum potius allocuti ſunt dicentes: Audite rebelles. Quare hoc loco verbum, מרד apud Hebræos ſumitur pro eo quod Græcis eſt ἀπειθεῖν, id eſt, non obtemperare, non morem gerere: vt eo ſignificetur inobedientia Moſis & Aharon, non pertinacia aut incredulitas. Hæc pauca è multis dicta ſunt, cùm alioqui copioſe tractentur ab expoſitoribus.

Per cunctas familias ſuas.] Hoc non dicitur ſed, כל בית ישראל id eſt, Omnis domus Iſrael, omnis eorum multitudo. Quod multo eſt ab illo diuerſius. Nam fortè id in alium ſenſum acciperetur. Neque à Septuaginta quoque poſitum eſt, ſed & ipſi, πᾶς οἶκος ἰσραὴλ, Omnis domus Iſrael.

CAPVT XXI.

P*Er exploratorum viam.*] Clarum eſt etiam atteſtantibus Hebræorum expoſitoribus hoc loco, האתרים ſignificare exploratores, à verbo, תור hoc eſt, Explorauit: non eſſe alicuius loci nomen proprium vt exiſtimarunt Septuaginta, qui hæc reddiderunt, ὅτι ἦλθεν ἰσραὴλ, ὁδὸν ἀθαρὶμ, quod veniſſet Iſrael per viam Atharim. Rabbi enim Salomon ita hunc locum exponit, דרך האתרים דרך הנגב שהלכו בה מרגלים שנאמר ויעלו בנגב hoc eſt, Via exploratorum eſt, quæ ſpectat in auſtrum, per quam exploratores iter fecerunt, quia paulo ante dicitur, & aſcenderunt per meridiem. Chaldaica inſuper editio, habet, ארח מאללא hoc eſt, viam exploratorum. Quare non poſſumus non improbare editionem Septuaginta. Eſtque is lapſus apud eos creberrimus, vt quę B ſint appellatiua nomina, ea veluti propria habuerint, & in Græcam vocem non tranſtulerint.

Nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſi.], קצה בלחם הקלקל hoc eſt, Tædet iam animam noſtram, ad panem iſtũ leuem, qui famem non eximit. Sic enim exponunt Hebræi. Inane videlicet manna vocabant, quia ſatietatem non videretur afferre, ſed inanem animum relinquere. Quod & præclare Sept. ἡ δὲ ψυχὴ ἡμῶν προσώχθισεν ἐν τῷ ἄρτῳ τῷ διακένῳ τούτῳ. hoc eſt, Anima noſtra offenſa eſt, aut ſtomachata eſt ob inanem panem iſtum. Quod & in editione Chaldaica clarius fit, quæ in hunc modum habet, ונפשנא עקת במנא הדין במיכליה קליל id eſt, Et anima noſtra ſtomachata eſt ſuper manna iſtud, propter eſum eius inanem,

Pone eum pro ſigno.], על נס id eſt, Super ſignum. Aliud enim adhiberi præcepit, ſuper quod poneretur ſerpens, puta lignum & ſtipitem excelſum, cui ſerpens affigeretur æneus. Non ergo ſerpens & ſignum idem, ſed ſuper ſignum ſerpens, vt etiam verterunt Septuaginta καὶ θὲς αὐτὸν ἐπὶ σημείου, id eſt, Pone ipſum ſuper ſignum.

Vnde dicitur in libro.] Primum obſeruandum eſt Hebraice poni hoc in futuro ſcilicet יאמר id eſt, dicetur: deinde quod Hieronymus vertit librum, Hebraice eſt. ספר quod non tam librum ſignificat, quàm narrationem, repetitionem, commemorationem, à verbo, ספר id eſt, narrauit, commemorauit, numerauit. Itaque locus ſic intelligitur: Ideo dicetur in connumeratione bellorum Domini, hoc eſt, cùm bella Dei commemorabuntur, recenſebuntur à poſteris, quæ bella pro Iſrael in mari rubro geſſerit, & quæ ad hos torrentes. Neque enim aliquem librum hic intelligimus: quo ea conſcripta ſint.

Sicut fecit in mari rubro.], את והב בסופא ואת הנחלים ארנן Hoc eſt. Onus, aut pondus, oppreſſio maris C rubri, & torrentis Arnon. Hi duo ſcilicet loci tanquam memorabiles ab omni poſteritate repetentur, in quibus Deus pro Iſraele dimicauit: vbi prodigia cæleſtia oſtenſa ſunt. Nihil autem horum attigerunt Septuaginta.

Scopuli torrentium.] אשד הנחלים Hoc eſt, Impetus, fluxus, aqua cum impetu currens: aqua inquit torrentium, quæ flectitur ad fines Moab. Hęc enim erant ſigna, quibus prodigia Dei agnoſcerentur, His locis trophæi erecti fuerant. Hæ aquæ illorum torrentium, cladis erant indices. Quæ hoc loco in codicibus Septuaginta ſint, non produco, quia vehementer aliena ſunt.

Idcirco dicetur in prouerbio.], על כן יאמרו המשלים Hoc eſt, Ideo dicent qui prouerbijs vtuntur. Quod pulcherrime ſignificatur à Septuaginta διὰ τοῦτο ἐροῦσι οἱ αἰνιγματισταὶ, id eſt, quapropter dicent ænigmatiſtæ, id eſt, Qui ænigmatis vtuntur.

Dedi filios eius in fugam.], נתן בניו פליטים Hoc eſt, Dedit filios eorum effugientes, & in fugam. Quod male ad ſalutem retulerunt Septuaginta ἀπεδόθησαν οἱ υἱοὶ αὐτῶν διασώζεσθαι, Hoc eſt, Venditi, aut traditi ſunt filij eorum, vt ſeruarentur: contrarius enim ſenſus eſt. & fuga non ſignificat ſalutem ibi, ſed qua fugiunt, quibus perſecutor à tergo impendet.

Iugum ipſorum.], נירם אבד Hoc eſt. Regnum eorum perijt, aut iugum eorum, quo alijs imperabant, vt exponit Rabbi Salomon, qui hoc nomine ſignificari dicit imperium, iugum, מלכות Hoc eſt, Regnum, & ממשלת איש. i. Imperium viri. Quamobrem cùm hæc ſit eius vocis ſignificatio, non recte Sept. interpretati ſunt τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται. Hoc eſt, Semen ipſorum peribit.

Vſque ad internitionem.]. עד בלתי השאיר לו שריד Hoc eſt, Vſque quo non relinquerent ei, qui aufugeret, aut qui ſuperſtes eſſet: quòd à Septuaginta non eodem penitus ſenſu verſum eſt ἕως τοῦ μὴ καταλιπεῖν αὐτῶν ζωγρείαν, id eſt, Quouſque non relinquerent eius vel captiuum.

CAPVT XXII.

IN campeſtribus Moab.] ,בערבות מואב id eſt, In planicie Moab, vel in ſolitudinibus Moab. Quod mediusfidius non recte Septuaginta interpretati ſunt, verborum ſimilitudine decepti. Siquidẽ ערב veſperum ſignificat, ſed in numero plurium ערבות planiciem, campeſtria, latitudinem aut ſolitudines declarat. Igitur illi non obſeruata hac varietate, alterum pro altero reddiderunt. παρενέβαλον ἐπὶ δυσμῶν μωὰβ, Hoc eſt, Caſtrametati ſunt in occaſu Moab: quod certe non ſcribitur hoc loco.

Et impetum eius ferre non poſſent.] ,ויקץ מואב id eſt, Et exercitatus eſt Moab: aut euigilauit, commotus eſt: aut tædium vitæ ſuæ eum cæpit: quæ omnia eo verbo ſignificantur: ſicut & Septuaginta καὶ προσώχθισε μωὰβ ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν ἰσραὴλ, Hoc eſt, Et commotus eſt, aut tæduit Moab a facie filiorum Iſrael. Licet Nicolaus aliter hunc ſenſum interpretetur.

Balahã ſõniorum interpres.

Balaham hariolum.] .פתרה Quod nomen poteſt quidem duci à verbo ,פתר id eſt, expoſuit, interpretatus eſt, ænigma ſoluit, vt is Balaham habitus eo tempore quaſi ſomniorum interpres ſit, & ænigmatum explicator. Ad quem reges vndique darent litteras, & in omnibus obſcuriſſimis rebus eum interrogarent. Poteſt inquam hoc eo nomine ſignificari: poteſt etiam eſſe nomen loci, vt habitatio & natiuitas Balaham eſſet: ſicut ſentit Rabbi Salomõ, & Septuaginta interpretes, qui non tranſtulerunt Balaham hariolum, ſed vocem ipſam Hebraicam, tanquam peculiarem aliquẽ locum ſignificaret, reliquerunt, ἀπέστειλε πρέσβεις πρὸς βαλαὰμ υἱὸν βεὼρ φαθουρρὰ, id eſt, Miſit legatos ad Balaham filium Beor, Phatura. Ecce vocem Hebraicam pethra, quæ coniecturam aut coniectorem ſignificat, aut locus eſt, non ſunt interpretati. Poſſumus itaque vtrunque tueri.

Balaham Chaldęus.

Prophetæ gentiũ idololatrarũ.

Hunc Balaham, Chaldæum fuiſſe ſcripturæ oſtendunt, atque inde euocatum, vt filijs Iſrael malediceret. Deſcribitur enim eius locus & regio, quæ prope eſſet poſita Euphratem & Meſopotamiam atq; Chaldæam. Fuit autem is propheta, eo modo, quo & Mercurius Triſmegiſtus apud Aegyptios, & Sibyllæ apud alias nationes. Qui tametſi pleraque vera cecinerint, idololatræ tamen & dæmonum cultores fuerunt. Qualis & Zoroaſter apud Perſas, & Orpheus apud Gręcos, Apud Hyperboreos Abaris, & Zamolſis apud Getas: quanquam de his non ita conſtat, ſicut de Mercurio & Sibyllis. Reliquos in totum abijciendos arbitror. Quæ autem apud nos, à prophetis tradita ſunt, inueniuntur illa quidem in omnium gentium litteris, ſed alio quodam modo, vt alia penitus eſſe videantur. Deprauata enim ab idololatris eſt veritas, & ad ſuas ſuperſtitiones accommodata. Quocirca cauendum eſt, ne quæ illorum non ſunt, noſtra non faciamus, aut eorum ſuperſtitionibus noſtram religionem commaculemus.

Habentes diuinationis pretium.] קסמים id eſt, Diuinationes, aut inſtrumenta, quibus diuinamus, Rabbi Salomon ,כל מיני קסמים id eſt, Omne incantationis genus. Quibus ſcilicet dæmones euocarentur. Aut certe quod interpretatus eſt Hieronymus, pretium potius quàm rem ipſam. Nam quo incantationis aut diuinationis genere vſus ſit Balaham perſpectum eſt, in ſomnijs ſcilicet, cùm noctu accubaret, vt ex iſto loco clarum fit. De alio vero diuinationis genere nihil ſcribitur. Deinde quæ veriſimilitudo eſt, vt illi homines afferrent ſecum incantationes? Nonne apud magum potius eſſe debuerant, non apud illos? Quid opus habere eorum incantationibus ille, id eſt, his rebus, quibus incantamus, poterat? Non eſt igitur veriſimile, aliquid eiuſmodi allatum eſſe ab illis, ſed per incantationes hoc loco intelligimus aut pretium ipſum, aut id quod erat incantandum. Id eſt rationes atque ordinem, quo vti deberet ſuper populum maledicendum. Prima ſententia à Septuaginta interpretibus profecta eſt, qui locum hunc ita reddiderunt, καὶ τὰ μαντεῖα αὐτῶν ἐν ταῖς χερσὶ αὐτῶν, id eſt, Et vaticinia ipſorum: aut diuinacula, vt habebat antiqua Latinorum editio, in manibus eorum. Mittimus quæ hoc loco dicuntur à Nicolao, ne in meſſem alienam falcem immittamus.

Vtinam haberem gladium vt te percuterem.] .כי עתה הרגתיך Quia ſi gladium inquit haberem, iam nunc te interfeciſſem: verum Septuaginta ſicut & Hieronymus. ἤδη ἐξεκέντησα σε iam inquit confodiſſem, conuulneraſſem te.

Nonne animal tuum.] ,הלוא אנכי אתנך id eſt, Nonne ego aſina tua? Sicut & Septuaginta οὐκ ἐγὼ ὄνος σου, Nonne ego aſina tua?

Satã aduerſarius.

Vt aduerſarer tibi.] Ita locus intelligendus eſt, לשטן id eſt, Vt aduerſarer tibi. Nam Satan aduerſari ſignificat, vnde & nomen Satan, quem corrupto nomine appellamus Satanas, Aduerſarius vocatur, quia omnibus ſanctiſſimis rebus ſeſe opponit. Quamobrem non recte verſum eſt hoc à Septuaginta. Egreſſus ſum inquit εἰς διαβολήν σου, Hoc eſt, in tui calumniam, vt calumniaret tibi, quod certe non habet locum hic. Non enim idem eſt aduerſari & calumniari, cùm calumnia ſine verbis fieri non poſſit, aduerſari autem & verbis & factis poſſimus. Et licet Diabolus & Satan idem ſit, aliter tamen de cæteris rebus eſſet loquendum. Secus enim calumniamur, ſecus aduerſamur, obſtamus, præpedimus.

Diabolus.

An quia mercedem aduentui tuo.] Imò aliud .האמנם לא אוכל כבדך Hoc eſt, Nunquid vere non poſſum honorare te? Sicut & Septuaginta ὄντως οὐ δυνήσομαί σε, Hoc eſt, Num vere non potero debito te honore proſequi?

A *Et venerunt in vrbem quæ erat.*] , קרית חצות Hoc eſt, In vrbem munitam, aut vrbem platearum, Rabbi autem Salomon aliter hunc locum exponit: venerunt inquit in vrbem, cuius plateæ viris, ac mulieribus, ac pueris erant refertæ, vt rex id oſtenderet Balaham ac diceret: Obſecro vt miſerearis hanc miſerorum multitudinem, quibus gladius & cædes iam impendet. Quare longe ſecus exponunt hanc ſententiam Hebræi, quam noſter interpres. Sept. quoque diuerſi & ipſi ſunt. Venerunt inquiunt εἰς πόλεις ἐπαύλεων, in vrbes ſtabulorum aut villarum. Quod certe vehementer alienum eſt.

Ad excelſa Bahal.] Ita quidem ſignificat Hebraicum, במות id eſt, Excelſa: locos videlicet eminentes & nemoroſos, quos dijs ſuis conſecrabant, & ibi lætabātur, cum ſumma corporis ignominia. Hæc itaque cum ſit vocis ſignificatio, miror cur ſecus tranſtulerint Septuaginta ἀνεβίβασεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν στήλην τοῦ βαὰλ, id eſt, Deduxit eum ad columnam, vel ſtatuam Bahal. Quod à vero abeſt plurimum, quo modo enim inde multitudinem deſpicere potuiſſet?

CAPVT XXIII.

DE *Aram.*] id eſt, De Meſopotamia ſiue Syria: quæ vocatur Hebraice Aram naharim, à primo incola, vt moris eſt ſacris litteris, regiones nominibus eorum vocare, qui eas primi adierint. Igitur Septuaginta nomen Hebraicum in Græcum commutarunt ἐκ μεσοποταμίας μετεπέμψατό με, Hoc eſt, E Meſopotamia accerſiuit me. Aram.

Et fiant nouiſſima mea.] Sicut Hebraicum. ותהי אחריתי כמהו Et ſint nouiſſima mea, ſicut huius. Quare B Septuaginta neſcio cur tam diuerſe tranſtulerunt καὶ γένοιτο τὸ σπέρμα μου ὡς τὸ σπέρμα αὐτῶν, id eſt, Et fiat ſemen meum, ſicut ſemen eorum: credo eos, quod Hebraice dicitur nouiſſimum, pro poſteritate ſumpſiſſe, cùm tamen pro exitu potius accipiendum ſit: quia paulo ante dixit, moriatur anima mea ſicut anima iuſtorum.

Super verticem montis phaſga.] κορυφὴν λελαξευμένου, verterunt Septuaginta, id eſt, Verticem leuigati aut raſi, ſcopuli ſcilicet aut cautis, cùm magis proprium nomen ſit loci, vt exponunt etiā Hebræorum interpretes. Et quamuis poſſint pleraque nomina, aliquam etymologiam recipere, hoc certe non poteſt eo modo explicari. Quanquam hoc perleue ſit: & maximorum virorum labeculæ non ſunt animaduertendæ.

Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, & mutetur.] Ita quidem habent Hebraica. Primumq; ſignificat, mentiri, ſecundum pœnitere. Non eſt inquit Deus ſicut homo, ויכזב id eſt, vt mentiatur: neque ſicut filius hominis, ויתנחם Et pœnitebit eum. Horum itaque verborum cùm hæc vera ſit ſignificatio, Septuaginta tantopere variant, quantopere mirari neceſſe ſit οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαρτηθῆναι, οὐδ᾽ ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἠπειληθῆναι, id eſt, Non eſt ſicut homo Deus vt diſponatur, aut ſuſpenſus ſit, neque ſicut filius hominis, vt ei quis minetur. Patetq́ue quanta ſit diſſimilitudo. Puto autem aliter codices habuiſſe ipſorum interpretum, eſſeq́ue vtrunque verbum, in vtrunque hoc, quod ei ſimile eſt, corruptum.

Ad benedicendum adductus ſum.] ברך לקחתי .i. Benedicere aſſumpſi: ſed Sept. ſicut Hieronymus, εὐλογεῖν παρείλημαι .i. Benedicere aſſumptus ſum: quanquam agens in patiens vertunt. Veritas habet vt poſuimus: non eo tamen inficias, non ſumi aliquando actiua pro paſſiuis, & è conuerſo.

C *Non eſt idolum.*] לא הביט און ביעקב Hoc eſt, Non declinabit vanitas ad Iacob: nec diſplicet ꝙ hanc vanitatem Hieronymus idololatriam interpretatur. Septuaginta diuerſius οὐκ μόχθος ἐν ἰακὼβ, id eſt, Non erit labor in Iacob. Quod certe non tam vero adhæret.

Nec videtur ſimulachrum.] , עמל id eſt, Opus: ſumiturq́ue non pro labore, ſed ipſo opificio, & opere. Quare Septuaginta minus veritatem attigerunt. οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν ἰσραὴλ, id eſt, Neque videbitur labor in Iſrael.

Et clangor victoriæ.] . ותרועת מלך בו id eſt, Et clangor regis in eo: ſiue quod eſt melius, & habitatio regis in eo: theruat igitur hoc loco nō clangorem ſignificat, ſed habitationem, ſedem, quemadmodum exponunt Hebræi, & editio Chaldaica idem comprobat, quæ hunc locum in hunc modum interpretatur ושכינת מלכהון ביניהון id eſt, Et habitatio regum inter ipſos. Indicat igitur fore, vt regia ſedes, & ſceptrum & imperium inter ipſos futurum ſit. Non ſolum de ipſis Iudæorum principibus id vaticinans, ſed etiam de Meſſia, qui regibus imperat. Septuaginta quoque idem ſenſiſſe videntur, καὶ τὰ ἔνδοξα ἀρχόντων ἐν αὐτῷ, Hoc eſt, Et inſignia principum, ſiue gloria principum in eo.

Cuius fortitudo ſimilis rhinoce.] Quoniam nomen rhinocerotis ראם etiam aliud ſignificare videtur, ſcilicet altitudinem, eo quòd ducitur à verbo , רמם Hoc eſt, Extulit, propterea ſunt apud Hebræos qui interpretentur, fortitudo excelſa eſt ei, fortitudo magna, ſublimis, pro rhinocerote magnum ac ſublime ponentes. Quæ etiam eſt interpretatio Onchelos Chaldæi quæ ſic habet תקפא ורומא דליה. Hoc eſt, Excelſa & eleuata fortitudo eius. Atque ita interpretatur & Rabbi Salomō. Hieronymus ſecutus eſt Sept. qui etiam tranſtulerunt ὡς δόξα μονοκέρατος αὐτοῦ .i. Vt gloria vnicornis, gloria eius: quanquam in eo non ſunt admittendi, quòd fortitudinem, gloriam appellarint, quod vix intelligi poſſet. Quæ enim gloria eius animantis? peruertitur autem comparatio,

tio, quæ nõ de gloria, ſed fortitudine ſit, quod & alibi frequenter admonebimus. Frequens enim eſt ea comparatio rhinocerotis propter fortitudinem, de qua ſuis dicetur locis. D

CAPVT XXIIII.

D*Ixit homo cuius eſt obturatus oculus.*] , הגבר שתם העין id eſt, Vir cuius eſt apertus oculus: vt interpretantur Hebræi, & Chaldaica transfert editio. Quare in contrarium acceptum eſt ab Hieronymo. Mirorque cur Septuaginta ſecutus non ſit, qui ſecundum Hebraicum tranſtulerunt φησὶν ὁ ἄνθρωπος ὁ ἀληθινός, id eſt, dixit homo verax. Quo fit, vt ſuſpicer, non eo modo reddidiſſe Hieronymum, ſed deeſſe innoſtris codicibus negationem, vt dicendum ſit: Dixit homo cuius non eſt obturatus oculus. Contraria enim ſibi diceret Balaham, qui paulo poſt ſe ſermonum Dei auditorem eſſe proteſtatur.

Viſionem omnipotentis intuitus eſt.] Superuacanee additur à Septuaginta ἐνύπνῳ, id eſt, in ſomno, Qui viſionem Dei vidit in ſomno. Nam ea viſio, etiam non in ſomno fieri potuit, vt ſæpe prophetis accidebat. Deinde & in eo, non recte diſſentiunt, vt quod eſt Hebraice שמע אמרי אל id eſt, Audiens verba Dei fortis: ipſi verterint, ἀκούων λόγια ἰσχυρά, Hoc eſt, Audiens eloquia fortia. Multum enim intereſt: & eorum oratio non eſt adeo clara. Illico enim intelligetur quæ ſint eloquia fortiſſimi Dei, ſed eloquia fortia, non adeo. Notaque differentia eſt.

Sicut vallæ nemoroſæ.] , כנחלים נטיו id eſt, Sicut torrentes in longum tendentes, & circunſepti arboribus: aut ſicut valles, vt eleganter vertit Hieronymus Septuag. ſecutus qui ὡσεὶ νάπαι σκιάζουσαι, id eſt, Sicut valles opacantes.

Fluet aqua de ſitula.] , יזל מים מדליו Hoc eſt, Exibunt, erumpent aquæ de ſitula eius, aut de puteis eius, vt exponit Rabbi Salomon. E

Tolletur propter Agag.] , וירם מאגג מלכו id eſt, Et eleuabit ab Agag regem eius. Tollet ab Agag regnum eius: aut, Tolletur ab Agag regnum eius: quod de Saule dictum exiſtimant. Quare videntur in contrarium vertiſſe Septuaginta καὶ ὑψωθήσεται ἡ γὼγ βασίλεια αὐτοῦ, Hoc eſt, Exaltabitur Agog regnum eius. Ecce veritas nihil exprimitur.

Et perforabunt ſagittis.] Imò ſic וחציו ימחץ id eſt, Et ſagittas eius confringet: gens ſcilicet illa, de qua tot tantaque vaticinatur. Septuaginta vero ſententiam non verba reddiderunt καὶ ταῖς βολίσιν αὐτοῦ κατατοξεύσει ἐχθρόν, Hoc eſt, Et ſagittis ſuis confodiet hoſtem.

Reuertere ad locum tuum.] Vehementius eſt Hebraicè , ברח לך אל מקומך id eſt, Fuge in locum tuum: quaſi ei minas intentet, ſicut & Septuaginta νῦν οὖν φεῦγε εἰς τὸν τόπον σου, id eſt, Nunc effuge in locum tuum.

Nouiſſimi dies qui dicantur.

Mũdũ ſex millib' annorũ duraturum.

Antichriſtus.

Lactãtij error in ſupputatione annorum mundi.

In extremo tempore.] , באחרית הימים id eſt, In nouiſſimis diebus, in extremitate dierum: vt intelligeremus quod tempus ſignificaretur. Appellantur autem nouiſſimi dies in ſacris litteris vltima mundi ætas, in qua ſanctus Meſſias apparuit. Omnium enim ſæculorum cauda hæc eſſe denunciatur. Sex enim millibus annorum mundum ſtare, multis eſt oraculis cognitum, vt ſcribitur in Talmud Hebræorum, & vt cecinerunt Sybillæ, Hydaſpes & Mercurius Triſmegiſtus. Quorum duo extrema millia, anni Meſſiæ eſſe dicebantur, id eſt, quibus Meſſias Dei filius eſſet videndus, & per omnes illos annos foret colendus. Quibus annis paulatim corruptela inualeſcente, vſque in extremitatem adeo propagabitur, vt exoriatur tandem, ille prophanus, & ſceleratiſſimus tyrannus Antichriſtus. Quæ ſi vera ſunt, à cõſummatione mundi hoc noſtro tempore, id eſt, M. D. XXVIII. F eius qui hæc ſcribebat anno XXIX. habita ſecundum Hebraicam veritatem computatione, abſunt anni ſeptingenti & viginti minus octo. Numerantur enim apud Hebræos nunc à conditione mundi, quinque millia ducenti octoginta & octo. Quæ an vera ſint, videbit ipſa poſteritas, nos nihil temere affirmamus, ne in errorem Lactantij incidamus, qui à ſua ætate, vſque ad exitum rerum, non plus ducentis annis fore exiſtimabat. Secutus & ipſe oracula Sybillarum & Mercurij. Sed fefellit eum editio Septuaginta: quæ cùm in his numeris recẽſendis, corruptiſſima ſit, factum eſt, vt mille anni plures quam deceat in ſupputatione additi ſint, aut etiam plures. In quo errore fuit vniuerſa Græcia, & Italia, quæ Græcos ſequebatur. Atque etiam nunc apud nos, qui ſcribũt hiſtorias, in eodem verſantur errore, maiorum fidem ſequentes. Neceſſe vero eſt in hac re ad Hebraicam veritatem recurrere, imò ad noſtros codices: qui optime ſe habent: quia Hieronymus Septuaginta ſequutus non eſt, ſed Hebraicum contextum.

Videbo eum ſed non modo.] Totum hoc, nihil ab Hebraico diſſentit, ſed apud Septuaginta obſcurius redditur quàm deceat, & forte ſecus quàm veritas expoſcat δείξω αὐτῷ, καὶ οὐχὶ νῦν μακαρίζω, καὶ οὐκ ἐγγίζει, id eſt, Oſtendam ei, & non nunc, beatum dicam, & non appropinquat: quomodo fieri poteſt, vt verterint. אואנו id eſt, videbo eum, in hoc quod eſt oſtendam eum. Factum ſcilicet ex eo errore eſt. Putabant enim verbum eſſe tranſitiuum tertiæ coniugationis. At non animaduerterunt deeſſe iod, aut chirich, quæ tertiam coniugationem deſignant, vt patet his qui ſciunt Hebraice. Deinde in alio error eſt. Nam futurum , אשורנו quæ vox futuri temporis eſt à verbo , שור id eſt, vidit, contemplatus eſt, illi exiſtimarunt duci ab , אשר id eſt, Beatificauit. Non animaduertentes, in grammatica maximam inter vtrunque poſitam eſſe differentiam. Quam ego afferrem, ſi huius eſſe loci exiſtimarem. Satis ſit varietatis cauſam oſtendiſſe.

Orietur

A *Orietur ſtella ex Iacob.*] Primum obſeruandum eſt, eſſe præteriti temporis hoc apud Hebræos. Deinde non poni verbum orietur, ſed quod inceſſit, aut venit ſignificat, hoc modo, דרך כוכב מיעקב id eſt, Profecta eſt ſtella ex Iacob, vt exponunt Hebræi. Sed Chaldaica editio, apertiſſime indicat fore vt ſtella quædam, id eſt, rex, ex Iacob naſceretur, hoc modo, יקום מלכא מיעקב ויתרבא משיחא מישראל ויקטול רברבי מואב וישלוט בכל בני אנשא. Hoc eſt: Conſurget rex ex Iacob, & pullulabit Meſſias de Iſrael, & interficiet principes Moab, & dominabitur omnibus filijs hominis. Obſeruatione igitur dignum eſt, quantum is locus Chriſtianorum fidem adiuuet, qui de Meſſia hæc dici aſſerimus. Id enim in tota editione Chaldaica factum eſſe perſpicimus, vt ſi quis locus in ſacris litteris ea tempeſtate de Meſſia eſſe videretur, clariſſime ſit ab illis Chaldæorum interpretibus translatus, amotis vocabulis ambiguis. Igitur de Meſſia is locus intelligendus eſt, qui principes Moab interficiet, id eſt, omnes idololatras, qui per eum populum maxime ſignificantur. aut Antichriſtum, quem Moabitam futurum eſſe aſſerunt. Dominabiturq; ſuper vniuerſum orbem terrarum. Non aliter de eo locutus Balaham, quàm Daniel, qui filium Dei, totius mundi regem futurũ vaticinatus eſt: eo imperij genere, quo nullum ſit maius, id eſt, vt ab imperatoribus & principibus etiã adoretur, & ei colla ſubmittant, quod imperium vere diuinum eſt, & incorruptibile: quod qui deſtruere conabitur, vt nefandiſſimus tyrannus ab eodem occidetur. Nunc vel inuitis Iudæis viget, vt prius, ſicut ait Chryſoſtomus, ſol extinguendus ſit, quàm hoc imperium, id eſt ſanctiſſima religio penitus ſit abolenda. Quod maxime ſitiunt Hebræi. Cuius quotidie interitum expoſcunt ac deprecantur: ex aſtris, ex leuiſſima quaque re augurantur. Quid igitur per filios Seth ſit hoc loco intelligendum, Chaldaica demonſtrauit editio, omnes ſcilicet homines. Quia à Seth omnes propa-

De Meſſia vaticiniũ.

Filij Seth.

B gati ſumus, qui in locum Abel interempti ſucceſſit, proles autem Chain, diluuio extincta eſt. Noe à Seth originem ducebat, à Noe omne humanum genus reparatum eſt. Quare filij Seth, ſunt ſicut filij Adam, id eſt, omne genus humanum: quia inde omnes prouenerunt.

Venient in triremibus de Italia.] וצים מיד כתים, id eſt, Et triremes à potentia Italorum, ſiue Romanorum. Suppleuit autem Hieronymus, venient: recte quidem factum. Omnes enim prophetiæ compendioſe & obſcure proferuntur, & explicandæ ſunt, his adiectis, quæ videantur neceſſaria. Quod vero attinet ad nomina, ſciendum Chittim, quod Italiam Hieronymus interpretatus eſt, non abeſſe ab eadem ſententia etiam Hebræos, qui putant per hoc nomen Romanos ſignificari. Sic enim Rabi Salomon ſcribit ועברו כתיים שהם רומיים בבורניות גדולות Hoc eſt, Et tranſibunt Chetæi, qui ſunt Romani, cum vaſtis triremibus contra Aſſyrios. Hoc ipſum per editionem Chaldaicam comprobatur, quæ & ipſa, Chitæos interpretatur, רומאי id eſt, Romanos. Sept. vero vocem ipſam Hebraicam poſuerunt. Quamobrem non poſſumus non mirifice commendare Hieronymum, qui veritatem nobis aperuerit: prophetabat ergo Balaham de futuro Romanorum imperio ante vrbem conditam plurimis annis. Nec me latet, per Chittim alias etiam regiones & gentes ſignificari. Vt quod dicitur de Alexandro egreſſus eſt de terra Chettim: quod de Romanis aut Italia non poteſt intelligi. Sed hoc loco refragari non poſſumus teſtibus Hebræis, & editione Chaldaica, & ipſo Hieronymo de Romanis non eſſe ſentiendum, dicemus autem de alijs, ſuis locis. Atque hinc factum eſt, vt Ceteos hic interpretes Græci non Romanos, ſed Macedonas intellexerint. Nam Theodoritus hoc loco ſcribit de Balaham, multa eum eſſe vaticinatum, ſed etiam προεῖπεν δὲ καὶ τὴν μακεδόνων νίκην, ἐξελεύσεται γὰρ φησὶν ἐκ χειρὸς χετιείμ. Ἀλέξανδρος

Chetim, Italia.

De Romanorum imperio vaticinium.

C μὲν γὰρ κατέλυσε τὴν τῶν περσῶν βασιλείαν. Ἀντίοχος δὲ ἰουδαίοις ἐπιστρατεύσας, καὶ τὴν μητρόπολιν αὐτῶν εἷλεν, καὶ τὸν θεῖον ναὸν ἀπέφηνεν ἔρημον. id eſt, Prædixit etiam Macedonum victoriam. Egredietur, inquit, de manu Chetim. Alexander enim Perſarum deſtruxit imperium: Antiochus autem, contra Iudæos dimicans, eorum cepit metropolim & Dei templum deuaſtauit, hæc ille. Sed hoc refellitur Hebræorum authoritate, & editione Chaldaica.

CAPVT XXV.

ET *ſuſpende eos in patibulis.*] והוקע אותם id eſt, Suſpende, ſuffige in patibulis: quod in aliam ſententiam verſum eſt à Septuaginta, παραδειγμάτισον αὐτοὺς τῷ κυρίῳ, id eſt, Et produc, ſiue deforma, dehoneſta eos coram Domino. Sed in contextu expreſſe ponitur quo ſupplicij genere deberent affici: nam ſignificari eo verbo affixionem, & ſuſpendium indicant interpretes Hebræorum. Et locus ille Regum 3. vbi de crucifixis filijs Saul ſcribitur, qui ſic habet, והוקעום ליהוה id eſt, Et ſuſpendite eos Domino. Sciendum vero eſt, ſecundum Hebræos, non eſſe dictum de principibus ſuſpende eos, ſed de his qui fuiſſent trãſgreſſi. Nam principes vocari iuſſit, vt poſſent qui deliquiſſent agnoſci: ipſe vero arbitror vtrunque nos exiſtimare poſſe.

Intrauit ad ſcortum.] Quod ſæpius admonuimus, non omnino percepiſſe interpretes verborum differentiam, quæ apud Hebræos manifeſtiſſima eſt, ex hoc potiſſimum loco cognoſcitur, qui Hebraicè ſic habet: Ecce, inquit, vnus de filijs Iſrael venit ויקרב אל אחיו את המדינית id eſt, Et attulit ad fratrem ſuum ſcortum Madianitam. Eſt ergo tertiæ coniugationis, in qua, verba tranſitiua formantur: non primæ, vt noſter putauit interpres. Eratque vertendum, non acceſſit ipſe ad ſcortũ, ſed ipſe accedere fecit ſcortum ad fratrem ſuum, vt cum eo commiſceretur, exhibuitq; illi fornicandi facultatem. Nam quod יקרב, ſit tertiæ coniugationis & ſit tranſitiuum patet retro ex cap. vigeſimoſeptimo, vbi ponitur ויקרב משה את משפטן לפני יהוה. Quod Hieron. recte interpretatus eſt. Retulitque Moſes cauſam eorum coram domino. Ecce vertit, retulit, id eſt, accedere fecit, non autem acceſſit, quod idem & Septuaginta ſenſerunt, ſed in alio variarunt, καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος τῶν υἱῶν ἰσραὴλ ἐλθὼν προσήγαγε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ πρὸς τὴν μαδιανίτιν, id eſt, Et ecce homo ex filijs Iſrael veniens adduxit fratrem ſuum ad Madianitida. Sed contra factum eſt, illam ad eum, non eum ad illam adduxit, quod etiam eſt veriſimilius.

Quia zelo meo commotus eſt.] בקנאו קנאתי id eſt, Dum zelatur ipſe zelum meum: quod aliquando inuidiam, interdum furorem, aliquando honeſtiſſimum & accenſum amorem ſignificat, quo exarſit Phinces. Septuaginta, ἐν τῷ ζηλῶσαι μου, τὸν ζῆλον ἐν αὐτοῖς, id eſt, Dum zelatur meum zelum in ipſis. Ecce quæ vertit Hieronymus, ſunt longe his clariora.

In locis genitalibus.] De vtroque intelligunt Hebræi, in eo loco ſcilicet eſſe vtrunque confoſſum, licet contextus tantum de fœmina hoc dicat, percuſſit inquit, virum ac mulierem אל קבתה id eſt, ad fœditatem eius. Ideo Septuaginta, qui ad Hebraica propemodum adhæreſcunt, ſic habẽt, Percuſſit inquiunt hominem, καὶ τὴν γυναῖκα διὰ τῆς μήτρας αὐτῆς, id eſt, per mediam eius vuluam. Sed Rabbi Salomõ exponit, בתוך זכרות של זמרי ונקבות שלה id eſt, In medijs genitalibus zamri, & genitalibus eius mulieris. editio Chaldaica, למעהא hoc eſt, in ventre eius.

Pacem fœderis mei.] בריתי שלום, hoc eſt, Fœdus meum pacis, id eſt, Do ei fœdus meum pace & quiete ſempiterna, vt nemo ſcilicet auferre poſſit, & de tanto gradu eum deturbare: ita verterunt etiam Sept. ἰδοὺ ἐγὼ δίδωμι αὐτῷ διαθήκην εἰρήνης, hoc eſt, Ecce ego do ei teſtamentum pacis, amicitiæ videlicet & beneuolentiæ & ſocietatis cum Deo, quæ eſt Deo cum ſuis ſacerdotibus, ſi mundi & caſti fuerint. Immutauit ergo Hierony. vt diceret pacem fœderis mei, non fœderis mei pacem, & quidem prudenter, eo quod eadem quidem ſunt, ſed hoc clarius & apertius. Fœdus autem Dei, eſt eius conſortium, amicitia, & quaſi affinitas, quam cum Deo diuini habent homines, per ſummam æquitatem & innocentiam, & honeſti amorem, ei ſimillimi effecti.

Principis nobiliſſimi Madianitarum.] ראש אמות, id eſt, Principis populorum, cui plurimi ſuberant populi. Quod miror non tranſtuliſſe Septuaginta, ſed potius nomen proprium putaſſe θυγάτηρ σοὺρ ἄρχοντος ἔθνους σομὼθ. Filia Sur principis gentis Somoth. Videmus eos vocem Hebraicam vmot, id eſt, populi, non interpretatam reliquiſſe, quod recte factum non eſt.

Hoſtes vos ſentiant.] צרור את המדינים, hoc eſt, Inimicare, inimicus efficiaris, afflige, vexa, perturba Madianitas. Sicut & Septuaginta, ἐχθραίνετε μαδιηναίοις. Hoſtes ſitis Madianæis.

CAPVT XXVI.

ET *factum eſt grande miraculum.*] והיו לנס id eſt, Et fuerunt in ſignum ac miraculum illi ſcilicet. Quare non refertur miraculum ad filios Chore, ſed ipſum potius, eiuſque ſequaces: ſicut & Septuaginta Hebraicum ſecuti tranſtulerunt, καὶ ἐγενήθησαν ἐν σημείῳ. id eſt, Et facti ſunt in miraculum: mox inferunt, οἱ δὲ υἱοὶ κορὲ οὐκ ἀπέθανον, id eſt, Filij autem Core non ſunt mortui. Quare ad illos ſpectat, licet etiam miraculum fuerit, vt illis pereuntibus, eos vnà cum tabernaculis eorum abſorbente terra filij non fuerint abſorpti.

Filij Gad.] Primus in cenſu, ſicut ætate prior erat, ponitur Ruben, poſt quem ſubſequitur Simeon, tertius locus datur Gad, quod & vbique fit. Quare apud Septuaginta male non ſuo loco poſitus eſt Gad, ſed ferè vltimo. Quod certe maxime miror, nam ſuperius eundem errorem accidiſſe, poteramus æquius ferre, ſed quòd hic idem peccetur, non eſt ferè tolerabile. Patet autem hæc errata non eſſe ipſis interpretibus adſcribenda, ſed deprauatis codicibus: id quod non fuit in lingua Græca difficile, vt quę maxime ab Hebraica eſt aliena, facile peregrinæ linguæ corruptelas admitteret.

In cenſu Iſacar.] redundat centum apud Septuaginta interpretes, quandoquidem is numerus eſt ſicut noſtra habet editio: ſcilicet ארבעה וששים אלף ושלש מאות, id eſt, Sexaginta quatuor millia, & trecenti: in Græco autem τέσσαρες καὶ ἑξήκοντα χιλιάδες καὶ τετρακόσιοι, hoc eſt, ſexaginta quatuor millia, & quadringenti.

Non recte quoque apud Sept. cenſus Aſer præponitur cenſui Ioſeph, Manaſſe, & Ephraim, & Beniamin, & Dan. Nam poſt omnes hos, Hebraica fides cenſet Aſer, id quod fit in noſtra editione, quæ ferè nunquam ab Hebraica veritate diſſentit. Eſt autem in eodem cenſu error: numeratur enim ex tribu Aſer, ſicut noſtra continet editio, quinquaginta tria millia quadringenti: at vero Græcorum codices habent τρεῖς καὶ τεσσαράκοντα χιλιάδες τετρακόσιοι, hoc eſt, Quadraginta tria millia, & quadringenti. Deſunt ergo decem millia, qui lapſus eſt non minimus.

Iacabet quæ nata eſt ei in Aegypto.] אשר ילדה אתה ללוי, id eſt, Quam peperit eam ipſi Leui, vt hoc dicatur de vxore Leui, quę ei peperit Iacabet, aut certe de ipſo Leui dicitur, qui genuit eum ſibi ipſi Leui: quod eſſet ſubabſurdum. Hæc perplexio fecit, vt non recte is locus apud Septuaginta redditus ſit, ἣ ἔτεκε τούτους τῷ λευὶ, ἐν αἰγύπτῳ, id eſt, Quæ peperit hos ipſi Leui, in Aegypto: quod conſtat non eſſe verum, non enim eos peperit ipſi Leui, ſed viro ſuo Hamram patri eorum, præterquam igitur ꝙ ſententia deprauata eſt, & non reddit quæ ſunt in contextu, etiam quod dicit eſt falſum, Iochabet enim vxor Hamram peperit Moſen & Aharom, ipſi Hamram, non ipſi Leui, quemadmodum dicuntur apud Hebræos, vxores viris ſuis filios gignere. Quod ergo dicebatur de naſcente Iocabet, Septuaginta de ea pariente tranſtulerunt: lapſus non ferendus. Nam articulus, אתה id eſt eam, poterat eos abunde docere, de quorum partu diceretur. Deinde nonne abſurditas nota erat, quia mox infertur, ϗ ἔτηκε τῷ ἀμβρὰμ τὸν ἀαρὼν, ϗ τὸν μωϋσον, id eſt, Peperit ipſi Hamram Aharon & Moſen? nonne dixerant prius, eos peperiſſe ipſi Leui.

CAPVT XXVII.

E*Ritq; hoc ſanctum lege perpetua.*] Quis non miretur huius noſtræ editionis venuſtatem, decorem, lucem: ipſius autem interpretis prudentiam, iudicium, vtriuſque linguæ, in eo abſolutiſſimam peritiam, explicandi maieſtatem, ingenij dignitatem? Quæque ſunt in lingua Hebraica, manca, mutila, compendioſiſſima, horrida, dura, illorum hominum loquendi more perplexa, fecit apertiſſima, illuſtriſſima, linguæ noſtræ maxime accommodata. Tantoque magis hoc admiramur, quantò res eſt difficillima, & quam infeliciſſime plurimi apud nos & Græcos attentarint. Quis enim non ſtomachetur, ſi legat Moſen Aegyptium, à quodam ſummo viro Latinitati donatum, in quo nulla ſermonis Hebraici exprimitur proprietas? imò quia Hebraica noſtræ linguæ accommodare ille aut neſciebat, aut non poterat, tãta obſcuritate repleuit editionem, vt nemo ferè ſit, qui eum librum poſſit legere. Quis aliorum plurimas interpretationes? Quis etiam infinitis in locis ipſos intelligat Septuaginta interpretes, qui Hebraica & verba & phraſin ſectantes, fecerunt vt apud Græcos pleraque vix eſſent intelligibilia? Ego quidem cùm pleraq; ex Hebraico apud Latinos & Græcos verſa legerim, me nihil vnquam melius, venuſtius, hac noſtra editione vidiſſe fateor. Quamobrem non poſſum non eorum damnare audaciam, qui alias hac noſtra tempeſtate editiones attentare voluerunt, quaſi fidem adhibeant Hebræis, quòd hæc male reddita ſit. Res illi genti penè domeſtica, vt noſtra etiam quæ ſunt optima, ſitibunde lacerent, & vituperent. Sed venient in lucem eorum interpretationes, ac tum facile iudicabunt omnes, quam vere ſimus ipſi locuti, quàm vanum laborem experti fuerint illi. Nam ſi ad litteram interpretabuntur, erunt omnia obſcura, & legentes in ſummum faſtidium adducentia. Sin ſenſum ſenſui reddiderint, nunquam hanc Hieronymi maieſtatem aſſequentur. Nunc quod propoſuimus explicemus. Is locus ſic habet apud Hebræos. Erit, inquit, hoc filijs Iſrael, לחקת משפט id eſt, in ſtatutum iudicij. Interroga Hebræos quid hoc ſit, nihil inuenies eſſe aliud, quàm quod vertit Hieronymus: & tamen, ſi eo modo reddidiſſet, vt nos interpretati ſumus, decem interpretibus fuiſſet opus, qui fortè & rem extorſiſſent, & ad alium ſenſum traxiſſent. In noſtra vero editione tam clara ſunt, vt pueris etiam facillima intellectu ſint. Nam quomodo hoc ipſum verterunt Septuaginta? Erit, inquit δικαίωμα κρίσεως. hoc eſt, Iuſtificatio iudicij, Quod mihi etiam propemodum obſcurum eſſet, niſi ad fontem recurrerem. Atque huic ſimilia ſunt ferè cætera omnia, totuſque Hebraicę locutionis contextus.

In eos qui
nouas ĩ biblia moliũ
tur inter-
ꝑtationes.

In montem iſtum Habarim.] Credo Habarim nomen eſſe ipſius montis, vt Chaldaica etiam indicat editio, quæ hoc non interpretatur. Septuaginta non proprium eſſe putarunt, ſed potius nomen à verbo habar deductum, hoc eſt tranſijt: itaque ſic tranſtulerunt ἀνάβηθι εἰς τὸ ὄρος, τὸ ἐν τῷ πέραν τοῦ ὄρους ναβᾶν. id eſt, Aſcende in montem, quod eſt trans montem Naban: in quibus verba pleraque redundant, & falsò addita ſunt. Primum in contextu Hebraico, non ponitur niſi vnus mons, deinde is vocatur Habarim, non Naban, vt illi transferunt. Præterea quod erat Habarim reddiderunt πέραν. id eſt, trans: putantes duci ab Habar, hoc eſt tranſijt, vnde fit heber, id eſt, trans. Cuius ſcriptura Hebraice ſic eſt, עבר primum per zere, vt differat à nomine heber, quod ſcribitur per duplex ſegol. Putarunt igitur aduerbium eſſe, quod erat montis nomen. Siue enim nomen montis proprium, ſiue tranſitum ſignificet, vt vocatus ſit mons tranſitus, non recte verſum eſt, in id quod eſt πέραν. hoc eſt trans.

Ibis & tu ad populum tuum.] ונאספת אל עמיך, Hoc eſt, Et colligeris ad populos tuos: ſicut & Septuaginta καὶ προστεθήσῃ πρὸς τὸν λαὸν σοῦ. id eſt, Et colligeris ad populum tuum, conſueta Hebræis locutio: qua dicunt poſteritatem aggregari ad priorem gentẽ. Non quòd diſcrimen vllum poſt mortem fore ſignificetur, vt cognatio cum cognatione adiungatur, ſed quod modus loquendi ſit, & eo innuatur, viuentes in defunctorum gentes, poſt mortem annumerari, & ad eos aggregari. Aut certe ſpectat ad ſepulturam quòd eiſdem monumentis familię ſepeliantur, quo fit vt qui ex poſteris moriantur, dicantur adiungi ad populum ſuum, & familiam ſuam, dum eodem in ſepulchro conduntur.

In quo eſt ſpiritus Dei.] Recte addidit Dei, cùm Hebraice tantummodo ſit אשר רוח בו .i. In quo ſpiritus eſt. Neque enim alium ſpiritum, quàm diuinum illum intelligimus. Id quod editio Chaldaica, clariſſime hoc modo explicuit, גבר דרוח נבואה Hoc eſt, Vir in quo eſt ſpiritus prophetię. Septuaginta vero nihil tale aperuerunt. ὅς τις ἔχει πνεῦμα ἐν αὐτῷ. id eſt, Qui habet ſpiritum in ſe.

Et partem gloriæ tuæ.] מהודך. id eſt, De gloria tua: & recte quidem Hieronymus partem gloriæ

tuę,

tuæ, non totam gloriam tuam, vt pulcherrime declarant Hebræi, qui comparationem inter Moſen & Ioſue ſtatuunt, vt Moſes ſit tanquam Sol. Ioſue ſicut Luna, quæ à Sole lumen accipit. Hæc autem gloriam Rabbi Moſe, dicit eſſe , קירון עור פנים id eſt, Splendorem vultus quo Moſes radiaret propterea dicunt faciem Moſis vt Solem enituiſſe: Ioſue vero vt Lunam, quanquam & de alia gloria intelligendum ſit. Quamobrem melius hæc apud nos ſententia exprimitur, quàm apud Græcos, καὶ δώσεις τὴν δόξαν σου ἐπ' αὐτόν. id eſt, Et pones gloriam tuam ſuper ipſum: videntur enim non animaduertiſſe præpoſitionem de, aut ex, quæ de toto demit.

Eleazar ſacerdos conſulet Dominum.] , ושאל לו במשפט האורים לפני יהוה hoc eſt, Et poſtulabit pro eo iudicium veritatis, aut certitudinis, aut illuminationis, coram Domino: quod exponunt Hebræi, cùm bellum ſuſcipiendum eſt, cùm pax ineunda, de his, inquit, cõſulet Eleazar Dominum. Nam

אורים vrim, hoc loco doctrinam, ſiue illuminationem, ſiue declarationem ſignificat, ſicut retro de inſcriptione nominis tetragrammaton dicebatur, quod nomen vocauit vrim, quia per illud ſacerdos

אור illuſtrabatur, edocebaturque: duciturque ab , אור id eſt, Lux, & in caſu plurium vrim. Quo ſignificatur veritas & rerum certiſſima perceptio, quam à Deo accipiebat ſacerdos. Hæc igitur huius vocis ſententia eſt, quæ obſcuriſſime, & minime proprie à Septuaginta reddita eſt, καὶ ἐπερωτήσουσιν αὐτὸν, τὴν κρίσιν τῶν δήλων ἔναντι κυρίου. id eſt, Et ſciſcitabuntur ex eo, iudicium manifeſtorum coram Domino: tot errata quot verba. Primum tota ſententia peruerſa eſt, quia ita eam verterunt, vt innuerent, filios Iſrael interrogaturos ipſum Eleazarum & petituros ex eo rerum veritatem: non Eleazarum Dominum. Deinde quo modo, per plurale tranſtulerunt, quod erat in contextu Hebraico ſingulare? præterea quòd verterint vrim, τὰ δῆλα, forte ferendum eſt, ſi tamen ſit adeo clarum, quantum neceſſe ſit: præterea, quod vocem , משפט id eſt, iudicium, non immutarint, non arbitror eſſe prudenter factum. Quamobrem, cum omnibus hiſce verbis non aliud intelligendum ſit, quàm quod vertit Hieronymus, non poſſumus non mirifice eius prudentiam, iudiciumque commendare.

CAPVT. XXVIII.

Holocauſtum ſempiternum. ἐνδελεχισμός. IN *holocauſtum ſempiternum.*] Atque hoc illud holocauſtum eſt, quod Græce vocatur ἐνδελεχισμός. quaſi dixeris perpetuitas, continuatio, qua perpetuum ſacrificium nunquam intermittebatur, vt continuus eſſet Dei erga genus humanum amor, qui propter ſacrificium illud perpetuum ab eis non recedebat, vt eſſet iuſtiſſima Dei ad illos affectio, quòd nunquam eius inter homines abeſſet memoria, quæ ſacrificio repræſentabatur.

In calendis.] Sicut etiam præclare Septuaginta ἐν νουμηνίαις. id eſt, in nouilunijs: ſiquidem menſes ad lunæ exortum obſeruabant, atq; etiam ſi menſis non inchoante luna inchoaretur, non propterea ſacrificabant, ſed nouilunium expectabant, nihil curantes, etiam ſi iam menſis cœpiſſet. Ita & omnes dies feſtos ac celebres agebant, obſeruato curſu lunæ. Atque hoc eſt, quòd quintadecima dies menſis, quo celebrant paſcha, raro cum noſtris menſibus conuenit, atque ille mẽſis apud illos modo eſt Martius, modo Aprilis, non quòd mutetur feſtum, ſed quia menſes ad lunæ exortum non ſemper apud nos inchoantur, quæ in feſtis, ab eis obſeruatur, propterea dictum eſt Geneſi capite primo, lunam in ſignum ſolennitatum, dierumque feſtorum futuram.

Decimam decimæ.] Non eſt opus vt repetatur decimæ, ſed Hebraicus loquendi modus eſt vt dicatur , עשרון עשרון hoc eſt, decimam decimam, id eſt, quælibet decima, cuilibet agno. Nam decimã decimæ ſuſpectum fortè eſſet, & in alium ſenſum acciperetur. Septuaginta ποιήσεις δέκατον τῷ ἀμνῷ τῷ ἑνί. id eſt, Facies decimam agno vno, præclare quidem ſubtracta vna dictione.

Præter holocauſtum matutinum.] Excepto, inquit, hoc ſacrificio, illa offeretis. Non enim intermittendum eſt illud iuge ſacrificium propterea quòd ſacrificãtur etiam alia, ſed hoc erit perpetuum. Quod apertiſſime declaratur ex ipſo contextu Hebraico. Excepto, inquit, matutino ſacrificio , תעשו את אלה id eſt, facietis hæc, quæ modo præcepta ſunt: quod ponitur etiam ab Septuaginta ποιήσετε ταῦτα. hæc facietis.

אשה ὁλοκαύτωμα. Holocauſtum. *In fomitem ignis.*] , לחם אשה id eſt, panis ſacrificij: nam , אש licet ſignificet ignem אשה tamen ſacrificium intelligimus, Quod Græci vocant ὁλοκαύτωμα. id eſt, perfectum, penitus exuſtum. Nequid igitur erroris afferret tralatio, alterum hoc ſubiecimus. Fomitem ergo vel panem ſacrificij dixit, quia ſacrificium tãquam panis Deo exhibetur: vino etiam adiecto, & ſacrificium quaſi quidam panis eſt, quo ſuam erga Deum voluntatem oſtendunt homines. Licet igitur ſacrificium igni exureretur, non propterea dicendum fuerat in fomitem ignis. Quia fomes ad ſacrificium, non ad ignem ſpectat, & ſacrificium non fomes, ſed panis appellatum eſt, quaſi ſacer & diuinus panis, quo quaſi ab hominibus oblato veſcitur Deus.

Expletis hebdomadibus.] , בשבעתיכם hoc eſt, In hebdomadibus veſtris: his ſcilicet quinque hebdomadibus, quas præceperat ab expletis azymorum diebus numerari. Quo numero euoluto dies primitiarum celebrari iuſſit, atque hoc optime explicuit Hieronymus. Quod non ita apud Septuag. καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῶν νέων, ὅταν προσφέρητε θυσίαν νέαν κυρίῳ, τῶν ἑβδομάδων. hoc eſt, In die nouorum cùm offertis ſacrificium nouum Domino, hebdomadum. Quis enim id facile intelligeret, niſi ad fontem ipſum recurreret: in noſtra vero editione nulla difficultas, quia interpres intellexit quibus eſſet verbis ea declaranda ſententia.

CAPVT XXIX.

P*Rima dies.*] Niſi quis ſciret apud Hebræos vnum accipi pro eo quod eſt primum, facile in errorem, editionem Septuaginta ſecutus laberetur, qui hoc modo reddiderunt, καὶ τῷ μηνὶ τῷ ἑβδόμῳ μιᾷ τοῦ μηνός. id eſt, Et menſe ſeptimo, vna mẽſis. Non enim tam de prima, quàm reliquis omnibus diebus id intelligeret: quod prudenter vitauit Hieronymus. Deinde & in eo Hebraicã phraſin ſequi nõ erat neceſſe, vt diem tacerent, dicentes vna menſis: quod tametſi omittatur in lingua Hebræa, in noſtra tamen aut Græca, mutilum ac mancum videretur.

Omne opus ſeruile.] Etiam hoc apud Sept. annotandum fuerat: non enim recte vertitur apud eos opus ſeruile, in id quod eſt, ἔργον λατρευτόν. nam cùm λατρεύειν, colere ſignificet, non manibus operari, omnis vtique arbitraretur λατρευτὸν id ſignificare quod ad cultum obſequiumq; ſpectat: quod non prohibetur in die feſto fieri: nam ἔργον λατρευτὸν dicerem ipſe eſſe eccleſias adire, ſacrificare, orationibus inſiſtere, atque id genus alia. propria vero & ſignificantiſſima vox, quæ eam rem apud Græcos exprimeret, erat χειροποιητὸν, id eſt quod manibus fit, atque hoc prohibentur Hebræi facere, vt rebus diuinis expediti vacarent. Omnes autem plurimum intereſſe cognoſcent inter λατρευτὸν, & χειροποιητόν. æquiuocatio vero fefellit Septuaginta: ſiquidẽ apud Hebræos, עבד vtrunque ſeruitium ſignificat, ſcilicet diuinum & humanum, hoc eſt opificium fabreficum: & עבדה, dicitur diuinus cultus: & aliud exercitationis genus: at non ita fortaſſe apud Grecos ſignificaret λατρεύειν. ſed illud diuinum exercitium tantum, vel ſi humanum, non tamen id quod corporis & manuum agitatione fit, & quod diximus χειροποιητόν. hæc quidem poterant alibi annotari, ſed non adeo ad nos pertinere animaduertebamus.

ἔργον λατρευτόν. χειροποιητόν. Opus ſeruile.

Dies tubæ & clangoris.] Quod eleganter Septuaginta ἡμέρα σημασίας. id eſt, dies ſigni, aut nuncij, aut annunciandi: quod per tubæ clangorem fiebat.

Tres decimas.] שני עשרנים id eſt, Duæ decimæ: duo enim erant arietes, cuique vna decima dabatur, quare vna ſuperfluit apud nos. Nam & Septuaginta cum Hebraico ſentiunt δύο δέκατα τῷ κριῷ τῷ ἑνί. id eſt, Duæ decimæ, arieti vno.

Die octauo qui eſt celeberrimus.], עצרת id eſt, In quo fit cœtus, congregatio populi, conuentus. Eo, inquit, die, omnes ad diem feſtum conuenietis: quod Sept. paulo obſcurius verterunt ἡμέρα τῇ ὀγδόῃ ἐξόδιον ἔσται. Hoc eſt, Octaua die exitus eſt, egreſſio eſt, & quaſi proceſſus.

CAPVT XXX.

A*Vt conſtrinxerit ſe iuramento.*], לאסר אסר על נפשו id eſt, Vt cõſtringat ſuper animam ſuam iuramentum: hoc eſt, vt recipiat ſuper ſe iuramẽtum: Anima enim ſua, pro ſeipſo ponitur. Qui, inquit, addixit ſe iuramento, aut ſe ſacramento alligauit. Quare non redditur is locus apud Septuaginta ἢ ὁρίσηται ὁρισμῷ περὶ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. id eſt, Vel diffinierit aut incluſerit incluſione de anima ſua: nam ſuper animam ſuam in contextu non ſignificat de anima ſua, ſed ſuper ſeipſum. Puto quoque pro eo quod legitur ὁρίσηται, legendum potius eſſe ὁρκίσηται.

Voti rea erit.] id eſt, Voto ſoluendo obſtringetur, debet votum ſoluere, patre eius permittente. Sicut interpretantur & Septuag. στήσονται πᾶσαι εὐχαὶ αὐτῆς. id eſt, Stabunt omnia vota eius, exoluenda erunt.

Nec obnoxia tenebitur ſponſioni.] Deeſt hoc loco hæc particula, ויהוה יסלח לה hoc eſt, Et Dominus miſerebitur eius. Remittet, inquit, Deus ei votum quod vouit. Non reputabitur ſcelus: ſicut optime & Sept. καὶ κύριος καθαριεῖ αὐτήν. hoc eſt, Et Dominus eam expiatam habebit, peccato & ſceleri non obnoxiam.

Per ieiunium affligat animam.] Præclare explicuit quod erat fere dubium in contextu, לענות נפש id eſt, Si vouit vt affligeret animam. Affligere enim pro abſtinere ſumitur: & afflictio, abſtinentia, pœnitentia, quæ maxime fit per ieiunium, licet & per alia. Quare animæ, id eſt, ſuimet afflictio, accepta Deo eſt: veluti ſi à cibis, à voluptatibus, à rebus delicatiſſimis abſtineamus: non tam quòd mala ea per ſe ſint, nam bene vtentibus mala eſſe non poſſunt, quàm vt ab hiſce abſtinentes, quendam erga Deum amorem oſtendámus: quia propter ipſum, ab his quæ nos maxime oblectent, temperamus. Qui enim plus amat, pluribus id oſtendit argumentis. Totaque humanæ naturæ dignitas in eo eſt poſita, vt Deum totis viribus diligamus, ex quo veluti fonte reliquæ funduntur virtutes. Quare in hiſce votis, id datur opera, vt noſtram erga Deum charitatem oſtendamus, cui noſtras voluptates quaſi cõſecramus, quæ certe diuina eſt oblatio. Vxorem quidem ducere non malum eſt, ſed ſiquis ab hac voluptate propter Deum temperet, eique ſuam deuoueat caſtitatem, faciet is Deo rem acceptatiſſimam. Sed hæc omnia, ſicut ſi alijs virtutibus adiuncta ſint, odore ſuauiſſimo replent omnia: ita ſiquis ea cæteris virtutibus ſeiuncta poſſederit, nihil proſunt. Iniqui enim hominis, & maleuoli, & obtrectatoris ieiunium non modo

Affligere abſtinere.

Deo acceptum non eſt, verum etiam eſt illi inuiſum & abhominabile. Solemus enim eo plerunque errore decipi, vt ſi ſolis ritibus pietatem pergamus, ſatisfeciſſe nos credamus. Sed nos ſacræ docent litteræ, Deum his nudis ac ſolis non eſſe contentum, ſed eum animum atque affectum adeſſe oportere, quo illa reperta ſint.

CAPVT XXXI.

R*Eliqua vero vtenſilia.*] Non eſt hoc, ab illo ſuperiore diſtinguendum, quòd videlicet ſeorſum, hanc prædam & ſeorſum illam tulerint. Sed eundem in locum omnia comportarunt in campeſtribus Moab, vbi erat Moſes cum vniuerſa multitudine. Quod etiam apud Septuaginta declaratur. Eodem quoque in loco erant caſtra & Moſes cum Eleazaro, quod videtur diſtinguere Hieronymus.

Etiam in paruulis.] Quod ſæpius annotauimus, ſemper exiſtimaſſe Septuaginta, טף id eſt, Paruulus, ſignificare ſupellectilem, etiam hoc loco videre licet: quod enim vertit Hieronymus etiã in paruulis, illi ἐν πάσῃ ἀπαρτία, id eſt, cum omni celeritate, aut perfectione, aut cum omni dependentia & ſupellectili. Deinde vbi dicitur puellas & omnes fœminas virgines, & Hebraice כל רטף בנשים hoc eſt, Omne puerile inter fœminas aut omnis puella, illi καὶ πᾶσαν τὴν ἀπαρτίαν τῶν γυναικῶν. hoc eſt, & omnem ſupellectilem fœminarum. Quam abſurditatem etiam ipſa verba oſtendunt: non enim ſupellex interficitur, aut non interficitur, quod illi vocabuli imperitia fateri coacti ſunt. Verum in maximis viris, non ſunt minima obſeruanda, quia & vltro fortaſſe conniuerunt.

Dextralia.] עגיל, Quod Rabi Salomon dicit eſſe, נזמיאזן id eſt, aurium ornamentum. Sequitur vero noſter interpres Septuaginta περιδέξιον, id eſt, Dextrale, aut quod circa dextram inuoluitur: quod Ambroſius dextrocherium appellaſſe videtur: alibi inaures vertit Hieronymus.

Periſcelides.] Vox Græca, à περὶ, id eſt, circum, & σκέλος crus. Crurium enim ornamenta ſunt, atque ita etiam exponitur ab Hebræis. Sed Septuaginta diuerſius χλιδῶνα reddiderunt: hoc eſt, Brachialia, vt exponit Suidas, qui hoc dicit eſſe ornamentum brachiorum, Verum hæc, non adeo magni facienda ſunt. Nam in eiuſmodi rebus diſſentire facile fuit.

In diuerſis ſpeciebus.] כל כלי מעשה, hoc eſt, omne vas opificij, aut omne vas fabrefactum, omne genus vaſorum, crateres, phialæ, cyathi, calices, aurea argenteaque vniuerſa. Hoc fortaſſe in noſtra editione obſcurius, diuerſæ enim ſpecies, non ad opificia, ſed aliud aliquid referrentur, atque hoc clariſſime explicatur apud Septuaginta πᾶν σκεῦος εἰργασμένον. id eſt, omne vas fabrefactum, aut cælatum: nam εἰργασμένος χρυσός, in oratione Socratis ad Nicoclem, aurum cælatum ſeu fabrefactum ſignificat.

CAPVT XXXII.

A*Ptas animalibus alendis terras.*] Quod erat inuolutum, & inelegans Hebraice, fecit venuſtiſſimum, ſic enim legitur, והנה המקום מקום מקנה Hoc eſt, Et ecce locus, locus peculij, aut pecoris. Propterea Septuaginta, nihil verbis immutatis, non ſecus interpretati ſunt καὶ ἦν ὁ τόπος, τόπος κτήνεσι, id eſt, Et erat locus, locus pecoribus. Illud quoque in eis obſeruatione dignum duximus, quia non videntur diſtinxiſſe caſum qui apud Hebræos datiuus eſſe poteſt, & genitiuus. Hoc autem loco proculdubio erat genitiuus. Nam dicendo, Ille locus erat pecoribus, ſuſpicaremur eum à pecoribus poſſideri. Quare editione Hieronymi nihil poteſt dici venuſtius. Explicant autem poſt Septuaginta, longe apertius κτηνοτρόφον, eundem locum nuncupantes.

Habemus iumenta plurima.] Fortaſſe legendum eſſet armenta, cui proprie correſpondet מקנה Hebraicum, & κτῆνος G.æcum: licet hoc magis pecus ſignificet.

Cur ſubuertitis mentes.] למה תניאון את לב id eſt, Quare retrahitis, reuocatis cor: quod prudenter vertit in mentes, nam non tam apud omnes conſtat, an principatus ſit cordi tribuendus. Immutatum quoque à Septuaginta eſt διανοίας, id eſt, cogitationes, animum, mentem.

Subnerterunt cor.] Cùm idem ſit hoc loco verbum, quod & paulo ante, & Hieronymus eodem Latino ipſum expreſſerit, Septuaginta tamen non eodem. Primum enim verterunt ἱνατί διαστρέφετε τὰς διανοίας. id eſt, cur ſubuertitis mentes? Hic vero καὶ ἀπέστησαν τὴν καρδίαν, id eſt, & recedere fecerunt cor, auerterunt. Poteſt enim eadem ſententia, varijs modis explicari.

Si videbunt.] Annotauimus ſæpenumero, pleraque in euangelijs & epiſtolis Apoſtolorum, alijsq́; noui teſtamenti voluminibus, obſcura inueniri, propter locutiones Hebraicas, quæ aliud apud illos, aliud apud nos ſonent. Quis enim exempli cauſa, eorum qui minus aſſueti ſunt, intelligeret, ſi, ſumi apud eos pro eo quod eſt, non: non dico ſemper, ſed maxime quando iurant. Raroque inuenies apud Septuaginta permutari, ſi, in non, apud Hieronymum frequentiſſime. Igitur & locus ille: ſi introibunt in requiem meam, ſecundum morem Hebraicum accipiendus eſt, pro eo quod eſt non. Et illud: ſemel iuraui, ſi Dauid mentiar, id eſt, non mentiar: & alia complura, quæ nos ſuis annotare locis non pigebit. Quare, ſi, pro non accipitur hoc loco. Quod neque Septuaginta permutarunt. καὶ ὤμοσε λέγων, εἰ ὄψονται οἱ ἄνθρωποι οὗτοι τὴν γῆν. id eſt, iurauit dicens, ſi uiderint homines hi terram.

Si pro non apud Heb.

A *Et noluerunt ſequi me.*] לא מלאו אחרי id eſt, Non impleuerunt poſt me. Etiam hæc locutio Hebraica eſt, quam niſi tam Septuaginta quàm Hieronymus immutaſſent, fuiſſet obſcurior ſententia. Implere igitur poſt quem, eſt apud illos conſequi, eiusq; voluntate præcedente quaſi ſubſequi, perficere quæ imperantur. Septuaginta vt dixi & ipſi prudenter immutarunt. οὐ γὰρ συνηκολούθησαν ὀπίσω μου, id eſt, Non enim ſecuti ſunt poſt me. Hæc tametſi exigua ſunt, non inutilia tamen eſſe noſcentur ad intelligenda maiora.

Implere Hebr. quo modo accipiatur.

Cenezeum.] הקנזי, Quod exiſtimo cum Hieronymo, eſſe nomen familiæ, vt etiam ipſa nominis forma indicat. Quæ enim in Iod apud eos deſinunt, ferè gentilia ſunt. Sicut Iſraeli, id eſt, Iſraelita, & Romigi Romanus, & Nozri Nazareus. Iauani Græcus: ita & hoc loco Chenizi nomen gentile eſt, ac familiæ. Quare diſſentio à Septuaginta, qui hoc tanquam appellatiuum tranſtulerunt. χαλὲβ υἱὸς ἰεφθονὴ ὁ διακεχωρισμένος, id eſt, Chaleb filius Iephtoni, abiunctus, ac diuiſus: quod quorſum tendat, medius fidius non video.

Circunduxit eum.] ויניעם, id eſt, Et vagari eos fecit, inſtabiles eſſe: ſicut dicitur de Chain, cuius inſtabilitas eodem nomine ſignificata eſt, cùm dicitur, Eris, נעונד, id eſt, In motu ſemper & inſtabilis. Per quadraginta annos ſtationes mutabant in deſerto, donec paulatim peſſima illa natio aboleretur, nouumque genus ſurgeret. Septuaginta hanc inſtabilitatem, & volubilitatem verbo ſignificantiſſimo expreſſerunt, à nomine ῥόμβος, Rhombus, ſiue piſcis ſit, ſiue figura, eius ſimilitudinem imitans, ſiue rota, quam circunducentes nent mulierculæ, verbum fingentes, hoc modo. καὶ κατερρόμβευσεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ τεσσαράκοντα ἔτη, id eſt, Et circunuoluit eos per deſertum, annos quadraginta.

ῥόμβος. Rhombus.

B *Incrementa & alumni &c.*] תרבות, id eſt, Incrementum, multiplicatio, multitudo, quod non tam aperte à Septuaginta vertitur σύστρεμμα ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν, id eſt, commiſtio peccantium hominum.

Cauſa necis eritis.] שחתם id eſt, Interficietis, corrumpetis, deuaſtabitis, ſicut prudentiſſime interpretatus eſt Hieronymus. At Septuaginta paulo ſecus καὶ ἀνομήσετε εἰς ὅλην τὴν συναγωγήν, id eſt, & delinquetis in totam multitudinem hanc. Nam hoc non repræſentat necem illam, ac ruinam & vaſtitatem, ſed potius delictum. Innuiturque ex eo, offenſuros eos eſſe omnem multitudinem, cùm ad interitum & cladem pertineat.

Paruulis noſtris vrbes.] Conſuetus error apud Septuaginta, prò paruulis ſupellectilem ponentes, καὶ πόλεις ταῖς ἀποσκευαῖς ἡμῶν, id eſt, Et vrbes ſupellectili noſtræ.

Nos autem armati & accincti.] חשים, id eſt, feſtinantes, prompti: vnde & ſenſum appellant Hebræi, חוש à continua motione, quòd non ſit aliud ſenſus, quàm quidam continuus motus, ac viuacitas, quæ in motu conſiſtit: hoc vltimum omiſerunt Septuaginta.

חוש Senſus.

Ante filios Iſrael.] Elegantiſſime Septuag. vno nomine, προφυλακή, id eſt, prima acies, primi cuſtodes. Vno enim verbo exprimere non poſſumus.

Dixeruntq; filij Gad.] Obſeruatione dignum hoc loco apud Hebræos exiſtimo, quoniam nomen pluralis numeri, cum voce verbi ſingulari conſtruitur, quod perraro fit. Et confirmat eam ſententiam, qua diximus Elohim, id eſt Deos, conſtrui cum voce verbi ſingulari, qua dicitur, dij creauit, eoque ſignificari tres perſonas, licet vnico verbo includantur. Oſtendique hoc etiam ex conſuetudine loquendi Hebræorum poſſe. Hoc enim loco habetur ויאמר בני גד ובני ראובן hoc eſt, C Et dixit filij Gad, & filij Ruben: pro eo quod dicendum eſſet, & dixerunt: atque hoc annotari vehementer velim.

Dixit filij Gad, ſingulare, pro plurali.

Præcepit ergo Moyſes.] Nihil diſſentit ab Hebraico, ויצו להם id eſt, & præcepit eis, quod poſtea repetitur, & dixit ad eos, Atque illud eſt præceptum. Septuaginta vero hoc in aliam ſententiam acceperunt, putantes illud, præcepit, ſignificare potius, præfecit, conſtituit, hoc modo, καὶ συνέστησεν αὐτοῖς μούσῆς ἐλεάζαρ τὸν ἱερέα, καὶ ἰησοῦν υἱὸν ναυή, καὶ τοὺς ἄρχοντας τῶν πατριῶν, hoc eſt, Et præfecit eis Moſes Eleazarum ſacerdotem, & Ioſue filium Naue, & principes familiarum. Verum hæc, vt dixi, non eſt ſententia, & non hoc dicitur. Fefellit eos, quia ſeparatim ponitur, præcepit, & dixit.

Inter vos habitandi accipiant loca.] Huc adiecta eſt in codicibus Sept. tota hæc periodus. Si, inquit, armati vobiſcum tranſire noluerint, διαβιβάσετε τὴν ἀποσκευὴν αὐτῶν, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν, καὶ τὰ κτήνη αὐτῶν προτέρα ὑμῶν εἰς γῆν χαναάν, hoc eſt, Tranſportate ſupellectilem eorum, & eorum vxores & pecora ante vos in terram Chanaan. Quæ clauſula hoc loco non habetur, adiecta fortaſſe ex alio loco, aut ab ipſis interpretibus ſtudioſe addita, vt explicarent, quæ ſibi viderentur. Sed an recte factum ſit, non affirmo.

Per circuitum.], בגבלת id eſt, in confinijs, in terminis, in vltimis locis. Vrbes, inquit, quæ vltimis in locis regionis erant poſitæ: quanquam additur, סבב id eſt, per circuitum. Septuaginta ferè & ipſi idipſum ſignificant, ſed alijs verbis, σὺν τοῖς ὁρίοις αὐτοῖς, id eſt, vnà cum ipſis finibus.

Iegbaha.] Hoc Septuaginta non vrbis eſſe nomen exiſtimarunt, ſed verbum potius. Nam Gaba exaltare ſignificat, & Ghebah collis dicitur. Itaque verterunt, καὶ ὕψωσαν αὐτάς, id eſt, Et exaltarunt ipſas, loco eius quod vertit noſter interpres Iegbaha. Sed ipſæ litteræ eos docere debuerant, littera enim finalis, he, nomen fœmininum eſſe demonſtrat. Deinde neſcio quo modo non viderint non eſſe vocem pluralem, neque poſſe interpretari exaltarunt, ſed potius exaltauit mulier: nam vox fœminina eſt.

Porrò filij Machir.] Septuaginta nec de pluribus ſcribunt filijs Machir, cùm Hebraice ſcriptum ſit. בני מכיר id eſt, filij Machir, & eius quem ponunt, nomen etiam explicant, quod non fit in contextu Hebraico, καὶ ἐπορεύθη οὐρ υἱὸς μαχείρ, id eſt, Et profectus eſt Vr filius Machir. Sed per errorem poſitum eſſe Vr exiſtimo, cùm de pluribus ſit hoc intelligendum, imò omnibus filijs & natis ex ſtirpe Machir.

CAPVT XXXIII.

IVxta caſtrorum loca.] Hæc omnia poſita ſunt ad explicationem huius vocis Hebraicæ מוצאיהם hoc eſt, Egreſſiones eorum. Deſcripſit inquit, Moſes egreſſiones, aut eorum manſiones, dum è caſtris egrederentur, deſcribebat manſionem præteritam: quod nõ vſque adeo perſpicue reddiderunt Septuaginta, καὶ ἔγραψε μωϋσῆς τὰς ἀπάρσεις αὐτῶν, id eſt, deſcripſit Moſes caſtrorum motiones. Sic enim neceſſe eſt interpretari ἄπαρσιν à verbo ἀπαίρω, i. ſoluo, tollo, ſolum verto.

Manu excelſa.], ביד רמה. i. in manu excelſa, elata: hoc eſt, hoſtium maximo terrore. Magno apparatu, admiratione omnium maxima, quæ omnia ſub locutione Hebraica ſignificantur.

Exercuerat vltionem.]. שפטים id eſt, iudicia: iudicauerat enim de dijs Aegyptiorum vt perderentur. Ad quorum inuocationem creduntur magi ſuas perfeciſſe incantationes: verum Deus de ipſis, iuxta eorum mendacem naturam iudicauit, meritiſque addixit ſupplicijs, ac dedecori, vt oſtenderentur non eſſe dij. Dicunt etiam nonnulli hoc ad cornigerum Hammonem pertinere, quem Aegyptij honore præcipuo venerabantur, ad cuius diuinitatem infringendam, Deum Hebræis agnum comedere iuſſiſſe, vt commonſtraret eum non eſſe Deum, quem Hebræi abſumerent. Verum hoc neſcio an verum ſit. Euangelium aperte proteſtatur, agnum in figuram eſſe immolatum, vt eo, verus agnus immolandus ſignificaretur, non vt dij Aegyptiorum eo infringerentur, ac myſtice ſignificarentur. Sed puto ad aliud pertinere cùm dicitur, In Deos eorum exercuiſſe vltionẽ. Et quoniam non explicatur in ſacris litteris, poſſumus ſapienter inquirere, nõ temere noſtras cogitationes aſſerentes, ſed eas veris comprobationes munientes. Septuaginta & ipſi vltionem interpretantur, ἐν θεοῖς αὐτῶν ἐποίησε τὴν ἐκδίκησιν, id eſt, In dijs eorum fecit vltionem.

Hammon corniger Aegyptiorum.

Quæ eſt in extremis finibus.]. בקצה המדבר Hoc eſt, In fine ſolitudinis: quod Septuaginta longe ſecus interpretati ſunt, propter vocabuli ambiguitatem: nam קצה aliquando extremum, aliquando partem ſignificat, ſed eam partem, quæ denotat extremitatem, id eſt, detruncationem, abſciſionem. Ergo Septuaginta ſic vertunt ὅ ἐστι μέρος τι τῆς ἐρήμου, id eſt, quæ eſt quædam pars ſolitudinis. Sed dicendum eſſe, non partem, ſed finem, indicio eſt omnis locus, vbi eius vocis vſus incidit, vt illud: Finis omnis carnis venit, vbi eſt præſens vox. קץ Et paulo poſt, בקצה ארץ אדום id eſt, In fine terræ Edom, quod Septuaginta, καὶ πλησίον τῆς γῆς ἐδώμ, verterunt, id eſt, propè terram Edom, aliaque id genus innumera.

In mara.] Septuaginta vocis interpretationem poſuerunt, καὶ παρενέβαλον ἐν πικρίαις, id eſt, Et caſtrametati ſunt in amaris aut amaritudinibus. Sic enim eum locum Hebræi vocarunt, ab aquarum amaritudine.

Septuaginta palmæ.] Nihil refert quòd Septuaginta ſcribant, στελέχη τῶν φοινίκων, id eſt, trunci palmarum, aut ſtipites, cùm Hebraice in contextu non habeatur, ad explicationem enim additum eſt.

Confringite titulos.], מצבתם id eſt, delubra eorum: vbi dijs ſuis orationes faciebant, vt interpretatur Chaldaica editio בית סגידתהון, .i. Domum orationis, aut genuflexionis eorum. Vel titulos, hoc eſt, aceruos lapidum ſuper quos adorabant, vt interpretatur Rabi Salomon. Sicut varia erat earum gentium ſuperſtitio, à dæmonibus reperta, atque ideo plerunque irrationabilis. Septuaginta quoque recte & ſecundum editionem Chaldaicam interpretantur τὰς σκοπιάς, id eſt, ſpeculas eorum, locos extantes, alij dixerunt ſpectacula in lapidibus exſculpta.

Statuas comminuite.], צלמי מסכתם id eſt, Imagines conflatorias, aut æreas, aut fuſas ad caminum, & id genus, quæ fiunt multis argenteis, aut aureis rebus in vnum conflatis, & per ignem liquefactis: quod & præclare Septuaginta, καὶ πάντα τὰ εἴδωλα χωνευτὰ αὐτῶν, hoc eſt, Et eorum ſimulachra, ad fornacem fuſa. Ita enim neceſſe eſt χωνεύω interpretari.

Et omnia excelſa.], במותם id eſt, excelſa. Quod & de collibus, æditisq; locis poteſt intelligi, vbi dijs ſuis lucos conſecrabant, in eorumq; medio delubra ſtatuebant, ibiq; eos venerabantur: aut certe refertur ad columnas excelſas, ſuper quas idola ponebant in æditiſſimo loco, vt inde dij cõſpicerentur, & ab omnibus adorarentur, venerabilioresq; viderentur: hoc poſtremum ſenſerunt Septuaginta, transferentes, πάσας τὰς στήλας αὐτῶν ἐξαρεῖτε, id eſt, Et omnes columnas eorum auferte, quod & eo comprobatur. Dicitur enim hic in contextu, Excelſa eorum confringite, Hebraicè. תשמידו Confringere vero de collibus ac lucis non diceretur: quamobrem videtur ad columnas, ſigna, titulos, vbi Deorum eſſent erectæ imagines omnino pertinere. Quod vero Deos in cacumine montium colerent, manifeſtum eſt Deuteronomij cap. xij. Vbi Deus præcepit Hebræis,

vt cùm

A vt cùm ad terram promiſſam perueniſſent, omnes locos idololatriæ deſtruerent, vbi ſic ait, Deſtruite, inquit, omnes locos, vbi gẽtes adorant, אלהיהם על ההרים הרמים ועל הגבעות ותחת כל עץ רענן hoc eſt, Deos ſuos ſuper montes excelſos & colles, & ſub omni arbore virenti.

Erunt vobis quaſi claui.], לשכים Quod etiam Hebræi clauos interpretantur. Per aliud enim notius exponens Rabi Salomon ait, erunt vobis, לצנינים id eſt, in clauos, aut tanquam claui. Nec abſunt ab hac ſententia, & Septuaginta, ἔςαι σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑμῶν, id eſt, erunt ſtimuli, cruces, in oculis veſtris.

Et lancea in lateribus.], לצנינים id eſt, In ſpinas, vt exponunt Hebræi, Rabi enim Salomon exponens hoc, ſcribit, erunt vobis in ſpinas, vt ſepiant, & egrediendi & ingrediendi facultatem vobis adimant. Regio veſtra circumuallabitur his hoſtibus, vt vos egredientes extra veſtros limites illico excipiant. Videtur autem & idem innuere Hieronymus, licet alijs verbis, in qua re etiam Septuaginta ſecutus eſt, qui & ipſi καὶ βολίδες ἐν ταῖς πλευραῖς ὑμῶν, id eſt, Et iacula, aut lanceæ erunt vobis ad latera.

Et aduerſabuntur vobis.], וצררו אתכם id eſt, Et affligent vos, angent, vexabunt, hoſtiliter in cunctis ſe gerent, & inimicabuntur vobis, vt ipſe noſter interpres reddidit, & Septuaginta quos ſequutus eſt, καὶ ἐχθρεύσουσιν ὑμῖν, id eſt, Et inimici vobis erunt, atque ita vere accidiſſe poſtea cognitum eſt: nam quos in acquirenda terra reliquiſſent, hi & ad idololatriam, & ad peſſimos quoſque ritus ac mores eos pellexerunt: ex quo & illud conſequebatur, vt à Deo derelicti, miſerabiliter ab eiſdem affligerentur, quos corruptelarum & impietatum magiſtros habuiſſent. Ita verbum domini Eſa. 40.
B manet in æternum, nec vlla poteſt ratione immutari, quia firmiſſima eſt rerum, cum ſuis cauſis apprehenſio, & expreſſio, quæ ſenſim per ſuos ordines explicatur.

CAPVT XXXIIII.

P*ars meridiana.*] פאת נגב, Hoc eſt, ora, extremitas, terminus meridionalis, ſeu à meridie: nam pars meridiana de confinibus ac terminis, non fortaſſe intelligeretur, quanquam & Septuaginta in eum modum tranſtulerint, καὶ ἔςαι ὑμῖν τὸ πρὸς λύβα, id eſt, Et erit vobis latus, quod ad meridiem vergit. Poteſt etiam ſtare ſententia Hieronymi, propter vocis multiplex ſignificatum.

Per aſcenſum Scorpionis.] Similitudo eſt. Flectentur inquit termini ſicut flectuntur in gyrum Scorpiones: nec loci nomen eſt, vt exiſtimarunt Septuaginta, ſed quædam vt dixi comparatio, quibus libenter ſacra ſcriptura vtitur. Itaque Septuaginta arbitrati nomen eſſe loci, ipſum Scorpionis nomen pro loco poſuerunt κυκλώση ὑμᾶς τὰ ὅρια ἀπὸ λυβὸς, πρὸς ἀνάβασιν ἀκραβὲν, id eſt, Et circumſcribẽt vos termini ab Aphrico, ad aſcenſum acrabin. Acrabin vero Scorpiones Hebraice vocantur. miror profecto hunc lapſum. Acrabin ſcorpiones

Ad montem altiſſimum.], הר ההר id eſt, Hor montem, de quo ſæpe retro dictum eſt. Omittitur etiam eius montis nomen apud Septuaginta, propter vocis ſimilitudinem, quæ eſt inter hor & oros. Ideo ſcriptores putarunt redundare hor, quaſi eſſet vna ſyllaba nominis oros, eamque extra contexum eiecerunt.

C *Ad mare cenereth.*] Mos ſacrarum litterarum eſt, vt omnem aquarum collectionem mare appellent. Itaque exiſtimo hunc eſſe lacum, quem nos corrupte vocamus ſtagnum genazaret, cùm cinnereth dicendum ſit, vt ex iſto loco docemur: neque mare erat, ſed lacus. Atq; hoc etiam hic innuitur: nam mare ipſum, vocatum eſt mare magnum. Lacus autem & ſtagnum mare ſimpliciter. Nihil ergo refragatur, ne non credamus eſſe hoc, ſtagnum genezeret. Suoq; nomine res eſſet appellanda, vt à rebus tam ſacris, non modo rerum, ſed etiam verborum abſit corruptela. Omnis aquarũ collectio mare Hebr. Lacus genezereth.

CAPVT XXXV.

M*ille paſſuum ſpatio.*] Sicut habet & Hebraicum, אלף אמה סביב, id eſt, Mille cubitos, aut mille paſſus per circuitum. Qui numerus deprauatus apud Septuaginta legitur ἀπὸ τοίχους τῆς πόλεως, καὶ ἔξω διχιλίους πήχεις κύκλω, id eſt, à muro ciuitatis, & extra, bis mille cubitos per circuitum. Redundat ergo dimidium, hæc enim menſura erat qua ea loca per circuitum excurrebant, qua vero à muris ciuitatum recedebant, duo millia paſſuum. Atque hæ duæ dimenſiones expreſſe ponuntur in Hebraico. Præcipitur ergo vt bina millia ab vrbe diſtarent, mille vero per circuitum tenderentur.

Cognatus occiſi.], למקלט מגאל Hoc eſt, in refugium a redimente: vt poſſit inquit eſſe refugium is locus ab eo qui ſanguinem redimit, quem Hieronymus vult eſſe cognatum & affinem occiſi. Sicut etiam ſentiunt Sept. φυγαδευτήρια ἔσονται ἀπὸ τοῦ ἀγχιςεύοντος τὸ αἷμα, Hoc eſt, Refugia erunt ab eo, qui propinquus eſt ſanguini. Sententia quidem eadem eſt, ſed non eiſdem verbis trãſfertur. Is ergo qui ſanguinem redimit, id eſt, vltor, non ſolum propinquus, ſed quilibet etiam alius eſſe poteſt: ideo rectius paulo poſt eum vocauit Hieronymus ſanguinis vltorem.

Si quis ferro percuſſerit.], בכלי ברזל Hoc eſt, cum inſtrumento ferreo: qua voce non ſolum inſtrumentum ſignificatur, verum etiam vas: quo factum eſt, vt non tam proprie verterint Septuaginta ἐὰν δὲ ἐν σκεύει σιδήρου, Si autem vaſe ferreo quis percuſſerit: quanquã τὰ σκεύη, aliquando arma denotat. D

Hæc ſempiterna erunt legitima.] לחקת משפט, id eſt, In ſtatutum iudicij, per cognationes veſtras: quod cùm ſit elegantiſſime explicatum ab Hieronymo: à Septuaginta tamen, aut obſcure, aut in aliam ſententiam eſt verſum εἰς δικαίωμα κρίματος, id eſt, in iuſtificationem iudicij. Atque hoc eſt quod ſæpe admonuimus, tantum differre inter noſtram hanc & Septuaginta editionem, quantum inter ſolem ac lunam. Quod facile erit cuique videre, qui voluerit.

Homicida ſub teſtibus.] Et hoc elegantiſſime & ad noſtram linguam ab Hieronymo, verbis etiam paucioribus, quàm in Hebraico inueniatur, translatum. Vocauit enim homicidam, quem contextus Hebraicus, כל מכה נפש id eſt, Omnis percutiens animam. Quod ſi ad verbum reddidiſſet interpres, præter ipſam abſurditatem, fuiſſet etiam obſcuriſſimum. Audi enim Septuaginta, qui ad verbum tranſtulerunt πᾶς πατάξας ψυχὴν διὰ μαρτύρων, id eſt, Omnis percutiens animam per teſtes. Quis autem hoc, niſi maxime aſſueuiſſet, intelligere potuiſſet? resq; aperta eſt. Certum vero eſt, hoc loco percutere animam, ſumi pro eo quod eſt interficere.

Ad vnius teſtimonium.] Hoc quoniam paulo diuerſius fortaſſe videretur, Hebraica ponentur, ועד אחד לא יענה בנפש למות. Hoc eſt, Et teſtis vnus non reſpondebit in animam, ad moriendum, id eſt, vnus teſtis non poterit contra quenquam ſe teſtem exhibere, vt condemnetur. Dicitur ergo de teſte, non ipſa lege, quanquam & ad legem pertineat, id eſt, non modo vni teſti prohibetur ne id faciat, ſed etiam legi ne fieri permittat. Hieronymus ad legem reſpexit. Dicuntur autem hæc Hebraice, plurimis verbis, ſuperuacaneæ inculcatis, ſed in laudatiſſimam breuitatem ab interprete redactis. E

Exules & profugi.] Etiam hic præcipitur, ne precium ſuſcipiant ab his, qui ad vrbes illas profugiſſent, vt eo ſe redimerent, & ad ſuas ſedes reuerterentur. Deinde & illud, ne ab his etiam precium ſumerent, qui quenquam interfeciſſent, & ſe ad vrbes illas vellent conferre, eamque facultatem precio emerent: atque hoc innuitur in contextu Hebraico & Græco ולא תקחו כפר לנוס אל עיר מקלטו, id eſt, Et non accipietis precium ad effugiendum ad vrbem effugij eius. Propterea & Græce: οὐ λήψεσθετε λύτρα τοῦ φυγεῖν εἰς πόλιν, Hoc eſt, Non accipietis pretium ad effugiendum ad vrbem.

Ne polluatis terram.] ולא תחניפו. Et non polluetis terram, non contaminabitis. Nihil ergo ab Hebraico diſſentit, ſed Septuaginta neſcio quo verbo, id reddiderunt οὐ μὴ φονοκτονήσητε, id eſt, non perimetis, non trucidabitis terram: nam quid aliud ſignificat φονοκτονέω, cùm a φόνος, id eſt cæde ducatur, & κτείνω, interficio.

CAPVT XXXVI.

Iobilæus vnde dictus.

VT *cum iobilæus.*] Iobilæum appellari à verbo Hebraico יובל quo ſonitus cornu ſignificatur, nemo ferè eſt, qui neſciat. Quinquageſimus enim annus, Iobilæus vocatus eſt, quòd in eo cornua perſtreperent, per omnes vrbes Iſrael, vt tempus adeſſe ſignificaretur. Totusque ille clangor & buccinatio, Iobilæus Hebraice vocatur. Quamobrem cum hæc vera ſit ratio, qua Iobilæus vocatur, miror Septuaginta, quòd alio modo id vocabulum tranſtulerint, ſcilicet ἄφεσιν, id eſt, remiſſionem: non alia de cauſa, quàm quia anno Iobilæi, omnes poſſeſſiones cuiuis locatæ, ad ſuos redibant dominos, & quaſi auferri videbantur. Iugum quoque ſeruile auferebatur, captiui relaxabantur, carceres aperiebantur. Eratque is redemptionis annus: ſed ea non eſt vocis proprietas: neque tam facile cognitu eſſet omnibus, quid ſibi vellet ἄφεσις, & in alium ſenſum interpretaretur. A Iobilæo quidam duci putant iubilare, quaſi ſtrepere, lætari, ac vociferari. Id quod Græcis eſt ἀλαλάζειν. Verum etiam Latini, vſi hac voce ſunt, videlicet iubilo, à quo & eiuſdem vocis verbum. Sed non ſignificatur eo illa lætitia, quam innuit hoc verbum eccleſiaſticum. Dicit enim Auguſtinus iubilare proprie beatiſſimarum eſſe gentium, & gaudijs diuinis perfuſarum. Itaque proprie in cælo iubilare inueniri, non terris. Poteſt igitur iubilare, & Hebraicum eſſe, & Latinum. F

Iubilare. ἀλαλάζειν.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS.

DEVTERONOMIVM.

B

CAPVT I.

IN *ſolitudine campeſtri*.] , במדבר בערבה id eſt, In deſerto, in campo, in planicie: in qua voce conuertenda, eodem lapſu ceciderunt Septuaginta, quo & ſuperius: qui putarunt haraba, ſcilicet planiciem eſſe hereb, id eſt veſperum. Cùm maxima ſit in ſcriptura, ac multis alijs differentia. Itaque hunc locum ita reddiderunt ἐν τῇ ἐρήμῳ πρὸς δυσμαῖς, id eſt, in deſerto ad occaſum. Quem vero ſenſum habere poteſt hic ad occaſum, aut quamobrem ponitur?

Ex Aſaret.] , חצרת id eſt, Chazerot. Quo nomine etiam villæ ſignificantur. Sed hic loci proprium videtur eſſe, nam & multis ante locis habita de eo loco mentio eſt. Quare Septuaginta non adeo proprie verterunt hoc, καὶ αὐλῶν, id eſt, Et tibias. Lapſus autem is ex eo accidit, quia Chazar clangere tuba ſignificat, atque inde duci putarunt Chazarot: quod certe minime verum eſt. Non enim ab eo verbo eiuſmodi nomen deductum vſquam reperimus. Præterquam igitur quòd erratur, dum proprium nomen non exiſtimatur, accedit etiam, quòd neque vere de nominis etymologia dijudicatum eſt. Editio Chaldaica vertit hunc locum, בחצרות ארגיזו על בשרא id eſt, in Chazarot, murmurarunt propter carnes.

C *Vbi auri plurimum eſt*.] , ודי זהב id eſt, Et ſufficientia auri: aut, auri copia. Appellatum vero eum locum eo nomine Chaldaica docet editio, quòd vitulum ibi conflatilem confecerint Hebræi, collecta maxima monilium, torquium, craterarumque aurearum copia: quanquam non videatur Chaldæus interpres locum interpretari, ſed potius ſcribit eos eſſe à Moſe reprehenſos, quòd aureum vitulum feciſſent. Sic enim legitur, & reprehendit eos, על דעבדו עגל דדהב Hoc eſt, Propterea quod vitulum aureum feciſſent. Huc ergo & Hebræi pertinere aſſerunt, quod dicitur, vbi auri eſt plurimum, id eſt, vbi eos coarguit, propter auri copiam, ſiue reprehenſurus eſſet propter hoc ipſum. Verum in his argutiores eſſe vitium penè ſit.

Et Libani.] Miror cur hoc Septuaginta transferant ἀντιλίβανον, id eſt, antilibanum. Solum enim libanum in contextu ponitur.

Negocia veſtra & pondus.] טרחכם Hoc eſt, Laborem, aut defatigationem veſtram, qua, ſcilicet me defatigatis. Septuaginta verbo obſcuro, & non tam proprio id explicuerunt τὴν ὑπόστασιν ὑμῶν, id eſt, hypoſtaſin veſtram: credo eos velle intelligere τὴν ὑπομονὴν, id eſt, patientiam, ſuſtinentiam, vt mihi fingam vocem inuſitatam. Appellatur itaque labor Hebraice tarach. Quod vt infinita alia, ſic & ipſum Græcos vſurpaſſe arbitror, & eſſe id quod dicitur ταραχὴ, id eſt, tumultus, defatigatio, ſtrepitus. ταραχή.

Quorum conuerſatio ſit probata.] Hoc explicandi gratia ab ipſo eſt interprete additum, cùm in contextu nihil eiuſmodi ſit. Verum exiſtimo eum expoſuiſſe alijs verbis, hanc ſententiam ſcilicet, וידעים לשבטכם id eſt, & cognitos per tribus veſtras. Hoc autem modo intelligitur, Eligite per tribus veſtras, viros ſapientes, prudentes, & perſpicaces, ac peritos. Quamobrem ידוע hoc loco non eſt paſſiua vox, neque eum ſignificat qui cognitus eſt, ſed qui ſcit, qui cognoſcit, qui peritus eſt.

ritus eſt. Sicut optime & Septuaginta reddiderunt, ἄνδρας, σοφοὺς, ἐπιςήμονας, συνετοὺς, id eſt, viros ſapientes: cui reſpondet Hebraicum חכמים ſcientes, cui correſpondet · נבנים Deinde perſpicaces, aut intelligentes, cui reſpondet, ידועים quare actiua vox eſt.

Nec accipietis cuiuſquam perſonam.] Deeſt hoc quod & à Septuaginta eſt omiſſum. Paulo enim ante præcepit, ne faciem cuiuſquam in precio haberent, ne ex vultu iudicarent, ne perſonarum varietatem in iudicio diſtinguerent. Nunc autem præcipit, לא תגורו מפני איש Hoc eſt, nolite pauere à facie cuiuſquam: quæ & vna cauſa eſt, vt iudicium deprauetur, minas, ſcilicet præpotentum formidare. In huius ſententiæ locum, hanc poſuerunt Septuaginta οὐ μὴ ὑποςείλῃ πρόσωπον ἀνθρώπου, id eſt, ne deprimas faciem hominis. Quod certè, paulo ante dictum eſt, neque fuerat hic repetendum.

CAPVT II.

NOuit iter tuum.] Non aliter habent Hebraica, ידע לכתך id eſt, Cognouit iter tuum, aut inceſſum tuum. Verumtamen neſcio quamobrem Septuaginta, & tempus, & perſonam immutarunt διάγνωθι πῶς διῆλθες τὴν ἔρημον τὴν μεγάλην, Hoc eſt, cognoſce, perpende, quomodo pertranſieris ſolitudinem magnam. Ecce ſententia penitus variata eſt, neque mihi conſtat, cui tanti errati cauſam debeam adſcribere.

Nihil tibi defuit.] Et iſtud poteſt abundè teſtari, quantum noſtra editio cæteris ſit præferenda: nam is locus cùm fuerit vertendus, vt noſter indicauit interpres, Septuaginta, propterea quòd penitus Hebraicam phraſin non variant, obſcuriſſimam fecerunt editionem. Sic enim habet Hebraicum · לא חסרת דבר Hoc eſt, Non eguiſti verbo: vbi verbum pro re ponitur, de qua re ſæpius ſcripſimus. Septuaginta οὐκ ἐπεδεήθης ῥήματος, Hoc eſt, Non indiguiſti verbo, cùm dicendum fuerit, non indiguiſti cuiuſquam, vel non defuit tibi quicquam. Verbum enim hoc loco, nemo apud Græcos pro re ſumendum eſſe arbitraretur.

Rephaim, Gigantes.

Quaſi gigantes.] Miror Septuaginta quòd vocem Hebraicam qua ſignificantur gigantes, nihil omnino immutarunt. ῥαφαεὶν λογισθήσονται καὶ οὗτοι, id eſt, Rephain reputabuntur & hi. Rephain vero gigantes Hebraice vocantur, quos Chaldaica editio vocat & ipſa, גבריא id eſt, Gigantas, qui poſt Noe, iterum ſuſcitati ſunt, & in multis terrarum partibus tam prodigioſa gens repullulauit, maximè in his locis, de quibus hic fit mentio, vbi etiam tempeſtate Dauid gigantes inueniebantur. Ab his natæ ſunt omnes fabulæ apud Græcos, propter famam & nomen gigantum, & propter vetuſtatem. Non enim fuit difficile, vt multa mentirentur poſteri de gigantibus, propter temporum longinquitatem, quæ vetuſtati & venerationem adhibet, & ſub ea facilius mendacia teguntur. Fiuntque poſteris credibiliora, quia remotiſſima ſunt, & dijudicari non poſſunt. Clarum igitur eſt, hoc toto capite teſtimonium de gigantibus, nec aliæ gentium deſiderandæ ſunt hiſtoriæ, quæ omnes inueniuntur his ſanctis litteris multo tempore poſteriores, ſint quantumlibet vetuſta quæ ab illis proferuntur.

Hodie incipiam dare terrorem.] Etiam hanc vocem non videntur ſatis Septuaginta intellexiſſe, in qua & tempus & perſonam immutarunt. Quis enim apud Hebræos vel mediocriter eruditus inuenitur, qui neſciat אחל vocem futuram eſſe à verbo, חחל id eſt, Cœpit: at Septuaginta faciunt hanc vocem imperatiui ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ ἐν ἄρχου δοῦναι τὸν τρόμον σου, καὶ τὸν φόβον σου, Hoc eſt. Hodie incipe dare terrorem, & formidinem tuam: quaſi eorum eſſet hoc poſſe facere, & non magis ipſius Dei, atque ita tota ſententia peruertitur. Hæc certe, ſine culpa diſſimulare non poſſumus: nec propter ſummam, quam Septuaginta viris illis habere debemus, reuerentiam, non hæc adducenda ſunt.

Viris ac mulieribns & paruulis.] Hoc tandem loco reſipiſcunt Septuaginta, taf, non iam ſupellectilem vertentes, ſed filios. καὶ τέκνα αὐτῶν, Hoc eſt, Et filios eorum. Quamobrem miror cur & in cæteris non ſit id ab eis animaduerſum.

Non reliquimus quicquam.], שריד id eſt, Reliquias, nihil quod ſuperſtes foret. Verum Sept. neſcio cur ſic verterint οὐ κατελίπομεν ζωγρίαν, id eſt, non reliquimus captiuum. Cùm vox Hebraica ad omnes reliquias, non tam hominum, quàm rerum reliquarum pertineat.

CAPVT III.

OMnes vrbes quæ ſunt in planicie.], כל ערי המישר id eſt, omnes vrbes Mishor, quo nomine putauit Hieronymus planiciem intelligi, nam Iashar, rectum planumque ſignificat, vnde Mishor rectitudo, æquor, planicies. At Septuag. nomen eſſe loci ſunt arbitrati, & quia propria locorum, vrbiumque nomina, non poſſunt aliter transferri, immutatum manet hoc apud eos πᾶσαι πόλεις μισώρ, omnes vrbes Mishor. Quid autem ſit veriſimilius, dicerem vtrunque nos exiſtimare poſſe. Editio Chaldaica, vt proprium loci nomen interpretatur משרא nihil Hebraica voce immutata.

In Rabath filiorum.] · רבת Videtur que eſſe loci proprium nomen, quod non videntur ſenſiſſe Septuaginta.

ptuaginta. Rabath vero etiam ſi loci nomen non eſſet, nequaquam tamen ſignificaret, quod putarunt Septuaginta. Eius enim ſignificatio eſſet, multa, vel copioſa. Hi vero ἰδοὺ αὐτὴ ἐν τῇ ἄκρᾳ τῶν υἱῶν ἀμμὰν, Hoc eſt, Ecce ipſe lectus in cacumine filiorum Amman. En Rabath verterunt cacumen, quod Hebraice ſignificat copiam: puto vero potius eſſe vrbis nomen.

Vocabatur terra gigantum.] Placet hoc magis, quod Hieronymus verterit per præteritum, quàm vt in futurum ſpectaret, vt vertunt Septuaginta, Mos enim eſt linguæ Hebraicæ, quod ſæpius admonuimus, vt quoniam præterita imperfecta apud eos non inueniuntur, ſubſtituant in eorum locum futura: igitur hoc loco. יקרא ארץ רפאים Hoc eſt, Vocabitur terra gigantum: exiſtimandum eſt eſſe poſitum, pro eo quod eſt, vocabatur: Septuagintaq; non ſecundum morem huius linguæ reddidiſſe, λογισθήσεται γῆ ῥαφαΐν, id eſt, Terra gigantum reputabitur. Et quoniam alibi diximus, & dicturi ſumus de hac re, non plura nunc ad comprobationem adducentur.

Et planiciem ſolitudinis.] Quam male non ſua voce reddiderunt Græci interpretes καὶ ἡ ἀραβὰ καὶ ὁ ἰορδάνης, Et haraba & Iordanis: nam haraba planicies, & ſolitudo Hebraice vocatur, dictumque alias de eo eſt.

Et terminos cenereth.] Quod nomen corruptius, nunc quoque, quàm ſupra apud Septuaginta legitur ἀπὸ μαχανερὲθ, Hoc eſt, à Machenereth: nam in Hebraico, hoc loco Mem addita, non eſt de nominis eſſentia, ſed præpoſitio eſt, ab, vel de. Quare male nomini adiuncta eſt, quaſi eius prima ſit ſyllaba.

Vſque ad radicem montis Phaſga.] Nomen radicis neſcio qua cauſa. Septuaginta tanquam alicuius loci proprium nomen, noluerunt interpretari ἀπὸ ἀσηδὼθ τὴν φασγά. id eſt, Ab Aſedoth Phaſga: at Aſedoth nomen radicis eſt, à ſua voce ſimplici אשד eſed, quod radicem ſignificat. Neque vehementer miramur hoc, cùm alia quàmplurima eiuſmodi errata in Græcorum inueniantur codicibus.

Oculi tui.] Sicut habet Hebraicum עיניך oculi tui. Quod male in Græcorum codicibus legitur οἱ ὀφθαλμοὶ ὑμῶν, id eſt, oculi veſtri, niſi alia ratione hanc varietatem tueamur: nam cum Ioſue illi erat ſermo.

Iratuſque eſt dominus.], ויתעבר id eſt, Iratus eſt, accenſus eſt. Infinitaque ſunt exempla, quæ ab his etiam afferuntur, qui apud Hebræos dictionaria conficiunt. Quare cùm ea ſit verbi ſignificatio, non recte vertitur apud Septuaginta καὶ ὑπερεῖδέ με κύριος ἕνεκεν ὑμῶν, id eſt ſpreuit me dominus propter vos.

CAPVT IIII.

Qvam ego hodie proponam.] נתן לפניכם id eſt, Quando coram vobis: vt non reſpiciat in futurum, ſicut & Septuaginta ὃν ἐγὼ δίδωμι ἐνώπιον ὑμῶν σήμερον, Hoc eſt, Quam ego do coram vobis hodie. Illud autem eſt prudenter à noſtro interprete factum, quòd dare verterit in id quod eſt ponere, nam & illud ſignificat dare apud Hebræos, vt eſt ille locus. Poſuitque ea in firmamento, vbi Hebraicè eſſet dicendum, dedit.

Ardebat vſque ad cælum.] עד לב השמים id eſt, Vſque ad cor cæli, vſque in cæli meditullium, vſque in penitiſſimas cæli partes: omiſſumque fortaſſe cor eſt à Septuaginta & Hieronymo, propter metaphoræ vehementer alienam ſimilitudinem.

Et nubes & caligo.] Additur huic à Septuaginta φωνῇ μεγάλῃ, id eſt, Voce magna, quod certè eſt aliunde ſumptum. Neque tam magni refert, eſſe hic adiectum, quod eſſet alibi magnopere cauendum.

Et oſtendit vobis pactum ſuum.] ויגד id eſt, Et annunciauit, vt ſpectet ad vocem, non aliud. Sicut & Septuaginta καὶ ἀνήγγειλεν ἡμῖν τὴν διαθήκην, Hoc eſt, Et annunciauit nobis teſtamentum.

Quæ creauit dominus Deus tuus.] חלק id eſt, Diſtribuit, diuiſit, vt vna quæque ſtella ſua eſſet regione poſita, terriſque inſeruiret. Diſtributaq; ſunt toto cælo ſydera, vt omnibus gentibus lucem exhibeant: multaq; ſunt aſtra, quæ noſtro hemiſperio nunquam ſe oſtendant. Poteſt etiam & de Sole ac luna intelligi, qui omnibus gentibus diſtributi ſint, per acceſſum atque receſſum, vt quęlibet regio ſuum ver, hyememque & æſtatem habeat, ſuas mutante Sole viciſſitudines. Dicitur ergo diſtribuit, ſiue diuiſit, non autem creauit: quemadmodum habent & Septuaginta ἃ ἀπένειμε κύριος ὁ θεὸς σοῦ, id eſt, Quæ diſtribuit dominus Deus tuus.

Propter ſermones veſtros.] על דבריכם Mos eſt Hebræis, vt præpoſitionem, על quæ, ſupra, aut propter ſignificant: addant voci דבר Hoc eſt, verbo, aut rei, & loco aduerbij totum proferre, neque reſolui debet apud nos & Græcos in id quod eſt, propter verbum tuum, aut ſermonem tuum: ſed propter te. Quare & hoc loco erat dicendum propter vos, non ſermones veſtros, ne in errorem laberemur: minus etiam Septuaginta hanc conſuetudinem animaduertunt καὶ ὁ κύριος ὁ θεὸς ἐθυμώθη μοὶ περὶ τῶν γεγομένων ἐφ' ὑμῶν, Hoc eſt, Et dominus Deus iratus eſt mihi, ob ea quæ dicebantur de vobis: ſed veritas habet, vt nos diximus.

In hac humo.], בארץ הזאת id eſt, In terra iſta, ne quid falſi ſuſpicaremur. Humus enim potius ipſam terræ qualitatem repræſentat: at terra, hoc loco & alibi, pro regione ſumitur. Septuaginta

Humus, Terra.

ptuaginta quoque non humum verterunt, ἐγὼ γὰρ ἀποθνήσκω ἐν γῆ ταύτῃ, Hoc eſt, Ego enim morior in terra hac.

A ſummo cæli vſque ad ſummum eius.] ולמקצה השמים ועד קצה השמים, Hoc eſt, A fine cæli, vſque ad finem cæli, à loco vbi terminus cælo eſt, vſque ad alterum terminum. Interroga & perquire inquit ex omnibus gentibus incolentibus à cardine mundi, vſque ad alterum cardinem: Ab vno ad alterum verticem. Erat autem obſcurior ſententia in noſtra editione, locus vero vt nos diximus verti debet. Imitatus eſt autem Hieronymus Septuaginta ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ οὐρανοῦ, ἕως ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ, Hoc eſt, Ad ſummum cæli, vſque ſummum eius. Ex quibus verbis difficile eſt vllum ſenſum elicere. Error ex eo accidit, quia quod erat finis, terminum verterunt. Nobis autem non omnis terminus eſt ſummum. Et poteſt in aliquo eſſe finis: vbi non ſit ſummum. Finis enim noſtri corporis etiam pedes ſunt: quæ pars abſurde ſummum vocaretur. Summum ergo pro extremitate poſitum eſt, extremitate dico Ortus, & Occaſus: Septentrionis, & Meridiei.

Summum pro extremitate.

Audiſti & vidiſti.] Veri eſt ſimillimum, non vertiſſe Hieronymum & vidiſti: ſed, & vixiſti. Facilis enim eſt ab vno ad alterum lapſus, & ipſe noſter interpres ab Hebraica veritate & Septuaginta minime diſſenſiſſet. Eſt ergo dicendum audiſti, & vixiſti, vt habent Hebraica, שמעת אתה ויחי id eſt, audiſti tu, & vixiſti: licet mutetur tempus. Septuaginta quoque, ἀκήκοας σὺ, καὶ ἔζησας, id eſt, audiſti, & vixiſti. Id enim fuit prodigium, vt mortales aures, vocem diuinam exaudirent, & ſubito pauore non exanimarentur propter vocis magnitudinem, & inſolitum clamorem. Simul quòd mortali, diuini numinis aduentus, ſenſum ac vitam ſæpenumero eripit. Præſertim ſi fiat, vt in monte illo accidit: ideo formidabant filij Iſraelis, mortemque, ſi accederent, ſe incurrere credebant.

Tunc ſeparauit.] Etiam iſte locus poteſt aperte id oſtendere, quod ſæpius diximus, futura pro præteritis imperfectis in lingua Hebræa vſurpari. Eſt itaque hoc loco futurum אז יבדיל id eſt, tunc ſeparabit: vice præteriti tamen ponitur, vt ipſa indicat ſententia. Hunc loquendi morem omnes obſeruare velim. Vehementer enim ad intelligendos Pſalmos adiuuabit, in quibus ea ſæpe locutio reperitur.

CAPVT V.

NOn *vſurparis nomen Dei tui fruſtra.*] לשוא, id eſt, In uanum, aut fruſtra. Hoc eſt, vt super rebus inanibus, ſtultis, ac vulgaribus non nominetur, ſed in rebus ſerijs peragendis: ſerio, non ridicule, non contemptim, non cum ludibrio, & contemptu quodam. Aut certe ſic, Non ſumes, inquit, in vanum nomen Dei tui, id eſt non fruſtra, ac ſine fructu, atque in mendacijs. Sed vbi eius nomen fuerit adhibitum, res omnino ſubſequatur, vt inuocatio diuini nominis ſit rerum confirmatio. Fruſtra vero aut in vanum ab his Dei nomen vſurpatur, qui in negocijs tranſigendis, Deum quidem appellant, ſed in mendacio perſeuerant, nec vllum res accepit momentum per nominis diuini inuocationem. Quo miſerrimo & teterrimo flagitio, cùm omnes penè contaminati ſint, nihil tamen ſe mali exiſtimant feciſſe. Eſtque peculiare ipſis Iudæis, in leuiſſimis quibuſque rebus, & ad omne temporis momentum, dicere Badonai, id eſt, per Deum. Eoque ſunt in eo reprehenſibiliores, quo ſingulis penè diebus hoc præceptum, in eorum ſynagogis fruſtra, vt alia, ad memoriam reuocatur. Septuaginta igitur conſone & ipſi noſtræ editioni transferunt, οὐ λήψῃ, τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου σοῦ ἐπὶ ματαίῳ, hoc eſt, non aſſumes nomen Dei tui, ob rem vanam, aut in vanum. Quare שוא hoc loco ſumitur pro mendacio. Nam & paulo inferius dicetur, Ne loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium, vbi Hebraice, eſt עד שוא hoc eſt, teſtis falſus aut vanitatis: & Latinis, vanus mendacem ſignificat.

Vanus, mendax.

Quia non erit impunitus.] כי לא ינקה יהוה, id eſt, Quia non innoxium habebit Deus, non innocentem, non ſine delicto, non ſine piaculo. Quod optime & à Septuaginta, οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ κύριος τὸν λαμβάνοντα, &c. id eſt, neque enim mundum dominus reputabit, qui ſumat eius nomen in vanum.

Bos & aſinus.] Pro aſino Septuaginta poſuerunt, ὑποζύγιον, quod ad omnia iumenta fere pertinet, quorum vtimur miniſterio atque labore, ad noſtros labores imminuendos. Sed hoc leuiſſimum eſt.

Vt requieſcat ſeruus & ancilla ſicut tu.] Hoc non ſolum de his, verumetiam ipſis iumentis dicitur. Sabbatum enim non tam hominibus, quàm iumentis dabat requiem: vt vniuerſalis eſſet requies, eo quod eſſet id Deo acceptiſſimum, vt in tanta die, nihil ſeruitute & labore premeretur. Nihil enim eſt Deo acceptabilius, quàm vt maxime, quantum fieri poſſit, ab oppreſſione aliena temperemus. Hodieque multi apud Maumetenſes ſunt, qui ſi nihil aliud, quod bonum videatur, ac pium aliqua die egerint, auiculam ſaltem extra caueam abire permittant, arbitrati ſe vel in eo pie facturos: adeo neque illi, quanquam barbari, & ſtultæ religioni addicti, non intelligunt, quæ ſummo Deo grata ſint. In textu igitur Septuaginta ponitur, vt requieſcat ſeruus & ancilla, καὶ ὑποζύγιον σοῦ ὥσπερ καὶ σύ, id eſt, Et iumentum tuum, ſicut & tu. Quemadmodum habent Hebraica.

Quis det talem eos habere mentem.] Diximus Hebræos hac locutione vti, vice aduerbij vtinam. Vtinam, inquit, talem habeant mentem. Septuaginta & ipſi Phraſin Hebraicam ſequuntur, τίς δώσει εἶναι οὕτω τὴν καρδίαν, id eſt, Quis dabit eſſe cor eorum?

Et protulerunt dies noſtri.] Nemo eſt tam mediocriter eruditus, qui hoc non intelligat, quod & Septuaginta præclare expreſſerunt, καὶ μακροημερεύσοντε ἐπὶ τῆς γῆς, id eſt, Et longæui ſitis ſuper terram. Protelare igitur videtur ex Græco ductum, à pro, hoc eſt, longe, porrò: & telos, fine. Quaſi in longum fines, ac metas temporis proferre.

Protelare, vñ dictum.

CAPVT VI.

Dominus Deus tuus.], יהוה אלהינו id eſt, Dominus Deus noſter. Quemadmodum, & Septuaginta κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς, Hoc eſt, Dominus Deus noſter, dominus vnus eſt. Non eſt hoc loco ſilentio prætereundum, quod rabioſus Moſes Aegyptius, primus Hebræorum ſcriptor, carpit Chriſtianos, eoſque longa ſubſannatione deridet. Chriſtiani, inquit, colligunt trinitatem ex iſto loco. Primum enim tres exprimuntur perſonæ, cùm dicitur dominus Deus, Deus. Ter enim ibi diuinum nomen repetitur, poſtea innuitur trinitas cùm dicitur, vnus eſt. Productis autem his verbis, multis probris in nos inuehitur. Potuit quidem eſſe vt aliquis inſulſior è noſtris, quorum plurimi reperiuntur, id Iudæo illi dixerit: nam multi diuinarum litterarum imperiti, ex his locis trinitatem colligunt, ex quibus colligi non poteſt. Rurſum vbi clariſſime ea diuina res exprimitur, nihil eius, in eorum animos penetrat. Primum maxime fit à concionantibus, qui ſæpe diuinas extorquent litteras, dum illud volunt eſſe figuram illius, & illud alterius. Acciditque vt oculatis in nos Iudæis, ludibrio ſimus. Tenendum vtique medium eſſet, vt quæ figuram præ ſe ferunt, figurate interpretentur. Quæ autem in aliud tempus non ſpectant, non eo extorqueantur. Perquirendumque diligenter, vt vbi de Meſſia dicitur, attente cognoſcamus, vbi autem nihil eiuſmodi prædicitur, non violente trahamus. Fit enim ex hac cauſa, vt fœdiſſimis fabulis diuinas inficiamus litteras. Quam rem maxime vituperat Gregorius Nazianzenus. Erat enim & apud Græcos, genus hominum, quale noſtris, & multis ante viguit diebus, qui infinitum quendam figurarum coaceruarunt cumulum, eoque vtuntur ad oſtendendum, omnia non tam maxima, quàm minima, fuiſſe figuris præmonſtrata. Ego certe dicerem id non modo eſſe ſtultiſſimum, ſed etiam impijſſimum. Neque enim hoc dicimus quorundam Germanorum imitati procacitatem, qui ſibi, omnibus & dijs & hominibus, & humanis, & diuinis rebus maledicendi licentiam vſurparunt, ſed vt vituperemus vituperanda. Laudemus autem quæ laude digna ſunt. Vt enim Chriſtianus eſt, qui neque Arianam diuiſionem, neque coniunctionem Sabellinam ſequitur: ita vere Chriſtianus, qui neque illorum hominum procacitatem ſequitur, neque tamen non reprehendit, quæ reprehenſione digna ſunt. Potuit igitur eſſe vt aliquis Chriſtianus, Rabi Moſi ea dixerit. Verum, & illud non eſt ignorandum, ſolere plerunque Hebræos, falſa in nos crimina confingere, & res noſtras ad vituperandum accommodare. Multaque apud eos reperimus, quæ illi falſo aſſerunt eſſe noſtra. Omninoque ab ea gente eſt hoc factum, vt noſtra dogmata impijſſimis contaminarint mendacijs. Eoque ſunt ad CHRISTI fidem ſuſcipiendam tardiores. Habent enim ſuos ſcriptores, quibus illi habent fidem: Inueniuntque apud eos noſtra ſummis vituperationibus lacerata, ſceleratiſſimiſque corrupta mendacijs. Dicitur ergo hoc loco, dominus Deus, Eo quòd ſemper in diuinis litteris Deus his duobus nominibus ſimul coniunctis ſoleat nuncupari, ſcilicet ELOHIM, & IHVH, quorum ſecundum eſt nomen Tetragrammaton, id eſt, diuinam ſignificans eſſentiam. Primum vero, id nomen diuinum eſt, quo eius ſignificatur fortitudo. Puto enim ferè idem eſſe El, & Eloha. Vbi autem dicitur, Deus vnus eſt, patet fieri Dei repetitionem, non eſſe cum duobus illis connumeratum. Poſſunt autem & alij melius, quàm nos interpretari.

Rab. Moſis in Chriſtianos calumnia.

אלהים
יהוה

Et mouebuntur inter oculos tuos.] לטטפת בין עיניך. Eruntque in ſignum inter oculos tuos. Appellant autem Hebræi Totaph, id quod legem in fronte alligant, vt verſetur ante illorum oculos: genus hominum dementiſſimum, qui ritibus tantum, & ceremonijs contenti ſint, apud quos ſacrilegium, ac flagitium eſſet, eam ceremoniam non peragere: non obſeruare autem, id quod eo ritu innuitur, non eſſet ſacrilegium, imò ne animum quidem ad id aduertunt. Appellarunt autem eiuſmodi ſigna Septuaginta interpretes ἀσάλευτα, hoc eſt, inconcuſſa, immota, ſtabilia, firma. Sic καὶ ἔσται ἀσάλευτα πρὸ ὀφθαλμῶν σου, hoc eſt, Et erunt inconcuſſa ante oculos tuos. Ad præcepta, & inſtituta id referentes.

Caue ne obliuiſcaris.] Interponitur apud Septuaginta hoc quod in contextu minime habetur ſcilicet, πρόσεχε σεαυτῷ μὴ πλατυνθῇ ἡ καρδία σου, hoe eſt, Attende tibi, ne dilatetur cor tuũ. Eſt autem ex alio loco ſumptum. Dilatari autem cor, apud Hebræos ſignificat, audacia efferri, arrogantem, aut tumidum effici.

Dilatari cor quid.

CAPVT VII.

V*Sque ad internicionem.*]. Quod Sept. apertiſſime ſignificant, ἀφανισμῷ ἀφανιεῖς, extinctione extingues. Nunquam vero Sept. illum loquendi morem fugiſſe videntur, qui creberrimus quidem eſt apud Hebræos, nobis autem & Græcis penè eſt abſurdus, niſi in alium conuertatur. Apud eos enim eleganter dicitur deletu delebis, moriendo morieris, expectans expectabis. Quod loquendi genus in aliud debet ab interpretibus conuerti, vt fiat expreſſio, quæ in proprio ſit idiomate. Vt hic ab Hieronymo factum eſt.

Sculptilia comburite.] Quod etiam Septuaginta additis quibuſdam clare exprimunt, τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν κατακαύσετε, id eſt, ſculptilia deorum comburite, addiderunt deorum. Potuit tamen eſſe, vt alia eſſent ſculptibilia, hominum videlicet, quadrupedum, ſerpentium, atque reptilium, vt erat apud Aegyptios, qui ibes, ciconias, ichneumonas, crocodilos adorabant, eorumq́ue exprimebant in templis imagines. Verum & hi erant eorum dij.

Peculiaris populus.] סגלה Quo vocabulo appellatur à philoſophantibus Hebræis, quintum prædicabile proprium. Ergo & peculiarem, & proprium populum dicit eum ſibi eſſe, cuius poſſeſſio non alium attingat: Eiusq; vnius cenſeatur, vt proprius eius ſit: tum quòd alterius non eſt, tum quia ipſe non habeat alterum. Vt philoſophi de proprio argutantur. Ideo Septuaginta εἶναι αὐτῷ λαὸν περιούσιον, eſſe illi populum excerptum, peculiarem, ſelectum. Dicitur à περίειμι, id eſt, ſuperſum, excello, relinquor ex alijs, ſeligor, ſeponor.

Vobis iunctus eſt dominus.] חשק יהוה בכם Hoc eſt, Concupiuit dominus vos. Sed & Septuaginta paulo ſecus, παρὰ πάντα τὰ ἔθνη προείλετο κύριος ὑμᾶς, id eſt, præter omnes gentes elegit vos Deus. Neque enim hæc annotamus, vt editiones emendentur. Sed vt clarius intelligantur, id quod ſæpius facimus.

Ipſe eſt Deus fortis.], האל id eſt, Deus fortis. Eſt enim è nominibus diuinis vnum, quo eius fortitudo ſignificatur. Quod non oſtenditur a Septuaginta καὶ γνώσῃ ὅτι κύριος ὁ θεός σου, οὗτος θεός, hoc eſt, Et cognoſces quòd dominus Deus tuus is eſt Deus. Addendum fuerat fortis, vt in noſtra habetur editione.

Reddens odientibus ſe ſtatim.], אל פניו id eſt, In faciem eius, qui eum odit. Qui, inquit, odit Deum, in faciem ſuam, id eſt, contra ipſum reflectitur eius ſcelus, atque odium. Deum enim execrantur qui viuunt peſſime: in faciem itaque hoc loco, ſumitur pro eo quod eſt, contra ipſum, in ipſum, aduerſus eum, qui Deum benedictum, ac glorioſum odit, & aſpernatur. Quorum infelix vitæ decurſus, & miſerrimis caſibus eſt obnoxius, & exitus eſſe ſolet atrociſſimus, vt tam in hac, quàm in futura vita, merita ſuorum ſcelerum expendant ſupplicia. Septuaginta quoque cum Hebraico conſentiunt καὶ ἀποδιδοὺς τοῖς μισοῦσιν αὐτὸν κατὰ πρόσωπον ἐξολοθρεῦσαι αὐτούς, id eſt, Et retribuens his, qui eum odio habent, in faciem, vt eos penitus extinguat.

Fructus ventris.

Fructui ventris tui.] Quam ſimilitudinem Septuaginta non ineleganter immutarunt εὐλογήσει τὰ ἔγγονα τῆς κοιλίας σου, id eſt, Benedicet partum ventris tui. Credo enim ab arborum ſimilitudine, fructum ventris dici. Vt enim ab arboribus fructus, ita ab vtero proles. Faciunt id ferè ſemper Septuaginta.

Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus.] Ecce hoc nonne elegantiſſime a noſtro interprete mutatum & coartatum eſt? quod eſt Hebraice, לא יהיה בך עקר ועקרה hoc eſt, Non erit in te, neque infœcundus, neque infœcunda. Quod tamen non mutarunt Septuaginta οὐκ ἔστιν ἐν ὑμῖν ἄγονος, οὐδὲ στεῖρα, id eſt, non erit in vobis infœcundus, neque ſterilis, vt autem noſtrum interpretem laudamus, ita minime vituperamus iſtos.

μαλακία.

Auferet à te dominus omnem languorem.] Quod non tam proprie Septuaginta πᾶσαν μαλακίαν, hoc eſt, Omnem laxitudinem: nam malacia teſte etiam Cornelio Celſo, potius laxitudinem quandam corporis ſignificat, quam grauiſſimas illas ægritudines, quę vocabulo Hebraico חלי demonſtrantur. De quibus hoc loco ſcribitur.

Deuorabis omnes populos.] Sicut habet & Hebraicum, ואכלת id eſt, Et comedes, vorabis: neque ſatis apparet, an præcipiat eis Deus, vt omnes illos populos abſumerent, ac delerent, vt ex his quę inferuntur apparet. Addit enim non parcet eis oculus tuus: aut ita fore vaticinetur, vt facultates & diuitias eorum populorum adepturi ipſi ſint. Si prima ſtat ſententia, non recte fortè in Græcum is locus verſus eſt, καὶ φαγῇ πάντα τὰ σκῦλα τῶν ἐθνῶν, id eſt, Et comedes ſpolia gentium. Si ſecundo ſenſui adhæremus, præclara eſt Græca editio. Et cauſa quidem nota eſt.

Ne ſint in ruinam tui.] Sicut habet Hebraicum, מוקש id eſt, Scandalum ſiue offendiculum, lapſus, fouea, ruina. Septuaginta vero σκῶλον ſcandalum, offendiculum.

Tentatio Hebr. quid ſignificet.

Plagas maximas.], המסת הגדלת id eſt, Tentationes magnas. Sicut & Septuaginta, τοὺς πειρασμοὺς μεγάλους, id eſt, Tentationes magnas. Ex quo apparet tentationem Hebraice non modo probationem quandam ſignificare, verum etiam afflictionem, vexationem. Quod obſeruare operæ precium eſt.

Mittet crabrones.], הצרעה Quod Hebræi dicunt aliud quoddam eſſe peſtilentis animalis genus.

Verum ipſi ſunt ſupra cæteros homines harum rerum imperiti. Septuaginta etiam ipſi crabrones reddiderunt καὶ τὰς σφηκίας ἀποστελεῖ κύριος. id eſt, Et crabrones, ſeu veſpas immittet dominus. Quibus magis credendum, quam omnibus Iudæis.

Non timebis eos.] לא תערץ מפניהם id eſt. Ne paueas, ſiue ne frangaris a facie illorum. Sicut & Septuaginta verterunt οὐ τρωθήσῃ ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, hoc eſt, Non vulneraberis a facie eorum. Non concides.

Deus magnus, & terribilis.] Melius quàm Septuaginta, nam נורא terribilem ſignificat a verbo ירא, id eſt, timuit. Septuaginta igitur θεὸς μεγὰς καὶ κραταιὸς, id eſt, Deus magnus, & fortis. Dicendum fuerat φοβερὸς, eo quòd ſceleratis apparet formidabilis. Quod & alibi faciunt ipſi Septuaginta. Nam ſequenti capite, vbi dicitur in ſolitudine magna, atque terribili נורא Hebraice, Græce vero ἐρήμου φοβερᾶς.

CAPVT VIII.

ATque tentaret.] Sicut habet Hebraicum לנסתך, id eſt, Vt tentaret te: ſicut & Septuaginta καὶ πειράσῃ σε. Quod ad declarandam ſententiam a nobis poſitum eſt.

Afflixit te penuria.] וירעבך, hoc eſt, Fame oppreſſit, aut eſurire te fecit. Sicut & Septuaginta ἐλιμαγχόνησε. Quod verbum ducitur a λιμὸς, hoc eſt fame, & ἀγχονῶ opprimo, ſuffoco. Quaſi tu dixeris, fame afflixit.

Pes tuus non eſt ſubtritus.] Non dubium eſt, quin impreſſi Græcorum codices mendoſi hoc loco ſint, οἱ πόδες σου, οὐκ ἐλυθρώθησαν. Hoc eſt, pedes tui non ſunt redempti: pro eo quod dicendum eſſet, ἐθρώθησαν, hoc eſt. Contoſſi, conuulnerati ſunt.

Et dipſas.] Nomen ſerpentis, quod a ſitiendo, tam apud Græcos, quàm Hebræos dicitur. Vt enim apud illos a διψάω: ſic apud iſtos a צמא hoc eſt, Sitiuit, fit צמאון, id eſt, ſitis. Serpens eſt, ad cuius morſum totum corpus horribiliter incenditur, aqua deſideratur, aqua clamatur. Ad eam accurritur, ſit quodcunque vis licet impedimento. Declaratur id apud hiſtoricos, præſertim qui de Catonis exercitu in Libya ſcribunt, vbi ſub harenæ cumulis, id genus ſerpentis deliteſcit, ibi miles ab ea peſte morſus, ad mare inſano impetu accurrit, cumque magnam ſalſarum aquarum vim ebibiſſet, repente extinctus eſt. Atque hi erant ſerpentes, qui morſu adurebant corpus. De quibus hic & alibi ſcribitur.

Dipſas ſerpens.

De petra duriſſima.] חלמיש. Quam ſilicem appellant, aut aliud quodcunque duriſſimæ petræ genus. Quod non ita explicatur a Septuaginta, ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. id eſt, E petra prærupta, abſciſſa, in ſummo exſecta.

Prædico tibi.] העדתי, id eſt, Proteſtatus ſum, aut proteſtor. Neque additur aliud, ſicut ſuperius, vbi cœlum ac terram teſtabatur, ex quo loco additum, hic eſt in codicibus Septuaginta Διαμαρτύρομαι ὑμῖν σήμερον, τόν τε οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν: hoc eſt, Obteſtor hodie vobis, & cœlum, & terram. Atque id eſt creberrimum in editione Septuaginta, vt ex vno loco, in alterum pleraque tranſportentur.

Quas deleuit Dominus.] מאביד Delet, diſſipat, perdit nunc. Neque enim adhuc omnes interfecti fuerant. Septuaginta quoque per præſens loquuntur ὅσα κύριος ὁ θεὸς ἀπολλύει. Sicut gentes, quas omnes perdit Dominus Deus.

CAPVT IX.

QVibus nullus poterit ex aduerſo ſtare.] Hebraicè per interrogationem profertur בני ענק מי יתיצב לפני, id eſt, Quis ſtabit ante filios Henac? Sicut & Septuaginta τίς ἀντιστήσεται κατὰ πρόσωπον υἱῶν ἐνὰκ, id eſt, Quis reſiſtet ex aduerſo filiorum Henac? Ponuntur autem interrogationes pro negationibus ſæpenumero. Quis alius Deus condidit cœlum & terram? nempe nullus. Quis Dauid ſanctior? nimirum nullus. Atque ita Hieronymus, præclarè interrogationem, in negationem conuertit.

Cumq; tranſiſſent quadraginta dies.] Ita quoq; habet & Hebraicũ מקץ ארבעים יום hoc eſt, Poſt quadraginta, aut in fine quadraginta dierum. Non rectè igitur redditur is locus apud Septuaginta, καὶ ἐγένετο διὰ τεσσαράκοντα ἡμερῶν, id eſt, Et factum eſt per quadraginta dies. Nam διὰ, hoc eſt, per non rei finem, ſed inter medium ſpacium ſignificat.

En conſtituam te ſuper gentem.] Diximus ſuper Exodũ, vbi is annotabatur locus, non videri hanc eſſe ſententiam, vt ſuper aliam gentem promitteret Deus Moſen ſe præficere: Sed ipſe Moſes, facturum, vt eſſet innumerabilium & fortiſſimarum gentium autor ac pater. Vt ſemen Abrahæ in homine piiſſimo ſuſcitaretur, deleta illa infanda, & crudeli natione. Dicit ergo Deus Moſi ואעשה אותך לגוי עצום ורב ממנו id eſt, Et faciã te in gentẽ fortiorẽ, ac maiorẽ, q̃ hæc ſit. Vbi, faciã, nõ ponitur pro eo quod eſt conſtituã, ſed vt ipſa ſonat vox. Efficiã vt genus tuum, filijq́; tui innumerabiliter creſcant. Atque ita verterunt etiam Septuaginta καὶ ποιήσω σε εἰς ἔθνος μέγα καὶ ἰσχυρὸν καὶ πολὺ μᾶλλον ἢ τοῦτο, hoc eſt, Et faciam in te gentem magnam & fortem longe magis, quam hæc ſit.

Cerno quòd populus is.] Additur hæc periodus in codicibus Sept. λελάληκα πρὸς σε ἅπαξ καὶ δὶς λέγων ἑώρακα τὸν λαὸν τοῦτον, hoc eſt, Locutus ſum ad te, ſemel ac bis dicens, video populum iſtum &c. Hoc inquam additum eſt a ſcriptoribus. Neque video vnde ſumptum ſit.

Et in brachio tuo extento.] נטויה, id eſt, Porrecto atque extento, a verbo נטה hoc eſt, Porrexit, extendit. Quare nõ tam proprie hoc redditur a Septuaginta ἐν τῷ βραχίονι σου τῷ ὑψηλῷ, hoc eſt, in brachio tuo excelſo, eminenti, ſublimi. Nam hac phraſi Hebraica, vehementiſſimus ictus ſignificatur, quem brachio exporrecto incutimus. Neque hoc dicimus, vt Septuaginta editionem potius producamus, quàm illuſtremus ſententiam. Poteſt enim etiam ipſorum Septuaginta interpretum ſtare ſententia, vt in brachio excelſo dicamus pro eo quod eſt, vi diuina, fortitudine admirabili, ac prodigioſa, cæleſti, excelſaq; virtute. Verum in his non multum diſcriminis eſt, propterea non ſunt ſcrupuloſius, quàm deceat, tractanda ac perquirenda.

CAPVT X.

QVando populus congregatus eſt.] Quod omittitur a Septuaginta credo ea ratione, quia ſit ſæpe aliàs dictum. Tantũmodo igitur hoc ponitur apud illos ἃς ἐλάλησε κύριος πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ ὄρει, ἐκ μέσου πυρός. Quæ verba locutus eſt vobis dñs, in monte de medio ignis.

Benedicere in nomine eius, id eſt, benedicere nomẽ eius, Heb.

Et benediceret in nomine illius.] Conſtructio Hebraica eſt, apud eos enim vocandi & benedicendi verbum iungitur nomini cum præpoſitione in. Dicuntq́ue benedicere in faciem illius, pro eo quod eſt, illius faciem benedicere. Et benedicere in nomine eius, hoc eſt, nomen eius. Quamobrem declarare hoc fuit neceſſe, ne aliam ſententiam innui crederemus. Leuitarum ergo erat nomen diuinum benedicere. Illud ſanctiſſimis ac perpetuis laudibus attollere, vt hodie fit a ſacerdotibus, ac his, quos religioſos vocari vſus obtinuit. Verum neque Septuaginta præpoſitionem ſubtraxerunt καὶ ἐπεύχεσθαι καὶ εὐλογεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, id eſt, Orare ac benedicere in nomine eius. Poſſumus itaque etiam hoc tueri, vt non ſine præpoſitione intelligendum dicamus: ſententiaque ſit, Leuitas benedicere in nomine domini, id eſt, alios homines benedicere, inuocato nomine diuino. Neque tantum homines, ſed & vniuerſa quæ ſpectant ad genus humanum. Quæ omnia a ſacerdotibus per nominis diuini inuocationem benedicebantur, ac ſanctificabantur. Plerunque vero locutiones Hebraicæ faciunt, vt alia videatur ſententia, quàm ſit. Ideo dare operam neceſſe eſt, vt quis illius linguæ loquendi modus ſit, cognoſcatur. De qua re ſcribit Rabi Moſes Aegyptius apud Hebræos, in eo libro quem inſcripſit More Manibchin. Hoc eſt, doctor perplexorum, aut inſtructor dubitantium. Sed partim breuius quàm deceret, partim inſcite, & ſine abſoluta diuinarum litterarum cognitione. Præter enim vocabulorum cognitionem, Habræi ſunt omnium hominum imperitiſſimi, & ſuas habent litteras ridiculoſiſſimis fabulis contaminatas. Apud nos vero ſcripſit diuus Auguſtinus, verum vt in multis ingenij ſui maieſtatem oſtendit, ita ad alia, Hebraicarum litterarum cognitione deſtitutus, attingere non potuit. Vir mediusfidius dignus, cuius ingenium nullas haberet litteras incognitas, propter eius ſublimitatem ac maieſtatem.

Hebræi omnium nationũ imperitiſſimi

Præputiũ cordis.

Præputium cordis veſtri.] Sicut habet & Hebraicum, ערלת בבכם Præputium cordis veſtri. Quæ cùm metaphora ſit, & per eam, aliud innuatur, præclare a Septuaginta explicatum eſt, quid per eam ſignificetur περιτεμεῖσθε τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, hoc eſt, Circuncidamini duritiam cordis veſtri. Cordis igitur præputium, durities eſt, ac cæcitas, qua cor impeditur, ne verum perſpiciat. Vt enim apud nos, per baptiſmum demonſtratur, ac fit animi potius, quam corporis expiatio: ſic Hebræorum circunciſio docebat, reſecandam eſſe cordis duriciem, ac cæcitatem. Amouendam ex animo pellem ac caliginem, qua mens obſcuratur, ex qua error fœdiſſimus conſequitur, diuinitatis ignoratio. Quæ omnes tanquam genitrix parit impietates, ſcelera, atque calamitates. Cùm enim homo, Deo adiunctus non fuerit, qui omnis decoris ac virtutis, idea & ſeminarium eſt, eum neceſſe eſt omnis humanitatis, iuſtitiæ, probitatis expertem eſſe. Nec magis inter homines, quam belluas eſſe connumerandum. Sunt ergo magis intuenda, quæ per ritus ac cerimonias ſignificantur, quam ipſæ cerimoniæ, quæ ſigna tantummodo ſunt, maiorumq́ue rerum repræſentatio.

Accipere perſonam.

Qui perſonam non accipit.] Recte tam ab Hieronymo quam Septuaginta Hebraica locutio permutata eſt, quæ habet, לא ישא פנים hoc eſt, Qui non ſuſcipiet faciem, aut non eleuabit faciem. Neque enim hoc aliud eſt, quàm ex facie, ex qualitate, diuitijs, facultatibus, perſonas diſtinguere, easq́ue acceptas habere, iudiciumq́ue ob id peruertere, vt alteri fiat, quod non fit alteri. Poſſumus etiam dicere, nec Septuaginta, nec Hierony. locutionem Hebraicam mutaſſe. Nam Hebraice Panim faciem ſonat, quod Septuaginta πρόσωπον interpretati ſunt. Vt proſopon non pro perſona, ſed facie ſumatur. Apud nos autem perſona ſumetur pro cuiuſcunque hominis qualitate, quæ ex vultu cognoſcitur. Hoc ergo dicit Moſes Deum non animaduertere, ſed æquale de omnibus ferre iudicium, modo probitas ac iuſtitia adſit.

Dat ei victum ac veſtitum.] Elegantiſſime & hoc mutatum ab Hieron. pro eo quod Hebraice eſt, Dat ei panem. Quod non immutatur a Septuaginta δοῦναι αὐτῷ ἄρτον, id eſt, Dare illi panem.

A Quis enim non intelligit, panem hic accipi, pro omni eo, quo veſcimur, tam eſculento, quàm potulento, vt ipſe ſermonis Hebraici vſus oſtendit? Quare non tam aperte apud Græcos transfertur. Et pro ἄρτον, fortaſſe rectius poneretur βιὸν, id eſt victum, licet ſit Hebraice, לחם id eſt, panis. Etiam illud recte permutatur. Dat ei veſtitum, pro eo quod Hebraice ponitur, שמלה id eſt, veſtis. Nam illud, omne quod veſtimus ſignificat. At quod reddiderunt Septuaginta non ita, ſcilicet ἱμάτιον. Verum hæc, quia ſententiam non peruertunt, ipſi reprehenſione digni forte ſumus, qui tam leuia annotamus.

Panis omne quo veſcimur.

Ipſe laus tua.], תהלתך id eſt, Laus tua, laudatio tua, decantatio tua, hymnus tuus. Eo enim nomine Hebræi, pſalmos, laudes, hymnos, præconia ſignificant. Et liber pſalmorum vocatur Sepher thehilim. Septuaginta igitur, neſcio quid aliud intelligunt αὐτὸς καυχημά σου, id eſt, Ipſe gloriatio tua, in eo gloriaberis, in eo de te ſapies, ille ſit gloria tua, te omnes præſtare populos perſuadeas, qui talem Deum habeas. Verum vt dixi prior videtur veriſimilior ſententia, vt ad præconia oris referatur. Quibus Deum noſtrum laudamus, propter eius in nos innumerabilia & excellentiſſima beneficia.

In Septuaginta animabus.] Etiam hic ſolitus Græcorum interpretum eſt error, qui Septuaginta quinque animas ponunt. Primo enim loco corrupto, vbi eius rei primo mentio habita eſt, facile & reliqui illius ſimiles corrupti ſunt.

CAPVT XI.

Et vniuerſa ſubſtantia eorum.] כל היקום id eſt, Omnis facultas, omnis ſubſtantia: à verbo, קום id
B eſt, ſurrexit. Additurque littera futuri Iod. Hoc neſcio cur Septuaginta tranſtulerint καὶ πᾶσαν αὐτῶν τὴν ὑπόσχεσιν, id eſt, Et omnem eorum promiſſionem. Puto tamen eos intellexiſſe facultatem, ac id quo noſtra vita ſuſtentatur, omnemq́ue ſupellectilem, quæ vnà cum hæreticis illis abſorpta eſt. Quid enim aliud hæretici ſunt ac Schiſmatici, quàm Dathan & Abiron? Vt enim hi ſub prætextu pietatis dominandi libidine, ac ambitionis æſtu exagitati, ei principatum adimere conabantur, cui fuiſſet à Deo traditus, Ita hi ſanctæ Eccleſiæ corpus diſiungere enituntur, dum caput eius à ſummo Deo conſtitutum imminuere, lacerare, dedecorare impijs maledictis non ceſſant. Neque aliud fit ab his, in ſummum illud caput, quàm ab Dathan, & Abiron in Moſen tentatum eſt. Genus hominum miſerabiliſſimum, ac pernicioſiſſimum, qui ſub prętextu noſtrarum corrigendarum improbitatum, infinitam attulere malorum ſyluam. Perq́; vniuerſum terrarum orbem peſſimos diſſeminarunt errores. Adeoq́; proceſſit audacia, & gigantea immanitas, vt eis nec cælum iam ſufficiat, in quod ſuæ ſceleratiſſimæ linguæ virus euomant, ore impijſſimo blaſphement, dilacerent, dum eius incolas, tantis probris, ac mendacijs dehoneſtant. Sed videbit omne humanum genus eorum interitum, & ſempiterna obliuione eos ſepeliendos infernum hiatu patefacto abſorbuiſſe cognoſcet.

Hæretici & Schiſmatici, Dathã & Abiron conferuntur.

Aquæ ducuntur irriguæ.] Totam orationis formam interpres eleganter immutauit, quibuſdam etiam omiſſis, והשקית ברגליך hoc eſt, Et irrigabis cum pedibus tuis. Hoc eſt, ea terra eius naturæ eſt, eam ſeminabis, & pedibus ſuperinduces aquas. Dico igitur commode omiſiſſe Hieronymum pedes, qui ex idiomate Hebraico ponuntur. Significatur autem labore & decurſu, per to-
C tam Aegyptum deduci ſolitam aquam è flumine Nilo, vt etiam indicat Rabi Salomon, qui pedes hoc loco pro labore ſumi dicit. Hæc autem produximus vt ſciremus cauſam, quare Septua. ſic tranſtulerint ὅταν σπείρωσι τὸν σπόρον, καὶ ποτίζωσι τοῖς ποσὶν, hoc eſt, Cùm ſeminauerint ſementem, & irrigauerint pedibus. Pedes tacere debuerant, quia & abſurdam, & obſcuram faciunt orationem Græcam. Aut ſeries mutanda fuerat.

Ne forte decipiatur cor veſtrum.], פן יפתה לבבכם hoc eſt, Ne forte dilatetur cor veſtrum. Vt alibi ipſe quoque Hieronymus interpretari ſolet, vt in filio Noe Iapet. Hac autem locutione, Hebraice ſignificatur cordis tumor, ſuperbia, audacia, arrogantia, contumacia, quæ omnia ex nimio rerum felici ſucceſſu oriri ſolent. Dum enim cladibus vllis præmimur, humiles iacemus, & abiecto, atque demiſſo animo ſumus. Quo pharmaco vtitur ſæpenumero Deus ad infringendam cordis noſtri audaciam. Habent autem & Hebræi ſuas ſimilitudines, ac metaphoras, quibus eleganter in ſua lingua vtuntur. Septuaginta ſecundum Hebraicum interpretantur. μὴ πλατυνθῇ ἡ καρδία σου, id eſt, ne dilatetur cor tuum.

Quandiu cælum imminet terræ.] כימי השמים id eſt, Sicut dies cæli. Videturq́; ea eſſe ſententia, quam noſter interpres tranſtulit. Nam apud Hebræos Che, aduerbium eſt modo ſimilitudinis, modo commenſurationis. Significatq́ue ſecundum menſuram. Quare quod nos dicimus in pſalmo, Sicut dies cæli: intelligendum eſt, pro eo quod eſt ſecundum menſuram dierum cæli. Secundum eorum interuallum, ſecundum eorum durationem. Quare prudentiſſime verſum eſt ab Hieronymo. Et facilius nos Latini hunc locum intelligeremus propter interpretis noſtri diuinũ ingenium, quàm Græci, apud quos phraſis Hebraica nuda relinquitur, minime ab interpretibus explicata. Quis enim apud eos facile aſſequeretur, quid hoc ſit ἵνα πληθυνθῶσιν αἱ ἡμέραι ὑμῶν, καὶ ἡμέραι τῶν υἱῶν ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς, ἧς ὤμοσε κύριος τοῖς πατράσιν ὑμῶν, δοῦναι αὐτοῖς, καθὼς αἱ ἡμέραι οὐρανοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, hoc eſt, Vt multiplicentur dies tui, & dies filiorum tuorum ſuper terram, quam iurauit dominus patribus veſtris dare eis, quemadmodum dies cæli ſuper terram. Ecce nihil hoc loco declaratur de diebus cæli. D

Mare nouiſſimum, mare magnum Hebręis quod dicatur.

Vſque ad mare occidentale.] עד הים אחרון id eſt, vſque ad mare nouiſſimum. Quod mare, vt Septuaginta & Hieronymus optime oſtenderunt, eſt id quod in terra Iſrael poſitis ad occaſum ſpectat. Quod alio nomine appellatur mare magnum: Mare, ſcilicet Cyprium, Aegyptium. Quod ab Aegypto, totam Aſſyriam attingit. Dicitur autem mare nouiſſimum & magnum, quia eo vſque terræ ſanctæ fines excurrerent. Magnum autem, quia omnis aquarum collectio mare vocatur Hebraice. Ideo verum mare magnum appellant, vt differat ab his, quę minora maria ſunt, ſtagna ſcilicet & lacus, vt eſt mare Cineret, quod corrupte Geneſaret vocamus. Eſt enim lacus, quem Iordanis in media ferè Iſraelitica terra efficit. Septuaginta igitur & ipſi ἕως τῆς θαλάσσης τῆς ἐπὶ δυσμῶν, Hoc eſt, Vſque ad mare occidentale.

Iuxta vallem tendentem & intrantem procul.] Potius ſententia quàm verba redduntur, quæ ſic habent אצל אלוני מרה id eſt, Iuxta quercus more. De quo loco eſt ſæpenumero dictum. Et quoniam Hieronymus proprijs oculis has terras contemplatus eſt, eum exiſtimo, talem eſſe ſitum illius vallis didiciſſe, illumque hoc loco explicuiſſe. Hanc vallem alibi appellauit conuallem illuſtrem. Credo propter vocem more, quæ à verbo videndi videtur ducta, vel vt imitaretur Septuaginta, qui hanc vocant ὑψηλὴν, hoc eſt, excelſam. πλησίον τῆς γῆς ὑψηλῆς, id eſt, Iuxta terram excelſam, id eſt perſpicuam.

Vt impleatis ceremonias.] כל החקים, id eſt, omnia inſtituta, Omnes ordinationes. Diciturque de his potius, quæ ſpectant ad agendum, & decorum, & probitatem, quàm de ritibus, quibus in gerenda religione vterentur. Nam probitas ſine ritibus eſſe poteſt, at ritus ſine probitate minime. E Declaratur id ab Eſaia, qui abominabile Deo eſſe eorum ſacrificium docet, qui impij ſint, Qui iuſtitiam, probitatem non ſectentur. Eorum ieiunia execratur, eorum incenſum illi putet. Quare hoc magis innuit Moſes, in quo nerui totius legis eſſent poſiti, vnde ritus fierent acceptabiles. At quoties hodie oculi piorum implentur lachrymis, dum & nos ritibus tantum contenti videmur? Vitijs ac ſceleribus contaminati, Eccleſias adimus, miſſam cæteraque diuina audimus, & putamus nos placere Deo? quæ dum videntur, bonis non poſſunt non diſplicere. Septuaginta & ipſi genus potius quàm ſpeciem tranſtulerunt προστάγματα, id eſt, præcepta.

CAPVT XII.

SVb omne lignum frondoſum.] Diximus lignum de more linguæ Hebraicæ pro arbore accipi, quod nec ipſos latet interpretes, tam Hieronymum quàm Septuaginta, qui varie id nomen transferunt, modo lignum, modo arborem. Septuaginta igitur cùm ſemper lignum reddiderunt, hoc tamen loco καὶ ὑποκάτω δένδρου δασέως, id eſt, Subter arborem opacam, denſam, frondoſam. Quas gentes ſuis dijs conſecrabant, vt omnes penè docent hiſtoriæ, præſertim Dianæ, quam nemoribus delectari opinabantur. Et ſæpe in hiſtorijs martyrum legitur, eos eſſe ad aliquam arborem ductos, vt ibi Deos adorarent. Eſſeque nonnullas radicitus ad eorum orationem euulſas.

Vt habitet in eo, venietis.] Aliud verbum præcedit ante hoc, ſcilicet eum locum, תדרשו id eſt, Inquiretis. Sicut & Septuaginta, καὶ ἐκζητήσετε καὶ εἰς ἐλεύσεσθε ἐκεῖ, hoc eſt, Inquiretis & illuc venietis. Dicunt Hebræi hunc locum eſſe Scilo. F

Et vota.] Quæ elegantiſſime vocantur ab Septuaginta ἑκούσια, id eſt, voluntaria, quæ nulla lege præcipiuntur, ſed homines ſponte ſua id efficiunt, & ſua eos ducente voluntate. Multa enim ſunt ſacrificiorum genera, ſed quædam, quæ ſi omittamus contra legem fecerimus, & impietatis rei haberemur, quædam quæ ſponte ſua, non iubente lege homines offerunt. Atque hæc vocantur voluntaria.

Ibi epulabimini, coram domino.], ושמחתם לפני יהוה id eſt, Et lætabimini coram domino, quomodocunque id fiat. Sicut & Septuaginta, καὶ εὐφρανθήσεσθε ἔναντι κυρίου, id eſt, Et exultabitis coram domino. Quare non ad epulas tantum refertur.

Atque Leuites qui in veſtris vrbibus habitant.], אשר בשעריכם id eſt, In portis veſtris, vel intra portas veſtras, vt vertit ſapienter noſter interpres. Cum quo & Chaldaica ſentit editio. Quare Septuaginta obſcurius non mutata Hebraica phraſi verterunt, καὶ ὁ λευίτης ὁ ἐπὶ τῶν πυλῶν ὑμῶν, id eſt, Et Leuites qui in portis aut ſuper portis veſtris. Quod profectò pauci intelligerent. Vides igitur quàm noſtra editio ſit longe illuſtrior, ſyncerior, & quæ minus nos in errorem & falſam ſententiam poſſit inducere.

Hoc eſt integrum ſiue immaculatum.] Hoc quidem refert Hieronymus ad ea quæ immolantur à Septuaginta ad ipſos qui immolant, & epulantur. Hebraica enim ſic habent הטמא והטהור יאכלנו, hoc eſt, Pollutus & mundus comedet ipſum. Ad illa neſcio quo modo poſſit referri. Nam polluta aut immunda non comedebantur. Hoc vero poteſt eſſe, quia & polluti & mundi comedebant. Septuaginta igitur hoc modo, ὁ ἀκάθαρτος ἐν σοὶ καὶ ὁ καθαρὸς ἐπὶ τὸ αὐτὸ φάγεται αὐτὸ, hoc eſt, A Immundus inter te & mundus in idem, aut ſimul, comedet ipſum. Hoc igitur veriſimilius mihi videtur. Sicut & paulo ante eandem ſententiam ipſe Hieronymus ſecutus eſt.

Et comedes in oppidis tuis.] Hoc quoque loco ponuntur Hebraice, portæ pro oppidis. Illudque mihi admiratione dignum videtur, cur Septuaginta oppida per portas intelligendas eſſe hoc loco animaduerterunt, non animaduerterint etiam ſuperius. Ex quo intelligimus, non omnia per errorem apud eos accidiſſe, ſed alijs de cauſis. Igitur & ipſi, καὶ φαγῆ ἐν ταῖς πόλεσι σου, hoc eſt, Et comedes in vrbibus tuis, quod eſt Hebraice ואכלת בשעריך, hoc eſt, Et comedes in portis tuis. Ex quo animaduertimus, quàm neceſſarium ſit Hebraici ſermonis ſcire proprietatem, ne abſurde diuinas litteras exponamus.

Caue ne imiteris.] פן תנקש אחריהם id eſt, Ne forte decipiaris, aut illaquearis poſt eas, aut offendas. Sicut alibi vertit Hieronymus. Sequutus autem eſt hoc loco Septuaginta, qui & ipſi, μὴ ἐκζητήσης ἐπακολυθῆσαι αὐτοῖς, id eſt, Ne quæras imitari eos.

CAPVT XIII.

SEd ſtatim interficies.] Præmittunt hic Septuaginta, id quod opponitur ei quod dictum eſt. Ne occultes eum, ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς περὶ αὐτοῦ, hoc eſt, Annunciando annunciabis de ipſo, aut ipſum deferes. Quod in contextu quidem non habetur. Additumq; eſt ab ipſis interpretibus. Et fortè non omnino male. Atque hæc ſunt, quæ fortè reſecabat in Hexaplis Origenes, & obeliſcis confoſſa, eſſe ſuperflua oſtendebat. Collatis etiam aliorum interpretum editionibus. Quæ noſtris Latinis propter interpretis noſtri ſummum ingenium, ſingularemq; eruditionem minime neceſſaria fuerunt. B Is enim cùm præclare, tum Græce, tum Hebraice ſciret, contulit omnes omnium editiones, ipſamque veritatem Hebraicam, fecitque editionem abſolutiſſimam, pulcherrimam, illuſtriſſimam, in qua mirabiliter ſermonis Hebraici explicatur proprietas, vſuique noſtro loquendi prudentiſſime accommodatur.

Egreſſi ſunt filij Belihal.] Noſter interpres nunquam ferè quid eo nomine ſignificaretur in ædendo explicuiſſe reperitur. Obſeruauimusque hoc apud ipſum, vt ea nomina, quorum multiplex ac dubia eſſet ſententia, ea vt habent Hebraice, non immutarit. Vt eſt nomen ligni Sethin. Nam ſi vno modo tranſtuliſſet, reſpuere aliorum in eo ſententias viſus fuiſſet, cùm multiplices ſint, & omnes ferè inter ſe contrariæ. Ita hoc nomen Belihal, cùm alij dicant eo ſignificari hominem inutilem, à Beli, id eſt, non, & Iahal, hoc eſt, profuit: alij nomen eſſe dæmonis contendant, ductum a beli, hoc eſt, non, & Iahal, hoc eſt, aſcendet, Quia nos aſcendere ſurſum non permittat. Editio vero Chaldaica id interpretetur malignitatem, quæ propria diaboli eſt. Ex eo eſt effectum, vt ipſum Hebraicum nomen poſuerit Hiero. vt liceret cuique, quod vellet ſuper eo arbitrari. Interpretatur autem ipſe interdum filios Belihal, filios diaboli. In quo omnes ferè Hebræi conſentiunt. Homines videlicet, malignos, peſſimos, impijſſimos, quibus tanquam ſuorum ſcelerum miniſtris vtitur diabolus, eo nomine ſignificari. Hoc idem ſenſerunt Septuaginta qui filios Belihal hoc loco interpretantur παρανόμους, id eſt, exleges, peruerſos, prauos, ſceleratos.

Belihal.

Filij Belihal.

In ore gladij.] Vehementer hoc loco placet, quod Septuaginta hanc ſimilitudinem Hebraicam immutarint. C Nam licet ſit eo modo Hebraice, Illi tamen eleganter, ἐν φόνω μαχαίρας, id eſt, In cæde gladij. Habent enim Hebræi, & ſuas traslationes, quæ non adeo elegantes ſunt in noſtra & Græca lingua. Licet hoc ſit leuiſſimum.

Et ſit tumulus ſempiternus.] תל עולם, hoc eſt, Tumulus ſempiternus: quod Septuaginta, magis ad ſententiam, quàm ad verbum interpretantur, καὶ ἔσαι ἀοίκητος εἰς τὸν αἰῶνα, hoc eſt, Et erit inhabitabilis in ſempiternum.

Et miſereatur tui.] ונתן לך רחמים ורחמך, id eſt, Et det tibi miſericordias, & miſerationes tuas. Ideo Septuaginta, καὶ δώση σοι ἔλεος ἔλεος, id eſt, Et det tibi miſericordiam miſericordiam.

CAPVT XIIII.

NOn vos incidetis.] לא תתגדדו, id eſt, Non vos dilaceretis, dilanietis, diſcerpatis: quod faciebant illi ſuper defunctos: qui impius mos viget adhuc alicubi gentium. Hoc miror cur Septuaginta verterint οὐ φηβήσητε. Quod nos interpretari poſſumus, non puberaſcetis, non pubertatem ducetis. Niſi locus mendoſus ſit. Græci tamen interpretes duci opinantur non a φήβη, ſed a φοῖβος, hoc eſt, Phœbo, vt in impreſſis etiam codicibus habetur. Dicuntque hic prohiberi ne oracula adirent, aut reſponſa peterent, quæ Pythius Apollo, falſus vates ſoleret fundere. Theodoritus enim, διὰ τὸ μὲν οὐ φοιβήσητε, τὰς μαντείας ἐξέβαλεν. φοῖβον γὰρ τὸν ψευδόμαντιν ἐκάλουν τὸν πύθιον, hoc eſt, Per id quod dicitur, non φοιβήσητε, oracula exſibilauit. Phœbum enim vocabant gentes, illum mendacem futurorum denunciatorem Pythium. Hæc quidem licet optima ſint, arbitror tamen codices deprauatos eum feselliſſe. Non enim a Phœbo ducendum eſt, ſed a φήβη, id eſt, pubertate. Eoque verbo vſi Septuaginta ſunt, pro eo quod est,pubertatem non incidetis, mentum ſcilicet & vbi enaſcitur barba. Atque ita cum Hebraico D sentiunt. Nam de vaticinijs hoc loco nulla mentio. Niſi fortè Sept. arbitrati ſint verbum Hebraicum גדד Gadad, duci à Gad, quod fortunam, aut ſtellam Iouis ſignificat, ipſiq; exiſtimarint hunc eſſe Phœbum. Quæ certe eſſe poſſunt. Hebræi exponunt hunc locum, vt nos diximus. Clarumq; ex eo eſt, non eſſe hoc aliter intelligendum, quia mox infertur inhibitio de caluitio ſuper mortuo. Sanè non permiſcuiſſet ſermonem de vaticinio, cum ſermone de caluitio.

Nec facietis caluitium.] ולא תשימו קרחה בין עיניכם, Hoc eſt, Et ne ponatis caluitium inter oculos veſtros. Recteq; ab Hieronymo, inter oculos veſtros, ſubtractum eſt: quod de more linguæ Hebraicæ fuerat poſitum. Inter oculos veſtros igitur ſignificat, abradere eam partem capitis, quæ frontē efficit, Situmq; inter vtrunq; oculum, licet paulo ſuperius obtinet: Quod ſolebant facere illæ gentes. Quod & Theodoritus apud Græcos his verbis declarat διὰ δὲ οὐ ποιήσετε φαλάκρωμα ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν, ἐπὶ νεκρῷ, τὴν τοῦ πένθους ἀπιγόρευσεν ἀμετρίαν. τινὲς μὲν γὰρ τῶν ἀλλοφύλων ἐθνῶν, τὰς τῆς κεφαλῆς, ἀπέκειρον τρίχας. καὶ ταύτας προσέφερον τοῖς νεκροῖς. τινὲς δὲ τὰς τῶν γενείων, ἄλλοι τὰς τῶν ὀφρύων. ταῦτα γίνεσθαι ὁ θεῖος ἀπυγόρευσεν νόμος, hoc eſt, Per id autem quod dicitur. Ne faciatis caluitium ante oculos veſtros ſuper defuncto: luctum immodicum prohibuit. Nonnullæ enim exterarum gentium, capillos capitis ſecare ſolebant, ac defunctis offerre. Alij pilos genarum, alij vero ipſa cilia incidebant, atque offerebant. Hæc diuina lex fieri prohibuit. Clara igitur eſt ſententia, neque vllus remanet ſcrupulus.

Ne comedatis quæ immunda ſunt.] לא תאכל כל תועבה, hoc eſt, Ne comedas omne abhominabile, aut omnem abhominationem. Sicut & Septuaginta, οὐ φάγεσθε πᾶν βδέλυγμα. Ne comedatis omnem abhominationem. Quod ad declarationem nobis poſitum eſt. E

Bubalus.

Bubalum.] יחמור. Quod nonnulli Hebræorum arbitrantur aliud quoddam animal eſſe, capris paulo maius. Sed Septuaginta in his potius eſt credendum: qui & ipſi, βούλαλον, id eſt, Bubalum tranſtulerunt. In rebus his explicandis, vt aliàs admonuimus, ſunt Hebræi, pace illorum dixerim, omnium imperitiſſimi.

Tragelaphus. Hircocernus.

Tragelaphum.] אקו. Quod etiam Septuaginta interpretantur τραγέλαφον. Quæ vox id ſignificat, quod ex hirco & ceruo commiſtum ſit, quæ à nonnullis alijs putantur fictitia, & ad animi ſomnium conficta. Eſt autem Tragelaphus Græce, Latine Hircoceruus, qua voce tanquam rei fictitiæ ſigno, vtuntur philoſophi ac dialectici. Plinius teſtatur hunc eundem eſſe cum ceruo, barba tantum & armorum villis diſtantem. At Hebræi eſſe hircum ſylueſtrem perhibent.

Pygargus.

Pygargum.] דישון. Quod etiam Septuaginta tranſtulerunt πύγαργον. Sed longe aliud videtur de eo ſentire Ariſtoteles. Non enim inter animalia, ſed inter volucres ipſum annumerat: dicitq; eſſe aquilæ ſpeciem, quæ ex prohibitis eſt. Quo modo igitur inter conceſſa ponitur? Dicunt alij eſſe vnicornem, ſicut Chaldæus interpres ſentit, qui vertit. רימא

Oryx.

Orygen.] תאו Etiam Septuaginta interpretantur orygen ὄρυγα, quem quaſi caniculæ ſydus venerari ſolitum ſcribit Plinius. Eiuſque præter reliquos miram eſſe naturam. Pili enim ei in caput obuerti, non deſcendere in caudam, vt cæteris animantibus. Notiſſimumque animal eſt apud hiſtoricos.

Camelopardalim.] זמר Quod & Septuaginta καμηλοπάρδαλιν. Quidam tamen capras ſylueſtres eſſe autumant.

Cæteras animantes in libro Leuitici expoſuimus. Ixon autem, quod Hebraice vocatur ראה id eſt, videndo, omittitur apud Septuaginta. Dicunt nonnulli apud Hebræos eſſe vulturem. Alij incognitum nobis animal. Quæ ſicut difficilia intellectu ſunt, ita in ipſis ſciendis minimum vtilitatis eſt poſitum. Quare hinc atque hinc ab eorum contemplatione arcemur, tum quia difficilia ſunt, tum quia non vtilia. F

Peregrino qui inter portas, &c.] Da vt comedat. Is locus intelligendus quidem eſt, vt in noſtra editione habetur. Sed apud Septuaginta deprauata ſententia eſt, propter adiectam negationē τῷ παροίκῳ, τῷ ἐν ταῖς πόλεσι οὐ δοθήσεται καὶ φάγεται, Hoc eſt, Aduenæ qui in vrbibus eſt, non dabitur, & comedet. Patet autem non ab ipſis interpretibus additam eſſe negationem.

Cune ne derelinquas eum.] Quod omittitur apud Septuaginta. Dicitur enim lætaberis tu & leuites ὅτι οὐκ ἔστιν αὐτῷ μερὶς, οὐδὲ κλῆρος, Hoc eſt, Quia non eſt ei pars, neque ſors.

CAPVT XV.

SEptimo anno.] מקץ שבע שנים, Hoc eſt, A fine ſeptem annorum, aut poſt ſeptem annos: & vt noſter vertit interpres. Quod apud Septuaginta eodem quo & ſuperius errore traducitur διὰ ἑπτὰ ἐτῶν ποιήσεις ἄφεσιν, id eſt, Per ſeptem annos remiſſionem facies. Nemo eſſet apud nos & illos, qui non exiſtimaret præcipi, vt per ſeptem continuos annos fieret remiſſio, non ſeptimo anno. Nam διὰ ſpatium inter medium ſiue temporis, ſiue loci ſignificat, & quaſi perpetuitatem quandam, non extremum, vt hoc loco ponitur.

A peregrino & aduena exiges.] את הנכרי Hoc eſt, Ab alieno: de peregrino, & aduena, credo fit mētio. Septuaginta etiam alienum verterunt τὸν ἀλλότριον ἀπαιτήσεις, Hoc eſt, Alienum repetes.

Ftom-

A *Et omnino indigens & mendicus, &c.*] , אפס כי לא יהיה בך אביון Hoc eſt, Nequaquam erit apud te pauper. Quod non ita clare transfertur à Septuaginta ὅτι οὐκ ἐστὶν ἐν σοὶ ἐνδεής. id eſt, Quia non eſt in te indigus. Imò id præcipitur & cauetur: non quid ſit enunciatur. Ex hoc loco cognoſcitur quanta ſit harum litterarum maieſtas, quanta diuinitas. Deinde & illud licet cognoſcere, quàm beati ac fortunati etiam in hac vita eſſemus, ſi noſtras aures, harum cæleſtium legum præceptis accommodaremus. Cur enim latæ hæ leges ſunt, niſi vt quot fas eſt, gaudijs ac bonis in hac vita potiremur? Quid aliud optat Deus ac ſitit, quàm felicitatem vtilitatemque noſtram? Quid tam execratur, quàm bella, homicidia, furta, adulteria, quæ noſtram perturbant felicitatem, rerumque pulcherrimum deturpant decorem? Ecce falsò queruntur illi homines, qui Deum calumniantur, quod non æquè hunc mundum partitus ſit, vt alios quidem diuites, alios pauperes fecerit. Non enim Dei eſt hæc inæqualitas: ſed humanæ improbitatis, ac libidinis, qua ſibi quæ aliorum eſſent, vſurparunt, cùm communia omnibus omnia facta ſint. Vtinamque ſi homines aliena vſurparunt, ſaltem præceptum diuinum ſequerentur, ne apud ſe pauperes vllos eſſe permitterent, quem nouimus fuiſſe primæ eccleſiæ ſtatum. Nemo enim erat egens inter eos. Hanc legem volebat IESVS Chriſtus noſtris inferre pectoribus, vt eſſemus ſumma inuicem coniuncti charitate, nec vllas inter nos verſari, quo ad virium noſtrarum eſſet, pateremur calamitates. Sed heu ſortem infandam, adeò ad mores gentilium reuerſi ſumus, imò peiores illis effecti ſumus, vt inutilis eius aduentus, pauciſſimis exceptis, hominibus fuiſſe videatur. Quid enim nunc non viget malorum, quæ ante Chriſtum, per orbem terrarum vigebant? Excepta enim communi idololatria, aut aperta idololatria nullum ſcelus, nulla improbitas non perpetratur. Sunt autem alia flagitia, quæ maiora nunc ſunt, quàm fuerint ea tempeſtate. Duæ B ſunt præcipuæ, ac diuiniſſimæ virtutes, quas Dei filius è cælo deſcendit, vt in orbem terrarum afferret, pietas & charitas: quarum prior ad Dei amorem ſpectat, altera ad amorem proximi. His igitur omnes adeò nunc orbati ſumus, vt omnia mala, quæ his duabus virtutibus expulſis enaſcuntur, abunde teſtari nobis poſſint, nihil earum vigere inter homines. Atque hæc quidem non modo non coercentur, ne fiant maiora: vt etiam totius orbis interitum breui futurum vereamur, quia his quotidie fit maior acceſſus: quo fit vt cùm infelices eos poſſimus exiſtimare, qui his flagitioſiſſimis nati ſunt ſæculis, eos tamen infeliciores, qui paulò poſt venturi ſunt.

Pietas, & Charitas.

Non obdurabis cor tuum.] Sicut habet & Hebraicum, לא תאמץ Hoc eſt, Non obdurabis, quod Septuaginta magis ſententiam quàm verbum ſecuti, verterunt οὐκ ἀποστρέψεις τὴν καρδίαν σου, Hoc eſt, Non auertes, non amouebis cor tuum.

Quod eum indigere perſpexeris.] Non ſecus Hebraice eſt די מחסרו אשר יחסר לו id eſt, quantum ſufficit penuriæ eius, qua premitur. Septuaginta paulo obſcuriore verbo reddiderunt καθ' ὅσον ὑστερεῖται, id eſt, Quantum inferior eſt, aut quantum indiget.

Et auertas oculos tuos à fratre tuo.] Eadem quidem ſententia, & apertius noſtro idiomati reddita. Hebraice. ורעה עינך באחיך id eſt, Et malignet, aut peſſime agat, oculus tuus in frattem tuum. Sicut & Septuaginta καὶ πονηρεύσεται ὁ ὀφθαλμός σου, τῷ ἀδελφῷ σου, Hoc eſt, Et malignet oculus tuus fratri tuo. Hoc enim verbo vtamur neceſſe eſt.

Nec ages callide.] Idem verbum ſcilicet, ולא ירע לבבך id eſt, Et non malignet cor tuum. Quod Sept. alio verbo expreſſerunt καὶ οὐ λυπήσῃ τῇ καρδίᾳ σου διδόντος σου αὐτῷ, Hoc eſt, Et ne mœrore cor tuum afficiatur, dum illi porrigis. Hylarem enim datorem diligit Deus. Sed prior ſententia verior. Non enim vult nos eſſe in dando malignos, id eſt, parcos, aut inuidos.

C *Dabis ei viaticum.*] , תעניק לו Hoc eſt, Onerabis eum muneribus, ſuffarcinabis eum, explebis eũ. Secutus vero eſt Hieronymus Septuaginta, qui etiam ipſi ἐφόδιον ἐφοδιάσεις αὐτὸν, Hoc eſt, Viaticum dabis ei. Sed verbo Hebraico ſignificatur quod diximus. Ducitur autem a nomine ענק. Hoc eſt, Torque atque monili. Vnde fit verbum circundare, intexere, implicare. Implicabis inquit eum muneribus.

In ianua domus tuæ.] Addunt ſuper Septuaginta, poſt illud πρὸς τὴν θύραν, hoc ἐπὶ σταθμῶν id eſt, In ipſis ſcalæ gradibus.

Non auertes ab eis oculos.] Hæc ſententia aliter effertur Hebraice, licet eadem ſit לא יקשה בעינך חך אתו חפשי מעמך, Hoc eſt, Non videatur tibi durum atque acerbum, quòd eum abs te liberum dimiſeris. Deinde infert cauſam, vt habetur in noſtra editione. Sic & Septuaginta. οὐ σκληρὸν ἔσται ἐναντίον σου ἐξαποστελλομένων αὐτῶν ἐλευθέρων ἀπὸ σοῦ, Hoc eſt. Nec durum erit in oculis tuis, dum dimittantur illi liberi abs te. Duæ enim cauſæ poſtea inferuntur. Satis enim ille ſeruiuit. Deinde quicquid à nobis fit alijs, fiet nobis à Deo. Vt tantum noſtræ augeantur opes, quantum cæteris largiendo profuimus.

Aut in aliqua parte deforme vel debile.] Explicuit quod erat inuolutum Hebraice, כל מום רע id eſt, Aut vlla peſſima macula læſum fuerit. Sicut & Septuaginta ἢ πᾶς μῶμος πονηρός, id eſt, Vel omnis macula praua: quod Hieronymus ad deformitatem, & debilitatem retulit. Poteſt autem & ad alia ſpectare.

CAPVT

CAPVT XVI.

E*T verni primum temporis.*] Ad explicationem poſitum eſt à noſtro interprete, licet non ſit in contextu Hebraico, vt neque apud Septuaginta.

Quoniam in pauore egreſſus de Aegypto.] , בחפזון id eſt, In feſtinatione, aut cum feſtinatione. Credo noſtrum interpretem, formidinem innuere voluiſſe, qua perturbamur cùm quid celeriter agendum eſt. Sed profecto innuitur ea acceleratio, qua eos vrgebant Aegyptij, egredique compellebant. Verum non tacuit hoc alibi Hieronymus. Sed alienius Septuaginta interpretati ſunt ὅτι ἐν σπουδῇ ἐξήλθετε ἐξ αἰγύπτου, Hoceſt, Quoniã in fœderatione, libatione, aut inducijs egreſſi eſtis de Aegypto. Vides eos vertiſſe σπουδῇ, quod eſſet Hebraice , חפזון id eſt, Feſtinatio, acceleratio. Quod certe ſatis demirari non poſſum, niſi locus corruptus ſit, legendumque ſit σπουδῇ, id eſt, Studium, feſtinatio, acceleratio. Suntque ſimiles inter ſe voces, ac tunc dicemus, cum ſtudio egreſſus es de Aegypto.

Non facie opus.] Sicut habet contextus Hebraicus. Sed a Septuaginta additur neſcio quid, Poſt enim hoc οὐ ποιήσετε ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον, Hoc eſt, Non facietis in ipſa omne opus, additur πλὴν ὅσα ποιηθήσεται ψυχῇ, id eſt, Præterea quæ fiunt animæ, aut animo. Credo eos, hoc addidiſſe, vt oſtenderent, nullum opus vile aut quod manibus exercetur eo die fieri poſſe, ſed opera animi non prohiberi, quod quia nemo tam obtuſo ingenio eſſet, qui ſuſpicaretur: prohiberi ſcilicet animi opera, ideo fruſtra additur.

Oblationem ſpontaneam.] Vt habet Hebraicum , מסת נדבת ידך Hoc eſt, Oblationem voluntatis, aut deuotionis manus tuæ. Septuaginta paulo ſecus καθὸς ἡ χείρ σου ἰσχύει, id eſt, Quemadmodum valet manus tua. Aliud enim hoc videtur eſſe, vt prudenti patet.

Et mutant verba iuſtorum.] , ויסלף id eſt, Peruertunt, deprauant, Septuaginta non tam aperte ἐξαίρει λόγους δικαίων, id eſt, Extrahunt, extorquent verba iuſtorum.

CAPVT XVII.

I*Ntra vnam portarum tuarum.*] Admonendi ſemper ſumus portas his locis, pro vrbibus eſſe accipiendas, de more illius linguæ. Ideo Septuaginta non ſemper portas interpretati ſunt, ſed vrbes, vt hoc loco ἐν μιᾷ τῶν πόλεων σου, id eſt, In vna vrbium tuarum. Hæc annotauimus ne in errorem propter ſermonis peregrini inſcitiam, laberemur.

Solem & lunam.] , ירח Neſcio cur luna omittatur apud Sept. Imo tota hæc periodus in impreſſis codicibus ferè male legitur τῷ ἡλίῳ, ἢ παντὶ τῶν ἐκ τοῦ κόσμου τοῦ οὐρανοῦ, Hoc eſt, Soli, aut omni eorum quæ ex cælo. Deeſt enim fortaſſe καὶ. Hebraice vero legitur vt noſtra habet editio.

Ad portas ciuitatis tuæ.] Etiam portæ hoc loco pro vrbibus accipiuntur. Eum præcepit ad vrbes è latebris extrahendum, qui idololatriam feciſſe conuictus ſit. Quanquam Septuaginta non vrbes, ſed portam interpretentur ἐξάξεις τὸν ἄνθρωπον ἐκεῖνον ἐπὶ τὴν πύλην, id eſt, Extrahes hominem illum ad portam. Lex enim iubet vt omnibus è locis diligenter perquirantur, ſiue in montibus, ſiue in vallibus, ſeu in ſpeluncis, ſiue vbicunque terrarum deliteſcant, qui diuinum cultum reliquerunt, cælique ſydera, aut dæmonas, aut id genus alia adorare cœperunt: hique ad vrbes deducantur, vbi ius exerceri, & ſcelerati plecti ſolent, vt ibi omni populo collecto, omnium ſuffragio condemnentur, omniumque manu trucidentur: quippe qui ſcelus horribile, execrandum, dignum non hac luce, ſed quod in penitiſſimis tenebris ſepeliendum ſit, perpetrarint: ne tanta rei fœditate humanum genus reſpergatur. Hæc itaque ſententia eſt. Septuaginta id ſenſiſſe videntur, vt ſi quis idololatra conuictus in vrbe ſit, extemplo lapidandus extra portas deducatur, ibique omni multitudine collecta lapidibus obruatur. Sed prior ſenſus videtur verisimilior, & magis hiſce litteris conſentaneus.

Et lapidibus obruentur.] Ex hoc loco vel manifeſtum fit, quantum neceſſe ſit ſermonis Hebraici callere proprietatem. Nam id quod ſæpius oſtendimus, noſtram editionem eſſe omnibus, quotquot fuerint vnquam, illuſtriorem ac meliorem, quæ minus phraſes Hebraicas ſecuta ſit, ſed eas clariſſime explicuerit, & ad noſtrum ſermonem accommodarit, hinc maxime licet cognoſcere. Nam hæc ſententia ſic effertur Hebraice , וסקל תם באבנים id eſt, Et lapidabitis eos in lapidibus. Quã ſententiam mutata loquendi conſuetudine, vides quàm eleganter, noſter reddiderit interpres. Audi Septuaginta, qui Hebraica penitus ſequebantur. καὶ λιθοβολήσετε αὐτοὺς ἐν λίθοις, id eſt, Et lapidabitis eos in lapidibus. Quæſo quis eorum, qui minus ad hæc ſoliti ſint in præpoſitionem ſumendam hoc loco, pro eo quod eſt, cùm exiſtimet? Nonne potius crederet, vt in lapidibus obruantur, id eſt, vbi ſit aceruus lapidum. Nam ἐν apud Græcos ſtationem in loco ſignificat. Hæc igitur obſcuritas, ex eo accidit, quòd in apud Hebræos ſumitur pro cum, quod non ita ſit apud Græcos & Latinos.

Inter lepram & non lepram.] נגע לנגע id eſt, Plagam & plagam. Quare non arbitror de lepra eſſe intelligendũ, ſed omni plaga, de qua a iudicibus exacte dijudicari non poſſit. Omnis enim lepra a ſacerdo-

A ſacerdotibus iudicabatur, ad alios non attinebat iudicare. Septuaginta ambigue tranſtulerunt, & lepræ quidem nihil meminerunt ἀνὰ μέσον ἀφὴ ἀφῆς, Hoc eſt, Inter tactum & tactum, aut læſionem & læſionem, ſiue puncturam ac puncturam. His enim vocibus vti nos neceſſe eſt.

Non intumeſcat ſuperbia.] לא יזידון, Hoc eſt, Non erit pertinax, obſtinatus. Quod vitium aliud faciunt Septuaginta πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας φοβηθήσεται. καὶ οὐκ ἀσεβήσει ἔτι, id eſt, Et omnis populus audiens formidabit, & non aget impie in poſterum. Sed vocis proprietas eſt, vt noſter vertit interpres, & ipſi paulo ante tranſtulerunt Septuaginta. Vbi dicitur, καὶ ὁ ἄνθρωπος ὃς ἐὰν ποιήσῃ ἐν ὑπερηφανίᾳ, Hoc eſt, Homo qui fecerit in ſuperbia.

Conſtituam ſuper regem.] מלך, Quem non adeo proprie Septuaginta ἄρχοντα, Hoc eſt, Principem vertunt. Principes enim quilibet magiſtratus eſt: at reges, ſumma monarchia.

Quæ alliciant animum eius.] De illo, hoc dicitur, non de mulieribus, לא יסור לבבו Hoc eſt, Non deprauabit, non peruertet cor ſuum. Sicut & Sept. οὐ πληθυνεῖ ἑαυτῷ γυναῖκας, ἵνα μὴ μεταστῇ αὐτοῦ ἡ καρδία, Hoc eſt, Non multiplicabit ſibi ipſi vxores, ne auertatur, ne immutetur cor eius.

CAPVT XVIII.

D*Abunt ſacerdoti armum ac ventriculum.*] Aliud etiam ponitur quod ſacerdotibus dandum eſſet, omiſſum ab interprete, ſcilicet לחיים, Hoc eſt. Mandibulas, maxillas. Quod non omittitur apud Septuaginta τὸν βραχίονα, τὰ σιαγόνια· τὸ ἤνυστρον, Hoc eſt, Armum, mandibulas, ventriculum.

Primitias vini.] תירשך, Hoc eſt, Muſti tui primitias: quanquam nihil intereſt, ſed multa ad explicationem nobis ponuntur. Sept. & ipſi ἀπαρχὰς τοῦ οἴνου σου, id eſt, Primitias vini tui. B

Excepto eo, quod in vrbe ſua.] Optime quidem & clariſſime reddidit ſententiam, quæ erat Hebraice obſcuriſſima, לבד ממכריו על האבות Hoc eſt, Exceptis emptionibus ſuper patres, vel iuxta patres, aut ſecundum patres. Exponuntq; Hebræi hanc ſententiam, ſicut interpretatus eſt Hieronymus. Quæ in eadem remãſit propemodum obſcuritate apud Septuaginta qua fuiſſet Hebraice πλὴν τῆς πράσεως τῆς κατὰ πατρίαν, Hoc eſt, Præter emptionem eam quæ ſecundum patriam eſt. At Rabi Salomon hoc exponens ait, חוץ ממה שמכרו האבות בימי דוד Hoc eſt, Præter id quod emerunt patres, prioribus temporibus: clarum igitur eſt, quid hæc ſibi velint.

Qui luſtret filium ſuum ducens per ignem.] Imò ea non erat luſtratio, aut luſtrum: ſed filiorum exuſtio, vt ante viſum eſt. Atque ideo eum ritum execrabatur Deus, quod ſine humanis calamitatibus non fieret. Putauit igitur Hieronymus filios ſuos illas gentes per ignem luſtrare ſolitas: ſed vt dixi non luſtrabant, ſed penitus exurebant: quanquam eius ſententiæ videantur Septuaginta priores extitiſſe, quos Hieronymus ſectatus eſt, οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν πυρί, Hoc eſt, Non inueniatur in te, qui luſtret ſiue expiet filium ſuum igni. Sed hæc non eſt ſententia. Dubiamq; & falſam eam fecerunt addendo luſtrationem, cum Hebraice tantummodo habeatur, לא ימצא בך מעביר בנו באש Hoc eſt, non inueniatur in te, qui tranſire faciat filium ſuum ignem. Et de hoc quidem peſſimo ritu ſæpius dictum eſt.

Aut qui hariolos ſciſcitetur.] Omnia hæc, non ad conſulentes ac ſciſcitantes referenda ſunt, ſed ipſos qui eam reſpondendi ſuperſtitionem exercerent. Nam Hebraice קסם qua voce vtimur hic, non ſciſcitantem ſignificat, ſed ipſum magum, ac hariolum. Prohibentur igitur eſſe harioli, ma-
C gi, vaticinantes, augures, & id genus. Sicut etiam tranſtulerunt Septuaginta μαντευόμενος μαντείαν, id eſt, Vaticinans vaticinium. Prohibetur aſtrologia omnium ſuperſtitionum mater impijſſima, Chiromantia, Geomantia, Augurium, Pelecymantia, Capnomantia, Magia, quæ diabolos ſciſcitatur. Tandem & Necromantia, quæ ſciſcitatur defunctos, quæ tempeſtate Moſis inueniebatur, & de ea ſcripſit etiam Homerus. Vigent adhuc hæ ſuperſtitiones non in vniuerſum, ſed priuatim, apud hebetiſſimos quoſque, & quibus facile iſtæ præſtigiæ imponunt. Dignæ capitali ſupplicio ſuperſtitiones, ob quas Deus perdidit eas gentes, & æterna obliuione deleuit, quæ his erant deditiſſimæ. Veriſimileque eſt, nullum ſpurcitiæ genus, nullam fœditatem, non fuiſſe inter eas nationes, propter harum ſuperſtitionum impietatem, quas earum pater Diabolus, homines docuerat, vt per eas ad homicidia, adulteria, veneficia, furta, ad ſuas explendas quiſque inſatiabiles cupiditates perducerentur. E quibus naſcerentur inimicitiæ, odia, fraudes, miſeriæ, calamitates, quas peſſimus diabolus incredibiliter affectat. Vt enim Deus lætatur gaudijs, felicitate, pace, & tranquillitate noſtra: Ita paſcitur diabolus noſtris ſeditionibus, luctibus, miſerijs, calamitatibus, tum ridet, tum miris afficitur gaudijs. Ipſe igitur harum impietatum fuit inuentor, vt his ad optatum finem attingeret. Nam qui has ſuperſtitiones perſequitur, neque ipſe felix eſt vnquam, neque alijs præter calamitatem & mala, quicquam attulit. De his autem vaticinijs ante in libro Leuitici dictum eſt.

Aſtrologia ſuperſtitionum mater.

Ego vltor exiſtam.] אנכי אדרש, id eſt, Ego requiram, ex eo repetam. Septuaginta tamen & ipſi eodem modo ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ. Ego vlciſcar ex ipſo, aut ex ipſo pœnam ſumam. Vna omnium ſententia eſt.

Quod ſi tacita cogitatione reſpondens.] וכי תאמר בלבבך, Hoc eſt, Et cùm dixeris in corde tuo. Sicut &

Septuaginta ἐὰν δὲ εἴπης ἐν τῆ καρδία σοῦ, Hoc eſt, Si dixeris in corde tuo. Eſt ergo elegantiſſime & apposite verſum a noſtro interprete, non ſeruatis verbis, nec locutione Hebraica, quod ſæpiſſime facit. Ex quo & venuſtiſſima & elegantiſſima noſtra editio inter omnes eſt. Inuitis etiam peſſimis & maledicis Iudæis: inuitis & illis qui Iudæis fidem arrogant. Aut illis etiam inuitis, qui duas tenentes voculas Hebraicas, miſeras & infelices, illico tantum auctorem, erecto & faſtuoſo ſupercilio damnare aggrediuntur, & ſe editiones meliores facere poſſe iactant. Ridebunt igitur noſtri homines Iudæos, & malignos eſſe dicent, cùm eos noſtram damnare editionem audierint. Reſpondebuntque eis: Vos Iudæi maligni & improbiſſimi eſtis, qui noſtra etiam ſi pulcherrima atque optima ſint, infringere, lacerare nitimini. Quod ſpero confidentius quoſque facturos, cùm me ſcierint, diligentiſſime veritatem Hebraicam, & translationem Septuaginta cum noſtra editione contuliſſe, ac præter leuiſſima, nihil aliud diſſonum in ea reperiſſe. In qua re, & ſi multa à me fortaſſe prætermiſſa ſunt, viam ſaltem cæteris qui in eo laborare voluerint, oſtendimus.

Non timebis eum.], לא תגורממנו. i. Non timebis eum. At Septuaginta longe diuerſius οὐκ ἀφέξεσθε ἀπ' αὐτοῦ, Non abſtinebitis ab eo. Quare diuerſius interpretati ſunt, & fortaſſe non recte.

CAPVT XIX.

D*Olore ſtimulatus.*], כי יחם לבבו Hoc eſt, Quando ardet, quando æſtuat cor eius. Sicut & Septuaginta ὅτε παρατεθέρμανται τῆ καρδία αὐτοῦ, id eſt, Quando incaluit in corde ſuo. Quanquam noſtrum interpretem hoc non fugerit: verum vt ſæpius diximus, ad noſtrum loquendi modum, horriditatem Hebraicam accommodat.

Non miſereberis eius.] Et hoc perſpicue immutatur, pro eo quod eſt Hebraice, תחוס עינך עליו, Hoc eſt, Non parcet oculus tuus ſuper ipſum. Neceſſe enim eſt, hæc dicendi genera, atq; hæ translationes, in alias quæ noſtris auribus minime duræ ſint, conuertantur. Septuaginta vero nihil immutarunt οὐ φείσεται ὁ ὀφθαλμός σοῦ ἐπ' αὐτῷ, Hoc eſt, Non parcet oculus tuus ſuper ipſum.

Accuſans eum præuaricationis.], סרה Hoc eſt, præuaricationis, quo nomine omne peccati genus denotatur. At Septuaginta καταλέγων αὐτοῦ ἀσέβειαν, id eſt, Accuſans eum impietatis. Videnturque impietatem pro omni facinore ac ſcelere accepiſſe.

Sicut fratri ſuo facere cogitauit.] זמם Cogitauit, machinatus eſt. Et proprie id quod tranſtulerunt Septuaginta ὃν τρόπον, ἐπονηρεύσατο ποιῆσαι, id eſt, Sicut malignatus eſt, peſſime machinatus eſt facere, à quo, זמה Hoc eſt, ſcelus, facinus, improbitas.

Pedem pro pede exiges.] Nouiſſime hoc additur apud Septuaginta καθ' ὅτι ἄν τις δῷ μῶμον τῷ πλησίον, οὕτω δώσετε αὐτῷ, Hoc eſt, Secundum quod quis labem ac notam proximo ſuo incuſſerit, dabitis ei, quæ in contextu Hebraico non habentur, quæ puto eſſe ad explicationem ab ipſis interpretibus addita.

CAPVT XX.

Scribæ in Euangelio qui dicantur.

D*Vces quoque per ſingulas turmas.*] השטרים Hoc eſt, Duces, principes, magiſtri militum. Quos Septuaginta interpretantur γραμματεῖς, id eſt, Scribas. Ex quo intelligimus, ſcribas in Euangelio proprie eos dici, qui principes ac duces populi eſſent. Quos impropriè vt pleraque alia, ſcribas appellarunt ipſi Septuaginta interpretes. Euangelium vero editionem Septuaginta, quæ iam in omnium pectoribus radices egerat, ſequebantur: & res his nominibus appellabant, quibus & illi appellaſſent. Vſus enim inoleuerat, vt non viderentur dura quæ illi tranſtuliſſent, & conſuetudo emollijſſet. Atque hoc eſt, quòd ſæpenumero teſtimonia ex editione Septuaginta ab eis proferuntur, licet a veritate Hebraica diſſentiant. Quid enim faciebat ad erudiendos homines, codicum varietas, & illos Septuaginta, quorum iam eſſet recepta fides, oſtendere imperitos? Id non modo ædificationem nõ feciſſet, ſed pietatem vehementer læſiſſet, rebus præſertim tam recentibus. Neque enim vnius voculæ diſſonantia, aut impropria translatio, labefactat pietatem: ſed arrogantia, ſuperbia, & diſcordia, & faſtus eorum qui docent.

Vnuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos præparabit.] Aliter hæc ſententia ab Septuaginta transfertur, aliter habetur in Hebraico. Illi enim καὶ καταστήσουσιν ἄρχοντας τῆς στρατιᾶς προηγουμένους τοῦ λαοῦ, hoc eſt, Et conſtituent principes exercitus præcedentes ipſi populo: pro eo quod eſt Hebraicè, שרי צבאות בראש העם ופקדו hoc eſt, Et recenſebunt principes exercitus ſummam totius populi. Quare nec noſtra nec Græca tralatio, cum Hebraico conſentit. Innuitur enim, cùm principes locuti fuiſſent, & formidoloſi ad ſua receſſiſſent, reliquam multitudinem recenſuerunt, quæ remanſiſſet ex his, Quos vti meticuloſos dimitti iuſſerat.

Offeres ei primum pacem.], וקראת אליה לשלום hoc eſt, Et vocabis cum ea pacem. Quod eſt intelligendum, vt interpretatus eſt Hieronymus. Verum Septuaginta aliquanto diuerſius ἐκκαλέσεις αὐτοὺς μετ' εἰρήνης. hoc eſt, Euocabis eos, cum pace. Quorſum enim tendit, Euocabis? Quaſi extra ciuitatem euocandos eſſe demonſtret, quod ne ſomniatur quidem his litteris.

Omnem prædam exercitui diuides.] כל שללה תבז לך, hoc eſt, Omnem prædam diripies tibi. Quemadmodum & Septuaginta καὶ πᾶσαν τὴν ἀπαρτίαν προνομεύσεις σεαυτῷ, hoc eſt, Et omnem prædam, aut ſupellectilem diripies tibi.

Nullum omnino permittes viuere.] כל נשמה, Omne quod ſpirat, omne quod aliquo vitæ genere ſuſtinetur: tam de hominibus, quàm reliquis animantibus. Sicut & Septuaginta, οὐ ζωγρήσετε ἀπ' αὐτῶν πᾶν ἐμπνέον, hoc eſt, Non captiuum facietis quicquam quod ſpiret. Spectat igitur ad omnia animantia.

Quando obſederis.] Patet ex errore à librarijs negationem additam eſſe in codicibus Græcis, ἐὰν δὲ μὴ περικαθίσῃς, hoc eſt, Niſi obſederis.

Nec ſecuribus debes vaſtare.] Pro ſecuri, Septuaginta, σίδηρον, hoc eſt, Ferrum poſuerunt. Sicut & Chaldaica editio.

Quoniam lignum eſt, non homo.] Per interrogationem effertur Hebraice כי האדם עץ השדה .i Nunquid enim ſignum agri, homo eſt, Vt exeat in bellum contra te? Sic & Sept. μὴ ἄνθρωπος τὸ ξύλον, τὸ ἐν δρυμῷ, id eſt, Nunquid homo, lignum eſt, quod eſt in ſyluis? Editio quoque Chaldaica eodem ferè modo, ארילא באנשא אילן hoc eſt, Quoniam non eſt ſicut homo ipſa arbos.

Nec poteſt contra te augere numerum.] Hoc modo effertur: lignum non eſt ſicuti homo לבא מפניך במצור, hoc eſt, Vt veniat contra te in obſidione, dum ſcilicet obſides. Quod Septuaginta ſecus aliquanto, εἰς ἐλθεῖν ἀπὸ προσώπου εἰς τὸν χάρακα, hoc eſt, Vt ingrediatur, à facie tua in vallum. Eſt vt diximus ſententia aliquantum immutata.

CAPVT XXI.

Quos elegerit dominus.] Non de aliquibus Leuitis hoc dicitur, ſed de omnibus. Sic enim habet כי בם בחר יהוה, id eſt, Quia eos elegit dominus. Sicut & Septuaginta, ὅτι αὐτοὺς ἐξελέξατο κύριος, Quoniam eos elegit dominus.

Hominis cadauer occiſi.] Idipſum quidem ſignificatur voce Hebraica חלל quam non tam proprie Septuaginta transferunt τραυματίαν, hoc eſt, Vulneratum. Poteſt enim quis eſſe vulneratus, ſed minime occiſus. Eaque voce vtuntur hiſtorici Græci, non pro his, qui occiſi ſint, ſed qui ſint vulnerati, & adhuc ſuperuiuant.

Quem redemiſti.] Quod Septuaginta exprimunt, vnde eos videlicet eripuerit, οὓς ἐλυτρώσω ἐκ γῆς αἰγύπτου, hoc eſt, Quos redemiſti de terra Aegypti.

Tu autem alienus eris.] ואתה תבער הדם הנקי, hoc eſt, Et tu expiabis ſanguinem innocentem. Sicut & Septuaginta, σὺ δὲ ἐξαρεῖς τὸ αἷμα τὸ ἀναίτιον, id eſt, Tu vero extrahes ſanguinem innocentem: quare in noſtra editione ſenſus non tam apertus.

Quæ radet cæſariem.] Hæc omnia de ipſa muliere dicuntur, vt ea hæc omnia faciat. Sic enim habet Hebraicum, וגלחה את ראשה hoc eſt, Et radet caput ſuum. Quare male à Septuaginta refertur ad ipſum virum, per ſecundam perſonam, καὶ ξυρήσῃς τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, hoc eſt, Et rades caput eius. Eodemque errore additur, καὶ περιονυχίσῃς αὐτὴν, hoc eſt, Et vngues eius circumputabis. Et aliud quod ſequitur, καὶ περιελῆς τὰ ἱμάτια τῆς αἰχμαλωσίας αὐτῆς, hoc eſt, Et auferes veſtem captiuitatis eius.

Dimittes eam liberam.] Recte & prudenter a Septuaginta locutio mutata eſt pro eo quod eſt Hebraice, Dimittes eam, לנפשה hoc eſt, Animo ſuo, Voluntati ſuæ. Septuaginta igitur, ἐξαποστελεῖς αὐτὴν ἐλευθέραν, hoc eſt, Dimittes eam liberam. Quos ſequitur Hieronymus.

Quando peccauerit homo.] Hæc paulo obſcurius ſententia a Septuaginta reddita eſt, ἐὰν γένηται ἐν τινὶ ἁμαρτία κρίμα θανάτου, καὶ ἀποθάνῃ, hoc eſt, Si fuerit in aliquo delicto iudicium mortis, & mortuus fuerit. Deſunt aliqua.

Non permanebit cadauer eius.] Et hoc non adeo proprie ab Septuaginta redditur, ἐπικοιμηθήσεται τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐπὶ ξύλου, hoc eſt, Obdormiet & corpus eius ſuper lignum.

Quia maledictus à Deo.] כי קללת אלהים תלוי, hoc eſt, Quia maledictio domini eſt, qui pendet in ligno, aut qui ſuſpenſus eſt. Sed denominationibus pro denominatis vtuntur Hebræi, dicentes id eſſe mendacium, eſſe veritatem, eſſe maledictionem, eſſe benedictionem, pro eo quod eſt, eſſe falſum, verum, maledictũ, benedictum. Sept. ὅτι κατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος, hoc eſt, Quia maledictus a Deo eſt, omnis ſuſpenſus. Citatur is locus a diuo Paulo ad Gal. cap. iij. Atque eum maledictum appellat, qui in ligno pendeat, verbo Græco ἐπικατάρατος. Ex quo contemnimus expoſitionem Hebræorum, qui maledictum hoc loco dicunt accipi pro deſpecto. Nulla enim ratione id dicitur, & in contrarium eſt tanti viri, & veterum interpretum authoritas.

CAPVT XXII.

Non tenebis eam cum filijs.] Eſt quidem iſtud præclarum humanitatis exemplum, quo etiam admonemur, quantum Deo grata iuſtitia humanitasque ſit, quando ne in belluas quidem & irrationabilia, voluit nos eſſe immites. Non quòd ius nobis ſit cum illis, ſed quòd nihil eſt tam a diuina natura, & moribus humanis alienum, quàm inclemētia, & crudelitas. Docemurq́; quantum momenti ad propagandam hanc corpoream vitam, & acquirendam futuram habeat, ſi placidi ac benigni ſimus. Additur enim cauſa, vt ſitis, inquit, longæui ſuper terram. Qui enim crudelis, & inhumanus eſt, is quantum de alterius ademit vita, tantumdem detraxit ſuæ. Dumq́; alienæ vitæ inſidiamur, iure quodam diuino fit, vt ruinam nobis quandam præparemus. Ideoq́; homicidæ breuiſſimis vitæ ſuæ ſpaciis peractis, eodem interitu ferè ſemper occumbunt, quo ipſi peremerunt alios. Docemur ergo, hoc præcepto humanitatem, benignitatem, & clementiam. Id quod etiam ſcribit hoc loco Theodoritus his verbis, τοῦτο προςάγματι φιλαντρωπίαν παιδεύει εἰ γὰρ τις, τοὺς τέκοντας λάβῃ, καὶ καταλείπῃ τοὺς νεοττοὺς, ἀπολοῦται πάντως οὐκ ὄντος, τοῦ τρέφοντος: εἰ δὲ καὶ τούτοις, κακείνας θηρεύσει, διαφθαρήσεται δῆλον, ὅτι τῶν ὀρνιθῶν τὸ γένος, εἰ πάντες τὰ ὅμοια δράσαιεν, hoc eſt, Hoc præcepto humanitatem nos docet. Nam ſi quis auicularum matrem abſtulerit, ipſosq́ue pullos reliquerit, omnino morientur ea ſublata, quæ eos alebat. Sin vero & hanc & illos ceperit, clarum eſt, omne auium genus breui periturum, ſi conſimilia cæteri facerent.

Facies murum tecti.] עשית מעקה, hoc eſt, Facies ſepimentum quoddam, aut munimentum circa tectum tuum, cùm domum tuam ędificas, ne quid inde labatur, & aliquem interficiat, & in domum tuam cædis cauſa referatur, ac ita quoque polluatur. Tota itaque ſententia non rectè apud nos verſa videtur. Neque enim vult fieri murum tecti, ſed aliquid aliud, quod retineat, quæ collapſura è tecto ſunt, dum ędificatur. Nam & Rabi Salomon hoc ipſum atteſtatur, qui quod noſter interpres vertit murum, ipſe exponit, גדר סביב לגג hoc eſt, Sepimentum, per circuitum totius tecti. Vel igitur aliquid deſuper fieri præcipit, vt quæ cadunt ibi ſuſtineantur. Aut innuit, vt in ędificanda domo, fiat quoddam vallū, ne quis inde tranſeat, & aliquid delabens eum interficiat. Id quod & Chaldaica innuit editio. Quæ loco mahache, quod Hieronymus interpretatur murum, habet, תיקא quod Rabbi Salomon exponit, משמר מה שבתוכו hoc eſt, munimētum quoddam, quod intra ipſum tectum, & viam eſt. Hoc Septuaginta verterūt στεφάνην, id eſt, coronam, valli. Sed in eo erratur apud ipſos, & nos, quia quod Hebraicè ad materiam cadentem è tecto refertur, ipſi & noſter interpres ad homines inde præcipitantes retulerunt. Ex quo & ſententiam obſcuram fecerunt. Cum enim dicitur, facies vallum circa tectum in imo, ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labēte alio, &c. Sic habet Hebraicè, כי יפול הנפל ממנו hoc eſt, Cū ceciderit id quod cadit ex ipſo tecto. Is error a Septuaginta profectus eſt, qui & ipſi, ἐὰν πέσῃ ὁ πεσὼν, hoc eſt, Cum ceciderit qui lapſus eſt: ſcribendum potius, τὸ πεσόν. Atque ita omnia quadrabunt.

Non ſeres vineam tuam altero ſemine.] לא תזרע כרמך כלאים, hoc eſt, Non ſeres vineam, ſiue agrum tuum ex diuerſis permixtis. Sicut alibi ipſe noſter vertit interpres. Hanc enim varietatem, & cōmixtionem execratur Deus. De qua re Leuit. cap. 19. dictum eſt, Sicut & Septuaginta, οὐ κατασπερεῖς τὸν ἀμπελῶνα σου διάφορον, id eſt, Ne ſeras vineam tuam ex diuerſis.

Ne ſanctificentur.] Quemadmodum ſæpenumero dictum eſt, pleraque apud Hebręos inueniuntur verba, quæ contraria ſignificent, inter quæ & præſens vox. Nam קדשה ſignificat ſanctam & pollutam ac meretricem. Ergo vbi dicitur, פן תקדש id eſt, Ne fortè ſanctifices: potius inquam vertendum, ne fortè polluas, id quod & ipſa oſtendit ſententia. Licet Septuaginta non ſecus, & ipſi tranſtulerint, ἵνα μὴ ἁγιασθῇ τὸ γένημα, hoc eſt, Vt non ſanctificetur ſemen: quod fecit, vt Græci aliter hunc locum interpretarentur. Si quis, inquiunt, non obſeruauerit hoc, ſanctificabitur eius prouentus, & ſementis, id eſt, cedet in vſum Dei. Atque hanc eſſe dicunt mulctam tranſgredientium. Ego vero exiſtimo intelligi per id pollutionem quandam. Nam & viris & mulieribus prohibet, diuerſis coloribus vti. Et omnino omnem varietatem, & diſſidium ac confuſionem execratur, quare & pollutio quædam erit ſementis commixtæ. Sicut & initus diuerſorum animalium. Statim quoque & alia varietas infertur.

Verberabunt illum.], ויסרו אתו hoc eſt, Et erudient, caſtigabunt, emendabunt, quemadmodum & Septuaginta, καὶ παιδεύσουσιν αὐτὸν, hoc eſt. Et erudient eum, & caſtigabunt.

Quoniam fecit nefas.], נבלה hoc eſt, Nefas, ſtultitiam. Quemadmodum & Septuaginta ὅτι ἀφροσύνην ἐποίησεν, hoc eſt, Quia dementiam, ac ſtultitiam fecit. Nulla enim maior dementia quam peccatum. Nam peccatum ex animo dementi & cæco proficiſcitur.

Vir quia humiliauit.], אשר ענה hoc eſt, Quia oppreſſit, afflixit, ſubegit, quanquam & Septuaginta verterint, ἐταπίνωσε, id eſt, humiliauit.

Quinquaginta ſiclos argenti.], חמשים כסף hoc eſt, Quinquaginta argenteos. Nam neſcio an rectè ſicli vocentur argentei: Præterea qui ſunt ſicli argentei? quanquam & Septuaginta ſiclos reddiderint πεντήκοντα δίδραχμα ἀργυρίου, hoc eſt, Quinquaginta didrachmas argenti. Solent enim ſiclum vocare didrachmam. De qua re alibi dictum eſt.

Nec reuelabit operimentum eius.], ולא יגלה כנף אביו hoc eſt, Et non reuelabit alam, aut plumas patris ſui. Neque dubium eſt, quin ala, ſiue pluma hoc loco, pro operimento accipiatur. Quemadmodum etiam verterunt Septuaginta, καὶ οὐκ ἀνακαλύψει συγκάλυμμα τοῦ πατέρος αὐτοῦ, hoc eſt, Et non reuelabit operimentum patris ſui. Credo vero ſignificari eo omnem ignominiam, ac dedecus, atque vituperationem.

CAPVT XXIII.

A *Non intrabit eunuchus.*] Totum quod hic de eunuchis dicitur, non aliter exponitur ab Hebræis; Præſertim Rabi Salomone, qui quaſi noſtram editionem ſecutus ſit, & ab ea edoctus, ad verbum exponit, ſicut noſter ipſe ſenſit interpres. Apud Septuaginta vero non adeo clara ſententia eſt. Quod autem dicitur: Non intrabit eccleſiam Domini, exponit Rabi Salomon, לא ישא ישראלית, hoc eſt, Non aſſumet vxorem Iſraelitida, & quaſi ex eo populo non cenſebitur, non poterit eccleſiam conficere, & ex Iſraelitico populo haberi.

Hoc eſt de ſcorto natus.] Quod obſcurius eſt apud Septuaginta, οὐκ εἰσελεύσεται ἐκ πόρνης, εἰς ἐκκλησίαν κυρίου, hoc eſt, Non ingredietur de meretrice in eccleſiam Domini. Fortaſſe demptus eſt articulus, ὁ ἐκ τῆς πόρνης. Nulliſque tunc remaneret ſcrupulus. Dimittitur quoque ex errore in codicibus Septuaginta, vſque ad decimam generationem.

Gerens paxillum in baltheo.] Immo verò ſic, ויתד תהיה לך על אזנך hoc eſt, Et paxillus erit tibi vice ligonis: ſicut interpretatur Rabi Salomon, qui ait, כמו יתד Erit ei, inquit, iſte paxillus perinde ac ligo. Ortus eſt autem error in noſtra editione, ex editione Septuaginta, qui & ipſi καὶ πάσσαλος ἔσται σοι ἐπὶ ζώνης σου, hoc eſt, Et paſſalus erit tibi in zona tua. Quare enim in zona haberetur paxillus? ex ęquiuocatione nominis error accidit. De baltheo itaque & zona nihil ſcribitur, ſed ea vox ligonem ſignificat. Nota vero ſententia eſt. Erit, inquit, vice ligonis, quo fodias, terraque ſtercora contegas.

Quo reuelatus es.], וכסית את צאתך hoc eſt, Et operies excrementum tuum. Septuaginta & ipſi apertius καλύψεις τὴν ἀσχημοσύνην σου, hoc eſt, Operies turpitudinem tuam.

Nec pretium carnis.] Canis dicendum eſt. Hebraicè, כלב id eſt, Canis: manifeſta eſt ſententia.

Extra ne efferas.], ואל כליך לא תתן hoc eſt, Et in ſportam tuam non pones. Septuaginta diuerſius, καὶ δρέπανον οὐ μὴ ἐπιβάλῃς ἐπὶ τὸν ἀμητόν, hoc eſt, Et falcem in meſſem alterius ne imponito. Omiſerunt enim ſub loco id quod de vuis dictum eſt, & poſt eius rei meminerunt. Meſſis enim præpoſita eſt. Quare nec ipſi diſſentiunt, ſi lectio in ſuum locum reſtituatur, εἰς δὲ ἄγγος οὐ μὴ ἐπιβάλλῃς, hoc eſt, In vas autem tuum ne conijcito: Vuas igitur quis vſque ad ſatietatem deguſtare ex aliena vinea poteſt: afferre autem ſecum nō poteſt. Quæ iura, cùm diuina ſint, & ab ipſo Deo exarata, quis tam vecors, tam miſeræ mentis, tam infelici animo eſt, qui ea ſeruare nolit?

CAPVT XXIIII.

Non accipies loco pignoris.] Quæ de mola ſuperiore & inferiore hic ſcribuntur, non ſecus exponuntur ab Hebræis. Si quidem Rabi Salomon, a noſtra, vt quidem exiſtimo, editione edoctus, de prima mola quæ vocatur רחים ſcribit, היא התחתונה hoc eſt: Hæc illa eſt, quæ dicitur inferior, alteram verò, ſcilicet רכב dicit eſſe, היא העליונה hoc eſt, Superiorē: quæ etiam ſignificantiſſimè vocantur a Septuaginta οὐκ ἐνεχυρίσεις μύλον, οὐδὲ ἐπιμύλιον, hoc eſt, Non fœneraberis molam, aut ſuper molam, ſi nobis ſic loqui liceat.

Quia animam ſuam appoſuit tibi.], כי נפש הוא חבל Quia animam pignori dat, aut accipit. Quod Chaldaica editio hoc modo accipit, vt non tam de anima fęnerantis dictum intelligamus, ſed omnium anima, qui inde molunt farinas, ac viuunt, ארי בהון מתעבד מזון לכל נפש hoc eſt, Quia cum ipſis datur cibus omni animæ. Clarior igitur hoc modo eſt ſententia. Septuaginta nihil diſſentiunt ὅτι ψυχὴν οὗτος ἐνεχυράζει, hoc eſt, Quia animam iſte pignori dat.

Si deprehenſus fuerit homo.] Hæc quidem ſententia non aliter intelligitur, quàm vt noſter vertit interpres. At apud Septuaginta aut alia eſt, aut certè obſcura, & quæ poſſit a quàm paucis ſint elligi, vt intelligenda eſt ἐὰν δὲ ἁλῷ ἄνθρωπος κλέπτων ψυχὴν αὐτοῦ, ἐκ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. Si quis deprehenſus fuerit furari animam ſuam, ex fratribus ſuis. Quis quæſo intelligeret his verbis innui, quod noſter tranſtulit interpres? Quoniamque ſententia clara eſt, alias expoſitiones non producemus.

Et habeas iuſtitiam coram Domino.] Fortaſſe non alienum eſt, quod Septuaginta iuſtitiam verterint ἐλεημοσύνην, hoc eſt, Miſericordiam, commiſerationem: nam & recentiores Hebræi צדקה vocant eleemoſynam, ac commiſerationem, vt videre eſt apud eos, qui de moribus ſcribunt, ethicamque Ariſtot. interpretantur.

Et ex eo ſuſtentat animam ſuam.] Sicut etiam habent Hebraica, ואליו הוא נשא את נפשו hoc eſt, Et cum ipſo tollit, aut ſuſtinet animam ſuam. Quam ſententiam neſcio an ita rectè reddiderint Septuaginta, καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ ἔχει ἐλπίδα, hoc eſt, Et in ipſo ſpem habet: poſſumus eos putare, magis ſententiam, quàm verba ſecutos.

Si fruges collegeris oliuarum.], כי תחבט זיתך לא תפאר hoc eſt, Cùm oliuam excuſſeris, ramos iterū non excuties. Neque mirū eſt, quod Hieronymus hoc ipſum verbum חבט non ſemper excutere tranſtulerit. Delectatus eſt enim neceſſaria & nobis vtili varietate. Quis enim admiſerit, ſi dicatur oliua excuti? Neque enim cū earum fructus colligimus, eas excutimus, ſed conſcendunt mercenarij cum caniſtris, eaſque ſic decerpunt, ne frangantur. Atque ita videmus rationabiliter feciſſe Hieronymum vt verbum mutarit. Neque ex his friuolis rebus colligitur, editionem non eſſe

Hieronymi, eo quòd & alibi ſit aliter interpretatus. Secutus eſt autem hoc loco etiam Septuaginta qui tranſtulerunt ἐὰν δὲ ἐλαιαλογήσῃς, hoc eſt, Si autem oliuas collegeris. Ecce neque ipſi, excutiendi verbum hoc loco non quadrare ignorauerunt. Hæc dicuntur propter illuſtrem virum Ioannem Phorcenſem.

CAPVT XXV.

Dignum plagis.] Is locus abūde teſtatur, quàm neceſſe ſit ſermonis Hebraici ſcire proprietatem, & quantum momenti in ea repoſitum ſit. Quem etiam dignum plagis Septuaginta, & Hieron. tranſtulerunt Hebraicè vocatur, בן הכות hoc eſt, Filius plagarum, aut filius percutiendi. Neque aliud eſt intelligendum, quàm quod ſenſerunt interpretes. Eodem videlicet loquendi genere, quo quempiam filium mortis appellant. Filium veritatis, filium mendacij, filium orientis. Quibus in locis, filius in virum mutandus eſt, vt dicamus virum mortis, virum veritatis, aut mendacij, qua de re alibi dictum eſt. Non eſſet igitur idoneum argumentum, neque Græcam editionem eſſe ipſorum Septuaginta, neque noſtram eſſe Hieronymi, ſi alibi eam locutionem non immutarint, quod faciunt plerique hac tempeſtate: variè ſiquidem loquuntur, varieque transferunt ea, quæ poſſunt multis rationibus transferri.

Nomine illius appellabit.] Non tam hoc innuitur, quàm vt qui primus ex ea naſcitur, nomine illius cenſeatur, vt dicatur eſſe filius illius, atque illius, non ipſius fratris qui eum genuit. Atque hoc videntur ſignificare verba Hebraica, quem primū inquit genueris, אחיו המת יקום על שם hoc eſt, Surget, aut ſtabit nomine fratris ſui defuncti. Sic etiam tranſtulerunt Septuaginta, κατασταθήσεται ἐκ τοῦ ὀνόματος τοῦ τετελευτηκότος, hoc eſt, Stabit aut conſtituetur ex nomine fratris ſui defuncti. Quare non videtur præcipi, vt qui primus naſceretur, nomine defuncti vocaretur.

Perget mulier ad portam ciuitatis.] Etiam hoc loco porta pro vrbe ſumitur, licet & Septuaginta portam poſuerint, καὶ ἀναβήσεται γυνὴ ἐπὶ τὴν πύλην, hoc eſt, Aſcendet mulier ad portam.

Et extremum agminis tui.] Eleganter & ſecundum ſcriptorum Græcorum morem hos vocant Septuaginta τὴν οὐραγίαν, ab οὖρος, hoc eſt, Cauda, & ἄγω duco οὐραγία igitur eſt extremitas ac cauda exercitus. Hebraicè verò ſic, occurrit tibi in via Amalech, ויזנב בך כל הנח שלים hoc eſt, Et decaudauit in te omnes defeſſos, ac laxos: hoc eſt, interfecit.

Delebis nomen eius.], תמחה את זכר עמלק hoc eſt, Extingues, delebis memoriam Hamalech, licet & Septuaginta memoriam in nomen commutarint ἐξαλείψεις τὸ ὄνομα ἀμαλὴκ, hoc eſt, Delebis nomen Hamalech. Verum hæc leuiſſima ſunt, neque vehementer ſententiam immutant. Vitiumque magis mihi videtur ea annotare.

CAPVT XXVI.

In cartallo.] Sumpta vox eſt a Græcis, nam & Septuaginta hoc loco, καὶ ἐμβαλεῖς εἰς κάρταλλον, hoc eſt, Et pones in cartallo: pro eo quod eſt Hebraice, בטנא id eſt, In caniſtro & corbe.

Profiteor.] Rectè quidem pro eo quod eſt Hebraicè, הגדתי hoc eſt, annunciaui. Quemadmodum & Septuaginta ἀναγγέλλω σήμερον κυρίῳ τῷ θεῷ σου, hoc eſt, Nuncio hodie Domino Deo tuo.

Syrus perſequebatur.], ארמי אבד אבי hoc eſt, Syrus perdebat patrem meum, propriè quod vertit Hieron. Septuaginta verò longè aliter ediderunt συρίαν ἀπέβαλεν ὁ πατήρ μου, hoc eſt, Syriam amiſit pater meus. Sed profecto ſententia eſt, vt noſtra habet editio.

Ac infinitæ multitudinis] Hyperbole quæ non eſt in Hebraico, pro eo quod poſitum ibi eſt, ורב id eſt, Et plurimæ. Sicut & Septuaginta πλῆθος πολὺ καὶ μέγα, hoc eſt, Multitudinem multam ac magnam.

In ingenti pauore.], במורא גדל hoc eſt, In horribilitate magna: vt ſic loquar, quod a Septuaginta non ponitur.

Epulaberis in omnibus bonis.] Etiam hoc loco eſt verbum exultandi. Quemadmodum & apud Septuaginta καὶ εὐφρανθήσῃ ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς, hoc eſt, Et exultabis in omnibus bonis.

Attuli quod ſanctificatum eſt.], בערתי הקדש hoc eſt, Extuli, protuli: quod diſſimilius verterunt Septuaginta ἐξεκάθαρα τὰ ἅγια ἐκ τῆς οἰκίας μου, hoc eſt, Expiaui ſancta de domo mea. Error ex eo accidit, quia tametſi alibi verbum בער expiare ſignificet, hic tamen aliud denotat. Voces autem ancipites debent locis & ſignificationibus accommodari. Quis enim intelligeret hoc loco, expurgaui ſancta mea, de domo mea? Expiatio enim rerum pollutarum eſt, vertit autem Hieronymus hoc ipſum verbum paulo inferius, ſeparaui.

Nec ſeparaui ea in qualibet immunditia.] Hoc quia clarum eſt Hebraicè, & obſcurum in noſtra editione ipſa Hebraica ponamus. ולא בערתי ממנו בטמא hoc eſt, Et non tulit ex eo, cum pollutione. Nihil, inquit, attuli ex eo, quod pollutum eſſet. Aut quod attuli, quod Domino oblatus ſim, non immundè & pollutè attuli: quanquam obſcura & apud Septuaginta hæc ſentētia ſit οὐκ ἐκάρπωσα, ἀπ' αὐτῶν εἰς ἀκάθαρτον, hoc eſt, Non decerpſi ex eis ad immunditiam. Res igitur clara eſt.

Accidit autem ex eo obſcuritas, quia non ſibi in eadem voce transferenda conſtant. Nam quod verterāt paulo ante ἐξ ἐκάθαρα, hic ἐκάρπωσα inter quæ plurimum ineſt diſcriminis: declaratur autem quæ ſit ea immunditia, primum dum dicitur, Non comedi ex ea in luctu meo. Deinde, nec expendi quicquam in re funebri: quæ omnia, oblationes maximè polluebant, vt retro in Leuitico viſum eſt.

Neque expendi ex his quicquam in re funebri.] Rectè quidem, quod erat paulo obſcurius Hebraicè, ולא נתתי ממנו למת hoc eſt, Neque dedi ex eo, mortuo, pro re, ſcilicet funebri. Vt exponit etiam Rabi Salomon, quaſi a noſtra editione accipiens, לעשות ארון hoc eſt, Ad faciendam ei arcam, & alia, quæ ad funus ſpectant. Quare Septuaginta, quamuis veritatem Hebraicam interpretentur, obſcurè tamen id fecerunt, οὐκ ἔδωκα ἀπ᾽ αὐτῶν τῷ τεθνηκότι, hoc eſt, Non dedi ex eis, mortuo.

Reſpice de ſanctuario tuo.], ממעון קדשך hoc eſt, Ex habitaculo ſanctitatis tuæ. Sicut & Septuaginta ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ ἁγίου σοῦ, hoc eſt, E domo ſancta tua. Nam ſanctitas, pro eo quod ſanctus vel ſancta ponitur. Sicut Hebraica lingua vocatur, לשון הקדש hoc eſt, Lingua ſanctitatis: quod nos diceremus, lingua ſancta. Vtuntur enim denominationibus pro denominatis, vt ſæpius diximus. Quare delyrant, qui hoc non intelligunt, & dicunt, aut tabernaculum ſanctitatis, aut linguam ſanctitatis, & huiuſmodi.

Et de excelſo cœlorum habitaculo.] Hoc immutatum eſt, non quòd ſententia alia facta ſit, ſed verba transpoſita. Tantummodo enim eſt, מן השמים hoc eſt, E cœlo. Sic & Septuaginta ἐκ τοῦ οὐρανοῦ è cęlo.

Dominum elegiſti.], האמרת hoc eſt, Elegiſti, ſiue vehementer amplexus es, præoptaſti, hunc eſſe Dominum Deum tuum. Verum & Septuaginta poſuerunt εἵλου σήμερον εἶναι σοῦ θεόν, hoc eſt, Elegiſti hodie vt eſſet Deus tuus.

Quas creauit.], אשר עשה hoc eſt, Qui fecit te, ſcilicet in laudem, gloriam, &c. Quare non ea ſententia eſt, quam noſtra oſtendit editio. Non enim eas gentes creauit in eorum laudem, ſed propter eorum ſcelera deletæ ſunt, vt retro in hoc libro dicitur. Septuaginta quoque in hanc ſententiam tranſtulerunt ὅς ἐποίησε σε ὀνομαστὸν, καὶ καύχημα, καὶ δοξαστὸν hoc eſt, Qui creauit te celebrem, glorioſum, nobilem. Ad gentes ergo non refertur creatio, ſed ipſum Dei populum.

CAPVT XXVII.

De ſaxis informibus & impolitis.], אבנים שלמות hoc eſt, E lapidibus perfectis, integris, ſcilicet ac vndique inſectis, non ferro exſectis, non detruncatis: ſed ita in ędificium iniectis, vt è ſuo loco ſumpti fuerant. Idem quidem innuit, & Hieronymus, ſed aliis verbis. Septuaginta cum Hebraico ſentiunt λίθους ὁλοκλήρους οἰκοδομήσεις τὸ θυσιαστήριον, hoc eſt, Lapides integros ędificabis altare.

Comedeſque ibi.] Addiderunt Septuaginta, καὶ ἐμπλησθήσῃ ἐκεῖ, hoc eſt, Et impleberis illic.

Attende & audi.], הסכת ושמע hoc eſt, Attende & audi. Quod malè Septuaginta σιώπα καὶ ἄκουε, hoc eſt, tace, & audi. Ex errore autem factum eſt, vt alterum pro altero acceperint. Sunt enim inter ſe ſimilia, הסה id eſt, ſiluit, & סכת id eſt, attendit, auſcultauit. Aut igitur hæc eos ſimilitudo fefellit, aut aliud legerunt illi, quàm nunc in Hebræorum codicibus habeatur, ſcilicet verbum tacendi. Sed primum eſt vero vicinius.

Reſpondit omnis populus amen.] Sicut Hebraicè, אמן quod eleganter Septuaginta γένοιτο fiat, eſto, ita ſit. Sicut alibi annotauimus.

Qui non honorat patrem.]. מקלה Qui vilipendit, qui deſpicit, ac contemnit: licet & Septuaginta eodem modo ὁ ἀτιμάζων, id eſt, qui deſpicit, contemnit.

Iudicium pupilli.] Septuaginta ὀρφανοῦ, id eſt, orphani: qua voce, tam Latine, quàm vulgari ſermone vtimur Italicè.

Qui dormit cum omni iumento.] Miror Hieronymum, quod vocis ſignificationem non diſtinxerit, cùm שכב Hebraice & dormire & coire ſignificet. Verum etiam id peccatur a Septuaginta ἐπικατάρατος ὁ κοιμώμενος μετὰ παντὸς κτήνους, hoc eſt, Maledictus qui dormit cum omni iumento. Dictum de eo alibi eſt.

Qui clam percuſſerit proximum ſuum.] Sicut & Hebraice, בסתר hoc eſt, in abſcondito. At Septuaginta aliud ἐπικατάρατος ὁ τύπτων τὸν πλησίον δόλῳ, id eſt, Maledictus, qui verberat proximum dolo: ſed illud verius. Qualiſcunque enim percuſſio, maledicta eſt, ſiue cum dolo, aut ſine dolo. In abſcondito autem, quia ex eo cognoſcitur eſſe facinus. Poteſt tamen & Septuaginta ſententia ſtare. Nam & dolum, vox Hebraica quandoque ſignificat.

Maledictus qui dormit cum vxore proximi.] Omittitur hæc maledictio hoc loco in contextu Hebraico, licet de eo ſæpe antea præceptum ſit. Omittitur etiam a Septuaginta. Additum vero ab Hieronymo arbitror, quòd inter alia præcepta etiam hoc includatur. Si enim maledicti ſunt, qui alia leuiora perpetrarunt, multo magis, qui vxorem proximi ſui corruperunt.

CAPVT XXVIII.

ALIO modo inchoatur hoc caput a Septuaginta. Addita enim eſt particula ex ſuperiori capite, ſcilicet καὶ ἔσαι, ὡς ἂν διαβῆτε τὸν ἰορδάνην εἰς τὴν γῆν, ἣν κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν δίδωσιν ὑμῖν, hoc eſt, Et erit, vt tranſieritis Iordanem in terram, quam Dominus Deus veſter dat vobis. Diximus frequenter in editione Septuaginta, locos eſſe tranſpoſitos. Quod exiſtimo minimè ab eis eſſe factum.

Et benedictæ reliquiæ tuæ.], ומשארתך hoc eſt, Victus tuus, annona tua, alimentum tuum. Verum Septuaginta quoque verterunt reliquias, καὶ τὰ ἐγκαταλείμματα σου, hoc eſt, Et reliquiæ tuæ, aut repoſitiones tuæ. Atque ita accederent propius. Nomen ductum a verbo relinquendi.

Corruentes in conſpectu tuo.], נגפים לפניך hoc eſt, Percuſſos, vulneratos. Septuaginta & ipſi aliquid ſimile συντετριμμένους, id eſt, confractos, contritos, deletos, oblitteratos.

Famem & eſuriem.], המארה את המהומה Quorum primum Rabi Salomon noſtræ editioni conſone interpretatur, חסרון hoc eſt, inopiam, defectũ. Ita quidem verterunt & Septuaginta τὴν ἔνδειαν, id eſt, inediam, egeſtatem. Poteſt fortè & animi defectum, inſaniam, conſiliique inopiam referre, vt ſequens declarat vocabulum. Secundum vero non eſuriem interpretantur, ſed ſtuporem, perturbationem, conſilij inopiam: Hieronymus in eo Septuaginta ſequitur τὴν ἐκλιμίαν, id eſt, Famem, eſuriem.

Et increpationem.], המגערת id eſt, Sonitum, ſtrepitũ. Quod Chaldaica editio vertit, שגושיא id eſt, pauorem, ſtrepitum, perturbationẽ. Increpatio igitur hoc loco, non reprehenſionẽ ſignificat, ſed pauoris iniectionem, ſonitum, tumultũ. Septuag. diſſimiliter τὴν ἀνάλωσιν, hoc eſt, abſumptionẽ.

Peſtilentiam.], הדבר id eſt, peſtilentiam. Quod hic & alibi Septuaginta θάνατον, id eſt, mortem, interpretantur: fortaſſe non rectè.

Percutiat te Dominus egeſtate.], שחפת Quod Hebræi dicunt tumorem corporis ſignificare, horribilem, ſcilicet inflationem, vt exponit Rabi Salomon. Verum Hieronymus Septuaginta ſecutus eſt πατάξαι σε κύριος ἀπορίᾳ, id eſt, percutiat te Dominus egeſtate, inopia.

Febre.], קדחת Quod & febrim, & ſacrum ignem, & carbunculum ſignificare aſſerunt, quæ omnia imprecatur Hebræis. Septuaginta & ipſi πυρετῷ, id eſt, febre.

Et frigore.], דלקת Etiam hac voce ardor ſignificatur. Frigus autem poſtea ponitur.

Aere corrupto.], שדפון hoc eſt, Ariditate qua tellus inareſcit. Septuaginta vero aere corrupto primi reddiderunt ἀνεμοφθορίᾳ, hoc eſt, ventorum corruptione.

Ac rubigine.], ירקון hoc eſt, aurugine, vredine. Vitio ſcilicet ac morbo ſegetum. Septuaginta vertunt ὠχρίᾳ, id eſt, pallore. Quod neſcio ad quæ referendum ſit: quanquam hæc vox a ירק ducatur, id eſt, pallore.

Amentia.], שגעון hoc eſt, furore, inſania. Septuaginta verterunt παραπληξίᾳ, hoc eſt, ſtupore, ſiue alienatione. Cætera quadrant.

Et erit perditus.], לשמה hoc eſt, In perditionem, in deſolationem. Deinde dicitur in Prouerbium ac fabulam. Miror ergo Septuaginta tranſtuliſſe, καὶ ἔσῃ ἐκεῖ αἰνίγματι hoc eſt, Et eris ibi enigma. Nulla enim huius rei in contextu commemoratio. Arbitrati vero id ſunt, propter ea quæ ſubſequuntur.

Imponet iugum ferreum.], עול hoc eſt, iugum. Septuaginta κλοιὸν, hoc eſt, torquem ferreum, aut catenam, ſiue compedem, ſententiam non verba ſequentes.

Gentem procaciſſimam.], עז פנים id eſt, crudelem, immitem. Septuaginta & ipſi ἀναιδὲς, id eſt, imprudentem, procacem.

Inuidebit fratri ſuo, & vxori.] Deeſt hoc, וביתר בניו אשר יותיר hoc eſt, Inuidebit, & reliquis filiis ſuis, quos reliquit. Sic & Septuaginta, καὶ καταλελειμμένα τέκνα ἃ ἂν καταλειφθῇ, hoc eſt, Et reliquos filios, quos reliquit.

Et illuuiarum ſecundarum.], שליתה Quod Rabi Salomon interpretatur, בנים קטנים hoc eſt, filios minores. Sicut & Septuaginta, καὶ τὸ χόριον αὐτῆς τὸ ἐξελθὸν διὰ τῶν μηρῶν αὐτῆς, hoc eſt, Et infantulum ſuum, qui egreſſus eſt de fœmore eius. Quare longè a veritate noſtra declinat editio. Deuorabunt, inquit, vrgente fame, matres, filiolos, quos vlnis amplectuntur, quos & in delitiis habuiſſent, ſed neceſſitas impellet ad crudelitatem.

Augebit Dominus plagas.], והפלא hoc eſt, mirificabit, mirabiles faciet, ſtupendas, horribiles. Quemadmodum & Septuaginta, παραδοξάσει κύριος τὰς πληγάς, hoc eſt, Prodigioſas faciet plagas tuas.

Perſeuerantes.], נאמנות hoc eſt, Certas veras, aut ſtabiles, fideles. Sic & Septuaginta πιστάς, id eſt, fideles, aut ſtabiles.

CAPVT XXIX.

EXceptis lignorum cæſoribus.] Imò hi primi in numero ponũtur, hoc modo, מחטב עציך עד שאב מימיך hoc eſt, Ab eo qui ligna cædit, vſque ad eum qui haurit aquam. Sicut & Septuaginta, ἀπὸ ξυλοκόπου ὑμῶν ἕως ὑδροφόρου, A lignario, vſque ad aquantem

A *Et in iureiurando.*] Quod non tam propriè a Septuaginta, ἐν ταῖς ἀραῖς αὐτοῦ, hoc eſt, In imprecationibus eius. Licet alibi imprecationem ſignificet. Burgenſis tamen dicit ſignificari hic, illas imprecationes, ac maledicta, quæ ſuperius poſita ſunt. Quod non improbo.

Ne fortè ſit inter vos radix germinans fel.] Mutata eſt metaphora ab Hieron. quæ Hebraicè ſic habet, פן ים בכם שרש פרה ראש גל ענה hoc eſt, Ne fortè ſit in vobis radix, germinans toxicum, ac tribulationem & miſeriam. Septuaginta verò non mutarunt, μήτις ἐστὶν ὑμῖν ῥίζα ἄνω φύουσα ἐν χολῇ, καὶ πικρίᾳ, hoc eſt, Ne qua vobis ſit radix, ſurſum pullulans in amaritudine, & acerbitate.

Pax erit mihi.] Quemadmodum habet & Hebraicum, quod neſcio quamobrem reddiderint Septuaginta, ὅσια μοι γένοιτο, hoc eſt, Sancta mihi ſint: cur Shalom, id eſt, pacem, ſanctitatem eſſe velint, non video. Nonne enim & tota ſententia immutatur?

Et aſſumat ebria ſitientem.], למען ספות הרוה את הצמאה hoc eſt, Vt addatur ebria ſitienti, aut ebrietas ſiti: quaſi diceret, vt auidiſſimè peſſimos quoſque errores imbibant, vt eorum malefaciendi ſitis, fiat quædam ebrietas. Inebrientur malefactis, quod tantopere prius cupiebant. Hæc cùm ſit ſententia, neſcio quid in mentem venerit Septuaginta, quod hunc locum ſic reddiderunt, ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτῶλος, τὸν ἀναμάρτητον, hoc eſt, Ne in interitum peccator abducat eum, qui ſine peccato eſt. Videmus quantum interſit.

Et Dominus non ignoſcat ei.] Etiã hoc obſcure a Septuaginta verſum, οὐ μὴ θελήσει, ὁ θεὸς, εὐηλατεύειν αὐτῷ, Credo vltimum verbum eſſe deprauatum, pro eo quod eſt, ἐλεεῖν. Dicendumque, ne Dominus nolit parcere illi, εὐηλατεύειν autem dicemus bene vertere.

Et Solis ardore.] Reſtituenda vox in ſuum locum, pro eo quod Hebraicè eſt ומלח שרפה hoc eſt: Et

B ſalis ardore, aut ſale ardente: cuiuſmodi eſt ſulfur. Pro ſole igitur, ſal reſtitui debet. Sic & Septuaginta, πληγὰς ἃς ἀπέστειλε κύριος ἐπ' αὐτὴν θεῖον, καὶ ἅλα κεκαυμένον, hoc eſt, Plagas quas iniecerit Dominus ſuper ipſam, Sulfur, & ſalem ignitum. Licet in eo varient, quòd actiuũ in paſſiuum verterint, ſalem exuſtum dicentes, non vrentem: qua varietate corrumperetur ſententia.

Et quibus non fuerant attributi.], ולא חלק להם hoc eſt, Et non erat pars eis: hoc eſt, Cum quibus nihil eis commercij. Qui dij nihil ad ipſos Hebræos attinebant, vtpote, qui ab vſq; prima origine, præter verum Deũ, alios ignorarint. Hanc ſententiam, & obſcurè, & impropriè reddiderunt Septuaginta, οὐδὲ διένειμεν αὐτοῖς, hoc eſt, Neque diſtribuit ipſis: quod vix ſudantes intelligeremus.

Abſcondita a Domino Deo noſtro.], הנסתרת יהוה אלהינו והנגלת לנו hoc eſt, Quæ abſcõdita ſunt apud Deũ noſtrum. At manifeſta nobis, ac filiis noſtris. Horum verborum hæc videtur ſententia. Videtur enim eis minari. Quæ enim inquit, reſpectu Dei nunc minime videntur, minime noſcuntur, fient manifeſta filiis noſtris: propter ſcilicet eorum ſcelera patefient tunc, quæ nunc quaſi abſcondita videntur. Vt nunc quidem quaſi clauſa, & tenebris ſepulta, apud Deum ſint: Tunc vero in lucem extrahentur, venient in propatulum. Hæc omnia mala, omnes hæ miſerabiles calamitates, quas recenſui ſunt in fatis abſconditæ, ac tenebris inuolutæ: Tunc erunt manifeſtiſſimæ.

CAPVT XXX.

IN ore tuo & in corde tuo.] Addunt Septuaginta, καὶ ἐν ταῖς χερσὶ σοῦ ποιεῖν αὐτὸ, hoc eſt, Et in manibus tuis, vt facias illud.

C *Conſidera.*], ראה i. vide, intuere: quod rectè ab Hiero. in illud verſum eſt. Omiſſum a Septuag. ἰδοῦ δέδωκα πρὸ προσώπου σήμερον τὴν ζωὴν, hoc eſt, Ecce dedi ante faciem tuam, hodie vitam.

RELIQVA in hoc capite nullius mihi momenti viſa ſunt: Mittimus enim, quæ ſunt friuola, & quæ contentioſi magis, quàm veritatis ſtudioſi conſectarentur. Diligenter autem, & Hebraicam veritatem cõtulimus, & editionem Septuaginta, & quæ quidem digna viderentur, annotata ſunt. Leuiora autem dimiſimus. Imò vt verius dicam, cætera vehementer conſentire inuenimus. Quare tam calumnias Iudæorum, quàm argutias quorundam Chriſtianorum paruipendamus, qui cùm duas tenuerint voces Hebraicas, in oſtentationem ſuæ imperitiæ, dicunt noſtram editionem eſſe deprauatam. Quæ ſi optima non eſt, quantum eſſe poſſit, nulla erit vnquam. Eſt autem & is eorum mos, qui Græcè paucis ante diebus didicerunt. Hi enim omnes etiam doctiſſimorum hominum carpunt editiones, ſi quid ab illis, in Latinum verſum ſit. Gens nimirum ingrata, & parum pia, qui & alienæ inuident laudi, & cum ſuo detrimento, vtilitatis ſuæ ſunt ſtudioſi, & alios ſuis impiis maledictis, ad beneficia præſtanda reddunt tardiores. Quamobrem quæ ex falſo, aut maligno iudicio potius, quàm veritate proficiſcuntur, audacter contemnamus.

CAPVT XXXI.

Viriliter agite, & confor.], חזקו ואמצו hoc eſt, confortamini, viriliter agite. Quod a Septuaginta per ſingulare, ἀνδρίζου καὶ ἴσχυε. Atque ita quæ ſequuntur, μὴ φοβοῦ μηδὲ δειλία. Quæ imperatiuæ voces ad plures in contextu Hebraico referũtur. Puto autem locum eſſe a ſcriptoribus deprauatum, vt quod paulo ante ad Ioſue pertineret, nunc ad populum tranſtulerint. Nam & ad Ioſue dicit, ἀνδρίζου καὶ ἴσχυε.

Detrahentque mihi.], ונאצוני hoc eſt, Et deſpicient me, & aduerſabuntur me. Quod & Septuaginta non propriè, καὶ παροξυνοῦσί με, id eſt, Et prouocabunt me, & iraſci me facient. D

Et reſpondebit ei canticum.] Sicut habet & Hebraicum, verum Septuaginta eandem quidem ſententiam, ſed aliis eam verbis exprimunt, τὴν ἄντι καταςήσεται ἡ ᾠδὴ αὕτη, hoc eſt, Et obſiſtet, & reſiſtet, ſiue propoſitum ei erit canticum iſtud, in teſtimonium videlicet.

Scio enim cogitationes eius.] · יצרו Hebræi quidem, præſertim qui philoſophantur, dicunt eo nomine intentionem, conceptum, cogitationem ſignificari. Eſtque ea vox apud eos creberrima. Quare nõ ſentiunt cũ eis Septuaginta, qui hoc ipſum verterunt, ἐγὼ γὰρ οἶδα τὴν πονηρίαν αὐτῶν, hoc eſt, Ego enim noui malignitatem, ſiue improbitatem ipſorum.

Quæcunque facturus ſit.], אשר הוא עשה היום hoc eſt, Quæcunque facit hodie. Non ergo de futuro dicitur, ſed de eo, quod iam cerneretur: quanquam Septuaginta & ipſi per futurum verterunt, ὅσα ποιήσουσιν ὧδε, hoc eſt, Quæcunque facient hic.

Contentioſe egiſtis contra Dominum.] Sicut habet & Hebraicum, ſemper rebelles, pertinaces, contentioſi fuiſtis contra Dominum. Hoc itaque vltimum Septuaginta diuerſius reddiderunt, τὰ πρὸς θεόν, hoc eſt, In his quæ ad Deum pertinent, fortaſſe clarius explicantes. Verum veritas habet, vt nos protulimus.

Quanto magis poſt mortem meam.] Septuaginta aduerbium poſt, ſcilicet אחרי ſemper ferè reddiderunt, ἔσχατον, id eſt, extremum. Quod ſaltem hoc loco non quadrat, ſic ἔσχατον τοῦ θανάτου μοῦ, id eſt, extremum mortis meæ: parum clara oratio.

CAPVT XXXII. E

AVdite cæli.] Hebraicè eſt verbum ab auribus ductum, חאזין hoc eſt, Auriculauit, vt rem nouam nouo vocabulo demonſtremus ab · אזן Quam formam etiam apud Græcos, Septuaginta expreſſerunt, formantes & ipſi ab οὖς ὠτὸς verbum ὠτίζω. Quod cùm crebro apud illos fiat, miror non eſſe factum etiam hoc loco, qui pro eo quod audite cęli, noſter interpres vertit, πρόσεχε οὐρανὲ reddiderunt, hoc eſt, Attende cœlum. Itaque & in eo differunt, quòd cęlum per ſingulare extulerunt. Quod poteſt etiam eſſe rationabiliter factum. Incertum enim propè eſt, num ex vlla cauſa acciderit, vt cœli numero plurium proferantur apud Hebræos, per ſingulare vero nunquam. Sunt qui myſticè factum afferant. Alij ex ea conſuetudine, qua & apud nos dicuntur tenebræ, non tenebra, diuitiæ, non diuitia. De qua re quia alibi & ſcripſimus, & ſcripturi ſumus, non plura nunc pertractabimus.

Quæ loquor.], ואדברה hoc eſt, Et loquar: vt totus verſiculus ſic habeat. Audite cęli & loquar. Sicut & Septuaginta, πρόσεχε οὐρανὲ καὶ λαλήσω, hoc eſt, Attende cęlum & loquar.

Concreſcat vt pluuia.], יערף כמטר לקחי hoc eſt, Defluat, deſtillet ſicut pluuia doctrina mea. Diuerſius autem Septuaginta, προσδοκάσθω ὡς ὑετὸς ἀπόφθεγμα μου, hoc eſt, Expectetur ſicut pluuia eloquium meum. Sententia clara eſt, & patet quo modo ſit intelligenda, & verbi proprietas ex aliis quoque locis eſt manifeſta.

Fluat vt ros.], תזל ideſt, Fluat, vt reliqui diuinæ ſcripturæ loci oſtendũt: quod Septuaginta per aliud non multo diuerſius, καταβήτω ὡς δρόσος, id eſt, Deſcendat vt ros.

Quaſi imber ſuper herbam.[· כשעירים עלי דשא Quod longe diuerſius ab Hebræis exponitur, hoc modo, Quaſi venti, aut afflatus, ſiue vapores, ſuper herbam. Siquidem hac voce Rabi Salomon, dicit ventos tempeſtatis ſignificari. Quemadmodũ habet & Chaldaica editio, רוחי מטרא hoc eſt, Spiritus, aut vẽti pluuiæ. Quemadmodum, inquit, hi ſpiritus, creſcere & adolere faciunt herbas, ita quæ de ſacra lege narrantur, clarius oſtendunt eius doctrinam, & augeri faciunt. Hieronymus cum Septuaginta ὡσεὶ ὄμβρος, ἐπ᾽ ἄγρωστον, hoc eſt, Sicut imber ſuper gramen.

Quaſi ſtillæ.], כרביבים Qua voce etiam ſtillæ Hebraicè ſignificãtur. At Septuaginta paulo diuerſius, ὡσεὶ νιφετὸς, hoc eſt, Quaſi leuiſſima pluuia. Aut grando, quæ rori ſimilis ſit, quaſi leuis nix.

Quia nomen Domini inuocabo.] Sicut Hebraicè per futurum, ſcilicet. At Septuaginta, ἐκάλεσα, hoc eſt, Inuocaui. Non eſt autem diſſentiendum ab ipſo fonte, præſertim cum ſine ratione fit.

Dei perfecta ſunt opera.], הצור תמים פעלו hoc eſt, Eius qui fortis eſt, perfectum eſt opus, opus integrum, abſolutumque eſt. Septuaginta verò aliquanto ſecus, θεὸς ἀληθινὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, hoc eſt, Deus vera ſunt opera eius. Ecce omnes loco eius nominis diuini, quo petra, aut fortitudo ſignificatur, ipſum Deum poſuerunt.

Peccauerunt ei non filij.] Cum negatio ſpectet ad filios, quia hi filij eſſe Dei negantur, Septuaginta inuerterunt ſententiam, quia negationem ad Deum retulerunt, ἡμάρτοσαν οὐκ αὐτῷ τέκνα μωμητὰ, hoc eſt, Peccauerunt non ei, filij contaminati, aut reprehenſibiles. Niſi rectius eam ſententiam interpretemur.

Et creauit te.] · ויכננך hoc eſt, Stabiliuit te, firmauit te: quod & ad creationem, & alia beneficia diuina ac maxima pertinere poteſt. Septuaginta & ipſi, ἔπλασέ σε, id eſt, & finxit te, formauit.

Dierum antiquorum.], ימות עולם hoc eſt, Dies ſæculi, aut dies ęternitatis, dies ex quo mundus eſſe cœpit, & antea. Cogita, inquit, totam ęternitatem, ſiue ante homines, ſiue poſt eos. Septuaginta

A ginta cum Hebraico, μνήϑετε ἡμέρας αἰώνος. Recordamini dies ſæculi.

Iuxta numerum filiorum Iſrael.] Non dubium eſt, quin locus is apud Septuaginta ſit deprauatus ex alio ei ſimili, κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ, hoc eſt, Secundum numerum angelorum Dei. Eſt, vt dixi hoc ex alio loco deſumptum: vbi id dicitur: quod huc tranſpoſitum eſt, non ab ipſis factum.

Inuenit eum.] Sicut habet Hebraicum. Locum vero eſſe deprauatum apud Septuaginta exiſtimo. Vt pro eo quod dicendum fuiſſet, εὗρεν, aut εὕρηκε, hoc eſt, Inuenit, mutatum ſit in αὐτάρκησεν, Quod non habet locum hic. Imò ſententia penitus corrumperetur, Hebraicè, ימצאהו hoc eſt, Inuenit eum.

In loco horroris.], בתהו hoc eſt, Thou. Quod vaſtitatem, ruinam, deformitatem, horrorem, & Chaos ſignificat, vt alibi nobis dictum eſt. Miror autem Septuaginta, qui, cùm bene hanc vocem in principio Geneſis verterint transferentes Thou in ἀόρατον, hoc eſt, Inuiſibile, hoc loco, tam ſibi diſſimiles ſint, vt ipſum interpretentur δίψος, hoc eſt, ſitim. Hoc modo ἐν δίψει καύματος ἐν ἀνύδρω, hoc eſt, In ſiti incendij, in loco inaquoſo. Credo vero potius eam ſententiam, quàm verborum proprietatem eſſe ſecutos, Solitudinem illam aſperam, atque acerbam deſcribentes.

Et vaſtæ ſolitudinis.], ילל ישימן hoc eſt, Doloris, gemitus, ac vaſtitatis, ac ruinæ. Inuenit eum, inquit, in Thou, hoc eſt, in chao, deinde addit Ielel, Ieſchimo, hoc eſt mœroris, vlulatus, ac vaſtitatis, pro eo quod eſt, in chao triſti, lachrymabili, ac vaſto, & deformi. Hæc omnia de illa horribili ſolitudine dicuntur, quæ herbis & arboribus denudata, præter exuſtas cautes, & decocta a Sole, & inter ſe confuſa ſaxa nihil habebat aliud. Quamobrem non iniuria talis dicitur fuiſſe mundus, antequam res eſſent diſtinctæ, & decorem atque ordinem accepiſſent.

Et docuit eum.] Si verbi Hebraici יבוננהו proprietatem exprimere vellemus dicendum eſſet, intellectificauit eum. Septuaginta, ſicut & Hieronymus, καὶ ἐπαίδευσεν αὐτὸν, hoc eſt, & docuit eum.

Sicut aquila prouocat.], כנשר יעיר קנו hoc eſt, Sicut aquila excitat, ſuſcitat, exurgere facit nidum. Et quemadmodum elegantiſſimè tranſtulit Hieronymus, quod non tam propriè Septuaginta ὡς ἀετὸς σκεπάσαι νοσσιὰν ἑαυτοῦ, hoc eſt, Sicut aquila protegit, obumbrat nidum ſuum.

Super excelſam terram.], במותי ארץ hoc eſt, Super altitudinem terræ, ſuper cacumina atque faſtigia. Si enim vſus eſt aquilæ ſimilitudine, quæ ſuos pullos prouocat ad volandum, ac ſuper eos volitat, adducitque ad cacumina montium: ita Deus populum ſuum, per doctrinam, lucem, ac veritatem, quam eis attulit, ſuper cacumina montium collocauit, hoc eſt, Super omnes populos terræ, eoſque cunctis gentibus nobiliores fecit, vt eſſent quaſi cœleſtes. Quamobrem, cùm hæc ſit ſententia, & verborum proprietas quam attulimus, non rectè interpretantur Septuaginta, ἀνβίβασεν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἰσχὺν τῆς γῆς, hoc eſt, Adduxit eos ad virtutem, aut robur terræ. Mirorque eos, qui non per inſcitiam lapſi ſint, nam alibi hanc vocem, ſecundum ſuam proprietatem tranſtulerunt, vt retro viſum eſt.

Et filiorum Baſan.], בני בשן id eſt, Filiorum Baſan. Mirorque Septuaginta, quòd vocem hominis propriam, in aliam commutarint υἱῶν ταυρῶν καὶ τράγων, Cum pinguedine filiorũ Taurorum. Vides eos, tauros reddidiſſe, qnod erat nomen hominis. At qui ne minima quidem vmbra eius ſignificationis extat apud Hebræos. Filij enim Baſan hic commemorantur, de quo ante ſæpius dictum eſt. Quem ſuperarunt Hebræi, eiuſque terra diuino auxilio potiti ſunt. Atque id innuitur hoc loco. Baſan vero etiam pinguem ſignificat.

Meraciſſimum,]. חמר Idem quod vertit Hieronymus, quod omittitur ab Septuaginta neſcio quam ob rem.

Incraſſatus eſt dilectus.]. ישרון Videtur nomen duci a שרה, hoc eſt, Satiauit, atque inde factum eſſe præſens nomen, ideſt, ſatur, pinguis, obeſus, vt tota periodus ſic habeat, Incraſſatus eſt, pinguis, ac ſatur. Verum etiam Septuaginta verterunt ἠγαπημένος, hoc eſt, Dilectus: ac ipſe quidem neſcio, à quo verbo id nomen duci poſſit, ſi dilectum ſignificat. Inferius Hieronymus vertit rectiſſimum.

Et receſſit a Deo.], ויגבל צור ישעתו hoc eſt, Et ſpreuit, contempſit, petram, aut Deum ſalutare ſuum, aut ſalutem ſuam. Vbi ponitur nomen Ieſu, ſcilicet Ieſhua. Ita enim ſcribitur, eaque eſt deductio, relictis cabaliſticis ſuperſtitionibus.

Quos non coluerunt patres eorum.] Ea eſt vocis Hebraicæ ſignificatio. Septuaginta οὓς οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες αὐτῶν, hoc eſt, Quos non cognouerunt patres eorum. Exiguum quidem diſcrimen.

Deum qui te genuit reliquiſti.], תשי hoc eſt, Obliuiſceris. Ducitur enim a נשש, id eſt, oblitus eſt. Verum etiam Septuaginta, ſicut Hieronymus, θεὸν τὸν γεννήσαντά σε ἐγκατέλιπες, hoc eſt, Deum qui te genuit, reliquiſti.

Conſiderabo nouiſſima.], אראה hoc eſt, Conſiderabo, videbo: quod miror Septuaginta vertiſſe καὶ δείξω, id eſt, Et oſtendam. Videntur in eo erraſſe, quòd putarunt eſſe tertiæ inflexionis apud Hebræos, quod eſt primæ, vt peritis patet. Eoque errore ſæpe lapſi ſunt.

In vanitatibus ſuis.] Sicut habet & Hebraicum, בהבליהם hoc eſt, In vanitatibus ſuis. Septuaginta exprimunt has vanitates ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν, id eſt, In idolis ſuis. Verum alia quoque genera vanitatum poſſunt intelligi.

Vſque ad inferni nouiſsima.], עד שאול תחתת hoc eſt, Vſque ad ſubter infernum. Vſque ad interiora inferni, ſicut optimè & Septuaginta ἕως ᾅδου κατωτάτου, id eſt, Vſque ad infimum infernum. Eſt autem maxima iræ diuinæ ſignificatio.

Super eos mala.] Sicut habet & Hebraicum, רעות id eſt, mala. Sic Septuaginta συνάξω εἰς αὐτοὺς κακὰ, Coaceruabo ſuper eos mala.

Sagittas complebo.], אכלה id eſt, Exhauriam, deficient omnes meæ ſagittæ. in eos eiaculatæ.

Deuorabunt eos aues.], ולחמי רשף hoc eſt, Et deuorationibus resheph, id eſt, conſumabuntur deuorationibus resheph. Quod variè interpretatur: Alij carbonem ignitum, exuſtionemque: Alij dæmonem vrentem: Alij peſtilentiam ardentem. Amplectitur autem Rabi Salomon, quod dæmones ſignificentur: ſic enim locum hunc exponit, השדים ילחמובם hoc eſt, dæmones deuorabunt eos: aut pugnabunt contra eos, deinde addit, והם שדים id eſt, atque hi ſunt dæmones. Verum Chaldæus interpres non diſſentit a noſtro interprete, qui hunc locum ita vertit, Sæuient in eos, אכילי עוף hoc eſt, Morſus auium. Sed obſtat, quod idem interpres intulit, quaſi exponens Hebraicum, aitque, וכתישי רוחין בישין hoc eſt, Et confractiones, contuſiones, ſpirituum ſceleratorum, aut malorum. Secutus eſt noſter interpres Septuaginta καὶ βρώσεις ὀρνίων. Et morſus auium, immittam in eos.

Morſu amariſſimo.], קטב מרירי Etiam hoc nomen dæmonis eſſe perhibent. Itaque exponit Rabi Salomon. Immittam in eos Cheteb, hoc eſt, contritionem, afflictionem, concuſſionem, מרירי שרש שמו id eſt, Eius dæmonis, qui vocatur meriri. Primum igitur nomen, afflictionem ſignificat. Secundum eſt nomen diaboli, fortè ab amaritudine ductum. Arbitror autem ipſe, tam ſuperius nomen, quàm hoc, de quo hic agitur, non dæmonem ſignificare, ſed eſſe ęgritudinum genera, ardores ſcilicet, quibus conficiuntur corpora. Chaldæi vero interpretes, qui erant cabaliſtæ, & alij qui eos ſecuti ſunt, præſertim cabaliſtæ, exiſtimarunt eſſe dæmones, a quibus eiuſmodi ęgritudines immitterentur. Quod non adeo verum arbitror. Fieri enim non poteſt, vt hoc ignorarint Septuaginta & Hieronymus, & tot alij apud Græcos interpretes. Vt autem pleraque alia falſa & commentitia, apud cabaliſtas reperiuntur, ita & hoc ipſum falſum eſſe exiſtimo. Sunt autem & alij Hebræi in contrarium, qui eo nomine maxima corporis incendia ſignificari aſſerant. An vero mortalium afflictiones, atque caſus, a diabolo excitentur, vel natura contingant, video non huius eſſe loci explicare. Præſertim quia rationes in vtranque partem ſunt, & multa ſuper eo falſa, & periculoſa aſſei poſſunt. Quare in eiuſmodi rebus, puto melius eſſe, aſſenſum cohibere, quàm aliquid imprudenter & temere proferre. Porphyrius qui multa falſa de natura dæmonum comminiſcitur, ait eorum opera fieri λοιμὸς; ἀφορίας σεισμὸς, αὐχμὸς, id eſt, peſtilentias, fames, terræmotus, ſquallores terræ, de qua re alibi diſputatum eſt. Septuaginta aliud ęgritudinis genus eſſe id arbitrati ſunt. Vertuntque καὶ ὀπισθότονος ἀνίατος, hoc eſt, Opiſthotonos immedicabilis. Eſt autem ęgritudo, qua poſteriores corporis partes intenduntur.

Cum furore trahentium.] Hoc editio Chaldaica ſic vertit, עם חמת תניניא דזחלין בעפרא hoc eſt, Cum furore draconum, qui ſerpunt per terram. Explicataque eſt ſententia. Trahentes enim dracones intelligimus. Ponitur enim omne genus beſtiarũ, a quibus mala eſſent perpeſſuri Hebræi: aues, beſtiæ, dracones. Sic etiam interpretatur Rabi Salomon.

Ne forte ſuperbirent.], פן ינכרו צרימו hoc eſt, Ne fortè ſibi appropriarent, aut attribuerent hoſtes eorum, vt exponit Rabi Salomon. Miror verò Septuaginta, quòd huius vocis interpretationem penitus a vero deuiam, hoc loco attulerint ἵνα μὴ μακροχρονίσωσι οἱ ὑπεναντίοι, hoc eſt, Ne fortè diutius viuant aduerſarij, Ne vmbram quidem huius ſignificationis video in voce Hebraica.

Vtinam ſaperent.] Hebraica nihil penitus diſſentiunt. Sed perperam tota hæc ſententia redditur apud Septuaginta, οὐκ ἐφρόνησαν συνιέναι, ταῦτα καταδεξάθωσαν, εἰς τὸν ἐπιόντα χρόνον, hoc eſt, non cognouerunt vt ſcirent, hæc accipitur in ſubſequens tempus. Nihil vnquam tam admiratus ſum, quàm hanc varietatem, ne dicam aliud.

Et Dominus concluſit eos.] Placet quod interpretantur Septuaginta, καὶ κύριος παρέδωκεν αὐτοὺς id eſt, Et Dominus tradidit eos: licet Hebraicè ſit, vt vertit noſter interpres.

Et inimici noſtri ſunt iudices.]. פלילים Quæ vox exponitur ab Hebræis, vt noſter reddidit interpres. Rabi Salomon, שהרי צורנו מכרנו להם אויבינו שופטים אותנו hoc eſt, Inimici noſtri iudicant nos, quòd iam Deus noſter vendiderit nos illis. Aut, ideo iudices noſtri ſunt, quia vendidit nos illis Deus, tanquam mancipia propter noſtra ſcelera. Quare neſcio quo modo ferri debeant Septuaginta qui vertunt οἱ δὲ ἐχθροὶ ἡμῶν ἀνόητοι, hoc eſt, Inimici autem noſtri ſtulti ſunt. Nam quorſum hoc tendit? cùm neque cum ſuperioribus, neque cum his quæ ſequuntur coniungantur?

De ſuburbanis Gomorræ.], משדמת hoc eſt, De agris, de ſolo Gomorræ. Quod omittitur a Septuaginta καὶ ἡ κληματὶς αὐτῶν ἐκ γομμόρρας, hoc eſt, & palmes eorum de Gomorra. Suburbana non admodum quadrat.

Inſanabile.

A *Inſanabile.*], אכזר hoc eſt, Crudele, crudum. A Septuaginta ſumpſit Hieronymus, καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος, hoc eſt, Furor aſpidum inſanabilis: licet in eo varient, quòd ראש id eſt, fel, furorem interpretentur, non rectè, ſi rectè ipſe exiſtimo.

Infirmata ſit manus.], אזלת יד hoc eſt, Defecit manus, ſcilicet robur, potentia. Septuaginta, partim conſentiunt, partim diſcrepant, εἶδε γὰρ αὐτοὺς παραλελυμένους, hoc eſt, Vidit enim eos diſſolutos, diffluentes, deficientes.

Reſidui quoque conſumpti ſunt.], ואפס עצור ועזוב hoc eſt, Et defecit præſidium aut ſaluatio, & confortatio. Vel ſic, defecit, ſeruatus, & confirmatus, qui fuerat inquit ſeruatus & adiutus, defecit. Atq; ita exponit Rabi Salomon, Mitto alia quæ ſuper hunc locum ex autoribus Hebræis ab Ioanne forcenſi citata ſunt. Hieronymus vertit reſiduum, quia, עזוב & relictum, & confirmatum ſignificat. Septuaginta, vt in præcedente ſententia, ita in hac deuiant vehementer. Vidit eos καὶ ἐκλελοιπότας ἐν ἀπαγωγῇ, καὶ παρειμένους, hoc eſt, Et defeciſſe in ſeductione, & effluxiſſe. Nec quærimus rationem huius varietatis, quid enim opus eſt?

Si acuero vt fulgur gladium meum.] Immo non fit comparatio, ſed ſic, אם שנותי ברק חרבי hoc eſt, Si acuero fulgur, aut ardorem gladij mei. Sed a Septuaginta poſita eſt comparatio ὅτι παροξυνῶ ὡς ἀστραπὴν, τὴν μάχαιραν μου, hoc eſt, quoniam acuam ſicut fulgur, gladium meum.

Et de captiuitate nudati inimicorum.], מראש פרעות אויב hoc eſt, A principio diſperſione inimici, aut ſic, A principio vindictarum contra inimicos. Nam caput non corporis membrum, ſed principium ſignificare hoc loco contendunt. Rurſum quod denudationem & vindictam ſignificat, pro vindicta hic ſumendum aſſerunt. Denudatio capitis inimici, non adeo certum eſt, quid ſignificet.
B Septuaginta ſuo more penitus deuiant, ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐθνῶν, hoc eſt, A capite imperantium gentibus: quæ ſententia ex his vocabulis, quæ hoc loco habentur, non poteſt colligi. Significatur ergo vltio, quæ contra inimicos populi Dei, deſæuiet.

Laudate gentes.] Tota hæc ſententia in codicibus Septuaginta deprauatè legitur, & videtur, quæ hoc loco apud eos leguntur, eſſe aliunde tranſpoſita εὐφράνθητε οὐρανοὶ, ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ, hoc eſt, Exultate cęli, ſanguis ei eſt, & adorent eum omnes angeli Dei. Et fortè is locus eſt, qui citatur in Epiſtola ad Hebræos cap. 1. Huius igitur ſententiæ nihil in contextu Hebraico fit mentio. Ideo neque in noſtro. Aliunde eſt huc tranſpoſita.

CAPVT XXXIII.

MOſes vir Dei.] Chaldaica editio ſic habet, נביא דיוה. hoc eſt, Propheta Dei.

Ignea lex.] Eo quòd in igne lata eſſet, vt Chaldæus vertit interpres, & Rabi Salomon exponit.

Sanctorum millia.] Septuaginta expreſsè hos ſanctos transferũt, ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι ἄγγελοι, hoc eſt, A dextris eius angeli angeli. Sicut ſentiunt Hebrei, & Chaldæus vertit interpres.

Omnes ſancti in dextera.] Has putant Hebræi animas iuſtorum, quæ cum Deo verſantur.

Et ſit paruus in numero.] Ratio oſtendit, codices Septuaginta eſſe ab aliis corruptos, quia is locus apud eos bene legitur, ſed hoc additum eſt, καὶ συμεὼν ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ, id eſt, Et Symeon ſit multus numero. Primum Symeon interpoſitum eſt, Deinde non eſt veriſimile eos in hac lo-
C cutione eſſe lapſos, quam bene aliis locis reddiderunt, ſcilicet, מתי מספר hoc eſt, Mortui numero: quod ſignificat paruos numero, vt etiam ipſi alibi tranſtulerunt.

Perfectio tua ac doctrina tua.] Quid hoc loco dicant Septuaginta, eo quòd vehementer aliena ſunt, non produco.

Neſcio vos.], לא ראיתיו hoc eſt, Non vidi eum. Idem tamen eſt, ita habent & Septuaginta, οὐχ ἑώρακά σε, hoc eſt, Non vidi te.

Indicia tua ò Iacob.] Immo ſic, יורו משפטיך ליעקב hoc eſt, Docebunt iudicia tua ipſum Iacob. Sicut & Septuaginta δηλώσουσι τὰ δικαιώματα σου τῷ ἰακὼβ, hoc eſt, Indicabunt, manifeſtabunt iuſtificationes tuas ipſi Iacob. Sunt autem prophetica verba, & ad varia placita poſſunt torqueri. Hebræi ad ſuas torquent opiniones. Quorum delyramenta non recito, ne tædium afferant, & bonas horas, in re nauci, & tota penè fictitia conſumamus.

In furore tuo.], באפך Quod quanquam furorem ſignificat, hic tamen potius nares ſignificare videtur, vt dicamus: ponent thymiama in naribus tuis. Admouebunt, inquit, holocauſtum naribus tuis. Septuaginta & ipſi ἐν ὀργῇ σου, In furore tuo.

Quaſi in thalamo tota die commorabitur.], חפף עליו כל היום hoc eſt, Proteget eum tota die. Sicut habet & Chaldaica editio. Quare neſcio quid ſibi velit hoc loco noſtra translatio. Et tamen Septuaginta cum Hebræo ſentiunt, καὶ ὁ θεὸς σκιάζει ἐπ᾽ αὐτῷ πάσας τὰς ἡμέρας, hoc eſt, Et Dominus obumbrat eum, omnibus diebus.

De pomis cęli.], ממגד שמים hoc eſt, de dulcedine cœli, de delitiis cœli. Atque ita vbique hoc loco intelligendum eſt, vbi de pomis noſtra loquitur editio. Septuaginta diſſimilius ἀπὸ ὁρῶν οὐρανοῦ, id eſt, A motibus cœli, niſi locus mendoſus ſit, & loco ὁρῶν, legendum ſit ὡραίων, hoc eſt, a pulchritudine, a pulchris cœli.

Atque abyſſo.] Addunt aliquid Septuaginta, καὶ ἀπὸ ἀβύσσων πηγῶν κάτωθεν, hoc eſt, Et ab abyſſis, fontibus deorſum. D

De vertice antiquorum montium.], מראש הררי קדם hoc eſt, De vertice montium antiquitatis, ſiue præcedentis ſæculi. Septuaginta ἀπὸ κορυφῆς ὀρέων ἀρχῆς, hoc eſt, a vertice montium principij: vbi principium pro anteriore temporis parte ſumitur.

Benedictio illius qui apparuit.] Hoc idē innuitur in editione Chaldaica, quę habet, על משה אתגלי באסנא hoc eſt, benedictio etiam eius, qui Moſi apparuit in rubo. Sic & Septuaginta καὶ τὰ δεκτὰ τῷ ὀφθέντι ἐν τῇ βάτῳ, hoc eſt, Et acceptabilia, in eo qui viſus eſt in rubo.

Verticem Nazaræi.] Stupeo quid hoc loco dicant Septuaginta, ἐπὶ κορυφῆς δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς, hoc eſt, Et in vertice glorificatus inter fratres: quaſi neſcirent quid eſſet Nazir, cùm retro vbique rectè eam vocem interpretati ſint.

Quia inundationem maris.], כי שפע ימים יינקו hoc eſt, Quia diuitias, copiam maris ſuget. Habitatio enim Zabulum erat iuxtą mare, cuius diuitiis eum potiturum dicit. Quamobrem melius hoc exprimitur a Septuaginta, & Hebraicæ veritati magis conſentanee ὅτι πλοῦτος θαλάσσης θηλάσει σε, hoc eſt, Quia diuitiæ maris paſcent te, ſiue lactabunt: quod exponens Rabi Salomon, inquit, Zabulon & Iſacar, ים נותן להם ממון בשופע hoc eſt, dabit eis mare diuitias in abundantia.

Et theſauros abſconditos harenarum.] Hoc partim intelligitur de lapidibus precioſis, qui in harena deliteſcunt, partim ſecundum editionem Septuaginta, quæ hunc locum ſic transfert, καὶ ἐμπορίᾳ ἀπὸ ἐθνῶν παράλιον κατοικούντων, hoc eſt, Et mercatura a gentibus, iuxta mare habitantibus. Ita enim ſentiunt Hebręi, eius diuitias in eo maximè futuras, quòd gentes frequenter eſſent aduenturæ, & diuitiis eas terras repleturæ. E

Benedictus in latitudine Gad.]. מרחיב גד Quod & hoc modo poſſumus interpretari, Benedicta latitudo Gad: aut ſic, Benedictus qui dilatat Gad. Quod & Septuaginta ſequuntur εὐλογημένος ἐμπλατύνων γὰδ, id eſt, Benedictus qui dilatat Gad. Quanquam Rabi Salomon cum noſtra editione ſentit.

Brachium & verticem.], קדקד id eſt, Verticem. Septuaginta hunc verticem exprimunt συντρίψας βραχίονα καὶ ἄρχοντα, id eſt, Conterens brachium & principem. Sed neſcio, an etiam de aliis poſſit intelligi. Eſt autem ſimilitudo à Leone ſumpta, qui & brachia & caput deuorat. Poteſt ergo ad multa trahi. Nolo hoc pelagus ingredi. Producendæ enim eſſent opiniones Hebræorum, & in infinitum res excurreret, danda prius opera eſt, vt littera probe intelligatur, ſuper quam ſententias proferamus. Reliqua præterea huius loci apud Septuaginta non cito. Sunt enim penitus aliena.

Nephtalim abundantia perfruetur.], נפתלי שבע רצון hoc eſt, Nephtalim abundantia voluntatis aut placationis, aut abundantia acceptabilis. Sicut & Septuaginta νεφθαλεὶμ πλησμονὴ δεκτῶν, hoc eſt, Nephtalim ſatietas acceptabilium. Hebręi dicunt, terram Nephtalim eam fuiſſe, vt omnibus habitantibus eam, auiditatem expleret, adeo delectabilis erat, atque amœna: atque hoc innuitur in contextu Hebraico. Ita quoque exponit Rabi Salomon. Quoniam vero ſacrificia voluntatis, dicuntur acceptabilia, & gratiſſima, eadem ratione, hoc loco ſumenda putarunt Septuaginta, רצון hoc eſt, Voluntatem.

Sicut dies iuuentutis tuæ.], וכימיך דבאך hoc eſt, Et ſicut dies tui, ſenectus tua: aut robur tuum, vt ait Chaldęus interpres, & aliquot Hebræi ſentiunt. F Quare nihil innuitur aliud, quàm noſtra oſtendit editio. Atque ita exponit etiam Rabi Salomon. Nąm primos dies exponit, ימי נעוריך hoc eſt, Dies iuuentutis tuę. Alios autem, ימי זקנותך hoc eſt, dies ſenectutis tuæ: vt ſis florentiſſimus, robuſtiſſimus. Fiant inquit dies ſenectutis tuæ, ſicut fuit iuuentus. Septuaginta quanquam ſecundum vocabulorum proprietatem interpretantur, hoc tamen quod diximus minime innuunt, ὡς αἱ ἡμέραι σοῦ, ἡ ἰσχύς σοῦ, hoc eſt, Sicut dies tui, robur tuum.

Rectiſſimi.], ישרון hoc eſt, Recti. Quem ſemper Septuaginta interpretantur ἠγαπημένον, hoc eſt, Dilectum: neſcio ex qua deductione, ex qua forma.

Magnificentia eius diſcurrit nubes.], ובגאותו שחקים hoc eſt, Et in fortitudine, aut magnificentia ſua, nubes equitat, quod multo ſecus Septuaginta, καὶ ὁ μεγαλοπρεπὴς τοῦ στερεώματος, hoc eſt, Et magnificus firmamenti. Eſt autem manca oratio. Firmamentum quoque pro nubibus ſumpſerunt.

Habitaculum eius ſurſum.], מענה אלהי קדם hoc eſt, Habitaculum Dei ęternum, vel ęternitas, aut vetuſtas. Habitaculum Dei vetuſtum, aut ſempiternum. Nam Cadmut Holam, vocant Hebræi ęternitatem mundi. Quare Cadmon, vetuſtum & ęternum ſignificat. Ita hoc loco Chedem, ſignificabit ęternitatem priorem. Secundum autem editionem Hieron. ſequemur expoſitionem Hebræorum, qui dicunt nubes pauloante dictas, habitaculum Dei vocari hic. Atque hoc eſt quod Hieronymus dicit ſurſum. Septuaginta vehementer diſcrepant. Quid enim eſt, quòd hanc ſententiam interpretantur, σκεπάσει σε θεοῦ ἀρχῆς. Quæ ne in Latinum quidem verti poſſunt. Credo codices eſſe deprauatiſſimos.

Cęli caligabunt rore.], יערפו טל hoc eſt, Stillabunt rorem, quanquam Septuaginta eo modo reddiderunt,

diderunt, καὶ ὁ οὐρανὸς αὐτῷ συννεφὴς δρόσῳ, hoc eſt, Et cœlum ei caligans rore, aut condenſum, aut ſtipatum rore.

Scutum auxilij tui, & gla.&c.] His ſubauditur Deus eſt. Deus auxiliator tuus, & gloria gladij tui. Quod non tam propriè exprimitur a Septuaginta, καὶ ἡ μάχαιρα καύχημα σοῦ, hoc eſt, Et gladius gloria tua. Non enim eo modo ſententia intelligitur. Falſa enim eſſet, & iniqua oſtentatio, ſi gladium Hebræorum Moſes diceret eorum eſſe gloriam.

Hoc loco vbi Hebraicè dicitur, ואשר הרב גאותך Quod ſi communiter eſſet exponendum diceremus, & qui gladius fortitudinis tuæ. Ex hoc inquam loco ipſe colligo, verè autem non affirmo, aſher, ſignificare beatum, & inueniri eam vocem in numero ſingulari, contra quam exiſtimetur. Videtur enim correſpondere ei, quod pauloante dictum fuerat: beatus tu Iſrael, nunc infert. Et beatus gladius potentiæ tuæ: per quod ſignificatur robur ac potẽtia, quã a Deo accepiſſet Iſrael. Nec mirum videatur, ſi primum numero plurium profertur: Cùm enim dicit beatus tu Iſrael, totam Iſraelitici populi collectionem denotat: cùm vero infert, Et beatus gladius tuus, id eſt, beata valetudo, potentia, robur tuum, ad vnum tantum ſpectat. Hæc a me dicuntur, vt neque vehementer improbem, neque ſim non aliter exiſtimaturus, ſi melius mihi conſtiterit.

אשר ſingulariter pro beatus.

Eorum colla.], במותימו hoc eſt, Eorum excelſa, eorum ſublimia. Tamen Rabi Salomon exponit ſecundum Hieronymum. Adducitque locum huic ſimilem, מלכים האלה שימו את רגליכם על צוארה hoc eſt, Ponite pedes veſtros, ſuper colla regum iſtorum. Ita & Septuaginta interpretati ſunt καὶ σὺ ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτῶν ἐπιβήσῃ, hoc eſt, Et tu ſuper collum eorum calcabis: quod etiam accidit, vt oſtenſum eſt.

CAPVT XXXIIII.

ET ſepeliuit eum ibi.] Ita quidem habet & Hebraicum, ויקבר אותו hoc eſt, Et ſepeliuit eum. Videturque innui, ſepultum fuiſſe Moſen a Domino per manus Angelorum: Sicut habebatur in libris Apocryphis, ex quibus citat locum ſanctus Iudas in ſua Epiſtola, vbi ſcribitur, Angelum Dei cum Satana pugnaſſe, qui corpus Moſi volebat eſſe in propatulo, vt Hebræi aliquando ad idololatriam prouocarentur, eum adorantes quem prope diuinum cognouiſſent. Quia igitur ſepulchrum Moſi a nemine cognitum eſt, neceſſe eſt, eum a nullo homine fuiſſe ſepultũ. Quare mẽdoſa eſt editio Septuaginta hoc loco quæ habet, καὶ ἔθαψαν αὐτὸν, ἐν γῇ μωὰβ, hoc eſt, Et ſepelierunt eum in terra Moab. Videtur enim ex hac editione colligi, Moſen a filiis Iſrael fuiſſe ſepultum. Quod, vt dixi, falſum eſſe, neceſſe eſt, quia illius ſepulchrum a nemine fuiſſe cognitum dicitur. Suſpicor igitur, locum eſſe deprauatum, vt pro eo quod illi tranſtulerunt ἔθαψεν, id eſt, ſepeliuit, ab imperitis ſcriptoribus poſitum ſit ἔθαψαν, hoc eſt, Sepelierunt. Facilisque eſt, ab vna ad alteram litteram lapſus.

Moſes ſepultus a domino ꝑ angelorũ manus.

Contra phegor.] Deeſt nomini, Bet, dicendumque Betphegor: quàm impropriè, & is locus redditur apud Septuaginta, ἐγγὺς οἴκου φογώρ, hoc eſt, Prope domum phogor. Nam Mul Hebraicè, ex aduerſo, non prope ſignificat. Bet præterea licet domum ſignificet, Eſt tamen de eſſentia nominis Phogor, hoc loco.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

IN LIBRVM IOB.

PRÆFATIO.

SCRIPTVRVS interpretationes in librum Iob, illud potiſſimum præ oculis habui, vt quoniam is omnium librorum difficillimus apud Hebræos habetur, breuiter quid in Hebraica veritate eſſet, oſtenderem, collatis more noſtro, Hebræis & Græcis, ac Latinis inter ſe diligenter interpretibus, & veriſſimis quibuſque ſelectis, claris autem, ac facilibus dimiſſis. Eſt autem apud Hebræos is liber obſcurus, quod inſtar poematis, ſit contextus, verbis & locutionibus ab vſitato loquendi modo diſcrepans. Syras etiam quaſdam voces, peregrinumque ſermonem, vt Hebræi fatentur, intermiſcens. Agitur hoc libro de diuina prouidentia, humanarumque rerum adminiſtratione, quæ ſæpe apud mortales dubia, deſiderata, aut abeſſe credita, elucet nonnunquam: & quæ patienter iniurias miſeris illatas, aut humanas querimonias diſſimulaſſet, manifeſta poſt, præſentiæ ſuæ præbet indicia. Quæ quidem tunc clarè propoſita fuit, cùm virum integrum, ac innocentem, omnibus cladibus affligi, ſciens & prudens voluit. Sed ruinarum initia ignota cæteris, & inuiſibilia mortalibus, oſtenſa ſunt hoc libro, vt hoc exemplo, cæteri admonerentur, quicquid accidat incommodi, id fieri tali quodam ordine, qui nunc eſt deſcriptus. Habent enim aliorum mortalium clades, obſcuriores cauſas, quas ex iſto libro licebit cognoſcere. Si enim iuſtus vexaris, Satanas expetiuit te, vt probareris. Si ſceleratus, & iniuſtus, luis meritas pœnas. Si malus euehitur, ſi ad altos honores ſubleuatur, ne turberis: ſtat ſua cuique dies. Nec iuſtitiæ diuinæ eſt, niſi tolerantem, conniuentemque eſſe, reiicere in longum, & procraſtinare vindictam. Tum tanto grauius, quanto ſerius puniuntur. Si iuſtus & immeritus vexaris, fit tibi toleratio terreſtrium malorum occaſio cœleſtium bonorum. Ac dubitatio quidem, an iſte liber editus ſit ab ipſo Iob, an fuerit vnquam Iob, qui hæc ſit perpeſſus, apud Hebræos, Græcos, ac Latinos circumfertur. Probatur omnibus præcipuè grauioris auctoritatis, fuiſſe virum huiuſmodi quendam, quod ad alias rationes, etiam apud Ezechielem ſit perſpicuum teſtimonium, qui nominet tres iuſtos, Noe, Iob, & Daniel. Quod ſi eum velis alterum fuiſſe Iob, etiam, vt ait Auen Eſra, alterum dicere Danielem, & Noe, cogeris. Noſtri quoque, ideſt Olympiodorus apud Græcos, profert teſtimonium diui Apoſtoli dicentis ὑπομονὴν ἰὼβ ἠκούσατε. Audiſtis patientiam Iob. In libro quoque Tobiæ, eſt exemplum de patientia Iob, comparaturque cum ipſius Tobiæ. Ille quoque Arabs Auerois in moralibus Ariſtotelis, diſſerens de animi magnitudine, & aduerſæ fortunæ ſuſtinentia, Iob in exemplum adducit, eum beatum appellans. Tum omnis deſcriptio patriæ, fortunarum, domus, propinquorum, amicorum, id abundè teſtatur, quæ in fabulis, fictiſque argumentis non ita adhiberentur. Fuerunt autem, qui etſi Iob fuiſſe aſſeuerent, at negarent tamen eum libri autorem. Aliȷque, vt ait Olympiodorus, quendam Hebræum eruditum, propriæ eruditionis oſtentationem facientẽ, qui cùm olim hanc rem accidiſſe audiſſet, eam poemate deſcripſerit. Alij amicos ipſius Iob, præſertim cũ ipſe dixerit, Quis det vt ſcribantur verba mea?

Liber Iob obſcurus, quare.

Libri Iob ſubiectum.

Tribulationũ cauſæ.

An verè extiterit Iob.

Ezech. 14.
Iacob. 5.
Tob. 2.

Moſ. huius libri autor.

mea? Facileque eos potuiſſe cuncta, quæ diſſeruiſſet complecti, referentes quicquid acerbius videretur dixiſſe Iob. Alij Moſen, quod & Origenes, & antiquiores Hebræi fatentur, ſcripſiſſe librum, & poſteritati, ſicut & quinque libros tradidiſſe. Id eo tempore ab eo fieri potuiſſe, cum exul ab Aegypto in terris Arabum cum ſacerdote Madian, id eſt gentis Arabiæ, vnde genus ducit Iob, quadraginta annos eſt verſatus. Nam Hebræorum, & Græcorum antiqua monimenta apertè teſtantur, Moſen in regiam à filia Pharaonis introductum, omnibus diſciplinis, ac litteris imbutum fuiſſe. Hæcque ſententia, quoniam & veriſimilior eſt, & pluribus probatur, & ex antiqua ſucceſſione traditur Hebræis, tum quicquid aliud diceretur, eſſet incertius, videtur maxime probanda. Atque hi qui apud Græcos in Moſen, librum retulerunt, potiſſimum ἐκ τοῦ χαρακτῆρος moti ſunt, quod in eo mira, & altiora quædam referantur: Ob id Hebræis librum mirabile appellantibus. Qui autem dubij extiterunt, vt ne hiſtoria fuerit vera, eo vel maxime ſunt compulſi, quod in extremis capitibus, Deus iactare potentiam ſuam apud homunculum immodice videatur. Tum narrationis ordo quo datur cuique è quatuor ſuus dicendi locus, ſuſpicionem, ne ab aliquo diſpoſitus liber, non caſu res cecidiſſe videatur, exhibuit. Sunt quædam alia de quibus omnibus dicendum eſt: de ordine, neminem debere ſimulatum quid ſuſpicari, cùm id naturaliter potius, non caſu eueniſſe, ſit indicium. Nam magno aliquo Philoſopho, pijſſimoque viro in calamitatem incidente, euerſa familia, bonis omnibus corporis, & fortunæ multato, neceſſario, ipſi admirationem, & cæteris ſtuporem, quibus cum viuere & philoſophari conſueuiſſet, res afferret: vt cùm inopinato, cùm præter certum prouidentiæ ordinem, tempeſtas acciderit, neceſſaria cadat ſuper ea dubitatio, multuſque & eius
B qui præter ſpem meritaque ſit perpeſſus, & eorum, quos anteactæ vitæ comites ſemper & ſodales, de his & id genus rebus philoſophatos habuiſſet, ſermo crebreſceret. Venientes autem familiares Iob, neceſſario quiſque ſuper re vehementer prodigioſa, ſuam dixit ſententiam. Et neceſſario vbique reſpondit Iob: Fieri enim ſecus non poteſt, cum ea præcipuè inter philoſophos, & theologos verſentur. Quod autem Deum iactare ſuam potentiam aſſeuerant, ſi quis alios ſcriptores ſacros adeat, vbique videbit, ex perſona diuina, ſpiritu ſancto tonante, indicia prædicari potentiæ diuinæ. Totus fermè Eſaias tali ſermone contexitur, inuitans homines ad contemplationem Cæli & terræ, rerumque terreſtrium, & cœleſtium, vt tollant oculos in cœlum, aſpiciant ordines ſyderum, ac motus, lucem, perpetuitatem, terram è nihilo creatam. Eadem eſt apud Iob philoſophia. Exaggeratior quidem, & particularia quæque, prodigioſaſque rerum naturas magis proſequens. Eo argumenti genere, etiam ſcriptores profani, in demonſtranda diuina prouidentia ſunt vſi, cùm naturas etiam cancrorum, Echeneidum, pinnarum, poſt cœli & terræ naturas commemoratas attulerunt, omnia miracula eſſe, omnia ab aliqua mente magna, nobis occulta creari, & regi, his teſtimoniis probantes. Sic cum præſentia diuina in diſquiſitionem apud amicos Iob veniſſet, illis non negata, cælitus, & intonantius eſt prædicata, vt omnis error, ac dubitatio abeſſet. Fuit igitur, & perpeſſus eſt ea Iob. Liber autem eſt à Moſe cum in Arabia verſaretur perſcriptus, eo ſermonis genere, quo vſus eſt in ſuis canticis, cum cecinit, Audite cœli, quę loquor. Et Domine refugium factus eſt nobis. Et in benedictione filiorum Iſrael, vbi ſermo eſt elegantior quàm hiſtoriarum. Nam in Iob à principio, vſq; ad illum locum, Pereat dies, in qua natus ſum, Simplex eſt hiſtoria, deinceps eſt veluti carmẽ, ſimiliſq; pſal
C morum & prophetarũ, librorumq; Salomonis oratio. Hieronymo autem ab eo loco, totum, excepta extrema hiſtoria, librum, pedibus ſpondeo, & dactylo decurrere, ſcribente, intelligendum eſt, non prorſus his pedibus, & eo ſyllabarum numero, ſed quaſi ſimili, cum apud Hebræos minime vt apud Græcos & Latinos tempora ſyllabarum numerentur, neque ſimilia carmina habeantur, ſicut non ſunt apud Latinos, & Rhythmi Ethruſci. Illud item ſciendum eſt, editionem Latinam libri Iob vulgatam, eſſe diui Hieronymi ex Hebraico: Propterea longe incorruptiorem quàm Sept. apud Græcos. Nam, vt in cæteris libris veteris teſtamenti, ſic in Iob duas editiones fecit Hieronymus, vnam è Græco, quam emendauit adiutus aliis Græcis interpretationibus, appoſitis aſteriſcis, & obeliſcis: altera recte vertit ipſe ex Hebraico: quę noſtra eſt vulgata, eoque duas in hunc librum eius præfationes inuenies: licet vna tantum, id eſt poſtrema conueniat. Nam prior ad editionẽ, qua ſuperioribus ſęculis vteretur Eccleſia ſpectat. Nec poſſum aſſentiri Olympiodoro in eos indignanti, qui Sept. admirabiles illos, vt ait, interpretes, Hebraica non probe percepta habuiſſe, ſed verborum ambiguitate deceptos, alia pro aliis tranſtuliſſe, fateantur, diuinis potius patribus credendum eſſe, qui ab Apoſtolis hunc librum iuxta editionem Sept. accipientes, reliquis omnibus editionibus præpoſuerint: cæteros enim interpretes poſt Chriſti aduentum, qui Chriſtiani non eſſent, magis ad ſuum arbitrium, quàm veritatem tranſtuliſſe. Illos autem, qui & ante aduentum Chriſti floruiſſent, & conſentire inter ſe, ſeparati à Ptolomæo cogniti fuiſſent, quaſi ex vna lingua, nihil ad gratiam aut odium edidiſſe: ac veluti nuſquam ſuſpectos concorditer fuiſſe receptos: quod ſi quando aliorum interpretum editione vtamur, id nos facere perſpicuitatis cauſa, non quod melius iſtos, quàm illos edidiſſe, quod abſit, aſſeramus. Ego quidem, vt pro re pauca loquar, optarim maxime, quæ dicit eſſe vera: ſed cùm ſint exempla in contrarium, cùm ad rem ventum eſt, eos melius edere potuiſſe,

in aliam ſententiam vocamur. In primis liber is, apud eos diſcrepat à fonte, vt nulla ſit (ſi veritatem, & perſpicuitatem ſpectes) cum noſtro, quem ex Hebraico vertit Hieronymus, digna collatio. Eſt autem principium narrationis calamitatum Iob, quaſi poeticum, occultumque mortalibus, & inuſitatum, ſed diuinis oraculis, quibus nihil abſtruſum, exhibentibus manifeſta, quæ dubia nobis eſſent, clarum. Nam, & gladium Angeli, quo cædebat populum, vidit cum paucis Dauid, & ab oraculo dicitur, centum octoginta millia Aſſiriorum, ab Angelo cæſa. Pluraque alia nobis ignota & occulta, prophetis fuere perſpicua ac viſibilia. Arbitrandum quidem Moſen minime ignoraſſe eiuſmodi ſtupendarum calamitatum principium, vt quod in noſtris item litteris habetur, diuum Antonium à Satana, volente Deo circumuentum, multiſque plagis ferè exanimatum: quod ſolitarie geſtum, ſcriptoribus tamen omni fide dignis, Athanaſio nempe, alijſq; fuit notum. Taliſq; venit in conſpectum Dei Satanas, qualem Alecto dirarum à ſede ſororum, ſeua Iouis coniux exciuit, ſi poetica licet conferre ſacris. De quibus poſt dicendum eſt. Præclarum autem patientiæ propoſitum eſt hic exemplum, eoque admonent Græci eſſe librum nulli non ſexui, ætatique vtilem: cùm viderint hominem quondam Regia veſte fulgentem, gregibus ſeruorum ſeptum, omnibus fortunæ, corporiſque bonis florentem, nullo ſuo ſcelere, in tot tantaſque calamitates, pietate tamen incolumi, cecidiſſe, vt nullus mortalium grauiora ſit perpeſſus, nec fortiorem animum, adeoque inuictum oſtenderit: Cumque finem viderit, quicunque hæc leget, glorioſum, neceſſario iudicabit, aut in hac vita, aut alia fore, omnis fortitudinis ac tolerantiæ, eximia merita, rutilanteſque coronas.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS

Enarrationes in librum Iob. *Caput Primum.*

Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & erat rectus.

B VIRVM iuxta Græcos, & Hebræos, eum prænominauit vt eſſet hiſtoria clarior, vt ſcias de quo hæc dicantur, nullaq; pars ad hiſtoriæ cognitionē prætereatur: Opinionis etiam, & grauitatis eſſe nomen viri, interpretes Hebræi fatentur, Poetę quoque. Arma virumq; cano. Et Homerus. ἄνδρα μοι ἔννεπε μῦσα.

Eſtq; ſcriptoris exordium. Virum tibi deſcribo, egregium, inſignem, toto Oriente nobiliſſimum: opibus, familia, florentem. Nec tam proprie Sept. dixerunt ἄνθρωπος τις iuxta Poetam, ego dixiſſem ἀνὴρ. Tum perſequitur, quæ ad hiſtoriam ſunt neceſſaria, patriam, nomen, fortunas. Patria fuit Hus non ſacris ſolum litteris, ſed etiam profanis nota. Nam Ptolemæus Huſitas ponit in Arabia. Nonnulli Hebræi putarunt eſſe Armenia, ſed cùm vicinæ ſint Armenia, & Arabia, non intereſt ab vtroque ſenſu multum. Hus, qui primus huic regioni dedit nomen, filius fuit Eſau, frater autem Aram, à quo Aramea, ſiue Armenia dicta. Sicque duo fratres vicinas duas regiones tenuerunt. Quod Hus, à quo Huſitæ, fuit filius Eſau, is vero filius Iſaac filij Abraham, inde argumentantur Hebræi, Iob, quoniam fuit de genere Hus, fuiſſe de ſtirpe Abrahæ, vt quo tempore creſcebat proles Iſaac in Chananea, eodem proles Eſau in Arabia, propinquiſque regionibus. Hinc Græci, & Latini iuxta traditiones antiquas quintum dixerunt Iob ab Abraham: ſuſpicati Iob eſſe, quem catalogus ſtirpis Eſau, vocet Iobab. Inſomnium exiſtimatur ab Auen Eſra, vt ſi C perſpicuum ſit Iob fuiſſe Huſitam, haud protinus certum fuiſſe quintum ab Abraham. Mihi vero non ab re videntur illi Hebræi, & noſtri ſuſpicati, Iob eſſe quintum illum Iobab. Nam cùm in eo catalogo omnes principes Huſitarum nominentur, Iob autem toto Oriente inſignem hiſtoria dicat, cuius nulla ſit ibi mentio, certe videtur eſſe ille Iobab. Quin tralatio Sept. Theodotioniſque in fine libri dicit, eum fuiſſe Iobab: Eumq; non poſt legem, ſed ante floruiſſe, eo vel maxime probat argumento Olympiodorus, quod dicatur fuiſſe μακρόβιος, & ſupra ducentos annos vixiſſe, quod vitæ ſpacium, poſt legem non fuiſſe certum eſt. Quoniam vero de ſtirpe optimi, ac ſapientiſſimi Abraham, eum fuiſſe, conſtat, putant Hebræi factum, vt paternam pietatem, cultumq; erga Deum cęli, retinuerit, totamq; Theologiam è fontibus eius potarit. Sic amici eius ex eodem, & ipſi genere, erant pij, Deumq; cognoſcentes, & nomina eorum erant nomina maiorum ſuorum, à quibus genus ducerent. Nam primus fuit Eliphas, quo nomine dictus eſt primogenitus Eſau, diciturq; fuiſſe Themanites, quæ & ipſa eſt regio Arabiæ. Siquidem Theman fuit filius Eliphas, qui erat primogenitus Eſau, à quo natus filius, nomē loco dedit. Quanquã Themanites ſit potius nomen cognationis à patre Theman, ſicut Heraclides ab Hercule. Cæteros quoq; ab Abraham genus traxiſſe ab Hebræis demonſtratur. Additum autem nomen Iob, perſpicuum argumentum fuiſſe, hanc veram hiſtoriam fuiſſe: itemque mores eius, quod fuerit ſimplex, pro quo Hebraicè תם eſt Tham, duobus ſignificatis, ſimplicis, & perfecti: vt dicat eum fuiſſe, aut ſimplicem, aut perfectum. Perfectum vox deſignat, vt lex domini immaculata Hebraicè תמימה themima, perfecta, abſoluta: eiuſmodi fuiſſe Iob virum integrum, abſolutum, ſincerum, ideo pro eo Sept. dixerunt ἀληθινὸς veridicus, aut verus, quod ſinceritas, & perfectio & integritas ſit ipſa veritas, & verus atque integer idem. Falſitas autem, veritati aduerſa, vitium contrarium integritati. D

Fallaces qui ſint.

Veritas quoque idem pollet atque ens apud Philoſophos: vitiari autem eſt in falſitatem delabi. Eſtq; veritas, non ore ſolum, ſed cogitationibus etiam: Falſos autem, aut fallaces vocamus, à vera vita, moribuſq; declinantes, quaſi adumbratos, & ſimulatos, pictos homines non veros, vt ait Chryſoſtomus. Deſignare autem nunc hanc vocem perfectum, & abſolutum, apparet ex tralatione Chaldaica, pro תם Tham Hebraico, ponente, שלם shalim, quod ſine controuerſia, etiam Hebræis ſignat perfectum. ſecutus eſt noſter interpres Aquilam, & Symmachum, vt ſępe ſolet, quorum prior reddidit ἄπινος, ſimplex, alter ἄμωμος inculpatus. Rectum quoq, eum dixit quaſi iuſtum: Eſt enim iuſtitia æquitas, iniuſtitia iniquitas. Aequus & rectus, idem. Vt in corporibus obliqua, & recta, & à corporeis, viſibilibuſq; nomina rerum non ſenſibilium nanciſcimur, ita in animis. Quid autem ſit in moribus, & quid valeat obliquitas licebit ex corporibus noſcere, ſi prauum naſum, aut oculos obliquos aſpicias. Ideo Sept. metaphoram reſoluentes, duobus nominibus expreſſerunt quod Hebraicè eſt ישר iashar, rectus ἄμεμπτος. δίκαιος, irreprehenſibilis, iuſtus ſed ἄμεμπτος multò rectius redditur Latinè irreprehenſibilis, ſiue inculpatus, quam quod quidā olim Latini, ſine querela, cum Græca vox non actionem, ſed paſſionem deſignet. Tertio dicit eū fuiſſe Dei timentem, quod quam vim habeat, optime docuere Sept. vertentes θεοσεβὴς pius, cultor, Dei venerator. Quo agnoſcis, Hebræis timere Deum eſſe, colere, ſuſpicere, admirari, Is timor non eſt δυσδαιμονία ſed animi vigilia, vt recte cuncta faciat, Deumq; propitiū, non ob malefacta, iratum habeas. E

Iuſtit. duæ ſunt partes.

Ecce igitur pręclara abſoluti hominis deſcriptio. Nàm cùm duas Platone auctore partes habeat iuſtitia, erga Deum, & erga homines: erga Deum, vt reddas ei quæ debes, pietatem, venerationem, colas omnibus modis, ſacrificando, templa adeundo, multo autem magis animo, & puris cogitationibus venerando: erga homines, vt ne noceas, vt proſis pro viribus: vtranque dat Iob. Propterea vocauit eum perfectum. Qui enim erga Deum iuſtitiam, & erga homines ſerunt, hic abſolutus eſt, hic vndequaq; perfectus.

Homin. & homi. chriſtiani diſcrimen

Præclarę ait Chryſoſtomus apud Philoſophos, hominis eſſe deſcriptionem, quod ſit animal rationale, mortale: ſacrarum autē litterarum hominem eſſe, qui retineat imaginem, & ex virtute humanitatem indicari, virtute carentem, hominem non eſſe: Seruare autem characteres hominis, & lineamenta.

Pſal. 48.

Nam homo cùm in honore eſſet, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Pſal. 31.

Et, Nolite fieri, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus. Theologia igitur teſte fieri poſſumus, equi, & muli, & ſine intellectu eſſe, etiam in humanis lineamentis. Et Salomon dicit totum hominem eſſe Deum timere, & mandata eius ſeruare. Quod autem dixit, Recedens à malo, Eſt ſolita litterarum ſacrarum philoſophia, eum dicentium eſſe verum hominem, qui non ſolum recedat à malo, ſed etiam faciat bonum.

Pſal. 36.

Recede à malo, & fac bonum. Nec ſatis eſt nemini nocentem ociari, ſtertere. Non hoc contentus eſt Deus, vult te vlterius progredi. Id dicit habuiſſe Iob, Hac diſcriptione colentem Dei fuiſſe Iob, probari. Tenuiſſe autem vllam ſcientiam, aut Philoſophum fuiſſe, hic non deſcribi, ſed ex reſponſis eius poſtea intelligi, nonnulli Hebræi proferunt. Neque vero ſacris litteris multi ſit ſcientia rerum occultarum, ſed ſit plurimi pietas, timor domini, quæ vera eſt ſapientia. Eius fuit ſingularis pietas. Item ex reſponſis apparet excellens Theologia. F Ob pietatem autem par eſt opes eius accreuiſſe, & Deum ei benedixiſſe, vt Hebræi quoque teſtantur. Deſcribens autem familiam, bonaque fortunæ vt Philoſophi dicunt, poſt præclara illa animi bona, à quibus corporea proueniunt, ſeptenarium filiorum numerum, & ternarium filiarum proponit. Quod etſi caſu, atque natura fieri potuiſſe cenſeam, Hebræis tamen Abraham, vtrunque hunc numerum ait eſſe celeberrimum, maximique ponderis. Et ſeptem Latini dixiſſe videntur à Græco σεπτὸς, venerabile. Didymus ſeptem filios figurate ſeptem gratias deſignari. Sed vt ait Chryſoſtomus, filios commemorauit, propter ſequentia, tum vt doceat non rapacem patrem, propter filios fuiſſe, tum qua educatione eos inſtituerit. Tum in bonis corporis eſt proles. Quodque ait. Fuit poſſeſſio: Eodem nomine Hebræi poſſeſſionem, atque armentum dicunt מקנה mikne, quod antiquorum poſſeſſio eſſet in armentis. Ideo pro poſſeſſione, Sept. poſuerunt κτῆνος armentum, pecus, vtrumque quadrat. Numeratque alia bona fortunæ, ordinate, prius bona animi, heroicaſque virtutes, tum hæc minora, in quibus primum habet locum proles, poſt, diuitiæ. Et Olympiodorus pulchrè monet hanc Theologiam ponere vt intelligas, non obſtitiſſe diuitias, quo minus iuſtus eſſet, nam copia ſæpe parit ſatietatem, vnde violentia.

Violentiæ mater ſatietas.

Sapienterque Philo Iudæus τῆς κόρου ὕβρις ἔγγονον γνήσιον. Legitimam prolem ſatietatis eſſe violentiam, faciliuſque eſt in paupertate, quàm diuitijs ſeruare iuſtitiam. Sciendum etiam Iob Arabem, Arabicas diuitias poſſediſſe, nempe greges camelorum, ouium, aſinorum. Vitam enim illi agitant paſtoralem ſub pellibus: vnde à tentoriis Scenitæ dicti. Fortaſſe verum eſt, quod Chaldæus interpres ſeptem millia ouium, ad ſeptem filios refert, vnicuique mille oues attribuens: Tria vero millia camelorum ad tres filias: dans cuique mille camelos, A los, quinquaginta autem paria boum ipſi patri, quingentas aſinas vxori: famulitium autem vnicuiq; ingens. Ac pro familia Hebraice eſt עבדה abuda, ſeruitium, famulitium vt vertit Aquilas, quem noſter ſequitur δουλεία quaſi famulorũ copia. Clarius Symmachus οἰκετεία vt intelligas, ad agros, ędificia, prata, paradiſos, plantationes, multos ſeruos adhibitos. Iuſtiſſimos, vt ait Chryſoſtomus habebat quæſtus ex agricultura, & gregibus: quo lucro non eſt iuſtius. Fuit apud Græcos obeliſco confoſſum καὶ ὑπηρεσία πολλὴ σφόδρα & famulitium multum nimis. Quod fieri nõ debuit. Nam obeliſcus notabat ſuperflua, hoc vero non redundat, ſed eſt apud Hebræos. Nam vt ait Chryſoſtomus. χρὴ εἰδέναι ὅτι ὅσα ὠβέλισται ἐν τῷ ἑβραϊκῷ οὐκ ἔσται, ἐπειδὴ τὸν ἑβδομήκοντα μόνον περὶ σαφήνειαν ἐτέθη. Scire conuenit, quicquid obeliſco ſit confoſſum, in Hebraico non eſſe, ſed à Sept. ſolum adiectum eſſe perſpicuitatis cauſa. Hoc vt dixi in Hebraico eſt. Quodque ait: Magnus inter omnes Orientales. Hebraicè גדול מכל gadol, micol, maior omnibus Orientalibus, & Symmachus, quem ſequitur noſter μέγιστος πάντων ἀνατολικῶν. omnium Orientalium maximus. Claritas erat, diuitijs, prole: Orientemque Arabiam, Armeniam, Perſida, Theologia vocat. Quoniam Sept. hanc magnitudinem ad generis claritatem retulerunt, pro magno transferentes εὐγενής. generoſus, ingenuus, referunt id interpretes ad ſtirpem Abraham, ſed, vt dixi, potius ad filios & diuitias ſpectat. Quodque ait eos feciſſe conuiuium, concordiam, & mutuam eorum inter ſe charitatem, vt felicitas patris eſſet perfecta, deſignat. Charitatem, quam ab optimo patre didiciſſent. Dicensque [vnusquisque in die ſuo] Chaldæus, quod proponit etiam Nicolaus, ſeptem hebdomadæ, dies deſignari oſtendit: agentibus illis conuiuia, donec B hebdomada expleretur, ſeptem diebus, ſeptem filijs adiudicatis. Et Chryſoſtomus, ac Olympiodorus, mirabilem eorum fuiſſe charitatem, quod non ad alios ſed ſuos diuerterent, nullaque diſſenſio inter eos eſſet, nemo ſibi primatum vſurparet: Sorores vocatæ venirent, eo, & eorum probitatem, temperantiamque oſtendi, quòd non alienas fęminas introducerent. Quodque ait. [In orbem tranſiſſe dies] verè iuxta Hebraicum הקיפו hikiphu circuiſſent, obambulaſſent, in ſe redeundo, reuerſa extrema die ſeptima, ad primam. Quod apertius volentes Sept. explicare verterunt συνετελέσθησαν. abſoluti, completi eſſent, idem & Chaldæus כד שלימו kad shelimu. Quando erant completi. Sicque explanat Auen Eſra, quando expleuerant orbem ſeptem dierum, quia ſeptem eſſent filij. Sunt apud Hebræos qui putent non ſemper eos in conuiuijs fuiſſe, neque patrem eorum æque id laturum fuiſſe, vt omnibus diebus, ſympoſia agitarent, expletaque hebdomada, rurſum repeterent, ſed ſemel quoque anno. Quare enim pro eis ſacrificia ſemper obtuliſſet, veritus ne peccarent, ſi craſtina reparandum eſſet conuiuium? [Mittebat autem] Fuerunt nonnulli apud Græcos, qui explanarent, quod Sacerdotes eo tempore eſſent voluntarij, nullis ſuffragijs electi quemadmodum Melkizedek, ſic Iob fuiſſe ſponte ſua ſacerdotem, offerentem & mittentem ſacrificia. Olympiodorus verbum mittendi deſignare ἐπιμέλειαν, diligentiam, ſolicitudinem. Ego dicerem, aut eum mittere ſolitum ad templum hoſtias, aut filios conuocare ad expiationem, vt præſentes eſſent, dum ſacrificaretur, ſicut Iacob conuocauit filios ad ſacrificium. Ideo cùm miſiſſet, ſanctificabat, quod apertius Sept. ἐκαθάριζεν purgabat, mundabat, expiabat. Eam expiationem nonnulli Hebræi à mulieribus dicunt, tum vt veſtes mutarent, aut mundarẽt, vt pura in veſte adeſſent, θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις claudatur porta profanis, ait Or-C pheus, & Pindarus ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός. Me bello tãto digreſſum, & cæde recenti, attrectare nefas. Quanto magis Sacra illa. Mundamini qui fertis vaſa domini. Sanctificationem eſſe poſſe etiam ipſum ſacrificium ipſamq; hoſtiæ oblationem, Græci ſuſpicantur, corporeas autem delicias, pollutionem attrahere palam eſt. Abraham, ſicut & ſuperius, putat ſanctificationem eſſe præparationem ad ſacra, vt illud. Sanctificamini hodie filij Iſrael, nempè mundi eſtote, purgate, expiate animum, & corpus, puras veſtes ſumite. Sic Chaldæus hoc loco pro ſanctificabat eos, dixit זמין zaminum præparabat eos. [Conſurgere autem diluculo,] Hebræi & Græci eximiam pietatem oſtendere conſentiunt, acceptabileque eſſe ſacrificium matutinum, cùm ante omnia quærimus regnum Dei, Ad te de luce vigilo, inquit ille. Studium ergo, & diligentiam erga cultum Dei, & expiationem filiorum, vir pius præ ſe ferebat cùm diluculo ſurgeret. Quodque noſter dicit, per ſingulos, eſt pro ſingulis, Hebraicè מספר כלם miſpar culam, pro numero omnium. Totidẽ hoſtias offerebat, quot eſſent filij. Quo loco pleraq; addiderunt Sept. confodienda obeliſco, quippe quę non habeantur in Hebraico καὶ μόσχον ἕνα περὶ ἁμαρτίας περὶ τῶν ψυχῶν αὐτῶν. Et vitulum vnũ pro peccato, pro animis eorũ. Hęc addita eſſe ex alio loco, palam eſt, licet à Chryſoſtomo, & Olympiodoro exponantur. Eoq; in noſtra editione, quæ recta fluit ex Hebraico, non habẽtur. Quodq; ait, [Dicebat enim ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deum in corde ſuo] Dicebat, cogitabat, ſecum reputabat, videbat quàm difficile ſit inter voluptates ſeruare conſtantiam, laſciuijs corporis prouocantibus ad contemptum Dei, & ſuperbiam. Hoc ille videbat, & timebat, ne forte peccaſſent, & benedixiſſent. Quo loco obſeruandum, quod etiam Nicolaus, & Hebræi hic demonſtrant, & Chaldæus, Sept. quoq;, benedicere in ſacris litteris, duas habere inter ſe contrarias ſignificationes, bonæ, & malæ locutionis, ſicut Latinis Sacrum: Auri ſacra fames: Morbus ſacer, execrabilis. Græcis quoque ſunt quædam verba, quæ ipſi μέσα media dicunt, vt δαίμων, τύχη: malum & bonum Dæmonem, propitiam, & aduerſam fortunam indicantia. Itaque Hebræi

Benedicere duplicẽ eamq; cõtrariã habet ſignificationem.

Verbũ maledicere abhorret ſcriptura.

bræi afferunt exemplum. Benedixit Naboth Deum, & regem, pro, maledixit. Horret enim, ac refugit, in Deo verbum maledicendi, ſcriptura. Et Sept. pro benedixerint, poſuerunt κακὰ ἐπινόησαν κατὰ τὸν θεόν. Male cogitauerint de Deo. Id & Chaldæus. ארגזו קדם ייי ברעיוניהון Arghilu Kodam Adonai Berainehon, prouocauerint, irritauerint Deum, prauitatibus ſuis. Sicque exponunt cæteri Hebræi, dicentes, diuitias & voluptates, tumidum ac ſuperbum, contemptoremque animum reddere. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. Effrenati quidem & ſceleſti, peccant cogitatione & factis: meliores, ſi non factis, at cogitationibus poſſunt cadere in ſuperbiam. Hæc pius, & prudentiſſimus timebat, & timens, omnibus diebus, quibus conuiuia & epulæ agitabantur, totidem hoſtijs occurrebat. Quòdque ait. Quadam die veniſſe filios Dei, vt aſſiſterent coram domino, & Satan affuiſſe, Duæ ſunt ſententiæ apud Hebræos de die, vna eſt Chaldæi, quã plerique ſequuntur, qui adiecit hoc loco quædam, tanquam paraphraſtes, & factum eſt in die iudicij, in capite anni. Et venerunt cateruæ Angelorum, vt ſtarent in iudicio, coram domino. Quod Auen Eſra exponens, principium anni inquit omnes mortales, ante conſpectum Dei aſſiſtunt. Aut, inquit, in die iudicij ſolius Iob. Abraham quoque iunior, apertius hæc explicans ait Hunc diem maiores noſtri intellexerunt caput anni, qui eſt dies iudicij & principium ordinis inſequentis anni, in reuolutione ſuarum cauſarum à corporibus cæleſtibus, quæ iam inde ab initio inchoarunt vel fundarunt iudicium à domino omnis terræ, antequam montes naſcerentur. Hæc ille dicens, innuit eam quæ Latinis dicitur prædeſtinatio, Græcis προορισμὸς prædiffinitio, qua diffinitum fuit, vt Iob probaretur: Hãc autem deſtinationem vult fuiſſe ante terram, & cælum, quando in ſuis cauſis omnia continebantur, licet minus religioſe in corporibus cæleſtibus, dicat prædeſtinationes illas æternas ſuper humanis rebus inſitas. Quoniam igitur, hæc nimium incerta & dura ſunt, & potius aſtrologica, quàm diuina, Chaldaica, quàm ſacra, tenendum eſt, quod ſecundo loco dicitur etiam ab ipſis Hebræis, hanc eſſe quandam chronographiam, quales multæ inueniuntur. In die, qua Deus creauit cælum, & terram. Et fuit dies, & tranſiuit Eliſeus ad Sunam. Et, non poſt multos hos dies. Temporis igitur eſt deſcriptio, illius ſcilicet quo Deus ſtatuit probare ipſum Iob, qualis fuit ille dies, quo tentauit Abraham, iubens, vt ſibi filium primogenitum ſacrificaret. Huic erit conforme, quod ſecundo loco dixit Auen Eſra, diem iudicij, ipſius Iob, quo Deus, eum ſtatuit iudicare, ideſt ponderare, metiri, perpendere, probare quis eſſet. Fuit dies probationis. Ideo noſter Hier. bene, Quandam diẽ, deſignans certum quoddam tempus, quo hoc factum eſt. Idem innuit palam Chaldæus, diem iudicij vocans quo Angeli referrent Deo, quos oculos & aures Dei dicit Philõ, quę fiãt in terris. Diẽ qua Deus cõuocauit Angelos, vt ſibi nuntiarent, quæ fiant per orbẽ. Propoſitis igitur multis ſentẽtijs, ſeligendæ ſunt meliores. De aſſiſtentia quoque filiorum Dei, & de Satan inter eos. multæ ſunt, & eſſe poſſunt ſententiæ, è quibus meliores deligemus. Primum admonendi ſumus, aliud eſſe res ipſas, aliud earum ſimilitudines & repræſentationes. Non enim ſequitur, vt ſi quandam rei alicuius imaginem vidiſti, mox res repræſentata ſit talis. Vidit Ioannes virum è cuius ore prodibat ex vtraque parte enſis acutus, iſte vir nuſquam eſt, ſed deſignatur, iudicium formidabile, quo damnati letali vulnere confodientur. Vidit Eſaias thronum, cælum & terras contingentem, & virum deſuper ſedentem, quem adorat multitudo Angelorum. Vidit Daniel hircum arietantem in omnes mundi partes, Alexandrum Macedonem deſignantem. Poſtremo vidit in libro Regum, Sedechias dominum ſedentem ſuper ſolio maieſtatis ſuæ, & Angelos eius circunſtantes eum, & interrogantem, quis deciperet Achab, vt caderet in bello quod parabat: continuo quendam ex aſſiſtentibus, pollicitum ſe decepturum eum, ſpiritum mendacem infundendo in prophetas Achab, qui ei propitia canebant. Atqui ſpiritus mendaces non ſunt inter aſſiſtentes Deo. Sunt igitur viſiones tantum quæ ad res ipſas reuocatæ, non debent adamuſſim coaptari, vt quicquid in viſione fuit, ſit item in ipſa re, ſicut nõ eſt gladius in ore Dei, ſed ſermo formidandus, iudicium ſeuerum. Similiter ſi dicuntur filij Dei ſtetiſſe coram ſummo patre, & Satan interfuiſſe, Scito viſionem fuiſſe tantum, quæ ſi ad veritatem reuocetur, debes apta colligere, quæ minus, ſimilitudini relinquere. Non enim, etiam ſi per viſionem alicui offeratur, inter multos Angelos, qui throno Dei aſſiſterent, interfuiſſe Satan, reuera Satan in cælo eſſe, aut aliquando cum Angelis fuiſſe debes ſuſpicari. Nec Deus loquitur cum diabolo. Viſio fuit & apparentia, deſignans tamen aliquid ſimile, vt appareat quo modo à Deo, in tentationes labi ſit Iob permiſſus. Neque ſunt eadem viſiones rerum, atque res ipſæ: cur enim Deus, cui nota ſunt omnia, interrogaſſet Satan, vnde veniret? Vna igitur hæc eſt ſententia, vt non res, ſed viſio prophetica hęc fuerit. Secunda eſt quorundam Hębreorum cenſentium, hic neque rem fuiſſe, neque viſionem, ſed eſſe parabolam tantum, id eſt ſimilitudinem quandam in oratione. Veluti quas Chriſtus proponebat, de Lazaro & Epulone, de nuptijs, de decem virginibus, de eo qui venit ſuperſeminare zizania, de duobus filijs, altero prodigo. Hęc enim fortaſſe nunquam fuerunt, ſed his ſimilitudinibus erudiebantur homines, ad ſimilia. Sic fermè putant Hebræi nonnulli, neque factum, neque viſum unquam quod hoc principio refertur, ſed virum ſanctum, ac prophetam, qui ſcripſit hunc librum, parabolice & figurate, principium calamitatum Iob propoſuiſſe, veluti cùm Iuno apud poetam, dirarum à ſede ſororum euocat Alecto, quaſi hunc ipſum Satan: & apud Homerum Iupiter agit

Viſiones ſcripturæ nõ ſunt ad amuſsim rebus ipſis coaptãdæ.

Hebræi viſionẽ Iob, parabolã putant.

A præcipitem Aten de cælo, Hæc enim, & ſi non fuiſſent, habent tamen tale quiddam in rebus humanis. Sic diuino prophetæ cum notum eſſet, diabolum aduerſari, à Deo autem ad corroborationem virtutis, id permitti, propoſuit rem, vt par eſſet, accidiſſe: ſicut quinque virginibus excluſis, quinque admittuntur. Erit item hæc quaſi proſopopœia, datur enim perſona ipſi calamitati vel Nemeſi, vt ſteterit coram Deo, vt locuta fuerit, perinde ſi quis induceret inuidiam loquentem perſonatam, qualem deſcribit Ouidius. Nam reuera Satan rationem habet inuidiæ, & calumniæ, ſic Ate à nocendo dicta eſt παντας ἀάται. Et bellum habet perſonam apud Poetas. appellant autem hanc Hebræi מדת הדין midat hadin, rationem iudicandi perſonam indutam, cum Deo loquentem. Hæc eſt ſecunda ſententia. Tres ſunt reliquæ, quòd diabolus aſſiſtat inter Angelos, vt aſſiſtentia rerum humanarum ſit adminiſtratio, quæ fiat per angelos, Deo, quæ fiant in terris, referentes, intercedentes inter nos, & Deum, & vt ait Plato διαπορθμεύντας καὶ ἑρμηνεύται medios interpretes. In hac autem aſſiſtentia, & adminiſtratione, etiam dæmon, per quem virtus probetur, aliquem habeat locum. Hoc ſecutus eſt Gregorius Theologus, & apud nos Nicolaus, eſtque fermè idem cum primo, eo excepto, quòd illic in viſione oſtenſum, hic autem explicatur quid lateat ſub viſione. Eſt ſecunda, quæ eſt Rabi Saadias, non ſpiritum iſto loco, neque enim Angelos aduerſari, & inuidere poſſe, ſed hominem aduerſantem, & inimicum deſignare, quem Deus paſſus ſit irruere in Iob. Quæ ſententia, licet in ſacris litteris, etiam homines dicantur Satan, de Salomone, Suſcitauit ei dominus aduerſarium, Hebraicè Satan. Et diuo Paulo Angelus Satanæ datus, vbi Chryſoſtomus dicit Satan, quoſdam qui eum inſectarentur, vocaſſe: refellitur ab Auen Eſra, oſtendente etiam Angelos bonos appellari Satan. Nam in Balaam de Angelo, & ſtetit angelus Domini in via, vt aduerſaretur ei, Hebraicè לשטן לו leſatan lo, in Satan ei, in B aduerſarium. Sic duo Angeli euerterunt Sodomam. Sed nec iſta mihi probatur. Igitur meliorem ac veriorem cenſuerim priorem, vt fuerit quædam viſio repræſentans hoc ipſum, non per bonos Angelos factum, ſed aduerſantes, & inuidentes. Neque vero, tametſi audias Deum cum Satan loquentem, cumque interrogantem, mox in ſuſpicionem venire debes, non ſecus habere rem ipſam. Pingit quicquid libet Omnipotens, & per viſiones loquitur, volens ſimulacra eſſe quaſi locutiones & ſermones ſuos. Sicut per oblatum thronum Eſaiæ grandem, cælum & terras attingentem, maieſtatem ſuam oſtentabat. Vidit igitur Moſes, aut amici Iob qui librum ſcripſiſſent, cum quibus etiam locutus eſt Deus, vt in fine libri oſtenditur, talem viſionem. Nam creberrimæ erant eo tēpore viſiones Angelorū, viſiones inquā non corporeæ, ideſt corporeis oculis oblatæ, ſed per animū, ſenſibus ſopitis, quales creberrimæ extāt apud Prophetas: ob quam cauſam, vidētes appellabātur, & de quibus Ioel, Filię veſtrę viſiones videbunt. Et aut penes paucos, aut vulgo Ioel 2. fama erat, harum calamitatū, eiuſmodi fuiſſe principium, viſum ab aliquo ſancto viro in animo, in viſione. Hoc videtur probabilius, quàm vt re acciderit, qualis fuit viſio Dei & Angelorum ipſi Abrahæ: quos corporeis oculis, in figura humana apparentes, conſpexit. Cæterum non eſſe abſurdum Satan cum angelis bonis intereſſe, à Græcis oſtenditur. Iam inde ab initio, in Paradiſo, vbi creator cum angelis ſuis aderat, affuiſſe etenim dæmonem, ſerpentem antiquum. Eritque hoc in Iob, ſimile his, quæ fuerunt in Paradiſo, vbi in viſibili, ſpectabilique præſentia, Deus & Angeli & ſerpens letifer affuit, & cum ſerpente eſt Deus locutus eum maledicens, indutus præclara humana figura, vt cuius late tendat omnium gerendarum rerum poteſtas. Hęcque ſola proponuntur à Græcis & Latinis. Igitur pro filijs Dei, Sept. & Chaldæus poſuerunt C Angelos, vt mira ſit, & digna cōſideratione Theologia, filios Dei Angelos vocans. Quam prorſus antiqui Poetæ, ijdem & Theologi audientes, & cum ſacris litteris magnopere conſentientes, patrem hominumque, Deumque celebrant. Atq; inuenies viciſſim, tum homines, tum Angelos appellari filios Dei, ſed frequentius Angelos: quod poſſint homines eſſe boni & mali. Cùm autem boni fuerint, eos appellari filios Dei, frequens eſt: Ex Aegypto vocaui filium meum, de Oſeæ 11. Iſrael. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. & dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Tunc Pſal. 81. ergo ſunt homines filij Dei, cum vitæ probitate & innocentia, conditionem Angelorum aſſequuntur, qui verius filij Dei dicuntur, tanquam altiſſimo patri optimi filij, & ſimiles, autori ſuo obſequentes. Hac ratione in ſacra Theologia audita enuntiant Poetæ.

ὦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη ὕπατε κρειόντων.

O genitor noſter ſancte, & ſumme induperantum.

Cumque ait, Cùm veniſſent,]ex hoc loco obſeruant Hebrei, cùm id neceſſario fuerit occultum, prophetam fuiſſe, qui librum ſcripſerit, quem res non latuerit. Stare autem coram domino, & ſi Nicolaus refert ad merita portata coram domino ab Angelis, ego magis ad illam viſionem retulerim, ſicut in libris Regum, Vidi dominum ſedentem ſuper ſolio maieſtatis ſuæ, & omnem militiam cæli ſtantem circa eum, à dextris, & à ſiniſtris. Inducitur que à ſacris litteris Deus, innumerabilibus Angelis circumſiſti, tanquam dominus & Imperator omnis orbis. Et pro Satan Sept. ſicut ſoliti ſunt, poſuerunt, διάβολον & ſemper verbum aduerſandi transferunt διαβολεῖν, calumniari, cùm illud ſit propius, & poſſit eſſe verum, quod quidam Hebræi ſuſpicantur, hic Satan eſſe quaſi diuinam Nemeſin, omnia luſtrantem, nihil inexploratum relinquentem, per omnes terras obambulantem, ex quo Græci dicunt δεινὸς δίκης ὀφθαλμὸς acerrimum eſſe oculum iuſtitiæ: cum qua per proſopopæiam Deus loqui inducatur, quæ non patiatur quenquã intumeſcere, & inter voluptates, Dei obliuiſci. Quod cùm Iob non feciſſet, iure admirabatur, in ſe Nemeſin impetum feciſſe, & per totum librum, reddit à ſe actæ vitæ rationem, eoque, Deus ei cuncta reſtituit. Quod autem Deus eum rogat, vnde veniat, ſæpe interrogatio in ſacris litteris datur Deo. Vbi eſt Abel frater tuus? Qui ſunt hi viri, qui venerunt ad te? Et in Hemorroiſſa, Quis me tangit? Hæ interrogationes, vt reſponſio ſequatur, ponuntur. Circuitionem terræ, Hebraicè שוט shot, circuitionẽ, & inueſtigationẽ, Hebræi interpretantur, alij inſidias dæmonis, qui circumeat, quærens quẽ deuoret, prius vt Græci dicũt, θεόμαχος poſtea μισάνθρωπος. Hebræi cũ multis oculatam iuſtitiam ſeuere omnia intuentem, perſonatam, veluti ſi Iupiter, inuidiam aut ſomnum alloqueretur. Græci dæmonem dicentes, reſponſione eius, accuſationem ſuam declaraſſe: quòd circumeat inſtabilis, vagus, necis ſitibundus, qui iuſtitiam & Nemeſin, quòd eius ſit omnia cernere non dormitare, vt ſtulti credunt, noctu, & interdiu vbique adeſſe, etiam intimas cogitationes intuentem. Et cùm Deus eum rurſus interrogans dicit Hebraicè, an poſuerit cor ſuum ad Iob, Sept. quod obſeruandum eſt, poſuerunt pro corde τὴν διάνοιαν, mentem, cogitationem, & bene Hiero. eam dixit obſeruantiam. Reſponſio autem Satan, etiam iuſtitiæ conuenit, non quidem inuidenti, ſed eximiam erga Deum pietatem, deſideranti, volenti nos, etiam in aduerſis, eius eſſe veros amatores. Eum enim verum eſſe amorem, qui in tentatione non ſuccumbat, palam eſt, ſicut non ſunt veri amici apud mortales, qui amicos in aduerſa fortuna deſererent, aut vbi amici prodeſſe ceſſaſſent, illi ceſſarent amare. Huiuſmodi proditores potius dicerentur. Si de dęmone, ad inſidias eius pertinebit, ſitimque nocendi. Et Chaldęus hic adiecit, quod, & ad dęmonem & iuſtitiam poteſt referri. Circuiui terram vt quærerem opera hominum. Quodque reſpõdit. Nunquid fruſtra Iob timet Deum?] Probatur, veram charitatem erga Deum non eſſe, quæ ſolum in ſecunda fortuna vigeat, reſtante diſcedat, ſed eſſe veram, quę nullis queat caſibus conuelli. Illud idem fit palam, nihil, aut dęmonem, aut Nemeſin accuſare Iob potuiſſe, cùm nullum ei crimen obiecerit, tantum, quod eſſet pius & iuſtus, diues & beatus, fieri poſſe, vt Deum coleret, quo pręmium conſequeretur, mercenarius, vt Gręci dicunt: & quoniam ſe beatum, ſecundiſque ſpirantem veris fortunam cerneret, eo corroboraretur, animaretur ad cultum Dei. Huic item cauſę nullum eſſe locum, voluit Deus. Quodque ait. Nonne tu vallaſti.] Hebræi verbum vallandi exponunt, ſicut vinea ſepibus vallatur, ne quiſquam noceat. Sicque ad prouidentiam Dei pertinet, quod omnia prohibuerit, propulerit aduerſa. Quo volebat innuere Satan, non habuiſſe hactenus cauſam apoſtaſię, iuſtitiæque violandę vllam Iob, cuncta aduerſa, quibus ſepe cogimur delinquere, ſubmouente Deo. Vallare igitur, illi exponunt tegere, obumbrare, defendere. Sicque Gręci, etiam exponunt, propter clarum verbum in Gręco περιέφραξας ſepiuiſti, muniiſti, Et Olympiodorus. In profundo ocio tranquilla pace quieſcit, nihil infeſtat, nihil turbat. Non probatur, quaſi forti præſidio eum circundediſti. Opera autem manuum Polychronius exponit, agrorum felicitatem, felices ſegetes, vinearum fertilitates, quicquid agriculturam conficit, vbera diſtenta capellis: auctus pecorum, & armentorum. Ideo poſſeſſio etiam armentum dici poteſt, Hebraicè mikne, & armentum eius impleuit terram. [Niſi in faciem benedixerit] Cum Hebraicè pro Niſi, ſit אם לא im lo, ſi non, dicunt Hebręi, deeſſe verbum. Tange inquit omnia, quę habet, & vide, ſi non benedicet te, quia non te benedicet vt ſolet, non erit adeo tibi deuinctus. Sic exponit Ranban. Poteſt verbum benedicendi eſſe ſicut ſuperius in contrarium, & erit, vt ſolent Poetę pulchra ἀποσιώπησις. Vulnera inquit eum paululum, ſi non te execrabitur, & in faciem mittet conuitia. Hicque tacet, fermè innuens, Diſpereã. Sicque videtur intellexiſſe Chaldęus, transferens hic ירגזך irghezinak, te ad iram prouocabit. Etiam Abraham ſic interpretatur. Et contra faciem inquit benedicet te, vt loquatur conuitia, contra quàm ſolitus eſſet. Etiam intellexit Nicolaus: Didymus item exponens quod tranſtulerunt Sept. εἰ οὐκ τουτέστι ἐὰν μὴ τὸν φα βλασφημήσῃ. Si non tunc aperte te maledicet, inſoleſcet in te, acuet linguam. Data autem ei poteſtate, non exagito quęſtionem Hebręis, Gręcis, Latinis diu ventilatam, de infeſtationibus viri iuſti. Requirit enim ordo iuſtitiæ diuinę, vt fiat amoris probatio. Sic tentatus eſt Abraham, Tobias, prior omnibus Adam, plenus eſt mundus probationum harum. Sed apud Chriſtianos magis eſt clarus locus is, quam apud Hebręos, oĩa ad hanc vitã referentes, eoque in multis hallucinantes. Gręci, videlicet Chryſoſtomus, ignarum futuri dæmonem, victoriam ſibi pollicitum, Deum præſcium dediſſe poteſtatem, Apollinarius hinc intelligi nullam in homines dæmonem habere poteſtatem. Si referas ad Nemeſin, ſenties omnia permittente Deo ad bonum. A facie autem exiuit, vt referas ad viſionem, ipſumque propoſitum modũ, alioquin vbique ante faciem eius ſumus. Illatæ autem clades, uidentur apertum præbere teſtimonium, hunc non fuiſſe dæmonem, ſed fuiſſe per proſopopœiã, probationem diuinam, ſiue iuſtitiam, aut Nemeſin. Non enim dæmon latronum turbas incitaſſet, nec reor in ignem cæleſtem, poteſtatem habuiſſet, nec uentos impuliſſet, quanquam Græci accepta poteſtate deſuper: aut calamitates ad hunc quidem modum cecidiſſe potuerunt, modus autem parabolicus eſt, occultioreſque à Deo habens cauſas. Cæterũ non uidetur diuinæ prouidentiæ conſentaneum, ut propter patris probationem,

filij

A filij interficerentur, niſi forte aliquo peccato impliciti, quod hic non refertur. Neque enim voluit occidi Iſaac; nec vnquam hoſtijs humanis delectatus eſt, ſed potius eas execratus. Sed ſæpe tamen cum ſceleratis patribus extincti ſunt innocentes filij, de quibus ratio indicat in alio mundo, præmia eorum eſſe parata, aut eis eſſe expiationem peccatorum huius vitæ ſupplicia. Multa alia miranda acciderunt, de quibus prudenter eſt iudicandum. Ioannes eſt occiſus vir ſanctiſſimus, occiſus Chriſtus, tot hominum millia, iuſtitia diuina ſinente, & maiora hinc bona eliciente. Locus is videtur habere quiddam parabolæ, vt cum rex miſit ſeruos ſuos ad operarios vineæ, quos illi interfecerunt, parabola, comparatio, ficta materia, exemplũ fictum, repræſentans aliud verum. Nec ad cogitandum aptum eſt, vt eodem tempore omnis ingruerit calamitas, vt ſoli nuncij remanſerint ſuperſtites, præſertim igni cæleſti, & ruina, domo cadente. Quanquam Græci dicunt dæmones ſe in latrones vertere potuiſſe, vnumque ex his miſiſſe, vt nuncium. Chryſoſtomus, non ignem verum, nec veros ventos, ſed à dæmone ſimulatos. Sed quod nobis fortaſſe videtur alienum, non eſset apud prudentiores. Nam Abraham hinc putat colligi, tametſi pater bonus eſſet, tales non fuiſſe filios, delitias vbique perſequentes. Cæterum Chaldæos, Sabæos latrones nominat Arabiæ propinquos, vagos per regiones illas, ſicut Arabes. Nuntium autem harum calamitatum, præſertim excuſſæ domus, Chryſoſtomus dæmonem ipſum fuiſſe, vult. Quod & ipſum difficile eſt ad cogitandum. Tonſionem autem capitis, abiecta veſte, deſignare volebat, quod eſſet, cùm in lucem veniſſet. Quodque dixit, Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.] Etiam apud Poetas, tellus mater, alma parens, terræ omniparentis alumnus, & oſſa matris poſt diluuium. Hebræis viciſſim tellus dicitur mater, & vterus maternus terra. In inferioribus terræ, eſt in vtero materno. Eoque Iob eodem modo pronuntiauit, B ac ſi vna, eademque mater eſſet maternus vterus, & tellus ipſa. Fuere è Græcis, qui ſciſſionem veſtis putarint ſymbolum fletus, cuiuſmodi multa inuenies. Mihi magis probatur, quod etiam ex parte ipſis eſt viſum, abiectionem veſtis, ex philoſophia fuiſſe, contemptus omnium humanarum rerum ſtatus, utque Hebræis explanatur, probatio fit, nihil noſtrum eſſe, qui nudi uenerimus in lucem, ſi domino placeat ſua repetere, non debere nos indignari. Procubuiſſe autem humi, adorationem, etiam in aduerſis deſignat, & ſecus quàm Satan dixiſſet, niſi in faciem benedixerit tibi. Et quod noſter dixit. Neque ſtultum quicquam contra Deum locutus eſt. Multo clarius quod ad Hebraicum quàm Sep. οὐκ ἔδωκεν ἀφροσύνην τῷ θεῷ. Non dedit Deo ſtultitiam. Omnis blaſphemia, linguæq; procacitas contra Deum, ſtultitia eſt. Nam, dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Et ille in aduerſa fortuna.

Quem non incuſaui amens, hominumque Deumque?

Amentem ſe fuiſſe dicit, cùm Deum incuſaret.

CAPVT II.

ITeratur eadem viſio, aut eadem res, vel parabola: Ac Græci dicunt Satan interrogatum, reſpondentemque ſe circumiſſe terras, reticuiſſe pudore, quod victus eſſet, mendaxque apparuiſſet: Deum autem detexiſſe, Satan ad aliud extemplo refugiſſe, quòd leuiora, minoriſque C ponderis prima mala eſſent. Quodque ait, [Adhuc retinens innocentiam:] licet non admodum differat, Hebraicè eſt תמתו tumatho, perfectionem ſuam. Olympiodorus quoque pro eo, quod Sept. dixerunt ἀκακίαν, innocentiam, quod noſter eſt ſecutus, ait eſſe Hebraice τελειότητα, perfectionem. Sed innocentiam dicunt Latini, omnem virtutem, non ſolum quæ nemini noceat, ſed etiam omnem integritatem. Deinde quod ait, Commouiſti me:] Hebraicè eſt ותסיתני vateſitheni, proprie, tentaſti me, vnde niſaion tentatio, Quod ἀνθρωπάθως dici monent Hebræi. Aquilas vertit ἀνέστησας με ἐπ᾽ αὐτῷ conſurgere me feciſti. Quod autem dixit noſter, Vt affligerem eũ,] Hebraicè quiddam terribilius לבלעו lebaleo, vt abſorberem eum, deglutirem eum. Eoque Aquilas τοῦ καταποντίσαι αὐτὸν vt præcipitarem, ſuffocarem eum: quod noſter, quoniam eſſet obſcurius, ſequi recuſauit. Fruſtra quoque eo ſpectat, quòd nihil tale meritus eſſet, aut quòd hæ machinæ, nihil eum loco pulſuræ eſsent: Fruſtra immiſsa hæc tela. Quod vero ille reſpondit, Pellem pro pelle,] iuxta Hebræos hunc habet ſenſum: membrum pro membro, ſicut dixit Chaldæus, vt cùm quis minatur capiti, opponimus brachium: magis referre caput integrum eſſe, quàm manum ſcientes. Sic ad hanc rationem, habere Iob adhuc aliquid carius. Filios fuiſſe tanquam brachium, ipſum tanquam caput: Sic omnia exteriora pro ſeipſo, vnumquenque daturum. Symmachus autem liquidius pro pelle, dixit χρωτὰ ὑπὲρ χρωτὸς corpus pro corpore, quod idem eſt, corpus alterius pro ſuo. Nam anima hoc loco more ſacrarum litterarum, eſt vita, ſpiritus, ipſemet: quiſque cuncta dabit pro anima ſua, ideſt pro ſeipſo. Sic quod paulò poſt. Animam eius ſerua, hoc eſt ipſummet. Simili locutione Qui amat animam ſuam, perdet eam. Nimirum. Qui amat ſeipſum, perdet ſeipſum. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, odit ſeipſum. Nec aliud ſonat hoc loco anima, dicat Rabi Salomon quicquid velit, quod pro ratione accipiatur, quam illęſam Deus eſſe voluerit. Potius indicat, datam in corpus præterquam mortis, omnem poteſtatem.

tem. Quanquam Didymus eius fuit ſententiæ, hoc exponens παρακοπὰς παλακισμοῦ, καὶ τοῦ ἡγεμονικοῦ παραστροφὰς, ἐν τισὶν ὁρῶμεν γινομένας. Dementationes, illuſiones, & deprauationes videmus in nõnullis. Eadẽ Olympiodorus. Ego prorſus ſequor primũ, ex ſermonis Hebraici cõſuetudine edoctus. Dedit dæmoni, corporis vlcerandi poteſtatem, interficiendi non dedit. Quod placuit etiam Olympiodoro. Sedere autem in ſterquilinio, eſt domus penuria, amicorum defectio. Addiderunt autem Sep. ἔξω τῆς πόλεως extra vrbem, ſedebat in ſterquilinio extra vrbẽ. Quod Græci exponẽtes, referunt in elephantioſin, ideſt lepram, à ſimilitudine elephantinæ pellis dictam. Hac attactos ſecedere ab vrbe cogebant. Idem erat apud Hebræos, mos. Hoc quidem fieri poteſt. In Hebraico non habetur, obeliſco confodiendum, vt alia pleraque. Hinc Polychronius ait raſiſſe eum teſta vlcera, non permittentem ad ſe accedere quenquam, ne labe attingeretur. Quòdque vxor dixit. Benedic Deum, & morere: Apparet ironicè dictum, vt apud noſtros.

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis,

I nunc, & Deum cole, imo morere. Hoc enim ſupereſt, hoc præmium. Neque aſſentior Nicolao, putanti hic Benedicere, eſſe ſicut ſuperiora, maledicere. Sed potius ironicos dictum, vt, Ecce Adam factus eſt ſimilis nobis. Addita eſt autem hoc loco apud Sept. maxima periodus, quam ne à recentioribus additam ſuſpiceris, inuenies in commentarijs Origenis, in explanationibus Chryſoſtomi ſuper epiſtolas Pauli. Eſt autem hoc omne, vt ſi quando in libris Græcorum repereris, ſcias in Hebraico non haberi, ſuperfluaque eſſe χρόνου δὲ πολλοῦ προβεβηκότος εἶπεν αὐτῷ ἡ γυνὴ αὐτοῦ μέχρι τινὸς προσκαρτερήσεις λέγων, ἰδοὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν, προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου. ἰδοὺ γὰρ ἠφάνισαι σου τὸ μνημόσυνον ἀπὸ τῆς γῆς. τῆς ἐμῆς κοιλίας ὠδῖνες καὶ πόνοι οὓς εἰς το κενὸν ἐκοπίασα μετὰ μόχθον. σὺ δὲ αὐτὸς ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων καθῆσαι διανυκτερεύων αἴθριος κἀγὼ πλανήτης καὶ λάτρις, τόπον ἐκ τόπου περιερχομένη, καὶ οἰκίαν ἐξ οἰκίας προσδεχομένη τὸν ἥλιον, πότε δύσεται, ἵνα ἀναπαύσομαι τῶν μόχθον, καὶ τῶν ὠδινῶν αἵ με νῦν συνέχουσιν εἶπόν τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελεύτα, ὁ δὲ ἐμβλέψας αὐτὴν. Quæ ſunt. Longo autem tempore progreſſo, dixit ei vxor eius. Vſque quo retines patientiam, dicens: Ecce expecto adhuc exiguum temporis, præſtolans ſpem ſalutis meæ? Ecce enim deleta eſt memoria tua de terra. Dolores, & labores vteri mei, quos incaſſum exantlaui cum gemitibus. Tu vero ipſe in ſterquilinio vermium ſedes, pernoctans ſub diuo. Aſt ego vaga, & ancilla, locum ex loco circumerrans, domumq; ex domo, expectãs Solem, vt occidat, vt à laboribus, & doloribus requieſcam, qui me nunc premunt. Dic aliquod verbum domino, & morere. Is autem reſpiciens eam. Hæc palam ſuperuacanea ſunt, licet à Græcis recipiantur, & exponantur. Sunt autem ex his, quæ in libro Iob erant addita vbique, eoque liber is, totus obeliſcis fuerat confoſſus: In noſtro non habentur, quoniam ex Hebraico eſt, Mali autem ac boni receptionem, in Deum referens, prouidentiæ certam penes ſe opinionem indicat. Hebraicè tamen ſic habet. Etiam bonum accipiemus à domino, & malum non recipiemus. Poteſt quidem legi interrogatiue, poteſt & enuntiatiue. Non poteſt à domino eſſe malum. Tametſi ab eo ſunt bona, non ſunt tamen mala. Non eſt quod eum autorem malorum facias. Quod malum videtur, non eſt malum: non enim eſt Deus malorum, ſed corrector noſtrorum flagitiorum. Non peccaſſe in his Iob labijs ſuis, Chaldæus, quod mihi nulla ratione probatur, appoſuit. Verumtamen cogitationibus voluit loqui, videlicet blaſphemare. Quis enim mortalium poteſt ſcire, quid Iob cogitauerit? Et potius in bonum, quàm in malum ſunt omnia interpretanda. Licet maiores Hebræi in hoc conſentiant: & Rabi Moſes putat dictum, in omnibus his non peccauit Iob. Quaſi hactenus, vſquequo venerunt amici. Nam poſt maledixit diem. Sed ego falli eos omnino dixerim. Nam de blaſphemia ſermo eſt. Nec ſi maledixit, peccauit in Deum. Siquidem & Hieremias diem, qua natus eſſet, maledixit. Tres autem amicos, vt dixi, & genus idem, & patriam, atque Iob habuiſſe, eorum nomina indicant. Nam Baldad Suites de genere erat Abrahæ, cui ex ſecunda vxore Ketura fuit filius Shuc, à quo is genus traxit. Tertium quidem obſcurum eſt, vt ait Auen Eſra, an prouinciæ, an cognationis ſit nomen. Erant autem è propinquis regionibus, forſan & ipſi reguli: Eoque Sep. addiderunt, quòd eſſet rex Eliphas Themanitarum: Baldad tyrannus Shuchitarum: Sophas Rex Naamanitarum. Ad conſolandum venerunt, ſed quod ab imprudentibus fit, potius vulnera obducta exulcerarunt: nimium ſibi ipſis tribuentes, cùm ad parem, ac Iob ſapientiam nondum perueniſſent. Eorumque ex reſponſis, licet mores eorum, ingeniaque iudicare. Spargere autem in caput cinerem, ſcimus mœroris fuiſſe ſignum, cùm ſe turpes, & obſcœna illuuie aſperſos vellent oſtendere, ſicut veſtes nitentes, lætitiæ ſignum. Romani pullas veſtes ſumebant in luctu, amicorumque calamitate, purpureas in lætitia. Illi ſcindebant, vt laceri viderentur: indignationem & dolorem præ ſe ferentes, caput deturpabant cinere. In cælum autem dixit, verſus acrem iacto puluere. Septem dies cum eo ſediſſe declarat, è locis longinquis eos veniſſe, & tanquam hoſpites ibi aliquandiu fuiſſe. Sedendi verbum, Hæbreis etiam habitationem ſonat, vt dicat eos ſimul habitaſſe, viciſſim interquieſcentes. Taciturnitatem autem ad ſeptem dies ne referas, ſed ſubito cùm veniſſent. Septem autem diebus, ſunt ſuper his philoſophati.

CAPVT

CAPVT III.

HIc mutatur oratio,& quaſi elegiacum & flebile carmen texitur. Eſt enim deploratio,& verba ſunt poetica,difficilia,ab vſu remota. Sicut threni, id eſt lamentationes Hierem. & qualis oratio eſt apud Prophetas, apud Salomonem : Eoque attentiſſimos nos eſſe, ſenſibus & verbis explicandis,prolixitate vitata,conuenit . Primumque ſciendum Hebræos minus recte ſentire de Iob. in primis ferunt eum de prouidentia diuina dubitaſſe,cùm pietatem,iuſtitiamque nihil profuiſſe vidiſſet: Nec eſſe qui res hominum cernat,omnia in terris fluctuare: à die natali,ab aſtris, conditiones hominum,ac ſortes pendere:Eoque diẽ natalem ſuum , & conceptum maledixiſſe,quod horoſcopus præbeat omnibus,bona, & mala . Hæc communi conſenſu perhibent illi. Quorum ſententia eo falſa deprehenditur , quòd Hieremias,qui diem natiuitatis maledixiſſet,ſimili errore, ſcelerataque ſuperſtitione fuiſſet implicitus. Quod de ſancto Propheta,credere indignum,& ſtultum eſt:itaque melius Græci,ac Latini,hæc cognouerunt,vt maledictio diei,non ad aſtra,& horoſcopos ſpectet , quæ eſt impia ſuperſtitio, inuiſa etiam ipſi Iob, vt videbis poſtea,ſed indignationem,& conſiderationem humanarum miſeriarum, in quibus nihil ſtabile ſit ac lætum, vt plerique dixerint, melius futurum fuiſſe , ſi nunquam homo in lucem editus eſſet : Alij natum ſubito occidere . Salomon mortuos viuis prætulit,vtriſque autem eos, qui nunquam nati,miſerias vitæ huius experti non eſſent. Idemque fecit Salomon, pronuntiando de humana uita,quod Iob maledicendo . Maledicere enim eſt optare non eſſe, Iob optauit ſe nunquam natum eſſe: Salomon pronuntiauit melius eſse , nunquam ad Solem veniſse . Et Iob de ſe tantum , Salomon autem vniuerſaliter . Apparet igitur homines ſapientes conſiderationem humanarum calamitatum adduxiſſe , vt optarent res humanas non eſse . Melius eſt enim non eſse, quàm male eſse . Hoc dixit Iob . Aſtrologiam autem quodam peculiari fauore, Hebræi,vt ſolent pleriſque in locis,induxerunt,multa in eam referentes,à totis ſacris litteris alieniſſima. Itaque Græci ſapienter admonent,non eſſe virtutem in alienatione ſenſuum,Dolere,& algere,indignari,ingemiſcere,hominis eſſe,ſapientis autem,his fortiter reſiſtere, non excidendo è tramite recto,clauumque rationis relinquendo . Perſpicuum igitur ſit , verum eſſe vbiq;,quod in principio pro toto libro dictum eſt,nihil ſtultum contra Deum,Iob fuiſſe locutũ,tametſi potuerit dolere,& in tantis afflictionibus,ingemiſcere. Hebræos minime veridicos putabimus,ſe ſolos,& homines gentis ſuæ ſanctos duntaxat,cęteros autem omnes impios iactantes,nimiumque ſua tollentes,aliena deprimentes . Hæc etiam,vt dixi,Græci ſentiunt, Olympiodoruſque oſtendit,vel ipſum Dauid maledixiſſe montes Gelboe , vt nec pluuia, nec ros veniat ſuper eos , quia ceciderunt ibi fortes Iſrael,contra Deum nihil dixiſse, neque hanc deteſtationem in Deum ſpectare. Hoc declarato, verba ſunt aperienda : Primum vt ait Auen Eſra,cupit diem qua in lucem editus eſset, aboleri,in nulla memoria eſse,noctem item. Eſt autem Hebraicè futurum pro præterito,vt vult Rabi Moſes,vt ſit ſenſus,vtinam dies illa perijſset,qua ſum conceptus: vtinam nũquam dies illa natalis fuiſset. Abraham autem, quod fit ſimiliter apud Hebræos atque Græcos, futurum vult eſse pro optatiuo: Sed illud Rabi Moſis vehementer accommodum, vt maledictio cadat ſuper id,quod tunc eſset,non in præteritum,quòd nuſquam extet. Deſiderare,enim vt pereat dies, qua natus ſis, eſt deſiderare vt pereat,quòd nuſquam eſt . Igitur dicit vtinam illa dies nunquam fuiſset,qua ſum conceptus,quæ ſi non fuiſset, ad tantos labores non veniſsem. Quod ſi ad præſens referas,aut erit idem ſenſus,aut vult diem illum eſse inglorium, ignobilem,de numero dierum tolli,vt cum ſit vnus è ſeptem,hebdomas vna die careat:Aut quoniam ab orbe cõdito,tempus confectum eſt ex vnaquaq; die,nulla res fuit vnquam,quæ ſuum natalem diem,annum conficientem non habuerit, quod vſque ad hæc tempora peruenerit , optat diem illam ex anno,omniumque dierum ſerie eximi,ut dies qui intercalares uocantur,cùm è duobus fit vnus, aut unus obliteratur,neq; explet numerũ.Sed quoniã huic diei optat etiam tenebras,& caliginẽ, id autem fieri non poteſt, quoniam præteritum, nullam, pręterquam in animo & mente numerante,habet ſubſiſtentiam:videtur illud Rabi Moſis eſse probabile,vt ſit hic futurum pro pręterito, vt, Tunc cecinit Moſes , Hebraicè eſt futurum ישיר iashir . Tunc ædificauit Salomon, Hebraicè יבנה ibneh , futurum . Similiter nunc, יאבד יום אולד בו Iobad iom iualed bo , Perijſset dies illa qua natus ſum. Olympiodorus quidem dicit eum maledicere rem οὐχ ὑφεστηκὸς non ſubſiſtentem, doloris magnitudinem exprimens , nullam in rem pręſentem, maledictione cadente . Sed mens reſpicit tempus illud , & illud pręſens , quo conceptus & editus eſset . Et bene etiam dicit Chryſoſtomus, eum non diem maledixiſse , ſed id, quod fiat in die: ſicut dies mali dicuntur , & dies boni:dies albo lapillo ſignandus. Atq; quod ſuperius dicebat Auen Eſra , quòd ſi in die cõceptus eſſet,perire hanc optet, ſimiliter noctem,ſi noctu, poteſt iuxta Hebraicum , quod noſtra tralatio ſequens Symmachum exprimit,primum pertinere ad natalem diem, ſecundum ad conceptum. qui plerumque fit noctu,vt natiuitas diei tribuatur , ſeminatio nocti . Nam & Symmachus ἐν ᾗ ἐκυήθη ἄνθρωπος , in qua conceptus eſt homo . Porro pro homine expreſſius eſt Hebraicè גבר gaber,maſculus,vt ſpectet ad ipſum Iob. Chaldæum autem dicentem,Pereat Angelus

vel

Hebræi exiſtimant Iob male de prouidentia ſenſiſſe.

Maledicere diem natiuitatis ſuæ, quid.

Virtus nõ eſt in ſenſuum alienatione.

vel nuntius, qui præfectus eſt conceptui nocturno, non puto ſuperſtitioſe aliquid ſentire: ſed nuntium tranſtuliſſe eum, qui nuntiet conceptum nocturnum, cuius rei cognoſcendæ, fortaſſe periti tunc eſſent. Is pereat inquit, qui patri meo, quaſi felix aliquid nuntiaturus, prædixit, genuiſti filium maſculum, prolem maſculam ſuſcipies. Secunda deteſtatio eadem eſt, atque prior, ſed varijs verbis. Nam quòd eadem velit inuolui caligine, videlicet, illa cupit caligine, quæ rerum eſt carentia. Priuatio omnium rerum, quales tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Olympiodorus tamen, & hunc non aſpernandum adhibet ſenſum, interemptionem diei eſſe noctem. Si nox, dies illa fuiſſet, dies non fuiſſet: dies dici non potuiſſet, ſicque perijſſet, intercepta nocte, continuataque priore cum poſteriore, non interlucente die. Sic deprecatur, ne Deus eam requirat deſuper. Omnes enim dies, omnia tempora ſunt in numerato apud Deum. Nullum eſt temporis momẽtum, præteriti, præſentis, futuri, quod non ſit ante oculos eius. Deprecatur ergo, cùm ſint omnia tempora in mente ſummi Dei, illam obliterari diem, è memoria eius, numeroque totius temporis, deleri. Hier. id volens exprimere, licet non eſſet in Hebraico, appoſuit. Et non ſit in recordatione. Eadem repetitio, obſcurent tenebræ, & vmbra mortis, id eſt vmbra mortifera, horrida, tenebroſa, letalis, inferorum denſiſſimarumq; tenebrarum nuncupatio. Sic tertia παλιλογία, occupet eam caligo: quæ tribus nominibus idem præpollentibus, optimè à tribus declaratur. Nam Aquilas νέφωσιν, nubilum, denſitatem nubium. Symmachus ἀχλυὺ caliginem, quem noſter eſt ſecutus: Theodotio γνόφον, tenebras, opacitatem tranſtulerunt: pulchre omnes, & pulcherrime noſter. Sicque dies illa interficitur, tollitur è medio omnibus modis à Iob. Quodque noſter dixit. Inuoluatur amaritudine, eſt Hebraicè. ויבעתהו כמרירי יום iebaatuhu chimrire iom. Quod eſt. Exterreant eam amari dies. Nomen ergo mererim, alij dixerunt apud Hebræos, nomina dæmonum meridianorum: Auen Eſra dicit eſſe חוזק החום kozek hachom, caloris vehemẽtiam, vehementiſſimum æſtum, incendium, cauma diurnum. Sciendum hoc nomen duobus modis poſſe legi, vt ſit vna dictio, kameririm, aut ſint duæ, ca Meririm. Prior, vt ait Abraham, ducitur à Camar. incendere: Secunda deſignat amaros, amaritudines. Iuxta primam Auen Eſra vocem interpretatur æſtum, incendium, Abraham, Moſes & quidam alij, vapores accenſos tanquam è fornace aſcendentes, vt Iob imprecetur. Sit dies illa ardẽtiſſima, vapores, ac nubes eam exterreant, turbulentamque faciant, attonitam, nubilam. Iuxta ſecundam dictionem, ijdem explanant amaros, vel amarum diei, eos, qui genus omne calamitatum ſunt experti: quibus triſtiſſima dies fuiſſet: è quibus exemplum ponit Chaldæus Hieremiam, quando ingemuit ſuper euerſione templi: Et Ionam, quando proiectus eſt in mare Tarſis. Talis, inquit Iob, ſit dies illa, ſit mœſtiſſima, ſit plena mœroris: exterreant, maledicant, inuadant eam amari animo, vel amaritudines, maledicatur, ſicut hi, qui maledicunt diem ſuum & ortum, aut diem, in qua clades vlla acciderit eis. Sic alio in loco, dicitur. Morſu amariſſimo, vbi eſt meriri. Quod peſtilentiam nonnulli Hebræi exponunt. Hæc ergo omnia ſenſit Hiero. diuerſis verbis exprimens, quod eſt in Hebraico. Sept. pro meriri, eodem ſenſu, tranſtulerunt καταράσαιτο αὐτὴν ὁ καταρώμενος maledicat eam qui maledicit. Quanquam hunc Græci Deum exponunt, qui poſſit ſolus maledicere: ſed ad mæſtos pertinet. Eadem ferme iterat de nocte, qua plerunque fiunt conceptus humani, fitque generatim ſeminatio: vt ſit tenebroſa, turbida, horrida, maledicta, indicibilis, execrabilis, deteſtabilis. Sic repetitur, vt ne ſit in menſibus anni, nullum inter tempora locum habeat, deleatur ex annalibus, ex omni tempore: ſit ſolitaria, nullum in ea animal incedat, magis apta morti, quàm vitæ: refugiant omnes mortales ire per eam, ſicut poeta, noctem miſeram deſcribens.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando,
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare laborem?

Talem fingebat noctem conceptus ſui, Iob: lachrymoſam, funeſtam, ſine lætitia, imo lachrymarum, lamentationumque redundantem. Sic iteratur, vt maledicatur à deſperatis, ab his, qui lucem execrantur, Inuiſam cupiũt quàm primum erumpere lucem; quique dicunt, ò diem atram, infauſtam, qua lucem aſpexi. Quod verò ait, Qui parati ſunt ſuſcitare Leuiatham] Duę ſunt apud Hebræos ſententiæ, prior, quòd leuiatan, nunc non ſit nomen piſcis, vaſti, immanis, ſed deſignet potius luctum, gemitum. Eſtq; vox ſimplex, leuia deſignans, vt ait Auen Eſra אבל planctum, luctum. In relatione ad numerum multitudinis, Leuiatan, luctum ſuum ipſorum. Quo loco ait Auen Eſra, eſſe nun, loco mem? Dicendum enim fuiſſe leuiatam. Agnoſcuntque Hebræi ad hãc vocem apud maiores ſuos, in Talmud Hieroſolimitano. Mulier non ſuſcitet luctum ſuum in die feſto, vbi pro luctu ſuo, eſt leuiathan. Maledicãt ergo hi, qui parantur ad luctum, quibus funeſta clades, lachrymiſque plena impendet. Alius eſt ſenſus, vt leuiatan ſit nomen piſcis immanis, qui Græcè, propter corporis magnitudinem, dicitur κῆτος, cetus, vaſtitas, magnitudo: Cetumque tranſtulerunt Septua. Is piſcis omnium eſt immaniſſimus, infeſtus ſi quando apparuit gentibus & locis, prohibens nauigationes, infinitaque mala perpetrans, in quem nautæ cùm inciderint, eos maledicere diem, quą nauim aſcendiſſent, neceſſe eſt: turbati, męſti, lachrymantes: belluam immanem proſpicientes, integra nauigia abſorbentẽ, ſe autem minime effugere impetum,

Leuiatan quid.

celerita-

A celeritatemque valentes. Vt autem ſit hoc clarius, proponam pauca ex his, quæ de immani tempeſtatis ſuæ ceto, ſcribit Procopius, in propontide, ante Byzantium ſæpe apparente. Primũq; refert belluam, plus quinquaginta annos, Byzantium vicinaq; loca infeſtaſſe, non quidem ſemper, ſed certis temporibus: tum addit. καὶ πολλὰ μὲν κατέδυσε πλοῖα, πλῶ δὲ τοὺς ἐπιβάτας ξυνταράττοντε καὶ βιαζομένον ὡς ἀπωτάτω ἀπήνεγκεν, ἐν ταῖς ἁμάξαις ἐνθέμενοι, εὕρισκον μήκους μὲν πηχῶν μάλιστα τριάκοντα ὄν, εὖρος δὲ δέκα. Et multa quidem nauigia demerſit, multos nautas, turbans, & inſtans violenter, longiſſime fugauit. Denique captus, & carris impoſitus, longitudine triginta cubitorum, latitudinis decem, inuẽtus eſt. Iure igitur Iob, cui notum erat mare Perſicum, homines mœſtos requirens, adhibuit eos, qui in hanc fatalem beſtiam, quam in ſe ſuſcitant ingreſſi mare, incidant. Suſcitare refert Auen Eſra, quòd tempeſtate demerſi, eorũ corpora prouocant belluas ad deuorandum. Nam cetum etiam ſcribit Procopius multos delphines deuoraſſe, vt multo magis homines. Sunt Hebræi, qui paratos vel futuros ſuſcitare Leuiathan, interpretentur virtutes quaſdam ſupernas, quæ ſolæ poſſint ſuſcitare & capere Cetum. Quicunq; autẽ ab his maledictus ſit, maxime maledictus ſit, neceſſe eſt. Priores duæ ſunt veriores ſententiæ, magiſq; naturales. Huic ſenſui quem dixi, conforme eſt, quod Græci, qm̃ Sept. pro eo, quod noſter, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan, dixerũt ὁ μέλλων τὸ μέγα κῆτος χειρώσασθαι. Qui capturus eſt magnum Cetum. Hunc capturum, Chriſtum interpretantur, cetum diabolum. Quod allegoricum eſt, non ex textu & vero fonte: dicat Burgenſis quicquid velit. Nicolaus autẽ dicit ſe audiſſe hãc expoſitionem: Qui orbandi ſunt de ſocietate ſua. Vere quidem Leuiathan poteſt cohęrentiam, ſocietatemq; ſonare à לויה leuia, adhæſit, Et עור orer, quòd ſonat ſuſcitare, ſonat etiam orbare, tollere. B Chaldęus tamen poſuit primum אלו יתהון aluaiathehon, fletum ſuum. Concurrunt autem ſenſus is & prior: prior apud Hebræos, Auen Eſra, Rabi Moſen magis extat. Quodque ſequitur, Caligine noctis,] Hebraicè obſcurrentur ſtellę נשפו niſpo, crepuſculi eius, quando ſidera incipiunt radiare, licèt Hebræi crepuſculum noctem interpretentur. Sit inquit ſine ſideribus nox illa, ἀσέληνος, vt ſi etiam expectetur lux cęleſtis aſtrorum, Solis, Lunæ, non appareat, diffugiat lux in ęternũ, nullam videat auroram, aut palpebras auroræ, vt ait Hebraicum, Qñ, croceum linquit aurora cubile, incipitq; aperire oculos. Extulit os ſacrum poeta de lucifero dixit. Reliquitq; palpebrarum metaphoram Hierony. ſicut & Sept. quod fortaſſe non æque pulchra latinis, & Gręcis foret, ſicut nec Latinis, quod Homero pulcherrimum ῥοδοδάκτυλος ἠώς. roſidigita aurora: Sic Iob, velut poeta dedit auroræ palpebras. In illum ergo diem omnia refert accepta mala, non quidem Aſtrologicè, ſed quòd ille dies principium fuerit vitæ: Quo potuerit claudi hoſtium vteri materni, quo portabatur, nec amouerit, clauſo itinere, quo venit in vitam, tot clades. Sic hoc reddens clarius repetit rogans, & optans cur non extemplo natus, extinctus fuerit, ne veniret ad auras, cur à vulua, vel à foribus vuluæ, licet in vulua Hierony. dixerit, non perierit, vuluam egrediens aut egreſſus, ſimul interemptus. Etiam cur genua mulieris obſtetricis, eum cõplexa fuerit, tenentis inter genua, cur exceptus, & lactatus. Principium enim & progreſſum totius natiuitatis perſequitur; quoniam ſi ea non fuiſſent, nunc letali ſomno ſopitus quieſceret: nullus in eo præſentium malorum ſenſus eſſet. Sed cum regibus quieſceret, quoniam in morte eadem omnium eſt mortalium conditio. Mors æquo pulſat pede, pauperum tabernas, regumq; turres. Omnes æquales ſunt apud manes, ſimilis pauper ac diues, felix quondam & calamitoſus. C In caterua regum interſunt pauperes, eiſdem in campis omnes. Idem pauperrimus Irus, & Crœſus ditiſſimus, ſimilis Therſites, quo non deformior alter, venerat ad Troiam, atque Nireus, formoſiſſimus. Cum his ait eſſem, nunc miſerrimus, tunc regibus & principibus, vtcumque par. Principibus inquam, qui domos aureas, vt Nero ædificaſſent: vt famam latius propagarent, in locis prius incultis, ſtatuere vrbes, autores vrbium conditarum. Quod gloriæ eſt & famæ, vrbẽ præclaram ſtatui, mea męnia vidi. Cum his famigeratis regibus eſſem: cum Nino, Semiramide, qui præclaras vrbes erexerunt. In cœtu tantorum eſſem; idq; quo ad mortem, non quòd vt Hebræi monent, nullum putaret eſſe diſcrimen poſt mortem, inter bonos & malos: cum principibus argento & auro ditiſſimis, nec mihi mea noceret paupertas, nec arcerer procul pauper. Ideo ne fuiſſet illa dies. Repetit etiam eadem animo. Cur non fuerit abortiuus, terra ſepultus, ex oculis amotus. Primum enim conceptum, tum partum deteſtatus fuerat, nunc abortiuũ inducit, & infantes natos, ſtatimq; extinctos. Ibi ſcelerati & impij, viribus deſtituti iacent. Non in pauperes impetũ faciunt, nõ perturbant pios. Furor eorum, rabies & ſuperbia deferbuit: cum ſuperbiſſimis illis, humillimus ego & abiectiſſimus eſſem, quorum ſuperbia minime noceret. Illic ęquali in loco ſunt ſuperbiſſimi ac robuſtiſſimi quondam, atq; deiecti, imbecilles, debiles. Sic, qui erant carceribus, à duris exactoribus vincti, nõ diuturnitate carceris exterriti vexabuntur. Sine moleſtia ſunt ibi, ſine dolore. Sic liberi & ſerui, ſeruitute liberati. Si hæc ita habent inquit, Cur nati ſunt miſeri, qui nõ nati, regibus & principibus ęquales eſſent? Aut repetit lamentationem. Nunquã naſci debuiſſe miſeros & calamitoſos. Abrahamq; ſic inducit loquentem Iob. Atq; equidem neſcio, cur Deus, qui ſumme bonus eſt, dederit lucem, ei cui clades, & miſeriæ parabantur, vt optaret mortem non venientem. Et qui ſic afficiendi eſſent, vt lux eſſet eis odio, fruſtra certe ſunt nati, vt mirus ſit is, qui dederit vitam. Vbi autem noſter interpres dicit, Quaſi effodientes theſaurum.]

Clarius Hebraicè ויחפרהו ממטמונים vaiachperùhu,mimatmonim,Quod eſt,Et effodiunt eam de abſconditis,Senſusque iuxta Hebræos eſt,indagant mortem,ſcrutantur eam vbique. Fodere enim D Theſauros Hebræis eſt ſcrutari intime, Græcis μεταλλῶν,vnde metalla effoſſa. Nec ad theſauros ſpectat, ſed ipſam quæſitam, optatamque mortem,vt declarant ſequentia, & vt ipſa noſtra tralatio limpide docet. Itaque lætati cum repererint mortem,libenter eunt in diſcrimen, libenter occumbunt.Quod quidem in paucis eſt,& his tantum,qui Inuiſam,quàm primum cupiunt, abrumpere lucem, Et qui ingemuere reperta. Et qui dicunt, Heu me fata impia tangunt. Hi lætantur adueniente morte, inuento ſepulchro. Relicto autem numero multitudinis, ad ſingularem tranſit. Hoc inquit accidit,hæc cupiditas,miſeranda,lachrymandaque lætitia, viro cui via ſua abſcondita eſt,cui nullum patet malorum effugium,non habet vnde clades oblatas euitet: aut cui incerta eſt vita,illaqueatus eſt,irretitus,malis impeditus. Non poteſt procedere. Nihil aſſequitur eorum,quæ cupit. Sicque exponunt Hebræi. Et quod ſequitur, declarat, Quod circundederit eum Deus tenebris,inuoluerit calamitate,lucem ſuam ſubduxerit. Burgenſis refert ad ipſum Iob, cui ratio vitæ fuerit ignota: qui pro cultu & pietate,clades receperit & incommoda. Videtur potius de omnibus miſeris dici,quibus nihil ſit certi,deſint vitæ neceſſaria.Tanta eſt ait Iob,magnitudo calamitatum,vt omni tempore ingemiſcam.Exordiumque cœnæ ſemper ſunt lacrymæ,imo de pectore ſuſpiria,gemitusque graues,rugitibus ſimiles.Aut ita vociferor, ſicut aquæ late reſonantes. Ingeminant ſuſpiria,ſicut labentium, liquentiumque aquarum,vt ait Abraham: Et hoc omne malum inquit ſemper, tanquam ſaxum impendens habui, vt ne tum quidem felicitate fruerer cùm maxime beatus haberer. Videbam fortunæ inſtabilitatem: Nemeſes illas timebam. Quod autem noſter per interrogationem dixit. Nonne diſſimulaui,nonne ſilui?] potius negatio expreſſa.Non E שקטתי ſacateti, quieui. Non נחתי nahti tranquillus fui. Timebat enim non propter ſe, ſed propter filios. Sic & Sept. οὔτε εἰρήνευσα, οὔτε ἡσύχασα. Et timens nunquam erat animo tranquillo. Et quod timebat, accidit, ſed alio ordine, alijsque de cauſis.

CAPVT IIII.

HOc capite dicunt Hebræi, maxime Abraham, vbi Eliphas intellexiſſet Iob, in eo errore eſſe, vt fatis omnia amandata diuina prouidentia, tribueret: voluiſſe errorem coarguere. Id quidem, vt antea dixi, aperte fictitium eſt, cùm in ea ſententia Iob haudquaquam fuerit. Eliphas autem, quòd eius erat maxime,diuinam prouidentiam monſtrauit falli non poſſe, nec ſpes noſtras eam deludere, ſed bene eſſe bonis, malis male. Quod erit clarum ex ſequentibus, primumque quod ait, Si cæperimus loqui.] Duo ſunt ſenſus apud Hebræos, propter verbum הנסה hanisſa quod ſonat, nunquid incipiemus,vel conabimur loqui: eo ſenſu,quo tranſtulit noſter. Secundum exponit Rabi Salomon, ille qui tentat, nunquid inquit, quia Deus tentauit te, defatigaberis? Sed duriuſculum eſt: Abraham vero ſic intelligit.Si tecum diſceptabimus ſuper his, ſcio quòd ægre accipies.Sed primus ſenſus eſt manifeſtus. Hocque & ſequens,eleganter & perſpicue vertit noſter. Nam Hebraicè horride. Si tentabimus loqui ad te, defatigaberis, & ſtringere, aut claudere in verbis quis poteſt? Verus eſt noſtræ tralationis ſenſus. Siquidem & Symmachus ἐαν ἀναλάβομεν λόγον μοχθήσεις, Si ſermonē aggrediemur fatigaberis.Theodotio, εἰ ληψόμεθα λαλῆσαι πρός σε, κοπιάσῃς. Si ſermonem tecum aſſumpſerimus, fatigaberis. Quod exponens Olympiodorus,Scis inquit O Iob, nunquam nos tibi moleſta fuiſſe locutos, vt te in indignationem induceremus: nunc quoniam verborum tuorum acerbitatē ferre non poſſumus, ad contradicendum procedimus. Nam cùm oporteret te creatori habere gratias, quòd te crearit cùm non eſſes, & pœnitendo eorum, quæ perpetraſſes, eum placare, nihil de eo, quod deceat cogitare, auſus es contra eum, contraque natales tuos inuehi. Hæcque dixit Eliphas neſcius eorum, quæ Iob dixiſſet. Sic Olympio. Et quod ait. Ecce docuiſti plurimos,] duobus modis pōt intelligi aut ἰρονικῶς. Ecce inquit multis pietas tua profuit: Ecce ſapientia tua: En authoritas illa grauis tua: O præclarum doctorem. Sicque expoſuit Rabi Moſes: Ceteri dicunt eſſe enuntiatiuum. Ecce quoniam cæteris longe ſapientior es, cognoui,quòd plurimos,cum peccarent,& falſis hiſce cogitationibus implicarentur,erudiſti: Et manus quæ ſunt operationum principia, ad bonum ſegnes, roboraſti. Retraxiſti ab errore multos, cùm videres vacillantes opinionibus falſis: verbis tuis confirmabas,erigebas, rectiſſimisque monitis ſtabiliebas. Sic genua labantia, à rectoque excidentia, à ſenſu vero aberrantia, corroboraſti, dicebasque eis dari mala mortalibus,propter expianda eorum delicta.Ecce nunc orationem vita deſtruit, vt iure de te poſſit dici, Facile cùm valemus, conſilia ægrotis damus. Ex his colligit Olympiodorus, præter alias virtutes, Iob etiam charitatem ſapientiamque admonendi, conſolandi, docendi, confirmandi in aduerſis, habuiſſe. Quod vero dicit, Vbi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua?]Secus Hebraicè videtur, eoq; diuerſe locum Septu. tranſtulerunt. Hebraicè יראתך בכלתך תקותך ותום דרכיך הלא Nonne timor tuus, fiducia tua? ſpes tua, & perfectio viarum tuarum? Quibus verbis, hunc adhibet ſenſum Abraham. Nonne timor tuus, hoc eſt, pietas tua, erat ſpes tua? Huic nitebaris, hæc erat ſpes tua, te fore ſemper diuitem, quod Deum timeres? fuit pietas tua

A tas tua mercenaria. Spes tua, erat perfectio viarum tuarum, Colebas Deum,ſcelere abſtinebas,
vt amplius lucrareris, vt ditior eſſes. Eſt alius ſenſus fortaſſe melior, Rabi Moſis: Cur times,cur
defeciſti, & turbatus es? cũ timor tuus,i. θεοσέβεια pietas tua,ſit tua fiducia? Hac duce mergi non
potes: Fieri non põt,vt deſeraris à Deo,in cuius cultu,ſpem tuam omnem poſuiſti: In eum debes
ſperare: tua pietas, eſt ſpes tua,confidentia tua, perfectio totius vitæ tuæ: Ea fuit omnium tuarum
virtutum complementum: Eoque turbari non debes. Non enim vidi iuſtum derelictum,&
filios eius quærentes panem. Is verior ſenſus. Hunc ergo locum non ad fontem verterunt Sept.
putantes chislathecha, deſignare hoc loco, ſtultitiam, cum teſtibus Hebræis, vt alibi, nunc ſonet
fiduciam. Itaque dixerunt πότερον οὐχ ὁ φοβὸς σοῦ ἐςὶν ἐν ἀφροσύνῃ, καὶ ἡ ἐλπὶς σοῦ, καὶ ἡ κακία
τῆς ὁδοῦ σοῦ, Vtrum non timor tuus, in dementia eſt? & ſpes tua, & ſcelus vitæ tuæ? Quorum ferè
nihil eſt in Hebraico. Rectius ergo Aquila,duo nomina, ἀφροσύνη κακία, quæ nullo pacto poni
debuiſſent, immutauit,pro primo ὑπομονὴ, ſuſtinentia,fiducia,expectatio:pro ſecundo ἁπλότης,
ſimplicitas,integritas: verusq; ſenſus eſt Rabi Moſis tantum. Nam Abraham,quodam priuato
odio videtur affectus In Iob. Sic nec Græci locum potuerunt expendere. Auen Eſra etiam dicit
kislateca, eſſe rem cui nitimur, conſentiens ſcilicet cum ſuperioribus. Huic ſenſui reſpondent
omnia ſequentia. Pietatem perire non poſſe,innocentes & rectos,id eſt ἀληθινοὺς veraces,æquos,
iuxta Sep. deletos eſſe nunquam. Hæc argumentatio veriſſima eſt. Si Deus pro nobis,quis cõtra
nos? Alia quoque collectio, Quicquid ſeminatur,metitur, fructibus,ſeminibus reſpondentibus:
Pietatem ſeminaſti,perire igitur non potes. Nam perditio,eſt fructus impietatis. Dolorem noſter
dixit, quod Hebraicè עמל amal,quod eſt,tum dolor,tum iniquitas,à qua labor,dolor: vt rectè ſit
hic pro fructu iniquitatis. Eoque explicans fructum impietatis & aduerſæ vitę,perituros iniquos
B à flatu Dei dicit,idque tropicῶs, vt ſit flatus Dei,pro ſpiritu,indignatione, impetu, animo inuehente,
impreſſionem faciente. Biſque idem poſuit duobus diuerſis nominibus Hebraicis,neshama,
ruach. Ira ferbet,ſpumat,ſpirat μέγα πνέει.& Paulus,cædes,& minas ſpirabat. Hæc ira diuina,
tempore certo & diuerſis occaſionibus ſe oſtendit: tum morbis corporis, tum aduerſa fortuna,
tum occultæ ſunt Erinnyes. Sic alias allegorias ponens,oſtendit interire ſuperbiam,iniquitatem
deleri: Omnis arrogantiæ,eſſe triſtem exitum. Rugientes leones,leænaſque & rapaces,rabidoſque
eorum dentes: indomitam ſuperbiam, inuſitatamque inſolentiam, cuius Deus ſit vltor,
intellige: Sicut ille parabolicῶs aut allegoricῶs leænam,inuidiam innuebat. Frangiturque ſuperbia,
quòd ſæpe ad miſerrimam ſortem adducitur, & abiuratæ rapinæ, prædæque abactæ deponuntur.
Leones & Pardi leænæque, vſitate rapaces crudeleſque in Theologia dicuntur. Liberauit
me dominus de ore leonis, ait diuus Paulus, Neronem deſignans. De ore leonis, libera me
Domine. Hi ſunt quos ſuperius dixerat,ędificatores iniquitatis,ſeminantes iniuſtitiã: pereuntq;
præda & robore ſuo, qui ad alienas opes anhelabant: immo rugiebant, vt leones ad gregem.
Quodque ait. Et ad me dictum eſt verbum aſconditum,] Hebraicè, quanquam idem eſt ſenſus,
habet, & ad me, verbum יגנב iegunab, ſublatum eſt, ablatum, furatum, ſi Latine dici poſſit.
Celatum eſt mihi verbum. Non ſatis percipio. Tota autem hæc eius oratio,vt ait Moſes, eo tendit,
quod per prophetiam, aut viſionem vult indicatum eſſe ſibi, iuſtitiam perire non poſſe: iniuſtitiam
extingui neceſſario ac deleri. Sed clam ſe eſſe, nec perfectè ſe aſſequi potuiſſe, aliquid
adhuc in abſtruſo eſſe, aut ſe furtiue, clam, & per ſecretam prophetiam audiuiſſe. Quod autem
C dicitur in noſtra editione, Venas ſuſurri eius] Mendoſum eſt, cùm ſit Hebraicè. Et ſuſcepit auris
mea שמץ מנהו parum ex eo. Venæ ſuſurri, nuſquam ſunt, neque eſſe debent. Omnes autem
Hebręi exponunt shemez, parum, exiguum ἀκεραῖον. Iſque locus, cùm ſit clarus in Hebraico,
& in noſtra tralatione, mendoſiſſimus eſt apud Septuag. Eoque torſit Græcos. Sed non eſt
opus proferre. Quodque noſter dicit; In horrore viſionis,] Idem fere Hebraicè, בשעיפים מחזיונות
bishipim mechezionoth, in horripilationibus viſionum, aut in viſionibus terrificis. Terrificas
autem, quia ſupra captum meum, vt ait Abraham. Exterrent enim ſæpe inuſitatæ ſpecies. Sic
ille vidit rationem prouidentiæ diuinæ: Vidit præmia: vidit ſupplicia, per prophetiam, ſed
ita obſcure, vt perfecte intelligere non potuerit. Noctu vidit cum feſſos ſopor occupat artus.
Repetit, inculcatque eandem rem multis verbis: quòd territus ſit, intremuerit, inhorruerit.
Et quòd tranſeunte ſpiritu, arrectæque horrore comę, & vox faucibus hęſit. Spiritum ſentit,
ventum illum vehementem, qui fit in aduentu numinis diuini. Sic in Elia, Moſe, in Apoſtolis:
Sic horruit Pharao & Nabuchodonoſor. Poteſt ſpiritus ipſiuſmet Eliphas intelligi. Nam Hebraicè
habet. Et ſpiritus prope: vel,ante faciem meam tranſiuit. Vt dicat receſſiſſe ſpiritum ſuum in
illo horrore: vt, Vox faucibus hæſit apud Poetas, deficiente ſpiratione ad tempus. Primum ego
probo, vt poſtea declarat. Potes ſpiritum intelligere illam imaginem, de qua poſtea: pro aura
leni pulchrè, Hebraicè דממה וקול demama vakol, vox ſilens, vox tenuis, inſomnis. Hanc ergo prophetiam
ait ſe vidiſſe,audiſſe Eliphas, hominem à Deo iuſtificari, haberi iuſtum, ſi iuſtus ſit: Nõ
eſſe Dei prauum iudicium, de bonis bene, de malis male ſentientem. Aut iuxta alium ſenſum,
& iuxta Hebræos per interrogationem. Nunquid homo iuſtior erit Deo, & creatore ſuo innocentior?
Si quid mali iuſto eueniat, nũ poterit quaſi melior ille in ius trahere Deum? & conuerti
contra creatorẽ ſuum? Aut, nunquid ſi curat homo res ſuas, filios ſuos aſpicit, bonis eorum

D conſulit, erga eos charitate afficitur: non idem faciet Deus erga homines, quos loco filiorum habet? Et, quando vidiſti bonum, cui male eſſet, malum cui bene? Num audebit, quis diuinam incuſare prouidentiam? Hunc fermè ſenſum Hebræi exhibent. Quodque ait, Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis reperit prauitatem,] Hebraicè eſt. Ecce ſeruis ſuis non credet, & in Angelis ſuis ponet laudem, vel ſtultitiam. Primum ſciendum eſt, interpretem Chaldęum, ſeruos, interpretatum eſſe prophetas: Huncque locum Rabi Moſes exponit, vt de ſeruo fideli dicatur: quemadmodum de Dauid, in omni domo mea fidelis eſt. Itaque ſerui poſſunt intelligi homines: Ac dicit Rabi Moſes locum ſic eſſe intelligendum Deum non confidere ſeruis ſuis, vt credat eis arcana ſua & cogitata: neque ſunt illi fideles domus ſuæ, quibus liceat arcana eius, & ſecreta noſcere. De Angelis ſic explanat. Ponet in eis תהלה thahola, cogitatione & ſcientia ſua, attribuat eis ſtultitiam, aut lucem. Scit eos eſſe præ ſe, infimos, minimos, imbecillos, ne attingant ad omnia arcana eius. Quia non ſunt viæ ſuæ, viæ illorum, neque cogitationes ſuæ, eorum cogitationes. Abraham vero ſic. Nonne vides, haud fas eſſe, creatum in gubernando eſſe ęreatore ſuo abſolutiorem? qui in ſupernis quidem ſeruis ſuis credet, eos à ſe perfectionem ſubſtantiamq; habere ſuam. Hoc eſt, non eſſe fas, vt vitam eorum ab illiſmet pendere dicas, vt quæ à Deo ſe teneat, à quo ſuſtineantur, viuant neceſſè eſt? Quod ſi ſerui eius, quorum gradus & perfectio, humanæ longe præcellit, non habent in ſe cauſam vitæ ſuæ, multo certe magis homines erunt ſuo creatore inferiores. Ex quo volebat oſtendere Eliphas, Deum iure omnia facere. Ad hunc etiam modum exponit Auen Eſra, & Rabi Leui. Sciendum eſt igitur, ꝙ noſter vertit prauitatem iuxta Sept. σκόλιον τι peruerſum quiddam, Hebraicè thahola, diuerſis ſubeſſe ſignificatis. Sonat ſtultitiam, prauitatem, Chaldæuſque hoc ſignificatum ſequitur pro thaholah, ponens עילא ila, iniquitatem. Sequitur Auen Eſra dicens hoc eſſe ex eo, quod dicitur. Dixi iniquis, nolite inique agere, E vbi eſt הוללים תהולו holelim theholuh. Id enim Sept. pro eo ponentes σκόλιον obliquum. Rabi autem Leui, & Abraham, ſequuntur aliud, אור or, lucem, ſplendorem, laudem, à verbo halal: Sẽſuſq; priorum eſt, vt dicatur in Angelis Deũ ponere deprehendere imbecillum quiddã, debile quiddã, quandã imperfectionem. Qui aũt lucem, prędictam vocem interpretantur, in eadem ſunt ſententia, vt negatio in duo pertineat. In ſeruis ſuis non credet, & in Angelis non ponet lucem, id eſt cognitionem, veritatem ſuam, arcana ſua. Quod ſi affirmatiue legas, ponet lucem, erit idem ſenſus. Ponet in eis lucem, ſiue laudem, gloriam, quia ſine eo nihil poſſunt, ſcientia eorum à Deo eſt, nihil à ſe habent. Quibus omnibus oſtenditur altitudo ſcientiæ, & ſapientiæ Domini, quàm incomprehenſibiles ſunt viæ eius, vt non debeant homines turbari ſuper his, quæ eueniunt, referentes omnia ad profundum illud ſapientiæ pelagus. Is eſt verus ſenſus. Neque vero de caſu Angelorum, vt arbitratur Nicolaus, eſt nunc ſermo: quoniam quod noſter dixit inſtabilitatem, in Hebraico eſt, quòd eis non credat: Viſoque fonte, intelligitur quid noſter ſenſerit interpres. Et locus bene declaratur ab Hebræis: idque oſtendit tota oratio. Si qua melior eſt ſententia, illam ſequaris. Terrenam habitationem, non ſolum de domo, ſed etiam de corpore ſentias iuxta Hebræos. Quodque ait, Conterentur velut à tinea,] declarat aſſiduum mortalium interitum, ſemper aliquid decidere. Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas, Omnia deſtruitis: Corpuſque minuitur defluens paulatim, in horas, in dies delabens, ad omnia momenta, in corruptionem tendens, Eoque corruptibilia hæc, Plato, non ὄντα, exiſtentia vocare dignatus eſt, ſed γινόμενα fientia, quæ ſemper mutentur, fiant, verum eſſe nunquam F habentia. Conteret autem, vt eſt Hebraicè, corpus eos, aut domus corruptibilis, habitatio terrena. Quodque ait. Et quia nullus intelligit,] pulchrè, quod Hebraicè, Quia nullus ponit, adduntque Hebræi, cor ſuum, Nemo eorum hæc conſiderat. De ſuperbis autem & impijs, rapacibuſque loquitur, eunt in ſua ſcelera, effrenataſque libidines, præcipites, in æternum delebuntur. His ſempiterna clades, non cultoribus Dei impendet. Hos ſcito perituros. Quodque noſter dicit. Qui autem reliqui fuerint, morientur ex eis] Eum quidem ſenſum ipſe arbitratus eſt eſſe: Hebraicè tamen clarius & melius ſic הלא נסע יתרם בם halo niſa ithram bam, nonne amotum eſt, ſublatumque reliquum in eis. Verba quidem obſcura. Is ſenſus. Vox Hebraica יתר iether, ſonat reſiduum ſuperabundantiam, ἐξοχὴν, excellentiam. Eamque pro perfectione humana accipiunt Hebręi, pro vi intelligendi, pro humana excellentia, qua differant à brutis. Exponenſque hoc Rabi Moſes, An ne vides inquit, ablatam eſſe eis pręſtantiam & virtutem, quæ in eis eſſet, vt moriantur, & non in ſapientia: vt cognoſcant & intelligant videlicet, proſpiciantque ſuum interitum? Abraham vero, ecce profecto video, maiore ex parte, generi humano ablatam excellentiam intelligendi, quod opiniones terreſtres perſequantur, vt morientes carent ſapientia, quam decuerat eos vſque ad extremum retinere. Eadem ſentit Rabi Leui, Auen Eſra vero, ſuperiorem vocem iether, quod eſt, redundãtia, putat nunc, ſicut interdum alibi, accipiendam pro diuitijs. Vnde etiam Græcè πλεονεξία vt dicat Eliphas, Ablata eſt eorum affluentia, morientur, & cum eis eorum diuitiæ interibunt: Sapientia quoque vacui, quia nemo ſapiens vnquam auaritiam reginam omnium vitiorum concupiuit. Hi duo ſenſus, ſunt limpidi, ſolidi, vt vel dicat, morientur ſublata ex eis intelligentia: vel diuitiæ eos non ſequentur. Hique duo ſenſus, ex vna voce iether, dependent. Quod autem in noſtra tralatione eſt, vt

iether

A ietther ſint reſidui, & ſuperſtites eorum, ſceleratorumq́; ſtirps, quæ & ipſa peritura ſit, habet fortaſſe aliquid probabile. Mihi priores probantur, quia dicitur: Nonne ablata eſt redundantia eorum? Fitq́ue interrogatio, non pronuntiatur. Notat Nicolaus ſequens ſenſum noſtræ tralationis, in Hebræo non eſſe, ex eis, Sed ſi de ſtirpe ſermo eſſet, id illuſtraret eum ſenſum. Mihi, quæ Hebræi proponunt, maxime probantur. Chaldæus quoque priores ſenſus ponit, pro iether זכותא zacutha, puritatem, excellentiam, præſtantiam.

CAPVT V.

VOca ergo,] Audacius vbi de fine impietatis pronuntiaſſet, nunc ad Iob accedit: attingens eum priuate: & ab vniuerſali ad particulare orationem redigens. Proponit autem Rabi Moſes hæc verba in hunc modum. Voca inquit in hac lamentatione tua, in hac diſceptatione, qui tibi ferat opem verbis ſuis, & ad aliquem è ſanctis vertere, vt tibi reſpondeat. At Abraham, & ſi te inquit putas, attolliſq́ue te tanquam iuſtum aliquem, ſi iuſtus tibi ſicut dixiſti, videris, non te meruiſſe hæc ſupplicia putas, voce ingenti inclama, ſi ſit qui tibi ex ſupernis creaturis reſpondeat, vel ad aliquem è ſanctis vertere. Auen Eſra vero, ſi ita inquit, vt dixi non eſt, poſtula, ſi poſſis aliquem qui tibi reſpondeat, aut ex ore cuius è ſanctis, qui fuerunt in terra audiſti? Propoſui omnium ſententias, vt verum ſenſum depromerem. Igitur vt Eliphas dixit antea, ſe, per viſionem ac prophetiam, & per aduentum numinis, cognouiſſe rationem prouidentiæ diuinæ, ſic ea expoſita, rogat Iob, vt vocet, qui ſecus oſtendat, ſiue B homo ſit, ſiue Angelus, ſiue propheta. Num ſit aliquis, qui contra dicat, quaſi nullus eſſe poſſit, vt vera omnino hæc ſit ſententia, quòd malis male, bonis bene eſſe neceſſe ſit. Et quòd Deus ſit incorruptibilis, infinitæ ſapientiæ: Omnes homines bonitate, & ſapientia præcellens, clauum rectum, vbique tenens, de quo nemo iuſte queri poſſit. Poſſet etiam dici. Reſpice num quis è ſanctis perinde atque tu fertur tranſuerſus? Hoc ſenſiſſe videntur interpretes Hebræi. Voca qui me refellat, veriora demonſtret: qui tibi iuſto, iniuſtè Deum obtuliſſe hæc funera, poſſit oſtendere, qui me mendacem comprobet. Et quoniam mihi non creditur, maior homine ſit hæc approbatio. Poſtuletur igitur altioris ingenij quis. Quo propoſito, ipſum Iob aggreditur. Solere imprudentes & ſtultos, fruſtra in aduerſis calumniari Deum, qui non videant, quid mereantur, quantum à recto diſceſſerint in omni vita: Incandentes autem & intumentes furore & blaſphemia, corripi, tranſuerſoſq́ue agi, vt à furore pœnæ interficiantur. Hoc ſtultorum, & inconſideratiſſimorum eſſe. Sicq́ue exponunt Hebræi. Repetit eandem ſententiam. Et paruulum interficiat inuidia.] Quod Hebraicè limpidius pro paruulo פתי pethi, ſtultus, inſanus, deceptibilis, ſimplex: pro inuidia קנאה Kinea, zelus, furor, iracundia, impatientia, impotentia. Poſtea, vt ait Rabi Moſes, cum bonis bene, malis eſſe male neceſſario docuiſſet, reuertitur ad id, quod per prophetiam audijſſet, quod cum primis cogit de prouidentia addubitare.

Sed cùm res hominum tanta caligine volui,
Aſpicerem, lætoſq́; diu, florere nocentes,
Vexariq́; pios, rurſus labefacta cadebat Religio
C *Sed & ipſe placatus exemplo quieuit.*
Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna, tumultum.
Abſoluitq́; Deos
Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant.

Similiter Eliphas pronuntiat de his, qui florere aliquando videantur: vſus eodem, atque Claudianus nomine, משריש mashrish, radicantem, radices facientem, florentem late. Cuius mihi diſplicuit (inquit) felicitas, eamq́ue ſum execratus, quia ſcirem eam breui perituram: ſtultus autem ipſe, quia id non proſpiceret. Hæc illa diuinitus reuelata ſapientia, de ſtultorum felicitate. Maledixi autem, id eſt execratus ſum, vel agnoui maledictam, non fore diuturnam, vt ait Moſes, quoniam non ipſe ſolum, ſed tota etiam ſtirps, cum eo delebitur. Nam illi per ſe ab omni ſalute deſtituentur, & paterna nocebit eis impietas, cuius fieri non poteſt, quin ſæpe filij ſint participes, & tales ſæpenumero filios videas, quales parentes habuiſſent. Quod autem dixit, In porta] Rabi Moſes exponit coram ſenioribus, & toto populo, cùm ſolerent eo tempore ſedere in portis vrbis. Sic Auen Eſra, in vulgo, multitudine. Palam inquit omnibus ſpectantibus cadent. Nicolaus ait, à iudicibus ciuitatis, qui in porta tum ſederent. Veriora ſunt illa Hebræorum. Nam & in Pſalmo, Aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta. Quod non pertinet ad iudices, ſed totũ vulgus. Nam antecedit, & factus ſum illis in parabolã.] Quomodo locus is intelligi debeat, de filijs impiorũ, Chaldæus optime declarat, quod & ab ipſis Hebræis adducitur, & approbatur. Elongabũtur filij eius à redemptione ſæculi futuri, & cruciabuntur ſupplicijs gehennæ, in die iudicij: vt ſi non videas eos caſtigari in præſenti vita, pro certo habeas reijci pœnas in ſupremũ iudicium. Quodque ait, Et ipſum rapiet armatus,] pro armato Hebraicè מצנים mizinim, poſſunt- D que eſſe duæ partes, me, id eſt de, & zinim ſpinæ. Vt ſit ſenſus, & ipſam meſſem rapiet de ſpinis: ſicut exponit Moſes pro zinim ponens קוצים kozim, ſic etiam Abraham. Efficiet inquit Deus, vt grana cadant inter ſpinas, & inde à famelicis extrahantur: quanquam etiam adhibet ſenſum, Et ipſam meſſem rapiet is, qui egreditur de ſpinis, nempe ignobilis, obſcurus, vt oſtendat diuerſis itineribus, in impios impelli cladem: multis è locis venire fures, qui bona eius diripiant. Senſus tamen interpretis noſtri, eſt bonus. Nam & Chaldæus ponit hic duo genera latronum, eos nominibus Gręcis appellans polemoſin, & liſtim, primum ſonat bella, bellicoſos, armatos, alterum fures, qui ſecreto furantur: milites enim palam. Ad horum manus ait venturas opes impij. Rabi etiam Moſes eos interpretatur viros belli. Quodque ait, Nihil in terris fit ſine cauſa.] Hoc quidem in contextu non eſt. Eſt autem vice eius, quia non egreditur de puluere iniquitas,] Dicitur allegoricῶs, Hebreique ſentiunt, non eſſe in puluere, & in ſabulo iniquitates & ſcelera, ſed eorum fontes eſſe in hominibus. Ab his naſci peccatum, à malis cupiditatibus, & ab hominibus etiam peccata caſtigari: vt à quo natum fuit homicidium, & rapacitas ab eodem, id eſt in eadem ſpecie, ab alio iniquo naſcatur eadem voluntas rapiendi. Omnino ſentit hominũ eſſe peccata, ideo in hominibus caſtigari. Poteſt & is eſſe ſenſus quẽ noſter poſuit, ponit & Abraham, vt און auen, quod iniquitatem tranſtulimus, deſignet, vt ſæpe ſolet, laborem, pęnã, ſupplicium: vt dicat, Non naſcitur è puluere ſupplicium, ſed à Deo. Non hæc ſine numine diuum eueniunt. Eoque à Græcis dicuntur θεηλάτοι, diuinitus illatæ plagæ: veluti ſi quis diceret, Non è duro robore naſcitur homo, non è lapidibus, ſed humano ſemine. Sic ſupplicia malorum non aliunde quàm à diuinis conſilijs exiſtunt. Repetitque hanc ipſam ſententiam. Quodque addit, E Homo ad laborem naſcitur.] Reſpicit antedicta, hominem impium, ad pęnam natum eſſe, & in pęnam viuere. Aut de omnibus generatim loquitur, poſitas eſſe certas hominibus metas: reddituros eos rationem de omnibus: Vndique inſtare ſupplicia, quibus cruciemur, noſtraque peccata expiemus: Neminem adeo iuſtum eſſe, cui non impendeat poena. Imperfectionem quoque hominum declarat. Hęc humana vita, nulla diuturna felicitas: Inciſa eſt ea lex in natura, & à Deo poſita, vt ad labores veniremus. Eadem deploratio eſt apud Moſen in oratione. Quidquid mali eſt, in Deum, prouidentiamque eius referri debet, non in aſtra & fata: datur cuique quod debetur ei. Ille enim idem fecit naturam, facit naturæ miracula, omnipotens vbique. Cumque imperfectus ſit homo, cognitione breui, obtuſa, non ad gloriam, ſed miſerias naſcens, multa fieri poſſunt à Deo, quorum ille non percipiat rationem. Hac conſecutione, nectunt Hebræi locum hunc cũ ſuperioribus. Sic & Olympiodorus dicit ſenſim conſolari Eliphas Iob, eſſe vexationes & incommoda, humanam rem. Quod autem ait. Et auis ad volatum.] Pro aui, Hebraiè בנירשף bene resheph, filij resheph. Eſt autem resheph, teda, carbo ignitus, filios eius ſcintillas interpretantur, pari conditione, vt naſcuntur è carbonibus ſcintillę, ſic labores, parere, producere humanam naturam. Hæ naſcuntur ad volandum, tolluntur in altum, ſubleuantur. Eandem vocem Hier. alibi volucre, aut volatile, putauit deſignare: nempe pennas ſagittarum: Eoque hic tranſtulit auen. Quodque noſter ait, Deprecabor,] eſt אדרוש edros, requiram, quaſi me ad eum conuertam, in eum tanquam omnium auctorem & cauſam, reſpiciam: Illum omnium quæ fiant in terris fatebor autorem. Continuo, vt accidat aliquid, in eum, ſapientiamque eius reſpiciam: Magna & inſcrutabilia, ad naturalia referuntur. Proponit & res humanas, quæ & ipſę ſunt miſerabiles, & pro malignis ſunt ערומים arumim, aſtuti, Verſuti, verſipelles. Horum F proprie eſt conſilium: eos etiam Hebræi malignos, id eſt, malæ mentis interpretantur. Et pro, quod cęperant, eſt תשיה tuſia, id eſt, vt exponunt Hebræi conſilium, ſapientia, decretum, dogma, lex. Ne poſſint perficere decreta ſua & ordines, & ea quę inſtituerunt, ſolerterque inſtruxerunt. Et pro eo Chaldęus poſuit חכימתהון chakimatehon, ſapientiam, vel aſtutiam ſuam. Impedit eis manus, quæ ſunt rerum gerendarũ principia, ne ſolertiam & aſtutiam ſuam perficiant. vt nihil eis proſit hęc ſolertia, a Deo infatuata. Minus proprie hoc Septuag. tranſtulerunt ἀληθές. Eandem ſententiam multis modis repetit per exaggerationem. Tenebras autem cæcitatem eorum vocat, conſiliorum cęcos exitus. Hac ratione infatuatum eſt conſilium Akitophelis & omnium eſt mortalium conſenſus, Deum quorum velit res euertere, conſilia corrumpere. Ad eius ergo prouidentiã ſpectat, ſceleratos extinguere, pauperes ac deſtitutos ſeruare, vt tum eos ab eorum fraudibus, iniquiſve conſilijs eripiat, tum calumniis falſis. Tertia eſt prouidentię pars, quòd corripimur ab ea ſępe, & ad emendationẽ noſtrorum delictorum irrogantur ſupplicia, vt beatus ſit, qui ab eo corripitur: Interim tamen, pauperes, & ſperantes in eum non deſeruntur, quoniã ſi tanguntur ad tempus, etiam ſanantur. Quod autem ait, In ſex tribulationibus, liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.] Etiã Hebræi numerũ ſeptenarium perfectum, vſitatũq; in Theologia dicunt. Vt, ſepties cadet iuſtus, & reſurget. Septies in die laudẽ dixi tibi. Et apud nos, Nõ tãtũ ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Eſt ergo is numerus in cõſuetudine, ſicut ternarius apud Poetas.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra compreſſa manus effugit imago.

A Enumerat autem nonnulla ex his mala. Quodque ait, Abſconderis,] exponit etiam Abraham, quod in calumnia non nominaberis, non veniet in mentem tui, eius qui calumniatur. Poteſt etiã intelligi, ſi calumnia coniecta in te ſit, abſconderis, non attingeris, defenſaberis ab ea. Ea autem erit defenſio, quòd à vaſtitate, quam calamitatem noſter dicit, Hebraicè שד shod, clades, vaſtitas ruina, vnde shedim dæmones nocentiſſimi πονηρολόλεθριοι vt Græci dicunt, liberaberis à ruina quæ naſcitur à calumnia. Addit, & repetit, in vaſtitate, ſeu calamitate (nam eſt eadem vox) ridebis: Metaphoricωςque dixit, Cum lapidibus regionum pactum tuum, & in corpus tuum, ne iaciantur, ne offendas ad lapidem pedem tuum: quod omnes ruinas & caſus deſignat. Et quos dixit Lapides regionum,] eſt Hebraicè lapides השדה haſade, agri, campi, vbi lapides late iacent, lapides campeſtres. Sic etiam quas beſtias terræ dixit ſunt חית השדה chaiat haſade, beſtiæ agri, feræ campeſtres, agreſtes: feræ agri, cum quibus fædus habebis, vt plerique ſanctiſſimi, quos venenatæ ſerpentes, & truces leones, lædere non potuerunt. Obturauerunt enim ora leonum, extinxerunt impetum ignis. Dicens etiam tabernaculum, fore tranquillum, ſecurum, more Orientalium loquitur, quorum tabernacula, ſunt domus. Viſitare quoque ſpeciem, Hebraicus loquendi modus. Nam ſpeciem vocant domum opulentam, vbertatem, diuitias florentes. Et pro eo poſuit Chaldæus tria nomina, medor, bet, maskena, quæ ſonant omnia habitationem, domum. Viſitare autẽ eſt nunc gubernare: pacate inquit, & ſine ſcelere, & ſine diuini numinis offenſione, bene, beateq; gubernaculum domus tuæ tenebis. Nicolaus tamen adhibet etiam bonum ſenſum, conſiderans proſperitatem tuam non peccabis, viſitare interpretans cõſiderare. Quod quadrat. Nam & Chaldæus, pro non peccabis, dixit תשניק taſnik, offendes. Tum ſequitur, eum tranquilla ſenectute B reſoluendum: vſque ad extremum vitæ futurum beatum: non immatura morte periturum ſed ita matura, ſicut maturæ fruges in horreum reponuntur, cum eas tempus ad maturitatem adduxit. Id inquit ita eſt, & ſecus eſſe non poteſt ratione didicimus, communi ſenſu probantur, dicuntur ab omnibus, à maioribus ad nos poſteros peruenerunt. Ea tu nunc agnoſce, perſpice, ex his conſolare te, ſicut eſt Hebraicè, דע לך da lak, ſcito tibi, obſerua, conſidera. Facit autem epilogum huius capitis Abraham, ſummam reſponſionis Eliphas eſſe, omnes res humanas in particulari cognoſci, conſiderari à Deo: ſupplicia, pænaſque accidere propter peccata, etiam iuſtis: Neminem enim eſſe ſuper terra, etiam iuſtum, qui non peccet. Nocentes non diu florere, non ire in longum, ſiue iuſtorum pænas, ſiue malorum felicitatem: Hecque ſibi indicata deſuper.

CAPVT VI.

HOc capite refellit Iob, rationes Eliphas, quas procul à calamitate poſitus protuliſſet, futurus alterius ſententiæ, ſi illic eſſet, Refellitque quod dixerat. Correctionem Domini ne reſpuas, quia ab eodem ſanitas fit, atque dolor. Si enim ille ſit caſtigator, at quæ ſibi vires, vt expectare poſſit, dum deferbeat ira? minoremque ſe eſſe docet, quàm vt poſſit tempeſtati reſiſtere. Contra etiam ea, quæ dixit, clarum eſſe deleri impios & peccatores: iuſtos omni clade liberari. Hinc omnia fieri iuridice; nec ſine culpa ſæuire fortunam, nec correctiones eſſe, vbi non ſit, quod non corrigatur, Reſpondet per commemorationem humanarum C miſeriarum, pugnam, & aſſiduum conflictum eſſe vitam hominis ſuper terra: vitam eſſe breuiſſimam, homines in nihilum redigi: nemini prodeſſe probitatem, vt ne moriatur. Hocque de iuſtis qui omnino pereant, etiam cum ſua iuſtitia: de impijs quoque pronuntiat. Quòd quemadmodũ iuſtitia, innocentem & iuſtum, non eripit à morte, ſic nihil malorum accumulat peccanti: Multaque alia obijcit, quæ poſſunt facile contra prouidentiam diſputari, vt niſi maior fides, & ad alia tempora, ſæculumque futurum, cogitatio penetraret, facile potuerit Iob contra ineptum prouidentiæ aſſertorem diſſerere. Ac primum dicens, Vtinam appenderentur peccata mea, quibus irã merui, calamitas quã patior in ſtatera.] Primum ſciendum pro peccatis, Hebraicè eſſe, כעשי kaeſi indignationem, aut iram meam. Chaldæus item indignationem dixit, vertens hoc Herbaicum רוגזי rugzi, iram, furorem meum, Tum ſequitur והותי vehauathi, & calamitas mea. Quorum dictorum is ſenſus eſt, quia dixerat Eum Eliphas furore, & impotentia correptum, nunc optat compẽſari indignationem & calamitatem, oſtendens multo minorem fore indignationem, quam ruinam. Nec adeo ſe fuiſſe exacerbatum, quantum magnitudo calamitatis prouocaſſet, Mitioremque ſe fuiſſe, quam vllus mortalis, cui tantum malorum fuiſſet oblatum. Vtinam ergo ait, iſta impotentia, atque indignatio, quam mihi obijcis, cum calamitate, æqua lance examinaretur, videres perturbatione mea, longe maiora ſupplicia, vt arena maris poſſit in exemplum adduci. Is eſt verus ſenſus, quem, vt ait Burgenſis, non reſonabat noſtra tralatio. Putauit enim Hieronymus hic indignationem eſſe pro peccato, vt dicat Iob. maiora longe eſſe ſupplicia, quam peccata, quæ perpetraſſet. Sed ab omnibus reclamatur. Nam & Septuaginta ſupradictam vocem tranſtulerũt τὴν ὀργὴν iram. Et Chryſoſtomus cum Polycronio exponit hic iram, τὴν ἀθυμίαν animi conſternationem, dolorem animi, qui fit ex calamitatibus, exponenſque hunc locum inquit, In alienis malis vos philoſophamini: & procul à calamitatibus meis, ingrata mihi offertis ſolamina:

quaſi fieri poſſit,vt dolores mei ponderētur,cum arena maris minore futura,cum doloribus collata. D
Olympiodorus autem iram Dei,cum quibuſdam alijs interpretatur,quæ nūc in ipſum Iob, impetum fecerit,ſed Hebræi,vt dixi,indignationem exponunt minorem longe, quàm plagas illatas:Eoque ſequitur,verba mea dolore ſunt plena,] iuxta Symmachum λόγοι κατάπικροι, amara oratio mea. Hebraicè vero לעו làu,quod exponunt Hebræi, נבלעו niblau,deglutita ſunt,intercepta ſunt dolore,exire non poſſunt: vox faucibus hæſit,præ doloris magnitudine. Et quod ſequitur euidentius. Sagittæ Domini,] pro Domino שדי shadai omnipotentis,vaſtantis, deſtruentis. Iuxta illud pſalmi, Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Abraham quoque adhibet hunc ſenſum,dictas eſſe ſagittas Dei,ſicut montes Dei nempe ſublatos,excelſos,ingentes. Sic diuinæ ſagittæ immanes, terribiles, vt apud Homerum διὰ θάλασσα. & quod dixit Quarum indignatio,] pro indignatione eſt חמתם chamatham,fel,venenum, vt dicat quarum fel,amaritudo, acerbitas exugit ſpiritū meū. Dolor enim contrahit,ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Abſumunt ſanguinē,exorbent vires. Terrores quoque diuinos Hebræi dicunt,ſicut montes Dei,nempe immanes, ſæuos,horribiles,vaſtos. Quòdque ait, Nunquid rugiet,] Hebræi locum intelligunt, non fruſtra hanc indignationem, lamentationemque erupiſſe de pectore ſuo: non caruiſſe cauſis, quòd neque ratione carentia animalia,ingemiſcant, cum neceſſarijs potiantur: Eſſe magnitudinem calamitatis, magnorum dolorum indicium. Abraham vero,dicit Iob, hoc in amicos dixiſſe, qui tanquam paſtæ pecudes,aut aſini,non vociferarentur: Et veluti cerberus, obiecta offa latrare deſtiterint. Onagrum autem,id eſt aſinum agreſtem nominauit, animal regionibus illis aſſuetum, & pro præſepe pleno,eſt, בלילו belilo,quod fænum,& cibus eſt boum,& pecorum. Et quod ait, Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum.] Senſus eſt iuxta Rabi Moſen. Verba veſtra inſulſa quis ferat?Non penetrant in aures meas,non ſapiunt mihi, verboſe philoſophamini E
extra calamitatem,cui grata erunt,quæ dicitis inſulſa?Quod vero ſequitur. Aut poterit quis guſtare,quod guſtatum affert mortem?] Hebræi diſſentiunt. Nam ſic habet fons אם יש טעם בריר חלמות Im iesh, taam berir chalamuth. Quod eſt, Aut eſt guſtus albuginis vitelli? Dicunt ergo Hebræi apud maiores ſuos,chalmuth,ſicut Chaldæus oſtendit,eſſe ruffum oui,id eſt vitellum, album autem,ſiue albuginem vocari ריר rir: Eſtque ſenſus ſuper re inſulſa. Tale enim eſt ouum ſine ſale. Hunc ſenſum,non proprietatem verborum trāſtulit Symmachus, εἰ δὲ καὶ ἔςι γεῦμα ἐν ῥήμασι κενοῖς. An eſt item guſtus in verbis inanibus? Et Olymp. hunc locum explicans, quomodo inquit parebo veſtræ cohortationi,in qua neque probabile, neque ad conſolandum aptum quicquam ineſt?Vt enim cibus ſine ſale non comeditur,ſic verba inania audiri non poſſunt. Guſtum enim appellat, πειθὼ perſuaſionem: Eoque dicebat Apoſtolus. Verbum veſtrum ſemper ſit gratia,& ſale conditum, nempe iucundum, demulcens auditores, vlcera ſanans. Eadem fermè expoſuit Iſidorus. Quare locus eſt clarus. Ideo ſequitur. Animæ enim eſurienti, etiam amara, dulcia vidētur.] Quod & ipſum longe ſecus in fonte, מאנה לנגוע נפשי meana lingòa naphſci. Renuit tāgere anima mea, Renuit has conſolationes: Hæc veſtra philoſophia non ſapit: eam anima ita reſpuit,renuit admittere,ſicut palatum reſpuit inſulſa. Præterea ſum adeo infelix,adeo dolore ſtupidus,vt nihil ſentiam. Nihil eſt,quod reducere vulnera poſſit. Sciendum tamen ſupradictam periodon, adiectam eſſe ex gloſſa interlineari, in textu redundare. Hebreaico autem,quod protulimus,reſpōdet. Quæ prius tangere nolebat anima mea. Quod quomodo debeat intelligi expoſui: Aut quod inquit Abraham. Renuit anima mea contactum corporis fædi, fætentis. Nunc præ anguſtia cibi mei ſunt,] Hebraicè, המה כדוי לחמי Hemmah Kidue lachmi. Ipſi dolores ſunt cibus F
meus. is eſt mihi cibus, hoc alor, hoc vnum habet nunc animus & corpus:dolores, vlcera. Non eſt aliud, quod mihi poſſit offerri: Hi maxime inſtant contra. Rabi quoque Leui expoſuit,dolores carnis meæ, vt לחם lehem, cibus ſiue panis ſit pro carne. Aut quod ait Abraham, Hæ plagæ ſunt dolores cibi mei,implent cibos meos amaritudine. Sicque exponit etiam Abraham,dicens,nunc eum reuerti ad ſagittas,quæ ſint dolores,amaritudines cibi ſui, eſca ſua venenata. Sic eas dixerat prius bibere ſpiritum ſuum. Ipſe quidem Leui dicit,Ecce cibi mei præ amaritudine,non modo non ſuaues ſunt,ſed dolores mihi ſunt, & ſupplicium. Quo circa non ſentit veſtra ſolamina,fractus animus,nec gemitus iſte,cauſas nō ingentes habet, Amaritudinis omnia redundant. Locus is Græcis eſt obſcurus,& longe alius. Sequiturque cupiens è medio funditus tolli,potiorem eſſe ſibi mortem,quàm vitam,quam correctionem,has pænas: Totaque hæc petitio clara. Quòdque ait. Et hæc mihi ſit conſolatio,] Deſignat,vt aiunt Hebræi, in eo fore ſolamen ſibi,ſi funditus è medio tollatur, beatumque ſe fore,ſenſu dolorum extincto Quodque dicit. Nec contradicam ſermonibus ſancti.] Licet me conterat, euertat, gratias tamen habebo, quòd meos dolores morte interpellauerit, ſolaque in morte voluptas: mori lucrum miſeris. Et quod ait. Quæ eſt virtus mea,&c.] reſpicit quod dixerat Eliphas,ſupplicia ad correctionem dari:dicit vires ſuas,non eas eſſe, vt ſuſtinere queant tam atrocia ſupplicia, maiorem eſſe correctionem,quam vires. Quodque dicit. Et quis eſt finis?] Miſeriarum nempe atrocium nulla requies: eoque non poſſum ad hæc reſiſtere: Aut quod ait Abraham,& quis eſſe poterit finis meus,ſi produxero longius vitam?quid ad animum meum attinebit,qui ſenex ſim & infirmus, & iam capularis. Hortaris, vt bono ſim animo,redituram enim tranquillitatem. At hoc qui fieri poteſt ho-

A mini hoc ætatis? Tum videlicet redibit tranquillitas, cum in limine extremæ vitæ adſum, interea
conſumptis viribus terræ inutile pondus. Poteſt tamen אאריך aarik, eſſe quod dixit Hieronymus
vt patienter agam, deſignans plagarum, cruciatuumq́ue finem, quem ipſe neſciat, & vt dicat.
Ad cruces durare non poſſum. Quodq́ue ſequitur, Ecce non eſt auxilium mihi, neceſſarij
quoque mei,] Hebraicè per interrogationem. Nonne mihi auxilium non eſt? Hoc eſt, vt
ait Moſes, an non eſt auxilium mihi, vt non diiudicem, quæ dixiſtis, quàm recta non ſint? vt re
uertatur ad ſuperiores interrogationes. Nunquid rugiet onager, nunquid inſulſa comeduntur?
Nunquid ſenſu careo, quorſum hæc dicantur? Hunc autem ſenſum ob id proponunt Hebræi,
quod pro eo, quod dixit Hieronymus, Neceſſarij quoque mei, pro neceſſarij, תושיה thuſia, quod
vt ſuperius admonuimus, ſonat ſapientiam, legem, ſolertiam, vt dicat. Et an tuſigia, hoc eſt, ſapientia,
ſublata, exciſa, ſenſus communis, mos humanus euaſit, erupit. Neceſſarij nuſquam ſunt.
Et quod ſequitur. Qui tollit ab amico ſuo.] Etiam Hebræi ſic interpretantur, vt à noſtro tralatum
eſt. Ei deeſſe diuinum auxilium, deeſſe ſapientiam, pietatem, qui erga amicum ſuum non
afficitur, qui amici non miſeretur. Qualis ipſe Eliphas. Non eſt opus ait iſta philoſophia, miſericor
dia opus eſt, Ea vera ſapiētia, verum ſapere: Verum humanitatis exēplum: in eo homines ſumus.
In eo pietas. Qui non amat hominem, ne Deum quidem. Fratres autem, amicos innuit, non præ
ſentes ſolum, ſed plures alios, qui eum deſeruerunt: oſtenditq́ue quanta ſit hominum perfidia, Ra
ram eſſe veram amicitiam. Et quod ſequitur. Qui timent pruinam, veniet ſuper eos nix.] Hebrai
ce ſic habet, pro timent, eſt הקודרים hakoderim, quos Hebræi torrentes profundos, interpretantur,
nempè obſcuros, nigros, cælantes aquas. Eamque Rabi Moſes oīum ferè interpretū dicit eſſe ſen
B tentiā. Eſſe autē eos t℘e קרח Karach, frigoris, atros, propter profundū, tum ſuper niue incumben
te, magis abſcondi, vt illinc aquas haurire nemo poſſit. Tales innuebat Iob, phyſicis exemplis vtens,
amicos ſuos occulte præterfluxiſſe, abijſſe latentes, non apparuiſſe. Veterem amicitiam nūc
diſſimulare. Hos item torrentes innuebat, vt ait Rabi Leui, certo tempore liquentibus niuibus,
magnam aquæ vim continere, poſtea gelari. Tales fuiſſe amicos ſuos, & familiares, amantes, ob
ſeruantes quondam, poſt arefactos, diſceſſiſſe, deſeruiſſe. Item in eo exemplum, quòd hi torrentes
gelati niue deſuper tecti, quàm magis pleni fuiſſent, tam magis veniente Sole, diffluant, liqueſcant.
Tales amicos fuiſſe. Quare non eſt, qui timent. Nam ad ſuperiora inſiſtit exempla. Indi
cat animi rapidos torrentes, qui hyeme conſiſtentes gelati, tecti niue, poſtea vere nouo, cum canis
mōtibus humor liquitur, feruntur rapidi, pleno alueo. Tales illi fugerunt. Et qđ ait. T℘e quo
fuerint, diſſipati, &c.] declarat idipſum, pertinetq; ad rapidos torrentes, non eos, qui timent. Nā
tametſi koderim, interdū deſignet mæſtos, trepidantes, Hebræi tamē concorditer, atros torrētes,
& profundos interpretantur. Sequiturq; ſenſus expeditus, & clarus. Eſt enim alio ordine Hebrai
ce בעת יזרבו נצמתו beet iezorebu, nizmàthu: In tempore, diffluent, diſſoluentur, ſiccabuntur, ſine
aqua erunt, areſcent Hæc verba, primū quidem iezoruù, exponunt eodem ſenſu, licet diuerſe, cur
rent, liqueſcent, caleſcent, ſecundum nizmathu, alij diſſipabuntur, deſtruentur, alij congregabuntur
in mare ſcilicet, ſiue cateruatim aquæ ferentur & collectim. Sequitur idem ſenſus. Et cùm in
caluerit, cùm æſtas appulerit, deſtituent ſedes priſtinas, priorem alueum. Eadem reiteratio. Inuo
lutæ ſunt, ſemitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum & peribunt. Secus aliquanto Hebraicè
pro inuolutæ ſunt ילפתו ilaphetu, mutabunt, tranſibunt. Mutabunt inquit ea flumina vias, &
C curſus ſuos. Flumen, ſeu torrens amplius non erit. Vade æſtate per id genus torrentes, nihil torrenti
ſimile reperies, nihil aquæ. Factæ ſunt, (quod Hebraicè dicitur tohu) nihilum, qualis dicitur
fuiſſe terra, antequam crearetur. Erat thohu, erat nihil, ex nihilo facta eſt terra. Ante ipſam
erat thohu, ipſum nihil. Non fuit ſempiterna materia aut Chaos æternum, ſed è nihilo facta eſt.
Sic in nihilum redeunt torrentes illi rapidi, profundi, atri quondam. Is eſt verus ſenſus, & à tor
rētibus ad amicos te recipies. Inducitq; clarum & domeſticum exemplum è ſuis regionibus The
mam, quæ eſt Arabia, & ex Sabæis item, qui & ipſi Arabes ſunt. Apud hos, ſæpe fit, vt mercatores,
qui gregatim, propter pericula, eunt ad aliquem torrentem, paucis ante menſibus rapide,
plenoque alueo decurrentem, accedentes, quo ſitim & æſtum vehementem temperent, illuſi diſcedant,
ſicca omnia, & arida offendentes. Sic, & iſtud exemplum, eſt domeſticum, ſicut de onagro.
Hoc loco, toto (vt aiunt) cælo aberrat à ſenſu Hebræorum Nicolaus, quod vehementer de
miror. Quodq; ſequitur. Confuſi ſunt quia ſperaui.] Non dubium eſt, quin locus ſit mendoſus,
vt non ſit dicendum ſperaui, per primam perſonam, ſed eſt בטח batach, ſpes, fiducia, vel fidebat.
Confuſi inquit ſunt, quia ſpes erat, & fiducia, aquam inuenire: qua non reperta, illuſi abeunt. Sicque
exponit Auen Eſra, quia batach ideſt fidebat, ſperabat cor eorum. Cæteri quoque Hebręi
conſentiunt. In noſtra tralatione nullus eſt ſenſus. Quodq́ue ſequitur, Venerunt quoque vſque
ad me,] Minus & iſtud recte habet. Sed venerunt עדיה Hadea, hoc eſt, vſq; ad eas. Nempe aquas,
torrentes, acceſſerunt propius, hauſturi, ebibituri aquam, ſitim mitigaturi: nihil offendentes deluſi
ſunt. Hadea, eſt tertię perſonę relatiuum, non primę. Sicq́ue intelligunt omnes Hebręi. Ac
ſuperiorem locum bene Gręci intellexerunt, è quibus Chryſoſtomus, Olympiodorus, & Didymus,
Sic inquit, & ego ſum deſtitutus ab omnibus, perijq́ue. Nulla eſt mei memoria neque veſtigium
priſtinę felicitatis, vt nix ceu glacies à calore diſſolutę, priorem locum relinquunt, vt ne

veſtigium quidam earum ſuperſit. Ita me tanquam nũquam fuerim minime agnoſcunt amici D & conſanguinei, qui mecum dolere debuiſſent. Et quod erat antea occultum, caſus ipſe fecit perſpicuum, eos amicos non fuiſſe, ſed fictos tantum amicos. Locum igitur cognouerunt Græci. ſed poſteriorem: cùm ait, Conſiderate ſemitas Teman,] ſecus. Credunt enim hortationem eſſe ipſius Iob, ne admirentur opes humanas, opulentas mercaturas. Cui ſenſui multa refragantur. Quodque ait. Nũc veniſtis,] Hebraicè כי עתה הייתם לו ki atà heij them lo. Quia nũc fuiſtis ei. Quòd exponens Abraham. Quia inquit fuiſtis ſimiles ipſi torrenti. Tales vos eſtis inquit. Sic etiam exponit Rabi Leui: Auen Eſra vero putat dictum. Quia fuiſtis ei, ideſt in hoc loco, veniſtis, & vidiſtis plagas meas, & exhorruiſtis, retroceſſiſtis, vt qui improuiſo preſſit ſentibus anguem. Sed vterque ſenſus ſimilis. In eundem ſenſum interpretatur Chaldæus. Fuiſtis tanquam non fuiſſetis. Nempe amicitia veſtra eſt inutilis. Ecce, ait, affuiſtis, en adeſtis, & expauiſtis, vt fueritis perinde, atque ſi non fuiſſetis. Declarat quod ſequitur, eum ſenſum, Nunquid dixi, afferte mihi,] An, vt aiunt Hebræi, vnquam veſtra ſuffragia imploraui, aut petulans fui, vt poſtularem munera à vobis? Ad opem veſtram confugi, vt quaſi ſim vobis debitor, vt mihi inſultetis audacius? oſtendite veſtram ſapientiam, & vbi lapſus ſim docete, vnde hæc tempeſtas, oſtendite, qui nunc in alieno dolore philoſophamini. Et quod ait, Quare detraxiſtis,] Hebraicè נמרצו nimrezu, violata ſunt, detracta ſunt, peruerſa ſunt verba recta, vera. Poteſt & is eſſe ſenſus, quem Hebræi proponunt, vt nimrezu, ſonet vim, virtutem, vt ſonat certe, & מה ma, nunc non ſignificet quare, ſed quàm, quantum, vt dicat, Quantum inualuerunt verba recta. O quanta eſt vis veritatis, quæ vi ſua patet intelligenti. Sic exponit Rabi Moſes. Quàm ſunt valida verba vera, etiam ſine argumentatione. In verbis autem veſtris, nulla eſt perſuaſio. Nam ſi quid ſenſus, ac rationis haberent, impellerent, E mouerent. Magna enim eſt vis veritatis. Et quod ait, Cùm è vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me.] Hebraicè. Et quid redarguet, redarguens ex vobis? Quod duos habet ſenſus, eum, quem noſter interpres eſt ſecutus. Et alterum, ſi arguere, vt ſolent recentiores Hebræi vſurpare, ſonet argumentari, rationes texere: vt dicat. Et quid ratiocinabitur quis ex vobis? quòd deſit ratio diſſerendi, & veritas demonſtrandi. Deeſt argumentis tuis veritas. Vnus, idemque ſenſus. Et quod ait, Ad increpandum tantum. Eſt eadem fermè Hebræorum interpretatio: An putatis ait, arguere me, dicendo verba mea eſſe inania in quibus non ſit ſenſus? & animo veſtro confingitis, quòd quæ vociferabar, ſint ventoſa verba, verba viri abominabilis, contempti, deſperantis. Verba mea nullius eſſe ponderis. Et quod ait, Et in ventum, verba profertis,] Hebraicè ſic præciſe, Et in vẽtum, verba תפילו noash, deſperati, abominabilis. Talem eum putabant amici eius, Et verba eius ſimiliter abominanda? Ideo audacius, quẽ prius verebantur, ſuper eo philoſophabantur. Quodque ſequitur, Super pupillum irruitis.] Talis nempè erat Iob, deſtitutus omni ope. Ita in eum inuehentes, atque ſi quis in orphanum. Hebraicè, pro irruitis, תפילו tapilu, facietis cadere: Quod Abraham exponit, laqueos, ſcandala facietis cadere ſuper pupillo. Et quod ait, Veruntamen quod. cœpiſtis explete.] Hebraicè ſecus שובונא shubuna, Reuertimini, redite, reuocate. Tum ſequitur אל תהי עולה al thei aula. Ne ſit iniuſtitia, in vobis ſcilicet. Reuocate voſmet, ne ſit in vobis hoc ſcelus. Tum ſequitur, Et reuertatur etiam iuſtitia mea in ea: quod eſt, Abijcite has calumnias: ſola veritas eſto, quam certe de me facile inuenietis. Poteſt tamen ſtare tralatio noſtri interpretis. Nam Abraham exponit, Reuertimini adhuc ad arguendum me, vere & integre, profectò inuenietis eſſe iuſtitiam in eo. Ex his, & quæ ſequuntur verbis Iob apparet eum, & ſi diem natalem F ſuum optaſſet nunquam fuiſſe, contra Deum tamen & prouidentiam, nihil fuiſſe locutum, conſcius enim erat ſibi. Verum Hebraicè, pro eo quod dixit noſter. Nec in faucibus meis, ſtultitia perſonabit,] Eſt, An palatum meum non intelliget חוות hauoth, ruinas, cladem, plagas illatas mihi, Palatum autem dixit, quoniam vt ait Abraham, qui dolet, omnes cibos abominatur, dulciaq; amara ſunt. Videbitis ergo inquit, an modeſte doluerim: an ad maximas plagas conſtans fuerim, an iudicare potuerim, & rationis retinere clauum.

CAPVT VII.

Militia eſt uita hominis.] Pro militia, ſicut habet Hebraicum, pulcherrimè Sept. dixerũt πειρατήριον tentationem, probationem, Innuit omnia circunſtare nos pericula, veluti eos, qui ſunt in bello, hæc autem pericula, ſunt probationes, exercitationes. Sicut probabatur homo in paradiſo, quæ erat ſua militia, nudusque erat in acie, ſic omne hominum genus probatur in uita, tanquam in paradiſo. Sed uaria probatio, multiplex militia. Et Polycronius ait eſſe clarum & certum, uitam plenam eſſe περιστάσεων. aduertendum tamen Hebræos Paulo ſecius ſentire de militia, ut dicatur uitam eſſe breuem & ad tempus, ſicut duobus uel tribus menſibus, fit bellum, poſtea canitur receptui, ſic ad tempus uiuimus, ad tempus laboramus: tum ab Imperatore canitur receptui, domino iubente, è præſidio decedimus. Atque Rabi Moſes dicit, nunc Iob reuerti ad illam rationem, qua dixiſſet Eliphas glorioſe, iuſtis non deeſſe ſua præmia. Iob autem ait uitam eſſe breuiſſimam, quæ morbis, & incommodis uexata, & ad ſenium, aut mortem adducta, non ſit præmiorum capax, ut neſciam, qua ratione hæc à te dicantur inquit. Hunc

A ſenſum Hebræorum etiam Græci agnouerunt. Nam Chryſoſtomus διὰ τούτων οὖν βούλεται δεί-
ξαι τὸ ἐπιπόνον τοῦ βίου, καὶ βραχύ,. In his inquit, vult oſtendere ęrumnas & breuitatem vitæ. Et
quid ſonet militia, declaratur exemplo mercenarij, & ipſo pulcherrimo & aptiſſimo ad humanā
conditionem, & breue viuendi ſpatium intelligendum. Quodque dicit, ſicut ſeruus,] ſic dicen-
dum eſt, non ceruus. Hebraicè enim עבד ebed, Græce θέραπων, vmbram autem nocturnam, vt
quieſcat, ſolisque occaſum ſenties. Quodque de ipſo dicit, Sic ego habui menſes vacuos.] Eſt, vt
ait Abrahā, ſenſus, ſic ego expectaui in contrariū ſupplicia, dolores, quoniam vbi merces debeba
tur & pręmiū, datum eſt ſuppliciū. Hęreditaui menſes vacuos, tempora ærumnoſa, breuia. Breue
tempus, plenum lachrymarum, & hoc ad vitam mihi computatur. Et cùm ſpectarem meliora, de
cidi in peiora. Hęc mea merces. Sicq; enumerat ſuas miſerias. Et vbi dicit noſter, Expectabo veſpe
ram, Hebraicè שוד metior, mēſuro. tum vſque ad tenebras,] Hebraicè pro tenebris נשף neſheph,
crepuſculum, licet ſit etiam pro crepuſculo noctis. Dicēdum igitur, metior veſperam, totam no-
ctem ducens inſomnem, vt ij, qui ſunt ſummis cladibus circumuenti, expectoque mane. Et quos
dixit dolores,] ſunt נדודים nedudim, quod ſonabit, vel gemitibus, vel aſſiduis motionibus ſuper
lectulo, quando dormire non poſſumus, huc illuc corpus volutantes, nunc in vnum, nunc in alte
rum latus. Idem accidit ægrotis. Et quod noſter dixit, putredine, Hebraicè רמה rimma verme. E-
xulceratus, corroſus à vermibus, dormire non poterat. Eoque Sept. φύρεται δέ μου τὸ σῶμα ἐν σα-
πρία σκωλήκων. Miſcetur corpus in ſterquilinio vermium. Et quod dixit, Sordibus pulueris, pro
ſordibus eſt quiſquilias, furfura. Innuitq; vt ait Abraham, ex corrupto corpore labentes cruſtas,
vt in plagis, in impetigine, alopecia, elephantioſi, Hunc ſenſum etiam Septua. clare tranſtulerunt
B τήκω δὲ βώλακας γῆς ἀπὸ ἰχῶρος ξύον. Diſtillo glebas terræ, ob marcorem, eas ſcalpens. Quem
ſenſum Nicolaus nō videtur attigiſſe dicēs, quia ſedebat in ſterquilinio. Nam quod ſequitur an
tecedens indicat. Cutis mea aruit, & contracta eſt.] Quod Hebraicè ſimile fermè, cutis mea fo-
rata, & cauernoſa facta eſt: וימאס vagimaes & abominabilis facta eſt. Quod etiam exponitur ab
Hebræis, effugit, diſceſſit, ſiue, videlicet conſumpta iam & in marcorem, putridumq; humorem,
reſoluta & delapſa, ſiue cōtracta, & extenuata. Et quod infertur, quàm à texente tela ſucciditur.]
Hebraicè dicitur clarius, Dies mei leuiores ſiue velociores fuerunt מני ארג mini aregh, quā radius
textoris. Nam Abraham dicit de aregh. Eſt inquit inſtrumentum currens, in quo eſt filum, ad
texendum ſubtegmen, impelliturque à textore. Hoc ergo clarius eſt. Succiditur,] nuſquam eſt.
Atque ait vitam velociſſime abijſſe, ſed cum calamitate, clade, vexatione, nullamque ſupereſſe
ſpem amplius. Erat enim ſenex, & quod Deus ſupereſſe voluiſſet, omnibus fortunæ ictibus, fuit
expoſitum. Cōuertiturq; ad Deum, ac pro vento Hebraicè eſt רוח ruach, quod & ventum, & ſpi
ritum deſignat. Eoque dant etiam alios ſenſus Hebræi, vt ſit quale illud in Pſalmis. Spiritus va-
dens, & non rediens. Sed verior ſenſus eſt, vt ruach nunc ſit ventus. Queritur enim aduerſus id,
quod dixerat Eliphas, quomodo ad ſe poſſit redire felicitas, eaque frui, cum iam ſit capularis, à
cladibus illis accelerata morte, vt in vno menſe, quo vulneratus iaceret, totum vitæ reſiduum ſit
abſumptum: Vento, & radio citior aufugerit vita. Id ergo deſignat cum ait, non reuertetur ocu-
lus meus videre bonum, Hebraicus loquendi modus. Bonum, felicitas εὐδαιμονία priſtina beati-
titas. Hocq; uerum erat ad humanam rationem, ſed eſt ratio maior. Et quod ait, Nec aſpiciet me
uiſus hominis.] Abſumpta uidelicet iam tot cladibus uita, iam iam non erit, qui me uſquam ui-
C deat ſuperſtitem. Et oculi tui, O Eliphas, aut ad Deum ſermo eſt: circumſpicient, nuſquā me re-
periētes. Adhibet & nubis exēplum. Et quod ait, Qui deſcēdit ad inferos,] Pro inferis eſt שאול
ſeol, quod inferos, ideſt profundiſſimum locum deſignat, & foſſam, ſiue ſepulchrum. Nec dicit
ſe deſcenſurum ad inferos, ſed ſepulchrum. Sicut etiam monet Nicolaus. Chaldæus item poſuit
קבורתא keburtà, ſepulchrum. Quodque ait, Nunquid ego mare ſum?] Mare propter tempeſta-
tem exponunt. Num ait ſum mare uaſtum, latiſſimum, capax omnium tempeſtatum, capax uexa
tionum? Sic cetum dixit, belluam immanem, fortem, obſiſtentem, duram, ut in fine clarebit. Et
pro ceto in Hebraico thanin, draco, Chaldæus Leuiathan. Quo noſcis Leuiathan eſſe cetum. Et
pro carcere eſt משמר miſmar, cuſtodia, clauſtrum. Et Abraham exponit, ut capias me, ne ſubter-
fugiam clades tuas. Perfugia etiam nocturna, cùm nobiſcum requieſcentes confabulamur: & in-
ſomnia non diuinitus oblata dicit, ſed phantaſmata ſuarum uexationum recurrentium, Ingemi-
nant curæ rurſusque reſurgit ſæuus amor. Eoque optabat mortem. ſic oſſa optare mortem, oſſa-
que dixit, ut ait Abraham, quod ea tantum ſupereſſent, carne abſumpta. Quodque ait, Deſpera-
ui,] Hebraicè eſt מאסתי לא לעולם אחיה maaſtilo leolam echie, ſpreui, contempſi, recuſo. Hebræi ſic.
Et ego inquit ſpreui, uel abominatus ſum uitam meam, quia ſcio, quòd non uiuam ſemper, ideſt
non uiuam amplius: & hoc propter ſenectutem, multitudinemque calamitatum. Quomodo igi-
tur adduci poſſum, ut putem unquam affore trāquillitatem? Is eſt uerus ſenſus. Deſperaui, nuſ-
quam eſt, Quodque ait. Parce mihi] Pro, Parce, eſt חדל chadal, ceſſa, deſine, relinque: Ne mihi
ſis amplius iratus: ne me crucies. Quid enim uitæ ſupereſt? Actum eſt de me. Et quod ſubiicit.
Quid eſt homo, quia magnificas eum?] Eſt ut Hebræi ſentiunt: Cum uermes ſint homines, mu-
ſcæ, cur adeo eos attollis, ut cernere eorum facta, ad amuſimque reſecare labores, hucque altiſſi-
mæ maieſtatis tuæ oculos defigas, quaſi digna ſint, quæ à te cernātur? Perinde ſi quis contra mu-

ſcas bellum apparet. At plumbei Philoſophi, imò Philoſophorum ſimulacra, dixere Deum humana cernentem, uileſcere. Hæc eſt igitur magnificatio, quia dignum ducit ſuper eos aperire oculos. Sic locum etiam Græci intellexerunt. Olympiodorus, τὸ τοῦ ἀνθρώπου εὐτελὲς ϗ τοῦ θεοῦ περὶ αὐτὸν κηδεμονίαν. Hominis prædicat contemptibilem naturam, Dei autem circa eum, prouidentiam. Quod autem ſequitur. *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum.*] Eſt clarius, & verius quiddam in fonte. Viſitas eum לבקרים לרגעים libcarim lirgaim, ſingulo quoque mane, & ad omne momentum. Hæc verior lectio, quam credo noſtrum interpretem innuere voluiſſe. Nam regaim Hebraicè momenta & exiguæ temporis partes dicuntur: deſignatque acute, humana facta Deũ cernere, ex quo, Grecis dicitur δεινοὶ ὀφθαλμοὶ τῆς δίκης Acres oculi iuſtitię, nihil inexploratum relinquentes. Hincq; apparet Iob apertiſſimè diuinam prouidentiam fateri, licet quædam verba dixiſſe uideatur, quibus negligere eũ iuſtos aſſerat. Soluit enim ipſe ſeipſum. Viſitare autẽ, & probare uerba ſunt prouidentiæ. Eſt enim probare Hebraicè בחן bachan ueſtigare, ſcrutari, reſecare. Idque à luce, ab exordio rerum gerendarum. Quodque addit, *Vſquequo non parcis*,] Hebræi כמה לא תשעה ממני kamma lo thiſe, mimenni, Quouſque non reſpicies à me? Quando auertes acres iſtos oculos tuos à me? Quando deſinent me aſpicere? Aut, Quouſque non diſcedes a me? Nec datur reſpirandi locus? Ac ut dem uera dixiſſe Eliphas, me peccaſſe, quid tandem tibi nocui? Quid ad te attinet peccatum meum? Quod detrimentum, tibi, rebuſque tuis peccando attuli? O hominum acerrimus obſeruator, curioſiſſimus humanorũ factorum explorator. Quamobrem elegiſti me, in quem totus impetus tuus impreſſionem faceret? Scopum me tuarum ſagittarum eſſe uoluiſti, cum multa ſcelera abeant impunè, ſolum me ad dira ſupplicia poſtulaſti? Quod ſi facta humana obſeruas, & ſcis quid quiſque peccauerit: Cur ego ſolus tanta ſupplicia expendo, vt iam vitæ ac lucis, me pigeat? Tæderque poli conuexa tueri, lucemque peroſus, diffugere cupio. Quod ſi peccaui, ſi quid occultum eſt, quod te grauiſſime à me perpetratum offenderit, cur non mihi parcis, qui clementiſſimus diceris, cur non oblitteras ea crimina, vt ſit maior bonitas tua, quàm iniquitas mea? Et ſi multis peperciſti, cur item mihi nõ parcitur? Quod autem ait. *In puluere dormiam*,] pro puluere עפר aphar, limus, lutum, reſolutio omnium rerum, hyle, chaos. Quæres autem me mane, dicens, non illud mane deſignat, ſed eſt verbum שחר shichar, quod eſt, mane, tempeſtiue ſurgendo aliquid quærere, explorare, totamque diem indagine inſumere. Pro, *non ſubſiſtam*,] eſt, אינני enenni, Ego nuſquam, in nullo loco. Hæc eſt reſponſio Iob, ad compeſcendos verboſos illos idonea. In qua oſtendit, tametſi peccaſſet, tanta tamen ſupplicia ſe non meruiſſe, ſi verum ſit, propter peccata, accidere aduerſa. Et ſcriptor ipſe dixit Iob fuiſſe iuſtum, & pium: Tum quòd non dederit ſtultitiam Deo. Quod ſi iuſtus fuit, ſupereſt, vt admiremur, cur meliora malis quàm bonis dentur, cum iam ætas Iob, bona capere amplius non poſſet. Cætera quoque clara ſunt argumenta. Adhucque lis pendet, reiectis rationibus Eliphas.

D

E

CAPVT VIII.

QVod ait, *ſpiritus multiplex*,] eſt verboſus, multa vera & falſa congerens, ſic enim ipſe calumniabatur. Spiritus etiam indignans, magnum ſpirans, ſuperbe, arroganter loquens contra Deũ. Et quod ait, *Supplantat*, Hebraicè יעות ieaueth, deprauat, peruertit. Quodq; ait, *Etiam ſi filij tui peccauerunt ei & dimiſit eos, in manu iniquitatis ſuæ*] Sciendum eſt hanc orationem ſecus legendam eſſe, vt dicat. Quod ſi filij tui peccauerunt, at Deus item eiecit eos ob iniquitatem eorum. Eiecit, fugauit, pepulit ex auris, extinxit. Manus autem deſignat cauſam, medium, auctorem. Dimittere ergo שלח shalach, Hebræi exponunt abijcere manum, ſicut interpretatur Chaldæus מרדהון באתר beatar mardehõ, loco, vel propter apoſtaſiam, defectionemq; eorum. Quod autem ſequitur. *Tu tamen ſi diluculo &c.*] Tu, inquit Abraham, qui viuus remanſiſti, à plagis in manibus ſuperſtes, afflictus tamen, & cladibus circumuentus, ſi opem, fidemq; eius imploraueris, fortaſſe, ſi meritus fueris, ſi purus es, atque innocens, & ſcelere, (vt dicis) abſtinuiſti, exaudiet vocem tuam, euigilans ad te, ſeſeque excitans, & pacem dabit, ac tranquillitatem domui tuæ. Pro domo, ſiue habitaculo, Hebraicè נות neuath, quod eſt formoſum, ſpecioſumque habitaculum: Poteſtque, & pro ipſa domo accipi, vt aiunt Hebræi, & pro corpore, quod habitaculum eſt animi. Rabi Leui, habitaculum iuſtitiæ animam interpretatur, in quam inhæreat iuſtitia. Poteſt pro habitaculo & domo, vt dixi, accipi, cum qua ſunt alia ad vitam neceſſaria: Adeoque ait, domus erit opulenta tua, vt priorem felicitatem cum futura conferre non liceat. Hocque probat exemplis, & teſtimonijs antiquorum, apud quos id genus multa deprehendantur, quia nunquam viſus eſt iuſtus derelictus: Nos enim ait, iuuenes ſumus nuper nati, vita nobis breuiſſima data eſt, cum illi longæui eſſent, per quos, & ſcientiam maiorem, & maxima prouidentiæ exempla cucurriſſe, probabile ſit. Videbis hæc ſupplicia illata tibi, ſi meritus non fuiſti, ad maiorem felicitatem. Sicque melius Baldad opinabatur, ac rectius interdum iuſtis irrogari mala, ad maiorem eorum gloriam & probationem. Ex quo volebat innui, iudicia diuina, nefas eſſe ſubiacere cogitationibus humanis: quia ſæpe homines bona pro malis, mala pro bonis habeãt. Hæcq; maiorum, vt dixi, probat teſtimonijs. Nam quod noſter dixit, *Heſterni quippe ſumus*,] ſonat,

F

vt oſtendit

A vt oſtendit Hebraicum, nuper nati, iuuenes, heri exorti: ſicut apud Platonem de Gręcis ab Aegyptio ſacerdote dicebatur νεοὶ ἐςέ. Quodq; ſequitur, Nunquid virere poteſt ſcirpus?] Inducit pulcherrimũ exemplum de improbitate, quæ non diu poſſit ſubſiſtere, ſicut nec ſcirpus, ſiue iuncus, ſine humore vel terra lutulenta & humida, vt eſt Hebraicè בצה biza, creſcere, & virere, neque אחו ahu carectum, ſiue alga, aut fœnum ſine aqua. Nondum ait ſucciditur, & tamen deficiente humore langueſcit. Licet ait, non ſit, qui hæc in ipſo flore & virore legat, tamen paulò poſt interibunt, humore nõ ſuppetente. Cadunt etiam non humana manu, & cadunt ante cætera virentia, citoq; langueſcunt: Sic qui Deum obliuiſcuntur, ad tempus florentes, ſic, & omnis hypocrita, pro quo Hebraicè חנף chaneph, ſceleſtus, impius, nequam. Et Sept. tranſtulerunt ἀσεβοῦς impij. Quodq; ait, Non ei placebit vecordia ſua,] Pro placebit, clarius & manifeſtius Hebraicè יקוט iacot, Quod Hebræi interpretantur, ſuccidet, amputabit. Subducenda quoq; eſt negatio, vt quæ etiam non ſit in Hebraico. Ac dicendum. Amputabit vecordiam eius, Deus ſcilicet. Eſt tamen pro vecordia eius כסלו Kislo, quod ſonat etiam ſpem, fiduciam eius: Senſusq; eſt clarus, prior implicatior & perplexior, vt dicat, Amputabit, ſuccidet Deus fiduciam eius. Exemploq; pulcherrimo araneę, declarat, quòd omnis eius ſpes, cui nititur, ſit araneæ ſimilis, cito reſcindenda, cui plurimum niteretur, caſura breui: ſiue ſtet, non diu in loco futura, ſiue lapſabunda, nullo ſuſtentaculo ſuſtinenda. Reuerſus quoque ad exemplum floris, aut viridis germinis applicat ipſum ad hominem, beatum ad tempus. Quanquam Hebræi hoc, quod dicitur, Humectus videtur antequam veniat Sol:] de iuſto interpretantur: qui ante Solem ſit floridus, eodem exoriente, etiam floreſcat reſiſtens calori. Deinde quod ſequitur, Super aceruo petrarum radices eius,] Pro aceruo eſt גל gal, ſonat interdum aceruum, nonnunquam fontem, ſcaturiginem aquarum, radices eius denſabuntur. Smile ei, quod in Pſalmo, Erit tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum. Nam, & illic erat ſermo, de pijs, iuſtisque. Ante Solem floret, poſt Solem quoque aliud non addit, B Videtur tamen aceruum lapidum potius deſignare nunc gal, quia ſequitur ſimile. Et inter lapides commorabitur,] vt de firmiſſima, quæ quondam videbatur, radice ſit ſermo, & totum ſpectet ad impium & hypocritã: propterea, quę ſequuntur. Si abſorbuerit eum de loco ſuo.] Quaſi abſtraxerit, euerterit, in ruinam dederit. Negabit autem eum, videlicet is qui tollet, & euertet, aut omnis viator, aut ipſe locus negabit vnquam fuiſſe. Abraham tamen ſic exponit. Si ſurrexerit quis, qui velit eum eradicare, negabit eum dicens, Non ſequar. Quantum vis trahas, rapias, haud ſequar. Græci autem, de impijs, vt noſtra habet tralatio, interpretantur. Atque etiam Sept. gal, aceruum tranſtulerunt, ἐπὶ συναγωγὴν λίθον κοιμᾶται. Sequar ipſe igitur hunc ſenſum, quem oſtendunt ſequẽtia. Hæc eſt enim lętitia viæ eius. Etiã Rabi Moſes de impio ſentit, vt ſit ſenſus. Hæc eſt ratio gaudiorũ, opulentiæ, felicitatis impiæ, peribit tandem, ruinamq; dabit. Is finis, huc tendunt, huc euadunt conſilia impiorum. Et quod infert, Vt rurſum de terra, alij germinent,] Hebraicè pro, vt, eſt copula. Et de terra aliud germinabunt. Quod Rabi Moſes ſic intelligit. Quidquid repulluletex eis, ſimili ratione interibit. Significet ſimilitudo, ꝙ vt ex eis naſcantur, qui eis ſuccedant in opulentia, non ſecus tamen atque parentes, eos euertendos. Quam ſententiam concludẽs Hebraicè dicit, Ecce Deus non aſpernatur ſimplicem, innocentemq;, nec ſuſtinet manum ſceleratè agentium. Deeſt in noſtris, הן hen, ecce, habet emphaſin. Et quod infert, Donec impleatur riſu os tuum,] Aut ſcilicet ſuper euerſa impia gente: lætitiam autem eſſe iuſtis, interitum impiorũ, C theologia antiqua prædicat. Aut, quod ait Moſes, redibis ad gloriam priſtinam, & maiorem, impijs in profundum præcipitantibus: Etiam qui tibi clades attuliſſent, grauiter gementibus, vt fiat mira rerum conuerſio. Nam & Claudianus ſuper Rufini felicitate indignatus, ſimiliter concluſit.

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
-Abſoluitque Deos.
Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant.

Clara capitis huius philoſophia, etiam dictis Philoſophorum, Oratorumque, confirmata, ſæpiusque exagitata.

CAPVT IX.

HOc capite, vt ait Rabi Moſes, aperte fatetur Iob, & ſe purgat, vt ne quiſquam putet eum, deprauatum iudicium Deo tribuere. Vt autem ait Dydimus, quoniam Baldad dixerat, nunquid Deus ſupplantat iudicium? occurrit ſtatim hac reſponſione, ſibi exploratum eſſe, nihil eſſe humanam iuſtitiam præ diuina: haud tanti ponderis eſſe hominem, vt cum Deo velit diſceptare: Eoque omnem hic eſſe philoſophiam dicunt Græci. Nam ad alia ſi homo cum Deo velit agere de iure, eumque inclamare vt aſſiſtat, quis coget nolentem? vel ſi affuerit, vno tantum fortaſſe verbo ad omnia, vt ſummi principes, reſpondebit, aut ipſe reus obmuteſcet. Quid, quod fortiſſimus eſt, omnipotens, ſapientiſſimus, nos autem muſcæ, vermes? Quis ei poteſt impunè reſiſtere, ſuperbam ceruicem attollens? Cuius ne montes quidem impetum ſuſtinere potuerunt, & *magnum* (vt de ſuo Ioue dicit Homerus)

Ad nutum, tremefacit Olimpum. D
Vultu, quo cælum tempeſtatesque ſerenat,
Et ventorum temperat iras.

Dicens autem, Et neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo,] de montibus dicit: Neſcierunt autem mortales, ignari rerum tantarum diuinarumq; cauſarum. Hæc autem montium mutatio, proculdubio ea eſt, quam Ariſtoteles, cæterique Philoſophi in naturales cauſas retulerunt:

-Vidi factas ex æquore terras.
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis.

Ait Pythagoras apud Ouidium: Vt naturalia tanquam primum auctorem in Deum referantur. Poſſunt aliæ in particulari euerſiones montium intelligi, aut factæ, aut facturæ, volente Deo. Sicut ſiſtunt ad nutū eius amnes, Mare aruit. Eadem de cōcuſſa terra ſenties. Columnas aūt terrę ſenties, infimas partes, pondera ſua, ponderibus librata ſuis. Simili metaphora tribuit Homerus colūnas Atlanti, quibus cęlum, ac terras ſuſtineat. Pro columnis tamē Hebraicè עמודים amudim, dicere poſſis ſtabilitates, pondera, libramenta, baſes, fundamenta, quæ ventis quaſſata, ſupernam quoque terram commouent. De Sole ſimiliter, aut quod acciderit, deliquium horribile, vt in Aegypto, vt Chriſti funere. Et,

Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.

Aut dicit non facta, ſed facienda cùm velit, nutumque Dei, locutionem appellat, Sub ſignaculo autem claudere.] Eſt figura Hebraica, Abſcondere, celare, vt cùm litteræ obſignantur, cæteraq; E quæ abſconduntur. Chaldæus abſcōſionem, & ſigillationem de nubibus intellexit. Poteſt (vt dixi) aut factum aut faciendum ſentire. Moſes opinatur, quod nulla ratione probauerim, ſignaculum hoc ſtellarum, referri ad diuinationes cęleſtes, quas Deus abſcondat ſapientibus & Aſtrologis. Nimium hæc remota. Eſſe autem ei imperium ſuper Sole, eo probat, quòd ipſe ſolus extendit cęlum, vt ſi cælum, multo magis Solem. Hicq; latiſſime de poteſtate Dei philoſophatur. Ingredi quoque ſuper fluctus maris deſignat tum tempeſtates diuino iuſſu poſſe ſuſcitari, tum eaſdem ab eodem comprimi, turbataq; æquora placat, vt nihil præ illo poſſit tempeſtas. Quanquam putat Abraham deſignari à Iob elementorum concatenationem. Moſes tamen, quod & ego ſequor, primum præponit. Græci quoque, propter naturæ puritatem, per omnia diuinum numen penetrare. Quod autem dixit, Arcturum Hebraicè vocatur עש as, conſentiuntque Hebræi eſſe ſidus: nec magni refert, quod diuerſis nominibus, id vocetur. Fuerunt enim ex Hebræis arbitrantes eſſe ſidus in cauda arietis. Sept. tranſtulerunt πλειάδας pleiades. Arcturus dicitur à cauda vrſæ. Sidus notum, eoque in exemplum adductum. Orion quoque ſidus eſt, quod vt etiam teſtatur Olympiodorus, Arcturus item conficit, cùm ſit vnum ex ſideribus Orionis. Orionque eſt is, qui dicitur etiam Arctophylax, cuſtos vrſæ. Tertium ſidus ſunt Hyadæ, Latinis ſucculæ dictæ, ſed peruerſo nomine, vt monet Cicero. Nam cùm à pluendo ὕω à Græcis ſint vocatæ hyades, veteres Latini à ſue, qui vocatur Græcè ὗς appellatas exiſtimarunt. Memorantur igitur ſidera notiora, memorabiliora, vt qui hæc creauit, cætera quoque poſſit intelligi creaſſe. Interiora autem etiam Sept. dixerunt σημεῖα νότου Signa Auſtri, Sidera videlicet, quæ ſolum in auſtrali parte degentibus viſuntur: Eoque dicuntut Hebraicè חד רים Chadarim, quaſi cubicula intima, abſcondita: vt ſidus, quod in Aegypto ſolum incipit videri, in Europa degentibus ignotum. F Facere autem mirabilia referunt Hebręi ad quotidiana naturæ miracula, licet ad omnia alia maiora naturæ poſſit referri. Venire autem ad ſe, reſpicit, tum ad iudicium, quod ſuperius propoſuerat, Si in ius Deus euocandus ſit: tum vt aiunt Hebræi & quod Ariſtoteles, cùm ſit fortiſſimus, pulcherrimus, omnipotens, eſt etiam inuiſibilis oculis humanis, & inſcrutabilis, tranſitque per omnia non viſus: Deum namque ire per omnes, Terraſque tractusq, maris, cęlumq; profundum. Et, Iouis omnia plena. Et, Iuppiter eſt, quodcunque vides, quodcunque moueris. Tranſit igitur ante oculos noſtros, incognitus, inuiſibilis. Cumque ſit maximus, nulli tamen videtur. Quodque ait, Si repente interroget,] Pro hoc, clarius in Hebraico, יחתוף iachtoph, rapiat, abſorbeat. Et pro reſpondebit, eſt clarius ישיבנו ieshibennu, Quis inquit reuocabit, quis eripiet, cùm rapuerit, abſorbuerit ille? Idque declarat, quod ſequitur, Cur ita facis.] Quare interrogatio, & reſponſio non habent locum. Et verum ſenſum etiam Sept. poſuerunt ἐὰν ἀπαλλάξη, τίς ἀποστρέψει Si abſtulerit, quis recipiet, reducet? Sicq; quod ſequitur huic ſimile eſt. Nam quod dicit noſter, Deus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt, Eſt melius & clarius in fonte, Deus לא ישיב אפו lo iashib appo, non reuocabit furorem ſuum. Si rapuerit inquit, abſtraxerit, euerterit, nemo terrere minis eum poterit, vt abſiſtat, nec ad eorum minas, irā ſuam reprimet. Et tu vis me ad eum diluculo conſurgere. Isq; ſenſus eſt clarus, & verus. Nec irreuocabilem iram diuinam, dicit, ſed contra ſceleratos ferbentem eorum robore vinci non poſſe. Et quod addit, Sub quo incuruantur, qui portant orbem,] Pro portantes orbem ſunt עוזרי רהב ozre rahab, auxiliantes fortiter. Innuit robuſtos, validos, viribus præpotentes. Aitque Rabi Moſes. Hi ſunt magni magnorum, id eſt fortiſſimi, Hos Chaldæus interpretatur רשריא reshaia, impios, nempe ἀντιθέους, θεομάχους.

A *Et coniuratos cœlum reſcindere fratres.*
Hic, & Aloidas geminos immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperisque Iouem detrudere regnis.

Itaq; portare orbem, & ſi obſcurum erat, Gigantes tamen intellexit noſter interpres. Vehementerque miror Nicolaum hos Angelos interpretantem, cùm ſermo palam ſit, vt Chaldæus monſtrat, de impijs: meliusq; & ſi non verius Septuaginta qui portent orbem iuxta noſtrum, interpretati ſunt κήτη τὰ ὑπ' οὐρανόν. Ceti, qui ſunt ſub cęlo, nimirum vaſta, ſuperba animalia, quæ Deo reſiſtere non poſſint. Res tamen clara eſt, de arrogantiſſimis ſuperbiſſimisq; hominibus, ac Gigantibus. Et Symmachus, cuius teſtimonio iuuantur Græci, dixit ὑποκάτω δὲ αὐτοῦ καμφθήσονται οἱ ἐπερειδόμενοι ἀλαζονία. Sub ipſo incuruabuntur, qui nituntur arrogantia. Græciq; exponunt eodem ſenſu ἵνα εἴπη, ὅτι καὶ ὑπερηφάνων κατασπᾶ τὸν ὀφρύν. Vt innuat, quòd etiam ſuperbis detrahit ſupercilium. Cete quoque eodem ſenſu exponunt. Interpretatus eſt autem Symmachus ἀλαζονία arrogantiam, quod Hebraicè רהב rahab. Id enim ſonat fortitudinem, arrogantiam, ſuperbiam, quod noſter tranſtulit orbem. Eoque Auen Eſra interpretatus eſt, qui portant, viros præpotentes, ſicque infert Iob, quorum cauſa hæc dixiſſet, nimirum nihil ſe eſſe, vt velit, cum tanto contendere. Cum quo etiam ſi iuſtus ſim, haud vnquam contenderim, Auertat ipſe hanc immanem audaciam. Aut nulla eſt facultas cum eo diſſerendi, quia vt ait Abraham, etiam ſi iuſtus fuero, non reſpondebit mihi, aut non reſpondebo: neſciam quid ei reſpondeam, Forte
B etiam euertet me. Et quomodo orabo, iudicem meum, ideſt qui me ad ſupplicia deputauit, acerbaq; iudicia? Quod ſi etiam clamauero, & viſus fuerit mihi reſpondiſſe, non credam tamen eum eſſe, & ſeſe ad me, propter ſummam maieſtatem flectere. Vt dem inquit, eum mihi reſponſurum, mens tamen mea non acquieſcet, eum eſſe. Et hoc adduxit, vt ait Moſes, Propter atroces plagas, ob quas, ſæpe dubitauit, ſe Deo non eſſe curæ. Rogauerat etiam, vt eas à ſe repelleret, Propterea putabat tantam eſſe diuinam maieſtatem, tantã autem hominis imbecillitatem, vt non poſſet eſſe inter eos commeatio, & colloquium. Infertque ſimile quid, quod Ioue ad Semelem in ſua maieſtate accedente, apud Poetas perpeſſa dicitur, fulmine terrifico, & ſcintillante igne correpta. Sic vbiq; præſentia diuina apparens, horribilis fuit ſpectantibus: & in monte talis oſtendebatur, vt omnis populus intremuerit, nec auderet vlterius procedere. Tale quid memorat Iob. Nam turbo, ſiue tempeſtas eſt, quæ fit aduẽtu Dei, vt in Elia, & Apoſtolis, factus eſt ſonitus ſpiritus vehementis: Sicq; multiplicãdas ſuas plagas, dicit, quia terror & horror accedet maior: Fruſtra autem, vel ſine cauſa, quia aduentus eius nihil prodeſſet, aut non merenti graues cruciatus dabuntur. Eoq; non erit reſpiratio conſternato, pauido, ægritudinibus redundantibus. Hæc omnia dixit Iob contra Baldad, fruſtra eum conſolari, quia dixerit. Si mane ſurrexeris ad eum. Tum infert, eſt fortiſſimus, eoq; terrebor, expaueſcã, ſi eum videro, & ſi data fuerit copia fandi, quis pro me feret teſtimonium? Quis, ſi voluerit ille, me peccaſſe, contradicet pro me, mihique apud illum patronus erit, negans, quæ Deus affirmaſſet? Sic apud eum, nihil mea valebit innocentia. Quodq; ait, Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea,] Hebraicè, ſimplex ego, neſciam ani-
C mam meam, abominabor vitam meam, quod Abraham explanat, ſimplex ſum, ignoro animam meam: non video quid merear, neſcio pondus delictorum: eoq; tædium me cepit viuendi, cùm nullum pateat effugium, & neſciam cur hæc tam atrocia mala ſim perpeſſus, cùm nihil videam me meruiſſe. Adhibet & hunc ſenſum. Cùm eſſet tempus quieſcendi, ſuper cognitione ſui meditandi, afflictus ſum hiſce malis, nunc neſcio me ipſum, propter ſumma ſupplicia. Prior ſenſus probatior. Et quod ſequitur. Vnum eſt quod locutus ſum.] Hebræi ſecus locum intelligunt. Pro vno eſt, אחת achath, vna. Et non eſt, locutus ſum, Sed abſolute, vna eſt, vel vnum eſt. Explanant igitur, vt dicat, vna eſt omnium ratio, vna via, vno modo cuncta iudicantur. Non intereſt inter bonos, & malos, vt bonus, ita & malus. Hunc ſenſum declarant ſequentia. Videbat enim (quod multos etiam turbauit) eadem mala, & ſæpe grauiora tangere tam bonos, quàm malos. Et diuus Cyprianus, de peſtilentia ad eos ſcripſit, qui quererentur, eadem lue rapi iuſtos, ac iniuſtos, pulchreq; ſatisfecit. Temere autem omnia cadere dicebat Iob, dixit & diuus Cyprianus, ſed ea prouidentia, quia non curet Deus, ſi iuſti celeriter ex hac vita rapiantur, ad ſe reuertentes: ſæpe patitur, eos, aut purgare peccata, aut fieri meliores, vt maiora præmia ſequantur. Et quod addit, Et non de pœnis innocentium rideat,] Secus habet, Subducenda enim negatio, quæ in Hebraico non eſt, vt dicat, ad plagam innocentium ridebit. Hoc autem non de Deo, ſed de impio, rectius Hebræi interpretantur. Impius inquam ridet affligi, vexarique pios. Quia impius cito tollitur, Iuſtis autem eunt ſupplicia in longum tempus. Moſes tamen de Deo exponit, qui quaſi rideat ſuper iuſtis vexatis. Et conniueat, vt ait Tullius. Vtrunque probem. Septuaginta dixerunt ἀλλὰ δίκαιοι καταγελῶνται. Sed iuſti irridentur. Nempè vel à Deo, vel hominibus, potius hoc poſtremum. Quia terra data eſt in manus impij.] Eoq; dæmones principes impiorum dicantur κοσμοκράτορες, mũdi dominãtes, tenentes mundum. Quodq; dicit, Vultum iudicum eius operit.]

Innuit ipſam terram domicilium impiorum, celare oculos, tegere vultum, iudicum terreſtrium, D ne videant ſcelera cuiuſque. Hoc eſt, Terra nutrit cæcos iudices, oculos à recto auertentes. Mōſtra alit terra, corruptiſſimos iudices, in quorum manus traduntur iuſti. Moritur iuſtus, & nemo conſiderat. Quodque dicit. Quod ſi ille non eſt, quis ergo eſt?] Hebraicè ad hunc modum, ſi non hic, quis ipſe? Quod Abraham exponit, ſi ita non eſt, quis redarguet me? Quis dicet ita non eſſe? Oſtendat ſecus eſſe. Quis ipſe? videlicet negabit, in contrarium ſentiet. Poteſt, & ſic explicari, iuxtà noſtrum interpretem, & Rabi Moſen. Quis eſt horum auctor, niſi ipſe? Ergo ait, vita mihi in anguſtia coarctata eſt. Et quod addit, Naues, poma portantes.] Hebraicè ſunt naues, אבה ebe, nomenq; eſſe Hebræi aſſentiuntur à verbo אבה aba, voluit: vt ſint naues voluntatis, naues cupide, non impedite currentes; portantes eos, qui accelerent. Sic exponūt Abrahā, Leui, qui hæc ad verbum, Naues ebe ait, voluntatis, voluntarias. Nauesq; ſunt per quas, quod cupiunt, peragūt, nauigātes accelerare coacti. Hoc intelligens Symmachus, locū vertit, ἀπήλθον ὁμοίως ναυσὶ ἀπολιδούσαις. Abierunt ſimiles nauibus feſtinantibus. Chaldæus quoque dixit, ſimiles nauibus, quæ portant מגדיא migdaiia, fructus ſuaues, more mercatorum, nēpe velociſſimæ. Tranſtulit autem noſter, poma, quia ea vox ſonat arborem fructiferam, virgultum. Sed nunc ſonat expreſſe voluntatem, & è duobus ſignificatis, euidētiorē ſumas. Sicq; his exemplis, ereptam ſibi omnem felicitatem, expertem omnium bonorum ſe ſemper fuiſſe aſſerit. Et quod ſubijcit, cùm dixero, nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor.] Senſus eſt iuxta magiſtros, Si dixero, ſi propoſuero non ita loqui, obliuiſci harum calamitatum, nolle amplius in hæc verba prorumpere, & אעזבה eezba, reliquero, amandauero פני panai, furorem meum, hanc indignationem, & אבליגה abliga, roborabor, confortabor: nequaquam potero, non poſſum omittere has querimonias, non poſſum dolori obſiſtere. Apparet clarior ſenſus. Nam & ſi panim ſonat faciem & E furorem, pro poſtremo hic omnino accipiendum eſt. Tum verbum, quod noſter dixit, Dolore torqueri, proculdubio deſignat roborari. Exponunt enim ipſum Hebræi, אתחזק ethchazac, confortabor, roborabor, ipſumq; Chaldæus tranſtulit אתגבר ithgabar, roborabor, ſimiliter quod noſter, faciem meam: ille רוגזי rughſi, querelam, indignationem. Et quod dixit, Omnia opera mea,] imò eſt, עצבתי azebothai, dolores meos, vt oſtendunt ipſi, vſitatusq; nominis ſignificatus. Omnes ait dolores, & pœnas meas timeo, vt quas non modo minui cernam, ſed augeri: Itaque ad pęnas meas intremiſco, indignationem, querelamq;, hanc ſupprimere non poſſum. Sciens quod apud te nunquam ero ſine crimine, nunquam innocens, ſcelerisq; purus: nunquam me habebis innocentem. Hocq; modo, melius noſtra tralatio intelligitur, parcere eum, dixit, quod Hebraice תנקני tenakeni, purum me facies, habebis. Quodq; addit, Si autem impius ſum,] Senſus eſt: Quod ſi impius ſum, ſicut me putaſti, O Baldad, quare diluculo ad Deum cōſurgam, vt paulò ante monuiſti? Certum enim eſt Deum, iram ſuam non reuocaturum, quia ſontem, & inſontem ipſe conſumit. Cur ego vociferer fruſtraq; laborem? Si vel candore niuali extitero, & puræ, nitidæq; fuerint mihi manus, quæ opera, actionesq; deſignant: Si quicquid geſſi, fuerit iuſtiſſimum, ſordibus intinges me, pro quo melius Hebraicè בשחת תטבלני bashachath titbeleni. Ruina, interitu, perdet me, perire me faciet, licet mundiſſimum, iuſtiſſimum, abominandumq; exhibebit, & impura erunt veſtimenta mea, cùm ſim mortalis, remanens in peccatis eiſdem: quia Deus non eſt vir, ſicut ego, vt cum eo diſceptem, me defendere poſſim, meamq; innocentiam probare, vt veniamus ſimul in iudiciū. Quod ſi detur, vt in iudicium veniamus, amoueat has plagas, hunc terrorem, nemo exterreat, F tunc loquar iudicium meum cum eo. Loquar inquam intrepide. Amoto autem ſanguineo flagello, ſecurus ero in iudicio. Non enim ſic me impium exiſtimo, ſicut vos aſſeruiſtis.

CAPVT X.

HOc caput ſic hæret cum ſuperiore, quòd refert, quæ ſæpe iam eſt confeſſus: Eò ſe ob doloſum, calamitatumque præſentium acerbitatem, deueniſſe, vt lucis eum tędium iam ceperit. Tum ita ſe viuere dicit, vt ſit tanquam mortuus, quia viuat in pœna. Ac quod noſter dixit, Tędet animam meam, vitæ meæ.] Hebraicè aliquanto ſecus נקטה נפשי בחיי naketa naphshi bechagiai, perturbata eſt, & fracta, vt exponit Abraham, Anima mea, in vita mea. Quoniam in vita ſum mortuus. Et quod ait. Aduerſum me, eſt עלי ſuper me. Effundam ait, habenas ſermonis, hoc ſuperſtite vtar perfugio, quod mecum lamentabor ſuper cladibus meis. Et quod ait, Noli me condemnare,] eſt אל תרשיעני tarshieni, impium me facere, in numero ſceleratorum habere, quo mihi imponas has plagas. Tum addit, Scire velim cur in me tantopere immeritum deſæuias. An bonum tibi eſt, & dulce, ac delectabile, humana videre ſupplicia? lætari ſuper immerito gementibus? Eſtq; interrogatio, pro negatione. Et quod dixit, opprimas,] eſt, תמאס timeas, aſperneris, abijcias, abominabilē habeas, abs te creatum. Atqui omnis opifex amat opificium. Pater erga prolem, charitate afficitur. Quod autem addit, Conſilium impiorum adiuues.] Eſt, bonos atrociter perſequaris, impijs autem faueas. An bonum eſt hoc? Ac proprie Hebraicè, pro adiuues, הופעת hophaata, lucem præbeas, conſilijs impijs lucem præbeas, vt perficiant, quod conſultaſſent. Num debes falli in iudicando,

A cùm peccare & hallucinari,bonos in malis,malos in bonis habere,humanum ſit , non diuinum?
Quaſi tu mortalis ſis,non æternus,mutabilis, variæ mentis, quæ à tempore in varias ſententias
trahitur. Polychronius quoque exponit. Nonne omnia ſub oculis tuis ſunt, præſentia, præterita,
futura? Cur non, & hic eodem iudicio es? omnem angulum, omnes latebras euoluis,
vt me reum habeas,& damnes immeritum:vt hæc mihi obtuliſſe mala,fermè ſit eius,qui mores
meos,vitamq; omnem ignorauit.Et tamen ſcis me nihil impie peccaſſe.Noras etiam (vt ait Rabi
Moſes) quod mihi,ſi clades importares,nemo futurus eſſet,ꝙ me poſſet eripere.Is ſenſus melius
intelligitur ex Hebraico,pro, & ſcias על דעתך al daathecha. Cũ ſcias,noſcas:Repetitq; , quod
paulo ante dixit,Opus manuum tuarum. Quo apparet eũ & à Deo,creatũ hoĩem credidiſſe, &
aſſeruiſſe.Ac dicit eum membratim corpus feciſſe,circunducta manu:nullum eſſe membrum,ꝙ
non manu diuina (vt in Geneſi,& apud Priſcos Gręcię Theologos extat in Prometheo) id eſt,vt
ait Cornutus,prouidentia vniuerſali,ſit conſtructũ. Et quod dixit,præcipitas.] Eſt תבלעני tebaleeni,
abſorbebis, degluties me, in nihilum diſſolues. Et quod dixit,Sicut lutum,] Clariſſimum
fit ex iſto loco,non ſolis Hebræis,nec vni Moſi,res antiquas,atque mundi, hominumque creationem
notam fuiſſe. Totus enim is locus, ante Moſen, ex philoſophia diuina clarus erat. è
limo terræ factum hominem, & in puluerem (quod melius Hebraicè עפר aphar, limum, humum)
rediturum. Ac ponit totã creationem,primum,propoſita protoplaſti,quæ fuit è limo, verſa
in carnem,vt poſteritas,per ſeminationem naſceretur. Prima creatio fuit è limo, ſecunda ex ſemine:
eamque appellat coagulationem,tanquam lactis,virili ſemine rationem coaguli,cum muliebri
coagulato,habente. Quorum commiſtione fit creatio, ſicut caſeus è lacte,& coagulo. Totumq;
B fuit inuentum Dei,Et hæc etiam Græci,& Hebræi hic referunt, ac dicit Chryſoſtomus,
totum hunc locum pro me explicans.Sicut lac mulſum,inquit,fit caſeus, ſic ſemen deſtillans, &
compactum, facit compactionem, quæ dicitur embryo. Nam ſemen in aruum genitale coniectũ,
coactũ,& cõſtipatũ,vt caſeus, fit natura. Quod quidẽ poſtea informatur,& veluti charactera
accipit,humidaque natura coit,ſeparaturque ſemen,& abit in pellem,carnem,oſſa,& neruos.
Hæc,præſente anima,habẽt vitalem motum,diſcedente,ignaua remanent, Sic ille. Quodque ait.
Vitam,& miſericordiam tribuiſti.] Spectat ad animationem,poſt organum corporis.Idem Chryſoſtomus,
refert ad conſeruationem vitæ, cibos,eſcam. Sicut alibi, Qui dat eſcam omni carni.
Hæc eſt uita,& miſericordia.Hebraicè חסד cheſed,beneficium,clementia,humanitas. Viſitationẽ
autem Hebræi referunt ad ipſammet uitæ donationem,& aſſiſtentiam,per virtutes interiores:ſine
quibus vita eſſe non potuiſſet.Poteſt & ad prouidentiam vniuerſalem,& particularem pertinere.
Sentit etiam Chryſoſtomus καὶ διὰ πάντα τὸν βίον, προνοίας ἀπήλαυσα τῆς σῆς. Et omni
vita,tuę prouidentiæ fructum ſum conſecutus.Ea enim eſt uiſitatio.Quodq; ait:Licet celes hæc
in corde tuo.] Hebraicè proprie ſic.Et hæc celaſti in corde tuo.Quod Hebręi exponunt,cùm totum
in corporis,atque animi opificium ſit à te profectum, vt in hoc indicare tuam erga me benignitatem
volueris:cur ex aduerſo,inimicitiam in corde retinuiſti,diſſimulans erga me,quod à
creatione concepiſti,odium,altera manu panem offerens,altera letalẽ enſem abſcondens?Creaſti,
duxiſti,prouidiſti.Et hæc mala diſſimulaſti,proſpiciens quid factutus eſſes. Sic exponit Auen
Eſra,Moſes,Abraham,vt deſignet,aliqua delicta Iob,Deum mente retinuiſſe, quia poſt creationem
nihil ſcelerate,& impie admiſiſſet,vt neceſſario Deus eũ creando hæc cogitarit. Sæpe enim
queſtus eſt.cur Deus crearit hominem ad interitum.Quodq; addit.Si peccaui,& ad horam peꝑciſti
C mihi,] Hebraicè ſic.Si peccaui,& obſeruaſti me,& ab iniquitate mea non mundabis me? Qđ
ſic ſonat.Si vere ita eſt,vt velle videris,me peccaſſe,etiã ne oculatus eris, obſeruare ne debes, &
exacte cuſtodire me, & adamuſſim mea facta reſecare? etiam ne à ſcelere nõ me eripies? Nonne
mihi debes parcere? Hoc modo etiam Hebræi exponat, Nam Abraham,eſto (inquit) peccauerim
coram te, ſit verum me tibi peccaſſe,an fas eſt te,obſeruare me,& oculo inimico aſpicere? Et
pones me in carcerem calamitatum, quas ſuper me induxiſti? Quodque ſequitur. Et ſi impius
fuero, væ mihi.] Is eſt ſenſus,ſiue iuſtus, ſiue iniuſtus, eodem carcere grauabor: Væ mihi, vel
pio. vel impio: Nam ſi pius,ſum vexatus,laceratus, crudeliter affectus: Quid ſi impius? Leuare
caput magnitudinem ſuppliciorum indicat,ſic ſatiari ſupplicijs.Et quod addit,Et propter ſuperbiam.]
Verius in fonte ויגאה veighee. Et creſcet,augebitur,ingraueſcet, nempè ſupplicium meum,
pæna antedicta.Et quod ſequitur.Et quaſi leenam capies me.] Eſt clarius Hebraicè, שחל shachal,
ideſt leo,eſt,qui prędatur,venatur, agens non patiens, leo (inquit) irrues in me,ero tibi veluti
leoni,pręda.Et quod ait.Reuerſus mirabiliter me cruciat,] pulchre expreſſit Hebraicum.Et
reuerteris,& mirificaberis in me.In me (inquit) quotidie omnes furoris tui laxabis habenas. Et
quos dixit teſtes,Moſes,& Abraham,plagas illatas interpretantur, quę teſtes ſint,Iob eſſe impiũ
Deo inuiſum. Expreſſa ſigna,crudelia ſupplicia,notę inuſtę. Et quod dixit, pęnè militant in
me, pulchre, licet ſit Hebraicè, חליפות chaliphot, varietates,ſiue percuſſiones, ſunt velut acies
in me. Ruunt agmine magno. Sicque infert hominem adeo miſerum, & calamitoſum, Deoq;
inuiſum, nunquam naſci debuiſſe,nunquam videri, ſed natum ſubito mori, abortiuum ad ſepulchrum
portari. Fuiſſet enim tanquam non natus. Quod ſi me aliquando liberare ſtatuiſti, vt
amici pollicentur, quid vitæ ſupereſt? Nonnę breui abibo? Et quod addit, Plangam paululum

dolorem meum,] Secus Hebraicè ואבליגה מעט veabliga meat. Et roborabor paululum. Dimitte me D iam morti propinquum, vt confortcr aliquantulum, vireſque colligam, reſpirem ab his pœnis. Nam Hebræi abliga exponunt אתחזק ethchazak, confortabor, inſtaurabor. Chaldæus quoq; ſic locum vertit ואנוח זעיר va anuach zeir. Et paululum requieſcam. Quare non eſt plangam. Septuaginta quoque eodem modo ἐασόν με ἀναπαύσασθαι μικρόν. Dimitte me, vt paulum interquieſcã. Quodque ait, Et non reuertar,] Etiam Hebræi dicunt, non attendere hunc librum ad reſurrectionem mortuorum, ſed loqui tantum de hoc ſtatu. Quod autem dixit. Terram miſeriæ,] Non eſt miſeriæ, ſed עפתא ephatha, quod exponunt Hebræi tenebras, opacitatem, nam in morte, & priuatione, non eſt miſeria, nec ad miſerias ire, ſed exire volebat Iob. Septuaginta quoque dixerunt εἰς γῆν σκοτεινὴν. In terram tenebroſam. Nullum autem ordinem ibi eo dicente, temporũ, intelligendum eſt, vt Hebræi ſentiunt. Id etiam Græci agnoſcunt, Nam Olympiodorus ὅπου τάξεις ἡλίου καὶ ἄστρων οὐκ ἐστὶ, οὔτε τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Vbi ordines Solis, & aſtrorum, non ſunt, neque humanarum rerum. Et quod adiecit, Sempiternus horror.] Non eſt ſempiternus, ſed horror, ſiue caligo, vel obtenebratio tantum, ne ſempiternam mortem videatur prædicare. Eſt autem tota hæc deſcriptio, non alicuius rei, aut loci, ſed mortis, & priuationis. Sicut Poetæ deſcribunt inferos, omnia opaca, inania, vacuasq; figuras, cęlum ſine Sole, & Stellis.

CAPVT XI.

NVnquid qui multa loquitur.] In ipſum Iob dicuntur, quaſi loquacem & verboſum, pluraque de Deo, & ſeipſo repetentem quàm deceret, & longa reſponſione, aliorum ſermonem remorantem. E Nunquid (ait) credis ob multitudinem copiamque ſermonis, neminem fore, qui te poſſit coarguere, & hæc refellere, quæ iactas? An etiam putas copia ſermonis, iuſtitiæ, ſanctitatisque tibi titulum vendicaturum? Quodque addit. Tibi ſoli tacebunt homines.] Eſt, tibi ſoli מתים methim, mortales tacebunt. Nec per interrogationem exponunt Hebræi, ſed per ſimplicem pronuntiationem. Tibi vni tacebunt mortales. Ideſt (vt ait Abraham) Ecce ſentio, ꝙ propter te, & cogitationes falſas tuas, quas in corde tuo concepiſti, tacebunt homines audientes, & deridebis Deum, & prouidentiam eius. Quaſi innuat, impia eſſe cogitata, & locutiones eius, eoque homines ſuper eo ſilentium habituros. Vterque ſenſus ſtat. Et dices (ait) te mũdum, purumq; eſſe. Et quoniam optaſti Deum adeſſe tibi, vt cum eo poſſes loqui: vtinam eſſet præſens, eſſetque inter vos ſermo. Et quæ dicit, Secreta ſapientiæ,] referenda ſunt, vt etiam Hebræi ſentiunt ad ea, cur ſuper bonis cadant mala, totamque prouidentiæ rationem profundiſſimam, in multos anfractus abeuntem: Ad quam rationem, etiam diuus Paulus, O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ diuinæ: Et quod ait. Et quod multiplex ſit lex eius] Pro multiplex eſt כפלים kiphaim duplex. Et Hebraicè dicitur, duplex ad tushigia, ad correctionem, ad legem, ad ius. Atque Abraham explanat Et videres, quòd duplo magis meritus eſſes hæc mala. Quaſi duplex ſis ad ius. Duplicandum tibi ſit ius. Quanquam mihi placet ſenſus noſtræ interpretationis. Nam & Rabi Moſes explanat his verbis. Vtinam loqueretur Deus tecum, nuntiaretque tibi arcana ſapientiæ ſuæ: profecto tibi oſtenderet, occultam ſapientiam eſſe in factis ſuis: quia quicquid eſt in mundo, duplex eſt, partim manifeſtum, partim occultum: & in eo eſt ſapientia occulta, & abſcondita. Videlicet quòd prouidentia eius in rebus creatis, eſt bona, & palam: In mundo, recte & vtiliter cuncta gubernat, melioremque norimus eius ſapientiam, quàm vt poſſit noſtra mens capere. F Et quod dixit Qui multo minora exigaris ab eo.] Hębraicè ſic præciſè. Et ſcias quod tollet tibi Deus de iniquitate tua. Eſtque idem ſenſus. & quod additur. Forſitan veſtigia Dei comprehendes.] Elegantius factum. Inueſtigabis, Deum inuenies, ſi vſque ad extremum, omnipotentem inuenies. Poteſt, & hæc eſſe lectio, An inueſtigãdo, Deum inuenies? an vſque ad extremum omnipotentẽ inuenies? Hæc enim ſunt illa inſcrutabilia arcana, quæ à te reperientur. Vultque eum docere, quæ ſuperueniſſent, incommoda, habere poſſe aliquam rationem, ſed occultam, & incognitam mortalibus. Quapropter moderandum eſſe linguam. Et per quantitatem corpoream, magnitudinem eius oſtendit. Nihil eſt altius ſpacio inter cælum, & terram. Et nomen inferni, quod alias ſonat foſſam, omnino pro inferno eſt, loco ſcilicet profundiſſimo, in centro terræ. Centrum autem, eſt in tota ſphera remotiſſimum à circunferentia. Vbi eo veneris, itur in aliam partem ad circumferentiam. Terræ quoque latitudo, & vaſtitas maris proponitur, & ipſa maxima, ab Homero ob id, dicta εὐρεῖα lata, ingentia. Quodque ait, Si ſubuerterit omnia,] Pro ſubuerterit eſt, יחליף iachaloph, tranſierit, vel tranſire fecerit: Exponitque Abraham, plagas, flagella. Si ſuper humanum genus, tranſire fecerit flagellum: Aut quod noſter ſenſit, ſi tranſire cuncta fecerit ideſt ſubuerterit, coarctare quoque exponunt, velut, qui claudit in carcerem, Si quempiam, inquit, quaſi in carcerem flagellis & pœnis circumſcripſerit. Aut quod noſter ſenſit, omni mundo euerſo, vnam tantum rem ſupereſſe voluerit: Additur Hebraicè ויקהיל vehiakeil, & congregauerit, quod exponitur ab eis. Si diuulſa, diſſipata, vnum in locum renuerit. Hæc omnia, ad maximam quandam, occultamque nobis omnipotentiam, præcipue ſuper rebus humanis proponuntur: Additque, eum conſiderare quid cuique debeatur, A notàm illi eſſe vanitatem, mendaciumque humanum: eodemque reuoluitur ſermo. Hæc enim non negat Iob, ſed ſe purum, & innocentem tot malis affligi non debuiſſe queritur. Quodque ſequitur. Vir vanus in ſuperbiam erigitur,] Hebraicè habet, vir inanis, corde dotabitur, fiet cordatus. Et pullus onagri, homo natus eſt. Quorum ſenſum talem vult eſſe Rabi Moſes, Homo vanus eſt, & de corde eius egreditur iudicium peruerſum, aſinoque eſt, cùm naſcitur ſimillimus. Sic etiam Abraham putat innui, Deum eſſe perfectiſſimum, tantundem hominem imbecillum, imperitum, fermeque aſinum, educatione indigentem. Omninoque falli mortales in iudicando: non conſiderantes, quid cuique debeatur. Oſtenditurque hominem naſci ſine corde, ideſt ſcientia, ſapientia, poſtea dari ei rationem, Deum autem ſemper eſſe ſui ſimilem. Et pro ילפר ilabeb, quod noſter dixit, in ſuperbiam erigitur, Chaldæus dixit יתחכם ithchacham, fiet ſapiens, accedet ei ſenſus, eo carens cum naſcitur. Eodem ſenſu Græci, nam Didymus diuinæ cognitionis æternam ſtabilitatem, conferens cum imbecillitate humana νήχεσθαι, quod verbum eſt apud Septuaginta natare eos fruſtra dicit, non valentes omnem Dei, comprehendere ſapientiam. Aſinumque ſylueſtrem adhibens, declarat maximam hominis tarditatem in comprehendendis iudicijs Dei, ſuperuacaneo laborantis. Quodque ſequitur, Tu autem confirmaſti,] Eſt conditio, Si confirmaſti, ſtabiliſti cor tuum, vt eſſes, videlicet in rebus tuis, ſtabilis ſententiæ: Si coluiſti, precibus, Si iuſtus fuiſti, ſiquid lapſus, pedem retuliſti. Nec ex miſerorum opibus, rem tuam auxiſti. Fieri non poteſt, quin faciem tuam attollas ſine macula: in fronte ſceleris veſtigium non habens impreſſum, & ſis ſtabilis. Hebraicè מופק muzak, durus, fortis, inconcuſſus. Obliuiſcerisque præſentis miſeriæ, præſentium malorum, quæ perinde abibunt ex animo, atq; aquæ B fluxæ. Et quod ait, Et quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam.] Hebraicè ſic, & ex meridie conſurget חלר cheled, vita, ſæculum: Et Chaldæus pro eo poſuit וחשך iomaik, dies tui. Hebræique interpretantur ומן עולם zeman olam, tempus, ſæculum. Exponiturque ab eis, & illuceſcet tibi vita, fulgentior meridie: Redibit vitæ nitor, tanquam ex meridie, tanquam in meridie illuminaberis, tenebris miſeriarum excuſſis. Quo circa editio noſtra obſcurior. Nam ſequitur תעופה כבוקר תהיה וחפרת taupha, caboker thiheihe. Fulgebit, & ſicut lucifer erit. Pro quo apud nos. Et cùm te conſumptum putaueris, orieris, vt lucifer. Et quod noſter dixit, Et defoſſus ſecurus dormies.] Eſt יתחכם vechapharta, & fodies, ſiue veſtigabis. Quod Hebræi in ſuo idiomate, quid ſonet, bene norunt. Et quidquid inquit, ſcrutaberis, quocunque animum applicueris, ſecure facies: felix vbiq; & fortunatus quieſces: nil veritus: ab omnibus cultus. Refugium autem impiorum dixit, auxilium, laqueum autem animæ dolorem perturbationemque iuxta Hebręos, quòd vbi plurimum fiderent, in eo maxime labentur. Fidebant diuitijs, audacia ſua, quibus deſtituti cadent ferme irretiti. Hoc dictum eſt, quoniam Iob eandem bonorum, ac malorum eſſe conditionem aſſeruiſſet. Amici proponunt diuerſos exitus, etiam, ſi ad tempus mali floreant, rideant, gemant boni.

CAPVT XII.

QVOD ait, Ergo,] eſt Hebraicè affirmatiua particula, אמנם ammam. Profecto, certe, proferendaque ἰρονικῶς. Vos videlicet ſoli ſapientes eſtis, ad omneſque amicos, eſt ſer-C mo, quod non ceſſarent contradicere, & ſuper miſerijs eius vt diximus philoſophari. Ipſe autem inculcat malis eſſe bene, bonis male, vbique probitatem, & innocentiam ſuam conteſtans. Et quod dixit, Vos eſtis ſoli homines,] Duo ſunt ſenſus. Nam pro homines, eſt Hebraicè עם am, populus, vulgus, Poteſt dicere. Vos ſoli eſtis populus, vulgares eſtis, vobiſcum morietur, vel mortua eſt ſapientia. Propter ſtultitiam veſtram, mortua eſt in vobis ſapientia, nuſquam eſt. Certe video vos è media plebe, qui negatis ea, quæ ſenſui patent, oculiſque probantur: vt ſenſu communi carere videamini. Aſſeueratis autem ea, quæ nuſquam ſunt. Hunc ſenſum omnes Hebræi ſequuntur, ideſt Moſes, Auen Eſra, Leui, Abraham. Eſt alius, vt dictum ſit, ἰρονικῶς ſicut. Ecce Adam factus eſt ſimilis nobis, ſciens bonum, & malum. Multaque id genus. Quem ſenſum declarant ſequentia. Et Rabi Moſes, exponit. Vos eſtis populus. velut ille. Magni ipſe agminis inſtar, præcipui in populo. Pro toto eo, etiam Chaldæus pro populo ponens חבריא chabraia, lecti, præcipui. Sit vterque probabilis, Et quod dicit. Et hæc, quæ noſtris, quis ignorat?] Hebraicè mutila oratio ואתואי אין כמו אלה veeth mien chemo elleh. Et quis nõ ſicut hæc, vel hi? Abraham quidem exponit, reſpõſiones videlicet. Et quod eſt, non ſicut veſtra argumenta. Quid rarum, ac ſingularem habent veſtræ rationes? Idem atque apud nos ſenſus. Et quod addit. Qui deridetur ab amico ſuo.] Difficilia quidem ſunt hæc verba in Hebraico, ſed ſenſus tamen eſt, quem noſter tranſtulit, idque exponitur ab Hebræis. Vt ſit, Qui irridetur ab amico ſuo, ero vel erit, vt ſit aleph, pro iod, vt ait Moſes, inuocans Deum, & exaudiet eum. Irridetur iuſtus, integerque. Vt ſit שחוק sechok, (quod videtur) participium, pro שחק sachuk, irriſus. Et quod ſequitur, Lampas contempta apud cogitationes diuitum,] Hebraicè eo quidem modo. Sed hunc ſenſum agnoſcunt Hebræi: Namque Abraham ait. Ecce ego hoc tempore ſum ſicut lampas, vel fax, contempta, quæ reijcitur, pelliturque ab homine, quod timeat, ne proxima comburat. Sic ego deſpicior, abijciorque vt lampas extincta. A me procul omnes aufugiunt. D Tanquam à face ſtant procul. Hoc præcipue diuites, amici noſtri delicati faciunt. Eſt alius ſenſus Auen Eſræ, vt לפיד lapid, ſint duæ partes, la, ideſt ad, pid, ruina, vt dicat. Ad ruinam, in ruinam contemnor. Propter ruinam deſpicior. Amici contra me loquuntur audaciſſime, & velut inimici: qui me conſolari potius debuiſſent, ſceleratum me etiam, & hæc mala merentem appellant. Et quod addit, Parata ad tempus ſtatutum.] Poteſt eſſe totius periodi is ſenſus. Fax contempta, à diuite & beato, parata eſt tempore pedis. Hebraicè enim eſt רגל reghel, pedis vel pedi. Parata eſt diuiti ſua ruina, Greſſibus eius, ſunt pedicæ paratæ. Eſt (ait) miſeris refugium apud Deum, Diuiti autem ſtat ſua certa dies, qua pes eius irretiatur. Poteſt igitur, aut ad contẽptum ipſius Iob pertinere, qui tanquam fax reijciatur, paratus ad feſtum pedis, id eſt, vulgi iam fabula factus. Aut ſecundus ille ſenſus eſt verus. Prior videtur proprior, vt reuertatur ad ſolitas querimonias, lætari, florere malos, pios vexari. Sequentia huc tendunt. Et quod ait. Et audacter prouocant Deum] Hebraicè eſt. Et fiducia eſt למרגיזי אל lemarghize el, prouocantibus, irritantibus Deum. Cætera clara ſunt: quorum illatio eſt omnia quidem ſubiacere nutibus Dei, idque, vel mutis pecudibus, iumentis, volucribus, piſcibus eſſe notum: neque his tantum, ſed etiam ſenſu carentibus. Cuncta item à Deo nata, conſeruarique ab eo ob æternam eius incorruptibilemque ſapientiam: Necis, & vitæ, eum habere poteſtatem, quoniam ipſe eſt omnis auctor vitæ: Vniuerſa ab eo proficiſci. Inducitque ad hæc, perſpicuam rationem, ita hoc ſentiri ſcientia, & ratione, ſicut ſonus capitur aure, guſtus palato, & faucibus. Probatur item ea ratione, quod omnium antiquorum ea ſit ſententia, in quibus plurimum ineſſet ſapientiæ, propter diuturna experimenta. Aut pertinent, & ad exemplum ſapientiæ diuinæ, vt ſi ſunt homines ſa- E pientes, quanto magis par ſit illum omnium eſſe ſapientiſſimum, qui ſit æternus, & infinitas æui reſpondeat ſapientiæ infinitæ. Eadem de fortitudine dicit, conſilio, ſapientia, intelligentia. Qui poſſit deſtruere ruinis æternis aliquam vrbem, montes, imò totum cælum ac terras: poſſit homines includere, ligareque vinclis, nunquam diſſoluendis: poſſit pluuias, fontes, flumina compeſcere, quæ penitus areſcant: poſſit diluuia inducere, terram vniuerſam demerſura. Omnis in eo vis, omnis inuentio. Quodque ait, Ipſe nouit, & decipientem, & eum, qui decipitur] Hunc ſenſum cernunt, maxime Hebræi, quòd in poteſtate eius ſit, vt homo in errorem inducatur, aut alij eum decipiant, quod ſæpe fit in conſultationibus maximarum rerum. Et quod noſter dixit. In ſtultum finem,] Eſt Hebraicè שולל sholal, in prædam: adducit ſapientes in prædam, qui ſe ſua patientia, præuertere hoſtium conſilia opinabantur, Rabi tamen Moſes interpretatur iuxta noſtra, dicens. In præda ſcientiæ. Et quod dicitur, in ſtuporem eſt, יהולל ieholel, infatuat: Iudices (inquit) infatuat, vt ita ſtulte conſultent ſicut ſe ſapienter poſſe conſulere putabant. Hiſque ſapientiam eius conſtat omnem aliam antecedere. Et quod ait, Balteum regum diſſoluit, pro balteo, eſt מוסר muſſar, vinculum, quo ſubiecti ſub regibus alligantur. Transfert inquit regna, efficitque, vt qui ſub alicuius tyrrannide vincti, preſſique gemebant, diſſoluta tyrannide, in libertatem vindicentur. Eſt verus etiam ſignificatus huius vocis balteus, vt ſit verus ſenſus Nicolai, balteo, virtutem militarem deſignari, quæ à regibus diſcedat: eritque idem propemodũ ſenſus. Quod vero tranſtulit funẽ, ſpectat ad capturam regum. Eſtq; pro fune אזור ezor ligamen, vinculum. Sacerdotes inglorios] ſicut, & ſuperius, pro inglorio, eſt שולל sholal, in prædam, aut mentis, aut hoſtium. Pro optimatibus ſunt אתנים ethanim, fortes, nobiles. Pro veracibus ſunt נאמנים neemanim, fideles, crediti. Commutat autem horum labium, iuxta He- F bræos, aut ſicut Hebraicè מסיר meſſir, alligat, efficit vt nihil loquantur, eloquentes reddit elingues, Sic ſenibus adimit prudentiam, quibus reſpublicæ creditæ eſſent: qui veriſſima quæque loqui, & augurari, prius credebantur. Pro doctrina eſt טעם taam, ſenſus, guſtus, ſapientia. Effundere autem deſpectionem, ſiue בוז buz, dedecus ſuper principes, eſt efficere eos dedecoroſos, ignominiæ plenos, idque multis modis. Et quod addit. Et eos qui oppreſſi fuerãt, releuat.] Hebræi ſecus intelligunt, eſt enim Hebraicè ומזיחא פיקים רפה vmziacha Phikim rippa, Et robur fortium diſſoluit. Exponunt enim meziach, fortitudinem. Proprie igitur innuit. Et robur fortium remittit, relaxat. Illuminationis quoque affert exemplum. Cui ſubeſt is ſenſus, quòd reuelat ſecreta. cæcaque conſilia, quæ tenebras profundas, vmbramque mortis dicit. Sicque eius eſt populos longe lateque diffundere, rurſum abolere, quod fit multis caſibus, pręcipue peſtilentia. Immutare autem cor principum populi, eſt, quòd ſępe peruerſe, volente Deo conſulunt. Et quod fruſtra, & per inuiam incedere dixit, eſt בתוהו bethohu, per inania, per nihilum, vbi non ſit exitus, cęcos conſiliorum exitus, Id Græce dicitur ἀμηχανία vt ſint tanquam cęci palpantes, ebrij.

CAPVT XIII.

SVPERIORA illata ſunt à Iob, vt ſe eadem religione & pietate, atque eos imbutum eſſe oſtenderet, vt in quo verboſam oſtentationem facerent, in eo illum parem eſſe intelligerent: quoniam in hac oſtentatione ſapientię, eum oblique & recte ſugillabant: vt hæc

quoque calamitas oppreſſo, accederet, eos mendaces appellat, inuentoreſq́; falſarum rationum:
A eoq́ue ad Deum, quando tam peruerſi eſſent, vertitur. Superiuſq́ue eos irriſerat, nunc etiam
vanos appellat, & mendaces. Ac primum quod noſter dixit. Cultores peruerſorum dogmatum,
eſt in fonte רופאי אליל rophee elil, ſtruentes vana, in ventum loquentes. Antecedenti ſimile. Et
quod dixit, correctiones,] Nomen Hebraicum תוֹכחה tokacha, ſonat correctionem & argumentationem,
vt ſit pro vtroque. Quanquam Abraham correctionem ſentit, & increpationem Iob in
amicos. Et quod ait, Nunquid Deus indiget veſtro mendacio?] Eſt Hebraicè: nunquid Deo
loquemini peruerſa, & falſa? Eſto (ait) apud me mentiamini, apud Deum erit ne mendacio locus?
Sic etiam eſt, nunquid ei loquemini dolum, fraudem? Et quod dicitur Faciem eius accipitis,]
Accipere ſæpe honorare eſt, & venerari Hebræis: Facies quoque, eſt præſentia. Vultis ne
inquit honorare eum, hac veſtra inani philoſophia? an arbitramini hoc illi honori eſſe, quaſi vos
maieſtatem eius defendatis, pro eo contra me ſtetis? Is eſt verus ſenſus. Nam & Abraham accipere
faciem exponit לכבדו lekabedo, ad honorandum eum. Quare accipere faciem hic non eſt,
vt ſentit Nicolaus, quaſi partem eius accipere, pro eo iudicare. Et quod additur. Aut placebit
ei, quem celare nihil poteſt?] Eſt aliquanto ſecus. An placebit כי יחקור אתכם ki iachkor ethkem,
vt quærat vos. Quorum ſenſus eſt: An Deo viſum eſt quærere vos patronos ſuos, qui cauſam
eius contra me defendatis? An placuit ei, vos defenſores ſuos eligere, vt penè periclitanti opem
feratis? Hæcq́ue irriſione, vt meriti erant illi. Deinde ſequitur is ſenſus. Si mendaces eſtis apud
me, an putatis poſſe fieri apud Deum, vt veſtra contra me calumnia, ſit efficax, & crimen quod
falſo impingitis, locum etiam apud eum habeat? Et quod additur. Quoniam in abſcondito faciem
eius accipitis.] Similiter hoc loco, accipere eſt honorare, in abſcondito autem dixit, hoc
B eſt in rebus arcanis, attribuendo ei arcanam ſapientiam, occultum, rerum tegendarum modum.
Sicut ſuperius dixerat Eliphas, Etiam ſi, inquit Iob, eum honoretis dicendo ſapientiam eius arcanam
eſſe, reprehendet, & coarguet vos tanquam imperitos. Id exponit etiam Leui. Hunc ſenſum
non attigit Nicolaus. Et in noſtra tralatione non eſt, quoniam, ſed אם im, ſi, vt dicat. Arguet
vos, ſi in abſcondito faciem eius honoratis. Abraham tamen abſcondita interpretatur rationes
falſas, incertas, vt ſit ſenſus. Si eum argumentis falſis, alieniſq́ue honoratis, arguet vos.
Et quod noſter ait. Statim, vt ſe commouerit,] Hebraicè eſt שאתו ſeetho, ideſt altitudo eius, inquit
nonne exterrebit vos? quanquam ſeat denotat etiam, quod noſter tranſtulit, elationem,
commotionem. Et Symmachus hunc locum μὴ οὐχὶ ἡ κίνησις αὐτοῦ πτοήσει ἡμᾶς. Nonne commotio
eius exterrebit vox? Et quod additur, Memoria veſtra comparabitur cineri,] Duo ſenſus,
vt ſpectet ad extremam internecionem, aut quod proponit Abraham, memoriam argumentandi,
& reſpondendi dicit, quam luto, & cineri comparat. Quodq́ue ſequitur, Ceruices veſtræ.]
Pro ceruicibus, eſt גבכם ghabekem ſuperbia veſtra, elatio veſtra. Veſtra (inquit) arrogantia,
& ſuperbia, cineri, & luto, haud diſſimilis, quia vos lutei, & terrigenæ. Et Sept. tranſtulerunt
hanc vocem γαυρίαμα, ſuperbiam, elationem. Et quod ſequitur. Tacete à me,] Omittite
(inquit) has aduerſum me contumelias: Sinite me loqui. Non proſunt veſtra ſolamina. Et
quod noſter dixit. Quodcunque mihi mens ſuggeſſerit.] Eſt Hebraicè מה ma, aliquid, exiguum
quid. Lamentationem quod laceret carnem, Hebræi recte dicunt. Quid (ait) peccaui, quid commerui,
quod eo miſeriarum, doloruḿque adductus ſum, vt lacerem carnes dentibus? Hocq́ue
dixit hyperbolicῶs. vt, & fluctu ſidera lambit. Et cœlũ territat armis. Ponere autem animam in
C manu, eſt Hebraicus tropus, Abrahamq́ue ait. Ponere animam in manibus, ad minuendas plagas,
ne eas ſentiat. Videtur mihi dilacerationem deſignari. Manibus fit dilaniatio, ſicut dentibus
carnes lacerare ſe dixit, ſic manibus animam dilaniare. Idq́ue hyperbolicè. Et quod ſequitur.
Etiam ſi occiderit, in ipſo ſperabo,] Hebraicè eſt negatio לא איחל lo aiachel non ſperabo. Videntur
tamen omnes Hebræi interpretes legere, pro לא non ſine aleph, לו ipſi. Idq́; etiam ponit
Chaldæus. Quare Aleph ſubducenda eſt. Ac dicit, tametſi vehementiſſimæ ſunt plagæ, non deeſſe
ſibi ſpem; animã dicunt Hebræi, quæ meliorem ſortem nanciſcatur. Quanquam vos, immites,
crudeles, ille tamen placidus erit. Et dabit his quoque finem. Ad vitam futuram, hanc
ſpem referunt magiſtri, quod lacerato corpore, anima ſit euolatura, præſertim nullo ſcelere
admiſſo. Ad conſpectum enim eius non veniet hypocrita,] Pro quo Hebraicè, vt ſuperius חנף
chaneph, ſceleratus, impius. Et quod noſter dixit, ænigma, in fonte אחוה achuà, Hebræiq́ue exponunt
dictum, nuntium, propoſitum, fatum, enuntiationem, Sic & Sept. ἀναγγελῶ γὰρ ἡμῶν
ἀκουόντων. Annuntiabo, vobis audientibus: Iſq́ue eſt verus ſignificatus. Et pro, Si fuero iudicatus.]
Eſt ecce ערכתי arakti, præparaui, diſpoſui iudicium. Ecce præparo contra vos rationes:
& quod dixit, Iudicetur mecum:] eſt clarius יריב iarib contendat, diſceptet. Quis mecum diſceptabit?
Acceleret, veniat, quia tacendo abſumor. Querelas continere non poſſum. Duoq́ue
poſtulat, futurus cum Deo, in iudicio, vt ei, det, quaſi cautionem, vt cùm in conſpectum principis
alicuius venimus, longe manum ſuam ab eo faciat, refertur ad præſentes clades, eaſq́; poſtulat
deferbeſcere, vt releuatus, audacius loquatur. Timor autem, pertinet ad præſentiam, qua
ſæpe numen diuinum viſum attonitos, exanimeſq́; reddidit, vt etiam obmuteſcerent. Ob quas
cauſas Iob loqui cum Deo non poſſet. Tum rogat Deum, exigitq́ue numerum ſuorum delictorum,

ctorum, vt à quibus ſe ſciret intactum, vt iniuſtè ſibi plagas inditas oſtendat. Et vt turbidos, agitat mens, oratione in diuerſa diſcurſant, ſic diuerſa effundit. Cur ſe Deus abſcondet, cur hoc iudicium non fiat, vbi exquiſite de cauſa tota agatur, præſente iudice Deo. Aut cur de acerbitate non remmittat. Sunt grauiſſima, ingentis doloris indicia. An ait. Fas eſt tam fortem, tam potentem, contra adeo nihil, & nauci oſtentare potentiam? Et ſcribis, ideſt deſtinas, definis, decernis, vt exponunt Hebræi, quotidie dolores, & amaritudines maiores in me. Et ne parum ſit, me peccata ſenectutis expiare, etiam reuocas ad tormenta, quæ in iuuentute geſſi. Obſeruaſque omnem inceſſum meum, ne vel in dextram, vel ſiniſtram abeam, quaſi ad ſcopulos aliquos, inſulas relegatus, adeo tamen corruptibilis, fragilis. D

CAPVT XIIII.

EAſdem humanas miſerandas conditiones, memorat. Et tamen inquit noſti hominem, quem mulier peperit, breuiſſimæ vitæ eſſe, omnibus incommodis in vita patere. Et quas dixit miſerias, Hebraicè רגז roghez, indignatione, querela, perpetua in lamentatione, in perpetuo luctu, vita eſt inquit. Et quod ait, Sicut flos egreditur,] corpus eius (ait) eſt, vt flos, vt roſa, vt folium, naſcens citoque marceſcens, & delabens. Homerus etiam vetuſtiſſimus Theologus, hac comparatione vſus eſt. οἳ ἤπερ γενεὴ φύλλων, τοιὴ καὶ δὲ ἀνδρων. Atque etiam hos tantopere viles, aſpernandos, aſpicis tamen: oculoſque ad eos intendis. Hocque in vniuerſum profert. In particulari autem ad ſe: Et adducere eum tecum in iudicium.] Hebraice, Et me adduces in iudicium tecum. Iudicium autem, condemnationem, vulneraque illa ſua, quæ gerebat, appellat. Quod aũt ſequitur, Quis poteſt facere mũdũ, de immundo conceptũ ſemine?] Hebraicè. E Quis dabit mundum ex polluto? non vnus. Idem, atque in noſtris, ſenſus. Quis erit, qui mũdum reddat eum, qui eſt immundus? Ne vnus quidem. Nemo mortalium hoc faciet. Aut ne vnus quidem, mundus eſt. Itaque cum ab origine cauſas peccandi nobiſcum afferamus, cur non hoc conſideras, ſeueriſſime iudex? Nonne vides nos ita eſſe compactos, vt propenſiores ad vitium, quã virtutem ſimus? Sept. hunc locum ſic verterunt τίς τι καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου, ἀλλ᾽ οὐδεὶς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. Quis eſt mundus à ſordibus? at nemo, ne ſi vna quidem die vita eius ſit ſuper terra. Dico Iob non ita fuiſſe locutum, ſed vt apud nos, tantum. Quodq́, ſequitur. Breues hominis dies ſunt,] Hebraicè חרוצים charuzim, præciſi, definiti. Intra certam metam præſcripti, eſtque conditio, ſi præciſi, præſcripti ſunt dies eius, recedas ergo ab eo, vt in eo, quod ſupereſt vitæ ſpacio acquieſcat. Interpone requiem: remitte flagellum. Aut donec requieſcat,] Hebraicè ויחדל veiechdàl viuat, tranſigat ſæculum. Quodque ait, Donec optata veniat,] Hebraicè ſecus עד ירצה ad irzeh, donec velit, ideſt, vt etiam Hebræi concordant, donec ſeneſcat, vitaque ſatiatus obeat, ſenectute bona, tranquilla, dulci, expleat vitæ curſum. Tunc dies eius, eſt ſicut mercenarij, quòd vſque ad veſperam procedit opus: Ad calcem diei, ad certam metam. Hæc de ſe, vt etiam Græci exponunt, Iob dicebat. Nicolaus quædam aliena ingerit. Exemplum quoque arboris oſtendit, dum vita ſuperſit, poſſe aliquam requiem & felicitatem repullulare. Et q́d noſter dixit, In puluere,] Hebraicè עפר aphar, nunc ſignificat limum, terram humidam, vbi radices arborum diffunduntur, hærentes altum. Quodque ait, Donec atteratur cælum.] Hæc, vt dixi, iuxta communem ſenſum dixit: Nam reſurrectio eſt arcanum, oraculumque diuinum aliàs declarandum. F Ac quod noſter dixit. Donec atteratur,] Hebraicè eſt. Donec non ſit cælum: De attritione, nullum verbum, licet eleganter id attritionem dixerit. Omnium enim rerum attritio, eſt corruptio, corrumpuntur, quia paulatim atteruntur. Quod ſi in cælo quoque aliquid ſenſim diminueretur, perinde atque cætera mortalia, corrumperetur, iretque ad nihilum. Quod autẽ optat apud inferos abſcondi, in loco videlicet remotiſſimo totiuſque orbis terrarum, angulo abditiſſimo, idque hyperbolicῶs, vt quam longiſſime à furore eius diſcedat. Et ab humanis ducitur exemplum, licet apud Deum nihil occultum ſit, etiam inferorum latibula. Dauid teſtis. Si deſcendero in infernum, ades. Vtinam ergo inquit. Quando corruptibilis ſum, diſcederem aliquem in occultum locum, vbi te mei penitus oblito, deferberent dolores, modo ſtatueretur tempus, ne perpetua eſſet obliuio. Hocque loco obſeruant Hebræi, fieri poſſe, vt reſurrectionẽ mortuorum innuerit. Cum dicat. Et conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei.] Ac dicens. Putas ne rurſum viuet homo mortuus?] Suapte, ſcilicet vi, quod fieri non poteſt, vt maior vis omnino ſit neceſſaria. Militare autem ſe dixit, vt ſuperius: vitam hominis ſuper terra, militiam eſſe. Immutationem vero vocat mortem, tranſitum. Nam vox כליפה chaliphà, quam noſter immutationem dixit, ſonat etiam tranſitum. Cæteri tamen apud Græcos interpretes, Aquilas ſcilicet, & Theodorio ἄλλαγμα mutationem tranſtulerunt. Et Symmachus videtur reſurrectionem ſpectaſſe vertens, donec veniat ἡ ἁγία φύσις μοῦ. Sancta natiuitas mea. Quod Olympiodorus exponens προσδοκῶ τὴν παλιγγενεσίαν, καὶ ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἀλλαγὴν καὶ ἀλλοίωσιν, ὅτε σὺ μὲν τέλλῃς τοῖς νεκροῖς ἀναστῆναι, ἐγὼ δὲ ὑπακούσομαι. Expecto (inquit) regenerationem, & in meliorem ſtatum, mutationem, & conuerſionem. Cum tu quidem iuſſeris mortuos reſurgere, ego vero obſequar tibi. Tres autem ſenſus dat Abraham de immutatione vt innueret mortem, vt mutationẽ

fatalem

A fatalem, ſiderumq́ue ad melius: vt reſurrectionem mortuorum. Ex quibus prior, & poſterior veriores, poſterior à pluribus aſſeueratur. Similiter vocationem, & reſponſionem Græci putant, cùm vocati mortui ad reſurgendum, extemplo parebunt. Poteſt eſſe oratio, & deprecatio, vt poſtulet. Voca me domine, fac me ad te acciri, oſtende te mihi, & ipſe præſto adero. Rabi vero Moſes putat ad mortem referri, vt poſtulet vocari à Deo ad diem fatalem, ſe vltro venturum. Et quod noſter dixit, Porriges dexteram.] Eſt תכסוף tikſoph, deſiderabis. Deſideres (inquit) capiat te deſiderium operis tui, opificij diuini tui. Hoc oſtendit ſuperius fuiſſe deprecationem. Greſſuumq́ue dinumeratio, deſignat peruigilem ſuorum factorum, acerrimamq́ue obſeruatricē Nemeſim, incuitabileq; Adraſtiā: quapropter, Hebraicè pro, Sed parce peccatis meis] Eſt, non obſerues peccata mea. Quod ſignata in ſacculo delicta ſua dicit, eſt pro ſacculo, licet etiā Septuaginta verterint βαλαντίον Hebraicè צרור zeror, quod & ſi ſacculum, vel faſcem deſignat, eſt alius item ſignificatus. Nam lapilli, & calculi dicuntur zeror. Itaque ſignata dicit delicta ſua calculis, exacte dinumerata, obſeruata. Omnia in numerato eſſe apud Deum. Eadem tamen erit ſententia, ſi in ſacculo ſignata ea dicat, prius numerata, dein ſigillo clauſa ſub certo numero. Quodq́ue ait. Sed curaſti iniquitatem meam.] per futurum proferendum, vt Hebraicè ותטפול על עוני vatipòl al auoni. Compones ſuper iniquitate mea. Eſtq́ue contrarius ſenſus, atque in noſtris. Non enim dicit, curata ſua peccata, ſed multiplicata, aucta, extructa, Abraham, titptol explanat תחבר תוסף techaber, toſeph, aſſociabis, addes. Sic etiam Rabi Leui. Quodq́ue additur, Mons cadit] Hebraice eſt aduerſatiua particula ואולם veulam. Atqui, veruntamen. Senſus eſt. omnium eſſe conſummationem, omnia, vel duriſſima, & adamantina, frangi, molleſcere. Sicq́ue peccata mea aliquem finem habere debent, aliquando deleri, & obliterari. Eſt alia illatio, & ſenſus. Omnia intereunt,
B omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. Similiter homines. Quodq́ue ait, Roboraſti eum paululum.] Eſt quod etiam Hebræis placet. Plagas in eum vehementes importaſti: feciſti eum fortem ad uulnera. Poteſt verbum Hebraicum תתקפיו tithkephephu, corroboraſti te in eum. Id quod ſequitur Rabi Moſes & Auen Eſra. Aduerſus eum inualuiſti, fortem te in eum demonſtraſti. Cui ſimilem quendam ſenſum etiam Septuaginta poſuerunt ὤσας αὐτὸν εἰς τέλος, impuliſti eum in æternum. Sicq; rurſum deplorat (vt aiunt Græci) coram Deo humanæ uitæ breuitatem, humanamq́ue imbecillitatem. Dolorem autē carnis, & animæ referunt Hebræi ad conditionem moriendi. Licet inquit moriturus homo, & abiturus ex hac uita, nihilominus tamen, quicquid uiuit, eſt miſerrimus, animo, & corpore ſemper ingemiſcens.

CAPVT XV.

ARguit Eliphas Iob loquacitatis, inconſtantiæ, etiam improbitatis, & impotentiæ. Et quod ſibi ſapientiam, iudiciumq́ue arrogaret: oſtenditq́ue multis collectis exemplis, mirandam Dei ſapientiam. Quod igitur ait, Nunquid ſapiens reſpondebit quaſi in vētum loquens, & implebit ardore ſtomachum ſuum?] Hebraicum, quod Hieronymus interpretis officium ſecutus, ſolet ordine verborum, locutionibusq́ue Hebraicis mutatis, clarius efficere, habet ad verbum. Nunquid ſapiens reſpondebit ſcientiam venti & implebit vento, vel Euro ventrem ſuum? Tota igitur periodus clara reddita eſt è noſtro, & noſtra cum Hebraicis quadrant, eo excepto, quod ardorem dixit noſter, pro quo Hebraicè
C קדים kadim, nomen venti Orientalis. Dicitur Kadim à kedem Oriente: Hebræi quoque interpretes eam vocem interpretantur רוח קדיל ruach kadim, ventum qui dicitur kadim. Et Chaldæus interpres, huic nomini addidit ventum, transferens ventum kadim. Igitur iteratur, Hebraicè ventus, ſecundo loco, quod ſæpe fit. Itaque Nicolaus, qui ardorem, pro iracundia, putet accipiendum, Hebraicum non conſuluit. Fuit cauſa, cur noſter nomen venti, tranſtulerit ardorem, quòd ventus is calidus ſit, & ſæpe pro vento vrente poſitum inuenies. Igitur non ardore, ſed vento dicendum eſt. Longe tamen noſtra noua Hieronymi, quam antiqua Septuaginta interpretatio, hic eſt clarior πότερον φοφὸς ἀπόκρισιν δώσει συνέσεως πνεῦμα, καὶ ἐνέπλησε πόνον γαστρός: Vtrum ne ſapiens, reſponſionem dabit intelligentiæ, ventum, & implebit laborem ventris? Senſus igitur eſt clarus: non conuenire homini ſapienti, qualis eſſet, aut ſe eſſe putaret Iob, ventoſa, plena vanitatis, & leuitatis. Huiuſmodi apud noſtros reſponſiones, & irriſiones.

An tibi Mauors,
ventoſa in lingua pedibusq́ue fugacibus iſtis
Semper erit?

Damnatur tum iactantia, & loquacitas, tum arrogantia, aduerſus numen Dei, deinde quòd pueriliter queratur, & contra quàm deceat ſapientem, diuinam in dubium uocet ſapientiam: An (inquit Rabi Leui) fas eſt ſapientem argumentationibus falſis agere, quæ iure dicuntur, uerba uentoſa, inania? Num eſt in more ſapientibus agere rationibus, quæ nihil ad ueritatem illuſtrandam ualeant? Ecce dum hac ratione uteris, fieri non poteſt, quin in maximū ſcelus adducaris. Scientiam

tiam igitur venti, aut ventoſam, inanemque ſenties, aut falſam: quod ſequitur Leui. Quod ergo ſequitur apud Hieronymum. Arguis verbis eum, qui non eſt æqualis tibi, & loqueris quod non expedit.] Hebraicum ad verbum hoc modo. Arguere verbo quod non proderit, & ſermonibus, in quibus non eſt vtilitas: Hierony. igitur dicens, Eum, qui non eſt æqualis tibi, videtur verbum Hebraicũ יסכן iſcon quod hoc loco eſt deduxiſſe, à ſake, æqualis: indeq; putauit formari iſcon, æqualis erit. Hebræi tamẽ alium ſignificatũ ſequũtur exponentes יסכן iſcon per aliud notius יל ioil, proderit, vt dicat. An arguet, vel diſceptabit ſapiens verbis inutilibus, dicens videlicet ea, quæ prouocent diuinam nemeſim; aut ea, quæ nullam rationem, & cauſam habeant, quo referantur, è quibus nulla futura ſit vtilitas? Verbum igitur iſcon, deſignare hoc, quod Hebræi ex alijs locis demonſtrant, ideſt proderit, vtile erit, ex eo poſſit intelligi, quod ſicut in pſalmis, ſic apud Iob fit reiteratio: biſque dicitur idem eadem ſententia verbis diuerſis. Secundo autem loco eſt verbum quod ſonat vtile: igitur & primum. Sicut in antecedente verſiculo. Primum dixit ventum: ſecundo Kadim, ventum Orientalem. Nunc ergo primum iſcon quid ſonet, diſce ex ſecundo יועיל ioil, quod perſpicue ſonat vtile erit, expediet. Sept. quoque interpretes videntur eum ſignificatũ ſecuti, qui proponitur ab Hebræis ἐλέγχων ἐν ῥήμασιν οἷς οὐ. δεῖ. arguẽs verbis quibus non ſit opus, non oporteat. Loqueris ergo quod non expedit, quoniam dubiam reddis diuinam prouidentiam, magnam facis morum vaſtitatem: dicis Deum bonos & malos, æquis meritis afficere, aut non curare, quid cuique ſit. Hanc ſententiam declarat, quod ſequitur. Quantum in te eſt, euacuaſti timorem, & tuliſti preces coram Deo.] Quod durius Hebraice ſic dicitur, Etiam tu diſſoluiſti timorem, prohibuiſti preces coram Deo. Ergo à noſtro, Quantum in te eſt poſitum eſt, pro eo quod eſt Hebraicè, etiam tu: ad clariorem ſententiam, ſenſu non mutato, ſed illuſtrato. Duos autem habet ſenſus, quòd eum dicat auferre timorem Dei, & preces: aut contra ipſum id dicit, quia Deum non timuerit, quia precatus eum non fuerit, auxiliumque eius implorauerit: calamitatem ei ſuperueniſſe: aut quod ſequitur Rabi Leui, diſſoluis publicam religionem, qui dicis nec Deum placari benefactis, nec malefactis indignari. Funditus ergo religionem, quæ eſt timor Dei, euertis: tollis preces. Valeat enim Deus inquit ille, ſi non placatur precibus, ſi eas non audit, nec quid homines faciant, animaduertit. Hanc tu impietatem ingeris ò Iob. Prohibes religionem, prohibes adiri templa, rogari Deum, Quia dicis, quod iactabat Epicurus, ſuper homines iuſtos aduenientia mala, neminem eſſe qui prohibeat. Venire clades, quia non ſit qui repellat. Eoque in hanc ſententiam ſequitur. Docuit enim iniquitas tua, os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium.] Quod Hebraicè obſcurius. Quoniam docebit iniquitas tua, os tuum, & elegiſti verba iniquorum, aut verſutorum. Hic quoque duo ſunt ſenſus, vel referatur ad ipſum Iob, cuius impietas doceat os ſuum impia loqui: quaſi dicat impio de pectore, impia manat oratio, ad interiores animi tui ſenſus, quadrat oratio, loquerisque verba, quæ ſolent ערומים arumim, ideſt fraudulenti, quibus impia, & humanis verſutijs plena mens ſubeſt: quos iure blaſphemantes, dixit noſter. Chaldæus hic vocat חכימיא chakimaia ſapientes, fortaſſe Philoſophos quoſdam impios. Loqueris (inquit) qualia impij Philoſophi, Leucippus, Democritus, Epicurus, Lucretius, vnus ex illis videris: aut, quod Hebræis magis arridet, refertur ad alios, vt dicat, ipſa oris tui impietas, docebit homines, & declarabit eis iniquitatem tuam: vt referatur ad eos, qui eum audientes, cognoſcent impietatem eius. Os (inquit) tuum, docebit omnes quàm impius ſis. Ex ore tuo teſtimonium impietatis tuæ elicitur. Loqueris, quæ ſolent arumim, vafri, verſuti, maligni, malæ mentis homines. Hos ſequi maluiſti. Eadem fermè ſententia iteratur. Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi. Condemnare Hebraicè ירשיעך iarshiachà. Impium te faciet. Id ſcilicet, quod noſter eleganter dixit. Ecce, ait Rabi Leui, nihil eſt, quo minus te impium vocem & habeam, putemque merito vniuerſa tibi mala obuenire, quia clara eſt impietas tua. Os tuum, de moribus apud nos facit indicium. Ipſa lingua tua, non ego, te impium vociferatur. Si ego ſilerem, ipſa clamitaret. Deinde arguit arrogantiam. Omnis enim verborum ſuperbia, ab arrogantia, qua nos omnia ſcire putamus, accidit. Nunquid inquit primus homo tu natus es, & ante colles formatus?] Hic quoque duo ſunt ſenſus, vt quod noſter reddidit primum. Hebraicèque eſt, ראשון rishòn deſignet, vel nomen primum, vel ſit aduerbium primitus, prius, ante: vt dicat ſecundum priorem ſenſum. An tu es ille primus omnium mortalium, quem conſtat fuiſſe ſapientiſſimum, cum Deo, & Angelis eius fuiſſe locutum, vidiſſe Deum, circunſtantesque Angelos, cognouiſſe diuina myſteria? Tu ne ille es, quem manibus ſuis formauit Deus, qui fuit omnium poſtea natorum hominum origo, qui tibi tantum arroges? Secundus ſenſus eſt, vt rishon, non ſonet primum, ſed prius, ante, vt dicat. Nunquid ante hominem formatus es? Nunquid ſupra hominẽ es, homine aliquid eminentius? Hũc ſenſum Chaldęus proponẽs, ſic trãfert. An ante hominem vel Adam ſine patre, & matre natus es? & Rabi Leui. Quid hoc eſt, quod adeo antiquitate, & ſenio gloriaris? an tu creatus es ante Adam primum, & ante creationem montium, & collium? Is igitur ſecundus ſenſus, uidetur fortaſſe uerior, quanquam ab illo, & iſto, nihil fermè diſtat, quoniam ſubiecit, ante colles formatus. Vt quoniam fit (ut ſæpe apparet) repetitio, ſit idem, uel ſimile, ſecundum, atque primum. Colles autem, & terra fuerunt ante hominem.

Primum ſenſum Sep. poſuerunt, τί γὰρ, μὴ πρῶτος ἀνθρώπων ἐγεννήθης, Quid enim, An primus hominum genitus es? Colles autem dixit pro eminentiore terra. Et terram vel colles in exemplum aſſumpſit, quoniam nihil eſt antiquius terra. Illa fundamentum totius mundi fuit. Fundata ante cæteras res, quæ poſt ex illa extiterunt. Ideo pſalmus ait. Initio tu domine terram fundaſti. Dicens igitur colles, dicit terram, dicens terram, dicit rem antiquiſſimam, antecedentem omnes res creatas Sola enim hęc facta eſt è nihilo, cętera ex illa. Ideo & in Pſalmo dicitur. Priuſquā montes fierent, aut formaretur terra, & orbis. Oſtēdit vates creatorem, ante res creatas fuiſſe. Tale quid rogat Eliphas, an ſe eſſe Iob perſuaderet, quòd adeo ſuperbe loqueretur. Simile quod ſubijcit. Nunquid conſilium Dei audiſti, & inferior te erit eius ſapientia?] Secunda hæc pars Hebraicè eſt: & minuiſti ad te ſapientiam: vel diminuta eſt ad te ſapientia? Senſus autem eſt, vt addat hoc ſimile ſuperiori, ſicut eum rogauit, an ante creationem mundi extitiſſet, ſic nunc, an cum Deo verſaretur: quod ſapientia de ſe prædicat apud Salomonem. Cum eo eram cuncta componens. Sic nunc rogat Eliphas: an cum Deo fuiſti, & arcana eius vidiſti? vidiſti quæ faciebat antequam mundum formaſſet, propiusque cum eo aderas, conſiliorum, curarumque eius particeps? Deinde ſapientia tota tecum permanſit: ad te digreſſa eſt tota, cæteri inſipientes nati ſunt: diminuta, detractaq; eſt cæteris, quia tota tua fuit? Is eſt igitur verior ſenſus, pro eo quod noſter dixit: Et inferior te erit eius ſapientia. Nam de ſapientia Dei nihil eſt in contextu, ſed ſapiētia ponitur abſolute: Quem ſenſum Hebræi ſequuntur, quibus ego aſſentior. Rabi quoq; Leui ait. An audiſti ſecreta Dei, & reuelata ſunt tibi ſoli, adeo, vt depoſita ſit, & conuerſa ad te ſapientia, & erit tibi ſoli, non cæteris? Nam neque tanta hyperbole vſus eſſet, vt inferiorem ſapientiam Dei diceret, hec quadrat quod admiſſus ad arcana Dei, fiat eo ſapientior. Refertur ergo ad alios, nō ſapientiam Dei. Et pro conſilio, Hebraicè סוד ſod, ſecretum, myſterium, arcanum. Quod & cōſilium deſignat. Quodque ſequitur refellit, iſtud ipſum quod ironicè interrogauerat. Quid noſti, quod ignoremus, quid intelligis, quod neſciamus?] Quod durius & ſcabroſe, Hebraicè. Quid ſciuiſti, & non ſciemus, intelliges, & non nobiſcum? id eſt clarius à noſtro, & ad morem loquendi noſtrum redditum: eſtq; manifeſta ſententia. Omnia (inquit) iſta perſpecta ſunt nobis. Quod ſi tibi propter caniciem arroges, ecce non deſunt nobis ſenes, etiam te, & tua proſapia vetuſtiores. Eſt autem Hebraicè periodus hæc. Etiam ſenex, etiam antiquus in nobis grandior patre tuo diebus. Quod melius & clarius, & ad noſtram linguam accommodatius factum eſt à noſtro, manente eadem ſententia, ſcilicet. Et ſenes, & antiqui ſunt nobis, multo vetuſtiores quàm patres tui. Sunt, qui ſenes, cæteros amicos eius, eo ſeniores ſentiant, vt Chaldæus. Infertur autem. Nunquid grande eſt, vt conſoletur te Deus? ſed verba tua praua hoc prohibent. Hebraicè ſic. An parum à te conſolationes Dei, & verbum abſconditum tecum? Sciendum eſt, vocem אל El, quā Hierony. ac cæteri, Deum interpretantur, Rabi Leui, accipere, vt ſit apocope, pro אלו ellu, iſti vt dicat. An parum cōſolationes iſtorum tibi videntur? Spreuiſti eas tanquam parum efficaces. Amicos medicos inanes appellaſti: vt vndequaque reprehendat Eliphas ipſum Iob, tanquam ſuperbum, aliorumque contemnentem. Et verbum arcanum, quod dixerunt de prouidentia diuina, tecum eſt, quippe quos vocaris, compoſitores mendacij. Te ſolum autem putas ſapientem, tu ſolus es myſteriorum omnium gnarus. Alius eſt ſenſus, vt el, ſit nomen Dei, ſicut Chaldæus ſentit vertens, El, Eloha, vt dicat. An parum à te conſolationes Dei, abſunt? An putas abeſſe clementem dominum qui te conſoletur? An modicum abeſt dominus? Vel ſic, An defuerunt tibi conſolationes diuinæ, & res in abſcondito tibi eſt? Tu noſti eam, tu probe didiciſti, quæ tua felicitas, deſuperque demiſſa, opulentia eſſet. An exigua tibi videntur, quæ tibi attulit Deus? diſſimulas Dei beneficentiam, & taces? non recordaris opulentiæ, & beatitatis tuæ? Is ſenſus. Nam quod noſter vertit vocem Hebraicam לאט laat, praua, Hebræi ſuæ linguæ periti docent, & exempla ex ſcriptura demonſtrant, deſignare velare, abſcondere. Sed neque in Hebraico eſt, prohibent, niſi laat, credidit eſſe, & legit לאט leat, parum. Quaſi dicat. Et verbum parumper à te. Quod ipſe dixit prohibent. Sed cùm Iob ſit obſcuriſſimus, ſi qua verborum aut ſententiarum dubietas occurrit, melioribus, & clarioribus, debemus eſſe contenti. Nam & apud Septuaginta prorſus eſt diuerſa ſententia ὀλίγα ὧν ἡμάρτηκας μεμαστίγωσαι, μεγάλως ὑπερβαλλόντως λελάληκας. Parū, ob quæ peccaſti, flagellatus es vehementer, ſuperbe locutus es. Hoc autem tranſtulerunt illi quia vocem Hebraicam תנחומות tanchumoth, putarunt ſonare flagellationem, compunctionem, vt ſonat interdum. Sed melius, & clarius videtur, quod poſteriore loco diximus, non fuiſſe exiguas conſolationes Dei prouidentiam, ac beneficia erga illum. Ideo ſubdit. Quid eleuas cor tuum, & quaſi magna cogitans, attonitos habes oculos?] Quod Hebraicè ad verbum. Quid eleuat te cor tuum, & quid innuunt oculi tui? Quorum eſt ſenſus, ad ea, quæ antecedunt reſpondens, Cùm ſit prouidentia, cùm ea tibi affatim acta ſuggeſſerit, largaſque aperuerit manus, quid te nunc ad blaſphemandum incitat cor tuum? Annuuntque oculi ad maledicta: aſſentiuntur blaſphemijs: deſignant contra Deum aliquid? Non ſolum os, ſed item oculi ſunt petulantes. Hunc etiam ſenſum reddidit Leui. Quomodo rapuit te cor tuum, & quomodo annuunt oculi tui, ad mouendum contra Deum Spiritum tuum, & ex ore tuo verba, contra eum protuliſti? Subijcit, Quid tumet cor tuum, vt proferas contra Deum

Pſal. 101.

huiuſmodi ſermones? Et quoniam Iob arrogauerat ſibi probitatem, innocentiam, qua fretus D Deum in ius vocabat, totaq; eius querela in eo verſatur, quod dolet ſibi non merenti mala Deum importaſſe, refellit hanc eius perſuaſionem Eliphas, oſtendens non eſſe hominem qui non peccet: eoque ſtulte agere eum, qui iuſtitiam ſuam iactet apud Deum dicitque, Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat, natus de muliere? Quid (inquit) in homine eſt, cur ſe putet innocentem, cùm potius in contrarium, teſtentur omnia, eum ſemper eſſe peccantem? Quomodo (inquit Rabi Leui) Putabis te innocentem, & iuſtum, vt nefas ſit, te ſupplicijs affici? Proponitq; Eliphas ex omnibus puriſſimis rebus exemplum, quæ tamen non careant labe, in conſpectu Dei. Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cęli non ſunt mundi in conſpectu eius.] Quod Hebraicè ſic dicitur. Ecce in ſanctis ſuis non credet & cæli non ſunt puri, vel mundi in oculis eius. Sanctos, Hebræi cum noſtris, angelos interpretantur. Et Chaldæus, quod ſecundo loco, cęli ſunt nomine græco, ponit ipſos Angelos, continens pro contento, cęlum pro Angelis, quibus figuris vtuntur ſcriptores. Duæq; poſſunt eſſe ſententię: vel cęlos appellat ipſos Angelos, quia ſint in cęlo: aut quia corpora ipſa, orbesq; cęleſtes regant, & circumuertant. Prior Theologiæ magis conformis. Nã & Chaldæus, quod Hebraicè dicitur. Et cęli nõ ſunt mundi,] interpretatur, Et angeli in excelſo, non ſunt mundi, vt cælum, quod Angelis attribuitur, tanquam habitaculum, non tanquam quod moueant, ſit attributum. Poteſt, & de ipſius corporis cęleſtis claritate eſſe ſermo, quæ præ claritate diuina, ſit tenebræ. At quod noſter pro Hebraico, non credet, dixit, immutabilis, eſt fermè idem, explicatius aliquanto. Deus non credet eis, non confidet, tanquam immutabilibus: non credet eos immutabiles: non fidet. Credimus enim & fidimus his, quæ non mutantur. Fides enim eſt de re inconcuſſa: & fidi dicuntur, quibus ſtat inconcuſſa mens. Eſt igitur idem ſenſus. Cęterum vt ſuperius admonuimus, ſciamus comparationem hic eſſe non proprietatem. E Vt enim cælum eſt clariſſimum & puriſſimum, collatum tamen cum claritate, puritateq; diuina tenebroſum erit. Sic Angeli non ſunt quidem ſuapte natura immutabiles, quoniam ſunt diuini, collati tamẽ cum maieſtate diuina, & ſanctitate, nihil ſunt. Tanto igitur magis homo corruptibilis, & contemptibilis, qui bibit iniquitatem ſicut aquam, quia videlicet eam amplectitur, exoſculatur, redundat ea, haurit, ea plenus eſt. Nihil agit fermè, quod non peccet: ſcatet inanibus ſemper cogitationibus animus. Ideo philoſophatur accepta hac occaſione Eliphas de prouidentia diuina contra malos, de pœnarum generibus multa diſſerit. Ac poſtulat auditorem attentum. Deinde ait, quæ dicit antiquorum Philoſophorum ſententijs comprobari, adhibens ſuorum oculorum teſtimonium. Quod enim dicit, Et non abſconderunt, patres ſuos.] Eſt Hebraicè. Non abſcondunt à patribus ſuis. Deſignatque: non abſconderunt, quæ à patribus ſuis audierunt. Id exponit Leui, & Chaldæus inquit. Non abſconderunt, quæ à patribus ſuis didicerunt. ſemper, & Plato, & Ariſtoteles cum quid diuinum dicturi ſunt, aut de Deo, aut de prouidentia aiunt παλαιὸς λόγος. antiqua fama eſt. Et Hebræi, Dixerunt maiores noſtri. Et Pythagorei αὐτὸς ἔφα. Sic ferunt maiores noſtri, à quibus nos ſubſtantiam accepimus: eoque & religionem, & veritatem: quos poſterioribus ſapientiores fuiſſe, quia propius ad Deum, principiaq; generis humani accederent, par eſt. Et Ariſtoteles, ſenioribus maxime, propter multarum rerum experimenta eſſe credendum. Ferunt inquam Philoſophi, id ex ſucceſſione doctrinæ vſque ad Deum, accipientes, non eſſe diu felices impios. Sapientibus autem ſolis datam eſſe terram, & quod non tranſibit alienus per eam. Duos habet ſenſus, aut quod à Deo ſolis illis creatus eſt mundus, nam de bonis ſolis benemereri voluit Deus: & propter iuſtos, ſuſtinet, & patitur iniuſtos: F aut refertur ad homines, quibus communis conſenſus tradiderit terram, ideſt reſpublicas regendas. Facti ſunt propter ſingularem ſapientiam excellentiamque, domini rerum. Nam & Marcus cum multis alijs magnis viris putat, eum qui diſperſos in montibus homines congregauit, ſapientiſſimum fuiſſe. His igitur data ſolis, terra. Quanquam Nicolaus putat terram, terrena bona, quæ data ſint illis. Mihi ſuperiora magis probantur. Alienus autem non tranſibit per eos,] Hebraicè, in medio eorum. Communi (ait) conſenſu, nemine ſeſe alterius ſententiæ homine opponente, id decreuerunt: Aut data eſt eis dignitas omnis, nemine abripiente, nemine de gradu eos deijciente, vt referatur, aut ad ipſam eorum ſapientiam, quam alienus, ideſt contraria ſentiens, non poſſit labefactare: aut ad dignitatem, quã nemo præripiat. Nam alienus Hebræis ſonat hoſtem, inimicũ. Septuaginta hunc locum verterunt καὶ οὐκ ἐπῆλθεν ἀλλογενὴς ἐπ' αὐτοὺς. Et non ſuperuenit in eos, alterius generis. Non rapuit alienus terrã, è manibus eorum. Quod (vt dixi) referes, ad illos duos ſuperius ſenſus. Infert, quæ ſapientes, & maiores dixerunt. Cũctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorũ incertus eſt tyrannidis eius] Hebraicè ad verbũ. Cunctis diebus, impius ipſe parturit, aut dolet, & numerus annorum abſconditus eſt forti. In eo igitur paulũ variat, Hieronymus, quòd vertit ſuperbire, quod Hebraicè eſt מתחולל mithcholel, ideſt dolet, vt parturiens. Idem enim Hebræis, atq; Græcis verbum pariendi, ac dolendi ὠδίνειν. parere, & dolere, ſic Hebraicè חלל Chalal. Senſus igitur eſt hoc loco, quem etiam Hebręi proponunt, qualẽ ſæpenumero ſublimis Orator, refert in ſuis orationibus, de tormentis conſciẽtiæ. Alia ſunt, alia inquam, ò perditiſſimi homines, & amentiſſimi, multo miſeriora. Nam quo maior vis eſt animi, quàm corporis, hoc ſunt grauiora ea, quæ cõcipiũtur animo, quàm illa, quæ corpore.

A corpore. Miſerior igitur qui ſuſcipit in ſe ſcelus quàm is qui alterius facinus ſubire cogitur. Hęc ille de cruciatu. Videsq; eum, eodem verbo vſum, atque Hebraicum, concipiuntur animo, ſic Hebraicè mithcholel, parturit, concipit, & parit. Sępe, & noſtri Theologi, præcipue Chryſoſtomus, de tormentis, eius, quod ipſi appellant τὸ συνειδὸς, conſcientiam, loquuntur. Hunc igitur aſſiduum animi impij innuit cruciatum. Nam Rabi Leui. Vidi (inquit) oculis meis, quòd impius, & ſi proſpere cedunt ei res, cruciatur tamen omni tempore, videlicet, quòd inuadunt eum tormenta animi, timentem ſemper ſupplicia. Secundo loco, vbi noſter dixit, tyrrannidis eius, pro eo eſt nomen ipſum עריץ ariz, quod fortem ſonat. Et Chaldæus tranſtulit תקיפא takipha, & Sep. δυνάστην. potentem. Hunc fortem, etiam Hebræi interpretantur impium, ſic appellatum, quia faciat alios tremiſcere. Nam verbum ערץ eſt terrefacere. Iure igitur eum Hier. vocauit tyrrannum, vitamque eius tyrrannidem. Deſcribiturque hoc loco, quaſi Dionyſius quidam, aut Phalaris. Scis enim Dionyſium, quibus ad omne tempus, cruciatibus torqueretur. His incerta eſt vita, ſonat vox formidabilis in aures eorum, ſemper pauent futura mala, præcipue poſt mortem: nec ſciunt quandiu viuendum eis eſt: impendere calamitatem, (norunt enim ſua flagitia, ſciuntque ſe ad pœnas vocari) ſemper ſuſpicantur. Ideo exaggerans. Semper (inquit) ſonitus terroris in auribus: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.] Quod Hebraicè ad verbum. In pace vaſtator, veniet ei. Hier. retulit ad ſuſpicionem, ac formidinem. Hebraicum ad ipſam rem, euentumque rei. Sicque exponunt etiam Hebræi, vt Rabi Leui. Et ecce cùm in quiete eſſet, ſuperuenit ei calamitas, & preſſura, adeo, vt non putet ſe à tenebris & calamitate illa redire poſſe. Additque Eliphas, vt deſperationem etiam oſtendat. Non credit, quòd reuerti poſſit B à tenebris ad lucem, circumſpectans vndique gladium.] Tenebras illas repentinas, in quas cadit animus malis cicumuentus, ſicut lux gaudium eſt, & alacritas. Vides hic gladium illum Dionyſij tyranni, tyrranorumque in Tragœdijs celebratos cruciatus. Deſcribitque omnia pœnarum eius genera Eliphas, Cùm ſe mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus ſit in manu eius, tenebrarũ dies.] Hebraicè res certa deſignatur נודד noded, ideſt, mouetur, vagatur. Deſcribit enim iam præſentem eius penuriam, nuditatẽ, egeſtatem, ſicut Dionyſius de tyrannide deiectus, dicitur mendicaſſe, ludumque litterarium in Græcia aperuiſſe. Adeo inquit miſer eſt, qui prius fortis, & formidabilis, vt mendicet panem. Quem mendicans, ſemper timet mortem, & ſe fame periturum ſuſpicatur. Suſpicatur alia miſeriora, quæ tenebrarum nomine deſignantur. Terrebit eum tribulatio & anguſtia vallabit eum, ſicut regem, qui paratur ad prælium.] Quod noſter dixit regem per caſum accuſandi, potius eſt caſus nominandi. Sicut Rex (inquit) terrebit anguſtia, tanquam regina horribilis, tanquam Alecto, aut Tiſiphone. Ac quod noſter dixit prælium eſt כידור kidor, proprieq; deſignat orbem militarem, acies inſtructas circunſtantes. Sic (inquit) tribulationes facta quaſi corona circumſtabunt eum. Quanquam Rabi Leui Putat deſignari eo, homines damnatos, ad orbem, quibus ligant caput inter genua, manus item, & pedes, vt efficiant orbem, vt nõ poſſint exire ex orbe, vel annulo. Addit autem cauſam Eliphas cur tyranno futurum ſit hoc malum. Tendit enim aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt.] Deſignatur eo immanitas, prodigioſa, giganteaque ſuperbia. Quod & Poetæ, de ſimilibus impijs loquuntur.

Hic, & Aloidas geminos immania vidi.
C *Corpora, qui manibus, magnum reſcindere cœlum,*
Aggreſſi, ſuperisque Iouem detrudere regnis,

Sic, iſti tyranni, & fortes mouerunt manus ſuas contra cęlum, contra Deum, voluerunt eũ è Superis regnis detrudere, ſe fortiores arbitrati. Deſcribit ἀντιθεὺς θεομάχους, gigantesq; illos impios. Sic per tralationem, & ipſe dicit Eliphas. Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.] Quod duobus modis poteſt intelligi: aut quod ipſe peccator erexerit contra Deum ceruicem ſuã, vt referat eandem ſententiam, atq; ſuperius: Aut de ipſo Deo loquitur, qui impetum faciet in eum, & per collum ceruicesq; tumẽtes, eum corripiet, vt ſuperbum, ſternetq;. Vterque ſenſus elici poteſt ab Hebraico, quod ad hunc præciſe modum habet. Curret ad eum, in collum, in dẽſitate, ſuperbia ſcutorum. Sentit ergo Hebraicum, in primo ſenſu. Primo (inquit) inuadet collum, deinde inuadet vbi clypeus defendit, vbi robuſtius eſt ſcutum: vbi denſatur magis propugnaculum. Nam quod ſcutum reddidimus ideſt, מגן maghen, deſignat omnem protectionem. Vbi (ait) magis protegitur: in loricam, in thoracem inuadet. Rabi Leui ſimile, vbi corpora ſcutorum eius, magis denſa, & fortia ſunt. Alius eſt ſenſus, vt dicat, peccator curret aduerſus eum, in collo, ideſt cum collo, & ceruice, & cum ſcuto, tanquam præliaturus cum Deo. Is magis quadrat. Quod ſequens periodus declarat. Operuit faciem eius craſſitudo, & de lateribus eius aruina dependet.] Licet Hebraicè ſit, hoc poſtremum. Et fecit aruinam, ſiue pinguedinem ſuper lumbis. Aruinam dixit, quod Hebraicè פמה pimach, pinguedo, craſſities, hinc Latinè opimum. Sanctes vertit lumbricos, Idem ſenſus. Hæc igitur teſtantur ſuperiora quoque de peccatore eſſe intelligenda, qui currat aduerſum Deum: ceruicemque atollat, vt dixerunt Septuaginta ἐτραχηλίασε. Nunc ait opima viſcera, vbertatemque terrenorum bonorum, ſuperbiam, animoſque illi dediſſe. Pinguiſſimum eſſe, vt facies ſit adipe ſepulta, è luctibus miſerorum D ei carnem accreuiſſe. Deſignat ergo impiorum opulentiam, iniuſte partam, & ex opulentia, ſuperbiam. Nam omnis ſuperbia, à copia eſt. Abundantia panis fuit peccatum Sodomiticum, quia manum egeno non porrigebant, contemptores omnium. Et Salomon duorum malorum à Deo materiam fugiendorum poſtulabat: paupertatem, ne cogeretur furari, diuitias, ne inſoleſceret, blaſphemaret. Ideo difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum. Et Solon ille ſapientiſſimus legum lator, *Copia vim parit ex opibus generata beatis*. Proponitque ſupplicium. Habitabit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redactæ.] Duos habet ſenſus, At habitabit in locis deſertis, ſocietateque deſtitutis, vt poſſit impunè graſſari, & quemlibet occidere, & prædari tranſeuntes: aut habitat domos vertendas in cineres, citoque tumulos ruinarum futuras. Nam quod per præteritum noſter dixit, Sunt redactæ, Hebraicè per futurum התעתדו hithathedù paratæ ſunt, futuræ ſunt in tumulos. Videbis hoc Romæ quæ fuerat pinguiſſima quondam, & ſuperbiſſima, nunc cineres, & ruinæ: quas qui contempletur, lachrymas continere non poſſit. Hic omnia animalia accumbant, quæ dixit in Babylone euertenda, moratura, Eſaias. Aedificauerat igitur villas, & palatia extruxerat: ſed quoniam ex rapina, ecce in cineres, & ſolitudinem redigentur. Proſequitur in ſupplicia. Non ditabitur, nec perſeuerabit ſubſtantia eius, nec mittet in terram, radicem ſuam.] Quod ſecundo loco dixit, radicem, Hebraicè מנלם minlam, ſonatque perfectionem ſuam, vel eorum: idque exponit Auen Eſra, & Leui. Eſt idem tamen. Nam perfectionem appellat radicem, ſtirpemque ipſorum, quam negat fore ſuperſtitem. Eſt enim perfectio, vltimum, & quod poſtremo remanet, id proles eſt genitoribus. Hanc negat impio ſuperſtitem futuram. Forteque ipſum innuebat Iob, vt oſtendunt antecedentia, E eritque tralatio à floribus, plantis: quarum radices, & propagines exiccantur. Quanquam Rabi Leui, exiſtimat hoc ad ædificia potius atttinere, non relinquenda, ſed euertenda, complananda. Senſus eſt clarus. Septuaginta obſcurius, dixerunt ὐ μὴ βάλη ἐπὶ τὴν γῆν, σκίαν. Non iaciet, in terram, vmbram. Sed Hebræi communi conſenſu teſtantur menel, ſonare complementum, perfectionem, vmbram nunquam: niſi fortè reſpexerint, quod ſequitur. Non recedet de tenebris, ramos eius arefaciet flamma: & auferetur ſpiritu oris ſui ab eo.] Tenebras, calamitates, mœrores, appellat, vt ſolent ſcriptores ſacri, ramos, vel ramum, vt Hebraicè eſt, vel germen, viriditatem & opulentiam, felicitatem, copiam, cùm, floreret, cùm vireret. Flammam dicit calamitates, miſeriarum incendia, afflictiones, preſſuras, dolores, æſtus. Spiritum oris ſui, ſentit ventum flatum ex ore Dei, impulſum, miſſum à Deo, quo tollentur omnes, longe fugabuntur diuitiæ. Vt enim fortunam, quæ Deus ipſe eſt, dicunt flare, ſecundoſque ventos prædicant, & celebrant noſtri: reflare autem dicitur fortuna, quotiens longe alio vultu nos aſpicit, & accumulatas euertit opes, in æſtum, pelaguſque ſæuum proijcit nauiculam: ſic ſpiritu ideſt vento ex ore Dei miſſo, omnem eius ait felicitatem differendam, diſſipandam. Hebraiceque eſt. Et auferetur ſpiritu oris ſui. Ipſe, ſcilicet diues & beatus, abibit, aſportabitur, aut ramus eius. Quare ſuperuacaneum eſt in noſtris: Ab eo. Addit alia incommoda. Non credet fruſtra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus ſit,] Hæc tota periodus, ſic eſt Hebraicè. Non credet æquo, is qui decipitur, vel ipſe deceptus, quia mendacium erit loco eius. Poteſt, & ſic transferri. Non credet in vanum, vel fruſtra deceptus, quod fruſtra commutatio eius. Senſus igitur eſt clarus, cui etiam Hebræi aſtipulantur. Ille ipſe beatus, euertetur, tolletur è medio repente, quia errore deceptus, & ebrius vanitatibus mundi, non credebat, ſe periturum, venturaque in nihilum, omnia, quæ paraſſet. Sciendum Hebraicè שוא shaue, ſi cum aleph ſcribatur ſignare fruſtra, in vanum, ſi ſine aleph, æquum, iuſtum. Vtraque lectio eſt, primo loco, vt vel dicat: Non credet æquitati, & æquo vir deceptus, aut: Non credet in vanum deceptus. Secundo autem loco, vbi dicitur, quòd aliquo pretio redimetur. Hieronymus vocem Hebraicam תמורתו themurato, quæ ſonat commutationem, vicem credit eſſe pro pretio. Hebræi tamen, quod melius, idque loquendi conſuetudo comprobat, accipiunt id, pro vice eius; loco eius: pro eo, vt ſit aduerbium, non nomen: Diciturque. Non credet fruſtra deceptus, fore mendacium, vel vanitatem loco eius, vice eius, ſcilicet illius rami, felicitatis, opulentiæ. Non credet, quod pro ea felicitate, ſuccedet vanitas, nihilum, euerſio, redactio ad nihilum, inane, mera fabula erit, in nihilum redibit. Is verus ſenſus. Nam de pretio, non poteſt ſermo eſſe, quoniam loquitur de tota impij ruina, nunquam reparanda, redimenda. Ac mihi magis placet lectio, vt shaue ſit cum aleph, ſonetq; fruſtra, in vanum. Ipſis etiam Hebræis arridet. Proſequitur alias calamitates. Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus eius areſcent.] Auferendum, periturumque, vt pleriſq; impijs certo Deo conſilio accidit, prædicit, abſcidente medium vitæ curſum eius ipſo Deo, ne diutius genus humanum diuexet importuna lues. Quod autem noſter dixit, Manus eius areſcent, Hebraicè eſt. Et ramus eius non viruit. Nam vox כפה kippà, quam noſter manum tranſtulit, ſonat ramum. Videtur noſter accepiſſe Kippà, loco כף Kaph, quæ ſonat palmam, manum. At manus non viret, ſed ramus. Et alibi hanc vocem vertit ipſe Hieronymus Spatulas palmarum. Non ſequetur ergo opulentia, areſcet. Eademque figura infert. Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proijciens fructum ſuum.] Quod primum florem dixit,

eſt

A eſt Hebraicè בסרו biſro, vua acerba eius. Perdetur (inquit) ſicut perditur vitis, aut vua, quando eſt acerba, quando matureſcit, quando creſcit: Quanquam noſter addit botrum. Sed Hebraicè ſic. Lædetur, vaſtabitur, tanquam vitis, vua eius acerba. Pro duobus igitur flore, & botro, eſt vnum Hebraicè biſrò, vua cerba eius, & immatura. Perijt (inquit) immatura morte impius. Pro fructu quoque oliuæ, eſt נצתו nizatho, ideſt flos eius. Duæ ſimilitudines immaturæ mortis. Concludenſque & declarans exempla inquit. Congregatio enim hypocritæ ſterils, & ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.] Pro hypocrita, Hebraicè חנף chaneph, impius, ſceleratus. Et Septuaginta ἀσεβῦς. impij. Pro ſterili eſt גלמוד galmud, deſolata deſtituta, in ſolitudinem redacta. Cōgregationem autē dicit ipſum, & totam ſtirpem, totam familiam, ſicut ſuperius, ipſumque forte, reſpicit Iob. Ideo etiam ponit tabernaculum pro tota domo, ſicut apud nos & Græcos, domus eſt familia. Oriētales autem pro domibus, tabernacula habent. Quos autem dixit noſter. Eorum qui libenter munera accipiunt.] Hebraicè tantum, Tabernacula שחד shocad, muneris, vſuræ. Tabernacula vſuræ, ideſt (vt ait Leui) Conſtructa ex muneribus & vſura, ex alienis opibus, ex corruptis largitionibus. Sequutus eſt Septuaginta, noſter, οἴκυς δωροδεκτῶν. Domus eorum, qui munera accipiunt. Idem ſenſus. Abſoluitque orationem, ſuo fine. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius, præparat dolos.] Quod noſter dixit, dolorem Hebraicè עמל amal, ſonat laborem, & iniquitatem, ſcelus, ſicut Gręcè, a πόνος labore, πονηρὸς malignus, prauus. Id vitium labore, & malo afficit habentem, & alios. Sicut item κακία, vitium, ſcelus. Concepit ergo ſcelus, & peperit, prius in corde, poſtea in opere. Deinde ex his, & cum his, ſecutus eſt labor & dolor. Dat item ventri præparamentum & conceptum fraudis per tralationem. Erant (inquit) fœti fraudibus, ſceleribus. Quo circa ſuperinduxit eis Deus, B omne malum: innuens ipſum Iob, cui ad cęteras miſerias, acceſſit amicorum ſuorum crudelitas, qui eum magis cruciarent, merito clades accidiſſe contendentes. Fit peruerſo iudicio ſępenumero, vt credamus à Deo merito flagellatos, quos ad gloriam, paſſus ſit ſubire incommoda.

CAPVT XVI.

RESpondens autem Iob dixit. Audiui frequenter talia. Conſolatores oneroſi vos eſtis. Vt ratio, naturęq; poſtulabat inſtinctus, Iob reſpondit, reijciens, & refellens eorum crudelitatem, inhumanamque conſolationem. Ac rectè dixit, ſæpe ſe eiuſmodi ab eis audiſſe. Quoties inuecti ſunt id genus in eum plaſphemijs: neq; fermè aliud toto libro agitur, Illi reprehendunt, qui conſolari debuiſſent, is reſpondet, expurgatque ſe ſe. Conſolatores oneroſi, Hebraice eſt, conſolatores עמל amal, laboris, carent enim deriuatiuis Hebræi, conſolatores laboris, ſunt conſolatores laborioſi, operoſi. Hocq; proprius, quam quod Sept. παρακλήτορες κακῶν. Cōſolatores malorū. Quod intelligi nō poteſt. Sed de eorum tralatione, quando nobis vſui non eſt, pauca. Nunquid aliquē finem habebunt verba ventoſa, aut tibi aliquid moleſtum eſt ſi loquaris?] Reijcit in eos verba ventoſa, inania, aut falſa. Ventoſa verba, in quibus iactatio, oſtentatioq; inanis ſapientię. Ea cum primis ſunt, cùm aliorum vitam, vt iniuſtam & impiam inceſſimus, & deſpicimus, interim noſtram minime introſpectantes. Quod autem dixit. Aut tibi aliquid moleſtum, ſi loquaris.] Obſcure redditum, & non proprie. Hebraice hoc modo. Aut quid. C ימריצך amrizekà, roborabit te. Hoc eſt (vt ait Rabi Leui) Quid tibi virium affert tua argumentatio? tot verba, quem tibi honorē ferrēt, aut quid valent ea tibi, cùm ſint inania? Quanquam Auē Eſra adhibet hunc ſenſum. Quis te fortior erit & vincet te? Sed ille ſuperior, verior, & clarior. Quid tibi proderit, ſi loquaris? Clare igitur Hebræi maraz ſonat robur, roborare, vires addere, aut inualeſcere. Et quòd ſub eadem voce latet ſignificatus peruerſi ſermonis, vt deſignet, violare, peruertere, eo videtur Hieronymus id verbum dixiſſe moleſtare, quaſi ſimile quid. Et apud eum ſenſus eſt. An aliquam moleſtiam capis ex his, quę loqueris? An te pigebit aliquando talia loqui? Sed prior ſenſus, eſt magis expoſitus. Eadēq; refellens addit. Poteram, & ego ſimilia veſtri loqui, atq; vtinam eſſet anima veſtra, pro anima mea. Conſolarer, & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meū ſuper uos.] Facilius, cùm valemus, conſilia ægrotis damus. Tu ſi hic eſſes aliter ſentias. Hi cuncta optime perpendunt, qui ſe alterius pellem induunt, ponuntq; ſeſe eorum in loco. Ac quod ait, Poterā: potuiſſem (inquit) ſi ſanus eſſem, ſi me dolor iſte non tangeret: ſi uos in his plagis ſederetis: ſi meas calamitates ſentiretis, cōſolari uos, dicere ſimilia: exulcerare uerbis inimicis dolorem, plagas, & cruciatus miſeris addere. Vtinam igitur, quando tam ſæua eſt veſtra oratio, fieret iſta cōmutatio, & quibus uexor cladibus, ſentiretis, quandoquidem verū earum ſenſum, non percipitis. Et nūc inſtatis conſolādo, & ꝙ imprudētius eſt, maiores dolores miſero accumulatis. Animam autem dixit perſonam ipſam, ipſumet. Aīa veſtra (inquit) pro anima mea, ipſimet, pro meipſo. Mouere quoq; caput, Hebręis peculiari loquēdi modo, eſt cōſolari. Et quod noſter dixit: Poterā & ego ſimilia loqui: Hebraicè pręciſe, Etiā ego, ſicut uos loquerer: Vt ſit tempus incertū, reſpiciens, qđ non eſſet, ſed eſſe poſſet. Et quod dixit: Cōſolarer & ego, eſt אחבירה achbira, accumularem: congererem uerba, aggregarem, ut per contemptum loquatur, appellās uerba eorum, quaſi farraginem, aceruumq; nugarū. Eandem (ut ſolet iſte liber, & pſalmi) repetit ſententiam.

tentiam. Roborarem vos ore meo, & mouerem labia, quaſi parcens vobis] Hebraicè: Roborarem vos ore meo, & conſolatio labiorum meorum, leniret, mitigaret. Nam, quod eſt Hebraicè ניד nid, quod motum deſignat, eſt vt dixi Hebræis, pro conſolatione. Itaque motus labiorum eſt conſolatio, ſicut motus capitis, omnia ſigna συμπαθειάς, condolentiæ. Et quaſi de noſtro dolore detrahitur, cum aliquem doloris participem habemus. Futurum in Hebraico הלאנו iachshòk, ideſt parcet, mitigabit, refertur ad motum id eſt conſolationem labiorum. Idipſum tamen ſenſit Hierony. Et Rabi Leui, qui parafraſtice librum expoſuit. Si ſic daretur (inquit) conſolarer vos, verbis meis, & quod compaterer vobis, loquendo minuerem plagas veſtras, leniremq; dolorem, quoniam vehementer interquieſcit plagis affectus, quando conſolamur eum, narramusque mala, & incommoda. Sed quid agam? ſi locutus fuero non quieſcet dolor meus, & ſi tacuero non recedet à me. Nunc autem oppreſſit me dolor, & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei.] Hebraicè ad hunc modum. Si loquar non prohibebitur, aut mitigabitur dolor meus: & ceſſabo, quid diſcedet? Idem, atq; in noſtris, ſenſus, clarior factus à noſtro interprete, paucis, quæ ſenſum non varient, ſed illuſtrent, additis. Si ceſſabo (inquit) vel deſiſtã, aut omittam loqui, quidquid agam, doloris vndique vrgentis nulla ſubleuatio. Quoniam (inquit) non fit iſta commutatio, vt vos ſitis pro me, & has plagas accipiatis: ego autem incolumis ſim: non video mihi quid faciendum ſit, an maledicta refellam, an taceam. Quidquid egero, nulla doloris mitigatio: adſunt idem cruciatus: & quæ ſunt amiſſa, reparari non poſſunt. Vos tuto, & ocioſè, animoque quieto nugamini: mihi neque loquenti, neque tacenti ſalus, nec mitigatio doloris oſtenditur. Hæc vobis conſideranda fuiſſent. Nunc autem oppreſſit me dolor, pro quo Hebraicè הלאני heleani, laborare fecit me, quod referri poteſt, tum ad dolorem, tũ ad Deum ipſum, quoniam abſolute ponitur, laborare me fecit. Rabi Leui ſentit Deum qui fecerit eum laborare, ego dolorem ſentirem. Quanquam mutata perſona ſubiungat, & in nihilum redacti ſunt artus mei. Pro quo eſt ſecunda perſona השמות hashimòtha, deſolaſti, euertiſti, deſtruxiſti. Et pro artubus eſt כל עדתי col adathì, omnem congregationem meam. Etiam vero Hebræi ſentiunt hoc nomine, totam mẽbrorum compagem. Rabi Leui. Totam (inquit) membrorum ſtructuram, numerumque diſſipaſti. Poſſet intelligi congregatio, etiam tota ſubſtantia, tota familia. Perſequitur cæteras miſerias. Rugæ meæ, teſtimonium dicunt contra me: & ſuſcitatur falſiloquus aduerſus faciem meam contradicens mihi.] Hebraicè, Rugare feciſti me, in teſtem fuit, & ſurrexit in me, macies mea: in faciem meam reſpondebit. Quadrant omnia, excepto eo, quod vertit falſiloquum. Eſt autem pro eo Hebraicè כחש kachas, vox duo ſonans, macilentiam, & mendacium. Pro ſecundo accepit Hiero. pro primo accipiunt Hebræi: locuſque ipſe teſtatur, deſignare maciem, non mendacium, quia ſuperius rugas memorauit. Dicendum igitur: Et macies mea, reſpondet, vel teſtatur contra me. Et Rabi Leui locum exponens. Non alio teſte indigeo, ad dolorem, miſeriaſque meas exprimendas, quoniam rugæ meæ, præ macie ſumma teſtantur contra me: & macies mea, & miſeria mea, oſtendunt magnitudinem plagæ, & doloris mei. Itaque locus eſt clarus. Nam falſiloquus hic non apparet, nec videtur in quem poſſit referri. Quomodo enim cohæret falſiloquus cum rugis? Nicolaus, falſiloquum diabolum ſentit. Res mihi clara videtur. Ac dat quaſi perſonam doloris, & maciei, eos tanquam crudeles in ſe teſtes inſurgentes, appellans. Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis: hoſtis meus terribilibus oculis intuitus eſt.] Totum referunt Hebræi in ipſum Deum, cui referebat ſemper acceptas clades, vt ſuperius ſæpe viſum eſt. Ac Hebraicè eſt. Furor eius rapuit me, & odio habuit me, fremuit contra me dẽtibus ſuis hoſtis meus: acuit oculos ſuos in me. Eundem ſenſum habent, atque noſtra. Mutabat enim Hierony. cui præcipua ſermonis cura fuit, phraſes Hebraicas, in orationem Latinam. Vt autem, ſi quis ad verbum tranſtuliſſet Hebraicam, duram, horridamque orationem, inſuper etiam non intelligibilem ſæpe feciſſet, ſic fit interdum, vt verba, totamque orationis ſeriem mutantes, verum ſenſum adamuſſim non exprimamus. Hanc igitur omnem doloris, ac cladis ſuæ exaggerationem, rectius Hebræi referunt in Deum, quàm dæmonem. Nam, nec fortè norat Iob, diabolum in ſe, familiam, opeſque impetum feciſſe, cognitum ei poſtea, ex aliqua reuelatione. Nam, quod in Deum ſint referenda, apparet ex ſequenti. Concluſit me Deus.] Clara eſt omnis tralatio, de furore, de fremitu dentium, de odio, trucique aſpectu. Ac vides Hiero. pro odio, quod eſt in Hebraico, dixiſſe, comminationem, quæ ex inimicitia, & odio eſt. Acute autem reſpicere, dixit oculis terribilibus, quanquam poſſit referri, quod acutiſſimè viderit, vbi feriendus eſſet. Sed idem erit tandem. Vt igitur, cladis magnitudo intelligatur, deſcribit Deum, tanquam, hoſtem, odio, furore armatum in ſe ruere: vt dixi, per tralationem. Exaggeranſque miſerias, proſequitur. Aperuit ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.] Nihil eſt varium à fonte, ſolum mutata ſunt nomina, ſerieſque orationis. Nam quod dixit exprobrantes, eſt Hebraicè cum opprobrio, cum ignominia. Cum ignominia (inquit) aperuerunt ora ſua: quid aliud, niſi exprobrantes, probra iacientes? Quod autem dixit. Satiati ſunt, eſt Hebraicè. Simul contra יתמלאון ithmalaùn. Quod duos habet ſignificatus. Aut ſatiati, expleti ſunt, quod noſter eſt ſecutus: aut congregati, collecti, quod Hebræi. Vterque quadrat. Hoc item Hebræi de amicis Iob dictum volunt. Sicut enim tacite Eliphas, redegerat

A Iob, in numerum impiorum, ei ſceleratos mores, obliuionem, contemptumque Dei, ob quæ affirmabat clades illas, tanquam grandinem, & tempeſtatem ſupercecidiſſe, attribuerat, ſic tacite vocat eos crudeles, contumelioſos, prorſusque inhumanos Iob, oſtendens hoc aliud additum ſibi ex amicis ſuis ſupplicium. Poſſunt per proſopopæiam plagæ, calamitatesq;, tanquam hoſtes, quæ agmine facto in eum inuaſerint, appellari. Noſtri, dæmones ſentiunt, quos inimicos appellet. Mihi ſuperiora probantur: eandemque, vt ſolet, inculcat ſententiam. Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.] Pro iniquo eſt עויל auil, mendacium, peruerſitas, innuitque mendacem, ſceleſtumque Eliphas, eum falſis reprehenſionibus cruciantem, impiumque vocantem. Et, pro me tradidit eſt ירטני iritèni, quod ab Hebræis exponitur, diuertit, remouit à ſtatu felici in manus inimici. Ego ſentio, quòd vertit noſter. Impulit me manus impiorum, deuoluit, præcipitauit. Ego ille quondam opulentus repente contritus.] Hebraicè, opulentus, aut quietus eram. Quietum quoque Septuaginta dixerunt, & pacificum εἰρηνεύοντα, quiete agentem. Alterũ ex altero ſequitur, ex opulentia quies. Deiectus ſum ex tãta felicitate, paceq; profunda. Quodque ad malorum exaggerationem addit. Tenuit ceruicem meam, confregit me, & poſuit me ſibi, quaſi ſignum.] Eadem inculcantur, & per tralationem, tanquam inimico datur animus hoſtilis, & impletus Deo: nihilque quod ad deſcriptionem crudelitatis ſpectet, omittitur. Porrò quod dixit ſignum, Hebraicè eſt, מטרה mattaràh. Hebræi ſignum ſagittantium, & ſcopum interpretantur, vt Iob dicat ſe factum, & poſitum, in quem Deus ſua ſpicula dirigeret. Septuaginta quoque dixerunt σκοπόν. Intelligis ergo, quid ſignum ſit. Aliud crudelitatis, inimicique animi ſubijcit indicium. Circundedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos.] B Hebraicè alio ordine, ſed eodem ſenſu. Circuierunt me רביו rabbù, iaculatores eius, vt exponit Leui dicens, hos eſſe iacientes ſagittas. Siquidem Hebraicè רבב rabab, ad alia ſignificata, deſignat iaculari. Septuaginta tamen etiam ipſi lanceas dixerunt. ἐκύκλωσαν με λόγχαις. Circundederunt me lanceis. Quod autem dixit, conuulnerauit, Hebraicè יפלח iephalach, quod Leui exponit, diuiſit, diſcerpſit, eadem ſunt omnia. Quos autem dixit lumbos, Hebraicè כליותי kiliothai, renes meos. Perſtatq; in deſcriptione plagarum. Non pepercit, & effudit in terram viſcera mea.] Pro viſceribus, eſt מררתי mererathi, fel meum, dictum Hebraicè ab amaritudine. Sept. quoque dixere fel χολὴν μου. Hierony. viſcera dixit, quòd eſſet clarius. Pars pro toto in Hebraico. Proſequitur. Concidit me vulnere, ſuper vulnus, irruit in me, quaſi gigas.] Redditum clarius: quàm Hebraicè ſit. Concidit, vel dirupit me diruptione, ſuper diruptionem. Et quem gigantem dixit, eſt Hebraicè גבור ghibbor, quod fortem, & gigantem deſignat. Et quaſi per excellentiam gigantes in ſacris litteris dicuntur, fortes, ſicut Græcè ab eo, quòd è terra ſint geniti, propter corporum proceritatem, vt ego reor, quia primi homines, qui ex terra facti ſunt, fuere proceri, ijque proprie gigantes, Inde factum vt omnes ſimiles illis, gigantes, id eſt terrigenæ dicerentur. Ad extremam calamitatem addit. Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam,] quod dixit carnem meam, Hebraicè קרני Karni, quod ipſi exponunt caput meum. Noſter totum pro parte. Et pro cinere eſt puluis. Cinere autem, aut puluere in luctu, & calamitate, caput aſpergebant: nunc forte reſpicit, & ſterquilinium in quo ſedit, & furfura, quæ ex carne eius putrefacta, cadebant, toto ſcatente vlceribus, corpore. Subijcit, Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.] Quod dixit, intumuit à fletu, eſt חמרמרו chomarmerù, quod exponunt C ipſi deducentes à chomer luto, cœno, humore, vt dicat facies mea, fędata eſt lachrymis & humore, aſſidue defluente: vt hoc Hebraicum verbum, ſit quaſi transferendum: Lutuit, luteſcit facies mea: ſit chomer, ideſt res humefacta, lutum: Sed tumor id deſignat, accreſcente ex humore, & lachrymis, neſcio quid in vultu. Idemque eſt ſenſus. Et quod dixit eleganter, & perſpicuè caligauerunt, eſt Hebraica figura, zalmaueth, vmbra mortis. In palpebris meis (inquit) eſt vmbra mortis. Sed quid nobis Latinis, eſt vmbra mortis? Ergo caligo pulchrè dicta eſt. Sic, & Sept. dixere σκιά vmbra. Connumeratisque malis, oſtendit, ſecus quàm calumniaretur Eliphas, in merito ſibi obueniſſe. Hæc paſſus ſum, abſque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas, ad Deum, preces meas.] Ad perſpicuitatem adiecit. Hæc paſſus ſum, cùm Hebraicè ſit duntaxat. Propter non iniquitas in manu mea, & oratio mea munda. Vides, vt declarauerit transferendo vitata κακοζηλία Iniquitatẽ autem dixit, quod Hebraicè חמס chamas, violentiam, rapinam. Duoque ponit maxima ſcelera, omnium aliorum principia, quæ ſe vitaſſe dicit, iniuſtitiam, & rapacitatem erga homines, impietatem erga Deum. Neque (inquit) ius humanæ ſocietatis vnquam violaui, neque impius vnquam fui, Deumque non colens, & implorans, adiensq; ad templa, animo puro, & innocenti, omnique ſcelere expiato: ne quid animo polluto precarer, contraque me orarem dicens: fac mihi, quod cæteris facio: dimitte, ſicut debitoribus ego meis dimitto. Quod autem addit. Terra ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi, clamor meus:] Duo poſſunt eſſe ſenſus: primus vt poſſit eſſe quaſi mutila oratio. Terra ſi ita eſt, quod amici mei dicunt, me impium fuiſſe, ne recipias ſanguinem meum, nec ſit locus clamori meo: nemo ſit, qui lamenta mea exaudiat. Hunc ſenſum proponit Auen Eſra aſſumens exemplum ex alio loco, Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiat Dominus. Veruntamen exaudiuit Dominus Deus. Alius eſt ſenſus, qui mihi magis probatur: O terra ne operias ſan-

rias ſanguinem innocentem. Contra ſanguinem innocentem
quaſi hoſtes: aut ipſe Deus tanquam gigas effudit ſanguinem
hæc iniuſtitia: ſit manifeſta, ne abſcondas in viſceribus tuis,
tem, effuſum accepiſti : & non ſit clamori meo locus, id eſt
gnitus, ſed cognoſcatur, ſentiatur, audiatur, ſit manifeſtus,
tur in terra. Hunc ſenſum noſter innuit, innuit & Leui. Et e
re ſanguinem dici Hebraica phraſi, & clamare tanquam teſt
noxio, ſicut cælum & terram conteſtantur ſacri ſcriptores.
funditur, ea veluti ſanguinis iſtius conſcia dicitur in aures D
ſi. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.. Tale qui
vociferari, ſuper effuſo ſuo iniuſtè, & innocenter ſanguine.
cant, Terra reuela iniuſtitiam, quæ contra me fit, non ſit loc
tur, ſed ſtatim aſcendat. Burgenſiſque eum declarauit ſenſum
amicis Iob, qui felicitatem ſuam ponerent in terrena proſper
tit. Huic ſenſui etiam, quod ſequitur aſtipulatur. Ecce enim i
in excelſis.] Hebraicè : Etiam (inquit) nunc ecce in cœlo te
bus modis intelligi : aut quòd Deum innuat, qui teſtis, & c
aut cœlum ipſum appellat teſtem, ſicut & Moſes. Audite ca
lum, & percipe terra. Et noſtri Poetæ.

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum,

Teſtor numen, ait. Et apud Tullium : cælum, noctemque co
parere teſtimonium ſuæ innocentię, ſicut terra teſtabatur d
poſt querelas, & lamentationes, apertè ad ipſos. Verboſi
meus.] Verboſos congruè dixit, qui ſunt Hebraicè מליצים me
gantes. Hinc in primo pſalmo, pro eo, quod nos habemus,
Hebraicè eſt. Et in cathedra lecim deriſorum, quaſi nugaciu
nunc interpretem, duraque nimis eſt expoſitio Burgenſis. C
diſtillat oculus meus. Loquamini (inquit) impunè vos cont
explete vos maledicendo, ad Deum verto flentes oculos me
luctus meos oſtendo. Agnoſcat ille queſtus & planctus meos
fectum. Atque vtinam ſic iudicaretur vir cum Deo, quomoc
lega ſuo,] Si audias Hebraica, hoc modo habent. Et arguat
nis cum proximo ſuo : Quod ſcabroſum eſt. Eſt ſenſus, qu
Rabi Leui. Quis det inquit, vt poſſet homo, diſceptare cum
mines? Vides in his, quod noſter dixit iudicaretur, ſignific
(inquit) liceret adire aliquam aulam, aliquod forum, in quo
ſe, aut anno, aut die ſederet iudex, cauſaque omnium dilige
eius accedens, poſſem agere cum eo, eumque rogare, quid
oppreſſerit : quod ſcelus tantum admiſerim, cui tam atrocia
nium rerum eſt prudentiſſimus, eius teſtimonio probarem
facta mea habet explorata, mendaces eſſe amicos meos. Cur
breues anni tranſeunt, & ſemitam, per quam, non reuertar, a
anni numero ibunt, & ſemitam non reuertar, quam ambul
merus annorum, qui mihi reſidui ſunt ad viuendum, veniu
attenuabitur. Numerus igitur annorum deſignat, quòd anni
tanquam pauci, attenditur ad hunc numerum. Sicut quibus
do, omnia momenta numerant. Itaq; Iob cùm ſenectam vid
pora canos cerneret, optabat de cauſa ſua coram Deo agere,
rente, abſolueretur, vt ſi quid vitæ ſupereſſet, quiete & curi
hi (inquit) aliquod ſolamen antequam moriar, antequam ca
ſus reuocari non poteſt, fugit irreuocabilis ætas.

CAPVT XV

HOc caput ſtatim attexitur ad ſuperius, nullumque
proſequitur mœſta, quibus attenuatio, decurtatio
ritus meus attenuabitur,] ſpiritum appellat vigore
ritus eſt, hanc ait attenuatam, attritam non annis ſolum & t
ſumit, ſed etiam cladibus illis. Attrito ſpiritu, anni velocius
midium, ſicut quibus vitæ interciditur curſus: dimidium æta
ſpiritus corporeus vexatur, & atteritur, animi & corporis

tem vociferati ſunt amici : effuderunt
em meum innocentem. Fac, vt pateat
nis, ſanguinem meum ; quem innocen-
eſt vbi lateat abſconditus, nemini co-
us, veniat ad aures Dei,non abſconda-
t eſt verior. Sciendum terram recipe-
teſtem in aures Dei ſuper ſanguine in-
s. Nam quoniam ſanguis in terram ef-
es Dei vociferari. Diciturque in Gene-
quid Iob poſtulabat, terram inclamare,
ie. Et Auen Eſra inquit. Sunt, qui di-
t locus, in quo clamor meus abſconda-
nſum. Nam Nicolaus, qui terram pro
ſperitate, dicit, aliena, & longinqua pe-
im in cęlo teſtis meus, & conſcius meus
o teſtis meus. Hoc quoque poteſt duo-
& conſcius ſit iuſtitiæ, ſantictatisq́; ſuę,
te cæli quæ loquor. Et Eſaias. Audi cœ-

ue conteſtans. Sic nunc ait in cœlo ap- E
tur de ſanguine eius iunoxio. Flectiturq́;
boſi amici mei : ad Deum ſtillat oculus
melizim, eloquentes, diſſerentes, nu-
mus, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.
gacium, ab iſta voce. Quare non ſignificat
is. Quodq́; ſtatim ſubiungit : Ad Deum
contra me: ſit veſtræ libertatis mentiri:
s meos: ille meas lachrymas aſpiciat, illi
meos. Magisq́ue oſtendit hunc ſuum af-
omodo iudicatur filius hominis, cum col-
rguat ad virum cum Deo, & filius homi-
, quem noſter clarius reddidit. Nam &
e cum Deo, ſicut diſceptant inter ſe ho-
gnificare, diſceptaret, argueret. Vtinam
quo Deus ſemel in hebdomada, aut men-
diligenter attenderet, egoq́ue ad tribunal
, quid commeruerim, quòd me tot malis
rocia ſupplicia illata ſint. Et quoniam om-
arem, qui penitus omnes cogitationes &
. Cur autem hoc optet, addit. Ecce enim F
tar, ambulo.] Quod Hebraicè eſt. Quia
mbulo. Quoniam (inquit Rabi Leui) nu-
eniunt nunc, & moriar, aut ſpiritus meus
d anni numerantur nunc tanquam breues,
uibus breue tempus eſt negocio exequen-
m videret præcipitātem, cum circum tem-
agere, vt eo ſententiam, pro innocentia ſe-
& curis, morbisq́ue leuatus ageret. Da mi-
am canicies vltra proſerpat, nam vitæ cur-

XVII.

mq́ue eſt in ſententijs interuallum: Cæteri
rtatioq́ue vitæ ſignificatur. Ac dicens, Spi-
vigorem, vitam ipſam corpoream, quæ ſpi-
um & tempore, quod omnia exedit & con-
elocius abierunt. Pro vno anno non fuit di-
um ætatis, cladibus illis eſt detractum. Nam
rporis languoribus, quæ affatim incubue-
re ipſi

A re ipſi Iob. Propria igitū eſt ſpiritus attenuatio. Hebraiceq́; dicitū חבלה Chubalah, id eſt, d
eſt, diſſipatus. Et Leui demolitus ait, euerſus, fractus. Et quod ait. Solum mihi ſupere
chrum.] Apparet noſtri interpretis, vt eſſet clarior tralatio, diligentia. Nam Hebraicè e
chra mihi. Et quod ait. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus,] Heb
ad verbum. Si non fallaces, aut illuſores mecum, & in amaritudinibus morabitur oculu
Oratio mutila, ſic intelligenda, vt ab Hebræis quoque intelligitur. Si non (inquit) detur
rum, hoc tribunal Dei, ad quod miſerrimus ego confugiam, ecce illuſores adſunt amici,
cul à cladibus poſiti, irrident me, illudunt, inuolitant, ſuper doloribus meis philoſophātu
niam Deus iuſtus eſt, fieri non poſſe, vt afflixerit immeritum : reliquum eſſe, vt tantum
fuerim, quantum malorum deſceuit in me, fortunasq́ue meas. Veniat igitur ipſe Deus
iuſtus iudex, applicemus ad tribunal eius, præbeat ſe mortalibus oculis conſpicabile
dicet ipſe, videat, qualis omnis ante acta vita mea fuerit. Ni fiat iſtud, aderunt canes ina
me rabie, circumlatrantes, illudentes. Cogor illachrymari : adduntur oculis fletus, inge
lachrymæ, perpetuo in lachrymis immorantur mea lumina. Nam cùm omne ſtudium m
eo fuerit, vt Deum piè, ſancteq́ue colerem, nec cogitatione, ſermone, opereq́ue offen
cùm pietatem rebus omnibus præferrem, ecce dicor impius, Dei contemptor, rapax, c
mihi opes, ex alieno ſanguine. O rem lachrymis dignam. O Dei iudicium, qui conſcius o
rerum es. Ad hunc ſenſum ſequitur. Libera me, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus
contra me.] Hebraicè ſic. Pone quæſo, fidem iube, aut vadare mecum, quis eſt, qui mani
puletur? Is ſenſus fateor in noſtra tralatione non eſt. Horum vera ſententia eſt, quoniam
B in ea poſtulatione, vt adſit iudiciū Dei, veniat ipſe iudex. Rabi igitur Leui ſic. Pone qu
tuum ad me ò Deus, ad reſpondendum, in diſceptando, & da mihi vadem, aut vadim
vt poſſim fidere, quod reſpondebis verbis meis, quia deſiderium meum eſt, diſcep
cum, non cum iſtis. Deinde ex perſona Iob. Ah Dómine ſumme & benedicte, adhibe c
ad me, ad audiendum verba mea, & ad reſpondendum ſuper eis, quoniam deſiderium me
diſceptare tecum, ſi fieri poſſet, quia noſco, te non venturum ad agendum mecum, niſi
iuſtè non falſis argumentationibus, quod faciunt iſti. Et ſi eſſet poſſibile, da mihi vadem
ſim fidere ei, quòd perficies diſceptationem mecum. Ecce ego vehementer cupio inue
quem, qui præhendat manus meas quaſi promittens & affirmans, quod erit diſceptatio i
& te, ſi eſſet poſſibile. Hocq́ue omne dixit Iob, vt doceret, veritatem eſſe pro ſe, & vt c
ret falſitatem, mendaciaq́ue amicorum ſuorum. Hucuſque Iudæus ille. Quare ſenſus eſ
Nam quod noſter dixit. Libera me, redundat. Et quod ſequitur. Pone me iuxta te. Hebr
niam pone eſt abſolutum, & non eſt, iuxta te, dicunt pone cor tuum, adhibe mentem
ſpondendum, diſceptandumq́ue mecum. Et quod dixit. Et cuiuſuis manus pugnet con
Primum reliquit verbum in medio ערבני עמך imach, id eſt vadare, da mihi vadem apud t
deiuſſorem, da qui promittat mihi pro te, venturum te eſſe mecum ad diſceptandum.
autem dixit. Pugnet, Hebraicè לידי יתקע leiadi orbèni ithakèa, manus meas capiat, ille va
mihi dexteram, quòd venies in iudicium, fidem ſuam obliget pro te. Hæc tota ſignifica
ligitur ex verbis Hebraicis, eſtq́ue vera. Quare autem cum Deo, non cum amicis, diſ
agereq́ue de cauſa ſua velit, ſubijcit. Cor eorum longe feciſti à diſciplina, propterea non
C buntur. Prædam pollicetur ſocijs, & oculi filiorum eius deficient.] In origine. Quia co
abſcondiſti ab intelligentia, ideo non exaltabis eos. Ad blandiendum annuntiabit amici
li filiorum eius deficient. Prior periodus clara. Eis Deum non aperuiſſe cur mala Iob i
Eis non dediſſe Deum ſapientiam : carere eos iudicio, tanquam ſecordes : nihilq́ue aſ
præcipitare iudicium : temerarie iudicare : non agnoſcere veras rerum cauſas. Fas (inqu
erat vt eos non lateret, quòd ob dolores, & amaritudines, quas maledicendo, detrahend
probitati, attulerunt mihi, non exaltabis eos. Non modo, non exaltabis, ſed condemnabi
vt apparebit in fine libri, vbi ſe contra amicos Iob, oſtendit Deus iratum. Carent ergo ſa
abſcondiſti eis arcana ſapientiæ ac prouidentiæ tuæ: nec explicare queunt, quare iuſti ve
temereq́ue hallucinantur, putantes cuncta illata hominibus ſupplicia, ex eorum in
proficiſci : cùm tamen plura mala iuſtos pati videamus, quàm iniuſtos: qui ſæpe vſque a
mam ſenectam ſunt beati. Ergo alia ratio ſubeſt, quam iſti, nec capere, nec explicare ſci
eſt eis à Deo reuelata, ideo non exaltabit eos Deus: aut quia contra eos iraſcetur (vt di
aut quoniam hac carent ſapientiæ diuinæ, prouidentiæq́ue cognitione, erunt inglorij. S
periti, famam, & decus non promerētur. Exaltationem refert Nicolaus ad futuram vitan
non puto hoc loco deſignari, niſi longinque. Secundo autem loco, vbi noſter dixit, præd
licentur: eſt Hebraicum verbum לחלק lekelec, quod poteſt deſignare, aut ad diuidendum
blandiendum. Sub eadem voce diuiſio, & blanditio, licet ſit varius canoniſmus. Ergo H
ſignificatum diuidendi, ſecutus eſt, diuiſionemq́ue prædam dixit. Chaldæus item id ſe
למפלג lemaflig, ad diuidendum. Etiam Septuaginta τῇ μερίδι ἀναγγέλλει κακίας. parti a
vitia, Hebræi vero ſecundum proponunt. Sciendum quoque hanc vocem, quæ in Heb
רעים reim, amphibolam eſſe. Deſignat cogitationes & amicos. Pro cogitationibus accip

vt dicat. Qui ad blandiendum annuntiabit cogitationes. Id eſt, qui volens, quaſi Deo blanditi, D
& in gratiam eius iuſtos opprimere, annuntians & explicans intimas ipſius Dei cogitationes, cõſilia,
arcana, quaſi factorum ab eo teneat rationes, habens in numerato: non is ſolum peribit, ſed
filij quoque eius deficient, mendicabunt, lachrymabuntur, erunt orphani, & inopes, propter paternam
iniquitatem, vt ad verbum dicit Leui. Ille (inquit) qui ad blandiendum efferet, annuntiabit
cogitationes, quæ aſcendunt in corde ſuo, vt te liberet ò Deus, quòd non ſis patrator iniuſtitiæ,
& iniquitatis. Certè dignis eũ ſupplicijs afficies, quòd in te ſtultè peccauit, vt homines ſolent:
adeo, vt oculi filiorum eius deficiant. Hæc ille. Quod ſi ſequaris eum ſenſum, vt dicas. Ad
diuidendum annuntiabit amicis. Hoc eſt, vt noſter ſenſit, ad prædandum, vt Iob reijciat in amicos
crimen rapacitatis, quod ſibi obieciſſent, daturòſque dicat pœnas, non ipſos ſolum, ſed etiã
filios, vt ſemper illachrymentur, erit etiam congruus ſenſus. Nec te moueat, quòd poſt numerum
multitudinis amicorum, tranſeat ad ſingularem, ad prædandum, vel blandiendum annuntiabit,
quoniam & hæc oratio eſt vniuerſalis: Quicunque facit, quicunque detrahit, quicunque blanditur.
Memineris etiam Iob eſſe obſcuriſſimum, vt propoſitis probabilibus ſenſibus, ne quæras amplius.
Cumque prouocaſſet ad forum diuinum, atque amicos inſipientes oſtendiſſet: qui, quaſi
cauſam Dei agere patroni eius vellent, reuertitur ad querimonias, ſuarumque miſeriarum cogitationes.
Poſuit me, quaſi in prouerbium vulgi, & exemplum ſum coram eis. Caligauit ad indignationem
oculus meus, & membra mea, quaſi in nihilum redacta ſunt. Quod dixit exemplũ,
Hebraicè eſt תופת thòpheth, tres ſunt ſententiæ, vt ſit thau in fine adiectitia, ſitque תוף thoph tympanum,
vt in omnibus ſcripturis reperies. Secundo vt ſit locus vallis Thophet, nomen vallis filiorum
Amon, locus execrandus, deteſtabilis: eoque deſignat etiam, Gehenam, Tartarum. Tertius E
ſignificatus eſt, vt ſit vox Chaldaica denotans Dominum, vt ait Leui. Ad omnes ſignificatus
hos ſequuntur ſenſus. Primus duarum primarum ſignificationum. Factus ſum tympanum, plauſus:
plaudunt mihi ridentes, clamantes omnes. Pullor vndique, obſtrepor: plaudunt contra me
manibus, pedibus omnes. Vndique explodor, aut ſum cunctis prodigium, res execrabilis, horribilis,
tanquam à dæmone, & Tartaro declinant omnes a me. Tertius ſenſus eſt, quoniam Hebraicè
pro præſenti, Sum coram eis, eſt futurum, אהיה eheieh. Et futura Hebræis ſunt pro præteritis
imperfectis, eram: Et Thophet, id eſt Dominus eram eis. Leuique explicans inquit. Poſuit me
Dominus, vt eſſem in prouerbiũ, & fabulam, pro eo, quod eram antehac eis vt Dñs, & princeps.
Noſter, primas ſignificationes, ſecutus eſt. Sept. Thophet dixerunt γέλως, θαῦμα, riſum, miraculũ,
prodigiũ. Clara ſunt, quæ ſuperius diximus ex ipſis ſcripturis. Quod autem ſecundo loco dixit.
Et membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt: Hebraicè, pro membris meis, ſunt יצרי iezurai,
quod à ſingulari eſt יצר iezer, ſonatque cogitationem, figmentum animi, conceptum mentis. Qđ
nec ipſe Hieronymus ignorabat. In Geneſi, Cunctaque cogitatio hominis intenta eſſet ad malum.
Vbi eſt iezer. Pro cogitationibus, accipit Rabi Leui, exponens hanc vocem alia מחשבות machsheuòth.
Sed Auen Eſra, ſicut, & noſter, pro membris, ponens pro ea clariorem אברים ebarìm,
membra. Et pro. In nihilum redacta ſunt, eſt Hebraicè zel, vmbra. Cogitationes, aut membra
mea, tanquam nihilum facta, tanquam vmbra. Tanta fuit indignatio ad quam illi me prouocarunt,
quia deridebant, vt caligarit oculus meus: aut lachrymis, quibus deplorabam irriſionem,
aut animi commotione, & mę̨rore, qui ſæpe tenebras offundit. Vnde Græce mæror ἀθυμία ſine
animo eſſe. Hanc autem oculorum caliginem anteceſſit dolor animi, quo factum eſt, ut quidquid F
cogitarem, nihil ſubſiſteret, dolore diſſipante animum, & abſorbēte, vt Græce dicitur, quia
tollit animum, tollit cogitationes, non ſinit cernere. Hoc in mœrore, & indignatione. Quod ſi referas
ad membra, idem erit. Genua labant, ex mę̨rore & timore, non ſtant, nõ ſubſiſtunt, non ſunt
membra, uigore diſſipato, euaneſcente. Poeticeque omnia dixit, & per magnas hyperboles. Vt
Feror ingenti circundata nocte. In æternam clauduntur lumina noctem. Tenebris nigreſcunt
omnia circum. Proſequitur lachrymans, oſtendensque ſi non illuſoribus ipſis amicis ſuis, certe
rectis iudicijs & iuſtis, fore rem ſtupori, admirationi, iuſtis calamitates has accidere. Stupebunt
iuſti ſuper hoc, & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur. Et tenebit iuſtus uiam ſuam, & mundus
manibus addet fortitudinem.] Pro hypocrita, ut ſæpe dixi, eſt חנף chaneph, impius, aut quod
nunc Septuaginta παράνομος exlex. Mirabuntur igitur, & ſtupebunt recti, quos iuſtos noſter dixit,
recti inquam iudicii, mentis æquæ, & prudentis, ſuper his malis, quæ iuſtis obueniunt, qui nihil
egiſſent, quamobrem ea mererentur. Excitabiturque, & euigilabit, & animo commouebitur
innocens, ideſt purus, noxius contra, id eſt ſuper ſonte, & impio, quòd peccans, felix tamen eſt &
beatus. Id enim commouit multos, uidentes ſceleratos, magnis facinoribus perpetratis, nullas dare
pænas: contra, bonos interfici, neminem eſſe, qui uel illis pro malefactis incutiat meritas pænas:
aut his pro iuſtitia & pietate præmia digna tribuat. Ac niſi reuelata deſuper eſſet altera uita,
prædicatumque oraculis cæleſtibus Deum conſtituiſſe diem in qua iudicaturus ſit mundum,
quod non poteſt niſi in ultimis ſæculis fieri, hæc dubitatio, mentes nunc quoque mortalium torqueret.
Sed, ut olim fuit magna ſuper ea dubitatio, ſic nunc magna certitudo, futuram diem, in
qua ſcelerati iudicabuntur à Deo, ſtabuntque ante tribunal eius trementes, æternis ſupplicijs deputandi.
Iuſti autem coronati, laureati, omnium oculis conſpicui. Hæc nunc certiſſima ſunt. Qđ

autem

A autem dixit.Et tenebit iuſtus viam ſuam.Rabi Leui,verum ſenſum demonſtrat. Non tamen (inquit)iuſtus à iuſtitia ſua diſcedet,ſed viam probitatis ſolitam ſequetur, & cui manus puræ ſunt, & inſontes, vt quas,neque ſanguine,neque rapinis contaminauit:addet fortitudinem,magis cõfirmabitur,vt pietatem,iuſtitiamque retineat. Neque enim tametſi iuſti & recti mirantur ſceleratos nihil pænarum pendere,ob id ad mores eorum, flagitiaque declinant:ſed multo magis cõfirmantur. Reuocantque ſe totos ad pietatem,& iuſtitiam. Sic ego inquit Iob,tametſi videam vos florentes,& beatos,me autem proſtratum,ſaucium,non adeò turbor, vt ſim pietatis proditor.Nam quæ præter noſtram culpam accidunt,ſunt cauſa maiorum bonorum.Cumque corrigant animum,melioremque faciant,etiam ad æternas coronas agunt.Itaque Deus auertat ò Eliphas,quod tu dixiſti,me abieciſſe timorem Dei. Non abieci,ò Eliphas,ſed magis ſum confirmatus.Potius hæc culpa veſtra eſt. In eos iure merito inuehitur.Igitur omnes vos conuertimini, & venite,non inueniam in vobis vllum ſapientem.] Expurgatis criminibus: Stultè (ait) iudicaſtis, peruerſo iudicio eſtis:nihil in vobis eſt ſapientiæ.Priuauit vos Deus ſapientia & intellectu: quibus male eſt in hac vita,ſcelera eorum caſtigari,proiectos a Deo, damnatosq; ad pendenda ſupplicia:Felices autem ac beatos creditis,bonos,ac pios. Quo nihil ſtultius dici poteſt. Cùm non ſolum bona corporis,& fortunæ ſint,vt Ariſtoteles ait,temeraria,denturq; meritis & immeritis,vt indignum ſit ea Deo accepta referre:ſed fit etiã ſępe,vt peiores, magisq; fraudulenti ſint ditiores.Videte igitur veſtra iudicia. Conferamus omnia,videamus,nihil in vobis deprehendetur ſapietię.Hocq; cõmemorato,reuertitur ad ſolitas querimonias.Nõ poteſt enim mẽs in doloribus cõſiſtere. Et vulgo dicitur.Lingua remeat,vbi dolor eſt dentis.Dies mei tranſierũt,cogitationes meæ diſſipatæ ſunt,torquentes cor meum.Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras, B ſpero lucem,] Quod dixit, Torquentes cor meum, Hebraicè eſt מורשי לבבי morashè lebabi. Id duobus ſignificatis poteſt accipi. Vt morashè, ſit quaſi participium à verbo ירש iarash, quod non ſolum ſignat hæreditare;ſed etiam diſſipare,diruere.Hoc ſignificatum ſecutus eſt noſter.Secunda ſignificatio eſt,vt denotet cogitationes.ſitque repetitio, vt ait Auen Eſra. Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt,cogitationes inquam cordis mei.Auen Eſra igitur hanc vocem declarãs,ponit pro ea notiorem שעפים sheiphim,cogitationes,Rabi quoque Leui, ponit pro ea, machsheuòth,id eſt cogitationes.Quod autem dixit. Poſt tenebras ſpero lucem.Eſt in fonte. Lux propinqua ante tenebras. Quod duos habet ſenſus, vt dicat lucem aduentare poſt calamitates illas.Vel erit accuſatiuus,ſeruiens antecedenti verbo.Noctem verterunt in diem.Lucem propinquam ante,vel propter tenebras.Is ſecundus eſt verus ſenſus.quem Rabi Leui enodans paraphraſtice inquit. Ecce præ multitudine dolorum meorum, quoniam immeritus veni ad extremum vitæ;quoniamque dies mei abierunt, ſunt cogitationes, conſumptæ à me,quæ erant cogitationes mentis meæ.Quia mens,quando vult veſtigare quid,diuidit,voluitque prius partes eius rei quam cogitat,conferens,quæ eam aſſerant,& quæ infirmant,Ecce inquam,mea illa vis animi & acumen cogitandi,corruptum & turbatum,& confuſum,facit,vt res, quæ eſſent antea mihi claræ & perſpicuæ,ſicut ipſa lux diurna,obtenebratæ fuerint,& abſconditæ,ſicut nox:& lucem,quę erat propinqua mihi, & claritatem omnem, reddiderunt tenebroſam, & vt noctem, propter tenebras tribulationum ac miſeriarum: pro eo, quòd vos conſolamini me, fore, vt tandem emergam,tollamque caput ad ſidera.Hæc ille.Vides igitur,quomodo corruptionem, diſſipatio C nemque cogitationum,ſit interpretatus:nempè vim animi,cladibus & doloribus extinctam, & obrutam, ſicut extinctum corporis robur, ætaſque tempore non ſuo diſſipata Nimirum, quod Poeta noſter dixit,

Omnia fert ætas, animum quoque.

Si ætas,multo magis,uexationes & clades.Et quod dixit.Noctem verterunt in diem.] Eſt tanquam ὑπερβατὸν diem reddiderunt noctem.Fecerunt,vt quod dies eſſet,id eſt lux & claritas, caligauerit.Vt dixi,tum ad vigorem cogitandi,referri poteſt,tum ad gaudia & męrores.Gaudia in ſacris litteris,ſicut,& profanis dicuntur lux,claritas.Vt Poeta noſter.

Noua lux oblata,timorem leniijt.

Sic tenebræ,męrores dicuntur. Igitur (inquit) omnium rerum facta eſt conuerſio, excuſſa mihi eſt alacritas omnis;tenebris nigreſcunt omnia circum. Noctem diei immerſerunt Pulſa dies aduentu noctis.Lucem fecerunt propinquam tenebris. Fitque repetitio eiuſdem rei,diuerſis nominibus:prius diem dicit,poſtea lucem:prius noctem,poſtea tenebras.Illud obſerua, uerterunt, aut poſuerunt,alios referre ad calamitoſas cogitationes,quæ cũctis caliginem obduxerint:alios ad amicos,qui verbis acerbis omnia mœſta reddiderint. Placet primum. Senſus igitur in noſtra tralatione:Poſt tenebras,ſpero lucem:non eſt in fonte, & in hac querimonia, nihil de ſpe ſua loquitur,plena lamentis omnia,etiam ſine ſpe.Ideo ſimilia ſuperioribus infert.Si ſuſtinuero,infernus, domus mea eſt,& in tenebris ſtraui lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es, mater mea,& ſoror mea vermibus.] Calamitatibus deploratis, oſtendit nullam aperiri ſpem ad meliora. Si (inquit) expectem, ſi ſperem, ſi circumuertam animum,nihil aliud cerno,quam paratum infernum,ideſt foſſam,ſepulchrum.Etenim Hebraicè שאול sheol,infernus,vel ſepulchrum.Hæc

ait, domus mea, in tenebris ſubterraneiſque locis, qui Græcè etiam dicuntur ἀειδής quaſi ſine D
forma, decore: erunt mihi ſedes: putreſcam: vermes erunt mea familia: illi ſorores, mater, pater,
Domus, ſepulchrum: cubiculum, quod olim auro radiabat, tenebræ: famulitium, cognati, affineſque,
& amici, & ſocij, vermes. Hoc expecto: hæc mea ſpes, hoc ſupereſt. Vbi eſt ergo nunc præſtolatio
mea, & patientiam meam quis conſiderat? In profundiſſimum infernum deſcendunt omnia,
putas ne ſaltem ibi erit requies?] Hunc locum explicans per paraphraſim Leui inquit. Ecce
vbi nam eſt ſpes, & præſtolatio mea. An expectabo venturā felicitatem corpoream, poſt interitum?
Aut dicit hoc contra id, quod illi dicebant, diſcrimen eſſe inter bonos, & malos, quando
ſuperuenerint eis calamitates: quòd impius non ſperabit reditum in tenebris & calamitate: verum
iuſtus cõfidit, quòd Deus benedictus tollet clades illas ab eo. Vera dicit ergo Leui, hæc Iob
locutum, vt refelleret ea, quæ dixerat Eliphas, eoſque inſipientes argueret, Nam ſi non eſſent
alia præmia, quam vitæ huius, iuſti, probi, miſerabiliores eſſent cunctis hominibus, ſicut Paulus
inquit. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, quibus dignus non erat mundus. Et ſæpe calamitosè,
id eſt in tormentis vitam iuſti finiere. Si cuncta ad hanc vitam referas, plena ſunt iniquitatis
omnia, plus eſt mali bonis, quàm malis, qui & prudentius ea deuitant & inferre ſunt parati,
ſeque vlciſci. Et vt ille inquit. Et Iuppiter iacit fulmen: quod ſæpe nocentes præterit, examinatque
indignos, inque merentes. Infernum ergo, malim hic foſſam interpretari: quàm vt
Hebræi & alij centrum terræ. Deſcendunt autem non omnia. Neque enim, & iſtud eſt in Hebraico.
Item non eſt profundiſſimum. Sed omnes æquæ boni, & mali, eodem fine cuncta clauduntur.
Et quod noſter dixit. Putas ne ſaltem ibi erit requies? Hebraicum non interrogat. Sed
ſic. Simul ſuper puluerem requies. Id eſt ſimul bonorum, & malorum eſt requies in puluere.
Hebraicè עפר aphar, humo, luto, lutulentis ſepulchris. In lutulentis (ait) ſepulchris, eſt ſimul E
requies bonis & malis, ſimul deſcendunt in humum, terram. Hæcque ſæpiſſimè prædicauit Iob.
Præcipuè primo capite, cùm diceret, Principes magnos, & paruos, diuites, & pauperes requieſcere
ſub terra, oſtendens vnam omnium conditionem. De inferno igitur, & requie, nulla mentio:
etiam Hebræi hic centrum terræ commemorant. Profundiſſimum quoque non eſt in fonte.
Sed בדי badè, profundum, vel profunda, quod ad foſſam commodè refertur. Græcis quidem,
Pluto vocatur è diuitijs, quòd ad eum tandem vniuerſa deferantur. Sed, & illud ad ſepulchrum
ſpectabit. Quod ſi philoſophari velis, quod & ego ſæpe ſum arbitratus, ad inferos dicebant
vniuerſa deferri, quod nulla eſſet redemptio. Et ſub eadem primi hominis culpa, cuncta
propago tenderet ad inferos. Sicque ait, neminem eſſe, qui ſpem illam ſuam conſideret, quoniam
ea ſit natura humana.

CAPVT XVIII.

REſpondens autem Baldad Suchites dixit. Vſque ad quem finem verba iactabis? intellige
prius, & ſic loquamur. Quare reputati ſumus, vt iumenta, & ſorduimus contra te?]
Eadem inculcantur, & quod faciunt altercantes occupati in obijciendis ſibi inuicem criminibus,
ſæpe eadem crimina repetunt: & veluti inter duos abſentes altercatione coorta,
agitur de eadem cauſa diligentius. Tale quid factum eſt inter Iob, & amicos. Hinc eadē vbiq;
materia. Illic repetunt, ſolos malos adire clades, ſi vel aliquandiu floruiſſent: ipſum Iob tacite innuentes: F
Iob tum ſeſe expurgat, tū regerit in illos non quidem idem crimen, ſed probat ſuam innocentiam,
tum deplorat calamitates, perpetuuſq; eſt apud eum luctus. Itaq; quod noſter dixit.
Verba iactabis, numerus multus eſt, iactabitis. Sic etiam: Intellige, eſt intelligite: vt ad vtrumque
ſpectet Iob & Eliphas. Ac Rabi Leui aſſerit, id dixiſſe Baldad, contra Iob, quoniam ſuper eadem
re, multa verba faceret, eaſdemque rationes adhiberet. Verum omnium illorum ea culpa
eſt. Ac quoniam gliſcebat animus Baldad loqui, impatienter cæterorum orationem ferebat:
breuiterque inculcat eadem, atque Eliphas. Indignaturque quod illis loquentibus, ipſe tacens,
quaſi contemni & præteriri videretur: Indignatusque eſt contra ambos, non contra Iob ſolum.
Nam quod noſter dixit, Coram te: eſt etiam numerus multus, coram vobis. Sordeſcere autem
ſe dixit, & alios, in oculis eorum, quoniam dixerat Iob memoriam eorum cineri comparandam.
Et quoniam non inueniretur in eis ſapiens: & quod Deus ſubtraxerit ab eorum pectore, ſapientiam.
Ideo ſubdit. Quid perdis animam tuam in furore tuo? Nunquid propter te derelinquetur
terra, & transferentur rupes de loco ſuo?] Quod dixit, perdis, eſt טורף toreph, rapis, dilanias,
diſcerpis. In ira, furore, indignatione. Deſertam autem terram dixit, magna hyperbole. Tanta
ne eſt ſapientia, tanta maieſtas tua, vt vnus ſis inſtar omnium? vt te moriente, tota terra collapſura
ſit? Aut propter te Deus turbabit decreta ſua, agetque ſurſum ac deorſum omnia? Cuncta
ad nutum tuum diſponet? Et quoniam nunc indignaris, minitariſq;, terra propter te deſerta
erit? Aut quoniam quereris, te innocentem oppreſſum, multaque de diuina prouidentia, eam in
dubium vertens dixiſti, putabis ob id, terram præſentia Dei deſtitutam? Labentur omnia nauclero
abſente? Cadent montes, eritque chaos? Hi ſunt duo ſenſus, derelinquenda terra, quod
vel ironicè dixit de magnitudine Iob: vel ſpectat ad prouidentiam. Rupes autem dixit, pro montibus,

A tibus,qui ſæpe in exemplum diuinæ ſapientiæ ac potentiæ adducuntur. Sunt enim mirabiles. Hi pręcipuè facti à Deo prędicantur,& ſtare firmante,ſuſtinenteque eo dicũtur. Cuius vinculis deſtituti collabantur:ſequeturq́ue omnium interitus. Verti turq́uè contra Iob iuxta ſuperiores, eũ in impiorum numero recenſens : vt qui videretur illa repentina increpatione noua dicturus, nihil noui afferat,ſed eadem repetat. Nonne lux impij extinguetur,nec ſplenpebit flamma ignis eius?lux obtenebreſcet in tabernaculo illius,& lucerna,quæ ſuper eum eſt,extinguetur.]Lucem, intelligentiam,conſilium,ſapientiamq́; appellat,quam ait extinguendam, vt qua celebres eſſent, qua diuitias quæſiſſent. Aut appellat,vt ſæpe,lucem,alacritatem,felicitatem,beatitudinem. Hanc (ait) extinguendam . Terq́; repetit per epitaſin eandem lucem extinguendam: Lucernam non arſuram. Tribus ſimilibus nominibus ſignificans eandem rem,luce,igne,flamma,lucerna. His alacritas,felixque ſucceſſus deſignatur,opulentia,beata vita,placidaque. Splendor etiam Latinè dicitur magnificentia,opulentia. Regali ſplendida luxu. Nobiles item , & inſignes facit opulentia. Excutietur (ait) omnis alacritas,omnis honos impio. Et vulgo operire focum domus ſuæ dicuntur,quibus nihil poſt mortem ſupereſt. Tota familia extincta. Tabernaculũ dicit domum ipſam, quòd vſus tabernaculorum eſſet apud Arabes:Eoq́ue peculiariter dicuntur ſcenitæ,in tabernaculis habitantes. Declarat apertius,Arctabuntur greſſus virtutis eius,& præcipitabit eum conſilium ſuum. Immiſit enim rete in pedes ſuos,& in maculis eius ambulat,] Verba clarent . Et in maculis eius ambulat. Latinè noſter,maculas rete dixit. Virgilius.

Maculas & retia ceruis ponere.

B Hebraicèq́ue pro maculis שבכה ſebakà rete,maculæ. Arctari greſſus dicit:Curſum intercidi:curſum inquam,aut felicitatis,aut fraudum , conſiliorum , vitæ , quam degit. Eoq́ue apellat potentiam eius,quam noſter virtutem dixit. Eamq́ue (ait)procedere,& greſſus,quibus creſcebat, & florebat,intercidentur,breuiabuntur,non ibunt longius. Cingentur indagine certa . Dempta erit libertas, eundi , faciendi : cogetur intra præſcriptum. Et quod primum erit , efficiet Deus, vt conſilia ea proferat , ex quibus domus euerſio , ruinaq́ue ſequatur . Vt ſæpe fit , vno conſilio,& voluntate , cogitationeue, quam quis male conſultaſſet , totam vrbem corruiſſe, trucidatumq́ue impium iacuiſſe: vt capiatur mirabili modo . Horum exemplorum vita refertiſſima, inſperatis calamitatibus , quas nunquam credidiſſent , impios circumuentos. Atque etiam Plutarchus autor,Deum parantem alicui mala,primum euertere mentem, conſiliaq́ue obſcurare, vt aggrediatur ea, è quibus ſequatur euerſio: Quod eſt intelligendum propter peccata mortalium, ita iuſtitia diuina requirente. Itaque ſic à Deo capiuntur tales, ſicut ab aucupe aues,à venatoribus feræ, quibus, aliqua cogitatione oblata,in qua vtilitas earum appareat,capiuntur,& in laqueo præcipitantur . Offertur & impijs aliquod emolumentum,quod impietatum eſt cataſtrophe. Quam eſt infinita Dei ſapientia,tam varias poteſt efficere pœnarum cauſas. Repetit,inculcatq́ue eadem nominibus diuerſis. Tenebitur planta illius,& exardeſcet contra eum ſitis. Abſcõdita eſt in terra pedica eius,& decipula illius ſuper ſemita.] Quod dixit:Exardeſcet contra eum ſitis. Eſt Hebraicè præualebit contra eum צמים zamim,cui varios adhibent ſignificatus. Leui exponit פריץ pariz,ſceleratum,præuaricatorem,fortem. Auen Eſra,lingua Arabica,lapides deſignari,vt ſit contrarium ei,quod dixerat ſuperius,cum lapidibus agri pactum tuum . Nunc in contrarium.
C Lapides agri contra eum. Omnino vox deſignat ſitientes. Ac mihi placet ve[illegible]ementer ſenſus Septuag. interpretum, vt verbum , quod eſt in Hebraico יחזק iachazek, non referatur ad id, quod dixit ſitim,ſed Deum. Sic enim illi, κατισχύσει ἐπ' αὐτὸν διψῶντας. Confirmabit,corroborabit Deus contra eum ſitientes. Sitientes dixit,aut ſitibundos ſanguinis,ſicut expoſuit Leui,pręuaricatores,robuſtos:aut Arabes illos latrones,qui deſerta,ſolitudineſque incolunt , dicunturq́; à Græcis Troglodi tæ,æſtum,in ſubterraneis cauernis fugientes: Hiq́ue ſunt ſitientes,habitantes in locis aridis. Hæc erit pedica,is laqueus, Incidet in hominem crudelem,robuſtum. Hic tandem deueniet impius. Repetit,inculcatq́ue eandem,verbis diuerſis,ſententiam , Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius . Attenuetur fame robur eius,& inedia inuadat coſtas eius.] Quod dixit: Inuoluent pedes eius. Eſt הפציהו hephizùhu , diſpergent eum . Deinde pedibus ſuis. Quorum ſenſus eſt,quod eum diſſipabunt , cogentq́ue huc,& illuc diffugere , conſulere ſibi fuga. Timor addidit alas. Neque aderit, vt ait Leui iumentum , ſuper quo conſcendat fugiẽs perſequentes,datus in manus hoſtium, ad pendendas pœnas ſcelerum. Quod autem dicit . Attenuetur fame robur eius : Pro robore,eſt אני onò , quod duo ſignat,robur,vim, dolorem:& filium,progeniem. Idque exponunt Hebræi concorditer. Vt Beniamin dictus ben onì. Nam dolorem,qui hac voce deſignatur, Hebræi partum vocant. Hinc Græce idem eſt verbum dolendi, ac pariendi . Erit ergo (inquit) ſemen eius famelicum. Quanquam Hebraicè ſit imprecatio . Sit famelica propago eius:non ipſe ſolus,ſed etiam familia pendat pœnas. Duo igitur ſunt ſenſus. Poſteriorem vnanimiter Hebræi ſequuntur. Quod autem dixit. Et inedia inuadat coſtas eius. Pro inedia eſt איד ed, quod perniciem,calamitatemq́; ſonat: Idq́; eſt hoc loco. Et calamitas (vt eſt in fonte) parata eſt in latus eius . Nam vox,qua noſter dixit coſtas צלעו zalò, ſonat etiam latus. Ecce igitur pręmia malorum . Non ipſi ſolum reddunt cum fœnore , & puluiſculo , quæ feciſſent,

abſtuliſſent, ſed etiam eorum propago. Circunſtabunt anguſ
me robur, aut poſteritas eorum, qui poſteris omnia pararu
amore cæcos, opes ſuis accumulare, neſcientes non multos p
rum gratia, orbem terrarum auide ſpoliaſſent. Deuoret pu
ſumat brachium illius primogenita mors. Auellatur de taber
ſuper eum, quaſi rex interitus.] Quod dixit, Deuoret, bis ſu
Deuoret primogenita mors, cutem eius nitentem, curatum,
Pulchritudinem, eſt בדי bade, vt ait Auen Eſra, & Leui, ram
eſt virorem cutis, Videlicet, quod noſter pulchritudinem. Sic
cundo loco vbi dixit, brachia illius, eſt eadem vox בדיו badaù,
quos noſter dixit, brachia. Pro membris hoc ſecundum acc
eam vocem ramos, interpretatur filios. Omnis hæc ſignifica
enim ramos. Sed ramos alij ſentiunt membra corporis, quæ
alij propaginem, poſteritatem. Primogenitam autem morte
figura, maximam cladem, principem calamitatem, maxima
cui nomina mille, mille nocendi artes, cui triſtia bella, iræq
cordi, Hebræi vocant. Nam Auen Eſra inquit, Primogenita m
pium moriendi, & id, quod antecedit, antequam moriaris.
morbus ex his, qui adducunt mortem. Eodem quaſi ſenſu Nic
id eſt dolores præeuntes. Septuaginta, vero, Primogenitum, n
tur malum, retulerunt. Deuoret αὐτȣ̃ τὰ ὡραῖα θάνατος eius
ua, formoſa quoque, ipſa mors. Sed lingua Hebraica, ſecus d
explicarunt. Nam bechòr, primogenitum ad omnes res, non an
referunt Hebræi, primogenitum dicentes, præcipuum, validiu
calcet ſuper eum, quaſi rex interitus. Clarum eſt. Hebraicè ſic.
rum, formidinum. Dixit ergo eadem figura regem formidinu
Eſt ſcilicet tralatio in vtroque. Regem autem formidinum ſe
formidinem, terribilem pauorem, qui ei tanquam rex ſuperue
ad conſilium, aut Deum. Deducet (inquit) conſilium eius, fi
gem formidinum. Deus efficiet, vt cadat in miſerrimam formid
ribilis opprimat. Nam quod noſter dixit. Calcet, eſt תצעידהו tha
Fiduciam tabernaculi dixit, Diuitias, opes, potentiam domus
Habitent in tabernaculo illius, ſocij eius, qui non eſt: aſperg
Deorſum radices eius ſiccentur, ſurſum autem atteratur meſſi
in tabernaculo eius, ita vt non ei: verbumq́; ipſum in futuro, e
Eſra, vt ſit fera, vel animal: vt dicat. Habitabit alienum anim
plius eius non ſit. Leui autem ſubaudit הבהלה habahalàh, terror,
ea, quòd non eius, quia ex alieno ſanguine, alienis opibus ipſu
hil eſt in Hebraico, ſed habitabit, tantum fœminini generis. D
mal, alij formidinem. Et quod noſter dixit. Eius, qui non eſt,
lum, מבלי לו mibelì lò. Duobus modis exponitur, vt non ſit ei.
eius, vt amplius non pateat ei locus: Aut quia non eius erat, ſe
conſtruxerat. Ideoq́ue aſpergetur, effundetur ſulphur ſuper i
concremetur. Fiat habitatio ferarum. Sulphur Deus immitet,
ribilis habitatio, habitatio ferarum. Talem Romam videas euer
næ, porticus, aulæ, cubicula, latibula luporum, vulpium, ſerpen
feſtum, aut occultum. Dixitq́; ſulphur, quidquid cælitus demit
dices deorſum, ſurſum ramos: appellat diuitem tanquam arb
rentem, felicem, late ramos, radicesq́ue ſpargentem. Nunc ſup
radicibus, ramis concrematis, totam arefactam. Ac quam n
קציר kacìr, quod meſſem quidem interdum denotat, nunc ramu
prædicat eum, & totam propaginem periturum. Sunt futura,
exaggeratio diuerſis ſententijs. Memoria illius pereat de terra
in plateis. Expelllent eum de luce in tenebras, & de orbe tra
dixi) potius futura ſunt. Abſolutam proponit hominis impij
mo de vertice corruet, ſed ne memoria quidem eius ſuperſtes
per ora, poſt in æternum abolenda. In contrarium autem. In
hac vita: vniuerſalius autem, & perfectius in altera, vbi & ma
cta celebrent, & omnes ſunt boni. In plateis autem dixit, qu
de negocijs, cæteriſq́ue rebus ſermo varius circumſonat: ibi d
creberrimus ſermo, poſt ſilebitur in æternum. Tales fuiſſe puta
multos, quorum nulla nunc extet memoria. Quod autem dixit. E

guſtiæ, attenuabitur, conſumetur fa- D
arunt : vt pleroſque videmus inſano
os poſt annos mendicaturos, in quo-
pulchritudinem cutis eius, & con-
bernaculo ſuo fiducia eius, & calcet
s ſubaudiendum eſt, ſicut Hebraicè,
m, deuoret brachia : & quod dixit,
amos cutis eius, per tralationem, id
Sic & Septuaginta; κλῶνες rami. Se-
daù, id eſt, membra eius, vel ramos,
accipit Leui : Auen Eſra exponens
ificatio latet ſub eo nomine. Signat
quæ ramorum inſtar protenduntur,
ortem, quadam peculiari linguæ ſuæ
ximam furiam, horribilem Alecto,
ræque, inſidiæque, & crimina noxia
ta mors, vis valida mortis, aut princi-
s. Rabi autem Leui, maximus (ait)
Nicolaus dicit mortem anticipatam,
m, non ad mortem, ſed eum cui infer-
eius primogenita, pulchra, tempeſti-
us docet, & Hebræi bene rem ipſam E
n animales ſolum, ſed inanimes etiam
lidius, melius. Quod autem dixit. Et
è ſic. Et adducat eum ad regem terro-
linum, atque primogenitam mortem.
n ſentit, Hebræis teſtibus, maximam
perueniat. Adducere autem, refertur
s, fiducia, ſpes, aut Deus, eum ad re-
rmidinem, quę eum tanquam rex ter-
thazhidehu. Deſignat, deducet eum.
mus ſuæ. Addit alias imprecationes.
ſpergatur in tabernaculo eius ſulphur.
meſſis eius.] Hebraicè eſt. Habitabit
ro, eſt fœminini generis. Refert Auen
animal in tabernaculo eius, ita vt am-
error, formido. Deinde addit. Propter-
s ipſum extruxerat. Pro ſocijs igitur ni-
ris. Diuerſa intelligunt, alij feram, ani-
eſt, cùm ſit Hebraicè, & ipſum muti-
t ei. Habitabit terror in tabernaculo F
at, ſed ex alienis opibus, rapinis, ipſum
per ipſum, vt conſumetur, diruatur,
itet, concremabit domum, fietq; hor-
euerſam, ſub terram horribiles cauer-
erpentium. Sulphur autem, aut mani-
lemittitur mali. Quod autem dixit ra-
m arborem, quondam florentem, vi-
c ſuperueniente calamitate, exiccatis
am noſter dixit, meſſem, eſt Hebraicè
ramum, palmitem, ſurculum. Itaque
tura, non optatiua, fitque eorundem
terra, & non celebretur nomen eius
e transferent eum.] Imperatiua (vt
mpij ruinam, quòd non modo, ſum-
erſtes erit, recenti tantum eius ruina
m. In memoria æterna erit iuſtus in
& maior numerus eorum, qui pia fa-
it, quod illuc confluit multitudo, ibi
: ibi de impij interitu, opibus euerſis,
e putandum eſt, Romana florente rep.
dixit. Expellēt eum de luce. Calamita-
tes

A tes illum proſtraturas, decus, ſplendorem, felicitatem, quæ lux dicitur, ablaturas, imp
æternum in tenebras interpretatur. Si tenebras inferorum ſentias, lucem cæli empyrij,
na claritas refulgeat, ad quam impiis aditus non detur, bene ſenties: lucem viuentium,
ui. Non erit ſemen eius, neque progenies in populo ſuo, nec vllæ reliquiæ in regionibu
die eius ſtupebunt nouiſſimi, & primos inuadet horror.] Quod ſemen dixit noſter, eſt
lium ſonat: progeniem, eſt נכד neked, nepos. Vt neque filium, neq; nepotem ſuperſtitem
demonſtret, magna ruina impio corruente. In regionibus ſuis, eſt מגוריו meguraù, habita
ſuis. Quod dixit: In die eius: Clarius in fonte. Super die eius, ſuper illo die, quo ruer
Mirabuntur diem illum extremi interitus eius. Quod dixit: Nouiſſimi, & ſi nouiſſimos
proprius eſt tamen poſteri, Hebraicè אחרונים acharonìm, ab achàr. Poſtea, quos dixit,
ſunt קדמונים kadmonim : Maiores, antiqui. Fortaſſe prædicat miraturos maiores & min
tiquos & iuniores. Omnis ætas (ait) ſtupebit ſuper eo. Quod dixit. Horror, pulchrè, &
Hebraicè שער shàar, horripilatio. Vnde shaarim, piloſi, dæmones, potius ſatyri, qui p
ſunt. Clara eſt ſententia quam nouiſſimè cōcludens ait. Hæc ſunt ergo tabernacula iniq
locus eius, qui ignorat Deum.] Hæc illa opulētia, illæ diuitiæ, ex rapinis conflatę: finis in
& iniquitatis. Altera ab altera, à maiore minor, ab impietate iniuſtitia: quia iniuſti dicūt
cede à nobis : & qui non amat hominem, quem videt, multo minus Deum, quem non vi
ergo dicit Leui intereſſe inter Iob, & Baldad, quòd Iob bonis & malis, æqua conditione
la dicebat : Baldad aſſerit id quidem, ſed mala impiorum fore ſempiterna, vt ad felicita
quam reuertantur: bonos autem repullulare, aut ſuo tempore, aut in filijs. Nos quiden
B ta cęlitus veritate, filios, & poſteritatem non multum morantes, dicemus reflorere iuſ
tria vera. Florebunt enim ſicut lilium in ciuitate domini. Sanctorumque velut aquilæ
renouabitur. Hæc ſpes faciet omnium incommodorum, erumnarumque tolerantiſſim

CAPVT XIX.

VT erat conſentaneum, Iob reſpondit conquerens, quòd tam inhumaniter, &
ter agerent ſecum : apparetq́; ex reſponſione Iob, quæcunque videretur dicer
uerſum Eliphas, in vnum Iob eſſe directa: quod ipſe animaduertens dixit. Quo
mum meum dictis venenatis ſauciabitis? letales ſermones in me iactabitis, vt
tis, diſſipetiſque ſpiritum meum ? Decies ſuper eadem re verba feciſtis : ad ſatietatem
ſtis, me pœnas impietatis dediſſe. Et non pudet contumelia, dedecore me afficere. Sol
iactatis : ſolis criminibus, & accuſationibus agitis, rationibus minimè. Eiſdem contum
cies inuectis : toties oportuit eum reſpondiſſe. Si Iob loquitur, nihil audias niſi lament
monias, miſeriarum exaggerationes, deſperationem quandam. Si loquuntur amici, eiu
inſatiabilis repetitio, de ruina impiorum, de cladibus illatis in æternum, de quibus cù
diſſerendum ſit, quoniam ſæpe ſunt exempla in contrarium : cùm longe ſint in hac
riores, egentioreſque boni, quàm mali, & pleroſque diuites non bonos videas ὀπιγή
limina ad vſque ſenectæ florentes, feliceſque ſemper : hi tamen ſuper re tantopere
boſè loquuntur : Nempè etſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea. At vos contr
C gimini, & arguitis me opprobriis meis.] Quid eſt cur adeo vos error meus, ſi fuit vll
moueat ? Non erat prudentiæ veſtræ toties errata mea inculcare. Cur in amicorum
cernis acutum ? Dabo pœnas ipſe, ſi quid erraui. Nihil ad vos attinet. Quod ſi pe
trectare, imò dilaniare, proſcindere me (quod Hebraicè dicitur ingrandeſcere, inſurg
identidem eaſdem contumelias in me euomatis : at perſpicite diligenter, Deum æqu
afflixiſſe me. Quod autem dixit, Flagellis ſuis cinxit, pro flagellis eſt מצודו mezudò, re
Septuag. aliam ſignificationem, & aliam deductionem ſecuti, dixerunt, robur, propug
Cingere igitur retis eſt, & laquei, non flagelli. Itaque etiam Hebræi ponunt rete. Quo
ſter dixit. Si clamauero vt impatiens. Pro impatiente eſt חמס chamàs, iniquitas, iniuſti
quit) clamauero, iniquitas fit mihi, fit iniuſtitia, iniuriam patior, non erit, qui exaudi
erit iudicium vſquam, quæ res calamitatem adauget, accuſantibus amicis, & acrite
bus. Nihil ait egi tale. Et quod iniquius eſt, non poſſum probare. Si Deus adeſſet,
nouit corda omnium, aperiret. Sed ſi eum inclamauero, non eſt qui exaudiat. Non a
quam, qui iudicet. Itaque incluſus ſum vndique, nuſquam me vertere poſſum. Peri
laqueo captus eſſem, ſtringor, arctor vndique, & premor. Tenebroſa eſt ſemita, aſ
gine, horrore, cæcitate, vt, quo velim, pergere, non poſſim, quòd Deus offudit caligi
ſit nube cæca circum me omnia. Incluſio ſignat vno in loco eum obſideri, nullum pat
tis miſeriis exitum, ac reſpirationem, inſtantibus vndique malis, à quibus non detur
vt quaſi captiuus à miſeriis teneatur, indagine quadam malorum ſeptus. Spoliauit
mea, & abſtulit coronam de capite meo. Deſtruxit me vndique, & pereo, & quaſi e
bori, abſtulit ſpem meam.] Alijs tralationibus exprimit eaſdem calamitates. Spoliat
riæ : decus, honorem, ſplendorem quaſi veſtimus, exuimus, & deponimus. Sic Ada

in certamine, & arena erat gloria induendus. Sed quoniam peccauit, pro veſte glorioſa, quam accepturus erat, accepit mortalem veſtem, coriaceam. Alia eſt tralatio coronæ, fœlicitatis inſigne. Tertia tralatio radicis, floris, viriditatis. Appellamus etiam nos beatos, & felices, florentes, virentes, dicimus ætatem florentem, florentem remp. Ipſe quoque ſpem vocauit virorem, quem dicit exiccatum, exaruiſſe. Cæſas eſſe vndique radices ſuas, tanquam ſtipitem areſactum remanſiſſe. Rabi Leui coronam ſentit, per tralationem filios, quia dicitur. Corona ſenum filij filiorum. Vtrumque probandum. Alijs vtitur tralationibus. Iratus eſt furor eius in me, & ſic me habuit, quaſi hoſtem ſuum. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculum meum.] Tralationes ſunt. Deus iratus, quòd eum tanquam hoſtem habeat. Quod latrones immiſerit. Latrones autem calamitates ſunt, vt Hebræi quoque ſentiunt. Sic earum dixit, vt ſuperius, (Nam ſæpe fit inculcatio, iteraturq́ue eadem tralatio) obuerſationem, gyrum. Sunt autem pro latronibus גדודים ghedudìm, latrones, prædones, expediti milites. Quod autem dixit. Strauerunt ſibi ad me, tanquam ad vrbem oppugnandam, iter direxerunt, viam latam, regiamq; ad me fecerunt, vt vnanimiter ad me, atque agmine facto concurrerent. Aperta, patefacta eſt eis via ad me. Memet oppugnatum venerunt, tabernaculumque meum, id eſt domum expugnauerunt, captiuus abductus ſum ab eis, in poteſtatem crudelium hoſtium redactus. Fratres meos longe fecit à me, & noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerunt, obliti ſunt mei.] Fratres, propinquos, amicos, notos, alienatos à ſe, aufugiſſe oblitos ſui, retroceſſiſſe, queritur, propter maximas clades, quia.

Tempore felici multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Siquidem dictum externorum Philoſophorum, ſapientem in cruciatibus eſſe beatum, ſi vel tantum adhibeas, ab alijs irriſa, præcipuè noſtris, qui probarent, niſi pietas, & ſpes, cuius gratia cruciatus perferantur, adeſſet, vanam fore, ſolumq́ue ſpecioſam hanc prędicationem. Quam ſpem non quidem prorſus Iob affulſiſſe crediderim, fuiſſe tamen aliquam non dubitauerim: præcipuè; quod a principio dixit, ſi putes omnium rerum proſperarum, & aduerſarum Deum autorem. Tunc enim nihil ſine cauſa, nutuq́ue Dei fieri cognoſcens, tolerantius, æquiusq́ue feres omnia, ſperans à Deo, nihil inique fieri poſſe. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus fui in oculis eorum. Seruum meum vocaui, & non reſpondit ore proprio, deprecabar illum.] Non ſolum (inquit) fratres, & amici receſſerunt, ſed ipſi quoque vernaculi, ancillæ, qui lõgo tempore in domo mea fuerant, diffugere omnes, imò quod miſerius eſt, cum ex eis aliquem vocarem, accedere recuſauit, vt me pro eo haberent, quem nunquam vidiſſent, agnouiſſent. Tunc enim maxima dat exempla ingratitudo: illiq́ue amici, & à Deo, & hominibus, veri, qui ſortem ſemper amici comitantur. Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Eiuſmodi longe pauciſſimos reperias. Quocirca paucis datur regnum cęlorum. Ardua eſt via quæ ducit ad vitam. Etiam (inquit) preces adhibui, vocans ſeruum meum, vt ad me accederet, vt vel abſtergeret vlcera, aliquid officij præſtaret, aut eius colloquio lenirem dolorem: contempſit cernens me, vt mendicum, vel vt vnum ex his, qui ante fores templorum ſedent, ſanie vlceribusq́ue ſcatentes, ſtipemq́ue petentes. Eos nec attendimus, vocantes refugimus. At Chriſtus dixit. In carcere fui, & viſitaſtis me. Talium erit regnum cœlorum. Halitum meum, exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei. Stulti quoque deſpiciebant me, & cùm ab eis receſſiſſem, detrahebant mihi.] Quod dixit, Halitum. Hebraicè, ſpiritus, vt poſſit halitum deſignare, ipſumq́ue ſpiritum. Sed melius primum. Eleganter quoque dixit. Exhorruit. Quod Hebraicè, alienus. Halitus meus, alienus vxori meæ. Poſſet intelligi aliud, quàm fœtor, halitus: vt quoniam vxores accumbunt viris, ſpiritumq́ue eorum habent notum, Iob conqueratur, quòd vxor eum non recognoſcat, vt ſit ei ſpiritus ſuus, alienus, alterius viri. Ac forte non aſpernandus, eſt ſenſus Rabi Leui. Spiritus meus alienus fuit vxori meę, etiam ſi deprecabar eam vehemẽter, vt ſuſcitarem ex ea filios. Hunc ſenſum dat quòd vbi noſter dixit. Orabam filios vteri mei. Hebraicè eſt לבני בטני libnè bitni. Propter filios meos, vt deſignet, propter reſtaurandos ex vtero meo. Eſt alius ſenſus. Orabam eam per filios meos, quos communi conſenſu, & coniunctione genuiſſemus. Per eos eam deprecabar. Nam ſenſus noſtræ tralationis non prorſus ſtat. Quomodo enim orabam eos, qui iam defuncti erant? Quanquam Septuaginta dixerunt. προσεκαλούμην δὲ κολακεύων υἱοὺς παλλακίδων μου. vocabam, orabã blandiens filios cõcubinarũ mearum. Vt non filios legitimos innuat iam oppreſſos, ſed nothos. Id forte ſecutus eſt Hieronymus. Et Rabi Leui ait, fieri poſſe vt habuerit alios filios, qui neſciamus tempus, quod interceſſit ab interitu filiorum ad hanc querimoniam cum amicis. Mihi res videtur clara. Orabam eam per communes filios, per filios vteri mei, quos ex ea genuiſſem. Quos autem in ſecunda periodo dixit, ſtultos, ſunt Hebraicè עוילים auilìm, exponunt eos duobus ſignificatis, aut iuuenes, pueros, aut prauos. Vtrunque vſitate ea vox denotat. Vt dicat, Pueri quoque irriſerunt me, quod ſæpe faciunt. Aut praui, iniqui. Pro vtroque expoſuit Auen Eſrá. Pro poſtremo Leui.

Et

A Et quod noſter dixit. Cùm ab eis receſſiſſem, poteſt quidem is eſſe ſenſus, quoniam Hebraicè
eſt אקומה akùmah, ſurgerem. Cùm ſurgerem, cùm diſcederem. Eſt alius tamen ſenſus. Surgebam,
aſſurgebam eis, eos venerabar, attamen contumelijs, irriſionibusque me inſectabantur.
Hoc præmij aſſequebar ab eis. Pergit ad alia generis eiuſdem. Abominati ſunt me quondam
conſiliarij mei, & quem maximè diligebam, aduerſatus eſt me. Pelli meæ conſumptis carnibus
adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.] Et quoniam Hebraicum
dicere non poterat conſiliarios, carens deriuatiuis, dixit, Viros conſilij. Illi (ait) qui
mihi intimi erant, quibuſcum de omnibus conſultare ſolebam, verſi mihi ſunt in hoſtes, vt me
etiam abominentur. Secunda periodus ſimili ſenſu, ſed apud nos clarius, habet Hebraicè. Ad
pellem meam, & ad carnem meam, cohæſit os meum. Noſter dixit, Conſumptas carnes, non
dixit Hebraicum. Sed enim neceſſarium eſt. Neque enim oſſa ad carnem adhæſiſſent, niſi ipſa
carne abſumpta. Erat neceſſarium ſentire, quod noſter tranſtulit. Quæ eſt ad radices dentium,
vt Hebræi ſentiunt, ſolam carnem remanſiſſe. Atque eſt Hebraicè, pro: Et derelicta ſunt tantummodo
labia circa dentes meos. Et euaſi cum pelle dentium mei. Pellem ergo Dentium, Hebræi
ſentiunt carnem ad radices dentium. Noſter, labia, quæ dentibus adiacent. Vbique (inquit)
pellis adiacet oſſibus, carne conſumpta, præterquam in dentibus, vbi craſſior eſſe ſolet.
Vix oſſibus hærent. Miſeremini mei miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus domini
tetigit me. Quare perſequimini me ſicut Deus, & de carnibus meis ſaturamini?] De carnibus
meis ſaturamini. Per negationem proferendum eſt, non ſaturamini. Nulla eſt vobis ſuper
carnibus meis ſatietas: non ceſſatis eas vorare, & abſumere quaſi lupi, canes carniuori, circumlatrantes.
Eadem lectio eſt apud Sept. ἀπὸ δὲ σαρκός μου οὐκ ἐμπίπλασθε. Ex carne mea, non implemini.
B Hoc ergo bene habet in his miſerijs, & cladibus, quòd eas illatas à Deo confitetur.
Quo conſtituto, facile euades alia incommoda. Si Deus eſt bonus, bonus neque vult, neque
poteſt nocere, neceſſario ſiquid mali cecidit, cuius cauſam in Deum referas, interpretaberis,
aut te meruiſſe, peccatisque tuis illata eſſe, aut maioris cauſa boni obueniſſe, alia quàm tibi videantur,
cogitante prouidentia. Vulgi autem voces te condemnantis, nihili pendes. Eſt autem
hic duplex lectio, ſicut ſuperius. Nam quod dixit. Sicut Deus] pro Deo, Hebraicè אל el. Quod
& nomen Dei eſt, & poteſt eſſe apocope, ab אלו ellu, iſti, vt dicat: Quare me perſequimini ſicut
iſti illuſores & iniqui? Sed prima lectio probatior etiam Hebrȩis non diſſentientibus. Poſt queſtus
postulat aliquod malorum refugium, leuamen. Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones
mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro, ſtylo ferreo & plumbi lamina, vel certè ſculpantur
in ſilice?] Hebraice quis det, aduerbium, quod nobis dicitur vtinam. Item dicit Hebraicum:
Quis nunc mihi tribuat, id eſt. Vtinam nunc ſcribantur ſermones. Tum facit eius rei repetitionem.
Vtinam ſcribantur in libro. Liber enim etiam primo loco ſubaudiendus erat. Quod autem
noſter dixit. Et plumbi lamina: lamina quidem eſt, ſed ſimul dicitur, vtinam exarentur,
in libro, ſtylo ferri, & plumbi. Quare plumbum videtur referri ad ſtilum, non laminam. Poſtulat
ſtylum ferreum & plumbeum non laminam. Quod etiam Septuag. viſum eſt ἐν γραφίῳ
σιδηρῷ καὶ μολίβδῳ. Stylo ferreo, & plumbeo. Pro eo autem quod noſter dixit. Vel certè ſculpantur
in ſilice. Fuere, qui in noſtris legerent, pro certe, celte. Putantes id eſſe, quem cœlum
dicunt, id eſt ſcalpellum: ſed vera lectio eſt, certe. deeſt autem in noſtris, quod plurimi refert.
Pro certe, לעד laad, in ſempiternum. Vtinam (inquit) ſcribantur in libro, ſtylo ferreo vel plumbeo,
C in ſempiternum, in petra imprimantur, ad ſempiternam memoriam. Id etiam poſuit Chaldæus,
pro Hebraico laad, dicens לעלמא lealmà in æternum. Licet id prætermiſſum ſit etiam à
Septuag. At Leui exponens inquit. Vtinam nunc ſcriberentur verba mea in ea materia, vt manerent
in ſempiternum. Ter repetit hanc ſuam cupiditatem. Vtinam ſcribantur verba mea. Vtinam
ſtilo ferreo, vel plumbeo, ſcribantur. Chaldæus quoque ait. קולמוס דברזלא kolmòs debarzelà,
calamo de ferro, vbi vox Græca eſt Chaldaica, & articulus Italicus, Chaldaicus. Vtinam in
ſempiternum, in petra incidantur, Huius autem loci ſenſum, ſecus Hebræi, ſecus Chriſtiani intelligunt.
Ac fermè non eſt alius ſenſus, quàm noſtrorum, quod ex ipſis verbis bene examinatis
cognoſcitur]. Videamus ſequentia, propter quæ optauit verba ſua ſcribi ad memoriam ſempiternam.
Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum,
& rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea, videbo Deum. Quem viſurus ſum ego
ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.] Verba paulum variant ab Hebraico. Habent
in hunc modum: Et ego noui, quòd redemptor meus viuit, aut noui redemptorem meum viuentem.
Et nouiſſimus de terra conſurget. Et poſt pellem meam, circundata, vel conſumpta ſunt
hæc, Et de carne mea, videbo Deum. Quem ego videbo mihi, & oculi mei viderunt, & non
alienus. Verba difficilia quidem intellectu, ſed enodabimus. Vides, quod noſter videtur
legiſſe אקום acùm per primam perſonam, reſurgam, vel ſurrecturus ſum, nunc in Hebraico legi
per tertiam יקום iakùm reſurget. Variata autem perſona, variatur nouiſſimi adiunctio. In noſtra
lectione. Ego nouiſſimus conſurgam: In Hebraico Deus nouiſſimus. Et noſter dixit: De
terra Hebraicum ſuper terra על עפר Quod autem dixit noſter. Rurſum circundabor pelle mea,
in Hebraico eſt. ואחר עורי נקפו זאת veachàr ori nikephù zoth. Quæ quidem verba difficile poſ-

ſunt intelligi quid innuant,nec vno modo reddi poſſunt Latinè. Variatur enim numerus verbi D nikephù,in quo duplex eſt ſignificatus. Nam Hebraicè נקף nakaph ſonat conſumere, deſtruere, circumvoluere. Ab hoc verbo fit nikephù,quod iuxta canoniſmos Hebraicos,eſt paſſiuum præteriti perfecti,numeri multi,vt deſignet,vel deſtructa ſunt,vel vallata,circundata. Sed quoniam, & antecedens nomen עורי ori,pellis mea,& ſubſequens זאת zoth,hoc, vel hæc, eſt numeri ſingularis,non videtur, quo ſit ille numerus multus verbi referendus. Cæterum cùm multa extent exempla,nomina ſingularia iungi perſonis pluralibus Hebraicè, & cùm paulò ante id obſeruatum ſit, vbi erat Hebraicè. Et quem dilexi verſi ſunt mihi. Qui locus Hebraicè eſt, ſicut iſte וזה אהבתי נהפכו בי vezèh ahàbti neepehù bi. Sic uidetur,& ipſe interpretandus,vt dicat. Et poſt,aut iterum pelli meæ circundatum eſt hoc:Id eſt corpus hoc meum, hæc mea caro, circundata eſt, vel circundabitur (quia ſunt præterita pro futuris,Hebræis) pelle mea. Hunc autem eſſe veriorem ſenſum,apparet ex ſequenti,quod eſt perſpicuum. Et de carne mea videbo Deum. Nam ille alius ſenſus,qui eſt in illo verſiculo, qui poteſt reddi:Et poſt pellem meam,cõtriuerunt hanc: Si,& ex hac pelle & carne, quæ conſumpta eſt,videbo Deum,erit idem ſenſus. Nõ enim ex iſta carne conſumpta videbit Deum. Quomodo? Sed ex ea ipſa refloreſcente, redeunte ad oſſa,& circundante. Sequentes igitur in Iob,qui nonnullis in locis eſt obſcurus,probabiliora & clariora reliqua dimittere nos conuenit. Sunt igitur duo ſenſus,ex uerbis ſic declaratis, vt ſpectet ad vltimam corporum reſurrectionem:vel quod paulò poſt reflorebit, reſanabitur ipſe Iob. Ac iuxta lectionem Hierony. Nouiſſimus conſurgam:non quidem ego ſolus nouiſſimus,ſed vt denotat Hebraicum,in nouiſſimo tempore: אחרון acharòn,poſterior,id eſt in fine ſæculorum,eſt prior ille ſenſus. Quod ſi referas ad Deum, qui nouiſſimis, id eſt in vltimis ſæculis ſurgat ad iudicandum,idem fermè erit ſenſus: utrunque ad reſurrectionem ſpectabit. Ac ſiue legas, ego ſurgam E uel ipſe ſurget,bene quadrat,quod ſequitur. Videbo illum,qui ſurrexit ſuper terram ad iudicandum,aut ego,qui ſurrexi ſuper terra,ſtetique in pedes,meis oculis contuebor: ille nouiſſimus,aut ego,ideſt in ultimis ſæculis. Is eſt enim unus ſenſus apud noſtros,quem noſter interpres, uariato filo orationis Hebraicè,poſuit. Græci quoque id eſt Chryſoſtomus, quanquam haberent tralationem obſcuriſſimam, plurimumque à fonte diſſentientem, quia tamen Septua. dixerunt οἶδα γὰρ ὅτι ἀέναος ἐστὶν ὁ ἐκλύειν μεμέλλων ἐπὶ γῆς ἀναστήσεται τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. Scio enim quòd perennis eſt,qui me ſuper terra diſſoluet, ſuſcitabit pellem meam,quæ abſumit hæc: Sentiunt hic de reſurrectione. Eſt alius ſenſus,ut hæc non referantur ad nouiſſimum reſurrectionis tempus,ſed paulò poſt futurum,ut dicat ſe reſanandum,rediturumque ad priſtinam gloriam ut dicat Hebraicum. Et ego noui,redemptorem meum uiuere,& poſterior, id eſt poſt hoc, ſuper terram conſurget,ueniet,aderit. Et poſtea quàm pellis mea deuorata, conſumpta fuerit iſta, de carne mea uidebo Deum, & oculi mei uidebunt,& non alius. Sicut certè factum eſt. Nam in ultima libri parte refertur,quòd apparuit ei Deus,cum eo locutus eſt, ſurrexit Deus ſuper terra, uenit,ſeſe obtulit, idque factum eſt,pelle iam conſumpta, & areſcente. Tunc apparente ei Deo, ſubito priſtinæ redditus eſt ſanitati, factus eſt formoſus, redijt priſtina caro, uigorque. Stabatque Iob coram Deo,præſens,præſentem uidebat,ſicut uidit Abraham,Moſes,& alij. Vidit ipſe,non alij,non amici,ut apparet eo ipſo loco. Is ſenſus maxime liquet ex lectione Hebraica,quę eſt יקום iakùm,ſurget,ipſe dominus. Tum non dicit de terra,ſed ſuper terra. Nomen autem acharòn,quod ſonat poſtremum,poſteriorem,bene referetur ad ultimum miſeriarum finem,quo miſeriæ,clades,doloreſque ceſſabunt. F Ille Deus poſterior,id eſt tandem,poſt uos omnes,qui me laceratis, ſurget, uidebo eum ex ipſa carne, iſtis meis oculis. Is ſenſus apparet maximè ex uerbis Hebraicis. Nam quod noſter dixit. Et rurſum circundabor,Hebraicè אחר achar,ſonat rurſum,denuo. Et poſtquam (inquit) pellis mea abſumpta fuerit,uidebo Deum. Hunc ſenſum poſuit etiã Chaldæus transferens hebraica. Et ego noui, quòd redemptor meus viuit,eſt,ſubſiſtit: Et poſt hæc redemptor ipſe ſuper terra conſurget:& poſtquam conſumpta fuerit pellis mea hæc,de carne mea videbo Deum. Is igitur videtur clarior ſenſus & apertior. Tunc antecedentes periodi melius intelligentur: Cur optaret verba ſua in petra excidi. Nimirum vſque ad illud tempus, quo Deus illo erepto,tantiſque cladibus liberato,cognoſcent amici,eum vera dixiſſe, quod nihil contra maieſtatem ſingularis Dei peccauerit,quòd iuſtitiam non violauerit, quod contra ſua merita,cladibus hiſce vexatus fuerit. Hæc (ait) nunc ego deploro,nunc conteſtor, vtinamque ſcriberentur ad memoriam ſempiternam,vt apparerent eo tempore,quo me Deus liberabit,venietque præſens ipſe,cuius aduentu omnia bona cum ſanitate ad me redibunt. Ideo Chaldæus dixit. Et ex carne mea,videbo bonum Dei,id eſt felicitatem allatam à Deo. His duobus ſenſibus poſitis,non probo dictum Leui,qui putat Deum appellatum nouiſſimum ſuper terra, quaſi nouiſſimum agentium,quia reſpectu noſtri,& vt nobis videtur, ſit nouiſſimum agens:quia nos incipimus à poſterioribus, procedimuſque ad priora, verum ipſe eſt primum omnium entium. Hæc ille dicens reuocat ad ſacras litteras philoſophiam,quod ſæpe facit ineptiſſime,cupidus eius gloriæ apud ſuos,vt Philoſophus videretur. Cuius commentatio, quoties philoſophatur,cum ſimili errore placeat Hebræis,iactantibus eum eſſe profundum, vt ſunt vbique præpoſtero iudicio,ſanis iudicijs non placebit. Non ſunt ea nomina apud Iob & Moſen, antiquiſſimos

Theolo-

A Theologos. Vbi autem noſter interpres dicit. Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Hebraicè eſt longè ſecus כלו כליותי בחקי kalù kiliothai becheki, defecerunt, cõſumpti ſunt renes mei in ſinu meo. Sed nomen, quod ſinum interpretati ſumus, ſentiunt Hebræi, hic deſignare corpus, vt etiã Chaldæus tranſtulit. Et Leui pro eo גופי guphi corpus meum. Videtur ergo ſenſus. Reuertitur ad ſuperiores querimonias, dicitque pellem illam ſuam iam eſſe conſumptam, iam corpus abſumptũ, omnia euanuiſſe: pellem exaruiſſe, interioresq; partes abſumptas eſſe: Adeſſe tempus illud, quo videat Deum, quo Deus reſtituat ei priſtinum ſtatum. Non video cur noſter dixerit vocem Hebraicam kiliothai, ſpem, cum perpetuo deſignet renes. Nec Septua. interpretes ſpem dixerint, ſed conformius, omnia hæc, quia Kalal, & kal, vnde putarunt duci hanc vocem, ſignat vniuerſale Quare ergo nunc dicitis perſequamur eum, & radicem verbi inueniamus contra eum? Fugite ergo à faciè gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.] Hoc Hebraicè refertur ad ſuperiora ob præpoſitionem, aut particulam, quę eſt in Hebraico, vt ſit mutila oratio, ſicut exponit Leui. Erat congruum, vt diceretis. Quare perſequemur eum? Ecce inuenta mihi radix verbi, quod fas eſt me queri in eo, quod queror, & iudicare, quòd Deus non cuncta attendat: quia vos ſcitis me iuſtum eſſe, ac rectum. Hebraicè igitur non eſt: Et radicem verbi inueniamus contra eum: Sed, Et radix verbi inuenta eſt mihi. Vt deſignet ſuum eſſe ius, ſuam æquitatem, ſe iuſtum eſſe, iuſtè ſe conqueri. Refertur que ad ea, quæ dixerat: Vtinam ſcriberentur ſermones mei: quibus innocentiam ſuam comprobat. Sic etiam nunc ait, veritatem & æquitatem ſtare à ſe: Ideo minatur eis indignationem diuinam, quam in vltimo libro inuenies. Vbi Deus dicit ad Eliphas. Iratus eſt furor meus contra te, & amicos tuos. Conſiderate (inquit) hæc omnia quæ dixi, vos qui vobiſcum ſtatuiſtis euertere me, verbiſque infeſtis oppugnare. Stat B æquitas à me: pugnabit etiam, pro me Deus ipſe: & contra uos iratus deſæuiet, ut paulò poſt uidebitis.

CAPVT XX.

IDcirco cogitationes meæ, uariæ ſuccedunt mihi, & mens in diuerſa rapitur. Doctrinam, qua me arguis; audiam, & ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi, Hoc quoque capite eſt eorundem repetitio, nec aliud diſſerit Sophar, atque ſuperius Eliphas, & Baldad, de euerſione, interituque impij, innuens & ipſe nocentem Iob. Audies igitur eaſdem ſententias, eandem aſſertionem, peccantibus pœnas tantummodo importari non innocentibus. Quodque dixit, Ideo, illatio eſt ad ſuperiora. Quod (inquit) talia loqueris, cogitationes meæ conceptæ, tumeſcunt, geſtiuntque erumpere: & vt ait Hebraicum, reſpondere facient me. Et pro mens in diuerſa rapitur, eſt: Et propter ſenſum meum, mihi: aut, & quia ſenſus meus mihi. Id ſcilicet, quod noſter tranſtulit, quia ſentio, quia video quid dixeris, video quid velis. Quia motus & ſenſus incitatur mihi. Et quod dixit. Doctrinam, eſt מוסר muſſar. Deſignatque doctrinam, & reprehenſionem, arguitionem, vt frequentiſſimum eſt. Et ipſe noſter dixit, qua me arguis. Ad verbum Hebraicè, & reprehenſionem, aut correctionem, כלימתי Kelimmathì, opprobrij mei, audiã: Vt ſit interrogatio. Feram ne, vt me contumelia iſta afficias? Num patiar me adeo paruipendi à te? Spiritum autem intelligentiæ appellat ſapientiam. Ideo ſpiritus, qui ferebatur ſuper aquas, erat ſpiritus intelligentiæ & ſapientiæ, qui cælum ſuper aquis extendebat. Ipſa (inquit) mea ſapientia, pro me reſpondebit tibi. Reſpondebo tibi ſapienter & prudenter. Non ſum ſtultus & vacuus ſapientia, vt tu contumelioſè dixiſti, ſed perſiſto in eadem, atque cæteri aſſeueratione. Iuſtiſſimè tibi plagas has illatas, & quòd omnes impij damnantur, id euidenter infert. Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terra, quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent vbi eſt?] Omnia quadrant cum fonte: tantummodo, quod noſter dixit per primam perſonam, ſine interrogatione: Hoc ſcio à principio, eſt, nonne hoc noſti ab æterno? id eſt ex quo mundus factus eſt. Nam Hebraicè, ſi ad verbum velis reddere, dicendum eſſet à ſemper, מני עד minì ad, ab vſque ſemper. Nonne noſti ab vſque ſemper? Et Leui exponit. Ex quo mundus eſt. Et, ex quo creatus eſt homo, & poſitus ſuper terra. Quod autem dixit, laus, in fonte רננת rinenàth exultatio, lætitia. Sic etiam Septuag. εὐφροσύνη ἀσεβῶν. alacritas impiorum. Licet etiam Hebraicum ſonet laudem. Eleganterque noſter dixit, Breuis, quòd Hebraicè מקרוב mikaròb, à propinquo, non longius ſcilicet tendens, non ingrediens vltra. Hypocritam, vt dixi ſæpe, noſter appellat, qui eſt Hebraicè חנף kaneph impius, improbus, ſceleſtus. Inſtar puncti, pulchrè à noſtro dictum, quod Hebraicè: Vſque ad punctum, momentum. Id etiam Hebræi exponunt, momentaneum, tranſeuntem, vaniſſimam gloriam impij ſemper fuiſſe. Quod duobus modis poteſt intelligi: Vt etiam ſi tota vita fuiſſet beatus, id reſpectu æternitatis, in qua dolendum eſt, gloria illa in miſeriam redacta, nihil fore quę eſt vera de cunctis, quę iuſtis obueniunt malis ſolutio: aut etiam in hac vita, breuia fore gaudia improborum. Sapientes item, & qui rerum arcana ſcrutantur, addunt, improbos ſemper infelices eſſe. Adde, quòd ſunt infames quæ eſt ſumma miſeria, malediciturq; eis ab omnibus, odioq́; habentur. Quo, quid eſt miſerius? Cætera manifeſta ſunt, de magna ſuperbia. D Similia dixit Claudianus. Primum miratus lamentanſq́; florere malos.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, lætoſq́; diu florere nocentes.

Deinde ſoluit ambagem, quietemq́; adducit.

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Tolluntur in altum, Vt lapſu grauiore ruant.

Quod autem noſter dixit in fine, Hebraicè לנצח lanèzach, in ſempiternum. Hocque (ait) ſuper impio fuiſſe à Deo decretum, etiam ſi caput intra nubila condat, Et cælum territet armis, & ſidera lambat, lapſurum ingenti ruina, fore viliſſimum quid, aut per mortem, aut commutationem fortunæ. Repetit eadem, vt ſolet, verbis diuerſis, varijſq́; tralationibus. Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiens ſicut viſio nocturna. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque vltra intuebitur eum, locus ſuus.] Eſt eadem ſententia, exaggeratioq́; verborum. Comparat impium deijciendum, conterendum ſterquilinio, ſomnio, quæ eſt etiam viſio nocturna. Nihil eſt ſomnio inanius. Fit item exaggeratio, terque repetitur, quòd qui eum viderant, non videbunt amplius. Illi ipſi oculi, illimet homines, qui videbant eum florentem, forteque indignabantur, mirabanturque diuinam dormitare & conniuere prouidentiam, videbunt eum lapſum, E qualis Ruffinus ille apud Claudianum. Hæc quidem vera ſunt. Sed, quid dices, ò Baldad, cùm bonos etiam videris eodem modo perijſſe, quando beſtijs tradebantur, tormenta corporibus eorum admouebantur, patrimonio ſpoliabantur, in exilium, in Gyara mittebantur? Si dixeris glorioſum eis fuiſſe, pro pietate tot exanclare labores, rectè dixeris: Sed hæc reſponſio apud te non eſt. Et ſicut falleris, innuens Iob impium eſſe, quem hic deſcribis, qui potius vir optimus fuit, ſed ob probitatem & integritatem tentatus à Deo, ſicut Adam, & Abraham, quod tu nunquam dixiſti, nec cognoſcis: ſic arbitror te falli in hac vniuerſali pronuntiatione, cùm potius ſit vt dixi alia ratio, quod probantur, quòd eos meliora manent, quòd toleratio terrenorum malorum, ſit præmium cæleſtium bonorum, quod virtus in infirmitate perficitur, quod incommodis animus humiliatur, expiatur. Hæc ergo ſentio, claraque video. Sed tamen eo tempore, quo bona & mala ad hanc maxime vitam referebantur, exiguum locum habuit hæc ratio. Vidi impium ſuperexaltatum ſicut cedros Dei, & tranſiui, & ecce non erat. Filij eius atterentur egeſtate, & manus eius reddent illi dolorem ſuum. Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.] Quod noſter dixit. Atterentur egeſtate, eſt Hebraicè, filij ירצו דלים ierazzù dallìm. Quod eſt: Volent pauperes. Quod explanant ipſi, pro eo quod pater oppreſſerat pauperes, ecce filij ſubijcientur pauperibus vilibusque viris, vt faciant quidquid imperauerint: Subijcientur, ſubſternentur, deuenient in manus pauperum, indigebunt eorum quos pater expilaſſet. Noſter dixit atterentur, quia ſimilia ſunt verbum atterendi, & volendi. Primum eſt razàz, ſecundum razà. Potuit noſter dixiſſe. Filios eius atterent, affligent pauperes, vt ſit ſecus, quàm F pater feciſſet, conuerſa fortuna, filij diuitis illius, à pauperibus premantur: habeant pauperes in eos poteſtatem, qui prius a patre fuiſſent oppreſſi. Is ſenſus eſſe poteſt, quoniam ierazù, quod Hebræi exponunt, volent, poteſt eſſe à razàz, per apocopen in futuro, quod fit interdum. Sept. igitur τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ὀλέσαισαν ἥττονες. Filios eius perdent minores. Apparet Hiero. dalìm, quod ſonat pauperes accepiſſe pro ipſo nomine egeſtatis. Habes igitur duos ſenſus, alterum Hebræorum, alterum Sept. qui clarior, & expeditior eſt, quàm apud noſtrum. Dolorem autem manuum, clarum eſt rapinam deſignare, manuum rapacitatem, ſequitur dolor, calamitas. Manus, quæ rapuerunt, eædem doloris cauſa erunt. Vna rapinam, doloremque fecit manus. Quod autem noſter dixit per futurum. Implebuntur, eſt præteritum מלאו malèù, plena fuerant, repleta fuerant. Clarusque eſt ſenſus, etiam Hebræis non refragantibus quoniam is in iuuentute, laſciuijs, ſtupris, alieniſque thoris corrumpendis, ſtuduerat, rapuerat, violentus, atrox fuerat, oſſibus eius libidine flagrantibus, bullientibus, ſpumantibus: Ecce ea ipſa oſſa mortua iacebunt arida, puluereſcent, fient terrea, in quibus tantus olim vigor fuerat. Addit cauſam. Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo.] Futura ſint præterita: fitque vſitate apud Hebræos, vt futura, ſint pro præteritis imperfectis, quibus carent Hebræi. Ergo dicendum: Abſcondebat illud, parcebat illi, non derelinquebat illud, celabat. Tralatio à dulcedine & palato, ad ſcelera, & mentem. Vt placent palato dulcia, ſic impiæ menti, flagitia, peccata, voluptates. Dulceſcebat igitur malum, rapina, adulterium, ſanguinis effuſio: grata erant hæc omnia, ſuauia, iucunda, eaque palato & lingua retinebat, non amittebat, elabi non ſinebat. Parcebat, hoc eſt, non ſæuiebat in ea, velut caſtigator, cenſorque ſeuerus iniquitatis ſuæ, ſed parcebat, condonabat ſibi ipſi, ignoſcebat, veluti placen-

tia

A tia retinebat,hærebant palato vti ſuauia,dimitti non poterant. Sic enim ſemel ingreſſæ volupta-
tes,cæteraque vitia dominantur,fiuntque patroni,poſſeſſoresque hominis, vt abire,expellique
amplius nequeant.Hinc Græci captiuos vitiorum dicunt ἥττονες τῆς ἡδονῆς, φυλαργυρίας. quaſi
in poteſtate libidinis,auaritiæ,contra κρείττονες, ſuperiores, victores libidinum. Clarusque eſt
hic ſenſus,poſito ſcelere & peccato,pro quadam libidine,& dulcedine. Alijs tralationibus vtens
addit. Panis eius, in vtero illius, vertetur in fel aſpidum intrinſecus. Diuitias,quas deuorauit,e-
uomet,& de vẽtre illius,extrahet eas Deus.] Panis, Hebraicèe לחם lèchem,quicquid paſcit,eſca,
cibus.Et quod dixit.Fel aſpidum.Nota in ſacris litteris tralatio,ab aſpide, cuius venenum ama-
riſſimum dicunt, vt ea potiſſimum re, ſit letale. Fel Hebræi מרורה meroràh, quod amaritudi-
nem ſonat. Itaque fel aſpidum, eſt amaritudo aſpidum. Incredibilis amaritudo, letalis amari
tudo.Nam non felle ſolum amaras eſſe aſpides, & in ſolo felle habere amaritudinem, declarat
quod ſequitur,caput aſpidum ſuget.Malim ego dicere,amaritudinem aſpidum, ſicut apud Mo-
ſen. Fel draconum, amatitudo draconum. Sed (vt dixi) fel appellant omnem amaritudinem
Hebræi. Itaque fel draconum, & aſpidum, eſt eorum letalis amaritudo, quam in veneno præ
cipue habent. Ait ergo illam rapiendi,ſtuprandi dulcedinem, vertendam in letalem,venenatam-
que amaritudinem.Tralatio à ventre,ſicut ſuperius a palato. Superius guſtabat rapinas, ſtupra,
flagitia,hic deuorat,in ventremque demittit.Ecce cuncta letalia toxica, quia ſcilicet,quod & ip
ſum tralatio eſt ab homine,Deus eripiet,extorquebitque è manibus eius prædam.Sicut voraue
rat in ventremque demiſerat,ſic etiam ex intimis viſceribus extrahentur. Illic impetus, inſana-
que libido rapiendi,vt vocata ſit,quaſi luporum deuoratio,hic impetus Dei,certa ratione, mo-
B do,per hoſtem,aut aliud,ad extrahendas,è manibus eius opes. Addidit fermè eaſdem metapho-
ras.Caput aſpidum ſuget,& occidet eum lingua viperæ. Non videat riuulos fluminis torrentis,
mellis,& butyri. Luet,quæ fecit omnia,nec tamen conſumetur] In capite aſpidibus eſſe vene-
num,videlicet ſaliuam,quæ in capite eſt,& dentibus,clarum eſt,ſicut in aculeis, & in cauda api-
bus,ſcorpionibus. Linguam autem dixit,non dentes,per tralationem, & partem pro toto ore.
Nam quæcunq; venenum habent in ore,in lingua habent,in qua præcipue eſt ſaliua. Itaque den
tes rumpunt carnem,ex lingua defluit venenata ſaliua,patefacta à dentibus carne,commiſcetur
que ſanguini,ſpargiturque in venas,quod mortiferum eſt.Caput igitur pro veneno dixit.Sũt itẽ
tria nomina per exaggerationẽ.Non ui debit riuulos,aut eruptiones,vt Hebraicè פלגות pelagòth,
unde pelagus Græcũ. Nõ uidebit eruptiones, flumina,torrentes mellis,& butyri. Latini quoque
abundantiam uocant flumen torrentem.Orationis flumen, torrentem uerborum. Is ingentem
opulentiam uocauit pelagus,flumen,torrentem,pręcipue,quod de lacte,& butyro ſit ſermo,quę
& ipſa exundant, inundantque, Sunt autem hæ diuitiæ Orientalium, in armentis, rurenſibusq́,
diuitijs, apibus, pecoribus. Sic à principio deſcribens diuitias Iob, eas in armentis gregibusque
camelorum,pecoribusque ſtatuerat. Quod autem noſter dixit,Luet,quæ fecit omnia:Eſt clarius
Hebraicè. Reſtituet,reddet laborem, Alios labores reddet, reddet quæ aliorum labore fuerant
accumulata. Aut (ut ait Leui) laborem ſuum dabit alijs. Mirum eſt autem,cur noſter dixerit:Nec
tamen conſumetur,cùm ſit Hebraicè luculenter,adhærens antecedenti ולא יבלע uelò iblàh. Et nõ
deuorabit.Reddet (inquit) & non deuorabit,non deglutiet.Huic autem periodo, eſt hoc, quod
ſequitur adiunctum. Iuxta multitudinem adinuẽtionum ſuarum,ſic,& ſuſtinebit. Quod Hebrai
C ce. Iuxta multitudinem תמורתו themuratò,retributio ſua. Id eſt, ſicut rapuit multum,multum itẽ
exoluet. Quantum prædatus eſt,tantundem perſoluet. Deinde ubi noſter dixit.Sic,& ſuſtinebit,
habet Hebraicum ולא יעלוס uelò,iaalòs. Et non gaudebit. Vt tota periodus habeat:Iuxta opes,uel
copiam,erit retributio ſua,& non exultabit.Non fruetur rapaciſſime partis diuitijs:exoluet,etiã
cum tormento,& calamitate ſui,ſuorumque.Superaddit rationem. Quoniam confringens nuda
uit pauperum domum,rapuit & non ædificauit eam,nec eſt ſatiatus uenter eius. Et cùm habue-
rit, quod concupierat, poſſidere non poterit.] Ordine uerborum diuerſo Hebraicè eſt. Quia
confregit,reliquit pauperes. Domum rapuit,& non ædificauit eã. Frangere dixit,atterere, uexa-
re,euertere,uaſtare:ſiue opes auferendo,ſiue etiam diruendo. Ita domum fractam, attritam reli-
quit, euertit. Quod autem dixit. Et non eſt ſatiatus uenter eius,Hebraicè aliud prorſus. Quia
non cognouit felicitatem in uentre ſuo,in ſuo deſiderio non euadet. Quorum ſenſum ſic exhi-
bet Rabi Leui. Quia non cognouit, quòd perijt felicitas, aut abundantia in uiſceribus ſuis, ſed
erunt omnes fractæ, attritæ opes illæ,ſicut ipſe attriuit pauperes.Et non euadet in cupiditate &
diuitijs ſuis quidquam,quod non pereat,eo quòd rapuit, expilauit domum, in qua non labora-
uerat.Ex quibus apparet ſenſum eſſe,quem noſter reddidit interpres,quod tametſi abſorbuit,de
glutiuit diuitias,non erunt ſuaues,non erit fructus,uoluptas ex eis, non ſatiabitur, non habebit,
ex eis ſatietatem:ſed uertentur in uenenum,aut ita auferentur,ut eis minimè fruatur. Nam quod
noſter dixit,Non eſt ſatiatus uenter eius,deſignat eum non habiturum uoluptatem ex raptis di-
uitijs.Non remanſit de cibo eius,& propterea nihil permanebit de bonis eius. Cum ſatiatus fue
rit,arctabitur,æſtuabit,& omnis dolor irruet in eum. Cibum eius dixit,ut eſt Hebraicè לאכלו leo
clò,deuorationi ſuæ. Non remanſit quidquam quod non uoraret,rapaciſſima, inſatiabilis auari-
tia: cuncta abſumpſit. Hunc etiam ſenſum agnoſcunt Hebręi.quoniam (ut dixi) pro cibo,eſt uo

ratio, quę referatur ad ipſum voratorem: vt dicat. Non fuit reſiduū deuorationi ſuæ. Et quod ait D Non permanebit de bonis eius: Eſt Hebraicè, Non יחיל iakil, abundabit bonum eius. Idem etiā eſt Hebraicè, pro ſatiatus ספקו ſiphco, ſufficientia, abundantia eius: Cùm fuerit, ait, expletus, cùm multum vorauerit, proceſſerit, tum vero, abundātia illa reprimetur. Eoque Auē Eſra dicit. Cùm attigerit ad omnia, quæ ſufficiant ei, tum minuetur, breuiabitur: Tunc erit ei (inquit Leui) czar, anguſtia, tribulatio. Ad explicandum vim huius vocis, adiecit noſter. Aeſtuabit, quod in Hebraico non eſt, vt deſignet anguſtiam illam. Et pro, omnis dolor, eſt: omnis manus laborās adueniet ei. Hoc eſt, (vt ait Leui) Omnes laborantes, omnes pauperes, vel omnis manus iniqua & praua venient ad ruinam eius. Poteſt eſſe ſenſus interpretis noſtri: quia עמל amal, ſonat laborem, & prauitatem. Addit ſimilia. Vtinam impleatur venter eius, ut emittat in eum, iram furoris ſui, & pluat ſuper illum bellum ſuum. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreū.] Quod noſter fecit optatiuum, poteſt quidem imperātis eſſe. Hebraicè יהי iehi, ſit, at item futurum eſt, vt dicat. Erit ad ſatietatem venter eius, mittet in eum iram furoris, & pluet, vel pluere faciet ſuper eum bellum ſuum. Cùm fuerit (inquit) expletus, dataque fuerit facultas ſeſe explendi, vt ſeſe expleret, tum demum ei Deus indicet bellum. Et ille fugiens haſtā, irruet in arcum, vt effugere non poſſit, quē mala diuerſa inuicem ineuitabiliter excipient, Pluere autem bellum, dixit, elegāti tralatione. Siquidem, & Virgilius bellum tempeſtatem vocat. Parque per omnes, tempeſtas it. Grando quoque dicuntur tela, armaq; volantia. Tū bellum ruit turbinis in morem, ac tempeſtatis. Gladius eductus & egrediens de vagina ſua, & fulgurans in amaritudine ſua. Vadent, & venient ſuper eū horribiles, omnes tenebræ abſconditæ ſunt in oculis ſuis.] Hebraicè eodem ſenſu, verbis diuerſis variatoque orationis ordine, ſic. Nudauit, & exiuit de corpore, & fulgurauit. De felle eius vadet, ſuper eum terrores. Erant igitur implicata Hebraica verba, & ancipitia, quo referantur. Gladius quidem in Hebraico non eſt, ac quanquam nudationem referunt Hebræi ad ſuperius, ideſt E iaculatorem, qui nudet ſagittam, depromatque è pharetra, aptari tamen poteſt ad gladiū, quem noſter appoſuit, vt clarior eſſet oratio. Quam autem noſter dixit vaginam, eſt Hebraicè גוה ghevah, quod ſonare corpus, conſuetudo ſermonis Hebraici demonſtrat, vt dicat, de corpore impij gladius, vel ſagitta exiuit. Et, quoniam, vt corpus eſt vagina animi, ſic in vagina eſt gladius, poteſt fieri, vt tempeſtate Hier. hoc nomen Hebræi exponerent pro vagina, cui cum corpore ſit magna ſimilitudo. Fulgurans autem, vel ipſum verbum fulgurandi, poteſt referri tum ad ipſum gladium, uel ſagittam haſtamque fulgurantem, vt alibi quoque fulgurare dicitur haſta: aut (vt exponit Auen Eſra) ipſe iaculator tanquam fulgur accurrēs, inſiliensque in eum. Et quam noſter dixit amaritudinem. Sonat etiam fel: Hebraiceque cùm ſit de amaritudine, aut felle ſuo: ſenſus eſt, (vt docet Rabi Leui:) de felle eius egredietur ſagitta, iaculū, qui ſit locus intimus, vt qui ibi attactus fuerit, amplius viuere non poſſit. Quos autem dixit noſter, Horribiles, nō eſt diuerſum, quòd ſit Hebraicè אמים emim, terrores, formidines. Quanquam vox ſonat etiam calamitates, interitū. Quod autem dixit. Omnes tenebrę, in occultis eius, Duo ſenſus, aut omnis impietas, omne ſcelus, clauſum erat domi, tenebræ flagitiorum occultæ, quod exponit Leui: aut quod malim, omnes tenebræ, omnes pauores, ſolicitudines, triſteſque curæ in arcanis conſcientiæ, in pectore intimo. Deſcribit eas calamitates, quæ bello importantur. Tum aliud genus. Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur, affligetur relictus in tabernaculo ſuo: Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra cōſurget aduerſus eum.] Quod dixit. Qui non ſuccenditur, indicat noſter alium ignem, quam noſtratem, quem flatu ſuccendimus: ignem repentinum ſubito corripiētem. Poteſt, quoniam, quod F dixit. Succenditur, eſt נפח naphàch, quod ſonat ſufflare, deſignare ignem, qui nullo afflatu, aut vento, poſſit extingui. Quod autem dixit. Relictus, eſt שריד sharìd, ſonatque reſiduum, ſuperſtitēque, vt poſſit referri, vel ad ipſum impium, omni præſidio deſtitutum, vel reſiduum nepotem, qui propter impium patrem, affligatur, ſicut ſuperius dicebat, vt tota domus pereat. Reuelare autem cælum & terram, impietatem, & tanquam teſtes inſurgere aduerſus eum, luculenta locutio. Omnia enim plena Deo, nihil fit, quod ipſe non uideat. Omnia patent oculis eius. Mortalibus autem, qui hunc ubique inuiſibiliter præſentem non cernunt, cernunt autem cælum, & terram ſurſum, & deorſum, dantur hæc uniuerſalia, ad cognoſcendam maieſtatem illam inuiſibilem, quæ ſic ubique per omnia intenta eſt, & commeat, ſicut ubique cælum eſt, & terra, & hæc pro inuiſibili Deo, ipſa uiſibilia ferre teſtimonium dicuntur: videntia ſua præſentia corporea cuncta, ſicut inuiſibiliter Deus aſpicit omnia. Nemo igitur ſit, qui facta ſua, diuinam latere poſſe maieſtatem, arbitretur. Vbicunq; peccaueris, locus ipſe ferret in te teſtimonium: quia etſi locus neſcit, ſcit tamen Deus, vniuerſalis in omni loco. Poteſt per antonomaſian, pro cælo, Angelos, pro terra homines dixiſſe: ſed figurata locutio pulchra. Apertum erit germen domus eius, detrahetur in die furoris Dei. Hæc eſt pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum à domino.] Quod dixit, apertum erit, Hebraicè יגל ìghel, nec deſignat hoc loco reuelare. Nam verbum galà, Hebræis duo denotat, reuelare, detegere, & euoluere, migrare, alterumque ab altero naſcitur. Nam migrare, eſt quaſi aperiri, reuelari, denudari de loco ſuo. Hoc igitur loco dicēdum. Migrabit germē domus eius, tranſmigrabit, transferretur. Inde vocant Hebręi exilium, & captiuitatem, galùth. Periturum igitur dicit, non ipſum impium modo, ſed omnem item ſtirpem, ut nihil prorſus superſit.

A ſit. quod autem dixit, Detrahetur, eſt in fonte נגרות niggaròth : vox Hebræis teſtibus deſignat, præcipitantia rapidaq; flumina, vt dicat eum velut rapidum fluuium periturum, abiturum, euolaturum, Idque etiam noſter expreſſit. Diem furoris, vocat, cùm calamitas ingruit. Cùm velut agmine facto incubuere mala. Partem autem dixit, id quod eſt in ſequenti, hæreditatem, portionem ſuam, præmium, id quod ei datur à Deo, pro ſua parte, pro extrema hæreditate. Quod vero noſter dixit, Hęreditas verborum : pro verborum eſt, אמרו imrò verbi eius, vt dicat, & hæreditas verbi ipſius impij, præmium locutionis, contra Deum : pro eo, quòd contra Deum blaſphemus fuit, inſurrexit in eum, inſolenterque Deum blaſphemauit, maledixit, detraxit. In quo ſuperbia clara eſt. Ac (vt ait Leui) Iob oblique deſignabatur.

CAPVT XXI.

RESponſio Iob, vt ſemper fit in hoc libro, deſtruit antecedentia, perſtans in ea aſſeueratione, non eſſe rationem rerum gubernandarum, quam iſti iactabant. Bene multos impios & flagitioſos, beatos viuere, felici nauigatione vſque in portum ſenectutis ferri. Ideo poſtulat auditorem attentum. Audite (inquit) longe alia dicentem vobis. Quod igitur tranſtulit: Et agite pœnitentiam, Hebraicè idem eſt verbum pœnitendi, & conſolandi. Itaque hoc loco eſt & hæc תנחומתיכם tanchumothekèm, conſolatio veſtra: Eſtque (vt perhibet Leui) ſenſus. Audite quæſo verba mea, & tacete, & ſit hæc conſolatio veſtra, qua conſolemini me, nempè ſi tacueritis. Quia plus mihi prodeſt veſtra taciturnitas, quàm reſponſio: quippè qui me incre-B dibili moleſtia afficitis. Habes igitur ſenſum meũ, vt ego arbitror, vt ſit conſolatio actiuè intelligenda, qua ipſi conſolentur ipſum Iob. Poſſet etiam ſenſus eſſe, Et hæc ſit conſolatio veſtra, eſtote contenti hac mea reſponſione, hoc ſermone. Suſtinete me, & ego loquar, & poſt mea (ſi videbitur) verba ridete. Nunquid contra hominem diſputatio mea eſt, vt merito, non debeam contriſtari?] Tria proponit, vt eum audiant, tum attente diiudicent, vt ex reſponſione ſua cognoſcant, irridendus ſit nec nè. Audite (inquit) percipite rationes, veſtram iſtam verboſitatem refellentes. Nunc ne contra me inſurgite, ne carpite, ne lacerate, ſed attendite diligentius quid vobis obijci poſſit, quod me expurget. Atque vbi noſter dixit, Ridete, eſt in ſingulari תלעיג talig, ſubſannabis, ridebis, quod aduerſus Eliphas dictum putat Leui, qui cæteris erat arrogantior & infeſtior. Nonne (inquit) cum homine eſt ſermo, non cum aliquo cælitum, quibus non eſt cum hominibus conuerſatio? Cum homine loquor fragili, carneo, mei ſimili. Quæ me igitur ratio prohibeat, cur non loquar cum eo, audacter memet expurgans, offerenſque rationes quibus eorum arrogantiam refellam? & quoniam cum homine ſermo eſt, & homo ego ſum, nonne ſpiritus meus præ ſe ferre dolorem debeat? Qui enim fieri poteſt, vt non doleam, excrucier, audiens talia contra me, ipſamque veritatem? Subiicit ſimilia. Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro. Et ego quando recordatus fuero pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.] Cum homo innocens (inquit) crudelia ſupplicia ſit perpeſſus, hoc obſtupeſcite, hoc admiramini. Hic, vt ſuper re inaudita, inſolita, obmuteſcite, & vt fert humanus inſtinctus indolete, commoueamini. Requirite cauſas, dolorem oſtendentes. Sicut ille cùm vidiſſet C Deiphobum.

Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares,
Vix adeò agnouit pauitantem, & dira tegentem
Supplicia, & notis compellat vocibus vltro.
Deiphobe armipotens genus alto à ſanguine Teucri.
Quis tam crudeles optauit ſumere pœnas?
Cui de te tantum licuit?

Hæc amicus ille bonus cum lachrymis. Simile quid affici illi debuerant tam crudelia fuiſſe perpeſſum, vt recordatio priſtinæ gloriæ, præſentium ſuppliciorum, efficiat illi tremorem, oſſiumque concuſſionem. Terribilis recordatio. Hæc vos conſiderare, & obſtupeſcere debuiſſetis. Tremor quoque oſſium, & ingens animi æſtus, poteſt ad id, quod ſequitur referri. Quare ergo impij viuunt, ſubleuatique ſunt confortatique diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum.] Quod dixit, ſubleuati ſunt, eſt עתקו atekù, quod eſt ſenuerunt. Viuunt, inquit, impij, ſeneſcunt, vt non vt paulò ante iactabas, breui extinguuntur. Septuag. quoque interpretes, hoc verbum tranſtulerunt ανεπαλαίωνται ſenuerunt. Quod etiam dixit, confortati ſunt, idipſum Hebraicè גברו gabrù, roborati, inualuerunt diuitijs, creuerunt, inundarunt. Et quàm eleganter, & clare dixit, propinquorum & nepotum turbam. Eſt צאצאיהם zeezachèm, quod eſt, germina eorum, propagines, eoque etiam Chaldæus tranſtulit,

lit, filios filiorum. Et Septuaginta τὰ τέκνα filios. Vox à ſtirpibus, & arboribus, virgultisque tralata, quæ hac voce denotantur. Quæ nunc queritur Iob, etiam apud alios ſacros Scriptores inuenies. Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Et alia, quæ ſequuntur. Demumq;, Et dixi ergo ſine cauſſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Sed, vt ille ſcriptor ſacer concludit, Subito defecerunt, velut inſomnium, eadem eſt concluſio apud Iob. Interim res dura, & dubia, florentibus impiis, bonis egentibus & gementibus. Cuius ſolutio eſt, quam illi quidem attulerunt, ſed melior omnibus, quæ de æternitate vitæ profertur, ad quam ſapienter, bona, & mala refert Pater hominum, atq; Deorum. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non eſt priuata fętu ſuo.] Deſcribit res feliciter, & proſpere ſceleratis cedentes, proponens bona fortunæ, in quibus principem locum habet copioſa proles, copioſæ diuitiæ, quas ſuperius propoſuerat. Nunc alia fortunæ bona deſcribit, ea, videlicet, quæ diuitiæ erant Orientalibus, quorum opes erant in armentis præcipue. Sed primum pacem & tranquillitatem, quæ ſolet dulcia reliqua omnia efficere, ſine qua nihil ſuaue eſt, & vt ſapientes loquuntur, bellum fit propter pacem. Quippe quæ ſit vltimus finis. Nec multum refert, quod Hierony. retulerit ad fęminam, quod eſt maſcule in Hebræo: Bos eorum concepit, & non abortiuit, Hebraicè שורו shorò taurus eorum, vel bos aſcendit, & non proiecit, ſcilicet genitale ſemen. Secundum autem pertinet ad fęminam. Venuſte vero dixit interpres: Securæ, quod Hebraicè pax in domibus eorum à terrore. Secura Latinis, quæ ſine cura, terrore, metu malorum, vel præſentium, vel impendentium. Hinc quos Græci ἀδεῖς ſine timore, Latini ſecuros dicunt. Et μελεδῶνες curæ vocantur, quòd edant, abſumantque membra. Spiritus enim triſtis exſiccat oſſa. Animus autem lætus ætatem floridam facit. Virga Dei, flagellum, clades. Simile quid apud Poetam de Deo ſuo.

Quam cum ſanguineo ſequitur bellona flagello.

Tribuunt, & ipſi Dijs ſuis, ſagittas, arma, haſtas.

Aureus ex humeris ſonat arcus. Ab Homero deſumptum.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.

Exin, prolem numeroſam, fęcunditatemque filiorum, deſcriptis diuitijs, boniſque fortunæ recenſet, vt ſolet plurimum, diuerſis verbis eadem re propoſita: quæ cùm ſenſus dubios, obſcuraque verba non habeant, omittentur. Ad lætitiam, triumphos, chori, cantuſque adhibentur, vt apud Poetam. Omnibus in templis matrum chorus. Quod autem dicit. Et in puncto ad inferos deſcendunt, Omni Hebræorum claſſe conſentiente, eſt, eos leni morte, placidaque diſſolui, morte ſubita, velut cum poma matura lapſa cadunt; non morte, quæ diuturnitate doloris affligat. Illi cùm diu beate vixiſſent, cùm ἐπὶ γήραος οὐδῷ. ad limina ſenectæ contigiſſent. iam felicitate, rerumque ſecundarum ſucceſſu, voluptatibuſque omnigenis, & vitæ diuturnitate ſatiati, naturæ concedunt. Hebraicè igitur nomen inferorum sheol, deſignat nunc inferos, nunc ſepulchrum. Pro ſepulchro eſt hoc loco. Senſuſque eſt, Et cita, maturaque morte veniunt ad ſepulchrum. Quod autem ſit is ſenſus, Hebræi teſtes. In puncto (inquit) Abraham nimirum ſine doloribus. Rabi vero Leui. Breui (inquit) velocique tempore obeunt, non longo dolore decedunt. Hoc etiam vidit Nicolaus. Hanc autem tam variam cunctiſque bonis ſtipatam, circunfuſam beatitudinem, prædicat accidere malis, potius quam bonis, in ſubſequentibus duobus verſiculis, quorum eſt clarus ſenſus, de contemptoribus Dei. Quod autem additur. Veruntamen, quia non ſunt in manu eorum bona ſua. Heb. dicitur. Et non ſunt in manu eorum bona ſua, non eſt in manu eorum felicitas eorum: non erit diuturna: non eſt perennis: arbitrio, ac poteſtati eorum non ſubiacet: non erunt quandiu voluerint felices, ac beati, ſed eis inuitis auferetur. Verum enim eſt, quod non modo litteræ cæleſtes prodiderunt, ſed quod omnes homines docuit natura, extatque apud Cæſarem in commentariis, Conſueſſe Deos immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Quoniam hoc, inquit Iob, ita eſt, & felicitas impiorum non eſt diuturna, non ſum adeo demens, vt tametſi dixerim eos felices, approbem hanc felicitatem, nec amplius requiram. Sit procul à me vanitas hæc: non ſit hæc mea ſententia. Is ſenſus exponitur etiam ab Hebræis, noſtriſque concorditer. Quodque (ait) Lucerna impiorum extinguetur: lucernæ, lumini, faci, cadentique ſtellæ felicitatem hanc impiorum aptiſſimè comparat. Quod autem noſter dixit. Inundatio, Hebraicè אידם edàm, ruina eorum, interitus eorum, Nam ed vbique ſonat Hebræis interitum, vaporem. Idem tamen ſenſus. Et quod dixit: Dolores diuidet furoris ſui. Iræ diuinæ ſagittas: vulnera illata impijs: diuiſa, nempè diſtributa, importata, impacta. Quod autem comparat eos paleis, aptiſſimum interitus, excidiique eorum exemplum, vtique ad extremum euerſorum. Maius etiam quod ſequitur: in puluere

eos,

A eos, aut fauilla diſſipandos. Eſt autem in Hebraico pro fauilla מוץ moz, idem fermè, atq; fauil-
la. In paleis, & area minutum quiddam, quòd à vento, ſublatis in altum frumentis à ventilantibus,
tollitur, vt ſit propinquum paleis exemplum. Hoc à noſtris ſæpe vertitur puluis. Simile quid va-
ticinatus eſt Dauid de impiis, & huic ipſi, ſiue pulueri, ſiue minutiis, ac quiſquiliis eos cõparauit.
Non ſic impij, non ſic, ſed tãquam puluis, quem proiicit ventus. Vbi pro puluere, eſt præſens vox.
Quod autem ſequitur. Deus ſeruabit filijs illius, dolorem patris eius,] Clarius Hebraicè. Deus
ſeruabit filijs eius, אונו onò, dolorem eius, ſiue iniquitatem eius. Sciendum vocem און quam no-
ſter reddidit dolorem, modo ſonare dolorem, modo ſcelus, iniquitatem, violentiam, ſcelere, &
dolore aptiſſime ſub eadem voce concluſis: quod ex ſcelere naſcitur dolor acerbus, & nullum fer
mè ſcelus dolorem non habet comitem. Pro ſcelere & rapina, exponitur nunc ab Hebræis. Vbiq;
autẽ in ſacris litteris decantatur fore, vt iniquitas, aut ſacrilegia, & rapinæ patrum, à filiis reddan-
tur. Et tertiam generationem magnorum ſcelerum fore participem: quod de malis dumtaxat,
ſceleri paterno fauentibus verum eſt. Perſoluet igitur (inquit) omnia cùm fęnore, & puluiſculo.
Seruabit Deus filijs illius iniquitatem, ſceluſque eius: vſque in poſteros eius pęnas demittet. Hoc
experietur, hoc ſentiet. Guſtabit vere, non contemnere res humanas, hominumque, Deumque,
patrem. Suis hæc oculis, adeo res erit clara, in propatulo videbit, cõtuebitur. Interfectionem autẽ
noſter dixit, quod Hebraicè כידו chidò, nempè calamitas, interitus, vaſtitas. Guſtare autem & bibe-
re furorem, tralationes Hebraicę. Attribuere quoque Deo furorem, iram, pene Hebraicum eſt.
Quanquam Philoſophi, iram Deo tribuerint. Lactantiuſq; eos, qui id pernegarent, refellit. Quod
vero ſequitur. Quid enim ad eum pertinet de domo ſua?] Nullã curam poſteritatis habuerat: ſce-
B leri, flagitijs, noctes atq; dies ſtuduerat, nec cæcus videbat, quid poſteritati proderet. Excæcaue-
rat cor eius impietas, iniuſtitia, ad omnia bona caligarat, neſcius hæc omnia ſuper domum ſuam,
filioſque reciſura: tametſi in vita ſua, pœnas ipſe non dediſſet. Quod autem ait Menſes eius di-
midiatos.] Licet felix vitam traduxiſſet, delitijs circumfuſus, voluptatibus, illecebriſque, quas ra-
pina comparaſſet delinitus, annos exegiſſet, duo tamen mala conſequetur, quod & poſteri per-
ſoluent hæc omnia, quanquam hæc eum cura, propter auidam improbitatem non tangit. Tum
vita ipſi non eum numerum explebit, quem expleuiſſet, ipſo pie, iuſteque viuente. Promttitur-
que longitudo dierum iuſtis, & pijs, in ſacris litteris. Tanta eſt profunditas (inquit in ſequenti
verſiculo) iudiciorum Dei, tam impenetrabilis ſapientia, vt omnia quidem iuſte diſponat, dige-
ratque per annos, ſed ab hominibus, nec animaduertantur, nec animaduerti debeant. Deus
enim (inquit Plato) ineffabilis dictu, difficilis cogitatu. Quis igitur erit mortalium, qui melio-
ra in iudicijs Dei, quaſi docturus eum, quærat? Cuius ea eſt ſapientia: vt principes, ſapientes
& ſupremos quoſque diiudicet. Quos autem excelſos dixit, qui & in Hebraico dicuntur רמים ra-
mim, excelſi, à Chaldæo, & à nonnullis Hebræis, exponuntur pro Angelis. Chaldæus pro ex-
celſis poſuit cœlos ſupernos, nempè ſupernas poteſtates: nonnulli Hebræi ipſos expreſſe nomi-
nant Angelos. Gloſſema quoque noſtrum: Angelos interpretatur. Nam tremunt videntes
Angeli, & poteſtates, maieſtati, iudicioque eius ſubiacentes. Poteſt de cunctis regibus, & prin-
cipibus generatim intelligi. Quodque ſequitur. Iſte moritur robuſtus, & ſanus:] Reuertitur ad
ſuperiora contradicens amicis, ſapientiam iactantibus, & in eum vociferantibus, aduerſam for-
tunam, in malos dumtaxat & improbos, inuehi: flagitioſos modo, non bonos cadere: patri-
C monio, domicilio ſpoliari. Hoc abunde reuincit. Pars alia quòd quanquam ſceleratis plerunque
ſecundæ res, & diuturnior impunitas concedatur: at refugit, execratur, improbat hanc eorum
fallacem felicitatem. Rationeſque adiecit ſuperius, & nunc perſequitur, & inculcat ſuperiora,
cum magna verborum exaggeratione. Eam igitur partem felicitatis deſcribit, qua plerique nul-
lis vnquam corpore morbis attacto, robuſti, pingues, obeſi, bene curata cute, vitæ conceſſerunt.
Suntque aptæ tralationes ad eos, quos beatos Latini dixerunt. Opponit ex aduerſo miſeros
omnes, in cineres vertendos, & in regione defunctorum æquales futuros omnes. Simile quid
agens, quod Lucianus, in ſua νεκυιά. Illic fore diuites & pauperes, formoſos ac deformes, ſimi-
les cunctos: nec Crœſo diuitias profuturas, nec Iro pauperiem obfuturam. Quod autem ſequi-
tur. Certè noui cogitationes veſtras.] Spectat eo, quod vbique nugaces eos, ventoſoſque coar-
guit, & in ſuam contumeliam de prouidentia diuina vaniloquos: quæ pro meritis omnes, vel
ſupplicio plectat, vel attollat: Vt qui patitur aduerſa, qui variis cladibus & iniquitate fortunæ
premitur, iure, & pro meritis ea patiatur. Hoc coarguit Iob, & comprobat ſæpe bonos male pe-
rijſſe, malis bene proceſſiſſe: Totuſque locus clariſſimus eſt, quòd omni libro eadem inculcan-
tur. Deſignant igitur ipſum Iob, cuius ſuperbia iuſte cecidiſſet. Quod in ſequenti verſiculo de-
claratur, & pares habet apud omnes interpretationes. Vbi vero dicit. Interrogate quemlibet de
viatoribus.] Vocat horum præcipuè teſtimonium ſuper re teſtata ac certa, quòd hi diuerſas
prouincias obeuntes: vt is, qui mores hominum multorum vidit & vrbes: pleraque norunt,
ſemper eaſdem ſedes obtinentes, latentia. Quod vero dixit. Hæc eadem illum intelligere co-
gnoſcetis.] Hebraicè eodem ſenſu, ſed non eiſdem verbis, hoc modo. Et ſigna eorum non
cognoſcetis. Hæc ſigna Hebræi, caſus, calamitateſque quotidianas interpretantur, quas via-
tores referunt, variis in locis auditas. Burgenſis maiora quædam de viatoribus philoſopha-

tur. Quod vero ſequitur. Quia in diem perditionis ſeruatur malus.] In fonte ſic. In die perditionis ſubtrahetur malus. Ideo ponunt Hebræí contrarium ſenſum. In die calamitatis & cladis, pereuntibus bonis, malus, impius, flagitioſus, eripitur. Hoc (inquit) audire poteſtis ab eis, qui varias gentes vrbesq; adeunt quotidie. Hoc (inquit) Hebræus interpres illi narrabunt, referent, aliqua die calamitoſa, in vrbe, vel prouincia, ſubtractus eſt vir malus, ne clades illum contingeret: & propter incredibilem felicitatem, rerumque ſucceſſum, è medio pereuntium ereptus. Verbũ igitur, quod Hieronymus tranſtulit ſeruatur יחשך iechashèch, ſignat Hebræis longari, protrahi. Quod ille accepit in eum ſenſum, ſed ſequentia declarãt ſenſum Hebræorum eſſe veriorem. Nam quod eodem verſiculo dixit. Et ad diem furoris ducetur.] Hebraicè eſt: In die furoris, portabitur: Hoc (vt dixi) poteſt deſignari, quod noſter tranſtulit: verum ſequentes verſiculi declarant, ſermonem eſſe de ſcelerato cum cæteris non pereunte, vt conſtet vanitas amicorum Iob. Nicolaus ſequitur, quod offerebat tralatio. Quodque ait. Quis arguet coram eo, vias eius, & quæ fecit, quis reddet illi?] Is eſt ſenſus, quem etiam comprobant & efferunt Hebræi, cùm malus, & improbus ille, beatè vitam traduxerit, ereptus ab omni calamitate fuerit, quid poſt illum futurum ſit, quis indicabit, vt doleat de futuris, vt norit pendendas eſſe pœnas? Vt interim dolore tabeſcat, adueniente aliquo Propheta, qui ei prædicat ob anteductam vitam impendentes calamitates. Imò verò (inquit) fecit, quæ voluit, libidines expleuit: quis illi reddet paria? quis illum tantum dolere faciat, quantum lętatus fuiſſet? Is ſenſus, quem ex parte etiam noſtri ſequuntur. Qđ autem ait. In congerie mortuorum vigilabit.] Congeriem ſentiunt, interpretanturque Hebręi ſepulchrum, ad quod aggregantur vniuerſi, & quaſi quod Græcè νεκείαν. Vigilare autem, ſic interpretantur, vt deſignet, vſque ad corruptionem vigilabit: portatus ad ſepulchrum vigilabit: permanebit vſq; ad reſolutionem: delatus inter cadauera computreſcet. Loquendi modus & tralatio Hebraica. Quod vero dixit, Glarea cocyti.] Cocytus in Hebraico non eſt, ſed nomen ad omnes torrentes & valles commune נחל nàchal. Eadem vox, deſignat etiam vallem demiſſam. Nam pro ea ponunt aliam clariorem ipſi Hebræi המישור hamishòr, planiciem. Abrahamq; lingua Arabica ait eo vocari locum ſepulchrorum. Ex tralatione vero, quoniã ſepulchra ſub terra ſunt, nũc pro ſepulchro eſt. Dicitur ergo iuxta expoſitionem Hebræorum, quæ vera eſt, mihiq; probatur. Dulcis fuit ei ſtatio ſepulchri: Vſque ad ſepulchrum beatus fuit. Dulciter requieſcit, non ſolum in vita, verum etiam in morte beatus: In ſepulchro dulciter requieſcit. Hanc eandem interpretationem mirum in modum concordes cum Hebræis, viderunt Græci, tametſi tralationem haberent obſcuriſſimas. Nã quod noſter ait: Dulcis ei fuit glarea cocyti. Septuaginta tranſtulerũt ἐγλυκάνθησαν αὐτῷ χάλικες ἐκ χειμάῤῥου. Dulcem facti ſunt eius calices ex torrẽte. Hoc Græci exponentes ὅτι τῷ ἀσεβεῖ, καὶ φιλαμαρτήμονι καὶ αὐτὸ τὸ χειμαῤῥοειδὲς ὄρυγμα, τὸ μετὰ τελευτὴν, τὸ σῶμα αὐτοῦ ὑποδεξόμενον, καὶ οἱ ἐπιβλησόμενοι ἄνωθεν λείθοι καὶ χάλικες γλυκύ τι δοκοῦσι. Impio, & ſcelus amanti, ipſa etiam foſſa inſtar torrẽtis, quæ poſt mortem, corpus eius excipit, & lapides qui ſuper imponuntur, lapilliq; dulce quiddam videntur. Hoc etiam Hebræi ſentiunt. Et ante eum, & poſt, infinitus numerus, eadem lege reſoluentur. Quocirca quæ iactatis de prouidentia, ipſa experientia probat ſecus eſſe. Reſponſio veſtra, reliquum eſt, vt ſit praua, peruerſa.

CAPVT XXII.

RECte monuit in exordio capitis huius Nicolaus, quibus nihil amplius occurreret dicendum iam victis, quorumuè ſententia iam fuiſſet toties reiecta, replicare eadem, & inculcare, ne victi viderentur. Itaque nil aliud fit hoc capite, quàm quòd ſuperior omnis oratio retexitur. Dicitur Iob, vti malus & improbus, non immeritus tot clades pertuliſſe. Plena contumeliarum oratio. Principio, quod noſter dixit. Nunquid Deo comparari poteſt homo?] Quod tranſtulit Comparari, Hebraicè יסכן iſcon, Hebræis deſignat comparari, & prodeſſe, vtilem eſſe. Pro hoc poſtremo accipitur ab ipſis, vt dicat. Nunquid homo proderit Deo? vtilitatem afferret Deo? Et quod ſubijcitur. Etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ.] Eſt in fonte. An afferret vtilitatem intelligentię? An proderit inquam homo ipſi Deo? dans ei ſcientiam, intellectum, qui dicitur Hebraicè maſchil? Igitur Hebræi exponunt iſcòn, per aliam vocem clariorem יועיל ioil, proderit, iuuabit. Sed quoniam eadem vox polyſema eſt, deſignans modo cõparare, modo docere, fit, vt diuerſis ſenſibus exponatur. Nam Græci, Sept. οὐχὶ ὁ κύριος ἐςὶν ὁ διδάσκων σύνεσιν. Nonne Deus eſt, qui docet ſapientiam? Significatum docendi, etiam Chaldæus poſuit יאליף iaaliph, dicens. An docebit homo Deum? Ergo poterimus iuxta varios ſenſus dicere. Nunquid Deo proderit, aut ſcientiam afferret homo? Aut, nunquid Deo comparabitur, vel æqualis erit homo? Aut, nũnquid docebit Deum homo? omnia dicuntur in contumeliam ipſius Iob, quem quaſi in ius vocare Deum, calumniabantur amici. Et quem de ſua iuſtitia, integritate, innocẽtia adeo gloriari aſſerebant, vt videretur à Deo magna pręmia probitatis ſuæ poſtulare, quaſi emolumentum ingens dederit illi, quod iuſtè vixiſſet, quod peccare peperciſſet. Huc igitur pertinent ſenſus omnes, qui ſequuntur. Nunquid (ait Hebraicum) voluntas, cupiditas Dei eſt, vt ſis iuſtus? Aut lucrum fiet illi, ſi vias tuas rectè inſtitueris? Num timebit te, & trepide

A coarguet,& tanquam reo diem dices illi,tu accuſator, ille φεύγων Accuſatus, reus, erit redditurus rationem tibi,quòd te crudeliter oppreſſerit?Nonne ſcelus tuum ingens eſt, & ſine fine flagitia extrema impietas?In primis, quod extremæ fuit crudelitatis pignoraſti fratribus pecuniam. Sine cauſa,vt Symmachus Græcè tranſtulit ἀναιτίως id eſt , vt Græci exponunt, nihil debentes: & qui nihil tibi deberent,ab his pignus exigebas,vel pauperibus crediturus,pignus accipere ſolebas, vt eos & alios,ob vſurã,veſte ſpoliares. Nec ſitienti,nec famelico miſericors fuiſti. Quodque ſequitur. In fortitudine brachij tui poſſidebas terram,& potentiſſimus obtinebas eam.] Hebraicè eſt. Et vir brachij eius,eſt terra,& honoratus facie habitabat in ea. Hoc duos habet ſenſus & hunc,quem reddidit noſter,& alter,quem proponunt Hebræi, & quem Septuaginta & Græci norunt. Solos(inquit) eos habebas charos,gratosq;,qui plurimum poſſent. Hi apud te valebant hi dominabantur. Spretis,& contemptis debilioribus,ac pauperibus, plurimi faciebas potentiores. Hi domum tuam veniebant frequentes,hos ſuſpiciebas. Leui interpres Hebræus. Viros præpotentes regnanteſque honore afficiebas,qui ſunt facie eleuati,vel honorati. His conuiuia,Sympoſia parabas:hi in domo tua domini videbantur. Sic ille. Ad hũc ſenſum Septuaginta Gręcè trãſtulerunt, ἐθαύμασας δὲ τινῶν τὰ πρόσωπα Suſpiciebas autem facies quorundam. Hoc Græci referunt ad iudicia προσωπολήπτης γὰρ γέγονας. Acceptator (aiunt) perſonarum fuiſti,ferens ſuffragium,pro potẽtioribus,humilioribus,oppreſſis, damnatisq; iudicio , Gæc omnia latent ſub illo verſiculo,mihi cuncta probantur. Declarant melius ſequentia improbitatem,vt qui pauperes,viduasque contempſeris,ſiue in iudicio,non eripiens eos à diripientibus, & opprimentibus , imò fauens inimicis:ſiue in omni commiſeratione. Propterea circunſteterunt te clades , & inſperato ſuperuenerunt,quæ nunquam affore putaſſes:Præ tenebris non aſpicies . Sicut eſt in Hebraico, B quanquam noſter alium quendam ſenſum poſuit,non multum ab iſto diſtantem . Et inundatio calamitatum,miſeriarumque cooperiet te.] Is ſenſus eſt,etiam apud Gręcos, Symmachus enim reddidit,& multitudo aquarum circunteget te. Ob hoc (inquiunt) ex luce ad tenebras reciderũt res tuæ,ex præclara felicitate,in horrendam,execrabilem infelicitatem . Nonne Deus eſt inuictæ uirtutis, maieſtatis immenſæ? In cælo maieſtas eius eluceſcit : in cælo eſt ſublimis , vt dicit Hebraicum : In cælo ſublimis,quod in cælo maximè dicitur præſidere. Tendimus enim orantes, & deprecantes,omnes in cælum manus. In Hebræo igitur non dicitur,Excelſior cœlo. Sed,excelſus in cælo. Dicitur quoque. Et caput ſtellarum ſuſpice. Nempe ſublimitatem ſtellarum,conſidera vbi Deum habitare mortales credunt: hic (inquit) ſcito regnare potentem . Inde late terras , maria reſpicit. Hominum facta non latent illum. Tu vero tecum dicebas . Quid Deus nouit ex his quę fiunt in terris?Nunquid per caliginẽ,quę, vel obſidet terras,eripiturque cęleſtibus proſpectus rerum terreſtrium,aut,quia facta latent humana,iudicare,immittere aciem poſſit? Tenebras quibus occultantur,quæ fiunt ab hominibus,nunquid oculus eius penetrare poteſt? Circũſtant eum dicebas,nubes & caligo magna,ſiue illa quę media interiacet cęlum ac terras,ſiue quędam alia,ignorantię,qua res hominum perſpicere,& tranare nequeat. Quos autem cardines cæli dixit Hieronymus Hebraicè eſt חוג שמים chùg shamaim, Gyrum cęli,& Septuaginta γῦρον οὐρανοῦ διαπορεύεται Gyrum cęli perambulat: & Græci exponentes. Nam cęli (inquit) circuitum perambulat. Sentit ergo definitionem cęleſtem, infra quam negat oculos diuinę maieſtatis tendere . Illic metas regni , maieſtatis , & prouidentię eius finiri . Cętera magnis occultari & cir- C cunfundi tenebris . Illud Epicuri , Deum , nec habere , nec facere cuiquam negocium . Id & ille dubitabat.

Dij,ſi qua cælo eſt piet as,quæ talia curet,

Quod autem ait. Nunquid ſemitam ſęculorum cuſtodire cupis ? Melius , & clarius ex ipſo fonte intelliges. Nunquid viam ſęculi,viam mundi obſeruaſti? Num attendiſti,mores hominũ, retroactas ętates conſideraſti?Hebraicè igitur vox עולם olam deſignat modo ſæculũ, modo ipſum mundum. Via ſæculi,ſiue via mũdi,eſt vniuerſalis hominum vita,mores ratio vitę,iuxta quod dicitur in Pſalmo. Et deduc me in viam æternam,Hebraicè in viam mundi. In viam vniuerſæ carnis. Ergo monet,vt conſideret vniuerſi generis humani caſus . Quidquid egerint homines olim, quidquid eis acciderit, Viſurũ enim,aperteq; cogniturũ,impios nefarios corruiſſe demũ,tã maiorẽ dediſſe ruinã,quã nequiores fuiſſent. Is eſt verus ſenſus, quem etiã Nicolaus agnouit exponẽs viã ſæculi, vitam hominum ſæculariter,& diſſolutè viuentiũ. Græci agnoſcere non potuerunt propter tralationẽ Sept. quę traſfert τρίβον αἰώνιον uiam æternã. Hanc illi putãt uiam diuinæ prouidentiæ:viã antiquam quoq; ipſius Iob,qua ſecundum virtutem vixiſſet, cuius eum nunc admoneant. Sed non multis opus . Verus ſenſus enituit. Rectè noſter dixit. Viri iniqui,qui Hebraicè. Mortales iniqui,mortales ſcelerati . Cætera quadrant cum Hebraico : Gebræisq; explanatoribus. Nam & illi ſentiunt hic deſignare Gigantes illos θεομάχους inuiſosque Deo.

-qui manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi,ſuperisque Iouem detrudere regnis.

Quos inundatio,& horribile diluuium

Abſtulit ante diem,& funere merſit acerbo.

Quanquam

Quanquam Nicolaus putat omnes generatim impios, quos, inundatio calamitatum opprimat D inſperatos. Vtroſq; arbitror ipſe poſſe deſignari. Pertinet maxime & quadrat Gigãtibus, hominibuſque ſub diluuio, quod ſubijcitur. Recede à nobis & quid nobis faciet omnipotens?] Nam & ille apud Homerum Cyclops, ex illo genere.

Nos neque cælicolas colimus, neque Iupiter ipſe
Eſt curæ, cælum nobis nam uiribus impar. C

Impleuerat autem domos eorum felicitate, quod illo ſæculo fertilitate tellus laſciuiebat: hominum procera, formoſa, morbos neſcientia corpora; nihil non beatum. Iuſtos autem, quos exultare & ſubſannare aſſerit, illumq; innocentem putant ipſum Noe, & domum. Nam & Chaldæus interpres, iuxta opinionem maiorum, hunc locum ſic vertit. Exultabunt filij Noe iuſti, & lætabuntur: Et Noe iuſtus irridebit eos. Quod autem ſequitur. Nonne ſucciſa eſt erectio eorum?] Perplexa oratio in Hebraico, & vix intelligibilis אם לא נכחד קימנו im lò nichchad kimanu. Si non ereptus fuit, ſtare fecit nos. Hinc variat ſententia apud Hebræos. Leuita Gerſon putat κατὰ τὸ σιωπόμενον locum intelligendum, vt dicat. Conſidera (inquit) an ereptus, liberatus ſit ille, qui ſtare fecit nos: ille, à quo genus omnes homines ducunt. Nempè Noe iuſtus ille, qui ſuperſtes fuit diluuio, à quo cuncta humana progenies repullulauit. Conſidera an ille ſit liberatus, Reliquias autem impiorum abſumpſit ignis. Quanquam potius de Loth exponenda eſſent, qui conflagrationi Sodomæ ſubtractus eſt. Rabi autem Abraham, & exiſtimat ſic intelligendum. Si non ereptus eſt innocens, & iuſtus, de quo ſuperius dixi, קימנו Kimànu, fac ſtare nos, adhibe nos teſtes. An ſit ereptus innocens, vbi calamitas inſperato ſuperuenit, adhibe non teſtes tu, qui ſecus contendebas, aſſerens innocentẽ cũ impio cladibus eiſdem auferri. Sciendum igitur chimànu, & præteritum eſſe poſſe, & imperatiuum, quemadmodum Græcè τύπτωμεν ſola ſcriptura dirimit E ſubiunctiuum à præſenti. Sciendum tamen interpretem Chaldæum ſequi ſenſum, quem poſuit noſter. Nonne (inquit) prohibiti, ſubtracti ſunt, ne ſtarent, ne viuerent, ne ſuperſtites eſſent, ſcelerati illi, & reliquias eorum abſumpſit ignis? Is fortaſſe ſenſus verior, minus ſcyrpum, grypumque tenens. Quod autem ſequitur: Acquieſce igitur ei,] Hebraicè fere ſimile הסכן נא עמו haſcen na himò. Aſſueſce cum eo. Quod ab Hebræis eodem, & noſtris accipitur ſenſu. Hortor ergo te (inquit Leuita) aſſueſcas cum Deo: Nempè, vt incedas in vijs eius: Et tunc erit tibi pax. Nonne ſi ambulaueris in vijs eius, prouentus tui boni, redditus tui vberes? Attende acerrimis oculis ad legem eius. Cætera clarent omnia, Græcis, Latiniſque, & Hebræis conſentientibus, eaſdemque interpretationes afferentibus, de vbertate, è iuſtitia proueniente, quam auro, & argento diffiniuit Eliphas. Sed quod noſter dixit. Dabit pro terra ſilicem.] Non eſt ſuo ſenſu redditum, eoq; non intelligibile. Quod dixit Silicem, Hebraicè eſt בצר bàcer, aurum: vt dicat. Reddet, reponet, pro puluere, vel limo, cœno, aurum. Quod nunc eſt limus, terra, vertetur in aurum. Hoc Hebræi vnanimes aſſerunt exponentes bàcer, aurum, pro copia affluentiaque diuitiarum, (inquit Leuita Gerſon) pro cœno, limo, Deus dabit aurum: Et pro ſilice torrentium, nempe pro lapillis torrentis, reddet Ophir. Quanta eſt multitudo lapillorum in torrentibus, tanta erit auri, quod apellatur ophir, nempe puriſſimum, in domo tua. Verſiculus igitur ſic habet. Reponet pro limo, vel puluere, aurum, & pro lapillis, qui ſunt in torrentibus, ophir, aurum mundiſſimum. Eoque Græci dicunt hoc loco ϗ ἐκ σωφεὶρ ἔνθα γίνεται χρυσὸς κάλλιστος, ϗ λίθοι τιμίοι κατὰ χειμάρρων ῥέων ἐπελεύσεταί σοί. Et Ex ophir, vbi naſcitur aurum optimum, & lapides pretioſi inſtar F torrentis profluentis ad te veniet. Quod autem ſequitur. Eritque omnipotens contra hoſtes tuos.] Sciendum Hebræis nomen בצר ſhadai, quod eſt hoc loco, nonnunquam deſignare Deum fortem, omnipotentem, interdum quidquid eſt, forte, validum. Nomen quoque ויעפי bàcer, poteſt eſſe integrum, & vnum, deſignabitque aurum, quemadmodum ſuperius: Aut eſt diſiunctum ba, præpoſitio in, czar, hoſtis. Pro poſtremo Hieronymus. Hebræi pro primo, vt dicat verſiculus. Erit forte, validum, aurum tuum, nempè copioſum, exuberans, iuxta ſuperiora. Ideo exponit Leuita: Erit aurum tuum copioſum, graue: Et erit pecunia tua duplicata præ ea, quæ fuerat quondam. Coaceruationem dixit noſter Hierony. quod Hebraicè fermè ſimiliter ריעתות thoaphòth, quæ vox modo ſonat forte, ingens, modo duplicatum. Quod expreſſit noſter interpres. Sciendum interpretationem, quam poſuit noſter. Et erit omnipotens contra hoſtes tuos.] Etiã ab Hebræis adhiberi, ſed probatur eis magis prior ſenſus, vt tota oratio conſentiat de auro & argento, & vbertate. Quod autem ſequitur. Tunc ſuper omnipotente delitijs afflues.] Ne ſit error, ſecus eſt. Tunc ſuper omnipotente delectaberis. Ille dilitiæ tuæ erunt. Ex eo, voluptas omnis, tibi. Quod autem noſter ait. Et vota tua perſoluens.] Habet hũc ſenſum iuxta Hebręos. Quidquid optabis, perficies. Nihil obſtabit deſiderijs tuis. Is verior ſenſus. Hierony. ſecutus eſt, quod Sept. Græcè reddiderunt δώσει δέ σοι ἀποδοῦναι τὰς εὐχᾶς. Dabit tibi, vt vota perſoluas. Quod autem dicit. Decernes rem.] Nempè iuxta Hebraicũ, pronuntiabis verbũ, & illico aderit, quod poſtulas. Præfulgebit tibi diuina lux. Cętera quadrant cum fonte. Nã quod ad poſtremũ, ait, Saluabitur autem in mundicia manuũ.] Variata perſona deſcribit eundem Iob. Liberabitur innocens ille. Nempè tu ipſe propter mũdiciam manuũ tuarũ, qui caſtas, innoxias, nõ rapaces, nõ ſanguino-

A ſanguinolentas habueris manus. Aut liberabit iuſtus inſulam, ne mergatur, ne fluctibus alluatur, couſque poterit oratio eius.

CAPVT XXIII.

RESponſio Iob, ad ea, quæ diſſeruerat, calumniatusque fuerat Eliphas de diuina prouidentia, de cladibus, quas boni pariter cum malis, nullo diſcrimine patiantur. Inculcantur, vt ſæpius eadem. Hypotheſis cęteris ſimilis, ſermo quoq; filumque orationis eadem ſonans. Mihi maiora, veraque verborum ac ſententiarum explanatio, cordi erunt, eorum, quæ poſſint ab alijs ſuppeditari, non curioſus. Principio quod ait. In amaritudine ſermo meus.] Duobus ſenſibus, quod ſermo tantus, querimoniaq; aſſidua & indignatio, os reddiderat amarum. Aut orationem męſtam, triſtemque deſignat. Et quod ſequitur. Manus plagæ meæ.] Rectè Hier. addidit plagæ meæ. Cum in Hebraico ſit tantum. Manus mea aggrauata, propter gemitũ meum. Manum ſentiunt etiam Hebræi, ipſam plagam, flagellum. Grauis (inquit) eſt calamitas, atrox vulnus, propter gemitum, aut cum gemitu meo, ſuper gemitu meo, aut quia tantum ingemiſco, queror, lachrymoſis vocibus reſono. Poſtulat autem aſcendere in cælum, præſensq; fieri iudici cæleſti. Rectè enim noſter dixit. Solium eius.] quòd Hebraicè תכונתו thecunathò, ſtabilitatem eius. Ibi defixum, ſtabilitum eſt ſolium eius. Eoque dicitur χαλκοβατὲς δῶ & στερέωμα ærata domus. Chaldæus quoque hoc loco vertit בית מקדשיה beth mucdeſcheeh domum ſanctitatis ſuę nempè ipſum cælum. Hoc quoq; vertit Symmachus μεχρὶ τῆς ἕδρας αὐτοῦ. Vſq; ad ſedem eius: quod B obſcure, & non intelligibiliter dixerant, Sept. εἰς τέλος; in finem, vt ſi Græci auxilio aliorum interpretum caruiſſent, verum ſenſum nũquam aſſequi poſſent. Cętera patent. Vtinam (inquit) daretur vt ſcirem quo in loco ſit Deus æternus, eoq; reperto, ad ſolium eius accederem. Quod ſi fieri poſſet, præpararem, ſiſteremq; ante eum cauſam meam: diſceptarem cum eo validis rationibus. Tunc ego cernerem, quid reſponderet: intelligerem quid loqueretur: noſſem veritatem. Reuera enim non congrederetur mecum, quemadmodum hi, calumnijs falſis. Inuaſerunt enim in me, multis flagitijs commemoratis, à quibus ipſe prorſus alienus ſum. Quod ergo noſter interpres dixit. Nolo multa fortitudine contendat mecũ, magnitudinis ſuæ mole me premat.] Eſt Hebraicè. Nunquid magnitudine poteſtatis ſuæ mecum diſceptaret? Minimè. Sed ipſe poneret in me vim, robur: Adderet mihi robur. Quodq; ſequitur. Proponat æquitatem contra me.] Hebraicè. illic cum eo. Eſt veritas in propatulo, ipſo pronuntiante, hęc autem veritas, veraq; ſententia liberaret me. Hoc autem eſt in Hebraico. Pro eo quod noſter trãsfert. Et perueniat ad victoriam, iudicium meum. Hoc enim Hebraicè. Et liberarem in æternũ iudicium meum. Nam quod noſter dixit, victoriam, Hebraicè נצח nèzach, victoriam, æternitatemq; ſonat. Sed pro æternitate nunc accipiendum, Hebræi, Chaldæusq; docent. Et quod ſequitur. Si ad Orientem iero, non apparet.] Quoquo (inquit) me vertero, nuſquã apprehendam: auroram verſus, & ortum ad dexteram, aut in occaſum ad ſiniſtram. Sciendum Hebraicè quattuor partes poni. Ante, retro, ad dexteram, ad ſiniſtram, quæ etiam ab Hebræis referuntur ad ortum, & occaſum, aquilonem, meridiemq;. Sequitur, cur opto (inquit) præſentiam Dei? cur tribunal eius, quemadmodum in die ſupremo oſtendi? Quia mendaces homines, calumnioſi, malæ beſtię: Deus autem nouit abſcondita C cordis: ideo vera decernens. Ille ſcit inſtitutum vitę meę, ſtudia, mores: per ſemitas, quas ille pręcipit, inceſſi: ſecus omnia, quàm vos calumniati eſtis. Nec refert, quòd Hebraicè non ſit. Quaſi aurum, quod per ignem probatur: ſed dũtaxat. Quaſi aurum egreſſus ſum. Quod autem additur. Ipſe enim ſolus eſt. Hebraicè והוא באחד vehù beechàd. Et ipſe in vno. Quod quem habeat ſenſum, difficile explicatu eſt: Et Abraham teſtatur ſub hoc, altum latitare myſterium, nec à ſe explicari poſſe. Leuita cenſet, in vno, in vna re. Sed & id non conſequitur cum tota ſerie. Mihi probatur ſenſus interpretis noſtri, qui etiam extat apud Hebræos nonnullos, qui cenſent redundare præpoſitionem, in, dumtaxatque dicendum. Et ipſe ſingularis. Interpretes Græci varium quiddam reſpexerunt εἰ δὲ καὶ αὐτὸς ἔκρινεν οὕτως. Si autem, & ipſe iudicauit ſic, Quis auertet? Ita in verbis ambiguis, ambiguas eſſe interpretationes accidit. Certe de poteſtate vnius ipſius inuicta, inſuperabili, à nullo prohibenda, ſermo eſt. Mihique probatur, vt quoniam beth, & caph in ſcribendo poſſunt cõfundi, dicendum eſſe. Et ipſe tanquam vnus. Nemo (inquit) poteſt ei præſcribere: Ab illo ad alium quenquam, nulla eſt prouocatio.

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Et quod additur. Cùm expleuerit in me, voluntatem ſuam.] Hebraicè. Quia explebit, perficiet, חקי chuki, decretum meum, fatum meum, ſortem meam, quam ſuper me diffiniuit. Is ſenſus idem cum interpretatione noſtra, afferturque etiam ab Auen Eſra, mihique probatur. Quodque ait, demolliuit cor meum. Nempè reddidit molle, timidum, debile. Quod autem ait. Non enim perij propter imminentes tenebras.] Hebraicè. Non enim perij extinctuſue ſum, ante tenebras, vel propter tenebras. Et à facie mea, operuit caligo. Qui quidem ſermonis ordo, & ſi varius eſt à noſtro, idem tamen ſenſus. Nam Hebræi declarant locum. Optare Iob, in- D teritum ſuum anteaquam ad clades has veniſſet: anteaquam ad tenebras dolorum, ad caliginem: Ad has miſerias (inquit) parabar, naſcebar, non ſum ablatus anteaquam irruerent. Nec texit me, & defendit mors (quam nil timuiſſem) ab hac caligine.

CAPVT XXIIII.

AB omnipotente non ſunt abſcondita tempora.] Hebraicè non aſſeueratur hoc, ſed per interrogationem dicitur. Quare ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora? Quis autem ſit ſenſus, docet Auen Eſra. Si eſſent (ait) abſcondita tempora ab omnipotente non lamentarer, quærererq; aduerſus eũ, quia qui norunt eum neſciſſent, quid futurum eſſet. Nunc quoniam ipſe ſcit futura tempora, in quibus impij operabuntur impietatem, quare tacebit? Sciendum igitur Chaldæum interpretem, pro his quos Hebraicum vocat, qui norunt eum יודעיו iodeau ponere ſapiẽtes. Erit ergo ſenſus, quare Deus æternus, præbet Philoſophis, & omnibus, ferè mortalibus, qui ſciunt dies eius, ideſt, ea, quæ ſingulis diebus operatur, cauſam, vt querantur, lamententur? Nam cùm ſapientes habeant exploratum, Deum prouidere futura, neceſſario turbantur, & queruntur, quod proſpiciens multa ſcelera euentura, conniuet tamen, & tacet ſciens, & prudens potenſque prohibere flagitium, quod nefarius quis molitur. Quare optarim inquit potius eũ neſcire futura, vt ſapientes quoq;, qui vidẽt ea, quæ facit, aut fieri ſinit, hac perturbatione carerent, eadem inſcitia, vtilitatem illis afferente. Melior enim eſt inſcitia rerum futurarum, quàm ſcientia. Eſt alia lectio iodeai cognoſcentes me, quàm legit Chaldæus חכימים ידעי qui norunt me, referturque ad amicos Iob, Quare non ſunt abſcondita tempora ab omnipoten- E te, & qui non norunt me, non vident dies eius, nempè Dei, neſciunt, quid agat in mundo, rationemque prouidentiæ. Proſequitur flagitia, quæ Deus proſpiciens auertere, ſi voluiſſet, potuiſſet, Græcum hoc loco, toto (quod aiunt) aberrat cœlo, non affirmans, ſed negans Deum præſcire futura. διάτι κύριον ἔλαθον ὥραι Quare dominum latent horæ, tempora? Hinc nullus apud Græcos ſenſus. Recenſet, vt dixi ſcelera, prædas iniquorum: quod transferunt terminos, populantur agros, terram, greges abigunt: & antiquis paſtoribus eiectis, ipſi paſcunt. Sic aſinum, equum, bouemque pauperis, aut viduę; nempè miſerorum pignerantur. Quod autem ait. Subuerterunt pauperum viam.] Hebraicè eſt, declinare fecerunt pauperes è via: inambulantes ſcilicet, eos per ſummam contumeliam de via deiecerunt. Id fit interdum a violentis, aut celant ſe à conſpectu eorum, ne ferant egenis opem. Quodque eodem verſiculo dicitur. Et oppreſſerunt pariter manſuetos terræ. In Hebraico eſt. Simul חבאו chubeù, tecti ſunt abſconditi ſunt manſueti terræ. Nimirum (ut aiunt Hebræi explanantes) quoniam mites, humiles, debiles, videbant ſuperbum illum iactabundum, ventoſum, violentum, norantque violentiam, abſcondebant ſeſe, deuitabant aſpectum eius. Hactenus deſcripſit prædiuitem, ſuperbum, crudelem, violentum. Exin proponit exemplum domeſticum. Nam Onagri, nempè aſini ſylueſtres, ignauiſſimum pecus, & ad nihil vtile, in regionibus Orientis viſuntur gregatim in ſyluis paſcentes: viſoque homine extemplo diffugientes, omnes agros deuaſtant. His comparat prædones, rapaces, qui ſua putant aliena, & in bona aliorum impetum faciunt. Apud quos viuitur ex rapto. Quod autem ait eodem verſu. Vigilanteſque ad prædam, præparant panem liberis.] Hebraicè ad hunc præciſe modum. Deſer- F tum ei panis pro pueris ſuis. Nimirum, deſertum, ſolitudoque illa, vbi prędas abigunt, eſt panis, eſt victus filiorum ſuorum. Nam cùm Iob eſſet Arabs & Iſmaelita, deſcribit latrones illos domeſticos, nomades, & ſhenitas Gręcè dictos, quòd vagantur ſedibus incertis, tum ſub tentorijs degunt. Hi nunc quoque victitant prędа, viatores, omneſque in quos inciderunt (eunt enim gregatim) adorientes, eos, & quidquid ferunt ſecum, abducentes. Hos abominatur Iob, iuſtiſſimus vnus, qui fuit in illis, & ſeruantiſſimus ęqui. Illis autem mos eſt non modo prædas abigere, ſed agros, vineaſque inuadere: populantque ingentem farris aceruum. It nigrum campis agmen, prædamque per herbam Conuectant calle anguſto: & in ſyluas pennis ablata receſſit. Quodque eodem verſu dicitur. Et vineam eius, quem vi oppreſſerant, vindemiant.] Hebraicè aliud quiddam: & vineam hominis ſcelerati deſerunt, prætereuolant. Diripiunt (inquit) bonos, at improbis, ſuique ſimilibus parcunt. Nullumque genus latrocinij, quod ab illis non admittitur, omittit. vt ſunt indumentorum ablatores, qui Gręcè dicuntur λωποδύται. quòdque ſequitur. Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amplexantur lapides,] Etiam Hebręi aſſentiuntur huic ſenſui, deſignari extremę paupertatis homines, qui domicilijs, quę diripuerunt violenti prædones illi, carentes, neceſſario, ſaxa ſpeluncaſque montium amplexantur: vt ſunt Eremitæ, quos ob hanc ipſam miſeram habitationem, ſępe Hippocrate indigere teſtatur Hieronymus. Et quod ſequitur. Et vulgum pauperum ſpoliauerunt.] Hebraicè neſcio quid diuerſum. Et ſuper pauperem pignerantur. Quod ab Hebręis ad veſtimenta, de quibus paulò ante. Tanta (inquit) horum crudelitas, vt hyeme pauperes expolient pignus accipientes. Quod autem proſequitur. Nudis, & incedentibus abſque veſtitu.] Clarius, & dilucidius, Hebraicè. Nudum

A dum incedere fecerunt ſine indumento. Spicas autem, notiſſimum eſt in lege præcipi, vt pauperes dimittantur colligere in meſſe ſuperantes. Quod ab illis nulla ratione ſeruatur. Septuaginta quod Hieronymus dixit, Spicas. Hebraicèque, eſt עומר omer, dixerunt Græcè ψωμόν. nempè annonam, cibum, quod idem eſt, ſi referatur, ad menſuram, qua triticum menſuratur: quodq́; ſequitur, Inter aceruos eorum meridiati ſunt, qui calcatis torcularibus ſitiunt.] Quod noſter dixit aceruos, Hebraicè, eſt שורות shuròth, parietes. Dicitque Hebraicum: Intra parietes ſuos meridiantur, nempè pauperes illi, oleum, aut vinum conficientes in torcularibus, ſitiunt, quia ſuperueniunt latrones illi vinum, oleumq́ue illorum diripientes. Is eſt verus ſenſus, proponiturq́ue etiam ab Hebræis. Hæc non attingit Nicolaus. Septuaginta ad omnes inſidias, quod ſequitur Nicolaus, retulerunt, ἐν στενοῖς ἀδίκως ἐνήδρευσαν. In anguſtijs, iniuſtè inſidiati ſunt. Sed, vt dixi, ſermo eſt de pauperibus, qui vinum, aut oleum intra parietes conficiunt, quod mox latrones illi diripiant. Quodque ſequitur. De ciuitatibus fecerunt viros gemere.] Hebraicè dicitur ad ſenſum, clamant, vociferantur miſeri mortales in vrbibus vulnerati, aut interfecti. Et quod ait: Et Deus inultum abire non patitur.] Ironicè, quaſi, dictum. Et quomodo (inquit) ais tu ò Eliphas, Deus abire non patitur inultum? vt Hebraicè, fruſtra, in vanum? Vides tot cædes in vrbibus, quis vlciſcitur, quis prohibet eas? Quis adeſt, qui flagitioſos, aut nocere bonis non ſinat, aut vbi nocuerint vlciſcatur? Is ſenſus etiam Hebræorum eſt. Quos autem vocat rebelles lumini, luci, etiam Hebræi fatentur improbos eſſe Deo, quem lucem hic appellari aſſentiuntur, qui fit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non eſt malum, quod Nicolaus dictamentum rationis ait lucem hic vocari. Quanquam affirmant Hebræi, & mihi quoque probatur, Lucem diuinam, hic deſignari, quam, qui male agunt, odio habent. Qui

B male agit, odit lucem, Noctu graſſatur: noctu lupus obambulat. Idq́ue indicant ſequentia. Deſcribit duo genera malorum: eorum, qui in propatulo perperam operantur, cædes appetentes: & eorum, qui rapinis inhiant noctu. Tametſi, quod dicitur. Mane conſurgit homicida.] Hebraicè eſt, Ad lucem conſurgit. Leuita interpretatur, propter lucem venturam, conſurgit è ſtratis homicida, præuenit aduentum lucis: timet videri. Id mihi non diſplicet. Cætera clarent de adulteris, noctem adamantibus induta perſona. Perfodere autem domos, aut de his latronibus dixit, quos ob hoc ipſum Græci vocant τειχόρυχους aut certe perfodere, penetrare dixit, adulterorum more. Quod autem dixit noſter in dimidio verſiculi. Et ſic in tenebris, quaſi in luce ambulant.] Hebraicè dicitur. Cum viderit, aut agnouerit, quaſi terror vmbra mortis. Id ſcilicet, quod paulò ante: Auroram, aduentantemq́ue lucem timent, execrantur, deteſtantur, pauore, trepidatione ſollicitantur, cùm cognouerint, cùm alter alterum incipit dignoſcere. Proſequitur. Leuis eſt ſuper facie aquarum,] De fugiente, & auerſante lucem, & timente fraudes ſuas apparere dicitur. Comparatq́ue eum aquis, quas ille velocitate præuertat, velocius rapidiſſimo fluuio, & præcipiti torrente diffugiens. Pedibus timor addidit alas. Fugit ocyus euro. Citior aqua diffugit, aut ea re, quæ ſuper aqua fertur. Hunc ſenſum etiam Symmachus reddidit Græcè ſed à Græcis ſecus intelligitur. Dixit enim Symmachus ἐπιπλέων ὕδατι. Supernatans aquis. Græci vero ὥσπερ φησὶ τὰ κοῦφα τὰ ἐπιπολάζοντα τῷ ὕδατι ὑπὸ τῆς φορᾶς τῶν ὑδάτων, οὕτω καὶ πᾶς κακοῦργος ὑπὸ πειρασμῶν ἕλκεται. Quemadmodum (inquit) leuia ſupernauigant aqua, ab impetu aquarum, ſic omnis improbus, à tentationibus rapitur. Hebræi vero non ad

C tentationes, ſed fugam improbi, adulteri, furis luce apparente, referunt: quod quadrat magis vniuerſæ lectioni. Proſequitur. Maledicta ſit pars eius, in terra, nec ambulet per viam vinearum.] Obſcurus ſenſus, ſed verus Hebræis aſſentientibus, eſt, quòd maledicta eſt pars eorum nempè, quòd illi non eunt niſi per terram maledictam, nempè incultam, inaratam, deſertam. Et quòd non ambulant per vias vinearum, nempè cultas, habitatas, tritas, ne inueniantur. Is eſt vnus ſenſus. Poteſt eſſe quoque vt imprecetur eis omne malum, quòd Hebræis non diſplicet. Quòdq́ue ſequitur. Ad nimium calorem tranſiet ab aquis niuium, & vſque ad inferos peccatum illius.] Hebraicè dicitur. Siccitas & calor auferunt aquas niuis, inferos vel foſſam peccauerunt. Quorum eſt ſenſus iuxta Hebræos. Ecce peccatores & ſcelerati illi, quantumuis iniquè vixerint, nullas in vita pœnas pertulerunt: ſed quam facile calor liquefacit niues, tam foſſa reſoluet hos, qui peccauerunt. Is eſt ſenſus Leui. Abraham ſic interpretatur. Quam facile diſſoluit calor niues, tam facile deſcendent ad inferos hi qui peccauerunt. Eſt, vt ſæpius dixi, amphibolum, שאול sheòl, ad inferos, & ſepulchrum. Is mihi ſenſus placet magis, quàm ille ſuperior. Cui applaudunt ex parte noſtri. Cætera clarent. Quod autem ait, Pauit enim ſterilem, & quæ non parit] Duo ſenſus. Nam paſcere. Hebræis, eſt etiam vorare, depaſcere. Latinè quoque. Et miſeros depaſcitur artus. Sic hoc loco, pauit, nimirum deuorauit, abſumpſit eam, quæ non parit, viduam ſcilicet marito carentem, aut (vt ait Leuita Gerſon) quæ tam affligitur, vexatur, vt non pariat. Paſcere quoque ſterilem, poſſet intelligi de meretricibus, quæ ſibi fœcunditatem medicamentis adimunt. Illud Leuitæ mihi arridet. Quod vero ſequitur. Detraxit fortes in fortitudine ſua, & cùm ſteterit, non credet vitæ ſuæ.] Hebraicè dimidium verſiculi. Et cùm ſteterit, non credet vitæ ſuæ. Eſt ad hunc modum. Exurget, non credet vitæ. Quorum eſt iuxta Hebræos ſenſus. Crudelis ille, & violentus, adeo robuſtus erat, vt etiam fortes vinceret & perimeret. Quocirca quilibet eorum pertimeſcens, nec vitæ ſuæ confidens, aufugiebat, deuitabat ſuperbum, immanem. Quare in Hebræo non eſt, Cùm ſteterit, ſed pro eo, Exurget. Quod autem ſequitur. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia.] Longe ſecus intelligitur locus ab Hebræis. Eſt enim Hebraicè. Dedit ei ad confidendum, & innixus eſt, & oculi eius ſuper vias illius. Locus obſcurus. Primum ſic intelligit, & exponit Gerſon Hebræus, Dederant munera improbo, nefario illi, fidebant, ſecure ociabantur. At ille non pepercit vlli, ſed oculis intentis obſeruabat, quo pergerent, vbi pedem ſiſterent. Auen Eſra vero alium ſequitur ſenſum, Dedit illi Deus quidquid vellet, & confidebat, quòd poſſet vlciſci eum & oculi eius ſuper vias illius. Oculi, inquam diuini, qui obſeruarent, quo pergeret improbus. Ita in ambiguis verbis, diuerſas ſententias eſſe contingit, quemadmodum nonnunquam apud Homerum, Virgilium. Sanctes Pagninus addit multa, quæ non ſunt in Hebraico. Qui velit interpres eſſe, non paraphraſtes, nec plus, nec minus debet, quàm in fonte eſt, ponere. Quod autem ſequitur Eleuati ſunt modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur.] In fonte hoc modo. Eleuati ſunt paulum, & non eſt ipſe, & humiliati ſunt omnes, cōgregabuntur, & ſicut caput ariſtæ ſuccidentur. Quorum eſt ſenſus iuxta Hebræos. Receſſerunt paululum, amouerunt ſeſe viri iſti, de quibus dixi, quos ille ſuperbus, truculentusque tyrannus inſequitur in vrbe, non adeſt ille: ſed oculi eius veſtigant, quo pergant, vt eos interficiat. Itaque capit tyrannus eos, interficitque, & caput in terram decutit, vt excutitur ariſtæ. Hunc ſenſum adhibet Gerſon, & ex parte Abraham. Iob, vt ſæpe dixi, eſt tenebroſus totus, velut Lycophron quis: qui magis arridet ſenſus, is melior eſto. Quod ad extremum additur. Quaſi ita non eſt.] Etiam Hebræi atteſtantur, ad poſtremum concludere Iob contra Eliphas, qui dixerat impios ſine fauore diuino eſſe, & tandem ſcelerum perſoluere pœnas: quam orationem ipſe vbique refellit. Quis (inquit) ſecus oſtendet, cùm ſenſus adſit teſtis? Vbi autem noſter dixit. Et ponere ante Deum verba mea.] In Hebraico, dictio אל diuerſis ſubnotata punctis deſignat Deum: & eſt negatio, non. Hieronymus legit אל El Deus, at nunc legitur אל al, non: Vt dicat Hebraicum. Et ponet ad nihilum verba mea. Qui ſenſus mihi magis probatur.

CAPVT XXV.

EXordium reſponſionis huius, congruunt interpretes omnes Latini, Gręci, & Hebræi, fuiſſe de magnitudine, poteſtate, maieſtate diuina: vt quoniam Iob arrogauerat ſibi eximiam probitatem, & innocentiam, quam ſuſpicarentur amici, diuine bonitati, & integritati voluiſſe conferre, parte alia ad ſolium Dei prouocauerat, tribunal eius deſiderauerat, dicere cauſam ante eam poſtulauerat: hinc Baldad Suites propoſuit reſponſionem de diuina maieſtate. Gręci quoq; ſuperaddunt, hac terroris diuini prædicatione, Iob inuitari ad pietatem, cuius initium, vel ipſamet eſt timor domini. Id minus, quàm ſuperiora, placet. Terror autem & poteſtas, ſunt perinde ſi dicas formidanda poteſtas. Tremunt videntes Angeli. Tremunt poteſtates. Et apud antiquiſſimum vatem Homerum ἐλέλιξεν ὄλυμπον,

Nutu tremefecit Olympum. Et noſtrum.
Vultu, quo cœlum tempeſtatesque ſerenat.

Italicus autem Poeta, Solo nutu componit elementa. Hoc igitur Baldad dixit: Poteſtas & terror apud eum eſt. Quod autem ait: Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Et illud, quod modo noſtrates Poetæ canebant, Cælum tempeſtatesque ſerenat: Componit elementa. Hebręi ex philoſophia, moueri ad nutum, imperiumque eius, ordines cęleſtes: Solem, Lunam, omnemque molem. Moueri autem ſumma concordia: cunctis ad vnius imperium, motus ſuos peragentibus. Quod pulcherrimè ab Ariſtotele deſcribitur in compendio philoſophiæ. Res clara eſt, nec multa diſquiſitione, quemadmodum laborat Nicolaus, deſudandum. Chaldæus ad ſpiritus ſupernos aduolat, nominatim appellans, Michaelem, Gabrielem præfectos elementis, in quibus Deus faciat pacem. Quod autem ſequitur. Nunquid eſt numerus militum eius?] Diuinè dixit, Milites, ſiue cæleſtes ordines, ſiue cæleſtia corpora deſuper lucentia. Appellatur enim in ſacris litteris, militia cæleſtis, aut exercitus, omnis Angelorum multitudo. Item omnes Stellæ, vt cùm prohibentur adorare militiam cæli. Sic Græcè dicitur κοσμὸς, διακόσμησις. Idque tum de Angelis, tum ſideribus. Hos appellat milites eius, Quibus non eſt numerus: quia millia millium aſſiſtebant ei, & decies centena millia miniſtrabant: Stellæ quoque innumerabiles. Et quod ait, Super quem non ſurgit lumen illius.] Propter multitudinem ſiderum toto cælo ſuper vniuerſum terrarum orbē lucentium. Accenſa ſunt ab eo hæc lumina: Ab eo niteſcunt, vt aiunt Hebræi. Cùm ſit eius tanta diuinitas, homo quid erit præ illo? Quod autem ſequitur, Ecce Luna non ſplendet.] Refertur etiam ab Hebræis ad deliquia Lunæ, & decrementa. Luna deliquium patiente, indicium eſt fuiſſe, & eſſe qui eam ſic inſtituerit. Eſſe aliquem ſemper in maieſtate ſua relucentem, non quemadmodum illa, cuius lumen ſæpe deficit. Creſcit, & decreſcit aliquo hunc ordinem moderante. Nec de Luna ſolum, cuius lumen opacatur, id dico, verum etiam contendo

ſplendorem

A ſplendorem luminum cæleſtium, cunctarumq; Stellarum, tenebras eſſe, præ claritate Dei. Longe igitur magis deiectus eſt & debilitatus homo infra creatorem ſuum. Cuius lumen eſt æternum, à quo lucent ſidera cęleſtia. Quem tremunt Angeli, iuſſis eius elementa, maria, terræ obtemperant. Præ tanto, quid eris ipſe homo animal imbecillum, diurnum, hortus Adonidum, mane florens, veſpere areſcens & decidens?

CAPVT XXVI.

SVperiore capite is, qui diſſerebat, quaſi pro Deo cauſam ſuſcepiſſet, eiq́ue ſuppetias latum veniſſet, ita ſe geſſerat, vt contra Iob, multa de maieſtate eius locutus, pro eo depugnaret. Refellit igitur Iob, irridens inanes, nec vſquam pertinentes orationis eius conatus. Et ne videtur ſolus Baldad ſapere, quæ de ſummo Deo diſſeruit, locupletat ipſe latius. Nunquid (ait) accurriſti, auxilium, vt ferres ei, qui nil poſſit, qui ſit imbecillis ſine robore, brachijs debilitatis? Ea, quæ ſunt clariora, nos docere voluiſti, quaſi neſciremus hæc omnia, quæ tu ore grandiloquo profudiſti. Quod noſter dixit. Et prudentiam tuam oſtendiſti plurimam.] Hebraicè eſt. Et legē, aut ſapientiam ad multum ſcire feciſti. Eſt autem pro eo, quod noſter tranſtulit prudentiam, in fonte חושיה thushigia, pro quo Chaldæus vertit חוכמתא chocmetha, ſapientiam, Et Græcè Septuaginta σοφίαν, Quod docuerit Baldad ſapientiam, non Deum, ſed ipſum Iob: quanquam Græci interpretes, in Deū referunt τινὶ συμβεβούλευσαι, οὐχ ᾧ πᾶσα σοφία. Cui conſuluiſti? nonne ei, cui eſt omnis ſapientia? Sed rectius de Iob. Et quod ſequitur. Quem docere voluiſti? nonne eum qui fecit ſpiramentum?] Alio ordine, & alio ſenſu legitur in fonte. Cui nuntiaſti verba? B & ſpiramentum, cuius, vel quod exiuit à te? Iuxta magiſtros Hebræorum, vim locutionum ſuarum apprime callentes, hoc ſapit Auen Eſra. A quo ſuſcepiſti ſermones hos quos locutus es? Videtur autem eſſe ὑπέρβατον, vt dicat. Quod ſpiramentum, quæ ventoſitas exiuit à te? Quæ iactantia hæc tua eſt?

Larga quidem Drance, ſemper tibi copia fandi.

Hæc mihi magis probatur explanatio. Quod vero ſequitur. Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis,] Locus obſcurus, alio longe ſenſu ab Hebræis intelligitur. Quos noſter, & Septuaginta apud Græcos tranſtulerunt Gigantes, Hebraicè autem הרפאים harphaim, ſunt quidem in ſacris litteris eo nomine vocati Gigantes, ſed rurſum eadem voce ſæpe vocantur mortui. harphaim ergo ſignificat mortuos. Quod autem dixit Hieronymus Gemūt, Hebraice, יחוללו iecholau, quod deſignat, interfecti ſunt. Quod Septuaginta neſcio quo ſenſu vertunt, μαιωθήσονται obſtetricabuntur, nempè renaſcentur, parturientur, vt Græci, lucubrantur. Itaque Hebræi, non admittunt hoc loco harphaim pro Gigantibus, ſed pro mortuis. Mortuos autem interpretantur grana & ſemina, quæ Deus faciat naſci ſub aquis, vt Deum, etiam in abditiſſimis mundi partibus, mira inoperari fateantur. Hoc proponit Auen Eſra, eumq́ue ſequitur Gerſon dicens, ſermonem eſſe de plantis, quæ ſub imis aquis & in profundo pelago, fluminibusq́ue naſcantur. Diuinæ potentiæ mirabile argumentum, vt aquæ non prohibeant incrementum harum plantarum. Proponit etiam Gerſon alium ſenſum de mineralibus, quæ vocentur hoc loco harphaim. Sed expoſitiones hæ mihi nulla ratione probantur. Neque enim decet tam longinquos C vocum petere ſignificatus: vt quod denotat vſitate Gigantes, aut mortuos, pro plantis, aut mineralibus accipiatur. Quinetiam nō eſt quemadmodum inferius vlla diuinæ poteſtatis prædicatio de ſeminibus ſub aquis pullulantibus. Non cohæret cum ſequentibus, nec quadrat ad prædicationem diuinæ poteſtatis. Quare ego malim harphaim, Gigantes appellari, deſignariq́ue Gigantes illos, quos diluuium abſtulit. Ingreſſus enim Iob, ad prædicandum diuinam potentiam, primum recenſet, quemadmodum Poetæ noſtrates, vt vaſta illa corpora deiecerit. Quorum tanta fuit arrogantia, vt,

Ter ſint conati imponere Pellio oſſam. Et,
Hic, & Aloidas geminos immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperisq́ue Iouem detrudere regnis.

Similiter de viribus Herculis.

Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt, vt prima nouercæ
Monſtra, manu, geminosq́ue premens eliſerit angues.
Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes
Tu nubigenas inuicte bimembres
Hileumq́ue, polumq́ue manu, tu Creſſia mactas

Prodigia.

Te ſtygij tremuere lacus, te ianitor Orci

Similes laudes ingreſſus decantare Iob cœpit à Gigantibus, diluuio ſublatis. Quod ergo noſter ait. Gemunt, Hebraicè dicit, יחוללו iecholalu, interfecti ſunt, Gigantes etiam dixit, editio Chaldaica nempè גבריא ghibaraià, Et quos dixit idem noſter. Et qui habitant cum eis eſt omnis impia manus. Omnis ſocietas eorum, quemadmodum Chaldæus transfert, משריתהון mashriathehom. Omnis illa impiorum manus: Caſtra aquis extincta, qui ſuperis detrudere regnis, Iouem conabantur. Exin proſequitur laudes alias, ſed prior hæc propoſita, vt infringeret Iob arrogantiam criminatorum ſuorum, ſimile quid illis intentans, quod Gigantibus oblatum eſt propter ſuperbiam. Aliæ laudes ſunt de naturali poteſtate Dei, primum decantat, quale diuinus Orpheus de eodem æterno Deo,

παντ' ἐφορᾶς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, πάντα βραβεύεις.

Cuncta vides, & cuncta audis, & cuncta gubernas.

Sic ait Iob, ante oculos eius apparere omnia quantumuis abdita, à luce, ab aſpectu remota, tenebris altiſſimis circumſepta. Non eſt autem locus vllus à luce remotior, quam infernus, qui, & אבדון abadon, ideſt interitus, perditio vocatur. Hunc, ait, quanquam ſit abditiſſimus ſub terra locus, apparere Deo. Proſequitur aliud miraculum. Qui extendit aquilonem ſuper vacuum. Eſt autem laus hæc, qualis apud Ouidium, & Claudianum Priorem.

Principio terram ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis.

Claudianum autem,

Terram medio librauerit axe.

Super vacuum autem dixit, innuens terram è nihilo creatam: ſuper nihilo fundatam, atque erectam: non quemadmodum priſcorum quidam, qui mundum quidem creabant, materiam autem ſempiternam ſubijciebant, quæ propoſita eſſet opifici. Aquilonem autem dixit, pro vniuerſa terra, quòd reſpectu noſtri, qui ſupernum hemiſphęrium incolimus, aquilonarius magis, quàm auſtralis ſit habitabilis. Hebræi quoque locum interpretantur, quòd Deus tetenderit vniuerſum orbem terrarum, ſuper centrum, punctumque medium mundi. Et quòd terra nulli corpori nitatur, ſed nutet in ſeipſam, ob quam cauſam, ſuper nihilo fundata prædicetur. Mirabile certe prodigium. Græci vero dant alium ſenſum, non multo diſſimilem: quoniam Septuaginta reddiderunt aquilonem βορέαν boream, Deum cuius ſit æterna poteſtas repleuiſſe, & referſiſſe aeris tenuitate, totum intra cęlum, terramque ſpacium, quod vacuum ſit, ſi cogitando ipſum aera ſubmoueas. Illud Hebræorum rectius, lectionique conſonantius. Declarat id dimidium eiuſdem verſiculi, quo repetitur idipſum miraculum. Et appendit terram ſupet nihilo.] Quod vero ſequitur. Qui ligat aquas in nubibus ſuis.] Coactas pluuias in nubibus & conſtipatas innuit, proſequens vniuerſam philoſophiam. Intra leuiſſimum aera, tot flumina, tanta vis aquarum, tot nimbi, qui delapſi rapiunt montes, & obiecta quæque, continentur. Id plane miraculum. Quod ſequitur. Qui tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam.] Vultum ſolij ſentit ſuperficiem conuexam, vel concauam, ſolium autem vocat cęlum, quod eſt ſedes Dei: ſuper cęlum per vniuerſam regionem aeriam longe, latèque nubes effundit expanditq; Deus. Denſatur aer, & conſtipatur in nubes, omniſque ſublimis aſpectus inhorreſcit. Quod vero ait. Terminum circundedit aquis vſque dum finiantur, lux & tenebræ.] Hebraicè totum hoc dicitur. Decreuit, vel ordinauit circulum, vel orbem, ſuper aquis. Vel hoc modo, terminum, vel decretum circumduxit ſuper aquis. Hoc primum ab Hebræis intelligitur. Deum poſuiſſe legem mari, decretis ſuis ipſum circundediſſe, ne tranſiret fines datos: vt appareret pars hæc terrarum habitabilis aquilonaris, in qua tot res viuunt, & ſubſiſtunt. Id autem eſt vbicunq; viciſſim dies ac noctes ſuccedunt. Vbicunq; nox & dies, partibus æquis, tēpora diuidūt. Alius eſt ſenſus, vt apparuit in Coſmopœia. Circundedit orbē ſuper aqua. Orbē cęleſtē ſuper aquas illas immēſas primordiales, extendit. Orbē inquā lucis, per quem rotando. Sol dies, ac noctes diuidit. Hunc orbem Deus æternus à principio ſuper aquis extendit vt per ipſum, dies ac noctes ſuccederent terris. Proponitur enim hic tota creatio fermè iuxta ordinem Moſaicum. Primum de fundatione terræ: Tum de aere circumfuſo terris, quod firmamentum, vel aeria diffuſio vocatur apud Moſen: Tum fonte illo, qui aſcendebat è terra, qui vocatur Hebraicè Ed, vapor exaltatiò maris & terrarum. Demum de creatione ſiderum, Solis, Lunæ, quorum circulis circum eum & terras rotatis, definitur nox & dies. Hæc fortaſſe verior interpretatio, quæ etiam in antiqua tralatione Chaldaica reperitur, quia dicitur. Definiuit habitare למשר lemashre firmamentum, ſuperficies aquarum. Prior eſt apud Hebræos, Latinos, & Græcos. Nam Septuaginta locum tranſtulerunt πρόσταγμα ἐγύρωσεν ἐπὶ πρόσωπον ὕδατος. Imperium circunduxit ſuper faciem aquæ. Sed Symmachus dilucidius ὅρον περιέγραψεν, Terminum circumſcripſit. Quod autem proſequitur. Columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius.] Columnas cæli nonnulli

A nulli Hebræi ſentiunt, eas terræ partes, quæ terræ motu quatiuntur, quem viſceribus eius incluſus aer efficit. Dictas columnas cęli, quòd cęlum quaſi terris inniti videatur: vt terræ motum nunc innuat Iob. Mihi probatur magis expoſitio Græcorum, quadam tralatione dictas cęli columnas, firmas eius ſedes, firmitates cęleſtes, quibus nititur, ac conſiſtit inter duos cardines cęlum, vertunturque ſemper ſidera eius, & partes omnes. Corpus autem eundem tuetur locum. Chryſoſtomus hoc ediſſerens ϗ αὐτὰ φησὶ τοῦ οὐρανοῦ τὰ στηρίγματα ϗ αἱ οἱονεὶ ὑποβάθραι. Et ipſę (inquit) cęli firmitates & quaſi ſubſtentacula, & firmamenta diſcedunt, quatiunturque, cum ipſe imperauerit. Sic ait, per metaphoram igitur cęlo columnas dedit, quæ ad nutum Dei quatiantur. Illud videlicet Homeri, & Poetarum ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Annuit, & nutu totum tremefecit Olympum.

Solo ſupercilio.

Homerus. Idem primo Odyſſeas, quaſdam cęlo, ingentes tribuit columnas;. At Nicolaus longinquius cęli columnas Angelos interpretatur. Quod autem ſequitur. In fortitudine eius repente maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſſit ſuperbum.] Quod noſter dicit. Congregata ſunt. Melius ſignificatur Hebraicè de poteſtate Dei. In fortitudine (inquit) eius mare רגע raga, quieſcit, ſedatur: Fluctus, qui ſæpe ſidera tangunt: & mare quod fluctu nonnunquam verberat aſtra, intra montes, fineſque ſuos continetur, & quieſcit. Stat quaſi iuſſa timens, vocemque terribilem, ſeque intra ſuas metas premens. Recte igitur Gerſon Hebræus, verbum linguæ ſuæ raga, quod ſonat fluctuare, ſonat & quieſcere, ſedareque, pro hoc poſtremo ſumpſit. Id etiam B tranſtulerunt Septuaginta ἰσχύι κατέπαυσε τὴν θάλασσαν. Quem autem noſter dixit, ſuperbum, Hebraicè eſt רהב rahab, hunc Septuaginta interpretes, vt ſuperius tranſtulerunt κῆτος Cetum, quoniam de mari ſermo eſt. Vox Hebraica ſonat ſuperbum, fortem, vt tranſtulit Chaldæus גיפריא Hunc ſuperbum, nonnulli Hebræi ſentiunt ipſum mare tumeſcens, iratum fremens, quod & monſtrum à Poeta noſtro vocatur.

Me ne ſalis placidi, vultum, fluctuſque quietos
Ignorare iubes? me ne huic confidere monſtro?

Hac ratione fortaſſe vocatur hoc loco, ſuperbus, elatus, mihique probatur. Illud Græcorum licet arrideat, remotius à nomine. Et de ceto inferius ſermo eſt. Quod vero proſequitur. Spiritus eius ornauit cælos & obſtetricante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus,] Nihil cælo fieri potuit abſolutius. Vere ob hanc cauſam vocatum κόσμος ornamentum, mundus, nomen proprie cæli. Dixit, & facta ſunt. Spiritus item nunc ſapientia. Quod autem ait, obſtetricante manu eius. Obſtetricatio, nunc eſt creatio, formatio. Idque ſonat magis Hebraicum verbum חלל chalal: coluber autem tortuoſus mihi non diſplicet, iuxta ſententiam Gerſon, vt ſit ille ſtellarum aſpectus in cælo, quem Græci, ac Latini ſerpentem, ſiue colubrum vocant, de quo Poeta.

Maximus hic flexu ſinuoſo labitur anguis,
Circum, perque duas in morem fluminis arctos.

Nam cùm de cælo philoſophetur Iob, non debuit tam repente in mare deſcendere. Sunt enim etiam ex Hebræis, qui ſerpentem tortuoſum exponant, qui ſæpe in ſacris litteris celebratur, C Cetum marinum, alio nomine dictũ Leuiatan, propter corporis vaſtitatem, apud Prophetas inter miracula, prodigiaq; Dei commemoratum. Tortuoſum dixit, quod Hebraicè bariach, id ſonat, nunc vectem, ob quod noſter dixit Tortuoſum, nunc à verbo ברח barach fugere, fugacem, velocem, ab Oceano ad Oceanum vagum, pelagus ſecantem. Probatur mihi hæc quoq; interpretatio. Fuerunt, qui diabolum intelligerẽt nimium allegoricè. Denique concludit. Hæc pauca locutus ſum ſuper potentia, maieſtateq; eius.] Longe plura dici potuiſſent. Et cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus.] ideſt, vt clarius, lucidiuſque legitur Hebraicè: & quàm exiguum eſt, quod in hoc omni ſermone complexi ſumus? Quis poterit tonitrum magnitudinis eius intueri?] Hebraicè melius & clarius. Et tonitrum maieſtatis eius, quis intelligat? tonitrum ſentit vocem quandam diuinam, cæleſtem, qua prodigia diuina referantur. Ac fere concludit Iob, quale poſt multa viſa ſibi prodigia, dixit Sibylla apud Poetam.

Non mihi ſi linguæ centum, ſint, oraque centum
Ferrea vox, omnes rerum comprehendere formas:
Omnia naturæ percurrere nomina poſſim.

CAPVT XXVII.

Congruit inter omnes, quòd nullo amicorum Iob quicquam reſpondente, iam calumniis, & obiectionibus deficientibus, audacius repetit rationem de iuſtis, & iniuſtis, piis, & impiis in hac vita. Exaggerat felicitatem improborum, clades, & incommoda bonorum. Demum quid ſentiat proponit, veluti illi, apud Ciceronem de natura Deorum diſſerentes. Quod primum dicit, Qui abſtulit iudicium meum.] Duobus ſenſibus: aut quod ſolium, tribunalſque, quod toties poſtulauit, vbi coram Deo diceret cauſam, non obtulit, non dedit, aut ſi vera dicunt aduerſarij, bona, & mala diuinitus eſſe, mihi præter, fas, procul omni iure, iudicio calamitates inflixit: contra omne iudicium, his miſeriis implicuit. Ac ſecundum deſignat primum: in amaritudinem adduxit animam. Quod vero affirmat. Quia donec supereſt ſpiritus in me.] Eſt velut illud Virgilianum.

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus:
Semper honos, nomenque Dei, laudesque manebunt.
Nunquam ſcelus ex ore ſonabit.

Perſto in hac ſententia: viribus totis, pietatem innocentiamque retineo. Abſit vt vos, qui me ſceleratum impiumque prædicaſtis, veros eſſe ſinam. Omnem dabo operam, quo mendaces ſycophantæque conuincamini. Nullum enim eſt flagitium, cuius conſcientia diuerberet animum. Inimicus mihi, planeque aduerſarius eſto, qui malefactis applaudit ſuis. Quæ enim demum ſunt præmia ſcelerum? Quid hypocrita, vel vt Hebraicè melius חנף chaneph, nefarius, flagitioſus, aſſequitur rapinis, & auaritia? Et non liberet animam eius, Deus.] Melius Hebraicè ישל ieshel. Et felicitet eum Deus. Faciat eum in hac vita beatum, fortunatum, quo tandem deſinet hæc felicitas? Quanquam poteſt eſſe ſenſus illius verbi, rapiat, auferat. Quid (inquit) aſſequitur improbus, ob ante actam turpiter vitam, cùm Deus rapuerit, ſegregauerit animum eius à corpore? Is quoque ſenſus mihi probatur, Verbum enim Hebraicum ישל ieshel poteſt eſſe à שלל shalal, rapuit, & a שלה shalah, felicitatus eſt. Vnde Latinè ſalus. Hoc (inquit) impij præmium ferunt improbitatis, quòd adueniente ſuper eis repentina calamitate, Deique opem implorantes, minime exadiuntur. Idque erit, quoniam ſuper omnipotente non eſt delectatus, non ei cohæſit. Eoq; vocem eius implorantes propter deſuetudinem, inimicitiamque cum eo, non exaudiet. Nam dixerat antea Eliphas aduerſarius. Et ſuper omnipotente delectaberis. Confirmo igitur (inquit) etiam ipſe malos male perire, ſi quis vniuerſa reſpiciat, non ſolum præſentibus intendat. Quod autem ait. Docebo vos per manum Dei.] Nempe quæ diuinus ſpiritus efflauit. Nam nobis quoque inſidet Deus. Aperiam arcana Dei. Vos enim ipſi vidiſtis. Ante oculos, interque manus, ſunt omnia, veſtras. Quare tam ventoſa loquacitas inſumitur, in re perſpicua? Verba prodicitis cùm ſit res in aperto de bonis & malis, de finibus eorum. Hoc enim datur improbo diuinitus, hanc habebunt mercedem ſcelerati ac perditi latrones, violenti, rapaces. Totam cum ſtirpe videbis, procubuiſſe domum. Ferro, fameque conficientur: Hæredes, ac poſteri, morte vorabuntur, abſumentur: Viduæ vero non plorabunt: aut quòd cum maritis tollentur, aut quòd periſſe iuuabit: nefandos illos, perditoſque Gigantes, Sodomæque viros, vtriuſque diluuij, quorum me numero inique vos aggregatis. Ego vero tantum abeſt, vt approbem, ſi quid feliciter vixerunt, vt hanc, de ſtirpe, poſteritateque illorum (vixerint illi, quantum velint, beate) ſententiam pronuntiem. Poſſum ne igitur cum eiuſmodi ſentire? Quantum velit diteſcat, auro argentoque fulgeat: opum cumulos exaggeret: ſupellectile ſplendeſcat impius: ad iuſtos, innocenteſq; tandem omnia deuoluentur, redibunt opes ad eos, quibus fuerant ablatæ. Domus eius luculenter ædificata, velut aranea, velut domus tinearum, quæ morſu, voracitateq; victitant, deiicietur. Similiter vmbraculum, quod cuſtodes vinearum faciunt, breue ad tempus tollitur.

Nam qui diuitijs ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis, quæ maxima turba eſt,
Incluſi expectant pœnas.

Tum profectis eis è vita: velut montano gurgite torrens, Tollet tempeſtas diuitias omnes, quam cito quis aperit oculos, tam fluent omnia velociter, vt ſi remearet ad ſuperos, nihil ſit prorſus reperturus. Apprehendet eum ſicut aqua, inopia.] Pro quo, Hebraicè. Apprehendent eum terrores aquæ: tempeſtas atra, repentinus nimbus, terrores omnes circunſtabunt illum. Pro inopia igitur ſunt בלהות balahoth. Nocturna tempeſtas furabitur eum. Eurus, aut qui eſt Hebraicè קדים kadim, ventus vrens, calidus, veluti auſter (hunc Septuaginta καύσων) vi magna corripiet: è ſedibus eius opes & illum, Deus proijciet, accumulabit ſuper eum calamitates, quas ille velociſſime fugiet. Terga dabit, trepiduſque repente refugit cedentem, tollentemque ſuper eum manum. Quod vero noſter ait: Stringet ſuper eum manus ſuas.] Melius Hebraicè ישפק iſpoch, plaudet ſuper eum manibus: nempè quicunque intuebitur illum. Hoc etiam reddiderunt Septuaginta Græcè κροτήσει ἐπ' αὐτὸν χεῖρα αὐτοῦ plaudet ſuper eum manum ſuam. Et Græci optime interpretantur, ἐπ αὐτῷ γίνεται κρότος χειρῶν. καὶ συρισμός. Super ipſo fit plauſus manuum, deriſio. Vel vt nonnulli Hebræi ſentiunt, fiet plauſus manuum, ex ſtupore, admiratione calamitatum. Sic etiam Sibilus, ab his, qui intuebuntur illum.

CAPVT XXVIII.

PRoponit exempla rerum terreſtrium, quibus res humanas aperiat, quemadmodum, natura fines quibuſque rebus dedit, omniumque rerum fontes & origenes reperiuntur, ſiſtendumq; eſt alicubi, A eſt alicubi, ſic omnia hominū facta, finē ſuū eſſe habitura, mala malū: bona bonū. Philoſophatur ergo de naturæ varietate. Sic Græci rationē horum exemplorū eam afferunt, quòd quemadmodū fuit qui naturæ dedit ordinem modumq́, ſic multo magis idem res humanas gubernabit, earumq; curam ſuſcipiet, nec temere, quemadmodum nec in natura, patietur fieri quicquam. Argentum igitur, omniaq; generatim metalla, ſuas habent origines, vnde ſuſcepta in glebas conflantur. Ferrum effoditur è viſceribus montium, æs autem eadem ratione fit, aut conflatur è terra, ſed in fornace, quod Hieronymus in editione adiecit dicens, Et lapis ſolutus calore, in æs vertitur.] Alioquin Hebraicè eſt. Et lapis conflabitur, defluet æs. Terra ſcilicet lutulenta: aut lapides quoſdam fulgētes dicit, in venis & lapidicinis montium naſcentes, quos in fornacibus ſoluunt in æs, Vaſta fornace liqueſcunt. Sed quod noſter interpres trāſtulit æs, Hebraicè autem vocatur נחושה nechushah, ferunt Hebręi eſſe ferrum validiſſimum. Attamen Septuaginta verterunt & ipſi χαλκὸν, ęs. Quod autem noſter dicit. Tempus poſuit tenebris.] Hebraicè dicitur. Terminū poſuit tenebris. Et quoniā Septuaginta tranſtulerunt, τάξιν ἔθετο σκότει, ordinem poſuit tenebris. Aquila, Theodotio, & Symmachus ediderunt, prior quidem τέλος, finem, alter πέρας terminum, Poſtremus προθεσμίαν, definitionem. Ordinem autem tenebris datum, fortaſſe ſpectat eo, quòd agit de his quæ in tenebroſis, abſtruſisq; terrarum partibus progenerātur. Terras profundis tenebris abſcondi, vſq; ad eum locum finemq́;, quem Deus iudicauit aptiorem. Multi de viciſſitudine noctis atque diei ſentiunt, miraculum prodigiumq́; eſſe: denſiſſimas noctis tenebras habere terminum, non tendere in æternam noctem. Quid noctis dico finem conſtitutum? imò cunctarum rerum Deus excogitauit, deditq́ue, ad quos vſque procederent, non vlterius, terminos. Hocq́ue eſt quod ait. B Et omnium fines ipſe conſiderat,] Lapidem autem caliginis & vmbræ mortis, iuxta ſermonis Hebraici morem, ſenties metalla ſub altiſſimis tenebris, & in viſceribus terræ naſcentia. Inde fodinæ, & lapidicinæ, & cunei, intra montium viſcera tendentes, vbi ad lucernam operæ fodiunt, à Sole ſummoti. Appellatur autem vſitate ſemper vmbra mortis Hebræis, denſiſſima caligo, craſſæq́ue tenebræ: qualiſcunque horrenda tenebroſitas: horror tenebrarum. Hoc ſentiunt pariter Hebræi, & Græci, qui vmbram mortis exponunt ἐν τοῖς κατωτάτω, ἐν βαθεία σκοτειά. In profundiſſima, & in altiſſima obſcuritate naſcentem, effoſſamq́ue tellurem, quæ in ferrum, aurum, argentumq́ue conflatur. Is ſenſus verus. Quod vero ait, Diuidit torrens à populo peregrinante.] Nunc refert aliud miraculum, ſed obſcure, & verbis ambiguis. Piloſophatur ſuper eo, quod apud Philoſophos vulgo iactatur.

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras.

Idem perhibet Iob. Rapidum torrentem, aut fluuium, qui pleno alueo proflueret, cui nuſquā eſſet vadum, nec veſtigia ſentiret: ita exaruiſſe, ita profundas illas aquas abijſſe, vt deinceps calcaretur. Hoc autem ambigue, & obſcurè ſic dicitur Hebraicè. Diuidit torrens, ſiue grandeſcit, tumeſcit, & quia tumeſcit, diuidit à peregrinante viatore. Diuidit, diſiungit ſemitam, procul viatores ſubmouet iuxta ripas, ſæpe ēt longius, quod ſtagnaſſet. Submouet igitur viatores ſtagnans, & tumeſcēs, torrens. Parte alia aquę, quas pes humanus neſciret, obliuioni hominibus eſſent, auolarunt, abierunt, exaruerunt. Hoc ergo Hier. obſcure dixit. Nam quod ſcripſit, Pes egentis.] Non eſt egens C in Hebraico. Nam דללו dallu nunc non ſonat egenum, ſed verbum eſt, ꝙ ſonat exhauriri exareſcere. Egenus autem dicitur דל dal. Populus quoq; non eſt hoc loco, ſed præpoſitio עם im. Populus autem dicitur עם am. Ad verbum ergo verſus habent. Diuidit torrens, ſeparatq́; à peregrino, quę ſunt in obliuione, à pede exaruerunt, ab homine diſceſſerunt. Quod autē ſequitur. Terra de qua oriebatur panis, in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt.] Memorat aliud ex philoſophia. Terram frugiferā quondam, hominumq́; alumnam, ab imis radicibus, ruptis fornacibus ignis & ſulphuris, exaruiſſe late fruges, vt nullas proferret deinceps. Hoc tempeſtate noſtra fuit perſpectiſſimum puteolis. Flammarumq́ue globos, liquefactaque voluere ſaxa, Vidimus feraces agros. Quodq́ue legitur. Locus ſapphiri, lapides eius, & glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis.] Senſus eſt iuxta Hebræos. Memorans omnia naturæ miracula, ſuper quibus, oculos, etiam Philoſophi aperuerunt, in admirationē prius commoti, refert, quemadmodum terra frugum altrix, poſt temporum tractum, ab imis fundamentis, emicante igne, exaruiſſet: ſic alias eſſe terras, lapidum pretioſorum, gemmarumq́; feraces: vbi naſcitur ſapphirus: ibi quoque glebas auri refulgere, quòd vna ſit ambobus origo. Hæc aūt loca, adeo inculta eſſe & hominibus incognita, veſtigiisq́; humanis calcari neſcia, vt auibus quoq; ignorentur, quibus non ſit in his locis habitatio, quod non habeant vbi nidos figant, nec quibus alantur cibis: memoratq́; præcipue vulturem, quemadmodum aiunt Græci, ꝙ hi ſint acerrimis oculis: qui deſuper altiſſime cernant in imo iacentia. Quod autem ſequitur. Non calcauerunt eum filij inſtitorum.] Quos Hiero. dixit. Filios inſtitorum. Hebraicè eſt בני שחץ bene shachaz, Melius eſt, & cum Hebræis, Chaldæoq́ue, magis concordat, quod tranſtulerunt Septuaginta. Non calcauerunt eam υἱοὶ ἀλαζόνων, filij ſuperborum. Superbos autem interpretantur Græci maiores beſtias, præcipue leones. Itaq; etiam Chaldæus, filios ſuperbos interpretatus eſt בני אריון benè ariauan, Filios leonum.

Feras quoque cæteri Hebræi exponunt. Et vox Hebraica ſachaz, ſonat ſuperbum, elatum. Cui D quadrat, quod ſubditur, leena. Proſequitur de poteſtate diuina. Ad ſilicem mit tit manũ ſuam.] Eſt ſcilicet, quale cecinit Dauid. Tange mõtes, & fumigabunt. Si vellet, editiſſimos montes euerteret. Quod autem ait. In petris riuos excidit.] Eſt id ingens miraculum. Sæpeque ego vidi & obſtupui, vt flumina medios ſecantia montes, hinc, atque hinc altiſſimos, in cęlumque minantes ſcopulos relinquũt, ipſa magno fragore per ſaxa, rimantur iter. Hoc vero mirabile. Quod autem ait. Omne pretioſum, vidit oculus eius.] Nullum eſt vſquam miraculum, cuius à Deo non fuerit origo: cuius inuentio non fuerit ex mente diuina.

Iuppiter eſt quodcunque vides, quodcunque moueris.

Exemplum ſcilicet maieſtatis, ſapientięq; eius: Omne pretioſum Hebræus Auen Eſra interpretatur & bene, fontes è petris prorumpentes. Quod vero ſequitur. Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt.] Hebraicè paulo ſecus. Ne fluerent flumina, prohibuit. Nam quod Hieronymus dixit, Profunda eſt Hebraicè מבכי mibechi, quod ſonat ne fleant, ne fluant. Quod Abraham exponit recte, ne currant. Sic quoque Gerſon exponens hunc locum, ait. Fuit quoque tempus quando Deus, curſus fluminum repreſſit. Et quod eſſet in profundo eorum, extraheret in lucem. Sic vere locus intelligitur ab Hebræis. Id etiam Sept. priores, qui tranſtulerant ἀνεκάλυψεν δὲ βάθη ποταμῶν. Et profunda fluminum reuelauit. Reuelatio igitur profundi, & alueorum, deſignat ſenſum antecedentem, quem afferunt Hebræi, eſſe veriorem. Ideo enim fundum fluuiorum, alueuſque reuelatus eſt, quia Deus prohibuit aquas ne fluerent. Siſtere aquam fluuiis, & flumina vertere retro. Quod vero ſequitur. Sapientia vero vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?] Propoſitis tot miraculis, quibus infinitam Dei maieſtatem comprobaret, nũc E de ſapientia vera philoſophatur, oſtendens eam non aliam eſſe quàm hunc ipſum, cuius miracula recenſuit, colere, venerari. Hos eſſe denique theſauros veros, & incomparabiles diuitias. Id autem elaborat Iob contra aduerſarios, qui ei ſapientiam hanc non modo non concederent, vt etiam detraherent. Ex his autem comprobat, quoniam boni poſſident ſapientiam veram, mali autem non poſſident: ſolos eſſe bonos beatos, miſeros autem ſolos malos. Quod in noſtris habetur. Nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.] Redundat ſuauiter. Dicendum ſimpliciter. Nec inuenitur in terra viuentium: Nempè in hoc mundo. Difficilis inuentu. Itaque neque in profundis terrarum partibus, quemadmodum, aurum, gemmæque reperitur. Quanquam Heraclitus dicebat in puteo latitare veritatem. Pretioſiſſima ſapientia, cui nulla mortalis res queat æquiparari. Ne aurum quidem pretioſiſſimum. Quod autem noſter dicit. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.] Pro tinctis coloribus, Hebraicè eſt כתם אופיר chethem ophir, aurea maſſa ophir. Vbique in ſacris litteris aurum ophir eſt celebre, præponderans alijs. Eſt autem ophir regio Indiæ ferax auri optimi. Quare apud nullos ſunt, tincti colores. Nam etiam Septua. verterunt χρυσίω τοῦ σωφείρ. Et chetem, Hebraicè non ſonat colores, ſed maſſam auream, vt ſolet idem noſter ſæpenumero transferre. Cætera clarent de incomparabili ſapientia. Quod noſter dixit vitrum,] Hebraicè זכוכית zechuchith, perſpicuũ, diaphanum. Itaque Abraham dicit eſſe lapidem pretioſum, perlucidum, nempè Adamantem: quanquam idem refert poſſe deſignari vitrum. Sept. quoque vitrum tranſtulerunt χρυσίον καὶ ὕαλος aurum, & vitrum. Quod autem idem noſter interpres dixit. Vaſa auri excelſa, & eminentia Hebraicè eſt ſimpliciter כלי פז cheli paz. Vaſa aurea. Non aliud Hebraicè. Neque etiam Græcè F σκεύη χρυσᾶ vaſa aurea, Vbi autem in noſtra editione dicitur. Nec commemorabuntur in comparatione eius: nempè, vt eſt in Hebraico ראמות וגביש ramoth vegabis, quas Hebræi putant margaritas. Septua. in Græco reliquerunt Hebraicum nomen intactum, gabis. Hoc loco ſciendum eſt, quòd dimidium verſiculi ſuperiotis, vbi noſter dixerat, Vaſa excelſa, & eminentia, videtur huius eſſe verſiculi. Nam hæc nomina, quæ putant Hebræi margaritas pretioſas, propter ſimilitudinem vocis Symmachus tranſtulerat ὕψηλα καὶ ἐξηρμένα οὐ μνησθήσεται. Vaſa excelſa, & eminentia, non commemorabuntur. Hunc ergo ſequutus eſt Hierony. Sed Hebræi, vt dixi ראמות ramoth, margaritas vnioneſque pretioſos exponunt. Nec alienum fortaſſe eſt, quoniam Hebraicè ראם reem, dicitur vnicornis, ſiue rhinoceros, hac voce deſignari cornua illa pretioſiſſima, quæ hodie quoque magno in pretio habentur, & in theſauris repoſta, quandoque oſtenduntur. Aut pelles eius animalis, quibus pretioſæ veſtes conficiuntur. Quod autem noſter ait. Trahitur ſapientia de occultis.] Sciendum quod Hierony. vertit, Trahitur, Hebraicè, eſt משך meshech, id ſonat tractionem. Sonat etiam pretium, honorem. Item quod tranſtulit occulta, Hebraicè פנינים peninim, ſignat quidem interiora: ſed item margaritas, aut coralia, vt Hebręi ſentiunt. Dicitur ergo Hebraicè. Et pretium ſapientię, eſt ſupra margaritas. Hunc ſenſum etiam Græci acceperunt. Nam illa occulta, quæ dixit noſter, & Sept. τὰ ἐσώτατα abſtruſiſſima, ijdẽ Græci exponunt τὰ κειμήλια theſauros reconditos, quos longo interuallo antecedat ſapientia. Et quod noſter. Topazius de Aethiopia.] Hebraicè פטדה pitdath. Topazium etiam Sept. poſuerunt. Sunt qui putent potius eſſe ſmaragdum, qui in Aethiopia naſcitur. Rurſum, quam dixit Hier. Tincturam mundiſſimam.] Eſt, vt ſuperius כתם chethem. Id ſonat maſſam auream.

aureã. Vbi igitur ſapientiam tot laudibus prouexiſſet, optimas quaſque res collatas cum ea A vileſcere ac ſordere probaſſet, redit ad eandem ipſam ſapientiam, & more Philoſophorum cupit eam velut indagine, definitione, circumſcribere. Non minus ait hæc, quàm omnes theſauri, gemmęque, latet abſtruſa, fugiens obtutum, non hominum modo, ſed earum etiam volucrum quas eſſe viſus acerrimi perhibent, loca theſauroſque gemmarum vt Gryphes, aſſeruantes. Infernus quoque & mors, nempè tartarus, locuſque omnis à cælo remotiſſimus, negant eam apud ſe eſſe. Vt non eſt hominibus, vt feris, & auibus, quę nubes tranant, terraſque omnes deſpiciunt, nota, ſic neque Tartaro, manibuſque. Vni Deo nota, ac perſpicua. Cuius, vt Orpheus canit, eſt ἄλκιμον ὄμμα oculus robuſtus, acerrimus, omnia colluſtrans, omnem terrarum orbem vnico proſpectu complectens. Is enim eſt, qui dedit pondus, & partes æquas elementis, miro concentu temperatis: aeraque, & aquam ita moderatus eſt, vt ad decorem commodumque fieri nihil melius poſſet. Pluuiarum quoque repertor: & qua via terras fœcundarent, non alluerent, autor, fulminator, altitonans. Nam quod Hiero. dixit. Procellis ſonantibus.] Eſt לחזיז קולות lachaziz coloth, Apparentiæ, ideſt fulgetris, & tonitruis. Septuaginta quoque Græcè ἐν τινάγματι φωνὰς & viam dedit concuſſioni, & voces. Sed Symmachus, clarius, εἰς κτύπον φωνῶν Ad ſtrepitum vocum. Quod Græci recte exponunt. Is parauit, inquiunt καὶ τὰς βροντὰς, ἃς τιναοσόμενος ἀὴρ ἀποτελεῖ. Et tonitrua, quæ concuſſus aer efficit. Quod autem ad poſtremum dicitur. Tunc vidit illam, & narrauit.] Reſpicit exordium mundi, cum miro cõcentu temperabat elementa; cum leges aſtris, ſideribuſque dabat: omnia ſuis ritibus inſiſtere iubebat. Tum ſanxit, quam vellet eſſe veram ſapientiam, edixit, ex poſuit, quam viderat, noratque. Vera ſapientia pietas: hac homines ſapientes comprobantur: hac à ſtultitia diſcedunt: hac ſunt in mundo beati. Beatos enim Philoſophi prædicãt virtutibus præditos, iuſtos, temperantes, modeſtos, libidinibus fortiter reſiſtentes. Omnium au- B tem virtutum harum fons & principium eſt timor Domini.

CAPVT XXIX.

A Græcis argumentum pulchrè ſic introducitur. Cum de poteſtate Dei, de ſapientia, mira prædicaſſet, docuiſſetque Iob, nihil eſſe ſapientia pretioſius, eundemque ſapientem eſſe, ac pium innocentemque: amici conticuere nihil amplius habentes, quod opponerent. Itaque Iob aliunde exorditur orationem, deſiderans priſtinæ felicitati, diuinæque prouidẽtiæ, qua quondam fruebatur, reſtitui. Et quoniam amici multa aduerſus eum conuitia impietatis iniuſtitiæque iactauerant, recte factorum ſuorum catalogum recenſet, fermè dicens, quod Apoſtolus ad poſtremum. Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. Pluraq; addunt alia Græci, mihi ad veros ſenſus, difficilioraque properanti prætereunda. Principio, quod ait. Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos?] Sept. Gręcè tranſtulerant. Quis me ponat iuxta menſes priores, quibus me Deus cuſtodiebat? Symmachus & Aquila, quanquam fermè idem eſt, dixerunt τίς, δῴη μοι κατὰ μηνὰς τοὺς πρώτους. Quis me ponat iuxta menſes priores? quando me Deus ab omni clade defendebat, & fulgor eius mihi præfulgebat, tenebrę cedebant, luce eius coruſcante, prioribus annis? cum Deus clam iret mihi comes, multitudo ſeruorũ filiorumque circumſtabat? Butyro lauabam pedes: vt vnguentis, Romanis præ luxu mos erat. Quanquam per tralationem dici, C arbitratur Abraham. Sic petram, ſilicemque, riuos olei diſtillaſſe. Quod vero noſter ait, Et in platea, cathedram parabant mihi.] Hebraicè paulò ſecus. In lato parabam, ponebam ſedem meam, cedentibus cunctis, ſpaciumq; dantibus, mihi ſedes in medio ponebatur: eoque iuuenes cedebãt, ſe ſe proripientes adueniente illo, magna comitante caterua. Senes autem erecti ſtabãt, ipſiq; magiſtratus, duceſque taciti exaudiebant eum loquentem. Summis autem laudibus efferebãt probitatem, integritatemque eius, quod miſeros, flenteſq; adiuuaſſet, dextram inopi dediſſet. Benedictio pereuntis, aut iã perituri, niſi ille iuuaſſet, ad eum veniebat. Poſſum enim ait, citra inſolentiã, prędicare me iuſtiſſimum fuiſſe. Iuſtitiam integritatemque fuiſſe inſignia mea, quaſi coronas: vt qui fuerim oculus cæco, claudoq; pes: pauperũ pater: conterebã autẽ molas iniqui, qui velut leo feraq; ſęuiſſima dẽtibus corripuiſſet, ſic manibus, prædã. Hac ratione putabam me fore lõgęuum, quoniam probis ac iuſtis, longitudo vitæ promittitur, uelut palmam ſemper habituram virorem: quę fertur annos multos florere. Eſt autem palma etiam apud Sept. φοίνιξ phœnix. Sed in Hebraico חול chol, harena, diciturq;. Et ſicut harenam multiplicabo dies meos: quod forte magis cõuenit, & ab Hebręis proponitur. Gerſon, ſemper ſperabã ętatem mihi diuturnã, vſq; eo, vt dies mei, velut harena maris forent prę numero. Ero, ait floridus velut arbos, quę per humorem late ſparſit radices. Qđ autẽ Hieronymus dixit. Et ros morabitur in meſſione mea.] Pro meſſione, Hebraicè, eſt בקצירי chechiri, ramus meus, ut exponunt omnes interpretes Hebręi. Quare non debuit nunc noſter interpres ſequi Græcos, qui transferunt καὶ ἡ δρόσος αὐλισθήσεται ἐν τῷ θερισμῷ μου. Et ros morabitur in meſſe mea. Nam iidem Sept. bene ſciebant deſignari ramum, palmitem hac voce: vt in Pſal. Extendens palmites ſuos vſq; ad mare. Dicitur ergo. Et ros morabitur in palmite meo, nẽpè florebit, virebitq; ſemper, cęleſti rore uiriditatem dante. Quas tralationes declarat ex ſequenti. Gloria mea ſemper innouabitur.] Quod autem ait. Et arcus meus in manu mea inſtaurabitur.] Exponitur Hæbræis hæc vox תחליף tachaliph, innouabitur, inſtaurabitur: Videlicet, ſemper robuſtus ero, ſemper fortis: vigebit haſta mea : vires meæ ſemper florentes. Ecce principes pendebant ab ore meo, iuſſaq; expectabant, parere parati. Non audebant addere verbis.] Vel, vt Hebraicè eſt, non mutabant conſilium, ſententiamque meam. Eſt etiam ſenſus verus. Non iterabant. Stillabat autem ſermo,] quoniam fluuius eloquentiæ quoque, Latinè dicitur. Ipſe velut dictator. Declarat tralationem. Putabant ſe augeri & creſcere verbis meis, velut imbre. Non credebant autem cùm ridebam ad eos : quoniam non putabant riſum irriſionemque, ſi vel eos irriſiſſem. Irriſionem, pro ioco accipiebant. Sicq; exponit Gerſon. Sic, & Auē Eſra. Nam ſi vel conuitijs domini ſeruos inſectentur, propter reuerentiam ſerui non iraſcuntur, vultum demiſſi tacent. Idemq; eſt ſenſus, quòd lux vultus non cadebat in terra, vel cadere non faciebant: omnia ſcilicet comprobabant : nihil reiactabant, non irriſionem pro irriſione: nullo ab eis probro afficiebatur. Quod vero ait. Si voluiſſem ire ad eos.] Quoniam dicitur Hebraicè. Eligebā viam eorum, & ſedebam primus. Duo ſunt ſenſus: alter is, Hiero. alter, quòd ipſe quid agerent, præſcribebat, conſulebat, docebat, & docens primus concilio præſidebat. Quod ait ad poſtremum. Eram tamen mœrentium conſolator.] quoniam D

Cunctis iura dabat, legeſque æquabat in omnes.

Merentes, afflictos ſolabatur, ignaroſque viæ, docebat. Detrahendum eſt, tamen, nihil nunc vtile.

CAPVT XXX.

QVod primum ait, Non dignabar ponere cum canibus gregis mei. Nempè ad cuſtodiam, vt Hebræi nonnulli interpretantur, vt cum canibus domum aſſeruarent: Sed rectius, vt cum canibus, velut viliſſimis animalibus, & ad dedecus. Nos item Arabes canes, itidemque illi, nos appellant. Optimum, quod & Græci, Non eos dignatus fuiſſem præficere canibus, dare cuſtodes canū. Qui canes gregis alerent. Munus viliſſimū. Cætera clarent, eos tāto deiectiores minoreſque ſe fuiſſe, vt contemnere poſſet quidquid valerent, Nullo ſcilicet numero homines. Hæc, & quæ ſequitur omnis contumelia, atque deſcriptio, ſpectat in amicos Iob præſentes, qui nunc eum, quem olim verebantur, magis irrident, quàm conſolantur. Quod vero noſtra editio dicit. Et vita ipſa putabantur indigni.] Hebraicè dicitur. Super ipſis אבד כלח abad calach. Perijt tempus, vel ſenecta. Sic exponunt communiter Hebræi: ſenſuſque eſt. Tanta fuit egeſtas horum, tanta inopia ſemper, imbecillitaſque ex quo in lucem venerunt, vt perierit eis omne tempus nihil valentibus. Illud ſcilicet ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. Terræ inutile pondus. Et ſenex ille apud Poetam. E

Iam pridem inuiſus diuis, & inutilis, annos
Demoror.

Quod autē ſequitur. Egeſtate & fame ſteriles.] Eſt Hebraice, penuria, & fame ſolitarij. Egeſtas ait Gerſon, & fames, qua premebantur, cogebat eos perſequi loca deſerta & inculta, vbi celarentur, conſpectumque hominum vitarent. Quare totum hunc locum paulò ſecus à fonte reddidit noſter. Quod vero ſequitur. Et mandebant herbas.] Pro communi nomine herbarum, eſt particulare, Hebraicè מלוח maluach. Nonnulli putant vrticam. Probatur mihi, vt ſit malua, & ab Hebræo, nomen ad Latinos veniſſe. Pro hac, Sept. poſuerunt herbam, quæ dicitur ἄλιμα, nempè ſine fame, de qua ſcribunt Græci ἄλιμα βοτάνη τις ἐστὶν ὡς φασὶ ταχὺ πληροῦσα τὸν ἐσθίοντα καὶ κόρον ἐμποιοῦσα. Alima herba eſt, vt ferunt, celeriter implens edentem, & ſatietatem efficiens. Similiter quod noſter dixit. Et arborum cortices, Symmachus ἀποκνίζοντες φλυὰς τῶν φυτῶν: Vellicantes cortices arborum. Nam pro hoc in Hebræo, minus clarum eſt. Super virgulto. Quanquam nonnulli Hebræi ſic ſenſum accommodant. Præ fame, cedebant, terebant maluam ſuper arbore, vt comederent eam: omnia parum inter ſe diſtant. Cætera ſunt eadem apud omnes. Quod vero dicitur. Qui de conuallibus iſta rapientes, cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant.] Longe ſecus à fonte, hoc modo. De medio expellebantur, clamabant ſuper eos, veluti fures. E medio, Gerſon exponit, ex media ciuitate. Abraham, ex medio hominum. Quod medium concorditer Hebræi exponunt, Hebraicè dicitur גו gheu, quod ſonat etiam vallem ſi addideris iod & aleph, nempè גיא ghe. Hoc videtur legiſſe Hiero. Melius, quod affertur ab Hebræis. Nā & editio Chaldaica, & ſenſus teſtimonio eſt eos, recte interpretari, totaq́, periodus noſtra variat à fonte. Veritas eſt quam oſtendi, claruſq; ſenſus illos adeo contemptibiles fuiſſe, vt è medio reijcerentur, ſuperq; eis, velut furibus, omnes conclamarent. Sequitur. In deſertis habitabant torrentium.] Pro deſertis, eſt Hebraicè ערוץ aroz, ideſt, in foramine, fiſſura, foſſa, atteſtanturque Hebræi, foſſas eſſe, quas efficiunt torrentes. Quare dicendum. In fiſſuris torrentium, habitabant: concauas ſcilicet quaſdam effectas à fluminibus cauernas, tenebant. Et quod dixit glarea, eſt כפים chephim, petris, Vnde cepha., petra. Quod autem ſequitur. Qui inter huiuſcemodi lætabuntur.] Verius in fonte. inter arbores rugiebant, fremebant, F

A gemebant, ſcilicet velut onagri, feri & agreſtes, ſolitudines colentes. Fames eos, egeſtasq; mugire,
rudere, cogebat. Et quod in eodem verſu dicitur. Et eſſe ſub ſentibus delitias computabant.]
Hebraicè ſic. Et ſub ſentibus congregabantur. Omnis eorum familia, domos has: non alias obtinebat.
Quanquam verbum, quod ab Hebræis exponitur congregabantur, יספחו ieſupachu, teſtibus
eiſdem deſignat quoq;, vulnerabantur. Sub ſentibus (inquit) eorum caro vulnerabatur, ſauciabatur.
Et quod noſter in dimidio ſequentis verſiculi dixit. Et in terra penitus non parentes,]
etiam Hebræi interpretantur hos, inferiores, debiliores ipſa terra. Dicitur enim Hebraicè, נכאו
מן הארץ nicheu min haarez, Eliſi, debilitati ſunt, præ terra: Humiliores, quàm ipſa terra. Et quod
in altera periodo dicitur. Factus ſum eis prouerbium.] Hebraicè eſt. Factus ſum eis in orationẽ,
in verba: nempè de me dumtaxat loquuntur: ſermo de me vbiq; populo iam fabula factus. Quodque:
paulo poſt ait. Et faciem meam conſpuere non verentur.] Eſt Hebraicè etiam eodem modo.
Et faciem meam non verentur conſpuere. Quod autem ſequitur. Pharetram enim ſuam aperuit.]
Poteſt ex Hebraico colligi duplex ſenſus. Is quem noſter, & Græci poſuerunt, pharetram ſuam,
ſiue arcum, vt eſt Hebraicè יתרי ithro, quod Auen Eſra teſtatur ſonare arcum. Græci autem ἀνοίξας
γὰρ φαρέτραν αὐτοῦ ἐκάκωσεν ἐμέ. Aperta enim pharetra ſua, vulnerauit me. Poteſt inquam is eſſe
ſenſus. Eſt alter Hebræorum. Reſoluit, aperuit, lentum reddidit arcum meum: nempè vires
meas: Omne robur populatus eſt. Huius autem omnis verſiculi ſenſus eſt fortaſſe, quem poſuit
Rabi Gerſon, videlicet. Horum omnium malorum cauſſa, omnisque hæc irriſio mihi fit, quia
Deus reſoluit funem meum, quo homines ante hac alligati tenebantur, timorem videlicet, quo
me timebant. Itaque vnuſquiſque inſectatur, vexat, cruciat, enecat me, quia frenum timoris,
B quod erat eis, depulerunt. Hæc ille. Is ſenſus de freno, dependet ex eo, quòd in Hebraico dicitur.
Et frenum propter me, vel à facie mea abiecerunt. Vt frenum ſit timor. Quod autem ſequitur, Ad
dexteram orientis calamitates meæ illico conſurrexerunt, & oppreſſerunt, quaſi fluctibus, ſemitis
ſuis.] Longe aliud in Hebraico eſt. Quod enim noſter dixit, Orientem, Hebraicèq; eſt פרחח pirchach.
Hebræis teſtibus deſignat puerum, germen, plantam. Idque tranſtulerunt etiam Sept. ἐπὶ
δεξιῶν βλαστοῦ. Super dexteram germinis. Itaque Abraham ait. Hoc nomine deſignantur pueri,
qui quaſi florent, pullulant. Senſus igitur eſt: Ad dexteram pueri conſurrexerunt, pedesq; implicuerunt,
impulerunt, vt laberer, vt corruerem. Direxerunt ſuper me vias contritionis ſuę. Hoc
eſt. Struxerunt ſemitas, quibus ruerem, quibus offenderem. Hunc etiam ſenſum animaduerterunt,
& reddiderunt Sep. καὶ ὡδοποίησεν ἐπὶ ἐμὲ τρίβας ἀπωλείας αὐτῶν. Et ſtrauit aduerſum me
ſemitas perditionis eorum. Quare ſenſus clarus. Et mirum tam diuerſe noſtrum tranſtuliſſe.
Proſequitur. Diſſipauerunt itinera mea, inſidiati ſunt mihi.] Nempè, vt ait Gerſon. Cùm quid
pararem extẽplo ſubuertebant conſilium meum, vias impediebant, ne fieret, quod apparabam.
Et vbi noſter dicit, Non fuit, qui ferret auxilium, dicitur Hebraicè non erat eis adiutor. Senſum
hunc habet iuxta ſuperiora. Non erat eis auxiliator. Tanta erat eorum imbecillitas: Adeo
debiles erant. Et quod ait. Quaſi rupto muro.] Poteſt quidem, ruptura muri intelligi, ſed melius
Hebræi ſentiunt rumpentes aquas, impetum aquarum, cui ſimiles eſſe aduerſarios ſuos queritur.
Quod vero apud nos dicitur. Redactus ſum ad nihilum.] Hebraicum eſt, conuerſi ſunt contra
me terrores. Nam בלהות balahoth, ſonat terrores. Et quod ait. Abſtulit quaſi ventum deſiderium
meum,] eſt Hebraicè. Velut ventus, ſequitur deſiderium meum: videlicet. Aut auolauit ſicut
C ventus, aut ipſi terrores perſequuntur animam meam: Vbiq; adſunt velut ventus, ac nubes aduolantes.
Itaque ſalus mea, Speſq; omnis fugit ocyus euro. Et quod ait. Nunc autem in memetipſo
marceſcit anima mea.] Dicitur in fonte. Nunc effuſa eſt anima mea. Quod Hebręi interpretantur
iuxta ſuperiora. Effuſa, euerſa eſt vita mea: ętas mea tranſijt impetu vaſto, ſecus quàm putaram,
cùm me perpetuo felicitatis curſu prouehendum crederem. Quodq; ſequitur. Nocte os meum
perforatur doloribus.] Eſt, vt clarius intelligatur. Noctu doloribus perforantur oſſa mea. Quod
autem noſter ait. Et qui me comedunt, non dormiunt.] Dicitur in origine. Et perſecutores
mei non requieſcunt. Nam Hebræi exponunt hanc vocem עורקים orchim, fugere facientes: ponentes
loco eius notiorem דופקים dophchim, ideſt pulſantes, Et quoniam deſignat etiam pulſus,
pro eo accepit Gerſon dicens. Orchim, pulſi ſunt, qui non quieſcunt, quod motus eorum non
interquieſcit omnino cum ſomno, propter doloris magnitudinem. Græci interpretes, quos iſte
pulſus, illi neruos tranſtulerunt τὰ δὲ νεῦρα μου διαλέλυται. At nerui mei reſoluti ſunt. Ego
cum Hebræis ſentiam. Quodque ſequitur. In multitudine eorum conſumitur veſtimentum
meum.] Dicitur in fonte. In multitudine poteſtatis mutatur veſtimentum meum.] moc Hebræi
exponunt. Præ nimio ſudore, quem dolor, & indignatio efficit, totus immadeſco. Sicque veſtimentum
immutatur, marceſcit. Et quod eodem verſiculo ſubditur, Et quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt
me.] Hoc ſentit, vt ora veſtimenti, aſtringit, totumq; premit corpus, ſic ſudor & dolor
aſtringunt, tenent me totum. Hunc etiam ſenſum Hebræi admittunt. Quod autem ſequitur. Cõparatus
ſum luto,] Hebraicè. Proiecit me in lutum. Nam Gerſon, & prior Abraham verbum
הורני horani, quod Hier. tranſtulit, Comparatus ſum, exponunt, proiecit me. Idq; deſignat. Cætera
clarent, vt præ nimiis ſordibus, ſanie, & furfure plagarum, cinereus factus ſit, aut quòd vilius ipſo
nihil extet. Eſt deinceps apoſtrophe, qualis ſepe apud Poetas, ad omnipotentẽ, qui res homi-

numq; Deũq;,æternis regit imperijs,quòd verſus ſit in eũ,factusq; crudelis:quod manus,quibus D inflictę clades deſignantur,poſuerit ſuper eũ,quod contẽnatur à Deo,ſiue clamet,ſiue taceat:nõ eſſe,qui clamores exaudiat,nec qui tacentis calamitates conſideret,quod illum extulerit,prouexeritque ſupra nubes:Velut ille,fama ſuper ęthera notus:uanitate,rapidisque ventis inequitare, vt eſt in Hebraico,fecerit.Erant enim vana omnia,cito ad excidium rapienda,quæcunque nobilem,inſignemque eum redderent. Aut quemadmodum ait Gerſon, maximis velut ventorum motibus ludibrijsque raptaſti me:eoque conſilium,prudentia excuſſa pectore eſt: Aut velut Hebręi,ritum illum,ſplendorem,conſtantiamque vitę abſtuliſti. Et breui ſe periturum vaticinatur. Quod vero ait. Verumtamen non ad conſumptionem eorum, emittis manum tuam.] Senſus eſt,iuxta Hebręos. Neque vero eſt,qui manum ſuam porrigat ſibi ad auxiliandum in ſepulchro, nemo eſt,qui poſſit euadere. Dicitur autem hoc in Hebraico. Verum non conſumptioni,aut ſepulchro mittet manũ. Volunt autẽ Hebræi,eũ,qui mittat, ſiue porrigat manum intelligendum eſſe vnumquenque mortalium,qui nequeat ferre ſibi ſuppetias in ſepulchro. Quare non,eſt is ſenſus,quem porrigit editio noſtra. Et in dimidio eiuſdem verſiculi. Si corruerint, ipſe ſaluabis.] Hoc pacto eſt in fonte,Si in calamitate eius,illis clamor. Quod exponitur ab eiſdem. An proderit mortalibus,in calamitate vociferari?Quis audiet? Quis eripiet,cùm vis inimica propinquat? & cùm te fata impia tangunt?Is eſt ſenſus. Videturque noſter, neſcio qua æquiuocatione & vocum ſimilitudine,aliud pro alio ſumpſiſſe. Nam Hebraicè שוע shùa,ſonat clamorem, at cum iod & he ישועה ieſuàh,ſalutem. Similiter quod tranſtulit conſumptionem,Hebraicè eſt בעי behi, ſepulchrum. Itaque magis ſequor nunc,quod Hebræis,vim ſermonis ſui ſentientibus,placet. Nam in noſtris qui ſenſus?Quo proſequitur. Flebam quondam ſuper eo,qui afflictus erat.] At ego inquit,quanquam ſum tot cladibus circumuentus, quanquam ſe mihi crudelem Deus oſtenderit: E nil vnquam geſſi tale:Ad aliorum calamitates vehementer commouebar, penes me dolor omnis idem erat,qui penes alium. Itaque eandem miſericordiam,condolentiam,charitatemque expectabam. Hoc expectanti,lucemque bonorum ſperanti,ſæuities,crudelitas,tenebroſus aduenit horror. Tantus eſt dolor,tanta commotio,vt viſcera ferbeant,rugiant: inuaſere enim in me clades gregatim. Flens igitur obambulo. Sine feruore,non furore,vt in noſtra legitur editione. Sine feruore Solis, vt aiunt Hebræi,in tenebris ſcilicet & ſolitudine. Quod noſter dixerat ſuperius mœrens, Hebraicè קדר koder,niger, horridus. Huic quadrat ſine feruore,vt indicet ſe nigrum, pallentem effectum, non ob Solem, ſed calamitates, dolorem, mœrorem. Nec in turba, cętuque palam vociferari (tantus dolor) erubeſco. Solitudines appeto, inter dracones, ſtruthioneſque. Ob quam cauſam, cutis æthiopiſſa facta: ſuccus omnis exhauſtus: omnis lętitia in luctum verſa.

CAPVT XXXI.

PRoſequitur hoc capite,reliqua generis eiuſdem, referens recte facta ſua,nobis item breuiter percurrenda,quod in his,non ſit à fontibus Hebraicis diſcrimen multum. Præter omne genus probitatis,adiecit caſtitatem,continentiam magnarum virtutum principium ac fundamentum: vt ne cogitaret quidem prætereundo, vel quoque tempore de virgine,nedum eam contingeret. Nil cogitaret. Nil cogitaret, nil deſignaret, rapere eam:quale ſæpe F fit à principibus. Quæ eſt enim (inquit Hebraicum) pars,quod præmium, quæ ſpes in Deo,bonorumque expectatio ei,qui ſcelus hoc perpetrarit, Formidine pœnæ,& amore virtutis abſtinebat Nonne perſpicuum eſt (ait) perire malos,& grauibus pœnis in eos animaduertendum? Quod autem dixit. Et alienatio operantibus iniquitatem.]Supplicia ſcilicet inſolita,inuſitata, inaudita iuxta Hebræos. Et quod Græcis ἀλλόκοτο ènorme,horribile,ſtupendum. Ea dicitur nunc alienatio Etenim,quis eſt,qui nõ naturali inſtinctu,inquit,pernoſcat, Deum cuncta deſuper aſpicere? Vias greſſusq; noſtros,quo tendere pergant, obſeruare,numerare? Verum an ego ad vana cucurrerim,an ad dolos,fraudeſque properauerim,Deus ipſe perpendat,libretque omnia facta mea,velut in ſtatera. Videat innocentiam,integritatẽ (Id enim eſt, quod noſter dixit ſimplicitatem) cũ à recto deuiarim, nũ quodcũq; vidiſſem ſimul appetiuerim,ſimul apprehenderim,rapuerim; Tũ vero mihi terra dehiſcat. Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras Diripiant alij, quæ ſeminaui,germina, ideſt prolem, vel agros populentur,excindant, ſi ad aſpectum mulieris cor meum deceptum raptumque eſt illecebra, & amore inconceſſo ludificatum,ſpecie,quæ debuit relinqui,comprobata, vt noctu fit ab adulteris,inſidioſe ad fores amatæ delitui. Tum vero ſit,quod in prouerbio eſt, Ab alio expectes,alteri quod feceris. Scelus eſt adulteriũ, & iniquitas maxima.] Quod Hebraicè,iniquitas פלילים pelilim,quod interpretantur,grauiter animaduertenda,iudicio vendicanda,à verbo palal,iudicauit. Quocunq; enim inuaſit zelotypia, cædes videas & ſanguinem:inflammatque domos rabies, Vel,ut Hebraicè,imperat,ac deuouet. Is ignis deuoret, excindat, abſumat omnia germina mea, tum in agris, tum totam domum. Proponit aliud ſcelus. Si ſum inquit aſpernatus audire cauſam ſerui mei, vel ancillæ, ire in forũ,ſi diem dixiſſet domino,ob debitum,vel offenſam,] Quæ enim ei,qui ſic deliquerit, apud iudicẽ rerũ huma-

A narum fides erit, quin ſimili ratione condemnetur, vel contemnatur, qua debiles inferioresque ipſe contempſiſſet? Quod vero noſter ait. Nunquid in vtero fecit me.] Hebraicum ſic. Nonne qui fecit me, fecit illum? Non ſunt pauperes, ſerui, ancillæ contemnendæ, qui fecit nos illos etiam creauit, vnus eſt eorum, atque noſter creator. Rabi quoque Gerſon, hoc exponens. Nonne qui fecit me in vtero materno, fecit etiam illud? Et creator vnus Deus æternus, qui nos formauit in vtero materno. Quocirca nefas eſt, me ſic efferri, inſoleſcere contra ſeruos, vt contemnam, aſpernerque iudicium, ſi mecum diſceptent, Quod vero ſequitur. Si negaui, quod volebant, pauperibus.] Eodem modo Hebraicè. Nam quod ait. Et oculos viduæ expectare feci, Hebraicè fermè ſimiliter. Et oculos viduæ אכלה achaleh, ideſt conſumpſi. Quod etiam Septuaginta tranſtulerunt χήρας ὀφθαλμὸν οὐχ ἐξέτηξα. Oculum autem viduæ, non liquefeci, non conſumpſi. Id rectè Græci declarant. Vel inquiunt, ob paupertatem non permiſi liquefieri, vel præ lachrymis, aut quòd attente reſpicerent, & non aſſequerentur, ſed potius deſpicerentur. Cętera clarent, quod miſericors fuerit erga pupillos, vt eos aleret: quod ab vtero cum eo creuit commiſeratio: quod prætereuntes nudos protexerit: veſtem præbuerit. Verum quod noſter dixit. Ab infantia creuit mecum miſericordia,] ab Hebræis paulò ſecus, locus exponitur iuxta fontem. Quia ab adoleſcentia mea creuit mecum, ſicut cum patre. Creuit (inquit) pupillus apud me, velut proprium parentem. Non nominatur igitur in Hebræo miſeratio, ſed ſimpliciter ponitur quòd creuerit. Ex antecedente autem intelligitur pupillus, qui creuerit apud eum, veluti parentem. Quem ſenſum etiam Septuaginta in Græco tranſtulerunt. ὅτι ἐκ νεότητος ἐξέτρεφον ὡς πατήρ. Quoniam ab adoleſcentia nutriui tanquam pater. Et Græci locum explanantes. Vſque, inquiunt, in perfectam ætatem, educaui, artes docui, donec cura mea, non magnopere indigerent. Hoc illi. Simi- B liter aliud dimidium eiuſdem periodi. Et de vtero matris meæ, egreſſa eſt mecum.] Hebraicum dicit, & ab vtero matris meæ, ducebam illam. Hoc ab Hebræis refertur ad viduam, de qua etiam ſuperius. Miſerebar (ait) viduam ſemper, ex quo lucem videre cępi. Hæc veritas eſt. Exponiturq; ab Hebræis. Duxi, docui viduam, præſcripſi quid faceret. Hoc verbum etiam Septuaginta poſuerunt ὡδήγησα. Duxi, docui, viam oſtendi. Licet de vidua non ſentiant Græci. Hebraicum claret. De veſtimento quoque, quod præberet pereuntibus frigore, quoſque vexabat egeſtas: & quod latera, ſiue vt habet Hebraicum חלציו chalazau, lumbi eius, protecti à frigore benedicerent quadam tralatione: clarum eſt. Quod vero ait. Si leuaui ſuper pupillum manum meam.] Exponitur à cunctis, ad flagellandum, cedendum. Dimidium autem eiuſdem rationis. Cùm viderem me in porta ſuperiorem.] Hebraicè fere ſimiliter: cùm viderem in porta auxilium meum. Nimirum iuxta Hebræos, quia viderem me præpotentem, viderem ſeruos circunſtantes, qui mihi ferre poſſent opem, eoque non timerem eum offendere. Cætera clarent de imprecatione, qua ſibi cadere, abſcindique humeros, & oſſa confringi imprecatur. Quod vero ſequitur. Semper enim quaſi tumentes ſuper me, fluctus, timui Deum. Hebraicè dicitur. Quia pauor ſuper me, contritio Dei. Nimirum, vt aiunt Hebræi, his ſceleribus omnibus abſtinui & caui, quod timerem, ne Deus induceret ſuper me calamitatem: vaſtitatem: Itaque Hieronymus reddidit fluctus tumentes, vocem Hebraicam איד Ed, quæ ſonat contritionem, calamitatem: idque facit ſæpe. Symmachus, hic eam conuertit in Græcam, eiuſdem ferè ſignificatus. βάρος pondus, grauitatem. Sep. dixerant λῆμμα, captionem, iacturam. Sonat, vt ſæpe vidimus, C calamitatem, ruinam. Quodque ſequitur. Si putaui aurum, robur meum, Nihil ferme diſſimile, quòd Hebraicè eſt. Si putaui aurum fiduciam meam. Hęc abominatur, ſeque diuitiis incubuiſſe repertis negat, quòd auertant à Deo, & fiducia in eum, quo poſt habito, diuitiis fidimus, genus idololatriæ. Eoque ſubdit genus aliud impietatis. Si vidi Solem cùm fulgeret, Pro Sole Hebraicè אור or, lux, ſed & Hebræi Solem interpretantur. Septuag. quoque ἥλιον. Solem poſuerunt. Hincq; confirmatur lucem illam primogenitam fuiſſe Solem, vt in Coſmopœia fuit expoſitum. Quod item dicit noſter.. Et Lunam incedentem clare,] Hebraicè præciſè ſic. Et Lunam pretioſe, luminoſeque euntem. Auen Eſra refert ad medium menſem, & plenilunium, cum pleno lumine Luna terris oſtenditur, Tunc tota claritate progreditur, quantam frater ei largitur. Quod ſubijcit. Et lætatum eſt in abſcondito cor meum,] Proprie dicitur Hebraicè. Et deceptum eſt cor meum ויפת vagipththe. Id etiam Græci poſuerunt καὶ ἠπατήθη ἡ καρδία μου. Et deceptum eſt cor meum. Eodem verbo deſignatur dilatatio, ſicut in iaphet. Et Symmachus id tranſtulit καὶ ἐπλατύνθη ἡ καρδία μου. Dilatatum eſt cor meum. Hocque ſecutus eſt noſter. Hebræi, deceptionem volunt deſignari. Bene igitur appellata eſt deceptio. Si, inquit, vt explanat Gerſonites, viſa claritate Solis & Lunę, deceptus ſum arbitratus eos, quemadmodum pene cuncti quondam exceptis Hebræis, Deos & dominos mundi, maxime Solem, qui lucem largiatur Lunæ, quam fundat in terras, eoſque Deos eſſe ſuſpicatus, quòd admouere os non poteram, manum procul ſum oſculatus, ad orationis & cultus indicium: id vero ſcelus, iniquitas פלילי pelili, animaduertenda, grauiter vendicanda, idololatria, negatio veri Dei, qui luces illas accendit, indignas honore Dei, opus mutum, ſimulacrumque magnæ ſapientiæ. Proſequitur deteſtans lætitiam, inimico ruente, quod, & ille ſapiens prohibuit.

Morte repentina, noli gaudere malorum. D

Negat ſe mortem ruinamque inimicorum expetiturum. Quod ſubijcit, Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt ſaturemur? Hoc ſenſu, & hac conſecutione dictum eſt. Nunquam cędes cladesque inimicorum expetiui, nec eis cadentibus ſum lætatus: & tamen adeo crudeles,acerboſq; hoſtes habui,vt etiam mecum habitantes, domeſticique ſanguinem exorbere meum, vorare carnes optarent: Nullo tamen odio ſum eos perſecutus. Recenſet deinde hoſpitalitatem, vt peregrino viatorique domus eius, præcipue noctu patuerit. Quodque ait. Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam.] Alia virtus, inſignis probitas. Non fuit (ait) opus, quemadmodum exponit Gerſon, vt celarem mea crimina, quippe quæ non perpetraſſem, nec velut implanator, impoſtor, hominumq; deceptor, quales hypocritæ, celaui peccata, perpetrans ea ſecreto. Hoc dicto, tum deteſtatur hypocriſim, falſam probitatem, tum crimina quædam, quæ, qui patrant, propter eorum fœditatem, quàm maximè poſſunt,abſcondunt. Vterque ſenſus,alter ab Hebræis, alter à Græcis ponitur. Quanquam ijdem putant etiam pęnitentiam, & confeſſionem deſignari, iuxta illud. Dic tu prior peccata,vt iuſtificeris. Bene egregieque facta inquiunt celabam, delicta erant palam. Quodque ſequitur. Si expaui ad multitudinem nimiam, & deſpectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egreſſus ſum oſtium.] Hebraicè ad verbum, hac ratione. Quoniam expaui multitudinem multam, & deſpectus familia terruit me, & tacui, & non ſum egreſſus oſtium. Quorum is ſenſus apud Hebræos verus. Non ſum veritus efferre in publicum, quaſi timens multitudinem ſi quid patraſſem, quin etiam dedi copiam ei, qui me vellet arguere, tametſi deſpectior & contemptior E genere, vt me palam conuinceret: tacebamque, & aduerſus eum non egrediebar. Stabam immotus, patiens, licet potentior. Eſt alius ſenſus, etiam apud magiſtros. Timeo multitudinem, qui prius ob robur, ſolebam exterrere multitudinem ingentem. Ecce verſis fatis, abiectus familia & ignobilis terret me. Hoc contra amicos effudit, qui eum contemnerent: quos ait ignobiles eſſe. Itaque ad eorum contumelias taceo,foras egredi non audeo. Optat deinde Deum iudicem, audientemque hæc omnia, & an vera ſint diiudicantem, & contumelias aduerſariorum attendentem, eum peccaſſe,& ob peccata,mala ei ſuperueniſſe. Vbi vero noſter interpres dicit. Vt deſiderium meum audiat omnipotens,& librum ſcribat ipſe,qui iudicat.] Hebraicè propriè dicitur. Ecce ſignum meum omnipotens reſpondebit mihi, & liber, quem ſcripſit vir iudicij mei. Eſt autem ſenſus. Me non peccaſſe,& deliquiſſe,quemadmodum calumniantur amici,ſignum eſt,quòd Deus reſpondebit pro me: ipſe meus teſtis,meus iudex. Dixerat enim ſuperius. Ecce in cælo teſtis meus. Liber quoq; teſtis eſt, quem ſcribit vir iudicij mei, videlicet Deus, ſcrutator cordis. Aut ipſi aduerſarij,qui quaſi librum calumniarum ſcribebant,ei oblatrantes: malefacta eius numerantes. Ea, inquiunt, ſingulatim refutata, diluta, teſtabuntur me nihil horum perpetraſſe. Sciendum Hebraicam vocem תוי thaui, quam Hieron. tranſtulit deſiderium, à verbo אוה iuah deſiderauit, ab Hebræis quibuſdam exponi סימן ſiman, ſignū. Auen Eſra vult deſignare deſiderium, vt dicat. Ecce deſiderium meum: omnipotens reſpondeat pro me. Hoc opto (ait) hoc concupiſco, iudicem, arbitrumque illum eſſe. Vtraque mihi probantur, Græci longius eunt. Hunc librum adeo oſculor (inquit) vt ſuper humeris ſim geſtaturus appenſum. Quodq; ſequitur Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum:] Hoc Hebraicè eſt. Numerum greſſuum meorum di- F numerabo. Si Deus (inquit) afforet, numerarem illi facta mea ſingula: numerarem greſſus, quid fecerim, quo perrexerim, quid geſſerim, non abſconderem: vt videret veritatem, iudicaretque quod æquum eſt: in libro illo ponerē omnia: accederemq; ad eum,tanquam ad principē. Imprecatur deinde, vt ſuperius ſæpe. Si terra vociferetur contra eum, ob prædam abreptam, aut quòd afflixerim, vexauerim colonos eius. Sic enim intelligunt Hebræi declarantq; ſequentia: terram, & ſulcos flentes, propter colonos afflictos, vexatos: ſi comedi fructus eius abſque pecunia, nempe non data pecunia, mercedeque operis, ablata mercenariis mercede ſua, merito precatur pro tritico, lolium, tribulos.

CAPVT XXXII.

CLaret exordium, & hypotheſis huius capitis, eodem tenore: Græcis, Latiniſque cum Hebræis, ſuper eo ſcribentibus: claret etiam tres amicos, quod veritas eos tacere coegiſſet, finem tandem loquendi feciſſe. Quartum autem nomine Eliu contra eos exarſiſſe, qui non haberent, quid reſponderent contra ea, quibus Iob ſibi vendicata iuſtitia ac probitate id ſupereſſe monſtraret, immeritum ſe, & contra rationem prouidentiæ fuiſſe tam ſæue percuſſum. Zelo igitur raptus Eliu, incanduit aduerſus eos, qui non defenderint prouidentiam, qui ſceleratam orationem Iob, vt ille putabat, non refellerint, qua Deus iniuſtitiæ, crudelitatis accuſari videbatur. Ponitur autem nomen, Eliu: cognomenque, Buzites: Hunc, Buz, à quo Buzites, vt à Græcis obſeruatur, genuit Nacor, frater Abraham. Ab eo forſan genus deduxit Eliu, in regione Auſitide, in Eremo Arabiæ, vbi habitant Arabes Shenitæ. Id etiam ſcribitur, aſſeueraturque ab Auen

A ab Auen Eſra. Vbi igitur noſtra editio dicit. Quod ſe iuſtum eſſe diceret coram Deo.] Hebraicè non coram Deo, ſed מאלהים meelohim, præ Deo. Qui ſe diceret iuſtiorem Deo: qui magis ſibi, quàm Deo, iuſtitiam vendicaret: qui magis, vt Hebraicè proprie eſt, iuſtificaret animam ſuam, quàm Deum: Animam ſuam, nempè ſeipſum, dumtaxat autem in accuſando Iob, amici verſarentur. Cætera clarent nulla expoſitione iuuanda. Hoc primum dicere Eliu, non ſemper ſeniores, eſſe ſapientiores, ſed ſpiritum, nempè ſapientiam, ingenium, vbique eſſe. Venire diuinitus afflatum ſapientiæ, non ab annis. Hinc homines ſapientes, non à ſenecta, non ætate prolixa fieri poſſe, ſæpe in multis annis non eſſe ſapientiam. Quos noſter dixit, longæui, Hebraicè רבים rabim, ſonat multos. Nempè multi temporis, vt vertit Hieronymus etiam graues, honeſtos, magiſtros. Non ſunt (inquit) hi quibus ætas grauior, eo ſapientiores. Reliqua clareſcunt, vt dicat ſe tacuiſſe, vt iuniorem, ad eorum ſermones conticuiſſe: quid dicerent conſideraſſe. Vbi vero ait. Ne fortè dicatis. Inuenimus ſapientiam, Deus proiecit illum, & non homo.] Nimirum, Nolim vos idcirco reticere, nil amplius ſuper calamitatibus Iob loquentes, quaſi ſint diuinitus illatæ: vt Gręci dicunt θεηλάται, non ab hominibus: perinde quaſi ſuper re arcana humanis oculis imperuia, ſit tacendum. Hancque eſſe ſapientiam dicatis: tacere, diſſimulare. In Græco vero, eſt alius ſenſus, non huic aptus loco, quia in Hebraico non eſt. Quod ſequitur. Nihil locutus eſt mihi, & ego non ſecundum ſermones veſtros reſpõdebo illi.] Nihil varium in verbis, at ſenſus iuxta Hebręos, non ero multus, quemadmodum vos, in arguendo, refellendo Iob, perennis, vt vos incontumelijs: Alius dicendi mihi naſcitur ordo. Vos ita perfregit oratio Iob, vt neceſſario taceatis: Compeſcuit ille veſtram loquacitatem, ego ſuſpenſus expectaui, vos audire reſpondentes. Verum B obmutuiſtis. Itaque dicam, & ipſe nactus hanc occaſionem, meam ſententiam. Magnam verborum vim concepit vterus meus: Nempè mens, animus, tanquam vento, cogitationibus tumeſcit & premitur. Vt vina noua feruent in dolijs, exundantque ſpuma, nec iam capit ſe liquor: ſic oratio geſtit erumpere. Eloquar igitur, non accipiam perſonã viri: id eſt, eloquar nullius habita ratione: magis enim amica veritas quàm Iob. Vbi noſter dicit. Et Deum homini non æquabo. Non ſic in fonte. Sed, & ad hominem לא אכנה lò achaneh, non cognominabo, iuxta Hebræos videlicet non longo verborum ambitu, deſignabo quenquã, occultans eius nomen, ſed illum ſuo nomine cõpellabo, ſuis depingã coloribus. Dicã aperte & libere, quæ mihi in eo reprehendenda videantur. Non quemadmodum vos, qui in vniuerſum dicebatis: Hæc ſunt quæ conſequitur improbus à Deo, non exprimentes ipſum Iob. ſciendum dictionem Hebraicam אל ſi diuerſis notulis ſubſcribatur, varios etiam dare ſignificatus. Cum duabus notulis, quæ dicuntur cere, hoc modo אל El, ſonat Deus, cum tribus, quæ dicuntur ſegol אל el, eſt præpoſitio ad: Sonus quidem idem in punctis tantum noſcas diſcrimen, Hiero. legit, vt ſonat Deus, eoque dixit. Et Deum homini non æquabo. At legitur nunc, vt præpoſitio eſt. Verior ſenſus Hebræorum. Qui etiam eſt Græcorum. Nam Sept. hunc innuentes tranſtulerunt ἀλλὰ μὴν, οὐδὲ βροτὸν, οὐ μὴν ἐντραπῶ. Sed enim neque hominem erubeſcam, quo minus ſcilicet vera dicam. Poſſet etiam is ſenſus deduci ex noſtra tralatione. Nam Nicolaus, ſentit hoc dicere Eliu. Non ita credam homini contradici non poſſe, quemadmodum nec Deo. Quod ſequitur in noſtra tralatione. Neſcio enim quandiu ſubſiſtam.] Longe ſecus Hebraicè כי לא ידעתי אכנה chi lò iada thi acanè. Hoc eſt, quia neſcio cognominabo. Nunquam is mihi mos fuit, vt adulterarer, vt veritatem abſconderem. Hunc ſenſum etiam C Sept. poſuerunt in Græco, οὐ γὰρ ἐπίσταμαι θαυμάσαι πρόσωπον. Neque enim ſcio perſonam admirari, ſuſpicere. Chaldæus quoque eodem ſenſu. Quia neſcio לאשתמודעא leiſthemodha admiratione cognoſci. Sciendum ꝙ verbum Hebraicũ acanè, poteſt deduci à verbo כנה cana, denominauit, cognominauit, at etiã poſſet aliqua ratione deſcẽdere ab altero verbo כנן canan, quod ſonat, ſtabilire, firmare. Hunc ſignificatũ ſecutus eſt noſter. Neſcio quandiu ſubſiſtam. Ad poſtremum quod dicitur. Et ſi poſt modicum tollat me factor meus.] Hebraicè eſt. Ad modicum, breue ad tempus ישאני עשני iſſaèni oſèni, tollet me, vel comburet factor meus. Sciendum verbum Hebraicum ישני iſſaèni. Auen Eſra, cui plurimum deferunt Hebræi, exponere, comburere, incendere. Affertque exemplum. Et combuſſit ea Dauid, vbi eſt hoc verbum. Hunc ſecutus eſt etiam Gerſonites. Priorem ſignificationem amplexus eſt Chaldæus, transferens hunc locum. Ne fortè כבר iſaber, auferat me, אפין apin, furor eius, qui fecit me. Septuag. vero hunc locum verterunt εἰ δὲ μὴ, καὶ ἐμὲ σῆτες ἔδονται. Quod ſi non, etiam tineæ deuorant me. Huius cauſa fuit, quod Hebraicè, tinea dicitur עשש aſſaſſ, & per apocopen, עש aſſ, participium autem quod ſonat, Creator meus, hoc loco, ſi notulas ſubtrahas, eodem ferè modo ſcribitur עשני Hinc alterum pro altero Septuaginta ſumpſerunt.

CAPVT XXXIII.

NVnquam finis erit procemiorum. Iure hoc accidit his, qui ſe ſapientiores aliis arbitrantur, non deſinunt nugari, auribuſque obſtrepere. Totum ſuperius caput conſumptum eſt præfando. Ne nunc quidem finis. Præfatur ſe vera dicturum, & pectore veridico locuturum, quia ſpiritus Dei fecerit eum. Cùm in Geneſi de primo homine dicitur. Et inſpirauit in faciem eius, ſpiraculum vitæ: Ob hanc cauſam inquit arrige aures, eſto reſpondere paratus. Repetit, inculcatque ſe quoque diuinum opus eſſe. Sed vbi dicit noſter interpres. Ecce, & me, ſicut, & te fecit Deus.] In Hebraico, neſcio quid aliud הן אני כפיך לאל hen ani chephicha lael. Ecce ego ſicut os tuum, ad Deum. Quod ab Hebræis exponitur. Ecce ego ſicut os tuum, ad loquendum, propter Deum, & ad diſceptandum tecum. Sic, inquit, paratus ſum loqui de Deo, & pro Deo, quemadmodũ, & tu. Vt os tuum promptum eſt, audaxq́; ſic ego quoque libere loquar. Ex eadẽ enim materia formati ſumus, idem primordiũ amborum, ſicut, & creator idem. Apud Græcos variant oĩa. Quod ſubditur. Veruntamen miraculũ meũ nõ te terreat,] Quod noſter dixit miraculũ, Hebraicè אימתי emathi, terror meus, formido mea. Nẽpè terror, quo te pauefaciã. Non eſt, inquit, cur timeas ſermone congredi mecũ. Non terribilis, expauendus, pertimeſcendus ſum. Hunc ſenſum, & ſignificatũ vocis huius, etiam Sept. melius, q̃ noſter poſuerunt οὐχ ὁ φόβος μου σε στροβήσει. Nõ te terror meus torquebit. Et Grȩci exponẽtes. Dixeras ò Iob de Deo, & terror tuus, nõ me exterreat. Nõ eſt locus huic formidini, nunc mecũ loqueris. Nõ ſum Deus ille formidabilis, mortalis ſum, quemadmodum tu. Miraculum, Nicolaus exponit, ſcientiam diuinitus datam. Nulla ratione probo. Nam quod ſequitur ſtatim, indicat terrorem illum deſignari, non miraculum ſapientiæ. Et eloquentia mea non ſit tibi grauis.] Pro eloquentia, Hebraicè אכפי acphi. Quam vocem perhibent deſignare percuſſionem meam. Et Abraham teſtatur eſſe, qui putent hac dictione dici דבר קשה dabat chashe, rem duram, difficilem: Gerſonites quoque fatetur idem eſſe acphi, atque capi, manus mea. Manum autem deſignare percuſſionem, vt reſpondeat ei, quod ſuperius dicebatur à Iob. Manum tuam longe fac à me, & terror tuus non me exterreat. Hanc ſignificationẽ viderunt etiam & poſuerunt Sept. οὐδὲ ἡ χεὶρ μου βαρεῖα ἔσται ἐπὶ σοῦ. Neque manus mea grauis erit ſuper te. Beneq́ue locum intelligunt Græci. Et neque, aiunt, ſuſpiceris ὅτι πληγὼ ἐπαγάγω σοι, quod plagam inducam ſuper te. Ecce manum pro plaga acceperunt. Chaldæus quoque pro voce Hebraica poſuit טוני tuni, onus, flagellum. Quod autem tranſtulit Hiero. Fuerunt etiam ex Hebræis, qui ſuſpicarentur. Teſtatur enim Auen Eſra nonnullos ſuperiorem dictionem legere ſeparatim, vt ſit אך פי ac pi, quòd ſonabit, veruntamen os meum, ipſumq́ue verſiculum, ſic legit Hier. Attamen os meum ſuper te non grauabitur. Erat autem durum dicere Latinè, os non grauabitur. Pro ore, poſuit eloquentiam. Hoc, vt Hebræis non diſplicuit, ſic ne mihi quidem improbatur. Cætera clara ſunt, vt dicat Eliu, Iob ſibi probitatem, innocentiam vendicaſſe. Quod vero noſter dicit. Ecce querelas in me repetit.] Pro querelis Hebraicè תנואות tenuòth: Hanc vocem alibi noſter interpres tranſtulit vltionem. Numerorum libro. Et ſcietis vltionem meam. Hocq́; probat deſignare nunc, Auen Eſra. Rabi autem Leui Gerſonites iuxta aliud eiuſdem vocis ſignificatum, ait deſignare apoſtaſiam, diſceſſionem à præceptis ipſius Dei. Chaldæus aũt eandem vocem reddidit iuxta ſignificatum interpretis noſtri תרעומתא tarumatha, ideſt querelam, indignationem, fremitum. Id etiam Septua. μέμψιν δὲ κατὰ ἐμοῦ εὗρεν. Querelam, accuſationem contra me reperit. Vides ergo Hier. tranſtuliſſe quod à ſuperioribus fuerat comprobatum. Potes ergo dicere: Ecce querelas, aut vltionem, vel diſceſſionem à præceptis ſuis in me reperit. Quodq́ue proſequitur, poſuit in neruo pedes meos.] Etiam Hebræi teſtantur vocem Hebraicam סד ſad, ſonare compedem, neruum. Alia quæ dicit clareſcunt: vt Deus veſtigia greſſusq́ue eius conſideret, vt hoc non iuſte queſtus ipſe Iob fuerit. Cumq́ue Deus ſit homine maior, longe ſupra mortales eleuatus, quo neceſſe eſt, nos homunculos prudentes eſſe, non ad ſubitas cogitationes, querelas effundere: cum Deus pro ſua ſapientia, ordine certo cuncta diſpenſet: quare contendis aduerſus eum, & expoſtulas, quòd tantus ille, tibi homunculo non reſpondeat? Semel loquitur Deus, non inculcat. Hoc autem dicit, non quòd præciſe ſentiat non repetere Deum. Probatur enim ex ſacris litteris, eum ſæpiſſime oracula ſua inculcaſſe: ſed ait breuiora eſſe diuina monita, diuina oracula, cunctaque præcepta. Vt nuntius ille apud Poetam.

Varium, & mutabile ſemper,
Fœmina. ſic fatus noctis ſe condidit vmbris.

Subito ex oculis ablatus. Etiam vero Græci bene locum interpretantur, hoc eſſe Dei, ſemel quod velit, facere, non paulatim. Nonnunquam per inſomnium, viſionemq́ue nocturnam, cùm feſſos ſopor irrigat artus. Hoc genus in ſacris litteris crebrum. Quod noſter in dimidio verſiculi dicit. Et erudiens eos inſtruit diſciplina.] Hebraicè ובמוסרם יחתם vbmoſaram iachtòm. Et vinculis eorum claudet. Sciendum vocem Hebraicam muſſar, duo, propter varias origines, à quibus deducitur, habere ſignificata. Alterum eſt diſciplina, alterum ligamen, vinculum. Sunt ergo duo ſenſus, vt dicat. Et vinculis eorum alligat eos, nempe ſomno, ſopore, quo quaſi vinculo motus corporis ſopiuntur, ligantur: Alterum diſciplinæ, flagelli: quod noſter eſt ſecutus. Poſtremum Hebræi, & Chaldæus, qui ligamen eorum, expreſſo nomine tranſtulit מרדותהון marduthehon, flagellum eorum. Dicitur ergo, & in ligamine, aut flagello illorum ſignabit, Ideſt vinculis ſomni comprimet eos. Aut flagella eorum ſignabit. Nam verbum iachtòm, ſonat ſignare, claudere. Quod vero ſequitur. Vt auertat hominem ab his, quæ fecit.] Clarius ex Hebraico noſcitur quid ſentiat: Vt auertat, aut recedere faciat hominem ab opere: nempè opere malo, vt addidit Chaldæus paraphraſtes. Ab opere malo prohibeat, auertat. Monetur in ſomnis homo, vt caueat: docetur, eruditur, vt pericula, ſceleraque vitet, vt ille apud Poetam per inſomnium.

Nate Dea, potes hoc ſub caſu, ducere ſomnos?
Nec quæ circunſtent te deinde pericula cernis?

Hoc ergo dicit Eliu, moneri diuinitus homines per inſomnium vt ab opere malo, vt à ſuperbia, arrogantia, videlicet opere, quod animo crudeli, ſæuo præparatur, vt homicidium: rapina, caueat, auertat ſeſe. Dicitur autem Hebraicè. Et ſuperbiam ab homine abſcondat. Pro eo, quòd noſter, Et liberet eum de ſuperbia. Hæc omnia melius in ſequentibus declarantur, quòd eruit eum ab interitu, à cæde. Alia admonitio, per dolores, morboſque in lectulo, quibus multi redeunt ad ſanitatem. Hinc in Pſalmo dicitur, vt ait Gerſonites. Confitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi. Conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Quod noſter dicit. Et omnia oſſa eius marceſcere facit.] Pro hoc minus durũ. Et omnia oſſa eius איתן ethan fortis: Nẽpè dolor. Hoc eſt, vt exponitur ab Hebræis. Ipſeque noſter aſſentitur interpres. Et in omnibus oſſibus eius vehemens dolor. Hæc admonitio eſt, hęc vox Dei. In hac ægritudine, cibum, potumque omnem deteſtamur, inquit. Caro contabeſcit, conſumitur, abit, vt non videatur, vt ait Hebraicum. Nudabuntur item oſſa, quæ quondam pinguedo contegeret. Sic demum ad interitum propius accedet, ad manes, ad mortem. Pro quo Hebraicè ממיתים memithim, mortificantes, mortiferos, Angelos mortis quidam Hebræi interpretantur. Apud Poetas parca, vt

Extremaque Lauſo, Parcæ fila legunt.

Quod autem ſequitur. Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnum de ſimilibus.] Pro ſimilibus, dicendum millibus iuxta fontem אלף eleph. Senſus autem totius orationis huius eſt, etiam iuxta Hebræos, vt memorauerat genus diuinæ monitionis illud, quo Deus per inſomnia monet, ſic nunc aliud, quo per Angelum præſentem, aſſantemque coram, vt Abraham Loth, Iacob: vnus autem de millibus eo ſpectat quod ſuperius dixerat. Semel loquitur Deus. Vnum ſcilicet de millibus, aut vnum Angelum dicit ex millibus, quorum maxima fertur in ſacris litteris multitudo. Sic quod ait. Vt annuntiet hominis æquitatem.] Hebraicè. Ad annuntiandum homini, rectitudinem ſuam. Mittitur, inquit, Angelus, vt annuntiet homini viam rectam, vias æquas, ad rectum callem inducit Angelus, docet, commonefacit. Non video cur Sept. tranſtulerunt hunc locum ἐὰν ὦσι χίλιοι ἄγγελοι θανατηφόροι, εἷς οὐ μὴ τρώσει αὐτὸν, ſi fuerint mille Angeli mortiferi, ne vnus quidem vulnerabit eum. Hoc in Hebræo nuſquam eſt. Quanquam Auen Eſra profert ex Talmud, ex hoc verſiculo, ſententiam. Multos Angelos eſſe, qui quærant hominis interitum, vnum autem, qui aſſiſtat, protegat, ſeruet. Quin etiam Chaldæus interpres huiuſmodi quandam exhibuit opinionem, vertens hunc locum. Si fuerit ſuper eo probitas, innocentia, Angelus vnus paracletus, conſolator de medio millium accuſantium, ad accuſandum homini rectitudinem. Sed hæc quicunque velint, ſentiant, mihi ſacras extorquere litteras nunquam placuit. Poſt hoc ſequitur, vt Angelus miſſus miſerebitur docens, monefaciens, dicens, quaſique imperans morbo, aut aduerſæ fortunæ. Libera eum, faceſſe ab eo. Abſiſte, ne deſcendat in interitum; ſit liber, ſit ſalus. Miſerebitur eius igitur, Angelus, aut Deus, vt ſentit Auen Eſra, qui mittit Angelum, quique imperet Angelo, vt liberet eum. Quod autem noſter. Conſumpta eſt caro eius à ſuppliciis:] longe ſecus in fonte: hoc modo רטפש בשרו מנער rutaphas beſſarò minòar. Tenera eſt facta caro eius, præ pueritia. Tenerior, mollior, delicatior reddita eſt caro eius, quàm puerorum: vt de Aman dicitur, qui cùm ſe ſepties Eliſeo iubente in Iordane lauiſſet, ſanatus à lepra eſt, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri, vt ait ſcriptura. Hoc item exponit Gerſonites. Ecce tandem, inquit, refloreſcet, virebit magis, quàm in adoleſcentia: & redibit ad incolumitatem, quæ fuerat in adoleſcentia. Is eſt verus ſenſus, vt vel dicat fore carnem eius pulchriorem, quàm in adoleſcentia fuiſſet, aut quàm vllius adoleſcentis. Etiam vero Sept. apud Græcos hunc ſenſum tranſtulerunt: ἀνανεώσει δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα, ὥσπερ ἀλοιφὴν ἐπὶ τοίχου. Renouabit aũt eius corpus, ſicut pinguedinem, vel vnctionem ſuper murum. In eo tantum variant, quòd poſuerunt vnctionem, quod in Hebraico non eſt. Poſtea canit reditum, ad Deum, alacritatem, nouam amicitiam: vt viſurus ſit faciem Dei, quaſi prænuntiet de ipſo Iob, cum Deus illi demum apparuit, locutus eſt cum eo. Variatur autem oratio, nunc Deo loquente, nunc homine. Nam quod ait. Reſpiciet homines,] De Deo ſentit Gerſonites, quem dicat, proſpicere, conſulere rebus humanis. Vbi autem ſcribitur. Et dicet peccaui.] Sic ab illis exponitur, annectiturque ſuperioribus. Reſpiciet Deus res hominum, quas æternis regit imperiis, reſpiciet illum, qui dicat peccaui, deliqui, qui crimen agnoſcat. Quod autem noſter. Et vt eram dignus non recepi.] Hebraicè ולא שוה לי velò shauah li. Et non æquauit mihi. Nimirum, vt ait Auen Eſra, & non fuit æquitas in me, non feci, quod æquum eſſet. Nam paulò ante poſuerat contrarium העויתי heeuethi, peruerti, feci peruerſe: Huic ſimile ſubdit, & non feci æque. Sunt enim contraria העויתי heeuethi, atque שוה shauah. Alterum iniquum, peruerſum. Alterum æquum, rectumque deſignat. Quod autem ſubijcitur. Liberauit animam ſuam, ne pergeret in interitum.] Clarius ex fonte. Liberauit animam meam. Vt perſeueret in eadem conſecutione. Quod autem ſequitur. Tribus vicibus per ſingulos.] Numerus frequens apud Scriptores, vt Poeta.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra compreſſa, manus effugit imago,
Ter ſeſe attollens, cubitoque innixa, leuauit,
Ter reuoluta toro eſt.

Is pro omni numero deſeruit illis. Quod Burgenſis & Nicolaus ex Rabi Salomone ſentiant, tribus vicibus tantum recipi peccatorem à Deo, cùm ſit alienum ab ipſo contextu commentum, nil ſuper eo loquendum eſt. Inculcat eadem Eliu, liberat eum ab interitu, ab aduerſa fortuna, morbis incidentibus. Cætera clareſcunt.

CAPVT XXXIIII.

PRincipium huius capitis clarum, perſpicuumque eſt, vſque ad eum locum. In iudicando me, mendacium eſt, violenta ſagitta mea abſque vllo peccato.] Hoc Hebraicè ſic proprie dicitur. Super iudicio meo mentiar, dira vulnera mea, ſine peccato. Hunc locum ſic exponit Auen Eſra. Quoniam requiro iudicium meum, dicent me mendacem eſſe. Gerſonites autem. An vero mentiar, cùm me iuſtum dixero? Ecce vero plaga mea crudelis eſt, ſine peccato. Hæ duæ interpretationes non multum inter ſe diſtant, modo illud conſtet, alium eſſe ſenſum in fonte, quàm in noſtra tralatione. Quomodo vero poteſt intelligi? In iudicando me, mendacium eſt. Quis ſenſus? Mentiri linguæ eſt: iudicium Dei alia ratione fit. Nec poteſt de iudicio arcano, ſecreto, dici mendaciũ. Verius igitur eſt, vt ſit oratio mutila, vt referat Eliu verba Iob, quibus queratur. Mendax ſum de iudicio meo. Queror ait Iob, dico me nulla mea culpa, fuiſſe graui ſententia perculſum. Hoc me querentem, deplorantemque aiunt mentiri: mendacium hoc eſſe. Secutus eſt autem noſter Græcos, qui tranſtulerunt ἐψεύσατο δὲ τῷ κρίματι μοῦ. Mentitus eſt in iudicio meo. At Hebraicè, prima perſona eſt, non tertia. Quam autem dixit ſagittam violentam, etiam in eo ſecutus eſt Græcos qui transferunt βίαιον τὸ βέλος μοῦ. Hebraicè vero אנוש חצי anùsh chicì, deſperata, grauis, dira, ſaggitta mea, nempè vulnus meum. Hoc exiguum diſcrimen. Quod vero ſequitur. Quis eſt vir, vt eſt Iob, qui bibit ſubſannationẽ quaſi aquã? Hoc ab Hebræis exponitur. Qui talis eſt, qualis Iob, dignus eſt vt irrideatur, bibat irriſionem: hauriat affatim: ferat contumelias omnes vbertim: vt fluunt aquæ. Quis eſt vir ſapiens, cordatusque vt Iob, qui dicat verba irridenda? Hæc clara ſunt. Nam apud Gręcos is ſenſus habetur, vt quaſi laudetur conſtantia, patientia Iob. Quare ſuperiora propius ad verum ſcopum accedunt, vt declarant ſequentia. Et graditur cum viris operantibus iniquitatem.] Hoc ſic exponitur ab Hebræis iuxta fontem. Impiorum collegio ſe Iob aggregauit, qui tam impie blaſphemet, accuſetq; patrem hominum, atq; Deorum, quòd quantum velint recte homines operentur, nunquam ei placebunt. Per veſtigia iuſtitiæ, bonitatisq; eius ingrediantur, non erunt ei grati. Vbi igitur noſter ait. Non placebit vir Deo.] Pro placebit eſt יסכן iſcàn, quòd ab eis vno ore exponitur יועיל iohìl proderit, vtile erit. Non proderit ait hæc pietas. Hæc omnia diluit Eliu, & quaſi cauſa Dei contra Iob ſuſcepta, pro eo concionatur, rhetoricatur: Prodeſſe benefacta: Iniquitatem, iniuſtitiamq; abeſſe à diuina maieſtate: Dari ab eo vnicuiq; pro meritis: iniuſtitiæ, iniquitati apud eum non eſſe locum. Vbi vero noſter ait. Quem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem? Hebraicè proprie dicitur. Quis conſtituit, aut viſitauit ſuper ſe terram? Et quis poſuit orbem terræ totum? מי פקד עליו ארצה ומי שם תבל כלה Quis eſt, inquit, qui proſpiciat terrarum orbi, quem creauit? Quis eſt alius ad quem ſpectat humanarum rerum cura? Quis alius conditor orbis terrarum, eoque etiam moderator, cuſtos? Hunc ſenſum etiam interpretes Græci poſuerunt. Quomodo Deus peruertet iudicium ὃς ἐποίησε τὴν γῆν, τίς δέ ἐστιν ὁ ποιῶν τὴν ὑπουράνιον, καὶ τὰ ἐνόντα πάντα. Qui fecit terram? Quis autem eſt, qui creauit omnem, qui cęlo ſubiacet orbem, quæq; in eo exiſtunt? Aduertendum igitur præpoſitionem Hebraica עליו alaù, quæ ſonat, ſuper ipſum, poſſe referri, tum ad ipſum Deum creatorem, tum ipſam terram: vt dicat. Quis viſitauit, proſpexit, ordinauit, ſuper ipſam terram? Hunc locum Gerſonites etiam ſic exponit. Quis eſt, qui ſuper ſe ordinauit, conſtituit hæc omnia, quæ inueniuntur in terra? Quodque ſequitur. Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatum ad ſe trahet.] Verba quidem non ſecus habent Hebraicè, at ſenſus obſcurus. Sed ab Hebræis vim ſuorum verborum agnoſcentibus, ſic declaratur. Si direxerit ad eũ cor ſuum: ſi Deus ipſe benedictus, ad id voluntatem ſuam flecteret: vt eſſet malum, vaſtitas, impietas, iniuſtitia in hoc mundo: ſi cuperet malum, vt tu ais ò Iob: ſi ſuper calamitatibus humanis lętaretur: vtriq; ad ſe ſpiritum vitamque cunctorum colligeret: vitam ipſius mundi cunctam aboleret, vaſtaret: diſſolueret omnes animantes: homoq; ipſe in cinerem, limumq; priſtinum rediret. Hunc ſenſum vidit etiam Nicolaus exponens: ſi direxerit voluntatem ſuam ad quemcunque deſtruendum.

A deſtruendum. Intellexerunt etiam Græci. Si ſolum hoc, inquiunt, Deus vellet, colligere, ſpiritum, vitamq; quam cunctis eſt largitus, vaſtitas ingens in vniuerſa terra. Quod vero ſequitur.] Nunquid qui non amat iudicium, ſanari poteſt?] Hoc quoque clarius ex fonte cognoſcitur. Nunquid, qui odio habet iudicium, regnabit? Vides quid loquatur? Nunquid imperaret mundo Deus, ſi iudicium odiſſet? Non eſſet regnator mundi, non cælum, ac terras numine torquens, ſi iudicium, rationem, rectum, odio perſequeretur. Neque enim mundus eſſet. Eſt enim mundus, ordo, concinnitas, harmonia. Sciendum igitur verbum Hebraicum יחבוש iachabòsh, quod noſter interpretatus eſt, ſanari, ab Hebræis concorditer exponi per aliud clarius, ימשול imshòl, regnabit, imperabit, dominabitur. Nam proprietas huius verbi eſt, alligare, aſtringere. Ac quemadmodum Græcis κρατεῖν eſt tenere, atque etiam dominari: ſimile quid verbum Hebraicum præ ſe fert. Quoniam vero id ipſum verbum deſignat, vt dixi alligare, ſtringere, refertur in Hebraico ad morbos vulnera, quæ alligantur, ſanantur. Hanc ſignificationem ſecutus eſt noſter, imitatus, in hoc, alios Græcos interpretes. Nempè Aquilam, Symmachum, qui tranſtulerunt ἆρα ὁ μισῶν κρίσιν ἐπιδώσει εἰς ἴασιν. Nunquid, qui odit iudicium augebit ad ſanitatem? Cui verſiculo dant Græci eundem, atque noſtri, ſenſum. Si perſuadent, aiunt, tibi hæc, efficeriſque modeſtior, bene habet: ſin minus, ſcito Deũ eſſe iuſtiſſimum. Volunt igitur noſtri Latini, hunc eſſe ſenſum. Si perſtas, odio habens iudicium, iuſtitiam, quæ ſpes eſt, vt redeas ad priſtinam incolumitatem? Mihi vero magis probatur ſenſus Hebræorum, quoniam de Deo omnipotente, creatore, regnatore, ſermo eſt: de Domino rerum, qui ſit iuſtiſſimus. Id declarant ſequentia. Qui dicit regi apoſtata.] Is, inquit, qui poteſt regibus malefacta, ſceleraque eorum exprobrare, redarguere principes ſcelerum. B Pro apoſtata, Hebraicè בליעל Belial, nomen dedecoroſum, probri plenum, inutilis, malus πονηρός. Qui non accipit perſonas principum.] Hebraicè נ שא פני שרים naſſa penè ſſàrim. Honorat facies principum, non æſtimat, vultus principum, veſtes, pompas, diuitias: Non veretur, non pluris, quàm cęteros facit. Nec cognouit tyrannum, cùm diſceptaret contra pauperem.] Bene tyrannum, qui Hebraicè שוע shòa, Hebræi declarant principem opulentum. Si cum paupere veniat diues ad tribunal Dei, non proderunt diuiti diuitiæ, vt magis ferat pro eo Deus ſententiam. Omnes enim diuinum opus. Quodque ſequitur. Subito morientur, & in media nocte, curuabuntur populi.] Illi ipſi principes, illi duces ſuperius memorati, nec non omne vulgus hominum, morientur: mortales ſunt omnes, longe infra creatorem ſuum. Media nocte, nocte intempeſta, cùm quieſcunt, ſilentque omnia. Quod dixit, curuabuntur, Hebraicum יגעשו iegoàshu, ab Hebræis exponitur, mouebuntur, fiet (ait) in populo tumultus cedente Deo: Poteſtatemq; ſuam (modo velit) oſtentãte; Aut mouebuntur volente Deo ad euerſionẽ tyranni, violentumq; Dei contẽptorẽ. Abſq; manu aũt, ſiue, vt ait Gerſonites, abſq; conatu humano, ſed ſola diuina voluntate, ſiue ꝙ à tyrãno diſcedet oĩs manus, omne robur, deſeretur ab omnibus. Nanq; diuinus oculus, quẽ dixit Orpheus ἄλκιμον ὄμμα, fortiſſimum, perſpicit omnes humanas vias. Cõſiderans, quo tẽdere pergãt. Nullæ tenebræ, latebræq; abſcõdent illĩ, quidquid in terris fiat. Per tenebras oẽs penetrat oculus eius, ſcelera cernens omniũ. Quod aũt ſubiicitur. Neq; enim vltra in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad Deum in iudiciũ.] Hebraicè dicitur. Quia non ſuper homine ſtatuet, ponet amplius, ad veniendũ ad Deũ, in iudiciũ. Cuius is ſenſus eſt iuxta Hebræos. Facit quod vult, nõ ponit in hominis poteſtate, quæ futura præordinat. Non eſt hominis, impedire, quæ Deus præſtituit. Aut non C præſcribit homini certa, vt impediat eius voluntatẽ, omnia arbitrio eius permittit, vt poſſit omnis homo venire ad Deum in iudicium. Non poſuit Deus ſuper homine, aliquod vinculum, quo voluntas eius impediretur: poterunt omnes ad tribunal eius accedere. Fortaſſe prior ſenſus verior. Et quod noſter ait. Conteret multos, & innumerabiles.] Hebraicè pro multis כבירים cabirim, fortes, præpotentes, principes, innumerabiles quoq;, ea eſt vis eius ingens, deſtruet præſentes, aliosque eorum loco ſufficiet. Omnium enim facta cernit. Tollet eos è medio. Nocte eos inuoluet.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolorem?

Noctẽ eis miſeriarum inducet: vt impios, ſceleratoſq; eos percuſſit, talia meritos, in conſpectu omnium, cunctis aſpicientibus, vt timeant: vt cernant, illos ſibimet autores fuiſſe malorum, ꝙ à mandatis ſanctiſſimis eius, à cultu vero & amicitia ſponte deſciuerint violantes ius humanũ: miſeros, viduas, pupilloſq; vexantes, quorum clamor diuinas appellit ad aures. Deus aũt protegit: & protegente pacemq; dante, quis aduerſabitur? ille cauſam pauperum ſuſcipit. Huius enim eſt cura. Nã ſi is auerteret ſeſe, oculoſque amoueret, quis alius mortalia attenderet? Is eſt qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi. Hypocritam dixit, qui Hebraicè eſt, חנף chaneph, ſceleratus, facinoroſus: Hypocritam dixerunt Sept. Facit regnare improbum, vt caſtiget, animaduertat in eos, qui violarunt humana iura, pauperes, inopeſque vexauerunt. Vbi dixit noſter, peccata populi, Hebraicè מוקשי עם mochshè àm, deceptiones, fraudes populi, iniurias, vt doceat, quo genere peccati Deus commoueatur, Præficiatque populo principes malos. Aduertendum, hunc locum totum, Auen Eſra expoſuit iuxta tralationem hoc modo, ולא ימליך velò iamlich. Et non conſtituet regem hominem improbum: niſi propter violentias populi, vt vlciſcatur eas. Similiter

Sept. ſic tranſtulerunt βασιλεύων ἄνθροπον ὑποκριτὴν, ἀπὸ δυσκολίας τοῦ λαοῦ. Qui regnare fecit hominem hypocritam, propter difficultates, acerbitates populi. Eodemq; modo locus exponitur à Græcis. Verbum igitur, quod eſt in textu Hebraico ממליך mimlòch, ab omnibus accipitur ferè, velut ſit tranſitiuum, non quemadmodum vertunt quidam. Eoq; regnat homo impius. Quod ſequitur. Quia ergo ego locutus ſum ad Deum, te quoque non prohibebo.] Difficilis locus in Hebraico, his verbis & hac obſcuritate. Quia ad Deum dicetur, abſtuli & non deſtruam. Hoc Chaldæus ſic tranſtulit. Quia ipſi Deo poſſibile eſt, vt dicatur, peperci, non deſtruam. Horum igitur hunc eſſe volunt Hebræi ſenſum. Ille idem, qui caſtigat populos, impoſito crudeli tyranno poterit cùm voluerit, parcere delinquentibus, & dicere, peperci, non deſtruam: ſit finis pœnarum. Hoc autem dicet, cùm peccare populi deſiſtent. Tunc poterit dicere, Deferbet indignatio, parco, nolo pęnas vlterius procedere. Hæc interpretatio mihi placet. Sept. Omnino à fonte diuerſe tranſtulerunt. Verum à Symmacho ſic fuerat editum. ὅτι πρὸς θεὸν, ῥῆσιν ἀνέλαβον, οὐχ ἕξω ἀκωλύτως. Quoniam ad Deum ſermonem ſumpſi, non habebo impedire. Hæc interpretatio, poteſt ex verbis Hebraicis fluere, quoniam האמר heamàr, quod Hebræi, & Chaldæus verbum eſſe crediderunt, à Symmacho verbale nomen putatur ῥῆσις dictio, ſermo. Quod Hebręi exponunt, dictum eſt, dicetur. Deinde aliud verbum in Hebraico נשאתי naſſathi, quod ſignat auferre, tollere: Hebræi exponunt auferre, tollere peccata, parcere. Symmachus autem acommodauit ipſi ſermoni. Aſſumpſi ſermonem. Tertium verbum, quod in Hebraico eſt אחבל echbol, ſonat duo, deſtruere, vaſtare, euertere. Aliis autem punctis ſonat illigare, prohibere. Hoc Symmachus eſt ſecutus. idem, & noſter. Mihi probantur, quæ ſentiunt Hebræi, præſertim cum & Chaldæus adſit teſtis. Poſſunt quidē & illa defendi, ſed in tanta varietate, ſequamur Hebraica, & dilucidiora, & quibus ſubſunt ſenſus meliores. Ad hoc filum proſequitur. Si erraui, tu doce me, ſi iniquitatem locutus ſum, vltra non addā.] Hebraicè proprie dicitur. Pręter quod video, tu doce me. Cætera conſentiunt. Hoc Hebræi ad ſuperiora ſic accommodant, vt perſonarum fiat mutatio, quale ſæpe fit à Poetis. Loquebatur Deus dicebatq;. Abſtuli peccatum, peperci, condonaui. Nunc proponit aliam perſonam, nempè delinquentis & peccantis: qui dicat. Vltra id, quod video, tu Deus oſtende, tu lucem tuam diffunde, vbi non ſuppetit mea. Facio quod poſſum, quod video: Cętera tu doce. Fac abſcondita, luce tua clareſcere. Hi duo verſiculi ſunt obſcuriſſimi, cōtenti ſimus explanatione Hebræorum, licet aliæ poſſent fortaſſe meliores excogitari. Nam forſan melius iuxta Symmachum. Ecce ego Eliu ſumpſi ſermonem ad Deum, vel pro Deo, non prohibebo linguam meam loqui. Fertur oratio, præcipitant verba, non demorabor, non impediam: Fluat impetu ſuo. Si quid autem erit, quod me lateat, tu doceas. Quæ non videntur a me, declarentur à te. Quod ſi loquendo peccaui, ſi male locutus ſum, non addam errorem, non iterabo, in hoc delicto non perſiſtam. Deinde ſequitur. Nunquid à te Deus expetit eam, quia diſplicuit tibi.] Hoc Hebraicè dicitur. Nūquid à te reſtituet ipſum, vel ipſam, quia ſpreuiſti, contempſiſti? Et hoc per obſcurum, magis, quàm quæ loquitur Lycophron, aut Heraclitus tenebroſus. A Gerſonite datur ſenſus. An vero fas eſt, vt à te veniat verbum, quod ſit cauſa cur in te Deus animaduertat, quia abieciſti vitam tuam, neq; ſategiſti accedere ad Deum, & ſupplex petere, vt à te calamitates has auerteret? Hæc Gerſonites. Hoc autē clarius ſic intelligitur ex Hebraico. המעמך ישלמנה hameimecha ieshalemennah. An ob te, cauſa tui, reddet ipſum, ſcilicet Deus? An ęris tu autor, vt Deus reddat tibi malum? Hęc autē interrogatio deſignat indignationem, reprehēſionem. Cur à teipſo naſcitur, efficitur, vt Deus reddat malum? Ob indignationem, blaſphemiam. Hoc ſenſu, & ſi multos affert Auen Eſra, mihi ſatis eſt. Non eſt enim hic vllum myſterium, vt ſit deſudandum. Hieronymus neſcio quomodo poſuit, expetit eam, quod Hebraicè reſtituet, reddet. Nam verbum petendi, non eſt shalàm של sed שאל saàl. Deinde quod ſequitur. Quia diſplicuit tibi, tu enim cępiſti loqui, & non ego.] Dixi ſuperius Hebręos id quod Hieronymus tranſtulit, diſplicuit, Hebraicè מאסת maàſta, exponere, Contempſiſti autem, nempè te ipſum, deſperationi te tradidiſti: animū deſpondiſti. Et quod Hieronymus dixit. Tu enim cæpiſti loqui. Hebraicè eſt, Tu תבחר tibchàr, elegiſti, quod ab eis exponitur. Tu elegiſti, vt Deus tibi aduerſus eſſet. Tua hæc voluntas. Vbi autem noſter ait. Quod ſi quid melius noſti, loquere.] Hebraicè dicitur. Et quid noſti loqui? Et quid ſcis loqui? Quidquid, ait, loqueris, vanum eſt, inutile, pernicioſum. Exponit etiam illud, quod dixit. Quia repudiaſti, nimirum conuerti ad creatorem tuum, & humiliari in conſpectu eius. Hoc tu repudiaſti. Hanc viam aduerſam elegiſti, hos mores ſuſcepiſti, non ego. Sint procul à me. Quid noſti reſpondere mihi? Quid poteris reſpondere? Proſequitur. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir ſapiens audiat me.] Ex hoc, ſuperiora magis clareſcunt. Nam contemptum, indignationemque; qua murmurabat, muſſitabatque Eliu, nunc aperte arroganterque profudit: & contumelia quidem manifeſta. Iob autem ſtulte locutus eſt.] Quod Hebraicè dicitur. Iob ſine ſcientia locutus eſt, & verba eius ſine intelligentia. Quod autem ſequitur. Pater mi probetur Iob vſque ad finem,] Quod dixit. Pater mi, Hebraicè dicitur אבי abi. Hoc duobus modis ab Hebræis exponitur, vt ſonet, Pater mi: quemadmodum tranſtulit Hieronymus: Deinde, vt ſit à nomine אבה abah, voluntas, voluit, vt dicat. Voluntas mea, vt probetur Iob, quia locutus eſt ſtulte. Probetur in his doloribus, in æternum, vt ſint reſponſa eius ad viros iniquos. Nempè vt admoneantur quoties iniuſte egerint, intueantur ipſum Iob A dolentem, ſub calamitatibus gementem, propter linguam blaſphemam. Quod ſi dixeris, Pater mi, iuxta Auen Eſra, ad Deum patrem hominum, atque Deorum perorans flectit ſermonem: orat, vt probetur Iob, in æternum: doloribus æternis crucietur. Sic enim transferendum eſt, quod noſter interpres dicit, vſque ad finem, Hebraicè עד נצח ad nèzach, vſque in ſempiternum. Quod autem potius deſignet voluntatem meam, quàm pater mi, ſuperior vox, apparet ex Chaldæo, qui pro abi, poſuit צבינא cebinà, complacentia. Quod vero proſequitur. Ne deſinas ab homine iniquitatis, qui addidit ſuper peccata ſua, blaſphemiam.] Hoc Hebraicè longe ſecus. Totus verſiculus ſic legitur. Pater mi probetur Iob in æternum על תשבת theshubòth, ſuper reſponſis, in hominibus iniquis. Dixi ſenſum eſſe, vt probetur, propter blaſphemiam, propter impia reſponſa. Probetur autem & crucietur in hominibus iniquis: nimirum, vt diſcant, doceantur, admoneantur homines improbi, qui ſimiliter loquuntur. Cur autem Hieronymus dixerit, Ne deſinas, cauſſa eſt, quòd cùm ſit magna in vocibus ſimilitudo, videtur legiſſe, pro על al, quod ſonat ſuper, potius אל al per aleph, quod ſonat ne, negationem. Aliam vocem תשבת teshubòth putauit eſſe à verbo shabat, quieſcere, in futuro, tasbòth, addita Thau littera. Hebræi putant venire à verbo שב shàb, unde nomen uerbale תשבה theshubàh, numero multo theshubòth. Stat vtraque interpretatio: Vtraque bona, vt dicat iuxta tralationem noſtram. O pater hominum, ne quieſcas ſuper hominibus iniquis, caſtiga eos, vt meriti ſunt. Quod uero ſubijcit noſter, Qui addidit ſuper peccata ſua blaſphemiam.] Hebraicè. Quoniam, inquit, addidit ſuper peccata ſua blaſphemiam, ſcelus, impietatem. Hebraicè פשע pesha. Chaldæusque dixit מרד merad, recte dixeris apoſtaſiam. Quod ſequitur. Inter nos interim conſtringatur.] Longe ſecus à fonte B בינינו יספוק bènènu iſpòch, inter nos plaudet, nempè manibus, ut exponunt Hebræi. Inter nos plaudit Iob manibus, luget, queritur, perſtrepit. Et dimidium eiuſdem uerſiculi, ubi noſter ait. Et tunc ad iudicium prouocet ſermonibus ſuis Deum.] Hebraicè ſic legitur: Et multiplicat uerba ſua ad Deum. Perſtrepit, plaudit manibus, queritur Iob aduerſus Deum uerbis multis, multa oratione decertat, ſciendum tamen hunc uerſiculum habere poſſe & hunc ſenſum. Nam uerbum plaudendi ספק ſaphac Hebræis ſonat etiam, ſatis eſt, ſufficit. Hoc Hieronymus dixit. Conſtringatur, nempè teneatur firmum, ſufficiat, ſatis ſit. Verbum autem, quod tranſtulit, prouocare, רבב rabab, in futuro ירב ſonat prouocare, contendere, litigare, & multiplicare. Stat igitur vtraque expoſitio, ſed prior longe clarius.

CAPVT XXXV.

PRincipium capitis manifeſtum, clarumque eſt, inuehitur in Iob, impia, flagitioſa cogitantem: ſe Deo iuſtiorem prædicantem: qui dixerit, nec illi prodeſſe benefacta noſtra, neque obeſſe crimina: quaſi illud Epicuri: ſe reſponſurum, & illi, & cæteris amicis pollicetur, qui non obmutuerint. Hortatur primum cœlum, æthera, nubesque ſuſpiciat, quam illo ipſo celſiora ſint. Sed verba ſingula ponderemus. Quod noſter dixit. Ethera.] Hebraicè שחקים shechachim, nubes, idque etiam tranſtulerunt Septua. κατάμαθε δὲ νέφη ὡς ὑψηλὰ ἀπὸ σοῦ. Contemplare nubes, vt ſunt celſæ præ te. Quanquam eadem vox ſonat interdum æthera, cælum vltramundanum. Cur autem ad hunc ſuſpectum cohortetur eum, perſequens declarat. C Nempe nihil nocere Deo ſublimi, ſuperno, humana peccata poſſe. Quidquid peccaueris, nil ei nocebit. Aloidæ corpora vaſta manibus magnum reſcindere cœlum, conati, nil profecerunt. Similiter iuſtitiam, ad maieſtatem, decusque Dei, nihil additura m. Ex his intelligimus verboſam hanc reſponſionem Eliu, qui ſe cæteris ſapientiorem fore pollicebatur, inanem eſſe, in qua confirmantur ea, in quibus Iob ſuperius reprehendebatur. Quod noſter dixit. Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua.] Hoc humanam, mortalemque naturam deſignat. Mortalibus, inquit, cuiuſmodi tu es, nocebit iniquitas tua: alicui mortali, ſimiliter iuſtitia proderit: at Deo minime. Quod vero proſequitur. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.] Confirmat quod ſuperius dixerat. Mortalibus nocere calumnias, contumelias, cædes, violentias tyrannorum, rapinas, quales Dionyſius peragebat. His accidentibus, clamant, ingemiſcunt ad ſuperos, ad ſydera iactant voces miſerabiles: Deorum fidem implorant, obteſtantur Deos immortales. Quodq; ſequitur. Et non dixit, vbi eſt Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?] Duobus ſenſibus poteſt intelligi: Aut Deus ipſe non habet, ad quem prouocet, quemadmodum mortales: Non habet cuius fidem imploret: Nec inuocat creatorem ſuum, qui creauit omnes, increatus ipſe; Aut refert voces tyrãnorum Deos negantiũ, contemnentium, vt Dionyſius ille, qui in Deos, quorum ſtatuas ſacrilega manu diripuerat, cauillatus dicitur, Et contemptor diuum Mezentius. Diagorasque atheos. Horum vox eſt, vbi eſt Deus, qui fecit me? Qui dedit carmina in nocte?] Hoc ab Hebręis ſic intelligitur. Qui facit mirabilia magna ſolus, facit laudes, res laudabiles, admirãdas, ob quas in laudes eius mortales prorũpunt, admiranturq; eum. vt Philoſophi, quibus pietas cara fuit. Tyranni autẽ dicunt, vbi eſt Deus creator hominum? rerum mirabilium, laudabilium repertor? quem Poetæ multique celebrãt carminibus?

minibus? Deum vocant illi, ſentiunt potentiam, brachium. Nam Mezentius dexteram ſuam, Deū D dicebat: in nocte autem dantur carmina, cùm mortales canunt, celebrantq; eum, admirantur, ſpeculantur, philoſophantur, nocte quieta, laudibus apta. Mirum eſt quòd Sept. interpretes tranſtulerunt φύλακας, cuſtodias, dicentes cuſtodias noctis, quod Hebraicè eſt זמירות zemiròth, cantica. Ad hunc ſenſum proſequitur. Qui docet nos ſuper iumenta terræ.] Hæc laus, hæc philoſophia, quòd ſoli omnium animantium, agnoſcunt homines laudes eius. Hocque ſunt omnibus animantibus, tam terreſtribus, quàm cęleſtibus ſapientiores. Repetit, inculcatque, vt ſolent nugaces iſti in hoc libro. Miſeri oppreſſique illi clamabunt, ingemiſcent. Ibi clamabunt, & non exaudiet propter ſuperbiam malorum. Clamabunt, afflicti, oppreſſi, vexati, bonis ſuis ſpoliati, & non eſt qui exaudiat, quoniam apud mortales, & non infra nubes, res geritur. Clamabunt autem ingemiſcentque propter potentiam, ſuperbiamque tyrannorum. Quod autem ſequitur. Non enim fruſtra audiet Deus, & omnipotens cauſas ſingulorum intuebitur.] In contrarium Hebraicè, אך שוא ach shau, ſed fruſtra, videlicet clamabunt. Clamant vulnerati, bonisque mulctati, vociferantur, ingemiſcunt, ſed fruſtra, quia Deus non exaudit. Et omnipotens non conſiderat. Auen Eſra ſic exponit locum. Quia falſum eſt, non exaudiet Deus, ꝙ clamor eorū ſit fruſtra, quia Deus omnipotens retribuet eis retributionem ſuam. Ex hoc intelligimus, verum eſſe fortaſſe ſenſum Hier. vt ſit ſenſus. Clamant, vociferantur miſeri. Verum non fruſtra Deus exaudiet, Nam reddet, quod merentur, ſceleratis illis. Quanquam Rabi Leui legit, & exponit, vt ſuperius demonſtrauimus eſſe dicere Eliu, Deum non attendere ad ſingula in particulari, ſed in vniuerſum. Sed melius primum, Quodq; ſequitur. Etiam cùm dixeris, non conſiderat, iudicare coram illo, & expecta eum.] Hebraicè longe clarius his verbis. Etiam cùm dixeris, non intueberis eum, iudicium coram eo, & expectabis ipſum. E Quod à magiſtris intelligitur. Quanquam non ſit facultas tibi videndi Deum, iudicium tamen eſt coram illo, hoc tu expecta. Si prouoces ad tribunal Dei, vt ſuperius feciſti, non eo pacto prouoces, vt cupias eum prodire palam, manifeſtum. Neq; enim mortalis oculus intueri poteſt illum, ſed potius iudicium maieſtatis eius, quod antecedit eum, expectes. Non deerit tibi, licet inuiſibiliter. Inuiſibilis ipſe dabit iudicium manifeſtum, palam. Hoc tu expecta, hoc præſtolare, non illud, vt Deus appareat, & inuocatus de cęlo ante oculos tuos deſcendat. Inconſiderata & ſtulta poſtulatio. Subiicit ſimile. Nunc enim non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur ſcelus valde.] Hebraicè dicitur. Et nunc quia אין פקד אפו Ain pachàd apò. Non viſitauit ira eius. Sequitur aliud dimidium verſiculi ולא ידע בפש מאד velò iadàh, bapàs meòd. Et non cognouit in multitudine nimis] Verba ſunt obſcura. Volunt Hebræi mutilam eſſe orationem. Et nunc, quia non cognouit, non ſapuit, neſcius fuit Iob, infert furorem ſuum, exaggerat iras: impotentia rapitur, & nō cognouit, quòd merces, pręmiumq; laborum tantorum ingens eſt, inæſtimabilisq;. Poteſt iuxta alios Hebræos ſic exponi. Quoniam non expectaſti eum, accenſus eſt furor eius ſuper te. Viſitauit te indignatio eius. Eſt, & ille ſenſus bonus. Et nunc non viſitauit, nō accendit iram ſuam Deus ſcilicet: & non cognouit, non adhibuit mentem ad plectendum in multitudine. Declarant ſequētia hunc ſenſum, arguitque eum loquacitatis, vanitatis, quòd vane, impudenterque locutus ſit.

CAPVT XXXVI.

POllicetur nunc quoq; cauſam Dei ſuſcepturum Eliu, ſimiliter faciens, vt ſi quis contra Epicureos, aut Diagoram atheon, diuinum numen, maieſtatemque eius, & prouidentiam defenderet. F Vbi primum ait. Repetam ſcientiam meam à principio.] Pro à principio, Hebraicè למרחוק lemerachoc, A longe, Auen Eſra exponit à Deo, qui ſit celſiſſimus: eoque ſubdit. Et operatorem meum, iuſtum comprobabo.] Operatorem dixit, Creatorem, conditorem, artificem. Eſt item ſenſus apud eoſdem, à longe nempè tollam vocem in altum, exaudieturque oratio mea procul. Ventoſe enim ſemper loquitur Eliu. Vbi vero ait. Et perfecta ſcientia probabitur tibi.] Hebraicè, eſt תמים דעות עמך temim deoth imach. Perfectæ ſunt ſcientiæ tecum. Hoc refert Auen Eſra ad ipſum Deum omnipotentem, cuius ſint ſcientiæ perfectæ, vt ſit quaſi apoſtrophe, relicta perſona priore. Poſſet ſic intelligi, perfectæ ſcientiæ tecum, nempè cernes perfectam ſcientiam meam apud te. Apud te, in conſpectu tuo, ſcientiæ perfectæ. Quòd vero ſubdit. Deus potentes non abiicit, cum ſit & ipſe omnipotens.] Hebraicè melius & clarius. Ecce אל כביר ולא ימאס El cabir, velò imeàs. Deus præpotens, non ſpernet. Ecce, inquit, Deus eſt omnipotens, glorioſus, vt aiunt Philoſophi, benedictus, vt Hebræi, Deus ſanctus, non ſpernet iudicium, vt tu dixiſti, non eſt iuſtitiæ contemptor, vt tu prædicaſti. Ad hunc ſenſum, Chaldæus dicit in editione ſua. Ecce Deus magnus, princeps לא ירחק צדיקא lò irchàch czadichà, non elongabit iuſtum, non contemnet, non aſpernabitur iuſtum, vt tu prædicabas. Quare non eſt ſenſus, quem præfert noſtra tralatio. Subiicit eodem verſiculo כביר כח לב cabir còach leb. Fortis potentia cordis. Ille, inquit, idem Deus præpotens, maieſtatis ineffabilis, inauditæ ſapientiæ, non ſolum robore fortis, ſed etiam corde, nempè ſapientia, vt exponunt magiſtri. Senſus igitur, manifeſtus, quem noſtra editio non oſtendit: neque etiam in Græeo eſt ſenſus verus. Proſequitur. Sed non ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuet.] Hebraiè ſimiliter.

A Non viuificat impium: non parcit, non ſinit viuere. Iudicabit, feret ſententiam pro pauperibus, ſumet vindictam pro illis, quicunque eos læſerit, hos grauibus pænis affliget, vexabit. Proſequitur, dicens, eum non remouere oculos ſuos à iuſto, iuxta illud pſalmi. Ecce oculi domini ſuper iuſtos. Ille idem adeo præpotens eſt, vt collocet reges in ſolio, ipſe reges facit, principes ipſe creat. Et illic eriguntur, prouehuntur, exaltantur. Quodque ſequitur. Et ſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & ſcelera eorum, quia violenti fuerunt.] Hebraicè eodem modo dicitur. Funis autem paupertatis, melius ex Hebraico intelligitur, quod habet בחבלי עוני bechable òni, funibus afflictionis, anguſtiæ. Optimo nomine vocatis funibus afflictionis, cathenis, & vinculis ipſis. In his ipſis vinculis, oſtendet regibus, omnibusq́, tyrānis, quos cadere in laqueos, captiuosque fieri coegit, quā ſcelerati, quam violenti fuiſſent. Annuntiabit eis, oſtendet ſcelera eorum, quæ fuerunt magna, vt ipſi tyranni, ſic opera tyrannica, dira, ingentia. Tunc eis per conſcientiam reuelat, qua pulſat, diuerberatque animos eorum vox tacita, cogitationum mæſtarum, quas carcer, dolorque excitat, pulſat, monetque, corripit, & caſtigat. Illi fiunt duplo meliores, ſi modo correctiones illas æquis animis tulerint, nec meliores modo, ſed beatiores longe fiunt, propagatis vitæ metis: eoque decreto diuinitus obſignatis: vt tranquille, feliciterque tranſigatur reliquum tempus. Beati enim ſunt ſapientes. Sapientia vero ſæpe rebus aduerſis comparatur. Quod ſi impotenter tulerint: ſi voces blaſphemas, è pectore exhalauerint, tumultuare cogitationes, inflammari animum permiſerint, at non ſe corripuerint ab impietate non deſciuerint: veniet dies calamitoſus, gladio diuinæ vindictæ ſæuiente, eosque in ſua ſtultitia finem imponere vitæ cogente. Atque ita demum verum eſt, hypocritæ ſimulatores probitatis ישימו אף iaſsìmu aph addent furorem, prouocant in ſe maiorem indignationem,
B ſunt hi, quos nulla calamitas emendat. Aut addunt, faciunt indignationem diuinam, vehementiorem, quod non propter ſua delicta, ſæuiente Deo queruntur ſibi male accidiſſe. Neque clamabunt cùm vincti fuerint, nempè non orabunt, non flectent animum ad Deum, in preces non deſcendent. Ecce morietur in tempeſtate anima eorum.] Pro tempeſtate, melius Hebraicè בנוער banòar, in iuuenture, in adoleſcentia: morte immatura tollentur, & cadent ante diem. Hoc etiam Septuag. poſuerunt ἀποθάνει τοίνυν ἐν νεότητι. Morietur igitur in adoleſcentia: Et vita eorum inter effęminatos.] Pro hoc Hebraicè, ſunt בקדשים bachedeshìm. Inter ſanctos, aut effęminatos. Sciendum Hebræis nonnulla eſſe nomina quæ Græcis etiam dicuntur μέσα, media, vt δαίμων τύχη. Sanctus Hebraicè duo contraria, nunc bonus, caſtus, purus, nūc inhoneſtus, infandus. Priorem ſignificationem Hebræi quidam ſequuntur. E quibus Auen Eſra, vocem hanc ait duplici ſenſu intelligendam, ſentiens quod diximus. Chaldæus ſimiliter, pro chadeshìm poſuit איך מרי זנוי èch marè zenui. Quemadmodum ſcortatores. Morientur vti ſcortatores. Eo fine claudent vitam, inter ſordidos, abiectos, Deo, hominibusque inuiſos, execratos, deteſtabiles. Secundam ſignificationem ſequitur Leui Gerſon, exponens. Inter ſanctos morientur, nimirum inter adoleſcentes, qui propter innocentem, nec malis adhuc imbutam ætatem, ſancti dici poſſint. In tenera, inquit, ætate, auferentur. Septuag. vero ſanctos, Angelos dici putauerunt, ſic transferentes, ἡ δὲ ζωὴ αὐτῶν τιτρωσκομένη ὑπὸ ἀγγέλων. At vita eorum, ab Angelis vulnerata. Prior ſignificatus arridet magis, quòd & Chaldæus teſtis, cui plurimum deferunt Hebręi, nec ſenſus alius ſtat verius. Proſequitur. Eripiet pauperē ex anguſtia ſua.] Ex aduerſo ſcilicet, vt illos reliquerat, caſi-
C bus, calamitatibus expoſitos eſſe ſinebat, ſic eripiet pauperē, mitem, placidū, huic deteget, reuelabit, quid agat, quo pergat, qua ſe ratione ab omni clade ſubducat in aduerſa tempeſtate protector, defenſor. Saluabit te de ore anguſto latiſſime.] Hebraicè clarius. Saluabit, eripiet te, de ore anguſto. Nimirum preſſura, anguſtia, quę nunc dicitur, os anguſtum per tralationem, qua premitur animus, & corpus, impendente ſuper pondere miſeriarum. Seruabit autem latiſſime, quia in apertam lucem te recipiet, & in æthera apertum: Anguſtia, preſſura dilatabitur: te vero calamitas relinquet. Huic latitudini dicit non ſubeſſe fundum. Magnam ſalutem, magnam liberationem innuens, latiſſimam, apertam, patefactam, per tralationem. Sic eadem tralatione. Requies autem menſę tuę plena vbertate.] Circumfuſus, vndique exuberante felicitate, copia. Vbi noſter dicit, Requies, Hebraicè נחת nàchat, quòd eſt requies: Exponiturque ab Hebręis מה שתניח בשולחנך ma ſcetanìach beshulchanchà, id eſt quod quieſcit ſuper menſa tua, nempè, menſam tuam faciet pinguem, opiparam, ambroſiam, nectarque propinabit, Quod autem infert. Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam, iudiciumque recipies.] Proponit contrarium horum omnium, quę dixit. Tu vero, inquit, quoniam ſecus egiſti, nec te dignum beneficentia diuina reddidiſti, factum eſt, vt iudicium ſcelerati מלאת malètha, impleuiſti, videlicet iudicaſti, vt ſceleſti ſolent, cenſentes, prędicantes non attingere terras diuinam prouidentiam: ſed circumſcriptam eſſe ſupra ſidereos orbes. Deo contumeliam, improuidentiam, incuriam, negligentiam rerum humanarum tribuiſti. Vbi autem noſter, ait, in dimidio ſupradicti verſiculi, cauſam, iudiciumque recipies. Hebraicè ſecus, meliusque. Iudicium & iuſtitiam יתמכו ithmochu ſuſtentat. Tu, inquit, iudicium abeſſe è mundo dixiſti, imò vero, iudicium, rationeque recta ſummi Iouis ſuſtentat hunc mundum, gubernat, regit. Is ſenſus datur ab Auen Eſra dicente. Et noris, quod iudicium & iuſtitia ſuſtentant vniuerſum. Hoc iudicium tu abeſſe ne-

gaſti, teque in numerum male iudicantium poſuiſti. Vbi autem noſter ait. Non te ergo ſuperet ira, vt aliquem opprimas, nec multitudo donorum inclinet te.] Hebraicè clarius dicitur. Quia furor ne forte יסיתך בשפק ieſithchà beſſaphec, recipiet te cum flagello, plaga. Reſpice, inquit, attende, perſpice, caue ne te de mundo furor diuinus auferat. Is eſt verus ſenſus, ab omnibusque Hebræis proponitur. Vbi vero in altero dimidio dicitur. Nec multitudo donorum, inclinet te: melius Hebraicè, clariusque Multitudo כפר còpher, propitiationis, non declinet, id eſt eripiet, non tollet te. Superueniet, ait, anguſtia, calamitas: nulla te propitiatio poterit eruere: nulla clementia aderit. Superiorem vocem etiam Chaldæus tranſtulit propitiationem פורקנא purchanà. Eadem ſignat pretium: poteritque intelligi. Nec pretium vllum te redimet. Superueniet clades, tempeſtasque atra, nullo pretio ſi adeſſet, redimi poſſes. Declinare igitur facere deſignat, tollere, auferre, eripere: Chaldæo quoque teſte, qui pro eo poſuit clarius יצילנך iecilinàcha, declinare faciet, te eripiet. Vel melius, vt transfert Hierony. Ne te indignatio rapiat tranſuerſum, & multitudo ſalutis, clementiæ. Quod autem proſequitur. Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione, & omnes robuſtos fortitudine.] Hebraicè, היערך שועך לא בצר וכל מאמצי כח haiaaròch shuachà, lò bezàr, vechòl maamaeè chòach. Nimirum an æſtimabit diuitias tuas, non aurum? Et omnes robuſtos fortitudine? Clarum eſt, quid loquatur, aſſentientibus etiam Hebræis. Nam Auen Eſra exponit. An proderunt diuitiæ tuæ? Non æſtimabit, neque diuites, neque potentes robore? Conſentiunt igitur cum ſuperioribus. Nec te pretium redimet, nec tibi profuerint diuitiæ, aut auxilium cuiuſquam præpotentis, vt iuuare poſſint in tempore. Similia Plato diuinitus ſcripſit. Ad tribunal Dei, non affore patronos, qui coram iudice cauſſam tuam defendant: non propinquorum, domeſticorumque cateruas, quorum fretus auxilio, iudicium non pertimeſcas. E Quare longe alius ſenſus in fonte. Similiter quod ſequitur. Ne protrahas noctem, vt aſcendant populi pro eis.] Hebraicè ſic clarius אל תשאף àl thisheàph. Ne deſideres noctem, ne reſpicias, ne ſatagas ad noctem. Nempè, vt aiunt Hebræi: Ne dormias, ne dormites, ſomno nec deditus eſto, ne cor tuum inclinet ad lectum: vt aſcendant populi pro eis, quaſi venturi ſint, qui te eripiant: quaſi expectes populos, qui te protegant, liberent. Pro eis autem melius Hebraicè, & à Chaldæo declaratur תחתם tachtàm, in loco ſuo. Chaldæus באתריהון beathrehòn, in loco ſuo. Et Gerſonites במקומם bimcomàm, loco eorũ. Dicit ergo ne noctẽ amplectaris, dormiens in vtranque aurem ſecurus, quaſi congregentur populi in loco ſuo, vt tibi ferant opem cateruatim, atque agmine magno. Hoc autem expectans, dormias, ſtertas: Imò ſatagendum, vigilandum. Is eſt verus ſenſus. Quem ſubſequentia clarius oſtendunt. Caue ne declines ad iniquitatem, hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.] Hanc iniquitatem recte magiſtri interpretantur: ne vendicet Deo, quemadmodum ſuperius, iniuſtitiam, negligentiam humanarum rerum, quarum curam non ſuſcipiat. Hoc caue opineris. Hanc proijce mentem. Hanc iniquitatem, ex calamitatibus tuis pepeperiſti, vt te in aperta mala lapſum vidiſti, continuo contra ſuperos exclamaſti. Hæc iniquitas nata eſt, & parta, ex calamitate, miſeriaque tua. Hanc igitur fuge. Noli propter plagas has, impius fieri: Noli erumpere in blaſphemias, quas hactenus propter aduerſam fortunam, effudiſti. Ad hunc ſenſum proſequitur. Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.] Proponit quantus Deus ſit, ne quis homuncio audeat ei obtrectare. Si Deus tantus, ſi iuſtiſſimus eſt, quis illi obganniat? Vbi autem dicit. In legiſlatoribus.] Hebraicè F dicitur. Quis ſicut ille מורה morèh, docens, doctor. Similiter editio Chaldaica cum noſtra concordans dicit. Quis ſicut ille מליף תריצותא maliph therizuthà, docens rectitudinem, veritatem. Si Deus igitur docet alios veritatem, doctor cæleſtis, quis illi vendicet iniuſtitiam, humanarumque rerum negligentiam? Vbi noſtra editio habet. Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua.] Hebraicè paulò ſecus שגיב iaſſghib, exaltabit, prouehet, videlicet hominem, curam eius ſuſcipiet. Ideo dixit eum doctorem, legiſlatoremq́; hominibus eſſe. Stat etiam primus ſenſus, eumq́; Chaldæus proponit. Habes igitur, quomodo intelligas legiſlatores. Declarant ſequentia ſimilem ſenſum: eſſe vias eius, ſapientiam, maieſtatem, conſilium inſcrutabile: neminem ei poſſe præſcribere, arguere, quòd male ſit operatus: Id autem propter rerum eximiam pulchritudinem. Quodque mox ſequitur. Memento quòd ignores opus eius.] Pro hoc in Hebraico eſt. Memento, vt תשגיא traſſghi, magnifices, exaltes, extollas opus eius. Quare ſecus eſt, quàm noſtra editio tranſtulit. Sunt autem duo verba in Hebraico idiomate שגג shagàg, ignorare. Alterum שגא ſſagà, exaltare, extollere. Aut igitur hanc ambiguitatem noſter interpres (quod nefas eſt) neſciuit, aut quòd melius, id in ſuo codice legit. Dicendum igitur iuxta fontem: Memento, vt exaltes opus eius: Memineris maieſtatem eius excelſam, eminentem, ſuperantemque omnia. Hoc tu de illo prædica. Mirum eſt ſuperius verbum, Hieron. poſuiſſe, cùm Septuag. interpretes legerint, vt eſt in Hebraico μνήσθητι ὅτι μεγάλα αὐτοῦ τὰ ἔργα. Recordare, quòd magna ſunt opera eius. Dimidiumque eiuſdem verſiculi habet. De quo cecinerunt viri.] Hoc declarat ſuperiorem ſenſum eſſe, quem nos poſuimus. Hortabatur, vt magnificaret, attolleret, non deprimeret opera diuina. Hoc ait, fecerunt viri iuſtiſſimi. Et Philoſophi admirati opera Dei, continuo ſuper his philoſophari, & creatorem laudare cœperunt. De hoc ait, cecinerunt viri. Chaldæus ſuperaddit, Viri צדיקים czadichìm, iuſti: quales veri, inſigneſque Philoſophi. Quod noſtra

editio

A editio dicit: Cecinerunt Hebraicè שוררו shorerù, viderunt, intuiti ſunt: ſicque exponit Gerſonites, Auen Eſra. Sed idem verbum ſonat etiam canere: hocque ſequuta eſt editio Chaldaica, ponens pro eo שבחו ſſabechù. Laudauerunt cecinerunt. Proſequitur ſimilia. Omnes homines viderunt eum. Poteſt Hebraicum, quod eſt בו bo, exponi. Viderunt illud, vt referatur ad opus. Omnes mortales vident hoc diuinum opus: per omnes mundi partes diffuſa eſt, paterque diuina maieſtas, ex opere mundano, clara. Procul ſidera, cœlumque ſtellatum ſuſpicimus, ſemper ordines, modoſque ſuos, aſtra ſeruantia cernimus. Diuina mente gubernari videmus. Ecce Deus magnus, æternus, cuius vita nullis temporibus, ſæculiſque definitur: qui fuit antequam eſſent cælum, ac terra, & homines: ætas eius innumerabilis. Vbi ſequitur in editione noſtra. Quia aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum.] videlicet ſerenator, & hymbrificus.

Vultu, quo cælum, tempeſtateſque ſerenat.

In cuius poteſtate ſit, pluuias cohibere, terris auferre nubes, imbre graues.

Rurſum in pluuias totum effundere cælum.

Gurgites, flumina, dimittere cælo, latè ſuper homines, terraſque inundantia. Qualis, quantaque hæc tempeſtatum moderandarum poteſtas? Si voluerit extendere nubes, quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, Cardines quoque maris operiet.] Hebraicè totum hoc propriè dicitur. Etiam intelliget varietates, partitioneſque nubium, tonitrua tabernaculi ſui. Ecce diuiſit, extendit ſuper ipſum, lumen ſuum, & radices maris operuit. Horum omnium ſenſus eſt. Pulchrè enim Gerſonites oſtendit quæ ſint hæ varietates nubium, alias eſſe ventorum genitrices, alias imbriferas, alias eliſas, & fractas inardeſcere, tonare, alias niues gignere. An B hæc, inquit, intelliget homo, noſcetuè illum, quem vocat antiquiſſimus vates Homerus ὑψιβρεμέτα altitonantem, hoc illi dat etiam nunc epithethon, tabernaculumque, ſiue tentorium ſuum: cœlũ nuncupat. Quemq; vocat idẽ vates fulminatorem, eodem ab Eliu inſignitur epitheto, lumenque eius fulmina vocauit; radices autem maris dixit Hebraicum, quas noſter Cardines. Id duos habet ſenſus, vt radices appellet fundamenta maris, late tantis aquis ſubiacentia, tantis culminibus aquarum cooperta, idque nunc referat Eliu, Deum inter alia prodigia, miraculaque poteſtatis ſuæ, fundamenta maris, tantis aquis cooperuiſſe, tantam aquæ vim ſuperextendiſſe ſedibus imis. Aut certe per tralationem, radices maris, dixit aduſque littora per ſinus omnes tendentes aquas. vt mare quaſi quibuſdam radicibus ab alto pelago ſeſe, aduſque littora protendat. Qua tralatione hiſtorici, Poetæq; brachia, ſinuſque tribuunt mari. Has autem radices, omnemq; maris latitudinẽ, quæ littoribus, quaſi radicibus extremis definitur, canit Eliu vaporibus, nubibuſq; offundi perſtans in decantandis meteoris. Radices quoque maris tranſtulerunt Septuag. ἐ ῥιζώματα τῆς θαλάσσης ἐκάλυψεν. Et radices maris operuit. Græcique exponunt neminem ſcire, quibus radicibus mare ſuſtineatur, quòd Deus eas operuit. Latini nihil dicunt. Sciendum eſt, ſuperiora etiam adhunc modum explanari poſſe. Primum quòd ſuper ipſas nubes extenderit lucem ſuam, ſcilicet vel corruſcationes, vel Solis lucem, per nubes fulgentem amplexamque omnes deſuper irradiare terras, tum mare quoque cooperire, vel ſcilicet vaporibus exaltatis, & nubibus offuſis, aut eadem ipſa luce. Scilicet, Deum prodigiorum artificem per omne cœlum, C nubeſque deſuper candentes, per omne mare, lucem Solis, quem creauit ipſe, diffundere. Quodque ſubiicit. Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus.] Non dubium eſt, quin iudicare, vocauerit nunc prouidere, proſpicere: proſpicit per hæc, nempè, vt aiunt Hebręi, pluuias, lucemque, quibus viuitur in terris.

Nam Iuppiter plurimus imbre
Coniugis in gremium late deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno permiſtus corpore fœtus.

Multos autem mortales dixit, qui dicitur Hebraicè למכביר lemachbir. Hoc exponitur, vt, vel multis, vel multum, affluenterque, copioſeque dicat prodeſſe Deum ſummum. Et Symmachus hoc tranſtulit, παρέξει τροφὴν παμπόλλην præbebit eſcam copioſam. Quodque ſequitur. In manibus abſcondit lucem.] Pro manibus, Hebraicè eſt כפים capàim. Ea vox deſignat interdum manus, aliàs ſonat nubes: ſicque nunc ab Hebræis accipitur, vt dicat, in nubibus abſcondit, tegit lucem.

Et inhorruit vnda tenebris.
Teucrorum ex oculis pontum nox eripit atra.

Hocque melius. Quanquam etiam Sept. ſicut & Hierony. Ἐπὶ χειρῶν ἐκάλυψε τὸ φῶς. In manibus abſcondit lucem. Potuit per tralationem dixiſſe manus, quoniam manibus omnia abſconduntur. Græci manus poteſtatem interpretantur. Dimidium autem eiuſdem verſiculi. Et præcipit ei, vt rurſus adueniat.] Quod noſter dixit, adueniat, Hebraicum habet במפגיע bemaphgia, in occurrente, vel orante, aut occurſu, vel oratione. Præcipit ſuper ipſa luce propter orãtem,

tem, aliquo viro ſancto deprecante, fugiunt vaſto æthere nimbi. Hoc Chaldæus tranſtulit. Et D præcipit ſuper ipſa למיחת מטול מצלי lemechath metul mezale. Vt deſcendat propter orantem. Auen Eſra vero ſuperiorem vocem exponit הגשם haghèshem, id eſt pluuiam, Quid ſentiat non video. Superiora clarent. Gerſonites quoq; nihil non dicit, ſed nimium violenta, coactaque. Placet igitur etiam, quod tranſtulit Hierony. Sept. tranſtulerunt, vt ſuperius diximus ἐνετείλατο περὶ αὐτῆς ἐν ἀπαντῶντι. Et præcepit de ea, in occurrente. Quod cùm eſſet obſcurum, Symmachus clarius, quem ſecutus eſt Hieronymus tranſtulit καὶ ἐπιτάξει αὐτῷ, ὥστε ἀπαντῆσαι. Et præcepit ei, vt occurrat. Præcepit ſcilicet luci, lumini, vt adueniat.

Tunc me diſcuſſa liquerunt nocte tenebræ.

Is verus ſenſus, non alius. Quodque ſequitur. Annuntiat de ea, amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit.] Hoc totum Hebraicè habet. Annuntiabit ſuper ea רעו rehò, nempe amico ſuo. Sed ſciendum, eandem vocem ab Auen Eſra exponi תרועתו והוא הרעם theruathò, vehe haaram. Tonitrum, ſtrepitum ſuum, & eſt tonitrus. Deſignat igitur ea vox non modo amicum ſuum, ſed etiam rumorem, fragorem. Cæteri, & Græci, & Hebræi, & Chaldæus, exponunt pro amico, ſocio. Sed ſocium Gerſonites aliud vaporis genus interpretatur, quaſi ſocium, amicumque nebulæ. Mihi vehementer arridet expoſitio Auen Eſræ, propter ſubſequentia. Dicitur ergo in verſiculo. Annuntiabit ſuper ipſa nube, fragorem ſuum. Faciet, ait, exaudiri inter nubes fragorem. Dat, ſcilicet Deo ſolitum Poetis epitethon altitonans ὑψιβρεμέτα, indicantq; ſequentia eiuſmodi ſenſum. Nanq; pro eo, quod dicitur ab interprete noſtro, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eandem poſſit aſcendere, Hebraicè eſt מקנה אף על עולה micnè aph al olè. Indignatio, furor ſuper aſcendente. Ecce declarat ſtrepitum, fragorem inter nubes. Vocat eum furorem, indignationem. Aſcendentem E autem vocat nubem excelſam, raptatamque ventis, diſcuſſam, eliſamque, inter æſtum, friguſque diſciſſam. Clarius eſt igitur verſiculus, quo dicitur. Annuntiabit ſuper ipſa nube, fragorem ſuum, furorem, indignationem, ſuper aſcendente. Sciendum autem vocem מקנה micnè, poſſe deſignare poſſeſſorem, à verbo chanà, vnde Chàin poſſeſſio. Eſt eiuſdem vocis alius ſignificatus. Zelus, indignatio: Hocq; tranſtulit Symmachus, ζῆλον περὶ ἀδικίας. Indignationem, pro iniquitate. Tranſtulit autem Symmachus, iniquitatem, quod Hebraicè eſt עולה holè, quod ſonat aſcendentem, ſonat etiam iniquitatem. Ideo iuxta Symmachum, poſſet eſſe ſenſus. Annuntiabit fragorem, fulmenque ſuum demittet, furorem, indignationem contra peccatorem. Torquebit in ſceleratos ſua fulmina.

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Et quod Latinus Poeta.

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis, ad lumina ſurgere vitæ.
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad vndas.

Simile quid dicitur hoc loco iuxta editionem Symmachi, quæ forte vera eſt. Ecce igitur in hoc verſiculo, magna eſt vocum amphibologia, & πολύσημον. Vna vox רעו reò, ſonat amicum ſuum, F & fragorem ſuum. Altera מקנה micnè, ſonat poſſeſſorem, & zelum, indignationem, eoque modo tranſtulit eam Chaldæus, ponens clariorem רוגזא ruhzà. Tertia עולה olè, deſignat, aſcendentem, & iniquitatem. Hæc æquiuocatio facit varietatem editionum. Sed omnibus adhibitis, eligenda ſunt meliora, ac potiora.

CAPVT XXXVII.

SVper hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.] Proſequitur Eliu miracula. His ait miraculis naturæ conſideratis, obſtupui, quale veri Philoſophi, qui cunctis perſpectis exclamarunt. O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Quod vero ſequitur. Audiet auditionem in terrore vocis ſuæ, & ſonum de ore illius procedentem.] Hebraicè שמעו ſcimhù inuitat. Audite auditionem. Vocem autem eius, & ſonum de ore eius, Hebræi tonitrum, fragoremque ſupernum interpretantur. Græci ſimile quid, ex ira diuina contra mortales deſuper allatas clades conſiderandas, nempè fulmina, nimbos, coruſcationes, ventos: idque genus meteora. Quę fermè concordant cum Hebræis. Explicat apertius quid ſentiat. Subter omnes cęlos ipſe conſiderat, & lumen eius vſque ad extremum terræ.] Hoc Hebræi referunt ad fulmina, coruſcationes, propter antecedentia, & ſubſequentia. Nam ſequitur. Poſt eum rugiet ſonitus.] Atque hoc in miraculis Dei recenſetur, quòd, vt ait Gerſonites duplex miraculum appareat in fulmine: naſci, gigni inter nubes aquoſas ignem, ſubitoq; inflammari in regnis aquoſis: alterum cuius natura ſit aſcendere, contra præcipitare in terras. Hoc prodigium. Fuerunt ex Hebræis, qui lumen hoc, Dei lumen, claritatem, diuinitatem, quæ per omnes terras commeet, & decurrat, interpretarentur, quod Abrahæ propter ſuperiores & inferiores verſiculos, minime placet. In his etiam Nicolaus eſt. In Græcis non eſt is ſenſus. Lumen eius igitur ſenties coruſcationes, fulgura: Sed

A verbum quod noſter tranſtulit, conſiderat, Hebraicè ישרהו ishrèhu. Deſignat etiam rectitudinem, directionem eius, vt dicat. Subter omnes cęlos rectitudo eius, ſcilicet fulminis. Dirigitur, ait, fulmen ſubter omne cęlum: cęlitus in terras impetu vaſto fertur rapidum fulmen. Hoc etiam tranſtulit Chaldæus ponens loco eius תריצותיה therizuthèe, rectitudinem eius. Sunt alij vocis eiuſdem, quos affert Auen Eſra, & Gerſonites, ſignificatus: ſed hi vero propiores, minuſque coacti, vt vel deſignet rectitudo eius, vel conſiderat, intuetur, poteritq; id etiam de fulmine dici, quòd ſeſe oſtendat terris, videatur. Nec eſt ſubter omnes cælos, in fonte, ſed tantum ſubter cælum. De lumine diuino, non credo intelligi poſſe, propter ea, quæ ſequuntur. Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inueſtigabitur cùm audita fuerit vox eius.] Vocem magnitudinis ſuæ ſenties, vocem, fragorem vaſtum nubium colliſarum, qua nulla vox terribilior, potentior. Quod autem dicit. Et non iueſtigabitur.] Hebraicè יעקבם ieachebèm, non tardabit eas, iuxta expoſitionem Auen Eſræ, & Gerſonitæ. Non tardabit ſcilicet voces illas horribiles. Simul coruſcat, ſimul vox horribilis auditur. Nulla mora, imò verò cum lumine fragor vno, eodemq; tempore frangitur, ſed oculus præcurrit ad lumen, auris non poteſt præcurrere, expectat ad ſe per aera, traiicientem fragorem. Dicendum igitur. Et non tardabit כי ישמע קולו chi ishamàch colò. Quia audietur vox eius. Subijcit eandem ſententiam, vt ſolet ſæpiſſimè. Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter.] Proſequiturque omnia miracula, cum primis, ea quæ ſublimibus locis, ob quam cauſam Græcè dicuntur μετέωρα, gignuntur, nix, tonitru, fulmen, pluuia, nimbus, imber. Imbrem autem fortitudinis ſuæ dicit, imbrem fortiſſimum, vehementem, proceſſioſum. Quod autem ſequitur. Qui in manu hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua.] Quod noB ſter interpres tranſtulit ſignat, Hebraicè eſt יחתום iachtòm. Hoc autem duo denotat, aut ſignat, ſigillat, aut claudit, abſcondit. Et quod dicitur in noſtra tralatione, vt nouerint ſinguli opera ſua, dicitur Hebraicè לדעת ladàath, ad cognoſcendum. Duos igitur habet ſenſus iuxta expoſitionem Hebræorum. Locutus erat de nimbis, de pluuia vehementi. Tunc, inquit, cùm pluuia magna per agros decurrit, præcipiteſque cadunt, ex æthere nimbi, auferuntque hominum, boumque labores. Tunc claudit, prohibet homines exire ad opera ſua cognoſcenda. Coguntur domi ſedere. Atque Rabi Gerſon exponens ſupradictum verbum יחתום iachtòm, interpretatur, יסגור ויחתום עד שלא יוכל איש לצאת לחוץ מרוב המטר Iſgòr, veiſtòm, adshelò iuchàl ish, lazèth lachùz, meròb hamatàr. Quæ ſunt, prohibet, vetat, vt non poſſit exire quiſquam extra, propter ingentem pluuiam. Similiter Auen Eſra, ipſa pluuia, inquit, prohibet eos exire ad cognoſcendum opera ſua in agris, cultus agrorum ſuorum. Is eſt vnus ſenſus. Alter eſt, vt dicat ipſum Deum omnipotentem deſignare in manu vniuſcuiuſq; opera ab eis gerenda, ponere in libertate, poteſtateque illorum, quæ dicitur Hebraicè manus, quid operentur, quid velint. Hoc autem nunc, vbi ſermo fit de pluuia, vt doceat ex pluuia dari facultatem, poteſtatemque hominibus ſerendi, colendique agros, iuxta illud, quòd alibi dicitur. Si audieritis, dabo pluuiam in terris veſtris. Hac opinione propoſita, Auen Eſra magnus apud Hebræos interpres ſubiicit. Mihi, inquit, videtur, de ſemente, de ſatu agrorum loqui hoc loco, quia poſt pluuiam, ſeminant homines. Et Deus deſignat in manu cuiuſque quid futurum ſit ex ſemine. Ecce duos habes apud Hebræos, quibus linguæ ſuæ proprietas notiſſima eſt, ſenſus: eoſq; bonos, & veros. His expoſitionibus aſſentiens Nicolaus, ſequenſq; ea, quæ dixit Auen Eſra teſtatur, per manum, quæ eſt organum organorum, deſignari potentias C operatiuas. Huic ipſi manui, & his potentiis operatoriis, temporum varietates Deum aſſignare. Facultatibus operationibuſque noſtris Deum, ſigna quædam rerum gerendarum dediſſe: eoque Moyſes, ait, ſidera Deum feciſſe, vt eſſent in ſigna, tempora. Sic alibi teſtatur. A ſignis cęli nolite timere. Et circulus per quem Sol decurrens, efficit anni varietates, temporaque rerum gerendarum terris oſtendit, vocatur ſignifer. Taurus, Virgo, Capricornus, reliquique ex duodecim, ſigna dicuntur, quòd his naſcentibus, aut occidentibus in terris tempora variantur, ſignaque dantur mortalibus rerum gerendarum. Poeta quoque noſter, hæc ſigna cecinit.

Sol quoque, & exoriens, & cùm ſe condet in vndis
Signa dabit.

Dat igitur (dicit diuina ſcriptura) Deus ſigna cęleſtia in poteſtate noſtra: deſignat manibus noſtris, quando operentur: oſtendit manibus noſtris ſigna de cęlo, ſigna ſerendi, ſigna pluuiarum: quæ vates doctiſſimus in ſuis Georgicis copioſe proſecutus eſt. Is quoq; verus ſenſus. Græci priorem, quem Gerſonites Hebræus poſuerat, ſequuntur. Namque Sept. ſic ediderunt ἐν χειρὶ παντὸς ἀνθρώπου κατασφραγίζει. In manu omnium hominum ſigillat. Quid autem hoc denotet, docent Græci, è quibus Apollinarius, & Olympiodorus ὁ χειμὼν φησὶ κατασφραγίζει καὶ οἱονεὶ καταδεσμεῖ τῶν ἀνθρώπων τὰς χεῖρας, καὶ τῶν ἔργων ἀποκωλύει, ἵνα γνῷ πᾶς ἄνθρωπος τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν. Tempeſtas, inquit, hyemſque ſigillat, & quaſi ligat, deuincit manus hominum, & ab operibus prohibet: vt vnuſquiſque imbecillitatem ſuam intelligat. Vides quemadmodum locum interpretentur. Ex omnibus igitur hiſce propoſitis interpretationibus, quas ego volens, prudenſque addidi, poteſt conuinci, refelli, irrideri, non modo ſcelerata, impiaque, ſed falſiſſima, vaniſſima quorumdam ſupeſtitio, qui Chiromantiæ propter ſummam mentis imbecillitatem fauentes, tem, aliquo viro ſancto deprecante, fugiunt vaſto æthere nimbi. Hoc Chaldæus tranſtulit. Et D præcipit ſuper ipſa למיחת מטול מצלי lemechath metul mezale. Vt deſcendat propter orantem. Auen Eſra vero ſuperiorem vocem exponit הגשם haghèshem, id eſt pluuiam. Quid ſentiat non video. Superiora clarent. Gerſonites quoq; nihil non dicit, ſed nimium violenta, coactaque. Placet igitur etiam, quod tranſtulit Hierony. Sept. tranſtulerunt, vt ſuperius diximus καὶ ἐνετείλατο περὶ αὐτῆς ἐν ἀπαντῶντι. Et præcepit de ea, in occurrente. Quod cùm eſſet obſcurum, Symmachus clarius, quem ſecutus eſt Hieronymus tranſtulit καὶ ἐπιτάξει αὐτῷ, ὥστε ἀπαντῆσαι. Et præcepit ei, vt occurrat. Præcepit ſcilicet luci, lumini, vt adueniat.

Tunc me diſcuſſa liquerunt nocte tenebræ.

Is verus ſenſus, non alius. Quodque ſequitur. Annuntiat de ea, amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit.] Hoc totum Hebraicè habet. Annuntiabit ſuper ea רעו rehò, nempe amico ſuo. Sed ſciendum, eandem vocem ab Auen Eſra exponi תרועתו והוא הרעם theruathò, vehe haaram. Tonitrum, ſtrepitum ſuum, & eſt tonitrus. Deſignat igitur ea vox non modo amicum ſuum, ſed etiam rumorem, fragorem. Cæteri, & Græci, & Hebræi, & Chaldæus, exponunt pro amico, ſocio. Sed ſocium Gerſonites aliud vaporis genus interpretatur, quaſi ſocium, amicumque nebulæ. Mihi vehementer arridet expoſitio Auen Eſræ, propter ſubſequentia. Dicitur ergo in verſiculo. Annuntiabit ſuper ipſa nube, fragorem ſuum. Faciet, ait, exaudiri inter nubes fragorem. Dat, ſcilicet Deo ſolitum Poetis epithethon altitonans ὑψιβρεμέτα, indicantq́; ſequentia eiuſmodi ſenſum. Nanq; pro eo, quòd dicitur ab interprete noſtro, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eandem poſſit aſcendere, Hebraicè eſt מקנה אף על עולה micnè aph al ólè. Indignatio, furor ſuper aſcendente. Ecce declarat ſtrepitum, fragorem inter nubes. Vocat eum furorem, indignationem. Aſcendentem autem vocat nubem excelſam, raptatamque ventis, diſcuſſam, eliſamque, inter æſtum, friguſque diſciſſam. Clarius eſt igitur verſiculus, quo dicitur. Annuntiabit ſuper ipſa nube, fragorem ſuum, furorem, indignationem, ſuper aſcendente. Sciendum autem vocem מקנה micnè, poſſe deſignare poſſeſſorem, à verbo chanà, vnde Chàin poſſeſſio. Eſt eiuſdem vocis alius ſignificatus. Zelus, indignatio: Hocq; tranſtulit Symmachus, ζῆλον περὶ ἀδικίας. Indignationem, pro iniquitate. Tranſtulit autem Symmachus, iniquitatem, quod Hebraicè eſt עולה holè, quod ſonat aſcendentem, ſonat etiam iniquitatem. Ideo iuxta Symmachum, poſſet eſſe ſenſus. Annuntiabit fragorem, fulmenque ſuum demittet, furorem, indignationem contra peccatorem. Torquebit in ſceleratos ſua fulmina.

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Et quod Latinus Poeta.

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis, ad lumina ſurgere vitæ.
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad vndas.

Simile quid dicitur hoc loco iuxta editionem Symmachi, quæ forte vera eſt. Ecce igitur in hoc verſiculo, magna eſt vocum amphibologia, & πολύσημον. Vna vox רעו reò, ſonat amicum ſuum, F & fragorem ſuum. Altera מקנה micnè, ſonat poſſeſſorem, & zelum, indignationem, eoque modo tranſtulit eam Chaldæus, ponens clariorem רוגזא ruhzà. Tertia עולה olè, deſignat, aſcendentem, & iniquitatem. Hæc æquiuocatio facit varietatem editionum. Sed omnibus adhibitis, eligenda ſunt meliora, ac potiora.

CAPVT XXXVII.

SVper hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.] Proſequitur Eliu miracula. His ait miraculis naturæ conſideratis, obſtupui, quale veri Philoſophi, qui cunctis perſpectis exclamarunt. O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Quod vero ſequitur. Audiet auditionem in terrore vocis ſuæ, & ſonum de ore illius procedentem.] Hebraicè שמעו ſcimhù inuitat. Audite auditionem. Vocem autem eius, & ſonum de ore eius, Hebræi tonitrum, fragoremque ſupernum interpretantur. Græci ſimile quid, ex ira diuina contra mortales deſuper allatas clades conſiderandas, nempè fulmina, nimbos, coruſcationes, ventos: idque genus meteora. Quę fermè concordant cum Hebræis. Explicat apertius quid ſentiat. Subter omnes cęlos ipſe conſiderat, & lumen eius vſque ad extremum terræ.] Hoc Hebræi referunt ad fulmina, coruſcationes, propter antecedentia, & ſubſequentia. Nam ſequitur. Poſt eum rugiet ſonitus.] Atque hoc in miraculis Dei recenſetur, quòd, vt ait Gerſonites duplex miraculum appareat in fulmine: naſci, gigni inter nubes aquoſas ignem, ſubitoq; inflammari in regnis aquoſis: alterum cuius natura ſit aſcendere, contra præcipitare in terras. Hoc prodigium. Fuerunt ex Hebræis, qui lumen hoc, Dei lumen, claritatem, diuinitatem, quæ per omnes terras commeet, & decurrat, interpretarentur, quod Abrahæ propter ſuperiores & inferiores verſiculos, minime placet. In his etiam Nicolaus eſt. In Græcis non eſt is ſenſus. Lumen eius igitur ſenties coruſcationes, fulgura: Sed

verbum

A verbum quod noſter tranſtulit, conſiderat, Hebraicè ישרהו ishrèhu. Deſignat etiam rectitudinem, directionem eius, vt dicat. Subter omnes cęlos rectitudo eius, ſcilicet fulminis. Dirigitur, ait, fulmen ſubter omne cęlum: cęlitus in terras impetu vaſto fertur rapidum fulmen. Hoc etiam tranſtulit Chaldæus ponens loco eius תריצותיה therizuthèe, rectitudinem eius. Sunt alij vocis eiuſdem, quos affert Auen Eſra, & Gerſonites, ſignificatus: ſed hi vero propiores, minusq́ue coacti, vt vel deſignet rectitudo eius, vel conſiderat, intuetur, poteritq́; id etiam de fulmine dici, quòd ſeſe oſtendat terris, videatur. Nec eſt ſubter omnes cælos, in fonte, ſed tantum ſubter cælum. De lumine diuino, non credo intelligi poſſe, propter ea, quæ ſequuntur. Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inueſtigabitur cùm audita fuerit vox eius.] Vocem magnitudinis ſuæ ſenties, vocem, fragorem vaſtum nubium colliſarum, qua nulla vox terribilior, potentior. Quod autem dicit. Et non iueſtigabitur.] Hebraicè יעקבם ieachebèm, non tardabit eas, iuxta expoſitionem Auen Eſræ, & Gerſonitæ. Non tardabit ſcilicet voces illas horribiles. Simul coruſcat, ſimul vox horribilis auditur. Nulla mora, imò verò cum lumine fragor vno, eodemq́; tempore frangitur, ſed oculus præcurrit ad lumen, auris non poteſt præcurrere, expectat ad ſe per aera, traiicientem fragorem. Dicendum igitur. Et non tardabit כי ישמע קולו chi ishamàch colò. Quia audietur vox eius. Subijcit eandem ſententiam, vt ſolet ſæpiſſimè. Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter.] Proſequiturq́ue omnia miracula, cum primis, ea quæ ſublimibus locis, ob quam cauſam Græcè dicuntur μετέωρα, gignuntur, nix, tonitru, fulmen, pluuia, nimbus, imber. Imbrem autem fortitudinis ſuæ dicit, imbrem fortiſſimum, vehementem, proceloſum. Quod autem ſequitur. Qui in manu hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua.] Quod noſter

B interpres tranſtulit ſignat, Hebraicè eſt יחתום iachtòm. Hoc autem duo denotat, aut ſignat, ſigillat, aut claudit, abſcondit. Et quod dicitur in noſtra tralatione, vt nouerint ſinguli opera ſua, dicitur Hebraicè לדעת ladàath, ad cognoſcendum. Duos igitur habet ſenſus iuxta expoſitionem Hebræorum. Locutus erat de nimbis, de pluuia vehementi. Tunc, inquit, cùm pluuia magna per agros decurrit, præcipiteſque cadunt, ex æthere nimbi, auferuntq́ue hominum, boumq́ue labores. Tunc claudit, prohibet homines exire ad opera ſua cognoſcenda. Coguntur domi ſedere. Atque Rabi Gerſon exponens ſupradictum verbum יחתום iachtòm, interpretatur, יסגור ויסתום עד שלא יוכל איש לצאת לחוץ מרוב המטר Iſgòr, veiſtòm, adshelò iuchàl ish, lazèth lachùz, meròb hamatàr. Quæ ſunt, prohibet, vetat, vt non poſſit exire quiſquam extra, propter ingentem pluuiam. Similiter Auen Eſra, ipſa pluuia, inquit, prohibet eos exire ad cognoſcendum opera ſua in agris, cultus agrorum ſuorum. Is eſt vnus ſenſus. Alter eſt, vt dicat ipſum Deum omnipotentem deſignare in manu vniuſcuiuſq; opera ab eis gerenda, ponere in libertate, poteſtateq́ue illorum, quæ dicitur Hebraicè manus, quid operentur, quid velint. Hoc autem nunc, vbi ſermo fit de pluuia, vt doceat ex pluuia dari facultatem, poteſtatemq́ue hominibus ſerendi, colendiq́ue agros, iuxta illud, quòd alibi dicitur. Si audieritis, dabo pluuiam in terris veſtris. Hac opinione propoſita, Auen Eſra magnus apud Hebræos interpres ſubiicit. Mihi, inquit, videtur, de ſemente, de ſatu agrorum loqui hoc loco, quia poſt pluuiam, ſeminant homines. Et Deus deſignat in manu cuiuſque quid futurum ſit ex ſemine. Ecce duos habes apud Hebræos, quibus linguæ ſuæ proprietas notiſſima eſt, ſenſus: eoſq́; bonos, & veros. His expoſitionibus aſſentiens Nicolaus, ſequenſq́; ea, quæ dixit Auen Eſra teſtatur, per manum, quæ eſt organum organorum, deſignari potentias

C operatiuas. Huic ipſi manui, & his potentiis operatoriis, temporum varietates Deum aſſignare. Facultatibus operationibusq́ue noſtris Deum, ſigna quædam rerum gerendarum dediſſe: eoq́ue Moyſes, ait, ſidera Deum feciſſe, vt eſſent in ſigna, tempora. Sic alibi teſtatur. A ſignis cęli nolite timere. Et circulus per quem Sol decurrens, efficit anni varietates, temporaq́ue rerum gerendarum terris oſtendit, vocatur ſignifer. Taurus, Virgo, Capricornus, reliquiq́ue ex duodecim, ſigna dicuntur, quòd his naſcentibus, aut occidentibus in terris tempora variantur, ſignaq́ue dantur mortalibus rerum gerendarum. Poeta quoque noſter, hæc ſigna cecinit.

Sol quoque, & exoriens, & cùm ſe condet in vndis
Signa dabit.

Dat igitur (dicit diuina ſcriptura) Deus ſigna cęleſtia in poteſtate noſtra: deſignat manibus noſtris, quando operentur: oſtendit manibus noſtris ſigna de cęlo, ſigna ſerendi, ſigna pluuiarum: quæ vates doctiſſimus in ſuis Georgicis copioſe proſecutus eſt. Is quoq; verus ſenſus. Græci priorem, quem Gerſonites Hebræus poſuerat, ſequuntur. Namque Sept. ſic ediderunt ἐν χειρὶ παντὸς ἀνθρώπου κατασφραγίζει. In manu omnium hominum ſigillat. Quid autem hoc denotet, docent Græci, è quibus Apollinarius, & Olympiodorus ὁ χειμὼν φησὶ κατασφραγίζει καὶ οἱονεὶ καταδεσμεῖ τῶν ἀνθρώπων τὰς χεῖρας, καὶ τῶν ἔργων ἀποκωλύει, ἵνα γνῷ πᾶς ἄνθρωπος τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν. Tempeſtas, inquit, hyemsq́ue ſigillat, & quaſi ligat, deuincit manus hominum, & ab operibus prohibet: vt vnuſquiſque imbecillitatem ſuam intelligat. Vides quemadmodum locum interpretentur. Ex omnibus igitur hiſce propoſitis interpretationibus, quas ego volens, prudenſq́ue addidi, poteſt conuinci, refelli, irrideri, non modo ſcelerata, impiaq́ue, ſed falſiſſima, vaniſſima quorumdam ſupeſtitio, qui Chiromantiæ propter ſummam mentis imbecillitatem fauentes, ei petunt, aucupanturque fauorem ex ſacris litteris, non modo inepti, quia talem ſuperſtitionem D profitentur, ſed etiam quia volunt ſacras litteras, quas peruerſe intelligunt, & interpretantur, de ea fuiſſe locutas. Omnes enim hæreſes olim ſimili morbo laborantes, impietates ſuas, falſis ſacrarum litterarum interpretationibus adiuuabant, colorabant. Nemo igitur, vt vidimus, neque Hebræorum, neque Græcorum, neque Latinorum, locum hunc ſic intellexit, aut expoſuit, vt diceret Deum poſuiſſe in manu noſtra ſigna Chiromantiæ: quod Hebræi, quos vbiq; ſuperſtitioſos deprehendas, & apud quos Chiromantia celebris eſt, maxime arripuiſſent, ſi vidiſſent eiuſmodi quippiam prætendi. Chiromantia vaniſſima ſuperſtitio, de qua neque Plato, nec Ariſtoteles, nec Philoſophus bonus vnquam, vel verbum quidem fecit. Quod Ariſtoteles de longis, aut breuibus lineis manuum locutus eſt, hi ad omnes lineas, operationesque humanas, magna ſuperſtitione, retulerunt. Sed his omiſſis, Cætera proſequamur. Ingredietur beſtia latibulum ſuum.] Ex hoc, ſuperiorem Græci, Hebræique expoſitionem, quòd ſignat, ſigillat, ligat manus Deus, niue, vel pluuia cadente, poſuerunt. Fugiunt enim etiam ad antra, ſpeluncaſque ſuas feræ. Quod dicitur. Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab arcturo frigus.] Interiora quemadmodum ſuperius, ſunt interiora auſtri. Ab imis auſtri partibus, à polo antarctico, nobis incognito fertur pluuioſus auſter, madeſcuntque maria, & terræ noſtræ, collectis nubibus aquoſis, ab auſtro. Gerſonites non male, hæc interiora exponit, interiora nubis madidæ, è qua ventus erumpit, incluſis intus vaporibus contrariis. Ad priorem ſenſum tranſtulerunt Septuag. ἀπὸ ταμιῶν ἐπέρχονται ὀδύναι. A theſauris, à penitiſſimis partibus, dolores veniunt. Dolores appellant aliene nimis, tempeſtatem. Pro eo autem, quòd noſter dixit, arcturum, Hebraicè eſt מזרים mezarim. Multæ ſunt, huius vocis apud Hebræos expoſitiones, quas vbi propoſuiſſet Auen Eſra, demum, ait, ſibi placere, ſtellas eſſe, quemadmodum inferius apparebit, vbi dicitur: Nunquid E educes, proferes arcturum in tempore ſuo? Hæc expoſitio eſt ſenſus interpretis noſtri. Græci nil tale. Gerſonites, quia mezarim poteſt, Hebraicè deſignare diſſipantes, à verbo זרה zarà, putat appellari, deſignarique ventos boreales, aquiloneſque; qui diſſipant propelluntque nubes, clareſcitque cęlum. Ab his aquilonibus frigus efficitur. Vterque ſenſus mihi probatur, ſuas habet rationes. Nam Auen Eſra teſtatur quoſdam putare hac voce deſignari partem Septentrionalem. Quod autem proſequitur. Flante Deo, concreſcit gelu, & rurſum latiſſime funduntur aquæ.] Hebraicè dicitur. A flatu, Deus dabit frigus. Nempè ſpirante Borea, quem Deus autor omnium ſpirare dedit, frigus, gelu, glacies concreſcit. Sunt, qui flatum Dei, voluntatem eius interpretentur, non male. Dimidium autem eiuſdem verſiculi. Et rurſum latiſſime diffunduntur. Hebraicè dicitur. Et latitudinem aquarum במוצק bemuzach. Hanc vocem exponunt, Auen Eſra quidem terram, quæ ſit tanquam punctum in medio orbium cæleſtium. At Gerſonites ſentit hanc vocem deſignare, vt certe deſignat, anguſtiam, locum anguſtum, ſicut dicebat etiam Auen Eſra, de puncto terræ. Senſum autem vult eſſe, vt dicatur. Et latitudinem aquarum in anguſto: hoc autem fieri, quando gelaſcit ros, fitque pruina, vt ſit ſermo de glacie & pruina, quæ ex multa aqua, in anguſtum coarctantur. Hæc cùm ex ſuorum verborum, quam habent perſpectiſſimam, proprietate colligant, nobis vehementer probantur: vt vel dicat Deum demittere latitudinem aquarum in terram, quæ nunc dicitur muzach, vel congelationem facere pruinæ. Quod vero proſequitur, Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.] Quod noſter dixit frumentum, Hebraicè ברי beri, deſignat clarum, purum, perlucidum. Et quòd dixit, deſiderat, eſt F ישריח iatriach, laborare faciet. Ac primum dicit, puritas & ſerenum, ſudumque cœlum laborare faciet nubes, nempè diſſipabit, differet, inutiles eſſe coget nubes: quoniam fit ſæpe, vt nubes collectæ toto cęlo, ad effundendas in terras pluuïas, nihil effundant, repentina ſerenitate cunctas diffundente, purgante. Serenitas igitur, tempuſque ſerenum, purum, laborare faciet, turbabit nubes: Fugiunt vaſto æthere nimbi. Ideo ſubiicit. Et nubes ſpargunt lumen ſuum.] Apertæ ſcilicet, patefactæ, purgatæ grauibus nimbis. Hæc expoſitio, Hebræorum eſt, eaq; bona. Sciendum tamen, vocem ſupradictam, quam Hierony. tranſtulit frumentum, non ſolum deſignare, purum vt diximus, verum etiam, vt tranſtulit Hierony. frumentum: vt illud in pſalmo. Erit frumentum in montibus, vbi eſt præſens vox. Ac quod Hierony. dixit, Deſiderat. Credendum eſt potius eum tranſtuliſſe, iuxta tralationem Symmachi, quem ſæpiſſimè ſequitur, irrigat, vt dicat. Frumentum irrigat nubes. Aquoſa nubes irrigat, fœcundat frumentum. Nam Symmachus, quem Hieronymus hoc loco ſecutus eſt, ſic tranſtulit

Ἀλλὰ καὶ καρπῷ ἐπιβρίσει νεφέλη.

Sed, & frumento, ſiue frugibus nubes impendebit. Exponuntque hoc Græci ἐπελεύσεται ἐπιχυθήσεται. Superueniet, ſuperfundetur. Is etiam ſenſus mihi probatur, quoniam duo contraria videtur poſuiſſe, primum cùm nubes demittunt flumina cęlo, implentur foſſæ, ſternunt ſata læta, boumq; labores. Sic dici poterit, quòd nubes aquoſa, madida, quæ nimbos in terram demittit, laborare faciet ſegetes, quas irrigat affatim, & in terras decumbere cogit. Alterum vbi terris ſerenitas redditur. Sept. quoniam eadem vox ברי beri, deſignat etiam electum, nempè purum, præclarum, tranſtulerunt ἐκλεκτὸν καταπλήττει νεφέλη. Electum obſtupefacit nubes. Sed Græci electum iuxta tralationem Symmachi, ſentiunt frumentum καρπὸν ſegetes, fruges. Nicolaus expoſuit

poſuit, natulariter deſiderare nubes frumentum, quia finis earum ſit irrigare ſata. Hoc & ſi verum, nimis remotum. Proſequitur. Quę luſtrant cuncta per circulum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit.] Hoc deſignat epitheton magnorum Poetarum νεφεληγερέτα. Et Serenator, Et

Vultu quo cœlum, tempeſtatesque ſerenat. Et,

Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris.

Quod autem noſter dicit, Siue in vna tribu, ſiue in terra ſua.] Quod dixit. in vna tribu, Hebraicè eſt, לשבט leshèbet, Hæc vox shebet, ſonat quidem tribum, ſed etiam ſceptrum, virgam, flagellum. Quocirca etiam præter ſenſum tralationis noſtræ, poteſt alius eſſe, quem etiam Sept. apud Græcos ediderunt, vt dicat. Siue ad flagellum, ſiue in terram ſuam pro flagello. Sept. παιδείαν, eruditionem, correctionem: Sicque Græci optime ſentiunt has pluuias, nimboſque ingentes, interdum dari diuinitus ad vtilitatem, interdum ad correctionem peccatorum: quando ſæpe ſternunt ſata læta boumque labores. Et ſpes interit anni. Grando ſæpe tollit vinum, pariter cum frumento, tollit oleum. Hæc ad emendationem diuinitus, eoq; interdum לשבט leshebet ad flagellum, caſtigationem, interdum לחסד lacheſed, ad miſericordiam, beneficium. Quod ſi dixerit in vnam tribum, deſignabit particularem terrę virorum bonorum irrigationem. Poſtremus ſenſus proponitur ab Auen Eſra ad flagellum, exponens להשחית הזרע lehaſchìth hazera, ad corrumpendas ſementes. Exinde inuitat eum, ad rerum, quas dicturus eſt, contemplationem. Nunquid ſcis, quando præceperit Deus pluuijs, vt oſtenderent lucem nubium eius?] Hebraicè ſic verius. Nunquid noſti quando Deus præceperit עליהם alehem, ſuper eis? Non ſunt igitur in Hebraico pluuiæ: referturque magis ad nubes, quàm pluuias: Eritque ſenſus. An percepiſti, an ea philoſophia tibi patefacta eſt, qua Deus congregat nubes, totoque mundo ſparſos vapores, ſubito collectos, oſtentat terris deſuper? Aut cùm diſiectis tenebris pluuiarum, ſerenat cælum, lucemque per medias nubes, quanquam inter nos, ſolemque obiectas, ſed nimbis exoneratas, demittit in terras late? Dic, ait, quonam id artificio fiat. Is eſt verus ſenſus. Nam ſenſus tralationis noſtræ quomodo ſtet, non video. Quomodo enim pluuiæ lucem oſtendant, cùm magis tenebris inhorreſcat cælum, cùm pluit? Superior autem ſenſus ab Auen Eſra, & alijs Hebræis proponitur. Pluuia nuſquam eſt in Hebraico. Symmachus quoque tranſtulit iuxta Hebraicum ἆρα γνώσει πότε ἔταξεν ὁ θεὸς περὶ αὐτῶν. Nunquid noſces quando Deus ordinauit, decreuit, ſuper ipſis? Proſequitur. Nunquid noſti ſemitas nubium magnas, & perfectas ſcientias?] Quod noſter dixit. Semitas, Hebraicè eſt מפלשי miphleſcè, quæ vox per aliam notiorem exponitur ab Hebræis מפרישי maphreshè, nimirum differentias, diſcrimina nubium. Hoc etiam tranſtulerunt Septuag. ἐπίσταται δὲ διάκρισιν νεφῶν. Nouit etiam diſcrimen nubium: Hocq; Græci ediſſerentes. Ille (aiunt) præſcribit, decernit, vt aliæ pluant, aliæ irrorent, aliæ ningant. Hoc ait, artificium, tu qui tantum inſoleſcas, vt iudicia Dei incuſes, noſti ne? Quanquam id fortaſſe, non ſit adeo difficile. Ecce Ariſtoteles homunculus, perinde vt omnes has differentias, cauſasq; rerum ſublimium, nouit, & explicuit. Sed multa deſunt, quorum cauſas nunquam ſcire poterunt mortales. Quas autem noſter dixit, perfectas ſcientias. Hebraicè, mirabilia, perfectas ſcientias. An ſcilicet noſti totam hanc altiſſimam, abſolutamque philoſophiam? Quod autem ſequitur. Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra auſtro?] Hebraicè dicitur. Quod veſtimenta tua calida ſint, cùm requieuit terra ab auſtro. Hoc Hebræi ad eam philoſophiam, bene prudenterque referunt, cùm Sol relictis partibus auſtralibus, cùm relictis antipodibus, accedit propius ad aquilonem, terriſq; in hemiſpherio noſtro, refert æſtatem, caloremque reducit. Requieſcit interim recreaturque à tantis ardoribus auſtralis orbis. Nunquid, ait, noſti Solis curſus, & quas Græci nuncupare ſolent τροπὰς; conuerſiones Solis, cùm ſe conuertit ad boream, deſerens capricornum, qui ſub profundo auſtro vltimas Zodiaci metas occupat? Tum ſe conuertit ad nos vſque ad Cancrum, extemploque facit, vbi huc peruenit, aliam conuerſionem ad antipodas? Quare non refertur hoc ad flatum auſtri, vt putat Nicolaus: potius & melius ad conuerſiones Solis annuas, propter verbum, quo dixit: Terra requieſcit ab auſtro: Sicque expoſuit ex parte Auen Eſra, & Gerſonites. Quanquam idem Auen Eſra, dat etiam hunc ſenſum. An vero caleſcent veſtimenta tua, ſi tellus quieſcit ab auſtro? Niſi flauerit auſter ſuper terra? Sed prior ſenſus magis mihi probatur. Proſequitur maiora. Tu forſitan cum eo fabricatus es cęlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt. Hebraicè proprie dicitur, extendiſti cum eo, לשחקים liſchachìm nubes, fortes, ſicut ראי מוצק rei muzàc, ſpeculum perlucidum. Atque Auen Eſra exponit hunc locum his verbis. Shechachìm, inquit, ſunt nubes, ſic appellatæ, quòd ſint aer extenuatus, eoque etiam dicuntur rachia, extenſio, diffuſio: ſubiacentque orbibus cęleſtibus: eſtque ſenſus. An tu auxiliaberis illi ad effundendas nubes, & ad efficiendas eas fortes, & vt ſint velut ſpeculum, eoque ex eis lumen tranſmittat in terras? Sic ille. Ecce vocem ſupradictam shechachìm, nō pro cęleſtibus orbibus, ſed pro nubibus leuiſſimis, candidis accepit. Fortes, & ſolidas, eas dicit, quaſi compactas, cohærentes inter ſe, non diſſipatas. At vero Gerſonites, quoniam shechachìm, & ſi ſit proprie nomen nubium, deſignat tamen etiam cęleſtes orbes, quemadmodum cęlum eſt nomen aeris, & item machinæ cęleſtis, expoſuit eam vocem, vt deſignet orbes, ſubſtantiamque cœleſtem: datque hunc ſenſum iuxta tralationem noſtram.

ſtram. An tu extendiſti cum eo cęlos, qui ſunt robuſti, duri, ſupremo robore, vt eorum compago nulla ratione diſſolui poſſit? Sunt igitur duo ſenſus, alter de nubibus, alter de ſubſtantia orbium cæleſtium, quem poſtremum ſenſum Hebræi, & Græci proponunt, & ediſſerunt. Illud vero, quod noſter dixit. Qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. Primum in noſtra editione vere poſitum eſt, quòd ſint ſolidiſſimi, iuxta Hebraicum חזקים chazachim. Sed pro ære melius Hebraicè, & clarius כראי מוצק chereì muzàc, tanquam aſpectus ſpeculi, tanquam ſpecies ſpeculi. Nam Chaldæus cui ſubſcribunt Hebræi, pro voce Hebraica muzàc, poſuit Latinam, neſcio qua ratione dicens. Quorum, inquit, aſpectus eſt כאספקלריא cheiſpaclarià, ſicut ſpeculum. Hinc pro ipſis Hebraicis vocibus obſcuris in textu Gerſonites poſuit clariores כמראה הניתך והוא כמראה של זכוכית שהיא ספירית Quæ ſunt, Sicut aſpectus fuſibilis. Et ipſe eſt ſicut aſpectus cryſtalli, aut vitri, qui eſt ſapphirinus, & per quem traijcit lux. Ecce omnes, vocem Hebraicam muzàc, quæ deſignat rem fuſam, liquabilem, à verbo נצק nazàc, non referunt ad æs, ſed eam potius materiam, quæ dicitur Græcè διαφανὴς diaphana, tralucida, pellucida. Hæc materia cryſtallina eſt, inſtar ſapphiri. Huic ſenſui, & ſignificationi etiam Græci adhæſerunt. Nam Aquilas totum hunc locum cuius hic editionem proferunt, & ſequuntur, tranſtulit αὐτὸς ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν εἰς τροπὰς ἐν ἰσχυούσας ὡς ὅρασις συγχύσεως. Ipſe firmauit cœlum robuſta compage, velut aſpectus fuſionis. Quem ſenſum autem hæc habeant, Græci ſic exponunt. Senſus horum inquiunt. Ipſe à principio firmamentum fecit robuſtum, & firmum, ex fuſili, defluaque natura aquarum, ſuntque πῆξις καὶ κρυστάλλωσις. Congelatio quædam ad inſtar cryſtalli. Et quanquam gelata ſit aqua illa, atque compacta, ἀλλ᾽ ὅμως ἡ ὅρασις αὐτοῦ, ὡς ὅρασις ἐστὶν ἐπιχύσεως, τουτέστιν ὑδατικῆς, καὶ κεχυμένης οὐσίας. Attamen aſpectus eius, velut fuſionis eſt nempè aquaticæ, & fuſæ ſubſtantiæ. Ecce igitur omnes expoſuerunt vocem muzàc, rem effuſam, liquabilem: vt duas qualitates, opifex diuinus iuxta philoſophiam Eliu, orbi cęleſti addiderit: Duram, robuſtam, vnde vocat Homerus cęlum χαλκοβατὲς δῶ, domum, ſolum æratum ἀσφαλὲς, ſemper ſecuram, incorruptam: Hinc dicitur firmamentum. Altera qualitas, quod quanquam cęlum ſit robuſtum, ſolidum, eſt tamen perſpicuum, velut dura cryſtallus, aut adamas. Is eſt verior vocis illius ſenſus. Sed quoniam vox illa muzac, interdum ſignat rem liquabilem, duratam, compactam, poſſet ſtare ſenſus Hierony. vt dicatur. Robuſti ſunt cæli ſicut ſpecies æris. Nam æs funditur primum, inde dureſcit, vt Poeta,

Fluit æs riuis, aurique metallum.

Habes duos ſenſus. Prior à pluribus approbatur. Poſterior ab Hierony. Proſequitur vt nos ſimus magnis inſcitiæ tenebris obuoluti. Mortalia cuncta craſſis occultata, & circumfuſa tenebris, eoq; nos arcana Dei ſcrutari non poſſe. Quod autem dicit. Quis narrabit ei, quæ loquor? etiam ſi locutus fuerit homo, deuorabitur, at nunc non vident lucem.] Obſcura ſunt. Is autem ſenſus etiam iuxta Hebræos, & Hebraicum. An erit quiſpiam, qui referat Deo, te velle loqui cum eo? Sic enim dicitur Hebraicè. An narrabitur illi, quòd ego loquar? Hæc illa difficultas myſteriorum diuinorum: ſolus ille nouit, perſpectaque habet. Siquis hominum accedat velut ad oraculum ab eo docendus, quis erit nuntius proferens mandata, me foribus aſtare ſuſpenſum, reſponſa expectantem? Dixerat enim ſuperius, nos magnis tenebris obuolutos. Quod ſi voluerit, mortalis, imbecillus, ignarus, cum eo diſſerere, ad myſteriorum profunda penetrare, næ ille demens, cum periculo ſui capitis, id facturus. Deuorabitur, abſorbebitur, vt Plato diuinus ille de Deo, cum eſſe velut Solem, ſi procul cernas, videas, quoad fas eſt. Si propius accedas, calliges, tenebriſq; oculos obfuſos reportes. Sic prohibiti, ne montem propius contingerent, qui gloriam Dei vidiſſent, interficiendi. Hæc omnia præfatur nunc Eliu. Subijcit ſimilia. At nunc non vident lucem, ſubito aer cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.] Reuertitur ad meteora, paulò ante conuerſus per apoſtrophen ad Iob, & homines imbecillos, qui ſcire miracula, naturæque arcana prohibeantur. Non videri lucem in terris בהיר bahir, puram, vt eſt in textu. Nam pro ſubito aer cogetur in nubes, Hebraicè dicitur. Non vident lucem puram, claram הוא בשחקים hu bashechachim, quæ eſt in nubibus: lucem puram, quæ ſit in nubibus, in aere. Inhorreſcit, ait, interdum terra tenebris, nox atra polum circumuolat vmbra: tenebriſque denſiſſimus auſter, cogit vapores, terris eripiens lucem puram. Ecce autem ventus aduerſus exoriens, fugat cælo toto nubes, diemque reducit. Et claro cernes ſyluas aquilone moueri. Inculcat igitur eadem, atque ſuperius miracula: idque Hebræi, Græcique ſentiunt. Et quod ſubiicit. Ab aquilone aurum venit, & à Deo formidoloſa laudatio.] Pulcherrimè vocat aurum, vt ait Auen Eſra, ſerenitatem, candorem, puritatem cęli: quam pulſis nebulis parit terris aquilò. Et Sept. Græce tranſtulerunt ἀπὸ βορρᾶ νεφέλη χρυσαυγοῦντα. Ab aquilone nubes velut aurum candentes, lucentes. Ipſique Græci declarant vento aquilone cogi nubes micantes, puras. Sed de ſerenitate cæli, ſermo eſt, non nubibus, quas ex omni mundo fugat aquilo, propellens in auſtrum, mittenſque ad antipodas: dans illis pluuias, qui nobis ſerenum dediſſet. In contrarium auſter purgans hemiſphęrium inferius, terraſque antipodum ſerenans, ad nos quicquid vaporum, nubiumque vbique ſit remittens. Hoc diuinum artificium, nobis nox, illis dies, dies nobis, nox illis. Sic pluente nobis cęlo, ſerenus aer illis, tranſmiſſis ad nos totius mundi vaporibus. Ex aduerſo nubes, cęlo noſtro relicto, illic colliguntur. Quod

autem

A autem ait. A Deo formidoloſa laudatio.] Recte, prudenterque interpretantur Hebræi. Laudem Dei apparere terribilem, nempè admirabilem, ſtupendam, cùm Sol egreditur ſuper terras, aut ob omnia miranda opera eius. Tunc mortales admirantur, admirantes incipiunt philoſophari, & collaudare Deum ſummum, æternum opificem, cuius ſapientiæ nullus eſt finis: penes quem ſpes omnes noſtræ, cunctæ curæ, omnis admiratio. Quod autem ſequitur. Digne eum inuenire non poſſumus.] perorat ſuper maieſtate eius. Quod dixit: Digne, explicauit nomen diuinum שדי shadai, ſonat omnipotentẽ, ſonat etiam, quod Græcè αὐτάρκης ſibi ſufficiens, Hierony. quem non ſufficit os noſtrum laudare recte. Et quod dixit: Enarrari non poteſt, Hebraicè לא יענה lò ieanèh. Nõ reſpondebitur, non poterit enarrari. Aut non affliget, quia dicit eum iuſtum. Duo ſunt ergo ſenſus, propter ענה anàh. Cætera clarent, caligare mortales ad contemplationem eius.

CAPVT XXXVIII.

RElictis alijs perſonis, quoniam in infinitum ſermo proceſſiſſet, reſpondentibus inuicem & calumniantibus, neceſſario proponitur Deus, qui lites omnes, controuerſiasque diſſoluat, per caliginem, Iob alloquitur, quemadmodum, Moſi, & Eliæ, multisque alijs Prophetarum: namq́, Eliæ Prophetarum maximo, apparente Deo, præceſſit ventus, & tempeſtas. Sic in Moſe totus mons caligabat, coruſcationes videbantur, tonitruq́; tremiſcunt ardua terrarum. Hæc ſigna pompaq́; venturi Dei. Quod ex parte mortales, qui ſibi nomen quoq́; diuinum vſurparunt, imitari pulſare lebetes vaſtos, tonitrua columnis æreis mitti, ſtrepituſque magnos cieri iubent principe veniente. Allegoricè verò Auen Eſra, quòd hæc miracula, quæ recenſuit, aeria, ſunt, vt deſignetur æſtus, & turbo miſeriarum, quas perpeſſus Iob ſit. Sed primum præſtat. Quid B putes in ſua maieſtate veniente Deo? Reſpondit igitur ipſi Iob, quoniam ſermoni finis aliquis debebatur, de turbine, de caligine, de aere illo & tempeſtate, quam maieſtas eius, per viſum, & theoriam, expreſſerat. Quod dixit: Inuoluens ſententias ſermonibus imperitis.] Hebraicè מחשיך machshich ezàh, obſcurans conſilium. Duo ſenſus, aut obſcurans conſilium meum, quemadmodũ tranſtulerunt Septuag. κρύπτων μου βουλήν: abſcondens meum conſilium: Idq́; etiã Auen Eſra poſuit: Aut certe, quod Hierony. imitatus Symmachum, obſcurans ſententias ſuas: Loquens tenebras, obſcura, ſine luce, ſine lumine ſapientię. Hoc exprimẽs Symmachus, cuius editio Gręcis auxilio eſt ad ſenſus ueriores. Quis is σκοτεινὸς γνώμη. tenebricoſus mente, ſenſu? Poſtea iubet eum parare ſeſe ad reſpondendum. Magna philoſophia proponitur, quam mortales partim explicauerunt, partim dumtaxat admirati, intactam reliquerunt. Iure quæſtio rerum tantarum, tanquã ignotarum, Deo naturæ totius artifici tribuitur. Vniuerſa philoſophia repetitur altius. Nihil in mundo vetuſtius origine terræ. Terra creata rerum corporearum, viſibiliumq́; prima, fundamentũ mũdi, cui machina mundi tota ſuperſtructa eſt. A fundamẽto terrę prior quæſtio. Docetur, quæ diuina maieſtas, quæ ſapientia, ſolertia, vt hinc intelligant homines, cum Deo contendere, in ius venire cum eo, ne fas eſſe. Terræ creatio, vt in Coſmopęia docuimus, vocatur fundatio: Deus æternus artifex aderat, homines nuſquam. Quis poſuit menſuras eius?] An velut artificiũ humanum poſita? Eadem requirit Epicureus apud Marcum Tullium. Quibus enim oculis intueri potuit veſter Plato, fabricam illam tanti operis, qua conſtrui à Deo, atque ædificari mundum facit? Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris fuerũt? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra, potuerunt? C Hæc eadem ferè nunc apud Iob. An facta quemadmodum ædificia mortalium ad perpendiculum, ad menſuram?

Ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis.

An baſes, libramentaq́; habeat? tum ſi habet, vbi cohæreãt? Vbi primus lapis, prima materies poſita? Vnde exordium totius molis? Super nihilo enim fundamenta terræ. Ipſa in ſe tota cohęret, grauiaque tendunt deorſum. Ergo prima terræ fundatio, nullo in loco ponebatur. Super nihilo fundabatur. Eoque mirabile, quòd cum omnia corpora indigeant, ob grauitatem, cui nitantur, grauiſſimum terræ pondus non erat cui niteretur. Lineam vocat, vt ait Auen Eſra, circulum orbis terrarum, columnas, montes. Mihi id non placet. Potius per ſimilitudinem noſtrorum ædificiorum, & perpendiculum, id eſt lineam, qua forma molis dirigeretur, & columnas quibus ſuſtineretur, attribuit. Similiter lapidem angularem, cui latera nituntur. Cuncta ex ſimilitudine noſtrorum, idq́; Hebræi, Gręci cuncti contendunt. Quod autẽ ait. Cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.] In verbis diſcrimen nullum. Senſus duplex: Primum, vt omnem creationem rerum terreſtrium, ac cęleſtium, pariter extitiſſe, demonſtret: Dum fundaretur mundus inferior, rerum terreſtrium exordia ponerentur, ecce deſuper cælum, cunctusque aſtrorum chorus, quem veſperi, manequè ſuſpicimus, oriebantur: Orientes creatorem laudare cęperunt. Omnes item angeli, quorum eſt cęleſtis habitatio, laudabant, efferebant omnibus pręconijs, maieſtatem, ſapientiamque eius, quòd crearet mundum, quod ſciret, qua ratione creandus. Conſentiunt enim Hebręi aſtra matutina eſſe, cęleſtes orbes, ipſas acies cęleſtes. Matutina autem, quod maxime mane ſuſpiciantur. Laudare dicuntur, vt opus laudat opificem:& vt ſæpe inuitantur ad laudem Dei, etiam ſenſu carentia. Laudate eum Sol, D & Luna, laudate eum Stellæ, & lumen. Id ait Burgenſis. Filios Dei nemo eſt, quin Angelos ſentiat. Nam pro filijs Dei, Chaldæus poſuit acies Angelorum explicans Hebraicum. In tempore, quo me laudabant Stellæ matutinæ, & iubilabãt כל כיתי מלאכיא cõlchithè malachiia. Omnes acies Angelorum. Hoc quoq; eſt apud Septuaginta ἤνεσαν δέ με μεγάλη φωνῆ πάντες ἄγγελοι μου. Laudarunt autem me voce magna cuncti Angeli mei. Is eſt vnus ſenſus, & verus. Vno eodemq; tempore cœleſtis, & terreſtris creatio. Supernæ familiæ laudabant naſcentes, quòd & eas Deus creaſſet, & quòd terram fundaret. Sed ex hoc deducit Chryſoſtomus, prius Angelos fuiſſe, quã mundus inferior crearetur. Laudem eorum pulcherrimè declarat, ſtuporem, admirationem operum diuinorum, qui cernerent copiam, venuſtatem, poſitum, vſum, varietatem, ſplendorem, concentum, cæteraque omnia, quæ longe quàm nos exquiſitius cernerent. Is eſt vnus ſenſus Hebræorum, ex parte Latinorum, Græcorumque. Nam etiam noſtri, filios Dei, qui terram fundari cernerent, diuinis operis adeſſent, Angelos interpretantur. Poſſet quidem ex hoc loco theologia deduci, fuiſſe cùm conderetur mundus terreſtris, Angelos, cunctamque diuinorum animorum gẽtem: at & illud poſſit affirmari, vno tempore filios Dei, ſurſum in cælo, & terram deorſum apparuiſſe. Alter eſt ſenſus, vt filios Dei, ſentias id quod prius ponitur, aſtra matutina, quæ quaſi filios ſuos, nempè opera ſua, partus ſuos Deus appellat. Stellas, quæ Deum ſemper laudent, exultentque nempè cæleſtes orbes, in quibus ſtellæ defixæ ſunt, quia collaudabant, efferebantur lætitia cum Angelis, & hoc erat cùm corpora cæleſtia conderentur, tum terra tanquam eorum medium ac centrum ſupponebatur. Stellas matutinas ſeptem planetas, Auen Eſra dicit vocatas ſtellas luminis, aut lucis in Pſalmo. Filios Dei, cæleſtes acies, ordineſque, ſtellas ſcilicet collucentes, laudem eorum, & exultationem, motum, ordinemque interpretatur. Habes ſecundum ſen- E ſum, vt filij Dei ſint ipſa ſidera.

Vos æterni ignes, & non violabile, veſtrum
Teſtor numen, ait.

Prior ab antiquioribus, quibus res diuinæ notiores erant, proponitur. Poſt fundationem terræ, maris inundationem, & orbium, ſtellarumque creationem. Proſequitur. Quis concluſit oſtijs mare?] Venuſte vocantur etiam in fonte, oſtia maris, termini circumſcriptiones totius maris, fluctibus oppoſiti montes, littoraque, quibus quaſi ianuis Deus mare circumquaque claudit. Tunc hi termini dati ſunt, cùm mare, quaſi de vulua procedens erumpebat. Nam cùm neſciret alio explicare modo creationem maris, eam vocauit eruptionem, exundationem, vt cùm ex vtero matris infans prorumpit. Erumpebat autem mare, nullo ex vtero, aut vulua, ſed ex fæcundiſſima Dei ſapientia. Terrę creatio dicitur fundatio, maris eruptio, profuſio, cumque impetu vehementi, iubente Deo prorumperet, futurũ erat, vt terras allueret. Sed pater omnipotens, quaſi quibuſdam oſtijs littoribus coercuit. Fuerunt è Græcis, qui vuluam interpretarentur abyſſum, vnde mare prorumperet: ſed ijdem melius adhibent ſecundum ſenſum, poteſtatem diuinam: & vt nos diximus fęcundiſſimam Dei ſapientiam, quæ fuit cunctis rebus origo, atque mater, vuluam interpretantes.

Prima fuit genitrix ſapientia, amorque.

Proſequitur. Cùm ponerem nubem, veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ ob- F uoluerẽ.] Vnum, idemq; dicit bis, vt ait Gerſonites. Nubes hęc, & caligo, duobus ſenſibus exponitur, aut vapores illi, quos è mari ſuperimpendentes cernimus, quod opinatur Gerſonites: idque etiam Græci ſentiunt, qui & vapores nominant è mari ſurgentes: & item aera, qui circumambiat mare. Philoſophus Latinus, exinde, inquit, finitimus mari eſt aer. Iſque eſt elementorum ſitus. In fundo, centroue terra. Secundus locus eſt mari. Tertius aeri, qui quaſi panno, inuolucroque circumueſtit mare. Pannos infantiæ, per circumſcriptionem dixit, quòd Hebraicè חתולתו chathulathò, faſciam eius, qua ſcilicet obuoluitur infans. Nam & ſuperius matricem, vuluamque vſurpauerat. Alius eſt ſenſus, vt caligo intelligatur, tenebræ, quas Moſes quoque vaſtis aquis, abiſſoque incubare dixit. Et tenebrę, inquit, erant ſuper faciem abyſſi. Hęc illa fortaſſe, quam dicit Hebraicum, ערפל araphèl, tenebroſitas, horror. Erant enim ſuper aquis creatis, quæ terris omnibus, montibuſque innatabant, (Nam ſuper montes ſtabant aquæ, ait de hoc ipſo Dauid) horror, & tenebrę. Fortaſſe prior ſenſus melior, vt vel nubes, vel aer, qui veſtiat mare, dicatur in hac philoſophia. Quod autem ſequitur. Circundedi illud terminis meis.] Pro hoc in Hebraico ואשבר vaeſbor. Et præcidi ſuper illud decretum meum. Nimirum ordinaui, inſtitui Vectes, & oſtia, vt ſuperius, ex ſimilitudine, montes, rupeſque fluctibus oppoſitos, & littora, margine circundantia terras. Inde mare dicitur, Amphitrite, quòd circũſonet orbem, quod definiat terras. Tanto autem munimine, tam ſeuera cuſtodia vinci, ſtringi, coercerique mare, ne proſiliat in terras, ait, vt veluti vectibus obſerari cõtendat. Hocque decretum Dei ſummi, terminos hoſce rebus eſſe, decernentis, eoque teræ fluctibus æquoreis, quanquam minacibus ſemper, allui non poterunt. Proſequitur omiſſa creatione, terrę, maris, ſiderum, reliquum diuinum opificium, iuxta theologiam Moſaicam. In qua cùm principium rerum poſt fundatam terram, effu-

A ſamq; deſuper abyſſum, luci dediſſet, denuo retulit lucis, nempè Solis creationem. Sic nunc cùm prius aſtra matutina commemoraſſet, repetit auroræ, & lucis exortum. Nunquid poſt ortum tuum, præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum?] Hoc cum primis commemoratum velut ſingulare miraculum, obſeruant Hebrẹorum, & Latinorum nonnulli, quod non idem ſemper ſit ortus auroræ, ſed nunc ortus æſtiuus, nunc hyemalis, dimidium cæli Sole menſibus ſenis peragrante, ortuſque, & occaſus, variante. Super hoc, velut miraculo, Deus ſciſcitatus eſt, vt quæſtione phyſica, profunda, qua lucis mirabiles ordines, totum annum variantes oſtenduntur, vt omnis locus, regioque ſurſum, ac deorſum, ſit eius particeps, illaque temporum deſignatur harmonia, qua mundus omnis mirificis modis conſeruatur. Nanque nobis æſtate calores efflante, frugeſque noſtras maturante, ſub pedibus iacentes terras grauidat hyems, præparatque ad partum mox æſtate reditura. Ecce autem cùm redit ad illos æſtas, noſtras inuiſens terras hyems, ſuccis radices replet, reiecto in viſcera calore natiuo. Mirus vbique ordo, concentuſq; lucis. Quod autem proſequitur. Nunquid tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea?] Non videtur is ſenſus ex fonte. Dicitur enim. לאחוז בכנפות הארץ leechòz bichnephòth haàrets. Vt apprehendat alis terram. Senſus igitur verus eſt, quòd hoc refertur ad auroram, cui dantur alæ in hac ſacra poeſi. Nam pennas, ſiue alas diluculi, commemorat etiam Dauid in Pſalmo. Noctis ſimili modo noſter Poeta, quibus amplectatur terras.

Nox ruit, & fuſcis terras amplectitur alis.

Sic nunc dicitur: Nunquid noſti locum, ortumq; auroræ, cùm terras amplectitur alis? Noſti ne, quibus alis, terras amplectitur aurora? Si ſumpſero pennas meas diluculo, dicitur in Pſalmo. Imò B ſic verius. Si ſumpſero pennas diluculi, pennas auroræ. Is ſenſus etiam extat apud Septuag. quanquam alio modo ἐπιλαβέσθαι πτερύγων γῆς. Vt apprehendat alis terram. Eoq; modo exponitur à Grẹcis. Impios autem excuſſos ſentias, referaſq; ad lucem ipſam, aut terram, lucis exortes impios: luce carentes: priuatos luce: excuſſos ex luce. Eodem imperio lux funditur ſuper terra, atq; impij ea ſẹpe priuantur. Is verior ſenſus. Quod autem ſequitur. Reſtituetur vt lutum, ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum.] Quod noſter dixit, reſtituetur, in Hebraico eſt, תתהפך tithhapèch. Vertetur, verſabitur, vt terra. Senſus autem horum. Locutus fuerat de terra, quam lux vbiq; diffuſa peragret. nunc iuxta philoſophiam prẹdicat terram, in varias formas ſe vertere, vocans terram, ipſam materiam ſubiectam cunctis formis, quas induit iugiter, ac velut ſigillum, (Id enim eſt in Hebraico חותם chothàm) ſuſcipit figuras omnigenas, artifice naturæ, imprimente. Hẹc ſentiunt, exhibentq; Hebræi: hocq; mihi magis probatur, quàm quod Nicolaus de terræ motu. Quod autem in dimidio eiuſdem verſiculi dicitur. Et ſtabit ſicut veſtimentum, In fonte numerus multus ויתיצבו veithiazebù. Et ſtabunt: Id Auen Eſra ſentit de hominibus, qui ſtent, cooperiantq; terram, velut veſtimentum. Habitatores vbique diffuſi. Gerſonites autem ſentit de formis ipſis, quibus materia perenniter induat ſeſe, ſtantibus, velut veſtimentum, inuolucrum, quo terra veſtitur ad omne tempus, alias formas ſuſcipiens, alias exuens, & deponens. Vtrumq; mihi probatur magis, quàm, quod Nicolaus de terræ motu, & de ſciſſuris per terræ motum. Hinc ſubijcit pẹnas impiorum, ſub hac varietate cadentes. Vt auferatur ab impijs lux ſua.] Alia nempè pars diuinæ prouidentiæ, quàm vigilat ad perennem rerum inſtaurationem, tam ad ſupplicia ſceleſtorum. Proponit aliud miraculum. Nunquid ingreſſus es profundum maris?] Quantum vi-C delicet diſtet inter humanam, atq; diuinam ſapientiam, quam ne profunda quidem demerſaque ſub altiſſimis latebris lateat abyſſus: cui pateant ab oculis humanis diſiunctiſſima: cuius conſpectum non aufugiant, quæ profundis aquis abſconduntur. Scrutatur ſcilicet inſcrutabilia, eius, vt priſci dixerunt ἄλκιμον ὄμμα fortiſſimus oculus: per omnia ſecreta, profunda, latitantia, peruius. Dixit autem noſter, maxima, quod Hebraicè חקר chècher, dixeris recte, ſcrutatio, ſecretum, arcanum. Et in arcanis abyſſi deambulaſti. Proſequitur. Nunquid apertæ ſunt portæ mortis? Portas mortis, & oſtia tenebroſa, conſentiunt omnes eſſe centrum terræ, vbi denſiſſimus horror, & caligo, vbi mors regna tenet. Vbi Pluto, Tartarus, Herebus, Cocytus fletibus redundans, Acharon inamabilis, neſcius gaudij: Pyriphlegetontes, ignea flumina. Hæ portæ mortis, oſtia tenebroſa, ad quæ, quantum velint à luce, Sole, æthere, & alto diſiuncta, diuinus oculus aſpirat, haud obſtantibus altiſſimis tenebris, ſpacioque immenſo à cœlo, quo minus illuc perueniat. Videt igitur inferos, videt abyſſum, penetrat ad centrum terræ. At nos, quæ ſunt ante pedes, nemo ſpectat. Oſtia igitur tenebroſa dixit, quale illud noſtri Poetæ.

Vt triſtes ſine Sole domos, loca turbida adires,
Per loca ſenta ſitu, noctemque profundam.

Alia quæſtio proponitur de latitudine terræ, quam quidem nihil non audentes mortales metiri conati ſunt. Vbi aūt noſter ait. Indica mihi ſi noſti omnia.] Refertur iuxta Hebraicū, ad ipſam terram, vt dicat. Conſideraſti latitudinem terræ: indica mihi, ſi noſti כלה ulàa, totam ipſam nempe terram. Proſequitur. In qua via habitat lux: & tenebrarum quis locus ſit.] Hæc quæſtio pulcherrima ſpectans ad ordines, viciſſitudineſque dierum, ac noctium totius anni pulcherrimum concentum: cùm dies nobis, antipodibus nox, cùm ſæuit hyems nobis, illis æſtas ſerena.

Viciſſim noſtra æſtas, hiems illis, ob diſceſſum, vel appulſum Solis, à quo, noctium, dierumq; mirabilis ordo. Nunquid, ait, noſti ſemitas, quibus Sol incedens, noctes, atque dies variat in omne tempus: efficitque nonnullis in locis, nempè ſub verticibus ambobus, vt vna dies ſex menſes effulgeat, nox ſex alios inhorreſcat? Quid hoc ordine pulchrius, mirabilius? Hunc tu noſti? inquit. Atque hic, vt ait Nicolaus: omiſſis terreſtribus, aſcendit ad meteora, ad aeria. Quod autem noſter interpres ait. Vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos] Hebraicè eſt clarius אל גבולו כי תקחנו chi thicachènnù elghebulò, vt apprehẽdas terminos eius, vt noſcas, lucis, atque noctis terminos. Vidiſti ne, inquit, ſemitas Solis, diei, noctiſque curſus, terminos eorum noſti? qua ratione dies, noctesque, nunc maiores, nunc minores? Huc pertinet, quod ſubijcit. Et intelligas ſemitas domus eius.] Solis ſcilicet ſemitas, & domum, quomodo defixus ſit in cælo: quis fluuius tantæ lucis, quis ordo, quo terris diſtribuitur: quæ lucis tanta perennitas: quò dixit illum ſapientiſſimus vates Homerus ἀκάμαντα, indefatigabilem. Proſequitur. Sciebas tunc, quòd naſciturus eſſes, & numerum dierum tuorum noueras?] Eo ſenſu dictum vel Hebræi contendunt, quòd ex eo quærit ea, quæ ſenſu, & præſentia, percipiantur, neceſſe eſt: vt ſi quis non adeſſet, naturã, vimque eius ædificij, ac molis, exordium quoque nequeat aſſequi cogitando. Affuiſti ne, inquit, tu, cùm Sol rapidus crearetur? Scis ne te affuiſſe tunc? ediſſere numerum dierum tuorum. Quantum temporis vitæ tuæ curſus obiuit, vt adeſſe poſſes cùm flammæ cæleſtes efferueſcerent certiſſimis motibus, inſiſtere iuberentur. Is eſt ſenſus verus, vt dicat. Sciebas ne hæc, quæ te rogaui: propterea, quod iam natus eſſes, & numerus dierum tuorum, multus eſt? Longæuus es, propterea noſſe poteras. Perinde, ac roget eum, an Sole naſcente, ſideribuſque toto cælo efferueſcentibus, quemadmodum magnus Deus, & opifex ipſe quoque intereſſet. Nicolaus, & Burgenſis paulo ſecus, ſed is verior ſenſus. Deſcendit ad alia. Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grãdinis aſpexiſti, quæ præparauit in tempus hoſtis, & in die pugnæ, & belli:] Clara ſunt, nihil à fonte diſſonantia. Recte vero theſauros niuis, ac grandinis dixit, quòd velut in theſauris abſcondantur, depromanturque interdum præter opinionem, expectationemq́, mortalium. Sæpe cælum niues, aut grandines effudit, quas vbi conditas haberet (namq; ſerena facies erat) nemo ſcire poſſet. Nullę per omne cælum nubes apparebant, procul aſpicimus puros caligine colles. Ecce autẽ repente ruit ęthere grando, aut albeſcunt omnia niue. Quibus hæc igitur theſauris depromuntur? Certe diuinis, arcanis. His vtitur Deus nonnunquã contra ſęuos hoſtes, his armis depugnat. Dextraq; potenti, terrifica iacit in terras, fulmina. Aut obruit exercitus impiorum grãdine, lapidibusq́; aeriis. In Aegyptios lapides ingentes cælo, grandinemq́; miſſam, Moſes teſtis. Et Chaldæus aperte nominat Pharaonem, Aegyptiosq́;, contra quos his telis Deus depugnauerit, Nicolaus & alios ex ſacris litteris adducit, deletos his telis. Proſequitur. Pcr quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram?] Repetit quod ſuperius memorauerat. Ac primum dicitur Hebraicè, per quam viã יחלק iechalèch, diuiditur, diſtribuitur lux? Quis, ait, diuinus ille, & mirabilis ordo, quo Sol quotidie variat ortus, occaſusq́; ſuos, diſtribuens omnibus terris lucem, atque calorem Qua via, qua ratione geritur hęc admiranda varietas, ac diſtributio Ex hac mirabili viciſſitudine, fit diſtributio caloris, omnibus terris datur ęſtas, quam totus orbis habere non potuiſſet, niſi Sol, ortus, locaque variaſſet, nunc ad hos, nunc illos propius accedens. Vna eademque opera, diuiditur lux, diuiditur ęſtus ſuper terra. Pro ęſtu, in Hebraico eſt קדים cadìm, quod æſtum quidem ſonat, ſed item, ventum vrẽtem, nempè orientalem. Itaq, fuerunt ex Hebræis, qui ſenſum huius verſiculi aſſererent eſſe, vt lux ſit pro pluuia, quæ diſtribuatur omnibus terris, ventus item dicatur diſtribui. Sed nimis uiolente. Clara nomenclatura lucis in Hebraico. De vento cadìm concedi poſſit, vt, & diſtributionem lucis, & Euri venti, qui flat ab ortu, eoq. vocatur ſubſolanus, philoſophetur: Chaldæuſque expreſsè dixit רוח קדימא ruàch cadimà, ventum oriẽtalem, ſiue auſtralem à quo pluuia, de cuius diſtributione, nunc ſit ſermo. Proſequitnr. Quis dedit imbri curſum, & viam ſonanti tonitrui, ut plueret ſuper terra abſque homine in deſerto, ubi nullus mortaliũ commoratur?] Proprie dicitur. Qui diuiſit ad inundationẽ תעלה thealàh, aquæ ductum? Appellat vt par eſt, idque etiam uidit Hier. inundationẽ, nimbum præcipitem, uberrimam aquã: eandem item uocat aquæ ductum: Lapſum uehementis, largique imbris è cælo, quaſi per canalem, & aquæ ductum. Etiam Symmachus, & Aquila tranſtulerunt ſupradictam uocem Hebraicam ὑδραγωγὸν, aquæ ductum, transferentes τὶς δ᾽ ἔστειλεν κατακλυσμῷ ὑδραγωγόν. Quis autem diuiſit, aut miſit diluuio aquæ ductum? Quod autem ait. Et uiã ſonanti tonitrui. Pro quo Hebraicè, & uiam לחזיז קולות lachayiz coloth, coruſcationi tonitruorum. Sonat enim chaziz, ut ſuperius demonſtratum eſt, coruſcationem, apparentiam, fulgetram. Quanquam Aquila, & Symmachus prior eam κτύπον, alter ψόφον, ſtrepitum, boatum, reddiderunt. Sed Hebræi conſtanter aſſeuerant, eam deſignare fulgetram: idq́. uere, ut ex alijs locis probatur. Nam חזה chazà, ſonat uidere, licet ſine altero zain. Chaldæus vero, qui tribus modis transfert hũc uerſiculum, ſemper eam uocem traducit עננא ananà nubes, uapores, dicens. Quis parauit uiam etiam nubibus, à quibus deſcendit pluuia cum tonitru? Verùm Gerſonites exiſtimat dici. Quis parauit uiam coruſcationi, & tonitrui? ſubaudit ſcilicet coniunctionem. Verior igitur ſignificatus eſt coruſcatio. Quod autem ait, pluuiam cadere in deſerta loca, & ſolitudines, redditur etiam ab Hæbreis

vera

A vera causa: vt pabula pecoribus, feriſque succreſcant. Et quia feriunt ſummos fulmina montes: inſuper, vt hic clare ſignificatur, quia ſolitudines Arabiæ, vbi hæc ſcribebantur, ſiti, & ſqualore laborant, atque cęleſtis imbris inopia, ſiccata tellus infrugifera, tantum ſabuli, lapillorumq; aggeres oſtentat, iure nunc beneficium diuinum locis arentibus, pluuia dicitur: Eoque nunc eremus illa vaſta vocatur inuia, deſolata. Nam duas haſce voces שאהומשואה shoà, vmshoà, quas noſter inuiam, & deſolatam dixit, Hebræi ſonare contendunt deſertum, arentiaque loca. Sept. quos ſequitur noſter, tranſtulerunt ἄβατον καὶ ἀοίκητον, inuiam, & inhabitabilem, & id vero ſenſu. Sciſcitatur deinde ſuper genitore pluuiæ, roriſq; nocturni, quo nam hæc genitore creantur. Quod à philoſophis cognitum, & declaratum, ipſo Deo lumen humanæ rationi præferente. Pluuiæ cauſa exhalatio maris & terræ. Hæc exhalatio ſiue, vt Græcè dicitur ἀτμὶς duplex, altera craſſior, altera exilior, prior nubes, roreſq; gignit: poſterior ventos. Verum profunda, ſupremaque horum cognitio, non datur mortalibus, multaque ſuper his remanent incognita. Rogitat deinde ſuper glacie, quo ex vtero prodeat. Id quoque perceptum eſt. Quod autem noſter ait. Et gelu de cælo quis genuit?] Pro gelu in fonte כפור chephòr, ros pruina. Nec vero dicitur, Et gelu de cęlo, Sed & pruinam cęli, quis genuit? Septuag. quoque clare poſuerunt pruinam, πάχνην δὲ ἐν ὐρανῶ τὶς τέτοκεν, Pruinã vero in cælo, quis genuit? Proſequitur. In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.] Proprie dicitur Hebraicè ſicut lapis, aquæ יתחבאו ithchabàu, abſconduntur. Declaratur ab Hebræis eo ſenſu, quem noſter interpres adhibuit, eò vſque dureſcere conuertiq; aquas in aliam naturam, nempe lapideam, glacialem, vt amplius aquæ non videantur. Quod ait. Superficiem abyſſi conſtringi, res eadem, atque prius. Id maximè perſpiciunt experiunturque gentes, oceano boreali finitimæ: gelaſcit illic mare, fluminaq;
B ingentia: ſuper aſtricta glacie, currus agunt, orbita rotarum gelatum frigus deſignat: proſequitur alia generis eiuſdem miracula. Nunquid coniungere valebis, micantes ſtellas pleiadas, aut gyrum arcturi poteris diſſipare?] Stellæ micantes, pleiades, aſſentiuntur etiam Hebræi, tales nomine Hebraico, quod eſt hoc loco, deſignari כימה Kima. Aiunt enim eſſe ſtellas in parte Septentrionali. Quas autem noſter dixit arcturum, Hebraicè כסיל keſil, eſſe in parte auſtrali. Priores dicuntur Septentriones nempè ſeptem ſtellæ bouis. Priſci namque boues, triones dixere. Teſtatur etiam Auen Eſra priſcos Hebręos prodidiſſe Kima eſſe ſeptem ſtellas minores in fine arietis. Ipſe putat vnicum ſidus ingens, luminoſum, qui dicatur aſpectus bouis. At Keſil ingens aſtrum, cor ſcorpionis. Multaque alia vana ſuæ profeſſionis effutiens. Sed non multis opus, res clara, hæc ſigna eſſe cęleſtia, pleiadas, ſcilicet & arcturum, vt Sept. aliique tranſtulerunt, quæ ex congregatione multarum ſtellarum perficiuntur. Hoc ergo percunctatur, an poteſtatis ſuæ ſit, ſtellas illas congregare. Quis eas congregauerit in vnum aſpectum. Quis fecerit illarum ſtellarum collectionem. Hoc ſentiunt Hebræi. Et Symmachus apertius tranſtulit hunc locum ει συνάψεις μόρια πλειάδος. An, inquit, congregabis, coniunges partes pleiadis? Hoc Græci declarantes. Quę inquiunt neceſſitas ποῖος συνδεσμὸς, quæ collectio, eas ſtellas congregauit, fecitque eas ſtellas vnitas eſſe? Secunda quæſtio eſt, an poſſit diſiungere ſtellas, quæ dicuntur arcturus. Vt prius quærat, an poſſit pleiadas congregare, deinde, an poſſit alias ſtellas, quæ dicuntur arcturus, diſſociare, diuidere ab inuicem. Vtrunque, fuit diuinæ poteſtatis feciſſe, vt ſtellæ, ſiue aſtra multa, in vnum aſpectum coirent, in cœloque proxime inter ſe, & quaſi coniunctæ apparerent. Is eſt verus ſenſus, etiam iuxta Hebræos. Nicolaus item vidit, & expoſuit. Septuaginta pro arctu-
C ro poſuerunt Orionem, quem eundem ferunt eſſe, qui dicitur βοώτης, bootes. Hunc autem eſſe collectionem viginti duarum ſtellarum. Sunt autem ijdem arcturus, Orion, Bootes, arctophylax. Nanq; is poſtremus eſt cuſtos vrſæ. Bootes à bobus, & curru, & trionibus, nempè bobus, & plauſtro circum verticem borealem. Proponitur alia quęſtio. Nunquid producis luciferum in tẽpore ſuo, & veſperum ſuper fines terræ cõſurgere facis? Quod noſter dixit luciferum, Hebraicè. eſt מזרות mazaròth, hanc eſſe quoq; ſtellarum coniunctionem, aſſerunt Hebræi. Et Gerſonites putat, aſpectum eſſe ſiderum auſtralium, quę non viderentur in terra Iob, niſi breue ad tẽpus. Eoq; dixiſſe. Nunquid producis in tempore ſuo? Auen Eſra quoq; aſſerit, eſſe ſtellas multas. Sunt item in hac ſententia Græci, quoniã Sept. ipſam vocem Hebraicam mazaròth, intactam reliquerunt. Hãc Chryſoſtomus, Olympiodorus, & Cyrillus declarantes μαζουρὼθ τὰ συστήματα τῶν ἀστέρων, ἃ ἐν τῇ συνηθείᾳ ζώδια καλοῦνται. Mazaròth (aiunt) cętus aſtrorum ſunt, quas vſus obtinuit, vt zodia, nempè ſigna zodiaci, animalia parua vocarẽtur. Quęrit igitur Deus, qua ſapientia, ſigna hæc quorum maxima pars latet, paulatim in lucem proferuntur: nuncq; Sol eſt in ariete, nunc in tauro, cęteriſq; ſignis. Hæc illi ſentiunt veriora, fortaſſe etiam cum Hebræorum opinionibus nõ diſcrepantia. Nam prohibet, quo minus mazaròth ſit lucifer, quod noſter putauit interpres: quia mazaròth, eſt numerus multus, multitudinem ſtellarũ deſignans, Lucifer vnicũ ſidus. In re autẽ obſcura, valeat teſtimoniũ plurimorum. Inſuper vbiq; ſolẽt Hebræi ſigna zodaici, vocare mazaroth, quæ paulatim promuntur. Secundum ſidus, quem noſter ſecutus Sep. tranſtulit veſperum, Hebraicè dicitur עיש aìsh. De hoc quoq; quędã diſſenſio. Arbitrantur nonnulli congeriem ſtellarũ, in cauda vrſæ, quæ dicantur Græcè arcturus, nempè cauda vrſæ. Et hæc vox in Hebraico ſonat collectionem. Superius capite nono, tranſtulit eã Hier. Orionem. Ecce igitur incertus ipſe, quod

ſidus

ſidus hac voce denotetur, certus autem deſignare ſidus. Illic igitur verius ſenſit, & ſignificatum D illud à pluribus approbatur. ἕσπερον vt dixi, traduxerunt Sept. quos ſequutus noſter, ſatis bene haud ſcio. Nanque etiam Rabi Leui dicit eſſe aſpectum ſiderum Septentrionalium, quæ nunquam nobis occultentur.

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Dicitur autem in Hebraico, pro eo, quod noſter,

Et heſperum ſuper fines terræ conſurgere facis.

Et arcturum על בנה al banèa, cum filijs ſuis minabis, duces. Filios arcturi vocat ſtellas minores, quæ circunſtent eum, velut filij. Proſequitur. Nunquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?] Quod dixit noſter (nam cætera clarent) rationem, eſt Hebraicè משטרו miſtarò, id ſonat imperium dominatum, Dicitque, num pones imperium, dominatumque cęli ſuper terra? Dicitur enim in Geneſi de Sole, & Luna. Vt dominarentur diei, ac nocti. Circũ terras cingit cælum, & à ſuperioribus corporibus reguntur inferiora. Arbores, animalia, humores, imbres, ſola ratione ſui Domina. Proſequitur. Nũquid eleuabis in nebulam, vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?] Clarum eſt, de pluuijs cælitus euocandis, quæ velut imperante Deo, iuſſisque eius audientes, ruant, agros fæcundis imbribus irrigantes, diffugit arator. Hinc rogat de fulminibus, fulguribus, quæ ab altitonante imperata præcipitent in terras, & quaſi dicentia, præſto ſumus, parere parata. Quod autem ait. Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?] Quod noſter dixit, viſcera, Hebraicè eſt בטחות batuchòth, id ſonat occulta, abſcondita, vt dicat. Quis poſuit in occultis, arcanis, ſapientiam? Recte igitur hæc occulta, E Hier. interpretatus eſt viſcera. Nam & Chaldæus, pro ea voce Hebraica, poſuit alteram notiorem. Quis poſuit בכוליין becoliiam, in renibus, ſapientiam? Hoc rogat, & inter altiſſimas quæſtiones recenſet, quòd non minus miraculum, atque ſuperius memorata, cum corpore craſſo, coniunctum fuiſſe cæleſtem, ſpiritualemque partem. Illud vinculum, quo vincitur, hæretq; anima cum corpore, inenarrabile. Quod autem noſter ait. Vel quis dedit gallo intelligentiam?] Pro gallo, Hebraicè eſt שכוי ſecui, ea vox duo deſignat, nunc ipſum cor, intellectumque, vt ait Auen Eſra, Gerſonites: nunc gallum. Ob hanc duarum ſignificationum amphibologiam, Chaldæus duplicem poſuit interpretationem. In priore dicit. Aut quis dedit לליבא lelibba, cordi intelligentiam. In altera, aut quis dedit לתרנגול letharnegòl, gallo, intelligentiã. Et ſubijcit למקלסא למרה lemachleſa lemarèe, inuocare, laudare Dominũ ſuũ. Eſt enim vox Græca καλέσαι Mirabile vero, locũ hunc Sept. tranſtuliſſe. τίς δ᾽ ἔδωκεν γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν ἢ ποικιλτικὴν, Quis autẽ dedit mulieribus texendi ſapientiam, aut artem, qua veſtes diſtinguuntur? Hæc quidem illi. Sed verius eſt quod anteceſſit. Itaq; Hebræi ſequuntur primum ſignificatũ, vt repetat, quod ante dixerat prius. Quis dedit viſceribus ſapientiã, ſubijcit ſimile, aut quis dedit cordi ſapientiam? Hoc mihi magis probatur. Proſequitur. Quis enarrabit cæli rationem, & concentum cæli. quis dormire faciet? Hebraicè proprie dicitur. Quis ediſſeret, quis enarrabit שחקים shechachim, nubes, aut æthera, cũ ſapientia? Quis enarrabit ſapienter, cęlos, rationem, naturamq; cęli: Eoque duabus interpretationibus hoc explicat interpres Chaldæus. In priore dicit. Quis enarrabit ſeptem cælos, cum ſapientia וכילוות vechileuòth, & vaſa cælorum, quis ישרה iſrè, habitare fecit collocauit, tetendit? In altera. Quis enumerabit ſtellas cæli, cum ſapientia, & nubes דמקים לזיקא quæ ſimiles ſunt vento, quis F poſuit, ſtatuit? Prior igitur pars perſpicua eſt. Quis enumerabit ſtellas cæli? Quis cæli rationem ediſſeret? Altera pars obſcura, propter vocum amphibologiam. Nam quod Hier. tranſtulit concentum, eſt Hebraicè נבלי niblè, id ſignificat in numero vnico נבל nèbel, interdum pſalterium, organum. Eſt alia ſignificatio, quæ deſignat nubes imbriferas, ipſamque pluuiam, à qua voce dicitur מבול mabul diluuium, cataclyſmus. Pro hoc igitur accipitur hic conſtanter ab omnibus: eſtque vero propius. Atque Auen Eſra נבלי השמים הם העבים Nible, inquit, cæli, ſunt nubes cæli, quia ſunt plenæ aqua. Vult ſcilicet innuere, quoniam Hebraicè nèbel, ſonat vtrem, lagenam, vocatas nubes cœleſtes, per tralationẽ, quaſi vtres aquæ plenos. Impendent enim nubila pluuijs onuſta velut vtres. Inde exonerant ſeſe in terras. Vtres igitur cęli ſenties nubila cęli plena aquę. Sic quoq; locutus eſt Gerſonites. Nible, inquit, ſunt הגשמים haggheshamìm pluuię terreſtres, delabentes deſuper in terras. Chaldęus quoque trãsfert eã vocem עננא ananà nubes, quanquam prius trãſtulit כילוות kileuòth inſtrumenta, vaſa, eo ſcilicet ſignificatu, quo vox Hebraica eſt. Sed ſecundo declarauit, quæ hæc vaſa, nubes ſcilicet. Quinetiam Sept. ſupradictam vocem tranſtulerunt nubes τὰ νέφη συνήσασθαι παραγροκολάζων, οὐρανὸν δὲ εἰς γῆν ἐκκλίνων. Qui parat nubes congelari, cęlum autem in terram declinans. Et forte ab hac Hebraica voce niblè fluxit (vt aliæ plerçq; Latinę, nubila, nubes. Is igitur eſt verus ſignificatus. Cui quadrat ipſum verbum, dormire faciet. Nempè quieſcere faciet, aut locare, ponere. Quis, inquit, nubes aquoſas, quę fundunt nimbos in terras, & flumina, quieſcere faciet? Quis è medio cęlo fugabit, ne diluuio terras alluant? Aut quis eas poſuit, locauit in cœlo? Eoque rogauerat. Quis enarrabit cælorum, vel vt habet Hebraicè nubium rationem cum ſapientia? Quis explicabit hoc miraculum, quo nubes per magnum inane iactantur, & cum grauiſſimis imbribus alluunt terras, quo miraculo ſubito coercetur, A cetur, ne dirum terras alluat diluuium? Is mihi videtur verior ſignificatus. Et quoniam verbum ſupradictum, dormire faciet, ſonat etiam deſcendere שכב shacab, erit etiam is ſenſus. Et nubes aquoſas, quis deſcendere faciet? Hoc expoſuit Auen Eſra. Nam de concentu cęli, nulla mentio in ſacris litteris. Nec intelligi quidem poteſt, quid ſit concentus cęli. Quippe ſententia Pythagoræ, vel ab ipſis Philoſophis exploſa. Nicolaus enormiter ſuper his eloquitur, gallum ſemper habens in ore, & ad eum, totum hunc ſermonem applicans. Proſequitur. Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ eius compingebantur.] Hoc eo ſenſu videtur intelligendum, an intelligat rationem cœli, an rationem pluuiarum, poſtremo an intelligat, quomodo fundebatur humus (idem enim eſt Hebraicè) למוצק lamuzàc, in fuſionem, aut duritiem. Quomodo ſcilicet terra, quæ fundebatur, fuſilis erat, & limus, cęnoſa, madida, tremens, duruerit, facta duriſſima, ſoliſſima fuerit. Qua ratione, ſoliditatem acceperit, vſque adeo vti pateretur veſtigia. Is videtur ſenſus. Agitantur enim profundiſſimæ de cunctis rebus hic quæſtiones. Deſcendit nunc his omiſſis ad animantes terræ. Quis paret cibos earum, quod & ipſum miraculum eſt. Incipit à leonibus carniuoris, qua ratione ſibi parent eſcam, prædamque auertant, mirabile eſt, plenum ſapientiæ, quam dedit feris illis, natura. Super hac ferarum illarum venandi ſcientia percunctatur, qua probatur fuiſſe, qui dedit eis ad ſalutem ſui generis, ingenium. Similiter de coruo. Quod in Pſalmo quoque extat. Et pullis coruorum inuocantibus eum. Et in alio Pſalmo. Qui parat eſcam omni carni. Hæc ad vniuerſalem prouidentiam, rerum mundanarum gubernatricem ſpectat. Et à Philoſophis ad comprobationem prouidentiæ late diſſerta, vt apud Ciceronem de prouidentia, diuinoque ſpiritu, qui per omnes mundi partes pertineat, diſſerens Balbus.

B

CAPVT XXXIX.

PArtus ibicum in petris.] Quas dixit ibices, Hebraicè ſunt יעלי iahalè, forſan à verbo פלח palach, aſcendit, quod ſint perniciſſimæ, & ad altiſſimos ſcopulos aſcendentes. Caprarum genus, de quibus hæc Plinius. Sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite vaſtis cornibus, gladiorumque vaginis, in hæc ſe librant, vt tormento aliquo rotati, in petras potiſſimum è monte aliquo, in alium tranſilire, quærentes, atque receſſu pernicius quo libuerit, exultant. Ecce in his Hebraici nominis explicatio: quod ſint perniciſſimæ: quòd exiliant, quòd è monte in alium montē tranſiliant: quod petras, rupeſque, vt hic, dicitur, colant. Pariunt igitur in petris, naturæ miraculum. Sed Sept. tranſtulerunt tragelaphos: quod nominis compoſitio declarat miſtum animal ex hirco, & ceruo: Latinè hircoceruus. Eius etiam extat apud Plinium deſcriptio: barba tantum, & armorum villo diſtare à ceruo. Sed ab ibice ad hircoceruum non magnum interuallum, ſi corporis, cornuumque habitum conſideres. Subijcit animal ſimile, nempè ceruas. Loquitur potiſſimum de partu, quòd eas natura videatur (omiſſis magnis ſuper his fabulis Rabinorum, quibus nec ipſi Hebræi fidem habent) in eo à cæteris animalibus diſtinxiſſe. De pariendi quoque difficultate, & tempore: quo ferunt conceptus, multus apud eos ſermo. Plinius quod ante partum, herba ſe purgant, quo faciliore vtero vtantur. Dicitur autem Hebraicè. Incuruantur fœtus ſuos, aut filios תפלחנה thephalèchna, elidunt, conterunt, premunt. Hoc Hebræi exponunt, ne fugiant, ne ſeſe proripiant. Ego malim, premere eas filios editos de-
C ſiderio, dulcedine amoris. Quanquam Gerſonites bene, quòd rugitus, vel, vt eſt in Hebraico, dolores edant, parientes. Ideo fętus elidunt, premunt dolore quo parientes ob vuluæ anguſtiam, vexantur. Proſequitur de ceruis. Separantur filij earum.] Pro hoc in Hebraico יחלמו iachlemu, roborantur creſcunt filij earum ad pabula, nec curant amplius matres. Sed alia multa mira retulit Plinius, & Ariſtoteles de ceruis. Hic de conceptu, partuque duntaxat, Quæritur dein de onagro, nempè aſino ſylueſtri, qui vagus, ſuaq; libertate fruens, non ſeruiat homini. De libertate hac quęritur. Frequens animal in Arabia deſerta. Quod autem dicit eum habitare in terra ſalſuginis, eſt loci nomen, cuius alibi fit mentio. Ea eſt in Arabia, loca ſalinarum, mare ſalſiſſimum dicit interdum Hiero. Hic ferus habitat. Proſequitur. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit.] Refugit ſcilicet multitudinem: deſertis locis, & ſolitudine ſua tantum lætus. Quod autem ait, eum clamorem exactoris non exaudire: Durum agaſonem, vrgentem, & ſingulis diebus operam exigentem deſignat. Laudauerat autem libertatem, cui non ſint humanæ ſuppetiæ neceſſariæ, ſed liber, paſcuiſque dumtaxat intentus, vireta perquirat, montes circumuagus ſicubi paſcuus locus ſeſe offerat. Ad aliud animal deſcendit. Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?] Rhinoceros Græcè dicitur quòd in naſo cornu gerat, cornu vice naſi. Ac fortaſſe vocatur hoc animal, Hebraicè רים rem, quod eo nomine, naris, naſuſque dicatur, Græcè ῥὶν, ῥινός. Animal naſutum, vaſtum, liberum, vagum, contemptor hominum. Plinius, quod magnitudine elephantis, quod illi inimicus, quod colore buxeus: quod aluum petat, quam ſciat eſſet molliorem. Hic de libertate dumtaxat, quòd non patiatur quemadmodum bos, aſinuſque humanam ſeruitutem: quod ei non poſſit aratrum imponi: & qui vaſtus robuſtusve ſit, labores humanos tamen non adiuuet. Hoc animali relicto, accedit ad ſtruthionem. Penna (inquit) ſtruthionis ſimilis eſt pennis Herodij, & accipitris.] Quem noſter dixit, ſtruthionem,

nem, Hebraicè vocatur רננים renanim. Ea vox deſignat exultantes, canentes. Et pro, ſimilis eſt, D Hebraicè נעלסה neelaſa, nimirum, vt exponitur ab Hebræis, exultat, gaudet, vt dicat. Penna Renanim, exultat. Eſt autem renanim, auis quidem, etiam iuxta Hebræos, ſed hanc alij ſentiunt pauonem, qui pennis lucentibus, ad Solemque patefactis exultet, lætetur, animal glorioſum. Chaldæus autem tranſtulit, gallum ſylueſtrem, qui pennis plaudat, exultet. Ideo Septuag. & Symmachus melius, & Hebraico vicinius, priorem vocem tranſtulerunt, priores penna τερπομένων, exultantium, lætantium. Alter πτερὸν ἀγλαισμῶ Penna exultationis. Quamobrem nemo dixit, ſimilis eſt. Nam Chaldæus quoque, pro Hebraico נעלסה neelàſa, poſuit משבחא meſſabechà. quod expreſſe deſignat, laudat, exultat. Pro ſtruthione quoque melius eſt pauo, vel gallus, quorum penæ exultent, hylareſcant. Herodius autem, & accipiter, prior Hebraicè dicitur חסידה chaſidàh, poſterior נוצה nozàh. Herodium, vel ciconiam, tranſtulit priorem vocem, Aquila tralator ex Hebraico in Græcum, vt Græci teſtantur. Sed mea ſententia rectius ciconia, quàm herodius. Vox enim Hebraica chaſidàh, deſignat miſericordem, benignam. Ea eſt ciconia, quæ ſenes parentes in nido decumbentes paſcit, reddens beneficium, quod ab eis accepiſſet. Hinc Græcè ἀντιπελαργεῖν quoties beneficia rependimus. Secundâ nozà, accipitrem reddidit Aquilas interpres. Hebraicè quidem נץ dicitur accipiter, & omne γαμψώνυχον ſed item hoc verbum נצה nazah ſonat volare, vt dicat iuxta veriorem ſenſum, eumque etiam Hebræorum totus verſiculus. Penna, aut ala pauonis aut galli exultat, etiam penna ciconiæ volat, vt duas inſigniores aues aſſumat. Alteram cuius pennæ mirabili varietate diſtinguantur, alteram quæ multis de cauſis ſit apud omnes nobilis. Fuerunt tamen apud Græcos, qui transferrent ὀρνιθιακὰ paſſeres, aut omnes generatim auiculas, fuerunt qui renanim, auem nocturnam interpretentur, vlulantem, quod mihi ex hoc loco non videtur. Struthio, Latinè magis dicitur ſtruthiocamelus. Quare de ſtruthione non videtur hic E ſermo. Quod autem proſequitur. Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea?] Hebraicè ſic verius dicitur. Derelinquit in terra, oua ſua, & ſuper puluere calefacit ea. Nam quod Hier. ſecundum verbum applicet ad perſonam Iob, non probat ſenſus, ſed potius de eadem fœmina aui ſermo eſt, cùm dicit תחמם techamèm calefaciet ea, ipſa auis non Iob. Sic quoque Septuag. verterunt καὶ ἐπὶ χῶν θάλψει. Et ſuper puluere calefaciet. Hoc ergo dicatur ne de pauone, an ciconia, vel accipitre, incertum. Nam ciconia, in excelſis locis nidificat. De pauone melius intelligitur, illo pręcipue Indico, cuius nuper in Italia magna copia procreata eſt, cui cũ gallina quædam ſimilitudo. Ea in Aphrica, locisq; calentibus in puluere, in terra, nidificat, quales noſtrates coturnices. Vbi oua poſuerunt, auolant, ſed tamen filios, & oua reuiſunt. Auolat autem ipſa timens ea, quæ filijs non timuiſſet, priuata intelligentia, quòd non quemadmodum alię volucres ſuſpendat nidum in excelſis, aut locis, aut arboribus, quo mater cum filiis ſecure degat. Oſtenditur his naturæ mira varietas. Stoliditas quidem pauonibus, & ſtruthiocamelis alia datur à ſcriptoribus, quòd vbi caput occultauerint, reliquum corpus latere putent. Quod autem ſequitur. Cùm fuerit tempus, pennas in altum erigit, deridet equum, & aſcenſorem eius,] Hoc de ſtruthiocamelo dici non poteſt, qui ſupra terram, præ vaſtitate corporis nunquam tollitur, ſed curſu velociſſimo, alis extenſis, aufugit: calcitrat in aduerſos equino more. Dicitur ergo de pauone, quanquam nec ille volat multum, ſed tantum, dum ſe fuga proripiat tecta petens, vbi nidificare, parare proli ſecuritatem, ſi ſapuiſſet, potuiſſet. Proſequitur. Nunquid præbebis equo fortitudinem?] Equorum natura, alacritas, animus, ſenſus quidam ſimilis humano multis ſcriptoribus, decantata. Quod autem ait. Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas?] Hebraicè liquidius, ſenſuique aptius. Nunquid F תרעישנו tharishènnu, commouebis eum, exterrebis, pauefacies, vt ſubito diffugiat ſtrepitu tuo exaudito, velut locuſta? Imo ſi propius, accedas, te calcibus petat, proculque ſubmoueat. Quod autem ait. Gloria narium eius terror.] Hebraicè dicendum. (Quanquam bene reddit noſter) הוד hòd, gloria, ſonitus, ſtrepitus narium eius, terror. Strepit naribus, vt exterreat. Perflat terribile, ſtare loco neſcit: pulſat pede terram: non timet arma: obuius ire parat: nullus terror: haud retro fugit à gladio. Sonat ſuper ipſo pharetra. quam ferunt equites ſagittarij, tela, clypeusque. Quod autem ait. Feruens, & fremens ſorbet terram.] Eadem fermè dicuntur Hebraicè. Abſorbere terram, per tralationem dicitur, vt apud noſtrates carpere iter, radere littora. Sic equus velocitate terram, ſpaciaque abſumit. Hocque exponunt etiam Hebræi, pro eo, quod eſt in contextu יגמא iegamè, quod noſter dixit ſorbet, ponentes aliud clarius בולע boleà, quod manifeſto ſonat deglutire. Virgilius de his ipſis equis, præcipiti certamine campum, corripuere. Hoc à Septuag. non recte editum eſt, eoque nec recte à ſcriptoribus expoſitum καὶ ὀργῇ ἀφανιεῖ τὴν γῆν. Et ira delebit terram. Hoc illi de inimicorum terra dictum putant. At de velociſſimo curſu ſermo eſt. Illum ad tubæ ſonitum exultare, quod & à doctiſſimo vate proditum eſt.

Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces,
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.
Tum ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus.

A *Collectumque premens voluit ſub naribus ignem.*
Cauatque tellurem.

Hæc omnia nunc in ſacris litterris referuntur. Quod dicat vah, interiectio exultantis, aut irridentis. Hucuſque de equo. Proſequitur de accipitre, qui dicitur Hebraicè, vt ſuperius memorauimus נץ nez, de plumis eius rogat, quibus ad miraculum plumeſcit, cùm nudus eſſet. Sed enim Hebraicè videtur alius ſenſus, aliterq; ab Hebræis exponitur. Nã quod noſter dixit plumeſcet, Hebraicè יאבר iaaber, id ſonat, auolabit. Nunquid, ait, ex intelligentia, & prouidentia tua volabit accipiter verſus auſtrum, quærens videlicet prędam, & loca calidiora, vbi frigidus annus,

Trans pontum fugat, & terris immittit apricis?

Hinc Aphrica dicta, quod frigore, qui Græci φρίκη, careat. Huc verſus aues ire parant. Sciſcitatur de aquila, quæ ad imperium Dei volet altiſſime, & in altiſſimis montibus, quales Apennini montes, vbi ſedes aquilarum, nidum figat: quod in ſcopulis, præruptiſque ſilicibus commoretur: quod ſit acerrimis oculis, procul deſpiciens cadauera, prędaſque, quod pulli eius ſanguine, cadaueribuſque victitent. Quod autem ait Deus ad Iob, vbi nihil Iob reſponderet. Nunquid qui contendit cum Deo, tam facile conquieſcet?] Pro hoc poſtremo Hebraicè. Nunquid qui contendit cum Deo יסור iſor, eruditus erit? Num ſapientiæ eſt, doctrinæ eſt, contendere cum Deo? Et an congruit, vt Deus cum homine diſceptet? Vel ſenſus eſt, quem noſter adhibuit: qui cum Deo diſceptare voluit, iudicium, fidemque eius implorauit, vtique reſpondere debet. Tunc demum Iob locutus eſt. Qui leniter locutus ſum.] Pro quo Hebraicè, eiuſdem fermè ſenſus
B קלותי kalothi, nempè vilui, vileſco, viliſſimus ſum, Quid reſpondebo? Quid reſpondeat mortalis Deo ſummo? Eoque conticeſco, digito compeſco labellum.

CAPVT XL.

RESpondit Deus ipſi Iob de medio turbine.] vel quemadmodum transferunt apertius Septuag. ἐκ τοῦ νέφους ex nube. Reſpondit, quoniam Iob ad iudicium eius prouocauerat, dare ſe Deum mortali in conſpectum deprecatus, apud quem querimonias omnes exoneraret, rationem prouidentiæ, qua res hominum æternis regit imperiis, expoſceret. Nunc iubet eum eſſe paratum ad reſpondendum, fortem animo (conciderat enim quemadmodum aiunt Græci, atque terror inuaſerat Iob, aſtante Deo in maieſtate ſua) inuicto. Queritur Deus, quod iudicium ſuum ac prouidentiam dictis inſectatus fuerit: dormitare, aut abeſſe procul à mundo, prædicare auſus fuerit. An tu, inquit, ęquitati, iuſtitięque meæ detrahes, quo tibi probitatem, quæ non debuerit ſubitis calamitatibus opprimi, vendices? An tibi virtus diuina ineſt, an vox, quemadmodum Deo, terribilis, tonitruique inſtar? Veſtire igitur, ſi tantus es, maieſtate, gloria, decore diuino. Sic enim Hebraicè. Veſtes in Hebraico non ſunt. Sed, veſtire maieſtate, celſitudine, gloria, decore. Exequere velut Deus cœleſtis, ius prouidentiæ, qua Deus in impios arroganteſque iratus, è ſublimi deiicit in terram, eorumque ſuperbiam euertit ἀντιθέους, θεομάχους, cyclopas, & gigantes, quorum violentia graſſatur in terra, funditus impellit in ruinam, & vſque in tartara mittit, dedecorat, deturpat, defœdat, qui ſuperbi quondam, omniumque contemptores incederent. Hæc prouidentia diuina, hic vigilat. Hoc ſi feceris, te
C Deum, dextramque tuam omnipotentem pronuntiabo. Accedit, hoc exordio præfatus, ad miracula naturę, maieſtatis, ſapientięque ſuę teſtimonium: loquiturque late de duabus beſtiis, altera terreſtri Behemoth, altera marina Leuiathan. Vocis prioris Behemoth duæ ſunt ſignificationes, inde duo ſenſus deducuntur. Prior eſt, vt Behemoth ſit nomen multitudinis è ſingulari behema, id deſignat, beſtiam, numerus multus behemoth, beſtiæ. Hoc primum ſequitur Chaldęus interpres, & Septuag. apud Græcos. Prior pro behemoth, poſuit in Chaldæo בעיריא beiraia, beſtias, pecudes. Sept. vero dixerunt. ἀλλὰ δὴ ἰδοὺ θηρία παρὰ σοὶ, χόρτον ἴσω βουσὶν ἐσθίει. At enim inquit, ecce ferę apud te, fœnum ęque, atque boues paſcuntur. Vides vt tranſtulerint θηρία feras, quod Hebraicè behemoth. Iuxta igitur hanc ſignificationem, dicitur in contextu, opificem mundi cum hominibus, creaſſe beſtias terrę, quas ipſa terra paſcit, quos edidiſſet, pabulis enutriens. Magnæ profecto ſapientię prouidentięque argumentum. Nec Gręci alium ſenſum agnoſcunt. Hoc tantum cum nonnullis è noſtris conſentientes, quod non defuerunt apud eos, qui ſimiliter, atque noſtri longius vagarentur, Behemoth, & beſtias dęmones interpretantes, cum tota deſcriptio, quę videbitur inferius, animantem terreſtrem repreſentet. Beneque idem. Gręci monent. Olympiodorus πολλοὶ περὶ τοῦ διαβόλου εἰρῆσθαι νομίζουσιν, κατ᾽ ἀναγωγὴν ἐκλαμβάνοντες. δεῖ δὲ πρότερον τῆς ἱστορίας ἐπιμεληθῆναι, καὶ τότε ἔτι τὸν ἀκροατὴν ὠφελεῖν, καὶ ἐκ τῆς ἀναγωγῆς μὴ παριδεῖν. Multos ſuſpicari dicta hęc de dęmonibus per anagogiam. Oportere autem primum accurate quid hiſtoria ſcribat perpendere: Tum auditorem ex anagogia iuuare. Recte quidem hęc Olympiodorus. Mihi vero nulla ratione hæc anagogia probatur: quæ de ſenſibilibus clariſſime traduntur, ad inuiſibilia, nulla neceſſitate cogente transferre. Nam ea quæ in hac deſcriptione, Nicolaus in animantem terreſtrem referri non poſſe ſcribit, ob quam

cauſam catholici coacti fuerint,hæc de diabolo interpretari,oſtendemus recte verbis conſideratis in animantem terreſtrem duntaxat, ſpectare. Principium autem hæreſeon, falſarumque opinionum eſt allegoria, ſi perperā intelligatur. Alter igitur eſt ſenſus,& altera ſignificatio,vt behemoth, ſit animal vaſtum, eximiæ magnitudinis, quo non ſit in omnibus animantibus grandius. Is eſt iuxta nonnullos elephas, ſiue rhinoceros. Sed potius elephas, quoniam de rhinocerote ſcripſerat ſuperius. Nicolaus elephantem, ſentit, cui propter corporis vaſtitatem nomen multarum beſtiarum eſt inditum. Deſcribit primum omnium pabulum, quòd non ſanguine, & carnibus, ſed fœno viuat. Ad hæc,quod vigor, & robur ei ſit in renibus, & vmbilico. Putat id Nicolaus ſpectare ad genituram, vt poſt pabulum deſcribat generationem: Gerſonites, quòd vel in his partibus ſit robuſtiſſimus, quæ ſint in aliis animantibus debiles. Cæterum ſciendum pro renibus, Aquilam fortaſſe melius tranſtuliſſe νῶτον, tergus,dorſum, vt dicat, fortitudo eius in dorſo. Symmachus tranſtulit ἰλαγὼν coxendices. Hæc magis quadrant, quàm renes, quanquam Hebraicum מתנים ſonat renes. Proſequitur.Stringit caudam ſuam quaſi cedrum,nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.]Quod noſter nimis aliene dixit,ſtringit,(Quid enim eſt,ſtringere caudam ſicut cedrum?) Hebraicè eſt יחפץ iachpoz, id exponitur à magiſtris vere per aliud notius יניע iania,mouebit,agitabit,vt cedrus agitatur à vento. Huc illuc flectit caudam vaſtam,eximiæ magnitudinis,qualis cedrus. Haud ſecus ingens cauda, ab ingenti bellua circum agitur, flectitur, quàm cedrus excelſa, ventorum turbine propellitur. Is eſt vnus ſenſus bonus, & is Rabi Gerſonitæ. Tunc hoc verbum legetur non per zaddi in vltima,ſed per zain יחפוז iachpos, nempè accelerabit, celeriter mouebit. Alter eſt,vt rectius,& æqui, bonique conſulamus, quod tranſtulit Hieronymus ſi ſtringere dixiſſe putemus eum, vt intelligitur ab Hebræis,& Septuag.Nam Auen Eſra exponit ſupradictum verbum iachpoz per aliud notius יעמיד iaamid, videlicet ſtare faciet: arriget caudam. Hæc cauda membrum genitale eſt, hoc habere belluam, erectum,ingens qualis cedrus, comparat ipſum cedro excelſæ, erectæ. Locutus enim eſt de renibus, de vmbilico,tum de membro genitali, exin de teſticulis. Chaldæus igitur etiam ipſe tranſtulit כפין caphin, ſtringit, intendit caudam: tentigine magna tenditur penis eius. Septuag.quoque tranſtulerunt ἵστησιν οὐραν ὥς κυπάριοσον. Siſtit, arrigit caudam, vt cypreſſum. Is eſt verior ſenſus de membro genitali, ingenti, vaſto, enormi, duro, robuſto: Eoque ſtatim ſubiicit. Nerui teſticulorum eius perplexi. Nempè fortiſſime concatenati,aſtricti, deuincti. Deſcendit ad oſſa. Oſſa eius velut fiſtulæ æris.] Hoc proprie dicitur in fonte. Oſſa eius אפיקי נחושה aphiche nechuſa, fortia,robuſta, vt æs. Oſſa ænea, ferrea. Et quoniam אפיקי aphiche, ſonat etiam vincula, iuncturas, poſſit dici oſſa eius iuncturæ æris, æneis vinculis, vinciuntur oſſa eius. Repetit idem. Cartilago illius,quaſi laminæ ferreæ.] Pro cartilagine ſunt גרמיו gheramau, oſſa eius, eiuſdem, atque ſuperior vox ſignificatus. Oſſa eius ærea, oſſa eius, & iuncturę ferreę. Pro lamina eſt מטיל metil, baculus. Oſſa eius velut baculus ferreus. Proſequitur. Ipſe eſt principium viarum Dei.] Hæc illa ſunt quę non intellecta deduxerunt homines Hebraici ſermonis imperitos, ad peruerſas, fabuloſas, ne dicam impias,allegorias. Recte, vereq; exponitur hoc ab Hebræis, idq; ex libro Geneſeos facilè intelligitur, cū ſcribitur,creauit Deus cete grādia,creauit beſtias terrę. Simile quid refertur hoc loco.Ingentem belluā behemoth, Deum creaſſe.Inter omnes animātes, hanc fuiſſe priorem creatam. Aut cum omnes crearentur è terra,inter oēs, hanc fuiſſe memorabilē,incredibilis magnitudinis. Principium viarum. Nimirum inuentionum diuinarum.Diuinæ poteſtatis præcipuum, principale teſtimonium. Vt enim in deſcriptione marinorum, Moſes pręcipue commemorauit, propter corporis vaſtitatem,cete grādia. Et Dauid loquens de marinis belluis. Draco iſte,quem formaſti ad illudendum in eo, nempè cetum in mari: ſic Iob cùm de poteſtate Dei, in creandis animalibus ſcriberet, in his, maximum, eximiæque magnitudinis monſtrum memorauit, ipſumque principium, nempè pręcipuum, principale,opus Dei,ob hanc cauſam dixit. Vias igitur Dei hoc loco, quemadmodum ſemper vocat, inuentiones diuinas, opera, opificia. Principium autem horum operum dicit, primum opus, principale, non tempore, ſed proceritate, vaſtitate, magnitudine, eximium, ac ſtupendum. Atque loquitur nunc ſacra ſcriptura, quemadmodum cum Iacob benedicens filios, de Ruben dixit. Principium doloris mei. Ideſt primogenitus, primus inter filios. Sic behemoth primus inter beſtias terræ, non tempore (nam ſimul cuncta creabantur,)ſed proceritate,magnitudine.Is eſt veriſſimus ſenſus etiā iuxta Hebręos ſynceriores.Septuaginta quoque clare ἀρχὴ τοῦ πλάσματος. Quod autem ſubiicit. Qui fecit eum applicabit gloriam ſuam, huic montes, herbas ferent. Dicendum, accommodandaque hoc modo oratio. Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit illum, applicabit gladium eius. Dicendum gladium ſuum. Hocque refertur ad Deum creatorem: dicitque iuxta Auen Eſram. Qui fecit eum יגש חרבו iaghesh, charbo, admouebit gladium ſuum. Nimirum, qui creauit, poteſt interficere, belluam immenſæ magnitudinis,robuſtam, vaſtam: poteſt qui creauit, conficere. Quod autem ait montes huic pabula ſufficere,clarum ex ſeipſo. Nam & ſuperius fęnum,vt bos comedet, deſignat voracitatem:pabuli copiam, qua veſcitur. Quod autem ſequitur. Omnes beſtiæ agri ludent ibi.] Pulchrè & verè ab Hebræis exponitur, cum bellua non ſit carniuora,ſed herba veſcatur,minores belluæ non timent eam,in eiſdem paſcuis verſantur,ludunt,laſciuiunt iuxta illum.

D

E

C

Exin

A Exin deſcribit accubitum. Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus. Hebraicè parum diſſimiliter. Sub arboribus opacis accumbit. Inter calamos, arundines ſecretos. Nempè, vt ait Auen Eſra, inter carecta, paludesque iuxta fluuios. Eoque in locis humentibus in limo, in paludibus. Proſequitur. Protegunt vmbræ, vmbram eius.] Ambitus corporis, arboribus opacis abſconditur: tegitur ſalicibus, quas humor, palusque producit. Proſequitur. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.] Hebraicè ſic. Ecce rapiet, abſorbebit fluuium, & non יחפוז iachpos, non feſtinabit, non accelerabit. Primum putat Auen Eſra eo ſpectare, vt dicat. Tantus eſt behemoth, tantæ magnitudinis bellua, vt timeat cùm bibit, nec fluuius deficiat. Eoque rapit, abſorbet, properat. Bibit autem non accelerate, quòd nec hominem, nec aliam belluam timeat. Eoque ſecurus bibit, habet fiduciam, quòd Iordanis in os eius influat. Poſſet eſſe & is ſenſus. In paludibus, & propter ripas affluentis amnis habitat, bibit ſecurus, non timet ſitim, & æſtum, quoniam aquæ ſuppetunt. Circunſtat agmen aquarum. Non quemadmodum reliquæ beſtiæ, quas ſitis, & aquæ inopia exaſperat. Eoq; non accelerabit (id enim dicendum eſt, pro eo, quòd noſter dixit, mirabitur) nam ſemper affatim potus ſuppetit, cui data ſit propter fluuios, habitatio. Aut quemadmodum ait Gerſon. Non feſtinabit fluuius, dum corripitur à bellua. Hauſtus belluę fluminis impetum remoratur. Quod autem ſubiicit. In oculis eius, quaſi hamo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares eius.] Hebraicè ſic ad verbum, in oculis ſuis, (neque enim ad vllius alterius oculos, niſi ipſius belluæ refertur) rapiet eum. Rapit, inquit, bellua, fluuium ante oculos ſuos, corripit totam aquam, abſorbet, rapit fluuium ante oculos ſuos fluentem, corripit fluuium præſentem. Et dum corripit, immittit nares inter carecta, iuncoſq;, quorum aculeis, nares eius perforantur. Nanque impet umagno B corripit aquam, non timens rapidum fluuium, hinc ſudibus, & iuncis nares eius perforantur. Is ſenſus Hebræorum etiam eſt, quem obuoluit, obſcurumque fecit noſter interpres. Nam nuſquam eſt in Hebraico hamus, vt dicat, quaſi hamo capiet eum, ſed vt diximus. Eoque factum eſt, vt Nicolaus exponat abſurde totum locum. Græci quoq; in dęmonem referentes diſſident à vero. Omiſſo autem behemoth terreſtri, accedit ad Leuiathan marinum: ac primum ait. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?] Leuiathan piſcis ingens, quem Septuag. interpretes vocitare ſolent alibi cetum. Qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan ipſi Græcè dixerunt, magnum cetum. Et hoc loco Græci fatentur Leuiathan eundem eſſe, atque cetum. Eum Sept. transferunt, nunc draconem de quo in Pſalmo. Draco iſte, quem formaſti ad ludendum in eo. Sunt ego nomina eiuſdem maximi piſcis, Leuiathan, cetus, draco, & balena. Hunc ſuæ libertatis propter incredibile robur prædicat, non obnoxium humanæ prædæ, quemadmodum reliqui piſces. Quod noſter dixit, hamo, Hebraicè חכה chacca, Hebræi rete interpretantur. Proſequitur. Nunquid pones circulum in nares eius?] Pro circulo eſt אגמן agmon. Hebræi ſentiunt hamum. Non multum diſcriminis ab alterutro. Et quod noſter dicit. Armilla perforabit maxillam.] Pro armilla eſt חוח choach ſpina Sicque à cunctis Hebræis exponitur. Spina, qua ſolent piſcatores maxillas piſcium perforare. Septuag. dixerunt καὶ χαλινῷ τρήσεις σιαγόνα αὐτοῦ. Et freno teres maxillam eius: ſed facilius ſequor Hebræos. Proſequitur per tralationem, vt non ſeſe precibus ad homines inflectat, nec quemadmodum cicures, alimentis hominum indigeant. Quod non feriat pactum, fœdusque velut ſeruiturus æternam ſeruitutem. His docetur, quam vaſtus robuſtus, inſolitus hominibus capi. Quod non ſit velut auicula, quo cum ludere C poſſis. Quod abs te ligatus ancillis tuis, quæ ludant cum eo, tradi nequeat, quemadmodum plerique aliorum animantium. Quod vero ait. Concident eum amici, diuident illum negociatores.] Hoc eo ſenſu dicitur, & quaſi ironicè, an captus comedetur ab amicis in conuiuio, vt alij piſces, conciſaſq; carnes eius negociatores inter ſe partientur? Hæcque cum ſenſu Hebræorum quadrant. Vult enim probare hunc piſcem non poſſe à piſcatoribus capi. Proſequitur. Nunquid implebis ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite illius?] Conueniunt cum Hebræis, excepto primo, quod quas dixit ſagenas (eſt autem genus retis) Hebraicè שכות ſuchoth, Gerſonites interpretatur gladium. Et quod noſter dixit, implebis, Hebraicè תמלא themalè. Nunquid, ait, cedes gladijs laniſtarum pelles eius? poſſet autem ſupradicta vox deſignare etiam ſagenas, quoniam שוך shoch, ſonat ſepire, circumuallare. Idq; ſentit Auen Eſra. Quod autem noſter dixit. Gurguſtium, (eſt autem Hebraicè צלצל zilzal) Auen Eſra fatetur eſſe ſpinam in piſcibus, per quam capiatur piſcis. At Gerſonites, putat eſſe gladium piſcatorium, quo piſces cæduntur. Non deſunt qui putent eſſe fiſcellam, vt noſter tranſtulit. Diuerſæ igitur ſententiæ ſuper re non magni ponderis. Tantum conſtet noſtrum interpretem ab Hebræis comprobari. Proſequitur, vt ponat ſuper eum manum ſuam, ſi poſſit, videlicet negans eum non poſſe. Memento belli, nec addas vltra.] Nimirum ſi propius ad eum acceſſeris, bellum erit tibi mortiferum, letale, nec addes vltra, quoniam extemplo bellua te vorabit, conficiet. Ad primum congreſſum deglutieris, quemadmodum Iona à ceto abſorptus eſt. Quod vero ſuperaddit. Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.] Verus ſenſus eſt, quem noſter interpres obſcurauit: Illum eundem, qui piſcē capere voluerit, qui cum eo congredi conatus extenderit ad eum manus, fruſtrabitur. Spes ſua falſa erit, ſpes eius vana, quoniam ad primum aſpectum, aut tremefactus, meſactus, aut occiſus, & abſorptus à bellua concidet, præcipitabitur. Dimidium igitur ſuperioris verſiculi. Et videntibus cunctis præcipitabitur, Hebraicè paulò ſecus. Nonne ad מראיו marau, aſpectum eius, ſcilicet belluæ vaſtæ יטל iutal, tolletur, aſportabitur? Quare verus ſenſus apparuit de eadem terribili bellua, cuius voracitatem etiam profani ſcriptores celebrant. Quod ſæpe naues cum viris abſorbeat: quod inſulæ inſtar ſuperextare mari videatur: quod ingentes clades locis quibus apparuit, edat. Hæc cùm ſint clara, aperta, expoſita, cur violentis, ne dicam impiis allegoriis ad dæmones trahuntur? Vere monuit Os aureũ, φεῦγε βεβιασμένας ἀλληγορίας fuge coactas allegorias. Sed ſi cui libeat, modo veritas hiſtoriæ maneat incolumis, ludere, iocari allegoriis, & anagogiis per me liceat. Vel nauim qui velit, oneret allegoriis. D

CAPVT XLI.

NOn quaſi crudelis ſuſcitabo eum,] Non eſt in fonte vero, capitis inchoatio, ſed ſermo connexus ſuperiori narrationi, & quod noſter tranſtulit, multo ſecus, & fortaſſe verius intelligitur ab Hebræis. Dicitur enim proprie לא אכזר כי יעירנו lo aczar chi iehirennu. Non eſt crudelis, aut fortis, qui ſuſcitet eum. Quamobrem in eo videtur noſter variaſſe, quod putauit אכזר aczar, eſſe verbum propter litterã aleph, ſed nomen eſt, vt apparet ex omnibus locis, cui conſonat ſuſcitabo. Nam Hebraicè non eſt prima perſona, ſed tertia יעירנו iehirennu, ſuſcitabit eum. Itaque Hebræi locum exponunt vere. Nemo eſt tam durus, tamq; robuſtus, & crudus, qui ſuſcitet hanc belluam: ſuſcitet, exterreat, mouere loco faciat, in fugam vertat. Quod autem ſubijcit. Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo?] Hoc eo expectat, quod negauerat hominem nunc belluę poſſe reſiſtere, licet ſępe capta fuerit ab hominibus, & interfecta: Deus autem cuncta valet. Licet, inquit, bellua crudelis ſit, & ſęua, Deo tamen nihil reſiſtit. Hebraicè igitur. At quis reſiſtet vultui meo? Ante oculos meos, quis ſtet? quis obſtet meis viribus? Eoque ſubijcit. Quis ante dedit mihi, vt reddam ei?] Deus, inquit, largitur omnibus, accepit à nemine. Nemo eſt, qui gloriari poſſit ſe Deo donaſſe priorem, & pro meritis collatis expectare tantundem. Deus eſt, ait priſca philoſphia, αὐτάρκης, ſuorum magnorum bonorum fons, & principium. Hoc maieſtas eius perſpicitur. Omnia ſunt imperijs ſubiecta eius. Dicitur autem hoc in Hebraico. Quis præuenit me, & retribuam?] Prętuenit me beneficio, attulit prior opem indigenti, & ego non immemor reddam, repetam. Non ita, ego dominus omnium, quæcunque cæli ambitu continentur. Is eſt verior ſenſus. Quem Hebręi non ponentes, non videntur vidiſſe. Nam Gerſonites, qui putat hunc ſenſum, Quis præuenit me operando, & ego, אשלם ashalem, perficiam (id enim etiam ſonat Hebraicum verbum, nempè perficere, & reddere) non mihi placet. Neque ſpectat ad exemplum diuinæ potentiæ. Proſequitur. Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis.] Mirabile quod noſter interpres hac tralatione, cui nullus ſenſus ſubeſt, ſuſpicatus fuerit. Redde igitur Hebraica fideliter, videbis ſenſum, quem videre nequeas in noſtris. Quod dixit, Non parcam, In fonte, non אחריש acharish, tacebo, ſilebo. Vt taceant ad me inſulæ. Vbi præſens vox החרישו. Quod vero tranſtulit, verbis potentibus, eſt בדיו badau, membra eius, deinde, & verbum potentiarum, & vim ſtructurę eius. Totusque verſiculus habet. Non tacebo membra eius, & verbum facultatum, & vim ſtructurę eius. Verus igitur ſenſus eſt. Reuertitur ad belluam, copioſius ſuper ea loquens. Non tacebo, ait, badau, membra eius, vt Hebræi declarant, nec potentiam, facultatemque membrorum, nec robur compoſitionis eius. Is eſt verus ſenſus, etiam teſtibus magiſtris. In noſtra tralatione nullus, & apud Græcos variant omnia. Proſequitur. Quis reuelabit faciem indumenti eius, & in medium oris eius, quis intrabit?] In his quędam à fonte diſſonantia. Nam quod dicit. Et in medium oris eius, quis intrabit? Eſt in fonte melius & clarius בכפל רסנו מי יבאו bekephel riſno mi iabo, Cum duplici freno ſuo, quis veniet? Is eſt verus ſenſus. Nam Gerſonites, de nomine reſen dicit: Eſt quod adhibent ori beſtiæ, quo ducunt eam quocunque volunt. Hieronymus non video, cur tacuerit frenum. Senſus igitur clarus. Quis reuelabit faciem indumenti eius?] Facies indumenti, ipſum indumentum. Vt facies aquarum, facies terrę, facies cęli: Ipſa nẽpè apparentia, ipſa res apparens. Indumentũ eius, aut vocat, vt ait Auen Eſra, profundum, pelagus, vbi tegitur bellua, veſtiturque, & abſconditur ab aquis: aut maxillas ipſas abſconditas, vt dicat. Quis deteget, aperiet locum, vbi beſtia vaſta decumbit? Quis latibulum eius efferet in lucem, quo cùm peruenerit imponat ori eius frenum duplex duplicatum propter maxillas vaſtas, extrahatq; in lucem? Aut quis aperiet ſecretas oris partes, quæ tegũtur intrinſecus, quibus ipſa compoſita eſt, veſtiturque, & has freno conſtringat? Is eſt ſenſus clarus, bonus. Proſequitur declarans hoc ipſum. Portas vultus eius, quis aperiet? per gyrum dentium eius formido.] Hoc erat, quod paulò ante, faciem indumenti eius. Recte portas oris, de ceto dixit. Si enim vt perhibent, vorat naues, hiatum neceſſe eſt maximum, latiſſimumque eſſe. Formidabilem, terribilemque prædicat, ordinem dentium quantum par eſt, tantæ magnitudinis belluam, cuius vbique celebratur apud ſcriptores voracitas, poſſidere. Subijcit. Corpus eius quaſi ſcuta fuſilia, & compactum ſquammis ſe prementibus.] Hebraicè proprie dicitur, vaſtitas, magnitudo, fortia ſcuta. Structura, ſeu ſquammę denſę, ſtrictæ. Hoc totum

A tum etiam in tralatione noſtra, eo excepto, quòd Hebraicè non ſunt ſcuta fuſilia, (quid enim eſt ſcutum fuſile?) ſed ſcuta אפיקי aphiche, quod ab omnibus conſtāter exponitur חזקים chazachim, fortia, robuſta. Sed Hieronymus ſecutus eſt Aquilam, qui principium huius verſiculi tranſtulit. Σῶμα δὲ αὐτοῦ ὑπέρχυσις θυρεῶν Corpus autem eius ſuperfuſio ſcutorum. Huius cauſa eſt, quòd אפיק aphich, non ſolum fortem deſignat, ſed etiam fluctum, inundationem, fontem. Sed perſpicuum eſt, vel Hebręis teſtibus, fortia ſcuta dicendum, non fuſilia, quadratque magis ſcutis fortitudo, robur, quàm fuſio. Cętera conueniunt. Proſequitur, vt altera ſquamma deuincta ſit alteri: vt nec ſpiraculum quidem per eas traijciat. Et ſuper hoc exaggeratur oratio, eadem inculcantur. Quod autem ait. Sternutatio eius, ſplēdor ignis.] Ab Hebręis ex ipſo fonte melius, & ad intelligendum facilius proponitur. Eſt enim in fonte. Sternutationibus eius accenditur ignis. Sicque exponit Gerſonites quòd ex ſternutatione eius accenditur ignis, propter vehementem calorem, qui velut ignis è naribus exeat. Poſſet hac ratione dixiſſe. Tanta eſt efflatio, flatus adeo vehemens, cùm ſternutat, vt ignis poſſit accendi, flāmaq. corripi. Eoque oculi eius, velut palpebrę aurorę ſplendent, cùm luceſcit aurora, roſeosque crines exoluit. Monſtra in Oceano boreali immenſę magnitudinis perhibent eſſe, quibus oculi flammeſcāt, eoq; indicio procul nautę diffugiunt. Quod vero ſubijcit. De ore eius lampades procedunt, quaſi tedę ignis accenſę.] Quod dixit (nā cętera conueniunt) tedę ignis, Hebræi vocē ſuā כידודי chidode, ſplendores, ſcintillas interpretantur, & melius. Hoc autem cur dixerit, mox ſubijcit apertius. De naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccēſæ, atq; feruentis.] Clarent omnia, id obſeruandum, quod poſtremo dixit, atque feruentis. Sic dicendum. Sicut ollę accenſę, & אגמון
B agmon, lebetis vaſti, cacabi. Exaggerat, inculcatq; eadem. Halitus eius prunas ardere faciet.] Simile, ut de naribus. In collo eius morabitur fortitudo.] Ceruices robuſtę, grandes, latę. Quod vero in dimidio eius verſiculi. Et faciem eius pręcedet egeſtas:] Hebraicè proprie dicitur. Et ante faciem eius תדוץ דאבה thaduz deabàh. Lætabitur dolor. Cuius eſſe ſenſum uolunt Hebręi, & uere. Ante eum non eſt dolor, nihil illum dolere facit. Nihil illi reſiſtit, a nulla re aduerſa oppugnatur, à qua dolorem perpetiatur. Quod cæteris animalibus dolor, hoc illi lætitia. Omnis dolor in lætitiam illi vertitur, Continet enim omnia. Corpus illi robuſtiſſimum, ferreum, doloris expers. Hos hyperbolicos. Nullum enim animal non dolet. Is verus ſenſus. Proſequitur. Membra carnium eius cohærentia ſibi.] Quod dixit mēbra, Hebraicè מפלי mapele, partes, particulas, Hebræi interpretantur, quæ ſunt in alijs ſeparatæ ab inuicem, in ceto autem vnitæ, connexæ, cohærentes ſibi, Quod autem dicit. Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium nō feretur.] Mirabile, cur ad hunc modum Hieronymus reddiderit, cùm ſit clarum in fonte, hoc modo יצוק על יו בל ימוט iazuc alau, bal imot. Corroborabitur ſuper ipſo; non mouebitur. Loquitur de carnibus eius piſcis, de membris inter ſe conſtipatis, cohęrentibus. Corroborabitur, ait, vnaquæque particula ſuper ſe, aut ſuper ipſum piſcem: non mouebitur, non luxabitur, fortiter inter ſe vincientur. Hoc belluæ robur. Nuſquam hic ſunt fulmina. Nec ſenſus vllus. Proſequitur ſimilia, quibus antecedentia declarantur. Cor eius indurabitur quaſi lapis; & ſtringetur quaſi maleatoris incus.] Cętera conueniunt. Quod dixit, Incudem maleatoris, eſt Hebraicè פלח תחתית pelach tachtith, mola inferior. Nā pelach ſonat fragmen rei cuiuſcunq, Exponitur ab Hebręis, pro lapide inferiore, è duobus lapidibus molaribus fortiore, & duriore. Quamobrem neque maleator, neque incus hoc loco. Secutus
C eſt Græcos, qui poſuerunt σφύραν malei. Sed reclamatur ab Hebręis. Peius in noſtra tralatione, quod ſequitur. Cùm ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.] Sciendum longe ſecus in Hebręo haberi, quàm reddiderit Hieronymus, quem vocum amphibologia videtur abduxiſſe. Quod dixit, ſublatus eſt משתו miſetho, propter elationem eius, propter ſublationem eius, nimirum ſuperbiam, altitudinem, vt Hebręi concorditer exponunt, qui pro ſetho, ponunt duas voces clariores רוממתו ותקפו romamto, & tichpho, quæ ſonant expreſſe, altitudinem eius, & fortitudinem eius. Hoc ergo clarum. Deinde, quod dixit, timebunt Angeli. Pro Angelis in Hebraico אלים elim. Id duo denotat, aliquando Deos, Angelos, nonnunquam fortes, robuſtos. Pro hoc vltimo, recte, & vere accipitur ab Hebręis vnanimiter. Nam loco eius poſuit Gerſonites manifeſtiorem vocem חזקים chazachim, fortes. Et Auen Eſra exponit. Ob ipſum, inquit, timebunt הגבורים haghiborim, fortes. Et Chaldæus תקפיא tachiphia, fortes, robuſti. Eſt igitur ſenſus verus. Propter belluæ vaſtitatem, proceritatem, robur, timebunt etiam fortes, vel illi ipſi gigantes, & bellicoſi. Timebunt item ob elationem eius, cùm ſeſe ſupra pelagus extulerit. Tunc bellua conſpecta, timebunt etiam animoſi, fortes milites quotidianis prælijs exercitati. Dimidium autem eiuſdem verſiculi. Et territi purgabuntur] Hebraicè ſic משברים יתחטאו mishebarim ithchatau. Nimirum, à contritionibus purgabunt ſeſe. Contritiones Hebræi exponunt fractos fluctus, motusque ingentes, quos bellua ciet in mari. Propter hos, timebunt, expauebunt. Purgabuntur autem, quia Deum ſummū, qui ferat opē implorabūt. Contritiones etiā, pauorem cordis, & ingentem commotionem, iidem recte interpretantur. Alij ferunt eſſe ſenſum, qui mihi quoque probatur, vt verbum ithcarau, deſignet inquinationem. Inquinabuntur timentes reſolutis præcordiis. Chaldæus autem dixit: aſpergent, proiicient ſuper ſe, nempè contritiones, pauores, formidines. Aut ipſæ belluæ, fluctus inſtantes efflabunt, vt ait Auen Eſra.

Fluctibus,& vndis eos aſpergent. Proſequitur. Cum apprehenderit eum gladius, ſuſtinere non D
poterit,& haſta,& gladius, neque haſta, neque thorax.] Is ſenſus etiam teſtibus Hebræis. Si gladius admouebitur, quo piſcis cędatur, vt apri, leones, ceruique feriuntur à venatoribus, non poterit ſubſiſtere. Nam bellua correptum gladium franget, tantum ei robur. Similiter nec haſta, nec quodcunque telum, quod Hebraicè מסע ושריה maſſa, veſciria, haſta ſcilicet Macedonica. Reputabit hæc arma,& omne ferrum, bellua illa immanis, velut paleam. Eoque ſagittas, lapides funditorum nauci faciet. Quaſi ſtipulam exiſtimabit malleum. Pro malleo eſt תותח toth ach. Hanc machinam bellicam, qua lapides immenſæ magnitudinis ad ruinam ædificiorum iactantur, ſuſpicatur Gerſonites. Alij arietem. Omniaq; quadrant, quàm malleus ad bella, cedesq; inutilis. Cætera clarent. Quod autē ſubijcit. Sub ipſo erunt radij Solis,& ſternet ſibi aurum, quaſi lutum.] Mirum cur hoc Hier. tranſtulerit. Hebraicè melius,& clarius ad hunc modum. Sub ipſo, חדודי חרש chadude charesh, acutæ petræ. Sciēdum Hebraicè chadud, deſignare acutum. Radium autem nunquā. Alterum nomen charesh, amphibolum ad Solem,& teſta, quanquam teſta dicitur חרש cheresh. Sol autem חרש chares, Rectius igitur,& melius iuxta Hebræos, locus is intelligitur, vt dicat. Sub ipſo acutæ petræ. Nimirum recubat ſuper acutis petris, quę latent in profundo. Super his beſtia recumbit, nec petrarum ſentit acumen. Hoc illi cubile. Tanta autem pellis durities, vt aſperitatem ſcopulorum non ſentiat. Quocirca radij Solis, nulla ratione intelligi poteſt, quid ſignificet. Et lōge clarius tranſtulerunt hoc Gręci, Septuaginta ἡ ϛρωμνὴ αὐτοῦ ὀβελίσκοι ὀξεῖς. Cubile eius acuti obeliſci. Obeliſcos vocat, acutiſſimas petras. Theodotio vero, cubile eius σιδηρᾶ τέκτονος, velut ferrum artificis, aut cubile ferreum. Nempè acutiſſimū velut ferrum, quo cedunt artifices ligna. Nam charash ad ſuperiores ſignificatus, ſonat etiam artificem. Apparuit igitur verus ſenſus, E
Dimidium autem eiuſdem verſiculi, Sternet ſibi aurum quaſi lutum.] Quod noſter dixit, aurum, Hebraicè חרוץ charux, id ſonat acutum, acuminatum, dentatum. Isque erit ſenſus. Sternet ſibi petras acutas, dentatas ſuper lutum, in profundo ſcilicet pelago, ſub altiſſimis harenis, vt ſit etiam deſcriptio cubilis. Si vero charuz (quoniam ſignificat etiam aurum) pro auro accipi placeat, erit ſenſus. (latent enim in profundo mari venæ auri) Sub ſe ſternet harenas aureas. Hæ cubile eius ſunt. Sed quoniam de petris acutis ſermo eſt, quas habeat pro cubili, melius, ac rectius eſt illud primum. Quod ſequitur, Ferueſcere, atque æſtuare facere belluam profundum maris, ob exhalationem eructationemq; aquarum, quas euomit,& quaſi vas vnguētarium ebullire, clarum eſt. Id enim faciūt belluæ marinę, Delphines, Teſtudines, multo magis bellua vaſta ructans aquas halitu ingenti. Fit ſonitus ſpumāte ſalo. Quod autem ſubijcit. Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum, quaſi seneſcentem.] Verus ſenſus Hebręis conſentientibus. Fertur bellua per mare impetu vaſto, ebullit, feruet mare, illa pelagus ſecante,& magna ſe mole mouente. Relinquitur ſemita, apparent, lucentq; veſtigia, quacunq; bellua inceſſit. Hoc Hebræi cum Latinis pariter. Quod vero dicit. Quaſi ſeneſcentem. Probatur mihi maxime ſenſus Hebræorum. Tanta eſt vndarū concitatio, bellua ſecante mare, vt tum veſtigia, ſemitaq; exprimatur, tum fiat tanta ſpuma, tāta canicies vndarum, vt qui reſpiciat, exiſtimet mare canum, velut ſenes, quibus canicies incōpta iacet. Referunt igitur Hebręi, æſtimabit abyſſum, quaſi ſeneſcentem: Non ad ipſam belluam, ſed eum qui viderit, aſpexeritq; mare. Cuius vndę, propter ingentem belluæ motum caneſcant velut canicies ſenis. Is verus ſenſus, ac proprie Hebraice æſtimabit, debet eſſe imperſonale, iuxta morem Hebraicę dialecti, vt dicat ęſtimabitur, reputabitur, abyſſus velut ſenilis canicies. Is ſenſus verior, F
quàm vt dicat æſtimabit abyſſum debilem, inualidam, vt ſenes, quod opinatur Nicolaus. Subijcit. Non eſt poteſtas ſuper terra, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret.] Hebraicè melius,& citra cauſam ſenſus abſurdioris. Non eſt ſuper terra משלו moshlo. Hoc duo ſonat, nunc ſimilitudinē, nunc dominatum, imperium. Senſusq; eſt. Non eſt ſuper terra dominatio eius, ſed in mari. Eſt bellua maris, monſtrorū marinorum, quaſi domina. Non in terra, ſed mari præſidet. Nō in terra, non ſuper belluis terreſtribus. Hunc ſenſum proponit Auen Eſra,& ex parte Gerſonites. Proponit etiam Chaldęus, pro voce Hebraica æquiuoca ſubijciens manifeſto deſignantem dominatum שולטנה shultanee, dominatio eius. Symmachus quoq; hoc ſequitur οὐκ ἐςὶν ἐπὶ χόω ἐξουσία αὐτοῦ. Non eſt ſuper terra poteſtas eius. Alter eſt ſenſus, vt dicat. Non eſt ſimile ſuper terra. Non eſt ſuper terra cōparatio eius. Hoc ſequitur Sept. οὐκ ἐςὶν οὐδὲν ἐπὶ τῆς γῆς ὅμοιον αὐτῷ. Nō eſt quicquā ſuper terra ſimile illi. Quod autē dicit, eum factum vt nihil timeret. Si dominatur in belluis marinis, iure nullam aliam belluam timet. Congrue igitur refertur ad belluas pelagi, quarum cùm cetum ſit maximum, iure nullam earum extimeſcit. Superius quoq; demonſtratum eſt robuſtiſſimos quoſq; timere beſtiam. Quamobrē nulla ſuperſtitio cogit hęc referre in dęmones plana, perſpicua de bellua marina. Similiter clareſcūt, quę ſequūtur de eadē maxima balena. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbię.] Pulcherrimè ab Hebræis exponitur primū. Tāta eſt belluæ magnitudo, vt cùm ſeſe ſupra fluctus extulerit, tanquā mons appareat in mari. Inde ſublato capite vaſto, velut è monte, è mole ſua circūſpicit omnia. Videt procul diſſita. Circūſpicit è ſublimi loco, quoniā corpus,& caput altiſſime tollit. Hæc igitur ſublimitas niſi corporis, moliſq; vaſtæ ſentienda non eſt. Quod autem in dimidio verſiculi dicitur. Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.] Poſſet hæc tralatio malum ingenerare ſenſum, ſed ſi fontem,&

Hebræos

A Hebræos adeas videbis veritatem. Pro filijs ſuperbiæ. Hebraicè ſunt: Filij שחץ shachaz. Ea vox exponitur duabus clarioribus ab illis גבה חוזק gobaa chozech. Sublimitas, fortitudo. Eſtq; veriſſimus ſenſus. Ipſe dominatur ſuper omnes filios potentes, robuſtos. Filios roboris, & potentiæ. Hebræi ſane quam appoſite interpretantur omnes belluas ingentes, omnia marina monſtra, quibus ait, balenam, ſiue cetum dominari velut regem, principem. Inculcans, quod ſuperius ſæpenumero prædicauit. Eſt cetus omnium marinarum belluarum, monſtrorumq; pelagi rex, præſidet omnibus, ſi corporis vaſtitatem reſpicias. Et pulcherrimè ſunt interpretati hunc locum Septuaginta, αὐτὸς δὲ βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν τοῖς ὕδασιν. Ipſe eſt rex omnium, quæ in aquis. Auen Eſra vero Hebræus adamuſſim eodem modo exponens filios ſuperbiæ כל נולד כמים col nolad bamaim. Omne, quod producitur in aquis. Nec video, nec vſquam reperio, quod Burgenſis ſcribit de shachaz, cùm ea vox, palam pro robore ſumatur ab Hebræis.

CAPVT XLII.

VBi Deus ſummus multis exemplis, quibus exuberat natura, potentiam, prouidentiamq; ſuam comprobaſſet, iure proponitur Iob confitens humanam imbecillitatem, ad myſteria diuinæ prouidentiæ, ſapientiæque penetrare, non valentem. Quid enim ſupereſt tot viſis, & animaduerſis in omni mundo miraculis, quàm obſtupeſcere, & aliquem ſummæ ſapientiæ, qui fecerit omnia, regatq; ad omne tempus, confiteri? Hoc Iob nunc confitetur. Ac quod ait, (cætera enim clarent) Quis eſt iſte, qui celat abſque ſcientia?] Abraham Hebræus hunc exhibet ſenſum. Quis ille eſt, qui celat, negat, abſcondit conſilium, ſapien-
B tiamque tuam, tam inſipienter? Quis ille eſt, qui ſapientiæ, maieſtatiq; tuæ detrahit, abſcondit, ſermone ſubducens, obſcurans? Græci quoque bene. Quis abſcondit ſilendo maieſtatem tuam? Melius igitur hoc intelligitur de conſilio Dei, quàm cuiuſuis alterius, vt putat Nicolaus. Proſequitur. Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excedunt ſcientiam meam.] Hebraicè ad hunc modum. Annunciaui, aut effatus ſum, & non intellexi. Mirabilia ſunt, quàm vt poſſim capere. Exaudi igitur tu voces noſtras, quibus à te poſtulamus ſapientiam. Nos ex te ſciſcitabimur, tu, nos reſponſis digneris. Audio, videoque te. Hoc gloriari poſſum vidiſſe, audiſſeque te. Certa ſunt omnia, nullis ambagibus obuoluuntur. Idcirco me reprehendo, nempè, vt eſt, Hebraicè, quicquid locutus ſum aperte refello. Quod autem dixit, Et ago pœnitentiam.] Hebraicè verbum pœnitendi נחמתי nichamthi deſignat etiam conſolatus ſum. Poteſtque dici, conſolatus ſum ſuper his, quæ in cinere hoc, & ſterquilinio ſedens, dolui, quòd fuerim deſpectus cunctis. Aut certè pœnitet eorum; quæ locutus ſum. Hanc pœnitentiam in cinere, & fauilla, quibus caput pœnitentis aſpergitur, ago. Vterq; ſenſus ab Hebræis adhibetur. Quæ ſequuntur in capite, manifeſta ſunt. Illud quod ait. Faciem eius ſuſcipiam, vt non nobis imputetur ſtultitia.] Suſcipere faciem, notum eſt Hebræis eſſe, honorare, honore proſequi quempiam. Illud vero, Vt non nobis imputetur ſtultitia.] Aliquanto ſecus in fonte. Ne faciam vobiſcum נבלה nebalah ſtultitiam, non Dei, ſed illorum. Ne deuoluam ſuper caput veſtrum, ſtultitiam veſtram, qua me, meamque prouidentiam defendere profeſſi, hominem innocentem proſcidiſtis, laceraſtis. Eos ad Iob ire iuſſit, velut illis longe iuſtiorem, quippe factis, & in ipſa harena philoſophatum, illi tantum nugando. Meritoque Iob, vt iuſtior exauditus eſt, ſibi, amicisque benefi-
C cijs cæleſtibus impetratis. Redijtque priſtina felicitas, qualia multa legas, videasque omnibus ſeculis exempla. Plurimos enim, quos fortuna, vel in tartarum præcipites egiſſet, attollere caput, longe quam antea beatiores, cernas. Quod autem ait, ſocios, cognatosque ad eum veniſſe, conſolatosque eum eſſe, iure, conuerſa diuinitus fortuna.

Tempore felici multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Attulerunt autem munera, amicitiæ, cognationisq; ſignum, velut apophoretum, xenium. Apud Poetas Priſcos, mores antiquos deſcribentes.

Pallam ſignis, auroque rigentem,
Et circumtexto croceum velamen acantho.
Colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis, auroque coronam.

Non ſecus hoc libro, dicuntur amici, attuliſſe Iob inaures. Vbi autem noſter interpres ait, ouem vnam. Pro oue, Hebraicè eſt, קשיטה Keſita, id ſonat nummum, obolum, teſtibus Hebræis. Quod magis quadrat hoc loco. Hoc ait capnio. Sed ſciendum, Auen Eſra eam vocem exponit כבשה קטנה chibſa Ketana, ouem paruam. Quare non diſſentit noſter ab Hebræis. Quodque ait, eum familia, filijsque auctum, vocaſſeque vnam è natis, diem. Hebraicè, eſt pro die, iemima. Ea vox, etſi diem denotat, relinquendum tamen nomen ipſum fuerat. Hieronymus ponit nominum etymologias, non ipſa nomina. Nam nomen ſecundæ caſiæ. Hebraicè קציעה Keziah, id ſonat caſiam.

Tertiam dictam cornu ſtibij. Stibium vocat fucum. Ea vox Hebraica eſt הפוך haphuch, fucus, & D ſtibium idem ſunt. Hebraicè igitur dicitur, Cornu fuci. Seruatur enim fucus, quemadmodum Nicolaus ait, in cornu. Septuaginta neſcio cur dixerint ἀμαλθείας κέρας. Cornu Amalthææ. Docent Græci quid ſit cornu amalthææ. Vocaſſe Priſcos Amalthææ cornu, bonorum copiam, Amalthæam nutricem Iouis fuiſſe, quem capræ ſuppoſuerit, eius capræ vnum cornu Iouem Amalthææ dediſſe, quo cuncta bona, quæ quis optare poſſet, continerentur. Sed, vt dixi, cornu Amalthææ in Hebraico non eſt. Colligunt autem Græci, dignum memoratu, Iob in ea calamitate ſeptem annos manſiſſe, quoniam centum ſeptuaginta annos, iuxta tralationem Septuaginta poſt plagam, dicitur vixiſſe, quorum dimidium ſint octoginta quinque. Vniuerſam autem vitam fuiſſe ducentos quinquaginta annos, è quibus ſeptem ſubduxerit ſcriptura, vt deſignaret illud miſerabile tempus, vitæ non debere deputari. Sed ſciendum tralationem Septuaginta non minus hoc libro in recenſendis annis, quàm multis alijs diuinæ ſcripturæ locis, variare à fonte. Nam non ſunt in Hebraico centum ſeptuaginta anni poſt plagam: ſed vt habet tralatio noſtra, centum quadraginta. Tempus item quo Iob ante calamitatem vixit, non refertur vſquam, quare vniuerſæ vitæ tempus colligi non poteſt. Illud item ſciendum apud Græcos ex editione Septuaginta & Theodotionis addi quędam in fine libri, quæ in editione Symmachi, & Aquilæ ſequentium Hebraicum non habeantur. Ea ſunt, vt ferunt Græci ex editione Syriaca, nempè Chaldæa quadam. Sunt autem omnia, quæ vice præfationis habentur apud La- E tinos in principio libri, quòd habitauerit in regione Auſitide, in finibus Idumeæ, & Arabię, quod accepta vxore Arabeſſa genuerit ex ea filium, cui nomen fuerit Emon. Eadem illa, quę in prefatione leguntur. Cumque deprehendatur ex hac hiſtoria, Iob fuiſſe quintum ab Abraham, prætermiſſo ſcilicet ipſo Abraham, deprehenditur fuiſſe ferè coetaneus Moſi, qui & ipſe quintus ab Abraham, ſi numeres primum ipſum generis caput Abraham, inde Iſaac, Iacob, Leui, tum Amram patrem Moſis. Itaque quo tempore graui ſeruitute gementes Hebræi, breui liberandi, & in terram promiſſionis educendi erant, vir iuſtus florebat, iamque calamitates eas egredientibus Iſraelitis ex Aegypto, perpeſſus fuerat, cuius res geſtæ toto oriente claræ, probitatis exemplo, Hebræis eſſe potuiſſent. Denique dicitur apud Græcos οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς συριακῆς βίβλου ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ αὐσίτιδος ἐπὶ τῶν ὁρίων τοῦ εὐφράτου. προϋπῆρχε δὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἰωβάβ ἦν δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ζαρὰθ ἐξ ἀνατολῶν ἡλίου, ἰὼβ ἀπὸ πόλεως γεθέμ. Fertur item ab eiſdem Græcis ex teſtimonio Chryſoſtomi, patriam Iob fuiſſe Vs in Arabia, vbi ſepulchrum eximij viri, & ſterquilinium in quo ſedit monſtretur: inſuper honores, quos ſingulis annis, vt fama eſt, exhibeant incolæ. Hinc Auerroes Ariſtotelis interpres, ſermone Arabs, in morali- F bus, Iob ad fortitudinis exemplum produxit, vocans eum beatum.

F I N I S.

תם ונשלם תהלה לבורא עולם.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS

An vulgata editio ſit Diui Hieronymi.

B ETSI NON videbatur poſcere hic liber, vt de vulgata editione, quam eſſe ſanctiſſimi doctiſſimique Hieronymi in annotationibus in Pentateuchum contenderam, hic diſſererem: rem tamen tanti momenti, & cui, multi refragantur, ſæpe confirmare, & perſpicuam reddere, non erit forte etiam ab hoc opere, in quo eandem ipſam editionem interpretamur, alienum. Eſt certe magni momenti res, ſicut Græci, & antiqui Latini quondam de tralatione Septuaginta gloriabantur, ita quoniam antiqua illa editio eſt ſummota, perſuaſum eſſe nobis, aliquem doctiſſimum, ſanctiſſimumque fuiſſe virum, id eſt ipſum Hieronymum, quem concorditer omnis Eccleſia receptum, & approbatum, ſuper eius tralatione conquieſceret. Miſerabilius autem eſſet, ſi Hieronymus verus ille noſter fuiſſet interpres, aliquam in contrarium leuem ſuſpicionem in noſtris animis ſurrexiſſe, aut extitiſſe aliquem, qui fallacibus coniecturis ſuis, quales ſæpe mortales ludificantur, nobis hanc veritatem extorqueret. Accidit miſeranda hæc calamitas præcipue hoc tempore, vt multa quæ, & antiqua eſſent, & à ſanctiſſimis patribus reperta, reiecta veluti noua, ab his qui eorum vetuſtatem, autoritatemque ignorarent, fuerint. Aſſerebam igitur in annotationibus vulgatam editionem eſſe Hieronymi, idque ea cum primis ratione, quòd hæc editio non eſſet cuiuſquam Græcorum, non Septuaginta, non Aquilæ, non Symmachi, non Theodotionis, non Luciani, non quinta, non ſexta. Et tunc ob hanc rationem, tum quia ex Hebraico appareret tralata, tum alijs multis coniecturis, eam affirmabam eſſe ſanctiſſimi doctiſſimique Hieronymi. Itaque vt nunc omnia C melius innoteſcant, altius aggrediar, prolixior forte, ſed vitare prolixitatem propter contentioſos, non poſſum. Prima, vt dicebamus ſacrarum ſcripturarum veteris teſtamenti ex Hebraico tralatio in Græcam dialecton, fuit ſub Ptolemæo Philadelpho de qua omnes Græci ſemper honorificè loquuntur. De ea ſcribunt Chryſoſtomus, & Iuſtinus martyr, idem & Philoſophus, & Theodoritus, quorum omnium vt res ſit clarior, & dilucidior, ſeorſum citabo teſtimonia. Chryſoſtomus igitur contra Iudæos, Πτολεμαῖος ὁ φιλάδελφος τὰς πανταχόθεν βίβλους συναγογὼν· καὶ μαθὼν ὅτι καὶ παρὰ Ἰουδαίοις εἰσὶν γραφαὶ περὶ θεοῦ φιλοσοφοῦσαι, καὶ πολιτείας ἀρίστης μεταπεμψάμενος ἄνδρας ἐκ τῆς Ἰουδαίας ἑρμήνευσεν αὐτὰς δι' ἐκείνων· καὶ ἀπέθετο εἰς τὸ τοῦ Σεράπιδος ἱερὸν, καὶ γὰρ ἦν ἕλλην ἀνὴρ καὶ μέχρι νῦν ἐκεῖ τῶν προφητῶν αἱ ἑρμηνευθεῖσαι βίβλοι μένουσιν. Ptolemæus, inquit, Philadelphus, cùm omnes vndique libros congregaret, & intellexiſſet eſſe apud Iudæos libros, qui de Deo, & de optimo reipublicæ ſtatu philoſopharentur, viris à Iudæa accerſitis, per eos tranſtulit, repoſuitque has ſcripturas in templum Serapidis, Erat enim gentilis. Et nunc vſque libri prophetarum ibi tralati habentur. Hæc vir aureus, Eadem hæc paulo vberiora narrat etiam Theodoritus, qui quoniam ea loquitur ſuper hac re, quæ à me ipſo fuiſſent dicenda, proferam eum pro me diſſerentem. Magnum, inquit, ac ſalutare ſcripturarum donum, ſolum erat penes Hebræos celatum, & abditum. Sed omnium rerum moderator non eſt paſſus latere myſterium, gentibus, etiam voluit fieri manifeſtum. ἀλλ' ἐξήγειρε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον Κύριος τῷ Πτολεμαίῳ τινὶ βασιλεῖ τῶν Αἰγυπτίων τῷ καὶ φιλαδέλφῳ καλουμένῳ καὶ πᾶσαν γραφὴν ἑλληνικήν τε καὶ Ρωμαϊκὴν, ἔτι τε καὶ Αἰγυπτίων ἐξασκῆσαι πα-

Prima tralatio ſacrarũ litterarum ex Hebraico in Græcum.

ρεσκεύασιν, γνοὺς δὲ καὶ τοὺς Ἰουδαίους ὁ αὐτὸς τὴν γραφὴν ἰδίαν ἔχειν, καὶ μάλιστα αὐτὴν κατ' ἐξοχὴν τὴν τῇ πρεσβυγενείᾳ προτερεύειν, καὶ τῇ ἀληθείᾳ καταστέφεσθαι ἔρωτι ταύτης συσχεθεὶς, πρέσβεις τοῖς τὰ Ἑβραίων λαχοῦσι κατ' ἐκεῖνο καιροῦ διέπειν τε καὶ διοικεῖν, ἐπιστέλλει, μὴ στερῆσαι τῆς ὠφελείας τὸν ἐπιδεόμενον, τοιγάρτοι δώροις τούτους ἐκμειλιττόμενος, ϗ σκεύη χρυσᾶ, τῷ τηνικαῦτα περιβοήτῳ τεμένει πρὸς ἀφιερώσας, πατρῴας τε φειδοῦς ὑπομνήσας ϗ εὐεργεσίας. κάμπτει τούτους τῇ αἰτήσει, οἳ τοι τε ὡς εἰκὸς οἷα τε δῆθεν ἔτι δεσπότου ϗ δυναμένου βλάψαι εἰ βούλοιτο ἐκλιπαρούμενοι ἐκ περιχαρίας ἀμέτρου ἐσκιρτηκότης, χρυσέοις γράμμασι τὴν πᾶσαν γραφὴν εὐσημηνάμενοι, ἔστειλαν τῇ ἰδίᾳ φωνῇ. δεξάμενος τε οὗτος ταύτην ϗ ἀναπτύξας μὴ τετυχηκέναι τῆς ἐφέσεως ἔφασεν, εἶτα αὖ πάλιν ἀντιγράφει λέξας θησαυροῦ καὶ σοφίας κεκρυμμένων, καὶ πηγῆς ἀφανοῦς ποία ὄνησις. βέλτιστ' αὖ παράχρημα οὗτοι γε τὴν καλλίστην τε καὶ θείαν βουλευσάμενοι ἐκ πάσης φυλῆς τοῦ ὅλου ἔθνους οἷα τινὰς καρποὺς ἡδίστους πεπανθέντας τήν τ' ἔξω, καὶ τῇ ἰδίᾳ γραφῇ ἐρανισάμενοι ἑβδομήκοντα, τὸν ἀριθμὸν ἄνδρας κατὰ τὸν τοίπον, ὃν πάλαι Μωυσῆ Κύριος πρὸς τέταχειν, ἔτι τε ϗ πνεύματος θείου ἐνδιαιτήματα πεφηνότας, πρὸς ἀναπέμπουσι αὐτῷ, ὅπος, καθὼς βούληται τὴν ἔκδοσιν τῆς γραφῆς ποιήσοιντο. ϗ τούτους ἀποδεξάμενος, διώρισεν οἰκίσκοις ἐμβαλὼν πρὸς τῷ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καλουμένῳ φάρῳ, ὅπως μὴ κατὰ τὸ αὐτὸ γενόμενοι συμφωνήσαντες παρακλέψωσι τὴν ἀλήθειαν. ϗ δὴ τοῦτο ποιήσας, συνήθροισεν ἀνδρῶν τὰ ἐκδοθέντα, ϗ τοσοῦτον εὗρεν αὐτοὺς συμφωνήσαντας, ὡς μηδὲ ἐν λέξει παρηλλαχότας, μήτι γε μὴν ἐν νοήμασι. δεξάμενος τοίνυν τὴν ἔκδοσιν, ϗ μειζόνως ἀπευχαριστήσας τοῖς ἠγωνισμένοις περὶ τοῦτο, πλείστοις τε ὡς εἰκὸς φιλοτιμησάμενος δώροις, ϗ τὸ ἔθνος εὐφημίᾳ μεγαλύνας, ἐξαπέστειλεν. πρώτη δὲ αὕτη ἡ ἔκδοσις ἐγένετο πρὸ τριακοσιοῦ πρώτου ἔτους τῆς μετὰ σαρκὸς, πρὸς ἡμᾶς ἐπιδημίας τοῦ θεοῦ λόγου καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quæ ſunt: Excitauitq; Spiritum ſanctum dominus Ptolemæo regi Aegyptiorum, qui & Philadelphus vocatus eſt, vt omnes & Græcas, & Romanas inſuper, & Aegyptiacas litteras excoleret. Intelligensq; idem etiam Hebræos, habere proprios libros, cum primis antiquitate, & veritate omnes alias ſcriptiones ſuperãtes, amore harum incenſus, miſit his qui eo tempore res Hebræorum moderarentur, ne eum indigentẽ hac vtilitate priuarent. Quibus etiam muneribus placatis, & miſſis ad celeberrimum tunc temporis templum, vaſis aureis, item paterna erga eos indulgentia, beneficijsq; commemoratis, flectit precibus. Illi qui ab eo obſecrarentur, qui ſi vellet, non mediocriter poſſet offendere, ingenti gaudio elati, aureis litteris omnem ſcripturam exaratam propria lingua miſerunt. Ruſumq; rex reſcripſit in hunc modum. Theſauri, & ſapientiæ abditæ, & fontis ignoti quæ vtilitas? Ergo pulcherrimo rurſum, & diuino conſilio excogitato, ex omni tribu totius populi, proprio & externo ſuffragio comprobatos, Septuaginta viros quaſi ſuauiſſimos in maturitate flores iuxta formam, quam Deus tradiderat Moſi, quiq; Spiritus ſancti ſedes eſſe viderentur, miſerunt ei, vt transferrent vti ipſi placuiſſet. Quos acceptos ille diuiſit ab inuicem in priuatis cellulis, in loco iuxta Alexandriam qui dicitur Pharos. Ne ſi eſſent eodem in loco concordes, veritatem non exprimerent. Quo facto, omnium editiones congregauit. Adeoq; eos reperit inter ſe conſentientes, vt ne in dictione quidem vna, nedum in ſententijs diſcreparent. Accepta itaq; editione, multoq; maioribus gratijs ob tantos exantlatos labores habitis, & maximis, vt par erat, eos muneribus affectos, laudibusq; ea gente cumulata remiſit. Hæc prima editio fuit ante trecenteſimum primum annum quàm ſeruator noſter Ieſus Chriſtus homo, veniret in mundum. Hæc Theodoritus, apud quem habes ferè quicquid item ſcribit Ariſteas ſuper hac re, ſed ne ſim in citandis autoribus ſuper re clara, prolixior, Ariſteã, & alios prætereibo. Eſt Iuſtinus martyr, qui in Apolegetico, quẽ fecit Latinum doctiſſimus princeps Mirandulanus, Ioannes Franciſcus, vidiq; ipſe etiam Græcum, & bibliothecæ Alexandrinæ illius meminit, omnibus libris refertiſſimæ, & vt Ptolemæus audito eſſe apud Hebræos proprijs eorum characteribus deſcriptos libros, incenſus eorum videndorum cupiditate, accerſierit, interpretes, eosq; non in vrbe, ſed in Pharo procul Alexandria ſeptem ſtadijs, in cellulis deputatis transferre iuſſerit. Et vt aſtantibus miniſtris omnem quidem habere curam interpretum iuſſerit, ſed prohibuerit, ne ſe inuicem adirent, vt interpretatio exactior, & conſonantia deprehenderetur. Agnoſcens autem eos non ſolum in ſententijs, ſed ne in verbis quidem vſquam diſſenſiſſe, vti diuinos interpretes multis muneribus donatos dimiſerit. Haſq; non fictas fabulas dicit eſſe, ſed auditu incolarum Phari ſibi relata: tum in Alexandria veſtigia cellularum aſſerit à ſe viſa: citatq; idem, tralationis huius teſtes Philonem, & Ioſephum. Quod nos & apud Philonem, & Ioſephum vidimus. Prima igitur editio multo ante Chriſti tempora, fuit ipſorum Sept. quæ propter relatas cauſas, maximæ venerationi à Græcis, & Latinis habebatur, adorabatur, ſuſpiciebatur. Ex ea citarũt Apoſtoli teſtimonia, eam interpretati ſunt omnes qui apud Grecos, diuinas litteras ſunt commentati. Lege Origenem, Baſilium, Chryſoſtomum, Gregorium vtrunque, aliosq; ſanctiſſimos, ac doctiſſimos. Ex ſuperiore autem Chryſoſtomi teſtimonio, cùm dixit vſque ad ſua tempora haberi libros prophetarum repoſitos in fano Serapidis, refellitur, quod ſuſpicatus eſt Ioſephus, aſſerens, Sept. Pentateuchum tantum tranſtuliſſe, vt teſtatur etiam diuus Hier. Quæ ſit autem tralatio Septuag. apud Græcos notiſſimum eſt, ea videlicet, quæ apud eos eſt vulgatiſſima, quæ vt dixi à ſanctis doctoribus vbique citatur, & exponitur: hocque dico quatenus licuit Græcorum libros euoluere. Nam neque Luciani editionem, neque alterius cuiuſquam vidi vnquam niſi in declarationem editionis Sept. citatam,

D

E

Septuaginta interpretes.

F

Septuaginta pẽtateuchum tantum tranſtuliſſe.

citatam, & enarratam. Ac licet Hieronymus quãdam ſuo tempore teſtetur fuiſſe diſſenſionem, vt alij Septuag. interpretationem, alij Lucianum, alij Theodotionem, vel Hexapla Origenis legerent, apud ſcriptores tamen vnica eſt interpretatio Septuag. Poſt Septuaginta iam Euangelio coruſcante, ideſt à prima illa editione circiter quingentis annis, emerſerunt noui tralatores. Quorum tempora, & genus, & profeſſionem, moreſque, & cauſas interpretandi deſcribit idem Theodoritus, quem pro me loquentem, hancque rem clare diſſerentem, propono: δευτέρα δὲ ἔκδοσις γέγονεν οὕτω. ἀκύλας τις ἀπὸ σινώπης τῆς πόντου ὑπάρχων ἕλλην ὢν ἐβαπτίσθη ἐν ἱεροσολύμοις, καὶ τοῖς ἑλληνικοῖς πάλιν ἀναστρεφόμενος ἤθεσιν, ἐπετιμήθη παρὰ τῶν κηρύκων τῆς χάριτος καὶ λυπηθεὶς, ὥσπερ κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἔμετον ἀνθυπέστρεψεν, καὶ ἀναθεματίσας τὸν χριστιανισμὸν τοῖς Ιουδαίοις πρὸς δραμὼν, ἡρμήνευσε καὶ αὐτὸς τὴν θείαν γραφὴν ἐπὶ Αδριανοῦ βασιλέως τοῦ λεπρωθέντος μετὰ τετρακόσια τριάκοντα ἔτη τῆς τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνείας καμπύλῳ καὶ διεστραμμένῳ λογισμῷ. Quæ ſunt: Secunda editio in hunc modum fuit. Aquila quidam Sinopeus è Ponto, cùm eſſet prophanus, baptizatus eſt in Hieroſolymis: Cumque in prophanorum gentiliumque moribus iterum volutaretur, obiurgatus eſt à præconibus gratiæ. Et dolore affectus, tanquam canis ad proprium vomitum eſt reuerſus, execratusq; Chriſtianiſmum, & ad Hebræos ſe recipiens, interpretatus eſt & ipſe diuinas ſcripturas ſub Adriano Imperatore leproſo, poſt editionem Sept. anno quadringenteſimo trigeſimo, doloſo, & peruerſo animo. Sic ille. Aquilas igitur ſecũdus interpres, cùm verborum proprietati maxime inſtitiſſet, nõ quidem vnquam eſt publice receptus, ſed legebatur ad declarationem tralationis prioris. Sic Euſebius, Origenes, Theodoritus, cęteriq; vt vbique in noſtris apparet, apparebitq; annotationibus, eius ſunt vſi tralatione, raro videlicet, & nonnullis tantum in locis. Cui fidem derogabant tum reditus ad gentes, tum ad Iudæos acceſſus, deinde ꝙ ſentiebant paſſim obliqua, & peruerſa mente eum tranſtuliſſe. Contemptus etiam eſt, vt ait diuus Hieronymus, vti ſcrupuloſior, & qui quædam verborum portenta videretur excogitaſſe, qualia multi nunc inuexerunt, vt herbificare, motabilitare, & id genus, quæ cum à Hieronymo de optimo genere interpretandi irrideantur, conſtat alienum à mente eius eſſe, vt iſto modo apud Latinos loquamur, cùm ne Gręci quidẽ ferre potuerint. Secuta eſt tertia editio Symmachi quæ ſimiliter à Theodorito deſcribitur, ἡ γοῦν τοῦ Συμμάχου ἔκδοσις τρίτη ὑπάρχει, οὗτος τοίνυν Σαμμαρείτης ὢν, φίλαρχος ὑπάρχων καὶ ὑπεροψίαν νοσῶν μὴ τιμηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἔθνους, τοῖς Ιουδαίοις πρὸς έρχει, καὶ ἐκ δευτέρου περιτέμνεται καὶ πρὸς διαστροφὴν τῶν Σαμμαριτῶν ἑρμηνεύει καὶ αὐτὸς τὴν θείαν γραφὴν ἐπὶ Σεβήρου. Ergo tertia, inquit, fuit editio Symmachi, Is cùm eſſet Sammarites, magiſtratuum, honorumq; cupidus, plenusq; faſtu, nec à propria gente ad honores aſcitus, refugit ad Iudæos, iteratoq; circunciditur. Et ad euerſionem Sammaritarum, ſcripturas, & ipſe eſt interpretatus ſub Seuero. Hucuſque Theodoritus. Ecce igitur & Symmachus bis circunciſus, nunquam Chriſtianus, ad euerſionem ſuæ gentis, id eſt, Sammaritarum denuo edidit. Diſcrepabant enim libri Sammaritarum à libris Iudæorum, multaq; erant adiecta, multa detracta, vt interdum oſtendit eximius Hierony. vt illud, Dixitq, Kain ad Abel, Egrediamur foras, nõ eſt apud Hebræos, ſed erat in libris Sammaritanorum. Vt enim eorum ſcripturas, quos oderat, oſtenderet mendaces tranſtulit ad Græcos, oſtendens quantum errarent in ſcripturis Sammaritæ. Hac editione ſimiliter atque Aquilæ vſi ſunt Græci. Nunquam eſt publice recepta, nonnullis in locis inducta ad declarationem prioris. & vbique receptiſſimæ tralationis. Semper enim inuenies apud Euſebium, cæterosq; Græcos λευκότερον, σαφέστερον, id eſt clarius, apertius, vel Symmachus vel Aquila tranſtulit, nunquam dicentes verius oſtendentes editionem Septuag. potius obſcuram eſſe, quàm non veridicam. Secutus eſt Theodotio quartus poſt Septuaginta interpres, de quo etiam Theodoritus, τετάρτη ἡ τοῦ Θεωδοτίονος πέλει ἔκδοσις, οὗτος τοίνυν τῆς αἱρέσεως Μαρκιανοῦ τοῦ Ποντικοῦ ὢν ἐξέδοκεν καὶ αὐτὸς τὴν ἑρμηνείαν ἐπὶ κομμόδου τοῦ βασιλέως ἐν αὐτοῖς τοῖς χρόνοις πρὸς διαστροφὴν τῆς αὐτοῦ αἱρέσεως. Hoc eſt: Quarta fuit editio Theodotionis. Is erat ex hæreſi Marciani Pontici, & in euerſionem ſuæ ſectæ edidit ſcripturam ſub Commodo Imperatore. Sic ille. Etiam igitur Theodotio, quia hęreticus eſſet, nunquam eſt receptus, nunquã præpoſitus antiquis interpretibus, quos afflatu Spiritus ſancti tranſtuliſſe tota Græcia aſſentiebatur, eos adorabant, venerabantur, ſoletq; interdum apud eos Theodotio citari, ſicut Aquila, & Symmachus, publice lectus, & receptus nunquam. Scripturas autem Marcioniſtarum deprauatas, & falſatas fuiſſe, ſicut Sammaritanorum, & in eorum euerſionem hæreticum Theodotionem veriſimile eſt tranſtuliſſe, poſt quem ſecutæ ſunt aliæ editiones, quæ tum à Græcis, tum ad imitationem Græcorum ſæpenumero citantur à diuo Hieronymo. Erant autem editiones, quarum ignorabantur autores, appellatæ à prima, quæ fuit Septuaginta. Quinta, Sexta, Septima, de quibus idem Theodoritus, ἡ πέμπτη δὲ ἔκδοσις ἐν πίθοις εὑρέθη ἐπὶ Αρακάλλου τοῦ βασιλέως, ἐν Ιεριχῷ, καὶ ἡ ἕκτη δὲ ὁμοίως ἐν πίθοις εὑρέθη κεκρυμμένη ἐπὶ Αλεξάνδρου τοῦ Μαμμαίου παιδὸς, ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς ἀρκτίοις. Quinta, inquit, editio in dolijs eſt reperta ſub Caracalla Imperatore in Hierico. Similiter, & Sexta in dolijs eſt reperta, abſcondita, ſub Alexandro Mammeæ Imperatore in Nicopoli aquilonari. Hæc Theodoritus. Poſt has editiones Septima fuit ſancti Luciani inducta ob varias ſuperiores editiones, quæ circunferebantur, de quo non eſt opus me multa dicere cùm Suidas plurima ſcribat, & idẽ Theodoritus hoc loco. ἑβδόμη τε ἔκδοσις ἐστὶν ἡ τοῦ ἁγίου

Aquila interpres, apoſtata.

Symmachus interpres Samarites.

Theodotion interpres, hæreticus.

Editiones Quinta & Sexta. Editio Septima, ſancti Luciani.

Λουκιανοῦ τοῦ μεγάλου ἀσκητοῦ καὶ μάρτυρος, ὅστις ταῖς προγεγραμμέναις ἐκδόσεσιν ἐντυχὼν ἐγκύψας D
δὲ καὶ τοῖς Ἑβραίοις, μετ' ἀκριβείας τὰ λείποντα ἢ τὰ περισσεύοντα καὶ τοῦ καταλόγου τῆς ἀληθείας πόρρω τυγχάνοντα διορθωσάμενος ἐν τοῖς οἰκείοις τῆς γραφῆς χωρίοις ἐξέδοτο τοῖς Χριστιανοῖς ἀδελφοῖς· ἥτις ἔκδοσις μετὰ τὴν ἄθλησιν καὶ μαρτύριον τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ, τῆς τοῦ Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ καταληξάσης μανίας εὕρηται ἰδιόχειρος γεγραμμένη, ἐν Νικομηδείᾳ ἐπὶ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως παρὰ Ἰουδαίοις ἐν πυργίσκῳ μαρμορίνῳ καὶ κεκονιαμένῳ. Septima, inquit, editio eſt ſancti Luciani, magni illius militis, & martyris, qui ſuperioribus editionibus inſiſtens, tum & Hebraicis ſe tradens, diligenter quæ deeſſent, quæque redundarent, & quæ à Catalogo veritatis procul eſſent, correxit in proprijs ſcripturæ locis, ediditque Chriſtianis fratribus, quæ editio poſt eius certamen, & martyrium, deferbente Diocletiani & Maximiani inſania, reperta eſt propria manu ſcripta in Nicomedia ſub Conſtantino Imperatore apud Iudæos, in turri parua, marmorea calce illita. Hæc Theodoritus, Cum quo ſimiliter Suidas ſcribit, Lucianum tranſtuliſſe, obuiamque ire voluiſſe corruptioni, à temporibus, & crebris tranſcriptionibus, tum malis hominibus, in exemplaria illatæ. Eumque fuiſſe Syrum ex Samoſatis. Eoque facilius nouit Hebraice, propter vtriuſque linguæ affinitatem. Hanc editionem nunquam ferè vidi citari & commemorari à Græcis, diuoque Hieronymo: non quòd, vt reor, non haberent fidem, ſed quòd adeſſent ſuperiores editiones. Nunquam autem ſummota fuit antiqua editio Septuaginta quòd ea, & apoſtoli vſi eſſent, & quòd longe eſſet antiquior, & auguſtior cæteris omnibus. Hanc interpretantur, vt dixi, Græci Theologi, ex ea citant teſtimonia. Pſalterium quoque quod canitur in Eccleſia eſt Septuaginta, non Luciani, Nam hoc interpretantur ipſi iidem Theologi Theodorus, Theodoritus, Baſilius, Chryſoſtomus, Gregorius, Origenes. Idem etiam habetur E
apud Latinos, è Græco tralatum. Eſtque ad alia innumera, vel illud teſtimonium, quod iſtud enarrat Hierony. citans ipſum ſub nomine Septuaginta, ſic ſuperiores Græciæ theologi, vt ibidem expreſſe cernitur. Græcæ igitur editiones in hunc habuere modum. Nam de Heſychio nihil reperi. Fuit etiam Hexaplos Origenis, in quo opere conferebantur è regione ſex editiones, videlicet ipſi Septuaginta, Aquila, Symmachus, Theodotio, tum Quinta, & Sexta editio: idcirco inſcriptum opus Hexaplos, quaſi ſextuplex. Citatur interdum à theologis. Hoc igitur eſt, quod hucuſque narrauimus, quicquid apud Græcos de varietate tralationum, refertur. Quibus cognitis, venio ad Latinos, ante quorum peruenit ſanctorum theologorum tempora, prior illa, adorata, & culta ſemper apud omnes editio Septuaginta, dico ante ſanctiſſimum eloquentiſſimumq; Cyprianum, ante Lactantium, ante Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium. Eaque eodem in honore fuit, ſimiliterque in Eccleſijs legebatur Latinorum Latinè, atque Græcorum Græcè. Tanta fuit autem veneratio quam erga hanc editionem veluti diuinam, veluti à ſpiritu ſancto inſpiratam, Latini habuere, vt diuus Hieronymus, qui primus apud Latinos, & varietatem illam editionum apud Græcos cognouit, & Septuaginta à fontibus Hebræorum plurimum receſſiſſe perſpexit, eoque primus eam vel emendare, vel illuſtrare conatus eſt, non modo non fuerit eo primo tempore receptus, ſed multos etiam hoſtes ob hanc cauſam ſibi conflauerit. Quorum eſt locupletiſſimus teſtis diuus ipſe Auguſtinus, quem neceſſe eſt audire hoc loco. Decimooctauo de ciuitate libro ſcribens, primum narrat, vt à Ptolemæo Philadelpho remiſſi fuerant Iudæi quos pater eius Ptolemæus Lagi egerat captiuos: Vt dona ad templum miſerit, poſtularitque ab Eleazaro ſcripturas, & interpretes: Vt ſtupendo miroque conſenſu ſeparati, quia ſpiritus vnus F
in eis eſſet, inter ſe concordes fuerint. Tum addit: Nam cùm fuerint & alij interpretes, qui ex Hebræa in Græcam linguam ſacra illa eloquia tranſtulerint, ſicut Aquila, Symmachus, Theodotio, ſicut etiam eſt illa interpretatio, cuius autor non apparet, & ob hoc, ſine nomine interpretis Quinta editio nuncupatur: hanc tamen quæ Sept. eſt, tanquàm ſola eſſet, ſic recepit Eccleſia, eaq; vtuntur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique vtrum alia ſit, ignorant. Ex hac Sept. interpretatione, etiam in linguam Latinam interpretatum eſt, quod Eccleſiæ Latinæ tenent. Quamuis nō defuerit presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & omnium linguarum trium peritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem conuertit ſcripturas. Sed eius tamen litterarum laborem, quamuis Iudæi fatentur eſſe veracem, Septuaginta vero interpretes in multis erraſſe, contendant, tamen Eccleſiæ Chriſti tot hominum autoritati ab Eleazaro tunc pontifice, ad hoc tantum opus electorum neminem iudicant præferendum. Quia etſi non in eis vnus ſpiritus apparuiſſet, ſine dubitatione diuinus, ſed inter ſe verba interpretationis ſuæ Septuaginta docti, more hominum contuliſſent, vt quod placuiſſet omnibus, hoc maneret, nullus eis vnus interpres debeat anteponi. Cùm verò tantum in eis ſignum diuinitatis apparuit, profecto quiſquis alius, illarum ſcripturarum ex Hebręa in quamlibet aliam linguam interpres eſt verax, aut congruit illis Septuaginta interpretibus, aut ſi non congruere videtur, altitudo ibi prophetica eſſe credenda eſt. Hæc, & multa alia diuus Auguſtinus, cuius teſtimonium eo vel maxime citaui, ut plura ſuper hac re fierent his qui ea neſciunt, manifeſta. Primūq; tantus honos habitus ſit Septuaginta, ut tota Gręcia cenſuerit, neminē eis eſſe præferendum. Deinde hāc Septuaginta tralationē perueniſſe ad Latinos, & in Eccleſia quicquid diuinarū ſcripturarum legeretur, & haberetur, eſſe ex hac tralatione. Teſtatur etiam diuus Auguſtinus, doctiſſimū Hieronymum ex

Hexaplos Origenis.

Hebræo

A Hebræo tranſtuliſſe,ſed propter reuerentiam Septuaginta non fuiſſe receptum . Hoc igitur erit
primum & prudentiſſimum quenque mouens quàm maximè argumentum, & in conſiderationem
excitans, cùm autoritas illorum Septuaginta eſſet in Eccleſia roborata, ſtabilita , vt tanquam
cælites & oracula cæleſtia adorarentur,quem Eccleſia tam magnis viris poſtea prętulerit,
eum neceſſario aliquem maximum fuiſſe virum , fuiſſe doctrinæ tantæ & authoritatis , vt eum
Eccleſia, prius etiam Auguſtino, multiſque diſſentientibus, tot tamq; celebribus viris anteponere
non dubitarit.Summota eſt autem editio Septuaginta nunc apud Latinos. Illa inquam editio
, quæ tempore Hieronymi , Auguſtini, Ambroſij , omnibus in templis legeretur , omnium
manu tereretur , quam Auguſtinus item affirmat Eccleſias relinquere noluiſſe , etiamſi & erraſſe
Septuaginta & Hieronymum bene vertiſſe, ab Hebręis audirent,tanta inquam tamque venerabilis
tralatio , in tanta nominis celebritate hoc tempore apud Latinos nuſquam eſt. Græci retinuerunt,
Latini non retinuerunt . Hinc apud diuum Gregorium pontificem maximum, apud
Strabum, Bedam, multoſque alios inuenies interdum citari antiquam tralationem,ipſorum videlicet
Septuaginta,vt in toto opere videbimus.Quid igitur fuit in cauſa,quæ tanta temporum,
ſententiarumque mutatio, vt quam antea ſumma veneratione colerent, quam ſanctorum, doctiſſimorumque
epiſcoporum, firmaret , ſtabiliretque autoritas, cui nullam aliam ad ea tempora
prætuliſſent, præferendamque cùm Græcis cenſuiſſent, mutarint poſtea ſententiam, eam reiecerint,
alteram loco eius habuerint . Qui fuit tantus ille vir, tam celebris, tantæ doctrinæ &
ſanctitatis, qui fecerit hanc mutationem ? Qui roboratam in eccleſia , id eſt , in omnium Chriſtianorum
pectore opinionem firmatam Sept. interpretum, ſua magnitudine commutarit, propeque
euerterit? An Aquilas, Symmachus,Theodotio, qui omnes hæretici, aut ſemichriſtiani,
B aut bis Iudæi fuerunt ? Qui ne apud Græcos quidem obtinuerunt vnquam , vt reciperentur ?
Quoſque ducentis annis ante nunquam recepiſſent? An Lucianus, cuius editio vix Græcis ipſis
eſt nota,nedum Latinis? Quem nunquam apud vllos Latinorum inuenies,præter vnum,idq;
raro, Hieronymum, nominari . De quo & Heſychio altero translatore Hieronymus ipſe in prępatione
Euangeliorum , Prætermitto , ait, eos codices ; quos à Luciano & Heſychio nuncupatos,
paucorum hominum aſſerit peruerſa contentio , quibus vtique nec in toto veteri inſtrumento
poſt Sept. interpretes emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendaſſe. Sic Hiero.
negat Lucianum quicquam emendare potuiſſe, quia recepti eſſent iam longo tempore Septuaginta.
Deinde ſi non eſt ab Eccleſijs Græcorum receptus (dico quoad licet & Scripturas Græcorum,
& eccleſiaſtica officia nunc videre) non fuiſſet etiam ab eccleſijs Latinorum . Tum quis
ſibi perſuadeat pluris eccleſias feciſſe Lucianum, quàm Sept. quos inſtinctu ſpiritus ſancti aſſerebant
tranſtuliſſe ? Deinde credendum eſt Lucianum in transferendo , Hebraiſmum maxime
fuiſſe ſecutum , qui nuſquam apparet in vulgata editione . Iam ſi litteris mandatum eſt apud
Græcos de interpretibus, de tempore, de cauſa tralationum,ſiluiſſent ne Latini,ſuper interprete
iſto ſuo quem Sept. tantis, tam claris viris prætuliſſent? Cùm ergo fama ſanctitatis ac doctrinæ.
Hieron. fuerit maxima, vt totum orbem Chriſtianum circumſonaret, hunc certe hunc, non
alium credendum eſt , eccleſias Septuag. nominatiſſimis illis viris poſtea antepoſuiſſe, & id maxime
credendum eſt factum fuiſſe, quando deificatus eſt Hieron.quando eccleſia eum numero
diuorum adſcripſit . Tunc credendum eſt tanti viri ſanctitatem ac doctrinam eodem eccleſiæ
C ſuffragio fuiſſe conſecratam. Nondum enim tempore Auguſtini erat conſecratus,eoque Auguſtinus
doctiſſimum eum appellauit, nihil de ſanctitate locutus. Apud iuniores autem, id eſt,eos
qui poſt Auguſtinum floruerunt,ſanctus & eccleſiæ doctor dicitur. Neque veriſimile eſt eccleſiam
ſumma cuſtodia retinentem & conſeruantem opera Hiero. editionem ſacrarum ſcripturarum
, quæ maximi ponderis eſſet , cæteriſque omnibus præſtaret , aut incuria amiſiſſe , aut vllo
modo deprauari permiſiſſe. Nec potuit eodem tempore apud omnes eccleſias editio eius extingui
& aboleri. Primum igitur argumentum vulgatam noſtram tralationem,non eſſe cuiuſquam,
alterius, niſi Hieronymi, quia non eſt antiquorum interpretum, non eſt vllius eorum , qui poſt
Septuag. interpretes tranſtulerunt, non Aquilæ, non Symmachi,non Theodotionis,non Quinta,
non Sexta, non Septima . Oſtende tu non vanas mihi proferens coniecturas, ſed vera teſtimonia
producens,quomodo aliqua iſtarum editionum ſit noſtra vulgata editio, ego veris teſtimoniis
& rationibus conuincam non eſſe. Cùm igitur à Græco noſtra tralatio non fluat,eam ab
Hebraico venire neceſſe eſt, & propter ſuperiores rationes, quia videlicet ante lata eſt editioni
vetuſtiſſimæ & venerabiliſſimæ , neceſſe eſt eſſe maximi Hieronymi . Illud quod quis ſuſpicari
poſſet , aut ab alio ſuſpectum audiret , miſtionem quandam factam Græcarum illarum editionum,
& hanc eſſe noſtram ſciat , id partim hebetiſſimæ mentis eſſe iudicium , partim hoc ipſo
Hieronymi editionem eſſe hanc noſtram demonſtrari , quo Hieronymi non eſſe illi probare niterentur.
Primum neceſſe fuit eum qui miſtionem hanc faceret, vt facta reciperetur, fuiſſe tum
maximæ doctrinæ & famæ,famæ inquam tantæ,vt extingueret veterum tralatorum nomẽ.Deinde
eruditionis & iudicij tanti, vt ſciret & diiudicare poſſet,vbi melius Aquila, melius Symmachus,
melius Theodotio tranſtuliſſet. Quod eſt maximi iudicij. De qua re Hieronymus ipſe in
præfatione Euangeliorum, Primum, inquit, difficile eſt omnes legere qui in Euangelia ſcripſerint.

rint. Deinde multo difficilius adhibito iudicio, quæ optima ſunt excerpere. Tum iſtud examen ſine cognitione fontis, fieri non potuiſſet. Ad quem enim ſcopum reſpicias, vt ſcias melius Aquilam, interdum melius Symmachum tranſtuliſſe. Ad quam veritatem oculos intendas, cùm in iſto delectu verſaris, niſi videlicet Hebraicam? cùm igitur iſtud examen editionum, in vnum corpus conflatarum, ſine fontis cognitione fieri nequiret, ſine maxima litterarum Græcarum peritia, proferre non poteris aliquem è Latinis, niſi Hieronymum, qui eſſet ad id idoneus. An Ruffinum dices, virum ignobilem, & quem non ſolum ſcripta eius teſtantur nec Græcè nec Latinè admodum fuiſſe peritum, ſed id ei præcipue obiicit Hieronymus. An iſtum, inquam, potius recepiſſet eccleſia, quàm Hieronymum, cùm etiam voluerit, vbi fuiſſet taxatus ab Hieronymo, merito fuiſſe taxatum? Sic enim legimus in decretis Pontificum diſtinctione quinta decima. Item Ruffinus vir religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas autem ſcripturas interpretatus eſt. Sed quoniam beatus Hieronymus, in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit: illa ſentimus, quæ beatum Hieronymum prædictum ſentire cognoſcimus. Et non ſolum de Ruffino, ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſæpius memoratus, zelo Dei & fidei religione reprehendit. Hucuſque decretum. Vides hic maximam Hierony. autoritatem, vides quo loco ſcripta eius haberi velint. Cùm nonnullas ſcripturas dicit Ruffinum interpretatum, ſentit vt Clementem, vt Ioſephum, quos vertit è Græco, ſed mendoſe admodum. Quis igitur ſibi perſuadeat, vt interpretante clariſſimo Hieronymo ſcripturas, alius ſe ingerere auderet, aut auſum potius eum quàm Hieronymum eccleſiam recepiſſe? Mixtam ignobilis viri tralationem, aut celeberrimæ tralationi veterum interpretum, aut eminentiſſimo Hieronymo prætuliſſent? Deinde profero tibi, ſi vis noſtram hanc tralationem, eſſe mixtam ex illis Græcorum editionibus, Hieronymum ipſum id feciſſe, qui ſolus facere ex omnibus Latinis & Græcis poterat. Nam nemo apud Græcos & Latinos vel nouit Hebraicè niſi vnus Hieronymus, vel nouit tantum, quantum ipſe. Dico Origenem, Euſebium, aliosque Græciæ doctores. Hieronymus ergo in transferendo nunc Aquilam, nunc Symmachum eſt ſecutus, nunc Theodotionem, nunc Quintam, nunc Sextam editionem, nunc ſecundam éditionem Aquilę. Lege illius vel in prophetas, vel in Eccleſiaſten commentarios, vel librum quæſtionum Hebraicarum, vel alia ſcripta eius. Sequebatur autem nunc iſtum, nunc illum, referens ad fontes Hebraicos, totam iſtam veritatem. Sine cognitione veritatis Hebraicæ nec ipſe, nec alius quiſquam ſe expedire in tanta editionum varietate nec extricare potuiſſet. Quod ipſe Hiero. euidentiſſime eſt confeſſus, in præfatione ſuper Eſra. Deinde, inquit, etiamqui exemplaria aliorum interpretum hábuerint, & Hebræi ſermonis ignari ſunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit. Quod etiam ſapientiſſimo cuidam nuper apud Græcos accidit, vt interdum ſcripturæ ſenſum relinquens, vniuſcuiuſque interpretis ſequeretur errorem. Nos autem qui Hebrææ linguæ ſaltem paruam habemus ſcientiam, & Latinus ſermo nobis vtcunque non deeſt, de alijs magis poſſumus iudicare, & ea quæ ipſi intelligimus in noſtra lingua promere. Hæc loquitur vir doctiſſimus: cuius teſtimonium ſi vel legiſſent, vel diiudicare potuiſſent, qui factitios interpretes ſomniarunt, non erubeſcentes tam falſa ſuorum animorum iudicia proferre, nunquam id fortaſſe feciſſent. Vides Hier. expreſſe confitentem, neminem Hebraici ſermonis ignarum poſſe de interpretationum varietate iudicare. Cùm igitur noſtra editio paucis exceptis, quæ vel temporum longinquitas, vel aſſidua tranſcriptio, aut alius quis caſus demutauit, reſpondeat ad Hebraicum, cùm ſit aperta, clara, cùm ab homine ſit conflata, quem neceſſe eſſet ſermonis Hebraici eſſe peritum, non minus item Gręci & Latini, cum ſit confecta tum ad fontem Hebraicum, tum ad collationem & imitationem aliorum Græciæ interpretum, cùm arguat tralatorem & autorem ſuum, linguam Latinam, orationis perſpicuitatem, apprime calluiſſe, & in transferendo prudentiam illi & iudicium non defuiſſe, certe non poteſt eſſe niſi doctiſſimi Hier. qui confitetur hæc omnia & neceſſaria ſacrarum litterarum eſſe interpreti, & ſibi modeſte fatetur ſuppetiſſe. Quæ res maioribus etiam & validioribus argumentis demonſtratur, argumentis inquam tam claris & certis, vt mirer, vnde in contrarium ſuſpicio dimanauerit. Niſi forte ex his quæ ſæpe ſolent in iudicando contingere, cùm ad primas quaſque rationes, quæ ſeſe offerunt, commouemur, vlterius penetrare non laborantes. Sed antequam ad hæc clara argumenta veniamus, colligamus quæ ſunt ſuperius examinata. Primum, veterem Sept. editionem celebrem, famigeratam, poſt tempora Hier. fuiſſe relictam, & amotam ex Eccleſia. Deinde editionem quæ ei ſucceſſit, non eſſe vllius eorum qui poſt Sept. in Græcam linguam tranſtulerunt, quod vbique in tota editione cognoſcitur, collatis his quæ ex tralatione Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, reperiuntur apud Græcos. Tertium eſt, vulgatam noſtram editionem ex Hebraico fluere, tum ſequi eam cæteros interpretes, nunc vnum, nunc alterum, reſonantem, ſed magna cum prudentia & iudicio eius qui hoc faciebat, Hebraicum cum primis reſpicientis, & verba interpretum nonnunquam immutantis, ſenſibus integris. Demum conſtat teſtimonio ipſius Hieronymi, neminem poſſe miſtam hanc interpretationem facere, niſi & Hebraicè bene & optime Græcè peritum. Tum ſermonis ſui, in quem transfert apprime gnarum. Clariora autem & irrefragabilia argumenta, quæ ſi primum fuiſſent prolata, tanta diſputatione non fuiſſet opus, hæc ſunt. Nemo poteſt negare libros prophetarum, A rum, qui ſunt in vulgata editione, quosque quotidie in publicum legit Eccleſia, eſſe Hierony. Videbis enim hos eoſdem in operibus diui Hierony. ab eo interpretatos & enarratos, omnibus reſpondentibus. E regione eſt editio Septuag. ex altera parte editio ipſius Hierony. in commentariis Hierony. ipſe ſemper dicit. Nos ita vertimus, ita tranſtulimus, ſic vertit Aquila, ſic Symmachus, quem nos ſecuti ſumus. Hæc & id genus ſæpiſſime ille loquitur in commentariis, & hoc quod vt ſuum adducit, eſt in vulgata editione. Nam vt alia innumerabilia in re tam clara omittam, in hac vulgata editione inuenies illa, quæ multis in locis queritur Hieronym. in codicibus olim Septuaginta interpretum defuiſſe, & in codicibus haberi, quos nuper ex Hebraico ipſe tranſtulerit: Videlicet, Ex Aegypto vocaui filium meum. Et, Quia Nazarȩus vocabitur. Et, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et, Videbunt in quem compunxerunt. Et id genus alia de quibus fuſe loquitur in libro de optimo genere interpretandi. Deinde in libro Danielis capite 11. hæc ſcribit: Hucuſque Danielem in Hebraico volumine legimus, cætera quȩ ſequuntur vſque in finem libri de Theodotionis editione tralata ſunt. Ionas item propheta arguit miero. tranſtuliſſe. Nam ad alia, cucurbita illa quæ tantos tumultus excitauit, facile teſtatur. Erat enim in antiqua editione Septuag. cucurbita, pro cucurbita Hieronymus teſtatur in epiſtola ad Auguſtinum, & in commentarijs ſe Aquilam cum cæteris ſecutum, poſuiſſe hederam. Hoc ergo videbis in editione vulgata. Ex quibus fit clarum & perſpicuum libros prophetarum eſſe Hieronymi, nec quenquam arbitror fore tam inepte proteruientem, qui id neget. Agnoſcet enim omnia, ſi libros & commentarios adierit. Sunt autem prophetæ maiores & minores, quorum numerus efficit maiorem partem Bibliorum. Habito igitur pro claro & comperto dimidiū ſcripturarū & libros difficiliores eſſe Hiero. quod ipſo ſole eſt clarius, quid ſupereſt niſi B vt intelligas reliquam partem eſſe eiuſdem autoris? Nam qui prophetas receperunt, etiam cætera eiuſdem autoris par eſt eos recepiſſe. Nec eſt veriſimile factum corpus totius veteris teſtamenti dimidium ex Hieron. dimidium ex alio quopiam autore. Ex hac editione prophetarum, id eſt ex ſtylo quem in vertendis prophetis eſt Hierony. ſecutus, & ex documentis quæ tradidit ipſe in libro de optimo genere interpretandi, poteſt intelligi, quam ſit in cæteris vertendis libris rationem ſecutus: & quid cenſuerit in transferendo aliquo autore eſſe faciendum. Duplex eſt ratio transferendi, vt idem docuit. Cùm verba tantum exprimentes, filum orationis verborumque ordinem intactum relinquimus. Alia cum ſenſuum ſynceritate ſeruata, ordinem immutamus. modum linguæ ſequentes ad quam traſferimus. Prior ratio, non ſolum inepta eſt & inutilis, ſed etiam ab omnibus neglecta, repudiata, quod tralatio non ſolum eſſe turpis, horrdia & inconcinna, quod ſaltem tolerari poſſet, ſed etiam obſcura, intellectu difficilis, laborioſa, moleſta. Quid enim ſi verba tantum transferens ſequaris filum orationis Græcæ in vertendo aliquo Græco autore, quales erant antiquæ tralationes Ariſtotelis, Hippoc. Galeni, quas vbi maius lumē acceſſit, iure merito iuniores reiecerunt: Quis vnquam eruditus è tam multis, ſi vel ab ipſo Cicerone incipias vertens Græca in Latinum, non ſequendum ſibi Latinæ orationis ordinem exiſtimauit? Meritoque eam transferendi rationem doctiſſimus & prudentiſſimus Hierony. tenendam in ſcripturis non cenſuit, quas non ſolum ex Hebraico vertere, ſed longe facere clariores ſtatuit, quàm eſſent in editione Septuag. interpretum, qui ſequentes Hebraiſmos, & penè ad verbum transferentes vbique ſunt difficiliores: vt ſi noſtram conferas cum eorum tralatione, magnum in omni orationis proprietate diſcrimen agnoſcas. Hieron. ergo qui præter infinitam C propè eruditionem, etiam exactiſſimi iudicij eſſet, & vbique ſermone claro, & aperto eſſet delectatus, quippe quem facilem ſemper haberet, & in promptu, & promere ſine difficultate poſſet, non eſt horrorem ſermonis Hebraici ſecutus, ſed temperatum orationis genus, nunc verba, vt ipſe ait in Iob, nunc ſenſus, nunc ſimul vtrunque reſonans. Quod idem teſtatur feciſſe ſuperiores interpretes, qui nunc vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex vtroque commixtum, & medie temperatum genus tralationis, expreſſerint. Vnde & in præfatione in libros Regum vocat ſe vel interpretem, vel paraphraſten. Idemque ait contra obtrectatores ſuos in libro de optimo genere interpretandi, conſideranda non verba in ſcripturis, ſed ſenſus. Quod autem de mente diui Hierony. ſit, vt in ſcripturis verba inuſitata & dura minimèque Latina fugiamus, apparet ex eodem libro, in quo ait, Aquilam merito à ſe & à Chriſtianis proiici, veluti contentioſum interpretem, qui non ſolum veba, ſed & etymologias verborum transferre conatus ſit. Quis enim, inquit, pro frumento, & vino, & oleo, poſſit vel legere, vel intelligere χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλβότητα, quòd nos poſſumus dicere, fuſionem, pomationemque & ſplendentiam. Vides Hieron. exhorrentem verba inuſitata, qualia hodie formantur à nonnullis, vt herbificare, motabilitare, idque genus multa. Hiero. etiam eum dicit κακόζηλον, qui ſyllabas interpretatur & litteras, vt dicat σείει τὸν οὐρανὸν, καὶ σείει τὴν γῆν. Quod Latine dicitur, Quatit cælum, & quatit terram. Quod Latina, inquit, lingua omnino non recipit. In quibus oſtendit Hieron. debere nos omittere quæ lingua Latina non recipit, innuit autem repetitiones iſtas Hebraicas, Quatit cœlum, & quatit terram. Sicut illud: Oritur ſol & occidit ſol. Et, Gyrans gyrando vadit ſpiritus, & in ſuos circulos reuertitur ſpiritus. Et Noe vir iuſtus, perfectus erat, in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit Noe. Et genuit Noe tres filios. Ibidemque ait Hiero.

Interpretā di duplex ratio.

Quanta, inquit apud Græcos bene dicuntur: quæ ſi ad verbum transferamus, in Latino non reſonant. D Et e regione quæ apud nos placent, ſi vertantur iuxta ordinem, apud illos diſplicebunt. Ex quibus Hieron. verbis ſit perſpicuum oportere interpretes, verborum mutare ordinem, non curantes verbum verbo reddere, idque non ſolum in transferendis Gręcis, ſed etiam Hebraicis. Eadem enim eſt ratio. Hũc ſtilum expreſſit idẽ in prophetis, quos eſſe eius nemo negare poteſt. Quod ſi fecit in prophetis, non mirum ſi etiam in cæteris locis eandem eſt rationem ſecutus. Liber quoque Heſter, nemo poteſt inficiari quin ſit Hier. qui cap. 10. in medio ferè capitis, ſic ſcribit. Quę habentur in Hebræo, plena fide expreſſi, hęc autem quę ſequuntur, ſcripta reperi in editione vulg. quæ Græcorum lingua & litteris continetur. Rurſum cap. 11. Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebręo, nec apud vllum fertur interpretum. Rurſum capit. duodecimo. Hucusque procemium, quę ſequuntur, in eo loco poſita erant, vbi ſcriptum eſt in volumine. Et diripuerunt bona, vel ſubſtantias eorum, quę in ſola vulgata editione reperimus. Cap. 13. Hucuſque exemplar epiſtolę. Quę ſequuntur poſt eum locum ſcripta reperi, vbi legitur, Pergensque Mardocheus, fecit omnia quæ mandauerat ei Heſter. Nec tamen habetur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum. In fine capitis. Hæc quoque addita reperi in editione vulgata, capit. ſequenti. Nec nõn & iſta quæ ſubdita ſunt: in editione vulgata reperi. Ex his omnibus intelligimus, quid eſſet vulgata editio tempore Hiero. Agnoſcimus Hieronymum ex Hebraico tranſtuliſſe. Hæc non conſiderarunt, qui nos in aſſertione ter teſtatiſſimę, qua ſolent vbique procacia, præcipites aſſeruerunt. Sed quoniam cæcitas eorum manifeſta eſt, nec cupimus eos imitari, non refellam maledicta maledictis. Satis eſt nobis aſſerere veritatem. Liber igitur Heſter, magno vociferatu clamat, ſe eſſe Hieronv. E Reſpice igitur ſtylum iſtius libri, vide an retineat Hebraiſmos, an ſonet idiotiſmos. Videbis eum eſſe Latinum, filum Latinæ & apertæ, claræque orationis & propriæ ducentem. Ex ſtylo, quem tenuit in eo libro transferendo Hieron. poſſis agnoſcere cæteros libros eiuſdem ſtyli ſcripturæ totius veteris teſtamenti eſſe eiuſdem autoris. Neque etiam veriſimile eſt cùm libri prophetarum, cum liber Heſter ſit Hieronymi, cęteros ex Hebraico non eſſe eiuſdem. Arguit igitur & ſtylus & ratio eundem omnium fuiſſe tralatorem. Nulla denique ſupereſt dubitatio, quin ſtylus vulgatæ editionis arguat Hieronymum interpretem, quippe qui expreſse fatetur, in tralatione ex Hebraico, ſe magis ſenſa, quàm verba fuiſse ſecutum. In epiſtola ad Auguſtinum, vbi inquit de correctione editionis Sept. loquens, Græca tranſtulimus, hic de ipſo Hebraico, quod intelligimus, expreſſimus, ſenſuum potius veritatem, quàm verborum interdum ordinem conſeruantes. Poſtea declarant quod genus interpretationis ſit ſequendum, nempè quod in libro de optimo genere interpretandi demonſtret, & in præfationibus diuinorum voluminum quas editioni ſuæ prępoſuerit. Ex quibus irrefragabilia argumenta colliguntur eius eſse vulgatam editionem, quæ & ſtylum ſupradictum ſonet, & ei tales pręfationes ſint prępoſitę. Venio nunc ad alios duos libros, Pſalterium & Eccleſiaſten, qui duplices habentur & diuerſi: ſunt enim in vulgata editione, & inter opera Hieronymi, diuerſa interpretatione. De quibus ſciendum eſt principio, Pſalterium quod canitur in eccleſia, non eſt Hieron. ſed eſt Pſalterium antiquum, quod canebatur & legebatur in Eccleſia tempore Hieronym. quod ipſe Hieronymus, commentarijs explanauit. Eſt autem Pſalterium antiquæ tralationis Septuag. interpretum, quod & à Græcis Græcè canitur, F & enarratur, & ſub nomine Septuag. citatur, tam ab ipſis quàm Hieronymo in commentariis. Nam Hieronymus contra æmulos teſtatur non odiſſe ſe, nec detraxiſſe antiquæ tralationi Sept. vt quam in conuentu fratrum exponeret. Hæc igitur commentaria in antiquum illud Pſalteriũ habentur inter opera eiuſdem. Quoniamq; ab Hebręis carpebatur Pſalterium antiquum, vertit ex Hebraico poſtulanti Sophronio, nihil dumtaxat ſententię vt ipſe ait demutans. Teſtatur ergo ſe de ſententia tantum nihil mutaſſe, verba vero, & orationem ſępe mutauit, non tamen tantopere, quantopere in cæteris libris, quia Pſalterium poema ſit nudum, diuerſis ſenſibus expoſitum. Mutauit autem ſæpe Hebraiſmos, vt quod eſt Pſalmo ſecundo: Quare turbabuntur gentes, Hebraicè, Turbatę ſunt רגשו rageshu. Et Habitator cœli: Hebraicè, habitans cœlum. Et Super Sion montem ſanctum meum: Hebraicè, Montem ſanctitatis meæ. Et, in virga ferrea: Hebraicè, in virga ferri: &, Nunc ergo reges intelligite Hebraicè, Et nũc reges intelligite. Pſalmo quoque quarto, vt mittam multa, quòd habet Hebraicè, Filij hominum, vſquequo gloria mea in contemptum: Ipſe, Filij viri vſquequo inclyti mei. Transferens quod erat Hebraicè gloria mea, incylti mei. Et alia multa, quæ proferre ocioſi eſſet, & tempore abutentis. Mutauit ergo ſæpiſſime Hebraiſmos, quantum genus ſermonis illud patiebatur. Quare autem cum receptæ ſint aliæ ſcripturæ veteris teſtamenti, quas tranſtulit Hieron. ſolum antiquum Pſalterium Sept. interpretum remanſerit, pulchram & veram aſſignat cauſam Hiero. ipſe ad Sanian & Fritellam, his verbis. Hoc enim quod Septuag. interpretes tranſtulerunt propter vetuſtatem in Eccleſia cantandum eſt, & illud ab eruditis ſciendum, propter notitiam. Sic Hierony. docet, & vt docuit factum eſt, Pſalterium antiquum propter autoritatem & vetuſtatem eſſe in eccleſia cantandum, ſi quid autem verius, in Hebraico videatur, retinendum ab eruditis ad ſcientiam. Sicut ait Orator. Vſum populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Factum igitur eſt, vt docuit

A ipſe Hieron. Fuit præterea quoddam aliud Pſalterium Sept. quod Hieronymus aſteriſcis, & obelis emendauerat, extinctum prorſus, & tempore eiuſdem ad priſtinas corruptelas reuerſum. Bis enim eam correctionem addiderat. Ad Eccleſiaſten accedo: Sciendumque primum duas eſſe interpretationes libri qui dicitur Eccleſiaſtes, vnam in vulgata editione, alteram inter opera diui Hieronymi, in quam edidit commentarios ipſe ad Bleſillam antequam totum corpus Bibliorum tranſtuliſſet, verbis, & orationis filo plurimum diſcrepantes, ſenſibus non multum. Hęc editio quam commentariis illuſtrauit Hieronymus eſt vetus editio Septuaginta tralatorum, quę erat vſui ante, & tempore diui Hieronymi. Perindeque in hanc ſcribit commentarios, ſicut in veteres Pſalmos, qui erant Septuaginta. Quæ quidem vt erant vbique Septuaginta, horridior eſt, & difficilior, retinens Hebraiſmos, intactamque ſermonis Hebraici ſeriem relinquens. Hæc inquam tralatio, non eſt prorſus facta ab Hieronymo, ſed à Græco eſt, ad Hebraicos tamen codices nonnullis in locis, ab eo qui eam explanabat, repurgata, & emendata. Vnde in præfatione iſtius libri Hieronymus ait, transferentem de Hebraico ſe magis conſuetudini Sept. coaptaſſe. Innuens ſe veterem editionem quam explanabat, ſecutum, miſcentem nonnunquam de Hebraico. Eſſe autem Eccleſiaſten, non nouam aliquam Hieronymi ex Hebraico tralationem, ſed antiquam ipſorum Septuaginta totus ipſe textus teſtatur. Eſſetque neceſſe totum proferre, librum. Eſſe item duram, & difficilem, & ſine commentariis vix intelligibilem, paucis exemplis demonſtrabo. Vbi in noſtra germana ipſius Hieronymi tralatione, in qua Hieronymus iuxta conſuetudinem, & præcepta ſua, magis ſenſa quàm verba eſt ſecutus, dicitur clare, & aperte, enucleate, Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, Septuaginta iuxta Hebraicum tranſtulerunt, καὶ ἀνατέλλει ὁ ἥλιος, καὶ δύνει ὁ ἥλιος, καὶ εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἕλκει. Quod in illa tralatione, quam explanauerat olim Hieronymus, ſic ad verbum tralatum inuenies, Oritur ſol, & occidit ſol, & ad ſuum locum ducit. Vides pro eo quod in antiqua illa editione erat, ducit, Septuaginta poſuiſſe ἕλκει, id eſt trahit, vel ducit. Quod quidem obſcuriſſimum eſt, vt niſi locus explanatione iuuetur, omnino non poſſit intelligi. Rurſum in ea interpretatione eodem capit. obſcure, & inuſitato Latinis modo. Eſt ne verbum de quo dicatur, vide hoc nouum eſt, Septuaginta tranſtulerunt, ὃς λαλήσει καὶ ἐρεῖ, ἰδοὺ τοῦτο καινόν ἐστι. Qui loquatur, & dicat, vide hoc nouum eſt. Rurſum eodem capite: Et ecce omnia vanitas, & præſumptio ſpiritus. Sept. καὶ ἰδοὺ πάντα ματαιότης, καὶ προαίρεσις πνεύματος. Vbi pro eo quod noſtra vulgata Hieronymi editio habet clare, & aperte, afflictio ſpiritus, Græcè eſt proæreſis, quod Latini tranſtulerunt præſumptionem. Id enim Græcum videbatur eis deſignare à πρὸ ante, αἱρέω capio, ſumo, eodem cap. in illa editione dicitur, Peruerſum non poterit adornari, & imminutio non poterit numerari. Apud Sept. διεστραμμένον οὐ δυνήσεται ἐπὶ κοσμηθῆναι, καὶ ὑστέρημα οὐ δυνήσεται ἀριθμηθῆναι. In ſecundo ca. in illa horrida editione. Veni nunc tentabo te in lætitia. Sept. δεῦρο δὴ πειράσω σε ἐν εὐφροσύνῃ. Dicit etiam ibidem Hiero. vocem, προαίρεσιν magis ſonare voluntatem, quàm præſumptionem. Quo fit perſpicuum, id antea in editione Latina fuiſſe. Nam nunquam credo Hiero. ipſe προαίρεσιν, præſumptionem tranſtuliſſet, cùm neget id eſſe verum vocis ſignificatum, & ex Hebraico demonſtrat, aliud eſſe legendum. Teſtatur etiam ipſe in præfatione, ſe legiſſe Bleſillæ Eccleſiaſten, & certe credendum eſt, eum legiſſe fœminæ iuxta vulgatam illius temporis editionem, id eſt ipſorum Septuag. ſicut explanabat eorum tralationem in conuentu fratrum, & ſicut enarrauit eorum Pſalmos: Legiſſe autem declarando Græcum ex fontibus Hebraicis, inuenies capit. 5. apud eundem. Notandum quoque quòd hic περισπασμὸς, in meliori parte accipitur pro occupatione ſpirituali, veræque letitiæ. Cùm dicit hic, deſignat illam tralationem, quam habebat præ manibus. Eoque ait in præfatione magis ſe interpretum Sept. cõſuetudini coaptaſſe. Cap. quoq; vndecimo ait, Sciendum quoque, quod vbi nunc Sept. interpretes poſuerunt τὸ ἀμύγδαλον. Quod dicit nunc, declarat eum præ oculis tralationem Sept. habuiſſe. Eodem capit. porro quòd ait, Impinguabitur locuſta. Sciendum vbi in noſtris codicibus legitur locuſta, in Hebræo ſcriptum חגב, Noſtros codices dicit vulgatam ipſorum Sept. editionem, eodem capit. vbi in textu dicitur, obmuteſcent omnes filiæ carminis: Ipſe Hieronymus, inquit, in commentariis, Obmuteſcere, ſiue vt melius habet Hebraicum, ſurdeſcere filias carminis. Erat ergo, eſtque in editione Septuag. quam explanabat Bleſillæ obmuteſcent, quod corrigit in cõmentario ex Hebraico, non in textu autem, quod non eſſet magni momenti diſcrimen. Item eodem capit. In eo vero vbi nos habemus capparim, in Hebræo habet אביונה Cùm dicit: Vbi nos habemus, profecto illam deſignat interpretationem, in qua erat vox illa, capparis. Nec mireris interdum eum dicentem: Vbi nos poſuimus, Septuaginta interpretati ſunt, ponitque aliquid aliud: declarabat enim, vt dixi, cum Hebraico vulgatam editionem Septuaginta, ponens nonnunquam aliquid clarius. Quoniam igitur hæc editio magis erat ipſorum Septuaginta, quàm ſua, magis Græca, quàm ex Hebræorum fontibus, quoniam eam enarrauerat vt eo tempore circunferebatur, idque antequam vertiſſet reliqua opera ex Hebraico, poſtea cùm mentem appuliſſet ad totam editionem, & ad Eccleſiaſten perueniſſet, non ſe Septuaginta interpretum conſuetudini, ſed ſuæ, & præceptis ſuis coaptauit. Si enim in prophetis, ſi in Daniel, ſi in Iona, ſi in Heſter, magis ſenſa, quàm verba fuerat ſecutus, & ſi irriſerat, irridendosque monſtrauerat qui verbum è verbo inepte, obſcure, pueriliterque redderentur, non decuit eum idem facere in Eccleſiaſte D ſuo? Et ſi ad diuum Auguſtinum fatetur ſe in editione ex Hebraico magis ſenſa, quàm verborum ordinem poſuiſſe recedentem ſcilicet ab eo, quod fecerant Septuag. cur non debuit in Eccleſiaſte memor eſſe ſui, & nos cur non eius eſſe Eccleſiaſten in vulgata editione putare debemus, cùm id habeat, quod fatetur ſe in transferendo feciſſe, ſplendorem ſcilicet, & perſpicuitatem addidiſſe, & obſcura transferendo aperta feciſſe. Sed nolo alium magis teſtem quàm ipſummet Hieronymum, ſit ne Eccleſiaſtes, qui eſt in vulgata editione eius, nec ne, vt mirabilis fuerit error eorum, imo vero impudentia, qui ex tam contrarijs rationibus conati fuerint probare vulgatam editionem non eſſe Hieronymi. Hanc igitur Eccleſiaſtes, quæ eſt in vulgata editione eſſe ipſius Hieronymi veram, germanamque editionem ipſe doceat. Satis quidem prudentibus, & linguarum peritis id probaret ſtilus ipſe Hieronymianus, verborum proprietas, enucleata, apertaque oratio, pulcher ordo, & diſpoſitio, fuga Hebraicæ obſcuritatis, multaque alia, quæ arguunt doctiſſimum, prudentiſſimumque interpretem, vt liber non videatur Hebraicus, ſed ab aliquo è Latinis eruditiſſimo conſcriptus. Nam ſi capias vnum caput, puta primum ex illa tralatione, & conferas cum hac noſtra, videbis tantum intereſſe, quantum inter antiquam quandam Ariſtotelis tralationem, atque eam quam fecit Argyropilus, aut quam Theodorus in libris de animalibus, quos ante eum in antiqua editione nemo poterat intelligere. Quis enim quæſo eſt ſenſus, Oritur ſol, & occidit ſol, & ad ſuum locum ducit? Quid eſt ducit? Scio quidem ducit, deſignare ſpiritum trahit, quaſi feſſus quieſcit, aut aſpirat ad ſuum locum, & quaſi anhelat feſtinus, ſed nihil horum intellexiſſem, niſi vox Hebraica, & Hier. ipſe, cæterique interpretes adiuuaſſent. E Et tamen non ſignificat aliud, quàm quod clare, & aperte dicitur in noſtra tralatione, reuertitur. Præſumptio quoque ſpiritus quid deſignat, cùm in noſtra tralatione ſit clariſſimum? Eſt enim nota vox Hebraica rehuth, quæ vt ipſe docet Hier. notat afflictionem, miſeriam. Ex his igitur quæ cum eſſent obſcura, ambigua, ſiue apud Septuaginta in priore tralatione, ſiue in Hebraico, in commentariis illuſtrauit, & aperuit Hieron. collatis more ſuo cæteris interpretibus, per ea quæ habentur in noſtra editione, intelligimus Eccleſiaſten, quē habemus in vulgata editione, eſſe eius. Conferam quædam tantum, cætera ſuo loco. Vbi igitur in antiqua tralatione Septuaginta, videlicet in illa, quam enarrat Hieronymus Bleſillæ, primo capite habetur. Oritur ſol, & occidit ſol, & ad ſuum locum ducit, & oritur ipſe ibi. Hierony. docet in commentariis pro eo quod eſt ducit, Symmachum & Theodotionem vertiſſe, recurrit: addens, quia videlicet ſol reuertatur ad locum ſuum. Ille igitur qui in noſtra editione, pro eo quod habebat editio vulgata, Et ad ſuum locum ducit: poſuit, & ad ſuum locum reuertitur. Ecce fuit Hierony. ſecutus, ſicut vbique ſolet, tum in prophetis, tum in cæteris declarationibus ſcripturæ ſacræ, Symmachum, & Theodotionem. Quis etiam niſi Hieronymus fuerit, qui pro, Et oritur ipſe ibi, Vadit ad auſtrum, & gyrat ad aquilonem, gyrans gyrando vadit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur ſpiritus: claro, & aperto, minimeque inuſitato orationis ordine poſuit. Ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Quanto melioribus, & clarioribus verbis eandem ſententiam explicuit? reijciens ſuperuacuam ſolis & ſpiritus reiterationem, & intra periodum colligens orationem. Hinc eſt quòd ſe appellat vel interpretem, vel paraphraſten. Quis fuit igitur is, niſi Hieron. clare F ſemper orationis ſtudioſiſſimus, & qui eadē hæc ipſa verba poſuit in commentarijs? Quanto etiam eſt verius quod noſtra habet editio, Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Quam quod illa, Omnes torrentes vadunt in mare, & mare non impletur? Nonne verius, pro torrentibus flumina, pro vadere, intrare, pro impletur, redundat? Similiter paulo ante Generatio vadit, & Generatio venit, & terra in ſęculum ſtat. Noſter autem, Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat. Quanto verius & apertius, Generatio præterit? id enim proprium eſt. Verius etiam eſt, Terra in æternum ſtat: quàm in ſæculum. Nam ſæculum non eſt æternitas, Græce autem αἰὼν, & Hebraicè עולם olam, æternitas eſt, licet etiam ſæculum. Illud etiam, quod in illa editione, omnes ſermones graues non poterit vir loqui. In noſtra longe apertius, mutato ordine, & verbis clarioribus poſitis. Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone. Apud Hebræos דבר dabar, notat ſermonem, & rem: Vt, Verba dierum, id eſt, Res geſtæ temporum. Et, Sicut ſcriptum eſt in libro verborum regum Iſrael: id eſt rerum geſtarum. Sic iſto loco, qui vidit pro eo quod habebat antiqua editio, λόγοι ſermones, dicendum eſſe, res, erat Hebraicæ linguæ peritus, norat vocem frequentius deſignare rem ſicut Gręcis οὐδὲν πρὸς ἔπος. Nos diceremus, Nihil ad rem. Noluit ſequi veterem tralationem. Fuit ergo Hieron. qui exponens eundem locum in commentariis, ſui ſimilis ait: Non ſolum de phyſicis, ſed de ethicis quoque ſcire, difficile eſt. Nec ſermo valet explicare cauſas, naturaſque rerum. Agnoſcis eundem in commentarijs atque in editione? Vides, difficile, explicare, verba eadem in commentarijs, atq; in tralatione? Rurſum in illa editione, Et non eſt omne recens ſub ſole. Quis hoc intellexiſſet? Quanto apud nos apertius relicto Hebraiſmo? Nihil nouum ſub ſole. Et ipſe Hierony. in commentarijs ſæpe iterat, nihil nouum, iuxta comicum. Ibidem in illa tralatione: Eſtne verbum de quo dicatur, vide hoc nouum eſt. Hieronymus ibidem ait, Apertius hoc Symmachus

A machus tranſtulit,putaſne eſt,qui poſſit dicere,vide hoc nouum eſt. Itaq;id ipſum poſuit in noſtra
tralatione, Nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt. Rurſum ibidem, Et ecce vniuerſa
vanitas, & præſumptio ſpiritus: pro præſumptione, vt dixi, noſtra editio habet afflictio,
poſitum non niſi ab Hieronymo,qui dicit in commentarijs: Dicebat mihi Hebræus,quo ſcripturas
ſanctas inſtituente perlegi,quod ſupra ſcriptum verbum רעות rehuth, id eſt præſumptio,magis
hoc loco afflictionem,& κάκωσιν, quàm paſtionem,& voluptatem ſignificaret: id eſt, miſerias
ſpiritus, quibus homo à diuerſis cogitationibus afflictatur. Ergo qui dixit in noſtra editione,
pro præſumptione,afflictionem, liquido fuit ipſe Hierony. Rurſum eodem capite in illa editione,
peruerſum non poterit adornari, & imminutio non poterit numerari. Quis ſit ſenſus,
quoniam obſcurus eſt, audiamus ipſum Hieronymum,tum videbimus eundem ipſum,in germana
ſua editione, id eſt vulgata, eundem poſuiſſe ſenſum. Tanta, inquit, exponens eum locum,
malicia in mundi huius capacitate verſatur,vt ad integrum boni ſtatum,mundus redire non valeat.
Denique tantus eſt numerus ſeductorum, & eorum qui de grege Domini, à diabolo rapti
ſunt,vt ſupputatione non queat comprehendi. En idem Hierony. ſibiipſi conſonans in germana
ſua,luculentaque interpretatione, eundem ſenſum poſuit, Peruerſi difficile corriguntur,
& ſtultorum infinitus eſt numerus. Transferens ſcilicet aperte ad perſonas, quod obſcure dicebatur
ſine perſonis in Hebraico. Eodem cap. in illa editione, Quia in multitudine ſapientiæ
multitudo furoris: pro furore, quod erat obſcurum, & ineptum, nam nec Græcum ὀργήσεως, ſonabat
furorem,ſed iram, vel indignationem: In noſtra editione eſt,indignatio. Et Hierony. in
commentarijs, Quanto magis quis ſapientiam fuerit aſſecutus, tanto plus indignatur ſubiacere
vitijs, & procul eſſe à virtutibus,quas requirit. Ecce indignatio etiam apud Hieronymum.
B Secundo autem cap. in illa editione,vbi dicitur, Conſideraui in corde meo vt traherem in vino
carnem meam.Ipſe Hieron. interpretatur,Volui vitam meam tradere delitijs, & quaſi vino, ſic
voluptate ſopire. Noſtra autem editio videtur dicere contrarium,Cogitaui in corde meo, abſtrahere
à vino carnem meam.Dicẽdum,duplicem eſſe ſenſum,trahere in vino carnem, propter
verbum Hebraicum משך maſshac,quod tum deſignat trahere,tum procul facere, ducere in longum,
ablongare.Itaque cùm eſſent duo ſenſus,poſtremum magis eſt in editione ſecutus,cùm ante,
& poſt,ſint aliæ ſententiæ de repudiatis voluptatibus. Antè,Riſum reputaui errorem,& gaudio
dixi,cur fruſtra deciperis? Poſt,Vt animum meum transferrem ad ſapientiam. Videtur ergo
is verior ſenſus. Oſtendam autem ipſum Hieronymum, variante interdum in plures ſenſus
voce Hebraica, modo vnum, modo alterum fuiſſe ſecutum. Vt in ſecundo pſalmo vertit ex
Hebraico quod eſt in vulgata editione, Apprehendite diſciplinam,Adorate pure. In commentarijs
autem in pſalmos Septuaginta interpretum, expoſuit, adorate filium. Quod obijcit ei
Ruffinus. Reſpondet ſuæ libertatis eſſe, è duobus ſenſibus,quem velit ſequi,nec alterum ab altero
deſtrui. Deinde non eſt ex vno exemplo pugnandum, cùm tot habeas in contrarium. In
vulgata quoque noſtra editione habetur, Feci mihi cantores,& cantatrices, & delitias filiorum
hominum, ſcyphos, & vrceolos: Pro ſciphis,& vrceolis in illa antiqua editione eſt, Miniſtros
vini,& miniſtras, iuxta videlicet Septuaginta οἰνοχόους καὶ οἰνοχόας Hieron. autem in commentarijs
dicit Aquilam non viros & fœminas,ſed vaſculorũ ſpecies nominaſſe κιλικίαν, καὶ κίλυκα,
quod Hebraice dicitur שדה ושדות shiddas shiddoth. Nec Symmachum longe eſſe ab hac opinione.
Ergo idipſum quod ſibi verius videbatur. Poſuit vulgata editione, ſcyphos, & vrceolos,
C non miniſtros vini, & miniſtras, vt habet illa editio, quam ipſe explanat Bleſillę. Capite ſexto
in illa editione obſcuriſſime, Melior eſt aſpectus oculorum ſuper ambulantem in anima, Clare
autem, & enucleate, & expreſſe in propria tralatione: Melius eſt videre quod cupias, quàm
deſiderare quod neſcias. Hanc ſententiam poſitam ab Hieronymo in vulgata interpretatione
liquet ex commentarijs,cùm ait, Dilucide hoc interpretatus eſt Symmachus dicens, Melius eſt
prouidere,quàm ambulare vt libet: id eſt, melius eſt iuxta ſenſum cuncta agere, qui animæ eſt
oculus, quam voluntatem cordis ſequi. Hoc eſt enim ambulare in anima, ſicut Ezechiel ait,
Qui ambulant in voluntate cordis ſui. Ex quibus Hieronymi verbis,liquet eum fuiſſe, qui in
vulgata editione dixit,Melius eſt videre quod cupias, id eſt, agere iuxta ſenſum,vt ſentis, vt palam
eſt,melius ſequi prompta, aperta, clara, patentia, quàm infinitas & incertas ſequi cordis cupiditates:
id eſt, deſyderare quod neſcias, te ab incertis cupiditatibus rapi ſinere, deſiderando
quod neſcias & non videas. Expoſuit igitur Hieronymus, & iuxta expoſitionem eſt interpretatus,
in ſua vera interpretatione, ſecutus Symmachum, quem ſæpiſſime ſequitur. Videmus
hic quanta fuerit eorum cæcitas, qui ſibi ipſis oculos effoderunt, ne uiderent aduerſum ſe tendere,
quæ ex ſumma hebetudine,ſibi propitia & fauentia crediderunt. Eodem capite, eſt hæc
ſententia obſcure. Si genuerit uir centum filios, & annis multis uixerit, & plures fuerint dies
annorum uitæ eius, & anima eius non repleatur bonis, nec ſepulchrum fuerit illi, dixi melius
eſſe ab eo abortiuum. Quid eſt melius ab eo? Clare igitur in noſtra tralatione, Hoc ego
pronuntio, quòd melior illo ſit abortiuus. Si tanto igitur oratio eſt melior, quanto clarior,certe
longe anteit noſtra editio, & hominem doctiſſimum ſuum interpretem ubique uociferatur.
Fuitque hominis eruditiſſimi dicere tam appropriate. De hoc ego pronuntio, ſcientis re-

linquere obſcure, duraque, & ea transferendo illuſtrare, qui videret Hebraica & Græca, ſed intelligeret, D vt eſſent apertiora, alio modo Latine eſſe dicenda. Aſpice quæſo reliquum illius capitis, videbis quanta in his obſcuritas, eaſdem tamen res claras, apertas, in noſtra editione. Capite nono in illa editione, Et quidem charitatem, & quidem odium, non eſt cognoſcens homo, omnia in facie eorum. Quis vnquam hoc intelligat ſine interprete? quàm clare, & aperte in noſtra editione? Et tamen neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Quod autem hoc tranſtulerit Hieron. apparet ex commentarijs, vbi ponit eadem verba, & eundem ſenſum. Etiam, inquit, hunc locum Symmachus manifeſtius eſt interpretatus, dicens, Omnia hæc ita ſtatui in corde meo, vt ventilarem vniuerſa, quia & iuſti, & ſapientes, & opera eorum in manu Dei ſunt. Et inſuper neque amicitias, neque inimicitias ſcit homo, ſed omnia coram eis incerta, In futuro igitur ſcient, &c. Ecce fuit Hierony. qui poſuit clariorem ſenſum germana, genuinaque ſua interpretatione, ſecutus & hoc loco Symmachum. Voluit enim, ut ipſe teſtatur, omnia in vnam conferre ueram editionem, quæ ſparſa apud omnes interpretes habebantur, ne quiſquam grauaretur tot facere ſumptus, & quia neſciret Hebraicum, nullum in interpretibus haberet delectum. Cap. decimo, in illa interpretatione: Pretioſa eſt ſuper ſapientia, & gloria, ſtultitia parua. Vulgata autem Hieronimi editio, clarius, & apertius, & verius: Pretioſior eſt ſapientia, atque gloria, ad tempus ſtultitia. Quo in loco incredibilis fuit, neſcio cuius cæcitas, qui hanc ſententiam, vt eam monſtraret diſſentire ab Hebraico, citauit: Pretioſior eſt auro ſapientia: non animaduertens redundare, auro, in codice mendoſo ſuo. Quod autem noſtra tralatio eo loco ſit melior, & verior, & quod is ſit ſenſus Hieronymi, perſpicuum eſt. Dicit enim Salomon, meliorem eſſe ſtultitiam paruam, & ad tempus E aſcitam, quam ſapientiam, & gloriam. Melius eſſe aliquando ſtultum eſſe, quàm ſapientem. Hanc ſtultitiam, paruam Salomon, interpres ſtultitiam ad tempus dicit, & in commentarijs ſimplicem quandam, mediocremque ſapientiam, præcipue vt vltionem reſeruemus Deo, videamurque potius ſtulti, inimicos vlciſcentes, ſub velamento prudentiæ, exercere malitiam. Hæc ſtultitia eſt, omni ſapientia melior, is eſt ſenſus Hieronymi enucleatus ab eo in commentarijs, & poſitus clare, & aperte in ſua inſigni, veraque tralatione, in qua conatus eſt explicare, & euoluere obſcuritates Hebraicas. Sic per totum Eccleſiaſten, qui recte, & prudenter animaduertet, intelliget eundem commentarios ſcripſiſſe, atque vulgatam editionem feciſſe. Magnus profecto, & incomparabilis vir, qui cùm videret Hebraicum difficillimum, duplicem nobis laborem exantlauit, & præclarum beneficium præſtitit, vt non ſolum verba, ſed etiam ſenſus transferret. Nã verba tantum reddere, non magnæ difficultatis, in ſenſibus autem exprimendis eſt & ſtudio incredibili, & maxima prudentia opus. Fuit etiam Latinitatis ſtudioſus, & orationis apertæ, & ordinatæ, vt qui doctiſſimus eſſet, ſingulareque à Deo donum aſſecutus, vt eſſet admirabilis non ſolum ſentiendo, ſed etiam eloquendo. Quapropter omnia clamant, feruntque omnia clara teſtimonia, vulgatam editionem eſſe Hieronymi. Sed rationes ſub epilogo colligamus: Primum teſtimonium vulgatam editionem eſſe Hieronymi fuit, quòd præpoſita eſt, etiam reſiſtente prius Auguſtino, celeberrimæ editioni Septuaginta, vt qui eſt loco Septuaginta admiſſus, neceſſario fuerit maioris autoritatis, & opinionis, quam illi. Secundum, quòd cum uulgata editio non ſit ullius eorum, qui apud Græcos tranſtulerunt, neceſſario fluxit ab Hebraico, ideoque Hieronymi fuit. Tertium, quod aut non eſt facta hæc æditio ex mixtione Græcarum editionum, F aut ſi facta eſt, non potuit fieri niſi ab uno, qui Græce, & Hebraice peritiſſimus eſſet, & cui iudicium, ſummaque prudentia non deeſſet. Cum autem id ſolus habuerit Hieronymus, cùm apud hunc unum & primum apud Latinos cognitio diuerſorum interpretum, exactaque collatio deprehendatur, ſolus is ex diuerſis interpretibus ueriſſima quæque, & apertiſſima colligens, referenſque ad fontes Hebraicos, exactiſſimam & omnium illarum Græcarum interpretationum uice unam potuit dare editionem. Quartum ſunt præfationes, quas ipſe Hieronymus ad Auguſtinum, & contra Ruffinum dicit, ſe editioni ſuæ ex Hebraico præpoſuiſſe. Fierique non poteſt, ut tantus error in eccleſia, pręcipue in ſacris litteris inoleuerit, ut præfationes præpoſitæ fuerint alteri, quàm Hieronymianę trralationi. Quintum, ſtilus ipſe ualidiſſimum eſt teſtimonium, qui non ſolum refert doctiſſimum Hieronymum, cum ſit illuſtris, apertus, clarus; ſed Hieronymus etiam ipſe cum alijs in locis, tum uero ad Auguſtinum confeſſus eſt, ſe transferentem ex Hebraico, expreſſiſſe quod intelligeret, ſenſuum potius, quàm uerborum ordinem interdum cõſeruantem. Et quod ſe dicit fuiſse ueluti paraphraſten. Et quod in libro de optimo genere interpretandi, inſectatur κακοζηλίαν, id eſt, cum uerbum è uerbo redditur, non ſenſa potius exprimuntur. Et quod dicat, ſe parare unam uoluiſse editionem, quę uice omnium illarum Gręcarum editionum eſset. In quibus alius uerbum è uerbo, alius ſenſum ex ſenſu, alius utrunque expreſserat. Sextum ac ultimum, & irrefragabile teſtimonium eſt, quod expreſse, & extra omnem controuerſiam libri prophetarum ſunt Hieronymi. Sunt autem idem libri prophetarum, quos ut ſuos explanat Hieronymus, atque hi, qui in uulgata habentur editione. De qua re clariſſimum eſt teſtimonium apud ipſum, in prima apologia aduerſus Ruffinum, Commentarij, inquit, in duodecim prophetas, & meam, & Septuaginta, editionem ediſserunt. Hoc

A ergo quod Hieronymus teſtatur, videbis in commentarijs aperte, in quibus è regione eſt vul-
gata editio, quam Hieronymus ſuam dicit, parte alia, editio Septuaginta. Tum Daniel, in quo
ſe fatetur ex Hebraico tranſtuliſſe vſque ad duodecimum caput. Ionas item, in quo pro cu-
curbita, eſt hædera. Deinde & liber Heſter, in quo ſæpe fatetur interpres ſe ex Hebraico tran-
ſtuliſſe. In quibus omnibus eſt idem etiam ſtilus, nec verbum è verbo, ſed potius ſenſus redde-
tur clarè, & Latinę. Cùm autem ſimiles ſint cæteri libri his, qui palàm ſunt Hieronymi, certe
clariſſimum eſt, omnium vnum fuiſſe interpretem. Supereſt vt adducamus ea, quæ ſuſpicari fe-
cerunt vulgatam editionem non eſſe Hieronymi. Tres autem in ſummum ſunt rationes, Vna,
quòd tot errata in ea deprehendantur, vt fieri non poſſit, toties doctiſſimum erraſſe Hierony-
mum. Secundo, quòd in libro Hebraicarum quæſtionum, vbi corrigitur vulgata editio Se-
ptuaginta interpretum, quæ tunc erat vſui, in noſtra editione contraria his, quæ ibi dicuntur,
inueniuntur. Et quod illic emendatur, ac reijcitur, veluti male poſitum, ab Hieronymo, repe-
ritur in noſtra tralatione. Ex quo non videtur fuiſſe idem is qui ſcripſit eum librum, & qui
vulgatæ editionis fuit autor: ille autem eſt Hieronymus: non ergo ſibi contraria diceret. Ter-
tia ratio magis Iudæos, & ſciolos Hebraicarum litterarum Chriſtianos, mouens, eſt, quòd or-
do loquendi prorſus eſt immutatus, vt alio modo dicatur in Hebraico, quàm in Latino, & phra
ſes inuicem ſibi non reſpondeant. Ex quo fit, vt Hebræi non ſentientes orationem noſtram
orationi ſuæ reſpondere, corruptiſſimam clament noſtram interpretationem. Verbi cauſa:
quod noſter dixit, Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Horum
ferè nihil eſt in Hebraico. Sed, Peruerſum non poterit corrigi, & imminutio non poterit nu-
merari. Imperitiores Hebræi, quorum maxima turba eſt, hic lapſum interpretem clamarent.
B Quod etiam faciunt quodam ſuæ naturæ inſtinctu, qui non ſolum non de noſtris, ſed ne de ſuis
quidem bene vnquam loquuntur. Nec vidi ferè eorum quenquam, qui proximum ſuum lauda-
ret, ſemper ſeipſos omnibus præferentes. Has igitur rationes, præſtigioſas eſſe, diligens, exacta-
que examinatio comprobabit. Non enim ſufficit, auiditate contradicendi, currentem vnam in
contrarium proferre rationem, plures alias fauentes veritati reijcere. Illi vere ſunt præcipites
& cęci, qui hoc faciunt, non agnoſcentes detectis erroribus eorum, fabulam ſe bonis iudicijs
futuros. Primum de ratione transferendi quòd non ſit de mente Hieronymi, vt in transferen-
do, verborum ordinem ſequaris, & quod hæc vera ſit interpretandi ratio, ſuperius ex dictis ip-
ſius Hieronymi eſt oſtenſum. Qui cùm huiuſmodi reprehenſores ſuo quoque tempore habue-
rit, qui eum carperent, quod transferens ab ordine diſcederet: ipſe reſpondit, quæ reſponſio
etiam hodiernis reprehenſoribus quadrabit. Reſpondit autem, ſe primum defendens exemplo
Ciceronis in tralatione duarum orationum Aeſchinis, & Demoſthenis, & præcepro Horatij:
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus interpres. Tum ait, Terentium interpretantem Me-
nandrum, Plautum, & Cecilium veteres comicos, non hæſiſſe in verbis, & tam decorem, & ele-
gantiam in tralatione conſeruaſſe, quàm veritatem interpretationis. Sed proponam verba ip-
ſius Hieronymi, quibus omnis hæc reſponſio continetur, vt qui eum audierit, ſciat ipſum pro
ſe reſpondiſſe. Difficile eſt, inquit, alienas lineas inſequentem, non alicubi excidere; & arduum,
vt quæ in alia lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in tralatione conſeruent. Significatum
eſt aliquid vnius verbi proprietate, non habeo meum, quo id efferam, & dum quæro imple-
re ſententiam, longo ambitu vix breuis vitæ ſpatia conſumo. Accedunt hyperbatorum an-
C fractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum. Ipſum poſtremo ſuum, & vt ita di-
cam, vernaculum linguæ genus. Si ad verbum interpretor, abſurde reſonant, ſi ob neceſſita-
tem aliquid in ordine, vel in ſermone mutauero, ab interpretis videbor officio receſſiſſe: Quod
ſi cui non videtur aliquid linguæ gratia in interpretatione mutari, Homerum ad verbum ex-
primat in Latinum. Plus aliquid dicam, eundem ſua in lingua proſæ verbis interpretetur, vi-
debis ordinem ridiculum, & poetam eloquentiſſimum, vix loquentem. Deinde, me ſemper
ab adoleſcentia non verba, ſed ſententias fateor tranſtuliſſe. Alij ſyllabas aucupentur, & litte-
ras, tu quære ſententias. Hæc Hieronymus ipſe pro ſe ipſo ad cauillationem ineptorum reſpon
dens, qui tralationem eius tanquam non veridicam accuſant, quia verborum ordinem non ſe-
quatur. In qua more ſuo, magis ſententias quàm verba, & ſyllabas, quæſierit interpres. Secunda
ratio, cùm aiunt, in vulgata editione tot errata deprehendi. Primum ſciendum eſt, accidere po-
tuiſſe, atq; etiam accidiſſe Hieronymianæ editioni, quod accedit olim interpretationi LXX. De
qua Hier. ipſe in præfatione in libros Paralipom. Sed ſi Septuaginta interpretum, inquit, pura, &
vt ab eis verſa eſt in Gręcum, editio permaneret, ſuperflue mi Chromati, epiſcoporum ſanctiſſi-
me, atq; doctiſſime, impelleres, vt Hebræa tibi volumina, Latino ſermone transferrem. Hoc igi-
tur & in editione eius ſciamus nonnunquam accidiſſe, vt tū aſſidua tranſcriptio, & imperitia ſcri
ptorum plurima loca deprauarit, tum omnes alij caſus, quibus ſubiectas eſſe litteras nemo eſt
qui neſciat. Non eſt opus me comprobare, cùm elaboratiſſima, exactiſſimaq́ue impreſſio Fro-
beniana, infinita penè loca, collatis multis, & his antiquis codicibus, reſtituerit. Multa quoque
deprauauit nominum vocumq́ue ſimilitudo, vt quod legimus in Iob: Sicut ceruus deſiderat
vmbram, cùm dicendum ſit, ſeruus: & ſolis ardore, pro ſalis ardore. Sicut item in Pſalmis quo-

tidie deprauate legitur, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: cùm dicendum ſit, Fortem, D viuum, Hebraicè, אל, Græcè ἰσχυρόν. Et Interfecta eſt terra à ſanguinibus: Pro, Infecta. Et id genus, Quanta olim corruptela inuaſerat in Græcos & Latinos codices, quod vſque ad rauim toties queritur Hieronymus? Quot locis Cicero, Virgilius, aliiq́ue boni autores mendoſi reperiuntur? Dico autem quorundam tantum locorum deprauationem, non totius editionis, ſicut quidam temerarij proferre audent. In quo cauendum, ne Manichæorum impietatem ſectemur, de quibus Auguſtinus ad Hieronymum, Manichæi, inquit, plurima diuinarum ſcripturarum, quibus eorum nefarius error clariſſima ſententiarum perſpicuitate conuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendunt: ita tamen vt eandem falſitatem non ſcribentibus apoſtolis tribuant, ſed neſcio quibus codicum corruptoribus. Hæc Auguſtinus. Hic ego ſæpe dubitaui, ne qui conantur perſuadere vulgatam editionem non eſſe Hieronymi, aut eſſe quidem, ſed ab inimicis eius fuiſſe corruptā, id faciant, quo facilius ſcripta eorum & editiones recipiantur. Quod quidem non prorſus affirmo, nec ſi de quibuſdam eſſet id verum, alios quibus diuerſus animus fuit, hac dubitatione comprehenſos velim. Nam vt mittam alios, ſi qui ſunt, Sanctes Pagninus vir optimus, & pari doctrina, atque probitate præditus teſtatus eſt ſe non in euerſionem vulgatæ editionis tranſtuliſſe, ſed vt collatione tralationis ſuæ hæc editio magis interdum clareſceret. Quod & apud Græcos partim viri Chriſtiani fecerunt, vt Lucianus, partim hæretici, aut ſemichriſtiani, vt magna fuerit illorum, atque iſtorum temporum ſimilitudo. Secundo ſcienda eſt alia cauſa, quæ facit credere Hieronymum erraſſe, quod quidem apud viros prudentes, iudicioque præditos non eſt error. Diuerſa ſcilicet lectio, quæ vel in ſyllabis, & litteris, vel in his quæ puncta apud Hebræos dicuntur, (ſunt autem illis vice vocalium) exiſtit. In punctis autem fuit maior cauſa variandi. Puncta ſunt Hebræis notulæ, E dictionibus ſubſcriptæ. Quibus variatis, eiuſdem dictionis & diuerſus ſonus, & diuerſus ſignificatus exiſtit. Verbi cauſa, dictio El, ſi ea vocali, aut puncto ſubnotetur, qui vocatur Zere אל ſignat Deum: ſin eo, quod dicitur Segol אל, præpoſitio eſt, ad. Ex quo factum eſt, vt (quoniam ſicut tempore Septuaginta, ſic tempeſtate Hieronymi iſtæ notulæ apud Hebræos non habebantur, ſicut nec accentus apud Græcos, veteres, libroſque antiquos Græcorum nullis accentibus notatos reperies) eadem dictio minus facile, atque nunc, ſignificatu eſſet accipienda, poſſet intelligi, manente eadem voce ambigua, & ſola prolatione, non ſcriptura, valente diſtingui. Nunc autem, quando poſt multa tempora, cœperunt Hebræi notulis vti, ſicut & Græci accentibus, cùm apud veteres ſine accentibus dictiones ſcriberentur, polyſemæ Hebraicæ dictiones in vnum tantum ſignificatum reuocatæ ſunt. Sicut accentus Græcus multa nunc diſtinguit, quæ ſine accentu eſſent ambigua. Proponam duo tantum exempla hoc loco, nam plura in noſtris annotationibus, & apud eruditiſſimos quoſque reperies. Secundo Pſalmo, vbi vulgata editio habet, Prædicans præceptum eius, Hieronymus in ſuo Pſalterio ex Hebraico vertit, Annunciabo Dei præceptum, Hebraica autem dictio אל ſi puncta reſpicias, non ſonat Deum, ſed ad, vt dicendum ſit, Annunciabo, vel referam ad præceptum. Qui igitur hic lapſum interpretem contenderet, ipſe potius reprehenſione dignus eſſet, cum in codice eius eadem dictio poſſet ad diuerſos trahi ſignificatus. Alterum exemplum erit Gen. capite trigeſimooctauo de Iuda, Aſcendebat ad tonſores ouium ipſe, & Hiras opilio gregis. Pro opilione, qui Hebraicè dicitur רעה rohe, id eſt, paſtor, in Hebraico non legitur רעהו reheu, ſocius F eius, eiſdem litteris. Ex quo apparet cum ſubſtractis notulis, poſſet dictio duos habere ſignificatus: Hierony. ſecutum fuiſſe priorem, qui fortè verior eſt, cùm de tondendis ouibus ſit ſermo. De qua re meminit etiam ipſe in quæſtionibus Hebraicis, & cauſam cur opilionem, non ſocium tranſtulerit, docet. Pro paſtore, inquit, amicus legitur, ſed verbum ambiguum eſt, quia iiſdem litteris ſcribitur. Hæc varietas & apud Septuaginta, & Hieronymum interdum deprehenditur, in quo quidem nullus eſt error. Fuiſſe autem olim Hebraicas litteras ſine notulis, & probatiſſimi Hebræorum autores ſunt, & clara extat ex ſcriptis eorum & noſtrorum ratio. Afferunt illi hoc validiſſimum argumentum, notulas has antiquas non eſſe, quòd apud Rabinos ſuos antiquos, quos Thalmudiſtas appellant, cùm ſæpiſſime de litteris & nominibus litterarum diſſeratur, nunquam extet nomen iſtarum notularum: Nunquam nominatur aut citatur, camez, sheua, zere, ſegol, & alia, cùm ita neceſſitas poſtularet, vt de his fieret aliqua mentio, ſicut etiam de litteris, & ſyllabis. Eadem eſt ex noſtris ſcriptoribus comprobatio. Cur cùm vitari non poſſet hæc commemoratio nunquam apud Originem, Euſebium, Hieronymum noſtrum inuenitur, cum præſertim etiam in punctis tota conſiſtat Hebraici ſermonis ratio. Cùm ex his varientur ſignificatus, dictiones in multas ſpecies abeant? Et tamen mirum eſt vbique ſilentium. Idq́ue cum primis mirabile eſt apud Hieronymum, qui toties Hebraicas litteras, & pondus earum examinat, nunquam notulas has commemorans, vt eas prorſus videatur ignoraſſe. Nos quidem ſine notulis hiſce in explicatione vocum Hebraicarum, nihil poſſumus loqui. Ac veriſſimile eſt iuniores Hebræos ita reperiſſe hæc puncta, ſicut reperti ſunt à iunioribus Græcis accentus. Proferebantur quidem dictiones cum accentu, ſed non ſcribebantur, ſicut Itali, cæteræq́ue gentes accentibus in loquendo vtentes, ſcribendo

non

A non vtuntur. Vix autem fieri poſſe nobis videretur, vt poſſemus Græcæ loqui, niſi accentibus iuuaremur. Veteres tamen, quibus lingua vſitatiſſima eſſet, facile & expedite, & recte ſine accentibus loquebantur. Sic iuniores Hebræi, cùm iam dimittere ſermonis ſui conſuetudinem diuerſis caſibus affecti cogerentur, & lingua propter deſuetudinem fieret difficilior, repererunt notulas vt quæ facile maiores effari ſine punctis propter conſuetudinem poterant, hoc poſteri aſſequerentur, notulis illis adiuti. Cuius cùm ſint efficaces comprobationes, quas diximus, accedit etiam expreſſum & clarum Hebræorum teſtimonium. E quibus Auen Eſra hæc ſcribit, ראיתי בספר צחות כן טנהג חכמי טביריי אותם הדקד כי מהם היו אנשי המסורת ואנחנו מהם קבלנו כל הנקוד. Quæ ſunt: Vidi in libro qui dicitur Zachoth, conſuetudinem & morem fuiſſe ſapientum Tyberiadis, qui radix ſunt & præcipui, quòd ab eis extiterunt hi, qui notationes Maſoreth repererunt, & nos accepimus ab eis totam punctandi rationem. Sic ille fatetur à ſapientibus Tyberiadis, de quibus ſcribit etiam Hieronymus, habuitque vnum ex eis præceptorem, profectas has notulas hodiernas. Eoſque cœpiſſe primos his vti, procul dubio poſt Hieronymum, qui quoniam doctiſſimi, primoreſque in omni doctrina habebantur, non iniuria receptum eſt à cæteris Hebræis, quicquid illi inueniſſent, vt qui etiam in terra ſancta degerent. Alterum eſt teſtimonium in libro qui dicitur Moſnai, id eſt, bilances, אחרי בעלי התלמוד היו אנשי התורה והם אושי מסורת אחריהם מחברי כפרי דקדוק. Quæ ſunt Latine: Poſt autores Talmud extiterunt ſcriptores in legem & hi qui Meſoreth condiderunt, poſt eos fuerunt grammatici. Sic & iſtud teſtimonium affirmat ea quæ dicitur Meſoreth, quæ maxime in punctis exiſtit, eſt autem per omnem ſcripturam, diligentiſſima quædam obſeruatio, quot modis quæcunque occurreret vox, cæteris in locis, varietur fuiſſe poſt Thalmudiſtas, qui ſine dubio fuerunt poſt Chriſti aduentum. Tum poſt hos ipſos extitiſſe
B ſcriptores librorum grammatices, quæ tota penè in variatione punctorum poſita eſt. Hinc vetuſtiſſimos Hebraicos libros ſine punctis inuenies. Neque enim difficile antiquis illis erat ſine punctis legere, tum propter conſuetudinem, tum quia prolatio apud eos erat diſtinctior. Nam vel hinc facile liquet multa iuniores amiſiſſe, quòd apud eos nunc non eſt punctorum aut vocalium diſtincta prolatio, Eodemque modò profertur Cames atque Pathach. Et tamen veriſimile eſt diuerſam fuiſſe prolationem. Sic Segol, Sheua, Zere. Quemadmodum nunc apud Græcos, prolatio litteræ Ita, non eſt diſtincta à prolatione ypſilon, cùm apud antiquos clarum eſſet diſcrimen. Sed de hac re non eſt hic diſſerendi locus. Et hæc dixi motus quorundam imperita audacia, quibus dempta loquendi de cæteris temeritate, cæterum, iudicio, veraque doctrina vacuos eos deprehendas. Sunt aliæ cauſæ, à quibus interdum à fonte varietas eſt profecta, quas oculis intentis obſeruare, & animo diiudicare oportet. Nam ſæpe quod videbatur error, error nullus erat, ſed animi tui potius hallucinatio. Exempli cauſa, quod dicitur in Pſalmo cxxxix. vbi in vulgata editione dicitur, Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Hieronymus in ſuo pſalterio iuxta Hebraicum רקמתי rukamthi, dixit, Imaginatus ſum. Quod qui non recte perpenderet, lapſum diceret interpretem. Recte tamen dixit, Quaſi imago fictus ſum, quaſi depictus & varietate quadam diſtinctus, ſicut ibidem nobis oſtenſum eſt. Ac libenter, citraque omnem ruborem fateor, interdum me ſuſpicatum à fonte aut vero ſenſu interpretem variaſſe, poſteaque errorem potius fuiſſe meum cognouiſſe, Et nunc hanc profero vocem, longe facilius eſſe, vt ego errem in annotando atque obſeruando, quàm interpretes in transferendo. Quem nos nec carpſimus vnquam (Deus auertat à nobis tam ſtultam audaciam) nec
C ſi verba porrexerunt iniquis hanc vel fictam, vel veram ſuſpitionem (id eſt qua ſuſpicarentur, vel fingerent ſe ſuſpicari) animum illuc vel minimum ſpectantem habuimus. Denique norimus etiam diuum iHerony. hominem fuiſſe, & quem aliquid effugere licet non tam facile, potuerit. Duo ſunt genera eorum quæ nos effugiunt: vnum eorum quæ prorſus ignoramus: alterum non ignoramus quidem, ſed vel aliqua cauſa, diuerſum ſentire coegit, vel aliud attendente animo. Hoc poſtremum & Herony. & mihi fateor accidere potuiſſe, idemque ſæpe magnis contigit viris. Multos errores, vt alios taceam, deprehendit apud ſuperiores medicos Leonicenus, complures eum notarunt eadem in re: Sic in Dioſcoride eruditiſſimo Hermolao, & a Marcello id genus acciderunt. Ac vidi, vbi taxaſſet Marcellus Hermolaum, qui Hermolaum acriter tuerentur, oſtendentes eum potius hallucinatum. Sic, ſi reuiuiſceret Hieronymus, multa nos doceret, noſtramque imperitiam coargueret, pulchrumque ab ſe dictorum, quod fecit & in vita, redderet rationem.

Meſoreth.

Thalmud.

Grammatici.

Hebræi.

Supereſt tertia ratio, quæ coegit homines ſuſpicari vulgatam editionem non eſſe Hierony. Eaque eſt de libro Hebraicarum quæſtionum. Nam vt alia taceam, vbi in noſtra tralatione habetur Gen. cap. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine: Hieronymus, in quæſtionibus Hebraicis ait. In Hebræo ſcriptum eſt: Non iudicabit ſpiritus meus homines iſtos in ſempiternum, quia caro ſunt. Ex quo dicto Hieronymus videtur comprobari, non fuiſſe eum autorem, huius tralationis. Sed quoniam quibus non placet aliquid, cupiuntque id euertere ſi poſſunt, leuiſſimis quibuſque rationibus aſſentiuntur: veluti ſi quis odio habens aliquem, ad omnem & falſam, & veram calumniam, habet aures patentes: ſic profecto in hac diſceptatione apparet accidiſſe: qui autem oculos ad ſolam veritatem habent intentos, omnia explorant; ita nos

probamus

Deoſculari, pro venerari.

probamus ex illo magis libro, quàm omni alio innoteſcere vulgatam editionem eſſe Hierony. D Primumque ſciendum, quòd duos in Hebraico ſenſus habeat, ſicut à cæteris ſcriptoribus fit, ſic factum item ab Hieronymo vt alio vno in loco, alio in altero redditum ſit. Cuius cum ipſe adducat rationem, non eſt quod nos cogat hæc res addubitare, aut perturbet. Ruffinus eum calumniabatur, quòd in ſecundo Pſalmo, vbi legitur: Apprehendite diſciplinam, exponens eum locum dixit haberi in Hebraico נשקובר nashekubar, quod ipſe interpretatus eſt, adorate filium: in tralatione autem Pſalterij ex Hebraico, tranſtulit alio modo, Adorate pure. Huic ergo calumniæ reſpondet ipſe ad hunc modum. Et reuera ignoſcendum eſt ei, ſi ignoret linguæ Hebraicè veritatem, qui interdum in Latinis hæſitat. נשקו nasheku, vt verbum de verbo interpreter καταφιλήσατε, id eſt, deoſculamini, dicitur quod ego nolens transferre putide, ſenſum magis ſecutus ſum, vt dicerem adorate. Quia enim qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere, quod ſe beatus Iob, elementis & idolis feciſſe negat, dicens: Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima eſt, & negatio contra Deum altiſſimum. Et Hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem, deoſculationem pro veneratione ponunt, id tranſtuli, quod ipſi intelligunt, quorum verbum eſt. Bar בר autem apud illos diuerſa ſignificat: Dicitur enim & filius, vt illud Bariona, filius columbæ, & Barptolemæus, filius Ptolemæi, & Barchineus, & Barchiſeus, & Barrabas. Triticum quoque, & ſpicarum faſciculus, & electus, ac purus. Quid igitur peccaui, ſi verbum ambiguum diuerſa interpretatione conuerti? Et qui in commentariis vbi libertas eſt diſſerendi dixeram, adorate filium, in ipſo corpore ne violentus viderer interpres, & Iudaicæ calumniæ locum darem, dixerim adorate pure, & electe: quod Aquila quoque, & Symmachus tranſtulerunt. Hæc Hieronymus. E Ex quibus hæc duo intelligimus, tum eum magis ſenſa, quàm verba tranſtuliſſe, non enim dixit, oſculamini, ſed adorate, vt Hebræi ſentiebant, deinde in verbis ambiguis noſtræ eſſe libertatis, nunc vnum, nunc alterum ſequi ſignificatum. Quod igitur hoc loco dictum eſt ab eo, ſciamus in multos alios pertinere locos. Quod clarum erit ſtudioſis, ac prudentibus. Itaque verbum quod eſt Gen. 6. Non permanebit ſpiritus meus, duos cùm haberet ſignificatus, Hebræis etiam atteſtantibus, vt noſtræ annotationes oſtendunt, deſignat enim iudicare, & induere, ac ſubire, & incluſum eſſe, ſicut in vagina conditur gladius, alterum in quæſtionibus, alterum in editione ſua poſuit. Clara autem & irrefragabilia teſtimonia ex illo libro paſſim colliguntur, vulgatam editionem eſſe illius, qui ſcripſit eum librum, eadem ratione, atque ex commentariis claruit, Eccleſiaſten eſſe eius. Proponam igitur aliquot exempla, nam alioqui totus clamat liber, eundem illius atque vulgatæ tralationis autorem. Principio, vbi dicitur in noſtris codicibus, Compleuitque Deus in die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat. Pro die ſeptimo, Septuaginta interpretes poſuerant die ſexto. Hieronymus dicit haberi in Hebræo, die ſeptimo. Ecce igitur idem poſuit in ſua editione, quod quidem non erat ambiguum, ſed neceſſario oportebat dicere, die ſeptimo. Quis ergo alius eſſe potuit, niſi Hieronymus idem? Eodem capite, in noſtra editione habet, Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio. Antiqua tralatio Septuaginta interpretum habebat, pro voluptate, Eden: pro à principio, κατὰ τὰς ἀνατολὰς, verſus orientem. Hieronymus ibi dicit, Eden interpretari voluptatem, & ipſos Septuaginta poſtea tranſtuliſſe voluptatem, quod antea velut nomen proprium tranſtuliſſent: & Symmachum idem ediF diſſe. Ex quibus apparet, eum fuiſſe potius hunc ſignificatum ſecutum, quod pluribus videretur, ſcilicet paradiſum voluptatis, quàm vt diceret, paradiſus in Eden. Pro, à principio quoque, ait, haberi in Hebraico מקדם mikedem, quod Aquila, Symmachus, Theodotio, non orientem, ſed à principio concorditer tranſtulerant. Ergo hoc ipſum poſuit in ſua editione. Quia plures ſcilicet in id ſignificatum inclinarent. Plurium autem ſequebatur autoritatem. Docuimus autem ſuperius, noſtram vulgatam editionem nullius eſſe eorum qui in Græcum tranſtulerunt. Miſtionem autem ex illis interpretibus factam quidem interdum, ſed niſi à doctiſſimo, prudentiſſimoque Hieronymo, & ſermonis Hebraici cum primis perito, fieri non potuiſſe. Rurſum eodem cap. vbi in vulgata editione dicitur, Immiſit Dominus ſoporem in Adam: pro ſopore, antiqua tralatio habebat, extaſim. Hieronymus autem dicit, Aquilam & Symmachum, priorem καταφορὰν, poſteriorem κάρον tranſtuliſſe, id eſt, grauem & profundum ſoporem. En igitur hoc ſecutus eſt, in ſua tralatione. Eodem capite, pro eo quod habet noſtra editio, Hæc vocabitur virago, refert Hierony. Septuaginta tranſtuliſſe. Hæc vocabitur mulier: & ſubiicit. Non videtur in Græco & Latino ſonare, cur mulier appelletur, quoniam ex viro ſumpta ſit, ſed etymologia in Hebræo ſermone. Vir quippe vocatur איש is, & mulier iſſa אישה. Recte igitur ab is, eſt appellata, mulier iſſa. Vnde & Symmachus pulchre etymologiam etiam in Græco voluit cuſtodire, dicens: αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη. Quod nos Latine poſſumus dicere, Hæc vocabitur virago, quia ex viro ſumpta eſt. Hæc Hierony. Nihil eſt hoc teſtimonio clarius, non niſi Hierony. vulgatæ editionis autorem fuiſſe, qui poſuit in ſua Latina tralatione, quod olim iudicauerat Symmachum pulchrè tranſtuliſſe. Hæc vocabitur virago. Tertio capit. Quod habet vulgata editio, Serpens erat callidior: antiqua habebat, Serpens

A pens erat ſapientior. Hieronymus teſtatur in Hebræo haberi ערום harum, quod Aquila & Symmachus πανοῦργον tranſtulerunt, id eſt nequam, & verſipellem: tum ſubijcit, Magis itaque ex ho, verbo calliditas, & verſutia, quam ſapientia demonſtratur. Ecce Hieronymus in vulgata editione poſuit, quod magis in voce Hebraica ſignificabatur, Serpens erat callidior. Eodem capit. Quod apud nos eſt, Ad auram poſt meridiem, cùm eſſet anceps ſenſus, Hieronymus ait Theodotionem manifeſtius dixiſſe, ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας, vt meridiano, inquit, calore tranſacto, refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet. Vides vt tranſtulerit, quod putabat Theodotionem manifeſtius dixiſſe, eumque adamuſſim ſecutus, dixit, Ad auram poſt meridiem. Aura, & poſt meridiem, refrigerium deſignant. Ex hoc etiam habes vulgatam editionem, non eſſe vllius Græcorum. Nam hic ſequitur Theodotionem, ſuperius ſequebatur Symmachum. Mixtio autem facta eſt, ſed ab Hieronymo vt vides. Et talis mixtio non quæ ſit confuſio, ſed pulcherrimus delectus, prudentiſſimo iudice legente. Dies autem me deficeret, ſi cuncta vellem recenſere. Sed mihi ſatis eſt, his exemptis totum librum demonſtraſſe, infinita alioqui alia ante oculos habens. Vbicunque autem (quod rarum eſt) aliquid illic diuerſum interpretem à noſtra tralatione poſuiſſe comperies, ſcito ancipitem fuiſſe ſignificatum: meliorem autem, & vero propiorem, quod tempus dubia ſæpe reddens clara, demonſtrabat eſſe eum, qui ſit in noſtra editione. Sed annotationum hoc erit officium, in quibus polliceor me huius rei, quando haberet, quod nunquam credidiſſem, aliquos aduerſarios, fore obſeruantiorem. Res igitur adeo clara eſt, vt vitium fuiſſe meum potius intelligam, qui tot verba in tam perſpecta cauſa profuderim. Vulgata igitur editio eſt Hieronymi. Omnes autem libri Hebraici, B & Chaldaici vulgatæ editionis, quos præfationibus ſuis, vt ad diuum Auguſtinum, & aduerſus Ruffinum ſcribit, muniuit Hieronymus, illius ſunt. Liber autem Sapientiæ, & Eccleſiaſticus Sirak, qui πανάρετος dicitur, & Baruch, cum epiſtola Hieremię, ex antiqua Latinorum tralatione apud nos remanſerunt. Licet Hieronymus teſtetur, ſe Eccleſiaſticum, Hebraicum reperiſſe. Sed iam Græcus erat, & ex Græco in Latinum tralatus. Sic & librum Machabæorum, primum teſtatur ſe Hebraicum reperiſſe. De quibus omnibus clare ipſe in prologo Galeato. Hic prologus, inquit, ſcripturarum, quaſi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire poteſt, vt ſcire valeamus, quicquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur ſapientia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Ieſu filij Sirak liber, & Iudith, & Thobias, & Paſtor, non ſunt in canone. Machabæorum primum librum Hebraicum reperi, Secundus Græcus eſt, quod ex ipſa phraſi poteſt intelligi. Hæc ille. Licet igitur Hebraicum & hunc librum repererit, erat tamen apud Græcos, & in Latinum tralatus habebatur. Eſræ tertius, & quartus fabuloſſimi ſunt, quos neque in Hebraico, neque apud Septuaginta reperies, & Hieronymus teſtatur ſe eos ignorare. Nec in antiquis Bibliis Latinorum habebatur, quod & laudatiſſima Colonienſis impreſſio teſtatur. Cenſuerimque ego, vt doctiſſimis viris adhibitis, reijceretur è canone ſcripturarum, ſicut & Paſtor eiectus eſt, qui nuper emerſit. Illud quoque non eſt ignorandum, duas Hieronymum editiones dediſſe, priorem è Græco in Latinum, transferentem ſcilicet eam, quam fecit Origenes, in qua editionem Theodotionis admiſcuit vulgatæ editioni Septuaginta, cuius rei multis in locis meminit ipſe. Ac primum in epiſtola ad Auguſtinum, his verbis, Quod autem in aliis quæris epiſtolis, cur prior mea in libris C canonicis interpretatio aſteriſcos habeat, & virgulas prænotatas, & poſtea, aliam tralationem abſque his ſignis ediderim, pace tua dixerim, videris mihi non intelligere quod quæſiſti. Illa enim interpretatio, Septuaginta interpretum eſt, & vbicunque virgulæ, id eſt, obeli ſunt, ſignificatur, quòd Septuaginta plus dixerint, quàm habetur in Hebraico. Vbi autem aſteriſci, id eſt, ſtellulæ perlucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum eſt. Et ibi Græca tranſtulimus, hic de ipſo Hebraico, quod intelligebamus, expreſſimus, ſenſuum potius veritatem, quàm verborum ordinem interdum conſeruantes. Hæc diuus Hieronymus. Quæ declaratio plurimũ obſeruanda eſt. Siquidem plures præfationes ſunt in hãc è gręco tralationem, aſcriptæ alteri verè ſuæ ex Hebraico tralationi. Vbicunque igitur duas præfationes in editione vulgata reperies, ſcito alteram in tralationem è Græco, alteram in tralationem ex Hebraico congruere. Quod ipſis quoque præfationibus fit manifeſtum, in quibus aſteriſcorum meminit, & obeliſcorum. Duæ fuerunt igitur editiones Hieronymianæ, vna ex Græco, poſterior ex Hebraico. De prima præter quàm quòd meminit ad Auguſtinum, etiam aduerſus Ruffinum, de ea ſic ſcribit. Egone contra Septuaginta aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſſime emendatos, meæ linguæ ſtudioſis dedi? Præfatio igitur prima, quæ incipit, Deſiderij mei deſideratas accepi epiſtolas. Et in Pentateuchum verſum ex Hebraico, quod ipſe teſtatur. Deſiderij obſecrantis, inquit, vt tralatum in linguam Latinam de Hebræo ſermone pentateuchum, noſtrorum auribus traderem. Præfatio quoque in Ioſue, & Iudicum, eſt in editionem Hebraicam, quod & ipſa teſtatur, quæ de tralatione ex Hebraico, & de codicibus Græcorum loquitur. Et ſe excuſat autor, ſe non in iniuriam Septuaginta transferre, quod ei obiiciebat Ruffinus. In libros quoque Regum eſt vna præfatio, in editionem vulgatam ex Hebraico, vt ipſe docet aduerſus Ruffinum. Liber autem Paralipomenon duas habet præfationes, in duas, quas diximus editiones. Ac prior quæ incipit, Tantus ac talis eſt liber iſte, eſt præfatio editionis ex D Hebraico, vt teſtatur contra Ruffinum. Vbicunque enim ſe excuſat, quòd non in contumeliam antiquæ tralationis transferret, proculdubio Hebraicam editionem reſpicit. Nam transferens è Græco, veterem editionem ipſorum Septuaginta illuſtrabat, nec opus erat ea excuſatione. Secunda autem præfatio congruit in editionem è Græco, in qua meminit aſteriſcorum, & obeliſcorum, & claret vel maxime his verbis, eam ex Græco eſſe. Ita enim, inquit in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitioſus eſt, vt non tam Hebræa, quàm barbara quædam & Sarmatica nomina coniecta arbitrandum ſit. Nec hoc Septuaginta interpretibus, qui Spiritu ſancto pleni, ea quæ vera fuerant, tranſtulerunt, ſed ſcriptorum culpæ aſcribendum eſt, & quæ ſequuntur. Deinde ait, Vbicunque ergo aſteriſcos, id eſt, ſtellas, radiare in hoc volumine videritis, ibi ſciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habebatur. Ex quo intelligis additum aliquid ex Hebræo in ea editione, non totam Hebraicam fuiſſe tralationem. Fallunturq; qui queruntur ſubtractos è libris aſteriſcos, & obelos. Nam liber Paralipomenon in vulgata editione, eſt ex Hebraico, nec habet, aut habuit vnquam aſteriſcos, & obelos. In hac etiam præfatione de ſenſuum tralatione meminit. Liber quoque Iob duas habet præfationes, alteram in Græcam illam editionem, olim emendatam, alteram in editionem ex Hebraico. Cuius rei locupletiſſimus teſtis ipſe Hierony. aduerſus Ruffinum his verbis: Tranſibo ad librum Iob, quem poſt Septuaginta interpretum editionem, quam Origenes obelis aſteriſcisque diſtinxit, ante annos plurimos Latino ſermoni datum, cùm rurſum iuxta ipſum Hebraicum verterem, ſic locutus ſum. Cogor per ſingulos ſcripturæ diuinæ libros, & quæ ſequuntur. Paulo poſt. Cæterum apud Latinos, ante eam tralationem, quam ſub aſteriſcis & obelis, nuper edidimus, ſeptingenti ferme, aut octingenti verſus deſunt, vt decurtatus, & laceratus, E corroſuſque liber, fœditatem ſui publice legentibus præbeat. Ex quibus Hieronymi verbis apparet præfationem in Hebraicam editionem, eſſe eam, cuius aduerſus Ruffinum principium citauit. Altera autem præfatio, quæ incipit, Si fiſcellam iunco texerem, eſt in editionem è Græco: in qua etiam meminit obeliſcorum, & aſteriſcorum. Vulgata autem Iob editio, ſicut cæteri libri ſacri, eſt ex Hebraico vera illa Hieronymi tralatio. Ac quoniam ſubmota eſt editio antiqua Septuaginta, etiam ea quam olim Hieronymus emendaſſet, eſt ſubmota, recepta in ſolidum Hebraica, & vera eius tralatione. Remanſerunt autem nonnullis in locis præfationes, Græcæ editionis, propter vtilitatem eorum quæ in ipſis referrentur. Et forte in antiquis Latinis codicibus, Hebraicæ dumtaxat editionis, id eſt, vulgatæ, præfationes habebantur, deinde ex operibus Hieronymi ſunt & hæ interiectæ, ab his, qui diſcrimen iſtud Hebraicę & Gręcæ editionis ignorarent, ſuſpicatis vnam atque eandem eſſe tralationem, & eiuſdem duas præfationes, quod etiam magnos hac tempeſtate viros fefellit. Diuus igitur Hieronymus vulgatæ editionis eſt autor. Et hæc eſt illa vera eius, cuius tot meminit locis, nobiliſſima, inclytaq; tralatio, omnibus antiquis, aut futuris vnquam vſque ad rerum conſummationem, editionibus, longe præcellens, quæ ex ſermonis Hebraici aſperitate (nam horridum & durum eſſe ſermonem Hebraicum, cùm primis teſtis eſt ipſe Hieronymus in præfatione in epiſtolam ad Galatas, in qua queritur his verbis, Sed quid agam? loquar? ſed omnem ſermonis elegantiam, & Latini eloquij venuſtatem, ſtridor lectionis Hebraicæ ſordidauit) in apertam & claram, facilemque orationem eſt reuocata, vt legi, & intelligi ab omnibus poſſet. In quam nos ſuperiore quin- F quennio annotationes aut recognitiones edidimus vſque in Pentateuchum, in quo opere cùm vt fit, quædam in quodam quaſi angulo, ad mores horum temporum ſpectantia dixiſſem, nullius quidem perſonam attingens, nonnulli qui ſe maxime peti ſuſpicarentur, vt ſe defenderent, accuratiſſimis oculis opus ipſum colluſtrarunt, ſi quid poſſet eis regerendi criminis materiam ſuggerere. Fueruntque, quos offenderet, quòd vulgatam editionem Hieronymi contendiſſem, alij in eo ſe læſos putarunt, quòd dixiſſem, quoſdam ſciolos Hebraicarum literarum Chriſtianos, cùm vix ſummis labris earum cognitionem deguſtaſſent, imprudenter huic editioni detraherent. A quibus ergo longius tunc aberam, quàm ortus ab occaſu, cùm eos nec vultu, nec ſcriptis, aut fama cognouiſſem. Itaque hac indignatione concepta, præter alia, obiecerunt mihi quòd ipſe potius Hieronymianam editionem damnarem, cùm eam tot locis tam malè, vt ipſi dicebant, ſuggillaſſem. Ad quæ ſpretis aliis, hæc tantum reſpondemus: Multa hoc tempore indigna in religione Chriſtiana accidiſſe, quæ quoniam atrocia ſunt, ſi nullum doloris indicium è nobis excuterent, aut nos conſortes eſſe & aſſentientes teſtarentur, aut eſſe tanto ſtupore docerent, vt etiam in apertis malis eſſemus immobiles. Si quis igitur eſt, qui horum alterum velit nos eſſe, iam per nos ei licet, vt quicquid velit, loquatur. Quod ſi nos cupiat in tam indigna cauſa modeſtiores, fatemur vbique meliorem eſſe modeſtiam, quàm impetum. Verum, & illud admonemus. Sæpe fieri, vt quo res ſunt indigniores, hoc magis efficere, vt minus nobis temperare poſſimus. Quos autem optima conſcientia tuetur, nulla re nec poſſunt, nec debent offendi. Quod ad Hieronymum attinet, libentiſſime fatemur, facilius fuiſſe, vt tum in Pentateucho, tum reliquis libris nos laberemus in annotando, & exponendo, quàm Hierony. in transferendo. Longeque propenſius eſſe, vt noſtrum, quàm eius caliget iudicium,

A dicium, dum credimus aliquid eum effugiſſe, quod nos potius effugit, ab illo quidem bene
verſum, à nobis bene animaduerſum, non ita. Cùm vero vel diuerſum quid à fonte annotamus,
vel noſtram editionem dicimus interdum aliquo caſu prolapſam, non eſſe interpretis ęqui
aſſeueramus, clamare, nos aut interpretem, aut interpretationem damnaſſe. Idque indicium
eſſe hominis iam male affecti, & ſibi quodcunque ferat ſeſe, patrocinium quærentis. Nec putamus
aut noſtram inconſtantiam, aut interpretis vituperationem, vt quam agnoſcimus & fatemur
inclytam tralationem, omni quæ fuerit vnquam apud Græcos, aut apud eos, & Latinos
B futura ſit melior, poſtea in recognitione eius aliquid obſeruaſſe. Ac ſicut Septuaginta interpretes
non damnabat Hieronymus, rurſum transferens, in quo ſæpe ab æmulis ſuis queritur
ſe accuſatum: ſic ipſi, Latina exemplaria ad Hebraica, & Græca recognoſcentes, non
damnamus, ſed recognoſcimus, locaque variantia annotamus. Vulgata vero editio
an ſit Hieronymi, ipſa, ſua luce veritas comprobabit. Ac tametſi non magni
refert, à nobis tam exiguæ virtutis hominibus quenquam vel laudari,
vel reprehendi, hæc tamen profitemur, Vt diſplicent qui
C ſibi ipſis, iudiciiſque temerariis ſuis credentes, ab antiqua,
ſacroſanctaque religione deſciuerunt, ſic
amamus, & colimus quos vera probitas, &
doctrina ab his diſtinguit.

FINIS.

VENETIIS, M D XC.
Apud Dominicum Nicolinum.

RERVM MEMORABILIVM, ET MATERIARVM PRAECIPVARVM, IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM,

Locupletiſsimus Index, foliorum numeris, ac marginalibus literis accommodatus.

ABaris apud Hyperboreos propheta. 159.e
Abel chebel dictus. 22.a
non Abbreuiari manum Dei quid. 154.d
Abraham pater multitudinis gentium. 113.a
Abraham cur ſic appellatus. 112.c
Abrahamæi. 111.b
abſcondita pro arcanis. 199.b
abſorbere terram, quid. 234.f
abſurda, quæ ſi mundus eſſet æternus. 2.d
abſurda, ſi mundus ab æterno fuiſſet. 6.f
abſurda ſequerentur multa, ſi paradiſus non eſſet ſenſibilis. 49.f
abyſſus charibdis. 7.c
abyſſus quid. 12.a.90.c.104.c
abyſſus & terra omnium rerum origo. 14.a
accipere faciem, quid. 199.a
accipere perſonam. 169.f
aceruus Ouidio quid. 13.c
acetabulum argenteum. 152.a
acrabini ſcorpiones. 165.b
adę peccatum tantum attulit animę mortem. 95.d
adæ quę benedictio futura, ſi paruiſſet mandato. 73.c.d
adæ angeli viſi. 76.f
adæ peccatum triplex. 75.f
Adam & viro & mulieri nomen eſt commune. 108.e
Adam interpretatur. 91.f
Adam non proprium nomen, ſed ſpecificum. 91.f
Adam pulſus è paradiſo. 75.f.76.a
propter Adam omnia creata. 44.c
Adam duobus modis ſcelus ſuum confitetur. 69.e
Adam quo in loco creatus. 47.f
Adam q̃uo viderit Deũ deambulantem in paradiſo. 40.d
Adam vt fertur formatus eſt in agro Damaſceno. 57.d
Adam ante lapſum qualis fuerit. 58.b.c
Adam lingua Hebræa locutum probatur. 59.f
Adam ab Heden dictus. 95.b
Adam vnde ſit dictus. 22.a
Adam non cupiuit ſimilis fieri Deo. 97.f
Adami creatio. 59.a
adolere pro incendere poſitum. 142.e
adorare apud Hebræos, quid. 113.e
adducendi verbum quomodo accipiendum. 68.b
Aer vnde. 9.d
aer quid. 26.f
aer pro cælo. 28.b
aer ex aquis, & Aether ex aere generatus. 31.c
aer omnium aquarum genitor. 25.b
aerem omnium rerum principium aliqui dicunt. 25.c
aeris duplex genus. 28.a
aeris nullum apud Hebræos vocabulum. 25.d
æditio vulgata an ſit diui Hieronymi. 29.a
Aegyptus neq; vnq̃ ferè pluuia cęleſti immadeſcit. 45.d
ante ætatem nullum peccatum. 75.d
æſtu vrgeri. 119.e
æſtus libidinis furori aquarum comparatur. 126.e
æternitas maris refutatur contra Ariſtotelem. 27.f
æternitas mundi refutatur. 44.e
æternitas in Deo ſolo eſt. 2.e
æternum non ſemper pro infinito. 102.f
æther & chaos duo magna principia. 9.f
ætheria ſubſtantia vnde. 13.f
æthiopes ad adorandũ Chriſtũ venturi prædicũtur. 56.b.c
æthiopia duplex Occidentalis & Orientalis. 55.f.56.a
ætymologia cæli. 23.c.25.a
affligere pro humiliari. 147.e
affligere pro abſtinere. 163.c
agaſo durus. 234.c
ager Damaſcenus fertur fuiſſe in quo primus homo ſit formatus. 57.d
agnus pro nummo male poſitum. 120.e
agitatio, & Dei actio, quæ. 13.d
aharon peccatum ad aquas. 158.f
alas timor addit. 207.c
allegoriæ coactæ vitandæ. 47.e
allegoria ſi perperam intelligatur, principium eſt falſarum opinionum. 235.d
אל vnde dictum. 157.a
alima, herba eſt ſatietatem cito afferens. 220.f
altitudo ſcientiæ oſtenditur. 190.d
alæ auroræ dantur. 232.a
ambroſia cur ſic dicta. 51.e
ambroſiæ & pomi vitæ comparatio. 52.a
ambulare cum Deo quid. [illegible]01.e
amici niuibus comparati. 193.a
amicitia vera, rara. 193.b
amici torrenti comparati. 193.d
amici tres Iob, qui & vnde. 187.f
amor antiquiſſimus Deus. 8.a

INDEX.

Amor quid: 13.b
Amor diuinus qualis eſſe debeat: 53.c
Amphibia corpora quomodo naſcantur. 35.d
anathema quid. 157.f
angeli ante mundum creati. 231.d
angeli quando creati. 78.b.c
angeli cur alati deſcribuntur. 76.d
angeli præfecti elementis qui. 242.b
angeli dij vocantur. 81.b
angeli boni formam aſſumunt ſuæ bonitati conuenientiſſimam. 62.c
angeli à Deo creati. 81.b
angeli ſæpe in habitu viri viſi. 76.f
angeli tres Abrahæ apparuere. 113.c.d
angelorum habitatio. 81.e
angelorum pulchritudo ſpectatiſſima. 40.f.41.a
angelos Deum allocutum in homine formando falſo exiſtimant. 91.a
angelus eſt quicunque à Deo mittitur. 159.d
angelus pro Deo vſurpatur. 132.b
anima pro perſona. 203.c
anima ſpiritus & ventus idem. 12.c
anima habitaculum iuſtitiæ. 194.f
anima mundi. 12.b
anima pro vita. 196.f
anima ex nihilo creata. 46.e
anima an prior corpore ſit facta. 93.e
anima apud Hebræos pro vita. 105.f
anima propriè quid. 36.b
animæ etymologia. 36.a
anima rationalis, Dei imago. 39.c
anima pro toto homine, & pro defuncto accipitur. 146.d
anima mortui quid. 152.f
anima pro toto homine ponitur. 147.f
anima pro homine. 109.e.111.e.147.f.150.f
animæ eſurienti, amara dulcia videntur. 192.e
animæ receptaculum vbi. 105.d
aīæ viuētis noīe cōplectuntur oēs beſtiæ terreſtres. 37.d
animalia primæua, à terra limoſa calefacta. 9.e
animalia primæua vbi primum nata. 31.e
animalium eſus cur prohibitus. 42.d
animalium genera duo. 29.c
animalium corpora cur olim tā fortiora & magna. 37.c
animam affligere quid. 163.c
animam in manu ponere. 199.c
animantium tria genera. 35.d
animam pignori dare. 175.c
animus & anima, quid. 47.c
animus humanus ſimilitudo Dei. 91.d
animi lunares è lunæ curſibus confecti. 19.d
animorum immortalitas. 39.e
anni quibus vixit Iob. 230.e
annorum numerus. 109.a
annus Iubilæus. 165.e
ἀνθρώπου *etymon.* 39.e
antichriſtus. 160.f
antiqua fama. 201.e
apaim vox Hebraica duos habet ſignificatus. 46.f
aphar cunctorum animalium principium. 6.f
apoſtata nomen eſt probri plenum. 225.a
aqua ex Thalete rerum principium. 8.c
aqua principium rerum cœleſtium. 26.a
aqua præcipium eſt principiū omnium animantiū. 35.d
aqua vel Abyſſus Iob teſtimonio creata. 17.a
aqua cum terra ſimul facta. 10.f
aqua luſtrationis. 152.d
aqua luſtrali peccata leuiora purgantur. 158.a
aquæ maris. 90.f
aquæ ſuper cœleſtes quæ. 25.e
aquæ ante diem creatæ & fundatæ. 17.a
aquæ rerum omnium principium. 8.c
aquæ infernæ & ſupernæ. 23.e
aquæ cur non dicantur creatæ. 11.c
aquæ ſupernæ & infernæ. 17.d
aquarum calidarum inuentor. 121.e
aquarum natura bifariam diuiſa. 26.c
aquarum augmentum & decrementum vnde. 19.f
aquarum proles. 90.e
aquarum tria genera. 23.f
aquas ſupercæleſtes nullas eſſe. 24.b
aquæ ſupercœleſtes. 104.e
aquas animatas Theologia ſacra aſſerit. 8.c
aquas cum terra cur eſſe oportuerit. 9.e
aquila acerrimus eſt oculis. 235.a
aquila interpres apoſtata. 240.a
aquilon pro tota terra. 16.b
aquilo pro vniuerſa terra. 217.d
arabes cabæi. 193.b
arabia à ſuo primo habitatore ſic nuncupata. 56.c
arabia fœlix vbi ſita. 56.c
aram, Meſopotamia. 160.a
ararath Armenia. 105.b
araxes fluuius. 96.d
arbor ſcientiæ boni & mali, quid. 52.f
arbor vitæ. 51.c
arbor ſcientiæ boni & mali, cur ſic dicta. 98.b
arbor vitæ pro vitalis. 96.f
arbor pro fructu vſurpatur. 58.d
arbor vitæ cur ſic dicta. 51.c
arbor vitæ vbi ſita. 52.b
arbores pro fructu ponunt Hebræi. 96.f
arbores pro ligno. 96.f
arbores vnde generatę. 31.c
arbores opacę dijs conſecratę. 170.e
arboris vitę deſcriptio. 52.d
arboris ſcientię boni & mali triplex ſenſus: 53.f
ab Arboribus duę res exiguntur. 29.e
arcana Dei. 218.e
arcana quędam, variè interpretatum. 133.a
arcę Noe reliquię adhuc oſtenduntur in montibus Ararath. 105.b
arca Noe quibus in locis extincta. 1.e
arca Noe quanto tempore ędificata. 102.f.103.a
arca Noe vbi quieuerit. 105.b
ἀρχη *variè ſumitur.* 90.c
arctari greſſus, quid. 207.a
arcturi filij. 233.d
arcturus, diuerſa ſortitur nomina. 195.e
arcturus in cauda arietis ſidus. ibid.
arcturus ſignum cæleſte. 222.f.223.a
ardor pro vento. 220.d
arida, terra vocatur. 6.b
Ariſtoteles & Proclus in nomine Chaos lapſi ſunt. 88.b
armatus rapiet ipſum. 191.c.d
armenia non longe ab Heden. 95.c
armilla ſiue Hormilla vnde deducatur. 123.d
aromata vbi optima naſcantur. 59.a
articulus latinis, quid. 104.e
aſellus, cupiditas. 157.a
aſina Balabam videt angelum tenentem gladium. 76.e
aſſyria à primo incola nominata. 116.a
aſſyria Cabana. 117.a

Aſtra

Aſtra ad quid creata. 33.b
aſtra matutina. 231.b
aſtra pro dijs perperam habita. 33.c
aſtrologia ab Hebræis introducta. 188.b
aſtrologia ſuperſtitionum mater. 173.c
aſylum Hebræorum Chaldaica eſt ædítio. 126.e
attenuatio ſpiritus. 205.a
attritio rerum omnium, quid. 199.e
aue an ab Eua. 99.b
aues ex fungis quomodo natæ. 35.f
aues ex arboribus quomodo natæ. 35.f
auis ad volatum. 192.e
Auguſtinus defenditur ſuper interpretatione nominis Adam. 91.f
aureus à Siclo in quo differt. 116.e
auroræ ortus non ſemper idem. 231.f.232.a
aurum ab Aquilone, quid. 230.e.f
aurum ductile. 153.d
aurum & argentum ex aquis. 13.f
aurum optimum, vbi. 35.d.58.f
aurum pro affluentia diuitiarum. 214.e.f
auſter quia calidus animalibus imperfectis gignendis aptus. 133.f
auſter ab humiditate appellatus notus. 133.f
authoritas ſacrorum librorum. 1.e
azymus panis cur Hebræis præcipitur. 134.d

B

BAbel non à Belo dicta. 108.f
Balaham quid. 56.c
Balaham Chaldæus. 159.d
Balaham de Romano Imperio. 161.b
Balenæ piſcis deſcriptio. 236.237.
Balteus regum, quid. 198.e
Barba non radenda, quid. 146.d
Baſan filij. 178.d
Bdellium, margaritum eſſe probatur. 154.a
Bdellium variè vertitur. 96.f
Beatitudo pro ligno vitæ. 52.b
Behemoth beſtiæ deſcriptio. 235.236.
Behemoth duas habet ſignificationes. 235.c.d
Behemoth tantæ eſt magnitudinis, vt timeat, dum bibit ne fluuius deficiat. 236.a
Belial, quid. 171.b
Belli finis. 212.d
Bellum, pluere, quid. 211.d
Bellum ſarcophagum. 106.a
Benedicere duplicem eamque contrariam habet ſignificationem. 185.c
Benedicere in nomine eius, hoc eſt, benedicere nomen eius Hebr. 169.e
Benedictiones Moſis. 73.c
Benedicere, quid. 36.c.72.d
Beſtia vnde dicta. 37.d
Beſtias terræ Hebræi etiam appellant feras. 37.e
Beſtiarum cibus. 42.d
Bethel domus Dei. 118.c
Bibliotheca Venetijs celeberrima. 83.c
Binarius cur infauſtus. 90.a
Bituminis genera duo. 108.b.c
Bitumen vbi abundat. 108.b.c
Boatis collectio eſt viginti duarum ſtellarum. 233.b
Bohu & Thohu, nomina primæ materiæ. 11.c.d
in Biuio ſedere quid. 123.c
Bona fortunæ Iob enumerantur. 184.f
Bona plurima, quæ ex Moſis ſcientia de mundi creatione, prouenere. 4.b.c
Boni & mali ſcientia, an ſit apud Deos. 75.c
Boni duplex natura. 112.f
Bonitas, mens, animus, tria ſunt rerum principia. 14.f
Bonum & malum pro nuditate. 66.c.d
Bonum & pulchrum eadem voce Hebræis ſignificatur. 102.d
Bonum & malum ſcire quid. 65.f
Bonum in omni lingua naturam habet duplicem. 20.b
Bonum quomodo cognoſcatur. 53.a
Bonum multiplex. 65.f
Bonum Deus appellatur. 131.b
Bonum eſt in oculis meis, pro placet. 112.f
Bonum & malum quid. 98.b
Breuitas vitæ demonſtratur. 194.a
Brutorum corpora & ſpiritus ab eodem principio. 47.c
Bubulus. 171.e
Bufo, quid. 145.a
Burgenſis vir litteris Hebraicis peritiſſimus. 131.d
per Byſſum intelligitur linum tenuiſſimum. 139.c

C

CAbaliſtarum duplex genus. 48.f
Cabaliſtici libri tempore Eſdræ non ſcripti. 103.a
cabalæ libri quando editi. 108.a
cadmon vetuſtum. 179.f
cœli nuncupatio duplex. 24.c
cęli nomen ab eius natura ductum. 27.c
cęli ſolidiſſimi & quaſi ære fuſi. 230.c
cęli cęlorum qui. 23.f
cęli apud Hebræos etymon. 27.d
cęli exercitus duplex. 43.c
cęli nomine quid intelligendum. 43.d
cęli tantum duo ſunt. 92.c.d
cęli pro Angelis. 201.d
cęli ornatus. 92.e
cęlum à terris ſeparatum. 31.b
cęlos duos tantum eſſe. 92.c
cęlum ex aquis conflatum Theodorito. 89.f
cęlum in ſolis ſacris libris pluraliter inuenitur. 92.c
cęlum quid apud omnes gentes. 26.e.33.a
cęlum & terra teſtes dicuntur. 211.f
cęlum empyreum. 10.c.25.e.92.d
cęlum ſolidiſſimum cryſtallum ex aqua concretũ. 24.b
cęlum tres res habet. 33.a
cęlum terris præfertur duabus de cauſis. 10.b
cęlum ex aqua & igne conſtat. 93.d
cęlum ſecunda die creatum. 16.a
cęlum Theologis, quid. 25.a
cęlum ad quid creatum. 33.c
cęlum ſolidum dicitur per excellentiam. 89.f
cęlum empyreum quando creatum. 78.b
cęlum pro aere. 23.f.22.f.27.a
cęlum eſſe quintam eſſentiam, falſum eſt. 92.e
cęlum tripliciter dicitur. 10.c
cęlum inter aquas poſitum. 17.e
cęlum vnum tantum. 43.c
cęlum acceptiones varias ſortitur. 23.24.25.
cęlum cryſtallinum & firmamentum idem. 92.e
cęlum apud Hebræos ſemper in plurali profertur. 23.c.d
cęlum cur firmamentum dicatur. 99.e
cęlum pro toto aerio tractu. 24.c
cęlum quomodo in tempore factum. 3.c
Cain acquiſitio. 22.a

INDEX.

Calamitates ſuas Iob deplorat. 206.c
Calamitatis magnæ indicium. 192.d
Calidus ſol probatur. 34.c
Caligo oculorum vnde. 205.f
Caligo quid. 188.c.d
Calliditas ſerpentis dæmonis. 61.c
Calumnia Moſis in Chriſtianos. 168.a
Campus Thaneos. 155.c
Capilli mulieres putrefacti, in totidem ſerpentes conuerſi. 35.d
Caput, principium, cenſus, ſumma. 148.e
Caput pro veneno poſitum. 211.b
Carduenorum in montibus quieuit Arca Noe. 105.b
à Carne porcina cur Iudæi abſtinent. 149.b
Carnes crudas deuorare natura humana abhorret. 106.a
Carnium immundarum æſus prohibetur. 144.a
Caro vna vir & mulier. 97.d
Caro pro corpore ponitur. 152.e
Catarractæ quid. 26.a.104.b
Caua, quæ dicta ſunt. 27.e
Cauſa diluuij. 103.e
Caudam ſtringere, quid. 235.e
Cauſa maledictionis eadẽ ſub Moſe & ſub Adam. 74.b
Cauſa prima & ſecunda. 35.e
Cauſæ cur ſit ſucceſsus rerum terreſtrium, &c. 30.b
Cauſæ tribulationum. 182.b
Cauſæ rerum omnium vnde. 30.d
Cauſarum omnium regina eſt Deus. 35.e
in Cauſis rerum omnium latet origo. 19.f
Cedar. 117.a
cedar Arabiæ pars. 117.c
celebres viri qui. 103.a.b
cellularum veſtigia in quibus editio prima à ſeptuaginta facta eſt, adhuc viſuntur. 239.f
centrum in ſphæra quid. 197.f
cenſus Dei. 156.c
ceremoniæ ritus in ſacrificijs. 117.b
ceremoniæ, vnde dictæ. ibid.
ceruices pro arrogantia. 199.b
ceruorum hiſtoria. 234.b.c
cete quid. 90.f
cetus, cur magnitudine præcellat beſtias terreſtres. 36.b
cetus omnium belluarum marinorum rex. 238.a
cetus piſcis omnium immaniſſimus. 189.a
cetus pro Diabolo. ibid.
cetus tantæ magnitudinis eſt, vt ſæpe naues cum viris abſorbeat. 236.f
Chaldaica editio Aſylum eſt Hebræorum. 127.c
Chaldæi omnium antiquiſſimi. 95.c
Chaldæi ſeptuaginta quantæ authoritatis. 83.b
Chaldæi ſeptem mundos aſſerunt. 89.f
Chaldæi omnium gentium primi. 5.a
Chaldæorum regnum omnium vetuſtiſſimum. 1.e
Chaldæorum ſacer paradiſus. 94.f
Chaldæorum & aliorum nationũ error, quæ ſe vetuſtiſſ. iactant. 106.f
chaua pro Eua dicendum erat. 99.b
chaua Eua cur vocata. 59.b
chaos quid & vnde dictum. 5.e. 87.f. & 88.a
chaos Thou, Bou, nihil, idem ſignificat. 88.c.d
chauila cabalia cabala terra. 96.c
chauilæ regionis deſcriptio. 56.f
charam. 94.b
charam oppidum. 57.e
charitas Iob. 189.f
charitas ad amorem proximi ſpectat. 172.a
Cherubin omnium angelorum nomen. 76.d
Cherubin pro quibuſdam formis animalium horrificis. 77.c
Chetim, Italia. 161.b
cheteb contritio. 178.f
chærogryllus porcus. 144.d
chorban quid. 143.b
charybdis veteris Abiſſi nomen eſt. 7.d
charybdis omnis vorago dicitur. 7.c
Chriſtus Angelus Dei dictus. 130.e
χρόνου, καιροὺς. 90.c
chryſtalus ex aqua. 17.c.d
חק ChoK quid. 17.c
ciborum genera duo. 19.c
cibus quo nutriebatur primus homo in paradiſo. 51.b
cibus primorum hominum. 42.d
cibus Deorum quis. 51.e
cilicium ex quo confectum. 122.e
cinere caput aſpergebatur in luctu. 204.b
ciniphes vnde dicti. 133.c
in circunciſione quantus dolor. 121.a
clementia ſingularis Dei agnoſcitur. 68.e.f
cognitio nuditatis quid. 53.e
cognitio nuditatis cauſæ. 67.c.d
cognitio nuditatis quid faciebat. 69.d
cognitio nuditatis quid appelletur. 75.d
colles, pro eminentiore terra. 201.e
columna cœli, quæ. 217.f
colores diuerſi prohibiti. 174.f
collectio omnis aquarum Hebræis mare. 165.c
κόσμος cur mundus vocatus. 21.a
καιρὸς quid. 90.c
de cameleonte maxima diſſonantia. 145.a
coma non attondenda. 146.c
comam nutrire cur Nazaræis præceptum. 151.c
commoda noctis. 21.e
cometæ quibus in locis gignuntur. 46.b
communio quæ nobis ſunt cum Deo. 43.e
comparatio pulcherrima ſeminis humani, cũ eo quo animalia generantur. 36.e
comparauit verbum quomodo intelligendum. 118.e
conditio bonorum & malorum. 198.b
conditione hominis priore mutata, omnia in peius mutata. 73.b
conditio omnium in morte eadem. 189.b
conditiones generis humani tres numerantur. 72.a
confeſſio Iob. 238.a
confitendi inſtitutum vnde deſumptum. 150.f.151.a
confuſionem rerum nullam fuiſſe ante mundum creatum. 5.d
congeries mortuorum quid. 213.d
congregari ad populum ſuum Hebræis eſt mori. 158.f
coniugium ante lapſum.
conſcientia in cordis foribus excubat. 100.a
conſenſus & concordia ſeptuag. interpretum. 239.e
connubium conſtituitur. 61.e
conſilium Dei mirabile ad maris conſtituendos terminos. 28.e
conſilium impiorum. 196.f
conſilium malignorum. 191.e
conſolatores oneroſi, qui. 203.b
conuiuium pro concordia & charitate. 185.b
conuiuium vnde. 114.e
cor omnium cogitationum ſpectaculum. 105.d
coronam auferre de capite. 208.e
cor dilatari quid. 168.e

Corpora

Corpora brutorum & ſpiritus ab eodem principio. 47.c
Corpora hominum cur olim ſana. 29.f
Corpora animalium cur olim tam procera erumpere potuerint. 37.c
Corporum reſurrectio. 209.d
Corpus cęleſte diſſolubile, vnde. 14.a
Corpus hominis quomodo coaluerit. 46.d
Corpus hominis prius fuit ſiue ſpiritu. 47.b
Corpus hominis flori comparatum. 199.d
Corpus ante animam factum. 93.f
Corpus & ſpirit⁹ hominis à diuerſis principijs nata. 47.c
Corpus vagina eſt animi. 211.e
Corruptio cogitationum interpretatur. 206.c
Corus quid. 148.b
Coſtam vnam Deum tuliſſe è coſtis hominis dormientis, duos habet ſenſus. 60.a
Craſſities terræ quanta. 34.c
Craticula pro tecto ſumpta. 140.c
Creare quid. 36.e.101.b
Creare & facere quomodo differunt. 87.b
Creandi verbum ad omnia vſurpatur. 36.e
Creatio humana exemplo à figulo ſumpto datur intelligi. 60.e
Creatio prima è limo, ſecunda ex virili ſemine. 197.a
Creatio hominis, mirabilis. 43.c
Creatio tribus temporibus facta. 43.a
Creatio vbi inchoata, locus erat calidiſſimus. 36.f
Creatio hoīs quibus differat à beſtiarum creatione. 37.f
propter Creationem mundi à Moſe traditam præclariſſima & omnium optima edocti ſumus. 3.e
Creationem rerum ſenſibilium, quatuor fuere ante creata. 78.b
Creationes terræ, duæ. 10.c.d
Creator & cuſtos idem. 4.b
Creator hominis fuit Dei filius. 39.f
Credimus his, quæ non mutantur. 201.d
Crepuſculum pro tenebris. 194.a
Creſcere, fructificare. 90.f
Crocodili quomodo naſcantur. 35.d
Crocodilus quid. 145.a
Crudeles qui dicantur. 3.d
Crudelitas quantum à Deo aliena. 174.d
Crudelitatis indicia. 204.a
Crudum non comedetis qui intelligendum. 134.d
Cus regio. 57.a
Cus & Aethiopia, & Arabia dicitur. 96.d
Cuncta fuiße permiſta docet Moſes. 5.b
Cus Aethiopia. 107.a

D

DAmnatio Dæmonis. 70.e
Damaſcenus ager fertiliſſimus. 57.d
Dæmon interior. 70.d
Dæmones & dij idem. 81.c
Dæmones Homero creduntur habere poteſtatem fingendorem falſorum ſimulachrorum. 62.d
Dæmonis nomen vnde ductum. 145.e
Dæmonum in nocendo vis. 62.f.63.a
Deceptio omnis fit cum mendacio. 65.b
Decimæ duæ quid. 163.b
Declinare facere quid. 227.d
Declinare iudicium pro peruertere. 138.e
Dei venturi, ſigna. 231.a
Dei contemptus, peccatum grauiſſimum. 79.c
Delicta calculis ſignata. 200.a
Delictum à peccato differt. 143.f
Deliquium lunæ quid indicit. 216.f
Denominationes pro denominatis ponuntur. 109.d
Denudatio capitis inimici. 179.a
Deriuatiuis carent Hebræi. 209.a
Deſcriptio iuſti hominis. 184.d.e
Deſcriptiones locorum duo ſolent arguere. 49.a
Deſiderare, vt pereat dies quid. 188.c
Deſideriorum omnium finis. 155.a
Deteſtatio Iob. prima 188. a. Secunda. ibid.c d
Deu calion idem fuit qui & Moach. 87.f
Deum vidit Iob. 209.e.f
Deum ad auram deambulaße, quo ſenſu dicatur. 68.d
Deum & Angelos ſibi aſſumere formas humanas exemplis monſtratur. 76.d
Deus ab omni opere ceſſauit die ſexto. 93.a
Deus in abditiſſimis partibus mira operatur. 217.b
Deus & natura idem. 29.c
Deus Zelotes ego, quid ſit. 137.f
Deus, Spiritus, Amor, Amicitia, Mens, vnius rei apud omnes nomina. 8.a
Deus omnipotens. 71.f
Deus ſolus rationem rerum creatarum tenet. 30.f
Deus nomine quatuor literarum ſolet appellari. 62.a
Deus quomodo venerit ad Habraham. 68.a
Deus pater mundi dicitur. 87.b
Deus an ab æterno ſuſtinuerit omnia. 2.e
Deus ſuæ bonitati formam congruentē accipit. 62.a.c.d
Deus, Spiritus, ſapientia. 15.c
Deus quomodo mutetur. 3.e
Deus cur non benedixerit diei ſecundæ. 90.a
Deus quare ſempiternus. 2.e
Deus quomodo venerit ad Iob & Eliam. 68.b
Deus cur potius Elohim dicatur ab Hebræis quàm Eloha. 87.e
Deus pro Angelo. 132.b
Deus ne an Angelus Moſi locutus ſit in rubo. 130.e
Deus ſolus æternus. 1.b
Dextrale quid. 163.e
διμιουργός quis. 15.d
Diaboli deſcriptio. 62.f.73.a
Diabolus aſſumit formam ſuæ prauitati congruentem. 62.d.e.
Diabolus calumniator dicitur. 62.f
Diabolus & Satan idem. 159.f
Dictamentum rationis. 216.a
Diei ſecundæ Deus cur non benedixerit. 90.a
Diei & lucis officium. 21.c.d
Diei maledictio non ſpectat ad horoſcopos. 188.a
Dierum tantus fuit numerus, quantus rerum creatarum. 43.a
Dies tyrannorum incerti. 201.f
Dies præcoque. 155.b
Dies intercalares. 188.c
Dies & lux idem. 22.d
Dies omnes apud Deum numerati. 188.d
Dies primus nullum mane habuit, ſed veſperum duntaxat. 22.f
Dies hominis intra certam metam præſcripti. 200.d
Dies vnde dicta. 22.b
Dies ſtati ac ſolennes Hebræis Mobadim dicuntur. 90.c
Dies natiuitatis Iob. 188.a.c
Dies antiqui qui. 177.f
Dies vna. 89.d
Dies primus fuit ardentiſſimus. 22.f
Dies nouiſſimi qui. 160.e

Diffinitur ſapientia. 14.d
Diffuſio cęleſtis vbi ſita. 46.b
Dij plures ſuſpicati ſunt. 8.f
Dilatari cor, quid. 168.c
Diluuia particularia fuere. 1.d
Diluuij cauſa. 103.e
Diluuio paradiſus euerſus. 95.d
Diluuium videtur prædici. 102.f
Diluuium vniuerſale fuit. 1.d
Diluuium quo tempore mundauit. 103.a
Dionyſii tyranni miſeria. 202.b
Dipſas ſerpens. 169.b
vt Diuina ab humanis longe diſcrepant hic non eodem modo in his, atque in illis eadem verba ſemper ſunt interpretanda. 86.e
Dixit Deus, quomodo intelligendum. 20.d.e
Diues arbori comparatur, quæ nunc flore, & citò areſit. 207.f
Diuitiæ Orientalium in armentis. 211.b.213.d
Dodanim Rhodus. 207.b
Dolores pro cibis. 192.f
Dolor manuum, quid. 210.e
Dolor & labor. 99.a
Dolore torqueri, quid. 196.d
Dolor in circunciſione maximus. 121.a
Doloris maximi, ſigna. 199.c
Domus ædificatæ Ægyptijs obſtetricibus. 129.f
Domus quid. 194.f
Dornix fluuius. 96.d
Dormienti cum vxore maledictio. 176.e
Dominatus hominis in beſtias. 41.b
Dominus exercituum, Deus cur dicitur. 92.f
Dormire pro coire. 146.f
Draco vnde dictus. 97.f
Dracones maris, piſces maximi. 90.e
Duo admiranda omnibus Chriſtianis viris. 39.b
Duplex eſt quicquid in mundo eſt. 197.e

E

Ecce docuiſti plurimos, duobus modis intelligi poteſt. 189.f
Ed vox Hebraica quid ſonat. 46.f
Edem pro voluptate. 49.50
Editio Chaldaica quæ dicatur. 32.d
Editiones, quinta & ſexta ſub dolijs reperta. 240.c
Effectus in cauſis. 29.f
Efficatia Dei, Filius eius, Baſilio magno. 15.e
Effodientes theſaurum. 189.d
Effundi ſicut aqua, quid. 126.e
Egreſſus de ſpinis quis. 191.d
El nomen Dei. 201.b
Elementa rerum duo. 5.c.d
Elementis propriæ ſedes data. 24.b
Elementorum ſitus. 231.e
Elementorum ordo deſcribitur. 23.c.d.e
Elias an in paradiſum tranſlatus. 95.f
Elohim, quid. 97.f
Elyſius campus paradiſus. 94.d
Embryo quomodo fit. 197.b
Empyreum cęlum. 104.d
Enoch an in paradiſum translatus. 95.f
Enoch, an translatus ſicut Elias. 101.f
Ephi menſura. 137.a
Ephod duplex. 139.e
Ephrata Bethlehem. 121.c
Equorum natura. 234.f
Equus & mulus homo fieri poteſt. 184.e
Erratum Græcorum codicum. 93.a
Error in annorum numero. 108.f.109.a
Error Leui qui appellat Deum nouiſſimum. 209.f
Error de Chao rerum omnium principio. 6.a
Error Manichæorum de creatione. 21.a
Error eorum qui aſſerunt hominem factum eſſe ad imaginem Angeli. 39.b
Errores qui ſequerentur, ſi mundus eſſet æternus. 3.a
Errores eorum qui ſine initio mundum crediderunt. 44.e
Erubeſcendi origo. 53.d
Eruditio abſque pietate peſtilens. 92.b
Erumnæ, labores ſunt Herculei. 72.c
Eruptio maris, vnde. 231.d
Eſſe ipſum ſolus Deus habet. 131.e
Eſſe & fieri interdum pro eodem ſimuntur. 89.c
Eſus animalium quia tacitus, prohibitus. 42.d.e
Etymologia hominis varia. 91.e
Eua vnde dicta. 74.f
Eua cur ſic appellata. 22.a
Eua an procul ab Adam creata. 48.b
Eua corruptum vocabulum, nā caua dicendū erat. 99.b
Euæ creatio mira. 60.a
Eua omnium futurorum hominum genitrix. 58.e
Euaporatio vnde. 46.a
Euilath, quam Hebręi chauila, vbi ſita. 56.e
Eunuchi fideles miniſtri regij vocantur. 123.f
Eunuchi etſi non gignant, coeunt tamen. 124.b
Euomere pro execrari aut ſtomachari. 146.a
Eunomij Hæreſis. 137.e
Euphrates fluuius. 97.b
Euphrates & Tigris fluminum ortus. 54.f
Euphrates & Tigris vnde. ibid.
Euphratis fluuij ortus. 96.c
Ευκαιρίζειν Græcis quid. 152.a
Exalatio duplex. 233.a
Exaltatio pro refugio. 137.b
Excubent pro cuſtodient. 149.d
Excellentia, homines à brutis differunt. 191.f
Exordia rerum duo. 5.b
Experientia mira quorundā animantium natarum. 35.d
Experiri verbum eſt multarum ſignificationum. 118.d
Exſiccandi vis aquilonibus ventis. 114.f

F

Fabulæ apud Græcos vnde natæ. 166.e
Fabulæ Hebræorum de Abram in fornacem coniecto. 109.c
Fabuloſa de coruo quem emiſit Noe. 105.b
Facere mirabilia. 195.f
Facere pro ſacrificare. 134.a.164.d
Faciem accipere. 198.d
in Faciem in nares. 93.f
Faciem Moſi non fuiſſe cornutam. 141.a
Faciem ſuſcipere. 238.b
Fallaces qui. 184.d
Fato omnia tribuiſſe putatur Iob. 189.a
Fel Hebræis pro omni amaritudine. 211.a
Felicitas impiorum lucernæ comparata. 211.c
Felicitas impiorum non eſt diuturna. 212.f
Felicitas impiorum tanquam nix ante ſolem. 216.b
Felicitati priſtinæ poſtulat Iob reſtitui. 220.b
Felicium habitatio. 207.f
Fertilem fuiſſe paradiſum authoritatibus probatur. 57.b

Fertilitatis cauſæ. ibid.
Fides de re inconcuſſa eſt. 201.e
Fidimus his, quæ non mutantur. ibid.
Fiducia tabernaculi. 207.e
Figmenta cabaliſtarum. 48.e
Figurarum genera tria. 52.a
Figurarum genus in ſacris litteris duplex. 51.f
Figurata, & dicta, & facta in ſacris litteris. 51.f
Filij Adam phraſis Hebraica. 108.e
Filij arcturi. 233.d
Filiarum Iob nomina. 238.c.d
Filij Baſam. 178.b
Filij Belihal qui. 171.b
Filij Dei qui. 101.a.231.d
Filij Gad dixit ſingulare pro plurali. 164.b
Filij Henac. 155.d
Filij hominis, locutio Hebraica. 91.f
Filij Iob ſeptem figuratè dicti. 184.f
Filij Moſis quomodo filij Aaron ſint. 149.d
Filij Noe tres, totius generis humani fontes. 54.e
Filij Seth, pro omnibus hominibus. 161.a
Filij ſuperborum, qui. 220.c
Filios per ignem facere tranſire quid. 145.f
Filium Dei rerum creationem appellant multi. 15.b
Filius ſenectutis Ioſeph. 172.c
Filius Dei cur in terras deductus. 158.b
Filius pro viro. 175.d
Filius Dei cur λόγος dictus. 15.b
Filius imago patris. 40.b
Filius pro ſecundo principio rerum. 15.e
Filius Dei Angelus vocatus. 158.e
Fimbriæ. 156.e
Fingere quid. 101.b
Finis omnium deſideriorum. 155.a
Firmamenti nomine, quid intelligendum. 25.a
Firmamentum. 26.e.89.d
Firmamentum quid. 23.c.33.b
Firmamentum inter aquas poſitum. 23.f.104.d
Firmamentum ex quo factum. 18.a
Firmamentum qua die creatum. 26.f
Flatus Dei pro ſpiritu. 190.a
Flamma pro calamitatibus. 202.e
Flumina paradiſi quatuor. 96.a
Flumina Orientalia tria. 55.e.f
Fluuij paradiſi diuiſio duobus modis fieri potuit. 55.a
ſub Fœmur domini manum ponebant iuraturi. 116.c
Fluuius paradiſi in quatuor amnes diſtributus. 54.f
Focum domus ſuæ operire, quid. 207.a
Fœnerandum minimè. 175.b
Fomes ignis quid. 162.f
Fons pro vaporibus. 45.f.93.d
Fontes bituminis. 108.b
Formare quid. 101.b
Fortis pro belligerante. 148.e
Formatio hominis ex limo. 46.d
Frater vſurpatur pro proximo. 106.b
Fratres apud Hebræos ducebant vxores fratrum, qui ſine liberis defuncti eſſent. 123.a
in Fronte non in corde legem geſtabant Iudæi. 135.c
Fruſtum funis quomodo in ſerpentem euaſerit. 36.d
Fructus pro arbore ponitur. 121.b
Fructus ventris. 168.e
Fructus pro virtute. 100.c
Frumentum pluribus modis acceptum. 230.e
Fundamenta terræ, quæ. 16.e
Fundamenta terræ nulla. 231.c
Funis paupertatis. 227.a
Furti cauſa. 202.d
Futuris pro præſentibus vtuntur Hebræi. 132.d
Futuro pro præterito Hebræi vtuntur. 188.b

G

Gaudia in ſacris litteris, quid. 206.c
Gaudium hypocritæ, inſtar puncti. 209.f
Gehenna damnatorum locus. 122.f
Gehon non eſſe Nilum deprehenditur. 55.e
Genealogiæ primæ. 1.f
Generatio pro familia. 149.d
Generatio omnis per Solem. 19.e
Generationis nomen vnde ductum. 93.b.c
Genere neutro carent Hebræi. 99.c
Geneſis liber cur ſic dictus. 44.e.86.d
Gentes in terra primæ. 5.a
Geon fluuius. 96.c
Gigas varie acceptum. 107.d
Gigantes quaſi gigentis. 103.c
Gigantis per excellentiam dicuntur fortes. 204.b
Gigãtes incubes & ſuccubes fuiſſe volunt nonulli. 103.b
Gigantes non eſſe dæmones, vt quidam volunt. 103.b
Gigantes qui fuerint. 103.c
Gigantes cur ſublati. 103.f
Gladius flammeus & verſatilis. 76.c
Gladius iniquitatum vltor. 209.f
Gladius verſatilis. 99.c
Gloria impiorum vaniſſima. 210.a
Gomer menſura. 137.a
Gopher ligni leuiſſimi nomen. 154.c
γραμματεὺς Scriba. 154.c
Græci omnium gentium nouiſſimi. 5.a
Græcia Hebræis Iauan. 107.b
Græcorum & Hebræorum de Chao opinio. 88.d
Gratia pro miſericordia. 154.b
Grauitas pro omni exceſſu. 114.b
Grauium, principium. 36.a
Gryphus fabuloſus. 144.e
Gurguſtium, quid. 236.e
Guſtus pro perſuaſione. 192.e

H

Habitaculum iuſtitiæ, anima. 194.f
Habitaculũ, Tentoriũ, & Tabernaculũ idẽ. 153.a
Habitatio ferarum. 207.f
Hæreſeon omnium principium. 235.d
Hæretici Deum in homine formando Angelos allocutũ falſo exiſtimant. 91.a
Hæretici Dathan & Abiron conferuntur. 170.b
Haiah verbum quid. 11.b
Halitus pro ſpiritu. 208.f
Hammon corniger Aegyptiorum. 165.e
ad Hariolos & magos non declinandum. 146.e
עפר Hebræis quid. 6.f
על præpoſitio variè ſignificat. 120.b
Hebdomas dierum quid. 118.c
Hebraica lingua antiquiſſima. 22.a
Hebraica lingua an prima. 97.c
Hebræi exiſtimant Iob male de ꝓuidentia ſenſiſſe. 188.a
Hebræi futuris pro præteritis imperfectis vtuntur. 93.e
Hebræi, & comparatiuo, & ſuperlatiuo carent. 98.d
Hebræi neutro genere carent. 99.c
Hebræi vnde dicti. 111.a

Hebræi multa in Aſtrologiam referunt, à ſacris litteris alieniſſima. 188.b
Hebræi non ſolum feri, ſed & imperiti. 40.a
Hebræi ſuperſtitioſi. 36.d
Hebræi non habent plura annorum genera, contra quorundam ſomnia. 101.c
Hebræi falluntur Abram in fornacem coniectum. 109.c
Hebræi omnium nationum imperitiſſimi. 169.e
Hebræi cur plerumque nomen plurale cum verbo ſingulari coniugant dicentes dij creauit. 87.d
Hebræis cur præceptum vt lactucis agreſtibus vterentur. 134.d
Hebraica ſcriptura an deprauata. 98.f
Hebraicæ linguæ proprium. 106.e
Hebræus quid. 111.b
Hebraiſmus eſt contra faciem, & ſuper faciem. 88.f
Heden regio paradiſi. 95.b
Heden cur ſic dicta. 94.d
Heden proprium loci. 94.b
Heliopolis ante aduentum Hebræorum in Aegytum condita. 129.d
Henac filij. 155.d
Herba cur plantis priores. 29.b
ab Herbis vnum efflagitatur. 29.d
Hernioſus quid. 147.a
Heroes & Semidei homines dicebantur. 82.f
Hexaplum Origenis cur ab eo conſcriptum. 240.e
Hieronymus lapſus. 104.a
Hieruſalem. 111.d
Hyacinthꝰ coloris cerulei eſt et odore laudatiſſimo. 139.c
Hyle quid. 6.d
quid Hieronymum ad nouam editionem impulit. 85.a
Hircoceruus. 171.e
Hiſtoriam ceti refert Procopius. 189.a
Holam, æternitatem & mundum ſignificat. 13.b
Holocauſtum ſempiternum. 162.e
Homicida ſecundus, quis. 100.e
Homicida quis. 165.d
Hominem naſci ſine corde quid. 198.a
Homines extremæ paupertatis deſignantur. 216.f
Homines primi vbi terrarum habitauerint. 22.d
Homines ſoli vos eſtis, duos habet ſenſus. 198.c
Homines non eſſe immortales creatos, &. 73.a
Homines terrigenæ. 93.e
Homines primi cur vitam in plures annos quam nos ꝓtraxerint. 95.c
Homœmeria Anaxagora quid. 8.b
Hominis & hominis Chriſtiani diſcrimen. 184.e
Hominis nomine vocati ſunt primi parentes. 60.c
Hominis primi nomina duo. 46.f
Hominis formatio. 46.d
Hominis mirabilis creatio. 43.c
Hominis impij ruina proponitur. 207.f
Hominis varia etymologia. 91.e
Hominis primi pulchritudo. 40.e
Hominum tria genera in principio fuerunt. 41.e
Homo Adam. 91.e
Homo ad laborem naſcitur. 191.d
Homo creatus mortalis. 48.d.57.f
Homo cum naſcitur, aſino ſimillimus, cur. 198.a
Homo cum naſcitur ſecum adfert peccandi cauſas. 199.d
Homo iuſtus deſcribitur. 182.f.183.a
Homo probatur factus ad imaginem, nō Angeli. 40.b.c
Homo pro maſculo. 188.c
Homo, quando inchoatur, monſtrum. 3.c
Homo quomodo in vtero formetur. 197.a
Homo omnium reeum dominus. 38.b
Homo in nullam ſe poteſt vertere figuram. 62.d
Homo duplex ponitur. 38.e
Homo à quibus gignitur. 18.d
Homo, ratio, intellectus, mens. 91.c
Homo omnium rerum creatarum dominus. 38.b
Homo diuinitatis particeps. 38.b
Homo primus vbi creatus. 16.b
Homo poſt omnia creatus. 8.f
Homo creatus miles. 42.c
Homo caput mulieris oſtenditur. 71.e
Homo in quo differat à brutis animantibus. 39.c
Homo immortalis aſſeritur. 38.a
Homo primus creatus in paradiſo. 48.b
Homo eſt planta celeſtis. 39.d
Homo imago verbi. 39.e
Homo ad imaginem Dei factus. 39.f.91.c
Homo per negationem creatus. 45.e
Horror viſionis. 190.c
Hoſpitalitatem ſuam Iob prædicat. 222.a
Hoſtia & pro peccato & delicto offertur. 143.f
Hoſtia maris, quid, & quæ. 17.b.231.e
Hoſtia mortis, vbi. 232.c
Humani generis prima poſt diluuium propagatio. 107.a
Humanitas quantum Deo grata. 174.c
Humanitas commendatur. 174.d
Humanitatis verum exemplum. 193.b
Humor terreſtris quomodo in medullas, & ſuccum vitalem arborum vertatur. 36.f
Humor & calor duo rerum principia. 10.b
Humus pro terra. 167.c
Hus, patria Iob, & à quo nominata. 183.b
Hyades ſucculæ dictæ. 195.e
Hyle ſeu materia prima philoſophorū eſt inuentū. 88.e
Hyle terrenarum rerum omnium principium. 6.d
Hymber quid. 45.f
Hypocritam regnare cur Deus permittat. 225.d
Hypocrita pro impio ponitur. 205.f

I

IAphet quis. 103.d
Ibex caprarum genus mirandæ pernicitatis. 234.b
Ibicum hiſtoria. ibid.
Idea idearum, quæ. 49.e
Idololatræ lapidari iubebantur. 172.e
Idololatria quorundam. 43.c
Idolum & ſimilitudo quid differant. 137.f
Iebuſalem. 111.e
Iethro ſacerdos Madian. 130.c
Iehoua nomen cur verſum non ſit. 93.c
per Ignem filios facere tranſire, quid. 145.f
Ignis Deo ſimilis. 153.b
Ignis duplex. 211.e
Ignis in ſilice & ferro ineſt. 13.f
Ignis vnde. 13.e.f.31.a
Ignorantia Hebræorum. 139.d
Ilus quid. 6.d
ad Imaginem, & ad ſimilitudinem, an idem. 91.e
ad Imaginem Dei homo factus. 39.f
Imagines vnius alicuius rei tres ſunt. 40.d
Imago verbi, homo. 39.e
Imago Dei qua homo eſt præditus, fit vt ſit omnium animantium dominus. 41.c
Imbecillitas humana non poteſt penetrare ad myſteria diuinæ ſapientiæ. 238.a

Immanitas Gigantum. 103.f
Immobilem fieri pro obmuteſcere poſitum. 136.c
Immortalitas præmium maximum. 42.c
Immunda non comedenda. 171.d
Immutatio pro tranſitu & morte. 199.f
Imperium Dei. 195.c
Imperium hominis in omnes animantes, vnde. 41.c
Imperium Romanum prædictum. 161.b
Imperfectio hominum declaratur. 191.e
Impius, viſioni nocturnæ comparatur. 210.d
Implere pro conſecrari. 140.b
Implere Hebræis quomodo accipiatur. 164.a
Implere pro ſacrificare ſumitur. 140 c
Improbitas ſcirpo comparata. 195.a
In pro cum ſumitur. 74.d
Inchoho verbum, vnde dictum. 5.f
Incidetis, quid. 171.c
Incircunciſus labijs. 132.f
Inferi loci qui. 194.c
Infernarum ſedium deſcriptio. 62.f
Infernus pro ſepulchro, foſſa. 122.e
Infernus quid. 197.f.206.d
Initia indigeſta & informia poſt nihil. 18.c
Ingenium latinis Spiritus. 15.b
Iniquitas de puluere non egreditur. 191.d
Iniquitatem minimè declinandum. 217.e
Initium quid. 43.a
Innocentiam ſuam Iob comprobat. 209.e
Innocentia quando amiſſa. 53.e
Inopia. 218.f
Inſcriptio librorum apud Hebræos triplex. 86.b
per Inſomnium monentur homines, vt caueant ab opere nefario. 224.a
Inſpiratio Dei in Adam. 51.c
Inſtituta eccleſiæ vniuerſa ex libris veteris teſtamenti de ſumpta. 150.f
Inſulæ à quibus nomina accepere. 1.b
Inſulſum comedere. 192.e
Intellectus pro viſu. 67.a
Interitus hominum declaratur. 190.f
Interitus pro poſt, vel retro poſitum. 130.d
Interpretatio paradiſi myſtica. 94.f
Interrogatio Dei ad Adam facta ad quid. 68.f
Inuehitur in eos, qui in Bliblia nouas moliuntur interpretationes. 162.b
Interrogatio in ſacris litteris datur Deo. 186.c
Interrogatio pro negatione. 196.f
Inuidia Diaboli in hominem. 62.a
Inuidia leænæ nomine deſignatur. 190.b
Inuidia omnia deſtruuntur. 191.f
Ioannes an in paradiſſum tranſlatus. 95.f
Iob arguitur loquacitatis. 200.b
Iob an verè extiterit. 183.f
Iob futurus cū Deo ī iudicio, duo poſtulat vt ei det. 199.c
Iob ſimplex & perfectus dictus eſt. 184.b
Iob dicit ſe ſcopum. 204.a
Iob faci comparatus. 198.c
Iob poſitus in prouerbium & fabulam. 205.e
Iob poſtulat ſibi dari vadimonium. 205.a
Iob Arabs erat, & Iſmaelita. 215.f
Iob tria proponit vt attentè audiatur. 215.a
Iob vnde genus duxerit. 183.a
Iob ſe dicit mare eſſe. 194.c
Iob ante Moſen vixit. 4.f.14.f
Iobileus, remiſſio. 147.e
Ionia vnde ſumpſit ſuam appellationem. 106.f
Ioſeph ab Aegyptijs Deus habitus. 128.c
Ioſue nominis deprauatio. 155.b
Ioſue vt luna ſtatuitur. 162.d
quē Iouē dicunt poetæ, ſacra lingua vertit Iehoua. 73.a
Ira Dei. 192.c
Iris an fuerit etiam ante diluuium. 106.c
Ironia in ſacris litteris. 75.b
Irruere in pupillum. 193.e
Iſai pater Dauid, non Ieſſe. 125.e
Isha cur Eua vocata. 59.b
Iſmaelitæ Arabes. 56.a
Iſrael vnde dictus. 120.a
Iubilare quid. 165.f
Iubilæus vnde dictus. 165.e
Iudæorum pertinacia de Trinitate. 38.f
Iudæorum commentum. 91.b
Iudicare pro proſpicere. 228.c
Iudices dij dicuntur. 138.b
Iudicia doloris ingentis. 199.c
Iudiciaria fallax. 32.e
Iudiciorum Dei profunditas. 213.b
Iudicium Dei formidabile & tremendum. 69.a
Iudicium Iob, quid. 199.d
Iuge ſacrificium. 140.c
Iumenta de quibus dicuntur. 32.e
Iumenta & beſtiæ quomodo differunt. 37.e
Iuramenti ratio. 137.b
Iuramentum per Deos externos non debet fieri. 138.f
Iuraturi cur olim manum ſub forma ponerent. 116.c
Iurare per cęlum quid. 137.b
Iurauit pro placuit. 130.c
Iuſtis mala cur irrogentur. 195.a
Iuſtitia perire non poteſt. 190.b
Iuſtitia quid. 112.b
Iuſtitiæ partes duæ. 184.e.115.a
Iuſtum ſe prędicat. 17.f.220.b
Iuſtus quis in litteris ſacris. 112.b
Ixon animal quaſi incognitum. 171.f

K

KAchas vox Hebræa, quid. 203.e
Kain ſecundus homo vbi habitare cęperit. 54.d
Kamererim nomen. 188.d

L

LAbium. 141.f
Labor Tharach. 166.f
Lachrymas ſuas proſequitur Iob. 205.f
Lactantij error in ſupputatione annorum mundi. 160.f
Lactucæ agreſtes, de oībus herbis amaris dicūtur. 134.a
Lacus Generareth. 165.c
Lætitia iuſtorum interitus eſt impiorum. 195.b
Lapides pretioſi vnde. 13.f
Lapides pretioſi vai optimi naſcuntur. 59.b
Lapillorum nominibus mira interpretum diſcrepantia. 97.a
Lapſus genuum vnde. 205.e
Lapſus Hieronymi. 104.a
Laqueus animæ. 198.a
Latrones, calamitates. 208.d
Latronum genera duo. 191.d
Latus, quomodo accipiatur. 60.a.b
Laus impiorum breuis. 210.a.b
Laudes de Sabbatho. 43.e.f

Laurea qua homo coronandus, ſi non peccaſſet. 42.c
Leges mari præſcriptæ. 17.a
Leges duæ Adæ datæ. 72.a
Leges duæ datæ primis parentibus. 58.d
Leges multæ diuinæ varijs temporibus ſatæ. 72.a
Leones rugientes pro Superbia. 190.b
Lepræ & non lepræ quibus datum iudicium. 172.f
Lepus Romanis cuniculus. 144.e
Leuiathan priſcis ingens eſt, quem alibi cetim nominant. 36.c.236.b
Leuiathan pro dracone. 56.b
Leuiathan quid. 188.f
Leuita non officij nomen. 149.b
Leuitarum officium. 149.e
Leuitis cur pilos radere præcipiebatur. 152.d
Leuium omnium principium. 36.a
Liber Geneſis cur inſcriptus. 86.d
Liber Iob à Moyſæ inſcriptus. 86.d
Liber Iob quare obſcurus. 182.e
Liæ vxoris Iacob habitus. 128.b
Librare quid. 17.b
Libri cabalæ Eſdræ tempore æditi. 108.a
Librorum ſacrorum authoritas. 1.c
Limen pro pelui ſumptum. 135.a
Lingua cur moderanda. 197.f
Lingua Hebræa locutum Adam. 59.f
Lingua Hebraica cur ſancta vocetur. 97.d
Lingua ſancta. 114.c
Lingua ſanctitatis. 176.a
Lingua Hebræa tempore 70. carebat punctis. 112.d
Linguarum diuerſitas quando cœpta. 22.a
Linguarum diuiſio. 108.a
Ligna Hebræi arbores vocant. 96.f
Lignum pro arbore. 98.c.192.b
Lignum vitę, beatitudo. 52.b
Lignum vitæ quomodo ſit intelligendum. 58.f.59.a
Lignum vitæ quid. 52.b
ex Limo formatus homo. 46.e
ex Limo omnia creata. 6.f
Limus pro terra tractabili & verſatili. 17.a
Litterarum ſacrarum veritas earumque antiquitas. 1.e
Loci tres in deſcriptione paradiſi inducuntur. 54.a
Loci in quibus cometæ gignuntur, duo. 46.b
Locorum deſcriptiones, duo arguere ſolent. 49.a.b
Locus, quomodo teſtis dicatur. 211.f
Locus in quo paradiſus erat adhuc extat. 95.f
Longæuitas hominum vnde. 29.f
Longanimis dominus. 155.f
Loquendi modi Deo artributi. 23.d
Loqui ſi cęperint, duos ſenſus habet. 189.f
Loquitur Deus quomodo. 20.d
Lucis munus. 21.c
Lucis termini. 22.c
Lucis creatio quid. 21.c
Pro Luctu ſuo eſt Leuiatha. 188.f
Lumina puriſſima vnde orta. 31.b
Luna aquarum regina. 21.f
Lunæ defectus. 216.f
Luna cur ſole maior appareat. 34.e
Luna temporum index. 32.e
Luna luminare minus. 34.e
Luna temporum confectrix. 19.e
Lutherus confeſſionem tollit. 150.f.151.a
Lux origo mundi. 21.f
Lux poſt terras primo creata. 17.e
Lux quid. 190.e
Lux & ſol idem. 18.e
Lux regnum eſt gignendarum cauſa. ibid.
Lux quare reperta. 21.f
Lux pro ſole vſurpatur. 21.a
Lux ante omnia reperta. 21.f
Lux variè accipitur. 206.f.207.a
Lux vrbis nomen. 118.a
λυτρα quid. 150.a

M

Macedonum victoria. 161.b
Maceria & repagulum idem. 123.e
Medianitæ & Cuſſei ſunt ijdem. 57.a
Madianitæ Arabes. 56.a
Magi tres Sabæi. 107.c
Magi vitandi. 146.e
Magorum patria. Babylonia, Chaldæa, Perſia. 56.c
Magnitudo diuinitatis Dei oſtenditur. 16.c
Μακρόθυμος. 155.f
Μαλακία, 168.f
Mala cur iuſtis irrogantur. 195.a
Mala in Deum non in aſtra referenda. 191.e
Maledicere diem natiuitatis ſuæ, quid. 188.a
Maledicere quid. 72.f
Maledicere verbum abhorret ſcriptura. 188.a
Maledictio Dei in terram vnde. 105.d
Maledictio domini, quæ. 174.c
Maledictio ſerpentis duas maximas ſpargit ambages. 70.b
Maledictio mulieris 81.c. in quo poſita. 98.f
Maledictio q̄ uētura populo nō obtēperāti legi. 73.d.74.b
Maledictiones duæ. 70.c
Maledictus quis. 174.c
Mali cognitio, vnde. 53.a
Malorum genera duo. 216.b
Malum cur in ore dulce. 210.f
in Malum multipliciter dicitur. 65.f.66.a
Malus ſeruatur in diem perditionis. 213.d
Mandragoræ. 118.d
Mane vnde dictum. 22.f
Mane ante diem, effectumque à Sole. 22.e
Manibus lux abſcondita. 228.c
Manichæorum error de creatione. 21.a
Manna etiam hodie reperitur. 136.f
Manna cur inane vocatum. 159.b
Manna vnde ductum. 136.f
Manna bdellio ſimile. 154.a
Manna ad multitudines aptum. 136.f
Manu excelſa peccare. 156.d
Manum inuenire aliquid, quid ſit. 151.f
Manum Dei non abbreuiari quid. 154.d
Manus pro
  Audacia. 156.d
  Facultate & potentia. 151.f.154.c
  Flagello. 215.a
  Iuramento. 137.a
  Operibus. 189.f.196.e
  Perſecutione. 223.d
  Ramo. 202.f
  Rapacitate. 210.f
Manus valida quid. 132.a.194.f
Maræ aquæ totius ſedimentum. 28.b
Mare quomodo efficitur. 27.b
Mare rubrum Hebr. dicitur non rubrum, ſed caricoſum, ſeu papyroſum. 136.a
Mare rubrum vento exſiccatum. 89.a

INDEX.

Mare quomodo falſum effectum. 28.a.b
Mare cur moueatur etiam ſine ventis. 29.a
Mare terreſtre & cæleſte. 27.a
Mare nouiſſimum quod dicatur. 170.d
Margaritum ſine vino vbi naſcatur. 56.d
Maria vnde dicta. 136.d
Mari Iob comparatur. 194.c
Maris æternitas refutatur contra Ariſtotelem. 27.f
Maris & terræ exhalatio. 233.a
Maris etymon. 28.f
Maritus deſyderium vocatur. 72.d
Materiæ primæ nomina. 11.d
Materiæ primæ, duæ. 11.d.e
Materies omnium Stirpium in terra. 29.f
Mazaroth quid. 233.c
Meliora quæ. 37.f
Melchiſedech quis fuerit. 111.d
Membra poſita pro animi cogitationibus. 205.e
Membrum nullum, quod non prouidentia vniuerſali conſtructum. 197.d
Memoria cineri comparatur. 199.b
Mendacia duo in Serpente ad mulierem decipiendam. 65.b
Mendacium triplex monſtratur fuiſſe in ſerpente ad mulierem decipiendam. 65.a
Menſes vacuos habere. 194.a
Mens prima. 91.d
Mens pro Dei filio. 15.a
Mens pro corde. 163.f
Mens imago, & ſimilitudo diuina. 38.b
Mentis domicilium in corpore, vbi. 47.b
Mentis diuerſæ acceptiones. 38.b.c.d
Mercenarij dies. 199.e
Merces ſceleratorum. 218.e
Mererim nomen duobus modis accipi poteſt. 188.e
Mercurius Moyſi contemporaneus, & ideo inſcribendo, pene conſentaneus. 88.a
Mercurius Triſmegiſtus Aegyptiorum propheta. 159.e
Mercurius Triſmegiſtus in filio Dei omnia eſſe pronunciauit. 86.f
Mercurius Triſmegiſtus de rerum creatione multa ſcripta reliquit. 5.a
Mercurius Triſmegiſtus philoſophiæ Aegyptiæ antiſtes. 8.b
Meridies pro eremo, & deſerto. 155.b
Meriri dæmonis nomen. 178.e
Meſopotamia, & Armenia primæ hominibus habitatæ. 36.f
Meſopotamia, Aram. 159.d
Meſopotamia, & Armenia idem. 54.c
Meſopotamiæ, Arabiæ, & Syriæ affinitas. 57.c
Meſopotamiæ vbertas. 51.b
Meſſani Vſitæ. 56.e
Meſſias prædicitur. ibid.a
Meſſias Hebræis Shaliac, id eſt miſſus dicitur. 127.c
Mezentij error, dexteram ſuam Deum appellans. 226.e
Milites cæleſtes, qui. 216.b
Militia cæli quid. 92.f
Militia multiplex. 193.f
Militia pro tentatione. 53.b
Militia pro multitudine. 148.f
Mirabilia facere. 195.f
Miracula Dei. 228.f
Miracula quibus maieſtas comprobatur. 219.c
Miraculum apparet in fulmine. 228.f
Miraculum Dei. 16.a
Miſeriæ hominum, quæ. 199.d
Miſeriæ mulieri inditæ poſt lapſum. 71.f
Miſeriæ omnes quando patefactæ. 68.f
Mitte quem miſſurus es, non poſſe Chriſto tribui. 137.b
Mna, vox Hebræa, & quid ſignificet. 119.b
Mizraim Aegyptus. 107.a
Mærores, tenebræ dicuntur. 206.c
Modius. 137.a
ſuper Molam non fœnerandum. 175.b
Moloch vnde deductum. 145.e.f
Moloch idolum. 145.e
Moly flos. 52.b
More locus in quo Deus Abraham apparuit. 109.e
Mors primogenita quid. 207.d
Mortalitatis iudex. 152.e
Mortalium interitus declaratur. 190.d
Morte morieris, quomodo intelligendum. 58.e
in Morte omnium eadem conditio. 189.b
Mortis immaturæ duæ ſimilitudines. 203.a
Mortui cur viuis prælati. 188.b
Mortuorum reſurrectio prædicatur. 199.f
Moſes vt ſol ſtatuitur. 162.d
Moſes ſepultus à domino per Angelorum manus. 180.b
Moſes cur ſic vocatus. 130.c
Moſes verè Deum allocutus eſt. 152.b
Moſes cur de rebus ſpiritualibus non loquitur. 51.c
Moſis vxores. 154.e
Moſis benedictiones. 73.c
Moſis ſapientia. 4.a
Moſis peccatum ad aquas. 158.f
Motus diuinus, volatio dicta eſt. 76.d
Mulcta tranſgredientium. 174.f
Mulier Apollinari duobus nominibus vocata. 59.c
Mulus ἡμίονος, ſemiaſinus. 109.f
Mulier quando creata. 58.c
Mulier & corpore, & nomine à viro ducta. 97.c
Mulierem ſeptima die creatam aiunt nonnulli. 44.a
Mulieris maledictio quæ. 70.f
Mulorum inuentor. 121.e
Mundanæ creationis cognitio fuit ante & poſt Moſen penes gentes. 4.e
Mundicia & puritas pro Iuſtitia. 115.a
Mundi creationem Moyſes primus docuit. 1.b
Mundi Chaldæi ſeptem. 89.f
Mundi non potuiſſe eſſe æternum oſtenditur. 2.b
Mundum creatum, & diſſolubilem. 44.e
Mundum quis primò Κόσμον vocauit. 20.c.21.b
Mundum principium habuiſſe conſtat. 1.b
Mundum ſex millibus annorum duraturum. 160.e
Mundus à Deo procreatus. 87.b
Mundus intellectualis, verbum Dei eſt creantis. 15.c
Mundus propter hominem factus. 9.d
Mundus vnde dictus. 5.f
Mundus ſumitur pro omni genere beſtiarum noxiarum 133.c
Muſſar vox hebraica, duo habet ſignificata. 224.f
Mutilum Deo minime offerendum. 147.b
Mygale quid verè ſit ignoratur. 145.a
Myſteria non fieri ſine Dei præſentia. 68.c
Myſtica paradiſi interpretatio improbatur. 94.f

N

NAbaiot. 117.a
Nabaiot qui à nobis Nabathæi. 107.c
Nabathæi. 56.f
Nata cuncta cur à Deo conſeruantur. 199.d
Nathan ad Dauid propter ſcelus commiſſum. 69.b
Nati nunquam, cur & mortuis, & viuis prælati. 188.b
Naturæ miraculum. 234.b
Naturæ mira varietas. ibid.
Naturæ varietas declaratur. 219.a
Natura hominis narratur contemptibilis. 194.d
Natura humana in duo partita. 68.a
Natura diffinitur. 30.c
Natura rerum quid. 30.e
Naturæ meliores. 30.b
Naues, poma portantes. 169.d
Nazaræi ſanctificati. 128.a
Nazarenus. 151.c
Nazareus, ſanctus. ibid.
Necromantia quid. 173.c
Nectar aut neoctar vnde dictum. 51.e
Nembroth nomen corruptum. 107.d
Nemoribus dij delectari opinabantur. 170.e
Nepente quid. 52.b
Nephilim filij. 155.e
Nephtalim quid. 179.e
Neruus quid. 120.a
Nihil ante omnia fuit. 18.c
Nihil in terris fit ſine cauſa. 191.d
ſuper Nihilo terra fundata. 16.b
Nili fluuij nomen vnde deductum. 55.b
Nilus fluuius. 96.c.134.a
Ninive. 94.d
Noach quis. 102.a.103.d
ex Nocte omnia gigni Theologi Græcorum aſſerũt. 8.d
ſine Nocte in mundo nihil eſſe poſſe. 21.d.e
Noctis commoda. 21.d
Nomen quatuor litterarum, Deus. 62.a
Nomina antiquiſſimorum hominum ex lingua hebraica deſumpta. 22.a.b
Nomina diuina duo. 120.e.121.c
Nomina ab aliqua proprietate rebus impoſita. 153.a
Nomina filiorum Iob. 238.d
Nomina primum terris indita. 2.b
Nomina, & etymologiæ primorum hominum vnde. 22.a
Nomina rebus indita iuxta ſuas proprietates. 27.c
Nomina dua hominis primi. 46.f
Nomina rebus ſecundum naturam impoſita. 59.f
Nomina animalibus ab Adam indita. 59.b.c
Nomina diaboli quot, tot nocendi artes. 63.a.d
Notus ventus vnde oriatur. 149.c
Nouiſſimi dies, qui dicantur. 160.e
Nox natiuitatis Iob. 188.a.c
Nox prior die. 8.e
Nubes vtres vocatæ. 233.f
Nuditas pro ruina. 67.d
Nuditatis cognitio quid. 53.e.67.e
Numam & Minoa ficte. 152.b
Numerus binarius cur infauſtus. 90.a
Numerus ſeptenarius. 191.f
Numinis aduentu fit ventus. 190.c
Nuncupatio cæli duplex. 23.a.24.c
Nuncupationes rerum, partim diuinæ, partim humanæ. 19.e
Nunquid rugiet. 192.d
Nuptiæ ante caſum præcepta. 42.f
Nutus Dei locutio appellatur. 195.d

O

OBeliſcus quid. 90.e
Olatio ex omni frugum genere maturo fiebat. 143.a
Oblatio apud Hebræos quid. 99.f
Oblatus. 148.c
Oceanus cur ſit vocatus. 29.a
Oculi pro mente. 66.b
Oculorum caligo vnde. 206.a
Oculorum primorum parentum apertio. 67.f
Oculos habere clauſos, ſiue apertos, quid ſignificet. 66.b
Omnia à Sole naſcuntur, & viuunt. 19.f.20.a
Omnia hominis cauſa reperta. 37.f
Onager aſinus ſylueſtris. 234.b.c
Onager quibus regionibus aſſuetus. 192.d
Onocrotalus pelicanus. 144.f
Onychini lapidis color. 97.a
Onyx radix candens. 140.d
Ophyr Indiæ, regio ferax auri. 220.e
Ophiomacus, pugnam cum ſerpentibus committit. 145.a
Opinio quorundam de mundi æternitate refellitur. 44.e
Opinio Iuliani Imperatoris de Sole. 46.e
Opiniones multæ & diuerſæ de paradiſo. 49.50.
Opiniones veriores quæ. 2.e
Opera mea, quid. 196.e
Opera omnia mundi quibuſdam mala. 21.a
Operationes obſcuræ ex notis cognoſci. 47.b
Operationis principium. 189.e
Opes humanæ minimè admirandæ. 193.d
Opes impij, ad quorum manus venturæ. 191.d
ab Oppreſſione aliena temperandum. 167.f
Opus ſeruile. 163.a
Opus primum in terris. 13.c
Opus Dei quod. 44.b
Opus laudat opificem. 231.c.d
Or pro Sole, & maor pro Luna. 19.d.e
Oraculum, quid. 66.d
Orbis, Lux & Sol idem. 17.f
Orbis cæleſtis natura. 43.b
Orbis ſydereus, & cæleſtis ſuper aquas poſitus. 17.c. 18.a
Ordo rerum procreandarum. 43.b
Ordines duo rerum natarum. 30.e.f
Ordines cæleſtes, qui. 216.f
Ordo rerum creatarnm. 30.f
Ordo & natura rerum creatarum. 9.d
quo Ore Deus locutus ſit primo parenti. 58.b.c
Oriens in ſacris litteris quid. 54.a
Orientis pars duplex. 54.d
Orientis regio primum habitata. 54.e
Origo hominis à cælo. 39.d
Origo & author rerum ſupernarum, & infernarum. 30.e
Origo rerum omnium vnde. 9.d.14.b.231.f
Origo rerum, Deus. 30.c
Orion Archophilax dicitur. 195.e
Orion ſignum cæleſte. 233.e

Ornatus cæli. 92.f
Orpheus duo rerum omnium ponit magna principia. 10.b
Orpheus propheta apud Græcos. 159.e
Ortus non ſemper idem. 232.d
Oryx quid. 171.e
Oſtende mihi faciem tuam quomodo intelligendum. 141.b
Otium primæ mulieris, ſui lapſus cauſa fuit. 64.d
Ouum ſine ſale. 192.e

P

Pacis ſignificata. 138.a
Padus fluuius, vnde ortus. 54.f
Padus fluuius. 96.b
Pactum Laban cum Iacob decies mutatum. 119.b.c
παλαιὸς λόγος. 201.e
Palmæ ſe comparat Iob. 220.c
Panis omne id quo veſcimur. 170.a
Panis propoſitionis, panes facierum. 139.e
Panis azymus cur Hebræis præcipitur. 134.d
Panis ſacrificij. 162.f
Paleg diuiſio. 107.f
Paludes exhauſtæ. 28.c
Papyrio quid. 130.b
Parce mihi, pro relinque. 194.c
Paradiſum eſſe cælum improbatur. 95.a
Paradiſum fertiliſſimum fuiſſe probatur. 57.b
Paradiſum non fuiſſe locum immortalem. 48.b
Paradiſum in noſtro orbe ſitam monſtratur. 95.b
Paradiſum inique quidam conſtituunt in monte Caucaſo. 55.b.c
Paradiſus in Hedem. 94.a
Paradiſus probatur terreſtris. 50.a
Paradiſus terreſtris vbi. 36.f
Paradiſus terreſtris, & quæcunque in eo terreſtria. 52.a
Paradiſus an ſenſibilis. 49.d
Paradiſus cabaliſticus. 49.d.e
Paradiſus deſcribitur. 96.a
Paradiſus vbi ſita. 94.d
Paradiſus terreſtris. 47.f
Paradiſus vbi. 22.d
Paradiſus in Edem. 49.a
Paradiſus terreſtris & cæleſtis. 49.c.d
Paradiſus mortalitati obnoxius. 95.f
Paradiſus non ſita extra orbem noſtrum. 94.c
Paradiſus myſtice interpretatus. 94.e
Paradiſus myſticus. 49.b
Paradiſus vox Perſica. 94.b
Paradiſus diluuio euerſus. 95.f
Paradiſus vbi ſitus diſceptatur. 49.b
Paradiſus cur non inueniatur, cùm locus in quo ſitus erat extet. 95.f
Paradiſus Dei 95.c
Paradiſus an ante cælum & terram factus. 96.e
Pars hominis melior, quæ. 38.f
Pars improborum maledicta. 216.c
Particularia omnia corrumpuntur. 28.d
Partus atque conceptus deteſtatur. 189.c
Paſcare ſterilem. 216.d
Paſcha ſuum quo die celebrabant. 162.e
Paſcha varie interpretatur. 134.e
Pater, Filius rerum principia. 15.f
Pater pro primo principio rerum. 15.f
Pater Hebræis eſt princeps. 100.f
Pater mi, duobus modis exponitur. 226.a
patientia Iob laudatur. 224.e
patria Magorum. 56.c
patroni nulli ad Dei tribunal aderunt, qui cauſas dicant. 227.d
patruelis, patrui ſoror. 133.a
pauonum ſtoliditas. 234.e
peccandi cauſæ ſimul cum homine naſcuntur. 199.d
peccandi verbum duplicis eſt ſignificationis. 152.e
peccare manu excelſa. 156.d
peccare pro expiare. 152.e
peccata tria Adam perpetraſſe oſtenditur. 75.f
peccatum vnde. 174.f
peccatum pro expiatio. 191.d
peccatum ſequitur pœna. 74.b
peccatum Sodomiticum vnde. 202.d
peccatum in foribus eſſe quid. 100.a
peccatum Adæ intuliſſe nobis, animæ mortem & corporis. 58.c
peccatum quid. 157.f
peccatum à delicto differt. 143.f
peccatum Moſis, & Aaron ad aquas. 158.f
peccatum omne, ignorantia. 117.b
peccatum in pueris nullum. 75.d
peculiaris populus, quis. 168.d
pelles Hyacinthinæ. 139.c
pelles Hyacinthinæ Hebr. quæ dicantur. 150.b
pelles de animalibus, & arborum corticibus dici poſſunt. 74.f
pentateuchus à Moyſe conſcriptus. 86.b
pentateuchus tantum à 70. tranſlatus. 239.f
penna Struthionis. 234.c
percutere fœdus. 112.e
perfectio quid. 202.e
perfidia hominum oſtenditur. 193.b
periſcelides quid. 163.e
perizomata, ex ramis facta. 67.c
periſcelides à fœminalibus differunt. 143.e
peſec dicendum non phaſe. 134.d
perſonam accipere quid. 169.f
perſpicua omnia, aquea. 14.a
phanuel vnde formatum. 120.a
phares Hebraicè diuiſio. 123.e
pharo, locus vbi tralatio prima à 70. facta. 239.e
phaſe, nomen modis varijs corruptum eſt. 134.d
philon ſuarum literarum ignarus. 93.d
philon mundum creatum oſtendit. 4.b
philonis Iudæi laus. 39.b
philoſophandi genus corruptiſſimum. 83.e
philoſophia ab Eoïs ad Græcos. 5.a
philoſophia omnis, vbi. 195.c.d
philoſophi ſapientes per antiphraſim appellantur. 97.e
phiſon fluuius. 55.b.96.c
phiſon non eſſe Gangem probatur. 96.d
phiton vrbs quando condita. 129.d
phylateria. 156.e
τὸ φῶς ἡγεμονικὸν. 19.b
pietas ad Dei amorem ſpectat. 172.b
pietas Iob. 189.f.190.a
pietas omnium virtutum procreatrix. 83.e
pietas perire nequit. 190.a
pili mortalitatis indicium. 152.d
piſcis maximi nomina. 236.b
placentarum genera multa, quæ dijs offerebantur. 143.f

Plagarum Iob deſcriptio. 203.f
plantarum genera duo. 45.d
pleiades ſignum cæleſte. 233.b
pluere bellum, quid. 211.d
plutarchi error. 149.b
plutarchus de Dei ſapientia. 156.a
pluuia per negationem creata. 45.e
pluuiæ ſæpe dantur, & ad vtilitatem, & ad correctionem. 230.a
pluuiæ diffinitio. 45.f. 46.a
pœnarum genera omnia Iob deſcribuntur. 202.a.b
pœna, quæ Chain eſt damnatus. 100.d
pœna Chain prima & ſecunda. 100.c
pœnitendi verbum quid. 238.b
polluti qui. 150.f. 151.d
pollutus in anima quis. 150.f
polymita veſtis. 122.c
pomarij ducis Ferrarij deſcriptio. 50.f
ponere animam in manu. 199.c
pontus quid. 110.d
populus pro familia. 149.f
porcina carne cur iudæi non vtantur. 149.b
porphyrio omnium animalium formoſiſſimum. 144.f
porphyrius dictus impius. 98.a
porta pro vrbe. 175.d
portæ mortis, vbi. 232.c
portæ pro oppidis, & vrbibus. 171.a. 172.e
portantes orbem qui. 196.a
poteſtas Dei. 194.e
praſini lapidis color. 97.a
præceptum ſalis. 157.f
præmia malorum. 207.c
præmium animorum piorum. 38.f
præmium cæleſtium bonorum. 210.d
præmium impij. 218.d
præpoſitionis in, vis apud Hebræos. 86.e
præputium cordis quid. 169.f
præſides diei, & mortis duo ſtatuuntur. 34.d
præſtigijs diabolus delectatur. 173.c
primogenitus Hebræis, principium doloris eſt. 126.d
primordia rerum fœcundiſſima. 29.e
primogenitum, quid. 207.e
primitia quid. 158.a
primitiæ, oblationes. 158.a
à Principe malo omnia profecta dicebat Manichæus. 21.b
principia rerum, & elementa in principio, qualia. 17.a
principia tria rerum, platonicis. 15.f
in Principio, id eſt in filio. 86.e
principium rerum inuiſibile ſpiritus. 13.e
principium primum rerum. 14.e. Secundum. 15.f
priſci, cur in plures annos vitam propagarent. 95.c
probatio hominis varia. 193.f
probatio pro tentatione. 52.f
probare, arcanis artibus eſt ſecreta quærere. 63.e
probitas ſine ritibus eſſe non poteſt. 170.e
procopius de paradiſo. 94.b
πρόδρομοι ἱμέναι. 115.b
prodigium mirabile. 217.e
Prometheus ſummi Dei nomen. 46.f
propheta pro ſeruis. 190.d
prophetia viſio vacata. 112.f
prophetia quid. 155.a
prophetæ gentium idololatrarum. 159.e
prophetæ videntes nominati. 111.f
prophetiarum genera quinque. 154.f
proprietates Spiritus. 12.c.d
proprietates in Deo, duæ. 3.d
protelare vnde dictum. 268.a
prouidentia Dei magna. 21.e
prouidentia diuina falli non poteſt. 289.e
prouidentiæ magnæ argumentum. 235.c
prouidentiæ pars tertia. 191.f
pſalterium quo vtimur etſi non ſit à Hieronymo ex hebræo tranſlatum, eſt tamen ab eo Recorrectum. 85.b
pſalteriũ è Græco in Latinũ ab Hieronymo Romæ tranſlatum eſt. 85.c
pſalterium quo vtimur non eſt Hieronymi, ſed ſeptuaginta interpretum. 85.c
ptolomæi error de tranſitu maris rubri. 110.e
pudenda hebræis denudatio. 106.e
pudoris, & erubeſcentiæ occaſio. 53.e
puer pro ſeruo. 114.c
puluere in luctu caput aſpergebatur. 204.b
puluis pro terra. 16.d
pulchritudo primi hominis. 40.d
pulchrum & bonum hebræis idem. 102.d
ex Puluere non poterat formari homo. 46.f
punctis olim carebant hebræi. 112.d
phutiphar magiſter coquorum, aut militum. 121.f
pygargus. 171.e
pythia. 146.e
python Samuelis. 51.e
python. 146.e

Q

Quæſtio latitudinis terræ proponitur. 232.e
Quicquid in mundo eſt duplex eſt. 197.e
Qui eſt cur Dei nomen. 131.b
Quieuiſſe Deum quomodo intelligendum. 43.e
Qui eſt, Deus dicitur. 131.e

R

Rabioſi Moſis in Chriſtianos calumnia. 168.a
Rachabitarum præclarum exemplum. 13.b
Rachaph, id eſt incubatio, & agitatio. 89.b
Radices maris, quæ. 228.b
Radij ſolis, quantæ ſint virtutis. 33.f
Radio textoris vita comparata. 194.b
Rameſſes & Phiton vrbes quo tempore conditæ. 129.e
Rami pro filijs, vel membris corporis. 207.e
Rapaces onagris ſylueſtribus comparati. 215.e
Ratio de iuſtis & iniuſtis repetitur. 218.e
Rationes quibus mundi æternitatem quidam probare nituntur. 3.e
Ratio prouidentiæ viſionibus cognoſcitur. 191.e
Refugium miſerorum Deus. 198.e
Regio, quæ primo habitata. 54.e
Regio orientis feraciſſima. 50.f
Regiones, quæ adhuc retinent nomina eorum, qui eas habitarunt. 107.e
Regnum omnium vetuſtiſſimum. 1.e
Regnum cælorum vim pati quomodo intelligendum. 53.b
Rei vnius alicuius tres ſint imagines. 40.e
Repagulum Hieronymo quid. 223.e
Rephaim, Gigantes. 166.e
Repleuit carnem pro ea, exponitur. 161.e
Rerum tria principia: duo viſibilia, tertium inuiſibile. 13.b

Rerum

Rerum nuncupationes diuinæ & humanæ. 59.e
Rerum exordia duo. 5.c
Rerum confuſionem nullam fuiße ante mundum creatum. 5.d
Rerum gerendarum ſigna à Deo data ſunt. 229.c
Rerum primordia fœcundiſſima. 29.e
Rerum creatarum ordo & natura. 9.c
Rerum omnium principium terra & aqua. 26.b
Rerum cognoſcendarum ratio duplex. 9.c
Rerum parentes aquæ, quibuſdam. 9.b
Rerum natarum duo ordines. 30.e
Res duæ per nugationem creatæ. 45.e
Res cæleſtes, & terreſtres, quæ. 30.e
Res duæ vniuerſales aliarum effectrices. 10.b
Res humanæ. 191.f
Res impiorum proſperè ſuccedentes deſcribuntur. 212.d
Reſma vox vnde ſumpta. 122.d
Reſheph, quid. 191.e
Reſponſum ſuperbum Cain ad Deum. 69.a
Reſurrectio corporum. 209.e
Reſurrectio mortuorum. 199.f
Rex formidinum. 207.e
Rhodus inſula vnde dicta. 107.b
Ritus penè omnes quibus vtitur Eccleſia ex vetere deſumpti. 158.a
Romanæ vrbis excidium per Cæſarianos, anno 1527. 104.f
Romanos ab Eſaù deſcendiße aſſerunt Iudæi. 118.f
Romanum imperium. 161.b
Rubi ſub ſpecie Moſi Deus viſus eſt. 130.f
Ruina impij hominis abſoluta proponitur. 207.f

S

SAba duplex. 107.c
Sabæi Arabes. 193.b
Sabbati vna. 89.d
Sabbatum laudatur. 43.e
Sabbatum cur dicatur ſanctificatum. 44.b
Sabec varie ſumitur. 115.f
Saccus, vox Hebraica, Græca, & Latina. 122.e
Sacerdotes iudices appellantur. 138.b
Sacerdotes olim voluntarij. 185.b
Sacerdotes populi conſeruatores. 149.f
Sacrificium iuge. 140.c
Sacrificium. 162.f
Sacrificiorum genera multa. 170.f
Sagitta domini. 192.d
Sal cur omnibus adhibebatur, quæ Deo offerebantur. 157.f
Salem quibuſdam Hieruſalem. 111.e
Salſedo quomodo efficiatur. 28.b
Sanctificare quid. 185.c
Sanctificatio Sabbati qualis. 44.b
Sancti pro Angelis. 201.d
Sanctitatis lingua. 176.a
Sanguis qui eſt in pelui, non in limine dicendum. 135.a
Sanguis & anima idem hebræis. 105.f
Sanguis brutis anima. 105.f
x Sanguine fiunt reliqua corporis partes. 18.c
Sanitas & dolor à Domino. 192.c
Sapientia ab eo deeſt, qui amici non miſeretur. 193.a
Sapientia ante mare & Abyſſum. 17.b
Sapientia cur in quibuſdam moritur. 198.e
Sapientia Dei miranda oſtenditur. 200.c
Sapientia idem quod ſpiritus. 14.d
Sapientia in omni creatione Deo ſocia. 16.a
Sapientia Moſis. 4.b
Sapientia nihil pretioſius. 220.b
Sapientia omni motu velocior. 14.e
Sapientia ſæpe rebus aduerſis comparatur. 227.a
Sapientia Salomoni pro ligno vitæ. 52.b
Sapientes æquiuoce philoſophi dicuntur. 97.e
Sapientibus ſolis data terra eſt. 201.e
Sartaginis vſus in ſanctuario. 143.a
Sata tria. 113.f
Satan in diuinis litteris, quis. 62.e
Satan aduerſarius. 159.f
Satietas violentiæ mater. 184.f
Scelera maxima duo, omnium aliorum principia, quæ ſe vitaſſe Iob dicit. 204.c
Scelerum fontes vbi. 191.d
Scelus primorum parentum omnia incommoda inuexit. 72.e
Scelus ſuum duobus modis fatetur homo primus. 69.e
Sebenitæ Arabes. 56.a
Schiſmatici Dathan & Abiron conferuntur. 170.b
Scientia idem, quod intellectus. 14.c.d
Scientia boni & mali quid. 75.c
Scientia boni & mali amphibola. 66.c
Scire bonum & malum, quid. 65.f.66.a
Scirpus. 195.a
Scopus ſagittarum domini Iob. 194.d
Scribæ in Euangelium, qui dicantur. 173.f
Scriptores ſacri fuere tantum rerum narratores non interpretes. 62.c
Scriptura ſeſeipſam declarat. 94.d
Scriptura non redditur ſterilior ſi à multis interpretata ſit. 83.e
Seculum hebræis quid. 136.c
Secreta ſapientiæ Dei. 197.e
Sedes mari datæ. 28.c
Sedimentum aquæ, mare. 28.d
Sela, Shalom. Amen quid. 151.b
Semen pro filijs. 146.a
Semen quid. 61.d
Semina exigua quomodo in diuerſorum animantes coaleſcant. 36.e.f
Senectam, quæ declarant. 42.b.c
Senſus & intellectus vnde naſcuntur. 47.b
Senſus duo de arbore ſciendi bonum & malum. 52.c.d
Senſus triplex arboris ſcientiæ boni & mali. 53.f
Senſus quid. 164.b
Senſus cur altiſſimas corporis ſedes occupet. 18.c
Septenarius numerus ſacer. 43.e
Septenarius numerus hebræis perfectus. 191.f
Septuaginta interpretes. 239.e
Sepulchrum Iob adhuc monſtratur. 239.e
Sermonis hebraici proprium. 131.c
Serpens exterior. 70.d
Serpens diabolus in Euæ deceptione aſſumpſit formam ſuæ malitiæ conuenientem. 63.e
Serpens & tentator idem. 63.f
Serpens erat diabolus. 97.f
Serpens diabolus. 51.c
Serpens quomodo mulierem acceßerit exemplis monſtratur. 63.a.b.c
Serpens incantandi vox eſt. 63.e
Serpens terreſtris. 70.c
Serpens tortuoſus quid. 217.c
Serpens antiquus quis. 64.b

Serpentes duo, duæ maledictiones. 70.c
ſerpentis nomina. 63.f
ſerpentis fraus. 65.c
ſerpentum prudentia. 97.f
ſerpentum duplex genus. 63.e
ſerui pro prophetis, 190.d
ſeptenarius numerus ſacer. 43.e
ſeptuaginta errarunt in annorum numero. 108.f
ſeptuaginta interpretum verſio ſub Ptolomeo philadelpho facta eſt. 84.f
ſeptuplum punietur, varijs modis expoſitum. 100.e
ſetæ equinæ in aqua cænoſa moratæ ad ſolem, ſerpentes fuiſſe. 35.d
ſeth redditio. 22.a
ſethim lignum. 139.d
ſexus vtriuſque creatio ſimul facta. 59.a
ſexus vterque ſub vno nomine intelligitur. 18.d
Shem quis. 103.d
Shoba lapidis precioſi genus. 97.a
ſi pro non. 163.f
ſiccitas quid. 28.c
ſicera ebrietatem, aut ebriamentum. 144.c
ſicimi Hieruſalem. 121.b
ſiclus. 116.e.148.a
ſiclus & dragma in quo differunt. 116.e
ſiclus quid. 148.a.c.174.f
ſigna cæleſtia poteſtate hominis data. 229.c
ſigna Dei venturi. 231.a
ſigna quædam rerum ſerendarum Deus dedit. 229.c
ſigna pro ſyderibus. 32.e
ſecundum Signa, qui iudicant. 32.f
ſignum flagitij commiſſi Adæ. 69.a
ſignum ſagittantium pro corpo Hebræis. 204.a
ſimilitudo & Idolum in quo differunt. 137.f
ſimplicem eſſe quid. 169.b
ſiſoin non ex coma faciendum quid. 146.c
ſitientes, qui. 207.c
ſitus elementorum. 231.f
ſol & lux idem. 18.e
ſol omnium rerum terrenarum, & ſupernarum origo. 30.e
ſol probatur calidus. 34.c
ſol cur poſt terram & aquas primum creatus. 18.a
ſol eodem tempore tria efficit. 33.e
ſol an maior terris. 33.f
ſol luna maior. 33.e
ſol quando creatus. 22.d
ſol luna maior. 34.f
ſol inter cuncta præſtans. 19.c
ſol multis nominibus appellatur. 19.a
ſol poſt terram primo creatus. 18.f
ſol rerum omnium maximus & pulcherrimus. 31.a
ſol mundi oculus. 33.f
ſol omnium rerum eſt cauſa. 20.a
ſolem omnium rerum procreatorem, & interitum dixerunt. 19.a.b
ſolis creatio. 30.e
ſolis materia. 20.b
ſolis munus. 32.e
ſomnia non obſeruanda. 146.c
ſomnij & quietis commoda. 21.e
ſomnus quid. 60.c.d
ſonus conciſus. 153.d
ſopor profundus cur immiſſus in Adam cùm Eua crearetur. 60.c.d
ſpatia quatuor ante initium. 43.a
ſpatium pænitentiæ præſcribitur.
ſpecies omnis in mundo agitatur Spiritu. 103.a
ſpecies omnium arborum in terra. 12.c
ſpecus pro domo opulenta. 29.f
ſpes impij araneæ ſimilis. 192.a
ſpicas poſuit pro ſpinas. 195.a
ſpinæ maiores & minores. 138.d
de ſpinis egreſſus quis. 74.d
ſpinæ maiores & minores. 191.d
ſpiratio in faciem hominis facta duobus modis poteſt intelligi. 138.d
ſpiratio omnium animalium vbi ſita. 47.c
ſpiritu omnia agitantur. 47.a
ſpiritus filius Dei demonſtrantur. 12.c
ſpiritus ab antiquis amor dictus. 39.a
ſpiritus intelligentiæ ſapientia. 12.b
ſpiritus mercurio Triſmegiſto quid. 210.b
ſpiritus pro vita corporea. 14.e
ſpiritus pro vi & impetu. 204.f
17.b
ſpiritus meus non permanebit varie expoſitum. 102.f
ſpiritus domini quid ſuper aquis ageret. 17.a
ſpiritus mali quomodo à malis diſtinguendi. 70.b
ſpiritus meus quomodo accipiatur. 102.f
ſpiritus Moyſi per nares ingreſſus. 47.d
ſpiritus domini, quid. 14.e
ſpiritus domini. 12.b
ſpiritus domini ſuper aquas quid. 88.d
ſpiritus multis ſumuntur modis. 88.f
ſpiritus domini, quid. 17.e
ſpiritus domini, quid. 13.e
ſpiritus in ſcripturis varius. 14.b.14.e
ſpiritus diuinus amor. 7.f
ſpiritus animans, & ipſa animatio differunt. 47.c
ſpiritus omnis cognoſcens, aut loquens, aut eſt homo, aut Angelus, aut Deus. 62.e
ſpiritus quid. 47.d
ſpiritum interpretatur ventum Theodoritus. 89.d
ſplendor pro magnificentia. 207.d
ſtactes quid. 140.d
ſtatus tres antè lapſum. 72.d
ſtella quomodo in orbe. 26.e
ſtellæ quando creatæ. 32.d
Stellæ à ſole lumen accipiunt. 33.d
Stellas non eſſe maiores ſole & luna. 33.d
Stellio phalangium putatur. 145.a
στερέωμα. 89.e
ſterilem paſcere. 216.a
ſternomantes. 146.a
Sterquilinium in quo ſedit Iob. 238.e
Sterquilinium quid. 194.d
Stirpes quid. 29.f
ſtirpes vnde generale. 31.d
ſtringere caudam quid. 235.d
ſtruthiocamelorum ſtoliditas. 234.e
Struthio, pauo. 234.e
ſubiectum libri Iob. 184.d
ſubijci pro humiliari. 133.e
ſubſtantiæ in cælo, duæ. 24.e
ſubuerſio quid. 118.d
ſubuerterit pro tranſierit. 197.f
ſucceſſus cur ſit in rebus terreſtribus, duæ dantur cauſæ. 30.b
ſue nihil fæcundius genuit natura. 41.d
ſulphur quid. 207.f
ſummum pro extremitate. 167.d
ſuperbiæ cauſa. 202.d

MVSEVM BRITANNICVM

Superbiæ nomine fœnum deſignatur. 190.b
ſuperbiam, quæ efficiant. 202.d
ſuperbia vnde oriatur. 170.c
ſuperbus, pro mari tumeſcenti. 218.b
ſupplicia dantur ad correctionem. 192.f
ſupplicium vnde. 191.d
ſupputatio annorum veriſſima, hebræa eſt. 101.c
ſur, ſyria. 56.f
ſuſcipere faciem quid. 238.b
ſuſcitare Leuiathan qui parati, plures habet ſenſus. 188.f. 189.a
ſybilla de linguarum diuiſione. 108.a
ſydera quando creata. 31.f. 32.a
ſydera ex qua materia conſtent. 18.c
ſymmachus interpres Samarites. 240.b

T

Tabernacula vſuria. 203.a
Tabernaculi fiducia. 207.c
Tabernaculorum vſus apud quos. 207.a
Talentum à Siclo differt. 116.e
Tectum pro Tabernaculo. 155.f
Tegumentum quo antiquiſſimi homines vtebantur, 75.c
Tellus ante peccatum inarata dabat Cererem. 42.d
Temperare ſibi à ſanguine quid. 106.b
Tempora vnde colligantur. 19.e
Temporis illius deſcriptio quo Deus probauit Iob. 185.e
Tempus aliud vniuerſale, aliud particulare. 3.d
Tempus quid. 3.b.90.b
Tempus eſt imago æternitatis. 45.c
Tempus an ſit creatum. 78.c
Tempus fuit ante Solem & Lunam. 78.e
Tempus vitæ Iob. 238.d.e
Tempus cum cælo creatum. 21.c.d
Tenebræ abyſſus, & chaos Mercurio idem ſunt. 88.c
Tenebræ pro cæcitate poſitæ. 191.e
Tenebræ pro calamitatibus. 206.b
Tenebræ, quid. 12.a
Tentatio Hebræis quid. 168.f
Tentatore ad probationem multorum Deus eſt vſus. 53.a.b
Terebinthus à quercuè maximè differt. 125.c
Terebinthus quid. 125.c
Termini aquis poſiti. 217.e.f
Termini maris. 17.a.b.231.e
Terminis lucis 22.c.d
Termini mari conſtituti. 28.c.d
Termini rebus omnibus conſtituti. 219.b
Ternarius poetis conſuetus. 192.a
Terra duabus de cauſis obſcura, & inuiſibilis. 5.c
Terra inanis, & vacua quomodo. 11.d
Terra & aqua ſimul creata. 16.f
Terra inter res viſibiles prima creata. 231.b
Terra Goſea. 125.d
Terra hortus nuncupata. 93.d
Terra irrigata, & mollefacta, rerum omnium principium. 9.b
Terra miſeriæ. 197.d
terra pes mundi. 5.f
terra erat inanis & vacua. 5.c
terra in qua oriebatur panis, igni ſubuerſa eſt. 220.b
terra inanis & vacua. Et Chaos, an idem ſint. 87.c
terra rerum omnium antiquiſsima. 200.f
terra quæ fuerit ante mundi creationem. 5.b
terra ſalſuginis. 234.c
Terra prius inuiſibilis. 10.a
terra principium rerum omnium terreſtrium. 26.b
terra cur arida vocetur. 7.c
terra antequam informaretur, quid. 6.e
terra vnde dicta. 28.e
terra non eſt in die creata. 16.e
terra ac mare, an ſibi viciſſim cedant. 27.e
terra ad quid creata. 28.f
terra pro matre, ac genitrice, Sol pro genitore. 37.c
terra è nihilo facta. 193.c
terra domicilium hominum. 9.d
terra rotunda. 28.f
terra & cælum teſtes dicuntur. 211.f
terra & aqua ſimul facta. 10.e
terra Aquilonis prima creata. 16.b
terra Aquilonis omnium melior. ibid.
terra quando creata. 10.a
terra viſionis cur ſic dicta. 115.e
terra grauidatur hyeme. 232.a
terræ natiuitas, & conditio qualis. 16.a
terræ quomodo aquis detectæ. 22.d.e.f. 24.c.d
terræ craſſities. 34.c
terræ primum habitatæ. 1.f
terræ nomine animalia terreſtria intelligenda. 43.d
terræ creationes, duæ. 10.e
terræ nomina duo. 6.d
terram abſorbere. 234.f
terris primum nomina indita. 2.a
teſtamentum vetus, qui abijciant. 151.a
teſtari, pro loqui Deum cum homine. 157.c
teſtimonia pro oraculis. 157.b
teſtimonio vnius non poteſt quiſquam iudicari. 165.d
teſtimonium diuinæ poteſtatis præcipium. 235.f
Tetragrammaton, Dei proprium nomen exiſtimatur. 131.e.132.e
Tetragrammaton nomen ineffabile. 93.c
Tetragrammaton nomen quibus nominibus intelligitur. 140.b
Tetragrammaton nomen. 132.e.135.f
thaneos campus. 155.c
themma. 56.e
theba arca ex quauis materia facta. 130.a
Theodotion interpres hæreticus. 240.c
Theriſum quid. 123.b
Thohu Hebræis idem quod chaos. 6.a
Thopheth tria habet ſignificata. 205.d
theſauri niuis, ac grandinis. 232.d
theſaurum effodientes. 189.c.d
tigris fluuij ortus. 96.c
timere Deum, idem quod Venerari. 114.f
timor addit alas. 200.a
tortulæ panes ſubcinericij panes nominalia. 154.a
tragelaphus quid. 171.e
tralatio prima ſacrarum literarum ex Hebraico in Græcum. 239.c
tranſlatio ſeptuaginta quo tempore Latina facta ſit. 85.a
tranſlatio Hieronymi omnium optima. 83.c
trecenti pro ſexcenti ſumptum. 135.d
tres vidit Abraham, & vnum adorauit. 113.c
tria ſimul creata fuiſſe. 17.f
triadis myſterium. 91.a
tribulationum cauſæ. 182.e
tributum pro labore. 127.d
Trinitas Abrahæ ſe oſtendit. 113.d
Trinitas in veteri teſtamento ſiletur. 113.d
Trinitas demonſtratur. 39.c.d

Trinitas

Trinitas innuitur. 115.a
Turris quo authore ædificata. 107.f
Tyrannis impij deſcribitur. 201.f
Tyranno cur futurum malum. 202.b
Tyrannus princeps opulentus dicitur. 225.b

V

VAcuum quid. 16.b
Vadē ſibi dari Iob poſtulat, cui fidere poſſit. 205.b
Vagina animi, corpus. 211.e
Vanus mendax. 167.f
Vapor eleuatus, pluuiarum cauſa eſt. 46.a
Varietas naturæ. 219.a.234.e
Vaticinium de impijs. 213.a
Vaticinium de Romano imperio. 161.b
Vaticinium de Meſſia. 161.a
Vectes maris quid. 17.b
Velle Dei, & poſſe idem. 20.e.21.f
Venæ ſuſurri. 190.c
Veneni nomine aſtutia dæmonum exprimuntur. 62.f
Venenum in capite aſpidibus eſſe. 211.b
Veneris appetitus quibuſdam, vnde. 67.b
Venire ad ſe. 195.f
Venti quibus vis maxima exſiccandi. 104.f
Ventriloquæ mulieres. 146.e
Ventus Deum venientem ſolet præcedere. 68.b
Ventus fit aduentu nummis. 190.c
Verba Dei ad Adam creatum. 44.c
Verba inſulſa. 192.e
Verba in ventum profertis. 193.e
Verba ſerpentis ad mulierem deceptoria. 64.c
Verba ventoſa. 203.b
Verba vera quàm valida. 193.d
Verbum Dei creantis quid. 15.c
Verbum pro re Hebræis. 110.a
Verbum domini quid. 153.a
Verbum & ſermo pro re apud Hebræos. 114.e
Verecundia quædam noxia. 67.b
Verenda cur in abſtruſis partibus poſita. 67.e
Veritas ſacrarum litterarum. 2.d
Veſtes Adæ & Euæ, an fuerint pelliceæ. 74.f.75.a
Veſtis polymita. 122.c
Veſtis pro corpore ſumpta. 138.a
Veſtitus omne id quod veſtimus ſignificat. 169.f.170.a
Vetus inſtrumentum Manichæi tollunt. 151.a
Vetuſtiora eſſe ſanctiora. 8.d
Via domini quid. 158.e.14.e
Viæ Dei. 235.e
Viciſſitudo noctis, & diei prodigium. 219.b
Videntes prophetæ dicti. 111.f
Videre pro intelligere ſumitur. 66.e
Vidit Deus lucem, quod eſſet bona. 20.f
Vidit pro intellexit poſitum. 66.a
Violentiæ mater ſatietas. 184.f
Virga Aaron. 157.c
Vires corporis quid efficiunt. 103.e
Vir & mulier ſimul creati, vt quidam volunt. 20.c
Vir mendacij. 106.e
Vir apud Hebræos ſignificant vnumquę. 106.e
Vir terræ Noe. 106.e
Vir vanus in ſuperbiam erigitur. 198.a
Virgultum quid. 93.b
Viri famoſi, qui. 103.b
Virtus diuina, duabus de cauſis poteſt Spiritus Dei appellari. 13.a
Virtus diuina, quæ. ibid.
Virtus non eſt in ſenſuum alienatione. 188.b
Virtutes Iob notantur. 179.f
Vis Sampſon vbi ſita. 151.e
Vis Spiritus. 12.b.c.d.e
Vis expiandi non in aquis poſita. 158.a
Vis veritatis quanta. 193.d
Viſionem Iob Hebræi parabolam putant. 185.f
Viſiones ſcripturæ non ſunt ad amuſſim rebus ipſis coaptandæ. 185.e
Viſio in ſomno ſæpe prophetis fiebant. 160.d
Viſio Hebræis quid. 112.a
Viſiones terrificæ. 190.c
Viſionum plura genera. 112.a
Viſitare & probare, prouidentiæ verba ſunt. 194.d
Viſitare ſpeciem quid. 192.a
Viſitatio Dei. 197.c
Vita humana Pythagoræ, quid. 53.b
Vita ſerpentis, quæ. 7[illegible]
Vita hominis, aſſiduus conflictus. 192.b.193.f
Vita humana ſeptem viris vſque in finem mundi continuata. 149.f
Vitæ breuitas oſtenditur. 193.f
Vitæ duæ, aliæ maximæ, aliæ minores. 12
vitæ lignum beatitudo. 52.a
vita vento, & radio comparatur. 194.b
vitam & miſericordiam tribuiſti mihi quid. 197.b
vitia vnde. 153.d
vitiari, quid. 184.d
vitulus conflatilis vbi confectus. 166.b
vltio pro prohibitione. 156.b
vmbra mortis, quid. 219.b
vnitas Eccleſiæ vnde. 151.a
vnitas Eccleſiæ à Luthero abrogatur. 150.f
vnum pro multis vſurpatur. 109.f
vnum eſſe, quid. 196.c
vocare, quid. 27.c
voca ergo, varie ſumitur. 191.a.b
vocem Dei audire, quantam vim habere. 73.d
voces duæ perpendendæ inter ſe: Dei locuti, & mulieris tum loquentis. 53.d
voces tres quibus precatur felicitas. 151.b
voluptas nulla ex diuitijs captis. 211.c
pro Voluptate Eden ponitur. 50.b.c
voluptatum munera. 68.b.c
vr Chaldæorum. 109.c
Vs patria Iob. 238.e
Vrbes tabernaculorum, pro præſidijs. 129.c
vrbes tredecim quomodo abſorptæ. 110.c
vrgeri æſtu. 119.e
vrim quid. 163.d
vtilitates animalium. 41.c
vtinam appenderentur peccata mea. 192.c.d
vuas quis poteſt ad ſatietatem ex vinea aliena deguſtare, nec tamen efferre. 175.b
vulua quid. 231.f
vxores Moſis. 154.e

Z

ZAmolſis apud Geras propheta. 159.e
Zodiacus cur ſic dictus. 32.e
Zonam torridam quidam gladium flammeum putarunt. 76.c.d
Zoroaſter apud Perſas propheta. 159.e

FINIS.

MVSEVM BRITANNICVM

NISI QVI LEGITIME CERTAVERIT

VENETIIS, MDXC.

Apud Dominicum Nicolinum.

11 29

AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI,
SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII,
CANONICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS.

ENARRATIONVM IN PSALMOS, TOMVS SECVNDVS.

Qui eſt primus Pſalmorum liber, iuxta diuiſionem Hebræorum.

In quo pulcherrima quidem argumenta continentur,

De
- Rege Meſsia.
- Creatione Mundi.
- Generis humani conditione.
- Spe cœleſti.

Cum Indice Rerum, ac verborum locupletiſsimo.



VENETIIS, MDXCI.
Apud Dominicum Nicolinum.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

XI
i
A.d

PSALMORVM IN HOC OPERE EXPLANATORVM CATALOGVS.

1 Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum. pagina 1.a
2 Quare fremuerunt gentes. 7.c
3 Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? 14.d
4 Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ. 17.c
5 Verba mea auribus percipe Domine. 20.f
6 Domine ne in furore tuo arguas me. 23.f
7 Domine Deus meus, in te ſperaui, ſaluum me fac. 26.d
8 Domine Deus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? 30.c
9 Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 32.f
10 In Domino confido. 39.d
11 Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus. 41.a
12 Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? 42.c
13 Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. 43.c
14 Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? 44.f
15 Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te. 46.c
16 Exaudi Domine iuſtitiam meam. 48.c
17 Diligam te Domine fortitudo mea. 51.b
18 Cæli enarrant gloriam Dei. 57.c
19 Exaudiat te Dominus in die tribulationis. 67.d
20 Domine in virtute tua lętabitur Rex. 69.a
21 Deus Deus meus reſpice in me. 71.c
22 Dominus regit me, & nihil mihi deerit. 76.d
23 Domini eſt terra, & plenitudo eius. 77.d
24 Ad te Domine leuaui animam meam. 79.a
25 Iudica me Domine. 81.c
26 Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. 83.c
27 Ad te Domine clamabo. 85.c
28 Afferte Domino filij Dei. 87.d
29 Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me. 89.f
30 In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. 92.a
31 Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. 95.c
32 Exultate iuſti in Domino. 97.c

33 Benedicam Dominum in omni tempore. 99.f
34 Iudica Domine nocentes me. 102 d
35 Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo. 106.a
36 Noli æmulari in malignantibus. 108.c
37 Domine ne in furore tuo arguas me. 114.d
38 Dixi, Cuſtodiam vias meas. 117.f
39 Expectans expectaui Dominum. 120.a
40 Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. 122.c
44 Eructauit cor meum verbum bonum. 125.a
67 Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius. 137.a
89 Domine, refugium factus es nobis. 149.a
90 Qui habitat in adiutorio altiſſimi. 155.d
102 Benedic anima mea Dominum. 160.c
103 Benedic anima mea Dominum: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. 169.a
109 Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. 185.f
138 Domine probaſti me, & cognouiſti me. 193.c

AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI,
SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTECARII,
CANONICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS.

ENARRATIONVM IN NONNVLLOS PSALMOS,
qui ſunt primus Pſalmorum liber, ad Hæbreorum diuiſionem.

PRÆFATIO.

CVM omnium ſacrarum literarum philoſophia eſt admirabilis, & velut lumen humano generi refulgens in terris: tum verò Pſalmis tanta rerum magnarum, atque altiſſimarum fęcunditas ineſt, vt longè reliquis Veteris teſtamenti libris ſint præferendi. Hic puriſſimus vniuerſæ Theologię fons decurrit, ſiue quæ cæleſtia contemplatur, ſiue quæ res humanas, quas diuina prouidentia gubernat, ad meritos fines adducens, ediſſerit. Vberrima quoque de moribus, & virtutibus, quarum princeps, Philoſophis quoque teſtibus, eſt Pietas, Philoſophia. *Pietas.* Ad quam Pſalmi ſemper inuitantes, ad omnes profectò virtutes inuitant. Hic altiſſima, longeq́ue paucis nota futurarum rerum myſteria Sibyllino more decantantur. *Pſalmus.* Eſt autem Pſalmus, vox Græca, quam primi Septuaginta interpretes, ab Hebraico ſacras litteras transferentes, pro carmine ſacro vſurparunt: Oda, vel Hymnus aliter dicatur. Mos autem ſacrorum carminum, & hæc ipſa Pſalmorum ratio longè antiquiſſima eſt, priſcisq́; ſæculis creberrima: quando, vt Plutarchus ait, vetuſti Poëtæ, & Theologi, res diuinas, & naturales, heroumq́; fortia facta rythmis canebant. Velut Empedocles, & Parmenides, Anaxagoras, & Pythagoras, quorũ carmina apud Philoſophos de rebus diuinis paſſim habentur. Ante hos, Linus, Orpheus, Muſæus, qua de re Plutarchus, Πρότερον μὲν ἐν ποιήμασιν ἐξέφερον οἱ φιλόσοφοι τὰ δόγματα καὶ τοὺς λόγους ὥσπερ Ὀρφεὺς καὶ Ἡσίοδος, καὶ Ξενοφάνης, καὶ Ἐμπεδοκλὴς καὶ Θαλὴς, ὕστερον δὲ ἐπαύσαντο. *Sibyllæ.* Eorumq́; longè vetuſtiores Sibyllæ, quas cùm idem, atque Prophetas ſpiritus afflaret, æderentq́; miranda carmina, ea æmulati poſteriores, & morē carminis, & myſteria quæ ceciniſſent, vſurparunt. Ab hebræis igitur vatibus, qui fuerunt omnibus his vetuſtiores, quemadmodum pleraq́; alia, vt de creatione mundi, de rebus diuinis ſermo, hæc profluxerunt. *Ægyptij.* Siquidem Ægyptios, qui propter loci vicinitatem, linguæq́; affinitatem, mores hebræorum, & Theologiam vſurpaſſent, Platone teſte, Græci ſunt æmulati. *Dæmones.* Dæmones autem Spiritum ſanctum, qui Prophetas, Sibyllasq́; inſpirauerat, imitati, oracula ſua toto mundo maiore ex parte carmine fundebant. Ab antiquiſſimis hebræorum (nam Moſes omnium vetuſtiſſimus, carmen Deo cecinit) peruenit hæc ad alias nationes Pſalmorum ratio. Eam Sibyllæ, Dæmones, Poëtæ, Theologiq́; Græcorum ſuſceperunt. In hebræis à Spirituſancto, ſpiritu prophetiæ habuit exordium: qua gratia donata vaticinia, donata rerum futurarum prædictio, eadem ratio canendi Pſalmorumq́ue concentus inſpiratus, fundente Spiritu ſancto voces ſuas numeroſè. Carmen autem hebraicum non idem eſt, atque Græcorum, Latinorumq́;, vt neq́;

Itali-

Carmen hebraicũ.

Auctores pſalmorum.

Italicum, ſiue Etruſcum idem,atq; Latinum. Ac potius cum Italico, quàm Latino ſimilitudinem habet Hebraicum. Latinum ad imitationẽ Gręci tẽpora ſyllabarum obſeruat:Hebraicũ nulla tẽpora, ſed numerũ duntaxat, atq; ſimilitudinẽ cadẽtium ſyllabarum. Vt non eſt in Italico carmine ſpondeus, trocheus, dactylus, ſed numeratio tãtum ſyllabarum,& obſeruatio,vt ſimiliter deſinant : ſimile quiddam ſequitur Hebraicum. Quare cùm Hieron. ſcribit,aut Iob,aut Pſalmos dactylo,ſpondeoq́; decurrere: & cùm in præfatione,de Iob dicit, verſu labitur : quæq́; Auguſtinus cum cæteris de carminibus Hebręorum teſtantur, noris non hos ipſos præcisè pedes noſtrumq́; carmen ab eis, ſed ſimile quiddam deſignari. Itaque neque Heroicum carmen apud Hebræos extat, neque Iambicum, aliaq́; genera , ſed ſimile quiddam , & quale barbari diuerſis ritibus canunt. Pſalmi, Iob, libri Salomonis,& Prophetarum, rationem carminis præ ſe ferunt, ſed neq; Latini,neque Græci . Numeroſum quiddam,& ab oratione ſoluta parumper recedens,ſermonis genere,figuriſque Poëticis, verbiſq́; minus vſitatis obſcuriores . Pſalmi præterea non eodem auctore, nec codẽ fortaſſe tempore,nec eodem modulatu, vt nec eodem ſubiecto ſemper perſpiciuntur. Variat auctor,variat tempus,modulatus,res quæ canitur . Quod ad ſubiectum attinet,alij profundiſſimè ſuper omni natura, Theologiaq́; philoſophantur , alij de præteritis, aut præſentibus Hebræorum victorijs,aut beneficijs humano generi collatis,gratias agunt. Alij precantur,orant,vel clades auerti, vel peccatis non inquinari. Cæteri docent, erudiunt,præmia ſceleris, atque virtutis,fineſq́; proclamantes. Sũt quibus de gloria,maieſtate, bonitateq́; diuina, quo reddant eam illuſtriorem, mortalibuſque celebrem, omne artificium eſt, omnis ſermo . Auctor autem frequentius Dauid,cuius tempore pietas magna accepit incrementa,eoq́; diuinæ laudes crebriores. Nonnunquam alij, ſed raro. Quo factum, vt pleriq; è Græcis Latiniſq́;, etiã vero Hebræis,omnem librum Dauid adiudicarint. Probabilius videtur,ſepoſitis nonnullis, reliquos in Dauid,ſiue cum eius titulo,ſiue minus in vniuerſum referendos. Liber Paralipomenon abundè teſtatur,totam hanc Pſalmorum,diuinarumq́; laudum rationẽ, à Dauid primò fuiſſe repertã,atq; inſtitutam,vel ipſo,vel alijs,Pſalmos,quos edidiſſet,qui ſcientia canendi præcellerent,cum cantu pronunciantibus. De quibus eſt in libris Paralipomenon fuiſſe cantores Heman, Aſaph, & Ethan , in cymbalis æneis concrepantes. Alios qui in nablis arcana canerent,aut qui in citharis pro octaua cantarent Epinicion . Choneniam autẽ principem Leuitarum præfuiſſe prophetiæ,& ad præcinendam melodiam. Sacerdotes autem tuba clangentes. Eodem loco refertur,à Dauid fuiſſe conſtitutos Aſaph, & fratres eius,ad confitendum Domino, qui glorificarent,atq; laudarẽt Dominũ Deum IſraEl, atq; operũ eius recordarẽtur. Alios præfectos ſuper organa Pſalterij,& Lyras. Nouiſſimè dicitur , Heman, & Idithum , & reliquos electos conſtitutos ad cõfitendum Domino, quoniã in æternum miſericordia eius, quatientes cymbala,& omnia muſicorũ organa, ad concinẽdum Domino.His igitur omnibus fit perſpicuũ, principio, Pſalmorũ rationem à Dauid, atq; illius tempeſtatis doctiſſimis Hebręorum,quos ille deſignaſſet, maiore ex parte fuiſſe repertã,imitantibus quidẽ vetuſtiſſimos ſuos , antiquamve carminis rationẽ, qua fuerat Moſes, alijq́; poſt ipſum vſi.Hos autem ipſos,vel à ſe ipſis, vt quos Dauid propter doctrinam, ſapientiam, ſpiritumq́; prophetiæ delegiſſet,vel à Dauid editos Pſalmos conciniſſe. In principijs Pſalmorum ſæpe reperies (præter Dauid , qui frequentius nominatur) Aſaph, Idithum , Ethan, qui cantores , Poëtæq́; Pſalmorum Vateſque fuiſſe memorantur. Ad hæc organa muſica , quæ ſolent in principijs Pſalmorum nominari:necnon res,quę Pſalmis canerentur,videlicet,quòd alijs Arcana,

Pro-

rophetiæque canebãtur: aliis Carmen triumphale, quod Græcè ἐπινίκιον, alijs ad
lorificandum Dominum, operaque eius celebranda. Hæc omnia doceberis ex
ictis illis. Autores Pſalmorum, Varietas muſicorum inſtrumentorum, Subie-
um carminis. Autores, Dauid, Eman, Ethan, Aſaph, Idithum. Organa muſica,
ympana, Nabla, Tubæ, Citharæ, Pſalterium. Subiectum, Arcana, Prophetiæ,
pinicion, Collaudatio diuinorum operum, Melodia.

Præter hæc carmina, Pſalmoſque tempeſtate Dauid decantatos, credendum
t, quemadmodũ ante tẽpora Dauid, multa cãtica (ſi vel ab ipſo Moſe, vt canti-
um Siſaræ, canticum Annæ matris Samuelis, ſumas exordium) fuerant decãta-
a, peruenitque ratio canẽdi aduſque Dauid: ſic poſt eũ fuiſſe, qui pſalmos ceci-
erint quorum carmina fuerint in librũ Pſalmorũ relata, præcipuè qui ſunt ſine
itulo, velut ἀνώνομοι. Probaturque mihi quod ait diuus Hilarius, librum Pſalmo-
m appellatum, diuerſis in vnum volumen prophetiis diuerſorum, & autorum
temporum congregatis, ab ijs, qui res Regum geſtas ſcriberent. Et quoniam
ars Pſalmorũ, myſteria, prophetiæq; fuiſſe dicuntur, par eſt illud in his myſte-
ium, atque prophetiã maximè celebrari, quam Sibyllæ quoque præcipue con-
celebrarunt, maximam prophetiam, ſupremum myſterium. De Chriſto, rebuſ-
que gerendis ab eo, omnis propè Sibyllarum prophetia contexitur. Hunc in pri
nis ſpectaſſe pſalmos, atque arcanis canendis modis deſignaſſe, cõſentientibus
ebræis veriſimile eſt. Hoc item poema multis de cauſis obſcurum eſt. Princi-
pio omnium generatim carminũ maior eſt, quàm orationis ſolutæ obſcuritas.
Plus illic artis adhibetur: quæruntur nomina, ſenſuſque à conſuetudine remo-
tiores: omnes loquendi figuræ varietaſque adhibentur. Huiuſmodi eſt apud
Græcos Pindarus, Alcæus, Lycophron, quos etiam adhibitis interpretibus vix
intelligas. In hoc poemate peculiaris obſcuritas, quòd veniens è peregrina lin-
ua, cuius loquendi ratio longè diſtat à noſtra, nec eiſdem loquendi ritibus in-
ſtit, ſæpe neſcias quid reſonet. Et verum eſt quod ait diuus Hilarius, vniuerſa
llegoricis, typicis contexta eſſe virtutibus. Accedit, quod ſubiectum dubium
t, raroque percipitur quorſum ſpectent quæ dicantur. Eadem ratione Sibyllæ
oquebantur, quarum carmina non prius ſunt intellecta, quàm tempus abſol-
iſſet, quæ vaticinatæ fuerant. Sic quædam myſteria Philoſophorum, Platonis
aliorum tunc intellecta ſunt, cùm venit ille qui plenam, perfectamque de ſe-
pſis, rebuſque diuinis detulit è cœlo philoſophiam. Editio quoque Pſalmo-
um, qua per totum orbem Chriſtianum vtitur, ſiue Græca, ſiue Latina Eccleſia,
t Septuaginta interpretum. Hanc interpretantur, explanantque, vt quæ ſit Se-
tuaginta, Origenes, Baſilius, Gregorius, Chryſoſtomus, Euſebius, afferentes
d eius declarationem nonnunquam Aquilæ, Theodotionis editionem, Sym-
achi, quintam, ſextam. Hoc illud eſt antiquiſſimum Pſalterium quod ex He-
ræorum fontibus, primò fluxit ad Græcos, à Græcis ad Latinos. Non eſt cu-
uſquam alterius interpretis quos nominauimus, non Luciani. Siquidem hoc
lud, è quo proferunt Apoſtoli teſtimonia, & quo poſt Apoſtolos Eccleſia ſem-
er vſa eſt. Quod, vt dixi, maximè Græcorum Theologorum explanationibus
oſcas, qui Pſalterium ediſſerentes ad eius declarationem, proferunt nonnun-
uam alias interpretationes, hanc ipſorum Septuaginta eſſe dicentes. Hæc longè
nte tempora Hieronymi in latinam dialecton tralata, ſemper ob vetuſtatẽ re-
nta fuit. Cùm reliqui libri Veteris teſtamenti fuerint ſummoti, recepta Hiero-
nymi

Chriſtus.

Pſalmi obſcuri.

Editio Pſalmorũ.

Hieronymus.

nymi ex Hebraico tralatione: cuius Pſalterium ex Hebraico remanſit in libris eius,publicè receptum non fuit, ipſo etiam conſulente, quoniam & perturbatio in Eccleſijs accidiſſet, veteres pſalmos dediſcere, nouos inferre memoriæ coactis,& ſummæ venerationi erant,quæ Septuaginta tranſtuliſſent, vt vix receptus in aliis libris fuerit Hieronymus. Qua de re ad Suniam & Fritellam ipſe his verbis: Hoc enim quod Septuaginta interpretes tranſtulerunt, propter vetuſtatem in Eccleſijs cantandum eſt: & illud ob eruditionem ſciẽdum propter notitiam. Factum igitur quod cõſuluit Hieronymus, ſemper antiquum Pſalterium, quod erat Septuaginta cantatum in Eccleſijs. Irrepſerant in ipſum quædam ex alijs interpretationibus,obſuerat item vetuſtas. Itaque Hieronymus hoc beneficium præſtitit nonnullis,vt ipſum collatis alijs interpretationibus,& Hebraico, repurgaret: quod ipſe in præfatione Pſalterij apertè teſtatur.Sed labor ille paucis profuit,& breui ad priores corruptelas redijt Pſalterium,quod non vniuerſæ Eccleſiæ,ſed duobus,aut tribus amicis duntaxat emendaſſet. Habes alterum, vt dixi, Pſalterium eius ex Hebraico, proximè accedens ad ſenſus veriores, ad Hebraicamque veritatem intelligendam vehementer vtile.

Noſtri tẽporis interpres.

Fuerunt hac tempeſtate,quemadmodum olim apud Grecos, multi qui ex Hebræorum fontibus Pſalterium transferrent, quibus tot tamque varij interpretationibus imperiti turbantur,arbitrãtes nulla ratione ſacras litteras intelligi poſſe,vt quarum tot tanquam inter ſe differentes ſint interpretes. His,vt dixi,perturbatio propter imperitiam accidit. Qui transferunt non ſunt,vt ipſi putant,inter ſe tantopere diſcordes:ſed quod cæteri turbulentius,obſcuriusque tranſtuliſſent, cùm videatur aliis melius,aperitusque transferri potuiſſe,nouas editiones aggrediuntur, ſemperque ad maiorem claritatem aliqua fit acceſſio. Nec verum eſt, Hebraicam linguam, quòd tot quotidie nouis interpretationibus ſacræ litteræ miſceantur,quòd aliquæ voces diuerſis ſenſibus exponantur,inuſitatam,diſſimilemque cæteris linguis eſſe non intelligibilem,ſed vt cuique libuit in omnes ſenſus venientem. Vt Græca,vt Latina certos habent ſignificatus, certos ac diffinitos loquendi modos,haud ſecus Hebraica, cuius quidem proprietates quò quiſque doctior,ſcriptorumque eius peritior erit,ita magis agnoſcet, alijſque explicabit, atque reſoluet. Vocum autem amphibologia omnibus in linguis eſt. Homerus, Pindarus, Sophocles pleni ſunt amphibologiarum, quas diuerſis ſenſibus & inter ſe diſſimilibus,eorum interpretes exponunt. Platonis atque Ariſtotelis philoſophia quàm variis interpretibus diſtrahitur, tam ſenſibus, opinionibusque varians miſcet animos Philoſophorum. Cur igitur quiſquam varietatem in ſacris litteris abominetur,cùm ſit omnium linguarum is mos, atque ritus? Ob hãc igitur cauſam nobis illa via maximè placuit,vt nullam denuò interpretationem molientes,ſed hanc noſtram vulgatam cum fontibus Hebraicis,cum Græca tralatione conferentes, Hebræos, Græcos, Latinoſque interpretes conſulentes vnum totius veritatis corpus efficeremus, omneſque radios ad eam illuſtrandam apponeremus. Eoque factum eſt, vt inuiſa prolixitas commentationum vitari non potuerit, cum ſenſibus euoluendis, verbis diligenter penſitandis non breue tempus decurrat. Inuenti ſunt tamen longè plurimi quibus hæc neceſſaria vtiliſque prolixitas non diſpliceret.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS CONGREGATIONIS S. SALVATORIS

PSALMORVM LIBER.

PSALMI PRIMI EXPLANATIO.

BEatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum: & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

B HAec est, vt præfati ſumus, Pſalmorum maieſtas, hæc altiſſima ſacri poematis huius philoſophia, quòd Vates ſanctus ingreſſus ad mores instruendos, & in omnes philoſophiæ latiſſimos campos deuectus, finem eius præfatur, quibus terminis philoſophia, quibus res humanæ finiantur: vt oſtenſo, ac præmonſtrato rerum cunctarum fine, ſimus ad reliqua, quæ dicturus eſt, attentiores. Longeque diuinius, quàm Ariſtoteles librum de Moribus ſcripturus, vt ille de Felicitate quædam præmiſit, diſſerens definienſque Beatitudinem: ſic eius præuertit, abſoluitque noſter definitionem. Cumque Philoſophus duplici propoſita Beatitudine, illam veram beatitudinem eſſe declaraſſet, qua ſimiles Dei ſeſe mortales reddunt: hoc Vates diuinus apertius, vt maior, nec terreſtris, ſed cæleſtis Philoſophus egit. Primumque Ariſtoteles dixit, Πάντα τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίενται, Omnia bonum appetere. Et in Politicis, Τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες. Omnes omnia facere cauſa eius quod bonum videatur. In vltimis quoque verbis, Ἅπαντα γὰρ ὡς εἰπεῖν ἑτέρου χάριν αἱρούμεθα πλὴν τῆς εὐδαιμονίας, τέλος γὰρ αὕτη. Omnia fermè alterius cauſa boni nos eligere, præter Felicitatem, & Beatitudinem, quæ finis ſit. Poſtremò reſoluit, quæ ſit Felicitas vera, vulgo, multiſq; philoſophis, ſecum diſſentientibus: Beata inquit vita videtur, ſecundum virtutem. Itemq; βίος μὲν ἄριστος ὁ μετ᾽ ἀρετῆς κεχορηγημένος ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε μετέχειν τῶν κατ᾽ ἀρετὴν πράξεων.
C Vitam optimam eſſe, quæ cum virtute traducitur, laudabilibus actionibus inſignis: Perfectiſſimã verò atque eminentiſſimam virtutis actionem eſſe, quæ ſit ἡ κατὰ σοφίαν, ſecundum ſapientiam. Viuere ſapienter, agere ſecundum ſapientiam. Sapientiã enim inquit, θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν, καθαριότητι καὶ τῷ βεβαίῳ: voluptates puritate, ac perpetuitate admirabiles habere. Quæ ſit porrò Sapientia, & vbi maximè ſita, abſoluit poſtremò dicens, eundem eſſe ſapientem, beatum, θεοφιλέστατον, Deo chariſſimũ, gratiſſimum: Quem Deus chariſſimè diligat: Diligat autem propter ſapientiam, ſuiq; ſimilitudinem. Quoniam igitur qui ſanctè, ſapienterq; viuunt, ſimiles Dei ſunt: hæc autem ſimilitudo facit eos Deo chariſſimos, atque gratiſſimos, vt idem conſtanter aſſerit. Id verò eſt Beatitudo in qua ſunt mirabiles, perenneſq;, vt idem teſtatur, non fugaces autem, corruptibileſq; voluptates. Hoc habens exploratum vetuſtiſſimus, ac maximus Vates, à quo fontes omnis ſapientiæ fluxerunt ad Græcos, aliasque gentes, primùm præpoſuit quod omnes appetunt, nempe Beatitudinem. Inde quale ſit hoc ipſum demonſtrauit. Eundem porrò paulo ante monſtrauerat Ariſtoteles, quem beatum declarare decreuerat, ὁ κατὰ νοῦν ἐνεργῶν καὶ τοῦτον θεραπεύων, καὶ διακείμενος ἄριστα. Qui ſecundum animum, non ſecundum corpus viuat, habeatq; mẽtem optimè affectam. Itemque in Politicis abſoluens de beata vita ſermonem, Ecce igitur, inquit,

Deus, propriis, non alienis bonis, eſt felix.

buit, vnicuique tantum beatitudinis, quantum virtutis, & ſapientiæ: & quantum virtutibus his D vita ducitur, non diuitijs, boniſq; corporis, ſit nobis in confeſſo, ipſum Deum pro teſtimonio, & exemplo habentibus, qui felix, beatusque ſit propriis, non alienis bonis. Conſtat igitur eandem eſſe beatitudinis rationem, & quam Philoſophus ex conſideratione naturæ, & quam diuinus Vates ex oraculo cęleſti docebat. Eſt enim quod proponit Propheta, idem verus Philoſophus, intimæ naturæ conſideratio. Quoniam igitur Beatitudo vera, ex veris, æterniſq; & inſatiabilibus gaudiis, ac voluptatibus perficitur, veræ autem ſtabileſq; voluptates minus turbulentæ, doloribus, & ſordibus minus inquinatæ, rite, recteq; omnibus conſideratis, ſunt in ſanctitate, ac ſapientia, Deiq; ſimilitudine: ob hanc cauſam, ludum doctrinæ verę pandens Vates diuinus, veramque de moribus Philoſophiam ſcripturus, oſtendit vbi ſit vera Sapientia, ac Beatitudo. Eoque ipſe teſtimonium philoſophorum produxi, non quò ſacras litteras auxiliis externis roborarem: ſed vt docerem nũc à Philoſopho diuino prædicari quod ex fontibus naturæ philoſophi profani eruerunt. Naturale igitur eſt, vt beatitudo ſit ſceleribus fugiendis, virtutibus ſectandis. Cauſam dicet Ariſtoteles, quòd Sapientia veras poſſidet, diuturnaſq; voluptates, quòd ſimiles Dei facit. Quòd is, quiſquis erit, inter cæteros homines verſabitur, vt Deus quiſpiam. Vates aũt diuinus, & has ipſas cauſas, & alias maiores, ꝙ probis, ſapientibus, refugientibuſq; peccare, parata ſunt magna præmia: quòd non tam erunt in hac vita beati, qualis qualis haberi poteſt in hoc mũdo Beatitudo, ſed iterum in poſterum longè feliciores, ꝙ diuina Nemeſis quæ ſæuit, indignaturque bene agere malos, amplectitur, reſpicit que bonos eos, & ſtirpem eorum (præmia pietatis olim erant

Quid metuendum.

Hebræis) diutius ſeruabit incolumes, ſeruabit quas iuſtè parauerunt opes. Quòd ſemper alacres E ſunt animi bonorum, aduerſa fortius ferentes, ſecundis non inſoleſcentes, nec opes attollunt, nec paupertas deprimit. Sapientia fortiſſimos eos, eoq; etiam lætiſſimos efficit. Vitam Deorum in corporibus imitantur. Sciunt nihil timendum niſi culpam, & peccatum, Fortiaq; aduerſis opponunt pectora rebus. Vniuerſi eos amore proſequuntur. Sed hęc omnia melius docent, & vbique ſacrę litterę. Verum igitur beatitudinis fontem eſſe pietatem, quoniam in actionibus virtutis beatitudo conſtituitur. Fons autem iuſtarum, rectarumq; actionum eſt pietas. Atq; hunc eſſe finem totius felicitatis, omniumq; virtutum atque actionum moderamen, & qui dicit beatitudinem, ſeu felicitatem fineq; omniũ rerũ, nihil aliud eum dicere, quàm ſcientiam, & cultum Dei.

Felicitas quid.

Et hanc eſſe philoſophorũ quoq; ſententiã declarat mirificè conſonans cum ſacris litteris idem Ariſtoteles: qui libros de Moribus ad Eudemum abſoluens (quemadmodum Salomon ſuos claudens dixit, Finem dicendi faciamus: Deũ time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt omnis homo) illo præclaro fine vſus eſt: Omnes actiones noſtras, omniaque ſtudia, rerumq; poſſeſſiones, tantò iudicandas eſſe meliores, quantò magis fecerint, adiuuerint ad cognitionem, & cultum Dei: deteriora autem cenſenda, quę nobis impedimento fuerint quo minus colatur Deus, vt quaſi ſic ſtatuat, ſi quis eius ſententiam planius euoluat. Quoniam, inquit, felicitatem veluti finem ſupremum quærimus: felicitatem autem tibi demonſtro, eamq; dico eſſe beatum, felicemq; animi ſtatum, complexum, ſocietatemque omniũ virtutum. Apertius, ait, tibi loquar: Sedes omnium virtutum, & finis ille, ad quem quidquid agimus, quidquid poſſidere ſtudemus reſpiciendum eſt, contẽplatio, & cultus Dei eſt. Cùm inquit, huc perueneris, tunc finis eſt, tunc beatus eris. Ob hãc cauſam, quæcunq; te iuuerint, vt huc peruenias, pro melioribus habenda: quæ prohibuerint, impedimentoque fuerint, deteriora iudicanda. Is terminus verus, hæc optima diffinitio. Optimus F rerum cognoſcẽdarum modus. Sic loquitur Ariſtoteles ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν. ἢ σώματος, ἢ χρημάτων, ἢ φίλων, ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὅρος κάλλιστος. ἥτις δ' ἢ δι' ἔνδειαν, ἢ δι' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη. Hunc igitur antiquiſſimum Poetam noſtrum, vetuſti Græcorum Poetæ, iidem & Theologi imitati Muſęus, & filius eius Orpheus, necnon Heſiodus, & Homerus, magna præmia iuſtis, ac bonis, vt ait Plato, canunt eſſe parata, vt qui Deo maximè ſint curæ, quibus terram altricem producere fruges affatim iubeat, aluearia melle repleri, veſtiri velleribus oues, in cętu ſanctorum collocatos: Orpheus æterna ebrietate lętos eſſe. Tum παῖδας γὰρ παίδων καὶ γένος κατόπισθαι. Et natos natorum ſtirpemq; relinquere iuſtos. Hoc enim prior noſter dixerat: Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, vireſcens ſcilicet ſemper in poſteritate, multò magis in cælo. Scripturus igitur de virtutibus, Prudentia, Iuſtitia Modeſtia, virtutumq; principe Pietate, proponit, præfatur earum finem, beatitudinem. Propterea Pſalmum hunc Hebræi miris laudibus tollunt, nobiliſſimumque dicunt, iureque merito librũ ſuum, philoſophum diuinum ab eo auſpicatum eſſe. Sed nos ſingula verba perpendamus.

Beatus.

Beatus vir.] Beatus Hebraicè dicitur אשרי ashere: ducitur à verbo אשר asher direxit, ambulauit, vt deſignet quod Græcè dicitur ὁδοῦντες, κατορθοῦντες Bene incedentes, feliciter tendentes. Eſt numerus multus ſemper, vera fortaſſe ſentiẽtibus nonnullis Hebræis, quòd Felicitas, ac Beatitudo non ſit ſolitaria, nec vna ex re, aut virtute vna efficiatur. Iuſtitia, Temperantia, Prudentia, Fortitudo faciunt beatum. Poſſit eſſe linguæ conſuetudo, vt Latinè Tenebræ, Diuitiæ, quæ Græcè per vnicum numerum σκότος, πλοῦτος. Quem autem Hebraicum dicit שרי ashere beatum, Chaldæus (in quam linguam verſæ litteræ ſacræ, melius intelliguntur) dixit טובי tube, bonitas:

A nitas: vt dicat, Bonitates illius, aut illi qui non abiit. Bonitatem vocauit beatitudinem, bene agere. Quid enim aliud eſt felicitas, quàm rerum cunctarum abſoluta bonitas? Nam & Ariſtoteles, vt ſuperius. πάντα τἀγαθοῦ ἐφίενται. Bonum omnia appetere. Ecce bonum vocauit ipſam beatitudinem, quam mortales omnes, res item omnes quærant, cupiant, expetant. Beatos Latini dixerunt antiquiſſima nuncupatione diuites, opulentos, ſimiliter, vt Græci εὐδαίμονας, quibus fortuna bona, propitia. δαίμων, ad alia ſæpenumero fortuna eſt. Poſtea Latini Græcique iam philoſophantes correxerunt errorē, non amplius beatos appellātes, quibus bona corporis, & fortunę ſuppeterēt: videbāt enim ſæpe miſeros, eſſe diuites: vt Menāder de ſe ipſo, qui diues eſſet.

Diuites.

Πλούσιος ὑπὸ πάντων καλοῦμαι, μακάριος δε ὑπὸ μηδενός.

Diues ab omnibus, beatus à nemine dicor.

Propterea diſtinxit, addiditque melius.

Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.

Beatus, qui Diuitias, & Sapientiam poſſidet.

Intellexerat nō valere diuitias ſolas ad beatitudinem, adiecit ſapientiam. At purior philoſophia, itemq; ſacræ litteræ, quarum philoſophia ſupereminet omnes, reiecerunt diuitias. Eas Ariſtoteles quidem moderatas, & intra præſcriptum iuuare ad vulgarem quandam, ciuilemque beatitudinem: nimias autem, & abundatiores vehementer obeſſe. πᾶν δὲ τὸ χρήσιμον ἐστὶν, ὧν τὴν ὑπερβολὴν ἢ βλάπτειν ἀναγκαῖον ἢ μηδὲν ὄφελος εἶναι αὐτῶν τοῖς ἔχουσι. Quæ dicantur vtilia, ſi excedāt, aut nocere neceſſariò aut nullam eſſe poſſidentibus vtilitatem. Diuitias eſſe veluti organum dicit: ſi maius, quàm deceat, ſit organum, non proſit, ſed noceat. Idem quoq; ταῦτα γὰρ εἰς ὑπερ- B βολὴν γινόμενα, χείρους ποιεῖ: οἷον πλοῦτος πολὺς γενόμενος ὑπερόπτας καὶ ἀηδεῖς ἐποίησεν. Diuitiarum affluentiam, non modò non prodeſſe ad virtutem, & beatitudinem, vt reddant deteriores, & ſuperbos, contemptoresq; aliorum qui eas poſſident. Quare philoſophi quoque ſenſerunt, in diuitiis non eſſe felicitatem: videruntq; maiorem quandam, ac ſuſpexere beatitudinem, diuitijs comitibus non indigentem: Animi, inquam, beatitudinem, ſimilem felicitati Deorum, ex ſapientia, ſanctitate, pietate, animo diuinitus affecto. Cùm ſimilis eſt animus noſter animo Deorum. Hanc agnoſcunt ſolam ſacræ litteræ, ſed addunt, ediſſerunt, quæ philoſophi videre non potuerunt. Hoc item nomen Gręcum, ſi Platoni credimus, indicat. Dicitur enim Eudæmon beatus. Dęmonem ille animum dicit eſſe: & Eudæmonia, eſt feliciſſimus, optimus animi ſtatus. Bonitas animi, cùm beatus, felix, tranquillus inter gaudia ſolis nota pijs verſatur animus. Itaque refertur hoc nomine ad animū ſolum beatitudo. Aliud autem nomē quo ſunt vſi hoc loco Sept. interpretes μακάριος, idemq; ſacræ litterę paſſim vſurpant, deſignat immortalem, incorruptibilem, quaſi μὴ κὴρ ſine leto. Beatus ergo propriè dicitur is, qui immortalis eſt. Et vera beatitudo in immortalitate declaratur. Itaque quod ait Ariſtoteles de beatitudine, quòd cùm felicitas ſit res quædam perfecta, nihil autem in corpore perfectum eſt, nulla virtus, nullum gaudium, concluditq;, εἴη ἂν ἡ εὐδαιμονία ζωῆς τελείας ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν τέλειαν. Beatitudo erit operatio perfectæ vitæ, ſecundum virtutem perfectam. Non erit vnquam hæc in terris niſi in immortalitate beatitudo, & in ea, quæ dicitur ἀποθέωσις, deificatione. Quandiu enim deſiderabit inſatiabilis animus, deſiderat autem perfectionem ſupremam, eaque eſt deificatio, nunquam quieſcet, nunquam ſedabitur cupiditatis æſtus, nunquam beatus erit. Dico igitur perfectam, beatamque illam vitam, & C vt idem ait ψυχῆς ἀγαθῆς ἐνέργειαν, Animi boni operationem, & quaſi gaudium inſatiabile, in terris, & in hoc corpore, quòd animi carcer dicitur nomine Græco σῶμα σῆμα, inueniri non poſſe. Quod idem Ariſtoteles facilè conceſſerit. Sæpe neſcio quibus gaudiis perfundimur, quadam dulcedine gaudet animus, aduentatque inſueta voluptas: poſtea velut aura leuis diſcedit, animum mœſtum relinquens, qualē nonnunquam ſibi teſtatur Auguſtinus accidiſſe. Tales, inquam, arbitremur particulas eſſe beatitudinis, imaginemque fugacem perfectæ, perenniſq; vitæ, qua Deus, animique cæleſtes ſemper ſunt beati: Nos autem (vt ait Ariſtoteles) aliquando, idque rarò, & breui. Habet igitur beatitudo vera perennes, continentesque voluptates, nunquā interpellata gaudia. Hoc dumtaxat in cęlo, cùm deificatus animus, nihil amplius habuerit quod concupiſcat: Nunquam autem defuerit quod aueat, niſi cùm Deus effectus, quod ſacræ litteræ promittunt, nihil erit amplius deſideriis eius occurrens. Hanc igitur potiſſimum pſalmus beatitudinem reſpexit: ſed & illam prædicauit, quæ percipitur in terris, vt Ariſtoteles retulit, ex optimis actionibus, vitaque iuſtè, pieque ducenda. De qua & ipſe Ariſtoteles, & Tullius de Finibus bonorum & malorum: & in Tuſculanis. Hæc autem eſt præparatio ad veram, æternamque beatitudinem. Vtraque iuſtitię fructus, & pietatis. Quibus igitur conſtet, quibuſue parari poſſit beatitudo, pſalmus is iure diuinæ iſtius philoſophiæ principium, & caput, edocet.

Diuitias reiiciunt ſacræ litteræ.

μακάριος.

Corpus, animi carcer.

Qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.] Principium beatitudinis, ſapientiæ, ſanctitatis, Separari à commercio improborum. Non hæc quidem perfecta beatitudo, ſed exordium, gradus primus: hinc ad illā animi puritatem, integritatem, hæc occaſio quærendæ ſapientię, Nō audire voces ſceleratas, non intereſſe colloquijs, & factis improbiſſimis. Sed primùm circa voces inſiſtamus. Quos Sept. interpretes Græcè dixerunt ἀσεβεῖς,

Impij.

impios, Hebraicè רשעים reshaim, paſſim quidem vocantur impii in ſacris litteris, Magiſtri Hebræorum vim linguæ ſuæ, proprietatemq; apprimè callentes, (ad eos enim cùm de vocibus diſſeritur, refugiendum eſt, paucos autem ſenſus velut ille aurum ex ſtercore ſeligentes, cætera nos illis relinquere conuenit) deſignari dicunt hac voce, cupidos, inhiantes ad opes, bonaq; corporis, & ad hęc omne ſtudium transferentes: Hoc ſignificatum ex aliis locis comprobantes, è quibus Rabi Dauid. D

Rabi Dauid.

Reshaim, inquit, ſunt cupidi, cõcitati, ſolliciti, inſatiabiles poſſidendi diuitias, & opes, ſuas libidines ſatiandi in hoc mundo, libidinibus inflammati, furentes, omniaq; rabidè appetentes. Qui nihil inter bonum, malumq; putantes intereſſe, furantur, diripiunt, interficiunt, vt opibus, quas auidiſſimè perſequuntur, potiantur. Eſt enim ſignificatus vocis huius החרדה hacharada, motus, inſtabilitas, auiditas, diſcurſatio, ſedulitas, vt probant teſtimonia.

Cõſilium.

Propter hanc cauſam, inquit, Conſilium impiorum dixit: adiunxitque ad hoc ambulationem, quoniam hi hortantur, incitant mortales, vt ſe audiant conſulentes. Salubria verò conſulere videntur, vt opes coaceruent, ut genio indulgeant. Hęc ille.

Dum conſulũt aliis Auẽ Eſra.

Similia fermè ſcripſerat prior Auen Eſra, quem uidetur poſterior is expreſſiſſe. Reshaim, inquit, ut ego uideor, ſunt qui non permanent in una eademq. ſententia, fluctuat eorum mens, vt procella, neſcit quieſcere, ut declarant exempla: ut quod dixit Salomon, Impius facit opus inſtabile. Huic rectè cõſilium, & ambulationẽ adiunxit. Ad noua enim conſilia capienda inuitant, ineundamque uiam quam neſciunt. Ex his Hebræorum expoſitionibus claret, quos Sept. tranſtulerunt ἀσεβεῖς, impios, deſignare flagitioſos, ſacra, profanaque miſcentes, libidinibus effrænatis omnia uaſtantes, populantes, de futuris poſt hanc uitam nullam opinionem habentes. Reshaim ſunt, qualem deſcribit Catilinam Marcus inquietum, inſtabilem propter uarias cupiditates, ac libidines. Eos ad unguem, amuſſimque deſcribit, repræ- E

Sap. 2. a.

ſentat Salomon his uerbis, ut intelligas huius pſalmi uerum ſenſum: Dixerunt impii cogitantes apud ſe non rectè. Exiguum & cum tædio eſt tempus uitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis. Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus. Quoniam fumus afflatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum. Quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prętereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra. Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec vereamur canos multi temporis. Hęc, & multa alia, quibus deſcribit impios Salomon. Cuius ſermonem, etſi prolixiorem, hic protuli, quoniam ex hac deſcriptione intelligitur vera ſuper hac voce magiſtros Hebræorum docere, & hac Salomonis deſcriptione, ſumma huius primi pſalmi continetur. Impios igitur dixit omnis iuſtitiæ profanatores, pietatis, legumque contemptores, nullam ſpem de rebus cæleſtibus habentes, animam vnà cum corpore interire fatentes.

Imprudenter mẽtientes.

Hac opinione cõcepta, ſcelerata, nefanda ſemper loquuntur: poſt hanc vitam non grauiorẽ ſententiam, non pęnas expectantes, nullis ſceleribus parcunt: rapiunt ſi poſſunt, interficiunt, inſidias moliuntur. Omnes ad voluptates, curamq; corporis cogitationes cõuertunt. Hoc igitur recte videmus dixiſſe, beatos eos pſalmum, qui per conſilia, tam improborũ non incedant. Hęc conſilia paulo antè Salomõ expreſſit. Quod peſſimè, & pręposterè de rebus humanis ſentientes, nullaq; iuſtitię, ac probitati pręmia propoſita eſſe dicentes, inuitant, cohortãtur ad voluptates, ad gaudia corporis, ad profanãdas leges. F Cõſulunt igitur, Venite ergo, & fruamur præſentibus bonis. Quicunq; ad hęc conſilia, ad has inceſtas voces, aures obdiderit, aut auditas contẽpſerit, Beatũ vocat diuinus Vates. Nam cùm etiã uitę pręſentis beatitudinẽ philoſophi in actionibus iuſtis, recteq. factis conſtituerint, quæ ueritas ab his poteſt eſſe, qui nos ad gaudendum inuitantes, uitę probitatem diſſuadent? Sed illa maiora bona, quę pręmiũ pietatis iuſtitięque fore, ſapientiſſimi quique ſenſerunt (nã iuſtos in inſulas beatas, ut noſtræ litteræ, in Paradiſum ducentes, felices ad omne tẽpus fore canebant) nònne propter uoluptates corporeas illi tollunt, amandant? Quocirca Salomõ idem in deſcriptione impiorum adiecit, quòd iuſtos perſequuntur, inſectantur, uelut conſiliis eorũ aduerſantes, omninoq. cõtraria proponentes. Ad alia, vt illi pędicant, eundẽ eſſe animi atq. corporis interitũ: ſic iuſtos in contrarium, vt ait idẽ Salomon, καὶ μακαρίζει τὰ ἔσχατα δικαίων. Extrema iu-

Iuſtorum verba, contraria impiorum cõſiliis.

ſtorũ dicit fore beata. Nam Latinè non rectè habet, Et pręfert nouiſſima iuſtorũ. Hanc vocem impii audire non poſſunt. Eos igitur redarguens, ad poſtremũ idem Salomõ abſoluit ſuper eis ſermonẽ. Hęc, ait, per ſummum errorem cogitauerunt. Excęcauit enim eos malitia illorũ, & non co-

Sap. 2. d.

gnouerunt myſteria Dei. οὐδὲ μισθὸν ἤλπισαν ὁσιότητος οὐδ᾽ ἔκριναν γέρας ψυχῶν ἀμώμων. Neq. ſperauerunt mercedẽ, præmiumq; probitatis, neq; diiudicauerunt præmiũ, quod paratum eſt animis rectis, atq; incorruptis. Quoniã Deus condidit hominẽ ad immortalitatem, & imaginẽ proprietatis ſuę dedit illi. Hæc Salomon, quaſi philoſophiã genitoris interpretans: ſi modò pſalmus is eſt Dauid, vt par eſt. Quoniã igitur beatitudinis acquirẽdę, vel corporeæ, uel æternę ratio, uia que nõ eſt, etiam philoſophis teſtibus, quã impii proponunt, ſed potius euerſio beatitudinis eſt

eorum

A eorum ſermo, atque vita: iure contulit inter ſe beatos, & impios. Viam, qua peruenitur ad beatitudinem, non eſſe eam, quam vel tendunt, vel demonſtrant impij, potius ferre ad tartarum, ad barathrum, ruinam.

Hac iter Elyſium nobis, at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Hoc verum eſſe probatur innumeris exemplis: probatur etiam teſtimonijs profanæ philoſophiæ, quæ beatitudinem corporis conſtituit in rectè, iuſteque factis, multò magis Eternam. Denique illi ipſi impij ſentiunt, fatentur, cùm ad ruinam ventum eſt, voces lachrymabiles edentes, & errores ætatis actæ recantantes. Declarat etiam idem Salomon quale ſit conſilium impiorum in prouerbijs: Fili mi, ſi te lactauerint (nempe blanditi fuerint) peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint, Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra: Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem, & integrum, quaſi deſcendentem in lacum: Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs: Sortem mitte nobiſcũ: Marſupium vnum ſit omniũ noſtrum. Fili mi, ne ambules cum eis. Prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malnm currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem. Ipſi quoque contra ſunm ſanguinem inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas. Hæc, & alia Salomon: quibus declaratur, quale ſit conſilium impiorum, & quid incedere in eorum conſilio. Nã quos dixit Hieronymus peccatores in ſua tralatione. Sept. dixerunt, ἀσεβεῖς, impij, μή σε πλανήσωσιν ἄνδρες ἀσεβεῖς. Adeſt præclarum Ariſtotelis teſtimonium. Nam ex deſcriptione B Hebræorum quinam ſint reshaim, apparet eos eſſe, quos idem Philoſophus vocat μοχθηροὺς ἀκράτεις, ſceleratos, intemperantes, conueniensque cum Hebræis, & hæc cæleſtis philoſophia, ſic ſcribit: Tumultuat, inquit, animus ſceleratorum, nunc propter improbitatem dolens, quod abſtineat nõnullis, nunc gaudens. Et modo fertur huc, modo uelut diſcerptus. ac diuulſus illuc. Quod ſi fieri non poteſt, ut ſimul doleamns, atque gaudeamus, inciditq; in mœrorem, quia gauiſus eſt, nolletq; ea ſibi iucunda eſſe, implenturque improbi pœnitentia: nec amicè in ſe affecti ſunt, quia nihil habent amore dignum. εἰ δὴ τὸ οὕτως ἔχειν, λίαν ἐστὶν ἄθλιον: φευκτέον τὴν μοχθηρίαν διατεταμένως, ϗ πειρατέον ἐπιεικῆ εἶναι. Quod ſi ita eſſe, uehementer eſt miſerabile: conandum totis viribus, vt improbitatem fugias, probitatem, modeſtiamque ſuſcipias. Sic enim fiet, ut tuimet beneuolens ſis, & cæteris amicus. Ex antiquiſſima ſacrarum litterarum, pſalmorumq; ſapientia uidentur illa Stoicorum manaſſe, quæ Marcus Tuſculanis de felicitate, & infelicitate: illam in actionibus iuſtis, hanc in peccatis, libidinibusque ſtatuentium.

Pro. 1. b.

Impij, iuxta Ariſtotelem.

Et in via peccatorum non ſtetit.] Vt tres ſunt corporis qualitates, Ambulare, Stare, Sedere: ſic tria genera poſuit improborum, Impios, Peccatores, Deriſores. Videbimus ubique morem eſſe ſacrarum ſcripturarum, ut crebris utantur παλιλλογίαις, quoties idem diuerſis nominibus ad exaggerationem, declarationemque pleniorem ſignificatur. Idem igitur eſt Ambulare in conſilio impiorum, atque ſtare in uia peccatorum. Quanquam Græci putant (quod etiam arridet) principium malorum, primam mali labem eſſe, Conſilium audire, atque ingredi, iter arripere: proximum ſtare, permanere. Haud diſplicet nonnullos Hebræos peccato tribuiſſe ſtare, quod conſuetudo peccandi detineat, in alteram naturam uerſa confirmet, ſæpe non medicabilis, nullis monitis C auertenda: principiumque eſſe non ingredi uiam, primis abſtinere colloquijs, factisque, minore enim difficultate tollitur, quod radicibus altis non ſolidatur. Proximum eſſe, ſi nos caſus in laqueos præcipites dedit, repentè refugere, ne morbus inualeſcat.

Ambulare ſtare.

Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepidusque repente refugit,
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.

Viamq; hoc loco non ambulationem, ſed conſuetudinem peccandi deſignare ſentiunt Hebræi. Atque ſemper orationem creſcere: primùm eſſe Ambulare, inde Stare, poſtremò Inſiſtere, Sedere: Alterumque ex altero naſci ait Rabi Salomon. Quod ſtes, maneas in via: peccatorum cauſam fuiſſe, quoniam ambulaſti: quod in cathedra ſedeas, quoniam manere cœpiſti. Nec te cùm lapſus eſſes, erigere voluiſti, perſeuerãs habitum, ſeſſionemq; feciſti. Semperq; poſterius grauius eſſe priore. Summoq; artificio carmen contexi, pro cõſuetudine humanorum delictorum. Quorum maxima ex parte ſit origo, verſari cum improbis, audire ſceleratos, aures inquinatis eorum ſermonibus præbere. Exinde conſuetudinem fieri, poſtremò nos immorari, vix vt ſit reditus ad primum ſtatum. Philoſophumq; diuinum monere, vt priora fugias. Et quoniam (vt inquit ille) cuiuſuis eſt errare, ſolius inſipientis in errore perſiſtere, docere Vatem cæleſtem, vt lapſus abſiſtas, longiuſuè procedas. Ne prauitas radices ſumat. Hæc per humanam gentem verſari. Beatos autem eſſe, qui prima pericula vitent: Proximè beatos, qui lapſi ſurgant. Quod ergo Septuaginta dixerunt ἔστη, ſtetit: melius iuxta Hebraicum עמד madad, permanſit, conſtitit: Et in via peccatorum non conſtitit, fixusq; manebat. Adiit, vidit periculum, fugit, commercium eorum quando ſe dedit, auerſus refugit. Quod autem ait:

Via.

Stare.

Stare.

Peſtilẽtia. Lezim.

Rabi Dauid.

Cathedra.

Impij.

Cathedra.

Sedere.

Cathedra pro doctrina.

Et in Cathedra.] Iam vulgatum eſt, omnibuſque perſpectum, pro peſtilentia (quanquam Græcum eſt λοιμῶν peſtilentiarum) Hebraicè ecce לצים lezim, quod ab omnibus ſcitur deriſores deſignare: idque in ſuo pſalterio ex Hebraica veritate tranſtulit Hieronymus. Retulit Nicolaus, vnanimiter omnes hodierni tralatores. Nec alienè Sept. tranſtulerunt peſtilentias, vt eſt Græcè, qui Hebraicè Lezim deriſores: Nam Latini quoque Peſtes, & Scelera, dicunt peſtilentes, ſceleratos. Vt autem vim vocis, quam poſuerunt Sept. agnoſcas eſſe vim, ſignificatumq́ue vocis Hebràicæ, audias interpretes Hebræorum, quibus in explicandis nominibus omnis fides adhibenda, quàm rara, cùm ſenſus interiores euoluunt, Lezim inquit Rabi Dauid, ſunt frauduleti, & callidi, quibus mala mens, malus animus: arrogantes, obloquentes, detrahenteſq; hominibus. Calumniam, momum, dedecuſq́ue infligentes, abdita detegentes, idq́ue propriè eſt otioſorum in angulis ſedentium. Propterea dixit, in cathedra, ſede, habitatione deriſorum, non ſedit. Hæc Hebræus. His apparet tum proprietas ſenſuſq; vocis deriſorum, quid ponderis habeat, quid ei ſubſit: tum optimè Sept. eos dixiſſe λοιμοὺς, peſtes, peſtilentias, vt quorum ſermo peſtilens labefaciat, noceat, virus offundat, vaſtitas vrbium, peſtis acerba ciuitatum. At priores, quos dixi, reshaim, impios, erant qui Deo, diuiniſq́ue, atque immortalitati animorum detrahebant homines ad voluptates, illecebraſq; corporis, ad rapinas, ad cædes bonorum inuitabant. Peccatores autem, & peſtes poſtea nominauit, eorumq; commercium fugiendum docuit, qui linguæ ſuæ venena in homines fundant. Obtrectationibus gaudent, ſuſurrant, obganniunt, nihil habentes quod agant, duntaxat in maledicendo, hunc atque illum deridendo, otioſa, vana, impieq́ue loquendo verſantur. Horum ego magnam vim magnis in vrbibus vidi, propter otium. Propterea tribuit his cathedram, ſedem, moram. Sedent enim otioſè, impieq; nugantes. Priores igitur otioſa, vana, citò peritura perſequebantur, agebant: poſteriores loquuntur. Illorum in factis vanitas, horum dictis: ſed neutrum ſine alterutro. Magna igitur virtutis, probitatis vaſtitas hos audire, cum his ſedere, verſari. Fugiendi, auerſandi, execrandi. Beatus qui peſtes has declinauerit. Quadrat igitur magis ad vocem Hebraicam, ſenſumq́ue Hebræorum, vt hi vocentur peſtilentiæ, peſtes, quàm deriſores. Neque enim omnia mala intelligas ſub hac voce, quæ ſub Hebraica lezim declarantur. Græca verò adamuſſim eos deſignat. Hi Græcè alio nomine dicuntur, ἰοβόλοι, θανατηφόροι. Etiam verò Auen Eſra, prior quàm Rabi Dauid interpretatus eſt lezim eoſdem ipſos, nempe ſycophantas, occultorum proditotes. Quæ latent, in aures hominum inuulgantes, criminatores, delatores, ſuſurrones, & (vt ego magis reor) pietatis, religioniſq; deriſores, contẽptoreſq; Deorũ: ſi quid piè ſiat in terris irridentes, ioco, ludibrio res ſacras habentes. Bene igitur cum impijs adnumerantur. Dicendum igitur iuxta Græcum, Et in cathedra peſtilentiarum non ſedit. Et pro cathedra Hebraicè eſt, מושב moshab, ſede, ſtatione, manſione: vt dicat, & in ſtatione, manſione, ſitu peſtilentiarum non ſedit, non habitauit. Eoq; clarius, & rectius pro cathedra dixerunt Aquilas, & Theodotio interpretes poſt Septua. συνέδριον, conſeſſum, cõſiſtorium. Duplexq; ſubeſt ſenſus, vel Non habitauit, conſedit, conſuetudinem cum deriſoribus, ſycophantis, proditoribus, pietatis irriſoribus non habuit, vt Hebræis placet: vel Cathedra iuxta Græcos eſt doctrina, non attendit eorum doctrinam. Inter vtrunque non diſtat multùm. Videtur autem hoc ſacrarum litterarum documentum, quale illud Pythagoræ, Hirundinem ſub tecto ne nutrito. Docet enim loquaces fugiendos. Nam vt idem ait Salomon, In multiloquio non deeſt peccatum. Eos cum pulchrè vocaſſent interpretes Græci, peſtilentias, bene eos exponunt Græci qui cæteros venenatis ſermonibus corrumpant, qnicquid ſperant homines de rebus cæleſtibus, irridenres.

Sed in lege domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Lex.

Miro philoſophiæ concentu texitur carmen. Principium enim virtutis, ac beatitudinis, quæ fructus hic & in poſterum virtutis eſt, vt aſſueſcamus vitare commercium improborum. Corrumpunt enim bonos ὁμιλίαι κακαί, conſuetudines malorum, vt ait ille. Is primus labor, conatus primus. Refertur autem hoc carmine, vt aiunt Græci, quod præcepit Deus in lege Moſis: Et erũt verba legis huius ſemper in ore tuo, & meditaberis in eis, ſedens, ſurgens, recubans in lecto, alligabiſq́ue manibus tuis, ſemperq; ante oculos tuos verſabuntur. Quis autem fructus ex his conſequatur, poſtea Dauid docebit. Sciendum eſt igitur legem Hebraicè dici thorah, à verbo ירה docendi, quaſi doctrina, ex qua philoſophia, in qua Vates diuinus doceat nos meditari nocteſq́ue, dieſq́ue. Atque vt Hebræi ferunt, de illo ſermo eſt, qui contemptis vanitatibus mundi huius, auerſuſq́ue peccatores, & flagitioſos, qui ſe totis libidinibus dediderunt, omnem voluntatem, curamq́ue ad philoſophiam diuinam contulit, omnes hic cogitationes diſpenſat, verſans, diurna, nocturnaq́ue manu diuinam philoſophiam. Eoq́ue rectè monet Rabi Salomon ſuperiora omnia, quæ præmonſtrauit cauenda, ſpectare ad exitium huius diuinæ philoſophię. Nec aliud agere deriſores, & impios illos, quàm vt doctrina ſacra contemnatur, pro falſa, fabuloſaq; habeatur. Nolunt enim ſtare quæ flagitijs eorum aduerſantur. Duę ſunt vitæ, altera

A tera plena turpiſſimarum actionum, dedecoris, feritatis: altera factis præclaris, viuis, laudatis, ad conſeruationem generis humani ſpectantibus. Propterea hæc laudantur, illa vituperantur. Et quoniam multæ nos circunſtant tenebræ, multa inuitamenta ad peccandum, partimq; iudicij noſtri fragilitas, naturæque imbecillitas, partim ſocietas malorum, quorum commercium, difficile vitare eſt, cogunt delinquere, certè qui minus peccare voluerit, qui maiore in lumine verſari, & tanquam in ſpeculam aſcendere, vnde res omnes humanas contempletur, is adeat diuinam philoſophiam, non ſemel legiſſe contentus, ſed quantum poteſt operam impendat. Is portus, hæc à malis tranquillitas. Sciendum tamen, IN LEGE DOMINI voluntas eius: duos habere ſenſus: aut ad contemplandum, meditandumque in lege eius, præceptis, libriſque ſacris voluendis: aut potius obſeruandis, vt hic noctesque dieſque inſiſtat affixus, vt probitas facilis ſibi reddita, tranſeat in naturam. Diximus enim hunc librum Pſalmorum, eſſe quaſi librum Moralis philoſophiæ. Ea dicitur Græcè ἠθικὴ, Ethica, à moribus, à conſuetudine. Virtutes autem, quæ docentur in ethica, iſque finis libri, fiunt ex frequentatis actibus. Hoc quoque diuinus Vates ait, Omnes virtutes poſſederit, qui legem Dei obſeruauerit. Obſeruatio, ſunt illæ virtutes ab omnibus tantopere laudatæ. Has aſſequeris, ſi dies, ac noctes parere legi didiceris. Naſcetur in te moralis philoſophia, longè quidem purior, atque excellentior, quàm quæ traditur libris philoſophorum. Fies igitur apprime philoſophus, (nam philoſophia proprie moralis eſt) ſi ſacros libros ſæpius lectitaueris, multò magis, ſi ſæpius obſeruaueris, quæ legis. Hoc poſtremum Pſalmus requirit. Eſt autem lex tum Naturalis, tum Diuina, tum Moſaica, particulareſq; hominum leges. Moſaica etiam diuinæ nomen, quoniam diuinitus lata. Naturalis quoque, B diuina, quod natura diuinus ordo, Ratio recta ſummi Iouis. Nam ſuum cuique tribuere, diligere, neminem violare, beneficia conferre, originem primam diuinitus habent. Sunt primæ naturæ diuinæ proprietates, ab eo ad homines, in omnemque mundum profectæ. Poſſit igitur velut Hebræus ſpectaſſe diuinus Vates legem Moſaicam, in quam dicat omnibus curis incumbendum: ſed cùm in lege Moſis contineatur lex naturalis, Ceremonias verò, ritusque illius gentis priuatos, etiam ſanctiſſimi illorum, ipſeque Deus contempſit, paruique fecit, ad hanc præcipuè ſpectaſſe Pſalmum veriſimile eſt. Continetur autem in lege Moſis, vt diligas Deum ex toto corde, diligas proximum, Iuſtitiam ſerues, neminem, nec factis, nec dictis dehoneſtes, offendas. Hoc caput legis Moſaicæ, cætera pro vmbris, pro leuiſſimis, etiam à maioribus eorum habentur. Illam igitur pſalmum naturæ legem ſpectaſſe par eſt, quæ cunctis generatim gentibus lata, cùm conderetur, cùm ſpiritu Dei afflarentur, fuit, vt Deum colas, proximum diligas. In his enim duobus præceptis, vt Veritas ipſa dixit, vniuerſa Lex pendet, & Prophetæ. Hæc lex, vt dixi, naturalis eſt: ingenuit eam, impreſſitq; natura nobis. Hac à brutis diſtamus, quæ nec religionem Deumque norunt, nec inuicem ſe amore, niſi quo conſeruatio generis eorum pertinet, proſequuntur. Vniuerſa quoque de moribus philoſophia, duobus his capitibus ſuſtinetur, huc ſeſe tandem reuoluit. Si duobus his vnanimiter cuncti obtemperarent, beatum eſſet humanum genus, aſſequutum quod in frontem pſalmus præfixit. Nec vſquam ſeu temporaria, ſeu ſempiterna beatitudo eſt, quàm duobus his. Maximè verò legem hanc reſpexiſſe diuinum Vatem inde peſpicias, quoniam duo poſuit infelicium hominum genera: alterum aduerſum pietati, reshaim, vel impij, alterum humanitati, Lezim contemptores, ſerpentinis linguis virus, peſtemque C afflantes, malefici, crudeles. Beatus eſt ergo qui cum ab his diſſentire ſtatuiſſet, totum ſe pietati humanitatique dedit, quæ dicuntur in ſacris litteris, Amor Dei, & proximi. Hæc vſque meditatur, hic omnẽ inſumit ætatem, quomodo Deum colat, proximum diligat: in his perfectè philoſophus euadat, vt pius ſit, tum comitati, benignitati, indulgentiæ ſtudeat. Nec aliud Plato, atque Ariſtoteles, priſcique philoſophi reſpondebunt, ſi percuncteris ex eis, quæ nam vera ſit beatitudo, quàm Deum colere, iuſtitiam, ſocietatemque humani generis conſeruare. Hæc igitur eſt lex eius. Nec, vt ait Tullius, licet a natura leges, & iura ſeiungere: nec naturam à voluntate, ac ratione diuina. Lex igitur Latinis dicitur à legendo, quòd legat, eligat, ſeiungat, diiudicet faciẽda, & nõ faciẽda: Græcè vero νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, quòd vnicuiq; quòd ſuũ eſt, diſtribuat. Hebraice תורה thora, quòd doceat, monſtretq; viam. Latinis delectum, Græcis æquitatem, Hebræis documenta, nomine legis attendentibus. Marcus igitur Tullius hanc diuinam vocem edidit de lege vera. Non tum denique incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed tum cùm orta eſt. Orta autem ſimul eſt cum mente diuina. Quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Ergo vt illa diuina mens, ſumma lex eſt. Vides vt legem dicat diuinam mentem. Item paulò pòſt: Ergo eſt lex, iuſtorum, iniuſtorumque diſtinctio, ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur. En princeps omnium, & antiquiſſima natura, nempe diuina, quæ cum ſit lex ſuumma princepſque, ad eam particulares omnium hominum leges diriguntur, propterea beatus eſt, qui in hac ſuprema lege meditatur, ſeſeque exercet. Nam, & idem Tullius: Quibus illuſtratus ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore. Facit igitur lex diuina bonum virum, propterea beatum. Quod ergo repetit, ET IN LEGE eius meditabitur: conſuetudo linguæ eſt, vt monent Hebræi, quod paulo ante docuimus, creberrimis

Ethicè.

Ceremoniæ.

Summa legis Moſaicæ.

Beatus.

Tullius.
Lex. Lat.
Νέμος. Græ.
Thora. Heb.

Meditari.
Beatus, q bonus.

vti

Meditari.

Os iuſti, meditabitur ſapientiam.

vti ἀτπναδιρᾶς, παλλιλογίαις, quoties idem diuerſis nominibus inculcamus, exaggeramusq́; D Verbum autem Meditandi cum ſit Hebræis, linguæ, & cordis, quemadmodum item Græcis μελετᾷν, nunc cordis eſſe, teſtantur, iuxta illud, Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Linguæ eſt interdum, vt, Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam. Cordis igitur meditationem, continentemque cogitationem reſpicit, exacuere aciem ingenii ad legē Dei. Cuius erit fructus, quòd conſuetudinem, habitumque ſapientiæ, & probitatis aſſequeris: perſpicies, exploratumq; habebis, nihil agendum aliud. Hinc autem beatitudinem. Poſſet etiam eſſe ſenſus de ſermone. Nam ſemper loqui de rebus æternis occaſio eſt, vt eas concupiſcas, terrena deſpicias.

Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Lignum ſciētię boni & mali.

Pelagus.

QVod ad voces primum attinet, lignum Hebraica loquendi conſuetudine, dicitur arbor, nec aliud eſt nomen Hebræis, quod ſignificent arborem: vt Lignum vitæ in Paradiſo, arbor vitæ: Lignum ſcientiæ boni, & mali, arbor cuius fructus vetiti, contra imperium deguſtati, pandebant oculos. Et illud Salomonis de Sapientia, Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam. Arbor vitalis, Decurſus item aquarum, Hebraicè, פלגים pelagim, inde Græcum, Latinumq́ue Pelagus dicitur à palag, ſcindere, cùm flumen in multas partes abruptum, rapidumq́ue ſcinditur. Hæ ſciſſiones, & ſcaturigines, vberesq́ue impetus, vocantur Hebraicè Pelagim, vt quas Padus Adriæ propinquans ad mœnia Ferrariæ ſcindit, tres pulcherrimos amnes efficiens: videbisq́ue pro ripis, hinc, atque hinc populos, aliasq́ue arbores florentes, vt iure fuerit hoc E exemplo Vates delectatus. Sæpe ſacri ſcriptores id genus exemplis vtuntur. Idem vſurpauit Hieremias, iuſtum, piumq́ue eſſe velut arborem, ſecus perennes amnes ſurgentem, quæ non timebit cùm venerit æſtus. Riuulos dixit Hieron. eodem ſenſu. Quòd item Aquas nomine multitudinis dixit, Hebraiſmus eſt. Nunquam Hebraicè aqua eſt numero vnico מהים Maim, quaſi reſonantes, Et littora plangunt. Poſſet autem eſſe iuxta quoſdam Hebræos, cùm dixit, Quod plantatum eſt ſecus decurſus, de his arboribus maxime dictum, quæ velut Paradiſus illa Dei, & velut Meſopotamia, inter duos, hinc, atque hinc profluentes amnes, floreſcunt. Quales multæ quas efficit Padus inſulæ, vt quæ Paradiſus eſt ducis Ferrariæ, quam diuiſus Cælo gratiſſimus amnis, alluit vtrinque, & nemus frondeſcit opacum. Talis, inquiunt ſacræ literræ, iuſtus erit. Hierony. dixit tranſplantatum, eodem ſenſu. Fructum ſuum, &, Secus aquas, eſſe, quidve hac tralatione ſignificetur, Græci interpretantur, quòd is qui perenniter diuinis lectionibus, meditationibusq́ue vacat, velut ab his irrigatus ſemper proferet fructum, ipſas videlicet virtutes, florens, vireſcensq́ue inſtar arboris ad fluuium vireſcentis. Sic folia ſpem ſalutis æternæ, nunquam decidere. Iure autem diuinam philoſophiam comparatam vberrimis aquis, quòd irriget augeatq́ue animum. Sic Chriſtum doctrinam ſuam, vberrimas aquas vocaſſe: Si quis ſitiret, veniret ad ipſum, biberetq́ue. Et, qui crederet in ipſum, fluuios aquæ viuæ de pectore eius manaturos. Et illud: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet in æternum. Futuros autem beatos huiuſmodi, quoniam vt idem pſalmus ait, A domino greſſus hominis dirigetur, & viam eius volet valde. Itemq́ue Apoſtolus, Diligentibns Deum, Deus ipſe omnia cooperatur ad bonum. Græcorum quidem is ſenſus, quo declaratur ex aliis locis metaphora plan- F tarum virentium. Hebræorum ſunt, qui virum iuſtum comparatum arboribus perenniter à fluminibus irrigatis, quod ſemper alacer, ſemper idem ſit bonus, & iuſtus, cui nec ex diuitijs, lętitiæ fiat acceſſus, nec ex paupertate, virtutis deceſſus. Irrigatus alacerq́ue aliunde, gaudiis diuinis imbutus, fortis, conſtansq́ue, ſui ſimilis ſemper. Idem atque ſuperior ſenſus. Multas igitur ab Hebræis, Græcisq́ue habes in hac metaphora cauſas, cur iuſtus, atque is qui diuinæ philoſophiæ vacat, ſit velut arbor perenniter vireſcens. Quòd virtutes omnes aſſequetur, quarum poſſeſſio eſt beatitudo. Aſſequetur fortitudinem, contra fortunam, caſusque aduerſos, quibus humana vita redundat. Hos ille itaque contemnet, vt rideat, nauci faciat. Maxima pars felicitatis, doloribus carere, quos aduerſi caſus apportant. Ad hæc ſuppetant alia bona, quorum genitrix eſt Iuſtitia, Temperantia. Iuſtus enim vt palma florebit, ſicut cedrus Libani creſcet. His, ſermonibus, laudibusq́ue virtutis pleni ſunt Hebræorum, Græcorum, Latinorumq́ue libri. Fructum verò ſuum fuerunt, qui de ſtirpe, poſteritateq́ue ſentirent. Melius de virtute, quæ fructus ſit perpetuæ illius in lege Dei meditationis. Fructus autem virtutis beatitudo: eaque duplex tum in hoc corpore, qualis qualis haberi poſſit: longe magis in cœlo. Hos duplices fructus proferet, qui philoſophando exercendoq́ue animo, curasq́ue ſuas pro iuſtitia, pietate diſpenſando, tempus, ætatemq́ue ſuam tranſegit. Ad illud culmen perueniet, quo ſiſtit (vt vetuſſimus Heſiodus, ex his enim fontibus hauriebant, cecinit) virtus.

Lucil.

Paradiſus.

Aquæ. Fructus. Folium.

Fructum ſuū dare, quid, iuxta gręcos.

Rom. 8.

Fructum ſuū dare, quid ſecūdum Hebręorū sētentiam.

Fructus meditationis Chriſtianæ, pietas, pietatis fruct⁹, beatitudo, vitæ præſentis, & futuræ:

Αλλ' ἐπεὶ εἰς ἀκρὸν ἵκηται
Ρηιδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπήπερ ἐοῦσα.
Sed cùm ſumma ad culmina ventum eſt,
Fit facilis, & dulcis quæ fuit aſpera quondam.

A Hoc mortales omnes confitentur. Communis confeſſio certis, indubitatiſque nititur experimentis. Vt enim conſuetudo peccandi vertitur in naturam, redditque hominem ſupreme nefandum: ita perpetua uirtutis exercitatio ad ſimilitudinem Deorum mortales adducit. Hæc beatitudo, is finis. Exercitatio autem, ſiue meditatio in lege Dei, coget odiſſe peccata, diligere uirtutes. Voluptatem quam peccatores ex malefactis percipiunt, longè aliam atque maiorem ex benefactis hauriet optimus quiſque. Quòd autem dixit, IN TEMPORE SVO, vt vſus eſt arborum ſimilitudine, ſic per totam metaphoram decurrens, adducit partum, fructumque arborum uirentium irrigatarum: ut nullo alio poſſis exemplo tam facilè intelligere quid interſit inter eos qui ſe vanitatibus libidinibuſque, aut ſe probitati dederunt, quàm arborum. Finge virum ſanctum, iuſtum, pium, Dei colentem, mortales quoad poſſit iuuantem, velut arborem fructiferam, iucundam, feracem, virentem ſemper: contrà finge ſceleratum, arborem quæ viſa eſt quondam florere, comas hinc inde propandens. Ecce autem paulo poſt arefacta, aut radicitus euerſa, turpe ſpectaculum ſpectantibus fuit. Expectaui, inquit, vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Veniente igitur vere, nullus eſt harum arborum flos: apparente autumno, nullus fructus, quòd in ipſo virore exaruerunt, ſibi ipſis ſuccum, alimentumque ſubduxerunt. Tempus ergo ſuum in arboribus quidem eſt Ver, eſt Autumnus: in hominibus, tum certum quoddam ſpatium, quo Deus vt fructus feramus, à peccatis auertamur nos expectat: tum vita futura, ſupremaque dies, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, omneſque de factis propriis rationem repoſcet. Cuius diei etiam pſalmus in fine meminit.

Fructus Chriſtianæ meditationis, odiſſe peccata, diligere iuſtitiam. Pſal 44.
In tempore ſuo.

B Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.

PErſtat in metaphora. Totam primum arborem fluminibus propter labentibus irriguam, florentem, virentem, vſurpauerat: exin fructum, tempuſque partus eius: demum folia, quæ non defluentia ſunt argumento, virorem, vitalemque ſuccum arbori ſubeſſe. Optimus ille Philoſophus, qui non modò voluendis libris ſacris, ſed multò magis obſequendo his quæ præcipiunt, omnem dat operam, legemque attendit, quam Deus ex optima, perfectaq; natura ſua fudit, ſparſitque per mundum, pariet pulcherrimos primùm fructus: Tum ſemper virebit, frondeſcet, nullis temporibus amittet gratiam, ſecus quàm impij, illi, qui primùm florere videbantur, ſed tempus erit, cùm nec fructus, nec folia, nec ipſam prorſus arborem videbis. Vidi enim impium ſuperexaltatum ſicut cedros Dei, & tranſiui: & ecce non erat. Repetamus rationem fructuum. Fructus Hebræi duobus ſenſibus exponunt, Auen Eſra ſapientiam animæ, ꝙ mens, animuſque implebitur ſapientia diuina, quo cognoſceret creatorem ſuum, atque opera eius miranda, attenderetque res æternas. Alij fructus interpretantur, eoſq; in tempore, quos ſingulo quoque tempore profert bonus, ac iuſtus. Nunquam ceſſans, vel exemplis optimæ vitæ, vel oratione docere pietatem, ſapientiam. Maxima enim vtilitas hauritur videre aliquem ſapienter, ſanctè, patienterque viuentem: ſicut maxima detrimenta, qui ſceleratè viuendo, ſunt aliis improbitatis exemplum. Eſt enim homo animal procliue ad imitandum. Fructus igitur ſapientis, ſunt exempla virtutis, ſermones de pietate, probitate, iuſtitia, quibus abundat vita eius. Hæc oratio ſemper ab ore illius perſonat: nunquam non admiratur, effertque ſermonibus quo-C tidianis virtutem, pietatem, res æternas: docens in hac vita nihil eſſe magnopere expetendum: diuitias, formam, & alia quæ dicuntur bona, vaniſſima eſſe, & hoc ipſum factis comprobans. Tales ſi quando in mundo apparuerunt, innumerabiles fructus humanæ vitæ protulerunt. Hunc informat, gignit lex Dei aſſiduè meditata, penſitata. Lex, dico, non tam Moſaica, quàm illa quæ dicitur vero nomine, Sapientia, Philoſophia, non Platonis, aut Ariſtotelis: ſed vniuerſalis ſapientia, rerum perfecta, veraque conſideratio, iudicium incorruptum, vitæ quotidianæ in omni virtute exercitatio. Expoſitis igitur fructibus, Folia non defluentia fuerunt ex Hebræis qui interpretarentur famam poſteritatis, ac nomen, iuxta id, quod alio in pſalmo dicitur, In memoria æterna erit iuſtus. Hanc ſiue in hoc ſæculo, ſiue locis cæleſtibus. Nam bonorum memoriam ſemper alit poſteritas, nunquam de laudibus eorum conticeſcent. Grata recurrit eorum & iucunda recordatio. Hæc eſſe folia non defluentia, dixit Rabi Dauid: Similiter Auen Eſra, ſapientiam nunquam non florentem, nunquam non virentem, ſui ſemper ſimilem, hanc eſſe totius vitæ poſſeſſionem. Quod etiam Nicolaus gratiæ diuinæ perennitatem, perennium gratiarum fontem. Verum, vt dixi, perſtat in vniuerſa felicis arboris tralatione. Felix arbos eſt, qualis ferè quam deſcribit Lactantius.

Fructus bonę arboris.
Folia non defluētia.

Hic genus arboreum procero ſtipite ſurgens
Non lapſura ſolo mitia poma gerit.

Felix igitur arbos propter aquæ riuum floreſcens, tum ſuis temporibus fructus edens, tum folijs nunquam decidentibus: Folia haud vllis labentia ventis Felicis mali, vt arbor medica. Hæc deſcribitur in pſalmo, huic comparatur, qui leges Dei cogitat aſſiduè, in has nocteſque, dieſque incumbit. Tota igitur arboris felicis deſcriptio peruenit vſque ad folia.

Et omnia

Quæcunq; faciet.

Et omnia quæcunque faciet proſperabuntur.] Hebraicè eſt, Et quodcunque faciet, proſperabitur, vt Hieronymus quoque interpretatur. D Poſſet etiam intelligi ex Græco εὐοδωθήσεται, proſperabitur: licet poſſit referri ad nomen neutrum antecedens, Omnia quæ fecerit. Quocirca verbum Proſperabitur, poteſt referri aut ad ipſas res, quas faciet, aut ad ipſum qui faciet: vel illæ res, operaque proſperabuntur, vel is qui faciet. Quanquam nonnulli Hebræi etiam ad arborem referri poſſe cenſent, proſperabitur: vt dicat, Folium illius arboris, quam dico eſſe iuſtum, non defluet, eademque ipſa fructus, ramos, proſperè mittet. Dixerunt autem Septuaginta, Græcè proſperari εὐοδωθήσεται, bona via incedere, itinere felici tendere. Eſt enim felicitas, vt Ariſtoteles docebat, actio, operatio, vita, non otium, ſegnitiesque. Hæc operatio vitæ beatæ dicitur Felix, bonusq; ſucceſſus, Tendere curſum beatum, fortunatum. Via beata, proſpera, nuſquam ceſpitans, nuſquam malis præpedita. Sunt Hebræi qui exponant, Quæcunque faciet, intelligi diuitias, opes, liberos, honores. Diuitijs comparandis, magiſtratibus gerendis, filiis procreandis proſperabitur. Hoc à Græcis dicitur, εὐπραγία εὐπραξία, εὐοδοῦσθαι. Docet igitur pſalmus, teſtibus Hebræis, felicitatem, proſperitatem, rerum gerendarum ſucceſſum ex meditanda lege naſci. Quicunque fortunatus eſſe cupiat, etiam in hoc mundo, oportet eum præceptis diuinæ legis obſequi. Quorum nec alius quidem finis, quàm vt homines efficiant beatos. Quicquid malorum ſæuit, graſſatur in terris, procul terris, vltraque Oceanum exularet, ſi diuinas leges attendentes, his, promptis animis obſequeremur. Poteſt item proſperitas referri ad res æternas. Eadem enim cauſa facit futuram, atque præſentem beatitudinem. Qui nunc voluptatibus libidinibusque ſe minus dediderunt, minus doloribus cruciantur, minus ſubeunt vitæ diſcrimina. Quod poſſident, tametſi paruum, iucundius, felicius poſſident, quàm quibus latè rura patent, E Et quibus mille paſcuntur montibus agnæ. Ex hac iucunditate, quia neminem læſerunt, iuſtitiam non violauerunt, Deum toto corde coluerunt, proſperantur ad vitam futuram. Tunc verè beati, fortunati. Superius dixerat eos beatos: paulopòſt, floridos, perpetui viroris: nunc eadem ſecunda fortuna ſemper vtentes. Nam vt à Græcis, Nicolaoque ex diuo Paulo producitur, Deus adeſt, cooperaturque diligentibus ſe, & piis: id quod vel Euripides, licet poeta profanus, at ſpiritu compulſus eodem, canit:

Τῷ δ' αὖ πονοῦντι καὶ θεὸς ξυλλαμβάνει.
Laborantem coadiuuat ipſe Deus.

Is viror perennis, felicitatis inexhauſta fœcunditas.

Non ſic impij, non ſic: ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Puluis.

Sap.4.a

IN pſalterio quo nunc omnis, ſiue Græca, ſiue Romana vtitur Eccleſia, quod ab ipſis Septuag. interpretibus editum fuit, ſuperuacuè additur ſecundò, Non ſic. Redundat etiam, A facie terræ. Cùm Hebraicè ſit, Non ſic impij, ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus. Quemadmodum Hieronymus quoque tranſtulit. Admonent etiam Græci, in Hexaplo Origenis, non haberi. Idem tamen commodè exponunt, repetitione deſignari maiorem negationem, qua negantur impij virorem habituri. Et quem ijdem Septuag. dixerunt Græcè χνοῦν, puluerem, Hebraicè מוץ moz, dicitur ab Hebræis propriè deſignare puluerem palearum, inuolucrum tritici. E Eoque ait Auen Eſra, animum iuſti ſimilari grano, quod flante vento remanet: impios autem eſſe velut paleas, quas huc, illuc ventus deferat. Pulcherrimis igitur vſus eſt metaphoris. Pios; iuſtosque florentiſſimis, ſemperque virentibus arboribus comparauit. Perennem vbertatem, perpetuum foliorum virorem, fructuumq; exuberantiam tribuerat: ſucceſſum, felicitatem promiſerat. Nunc redit ad impios, vt & illis tribuat, quod proprium illis exiſtat. Multis autem exemplis, quibus infelicitas impiorum deſcribatur, requiſitis, nullum aptius occurret, quàm pulueris tritici, palearumque, qui in area vento ſubleuatur. Nulla ſubeſt ei ſubſtantia, nullius eſt ponderis, quæcunque vel aura leuis ſurgat, tolluntur, iactantur. Haud ſecus de impiis ſentias, quos alij felices, beatosque prædicabant, opes, fortunas, corporaque eorum formoſa, pinguia, libidinum ſatietates admirabantur. Ecce, ventus calamitatum, & clades quibus circunſepta eſt hominum vita, congeſtas euertit opes, ſternitque alto à culmine partas: quam Fortunam putant: Sed Deus eſt, in eas impetum facit. Poſſet eſſe etiam de animo actionum principe dictum, vt animus piorum, quanquam leges diuinas ferunt in oculis, ſemper hilaris, perpetuò virens, nullis caſibus concutiendus, tranquillitati, ac ſerenitati, qualis ſupra nubes eſt, ſimilis, vt ait Seneca de animo ſapientis. Sic in contrarium, impiorum contemptorumque Dei, animus, turbulentus (vt Ariſtoteles ſcribebat) omnibus malis motibus expoſitus, ad quamcunque fortunam aduerſam pauidus, quicquid increpuerit, extimeſcens, quicquid aduerſi ceciderit, blaſphemus, ferri ſe tranſuerſum, & quaſi vento portari ſinens. At cui ſerenitas ex ſapientia, quam, exercitatio in lege Dei largitur, ſemper affulget, flent quantum velint vexationum venti, quantum velint rerum aduerſarum truces vultus occurrant, ſtat immotus, velut Marpeſia cautes, aut annoſa quercus, quam.

A *Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc*
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & altè
Conſternunt terram, concuſſo ſtipite, frondes.
Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in tartara tendit.
Mens immota manet.

Incurrunt enim duo pulcherrima, maximeque inuicem ſimilia vſurpata duobus vatibus exempla. Virgilius ſapientem, quemque Deus ad virtutem hortabatur, ſed libido reuocabat, robuſtiſſimæ quercui comparat. Diuinus autem Poeta, Stultum, quique diuinis vocibus parere recuſat, leuiſſimis paleis, ac quiſquiliis, quas omnis aura tollat. Poteſt, vt dixi, dictum eſſe de fine, quòd quantum floreſcet, virebit, præmiis hic, & in poſterum maximis afficietur probitas, ac iuſtitia: tantum improbitas exareſcet, in nihilum marceſcet. Periit memoria eorum cum ſonitu. Hoc florentibus rebus Hebræorum maximè verum cernebatur. Salus, incolumitas, fortunarum augmentum, longæuitas, timentibus Deum promittebantur: Clades, ruinæ, θεηλάτοι, his qui mandata eius ſpernerent, intentabantur. Non erat autem aptius exemplum, quo partas iniuſtè, & cum ſanguine miſerorum comparatas opes deſignaret diſſipandas, quàm quiſquilijs tritici: quarum vt cumulum ſubitò ventus diſſipat, vt amplius non appareat, ſic cumulus opum iniquè B partarum, diſſipatur breui:

Matth. 7. d

Diuitiæ, malè partæ.

Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Ideo non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum.

Deut. 4. l. 88.

Conſilium dixerunt Sept. βȣλή. Hebraicè עדה adat, congregatio, cætus. Eoque Hieronymus dixit in ſuo pſalterio, Concilium. Id etiam deſignat conſilium, viros ſcilicet coactos ad concilium, conſeſſum: pro conſilio quoque Chaldæus iuxta Hebraicum dixit, In conuentibus iuſtorum סעתהון ſihatheon. Aquilas item, Theodotionque, & Symmachus, quos imitatus eſt Hieronymus. Priores duo, eam vocem reddiderunt συναγωγὴν, poſterior συνέλευσιν: vtrunque ſonat conuentum, cœtum, concilium. Vt præmia virtutis oſtenderat, exemplis oculis noſtris manifeſtis virorem pietatis æternum comprobauerat, ſic exemplo primùm declarat impiorum cataſtrophen. Tum in eos grauiſſimam ſententiam pronuntiat, non modò eos gaudijs temporarijs, fructibusque iucundiſſimis ſapientiæ priuandos, & ſemper inter inanes, turbulentaſque opiniones futuros, ſed etiam fore, quod longè miſerrimum eſt, vt à concilio bonorum excludantur. Sciendum in hoc verſiculo exponendo ferè inter ſe conuenire Chriſtianos, & Hebræos, de die iudicij. Sed hoc differunt, quòd iudicium, vel diem iudicij, alij exponunt diem mortis, adijcientes quædam prorſus à noſtris exibilanda. Alij diem ſupremum, velut Chaldęus, qui tranſtulit hoc loco, Ideo non reſurgent impii ביומא רבא beioin rabba, in die magna. Nos quoque vocamus illum diem, diem magnum. Itaque Rabi Dauid, colligens opiniones quorundam ſuperiorum interpretum, vt eo audito, reliquos audiſſe te ſcias: Quocirca (inquit) quoniam impij ambulant per viã malam mundi huius, Non reſurgent in iudicio: nimirum in die iudicij. Et is eſt dies mortis, non erit eis reſurrectio, ſed interibit anima eorum vnà cum corpore in die mortis. Dixit, In concilio iuſtorum: propterea quòd cùm moritur iuſtus, anima eius cum animis iuſtorum aſſociatur in gloria Dei, in mundo ſuperno. Hæc Hebræus ille. Sed melius eſt iuxta noſtros, & antiquam Hebræorum theologiam, vt diem iudicij ſupremi ſentiamus. Illud item contra ſacras ſcripturas eſt, Morituras aliquas animas cum corpore, aliquas non morituras. Nam Daniel omnes dixit reſurrecturos: ſed alios ad gloriam, alios ad ignominiam. Itemque diuus Paulus reſurrectionis vocaliſſimus, atque indefeſſus præco, in actis, Spem, inquit, habens in Deum, quam & hi ipſi expectant reſurrectionem futuram iuſtorum, & iniquorum. Tamen ex philoſophia in contrarium ratio ſuccurrit. Si enim naturale eſt animis, vt ſint immortales, quomodo aliqui pereunt, aliqui ſeruantur incolumes? Hoc prodigioſum eſt, non naturale. Quare verior eſt, & ſacris ſcripturis, necnon & naturæ congruentior ſententia noſtrorum: Reſurrecturos quidem omnes, bonos, & malos: quod & antiqui Hebræi. Repromiſſio (inquit idem Paulus) quæ ad patres noſtros facta eſt. Græci quidem reſurrecturos impios, ſed non ad iudicium, vt qui iam condemnati ſint, iam ad pœnas æternas deputati. Cumque Moſes de reſurrectione penitus tacuiſſet, nunc primum Dauid de ea oraculum edidiſſe. Eſt verior hæc Græcorum, quàm Hebræorum illa ſententia, quòd omnes quidem reſurgent, ſed ſanctorum, ac iuſtorum, velut principum, iudicium erit. Hi iudicabunt impios, velut eorum principes, ac domini. Teſtatur hoc ipſum alius ſacer Philoſophus: Sancti, inquit iudicant gentes. Et Salomon, quem theolo-

Dies magna.

Ioan. 6. c.

Gręcorum de reſurrectione, ſententia.

Iudicium actiuum.

Sap. 3.b. ſ.a. theologiam paternam apprimè calluiſſe veriſimile eſt: Stabunt, inquit, iuſti in magna conſtantia D aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Hoc igitur erit iudicium, ad quod negat impios admittendos. Congregatis enim bonis, bonorumq́ue principe Chriſto, iudicium fiet. Hoc iudicium erit bonorum, iudicantium, grauibusq; ſententijs damnantium ſceleratos illos. Eoq; ſtabunt aduerſus eos in magna conſtantia, quorum etiam in vita fuiſſent inimici, eorum impietatem ſemper execrantes, & coarguentes. Quemadmodum Ioannes contra Herodem. Magna igitur erit dignitas, maximus honos bonorum, vt quibus dabitur, vt in eos letalibus ſententiis animaduertant, qui quondam virtutes, pietatemq́; eorum perſequerentur, odio haberent. Et quoniam ſacræ litteræ, quemadmodum ſcriptores profani, ſępe ex aliis locis inter ſe collatis, facilius intelliguntur, ſuperiorem de iudicio interpretationem veram eſſe docemur ex his, quæ vaticinatur Salomon de his, quæ ſupremo tempore bonis, ac malis dabuntur, vt quaſi pſalmum hũc prophetiamq́; paternam videatur interpretari. Nam cùm ſtudia, conſiliaq́; ſceleratorum, & cupiditates, & quid aduerſus iuſtos moliantur à principio poſuiſſet, non multò poſt adhibuit ſortem ſupremam vtrorumque. Videntes, inquit, impij turbabuntur timore horribili, ob prodigioſam ſalutem bonorũ. Et pęnitentes, atque gementes dicent, Is eſt iuſtus, quem aliquando habuimus deriſui, & in parabolam, fabulam dedecoroſam. Ipſi dementes vitam illius exiſtimabamus inſaniam, & finem ſine honore: πῶς κατελογίσθη ἐν υἱοῖς θεοῦ, καὶ ἐν ἁγίοις ὁ κλῆρος αὐτοῦ ἐστίν. ἄρα ἐπλανήθημεν ἀπὸ ὁδοῦ ἀληθείας. Quomodo computatus eſt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illius eſt. Ergo aberrauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non refulſit nobis. Et Sol non ortus eſt nobis, Repleti ſumus iniquitate, & exitio, ambulauimus vias deſertas, τὴν δὲ ὁδὸν κυρίου οὐκ ἔγνωμεν. Viam autem domini non cognouimus. Quid profuit nobis ſuperbia, & opes, atq; inſolentia quid profuere? Præteriercũt illa omnia velut vmbra, velut nuntius percurrens. Demum ſubiicit eorũ queſtibus Salomon, vtens eadem ferme tralatione, & eiſdem nominibus, atque pater in pſalmo, ὅτι ἐλπὶς ἀσεβοῦς ὡς φερόμενος χνοῦς ὑπὸ ἀνέμου. Quoniam, inquit, ſpes impij, tanquam puluis quem portat vẽtus. Iuſti autem in perpetuum viuunt, & in domino merces, præmiumq́; eorum, & cura eſt illis ab altiſſimo. Ob hanc cauſam accipient regale decus, & coronam pulchritudinis de manu domini. Hæc omnia Salomon. In quibus continetur omnis huius primi pſalmi profundiſſima theologia explicita, declarata. Declarauit enim Salomon quid pater vaticinatus eſſet de præmijs iuſtitiæ, de ſorte bonorum. Ea igitur eſt, quòd inter filios Dei, nempè, inter ſanctos computabuntur, in concilio Deorum Angelorumq́ue collocabuntur. Iudicium. Hoc concilium duobus nominibus appellat pſalmus, Iudicium, nempe viros congregatos ad iudicandum. Vos inquit Chriſtus Apoſtolis, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis etiam, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Hoc erit iudicium, ad quod non reſurgẽt, non ſtabunt, non aſcendent impij. Alterum eſt עדת adat, cętus, congregatio, concilium, iuſtorum ad quod impij non admittentur. Conciliũ. Eſt igitur concilium Hebraicè, עדת adat, Gręcè βουλὴ, Conſilium. Sed alterum pro altero eſt. Dilatauit igitur Salomon ſermonem de præmijs iuſtorum, quod inter filios Dei videlicet Angelos adiudicabuntur: quòd inter ſanctos erit ſors illorum: quòd coronabuntur ab eo regaliter, diademate regio. In contrarium gement, cruciabuntur ſcelerati, videntes quos olim riderent, nihili penderent, pro contemptiſſimis haberent, in excelſo dignitatis gradu collocatos, ſenatui Deorum adſcriptos, qua nulla cælo, ac terris gloria maior. Rho. 8. c. Hoc etiam dixit diuus Paulus futuros iuſtos ac bonos, συμμόρφους conformes, eiuſdem formæ, pulchritudinis, decoris, atque ipſe filius Dei. Et Mat. 22. c. Chriſtus ipſe: Erunt ęquales Angelis Dei. Hęc illa ἀποθέωσις deificatio, quando fient, qui piè vixiſſent, declarabunturq́ue Dij. Hoc erit concilium, congregatio iuſtorum. Propterea pſalmus is eſt nobiliſſimus. Eſt enim prophetia de vera beatitudine, de pręmiis iuſtitiæ. Et ſunt in hoc verſiculo duæ voces, Iudicium, & quod Sept. tranſtulerunt βουλὴ, conſilium, pro quo clarius in Hebraico עדת adat, congregatio, cœtus, vt dicendum ſit: Neque peccatores in cętu iuſtorum. Sæpe autem in ſacris litteris, duo nomina ponderis, ſignificatuſq́ue eiuſdem reiterantur, quorum ſecundũ eſt declaratio prioris. Sic ex ſecundo nomine cętus, intelligimus quid ſit iudicium. Nempè cœtus ad iudicandum congregatus, cœtus iuſtorum, ac principum, magnorum virorum. Affertur ab Hebræis ex alio loco, ad declarationem iudicij. Cuncta, inquit Salomon, opera adducet Deus in iudicium. De hoc iudicio quoque vaticinata eſt Sibylla carmine quod dicitur ἀκροστιχίς, in quo ſumptis primis cuiuſque verſus litteris, efficitur, hoc omne, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS. SERVATOR REX. Huius carminis initium eſt;

Ἱδρώσει δὲ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
Iudicij ſignum tellus ſudore madeſcet.

Itaque iure pſalmus is ab antiquiſſimis Hebræis de ſuprema die concorditer editus, & cognitus eſt, è quibus, vt dixi, Chaldęus interpres pro eo quod ait Hebraicum, Non reſurgent impij in iudicio, dixit, Non reſurgent impij ביומא רבא beiom rabba, in die magna. Et alii codices habent, In die iudicij magni. Non reſurgent. Et de eo Salomon in libro de Sapientia, latè. Et verbum in Hebraico, Non reſurgent, Hebraicè לא יקמו lo iacumu, non deſignat, fore vt corpora non recipiant impij in regeneratione, vt malè ſentiebat, perperamq́ue exponebat Rabi Dauid: ſed potius: Non admittentur

A tur impii ad iudicium in ſede maieſtatis, qui potius ab aliis, nempè ab his quos olim contempſerunt, iudicabuntur, letalibus ſententiis interficientur. Quod Salomon idem clariſſimè docuit dicens de iuſtis, κρινοῦσιν ἔθνη, καὶ κρατήσουσι λαῶν. Iudicabunt gentes, & dominabuntur populis, & regnabit ſuper eos Deus in æternum, Itemq; longè manifeſtius, κατακρίνει δὲ δίκαιος θανὼν τοὺς ζῶντας ἀσεβεῖς. Iuſtus defunctus, aut poſt hanc vitam iudicabit impios. Cùm ſit igitur hic duplex expoſitio de die iudicii, aut die qua quiſq; ſecedit è corpore, aut illa ſuprema, magnaq;: viſū eſt ex antiqua Hebræorum theologia, Græcorum Latinorumq; ſententia potius de ſupremo tempore ſentiendum eſſe. Quo item ſenſu ſit accipiendum, Neq; peccatores in conſilio iuſtorum, ex filio ipſius Dauid theologiam paternam declarante facilius intelliges, ex his quæ dixit de pio, iuſto, ἐν υἱοῖς θεοῦ κατελογίσθη, καὶ ἐν ἁγίοις ὁ κλῆρος αὐτοῦ. Et de eadem ſorte diuus Paulus in Actis referens verba Chriſti, ſimiliter atque is pſalmus, Vt accipiant remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctos, per fidem quæ eſt in me. Et idem Salomon quòd viuet in æternum, quòd præmium eius ab altiſſimo, quòd coronabitur. In contrarium impij, peccatores: neque inter filios Dei, neque inter ſanctos, nimirum in congregatione, & ſorte iuſtorum.

Sap.3. b.
Sap.4. d.
Act.26. c.

Quoniam nouit dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

HEbræi rectè declarant, quid ſit, Nouit dominus viam iuſtorum. Nam Chaldæus dixit. Quoniam manifeſta, clara eſt Deo via iuſtorum. Et ex dictis Salomonis ſuperius, eſt ſenſus clarus. Cùm diceret de iuſtis, καὶ ἡ φροντὶς αὐτῶν παρὰ ὑψίστῳ. Et gubernatio eorum, B cura, cogitatio, apud altiſſimum. Sunt Deo curæ iuſti, reſpicit, tuetur eos: noſcit, habet cordi, viam, vitamque eorum defendit, protegit, præmiis afficit. Non ſunt obliuioni pia, iuſtaque facta non negligit bonos Deus, amat, amplectitur, ſcit quid agant. Eſt autem hoc quale Plato, Ariſtotelesque ſummi philoſophi, ex ſacris litteris inſtinctuque naturæ, aſſeruerunt. Ariſtoteles, εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον, χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ, καὶ τῷ συγγενεστάτῳ. Si qua cura, inquit, eſt rerum humanarum apud Deos, vt videtur, rationabile quoque eſt, eos optima, atque ſibi maximè vicina re delectari. En Ariſtoteles vocat ἐπιμέλειαν, curam, diligentiam, prouidentiam. Atque etiam delectationem, amoremque Dei erga iuſtos, quam pſalmus dixit cognitionem viæ ipſorum. Addidit Ariſtoteles eodem loco, Deum ἀντευποιεῖν, remunerari bonos, atque probos, præmiis afficere. Id quod ſuperius Salomon: Et merces eorum in Deo. Plato vero luculenter viro bono nihil mali, aut viuenti, aut defuncto accidere poſſe, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα. Neq; negliguntur res huius à diis. Dicit à Diis, quod alibi à Deo. Diuinè enim dixit in Phædone, εὐλόγως ἔχει τὸ θεόν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἐκείνου κτήματα εἶναι. Rationi conſentaneum eſſe, Deum curam noſtri ſuſcipere, & nos eſſe poſſeſſiones, peculiumq; eius. Mirum quàm congruant ſacra profanis. Hoc enim eſt, Nouit Dominus viam iuſtorum. Idem Salomon in ſua Sapientia ſæpius, magnaque vocis contentione: δικαίων δὲ ψυχαὶ ἐν χειρὶ θεοῦ. Animæ iuſtorum in manu Dei ſunt. Et Sirac in ſua Sapientia, οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτόν, ὑπερασπισμὸς δυναστείας, καὶ στήριγμα ἰσχύος. Oculi domini ſuper amantes eū. Protectio valida, & præſidium ab æſtu, C & tentorium à ſolis ardore. Et illud in Pſalmo: Oculi domini ſuper iuſtos. Hæc omnia confirmant interpretes Hebræorum. Nouit, aiunt, Deus viam iuſtorum, eis proſpiciens, beneficia præſtans, eos vbique protegens: iuxta id, quod alibi dicitur: Quid eſt homo quia memor es eius? Hebraicè, Quia noſtri, proſpexiſti illi. Quod autem ait, Et iter impiorum peribit: confirmat ſuperiora, agens de finibus bonorum ac malorum. Dixerat malos ſicut puluerem diſſipandos, in cinerem reſoluendos. Nunc iter eorum in ruinam, perniciemque tendere. Et ad impia tartara mitti. Meta viarum ſceleſtarum, inquit, ruina eſt. Eſt autem hoc patris, quale illud Salomonis. γενεᾶς γὰρ ἀδίκου χαλεπὰ τὰ τέλη. Generationis iniuſtæ, exitus aſper, amarus. Eodemque libro, quo ad veram ſapientiam inuitat, καὶ ἔσονται μετὰ τοῦτο εἰς πτῶμα ἄτιμον, καὶ εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς δια αἰῶνος. Et erunt, inquit, impij poſt hoc ruinam fœdam, & contumeliam inter defunctos in æternum. Quoniam ipſe Deus ſupinos ſternet dementes, eoſque à fundamentis concutiet, & vſque ad extremum in terram intrudentur. Erunt in dolore, & cruciatu, peribit eorum memoria. Hæc Salomonis verba, tum declarant impios, iniuſtoſque, vt pſalmus canit, perituros, tum perditionis genus oſtendit, videlicet poſt hanc vitam, in barathro perditionis ad manes. Hiſq; coarguitur aliorum Hebræorum imperitia, nempe Rabi Dauid, qui dixit hoc loco, animam iniuſtorum interire cum corpore, hocque eorum eſſe ſupplicium. Nam vetuſtior, eoque ſyncerior theologia prædixerat ad inferos hæc parata eſſe ſupplicia, præcipuè cùm ſupremo die cuncti iudicabuntur, bonis coronatis, improbis deiectis atque damnatis. Hæc enim clariſſima voce Salomon eſt vaticinatus. Concordibus igitur Hebræis, Græciſque, ac Latinis, pſalmus is eſt de finibus bonorum, ac malorum, de præmiis virtutis, ac ſceleris, idque tum in hac vita, tum multò magis in poſterum. De die iudicii, de Paradiſo, de pœnis ad inferos, de conuentu, gaudiiſque iuſtorum, quem conuentum Plato vocat εὐδαίμονα χορὸν, μακαρίαν ὄψιν τε καὶ θέαν: Chorum beatum, viſionem felicem. Iure nobiliſſimus pſalmus, philoſophiæ principium.

Solicitudo.
Ariſt.
Plato.
Sap.3.a.
Eccle.34.c
Sap.3.d.
Sap.4. d.

PSALMI II. EXPLANATIO.

QVare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

LATINI, Græcique cum Hebræis concordes, hunc pſalmum cum priore eſſe coniunctum. Nullus enim titulus, huic adhibetur, quo doceatur, quod in reliquis fieri ſolet, alterum pſalmum inchoari: eoque redundat apud Sept. in principio iſtius pſalmi, ψαλμὸς τῷ δαβὶδ, Pſalmus ipſius Dauid, in Hebræo non eſt. Rabi igitur Dauid, ait pleroſque Rabinorum contendere, vnum eſſe Beatus vir, & Quare fremuerunt. Eadem à reliquis Hebræis, qui munus diuinarum literarum interpretandarum ſibi ſuſceperunt, aſſeruntur, quorum ſententiam Latini cum Græcis ſequuntur. Hoc cum minimi referat, multis verbis extrahendum deprædicandumque non videtur. Tres ſunt, quas ex omnibus, qui ſacros Pſalmos interpretantur, excerpas, ſententiæ, quorſum Pſalmus is, atque ea quæ nunc canuntur, pertineant. Nam ſi cum primo coniungitur annectiturque, vt ille veræ beatitudinis vias aperuerat, de totius philoſophiæ, atque omnis humanæ vitæ fine, certiſſimam demonſtrationem expreſſerat: ſic ſecundus is, conſequens connectenſque priora, gentes, impiaſque earum opiniones, quibus ſe à cognitione Dei ſeduxerant ad ignorationem veritatis delapſas, execratur, admiratuſque errores eorum, tumultus inanes eſſe teſtatur, quibus oppugnant ueritatem, viaſque ad vera bona ferentes euertunt, impediunt, perſequuntur bello pios. Eos cum ducibus imperatoribuſque eorum, qui ſigna impietatis eis præferunt, vaticinatur perituros, quoniam prædixerat, Et iter impiorum peribit. Nunc autem irridendos a Deo, & furore eius corripiendos: caſtris eorum diuinitus expugnatis, profligandos, extremæque neci dandos. Hoc aduerſus mores eorum, qui Deū neſcirent, veramque beatitudinem ignoratam repudiarent. Hoc gentes olim, Hebræis aduerſæ, E moribus, ac religione. Secunda ſententia erit, vt ſit pſalmus, quales alij plerique, qui ſequentur, ſpectans ad res Dauid, regnumque eius. Quòd oppugnaturi reges, ac principes Palæſtinorū cùm eum regem deſignatum audiſſent, conuenerant, ſed victorem Dauid canit, copias eius protegente Deo immortali. Hi qui pſalmos in ordinem redegerunt, cùm pſalmū philoſophiæ cæleſtis plenū, longeq; nobiliſſimum in fronte collocaſſent, reliquos, vt omnes Hebræi, Græci cū Latinis aſſerunt, apparebitq; in ſequentibus, nullo ordine addiderūt. Pleraque enim, vt ait diuus Hilarius, & hic Rabi Dauid, prius acciderūt, quę poſterioribus pſalmis referuntur, prælatis his quæ multò poſt accidiſſent. Animaduerſum igitur eſt, non ſeruari ordinē in pſalmis digerendis, ſic non mirum cum prior altiſſimæ philoſophię fuiſſet oraculum, ſi ſecundus ad diuerſum genus rerū ſubito tranſeat. Tertia eſt ſententia, non noſtrorū modo, ſed ipſorum etiā inimicorum Hebræorum, Priſcos Hebræos hūc pſalmum quadā arcanæ ſapientiæ per oēs ætates traditione, de Chriſto ſenſiſſe vaticinari. Rabi Salomō teſtis, Maiores, ait, noſtri hunc pſalmū de Meſſia exponebāt: nos autē inquit, propter, hæreticos nēpe Chriſtianos, de Dauid interpretabimur. Obſeruauit hoc etiā Nicolaus. Ita cū ſenſu Apoſtolorum quo teſtimoniū de Chriſto hoc pſalmo protulerunt, conueniebant priores Hebræi, qui quò propius aberāt ab ortu veritatis, eò certè incorruptius quā poſteriores iudicabāt, & quæ veriora ſunt, cernebant. Quemadmodum de reſurrectione ſyncerius quod penes eos theologia ſacratior eſſet, quàm iuniores, ſentiebāt. Hęc quo melius, certiusq; animaduertantur, & plena fides his habeatur, ipſa Hebræorū ſuę linguę verba ſubiiciam. Rabi Salo F mon: רבותינו דרשו את ענין על מלך המשיח ולפי משמעו ול תשובת המינים נכון ל פותרו על דוד עצמו Rabotenu dareſhu & anian, al melech hamaſciac vlphi miſmeo, vela theſubat haminim, nacon le pothero al Dauid azmo. Quę ſunt, Autores noſtri, quicquid hoc pſalmo canitur, de rege Meſſia interpretabantur, Secundum autem apparentem ſenſum, verborumq; ſonitum, & ob reſponſionem hęreticorum, conuenit eum interpretari de ipſo Dauid, vt ſcribitur. Audierunt Palęſtini quod vnxiſſent Iſraelitę Dauid in regē ſuper ſe, copiaſque ſuas collegerunt, quos Dauid profligauit: eoque dictū eſt, Quare fremuerunt gētes? Sic ille. Auen Eſra quoque grauis ſcriptor Videtur, ait, mihi, hunc pſalmum, aliquem è cantoribus compoſuiſſe ſuper Dauid, quo die vnctus fuit, eoque dixit. Ego hodie genui te. או על המשיח O al ha meſiach: aut certè dictus eſt ſuper Meſſia. Hoc teſtatur Auen Eſra. Rabi vero Dauid, qui clarius, apertiusque ſcripſit, & vbi ſcripſiſſet hunc pſalmum editum fuiſſe ſuper Dauid, ſubiiciens aliam ſententiā, Dictus eſt, inquit is pſalmus ſuper Gog, & Magog, nimirū Antichriſto. והמשיח הוא מלך המשיח וכן פרשו רבותינו Ve ha mashiah hu melech ha mashiach, ve ken perashu rabothenu. Chriſtus autē eius, quod memoratur in pſalmo, eſt rex Meſſias. Sicque expoſuerunt magiſtri noſtri. Idipſum affirmat in fine pſalmi, Pſalmum inquit, vel de Dauid, vel Meſſia expoſito. His teſtimoniis fit perſpicuum, quanquā ſupernus verborum cortex ſępe aliud ſonare videatur, maxima ſub pſalmis latitare myſteria: Videtur enim de Palęſtinis potius ac Dauidiis pſalmus editus. At maiores Hebręi, ſimul & Apoſtoli, Hebręorum doctiſſimi, quorum ſententię minores ſubſcripſerunt, de Chriſto conſtanter interpretati ſunt. Huiuſmodi ferè ſunt alii complures, velut Sibyllino carmine, ſub figuris, tropiſque Hebraicis, & humano ſermone maiores ſenſus occultantes. Seiunctus igitur eſt is pſalmus à primo de Chriſto magis, quàm Dauid editus.

Tres opiniones interpretum quorſum hic pſal. pertineat.

Quare igitur fremuerūt gētes?

De ordine pſalmorū.

Chriſtiani Iudæis hæretici.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?] In verbis hæc obſeruanda. Quòd Septuaginta, quorum vtitur Eccleſia Latina pſalterio, tranſtulerunt ἐφρύαξαν, fremuerunt. Hebraicè

A רגשו ragheſu, Fremitum quidem, qualis multarum copiarum deſignat, vt virgilius: Cuncti ſimul ore fremebant Dardanidę, Et Ouid. de concilio Deorum, audito ſcelere Lycaonis, Cõfremuere omnes. Tumultum igitur, hoc Hebraicum, quaſi per ſeditionem collecti exercitus deſignat.

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio ſæuitque animis ignobile vulgus.

Fremuerunt. Verũ hoc verbum enarratores Hebræi, videlicet Salomõ, Auen Eſra, docẽt deſignare נתקבצו חברו nith cabezu caberu, Cõgregati ſunt, coierunt. Rabi quoq; Dauid teſtatur hac voce denotari קבוץ והמון רב kibuz vehamon rab. Collectionẽ, & multitudinẽ ingentem. Affertq; exẽpla. Quod ſciẽs item Hieron. dixit in ſuo pſalterio actiuè. Congregauerunt. Aquilas & Theodotio reſpexerunt fremitum iuxta Septuaginta prior ἐθορυβήθησαν, tumultuatæ ſunt: poſterior κυκᾷ, miſcentur. Idem verbum igitur, cùm deſignet duo, alterum ex altero depẽdens (nam fremitus, & tumultus eſt collectarum copiarum) iure potuit pro vtroque ab interpretibus transferri.

Gentes. Gentes item Hebræis, qua dicuntur גוים ghoim, habet peculiarem ſignificatum. Quemadmodum Græcis, Latiniſque omnes aliæ nationes vocãtur Barbari, ſic oẽs aliæ nationes, quas certum erat à veri Dei cultu abhorrere, Hebræi Gentes appellabant. Idemq; Apoſtolis velut Hebræis remanſit ἔθνος καὶ ἐθνικὸς, Ethnos, & Ethnicos vocantibus eos qui non eſſent Hebræi. Et Chriſtus dominus dixit de incorrigibili, Sit tibi tanquam ethnicus. Hoc igitur ex Hebraiſmo eſt. Eſt quãdo de ipſis Hebræis item dicitur Deuter. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta? De.4.a. Hoc pſalmo de gentibus externis dictum. Ad hanc imitationem Græci vocant τοὺς ἔξωθεν σοφοὺς· τὴν ἔξωθεν φιλοσοφίαν: philoſophos externos, externam, ſeu profanam philoſophiã. Gentes igitur nũc Palæſtini vocantur. Sin B de Chriſto pſalmus eſt, vt par eſt, Phariſæos cum ſequacibus, qui iam ad mores profanos abierant, iam impios ac profanos, gentes, ſiue gentiles appellat, itemq; Antichriſtum.

Meditati. Quod verò dixit. Meditati ſunt, quemadmodum priore pſalmo fuit expoſitum, meditari Hebræis הגה non tam mentis, quàm linguæ. Meditatur guttur, lingua, nempe loquitur. Sic nunc, Et populi locuti ſunt inania. Loquebantur, ait Rabi Dauid, Palæſtini ſuperbè, atque arroganter, quòd paucis antè diebus Iſraelitas verſos in fugam cum rege Saul profligauerant. 1.Re.14.b. 1.Re.13.b. 1.Re.14.b. Hanc autem eorum iactantiam non fore diuturnam. Igitur Hebræi malunt ad ſermonem verbum nunc referre, quam meditationẽ. Ne Chaldæus quidem meditationem, ſed exultationem, fremitumq;, & locutionem poſuit, pro meditati ſunt רנין ranin exultantes.

Senſus. Quod ad ſenſus attinet, Græci vt monſtratum eſt, de Chriſto totum pſalmum editum aſſerentes, tumultum, fremitumq; aſſerunt fuiſſe, quo tota Hebręorum innumerabilis natio, Chriſto ad homines veniente, & inuſitata prodigia edente, tumultuarunt, miſcebantur. Multa in nihilum caſura maledicta, diuinitati eius, ac ſapientiæ detrahentes loquebantur. Gentes fuiſſe Romanos milites ac centuriones, quibus in cædem Chriſti miniſtris Iudęi vterentur. Principes & Reges terræ, Herodem, & Pilatum. Populum aũt, cui ſapere delyrare eſt, plebẽ illam inſanam, quę cum maioribus ſuis ignorato tãto numine, pari impietate laboraret, eorum conatus blaſphemiaſq; in nihilum recidiſſe, uelut alio in pſalmo fertur, Sagittæ paruulorũ factę ſunt plagæ eorum. Pueriles illæ plagę, bellum illud tunc ἄσπονδον, euanuiſſe, ſumpto de inimicis pęnarum tanto, quantum vix quiſquam audeat optare. Hanc interpretationem Latini quoque proponunt. Quod ſi vera quoque ſit expoſitio Rabi Dauid, qua putat iuxta maiores, hunc fremitum copiaſque cum Regibus, ac ducibus aduerſas Deo, & Chriſto, coactas, eſſe tẽpus An- C tichriſti, qui conſurget contra omne quod dicitur Deus, ipſiuſque IESV Chriſti nomen, ac ſanctos eius innumerabilibus populis coactis cũm primis oppugnabit, quem duces, ac Reges multi ad impia bella ſequentur, ſed demum profligatis fremitus eorum, tumultusq; vaneſcent: idem erit ſenſus, eadem prophetia, variato dumtaxat tẽpore, quemadmodũ totis ſacris oraculis, vterque aduentus Chriſti miſcetur, quorum primus fuit in humilitate, ſecundus erit in maieſtate. In vtroq; graues pietatis oppugnationes, frementia bella gentium, principumq; impiorum, ſed inania demum. Cum igitur adſint Hebręi iuniores, & uetuſtiores teſtes, qui conſtanter perhibeant nihil à Chriſtianis Gręcis, Latiniſque abhorrentes, hunc pſalmum eſſe ſanctiſſimum de Chriſto oraculum, hæc certè uerior erit ſententia, atq; ita (ſi placet is ordo) cùm pręmiſiſſet oraculum de vera beatitudine, de uia, qua peruenitur ad ſummum bonum, ſubitò proſilit ad Chriſtum, caput ipſum, fontemq; beatitudinis, ſic intonans aduerſus oppugnatores nominis eius, quemadmodũ prædixerat miſerè perituros impios, ac peccatores eoſdẽ illic & hic execratus, eorũ interitus, vanitatem dictorum, conatuumq; præmonſtrat, nihil eis fore diuturnum, ſtabile. Sed hic apertius, clarius, vt etiã ad ipſum nomen deſcẽdat, memorat illum, cuius iuſſa, atq; nomen peccatores, impiique aſpernantur, & oderunt. Per indignationem verò, atq; admirationem exorditur, Ad quid fremuerunt? Quorſum pertinent fremitus inanes? Perinde atque illud Poetę.

Quo moriture ruis, maioraque viribus audes?
Quid tantum inſano iuuat indulgere labori?
Quæ mens tam dira, miſerrime coniux,
Impulit his cingi telis? aut quò ruis?

Horatius quoque ſimiliter vt Dauid canens Odas, nempè Pſalmos, eodem initio vnam D Odam exorditur:

Quò, quò ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?

Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Aſtiterunt Reges terræ.
Hebręis pauca nomina deriuatiua.
Terra.
Principes
Sultan.
Conuenerunt.
Prius quã incipias, conſulito.

QVod ait, Aſtiterunt, quanquam ſimile eſt Hebraicè, melius ex Chaldaico noſcitur, qui pro eo poſuit קיימין Caiemin, conſurgunt. Coniurant ait, conſpirant. Et Hieronymus vertit conſurget. Reges terræ, dixit ad morem ſacrarum litterarum, quibus non niſi admodum pauca nomina ex primis nominibus deducta. Quos ipſi diceremus Reges terreſtres, mundanos, ſi quando apud ſcriptores ſacros habentur, vt Paulum, κοσμοκράτορες, hos illi Reges terræ, Reges orbis terrarum: Qui dominantur in terris, quibus imperare in terra datum eſt. Fortaſſe terram vocauit ipſam vniuerſam Iudæam, quæ terra per antonomaſiam, vocatur. De qua Propheta, Terra, terra, audi verbum Domini. Vt nobiliſſima ſcripturarum dicitur ſcriptura, ſic nobiliſſima terrarum, terra. Iure quoque tranſtulerunt Sept. ἄρχοντας, principes, Hebraicè רוזנים rozenim. Nam Chaldæus pro eo poſuit. שולטנים Sultanim. Quo licet animaduertere, quem olim Regem Syriæ, atq; Aegypti vocare ſolebant, Sultan, id nomẽ ex Syriaca lingua habuiſſe, qua pro vulgari tempore Chriſti, vterentur Hebræi. Quod item Sept. dixerunt συνήχθησαν collecti ſunt, ſiue conuenerunt, Hebraicũ paulò diuerſum נוסדו noſadu, conſiliati ſunt, vt reddam adamuſſim. E Sicq́ue expoſuit Rabi Dauid, ſubiiciens pro eo clarius ניתעצו nitazu. Conſulti ſunt, Conſuluerũt inter ſe. Vocari autem conſilium Hebraicè eodem nomine, atq; fundamentum iaſod, quod conſilium ſit rerum fundamentum, atq; primordium. Similiter Auen Eſra, id verbum deducit à סוד ſod, ſecretum, vel conſilium. Eadem aſſeruit Rabi Salomon, ponens nomen conſilii lingua Chaldaica. Ergo iuxta hos omnes dicendum, Et principes conſultati ſunt. Iuxta quẽ ſenſum, etiam Hieronymus dicit in ſuo pſalterio pro, Conuenerunt in vnum, Tractabunt pariter: vſus Tractare pro Conſulere. At Chaldæus fortaſſe quia conſultatio fit ex hominum concurſu, ſentit cum Sept. יתחברו ithchaberu, conſociati ſunt. Ab altero igitur ad alterum exiguum interuallum. Dominum autem, & Chriſtum, primum quidem Græci Deum patrem: ſecundum, Filium interpretantur: Quem qui ſpernit, oppugnat: ſpernit, oppugnat qui miſit eum.

Prius pro poſteriore
Dubium.
Aduer. dominum &c.
Dominus.
Chriſtus.
Sibylla.
Verbum.

Vocibus declaratis animaduertere operæpretium eſt teſtimonium Auen Eſræ: qui poſitis aliis in quem hæc dicantur, ſententiis, infert ואם על המשיח הדבר יותר ברור Etſi, inquit, de Meſſia pſalmus eſt, res clarior eſt. Dubium eſt, ait, omnis alius ſenſus huius pſalmi, ſiue in Dauid regniq́ue eius exordium, ſiue in aliquem alium referatur. At ſi de Meſſia ſuſcipiatur, ſenſus eſt expeditus, perſpicuus. Verè igitur Apoſtoli, vel ipſis Hebræis atteſtantibus, Spiritu ſancto, qui hæc ipſa oracula edidiſſet, eos docente, ſenſerunt hoc oraculum eſſe de Meſſia, contra quem conſurrexiſſent Reges, Principes, Magiſtratusq́ue populi, conſurget Antichriſtus, multis Regibus cum eo, principibusq́ue in impietatem conſpirantibus. Ob hanc cauſam quod Hebraice dicitur, Aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, Chaldæus apertius, dixit למרדא lemarada, Ad rebellandũ domino, & certandum cum Chriſto eius. Innuit videlicet bellum quod omnes gentes, ſed Hebræi cum primis, indixerunt, indicentq́ue Chriſto, verius autem ei qui miſit eum. Nomen igi- F tur Tetragrammum, quod nunc Sept. tranſtulerunt κύριον, dominum, deſignat ipſum Deum patrem ſummum: Chriſtus autem, nempe Meſſias, eſt nomen eius, quem pater & Regẽ, & ſacerdotem eſſe voluiſſet. De quo pſalmus, quem ſine controuerſia de Chriſto interpretantur Hebræi, Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Hoc igitur eſt quòd appellatur Meſſias, quod Hebraicè eſt Vnctus: quia Deus vnxit eum oleo iucundiſſimo, triumphali, quo regnante, ac triumphante, futura eſſet omnium gentium ſempiterna lætitia. Fuit, eſtq́ue Rex Regum: Reges autem vngebantur. Quocirca dicitur Meſſias eius, vnctus eius, Rex ab eo deſignatus: qui conſtitutus eſt (inquit diuus Petrus) à Deo, Iudex viuorum & mortuorum. Sibylla quoque eorum ſpiritu afflata de eo dicit ἡγητῆρα θεῶν κάτθετο, Principem, ſiue Regem Deorum conſtituit eum pater. Et Apoſtoli: Conuenerunt in ciuitate iſta, aduerſus puerum tuum IESVM, quem vnxiſti. Quod igitur Hebraicè diceretur unctus à Deo, à Sibyllis, Rex declaratus: Rex Deorum, Iudexq́ue hominum viuentium, ac defunctorum, quos ſuſcitabit, conſtitutus. Eoq́ue eſt Meſſias eius, Angelus, & interpres, ſiue verbum eius.

Diſrumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

HEbræi repetitionem eiuſdem rei, duobus nominibus eſſe contendunt, (creberrimum in ſacris litteris) vincula eorum, & iugum ipſorum. Veruntamen quod Sept. dixerunt ζυγὸν iugum, eſt autem Hebraice עובה oba, vnanimiter omnes interpretantur ligamen, vinculum. Quod poſſet etiam intelligi ex Græca voce: Quippe iugum ζυγὸν, ἀπὸ τοῦ ζεύγνυμι iungendo, Senſus.

Duo ſenſus, apud græcos.

Meditati inania.

Iugum, pro cōſpiratione, & copijs cōiurantibus, aut cōiuratis.

A iungendo,connectendo. Duo itaque nomina ſunt vnius, eiuſdemque rei, vt quaſi repetendum ſit, Diſrūpamus vincula,proijciamus vincula. Hoc cernens Chaldæus, pro iugo poſuit שלש לותהון shalshe lauateon. hoc eſt,funes,catenas eorum. Vtrumque nomen,inquit Rabi Dauid, deſignat חבלים חזקים funes fortes. Id etiam teſtatur Auen Eſra,& Salomon,vt dicendum ſit,Frangamus, rumpamus vincula,ligamina,iuncturas eorum. Hoc exploratum habens Hieronymus, pro iugo poſuit,Laqueos eorum. Senſus autem eiuſmodi magiſtris Hebræorum placet eſſe vinculum,ſeu vincula,conſilium, conſenſum. Hunc autem fuiſſe,cùm Hebræi Dauid Regem vnanimiter conſalutaſſent,eodem conſenſu omnes Regem eum appellaſſent. Hunc conſenſum rumpere, atque cōuellere cupientes Palæſtinos dixiſſe,Diſrumpamus vincula eorum. Hanc eorum fuiſſe imperitā,inanemq; iactantiam,quam ſuperius dixerat, Et populi meditati ſunt inania. Nec verò iidem (vt ſæpe ſolent) diligenter interpretandi munere funguntur. Nam cùm ſuperius pſalmum de Meſſia magis exponendum iudicaſſent, quem de Dauid quoque proponerent, non adhibuerunt, ſi de Meſſia eſt,quid ſibi velit, Diſrumpamus vincula eorum. Igitur Græci duos ſenſus proferunt,vt vel ſit quaſi vox ſpiritus ſancti fuſa per Prophetam,cohortans omnes vt iugo idololatriæ,Hebraicarumque ſuperſtitionum, iugo inquam ſeruili rupto, atque excuſſo, iugum Chriſti ſuaue ſuſcipiant. Aut per alium ſenſum qui conuenit cum Hebręis,hanc vocem ipſarum eſſe gentium cohortantium ſe inuicem vt cultum,religionemque Dei veri,quæ continet,aſtringitq; homines,abijciāt,abrumpant. Hoc eſſe, quòd loquebantur inania,citò peritura,euentum non habitura. Mihi verò maximè placet, vt ſit quale retulit Moſes cùm induceret Deum opus egregium molientem,Faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtram. Expreſſit quidem Moſes Deum,qui hæc loqueretur: reticuit pſalmus,quaſi dicendum ſit, Conſpirauerunt Reges, & B Principes aduerſus Dominum, & Chriſtum eius. At Dominus, & Chriſtus eius ſic ſecum,Diſrumpamus cætus impiorum,deleamus ſocietatem ſceleſtorum. Eoque extemplo ſubiicit,Habitator cæli irridebit eos. Itaque cùm ex ſententia Hebræorum,& vt verum eſt,iugum eorum, non deſignet nunc iugum ſeruitutis, ſed potius iuncturam, conſenſum, conſpirationem, pulcherrimus erit ſenſus,ſi vocem illam,quæ cuius eſſet,Propheta non expreſſit, eſſe dicemus ipſius Dei, & Chriſti. Frangamus impiam hanc, vel Iudæorum, Gentiumque & Regum, ac principum,qua contra nomen noſtrum coniurauerunt,conſpirationem: vel innumerabiles illas, quæ coierunt Antichriſti copias, velut coniurationem Gigantum.

Ter ſunt conati imponere Pelion Oſſæ,
Et coniuratos cælum reſcindere fratres.
Ter, pater, extructos diſiecit fulmine montes.

Eiuſmodi fuit Dei vox,vt diſiiceret,deleret impiam coniurationem,impios Gigantes,eorumque principem Antichriſtum. Eadem ratione (vt appareat veriſſimus huius uerſus ſenſus) per numerum multitudinis locutus eſt,contra eos qui turrim in Babylonia extruebant. Deſcendit, inquit, Dominus vt videret ciuitatem,& turrem quam ædificabant filij Adam, & dixit, Ecce vnus eſt populus,& vnum eſt labium omnibus. Cœperuntque hoc facere,nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi C linguam eorum. Eadem locutio ponitur hoc loco in pſalmo, Diſrumpamus conſenſum eorum, confundamus mentem eorum. Et proiiciamus à nobis, quia contra nos eſt, hanc coniurationem. A nobis, à numine noſtro, à maieſtate eam repellamus. Vt turrem ſuperbam, conſenſumque Gigantum, qui molem ad ſidera tollere, cælumque reſcindere conabantur, diſiecturus dixit: Venite, deſcendamus, confundamus, ſimilia nunc aduerſus molientes impios. Diſrumpamus, ait, vincula eorum. Is ſenſus fortaſſe verior, declaratur ex aliis locis, vt ſciamus,& quis loquatur, & quamobrem per numerum multum, Deus loquatur, licet duo nominentur Dominus, & Chriſtus.

Qui habitat in cælis irridebit eos, Dominus ſubſannabit eos.

Deus in cęlo.

HOc oraculum eſt, quale ſæpe reperitur apud vetuſtiſſimos Poetas Homerum, atque Heſiodum,de Diis loquentes,

Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες.
Cæleſtia templa tenentes. vt Heſiodus,
Μοῦσαι πιερίηδες ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι.

Cęlum proprium Dei,diuorumque domicilium. Opponitur (vt aiunt Hebræi) ei quod ſuperius memorauerat,Reges terræ,nunc habitator cęli. Illi terreſtres,is cæleſtis ſuperior ſupra illos, potens eos delere, fulminare è loco ſublimi. Riſus quoque cùm per metaphoram Deo tribuatur,eſt quale ait Horatius de ignauo:

O magnus poſt hac inimicis riſus. D
Heu tralatos aliò, mærebis amores:
Aſt ego vicim riſero.

Sap. 4. d.

Et Salomon de impiis in libro Sapientiæ, κύριος ἐκγελάσεται αὐτοὺς. Dominus irridebit eos. Afferunt quoque Hebræi ex alio Pſalmo teſtimonium, Et tu domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes. Sunt Hebræi, qui, quoniam eſt Hebraicè, pro irridebit ישחק iſchac, ridebit: reſoluentes metaphoram, qua Deo tribuitur riſus, pulcherrimè exponant, Dominus eos eſſe riſui faciet: Contemnendos, irridendosq́ue exhibebit: Faciet eos ridiculos. Superbiæ, atque iactantiæ, aptiſſimum ſupplicium. Huiuſmodi cernetur ab omnibus Antichriſtus, cuius tanta erit arrogantia, atque impia cupiditas, vt nomine ſibi diuino vendicato, templa Dei veri funditus euertat, quo ſolus ipſe diuinis honoribus potiatur. Sed profligatus, ac turpiſſimè conuictus, omnibus ab origine mundi qui tunc aderunt, hominibus ridiculus, contemptibilis, cum tyrannis, & ſequacibus ſuis appareat. Ad hunc ſenſum Sapientia apud Salomonem de contemptoribus ſuis, qui acciti ad ſe venire accuſaſſent: Ego quoque, inquit, in interitu veſtro ridebo. Ridebit igitur Deus, ridebunt, exultabunt Angeli, atque pii, videntes quorum fuiſſet intolerabilis tyrannis, ac ſuperbia, omni gloria, tituliſq́ue exutos, æterno dedecori datos. Sic ridet Deus cernens multos impiis vanitatibus efferri, aut dictis, cogitationibusq́ue, quibus maieſtas eius arroganter contēnitur, inſoleſcere, miſcere cædibus, flagitiis omnia. Scit enim eos breue ad tempus perituros, & cum gemitu palinodiam recantaturos. Verbum autem ſubſannandi, ad Græcum formatum eſt, μυκτηρίζω, à μύκτηρ naſo, ſanna. Duo verba hic quoque eiuſdem ponderis adhibentur, irridebit, ſubſannabit per ἐπίτασιν, vt ſuperius Vincula eorum, Iugum ipſorum. Datur itaque riſus Deo velut è cælo conatus eorum, in nihilum caſuros proſpectanti, ac præſcienti quàm non extrema primis conſentient, vt ſi quis nunc apud mortales oculatus aliquos magnis conatibus arborem aſcendere cernens, cuius ipſe fragilitatem noſſet, ſciensq́ue paulò pòſt ruituros, riſum continere non poſſet. Riſum Poetę quoque Ioui tribuunt, ſed alacritatis, non irriſionis.

Ridere trāſitiue ſumptum.

Poſterius pro priore

Pro. 1. c. d.

Subſannare. E

Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum. Homerus quoque,

Ορτο γέλως μακάρεσι θεοῖσι *Diui riſere beati.*

Horatius tamen eadem tralatione tribuit Deo riſum,

Prudens temporis exitum,
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetq́ue, ſi mortalis vltra

Fas trepidat.] Deus, inquit, qui proſpicit omnia, abſconditq́ue rerum euentus ab oculis noſtris, ridet cùm quis ſupra modum, curis inanibus vexat ſeſe. Hæc vt pleraque alia ex ſimilitudine humanorum affectuum. Riſus igitur vel irriſio iuxta ſuperiores ſenſus, cadet vel ſuper Iudæos, vel ſuper Antichriſtum.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo turbabit eos.

Ad vehementiam, & exaggerationem.

Loquetur.

HIc quoque ſunt ἐπιτάσεις, παλιλλογίαι, reiterationes earundem rerum nominibus diuerſis. Idem enim Furor, atque ira: idemq́ue forſan ſenſus, Loquetur ad eos, atq; conturbabit. Hoc Hebræi vocant דרך צחות derek zachuth, Viam elegantiæ. Modum dicendi perſpicuè. Quaſi dixeris σαφήνειαν, perſpicuitatem, cùm ſit oratio exaggerata clarior. Græci igitur hanc locutionem rectè referunt ad eas minas calamitateſq́ue quas Chriſtus Iudęis fataliter prædicebat, & pro eorum iniquitate ſuper eos aduentare ſinebat, cùm diceret, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et, circundabunt te vallo: non relinquent ſuper te lapidem. Et, Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos. Et, Dicetis, Beatæ ſteriles. Has fuiſſe terribiles locutiones. mortiferas, letales, iratas prædictiones. Itemq́ue eaſdem cum ſuprema die ingratitudinis eos, maleuolentiæ, feritatis conuictos condemnabit, grauiſſimam ſententiam in eos pronunciabit. Dicet eis iratus, Ite maledicti in ignem æternum. Nulla vox formidabilior, triſtior, horribilior. Illi ad tantum furorem turbati, ſimul omnis terra, mare, ſidera pauebunt, contremiſcent, ad cuius nutum tremunt elementa, & nutu tremefecit olympum, ἐλέλιξεν ὄλυμπον. Is furor, hæc ira vera. At Rabi Dauid pro rege Dauid, & Philiſtęis exponens, locutionem fuiſſe contra ea quæ ipſi ſuperius ſuperbè nimis, arroganterq́ue loquebantur, fremebāt, conſultabant, inter ſe inania. Deus contra loquetur, intonabit voces terribiles. Locutio autē erit, furor iraq́;: id nempe quod paulò anteceſſit, irriſio, ſubſannatio: & cùm minatur eorum impiā coniunctionem reſcindere. At Salomon, vult locutionem eſſe quæ ſequenti carmine ſequetur. Ego autē conſtitui regem meum: vt Hebraicum habet. Superiora ſunt vero propiora. Locutionem ergo diuinam dixit, indicans omnia quæ præfatus fuerat, Diſrumpamus conſenſum eorum. Irriſio, ſubſannatio. Nunc ſermo cum furore, & iracundia. Similiter conturbatio. Videntes enim ſuprema die ſcelerati maieſtatem Chriſti, vultusq́ue minime propitios, turbabuntur F timore horribili, vt ſuperius ex Salomone. Tum ſe ſtultos cum gemitu, lachrymis, magnoq; dolore fuiſſe fatebuntur. Nam dominus IESVS interficiet impietatis anteſignanum ſpiritu oris ſui, quo deiecto concident omnes, quos egit in eius obſequium, veſania. Turbare igitur, eſt terræ terrorem horribilem incutere. Hoc erit maximè cùm tantus vbique pauor ſuper reges impios, genteſque inhorreſcet, vt vel ipſa terra ſudore diffluat, vt Sibylla cecinit:

Sapi en.5.

Ιδρώσει δὲ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅτ᾽ ἔσται.
Iudicij ad ſignum tellus ſudore madeſcet.

In furore ſuo: &, In ira ſua: Hebraiſmus item eſt, cum furore, iraque. Ea duo poeta quoque ſingularis vſurpat: *Furor iraque mentem præcipitant.*

Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.

QVod ad voces attinet, Septuaginta dixerunt κατεστάθην, Conſtitutus ſum, per vocem paſſiuam, quod in Hebraico actiuum eſt, נסכתי naſachti, conſtitui, declaraui regem meum. Id exponens Auen Eſra pro eo ſubſtituit vocem clariorem המלכתי him lacthi, regem creaui, conſtitui, regnare feci. Et Salomon מניתי manithi, ordinaui, inſtitui, ex interprete Chaldæo, qui & ipſe ſimilem vocem ponit. Hos ſecutus Rabi Dauid adhibet eãdem vocem, atq; Auen Eſra המלכתיו himlacthio, regnare eum feci. Sept. videntur voce paſſiua vertiſſe, quòd putarent forſan eſſe ab alio verbo ſimili סכך ſacac, inde addita nun, fit, paſſiuum: ſed non eſt idem ſignificatus. Diuus item Hieronymus ſecutus alios Græcos interpretes, iuxta Hebræos, poſuit, B Ego autem ordinaui regem meum. Eſt igitur hæc vox Dei, non ipſius regis. Superius loquebatur Propheta, prædicebat, ventura canebat. Deus loquetur aduerſus eos, turbabit iratus eos, Nunc (quod ſæpe apud Poetas reperies) mutata perſona, loquitur Deus. Ego regem meum inſtitui. Videre eſt hoc genus apud Lyricos, & Comicos Poetas. Iam quod Septuag. fecerunt eſſe ex præſenti verſiculo, Prædicans præceptum eius: debet reſcindi, & apponi ad ſequens carmen, ſicque inchoari, vt habet Hebraicum: Prædicabo præceptum Dei. Quocirca probari poſſet, quod aiunt Græci, ſi contextus haberet vt legitur. Volunt enim legendum eſſe, Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo. exinde puncto interiecto, Super montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. In Sion enim fuiſſe Euangelium à Chriſto prædicatum, inde in omnes terras propagatum. Sed, vt dixi, verſiculus deſinit Hebraicè, Ego ordinaui Regem meum, ſuper Sion montem ſanctum meum. Tum proſequitur, Prædicabo præceptum Dei. Hebræi igitur ſic ſenſum proponunt. Minabantur euertere regnum Iſrael, gentes fremebant, minacia verba loquebantur. Deus hos eorum fremitus irridet, tum iratus inſequitur, turbat, atque ita loquitur: Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri? Vanus eſt omnis veſter conatus. Nam ego conſtitui regem meum. Is rex, cuius imperium euertere nitimini, à me creatus, declaratuſque eſt. Is eſt rex meus, quoniam eum de medio fratrum ſuorum elegi, miſi Samuel, qui eum vngeret. Iuxta ſuperiores ſenſus, primumque iuxta Græcos, tametſi aliam lectionem ſequebantur, licet eundem ſenſum reſonantem, duntaxat mutata perſona. Idem enim eſt, Conſtitutus ſum rex ab eo, atque, Ego cõſtitui regem meum, eſt de Chriſto. Quo ſenſu eo Pſalmo, quem de Chriſto conſtanter Hebræi C vaticinari aſſeuerant, dictum eſt, Propterea vnxit te. Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. In initio quoque Pſalmi, præfatus quem cantare velit, Dico ego opera mea regi. Regem, vt cernis, eum appellat κατ᾽ ἐξοχήν. Eſt enim rex regum, dominus dominantium. Et Apoſtoli de eo, Qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, atque mortuorum. Et ſuperius Sibylla,

Conſtitutus ſum. Rom. 1.

Sibyllæ.

Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο, καὶ ἡγητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε.

Patrem conſtituiſſe eum principem, ſiue regem Deorum. Hæc reſpiciens idem Propheta, alio Pſalmo dixit: Tu es ipſe rex meus, qui mandas ſalutes Iacob. Et ſuperius monſtrato Pſalmo, quem ſine controuerſia de Chriſto nobiſcum Hebræi ſuſcipiunt, pro eo quod Hebraicum habet, Specioſus forma præ filijs hominum, Chaldæus tranſtulit שופרך מלכא משיחא ſhuphrach malca Meſhicha, pulchritudo tua Rex Meſſias. Eodem quoque Pſalmo eſt, Et concupiſcet rex decorem tuum. Totoque eo Pſalmo Rex appellatur: vt, Omnis gloria regis abintus in fimbrijs aureis. Et, Adducentur regi virgines poſt eam, adducentur in templum regis. His omnibus fit perſpicuum, nomen regis, & vncti in ſacroſanctis carminibus eſſe nomen Chriſti, & his in pſalmis, latitare diuinam, fœtamque myſteriis philoſophiam, quam Sibyllæ quoque diuinitus infuſam, carminibus ſuis, eodem tempore, quo Prophetæ in Iudæa, in ſuis regionibus concinebant. Nam quo ſermonis genere dixit Propheta diuinus, Ego autem conſtitui regem meum: Sibylla ſimili,

Sibylla erithræa. Apud Lac. de vera Sap. 151.

Heb. 1. a.

Αὐτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἄνδρασι γεραίρειν.
Ipſum Deus dedit, vt à fidelibus coleretur.

Vt igitur eum Deus colendum, adorandum mortalibus dedit, ſic ordinauit, ſiue conſtituit regem.

Super Siō.

Pſal. 101.

Tempus IESV.

Aedificatio Sion.

Pſal. 101.

Sion.

gem. Hęc theologia iam tum ab origine mundi, ſpiritu ſancto reuelante celebris erat, Deum habere filium, quem mundi regem, dominatorem cæli, ac terræ eſſe voluiſſet. Quod autem ſuper Sion ait eum conſtitutum, & quis ſenſus hic ſubſit, quàmue de Chriſto verè dicatur, ſuper Sion eum conſtitutum, ex alijs pſalmis diſcas: primum eo, Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion. Qui locus de Meſſia clarus eſt. Confirmantur hæc maximè eo, quo laudes montis Sion celebrantur, & altiſſimo ſpiritu prædicantur reges, ac gentes omnes venturæ ad adorandum ſuper illo monte. Aitque canens gloriam Dei per omnem mundum promulgandam. Timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam: Quoniam ædificauit dominus Sion, & videbitur in maieſtate ſua: Vt annuntient in Sion nomen domini, & laudes eius in Hieruſalem: In conueniendo populos in vnum, & regna, vt ſeruiant domino. Omnis hæc prophetia, clarè vel ipſis Hebræis atteſtantibus, eſt de eo tempore, quod ipſi vocant, maximè verò eo loco, Auen Eſra, tempus IESV, videlicet ſalutis, prædictum fuiſſe, vt illuc omnes gentes relictis ſimulacris ad cultum veri Dei vnanimiter venirent. Hoc eſſe quod Deus polliceatur ædificare Sion, & in Hieruſalem ſe videndum eſſe in maieſtate, & gloria ſua. Hoc ædificium Sion, hæc gloria ad quam videndam concurrerunt omnes gentes, cùm Chriſtus tot in illo monte, & in Hieruſalem prodigia edidit, claſſicum ſalutis illic cecinit: inde omnes gentes, populoſque ad pietatem, gloriamque Dei noſcendam conuocauit. Ibi verè fuit Sion ædificata: ibi viderunt reges terræ (de quibus etiam in hoc ſecundo pſalmo facta mentio) maieſtatem eius, tanta miracula, tot myſteria. Iure igitur dixit, Conſtitui regem meum ſuper Sion. Illum videlicet eundem regem, quem Chriſtum eius appellauerat, per quem declaratum, conſtitutumque à Deo regem, omnes gentes timuerunt nomen domini, videruntque omnes populi gloriam eius. Propter hanc cauſam, conſtituit eum ſuper montem Sion ſanctum ſuum, vt inde timerent. Hunc Antichriſtus, ſequaceſq; reges timebunt. Eodemque pſalmo: Tu exurgens, inquit, miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Hanc miſerationem futuram Hebræi teſtantur in tempore haieſua, ideſt Saluatoris IESV, nempe ſalutis, è quibus Auen Eſra הנה צאת עת הישועה hinne Zot eth haieſua. Ecce, ait, hoc tempus, eſt tempus IESV. Poſuit autem Sion pro ipſa vrbe Hieruſalem, quemadmodum tranſtulit illic Chaldæus: celebraturque mons Sion, tum pro tota Iudæa, tum verò quia mons ille maximis fuit decoratus prodigijs, multo magis quàm Roma, Tyberiſque Romanorum triumphis. Hos diuinos ſenſus ſub nominibus rerum ſuarum prophetiæ celabant. Inſuper vbi dicit eodem pſalmo, Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit nomen domini: Rabi Salomon ait, ſic dicent hi qui videbunt IESVM, Scribatur is IESVS, vt annuntietur poſteris, & his qui pòſt naſcentur. En proteſtantur, ab Hieruſalem, & Sion venturam magnam per omnes gentes ſalutem, quæ libris deſcripta, cunctis poſteris innoteſcat. Hoc igitur fuit verum regnum Sion, hæc maieſtas, & gloria, quam reges viderunt, & timuerunt. Hinc alio pſalmo vaticinatur, Et adorabunt eum reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Hoc nouum ædificium per eum regem, quem Deus declaraſſet.

Prædicans præceptum domini, dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Lege an. ī prio. epiſt. Budæi fo. 25. ī illud, Natalis reſurrectionis.

Prædicans præ.

Senſus hebr.

El.

Sēſus gręcorum.

Pręceptū.

QVemadmodum ſuperius demonſtratum eſt, pars prior huius verſiculi, non erat antecedenti verſiculo coniuncta, ſed huic, quem legiſti. Eſt autem Hebraicè, non per participium, ſed enunciatiuum, Prædicabo præceptum אספרה אל חק a ſapera el choc: annunciabo, (quemadmodum Hieronymus) aut ſcribam in præceptum, Hebræis eſt ſenſus, Eſſe verba hæc (mutata ſuperiore perſona) ipſius Dauid, qui dicat, Hoc quod dixit dominus ad me, Filius meus es tu, annunciabo, ſcriptumque relinquam velut præceptum, aut inſtitutum, atque legem. Scribantur hæc in generationem alteram. In memoriam ſempiternam hoc prodam, mihi dictum à Deo, Filius meus es tu. Erit hæc ſempiterna prædicatio confirmata, corroborata vt lex, me tſtimonio ipſius Dei, eſſe filium eius. Vt lex quædam prodetur, inciſaque in æs, æternum remanebit. Hunc omnes Hebræi non aſpernandum ſenſum proponunt. Sciendum eſt, eam dictionem quæ eſt Hebraicè אל poſſe duobus modis legi, aut ea nota quæ dicitur Hebræis zere, ſic אל El, tunc deſignabit, Deum: legeturque Annunciabo Dei præceptum, quam lectionem ſequitur diuus Hieronymus, itemque Chaldæus. Nam Hieronymus, Annunciabo Dei pręceptum. Chaldæus quoque, Referam domini præceptum. Alia lectio eſt, vt legatur tribus punctis אל deſignabitque Ad, In: legeſque, Referam in præceptum Dei. Senſum Hebræorum vidimus. Illum alium Græci propoſuerunt, vt ſint verba Chriſti, nempe, In monte Dei præceptum, legem, religionem. Prædicabo ego Meſſias filius eius, è monte Sion vulgabitur per vniuerſam terram, duce Chriſto, & auſpice Chriſto, ſanctiſſimum Euangelium. Non eſt magnum diſcrimen inter vtrunque ſenſum, modò Hebræi de Meſſia magis, quàm de Dauid hanc prędicationem, teſtimoniumque interpretentur, vt velle videbantur.

Quòd autem ſequitur, DOMINVS DIXIT ad me, filius meus es tu: Cùm de Dauid ſumi poſſe contendant Hebręi, ſuperiores ſenſus proſequentes, quoniam in ſacris litteris, iuſtiſſimi quiq;

filij Dei vocentur. Dauid autem cùm rex à Deo declararetur, quaſi generari, aut creari dicebatur: vehementer durum videtur. Nec ita facile, quemadmodum filius Dei vocetur homo, ſic dici poſſet, quòd eum Deus genuerit. Proferunt autem ex alijs locis Hebręi teſtimonia, Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Et, Ipſe vocabit me, Pater meus es tu. Et de filiis Iſra El: Filij eſtis vos domino Deo veſtro. Et, Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Talem fuiſſe Dauid à Deo per prophetas Gad, Samuelem, regem declaratum: Dixi non tam facile poſſe dici hominem à Deo generari, quemadmodum dicitur filius eius. Quocirca maiores Hebræi, antequam Chriſtus apparuiſſet, quibus propter lucis illius venientis propinquitatem, magis oraculorum diuinitas innoteſcebat, altiores ſenſus concipientes, de Chriſto cuncta hæc, cuiuſmodi toto orien te Sibyllæ canebant, prædicari cognouerunt. Nam recentiores Hebręi, quorum mentes prauitas excæcauit, cùm nec autoritatem maiorum poſſent contemnere, nec religionem Chriſtianam ſuis dictis vellent aſſerere, propoſita ſuperius antiquorum de ſenſu huius pſalmi, quòd in Chriſtum ſpectet, ſententia, ſubitoque ad Dauid refugientes, nullamque amplius de Chriſto mentionem habentes, totum deinceps pſalmum de ipſo Dauid expoſuerunt. Saltem docuiſſent (ſi pſalmus de Chriſto eſt) quis ſenſus, Ego hodie genui te, & Filius meus es tu. Verùm hoc illi proferre timerunt, nequid religioni Chriſtianæ congruum (quod neceſſe erat) dicere cogerentur. Cogebantur etiam multa in IESVM Chriſtum pertinentia proferre, ſi pſalmum de eo iuxta maiorum ſententiam expoſuiſſent, ſuper eo carmine, Ego conſtitui regem meum ſuper Sion. Vidiſſes ex inuitis pectoribus veritatem, velut ignem è duriſſima ſilice erumpentem. Eſt igitur verus ſenſus, Ego hodie genui te. Velut illud, Ex vtero ante luciferum genui te. Quem etiam pſalmum de Chriſto maiores exponebant. Videbimus illius pſalmi profunda myſteria. Hac ratione vocatur totis libris à Philone doctiſſimo, iuxta priſcam theologiam ϖρωτόγονος ὑὸς, primogenitus filius. Et Plato myſteriis Aegyptiorum introſpectis, in epiſtola ad tres amicos nominat τὸν τȣ̃ ἡγεμόνος ϗ αἰτίȣ ϖατέρα, regis, autoriſque omnium patrem, vt oſtendit Origenes, Euſebius, Cyrillus. Sciendum quoque Hebræis eſſe quaſdam ſecretiores, magiſque myſticas expoſitiones pſalmorum, quas illi vocant, Midras thehilim: qui liber eſt ex ſententijs priſcorum Hebræorum conflatus. Hic liber cùm in expoſitione pſalmi huius, præſertim huius oraculi, quo dicitur, Annunciabo, vel narrabo Dei præceptum, multa de Chriſto teſtimonia ex ſententijs maiorum protuliſſet, demum ſic intulit, alia de eo ex ſacris litteris proferens oracula. מסופרים הם בחוקה של תורה ובחוקה של נביאים וכתובים בחוקה של תורה בני בכורי ישראל בחוקה של נביאים הנה ישכיל עבדי ירום ונשא בכתובים נאם יהוה אדון Quæ ſunt, Narrata, ac celebrata ſunt myſteria ipſius Meſſiæ in lege Moſis, in libris Prophetarum, & in ſcripturis ſacris, In lege quidem Moſis, vt illud, Filius meus primogenitus Iſrael. Apud prophetas autem, vt illud Eſaiæ, Ecce intelliget ſeruus meus, & eleuabitur, & exaltabitur. In ſacris autem oraculis: vt Dixit dominus domino meo. Priſci igitur Hebræi, quos ſuperius Rabi Salomon memorauerat, omnibus locis filium Dei, Meſſiam prædicabant, & hunc ſacra oracula ſpectare ſciebant, vt verè de ipſo dixerit idem Meſſias, Scrutamini ſcripturas, & inuenietis ibi de me. Et incipiens à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis, in omnibus ſcripturis: Et, Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me. Vides vt etiam veteres Hebræi probant, oſtenduntq; Chriſtum ex lege Moſis, Prophetis, & pſalmis. Quàm congruit teſtimonium illorum, cum eo quod Meſſias de ſeipſo diſcipulis oſtendit. Perſuadeamus igitur nobis, ſub aliorum verborum cortice, & aliud quaſi loquentibus prophetis, occultiora myſteria fuiſſe decantata. Declaratur itaque hoc oraculo Meſſiam eſſe filium Dei: Et quod dicitur, Ego hodie genui te: Græci quidem putant hæc referri ad corpoream, non æternam generationem. Cùm Deus ab æterno filium genuiſſet, nota ſibi ſoli non mortalibus generatione, mortales autem eum natum à Deo neſcirent: dicta eſt natiuitas eius mortalibus innotuiſſe, cùm mundo ſeſe oſtendit, quem retro nunquam vidiſſet: tunc dictus eſt natus à Deo, diuinitus prodiiſſe, cùm venit in mundum. Omnia enim oracula de Meſſia, partim ſunt de eo velut homine, partim vt Deo. Totus is pſalmus velut de rege terreſtri, quem Deus agat ad omnia, felicitet, coadiuuet. Naſcitur à Deo, ſicut rex inſtituitur, poſtulat gentes, regnaq; terrarum ſibi ſubiici, imperium orbis terrarum velut hæreditarium ſibi. Quemadmodum alius pſalmus armat eum, dat ſagittas, quas figat in corda regum: producit armatum, ſuccinctum gladio, procera ſtatura, forma pluſquam regia: parte alia Deum vocat, ex æterno tempore natum. Nunc cùm terris eum Deus oſtendit, cęlituſque antea incognitum demiſit, natum prodeuntem ab ipſo Deo. Hæc interpretatio vera eſt, quam Chaldæus quoque propoſuit, explicans per paraphraſim hoc oraculum. Sicut eſt (inquit) filius patri, tu quoque talis perinde ſi hodie procreauiſſem te, כאילו יומא דין בריתך keilu ioma den, heritach. Voluit eſſe ſimilitudinem non proprietatem, Quaſi (inquit) hodie te genuerim. Non deſunt tamen Hebræi, qui (quemadmodum præclari philoſophi) ſolam præſentem æternitatem adiudicant Deo, non futurum, aut præteritum, aut præſens hoc noſtrum, fluxum, ac temporarium, ſic hodie deſignare contendant æternitatem præſentem, quæ ipſi Deo ſemper Hodie eſt, in qua genuit filium ſuum, perinde ſi dicat, Ego ab æterno quod mihi præſens ſemper eſt, genui te. Hoc iuxta ſenſus, quos Cabaliſticos Hebræi, Græci analogicos appellant, vehementer quadrat. Eſt quoque eodem libro myſticorum

pleno

Genui.

Pſal. 109.

Exod. 4. f.
Iſa. 52. d.
Pſal. 109.

Ioan. 5. f.
Luc. 24. d.

Ego hod. ge. te. Senſus græ.

Math. 19. muſcu. 467. b.

Hebręi.

Cabaliſtici, Analogici.

pleno (quem dixi vocari Midras thehilim, id eſt, arcanas, pſalmorum declarationes) mirabile priſcorum Hebræorum teſtimonium, quo mirificè cuncti qui legent, excitentur, ſuper hoc carmine, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, dixiſſe ex antiquis illis Rabenis quendam, qui vocatur Huna, Triplices olim fuiſſe calamitates. Primam, quam perpeſſi fuerint hi quos diluuium oppreſſit. Alteram, quæ contriuerit ætatem, ſiue generationem, שמד shemed, ruinoſam, qua deleti ſunt Hebræi. Tertiam, ætatem ſiue ſæculum Meſſiæ. Cùm autem ille aduenerit (inquit) Deus æternus dicet ſe velle eum generare nouo gignendi modo: eoque dixit, Ego hodie genui te. Sic ille Hebraicè his verbis של משיח וכה תי הי שעתה אמר יהוה לבראתו ברית חדשה וכן אומר אני היום ילד תיך Shel Maſſiach: Vekad thi hi shatia omer Eloim librata beriat chadesha, veken omer, ani hagion ielad thica. Sæculum ipſius Meſſiæ: Et cùm venerit aduentus eius, Deus ſummus, pronunciat velle eum generare nouo generandi modo. Audis priſcum Hebræum, clariſſimè vendicare totum hoc oraculum Meſſiæ, qui natus ſit nouo, atque inuſitato naſcendi modo, videlicet ex virgine, vel natiuitate diuina, quæ fuerit eo tempore, quo cęlitus ille deſcendit, declarata.

Poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

HAec vix inficiari poſſunt Hebræi, quin de magno Meſſia ſcribantur: Meſſiam totius orbis terrarum Imperatorem fore. Huic omnes Reges obtemperaturos prædicant. Hęc erit illius, non Dauid hæreditas, cuius regnum exiguum, breue ad tempus corruit. Termini quoque terræ, quibus imperium finiatur, cui dati ſunt è Regibus Iudæorum? qui ne Romanis quidem, qui mare, qui terras omni ditione tenerent: Sed metis datis hinc Euphrate, hinc Rheno non in omnem orbem ditione tendente. Gentes ſubactas hæreditatem eius prædicat. Nunquam externæ nationes, tametſi bello dimicantes ſæpe profligatæ, legitimum, hæreditariumque imperium cuiuſquam Regis Iudæorum fuerunt. Is igitur eſt de quo alius pſalmus, Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Græcis itaque is placuit ſenſus: quoniam tantam ſalutem Hebræi repudiaſſent, & à luce ſeſe eis offerente, miſeros oculos auertiſſent, gentes, nationesque alias fuiſſe conuocatas, quæ viderent, exciperentque ſalutare beneficium, ſeque libentiſſimis animis, cultui Meſſiæ ſubieciſſe, aduſque toto diuiſos orbe Britannos, ad quos finibus extremis terrarum degentes, imperium Chriſti peruenerit. Hæc vera interpretatio, priſcisque Hebræorum oraculis conformis. Recentiores ea Dauid tribuentes, aliis teſtimoniis corroborant. Deum ſic ei pollicitum: Faciam, inquit, ſibi nomen iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra. Et, Fuit Edom ſeruus Dauid. Et exiit nomen Dauid per omnes terras, poſuitque Deus pauorem eius ſuper omnes gentes. Dictum de his ſuperius, longè aptius hæc Meſſiæ quàm Dauid, veterum Hebræorum accedente conſenſu applicari. Si terminos terræ, ſi gentes, ſi poſſeſſionem, hæreditatemque attendas, nonne magis in eum conuenient de quo pari conſenſu, ſublimes Apoſtoli, cum veteribus Hebræis cecinerunt? Quem conſtituit Regem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Et idem de ſeipſo, Ecce, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Quod verò poſtulare præcipitur, rectè noſtri Latini, cum Græcis, ad eum velut hominem, Deique opem implorantem ſpectare: quale illud in Actis, Conuenerunt aduerſus puerum tuum IESVM, quem vnxiſti. Idemque orauit, & poſtulauit in monte, velut præſens oraculum, ſi fieri poſſet, calix amarus ille tranſiret. Et cùm poſtulauit, Pater, clarifica filium tuum gloria, quam habuit prius quàm mundus fieret. Perinde ſi diceret, Da mihi gentes, da terrarum imperium. Omnes mihi ſubiice gentes. Reſponſumque fuit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. quaſi, Dabo gentes, dabo fines terrarum. Et idem de ſeipſo, Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Cùm ergo conueniant priſcorum Hebræorum teſtimonia, huius pſalmi oracula edita fuiſſe de Meſſia, cum his, quæ idem Meſſias de ſeipſo prædicabat, cùm & patrem ſuum Deum aſſereret, & ab eo ſibi cunctarum rerum poteſtatem delegatam prædicaret, omnis iam dubitatio faceſſat alium quenquam prophetias has quàm ipſum Meſſiam deſignaſſe.

Sẽſus grę.

Poſtula.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Reges.

QVod Sept. interpretes Græcè dixerunt ποιμανεῖς, reges, ſiue paſces, Hebraicè eſt, תרעם therohem, Amphibolumque eſt, רעה raa, paſcere, vel conterere. Quocirca magis Hebræi poſtremum hoc proponunt, vt nunc denotet conterere: id teſtatur quod ſequitur, Et tanquam vas figuli confringes eos. Ipſi Hebræi interpretes id exponentes, adhibent voces notiores. Rabi Salomon, תרוצצם terozezam. Quod apertè ſignat confringere, conterere. Auen Eſra תשברם theshaberam, Rumpes, franges eos. Idipſum confirmat Rabi Dauid. Chaldæus quoque תתברינון tetaberinun, confringes eos, vſus Hebraico verbo, pro Chaldaico. Cùm igitur idem verbum ſonet, vel paſcere, vel conterere, pro hoc poſtremo ſumendum eſſe & Hebræi volunt, & ſenſus oſtendit. Nam virga ferrea magis conterit quàm regit. Congruit tamen ſenſus Græcorum, Latinorumque cum hoc Hebraicę vocis ſignificatu. Regere ferrea virga de duro, ferreoque

Virga.

reoque Romanorum imperio, quo fractæ, attritæq́ Iudæorum opes, exponentes, euerſos Hebræos fuiſſe duris Romanorum oppugnationibus, miſſos ſub iugum. Is ſenſus melius ex Hebraica voce cognoſcitur, Confringes eos, atteres, baculo ferreo. Nam pro ῥάβδῳ, virga, & shebet Hebraico, melius baculus diceretur, quod eadem voce denotatur. Eadem claritas erit oraculi, ſi res, temporibus Antichriſti gerendas vaticinetur pſalmus, cùm reges, ſequaces Antichriſti, capti ad tribunal Chriſti ducentur damnandi, grauiter iudicandi. Cùm ſceleratos eorum exercitus, ad interitum pietatis coactos, diuinis ſuis armis, legionibus Angelorum immiſſis, diſſipabit, delebit, franget, profligabit. Nullæ ex tantis exercitibus extabunt reliquiæ. Quid opere figulorum fragilius? quid tantopere teritur, tam varijs, ac multis minutijs diſſipatur? Huiuſmodi fuiſſe Iudæos ferreis Romanorum fuſtibus attritos, & in fruſta cæſos. Eadem futura eſt gentium profligatio, quas ad ſua ſigna coacturus eſt Antichriſtus. Quod ſi de Dauid ſuſcipias, explanatione non indiget. In virga ferrea, dicas cum baculo ferreo, cum fuſte ferreo. Egoq́ue ſic Hebraicum Latinè reddiderim. Confringes eos cum fuſte ferreo. Cui proximè quadrat, & tanquam vas figuli conteres eos.

In pro cũ.

Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

SVpplicijs intentatis ex eorum improbitate ſuper eos euenturis, docet, reſipiſcant, altius euigilent, ne grauium pœnarum prædictio ſortiatur euentum. Antea quam calamitatis tempus appellat, expergiſcantur. Conſimili cohortatione vtitur Salomon, in libris Sapientiæ: Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Et, Audite filij diſciplinam patris, & attendite vt ſciatis prudentiam. Et Intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite. Totis ſacris litteris, partim minæ peccatis intentantur, ſequaque ex his ſupplicia euentura monſtrantur: partim paternis admonitionibus, ſi quis audiat, coercentur. Reges ſuperius impia conantes aduerſus dominum monſtrauerat, contra eorum veſaniam, cœleſtes pœnas paratas dixerat, irridente Deo, paulatimq́ue ad iram, furoremq́ue procedente, victoriamq́ue contra reges hos, atque eorum extremum excidium pollicente. Ob has cauſas, ad eos ipſos reges conuerſus, eos monet, ſuæ ſalutis, & periculi rationem habeant. Duobus verbis, vt ſolet, per epitaſin exaggerat, Intelligite, Erudimini: ijdemq́; ſunt Reges, atque Iudices terræ: & quaſi loquitur, Hæc cùm ita ſint ô Reges, ô Principes, reſipiſcite, mentes veſtras ad ſanitatem reuocate. Non ſunt arma contra Deum, quoſq́; protegit Deus, ſuſcipienda. Niſi meliora ſenſeritis, magnum vobis portenditur excidium. Quod dixit, Erudimini: propriè eſt, corrigamini, emendemini, peccatis nuntium remittite, Hebraicè הוסרו hiuaſeru. Et quanquam non erat fortaſſe futura correctio (nam neque Iudæis, neque regibus illis, qui cum Antichriſto conſpirabunt, profuerunt, proderuntq́ue, vel intentatæ minæ, vel placidæ monitiones) adeſt tamen, digito tempeſtatem impendentem oſtendens. Iudices autem terræ dixit, quaſi quos Homerus vocat. βυληφόρυς ἄνδρας, κοσμήτορας λαῶν.

Intelligite. Reſipiſcere.

Erudi.

Quiq́ue regunt dictis animos, & pectora mulcent.

Terram autem per ἀντωνομασίαν, mortales terram colentes, quibus terreſtris habitatio data. Cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum. Iudicantes terram, Regnatores ἡγεμονὲς, qui ducunt, agunt, regunt homines terrigenas, iura dantes, ius dicentes. Hanc ob rem hortatur eos ad Sapientiam, ad intelligentiam, vt quibus plus quàm reliquis ſit videndum, quorum ex conſilijs multæ nationes pendeant. Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βυληφόρον ἄνδρα. Hos cum primis inuitat ad ſapientiam, vt quorum delyria populis augent peſtem, clademq́ue.

Terra.

Qui iudi.

Quidquid delyrant reges, plectuntur Achiui.

Principibusq́ue populos ſimiles fieri apud ſcriptores celebre eſt. Quæ ſit autem hæc ſapientia, ad quam eos veluti ſupplex, ac miſericordia commotus, hortatur, præclarè ſubijcit:

Claud. Componitur orbis, regis ad exemplũ.

Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.

QVod ad verba attinet, non eſt Hebraicè καὶ ἀγαλλιᾶσθε, exultate ei, ſed duntaxat, Et exultate, redundante pronomine αὐτῷ, ei. Hieronymus quoque non addidit. Neque verò cohortatur reges, vt exultent Deo cum tremore: ſed vt lætitiæ, fiduciæq́ue, qua plerunque reges ob res ſecundas, atque rerum affluentiam exiliunt, exultant, diuos, hominesq́; aſpernantur, metu fortunæ aduerſæ, quæ plerunque eos, vt inquit ille, quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem caſum, diſſimilis ſui reſeruat, moderentur, eam contineant, frænent, incedant ſpemque metumq́ue inter dubij. Ita fiet, vt tumultus inanis ille, verborumq́ue iactantia, ſuperbia quoque, qua ſuperius vtebantur, compreſſa, mediam ſanitatem obtineant. contra morbum illum proclamat,

Exult. ei.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,
Nec ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Hęc autem moderatio, atque conſtantia vix obtineri poteſt, niſi Pietas, quæ ſacris litteris dicitur.

Timor.

Seruire.

Epicureorum impietas.

Homo, cur factus ſit.

Ariſtoteles.

Pietas, timor domini.

tur. Timor domini, imbuerit animum. Ab ea naſcetur omnis elationis, atque ſuperbiæ, audaciæ, atque ferociæ deiectio. Ad hanc igitur veram, ſolidamque Sapientiam cohortatur. Seruire autem domino, quod Græcis, Latiniſque non diceretur, eodem verbo dicitur Hebræis, quo noſtris Colere, Græcis θεραπεύειν, illud agris Deoque exhibetur: hoc hominibus, atq; Deo; haud ſecus Hebraicum Seruire Deo, atque mortalibus. Nec propterea mancipiorum loco à Deo mortales haberi fingit, vt neque eum Græci, quem dicerent θεὸν θεραπεύειν tametſi θεράποντα, vocant mancipium. Magnuſque hic ex philoſophia locus, quem contra Epicureos Lactantius ex Seneca produxit, tractatur. Epicurei fruſtra natos homines contendunt: vitam humanam temeritatis, ac miſeriarum plenam: homines fortuito extitiſſe, finem nullum habere, ad quem ſpectet. Huic errori Seneca ſapientiſſimè occurrit, Non temerè, nõ fruſtra nos viuere: ſed viuentes operã dare Deo, quaſi ſeruire Deo. Vides vt nobiliſſimus finis ſit humanæ vitæ, nobilior omnibus rerũ finibus, vel Solis, totiuſque cæli. Sol enim factus eſt, vt lucendo, lucemque, & calorem cunctis terris diſtribuendo, vitã animantibus, maximeq; hominibus largiatur. At homines facti ſunt, vt viuendo darent operam Deo, ſtuderent Deo: hunc quærerent, noſſent: quæſitum & agnitum colerent, laudarent, huicque ſeruirent. Hocque eſt dare operam Deo. Is optimus finis (ait Ariſtoteles) Deum noſſe, & colere: finis vtilitatis, iucunditatis plenus, plenus ordinis. Hortatur igitur, arrogantiam deponant, ſceleratam illam contra Deum coniurationem relinquant, ab impijs armis diſcedant, alia ſtudia, maximè reges, præſideſque rerum humanarum decentia, ſuſcipiant. Nam cùm res omnes humanæ diuinitus gubernentur, tum verò bella eius ex nutu, victoriæque dependent: quibus eos maximè potiri facit, quos nouerit habere cauſam iuſtiorem. Longè igitur minus his erit propitius, quorum arma, pietatem, pioſq; reges oppugnare cernat. Melius igitur, & ipſis regibus ſalutarius, vt Deum, cuius maieſtatem, atque honorem in his qui colunt eum, perſequerentur, (nam, Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem ſpernit me, ſpernit eum qui me miſit, idem inquit,) conuerſis ſtudiis colant, eique ſeruiant: eorumque regum de numero fiant, quibus propter ſummam inſaniam, bellum indixiſſent. Seruite autem Deo in timore, ſiue cum timore, eum habet ſenſum, ad eos quemadmodum monſtratum eſt, dicitur, qui cupiditatibus efferebantur, tranſuerſi à ſcelere rapiebantur, quibus malis moribus timor adhibendus eſt, metu ſunt coercendi. Metus autem ſiue timor erit vt noſcas te contra eum tendere, qui te, tuaſque copias mille modis poſſit interficere. Grandine lapideo, velut exercitus Brenni, fulminibus, peſtilentia, fame, corruptis, atq; obcæcatis conſiliis ipſorum ducum. Sunt alia multa, quæ ſapientes imperatores habentes explorata, verebantur numen Dei: omnibus precibus eum ſibi propitium adhibebant. Qua in re Romani omnes nationes ſuperarunt, ob id in omnes terras, eorum ditione, fauente Deo, quem timebant, & colebant, propagata. Præclarè verò, & ex intima ratione vocatur Hebræis pietas, timor domini. Nulla enim re magis nos pios eſſe Deique colentes comprobamus, quàm ſceleribus abſtinentes, verenteſque ne quid contra voluntatem eius faciamus, legeſque eius reſcindamus. Nam cùm nos cupiditates ad multa prouocent, quæ legibus diuinis prohibentur, cupiditatibus autem obtemperare recuſantes, id certè timore quodam, optimo quidem illo, rationiſque pleno facimus: tunc ſumus velut ille, qui ſenſit medios delapſus in hoſtes, aut qui ſerpente calcato trepidus refugit. Maxima igitur pars pietatis conſtat timore, pudore, reuerentia. His aduerſatur ſuperbia, elatio principum, opulentorumque peſtis. Eoque præcipuè propoſuit his ad ſanandas eorum mentes timorem Dei, trepidamque exultationem. Hæcque vel ad eos reges, ac principes, qui nomen Chriſti delere, ſuperbè, arroganterque conabantur, vel reges Antichriſti ſigna ſequentes, qui non ſolum honorem Dei violare non timebunt, vt etiam ipſum Antichriſtum, repudiato vero Deo, pro Deo, tota terra coli, velle, non dubitaturi ſint. Eſt item ſenſus, Seruite Deo in timore: Date Deo operam ſumma cum reuerentia, ac pietate. Is enim eſt finis noſter. Finis ad quem reſpicit hominum vita.

Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur dominus, & pereatis de via iuſta.

Apprend. diſciplin.

Adoratio.

QVod ad verba attinet, nemini non perſpicuum eſt, vel ipſo Hieron. tot locis monente pro δράξασθε τῆς παιδείας, Apprehendite diſciplinam: Hebraicum habere נשקו בר naſcheku bar: quod poteſt reddi, Oſculamini filium: vel, Oſculamini purè. Eoque Hieronymus tranſtulit in ſuo pſalterio ex Hebraico, Adorate purè. In commentariis autem ſuper pſalmos (ſi modo illius ſunt) ſciens aliam quoque ſubeſſe his vocibus ſignificationem, transfert Hebraicum, Adorate filium, apertam de Chriſto prophetiam hanc aſſerens. Contra Ruffinum probat, quoniam adoratio fiat ore admoto, atq; oſculo, rectè dixiſſe ſe in commentarijs Adorate filium. Hæc Hieronymi interpretatio etiam ab Hebræis adhibetur, & comprobatur: maximè verò Auen Eſra, & Chimchi. Prior oſtendens hunc verſiculum reſpondere ſuperiori, ait, Seruite domino, reſpondere, ei quod propoſuerat, Aduerſus dominum. At, Oſculamini filium reſpondere, Et Chriſtum eius: & ei quod ait, Filius meus es tu. Ergo confirmat eundem eſſe bar, nempe filium, de quo ſuperius dixiſſet, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vultque po-

nere

ere nunc prophetam cohortationes cõtrarias ſceleratis eorũ conatibus, vt qui conſilium iniiſſent aduerſum dñm, nunc hortetur eos ſeruire dño. Et qui bellum Chriſto eius indixiſſent, nũc eos moneat, vt oſculentur, adorent eũ, appellans nunc filiũ, quẽ ſuperius Chriſtum eius. Hæc interpretatio adhibetur comprobaturque etiam à Chimchi, Bar, inquit, hoc loco, eſt בן bon, filius, quemadmodum alibi dicitur. Quid eſt ברי beri, filius meus. ומה בר בטני vma bar bitni, Et quid filius vteri mei. His apparet vera locutum Hieronymum in commentarijs. Quod ſi bar nunc eſt pro filio, verbum quoque ipſum נשקו dasheku, quod & ipſum polyſemõ eſt, ſonabit adorate. Eſt enim Adorare Græcè, & Latinè Oſculari. Adorare, ad ora mouere, ad os admouere, ſic Græcè προσκυνῆσαι, eſt κύσαι oſculari. Quoniam igitur adoratio fiebat: fitque oſculando, rectè verbum Hebraicum vertitur Adorate. Fit oſculando adoratio. Nam plebs oſculabatur genua imperatorum, ſenatores autem pectus. Nunc veneramur principes oſculando manus. Ipſi Patres purpurati pectus, & manus ſummi Pontificis oſculantur, pedes cætera plebes. Sic quoque Iob deteſtans Idololatriam, qua mortales Solem, Lunamque venerantes, oſculabantur manus ſuas, non valentes os admouere, ait, Si vidi lunam cum fulgeret, & oſculatus ſum manum meam. Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum. Eſt & aliud exemplum in libris Regum: Et omne os quod non adorauit Baal, oſculans manum. Cæterum ſciendum eſt, quoniam bar præter ſignificationem filij, deſignat etiam purum, electum, mundum, eſſe qui ſequantur eum ſignificatũ vt dicat, Oſculamini ſiue adorate pure. Eritque antecedentis verſus repetitio. Seruite domino in timore. Nihil enim aliud eſt, Seruire in timore, quam Adorare purè. Illud item magnopere cõſiderandum, editionẽ Sept. qua dixerant, Apprehendite diſciplinam: quoniam purum, ſelectum, mundumq; maximè ad diſciplinã, eruditionẽq; pertinet; (eſt enim eruditio, vera mundities) verã eſſe, & à priſcis Hebræis cõprobari, qui puritatem, ſiue purũ, aut mundum, quod præſenti voce deſignatur, ſumpſerũt pro cultu, diſciplina, eruditione, doctrina. Itaq; Chaldæus interpres, pro eo quod Hebraicũ habet, nasheku bar, Oſculamini filium, vel, Adorate purè, poſuit iuxta ea quæ diximus קבלו אולפנא kabilu vlphana, Accipite, ſiue recipite doctrinam. Vera igitur eſt, ac maximè propria interpretatio Sept. & verè interpretantur Græci, aſſerentes nunc inculcari, & exaggerari quod paulò antè dixerat, Erudimini qui iudicatis terram. Nunc, Prẽdite, capite doctrinã, eruditionẽ, diſciplinã. Rabi igitur Salomon exponens bar, pro puro, mundo, ſic explanat: Armamini, pręparate voſmet puritate cordis; quod maximè ad cultum, diſciplinamque quadrat. Neque ab re verbũ nasheku quod ſonat oſculamini, tranſtulerunt Sept. δράξασθε, apprehendite, & Chaldæus קבילו kabilu: Nam idem verbum ſonat etiam deſiderare, vt ait Rabi Salomon, iuxta illud, Et ad virum tuum, deſiderium tuum: vbi eſt תשוקתך teshukathca, deſiderium tuũ, à verbo per apocopen primæ litteræ נשק nashak. Rectè igitur quod erat deſiderare, tranſtulerunt Sept. & Chaldæus, capere, arripere, aut quod ait Auen Eſra, ſed non probat, quoniam נשק neſek ſonat arma, poſſet inde verbum armandi deductum eſſe, vt dixerit, Armamini puritate diſciplinę, eruditione. velut Paulus, Induite loricam fidei. Atque hoc verbum armandi, Sept. & Chaldæus dixerunt capere. Quoniam igitur multiplex eſt ſignificatus vocis bar, accidit vt multæ interpretationes à ſcriptoribus ſint poſitæ. Nec moror quod ſint Hebræi, qui ferant hac voce puritatem deſignari non poſſe, quę potius dicatur בור bor. Nam & cęteri diſſentiunt, & eadem eſt vox, licet ſub alia ſignificatione. Harum omnium mihi maximè probatur, ea, Adorate filium, propter rationes quas attulit Auen Eſra, quod toto hoc pſalmo claro nomine filius eſt adhibitus: eo inquam nomine, in quo nulla ſit ambiguitas, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Et, Aduerſum Chriſtum eius. Genitus ab eo, filius eius, Chriſtus eius. Nunc quoq; bar, nempe filius, vt non ſit mirum, quòd inuitet ad oſculum, adorationemq; filij, quem ſuperius à Deo genitum dixerat: & in contrarium, cui bellum intulerant, nunc eum contra proponat adorandum, colendũ, quod oſculo deſignatur. Atq; hinc liquet non ab re vetuſtiores Hebræos, qui veritatem perſpicacius cernebant, de Chriſto pſalmi huius oracula cãtata aſſeruiſſe, quorum ſuperius viſa eſt ſententia. Extat item eodem in libro, quem dixi vocari Midras Thehilim, quaſi myſteria pſalmorum, dixiſſe quendam e Rabenis illis priſcis ſuper hoc, Adorate filium: hanc eſſe velut regis ſententiam, qui exarſerit ad vlciſcendum ciues ſceleratos. Hi profecti ad filium regis, ſupplices ab eo petierunt, vt patris iram mitigaret, ille profectus obtinuit, vt eis parceretur: venerunt ciues, gratias acturi regi: is remittit eos ad filium. Nam in gratiam huius, inquit, vobis parco. Hoc igitur eſſe Oſculamini filium, per quem vobis iracundia mea ſedata eſt. Eum oſculamini, amplectimini, Genua eius prehendite. Hæc antiquitas ſentiebat, quibus iuniores etiam ſubſcripſerunt. Nec poteſt ſine magno miraculo factum eſſe, vt toties filium Dei memorauerit. Quod vero proſequitur,

Bar, duo ſignificat.

Nasheku, duo ſignificat.

Adorare.

Imperatores.

Romanus epiſcopus.

Ad ſolem, aut lunam

Iob. 31. c.

3. Re. 19. d

Apprehẽ. diſcip.

Gen. 3. c.

Prius pro poſt.

Ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de via iuſta.

IN fonte Hebraico non eſt, Dominus: ſed duntaxat, Ne quando iraſcatur: quanquam de domino, etiam Hebræis atteſtantibus, dicitur. Non eſt item, Via iuſta: ſed duntaxat, Via Hæc in Pſalterio Hieronymi clara videbis. Et quod iidem Septua. dixerunt, καὶ ἀπολεῖσθε ἐξ ὁδοῦ, Et pereatis de via; Hebraicè paulò diuerſum ותאבדו דרך Vetoberu derech, Et amittatis,

Perea, de via.

viam. Eſt autem ſenſus, vt explicat Rabi Dauid, Niſi celeriter ab itinere cępto deſiſtatis, vias ſceleratas deſeratis, iraſcetur in vos Deus ſummus, cùm furor eius exarſerit. Quantulumcunq; moræ in his flagitijs protraxeritis, vos furor eius corripiet. Impendet veſtris ceruicibus calamitas iam iamque præſens, niſi celeriter conſilia meliora capiatis. Si vel exiguum temporis perſeueratis in his erroribus, nullam amplius expectetis vindictæ dilationem, ſcitote eam præſto eſſe: vertite igitur iter incœptum. Ergo quod ait, Et amittatis, ſiue perdatis viam, eſt quale pſalmo primo dixerat, Et iter impiorum peribit, ſiue perdet. Volunt autem hoc loco Hebræi figuram eſſe, qua ſcribitur in ſacris litteris, homines ſciſſi veſtes, attonſi barbam. Neque enim homines ſcindi, ſed veſtes: neque homines radi, ſed barbam. Ita, Homines perdere viam, quod via perdat, agat eos in perniciem, in barathrum. Perire igitur de via, aut perdere viam eſt, ſequi iter deuium, ſecluſum à conſortio Deorum, vt inquit ille. Eſt ire viam ferentem ad mortem. Medio in itinere quod arripuiſti, cadere. Erat enim iter deuium, præceps. Ac Sept. clariorem facere tralationem volētes, ꝙ erat Hebraicè, Pereatis via: rectè adiuuerunt, illuſtraruntq; quod itē Hebræi faciūt, addentes præpoſitionem de via, Hebraicè dicitur, Peribitis via. Adde, Peribitis ex via. Furor igitur eius correptos, ſi pergitis hoc iter, auferet è medio. Hæc via quoniam funeſta eſt, vos agit in æternam mortem. In ea ſuperueniet ira Dei. Vbi inuenti fueritis, ibi pęnas luetis. Senſus quidem Sep. quòd addiderunt, iuſta fuit: quod in flagitijs perſeuerantes, ab illa via excident, quæ fert ad ſuperos. Sed ſuperiora clariora. Fuſte ferreo confringentur, in fruſta velut vas abibunt. Perire igitur de via, aut in via, eſt in his peccatis, quæ retinent, ira Dei ſuperueniente cadere, deleri, extingui. **Via.** Eſt enim via in ſacris litteris, vita, ætas, vitæ tempus, per quod velut ſpatium quo vita decurrit, incedimus. **Ne quando.** Quod autem dixit, Nequando, Hebraicum ſimillimum illi פן pen, Ne forte, vt vertit Hieronymus, dubitantis eſt. Quòd his erroribus inſiſtitis, quòd ad cępta conſilia properatis, forſan grauiores pœnas luetis, forſan Deum iratum ſentietis. Dubitanter nunc proponit: ſequenti verſu cum denuntiatione, expreſſoque vaticinio calamitatis. Cùm exarſerit in breui. Iraſcitur igitur Deus ſceleratis: ſed ad vlciſcendum diuina tardè procedit ira. Demum tantò grauius, quantò ſerius. Poſſet autem referri (quoniam Dominus non eſt appoſitum ad iraſcendi verbum) aut ad ipſum dominum, aut filium, quem aſſerit adorandum, iratum his qui non adorent.

Cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

In breui. QVod Latinus dixit, in breui, Gręcum magis ad Hebraicum reſpondens ἐν τάχει, in celeritate, Cùm celeriter exarſerit. Hebraicum כמעט kimeat, iuxta paululum, fere exiguum, quaſi modicum. Et Hier. Poſt paululum. Sciendum eſt, aduerbium, ſiue præpoſitionem Hebraicam כי ki, quam Sept. tranſtulerunt ὅταν, cùm, vel quando, eſſe quoq; particulam, cauſatiuam, αἰτιατικὸν μόριον, quæ reddat cauſam eorum quæ prius dixerimus, vertiturque Latine, quoniam, quia: hocque clarius eſt, quàm dicere, cùm: transferendumque eſt, Quoniam cito furor eius exardeſcet. Breui, celeriter, poſt paululum. Eritque totus ſenſus, Adorate filium, amplectimini, exoſculamini, ne forte vobis in hac impietate inſidentibus, iraſcatur: & tenebræ vos inuoluant ſic, vt vel ipſam viam ignoretis, cadentes, lapſabundi. Quoniam celeriter furor eius inflammabitur. Apertè vobis denuntio, furor eius celeriter incendetur. Nullam dilationem expectetis. Hæc interpretatio clarior eſt, reſpondens aduerbio, celeriter, in breui. Quoniam, ait, celeriter iraſcetur furor eius. Pro ſubiunctiuo igitur in Gręco ὅταν ἐκκαυθῇ. Cùm inflammatus fuerit. Non eſt ſubiunctiuum in Hebraico, ſed aperta periculi denunciatio כי יבער כמעט אפו ki ibear bimeat apo. Quoniam inflammabitur celeriter, citò furor eius. Negatque Deum fore conniuentem, cunctatorem, differentem iraſci. Satis inquit ſuperq; diſtulit, procraſtinatus eſt. Hoc quoq; Chaldæus poſuit, pro dubia præpoſitione Hebraica, adhibens claram מטול metul, quoniam, quia. Et Rabi Salomon exponens, Quoniam, inquit, in momento, ſubitoque furor eius incendetur. **Qui confidunt.** Et tunc beati omnes qui confidunt in eo. Et quod Septuag. dixerunt πεποιθότες, qui ſperant, fidunt, eſt Hebraicè חוסי choſe, Poteſt, Qui confidunt, aut qui ſperant, transferri: quod Hieronymo placuit, Beati omnes qui ſperant. Clarum eſt cur beatos appellet eos, qui vindicta cęleſti furente, ſperent, fidant, non trepident. Magna ſanè eorum beatitudo, Deo pęnas cæleſtes immittente, ac mortalium caterua latè iaculis eius cadente, vel caſura, quos ſpes alat, ſuſtētet. Eam ſpē ſuggerit cōſcientia rectè factorum. Verum enim eſt quod ſcribit diuinus Plato, conſentiens cum ſacris litteris, redditur os omnes ad tribunal Iudicis ęterni, vitæ ſuę rationem, ſed bonos θαρραλέον λόγον, rationem in trepidam, plenam fiduciæ: at improbos cum magna trepidatione: Videntes enim (ait Salomon) turbabuntur timore horribili, & prę anguſtia ſpiritus gementes. Et fortè vera Græcorum eſt ſententia, hoc vaticinium eſſe de ſupremo iudicio, quemadmodum primus quoq; pſalmus vaticinabatur de conſortio, cętu, bonorum, cōgregatione, & inſatiabili gaudio iuſtorum ex aduerſo de his, quorum iter deuium, ſecluſumq; à conſortio. Deorum. Illis fore pietatis pręmium, quod in numerū Deorum recipientur: at ſceleratis, ꝙ aget, qua pergere cępiſſent via, in barathrum, tartarum. Nūc autem de ira Dei inflāmanda, arſuraque omnia, quę ſceleratos

auferet

A auferet è medio,deq; his quorum plena fiduciæ pectora,nō expauebunt Ioue irato. Hos nunc beatos appellat. In primo pſalmo non exiccandos, futuros velut arborem propter aquæ riuum. Illic æternum virorem, hic fiduciam intrepidam. Beati erant primo pſalmo, qui ſe à conſortio improborum ſeparauiſſent:hic beati,qui Deo irato,non trepidabunt,ob rectè factorum conſciētiam,quòd ſentire cum improbis noluiſſent. Quanquam nunc maximè contra principes,illic cōtra omnes generatim. Multis quidem de cauſis Beati in ſacris litteris homines vocantur:ſed his ad vnam principem demum relatis: Qui ſunt beati quod confidunt in eum,quod in conſilio ſceleratorum non abierant,quod flagitijs eorum aſſenſi non fuerant,potius deſtomachabantur,exhorrebant. Quare autem beati, quia cùm furor Dei ferueſcet,cùm rationem in vita factorum vnumquēque repoſcet, cauſaſq; omniū,totamque vitæ rationem ſeueriſſimè diſcutere ſtatuet, cæteris quia nec impiorum conſilia improbauerant,nec peccatores peroſi,ſeſe ab eis auerterant, ſumma trepidatione laborantibus,ipſi fidentiſſimis animis aſtabunt,pleni ſpei,atque fiducię,maxima bona, vt illi maxima mala expectantes. Tempus ergo furoris poteſt referri iuxta Gręcos, tum ad diem qua quiſque ſecedet à corpore damnandus,ſi malè perpetraſſet, tum iudicium extremum. Iuxta Hebræos,& vt mihi quoque probatur,ad id tempus,quo Deus,qui patienter vexari bonos aliquandiu paſſus fuiſſet,demum,indignatur,ſumitque de his qui vexant eos, meritas pœnas. Obſeruant item Græci hunc pſalmum & primum vnum eſſe quòd finis huius in beatititudinem deſignat,vt ille à beatitudine initium auſpicatus fuerat,artificio quodam factum.

TITVLVS, SIVE INSCRIPTIO PSALMI TERTII.

B *Pſalmus Dauid, cùm fugeret à facie Abſolon filij ſui.*

PRincipio obſeruandum, quod ſemper in principijs pſalmorum Sept. interpretes dicere ſolent ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, pſalmus ipſi Dauid, Hebraicum articulum לדוד le Dauid,ſeruire datiuo,ac genitiuo,ſed magis genitiuo. Magiſque dicendum eſt,pſalmus τοῦ Δαβὶδ, ipſius Dauid,quàm τῷ Δαβὶδ ipſi Dauid:idque vbique. Quod ad inſcriptonem attinet,nota eſt (vt aiunt Græci) hiſtoria ex libris Regum. Illud vnum perſpiciendum, priſcos Hebræos (vt teſtatur Chimchi) pſalmum ſuper Antichriſto,quem vocāt illi Gog, & Magog,expoſuiſſe, aut myſticè, aut inſcriptionē minimè morati, quæ forſan nō tempeſtate Dauid,ſed inſecutis ætatibus, ea, atque aliæ ab eruditis fuerint additæ. Quemadmodum quòd appellatus fuit Miſmor,nempe cantilena, aut הוד hode, (eſt enim vox Hebraica, Græcis vſurpata) nam is pſalmus potius cum gemitu,vt Hebræi teſtantur fuit editus. Nomenclatio Pſalmorum, odarumque poſtea, aut cùm victorijs potiti eſſent,reperta eſt, aut longè poſt. Proximi igitur tempori illorum adhuc pſalmo inſcriptioue carente, de Antichriſto putarunt, aut certò norunt de eo carmen eſſe. Vt quemadmodum ſuperior pſalmus, variantibus interpretibus, eſſe aut de Dauid, aut de Chriſto,veteres de Chriſto contra Gog,& Magog,qui copijs innumerabilibus aduerſus Chriſtum coactis confremerent,interpretantur: ſic nunc eum ad Dauid alij trahant,priſci ſimili ſenſu, quo ſuperior eſt,de Antichriſto,ſceleratiſque eius agminibus,ſcirent C effuſum,quibus aduerſus Chriſtum congregatis dicat ipſe Chriſtus in pſalmo, Domine quàm multiplicati ſunt,qui tribulant me,quemadmodum ſuperior,Quare fremuerunt gentes: eodem exordio,eiſdem penè verbis,eadem ſententia. Ipſe Rabi Dauid refert eos de Antichriſto, ex eo fuiſſe interpretatos quod factum Abſolonis ſimilitudinem habeat cum his, quæ faciet Antichriſtus. Quo dicto velut ex inuito pectore veritate erumpente, ipſis quoque fatentibus apparet, Coniurationem illam omnium impiorum Regum, nouiſſimis ſæculis contra Chriſtum futuram,velut illam Abſolonis contra patrem, ex cuius ſanguine natus eſt Chriſtus. Illam contra Dauid,hanc ultimi temporis contra Chriſtum, cuius oppugnabit nomen Antichriſtus, conſurgetque contra omne quod dicitur Deus. Comprobatur hæc ſententia, vel eo maximè, quod alto,& arcano quodam ſenſu,primus,& ſecundus pſalmus in fine canebant præmia,coronaſque iuſtorum: furorem autem Dei contra ſceleratos, cunctis exponentibus,cùm Deus ob flagitia,& cædes,maximamque impietatem mundi,& eorum,qui Antichriſtum ſequentur,adorabuntque, iratus veniet in maieſtate ſua. Eodem ſenſu,& eadem prophetia poteſt nunc factum eſſe,vt propheta ſpectaculis illorum temporum ſibi per ſpeciem oblatis inſiſtens, deſcribat iterum coniurationem Antichriſti, velut filij contra patrem, contra Chriſtum, turbulentamque illius ſæculi tempeſtatem. Hæc vna erit ſententia, eaque priſcorum Hebræorum. De Dauid quoque poteſt editus eſſe,quæ melius in poſterum clarebunt. Sciendum ſiue de Antichriſto, ſiue Abſolonis coniuratione ſit,occultas eſſe phraſes,abſtruſaſq;,vt aliud quàm hæc ipſa dici videatur. Nuſquam vel minimum indicium aſpicias earum rerum,quæ in illa Abſolonis coniuratione acciderunt,atq; alio pertinere,quæ pſalmus canit,omnino vidētur. Non filium contra ſe ſurgentem vnquam,non populum, plebemque in ſe concitatam nominauit. Non cauſam tanti mali, quod refertur in libris Regum,ob maximum ſcelus in eam calamitatem,Dauid diuinitus incidiſſe. Dicitur autem hanc quaſi elegiam, & flebile carmen edidiſſe Dauid, cùm aſcenderet flens aſcenſum

Pſalmus ipſi Dauid. Le.

Antichriſtus.

Ode. Pſalmorū inſcriptiones.

Tempus coronarū.

2.Re.15.f.

oliuarum, ceruicibus eius, cum omni multitudine, filio imminente. Affertur item ab Hebræis, plerosque alios in ſacris litteris inſignes viros fugiſſe. Fugit Moſes à facie Pharaonis: Fugit & Iacob fratrem proſequentem: Sic Dauid quoque fugiebat filium inſequentem, eumque regno exuere conantem. Siue igitur ad Antichriſti, ſiue Abſolonis perſecutionem referas, verbis explicandis, ſenſibus enodandis, deſudandum eſt. D

PSALMI III. EXPLANATIO.

DOmine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.

QVOD Septuaginta dixerunt, τὶ ἐπληθύνθησαν. Quid, aut, quare multiplicati ſunt? Hebraicum מה ma, potius deſignat, quam, quantum, vt dicendum ſit, Quàm multiplicati ſunt? Quanta eſt hoſtium me perſequentium copia, quæ coniuratio. Nec rogat cur ſint multiplicati, ſed cum gemitu miratur, vt illud, Quid.

Heu quantas ſtrages, vel quæ Tyberine videbis,
Funera, cùm tumulum præterlabere recentem.

Hei mihi, quanta belli tempeſtas impendet. Quam immanis coniuratio. In alio pſalmo, Quam multiplicata ſunt opera tua. Chaldæus item apertè ponens כמה camma, quãtum, quàm. Et quod dixerunt ἐπληθύνθησαν, multiplicati ſunt, Hebraicum rabbu, Latinè clarius diceretur, Quanta agmina coierunt. Quæ manus perditorum hominum in me cogitur. At quod tranſtulerunt, οἱ θλίβοντες, qui tribulant: nunquam reor apud bonos linguæ Latinę ſcriptores reperias hoc verbum Tribulo: eoque mecum ſępe vehementer ſum admiratus, cur Latinus pſalmorum interpres eo ſit tantopere delectatus, vt vſurpet vbique, quod nuſquam vel apud Ciceronem, vel Titum Liuium, Cæſarem, aut quenquam bonorum poetarum reperias. Fictum eſt ex Græco τρίβω, tero, contero, frango, flagello, inde Græcis dicuntur παιδοτρίβαι, pueros cædentes, flagellantes, à Tribo Græco, factum Tribulo. Hinc Tribuli, quia cædunt, flagellant. Hieronymus igitur politioris eruditionis ſtudioſus, refugit in ſuo ex Hebraica veritate pſalterio, hoc verbum, pro tribulant me, ponens iuxta Hebræos צרי zarai, hoſtes mei, Domine quid multiplicati ſunt hoſtes mei, Propriè deſignat Hebræis zar hoſtem prementem, uexantem, perſequentem, tædio afficientem, à צרר Sarar, vrgere, inſtare, premere, vexare. propterea Septuaginta dixerunt τρίβοντες, terentes, afflictantes. Quod verò ait, Multi inſurgunt aduerſum me: Multi Hebraice רבים rhabim, polyſemon eſt. Sunt principes, magiſtri, rabim, ſunt multi, inde ſuperius verbum rabbu, multiplicati ſunt, creuerunt, inualuerunt. Dicendumque aut, Multi inſurgunt: aut Principes, magiſtri inſurgunt: Contra me, inquit, manus impiorum Regum conſpirat, cogitur. Quod maximè ad Antichriſti comites, Reges, ac principes quadrabit. Verbum autem, Inſurgunt, deſignat quale ſuperiori pſalmo, Aſtiterunt Reges: nempe coniurauerunt, animis, opibusque parati bellum execrabile ſuſcitauerunt: Conflatum eſt bellum ſceleſtiſſimum: vndique conueniunt: Quotidie fit maior acceſſio. Senſus igitur clarus, ſiue Ad Antichriſtum, ſiue Dauid referatur. Videre eſt hoc loco creberrimum pſalmorum morem, cuius ex parte meminimus. Vbique occurrit ea ſpecies orationis, qua repetitur omni verſu prior ſententia, exaggeraturque alijs verbis, vt ſuperius: Quare fremuerunt gentes? repetit id ipſum, Et populi locuti ſunt inania. Primùm gentes, inde populi: primum fremuerunt, pòſt locuti ſunt. Secundo verſu, Aſtiterunt Reges terræ: refert id ipſum, Et principes conuenerunt. Reges, Principes, aſtiterunt, conuenerunt. Similiter nunc, Multiplicati ſunt, inſurgunt. Hoc vbique factum eſt cauſa carminis Hebraici, cuius in præfatione meminimus. Conſonat enim rythmis quibuſdam penè omnis verſus in Pſalmis: nec eſt alia carminis ratio in Pſalmis, niſi ſimilis verborum exitus, quale hodie in Italia carmen Ethruſcum: vt nunc, Ma rabbuzarai, Rabbim camin alai. Vides ſimiliter deſinens, zarai, alai. Perinde ſi Latinè diceres, O amantes amentes. Quod ſequitur:

Multiplicati ſunt. Qui tribulant. E

Tribuli.

Hoſtes.

F

Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

Animæ meæ. IAm diximus nomen Rabbim, Hebræis etiam teſtibus, hoc loco deſignare vel multos, vel magiſtros, ac principes. Quod dicit, Animæ meæ, cùm ſit Hebraicè לנפשי lenapſi, poteſt deſignare non modò caſum dandi, ſed etiam eſſe (quoniam articulus, Le variè ponitur) præpoſitio Super, De. Exponitur igitur ab Hebræis multò melius, Principes, aut multi loquuntur de anima mea, nullam ei ſalutem eſſe. Sciendum animam Hebraica phraſi, poni pro ipſamet propria cuiuſcunque perſona: vt, Qui amat animam ſuam, (nempe ſeipſum) perdet eam; perdet ſeipſum. Sic Poeta Latinus.

Le hebr.

Anima pro perſona.

Nos animæ viles, inſleta, inhumataque turba.

Itaque

A Itaq; nunc ſenſum eſſe, Multi loquuntur de me ipſo, principes, ac primores Iſrael, vt erat Achito
phel, atq; alij coniurationis participes, properantes eripere regnum Dauid, negantes affuturum
ei diuinum auxilium, dicebant, & communibus ſermonibus aſſerebant, quoniam Dauid tantum
ſcelus admiſiſſet, vt erepta vxore Vriæ, etiam ipſum curarit interficiendum, vtq; huic libidini Colloquiũ
ſatisfaceret, totum exercitum Iſrael, periculo expoſuerit, non propitium, ſed penitus iratum aduerſario
Deum illi futurum, victurosque eos hoc bellum, eisque futurum Deum propitium, qui ſce- rum Daui
lus illud perſequerentur, ereptumq; propter ſummum flagitiũ, regnum ipſi Dauid, filio eius tra- dis.
derent. Hoc illi in quotidianis ſermonibus agitabant, & quaſi iam parta, explorataq; victoria, lę
titia efferebantur, ipſi principes, ac duces, de ſalute, anima, vitaq; ipſius Dauid loquebantur, quò
bellum capeſſerent milites, alacriores eſſent: fauor ille diuinus, ac gratia, qua ſoleret Dauid om-
nia prælia facere ſecunda, qua Gigantem interfecit, Palæſtinos concidit, diſceſſit, abiit propter
peccatum: Noſtrum erit regnum. Cùm duobus modis exponit Rabi Dauid, non eſt ſalus animæ Non eſt ſa
eius, tum in hoc mundo, tum in futuro, videtur de ſolo præſenti eſſe ſermo, de ſalute corporea, lus.
de vita, qua quiſque viuit. Atq; eſt Hebraica locutio, Primum dicunt de anima mea. Tum, Non
eſt ſalus ipſi, nempe Dauid. Idem enim anima Dauid, atq; ipſemet Dauid. Negabant, ipſi Dauid.
atq; animæ eius eſſe ſalutẽ. Multi igitur, nẽpe quos eadem cõtra Dauid coniuratio mancipaſſet, Multi.
& fortaſſe omnis multitudo Iſraelitarũ, qui filium patrẽ perſequentẽ ſequebantur, affirmabant ſe
inuicem cohortãtes, ſalutem nullam à Deo immortali, qui ſolitus eſſet Dauid in prælijs defende
re, affuturam. In Hebraico in fine huius verſiculi ponitur סלה. Super qua voce varię ſunt Hebręo Sela:
rum, Græcorũq; ſententiæ, & de ea multa ſcripſit Hieronymus. Nam Sept. interpretes eam tran-
ſtulerunt διάψαλμα, quaſi dixeris intermiſſam cantilenam, eoq; Græci ferunt, quoniam in me- Diapſal-
B diis Pſalmis reperitur, vbicunq; ſit ſcripta, ibi vocem canentium ſolitam interquieſcere. At He- ma gal. vne pauſe.
bræi fortaſſe meliora, Alij quòd ſonet, In æternum: Super: quam ſententiam ſequitur Chaldęus
interpres pro, Sela, ponens chaldaicè לעלמין le almin, in ſæcula. Auen Eſra propoſitis alijs ſenten- Le almin in ſæcula.
tijs, verum huius ſignificatum eſſe, quale eſt Amen, ſic, ita: affirmationemque eſſe eorum quæ di Amen.
cuntur, Ita eſt, ſanè, profecto. Reuera, inquit Pſalmus, & certè, multi dicunt mihi ſalutem nullam
eſſe. At Rabi Dauid nullum ſenſum hanc vocem habere confirmat. tantum ornatus, aut harmo-
niæ cauſa adhibitam, quales apud Homerum ρὰ, κὲν, δὴ, περ, θὴν. Et quoniam Sela, uidetur
duci à verbo Salal. exaggerauit, accumulauit, putat vbicunque ea vox reperiatur, exaggerari il-
lic, atque attolli vocem canentium. Idque argumento eſſe quòd in ſolis Pſalmis, & canticis repe
riatur. Tres hæ ſententiæ Hebræorum ſimiles inter ſe ſunt, Idem enim eſt ſi ſonet in æternum, ſi
certum & verè, vt ſentit Auen Eſra, vel ſi vocis ſit ſublatio, qua rei certitudo, veritasq; deſigna-
tur. Eodemque pertinent hæ omnes ſignificationes. Abſurda forſan hæc mea opinio eſt, Sept. in
terpretes, vt pleraſq; voces Hebraicas transferendo intactas reliquiſſe ſic hanc Græcè ſcripſiſ- quæ ſequitur.
ſe, ut erat in Hebraico Sela, ſed ſcriptores per imperitiam neſcientes vocis ſenſum, ſuppoſuiſſe
uocem Græcam Diapſalma. Neque enim vel ab Hebræis adhibetur huius Gręcæ vocis ſenſus,
neque locum in Pſalmis habere potuiſſe videtur. Vt ergo quaſdam voces quia transferri non ita
facile poterant, Hebraicas reliquerunt Sept. vt Amen: ſic par eſt reliquiſſe Sela, ſed ab imperitis
ſcriptoribus pro Hebraica voce Sela poſitam Gręcam ſimilem Diapſalma. Quanquam ferat Hie
ronymus Symmachum, Aquilam, etiam diapſalma transtuliſſe. Verus igitur ſignificatus, cui plu-
res accedant eſt, vt ſonet, Certè, Profecto, Semper, vt transfert Hieronymus in ſuo Pſalterio, cũ
C vocis exaggeratione, quale eſt Amen, quod ab ipſis transfertur, Græcè γένοιτο, fiat.

Tu autem domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

QVod Latinus dixit, Suſceptor: Gręcè eſt, ἀντιλήπτωρ, auxiliator, protector, defenſor, Suſceptor.
Græcis ἀντιλαμβάνομαι ſignat opem ferre, cauſam alicuius ſuſcipere. Et pro eo Hebrai
cè eſt מגן, ſcutum, clypeus, vt reddidit Hier. Reſoluerũt igitur metaphorã Sept. qua dici Clypeus. Meus.
tur Deus Clypeus, nẽpe defenſor, protector. Quanquã idẽ verbum ſonat protegere, & inde for-
taſſe Clypeus, quod totũ corpus protegat, ac defendat. Atq; Hebraicè dicitur Et tu domine cly-
peus בעדי circa me, vt vertit Hieronymus, ſiue pro me, vel ante me: Clypeus obiectus mihi, quo
corpus omne protegitur. Quod vero ait, Gloria mea, pro eo Chaldęus poſuit ſimilẽ, ſed clario- Gloria.
rẽ vocem יקרי icari, honos meus, decus meũ. At tu inquit, Deus, ſecus quã illi contendunt, es triũ-
phus meus, mea victoria, decus. Per te mihi corona, triumphusq; in bello parabitur. Omnis meæ
glorię tu autor: alio loco. In te gloriabor. Eſtq; a diuino vate poſitum, quod in ſuo carmine poni
tur à profano, O, & præſidiũ & dulce decus meum. Hæc duo nominauit, etiã Pſalmus, præſidiũ
dixit Hebraicè מגן, magen, ſcutũ, clypeũ, decus כבדי kebodi, gloria mea, decus meum. Tu, inquit,
Deus es præſidium meũ, & decus. Eſt quoq; quędam Rabi Dauid interpretatio, vt dicat, Tu au-
tem defenſor meus, defenſor gloriæ meæ. Sed primum melius, Et Rabi Dauid etiã gloriã in con
trarium, pro ignominia, cùm fugeret. Quod verò ait, Exaltans caput meum: conſueta exaggera- Exalt. cap. me.
tio, ſolitaq; epitaſis. Idem enim decus, ſiue gloria mea, atq. exaltans caput meum. Namq; exalta-

re caput, eſt amplificare, augere, ad ſummos honores prouehere. Caput Hebræis pro toto homine, D vt Græcis, Latiniſque. Græci obteſtantur ἱερὰν κεφαλήν. caput ſacrum. Latini,

Teſtor vtrumque caput. Et, *Te germana, tuumque*
Dulce caput. *Di, capiti ipſius generique reſeruent,*
-Capiti cane talia demens
Dardonio, rebuſque tuis. Et, *Lepidum caput.*

Ita nunc, Exaltans caput meum: præferens me aliis, attollens ad ſidera: Fama ſuper æthera notum faciens, decoranſque triumphis. Secus omnia, quàm illi minarentur, qui non ſalutem, non victoriam, nullum denique honorem ex te pollicebantur. Omnem mihi ſpem ex clementia tua detrahebant. Non ita, inquit: Tu præſidium, tu decus meum: Tu mearum laudum amplificator. Quòd autem quidam Hebræorum interpretes ſic aptant ſenſum: Hoſtes mei neque in hoc ſæculo, nec in futuro ſpem mihi concedunt. Imò verò tu præſidium, propugnaculum, eripieſq; me in hac vita, itemque in futura, quaſi innuat, propugnaculum gloriæ meæ. Gloriam autem animam interpretantur, vt ex alijs docent. Nimis hæc dura.

Gloria, ꝓ anima.

Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

HOc erat, quòd eum præſidium, decuſque ſuum appellauerat. Opem enim eius implorauerat. Deus exaudire dignatus, auxilium ferre parabat. Eſt Hebraicè futurum, Ad dominum clamabo. Sed propter verbum Exaudiuit, etiam illud in præterito poſuerunt: tametſi monent Hebræi, hic futurum eſſe vice præteriti, vt alia pleraque in Pſalmis. E Clamaui, Exaudiuit, Hieronymus vtrunque per futurum pronuntiauit, Clamabo, Exaudiet. Sed, vt dixi, alterum futurum, alterum præteritum. Rectè, & ab ipſo Hieronymo & à Sept. ad vnum ordinem accommodatum. Verbum autem Clamaui, ſiue clamabo, Hebraicè eſt אקרא ekra, inuocabo, vt in ſequenti, Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meę. vbi eſt idem verbum. Poteſt igitur deſignare, aut vehementem exclamationem, vociferationem, aut ſimplicem inuocationem hæc vox: & inuocatio tum voce corporea ſublata fieri potuit, tum tacitis, arcaniſque precibus. Hoc Græcis probatur. Eandem enim, inquit Auguſtinus, orationem format cor atq; lingua. Naſcitur reſonatque in animo, tum ad linguam deſcendit, vt fons in venis conceptus, preſſuſque: dein erumpit ad auras. Dixiſſe fertur Democritus τῆς ψυχῆς εἴδωλον ὁ λόγος, Animi ſimulacrum eſſe ſermonē. Et Socrates, Loquere adoleſcens, vt te cognoſcam. Nuntia igitur vox interioris voluntatis, animique legatus. Quod verò ait, Exaudiuit de monte ſancto ſuo: Montem ſanctum, non vno ſenſu Hebræi proponunt. Montem in quo futurum eſſet templum, quod illi per prophetiam noſſent. Montem ſcilicet oliuarum, per quem Dauid fugiens Abſolonem filium, iter faciebat, flens, gemenſque: ibique ſupplex auxilium implorabat. Montem ſanctum quoque Montem Sion, quem ſenſu quodam diuino, & prophetico celebrat vbique Dauid, vbi inquiunt Hebræi erat arca, & inuocatio, præſentiaque Dei. Ego verò propter futura in eo monte miracula, ſacroſancta myſteria, vbi Chriſtus cęnauit, orauit, corpus obtulit ſuum. Ob hæc mons ſanctus. Eſt alia haud inepta interpretatio, montem ſanctum Dei, cœlum eſſe. Quod vel illo teſtimonio maximè comprobatur, Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Mons igitur atque vertex Dei, eſt cælum, mundi cacumen, ſuprema rerum F definitio: ob id Græcis vocatur cęlum οὐρανὸς, ſummus terminus. Is mons Dei ſanctus, quo non homicidis, non inceſtis, impuriſq; eſt acceſſus. Omnia ibi ſacra, caſta, pia, vera, quieta. Ex hoc editiſſimo monte, miſerorum preces exaudit, vt alius Pſalmus canit: Et alta à longè cognoſcit. Quem alia tralatione templum vocat, Et exaudiuit me dė templo ſancto ſuo. Quemadmodum Platonici mundum, templum Dei nuncupare ſolent. Græcis igitur placuit vterque, ſenſus, vt tum mons eius, ſit mons Sion, iuxta priſcorum fidem, qui putarent Deum habitare in tabernaculo, vnde reſponſa ſacerdotibus reddebantur. Erat autem arca, & tabernaculum in monte Sion, antequam transferretur in domum Orna Iebuſei. Tum vt ſit cęlum, quod Euthymius qui maiorum interpretationes collegit, teſtatur. Chaldæus vero tranſtulit, De monte domus ſanctuarij ſui. Vbi ſcilicet futurum eſſet templum, vt ſuperius nonnulli opinabantur. Vel templum, domumque ſanctam vocat cælum, quæ ſuperius quidam arbitrabantur. Mons igitur ſanctus Dei, aut mons Sion, vbi, & arca, propitiatorium, aut mons Oliuarum vbi templum erat ædificandum, aut cælum, iuxta Græcos, & Hebræos. Senſit ſe exauditum, quoniam Propheta.

Futurum pro præterito.

Inuocabo. hebr.

Oratio.

Sermo εἴδωλον animi.

Mons ſanctus.

Mōs Dei, cœlum. οὐρανός.

Templū Dei, cęlū.

Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quoniam dominus ſuſcepit me.

QVod dixerunt Sept. Dormiui, Hebraicum שכבתי shacabti, iacui, dormiui. Repetit autem, & exaggerat, vt ſolet, dormiui, ſoporatus ſum: duo verba eiuſdem ſignificatus pro ſoporatus ſum, Græcū ἐξύπνωσα, quod rectius in aliis pſalteriis tralatū è Gręco reperitur, ſomnū cepi. Et quod Latinus dixit Exurrexi, Gręcū magnis reſpōdet Hebraico ἐξηγέρθην, euigilaui,

Dormiui.

Exur.

Suſcepit.

A euigilaui, Hebraicum הקיצותי hakizoti, vigilaui, vt tranſtulit Hieron. Et quod Latinus, Suſcepit me, Græcum melius, & verius ἀντιλήψεται μου auxiliabitur mihi, opem feret mihi. Hebraicum ferè ſimile quid יסמכני iſmekeni, ſuſtentabit me. Quemadmodum tranſtulit Hieronymus in ſuo ad veritatem Hebraicam, pſalterio, Suſtentabit, tenebit me. Hunc autem ſenſum Hebræi proponunt. Dormiebam in vtramque aurem ſecurus: nullo pauore ſollicitante. Ecce autem timore ingruente excitatus ſum, velut quem calamitas commouet, & velut ille:

Corripit è ſtratis corpus, ſociosque fatigat.
Præcipites vigilate viri.

Sed quoniam in te ſpem omnem meam poſui, ſciebam, proque explorato habebam fore, vti tu adiuuares, & ſuſtentares me. Is ſenſus placet Hebræis. Græcis autem Grauiſſimo vexationum lethargo ſopitus iacebam, ſed præſcius vti propheta, quòd mihi ferres opem, excitaui ſopitam vim, euigilaui è profundo ſomno, ex illo terrore ſum recreatus. Collegi me ipſum, cùm ſcirem te mihi non defuturum. Is ſenſus etiam Rabi Salomoni placuit. Poſſet etiam exponi Dormiui, me quieti dedi, excitatus ſum quoque: Omnia hæc ſecurè, citra pauorem: plenus fiducia, quoniam tu mea ſpes, tu præſidium, ac propugnaculum: ſiue dormientem, ſeu vigilantem nullus terror ſollicitat. Eodem omnes hi pertinent ſenſus.

Non timebo millia populi circundantis me: exurge domine, ſaluum me fac Deus meus,

Millia.

QVod Latinus dixit, Millia, Græcum eſt μυριάδων, numerus decem millium: is numerus Hebraicè dicitur, רבבות rebaboth, quod item eſt, atque myriades in numero multo. B Diciturque Hebraicè, & Græcè, Non timebo à millibus multis, à multis myriadibus, à centum millibus. Eſt enim rebaboth multitudo myriadum. Singularis numerus rebaba. Eadem vox ſonat interdum litem, contentionem, quam ſignificationem ſecutus eſt Chaldæus, ponens vice eius מצותא vt dicat. Non timebo à lite, vel controuerſia, pugna populorum. Populos autem numero multo dixit, omnem Iſraelitarum contra Dauid coniuratam multitudinem. Paucis enim exceptis omnis plebs ad Abſolonem confluxerat. Quod verò ait, Circundantis me: eſt Hebraicè eodem modo, Non timebo millia populi שתו qui circum poſuerunt contra me, poſuerunt caſtra. Verbum shatu, ſignat poſuerunt, & pugnauerunt, aut cinxerunt, vnde litteris mutatis, & additis רשת resheth rete. Tu, inquit mihi ſufficis vnus, quantæcunq; contra me copiæ cogantur. Quod autem ſubiicit, Exurge domine, ſaluum me fac: eſt de ſequenti verſiculo.

Populi.

Solus deus ſufficit. nẽpe Sadai.

Exurge domine, ſaluum me fac Deus meus, quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.

Sine cauſa.

IS eſt verſus in Hebraico, quem prolixiorem dimidiauit Latinus interpres. Nam etiam Græcè habet iuxta Hebraicum. Videbis etiam in pſalterio Hieronymi totum carmen eo modo ex fontibus Hebraicis redditum. Illud hoc loco obſeruandum, quod Septuag. dixerunt Græcè ματαίως, fruſtra, vel ſine cauſa, ſecus eſſe Hebraicè לחי lechi, maxilla: Quoniam, inquit percuſſiſti omnes aduerſantes, aut inimicos meos in maxilla. C Sicq; etiam monuit in commentarijs, & in ſuo pſalterio vertit Hieronymus, ſecutus Aquilam, & Symmachum, qui iuxta Hebraicum tranſtulerunt: Prior, Quoniam tu percuſſiſti συμπάντων ἐχθρῶν μου σιαγόνα. Omnium inimicorum meorum maxillam. Poſterior, Percuſſiſti omnes inimicos meos κατὰ σιαγόνος in maxilla. Arbitror Septuag. ſuperiorem vocem lechi, quæ ſonat maxillam, legiſſe, non per chet, ſed per he hoc modo, לחה laha, quod ſonat defatigationem, quod illi tranſtulerunt ματαίως, ſine cauſa, quaſi feſſe, in vanum. Sed Hebraica lectio verior: Nam ſequitur, Dentes peccatorum contriuiſti. Prius maxillam, poſtea dentes, in quibus ſimilitudo. Quid enim ſonat Percutere ſine cauſa? Percutere autem in maxilla, teſtibus Hebræis, refertur ad id quod inimici minabantur. Multi dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Ecce percutitur os improborum, refellitur colapho eorum mandacium. Minacia verba in guttur verbere adacto reiiciuntur. At Rabi Salomon, quem ſequitur Chimchi, vult percuſſionem in maxillam, poſitam veluti contumelioſam, ignominioſam, inimicos vſque eo dedecore affectos eſſe, vt puerorum inſtar cæſi ſint in maxilla. Aut verior eſt Græcorum interpretatio, inimicos truculentis, voracibuſque feris comparari, qui cùm velut canes efferati, & velut Cerberus ore trifauci ruerent voraturi Dauid, Deus maxillam, denteſque eorum fregerit, ruperit. Aliis pſalmis prædicat ſe ereptum ex ore leonis. Et dentes eorum arma, & ſagittæ. Diuus quoque Paulus, ſceleratos, canes appellat: Videte canes, videte malos operarios. Dentes eorum Rabi Salomon non malè, robur eorũ interpretatur. Is eſt verior ſenſus. Videndum autem quo ordine, & qua carminis, perſonarumque mutatione texitur oratio. Primùm dixit preces ſuas exauditas è cælo, eoque dormire ſe quietum, ſecurum, quale his accidere non ſoleat, quos cura, pauorque ſolicitat. Vigilantem quoque comitari lætitiam, animique tranquillitatem. Cuius cauſa ſit, quòd diuinitus ſuſtentetur, quòd à Deo omnia ſperet. Tum ad ipſum Deum conuerſus, orat efflagitans hoc idem, quod ſperabat, proque

Dent. pec. con.

explorato

Exurge.

Peccatores.

explorato habebat. Exurge domine, ſaluum me fac. Exhibe, inquit, hoc clarum, manifeſtumq; omnibus, te preces meas exaudiſſe, te præſidium propugnaculumque eorum eſſe, qui ſuæ ſalutis ſpem omnem in te ponunt. Exurge ait, quale faciunt mortales, quando arma capeſſunt, excitantur ad arma, rapiuntque, ruuntque. Properant eripere, quem ab hoſtibus circunſiſti conſpexiſſent, currunt, aduolant, capit arma manus, celereſq; ſagittas. Sic tu ò Deus excitare, affer ſalutem mihi, quam cernant hoſtes claram, ac perſpicuam. Oro nunc exhibeas, quod ſæpe feciſti, beſtias efferatas in me ruentes ſæpe contriuiſti. Multas mihi victorias contra rabidos canes attuliſti, audaciam, ferociamque eorum fregiſti, rabiem, auiditatemque vorandi compeſcuiſti, Exurge, vt aiunt Græci, qui ſoles aliàs cunctator videri. Hoc igitur eſt, Dentes peccatorum contriuiſti. Peccatores autem tranſtulerunt Septuaginta ἁμαρτωλὺς, qui Hebraicè ſunt רשעים reſhaim, quos primo pſalmo rectius vocarunt ἀσεβεῖς, impios, vel ſceleratos. Sceleratos autem Dauid appellat coniurationis illius participes. Filio contra patrem coniurante, nulla grauior impietas: eoque melius, vt vox ſonat, & vt tranſtulit Hieronymus, fuiſſent nuncupati nunc impij, quam peccatores. Impiorum princeps erat Achitophel, qui patris interficiendi conſilium filio ſuggerebat. Quòd ſi ad Antichriſti tempora referas, qui conſurget contra omne quod dicitur Deus, filius perditionis, quem Regum impiorum ſequetur multitudo, clariſſima eſt impiorũ nuncupatio, quorum dentibus ciuitatem ſanctam, vt eſt in Apocalypſi, vorare paratis, Chriſtus legionibus Angelorum comitantibus veniet opem certam ſuis allaturus. Quocirca ſubiicit:

Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum, benedictio tua. Sela.

Domini eſt ſalus.

Popul.

Benedict.

A Domino, qui Hebraicè dicitur Iehoua, carmen inchoauerat, ſermonem inimicorum propoſuerat, eumque vbique refellens, ad poſtremum ſalutem, quam ab illo deſperare ipſum Dauid aſſerebant, in eius auxilio docet conſiſtere: Salus, inquit, à Deo ſperanda eſt. Cùm (inquit iuxta Hebræos) per te liberatus fuero, erumpam in laudes, cantaboque, Domini eſt ſalus: à Deo ſalus omnis eſt, nec licet aliunde ſperare ſalutem. Super populum tuum verò benedictio tua ſemper, quia in hoc bello, inquiunt, non morientur. Vel (vt ait Auen Eſra) orat ne cadat quiſquam eorum in bello, vel prædicit. Rectius fortaſſe Græci, hanc eſſe, iam parta victoria, velut gratiarum actionem, & quaſi epiphonema gratiarum, ac laudum. Populumq; ſuum vocare (quod etiam Auen Eſra teſtatur) aut eos qui legitimum Regem Dauid ſequerentur, pugnarentque pro eo, qui verè populus Dei dici poſſet: vel omnem ſub eius imperio gentem, cui tametſi aduerſanti, quemadmodum inimicis IESVS Chriſtus precetur, oretque, ſalutem. Benedictionem Græci interpretantur pacem, beneficium Dei, per quod pax, gratiarumque actio. Nam idem ipſe populus, vt primum, interfectum Abſolonem, cæſos coniuratos, ingentemque cædem viderunt, exclamauerunt, laudaueruntque Deum. Ergo, Domini eſt ſalus. Clarè Chaldæus interpretatur, A Domino, ſiue Deo eſt ſalus. Benedictio ſuper populum. Vel eſt oratio, deprecatioque pro eorum ſalute, victoria: vel prædictio, victuros eos, benedicendos à Deo, ope illius defendendos. Ipſam benedictionem rectè Græcè exponunt diuinum beneficium, fauorem, gratiam, auram, nutum Dei, quo nobis annuit, felices rerum euentus. Additurque Sela, pro quo Chaldæus dixit לעלמין lealmin, in æternum, in ſæcula. De quo ſupra ſcriptum eſt.

TITVLVS, SIVE INSCRIPTIO PSALMI QVARTI.

In finem, in hymnis, Pſalmus Dauid.

In finem.
Lamnazeach.
Le.

Mnazeach.

PRINCIPIO quod Sept. tranſtulerunt in Grecam dialecton εἰς τὸ τέλον, In finem, Hebraicè eſt למנצח lamnazeach: ſuper qua voce multæ ſunt apud Hebræos ſententiæ, propter eius varios ſignificatus. Duoq; in ſummum deſignat: ſi ſcribatur נצח nezach, ſonat in æternum in ſempiternum, cum præpoſitione le. Hoc ſuſpicati ſunt Septuag. reddentes In finem, quod Hebraicè putarent ſcribi in æternum, in finem: igitur non rectè intelligitur à compluribus Græcis, ac Latinis, vel ſæculorum extremitatem, vel quia longo poſt tempore abſoluentur, quæ nunc canuntur, aut quia reſurrectionem vaticinentur. Nam Sept. tranſtulerunt In finem, pro eo quod eſt in æternum. Quemadmodum pſal. 49. Et viuet adhuc in finem. Quod Hieronymus verius dicit, Et viuet vltra in ſempiternum. Quoniam autem nullus eſt in eo ſenſus, & cùm denotat in æternum, non ſcribitur eadem ratione, qua nunc ſcriptum reperitur in principiis pſalmorum, reiecta eſt ab aliis interpretibus ea ſignificatio. Atque Aquilas, & Symmachus magis Hebraico accedentes, quos Hieronymus eſt ſecutus, tranſtulerunt, νικοποιῷ victoriam danti, aut victori. Verbum igitur נצח nizeach, ſonat Hebræis aut vincere, vrgere, aut cantare victoriale carmen. Duciturque à nomine Nezach, quod deſignat æternum, victoriam, fortitudinem, ſanguinem: ſed fortitudo, ſanguiſque cum victoria intelliguntur. Huius verbi participium eſt mnazeach. Id ex libris Paralipomenon cognoſcitur ſignificare

canentem

A canentem victoriale carmen. De quibus eſt clara mentio eodem libro fuiſſe inſtitutos, qui canerent pro octaua epinikion. Hoc Hebraicè dicitur nazeach, victoria, aut carmen triumphale. Diuerſa enim eodem libro monſtrantur fuiſſe genera carminum. Aliis prophetiæ, & arcana canebantur, aliis victoriæ. Cùm igitur apertè demonſtret liber Paralipomenon mnazeach fuiſſe præpoſitos, & cantores, victorias canentes, aut qui operis eſſent præfecti, nec eſt alius quærendus ſignificatus, nec vox ad alios ſenſus diſtrahenda. Hicque quieſcendum. Canebant hi victo- victorias diuinitus partas, velut in ſacrificiis Herculis Euander, & plebs.

Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt, vt prima nouercæ
Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues:
Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes
Troiamque, Oechaliamque, vt duros mille labores.

Vrbem Laconiæ.

Aliaſque laudes: demum Poeta ſubiicit,

Talia carminibus celebrant.

Eiuſmodi fuerunt apud Hebræos à Dauid Rege, chori, qui victorias canerent, inſtituti, vocati Mnazechim, quæ vox reperitur etiam libro ſecundo Paralipomenon eos deſignans, qui præeſſent operis, cohortatores: quos Hieronymus transfert Præpoſitos. Iuxta igitur hunc ſignificatum, ſunt Hebræi qui putent, vocatos, aut qui perpetuò canerent, aut qui canentibus præeſſent: B quod teſtatur, probatq; Auen Eſra proferens locum ex ſuprà monſtrato libro. In hac item ſententia eſt Rabi Cimchi, cuius hæc verba ſunt: Probabile eſt, ait, Mnazeach fuiſſe eum, qui præeſſet choris canentium. Hi Mnazechim, pſalmos edebant, poſt tradebant cantoribus. Rabi Salomon, ſequens alium, ſed ſimilem ſignificatum, putat Mnazechim dictos fortes in cultu Dei, aut opere ipſius templi, inſtantes operis vehementer: quem ſequens Nicolaus aſſerit vocatos hoc nomine, qui canendo alter alterum ſuperare ſtuderent. Omnino igitur ſonat præconem victoriæ, qui cantando, alios ad opera prouocat, acuit (vt ait Capnion) iſque eſt præpoſitus canentibus: is alios incitat, vrget: omneſque ſignificatus, omniumque ſententiæ redeunt ad vnum. Chaldæus ſimpliciter putat ea voce deſignari laudem, cantum ad laudandum, canendum: eſtque ei Mnazeach nomen verbale, non participium, & vice eius, ſubſtituit לשבחא le shabecha, ad laudandum: quod forſan verum eſt. Vox amphibola igitur eſt, vt tum ſit princeps canentium, carmen triumphale præcinens, tum vt ſonet ad laudandum, quod mihi probatur. Et hic tot verba inuiti prodegimus. Reliqua clareſcunt. Nam quod ait, In hymnis, alii ex Græco melius In carminibus; id enim ſonat hymnus. Titulus ergo ſic habebat: Ad laudandum in carminibus, pſalmus Dauid. Quòd ſi ſequaris aliam ſententiam, quam proponit Hieronymus transferens victori, ſonabit principem illum, qui vincendo, aut pro victoria canebat. Qui acceptum à Dauid pſalmum, harmonicè canebat, canentibus præerat. Sed clarius eſt, minuſque inuolutum, quod proponit Chaldæus, vt Mnazeach, non ſit participium, ſed quaſi gerundium ad laudandum. Hocque oſtenditur ex carmine Habacuch. Nam quod in eo carmine Hieronymus traduxit. Et deducet me victor in pſalmis canentem: Hebraicè eſt, Et deducet me la mnazeach C binghindt, Hoc eſt, Ad laudandum, ac triumphandum carminibus, ſiue lyricis inſtrumentis Ergo verior ſententia Chaldæi, eaque maximè probanda. Itaque dicit titulus, Ad canendum victoriam in carminibus, ſiue in lyris barbitiſque, pſalmus Dauid. Ad hæc ſciendum, Hebræos, Græcoſque non diſſentire, pſalmum hunc, ſicut & ſuperiorem, Dauid protuliſſe, cùm perſequentem filium fugeret. Verùm multa occurrent ad id argumentum non pertinentia. Probabile eſt, philoſophiam quandam eſſe, carmenque de moribus hominum, continens præcepta vitæ benè, beateque traducendæ, qualia multa de iuſtitia, pietate, de non iraſcendo traduntur à philoſophis. Siue hoc, ſiue illud ſubſit argumentum, cuncta diligenter penſitanda.

Chaldæ.

In hymnis.

PSALMI IIII. EXPLANATIO.

CVm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi: miſerere mei, & exaudi orationem meam.

IS EST totus verſus Hebraicè, etiam Græcè, nec ſecus in pſalterio Hieronymi. Quod dixit primùm, Exaudiuit me: Hebraicè imperantis, aut deprecantis eſt ענני aneni, exaudi me. Nec eſt, Cùm inuocarem, ſed בקראי becori, cùm clamo, cùm vocifero, cùm inuoco, exaudi me. Ne quæſo, inquit, benignas tuas aures auertas, cùm ad te vocem tollo, cum ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco. Quare mirum, cur Hieronymus per ſecundam perſonam traduxerit, Inuocantem exaudiſti me. Nam paulò poſt ſequitur ad eundem ordinem, Miſerere mei, & exaudi orationnem meam. Eademque reddidit Chaldæus his verbis, In tempore

Deus iuſti tię meę.

pore orationis meæ קבל מני kabbel mini, recipe à me. Quod autem ait, Deus iuſtitiæ meæ: Iuſtitia in ſacris litteris, nunc eſt iuſtitia, integritas, innocentia, æquitas, nunc miſericordia. Eritq; ſenſus: Deus iuſtificans me, Deus, cui ſoli nota eſt mea innocentia, & ſecundum eam mihi retribuens, beneficijſque afficiens. Deus à quo integritas mea dependet, ex me nihil poſſum, nullam queo æquitatem adipiſci. Tu largiris integritatem, animum rectum, mentem æquam. Hi ſunt duo ſenſus. Prior magis aptus. Erit alter, Deus miſerationis meæ, qui mei miſereri ſoles, qui ſoles in periculis mihi præſto eſſe. Qui miſericordia moueris in me. Hoc ſenſu, quo iuſtitia ſignat eis miſericordiam dixit alio pſalmo, In iuſtitia tua libera me. Nimirum magnitudine miſerationis, clementiæque tuæ. Nec ab re iuſtitia ſonat eis commiſerationem, liberalitatem. Quid enim aliud iuſtitia eſt, quàm & cuique quod ſuum eſt tribuere, & prodeſſe, iuuare, conferre beneficium? Qui enim nemini vnquam profuit tametſi non nocuit, iuſti cognomen non meruit. Iuſtus etiam philoſophis eſt, qui tum non abſtulit cuiquam quicquam, ſed vbi potuit, prodeſſe non dubitauit: is quoque iuſtiſſimus, cæteriſque iuſtitia præſtans, qui pro patria, pro amicis (ſi fors tulerit) tum patrimonium profudit, tum ſeipſum quoque dedit. Placet igitur, vt Deum iuſtitiæ ſuæ vocet Deum, qui ſolet ei miſereri, prodeſſe, opem ferre. Hebræis etiam philoſophantibus liberalitas vocatur nomine iuſtitiæ. Plura ſunt item apud Apoſtolos exempla. Hebræi quidem explanatores non hunc omnino ſenſum proponunt, ſed Rabi Dauid, Deus qui ſcis innocentiam meam, ſcis in me æquitatem, in hoſtibus ſcelus, iniquitatem eſſe. At Auen Eſra, Deus qui princeps cauſa es, vt pateat omnibus mea innocentia, Facis meam iuſtitiam cunctis manifeſtã, qui es cauſa vt mea innocentia pateſcat. Alij per periphraſin, Deus mei ipſius iuſti, Deus meus qui iuſtus ſum, non vt Abſolon iniuſtus. Ego ex his omnibus ſenſibus probo quam maximè, vt ſit iuſtitia pro miſeratione, quoniam toto carmine poſtulat. Exaudi me, Miſerere mei, Exaudi orationem meam.

In trib. dil. mi.

Quod autem ſequitur, In tribulatione dilataſti mihi: Dilataſti mihi Rabi Dauid præteritũ pro futuro, prophetarumq; eum morem eſſe, res futuras velut iam factas efferre. Eſt autem ſenſus verus quem Græci proponunt, Solere animum itemq; ſanguinem gaudio dilatari, aperiri, diffundi, ſerenari: contrà triſtitia contrahi, corrugari frontem, corpus, ad cor ſanguine ſeſe cogente, exangue relinqui. Ergo futurum pro præterito efferens, In tribulatione, ait, ac vexatione, quia præſens aderis, gaudio replebor, diffundar. Dilatabis mihi, vel vt Hebraicè הרחבת dilatare, aperire facies, patefieri: hilaritate, alacritate diffundes. Hoc mihi, ait, polliceor, hoc ſpero. Aut ſi per præteritum, Exaudi, ait, me, quale ſæpe feciſti, in medijs vexationum tenebris illuxiſti, gaudio me diffudiſti, triſtitiam vultu tuo, tempeſtatemque ſerenaſti, grauida mentis nubila diſcuſſiſti. Eodem ſenſu Chaldæus, In tempore calamitatis, anguſtiæ, dilataſti mihi. Dilataſti igitur eſt quaſi exhilaraſti, ſerenaſti, collectasq; fugat nubes, cælumque reducit. Itaque idipſum repetit. Exaudi orationem, exaudi clamorem, vocem, ad commiſerationem deſcende. Tribulationem autem dixit, quod Hebraicè צר zar, anguſtia, preſſura, Græcè θλίψει, vexatione, attritione, colliſione.

Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Graui corde.

Mira hoc loco varietas, mirabilior varietatis cauſa ex cõfuſione, ac miſtione dictionum Hebraicarum. factum eſt, vt eo modo Sept. traduxerint. Nam Hebraicè pro eo, quod dixerunt Septuaginta. Vſquequo graui corde, vt quid diligitis, eſt עד מה כבודי לכלימה ad ma kebodi liklima. Hoc eſt, Vſquequo gloria mea in contemptum? Et ad hunc ſenſum Hieronymus tranſtulit, Vſquequo inclyti mei, ignominioſè diligitis vanitatem? Cur ergo Sept. verterint graui corde,

Kebod. gloria.

quod erat כבודי kebodi gloria mea, fuit in cauſa, quòd gloria dicitur Hebraicè quaſi grauitas, eodemque nomine vocatur grauis, atque gloria, ſed varia prolatione, gloria כבוד kebod, grauis, כבד kabed. Exiſtimarunt igitur, quod ſonat in Hebraico, gloria mea, deſignare graues. Dictionem autem לכלימה li klima, diuiſerunt hoc modo, Quoniam magna eſt ſimilitudo inter caph, & beth, vt facilè altera pro altera legatur, dimidium ſupradictæ dictionis לכ lik, legerunt לב lib, ſiue leb, traducentes βαρυ κάρδιοι graui corde. Alterũ dimidium לימה lima legerunt lama, quod ſonat quare, verteruntque ἵνα τι vt quid. Hæc quidem lectio, facile potuit eſſe eo tempore in codicibus Hebræorum. Senſus quidem iuxta vtranq; lectionem vnus idemq; eſt. In altera reprehenduntur homines, velut graues corde, cęci, duri, præfracti, ceruice elata, ſuperbi, præceptorum Dei propter arrogantiam negligentes.

Gloria.

In altera coarguũtur ab ipſo Dauid, quòd gloria ſua, decus, imperium, ſit eis contemptui, eligentes potius Abſolonem quàm ipſum Dauid, illumque ſequentes: ſe verò, quem vltro ipſi regem olim conſalutaſſent, nunc ſpernentes in fugamque vertentes. Atque Hebræi vniuerſi poſtremam hanc lectionem ſequuntur.

Filios viri.

Appellari filios hominum, Hebraicè filios איש si h viri, propter arrogantiam. Deſignare enim filios viri, homines elatos. Hoc teſtatur Auen Eſra, Rabi Moſes, Rabi Dauid. Virum enim dici velut Latinè, Græcèque, à quo virtus, arrogantia. Itaque filij viri, ſunt Hebraica quadam phraſi, ſuperbi, contemptores. Hæc phraſis ad multa deſeruit Hebræis.

Filius mortis.

Filius mortis, filius perditionis.

A nis. Filij orientis, Filij Adam, nempe mortales omnes. Simili loquitur Homerus υἷες ἀχαιων filij Achiuorum. Et apud logographos ιατρῶν παῖδες Ινδων παῖδες, filij medicorum, Indorum filij, Achiui, medici, Indi. Sic filij viri, homines ſæui, feroces, inſolentes. Vbi igitur Dauid precatus eſſet, orationem, preceſq; ſuas diuinitus exaudiri, vbi miſericordiã Dei flens implorasſet: continuo vertitur ad eos, à quorum perſequutione Deus eum eriperet, precatus fuerat, filios viri vocans Iſraelitas coniuratos, ſcelerata conantes, ait ad eos: Vſquequo fuerit vobis decus meum contemptui, qui me tam turpiter abieciſtis? Cur diligitis vanitatem, amplexi eſtis non diuturna, quæ Deus ipſe demolietur. Hæc veſtra coniuratio, hi tanti conatus, inanes ſunt, Deus eos reſcindet, caſſos oſtendet. Orante enim Dauid, repudiatum fuit conſilium Achitophel, in quo pernicies Dauid continebatur. Sic reſcindetur omnis hæc coniuratio. Quæritis mendacium, repudiato Rege vero, legitimo, adulterinum aſciſcitis. Hæc expoſitio generatim ab omnibus Hebræis proponitur. Cui accedunt Græci, filios hominum vocari innutritos arrogantiæ, ad impietatem propenſos. Hos quidem natura filios hominis eſſe, gratia filios Dei, Graues corde, carneos, humi repentes eſſe, libidinibus immarceſcentes. Hanc Dauid apoſtrophen, alij eorum ferunt eſſe ad amicos, qui fiderent ſuis viribus. Humanas machinas prodeſſe nihil. Hinc ò mortales cognoſcite, & ex meis caſibus exemplum ſumite, quàm ſit opibus humanis fidendum, humanis quæ ſit fiducia rebus. Ego Rex eram, ecce, filius meus me perſequitur. Cur quiſqam igitur rerum humanarum falſitatem, crebraſque mutationes diligat? Omnes hi ſenſus probandi, ſed Hebræorum ille congruit magis argumento. Quod autem Hieronymus tranſtulit gloriam meam, inclitos meos, eſt minus clarum. Melius vt gloriam ſuam, decus, imperium, regnum, coronam vocet, quàm ipſos IſraElitas. Diligere porrò vanitatem, & quærere B mendacium, ſolita in Pſalmis eiuſdem rei repetitio. Scio quoſdam filios viri exponere Iudæos filios Abrahæ, qui propriè fuerit vir, idque apud Hebræos Rabi Salomon exhibet. Sed longius abeunt.

Paraphraſis.

Dili. vani. quær. mē.

Et ſcitote quoniam mirificauit dominus ſanctum ſuum: dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.

QVod dixerunt ἐθαυμάστωσε mirificauit, Hieronymus in ſuo pſalterio aliquantò clarius, Mirabilem reddidit ſanctum ſuum. Itemque dicitur Hebraicè, Mirabilem reddidit ſanctum ſibi. Verbum hoc Hebraicè quod tranſtulerunt interpretes, mirificauit, Hebraicè הפלה hiphlach, ſonat non id modò, ſed etiam ſeparauit, ſelegit, ſegregauit, idque deſignat teſtibus Hebræis hoc loco ponentibus pro eo. Clarius verbum, Auen Eſra הבדיל hibdil, ſegregauit, id etiam poſuit Rabi Salomon. Dauid autem Cimchi, הפריש ſeparauit, quod verbum poſuit Chaldæus פריש pharisſe, inde Phariſæus ſegregatus. Hæc ſignificatio maximè comprobatur, ipſa Hebraica lectione. Non enim dicit, Mirificauit ſanctum ſuum, ſed, ſegregauit, ſelegit ſanctum ſibi. Separauit igitur ſibi, ſanctum, ſepoſuit, peculiarem fecit ſibi. Et (vt ait Chimcheus) ſegregauit ſibi in regem. Quid ita? quia ſanctus ego, & quanquam videtis me nunc in calamitate, at videbitis quoque Deum preces meas exaudiſſe. Hoc ſcitote, inquit, hoc attendite. Id quoque non ignorandum quem tranſtulerunt ὅσιον ſanctum, Hebraiceque eſt הסר chaſid, propriè denotare miſericordem, beneficum, benignum, liberalem. Hinc vocatur Hebraicè chaſida, ciconia, quòd miſericors erga parentes, quòd paſcit ſenio affectos, beneficium, quod ab eis accepiſſet, rependens: hinc Græcè ἀντιπελαργεῖν, ciconias imitari, bene faciendo. Hoc nomen meruit omnium maximè Dauid, cuius fuit ſingularis humanitas, clementia, benignitas inaudita, qui ne illatas quidem cùm poſſet, iniurias, ſit perſecutus. Et hunc ipſum Abſolonem, qui regnum, vitamque ei conabatur auferre, in prælio noluit interfici, interfectum amarè defleuit. Dicens autem, Scitote, vel cognoſcite, ad eos qui partes Abſolonis ſequerentur, loquitur. Hoc, ait, manifeſtum erit quis ſit ſanctus, quem Deus ſibi ſegregauerit. Nam Deus, vt cæcus dicebat, peccatores non exaudit, quem ergo exaudierit, cùm clamauerit ad eum, is ſanctus comprobabitur. Nec verò iactantiæ reprehendendus eſt Dauid, quòd videatur ſe ſanctum appellare: ſed tum hoc nomen deſignat eum, qui parcit inimicis, qui beneficium dat, vitamque concedit, quod maximè congruit Dauid: tum non à ſe, ſed à Deo dicit ſanctum vocari, ſegregari. Deus illum vt ſanctum ſibi ſelegit, ab alijs diuiſit, non ſiuit eum eſſe velut gregarium, ſed egregium quem elegit, tulitque de medio fratrum ſuorum ad regendum Iſrael, regem declarauit: quemadmodum ille ſegregatus in Euangelium. Vbique igitur Septuag. aliis locis transferunt חסר cheſed, miſericordiam: vnde chaſid, vt Miſericordias Domini in æternum cantabo. Ferunt nonnulli chaſid vocari quaſi gratiæ plenum, gratiam à Deo conſecutum. Non aſpernor id quidem, ſed & illud probo, vt ſit actiuum miſericors, qui miſeretur aliorum.

Mirificauit.

Phariſæ.

Sanctus.

Scitote.

Sanctus.

Ciconia.

Pſal. 104.

Scitote.

Mirificauit.

Rom. 1. a.

Iraſcimini,

Iraſcimini,& nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. D

Iraſcimini. QVod Septua. tranſtulerunt ὀργίζεσθε, iraſcimini, Hebraicè eſt ragheſu, ſonat quidem aliquando iraſci, interdum quoque timere, pauere, exhorreſcere. Pro hoc ab omnibus Hebræis conſtanter accipitur, eiusque loco adhibent verbum manifeſtius, Rabi Salomon, חרדו charadu, quod manifeſtò deſignat timere, Auen Eſra פחדו pachadu, id quoque ſonat timere. Chaldæus quoque conſentaneè poſuit זועו zuhu, contremiſcite. Is igitur eſt verus hoc loco ſignificatus, vt dicat, Timete, contremiſcite, nolite peccare. Nihil enim vt Stoici ferebant, eſt timendum niſi culpa,& peccatum. Hortatur igitur eos, vt timeant peccare. Ad cogitationẽ peccati contremiſcite. Exponensque hoc Auen Eſra. Quòd, inquit, eum turpiter abiecerant, contumeliaque affecerant, quem honore proſequi debuerant, quod mendacium contra eum locuti, ait, pauete, contremiſcite à Deo. Rabi quoque Dauid, Ragheſu, inquit, nunc ſignificat פחד pachad, timete. Timete, inquit, metuite Deum iratum,& nolite peccare, perſequentes me, mihique rebelles. Is igitur eſt verus ſenſus. Aquilas ergo propius acceſſit ad verum ſignificatum, transferens ſuprà monſtratum verbum κλονεῖσθε, nempe contremiſcite, tormento afficiamini, turbemini. Stat quidem vt dicat Iraſcimini, quoniam contra Regem irati coniurauerãt, quos ad ſanitatem nunc vocet, ſed melius illud Hebræorum.

Quæ dicitis, &c. Quod autem ſequitur, Quæ dicitis in cordibus veſtris,& in cubilibus veſtris compungimini: obſcurum Græcè, clarum Hebraicè, redundat apud Græcos ἅ, quæ. Et λέγετε dicitis, eſt imperantis, non indicantis. Sicque legendum, Timete, nolite peccare. אמרו imru, dicite, vel loquimini in cordibus veſtris, & tacete. Itaque quod Latinus traduxit dicitis, dicendum iuxta Hebraicum dicite, remouendumque pronomen quę. E

Tacete. Inſuper quod interpretes Græci tranſtulerunt κατανύγητε Compungimini, Hebraicè eſt דמו dommu, hoc eſt ſilete, tacete, isque eſt eius verbi ſignificatus. Id etiam tranſtulit Hieronymus, & tacete. Atque ab omnibus Hebræis eodem modo accipitur.

Paraphra. Exponitque totum locum Auen Eſra. Quoniam mendacium locuti eſtis, me verum regem, legitimumque principem abieciſtis, hanc ob cauſam timete vobis à Deo, & in hoc peccato conſidere nolite. In cordibus veſtris cogitaſtis, ſuper ſtratis veſtris noctu. vt ille,

At pius Aeneas per noctem plurima voluens.

Dicite. Vera igitur cogitate, non falſa. Nolite mendacium loqui. Rabi quoque Dauid, Dicite, inquit, in mentibus veſtris, ſtratis incubantes. Nam humanus animus in lectulo quietior eſſe ſolet, curisque ſolutus, tuncque cogitatio purior eſt. Vobiſcum igitur, inquit, conſiderate,& tacete. Vocari autem cogitationem, orationem, locutionem. Dixit inſipiens in corde ſuo. Et, dixi in corde meo. Tacete inquit, שתקו ſchatecu, quieſcite, deſinite mihi rebelles eſſe. Quia inquit, ſilentium eſt quies vocis,& loquendi, cauete, tacete à ſceleribus veſtris. Eſt igitur verus ſenſus, Timete, cauete vobis, peccare deſinite. Cogitate vobiſcum diligentius ſuper ſtratis veſtris, cùm multa animis per quietem occurrunt,& ex hac conſideratione, cognoſcite tacendum eſſe, nempe vel ab hac impietate, qua in me coniuraſtis, abſiſtendum, aut vanitatem,& mendacium quod loquimini contra me, ſilentio caſtigate. Deſinite loqui falſa, vana: mihi honorique meo, qui vobis contemptui eſt, detrahere. Hæc eſt verſus iuxta Hebræos interpretatio, quam Chaldæus paraphraſticῶs, transferens, Dicite orationem veſtram in corde veſtro, & orate ſuper cubile veſtro, & mementote diei mortis. Vides eum pro ſilete, poſuiſſe mortis meditationem. Quòd ſi iuxta Septuag. & Græcos verſiculus accipiatur, vt verbum ragheſu, denotet iraſcimini, verbum autem dommu, quod diximus ſignificare, ſilete, cùm ſignificet etiam vaſtare, conſumere, diruere, quod illi tranſtulerunt compungere, quod à nullis Hebræis proponitur, erit ſenſus, Iraſcimini, turbamini: eſto, irati ſitis, at redite mecum in gratiam, furorem compeſcite, coercete iracundiam, date vos ad lenitatem.

Tacete. Cogitate noctu vobiſcum, ſed tacete,& ab illo furore, atque impotenti fremitu, ſæuaque, & tumultuanti coniuratione ceſſate. Sciebant explanatores Græci, Symmachum, & Aquilam pro compũgimini, tranſtuliſſe σιωπίσατε, tacete, quieſcite, Aquilam ἡσυχάσατε, tacete: Hancque ſententiam ſequentes exponunt, Iraſcimini, at citra crimen, diſſerite, perpendite, id enim Symmachus dixit διαλέχθητε in cordibus veſtris, in ſtratis,& à flagitiis ceſſate, quæ interdiu cogitaſtis. Hæc inquam per quietem corrigantur. Videtur autem ex his antiquiſſimis litteris Pythagoras præceptum illud ſuum deſumpſiſſe. Nam Iamblicho auctore, in monte Carmelo in Iudæa philoſophatus eſt aliquandiu.

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθε,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων, τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν,
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι καὶ μετέπειτα.
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο, χρηστὰ δὲ τέρπου.
Nec prius optato claudantur lumina ſomno,
Singula quàm tecum voluas ter, facta diurna,

Vid. Chry. Io. 5. 8.

Quid

A *Quid feci, quo abij, dimiſi vel quid agendum?*
Incipienſque à primo, & cautè cuncta recenſens,
Delectare bonis, at triſtia facta refelle.

Tametſi igitur Sept. tranſtulerunt, compungimini, ſenſus tamen conuenit cum Hebraico tacete, exponentibus Hebræis, & Grȩcis, tacere, & quieſcere, pro abſiſtere à peccato, pænitere, compungi, diuerberare conſcientiam. Dicere in cordibus, eſt cogitare, reuoluere priuſquam feſſos ſopor alliget artus, facta diurna, & ab his, ſi praua ſint, diſcedere. Eoque Chaldæus poſuit aptiſſimè meditationem mortis, pro dicite in cordibus, & pro quieſcite. Tollitur enim, aut minuitur peccandi voluntas mortis meditatione. Compungimini. Eccl. 7. d.

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in domino.

PRo θυσίαν ſacrificium, Hebraice numerus multus צבחי zibche ſacrificia. Hæc ſacrificia iuſtitiæ vno eodemque ſenſu, à cunctis intelliguntur. Rabi Solomon, Iuſtificate, inquit, opera veſtra, eritiſque velut hi, qui offerunt ſacrificia. Sic Rabi Dauid, Sacrificia iuſtitiæ, vt reuertamini ad opera iuſtitiæ, ne ſint velut ſacrificia, vel victimæ impiorum. Dicitur enim alibi, Victima impiorum abominatio eſt Deo, Reuertente, ad veſtra ſcelera, poſt ſacrificia. Et fidite in Deo, non viribus veſtris. Chaldæus quoque declarauit quæ ſint ſacrificia iuſtitiæ. Ponens pro ſacrificare ſacrificia iſtſtitiæ, paraphraſticῶs, כבשו יצר יבין ויתחשב לבון Calcate, domate, concupiſcentias veſtras, & reputabitur vobis, velut ſacrificia iuſtitiæ. Omnes igitur Hebræi congruunt, ſacrificia iuſtitiæ, eſſe rectè, iuſteque facta. Varia enim in ſacris litteris ſacrificia, non ea B duntaxat quæ ſanguine fuſo, cȩſiſque victimis fierent celebrantur. Vt ſacrificium laudis, vt Melkiſedek proferens panem, & vinum. Sic ſacrificium iuſtitiæ, eſt quaſi ſacrificium laudis. Hoc maximè Deo acceptum, gratumque ſacrificium. Et apud ſapientes, Platonem, Iſocratem, verum ſacrificium, eſt puris caſtiſque ſenſibus de Deo ſentire. Quid enim aliud eſt ſacrificare, quàm ſacra facere? Quid autem tam ſacrum, quàm iuſtitia, æquitas? Græci explanatores cum Hebrȩis de ſacrificijs iuſtitiæ conſentiunt. Non, inquiunt, cædendo vitulos, & pecudes, earumque ſanguine fundendo, ſed iuſta operando libate. Neque enim ſufficit, factis improbis abſtinere, ſed item adhibenda ſunt opera laudata, recta. Volunt ergo Græci, Dauid præcipere, & abſtinendum à malo ſuperiore carmine, & faciendum bonum, præſenti. Superius cogitare, diſcutere nocturna indagine peccata, & coercere. Nunc adhibere actiones iuſtas quæ ſint Deo gratiſſimum ſacrificium. Ac quaſi per prophetiam Dauid deſignare Eccleſiæ, pro antiquo ritu mactandorum animantium, ſacrificia, virtutes, iuſtitiam, caſtitatem, integritatem, quas loco ſanguinis cæſarumque victimarum nunc offerat. Sperate autem in Domino: Aut quia ex hoc ſacrificio naſcetur fiducia, ſpes, confidentia diuinitus, vt exponunt Græci. Sequiturque Hieronymus in commentarijs, aut eſt aliud præceptum, vt tum iuſti, integriuè ſint, tum ſpem omnem in Deo ponant, ad eumque vnum animos vertant, quæ eſt maxima pars iuſtitiæ. Nolite, ait alibi, ſperare in principibus in quibus non eſt ſalus. Et Hiere. Maledictus homo qui confidit in homine, & carC nem ſperat eſſe præſidium ſuum. Benedictus homo qui confidit in Deo, & non timebit cùm venerit æſtus. Hanc in Deo ſpem vbique prȩdicant ſacrȩ litteræ. Et primo pſalmo, beatos prȩdicat qui confidunt in eo. Marcus verò Tullius (docet enim natura) non robore, viribuſque humanis, Romanum Imperium creuiſſe, nam pleraſque nationes, Romanis robuſtiores, callidiores, multitudine plures eſſe: ſed quòd à Deo immortali omnia regi cognoſcerent, & huic maiores eorum pijſſimè ſupplicarent. Hieronymuſque reddidit, Fidite in Domino, magis iuxta Hebraicum, quod Sept. ἐλπίσατε. Sacrificia. Prou. 15. b Sacrificia iuſtitiæ. Sacrificare [illegible] Sperate in Domino. Iere. 17. a.

Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

IS eſt totus verſus Hebraicè, vt videre eſt apud diuum Hieron. Si omnem orationem diſcutias, pro bona, numero multo, eſt שוב bonum, numero vnico. Nec eſt, oſtendit, ſed δείξει oſtendet. Et quod dixerunt Sept, ἐσημειώθη ſignatum eſt, fons Hébraicus ſecus, נשא neſa, attolle, leua, vt vertit Hieronymus, transferens totum carmen. Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bonum? leua ſuper nos lucem vultus tui Domine. Putarunt Septuag. propter quandam ſimilitudinem, id paſſiuum eſſe, & deſignare, ſignatum eſt. Nam ſȩpè denotat ſignum, vexillum, quod attollitur. Sed ab Hebrȩis exponitur pro eo quod eſt attolle. Rabi Dauid ait mutatis litteris נסה neſa per ſammech, eſſe נשה neſa per ſhim, quod apertè denotat attolle, leua. Idque poſuit etiam Chaldȩus. Rabi quoque Solomon vice eius adhibuit חרם עלינו לנם haram alenu, lanes: Attolle, eleua ſuper nos in ſignum, uexillum, quod à nobis ſuſpiciatur, lucem vultus tui. Similia multis verbis adhibuit Auen Eſra. Ad vniuerſum igitur ſenſum magis quadrat hȩc lectio. Senſuſque eſt iuxta Hebrȩos. Conſentiunt omnes reuerti prophetam ad eos qui diligunt uanitatem, quȩruntq; Signatum eſt.

mendacium,ait Rabi Salomon,Multi ex Iſrael videntes alios mortales, externaſque nationes, D diuites,beatoſq; eſſe,mirantur, cupiunt,clamant.Quis oſtendet nobis bonum, vt diuites ſimus, voluptates aſſequamur,velut hæ gentes? at ego, inquit, non æmulor illos, quia lætitia data eſt in corde meo. Similiter Auen Eſra, Reuertitur,inquit, ad eos qui loquuntur mendacium. Cùm eſſem,ait, ego, & mei in tribulatione, homines illi vani dicebant, Quis oſtendit nobis bonum? Eadem Rabi Dauid. Multos ſecum ſumma cum auiditate dicere, Quis det, oſtendat nobis felicitatem,bona corporis, vt Abſolon victoriam conſecuto, bona proſcriptorum pro Dauid pugnantium diripiamus? vt illi Pompeiani, ſacerdotia,dignitates, bonaque aduerſæ factionis ante partam victoriam inter ſe diuiſerant. Hoc illi cupiunt. Eſtque Hebraicè,& Græcè non præteritum,ſed futurum quis oſtendet,vel oſtendat.Hæc expoſitio Græcorum quoque eſt. Non, inquit,dicunt hoc pauci illi, egregij, probati, philoſophandi periti, ſed multitudo, gregarij, nullius pretii,qui vitam hanc amplexantes, diuinamque prouidentiam incuſantes exclamant, Vbi bona nobis à Deo ſuppetunt, qui extrema paupertate vexamur? Tum nonnulli, inquit Euthymius ſecutus alios, pro ſummo bono voluptatem, deliciaſque habentes,pro ſummo malo, labores,ingemiſcunt,quis det nobis illa bona?Nam, inquit, Quis oſtendat, animi eſt διακαῶς inflammate expetentis, Quis det,Quis tribuat? Hæc cùm tot teſtibus aſſerantur,mihi maximè probantur. Quod verò ait,Leua ſuper nos,haud dubium quin ſit oratio ipſius Dauid. At tu, inquit, ò Deus noſter,aiunt Hebræi,attolle ſuper nos ſplendorem vultus tui,non bonum, quod illi, cupimus,ſed te ipſum volumus.Tu noſtra voluptas,tu ſummum bonum. Modo nobis lucem tuæ claritatis oſtendas. Satiabor enim cùm apparuerit gloria tua. Et illi in monte, viſa claritate,& ſplendore vultus eius,exclamauerunt,Bonum eſt nos hic eſſe.Hoc nos,ait Dauid, ego & populus qui mecum eſt, expetimus. Omnia in te noſtra deſideria conſumuntur, vt veniamus E ad ſplendorem vultus tui in futura vita,vt ait Rabi Dauid,Summum bonum, abſolutamque felicitatem in viſione diuinæ claritatis verè conſtituit Propheta. Hæc gloria, hæc conformitas imagini Dei,cũ ſancti lucebunt ſicut ſydera in perpetuas æternitates. Poſtulat igitur attolli,eleuari ſuper ſe, populumque ſuum, lucem, ſplendorem vultus diuini, quem ſuſpiciant è terra, quo intuendo ſit inexplebile gaudium, propterea Chaldæus adiecit, Eleua ſuper nos iucunditatem ſplendoris tui. Alio quoque pſalmo, Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruos tuos. Eſt autem hæc Poetæ diuini locutio, de claritate, ac iucunditate vultus Dei, qua Poeta quoque Latinus vſus.

Quis oſtẽdit.

Vultu quo cælum,tempeſtateſque ſerenat.

Sol noſter.

Quanta inter vtrunque ſimilitudo? Is vultu ſummi Iouis,qui idem ſummus Deus,canit aperiri, ſerenari cælum,atras diſcedere nubes:ille triſtitias, velut atra nubila terris, humanis pectoribus incubantes ſerenari,diſcuti,gaudio ineffabili,& ſerenitate,mẽtes exhilarari. Nulluſque eſt alius Sol,qui mærores ad humana pectora ſolitos frequentes eſſe,circumque obſidere differat, reſoluat,niſi verus ille. Nec erimus vnquam mœrore vacui, niſi cùm iucundiſſimam vultus illius lucem licebit intueri. Hanc claritatem duabus de cauſis expetit nunc diuinus Vates, tum vt eam opponat falſis illis bonis,quæ multi cupiunt,nempe corporeas voluptates,oſtendens non illam, ſed hanc eſſe veram beatitudinem:tum ob ſapientiam,quam vultus eius claritatẽ appellat. Atq; ſunt hoc loco de ſublimi illa,quæ apud philoſophos agitatur quæſtione,de ſummo, ac vero bono,in quo conquieſcat animus, ſententiæ de voluptate, quæ fuit Epicuri, altera autem vera de F beatitudine ſententia,quæ ſit uidendo claritatem uultus Dei, eaque fruendo quam nullus philoſophorum propter eius excellentiam adhibuit. Hic,hic,non alibi eſt ſummum bonum.Is finis, hæc meta laborum. Hic æterna, hic larga uoluptas, quam torrentem uoluptatis alibi uocat. Hanc claritatem,tum propter doctrinam,ac ſapientiam poſtulabat in hac uita uidere Dauid, ut illuceſceret in tenebris ſæculorum,per quam errores caderent diſcuſſi, proiecti, ueritatemque omnes,quæ lux uocatur,cernerent:eamque poſtulat, ut leuet tanquam uexillum, ut uideatur à mortalibus, ſuſpiciatur, & ab animo, & ab oculis corporeis, ſicut illa in monte:tum in futura, propter ſummam felicitatem. Itaque ſubiicit.

Dediſti lætitiam in corde meo: à fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.

Muſtum hebr.

IS eſt uerſus Hebraicè,& apud Hieronymum. In his omnibus hoc diſcrimen, à fonte. Quod dicitur Græcè, A fructu frumenti, Hebraicè מעת דגנם me eth deganam, A tempore frumenti ſui, & uini, multiplicati ſunt, oleum nuſquam eſt. Vinumque nouum nominat תירושם tiroſham, muſtum eorum. De duabus igitur ad uitam maximè ſpectantibus rebus mentio. Hieronymus quoque ſic tranſtulit: In tempore, frumentum eorum, & uinum eorum multiplicata ſunt. Adhibent autem hunc ſenſum Hebræi, Lætatus ſum ſuper eorum felicitate. Dediſti mihi Deus eam mentem, ut lætus eſſem bonis eorum, ſecus quàm illi, qui mihi clades, & incommoda petunt. Fructus ſuos pacificè legebant, non à tyranno, ſed parente, patre patriæ regebantur, creſcebant, rebus ſuis, his in primis quibus humana uita ſuſtinetur, fructus, agros, lætè poſſidentes.

A dentes. Vel ſic melius, Erat lætitia in corde meo, ex eo tempore, quo legebant fructus ſuos, frumentum, & vinum. Tranquillitate, abundantiaque rerum populi mei magnopere gaudebam, at illi me perſequuntur, intentant mortem. Sciendum quoq; eſt, ipſum verſiculum, iuxta orationem Hebraicam, poſſe legi, A tempore, vel in tempore frumentum eorum, & vinum eorum multiplicata ſunt, vt verbum Hebraicum רבבו rabbu, & Græcum ἐπληθυώθησαν, non tam referri poſſit ad ipſos homines, quàm res, frumentum, & vinum, quæ dicat multiplicata eſſe, creuiſſe, fructificaſſe. Mirumq; eſt, Sept. pro eo quod erat עת eth, tempus, poſuiſſe καρπὸν, fructum. Chaldæus igitur iuxta ſuperiorem ſenſum adhibitum ab Hebræis ſic clarius explicat: Dediſti lætitiam in corde meo, feciſti vt gauderem, tempore quo creſcebant prouentus eorum: lætabar omnibus gaudijs, creſcentibus eorum prouentibus. Tu mihi Deus eam lætitiam dabas, vt quoniam ex te proueniebat agrorum vbertas, ea in re ego patria charitate lætabar, vehementer exultans, populo meo rerum vbertate circunfuſo. Hæc lectio verior eſt, & probatior. Ac Chaldæus adiuuit orationem Hebraicam vno pronomine, Dabas lætitiam in corde meo, ex illo tempore, quo creſcebant, vel multiplicata ſunt, frumentum, & vinum eorum. Deerat igitur, vt ſæpe ſolet, pronomen, à tempore quo. Quare dicendum, frumentum, & vinum eorum multiplicata ſunt. Verſus Græcus, & Latinus vix eſt intelligibilis. Ac ferunt Græci de voluptuariis, delicatis, libidini, ventri deditis, hæc dicta, qui creſcant ex his rebus corporeis, hæcq; à Deo poſtulent iugiter, non alia, in quibus tribus alia neceſſaria includantur. At in Hebraico fonte, nec oleum eſt, & tota lectio longè ſecus habet. Quare nunc pro eo, ac debeo, ſequor magis Hebræos. Pro fructu igitur ponendum tempus. Oleum autem remouendum, & genitiui caſus frumenti, vini, debent eſſe nominatiui: B & maſculinum multiplicati ſunt, vertendum eſt in neutrum, multiplicata ſunt. Et principium carminis vult eſſe, Dediſti lætitiam in corde meo, quia multiplicata ſunt frumentum, & vinum eorum. Suntq; verba Dauid, clementiam, humilitatemque teſtantia, quam populo, qui contra eum coniurauerat, exprobrat.

In pace in idipſum, dormiam, & requieſcam: quoniam tu domine ſingulariter in ſpe, conſtituiſti me.

In idipſum.

Singulariter in ſpe conſt. me.

IN ipſum, quod Græcè ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod quidem obſcurum eſt, Hebraicè יחדו iachadu deſignat ſimul. In pace ſimul dormiam. Eaq; ratione traduxit Hieronymus, Dormiam, & requieſcam. paulò ſecus, & clarius, Gręcè, & Hebraicè. Hebraicè, Iacebo, & dormiam. Sic Hieronymus dixit, Requieſcam, & dormiam. Quod dixerunt κατὰ μόνας, ſingulariter, Hieronymus ſimili ſenſu ſpecialiter. Et quod dixerunt in ſpe conſtituiſti me, paulò clarius in fonte לבטח תושי בני labetach thoſchi beni, cum fiducia, ſecuritate collocabis, ſiue, habitare facies me. Non eſt ergo pręteritum κατῴκισας, conſtituiſti, ſed futurum. Locuſque omnis exponitur, declaraturque ab Hebręis, In pace, ſecurè, citra pauorem, in vtranque aurem dormiam, ſimul cum his qui mecum ſunt, cum populo omni. Ac quanquam illi mihi ſeſe hoſtes declarauerunt, opto tamen vt ſimul ſecurè dormiamus, pace, tranquillitate fruamur. Tunc ego ſecurè acquieſcam, quia nihil erit, quod me perturbet, excitetque è ſomno, cùm mecum illi conſederint, cohabitauerint. Siquidem tu Deus ſecurè facies habitare me: tu Deus ſingulariter, tu ſolus id facies: in te vno, non alio ſpes C omnis. His Hebręorum declarationibus conſtat, quorſum referre oporteat ſimul, ſingulariter. Simul, ad populum omnem, quem ſibi optat, precatur, pręedicit reconciliandum, refertur. In pace ait, ſimul cum grege meo quieſcam, dormiam. Quoniam tu Deus ſingulariter, tu ſolus non alius, me populo meo, meque illis reſtitues. Me chariſſimo, optatiſſimo eorum conſpectui reddes. Eſt ergo dulcis ex animo miti, vt erat Dauid, proficiſcens prophetia, qua vaticinatur quoniã à Deo, non alio, remittetur ad proprios lares, ſecura cum illis ſe pace gauiſurum. Nec ignorandum, quod ab interpretibus Gręcis viſum eſt ὅτι quoniam tu domine, Hebraicum כי ki ſonare quoniã, & cùm. Totuſque verſus ſic legendus, In pace ſimul dormiam, quieſcam cum populo. Cùm tu ſolus, non alius, ſecurè collocabis, habitare facies me. Quando per te vnum, (neque enim in alium quenquam ſperare licet) reſtitutus in patriam terram fuero. Animaduertendum hoc pſalmo, Dauid eſſe, qualem IESVM Chriſtum, ſupremo vitę tempore deſcribunt Apoſtoli, teſtantes eum oraſſe pro perſequentibus, quia neſciunt (inquit) quid faciunt. pro ſuis diſcipulis dulciſſimam orationem fudit ad patrem, quam qui apud Ioannem legat, vix lachrymas dulcedine tactus contineat. Eiuſmodi eſt is pſalmus, reprehendens graue illud populi ſcelus coniurationis, amorem, patriamque charitatem exprobrans illis, ſed rurſum pręedicens auxilio Dei cognituros illos errorem ſuum, ſe amplexurum eos, futuramque omnium iniuriarum obliuionem, vnum conſenſum animorum. Gręci propter lectionem ſuorum codicum multò ſecus explanant. Vel eum prophetare de exitu ſuo, quòd dormiet non morietur morte violenta: ſimul animo, & corpore quieſcet: ab hoſtibus animi & corporis ereptus, innuenſque longum reſurrectionis tempus, & corpus loqui faciens quod tu me in ſepulchro habitare feciſti, conſtituiſti, at in ſpe reſurgendi. Hęc interpretatio videtur nimium longè petita.

Dominus IESVS.

TITVLVS, SIVE INSCRIPTIO PSALMI QVINTI. D

In finem, pro ea quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus Dauid.

In finem. Haba. 3. d. Quæ hæred. cóſeq.

Non eſt vbique inculcandum, quod Sept. tranſtulerunt propter quandam ęquiuocationem εἰς τέλος, in finem, hoc eſt in ęternum, putantes eſſe idem lamnazeach, & לנצח lanezeac, in æternum, Hebraicè eſſe lamnazeach. In quo cùm ſint variæ ſententię, vnum finem ſpectantes, & autoritate tralatoris Chaldæi, & ipſa ratione loquendi, tum teſtmoinio, ex oratione Habacuc, placuit vt eſſet quaſi gerundium cum præpoſitione le, ad, deſignans ad canendum. Nam pro eo Chaldæus vbiq; ponit לשבחא les habeca, ad laudandum. Tum in illa oratione non poteſt deſignare, aut victorem, aut fundentem ſanguinem, quia non in principio, ſed in fine carminis ponitur. Et ipſe ſermo teſtimonium exhibet, quo dicitur, Et educet me victor in pſalmis canentem. Quod quidem transferri eo modo non debuit. Nã lamnazeach eo loco ſi nomen eſt, non eſt nominatiuus, ſed genitiuus, vel datiuus. Vertendum potius, Et deducet me lamnazeach ad laudandum, plaudendum in muſicis inſtrumentis. Hæc ratio loquendi cùm in principiis Pſalmorum extet, non videtur prorſus aliud deſignare, quàm ad laudandnm, triumphandum, canendum vehementer, reiecto vt ſit mnazeach, aut victor, aut qui vinceret canendo, vel qui ſanguinem fundat. Pro ſecunda voce κληρονομήσας, Quæ hæreditatem conſequitur, Hebraicè eſt, הנחילות ha nechiloth, de qua ſecus Hebræi ſentiunt, aſſerentes id genus eſſe lyræ, aut barbiti, quod eadem voce, ſed alia nominis forma dicitur חליל chalil, quod E noſter interpres vocat tibiam, & מחלל mechalel, tibicina. Eſtque hæc inſcriptio præfixa Pſalmis, velut apud Latinos dicitur in principijs Comœdiarum. Tibiis paribus, vel imparibus. Diuerſis enim inſtrumentis, modulatibuſque Pſalmi canebantur, quemadmodum noſtra quoque tempeſtate maximè Venetijs fieri cernimus. Adhibenturq; nomina in principiis Pſalmorum, muſicorum inſtrumentorum. Hæc Hebræis perhibentibus aſſentitur etiam Chaldæus, amphibolum nomen Nechiloth traducens in aliud clarius יחנגי hineghin, quod ex idiomate Hebraico ſonat canere, choros agitare, dicenſque cum muſico inſtrumento. Hæc ſignificatio verior eſt, quàm vt vox ſonet, aut hæreditatem, aut aliud quodcunque, conualles, infirmitates, vulnera, congregationes. Nam omnibus ferè Pſalmis pręfiguntur nomina inſtrumentorum muſicorum, & genus modulatus. Afferre autem incerta & obſcura, dimiſſis clarioribus & certioribus, fortaſſe vitium ſit. Hieronymus quidem ſecutus eſt Gręcos, traducens, Super hæreditatibus. quam ſignificationem refellens Rabi Salomon (nam neſcio quibus etiam Hebręis arriſit) in Pſalmo, hæreditatis mentionem perhibet eſſe nullam. Sequamur ergo certiora, quęq; & ratione, & plurium teſtimoniis comprobantur. Exiſtimatur autem ab Hebręis, etiam hunc, quemadmodum ſuperiorem Pſalmum Dauid propter hoſtes ſuos, maximè verò Doeg, & Achitophel in caſtris Abſolonis filij contra patrem, ipſum inſtigantes, eique impia conſilia ſuggerentes, editum. Texiturque eadem atque ſuperior Pſalmus, ratione, memorans inimicos, precans ſuas exaudiri preces, commemoranſque, vt ſuperius, eos qui ſequuntur mendacium, nefaria molientes, itemque virum ſanguinum, vt ſceleratus ille Doeg. Multa de ſpe ſua in Deo, deque eius miſericordia prædicans. De reditu quoque ad templum, quo ſe rediturum iuuante Deo, vaticinatur. F Hæcque non iuniores modò, ſed maiores etiam ſenſerunt, tametſi quidam contra hoſtes Iſraelitarum generatim editum aſſeuerent. Argumentum Græcorum propter inſcriptionem redditam ſecus quàm dixerimus voces ipſas ſignificare, plurimum diſcrepat, quæ hæreditatem conſequitur, Eccleſiam regnum cœlorum conſecuturam interpretantium. Sed, vt dixi, vox nechiloth, non deſignat κληρονομοῦσαν, hæreditantem. Tum ea vox eſt numeri multi. Sequamur ergo minus à verbis abhorrentia. Multas autem orationes contra ſuos, & populi ſui hoſtes Dauid profudit, contra profanos ſimulachra colentes, veram pietatem perſequentes, quibus veritas, vera philoſophia fuit contemptui. Qualis Iulianus impius.

PSALMI V. EXPLANATIO.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Clamor.

Auribus percipe, rectè Latinus reſoluit Græcum ἐνώτισαι: vel ut ſi dicas inaurire, auribus capere, fictum ad Hebraicum האזינה haazina, aurizare. Pro clamore eſt Hebraicè הגיגי haghighi, murmur meum, vt traduxit Hieronymus: ſiue locutionm, meditationemque meam. Animaduerſum ſuperius ipſum hoc verbum הגג hagag referri ad meditationem cordis atque linguæ locutionem. Et propter ſignificationem meditandi, aut quia fundebat orationes ſuas Dauid, cantando, pſallendo, carmen ſacrum canendo. Chaldæus pro Hebraico dixit, Intellige רינני rineni, cantum meum, ſiue odam meam. Poſtulat igitur, vt in orationibus ſit, (eſtque præceptum oratorum)

A oratorum)auditorem attentum,beneuolum,perinde ſi nos orare,ac ſupplicare docet. Primum vt poſtulemus à Deo,gratas illi noſtras eſſe preces,ne ſimul ac clamare cæperimus, nos abijciat, minime ſibi cogitanda quæ poſcimus,exiſtimans. Verba ſua dixit orationem illam modulatam, rythmo,cantuque currentem. Aures Deo tribuit ἀνθρωποπάθως, ex ſimilitudine noſtrorum mẽbrorum,qui ſolis auribus audimus, cùm Deus nullis auribus corporis præditus, omnia, toto mundo, vel ſilentia exaudiat. Aures igitur quaſdam diuinas, immenſas, omnia percipientes ſentiebat,in qua nuncupatione nihil aliud cum noſtris auribus,quàm ſolum nomen, commune. Is eſt cui longè rectius quàm Soli conuenit illud Homeri:

Verba.

Πᾶνθ' ὁρᾷς, ϗ πάντ' ἀκούεις, ϗ πάντα βραβεύεις
Cuncta vides,cuncta exaudis,& cuncta gubernas

Græci multa conſiderant non negligenda.Iterare,percipe verba,intellige cantum,vt ſoleant qui toto pectore,& intentiſſimis animis poſtulent,vt in intimas aures recondat, idem enim eſt inaurire.De clamore autem,& verbis,quæ ferunt diſcrimina cùm non ſit Hebraicè κραυγὴ, clamor, ſed vel meditatio, eloquium,ſuſurrus,vel cantus,non ſunt admodum examinanda. Inculcat ſimilia multis verbis.

Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo.

PRo orationis meæ,eſt שועי shauei, clamoris mei. Voci inquit clamoris mei, vt tranſtulit B Hieronymus,pro,Quoniam ad te orabo,eſt dictio כי ki,deſignans quoniam,& cum,vt dicat,cùm ad te orabo.Cætera clarent.Exaggeratis multis nominibus,intentiſſima petitio, & vt in intimas animi ſui partes qui maria & terras,cælumque implet,recondat,oſtenditur:calamitatibus autem circumuenti,grauiſſimis malis affecti.aut ad Deum confugimus,aut regum,dominorumque dexteras imploramus. At mihi, inquit, nec alius eſt rex præter te,cuius opem implorem,nec Deus,qui communi præſidio res hominum defendas. Tu cunctorum moderator,gubernator,eorum vel in primis,qui ſe auxilio tuo ſperant,confidunt defendendos.Regem inquiunt Græci,vt moderatorem,prouidentem,Deum vt Plaſten,formatorem,creatorem, autorem. Cur præcipuè tu Deus meus,quia ſimulacra,pecudes,lapides,trunci,ſidera cæli,vt cuiuſque ferebat cupiditas,variuſque error,eo tempore colebantur, numen habere putabantur,ne magnis quidem philoſophis cum vulgo non cęcutiẽtibus.Nihil horum mihi numen,ſed tu vnus humani generis verus autor. Non ego qualis impius imperator Iulianus, cuius Deus erat Sol filius ſummi boni,vt prædicabat.Plato quoq; in Epinomide, cælum inquit pro vero Deo habendum. Alij Veneris aſtrum, Lunamuè colebant.Nihil horum, inquit, mihi Deus,ſed tu,tu Deus meus. Nominatim quoque vocans,appellanſque rex meus,Deus meus,eſt veluti cùm notos,& quibuſcum longus vſus nobis interceſſit, appellamus. A rege,rex appellabatur, verus ergo rex regum,dominus dominantium.

Quoniam

Rex meus, & Deus meus.

Rex. Deus.

Meus. Nam rex erat, Dauid.

Domine,mane exaudies vocem meam: mane aſtabo tibi, & videbo.

C HOc ordine verſus digerendi, quorum in Græcis,Latiniſque confuſio,ſępe facit,vt difficilius intelligantur.Et pro, Aſtabo,fons אערך eerach,præparabor, vt vertit Hieronymus, ordinabo. Haud dubium cunctis in eundem ſenſum conſpirantibus, quin matutinam orationem nominans ſentiat tempus,primum purum,quod primis,maximiſq; rebus debeatur. Primum,Chriſtus ait,quærite regnum Dei. Hæc prior cura,cunctis diurnis negotijs præferenda. Vt primùm,inquit corripio è ſtratis corpus,ad te me verto,mentem,vireſque ad te cunctas colligo. Ille flos temporis,ſatiatis quiete ſenſibus,nullo dum mortali negotio, triſtitiã & curam,inanemq; cogitationem exhibente, ac velut veſtem puram notis inficiente. Cùm negotia quibus vita ſuſtinetur, corporea, caduca, citò peritura noſcantur,quę verò ſapientiæ,pietatiſq; ſunt,æternitatẽ reſpiciant,quis dubitet quin hæc actionibus oĩbus ſint anteponenda,& pulcherrimo principio dies inchoandus? Vtinamq; hoc diuinum documẽtum omnes attenderent. Hæc pſalmorum puriſſima philoſophia. Superius ad quietem veſpertinam proficiſcentes hortabatur, opera diurna perpendere, diſcutere, nunc diem felici exordio auſpicari. Omniumque ſapientum præceptum eſt, In primis venerare Deos. Et Pythag. ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται τίμα. Quod ergo dixit præparabor, vt ſuperius monſtratum eſt, aut præparabo, quod Hebræis magis placet, orationem ordinabo, digeram ad te orationem: ſicque expoſuit Rabi Dauid, & Auen Eſra. Pro hoc clarius poſuit Chaldæus אסדר eſader, ordinabor, aut, Ipſe ad te præparabor. Quod item dicit, Videbo, exponunt Hebræi, ſperabo te mihi daturum quæ poſtulo: Pro comperto, exploratoque, videbo, experiar. At Rabi Salomon, quod & ipſum bonum eſt, videbo clarè pœnas te de his ſumpſiſſe,quos paulò pòſt nominat: Neque habitabit iuxta te malignus, præcipuè ſi pſalmus reſpiciat coniuratos, contra quos orationem fundat, eos

Aſtabo. Mane.

Immortaleis quidẽ primum deos, Lege vt diſpoſiti ſunt, Cole.

Videbo.

vel maximè, qui eius consilij principes fuiſſent. Videbo, ait, meiſque oculis intuebor hoſtes oppreſſos. Poſſet etiam exponi, Mane præparabo orationem, & videbo, oculos aperiam ad te, euigilabo, intentus ero, nō deflectam à te oculos. Is verior ſenſus, quē in ſua tralatione referens Hieronymus præclarè dixit, Mane præparabor ad te, & contemplabor. Quidam Græcorum codices, perperam habent pro ὄψομαι, videbo, ὄψειμε, videbis me. vera lectio אצפה azaphe, videbo, vigilabo, contemplabor, reſpiciam. Exaggerat multis verbis eundem ſenſum. D

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: Neque habitabit iuxta te malignus.

Non Deus vol. iniqui ta. tu es.

Iniquitas.

PRopter hanc cauſam ſuperius exponebant quidam ex Hebræorum claſſe, Videbo cladibus acerbis oppreſſos inimicos, quorum eſt nefaria crudelitas, atque impietas: quòd tibi, inquit, diſplicet impietas, iniquitas, omnis æquitatis, & ordinis in mundo repertori, qui rerum pulchritudinem ordinibus certis conſtantem edidiſti, Quod odio, & dolore contra nefaria, crudeliaque afficeris, iure coram te rege, dominoque meo, preces meas fundo, flenſque auxilium imploro, vt impietatem perſequaris, qua filio meo duce, populus in me coniurauit, eoſque maximè ſupplicijs afficias, qui plebem ignaram ad impia ſigna coegerunt. Iniquitatem ergo vel illam coniurationem vocat, vel vt Græcis placet, omnem ſimulacrorum nefarium in contumeliam veri Dei, cultum, contra quem, & autores eius, vt pleroſque alios pſalmos, hunc quoque Dauid ediderit. Vt veri Dei, cultu, religione pura, ſalus humani generis continebatur: ſic euerſio ſceleratis illis ſuperſtitionibus, quarum aliis humanus ſanguis fundebatur, aliјs ad flagitia, turpiaque homines inuitabantur. Has ſæculis illis vigentes impias ſuperſtitiones humano generi pernicioſas, ſummo autem Deo contumelioſas reſpiciens Dauid, multa aduerſus eas, earumq; autores precatur. Itaque ſi diſplicet hominibus probis, ac iuſtis iniquitas in terra, magis certè diſplicebit ſummo Deo. Quod vel Homerus ſcripſit: E

Iniuſta opera Deus non amat, ſed iuſtitiam.

Οὐ γὰρ θεοὶ σχέτλια ἔργα φιλοῦσι
Ἀλλὰ δίκην τιμῶσι.

Eſt autem pro ἀνομία, iniquitas, Hebraicè רשע resha impietas. Idque tranſtulerunt pſalmo primo. Quanquam ſub hoc nomine, cuncta flagitia clauduntur, quemadmodum ſub Græco ἀνομία, violatio legis, & iuſtitiæ. Nam iuſtitiæ facta, vt Ariſtoteles ait, ποιητικὰ, καὶ φυλακτικὰ τῆς εὐδαιμονίας, faciunt, & cuſtodiunt felicitatem: Contraria, triſtitiam, infelicitatem. Omnia ergo mala continet ἀνομία, vt Hebraicum resha. Quòd autem ait, Neque habitabit iuxta te malignus, eandem ſententiam alijs nominibus inculcat. Quodque Gręcè dicitur πονηρευόμενος, malignans, ſiue malignus, Hebraicum neutrum poteſt eſſe רע rah, vt dicat, Neque habitabit iuxta te malum, ſcelus, turpitudo, non aſſidebit tibi. Vt contrà de iuſtitia prædicant Solomon, priſciq; Poetæ, vocātes eam πάρεδρον Διὸς, Iouis aſſiſtricem, ſummi Dei comitem, aſſidentem ei, ad thronum eius conſidentem. In contrarium ergo, Non aſſidebit tibi ſcelus, turpitudo, prauitas, fugas eam, execraris, deteſtaris. Quod ſi ad perſonam refertur, idem ſenſus. Non placet oculis tuis improbus, nunquam erit tecum, neque in regnis tuis, neque in animo, pectore, complexu. Non commoratur tecum, non verſatur in cogitationibus tuis, exulat à tua charitate, qua ſoles iuſtos amplecti, diligere. Non eſt illi pars in amicitia tua. Habitare igitur referes, aut ad patriam cæleſtē, quo non eſt aditus ſceleratis, impuris, homicidis. Nā qui talia agunt, regnū Dei nō conſequentur. aut eſt declaratio præcedentis, Non Deus volens iniquitatem, non vis malignum, non eſt in animo, beneuolentiaque tua, auerſaris eum. Malignum Latinus dixit, rectius dixiſſet improbum, ſceleratum. Nam Latinis maligni ſunt, parci, auari, tenues, vt, Sub luce maligna, pauca, exigua, in noua luna. Huic contrarium benignus, liberalis, apertus. Nomen ex Latino malum, & Græco γνὼς, noſcens, Mala cognoſcens, mala ſentiens, malus animus, mala mens, eoque tendit nomen ad alia flagitia. F

Neque habit. iuxta te mal.

Malignus.

Neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos: odiſti omnes qui operantur iniquitatem.

INculcat ſimilia. Quos Sept. dixerunt παράνομοι, iniuſti, exleges, præuaricatores, ſunt Hebraicè הוללים hollelim, praui, ſtolidi, iniquos eos tranſtulit Hieronymus. Et quod dixerunt, Non permanebunt, eſt יתיצבו it iazebu, aſtabunt, aſſiſtent: eodemque atque ſuperiora, ſenſu. Non vis iniquitatem, non habitabit iuxta te malignus. Cur autem non permanebunt? nimirum quia odiſti, proſequeris odio, ſtolidos, amentes, turpia magis quàm pulchra diligentes. Stolidos etiam tranſtulit Chaldæus. Maleficijs enim & peccatis vera ſtoliditas, atque amentia, proditur. Hæc ex parte referunt Græci ad Idololatras, quorum eſſet impia ſuperſtitio, tum vero Iudæos, qui verè vocentur παράνομοι, legis tranſgreſſores. Par eſt, omnes peccatores deſignari. Explicatque nominatim ſcelera, quæ Deus odiſſe ſoleat.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum ſanguinum, & doloſum abominabitur dominus.

Mēdacū. Cædes. Dolus.

TRia grauiſſima peccata. Hæc ſunt ea quæ multis verbis ſuperius indicauerat. Qui operantur iniquitatem, iniuſti, non permanebunt. Sciendum hæc tria eodem pertinere, loquitur mendacium, vt interficiat, vt dolo circumueniat. Mendacium, doluſque propter cædem. Idem igitur mendax, ſanguinolentus, atque doloſus. Omnia contra ſalutem proximi. Itaque de mendacio letifero, exitiali, de falſis calumniis, de funeſtis criminibus ſermo eſt. Vocat mendacium calumnias, Crimina, quibus apud principes falſo delati nonnulli, ſunt interfecti, patrimoniis multati. Calumnia Græcè dicuntur διαβολαὶ, hinc diabolus, quòd aduerſetur, quod humana facta ſemper calumnietur. Eum ſequuntur, imitantur, exprimunt, quos nunc pſalmus deſignat, non ſecus execrabiles, inuiſique Deo, quàm princeps ille calumniarum. Deſignantur homines malefici, peſtilentes, quos primo pſalmo vocauerat Lezin, deluſores, loquaces, linguoſos, Græcè peſtilentias, oblatrantes, obgannientes, fraudulenter nocentes, proditores. Iidem ſunt viri ſanguinum, ſanguinis appetentes, ſanguinem fundere gaudentes, homicidæ. Iidem quoq; doloſi, dolos ſtruentes: Græcè δόλος, qua voce velut Latina abutimur, fraus, inſidiæ dicuntur. Ergo doloſi, inſidioſi, pleni cogitationum maleficarum, nocentium conſiliorum, clades, peſteſque alienas appetentes. Hæcque omnia, aut quo potiantur opibus, quas inuident poſſidentibus, aut quo voluptates, & honores, aliis deiectis, conſequantur, aut quo ſunt natura malefici, & iniuſti: Qualis ille Dionyſius tyrannus. Dolus igitur, ſiue fraus fit, aut amicitia ſimulata, aut diſſimulata praua voluntate. Eoque vocatur etiam proditio, in ſacris litteris, laqueus, pedica, fouea, quòd quemadmodum his inſidioſè belluæ capiuntur, ſic obtenta benignitate, aut prauitate diſſimulata, mortales à ſceleratis irretiuntur. Principium eſt lingua nocens, calumnioſa, deferens falſa, aſtutè, ſolertiaque iniqua. Ingenium illud fraudulentum, gnarum, latentes, adumbrataſque inſidias inueniendi, nunc pſalmus innuit, inuiſumque Deo prædicat. Hos ait ab eo perdendos, ex hominis memoria delendos, execrabiles. Sanguines numero multo dixit, Hebraico ritu, vt pulmones Latino. Abominari eſt, velut execrari, è ſacris delere, tollere de numero ſacrorum, idq; maledictis, diris imprecationibus. Sic abominari, pro malo omine habere, pro re ſcelerata, mali ominis, propter eaq; inuiſum habere, odio proſequi.

Calūnię. Diabolus.

Dolus.

Sāguines. Abominari.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, in timore tuo.

ILli, ait, ſunt execrabiles, abominabiles, inuiſi tibi, extra ſacra, ſine bono omine, mali ominis, non videndi propter dolos, mendacia, homicidia: at ego te ſequar, colam, venerabor, ſacras ædes adibo. Non ero quemadmodum illi, maleficus, prauus, gaudens malis: Veniam ante oculos tuos, in conſpectum tuum: me dabo in multitudine miſericordiæ tuæ, quam expecto, ſpero, præſentemque cerno: non mea probitate, iuſtitiaque fretus ad te venio, ſed incredibili lenitate, clementiaque tua. Condemnatis igitur improbis, reuertitur ad ſuperiora. Manè exaudies vocem meam. Faciam, inquit, quod hortatus ſum primo pſalmo, adibo ſacrarium tuum, ſeruiam tibi in timore, reuerenter, piè, caſtè te colam. Diximus enim ſæpe, pietatem, religionem, Hebræis vocari timorem Domini. Templum Græci, vel hoc terreſtre, vel cæleſte poſſe ſentiri ſuſpicantur. Et quoniam gentes intemperanter, ac laſciuè ſuis in templis agerent, ſecus ſe futurum in templo Dei, polliceri prophetam, atque (vt aiunt) breuiter ſceleribus inuiſis Deo, peragratis, prophetam ad ſeipſum reuerti promittentem ſe caſtè, promptè numen diuinum veneraturum. Non tanquam iuſtitiæ plenum, ſed vti eum cui Deus condonat peccata, quemque ex ſua clementia, gratum, acceptumque habeat.

Dan. 9. d.

Timor. Templū.

Domine, deduc me in iuſtitiam tuam: propter inimicos, dirige in conſpectu tuo viam meam.

QVemadmodum ſępius admonuimus, Pſalmorum precationes eò ſpectant, vt vel pericula vitæ procul eſſe ſuppliciter petant, vel efflagitent ne quid grauius peccent, ne iuſtitia violetur. Ad vtrunque, quoniam nec vires animo ad conſeruationem æquitatis, nec corpori ad vitam tuendam ſuperſunt, opem Dei implorant, vt hinc veterem illorum ſapientem agnoſcas, qui non minus flentes, ſuppliceſque ad templum Dei venirent oratum, ne ſe paterentur in aliqua flagitia prolabi, quàm ne ab hoſtibus circumuenirentur: quòd intelligerent violata iuſtitia, futuros ſe Deo inuiſos, ob eamq; cauſam periculis exponendos, & in aliquam calamitatem neceſſariò deuenturos. Hoc ne accideret prouidentes, humanam autem imbecillitatem notam, perſpectamque habentes, ſummis precibus contendebant à Deo, vt eos ab omni ſcelere tueretur, eis vbique lucem iuſtitiæ præferret, viam ignaris oſtenderet. Hoc igitur eſt,

Pſalmorũ p̄cationes, vitæ pericula, peccata deprecantur.

Propt. ini. meos.

Dir. in cõſpectu tuo viã meã.

Deus dator gratiarum.

tur eſt, quod ait, Deduc me in iuſtitia tua. Doce iuſtitiam, ius, æquitatem: inſtrue tu ignarum. Nam te ſine, nil altum mens inchoat. Caligat oculus humanus ad iuſtitiam. Deduc autem vt non modò doceas, erudias, verumetiam nolentem, ac multa propter imbecillitatem, reluctantem trahas, velut illi manibus Angelorum ex incendio Sodomæ violenter abrepti. Quanquam verbum Græcum ὁδήγησον, eſt potius per viam agere, viam oſtendere. Hebraicum ſimiliter נחני necheni. Quod ait, Propter inimicos meos, exponunt eodem ſenſu Hebræi. Ne inimici ſuper calamitatibus meis exultent. Ne me in ſcelus prolapſo triumphent, haud ignari tunc mihi auxilium tuum defuturum, vt tertio pſalmo: Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Inimici perſpectum habentes, quos Deus ſuo fauore deſtituiſſet, facilius opprimendos eſſe, deſtitui autem, qui ſe ſceleribus dedidiſſent: exultent vtique ſi quid me peccaſſe, ſi iuſtitiam violaſſe animaduertant, eam ob cauſam Balaam ariolus, docuit Regem Moabitarum, ſi ſuperare vellet Hebræos, in conſpectum agere mulieres formoſas, quibus Hebræi miſcerentur. Idque factum eſt. Exponenſque hunc locum Auen Eſra, Propter inimicos meos: Quia, inquit, timeo, ne pes meus prolabatur, tunc ad ſupplicia trahas me. Tunc verò inimici mei exultent. Inculcat ſimile: Dirige in conſpectum tuum viam meam. Hoc quidem in Græco eſt, apud Septuagin. κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου. Hebraicè ſecus, Dirige לפני דרכך lephanai darkeca, Ante conſpectum meum viam tuam. Dirige, ait, viam tuam ante me, Oſtende viam tuam mihi planam, Aperi oculis meis viam, tuam nempe ſapientiam, iuſtitiam, æquitatem. Hanc mihi demonſtra: ea enim eſt via eius, hæc illi cordi eſt. Hanc ipſe pergit primus, iuſtitiæ repertor, princeps, autorque omnis ordinis. Eſt autem hæc oratio, qualis illa, Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Occulta ſcilicet crimina, quæ dormitante animo patrantur, reuela, aperi mihi, vt caueam. Eſt igitur toto hoc verſu poſtulatio ſapientiæ, poſtulet (inquit diuus Iacobus) nihil hæſitans. Propterea vocatur dator luminum, dator gratiarum, vt apud Homerum, Heſiodum, δοτῆρες ἐάων. Idcirco Ariſtoteles ſapientiam ait eſſe θεόσδοτον. diuinitus dari, munus eſſe Dei, vt Marcus Tullius. Non moror nunc, quod Chaldæus cum vox שוררי shorerai, ſit amphibola, ſonans inimicos, & cantum, tranſtulit cantum meum. Nam primum Hebræi ſequuntur, & ſenſus docet. Non eſt ergo dicendum, Dirige in conſpectu tuo viam meam: ſed, quod aptius eſt, & clarius, vt ex Hebraico tranſtulit Hieronymus, Dirige ante faciem meam, viam tuam. Nimirum oculis meis, viam tuam demonſtra. Symmachus tranſtulit ἐξομάλισον, adæqua, explana viam, fac mihi viam planam, regiam, qua pergam. In dextram, vel ſiniſtram ne deflectam. Idem ſenſus. exponuntq; Græci, plena eſſe inſidiarum omnia, obiices, & ſcandala, occurſare vbique. Ob hanc cauſam, Da facilem viam tu, tu comes, tu dux eſto. Pertinet (vt dixi) ad poſtulationem ſapientiæ.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt.
Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant.

Sepul. patens.

VNus eſt verſus Hebraicè: exhibeturque à Hieronymo. Pro veritate, eſt נכונה necona, rectum, recteque vertitur veritas. Pro corde קרבם kirbam. Medium eorum, præcordia, viſcera, pectus eorum. Pro ματαία, vanum, in Hebraico הוות hauoth. Prauum, peruerſum. Pectus eorum doloſum, prauum. Quod ait, Linguis ſuis doloſè agebant, Hebraicè eodem ſenſu, linguam ſuam יחליקו iachlichu, molle faciunt blandiuntur lingua. Lingua eorum blanda eſt, dulcis. Eoque Hieronymus tranſtulit, Linguam ſuam mollificant. Nempe palpantur, adulantur. Sub lingua blandities, latitat in pectore ſcelus. Rectè Septuaginta interpretati ſunt hanc mollitiem, blanditiaſque, dolum, inſidias. Deſcribit inimicos, quibus armati dolis ocurrant. Genus inimicorum letale, peſtiferum. Homerus, atque Cæcilius antiquiſſimi vates, peſſimos eſſe prædicant inimicos, qui nos ſub obtentu amicitiæ circunueniunt. Et Chriſtus: Cauete à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Eiuſmodi ſuos inimicos eſſe prædicat propheta verus Ab eorum inſidijs orat defendi. Quod dixerunt Septuaginta. Cor eorum vanum eſt: etſi mendacium dicitur vanitas, mendaceſque illi, iure vocantur vani: nomen Hebraicum tamen apertè indicat pectus doloſum, inſidioſum, plenum maleficarum cogitationum. Cùm ait, Cor eorum vanum eſt, dirum, crudele, moliens cędes, rapinas. Quod autem ait, Sepulchrum patens eſt guttur eorum, etſi poteſt intelligi guttur fœtidum, exhalans cædes, ſcelera peſſimè, letaliter olens: placet tamen interpretatio Rabi Dauid. Ruina, inquit, eſt eorum guttur, vorago. Agitur in pręceps, qui guttur eorum attendit. Impellit homines in apertiſſimas voragines eorum guttur, agit in barathrum, hiat eorum guttur abſorbere paratum, veluti barathrum. Græci ſcelerata, mortifera dogmata ex gutture improborum manantia proponunt. Illud Dauid placet.

Iudica illos Deus, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.

IVdica illos, fons eodem ferè ſignificatu, האשימם fac eos peccatores, vt ſic loquar. Nimirum, quod tranſtulit Hieronymus, Condemna eos, habebo eos in numero ſceleſtorum, damnatorum, delinquentium. Idem Chaldæus pro Hebraico חייב chaiab, codemna. Fuerunt, qui deducerent ſuperius verbum, vt teſtatur Rabi Dauid, à שמם shamam, perdidit, vaſtauit, deſtruxit. Senſus idem Græcè, & Hebraicè. Oratque, vt conſilia eorum, quibus cædem, vaſtitatemque bonorum moliebantur, nullum exitum habeant: nihil eorum, quæ contra pios cogitaſſent, in lucem veniat. Et pro ſcelerum magnitudine pœnas dent, expellantur à Deo, nempe quod Hebraicè eſt הדיחמו hædichemo, impelllantur, diſſipentur, deſtruantur: id enim eorum peccata promereri. Quod autem ait, Quoniam irritauerunt, fons מרו maru, Rebelles fuerunt, obaudierunt. Non paruerunt imperiis tuis, imperata facere neglexerunt. Et, vt ait Rabi Dauid, Regem tu me declaraſti, me regnare iuſſiſti, ſpernunt illi hæc iuſſa, hanc tuam voluntatem. Oderunt me, nunquam non mihi detrahentes, vitam cum imperio auferre conantes. Cùm ſint igitur apertè nequiſſimi, tolle eos è medio. Sola pietas tua, & qui te colunt, lęti viuant ſuper terram. Omnis autem peſtis, omnes, quibus pietas odio, & contemptui eſt, aboleantur. Nam alibi exclamat, Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. Pro quo fons, Multiplicata ſunt idola. In idololatras igitur inuehitur. Propterea ſubijcit:

Iudica.

Secũdum mult. imp. eo. expel. Quoniam irrita. te.

Et lætentur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.

PAlam eſt, in quos tot diris inuehitur, eorum interitum multis precibus efflagitans. Magna enim illis ſæculis inter Hebræos veri Dei cultores, reliquaſque gentes, earumque reges controuerſia, ſumma odia, quemadmodum hodie inter Chriſtianos, ac Turcas ſemper aduerſæ religionis exitum molientes. Reliquæ nationes Deorum quos colerent, maieſtatem, numen tuebantur, omnes adorare cogebant, qui non adorarent, bello perſequentes. Ob hanc cauſam à finitimis gentibus Hebræi continuis bellis premebantur. Inde eſt quòd vbiq; in pſalmis contra ſimulachra, eorumq; veneratores, pro religionis veræ incolumitate preces habentur. Huc fere Pſalmi ſpectant. Quod Septuaginta dixerunt κατασκηνώσεις ἐν αὐτοῖς, Habitabis in eis, fons habet ותסך עלימו vetaſech alemo, & proteges eos. Quemadmodum reddidit Hieronymus, obumbrabis eos, ne inimici eis noceant. Sperant autem in te ſecus, quàm illi, qui te ſpernunt, neſciunt.

Et habitabis in eis.

Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem.

Exiſtet autem lætitia, triumphusque apud tuos, qui nomen, maieſtatemque tuam venerantur, hoſtibus eorum deletis. Quod Græci interpretes dixerunt καυχήσονται gloriabuntur, eſt in fonte יעלצו iaelezu, ſonat triumphabunt, lætitia efferentur: quale fit à victoribus. Pacem igitur, quietemque ab hoſtibus, expoſcentes, in laudibus ſummi Dei duntaxat, ſimul religionis eius cultu verſari cupiebant. Inimicis autem cladem imprecantes oſtendunt eos, vel bello aperto infeſtos fuiſſe, vel clàm, & per blanditias Hebræos à cultu veri Dei auertere ſtuduiſſe. Vtrunque belli genus Pſalmus decantat.

Gloriabũtur:

Quoniam tu benedices iuſto: domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

QVod Græci interpretes ediderunt ὅπλον εὐδοκίας, Scutum beneuolentiæ, quod Latinus bonæ voluntatis, eſt clarum. Nec aliud ſonat Hebraicum צנה רצון Zinna razon, ſcutum voluntatis, Clementiæ ſcutum, amoris, beneuolentiæ: coronabis, circundabis, proteges, amplecteris. Vt ſi figuram Hebraicam aperias, dicendum ſit: Amplectere totum beneuolentia, & charitate tua iuſtum, vt qui ſe totum ſcuto circuntegit. Sit beneuolentia charitasque tua, veluti ſcutum noſtrum, quod nos undique protegat. Eſt autem in fonte non coronaſti nos, ſed תעטרנו taeterenu, coronabis eum, vt referatur ad iuſtum. Eſt item futurum, quaſi deprecatio, non præteritum. Hieronymus quoque coronabis eum. Pſalmus, vt docuimus, omnibus aſſentientibus, eſt oratio pro ſalute piorum, verum Deum, eo tempore colentium, contra vaniſſimas illius ſæculi religiones.

Scutũ bonæ voluntatis. Razon.

TITVLVS,

TITVLVS, SIVE INSCRIPTIO PSALMI SEXTI.

In finem Pſalmus Dauid pro octaua.

Lamnazeach.

In finem.

SAEPENVMERO declaratum, quid ſit quod Septua. interpretes transferre ſolent, εἰς τὸ τέλος, in finem, pro Hebraico lamnazeach. Ob vocem amphibolam nazach, quã illi putantes æternitatem deſignare, transferunt in finem, nempe in æternum. Sed verius ſonat, aut ad canendum, aut vincentem: Vincentem, vel in cantu, vel victorijs. Id ſciens Nicolaus ab Hebræis, refert in finem intelligendum vltimum de potentia in conatu cantorum. Videlicet ad canendum vehementer, toto pectore, & quaſi ſtentoreis vocibus alacriter, vt alio in pſalmo. Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? Vt uult diligi toto corde, ſic toto pectore canebatur, efferebatur à prophetis. Hoc deſignatur voce lamnazeach. Quod autem ſequitur, Pro octaua, clarius Hebraicè על השמינית al hasheminith, ſuper octaua, ſuper octichordio. Canitur ait is pſalmus, cũ octichordio, quemadmodum cæteri pſalmi, cum decachordo. In Italia viget Heptachordum. Dixi præfigi pſalmis inſtrumentorum Muſicorum nomina, velut apud Comicos noſtros in principijs Comœdiarum. Tibijs paribus, vel imparibus. Ecce igitur quæ præfigi ſolent pſalmis. Quoniam Pſalmus quoque carmen eſt, pertinet ad muſicam, vocibus humanis, concentuque inſtrumentorum conſtantem. Humana vox deſignatur nomine lamnazeach, lyrica cum nominatur octochordum, decachordum: Cithara, pſalterium. Hoc igitur rectius eſt de octaua, Hebræis, & Nicolao conſentientibus, quàm quædam apud Græcos, Latinoſque, quibus octauę ſignificatus ignotus fuiſſe videtur. Argumentum Pſalmi. Plures ferunt orationem eſſe, furorem Dei placari poſtulantem, cùm Dauid populum iactanter, glorioſe numerari, cenſumque haberi iuſſiſſet, non oblato munere Deo, qui pręciperetur in eiuſmodi cenſibus offerri. In Exodi his verbis: Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis domino, & non erit plaga in eis cùm fuerint recenſiti. Hoc eo tempore ſeruatum non fuiſſe, fieri quidem poteſt. Videtur probabilius ad vniuerſas vexationes, quas iratus ſceleribus humanis Deus importet, referri nullo in particulari, conſiderato. Erat prophetis exploratum, ad omne temporis momentum mortalem peccare poſſe, medicinam delictorum eſſe quotidianam, indeficientemq; deprecationem, vt cùm Moſes ſupplex manus in cælum tenderet, victore populo, cùm remitteret, terga dante, hoſtibus inſequentibus. Pro quotidianis igitur delictis, ob quæ creſceret animus, vireſque hoſtibus idololatris, deprecatio eſt. Erat enim tunc ſupplicium ſcelerum, quòd præſidio Dei deſtituti, inſultibus inimicorum, omnibus calamitatibus patebant. Oblitteratis autem per orationem peccatis, hoſtes debilitabantur, minuebantur audaciæ, bellum aduerſus amicos Dei infeliciter gerebant. Carmen igitur oratio eſt iræ Dei placandæ. Hanc multo cum animi affectu profudit, omnes preces adhibet. Et in principio dixit, ad canendum vehementer. Demum cùm valuiſſe preces, cùm ſe diuinis auribus contemptui non fuiſſe ſenſiſſet, inimicis inſultat, minatur interitum. Eorum ſtragem vaticinatur, fugam parare, quantaque in pedibus celeritas ſit, terga vertere iubet.

PSALMI VI. EXPLANATIO.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:

ANIMADVERSA ſæpius, oſtenſaq; ſermonis Hebraici his in carminibus ſacris conſuetudo: repetunt, inculcant, exaggerant, eandem ſententiam verbis diuerſis, aut ingentes animi motus innuentes, aut omnibus precibus à Deo, vel gratiam, vel delictorum veniam petentes, vt nunc, Ne in furore, ne in ira, ne arguas, ne corripias. Pòſt, Miſerere mei, Sana animam meam. Quocirca cùm prima pars obſcura fuerit, recurrendum erit ad ſecundam. Sic poſterioris declaratione, prioris obſcuritas tolletur. Furorem Deo ſacræ litteræ, quas etiam priſci Poetæ ſequuntur, tribuunt: non vt Stoicorum ſaxea dogmata, nec hominem ſapientem, nec Deum iraſcj poſſe contendentia, ſuis affectibus hominem nudatum, ſaxum, ſtipitem conſtituentia. Deus igitur iraſcitur, ſed non accenſione ſanguinis, non conmotione animi, non oculis ſuffuſis ſanguine, vultuſq; pallore. Nam ne Stoicis quidem melioribus fuit obſcurum, quemadmodum Deus iraſci, non commotus vt mortalis, poſſet. Omnes enim ſeueritatis actus, poteſt edere mens ſedata, placida, quos ab irata poſtulares. Res peteret, vt magno quo ſcelere perpetrato, Deus (de quo doctiſſimus Philo ἡ πάρεδρος θεῷ μισοπόνηρος δίκη, cui comes ambulat iuſtitia, flagitiis inimica) iratus ſceleratum raperet ad ſupplicium. Hoc faciet, non quidem iratus, non perturbatus, ſed placidus, eodem ſtatu, habituque, & vultu, quo cęlum, tempeſtateſque ſerenat, ſui ſimilis ſemper.

Stoicorũ Apatheia.
De ira Dei.

A Sed quia ira nobis domeſtica, qua brutis comparamur, nec ſumimus pęnas, niſi irati, furore perciti, quoties Deum pęnas criminibus inferre cernimus, non ſine magno furore, fieri putemus. At ſi mentem rari alicuius, multumq́ue Deo ſimilis ſapientis meliores Stoici viderunt, aſſeruerunt q́ue placidam, tranquillam, ſine nubilo caſtigare poſſe delinquentes, certè poteſt, & debet id longè facilius cogitari de Deo. Ex pęnis igitur, irarumq; euentu, iudicarunt mortales Deum iraſci. Ira igitur Dei, (vt magna ex paruis intelligas) eſt, qualis ferunt iram eſſe ſapientis, qui eadem alacritate, conſtantia, tranquilitate, nihil immane furore admiſcente, vel graues pęnas ſumat, atque cęlum, ſidera, terras contempletur, placidus vbique. Seueritasq; melior, cui minus iracundiæ admiſcetur: Iuſtitiæ curſum, recta ratione peragere, nulla comite iracundia. Hęc iræ diuinæ toties in ſacris litteris proteſtatio, declarat, non quemadmodum Epicurei, multiq; alii paris amentiæ, Deum oſcitantem, otioſum, nec habere, nec faceſſere cuiquam negotium: imò teſtantur eum iraſci, commoueri, indignari ad peccata, ſed propter humanitatem, clementiam, tandem ad vindictam procedere: negligentiam, quod erat humanitatis, illi putauerunt. Diuiſa eſt prouidentia Dei: partim plectit, ſeuera, grauis, indignans contra delinquentes, eos ad pęnas niſi pęnituerint, expectans, magnis oculis omnia colluſtrans: Partim remuneratur, vel continuò pios afficiens beneficiis, vel præmia ingentia parans, peruigil vbique. Hoc indefeſſe ſacræ litteræ recinunt, hoc vbique perſonant. Nec iuſtos iacere męſtos, ſine ſpe pæmiorum, nec iniuſtos alacres eſſe, ob impunitatem deceptos, ſinentes. Qui putant vltra męnia mundi ſepoſitum res humanas negligentem, otioſè ſuis opibus fruentem agere, audiant eas vbique delictis, iraſci Deum canentes. Quod ergo ait, Ne arguas me. Hebraicum non verborum eſt, ſed operationis, Ne flagelles, ne punias, rapias ad ſupplicium. Hæc ſupplicia pęnæq́ue non manibus, B inflictæ, velut humanæ, ſed conuocatis elementis ad perniciem populorum, dempta fęcunditas agris, miſſa cęlitus nimborum tempeſtas, omnia latè diluuio immani corrumpens, locis calidioribus ſquallor, ſitis agrorum, flumina, lacus exhauſti, cunctis autem terris, ſiue ad plagam Solis adiacentibus, ſiue remotis contagio cæli, mortalium ſtrages, ſedibus excitæ gentes infeſtis armis irruentes. Sunt quoque priuatæ pœnæ, nullis nominibus ſubiacentes: Nec ſi lingua ferrea ſit, Ne arguas.

Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.

Pœnarum igitur genera, vel vniuerſalia, vel particularia, vel oculis omnium manifeſta, probata, teſtata, vel occulta, ſolis qui patiuntur, ſi ſapiant, cognita: Viris ſanctitate, ſapientiaq́ue inſignibus indignatio Dei manifeſtior, aut oraculis, muniiſq́ue cælitus miſſis, aut ſolertia, iudicio, (Prudentiſſima enim ſeq́ue ipſam noſcens vera ſanctitas Non agitur pecudum more, rerumq́ue ignoratione decipitur) Hiq́ue maximè Deum iraſci noſcentes, & timentes, accurrunt ad preces. Cæteri ſe ipſos neſcientes, qua peccant imperitia, peccatis remedia poſcere negligunt, ſimili, qua vixiſſent ſtultitia pereuntes. Dixit ergo, Ne quæſo cum furore, cum iracundia, caſtiges, ad pęnam voces, ſed placidus eſto, mitis, ignoſcens. Ne ſis iratus, cuius eſt ira formidabilis, horribilis, extimeſcenda, nota nimis miſeris. Quas præparaſti pęnas auerte, decreta tua refringe, Condona nobis has culpas, exorabilis eſto. Subiicit ſimile, nullis non precibus adhibitis. Neque in ira tua corripias me. Eſt Corripere verborum quoq;, viciſſim verbis flagellandi, tum ad verba, tum ad facta relatis, vt Latinis caſtigare dictis: ſed & factis apud Poetam: Corripias.

C *Caſtigatq́ue, auditq́ue dolos, ſubigitq́ue fateri.*

Corripere, verborum non eſſe apud probatos, arbitror, magis corrigere. Corripere, vehementer rapere, recteq́ue ad ſupplicia, pęnaſq́ue refertur, ad quas velut rei trahimur à Nemeſi. Quę ſi corriperet irata, quoniam mentem maximam par ira, ſcelerumq́ue odium, poteſtaſq́ue item ſequeretur, quas ederet ruinas? Sed iram minuit ſumma bonitas prodeſſe vehementiſſimè cupiens, non nocere: vitæ, non mortis, cupidiſſima.

Miſere mei domine, quoniam infirmus ſum: ſana me domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

PErſtat immobilis, fixuſq; precando. Obſecrat, orat, obteſtatur, preces deſcendit in omnes. Quod prenſa dextera, genibuſq́ue aduolutus, vt mortales ſolent, non poteſt, pergit animo, preces omnes effundens, ſeq́ue ipſum totum in orando colligens. Ante oculos magnitudinem diuinæ indignationis obuerſans, preces addiderat: nunc velut ira ſedata, qua non ſint marini fluctus magis horrendi, miſericordiam, ſeu beneficium petit. Verbum miſerendi Hebræis dicitur, à viſceribus רחמים rachamaim, quædam quaſi viſcerum conuulſio, motus interior præcordiorum. Hinc commotis, coactiſq́ue viſceribus, aut illacrymamur, aut vox faucibus hæſit, obſtruſis dolore meatibus. Hunc motum ingenerat dolor ex alterius calamitate ſuſceptus. Qui non dolet, non commouetur, lętatur potius. Latini verbum miſerendi, videntur à Gręcis accepiſſe. μισέω, odiſſe. & μύσαρος, odibilis, quaſi qui miſerentur, dolorē eius, calamitatemq́ue odio habeant, cuius miſerentur. Poſtulat igitur hoc in mente diuina, ſuarum pœnarum odium, vt Deus precibus eius placatus, odio pœnas, ſuppliciaq́ue habeat, quæ lætus Miſerere.

propter

D

Infirmus ſum.

propter iuſtitiam deſtinaſſet. Itaque miſericordiæ poſtulatio eſt eadem, vt ne corripiat, ne arguat in furore. Quod autem cauſam affert, Quoniam infirmus ſum: eſt velut alio in pſalmo, Qui ſanat omnes infirmitates tuas. Vt igitur Græci, Latiniq́ue eiſdem nominibus appellãt morbos animi, atq; corporis, ipſumq́ue nomen ægritudo de animo maximè eſt, Græcè πάθη, quos morbos Latinè dicunt, ſic Hebraicus is ſermo vocat infirmitates, animi dolores, cruciatus, perturbationes. Ergo, Infirmus ſum, eſt, plenus ſum doloribus, crucior, vexor, maxima inſedit animum ægritudo. Hanc ægritudinem tolle, tenebras has, clementiæ tuæ luce repelle. Inſtat pœnarum metus ob conſcientiam delictorum. Hunc tu diſcute, da ſigna cœlitus, quibus agnoſcam iracundiam tuam ſedatam. Tunc animum relinquet ægritudo, tunc metus, quo nunc genua labant, ſoluuntur frigore membra, faceſſet, mens velut nubilis, opaca ſerenabitur, omniſq́ue hæc pectoris atque animi perturbatio componetur. Omnibus autem verſibus eadem res aliis nominibus iteratur. Quid ſit Miſerere mei, diſce ex ſequente, Sana me. Quid, Infirmus ſum? Nempe,

Conturb. ſunt oſſa mea.

turbata ſunt oſſa mea. Oſſium autem conturbatio, aut ipſa quoque quemadmodum nomen infirmitatis, ac ſanationis, transfertur à corpore ad animum, deſignans maximum animi cruciatum: aut reuera, quoniam animi commotio, metus, formido, totam corporis compagem commouet, ipſam formidinem pœnarum, qui ſe Dei beneuolentia deſtitutum ſuſpicatur, deſignat, vt apud vatem, Soluuntur frigore membra. Et Homerus,

Καὶ τότ' ὀδυσῆος λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ.
Soluuntur genua, pectusq́ue tremiſcit Vlyſſi.

E

In his litteris, Fluet ſicut aqua cor eorum, quàm nos ſermone noſtro, animi commotionem diceremus, & quod genua labant, apud Græcum Poetam, Cor metu reſolui: hanc Hebraicus ſermo dicet oſſium conturbationem, nempe dolores intimos, alto ſub pectore vulnus. Per hyperbolen concuſſis, commotis oſſibus, quibus nihil in corpore ſolidius, maximos cruciatus, quos ex metu pœnarum, aut quia gratiæ diuinæ dulcedinem abſceſſiſſe cerneret, oſtendens. Referri per metaphoram ex corporeis res animi, declarat quod ſequitur.

Et anima mea turbata eſt valde: Sed tu domine vſquequo?

Turbari. Metus q̃d?

Deſcriprio turbati & irati maris. Animi.

ANimam ſuam ſeipſum vocat. Turbari animam valde, quale, illud Homeri ſuperius καὶ φίλον ἦτορ, Eſt enim anima, quod ille dixit ἦτορ. Metus autem eſt animi motus amarus, acerbus, vehemens, exagitans animum, permeans ad corpus. Hæc agitatio vocatur perturbatio. Eſt perturbatio contraria tranquillitati, cùm ſtatus animi verus mouetur, grauitatis ſuæ ſedibus excitus, circunfertur, vt cum mare tranquillum ventorum furijs irruentibus, incipit attolli, paulatimq; fluctus molibus altis aſſurgunt. Tunc omnia ſurſum, fiunt deorſum, ſuperis miſcentur ima. Simile quid facit animus, ſiue percitus ira, ſiue formidine diffugiens, iterumq́ue recurrens. Dicitur autem turbatio à turba, quod Græcum eſt τύρβη, turbatio quale turba facit, atque ignobile vulgus, cùm faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat, ſæuitq́ue animis inſana multitudo, propellunt inuicem ſeſe, miſcentur & omnes. Hoc Vates orationem varians exaggeransq; indicat, Infirmus ſum, Turbata ſunt oſſa, turbata eſt anima. Quod

Vſquequo?

F

autem ſubijcit, Sed tu domine vſquequo? eſt ἀποσιώπησις, cùm ſupprimimus aliquid dolore, aut indignatione, voce interciſa: vt apud Profanum Poetam:

Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus. Et,
Incipit effari, mediaq́ue in voce reſiſtit. Et Terentius:
Quem quidem ego ſi ſenſero.

Ergo nunc ait, Quouſq; tua procedet indignatio? Quandiu furor iſte tuus in me ſæuiet? Quem ad finem, pęnarum metu vexabor, conflictabor? Sit tandem finis aliquis impendentium malorum. Hanc ſuam quam impedita voce poſtulationem ediderat, explicat apertè.

Conuertere domine, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Conuertere.

Pęnitẽtia

Eripe animã meã. Anima.

COnuertere Hebraicè eſt, quòd Græcè μετανοεῖν, pęnitere, mutare ſententiã. Et iſtam, Oro ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem, Exuere priorem mentem, fertur animus, ira longius, velut equus laxatis habenis, & velut ignis accenſus, flammarum longos corripit tractus. Ab hoc affectu pęnitentia vocatur Hebraicè reuerſio, conuerſio. Cùm redditus tranquillitati, in ſuas ſedes animus reuertitur: cum ſeſe ad lenitatem dedit: cùm fluctus tumidi, aſſurgenteſq́ue poſuerunt. Propterea ſubijcit: Et eripe animam meam. Hæc illa conuerſio, is reditus ad manſuetudinem, lenitatem, vt quem prius furore prouectus, grauiter afficere decreuiſſet, placatus, ab hac atroci ſententia abſoluat. Eripere animam ſuam, Hebraicè, vt ſuperius monſtratum eſt, eripere illum met. Eſt anima, ſingulus quiſque, perſona ipſa. Eripe animam meam, me ipſum libera: vt ponere animam ſuam pro amico ſuo, ſemet pro amico in diſcrimen offerre. Ab hac locutione Latini plerunque non abhorrent.

Nos animæ viles, infleta, inhumataque turba
A *Sternamur campis.*

Sal. me fac

Exaggerat more ſuo, preces eaſdem, per omnes ſupplicationes, animum verſans. Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Hoc erat eripere animam ſuam. Orat ergo velut ille, Eripe me his inuicte malis. A præſenti periculo vel morbi, vel calamitatum ceruicibus meis te irato imminẽtium. Quod dixit, propter miſericordiã tuam: vel Hebræis teſtibus, eſt nõ ob mea benefacta, quæ nulla ſunt, non probitatem, non iuſtitiam, ſed clementiam, bonitatem tuam, qua diceris humaniſſimus, natura clementiſſimus, non malorum, ſed bonorum cupidiſſimus. Hæc vna mihi ferat opẽ Hæc apud te pro me plurimum valeat. Quod Septua. tranſtulerunt miſericordiam, Hebraicum חסדך chaſdeca, eſt beneficentia, clementia, ſanctitas, bonitas. Hinc Chaldæus, quem iure multi ſermonis Hebraici vocant paraphraſten, pro hoc Hebraico, poſuit טובך tubac, bonitatem. Ergo clarè dicetur: Saluum me fac, ex bonitate tua, ex illa naturæ tuæ ſingulari proprietate, qua vocaris in omni philoſophia τὸ ἀγαθὸν, ipſa bonitas, idea, natura, fons bonitatis.

Propter miſer. tuã.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

Infernus.

QVod noſter interpres dixit, Infernum, Græcè ἄδης, Hebraicum שאול sheol, tum infernum ſonat, terrarum profundiſſimos à luce receſſus.

-Tantum tenditque ſub auras
B *Quantus ad æthereum cæli ſuſpectus Olympum.*

Confiteri.

Tum foſſam, ſepulchrum. Pro hoc poſtremo nunc. Confiteri clarius vertetur Hebraicum הדה ho a, alio Græco, quod ab Hebræis, Græci mutuarunt ᾠδά. Legemuſq; verſum, In ſepulchro autem quis concinet, laudabit te? Quis celebrabit te? Innuitq; quod à philoſophis ſummo conſenſu confirmatur, factos homines à Deo, in theatrumque mundi introductos, vt admirarentur opera diuina eius, admirantes obſtupeſcerent, lætitiaque animi, laudibus diuinis, ora complerentur. Hoc oportere facere viuentes: hoc officium, munuſque vitæ: non poſſe defunctos, ex hoc ſpectatiſſimo theatro deductos. Ergo non poteſt te celebrare, qui iam de vita receſſit. Sciendum non eum nunc ad animorum immortalitatem reſpicere (neque enim priſca Hebræorum religio de futura vita admodum loquitur) ſed omnis ferè ſermo eſt de præſenti, ad hanc omnia bona, malaq; referebant. Reuelatio cæleſtium bonorum, in tempora Meſſiæ reijciebatur, non Moſis, non prophetarum natorum in terris, ſed eius qui ab altiſſima patris aula profectus, res arcanas apportaret in terras, id munus. Verus igitur nunc ſenſus eſt de inferno, omnis corporei ſenſus, totiuſque corporeæ vitæ priuationem, non tartarum, non gehennam deſignari: vitam cæleſtem, neque negant, neque confitentur. Si, inquit, mihi valetudinem priſtinam reddideris, aut ſi me grauiũ malorum, quæ ſuper nos aduentare cerno, metu liberaueris, tunc omnes habebo gratias, tunc in omnes laudes tuas ora reſoluam. Omnes audient me clementiã tuam efferentem. Sentẽtia tua damnatus, & ex hac iucunda luce ſublatus, amplius hoc agere non potero. Similia ſolet alijs pſalmis loqui, vt, Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Et Ezekiel, Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Quia inquiunt Hebręi conſentientes ſuper hac inferC ni, quam poſuimus, interpretatione, diſcedens anima à corpore, auolat ipſa, corpus deſcendit ad Sheol, ad ſepulchrum, foſſam, iuſtos optaſſe vitam, vt dum viuerent, agnoſcerent, faterentur Deum ſummum, vt animus maioribus pręmiis afficeretur in cælo.

Homines cur facti ſint.

Ioan. 4.

Iuſti, cur optent viuere.

Laboraui in gemitu: lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

HYperbolicè, & per exaggerationem, bis lacrymas commemorans. Tantas autem lacrymas, vt lectus flueret. Similis hyperbole noſtris poetis vſurpatur.

Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

Laboraui in gemitu.

Laborem quo ſe gemere dixit, aſſiduum, perennemq; ſentiens, vt gemendo fatigaretur, ſemper illud, quod ille.

Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo.

Per ſingulas noctes.

Hyperbolicῶs igitur dictum, quòd feſſus ſit gemendo, quod lacrymis velut flumine lectum allueret: exprimens, quantas preces adhiberet, quibus animi motibus quateretur, metu malorum quam cuperet liberari:

Tantos ille ſuo rumpebat pectore queſtus.

Virgil. 4. Aeneid.

Cur autem in nocte? placet Hebræis, quod noctu grauius ægri, aut qui timent, ſolicitentur, quod ſoli, iacentes, triſtibus cogitationibus morbo, vel metu ſuſcitatis, agitetur: velut illa:

Nec pectore noctem
Accipit: ingeminant curæ.

Græcis quòd magnitudine doloris,lacrymarum flumine,penituſque intenſa pœnitentia, ſcelus cuperet aboleri. Alludit verò primùm: D

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter inimicos meos.

Furore.

REcte monet Nicolaus pro θυμὸς, furore,Hebraicum כעס caas, tametſi ſonat furorē, indignationem,Hierony.melius dixiſſe,amaritudinem.Ob amaritudinem,animiq; acerbitatem,ſe turbari.Si quis altius conſideret,idem eſt Græcum,atque Hebraicum.Furor eſt indignatio,eſt acerbitas animi,amaritudo. Hinc à felle amaro fieri in animantibus indignationē. Hinc iracundi Græcè dicūtur πικροὶ, acerbi,amari.Ergo,turbatus eſt à furore,ab indignatione.acerbit & quod dixerunt ἐταράχθη, turbatus eſt,Hebraicū עששה aſeſa,verbum hoc fertur ab Hebræis,deſcendere ab עש as,tinea,vt deſignet corrodere,depaſcere:ſenſusq; erit: Corroſus, exhauſtusque eſt oculus meus ob amaritudinem,acerbitatem,dolorem.Hierony.dixit caligauit, quod & Chaldæo placuit,pro Hebraico ponens חשכה chashechat, obtenebratus eſt,obfuſcatus. Clarius eſt igitur Hebrai.& Chaldaicum, quod à Hierony. quoque poſitum eſt. Exeſus eſt, ait, oculus meus flendo,indignando.Cauſam ſubijcit ipſe,ſubijciunt ſimul Hebręi,propter inimicos calamitatibus exultantes,ſuper ægritudine mea triumphantes. Hoc cernens oculus meus, indignatur,abſumitur,humor omnis ille defluit in lacrymas. Dolor enim intenditur,cum videmus. alios noſtrorum malorum ſpectaculo delectari:minuitur autem, ſi quis dolore ſuo, detrahit ex noſtro. Hoc quoque dixit hyperbolicῶs poeticè,vt illud noſtri.

Turbatus eſt.

Int.inimicos meos.

Et fluctu ſidera lambit.

Et cælum territat armis.

Act. 2.c.
Inueteraui

Sic nunc,Fluit lectus lacrymis,oculi exhauſti,depaſti flendo, flumen lacrymarum demittendo, vel iuxta Hierony,Oborta oculis caligo, tanta eſt indignatio, dolor animi, triſtitiaque,tenebræ ſunt omnia circum.Eripit enim proſpectum,indignatio.Declaratur ex ſequēti, Inueteraui inter inimicos meos.Hoc erat oculus exhauſtus,corroſus,exeſus lacrymando. Eo vſque conſumptus eſt oculus meus,ait,eouſque dolor peruaſit intimè,diuq; inſedit,vt iam ſenuerim. Animus enim lætus (ait Salomon) ætatem facit:Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Oſſibus exhauſtis, pellis corrugatur,ſenectutis indicium. Accedebat dolori,quòd inimici lætabantur, cuius miſereri debuiſſent, ex illius ſuppliciis voluptatem capientes. Vt enim dulce fuit inimicos vlciſci,eoſque dolentes vidiſſe:ita grauis dolor, eos in malis tuis videre triumphātes. Eſt autem Hebraica lectio per tertiā perſonam עתקה atheca,inueterauit,referturque ad oculum. Sciendum quoque idem verbum interdum ſignificare motum,tralationem,luxationem,vt dici poſſit,Oculus meus lacrymando,indignando motus eſt,è loco exilijt.quod Sept.ſecuti ſunt,id enim eſt, Turbatus eſt. Non video cur diuus Hierony.transferat,conſumptus ſum,ab vniuerſis hoſtibus meis. At nec perſona prima eſt, & verbum ſonat ſeneſcere, vel transferre, quod oculo congruit. Niſi fortè Græcum ſit ſecutus ἐπαλαιώθη, inueteraui, quod antiquari, conſumi deſignet. Græci dant alium ſenſum,indignationem,furoremque non ipſius Dauid, ſed Dei,oculum eſſe mentem,quæ contemplans iram Dei,turbetur inimicos, Satan. At primum melius.Hæc omnia dicuntur poeticè,hyperbolicè, vt & dolor magis oſtendatur, & deprecatio grauior, vehementior appareat, malis, quorum medicina quæritur,exaggeratis,expoſitis,explicatis. E

At, vindicta, bonū, vita iucundius ipſa.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. F

REdditus ſanitati,vel metu pulſo,atque beneficio Dei immortalis,expiato incommodo neq; hoſtibus diutina lętitia,neq; ipſi longiore dolore relicto,in ipſos hoſtes inclamat,diſcedant,terga vertant,lętitiā,qua ſuper eius calamitatibus triūphabant, non fuiſſe diuturnam.Tantum doloris ex commutatione fortunę ſuperueniſſe,quantopere prius lętabantur. Operatores iniquitatis, eoſdem quos prius inimicos ſuos appellat, iniquitati ſtudebant. quoniā dum peccatum,ſceluſq; Regis,& populi expiaretur, bellum impiū indixerant, multa ſecunda prēlia fecerant,multa trophēa erexerant:Opes eorum diripuerant,ciuibus vrbes viduatas cōcremauerant:choros,ob partas victorias duxerant,ſed hęc eorū lætitia non fuit diutina. Nam precibus Regis,quas multis cum lacrymis fudit,exauditis,vires additæ ſuis,hoſtibus pauor tantus iniectus,vt præcipiti fuga,ſigna relinquerēt,fuſiq; in omnes partes diſſiparētur.Opponit igitur ſuperiori dolori præſentem lætitiam. Lætabātur hoſtes eo luente pænas,& aut grauiter ægrotāte,aut aduerſa prælia faciente, multaſuè calamitates perferente. Nunc impetrata venia, peccatis cōdonatis,cæleſti luce redeunte,exultat,proſpicit,vaticinatur hoſtes perituros. In quos tanto odio inuehitur,vt eos ſceleratos,nefarios,crudeles appellet,flagitijs innatos,quę per omnem vitam exerceāt. Neq; enim ſuper eius incōmodis exultaſſent,aut bellum indixiſſent,niſi toto genere vitæ, ſtudiis, religione (nam illi ſimulacra colebant) ab eo diſſenſiſſent. Iure igitur eos iniquos,ſceleratos appellat. Rectè Græci,vitam aiūt noſtram inimicorum plenam, quibus maiores vires accedunt,cùm peccatis obligamur. Preces igitur lachrymaſque ſuas canit exauditas.

Operatores iniquitatis.

Piorū vita plena inimicis.

A

Exaudiuit Dominus deprecationem meam Dominus, orationem meam ſuſcepit.

ITeratio,exaggeratio, more pſalmorum , multorum nominum,ad eandem ſententiam exprimendã comprehenſio . Vox fletus, vox flebilis:deprecatio,oratio. Tum,exaudiuit,ſuſcepit. Suſceptam orationem,aut exauditam,aut vice ſacrificij oblatam,gratam , acceptamque ſuiſſe.Flens ſeſe ad pedes proiecit.Increpat igitur,inuolat in hoſtes,exultat,triumphat,lætitiam recipit,pauor omnis,dolorque abſceſſit. Confirmatus animus diuinis reſponſis , ne quid ſibi grauius accidere dubitaret,promiſſa victoria.

Erubeſcant , & conturbentur omnes inimici mei: & erubeſcant valde velociter.

Erubeſcere.

HEbraicæ per futurum, Erubeſcent, conturbabuntur , conuertentur . Erubeſcere dedecus , ignominiam , cædem , fugam , pauorem deſignat, contumeliam accipiendam in prælio .

Et turpi formidine capti
Scandunt rurſus equum , & nota conduntur in aluo.

Conuerti.

Conuertentur quoque Latinè,Græceq; dicitur de fugatis,profligatis hoſtibus: Conuertentur,in fugam vertentur: Conuerſis ſignis auertentur.Hæc omnia magis mihi placet ad bella , genteſq; alias Hebræis inimicas referantur , quàm morbos, quibus liberatus exultet , inimicoſque ſuos, hoc nuntio accepto, dolorem accepturos vaticinetur . Similes enim ſunt ſuperioribus Pſalmis B locutiones,contra ſuos aduerſarios,Domine quid multiplicati ſunt,qui tribulant me? Voce mea ad Dominum clamaui,& exaudiuit me de monte ſancto ſuo . Tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi,dentes peccatorum contriuiſti. Peccatores appellat, quos hoc Pſalmo operantes iniquitatem . Et dentes eorum contritos , quod hic , in fugam turpiſſimè vertendos . Et Pſalmus inſcribitur ad canendum pro victotia , ἐπινίκιον , victoriale carmen , *lætum pæana canentes, omnibus in templis matrum chorus , lætitiæ,ludiſque viæ , plauſuque fremebant .* Et Moſes ſuperatis hoſtibus , victoriale carmen canens , Cantemus Domino:glorioſè enim egit , equum , & aſcenſorem proiecit in mare. Similis eſt hoc Pſalmo cantus,Pro victoria,& quòd facta rerum commutatione,qui prius volente Deo propter eorum flagitia profligabantur , hoſtibus inſultantibus , nunc verſis fatis eos cædunt, agunt, miſcent, inſequuntur. Et hoc carmen eſt triumphale.

Epinició.

INSCRIPTIO PSALMI VII.

Pſalmus Dauid , quem cantauit Domino , pro verbis Cuſi , filij Iemini .

Palmus. Siggaion. aba.3.a.

QVod Sept.tranſtulerunt,Pſalmum,Hebraicè eſt שגיון shigaion:Huius vocis ſunt duę ſententiæ,vt ſit inſtrumentum muſicum. Quod Hebræus Chimchi probat teſtimonio ex oratione Abacuc, qua dicitur in principio , על שגינות al sheghionoth , quod Hierony.iuxta aliam ſententiam tranſtulit pro ignorantiis.Omnibus igitur Hebręis, C ſimul, & Chaldæo placuit is ſignificatus , vt ſonet Muſam , ſiue carmen , inſtrumentumque quo canuntur laudes. Eodem autem ſæpe nomine vocatur , carmen , atque ipſum inſtrumentum, quo canitur. In principiis quoque Pſalmorum adhibetur , quibus inſtrumentis, quo genere carminis canerentur. Hæc ſententia probatior omnibus . Nam Chaldæus pro voce Hebraica shigaion, poſuit clariorem, תורגמנא דאודיתא turgmena deodeta, interpretatio confeſſionis Dauid . Nimirum clara confeſſio, concentus hilaris, iubilatio, pæaniſmus , lætiſſima exclamatio.Is eſt verior ſignificatus.Nam eſt ſecunda ſententia,vt shigaion ſit ignorantia,vt ſæpe vox ſonat, & Hieroymus tranſtulit. Multaque ſuper hac ignorantia loquuntur. Mihi primum omnino probabilius. Miror Nicolaum,qui ferat Hieronymum in ſuo ex Hebraica veritate pſalterio tranſtuliſſe, Ignorantia Dauid. Hoc non eſt in eius tralatione, ſed in oratione Abacuc . Reliqua pars inſcriptionis ſuper verbis Cus, filij Iemini, dubia & ipſa eſt,quis ſit Cus. Hebræi partim aſſentiuntur, & Chaldæus hunc eſſe Saul, appellatum nunc figuratè Cus, nempe Aethiopem, nimirum immutabilis odij contra Dauid, contra quem ſæpe verba feciſſet,exercitu ſuo præſente de morte eius ſententiam tuliſſet . Videtur probabilius , minuſque affectatum , vt ſit quod proponitur à Græcis, itemque Hebræis nonnullis, atque Latinis. Eſt enim clara hiſtoria. Cùm patricidam ſceleratum Abſolonem fugeret Dauid , miſit fidiſſimum amicum Chuſi , vt conſilia Achitophel cognoſceret,& contraria conſulendo reſcinderet. Itaque ſecus quàm ille conſuluit Abſoloni ne patrem ſubito perſequeretur, antequam vniuerſum populum cogeret . Hoc probato, impetuque perſequentium retardato , Dauid, fugiendi tempore dato , ſeruatus eſt : Orat igitur , vt conſilium Chuſi , quem miſerat conſilijs Achitophel contradicturum (Erat autem de tribu Beniamin iſque eſt filius Iemini) probabilius hoſtibus videatur . Salutem ſuam Deo ſummo commendat , ſimul aduerſus inimicos preces effundens .

Pro verbis Cuſi. Cus.

2.Re.15.d 16.c.

PSALMI VII. EXPLANATIO. D

DOmine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac, ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Spes.

SAepe ſacris in litteris ea theologia, quam pauci philoſophorum notam habuerunt, perſonat, qua ſpes mortalium Deus prædicatur, in quem ſpes omnis noſtra recumbat. Locuti quidem illi ſunt de ſpe præmiorum quorundam magnorum, ut Plato de eo qui iuſtè vixiſſet, καλὸν ἆθλον, καὶ ἀγαθὴ ἐλπίς. Et Pindarus de eodem in ſenecta, præmium pulcherrimum, ſpes ingens. Simplicius item ex maioribus finem, fructuſque naturalis philoſophiæ, admirationem Dei ſpemque magnorum bonorum. De ſpe quotidiana non multa loquuntur. Omnes igitur errores, quibus olim gentes decipiebantur, aut decipi potuiſſent, ſacræ litteræ refellunt. Prouidentiam duæ res vbique comprobant, ira Dei, ſpes hominum. Ira probat eum ſcelera mortalium, ſpes, benefacta cernere. Sperent enim mortales certiſſimè perſuadentes ſibi, ſpes ſuas illi notas, exploratasque eſſe. Sperāt item non omne tempus peccantes, ſed rectè facientes. Quocirca credunt eum res æquas cernere, & propter ingentem animi ſui bonitatem, amplecti. Crebro igitur in hac cæleſti philoſophia, ſpes nominatur, magnum in omnibus calamitatibus perfugium, vt quem ſcimus autorem corporis, atque animi fuiſſe, bonaque omnia ab eo nos accepiſſe, eundem noſcamus velle, & poſſe nos ex omni calamitate, & periculo ſubtrahere. Spes, eſt rerum futurarum bonarum expectatio, vt metus expectatio malorum. Quàm metus triſtis, animumque perturbans, tam dulcis ſpes, ſerenans, exhilarans. Similis inter hos affectus animus, cęlo, cùm latè nubibus nigreſcit, cùm ſerenitate renidet. Cum igitur, inquit, omnis meæ ſalutis ſpes ex te pendeat, affer hanc ſalutem, quam mihi, qui me perſequuntur, cupiunt auferre. E

Ira Dei. Spes hominem.

Spes. Metus.

Ne quando rapiat, vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neç qui ſaluum faciat.

Anima. Ne quādo. Lupi. Leones.

ANimam ſuam, vt ſolet vbique, ſeipſum vocat, perſonam, vitam ſuam, Hebraicus loquendi ritus. Quod Græcè dicitur μήποτε, Latiniſque, Ne quando, Hebraicum פן pen, clarius dicas, ne forte. Crudelitas hoſtium, leonum, luporum feritati, Comparatur etiam à Poetis noſtris, *inde lupi ceu raptores, atra in nebula, quos improba ventris, Exegit cæcos rabies*. Leones magis Poetæ ſacri, quòd in Iudæa paſſim reperiuntur, vt in Europa lupi. Inimicum igitur leonem vocat, qui laceret corpus, ac diſcerpat, bona diripiat, vitamque cum imperio crudeliter auferat. Quod dixit, Dum non eſt qui redimat, Græcè μὴ ὄντος λυτρουμένου, nemine præſente, qui liberet. Paulo ſecus Hebraicè, Ne forte rapiat, ſicut leo, animam meam פרק poreth, diſcerpens, referturque ad leonem, qui dilaceret, diſcerpat, non eum qui liberet. Nemine igitur præter Deum, ſibi auxilium ferente, rebus omnibus eum deficientibus, quid ſupereſt aliud quàm tutiſſimum portum requirere? Sic olim Romani delubra Deorum periculis impendentibus adibant, excubabant,

Dum non eſt, quired.

Pauper.

Et ad templum non æquæ Palladis ibant,
Crinibus Iliades paſſis, peplumque ferebant.

Sic ille rogabat, vt nunc Poeta diuinus

Telum frange manu, Phrygij prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo.

Diuus quoq; Paulus hoſtes ſuos leones, canes appellat: Liberauitq; me Dominus de ore Leonis.

Domine Deus meus feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Omnes peccatores

SI Deus peccatores non exaudit, neceſſe eſt cùm ſuppetias eius imploremus oſtendere noſtram innocentiam, vt tametſi peccatores ſumus, quod nemo vinclis corporeis aſtrictus vitare poteſt, at detrimenta cęterorum nunquam nos optaſſe, nec animum cupidum ſanguinis eſſe nobis, oſtendere. Ad condonanda nobis noſtra crimina Deum impellimus, cùm & innocentes nos eſſe, & ſimili clementa nos in alios vti paratos comprobamus. Proponit igitur ſuam innocentiam, integritatem, æquanimitatem, nunquam ſe letalibus odijs quenquam perſecutum, nunquam iniurias illatas, alijs iniurijs vindicaſſe. Nullam cauſam eſſe, cur hoſtes tam crudeliter eum perſequātur, qui detrimentum nulli vnquam intuliſſet. Omnes qui quenquam perſequuntur, dolor eos impellit acceptus ab illis: at hic nulla præceſſit iniuria. Supereſt eos furore, feritate duci. Quod ergo ait, Si feci iſtud: Iſtud Hebræi rectè declarant eſſe quod melius perſequens oſtēditur: Si eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala. Iſtud nēpe, ſi laceraui, ſi vulneraui quenquam, ſi bona cuiuſquam diripui, ſi me cupiditas egit ad necem cuiuſdam. Iidem Hebræi ſuæ linguæ figuram euoluunt, qua datur manibus iniquitas. Manibus interficimus, vulneramus, rapimus. Rectè dicitur iniquitas in manibus, nempe vt ſonat Hebraicum עול in iuſtitia

Si feci iſtud. Si eſt.iniq. in ma.

A iuſtitia,violentia .Hocq́ue declaratio eſt eius quod dixit.Iſtud.Nec mihi nũc arridet Chaldęus, qui dixerit, Si feci iſtum canticum,cum animo iniquo. Quod item à Græcis proponitur, collimat ad verum.Noluiſſe Dauid nominare ſcelus execrabile,forſan ante id tempus in terra Iudęorum inauditum, vt filius patri, vitam & imperium conaretur auferre. Scelus infandum, tacendum.Quemadmodum ſi quis Deum blaſphemaſſet,nunquam in ſacris litteris exprimitur. Si feci,ait,iſtud,vt ſimiliter ego patrem ſim perſecutus,quemadmodum me filius meus.

Blaſphemia infandum ſcelus,nec nominandũ.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

QVod Septua. dixerunt ἀνταποδιδοῦσι retribuentibus,Hebraicum שולמי sholemi,quanquam idem verbum ſonat retribuere,rectius ab Hebræis,& Chaldæo exponitur pro pacifico.Obſcurus enim ſermo,reddere retribuentibus mihi mala. Nec tantum ſcelus eſſet,vim vi repellere,ad talionem iniuriam rependere. At quod Hebraicè ponitur,grauiſſimum eſt,proditio,dolus,inexpiabile flagitium.Si inquit, reddidi pacifico meo malum, ei qui amicitia iũctus erat, quicum vinculo charitatis deuinctus eram.Si proditor amici fui præferens amicitiæ meas cupiditates,aut ſi violaui qui nullam prius iniuriam attuliſſet,inſontemq́ue offendi. Is eſt verus ſenſus,quem declarans Rabi Dauid,Si,ait,intuli detrimentum ei qui erat mecum in pace, quod ipſe contra me nunc exercet perſequens,qui non modo nunquam violaſſet,vt etiam beneficijs afficeret.Chaldæus item clarè transferens Hebraicam vocem לבעיל שלמי lebeil shalemi, Habenti pacem meam.Hinc alio pſalmo q́ueritur:Homo pacis meæ magnificauit ſuper me ſupplãtationem. B Quod item ait,Decidam merito ab inimicis meis inanis. Nec Græcè, nec Hebraicè eſt merito.Leue quidem iſtud.Quod ergo dixerunt Græcè ἀποπέσοιμι decidam, clarius in fonte, vt facilè poſſit intelligi,cùm hoc noſtrum ſit obſcurum. Si, ait, feci malum ei qui mihi pacificus erat, ואחלצה צוררי ריקם vaacheleza zoreri rekam. Imo liberaui hoſtem meum, fruſtra. Non modò, inquit,amicum non offendi,vt etiam profuerim inimico,licet fruſtra,licet ingrato.Sciebam cùm afferrem inimico ſalutem,ingrato me beneficium præſtare. Hunc ſenſum in ſua tralatione quaſi innuens Hieronymus dicit:Et dimiſi hoſtes meos vacuos,videlicet ſine detrimento,quod eis afferre potuiſſem. Duæ maximæ laudes proponuntur,poſterior maximè ſuſpicienda. Prior, cùm nulla nos ſcelerata cupiditas adducere potuit,vt offenderemus amicum, quiq́ue nunquam nos offendiſſet. Poſterior vt ſi vel offendiſſet, tanta tamen bonitas fuit,vt quem iurè potuiſſemus morte perimere, liberauerimus, erexerimus. Hoc,inquit grauis orator, quicunque fecerit non eum ſummis viris æquandum cenſeo, ſed ſimillimum Deo iudico. Deſignat hoc loco copulatiua,vt ſæpè ſolet,imò,at,potius,conditionalis quoque ſi, plerunque in Hebraico ſermone ſonat non:vt,Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Non introibunt. Ita nunc,Si reddidi pacifico meo malum.Non reddidi.tum ſequitur:At potius liberaui hoſtes meos fruſtra.Sicq́ue clarus ſenſus.Hinc Rabi Dauid applicat hęc Sauli,cum quo Dauid pacem haberet,imò liberaret eum de manu Philiſtinorum. Auen Eſra declarans. At quomodo,inquit feci malum,habenti pacem mecum,qui potius ſalutem inimicis odioq́; me habentibus attuli? Quod nos diximus fruſtra,Hebraicè ריקם rekam,poteſt interpretari ſine cauſa,referriq́ue ad eos,qui ſine cauſa eſſent eius inimici.Græci proponunt paulo diuerſa propter diuerſam tralationem.

Retribuentibus.

Decidã merito.&c̃.

Nec ſic tamẽ deſtiti. Hierony.

C Perſequatur inimicus animam meam:& comprehendat,& conculcet in terra vitam meam,& gloriam meam in puluerem deducat.

ANimam ſuam dixit,quod paulo poſt vitam.Perſequatur vitam,ſitiat meum ſanguinem ſitiensq́ue potiatur,eouſque potiatur, vt humi proiectum calcibus vexet, cædat,interficiat,non relinquat,vſque dum mactet. Gloriam ferunt Hebræi nunc appellari ipſam animam,vt alijs locis.Mihi probatur,vt ſit ipſa gloria, decusq́ue regium, cui nunc imprecetur ignominiam.Hæ tralationes apud noſtros,vt quod ait Lucretius, Iacebatq́ue aurum, vile erat,ſine honore,inglorium.Iacet pietas. Hoc Hebraicè dicitur,in puluerem deducere, ad ſummum dedecus redigere.Eſt etiam nunc ſimilis imprecatio,qua noſter poeta:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras. Sumptum ex Homero:
Καὶ τότε μοι εὐρεῖα χάνοι χθών.

Nonnulli Græcorum gloriam ſuam vocari corpus aſſeuerant,corpus robuſtum,regium. Sed,vt dixi, melius eſt, ipſum regium inſigne, gloriam regiam ſentire. Apponitur autem Sela, quod cuius ſit ſignificatus, Chaldæus declarat transferens vice eius לעלמין in ſæcula. Omnibus ait ſæculis ſim perditus.

Perſeq. animam.

Gloriã me. in pul. de.

PSALMI VII. EXPLANATIO.

DOmine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac, ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Spes.

Ira Dei. Spes hominem.

Spes. Metus.

SAepe ſacris in litteris ea theologia, quam pauci philoſophorum notam habuerunt, perſonat, qua ſpes mortalium Deus prædicatur, in quem ſpes omnis noſtra recumbat. Locuti quidem illi ſunt de ſpe præmiorum quorundam magnorum, ut Plato de eo qui iuſtè vixiſſet, χαλὸν ἆθλον, κα ἀγαθὴ ἐλπίς. Et Pindarus de eodem in ſenecta, præmium pulcherrimum, ſpes ingens. Simplicius item ex maioribus finem, fructuſque naturalis philoſophiæ, admirationem Dei ſpemque magnorum bonorum. De ſpe quotidiana non multa loquuntur. Omnes igitur errores, quibus olim gentes decipiebantur, aut decipi potuiſſent, ſacræ litteræ refellunt. Prouidentiam duæ res vbique comprobant, ira Dei, ſpes hominum. Ira probat eum ſcelera mortalium, ſpes, benefacta cernere. Sperent enim mortales certiſſimè perſuadentes ſibi, ſpes ſuas illi notas, exploratasque eſſe. Sperāt item non omne tempus peccantes, ſed rectè facientes. Quocirca credunt eum res æquas cernere, & propter ingentem animi ſui bonitatem, amplecti. Crebro igitur in hac cæleſti philoſophia, ſpes nominatur, magnum in omnibus calamitatibus perfugium, vt quem ſcimus autorem corporis, atque animi fuiſſe, bonaque omnia ab eo nos accepiſſe, eundem noſcamus velle, & poſſe nos ex omni calamitate, & periculo ſubtrahere. Spes, eſt rerum futurarum bonarum expectatio, vt metus expectatio malorum. Quàm metus triſtis, animumque perturbans, tam dulcis ſpes, ſerenans, exhilarans. Similis inter hos affectus animus, cęlo, cùm latè nubibus nigreſcit, cùm ſerenitate renidet. Cum igitur, inquit, omnis meæ ſalutis ſpes ex te pendeat, affer hanc ſalutem, quam mihi, qui me perſequuntur, cupiunt auferre.

Ne quando rapiat, vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, nec qui ſaluum faciat.

Anima. Ne quādo. Lupi. Leones.

Dum non eſt, qui red.

Pauper.

ANimam ſuam, vt ſolet vbique, ſeipſum vocat, perſonam, vitam ſuam, Hebraicus loquendi ritus. Quod Græcè dicitur μήποτε, Latiniſque, Ne quando, Hebraicum פן pen, clarius dicas, ne forte. Crudelitas hoſtium, leonum, luporum feritati, Comparatur etiam à Poetis noſtris, *inde lupi ceu raptores, atra in nebula, quos improba ventris, Exegit cæcos rabies*. Leones magis Poetæ ſacri, quòd in Iudæa paſſim reperiuntur, vt in Europa lupi. Inimicum igitur leonem vocat, qui laceret corpus, ac diſcerpat, bona diripiat, vitamque cum imperio crudeliter auferat. Quod dixit, Dum non eſt qui redimat, Græcè μὴ ὄντος λυτρουμένου, nemine præſente, qui liberet. Paulo ſecus Hebraicè, Ne forte rapiat, ſicut leo, animam meam פרק poreth, diſcerpens, refertur que ad leonem, qui dilaceret, diſcerpat, non eum qui liberet. Nemine igitur præter Deum, ſibi auxilium ferente, rebus omnibus eum deficientibus, quidupereſt aliud quàm tutiſſimum portum requirere? Sic olim Romani delubra Deorum periculis impendentibus adibant, excubabant,

Et ad templum non æquæ Palladis ibant,
Crinibus Iliades paſſis, peplumque ferebant.

Sic ille rogabat, vt nunc Poeta diuinus

Telum frange manu, Phrygij prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo.

Diuus quoq; Paulus hoſtes ſuos leones, canes appellat: Liberauitq; me Dominus de ore Leonis.

Domine Deus meus feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Omnes peccatores

Si feci iſtud. Si eſt. iniq. in ma.

SI Deus peccatores non exaudit, neceſſe eſt cùm ſuppetias eius imploremus oſtendere noſtram innocentiam, vt tametſi peccatores ſumus, quod nemo vinclis corporeis aſtrictus vitare poteſt, at detrimenta cęterorum nunquam nos optaſſe, nec animum cupidum ſanguinis eſſe nobis, oſtendere. Ad condonanda nobis noſtra crimina Deum impellimus, cùm & innocentes nos eſſe, & ſimili clementa nos in alios vti paratos comprobamus. Proponit igitur ſuam innocentiam, integritatem, æquanimitatem, nunquam ſe letalibus odijs quenquam perſecutum, nunquam iniurias illatas, alijs iniurijs vindicaſſe. Nullam cauſam eſſe, cur hoſtes tam crudeliter eum perſequātur, qui detrimentum nulli vnquam intuliſſet. Omnes qui quenquam perſequuntur, dolor eos impellit acceptus ab illis: at hic nulla præceſſit iniuria. Supereſt eos furore, feritate duci. Quod ergo ait, Si feci iſtud: Iſtud Hebræi rectè declarant eſſe quod melius perſequens oſtēditur: Si eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala. Iſtud nēpe, ſi laceraui, ſi vulneraui quenquam, ſi bona cuiuſquam diripui, ſi me cupiditas egit ad necem cuiuſdam. Iidem Hebræi ſuæ linguæ figuram euoluunt, qua datur manibus iniquitas. Manibus interficimus, vulneramus, rapimus. Rectè dicitur iniquitas in manibus, nempe vt ſonat Hebraicum עול in

iuſtitia

A iuſtitia, violentia. Hocq́ue declaratio eſt eius quod dixit. Iſtud. Nec mihi nũc arridet Chaldęus, qui dixerit, Si feci iſtum canticum, cum animo iniquo. Quod item à Græcis proponitur, collimat ad verum. Noluiſſe Dauid nominare ſcelus execrabile, forſan ante id tempus in terra Iudęorum inauditum, vt filius patri, vitam & imperium conaretur auferre. Scelus infandum, tacendum. Quemadmodum ſi quis Deum blaſphemaſſet, nunquam in ſacris litteris exprimitur. Si feci, ait, iſtud, vt ſimiliter ego patrem ſim perſecutus, quemadmodum me filius meus.

Blaſphemia infandum ſcelus, nec nominandũ.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Retribuentibus.

Decidã merito. &c.

Nec ſic tamẽ deſtiti. Hierony.

QVod Septua. dixerunt ἀνταποδιδοῦσι retribuentibus, Hebraicum שׁולמי sholemi, quanquam idem verbum ſonat retribuere, rectius ab Hebræis, & Chaldæo exponitur pro pacifico. Obſcurus enim ſermo, reddere retribuentibus mihi mala. Nec tantum ſcelus eſſet, vim vi repellere, ad talionem iniuriam rependere. At quod Hebraicè ponitur, grauiſſimum eſt, proditio, dolus, inexpiabile flagitium. Si inquit, reddidi pacifico meo malum, ei qui amicitia iũctus erat, quicum vinculo charitatis deuinctus eram. Si proditor amici fui præferens amicitiæ meas cupiditates, aut ſi violaui qui nullam prius iniuriam attuliſſet, inſontemq́ue offendi. Is eſt verus ſenſus, quem declarans Rabi Dauid, Si, ait, intuli detrimentum ei qui erat mecum in pace, quod ipſe contra me nunc exercet perſequens, qui non modo nunquam violaſſet, vt etiam beneficijs afficeret. Chaldæus item clarè transferens Hebraicam vocem לבעיל שלמי lebeil shalemi, Habenti pacem meam. Hinc alio pſalmo q́ueritur: Homo pacis meæ magnificauit ſuper me ſupplãtationem. Quod item ait, Decidam merito ab inimicis meis inanis. Nec Græcè, nec Hebraicè eſt
B merito. Leue quidem iſtud. Quod ergo dixerunt Græcè ἀποπέσοιμι decidam, clarius in fonte, vt facilè poſſit intelligi, cùm hoc noſtrum ſit obſcurum. Si, ait, feci malum ei qui mihi pacificus erat, ואחלצה צוררי ריקם vaacheleza zoreri rekam. Imo liberaui hoſtem meum, fruſtra. Non modò, inquit, amicum non offendi, vt etiam profuerim inimico, licet fruſtra, licet ingrato. Sciebam cùm afferrem inimico ſalutem, ingrato me beneficium præſtare. Hunc ſenſum in ſua tralatione quaſi innuens Hieronymus dicit: Et dimiſi hoſtes meos vacuos, videlicet ſine detrimento, quod eis afferre potuiſſem. Duæ maximæ laudes proponuntur, poſterior maximè ſuſpicienda. Prior, cùm nulla nos ſcelerata cupiditas adducere potuit, vt offenderemus amicum, quiq́ue nunquam nos offendiſſet. Poſterior vt ſi vel offendiſſet, tanta tamen bonitas fuit, vt quem iurè potuiſſemus morte perimere, liberauerimus, erexerimus. Hoc, inquit grauis orator, quicunque fecerit non eum ſummis viris æquandum cenſeo, ſed ſimillimum Deo iudico. Deſignat hoc loco copulatiua, vt ſæpè ſolet, imò, at, potius, conditionalis quoque ſi, plerunque in Hebraico ſermone ſonat non: vt, Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Non introibunt. Ita nunc, Si reddidi pacifico meo malum. Non reddidi. tum ſequitur: At potius liberaui hoſtes meos fruſtra. Sicq́ue clarus ſenſus. Hinc Rabi Dauid applicat hęc Sauli, cum quo Dauid pacem haberet, imò liberaret eum de manu Philiſtinorum. Auen Eſra declarans. At quomodo, inquit feci malum, habenti pacem mecum, qui potius ſalutem inimicis odioq́; me habentibus attuli? Quod nos diximus fruſtra, Hebraicè ריקם rekam, poteſt interpretari ſine cauſa, referriq́ue ad eos, qui ſine cauſa eſſent eius inimici. Græci proponunt paulo diuerſa propter diuerſam tralationem.

C Perſequatur inimicus animam meam: & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Perſeq. animam. Gloriã me. in pul. de.

ANimam ſuam dixit, quod paulo poſt vitam. Perſequatur vitam, ſitiat meum ſanguinem ſitiensq́ue potiatur, eouſque potiatur, vt humi proiectum calcibus vexet, cædat, interficiat, non relinquat, vſque dum mactet. Gloriam ferunt Hebræi nunc appellari ipſam animam, vt alijs locis. Mihi probatur, vt ſit ipſa gloria, decuſq́ue regium, cui nunc imprecetur ignominiam. Hæ tralationes apud noſtros, vt quod ait Lucretius, Iacebatq́ue aurum, vile erat, ſine honore, inglorium. Iacet pietas. Hoc Hebraicè dicitur, in puluerem deducere, ad ſummum dedecus redigere. Eſt etiam nunc ſimilis imprecatio, qua noſter poeta:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras. Sumptum ex Homero:
Καὶ τότε μοι εὐρεῖα χάνοι χθών.

Nonnulli Græcorum gloriam ſuam vocari corpus aſſeuerant, corpus robuſtum, regium. Sed, vt dixi, melius eſt, ipſum regium inſigne, gloriam regiam ſentire. Apponitur autem Sela, quod cuius ſit ſignificatus, Chaldæus declarat transferens vice eius לעלמין in ſæcula. Omnibus ait ſæculis ſim perditus.

Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.

EXpiatis criminibus, innocentia comprobata, per imprecationem, deprecatus omnes ſuper ſe calamitates venire, ſi quas vnquam intuliſſet, quo crudelitas hoſtium comprobatur, qui penitus innocentem perſequerentur, nunc acriter viribus receptis quas conſcientia rectè factorum ſuggerit, inuehitur in eos arma Dei concitans, quæ ſola inimicorum agmina delere poſſint. Iratus in eos procedat, peſſimis eorum conatibus occurrat. Chaldæus ex paraphraſi declarans quod Hebraicè eſt, In ira tua, mutauit בתוק פך betuk pach. Exurge, ait, in fortitudine tua. Ira eius, fortitudo eius, impetus, poteſtatis oſtentatio. Quod verò ait, In finibus inimicorum meorum: diuerſum Hebraicè, pro finibus עברות aberoth, id quidem ſonat tranſitum, ſimul & accenſionem, inflammationem, iram. Dicendum ergo: Et exaltare in furore inimicorum. Chaldæus vocabulum exoluit alio clariore ברוגזא berugſa, in furore, ira. Hieronymus quoque tranſtulit hoc clarius, Eleuare indignans ſuper hoſtes meos, transferens indignans, quod Hebraicè aberoth. Declaratur inſuper ab Hebræis, voces manifeſtiores adhibẽtibus. Propterea Græci, qui fines ceruices inimicorum exponerent, Hebraicum neſciebant, aut illi qui demum, in fine, tandem. Dicendum igitur, Eleuare in furore inimicorum meorum. Exponunt autem Hebræi furorem aut Dei, quo ſæuiat in hoſtes, aut ipſorum inimicorum rabiem, vt dicat, Eleuare in furore tuo contra inimicos meos: aut, Contra furorem inimicorum.

Ira Dei.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandaſti & ſynagoga populorum circundabit te.

DImidium huius verſus hæret ad ſuperiorem. Quod Græcè dicitur καὶ ἐγέρθητι, Et excitare, exurge, Hebraicè עורה vra, excita, eleua, non videlicet paſſiuum eſt, ſed actiuum, cui congruè refertur iudicium in caſu accuſandi, vt dicat Hebræis teſtibus, Et excita iudicium, quod mandaſti, quod præcidiſti, deſtinaſti, decreuiſti, vt ad me regnum Saul rediret, aut iuxta argumentum Græcorum, vt regnum non coniuratorum, ſed meum eſſet. Hoc fuit iudicium, quod decreuiſti. Aut verius, iudicium, vindictam, quam præcidiſti, ſtatuiſti contra nefaria molientes. Stat lex inciſa duriſſimis adamantinisq; columnis, vt qui libidine victus in quenquã malè conſuluiſſet, nec rationem ſceleſtis cupiditatibus oppoſuiſſet, is longè demum grauius doleat, quàm dulcius exultaſſet. Hoc iudicium tuum, hæc vindicta, hoc vult Nemeſis tua, oculata, ſeuera, frequentes populorum turbas obambulans, facta malè, benèque, exactè conſiderans. Hanc vindictam, primo quoque pſalmo commemorat, Franges eos virga ferrea. Hoc igitur iudicium, non ab re tralatum à Græcis, præceptum. Habes igitur quid ſit iudicium, quod mandauit: totumque hoc melius ex Hebraico intelligitur: Et excita ad me, iudicium quod mandaſti, Proſequitur, Synagoga populorum circundabit te: Tametſi multæ ſunt noſtrorũ, Hebræorumq; multigenæ explanationes, Synagogam populorum noſtris dicentibus eſſe gentem quæ ventura ſit ad pietatem, quod Hebræi quidam refellunt, trahentes potius ad ſuas ineptias, verus ſenſus, ambagibus amotis, eſt, Commemorat eoſdem hoſtes, qui bellum importunum regi vero, adulterinum quærentes indixerunt. Impium hoc bellum quoniã contra eum excitauerant, quem Deus elegiſſet, contra Deum clamat conflatum, eosq; ferme in contumeliam, (erat enim id nomen gentium) populos appellat. Ergo ait, Et copiæ coguntur contra te. In te ait, conflatur bellum hoc importunum, vt primo pſalmo, Aduerſus dominum, & aduerſum Chriſtum eius. Vbique quoque commemorat eoſdem populos, aduerſus dominum tumultuantes. Coniungit igitur cauſam ſuam cum cauſa Dei, qui verum regem oppugnabant: certè oppugnabant, qui religionem Dei defenderet, peſtes amoliretur. Qui vos ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.

Exurge.
In præcep. q. mand.

Et ſyna. pop. cir. te.

Act. 9. a
Populi pro iudæis impijs.

Et propter hanc in altum regredere. Dominus iudicat populos.

HOc totum melius ex ipſo fonte noſcitur quid valeat. Non enim dicitur propter hanc, ſed עליה alea, contra eam, ſuper eam, quemadmodum Græcè καὶ ὑπὲρ ταύτης, Et ſuper hanc. Imprecatur aduerſus ſynagogam populorum. Contra hanc, ait, fac impetum, collige vires tuas, arma tua in eos conuerte. In altum autem regredere. Nimirum ex altiſſimis arcibus tuis tela in eos intorque, ſublatus ad excelſam tui numinis arcem indè plagas, quo ſint vehementiores, immitte. Effunde inquam vt alio in pſalmo, iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, Propriè igitur, in fonte, dicitur, Et contra hanc ſynagogam, has copias, manusque coactas aſcende, quale Poeta:

Actius hæc cernens, arcum intendebat Apollo
Deſuper: omnis eo terrore Aegyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Propter.

In alto re.

Simile

A Simile quid noſter precatur, vt arcum deſuper intendat, quo fugiant perterriti populi coacti contra regem. Eoque velut parta iam victoria, ſibique gaudens eorum cædem, cladem vaticinatur.

Dominus iudicat populos, iudica me domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam, ſuper me.

Melius per futurum, vt eſt Hebraicè, & Græcè κύριος κρινεῖ λαούς. Dominus iudicabit populos. Quid propriè ſit iudicare ſacris litteris, diſce ex illo Pauli πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς κρινεῖ ὁ θεὸς, Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. Sonat igitur in ius vocare, ferre de factis cuiuſque ſententiam. Propterea precatur, vt in ſe clementer iudicet, innocentiam, æquitatem ſuam conſideret. (dat enim animos, rectè factorum conſcientia) Non meruiſſe ſe vt tam nefarium bellum, populus exciret, ſcire ſe quæ placidus princeps potuiſſet præſtitiſſe. Idipſum ſuperius querebatur, ſe nullas iniurias amicis intuliſſe: contra, inimicis profuiſſe. Cùm hoc igitur animo fuiſſet, liberè poterat de ſua iuſtitia atque innocentia prædicare. Quam enim laudem tu poſſis in terris oſtendere maiorem, & qua propius ad Deum mortales accedant, quàm parcendo, cunctis ſine diſcrimine benefaciendo? Rectè igitur hac parte ſeſe apud ſummum iudicem commendat. Dixit autem, ſuper me, quaſi fer ſententiam de me. Iudica de me, pro mea æquanimitate. Rectè enim ſenſus exhibetur à Græcis, non vniuerſalem ſibi iuſtitiam nunc prophetam tribuere, ſed eam duntaxat, quòd offenderetur ab his, quos nunquam offendiſſet.

Iudicare.

Super me. Iuſtitia. Dauidis.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum, B ſcrutans corda, & renes Deus.

Poteſt hoc verbũ, cõſumetur, quòd Hebraicè יגמר נא igmar, quoniã caſus apud Hebræos nõ diſtinguuntur, trãsferri, vt trãſtulerũt interpretes συντελεσθήτω, quod ſonat, abſoluatur, finiatur: melius penitus aboleatur, extinguatur: aut iuxta ſententiam Auen Eſræ, nequitia, prauitas, flagitium, eſt caſus rectus, vt dicat. Conſumet, deuorabit, perdet nequitia peccatores. Aget eos ad iuſtiſſimum interitum: pro eo ac debuerant delebuntur: impietas aget impios ad finem, peſſimis eorum factis conſentaneum. Adiungiturq; ad verbum particula, dictorum affirmatrix נא na, quam Græci ab Hebræis mutuati, bifariam efferunt ἄν, ne. Et litteris inuerſis. Vtraque ſonat, quòd Hebraicè נא na, certè, vtique. Profectò, ait, impietas ipſoſmet peccatores delebit, tollet de medio. Deſine, inquit, laborare. Suis flagitiis immorientur impij. Sequitur eos finis velut corporis vmbra. Et, Diriges iuſtum. At verò, inquit, iuſtè, pieque viuentes, tuis auxiliis in omni vita ſuſtentabuntur. Tu fortunabis, proſperos ages inceſſus eorum nuſquam offendentes. Eſt enim Hebraicè תכונן theconen, confirmabis, corroborabis, vt Hieronymus: Nunquam enim ceſſant ſacræ litteræ vociferari iuſtos eſſe curæ Deo, ſanctos, ac pios habere cęleſtem cuſtodiam. Aſſerebat etiam Plato à ſuperis non negligi bonos. Ariſtoteles redamari, qui Deum colant, obſeruent, præmiiſque affici. Hoc dicitur Hebraicè dirigere, felicitare, fortunare, & Græcè εὐπράττειν. Sicque oſtendit quod ab eodem Ariſtotele velut communi conſenſu vſurpatum profertur, εὐδαιμονίαν θεόσδοτον εἶναι munus eſſe Dei, felicitatem. Videbis C igitur hunc omnium ferè ſacrorum carminum eſſe morem, vbi clementiam diuinam ſibi propitiam imploraſſent, delictorum veniam poſtulaſſent, tum demum de prouidentia, iuſtitia, bonitate Dei multa prædicare, aſſerentes facilè diuinitus impetrari, quod fuiſſet poſtulatum. Non quemadmodum, multa delyrantes quidam auſi fateri, inexorabilem eſſe Deum. Diligenter item cuncta cernere, exaudire: Nec iuſtis deeſſe præmia iuſtitiæ, nec iniuſtis impunè manere flagitia. Non ſolum quę palàm ſub Solis huius ſplendoribus aguntur, eum deſuper aſpicere, ſed intimos etiam animos quid agant, quid moliantur, introſpicere. Vide quanta ſit eius prouidentia, quàm ſeſe late diffundat. Hoc Hebraicè dicitur, Scrutans corda, & renes. Ad phraſin Hebraicam, figuratamque locutionem, cor, & renes intimos ſenſus deſignat: quemadmodum Latinè, pectus: Græcè ἦτορ, στῆθος. Ait Homerus, οὐδέ μοι θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι πέποιθε. Cùm ex corporeis ſpiritualia ſenſu carentia demonſtramus. Nam neq; in pectore cognitio, ſpeculatio, ſcientia vlla eſt: at dicimus, in pectore ſediſſe Mineruam. Optimis artibus fœcundum pectus. Ad hunc modum renes Hebraicè ſenſus intimos deſignant. Qui ſcrutatur renes, ſcrutatur arcanos motus animorum, cogitationes intimas, pectoris abſtruſos receſſus. Neque verò corde cogitatio, ſenſuſque ſpirituales concipientur, quo duntaxat vita corporea ſuſtinetur, ſanguiſq; ſecernitur. Hoc eius officium, non officium intelligendi. Nos tamen quemadmodum dialectos Hebraica, dicimus, premit alto corde dolorem. Tenes igitur qua tralatione dictum ſit, Scrutans renes. Cæterum eadem hæc vox Hebraica כליות chelaioth, non renes duntaxat, ſed præcordia deſignat, vt dicendum ſit, Scrutans corda, & præcordia. ſcrutans ſecretiores animi partes. Theodoritus renes appellari λογισμοὺς cogitationes, diſcurſus animi. Sed, vt dixi, metaphora eſt: ſuper qua, multa reliquis pſalmis. Ille ergo, inquit, nouit innocentiam, penitus repoſtam mentem, rerum gerendarum principium. Hinc ſubiicit:

Conſumetur.

Diriges iuſtum.

Scrutans. cor. & re.

Logiſmi.

Iuſtum

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Lacus.

Aper. & effo.

Fouea.

Malũ conſilium, cõſultori peſ.

HOc & ſuperius rectè Græci ſentiunt de Achitophel, cuius conſilium, in caput ipſius reciderit. Lacum, quem Latinus dixit, dicendum per duplex cappa. Eſt enim Græca vox λάκκος, ea deſignat puteum, foueam. Ab ea fortaſſe ſignificatione dixere Latini lacus, collectionem aquæ in locum demiſſum. Pro eo eſt Hebraicè בור bor, quod citra controuerſiam, eſt puteus. Haud ſcio an boni auctores vſurpent hanc vocem, pro puteo, fouea. Eſt igitur Laccus hoc loco, fouea, foſſa, vt laccus leonum, cauea, foſſa, quo leones claudebantur. Geminat eandem rem, exaggeratq; duobus idem pollentibus verbis, aperuit, effodit. Sciendum quoque pro eo quod Sept. dixerunt βόθρον, fouea, vorago, barathrum, Hebraicè expreſſius, שחת shacath, interitus, ruina, vt dicat quemadmodum tranſtulit Hieroymus. Et incidit in interitum, ruinam, quam fecit. Eadem tamen vox teſtibus Hebræis deſignat foſſam, cauernam. Igitur multis verbis idem inculcatur. Eſtque hoc loco prouerbium, quo vſus eſt Heſiodus, reor ex hiſce litteris mutuatus:

> Η δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη
>
> *Conſilium nocet illi qui malè conſuluiſſet.*

Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Dolor.

Iniquitas.

PRo dolore Græcè πόνος, labor, quanquam labor, & dolor idem. Hebraicè quoque labor עמל amal. Laborem appellat, vt videre eſt ex ſequenti, ſcelus, cladem, iniquitatem, iure vocatam, laborem quòd grauis ei, qui perpetrat, & qui perpetitur. Rectè vocatur Hebraicè, & Græcè labor peccatum, flagitium. Magna cum moleſtia, periculo, pauore, anguſtia patrantur ſcelera, ſed cupiditas vincit, trahitque per inuia ſaxa, per mare, per ignem, poſſet appelaſſe laborem, quo, dolo ſtruendo, fouea paranda laborauit, machina, deceptio cum labore, ſudore. Hæc omnis machina, recidet, inquit, in ipſum. Appellauit igitur laborem, quod ſecundo חמס chamas, iniquitatem, prauitatem, violentiam. Verticem quoque, quod antè, caput: verborum eorundem, & ſenſuum vbique geminatio. Laborem Græcos quoque vocare ſcelus, iniquitatem, indicat πονηρὸς, ſceleſtus, flagitioſus, à nomine πόνος, labor. Solus enim, vt Stoicorum decretis verè continetur, malus, eſt miſer. Nec vſquam malum niſi in culpa, & peccato. Perſonat vbique in ſacris litteris, finis is improborum. Prædicantur malè perituri, eum, quem meruiſſent finem habituri. Moles delictorum in ipſomet deuoluendas, diuinæ vbique prouidentiæ prædicatio.

Confitebor domino ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini domini altiſſimi.

Cõfitebor:

SOlitum pſalmis epiphonema, perpetuoq; hoc ordine pſalmi texuntur: Præcedit oratio, veniæque delictorum poſtulatio, ſubſequitur contra veræ pietatis inimicos imprecatio, deinceps eorum interitum, velut exauditi, vaticinantur. Simul erumpunt in laudes, triumphant: fit plauſus, fit gratulatio. Tollitur in cęlum clamor, præſidium bonorum rerumque humanarum protector prædicatur, celebratur, laudibus euehitur. Idem à profanis vatibus introducitur, poſt ſuperatos hoſtes. *Omnibus in templis matrum chorus. Lætitia, ludiſque viæ plauſuque fremebant.* Quòd ergo ait, Confitebor, admonitum ſępe in Hebraico eſſe verbum à Græcis ex Hebraica lingua vſurpatum. Nam pro Confitebor, hic eſt אודה ode, nempe Græcum oda, ado, cantabo, celebrabo, plaudam. Et Chaldæus pro eo אשבח ashabach, laudabo. Eleganter differitur hoc à Græcis, celebrabo ait, (neque enim mea τὰ νικητήρια, victoriale carmen, aut victoria) ſed ipſius. Neque item dixit, confiteor, ſeu celebro, ſed celebrabo. Haud ſecius ero in laudibus poſt hac, victoriam conſecutus, neque beneficiorum obliuiſcar, negligentior effectus. Hoc Homerus de Apolline,

> Μνήσομαι, οὐδὲ λάθωμαι ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

Pſallam.

Nomen domini.

Altiſſim'.

Quod autem ſequitur, Secundum iuſtitiam eius: nimirum qua iudicauit, damnauit ſontes, crudeles, vexatores bonorum, qui nunc pœnis vrgentur à Deo: laudatur, prouidentia, Nemeſis, curans omnia, eaque in terris maximè quæ ad homines pertinent. Oſtenditur non res humanas Deum negligere, ſed bonos, pioſque continenti cuſtodia defendere. Repetit idem, Et pſallam nomini domini altiſſimi. Pſallere Græcum, dicendum, celebrabo, laudabo, carminibus proſequar, concinam. Nomen eius, illum ipſum, Hebraicus loquendi ritus. Laudate nomen domini. Laudate nomen eius quoniam ſuaue. Eſt nomen Hebraicè, velut ſi Latinè dicas memoriam, Laudabo, celebrabo nomen, Dei nempe, famam, memoriam. Altiſſimus item proprium Dei nomen, quo nihil excelſius, ſiue maieſtate naturæ, ſiue loco, regno ſupra ſidera. Extra flammantia mœnia mundi, ἐξωτάτω τῆς φορᾶς, longiſſimè à motibus orbium cęleſtium, vt ait Ariſtoteles.

INSCRI-

INSCRIPTIO PSALMI VIII.

In finem pro turcularibus.

NVSQVAM deſuero docens, pro eo quod Sept. interpretes ſolent traducere εἰς τὸ τέλος in finem, Hebraicè eſſe למנצח lamnazeach, quod melius, ipſiſq; pſalmis magis conſentaneè vertitur, ad triumphandum, plaudendum. Sunt enim pſalmi, carmina triumphalia pro victoriis: Id monent etiam Græci. Theodoritus, pro eo inquit, quod Sept. vertunt in finem, Aquilas & Theodotio τῷ νικοποιῷ victoriam danti: Symmachus verò ἐπινίκιον, carmen victoriale. Pſalmus is, inquit, offertur ceu victoriale carmen, Deo vincere facienti. Sic ille. Hæc Hieronymus ſecutus, nuſquam eam vocem vertit, in finem, ſed victorem, de quo ſatis ſuperque alibi. Secunda vox pro torcularibus, Hebraicè על הגתית al haghitith, quàm Septuag. tranſtulerunt, ληνοὺς torcularia, non recipit hoc loco hunc ſignificatum, nec ſenſus eſt vllus in ea corrigenda, non minus, atq; præcedente. Nam Ghitit, non eſt numerus multus, torculare quoq; non dicitur Chitit, ſed גת gath, quamuis numerus multus eſt גתות gittot, quod Sept. ſecuti ſunt. Itaque etſi ſunt Hebræi, aſſerentes pſalmum editum à Dauid cùm eſſet in torcularibus Philiſtinorum, probabilius videtur vocem exponendam iuxta ordinem aliarum inſcriptionum. Quibus dicitur, ſuper octichordio, ſuper citharis, ſuper organis. Is ordo loquendi declarat, quod nunc dicitur, ſuper Ghitit, intelligendum eſſe quod fertur ab alijs Hebræis, ſuper cithara, quæ dicebatur Ghitenſis, ex Geth vrbe Palæſtinæ, vbi harmonicum illud inſtrumentum canentibus vſui eſſet. Quemadmodum Græcis, Latiniſque, qui de harmonia ſcribunt, ſæpe quædam peregrina carminum genera nominantur, Phrygium, Lydium, & ſaltatio Macedonica. Eſtque lyra Ghittenſis, veluti apud Pindarum φόρμιγξ δωριά, cùm ait, ἀλλὰ δωριὰν ἀπὸ φόρμιγγα πασάλου λάμβανε. Tolle, ait, lyram Doriam ex Paſſalo. Hoc mihi probabilius. Fuerunt apud Hebræos qui aſſererent traditum pſalmum à Dauid cantori Abededō qui eſſet Ghittenſis. Sed quoniam dicitur ſuper Ghittenſi, id arguit eſſe citharam, & Ghittenſem, qua pſalmus is fuerit harmonicè pronunciatus, cui correſpondet vox antecedens, ad iubilandum, triumphandum, vt inſcriptio ſic habeat, Ad præcinendum carmen triumphale, cum cithara Ghittenſi. Quod explicans, vt ſolet Chaldæus, Super cythara, inquit, quæ venit de Geth. Celebratur igitur hoc carmine diuina poteſtas, fortia facta Dei, ſeries longiſſima rerum: canit non nugas illas Herculeas,

In finem.
Lamnazeach.

Pro torcularibus.

Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes
Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues:
Sed potius velut, *cithara crinitus Iopas.*
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores.
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber, & ignes.

Hæc & longe maiora, canit noſter, longè quidem præclarius, quàm ille, veram Lunæ, & Solis, pecudum, & hominum docens originem.

PSALMI VIII. EXPLANATIO.

DOmine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

QVOD dixit dominus noſter, rectè Græci, & Hebræi quorſum ſpectet, ediſſerunt. Græci deſignari creatorem, opificem, Dominus noſter, nempe qui nos condidiſti, formator, opifex noſter. Hebræi propter id quod ſequitur, Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, videlicet dominus, autorque omnium bonorum. Hinc pro hoc ſubſiſtit Chaldæus רבוננא ribbonana, princeps, dominator noſter. Eſt hoc epitheton quale apud Poetas πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, diuumque hominumque pater. Et illud item Homeri,

Ὦ πάτερ ὕπατε κρειόντων.

O genitor noſter, qui ſummis regibus extas.

Dominus noſter.

Omnibus in linguis conſonat eum principem, dominum, opificem eſſe noſtrum. Ac propriè di- tur Hebraicè, Deus patronus, ſiue dominus noſter. Hinc Hieronymus, Domine dominator ſter. Prima vox eſt יהוה Iehouah, vocalibus ſummotis, quibus abundat dialectos Hebraica, eſt pues, Hoc nomen ſolius Dei: ſecunda אדוננו adonenu, patronus dominator noſter. Quod ſequi- r: Quàm admirabile eſt nomen tuum. Quod Græcè θαυμαστὸν, admirabile, Hebraicè אדיר adir, nat admirabile, grande, ingens. Nomen dixit quodam Hebræis loquendi priuato ritu, famam, toritatem, poteſtatem, maieſtatem. Quàm grandis, admirandaque maieſtas tua in omni ter- Quoquò te vertas miracula diuinæ maieſtatis aſpicies. Ac principio, inquit, ille, (quid enim pus eſt me loqui, ſummo oratore loquente) terra vniuerſa cernatur locata in media mundi ſede,

Iehoua.

Adoneum

Admirabile.

Nomen.

Terra.

ſede, ſolida, & globoſa, & vndique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum incredibilis multitudo, inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concauas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum. Adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ verò, & quàm varia genera beſtiarum, vel cicurum, vel ferarum: qui volucrum lapſus, atque cantus: qui pecudum paſtus, quæ vita ſylueſtrium? Quid iam de hominum genere dicam, qui quaſi cultores terræ conſtituti, non patiuntur eam, nec immanitate beluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari. Quorumq; operibus agri, inſulæ, littoraque collucent, diſtincta tectis, & vrbibus, quæ ſi vt animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram, de diuina ratione dubitaret. Hæc & alia grauiſſimus Romanæ linguæ philoſophus confitens, & ipſe ex his admirandis in omni terra ſpectaculis elucere diuinæ maieſtatis infinitatem, quæ nulla lingua queat explicari. Tota verò diuinæ maieſtatis admiratio maximè refertur ad humanum genus. Qui cùm ſint diuinæ bonitatis primũ teſtimonium, his admirationi eſt, ab his ſuſpicitur, laudatur, celebratur. Et grande eſt nomen eius in omni terra, propterea quòd nemo eſt, qui totam intuens terram, non diuinam poteſtatem admiretur, collaudet, quemadmodum philoſophi prius admirati, poſtea de Deo cœperunt loqui.

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cęlos.

Eleuata eſt.
Magnificẽtia.

IN fonte dicitur, Qui תנה thena, poſuiſti magnificentiam tuam ſuper cœlos. Sic & Chaldæus יהבתא iahabta, poſuiſti, dediſti. Eleganter dixerunt μεγαλοπρέπειαν, magnificentiam, quod Hebraicè הודך hodeka, confeſſionem tuam, nempe gloriam, laudem, odam tuam, qua te mortales adorant, celebrant. Vbi terram maieſtatis, ac celebritatis eius plenam prædicaſſet, continuò reſpicit cœlum, nempe quod ait Theodoritus, admirabilis ſurſum, admirabilis deorſum. Non ex terrenis duntaxat operibus admirandus, ſed poſuit quoque miracula ſuæ maieſtatis in cælo. Illic demum ſuſpiciendus, admirabilis. In quo vt idem nobilis philoſophus, cum admirabilitate maxima, igneæ formæ curſus ordinatos definiunt. Peragratis autem de Sole, Lunaque multis ſubiicit: Quo ſpectaculo, inquit, nihil poteſt admirabilius eſſe, nihil pulchrius. De ſtellis autem, quarum contemplatione nullius expleri poteſt animus, naturæ conſtantiam videre cupientis. Vates igitur noſter reddidit cauſam cur ſit admirabilis in terra, qui ſcilicet maieſtatis ſuæ teſtimonia poſuit in cælo, quibus à mortalibus conſideratis, laudatur, colitur, celebratur, ſuſpicitur, expleri nequeunt, iuuat vſque morari.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum, & vltorem.

Perfeciſti.
Deſtruas.

PErfeciſti, vt Græcè κατιρτίσω, abſoluiſti, perfeciſti, Hebraicè eſt יסדת iſadtha, fundaſti, ſtabiliſti. Item, vt deſtruas inimicum. Fons לחשבית lehaſbit, vt facias quieſcere, quemadmodum vertit Hieronymus. Senſus autem verus videtur mihi, quem monſtrat Auen Eſra, ſequiturque Dauid, cùm retuliſſet opificem toto mundo videri admirabilem, homo autem omnium animalium nobiliſſimus, qui ſolus ſentiat, perſpiciat hanc pulchritudinem, continuò, vt editus in lucem eſt ab ipſa infantia, ab incunabulis, à lacte incipit effari creatorem. Tunc animus in puerili corpore, vires ad cognoſcendum paulatim ſuſcipiens, ſapientiaque ſeſe imbuens, arcano quodam impulſu erigitur ad creatorem, inſinuat pectus quidam de rerum repertore ſenſus. Propterea dicit, Fundaſti laudem in ore puerorum: nimirum quoddam naturale cognoſcendi, & prædicandi tui in pueris exordium ieciſti, fundaſti: idque ea gratia, vt quieſcere facias inimicos, ſiue vt eſt Hebraicè צורריך zorerecha, aduerſarios tuos, illos ſcilicet, qui te denegant, qui te nuſquam eſſe fatentur, aut non tuum, hoc omne quod cernimus, ſed temeritatis opus prædicant. Eos ſcilicet aduerſarios innuit, quos vbique magni philoſophi proſcindunt, lacerant, vt quod ait idem philoſophus: Hæc omnis deſcriptio ſiderum, atque hic tantus cœli ornatus ex corporibus huc, & illuc, caſu & temerè concurſantibus potuiſſe effici, cui quam ſin ſano videri poteſt? Inſanos appellat, vt noſter, inimicos Dei, qui negent hæc citra diuinam ſapientiam potuiſſe fieri. Neque enim tempeſtate quoque illa, diuinæ maieſtati detrahentes, deerant. Opponit eis naturalis impulſus teſtimonium. Quæ eſt enim gens tam fera, quæ cùm primum in cœlum ſuſpexit, non ſapientiſſimum opificem agnouit? Naſcimur hac ſcientia, cùm imbuit, tũ docuit nos ipſa natura. Cùm primùm poſſumus loqui, creatorem noſtrum reſonamus in ipſo lacte, ſcintillæ quædam inflammant. Hoc autem teſtimonium, facit quieſcere, tacere aduerſarios. Vltorem autem dixit, crudelem, ſanguinarium, immanem, barbarum, ἀντίθεον, ſuperbum, quales illi Gigantes,

Fundare virtutem.
Inimicũ.

Vltor.

-Qui manibus magnis reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis. Aut Homericus ille Cyclops:
Horum omnis blaſphemia, contemptuſque Deorum.

Quoniam

A

Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum, Lunam, & ſtellas quæ tu fundaſti.

Fundaſti.

ki.

Digiti.

Fundare.

FVndaſti, Grecè ſimiliter ἐθεμελίωσας, Hebraicum clarius, omniq́ue cæleſti deſcriptioni magis aptum, כוננתה conantha, ſtabiliſti,firmaſti,fixiſti,cæli ſedes immobiles, ſtabilemq́ue ordinem,curſus certos,ac ratos deſignat. Eſt hic duplex ſenſus: Aduerbium Hebraicum כי ki,nunc deſignat quoniam,nunc quando. Principio dicitur, Admirandus es vndequaque laudibus tuis non poſſunt ora noſtra ſatiari. Quid enim cælo,& ſtellis, lunaq́ue admirabilius? Hæc autem opificium tuum ſunt,tua fabrica,diuina,ac præpotenti manu tua excitata. Tu flammas illas accendiſti,ordinę ſempiterno moueri dediſti. Non,vacillant,non abſiſtunt à recto, ſenio non tabeſcunt,hebetantur. Idem ſemper robur,eademq́ue iuuenta, atque cum conderentur. Alter ſenſus: Cùm videro cœlum manuum tuarum opus,lunamq́ue,& ſtellas,admirabor quidem, ſed maiora cerno. Video in terris hominem, factum à te, veluti quendam Deum: parum deeſt illi, quin ſit Deus. Excelſam naturæ ſuæ conditionem, proximamque magnitudini tuæ dignitatem tibi debet. Hi ſunt duo ſenſus. Quod igitur,ait Cælum opera digitorum tuorum,eſt quale priſci philoſophi,propter ſæculorum exordio mundi vicinitatem, non ignari theologiæ, quæ litteris ſacris perſonat,litteris ſuis prodiderunt,vt diuinus Plato,de quo Latinus philoſophus,fabricam illam tanti operis,qua conſtrui à Deo,atque ędificari mundum facit. De Sole autem,& ſtellis, eorumque lucidiſſimis corporibus in Timæo: σώματα δὲ αὐτῶν ἑκάστων ποιήσας ὁ θεὸς, ἔθηκεν τὶς περιφορὰς, ἃς ἡ θατέρου περίοδος ᾔει ἑπτὰ οὔσας ὄντα ἑπτά. Quorum corpora cùm Deus condidiſſet,motus,volutionesque adiecit: quæ cum ſint ſeptem, ſeptem quoque contrarijs motionibus rotantur. B Vocat igitur noſter,cælos opus digitorum Dei,vt Plato, fabricam: manus magnas, Deo tribuens. Omnes ſimul digiti ſunt manus: qui dicit digitos,dicit totam manum. Et Magi viſis miraculis per Moſen prolatis,dixerunt,Digitus Dei eſt hic: nempe molitio,opus. Noſtri ad hanc metaphoram non deſcendunt,vt Deo manus,digitoſque vendicent, ſed opus Dei cęlum, aut eius ſapientia repertum,ſimpliciter ferant, vt quod idem Plato, in Timæo: Animum igitur cùm ille procreator mundi Deus ex ſua mente,& diuinatione genuiſſet. Suas quæque lingua peculiares habet metaphoras. Verbum autem quo dixit ſtellas ſtabilitas immutabiliterque locatas,arguit ſignificatum quo poetarum eminentiſſimus Homerus crebrò vocat cælum πολύχαλκον, ἀσφαλὲς, æratum,ferreum, adamantinum, nempe nullo ſenio contabeſcens, è ſedibus ſuis firmiſſimis nunquam diſcedens,tutum,ſtabile,non vacillans. Soli quoque crebrum dat epitheton, ἄκαμας, indefatigabilis,indeficiens,inexhauſtę lucis.

Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum?

Quinta eſſentia.

Quid eſt homo.

Viſitare.

Filius hominis.

SVſpexit cęlum,rediit in terras, hominem cum primis hoc carmine admiraturus, quem magnum miraculum Triſmegiſtus vetuſtiſſimus Aegyptiorum theologus vocat,vt qui ſit quaſi viſibilis quidam Deus,animal (vt ait Plato) diuiniſſimum, ſolus ex omnibus animantibus religionis,ſapientiæque capax. Propterea cælo,& omnibus ſtellis mirabilior, cui ſidera, totumq́; cęlum voluitur, calorem,lucemq́ue cęleſtem ſolis hominibus diſtribuens. Cui latè rura parent. Hunc vnum ſanctiſſimus vates admiratur,nobiliſſimis quibuſque creaturis comparans. Quid autem in omni mundo,Sole,Luna totoque ęthere nobilius, quem quintum, diuinumq́ue corpus, Plato,Ariſtotelesq́ue vocant? At ſi cernas hominem,pretij nullius eſt cælum. Non aliud quàm corpus luminoſum,idq́ue propter hominem. Quaſi lucerna quædam in laquearibus mundi his qui terram colunt, ſublimiter accenſa. Quam qui viſendam gentibus ſuſpendit,indicauit priore loco ſe eos habuiſſe,quibus lumen illud accenderet. Miratus igitur exclamat, Quid homo eſt, quòd memor es eius? Duobus ſenſibus quidnam erat homo, cuius vnius in primis rationem habere voluiſti? Quibus meritis aſſecutus eſt homo,vt in eo creando, ſapientiam tuam oſtentares? Nihil in eo creando te fugeret,nihil omitteres,non oſcitanter eum conderes, ſed omni vigilantia,omni cũ memoria,ſolertia. Acceſſit enim ipſe creaturus,qui cætera ſolo imperio creaſſet, omnem charitatem,memoriamq́ue ad illud opus adiecit. Alter ſenſus,per admirationem. Quanta res eſt homo,cuius pręcipuè creationem Deus attendit, hunc in primis ante oculos quem conderet habuit. Dij boni,quàm diuinum opus eſt homo,qualis,quantaq́ue diuinę mentis inuentio, quę teſtatur apertè,nihil tam exquiſite,tam ſolerter,tanta cum memoria, animiquè ſui pręſentia,Deum condidiſſe. Quod autem dicit, Viſitas eum: Hebraiſmus eſt. Viſitari à Deo,dicitur,quē Deus beneuolentia proſequitur,quem reſpicit,multis beneficijs accumulat,ſępius ad eum ventitat,inuiſit,memorem,beneuolumq. ſeſe illius oſtendit. Is fuit Deus hominem creando,nullum beneficium,nullam gratiam non conferendo. Viſitare igitur eſt proſpicere,prouidere: declaratur vis huius verbi,ex antecedenti,quòd, vt vbique ſolent pſalmi,bis eaſdem res duplicatis nominibus appellant. Primum, Quid eſt homo: Secundo, Filius hominis. Itemque primo, memor es eius: Secundo, Viſitas eum. Ex primo igitur doceris,quid ſit viſitare eum.

Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloria &honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Ab Angelis.

CÆteris omiſſis, quibus homo non eſt inſignis, quoniam cum reliquis animantibus habet ea communia, tantum partes eas proponit, quibus à rebus terreſtribus longiſſimè recedens,accedit proxime ad dignitatem Deorum. Pro Angelis, in fonte eſt אלהים Elohim,DeI nomen,& Angelorum,qui Dij in ſacris litteris,iuxtà atque profanis nuncupantur. Chaldæus quoque in eam linguam pro Hebraico nõ Deum,ſed מלאכיא milecaia, Angelos poſuit. Sequitur Rabi Salomon, omnes Hebræi ſimiliter. Ad hunc ſenſum,proponitur hominum conditio,paulò inferior dignitate Angelorum, quibus præter immortalitem corporum, fermè data ſint omnia,quæ Angelis. At mihi magis probatur, licet Hebræis ſuperſtitioſè reclamantibus,Elohim,vt vulgo per omnes ſacras litteras reſonat, (raro enim Angelos deſignat) nunc eſſe nomen ſummi Dei,eamq́ue theologiã cum primis Vatem diuinum nunc celebrare, qua Moſes vetuſtiſſimus philoſophus prodiderat,Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.Et,ad imaginẽ Dei fecit illum,Nam quemadmodum Moſes vbi declarauerat, hominem ad ſimilitudinem Dei creatum,quæ maximè ſit hæc ſimilitudo, ſubiecit, Vt dominaretur piſcibus maris, & volatilibus cæli. Ad hanc eandem ſeriem Poeta diuinus,vbi paulo Deo inferiorem conditum hominẽ ceciniſſet,addidit extemplo,Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Vera igitur lectio cũctis ambagibus amandatis,eſt,Paulò minus à Deo,quemadmodum in pſalterio tranſtulit Hieronymus. Totam enim theologiam decantat, vnde hominum genus,nimirum à Deo. Vnde hauſtus animus, nimirum ex mente diuina. Omnem inquam theologiam Moſaicam, qua docetur homines afflatu diuino creatos,ad imaginem Dei conditos,manibus Dei ſumpta materia molli,corpus effectũ. Datum imperium ſuper vniuerſa terra,mari,aere,cunctis terreſtribus,aeriis,& aquaticis animãtibus. Ad eorũ vſum deſuper cęleſtes luces accẽſas. Fecit enim eas,inquit Moſes,vt lucerent ſuper terrã,diem noctemq; diſtinguerent.Solẽ igitur,& Lunã, ſtellasq; Deus hominibus creauit imperatores,dominosq; omniũ rerum eos conſtituit, Nulla dignitas, nullus honos prętermiſſus,quẽ in eos non conferret. Vt Deus dominatur vbiq;,pręcipuè cęlo:ſic homo dominus totius mũdi, Deus quidam paruus,Deus terreſtris,vt priſca theologia prodidit.Hominis eſt quicquid ſurſum,deorſumq́, cernimus. Tale quid noſter nunc Vates admiratur,& canit, quale natura docẽte,philoſophus Latinus.Deum te igitur,inquit, ſcito eſſe: Siquidem Deus eſt qui viget,qui ſentit,qui meminit,qui pręuidet,qui tam regit,& moderatur,& mouet id corpus cui præpoſitus eſt,quàm hunc mundum princeps ille Deus.Et vt ipſe mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus æternus,ſic fragile corpus,animus ſempiternus mouet. Audi eundẽ philoſophum,non aliter quã Vatem Hebræum admirantem,diuinam hominis conditionem,totamq́ue Moſaicam theologiam,& huius Pſalmi declarantem:orditur ab eodem,atque Moſes,& nũc Dauid. Eſt igitur,inquit,quoniam nihil eſt ratione melius eaq́ue,& in homine,& in Deo.Prima homini cum Deo,rationis ſocietas.paulò poſt,Eſt igitur homini cum Deo,ſimilitudo. Quod cũ ita ſit,quæ tandem poteſt eſſe propior,certiorue cognatio? Itaque ad hominum commoditates, & vſus tantam rerum vbertatem natura largita eſt,vt ea quæ gignuntur,donata videantur. Non ſolum ea quæ frugibus,atque baccis,terræ fœtu,profunduntur,ſed etiam pecudes,quod perſpicuum ſit,partim ad vſum hominum,partim ad fructum,partim ad veſcendum procreatas. Multaq́ue præterea perſequitur,primum cum ſcriptoribus diuinis congruens, eſſe homini cum Deo ſimilitudinem,tum dignitates,muneraq́ue diuina,decus hominis admirans,cuius ad vſum cuncta deſeruiant,naſcantur,augeantur.Nulla igitur ratione legendum eſt,Paulo minus ab Angelis: cũ Deo fit,non cum Angelis,quorum erat obſcura natura,comparatio:conſerui ſunt Angeli: nihil habent nobis excellentius. Multi ſunt homines Angeli maiores,vt virgo cæleſti decorata partu, In deificatione quoque omnes erunt æquales Angelis Dei.Idem grauiſſimus orator:Homo cum nullo alio niſi cum Deo comparari poteſt.Idem conditionem hominis, velut nunc Hebræus admiratus,Animal,ait hoc prouidum,ſagax,multiplex,acutum,memor,plenum rationis,& conſilii,quem vocamus hominem,præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo Deo.Res igitur clara,cum Deo,qui dotes ſuas contulerit in hominem, eiq́ue ſimilitudinem ſuam indiderit,fieri comparationem.Hebræos non miraberis hic ſcrupuloſos, quos vbique nimium ſuperſtitioſos deprehendes. Nonne etiam diuus Paulus fatetur homines fore conformes imagini filii Dei? Et alius:Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.Et in Pſalmo:Ego dixi,Dii eſtis, & filii excelſi omnes. Si ſunt Dii,ſi filii Dei fieri poſſunt, ſi conformes Chriſto, eiuſdemq́ue claritatis futuri ſunt credentes,ſi cohæredes Chriſti,quid obſtat nunc dicere,Minuiſti eum paulo minus à Deo? Hæc igitur vera lectio.Quod autem ſequitur.

Baccæ,minutiorum arborum fructus eſt.

Coronaſti.

Gloria & honore coronaſti eum.] Præclarè coronaſti,vt tum deſignet honorum dignitatumq; quibus circunfuſus eſt homo,multitudinem,tum decus eius,& quaſi regnum,quo latè ſuper omnes animantes imperat, velut diademate regio decoratus, velut rex omnis terræ à Deo declaratus, regia corona,ſceptroq́ue inſignitus. Sunt Hebræi,qui putent hæc referri ad immortalitatem animorum, eam eſſe gloriam, id decus hominis, corpore cadente, reuolare animos immortales ad

cæleſtia

A cæleſtia. Hoc decus eſſe diuinum, ſedibus ætheriis ex genere diuino, animos eſſe dimiſſos. Deterius autem Angelis (perſtant enim non Deum, ſed Angelos, opinari, quibuſcum fiat comparatio) homines habere, quòd ſint alligati corpore: decus autem eſſe, quòd animus ſit cæleſtis. At hæc interpretatio paulò longius à ſcopo vagatur. Philoſophatur enim aperta, plana, cuius è medio noſter philoſophus. Repetit, aſſerit theologiam Moſaicam, coronam illā decantat, qua Deus in exordio mundi, declarauit hominem regē rerum terreſtrium. Iuſſit omnia pedibus eius ſubiici, Omnes in terris animantes eius imperiū exhorreſcere. Naſcitur quidē hoc ab immortalitate animi. Quo dominatur omnibus homo, eodem eſt immortalis. At primū illud à Poeta cōſideratur.

Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.] Conſtituiſti eum, clarius in fonte, & apertius, ſuperiora deſignans תמשילהו tamshilehu, dominari feciſti, dominum conſtituiſti. Hinc Hieronymus: Dabis ei poteſtatem ſuper opera manuum tuarum. Refert, vt ſuperius monſtratum eſt, Moſaicam, qua Deus imperium ſuper omni terra, ſuper omnibus animantibus homini, dedit, hæc dicens, Et replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terra. Opera igitur manuum vocat, quæ ſuperius, opera digitorum, Poeticis metaphoris, quibus profani quoque Poetæ dant Dijs manus, pedes, longius prouecti, dant ventis barbam, crines: pluraque id genus apud omnes inuenies. Dat ille dextetam ſummo Ioui. *Dextera ſacras iaculatus arces, Terruit vrbem.* Repetit eandem dominationem. Hæc opera Dei eſſe, vel philoſophi, quos agebat natura, diuinè cum ſacris litteris congruentes perſpexerunt. Poſtea inquit, Romanus philoſophus, cùm vidiſſent motus eius finitos, & æquabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique conſtantia, intelligere debuerant ineſſe aliquem non ſolum habitatorem in hac cæleſti, ac diuina domo, ſed etiam rectorem, & moderatorem, & tanquam architectum tanti operis, tantique muneris. Quantæ res, inquit, hominibus à Deo, quamque eximiæ tributæ ſunt? Vſurpant etiam idipſum nomen dominationis. Terrenorum item, inquit, commodorum omnis eſt in homine dominatus. Perſequiturque docens quod nunc diuinus Poeta canit. Nos onera, inquit quibuſdam beſtiis, nos iuga imponimus, nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad vtilitatem noſtram abutimur, nos è terræ cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros neceſſariam: nos æris, argenti, auri venas penitus abditas inuenimus. Non procul his: Quaſque res, ait, violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus, maris atque ventorum propter nauticarum rerum ſcientiam. Nos campis, nos montibus fruimur. Noſtri ſunt amnes, noſtri lacus, nos fruges ſerimus, nos arbores, nos aquarum inductionibus, terris fęcunditatem damus. Nos flumina arcemus, dirigimus, aduertimus. Quid verò? hominum ratio non in cælum vſque penetrauit? Demum concludens.

Conſtituiſti.

B

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.

RESTAT, inquit, vt doceam, atque aliquando perorem, Omnia quæ ſint in hoc mundo, quibus vtantur homines hominum cauſa facta eſſe, & parata. Igitur & illos non latuit, omnia pedibus eius eſſe ſubiecta.

Oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.

C OMiſſis (vt ait Auen Eſra) equis, aſiniſque, & id genus aliis, memorauit animalia magis vtilia, quæ nobis, & victum, & veſtitum, multaq; alia commoda præſtent. Multiplex eſt in ouibus vtilitas. De bobus autem audi Philoſophum, ſimilem, atque Poetam Hebræum, theologiam decantantem. Quid de bobus, ait, loquar, quorum ipſa terga declarant non eſſe ad onus accipiendum, figurata? Ceruices autem natæ ad iugum, tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda. Tanta, ait, putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur. Perſequitur de reliquis animalibus, quod ſemel noſter dixit, Et pecora campi. Pecora campi, Hebraicè ſunt beſtiæ campeſtres, paſcentes in pratis, equi, aſini, ſues. Longum, inquit idem philoſophus, eſt mulorum perſequi vtilitates, & aſinorum, quæ certè ad hominum vſum paratæ ſunt.

Boues.

Pecora cāpi.

Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

AD eundem ordinem, eadem admiratus in ſua philoſophia Romanus; Quid multitudinem, inquit, ſuauitatemque piſcium dicam? quid auium ex quibus tanta percipitur uoluptas, ut interdum pronoe noſtra, id eſt prouidentia, Epicurea fuiſſe uideatur. Semitas maris obambulare piſces canit, hinc Grecè uocatur ποντοπόροι, pontiuagi, pontumq; ſecantes, æſtuq; ſecabant. Semitas æquoreas eleganter ſectas, non impreſſas à piſcibus, dixit, Gens innumerabilis uariarumque monſtra ferarum. Iter æquoreum ſecat. Sciendum, Hebraicè, qui perambulant ſemitas maris, eſſe participium ſingulare עבר ober, perambulat, piſces autem numerus multus. Ob id Hebræus Auen Eſra ſentit id non de piſcibus, ſed homine, qui perambulat ſemitas maris, ut dicatur in pſalmo, Ingreditur ſemitas maris, nimirum homo. Quia, inquit, ingenio ſuo reperit artem nauium faciendarum, ſcitque uias quibus mare ſecatur. Id autem commemorauit, inquit, quòd in profundis fluctibus expiſcantur piſces. Stat tamen eodem teſte, ut poſſit de piſcibus intelligi, Qui perambulant.

Hic eſt Cicero Romani princeps eloquij.

Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt
nomen tuum in vniuerſa terra.

IDem finis atque principium, ut Pſalmus, Benedic anima mea dominum, ut noſcas artificium. Solet id in ſuis hymnis Homerus.

Μνήσομαι ὐδὲ λάθομαι ἀπόλλονος ἑκάτοιο.

Sum memor, atque tui non obliuiſcar Apollo.

In fine totius carminis, prolixi quidem:

Αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σέιο, καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

Aſt ego, non hoc ſolo recolam te carmine Apollo.

Eſt quaſi carmen Amabæum, ut noſter,

Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.

Theocritus quoque quem noſter exprimit:

Αρχετε βωκολικᾶς μῶσαι φίλ' ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

Incipe bucolicum carmen, chara incipe Muſa.

PSALMI NONI INSCRIPTIO.

In finem pro occultis filij, Pſalmus Dauid.

In finem. lamnazea. IN finem: Hebraicè lamnazeach, ad iubilandum, triumphandum, pæaniſmum, victoriale carmen præcinere. Secunda vox pro occultis: in fonte עלמות almoth, vehementer amphibola. Si ſint duæ dictiones al moth, ſonabit ſuper mortem. Si vna duntaxat, duas tenet ſignificationes, almoth occulta, vnde alma abſcondita virgo. Aut eſt nomen citharæ, vocatæ almot, vt inſcriptionibus pſalmorum fiet perſpicuum. Quod item tranſtulerunt Græci, filium, Hebraicè לבן laben, ea quoque vox ambigua. Alij eſſe eum qui dicitur נבל conuerte litteras Nabal, hic laben. Alij quod maximè probat Auen Eſra, eſſe nomen principis, qui bellum gereret contra Iſraelitas: ſuper quo interfecto hoc carmen victoriale cecinerit. Hoc mihi videtur probabilius. Nam prior dictio ſuper occultis, non poteſt deſignare, neq; muſicum inſtrumētū, propterea quod ſimpliciter dr̄ ſuper almoth. non dr̄ almoth, nempe vel ſuper organo illo, vel ſuper occultis. Secūda vox filiū deſignare non poteſt, quoniam non adderetur ei præpoſitio la, ſed Simpliciter diceret, ſuper morte ben, nēpe filii. Minus item probabile, vt litterarum facta ſit conuerſio pro Nabal, laban, non vſitatum ſacris litteris. Probatior igitur ſententia Auen Eſræ, & eorum quos ille ſequitur, vt inſcriptio ſit ad hunc modum legenda, Ad canendum triumphaliter ſuper morte Laban. Quod explicans Chaldæus paucis, vt ſolet, adiectis, In laudem, inquit, Pro morte viri, qui egreſſus eſt פולמרחא polemircha, de medio exercitu. Eſt (vt vides in Chaldæo) vox Græca πολέμαρχος, id eſt princeps belli. Super hoc interfecto, qui quondam bellis continentibus vexaret Hebræos, tradit antiqua doctrinæ ſucceſſio, hoc victoriale carmen editum. Eſt quaſi hymnus in Iouem iudicem rerum humanarum, fulminatorem altitonantem.

Pro occultis. Alma. Filij. La.

PSALMI IX. EXPLANATIO.

Cōfitebor. COnfitebor tibi domine, in toto corde meo,
narrabo omnia mira bilia tua.

ORditur, quale ſępe ſuos hymnos inchoans Homerus. Eſt enim Confitebor tibi, vt ſæpenumero admonui, quod priſcus ille Poeta, quem uetuſtam Hebræorum ſapiētiam non latuiſſe palàm eſt, in ſuis hymnis, aut pſalmis, quos Diis, decantat, præfatur.

Γαῖαν παμμήτειραν ἀείσομαι ἠυθέμεθλον,

Tellurem omniparentem canto, & bene firmam.

Iehoua. Et in hymno Iouis qui & in hoc pſalmo uocatur Iehoua, amotis uocalibus Ioues.

Ζῆνα θεῶν τὸν ἄριστον ἀείσομαι ἠδὲ μέγιστον.

Canto Iouem qui diuum eſt maximus, atque ſupremus.

Eſt etiam ut furta profanorum poetarum noſcas, ſimile apud utrunque uerbum. Nam quod Homerus in initio, ἀείδο, ἀείσομαι, in pſalmo eſt אודה ode, cantabo, confitebor, ut tum rationem canendorum pſalmorum, tum exordiendi, tum nomina uſurpauerit. Atque in fonte proprie eſt, Cantabo Iouem cum toto corde meo, יהוהבכל לבי אודה En furta illorum ex ſacris poematis. Homerus item præfatur, cantabo Iouem optimum, maximumq́ue. Vates autem Hebræus maximum deſignat, cum pollicetur ſe canere prodigia, fortia facta eius, uictorias per eum partas. Itaque dicens narrabo, Hebraicèque eſt numerabo, recenſebo, proponit quaſi catalogum prodigiorum diuinorum, ſuis carminibus explicandum.

Narrabo.

Lætabor,exultabo in te: pſallam nomini domini altiſſimi.

A EXaggeratio his hymnis vſitata, Lætabor,exultabo,pſallam, coniũcta inter ſe atque apta. Qui canit lætatur, neſcio qua dulcedine lætus, mulcetur, hilareſcit, obambulant animum gaudia quædam cęleſtia. Canendo triſtitia diſcutitur.

Interea longum cantu ſolata laborem.

Quocirca Hieron. in ſua tralatione vertit lætabor,& gaudebo in te,canam nomini tuo altiſſime. Itaque parum Latinè reliquit Gręcum verbum intactum pſallam,Latinus interpres,non vſitatum apud bonos autores, cùm non deeſſet Latinum, quo poſſet Græcum bene reddere. Quemadmodum facit ineptè transferens,confiteri,quod eſt canere, quibus ineptijs obſcuratur elegantia carminis Hebraici.Scias item, vatem Hebræum vſitato epitheto vocare Iouem ſuum, altiſſimum,quo crebrò vocat eundem Homerus ἄριςον μέγιςον optimum, maximum. Et in calce pſalmi,ſiue hymni in Iouem,vt ſuperius demonſtratum eſt:

Εὐρυόπα κρονίδη κύδιςε φέριςε.

Longius aſpiciens, & præſtantiſſime,ſumme.

Eſt enim vis Hebraici epitheti,altiſſimi,quæ continetur duobus illis, εὐρυόπα, cernens latè,nempe ex editiſſima cæli ſpecula,quod alius pſalmus canit: Et alta à longè cognoſcit:ſcilicet εὐρυόπα. Vt noſcas item ſermonem Hebraicum omnis in terra ſermonis patrem, velut quendam multorum fluminum genitorem,fontem. Helion Hebraicè dicitur altiſſimus. Hinc ergo vetuſtiſſimi Græci ab Hebræis nati (Nam Iauan Græcæ nationis progenitor,ab eadem, atque Abraham origine) vocarunt Solem,velut altiſſimum ἥλιον, Helion, quemadmodum vſurparunt vocem oda,
B & Ethruſci nomen ſummi Dei,Iehouah,Ioues.

Pſallere.

Pſallere.

Confiten.

Altiſſimus.lib.de Som. ſcipionis. Solem ſummũ vocat maſiniſſa. 285.

Εὐρυόπα.

Hebræa lingua, cęterarum parens.

Græci ab hebręis ge. 10. Ezech.27.c.

In conuertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

PEr numerum multum dicendum vbiq;,ne ſenſus fiat obſcurior,inimici mei. Atq; Hieronymus reddidit clarius,Cùm ceciderint inimici mei retrorſum, & corruerunt, & perierunt à facie tua. Ad amuſſim igitur ſic habet Hebraicum: In redeundo inimicos meos retrorſum. Dum fuſi,fugatique inimici terga dabunt. Cantabo,inquit,cùm in fugam coniectos inimicos videro: Aut, ob partam iam victoriã, ob ſuperatos,in fugamq; verſos inimicos, victoriale carmen concinam.Interfecto,inquit Auen Eſra,eorum rege,non reſurgent. Quod autem dixit ἀσθενήσουσι, infirmabuntur,fons clarior יכשלו ichashelu,cadent,corruẽt,vt vertit Hiero.Forſan,& hoc quoque Hebraicum peruenit ad Latinos. Nam caſus Hebraicè caſal. Orationis igitur ordo eſt,In redeundo inimicos meos retrorſum,corruent,peribunt. Vel ſic,lætabor, gaudebo,cantabo,quoniam fuſi terga vertent hoſtes,cadent,peribunt,delebuntur. Ob hanc victoriam,cantabo,efferar lætitia,dicam tibi ſacrum carmen,hymnum diuinum tibi magno cum gaudio ſacrabo. A facie tua,Hebraiſmus eſt. Iungunt faciem præpoſitioni,vt,in ſuperfacie terrę. Nẽpe ſuper terra. Super facies aquarum,ſuper ipſis aquis. Similiter peribunt à facie tua, ante te, in oculis tuis,ſiue propter te,te victoriæ duce,te prælijs noſtris præſente, victoriamque concedente. Totum autem hunc verſum,Symmachus,quem imitatus eſt Hieronymus, tranſtulit ᾄσω τῷ
C ὀνόματί σου ὕψιςε, ἀνατραπέντων τῶν ἐχθρῶν μου εἰς τὰ ὀπίσω, cantabo nomini tuo,altiſſime, conuerſis inimicis meis retrorſum. Poſſuntq; hæc futura eſſe vice præteritorum. Quòd inimici verſi ſunt in fugam,quod exercitus eorum deletus, quodque duce te profligata ſunt agmina impiorum,Cantabo carmen epinicion. claret ex ſequentibus.

Infirmab.

Caſus.

A facie tua.

Symmachum imitatus eſt Hieronymus.

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam:ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam.

SEueritatem,vindictam,inimico ex ſanguine pænas ſumptas deſignat. Pro eo quod Latinus dixit,cauſam meam,Græcè,& Hebraicè clarius, δίκην, ius,iuſtitiam. Hebraicum, דיני dini, iudicium meum,atq; ius,iuſtitiamq; meã cauſam meã vindicaſti. Non ego, ſed illi profligari, deleri merebantur: contra pios impia arma mouebant. Hoc tu cernens,cauſam noſtram ſuſcepiſti,iniurias noſtras perſecutus es,atrociter vindicaſti. Hanc ſententiam venuſta metaphora declarans,Sediſti ſuper thronum,ſceptrum ſcilicet,virgamq; cenſoriam ſumpſiſti,ſeueriſſimè iudicaſti

-celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.

Haud ſecus noſter,Sententiam contra noſtros inimicos pronuntiaturus,ſuper maieſtatis tuę ſolio ſediſti. Quis eſt hic,ait,qui te neget res hominũ attẽdere,& quoties iuſtus ab iniuſto vexatur, diripitur, violatur,negligere? imò tu vindicas iniurias vexatorũ. Tralationem throni, cui Deus inſideat,cæteri quoq; prophetę frequẽter uſurpant. Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum,& eleuatum. Et alius,In excelſo throno uidi ſedere uirum,quem adorant multitudo Angelorum. Simile quid nunc decantans, iudicem eorum,quę fiant in terris eum demonſtrat. Forſan

Cauſſa.

Sediſti ſu. thron.

& hoc Hebraicum nomen diu vſurparunt Græci δίκην, iuſtitiam, iuſque deſignat. Thronus quoque Græcum eſt, Latinè ſolium. D

Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Deus vniuerſalis. Iudex. VT vſus eſt tralatione throni, proponens Deum velut vniuerſalem iudicem, qui ſedeat, ſceptra tenens, moderator ſcelerumq́; vltor, quod veteri prouerbio, vt ait Ariſtoteles, & Philo, declaratur δίκην πάρεδρον τοῦ θεοῦ, iuſtitiam, Dei aſſiſtricem eſſe: ſic dat eidem voces horribiles, iudiciales, quibus velut a ſummo iudice, ſcelerati coarguantur, pauore, terroreq́; afficiantur. Primum igitur in eos infremuit, tonitruq́; ſuæ maieſtatis eos concuſſit, perfregit, tum illi ceciderunt, velut cùm dixiſſet, Quē quæritis? percuſſi, fracti. Deletus eſt igitur exercitus ille gentium impiarum ad increpationem diuinam, Iouialem. Et per epitaſin carmen intenditur. Quę ſint gētes, diſcas ex ſequenti, nempe impius. Sic quid ſit increpaſti, nimirum, Nomen eorum deleſti, perdidiſti, profligaſti. In ſęculum ſęculi, dixerunt Sept. quod Hebraicè ועד vead, Et
Et vltra. vltra. Totum autem hunc locum Chaldæus intelligens de Philiſtęis, & Gholiath eorum fortiſſimo, tranſtulit: Increpuiſti populum Philiſtinorum, perdidiſti Goliath impium.

Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti: periit memoria eorum cum ſonitu.

Framea. Rōphea. SI legas iuxta ea quæ tranſtulerunt Sept. exponendum eſt, Defecerunt frameæ inimici, in æternum. Sciendum pro famea Gręcè eſſe ῥομφαία, romphæa, vtrunq, nomen raro apud bonos autores Græcos, & Latinos, nunquam apud bonos hiſtoricos qui de bellis, machiniſque bellorum ſcripſerunt, reperias. Framea, telum Germanicum, autor Tacitus. Vox igitur Hebraica quę hoc loco eſt, חרבות cùm ſit amphibola (ſonat enim ſiccitates, ſonat ſolitudines, deſerta, ſonat gladios) non erat transferenda romphęa, aut framea, ſed ſolitudines. Et quod Sept. dixerunt E
Lanezach. more ſuo εἰς τέλος, in finem, eſt Hebraicè לנצח lanezach in ſempiternum. Et verbum defecerunt, תמו tammu, poteſt ſonare defecerunt, & completi ſunt. Igitur Hieronymus iuxta hæc ſignificatà vertit, Inimici completæ ſunt ſolitudines in finem. Hanc ſententiam probat Rabi Salomon deſignare ex aliis locis chorabot, ſolitudines, vt quod ait Hieremias, Reuertemur, ædificabimus Chorbot, nēpe ſolitudines. Hæc dicit dn̄s exercituum, Ipſi ædificabunt, & ego deſtruam. Ad hanc ſignificationem verbum tammu, transferendum eſt, conſumatæ ſunt, perfectæ ſolitudines eorum. Vltimumque eorum excidium innuitur, euerſio. Hæc ſignificatio, eo vel maximè probatur, quòd (vt ſolet vbique) continuò ſimilem repetit ſententiam. Et ciuitates eorum deſtruxiſti. Ecce ſolitudo, vaſtitas. Quod autem ait, Periit memoria eorum cum ſonitu: non eſt
Cū ſonitu. in fonte, Cum ſonitu, ſed, Perijt memoria eorum המה hema, ipſis deeſt præpoſitio, cum ipſis, vt dixit Hieronymus, & Chaldæus, Periit memoria eorum ab ipſis. Quid enim eſt cum ſonitu? Legenda ſunt igitur omnia, digerendusq́; verſus, vt monſtrauimus, de Palæſtinis hoſtibus, vt ſentit Chaldæus, funditus euerſis, extremæ neci datis.

Et dominus in æternum permanet. Parauit in iudicio thronum ſuum.

Permanet. HAec verſuum ſeries in fonte, non erat ab interpretibus perturbanda. Quod dixerunt Græcè μένει, permanet, Hebraicè, Et dominus in æternum ישב ieſheb, ſedebit. Vſurpauerat enim ſuperius ſimilitudinem ſolij, dediſti ſuper thronum: nunc in æternum ſedebit, nempe regnabit, præſidebit, illis deletis, & funditus euerſis, qui bellum ſuperius indixerant, & quaſi gigātomachiam ſuſcitauerant, ipſe Deus laudabitur, vigebit, ſempiternum erit regnum eius, poteſtas æterna. Eoque ſequitur, parauit in iudicio thronum ſuum. Pro parauit, melius, at-
Parauit. que luculentius in fonte כונן conen, fixit, ſtabiliuit. Inde Chaldæus תקין tachin, roborauit. Hoc ſenſu dicuntur, Eodem iudicio, ſeueritate contra inimicos ſemper erit, qua fuit nunc. Non eſt, ait, poteſtas eius breue ad tempus, tantopere ſemper erit in poſterum omnipotens, hoſtibusque tremendus, quantopere hactenus fuit. Non eſt abbreuiata manus eius. Imò vero ſtabiliuit
Deus, cur beatus ſit, & admirabilis. ſolium diuinitatis ſuæ, in iudicio, & æquitate, nimirum æternitas regni ſui ſociatur cum æterna iuſtitia, pariter ſempiterna æquitas, atque regnum ipſum. Robur huius regni, quo permanet, ad omne tempus eſt, propter inexhauſtam, indeficientemque iuſtitiam: ſtabilitatem throni ſui, vult eſſe incorruptam, immortalemque æquitatem. Hoc robur, hæ vires Dei. Non eſt (ait Plutarchus) Deus beatus, excellentiſſimus, atque admirabilis quòd poſſit omnes perdere gentes, ſed propter inæſtimabilem æquitatem, infinitamque bonitatem. Hac Deus æternus, hac omnes antecellit Deos, homineſque. Propterea ſubijcit.

Et ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iuſtitia.

Prouidentia. OMne hoc carmen in euerſionem dubitationis, aſſertioniſque confirmationem tendit, nam multi philoſophorum cùm viderent malos felices, bonos infelices, dubitarunt an vllum eſſet numen, cuius iudicio res hominum ſubiicerentur, vt eſt apud Claudianum.

Sæpe

A *Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem*
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, lætosque diu florere nocentes.

Hanc dubitationem tollunt vbique ſacræ litteræ, contenta voce, & ſæpiſſimè proclamantes eſſe iudicem, qui res hominum æternis regit imperiis, & fulmine terret. Eſt enim fulmen, quòd Poeta ſacer appellat increprationem, vt Poetę profani Iouem fulmine terrere gentes canunt, ſic ſacer increpare. Illi fulmen celebrant, ſacri tonitru: etiã illi tonitru nonnunquã. Hinç vocant eundem ὑψιβρεμέτα, Altitonantem, quod in Hebraica poeſi, increpantem. Vtque noſter ſuperius dixit illum increpare gentes nempe tonitru quatere, ſic Latinus humanas motura tonitrua mentes. Perſuaſum igitur ſit nobis, quàm nomen Iouis è ſacris litteris vſurpaſſent poetæ profani, tam vſurpaſſe tonitru, fulmen, tela Iouis, imperium ſuper omni terra, & quòd res hominum regat imperiis æternis, & terreat. Imperare, & terrere dicitur in poeſi ſacra, shapat, iudicare: nimirum res omnes cernere qua ratione fiant, tum ſententiam ferre de malefactis. Propterea repetit, Iudicabit populos in iuſtitia, æquitate. Et ſacras litteras ſequentes prophani Poetæ vocant eundem θεμίςιον, iudicialem, iura dantem. Ad hanc rationem, diuinæ poeſis non ignarus, ſed imitator Homerus, in hymno, ſiue pſalmo Iouis de eo,

Altitonãs.

Iudicare.

Ευρυόπα, κρείοντα, τελεσφόρον, ὅςε θέμιςι
B Εγκλιδὸν ἑζόμενος πυκινὺς ὄαρυς ὀαρίζει,
Immenſis oculis, dominator, iuſtitiæque
Inſidens ſolio iura immortalia ſanxit.

Ε'υρυόπα

Cernis, hoc vt è ſacris litteris veluti fonte profluens, quarum priſci Græcorum poetæ penitus imitatores fuerunt. Homerus enim perinde atque Orpheus, adijt Aegyptum, cum ſacerdotibus, quos Prophetas nuncupabant, verſatus eſt. Erat antiquiſſimis illis ſæculis maior inter Græcos, Orientalesque linguæ, ſcientiarumq; ſocietas, propterea quòd minus aberant ab exordio, cùm nullum eſſet ſermonis, ſcientiarumque diſſidium. Tota igitur hæc Hebraica poeſis, ratioq; hymnorum, nomina, res attributæ ſummo Ioui, ipſumque Iouis nomen, ab hac ſancta longeque antinquiſſima poeſi manarunt. Idcirco rectè collata poeſi profana, declaratur ſi qua in ſacra obſcuritas ocurrat.

Et factus eſt dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

REcte dixerunt interpretes εὐκαιρίαις opportunitatibus, quod Hebraicè עתות itoh, tempora, pro refugio, quanquam non multùm intereſt, fons משגב miſegab, eleuatio, ſubleuatio, vt tranſtulit Hieronymus. Eleuatio, qua ſubducuntur, eripiuntur, clade impendente. Pro paupere, quanquam idem ferme eſt, fons habet דך dak, in Hebraica dialecto ſonat, vexatum, attritum, auxilio deſtitutum. Hunc Auen Eſra interpretatur, cui non ſit robur, humilem, deiectum. Eique non ab re opponitur nomen eleuatoris: ille proiectus humi, calamitate fractus. Deus eleuator, exaltator. Secundò quoque quod Græcè βοηθὸς adiutor, inculcatur id ipſum nomen, eleuator. Iure etiam dixit in oportunitatibus. Optimum, præſentiſſimum auxilium, quod affertur in tempore. Calamitate aduentante, ceruicibus impendente. Tum ſi quis oppoſita dextra, peſtem repellat, næ præſtantiſſimus auxiliator. Tribulationem noſter dixit, quod Hebraicè צר zar, anguſtia, preſſura, qua ſcilicet aut terimur, conflictamur, aut quæ proximè impendet: verſiculusque totus ad amuſſim habet, Et erit Ioues ſubleuator, ſiue exaltator pauperi, ſubleuator, in temporibus, in calamitate. Chaldæus ſiquid myſterij ſubſit, reddit: Et erit verbum domini, robur pauperi, robur in tempore calamitatis. Delectatur vbique pro eo quod eſt Hebraicè Iehoua, dicere verbum Dei. Neſcio an ſit illud in antiqua theologia θεῖος λόγος.

Opportunitates.

Pauper.

C

Tribulatio.

Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te domine.

SPerent, poſſet item (quemadmodum tranſtulit Hieronymus) efferri per futurum: Et ſperabunt, aut confident. Id explanans Auen Eſra, Cùm viderint, inquit, miſerum illum à Deo ſubleuatum, ereptumque ex calamitate, tunc confident. Tum verò fiduciæ, ſpeique replebuntur. Hanc fiduciam non omnibus in vniuerſum pollicetur, ſed his duntaxat, qui nouerunt nomen eius, nempe maieſtatem, gloriam, quam, noſcentes venerantur, colunt. Nec aliud pietatem definit vetuſtiſſimus Triſmegiſtus, quàm cognitionem, ſcientiamque Dei. Pios igitur innuit, qui Deum colentes ab eodem redamantur, coluntur. Propterea quòd non eſt pietatis immemor Deus, facit, vt longiſſimè abſint ab eis clades, pericula. Iidem porrò ſunt qui nouerunt nomen eius, atque qui quærunt eum. Ecce igitur non relinquuntur à Deo, qui quærunt eum.

Sperent.

Qui nouerũt nomẽ tuum.

Pietas.

Qui quærunt te.

eum. Quæritur autem Deus benefactis, precibus. Id enim eſt noſſe eum, & quærere. Quæritur à quibus colitur, noſcitur. Hi ſunt quos Ariſtoteles naturæ motu pronuntiat, à Deo, pro eorum pietate, redamari. Qua de cauſa laborandum, ſi cupis cęleſtem pro te vigilare prouidentiam, vt hanc pietate, cultuque aſſequaris.

Pſallite domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes ſtudia eius.

Pſallere. Studia.

PSallite, rectius, magiſque Latinè, Hieronymus in ſuo pſalterio, cantate, Chaldæus quoq; vice eius שבחו ſabechu, laudate. Studia eius, fons עלילותיו alilothau, ſtudia, vel cogitationes, quemadmodum vertit Hieronymus eadem vox ſonat, facta, opera. Eoque Chaldæus vice eius, Annunciate opera eius. Declarant ſuperiora, qui ſint, qui quærant, noſcant eum, quos ille nunquam reliquerit. Nempe qui Sion incolunt, quibuſcum habitare, ac ſedere Deus dicitur. Hos igitur Deus non deſpicit, hos tuetur, Protegit. Propterea quòd noſcunt, quæruntque eum. Inuenitur enim ab his (vt alius proteſtatur) qui quærunt eum. Qui cęteros pietate præcedunt, continuis cogitationibus cum eo verſantur. Celebrat autem montem Sion, velut poetæ profani montes ſuos

Mænalus, argutumque nemus, pinoſque loquentes
Semper habet, ſemper paſtorum ille audit amores.

Cytheron cytheronis. 127. 531. Gen. 21.

Et Parnaſus, Cytheron: Ille templo Apollinis propinquus, is Athenis. Ita nunc iubet in Sion voces alacres audiri, ſacrumque montem piorum concentu reſonare, fortia facta Dei, victoriasq; per eum partas canentium. Vocat ad victoriales laudes, ad carmina pios, à finibus eorum iam pulſis, iam penitus deletis hoſtibus. Hæc ſunt opera, ſtudia, facinora, cogitationes eius. Gentes, vt ſolet vbique, reliquos omnes mortales appellat, perinde differentes ab Hebræis, atq; Græcis, Romaniſque barbari. Omnes verum Deum non colentes, à legibus, inſtitutiſque eorum differentes, gentes Hebræi vocabant. Inter hos iubet pſaltes facinora Dei celebrari.

Qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt, vt prima nouercæ
Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues:
Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes
Talia carminibus celebrant.

Dei in Siō habitatio.

Eſt autem (quod ſolet plerunque) idem pſallere domino, atque opera eius annuntiare. Græci quæ ſit eius in Sion habitatio, præclarè docent, cuius immenſa maieſtas intercipi locis nequeat, amicitiam, beneuolentiam erga locum indicari. Chaldæus quoque quiddam claritatis addidit. Laudate dominum, cuius maieſtas in Sion.

Quoniam requirens ſanguinem eorum, recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.

Sãguinem requirere.

REquirere ſanguinem, Hebraicus loquendi ritus, quaſi vlciſci, repoſcere pœnas ſanguinis effuſi: vt, Sanguinem eius de manu tua requiram. Requirens ſanguinem, & pœnas contra ſanguinarios illos inimicos, qui bona eorum diripuiſſent, eoſque ingenti cæde mactaſſent, deſtinans, recordatus eſt. Vno eodemque tempore, & pœnas ſumpſit, & recordatus eſt. Indicauit ſe memorem illorum, cùm inimicos eorum, à quibus olim cędebantur, interficiebãtur, ſupplicio affecit. Prěclaram hoc loco philoſophiam doceri, probat Chryſoſtomus, de prouidentia diuina, quæ cædes, iniuriaſque miſerorum exactè perſequens vlciſcatur. Quòd ſi non ſubitò pœnas ſumat, clementiam eius probari expectantem peccatores ad pœnitentiam.

Recor. eſt.

Pauperes.

Quos Septuaginta dixerunt πένητες, pauperes ſonat Hebraicè miſeros, commiſeratione dignos. apud Poetam,

Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent.
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.

Sunt enim Hebraicè pauperes, ope deſtituti, gementes. Horum voces exaudit Deus, horum miſeretur. Nota igitur eſt prouidentia, à philoſophis, priſciſque Poetis, ſacrarum litterarum etiam ignaris prædicata. Ariſtoteles, cuius plerique non omnia placita viderunt, in libro de Mundo de Deo loquens, τῷ δὲ ξυνέπεται δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός: ἧς ὁ εὐδαιμονήσειν μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη. Hunc, ait, ſequitur iuſtitia, vltrix eorum, qui leges diuinas præuaricantur. Beatus autem, & fortunatus, qui cepit eam ab incunabulis ſectari. Similia Homerus de vltione diuina, contra homicidas in initio ſui poematis.

Ariſtoteles.

Miſerere

Miſerere mei domine: vide humilitatem meam de inimicis meis: Qui exaltas me de portis mortis.

Humilitas.
De inimicis meis.
Exalt. de port. mor:

IS ordo carminis verus: humilitatem, fons vocat עני onij. Clarius, & melius à Hieronymo vertitur afflictio. Vide afflictionem meam, quàm ſum deiectus humi, debilitatus, vndiq; deſtitutus. Quibus rebus fit, vt ad auxilium tuum confugiam, magnis anguſtijs interceptus, magno dolore afficior. Dixit afflictionem de inimicis, nempe ab inimicis, iniuriarum cupidis, illatã, qua me inimici vexant. Hanc oculis tuis aſpice. Cerne hoſtes bellandi cupidos. Exaltas de portis mortis, figura ſermonis Hebraici. Quanquam & Homerus portas inferorem vſurpat:

· Εἰς ἀΐδαο πύλῃσιν.
· Οἱ μὲν αὖτις ἔβη δόμον ἄϊδος εἴσω.

Eſt igitur ſenſus verus: Eleuans me de portis mortis: eripis ab inſtante morte, à morte iam iam impendente. Vſque ad portas mortis acceſſeram, eouſque calamitas me propulerat: ſed tu dexteram dediſti, ſubripuiſti, abſtraxiſti. Os illud ſemper hians, inſatiabile, te mihi opem ferente, non me abſorbuit. Hoc igitur de interitu corporis dicit, at Græci de interitu animi interpretantur, à quo Deus eum eripuerit, ereptus laudes decantet. Primum illud ad litterram magis reſonat: Qui ſolitus igitur ante hac mihi præſidio eſſe, qui continua cuſtodia me protexiſti, nunc quoque miſerere, nullaque nubes proſpectum, quo præſentem calamitatem aſpicias, impediat. Similia precatur in ſuis hymnis Homerus, vt hinc eum didiciſſe noſcas.

Ἀλλ᾽ ἵληθ᾽ ἥφαιστε, δίδου δ᾽ ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.

Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in ſalutari tuo.

Vt an.
Filia Sion:
Ben. bath.
Laudationes:
IESVS:

HOc ordine legendum, quod vel apud Hieronymum cernas. Sæpe ea de cauſa ſalutem tum ex ægritudine, tum in pręliis precatur, vt Deum laudare queat: vt quia mors non confitebitur. Serua igitur, inquit, incolumem, vt viua vox te reſonet, vt in Sion laudes tuæ concionentur. Opponit (vt ait Auen Eſra) portas filiæ Sion, portis, quas ſuperius memorauerat. Filia Sion Hebraiſmus, habitatio, ciuitas Sion, vt Filia Babylonis, filia Moab. Habitatio, ciuitas: eoque poſuit pro filia, Chaldæus כנישת kenishat, cœtum, concilium, congregationem. Eſt enim Hebraicè generare, & fabricari quemadmodum Latinis idem. Fabricari בנה bana, filius בן ben, quaſi fabrica, partus, opus. Filia בת bat. Itaque idem nomen ſonat filiam, & ædificium. Filia Sion, habitatio, ædificium Sion. Eſt & Hebraica figura, cùm dicunt filios orientis, orientales: Sic filiæ Sion habitatrices Sion; per fœmininum autem filia Sion, non vt priuatam vnam fęminam deſignet, ſed totam habitantium collectionem, vt Gręcè ſynodos, genere fęmineo. Laudationes autem dixiſſet interpres rectius, & à fonte non longius laudes, hymnos, carmina. Qui dicitur Græcè hymnus Hebræis תהלה thehila. Prędicare quoq; ſiue celebrare melius fuiſſet, quàm annuntiare. Dixit item in portis, quod & ipſum, ſaliuam Hebraicam reſipit, vbi frequentes coeunt ciues exeuntes, introeunteſq;. Indicatur id ex aliis locis. Vt Hieremias ſtans in portis Hieruſalem, calamitatem ciuibus impendentem proclamans. Nihilo ſecius promittit nunc Pſalmus, celebraturum, exerta voce pronuntiaturum victorias, laudeſq; ſummi Dei, non fore ſe ingratum, & immemorem. Qui ſoles, ait, aliàs mihi præſiduo eſſe, miſerere nunc quoq„ victorem me declarato, vt laudes tuas cunctis audientibus pronuntiem. Quid enim aliud reſtat quod mortalis poſſit rependere Deo? Aſſerenſque, & declarans eandem ſententiam ſubiicit, Exultabo in ſalutari tuo. Nimirum efferar lætitia, carmina læta concinam, ob ſalutem mihi collatam. Mirum Sept. interpretes vbique delectari transferre σωτήριον, ſalutare, quod clarè deſignat in fonte, ſalutem ישועה Ieſua, IESVM, ſalutem, ſeruatorem. Ad hanc rationem cecinit item Habacuc, Exultabo in IESV Deo meo. Quaſi, Carminibus Iouem ſalutarem celebrabo.

Infixę ſunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

Gentes.
Interitus.
Infixæ ſunt.

SImilis eſt is pſalmus ſeptimo, fermeque idem carmen, idem argumentum. Illic poſt multa, retulit de ſcelerato. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Nunc autem, infixæ ſunt gentes in interitu. Gentes, vt ſæpius monuimus, appellat quaſi barbaros: idololatras, ignaras veri Dei, qui continentibus bellis infeſtarent Hebræos: in quos ſecundo pſalmo iratus, Quare fremuerunt gentes. Sciendum, quòd Septuaginta tranſtulerunt διαφθορὰν, interitum, eſt in fonte שחת shachath, vox, vt ſupra monſtratum eſt, deſignans nunc interitum, nunc, foſſam, ſcrobem: Iure vocatam interitum, quòd perimat, in exitium trahat. Dicendum itaque, infixę ſunt gentes in foſſam, quam fecerunt. Præcipitarunt, inquit, in barathrum, voraginem, quam parauerant aliis. Inſidias collocauerant, cuniculos effoderant, vt Hebræos longius prouectos, in eos, præcipites allicerent. Sed inſidiis detectis, volente Deo in voragines illas, priores ipſi, mente alienata, inciderunt. Quanquam probabile magis figuratam eſſe locutionem, in calamitatem, clademque, quam Hebræis importare deſtinaſſent, eos corruiſſe. Propriè quoque locutus eſt, Infixæ ſunt gentes, quaſi acutiſſimis vallis induerunt ſeſe, delapſæ, demerſæ, vt vertit

Hierony. Repetit more ſuo eandem ſententiam, In laqueo, quem abſconderunt. Pro laqueo, D fons רשת resheth, rete, Inciderunt in rete. qua capere Hebræos deſtinaſſent, pes eorum interceptus. Calamitatem igitur in bello acceptam, voraginem, laqueum appellat ruinam, vltimumque eorum excidium. Bello ſibi ſubiicere Hebræos, ſeſe ſpoliis eorum ditare, totius regionis potiri ſperabant. Sed verſis fatis, atque animos dante Deo, victoria penes Hebræos ſtetit, caſtris eorum potitos. Illi vulneribus defeſſi, alij in fugam verſi, nemo ex tanto agmine ſuperſtes fuit.

Cognoſcetur dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

Cõprehẽſus eſt: COmprehenſus eſt, Hebraicè נקש nokes, corruit, interceptus eſt, impegit. Opera manuum eius repetens, appellat laqueum, ſcrobem illam, voraginem, barathrum, inſidias locatas, in quas ipſi ceciderunt, velut Maxentius aduerſus Conſtantinum. Exclamat igitur, ſubijciens epiphonema. **Prouidentia.** Non dormitat, ait, prouidentia, non deſpicit pios, non eſt humanarum rerum ignara. **Impiorũ ſucceſſus, ac felicitas quorſum pertineat.** Si quid impijs proſperè procedat, id ea cauſa fieri. Conſueſſe enim Deum immortalem, quò grauius impij ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velit, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. At tandem cognoſcitur ſcelerum vltor. **Cognoſcitur dominus. in. fa.** Luce clarior apparet eius iuſtitia. Quòd non ſubitò ſumit pœnas delictorum, clementia eſt, non negligentia: tolerantia, non inſcitia. Simul & expectat illos, ſiquid corrigant, ſimul ſi pergant, nihil ex pœna debita detrahens, ſed vno tempore, facto ex diuturnitate cumulo delictorum, cuncta repoſcens. Hoc cognoſcitur facere, nemo eſt cui non hæc vox reſonet: conſtans vbique fama, omnium hominum conſenſu comprobata. **Ro. 20.** Sciendum vbi dixiſſet, Comprehenſus eſt peccator, in Hebraico additur הגיון סלה higaion Sela. Hoc Latinè redditur, Meditatio, ſiue locutio ſemper. E Hieronymus quoque dixit, Meditatio ſemper. Senſusque verus iuxta omnes, Erit æternus is concentus: hæc fama hæc meditatio in æternum: ſempiterna Dei laus ob has victorias. **Higaion Sela.** Hoc exponens Rabi Salomon, higaion נהגה זאת סלה nehega zoth, Sela, meditabimur hoc, in æternum. Auen Eſra ſimiliter, Narrabo hoc in ſempiternum. Chaldæus etiam qui ſolet obſcuros verbis illuſtrans aperire locos ידונון צדיקיא לעלמין Iedunun zadichaia le alamin, Exultabunt iuſti in æternum. Claret igitur ſenſus verus. Eſt cernere in principiis pſalmorum cantum, carmen vocari higaion quòd Græcè μελέτη. Ad hanc ſacri ſermonis formam, Romanus poeta, Tenui muſam meditaris auena. Sic vocatur higaion, meditatio, muſa ſacra.

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum.

Conuertãtur. PRophetia, vel exclamatio, iudiciorumq́; Dei confirmatio. Imperans Græcum ἀποστραφήτωσαν. Conuertantur, potius futurum eſt enuntians in fonte ישובו iashubu, redibunt, reuertentur. Nomen inferni שאול eſt item nomen ſepulturæ, foſſæ, vt dicas, Redibunt peccatores ad tumulum: nempe, ferro cæſi. Fuſaque per herbam corpora cæſorum, ad ſepulturam trahentur. Indicat eorum ſtragem.

Interea ſocios, inhumataque corpora, terræ.
Mandemus. Et, *Corpora partim*
Multa virum terræ infodiunt, auectaque partim F
Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.

Peccatores. Hoc Vates cecinisse videtur, peccatores, ſceleratos ignaros Dei, bellum importunum pijs indicentes, ingenti ſtrage cecidiſſe. Eſt alius ſenſus, In tartarum peccatores deſcendiſſe, velut qui ſuperis bellum intuliſſent.

Aloidæ. Ariſt. l. de mũdo f. 2.

Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnis reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis. Et,
Hic genus antiquum terræ Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo

Peccatores. Hos fortaſſe ſacer poeta canit, peccatores, impios, fulmine deiectos in tartarum, ad inferos deſcendiſſe. Eoſdem vocans peccatores, atque immemores Dei, Iouis contemptores, ἀθέους, verum Deum neſcientes, eaq́; de cauſa, humana quoque iura profanantes, vt ex eodem fonte pietatis, omnibus virtutibus, ſic ex impietatis fonte, omnibus ſceleribus naſcentibus. **Obliuio Dei. nam colit. nunquam.** Obliuio Dei, pietati, quæ colit aſſidue, contraria. Sic Cyclops impius ille, contemptor Iouis,

Οὐ γὰρ κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν:
Οὐδὲν θεῶν. μακάρων ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι εἰμέν.
Nec Iouis imperium fortes timuere Cyclopes,
Nec diuos ſuperos, quos præſtant pectore, & armis.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

SVi ſimilis. Omnes ferè victoriales pſalmos eodem ordine ducens eadem fine cantare deſinens. Principio omnibus precibus auxilium Dei implorant: tum victoriam certã prædicunt: cladem, vaſtitatem inimicorum quaſi tuba decantant, laudant: dein iuſtitiam, iudiciumque, ſummi Dei, qui miſeros, quorum videtur deſperata ſalus, non deſpiciat, ſiquando dormitare videatur, at demum excitatum, pleno cumulo, violentis pro eorum malefactis exaggerare pœnas. Dixit ergo, in finem, quod Hebraicè לנצח lanezach in ſempiternum. Clarius pro eo Chaldæus לעלמיא lealemaia, in ſæcula, dixit obliuio erit. Non poteſt efferri Latinè per paſſiuum ישכח ishacach, Obliuioni dabitur, obliuioni erit. Si Deus igitur quaſi maioribus occupatus, videtur cuiquam, deiectos atque miſeros aliquando deſpicere, at non ſemper hoc erit. Pauperem vocat, vt ſæpe monui, quem nulla virtus humana ſubleuat. Quod dixit patientiam, Hebraicè תקות tikuat ſpes, expectatio, vt vertit Hieronymus, eadem eſt patientia. Secundo loco pauperes ſunt ענוים anuim manſueti, benigni, tolerantes, non in deſperationem, blaſphemiamque in aduerſis ſe rapi ſinentes, Auxilium implorant, expectant, ita ſeſe interea gerentes, vt opis ſupernæ digni habeantur. Itaque ſpes eorum minimè vana, minimè irrita eſt, non ſperant fruſtra, nec rapidi ſecum portarunt omnia venti, penetrarunt cœlum, licet æratum, robuſtum. Sunt enim Deo immenſæ, quibus omnia per omnes mundi partes exaudit, aures. Audit quidem omnes clamantes: exaudit autem, tempore certo: nec perit in finem, æternum, ſpes, patientiaque manſuetorum.

Pſalmorũ victorialiũ ordo.

In finem.

Pauper. græ.

Patientia.

Pauperes. Manſueti.

Aures dei.

Exurge domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conſpectu tuo.

NOn confortetur, fons יעז iaoz, inualeſcat, roboretur. Orationem eſſe Dauid, Hebræi fatentur, qui poſtulet fieri, quæ cecinit, diuturnamque ſceleſtorum impunitatem tandem animaduerti: prouocans Deum ad iuſtitiam. In omni rerum humanarum decurſu eſt prouidentia, eſt procraſtinatio, & quaſi dormitatio, prouidentiæ pœnarumque inferendarum tarditas, de qua ſcripſit Plutar. Prouidentia, ſeueritas, iuſtitia poſtulabant vt cum vexaretur inops, iuſtus hunc eueſtigio eriperet, & vexatorem repente plecteret. Non fit, conniuet, dormitat Deus, reijcit in craſtinum. Hanc igitur procraſtinationem prophetæ ſæpe poſtulant tolli, cum quaſi ſegnem, & oſcitantem increpitant, Exurge, excitare. Nam quæ tam ſera moratur, Segnities? Quis te ſomnus habet? Nonne vides hac tarditate fieri, vt ſceleratis animus accedat? at

Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem,

Prodimur. Vertitur in dubium, an tu generis humani rector, an fors cuncta gubernet. Hæc dubitatio incedit imperitis, cum te quaſi gemunt dormitantem, auxiliumque tuum implorantibus, nuſquam ades. Non confortetur homo, nimirum is, in quo nihil eſt, niſi mortale, caducum, humanum. Quod Chaldæus more ſuo, paucis additis, illuſtrans, Non confortetur filius hominis רשיעיא reshia, impij, ſcelerati. Ne maior quæſo nefariis accedat ex hac tua cunctatione audacia, non confirmentur his rebus ſecundis, ne ſinas amplius tuos premi, ac penè circumuentos, teneri. Iudicentur gentes in conſpectu tuo. Gentes quaſi barbaros veræ pietatis ignaros, exlegesque Hebræis appellari diximus, à quibus eorum ſacra, cerimoniæ, leges, inſtituta, continentibus bellis oppugnabantur. Qua de cauſa, omnes contra eos velut pietatis inimicos diras imprecationesque effundebant. Quod dixit, In conſpectu tuo, duo ſenſus, vox ſonans conſpectum פנים panim, aut panaim, ſonat etiam iram, furorem. Prior ſenſus, Iudicentur gentes in furore tuo, aut ob indignationem tuam, qua te violentia, rapinisq; iraſci compulerunt. Iudicentur, luant peccata, propterea quòd iram tuam incendi coegerunt. Hoc Rabi Salom. Alter ſenſus: Te vidente, ſciente, præſente, te totum negotium exercente, cadant profligati, deleti peccatores: deleatur tuis armis exercitus impiorum. Te duce, te prælijs noſtris aſſiſtente, victoriamque nobis aſpirante, ſub oculis tuis concidantur.

Confortã.

Prouidẽt.

Homo.

Gentes.

In conſpectu tuo.

Iudicẽtur.

Conſtitue domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.

LEgiſlatorem, Græcè νομοθέτην in Hebraico eſt מורה mora, vox amphibola ad plures ſignificatus, quòd à variis verbis duci videtur, aut à ירה iara miſit, proiecit, aut ירא iara iare, timuit, aut הורה hora, docuit, legem tulit. Inde ducitur מורה more legiſlator. Verus igitur nunc ſignificatus, cæteris omiſſis, videtur mihi quem Chaldæus indicauit, & Auen Eſra reſoluit fieri ſæpe mutationem ab Aleph littera ad he, viciſſimque. Itaque nunc pro Aleph legi he. Dictio igitur cum Aleph מורא apertè, clarè deſignat timorem, terrorem. Hoc eſſe verum ſignificatum. Chaldæusque pro ea, notiorem ſubiecit דחלתא dechaletha, timorem. Itaque dicendum. Conſtitue, pone, incute terrorem in eos. Hieronymus quoque tranſtulit, Pone domine terrorem eis. Græci, etſi hoc ſignificatum deficiebat, at verum ſenſum agnouerunt. Sunt, aiunt, effrænati, Homines. Aloidæ. Sela.

frænati, exleges, exultant: adhibe frænum, caſtiga. Eſſe autem pro legiſlatore, ipſum documentum, correctionemque intelllgendam. Conſtitue correctionem, caſtigationem, pœnam. Cognoſcant gentes, quòd homines ſunt, non Dij, non inuicti, inexpugnabiles, quales qui apud Perſas dicebantur, ἀθάνατοι immortales. Et illi Gigantes, qui ſe Diis fortiores apud Homerum gloriantur. Et Aloidæ, *qui manibus magnis reſcindere cœlum.*

Aggreſſi, ſuperisque Iouem detrudere regnis.

Et quale Hierem. Aegyptus ait homo, non Deus. Caſtigentur igitur, vt quos inſania tumidos, inſolentes, glorioſosq; reddidit, proiecti, debilitati naturæ ſuæ fragilitatem agnoſcant. Additur in fine carminis Sela, quod Auen Eſra exponit in veritate. In nonnullis exemplaribus Gręcis ἀεὶ ſemper, quod maximè quadrat. Nam & Chaldæus, lealamin, in ſæcula.

Vt quid Domine receſſiſti longè? deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione.

Capniont. lib. 2. Receſſ. lõgè. Deſpic. in oppor. Deus procul. cõſiſt.

INchoatur hic pſalmus decimus: ſed cum nulla præfixa eſſet ſolita reliquis pſalmis præſcriptio, quòd ſit pſalmus Dauid, quòd ad triumphandum, aut quibus muſicis inſtrumentis caneretur: his de cauſis eum Sept. cum ſuperiore coniunxerunt: ſed Hebræi decimum numerant, ſic Chaldæus, ſic Hieronymus. Oratio quidem eadem fermè cùm ſuperiore eſt, ſimillimum argumentum. Queritur iuſtitiam diuinam ſegnem, tardamque eſſe. Animos dare ſceleratis impunitatem, inſolentiores fieri: interea gemere pauperes: religionem, omnemq; de rebus cæleſtibus in mentibus hominum opinionem labefactari. Multum dubitationis, philoſophis, hac cunctatione dari admirantibus, tandiu ſceleratos iniurias impunè ferre. Vbi ſuper his queſtus fuiſſet, demum & miſeros exaudiri, reſpicique à Deo canit, & iuſtitiæ diuinæ ſolos honores æternos eſſe: omnibus flagitijs, ſi quę rectè conſideret, ad poſtremum condemnatis, abolitis, atque in ſempiternum deletis. Quod primo ait, Receſſiſti longè, Hebraicè, Quare ò Ioues תעמוד ברחוק taamod berachoc, ſtabis à longè, procul conſiſtes? Quare non propius noſtras calamitates aſpicis? Qui procul conſtitit, negligit, haud cupidus exactè noſſe. Quia magis ab humanis rebus oculos auertis, tam magis ſcelus ingraueſcit. Deſpicis in opportunitatibus, Hebraicè, Deſpicis in tempore anguſtiæ: in temporibus calamitoſis, quando te propius eſſe, opemque miſeris afferre oporteret. Præclare docuit Auen Eſra, quomodo Deus procul conſiſtat. Cui enim dubium, diuinam maieſtatem per omnes ſurſum, ac deorſum mundi partes tendentem, cunctos implere locos, Iouis omnia plena? ſed cùm poteſtas, ſeueritasque eius non cernitur, ſuſpicantur mortales eum procul eſſe, res noſtras in terris minimè cernentem. Non ſeuit, non indignatur, non furit, rapiens peccatores ad ſupplicia. Clementiam, & lenitatem, negligentiam, & inſcitiam ſuſpicantur.

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſilijs, quibus cogitant.

Cõprehẽ.

VT clarius intelligas, ſic ad fontem legas, In ſuperbia impij, incendetur, ardebit pauper: capiantur in his ſceleribus quæ cogitauerunt. Eadem tranſtulit Hierony. Eſt igitur imperans Capiantur, non indicans, Comprehenduntur: Orat vt capiantur.

Telum frange manu, Phrygij prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo Dij talia Graijs,
Inſtaurate, pio ſi pœnas ore repoſco. Et Homerus.

Τίσειαν δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι.

Cõprehẽ.

Sciendum tamen, verbum ידלק id lac, quod tranſtulerunt Sept. ἐμπυρίζεται, inflammatur, incenditur, deſignare quoque, vt ſuperius oſtendimus, perſequi, eo carmine, Sagittas ſuas ardentibus effecit. Oſtenſum illic, ardentes exponendum, perſequentes. Ita nunc dicẽdum, In ſuperbia impius ידלק id lac, perſequetur. Impius, inquit, perſequitur, inſtat ſuperbè, crudeliter. Hoc ſignificatum ab omnibus Hebræis probatur, adhibentibus vice eius notiorem vocem ירדף irdaph, quod apertè ſonat perſecutionem. Secundò cùm dicitur, Comprehenduntur, eſt autem futurum, poteſtq; pronuntiari per indicatiuum, & per imperium. Referunt Hebræi ad pauperes, vt ſit ſenſus: Impius ſuperbè perſequitur pauperem: capientur ijdem pauperes conſiliis, quę cogitauerunt impij. Isque ſenſus maximè probatur Hebręis. Quocunque autem cadat verbum capiendi, ſiue in pauperes, ſiue ſuperbos, immanesq; illos, clarus ſenſus. Cæterum quas interpretes dixerunt, cogitationes, ſunt Hebraicè מזמות meſimoth, cogitationes, ſceleratæ, nefariæ. Nec vnquam ferè in bonam partem vſurpatur id nomen. Propterea Græci, διαβούλια.

Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.

Laud. pec. in deſid.

FOns purius ſic habet. Quoniam הלל hillel, laudauit impius deſiderium animæ ſuæ. Hocq; reddidit Hieronymus. Rationem producit Vates, qua cauſa ruit in ſuas cupiditates effręnate. Comprobat ſuum conſilium: Probabilius eſt ei rapere, quàm intra modeſtię fines ſe cõtinere.

Vileſcit ei probitas, manſuetudo: Iuſtitiam vt ille apud Platonem Thraſymachus, appellat γενναίαν εὐήθειαν, elegantem ſtultitiam. Laudat ſuas cupiditates, his potiri beatitudinem putat, vel humana diuinis miſceantur: omnium legum confuſio ſequatur. His cogitationibus roborati, & ad hunc ſcopum cuncta dirigentes, haud ab re cædes, rapinas, omne tempus agitant. Quod autem dixit ſecundo, Et iniquus benedicitur: eſt veritas Hebraica. Et auarus benedixit, exprobrauit Deum. Sunt duo verba ברך berech, benedixit: alterum נאץ niez, exprobrauit, bſalphemauit. Sed verbum benedicendi, Hebręis, eſt medium ad bonum, & malum, nunc benedicere, nunc maledicere: vt Benedixit Nabot Deum, & Regem, Maledixit, aliaque exempla. Tale eſt Latinis ſacer, nunc ſanctus, nunc exercabilis. Hoc itaque loco dicendum, Et auarus maledixit, exprobauit Deum. Hoc proponit apud Hebræos Auen Eſra. Quanquam eſt ille quoque ſenſus, nec idem diſſentit, vt berech ſit participium, non verbum: Et auarus benedicens munera, blaſphemat Deum. Eumque ſenſum ſecutus Hieronymus transfert, Et auarus applaudens ſibi, nimirum benedicens, bſalphemauit Dominum. Hoc ritè refertur ad antecedens. Laudauit impius cupiditates ſuas: nunc, benedicens ſe, eblandienſque, Deum contemnit. Hæc quoque interpretatio mihi non diſplicet. Habet igitur verſus primo modo, Quoniam laudauit impius cupiditatem ſuam, & auarus maledixit, exprobrauitque Deum. Secundo: Et auarus benedicens ſe, ſuamque cupiditatem, ſugillauit Deum. Ecce impium, & auarum eodem ſenſu complectitur. Sacrilega eſt auaritia, non Diis, non nominibus parcens. Idolorum ſeruitus, non Deum verum, ſed aurum, & quicquid corporeum eſt, infraque hominem colens, intenteque reſpiciens. Inde rapinæ, cædes.

A

Iuſtit. impiis eſt ſtul. elegans.

Iniquus bened. Benedicere apud Heb. Sacer Latinis.

Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ, non requiret, non eſt Deus in conſpectu eius.

B

PRincipium huius verſus annectitur antecedenti, quemadmodum oſtẽdimus, cùm diceret, Et iniquus benedicitur. Continuò ſubijciendum erat, Exacerbauit Dominum. Quo ſenſu, ſit dictum aperuimus. Nunc autem dicitur, peccator ſecundum multitudinem iræ ſuę non requiret, non eſt Deus in conſpectu eius. Si totum carmen expendas, pro multitudine, eſt גבה goba, altitudo: pro iræ ſuæ, eſt אפו appo, id deſignat, aut iram ſuam, aut conſpectum, faciemq; ſuam. Hoc poſtremum nunc probabilius, vt dicat, Impius ſecundum altitudinem vultus ſui, non requiret, Deſcribit faſtum, arrogantiam, crudelitatem impiorũ, elata ceruice, vultu ſuperbo ingredientium, omnes præ ſe mortales deſpectos habentium, ipſos quinentiam ſuperos nihili pendentium. Hanc ob cauſam dixit eos non requirere, non curare, quod apertè de ſe iactabat impius ille Cyclops, coram Vlyxe, Stultus es, ignaruſque loci, atque venis procul hoſpes,

Secũdum multit.

Ος με θεὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλεάσθαι.
Οὐ γὰρ κύκλωπες διὸς αἰγιόχυ ἀλέγουσιν.
Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι εἰμὲν.
Οὐδ' ἂν ἐγὼ διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφειδοίμην.
Nam que Iouem Cyclopes, diuos atque beatos
Non curant, ſiquidem præcellunt robore diuos.
Nec Iouis irati mihi cura eſt, vt tibi parcam.

C

Rectè igitur vterq; Poeta congruit in deſcribendis impiis, eos non curare, non requirere ſuperos, non attendere, nec timore Iouis abſtinere, quò minus cædes, rapinas, iniurias omne genus exerceant, propter arrogantiam, atque inſolentiam, qui ſe diuis ęquales arbitrentur, eorum ope nõ indigentes. Eã ob cauſam rectè Græcè vocãtur θεομάχοι, ἀντίθεοι ἄθεοι. Hunc ſenſum quo dicitur Hebraicè, Impius ſecundum eleuationem vultus ſui, non requiret, declarans, illuſtranſq; ex ſua conſuetudine Chaldæus transfert, Impius, in arrogantia ſpiritus ſui, non requiret Deum. Secunda pars verſus qua dicitur, Nõ eſt Deus in conſpectu eius: in fonte eſt, Nõ eſt Deus in cunctis cogitationibus ſuis. Sicque tranſtulit Hieronymus. Chaldæuſque ipſe clarius exprimens, Et dicet in corde ſuo, Non ſunt manifeſtæ coram Deo cunctæ cogitationes meæ. Declarauit igitur, quid ſit, Deum non eſſe in cogitationibus eius, non curant, non cogitant, rerum humanarum iudicem, iniuriarumque vindicem: nulla fides, nulla religio, vt Liuius de Annibale.

non requirere deũ.

nõ eſt de⁹ in conſp. eius.

Inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore: auferentur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

VEritas Hebraica, quo ſenſus ex his tricis euolutus emergat, habet ad verbum, Proſperãtur vię eius omni tẽpore, Procul ſunt iudicia tua, ab aſpectu eius: in oẽs inimicos ſuos afflabit, impetũ faciet. Quod Sept. dixerunt βεβηλοῦνται, inquinatæ ſunt, eſt verbũ Hebraicũ יחילו iachilu, multarum ſignificationum, quod Hebræi nunc quoq; teſtãtur. Eſt primus ſignificatus pariẽdi, tum violãdi, inquinãdi, itẽq; veniẽdi: eſt item proſperitatis. Hoc poſtremũ oẽs ferè ſequũtur probatiores, Chaldęus, Rabi Salomõ, Auẽ Eſra, quos minores adorãt. Nã vice eius Chaldęus adhibet מצלחים mazelechim, proſperantur, felicitantur vię eius. Rabi Salomon, iachilu, inquit, יצליחו iazlichu, felicitantur Auen Eſra, Turbantur, ait mortales, propterea, quod יצליחו

Inquinatæ ſunt.

proſperātur viæ ſceleſtorum. Is igitur mihi magis probatur ſenſus. Indignatur propheta quemadmodum ſuperius quaſi contra diuinam prouidentiam conniuentem, dormitantem. D Interea ſceleratis, proſperè, feliciterque agentibus, nullo metu prohibente, quo minus peragant, quæ cupiant, omnes aduerſarios ſuperant, quocunque cogitationes direxerunt, feliciter tendunt. Hanc indignationem totus verſus oſtendit, quo dicitur, Felicitantur, proſperantur viæ eius. Secundo, In omni tempore longè ſunt iudicia tua à conſpectu eius, nimirum, tota vita feliciter decurrit, diuturna eſt impunitas eorum. Iudicia, vindictę, vltiones tuæ, ſtant procul ab illo. Demum, ſi qui ſeſe ſceleratis eornm conatibus eos prohibituri obiecerint, eos ſuperant, impetum in eos faciũt, id enim deſignat vox Hebraica. Pro eo quod dicitur, Inimicorum ſuorum dominabitur, Hebraicè, יפיח בהם iaphiach bachen, efflabit, ſpirabit in eos, animosè retundet. Queritur ergo, more ſuo Dei procraſtinationem in vlciſcendo, vt tarditatem ad poſtremum (quod ſolet omnibus penè Pſalmis) oſtendat clementiam eſſe, non negligentiam. Fatetur enim eos ad poſtremum grauiter cadere, tanto maioribus ſuppliciis affectos, quanto fuiſſet diuturnior impunitas.

In omni temp. aufer. iud.

Ini. ſuo. dominabitur.

Dixit enim in corde ſuo, non mouebor, in generationem,
& generationem ſine malo.

CLara ſunt, Si ſaperent, niſi veſania plurimum apud eos poſſet, non inſiſterent peccatis, iniuriarum, ſcelerumq; vindicem eſſe ſcirent. Nunc autem æternam ſibi impunitatem promittentes, ſeque fore ſecuros in ſempiternum, principatum in omne tempus obtenturos perſuadentes, exultant, gloriantur ſecum, ſemper erimus ſtabiles, in generationem, & generationem. Hebraica phraſis, Græca quoque γενεὰν καὶ γενεάν, Latini dicerent in ætatem, & ætatem, in ſæculum, & ſæculum. Sæculum, ætas, generatio, idem omnia. In omnem ætatem, in omne E ſæculum, non mouebor, ſedibus his ſecuris non excutiar. Sic ſecum loquitur, Vt autem verſus intelligatur, diſtincte legendus, vt eſt in editione Hieronymi. Dixit enim in corde ſuo, Non mouebor, non excutiar. Hic punctum figendum. Tum ſequitur, In omne ſæculum ero ſine malo. Propterea Græci editionem Sept. quæ hoc obſcurè habebat, adiuuant editione Symmachi, clarius vertente, οὐ περιπατήσομαι εἰς γενεὰν καὶ γενεάν, οὐτ᾽ ἔσομαι ἐν κακώσει. Non vagabor, aut vacillabo in generationem, & generationem, neque ero in afflictione. Vagabor, melius illud Septuag. οὐ μὴ σαλευθῶ, non excutiar, Chaldæus tamen reddidit verſum, Non mouebor in generationem & generationem ab opere malo. Itaque & is ſenſus valeat.

Generatio.

Dixit in corde ſuo.

Cuius os maledictione plenum eſt, & amaritudine, & dolo:
ſub lingua eius labor, & dolor,

ALias improbitates cum fonte ſcelerum impietate ſequentes deſcribit. Impius erat, tum ſuperbus, contemptor hominum, quia Deorum: elato vultu ingrediebatur, ignem oculis ſuffuſis ſanguine, efflabat. Sequuntur aliæ peſtes, quæ nunquam impietatem deſeruerunt. Maledictus eſt, aſper, letale virus ore ferens, effundens quidquid vbiq; ſordium eſt. Sciendum pro dolo, vt eſt etiam Græcè, Hebraicè eſt תוך thoch, ſonat vox, in medio, intus: ſonat item auaritiam, vſuram: quam vocem ſibi Græca lingua vſurpauit τόκος toc. Vſuram dixit Hieronymus ſic, Maledictione os eius plenum eſt, & dolis, & auaritia. At Auen Eſra mauult vocem eſſe pro, in medio, intus, vt dicat maledictione, os eius plenum eſt & dolis, & intus ſub lingua eius, labor, & dolor. Hoc etiam poſuit Chaldæus. Non quadrat igitur auaritia. Loquitur enim F de fraudibus, impoſturis, calumniis, proditionibus. Aliud ore ferunt, aliud ſub pectore, inſidioſi, veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus lupi rapaces. Laborem (vt ſuperius expoſuimus) vocat fraudem, impoſturam πονηρίαν, improbitatem, quæ & ipſa in ſermone Græco ducitur à dolore πόνος. Vexat enim uexationemque exhibet omnis improbitas. Vbi autem dixit, dolor, Hebraicè און auen, ſonat interdum dolorem, uſitatior ſignificatus, mendacium, iniquitas. Chaldęus ob eam cauſam, clariorem pro ea ponit uocem, שקר sheker, mendacium. Dicitque uerſus, Sub lingua eius labor, & mendacium. Quod quadrat primis, & ſecundis.

Dolus.

πονηρία.
Dolor.

Sedet in inſidijs cum diuitibus, in occultis vt interficiat innocentem.
Oculi eius in pauperem reſpiciunt.

MVlta ſecus in fonte. Græcum, μετὰ πλουσίων, cum diuitibus: Hebraicè חצרים chazerim ea vox non ſonat diuites, nec quadrat huic loco nomen diuitum: ſonat atrium, uillam, ueſtibulum. Itaque dicendum, ſedet in inſidiis atriorum, uillarum. Et Hierony. cernens hoc ſignificatum, Sedet inſidians iuxta ueſtibula. Chaldæus quoque pro Hebraico adhibet, In inſidiis, דדרתיא dedarthaia, habitationum, uillarum. Latitat, inquit, impoſtor in angulis, inter dumeta, in ueſtibulis. Tu poſt carecta latebas. Luporum eſt, inſidioſè tendere, corpus deiicere, ne ab ouibus aut à paſtore uideatur. Is mos inſidiantiũ, & interficere parantium. Et is uerus ſignificatus. Cõtinuò ſubijcit ſimile, In occultis. Quod autē ait, In pauperē reſpiciũt: pro πένητα pauperē, in fonte חלכה cheleca. Miror cur Hier. dixerit, oculi eius robuſtos circũſpiciunt, cũ vox chelca, expreſſè ſonat pauperem, idq; uertit Chaldęus, circũſpicit pauperem, debiliorem ſe, quē interficiat. Quare, enim robuſtos circumſpiciat, claret uerus ſenſus, totaq; deſcriptio peſſimorũ.

Auen.

Inſidia-

A Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua inſidiatur, vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

Repetuntur omnia ſuperius dicta, vt clariora reddantur. Ponitur ſimilitudo, qua crudelitas quorundam hominum, atque animus efferatus ſentiatur. Bellua rapax producitur in medium, cui ſimiles rapaces, crudeles, inſidiasq; molientes oſtendat. Itaque repetit inſidias, repetit pauperem, nempe debilem, egentem, ope deſtitutum, cui deſint humana perfugia. Dicitur autem in fine verſus, iuxta fontem Hebraicum, Rapere pauperem dum attrahit eum, ad rete ſuum, ſiue laqueum ſuum. Laqueus igitur eſt de præſenti verſu, non ſubſequenti. Nota eſt tralatio, quam noſtri quoque vſurpant. Sed leones frequentius in ſacris litteris, quòd in Iudæa ſemina leonum ſunt, qua peſte Italiam carentem laudat Vates,

Pauper.

At rapidæ Tigres abſunt, & ſæua leonum Semina.

In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.

Principium verſus eſt, Humiliabit eum. Hoc paulò ſecus Hebraicè ודכה ישוח vi dece iashoach. Et humilians inclinabitur. Referunt hoc conſtanter Hebræi, ad leonem, ad inſidiatorem, qui ſeſe deijciat, inclinet, abſcondat, minorem facit, vt magnitudo corporis lateat. Tum aduolat, ruit, adoritur incautum. Hoc lupos facere paſtores ferunt, ſternunt humi corpus, ſenſimque ad oues adrepunt, propinqui faciunt impetum, diſcerpunt. Ad eundem igitur leonem inſidiatorem, applicari debet, humiliabit, inclinabit ſeſe. Quòd autem ſequitur, Et
B cadet cùm dominatus fuerit pauperum: paulò ſecus ab origine. Eſt enim clarius, & liquidius Hebraicè ונפל בעצומיו venaphal beazumau. Et cadet in fortibus, aut robuſtis ſuis. Senſus Hebræis docentibus, Et irruet cum robuſtis ſuis, nempe cum vnguibus fortiſſimis, cum pedibus illis, manibusque rapaciſſimis, validiſſimis, qui correpta quæque diſcerpant. Totusque verſus deſcribens morem leonis inſidiantis, prædamq; captantis. Et humilians inclinabitur, & ruet cum validis ſuis vnguibus, ſeu pedibus ad pauperes. Hoc intelligens Hebraicum ſonare, diuus Hieronymus dixit, Et irruet viribus ſuis valenter.

Humiliab.

Et cadet cū dominatus fue. paupe

Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne videat in finem.

Hinc tantum peccant impij, hinc tam ferus animus illis: hæc origo malorum. Aiunt Deū dormire, aut oblitum eſſe eorum quæ fiant in terris, oculos ſuos auertiſſe. Licere velut magno dormiente paſtore, in oues graſſari. Abeſſe vindicem, qui pœnas repoſcat, abeſſe cui doleat, ſiquis ingemiſcat. Vera eos ſentire, qui ferant Deum neque habere, neque faceſſere cuiquam negotium. Improbos neque damnari, neque damnatos ſequi pœnam. Ipſa ſuis contenta opibus, nihil indiga noſtri. Sed hæc vox impiorum eſt non bonorum, verorumque philoſophorum, Quod ergo ait. Ne videat in finem: monuimus ſæpe, in finem Hebraicè לנצח lanezach, in ſempiternum. In æternum oculos auertit à terris. Non ad tempus, ſed in æternum ſe ſubduxit. Qua de cauſa contra eorum impietatem indignatus, increpansque diuinam tarditatem, ſubijcit:

Ne videa in finem la nezach.

C Exurge domine, Deus meus, & exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperum in finem.

Pro, & exaltetur manus tua, in fonte melius, & clarius, Imperat vt tollat manum נשא ידך neſa iadeca, Tolle, eleua manum tuam. Incute plagam, attolle flagellum, potentemque manum tuam ſublatam graui pondere in impios illos demitte. Opponitque ſingula ſingulis. Dicebant, Oblitus eſt, dormit, extra flammantia mœnia mundi, quieſcit. At diuinus Propheta, Ne obliuiſcaris, ſurge, excitare graui veterno, quod tibi peccatores adiudicant: te nihil noſtri cernere, ſomnum æternum dormire, fatentes. Ne ſit hæc obliuio ſempiterna: ſi prudenter & ad tempus, at non æterna. Iniurias reſpice deiectorum, humilium, deſertorum, quos nullæ opes, nullæ vires ſubleuant. Augens hanc tarditatis increpationem ſubiicit.

Pauperes.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, Non requiret.

Irritauit, validius Hebraicè נאץ niez, blaſphemauit. Solita multis locis increpatio, cur tandiu negligat, cur ſua tarditate fieri permittat, vt peccatores impunè viuentes, magis inſoleſcant, magis importuni miſeris inſultent. Quos ſi quando Deus ſceleribus eorum permotus, ad ſupplicium poſceret, & miſeris ſpes augeretur, & illi non ita multos ſui ſimiles haberent. Nunc autem diuturnior impunitas, & frangit animos miſerorum, & illos confirmat in ſcelere, permultique eos imitantur. Quare igitur hoc fieri permittitur? Quare creſcit improbis audacia, conniuente Deo? dicunt enim ſcelerati, Deum non curare terras, nō requirere quid fiat in terris. Et cùm quid ſceleratè peccantes, aliquis timore Dei conatur eos abſterrere, irridentes dicunt:

Irritare.

Non requiret.

Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos

Sollicitat. Cur igitur non caſtigatur hæc irriſio? Cur tanta contumelia non plectitur? non falſa impiaque opinio tollitur è terris, improbis ſublatis? D

Lact.160. Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.

VT facilius intelligas, proponas Hebraica, ad hunc modum habentia: Vidiſti, quoniam tu laborem, & dolorem, & indignationem conſideras, ad dandum in manus tuas ſuper te relinquet pauper, orphano tu eris adiutor. Quorũ Rabi Salomone interprete, ſenſus **Vides.** verus eſt: Vidiſti ſcelera, notas habes omnes res in terris, oculatiſſimus omnia cernis, vt Orpheus de Deo, ad Solem ab Homero tralatum,

Πάνθ᾽ ὁρᾷς καὶ πάντ᾽ ἀκούεις, καὶ πάντα βραβεύεις.

Cuncta vides, & cuncta audis, & cuncta gubernas.

Quid ita? Quia ea natura es, conſideras, aſpicis laborem, nempe ſcelus, flagitium, iniquitatem, **Labor.** quod Hebraicè vocatur labor, Græcè πονηρία. Nemini enim prodeſt, vexat autem perpetrantem, & in quem perpetratur. Conſideras ſcelera, non te latent praua facta: conſideras laborem, & dolorem. Pro dolore fons כעס caas, indignationem, exacerbationem, qua cogunt te ſcelerati indi**Dolor.** gnari, qua te prouocant, exacerbant. Hæc vides, & taces: ſciens, & prudens, deſides, moraris, cun**Vt trad. eos in ma. tu. Tibi de rel. eſt pauper.** ctaris, dormitas, abſtines flagellum. In manibus etenim tuis eſt, in tua poteſtate, ad dandum, vindicandum. Vindicta in poteſtate tua eſt. Si velles, non tibi facultas defuerit delendi peccatores. Conſideras, aſpicis. Tum poteſtas penes te eſt. Sub tuo patrocinio, tuoque refugio latitant miſeri. In te nanque omnis domus inclinata recumbit. Quos nulla ſpes, nullum humanum perfugium ſubleuat, tibi vni relinquuntur. Tres igitur conditiones quibus prouidentiam diuinam increpat, proponit. Non eſt (vt aiunt ſcelerati) ſomniculoſus, obſcitabundus, non curans quid fiat. Videt acutè. Tum ea natura eſt, eum nulla flagitia lateant, acutè cernat: poſtremo cogit æquitas eum patrocinium miſerorum, ſuſcipere. Sic ipſe ſibi præſcripſit, hanc ſibi legem tulit, protector eſſet miſerorum, illatas iniurias reſpiceret, pater eſſet orphanis. Hæc totius verſus vera ſententia. Quæ quidem in tralatione Hieronymi perplexior eſt, habente: Vides quia tu laborem, & furorẽ **Pauper.** reſpicis, vt detur in manu tua, tibi relinquuntur fortes tui, pupillo tu es factus adiutor. Nomen Hebraicum חלכה cheleca, non eſt hoc loco pro forti, ſed pro paupere. Et caas, ſonat quidem furorem, hoc autem loco potius exacerbationem, irritationem, vt ſolet alibi. Cętera quoque ſunt obſcura. Mihi clarere videtur fons Hebraicus, Hebræis item eo modo exponentibus. E

Contere brachium peccatoris, & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

EX conſuetudine ſua, vt ſcelus impiorum commemoraſſet, exaggeraſſet, diuinam quoque prouidentiam penè increpaſſet, demum prouocat ad vindictam, iubet, orat eam attollere ſeſe, norint omnes vindicem adeſſe. Brachium haud dubium quin ſit pro poteſtate, qua **Brachium. Quær. pec. illi. & no. in.** improbi contra probos vtuntur. Et hæc precatio qualis illa,

Telum frange manu, Phrygij prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo. F

Secunda pars obſcurior. Quæretur peccatum illius, & non inuenietur. Dicitur enim in fonte, Quæres peccatum illius, & non inuenies, Hebræis interpretibus quibus ego aſſentior, eſt ſenſus. Ita peccatores, impij, diuum, hominumque contemptores deleantur, extinguantur, vt ſi eos requiſieris non ſint vſquam. Sit eorum tanta profligatio, vt nemo eos amplius aſpiciat, atque ita deleantur, aboleantur, vt non ſolum mortales, eos requirentes vbi ſint, non inueniant, ſed ne tu quidem, qui circumſpicis omnia, nullus te locus latet. Quacunque ſede requiras illos, cælo, terris, aere, tartaro, non reperias penitus exciſos, abominabiliter perditos. Sunt autem futura vice imperatiuorum, quod Hebræi, Græcique ſolent, Requiras, non inuenias. Eſt quoque poſt precationem, vaticinium, precatus fuerat, impiam manum frangeret, deleret, vaticinatur ita certè fore, requires non inuenies, ex omni luce repulſos. Qua de cauſa ſubiicit.

Dominus regnabit in ſæculum ſæculi: peribitis gentes de terra illius.

COnſuetum Pſalmis epiphonema, propoſitis ſceleribus, & iniuriis, quæ fiunt contra inſontes, in terris, diuturnam impunitatem impiorum ſæpius queſti, tum demũ velut exauditi, interitum eorum vaticinantur, ſuper eorum ſtrage alacres exultant. Quantopere gloriam Dei, violentiis, rapinis, aſpernabilem, contemptibilem, de qua malè homines ſentirẽt, ſe**Dominus regnabit.** ciſſent, tantopere creſcere, prædicari, celebrari, ex eorum interitu. Regnat igitur Deus, regnat, viget, habet imperium terrarum, dominatur rebus humanis. Poteſt, & vult vindex eſſe flagitiorum. Nemo iudicij eius ſeueritatem quantumuis fortis, præpotens, effugiet. Huic ſoli gloria reſtabit, In ſæculũ ſæculi.

A reſtabit, vt ait alius propheta: Viuit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Dominum. Is erit verus, is æternus Imperator, licet nunc à peccatoribus contemnatur, in dedecus eius occidant, rapiant. In ſęculũ ſæculi, melius & ad intelligendum facilius, In ſæculum ſæculum, in ætatem ætatem. tempus & tempus; nempe omne ſæculum, omnem ætatem, ad omne tempus. Terra igitur, illius eſt ædificium, illius opus, hanc ipſe fecit, hominibus repleuit. Prius palatium condidit, exin habitatorem induxit. Putas igitur ſceleratos in hac domo diutius habituros? patieturnè pater, Rex æquiſſimus, cui ſunt odio peccata, flagitia, cædes, rapinæ, in palatio ſuo diutius habitare peccatores? Crede mihi, celeriter eos excindet, exturbabit. Illis extinctis, penitusq́ue deletis, Deus regnabit in æternum. Solus ipſe nominabitur. Vides igitur finem patientiæ, tarditatis, ſuper qua nemo turbari debet. Hunc verſum venuſtè reddidit Hieronymus, Dominus Rex ſæculi, & æternitatis. Hebraicè melech olam, Rex mundi, aut Rex æui, Rex immortalitatis.

Olã enim, & mundũ ſignificat.

Deſiderum pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Prępar. cor.

PRo exaudiuit, fons per ſecundam perſonam, exaudiſti. Et pręparationem cordis eorum: eſt: תכין לבם takin libam, parabis, ſtabilies cor eorum: demum attendet auris tua. Proclamat igitur auditas eſſe preces. Apertè denuntiat (vt hoc quoque clementiam eius oſtendat) non eum rerum humanarum eſſe negligentem, auditam eſſe miſerorum orationem. Miſeris exauditis ſecutus eſt interitus ſceleſtorum, eos calamitatibus afficientium. Vitam cum luctu, B lachrymiſq; eos trahere cogentium, pauperes, inopes exauditos, auxilio diuino ſubleuatos, hos interitu ſempiterno deletos. Quod ergo dicit, Stabilies cor eorum, ſonat, Confirmaſti timentes, conſolatus es pauidum, vacillanſq́ue eorum cor ſtabiliſti: animos eorum confirmaſti, quòd non modò pollicitus es auxilium, cauſamq́ue eorum tibi curæ futuram, ſed id etiam re comprobaſti, deletis illis, à quibus tot iniurias accepiſſent, in quos omnia exempla, cruciatuſq́ue ederent. Terq́ue idem demonſtrat, Deſiderium, ſupplicationemq́ue eorum perfeciſti: confirmaſti timentes, auribus tuis attentis, beneuòlis audiſti. Non eſt igitur, præparationem cordis eorum audiſti. Verbum Hebræum כון Canan, etſi plerunque transfertur à Septuaginta ἑτοιμάζω, præparare, at frequentius ſonat ſtabilire, confirmare. Vt illud Eſaiæ, Erit mons Domini præparatus in vertice montium. Melius: Fixus, ſtabilitus, impoſitus omnibus montibus.

Iudicare pupillo, & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terra.

Iudicare.

IVdicare ad ſuperiora refertur. Exaudiſti inopes, miſerorum cauſam ſuſcepiſti. Quid ita? nimirum vt iudicares, iudicium faceres pro pupillo, ſententiam pro miſeris aduerſus rapaces, violentos, homicidas ferres: iudicium, ſeueritatemq́ue tuam contemptores illi, immaneſq́ue belluæ, genus humanum vaſtantes, experirentur. Deſignat igitur letalem ſententiam, pro pauperibus latam contra improbos. Humilem dixit, Hebraicè דך dak, pauperem, deiectum, attritum, is Græcè dicitur ταπεινὸς, lingua Italica vſurpauit, vocans Tapinum, pauperem mendicantem. C Hunc Hieronymus dixit oppreſſum, reſpiciens ſignificatum, quo deſignat, attritum, comminutum. Quod Latinus dixit, magnificare, Græcè μεγαλαυχεῖν, gloriari, inſoleſcere, Hebraicè ערץ aroz, ſuperbire, terribilem apparere. Idem à principio precabatur, ne ſua lenitate perficeret, vt peccatores magis inſoleſcerent: nunc ait ita Deum ſeueritatem ſuam oſtendiſſe, vt finem iniuriarum, atque omnis inſolentiæ coegerit eos facere. Poſſet autem iuxta linguam Hebraicam, eſſe ſenſus, ex verbo aroz, Non addat, non apponat gloriari homo ſuper terra: aut ſecundum Rabi Salomonem, Nõ addat amplius exterrere, conterere, affligere hominem de terra: vt verbum aroz, aut ſit tranſitiuum, aut non tranſitiuum non variante ſenſu. Nomen hominis eſt hoc loco אנוש Enos, quod ferè ſemper in malam partem accipitur.

Pauper. dach.

Magnificare.

Homo Enos.

INSCRIPTIO PSALMI X.

Lamnazeach ipſius Dauid.

SIGNIFICATVR eſſe carmen victoriale. Victoria eſt contra peccatores, contra Gigantes, ἀντιθέυς ϑεομάχυς, contra pietatem profanantes, nomen Dei impugnantes: veluti ſi bellum Deorum contra Gigantes caneret. Canit Iouem contra ſuperbos arma ſumpſiſſe, pios defendiſſe, eodem atque ſuperiores pſalmos argumento. Eſt oda, aut hymnus in laudem Iouis, ſeruatoris, iudicis æqui, res humanas gubernantis, cæliusq́ue reſpicientis, pœnam de contemptoribus ſuis deq́ue iniuſtis ſuſcipientis.

PSALMI X. EXPLANATIO.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Iehouah.

QVOD dixit, In Domino confido, eſt propriè in Hebraico idiomate, In Iouem confido, Iouem, ſpero adiutorem, in Iouem ſpes omnis mea recumbit. Eſt enim Hebraicè Iehouach (neq; enim vereor ſępius monere) Ioues, vocalibus ſubductis. Ad inimicos loquitur, qui ei præſidium hoc diuinum auferrent. Ipſi autem inimici tantos ſibi ſpiritus ſumpſerant, vt gloriarentur, iactarent ſuam potentiam, nihil ſibi reſiſtere poſſe: Hebræis in altiſſimos montes fugam capiendam eſſe, terribiles occurrentes, omnemque eorum aciem inclinandam, profligandamq; ſibi, minantes: neminem eſſe, qui ferre victis opem poſſit: ventoſè nimis, ac ſuperbe. His opponit Dauid cęleſte præſidium, ſpem cæleſtem. Miratur eos tantopere inſoleſcere, vitulari, qui neſciant maius ſibi paratum eſſe perfugium, fortiſſimas legiones auxilio venturas. Dicunt animæ eius, Ipſemet Dauid velut auicula exterrita fugiat. Eſt autem Hebraicè צפור zippor: id ſonat quidem paſſerem, ſed & omnes generatim auiculas, vt Gręcum ςρυθία, nunc magis quadrat auicularum ſignificatus, vt dicat, Tranſmigra in montem, vt fugere ſolet auicula, audito ſtrepitu, ſyluis ſeſe occultans. Quis igitur hic eſt, inquit, qui me iubet timere, pauentem, trepidantemque fugere? An mihi leue præſidium? an ſpes inanis?

Laſciuire.

Anima.
Paſſer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Pharetra.

PRo pharetra eſt יתר iether, non pharetra, ſed neruus, ſiue chorda arcus, omnibus teſtibus. Caldæus. pro eo נימא nima, nempe neruum. Hieronymus quoq; pro pharetra, poſuit neruum. Et Rabi Salomon verbo Italico interpretatus eſt chordam arcus. Rectè itaq; dicitur eos paraſſe ſagittam ſuam, ſuper corda, quæ fit ex neruis inde neruus appellata. Parauerunt, melius Hebraicum, vt ſæpe monui, כוננו conenu, firmauerunt, fixerunt, ſtabilierunt. Et pro ſagittas numero multo, eſt חצם chizam, ſagitta vnica, vt hinc noſcas, chordam, ſeu neruum, non pharetram, quæ multis ſagittis completur, deſignari. Manifeſta eſt igitur tralatio de homicidis inſidiantibus, latebras fouentibus, cui noceant expectantibus. Ab impiis vt eſt Hebraicè, parantur inſidiæ, his noctesque, diesque cor inquietum, impatiensque eſt. Iuſtos, & pios, pro inimicis habent. Deſignat enim contrariæ religionis, ac factionis homines, qui delere pios ſemper parati eſſent, religionem veram Hebræorum euertere. Iuſtè eos appellauit reshaim, impios eis autem aduerſos, rectos corde. Inter hos moribus, vitaq; diſſidentes, ſemper pugna, odium immortale. Obſcurum dixerunt Septuaginta. σκοτομήνη, cùm luna obſcura eſt, cùm ſilet, tempus inſidijs opportunum, ſub luce maligna.

Parauerũt.
Sagittas.

Peccatores.
Obſcurũ.

Quoniam quæ tu perfeciſti, deſtruxerunt. iuſtus autem quid fecit?

Perfeciſti.

QVę perfeciſti, Gręcè κατηρτίσω, rectè quidem perfeciſti, ſed Hebraicum variat. Eſt enim pro perfeciſti, השתות háshatot, deſignat hæc vox vt Hebręi teſtãtur fundamenta à verbo שות ſoth, poſuit, fundauit. Eam vocem alia notiore declarans Auen Eſra ponit יסד iaſod, fundamentum. Per tralationem hæc fundamenta interpretantur Hebræi, præcepta, legem. Ea de cauſa Hieronymus tranſtulit, leges diſſipatæ ſunt. Refertur igitur ad ſuperiora conſentaneè, Peccatores impij tetenderunt arcum, direxere aciem contra pios, contra religionem, cuius fundamenta iam ſubruerunt, crebroq, arietis ictu concuſſa ſunt mota loco, euerſa. Ea de cauſa vocantur θεομάχοι, ἀντίθεοι. Omnis eorum ſermo, omnis opinio, conatus, ſudorq; omnis contra decus cęleſte. Fundamenta igitur ſunt præcepta, leges, totius pietatis nerui, fundamenta, quibus nititur religio. Græci quę perfeciſti interpretantur regnum Dauid, illi à Deo conceſſum. Sed quanquam non multum variat vocabulum Hebraicum, omnium conſenſu ſonat fundamenta, præcepta, leges, quæ magis religioni, quàm regno conueniunt. Quanquam etiam illud regnum, religionis erat præſidium. Quod ſubijcit, Iuſtus quid fecit? duplex ſenſus, Auen Eſra, Euertiſtis, ait, pietatem, bellum contra Deum ſuſcepiſtis: at Deus cuius in cęlo ſedes eſt, ſumpſit ſcelerato ex ſanguine pœnas. Non iuſtus hoc, ſed Deus, cuius immenſa poteſtas, fecit. Quid enim potuit iuſtus, rex pietatis protector, quid ſine Deo, contra veſtra agmina potuiſſet? At Rabi Salomon: Vos ſcelerati, veſtra hæc omnis impietas. Nam iuſtus Dauid, quid fecit? quid expectes aliud à iuſto, niſi facta iuſtitiæ, & ęquitatis? Vterque mihi ſenſus probatur.

Iuſt⁹ quid fecit.

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius.

DIuina poeſis, carminis ordo diuinus. In impios inuectus fuerat, vaſtitatem, ſtragemq;, quá edunt in terris pios, veramque religionem perſequentes propoſuerat, ſuperbiam eorum oſtentarat, querebaturque eos legem Dei, mores, inſtitutaque diuina vaſtare: nunc ritum ſubiicit, A biicit, Ne dubites, ait, ſtat ſua cuique dies, & ineuitabile tempus. Eſt, inquit, qui hæc cernat, tametſi regnum eius à terris recedit, at omnia tamen videt, vtque ait Rabi Salomon, Videt, ſcitq; facta veſtra, ſolium eſt illic celſiſſimum, at oculi vos cernunt vſque in terram. Dat igitur Poeta diuinus epitheton, reliquis Poetis vſitatum. Semper apud Homerum, atq; Heſiodum eſt, ὀλύμπια δόματ᾽ ἔχοντες. Superi cęleſtia templa tenentes. Eſt & illud epitheton diuinũ Græcis Poetis celebre, εὐρύοπα, Iuppiter latiſſima cernens. Venuſtè igitur, & poetica figura, regnum ſedemque Dei vocauit templum, quemadmodum Græci Poetæ dant illi, domos cæleſtes. Et Ariſtoteles de mundo loquens, Cuius, inquit, ſuprema pars eſt, οἰκητήριον τȣ͂ θεȣ͂, habitatio Dei. quoniam autem locus ille ſanctiſſimus, ab omni labe diſiunctiſſimus, vbi Deus ab animis beatis, à Diis immortalibus colitur, & adoratur, rectè vocatur templum: declaransque primum ſubiicit ſecundnm, Dominus in cœlo ſedes eius. Hebraiſmus, eſt. Quorſum enim referas nominatiuum, Dominus? Dicendum Latinè, Domini in cælo ſedes: aut, Dominus in templo ſancto ſuo, in cælo ſedes eius. Sedes autem nunc eſt ſolium maieſtatis eius, thronus regius.

Domine in cœlo.

Cęlũ templum Dei.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

NOn eſt in fonte, pauperem, ſed duntaxat reſpiciunt. Oculi, inquit, eius reſpiciunt. Eſt quidem in cælo thronus eius, ait, at inde deſpicit omnia. Quod Poeta de eodem Ioue ſimiliter canit,

Cùm Iuppiter æthere ſummo.
B *Deſpiciens mare, veliuolum, terraſque iacentes,*
Littoraque & latè populos, ſic vertice cœli
Conſtitit, & Lybiæ defixit lumina regnis.

Quod autem ait, Palpebræ eius interrogant filios hominum, Septuaginta dixerunt ἐξετάζει, probant, perpendunt, examinant. Itaque non rectè Latinus, interrogãt, cùm id ſit potius oris, quàm oculorum. Et Hebraicum eſt יבחנו ibechanu, probant. ſcrutantur, Hieronymus quoque tranſtulit, probant. Dicendum igitur, Oculi eius, indagant filios hominum, palpebræ, nimirum oculi, lumina, acies eius defixa eſt ad contemplandas res humanas. Hac de cauſa, vt dixi, vocatur à Poetis, εὐρυόπα, longius cernens.

Palp. e. inter.

Dominus interrogat iuſtum, & impium. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

ERrat nunc quoque Latinus interpres. Nam Græcum ἐξετάζει, nunquam ſonat, interrogat. Potius iuxta Hebraicum בחן bacchan, ſcrutatur, examinat. Deus ſummus, inquit, non eſt quemadmodum lignei philoſophi ferebant, otioſus, dormitans, res hominum negligens,: imò ſcrutatur, exactè requirit, quid iuſtus, quid impius agat. Non latet eum ſi quid impiè, ſi quid iuſte fiat in terris. Sciendum lectionis Hebraicæ ordinem eſſe poſſe, qualem poſuit Hieronymus, Dominus iuſtum probat, impium autem, & diligentem iniquitatem odit anima eius. Hoc Hebræis quoque placet exponentibus locum, Deus, inquit, probat, tentat iuſtum, C quemadmodũ tentauit Abraham, Iob, ipſum quoq; primum hominum Adam. Si patitur aduerſa iuſtus, non eſt negligentia Dei, ſed probatio, examinatio. Vt aurũ (inquit Salomon) probatur in fornace ignis, ſic iuſtus in fornace tentationis. Fit in aduerſis tolerandis fortior, melior, illuſtuior, prudentior. Quos amo, inquit, corrigo, & caſtigo. Et, Qui parcit virgæ, odit filium. Cum impiis ſecus fit, nõ probat, non amat eos Deus nõ corrigit, nõ emendat vti filios, ſed prorſus odit execratur, deteſtatur, abiicit, aſpernatur. Iuſti tentantur, probantur: impij, & quos ad omne tempus peccare iuuat, odio habentur. Cognoſce diſcrimen inter iuſtos, atque impios. Sępe premunt iuſtos aduerſa: ne putes hanc Dei negligentiam, qui neſciat, aut ſciens, & prudens contemnat: eſt probatio, examinatio, correctio vt meliores euadant. Omnis (ait Auguſtinus) malus ideo viuit, vt aut corrigatur, aut per eum bonus exerceatur. Exercentur igitur boni. Anima autem eius, animus, mens Dei maxima, lumunoſiſſima, rerum cunctarum capaciſſima, impios odio habet. Non curat an emendentur, ſunt enim incorrigibiles, inemendabiles. Tanquam deploratos, & perditos contemnit. Beneficium igitur, non ſęuities eſt tentari, vexari. Ordo itaque verus lectionis Hebraicę eſt is, quem modo retulimus, conſentientibus Hebręis.

Inter.

Probatio piorum. Crucis fructus.

Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

SVper peccatores, Hebraicè ſuper reſhaim, impios, vt reſpiciat Gigantes illos qui manibus magnis reſcindere cęlum conantur, aut qui poſuerunt in cęlum os ſuum, impios, blaſphemos, contemptores. Contra hos, (vt canit Sibylla de ſupremo tempore) immittet cæleſtem ignem, & ſulphuris amnes. Et quale Poeta noſter ſæpe cum ſacris Poetis congruens, (ab eis enim omnia penè ſunt mutuati) de impijs eiſdem.

Peccatores.

Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo. Et, D
Ipſe pater media nimborum in nocte, corruſca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ.

Laqueos. Sciendum quòd Septuaginta tranſtulerunt παγίδας, laqueos, vocem Hebraicam פחים pachim, amphibolam eſſe, deſignantem aut laqueos, aut carbones, & prunas. Hoc poſtremum nunc accedentibus Hebræorum teſtimoniis melius ad ſenſum quadrat. Quid enim eſt pluere laqueos? mirumque id etiam Hieronymum poſuiſſe. Rabi Salomon pachim per clariorem vocem, quæ ſonat omnino carbones, exponit פחמים pachamin, Carbones, prunas. Auen Eſra dicit, fulmina illa ignea, aut ſaxa ignea, cum pluuia delabentia aſſimilare Poetam carbonibus. Vocat igitur Pſalmus carbones, aut ipſa fulmina, aut quoniã dicit Deũ pluere ſuper peccatores ſulphur, concretos ex ſulphure, ignitosque lapides, quale par eſt cecidiſſe, cùm Sodoma cremata cælitus eſt, Lapides ſulphureos, Carbones prunasque ſulphureas congeſtas, congelatas. Has Poeta canit Deum immittere in impios. Vide genus ſupplicij. Et quod ait, Spiritus procellarum: eſt Hebraicè, Et ventus tempeſtatum. Ventus tempeſtas, procella: vnà, inquit, ruent in eos lapides ſulphurei, ignis, ventus, tempeſtasque, & procella. Hæc erit pars calicis eorum. Calix figuratè in ſacris litteris vocatur guſtatio, ſenſus experimentum. Bibere, haurire, guſtare ſupplicia dicunt. Hæc, ait, bibent, haurient, experientur, guſtabunt. Calicem vexationum inuenies in ſacris litteris. Et Chriſtus amaritudinem, ſuppliciaque ſua vocauit calicem. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Quod dixit, pars calicis, pro Græco μέρος, parte, Hebraicum מנת menath, diſtributio, numeratio, ſumma. Hæc ait ſumma eſt eorum, quæ guſtabunt, experientur, ſentire cogentur, carbones ſulphurei, ignis, tempeſtas atra. Quibus omnes ferè calamitates continentur. E

Spiritus procel.

Calix.

cats cali-Pis.

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

IS ordo diuinus Pſalmorum, quos de diuina prouidentia, ſacri Poetę cecinerunt. Prius queruntur dormitare prouidentiam, incuſant illius tarditatem, proponunt impiorum audaciam, contra bonos, & pios: demum affirmant hæc volente Deo, & ad optimum finem dirigente fieri. Nam quos pro ſcelere eorum vlciſci velit, quo grauius ex commutatione rerum doleant, ſolere diuturnius impunes dimittere. Et ſupplicium, quod vbi peccaſſent exiguum fuiſſet, ſi differatur, grauitate, magnitudine fieri terribilius, exaggeratis in eos cunctis ſuppliciis, quæ ſulphure, & igni, ſæuisque procellis à Poeta deſignantur, vt noſtri flatus ſecundos, & aduerſos, procellas, ictusq; fortunæ memorant. Eſt igitur iuſtus Dominus: diligit iuſtitiam, æquitatem. Huic comes it, vt ait Ariſtoteles. μισοπόνηρος δίκη, Iuſtitia ſceleris inimica. Vultus eius videt æquitatem. Quemadmodum ſuperius dixerat. Oculi eius ſcrutantur, reſpiciunt filios hominum: res hominum reſpiciunt. Superius palpebræ, nunc vultus. Vultus eius ſcrutatur, reſpicit æquitatem. Hic flectitur, hic defigit lumina. Circumuagus obambulat, vbi quid iuſtè, pieq; fieri videt, hic ſubſidet. Hoc ſpectaculo paſcuntur oculi eius, hoc reſpiciunt. Eſt alia quoq; in Hebraico lectio, æquitatem vident. פנמו panemo, facies eorum: hanc ſequitur Hieronymus. Sed Hebræis eruditioribus placet magis, vt panemo, ſit relatiuum ad Deum, non homines, quod exemplis quoque probatur. F

Cho 2. a.

μισοπόνηρος δίκη.

Aequita. vid. vul. e.

PSALMI XI. EXPLANATIO.

In finem. Lamnazeach. Pro oct. Inſtrumẽta muſica.

PRætitulatio eſt, iuxta tralationem Septuaginta. In finem pro octaua, Pſalmus Dauid. Hæc ad Hebraicum, quemadmodum ſæpius monuimus, & clariora erunt, & veriora. Pro in finem, lamnazeach, ad canendum carmen triumphale. Eſt ait, hoc quoque carmen victoriale, eſt ἐπινίκιον. Eſt exclamatio, qualis victoriis exercitus. Secundum quoq; pro octaua dicendum, Super octichordo. Proponitur genus carminis, & quibus organis muſicis caneretur, An barbito, an cithara, an cymbalo, an tubis, aut cornibus. Quæ omnia memorantur in Pſalmis, vt, In decachordo, & pſalterio pſallam tibi. Et, In cymbalis beneſonantibus. &, Laudate eum in ſono tubæ. Laudate in pſalterio, & cithara. Laudate eum in tympano, & choro: Laudate eum in chordis, & organo. Laudate eum in cymbalis beneſonãtibus. Quo loco omnia ferè genera muſices memorantur. Itaque titulus ferè dicit, quæ Pſalmus præcipit. Ad laudandum cum octaua. Pſalmus quem nunc protuli, inuitat ad laudandum varijs iſtrumentis. Hoc in exordiis pſalmi ſe facturos oſtendunt, cùm prędicunt, Ad laudandum, triumphandum, cum octichordo. Aliquis alius pſalmus cum cithara, aut cum cymbalo, vel tympano, vt videbis in principiis aliorum pſalmorum. Hæc ſunt longè clariora, & perceptu faciliora. Et in hac ſententia ſunt Hebræi. Nam Chaldæus paraphraſticõs declarans octauam, על כינרא דתמניא נמי alkinora, detamnaia nime, Super cithara octochordarum. Eadem

A dem refert Rabi Salomon. Auen Eſra quoque nominat muſica inſtrumenta, quæ ſub eo nomine deſignantur. Et pſalmus in Iouem, iudicem eorum, quæ fiant in terris. Et quaſi appellat eum pſalmus velut noſter: *O qui res hominumque deumque*

Aeternis regis imperijs, & fulmine terres.

Canit omnia nutibus eius eſſe ſubiecta, implorat auxilium.

PSALMI XI. EXPLANATIO.

SAluum me fac domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates, à filijs hominum.

DEFECIT ſanctus, duplex ſenſus, aut ipſe Dauid ſanctus, pius, Dei cultor defecit, feſſus eſt tot incommodis, iam ſuccumbit, labitur, vires, animuſque eum deficiunt. Quapropter tu fer opem, adſis propitius, labenti porrige dextram. Aut iuxta Hebræos, omnia me mala circunſtant. Deſeruerunt me omnes. Vel ſanctus ſentit cum hoſtibus. Omnium Iſraelitarum coiuit coniuratio, non improbos modò, ſed probos quoq; in ſocietatem aſciuerunt. Etiam bonorũ animos ab amicitia mea auerterũt. Tu ſolus ſuperes, ait. Quod ait, Diminutæ ſunt veritates: in fonte פסו paſu, defecerunt, quaſi euanuerunt, Omnes, ait Rabi Salomon, mentiuntur cõtra me: veſtigantq; locos, in quibus delitui, renuntiantq; ipſi Saul, Ecce, Dauid, inquiunt, aufugit, latitat apud nos. Defecerunt אמונים emunim, vt eſt Hebraicè, veritates, aut fideles, vt tranſtulit Hierony. Defe-

B cerunt fideles. Sciendum, iuxta ſermonem Hebraicum, & Auen Eſra, ſenſum eſſe poſſe, Defecit ſanctus, is Hebraicè eſt חסיד caſid, miſericors, beneficus, Defecit qui beneficium præſtaret. Non adeſt quiſquam, qui mihi beneficium præſtet. Quoniam diminutæ ſunt veritates, ſublati ſunt fideles, interfecti ſunt, non ſunt amplius ſuper terra. Prior tamen ſenſus probatur ex ſequentibus.

Defecit ſanctus.

Diminutæ ſunt.

Veritates.

Haſid.

Vana locuti vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa, in corde, & corde locuti ſunt.

VAna rectè Sept. *μάταια*, quod Hebraicè שוא ſaue, mendacium. Hieronymus hoc tranſtulit fruſtra: ſed melius mendacium, quod Chaldæus expreſſit ponens pro eo שקרא ſikra, mendacium. Queritur enim eos aliud ore loqui, aliud in corde celare. Cuiuſmodi homines Homerus vſque ad inferos fore ſibi hoſtes dicit, pro proximo eſt רעיו reehu, ſonat quidem proximum, ſed & amicum, queriturque eos loqui proximo ſuo falſa. Quod dixit, labia doloſa: diſtinguendum eſt, ne iunguas ſequenti, Labia doloſa in corde: ſed, labia doloſa ſunt eis: doloſa Hebraicè חלקות chalacoth. adulantia, dulcia, mollia: eſt eis os adulans. Vox quidem amici, at ſubeſt in pectore ſcelus. In corde, & corde locuti ſunt. Hebræi rectè mihi interpretari videntur. Duobus cordibus loquuntur, propterea duplicauit cor cor. Sunt ei duo corda, os quod modo coram me dulcia fundebat, paulò pòſt conuerſum, fundit acerba, atrocia, dira. Duplex animus duplex mens eis, duo corda, duæ mentes, nunc placida, pòſt inimica, atrox. Duobus cordibus, duobus animis loquuntur.

Vana.

Homerus.

Labia doloſa.

In cor. & cor. locuti.

Similes Paphlagoniæ perdicibus, ijs enim bina eſſe corda legimus.

C Diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

LAbia doloſa, quemadmodum dixi, חלקות chalacoth, adulantia dulcia, mollia, palpantia, propterea doloſa, fraudulenta. Diſperdat, Hebraicè ſimile quid, יכרת iecarath, interficiat, perdat, amoliatur, euertat: eſtque vel imperatiuum, vel futurum. Efferunt enim Hebræi quemadmodum Græci imperatiua, futuris: Chaldæuſque paraphraſticῶs adiecit, Tollat Deus de mundo, vniuerſa labia doloſa. Maxima imprecatio aduerſus maximum ſcelus. Linguam magniloquam, Hebraicè, loquentem magna. Quæ ſint porrò hæc magna, declarat inferius. Innuit igitur non tam inſidioſos, mendaceſque, quàm ſuperbos, arrogantes, minaces, crudeles, præfractos, inflatos, Linguaces, procaces, θεομάχους, ἀντιθέους. hos item Græci dicunt μέγα πνέειν magna ſpirantes, Et cœlum territat armis, ventoſa in lingua, *Det libertatem fandi, flatuſque remittat.* De Turno Drances. At Turnus de Drance:

Larga quidem Drance ſemper tibi copia fandi.

Latinus larga, Hebræus, magna. Ille loquacitatem, noſter ſuperbiam, arrogantiam, inſolentiam deſignat.

Diſperdat.

Ling. magniloq.

Qui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt?

HEbraicè propriè, Cùm lingua noſtra inualeſcemus, corroborabimur lingua noſtra, potentes, eximios nos faciet. Intendamus vocem, in hac omnis ſpes noſtra. An tibi Mauors ventoſa in lingua, latius, inflatiuſque res prædicantes, exaggerantes. Quale monſtrum, quod inſignis poeta deſcribit:

Ling. noc. magni.

Mars.

Hæc tum multiplici populos ſermone replebat,

Lab. noſ. à nob. ſunt.

Quod ait, Labia noſtra à nobis, Hebraicè, Labia noſtra nobiſcum ſunt. Etiam Græcè, ſed Latinus non rectè τὰ χείλη ἡμῶν παρ' ἡμῖν. Labia noſtra apud nos ſunt. Eſt, inquiunt, nobiſcum eloquentia: nos domini loquendi, poſſumus quæ volumus loqui. Habemus ſermonem in poteſtate. Inſignem igitur eorum ſuperbiam, inſolentiamque deſcribit, Contumelioſos, intractabiles oſtendit, genus inſociabile.

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit dominus.

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.

Miſeria. Pauperes. Inopes, ſine ope. Ponam in ſalut. Fiducialiter agam in eo.

RItus pſalmorum proponentium prius rapinas, cædes violentiasq; hominum ſuper horum impunitate querentium, demum auxilium Dei, propenſamque ad improbos vlciſcendos voluntatem decantantium. Quod dixit, propter miſeriam, Hebraicè miſeria, שוד shod, rectè Hiero. quod Græca vox etiã demonſtrat ἕνεκα τῆς ταλαιπωρίας, Propter afflictionem, vexationem. Pauperes dicit, ope deſtitutos, quemadmodum ſæpe dixi, quos omnia deficiunt, niſi deus adſit propitius. Itaque eoſdem vocat inopes, & pauperes. Ecce igitur Deus non dormitat, non deſpicit, negligitque res hominum. Aduertendum quod in hoc verſu quoq; eſt, non de ſequenti, Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo. Quod dixit, Ponam in ſalutari, eſt, ponam pauperes in ſalute, in loco tuto. Mirum enim cur Septuag. transferant σωτήριον, ſalutare, quod eſt ישוע ieshua, ſalus, incolumitas. Quod autem, ait, Fiducialiter agam in eo, Græcum magis reſpondet ad Hebraicum, παῤῥησιάσομαι, audacter loquar, iuxta Hebraicum יפיח iaphiach, inſufflauit, ſuperbè, arroganter loquetur. Non eſt igitur per primam perſonam, ſed tertiam. Refertur iuxta Hebræos, ad eum qui ſeruatus ſit, qui erit in tuto. Quem Deus ponet in loco tuto. Ego (inquit Deus) ponam eum in ſtatione tutiſſima. Loquetur audacter contra hoſtes, nihil amplius trepidabit, nihil extimeſcet, fiduciæ, ſpeique plenus. Poſſet iuxta Auen Eſra, referri ad eundem ipſum Deum. Qui eum eripiet, ponet in arce ſecura, loquetur pro eo, aut loquetur ei ipſi, quem eripuit: promittet, promiſſa ſeruabit, implebit. Deus loquetur ei, & quæ fuerit locutus, adimplebit. Eoque ſubiicit:

Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Caſta. Ideo fidendum illi. Ob id non eſt illis fidendum. Igne examinatum. Probatum terræ.

CAſta Hebraicè טהורות tehoroth, pura, munda, caſta. Quæ loquitur Deus, inquit, veriſſima ſunt: caſtiſſima veritas. Et (vt inquit Rabi Salomon) penes eum eſt facultas adimplendi, quæ loquitur, quæ pollicetur. At eloquia hominum, non ſunt munda, quoniam nequeunt fidem promiſſorum adimplere. Sic Auen Eſra: Deus, ait, ſeruabit, eripiet innocentem è manibus eorum, qui linguis ſuis ſuperba loquuntur. Quoniam id ipſe promittit, & quæ promittit, vera ſunt omnia. Comparat deinde verba Dei argento puro, mundo, excolato, purgato. Quod dixit, igne examinatum, vnico verbo dicitur Hebraicè צרוף aruph, excolatum, examinatum, purgatum. Et quod dixit, probatum terræ, Hebraicè examinatum, ſiue purgatum בעליל לארץ bealil, laarez. In vaſe terreo, in vaſe quo colatur argentum, quod Hebraicè vocatur alil, quod terræ ſubijcitur. Probatum, inquit, in vaſe, in terra. In vaſe, quo probantur, excolantur metalla argentum, aurumq;. Hoc ſua lingua Chaldæus vocauit כורא cora. Quanquam eſt etiam Hebraicum nomen כור cor, fornax, focus, vt dicat, Purgatum in fornace, in terra, ex fornace, ſiue vaſe in terram defluens. Aut iuxta ſenſum aliorum, probatum in vaſe, ipſi terræ, omnibus hominibus, vniuerſæ terræ probatum. Sed ſuperiora meliora. Chaldæus enim etiam dixit, probatum in vaſe ſuper terra, vt oſtendat ritum excolantium metalla. Quod dixit, ſeptuplum, Chaldæus

Septuplũ.

idem expreſſit, ad Hebraicum, ſeptem vicibus, ſepties repurgatum. Senſus omnis igitur dicta Dei, promiſſa Dei, ſunt pura, munda, fidelia, nihil fraudulentum, falſum, ſimulatum, adulterinumque habentia. Implentur, veniunt ad exitum. Fidelia, inquam, & integra, vt argentum ſepties excolatum, repurgatumque in vaſe fictili, terreo in terra.

Tu domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

Seruabis nos.

SEruabis nos, vt Grȩcè διαφυλάξαις ἡμᾶς, ſecus Hebraicè תשמרם tiſmerem, cuſtodies, ſeruabis ea, Tu domine cuſtodies, ſeruabisque illa ipſa eloquia; implebis, aut repones promiſſa illa tua. Habes parata, repoſta, miſeris, ac pauperrimis, vt ait Rabi Salomon. Repones, conſeruabis eloquia, ac promiſſa his quos nunc ſcelerati perſequuntur. Hæc lectio eſt quoque apud Chaldæum תינטרינון tinterrinum, Conſeruabis ea iuſtis. Auen Eſra quoque ait, Seruabis ea, par

Et cuſtodies. A generatione hac.

eſt referri ad eloquia Dei. Quòd verò ſequitur, Seruabis nos à generatione hac in æternum, rectè hoc ſubiicit, Deus conſeruat, habet repoſta iuſtis promiſſa. Propterea orat, vt interea ab omni calamitate ſubducantur, à generatione hac, ab hoc ſæculo ſcelerato, ab hac ætate flagitioſa, ſerues, cuſtodias, vt promiſſa tua, quȩ paraſti, conſequamur. Expreſſit etiam hoc Chaldȩus, Seruues nos ab hac generatione mala. Cuſtodi inopes, & pauperes ab his, qui ſuperba, magna, inflata ta loquuntur, quibus ſunt labia doloſa, duplices animi. Hæc ætas, hoc ſæculum peſſimum nunc eſt. Magna nũc linguarũ, gladiorumq; impunitas. Quapropter nos tuere, foue, amplectere, defende, ab hac hominum prauitate, à præſenti ſuperbia, vt ea, quæ ſeruaſti nobis, conſequamur. Aut quoniam ſeruaſti, repoſuiſti bona quædam, quandam incognitam, orationeque inexplicabilem felicitatem, propterea cuſtodi, conſerua nos ad hæc bona.

In circuitu impij ambulant: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

TAnta eſt impunitas, tantus numerus malorum hac ætate ſcelerata, vt quoquò te vertas, in eos offendas. Et vt diuus Petrus de diabolo, Circuit quærens quem deuoret. Et Satan apud diuum Iob, Circuiui terras, & perambulaui eas, ſic pſalmus, impios miniſtros eius ait omnem angulum euoluere, vbique vagari, nuſquam non præſto eſſe vt rapiant, interficiant. O tempora: O mores: inquit: iuſtitia terris exceſſit, vis, audacia nunc triumphant, nuſquam tuta fides, nihil intactum crudelitas relinquit. Impietas, arrogantia, fraudumq; omne genus dominantur. Quod autem dixit, Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum, ſecus eſt in fonte, כרם זלות לבני אדם kerum zulluth libne adam. Verba ambigua, eaq; multarum ſententiarum. Rum nonnulli accipiunt (vt paſſim ſignificat) multitudinem, altitudinem. Secunda vox, zulluth, ducitur à zalal, deſpicere, contemnere. Iuxta has ſignificationes, Rabi Salomon, & Auen Eſra ſic interpretantur: Zalluth, inquiunt, eſt deſpectus, contemptus, atque dicit Pſalmus, Secundum altitudinem, qua Deus exaltauit me, promouitque in Regem, eſt deſpectus filiorum hominum, quia videlicet inuident, exeduntur, incenduntur inuidia: atque hi ſunt, qui in circuitu ambulant. Propter inuidiam (inquit Rabi Salomon) quòd oculus eorum liuidus eſt, cùm me videant ex rure, pecoribuſq; paſcendis aſſumptum in Regem, ex humili loco ad maximam dignitatem prouectum. Euectus eſt, inquit, vir deſpicabilis, vt illi iudicabant. Eſt alia interpretatio, quoniam zalal, ſonat etiam deuorare, deglutire. Et rum, putant eſſe mutatis litteris, quod ſæpe fit, qui dicitur רים rem, nimirum rhinoceros: In circuitu impii obambulant, ſicut, rhinoceros deuorare filios hominum. Hæc interpretatio quoque Chaldæi eſt, ſed pro rhinocerote ponit עלוקא aluca, ſanguiſugam. Interpretaturque, In circuitu impij ambulat, ſicut ſanguiſuga, דמצצא דמיהון דבון דבני נשא quæ ſugit ſanguinem humanum. Hæc interpretatio fortaſſe verior, & ad totum pſalmum aptior. Sępe enim in his carminibus, ſanguinarij, crudeles, leonibus, tauris, rhinocerotibusque comparantur. Hieronymus in ſuo pſalterio ex Hebraica veritate iuxta primum ſenſum reddidit, Cùm exaltati fuerint viliſſimi filiorum hominum. Sed hunc ſenſum melius ex Hebraico intelliges, ſi referatur in Dauid.

In cir. imp. amb.

Secũdum altitu. tu. mul. fi. ho.

Sanguiſuga. Nõ miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

PSALMI XII. EXPLANATIO.

HVic pſalmo conſuetus titulus eſt præfixus Lamnazeach, ad triumphandum, canendum validè, alacriter: tum dicitur eſſe pſalmus Dauid. Oratio eſt ad ſummum Iouem, quem in principio appellat: orans quale in ſuis pſalmis, quos hymnos vocat, Homerus in pſalmo in Iouem,

Lamnazeach.

Ιληθ' εὐρυόπα κρονίδη κύδιστε μέγιστε.
Sis placidus qui cuncta vides, venerande ſupreme.

Implorat eius auxilium, cupit præſentem eſſe calamitatibus, quibus eſt circumuentus. Niſi quid auxilium ab eo ſit, futurum vt hoſtes eo ſuperato trophæum ſtatuant, exultent, in omnes partes nuntios victoriæ dimitttant, inſolenter gloriantes. Hoc autem futurum ſi diutius cunctetur, expectet, conniueat, oſcitanterque negligat. Itaque primam vocem quam tulit, increpatio eſt diuinæ tarditatis, qui ſciens, & prudens, pios vexari ſinat, impios, parta victoria, lætari, triumphoſque agere, omnia ſuis viribus tribuentes, nihil ſibi reſiſtere poſſe iactantes. Vbi igitur orationem habuiſſet, velut propheta, certuſque preces ſuas exauditas, redit ad alacritatem, ſibi ſalutem, liberationem promittit.

VSquequò Domine obliuiſceris mei in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me?

IN finem, fons נצח nezach, perpetuò. Et pro eo Chaldæus, תביטה in ſæcula. Cur perpetuò mei obliuiſceris? cur perpetuò immemor es noſtri? Nunquàm ne leuari obſidione ſines?

In finem.

O pater, ò hominum, Diuumque æterna poteſtas.
Namque aliud quid ſit, quod iam implorare queamus,

Niſi (aiunt Hebræi) tuleris celeriter opem, in eam ſuſpicionem cadam, te res hominum negligere, & velut hominem obliuione capi. Hocque multi mortales crediderunt. Et ſuper cardines, inquiunt, cœli ambulat, vltra flammantia mœnia mundi.

Deum nec habere, nec faceſſere cuiquam negotium.
Opis non indiga noſtræ, maieſtas eius.
Talia mortales ſæpe ſuſpicati ſunt.

Auert.fac.

Auertis faciem.] Reſoluit figuram qua Hebraicè dicitur eodem ſenſu, abſcondis faciem. Faciem autem dixit abſcondi, ab humanis ſumpta figura, quas, aut odio habemus, aut contemnimus, ab his oculos auertimus, ſiue non valentes aſpicere, odio abducente, ſiue contemnentes. Ac quos diligimus, libenter item, ſepiusq; reſpicimus. Multò grauius eſt, cùm principes faciem abſcondunt, cùm interdicunt, ne in conſpectum eorum veniamus, aut ipſi vltro ſeſe cælant. Hæc per tralationem Deo tribuit Vates, datis Deo, moribus terreſtrium principum. Qua figura in contrarium Latinus deſignans lætitiam, voluntatemque benefaciendi, de ſuo Ioue cecinit,

Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum,
Vultu quo cælum, tempeſtatesque ſerenat.

Vſquequò ponam conſilium in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Vſquequo Ponam cõſilia.

QVater inculcat vſquequò. Ponam conſilium in anima, eſt ſolicitari timore, cura, pauore. Ingeminant curæ, dictæ, quòd cor vrant, Græcè μελεδῶνες, quòd paſcantur, vorentque membra. Conſilium acerbum, pauoris plenum, Curam atrocem, curarum fluctuat æſtu. Quandiu, inquit, ſollicitabor? quem ad finem excruciabor? Et curæ triſtes animum obſidebunt: Vltrices poſuere cubilia curæ. Declarat ſecundo, quod conſilium ſentiat, dolorem in corde meo per diem. Ecce conſilium. Inſtantibus vndique malis, imminentibus hoſtibus à tergo, metus animum excruciat. Et quemadmodum Græci explanant, Noui, inquiunt, ò Deus, vis me velut certaminis ſpectator, præmiorumq; diſtributor, multis ſudoribus profuſis, victorem nobilius oſtendere. At hi qui mecum ſunt, arbitrantur me à te derelictum. Docere enim, prophetam, non quaſi ſeipſum conſolantem, ſed nos monentem, vt ſi ſupplicantes interdum non exaudimur, ne ob eam cauſam animo deficiamus, appellaſſeque auxilij diuini, tarditatem, obliuionem. Eſt autem de præſenti verſu. Exaltabitur inimicus meus ſuper me. Superior hoſtis inſoleſcet, gloriabitur, inuolabit. Hoc fit cunctante Deo, fiunt inimici noſtri inſolentiores.

Dolorẽ in corde meo per diem.

Exalt. inimi. meus. Inſiliet, ac rapiet.

Reſpice.

Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne, quando obdormiam in morte.

Aquilo, q. & boreas, ab æſtiua. ſeu ſolſtitiali oriẽtis parte venit.

VEnuſte dixerunt Septuag. ἐπίβλεψον, reſpice quod Hebraicè הביטה tabbita, conuertere, flectere. Vultum abſcondiſti ſuperius dicebat, nunc precatur, oſtendat, vultum, inquam, quo cælum, tempeſtatesque ſerenat. Si modo reſpexerit, omnis auolabit tempeſtas, lætitia, alacritasq; redibit. Omnis in illo vultu ſerenitas, inſatiabilisq; voluptas. Vt Aquilo toto cælo fugat nubes, vt locus vbi conſiſtant non ſuperſit: ſic vultus ille diuinus omnes mœrores diſſipat. Itaque infert, Illumina oculos meos, congruè quidem. Exerente eo, vultum, diuinosque oculos terris oſtendente, maxima, vniuerſalisq; alacritas diffunditur, implentur omnia lumine immenſo, vtique, & oculis prohetæ à tanto ſplendore illuminandis. Illumina igitur oculos, eſt, ſplendore, & claritate diuina comple, oſtende meis oculis lucem vultus tui: offunde eos claritate tua, offer ſuauiſſimam illam oculis meis lucem, qualem Apoſtoli viderunt in monte: viſa, ineffabili gaudio repleti ſunt, vt ibi perenniter eſſe cuperent, omnium obliuiſcerentur, multò magis, quàm ſi loton comediſſent. Hanc quæſo videant oculi mei, impleantur ea. Quod ait, Dormiam in morte: diſſeritur ab Hebræis appoſitè, ſomnum letiferum, mortalem deſignare.

Illumina oculos.

Dormiam in mort.

Olli dura quies oculis, & ferreus vrget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.

Somnus, fr. mortis.

Eiuſmodi ſomnum Vates precatur à ſe repelli. Splendore illo diuino fugari ſomnum letiferum, ferreum. Homerus ſimili quadam figura, fratrem Mortis, ſomnum appellat, κασίγνητον θανάτοιο. Mors igitur, omnis mœror, & calamitas diſcedent, adueniente Deo claritatemq; ſui vultus oſtendente. Atque hic tres Poeticæ figuræ venuſtæ: quòd vultus Deo tribuitur, quòd huic vultui claritas, quòd mors ſomnus appellatur. Et aut dulcedinem diuinæ claritatis, mœrorisq; diſceſſum poſtulat, aut precatur illuminari ne peccet, ne labatur.

Ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum. Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero.

PRæterquam quòd miſerum eſt vinci, ipſa quoque victorum inſolentia, calamitatem, doloremque auget victis. Qualem meruit Pallanta remitto. Vbi nunc Maxentius illa, Effera vis animi? Tunc ille, Hoſtis amare, quid increpitas? Hanc igitur hoſtium lætitiam cupit, orat non diutinam eſſe. Declarat triumphos in caſtris hoſtium futuros, ſi loco ceſſerit. Qui tribulant me

A me Hebraicè צרי zarai, vexatores mei, inimici prementes. Exultabunt, efferentur lætitia, carmen triumphale concinent. Si motus fuero, Hebraicè אמוט emmot, Si lapſus fuero, ſi quatiar, ſedibus ſecuris excutiar, ſi regno pulſus. Hæc Græci referunt ad animos. Si me viderit inimicus in ſcelus mortiferum prolapſum, verè exultabit, quòd caſus noſter addit ei lætitiam. Exultabunt ergo, exilient, irridebunt, cecidiſſe, qui ſe in ſempiternum ſecurum iactabat.

Inimici.

Ego autem in miſericordia tua ſperaui: exultabit cor meum in ſalutari tuo. Cantabo domino, qui bona tribuit mihi.

QVare non extimeſcat, neue animis deficiat, oſtendit magnam ſe ſpem habere in miſericordia Dei. Hanc ſibi Spiritus, animoſque & alacritatem reſtituere: hanc vnam ſibi ſalutis viam apertam eſſe. Tribuit cordi exultationem, alibi quoq; alacritatem, reliquosq́ affectus, quemadmodum Homerus qui pauorem dat cordi κραδίην τ' ἐλάφοιο, cor cerui, dicens habere timidos. Et ille ad ſuum cor loquebatur impendente leto,

Spes.

Cor.
Eſt enim ceruo, cor maximū.

Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.
Cor patere hanc cladem, grauius nam ſæpe tuliſti.

Eſt crebrum apud eum φίλον κῆρ, amicum cor, charum cor. Ita nunc Vates ſacer, exultare cor in ſalute à Deo afferenda. Pro σωτήριον, vt ſæpe monui, eſt clarius in fonte ישועה Ieſua, ſalute IESV, Seruatore. Salutare non eſt dicendum: Sic, Quia viderunt oculi mei ſalutare, tuum: potius, ſalutem, aut IESVM tuum. Et, Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, Salutem ſuam, aut ſeruatorem, ſiue IESVM ſuum. Igitur velut iam parta victoria, decantat in fine carminis ἐπινίκιον, iam ſibi redditam alacritatem, ſalutem, felicitatem vaticinatur. Cæterum ſuperuacaneo additur apud Græcos, & Latinos. B

Salutare.
Luc. 2.

Et pſallam nomini domini altiſſimi.

INSCRIPTIO PSALMI XIII.

In finem Pſalmus Dauid.

HANC inſcriptionem Chaldæus more paraphraſtæ declarans, Ad laudandum in Spiritu prophetię per Dauid: oſtendit hic abſtruſa rerum futurarum myſteria decantari. Quandam liberationem victoriamque ex inimicis. Ac Rabi Salomon duos ait Pſalmos edidiſſe Dauid ſuper impiis principibus: alterum ſuper Nabuchdonoſor, alterum ſuper Titum, qui vterque templum Dei euerterint. Nunc eſſe ſuper Nabuchdonoſor, hoc auguratur, quoniam Rex ille prę cæteris barbarica inſolentia inſignis, pro Deo haberi, coli vt Deus voluit. Simul reditum in patrias terras canit Pſalmus, quod de Babylonica captiuitate quadrat: idque Chaldæus paraphraſtes ſenſit. Quidam Græcorum referunt dictum contra Senacherib Regem Aſſyrorum, qui contra verum Deum ſub Ezechia locutus eſſet. Sed quoniam non fuit eo tempore populi captiuitas, cuius meminit Pſalmus, reijcitur a Nicolao. Præter hanc ſententiam, poteſt Pſalmus eſſe vniuerſalis philoſophia, de ἀθέων, de impiis blaſphemis, omnique illa præteritorum temporum generis humani colluuie, omni ferè mundo ſimulacra, aut cæleſtia lumina Chaldæos imitata, colente: tum mortalibus neſcio quibus, qui ſibi ſapientiæ titulos tribuebant, abſurdas de Deo opiniones proponentibus. In hos inuehitur, ſtultorum eſſe non ſapientum negare Deum verum. Habere ſapientes, irrefragabiles rationes, quibus Deum ſentiant, & ſciant, has, ſtultos videre non poſſe.

Deū ſcire.

PSALMI XIII. EXPLANATIO.

DIxit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum.

SAEPIVS admonitum, Hebraicàm linguam cordi tribuere locutionem: cor autem eſſe pro mente, animoque. Dixit in animo ſuo, cogitauit perſuaſit ſibi: hæc ſecum, Mene incœpto deſiſtere victam? ita inſipiens, hæc ſecum. Inſipiens, Latinus ad Græcam vocem ἄφρων, demens Hebraicè נבל nabal, demens, ingratus. Latius etiam Chaldæus expreſſit, paucis additis, quid ſibi velit, Non eſt, Deus, non eſt ſultana, principatus, poteſtas Dei ſuper terra: ea ſcilicet, quæ ſuperius ſępe queſtus fuerat: Dixit, enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus. Et, Vſquequò peccatores Domine gloriabuntur? Poſuerunt in cælum os ſuum. Itaque nomine ſtultorum, vel inſipientium, comprehenduntur non modò, qui ſentiunt cum Diagora, & Protagora, quorum alter nullum eſſe Deum, alter an eſſet dubitare ſe dixit: ſed etiam Lucretiani impii quidam philoſophi, qui poteſtatem eius præſcripſerunt vſque ad globum Lunæ, terras minimè attingentem, noſtrarum

Cor.

Inſipiens.

rerum nihil videntem. Hos præcipue Pſalmus deſignat. Longè enim paucos inuenias,quibus non ſit perſuaſum,eſſe numen aliquod adorandum. At bene multi mortales, quoniam vix quæ ſunt antè oculos credimus,apprehẽdimus,opinantur eum apud nos nuſquam eſſe,nec rebus humanis, nec bonorum, malorumque factis intereſſe. D

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri.

Cor. ſunt.

Hoc autem opinantur,aut quòd paulo ſecretiora propter oculorum obtuſam aciem, non cernunt,aut quoniam effrænatis cupiditatibus efferũtur,ne quis metus eos abſterreat,neminem eſſe prædicant, cuius interſit pænas delictorum repoſcere. Libenter autem credimus quæ volumus. Hæc opinio quamcunque habeat originem,fons eſt reliquorum malorum,propterea ſubiecit. Corrupti ſunt. Hæc ſciens Latinus philoſophus (iure enim profanis collatis, ſacros autores illuſtrare,atque aperire quid loquuntur, queas) Sunt,ait philoſophi,& fuerunt,qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem,Deos. Quorum ſi vera eſt ſententia, quæ poteſt eſſe pietas,quæ ſanctitas,quæ religio? Quibus ſublatis,perturbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio:atque haud ſcio,inquit,an pietate ſublata, fides etiam, & ſocietas humani generis,& vna excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur. Hæc ait philoſophus ille. Iure igitur noſter ſciens hunc omnis eſſe ſceleris fontem,atque inde totius vitæ confuſionem,fidei, ſocietatiſque humani generis,atque iuſtitiæ euerſionem ſequi,ſubiecit poſt nefariam eorum ſententiam, Corrupti ſunt,& ab omninabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. Quod Hebraicè eodem ſenſu,ordine alio dicitur: & vt Chaldæus expreſſit, Corruperunt, abominabilia fecerunt opera ſua, quidquid agunt, abominabile, nefarium eſt. Sublato enim illo fræno timoris Dei, pręſentis, ac cernentis omnia, multò magis quàm equi, omneſque beſtię, homines efferuntur, exultant, in omnes E errores proclinati,delabuntur. Propterea non eſt ex eis quiſquam,qui bene, ac laudatè agat. Ipſe igitur,quaſi de cęlo aduerſus impiam hanc turbam miſſus teſtis,eorum ſententię contradicens oſtendenſque Deum ſecus quàm illi pędicent,videre,ac ſcire cuncta,ſubiicit:

Non eſt, qui faciat bonum.

Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat,
ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

AVdis contrarium quàm paulo antè teſtimonium. Stultus, vt Lucretius,Non eſt Deus, & ſi eſt,neſcit noſtra,regnans vltra flammantia mœnia mundi. At ſapiens,diuinituſque afflatus,Imo eſt Deus,& regnat quidem in cęlo,remotiſſimis à terra locis,ac inde(quod ei facillimum eſt) proſpicit omnia,cernit,ſi quos iuſtitia,fides,pietas delectet. quãquam horum numerus perexiguus eſt. Hoc priſca theologia, quoniam exordio cęli propinquior omnia diuina melius,quàm poſteritas cernebat,vbiq; decantat,vt Homerus,

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι,
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖς, ὅππως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ. Et,
-Πρὸς γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεινοίτε πτωχοίτε δόσις δ' ὀλίγητε φίλητε.
Iuppiter ipſe bonum tribuit mortalibus omne,
Vt libuit,mittens cuicunque boniſque maliſque,
Ab Ioue ſunt omnes homines,peregrinus inopſque.
Muneraque exigua, aut grata.

Ex Deo, omnia.

Sic quidem ſapientes,loquebantur,oppoſiti veſanię improborum. Duplici autem ſenſu potuit diei Deum requirere,an ſit ſapiens quiſquam. Reſpicere,bonos in primis,ac ſapientes. Hos attentè requirere, & velut hominem, velut amantem diligenter,indagare, vt eos diligat,amplectatur, tueatur,vti ſibi charos,gratoſque,quemadmodum confitetur Ariſtoles,eundem eſſe ſapientiſſimum,beatiſſimum,atque θεοφιλέστατον, Deo chariſſimum,cuius eſt Deus amantiſſimus. Eiuſmodi requirere Deum,an inueniantur in terris. Alterum ſenſum quem Græci adhibent, requirere velut prouidentem, gubernantem, vt curet laborantes, opem eius implorantes, parte alia quemadmodum de peccatis Sodomæ ſcribitur: Clamor Sodomorum venit coram me, deſcendam, & videbo. Vt reſpiciat velut iudex ſeuerus, boniſque à malis iudicio ſuo ſeparatis, vnicuique congrua tribuat. Cernis item hoc loco,eundem eſſe intelligentem, atque Deum requirentem,iuxta veterum ſententiam, qui diffinierunt ſimul pietatem, ac ſapientiam, conſiſtere, nomine duntaxat differentes. Eſſe ſapientiam, ipſam pietatem. Qui dicit ſapientem, dicere eſſe pium, dicere cognoſcentem Dei, finemque totius philoſophiæ, cognitionem Dei, nempe ſapientiam: Philoſophiam autem eſſe rerum cauſas requirere, vt his repertis ſuprema cauſa cognoſcatur. Huius autem cognitionis fructum, eſſe amorem, cultumque Dei, nimirum pietatem. Itaque eundem eſſe intelligentem, ſapientemque,ac Deum requirentem, quod is verè philoſophatur, qui Deum quærit. Et is verè philoſophus, aut non quidem amans, ſed poſſeſſor ſapientiæ, qui Deum reperit, cognouit, cognitum amauit. Hanc eſſe ſapientiam, hanc pietatem. F

Intelligẽ. requir. Deum.

Sapientia Philoſophia. Pietas.

A tem. Hoc Deum in terris exactè requirere. Sed vt Sodomæ non ſunt decem iuſti reperti, propter quos reliquæ ciuitati Deus parceret, ſic pſalmus exclamat:

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Declina.

DEclinauerunt, ſubaudit Auen Eſra, de via recta, propterea Chaldæus, Declinauerunt retrorſum, videlicet in contrarium, verſis animis, euerſa ratione, velut cæci, duce, & ratione carentes: perinde ſi flumina vertere retro cerneres, Xanthe retro propera. Dicitur de mortalibus cùm viuunt animis auerſis, amiſſa ſapientia, enormiter, ſtupendè, deprauatè: velut ſi arbores non amplius in cælum mitterent ramos, ſed vel deorſum, vel in dexteram, ſiniſtramque. Hebręi contendunt hoc præcipuè dictum de idololatris ſuorum temporum, propterea quòd de plebe ſua, quam deuorent, ſermo ſit inferius. Quos prophetæ tantis erroribus detineri videntes, & in vna re, quæ ſumma rerum humanarum eſt, peccare, iure deplorabant eorum deprauatum, ac pene monſtroſum iudicium, pręposteramque vitę rationem. Nec habebant amplius, quod contemptibilius dicerent, quàm ἠχρειώθησαν, inutiles facti ſunt, aut quod eſt Hebraicè נאלחו neelachu, fœtuerunt, corrupti ſunt, contabuerunt, contaminati, execrabiles facti. Obſeruaturque à Græcis, quod declinaſſent, à rectoque itinere excidiſſent, quòd corrupti eſſent, indicari natura factos fuiſſe rectos, ipſos naturam, imaginemque ſuam corrupiſſe. Hierony. uerbum neelachu, tranſtulit conglutinati ſint. Non uideo quo ſenſu, & quam ob cauſam. Obſeruare operæpretium eſt in exemplaribus Latinorum redundare tres uerſus adiectos huc, & tralatos ex alio Pſalmo, quos hoc in Pſalmo neque apud Hebræos, neque Hieronymum, neque etiam Græcos reperies. Obeliſco eos confodias.

Inutil. facti ſunt.

B **Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis, dominum non inuocauerunt.**

Cognoſcent.

COgnoſcent Hebraicè ידעו iadeu, cognouerũt. Admirationem eſſe Hebręus Auen Eſra teſtatur, Nonne cognoſcent, non reſipiſcent, attollent oculos? Non cognouerunt, non uiderunt, non ſuas uires hoc fuiſſe, ſed facultatem eis Deum dediſſe. Scelerati, execrabileſque illi, qui perpetrant facinora, flagitiis inſueti, uelutque lupi rapaces, in bonos, pioſque, impetum facientes, nonne ſcire debuerunt à Deo, non ſuis uiribus eueniſſe, ut proſternerent populum Dei, uorarent, conſumerent, factum hoc diuina prouidentia non uiribus humanis? Oſtendenſque eorum impietatem, animoſque alienos à Deo, ſubiicit, Deum non inuocauerunt. Hoc Chaldæus expediens, Deum non benedixerunt. Victoriis potiti, profligata, captiuaque abducta plebe Dei, non benedixerunt Deum, non gratias egerunt, ſed omnia audaciæ ſuæ, viribuſque tribuerunt. Mutata eſt perſona, vt videmus, cùm ſuperius, pſalmus ſit locutus, nunc ipſe Deus, qui plebem ſuam nominet. Quanquam Græci putant poſſe Dauid eſſe, qui plebem ſuam nominet, quam Babylonii, Aſſyriique vorent, abſumant, inflatius ſeſe iactantes.

Dominũ non inuo.

Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor: quoniam dominus in generatione iuſta eſt.

Vbi non erat timor

C SVperuacaneo additũ eſt in interpretatione Septua. quæ Latina quoque eſt οὗ οὐκ ἦν φόβος. Vbi non erat timor. Itaque nec in Hebraico, neque in editione Hieronymi habetur: & eo ſenſus impeditur. Nam eis formidinem, pauoremque intentat, propterea quòd non inuocauerunt Deum, quòd ſibi tantos ſpiritus ſumpſerant vt à ſe ipſis profectam non à Deo victoriam contra Hebræos prædicarent. Fregit Deus eorum audaciam, & his, qui prius fortes, intrepidique viderentur, ſuperuenit pauor immanis, calamitatibus acerbis illatis, exploratumque habuerunt, Deum auxilium ferre ſuis, præſentemque eſſe ſi quando vexantur, expectantem vt his veluti flagellis excitati redeant ad ſanitatem. At ſi hoſtes, quod Deus cauſa ſuorum corrigendorum fecit, ſua fortitudine factum glориantur, non ſinet Deus hanc eorum inanem iactationem eſſe diuturnam, conuerſaque fortuna, fortia pectora ſuis, rerum ſecundos euentus concedet: hoſtes autem pauore perculſos, fuga, atque ignominia contemptibiles efficiet. Eſt enim Deus in generatione iſta, eſt protector bonorum, adeſt rebus iuſtorum, non procul abſiſtit. Rabi Salomon hunc pauorem hoſtium interpretatur, cum filius regis Nabuchodonoſor, qui captiuos egit Hebręos, luit pœnas ſceleris paterni ablato ei regno. Poſſet eſſe vniuerſalis prędictio, contra idololatras omnes infeſtos Hebręis ea tempeſtate, cum ſoli omnium gentium Hebręi verum Deum colerent.

Crux.

Dominus in gener.

Conſilium inopis confudiſtis, quoniam dominus ſpes eius eſt.

Confudiſtis.

COnfudiſtis, Græcè κατῃσχύνατε, vituperaſtis. Hoc ſenſu dictum Hebræi, & Chaldęus teſtantur. Quam ſpem in Deo habuiſſet inops, miſerque, vos propter incredibilem ſuperbiam vituperaſtis, inanem ſpem illam, vanamque, & fallacem prędicaſtis. Conſilium illud ſuum, quo confugere ad Deum, & in eo ſe tutum fore miſer ſperabat, vos irriſiſtis. Eſt

Cõſilium.

Spes.

& is ſenſus, quoniam Hebraicè eſt per futurum תבישו tabishu, vituperabitis, vel erubeſcetis. D Noritis, inquit, vos ò quicunque veſtris freti viribus, in bonos inſultatis, conſilium pauperum, quo optimè conſuluerunt, erubeſcetis, erit vobis illud conſilium ignominiæ, dedecori. Irridebatis illud conſilium, ſed veſtra demum erit dementia, conſilium illud ſapientiſſimum comprobabitur, plenum prudentiæ, veſtrum ſtultiſſimum. Coarguet illud conſilium veſtram ſtultitiam, falſamque perſuaſionem, atque irriſionem oſtendet. Eſt igitur ſenſus: Ob conſilium inopis erubeſcetis. Prior magis Hebræis probatur, vt dicat, Propter ſummam cæcitatem. dementiam, conſilium inopis, ſpem in Deo habentis, improbaſtis. Dicitur autem Græcè, ὁ δὲ κύριος ἐλπὶς αὐτοῦ. At Deus, ſpes illius eſt. Quanquam Hebraicè eſt, vt Latinè, pro ſpe, in Hebraico מחסהו machesehu, refugium eius.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael ? cum conuerterit dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

Ex Sion.

Parnaſus. 98.

Salutare.

Iſter, danubius.

Iſrael.

QVemadmodum ſpem inopis Deum ſummum eſſe, non fictitios illos Deos dixerat: ſic nunc primum rogat, quis præſidium Hebræorum, quis ſpes eorum? Rogat autem idololatras Hebræis inimicos. Quem, inquit, putatis eorum præſidium, qua ſpe Iudæos niti creditis ? Quis eis ſalutē afferet ? certè Deus Ille Deus. Nominat Siō, vnde ſalutē venturā vaticinatur, velut alio pſalmo, Virgam virtutis ſuæ emittet dominus ex Sion. Et, Exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Exponitur igitur ab Hebræis, Græcisque vnanimiter, quòd in monte Sion eſſet arca, & propitiatorium, vnde reſponſa dabantur, vbi ſedes Dei crederetur eſſe: inde ſalutem, inde robur, & præſidium mitti ſibi perſuadebant, vbi preces ante arcam habebantur. Accidit igitur ſimile quid in ſacris litteris, atque profanis. E Vt enim profani poetæ non deſinunt celebrare Parnaſum montem in Delphis, propter templum, & oraculum Apollinis, ea tempeſtate celeberrimum: ſic propter oraculū veri Dei, propter ſacellum, vbi arca erat, & propitiatorium, ſacri decantant Sion, ab eo monte, ſalutem mitti canentes. Itaque per interrogationem poſtulat, vt declaret quod interrogauerat, Quis det ex Sion ſalutem ? Quod alio pſalmo apertè denuntiat: Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion. Nunc vbi rogaſſet, ſubiicit reſpondens, Cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ: cùm reuocauerit captos, cùm miſerit in patriam miſeros exules: cùm reddiderit eis patrium ſolum, conſpectum dulcis patriæ, cuius amore ſapiens ille fertur immortalitatem repudiaſſe. Tunc, inquit, triumphus erit: tunc lætitia, ludi, chori, feſtique dies. Vel ipſi montes, ſyluæque lætabuntur, valles reſponſabunt. Eſt autem in Hebraico (vt ſæpius monui) pro σωτήριον ſalutare, clarius, & melius ישועה ieshuah, ſalus, IESVS, ſeruator. Quis dabit ſalutem, aut ſeruatorem, ex Sion? Et forſan à monte Sion canit venturum ſeruatorem, qui captiuos liberet, quoniam inde ſalutis humanæ fuit initium, plurima myſteria illic celebrata. Nominat aūt Iacob, & Iſrael, poeticè bis eundem duobus nominibus decantans: veluti ſi dicas Iſtrum, ac Danubium: Romanos, & Quirites. Cognominatus fuit Iſrael, cum luctatus cum Angelo eum ſuperauit. Itaque Iſrael eſt ſuperator Dei, à verbo in futuro ישר iſra, & nomine Dei El. Non ergo deſignat (vt plerique putant) vir videns Deum. Nam vir dicitur איש ish. nomen non eſt in hac compoſitione.

PSALMI XIIII. EXPLANATIO.

F NOtus titulus, quo dicitur Hebraicè מזמור לדוד miſmor le Dauid, pſalmus ipſius Dauid Hunc pſalmum ferunt Greci iure propinquum eſſe ſuperiori: quoniam, vt ille generatim contra homines, eos ſtultitię condemnans pronunciauerat, ſic nunc qua ratione vitare ſtultitiam poſſit, ſapientesque fieri docet. Quę conditiones reddant hominem inſipientem prius, nunc quę ſapientem, diuinęque felicitatis participem. Exordium, fonsq; ſtultitię illic, virtutibus omnibus auferre ſtabilimentum, pietatem: hic proponere veluti finem bonorum, ad quem dirigenda ſint omnia, vt in tabernaculo Dei colloceris. Is enim totius philoſophię, omnis humanę vitę finis. Ne quis igitur deſperet, ad ſapientiam nunquam aſpirare poſſe, quoniam vniuerſos inſipienter peccare aſſeruerat, viam facilem, planamque oſtendit. Finis autem, ſiue fructus ſapientię, felicitas. Hanc oſtendit, eam appellans, habitare in tabernaculo eius. Iter quoque monſtrat, quo ad eam peruenias.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Tabernaculum.

Mons ſanctus.

TABERNACVLVM Gręcè σκήνωμα, tentorium, ſcena, vnde Scenitæ Arabes, quòd habitant ſub tentoriis. Tabernaculum non æquè venuſtum, commodumque. Vocat tentorium, & montem ſanctum, aut (quod Hebræi pariter, & Græci proponunt) tabernaculum, ſiue tentorium, quod fecit Moſes, tabernaculum teſtimonii, quod ſimul cum arca poſitum erat in monte Sion. Propterea montem ſanctum eius nominat, vbi tabernaculi meminiſſet, ſimul & tentorium, & montem, in quo erat arca nominat. Arca ſub tabernaculo, totum autem in montę Sion. Aut iuxta Euthymium, quoniam terreſtris

A reſtris Hieruſalem συστοιχεῖ (vt ait diuus Paulus) reſpondet cæleſti:& templum in terris, eſt imago cæleſtis, ſub nomine tentorij, montiſque ſancti, habitatio ſupera deſignatur. Nam quæ poterat eſſe in illo tabernaculo habitatio, vt roget, quis in eo habitet, quod vix fortaſſe duos, aut tres caperet? Et eò nemini licebat præter quàm ſacerdotibus ingredi. Iam Illud tabernaculum apertè cœlum exprimere, ac deſignare cognitum eſt:& colores, quibus conſtabat, quatuor elementa refert Philo eruditiſſimus denotaſſe: cærulum, ſiue hyacinthinum aerem, byſſinum terram, purpureum aquam, coccinum ætherium. Sic quod pars tabernaculi, plebi, omnibuſque animantibus, altera ſolis ſacerdotibus initiatiſque pateret, illa terram deſignari, quæ cuncta monſtra, bonoſque, & malos capiat: hac cælum, quo puris, initiatiſque duntaxat liceat aſpirare, autores fermè ſunt omnes. Igitur per ſenſus occultos, quod Græcè dicitur ὑπόνοια, tabernaculum, vel tentorium, & mons ſanctitatis (vt eſt Hebraicè) cęlum intelligemus, qui verè dicitur mons, οὐρανὸς, ſupremus terminus, totius mundi vertex. Et verè mons ſanctus, vbi nulla fraus, vbi campus veritatis (vt ait Plato) vbi diuina ſpectacula, & vt idem diuinus Plato de loci illius incolis φθόνος ἐξίσταται θείου χοροῦ, diuinam gentem, inuidiam non attingere. Ibi quoq; templum ſanctum, quo Deus piè, pureq; ab animis deificatis colitur, laudatur, celebratur. Hanc cæleſtem habitationem deſcribens antiquiſſimus, idemque doctiſſimus vates Homerus,

Ολυμπὸν δ' ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Εμμεναι οὔτ' ἀνέμοισι τινάσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται οὔτε χιὼν ἐπιπίλνεται ἀλλὰ μαλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.
Τῷ ἐνὶ τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.
Venit Olympum, vbi fertur ſedes eſſe Deorum
Firma, hæc ventis haud quatitur, minus hymbribus vllis
Alluitur, niue nec tegitur, nec nubibus æther,
Nigreſcit, paſſim ſed fuſa eſt purior aura.
Hic diui degunt, felices tempus ad omne.

Hunc igitur montem, has ſedes Hebræus Vates cecinit.

Ex aduerſo.

Templum Colores, quibus cōſtabat templum.

Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo.

SIne macula, unico verbo Hebraicè תמים tamim, perfectus, abſolutus, Græcè quoque ἄμωμος, inculpatus, immaculatus, purus. Auen Eſra Hebræus interpres, orationi putat deeſſe, Qui ingreditur viam perfectam, puram, in dictis, ac factis. Congruè dixit, ingredi, referens ad finem ingrediendi quem propoſuit. Eſt enim finis ingrediendi, aut ambulandi, vt quieſcas, vt habites. Venitur itaque ambulando demum ad quietem. Via qua ad montem Dei peruenias, eſt integritas, iuſtitia, veriloquentia, ſi ſit os veridicum, multo magis, ſi cor ori reſpondeat. Si cor fons omnis eloquij, vera ſentiat, ſi mens ſit veridica, ſine dolo, fraude. Amplexus eſt primo nomine generatim cunctas virtutes Qui ingreditur perfectus, abſolutus. Id enim ſonat Hebraicū. Nam Chaldæus id tranſtulit: Qui pergit בשלי מתא bisli metha, imperfectionem. Exin omnes virtutes explicat, quæ nomine perfectionis continentur. Nempe iuſtitia, tum mentis integritas, veritas, ſeu fides. Iuſtitia, & fides, duæ ſingulares virtutes. Fidem enim deſignat, cum ait, Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Eſt enim fides (vt Latinus philoſophus definit) factorum, dictorumque conſtantia: animus fraudibus abhorrens. Propoſuit igitur quatuor mirum in modum obſeruanda, inceſſum, viam, vt innueret montem, vbi quies optata, velut Poeta campos Elyſios nominauit, appellans eos montem ſanctum. Tum iter ad eos, exin complexum, ſocietatemque virtutum, abſolutionem: dein iuſtitiam, nouiſſimè fidem. Declaranſque apertius, quod propoſuit, ſubiicit.

Sine macula.

Ingredi.

Mons ſanctus. Elyſij cāpi, à profectione, quod qui pie vixiſſent, eo proficiſcerentur.

Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

HOc erat, Qui loquitur veritatem in corde, ſuo. Egit dolum, reſoluit Græcum verbum Latinus, ἐδόλωσεν, dolum fecit. Hebraicum verbum eſt, רגל ragal, ducitur à pede deſignatque deferre, accuſare, explorare mores, ac dicta cuiuſque, vt vituperes, calumnieris. Inde dicuntur exploratores, מרגלים meraghelim. Itaq; Auen Eſra ait hoc dictū in Pſalmo de reuelatione rerum arcanarum, Qui non egit dolum in lingua ſua: nimirum nō detulit, nō accuſauit, infamauit, ſugillauit, non explorator fuit vitæ cuiuſquā, vt eam produceret, infamaret. Hoc melius quàm quod Hiero. Qui non eſt facilis in lingua ſua. Nam ragal, ſonat accuſare, deferre, ex conſuetudine delatorum. Propterea ſubiicit melius declarās, Nec fecit proximo ſuo malū, non nocuit lingua, non labē inuſſit, non eſt criminatus. Declarans id tertio, Et opprobrium nō accepit: Hebraicè clarius, Et opprobrium, ſiue dedecus non נשא naſa, tulit, leuauit, non leuauit, ſumpſit dedecus infamiæ contra proximum ſuum: non inflixit notam. Declarauit igitur quæ ſit

Non egit dolū in lingua ſua.

Nec fecit proxi. ſuo mal.

Et opprob. nō accepit.

iuſtitia,fideſque,atque perfectio,quas propoſuerat, quo itinere venitur ad campos Elyſios. Id D ferè omne eſt, innocentia,charitas,beneuolentia erga proximum,ſi neminem dictis, factiſq; offendas.Proponit alia.

Lactant.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius,malignus: timentes autem Dominum glorificat, qui iurat proximo ſuo, & non decipit.

Ad nihilũ deduct.eſt.

AD nihilum deductus eſt,vnico verbo Hebraicè, & Græcè ἐξουδένωται nihilatur, vt ſic dixerim,pro nihilo habetur.Hebraica נבזה nibze,deſpicitur,contemnitur. Senſus igitur Improbus eſt illi contemptibilis, deſpicitur ab eo, habetur pro nihilo: veluti contemptiſſimas ſordes,fœdiſſimam cloacam, viliſſimum ſterquilinium exiſtimat omnem improbum. Ad hunc clariorem ſenſum reddidit Hierony. Deſpicitur in oculis eius improbus. Ecce igitur alia pars totius probitatis,ac perfectionis. Tum neminem violes, iuſtitiam, fidemq́ue ſerues,criminibus ne circumuenias, dedecus & infamiam ne infligas, pietatem autem plurimi facias. Et vt alio Pſalmo habetur, Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Odio habeas impios: ab eis oculos, animumq́ue auertas: res abominabilis, execrabilis, (vt eſt Hebraicè) tibi habeantur. Nam quod dicitur in noſtra tralatione,malignus, & Græcè πονηρὸς, Hebraicè eſt, נמאס nimas,abominabilis,execrabilis. Deſpicitur,inquit,in oculis eius, ille qui eſt abominabilis. Timentes autem Dominum glorificat: ſcilicet,hæc ſumma rerum eſt,vt magno honore pietas habeatur. Hæc in noſtris ſenſibus, opinionibuſq́ue primum obtineat locũ, proximum autem pietati eſt,vt iuſiurandum, quod fit teſte Deo, ſerues. Hunc honorem Deo deferas,vt quod nomine eius inuocato,promiſiſti,firmum ſit,ac ſtabile. Hinc dicitur Græcè pius E εὔορκος, bene,ac ſanctè iurans, qui bene iurat. Suntq́ue idem, vt eſt apud Ariſtophanem εὔορκος, ὅσιος bene iurans,ac ſanctus. Audis illum quoque ſapientem,de pietate, Nec iura vana per ipſum.&,Non aſſumes,inquit in ſacris litteris,nomen Dei tui in vanum. Hebraice לשוא leshaue, in mendacium falſum. Eſt ergo pars pietatis bene iurare. Sed ſciendum eſt Hebraicè vocem hãc nullis notulis ſubſcriptam רע poſſe deſignare,aut amicum,proximum,aut malum. Si notulas ſubſcribas,ſignificata dirimuntur, רֵעַ rea,proximus, רַע ra,malum. Nunc ſcribitur vt malum deſignat, eſtq́ue verbum להרע lehara,ad affligendum,vexandum. Atque Hebræi huic ſenſui maximè accedunt. Iurat,inquit,vt affligat ſeipſum,& corpus ſuum,vt maceret,premat, reſecet corporeos appetitus,quòd in Noe dicitur,omnis caro intenta ad malum. Atque vt iurauit, facit, exequitur, non piget facere, quanquam contra ſeipſum. Voluntq́ue ſimilem eſſe ſenſum ei quod ait alibi Dauid,Iuraui,& ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Hunc ſenſum proponunt omnes, Auen Eſra,Rabi Dauid,Chaldæus interpres. Ipſe etiam diuus Hieronymus qui tranſtulit iuxta ſenſum Hebræorum,Iurat vt ſe affligat,& non mutat. Mihi valde probatur antiqua lectio Sept.interpretum,propterea quòd hoc toto Pſalmo agitur de integritate,innocentia,iuſtitia. Iteratur,ſæpiuſq́ue nominatur iuſtitia erga proximum, vt eum non offendas lingua, ne crimineris, ne dedecus infligas,dehoneſtes,vituperes: tum ne fallas iureiurando,ne per iuramentum circumuenias. Propterea ſubijcit ſimilia: Qui pecuniam non dedit ad vſuram: non accepit munera contra inſontẽ. Nec mihi vehementer probantur,quòd antè,& pòſt ſimilia ponũtur. De affligendo ſeipſum,ſermo nullus. Legeruntq́ue Septuag. Qui iurat לרעה leharea, proximo. Scire quoque operæpretium C eſt,quod dicitur, Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus, adhibere Hebræos ſenſum,quem ipſi diximus,ſed ſimilem huic,quod dixiſſe contendunt prophetam, Iurat ut affligat ſeipſum. Sic illud,Ad nihilum deductus eſt,Hebraicè duo uerba paſſiua, נבזה נמאס nibze, nimas, deſpicitur in oculis ſuis. Tum repetit נמאס nimas,contemptibilis eſt,abominationi eſt: totumq́ue volunt referri ad eum ipſum ſanctum,probumq́ue, qui ipſi ſibi ſit deſpectui, contemptui: qui in oculis ſuis diſpliceat ſibi: ipſe ſibi nunquam ſatisfacit. Eſt ſibi contemptibilis: facit quod Chriſtus nos docuit,Et cùm omnia feceritis,inquit,dicite, Serui inutiles ſumus. Hoc tollitur elatio inuiſa Deo,tumor premitur,faſtus deijcitur. Huic ergo volunt ſimile ſubieciſſe prophetam, Iurauit vt affligeret ſeipſum ieiunando. Sed, vt dixi, conſideratis his quæ Pſalmus decantat, totoq́ue ordine verſuum diligenter animaduerſo,& antecedentibus, conſequentibuſq́ue perſpectis, videtur ſenſus eſſe in primis,vt dicat, Deſpicitur in oculis ſuis improbus. In ſecundis, iurat proximo ſuo,& nõ fallit,decipit,pro quo verbum eſt Græcum clarius ἀθετῶν infirmat, infringit: iurauit,& non infirmat,infringit,deſtruit quod promiſit.

Malignus.
Timentes autem dominũ glo.
Qui iurat prox.ſuo.

In vanum.

Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: & munera ſuper innocentem non accepit.

Qui pecuniam ſuã.

VEnuſte Latinus pro Græco ἀργύριον, argento, pecuniam dixit. Latini pecuniam à pecudibus,quarum imaginibus erant impreſſæ,aut quòd ex corio pecudum fierent, dixerunt: reliquæ nationes,Græci,Hebræi,Galli ab argento. Nunc ergo dicitur, Qui argentum ſuum non dedit ad vſuram. Duas præclaras probitatis partes adhibuit,quibus ambabus auaritia refellitur,negaturq́ue his ineſſe, qui cupiunt aſpirare ad montem Dei. Auaritia ab auendo, A do, inflammatè, inſatiabiliter cupiendo: ſimiliter Græcè φιλοχρηματία, amor pecuniæ, cùm omne ſtudium in poſſidenda pecunia poſuerit, omnem huc cogitationem defixerit, aut per vſuram, iniuſtumque augmentum contrahit pecunias, aut corrumpit animos iudicum, muneribus accipiendis: qui ſi auaritia vacarent, vtique præferrent æquitatem cunctis muneribus. Auarus autem nihil auro, argentoque exiſtimans præclarius, inceſtant omnia, nihil impollutum fœda ingluuies relinquit, nec ſinit eum cernere verum cupiditas. Excæcat oculos iudicum vt, plerunque damnent innocentem: nullam animo videndi veri vim relinquit. Propterea radix omnium malorum auaritia, inimica iuſtitiæ. Omnia corrumpens, charitati humanæque ſocietati inimica, commodis alienis infeſta, eripiens cuique quod ſuum eſt, benefaciendi neſcia, crudelis vbique: nullius ordinis, ætatisque rationem habens, lucem, alacritatem hominibus eripiens, replens ſordibus omnia, vbi verſatur. Surripit alimentum, ſurripit veſtimentum: oblata pecunia molitur homicidia, crudelitatem, euerſionem famliarum, nemini parcens, ſi modò ſpes prædæ affulſerit. Auarus, in omnes homines, qualis lupus in oues. Vide igitur quibus peſtibus careat, qui caret auaritia, quamue neceſſe ſit hac mundum, purumque eſſe, qui cupiat attingere cęli palatium, ad quod charitas, iuſtitia, manſuetudo ducit. In contrarium, trahit in Tartarum auaritia, crudelis cum crudelibus futura. Dixit ergo, Munera ſuper innnocentem non accepit, contra innoxium, immeritum, non tulit ſententiam, largitione corruptus.

Auarus.

Munera ſuper iuno. non accepit.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

PRincipiò dixit, Quis habitabit? nunc non mouebitur, deſignans æternam habitationem. Qui non mouetur, non eijcitur extra patriam. Aut, mouebitur in æternum, Hebraica B phraſi, in æternum habitabit, in omne æuum in cola cęleſtis erit. In omnem æternitatem, ſecurus, certus habitator erit. Nunquam hæc illi felicitas defuerit. Fons ille perennis voluptatis, nunquam eum deficiet.

Nō mouebitur in ætern.

PSALMI XV. EXPLANATIO.

TItulus huius pſalmi eſt, Tituli inſcriptio ipſi Dauid. Eſt autem hoc apud Septuaginta in Græco idiomate, στηλογραφία. columnæ inſcriptio ipſius Dauid. Latinus, titulum dixit, verè ipſam columnam. Nam in teſtimonium, ac titulum, erectæ columnę inſcribebantur. Sed vt hoc melius noſcatur, ſciendum Hebraicam vocem, quam Septg. tranſtulerunt στηλογραφίαν, eſſe מכתם miktam: ea poteſt in duas reſolui, mak, tham, prior ſignat, attritum, humilem: poſterior, ſimplicem. Hunc igitur ſignificatum, plerique ex priſcis Hebræorum, quos meminit Rabi Salomon, ſecuti ſunt. Hoc etiam poſuit Hierony. transferens, Humilis, & ſimplicis Dauid. Sed is ſignificatus cæteris non placet, proponuntque magis, quod Septuaginta in Gręcam dialectum tranſtulerunt. Nam eadem vox Hebraica miktham, poteſt duci; & id Hebræi comprobant, à כתם kethem, maſſa aurea, inſigne, & aureum quiddam. Inde aliud nomen, addita ſolita littera, eiuſdem ſignificatus mactham. Itaque Rabi Salomon interpretatur hoc, coronam, quaſi propheta Deum vocauerit coronam, decuſque ſuum, ac præſidium: atque in hunc, pſalmum ſpectare. Hoc quoque exhibuit Burgenſis. Sed iidem proponunt etiam id ſignificatum, michtam, eſſe genus inſtrumenti muſici, inſculpti aureis cælaturis. C Qui ſignificatus poſitus eſt à Septuaginta. Ponitur etiam à Chaldæo, transferente vocem Hebraicam michtam, גלפא תריצא gliphatheriza, cęlaturam, ſiue ſculpturam rectam, pulchram. Vbi vocem Græcam vſurpauit γλίφω ſculpo. Hoc placet Salomoni, placet Auen Eſræ, mihi quoque probatur, propterea quòd omnibus ferè pſalmis nomina muſicorum inſtrumentorum prænominantur, vt ſæpius docui. Dicitur itaque, Carmen Dauid, quod cecinit inſtrumenro vocato Michtham, Gręci cxpoſuerunt, hanc coronam, ſiue decus, quaſi trophæum Chriſti, quaſi columnam, erectam, ac titulum, in quem pſalmus editus ſit a Dauid. Vult enim etiam Auen Eſra titulum deſignare, præter ſignificationem inſtrumenti muſici, quaſi pſalmum nobilem, pſalmum pretioſum, pſalmum aureum: propterea de Meſſia eſt, quaſi Meſſiæ trophæum decantans, eo ſenſu ab Apoſtolis acceptus. Et hunc ſenſum minimè aſpernor.

Micthā.

COnſerua me Domine, quoniam ſperaui in te.

COnserva, Hebraicè, cuſtodi, eſto mihi præſidium. Nanque in te omnis ſpes inclinata recumbit. Iuſtis de cauſis, ait, à te debeo iuuari, quod ſpem omnem in te poſui: tu verò nec debes, nec potes, tua clementia fretos fallere. Potes enim iuuare circa laborem, ſi velis. Velle autem debes, ne qui ſperant in te, in eum ſperaſſe videantur, qui vel neſciat ſpes eorum, vel ſciens negligat. Neutrum ſummæ maieſtati aſcribendum, quam nec inſcitia, nec malitia attingat. Ad hæc diligimus eos, charoſque habemus, qui in nos ſperant, qui nobis hunc honorem deferunt, vt fore ſibi nos benificos confidant, prædicent, nos in numero bonorum habentes, qui nos humanos, iuſtos arbitrentur: qui non confideret, id credulitati eius aſcriberet, à quo crederet ſe non iuuandum.

Conſerua In te ſpe.

Dixi Domino, Deus meus, es tu, quoniam bonorum meorum non eges. D

Dixi. Bonorum meorũ nõ eges.

QVanquam non admodum refert, Dixi, Hebraicè ſecunda perſona fœminea אמרת amarethe, Dixiſti tu ò anima cuiuſque, atque ipſemet. Itaque ad ſenſum non refert. Quod ait, Bonorum meorum non eges: dicitur in fonte, Bonum, aut Bonitas mea non ſuper te, ſenſuſque iuxta Hebræos, Bonitas, felicitas mea, beneficia abs te accepta non ſunt ſuper te quoniam non mea probitate, atq; iuſtitia mihi benefacis. Propterea non ſunt ſuper te mea benefacta, mea pietas, mea iuſtitia. Nihil tibi feci, mea beneficia non ſunt ſuper te, ſed tua potius ſuper me. Nihil tibi gratum contuli, quo te iuuare poſſem. Eſt alius ſenſus iuxta Chaldæum, vt ſubaudias niſi, Bonitas mea, aut bonum meum non eſt niſi à te. Sed primum melius. Hoc ergo dixit anima eius, Deum non habere beneficium, aut gratiam, acceptam ab ipſa anima, vt ei reddat tantundem. Omnia ex mera bonitate, clementiaq; Dei profecta eſſe. Eadem clementia, ac benignitate flectere, inquit, nunc ad conſeruationem mei. Nam eſt alio in pſalmo: Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues: mea volatilia cęli. Itaq; ſi ſacrificas, das Deo ſua, non tua. Is eſt ſenſus verus. Hierony. poſuit illum Chaldæi, Bene mihi non eſt, ſine te. Magis acquieſco priori, qui eſt in editione Sep. & noſtra Latina, Rabi Salomon his verbis, hunc exponit, Beneficia quæ tu mihi confers, non ſunt ſuper te, vt ea mihi velut ex debito reddas, quia non ex mea iuſtitia, tu mihi benefacis, propterea Dominus Deus meus es, beneficus, ſalutaris, placidus, dator bonorum, non acceptor, quia non indiges. Es enim αὐτάρκης, ſhaidai.

Sic & Sanctes.

Propriis contentus, ſufficiẽs ipſe ſibi. Ari. mai.mor. l.2.c.15.

Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis. E

AD fontem quo clarius intelligantur reuocanda ſunt. Gręca habent apertius, Sanctis qui ſunt in terra eius, ἐθαυμάςωσεν ὁ κύριος πάντα τὰ τελήματα αὐτȣ̃ ἐν αὐτοῖς, mirificauit Dominus omnes voluntates ſuas in eis. Longè clarius hoc quàm Latinum. Deeſt in Latinis Dominus. Tum, non voluntates meas, ſed voluntates eius, dicendum eſt. Similis ferè ſenſus eſt in Hebraico ad hunc modum: Sanctis qui ſunt in terra, ואדירי כל חפצי בם vea dire, col chephzi bam. Et magnificis, omnis voluntas mea in eis. Omnis, inquit, mea voluntas eſt in ſanctis, & magnificis, qui habitant in terra. Conſentiunt ergo Græca cum Hebraicis, excepto verbo mirificauit, pro quo eſt nomen mirificorum, in fonte Hebraico. Vera igitur lectio eſt, in ſanctis, & magnificis, ſiue mirandis, eſt omnis mea voluntas. Quos diximus mirificos, ſunt Hebraicè adire. Eos Hieronymus interpretatus eſt, magnificos, deſignat mirandos, fortes, excellentes, honoratos. Atque ſenſus iuxta Hebræos, & veriorem hanc lectionem. Quoniam, inquit, bonitas mea non in te, non à me ſunt in te profecta beneficia. Quid enim mortalis poteſt. Deo conferre? Omnis tua voluntas ſit in ſanctis, colentibuſque te. Scire operæpretium eſt hoc aut à Propheta dici ex perſona Dei: ſæpe enim fit perſonarum mutatio in hoc poemate, vt prius ipſe locutus, continuò ſubiiciat perſonam Dei, qui iuxta poſtulationem ipſius prophetæ reſpondeat: Omnis mea voluntas eſt in terra ſuper ſanctis, probiſque quos pietas, ac virtus à reliquis diſtinguit, præclaros, inſignes. Super his, inquam, eſt omnis mea voluntas, hos amo, hos amplector propter meam in eis (vt Ariſtoteles ait) ſimilitudinem. Sunt enim, inquit ſapiens ille boni, ſapienteſque θεοῖς συγγενέςατοι, propinquiſſimi, ſimillimi Deo, amici, familiares, Domeſtici, Facti F eſtis, inquit diuus Paulus, amici Deo. Erga hos omnis eſt mea cupiditas, inquit: hos attendo. Hi ſunt in primis Apoſtoli, de quibus Eccleſia canit, Nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Et principes, proceresq; appellati. Voluntas igitur mea, dicitur aut de Deo, qui ſuam voluntatem affirmet eſſe erga ſanctos, bonoſque. Aut eſt ſermo prophetæ, qui quaſi fundens orationem, ad aſpectumq; Dei conuerſus exclamet, Omnis hæc mea oratio, intentaque petitio eſt ſuper ſanctis probiſque qui ſunt in terra. Hos innuo, hos oratione mea deſigno. Populum ſcilicet Hebræorum, qui ſoli verum Deum colerent, cæteris toto terrarum orbe ſimulacra colentibus. Propterea ſubijcit, populus diuerſis ritibus. Vterque mihi ſenſus probatur, Græci cum Latinis referunt hoc in Apoſtolos, credenteſq; populos per eos, qui verè ſint ſancti in terra, verè honorati, mirifici. Quo ſenſu ferme congruunt cum ſuperiore.

Mirifici.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt: non congregabo conuenticula eorum, de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Infirmitates eorum Multiplic.

PRo ἀσθενείαι infirmitates, fons עצבותם azebotham, idola eorum, vt tranſtulit Hierony. & Chaldæus vocem notiorem ſubijciens צלמניהון zilemanehon, imagines, ſimulacra eorum. Poteſt item actiuum eſſe ירבו irbu, multiplicabunt. Sunt, ait, ſimulacra vbique, feſtinant, coeunt ad fana Deorum, mactant hoſtia, fundunt ſanguinem. Hos ego deteſtor, cum his nulla mihi ſocietas. Nominauerat igitur primum ſanctos, ac honorandos, erga quos ſit omnis eius cupiditas, voluntas, deſiderium. Proſequitur memorans alios, qui verum Deum neſcirent, ſimulacra

mulacra colerent. Toto enim hoc pſalmo felicitatis ſuæ cumulum recenſet quòd data ſit ei vita, ſors, habitatio inter ſanctos, Deumque verum noſcentes, & adorantes, quòd data ſapientia, vt Deum noſceret, quòd ſit diuinitus ad egregia, præclaraque electus. Agitq; ferme gratias pro eiſdem, atque Socrates aut Plato, quòd natus eſſet maſculus, non fœmina: quòd Græcus, non barbarus: qui ſapientia moribusque à Græcis longo interuallo diſtarent: quod Athenienſis non Thebanus. Pro ſimilibus Dauid habet gratias in primis, quòd ei datum ſit verum Deum colere. Propterea pſalmum hunc inſcripſit coronam, triumphum, gloriam Dauid. Deteſtans igitur mores, vanitatemque gentium, exclamat, Sunt apud eos innumera ſimulacra, ad quæ adoranda concurrunt. Hinc, quas illi vocant, Panegyris, Panathenaica, Saturnalia. At ego, inquit, non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Quod in fonte verius, & clarius habet, בל אסיך נס מדם bal a ſich niſe kehem, Non libabo libanima eorum de ſanguine, vt tranſtulit Hiero. Nam verbum Hebraicum נסך naſach, à quo fit futurum aſik & nomen verbale neſeck, ſonat libare, miſcere. Quapropter Chaldæus declarans ſenſum huius loci, paucis adiectis, Multiplicant idola ſua, & poſtea feſtinant, vt ſacrificent ſacrificia. Non recipiam voluntariè libania eorum, nec ſanguinem ſacrificiorum. Sic Caldæus, Tantopere eos deteſtatur Dauid, vt nec nominare ſe velle dicat nomina eorum. Locus igitur ad fontem Hebraicũ habet, Non libabo eorum libamina de ſanguinibus, & non nominabo nomina eorum in labiis meis. Declarans etiam Rabi Salomon hunc locum, Aſt ego, inquit, non ero quemadmodum illi, vt fundam ſanguinem ad cultum idololatriæ, neque nominabo cultum ſimulacrorum labiis meis: iuxta videlicet illud Pauli, Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis. Subijcit veriorem cultum, ſynceramque ſapientiam.

Socrates. Plato.

Mineruæ feſta.

Nõ cõgregabo.con. eo. de ſan.

Nec mem. ero no.eo. per lab..n.

Eph.5. a.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

NIl, ait, mihi commune cum illis. Sed verus Deus, vera pietas, vera ſapientia, eſt omnis mea poſſeſſio. Deus, inquam, eſt, quem ego mente complector, poſſideo, omnia bona mea in illo,

Diuitias alius fuluo ſibi congerit auro,
Aſt ego totus hic ſum.

Græcè & Latinè dicitur, Pars hæreditatis, quod Hebraicè מנת חלקי menat chelki, Diſtributio partis meæ: nempe mea pars, mea diſtributio, poſſeſſio. Pars, ſors quæ mihi contingit, quæ mihi obuenit: Bona quæ mihi pro mea ſorte, & parte, portione contigerunt. Quod autem ait, Calicis mei: calicem ex conſuetudine litterarum vocat participationem, hauſtum, poſſeſſionem, ſortem. Potationem, ſiue hauſtum vocant Hebraica, priuato ſibi loquendi genere, quod datur velut peculiare, vt id quaſi deguſtes, ſentias, haurias, poſſideas, abſorbeas. Dicimus, & nos guſtum bonorum, & malorum, deuorare iniuriam, mouere ſtomachum. Simili locutione Hebræi calicem, ſeu poculum vocant, quod cuique pro ſua ſorte datur. Quod autem ait, Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi pro reſtitues, Hebraicè תומיך tomik, quod Rabi Salomon expoſuit nniman hanichota, quieſcere feciſti manum meam ſuper partem bonam: nimirũ poſuiſti manum meam ſuper hæreditate bona: auctor fuiſti vt ego meliora capeſcerem: tu ea propoſuiſti, ego elegi propoſita. Gloriatur igitur, vera, ſolidaque gloria, vt cui datum ſit verum Deum colere, & agnoſcere. Hanc ſortem præclaram ſæpius appellat celebrat. nanque omnibus locis exclamat, Beatus vir qui timet Dominum. Beatus homo, quem tu erudieris Domine. Beata gens cuius Deus, eſt verus ille. Subiicit inculcans ſimilia:

Calix.

Tũ es qui reſt.hær.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

FVnes, Hebraicus loquendi ritus, quoniã funibus agros metiebantur, ac partiebantur, vocat menſuras, dimenſiones. Pro præclaris Græcè κρατίςοις, optimis, Hebraicè נעימים neimim, pulchris, iucundis. Hieronymusq; vertit pulcherrimis. Symmachus ſimiliter ἐν τοῖς καλλίςοις, inter pulcherrima. Aquilas ἐν τοῖς εὐπρεπέσι, inter venuſta. Vbi ait, Etenim hæreditas mea, pręclara eſt mihi: eſt in fonte perſpicuè, Certè hęreditas pulchra mihi eſt. Hier. Et hęreditas precioſſima mea eſt. Græcũ quoq; dixit κρατίςη, optima. Funiculus hæreditatis veſtræ. Pro funibus, Hieronymus dixit lineæ. Sed melius funis, vt ſonat Hebraicum, חבלים chabalim, Græcũque σχοίνια. Ergo vera, ſolidaque gloria elatus exclamat, En mea portio, hæreditasque præclara, egregia, beata. Ceciderunt partes, ſortes mihi, in optimis locis, in rebus optatiſſimis, iucundiſſimis. Data mihi ſunt optatiſſima, præclara, præſtantia. Hæreditas mea, ſeu pars mea longè diuina eſt. Itaque de ſeipſo prædicat Dauid quod ſapientes inſtinctu naturæ didicerunt, & apud omnes prædicauerunt, beatum eum eſſe, qui ſimul natus cępit parere mandatis Dei, iuſtitiamque ſectari, Sic enim Ariſtoteles ſcripſit de iuſtitia diuina in libro de mundo, ἧς εὐδαιμονήσειν μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη. Cuius à principio ſit amplexator, & poſſeſſor

Funes.

Pietas à matrice nobis colenda eſt.

ſor, qui felix, atque beatus eſſe cupiat. Ne putes autem gloriari Dauid aliqua felicitate corporea, non potius poſſeſſione ſapientiæ, quæ vera gloria, veræ diuitię ſint, ſubiicit: D

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Increpue.

Bened. do. q. trib. mi. intel.

Sapientia.

Inſuoer & vſq. ad no. inc. me re. mei.

QVod Latinus dixit, Increpuerunt me renes mei clarius, & verius, & ad antecedens magis reſpondẽs, eſt Græcè ἐπαίδευσαν, erudierunt, docuerunt. Hebraicè יסרוני iſſeruni, erudierunt me: quod Hieronymus etiam poſuit. Dicit igitur, Gratias immortales immortali Deo ſemper habebo, qui mihi ſapientiam, conſilium, ſolertiam largitus eſt. Sapientiam, inquam, non huius mundi, ſed veram, germanam, legitimam, dignam nomine ſapientiæ, vt Deum noſcerem, colerem, hunc notum haberem, huic gratias agerem. Hæc ſapientia mihi diuinitus data. Nihil enim (inquit ſapiens ille) donare mortalibus potuit Deus, præclarius ſapientia. Hoc (inquit Dauid) tantopere poſſideo, vt ſuper eo noctesque, dieſque cogitem: hoc renes mei, (quibus per ſimilitudinem, quemadmodum cordi, & pectori tribuitur cogitatio) erudiunt, me, docent, ſubiiciunt antè oculos. Hebraicè igitur datur cogitatio, ſenſus ratiocinatio renibus: quemadmodum Latinè, & Græcè datur intellectus & ſenſus cordi, ac pectori, cùm dicimus pectus fœcundum ſapientia, dicimus cordatos, contrà, vecordes. Similiter Hebraicè כליות kelioth, qui renes ſiue præcordia interpretantur, ea quæ Græcè dicuntur κῆρ, ςῆθος, cor, pectus: cùm ſæpe ad cor, pectuſque ſuum inducit Homerus homines loquentes, veluti ad ſeipſos. Nota igitur Hebraica locutio, vt dicendum ſit, ſi clarius Hebraicam phraſin reſoluas: Inſuper omnibus noctibus erudit me pectus meum. Impleuit enim Deus ſapientia pectus meum, E hoc me noctibus erudit: veluti Poeta de ſapiente ſuo:

At pius Aeneas per noctem plurima voluens.

Nox.

Renes.

Eſt enim nox ob quietem, cogitationibus, meditationibus, conſilijs agitandis opportuna. Erudior, ait, doceor per noctem à pectore meo, quod Deus repleuit ſapientia. Etiam Græci ſentiunt renes intelligendos eſſe λογισμοὺς, ratiocinationes, cogitationes. Quapropter nimium longè recedit Nicolaus ſuis allegoriis. Poteſt enim pſalmus etiam de CHRISTO explicari, iuxta ſenſum supernè reſonantem, amotis illis.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.

Prouidebã dominũ in conſ. meo ſemper.

IN origine non eſt προωρώμην, prouidebam, ſed verius שויתי shuithi, poſui. Poſui, inquit, præfixi Deum ante oculos meos. Hæc enim ſapientia eſt, ob quam gratias agit, hanc pectus eius per omnes noctes erudit ipſum, ſibi proponit Deum ante oculos, quem noctes, atq; dies meditetur, ſuper quo cogitet aſſidue. Factum id, quoniam tribuit ei Deus intellectum, ſapientiam, hæc pectoris eius fœcunditas. Quæ ſit hæc fœcunditas, quæue nocturna, in qua pernoctetur, pectoris eruditio, docet ſubiiciens ſimile, Propoſui Deum ante oculos. Quid ita? quia is meus auctor, is protector, defenſor, is certus ſalutis portus. Semper adeſt mihi, ne qua me circunſtet calamitas: hæret lateri meo, aſſiſtit comes, nunquam me deſerit hæc fida cuſtodia. Quaſi ſtipator σιδηροφόρος, excubitor. Propterea non commoueor, non cado, non ruo, firmus ſum, ſtabiliſq; protegente, ducente Deo. Ob hanc cauſam benedico, laudibus celebro, in oculis gero ipſum, noctesque, dieſq; cogito, in illum omnia deſideria mea requieſcunt: ille, meus ignis, mea cer- F ta, & ſola voluptas: depereo illum: non poſſum eius vnquam obliuiſci. Inculcat ſimilia.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Lingua.

Anima.

Gloria.

CAetera conueniunt. Pro lingua mea eſt in fonte כבודי kebodi, gloria mea. Idque etiam Hieronymus poſuit.. Interpretantur Hebræi, animam velut (quod ait Plato) θειότατον καὶ τιμιώτατον ἐν ἡμῖν τὴν ψυχὴν, eſſe animam id, quod in nobis eſt diuiniſſimum, ac pretioſiſſimum. Exponit igitur Auen Eſra gloriam meam, הנשמה haneshama, animam, flatum. Chaldæus nihil diſſimile poſuit, ſed duntaxat איקרי aiekari, gloria mea, pretium meum Quòd igitur in homine nil eſt anima charius, nobiliuſque, vocant eam gloriam, veluti, ſæpe ſcribit, φίλον κῆρ φίλυ ἦτορ, ἐνὶ ςήθεσι φίλοισι, charum cor, chara anima. Quod item dixit, Caro mea requieſcet in ſpe, eſt in fonte, Caro mea שאול ישלבטח iskon labetach, habitabit ſecurè, cùm fiducia, Hieronymus quoque, Habitabit confidenter. Tria igitur dicit, exultare, lætari, plena fiduciæ, ſpei, & alacritatis. Cor, animam, carnem. Caro totum corpus, anima ſenſus ipſe. Conſimile eſt alio in pſalmo, Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi? Totam corporis compagem ait exhilareſcere maximum gaudium deſignans, immenſamque voluptatem, quam ex vera ſapientia, notioneque Dei perciperet, inſatiabili gaudio circunfuſus. O gaudia ſolis nota piis. Admirandas enim ait Ariſtoteles, voluptates habere ſapientiam. quas putes veram ſapientiam habere, ac largiri voluptates? Exponunt igitur Hebræi, Carnem ipſum corpus, quod in hoc mundo, & hac corporea vita, magna cum ſpe, & fiducia viuat, habitet, à doloribus, calamitatibus

Caro mea requie. in ſpe.

Cor.

Anima.

Caro.

Oſſa.

A tatibus, morbiſque ſecurum, aſſiſtente diuina cuſtodia. Altius autem diui Apoſtoli ſpiritu ſancto ſublati de Meſſia, & eius reſurrectione ſenſerunt.

Quoniam non relinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

HIc, ait Auen Eſra grauis Hebræorum interpres, explicat cauſam cur exultet, lætetur cor eius, quia non morietur, non peribit anima. Pro inferno, Hebraicè שאול sheol, foſſa, ſepulchrum. Sæpe eadem vox eſt pro inferno. Diciturque propriè in fonte, Quoniam non relinques animam meam ad infernum, ſiue ſepulchrum: nimirum, Non ſines animam meam deſcendere ad ſepulchrum. Deſignat itaque eum non periturum. Non ſines eam à te diuelli, ac ſeparari, cui ſapientiam, ingeniumque dediſti. Agit igitur gratias, lætatur, gratulatur, quòd ei pietatem largitus ſit, quòd ab interitu, à calamitatibus per eum ſit liberatus. Quòd pauor omnis abſceſſerit, qui impendebat, eum periturum, atque hoſtes ei cladem, vaſtitatemque allaturos: quo metu liberatus, agit gratias, appellans hanc liberationem, nunc, quòd caro, ſeu corpus eius habitet ſecurè: nunc, quòd non deſcendet ad interitum anima eius, nimirum, vita eius, vt ſæpe poſuimus, vita, ipſemet, vt illud Chriſti, Qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Qui vult ſeipſum ſaluum facere, perdet ſeipſum. Sic dare animam ſuam pro amico ſuo, dare ſeipſum. Nunc quoque, Non reliques animam meam in infernum: non ſines memet perire, deſcendere ad ſepulchrum, interire, labi in interitum. Hoc melius ex ſua conſuetudine explicans, exaggeranſq;, Nec dabis ſanctum ſuum videre corruptionem. Videre interitum, perdi, profligari, deleri ex libro viuorum. Pro hac ſalute gratias habet, pro ſapientia quoque, nimirum pro ſalute, ſanitate, felicitate animi, atque corporis. B Quòd ſi iuxta ſenſum Apoſtolorum exponatur hoc vaticinium, de Chriſto, clarus quoque eſt ſenſus de reſurrectione Meſſiæ: de quo Pſalmi mirificis modis cecinerunt, occulta ratione loquendi, arcaniſque figuris innuerunt. Neq; verò Apoſtoli, qui paulo ante ex inſcitiæ tenebris pedem promouiſſent, ex ſeipſis cognoſcere de Meſſia ſcriptum hoc oraculum potuiſſent, niſi Spiritus idem, qui prophetas, afflaſſet, Apoſtolos quoq;, quo præcedentes afflatus noſcerent, erudijſſet. Credamus igitur illis Pſalmorum ſenſus interiores nobis enodantibus, quibus aſſurgere debeat omnis Iudaica turba, ſi ſaperent, nempe totius ſuæ gentis doctiſſimis, qui non ab hominibus, ſed à Deo ſapientiam hauſiſſent. Atq; interpretantibus illis, omnes Hebræorum interpretes obmuteſcant, intentiq; ora tenebunt, nihil auſi hiſcere cõtrà, ſua dicta, humana, illa ex fonte diuino manãtia noſcentes. Propterea Pſalmum hunc inſcripſit Dauid, coronam, triumphum, decus ſuum, veluti de Meſſia Rege regũ.

Infernus.

Non dere. ani. me. in infer.

Nec dabis ſanctũ tu. vid. cor.

Apoſtoli.

Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua, vſque in finem,

ITa quidem Græca habent, at Hebraica clariore quodam filo, ad hunc modum, vt vertit Hieronymus, Oſtendiſti, (aut notam feciſti) viam vitæ, copiam, (vel abundantiam) lætitiarum vultus tui, נעמות nehimot, dulcedines, voluptates, in dextera tua æternas. Tres igitur accuſatiui ſubſunt verbo, Oſtendiſti, ſiue notam feciſti. Primum ſemitam vitæ: tum, plenitudinem, ſiue abundantiam, Hebraicè שבע ſoba, lætitiarum: demum, dulcedines in dextera tua æternas. Nam quod ſuo more Septuaginta transferunt εἰς τέλος, in finem, eſt iuxta Hebraicum נצח nezach, æternum, ſempiternum. C Hunc locum, vel ipſi Hebræi, turbidos oculos, à caligine terreſtri tollentes, de rebus æternis interpretantur. Principio, quod Septuaginta tranſtulerunt per præteritum ἐγνώρισας, notas feciſti, eſt in fonte per futurum תודיעני todieni, notam facies. Itaq; volunt eſſe de vita futura vatinicium: Cadente corpore mortali, lapſabundo, tum via vitæ patefacienda, per quam auolet animus ad ſupernam regionem, quæ vocatur locus vitæ, campus veritatis, vbi verè viuitur, & viuitur æternum, cum Angelis vt ait hoc loco concordans cum Chriſtianis, Iudæus Auen Eſra. Copia vera lætitiarum eſt, quam alibi vocat torrentem voluptatis. De qua etiam cecinit: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Vides copiam, torrentem, ſatietatem quã Deus effundet his, quos in, ſua regna vocabit. Quã Meſſias idem prædicans mortalibus, Qui ſitit, ait, veniat ad me, flumina de ventre eius exibunt aquæ viuæ. Hæc igitur eſt copia, is fons, is torrens lætitiarum. Eſt autem vbertas lætitiarum in vultu eius:

Nezach.

Notas feciſti.

Via vitæ.

Plenitudo lætitiarũ.

Cum vultu tuo.

Vultu quo cœlum, tempeſtateſque ſerenat.

Omnis in illo vultu voluptas, quem videntes Angeli, ſanctique animi, inſatiabili gaudio replentur, longe magis, quàm ſi formoſiſſimam mulierem quis cernat.

Circunſtant animæ dextra, læuaque frequentes:

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: iuuat vſque morari.

Quod autem ait, Delectationes in dextera tua: iidem quoque Hebræi interpretantur appoſitè, vt Auen Eſra, delectationes, quas eius dextera largitur: voluptates, dulcedines, bonorum affluentias, quas donat dextera, donat diligentibus ſe. Quia, vt ait alius, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, quę prępárauit Deus diligentibus ſe. Voluptates autem ęternas, indeficientes, in ex hauſtas. Is ſenſus melius ex Hebręis percipitur, quàm ex tralatione Hierony. qui vertit, Oſten-

Delectationes in dextera tua vſque in finem.

dis mihi ſemitam vitæ, plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum, decores in dextera tua æternos. Eſt igitur in calce huius Pſalmi præclara philoſophia de bonis æternis, æterna voluptate, inſatiabili gaudio: de claritate, & gloria diuini vultus, cui tribuit ineffabilem iucunditatem. In monte facies eius reſplenduit, vt ſol. Ea fuit imago claritatis, qua fulget vultus eius in cęlo, ſpectantibus Angelis, eoque cibo fruentibus, qualiſque videri cælicolis, & quanta ſolet. Non enim eodem vultu mortalibus apparuit, atque cælicolis. Illic, illic gloriæ ſuæ diuitias oſtentat, ſplendoris ſui magnitudinem, voluptatis ſontes aperit. Quod perſpectum habens Dauid, nec alibi, quod animos explere noſtros, poſſit, intelligens exclamat alio Pſalmo, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Pſalmum (vt oſtendimus) Græci, atque Latini ex ſenſu Apoſtorum, de reſurrectione Chriſti interpretantur, quem ſenſum ex Spiritu Sancto, non humano ingenio proficiſci palam eſt. D

PSALMI XVI. EXPLANATIO.

INscriptio Pſalmi eſt, Oratio Dauid: quam ferunt Græci, Latiniq; editam, cum eum perſequeretur Saul, multaſque eiuſmodi, in libro Pſalmorum haberi. Apud Hebræos mirum ſuper hoc ſilentium. Aſſentiamur ergo Græcis, ac Latinis. Principio quod ait,

EXaudi Domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis,

Zedek, iuſtitia. Zadik iuſtus.

IN fonte duntaxat, Exaudi iuſtitiam. Et Hieronymus tranſtulit, Exaudi Deus iuſtitiam. Eſt quidem Hebraicè צדק zedek, iuſtitia, non iuſtus, qui dicitur צדק zadik, Quid Vates innuat exclamans, Audi iuſtitiam, docet Chaldæus iuxtà, atque Hebræi. Prior hunc locum reddens ſuo idiomate קבע יי פגועת בצדקא Kabbel, adonai peghiathi bezdaca, Accipe Deus orationem meam cum iuſtitia: nimirum, quæ cum iuſtitia fit, quam iuſte fundo: veluti apud noſtrum: E

Inſtaurate, pio ſi pœnas ore repoſco.

Si preces has ore pio profundo, loquar (ait Abraam interpres) iuſtitiam, veritatem, Nam Deus mendacium non exaudit. Subijcit ſimile more Pſalmorum, qui teſtibus Hebræis explanatoribus, ſæpius eandem ſententiam diuerſis nominibus iterare gaudent. Intende deprecationi meæ. Pro δεήσεως, deprecatione, eſt in origine רנתי rinathi, clamorem meum. Declarat enim Auen Eſra, & Chimchi, rinah, eſſe vocem contentam, clamorem, vociferationem. Itaque orationem auget, prius dixit, Exaudi: dein, Accipe clamorem, placidas aures aperi ad clamorem meum, cupienſque exaudiri, iterat ſimilia, Auribus percipe orationem meam. Quod ait, Non in labiis doloſis: orationem inquit autoribus Hebræis, quæ non fit cum mendacio, cum labiis mendacii, vt reddidit Hierony. Immitte in aures tuas hanc orationem, quæ non fit cum fraude, vt aliud loquar, aliud ſentiam, aut petam non neceſſaria. Exponamque hoſtium inſidias, eorum interitum efflagitem, minimè merentium, & me, vt ego lamentor, perſequentium, aut quòd feram eos eſſe malos, nefarios. Puramq; dolo, & mendacio orationem ſuam proponit, vt Græci explanant, repetens quod impetu eſſe primo protulit, Exaudi iuſtitiam, tantum non exclamans, O facinus indignum: O ſcelus in quod iuſtitiæ tuæ gladius animaduertat. Vera loquor, ò pater, qui res hominum Deumque æternis regis imperijs. Itaque huc flecte animum, percipe quæ loquor: dignus ſum cuius tu preces audias. F

Non in labij dol.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem.

De vultu tuo. Sap. 9. a

QVod dixit, De vultu tuo, Hebraiſmus eſt. Abs te, à vultu tuo, à conſpectu tuo, à iuſtiſſimo, atque æquiſſimo tribunali tuo, ab incorrupto iuſtitiæ throno iudicium veniat. Quemadmodum eſt apud Græcos logographos, iuſtitiam eſſe πάρεδρον διὸς, Aſſidentem Deo, iuxta ſolium eius conſidentem. Ab hoc ſolo poſtulat venire iudicium, ius, iuſtitiam, æquitatē, ęquiſſimā ſententiam ferri pro eo. Hanc enim a principio implorauerat. Aliam figuram, ſimilem ſenſum redolentem ſubijcit. Oculi tui videant æquitatem, vt Poetæ à ſacris mutuati tribuunt ſuo Ioui, vultum, oculos:

Oculi tui vid. ęquit.

Vultu, quo cœlum, tempeſtateſque ſerenat. Et
Oculoſque ad mœnia torſit.

Pari figura, noſter, omnibus inſecutis Poetis affluentiſſimus præceptor, Oculos, ait, tuos illos, quibus maria, ac terras circunſpicis: ob quam cauſam, te Poetæ vocant εὐρυόπα, omnia intuens.

Πάνθ' ὁρᾷς καὶ πάντ' ἀκούεις· ϗ πάντα βραβεύεις:
Cuncta videns, cuncta exaudiens, in me flecte.

Videant æquitatem, quæ poſtulo num vera ſint. Reſpiciant vexationes meas, aut pietatem meam:mea iuſtiſſima facta reſpice, quàm tibi deuinctus ſim, quanta te religione colam. Hoc reſpiciens, cernes me auxilij tui iuſtum, verumque imploratorem. Oſtendit, quæ ſit æquitas.

Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

HOc erat, videant æquitatem. Probaſti, Græcum ad Hebraicum בחנת examinaſti perpendiſti, ſcrutatus es. Senſus intimos, atq; arcanas pectoris latebras perſpicere potuiſti. Nocte autem, quòd (vt ait Auen Eſra, aſſentiturque Nicolaus) cogitationes, factaque nocturna magis hominum oculos aufugiunt. Ea tametſi latent humanos oculos, canit non latuiſſe diuinos, non diurna modò, quæq; luce illuſtrantur, cernentes, ſed etiam, quæ nocturnis tenebris abſconduntur. Omnia ait, tibi ſunt in conſpectu. Is ſenſus mihi magis arridet, quàm vt recẽſeat facinus nocturnũ admiſſum cum Berſabe, quod proponit Rabi Salomon. Minus, quòd noctem, vexationem appellat, quod à Græcis ponitur, in quibus ſit probatus. Sed canit, quale alio pſalmo: Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo. Omnia oculis eius eſſe perſpicua, noctem nihil prohibere, quemadmodum noſtram aciem, quo minus omnia cernat. Quodq; ait: Igne me examinaſti, Sept. declarauerunt vim vocis, Hebraicè, צרפתני zeraphthani, deſignat probare vt aurum igne probatur. Nõ variat ſenſus, tametſi habeat fons, Probaſti me, non inuenies ſcelus meum, ſiue mala cogitatio mea. nempe זמותי zamothi, non tranſibit os meum. Ad os, inquit, ſcelus ex pectore nullum veniet. Nulla me ſcelerata cogitatio coinquinabit, vel cogitantem, vel loquentem: tam animus erit prauis cogitationibus purus, quàm os ſermonibus iniquis. Inculcat ſcilicet ex conſuetudine ſua, ſimilia, ſemper efficiens clariora. Exaudi iuſtitiam, videant oculi tui æquitatem. Reſpice pios, Maxime enim in eo iuſtitia tua verſatur, vt pios ab iniuriis, maleficiiſque improborum defendat.

Probaſti.
Nocte.
Igne me examinaſti.
Non enim inuenta in me iniq.

Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras.

VErſus eſt digerendus. Erat ſuperior verſus, Non inuenies, cogitatio mea non tranſibit os meum. Sequitur iſte, Ad opera hominum, propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui, aut obſeruaui, vias פריץ pariz, latronis. Locum obſcurum ſic Hebræi declarant, Opera inquit hominum, & verba labiorum tuorum obſeruo. Illa vt deuitem, declinem humana facta, plerunq; non recta. Tũ propter præcepta tua, deteſtor vias improborũ, vias pariz ſcelerati, latronis. Caueo igitur à factis hominum: in numero improborum, quoad eius mihi datum eſt, cenſeri fugio. Non eſt mihi ſocietas cum improbis. Et propter verba labiorum tuorum, propter præcepta tua, propter leges tuas, quas tuliſti: caueo, obſeruo vias ſceleratorum. Is verus ſenſus. Nam vbique ſuam innocentiam proponit, iuſtitiam ſuam Deus attendat, precatur, orat, oculi eius videant æquitatem ſuam, pios tueatur à maleficiis improborum. Nunc autem oſtendit hanc ſuam iuſtitiam, quòd humana facta imitari refugit, quod mores improborum execratur, auertitur, vt alio pſalmo, Non eſt inuenta in me iniquitas. Hunc ſenſum adhibuit Rabi Dauid etiam diſſentiens ab Abraam, qui & mihi vehementer arridet. Incipit igitur verſus: In operibus hominum propter verbum labiorum tuorum ego cuſtodiui vias ſcelerati. Bis enim ſubaudiendum eſt, Cuſtodiui, vel caui, caui opera hominum, caui ſemitas improborum. Secundumq; declarat primum: Quæ ſentiat opera hominum,, nimirum vias ſcelerati.

Pariz.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.

PErfice, Græcè melius ad Hebraicum, κατάρτισαι, perfice, apta, fac aptos, inſtructos. Sed Hebraicè clarius, vt trãſtulit Hieronymus, תמך tamoch, ſuſtenta, ſuſtine. Et Chaldæus סעיד ſeid, ſuſtenta, ſuffulci. Itaque implorat, vt ſolet, ad pietatem conſequendam, auxilium diuinum. Pone, inquit, pedem meum in ſemitis tuis: dirige greſſus meos: viam mihi monſtra: irradiet mihi vultus tui claritas: offunde mihi pergenti, lucem tuam, vt ſemitas, quas tu pręcidiſti, ingrediar, hic mea vita decurrat, ne pes labatur. Labitur autem cùm ſemitis, quibus ad te venitur, relictis, iter deuium, ſecluſumque à commercio diuorum, ſequitur,

Perfice.

-At læua malorum

Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Hoc iter, quod refugit, deteſtatur, execratur. Vult aũt viã, quæ ducit ad ſuperos. Hunc veriorẽ ſenſum, trãſferens Hie. ſcripſit, Suſtenta greſſus meos in callibus tuis, & nõ labẽtur veſtigia mea.

Ego clamaui quoniam exaudiſti me: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

QVoniam exaudiſti, rectius in fonte תענני taaneni, exaudies me. Id Hieronym. item, Ego, inuocaui te, quia exaudiſti me, clamaui, quoniam certus eram te exauditurum. Propterea preces eaſdem adhibet, inculcatque ſæpius vt ſpem quam prædicat, clarius oſtendat. Probat ſe à Deo exaudiri. Hinc oratio, hinc deprecatio pernox, diurnaque, & ſæpius repetita. Tribuitque, vt ſolet, ex affectibus humanis, aures Deo.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te à reſiſtentibus dexteræ tuæ.

D

Mirifica. Phariſæus. Mirif. miſ. tuas. Qui ſal. fa. ſpe. in te. E Dextera.

MIrifica, ex Græco θαυμάστωσον, Hebraicè eſt הפריש haphle, ſonat tum mirificare, tum ſeparare, ſeiungere, ſegregare, vt alio pſalmo: mirificauit dominus ſanctum ſuum: ſegregauit, ſelegit, ſepoſuit ſibi. Similiter nunc Hebræi verbum hoc declarantes, ponunt notiorem vocem והעבר hiphris, ſegregauit, ſelegit. Vnde phariſæus ſegregatus. Eſt verbum Latinum, litteris, quod ſæpe ſit, verſis, paras, Hebraicum, Latinum inuerſis litteris ſeparare. Senſus Magiſtris placet, quibus ego aſſentior. Segrega miſericordiam, beneficium tuum ab hoſtibus meis. Atque Rabi Dauid explicans ſenſum הפריש והעבר ſegrega, & fac tranſire miſericordiam, beneficium tuum à viris illis, qui conſurgunt in dextera tua, quia omnes illi nouerunt, quòd regnũ mihi eſt abs te, & qui mihi rebelles ſunt, tibi quoq;. Hac interpretatione ſit clarum, quod quidẽ ſatis, ſuperq; perſpicuum eſt, ordinẽ iſtius verſus confuſum eſſe in noſtra tralatione, digerẽdũq; eſſe iuxta fontem: Segrega miſericordiã tuam, ſeruator confidentiũ, à conſurgentibus, aut reſiſtẽtibus, in dextera tua. In fonte non eſt, qui ſaluos facis ſperãtes in te, ſed duntaxat, qui ſeruas cõfidẽtes, ſeruator confidentiũ. Iuxta hunc ordinẽ edidit Hiero. Mirabilẽ fac miſericordiam tuã, ſaluator ſperantiũ, à reſiſtentibus dexteræ tuæ. Diſcrepat in eo duntaxat cum Hebræis, quòd verbũ ſupradictum, contendunt omnes deſignare nunc, non mirificare, ſed ſegregare, ſeparare: caditq; ſuper inimicos, nõ ſuper ſperantes, & confidentes. Quẽ ſenſum aperiẽs Chaldæus, adiuuanſq; paraphraſi transfert, Segrega bonitatem, ſeu clementiã tuã, redemptor eorũ qui ſperant, ab illis, qui ſtant, ſurgunt contra eos, manu dextera tua. Eſt in alio exemplari ſecundo loco פרע perah, vlciſcere illos. Itaq; verus ſenſus eſt, ſegregatio miſericordiæ cadat ſuper rebelles, ſuper reſiſtẽtes. Ablatáq; his ſuam beneficentiã, orat ad eos, qui cõfidunt, transferri. Illis auxilio diuino deſtitutis, cõfidentes, & ſperantes ope cæleſti ſubleuari. Ac iure meritò deſtituti, quoniam reſiſtant, rebelles exiſtant. Hoc omne cùm dextra potenti faciat, diſcedentem ab illis clementiã ad pios tranſmittat. Hoc dextra eius præpotens faciat, hoc moliatur. Proſequitur, preces eaſdem exaggerans.

Cuſtodi me, vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me.

Pupil. Ala.

HEbraicę poeſeos duæ figuræ, pupilla, alæ. Nil pupilla carius, nil toto corpore ſpiritualius. Quid enim luce dulcius, quam pupilla contingimus? Vocatur Hebraicè, (quemadmodum Græcè & Latinè pupilla) אישון ishon, veluti ſi diminutiuũ ſit ab איש ish, vir, inde paruus vir. Hoc Grecè κορη, puella, Latinè pupilla, propterea quòd effigies hominũ exiguæ in ea exprimũtur. Talẽ depoſcit à Deo cuſtodiã, quali cuſtodiũtur oculi ab hominibus. Altera figura protegẽdi ab auibus, cũ matres ſumma charitate alis extẽſis, pullos ab iniurijs defendũt.

A facie impiorum, qui me afflixerunt: inimici mei animam meam circundederunt.

inquiſit. F

TAndem, quæ figuris, ſuppreſſisque nominibus poſtulauerat, nunc apertè ab inimicorum crudelitate defendi precatur. Deinde (ait) me, protege à facie, à conſpectu ſceleratorum, qui nunquam non ceruicibus impendent, vitam meam, vt eripiant, longa cinxere corona. Totumque me indagine cingunt, genus hoſtis longè atrociſſimum, monſtrum horrendum, peruigil, inquietum, impatiens donec ſanguine meo potiatur. Affligunt, vexant, cruciant. Metus aſper inſtat, ingeminant curæ atroces. Circundederunt animam, nempe, vitam, inſidijs vbique diſpoſitis, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Adipem ſuum concluſerunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Cõcluſer. adipem. Alter ſenſus.

VEra ſunt, quæ à philoſophis, oratoribusque ſæpius ſcribuntur, ex ſatietate naſci ſuperbiam. In philoſophia Platonis inſignis Philo, γνήσιον ἔγγονον τῆς πλησμονῆς τὴν ὕβριν, eſſe violentiam, atque ſuperbiam, legitimam prolem intemperantiæ. Apud prophetas eſt, Sodomæ ſuperbiam fuiſſe ex abundantia panis. Solon ſapiens, τίκτει γὰρ ὄλβος ὕβριν, felicitatem procreare violentiam. Campanos agri felicitas, crudeles & ſuperbos reddiderat. Hoc igitur memorat Vates, præpingues ſunt, opulenti, eoque ſuperbè loquuntur. Concluſerunt igitur, eſt, auxerunt, aceruarunt, pleni ſunt adipe, plenus, ingens, tumet aqualiculus. Conſtipata eſt pinguedo, craſſities eorum condenſata, concluſa, accumulata. Hæc ori ſuggerit ſuperbiam. Hunc ſenſum declarans, aperienſque Chaldęus, Diuitię eorum ingentes: pinguedo eorum operit os eorum: loquuntur ſuperbè. Eſt alter ſenſus etiam apud Hebręos, & Nicolaum, vt ſit adeps, pro viſceribus, præcordijs. Clauſerunt viſcera, obſtruxerunt præcordia, ne miſereantur. Obduratum eſt pectus adamantinum, ferreum. Is ſenſus Græcorum quoque eſt, declarat prę cæteris Euthymius, διὰ τοῦ στέατος δὲ τὴν καρδίαν καὶ τὰ σπλάγχνα δηλοῖ, Adeps, ait deſignat ei cor, & viſcera: circa quæ ſit plurimum adipis. Miſericordiam, inquit, excluſerunt, foras proiecerunt: vterque ſenſus probandus. At Hieronymus tranſtulit, Adipe ſuo concluſerunt. Me inopem ſua pinguedine, luxu, inſolentia concluſerunt, preſſerunt, afflixerunt, eodem pertinet.

Proij-

A **Proiicientes me, nunc circundederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.**

PRo proijcientes me (id enim Græcè ἐκβαλόντες) fons אשורנו ashurenu, nimirum, greſſus noſtros, ſemitas noſtras, inceſſus noſtros. Subiacent autem duo accuſandi caſus eidem verbo. Primumq; iuxta Hebræos refertur in populum, qui ſequeretur Dauid: ſecundum ipſum Regẽ, ducemq́; exercitus. Semitas, ait, noſtras, omnemq́; inceſſum inimici obſeruant, cingunt, inſidijs nos adoriri parati: vitam, imperium, religionemq́; eripere: aras, & templũ diruere. Greſſus igitur noſtos exponir Rabi Salomon עקבנו acabenu veſtigia noſtra. Chaldęus quoque ponit אסתורנא iſteuarana, greſſus noſtros. Itaq; non eſt proijcientes. Declaratq́ue eorum animos certos inuadere. Figunt, inquit, oculos, in terra, reſpicientes quo noſtra veſtigia ferant, quo tendere pergant. Oculos à contemplandis nobis nunquam dimouent, fixiq́ue manent. Quod ait, Statuerunt declinare in terram: Hebraicè liquido, Oculos ſuos ponunt, vt flectant in terrã. Flectunt oculos in terram. Hic hærẽt pectore toto, vbi noſtra veſtigia ſignent iter: hæc obſeruãt, noctesq́; diesq́; nulla quies oculis eorum. Deſcriptio eſt crudeliũ inimicorũ, vt expoſita calamitate, & veluti cęleſti medico vulneribus enudatis, audẽtius remedia poſcat. Declarat apertius quid ſentiat. Proiijcien. Ocul. ſuos.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

SVſceperunt, vt eſt Græcè ὑπέλαβον, diuerſum eſt in fonte, ſecusq́ue exponitur à gente idiomatis ſui haud ignara. Pro uerbo, Suſceperunt, eſt nomen דמינו dimiono, ſimilitudo eius. Eſt, ait, eius ſimilitudo, vt leonis: eſt leoni ſimillimus: caditq́ue autoribus Hebræis ſuper Saul. Hunc leoni rapaci comparat, vt alio quoque pſalmo, cuius inſcriptio, Super verbis Cuſi, Ne fortè rapiat ſicut leo. Chaldæus quoque iuxta Hebraicum reddit דמותיה איך אריא demuthea ek aria, Similitudo eius velut leonis. Eodem modo reddidit Hieronymus, inculcat ſimile vt ſolet. Et ſicut catulus leonis. Nullum eſt inter hæc diſcrimen. Idem ſenſus. Suſceper.

B

Exurge Domine, præueni eum & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ,

VErſus eſt, Vſque ad frameam tuam, præueni eũ. Eſt in origine קדמה פניו kadema, panau, Præueni faciem eius: nimirum, occurre venienti, & aduerſum me properanti. Retunde illius impetum, comprime audaciam, prior ipſe venientem aggredere. Deiice in terram.

Telum frange manu, Phrygij prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo.

Supplanta eum, eſt הכריעהו hacriehu, Incurua eum. Id nimirum, quod Septuaginta reddiderunt ὑποσκέλισον, ſupplanta. Nam id ſentit, & expoſuit Rabi Salomon. Eſt autem uerſus (ut monſtrauimus) Exurge Domine, præueni eum, & ſupplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam. Sciendum quòd Latinus ſępenumero delectatur reddere, frameam Græcum ad Hebraicum habet ῥομφαία, romphea. Hoc Hebraicè clarius eſt, חרב chereb, gladius. C Eripe, ait, animam meam ab impio, qui eſt gladius tuus. Quid ſentiat dicens impium gladium eius, duplex ſenſus, alter apud Chaldæum, alter reliquos Hebræos. Eripe, ait, animam meam ab impio, qui gladio tuo occidendus eſt, cuius cædes gladio tuo debetur. Alter apud Hebræos. Eripere, inquiunt, tuum eſt, tuus quoque gladius, tua cædes. Mors, & vita in tua poteſtate. Tu potes eripere, potes item interficere. Tuus eſt gladius, tuum ius, tua poteſtas plectendi. Ad illud exponentes quod alibi dicitur, Ego occidam, & ego viuificabo. Impius igitur eſt gladius eius, per quem caſtigat malos. Poſſet eſſe ſenſus, ut חרבך charebecha, non ſit caſus nominandi, ſed ablatiuus, præpoſitione deficiente, quod ſępe fit, cum gladio tuo. Eripe animam meam ab impio, cum gladio tuo impium me perſequẽtem, in meum exitium vigilantem, interfice gladio tuo, ut alibi, Accingere gladio tuo, ſuper femur tuum potentiſſime. Et, Si acuero vt fulgur gladium meum. Et Gladius ex utraq; parte acutus procedens ex ore eius. Celebrat igitur gladiũ hũc Dei, quo cædat, ſtragem edat impiorum, bonorum necem appetentium, peſtem, vaſtitatem anhelantium.

Domine, à paucis de terra diuide eos in vita eorum, de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.

Saturati ſunt filijs, dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

QVod in ſuperiore verſu adiectum erat, Ab inimicis manus tuæ, ad hunc ſpectat: neq; eſt Ab inimicis manus tuæ, ſed totus uerſus habet ממתים ידך יהוה mimetim iadeca adonai. Nempe, A mortuis manus tuæ Domine, à mortuis. Tum ſequitur totum carmẽ oppidò quam perdifficile. Exponitur ab Hebræis, eaq́ue interpretatio forſan uera eſt. Mortuos appellat, quos ſuperius gladio eius occidẽdos. Qui gladio eius debebantur, enſe eius mactandi, trucidãdi, Ab inimi. cta manus tuæ.

Eſſe de hoc mundo.

De abſcõ. tuis.

abolendi. Precabatur ſe ab eorum crudelitate eriperet. Nunc eos appellat mortuos manus ſuæ, D manu Dei interficiendos, qui manu eius ſunt delendi. Hos Septuaginta. interpretes non video cur appellauerint ὀλίγους, paucos, cùm ſint apertè in fonte מתים methim mortui. Reſiduum verſus eſt, vt dixi, ממתים מחלד חלקם בחיים mimethim mecheled chelcam bechaim, A mortuis, ſubſtantia, pars eorum in vita. Hoc exponitur ab Auen Eſra, & Rabi Dauid, Nam in fonte non eſt verbum διαμέρισον, diuide eos, ſed nomen חלקם chelcam, pars eorum, diuiſio eorum. Terra quoq; in Hebraico nuſquam eſt. Et pro ὀλίγους, paucis, quemadmodum dixi, ſunt methim, mortui. Pro inimicis item ſunt mortui, Bis enim nominantur mortui, totusque verſus habet, A mortuis manus tuæ Domine, à mortuis, ſubſtantia pars eorum in vita. Exponit igitur Auen Eſra: Eripe, ait, me à mortuis, manus tuæ, qui ſunt plaga tua, cædes, mactatio, quæ fit manu: quos tua manus interficiet. A mortuis, quorum eſt omnis voluntas, vt ſint filij mundi huius: nam cheled, inquit, quod nos reddidimus ſubſtantiam, eſt res minimè ſubſiſtens, vt alibi dicitur: & ſubſtãtia mea tanquam nihilium ante te. Hi cupiunt viuere ad omne tempus: omnis tua bona voluntas eſt, vt eorum venter impleatur in hoc mundo, in eo oblectentur, gaudeant, exultent, poſteritas eorum ſatietur, reſiduumq́;, poſteris relinquant. Rabi quoq; Dauid hanc ſententiam ſecutus, eamq́; apertius declarans, Eripe, ait, vitam meam à mortuis, qui ſunt plaga manus tuæ. A mortuis, inquam, qui ſunt de hoc mundo, propterea, quòd non reſpiciunt ad mundum futurum. Niſi, quòd voluntas tua, & bonitas tua implebit ventrem eorum in mundo iſto. Saturabuntur filij, nimirum replebuntur, ſatiabuntur filij eorum, in vita eorum cum ipſis, & reliquias ſuas poſt mortem dimittent paruulis ſuis, nempe filiis filiorum ſuorum. Hęc interpretatio mihi quoque probatur, quoniam poſtea, vitam æternam, vitam, quæ exiſtit in viſione gloriæ diuinæ commemorat. E Duas proponit vitas, alteram mundi huius, alteram mundi ſuperni. Deſpicit, abominatur primam, recuſat cenſeri cum his, qui ſe vitę huius voluptatibus dediderunt, qui ſpes ſuas omnes hic collocarunt. Reſiduum igitur eiuſdem verſus, quo Græci interpretes dixerunt, De abſconditis tuis, Abſcondita, quod Hebraicè eſt צפינך zephinacha, abſconſio tua, ſiue theſaurus tuus, quod reddidit Chaldęus טשיותך taſiutach, theſaurus tuus. De hoc ait Auen Eſra, Et omne bonum abſconditum, quod iacet penes te, eſt vt impleat ventrem eorum. Effundis, ait larga manu cupidiis illis opes tuas, aperis illis theſauros tuos, vt beatè agãt in hac vita, nõ admittendi ad futurã. Aſſecuti ſunt, quod voluerũt, volutãtur inter voluptates, affluentibus vndiq; bonis, quæ tua liberalitas largè profudit. Eſt igitur ſententia clara, de beatis huius ſęculi, de Crœſis, & Craſſis, Sodomęis, Campanis, & Sybaritis. Sciendum tamen propter amphibologiam vocabuli mortuorũ, factum eſſe, vt omnino diuerſum ſenſum Chaldęus fuerit ſecutus, interpretans mortuos, afflictos, in hoc mundo, vexatos, ob iuſtitiam. is ait parata eſſe bona, quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit. Atque ait, Et iuſtorum qui deuouerunt animas ſuas, propter te ad moriendum in terra, pars eorum in vita ęterna. Et theſaurus tuus bonus implebit domos eorum, ſaturabuntur filij, & relinquent reliquias ſuas paruulis ſuis. Fortaſſe & is ſenſus minimè deſpiciendus. Græci tamen, ac Latini conueniunt cum Hebræis.

Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.

Apparebo conſpe. tu. Cũ appar. gloria tua.

APparebo conſpectui tuo, fons clarius אחזה פניך echaſe, penecha, Videbo faciem tuam. Idq; etiam tranſtulit Hieronymus. Pro, Apparuerit gloria tua, eſt Satiabor בהקיץ תמונתך F behachiz themunathęca, In euigilando ſimilitudine tua. Hieronymus autem, Cum euigilauero ſimilitudine tua. Sed enim ſimilitudinem Hebræi quoque de futura beatitudine interpretantur, multis verbis ediſſerentes. In primis Auen Eſra, Ego, inquit, ſecus quàm quos ſuperius commemoraui, duntaxat cupio videre faciem tuam, quoniam iuſtitia, cuius obſeruator fui, fuit in cauſa, vt delectarer videre faciem tuam, vt intelligerem opera Dei, quæ ſunt omnia facta ſapienter, in æternũq; ſubſiſtunt. Satiaborq́; videndo ſimilitudinem tuam, non quemadmodũ impletur venter illorũ, atq; hoc non per inſomnium, ſed euigilando. Hęcq́; viſio non eſt in viſione oculi, ſed in viſu mentis, & ſcientiæ, quæ ſunt viſiones Dei in veritate pura. Atq; hæc non percipiunt, niſi qui ſapientiam animi didicerũt. Hæc omnia declarans melius Rabi Dauid, In iuſtitia apparebo conſpectui tuo. Sceleratis non eſt cupiditas mundi futuri. Non ita ego, inquit, ſed potius cupio videre cum iuſtitia, atque incipio videre faciem tuam in ſæculo futuro, cum iuſtè operor in hoc mundo. Satiabor cum euigilauero, aut, per vigiliam, clara in luce, videro ſimilitudinem tuam. Satiabor, explebor hoc cibo, contra quam illi qui ſatientur vanis voluptatibus Satiabor in ſæculo futuro, vigilando, quia non morietur, non dormiet anima mea. Secus quam quod alibi dicitur, Somnum æternum dormierunt. Facies tua, & ſimilitudo tua, eſt cum mens attingit quoad ei fas eſt, gloriam Dei, ſeiuncta anima à corpore. Quod Moſi quidem viuenti datum fuit cæteris prophetis non item, quibus poſt mortem, datum fuit uidere eam ſimilitudinem. Hæ ſunt explanationes, ſed prior, ut Rabi Dauid teſtatur, ſpeculationem operum diuinorum, in hoc corpore proponit, qua ſe glorietur propheta delectari, uelut ille.

Me verò dulces ante omnia Muſæ,

A *-Cœliq́ue vias, & ſidera monſtrent.* Et,
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Iuſtitia, quæ mihi ſemper placuit, fuit in cauſa, vt contemplarer, ſpecularer, totum me factis diuinis contemplandis dederam, non quemadmodum illi ſtudio voluptatum flagrantes. Videre igitur faciem, atque euigilare ad ſimilitudinem eius, nempe viſione clara cernere, retulit Auen Eſra ad contemplationem, & philoſophiam, ex qua admiratio Dei exiſtit, ex admiratione, cultus: cæteri ad ſæculum futurum, ad rerum æternarum purum, clarumq́ue aſpectum. Ad quem iuſtitia ducit comes nobis in cælum. Atque, vt verſum intelligas, ex conſuetudine Pſalmorum diſcas, in quibus eadem res diuerſis nominibus exprimitur. Quid ſit ſimilitudo eius, quid euigilare, diſces ex primo, videbo faciem tuam. Euigilare, videre: ſimilitudo, facies. Vterque ſenſus probandus, Græci ac Latini de gloria futura.

PSALMI XVII. EXPLANATIO.

INſcriptio clara eſt, quo tempore, quas ab cauſas editum hoc carmen triumphale, verè epinicion, quo laudes ob deuictos hoſtes canuntur: victoriæ diuinitus partæ prædicantur. Pertinetq́ue non ad vnum modò facinus, ſed vniuerſam vitam complexus animo Vates, quas clades Dei beneficio euitauerit, quàm prodigioſè liberatus fuerit, verſibus proſequitur. Inter inimicos in primis commemorat, in titulo, Saulem: atque in titulo dicitur, In finem, pro quo, in fonte, Lamnazeach, vt doceat eſſe carmen triumphale, vectoriale. Dicitur item puero Domini Græcè id quidem παιδὶ at Hebraicè melius לעבד la ebed, ſeruo, cultori. Et genitiuo eſt efferedum, Pueri, ſeu ſerui cultoris Dei, Dauid. Cùm ait, In die, qua eripuit eum Dominus: declarat apertius Chaldæus, pro omnibus diebus, in quibus eripuit eum Dominus. Eſt igitur carmen εὐχαριςήριον, pro cunctis victorijs in vita partis. Cecinit iam ſenex, iam canens receptui.

B

Puer.

DIligam te Domine fortitudo mea.

FInis humanę vitæ, ſcopus, quò cuncta tendunt, actio nobiliſſima. cui reliquę cedant omnes, pietas inſita pectoribus, nullis caſibus euellenda. Amor opificis noſtri: amantes admiramur, colimus, ſuſpicimus, laudamus, præceptis eius obtemperare geſtimus. Redditur cauſa, cur amandus. Quia fortitudo noſtra, robur, propugnaculum. Refugium, ſi gignit amorem, beneficium, vbi plura beneficia.

Amor, filius beneficij petra.

Dominus firmamentum meum, & refugium meum,
& liberator meus.
-Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eo. Protector
meus, & cornu ſalutis meæ.

C HVnc omnem eſſe verſum, vel ipſa Hieronymi editio abundè teſtatur. In his nominibus, Hebraicæ linguæ figuræ clareſcunt. Nam pro refugio, eſt סלע ſala, petra. Deus eſt petra, quaſi propugnaculum, arx munitiſſima, ſaxum inexpugnabile, ſcopulus inacceſſus, ad quem, qui ſe recepit, metu liber erit. Explicuerunt figuram Sept. ϛερέωμα, firmamentum. Hieronymus ad Hebraicum, petra mea. Atque, ait Auen Eſra figuratè inquit, vt homo in loco edito non timet deturbari. Inculcat idem cùm ait, Adiutor meus, pro eo in fonte צורי Zuri, petra mea: nempe, ſilex, robur. Tum, Protector meus, Hebraicum מגני maghini, ſcutum meum. Redditur rectè protector. Protegere ſcuti eſt. Cornu ſalutis, Hebraicæ poeſis figura Cornu ab animantibus, quorum vis in cornibus, ceruis, tauris, rhinocerotibus. Simile quid eſſe Deum ſibi, præſidium, defenſionem, ὅπλον, arma ſua, quibus (quemadmodum animantes illi, cornu) ſe defendat, ſalutemq́ue ſibi quærat. Cornu ſalutis, cornu ſalutare, quaſi gladius ſalutaris, telum ſalutare, clypeus, quo ſibi ſalutem peperit. Telum quo, facto in phalangas hoſtium impetu, perfregit, in fugam vertit, deleuit. Suſceptor meus, Grecè melius, ἀντιλήπτωρ, protector, defenſor. Id ſonat Hebraicum.

Sala petra.

Cornu Deus me⁹. Cornu ſal.

Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.

FAcile eſt intellectu quid innuat, cur Deus ſibi velut præſidium, robur, ſemper aſtiterit. Quoniam illius opem implorasſet, flens, ac ſupplex auxilium poſtulaſſet, atque extemplo exauditus eſſet, celeriter veniſſet cælitus auxilium nullis Pſalmis non deprædicat, quam vim oratio habeat, quantum in ea præſidij inſit, quam ſit cùm in reliquis rebus, tum verò in bello ducibus, neceſſaria.

Circundederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Dolores.

VOx, quam Septua. tranſtulerunt ὠδῖνες dolores, Hebraicè חבלי amphibola, nunc dolores nunc funes, nunc ſocietatem, cuneumque deſignans. Itaque verti potuit, Circundederunt me funes mortis, vt reſpondeat verbo circundandi. Aſtringebar, ait, vinculis tartareis, clades, calamitates, obſeſſum tenebant. Premebat, alligabat carcer teterrimus. Aut Agmen malorum incubuerat: inſtabat cœtus omnium miſeriarum. Obſidebant agmine facto, diræ facies, inimicaque numina, vbique pauor, & plurima mortis imago. Hieronymus alterum ſecutus eſt reddens, Circundederunt me funes mortis. Chaldæus autem, vt Septua. dilucidans, Circundedit me inquit, עקא acha, anguſtia, dolor, preſſura. Pulchra igitur figura, ſiue funes, ſiue dolores mortis dicas. Altera, torrentes iniquitatis; Quaſi impetus, copia exuberans omnium calamitatum. Pro iniquitate eſt בליעל Belial, torrentes Belial, nomen infame in ſacris litteris, nomen peſſimorum ſiue hominum, ſiue dæmonum. Propterea hoc loco Hieronymus, vertit, Torrentes diaboli. Ducitur nomen, (vt Hebræis placet) bal, non, iaal, profuit, inutilis, nempe peſtilens, pernicioſus, nomen congruum dæmonibus, hominibuſque ſceleratis. Torrens improborum, ſceleratorum tempeſtas, irruebat, inſtabat.

Torrentes iniquitatis Belial.

Dolores inferni circundederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

IAm expoſitũ nomen חבלים chabalim, poſſe dolores, & funes ſignificare. Ita nunc aut dolores inferni, aut funes. Funes inferni forſan verè tranſtulit Chaldæus חייבים משריית miſriath chaiabim, agmen inimicorum, cœtum, concilium, exercitum: funes multiplices, coniuratos, coactos in meam perniciem, manus impias. Inferi, quaſi letales, exitiales, mortiferos, ad deſtruendum, delendum, interficiendum coeuntes. Quod ait, Præuenerunt: eſt, ante faciem obuerſabantur, ante oculos occurſabant, conſtiterant ex aduerſo, inimicorum acies. Laqueos mortis eos appellant, nimirum, ad præcipitandum in mortem, in barathrum, in interitum, in perniciem. Vt me in ruinam impellerent: propterea tranſtulit Chaldæus, Præuenerunt me armati letalibus; ante aciem conſtiterant, priores ipſi concurrerunt facturi in me impetum. Hinc rectè Rabi Salomon expoſuit præuenire, feſtinare, præcipitare moras omnes.

Præoccupauerunt. Laquei mortis.

Et in tribulatione mea inuocaui dominum, & ad Deum meum clamaui.

Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.

IS verſus eſt carminis Hebraici. Eſt eiuſdem rei multis nominibus iteratio. Inuocaui, clamaui. Exaudiuit, clamor meus peruenit ad aures eius. Sic, In conſpectu, in aures. Exaggeratur oratio, diluceſcit repetita, ſubſequens nomen eſt, antecedentis declaratio. Neque eſt in Hebraico ἐκ ναοῦ ἁγίου αὐτοῦ, de templo ſancto ſuo, redundat duntaxat, De templo ſuo. Templum, vt eſt in reliquis pſalmis, aut terreſtre, aut cæleſte, primum quòd illic preces habebantur, reſponſa dabantur. Auen Eſra cælum, in quo decreta eius ſint ſcripta, ſignata, inde in terras deſcendant. Affirmat Rabi Dauid, de templo, de cælo, inquit, exaudiebat vocem meam, cùm ad eum clamarem. Conſentiunt Gręci, quorum ſententias conflauit Euthymius, is ſcribit, ναὸν ἅγιον, οὐρανὸν ὑποληπτέον, ἢ τὴν τοῦ μαρτυρίου σκηνήν, Templum ſanctum, aut cęlum ſentire par eſt, aut tabernaculum teſtimonij, Ipſi iidem docent, quas aures diuinas ſentias, non noſtras ſcilicet mortales, ſed auditum per omnem mundum pertinentem, non ſonos modò, ſed ſilentia quoque nudaſque cogitationes excipientem. Quas aures doctiſſimus, idemque vetuſtiſſimus vates Orpheus, agnouit,

Aures dei.

Πάνθ' ὁρᾷς καὶ πάντ' ἀκούεις, καὶ πάντα βραβεύεις,
Cuncta vides, & cuncta audis, & cuncta gubernas.

Commota eſt, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt: quoniam iratus eſt eis Deus.

DVplex explanatio furoris huius, vltioniſque diuinę. Chaldęus, quem ſequitur Nicolaus, amplexus alia ſæcula, quibus ira Dei clarior fuit, retulit in Pharaonem, vt quanta ſit aduerſus ſceleratos indignatio Dei, quæ ſuos inimicos corripuerit, oſtendat. Eſt alia Auen Eſdrę, & Rabi Dauid, cui magis acquieſco, figuratè, ac ueluti poeta, Dauid immenſam contra hoſtes irę diuinæ flammam ceciniſſe; atque, vt priſcus Homerus Iouis iram deſignans, dat ei. ἐλέλιξεν ὄλυμπον, nutu tremefecit Olympum, Latinus autem, vultu eius redire toto cælo ſerenitatem,

Vultu, quo cælum, tempeſtateſque ſerenat.

A Sic diuinus Poeta, poeticè, terram, monteſque celſos funditus tremuiſſe, irato Deo. Tãtamq; indignationem pro ipſo rege Deum ſuſcepiſſe, vt montes expauerint. Sunt item apud profanos poetas, fulmina Iouis, tonitrua, procellæ, tempeſtates. Dij, maris, & terræ, tempeſtatumq; potentes. Rege Dauid nihil eiuſmodi portentorum accidiſſe hiſtoriæ loquuntur: ſed, vt dixi, ſunt poeticæ hyperbolæ, quales illæ:

Et fluctu ſidera lambit.
Et cælum territat armis.
Et rorantia vidimus aſtra,
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Fama ſuper æthera notus. Ex Homero.
Καὶ μευ κλέος οὐρανὸν ἥκει.

Sciendum non eſſe in fonte ὠργίσθη αὐτοῖς, iratus eſt eis. Quibus enim iratus? Sed verius חרה לו chara lo, ſuccenſuit, incanduit ipſe. Ira ſubiit illum. Quoniam iratus eſt.

Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

ALia hyperbole, ſuccenſa veluti fornace diuina, fumum aſcendiſſe. Indicium furoris eius fuiſſe fumum exhalantem.

Tantas ille ſuo concepit pectore flammas.

B Aptiſſima figura declarandæ iræ. Ira eſt ſuccenſio ſanguinis, fumus ſe tollit ab igne. Quantus ignis, tantus fumus. Ira θεήλατος, ira cœleſtis, quas flammas euomet, quem fumum exhalabit? Quod ait, In ira eius, Hebraiſmus, Ab ira, cùm ira eius, miſtus iræ fumus aſcendebat, aut pectore fumante, ardente. Sed quod Septuaginta dixerunt, καὶ πῦρ ἀπὸ προσώπου καταφλεγήσεται, Et ignis à facie eius inflammabitur: eſt clarius in fonte, Et ignis מפיו תאכל mi pio tochel, Ex ore eius, vorabit. Pro facie igitur, eſt aptius os, à quo exhalauerit ignis vorator, populator. Ab ore eius, inquit, velut ore fornacis (perſtat enim in metaphora) exhalat flamma vorax. Prius fumus, nunc flamma. Os eius, non vti os humanum, ſed quale vaſtæ fornacis, fumum flammamq; voracem exhalabat, Propterea, quòd conceptus erat ignis immenſus in fornace pectoris, irarum fluctuat æſtu. Quod autem ſubiicit, Carbones ſuccenſi ſunt ab eo: tantus ignis ex ore prodibat, vt carbones accenderit: aut idem atque pręcedens, Exarſit fornax, accenſi magni carbones, flamma proxima quęque vorabat, fumus aſcendebat. Erant omnia, fumus, ignis, carbones irato Deo.

Inclinauit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.

HOc quoq; poeticè, & figuratè. Et volunt Hebræi, opem illam diuinam cælitus allatam, auxilium diuinitus miſſum fuiſſe deſcenſum Dei è cęlo. Deſcenſus dei. Inclinauit ergo cœlos, quaſi deſcenſurus è cælo, auxiliumque laturus, ſedem ſuam, quæ cælum eſt, verſus terras demiſit, declinare fecit: depoſuit ſedem: velut ſi rex aliquam in partem iter facturus iubeat ſedem illuc dirigi. Venit ergo numen diuinum deſcendens è cœlo, cui inſidet, & deſcenſurus deflexit C cœlum, ſedem ſuam in terras. Erat autem caligo ſub pedibus. Caligo ſub pedibus eius. Aduentante Deo tempeſtas, tonitrua, plurimus horror, caligo diuina qualis in monte, cùm legem ferret. Nam totus mons fumigabat. Et ad Eliam veniente Deo, præcedebat tempeſtas, horror, caligo. Deſcriptio eſt deſcendentis Dei, quo deſcendente, cælum paulatim declinaret in terras.

Et aſcendit ſuper cherubin, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.

HAec quoque poetarum tralationes, quibus carmina velut ſideribus niteſcunt. Hoc dicitur Hebræis דרך משל derech masha. Metaphoræ gratia. Modus parabolicus, figuratus, aptiſſimus exprimendis magnis facinoribus Dei. Volatum, Hebræi figuram exoluentes, ferunt eſſe celeritatem, impetum venientis, opemq; ferentis Dei. Iouem inimicis iratum, deſcendentem è cælo, viſurum quæ in caſtris ſuorum fierent, figurate noſtris oculis obtulit, deſcripſit. Ecce primum ſeſe demiſit, inclinauit in terram Olympus, Omnia circumfumigabant: caligo, propter numen diuinum terris incubuerat. Deus autem in maieſtate ſua deſcendens cherubinis velociſſimis vectoribus ſuis, inſidebat, ocyſſimis Euris ferebatur. Tremor erat terris, montes funditus excutiebantur. Dat igitur pennas ventis, quales eos poetæ barbatos fingunt, perſonis induunt, vt apud noſtrum:

Eurum ad ſe Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?

Vſurpata quoque profanis poetis hæc figura, qua velociſſimis ventorum alis ferri Deum cecinit. Nam Homerus Mercurium Deum ſuum portari ventis induxit,

Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,

Ἀμβρόσια,

Αμβρόσια, χρύσεια, τάμιν φέρον, ἠμὲν ἐφ᾽ ὑγρὴν,
Ηδ᾽ ἐπ᾽ ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο. D

Hic Latinus venuſtè, vt ſolet,

Et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem illum ſiue æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Cherub.

Simile quid de vero Deo cecinit poeta ſacer. Sciendum minus aptè Latinum interpretem ſæpe transferre πτέρυγας, pennas, potius alas, dicendumque, Volabat ſuper alis ventorum, ferebatur rapido ventorum flamine. De Cherub quoque noſſe par eſt, Hebraicè ea vox ſonat alatum, volucrem. Itaque in ſacris litteris eſt nomen Angeli pennigeri, alati. Hunc alis extenſis in arca exculpi, Deus iuſſerat Moſi. Eſt quaſi quidam Mercurius. Nam ab his ſacris oraculis, Homerus, vetuſtioresque poetæ deſumpſerunt. Singulare eſt Cherub, multitudo Cherubin. Chaldæusque illuſtrauit, Volauit, inquit, ſuper Cherubin leuiſſimis. Hæc à Græcis quoque ſimili modo exponuntur.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris.

NOn recedit à deſcriptione numinis aduentantis in terras. Repetit caliginem ſub pedibus: nunc apertius, & copioſius, tenebras, caliginemque demonſtrat, vt alio pſalmo: Et in circuitu eius tempeſtas valida. Deſcendebat, ait, diuina maieſtas, erat circunquaq; E diffuſa caligo. Hac numen ipſum abſcondebatur. His tenebris, ea caligine latitabat. Tanta erat circum diffuſa caligo, tantus tenebrarum horror, vt præberet quidem indicium adeſſe numen, ipſum verò numen minimè tenebris opacis, abſconſum videretur. Hoc vt clarius intelligas, dices iuxta fontem: In circuitu ſuo poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ſuo. Imò, inquit, apertius hoc latibulum explicans, Scena eius, (idem eſt Græcè σκηνὴ) tentorium, tabernaculum cui ſuberat numen, quo veluti tentorio ſuo vtebatur, erat immenſa, impenetrabiliſque caligo. Erat tenebroſitas aquarum, vt eſt Hebraicè, vapores ſcilicet aquei, nubes aquoſæ, nimbus aquoſus: nubila nigerrima, quæ diem oculis eripiunt, qualia apud poetam:

Eripiunt ſubitò nubes, cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Vides etiam apud poetam Latinum, noctem atram ob nubes tenebroſas. Eadem prior Homerus,

-Σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ, καὶ πόντον, ὀρώρει δ᾽ οὐρανόθεν νύξ.
-Tunc nubibus atris
Abſcondi terram, & pontum, & nox venit Olympo.

Has tenebras, hanc noctem, & nubes aquoſas deſcribit diuinus poeta. Vt ſit clarior verſus, iuxta Hebraicum, ſic leges: Poſuit, diffudit tenebras, quæ forent latibulum ſuum, in circuitu ſuo poſuit, fecitque tentorium ſuum, horrorem aquarum, עבישחקים nubes denſiſſimas, conſtipatas. Eſt F igitur (vt dixi) deſcriptio numinis aduentantis, quem circunſtaret, abſconderet atra caligo, nubes aquoſæ, nubila tenebroſa, nox horrida. Hoc erat eius latibulum, hæc ſcena, tentorium. Sub hoc tabernaculo latitabat.

Præ fulgore in conſpectu eius, nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis.

EXpletur deſcriptio cælitus diuinæ maieſtatis deſcendentis, tenebræ, caligo, tempeſtas, horror, tonitrua, fulgura conſequebantur.

Fulgores nunc terrificos, ſonitumque, metumque
Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.

Præ fulgore in cõſp.

Vt Clarius poeſis Hebraica noſcatur, digerendus orationis ordo. Præ fulgore, clarius Græcè, & Hebraicè ἀπὸ τῆς τηλαυγήσεως ἐνώπιον αὐτοῦ, A fulgore ante eum: ob fulgorem, qui eum præcedebat, nubes tranſierunt, Fulguris deſcriptio, vt apud noſtrum,

-Crebris micat ignibus æther.

Propter tonitrua, fulgura, quaſſatæ, diſiectæque nubes diſceſſerunt, euanuerunt. Primum terris, totoque cælo horrebant tenebræ, nubibus denſatis, aqua grauidatis. Ecce nubibus accenſis, propterq; colliſionem, fulguribus editis, nubes illæ tranſierunt. Aut quod ait Rabi Dauid, Nubes illæ ignibus accenſæ ſuper caſtra inimicorum tranſierunt, ceciderunt. Declarat quæ nubes, nimirum, carbones, ignis, & grando, fulgura, fulmina cœleſtia, veluti carbones è cælo cadentia, quicquid contigerunt, non minus, quàm carbones exurentia. Hęc tranſierunt, aut aduentante

A tonante Deo tranſibant, toto cælo ſpargebantur, ſuſcipiebantur, vt alio Pſalmo: Dominus venit, & in circuitu eius tempeſtas valida: nimirum, fulgura, grando, carbones ignei, fulgor accenſarum nubium. Aut hæc ipſa ſuper inimicos, vt alio pſalmo: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.

Et intonuit de cęlo Dominus: & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis.

SVnt hoc quoque verſu, Carbones, ignis, grando, eos omiſerunt Septuag. poſt horrendam terris, cæloque incumbentem nigrarum, aquaque grauidarum nubium noctem, ſimul iiſdem nubibus accenſis, neceſſario, fragor earum colliſarum ſequebatur. Vates Latinus in ſimili deſcriptione,

Intonuere poli, crebris micat ignibus æther.

Deſcendente Deo, nubibus horrendis, tenebroſiſq; toto cęlo diffuſis ſequebantur ignes, tonitrua, grando, nimbus, tempeſtas. Videre eſt hoc loco, ab hac diuina, ac longè vetuſtiſſima poeſi, ſumpſiſſe profanos vates multa. Nam quem Homerus vocat ὑψιβρεμέτα, altitonantem, aut νεφεληγερέτα, nubium congregatorem, ecce in ſacris carminibus intonat, dat vocem ſuam, nubes congregat. In terras fulmina iaculatur, quas ſagittas poeta ſacer appellat.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

B SAgittas, vt dixi, fulmina vocat. id ipſe declarat, Fulgura multiplicauit: ingeminant, inquit, fulmina:

Toto genitor, quæ plurima cælo,

Deijcit in terras. Hæc ſunt diuinæ ſagittæ, quas multiplicauit, magnoque earum numero ſuper hoſtium caſtra proiecto, eos diſſipauit, deleuit, profligauit. Omnis ille exercitus impiorum interfectis cæleſti plaga. Sagittas Deo quoque ſuo tribuit Homerus,

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι.

Atque tuis telis lachrymas vlciſcere noſtras.

Declarat igitur ſecundum, quas ſagittas innuat. Atque hæc, aut reuera acciderunt, quod multis exercitibus eueniſſe memoratur, vt fulminibus delerentur, vt exercitus Brenni: aut quemadmodum Homerus peſtilētiam cęlitus in exercitum Gręcorum immiſſam, ſagittas Apollinis vocat, quas torſerit in Danaos, ſic plagas cęlitus illatas, ſagittas & fulgura noſter appellat:

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.

ISeſt verſus omnis. Eſt hæc quoque teſtibus Hebræis, figura, tropus, inuolucrum, adumbratio. In ſacro poemate crebrum eſt, vt clades, vexationes, aquæ vocentur, veluti torrentes, aut imbres inundantes, quibus velut vndis, ſæpe periculum eſt ne ſuffocetur homo, cùm geminatis fluctibus incumbunt, ceruicibus impendent. Exemplum ex aliis pſalmis: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Eripe me de luto, vt non infigar, & de profundis aquarum. Nonne noſtri quoque, fluctus, curas atroces appellant? Irarum fluctuat æſtu. Curarum fluctus. Ad hanc figuram, locum Hebræi explicant, rectè mea quidem ſententia. Sublatis hoſtibus, qui clades, vexationeſque afferebant, ſublatis anguſtijs, quæ fluctibus aſſimiles incubuerant, apparuerunt valles, apparuit ſolum. Deſcriptio eſt exiccationis, fluctibus illis ſiccatis, exhauſtis, ſpirante Deo, apparuit ſolum, apparuit alueus. Tanto ſpiritu Deus flauit, vt longè, lateque fluctibus miſeriarum proiectis, exhauſtis, ipſa terra apparuerit. Nihil fuit reliquum fluctuum illorum. Quas igitur Sept. dixerunt πηγὰς, fontes, ſunt Hebraicè אפיקים apichim, interpretantur Hebræi, diffuſiones, torrentes. His exhauſtis apparuit alueus, denudatum eſt profundum, Chaldæus, profunditas. Abiere metus omnes, & iræ conceſſere Deum. Chaldæus dilucidans interpretando pro fontibus poſuit עמיקי מייא amike maia, profunditates aquarum. Clarius igitur eſt ſenſus, flante Deo, & terribili voce intonante, increpante, (id enim eſt, Ab increpatione tua) vexationum fluctus illos abiiſſe, euanuiſſe, profundumque ſolum, ac fundamentum apparuiſſe.

Aquæ.

Apparuerũt fontes aquar.

Quanta per Idæos ſæuis effuſa Mycenis
Tempeſtas ierit campos,

Nec mireris quòd dicat, fundamenta orbis terrarum, pro orbe terrarum. Hebraicum תבל tebel, terra ipſa, ſolum ipſum, fundamenta terræ, profunda terra. Inducit igitur ſeipſum, velut fluctibus oppreſſum, cælique ruina,

Tum verò grauiter commotus, & alto

Proſpiciens genitor, ſumma placidum caput extulit vnda.
Et dicto citius tumida æquora placat
Et vaſtas aperit Syrtes, & temperat æquor.

Talis fuit Deus diuino Poetæ, tempeſtatibus oppreſſo. Is ſenſus clarius ex ſequentibus percipitur.

Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis:

EX aquis, & tempeſtate, atque nimbis diuinitus ereptum ſe canit. De ſummo, Græcè ad Hebraicum ἐξ ὕψους, ex altitudine, ex alto, è cœlo. Miſit opem cœlitus, auxilium ab alto. Hoc auxilium plerique Hebræorum, Angelum interpretantur. Miſit Angelum ſuum, qui me eriperet. Non moror Græcos nunc, quoniam diuerſum iter abierunt, ad tempeſtatem Chriſti, & Apoſtolorum Pſalmum tranferentes, vt Chaldæus, quem ſequitur Rabi Salomon, & Nicolaus, ad res Aegyptiacas, oppreſſumque Pharaonem. Claruit figura, tropus, parabola poetica. Declarat demum, euoluitque figuram.

Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

Confortati ſunt ſuper me.

EA eſt conſuetudo Pſalmorum, vt quod primò obſcurè dixiſſent, paulatim idem repetentes, apertius eloquãtur. Tempeſtatem igitur, fluctusq́;, quibus penè depreſſus eſſet, atrociſſimos hoſtes fuiſſe canit. Quod ait, Quoniam confortati ſunt ſuper me, Græcè, ὅτι ἐστερεώθησαν ὑπὲρ ἐμέ. Hebraicè clarius אמצו ממני amezumimenni, fortiores, validiores me erant. Hoſtes illi me viribus ſuperabant: propterea opem mihi tulit. Superare viribus humanis eos non poteram: allatum diuinitus auxilium, Beneficio immortalis Dei, neque hoſtibus diutina lætitia, neque mihi longior relictus eſt dolor.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.

PRæuenerunt, teſtibus Hebræis, reſpondet ei, quod ſuperius, Præuenerunt me laquei mortis. Celeriter procurrerant, occupauerant, impetum fecerant hoſtes, auidi nocendi, bellum priores indixerant. Ille dies mihi longè grauiſſimus fuit. At Deus non me deſeruit, reſpexit, dxteram extendit ad me protegendum. Afflictionem dixit, Hebraicè איד ed, ruinam, occaſum, interitum, excidium. In die tulit opem, qua mihi penitus excidium imminebat. Et fuit mihi protector, vel vt in fonte, למשען lemiſan, ſuſtentatio, firmamentum vt tranſtulit egregius doctor.

Et eduxit me in latitudinem, ſaluum me fecit, quoniam voluit me.

Latitudo.

FIguris Hebraicis ludit. Vt calamitates, & clades, vexationeſque vocant preſſuras, anguſtias, quia premunt, terunt, aſtringunt moleſtè: ſic ex his euaſiſſe, in latitudinem veniſſe dicunt. Et dilatare eſt illis, gaudio perfundere, latitudinem dare, vincula miſeriarum diſſoluere. Vt, In tribulatione dilataſti mihi: nimirum, oppreſſio, & aſtrictio vinclis moleſtiſſimis, latitudinem dediſti, cælum aperuiſti. Nunc, in latitudinem, in libertatem eduxit, quaſi carcerem, quem Græci ob hanc cauſam vocant εἱρκτήν, aperuit, vincula rupit. Nam ſuperius, In tribulatione, nempe in anguſtia, inuocaui dominum. Et paulò ſuperius: Se fluctibus oppreſſum, iamq́ue in profundum mergendum, nunc extractum: quoniam voluit me nempe cui mea pietas ſemper cordi fuit. Eſt enim iudex dominus æquus, non deſerit pios, iuſtos, quod nonnulli queruntur, vt ille, lætoſq́ue diu florere nocentes, Vexarique pios. Et Lucretius de fulmine,

Quoniam voluit me.

Et potius nulla ſibi turpi conſcius in re
Voluitur in flammis innoxius, inque pedibus
Turbine cæleſti ſubito correptus, & igni.

At melior, vetuſtiorque Vates, Eſt Deo grata pietas, tuetur iuſtos: eos, ſi vſus poſtulat, ab iniurijs defendit.

Et retribuet mihi ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum.

VOluit me, dixerat paulò antè: nimirum, propter iuſtitiam meam. Iuſtitiam, religio fecit me illi charum. Nam, vt ait priſcus Vates Homerus de Diis, ἀλλὰ δίκην τιμῶσι. Dij venerantur, in pretio habent iuſtitiam. Iuxta hanc, me remuneratus eſt abundè, defendens me à maleficijs improborum. Erant mihi manus caſtæ, nullis ſceleribus eas coinquinaueram, non rapinis, cęde. Hac innocentia, gratiam, amicitiamq́ue eius redemi. Inculcat, illuſtratq́ue exaggerando.

Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi, à Deo meo.

Viæ.

A VIas, præcepta, leges, imperia, iuſſa, decreta, velut vias ante oculos mortalium præciſa, ſignata: itinera, per quæ nos incedere iuſſit, ne quenquam falleret inſcitia, atque à vera felicitate abduceret. Hac iter Elyſium vobis. Nonne ſemitas has cecinere Poetæ, ferentes alteram quidem ad ſuperos, alteram in barathrum? Ille quoque commemorat iter deuium, ſecluſumque à conſortio Deorum. Imperia Dei diſtribuunt Hebræi alia iubere, præcipere: alia interdicere. Illa vt facias, hæc ne facias. Vtraque propoſuiſſe, prophetam feciſſe, quæ imperarentur: tum abſtinuiſſe his, quæ vetarentur. Nec impiè geſſi à Deo meo. Aptius per Grę- cum vnico verbo redditur Hebraicum, ἀσεβεῖν, ἠσέβησα, Hebraicum רשעתי rashati, A Deo meo. Reſoluit Chaldæus: Et non ambulaui in impietate coram Deo. Nec memet impiè geſſi coram Deo, auertique memet impiè à cultu eius.

Nec imp. geſſi. a d. m.

Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo: & iuſtitias eius non repuli à me.

IVdicia, iura, ſanctiones, placita, leges, decreta, ſcita. Hæc, ait, iugiter, ante oculos meos obuerſantur: nunquam animo delabuntur: inſident, adhæreſcunt pectori. Iuſtitias autem dixit, id Hebraico clarius innoteſcit, חקותיו chucotau, inſtituta eius, mores ab illo præſcripti, deſignati mortalibus, ne per inſcitiam laberentur. Hos omnibus viribus amplector, ſeruo: rerum cæterarum curam, quoniam hos præſtare exiſtimabam, prorſus amandaui. Quòd me totum pietati, beneque factis dedidi, quod magni patris imperiis parere præſtantiſſimum exiſtimaui: B quòd ab hac ſententia nunquam deſtiti, aſſecutus ſum, vt tum in prælijs, tum quaſcumq; mihi inimici inſidias paraſſent, præſidio eius ſecurus fuerim.

Et ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea.

PRæteritum eſt ואתי væthi. Fui immaculatus, Hebraicè תמים tahmim, perfectus, abſolutus, integer. Lex domini immaculata, perfecta, integra. Chaldæusque hoc loco שלים shelim, perfectus, Græcè ἄμωμος, ſine momo, citra notam. Iniquitate mea: quaſi à peccato mentis meæ, pectoris mei. Rectam mentem præſtare conabor: aberit praua voluntas: non habuerit in ſpiritu meo domicilium ſcelus vllum.

Et retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.

In conſp. oculor.

HAec ſæpius elocutus eſt, Iuſtitiam, innocentiam manuum, caſtitatem propoſuit. In conſpectu oculorum. Poterat Latinus rectius vertere Græcum ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν, Ante oculos, in oculis, ſub oculis. Caſtitas, ait, puritaſque manuum mearum ſub oculis tuis erat, in conſpectu tuo. Viderunt oculi tui hanc caſtitatem, hanc iuſtitiam. In conſpectu tuo res gerebatur. Nullum enim meum factum te latere poterat.

Cum ſancto ſanctus eris: & cum viro innocente, innocens eris.

CVr ſe gratum illi fuiſſe prædicet, cur manuum eius caſtitatem Deus adamauerit, teſtibus C Hebræis, cauſam oſtēdit. Eſt enim Deus cū ſanctis ſanctus. Similitudo facit, vt eos amplectatur, vt olim apud Pythagoreos prouerbium erat: ἰσότης φιλίαν, ſimilitudinem amicos facere. Et Ariſtoteles, mentes caſtas, ęquas, puras à Deo, vti ſui συγγενεστάτας propinquiſſimas diligi. Hunc locum exponens Rabi Dauid, Hæc ait, eſt conſuetudo tua, cum ſanctis apparet ſanctitas tua, eoſque beneficiis accumulas. Sciendum pro innocente, Græcè ἄμωμος, Hebraicum vt ſuperius docuimus eſt תמים thamim, perfectus, integer. Itaque melius exponitur, Et cum perfecto perfectus eris: nempe, vt ait idem magiſter: Et cū perfectis, apparet perfectio tua, & rectitudo tua, bonitas, clementia, ſplendor. Nomen גבר caſid, quod ſolet ſanctus interpretari, ſonat Hebræis, beneficum, benignum, vt chaſida, ciconia, quod benefica ſit erga parentes. Hinc Gręcè ἀντιπελαργεῖν. Itaque dici poſſet, Et cum benignis, benignus eris. Reſpondet ergo ei, quod dixerat ſuperius, Et ero immaculatus cum eo. Nimirum, perfectus, integer, vt ipſe eſt. Græci ſanctum interpretantur, erga Deum innocentem, & erga homines. Locumque exponunt ſimiliter, vt Hebræi. Reddere eum cuiq; pro meritis, talemq; ſe cuiq; oſtendere qualis quiſq; ſit.

Innocens.

Sanctus.

Ciconias imitari.

Et cum electo, electus eris: & cum peruerſo peruerteris.

Electus.

INculcat ex conſuetudine ſua, eandem ſententiam verbis diuerſis. Nam quum Septuaginta dixerunt ἐκλεκτον, electum, Hebraicè נבר nabar, purus, innocuus, mundus. Refertq; ſuperius dictum, Et ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. En mundicies. Mundus, ſanctus, innocens, integer, perfectus, rectus, eadem. Quod dixit, Electus eris, clarius ex fonte תתברר titebbarar, mundus eris: præbebis te mundum, innocentem, æquanimem. At contra peruerſum, prauum, noxium, ſimilem illi te reddes, ſepoſita ad tempus clementia tua, induta contra crudelem crudelitate, vt par pari referas, ad talionem. Hæc omnia Chaldæus mira quadam ſua opinione retulit ad priſcos. Mundum, innocentem, purum, Abraham, Iſaac, & Iacob: peruerſum Pharaonem interpretans. D

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.

INnocentem, humilem, demiſſum, populum ſuum eſſe demonſtrat, peruerſos, & ſuperbos, hoſtes, veræ pietatis inimicos, nunquam non bello pauperes Hebręos perſequentes, impetum in aras, ſacra, cerimonias eorum facere conantes, perpetuis odiis, propter religionis, legumque diſcrimen, ab eis diſſidētes: quos ſi bello ſuperaſſent, ſublata vera, ac planè cæleſti eorum philoſophia, ſimulachrorum ſuorum deteſtabilem cultum intuliſſent. Hoc eſt, quòd toties aduerſus eos Dei implorant auxilium, non minus ſe laborare, ne fortunas eorum hoſtes diriperent, vrbes popularentur, coniuges in conſpectu eorum vexarent, quàm ne religionem, qua nihil in terris melius eſſet, penitus delerent. Populum humilem dixit fons עני ani pauperem, humilem, deiectum. Oculos autem ſuperbos, quòd ingentes ſibi ſpiritus ſumpſerant. Homines eſſe feros, barbaros, iracundos, veluti, qui manibus magnis reſcindere cælum, aut qui montes montibus imponere conabantur. Vel,

Componens manibusque manus, atque oribus ora.

Omnes cruciatus ab his expectandos.

Quoniam tu illuminas lucernam meam: Deus meus illumina tenebras meas:

LVcernam, cùm ſit tropus, figuratusque loquendi modus, alij regnum interpretantur, alij bonum genium, propitium numen, fortunam ſecundam. Pulchre quoq; Græci lucernam animæ, mentem eſſe, tenebras, furorem, cupiditatem, ægritudinem. Illuminaſſe mentem, malas cupiditates abſtuliſſe. Si figuram euoluas, eſt veluti ſi Latinè dicat, Præclarè mecum feciſti, ſplendor tuæ clementiæ mihi ſemper præluxit, fauor tuus, beneuolentiæ tuæ radius, vitæ meæ ſemper illuxit, erat fidus Achates, Non leue præſidium me comitabatur. Luce tua irradiabat, dextra, leuaque cedebant tenebræ, diræ facies, aduerſi dæmones. Lucernam ſuam dixit, velut accenſum radium, ex lumine diuino. Deſignat clementiam, Dei optimam voluntatem, pręſidium, quemadmodum ſub tropo tenebrarum, calamitates, incomoda, dolores, ruinæ deſcribuntur. Poſſet etiam lucerna eſſe, iuxta ſenſum Græcorum, pro doctrina, ſapientia: vt, Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et, Illumina oculos meos ne quando obdormiam in morte. E

Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo tranſgrediar murum.

Eripiar. VErbum Hebraicum quod hoc loci eſt ארוץ aruz, eſt duarum ſignificationum. Ducitur à רצץ razaz, ſiue רוץ roz, ſonat confringere, conterere, etiam currere. Vox quoq; quam
A tentatione. Septuaginta tranſtulerunt πειρατήριον, tentationem, Hebraicè גדוד ghedud, ſonat vbique, armatum, accinctum, paratum ad dimicandum. Hie. in ſuo pſalterio, & Regū ſecundo vbi canitur is pſalmus, tranſtulit accinctū. Ergo dicendum, Quoniam in te curram accinctus,
In te. currā contra accinctos, armatos intrepidè. Aut verius, confringā, armatum, accinctū. Hoc poſtremū clarius, & verius. In te, inquit, per te, te duce, te adiutore confringam, cōteram, delebo aduerſarios, armatos, paratos ad dimicandum. In fugam coniectos, quantum vires ad laſſitudinem ſufficient, hoſtes, armatos delebo, te duce, te exercitum meum præeunte, prælijs noſtris præſente. F
Et in d.m. trāſg. mur. Hunc ſenſum declarat quod ſequitur: Et in Deo meo tranſgrediar murum. Hoſtium murum aſcendam, militem meum, in vrbem hoſtium intromittam. Succedam muro, victoria, auſpice Deo, potitus. Capta vrbe, & muro, à milite meo, occupato. Non eſt igitur ῥυσθήσομαι liberabor, eripiar, ſed confringam conteram, delebo, teſtibus Magiſtris, qui & illum ſenſum probant, vt dicat, In te curram, aduerſus armatos, accinctos, non timebo. Vtrunq; melius, quàm Eripiar à tentatione.

Deus meus impolluta via eius: eloquia domini igni examinata: protector omnium ſperantium in ſe.

HEbraiſmus, ſæpius in ſacris litteris occurrens, quem niſi ſermoni Latino aptaueris, ſolœciſmus efficitur. Quorſum pertinet caſus nominandi, Deus meus, cui verbo nititur? Ergo ex origine dicendum, Dei impolluta via: via Dei impolluta. Eſtque duntaxat האל ha El, Deus, Impollutam Latinus dixit, quam alibi immaculatam. Græcè idem nomen ἄμωμος,
Ha el. Deus. Via. ſine labe, non inquinata, non ſordida. Hebraicè, vt monuimus, תמים tamim, perfecta, abſoluta, eadem omnia. Viam ſentit, conſuetudinem, ſtudium, naturam, genium, mores. Natura Dei, inquit, eſt incorrupta, impolluta. Mores eius caſtiſſimi, ſanctiſſimi. Nihil in promiſſis eius falſum, fraudulentum: Sermones eius veri: quod pollicetur, abſoluit, peragit. Quod docet, plenum veritatis. Leges eius, ac dicta, ſcita, ac decreta plena ſunt æquitatis, plena prudentiæ, ple-
Eloquia. na ſalutis. Quæ Septuaginta dixerunt Græcè λόγια, eloquia, Hebraicè vnicus numerus אמרת
Igne examinata. imrath, ſermo, oratio. Et pro πεπυρωμένα, quod Latinus dixit, igni examinata, nudum, ſolumq;

verbum Hebraicè צרופה zerupha, Nimirum, repurgatus, excolatus. Tralatum ab his, qui purgant metalla. Sermo, inquit, Dei, purus, verus, auro intentior. Solet poema diuinum, bis, terq; eandē ſententiam inculcare, vt planius intelligas. Quid ſit immaculata via eius, diſce ex ſequentibus. quia ſermo eius veridicus, quia ſuos non deſerit, non eſt ſuorum, qui ſpem in eo collocauerunt proditor: protegit, fouet, amplectitur. Non deſpicit, auerſusq; refugit, qui ad auxilium ſuum confugerunt. Occaſioni non deeſt. Ea eſt natura Dei, ea conſuetudo, hi mores.

Quoniam quis Deus præter dominum? aut quis Deus, præter Deum noſtrum?

PRotegit, ait, ſuos, quòd ei non deeſt facultas, quippe qui eſt verus Deus, vera maieſtas, verum numen, cui comes it immenſa poteſtas, & tantopere magna benefaciendi voluntas. Non eſt alius Deus, cui meritò diuinum nomen aſcribatur. Quiſquis apud exteras nationes præter illum, Deus dicitur, falsò dicitur. Secundo loco vbi dixit, Aut quis Deus, pro Deo in fonte צור zur, petra, robur, præſidium. Aut, quod aliud præſidium eſt vſquam, quoquò te verteris, cui niti intrepidè poſſis, præter quàm huic vero præſidio, robori, propugnaculo, ſaxo inacceſſo, inexpugnabili? Quis De⁹ præter domi.

Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam.

CVm ſit ille præpotens, inuictis viribus, iure venit ab illo robur in pectora noſtra. Virtutem verè nunc dixit, quòd Græcè δύναμιν, poteſtatem, vim. Virtutem in præliis, militarem virtutem. Cinxit, quoque pulchra metaphora. Accinxit, armauit, veſtiuit. Hæc arma, quibus accinctus prodibat in aciem, tela inter, & hoſtes: ipſe animos, vireſq; miniſtrat. Immaculatam autem viam poſuit, quoniam via eius, præclara, ſacra, plena bonitatis, ab ea deſcendit bonitas, virtus. Vt ab illo prodit in nos fortitudo, ſtudium, alacritaſque pugnandi: prodit etiam bonitas, iuſtitia. Non minus eſt largitor ſapientiæ, probitatis, quàm virtutis in præliis. Dat fortia pectora, dat quoque ſapientes animos. Ex eodem fonte diuino, fortitudo nobis, atque pietas, ſapientia. Virtus. Præcinxit. B

Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.

PErfecit, Græcum καταρτιζόμενος, melius perſpicitur ex fonte, quod tranſtulit doctor egregius משוה meshaue, coæquans pedes meos ceruis, ponens pedes meos velut cerui: ceruorum velocitatem, ſi quando fuga opus eſſet, mihi dedit, altiſſimosq; montes petebā, locorum difficultate tutus. Declarat Rabi Dauid ſenſum: Si cogebar, ait fuga incitatus, manus hoſtium elabi, ceruorum velocitas mihi dabatur: non timor addidit alas, ſed Deus. Fugit ocyor Euro. Et in altiſſimis locis, quò minimè dabatur hoſtibus acceſſus, ſtatuebat me Deus idem. Is ſenſus ex Græco quoque poſſet intelligi. Nam Græci exponunt καταρτιζόμενος διευτρεπίζων, καὶ τελειῶν, coaptans, & perficiens, diſponenſque pedes meos ad curſum, cùm cogebar mihi pedibus quærere ſalutem: vt cùm cerui fugientes, ſeſe ad altiſſimos montes recipiunt. Perfecit. Et ſuper exce.ſt.m.

Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti, vt arcum æreum, brachia mea. C

REcenſet memoriter beneficia: dediſſe velocitatem in præliis, quanta eſt ceruorum, dediſſe ſapientiam ducendæ vitæ magiſtram. Artem quoque præliandi, & conſiliorum capiendorum, pro re, & tempore, docuiſſe. Ad hæc vires ingentes, vt penè ferreus eſſet. Sciendum, quod Sept. tranſtulerunt, καὶ ἔθου τόξον χαλκοῦν τοὺς βραχίονάς μου, Et poſuiſti arcum ferreum brachia mea, poſſet reddere Hebraicum, alios ſenſus, propter verbum polyſemum נחתה nichatha, Id magiſtris aſtipulantibus, poſſet deſignare, Fregiſti, rupiſti: aut per patiens, Fractus eſt: referturq; ad arcum. Brachiis autem deeſſe propoſitionem ex conſuetudine poematis huius. Eritque ſenſus, Et fregiſti arcum ferreum, cum brachiis meis: ſiue, Fractus eſt arcus ferreus. Nam Rabi Dauid ſupradictam vocem, alio clariorem. Et arcus, ait inimicorum, brachijs meis erit נשברה nishbereth, fractus. Chaldæus tamen, ſenſui Græcorum acquieſcit, pro Hebraico clarius verbum ponens ומתקיף vmath chiph, qui corroboras, confirmas velut arcum æneum, brachia mea. Itaque omnes hi ſenſus, quibus ſua cuique ratio ſubeſt, probari poſſunt. Tul.off.2. Poſuiſt. vt ar.ær. bra. m.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me: & diſciplina tua correxit me.

IS eſt verſus pro protectione, in fonte eſt מגן maghen, clypeus, vt tranſtulit Hieronymus. Protectio, aut clypeus ſalutis, Hebraiſmus, clypeus ſalutaris, ſcutum quod ſalutis eſſet protector. Scutum, quo ſalus conſtat, ſiue ipſa ſalus, quam mataphoricῶs, ſcutum vocet. Suſcepit, clarius Græcum, & Hebraicum, ἀντιλάβετο, ſuſtentauit, adiuuit, protexit. In origine תסעדני tiſadeni, ſuſtentauit, ſuſtinuit me. Hieronymus, Confortauit, eodem ſenſu. Quod maximè conuenit dexteræ. Protectio. Suſcepit.

Da dextram miſero,& tecum me tolle per vndas.

D

Diſciplina

Correxit.

Quod ait, Et diſciplina tua correxit me in finem, non eſt in fonte, εἰς τέλος, in finem: redundat, dignum obeliſco. Et pro παιδεία, diſciplina, eſt melius, & clarius ענותך aneuathecha, manſuetudo, clementia tua. Nam Hieronymus quoque tranſtulit, manſuetudinem. Et Rabi Dauid pro eo ſubijcit clarius, חסידותך chaſiduthcha, beneficentia, clementia tua. Et pro ἀνώρθωσε, correxit, eſt in fonte, תרבני tarbeni, multiplicauit, auxit. Egregius etiam doctor, Multiplicauit. Vnanimiter ab omnibus Hebræis aſſeritur. Atque iuxta Hebræos loquitur, cum ex humili loco, ad maximam regni dignitatem prouectus eſt: aut potius, qui in bello exiguus eſſet, paucis comitantibus, parua manu, exiguo numero, at Deus eum multiplicauit, quoniam vires dedit. Clementia tua, inquit Rabi Dauid, fecit hoc, quia mihi vires non ſuppetebant, ſed tua clementia multiplicauit me, cui paucitas eſſet militum, hoſtes autem turba ingens, quæ contra me in acie conſtiterat. Clementia autem, & beneficio tuo factum eſt, vt ego ſuperior fuerim, deuictis, & in fugam coniectis hoſtibus. Vides quantò melior ſit is ſenſus, dilucidè profluens ex fonte. Confodiendum quoque obeliſco, quod adiectum fuit à Septuaginta manauitque ex eorum tralatione ad Latinos, καὶ ἡ παιδεία σου, αὐτή με διδάξει: Et diſciplina tua, ipſa me docebit. Etiam apud diuum Hieronymum nuſquam eſt.

Dilataſti greſſus meos ſubter me, & non ſunt infirmata veſtigia mea.

Dilataſti. greſſ. m.

Non ſunt infir. veſt. m.

E

DIlataſti greſſus, figura Hebraica. Dilataſti iter, eunti viam aperuiſti, non per anguſtias, locorumque difficultates duxiſti, per deuia, præcipitoſa, ſed per regiam, ſecuram. Non ſum ingrediens prolapſus: ducente Deo, nuſquam offendi. Diſcedo ducente Deo, tela inter & hoſtes. Nil mihi loci iniquitas obfuit, nil hoſtes me perſequendo profecerunt. Iter erat noſtrum ſpatioſum, latum per plana ferebar. Hanc viæ facilitatem non tam mihi præbebat ipſa terra, campuſque, quàm præſidium Dei, quaſi mihi ante oculos ſternens viam, aduerſa quæque ſubmouens: Deſignat ergo metaphoricῶs auxilium Dei, gratiam, clementiam eunti comitem. Indicat cùm ait, Non ſunt infirmata veſtigia mea. Græcum οὐκ ἠσθένησε, non vacillauerunt, non fuerunt lapſabunda. ad Hebraicum, מעדו maadu, nutauerunt, prolapſa ſunt, luxata ſunt. Et pro τὰ ἴχνη μου, veſtigia mea, Hebraicum aliquid diuerſum קרסלי carſulai, tali mei. Non ſunt luxati, nō infirmati tali mei, pedes, à parte totum. Pedes erant firmi. Eram velut ille πόδας ὠκὺς pedibus velox. Hieronymus item vertit, Et non deficient tali mei.

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

Quia non defecerũt.

HAec erat pedum velocitas, hoc fuit cur non deficient tali. Quantum vires ad laſſitudinem ſufficient, hoſtes in fugam coniectos, atque ita perterritos, vt nuſquam fuga deſiſtant, trucidabo. Nos inſecuti tantam eorum multitudinem interficiemus, quantum erit diei ſpatium. Et propè ad internecionem, gentem, nomenque eorum redigemus. Nos in eos acriter impetu facto, repellemus, neque finem inſequendi faciemus, quoad præcipites agemus, magnoque eorum numero interfecto, reliquis, neque ſui colligendi, neque conſiſtendi facultatem dabimus.

F

Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.

Stare.

STare, Hebraicum liquidius קום kum, ſurgere. Eam hoſtium futuram ruinam, atque interitum, vt amplius ſurgere non poſſint. Cõfringam, Græcum ἐκθλίψω, elidam, delebo, obliterabo, de medio tollam. Fons אמחצם emchazen, cædam eos, vt vertit Hieronymus, Contrucidabo, mactabo. Ante pedes noſtros ſtragem eorum videbimus, per eorum corpora pergemus.

Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti omnes inſurgentes in me, ſubtus me.

Supplantaſti.

SVpplantaſti, Græcum συνεπόδισας, impediſti, impeditos feciſti. Hebraicum verius, & vehementius תכריע tacria, incuruaſti, vt vertit Hieronymus, Corruere feciſti, ut caderent autor fuiſti. Nam me, meoſque milites virtute armaſti, militibus meis animos dediſti. Singularis militum meorum fuit virtus. Erant numero quidem inferiores noſtri: ſed virtute, quam tu dediſti, longè ſuperiores. Qui contra nos in acie conſtiterãt, bellum nobis indixerant, vt lupi rapaces aduerſum nos impetum fecerant, ante oculos noſtros corruere feciſti. Hęc omnia vt ſuperiora, non per præteritum, ſed futurum.

Et inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.

DIxerat ſuperius, Supplantaſti, nimirum, corruere feciſti. Dixerat item inimicos in fugã coniectos: nunc quoque ſimile quid, Inimicorum dediſti dorſum, nempe, Magiſtris interpretãtibus, terga eos vertere nobis coegiſti, feciſti vt nobis terga darẽt. Dediſti mihi dorſum inimicorum. Quapropter oratio rectius diſponenda eſt. Non enim dicendum, Inimicos

A meos, ſed inimicorum meorum, quemadmodum diuinus interpres tranſtulit. Hebraica item vox ערף oreph, ſonat dorſum, ſonat item ceruicem. Dediſti ceruicem inimicorum, quorum ceruibus nos imminebamus, inſequentes eos, nobis terga obuertentes, eoſque ita præcipites egimus, vt nuſquam fuga deſiſterent. Non magni refert quòd in fonte ſit per primam perſonam אצמיתם azemithem, Delebo eos, redigam ad internecionem eos, qui me odio habent. Hoc melius Græcè ἐξωλόθρευσας, ad internecionem redegiſti, quàm diſperdidiſti.

Diſperdidiſti.

Clamauerunt, nec erat, qui ſaluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.

TAmetſi religionibus vanis dediti eſſent, at vel Deum verum, inſtigante natura, quod his plerunque accidere ſolet, quos aliqua calamitas abſorbuit, inuocauerũt, eius opem implorauerunt: aut certè Deos illos ſuos minimè propitios, nihil exaudientes inuocauerunt.

Interea ad templum non æquæ Palladijs ibant.
Crinibus Iliades paſſis, peplumque ferebant.

Palla, ſeu veſtis fœminea, Mineruæ ſacra.

Sed verus Deus, quoniam ſic meriti eſſent, preces eorum contempſit, paſſus eos à rege pio profligari, ac deleri.

Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.

EX conſuetudine diuini poematis, bis dicit idem diuerſis nominibus, altero, alterius vim B illuſtrans. Comminuere, delere, puluerem, lutum platearum. Nam poſtremum verbum delere, Hebraicè eſt, attenuare, comminuere אריקם arichem, conteram, fruſtillatim cædam eos. Puluis ante faciem venti. Vento flante, coorta tempeſtate, turbine puluis ita diſſipatur, vt neſcias quò abierit. Sic deletur exercitus impiorum. Lutum autem platearum conculcatur, comminuitur. Itaque nulla metaphora potuit extrema ſceleratorum pernicies clarius decantari. Delectatur ſæpius hoc poema ſimilitudine pulueris: Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terrræ.

Delebo.

Lut. Plat.

Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput gentium: populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi.

COntradictiones, clarius Græcè ῥύσημε ἐξ ἀντιλογίας, Liberabis me ex contradictione ſeu controuerſia populi, per vnicum numerum, licet Hebraicè ſit multus. Non ſentit autem controuerſiam exterorum populorum, ſed ſui. Id claret ex libris Regum illic canitur is hymnus, diciturque, Ex contradictionibus populi mei. Contradictionem, ſiue controuerſiam ſentit autoribus Hebræis, coniurationem Abſalonis, itemque coniuratos in perniciem eius cum Saul. Erat contradictio, nempe controuerſia, ciuile bellum, diſſidium, diſſenſio, ciuilis tumultus, ſeceſſio populi. Hos Deus ei conciliauit. Propterea duas ſubijcit ſententias, ſe conſtitutum ſedato tumultu, ducem, Regem, principem, vltro ſuffragijs eorum electum. Tum populum, quem non agnouiſſet, qui alieno in ipſum animo eſſet, ei ſubiectum fuiſſe, manus ſupplices tetendiſſe, vltro pacem petijſſe, ſeſe ad pedes eius proieciſſe.

C In auditu auris obediuit mihi: filij alieni mentiti ſunt mihi.

IS carminis ordo: In poteſtatem meam, inquit, redacti ſunt, atque ita ſuccubuerunt, ut deinceps imperata facere non recuſarint, nec amplius rebelles extiterint. Quod autem ait, filij alieni mentiti ſunt mihi, etſi multiplex ſit explanatio, plurimum tamen arridet Auen Eſra, apparuiſſe uanam, falſam, minimè ueram hoſtium iactationem, inſolentiam, cùm latius, inflatiusque multò, res ſuas efferrent. Itaque mentiti ſunt, nimirum, mendaces conuicti inania locuti, uanitas deprehenſa. Rerum ſuarum tenuitatem uerbis amplificabant. Gloriabantur uno ſe prælio copias Hebręorum cum Rege, ſuperaturos. Mentiti ſunt igitur mihi, quod clarius Chaldęus, Mentiti ſunt קדמי cadamai, ante me, in conſpectu meo, in oculis meis. Eſt exemplum ſenſus huius ex alio Pſalmo: In multitudine uirrutis tuę, mentientur tibi inimici tui. Nimirum, mendaces, uani, inaniter glorioſi conuincentur. Sciendum tamen uerbum Hebraicum כחש cachas, duos ſenſus reſonare, quem nunc propoſuimus, mentiendi. Alter eſt minui, atteri, extenuari, inareſcere. Is ſignificatus, etſi à nullo poſitus eſt, poſſet huic loco ſubeſſe, propterea, quod ſubijcit, ut ſolitus eſt, ſimile. Filij alieni inueterati ſunt, duobus uerbis eodem ſenſu repetito. Primum eſt, יכחשו iecachaſu, extenuati ſunt, uel extenuabuntur. Alterum יבלו ibboblu, ueteraſcent, defluent.

In aud. aur obe. m.

Filij alieni mentiti ſunt.

Mihi.

Mentiti ſunt.

Filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

INueterati ſunt, ut dixi, fons יבלו ibbolu, diffluent, ueteraſcent, abſumẽtur. Quod dixit, Claudicauerunt à ſemitis ſuis: eſt ויחרגו ממסגרותיהם Veiachiregu mimiſghe rothehem. Eſt multiplex expoſitio, propter uerbi polyſemum. Verbum Hebraicum charag, per litterarum metatheſin,

Inueterati ſunt.

Claudicarũt à ſemitis ſuis.

eſt chagar, ligauit, ſtrinxit. Hãc ligationem, Hebræi ſecuti ſonum vocis Chaldaicæ, quæ deſignat horrere, pauere, ſiue claudicare, exponunt timorem, pauorem. Secunda vox miſgheroth, ſonat ligamenta, vincula, conſtrictiones. Has Hebræi ſentiunt turres excelſas, loca fugientibus, ac victis apta, quo ſeſe à fuga recipiant, abdant, claudant, ob id clauſtra vocata. Eſt igitur iuxta Magiſtros ſenſus: Et claudentur in vinculis ſuis. Si liquidius exprimas, quod ijdem faciunt, dicas, Et pauebunt à clauſtris ſuis: vel, In locis his tutiſſimis, quo ſeſe receperant, timebunt, formidabunt. Clauſtra igitur illa, vel vincula, Auen Eſra per aliam illuſtriorem vocem interpretatur, ארמונהים armonehem, palatia eorum. Et Chaldæus בירנתהון biranthehon, arces eorum. Hoc declarans Rabi Dauid, Præ timore, inquit, ſicut folium fluent, tabeſcent: atque in his locis, quibus ſe clauſerunt, formidabunt. Pauebunt letali timore. Hanc interpretationem prior Auen Eſra adhibuit. Hunc quaſi ſenſum vidit, & expoſuit etiam diuus Hieronymus. Et contrahentur in anguſtijs ſuis. Anguſtias, clauſtra, loca illa interpretare, quibus ſe clauſerunt, ad quæ pauore ſoliciti confugerũt. Verbum claudicandi, quod Sept. poſuerunt, à nonnullis minimè reiicitur. Superiora patent. Græci lõgè alia reſpiciunt. Liceat cuiq; per anagogias vagari, modò verborum ſenſus prior innoteſcat.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Viuens. Viuit dominus. VIuens in ſacris litteris, ſummi Dei proprium nomen, cuius ſit vera, legitimaque poſſeſſio, vita, nullo ei largiente, ſed ab eo quidquid vbique vitæ eſt, profluente, ipſo fonte vitæ. Sicut, inquit, filius eius, miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Hinc vetuſtiſſimi, ijdemque ſapientiſſimi Græcorum, nomen Dei ſummi Iouis, à vita deduxerunt ἀπὸ τῆς ζωῆς, ζῶς, qua vel ipſe viuit, vel quam largitur animantibus. Exclamat igitur Vates iam beneficiis commemoratis: Viuat Deus, ſit benedictus, exaltetur. Sit nomen eius ſempiternum, numen æternum: omnis ſeculorum vetuſtas cernat hanc gloriam. Vt eſt viuens in ſempiternum, ſic cupio, ſic precor. Quas enim alias grates poſſit perſoluere mortalis Deo? Nomen quoque **Benedict. Baruch.** benedicti pollet idem, atque viuentis. Benedictus eſt is, in quem omnia bona confluunt, Hebraicè ברוך baruch, quaſi affluens, exuberans vt baracha, piſcina, fons exuberans. Itaque baruch, eſt quaſi fontalis, profluens, inundans, fęcundus, Græcè refertur ad ſermonem εὐλογητός, de quo multa bona dicerę conuenit, ſed non dicerentur, niſi poſſiderentur. Benedictus igitur eſt, qui laudes, virtuteſque omnes poſſidet. Eodemque tendunt Hebraicum, & Græcum. Hæc Deo tribuentes, diuitias maieſtatis eius prædicamus, laudibus eius, animos, & ora complemus, multa virtus, multus honos recurſat, hærent infixi pectore vultus. **Deus ſalutis meæ.** Deus ſalutis meæ, Hebraiſmus, Deus ſeruator meus, autor ſalutis meæ.

Deus qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me.

Dare vin. DAre vindictas, ab Hebræis exponitur, Qui das, vt poſſim ex inimico ſanguine ſumere pœnas, iniurias vlciſci ab inimicis illatas, vt hoſtes vlciſcerer, poteſtatem dediſti. Quod ait, Subdis populos: pro Græco, ὑποτάξας, Qui ſubdidiſti, eſt Hebraicum וידבר vaiaadber, Qui congregas populos. Id quoque tranſtulit Hieronymus, Qui congregas populos ad me. Et **Subdis populos ſub me.** Hebræi, quod ea vox eſt inſolens, alia clariore manifeſtant, מנהג mincheg, congregas, ducis. Subiciſti, inquit, mihi populos, ad me aggregaſti. Multorum populorum quaſi me paſtorem dediſti, ποιμένα λαῶν.

Ω λαοί τ' ἐπισετράφαται· καὶ τόσα μέμηλε
Cui populi addicti, qui tot res mente gubernet.

Deuictas gentes ad me aggregaſti,
Quàm variæ gentes, habitu tam veſtis & armis.

Liberator meus de inimicis meis iracundis, ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

NOn parcit laudibus, eloquentiæve poeticæ, cunctas acclamationes, prædicationesq; cõgerens, nuncque ſubiectas gentes commemorans, nunc hoſtem longè infeſtiorem ſibi, cuius crudelitatem diuino beneficio vitauerit, proponens, inimicos, iracundos, barba**Iracundi.** ros, crudeles. Sunt Hebræi, qui ſentiant Saulem, turbamq; ſequentem, qui in eum impetu facto conſurrexiſſent. Atque, vt ait Rabi Dauid, non ab inſidijs eorum modò, & crudelitate me liberaſti, verumetiam longe plurimum ſupra eos, me extuliſti. Hunc exitum habuit eorum crudelitas, vt tum nihil mihi noceret, tum viam ad ampliores laudes aperiret. Eorũdem crudelitate plurimum profeci. Multa enim numerare licet commoda, quod fecit Plutarchus, ab inimicis allata. Virum iniquum, Hebraicè virum חמס chamas, violento, ſæuo, eundem Saulem tacitè deſcribi teſtantur ijdem Hebræi, nec mihi diſplicet.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo pſalmum dicam.

Cõfitebor.

In nationibus.

Conſiteri, ſæpius oſtenſum, Hebraicè eſſe verbum Græcorum ᾄδειν, canere, vſurpatum à Græcis ex Hebraica dialecto. Hebraicè hoc loco אודה ode, cantabo, concinam, à verbo הודה hada. Vox quoque Græca oda, ex Hebraico ſermone venit ad Græcos, vt vides. Canere igitur Poetarum eſt, qui ſuorum carminum initia auſpicantes, ſemper pollicentur ſe cantare. Homerus in hymnis vbique ἀείσομαι, cantabo, canam: ἔρχομ' ἀείδειν, Aggredior canere. Itaque & diuinum poema, quod vbique vetuſtiſſimi Græcorum vates imitantur, cantabo, canã, quoties eſt in pſalterio Latino confitebor. Vim vocis huius eſſe quam dixi, declarat quod ſequitur, Et pſalmum dicam. In nationibus autem, nimirum gentibus deuictis, Reſonabit hoc victoriale carmen, quo gratias ob victorias partas ago, in omnes gentes. Is arcus triumphalis erit, hæ columnæ rerum geſtarum imaginibus inciſæ. Pſalmus autem, eſt hymnus.

Magnificans ſalutes regis eius: & faciens miſericordiam chriſto ſuo, Dauid, & ſemini eius vſque in ſempiternum.

Magnificare ſalutes.

Regis ei⁹.

Miſericor.

Chriſto ſuo.

Magnificare ſalutes, mirabiles ſalutes, atque prodigioſas attuliſſe. Quantò grauiora pericula fuiſſent, tantò fuiſſe mirabilius hæc vitaſſe. Tantam hominum multitudinem à paucis fuiſſe ſuperatam, atque deletam, quid aliud, quàm cæleſte fuiſſe beneficium? Diuinæ autem naturæ ſolitos curſus excedunt. Regis eius, potius regis ſui, quem Deus regem deſignaſſet, appellaſſet. Miſericordiam Hebraicè חסד cheſed charitatem, beneficium. Hinc chaſida, ciconia, benefica, miſericors, plena charitatis, vt fama eſt, Chriſtũ ſuum, Hebraicè, Meſſiam ſuum, vnctum ſuum. Sacerdotes, atque reges vngebantur, non minus regnum ſacrum, ac ſanctum, vetuſtiſſimis opinantibus, atque ſacerdotium. Hinc apud priſcum, eundemque veteri ſapientia redundantem, Homerum, ſæpius de regibus eſt, ἱερὸν μένος ἀλκινόοιο, Sacra maieſtas Alcinoi. Vaticinatur quoque manſuram poſteritati in perpetuum eandem dignitatem.

PSALMI XVIII. EXPLANATIO.

Lamnazeach.

In finem.

Carmen triũphal.

Cantoris.

Titvlvs pſalmi iuxta Hebræos eſt, למנצח מזמור לדוד Lamnazeach pſalmus Dauid. Diximus autem, ſupradictam vocem varijs modis ab interpretibus efferri. Nam eam Septua. interpretes reddunt, εἰς τὸ τέλος, In finem. Alij dicunt deſignarecarmen triumphale, ſicut Aquila & Theodotio vertere ſoliti ſunt: quos ſequitur vbique Hieronymus. Alij מנצחים menazechim dicunt cantores fuiſſe, qui à vincendo, & à tollenda ſuper cæteros voce, appellarentur: debetq́ue ſupradicta vox per genitiuum proferri; vt quemadmodum dicitur, Le Dauid ipſius Dauid ſic lamnazeach, id eſt, eius cantoris, aut catmen canentis, eoq́; modulatu utentis, qui dicebatur menazeach.

Mnazeach.

Dauid.

Nezach.

In finem.

Omnino Mnazeach cantor erat, qui diuerſo quodã modulatu pſalmos canere ſolitus eſſet. Ideoque ferè, omnibus pſalmis titulus is præfigitur. Duobusq́ue autoribus pſalmi ferè inſcribuntur: ipſi Dauid, & ipſi Mnazeach. Huic tanquam canenti, & voce ac modulatu pſalmum proferenti, illi tanquam autori pſalmorum. Eſt autem נצח Nezach, uox polyſema, ſignificans modo æternitatem, modo uictoriam. Primum ſignificatum ſequuntur LXX. ſed reddunt in fine, quod in æternum ſignabat, Secundum ſequuntur cæteri omnes, tã Hebręi, quam Græci, hanc uictoriam ipſius, de quo pſalmus canitur, interpretantes. Hebræi ad uocem canentium, magnoq́ue clamore exultantium referunt. Quod & Chaldæus ſequitur, & uero propius uidetur. Obſeruatum quoque à doctiſſimis apud Græcos uiris eſt, quoties pſalmus non præferat in fronte argumentum, pręclarum aliquid, & aut rem diuinam, ipſumq́ue meſſiam, aut altiſſimam philoſophiam complecti. Itaque & hic pſalmus caret argumento, ex quo intelligimus eo præclaram ſapientiam eſſe comprehenſam. Atque eum duobus ſenſibus poſſe intelligi, non ſolum uariæ ipſorum interpretum ſententiæ oſtendunt, ſed ipſe pſalmus aperte docet.

Anagog.

Allegoria.

Ac Græci & Latini omnes ferè ſenſum anagogicum ſequuntur, duce atque autore Diuo Paulo, qui locum ex iſto pſalmo citans, In omnem terram exiuit, &c. docuit eum eſſe ſecundum alium ſenſum intelligendum, quàm ad litteram. Ideo ſcriptores, cęlos, Apoſtolos interpretantes, omnem pſalmum in eos referunt. Non poteſt quidem, nec debet tolli pſalmorum ſenſus allegoricus, ſed attendenda prius eſt littera, & uerborum pondus conſiderandum, ne ex uerbis male intellectis, diuerſę ſententię opinioneſq́ue ſequantur. Relicto igitur ſenſu allegorico, conſideremus quid à propheta dicatur.

Cœli cõſt.

Anaxag.

Ac quoniam hunc pſalmum celebris apud Hebræos expoſitor Auen Eſra dicit eſſe נכבר מאוד ualde inſignem, ac nobilem. Explorare cauſam neceſſe eſt, cur hoc illi ſit uiſum, Nulli enim ſapientes, rerumq́; ſcrutatores fuerunt, quibus non diuina, atq; admirabilis uiſa ſit cæli conſtitutio, ex qua potiſſimum, qui Deum claris agnoſcere oraculis non poterant, naturam aliquam diuinam eſſe exiſtimabant. Ac ueteres tantam eſſe cæli uenuſtatem putarunt, ut illi diuinitatem tribuerint. Et apud Tullium diſputans Balbus, ex ordine cæleſti colligit, & affirmat naturam Dei. Anaxagoras natum ſe eſſe dixiſſe fertur, ut cælum ſuſpiceret, unde Deum cognoſceret. Hoc ergo & uates hoc loco fecit, ut in admirationem cæleſtis ordinis defixus, non more imperitæ vetuſtatis lapſus fuerit ut arbitraretur eã eſſe naturam diuinã: ſed

Abraham generis autorem ſequutus, intellexit ex eo ſapientiam creatoris cæli, clamauitque, ex D eo gloriam potentiamq́ue Dei fieri celebrem, ac manifeſtam. Sed quoniam multa ſunt alia quæ ſunt cælo louge meliora, ne ſolum cœlum admirari videretur, & ex eo ſapientiam bonitatemq́; diuinam prædicaret, propoſuit aliud lõge diuinius atque admirabilius, cultum, legemq́; Dei eam videlicet ſapientiam, quæ Deo reddat homines ſimillimos. Quod longè pulchrius eſt, ac ſpectabilius, quam ſuperius. Atque illud bonum corporeum eſt, & ad vitam corpoream ſuſtinendam, alendam, fouendam repertum: pietas, ſapientiaq́; diuina, ad viuificandos animos. Quoniamq́; ex bonis quæ accepimus à Deo, in conſiderationem diuinæ ſapientiæ & bonitatis deuenimus, multo magis vocamur ad id ex ſapientia, legeq́ue diuina lata mortalibus, quàm ex cælo: ſicut ex ſapientia euangelica plus admiramur bonitatem ſeruatoris, quàm ex ordine cæleſti, reperto quidẽ & illo ad hominum vtilitatem. Duas igitur res admirabiles ac clariſſimas habet mundus, alteram corpoream, cęlum, ordinesq́ue cæleſtes: alteram ad animos ſpectantem, legem diuinam. Has igitur prædicat hoc loco diuinus poeta, cuius eò eſt admiranda ſapientia, quod poſteaquam de pulchritudine cæleſti dixiſſet multa, mox ad explicandam aliam maiorem pulchritudinem tranſit, legis diuinę: Solitus idem etiam alijs pſalmis facere. Nam cum dixiſſet: Domini eſt terra, & latitudo eius: mox ad celęſtia, & ad ſapientiam vitamq́ue animorum properauit. Quis aſcendet in mõtem domini? Itaque & is pſalmus habet tres partes, prędicatur primo ſapientia diuina ex ordine cęleſti. Secundo prędicatur eadem ex ſapientia, quam largitus ſit hominibus Deus, eaq́ue multis verbis commendatur. Tertio præ ſe fert vates appetentiam iſtius ſapientię, oratq́ue ob id vt delictis ſuis ignoſcatur. Vides ex his quantò præſtet hæc theologia, profanę theologię: cùm illa cœlum admirata fuerit, ſed conditorem cæli non omnino cognouerit: hęc & creatorem cæli, & maius bonum, quàm ordines cęleſtes, viderit. E

COeli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Proſopop.

TRALATIO eſt, quæ dicitur Hebraicè mashal, & quam Græci vocant προσωποποιΐαν quoties rebus inanimatis. ſpiritum, vocem ſenſumque damus. Sic cùm cęlum ſit inanimatum, datur illi ſenſus ac locutio, quemadmodum, Montes exultabunt a conſpectu domini; &, Exultabunt omnia ligna ſyluarum: &, Sion dicet, & Monteſque feri, ſylueq́ue loquuntur, & id genus multa: creberrimaq́ue eſt in ſcripturis proſopopęia. Nec putes, vt Baſilius quoque in Hexameron admonuit, cęlos ideo eſſe animatos, quia dicantur hoc loco, narrare gloriam Dei. Quod opinatus eſt hoc loco Rabi Moſes Aegyptius, ad placita philoſophorum videlicet trahens ſcripturas. Sequeretur enim etiam montes eſſe animatos, quia exultare, ac laudare Deum dicãtur. Maximus autem is apud Gręcos iudicatus eſt error. Eadem proſopopęia dat propheta ipſi cęlo loquelam, ac vocem, vt hanc eorum vocem, qua gloriam Dei prędicent, & oſtentent, nulla ſit natio quam non exaudiat.

Cęli Shamaim.

Cęli autem, שמים ſecundum linguam Hebraicam, numero multitudinis proferuntur, ſingulari numero nunquam, an autem vſus lingue ſit, an ſacramentum, vt non diffinit Hieronymus ſuper Eſaiam, ſic ego non pronuncio, poteſt enim eſſe lingue conſuetudo, ſicut Athenæ, Thebę, Piſę, tenebrę. Rurſus cælos fortaſſe dicere Hebraicus ſermo maluit, vt molem totam, in tot partes diſtributam, innueret.

Cælum. Cælum cæli.

Duplex eſt autem in ſcripturis diuinis cælum: vnum quod oculis, patet, ordinesq́; æternos, corporum, luminumq́ue ſuorum nobis oſtendit, qui cæli dicuntur in ſcripturis ſacris. Alterum autẽ quod dicitur cælum cæli, vel F cæli cęlorum. Vt quemadmodũ Sancta ſanctorum, locus erat ſanctiſſimus, ſacerrimus, ad quem ſoli ſacerdoti patebat acceſſus: ſic item Cęlum cęli diuiniſſima, optatiſſima, abditiſſima, ac ſuprema cęli pars, habitatio Dei, & Angelorum, diuinorumq́ue animorũ. Quod ſignificat repetitio, ſicut Rex Regum. vbi quod in caſu nominandi ponitur, pręſtat ei quod ſequitur.

Ariſtotel.

Hinc Ariſtoteles ille, etiam iſtarum litterarum ignarus, ſed non ignarus naturę, & arcanis eius non aſſuetus, duplicem cęli naturam non ignorauit, cum de cęlo diſſerens, primum dixit cęlum appellari quod claritate ſui oculos mortalium compleat, alterum ſupremum quoddam & à motu iſtius quod videtur, diſiunctiſſimum, extra anni, ſolisq́ue vias lunęq́ue labores, in quo dixit eſſe beatiſſimos colonos, qui extra tempus poſiti, omne ęuum illic feliciſſimè viuant. Tam igitur illud cęlũ inuiſibile, quam iſtud viſibile, narrant, prędicant, vociferantur gloriam Dei: cęlum viſibile, nobis, inuiſibile, diuinis animis. Sed multo magis illud cęlum maieſtatem prędicat diuinam, ibi uera, ac magna Dei poteſtas, & claritas, & ipſo opere luceſcit, & vocibus habitantium celebratur. Illic viuæ voces exaudiuntur, quas ſi & ipſi exaudire poſſemus, inenarrabili voluptate afficeremur. Narrant igitur cæli noſtri, gloriam Dei; prędicant, oſtentant, quãtum potuerit ipſe creator, qua ſapientia, qua inueniendi, excogitandiq́ue ſolertia ſit præditus. Quę principia repetere potuerit, quibus aleret inferiorem mundum, qui totus, vt externa philoſophia prædicat, à ſuperiore pendet, ac gubernatur. Hanc ergo diuinam gloriam narrant cęli, nos autem auditores ſumus, qui facti ſumus, vt opera diuina in cęlo contemplaremur.

Vnde ipſũ authorem agnoſceremus.

Ideo Chaldęus interpres, proſopopæiam relinquens, vbi Hebraicum dicebat narrare cælos, poſuit eos quibus narratur, prædicaturq́ue à cælo, gloria iſta Dei, ſic Chaldaicè reddens Hebraica, Qui cælum ſuſpiciunt cognoſcebant

A gnoſcant gloriam Dei,& opera manuum eius annunciant quæ in aere apparent. Ac Hebræi duabus præcipuè rebus gloriam Dei ex cęlo dicunt oſtendi,Luce,& Motu,incredibili artificio compacto, qui cùm quòd duas habeat incitationes inter ſe contrarias, alteram in occaſum.alteram in ortum corpora rapieutem: tanto tamen fertur ordine,vt quod vix fieri poſſe videatur, nulla accidat vnquam perturbatio,ſemperque altera loco,ſitu, motu alteris reſpondeant. Sed cæleſtem contemplationem ex ſcriptoribus profanis potes agnoſcere,ad quos te remitto. Vbique autem ſcripturæ ſacræ ad teſtimonium diuinæ potentiæ proferunt cælum. Quoties clamat Eſaias iuxta cum cæteris prophetis? Quis tetendit cœlum pręter me? Quis fecit vt hoc ſuper omnes terras incubaret? Motus cęl.

Gloriam Dei.] Gloria quæ Latinè dicitur vox hominum incorruptè iudicantium,lauſque conſentiens bonorum, & Græcè δόξα. quaſi exiſtimatio, & altus ac magnus de quare ſenſus. Hebraic. כבוד quaſi grauitas,valor,vis. Chaldaicè hoc loco & vbique יקרא pretioſitas, ſic enim ſonat. Hæc,inquam,gloria id propriè eſt,quod intus,& extra ſubſtantiam diuinam exiſtit. Intus quidē, quòd in caligine diuinitatis ſuæ pelagus habet bonorum,infinituſque rerum optimarum,præſtātiſſimarumque theſaurus in arcanis eius deliteſcit,omnium rerum fontes & origines. Ibique perfectiſſimo modo ſunt cuncta ac longè plura,quæ quocunque modo ſubſiſtentia apud nos,admiramur. Atq; ille eſt verus ac maximus mundus,illa vera vniuerſitas,cuius vt profanę quoque litterę ſenſerunt,ſolum perfecta celebritas ac fama apud ſemetipſam eſt. Proinde ſummum eius bonum,infinitaque voluptas, eſt in cognitione claritatis ſuæ. Huius interioris gloriæ, quæ ſoli ſibi eſt perſpicua & perfecta,quidam quaſi radij tunc claruerunt, cùm mundus creatus eſt, & nos B ſcintillas quaſdam vaſtæ & infinitæ gloriæ illius cognouimus. Hæc gloria Dei exterior duabus maximè rebus,quas hoc carmine diſſeruit vates,innotuit luce corporea,& incorporea:id eſt,cęleſti luce, qua corporeus mundus, & vita temporaria ſuſtinetur:& altera luce, quæ & ipſa venit de cælo, ſed illo vero optimo perfectiſſimoque cœlo: vt ita duæ luces ſint, ſicut cæli duo. Dico autem ſapientiam diuinam, qua tenebræ animorum diſcuſſæ fuerunt. In quo mirabiliter claruit gloria Dei: id eſt,& ſapientia eius,& alia quædam incommemorabilis virtus communicandi terris ſapientiam, cuius proprium erat in cęlo domicilium. Gloria igitur Dei, id eſt claritas, pretioſitas, nobilitas eſt duplex, interior, & exterior. Interior ipſi ſoli nota: exteriorem, ac quaſi radios illius, vidimus ipſi in cælo, longè autem magnificentius inclaruit, cùm ſapientia cæleſtis miſſa fuit è cælo. Hinc cæli ſurſum, ac deorſum enarrant gloriam Dei. Gloria. Kabod.

Enarrant.] מספרים participium eſt verbi grauiſoni, ſecundæ coniugationis, ſicut mephachedim. Deſignatque vox, narrare, ſcribere: vnde ספר ſepher, ſcriptura, vel liber, vel epiſtola. Signat quoque numerare, vt ſaphirot, id eſt complexus numeri, numerationes. Abrahæ dicitur, חבט נא השמימה וספר הכוכבים אם תוכל לספר אתם Suſpice quæſo cęlum, & numera ſtellas,ſi potes numerare eas. Ergo proprius vocis ſignificatus eſt cenſere, & quod Græcè καταλογειν, quaſi deſcribere, ac multa narrando comprehendere. Tale igitur facit cœlum, non vnam Dei nobis oſtentat virtutem, ſed penè innumerabiles, quot quaſi in eo ſidera fulgent. Narrat ſolertiam inueniendi tantam molem, docet quanta ſit in Deo excogitandarum rerum poteſtas. Recenſet mirabilem prudentiam, qua tantas luces mirabiliter, & lumine, & ſitu, & motu diſtinxit. Qualem artem excogitauit, qua vita hominibus perennem ſuppeditaret. Denique quod omnium eſt maximum, narrat eius incredibilem bonitatem, ac benignitatem, quod largiri hæc cęteris voluerit,quod tam amicè bonis,ac vitæ mortalium conſuluerit. Quod cùm id pręterire citra culpam atque omittere poſſet, maluit tamen exequi, & creauit cælum, ex quo non modò in cognitionem, & venerationem diuinitatis ſuæ non venturos homines ſciebat: ſed gloriam etiam ſuam. & cultum daturos operi quod creabat,& blaſphemis & luce indignis, lucem ſe creare cernebat Qua in re mirabilis apparuit clementia & bonitas eius, cum ſumma poteſtate & ſapientia coniuncta. Has, & alias innumeras, quaſi catalogum,narrant cœli Dei virtutes. Quæ coniunctæ dicuntur gloria eius. Ideoque rectè Deo glorioſos à philoſophis vocatur. Enarrant. Excogita.

Dei.] Hebraicè אל El. cùm multa ſint nomina diuina in ſcripturis,omnia diſtinctos proprioſq; ſignificatus habentia: Vnum verò eſt nomen El, quod poteſtatem, fortitudinemque deſignat. Rectè igitur poſitum eſt hoc loco, quo de ſumma poteſtate Dei fit ſermo, quaſi cantaret Vates, Cæli enarrant gloriam fortis, ac potentis. Hic enim maximè claret eius infinita poteſtas. Denotat igitur El, fortem, ac potentem. Quod video etiam Abraham apud Hebræos obſeruaſſe. ואמר אל להודיע כח dixit autem El, vt indicaret poteſtatem eius. El Dei.

Et opera manuum eius.] Primùm corrigendus eſt locus, vt pro opera, legatur opus. Sic enim Hebraicè מעשה mahaſehe, cuius pluralis numerus eſt mahaſoth. primumque eſt hoc loco. Græcè verò ποίησιν, Septuaginta verterunt. Quare, extra omnem controuerſiam eſt, locum vel à librariis eſſe permutatum; aut interpretem, quiſquis fuit, (non enim Hieronymus fuit) maluiſſe ſibi, quàm veritati ſatisfacere. Legendum eſt autem Opus, vt appareat non de cæteris operibus, ſed illo eximio, quod deſcribere propoſuit, eſſe ſermonem. Hoc igitur eſt eximium opus manum Dei, quod in omni opere diuinis conſilis extructo, tenet principatum. Nec dubitauerim aſſerere, per proſopopœiam dari manus Deo, hoc loco, ſicut locutio datur cælo,montibus Opera. Hierony. Manuum.

èxultatio, lætitia ſyluis. Non ſecus enim caret manibus Deus, atque illa locutione, voce, ac ſenſu. D Cùmq; proſopopœia ſit adhibere illic ſpectabilem perſonam, vbi non ſit, Deus autem membris, & viſibili forma non ſit obuolutus, finguntur à nobis illi manus, cæteraque membra tribuuntur. Id autem priuata quadam conſuetudine fit in ſcripturis ſacris, in cęteris ſcriptis non item: niſi quaſi poeticè, quale facit Homerus. Cuius figuræ, à figuris ſcripturæ ſacræ hoc differunt, quòd promiſcuè bonos ac malos affectus, & omnia corporis membra, Deo ſuo attribuit: ſcripturæ tantum eos affectus, qui ſint meliores, culpaque vacent, & eas corporis partes, quibus vires ac facultates inſint: vt manus, brachia, aures, oculos, nares. At quaſdam partes inertes, ac ſegnes, ac turpes, non ita inuenies in ſcripturis Deo adiudicari, Priores igitur quoties adiungere

Proſopopœia.

Deo ſcripturas videbis, ſcias eſſe proſopopœiam. Hæc figura multis fit rationibus: in vniuerſum quidem cùm datur perſona, non habentibus: priuatim cùm vel rebus inanimis, vel animatis quidem, ſed ratione carentibus, aut vtroque pollentibus, ſed corpore carentibus. Illud item ſcire operæpretium eſt, in mentibus à corpore ſeparatis, quod de Deo præcipue verum eſt, non quidem ſenſus, ſed facultates quaſdam ſimiles, maioreſque ſenſibus ineſſe. Non viſum, non auditum, ſed quaſdam audiendi, videndique accerrimas facultates, virtutemque admirabilem. Sic neque manus, eandem tamen facultatem, quam in corpore noſtro manus obtinent. Omneſque noſtræ facultates, quæ in organis inſunt corporis noſtri, integerrimæ, ac validiſſimæ, maximeq; vegetæ ſunt in animis, ac mentibus ſeparatis ſine organis. Has ergo quoties memorant ſcripturæ ſacrę, exprimunt quidem eas, nominibus rerum noſtrarum, quo poſſint intelligi facilius: ſa-

Manus Dei.

pientibus autem verior ille ſenſus relinquitur. Igitur cùm audis manus Dei, intellige tantam vim, ac poteſtatem, quanta creare tam vaſtam molem, tot luminibus diſtinctam, tanto tamque E conſtanti motu inſtructam potuerit.

Opus.] Pro opera legemus opus, vt diximus. Habent ſcripturæ, ſicut & reliquæ litteræ, ac linguæ, ſuas loquendi priuatas formas, ac tropos. Quemadmodum igitur Poetam dicentes, Græci Homerum, Latini Vergilium κατ' ἐξοχὴν intelligunt ſic talia multa ſunt in ſcripturis. Ex his præcipue eſt, quod dicitur ab Hebræis opus: Bereſcith, id eſt ſex dierum. Nam quanquam multa ſunt opera Dei, vnum eſt præcipuum opus, quod in ſex dies à ſcriptura partitur. Hoc ergo præcipuè dicitur opus, quod ſex illis diebus perfectum eſt. Quod certe fuit mirabiliſſimum non ſolum quòd excogitatum, ac editum tale fuit ab autore: ſed quia prouiſum eſt ab eo, vt idem eſſet ſemper, quale fuit in exordio: magnæ enim prudentiæ, ſolertiæque extitit, & certe tantum diuinæ, opus tale effeciſſe, quod eſſet maxime diuturnum, atque extra ſenium, ſemper in eadem iuuenta, eodemque flore, eiſdem ſemper ordinibus, motibus, luminibuſque incedentibus. Conſideraq; (nam præcipuè de cælo loquitur Propheta, ſub quo terrena clauduntur) conſidera, inquam, quantum illi ingenium fuerit, quod cùm omnia ſeneſcere, ac deficere videamus, cœlum tamen ita ab eo effectum eſt, vt neque lumina eius ſenio hebetentur, neque motus luxentur, neque moles liqueſcat, ac tabeſcat, vt animalia arbores, lapides, montes, littora, maria. Opus ergo illud totum, dicitur opus Bereſcith, in quo primò cælum fuit creatum, idque inter creaturas corporeas tenet principatum, generalis cauſa viuentium ac origo. Et, vt Euſebius de euangelica demonſtratione ait, πρῶτον ἁπάντων οὐρανὸν ἐγέννα, δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ τοὺς τῶν μελλόντων ἔσεσθαι δημιουργικοὺς λόγους ὑφιστάμενος, καὶ τὰ σπέρματα δὲ τῆς τῶν ὅλων συστάσεώς τε καὶ διοικήσεως ἐν αὐτῷ καταβαλλόμενος. Primum omnium, inquit genuit cælum, per ipſum & F in ipſo rerum futurarum opificas omnium, rationes, inchoans, & ſemina gignendarum rerum ſubicijens.

Annunt. Firmamẽt.

Annuntiat firmamentum.] Quòd ait annuntiat, etiam proſopopęia eſt. Porrò, quòd ait firmamentum, duabus rationibus poteſt exponi: Aut enim repetitio eſt eius quod ante dixerat, quæ loquendi forma apud prophetas eſt vſitatiſſima, vt ſæpe idem verbis diuerſis inculcent: præcipue Eſaias, & Pſalmi, idque eloquentiæ maieſtas exigit, quod hi qui apud Græcos ac Latinos grauiſſime loquuntur, vſurpant: Aut diuerſa dicit. Poteſt enim eſſe primum, quod idem ſit cęlum, ac firmamentum, & idem enarrare, atque annuntiare. Poteſt item inter ea plurimum differre: firmamentum igitur vocatur Hebraicè רקיע rachia, cęlum dicitur שמים shamaim. Quarum

Rakia, cęli.

vocum ſi quæras etymologias, rachia deſignat effuſionem, expanſionem, porrectionemq;. Cælum dicitur, autoribus Hebræis, shamaim, quaſi eſmaim, id eſt, ignis & aqua: ex his enim duabus rebus videtur cæli conſtare natura, quòd in lumine & calore, & perſpcuitate eius cernitur, quæ facultates ſunt, ac proprietates ignis & aquæ: Idque perhibere ſcripturæ & ſcriptores videntur. Rachia vero dicitur effuſio, expanſio, vt primum nomen ſignet ſubſtantiam, ac natu-

Rachia, cęlum.

ram, hoc autem ſitum ac poſitum, modumque ipſius corporis. Quòd enim cęlum circumplectitur terras, omnia tanquam veſtis circuntegens, hoc expanſio Hebraicè vocatur. Ac tale quiddam videtur is etiam cogitaſſe, qui apud Græcos cælum vocauit οὐρανὸν, quaſi ſupremam omnium rerum metam, extremum quaſi inuolucrum, amplexum, ac marginem omnium rerum. Vocantur tamen Hebraicè effuſiones, id eſt rachiæ, omnia elementa, quorum idem eſt ſitus, & amplexus, atque ipſius cæli, ſe inuicem amplectentia, ac circumtegentia, qui actus Hebraicè dicitur effuſio, expanſio. Hac de cauſa, quòd firmamentum Septuaginta ſunt hic interpretati, Chaldæus vertit אוירא auera, aerẽ:quod Abrahã ſequutus, docet, in aerem imprimi cæleſtia bona, & ab aere in terras deſcendere. Nam lumen, ac calor à cælo quidem deſcendunt, ſed niſi aer vehiculum luminis & caloris intercederet, neque videri quicquam, neque de cælo calor vllus manare in terras potuiſſet. Propterea, ne bis idem videretur dictum, non firmamentum, ſed aerem, hi duo ſunt interpretati. Rabi vero Salomon, Rachia, cælum intelligit, quippe quòd ita in Geneſi ſit appellatum. Et appellauit, inquit, Deus, firmamentum cælum. Omnino Rachia vocatur omnis elemẽtorum ſitus. Quippe & terra dicitur effuſa, vt Eſaiæ capite quadrageſimo quarto נטה שמים רקע הארץ Extendẽs cælum, diffundens terram. De aqua igitur, & aere etiam prædicari hoc nomen poteſt. Hunc ſitum cæli atque elementorum, expreſſerunt quidem Sept. voce Gręca, ſed non eodem modo. Nam in cælo, ac terra, & amplexus ipſe eſt, atque diffuſio, tanquam vaſtiſſimorum corporum: vt, Iacuitque per antrum, fuſus humi: & ſtabilitas ſitus & corporum. Primum deſignat vox Hebraica, ſecundum vox Græca στερέωμα, quæ aut ſoliditatem corporis cęleſtis, aut ſitus ſtabilitatem deſignat. Vtrunque narrat gloriam Dei. Quo loco contemplare quæſo, quid tibi Vates dicat. Tale hoc eſſe miraculum, tale tantumque portentum, firmamenti eodem in loco ſemper reſidentis, vt hoc ipſum dicat atteſtari operi diuino. Eodemque modo ſubiecit hic opus Dei, ſicut ſuperius gloriam: illic dicens, à cælis doceri, narrarique gloriam Dei: hic firmamento annuntiari opus eius. Vt ergo cælum, atque firmamentum ſunt idem, ſic idem opus manuum eius, atque gloria. Opus igitur Dei, eſt gloria eius, quæ prædicatur apud nos à cælo duobus modis: quòd corpus ſit luminoſum, conſtans ex igne & aqua, & incorruptibile, & quòd firmamentum eſt, id eſt vel expanſio terras deſuper circunquaque complectens, vel ſtabile eodem modo perſiſtens. Refertur igitur & à ſacro iſto Poeta, & à cæteris diuinis ſcriptoribus, tanquam miraculum, quod diffuſum ſit circunquaque cęlum. Et Athenagoras apud imperatores de poteſtate Dei diſputans: Illud, inquit, maximum, acceptiſſimumque ſacrificium arbitramur, ἂν γινώσκωμεν τίς ἐξέτεινε τοὺς οὐρανοὺς, καὶ συνεσφαίρωσε, Si percipiamus, atque animo cogitemus, quis tetenderit, effuderitque cælum, & in orbicularem formam contraxerit. Ac maximum miraculum eſt, ſi rem funditus perpendere velimus, cælum à terris ſublatum, corpus vaſtum, & vt credere neceſſe eſt, ſolidum, tanta eſſe ſtabilitate, vt perinde illic vbi eſt, conſiſtat, ſicut ſolidiſſimis naturaliſſimiſque radicibus ſubnixa eſt terra. Vt quemadmodum impoſſibile eſt, quod profanus quidam philoſophus dixit, ſi vel concilium Deorum congregetur, vel digitum propelli poſſe terram: ſic cælum putandum eſt ſedem habere firmam, & cui poteſtate Dei ſit ſitus pro natura. Ac cogitare debemus, cęlum velut alteram terram ęternis radicibus, ac baſibus fundatum: eodem prorſus miraculo, quo medio pendentem in aere terram, admiramur. Quarum rerum ratio partim poteſt aſſignari, partim inexplicabilis eſt. Nam cùm ad rem ipſam ventum eſt, putamus naturæ lege eſſe factum, vt hunc ſitum res tantæ habuerint: ſed cùm nobiſcum altius cogitamus, nec primis duntaxat motibus acquieſcimus, vlteriuſque tendimus reputando, tum vero obſtupeſcimus, tum exclamat animus, O ſingularem, inauditam, incomprehenſibilem diuinæ ſapientiæ, ſcientiæque profunditatem. Cælum igitur exerta voce clamat, teſtatur gloriam Dei, quòd firmiſſimo in loco tanta ſoliditate conſiſtat, vt hoc ſit natura eius: Tum eam quoque iactat vocem, creatoris ſui vociferans potentiam, quòd tanquam tectum, ac cortina cooperiat, ambiatque terras: aut, quòd tanta ſit ſoliditate roboratum, vt vel ipſum ſuperet adamantem. Neque enim putes eſſe aliam cauſam, cur omnium viſibilium rerum, ſolum cęlum non corrumpatur, nullamque à tempore labem patiatur, quàm quòd habet duriſſimam, ſolidiſſimamque compagem, & tantam corporis firmitatem, vt omni corruptioni reſiſtat: nullaque res eſt cœlo ſolidior, vt nihil eſt incorruptibilius. Omnibus igitur reſiſtit temporum iniuriis, multò validius, quàm omnibus fertur ictibus adamas obſtare. Hinc appellatum eſt à veteribus firmamentum, ſiue ſoliditas, vt Gręca vox ſonat, & Homerus veterum opinionem ſequutus cælum vocat πολύχαλκον, quaſi multipliciter æreum, ferreum, ſolidiſſimum, pluſquam æs: vt materiam cæli indicaret, eſſe ęre multipliciter ſolidiorem. Hoc igitur mirabile fuit, ac prodigioſum, talem feciſſe ex rebus corruptibilibus compagem, quæ non eſſet corruptibilis. Non verebor autem, nec grauabor proferre, quid loquatur ſuper hac re doctiſſimus Theodoritus in libro de prouidentia, qui ſimilia quædam de cælo conſiderans, ſic locutus eſt: Ἀλλ' ὅμως καὶ παθητὴν ἔχων καὶ φθαρτὴν οὐσίαν, ἔμεινεν οἷός περ ἦν, τῷ τοῦ πεποιηκότος κατεχόμενος λόγῳ. ὁ γὰρ δημιουργήσας αὐτὸν λόγος, συνέχει, καὶ κατέχει, καὶ τὸ σταθερὸν αὐτοῦ καὶ ἑδραῖον, μέχρις ἂν θέλῃ, χαρίζεται. τούτου χάριν τοσούτου πυρὸς περὶ αὐτὸν ὀχουμένου, ἡλίου φημὶ καὶ σελήνης, καὶ τῶν φωστέρων ἐν τοσούτοις ἐνιαυτῶν κύκλοις, οὔτε τήκεται, οὔτε ξηραίνεται, οὔτε ἐμπίπραται. ταύτας γὰρ, τοῦ πυρὸς ἡ φύσις τὰς ἐνεργείας ὑπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐδέξατο. χρυσὸν μὲν καὶ ἄργυρον, καὶ σίδηρον, καὶ χαλκὸν, καὶ μόλυβδον καὶ κασσίτερον, καὶ πίτταν, καὶ ὅσα τοιαῦτα τήκει καὶ διαλύει, καὶ ἐς τὴν ῥοώδη μεταφέρει φύσιν, πηλοὺς δὲ καὶ τὰ τελματώδη τῶν ὑδάτων ξηραίνει τὸ ὑγρὸν δαπανῶσα: λίθους ίψει, καὶ τὸ στερέμνιον αὐτῶν ἀφαιρεῖται, καὶ τὴν στερεωτάτην φύσιν ἀποδεικνυσι κόνιν, ξύλα δὲ καὶ χόρτον καὶ κάλαμον ῥαδίως ἐμπίπρησιν. ἀλλ' οὐδὲν τούτων ὁ οὐρανὸς ὑπομένει. οὐ τήκεται γὰρ αὐτοῦ τὸ κρυσαλλῶδες τοσαύτῃ οὔσῃ τοῦ πυρὸς τῇ οὐσίᾳ οὐδὲ λημαίνεται τῇ λειότητι, οὐ δὲ χαλαρὸν ποιεῖ τὸ σφαιροειδὲς αὐτοῦ σχῆμα, ἀλλ' ἣν ἐξ ἀρχῆς ἔλαχε στάσιν, ταύτην εἰς τέλος διαφυλάττει. ὁ γὰρ στή-

Soliditas Cęli.

σας αὐτὸν ὡσεὶ καμάραν, καὶ διατείνας αὐτὸν ὡς σκηνὴν, κατοικεῖσθαι, τὰς ἐναντίας φύσεις εἰς φιλίαν συνήγαγε καὶ οὔτε τοῦ πυρος ἡ φύσις ὑπὸ τοῦ πλήθους σβένυται τῶν ὑδάτων. οὔτε τὸ κρυσαλλῶδες ἢ ἀερῶδες ἢ νεφελῶδες, οὐράνιον σῶμα τῇ τοῦ πυρὸς οὐσίᾳ πλείσῃ οὔσῃ τήκεταί τε καὶ διαφθείρεται, ἀλλ' ἐγγειτόνων ἀλλήλοις οἰκοῦντες τὰς πολεμικὰς κρύπτουσιν ἐνεργείας, καὶ τῷ τοῦ πεποιηκότος λόγῳ πεισθέντες, τὴν δι' ἑνὸς φιλίαν ἐσπάσαντο. καὶ ταῦτα ἄψυχα ὄντα, καὶ νοῦν κυβερνήτην οὐκ ἔχοντα, ἀλλὰ ὅμως μένει τὸν ἐξ ἀρχῆς ὅρον φυλάττοντα, κυβερνᾷ γὰρ τὴν φύσιν ὁ ποιητὴς, καὶ οὐ κατέλιπεν ἀκυβέρνητον ὃς πεποίηκε σκάφος. Id eſt, Sed enim cum corruptibilem, mutabilemque ſubſtantiam ſit ſortitum, ſemper tamen eſſe perſeuerauit, quale fuit à principio, ſuſtinente ipſum opificis ſui verbo, à quo veluti creatore regitur, & continetur, eiqúe ſtabilitatem, atq; immutabilitatem dat quoad voluerit. Itaque tanto Solis, ac Lunæ, cæterorumq; aſtrorum igne, tot annorum curriculis apud ipſum ardente, non diſſoluitur, ac contabeſcit, neque imflammatur. Cùm tamen ignea natura eam vim ab opifice fuerit ſortita, etenim aurum & argentum, & ferrum, & æs, & plumbum, ac ſtannum, picem, & id genus omnia ignis in naturam liquabilem diſſoluit. Cœnum, & lacus, ac ſtagna humorem eorum abſumens exiccat. Lapidem perfracta eorum duritie, comminuit, & ſolidiſſimam naturam redigit in puluerem. Iam ligna, & fęnum, & calamum nullo negotio incendit. Horum nihil patitur cælum. Non diſſoluitur à tantis ignibus, quibus ardet glacialis eius natura, non nocet eius æquabilitati, ac lenitati, neque deſtruit fluereque facit formę rotunditatem. Nam, qui ipſum tanquam cameram fixit, & vti tentorium diffudit, contrarias inter ſe naturas ſociato fędere, congregauit: vt neque natura ignea ab aquarum copia extinguatur, neque cęleſte corpus, quod glacialis, & aeria, ſiue nubifera natura eſt, à copioſiſſimo igne inflammata liqueſcat: ſed proxima ſibi degentia inimicas non edunt operationes, opificiſque voluntati obſequentia coniunctiſſime degunt: Idque inanimata rectriceq; mente carentia. Et manent, metas illas in exordio datas cuſtodientia: Gubernator enim eſt naturæ, creator eius, nec quam ipſe fecit nauiculam, deſtituit. Hæc ille. In quibus cùm multa ſint præclara, tum verò expreſſum teſtimonium, non habere cœlum mentes, quemadmodum corpus humanum, gubernatrices: ſed regi à creatore ſuo. Quod idem in principio Eſaiæ in interpretatione ſua confeſſus eſt. Videant ergo noſtri Latini, qui ſæpe Ariſtotelis decreta æquo pertinacius defendunt, quid vetus illa Græcorum ſapientiſſima Theologia ſenſerit. Sed hæc veluti notiora hic taceantur. Iob quoque, qui antiquiſſimus eſt, non diſſentit ab Homero de cęli ſoliditate capit. 37. Tu forſitan, inquit, cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. Obſeruabimus quoque non appellari in ſcripturis firmamentum octauam ſphæram, quæ Græcè dicitur ἀπλανής: ſed totam cęli viſibilis compagem, omneſq; globos, quotquot exiſtant. Nam in Geneſi dicitur, Poſuit ea in firmamento, ac de ſtellis, Sole, Lunaque eſt ſermo. Sol autem, & luna, non ſunt in firmamento.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

Eructauit. PRimum omnium, verborum proprietas manifeſtanda eſt. Eructare verbum, in lingua Hebraica creberrima locutio: Eructabunt labia mea hymnum; Eructauit cor meum verbum bonum: ſignificatq; ſic vocem proferre, vt fontes perpetui fundunt aquam; perenniſq; oratio, ac ſermo proprie eo ſignificatur. Verbum eius in prima coniugatione eſt, נבע nabah manare, profluere, in tertia ſignificat hoc ipſum in altero effectum id eſt, cùm efficit, vt fluat, manet. **Indicat ſcientiam.** Quod autem dixit, Indicat ſcientiam Hebraicè יחוה manifeſtabit, annunciabit: Deſignat ergo perennem cęli locutionem, teſtimoniumq; diuinę poteſtatis. Primum igitur obſeruandum eſt, hoc quoque loco eſſe proſopopęiam: datur enim locutio diei, ac nocti ſicut ſuperius cęlo, & ſicut manus Deo. Vbique igitur ſeruat hanc figuram, ſicut & quæ ſequuntur, indicant. Tanta igitur eſt in cęlo conſtantia, tanta in diebus ac noctibus ſimilitudo, vt altera pręnuncia ſit alterius, & quę ſequatur, eadem ſit atque pręcedens. Nullus eſt error, in omni cęleſti illo agmine luminum, ęquatis ordinibus totus incedit exercitus. Oritur ſol, atque occidit, & quod hodie fecit, faciet cras. Nocturna ſydera, eadem cras apparebunt, eodem in loco, ac ſitu quo prius. Nihil ibi erroneum, nihil fallax, ac fabuloſum, nulla deprauatio, & exorbitatio: veluti ſi ab auriga prudentiſſimo moueatur, eiſdem ſemper veſtigijs, in ſua terga reuoluitur annus. Eademq; hæc admirati ſunt cæteri poetę. Claudianus.

Nam cum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi.
Præſcriptoſque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri

Sydera. Nec aliud dicitur hoc loco a patre, quàm quod filius Salomon de tempore philoſophatur. Quid eſt, inquit, quod hodie factum eſt? Ipſum quod fuit heri, Oritur ſol, & occidit, & flectitur ad aquilonem. Nihil fit nouum ſub ſole. Hocque non ſolum de rebus humanis eſt certiſſimũ, ſed multo magis de ipſo cęleſti motu, & æquabilitate curſus eius. Laudant ergo cęli gloriam Dei, præcipue in hoc tanto ordine, tanta dierum, ac noctium conſtantia. Nam quoniam ſimilitudinem

nem ex rebus humanis aſſumpſit reſpice ad ea in quibus certus ſit ordo: ſemper ex præcedentibus audimus ac cognoſcimus, quæ poſt ſequentur, vt illa iſtorum dicamus eſſe prænuncios. Antecedit peſtilentiam fames, idque vſu comprobatum eſt: famem diceremus Hebraicè, eructare, verbum peſtilentiæ, id eſt pro peſtilentia futura loqui. Antecedunt cometæ, graues calamitates, diceremus eos loqui ac quaſi præfari pro malis illis. Terræmotum antecedit νηνεμία, ventorum tranquillitas, quaſi ante ambulo & præco. Sed multo certiora, ac veriora hæc ſunt in illo ordine, cęleſti, vt altera poſt altera, mirabili, conſtantiſſimoque ordine eadem ſubſequantur, eademque omnium quotidie fiat reſtitutio. Hancque ſimilitudinem clarius intelligemus, ſi proprietatem ſermonis Hebraici accuratius conſideremus. Nam cùm dicit, Dies diei eructat verbum: non eum habet ſenſum, quem forte ſuſpicamur, vt dies loquatur diei, & nox nocti: ſed alium longe veriorem, qui ex ipſa proprietate ſermonis colligitur: יום ליום. Dies inquit ipſi diei, id eſt, dies pro altero die loquitur: Sic nox pro altera nocte: vt ordo & ratio, qui in hac die eſt, nuntius ſit alterius diei ſequentis. Ac præcedentes dies quaſi anteambulones, ac præcones ſint ſubſequentium. Hoc autem dicitur, vt ordo cæleſtis ac conſtantia oſtendatur. Sic cùm dicit, & nox nocti indicat ſcientiam: id eſt, Nox pro altera nocte præbet teſtimonium, nox dat ſcientiam alterius noctis, datque indicium, ac quaſi cognitionem, vt ex vna poſſis ſcire alteram. Eadem eſt illa cæleſtis ſemper reſpublica, iidem magiſtratus operantur eadem munera, non vt res humanæ, quæ ſemper fluctuant, nec ex primis intelligere poſſumus in particulari ſubſequentia. Cæteræ quoq; res terrenæ ſemper mutantur, ſemper vacillant, nihil ſtat: ſolum illic eſt (de corporibus loquor) æterna eademque ſemper ordinum facies. Neq; vero, vt ipſe arbitror, colligenda eſt hinc aſtrologia, vt ex conſtantia ſiderum, detur Aſtrologis vnde ſcientiam certam aucupari potuerint. Potius enim hoc ad aſtronomiam ſpectat. Comprehendit igitur hoc ordinem totius anni. Dicitur enim de ſingula quaque die, ac ſingula quaque nocte, ex quibus totus annus conficitur. Ex diebus igitur dies, & ex noctibus noctes cognoſcuntur, ſicque nihil noui fit in eo ordine, quod de vniuerſali cæli motu intelligendum eſt, non his quæ in aere generantur.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

HOrum verborum varius eſt ſenſus. Reddamus autem Hebraica ad verbum, vt ſint clariora. אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם Non eſt locutio, neque verba, vt non audiatur vox eorum. Hieronymus ſic reddidit. Non eſt ſermo, & non ſunt verba, quibus non audiatur vox eorum. Primus igitur ſenſus quem expreſſit Hieronymus, quemque plures ſequuntur, talis eſt, vt dicat, Nullam eſſe linguam, ac gentem, quæ non exaudiat illam vocem cælorum, teſtimoniumque illud, poteſtatis, ſapientiæque diuinæ. Vbique, inquit, reboat vox illa cæleſtis, omnibusque claret locis, incorruptus ordo, acies pulcherrima ſyderum. Tanta eorum eſt, tam clara, & certa iſta atteſtatio, vt apud omnes gentes ſit notiſſima. Hunc ſenſum oſtendunt ea, quæ ſequuntur.

In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

SAepe enim eadem à prophetis, diuerſis verbis repetuntur. Alter ſenſus quem & Chaldæus propoſuit, & Hebręi aliquot comprobant, eſt: Declarat enim Propheta quaſi proſopopęiam, eamq; enodat: Dixi, inquit, cęlos narrare gloriam Dei: dixi firmamentum annuntiare, ac teſtari operi diuino: dixi diem de die, noctem de nocte ventura, dare mortalibus ſcientiam: cæterum non fit voce, iſta annuntiatio, ac exclamatio. Nam neque vox eſt cęlis, neque ſermo & alloquium, neque exauditur vlla eorum vox: ſed, In omnem terram exit ordo harmoniaq; eorum. Sonus.
Quo loco attendendum eſt, quòd vbi Septuaginta reddiderunt, ὁ φθόγγος αὐτῶν, ſonus eorum: Hebraicum habet, קום ordo eorum, vel harmonia, aut moderamen, normaque eorum. Et Aquilas pro ſono, poſuit ὁ κανὼν, regula, linea. Quibus conſonè Chaldæus tranſtulit, In omnem terram exiuit מתח עניניהון methac hinianehon, extenſio, vel ductus corporis eorum. Hoc igitur cum Hebraic. habeat, reſpondet ei quod ſuperius eſt poſitum: oſtendit enim quam habeant cæli vocem, quam illis ineſſe denegauerat. Vbique, inquit, tractus cæleſtis patet, omnem implet mundum eorum Harmonia, non illa inquam Pythagorica, ſed illa quæ ſine vocis dulcedine, dulciſſima, ac temperatiſſima eſt. Hunc ſenſum, vt dixi, ſequuntur Hebræi: Siquidem Abraham, Ecce, inquit, vates prædicat, Viſu corporeo, ac viſu mentis interiore, ac ſapientia, cognoſci veritatem vocis cæleſtis, commemorauit enim non eſſe cælo, os, veluti humanum. Sic ille. Habes igitur alterum ſenſum; Ego vtroque locum intelligi poſſe crediderim. Quoniamque diximus pro eo quod Septuaginta tranſtulerunt φθόγγος αὐτῶν, ſonus eorum, in Hebraico haberi chauam, id eſt tractus eorum. Hoc ſciendum, videri eos legiſſe, pro eo quod nunc habet Hebraicum, קום kauam, eandem vocem, appoſita vna littera Lamed, quam ſi addideris ſuperiori dictioni, ex kauam efficies קולם cholam, id eſt, vox eorum. Idque etiam habet pſalterium Hebraicum Hierony. licet Hebræi iuxta priorem lectionem interpretentur. Id quoque videtur comprobare lectionem Chauan.

Septuaginta,

Verba eor.

Septuagin. quòd ſtatim addit: Et in fines orbis terræ verba eorum, vt aliquid quod ad vocem ſpectaret, videatur ante dixiſſe. Poſſet igitur fortaſſe vtrunque defendi. A me neque alterutrum improbatur, neque alterum ſolùm defenditur. Nam & diuus Paulus citat locum iuxta editionem Sept. certiſſimum autem eſt, non multum variare ſenſus, etſi non conueniant verba. Et fortaſſe maluerunt dicere Septuaginta, Sonus eorum, etiam ſi legerent kauam, vt ſeruarent eandem vbique tralationem ſermonis, ac locutionis, quæ datur cælo. Rabi igitur Salomon ſic iuxta lectionem Hebraicam exponit, Tractus cęlorum, qui per faciem vniuerſæ terræ diffuſi ſunt, ex quo in fines terræ verba eorum pertinent, quia omnes loquuntur mirabiles res, quas in cęlo cernunt. Ex hoc habes, quomodo ſit intelligendum, Et in fines orbis terræ verba eorum: ea videlicet verba, atque ſermones, qui de ipſis à mortalibus dicuntur.

Orbis ter.

Orbis terræ.] תבל Thebel, quod nomen ad amuſim reſpondet Græco οἰκουμένην. Siquidem Hebræi ea voce dicunt ſignificari quicquid terrarum vbiq; habitatur. Atque Abraham quoq; iuxta Rabi Salomonem exponit, voces, ac verba, quæ de cęlo ab omnibus iactentur, licet poſſis item voces ipſorum intelligere cælorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: Exultauit vt gigas ad occurrendam viam.

Sol.

Tabernaculum.

Manichæi.

PRimum verior lectio eſt demonſtranda, quam non poſſumus non mirari Septuaginta non fuiſſe ſecutos. Eſſet autem longe mirabilius, niſi ſciremus pleraque eos, ab Hebraico diuerſa tranſtuliſſe, & id demonſtrare vbique Græcos cæteris collatis editionibus, apud Latinos ſæpiſſimè Hieronymum. Igitur Hebraicum non dicit: In ſole poſuiſſe tabernaculum. Quis enim is, eſt, cùm neminem antè niſi cælos commemorauerit? De quo etiam poſſumus ſuſpicari dictum, cuius poſitum ſit in ſole tabernaculum? Quæ etenim res eſt, quæ habeat in ſole tabernaculum? Verà igitur lectio ſic habet, לשמש שם אהל בהם Soli poſuit tabernaculum in ipſis. Quæ eò quoque comprobatur, quòd ſic legit, & vertit Hieronymus. Manifeſtuſque eſt ſenſus, datum eſſe Soli à Deo tabernaculum, ſiue ſedem in cęlo. Nam cùm propoſuerit declarare gloriam Dei ex opere cęleſti, plura primum de cęlo in vniuerſum prædixit. Quoniamque nihil eſt in eo pulchrius, admirabiliuſque ſole, hunc præcipuè, cæteris omiſſis ſideribus, celebrauit. Omnes enim fatentur, Solem eſſe regem planetarum, à quo ſuperiora, inferioraque ſydera, ſi quidem medius eſt, ſi Aſtrologis credimus, illuſtrantur. Vaſtiſſimum quoque eſſe ſolem cæleſtium corporum, perhibent Hebræi. Et vt ait Ptolemæus (neceſſe eſt enim his teſtimoniis vti) ab eo tota inferiorum rerum vita dependet: ipſe Ver, Aeſtatem, Autumnum, Hyememque efficit. Hunc igitur præcipuè, Propheta commemorat, eique ait dediſſe Deum in ipſis cælis tabernaculum, id eſt ſedem, ac ſtationem firmam, ac ſtabilem: Defixa enim eſſe ſuis orbibus aſtra certis rationibus eſt probatum, & Hebræi hoc loco fatentur. Ea igitur eſt cæli claritas, quòd illic ſit Sol, oculus mundi, gloria corporum cœleſtium, quem Homerus quaſi & ipſe admiratus, διὸς τέχος, Iouis filium dixit: quem Plato & Iulianus ſunt ſequuti. Quòd autem dicit Tabernaculum, more humano locutus eſt, pro ſede, ſtatione, poſitum. Inſulsè igitur Idololatricam opinionem Manichęi hinc aucupati fuerant dicentes, Filium in ſole poſuiſſe tabernaculum ſuum, eoque Solem venerabantur: Lucemque inuiſibilem, & inacceſſibilem aſſerebant à patre, à filio habitari. Quare verior lectio manifeſta eſt, nam & Chaldæus eodem modo legit, Soli poſuit habitationem lucidam ac nitentem in ipſis. Hinc de Sole multa, tanquam præcipuo in cælo ſplendore loquitur.

Et ipſe tanquam ſponſus.] Loquitur de ortu Solis, ſimilitudoq; eſt a rebus humanis, ſponſus decorus eſt, circumamictus auro, lætiſſimo vultu, radiante alacriq; aſpectu, iuuenis, nitet vnguento, & purpura. Qui cùm è thalamo exeat (exit autem ſingulo quoque mane) ſurgens è ſtrato, omnium in ſe oculos atque ora conuertit. Talis eſt Sol, cùm mane terris quaſi è cubili ſurgens, illuceſcere cępit: nihil illo lætius videre oculi poſſunt. Ac poetæ quoque fingunt dormire Auroram, ac Solem, dicentes,

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Tanquam.

Parem ſimilitudinem videtur vſurpaſſe Vates, licet fabuloſitas ſubtracta ſit, quod addiderit tanquam, non proprietatem, ſed comparationem oſtendens. Poetæ quoque potius ad vulgarem opinionem, quàm veritatem, talia fingunt. Chaldæus ergo etiam ſimilitudinem explicuit, ſic vertens, Et ipſe in Aurora prorumpens, emergit tanquam ſponſus, cùm egreditur de thalamo ſuo. Hinc poetæ veluti à re pulcherrima ac lætiſſima, maximèque delectabili, ab ortu Solis principia auſpicantur. Homerus:

Ηέλιος δ' ἀνόρουσε λιπὼν, περικαλλέα λίμνην,
Οὐρανὸν πολύχαλκον. id eſt,
Sol ſurgit linquens formoſas æquoris vndas

In cęlum ſolidum. Hæc igitur gloria eſt, quam narrant cęli, quęq; in omnes terras eſt diffuſa, quòd Sol circumuagatur orbem, noctes atque dies efficiens, & quæ triſtiſſima luce, & aſpectu eius carentes fuiſſent, terras lætiſſimas efficiens.

Exultauit vt gigas.] Plura ſunt hoc loco admonenda: Primùm, quòd hæc pars periodi, cum ſuperiore coniungenda eſt, vt ordo orationis declarat, vt dicas: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt Gigas ad currendam viam. His enim duobus partibus, vnus ſenſus duabus ſimilitudinibus ſignificatur. Secundò admonendum eſt, aliud eſſe nomen Gigantis, ac fortis. Sępe autem obſeruauimus, Septuaginta fortem interpretari Gigantem, vt Geneſ. cap. 10. pro eo quod nos iuxta Hebraicum legimus, Iſte cœpit eſſe potens, Septuaginta tranſtulerunt, οὗτος ἤρξατο ἔιναι γίγας, Iſte cępit eſſe Gigas. Nomen ergo fortis, eſt גבור ghibor, nomen Gigantum, נפילים Nephilim, & רפאים Rephaim. Deinde pro, Ad occurrendam viam, legimus iuxta Hebraicum לרוץ ארח, ad currrendam viam. Quanquam ſic habent emendatiores codices Latini. Denique quoſdam Latinos codices emendabimus: in quibus, pro exultabit, eſt, exultauit: cùm Hebraicè habeat ישיש Græcè ἀγαλλιάσεται, exultabit. Comparat ergo Solem hominibus, non omnibus quidem, ſed ſponſo, & forti. Sponſo quòd ſic ex thalamis quibuſdam Sol videatur prodire cęleſtibus, ſicut è ſuo ſponſus ſingulo quoque mane. Forti autem propter aliam ſimilitudinem, non admodum diuerſam, fortes præliantur, fortes ineunt pugnas, agiles corpore atque expediti ſunt. Nulla in illis cunctatio, alacres pugnam capeſſunt, alacres ad bellum proficiſcuntur. Talis inquit, eſt Sol, cùm Oceanum linquit, ſimilis eſt ſponſo, cùm cęleſte carpit iter, ſimilis eſt forti, nulla in eo cunctatio, nulla defatigatio. Hinc Homerus ſolem dicit ἀκάμαντα, id eſt, indefatigabilem. Hocque illud eſt ingens ęternumque potentiiæ diuinæ teſtimonium, quòd cùm Sol ſit corpus vaſtiſſimum, tantaq; inciratione impulſum, vt nuſquam tota natura, ſit maior, velociorq; commotio, attamen non defatigatur, non atteritur perpetuo impulſu. Eadem rapitur ſemper vertigine, vt ne momentum quidem ex illa, nec atomum è corpore decedat. Cuius nullã vnquam poterimus ipſi afferre ex his, quas habemus notas rebus, rationem, niſi ad potentiam ipſius autoris recurramus. Rectè autem dixit, Ad currendam viam, quòd non inceſſus, vt dixi, ſed potius curſus rapidiſſimus ſit illorum corporum. Ad currendam viam dixit, eundo, rotando ſeſe.

Gigas.
Ad cur. via.
Exult.
Sponſus.
Fortis.
Sol, ἀκάμας, laborē non ſentiens.
Ad cur. via.

A ſummo cœlo egreſſio eius: & occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

PRimum quod in ſuperioribus fecimus, de proprietate vocum agendum, & editio cum fonte conferenda, vt ſit clarior expoſitio. Sept. quorum eſt pſalterium hoc, quod nunc in eccleſiis canitur, ἄκρον, ſummum reddiderunt, quod Hebraicè קצה finis terminus: quod ipſi paulò ante tranſtulerunt πέρατα, In fines orbis terræ. Et quod ſignabat circuitum, ac reuolutionem, Hebraicè תקופה, verterunt, κατάντημα, occurſum. Itaque clarior eſt Hebrai. lectio. Quid enim intelliges, cùm dicitur, occurſus eius? cui enim ſol occurrit? Ac thekupha ſignificare circuitionem, ac reuolutionem, patet ex ipſo verbi ſignificatu. Ducitur enim à koph, reuoluit. Et pro hac voce, Chaldæus poſuit סופי finem. Hiero. quoque pro eo tranſtulit, curſus. Et Rabi Dauid interpretans hanc vocem, ponit loco eius סבובו circuitionem eius. Pſalmi igitur cùm quaſi poeſis ſint, diuina (inquam) poeſis, perinde ſe aſpectui humano accommodant, vti profana ſæpe poeſis. Ac (vt ſolent dicere poetæ) Solem ex vndis emergere, quòd Oceanum, finem eſſe terrarum ſit vulgaribus perſuaſum: ſic propoſuit hic propheta ſimilem quendam ſenſum, vulgaribus accommodatum, qui cùm videant cælum, vndequaque terras circumplectens, finiri in Orizonte, hoc exiſtimant illic eſſe finem eius. Aſtronomi quoque ſe huic aſpectui accommodantes inuenerunt Orizontes, id eſt, finitores, qui proprij cuique regioni ſunt, vbi finiri cęlum oculi corporei cernunt. Orizontem igitur & ipſe Vates hic commemorauit, eodem appellans eum vocabulo, quo Græcè nuncupatur ὁρίζων. Ab orizonte dicit aſcendere Solem, & curſu obliquo, ac reuolutione, & gyro vt vox ſonat, reuertit ad ipſum orizontem. Quemadmodum Salomon de Sole ſcribit: Gyrat, inquit, ad meridiem & voluitur ad aquilonem, tendens videlicet verſus occaſum, & ſub terras luſtrans eas partes, quę ſunt aquiloni, ſeptentrioniq; contiguę. atque hæc ſolis rotatio ex ventis quoq; percipitur, cùm ex ea parte venti moueantur, in quam ſol flectitur, meridiemq; eo obtinente, eteſiæ perflant, veſpere, ab occaſu Zephyri ſpirant. Hæc igitur eſt gloria Dei, & inexplicabile ſapientiæ ſuæ teſtimonium, quòd curſum ſolis obliquum temperauit, vt ſibi ſuccederent ęſtates atq; hyemes, & omnes terræ, caloris, ac lucis eius eſſent participes. Quòd ſi ęqualiter à cardinibus diſtantem ſectam illi præcidiſſet, futurum erat, vt æſtas eſſet nulla, nulla frugum maturitas, tum bona pars terrarum, quę videlicet ab illo ſolis tramite longius receſſiſſet, fuiſſet inhabitalis: appellatusq; eſt is circuitus iure ζωοφόρος, quod hinc viuant omnia. Ortum igitur ſolis, & motus indefatigabilem velocitatem, tum curſum eius obliquum deſcripſit, in quo ſumma prouidentia, gloriaque Dei apparuit. Extrema igitur cæli, ſiue orizontes, etiam ſumma vocantur Græcè. Ideo Euſebius loquens de diſcipulis, qui per omnem terram fuiſſent vagati, ait tertio de euangelica demonſtratione, exponens quaſi hunc locum, τινὰς δὲ ἤδη, καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς οἰκουμένης ἐλθεῖν τὰ ἄκρα, ἐπί τε τὴν Ἰνδῶν φθάσαι χώραν καὶ ἑτέρους ὑπὲρ τὸν ὠκεανὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας βριτανικὰς νήσους, Quidam etiam ad orbis terrarum extrema, & Indorum vſque terras peruenerunt, alij vltra oceanum penetrarunt in eas inſulas quæ Britanicæ dicuntur.

Summum.
Occurſus.
Orizō, finitor circulus.

Nec eſt qui abſcondat ſe.] Hæc illa eſt mirabilis atq; incomprehenſibilis, omnipotensq; ſapientia, quòd ignem in cælo accendit,à quo calor viuificus dimanaret,qui in omnes terras ſeſe ęquè diffunderet:vt nulla ſit natio,nullæ tam abditæ,diſſitæque terræ,quæ non ſint illius participes. D Vide quam viam,atque artem inuenerit omnium creandarum, alendarumque rerum. Quæ cùm ſuapte natura ſegnes,tenebricoſæ,frigidęque eſſent,calorem,qui eas foueret, animaretque, neceſſarium excogitauit.Sed quoniam nimius quoque calor, perinde allaturus erat perniciem, ſicut ſi nullus affuiſſet,inflammare totum cęleſte corpus, flammiferumque vt ſolem, efficere non decuit.Vnam igitur tantum rem igneam in cælo conſtituit, quæ ita & magnitudine,& incitatione,& diſtantia eſt moderata,vt nihil niſi decorum,atque vtile ex ea in terras deſcenderet. Datus eſt igitur motus,vt calorem,ac lucem ad omnes perferret, ne ſi immobilis fuiſſet,vnum modo hemiſphęrium illuſtraret : & interualla dierum ac noctium quibus terræ animaliaque recreantur, deeſſent:Tum ne caloris magnitudine omnia concremarentur. Cum igitur vnica ſit in cælo lux ac calor, prouiſum eſt ſapientiſſimo quodam conſilio, vt omnes terræ, eius eſſent participes. Teſtatur ipſum Moſes, cum dicit cælum cunctis gentibus eſſe diſtributum,id eſt, calorem cęli, ac lucem. Atque is ipſe calor, tametſi non ſit vbique æqualis,nemo eſt, qui non eius ſentiat afflatum vitalem. Et Abraham teſtatur talem eſſe calorem ſolis, qualis calor animantium,vt perinde ſe per totum mundi corpus intendat,ſicut ille,animalium.Ex quo nemo eſt, qui non eum ſentiat, eoque viuat,& foueatur. Ac quod dixit Græcus & Latinus interpres,Nec eſt qui ſe abſcondat,Hebraice נסתר ſublata perſona,Nec eſt,quod celatum ſit & abſconditum.Ex quo ad omnes res animatas,& inanimatas,rationales,& irrationales pertinet.Non dixit etiam, Nec eſt qui ſe abſcōdat à luce eius,quòd calor vitalior ſit,ac communior luce, magisque ad vitam neceſſarius.Multa enim ſunt animalia,quę ſine luce viuentia,ſine calore cæleſti viuere non poſſent. E Et interuallum lucis,quo ceſſant eam in totum oculi aſpicere, non ita moleſtum eſt, cùm calor, ſi penitus vel vnam horam abeſſet,exitium vniuerſale afferret.

Calor in animalib.

Nec eſt q ſe abſcōd. A calore.

Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele,ſapientiam præſtans paruulis.

HOc loco,vt principio diximus, quaſi ex abrupto, ac præcipiti curſu tranſit à terrenis ad cæleſtia,à corporeis ad incorporea,à vita mortali, ad immortalem:nec adeo in admirationem decoris cæleſtis defixus eſt, vt id multis rebus longe eo melioribus anteferret.Is,vt dixi,error veterum fuit,qui cęlum ſuſpicientes,lumina eius Deos eſſe crediderunt,eaque vt Deos coluerunt. Et ſi Platoni credimus,inde nomen Dei apud Græcos ductum eſt ἀπὸ τȣ͂ θέειν, id eſt,à currendo. Hac igitur re mirabili quidem illa,ſed tamen corporea,& ad corpora tantum pertinente,relicta;proponit aliud,ex quo gloria Dei exiſtat multo magis,quàm ex illa,clarior.Nam,vt ex illo auguraberis, tantum vitæ tuæ bonis, atque commodis Deum proſpexiſſe,ad altiorem fortaſſe ſcientiam non attingas,ſic hinc animi tui puritas vbi cōſiſtat,vbi perfecta immortalitas exiſtat, agnoſces. Ac pulcherrimo ordine inter ſe confertur decor cęleſtis,atque pietatis,ac ſapientiæ. Nam vt luce cæleſti nihil delectabilius, nihil ordinibus illis moderatius,ac certius intuemur,ſic nihil melius ſapientia & pietate, nihil moderatius, ac luculentius animus experitur.Perindeque ab ea curſus humanæ uitæ dirigitur,ac gubernatur,ſicut a cęlo curſus naturæ,qui nunquam fallitur.Vt autem ſine luce cæleſti, omnia in terris deficerent,tenebris letalibus obſcurata: ſic ſubtractis ex humana vita, cæleſtibus inſtitutis ac ſapientia,denſiſſimis tenebris animi circunfuſi,in miſerabiles errores incurrerent. F Illa igitur corpus uiuificatur,alitur: eaque duce,pedum noſtrorum ueſtigia diriguntur: hac uiuificatur animus, ducitur,gubernatur.Nauigant nautæ cælum ſuſpicientes,Cynoſuram,aut Elicen, uel ipſum cardinem oculis attendentes,uitantque ſcopulos,quos inſidioſis undis celat mare, naufragiaque euadunt:ſimiliter lucem illam diuinam inter ſaxa & ſcopulos, naufragiaque iſtius mundi contemplantes,cymbam ad portum inflectimus.Omnino doctrina cæleſtis alterum eſt cælum, alter ſol, altera gloria Dei,alterum lumen immēſum,omnibus uitam ſufficiens,omnia colluſtrans. Quod facilius intelliges,audiens quæ a propheta de ea referantur. Verborum proprietas prius ponderanda eſt. Lex, Hebraicè dicitur thorah, תורה a uerbo ירה iarah,docuit. Vnde apertius uim eius intelligemus,ſi hanc uocem transferamus philoſophiam, ſiue ſapientiam. Vt enim philoſophia apud Latinos,ac Græcos, duas potiſſimum res ſignificat, ſcientiam Dei, diſciplinamque uiuendi, ſic nihil aliud hoc nomine apud Hebræos ſignificatur. Apud Tullium ſemper cum philoſophiam appellat,morum diſciplinam cernit. Ac ſi uſquam perfecta fuit rerum diuinarum, morumque cognitio,uel in ea maxime continebatur,contineturque philoſophia, quæ erat olim penes Hebræos, nunc eadem magnum ſparſa per orbem, luce eius omnia coruſcant. Lex igitur Dei eſt philoſophia diuina. Hunc enim loquendi morem habet Hebraica dialectos, ut dicat, uirum terræ, uirum terreſtrem : uirum mendacij, uirum mendacem, ſic philoſophia Dei, philoſophiam diuinam declarat. Ac pro domino, longe maius in Hebraico ualidiusque uocabulum eſt, nomen tetragramaton יהוה IESVM, cuius ſonus eſt Iehoua. Quem ego non alium exiſtimo, atque Iouem, ut mirabiliter conſentiant,quæ dicuntur hoc loco a Vate ſacro, de lege Iehouah, atque ea quę de lege Iouis a Stoicis dicebantur, quorum uberius ac copioſius Tullius explicat

Cynoſura, vrſa minor. Elice maior. hāc Græci. illā obſeruant Sidonij, & Phænices.

Iehouah.

A explicat ſententiam,paucaque verba, vt mirabilem conſenſum agnoſcas,ſubijciam. Quid enim prohibet,quo minus eorum in ſacris litteris vtamur teſtimonijs,vbi tam bene loquantur ? Orta autem,inquit,ſimul eſt cum mente diuina. Quamobrem lex vera,atque princeps, apta ad iubendum, & advetandũ,ratio eſt recta ſumma Iouis. Ergo vt illa diuina mens,ſumma lex,item cum in homine eſt perfecta,eſt in mente ſapientis. Hęc philoſophus in Latio natus. Videbant igitur etiam illi,veram legem eam eſſe,quæ lex diuina,ac ratio mensque ſummi Iouis eſt,non leges priuatas hominum. Hac lege omnia quidem gubernantur, ſed cum primis res humanæ, quæ cùm recte geruntur,imitantur legem illam ac rationem,& voluntatem ſummi Dei. Proinde omnium ordinum ordo,ac complexus,ac corpus omnium rationum. & fons & ratio, quæ ſola ſit apta ad iubenda ſalubria, vetanda iniuſta,ſola eſt lex ſummi Dei. Quod vt Vates ſignificaret, appoſitiſſime dixit,Lex domini immaculata. Quo loco non immaculata, vt Septuaginta tranſtulerunt, ἄμωμος, dicendum eſt,ſed vt vox deſignat תמימה perfecta,completa,abſoluta. Ea enim eſt vis legis diuinæ,vt ſola ſit perfecta,atque abſoluta,ac vera ad iubendum,vetandumque magiſtra. Idque innuit Vates:& id eſt quod conſentiens dicebat Tullius. Chaldæus quoq; tranſtulit: שלימתא Quod clarum eſt, ſignificare perfectum. Eſt enim etã Hebraica vox. Plura quoq; citarem teſtimonia, ſi res in dubio eſſet. Habet autem vox duplicem ſignificatum, ſignificat enim innocentem immaculatum, & perfectum: ſed de hominibus quoties dicitur, innocentem: cum autem de cæteris rebus, perfectionem, complementum. Igitur lex illa princeps omnium, ſumma,ac moderamen rationum, & dux certiſſima, mentiſque cuſtodia fidiſſima eſt. Eaque ſola perfecta.

Immaculata.

B *Conuertens animas.*]Primum pro Animas,legemus Animam ſingulari numero, iuxta Hebraicum נפש quod & Septuaginta reddiderunt. Non video enim quamobrem opertuerit numerum permutare. Diſcrimen quidem non magnum. Conuertens autem in Hebraico dicitur, משיבה quod proprie ſonat reuerti faciens. Audi igitur quid dicat,Facit animam reuerti lex Dei. Vna enim res eſt,ad quam reuerti noſtros animos oporteat. Sed nunquam hi reuertentur, niſi quis eos reuocet,ac reducat. Verſamur omnes in magnis, ac profundis tenebris errorum, ac magna pars mortalium longius abit à recto tramite:Opiniones in contrarium nos ducunt,ac quaſi trãſuerſi à tempeſtatibus, ac procellis, quæ creberrimæ inſurgunt, iactamur. Nulla profeſſio eſt, nulla ætas,nullus ordo,ac gradus,nulla ſedes, ubi non adſunt errandi, hallucinandi mille cauſæ, à quibus à fonte noſtro, à luce, à bono deflectimur. Nec ſolum a prauis ſpiritibus, continuis bellis oppugnamur, ſed quod multo uideatur acerbius, à nobis ipſis, partim fragilitate, imbecillitateque noſtra, partim quod cum luce beata non habemus commercium, magnæque circunſtant occaſiones malorum. Neceſſe igitur eſt ad lucem, & ſtellam noſtram nos intentos eſſe, à qua dum abſuerimus,nunquam felices, (quod conditio noſtra non recipit,) nunquam ſine erroribus erimus. Vocamur autem ad hanc lucem, illa philoſophia diuina,quæ noſtros animos ad fontem felicitatis ſuæ reuocat,ad eamque ſedem firmam, ac ſtabilem appellit, in qua ſolidati, omnes impetus undecunque ruant, fortiter excipiemus. Sola igitur diuina philoſophia deuios mortales reuocat, quos miſerabiliter fragilitas a ſuo bono abſtraxit: Hæc,inquam ſola,non alia. Nam applica quocunque vis,animum, euolue innumerabiles philoſophorum libros, omnium mores ac placita diſcute,erunt quidem illi ſæpe efficaces, ſed ſæpe mœſtiſſimus deſiderabis C apud illos plurimum,vacuumque te,quadam re exoptata, ſemper inuenies. Non enim te ad fontem tuum ſiſtent, de quo vel penitus illi ignari ſilent, vel fabuloſa & indigna loquuntur,ut potius deducant,ac deflectant,quam in locũ ſuum animam collocent. Quis enim poſſit dux eſſe itineris, cuius ipſe quoque ſit imperitus,& qui duce quoque indigeat ? Nullus autem cognouit vnde natus eſſet homo,neque docere potuit,quam originem,principiumque habuiſſet: ſed augurabantur tantum,trepideque loquebantur. Ignorato autem principio, nulla res humana certa eſt,& ad tot miſerias,& peccata non naſci fuiſſet melius. Quoniam igitur ab omnibus erroribus diuina lex reuocat ad fontem, gloriamque noſtram, ad immortalitatem, ad cognoſcendos nos ipſos,nos conuertit:eam ſemper pro ſcopo habere debemus, proponere ſemper ante oculos ſpectandam,omne momentum ſuper ea meditandum. Tot enim ex ea depromentur remedia, quot morborum generibus conflictamur. Conuertetque a vijs confragoſis,atque exitialibus,ad amęna vireta, vitaliaque ſiſtet ad arua.

Conuertẽs

Lex ſola.

Legum humanarum imꝑfectio.

Lex, ſcopus noſter.

Eccle 3. c

Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.

Teſtimonium Domini.]Propoſuit primùm legem in vniuerſum, tum ad ſingulas quaſque eius tranſit partes,quæ ſuis hic ab eo nominibus nuncupantur, quamuis hęc omnia ſint eadem fere inter ſe, & eiuſdem rei nuncupationes. Lex igitur diuina, nunc præcepta,ac mandata,nunc inſtituta, nunc iudicia, interdum teſtimonia dicuntur. Examinemus igitur ſingula. Teſtimonium dicitur עדות heduch, quod teſtimonium poteſt transferri, teſtificatio, conteſtatio, teſtamentum. Septuaginta reddiderunt, μαρτυρία martyria, id eſt teſtimonium. Cauſas igitur cur lex diuina teſtimonium dicatur, ſcrutari oportet. Nam cùm ſapientia illa de cælo allata, magnis argumentis,ac ſignis corroborata atque ſtabilita fuerit, cum cælum, ac terra, maria,flumina,elementa,illi indicia præbuerint, ob hanc cauſam vocata eſt teſtimonium. Vocauit enim Moſes teſtẽ cęlum,& terram,cùm verba diuina proferret,dicens. Conteſtor hodie cęlũ & terrã,

Teſtimonium.

Teſtimonium paſſiuum.

vos eſſe perituros, niſi hæc obſeruaueritis. Tum conflagrare mons viſus eſt, illumque inſolita caligo D
circunfulſit. Auditæ voces horribiles, clarę que buccinæ, multaque alia edita ſigna ſunt præſentiæ
diuinæ. Quoniam igitur omnibus teſtimoniis vſus eſt Deus, cùm legem illam philoſophiamque
ſanciret, hac de cauſa vocata eſt teſtimonium vel atteſtatio: id eſt, expreſſio, ſignificatio,
Teſtimonium actiuum. res, multis, ac memorabilibus ſignis ac teſtimoniis oſtenſa, ac comprobata. Rurſum, teſtimonium
vocata eſt, quòd multis quidem rebus cognita ac perſpecta fuit bonitas, gloriaque diuina,
præcipuè cælo, ac ſole, ſed longe maxime, ex illis inſtitutis, ac documentis, rebusque illis
geſtis, toto illo præclaro facinore, quo claruit poteſtas æterna, & immenſa eius, & prouidentia
ſuper hunc mundum, ſed præcipue ſuper bonos, ac beneuolentia. Nullumque eſt præceptum,
nullum facinus, quod lege diuina comprehenditur, quod non ſit vocaliſſimum, atque intonantiſſimum
teſtimonium, immenſæ Dei erga homines beneuolentiæ, eamque teſtatiſſimam, luci-
diſſimam exhibens, vt qui his non credat teſtimoniis, careat ſenſu, potiusque lapis ſit, quàm
homo. Nulla profectò prodigioſior ſtupiditas, quàm non ſentire tam certam, ac ſolidam,
probatiſſimamque beneuolentiam: nulla miſerabilior cæcitas, quàm lucem tam claram, atque
immenſam non cernere. Ac lex vocabatur olim quicquid libris Moſis fuiſſet comprehenſum,
nunc eadem quidem eſt atque illa prior, ſed abſolutior, vel enodatior, atque expreſſior. Quis
igitur locus eſt illic, qui non clamet, vociferetur, quantum amoris ac beneuolentiæ ſit apud
Deum, erga homines? Vbique ſunt locupletiſſima, plenaque vocis teſtimonia. Atque incipe, ſi
placet, à mundi exordio, quam quidem rem non nunc ingrediar, quòd prolixior ſit, quàm breuitas
Duę mundi creationes. huius loci poſtulet. Sed hoc tantum commemorabo, alteram quaſi fuiſſe mundi creationem,
quando homo redemptus eſt, & quidem longe potentior ac mirabilior fuit, quo tempore E
tot, tamq; miranda diuinæ charitatis ac magnitudinis teſtimonia claruerunt, vt ea capere mens
humana non poſſit, auſimque dicere, nihil relictum quod ſtudio, & induſtria diuina poſſit effici,
& ad ſummam metam amorem perueniſſe. Optime igitur & rectiſſime hoc omne teſtimonium
Fideles. dicitur. Quod fidele etiam dixit, id eſt, probatum, certum, ſolidum ac ratum, vt quę dicta ac geſta
à Deo ſcit, veriſſima ſint, non fucata, atque inania, & vana bonitatis, charitatisque ſuæ teſtimonia,
ſed probatiſſima, atque certiſſima, vt correſpondeant internis affectibus Dei, ex intimis
Et futurā teſtentur. eius præcordijs ſint profecta. Loquitur ergo Vates de diuina beneuolentia, non ſecus atque
nos de amicitia noſtra, cùm eam teſtatam, ac probatam fidelemque prædicamus. Supereſtque
tertia ratio quam ob rem teſtimonia dicuntur mandata Dei, ea videlicet, quòd ſeruantibus ea,
polliceatur felicitatem, olim quidem corporis, nunc autem animi. Hæc promiſſa dicit eſſe firmiſſima,
probata ac fidelia. Is quidem ſenſus hoc differt à ſuperiore, quò forma à genere. Illic
enim generatim omnia teſtimonia amoris Dei proponebamus, hic promiſſorum tantum. Sed
prior tanto probatior, quanto communior, omniaque ſubiiciens oculis, veraque de beneuolentia
Arca teſtimonij. diuina dicens. Arca igitur teſtimonij, & tabernaculum teſtimonij, dicebatur, quo videlicet
inter Deum atque populum amorem, amicitiam, fœdusque coiſſe oſtendebatur.

Sapientiam præſtans paruulis.] Circa voces, hoc ſciendum eſt, quòd inopia linguę dictum eſt ſapientiam
prēſtans, melius Hebraicum reddi in Græco σοφίζουσα, quaſi ſapientificans, & Hebraicè
מחכימת. Eſt enim participium tertiæ coniugationis, ſicut maphkidat, dicitur à חכם ſapiens fuit.
Paruuli. Quod in tertia ſignat ſapientem reddere. Secundo quod Latinus vertit paruulos, ſcito vocem F
Grę cam νήπια propius reſpondere ad Hebraicam פתי. Nam paruulus perindè Grę cè ſicut Hebraicè,
non tam ætatis quàm inſipientiæ eſt. Homerusque ſocios Vlyſſis appellat νηπίους, paruulos,
id eſt ſtultos, & imprudentes, vt qui boues inconceſſas iugulaſſent. Salomon dicit, Vt
e.1.a. detur paruulis aſtutia, quo loco eſt eadem atque hic vox, id eſt imprudentibus, & imperitis. Hebraicè
igitur פתי ducitur à פתה, decepit, fefellit, eumque declarat, cui facile imponitur. Ideoque
etiam paruuli hac voce ſignificantur. Tertio numerus permutatus eſt in Grę co νήπια paruulos
cùm ſit פתי paruulus. Ac forte fefellit Septuaginta, ſi forte non fallimur ipſi, quod viderent iod
in fine dictionis, quæ littera ſignat numerum multitudinis. Quod quidem verum eſt, ſi additur
Mem, vt Kerubim, Seraphim. Dicendum eſt igitur, Sapientiam prēſtans ſimplici, vel imperito.
Quanquam potius declaratores ſumus, quàm reprenſores eorum, quæ Septuaginta illi clariſſimi
ſeniores tranſtulerunt. Audite igitur omnes gentes quid Vates cœleſtis de lege diuina
prædicet. Ait eam detrahere ſtultis ſtultitiam, imprudentes efficere prudentes, vecordes, cordatos
reddere: quod facile quiſque cognoſcet, ſi ſecum cogitare, atque etiam experiri voluerit.
Stultitia. Multiplex autem ſtultitia eſt, atque imperitia, & vecordia, multasque habet ſubiectas formas.
Vna eſt, quæ circa res humanas tantum atque caducas verſatur, quæ eſt earum bene tractandarum
imperitia. Plures enim ſunt, quibus nullum eſt acumen, ad lucra, & negotia conficienda,
ad opes, amicosque parandos, ad circumueniendum, opprimendumque hoſtem, vt
magis ipſi ab eo opprimantur. Non habent vim ingenij ad ſpeculandum, ad orandum grauiter,
aut argumentandum ſubtiliter, vel obiecta diluendum. Hæcque imperitia varia, ac multiplex
eſt, quæ neque laudem ferè habeat, neque vituperationem apud Deum. Apud homines longe
aliter. Alia ſtultitia imprudentiaque eſt, quæ mores ac ſenſus humanos reſpicit, cui oppoſita
eſt ea quę dicitur ſapientia, vt tantum illa vitioſa ſit, quantum laudis habet iſta. Eaque per omnes

A nes humanos animos vagatur, vt etiam altiſſimas mentes opprimat,atq; implicet.Ac ſępe apud nobiliſſima ingenia gaudet habere domicilium.Hæc illa eſt ſtultitia, quæ in horribiles tenebras præcipitem agit animum,dum eum vel in ambitionem protrahit, vel inuidiam, aut auaritiam, aut ſimultates atque odia,vel inſaniam,atque furorem,cæteraſque prauas affectiones. Quæ tentare (vt dixi) etiam eos ſæpiſſimè ſolent, quos ſapientes habet ac prædicat iſte mundus. Fons autem omnium malarum perturbationum,atque totius ſtultitiæ,multis,ac clariſſimis exemplis probatum eſt,eſſe inſcitiam Dei,atque ſui. Vt igitur ignoratio hæc omnium eſt malorum genitrix,omnis ſtultitiæ inuentrix, ſic cognitio maximam efficit in animis claritatem, eaque principium eſt rectè ſentiendi,ea prima fugat perturbationes illas partim ferinas,partim diabolicas,atque malignas,conſtituitque in omnium bene gerendarum rerum ſemitis animum. Hanc autem ſapientiam maximè lex diuina largitur,quam habere familiarem neceſſe eſt,eamque nobis amicam,notamque efficere, tum eam adeundo, ac libros quibus continetur, ſæpe lectitando, tum vita ac moribus exprimendo. Quam quantò magis exercuerimus, tanto nobis efficiemus notiorem, atque dulciorem. Hanc autem cognitionem Dei, totiuſque ſapientiæ fontem imbibemus, facti ad omnem rem longè ſapientiores, vt nullum extet in nobis ſtultitiæ veſtigium. Videbis horum ſermones puros,innoxios,nihil fædum,ſordidum,nihil vulgare atque abiectum ſpirantes,nunquam ex ore eorum prodijt calumnia, contumelia, maledictum, blaſphemia, ſiue in Deum, ſiue in hominem. Talem item animum intus vigere certum erit. Hi rectè rebus ſuis conſulent,multaque vitabunt diſcrimina,quæ parata ſemper ſunt malis. Non ſolumque ea ſa-
B pientia acquirendæ futuræ vitæ dux erit, ſed huius etiam temporariæ feliciter tranſigendæ. Lege igitur ſacram philoſophiam, eamque nocturna manu atque diurna indeſinenter euolue, tum vita,pręcepta effice firmiora ac notiora. Tunc tibi orientem immenſam lucem, tum cælum tibi patere videbis:arcana Dei,& res humanas,tanquam ex altiſſima ſpecula contemplaberis, videbis omnium rerum,ac temporum metas,totam luſtrabis animo ęternitatem, cerneſque principium corporis,atque animi tui. Totum te ipſum circunſpicies, atque cognoſces, & quod omnibus eſt præferendum,morum,vitæque degendę ſummam, atque perfectam habebis ſcientiam: videbis quid inter virtutes, ac vitia interſit. Omninoque ex ſtulto & incauto, imperito, prudentiſſimus efficieris. Sed illam pręcipuè miſerabilem depones ſtultitiam, qua rerum humanarum exitus non cernuntur.Habes ergo fontem,& quo ex ſtulto poſſis ſapiens effici.Hincq; dicemur ſapientes,vt alio loco ſcriptura prodidit,Quia ipſa (inquit) eſt ſapientia veſtra, & intelligentia,coram oculis gentium,cum dicent,Quàm ſapiens populus is ingens, & intelligens?Hęc igitur vera eſt philoſophia,hęc ſapientia Angelorum,qua caruit olim mundus,nunc reuelata omnibus ac patefacta.

Ignorātia Dei.
Cognitio Dei.

Fructus cognitionis Dei.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.

Iuſtitiæ.

PRimum pro hac voce,non propriè eſt in Hebraico id quod ſignificat iuſtitiam.Si quidem iuſtitia dicitur צדק zedek, ut paulò pòſt uidebimus,hoc autem loco eſt פקודי pikude, quod propriè ſonat mandata,pręcepta: à uerbo pakad,uiſitauit,pręcepit. Conſiderandum tamē ꝙ idē uerbū ſæpe deſignat reponere, collocare,recondere.Itaq; Hebręi uidelicet Abra-
C hā, & Rabi Dauid exponunt eā ut quaſi deſignet gazam,theſaurū,ſiue requiem, & quod ſub alia forma dicitur פקדון pakdon, depoſitio, repoſitio. Dicuntque hoc nomine appellari, ea quibus animus,& mens quieſcit,lætatur,illuſtratur,eruditur,ditatur, quaſi dicerent gazę& opes,& theſauri domini,recti, quia paſcunt,ſatiant,erudiuntque animum.Sciendū tamē hæc omnia eodem tendere, idemque eſſe quod vox Hebraica deſignat, & quod Septuagin. tranſtulerunt. Sunt ergo præcepta Domini quia ab illo traduntur,ſunt opes,& theſauri, & diſciplina animi:ſunt rurſum iuſtitiæ,pro quo rectius Græcè δικαιώματα, id eſt, iuſtificationes, quia iuſtum hominem, ſanctumque efficiunt. Vnus igitur omnium eſt ſenſus. Tum pro corda, Græcè, & Hebraicè eſt cor,numero ſingulari, quod forte quadret magis apud Latinos. Atque hæc inſtituta diuina, recta dicuntur, non propter eum tantū qui ea inſtituit, quaſi eius æquitatem declarare Vates voluerit,ſed propter id quod efficiunt. Sicut pallida mors dicitur. Sunt ergo inſtituta diuina,recta,quia detorquent animum ab omni prauitate, & in ſemitam rectam adducunt: deducunt à prauis opinionibus, à vita nefanda, turpi, deteſtabili. Habent autem animi,ſicut item res corporeæ, uitia ſua,& prauitates,habent quibus inflectantur,ac quaſi incuruentur,ut qui celſa aſpicere debuerant,ab illis ipſis rebus deorſum inflectantur,ſolamque terram, terrenaque reſpiciant. Vt qui tales uideat,& cum eis degat,parum eos differre à brutis comperiat. Hęcque miſeria (paucis exceptis) omnibus ferè mortalibus dominatur. Diuina igitur lex corrigit has prauitates,detrahit libidines,leuat ſenſim opum appetentiam, ambitum, paulatimque (mirabile dictu) mens reſurgit, & qui humi ueluti pecus reptabat, incipit attollere caput. Erat autem, cum in prioribus illis malis homo uerſaretur, ſemper pauidus, ac mæſtus, nec ſentiebat vllam ſynceram lætitiam (de his enim qui non abiere in profundum loquor) ſemperque occurrebat quaſi vltrix malefactorum, conſcientia:Tum ipſe mœror, quem ferunt ſemper delicta ſecum comitem omnium criminum, dum odioſè ſentiuntur,aut cùm in eorum poteſtate ſumus,

Rectæ. &, Triſte Lupus.

Lætificantes.

ſed cum in libertatem nos gratia cęleſtis vendicauit, tum verò lætamur, tum pericula, quæ nos D circumuenerant, cernimus. Nullaque eſt tota humana vita, lætitia maior (credendum eſt enim viris optimis hoc aſſerentibus) quàm eorũ, qui optimis gaudijs conſcientiæ ſuæ fruuntur, quoſque bonę vitæ lætitia aſſiduè paſcit. Infinitumque eſſet perſequi, atque explicare totam hanc rationem, cùm videamus bonorum vultus ſemper alacres, atque arrectos. Alitque quaſi perpetuus fons, virideque tenet eorum cor, illa diuina lętitia. Igitur non ſolùm hoc diuino teſtimonio ſed etiam omnibus exemplis experimur, maiora ac plura, ac ſolidiora gaudia bonis, & præcepta diuina ſequentibus contingere, quàm malis, quos diuerſæ perturbationum cauſæ circunſiſtunt. Nec poteſt dici, quàm dulces ſomnos capiant, quàm ſuauiter fontibus, nemoribus, rebuſq; ſuis omnibus etiam tenuibus boni fruantur. Nam neque mœrore præſentium, neque metu futurarũ rerum anguntur: tum quædam radices ægritudinis quæ tenent corda mortalium, ſunt ex eis auulſæ, vt veniat, neſcio quo naturæ impulſu, quaſi de cælo perpetua in mentes eorum, aura lætitiæ. Dupliciaque ferunt præmia pietatis, quod & hic beatiore vita fruuntur, & poſt conſequentur eam, quæ conſtat ex gaudijs æternis. Verum igitur lætitiæ alacritatiſque domicilium, ut antiquis & cognitum & aſſertum eſt, apud philoſophiam diuinam exiſtit, quæ ſecreta, ſoliſq; probis, ac ſanctis nota gaudia habet.

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Lucidum.

Prou.22.c.

Hinc Hebręi arbitrantur ſuperiorem vocem, non ſignificare pręceptum, quia ponatur hoc loco quod præceptum ſignificet. Sed conſuetudo, vt cæterorum ſcriptorum, ſic item diuinorum eſt, vt ſępe idem diuerſis nominibus repetant. Id quod vbique apud Eſaiam fieri comperies. Sic poteſt eadem res diuerſis epithetis ac nominibus fuiſſe ſignificata. Quamobrem Chaldęus eadẽ E voce vtitur hoc loco, atque ſuperius. Ibi exprimens Hebraicum פקודיא pikudaia, numero multitudinis, hic ſcribens, פקודא pikuda, numero ſingulari. Dicemus igitur eandem hic atque ſuperius rẽ proponi, diuerſis naturam eius nominibus ſignificantibus. Quod autem dixit lucidum, Hebraicè eſt ברה quod purum, ac lucidum ſignat. Conſiderandum igitur quo artificio carmen contexitur, & quod admonent Hebræi, reſpondere hæc omnia cælo, ac ſoli quæ ſuperius deſcripſerat. Opponiq́; ex aduerſo diuinæ philoſopię, & Solis, & Aſtrorum claritatem. Qualem igitur Solẽ videmus lucere, eoque terrarum tenebras diſſolui, & oculis exhiberi, vt videant, talis eſſe probatur lex diuina: eamque idcirco lucidam, id eſt propter ſplendorem, quem in animis efficit, appellat. Omnis igitur diuina præceptio radius eſt & lux quædam, ſine qua in tenebris eſſe, ac per tenebras ire neceſſe eſt. Sunt enim homines in errores, ac peccata propendentes, genitaque eſt nobiſcum imperitia, quam cum corde pueri, ait Salomon eſſe colligatam. Ac populus tot erroribus implicatur, quot res ſunt, in quibus poteſt homo hallucinari. Alij ad libidines diuerſiſſimis vijs, atque itineribus feruntur, alij ad conquirendas opes & honores: quidam vltionis ſunt auidi, cęteri parcere linguę neſciunt, alij peruerſis opinionibus, de Deo, de rebus humanis, de prouidentia diuina perturbantur. Hęcque omnia, & ſingula, ſunt quædam animi caligines, & lapſus, quibus ſingulis ſingula occurrunt pręcepta diuina, vt tenebras diſcutiant vbique, ſerenitatemque efficiant, prouiſumque omnibus erroribus, de cęlo eſt. Nam qui creationem cęli ac terræ non eſſe diuinam ſuſpicatur, multa habet in illa Philoſophia oracula, quę hanc inſaniam coarguant. Qui dubitet res humanas eſſe curę Deo, tot oracula ac dicta, quę ſuper hac re prolata ſunt: tot, tamq́; varia ſupplicia, quę ſunt illata facinoroſis, proſperas autem bonorum res, aſpiciat. Tum quę fuerit F animis noſtris origo, & an immortales ſint, qui neſciat, vt ob id maximis in tenebris caliget, facilè ſe in lucem reuocabit, ſi ſe ad ea oracula conferat. Quos autem libidinum illicitarum ęſtus inflammãt, ſi attentè ad illa vertere mentem voluerint, eos facilè compriment. Qui autem neſciũt quo ritu inſtituere vitam ſuam debeant, qua ſe ratione vbique gerant, lucem adeant illam diuinam. Quid memorem, cùm memorari non poſſint, priuatos errores, priuatas animi noſtri perturbationes, innumerabileſque formas inſcitię, ac ſocordię, quę noſtris pectoribus, omni ętate, diuerſis ſexibus immorantur? Quę cum tenebrę ſint, finem habent pręcipitia, ac ruinas. Nec poteſt explicari, quàm fœda, quàm ſtulta res ſit homo, vt etiam infra bruta deſcendat: quot ludibrijs expoſita, cæleſti luce, dico diuina Philoſophia, deſtituta, omnium id nationum olim didicimus exemplo, cùm lapides, bubones, noctuas, veſpertiliones, crocodillos, vt numina crederent, ac venerarentur. Nec deſunt vnquam miſerandę, deplorandęque ſtultitię exempla, quę ab animis noſtris cęcis habent originem. Has autem miſerias cum deponamus, ad Philoſophiam diuinam venientes, cum ex altiſſimis tenebris emergamus, iure lucida & ſerena, & oculos illuminans dicitur, iure cum Sole confertur, & duplicis Solis laus hic canitur, eius qui oculis corporeis, & qui oculis animi præbet lucem.

Timor Domini ſanctus, permanet in ſæculum ſæculi.

Sanctus.

CIrca uoces ſciendum eſt, quod Latinus interpres vertit ſanctus, propius uocem Gręcam, quam Septuaginta reddiderunt, accedere ad Hebraicam, uidelicet ἁγνὸς, id eſt, purus, caſtus. Videtur autem Latinus legiſſe ἅγιος, unius litterę mutatione. Sed quoniam Hebraicè eſt טהורה, quod mundum caſtumque ſonat, omnino credendum eſt, Septuaginta uertiſſe

A quod nunc legimus. Dicendum igitur, Timor Domini purus, quanquam inter purum, ac ſanctum, non multum interſit: Deinde quod dixerunt Septuag. εἰς αἰῶνα αἰῶνος, clarius, & abſolutus dicitur Hebraicè לעד in æternum. Latinè autem illud Græcum melius diceretur, in æternitatem, & æternitatem. Nam diuus Hieronymus, quod dicitur, A ſæculo & vſque in ſæculum tu es, vult Latine traduci, à ſempiterno in ſempiternum. Sed iam iſtæ loquendi conſuetudines in Eccleſia inoleuerunt. Deinde quod nonnulli Latinorum habent codices, Timor Domini ſanctus permanet, dicendum permanens, iuxta Græcum διαμένων, & Hebraicum עומדת, quod non ipſe quidem multi facio. Timorem igitur Domini purum dicit, & in æternum permanentem. Timorem Dei, ſi quis ſecum conſideret, aut ipſam eſſe totam pietatem cognoſcet, aut eius eximiam præcipuamque partem. Ac proprie de his malis timor dicitur, quæ ſolo amore ac timore Dei non perpetrantur. Multi enim ſcelera flagitiaque vitant timore humano. Quibus ſi dederis, vt perpetrent ea remotis arbitris, non ſegnius committent, atque perfrictæ frontis homines in propatulo. Illa igitur denique perfectiſſima eſt pietas, ſynceriſſimaq; probitas, quæ non humana verecundia, neque hominum timore nititur, ſed diuino: quæ Deum præſentem ſibi cernat, cuius timore nihil ſceleratum, ac turpe audet perpetrare, etiam ſi nulli teſtes adſint, ſi ſperent in æternum, quod perpetrant, fore, occultandum. Ea igitur vera ſolidiſſimaq; virtus ac pietas, cui ſi detur furandi, adulterandi, fornicandi, cæterorumque criminum perpetrandorum facultas ampla, ac ſub æterno ſilentio certum ſit fore omnia quæ agit celanda, veretur tamen præſentiam diuinam. Deum & ſcire & deteſtari peccata, nouit, & ob reuerentiam abſtinet, retroq; pedem retraxit. Non eſt autem vera pietas eorum, quanquam ſpeciem habet pietatis, quos pudor humanus à crimine abſtraxit, non quòd nō ſint hi minus mali, atq; illi qui ne conſpectus quidem vllos reformidant: ſed ad ſolidam laudem, Deo acceptiſſimam non peruenerunt. Propterea timor Dei, purus & caſtus eſt, quòd neque in manifeſta, neque in occulta flagitia animum ſinit cadere, vt ne cogitetur quidem, quod minus deceat. Timor autem humanus ideo caſtus, purusque non eſt, quia non prohibet ab omni flagitio, multamque reliquit animi partem cicatricibus fœdam, atque immundam, neque vniuerſalem inducit puritatem: ſolus timor Dei hanc fert laudem, quem qui ſecum gerit, & caſtiſſimis factis, & inculpato ſermone eſt: cogitationibus autem ſemper honeſtis rectisq; fruitur, vt ab omni prauitate ſit vacuus. Hæc virtus eſt animi, ſingularis, mater reginaq; omnium virtutum, ſiquidem ab hac copioſiſſime fluit iuſtitia. Nam qui timet Deum, nunquam ius humanum violabit, fluit temperantia, modeſtia, charitas, beneuolentia, fortitudo in aduerſis, quę patientia dicitur, cæteręque omnes, quarum hęc ſola origo, verusq; fons eſt. Ac timere Deum Hebraicè quaſi dicitur reuereri, obſeruari, quam virtutem, maximam excellentiſſimamque eſſe eam item ob cauſam neceſſe eſt. Sunt enim plerique, qui non putent peccata diſplicere Deo: alij putant quidem, ſed non omnia. Priores, res humanas nihil opinantur curare eum, aut vniuerſalia quędam tantum, non laborare qui agant ſingula. Poſteriores multa putant ab eo contemni, vt quenquam caſte, viuere, ieiuniis vexare corpus, multaque alia, quæ vt putant ipſi à Deo contemni, ſic ab his ipſis contemnuntur. At qui eò peruenit, vt credat Deum obſeruandum ac verendum, iam in ea cogitatione, cognitioneque verſatur, ſola iuſta, atque honeſta illi placere, diſplicere fœda. Proinde hic prora & puppis, & cardo verſatur omnium uirtutum. Atque Hebręi in duas partes diſtribuunt pręcepta diuina, uetandi ac iubendi: ad pręcepta uetandi dicunt pertinere timorē Dei, quod quidem ueriſſimum eſt. Nihil igitur ęque ſynceritatem puritatemque animo largitur, nihil ęque uniuerſalem probitatem, ac ſanctitatem promittit, quàm timor Dei: qui ſemper permanet, quia comitatur nos ubique, perinde in tenebris, ut in luce, ſic in ſolitudine, ut in frequentia. Pręedicat item eam Vates tanquam ſempiternam uirtutem, dans illi laudē ęternam: ſicutq; triumphos æternos ęternasq; coronas, & ęterna facta dicimus, & facinus immortale: ſic uirtutem immortalem, & laudem ęternam, & incorruptibilem, incorruptibile decus appellat timorem Dei. Qui ſolus eſt timendus, ſolus ſpectandus, eius tātum in omni re & conſilio, habenda ratio. Hęc ratio ſemper debet ante oculos uerſari, ut uideatur, accuratiſſime perpendatur, quid Deo placeat, ac diſpliceat, quę ſola eſt diuiniſſima, caſtiſſimaque, ęternaque uirtus, imò omnium uirtutum domicilium ac caput.

In ſæculū ſæculi.

Permanēs.

Timor domini.

Timor hominum.

Ius naturale.

Patientia.

Deum timere.

Permanēt.

Solus De• timendus.

Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

Verborum pondus prius conſiderandum. Hebraicè dicitur, Iudicia Domini ueritas, iuſtificata ſunt ſimul. Quod etiam Septuaginta tranſtulerunt, dicentes, τὸ αὐτό, ſimul, quod Latinus interpres dixit, in ſemetipſa. Iudicia igitur Dei, uaria ſignificatio eſt. Siquidem iudicia ſępe dicuntur, quas Deus impijs importat clades, quod appellatur iudicium, quia prauitati, & cauſę, ac noxę reſpondet. Non minus enim animaduertit Deus in delinquentes, atque leges humanę. Iudicia ergo dicuntur ſententię rectę, & cum ratione prolatę, ſiue ad abſolutionem criminis, ſiue ad condemnationem rei. Item iudicia dicuntur ſententiæ diuinæ, iuraque inter homines à Deo conſtituta. Sunt aūt hæ normæ & rectitudines, quæ lites diſſoluunt, altercantesq; componunt, præponentes quod rectum ſit, & in quo debeant omnes acquieſcere. Iura igitur diuina vocat iudicia, in quibus dicit ipſam ineſſe veritatem, eaque omnia dicit eſſe. iuſta. Sic enim intelligendum eſt,

Iudicia.

quod

Iuſtifica. in ſemetipſa.

quod Latinus dixit, In ſemetipſa, dicendum inquam ſimul. Innuit enim Propheta, vniuerſa iudicia illa eſſe iuſta, nullum eſſe eorum, quod non ſit iuſtum. Pariter, inquit, iuſta ſunt. Quæ expoſitio etiam Hebræorum autoritate probatur. Rabi Dauid, Simul, inquit, iuſta ſunt, ac veridica, אין באחד מהם עול quòd in nullo eorum ſit prauitas, obliquitas. Iudicia igitur Dei tum ea ſunt, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, tum quæ euangelium poſtea propoſuit, tum alia quædam, à natura. Omnis enim recta ratio, ſiue à lege præmonſtrata, ſiue à natura præſcripta, iudicium Dei eſt. Nam qualiſcunque inſtinctus, oriens vel à ratione hominis, vel à natura, in Deum tandem referatur oportet. Atque etiam profani ſcriptores, ex his quos in natura mirabiles certiſſimosq́; ordines animaduerterunt, probarunt aliquod eſſe numen, ac manifeſte indicarunt, omnem rectam rationem principium à Deo habuiſſe. Rationem autem humanam etiam ab illo repertam, clarum eſt. Quare in omnibus tenet principatum ratio ſummi Iouis, quæ ad Hebraicam dialecton dicitur iudiciũ, quo videlicet iuſtiſſima decernit, proinde qui hac Dei vice in terris fungerentur etiam vocauit Deos ſcriptura, quaſi loco eius decernerent. Cumque omnis lex duas habeat partes, alteram iubendi, alteram vetandi, vtranque dicimus complecti ea, quæ iudicia, ſiue iura, vel iuſſa vocantur. Dicta ſunt autem iura Dei, quod hæc priuata iura, legesque humanæ, non hominum propriæ ſint, nec ſint in noſtrum ingenium referenda, ſed quaſi riuuli vaſti fontis, iuriſque mentis diuinæ extiterint. Nam adulteria, furta, inceſtus prohibuiſſe, charitatem, ſocietatem, concordiamq́; imperaſſe, hoc primùm apud Deum fuit. Nos autem horum quaſi participes fuimus. Quocirca neque in nobis perfecta quidem ſunt, quòd magnis ſpatijs à ſupremo Deo ſumus disiuncti. In quo ſolo veritas exacta, & à prauitate penitus dirempta eſt: cùm leges mortalium plenæ multorum flagitiorum fuerint, vel iubendo, quæ non decuiſſent, vel permittendo, quod turpiſſimũ erat admittere, aut non caſtigaudo quod caſtigari debuiſſet, pudetq́; eorum vel recordantem, quid Romanorum & Athenienſium leges fieri permitterent. Nam Perſarum, cæterorumq́; propter nimiam indignitatem, non commemoro. In ſola igitur mente Dei eſt veritas, quæ nobis indicata fuit, ex parte quidem lege Moſaica, abſolute autem Euangelica. Tunc cognitum eſt, probeque perceptum, omne æquitatis iuſtitiæq́; genus, tum multa, quæ apud cæteras leges non haberentur iniuſta, iniuſta cognita ſunt: nulla fraus, ac cauillatio, & deceptio remanſit in obſcuro. Ideo ſola ratio ſummi Dei perfecta, quæ tot ſcelera detexit, ſceleraque eſſe & turpia monſtrauit, cùm leges illæ humanæ miſerabiliter cæcutirent, vt quædam etiam fœda fieri paterentur, aut etiam iuberent. Sola igitur iura diuina habent laudem veritatis.

Dij, Iudices.

Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum.

Lapis pretioſus.

Paz.

CIrca voces hoc ſciendum tantum, quòd Septua. tranſtulerunt λίθον τίμιον, lapidem pretioſum, Hebraicè eſſe פז quod aiunt eſſe aurum pretioſiſſimum, id quod vocatur obrizum. Ideoque Chaldæus eam vocem poſuit, quæ & Græca & Latina eſt, videlicet אובריזין obrizin. Et interpretes Hebræi idipſum confitentur. E quibus Rabi Dauid hæc ait נפז הוא הזהב הטוב והנקי. Hoc eſt, paz aurum eſt optimũ, ac puriſſimum. Verùm videtur vt Rabi Abraham aſſentiri hos eſſe lapides pretioſos, his verbis ופז רב הם אבנים יקרות. Id eſt, & paz multum, lapides pretioſi ſunt. Rabi quoque Dauid, teſtatur quoſdam putare hanc vocem lapides pretioſos. Diſcrimen non magni ponderis. Nam & Hieronymus, qui ferè vbique interpretatur hanc vocem Obrizum, hoc loco in Pſalterio Hebraico, à Septua. non diſſenſit. Quod autem dixit multum, aut ad multos lapides, aurumq́ue refertur, aut ad ea quę deſiderabilia ſunt. Clara igitur ratio eſt, at ſolis imperitis ac ſtultis rerum mortalium amatoribus obſcura, cur præferenda ſit auro & rebus pretioſiſſimis atque amantiſſimis, diuina philoſophia, præceptaq́ue diuina. Nihil enim tantopere vociferantur ſacræ litteræ, nulla crebrior frequentiorq́ue perſonat vox. Omnium quoque hominum eſt confeſſio, virtutem longe diuitijs atque auro præcellere, pluresq́ue cauſas proferunt Hebræi, cur ſapientia præferenda ſit auro: Nam iudicia intelligere debemus ipſam pietatem, ac ſapientiam. Diuitiæ, omnisq́ue pretioſa ſupellex, amitti poteſt naufragijs, latronibus eſt expoſita, patet multis inſidiis, ac fortunæ iniuriis: ſapientia, & probitas nullis poteſt caſibus amitti. Deinde ſapientia, & in hac corporea vita prodeſt plurimum, & ducit ad futuram, cùm diuitię in morte deſerant, & deſerantur. Tum ſi diuitias effundas, ad te nunquam reuertentur: ſapientia eadem ſemper eſt, cuicunque communicetur, tantaq́ue ſemper, quanta fuiſſet, apud te reſidebit. Verum quid rationes ſuper re clariſſima adhibentur? Quis eſt enim mortalium niſi planè demens, & cæcus, qui non percipiat, quanto omni corporea re excellentior ſit ſapientia, & vitæ integritas, ſiue virtus? Nam & ſi plures mortalium magis aurum appetunt, atque opes caducas, quàm virtutem: aut ætatis eſt vitium, aut intra conſcientiæ ſuæ ſecretum nemo non magis ſanctitatem, vitæq́ue integritatem admiratur. Sed aliud eſt audire vocem vulgarium, humique reptantium hominum, aliud oraculum, vocemq́ue viri ſapientis, cælitusq́ue afflati. Audis vulgares præferre omnibus rebus, aurum & opes: audi ſapientes, quorum vocibus, ac teſtimoniis magis adhærendum. Nam ea probabilia dicuntur, quæ ſapientibus videantur. Vulgus omnia ferè iudicat præpoſterè, cui ſapere, delyrare eſt. Omnium quæ à magnis viris dicuntur, maximas neceſſe eſt firmiſſimasq́ue eſſe cauſas, & veriſſimis rationibus eſſe ſuffulta. Vidiſſe igitur eos magnum aliquid

Multum.

quid oportet, cur in hanc vocem erumperent vt præcepta Dei magis dicerent expetenda, quàm aurum. Cauſa igitur eſt, quòd hęc baſis & fundamentum eſt vitæ beatæ. Quęritur autem beatitudo, omnes cupiunt eſſe felices, ac beati, in quo maximis omnes implicamur erroribus, cùm ea putemus nos in arce felicitatis eſſe collocatura, è quibus non felicitas, ſed mutatio tantum vitę ſequatur. Errorque omni tempore, & vbique, omnibusque exemplis fit manifeſtus, quòd illos non felices, ſed miſerabiles, vel non multò feliciores, quotidie experimur: quorum ſi in locum perueniremus, beatos nos fore putaremus. Detegitur, inquam, error, quotidianisque exemplis fallaciſſima fraus venit in lucem. Quòd ſi res pretioſæ, non tranquillum, beatumque efficiunt, quod non ſpecioſe quidem dicitur, ſed luce clarius probatur, aliud eſſe neceſſe eſt, ex quo felicitas iſta paratur. Ergo ſola pietas, cuius opes ſunt, ſi velis vera fateri, ampliſſimæ, quarum ſingulæ ſingulis margaritis, vnionibusque præcellunt. Quid enim magis, ſi detur optio, an cognitionem tui, an oblatum auri maximum pondus eliges? Quid ſi ad cogitationem, cognitionemq; melioris vitæ adducaris, an non omnibus opibus id antepoſueris? Quid quietem quandam animi tui, vt in omni re, & tempore ſis contentus? Quid cum nullius vita ab iniuriis vel fortunæ, vel hominum, vel naturæ ſit ſecura, animum fortem, mentemque æquam fuiſſe adeptum, & ad omnia promptam, atque paratam? Quid videre tanquam è ſublimi ſpecula, humanam vitam, omnium facta, erroresque cernere? Vnde inquam hę & alię innumerabiles opes acquiruntur? nonne omnibus theſauris id præferendum eſt? Denique nemo eſt, nunc, qui non malit fuiſſe qualis fuit pauperrimus Antonius, quàm ditiſſimus Craſſus. Nemo eſt qui non cupiat magis ex illis optimis quidem, ſed abiectiſſimis tunc viris, extitiſſe, quàm Cæſaris gloria, triumphis, opibus, victoriis potitum fuiſſe. Omnibus ergo hoc præferendum eſt, quod veram gloriam, decusq; largitur, veras parat diuitias. Quod ſi maior pars mortalium non videt, vident certè cùm reſipiſcunt, cùm animus liber eſt, vt poſſit quod natura ſua ſentit, iudicare. Multo igitur auro, multis ac copioſis affluentiſſimisque diuitiis præcepta diuina iure præferuntur, vt quæ quaſi vena ſint non auri, ſed pluſquam aurearum pretioſarumque rerum: Illarum, inquam, rerum ex quibus, & maior beatitudo, & gloria verior, ſolidiorq; laus, & diuturnior, acquiritur. Nam poſt mortem nemo diuites admiratur, ſed contemnit potius, & execratur: ſanctitas, ac probitas omni tempore ſuſpicitur, ac prędicatur.

Et dulciora ſuper mel, & fauum.

Fauus.

Beatitudo.

Mel.

Non magnum eſt diſcrimen, quòd pro fauo Hebraicè ſit, נפתצופים redundantia, vel ſuccus fauorum, ex quo & Hieronymus vertit, fauum redundantem. Nam vocem nataph, Rabi Manachem interpretatur טפה tippa id eſt guttam, redundantiam, diſtillationem. Quoniam igitur dixit præcepta diuina præferenda auro, hinc magnam eorum eſſe vtilitatem neceſſe eſt. In vtilitate autem exiſtit ſuauitas. Nam eo vnaquæque res pretioſior eſt, quo plus honoris habet, gloriæ, & ſuauitatis. Quid enim aliud eſt beatitudo, niſi voluptas, non illa Epicurea, fallax, & corporea, ignorantiæ, multorumque malorum plena, tum neque diuturna: ſed quædam voluptas maior, ac melior, ſyncerior, diuturnior, quæ animorum eſt, non corporum, & beſtiarum. Teſtimonio igitur iſtius oraculi intelligimus plus eſſe voluptatis in vita proba, diuinaq; philoſophia inſtituta, quàm ea, quæ inter corporeas voluptates redundat. Nobis fortaſſe non perinde videtur, quia non ſumus experti: ſed ſi bonorum voluptates poſſemus introſpicere, intelligeremus planè eorum teſtimonium eſſe veriſſimum. Cùm præſertim concordes inter ſe ſint, vnaque voce omnes atteſtantes, nihil eſſe inuiſibilibus quibuſdam gaudiis, quibus ſancta conſcientia fruitur, ſuauius. Quid? Nonne iã inde ab omni vetuſtate, cognitũ ac prędicatum fuit, hanc eſſe felicitatem, quam veteres εὐδαιμονίαν, id eſt, Gratiam, ac beneuolentiam numinis appellarunt: quando tibi cum numine bene eſt, quando numen eſt amicum ac propitium? Ea, inquam, cognita fuit, ac prædicata ab omni vetuſtate felicitas, ac beatitudo, optatiſſimaque voluptas, ſi mortalis aſſequutus eſſet amicitiam Dei. Ibi, ibi, veræ ſunt lætitiæ, vberrima, ſynceraque gaudia. Ad quam amicitiam proculdubio præcepta diuina obſeruando peruenimus. Hoc, inquit, cognoſcam quòd amici mei ſitis, ſi præcepta mea ſeruaueritis. Commemorauitque ſanctus Vates mel, tanquam omnium corporearum rerum ſuauiſſimum, cuius ſuauitatem longe poſtponendam ſuauitati cuidam diuinæ oſtendit, quæ ex commercio cum Deo acquiritur. Hæc duplex eſt, non ſolum futura, ſed & iſta præſens. Nam ſi qua eſt in hoc mundo beatitudo, quod quidem non videmus, ſi quid, inquam, hic voluptatis ſynceræ, gaudiorumque eſt, id habet ſolum vita proba, præſertim ea vita quæ ſanctior eſt, Deoque coniunctior, qualis fuit iſtius vatis, quem puto ſæpe inter ſuauiſſimas ſpiritus ſui voluptates fuiſſe verſatum. Nos autem, quia vel minus probi, ſanctique ſumus, vel non vſqueadeo, vt ſolida, arctiſſimaque beneuolentia ſimus cum Deo, coniuncti, ea quæ hoc loco dicuntur, non percipimus, triſtiaque potius præcepta diuina putamus. Quod fragilitati, & imbecillitati, atque imperitiæ noſtræ eſt adſcribendum. Auguſtinus ille, ſæpe ſibi quædam inenarrabilia occurrere ſolita gaudia ſcribit, quæ eum cito diffugerent, męſtum ægrumque dimitterent. Cæterorum exempla, quæ ſunt ad manum, non commemoro. Solum repeto etiam apud antiquiſſimas gentes creditum, ac prædicatum fuiſſe, felicitatem, ac beatitudinem eſſe amicitiam, beneuolentiamque Dei, in qua plura, etiam in hoc mundo, ac maiora, celſioraque ſunt gaudia, quàm in opibus, diuitijs, honoribus. Quod qui experti non ſunt, non probant. Amicitia autem diuina, obſeruando præcepta Dei, paratur. D

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea.

Etenim. Hebraicè paulò ſecus inchoatur oratio, neque proponitur pars cauſatiua, quaſi cauſam reddat alicuius quod dictum ſit, ſed גם etiam, & quidem. Quod item Septuaginta manifeſtum eſt trãſtuliſſe dicentes, καὶ γὰρ, & quidem. Hieronymus quoque tranſtulit, Vnde & ſeruus tuus. Secundò obſeruandum, id quod reddiderunt Septuaginta φυλάξει αὐτά, cuſtodiet ea, Hebraicè נזהר,

Cuſtodire. Cautus eſt in illis, ac prouidus, ac circunſpectus: quod idem eſt, atque illud Septuaginta. Hieronymus autem vertit, Vnde & ſeruus tuus docebit ea. Vox tamen Hebraica paſſiua eſt. Quoniam igitur prædicauerat, totque laudibus prouexerat præcepta, legemque diuinam, nunc addit: Vera quidem hęc ſunt, eaque veriſſima cognoſco. Nec ipſe quidem ſum ex optimis illis viris qui ad illum ſuauiſſimum fontem aſpirarunt, ſed conor pro viribus dicta tua cuſtodire, & in his excitari, omnia explorare, ac circũſpicere, vt mihi fiãt notiora, ac ſuauiora. Inuigilo, inſiſto, ſolicitusque ſatago, prouidus, acutus, ſagax, multiplex, hic exiſto. Hæc prædicatio omnino fuit hoc loco neceſſaria. Nam niſi excitemus, animos noſtros, non ſentiemus, quàm præclara, præcellensq; ſit diuina philoſophia, quàm vincat omnem ſuauitatem. Hoc nimirum non percipies, niſi prophetam diuinum imiteris, qui ſe tibi hoc loco proponit, exemplo, non ad oſtentationem ſui, ſed tuã vtilitatem. Tenemus ergo quæ ſit philoſophia, & quo modo ſit ad eam perueniendum, vt mire concordet, quod dixit Heſiodus, & Epicharmus, cum his quę dicuntur à noſtro. Nam animi ſapientum conſentiunt, prior quidem, τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, id eſt, virtutem ſtatuit Deus, vt ſudor pręcedat. Alter virtutem dicit vendi mortalibus à Deo ſudoris pretio. Eadem, inquam, docet ſanctus Vates. Et vt Heſiodus dixit antecedere labores, virtutem ſubſequi ſuauiſſimam dulcedinem, ſic noſter Vates addit, In cuſtodiendis illis: vt hinc furati veteres illi videantur.

Virtus venalis. E

In cuſtodiendis illis retributio multa.

Hæc illa dulcedo, & fauus, & lætitia, ac theſauri, ac beatitudo, quæ ſunt pręmia virtutis. Vbique enim confirmat eandem ſententiam. Peruenitur hoc itinere ad ſapientiam, quę ſuauitate, & ſplendore, ac decore vincit vniuerſa. Atque vox Hebraica quę retributionem, præmiumque deſignat, עקב hekeb propriè deſignat calcaneum: Vt autem calcaneus extrema eſt pars corporis, ſic talem dicunt operis eſſe cuiuſque mercedem, extremum videlicet, ac ſummum omnis laboris. Quocirca veram retributionem, vt veram extremitatem aſſerunt etiam Hebræi eſſe poſt mortem. Sed & hoc tempore inchoatur ac pręcedit, ſicut ſuperius dictum eſt. Quamobrem cùm finis omnis laboris ſit poſt hanc vitam, illam pręcipuè videtur ſpectaſſe diuinus Poeta mercedem, quę poſt omnes labores ſequetur. Miramur nos Heſiodum, vbique carmina eius circunſonant.

Retriqutio. Pſal. 118. Nun.

Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ᾽ αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ᾽ εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη δ᾽ ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα. Quæ ſic Latinè reddam, F
Sudorem Deus æternus præcedere iuſſit
Virtutem: arduus eſt, aſperque acceſſus ad illam,
Et durus primum: ſed vbi te in culmine ſiſtet,
Dulcis erit, quæ dura fuit, quæque aſpera quondam.

Hęc non aliam ob cauſam produxi, niſi vt intelligeremus, cęteris eadem etiam viſa fuiſſe, antiquoſque illos à noſtris hęc didiciſſe, vt alia innumerabilia. Arbitrorque Heſiodum ob illam veterem theologiam, quę floruit magis eo tempore, de pręmio cęleſti potiſſimum ea dixiſſe, excelſumque illud culmen, quo nos ducat virtus, cęlum innuiſſe. Nec nutant Hebręi in hac ſententia, eſſe maximum quoddam pręmium felicitatis, maius quàm queat in iſto corporis pręſenti ergaſtulo percipi. Cur autem non potiantur animi noſtri, quadam ſuauiſſima tranquillitate, quam quidem qualis eſſe poſſit intelligo: minimè autem attingo, arbitror eſſe abſentiam à conſpectu diuino. Ibi enim par eſt eſſe plenam felicitatem. Ideo diuinus Poeta irrequieta & indefeſſa voce petit acceſſum ad conſpectum illum, tunc demum ſe fore beatum prędicans. Hoc igitur eſt culmen illud, hic vertex ille ſublimis, quo nos ſiſtit virtus, quę difficil is laborioſaque fuiſſe videbatur. Nemo enim negat non eſſe ſalebroſam, aſperam, difficilemque viam virtutis, ſed prædicatur ab omnibus pręmium eſſe maximum. Intellexerunt autem omnes, qui felicitatem ęternam non habuere, penitus certam atque exploratam, etiam corporeę vitę quandam tranquilitatem, in ſola probitate conſiſtere. Non poteſt quidem in hoc mundo quiſquam certa felicitate gloriari, quę potius verę voluptatis habet fugacem ſpeciem, ſed tamen qualiacunq; ſint, plura, ac maiora contingunt gaudia bonis, quàm malis longè minores, paucioreſque ęgritudines. Eſt igitur

pręmium

præmium virtutis vbique locuples ac fruentiſſimum, laudum, ac gaudiorum feraciſſima tellus virtus. Quæ ſola tanquam ad calcem omnium rerum ſiſtit nos ante conſpectum Dei, quem eſſe torrentem voluptatis prædicat Philoſophia cæleſtis.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

AVdite mortales, quàm hic ſe moribus omnium accommodet Propheta. Nec enim putare debet quiſquam, ſe ad probitatem, ac virtutem peruenire non poſſe, quia ſarcina carnis ſit oppreſſus. Nam & iter ſuperius docuit, & nunc ſe cum cæteris peccatorem, delinquentemq; oſtendit. Verè, inquit, cupio hanc virtutē, & ad mandata tua aduigilo, induſtriamque illic acuo, ſed quoniam mortalis ſum, multiſque premor imbecillitatis anguſtijs, tu quæſo porrige quoque dexteram, adiuuaque volentem. Quis enim eſt mortalium, qui errores, ac delicta penitus dignoſcat? Propterea ab his quæ neſciuntur, ignorantur, quæque latent ſenſus noſtros, mentemque effugiunt, ab his (inquam) purum me præſerua. Hoc autem loco plura ſunt obſeruanda: primùm, libertas arbitrij cum auxilio diuino coniuncta, quæ ſola vera, catholicaq; ſententia, & inter Scyllam, Caribdimque errorum conſiſtens, declaratur. Nam neque animo libertas auferri debet, vt Stoici quondam, & poſtea quidem antiqui erroris aſſertores, crediderunt, tum non debent ab animo, fragilitateque noſtra omnia expectari, ſed inuocandum auxilium diuinum, cùm in omni re, tum vero in ea quæ perdifficilis eſt, magnoque lumine indiget. Primum oſtendit poeta diuinus cùm induſtriam, laboremque ſuum, & promptitudinem in obſeruandis præceptis diuinis oſtendebat: ſecundum hoc loco, quo petit auxilium diuinum contra delicta, quæ per imperitiam admittuntur. Nam quorum malitia autor eſt, ea nullum poſcunt remedium à Deo, tantumque illic delinquitur, quantum quiſque vult, & cupit. Secundò igitur obſeruandum peccata ſanctorum innocentumq; virorum, potius inſcitiæ ſunt, non malitiæ: mali autem peccant malitioſè, ideo nullum poſtulant auxilium. Deinde ex hoc loco probamus multa eſſe peccata, quæ minimè à nobis videantur. Intelligimus item inuocandam eſſe opem diuinam, nec per inertiam eſſe cunctandum nobis, quaſi probitate noſtra contentis. Cogitare enim debemus, multa nos poſſe latere, tum videmus viros ſanctiſſimos contra peccata remedium à Deo, & eorum veniam poſtulaſſe. Arbitrati igitur eſſe quædam, etiam in ſumma innocentia, peccata, ab his petebant mundari, atque abſolui. Atque vox Hebraica שגיאות sheghioth, propriè ſignificat ea delicta quæ per inſcitiam admittuntur. Quæ ſæpe in Exodo, & alibi hoc vocabulo commemorantur. Dixit autem, Munda me: Hebraicè eodem modo נקני purifica, redde innocentem, ac mundum ab his peccatis, quæ ſunt mihi occulta. Dele quæſo huiuſmodi delicta, quæ non cerno, quæ in me adhæreſcunt. Quis enim eſt mortalium, qui hæc videat? Quis eſt quem non ſaltem occulta quædam, & ignota peccata non inficiant? Obſeruabimus autem non dici in Hebraico, Ab occultis meis: ſed occultis, tantum.

Dauid peccator.

Delicta.

Munda.

Ab occultis.

Et ab alienis parce ſeruo tuo.

Hoc loco maxima eſt à fontibus Hebræorum diſcrepantia, cuius etiam cauſam docebo. Duæ ſunt apud Hebræos litteræ, resh, & daleth, quæ forma, & charactere inter ſe ſimillimæ ſunt. Resh ſcribitur ר, Daleth, verò ד. Hinc factum eſt, vt Septuaginta interpretes, multas dictiones aut legerint, aut legi putarint altera littera, quæ nunc altera leguntur, & legendum ſenſus oſtendit. Vnum tantum exemplum proferam, vt id quod dicitur hoc loco, clarius fiat. Apud Eſaiā cap. 41. habetur החרישו hacharishu, id eſt, taceant ad me inſulæ: Septuaginta legentes daleth, pro החדישו hachadishu, tranſtulerunt, ἐγκαινίζεσθαι, renouamini: & tamen prior lectio ſenſū comprobatur, vt eo loco oſtendimus. Similiter igitur hoc loco videntur legiſſe זרים ſarim, id eſt alieni, cùm legatur זדים ſedim, id eſt, ſuperbis. Hæc lectio ex traductione Chaldaica quoque probatur, quæ concordat cum Hebraico. Hieronymus item legit eandem vocem, transferens Hebraicum, A ſuperbis quoque libera ſeruum tuum. Omnes item expoſitores Hebræi hoc modo legunt, & exponunt. Quare pro, Ab alienis, dicendum eſt, à ſuperbiis, vel arrogantiis. Et quod dixit parce, intelligemus iuxta germanam ſignificationem iſtius verbi apud Latinos, vt illud, Parce pias ſcelerare manus: videlicet, abſtrahe, amoue. Precatur ergo cum primis ſacer philoſophus inter cætera delicta pręcipuè commemorans ſuperbiam, ab ea mundari ac liberari, hoc dicens eſſe delictum maximum: appellatque ſuperbias, numero multitudinis, quam ſingulari exprimunt cæteræ linguæ. Duo, inquit, a te poſtulo, vt me a delictis occultis cuſtodias: ſecundum hoc, quod quidem longè maius eſt, vt à ſuperbia animum meum auoces. Nec putemus ſine maxima ratione eum præcipuè ſuperbiam commemoraſſe. Intelligebat enim prudentiſſimus vir inter ſcelera, quorum autor eſt malitia, & ſpiritus corruptus, ſuperbiam eſſe principem, fontemque malorum aliorum. Eſt enim peccatum ſpiritus, non carnis, vt luxuria, gula. Tantò ſunt autem grauiora peccata ſpiritus, peccatis corporis, quanto ſpiritus ipſe pręcedit naturam corporis. Cumque peccata ſpiritus neceſſariò ſint maxima ac turpiſſima, ab his reliquę ſordes ac vitia ducunt originem. Eſt autem ſuperbia contemptus Dei atque hominum, quæ ponitur hic ex aduerſo his, quæ ſuperius de lege diuina prædicauerat. Vt enim illic dicebat timorem Dei, qui opponitur ſuperbiæ atque contemptui, eſſe mundum, ac caſtiſſimum, ſic tanquam rem fœdiſſimam,

Annotationes Eugubini, in Iſaiam.

Ab occultis.

Parce.

Superbia.

omniumque ſpiritualium ſordium principium, precatur hoc loco à ſe reſcindi ſuperbiam. Atq; (vt dixi) propriè eam ſuperbiam, innuit, quæ eſt contemptus Dei, oppoſita timori eius, ac reuerentiæ, vt æquè ſit hæc ipſa impietas, ſicut timor Dei eſt ipſa pietas. Nam impietas propriè eſt contemptus Dei, auerſio ab eo, & blaſphemia: econtrario metuere eum, ac reuereri, ipſa prorſus pietas. Vbique autem execrabilis eſt in ſacris litteris ſuperbia, eaque latiſſimum malum prædicatur. Huc enim reſpicit idem ipſe ſibi conſentiens, cùm dicit, Superbi iniquè agebant vſquequaque: oſtendens, ſuperbiam eſſe peſtem ſpatioſiſſimam, omnia deuaſtantem, ac populantem, contemnit enim venerari Deum, bonaque eius non agnoſcit, non veneratur rerum autorem, non colit, ſed blaſphemat, execratur, non inquirit, non obſeruat, eodemq; progreſſu rerum humanarum ruinam meditatur. Dico igitur multis omiſſis, duas res: alteram celebrare fontem virtutum ac ſapientiæ, timorem Domini: alteram execrari veluti domicilium omnium ſordium, omnis dementiæ, ſtultitiæque principium, Superbiam, ſacras litteras. Nam ſtultus dicit non eſſe Deum in corde ſuo, is autem ſuperbus eſt. Eſt autem propria appellatio ſcripturarum, Timor Domini: Græci hac virtute præditos vocarent θεόρκȣς, θεοσεβεῖς, ὁσίȣς: Latini, pios, ſanctos. Nomen autem vitij vſitatum ac notiſſimum. Itaque non ſine maxima ratione, à maximo ſcelere poſtulauit non quidem mundari, nam non erat eo implicitus, ſed id à ſe prohiberi, auerti, longius arceri, tanquam peſtem animi, maximamque fœditatem. Is ergo verus ac germanus ſenſus iſtius loci eſt. Nam quod venerabilis doctor Nicolaus, alienos, hæreticos interpretatur, à quibus oret Pſaltes liberari, patet id eum minimè dicturum fuiſſe, ſi diligentius lectionem Hebraicam, cuius non erat ignarus, conſiderare voluiſſet. D

Pietas. Metꝰ Dei.

Si mei non fuerint dominati.

E

Si.

Homo naturalis, & animalis. Dominatus vitiorum.

HOc quoque paulo ſecus habet in fonte. Neque enim additur, ſi conditionalis particula, ſed negatio deteſtationem ſignificans, אל ימשלו בי Ne dominentur mihi, prudentiſſimeque eſt locutus, dominatum vitijs, pręcipueq; ſuperbiæ adſcribens. Nihil enim homo aliud eſt, quàm animus recta ratione vtens, quæ vis eſt eius, propriaque natura. Hanc cùm aliqua peſte animus amiſit, ab ea ipſa victus, profligatus, captusq; eſſe, iure prædicatur. Id enim præcipuè dominatur, cui tota cedit poteſtas, atque regendi autoritas. Regit autem ſimiliter animum ſuperbia, cùm in poteſtatem eius deuenit, vt ratio ſceptrum ipſa tenens, dictabat quondam conſilia recta, ac ſuggerebat. Ac quanquam omnia vitia dominari dicantur, proprium tamen eſt ſuperbiæ dominari. Quæ, vt nomen indicat, ſupergreditur, attollitq; ſublime caput. Nec vero ſecus ipſa rationi imperat, eamque premit, quàm cæteris affectat ipſa dominari. Primum igitur miſerabilem imponit animo ſeruitutem, pòſt in cæteros deſæuit, dans ipſa prior ſceleris ſui pęnas. Sequuntur enim cum ea graues animi, ac continui cruciatus, dum partim dolet, ſe aſpirare non poſſe quò cupit: aut aſpiranti clades, atque aſpera multa, difficiliaque occurrunt. Arbitrorque hanc ex animo peſtem eiicere, pluſquam humanarum eſſe virium, nec dari niſi pauciſſimis hanc victoriam, quòd tenebris animum & caligine primum obruat, vt ſe ſpeculari, cicatriceſque eum cernere ſuas non ſinat. Quæritur autem morbo remedium, cùm aut morbus prçſens ſentitur, aut veniens animaduertitur. In ſuperbia nihil tale, quæ ſtultiſſima ſui eſt conciliatrix. Ad opem igitur diuinam confugiendum, precibuſque adnitendum, vt ſpiritus manſuetus, ac mitis nobis largiatur. Quod tam Deo erit facillimum, quàm difficillimum nobis. Vnico enim afflatu, poteſt omnẽ illam ſceleratam diſcutere caliginẽ. Raro quidem hæc palam in nobis fiunt, non aliã haud dubie ob cauſam, quàm ꝙ bonum difficile contingitur, in quo acquirendo non deſudatur. Nos autem mortales, ſegnes, atque oſcitantes dormitamus: nec ſolum non munimus nobis ad altiores virtutes viam, ſed difficile quoque, quod natura dedit, retinemus. Sequamur igitur virorum optimorum exemplum, & inter cateruas errorum poſiti, ſingulis momentis ſanctam nobis infundi lucem poſtulare ne grauemur. F

Tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Maximam animi inquinationem eſſe ſuperbiam, is locus clare teſtatur, cùm hoc ſcelere à ſe depulſo, fore ſe ſine macula propheta fateatur. Conſiderandaque ſunt ſingula quæq; verba ac ponderanda. Quibus conſideratis, intelligemus quod ſcelus ſit, quam vim habeat ſuperbia. Nam vbi dicit delictum maximum, Hebraicè eſt פשע peshah, quam vocem Hebræi dicunt denotare defectionem, proditionem, apoſtaſiam. E quibus ſic, Rabi Dauid. אבל הפשע הואה מעד כעבד המורד ברבו Sed peshah eſt proditio, ac defectio, veluti cum ſeruus rebellis eſt. Domino. Quibus intelligimus hoc proprie ſcelus prophetam innuiſſe, quo Deo ſpiritus noſter refragatur, refugit eius parere mandatis, contemnit poteſtatem, bonitatem irridet, deſpicit benignitatem, non ſuſpicit maieſtatem: Durus, præfractus, ceruicoſus, lucifugus, inuidus, maledicus, monſtroſus. Ac primum dicunt Hebræi præcedere ſuperbiam, ab hac ad delictum maximum, id eſt profligatam, perditamque impietatem deueniri, cum in profundum præcipitari ſpiritui omnia contemnuntur. Rationis monita non ſentit, morſus latratuſque conſcientiæ non percipit, caligat ad omnia, non temporum, non locorum, non perſonarum diſcrimina agnoſcit. Hæc peſtis cùm animum inuaſit, ma-

Delictum maximũ. Peshah.

ſit, maximum ſcelus inuaſit, latiſſima corruptela inuaſit: tunc lacrymabile funus animi videas, vita lumineque ſuo deſtituti. Tales profectò homines eſſe deſierunt, tantumque exterior in eis remanſit imago. Imago autem Dei diffluxit, in portentum mutata. Merito igitur hic propheta preces adhibuit. Nam cùm homo ſit ab altiſſimo rerum bonarum principio remotiſſimus, neceſſario naturam habet imbecillem, & in omnes errores præcipitem, vt omnino indigeat diuina luce. Porro quod dixit, Tunc immaculatus ero, Hebraicè איתם quod deſignat etiam perfectus ero. Tunc, inquit, ero perfectus, cùm ex me ſuperbiam eieceris.

Tunc im. ero.

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

HAec quoque clarius intelligentur, ſi iuxta Hebraicum proferantur. Nam cùm preces, vbi ad commemorationem ſuperbię peruenerat, addidiſſet, tantumq́; facinus procul à ſe repelli ſupplex poſtulaſſet, non hoc contentus, maioribus etiam precibus id contendit, dicens, יהיו לרצון אמרי פי Sint accepta, ſint grata verba mea, ſit quæſo hæc mea poſtulatio efficax. Hieronymus quoq; in ſuo pſalterio: Sint placentes ſermones oris mei. Verterunt aũt per futurum, non per imperatiuum Sept. quòd apud Hebræos futura quemadmodum apud Græcos, interdum ſint vice imperatiuorum. Sequuti ſunt igitur indicatiuum. Senſus autem, vt dixi, docet ſupplicationem hic eſſe, vt exponunt etiam Hebręi. Porro quod ait, Et meditatio cordis mei: hoc innuit, non tam ea, quæ verbis expreſſis ac voce ſuper hac re poſtulaſſet, ſed plura quoque, quæ reſiderent in corde, & quæ non poſſet capere oratio, hæc inquam, omnia, grata, vt ſint Deo precatur, vtq; ab eo conſiderentur, & exaudiantur. Ac partim per tralationem ad res humanas, partim ad verum, ac proprietatem, dat conſpectum, ſiue faciem (vt habet Hebraicum) Deo. Omnia enim quæ ſunt apud nos, ritu moreq; noſtro, ſunt apud Deum, modo quodam diuino. Atq; ſimiliter vt nos molem corporeis manibus mouemus, ictum aerem, atq; voce animatum, organo corporeo excipimus, non ſine oculis corporeis cernimus: ſic omnes has facultates habent animi ſeparati, ſuo iure. Eodemque modo eſt quædam præſentia diuina, quam neque ſermone prorſus explicare, nec formare poſſit cogitatio, ſed talem quandam eſſe intelligimus. Cùm veniunt res ante oculos noſtros, ſæpe placent, ſæpe quoque diſplicent. Ante oculos Dei omnia clara pateſcunt. Enitendum eſt igitur, vt ſint illi placita, ac grata dicta noſtra ac facta. Atq; non modo poſtulandum, vt detur inde nobis, ſed vt ipſa quoque ſit accepta poſtulatio. Præcipueq; ad vitam pure ac innocenter tranſigendam, precibus auxilium diuinum eſt accerſendum.

Et erũt ut cõpla. elo. or. m.

Et me. cor. m. in cõſp. t. ſ.

De mẽbris ſpirituum.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

PRo adiutor meus, Hebraicè eſt, צורי Id eſt, petra mea. Vnum eſt è nominibus diuinis, ex ſimilitudine, non proprietate Deo attributum. Vt igitur dicitur paſtor, leo: ſic petra, quaſi robur, propugnaculum, præſidium, res ſolidiſſima, atque inuictiſſima, inexpugnabilis, ἀκρόπολις. Is erga pios eſt Deus. Alterum autem nomen eſt, גואלי id eſt, liberator meus. Vt primum deſignet perfugium, omnibuſque ab hoſtibus defenſionem, vt ne in hoſtes incidas: alterum ſi incideris, vt libereris. Hęc duo ſunt genera auxilij, quę ſolus Deus poteſt hominibus pręſtare, vt vel in hoſtes, & ſcelera, ne labamur, aut ſi ſimus illaqueati, ab eo ſolo eripiamur. Hæc igitur idcirco hoc loco vſurpauit, quòd à maximis grauiſſimiſque peccatis poſtulauit eripi. In quo clare & affectum ſuum, & quanti momenti, res eſſet peccatum, oſtendit. Non ſecus enim hiſce nominibus eſt vſus, ac ſi aliquo magno periculo, & in quo de ſalute ageretur, eſſet circumuentus. Videbis hoc in cæteris Pſalmis, cum ſe ab inimicis peti, ſanguinemq́; ſuum ab illis quęri cerneret, eum his nominibus inuocare Deum, petra mea, refugium meum, adiuua: liberator meus, ac redemptor meus, eripe famulum tuum. Ecce igitur oſtendit, quàm prorſus haud intereſſit, an in poteſtatem hoſtium, an peccatorum ac flagitiorum deuenias.

Adiutor.

PSALMI XIX. EXPLANATIO.

PRAEFIGITVR Pſalmo inſcriptio, In finem Pſalmus Dauid. Dictum ſępius, Græcum εἰς τέλος, in finem, non reſpondere Hebraico למנצח lamnazeach, quod non æternitatem principijs Pſalmorum deſignet, ſed potius laudem, pæaniſmum, vociferationem eorum, qui viciſſent. Rectius ergo diuus Latinorum interpres, Hebraicum lamnazeach, victori. Chaldæus autem reſpicit ſignificatum laudis, qui ſub ea voce, continetur, לשבחא תישבחת leshabecha, thusbachta. Ad canendum hymnum. Eſt autem is hymnus triumphalis. Itaque rectè vertitur eadem vox, Pro victoria, nempe victoriale carmen. Ferunt Hebræi, quibus aſſentitur Nicolaus, editum Pſalmum à cantoribus pro Dauid, cum mitteret exercitus, duceſq́; in prælium: Ipſe autem eiſdem ducibus cogentibus, nequid ei grauius accideret, domi reſidere, aut pugna excedere cogeretur. Cumque dicitur, Pſalmus Dauid, volunt articulum לדוד le Dauid, eſſe quaſi pro ipſo Dauid, exemplis id ſignificatum comprobantes. His ego aſſentior: at Euthymio minimè, qui ferat editum Pſalmum quaſi pro Rege Ezechia, contra Regem Aſſyriorum. Non video quis locus hunc ei ſenſum tam longè petitum, exhibuerit.

Lamnazeach.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.

D

Dies tribulationis. Exaudiet.

DIem tribulationis, Hebraicè צרה zara, anguſtiæ, vexationis interpretantur Hebręi diē prælij comittendi. Ille dies longè grauiſſimus, ſed præſto ſuis, inquit, Deus erit, pede ſecundo veniet, Animos dabit, virtute pectora replebit, non aſpernabitur vocantes. Eſt igitur futurum in Hebraico יענך iaanecha, audiet, exaudiet: forte etiam orat, imperat, vt Græcè eſt ἐπακούσαι σου, Exaudiat te Dominus. Exaudierit te ope eius, precibus implorata, vt fit ab his, quibus calamitates impendent, nullam patiere repulſam. Quod Græcè eſt, ὑπερασπίσαι, protegat, Hebraicè ישגבך ieſaghbecha, deſignat quidem protegere, defendere, ſed ei metaphora ſubeſt. Græci defenſionem à ſcuto, quod obijcimus hoſti, nominant ἀσπὶς, inde ὑπερασπίσαι. Hinc ille dictus ῥιψάσπις, fugax, timidus, quòd ſcuto abiecto primus in celeritate pedum ſalutem poſuerit, loquendo, quàm pugnando longè melior. At Hebręi defenſionem à locis editis ſumunt, ab arcibus inacceſſis. Itaque protegat te, Hebraicè exaltet, in loco edito, tuto ſiſtat, eleuet ab ictu. Sonat igitur id verbum, eleuare, attollere. Nomen quoque Hebraico loquendi genere, eſt pro maieſtate, numine. Nomen Dei, maieſtas, diuinitas, numen, veneratio, celebritas. Iacob autem dixit velut Hebræus. A Iacob genus Hebræorum eſt, Deus Iacob, quaſi Deus Hebręorum, vnicè ab Hebræis illo æuo cognitus, & adoratus. Quibus ſolis, ſeſe conſpicuum, clarum, beneficum, ſeruatorem, propriumque Deum, exhibuit, cæteris non æquè. Ab antiquiſſimis patribus, quibus viſus, quos familiariter eſt allocutus, cognitione, & ſcientia eius deſcendente, vt ſua cuique vrbi, ac genti propria numina, ſic Hebræis hoc verum numen.

Protegat.

Nomē dei Iacob.

De' Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te.

E

Sanctum.

Sion.

Tueatur.

IMperatiua hęc, vt dixi futuro efferri poſſent ἀποστείλαι. fons ישלח islach, mittet, ſi ſit deprecatio per imperatiuum. Sanctum, Hebraicè קדש codes, ſanctuarium. Mittat auxilium de ſanctuario. Eſt aſſentientibus Hebręis, pro loco vbi erat arca, vt declarat quod ſequitur, Et de Sion tueatur. In monte Sion erat arca, ibi reſponſa reddebantur. Erat oraculum totius gentis Hebraicæ: inde Deus vocatus, & conſultus mittebat opem Hebræis. Rabi igitur Salomon exponit, E templo ſanctitatis ſuæ in quo inhabitet. Auen Eſra, ex loco, vbi erat arca. Quod autem ait, Tueatur, Græcè ἀντιλάβοιτο, auxilietur. Idipſum pollet Hebraicum יסעדך iſadeca, Suſtentet, ſuffulciat, ſuſtineat.

Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

Sacrificia.

NVnc quoque imperatiuum, futuro proferendum Græcę μνησθείη. In origine יזכר iſcor, Recordabitur, memorauerit pro θυσίας, ſacrificio, ſunt in fonte מנחתך minchotheca, oblationes tuæ, eadem, & ſacrificia. Hebræorum fert opinio, deſignari ſacrificia, quæ bello ingruente fiebant. Onerauitque ęthera votis. Mactant totidem de more bidentes. Cumulantque altaria donis. Poſſet igitur eſſe futurum, itemque oratio. Precatur, vt ſit acceptum, gratumque ſacrificium, vt veniat vocanti cælitus auxilium. Nōne ex ſacris ritibus peruenit ad alias gentes ratio ſacrificiorum, quæ & ipſi ſperabant, & optabant ſuperis eſſe grata, vt Homerus de Neptuno profecto ad Aethiopas, vbi pinguibus hoſtiis delectaretur.

F

Αντιόων ταύρωντε, καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.

Taurorum fruitur, agnorumque hic he catombe.

In ſacerdote quoque meminit pinguis ſacrificij, pinguiumque hoſtiarum.

Κατὰ πίονα μηρία ἔκηα,
ταυρῶν ἠδ᾽ αἰγῶν.
Aut pinguia flammis.
Crura dedi taurorum, agnorumque.

Holocauſ. Pīgue fiat.

Pingue igitur ſacrificium, ſiue holocauſtum, eſt, quod totum flammis abſumitur. Nam uerbum Hebraicum loco ידשן daſan, quod transfertur pingueſcere, deſignat etiam cinereſcere, à nomine דשן deshen, cinis. Propterea Auen Eſra, ſupradictum uerbū alio clariore exponit, pro pingue fiat ישדפנא iſdephenna, comburatur ſacrificium. Comburat ipſum ignis altaris, redeatque in cineres ſacrificium. Rabi uerò Dauid approbans hunc ſenſum, Pingue fiat, inquit, nimirum, uertat ipſum ſacrificium Deus in cineres. Quaſi dixerit, Mittat ignem ad concremandum illud, ſitque ipſi acceptabile. Hæc illi. Hoc ſacrificii genus à Græcis ad eundem ſenſum uocatur ὁλόκαυστον, holocauſtum, ſonat totum combuſtum, atque iuxta ſenſum Hebræorum, locum interpretantur, fuiſſe ſacrificium, quod totum combureretur, aliud, cuius partes duntaxat, crura, iecur. Maiores hoſtias fuiſſe, quę totę concremarentur. Sed hic precatur, quale fertur ab Hebræis accidiſſe ſacrificio Abel, quod deſcendente cælitus igni, crematum eſt, eoque indicio, perſpectum fuiſſe acceptabile. Id orat, precaturque Propheta.

A Tribuat tibi Dominus ſecundum cor tuum:& omne conſilium tuum confirmet.

TRibuat ſecundum cor,ad victoriam pertinet iuxta Hebræos,Det tibi Deus, vt inimicos ſuperes,optata victoria potiaris.Quod dixit,confirmet,Hebraicè, & Græcè ימלא πληρῶσαι, impleat,perficiat,abſoluat. Conſilium autem eſt pro voluntate.Nam voluntas a Latinis,à verbo Gręco conſulendi ducta. Et conſilium dicitur φυλὴ, Vole. Hinc poeta rerum omnium conſultiſſimus,

Trib.ti.ſe. cor t.
Confir.
Cõſilium.
Voluntas.

Conſilio,hanc omnes, animiſque volentibus vrbem

Afferimur. Iungens conſilium,ac voluntatem,vt idem.Cor item pro animo, ex conſuetudine ſacrarum litterarum, itemque priſcorum poetarum apud Græcos, vt φίλον κῆρ φίλον ἦτορ, charum cor loqui inducentes.

Cor.

Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

SAlutare, σωτήριον. Melius ad Hebraicum,& clarius ישועתך ieſuatheca,in ſalute tua. A militibus,à populo ante regẽ dicentur.Hęc ait Auen Eſra: nam ſalutẽ tuã referri ad ipſum Dauid. Exultabimus ergo populus eius victoreſque milites ob ſalutem,ob victoriam. Poſſet ſalus etiam de Deo ſentiri.Propter ſalutem tuam Deus, ſalutem abs te acceptam, demiſſum cælitus auxilium,præſente numine tuo,ac tela noſtra in hoſtes dirigente. Propter hanc ſalutem,exultabimus,efferemur lætitia, clamores noſtri lætitiæ teſtes audientur. Eſt enim verbum Hebraicum

B נרננה nerannena, exhilarari, vociferari,laudare. Quod ait,Magnificabimur, obſeruatum etiam à Capnione,ſimilitudinem vocis interpretes Gręcos fefelliſſe.Duæ ſunt voces inuicem ſimillimæ גדל gadol,magnus דגל deghel,vexillum,inſigne.Ab his verba ducuntur,à primo verbum magnificandi,à ſecundo inſigniendi,nobilitandi.Hoc loco dicitur נדגל nidgol,inſignes, nobiles erimus. Si eſſet verbum magnificãdi,diceret נגדל nigdol. Declarans igitur hoc verbum Auen Eſra.Cum inquit,impleuerit Deus petitiones tuas ירום דגלינו iarum daglenu, eleuabitur vexillum noſtrum. Et Rabi Salomon,Congregabimur,præliumque committemus. Rabi quoque Dauid נרום דגלינו ונשא Eleuabimus vexillum,& inſigne noſtrum. Chaldæus item ad hanc ſignificationem, Et in nomine Dei noſtri נישקס nitches,explicabimus ſignum.Eſt enim verbum Græcum τεῦχος, volumen inuolucrum.Inde Hieronymus ſimile quid,ſed paulum uario ſenſu:Et in nomine Dei noſtri ducemus choros.Eſt igitur ſenſus verus: inuocato nomine tuo,ſignum in hoſtes explicabimus, vexillum proponemus. A te enim ſalutem, victoriamque ſperamus. Hac,auxilio,& beneficio tuo potiti,omnibus in templis lætabimur. Quod ait,impleat Dominus omnes petitiones, magis per futurum,iuxta alia verba in hoc verſu efferri debet, implebit Dominus,propterea, quòd uaticinium eſt de victoria.

Tui.
Lat. in ſal. tu.
Magnific.
Impleat.

Nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo,in potentatibus ſalus dexteræ eius.

NVnc cognoui, uariat perſonas ad morem poetarum, nunc ipſe poeta loquitur, nunc dat populo ſermonem. Hic loquitur, ipſe Vates, qui carmen pro rege edidit. Eſt,ait,

C parta,explorataque uictoria. Præſaga boni mens proſpicit, os fatidicum prenuntiat. Chriſtum autem ſuum, ipſum Dauid interpretantur. Auen Eſra Meſſiam quoque deſignari poſſe teſtatur. Profatur quoque cælitus exauditam eius orationem.Hęc ſalus eius,is triumphus. Quod ait,In potentatibus ſalus dexterę eius,in origine clarius. Nam ἡ σοτηρία, ſalus per nominatiuum,conuenit eſſe potius per genitiuum, veluti tranſtulit Hieronymus, habetque oratio, Exaudiet illum de cęlo ſancto ſuo,in poteſtatibus,ſiue fortitudine ſalutis dexteræ ſuæ.Hoc erit exaudire de cœlo regem ſuum,quòd eum liberabit,ſeruabit cum poteſtate dexterę. Potenti dextera ſua ſeruabit eum. Extendet potentem dexteram, ſeruabitq; eum,profligatis inimicis. Hæc dextera contra hoſtes erit,qualis apud poetas.

Nũccogn.
Chriſtum.
In potẽta. ſal. dexte. eius.

Contigimuſque manum, qua concidit Ilia tellus,
Et, Heſiodus de Gigantibus.
καὶ χεῖρας ἀάπτους. Et,
Qui manibus magnis reſcindere cælum

Aggreſſi.] Similes quaſdam manus,canit poeta noſter,Cum ſalute,inquit,exaudiet eum,quam præpotens eius dextera dabit. Exaudiet,dexteramque potentem extendet. Ab hac omnipotenti dextera ſalus erit. Hieronymus ergo clarius ſic tranſtulit,Exaudiet eum de cęlo ſancto ſuo, in fortitudine ſalutis dexteræ eius. Et quos Latinus dixit,potentatus, rectius dixiſſet uires, potentiam, Græcè.

Obligati. ſunt.
Sur.
Erecti ſumus.

Hi in curribus & hi in equis:nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.

DEeſt uerbum, confidunt, ſperant, ſpem magnam habent, alii in curribus, cæteri in equis at nos in ſolo Deo. Curribus,atque eſſedis ea tempeſtate præliabantur, Latinus poeta.

Inſtaret curru criſtatus Achilles. Et,

Fertur equis curruque hæret reſupinus inani.

Quod dixit, inuocabimus, Hebraicum נזכיר nashir, tecordabimur, quod Eccleſiæ quoque doctor poſuit. Præſidium itaque noſtrum non arma, non currus erunt, & equi, ſed Deus præpotens. Nec victoria nobis conſtat equitum, peditumque multitudine, ſed cæleſtis opis inuocatione. Ea milites noſtros confirmabit, animoſos efficiet, proteret hoſtes, & profligabit. D

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

QVod Sept. dixerunt συνεποδίσθησαν, Obligati ſunt, clarius Hebraicum, quod tranſtulit Hiero. כרעו careu, incuruati ſunt. Huic cætera reſpondent, ceciderunt, ſurreximus, Atque quod dixerunt iidem Sept. ἀνέστημεν, ſurreximus, aptius ad Hebraicum dicas קמ camnu, ſtetimus, vt innuat eos non cecidiſſe, quemadmodum hoſtes, ſed ſtetiſſe. Verbum quoq; erecti ſumus, id quidem ſonat Hebraicè: at rurſum ſuffulti ſumus, eleuati, ſublati, ſuſtentati altè, ne prolaberemur, נתעודד nithodad.

Domine ſaluum fac regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

ORdo lectionis Hebraicæ ſecus habet, nimirum, vt tranſtulit Hieronymus, Domine ſalua, Rex exaudiet nos, in die, qua clamauerimus, aut vocauerimus. Quapropter rex non eſt accuſandi caſus, neque nunc rex eſt ipſe Dauid, ſed, teſtibus Hebræis, Deus ſummus, E Regnator mundi, cęlum, ac terras, qui numine torquet. Suntque hic duo nomina Dei, Iehoua, Ioues, Iupiter, atque Rex, quod & ipſum Ioui ab omnibus poetis tribuitur, vt Callimachus σοὶ γὰρ ὦ ἄνα, &c. Rex tibi nanque ſepulchrum, Fecerunt Cretes. Et dico ego opera mea regi. Diem qua vocauerimus, iure exponunt tempus prælij committendi, paratis animis ad dimicandum. Eſt ergo precatio, Domine ſalua, ſerua, nempe populum tuum. Tunc ſuccinit quaſi vaticinium, Rex exaudiet nos in die, qua inuocauerimus.

PSALMI XX. EXPLANATIO.

Lamnazeach.

SOLITA cæteris pſalmis inſcriptio. In finem pſalmus Dauid. Pro εἰς τέλος, in finem, eſt למנצח lamnazeach. Ad triumphandum, laudibus, carminibus victorialibus. Et Chaldæus, Ad laudandum, carmen Dauid. Quorſum pertineat pſalmus, qũ veteres Hebræi, qui propius à ſpiritu vero prophetiæ, quàm poſteriores aberãt, expoſuerũt, horum maximè ſententiæ acquieſcendum eſt. Amandatis igitur Gręcis, qui neſcio qua de cauſa, referunt pſalmum quemadmodum ſuperiorem, ad tempora Regis Ezechiæ, quo graui morbo liberato, populus hoc quaſi carmen cecinerit, Hebræos vetuſtiores reſpicere conuenit, cenſentes editum carmen, quod & Nicolaus teſtatur, ſuper Rege Meſſia, ſuper gloria, ac maieſtate eius, quem cęteri pſalmi celebrantes, vocant, Omnium mortalium ſpecioſiſſimum, Regem præpotẽtem appellant, dant ei militarem virtutem, tela, arma, gladium. Atq; Rabi Salomon reliquis Hebræis impudẽtior, ſciens Maiores carmen de Rege Meſſia interpretatos, non eſt veritus more gẽtis in ſuam perniciem ſemper cæcutientis hæc ſcribere, vt eorum miſeranda pertinacia ſit perſpicua, רבותינו פתרוהו על המלך המשיח ונכון הדבר לפותרו עוד על דוד עצמו לתשובת המינים שפתרו Rabbothenu pateruhu, almelech ha Maſſiat. Venacõ hadabarle, potere od al Dauid azmo, lateshubath haminim shepateru. Maiores, inquit, noſtri, qui doctores ſynagogæ noſtrę, expoſuerunt pſalmum ſuper Rege Meſſia. Sed conuenit item de Dauid intepretari, vt hæreticis reſpondeatur, exponentibus poſtquam duxiſſet Berſabee, hunc pſalmum eum ceciniſſe. Hæc ille. At non propter hanc cauſam vult de Dauid pſalmum poſſe interpretari, ſed ne Chriſtiani, quos hæreticos, ſiue exleges appellat, haberent vllum de Meſſia teſtimonium, cui niterentur. Eo dimiſſo, Auen Eſra, & Rabi Dauid minus impudentens, liberam interpretationem proponunt, vt vel de Dauid ſit, vel iuxta maiores de rege Meſſia. Sed potius in eam ſententiam tendens Rabi Dauid, eſſe de Meſſia, hæc ait, cùm dicitur pſalmus Dauid, ſentiendum eſſe, editum eſſe in ſpiritu prophetiæ ab ipſo Dauid de Rege Meſſia filio eius. Inimici erunt Gog, & Magog, exercituſque eorum, qui obſidebunt Hieruſalem. Aut cùm dicitur לדוד le, Dauid, pſalmus de Dauid, intelligendum eſt, pſalmus ſuper Dauid. Dauid autem eſt nomen Meſſię, quemadmodum eſt apud prophetam, Et Dauid ſeruus meus, princeps erit ei in æternum. Hæc ille. Quibus etſi lumen veritatis ab antiquis ſuis præfulgeret, tantam tamen obſcuritatem mentibus eorum offudit pertinacia, vt lux à priſcis ſęculis eradians, nihil eis ad videndum profuerit. Nam opponunt ſeſe ne de Chriſto filio Dei poſſit interpretari, quemadmodum Rabi Salomon, nil maiorum grauitatem moratus, & ab autoritate eorum, propterea, quòd de Chriſto loquebantur, clam ſe ſubducens, ad Dauid oraculum attraxit. At nobis ſat eſt, maiores eorum, quos poſteriores venerari coguntur, quò propinquiores ſęculorum bonitati fuiſſent, hoc incorruptius de his oraculis iudicaſſe. Ac vera eſſe comprobabit, quæ de maiorum interpretatione

Le Dauid.

Midraſlhe hilim.

A terpretatione minores locuti ſunt,qui viderit librum quem vocant Midras Ihehilim, quod eſt
myſtica pſalmorum interpretatio. Item Chaldaica editio, quæ transferens in eum ſermonem
ſcripturas Hebraicas, priſcorum aperire myſteria delectatur. Regem Meſſiam ſæpius hoc pſal-
mo memorat.

Domine,in virtute tua lætabitur Rex: & ſuper ſalutari tuo exultabit vehementer.

Salutare. Virtus. Lætari. Rex De Meſſia.

SAlutare (vt ſæpius monui) clarius,& melius,ſalutem ישועתך Ieſuatheca, ſalute tua,ſeruatio-
ne tua:nimirum, qua attuliſti, qua illum adiuuiſti,ſaluti eius proſpexiſti. Virtutem dixit,
Græcè clarius ad Hebraicum δυνάμει, poteſtate,vi,fortitudine עז oz, in poteſtate, robo-
re,fortitudine tua,qua ſcilicet eum confirmaſti,corroboraſti:lætabitur,alacer erit. Animos dan-
te Deo,ſpiritus ingentes infundente,ipſo pectori regio illabente,Rex lætabitur, plenus erit ala-
critatis. Quæ ſit virtus,declarat ſubijciens,Salutari tuo. Eſt igitur virtus, aut poteſtas, ſalus ipſi
Regi cælitus allata. Nomen quoque Regis congruè Meſſiæ tribuit,qui Rex,dominatorq; mundi
vocatur vbique in ſacris litteris. Ecce Rex tuus venit,pauper,humilis. Dico ego opera mea Re-
gi. Et Chaldæus illic,Pulchritudo tua ò Rex Meſſias. Totoque pſalmo,qui incipit,Eructauit cor
meum verbum bonum. Regia maieſtas Meſſiæ deſcribitur. Chaldæus igitur, cui plurima priſco-
rum myſteria declarare transferendo mos eſt,hoc loco apertè Meſſiam appellat. Domine,in vir
tute tua lætabitur מליך משיחא melik,Meſicka,Rex Meſſias. Alii chaldaicæ interpretationis codi-
B ces habent,pro lætabitur ימלך imlak,regnabit. Non eſt mirum tribuere ſacras litteras,Meſſiæ,qui
idem Deus ſit,à Deo corroboretur,confirmetur, ope eius ſubleuetur, quod ea fuit Apoſtolorũ
quoque theologia,quam Meſſias ipſe docuit,ac reuelauit,vt modò diuinitatem eius,æqualemq;
patri maieſtatem prædicarent,modò quicquid habet,vel ipſum numen,ſubſtantiamque diuinita
tis,à patre eſſe docerent,omniaque bona velut inferiorem ab eo recognoſcere,inque eum acce-
pta referre,& ipſos Apoſtolos cum prophetis,atque ipſum Meſſiam, demonſtrarent. Nuſquam
enim inuenies Meſſiam non prædicantem patris ſui maieſtatem,eumque ſumma veneratione co
lentem:omnis maieſtatis ſuæ,ac diuinitatis autorem fatentem. Humiliauit enim ſemetipſum,fa-
ctus obediens vſque ad mortem. Hac theologia,vt noua religio,quam Meſſias,& quos miſit,ef-
fuderunt in mundum,plena eſt,ſic in antiquis oraculis,omnibus locis occurrit,nunc numen ęter
num Meſſiæ,ſummamque diuinitatem prædicantibus: nunc eum velut hominem nobis offeren
tibus,qui ab alio,ſumma illa bona,ſicut inferior acceperit. Hoc igitur fefellit Hebræos,ſtolidum
pecus,illam bonorum acceptationem,quam de Meſſia prędicant oracula,merum hominem de-
ſignare ſummo mentis errore opinantes. Neq; enim ſunt vllius interioris philoſophiæ capaces.
Illa igitur bonorum acceptorum prædicatio,non hominem merum,quales nos,deſignat,ſed na-
tum accipientemque ab alio,parte alia conſtanter diuinatem, æqualemque primo maieſtatem
prædicantes eaſdem ſacras litteras inuenies. Hoc igitur poſteriores Hebræi videre non potue-
runt,viſuri ſanè,ſi veterum ſuorum theologiam liquidis oculis inſpexiſſent. Sed eis caliginem,
tenebraſque offudit pertinacia,certuſque Chriſtianis contradicendi ſcopus. Hęc dixi,vt in pri-
mis Rabi Dauid reſponderem,intimę theologiæ huius penitus inſcio, qua Meſſias omnia bona
C accepta refert à patre,ſuſpicati ob hanc prædicationem nihil eum diuinum habuiſſe, ſed homi-
nem duntaxat fuiſſe:potuiſſemque longius eo refellendo ſermonem protrahere,ſi quid ponde-
ris vnius imperiti Iudæi calumniam putaſſem.

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

Voluntas lab.

Præterita pro futuris.

Math. 3. d.

pſ. 80. Dilata os tuũ, & impl. il.

QVod dixerunt Septuagin. θέλησιν τῶν χειλέων, voluntatem labiorum,eſt in fonte ארשת areſheth,conſtanter ab Hebræis exponitur pro eloquio. Chaldęusque pro eo, clarum ex idiomate Hebraico vocabulum פרוש perush,explanationem,interpretationem. Aptius labijs hoc congruit,quàm voluntas. Ad hæc, quod ſæpius à noſtris dicitur in ſacris oraculis propter rerum futurarum,quas prædicunt,certitudinem,efferri ſolere futura præteritis, ab Hebræis quoque probatur hoc loco,cenſentibus præteritum tribuiſti, referendum ad futurum in aduentu Meſſiæ. Complectitur autem Vates omnem Meſſię magnificentiam, omne decus, cùm canit ei data quęcunque poſtulaſſet,vt eſt ſecundo Pſalmo,quē de Meſſia quoq; interpretantur: Poſtula à me,& dabo tibi gentes hęreditatem tuam. Et ipſe de ſe ipſo apud Euangeliſtas:Ecce data eſt mihi omnis poteſtas in cælo,& in terra. Et, Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio. Et,Ecce filius meus in quo mihi bene complacui. Gręcè εὐδόκησα, contentus ſum,me talem habere natum,lætor tali prole: bonis in eum collatis vehementer delector. Itaque deſiderium cordis,& prolatio labiorum,quantum deſiderare cor, quantum os poſtulare poſſit, deſignat,bona infinita,bonorum incredibilem affluentiam,copiam inexhauſtam, quę à ſolo filio Dei poſſidetur. Expedit ſingula bona.

Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcenis: poſuiſti in caput eius coronam de lapide pretioſo. D

Præuente.

PRæueniſti, Hebraicè per futurum. vtque monent Hebræi, verbum præueniendi cadit in duos, Deum, qui præuenerit, aut ipſas benedictiones, quę præuenerint. Eſt autem ſenſus præueniendi, quòd quaſi occurrerunt ei venienti omnes gratiæ. Affuerunt ei naſcenti omnes afluentię, cornucopiæ. Præoccupauerunt, præſto fuerunt, veluti Regem circunſteterunt agmina ſancta ſororum. Ab æterno fuerunt illi gratiæ comites. Non longè poſt ſubſecutæ ſunt, ſed vna cum illo naſcente fuerunt, natus eſt autem ab æterno. Gratiarum igitur præuentus, æternum tempus, quo benedictionum aduentus anteceſſit, deſignat. Non longe poſt nata eſt paulatimque creuit maieſtas eius, ſed fuit ab æterno. Atque adeo præuenerunt benedictiones eius, celeriſque earum aduentus fuit, vt omne ſæculum, atque ortum cunctarum rerum præuenerit. Hoc deſignat præuenire. Benedictiones (vt antè demonſtrauimus) Hebraicè dicuntur ברכות berachoth, vox ſonat affluentias, abundantias, exuberantias. Vt enim Latini abundare dixerunt ab vndis, & affluere, à fluxu fluminum, ſic Hebraicè, benedictiones dictæ à ברכה bereka, fons, piſcina. Propterea benedictiones ſunt affluentię, vbertates. Latini, & Græci ad ſermonem retulerunt. Eſt enim εὐλογεῖν, benedicere, copioſa, magna, plurima alicui precari. Benedicimus, cùm res affluentes, magnas, eximias precamur. Nec diſtat Hebraicum à Gręco, atque Latino. Quod Latinus dixit, Benedictiones dulcedinis, Gręcum eſt, benedictiones χρηστότητος, bonitatis, ſuauitatis, Hebraicũ benedictiones טוב bonas, Hebraicũ, & Gręcum bonũ dixerũt, Latinus dulce, quòd bona, & dulcia ſępe ſunt eadẽ, ſi modo non ad ſapores ſolos dulcedinẽ referas.

Cæleris, nominandi caſ. — Benedictio — Dulcedin.

Et te germana, tuumque. E

Dulce caput. Linquebant dulces animas. Et Lux dulcis, iucundum lumen. Benedictiones bonę, dulces, exoptati theſauri, rerum pręſtantiſſimarum poſſeſſio. Declarat apertius, Coronam de lapide pretioſo, pro Gręco ἐκ λίθȣ τιμίȣ, Hebraicè coronam פז pax. Coronam auream coronam pretioſi auri, quod dicitur, paz. Hoc ſciens Hieronymus tranſtulit coronam de obrizo. Eſt autem obrizum aurum lectiſſimum, puriſſimum. Coronæ autem impoſitio, eſt regię dignitatis cõceſſio. Quem conſtituit Regem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula, ait magnus ille Theologus. Et Sibylla clarè, ἡγητῆρα θεῶν κάτθετο, Principem Deorum conſtituit eum pater. Si Deorum, multò magis hominum. Et in titulo: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. Aut corona aurea eſt rerum cũctarum, gratiarum, virtutum, bonorumq; poſſeſſio: optimæ cuiuſque rei nullius non dignitatis, honoriſq; cumulus. Itaq; rectè de Meſſia veteres hæc acceperunt.

Cor. de lap. pretio. Paz. Obrizum,

Vitam petijt à te, & tribuiſti ei: longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

HOc carmen Chaldæus, cuius apud Hebręos autoritas eſt grauiſſima, altiora, quàm hodierna Iudaica inſipientia ſuſpiciens, transfert חיי עלמא chaiai alma, vitam ęternam petijt. Itẽq;, quod obſcurè dicitur Latinè, in ſæculũ & ſęculũ ſęculi, quanquã Gręcè melius εἰς αἰῶνα αἰῶνος, in ſæculum ſęculi, Chaldæus dixit, Longitudinem dierum לעלמי עלמין lealeme alemin, in ſæcula ſęculorum. Hebraicè עולם ועד in æternum, & vltra. Hieronymus, In ſæculum, & in æternum. Eſt igitur euidentiſſimum contra veſaniam Hebraicam teſtimonium de æternitate Meſſiæ. Hoc erat, quod tempore Chriſti per omnem plebem fama de Chriſto percrebuerat. Nos, dicebat turba, audiuimus ex lege, quòd Chriſtus manet in æternum. Aeterna igitur vita, immortale, & indeficiens æuum Meſſiæ, quod ei tribuũt ſacra oracula, declarat diuinitatẽ. Declarat aliud, quàm humanitatem corruptibilem, quod cæca natio contendit Meſſiam habuiſſe. Hinc aliud oraculum, cum pręſenti conſentiens de eodem Meſſia, autoribus Hebręis: Ante ſolem permanet nomen eius. Et aliud mirabile. Ex vtero ante luciferum genui te. Hęc igitur eſt ęterna vita. Nam quod cęlum, ſidera, Solem, Lunamque anteceſſit, ęternum eſt. Vita Meſſię fuit ante Solem, ante Luciferum, ante ſidera cęleſtia. Nec fuit ſolum, ſed etiam, quod pręſens oraculum canit, in ſempiternum erit. Proſecuturus igitur bona, quę Meſſiam poſſidere cęleſti oraculo didicerat, prępoſuit auream, pretioſamq; coronam, qua Deus deſignauit, declarauit filiũ ſuum Regem cęli & terrę. Tum ne putares hoc regnum, quaſi regnum mortalium regum, ſubiecit eius æternitatem. Eſt enim de eodem in oraculo DaniElis in viſione, vt ei dederit pater regnum ſempiternum, quemadmodum nunc Pſalmus concinit, vt ſentias oraculorum conſenſum ſuper rege Meſſia. Aſpiciebam, inquit, in viſione noctis, & ecce cum nubibus cęli, quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum. Et omnes populi tribus, & lingue ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas ęterna, quę non auferetur, & regnum, quod non corrumpetur. Hęc DaniElis oraculum. Vides vt dicat antiquum dierum, nimirum patrem ęternum, genitorem ſempiternum, qui dicitur antiquus dierum, nempe ſempiternus, dediſſe ei, quem videbat incedere in nubibus cœli, comitantibus Angelis, poteſtatem, gloriam, coronam de lapide pretioſo. Vidit enim DaniEl eiuſcemodi ſpectaculum. Inuectus nube ſerena, diuum comitante caterua, inſignis homo procedebat. F

Dani. 7.

Expoſitio. viſionis.

A bat. Hunc omnis ille Deorum cętus, qui circunſtabat, comitabaturq́ue eum, deduxit vſque in conſpectum illius, quem vocat Vates, antiquum dierum, ſcilicet genitorem ſempiternum. Tunc eum pater æternus complexus, Regem ſempiternum declarauit, poteſtatem dedit, ſubiectis omnibus gentibus, quas vniuerſus orbis amplectitur. Quæcunque Daniel ſpectaculo perſpexit, Dauid verſibus elocutus eſt prior, decantans Meſſiæ ſempiternam maieſtatem, non à ſe ipſo, ſed à patre datam. Hæc ſi cęcitas Hebraica videre potuiſſet, nec tantopere pertinaces eſſent, & vnam nobiſcum religionem, innumeris ſuorum Vatum oraculis longo antè tempore prædictam colerent, venerarentur.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Salutare.

IN ſalutari tuo. Obſeruatum ſuperius, clarius Hebraicum eſſe ישועתך Ieſuatheca, in ſalute tua. Quid enim eſt σωτήριον, ſalutare? Res ſalutaris, ſalubris. At Hebraicum, ipſa ſalus. Magna, inquit, gloria, magnum decus, & præſidium proueniet ad eum, ex ſalute tua. Quòd ei tu præſidium es, quòd, ſeruator, & defenſor, quod te rem gerente, pulſos, ac ſuperatos hoſtes viderunt omnes, celebre erit apud omnes nomen eius. Tu vitam, atque immortalitatem, tu poteſtatem, qua ſuperaret omnes reges dediſti. Data eſt, inquit idem ipſe, mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. A te gloria, nomen, decusq; erit illi. Tu nominis, triumphorumq́ue autor. Eſt hoc loco euidentiſſimum priſcorum Hebræorum teſtimonium ſuper rege Meſſia, in libro, quem dixi vocari Midra Ihehilim. Cùm multa de Meſſia ex ſacris oraculis teſtimonia protuliſſet, eſt, inquit
B priſcus theologus Rabi Hanina, veſtis quędam nectarea, diuina, qua ſolus Deus, nequaquam reges terreſtres veſtiuntur, de qua pſalmus canit: Confeſſionem, & decorem induiſti. Hanc veſtem Deus ſummus Meſſiam induit, quemadmodum ſcribitur hoc pſalmo, Gloriam, & magnũ decorem impones ſuper eum. Quod Hebraicè eſt, confeſſionem, & decorem impones ſuper eum. Indues eum gloria illa, qua pſalmus alius dixerat indutum ipſum Deum. Hebraica hæc ſunt מלך בשר ודם אין לובשין פורפירא שלו וכל ומהו הוד והדר לבשת ומלך המשיח כתוב הוד והדר תשוה עליו Melek baſar ve dam en lobashin purpira shelo, vecol, vmahu, hod vehadar labaſti. vba melek ha Maſſiach cethub, hod vehadar theshaue elahu. Agnoſcit igitur priſcus ille philoſophus in Meſſiam hæc oracula fuiſſe à Dauid decantata.

Quoniam dabis eum in benedictionibus in ſæculum ſæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Dabis eũ in benedi. in ſæculũ ſæculi.

DAbis eum in benedictionibus, Hebraicè clarius, Pones eum in benedictiones ſempiternas. Hieronymus quoque perſpicuè, Pones enim eum in benedictionem ſempiternam. Sempiternam, pro eo, quod minus clarè, grę cum εἰς αἰῶνα τοῦ αἰῶνος in ſæculum ſęculi. Aeternam Meſſiæ maieſtatem, decus ſempiternũ, decantat non ad tempus, & cito peritura bona illa erunt quę toto pſalmo proponuntur, ſed ſempiterna, perennis eorum poſſeſſio. Hæc quidem Hebræi referunt ad poſteritatem Meſſię ſempiternam. Sed apertius ſpectant ipſius æternitatem, quod ſuperius priſci tęſtabantur. Aeterna ſalus allata populis à Meſſia. Bona cæleſtia, quę primus ille vulgauit in terris, & ad ea poſſidenda clauſum patefecit iter, fuit ſempiterna benedictio. Per ipſum enim (inquit diuus Paulus) ſtatuit Deus omnis peccati abolitionem. Propterea un-
C ctus eſt oleo lętitię, quo naſcente, cęleſtis concentus editus eſt in terris. Benedictiones igitur, aut quibus per ipſum genus humanum fuit benedictum, ſeruatum, aut quibus ipſe fuit in æternum benedictus a patre. Quod ait, Lætificabis eũ in gaudio cum vultu tuo: vt nulla nõ bona contulit ei Deus, vt maieſtate, imperio, & potentia cęleſti, ac terreſtri prę cunctis Dijs, hominibusq; inſignem reddidit, ſic affecit eum ob hęc incomparabilia bona, lętitia ſempiterna. Nec non quoniam patris ſui fruitur aſpectu ſempiterno, nunquam iucundiſſima luce, & ineffabili voluptate deficiente natum, quam ſolus ipſe exploratam habeat. Nemo enim nouit patrem niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare: hoc gaudium vultus eius, dixit eſſe Vates.

Lætific. eũ in gau. cũ vultu tuo.

vultu, quo cælum, tempeſtatesq́ue ſerenat.

Vultu, quo filius aſpiciendo, inexplicabili gaudio ſaturatur. Eſt autẽ Hebraicè, (nephraſis perturbet) Lætificabis eum gaudio vultus tui. Hieronymus ad hunc ſenſum tranſtulit, Hilarabis eum lætitia apud vultum tuum.

Quoniam rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi non commouebitur:

Sperat. Miſericordia.

SPerat, Hebraicè בוטח boteach, confidit, innititur, ſuſtentatur. Miſericordia, fons חסד cheſed, clementia, beneficentia. Hæc illa theologia, qua filius omnia fatetur accepta à parte ſuo. Et quod in eum confidit, quòd eius ope ſuperat omnia, ſtat immotus, nulla vis illi reſiſtit, cuncta cedunt poteſtati eius. Pro, Non commouebitur, Hieronymus dixit, Non decipietur, ſed verus ſignificatus eſt, commoueri, cadere, vacillare, nutare. Deſignat id regni ſtabilitatem, ęternitatem, immobilitatem. Non quemadmodum res terreſtres, quas ſæculorum fluctus, ludibriis agitant,

Non commoueb.

tant, tollunt, deprimuntque. At regnum illud regente Deo, immortale. Altiſſimus Hebraicè dicitur עליון elion, quod nomen Græci pro ſole furati ſunt ex Hebræorum ſermone, ἥλιος Sol.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

Inueniatur.

HOc erat, quòd confideret, quòd celſiſſimi fretus auxilio, non titubaret, inconcuſſus, immutabilis perſiſteret. Omnes enim aduerſas poteſtates retundet, delebit. Eas præpotenti dextra proſternet, affliget humi: nulla vis inimica reſiſtet. Inueniatur manus tua. Eſt primum, vti ſecundum, per actiuum in Hebraico, Inueniat, poeticeque loquitur. Manus tua inueniat, tangat, feriat, frangat, armipotens manus deleat, diſſipet, ſternat humi. Poſſetque eſſe futurum, atque denuntiatio, Inueniet, franget, delebit. Ingeminat, vt fert eius conſuetudo, dextera tua inueniat. Decantat igitur omnes eius incredibiles victorias, triumphos, atque omnium, qui prælio contendere cum eo ſtatuiſſent, ſuperiorem prænuntiat. Delendos eius dextera cunctos, qui numen eius ſpreuiſſent. Eſt hæc manus qualis illa apud Poetam.

Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.

Sunt Hebræi, qui verbum, inueniat, ponant, ſufficiet. Sed mihi clarum appoſitumq; videtur, vt manus dicatur inuenire: nimirum, tangere, ferire.

Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Vultus.

CLibanus, Græcum eſt, fornax, pones eos, vt fornacem. Et quod Sept. dixerunt τοῦ προσώπου σου, vultus tui, amphibologia fefellit. Nomen פנים panim, ſonat Hebræis vultum, & iram, furorem. Pro ira, vel furore, nunc accipiendum eſſe, ratio, teſtimoniumq; Hebræorum oſtendit. Nam vice eius ſubijciunt vocem clariorem כעסך caſeca, indignationis tuæ: in tempore indignationis tuæ. Dicendum igitur, In tempore indignationis, vel furoris tui. Declaratur eo, quod ſequitur: Dominus in ira ſua conturbabit eos. Pro συνταράξει, conturbabit, Hebraicè vehementius quiddam יבלעם iebaleem, Abſorbebit eos, corripiet, deglutiet, tollet è medio. Id fit clarum eo, quod ſubijcit: Deuorabit eos ignis. Probatur mihi, vt is ignis ſit, quem nouiſſimo tempore, Prophetæ, Sibyllæque per omnem mundum vagaturum prædixerant, ignem ſupremi ſæculi, De quo poeta Latinus ex oraculis apud Græcos repertis.

Conturb.
Deuorab.
Ignis.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus.
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles, operoſa laboret.

Operoſus.

Poſſet etiam is ignis eſſe furor idem, atque ira, quæ ſæpe ignis appellatur, vt Latinis, ardere dolore, ardere ad vlciſcendum. Ignis iræ Dei. Haud dubiè loquitur de ſupremo tẽpore, cùm Deus iratus, veniet inuectus nubibus cæli, cum maieſtate magna ſceleratos æternis pœnis dannaturus, bonos præmijs cæleſtibus remuneraturus: tametſi nec Hebræi, nec Græci quicquam ſuper hac re loquantur.

Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum.

AD ſtirpem, nepoteſque pertinet. Fructum vocat, vt declarat ſecundum, progeniem, genus. Dij capiti ipſius, generique reſeruent. Delebis eos funditus, vt ne poſteritas quidem ſuperſit eis. Funditus è medio tolles. Diſſipabis, obliterabis, extingues, vt amplius ab hominibus non aſpiciantur. Sunt Hebræi grauioris autoritatis qui putent hæc, aut de Dauid, aut de Meſſia à Propheta proferri. Hæc perſona ſecunda, Perdes, inquit Auen Eſra, aut de Dauid eſt, או למשיח O lamaſſiach, aut ad Meſſiã pertinet. Perdes tu ò Meſſias eos in terra, delebis in die furoris tui, cùm cõtra tyrannos, homicidas, Dei cõtẽptores, iratus fortiſſimis Angelorum legionibus, cœtuque Deorũ comitãte, deſcẽdes de cælo formidabilis illis, cùm, vt ait Sibylla,

Ἱδρώσει δὲ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
Iudicij ad ſignum tellus ſudore madeſcet.

Tantus erit vbique pauor. Tunc (vt ait diuus Paulus) interficiet impium dominus Ieſus, ſpiritu oris ſui. Videntes (ait Salomon) turbabuntur timore horribili, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Perdes igitur eos ò Meſſias, è terra, ex hominum conſpectu fugabis, cùm dies illa ſuprema venerit. Vorabit eos ignis vniuerſus, aut ignis iræ tuæ. A filijs hominum, ab humana gente, magnum quæ ſparſa per orbem, ex hominum memoria.

Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire,

Declinau.

DEclinauerunt, impulerunt, impegerunt, declinare fecerunt, inimico in te animo extiterunt: Maieſtati tuæ rebelles fuerunt: tuum numen oppugnauerunt, conſulto, & facto. Quod ait, cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire, nec Græcè, nec Hebraicè ad iſtum modum. Græcè, Cogitauerunt conſilia αἷς οὐ μὴ δυνῶνται στῆσαι, Quibus non poſſint ſtare:

Cogitauc.

A ſtare: ipſi his conſilijs ſtabilire ſe non poterunt. At Hebraicè pro conſiliis, eſt מזמה mezima, ſcelus, conſilium nefarium, ſceleratum. Cogitauerunt ſcelus, flagitium. Hanc vnicam vocem, Chaldæus intelligens, quæ vis illi ſubſit, duabus tranſtulit, מחשבן בישה machseuan bisha, cogitationem malam, iniquam. Atque habet verſus Hebraicè, Cogitauerunt ſcelus בל יוכלו bal iucalu, quod non poterunt. Non poterunt explere ſcelus, quod cogitauerunt. Quis enim Deo poterit aduerſus conſiſtere? Recidet in caput eorum ſcelus cogitatum. De Iudæis & Antichriſto maieſtatis eius hoſtibus. Conſil.

Quoniam pones eos dorſum, in reliquiis tuis, præparabis vultum eorum.

LOcus obſcurus, & perdifficilis apud Hebræos propter voces polyſemas. Quod Septuaginta tranſtulerunt νῶτον, dorſum, Hebraicè eſt שכם shekem, id ſonat dorſum, atq; item partem, portionem. Is eſt proprius ſignificatus hoc loco, teſtibus Hebræis, qui vocem declarantes, atque enodantes, ponunt aliam clariorem חלק ehelec, partem, portionem. Et quod iidem Græcorum interpretes dixerunt, ἐν τοῖς περιλοίποις, In reliquiis tuis. In origine eſt, במיתריך bemetareka. Vox eſt anceps, deſignat interdum reliquias, ſed quoniam ducitur à verbo ירה iarach, quod ad alia deſignat mittere ſagittas, iaculari, interpretantur eam vocem neruum, chordam arcus. Atque habet in fonte, In neruo tuo præparabis contra faciem eorum. Exponunt igitur locum inter ſe conſentientes Hebræi, Quare non poterunt conſilia ſua perſicere? Quia tu pones eos in partem vnam ſeorſum, ſeparatim, in vnum agmen ſegregatos, à cœtu bonorum. Atque in B neruo, ſiue chorda arcus tui præparabis ſagittas, iacula tua contra faciem eorum. Sepoſitos inter impios ſimiles ſui, ſagittis tuis eos configes. Parabis nimirum, vt eſt Hebraicè תכונן theconen, firmabis, aptabis iacula tua ſuper neruo tuo, quibus eos configas, cunctos humi ſternas:

Dorſum.

In reliqjs tuis.

Parabis.

Miſſa manu ſonitum dabit haſta per auras.

-Venient ab æthere tela.

Quales illę apud Homerũ ab Apolline miſſe ſagittę, quibus Græcorũ exercitus penè deletus eſt,

Εζετ' ἔπειτα ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἧκε:
Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.

Claſſe procul poſitus mittebat tela per auras
Horrendumque dabat clangorem, argenteus arcus.

-Aureus ex humero ſonat arcus.

Eo ſenſu locus exponitur ab Hebræis, & mihi, quoniam ex verborum proprietate ducitur, non diſplicet. Nam Græca vix poſſunt intelligi. Obſcurum etiam, quod tranſtulit Hieronymus, Funes tuos firmabis contra faciem eorum. Funes, vt monſtrauimus, Hebræi quibus linguæ ſuæ proprietas maximè nota eſt, chordam arcus exponunt. Atque Auen Eſra pro eo, quòd eſt in noſtra editione, Præparabis vultum eorum, exponit תכונן הקשת בחיציה theconen acheshat, bechizea, Aptabis, firmabis arcum cum ſagittis tuis. Rabi Salomon, pro, In reliquijs tuis: In chorda, inquit, arcus tui, parabis ſagittas tuas, aptabiſque vt iaculeris contra faciem eorum. Similia Chimchi. Eſt igitur verſus totus: Quoniam pones eos ſeorſum in partem. In neruo tuo, firmabis, aut præparabis contra faciem eorum. Non diſplicet ſenſus prioris partis, vt dicat, Pones eos dorſum, ſcapulam: nimirum in fugam coniectos, coges obuertere terga, fundes eos, pones eos dorſum, pones in fugam pones dorſum vertentes, facies obuertere dorſum: tunc eos iaculis tuis longius inſequeris. Sed huic ſenſui obſtat, quoniam ſubijcit: Tela tua diriges contra faciem eorum. Canit igitur, quale ſolet omnibus penè pſalmis, Meſſiæ victoriam, tum ſpiritibus malis oppreſſis, profligatis, qui ſcelerum cauſas hominibus proponere ſoliti eſſent, tum deleto cum ſcelerata manu Antichriſto, qui conſurget contra omne, quod dicitur Deus, in primis inimicus Chriſto, & ſanctis eius.

Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, & pſallemus virtutes tuas.

CAnit epinicion, victoriale carmen, eadem fine claudens carmen qua inchoaſſet, Quale apud poetas:

Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.

Homerus pſalmos ſuos ſæpe eadem fine, qua inchoaſſet, claudit.

Αὐτὰρ ἐγὼν, ὑμέων τε, καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

Aſt ego plura canam pro vobis carmina Diui.

Inchoauerat noſter, Domine in virtute tua. Virtus autẽ pro fortitudine, vt eſt in Hebraico. Poſtremò cũ ait, Pſallemus virtutes tuas, nõ ſunt numero multo virtutes in fonte, ſed גבורתך gheburathca, fortitudinẽ tuam pſallemus, cantabimus, canemus fortitudinẽ tuam, robur inuictum, vim inexhauſtam, quę clara erit in Meſſia tuo, per quem creatus eſt mundus, per quem fecit & ſæcula. Virtutes.

PSAL-

PSALMI XXI. EXPLANATIO.

Lãnazea.

INscriptio pſalmi eſt, in finem pſalmus Dauid, Pro ſuſceptione matutina. De voce Hebraica lamnazeach, quæ prefertur pſalmis, quam Septuaginta transferunt εἰς τὸ τέλος, ſæpius ſcriptum. Eſt igitur hoc carmen triumphale, aut voce canentium, aut rebus geſtis, quæ recenſentur. Sed ſuper ſecundo nomine multum dubitationis multaque diſſenſio. Nam quod Sept. tranſtulerunt ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως ἑωθινῆς, Pro ſuſceptione matutina, Hebraicè eſt, על אילת השחר al aieleth hashachar, ſuper cerua matutina. Verùm hoc ipſum nomen ceruæ, tres habet ſignificatus iuxta ſermonis Hebraici proprietatem. Signat ceruam, ſignat aſcenſum, vt dicat aſcenſum Auroræ quod ſignificatum proponit Auen Eſra, & Rabi Dauid. Tum apud priſcos Hebræos reperitur, pro nomine ſtellæ matutinæ. Fuerunt etiam apud Hebræos, qui ſentirent inſtrumentũ muſicũ appellatũ ceruam matutinam: quemadmodum dicitur in principiis pſalmorum, Super octichordio, ſuper lyra Ghittenſi. Ad ſimilem rationem vocari ceruam matutinam inſtrumentum, quòd eſſet cerua inter vireta decumbente, inſculptum. Hæc ſignificatio minus approbatur. Eſt illa, quam Septuaginta apud Græcos, & Chaldęos ſequuntur, fortaſſe verior. Nam quod Septuaginta dixerunt ſuſceptionem matutinam, Chaldæus appellat, תקוף קורבן תדירא דקריצתא tecuph corban tedira dechrezatha. Nimirum, ſuper virtute ſacrificii & iugi holocauſto. Sentit videlicet ſacrificium matutinum, & iuge ſacrificium, quod Græcè dicitur ἐνδελεχισμὸς, Super hoc ſacrificio, inquit, dictus eſt is hymnus, hæc oratio. Conuenit is ſignificatus cum eo, ſi accipiatur pro aſcenſu Auroræ: vt ſit aſcenſus Auroræ, quaſi tempus quo ſacrificium matutinũ, & ſurgente Aurora offertur. Ad poſtremũ ſiue ſit nomẽ ceruæ matutinæ, ſiue ſtellæ matinæ, Hebręus Dauid hoc nomine putat appellatum populum IſraEl, qui tunc eſſet in captiuitate, ſuper quo pſalmus ſit editus, deplorata eius calamitate. At verius eſt, vt cerua, ſiue ſtella matutina ſit ſanctus Meſſias, quem pſalmi vocant Solem iuſtitiæ, multiſq; eiuſmodi nominibus inſigniunt. Cuius regnum dixit alius ante Solem, Lunamq; fuiſſe. Vocant agnum, leonem. Haud ab re vocabitur quoq; cerua, quòd ſit animal manſuetum, nitidum, mundum: matutinum autem, quòd manè per campos, perque vireta decurrat, æſtum defugiat. His enim figuratis nominibus ludebant ſancti poetę. Longè autem clarius erit, ſi quemadmodum apud veteres Hebræos extat, nomen deſignet aſtrum matutinum, rad iantiſſimum Meſſiam generis humani lumen, lucem mundi, quemadmodum ipſe dixit. Omiſſo igitur, quòd vel ſuper Dauid editus ſit, cùm fugeret Saulem perſequentem, aut ſuper populo in captiuitate, aut ſuper Heſter, vertemus animos ad Meſſiam, quem ſacri vates, ſecretis canendi modis celebrabant, atque ipſe Chriſtus viam, vt de ipſo pſalmus intelligendus eſſet, oſtendit, Itemque diuus Paulus, vt à Nicolao, & Burgenſi demonſtratur.

Pro ſuſce. matutina.
Cerua.
Corban.

DEus Deus meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea, verba delictorum meorum.

MVlta uariant à fonte. Non eſt apud Hebræos, Reſpice in me, additum uel à Sept. uel aliquis caſus iniecit in contextum, obeliſco confodiendum. Neq; extat in Pſalterio Hieronymi, idq; monuit & Nicolaus. Simpliciter dicendum, Deus Deus meus, quare dereliquiſti me? Præterea, quod Septuag. tranſtulerunt, οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, Verba delictorum meorum, longè ſecus in fonte, & facilius ad intelligendum, דברי שאגתי dibre shaagathi, Verba rugitus mei, quemadmodum tranſtulit Hieronymus. Chaldæus quoque, Verba אכליותי acaliuthi, lamentationis meę. Cauſa uarietatis fuit uocum ſimilitudo. Multum enim ſimilitudinis eſt, in duobus Hebraicis verbis, שאג שגג shaag, shagag, quorũ primũ eſt rugire, ſecundum delinquere, peccare. Sed ſenſus manifeſtò docet, dicendum, Verba rugitus mei. Quid enim eſt uerba delictorum? Queritur, lamentatur, uerba quibus rugiebat, rugitus, gemitus, quos edebat in calamitate, non eſſe exauditos. Longè, inquit, à ſalute mea, lamentationes, gemituſque mei. Nihil profeci lamentando, ingemiſcendo, rugiendo. Nullam ſum aſſecutus ſalutem. Quantum ego uociferarer lugendo, gemendo, tantum ſalus, auxiliumque recedebat. Nemo fuit, qui gementem ſubleuaret: qui miſerrimi lacrymas attenderet. Propterea dereliquiſti me, quia dolores meos exaudire, animumque aduertere noluiſti. Bis quoque dixit, ut monent Hebręi, Deus Deus meus, quòd eſſet in calamitate. Semper, ait, aliàs opem mihi tuliſti, at nunc, quare deſeruiſti? Tantos è pectore queſtus incaſſum profudi? Inculcat ſimile.

Verba delictorum meorum.
Lõgè à ſal. mea.
Dereliquiſti me.
Deus Deus meus.

Deus meus, clamabo per diem, non exaudies, & nocte,
& non ad inſipientiam mihi.

HIc quoque diſſenſus à fonte, quo fit ſenſus obſcurior. Clarus ſi legas, vt habent (& vt reddidit Hieronymus) Hebraica. Nam quod Septuaginta dixerunt καὶ οὐκ εἰς ἄνοιαν ἐμοί, Et non ad inſipientiam mihi. Cui nullus ſenſus ſubeſt. Hebraicum eſt ולא דומיה לי velo dumiach li, Et non ſilentium mihi. Clamabo, inquit, in die. Noctu quoque non ſilebo, Non eſt mihi

Et non ad inſi. mihi.

eſt mihi nocte ſilentium. Tantopere noctu, quantopere interdiu vociferor, lamentor, defleo. Non eſt mihi noctu ſilentium. Hoc igitur perpiſcuum eſt. Deſignare ſupradictam vocem, ſilentium, Declarat Chaldæus pro ea ſubiiciens notiorem, quæ eadem Hebraica eſt, שש וותא shechicuta, quæ citra controuerſiam ſonat quietem, ſilentium. Hieronymns etiam (quemadmodum dixi) tranſtulit ſilentium.

Tu autem ſancto habitas, laus IſraEl.

In ſancto hab.

CVr, inquit, non exaudis, qui tamen habitas in ſanctuario noſtro in IſraEl, in arca fœderis, vnde reſponſa nobis reddere conſueuiſti, quique laus Iſrael eſſe ſolitus es? nimirum ob cuius protectionem, aſſiduaque beneficia, ſolebat populus IſraEl, vbique laudari, celebrari, ab omnibus nationibus ſuſpici, & timeri. Is ſenſus adhibetur etiam ab Hebræis. Propter arcam, inquit Auen Eſra, quæ eſſet in Iudęa, dixit, In ſancto habitas, vbi eſſet domus ſanctuarij: laus IſraEl autem, vt alibi dicitur, Ipſe laus tua: & Deus tuus: nimirum, decus tuum, gloria tua, honos tuus, ob quem vbiq; glorioſus exiſtis. Cùm ſis igitur, inquit, decus noſtrum, cùm ſemper apud nos habitas, quare refugis exaudire clamantem, opemque tuam magnis clamoribus implorantem? Si pſalmus de Meſſia eſt, ad tempus atrocium ſuppliciorum ſpectat, quo vitam cum laude quæſierunt ei inimici eripere, eumque veluti latronem, nafariumque, mundo oſtendere, vt exponunt Græci, Latinique.

In te ſperauerunt patres noſtri: & ſperauerunt & liberaſti eos.

In te ſperauerunt.

ET tamen, inquit, maiores noſtri, nullum aliud habuere perfugium, quàm vt ad te recurrerent in omni calamitate. Nec ſpes eorum fuit inanis. Quantum ope tua nitebantur, tantum vbique ſeruati ſunt. Siue ſæculum Abrahæ, ſiue Iſaac, & Iacob, aut tempora Moſis percurras, videbis, eos fuiſſe protinus exauditos opem Dei ſuppliciter petentes: nunquam fuiſſe in calamitate deſtitutos. Nos igitur cùm ſimus idem genus, inquit, eadem ſtirps, cur diſſimilis, nobis exiſtis? Hæc Meſſias velut homo.

Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt & non ſunt confuſi.

Non ſunt confuſi.

MOs pſalmorum, idem ſæpius verbis diuerſis repetere. Aſſequebantur, ait, patres noſtri, quæ poſtulabant: non illuſi diſcedebant, & quaſi in illum ſpe directa, qui nuſquam eſſet. Non ſunt confuſi, Græcè clarius, & Hebraicè, nec Latinus interpres, Latinè in ſacris litteris loquitur, quoties eſt apud Græcos verbum pudoris, ignominiæ, transferens confuſionem, licet eo lingua Italica vtatur. Itaque pro, Non ſunt confuſi, Græcum, vt dixi clarius οὐ κατῃσχύνθησαν, non ſunt ignominia affecti: non ſunt illuſi: non ſunt pudefacti, eius auxilium implorantes, qui nihil exaudiret, velut Dij gentium, qui cùm non extarent, exaudire non poterant, vt Elias oſtendit. Sed tu non modo patrum noſtrorum voces exaudiebas, ſed confeſtim etiam veniebat, præſenſque numen tuum videbatur.

Lact. 168.

Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Vermis.

CAuſam lamentationis, rugituſque exponit, calamitatem demonſtrat. Eò, inquit, miſeriarum deductus ſum, atque ſic, ab omnibus contemnor, ſumque cunctis deſpicabilis, vt me pro verme, non pro homine habeant: populo ſum fabula factus. Totum hoc referunt Græci ac Latini ad paſſionem Chriſti, in qua nullum genus contumeliarum non eſt perpeſſus. Vbi velut vermis apparuit, mouerunt ſuper eum capita, deſpexerunt Romani milites, qui prius pro Deo, pro miraculorum autore habebatur, & prædicabatur. Multoque rectius conueniunt hæc in Meſſiam, quàm populum Iſrael in captiuitate, quod ab Hebræis aſſeritur, nihil non comminiſcentibus, & quiduis potius in medium proferentibus, quàm interpretationes de Meſſia, his exceptis, quas occultare nequeunt.

Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.

QVidquid contemptibile poteſt dici, aut fieri in hominem abiectum, infelicem, in illum exercuerunt. Duplex irriſio nunc proponitur verborum. Verbis contumelioſis inuehebantur, irriſionibus inſultabant, caput quoque mouebant, quod Hebræis, & commiſerationis ſignum, & contumeliæ ſolebat eſſe. Nam amici Iob, eum miſerantes mouerunt capita ſua. Nunc irriſionis eſt.

Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.

QVemadmodum Prophetæ ſolent, primum exaggerant calamitates, lamentantur, ingemiſcunt, diuini numinis abſentiam deplorant. Inde velut redeunte luce, quam tantopere deſideraſſent, exultare incipiunt. Se quoque ipſos ſolantur, qui prius ingemuiſſent, dolentes,

lentes, quòd quaſi à Deo contemnerentur, nec exaudirentur. Demum gaudia, ſpemque ſibi proponentes ſe exaudiendos, quod Deus ſit miſericors, quòd peccata condonet, quòd vocatus ſæpius adſit pede ſecundo. Hoc propoſito, nunc Vates conuerſo carmine canit, Sperauit in Domino, eripiat eum. Pro quo verius, Hebraicè eſt גל gol, exultauit. Et pro eo Chaldæus apertè ponens Hebraicam vocem ישבח קדם יי ieſabech codam adonai, laudabit coram Deo. Imperatiuus quoque, Eripiat eum, vt eſt Græcè ῥυσάσθω αὐτὸν, eſt futurum in fonte, licet per imperans proferri poſſit. Atq; locus, habet Laudauit, exultauit in Deo, liberabit eum. At inquit, Vates, ſeipſum corroborans, confirmansque, Quid times? inquit. Qui laudauit, coluitque Deum Deus eum eripiet.. Liberabit, inquam quoniam Deus amat, amplectitur, probos, qui eum colunt. Hos amplectitur, hos cupit, hos vult, atque diligit, hos calamitatibus eripiet. Hoc apertius eloquens, & ad ſe rem applicans, ſubiicit.

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus ſum ex vtero.

Extraxiſt.

Spes mea ad vb.m.

VNus eſt verſus vſque, Matris meæ. Sequitur alius, In te proiectus ſum ex vtero. Quod dixit, Extraxiſti, deſignat eum autorem, vt in lucem prodiret, fuiſſe, ſuorum inquam natalium autorem. Tu, inquit, me ex vtero materno, in lucem protuliſti: cùm lucem hauſiſſem, ſuper te omne meum ſuſtentamentum fuit, vt eſt Hebraicè: מבטיחי mabtichi, ſuſtentaculum, ſpes, fiducia. Non tam enim ortum mihi dediſti, ſed vt vbera materna contigi, tu ille eras, qui mihi incrementum daturus eſſes, qui me regeres, qui alimentum ſufficeres. Quin ipſa materna vbera tu creaſti, eaque lacte, quo aleretur infans, repleuiſti. Dicitur autem Hebraicè, Spes mea, ſiue ſuſtentamentum meum, ſuper vberibus matris meæ. Quo deſignatur ſubitus accurſus infantium ad vbera, quod autore Deo factum eſt, qui reliquum quoque, alimentum daturus eſſet. Proſequitur eandem ſententiam.

In te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ: Deus meus es tu.

In te proiec.ſum ex vtero.

Deus meꝰ es tu.

VT reddat clarius quod ſentit, vt diuinas laudes vehementius decantet, ſuo ritu prædicat idem verbis diuerſis. In te proiectus ſum ex vtero: in te recubui, in tua ſpe conquieui, natura magiſtra, cuius tu repertor fuiſti. A te ſicut ortus eſſem, ſic reliqua quoq; expectabantur, alimentum, incrementum, hauſtus cęli. Itaque quaſi in tuo ſinu, infans ego requieſcebam. Huc me natura proiecerat, ad magnum generis humani parentem, me reuocans, qui cunctis animalibus ſatum, incrementum, alimentumque paraſſet. Ergo cùm primum lux hauſta eſt, cùm primùm cælum hoc aſpexi, tu eras Deus meus, meus autor, parens, alitor, gubernator. Videi gitur quantum mihi debeas, ſi creaſti, ſi incrementum dediſti, ſi ad hoc ætatis perduxiſti, nonne reliqua perſequi, non me amplecti, fouere, defendere debes, veluti creaturam, opusque tuum? Quis enim humanorum opificum, deſerit, abiicit opificium? Non eſt igitur mihi Deus alius iam inde ab exordio, à natalibus. Tu ſolus, tu verus autor.

Ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet.

Tribulatio.

IS ordo verſuum eſt in fonte, & apud diuum Hieronymum, qui hunc verſum iuxta textum Hebraicum transfert, Ne longè fias à me. oſtendit igitur quantum eius auxilio indigeat, proximè impendentem calamitatem demonſtrat. Neminem eſſe, qui audeat, aut poſſit peſtem propulſare: Ille duntaxat, cuius immenſę vires, qui poſſit vbique præſto eſſe. Quod Latinus dixit more ſuo, tribulationes, quod quidem minimè Latinum eſt, potius Græcum à verbo ϑλίβω, tero, vexo, melius diceretur, Latine calamitas, clades, vexatio. Quoniam, ait clades, vexatio proxima eſt. Hebraicè צרה zara, preſſura, coarctatio, preſſio. Hæc quidem in ſanctum Meſſiam iure conueniunt, qui velut homo diuinum auxilium imploraret, cuius calamitas, ſi corporea reſpicias, omnium fuit atrociſſima, quam ille proſpiciens orauit à ſe depelli, prouiſam eouſque exhorruit, vt de ea cogitans, ſanguinem ſudando expreſſerit. Declarat hoſtes, calamitatis genus.

Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

Tauri.

Baſan.

TRalationes ſacro poemati creberrimæ, feros, barbaros, truculentos, tauros appellat, indomitos, efferatos, obuium quemq; cornibus appetentes, in numero ferarum non hominum locandos, faciem duntaxat, hominum gerentes, cętera beſtias, & quidem his atrociores, quæ memora alta colunt. Hi non viribus modò, ſed numero quoque præpotentes ſemper aduerſum me parati, ſtat diſpoſita acies improborum. Dicitur autem Hebraicè, pro Tauri pingues, Tauri Baſan. Feruntque Hebręi Baſan, locum eſſe in terra Iſrael, paſcuum fertiliſſimum, vbi feræ, atque iumenta paſcentia, mirum in modum pingueſcant. Quò factum, vt tauri Baſan, ſemper pro pinguibus, atque obeſis habeantur. Figura clara, qua ſuos hoſtes tauros indomitos, vitulos obeſos, feroces appellat.

Aperuerunt

A Aperuerunt ſuper me os ſuum,ſicut leo rapiens, & rugiens.

VOrare parati, veluti leones. Superius eos tauris cornipetis, ferocibus cõparauerat,nunc voraciſſimis leonibus,quos fames exaſperat,agitque in obuios,præcipites,tum rictibus immanibus hiantibus,tum rugitu loca latè replentes.Iubatus draco producitur ab oratoribus,à ſacris aſpides venatæ, filij viperarum , quibus fatales homines deſignantur. Non ſecus Iudæi contra Meſſiam illo ſæuiſſimo ſæculo ſe geſſerunt, conflagrantes inuidia , animos efferatos,immanes,in illum gerentes,laudem,exiſtimationemque cum vita auferre cupientes,nihil non inſidiarum,vt caderet,intendentes.

Sicut aqua effuſus ſum,& diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens,in medio ventris mei.

ALiis tralationibus,figuriſq; magnitudinem ſuarum calamitatũ proponit.Tralatio aquæ defluentis, vſitata ſacris litteris,qua reſolutio pręcordiorum,metuſq; immanis deſignatur.Metus horribilis penetrans vniuerſam compagem.Quale profani Poetæ:

Extemplo, Aeneæ ſoluuntur frigore membra. Homerus:

Λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ, reſolutionem effuſionemque cordis , ob metum viro forti tribuens.Effuſionem igitur ſicut aquæ,intelliges,quod apud noſtros Poetas, ſolutionem membrorum,præcordiorum,cùm genua labant,vox faucibus hæſit.Talis erat metus eius,quem Vates noſter decantat,calamitatibus imminentibus:nempe, Meſſias effuſus eſt,ſicut aqua,calamitatis tempore,qui ſanguineo ſudore totus maduit.Quod ait,Diſperſa ſunt omnia oſſa : aut ſenties ſolu-
B tionem membrorum, quam diſperſionem, diuiſionemque vocat: aut lacerationem, conuulſionem, quæ fit metu membra permeante, inter ſe ſimilia. Altera tralatio euidentius pauorem declarans, cor factum eſſe veluti ceram liqueſcentem, prius aqua, nunc cera. Solet enim exaggerare orationem verbis diuerſis.

Diſperſa ſunt omnia oſſ.m.

Factũ eſt cor. m. ta. cera.

Aruit tanquam teſta virtus mea : & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.

NIhil omittit, quò calamitates atroces oſtendat. Ariditas virtutis, eſt quod Salomon,Spiritus triſtis exiccat oſſa. Sic noſter doloribus oppreſſus , curis ingentibus æger, corpoream virtutem amiſerat arefactam , propterea quòd dolores, & metus ſomnum , cibiq; deſiderium abſtulerant. Irrigatur autem, atque humectatur ſomno corpus,quemadmodum hortus aqua, per venas in ſomno hiantes, ſanguine defluente, quem cibus acceptus,ac decoctus genuiſſet,verſus in eum,quem Græco nomine,Latini vocant Chymon,ſuccum.Cibo igitur à ſomno ſubtracto,corpus,virtuſque corporea, velut arbor radicibus, quibus è terra humorem attrahebat ſuccisis , areſcit. Maxima autem ariditas eſt teſtæ, cui fornax omnem humorem detraxit, prius lentæ , humentiq; terræ. Haud ab re vſus eſt hac tralatione Vates:quæ humoris plena,tractabiliſq;,poſtea in ſaxũ dureſcat. Linguam autem faucibus adhæſiſſe deſignat extremum penè fatalemq; diem,cùm nec vox intercepta dolore ſonare poteſt, nec lingua loco moueri. Tunc hæret lingua faucibus, extincta virtute,quæ totam corporis compagem,ipſamq; linguam moueret. Hæc ferè etiam ab Hebræis explicantur. Meritò igitur vbi totam virtutem abiiſſe queſtus fuiſ-
C ſet, ſubiecit ſe in puluerem mortis redactum. Eſt autem tropus Hebraicus , Puluis mortis, puluis mortalis, puluis, in quem corpora per mortem reſoluuntur : puluis, quem mors efficit.

Aruit.

Chymus.

Lingua m.adhæ.

Quoniam circundederunt me canes multi : concilium malignantium obſedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos.

HAec verſuum ſeries in fonte,quod in tralatione quoq; Hiero.cernas.Nulla nomina,quibus ſæuos exprimat hoſtes, omittit : tauros appellauerat, leones rugientes , ad prædam faucibus ſiccis hiantes,quos improba ventris exegit cęcos rabies. Nunc canes, licet pro canibus,Hier. dixit venatores.Sed verè ſunt canes in origine, כלבים chelabim,canes. Nota eſt tralatio.Quòd ait,Concilium malignantium,declarat canes,leones, tauros efferatos. Hoc cõcilium malignantium , nocentium, vt eſt in fonte. Hierony. pro malignantium ,dixit peſſimos, Concilium peſſimorum, vt intelligas malignantes, peſſimos, exitiales, fatales, letiferos. Peſſimum, nocentiſſimum hoſtium genus. Circumfuſi, inquit, ſunt hoſtes, ipſe eorum præda medius aſſiſto. Stant circum beſtiæ rictibus horrendis hiantes. Quòd ait, Foderunt manus meas, nota eſt diſſenſio inter Chriſtianos , & Hebræos. Hebræi ex ſuis fontibus oſtendunt duabus vocibus inter ſe vehementer ſimilibus כרו כאר caru , caari , prior eſt foderunt : poſterior è duabus conflata , ca, ſicut,Ari,leo. Hanc poſtremam lectionem Hebræi comprobant ex ſuis codicibus, eamque legit, & poſuit Chaldæus , pro Hebraico dicens apertius חיך כאריא hek kearia. Id perſpicuè ſonat ſicut leo. Proferturque locus ſimilis ab eis ex Hieremia , quo dixit , Sicut leo, ſic contriuit omnia oſſa mea. Ita nunc ſenſum eſſe contendunt : Velut leones manus meas, & pedes circundederunt , vt in nullam partem mouere me poſſim. Et veluti leones, lacerare manus , & pedes , ſicut Eze-

Cheleb, canis.

Conc.malignantiũ.

Foder.

Manus & pedes.

Leonis ingenium.

Dinumerauerunt.

chias, omnia oſſa, parati aſſiſtunt vndique circunfuſi. Commemoraſſe autem manus, & pedes, quòd manibus præliaretur, pedibus fugam arriperet. Quibus impeditis, ac circundatis, velut à leonibus, totum ſe in poteſtate eorum eſſe. Hæc ferè Abraham. & Rabi Salomon. Laceratas eſſe, & contritas ait Rabi Salomon, manus ſuas, & pedes, velut à leonibus. Rabi verò Dauid. Manus, ait, & pedes meos, circundederunt ſicut leo, quòd leo, in quas beſtias, aut feras incidit, cauda circundat, illas terribilem aſpectum veritas colligere manus, pedesque, proſilire non auſas. Verum hęc lectio & explanatio durior eſt, nec aures ei facilè acquieſcunt. Probatior, & facilior antiqua, quæ fuit in libris Sept. interpretum, & in codice Hieronymi, vt ſit vna dictio, כרו caru, Foderunt, eaque lectio in antiquis etiam codicibus Hebręorum habebatur. Nam hodie quoque in bibliis Hebraicis huic dictioni כארי caari, ſuperpoſitus eſt apex, quo duplex lectio deſignatur, quam ſuperius propoſuimus. Itaque etiam ab antiquis Hebræis vtraque lectio comprobata fuit Faciliusque eſt ad intelligendum, vt dicatur, Foderunt manus, & pedes. Nam ſequitur ſimile: Dinumerabo omnia oſſa mea. Oſſium dinumeratio, atque pedum, manuumque confoſſio, ſimilia, alterum ex altero. At abſurdè ſonat, quod Burgenſis item teſtatur, vt leo, manus meas, & pedes circundet. Vel lectio mutila remaneat, qua dicitur, Sicut leo, manus meas, & pedes meos. Sed illud omnem litem diſſoluit, quòd vt demonſtratum eſt, in antiquis Hebræorum voluminibus, vtraque lectio habebatur, & probabatur.

Dinumerauerunt omnia oſſa mea: ipſi vero conſiderauerunt, & inſpexerunt me.

Dinumer.

FOns non habet, Dinumerauerunt, ſed אספר aſaper, Dinumerabo. Id quoque eſt in tralatione Hieronymi. De oſſibus numeratis, duplex ſenſus, vel apud Hebræos, A refacta carne, quod in calamitate, ſummiſque cruciatibus accidit, duntaxat oſſa nuda ſuperſunt, vt ea liceat numerare. Stant oſſa macilenti viri in propatulo, obuijs perſpicua, coſtas cæteraque datur qui velit, recenſere. Qualis ille,

Ignoti noua forma viri, macie confecta ſuprema.

2.Reg.5.a.

Deſignatur igitur dolor intentiſſimus. Alter ſenſus, qui mihi minus probatur, oſſa, & caro dicuntur Hebræis, fratres, propinqui, vt illi de Dauid, Os noſtrum, & caro noſtra es, &, Carnem tuam ne deſpexeris, nimirum proximum, conſanguineum. Nunc ergo Vatem exclamare,

Reſpicio, & quæ circum me ſit copia, luſtro:

Deſeruere omnes.] Quin etiam, quos vti propinquos, atque oſſa mea numerare, ſi qui eſſent, conabar, vertebantur in me, velut hoſtes deſpicientes, irridentes. Riſus illis eram, nimirum propinquis, fratribus, amicis. Prior gratior auribus, propterea quòd ſuperius ſimile quid lamentabatur. Diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Queritur ergo ſe ad extremam maciem redactum, (quemadmodum Iob, Carni meæ adhæſit os meum.) tum ob hanc cauſam riſui ſe inimicis eſſe.

Iob.19.c.

Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea: & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

OSſa enudata dixerat, quod quidem lacera veſtis, atque violenter à prædonibus erepta effecerat. Dinumeratio igitur oſſium, inducit nuditatem, nuditas veſtium ablationem. Vſque eò ſe in poteſtatem hoſtium veniſſe queritur, ut uel quo corpus tegeret, indumẽtum abſtulerint, nudum ſe reſtitiſſe. Hæc denudatio, & ueſtis diuiſio, poteſt metaphoricῶs, deſignare regnum, gloriam, decus, quo quaſi ueſtimur, ut, Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. &, Amictus lucem ſicut veſtimentum. Ita nunc deſignaſſe oculis cogitationem, inimicos auferre ueſtem illam regiam, Regno ſpoliare, bonis omnibus multare. Atque diuiſio non ſonabit, quod iam ueſtem abſtulerint, ſed eos deſignaſſe, animo & cogitatione ſuper ueſte eius, hoſtes deliberaſſe, inter ſe prędã quam ſperarent diuiſiſſe. Sed quid per ambages incertas uagamur? Non poſſunt Hebręi, torqueant licet ſeſe, rebus ſuis hęc applicare, Quando alii populo in captiuitate, cui uel indumenta ab inimicis eripiãtur, hæc adiudicant. Alii ipſi Regi, cuius ueſtem regiam diripere, atque inter ſe partiri, hoſtes decreuerint. Nihil horum rationi conſonum, uarietaſque ſententiarum, nihil eos habere certi, quod proferant, oſtendit. Quanto igitur ſatius de Rege Meſſia, hæc interpretantur, cuius liuorem, plagas, effuſum ſanguinem decantauit etiam Eſaias, decantauere Sibyllæ carminibus claris, ut illa quę cecinit,

Lac. de vera ſap. lib. 4.cap.18.

Εἰς ἀνόμων χεῖρας, καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγναις,
Καὶ στόμασι μιαροῖς τὰ πτύσματα φαρμακόεντα,
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.
Illum infanda manus rapiet, colaphosque ſceleſta
Dextra dabit, ſputis fœdabitur ore nefando.
Ad plagaſque dabit dorſum innoxium.

Hæc

A Hæc cùm tam clarè cecinerint Sibyllę, nõne par eſt, ſacroſanctos quoque Vates ſimilia carminibus proſecutos, cùm præſertim eodem tempore florerent, idemque ſpiritus omnes agitaret? Verè igitur de veſtibus Meſſiæ diuiſis ab inimicis vaticinium eſt, quod Hebręorum malignus oculus, nec videre poteſt, tum ſi videret, vidiſſe tamen diſſimularet, quod in reliquis faciunt.

Tu autem ne elongaueris auxilium tuum à me:
ad defenſionem meam conſpice.

Ne elong. **Ad defen. m. conſp.**

VErſus in fonte habet quemadmodum reddidit Hieronymus, Tu autem Domine, ne lõgè facias, fortitudo mea, in auxilium meum feſtina. Ne longè facias, ne differas, ne procraſtineris, ne cuncteris, ſed accelera, omnem ſalutis ſpem in virtute poſui, non mea, ſed tua. Quamobrem non dicitur, Ad defenſionem meam ϖρόχες, conſpice, ſiue attende, ſed חושה chusha, feſtina, accelera, vt reſpondeat ei, quod dixerat, elongaueris. Item eſt אילותי eia luthi, fortitudo mea, vis, robur meum. Atque ait hoc loco quemadmodum alibi, Ad adiuuandum me feſtina. Vrget calamitas, vis inimica propinquat. Qui nõ ſtatim venienti cladi obuius occurrit, q̃d profuerit eum poſtea veniſſe? Tota res in celeritate poſita eſt. Quoquò me vertero, deſunt vndique perfugia, niſi auxilij tui ſpes me ſoletur.

Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.

Framea. **Vnica.** **Manus canis.** **Tull. offic. 3.**

NOn video quamobrem Latinus, quod Græcè eſt ῥομπαῖα, romphęa, delectetur ſemper transferre frameam. Romphæa quoque Gręcè, minus aptum eſt, cùm ſit clarum in origine חרב chereb, gladius. Dicendum igitur, vt tranſtulit Hieron. Erue à gladio animam meam. B Quòd animam appellat vnicam ſuam, omnibus aſſentientibus, eſt quòd vnica cuique ſit, quaſi propria cuiuſque vita. Vnicam ſuam, propriam ſuam, & ob hanc cauſam caram, pretioſam, & (vt ait Plato) τιμιωτάτην poſt Deum, animum nobis eſſe chariſſimum. Simili ratione vetuſtiſsimus Homerus vbiq; vſurpat φίλον κῆρ, charum cor, charam animam, nempe unicam, ſolam. Græci quoque, unicam interpretantur μεμονωμένην, ſolitariam, ſolam: qua ſublata mutum cadauer remaneat homo. Itaque etiam Hieronymus tranſtulit ſolitariam. Canes, vt uidimus, uocat hoſtes, uoraces, rapidos, rapaces, ut tauros, ut leones. Manum cani tribuit, ipſum rapacem, uiolentum, inimicum reſpectans.

Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Vnicornes. **Rhinoceros.** **Menoceros.** **Humilitas** **Apex ſuperpoſitus. lectionem duplicẽ demonſtrat.**

OMnibus metaphoris ludit. optima tralatio beſtias truculentas, hominumque generi inimicas, ſceleratos, efferatoſque homines appellare. Quorum animus, uelut arbores domeſticę, ſi colere intermittas, efferaſcit, degenerans, ut uua in labruſcas. Manſuetudine deleta, vertitur mens eorum in animum, ingeniumq; ferinum. Quemadmodum ſolemus in contrarium, aſſiduo cultu ſæpe detrahere feris feritatem. Vnicornes appellat iuxta nomen Græcum μονόκερως, quod vnico cornu vtatur. Is dicitur Hebraicè ראם rem. Dubium an is ſit rhinoceros, cui vice naſi eſt cornu ingens, prominet loco naſi cornu. Videturque vox Hebraica ſignificare, rhinocerota, quod Græcè ῥὶν, eſt naſus, at Hebraicum nomen Rem, ſiue Reim, ſimile quid reſonat, à Græcis vſurpato Hebraico nomine, vt pluribus aliis. Propterea fuerunt, qui nomen hoc transferrent naricornem iuxta Græcum rhinocerota. Aelianus quidem monocerota, atque rhinocerota diuerſa animalia demonſtrat. Si rhinoceros vocetur vnicornis non ab re eſt, quod vnicum C eſt ei cornu, idque in naſo. Eſtque ferociſſima bellua, nota regionibus Orientis, eoque ſacris poetis crebrò eſt huius nominis tralatio. Plinio quoque non eſt idem rhinoceros atque monoceros. Ille ſæpe Romæ uiſus, vnius in nare cornu hoſtis elephanto. Longitudo ei par, crura multo breuiora, color buxeus. At monocerota aſperrimam eſſe feram, reliquo corpore, equo ſimilem, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte, cubitorum duum, eminente, Quod ait, Humilitatem meam, vox ambigua Hebræis עניתני anithani, ſonat humilitatem meam. Item eſt verbum ſecundę perſonę à radice ענה reſpondit, exaudiit. Hoc omnes Hebręi, & Chaldęus retinet, vt dicat, Et cornibus rhinocerotum exaudies me. Cùm clamauero vt liberes me à beſtiis trucibus, exaudies. Sed magis congruit vt dicat humilitatem, inopiam, afflictionem. Libera me humilem, deiectum, afflictum, omni ope deſtitutum. Hieronymus verò ſentit cum Hebręis transferens, Et de cornibus vnicornium exaudi me. Sed cùm duplicem lectionem ſuperpoſitus apex apud Hebręos eſſe demonſtret, clarior, & verior eſt hęc poſterior.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio
Eccleſiæ laudabo te.

SVpereſt gratiarum actio, quoties victoria potiti ſumus, tunc,

Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aris,

Ante aras cæſi terram ſtrauere, iuuenci.

Fit gratulatio, adeuntur templa Deorum, lętitia, plauſuq; uię reſonant. In primis antiquiſſimo Hebræorum tempore, hymni uictoriales, carmina triumphalia concinebantur. Iure igitur

Fratres.

Ecclesia. Cahal.

merito, poſtea quàm ſupplex opem Dei imploraſſet, præſentemque ſibi fore magna vrgente calamitate poſtulaſſet, aut victoriam proſpectans, ſe gratias habiturum vaticinatur, aut quod alibi ſolet, optat liberari, ſecuruſque degere, quò liberius carminibus diuinis vacet, religionem purè colat, quod malis inſtantibus facere prohibebatur, interpellata priſtina conſuetudine ſua laudandi offerendique beneficia diuina. Optimè verò Greci, Latinique hæc Meſſiæ congruere demonſtrant, qui apud patrem illo aduerſo tempore, quod hoc pſalmo deſcribitur, orationem habens, ad alia dicit, Pater, manifeſtaui nomen tuum coram hominibus. Fratres aiunt eſſe Apoſtolos, quos fratres ſæpius appellaret. Ite, ait mulieribus, annuntiate fratribus meis. In ſynagogis itē Hebræorum audacter de patre ſuo prædicaſſe. Poſt hanc prædicationem Meſſiæ, quæ poſt exantlatos, toleratoſque labores, à Vate deſcribitur, multa vatirinia inferuntur, de religione, totum quæ occupet orbem: de bonis, poſt atrox illud tempus ſubſecutis, vt prior pſalmi pars omnis in deſcribenda ealamitate, atque oratione tranſigatur, qua precabatur, vt calix ille à ſe tranſiret. Poſterior canit tempus optatius, ſerenius à reſurrectione. Eccleſiam vocat, quod eſt Hebraicè קהל cahal, multitudinem, congregationem, concionem. In media hac frequentiſſima, laudatus eſt Deus à Meſſia, prædicatum declaratumque terris numen eius, prius ignotum. A Meſſia repletus eſt totus orbis ſcientia Domini. D

Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob, glorificate eum: timeat eum omne ſemen Iſrael.

Deum. Laudare, Glorificat.

Semen Iacob, & Iſrael.

Timor domini.

NOn ſe modò laudaturum, nomenque Dei per omnes terras enuntiaturum profitebatur, ſed alios quoque, totam in primis ſuam gentem, ad hoc ipſum inuitat, vt laudent, attollant: deſignat incredibilem aliquam victoriam, ob quam in caſtris ſanctorum fiat gratulatio, gratiarumq; actio Deo ſummo victoriarum autori. Appàretque idem eſſe laudare, atque glorificare. Glorificare autem, eſt decus, maieſtatem Dei verbis attollere, efferre: virtutes eius prædicare, recenſere canendo facta eius, beneficiaque humano generi collata: quantum in eo maieſtatis inſit, quantum numen eius poſſit. Suamq; gentem, quam ſemen Iacob, qui & Iſrael, vocat, veluti Quirites ſunt Romani, non modò ad laudandum cohortatur, & ad lætitiam, gratulationemque inuitat, verum etiam ad pietatem, quæ eſt timor Domini. Maximè vero ea tempeſtate, religio, atque pietas, timor Domini vocabatur, propterea, quòd leges eius infringentes, atroces pęnæ ſequebantur, quas edicta illa, legeſque promulgans, apertè, & clarè prædixerat conſecuturas eos, qui placita illa ſua ſpernerent. Timendum igitur erat. Aduentu Meſſiæ metus ille ſublatus, vinculis illis, quibus homines aſtringebantur, amotis: totaque res ad dilectionem conuerſa eſt. Ad pietatem Meſſias omnes gentes attraxit, qui fuit autor vt omnis natio Deum noſceret & prædicaret, nuncq; omnibus in templis, toto terrarum orbe, Euangelio corruſcante, glorificatur, laudatur. E

Quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis, nec auertit faciem ſuam à me & cùm clamauero ad eum, exaudiuit me.

Deprecationem.

Pauper.

Mitis. matth. 5.

Deſpexit.

Nec auert. Et cum cl.

Ritum in Pſalmis.

QVod Septuaginta dixerunt δέησιν, ſcribitur Hebraicè ענות enuth, humilitatem, afflictionem, inopiam. Ipſi Septuag. non ignorarunt, qui ſuperius tranſtulerint, Et à cornibus vnicornium humilitatem meam, vbi eadem vox. Nunc quoque dicendum, Humilitatem, aut afflictionem pauperis. Et pauperem, licet parum diſtet, vocarunt, qui eſt Hebraicè עני ani, inopis, afflicti, à quo eſt nomen enuth, afflictio, inopia. Itaque dicendum, Neque deſpexit humilitatem, aut afflictionem inopis, afflicti. Sub eadem voce latet quoque ſignificatus manſueti, mitis. Eſt enim fermè idem, mitis, placidus, atque inops, afflictus. Ab inopia, & afflictione exiſtit māſuetudo, humanitas, modeſtia. Hinc factum vt Hieronymus verterit, Neque contempſit modeſtiam pauperis. Pro contempſit, ſiue deſpexit, Græcè verbum atrocius, προσώχθησε, inuiſam habuit, quod dicitur in Pſal. Quadraginta annis infenſus fui generationi huic, vbi eſt προσώχθησα. Id quidem perexiguum. Quod ait, Nec auertit faciem ſuam à me, in fonte eſt, Faciem ſuam ממנו mimenu, ab eo, dirigitur ad eundem pauperem. Sic, Et cùm clamauero ad eum: dicendum, Et cùm clamaret ipſe pauper, exaudiuit eum. Operæpretium igitur eſt cernere Pſalmorum ritum. Primū clamant, ingemiſcunt, ſuis poſtulatis moram inferri, propter vrgentes calamitates queruntur, obteſtantur, fidem implorant, omnia lacrymis redundant. Poſt fit gratulatio, veluti precibus eorū, ad aures ſummi Dei appulſis, gratis, acceptiſq;. Canitur, triumphatur, fit plauſus. Tum iure vocari Pſalmum triumphalem perſpicimus, mœrore, atque ſolicitudine repulſa, quæ Vatis animum velut nebula premeret, ſerenataq; mente, quædam ſecretiora vaticinia de futuris rebus inferunt. Sic poſt atrox illud tempus, quo videbantur omnia perijſſe, quæ Chriſtus ſua præſentia inædificauerat, rediit alacritas, metus Apoſtolorum in audaciam, præſentiamq; animi incredibilem verſus: viſæ pulcherrrimæ formæ Angelorum, eorumque voces ſæpius auditæ: edita portenta, datumque hominibus, vt Dij viderentur, & crederentur. Mortales in corpore, gaudia voluptateſque cęleſtes experiri cęperunt. F

A

Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Apud te laus mea.

Apud te in origine eſt, מאתך me itteca, à te:exponiturque ab Hebręis, Tu cauſa laudis meæ,tu carminis autor:à te datum, vt poſſemus laudare, celebrare te,qui nos victoria potiri feciſti,magnis humanum genus beneficijs cumulaſti. Omnis terra per te,ſcientia Dei repleta eſt. Eccleſiam magnam,vt par eſt,totam humanam gentem, magnum,quæ ſparſa per orbem,appellat,ad quam miſſæ voces Apoſtolorum Euangelij nuntiatrices. Hæc fuerunt ſua vota,quæ victores perſoluunt,hoſtibus ſuperatis,ſiue Iudæis ipſis,quorum pertinaciam demum ſua reſurrectione conuicit,verumque ſe Deum comprobauit,ſiue dæmonibus,quorum inſtinctu Iudæi ſeruiebant miniſtri eorum:vota reddidit coram gentibus,ad quas vſque fulgorē Euangelij profudit,reddiditque eas Dei timentes,pias,religioſas. In conſpectu eorum,vota reddidit,quæ patri ſuo deuouit,ſacrauit. Vouerat Deo ſummo ſuum ſanguinem, quo genus humanum redimeret,acceptamque antiquiſſimo tempore calamitatem ſarciret. Hanc ſolennitatem votis ſoluendis,quibus ſe obligauerat,toto ſpectante mundo celebrauit. Nam vota ſi publica, ſi regum,ſi principum erant,innumerarum hoſtiarum mactatio,publicę, multorumque dierum ſupplicationes,lectiſternia,templorum ſacratio,publicæ epulæ,pluraque id genus. In conuentu totius gentis,hæc celebrabantur. Meſſias,ſanguinem,quem vouerat, profudit toto aſtante populo,per vniuerſum orbem permeante fama tantæ rei geſtæ.

In conſp. tim.e. vot. m.redd.

B

Edent pauperes,& ſaturabuntur,& laudabunt Dominum.qui requirunt eum,viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.

IS locus abundè teſtatur, hoc Pſalmo, rerum futurarum, non præſentis ętatis,qua vixit Dauid,vaticinia celebrari, vel ipſis Hebræis referentibus has Prophetias ad præſentem eorum captiuitatem,ſe quandoque in libertatem vindicandos ſperantes,tum fore vt pauperes ipſi Hebræi edant,ſaturentur,laudent Deum,qui tantis eos incommodis eripuerit, nobis autem hoſtibus ſuis oppreſſis,in æternum tempus ſe triumphaturos. Hac igitur interpretatione palàm fit, carmen in futurum tempus ſpectare, ſed hoc tempus Hebræos propter ſummum mentis errorem,propter eam, quam ab incunabulis ferunt vbique ſecum pertinaciam, & cuius nullum finem faciunt,non rectè conſtituere. Et quod magis eorum inſaniam coarguat, ſi ſeſe à ſeruitute ad libertatem redituros,idque ſibi à Prophetis promitti contendunt, cur nunc tacent eum, per quem in hanc libertatem vindicentur,quem reliquis locis apertè Meſſiam fore fatentur? Hunc igitur libertatis ſuæ ducem,qui regna,nationeſque eis ſubiiciat,dominos rerum conſtituat, omnibus conſpicuos,venerabileſque reddat,Meſſiam arbitrantur. Ergo ſi libertatem hanc pręſenti Pſalmo celebrari contendunt,Meſſiam in primis Pſalmus ſpectet neceſſe eſt. De Meſſia igitur eſt hoc carmen. Nam vaticinium de libertate,atq; uictoria, neceſſariò reſpicit imperatorem, cui debent omnes ſalutem,liberationem. Conueniunt igitur,aut conuenire coguntur cum Chriſtianis,de Chriſto carmen eſſe,ſed malus animus, mala mens, eos fallit, in uoragines præcipites agit. Referunt inutiliter ad nouiſſima tempora, quod in medio temporum erat celebrandum. Quid enim ſupremo tempore proderit eos in liberratem uendicare, (Sentiunt autem liberationem corpoream) ſi paulò pòſt deſinet eſſe mundus, quod illi quoque fatentur? Quem fructum C liberationis huius capient?quomodo uiuēt corda eorum in ſęcula? In hanc uoraginem delabuntur,quòd corporea duntaxat,ut ſunt ubiq; ſtolidum pecus, reſpiciunt, non uidentes hęc omnia, Prophetas ſuos,ad cęleſtia,& ſempiterna retuliſſe,ſed uerbis,& nominibus corporea reſonantibus. Igitur quod ait, Edent pauperes,pro pauperibus ſunt ענוים anauim,mãſueti,mites,quod reddidit Hiero. Hos mites ſępius memorauit. Hi ſunt,quos ad pietatē Meſſias conuertit: quos innocuos,mites,manſuetos,ſuaues,pietas efficit. Comeſtio,& ſaturatio figuratè innuit,eos fore beatos,nectare & ambroſia ſaturandos. Quã tralationē Orpheus quoq;,ueteresq; Poetę de fortunatis,beatiſq; uſurpabant. Gręci cum Latinis,ſaturandos, imbuendos diuina ſapientia, aut Chriſti corpore. Figura prior uerè poetica. Inter diuinas has epulas,quibus beati aſſideant,eos laudaturos Deum,triumphaturos,quod in cęlo fieri ſacrę litterę proclamant. Hi ſunt requirentes eum: qui eum adamauerunt, pro patria uulnera paſſi, uitam Angelorum in corporibus agentes, qui quæſierunt,ſcrutati ſunt eum. Quod ait, Viuent corda eorum, rectè ex ſuis litteris Hebręi declarant, Animus eorum refloreſcet,cor implebitur alacritate,reuiuiſcet cor eorum in cęlo,męroris, curarumque plenum in terris,ſub corporea ſarcina. Illic,vt alibi eſt,Sanctorum,veluti aquilæ,iuuentus renouabitur, florebunt ſicut lilium in ciuitate Domini. Sunt multa expempla, quibus Hebræi locutionem hanc declarant. Conſternari,animoque deficere, dici ab eis,Cor emarceſcere,cor emigrare è loco: emortuum eſſe cor. Contrà, reuiuiſcere cor. In ſæculum ſæculi, Hebraicè לעד laad,in ſempiternum, æternas epulas, alacritatem ſempiternam promittit. Ergo non in terris,non corporaliter, ſediquale de ſe Meſſias: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, viuet in æternum. Eſſe hoc loco Prophetiam de rebus Meſſiæ, nec ab re Chriſtianos hunc Pſalmum de Chriſto interpretari, vel ipſos inimicos Hebræos cogit veritas

Pauperes.

Comedẽt.

Laud. dominum.

Qui requ. c.

Viuẽt corda eorum.

fateri. Siquidem Rabi Salomon,has epulas,hanc ſaturitatem, hos triumphos, & alacritatem ab oraculo promiſſam,eſſe eam confirmat,quæ erit in tempore redemptionis,in diebus Meſſię Comedēt,ait,manſueti,ſeu mites לעת הגאולה לימות המשיח le erh hagheula,leiamothę hamaſiach.In tempore reſurrectionis, in diebus Meſſiæ. D

Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ:

Et adorabunt in conſpectu eius,vniuerſæ familiæ gentium.

Ratio ma. ORaculum illuſtrius, cui nullas Hebræi poſſint tenebras offundere. Si Chriſtus autor fuit,vt vniuerſi fines terræ,prius idololatriæ, vaniſque ſuperſtitionibus dediti,ad verum Deum oculos verterent,adorarent,venerarentur,quo veniente,omnis terra repleta eſt ſcientia Domini,nonne is eſt,quem Pſalmi decantant,Cuius tempeſtate venturas omnes gentes ad pietatem,puramque religionem vaticinabantur? Si factum id iam eſt, cur expectatur futurum?quæ gens eſt hodie ſub ſole,quæ creatorem cæli, & terræ non agnoſcat, vſque ad terrarum fines religione progreſſa?Idq; non prius quàm Meſſias veniſſet in terras. Reminiſcentur. Reminiſcentur,ait,quod Hebraicè יזכרו iskeru,commemorabunt,recordabuntur,celebrabunt eum, ad quem conuertentur. Quod ait,Adorabunt in conſpectu eius,in fonte eſt לפניך lephaneca,In conſpectu tuo.Id refertur,vel ad ipſum Deum,ad quem vocem dirigat:aut ipſos Iudæos, quibus videntibus omnes gentes adorent,colant Deum,quod hodie fit. Non latet res oculos eorum. Cōuerſas,adorantesque gentes aſpiciunt,omnes mundi partes,ſiue in Meridiem,ſiue in Septentrionem te flectas,templis ſummi Dei,quibus laudatur,refertas cernunt. In conſp. Ipſa hominum pectora, tametſi peccatur vbique,lucem diuinæ ſcientię continent. Sed longè purius religione recenti,primo flore,pietate virente,veteraſcente mundo, feruidus ille cultus obſoleuit. E

Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.

IMpiis ſuperſtitionibus ſublatis,cunctis nationibus cęlum ſpectantibus,vnus rerum Dominus erit.Hoc regnum canitur à Daniele,vt cuncta oracula conſonare noſcas,immortale. In medio,inquit,regnorum iſtorum,ſuſcitabit Deus cæli regnum,quod erit incorruptibile, & ſempiternum. De Meſſia fatentur editum oraculum Hebræi vnanimiter. Et, Gentes dabo tibi hæreditatem tuam,& poſſeſſionem tuam terminos terræ. Hunc regem cecinit alio Pſalmo,quem magno conſenſu de Meſſia gens inimica interpretatur. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Eſt apud alium Prophetam: Viuo ego,dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu,& omnis lingua confitebitur Dominum. Sed oraculum huius Pſalmi,verè ſuſpiciendum,de omnium gentium conuerſione,& quòd vbique colendus ſit Deus, quòd vſque ad extremum Oceanum,per omnes mundi plagas, ſiue quas Solis iniqui concremat æſtus, ſiue quæ perpetuis niuibus,geluque premuntur,aut quæ æquis ab ęſtu, & frigore diſtantes interuallis tēperatæ, copioſius homines alunt, penetrabit ſancta religio,propagato regno Dei, quem nunc Reges adorant. Super ipſo enim (ait alius) continebunt Reges os ſuum, ipſum gentes deprecabuntur,nihil hic Iudæis pertinacibus,quibus imperat veſania,hiſcere valentibus. Meridies, Septētrio. Oriens,occidens.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes,qui deſcendunt in terram,& anima mea illi viuet.

F IS eſt uerſus in fonte,obſcurus quidem,cui varias adhibeant Hebræi, atque noſtri interpretationes. In primis animaduertendum,quod totum carmen perturbat. In fonte non affirmatur Et anima mea illi viuet,ſed negatur. Idque etiam tranſtulit Hieronymus. Hoc totum verum obſcurauit. Et Anima mea, illi viuet. Chaldæus quidem paululum illuſtrauit dicens, Et anima impii non uiuet. Adiecit impium,vt ſcires cuius animam Vates affirmet non uiuere,nempe ſceleratorum, impiorum.Hác uitam rectè & congruenter Hebręi interpretantur Gehennam, tartarū, inferos. Impius non viuet,ſcilicet uita cęleſti, quæ proprie uita dicitur. Duas igitur hominum ſortes carmen decantat. Nam de uoluptatibus,epuliſque cęleſtibus locutus ſępius eſt, de menſis Deorum, nectare, ambroſia,qua beatos ſaturandos concinit,Hebe,quæ iuuentus eſt,pocula porrigente. Parte alia canit excludendos à commertio Diuorum,non admittendos ad menſas cæleſtes, ſed gladio Dei, qui ex ore eius procedit acutus,interficiendos, nimirum letalibus ſententiis ad pænas deputandos. Manducauerunt. Itaque repetens ſuperius commemoratas manſuetorum epulas,iterum affirmat eos ſaturādos,exhilarandos,appellans eos pingues terræ,quos in terra Meſſias Deus ad has epulas inuitabit,inuitatos impinguabit,hilares efficiet, quorum de ventre flumina fluent aquę viuæ, vt ipſe dixit apud Ioannē. Pingues terræ. Quos prophetarum vocibus inuitans clamabat,O ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum,properate,emite gratis. Multiſque Veteris,& Noui teſtamenti locis epulæ diuinæ,cæleſtia pocula,pinguedo,fęcunditas memorantur. Ergo huc pertinet carmen, Manducauerunt,& adorauerunt omnes pingues terræ,vt noſcas menſam,epulas, iidem illi, qui manducant,ſimul adorant,venerantur. Non ſunt epulæ corporeæ. Commemoratis bonis, quibus datum fuit propter probitatem,ac pietatem, vt in numerum diuorum collocarentur, quod vaticinium eſt de his qui credant in eum: Parte alia collocat impios.reor ego Iudęos incredulos

Cadent.
Adorare.

A pertinaces, qui bellum pietati ſemper intulerunt: qui Meſſiam tot ſuorum prophetiis, decantatum, ad eos venientem, cæleſtiaque dona afferentem, non modò repulerunt, ſed etiam interfecerunt, quantumque viribus valerent, religionem, cognitionemque Dei, quam ille pectoribus hominum inſpirauerat, inſectari, & funditus euertere non deſtiterunt. Hi ſunt igitur, qui in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram. Verbum cadendi Hebræis eſt, יכרעו icreu. Curuabuntur. Duobus igitur ſenſibus poteſt intelligi, adorare vel inuiti cogentur, velint nolint curuabuntur ante eum. Vel quod verius, vt aliis exemplis probatur, Cadent, debilitabuntur. Deſcendent in puluerem. Nam Hebraicè non eſt, Deſcendunt in terram, ſed deſcendunt עפר aphar, in cinerem, puluerem. Delebuntur, vertentur in cinerem, corruent in oculis eius. Dabunt ſcelerum pœnas. Nec viuet anima eius in cælo, nempe cuiuſquam eorum. Non viuet cuiuſquam eorum anima, vt Hebræi explicant, vita, dico, vera, cæleſti. Hæc noſtra interpretatio conuenit cum Hebræis, excepto quòd ipſos ego arbitror, de quibus dictum ſit, curuandos, in cinerem vertendos, animam eorum non victuram. Eorum ineptias, cui recenſere libeat, niſi paucis quibuſdam in declarationem ſacrorum oraculorum delibatis? Eoſdem coarguens oraculum, Quare, ait, fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Græci, qui deſcendant in puluerem, de cunctis generatim qui die ſuprema reſurgant, adorent, incuruentur ante eum. Non diſplicet, conuenitque cum Hebræis, ſed deſtruit quod ſequitur, Et anima eius non viuet. Quare conſonant magis ſuperiora. Quod ait Burgenſis in Hebraico eſſe, Et animam ſuam non viuificabit: in fonte potius eſt, ונפשו לא חיה venaphsho lochia, Et anima non viuet, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, conueniuntque omnes Hebræi, nec ſenſus, quem adhibet, elicitur ex fonte.

Deſcen.in ter.

B **Et ſemen meum, ſeruiet ipſi. Annuntiabitur, Domino generatio, ventura.**

Semen.m.
An. d. genera.vent.
Annuntiabitur domin.
Semen m. ſeru.ipſi.

HOc carmen non ſecus habet in Hebraico, quàm vt vertit Hie. in ſuo pſalterio. Principio non eſt, Semen meum, ſed Semen, duntaxat. Et quod in Græco eſt γενεὰ ἡ ἐρχομένη Generatio ventura, in fonte verò. Narrabitur, Domino, לדור, lador, in generationem. Igitur Hebræi iuxta hanc veriorē lectionem, ſed proſtratis animorum ſuorum oculis, rem ſibi tribuentes, ſemen, gentem Hebraicam interpretantur: nempe ſemen, progeniem, ſtirpem Iacob, Hanc vnam gentem, veros ſummi Dei fore cultores, prędicantes. Hæc ait, gens narrabitur, numerabitur, Cenſebitur ipſi Domino, ipſius eſſe dicetur, in generationem, nempe in ſæculum, in æternum. Hi vere pii. Nam tametſi, aiunt, reliquæ gentes conuertentur ad Deum, at his vnis datum, legitimos eius eſſe veneratores. Sed quoniam pſalmus in primis ſuper vniuerſali, totumque per orbem ſpargenda religione, hunc verum Meſſiæ triumphum, quo gentes omnes ad ſe conuerſas abducet, celebrat, & decantat, quo nullus vnquam, quaſcunque regum victorias, triumphosque proferas, fuit inſignior, decet carmen ſuper hoc ipſo interpretari, non Hebræorum anguſtias intrare, ſuper quibus vix riſum contineant ſaniores. Decantat igitur regnum Meſſiæ, nationes, populosq; ad eum concurrentes, regemque ſuum eum conclamantes, vt paulò antè, & ipſe dominabitur gentium. Hoc nouum, inquit, ſemen, hæc noua progenies ſeruiet illi, colet, venerabitur eum. Hæc narrrabitur, deputabitur ipſi Deo. Gens Dei vocabitur in poſterum ſemper. Neque enim Iudæi verum Meſſiæ regnum poſſunt eſſe quem non ſuſceperunt, adorare recuſauerunt, quibus nihil profuit Meſſiam in terras cōceſſiſſe. C Nobiliſſimum regnum eius, omnis orbis terrarum nationes. In generationem, in ſæculum, in ęternum. Eſt enim, ait, ut cecinit Daniel, poteſtas eius, poteſtas æterna, eſt regnum, quod non corrumpetur.

Et annuntiabunt iuſtitiam eius, populo, qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Iuſtitia Dei.

DEeſt apud Gręcos, & Latinos ex fonte יבאו Iabou, Venient, & annuntiabunt, Deeſt, uenient. Dixerat, in ęternum, in generationem fore regnum eius, ſemper hanc lucem radiaturam in terris. Enuntiat clarius, Venient omnes, ait, concurrent, confluent, per vniuerſum orbem, pietatem, iuſtitiam, religionemque eius enuntiantes, & poſteris, ut factum uidimus, tradentes. Non eo tempore duntaxat iuſtitia, nempe miſericordia, liberalitas eius, (ut Hebraice denotat) fuit nota, ſed ad poſteros quoque manauit. Nec ulla deſinet ætas commemorare. Is rumor erit in terris, hæc fama crebreſcet Meſſia ueniente: omnibus linguis perſonabit: nullus erit in terris angulus, quem hęc fama non adeat.

PSALMI XXII. EXPLANATIO.

HVnc pſalmum, glorioſum, nobilemque appellant Hebræi. Eorum ſunt, qui ferant editum à Dauid pro ſeipſo, cùm Saul eum tam uigilanter, atrociterque inſectaretur, ipſe autem omnem in pręſidio cęleſti ſpem poneret. Sunt alij, qui pro ereptis hac uniuerſali, diuturnaque eorum captiuitate, qua ſub Chriſtianis gementes, putant aduenienta Meſſia ſe in libertatem uendicandos. Quorum ſententia, ut cernis, tendit ad Chriſtum, de quo præſens oraculum ſit editum, propterea adnexum ſuperiori, quem ſimiliter de præſenti captiti captiuitate interpretabantur. Sit igitur vera ſententia, pſalmum conſonum ſuperiori, reſpicere Meſſiam paſtorem gentium vniuerſarum, quas ad ſua paſcua, fluminaque ſacra adducet. D Talem paſtorem concinit oraculum, qualem ſæpius ſe dixit eſſe Meſſias in terris: Ego ſum, ait, paſtor bonus. Hæc interpretatio Græcorum quoque eſt, & vera.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit.

Regit me. Nihil mi. de.

SI conſulas Hebraicum, habet, Dominus רעי roi, paſcit me: idq́; etiam habet Græcum ποιμαίνει με. Reliqua pars eſt in fonte, לא אחסר lo echſar, Non deficiam. Exponitur ab eis, veluti eſt in noſtra editione, Nihil mihi deerit. Chaldæus retulit hæc ad populum, dum eſſet in deſerto, transferens, Dominus pauit populum ſuum in deſerto, & nihil defuit eis. Quocirca varios, atque in ſuperno cortice ſonet, ſubeſſe ſenſus crediderunt. Recteque in Meſſiam refertur.

In loco paſcuæ ibi me collocauit,
Super aquam refectionis educauit me, animam meam
conuertit.

In loco pa. colloc. Sup aquā refect.

IN fonte propriè eſt, In locis virentibus, in locis herboſis, paſcuis. Perſtat enim in metaphora paſtoris, vſurpata ſæpius in ſacris litteris. Collocauit ירביצני iarbizeni, Accumbere me fecit. Super aquam refectionis: Origo, Super aquam, מנוחות menuchoth, quietis, tranquillitatis, Super aquam tranquillitatis, & quietis, Aquam amœnam, loca virentia, propter aquæ riuum, vbi E viridi in thoro liceat accumbere, vt nihil deſit ad metaphoram paſtoris, & pecoris. Paſcit me Deus, in pratis virentibus collocat, ad potum præterfluentis aquæ ducit. Hic recumbo, hic paſcor, nutrior ab eo.

Educ.

Animam meam conuertit, deduxit me ſuper ſemitas
iuſtitiæ, propter nomen ſuum.

EXoluit metaphoram: paſcua demonſtrat, nimirum pietatem, cęleſtem philoſophiam. Hęc vera vbertas, verus amnis, potus, cibusque verus. Hac ratione verus ille paſtor, ſimili ſuis verbis vſus eſt tralatione Meſſias cùm eſſet in terris: Et alias oues habeo, inquit, quæ non ſunt ex hoc ouili. Hæcque ab oraculo dicuntur ex perſona ouium, quas ille ſuauiſſimè paſcet. Appellat Vates velut ouis, Meſſiam paſtorem ſuum, pietatis, iuſtitiæ ducem. Iure meritò ferunt Hebræi hoc oraculum annexum ſuperiori, quod totum ferè erat de gentibus ad religionem venturis, de promulganda per vniuerſum orbem pietate. Nunc autem paſtor earum gentium canitur. Animam ſuam, genere loquendi Hebraico ſeipſum vocat, maximè verò animam proferens, quòd illic ſit ſapientia, quam à paſtore prædicat ſe accepiſſe. Semitas iuſtitiæ haud ab re nominat, quòd omnis vita quaſi iter eſt, ſic per tempus decurrens, vt per ſpatium, cāpi veſtigia ſignant iter. Propter nomen ſuum, eſt, vt nomen ſuum conſonet in omni terra, innoteſcat eum paſtorem eſſe verum. Non propter me, inquit, ſed nominis ſui cauſa, vt celebretur. Aut propter nomen ſuum, ex ſua bonitate, & clementia, meis meritis ad hanc dignitatem non attingentibus. Quod à principio eſt, Animam meam conuertit, etſi eſt Hebraicè ישובב ieshobeb, vt poſſit deſignare conuertit, ab Hebræis tamen exponitur pro quiete, & pace. Non circunduxit (aiunt Hebræi) vagamq́; egit animam meam à paſcuis ad paſcua, non defatigauit per montes, atque conualles, ſed quiętem ei dedit, in vna iuſtitia. Hoc ſignificatum ſciens Hieronymus tranſtulit, Animam meam refecit.

Anima.

Semita iuſti.

Propt. n. ſ.

Conuertit.

Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: virga tua, & baculus
tuus ipſa me conſolata ſunt.

In med. vmb. mort.

IN medio vmbræ mortis, in fonte, In גא ghe, in valle vmbræ mortis. Per valles tenebroſas. Vmbram mortis vocant ſuo loquendi genere, vmbram denſiſſimam, letalem, mortiferam, horrendam. Vel, Si per valles, ait, opacas, teterrimas inambulauero, duce Deo nihil trepidabo. Ea mihi certa cuſtodia. Scio mihi aſſidere præſidium, quàm tutiſſimum. Si figuram exuas in lucem, vallem tenebroſam, aduerſos caſus, fortunæ truces vultus appellat. Non quemadmodum nimis in Aſtrologiam iuratus Auen Eſra, malas ſiderum influentias. Hæc non extimeſcit, cui Deus it comes. Ipſe declarat vates, Non timebo mala, Alibi quoq; cecinit. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, non timebis à timore nocturno. Quòd ait, Virga tua, & baculus, duo nomina, idem pollentia, nec abſiſtit à paſtore. Fert baculum, fert pedum paſtor. Baculus is (ait Vates) ſolatur, ſuſtinet me. Baculus, inquam, robuſtiſſimus ille, quem dæmones, omnesque aduerſi genij trepidabunt, & propius accedere pauebunt. In manu paſtoris mei, eſt baculus validiſſimus, quo ſuſtineor, cui nitor, in quo ſpes omnis mea recumbit. Hoc animum meum ſolatur.

Non time. m. Vir. tua. & bac.

Conſol.

Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me.
Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians.

HOc ordine legitur carmen in Hebraico, qui ab interpretibus minimè mutari debuit. Sępius memorauerat aquã refectionis, locum paſcuũ, quietem propter aquæ riuum, ripasque virentes. Iterat ſimile. Hæc menſa eſt, hæc pinguedo, ſatierasque a paſtore parata. Aduerſus inimicos, (dixerat enim vallem tenebroſam) Hæc menſa, ait, vel inter hoſtes eſſe poterit. Quantum velint circunſtet, circunlatrent inimici, ſunt his, quos protegit Deus, cuncta ſuauia, læta, fœcuuda, opulenta. Eſt menſa parata, poculis redundans, onuſta Cerere, & Baccho, vel in oculis hoſtium. Omnia ſecura, omnia tuta piis. Poſſet eſſe quoque ſenſus iuxta Rabi Dauid. Videntibus hoſtibus erit mihi menſa parata, epulæ cęleſtes, gaudia, coronæ. Tunc inimici cernentes, turbabuntur timore horribili, & præ anguſtia ſpiritus gementes, dicent: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum. Ecce computati ſunt inter filios Dei. Hæc menſa bonorum cęleſtium plena, hæc ambroſia, nectar. Vtitur alia tralatione: Impinguaſti caput. Haud dubium, hoc oleum eſſe vnguentum pretioſum, quo capillos ſpargebant, odor fragrabat. Pinguedinem capiti tribuit, id ipſum vnguentum reſpectans, quo perfuſi, quaſi pingues dicebantur. Pingues luculenti, pelle lucenti, forma bona, caput pingue, perfuſum, conſperſum, odoribus plenum. Oleo, inquit, caput meum non vnxiſti. Et alio pſalmo, Vt exhilaret faciem in oleo. Similis ferè tralatio eſt, Calix meus inebrians. Pro μεθύσκον, inebriãs me, Hebraicè רויה reuia, redundans, fœcundus. Ille impiger hauſit.

Menſa.

Aduerſ. e. q. tri. m.

Impig. in ol. ca.

Calix. m. inebr.

Ingentem pateram. & pleno ſe proluit auro.

Pocula plena. His omnibus ſignificatur vbertas, felicitas, fœcunditas, opulentia, vero paſtore miniſtro.

Quàm præclarus eſt: & miſericotdia tua ſubſequetur me
omnibus diebus vitæ meæ: & vt inhabitem in domo
Domini in longitudine dierum.

PRo ὡσεὶ κράτιςον, quod Latinus dicit, Quàm præclarus eſt, applicaueruntq; id ſuperiori verſui Septuaginta annectendum potius huic præſenti. Nam Calix ſuum habuit epitheton, nempe, inebrians, ſiue fœcundus. Tum ſubiicit אך טובוחסד ak tob, vacheſed. Veruntamen certè, bonitas tua, & miſericordia tua ſubſequetur me. Nunquam clementia tua deſtituor, nunquam me deficit gratia cœleſtis. Complexum me tenens, comes, dux. Poſſet eſſe ſenſus quorundam Hebræorum: Proſequitur me miſericordia, beneficentia, qua ego nunquam prodeſſe deſinam. Nulla erit benefacieudi laſſitudo. Habitabo in domo Dei, docendo, cunctiſque mortalibus mandata Dei prædicando: illic ero ſæpiſſimè. At mihi magis probatur, vt miſericordiam non ipſius Vatis, ſed Dei ſentias, quod toto pſalmo diuina beneficia decantantur. Quòd ait ſe habitaturum in domo Domini, vbique in ſacris oraculis duplex templum Dei, domus duplex canitur, cœleſte, & terreſtre. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &, Et exaudiuit me de templo ſancto ſuo. Quare nunc quoque domum cęleſtem ſentit. Poſt omnes in terris gratias, huc tandem deſinit beatitudo: hæc ſuprema gratiarum, omnium bonorum compendium. Demum, inquit, poſt omnes gratias, hæc erit poſtrema, quòd templa cæleſtia conſcendam futurus illic colonus in longitudinem dierum: nempe in ſempiternum, vt eſt alibi. Vocant antiquitatem, mundis æternitatem. Longitudo dierum, quantum poteſt ipſum æuum procedere. Græci poculum, oleum, Euangelicam ſapientiam, oleumque baptiſmi: caput totum hominem, aut ipſum animum. Domum Domini, Eceleſiam. Claret quid Vates inuuat ſub poeticis, tropis, quibus Homerus, reliquiq; poetæ redundant. De paſtore, ouibus, paſcua, aquis fęcundis, poculis, quiete in amęnis thoris, baculo paſtoris, menſa opipara, beata, capitis odore, calice fęcundo, de perenni gratiarum copia, demum de habitatione cęleſti. Hæc à Meſſia prouentura fęlicibus animis, Deumque colentibus decantat.

Miſericor. t. ſubſ.

Et vt inhabitem in d. domini.

In lon. die.

PSALMI XXIII. EXPLANATIO.

INscriptio, eſt Pſalmus Dauid prima Sabbati. Redundat prima Sabbati, neque apud Hieronymum, neque Chaldæum, neque in Hebraico reperitur. Confodias obeliſco, μιᾶς σαββάτων. Non laborabo ſententias Græcorum, Hebræorumq; quorſum pſalmus is ſpectet, referre, proponente Nicolao Lyrano, ex Rabi Salomone de portis clauſis templi, poſteaq; patefactis ad canticum huius Pſalmi, quam Burgenſis fabulam appellat, & potius cum Græcis conueniens de Chriſto in die, quæ Palmarum vocata eſt, templum ingrediente, Pſalmum decantatum: præclara facta eius, diuinis vatibus proſpicientibus, totoque ſpiritu pronuntiantibus, quale fecere Sibyllæ, ſed clarius quam Vates Hebræorum, propter linguæ Græcæ claritatem, Hebraica à noſtro loquendi genere longè plurimum diſſentiente: eamq; ob cauſam tropis obſcutioribus, inuſitatoque ſermone peregrinas aures offendente. Sit igitur hypotheſis Pſalmi, vt ſuperioribus conſonet, de his, quos Meſſias cruore ſuo redemptos, myſteriiſque, nempe ſcientia patris ſui initiatos, ad triumphos cęleſtes aget. Eius primum maieſtatem canit Pſalmus, tum ad pios conuertitur, quibus cęleſtis aditus patefiet, ne putes omnes admittendos, tametſi ſuperius vniuerſalem gentium conuerſionem prædixerat. Tum ad ipſum Meſſiam reuertitur, iam terras linquentem, & ſupra candida ſidera ad ſua regna ſeſe recipientem. Hæc ſimul antecedentibus Pſalmis pronunciantur, a ſuppliciis, quæ gens impia Domino ſuo intulit, ad reliqua deinceps poſt reſurrectionem Spiritu diuino, quo prophetarum mens implebatur, progrediente.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo.

EXordium ingens. Tollitur mens in altum, magna pectus concipit, omnia colluſtrans animus, nihil reperit, non ditione diuina contineri. *Deum nanque ire per omnes.*

Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.

Hinc pecudes, armenta, viros,, genus omne ferarum,

Quenque ſibi tenues naſcentem arceſcere vitas.

Dominus vniuerſæ terræ, nec terreſtris elementi modo, ſed item generis humani, quòd terreſtri ſinu recipitur. Plenitudinem terræ dixit, vt clarius vniuerſam terram, in quaſcunque partes tendit mundus, exprimeret. Quod Græci tranſtulerunt ἡ οἰκυμένη, quod noſtri vertunt orbem terrarum, proprieque ſonat habitatam, Hebraicè eſt תבל thebel. Id propriè differre a terra ferunt Hebræi, quòd terra, totum elementum terreſtre eſt, thebel tellus, quæ colitur, habitatur. Id verè tralatum a Græcis οἰκυμένη, habitata variarum gentium ſedes. Tria nomina repetens, elementum terræ, habitabilem terram, genus humanum, dominum, habitatoremque terræ Hæc ſummo Deo parere canit.

Orbis terr.

Colere pro habitare.

Quia ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum.

SAepius admonitum, quod Græci vertere aſſueuerunt ἑτοιμάζειν, præparare. Hebraicè eſſe כונן conan, id ſonat, firmare, ſtabilire. Hocque loco dicendum, quemadmodum vertitur ab Hieronymo. Super fluminibus ſtabiliuit eum. Reſpondetque primo, fundauit eum. Neque eſt, quod ſcripſit Euthym. ἑτοίμασε, pro ἐκόσμησε, præparauit, ornauit. Magnus autem ex philoſophia cęleſti locus proponitur: ea, inquam, philoſophia, quam Moſes ſcriptorum vetuſtiſſimus, partim, quòd priſcorum memoria ex ſucceſſione tradebatur, partim, quòd eſſet diuinis oraculis eruditus, conſcripſit. Neque enim præſens hoc carmen canit, quod ne fieri quidem poteſt, terram, mari, fluminibusque ſupereſſe, ſuperinnatare. Nam vt eſt in eiſdem Pſalmis; Initio Domine terram fundaſti. Terra igitur, veluti fundamentum cunctis elementis ſubiecta fuit. Prima mundi baſis, cui cunctæ res niterentur, Ipſa ſubiacet, deinceps aqua ſuperfuſa eſt, aer maria circumplectitur. Huic ſublimis ętheri exiſtit contiguus. Is elementorum certus, immobiliſque ſitus. Sed noſter non ad hæc notiora reſpicit, illa concelebrat abſtruſiora, ex Philoſophia Moſaica, vt maria imperante Deo, in concauas mundi partes ſubſederint, & quæ omnibus paſſim terris incumbere ceu ſedibus ſuis debuerãt, iuſſu Dei ſuperiora loca liquerint, terra generi hominum, reliquiſque animantibus ſedes futura, nutrimentumque productura ſuperextiterit: hic degerent, hæc alimenta præberet, hæc ſuper mari fundata, & ſtabilita eſt, non quòd ei maria ſubiaceant, ſed ſuperior mari eſt, eminentior, ſublimior, mare inferius decumbit, hæc ſublimis eminet, locus, domiciliumque animantium. Nonne audis apud Moſen theologorum eminentiſſimũ, ſeu vetuſtatem, ſeu diuinam ſcriptorum eius autoritatem reſpicias. Dixit autem Deus, Congregentur aquæ in vnum locum, & appareat arida. Hæc illa terra, ille terrarum orbis, ille Hebraicus thebel fortaſſe, tellus noſtra Latina, quæ apparuit ſuperior aquis in infima loca conſidentibus. Hanc flumina peragrant, per conualles, infimaſque foſſas, agri autem coluntur, domus inædificantur, vrbes vbique multitudine hominum florentes cernuntur. Reliquum terrarum occupat mare, ne id quidem non conſilio diuino agente, quod Lucretius, cui propria profeſſio lucem, qua verum clareſcit, eripuit, videre non potuit. Mare Solis ardore concoctum vapores, aeremque exhalat, nubes hymbriferas, ventoſque aſſiduè gignit, quibus rebus animantes in arida degentes aluntur. Ipſa arida quaſi hortus irrigata, pabula producit. Hoc fieri non potuiſſet, niſi mare, maximam terrarum partem occupaſſet. Hebræi locum haud ſecus interpretantur. Græci non tantopere vero propinqui, propterea quòd quaſdam cauernas aſciſcunt, per quas mare ſubeat, montibus incumbentibus, At philoſophia hæc, de tota terra habitabili eſt, ſuper maria quidem ſtabilita, quòd ſuperior, editior emerſit, ne fluctibus allueretur.

Pręparare.

Scripta Moſis.

Aether.
Aer.
Aqua.
Terra.

Ter. vt nã ſuper mar. fundat. ſit.

Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

CElebrato Domino, qui genus humanum condiderit, eique terram colendam tradiderit, ad ipſos homines in terra degentes ſe recipit, eis meliora quàm terreſtris præbeat hęc ſedes demon-

A demonſtrans, meliorisq́; Philoſophiæ theſauros aperiens. Id multis in locis agere Pſalmi conſueuerunt, vt rebus, quæ ſub oculos cadunt, memoratis, quarum opificem, regentemq́; ad omne tempus, Deum pronuntient, tum carmen ad ea, quæ animorum ſunt veluti maiora, melioraque conuertant. Vt illo Pſalmo, quo pulchritudinem cœli Solisq́; decantat confeſtim legem Dei celebrat, veneratur, laudes eius vniuerſas percurrens. Nunc quoque è terra conſcendit ad altam Philoſophiam animorum, finem ſupremum viſibilium rerum. Cuncta enim animis parabantur: animi autem, vt à ſedibus terreſtribus, ſi piè, iuſtèque vixiſſent, ad cęleſtem beatitudinem reciperentur. Hac de cauſa Pſalmi per vtranque Philoſophiam vagantes cęleſtem illam, quam terreſtris vt maiorem reſpicit, copioſius proſequuntur. Montem Domini, etſi ſunt Hebræi, qui montem Sion vbi eſſet arca, interpretentur, mihi magis probatur, quemadmodum in Pſalmis eſt templum cęleſte, & terreſtre, ſic, cùm ſit mons cęleſtis, & terreſtris, cæleſtem celebrari. Iure vocatur cęlum, mons, vt quod Græcè quoque nuncupatur οὐρανὸς, Summus rerum terminus, circunſcriptio definitioque rerum viſibilium: locus altiſſimus, mons editiſſimus. Eundem appellat locum ſanctum. Eſt enim regnum iuſtitiæ, campus veritatis, ait Plato, piorum ſedes: nullum illic flagitium, neque flagitioſis patuit vnquam, ſceleratis inacceſſus, ſolis piis admittendis, improbis excludendis in ſempiternum. Hæc omnia Vates latius deprædicat.

Deꝰ quis.

Mons domini.

Locus ſanctus.

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

B QVod à Græcis interpretibus ſcribitur ὃς οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, Qui non accepit in vano animam ſuam: ex Hebraico luculentius לא נשא lo naſa, Non exaltauit, aut leuauit ad mendacium, animam ſuam. Phraſis Hebraica reſonans obſcurè peregrinis auribus, ſi euoluas clareſcet. Qui non concitauit animum ſuum, id eſt ſemet, ad mentiendum. Sæpius monſtratum, animam eſſe vnumquenque. Non leuauit, non extulit, non mouit, ſe ad mentiendum. Nemini enim non perpiſcuum, vanitatem eſſe mendacium. De ſancto, ſtabiliq́; iuramento, de veridicis, eſt ſermo de hisquos Græci vocant εὐόρκους, beneiurantes. Id declarans, vt ſolet iterata ſententia, Nec iurauit in dolo proximo ſuo. Is ſenſus verus, Quare non probatur mihi, quod tranſtulit Hierony. Qui non exaltauit fruſtra animam ſuam. Nam ex ſecundo, primum innoteſcit. Eſt item apud Hebræos duplex lectio. Qui non leuauit animam ſuam ad mendacium: Qui non leuauit animam meam. Putantq́ue eſſe verba Dei, qui quaſi reſpondeat. Qui non leuauit, non accepit animam meam, nempe nomen meum, maieſtatem meam, ad mentiendum, adhibens me, nomenque meum ad iuramenta doloſa. Hæc lectio ab eis, alijs teſtimonijs roboratur. Sed prior veriſimilior. Igitur primùm memorat totum fontem probitatis, ac iuſtitiæ, pectoris integritatem, animi puritatem, munditiem, cum maculæ non infecere animum, manuum caſtitatem. Vt radix omnium malorum, auaritia, rapax, violenta, neſanda rerum corporearum ſitis: ſic virtus illi inimica, radix & origo bonorum. Ea vocatur innocentia, manuum caſtitas. Cordis autem mundities eſt, vt non tam in propatulo ſit integritas, ſed cor item, ſedes omnium cogitationum, ſit purum, minimè doloſum. Totum, vt vides, ſpectat charitatem. Ea regina virtutum, ea cęlum aperit. Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. Vides vt inuicem reſpondeant Propheta, & Meſſias. Mundos corde ad montem ſanctum, Propheta, & Meſſias ad viſionem diuinam adducit.

Qui non ac. in van.

Animam ſuam.

Mēdaciū, vanitas.

Nec iur. in dol. proxi. ſuo.

Et mundo corde.

Innocens manibus.

Auaritia.

Innocētia.

Cordis. mundities.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

PRæmium virtutis incomparabile. Benedictio, Hebraicè, eſt copia, affluentia, inundatio, fluxus, abundantia. Accipiet benedictionem, omnium bonorum vbertatem, copiam: nihil eum deficiet ſuppetente copia rerum cunctarum à Deo, cælitus diuitias ſuas demittente. Pro miſericordia, fons habet צדקה zedaca, iuſtitia. Quanquam, quod ſæpius obſeruauimus, iuſtitia, miſericordia, liberalitasque nuncupatur. Accipiet iuſtitiam, miſericordiam, beneficium: liberalitas diuina, benignitasque cum circumfluent in hoc mundo, & futuro. Si iuſtitiam accipias, vt ſonat, accipiet iuſtificationem à Deo, innocentiam. Iuſtificabitur, declarabitur iuſtus à Deo, in numerum iuſtorum collocabitur. Proptera beati mundo corde, quoniam ſententia diuina, iuſtorum è numero declarati. Spectacula cęleſtia conſpicient, diuina viſione fruentur, quam Plato, vocat μακαρίαν ὄψιν, Viſionem beatam, Quale, ac quantum pręmium virtutis, integritatis, innocentiæ a ſalutari ſuo, clarius, ſeruatore.

Bn̄dictio.

Miſericor. Iuſtitia.

Salutare.

Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.

VT conſueuit, apertius explicat. Rogauerat a principio, Quis aſcendet in montem Dei? reſponderat: Nunc reſponſionem confirmat. Hoc genus piorum, hæc diuina progenies, quibus in terris cara virtus erat. Datum eſt eis videre Deum, quoniam quęrebant eum, id omnem dabant operam, hoc maximè ſtudebant: quæſitum inuenerunt. Cupidiſſimi erant videndi Deum, ad hanc viſionem perueniri non poſſe, niſi virtute, & integritate duce, exploratum habebant. Itaque viam certam repererunt, quæ ferret ad ſuperos. Hinc intelligimus montem

Quærere Deum.

tem Domini, eſſe viſionem beatam faciem Dei. Minimum refert, quòd ſit Hebraicè, Quærentium faciem tuam. Nam ad Deum ſe flectere Vatem, contendunt Hebræi. Illum vultum videre quæramus.

Vultu quo cœlum, tempeſtateſque ſerenat. Hæc θεωρία,

Attollite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternale s,
& introibit rex gloriæ.

Pſalmorũ cõſecutio.

Attollite port. prin.

Eleua. por. æter.

Rex gloriæ.

DE viſione beata, de monte ſupremo carmen erat a principio, de beatis. Beatitudinem, ſummumq; bonum, aut finem bonorum, quaſi definiendo declarauerat: Videre faciem Dei. Viam quoq; ad hanc felicitatem ferentem aperuerat, digitoque oſtenderat, virtutem, integritatem, quam munditiem cordis appellat. Sudore, & virtute conſtare gloriam, aditumq; cęleſtem prędicabat: nunc ad Meſſiam, quo duce genus humanum, bonorum cęleſtium ſit particeps, ſeſe conuertit, à terris ſcandentem ſidera, portaſq; cęleſtes aperientem. Superioribus pſalmis ſupplicia pro ſalute orbis terrarum adita cecinerat: tum gentes vbique terrarum degentes, ad ſcientiam Dei conuerſas, paſtoremque earum, qui eas ad prata cęleſtia, fonteſque nectareos, & immortales epulas agat: demum ad cęlum redeuntem, triumphantemq; Meſſiam decantat. Hæc pſalmorum conſecutio mihi magis probatur, quàm vt de arca ſit ſermo, quam Salomone in domum Dei deducente, pſalmum hunc cantores efferrent, Superiora enim, vel ipſa aduerſa gente iudice, ſunt de Meſſia. Declarandus eſt verſus, non rectè conuerſus à Græcis interpretibus, obeamque cauſam obſcurus. Attollite portas principes, quemadmodum reddidit ſanctus Latinorum interpres, eſt in fonte שאו שערים ראשיכם ſeu sharim rashekem, leuate portæ capita veſtra. Hortatur, vt cernis, vt portæ pateſcant, vt poſtes, quos capita vocat, tollant, leuent capita portarum, ſeſe aperiant. Proſopopœia figura portas alloquens, capitaque eis tribuens: vt Exultet mare, & plenitudo eius. Et exultabunt omnia ligna ſyluarum. Principe οἱ ἄρχοντες, quę ſunt in Hebraico capita, dixerunt Septuaginta, ſed ſecus, & luculentius in origine. Quod autem ſequitur, Eleuamini portæ æternales, Aeternales, Græcè αἰώνιοι, æternæ, ſempiternæ, quod Hieronymus, Ianuæ ſempiternæ. Quare Latinum decuerat vertere, Portæ æternæ, iuxta Hebraicum, & Græcum. Quid enim æternales? Exemplar Hebraicum פתחי עולם pithche olam. Igitur portas alloquitur, vt pateſcant, triumphantem Meſſiam, gentemq; piorum eum proſequentem recipiant. Meſſiam, inquam, agentem è terris, morte, & ſanguine ſuo partum innumerum cœtum. Portas æternas, quis non perſpicit eſſe portas Olympi ſidereas? Regem gloriæ, regem glorioſum, triumphantem: Regem glorię cęleſtis. Proſpicit Propheta inſpititu, Meſſiam glorioſe cęlum redeuntem, vt proſpexerat ſupplicia perferentem. Alacritatem, plauſum, ſpectaculum ineffabile contemplatus, diuinum carmen edidit.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis, & potens: dominus potens in prælio.

Fort. & po.

NOn vox humana, ſed penitus diuinum oraculum. Rogat, reſpondet regem glorioſum, micantis Olympi regiones, cœtu Deorum comite, ſubeuntem, ſed in terris potentiam ſuam oſtendente. Ob quam cauſam vocatur fortis, & potens, qui ſuos in præliis non deſerit, auxilium implorantibus adeſt. A principio demonſtrauerat eum dominatorem orbis terrarum, qui mari in voragines, demiſſioreſque conualles diſcedere iuſſo, terras hominibus habitandas tradidiſſet. At nunc præſidem cæli, cui ſponte portæ cœleſtes ingredienti pateſcant, cui venienti clarius aperitur Olympus, medium videas diſcedere cęlum: Solem, Lunamq; cernas, ſtellarumque choros, regem ſuum venerantes. At idem rex tametſi mirabilis, glorioſus, ipſiſq; ſideribus ſuſpiciendus, fortis tamen in terris aſpicitur, præſertim cùm ſuos in præliis defendit, dat fortia pectora, efficitque vt à paucis innumerabiles ſuperentur, & in fugam coniecti concidantur. Ne putes, eum, quoniam cęlo glorioſus imperat, deſtituiſſe terras, ignarum eorum quę ab hominibus gerantur, in primis proſpicit ne quod aduerſum prælium faciant, quos ob pietatem, integritatemque charos habet, quibus non modò largitur, vt montem ſanctum ſuum conſcendant, ſed in terris item tuetur.

Attollite portas, principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, &
introibit rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ.

Virtutes. Dom. virt.

VIrtutes Latinus reddere conſueuit, quod melius eſſet, & vt Græcum ſonat, δυνάμεις, copias, exercitus. Dominus copiarum, exercituum, legionum cœleſtium, rex Angelorum, quorum tantus eſſe numerus in ſacris litteris refertur, vt eos appellēt exercitum, copias. Horum rex, & princeps, atque his imperare dicitur. Tot exercitus regem proſequuntur, eius ſpectaculo, quo nullum eſt ſuauius pabulum, in cęlo fruuntur.

Stant dextra, læuaque frequentes.

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari.

Et facta eſt (fertur in euangelio) cum angelo multitudo cęleſtis exercitus, laudantium Deum.

PSALMI XXIIII. EXPLANATIO.

A INſcriptio eſt, Pſalmus Dauid. Is pſalmus partim oratio eſt, qua tum erroribus veniam, tum ſibi ſapientiam poſtulat; illuminari, doceri, erudiri, viãq; vitæ rectam ſibi demonſtrari precibus inſtans. Partim eſt laus probitatis, eius prȩmia decantans, velut omnes veteres poetæ, qui iuſtos laureatos agunt in inſulas fortunatas nectaris, & ambroſiæ poculis ad omne tempus exſaturandos. Is pſalmus, quod Nicolaus quoq; ſcribit, artificioſè compoſitus eſt ab autore, vno quoq; verſu à ſingulis litteris alphabeti incipiẽte. Dicitur Grȩcè, quoniam Sibyllis, priſciſq; poetis vſitatum fuit hoc artificium, ἀκροστιχὶς de qua Marcus contra diuinationem, referens in verſibus Sibyllarum id artificium haberi. Nam quod multis in locis commemoraui, ſi primam litteram cuiuſque verſus eius carminis, quod de ſupremo die Erythrea Sibylla cecinit, ſumpſeris, efficitur. Ieſus Chriſtus Dei filius, ſeruator crux. Verum hoc Vatis Hebræi carmine duntaxat Alphabetum ſumptis primis litteris cuiuſque verſus, redditur.

ἀκροστιχὶς.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te cõfido non erubeſcam.
Neque irrideant me inimici mei.

LEVAVI, Hebraicum exemplar אשא eſa, Attollam, leuabo. Te vnum, ait, colam, ſuſpiciam, tibi vni ſpiritum meum conciliabo: E terris ad te duntaxat, oculos attollam. Leuare animum declarat alio, augens orationem, in te confido. Leuare, confidere, ſpem in eo ponere. Quod ait, Non erubeſcam, dicendum אל אבושה Ne erubeſcam. Effice, ait, ne erubeſcam, ſi tibi fido, ſi in te recumbo, fac ne ſpes hæc vana ſit, ne deluſus, pudefactus, ridiculus abeam. Ne me irrideant inimici in fonte יעלצו iaalezu, exultent, triumphent: ne B ſuper me inimici triumphent, glorientur, in me inuolitent: quod fiet, niſi ſpes qua tibi fretus viuo non ſit perſpicua, nec inimicis innoteſcat, quaſi vana, fallax, deludens animum.

Ad te leu.

Non erub.
Neque irr.

Etenim vniuerſi qui te expectant, non confundentur.
Confundantur omnes iniquè agentes ſuperuacuè.

SVſtinent, vt quidam habent codices, clarius quod ex fonte diuinus interpres tranſtulit קויך coueca, Qui ſperant. Iniquè agentes ſuperuacuè. Et hoc clarius apud Hieronymum, Confundantur, qui iniqua gerunt, fruſtra. Potius, ait, confundentur, ſiue erubeſcent, ignominia maculabuntur, aſpergentur, qui peſſimè viuunt, non piè, non Dei colentes. Fruſtra impia facta adamant illi. Nam (vt ait Paulus.) Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nullus eſt in factis iniquis fructus. Multa quidem conantes, multum ſudoris profundere cernas improbos, ſed fruſtra, vt quibus demum euanida ſint omnia: & potius in perniciem deſinat, quod tantopere petere contendunt. His igitur, non bonis & piis, ignominia, dedecus, labes inuretur, quoniam quidquid agunt, ſubuentaneum eſt. Horum vanitas vbique prædicabitur: ſpes eorum fallaces, inanes fuiſſe conuincentur. At iuſtis omnia ſecura, tuta, ad æternum tempus permanſura, virtutis radices æternæ, ſuper ſidera floreſcent.

Expectant.
Iniqua ag. ſuper.
Confund.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tua edoce me.

VIas, & ſemitas eius ex hoc ſacro poemate, omniq; Hebraico ſermone, perſpicuum, eſſe præcepta diuina, vias, quas ille præcidit ſignauit, humanis oculis aperuit. Sunt aliæ quoque, quas ſi quis meritus ſit, ſi precibus cõtẽdat, ſi ſæpiùs in aures Dei voces immittat, C aperit, oſtẽdit. Hȩ dicentur à noſtris inſpirationes diuinitus infuſȩ, pectoris optima conſilia, quibus agimur ad benefacta. Lux oblata menti, Lucerna veſtigia noſtra præcedens, ne prolabantur: Sapientia maior. Hoc aſſiduè poſtulare pſalmos cernes. Nec ferè ſunt aliæ preces, id vnum contẽdẽtibus prophetis, vt inſcitia mentis tollatur à ſe, pulſiſque tenebris, animus meliora cernat, & adeò cernat, vt perſequatur, inſiſtat, hæc adamet.

Viæ Dei.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus,
& te ſuſtinui tota die.

VIas alio nomine, quas innuat, oſtendit, nimirum veritatem eius. Omnis veritas, eſt veritas eius. Qui cupit veritatem eius, cupit veriſſima quæque, non fabuloſa, fallacia, inania. Cupit vera, ſolida, firma, ſtabilia. Itaque idem eſt deſiderare ſemitas eius, atque veritatem. In ſemitis eius fructum ineſſe prædixerat, iniquè agentes incaſſum laborare. Ergo qui poſtulat dirigi per veritatem, poſtulat vias rectas, veras, non falſas, inanes. Viæ veræ erunt, ſanctitas, integritas, æquitas, innocentia: qm̃ qui iniquè agunt, fruſtrà agunt, inania conantur, ſtudent vanitati. Contrà igitur, qui ſtudent probitati, pietati, virtuti, amplectuntur vera, tenet quaſi manibus veritatem. Deduci igitur in veritatẽ eius, eſt deduci per ſemitas eius quæ ſunt veriſſimæ, certiſſimæ. Si declares has ſemitas ſunt præcepta, leges, ſcita, placita, decreta, voluntates eius. Propterea dicitur alio pſalmo, Eloquia Domini, eloquia caſta: nimirum veridica, veracia. Et alibi eſt, Fidelis ſermo. Hebræi quoque hanc veritatem explanant, mandatorum eius. Quod ait, Et te ſuſtinui tota die: ſimile atque ſuperius, expectaui, ſperaui. Omni tempore, inquit, in te ſpem meam pono: Nunquam à te ſpes mea diſcedit? Te ſeruatorem meum appello.

Ded. in ve.

Et te ſuſt. tota die.

Reminiſcere miſerationũ tuarum Dñe, & miſericordiarũ tuarũ, quę à ſæculo ſunt. D

Dei propr. eſt miſer.
Miſeratio.
Miſericor.
A ſæculo.
Poſſe:

NAtura,ingeniumque eius eſt,vt miſereatur vt iniquè ferat iniurias illatas, non ſibi,cui detrimentum afferri non poteſt, ſed cùm miſeri vexantur, cùm ius humanæ ſocietatis violatur:nunc miſeretur,commouetur,reſpicit afflictos,violentos,rapaceſque deſtinat ſuppliciis. Et niſi eadem miſeratio impetum eius frænaret, videres protinus impios ad pęnas abſtrahi.Miſeratio igitur pertinet item,vt modò demonſtraui,cùm peccata condonat, duobus motibus eum in diuerſa pellentibus. Videt humiliores à potentioribus vexari:videt rapinas,cædes reliquas iniurias,furit,indignatur.Occurrit alius motus,vt parcat delinquentibus, idq; ob multas iuſtiſſimaſq; cauſas,ſępius à noſtris,& profanis allatas, vt is qui ſcripſit de cunctatione Dei. Miſeratio quoque eſt beneficentia, benignitas,liberalitas, qua largus muneribus ſuis ampliſſimis apparuit.Hanc (vt aſſueuit) iterato declarans, ſubijcit ſimile, Et miſericordiarum tuarum. Hoc Hebraicè eſt חסדיך chaſadecha,rectè dixeris,Beneficiorum tuorum,benignitatum, largitatum.Hac ait fuiſſe à ſæculos Bene quidem,Septuaginta ad fontem ἀπὸ αἰῶνος, ab æuo, ab æterno,à ſempiterno. At noſter Latinus non ſatis commodè, à ſæculo,cum ſæculum ſit (vt ferunt) centum annorum. Hebraicum מעולם me olã:ab æterno. Hæ miſerationes ait,benignitates affluentiæ,largitates, delictorumq; condonatio,ſempiternæ ſunt, non paucos ante dies cępit Deus talis eſſe;ſed ſemper fuit.Inſitum eſt in natura eius,nata ſimul eſt cũ eo clementia,ſi natum dici poteſt quod fuit ſempiternum . Nihil habet natura eius melius, quàm vt velit, nihil præſtantius, quam vt poſſit ſeruare quàmplurimos.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, ptopter bonitatem tuam Domine. E

Iuuentus.
Ignorant.
Sec. mag. tuam.
Prop. boni. tuam.

NOn veretur aperire vulnera,delicta fateri.Nam qui peccata fatentur , demiſſiorem pęnitentemque animum oſtendunt.Niſi ſcelus efferrent,aut ſubeſſe ſuperbiam indicarét, ſe non peccaſſe videri cupientes,aut non indigere tantopere eius clementiæ cuius vultum ſubiiſſent. Delicta iuuentutis,in fonte eſt נעורי neurai,adoleſcentiæ,pueritiæ, teſtantibus Hebræis nondum pectore firmo:nec ratione adulta,belluis homines eſſe propinquiores, ad terreſtria,curamque carnis,& corporis augmentum natura trahente. Tunc iuuentam robore fidentem inſoleſcere,his maximè ſtudentem,quibus nutriatur, & oblectetur corpus , dulcedines corporeas perſequentem.Inde peccata multa ſuboriri, libidinibus animum ad inconceſſa impellentibus.Quod dixit ignorantias , Hebraicum eſt פשעי pſehaai ſcelera mea , vt vertit Hieronymus, grauius quam ignorantias. Non modò delictis,quę propter adoleſcentiam , & quod ratio infirmior eſſet,potuiſſent excuſari,veniam poſtulat ſed grauiſſimis etiam ſceleribus , oſtendens hæc quoq; accidere poſſet veniam autem ſuppliciter petit, illa vſus oratione, quæ eſt apud principẽ Oratorum Gręcorum.Es,ait,natura clemens,mitis,is genius tuus,hi mores.Propter te mihi parce:nam ego ſum immeritus.Sed reuoca te ad te ipſum: conſidera bonitatem tuam ſempiternam, immutabilem,non qualis eſt mortalium,qui nunc boni,nunc mali.Sed tu ſemper tui ſimilis:propter hanc ineffabilem bonitatem mihi condona,ſi quas iniurias intuli.

Dulcis , & rectus Dominus propter hoc, legem dabit delinquentibus in via.

Propt. hoc leg. da. ſet. eodem reci dunt.

REdundat διὰ τοῦτο , Propter hoc . Item νομοθετήσει , legem dabit , clarius Hebraicum יורה hore,docens peccatores in via. Vide,ait,quãta ſit bonitas illi,quam mitis ſit,& clemens.Erudit peccantes:viam,quam immutabiliter ſequantur, oſtendit . Dat leges, & præcepta,nec ſolum Moſaicam illam legem proponit , ſed quotidie optima in peccata noſtra immittit conſilia,modò ſequamur . Quid cum Vates proſpiceret , eum venturum in terras,vt peccantes erudiret,ignaroſque viæ ad ſempiterna bona dirigeret: ſi rectus,ac dulcis,& bonus apparuit , quòd antiquo tempore, legem Moſaicam declarauit , quam gens illa non reſcindens,feliciter ageret in terris : quantò fuit illa bonitas manifeſtior,cum venit ipſe,ut fulmina diuinæ ſapientiæ funderet ore ſuo,quem mortales ſequentes, optimum , feliciſſimumque vitę genus ducerent,exin feliciorem in cęlo ſtatum ſortirentur?Solatur igitur ſeipſum Vates, aſſerit ex ſua conſuetudine preces ſuas exaudiendas.Poſtulat ſapientiam,in uiam Dei mitti cupiebat.Nũc affirmat id futurum,quod Deus ſit magiſter delinquentium. F

Diriget manſuetos in iudicio,docebit mites vias ſuas .

Dirig. mã. in iud.

ASſerit ſuperiora,ne ſolos peccatores ab eo doceri putes,manſuetos appellat , quos religio,pietaſque reddidit mitiores,feritatem detraxit, barbariem, morumque crudelitatẽ mitigauit . Dicendum igitur , Diriget manſuetos in iudicium. Diriget ad æquitatem, oſtendet,aperiet quę ſunt honeſta magiſter bonorum,ac malorum,proferens cunctis ſapientiæ ſuæ theſauros.Iudicium,vt dixi, uocat æquitatem,iuſtitiam . Idem iterat, dirigit,docet. Non eſt Hebręorum aſpernanda interpretatio:Manſuetos appellat,qui ſe iam demiſiſſent,humiliaſſent,peccare deſtitiſſent,hos à Deo dirigi in uiam,eis uiam aperire , eorumq; pectora roborare,confirmare,ut cognoſcant iudicia,uiaſque ſuas.Hocque eſſe,Docebit mites uias ſuas,duobuſque uerbis eandem rem expreſſiſſe.Sic illi.

Vniuerſæ

A

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia,& veritas requirentibus teſtamentum eius,& teſtimonia eius.

Via dei.

LAtius de uiis Domini loquitur,ne quis ignoret hoc carmen.Sunt viæ Dei multiplices,ſed omnes ad vnum finem ferentes.Erant,vt ſuperius monſtratum eſt,iuſtitia,æquitas,mandata, quæ dedit,leges,voluntates,ſcita,decreta. Viæ vocatæ,aut quod his incedit Deus, hi mores,is genius eius,his inſiſtit,plenus ordinis,& ęquitatis,aut quòd has ipſe vias aperuit mortalibus prius ignotas:uiæ repertæ, patefactęque ab ipſo.Ante pedes noſtros ſignatæ, ne in ſiniſtram,aut dexteram ſeſe flecterẽt:perinde ſi curiam Pompeii diceres ab eo conſtructam. De his igitur uiis,hęc uero ueriora prædicat optimus Poeta.Non eſſe uias has incedentibus difficiles,ſalebroſas,aſperas,pręcipitoſas,agentes in pręceps,fallaces,ſed longè ſecus,ueras eſſe, ad uera ducentes,& quò pollicentur,ſiſtentes. Beneficas item eſſe, idem enim in Hebraico eſt pro miſericordia חסד cheſed,Beneficium,benignitas.Liberales ſunt hę uiæ,fructuoſæ, quęſtuoſę, beneficę, veraces his,qui per eas incedunt,non quemadmodum reliquæ uiæ, fallaces, demum ad luctum, & funera ducentes.Sunt miſericordia,& ueritas:ſunt beneficium,lucrum ingens:ſunt ęquitas ipſa,ueraces,plenæ ueritatis:ſunt refrigerium,tranquillitas,requies curarum. Huc demum ſiſtunt eos,qui requirunt,ſcrutantur,penſitant,indagant teſtamentum eius, pro quo in fonte בריתו beritho,fędus eius,quod item teſtamentum rectè dicitur.Fœdus fuit inter ipſum,populumq́ue,pax, amicitia. Hoc fœdus,eſt lex Moſaica. Eadem uocatur teſtimonia, quòd his teſtatiſſimam fecit Deus erga homines ſuam charitatem.

Miſeric.

Teſtamentum dei.

Teſtimonia.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo,multum eſt enim.

B

Propt. nomẽ tuum.

PLacet Hebræorum explicatio, Propter nomen tuum, quo paſſim diceris miſericors, clemens, hancq́ue eſſe ſummam naturæ tuæ bonitatem, & in eo maxime præcellere, quòd clementiſſima fertur,uolens, & potens ſeruare quamplurimos. Hæc fama uolitat de te, paſſimq́ue hominum mentes occupauit,nec in te melius eſſe fertur,quam quòd cupis generis humani ſalutem.Ob hanc cauſam ignoſce mihi,& flagitium condona, quod cum Berſabee (ut declarant Hebræi) perpetraui,quod fateor fuiſſe grauiſſimum. Multa ſuperius de miſericordia & clementia Dei prædicauit, plurimus fuit in commemoranda bonitate diuina,iure ſubiicit preces,ut parcat delinquenti,quod facere cogit clementia.

Quis eſt homo, qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via quam eligit.

LEgem ſtatuit,quemadmodum ſuperius, νομοθετήσει, legem ſtatuet, per futurum. Clarius Hebraice יורנו iorenu,docebit,erudiet,oſtendet ei uiam, quam elegit. Elegit autem timere Dominum,pietatem,religionem,uirtutem elegit,hanc eũ Deus docebit. Propone,inquit, aliquem,qui ſibi præſcripſerit, timere, uenerari Deum, hunc Deus minimè deſtituet,ſed corroborabit,confirmabit,paulatimq́ue mentem eius illuminabit.Volentibus, uigilantibus auxiliatur Deus,non otiantibus,ſtertentibus. Eſt arbitrii libertas nobis, hanc Deus coadiuuat, cùm cœpimus nos ipſos excitare.Noſtrum eſt eligere.Deus aperit oculos,ubi pedes figamus, iter illuſtrat, undequaque ſanctus,optimus,parcit peccantibus,pios illuſtrat, erudit.

Anima eius in bonis demorabitur,& ſemen eius hæreditabit terram.

C

Anima in bonis demor.

FOrtaſſe putes ſterilem,infructuoſamq́ue eſſe religionem, nihil præter labores,& ſudores afferentem,quibus in ea laboratur,cùm uitia carnis deprimuntur,libidines caſtigãtur.Minimè,inquit,imò ſunt maxima præmia pietatis,incredibilem mercedem fert pietas, Animus piorum,ſi ſtatum mundi huius reſpicias,ſemper eſt in bonis, lætus, tranquillusq́ue ſemper, citra ægritudinem,citra morbos,quos appellant πάθη paſſiones,affectiones animi.Non inſident animis piorum eiuſcemodi peſtes,nunquam non in ſanitate uerſantur. Multa ſunt,è quibus ſynceram,ſolidamq́ue uoluptatem capiunt.Si reſpicias uitam cæleſtem, quoniam & Hebræi ſuſpicantur beatitudinem futuram,Prophetam innuere,quid eſt certius,quàm piorum duntaxat,Deũq́ue colentium bona cæleſtia futuram legitimam hæreditatem? Semper igitur in bonis,aut bono ut habet Hebraicum,nempe beatitudine,felicitate,morabitur animus eorum. Nota piis cæleſti uoluptate fruetur.Tanta inquam ac tali uoluptate,ut neque oculi uiderint, neque aures audierint,nec cogitari quidem poſſit.Eſt alius quoque fructus pietatis,quod iuſtorum progenies diutinè uiuet ſuper terra,non propter ſcelera paterna celeriter excidetur, ſed propter pietatem in diuturna tempora ſeruabitur. Alio in Pſalmo eſt: Generatio rectorum benedicetur. Et Nũquam uidi iuſtum derelictum,neque ſemen eius quærens panem. Eadem uetuſti Poetæ,quorum ſapientia ex his fontibus profluxit,promittebant iuſtis.

Et nati natorum,& qui naſcentur ab illis.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum,& teſtamentum ipſius,vt manifeſtetur illis.

Firmam

QVod Sept.uerterunt κραταίωμα, firmamentũ.Hebraicũ eſt, סוד ſod,id ſonat quidẽ cũ Iod, fundamentũ,quod illi dixerunt firmamentum.Itẽ ſonat ſecretum,arcanũ pro hoc ab omnibus Hebræis exponitur, Secretum Dei eſſe ſolis timentibus eum. Secreta inquiunt, Domini, non reuelantur, niſi timentibus eum. Apertius quoq; Chaldæus pro voce Hebraica amphibola, adhibens diſtinctè ſignificantem, ſecretum רזדיי גליא לדחלוי raſa d' adonai galia ledachaloi. Secretum Domini reuelatur timentibus eum. Hiero. ſimiliter, Secretum Domini timentibus eum, & pactum ſuum oſtendet eis. Sept. propter ſimilitudinem, alterum pro altero ſumpſerunt. Nam laſad, Hebręis eſt, fundare, inde alia vox fundamentum. Sed huic adeſt littera Iod, ſuperiori minimè. Secunda pars, vt vertit diuus interpres, eſt Fędus, aut pactum ſuum manifeſtabit illis. Hoc declarat antecedens, eſſe pro ſecreto, arcano. Superius prædicauit eum magiſtrum, probitatis, doctorem veritatis, nunc ſubiiciens ſimilia, vt noſcas quanta ſit dignitas piorum, aſſerit, his ſolis arcana Dei patefieri, velut amicis eius tranſennam cęleſtem aperiri. Quis enim alius, niſi maximè pius, vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui? Sic Moſes, ſic alias, priores autem, Noe, Abraham. Quem locum igitur iuſti obtinent apud Deum, quibus ſapientiæ ſuæ theſauros aperit, infundens pectoribus eorum, inſolitam lucem? Inde fit, vt eorum pietas augeatur erudiente Deo, cuius amore flagrantes, nullum pro nomine eius periculum deprecarentur. Teſtamentum dixerunt Sept. quod Hebræis eſt ברית berith, fœdus, pactum. Aut ſcilicet lex Moſaica, cum fędus quaſi iniit cum illa gente, cęſis victimis, & pateris ſuſcepto ſanguine, omnem hanc legem, omnia ſapientiæ huius arcana piis oſtendit. Aut item fędus nouarum amicitiarum, quas cum iuſtis ac piis contrahit quotidie, eorum animos ſibi concilians, & obſtringens. Docet eos vias ſuas, ſua fędera, quibus amicitia confirmetur, augeatur. Docet quid eis ſtudendum, vt eis ſit perpetua cum eo gratia, & amicitia: nec docet ſolùm, ſed item concitat, inflammat.

Et teſtam. ipſis vt manif. illis.

Teſtamen.

Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

De laqueo.

DE laqueo, Hebraicè מרשת miresheth, de reti, quod eſt item apud Hieronymum. Quod ſæpius cecinerat, repetit, affirmat. Docet Deus homines, modò vertant oculos ad eum, pectus ſplendore ſuæ claritatis implet. Si cecideris, erigit: ſi te malus abſtulit error, & in laqueos adegit, eripit, reuocat, ſubiicit oculis rectius iter. Poteſt referri ad res corporis, poſteaquam res animi propoſuerat, quod Hebræis affertur, inimicos corporeos, hic eum nominare, qui laqueos, inſidiasq; illi intenderent, in voragines allicere niterentur, catenis vinctum abſtrahere. Hoc ait, periculo eripiar, quod auxilium Dei implorabo, quo quidem, vt confido impetrato, ab impetu hoſtium, ſecura deinceps mihi cuncta erunt.

Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus, & pauper ſum ego.

Vnicus.
Pauper.

QVod Græci dixerunt vnicum μονογενὴς, clarius Hieronymus ad Hebraicum, ſolus, יחיד iachid. Deſtitutus ſum, ait, ſolus ſum. Idem valet pauper, cui non ſunt opes, quibus miſeriam ſubleuare poſſit, duabus cladibus ſe circumuentum oſtendens. Ab hominibus derelictus, vt malunt omnes fælicitatis eſſe, quàm miſeriarum comites, incipientes odiſſe, quem fortuna perſequitur. Tum conflictatus inopia, quod miſerrimum eſt. Nam, quibus ſaltem copiæ ſuppetunt, his odium vitare, & amicos parare poſſunt, Rectè igitur deſtitutum, ſolum, vnicum ſe quęritur, quoquò ſe vertat, nullum eſſe præſidium. Vnus igitur tu ſuperes, tu flecte lenitatis tuæ in hunc infelicem oculos. Nam beneuolentiæ indicium eſt, cùm principes lætis oculis nos aſpiciunt. Gaudemus, lætitia geſtimus, amicis prædicamus id factum. Quid ſi nos oculis pater aſpicit æquis? Et quidem aſpicit, præſertim cùm deſtituere omnes. Eſt enim miſerorum aſylum portus, naues iufractas excipiens.

Reſpice.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.

Neceſſitates.
Tribulat.

GRęcum ἀναγκῶν, neceſſitates. In Hebraico eſt מצוקותי mezucotahi, anguſtię, preſſure. Anguſtias quoq; dixit Hieron. Tribulationes item ſunt צרות zaroth, anguſtiæ, preſſuræ, vexationes, vt vim verborum ſentias, quibus perceptis, ſenſus fit clarior. Aperit vulnera, alto ſub corde dolores, nō mediocres ſolicitudines, curis ingētibus æger. Curarū fluctuat æſtu. Nec pectore noctē accipit, ingeminant curę. Plena trepidationis, omnia. Nanq; inimicus atrox inſtat, ambasq; manus telis onerauit acutis. De neceſſitatibus meis, dices, de anguſtijs meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

Humilitas.
Paupertas ſpiritus.
Labor.
Dimitte omnia pe.
Pęnitentia.

PRo humilitate ταπείνωσιν, eſt aliud ſimile עניי anij, afflictionem, depreſſionem meā. Hanc Sept. dixerunt humilitatem, nempe deiectionem, cùm vexatus animus, faſtum, ſuperciliūque demittit. Id facit calamitas, ventis aduerſis, flante fortuna, noſq; penè mergente. Laborem quoque declarans primum ſubiecit, quaſi defatigationem, ſudorem aduerſis perferendis, trepidante corde. Chaldæus pro labore, vocē Hebraicā poſuit, טורחי torechi, quaſi ταραχὼ Græcā perturbationem, pauorem, ſolicitudinem. Quòd ait, Dimitte omnia peccata, propter has clades, inquit, propterea quod laboro, vexor: ea ſit delictorum meorum propitiatio, tantum doloris his aduerſis me capiente, quantum voluptatis peccando cepiſſem. Labor, & dolor, vexatio, cruciatusque oblitterant delictorum notas. Hinc ea, quæ vocatur pęnitentia, cùm ſuperbia, tumidum, contemptoremque animum reddidiſſet, & propterea iuſtitiam violare negligentem: tunc incommoda humanæ vitæ ſubeuntia, mitigant arrogantiam, ad æquitatem deducunt Deus

Non ſinūt pe. viuere.

iuſtitiæ

A iuſtitiæ præſes, placatur, miteſcit, ſupplicia, quæ paraſſet, auertit: præſertim ſi precibus ſuppliciter pacem eius imploraueris, quod prophetæ perpetuò feciſſe noſcuntur.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.

PRimum in vniuerſum, vexationes, calamitates impendentes memorauerat, tum nominatim, quod genus malorum inſiſtet, profatur: Acriter hoſtes vrgere, genus hoſtis atrociſſimum, numero nos eſſe multis partibus inferiores. Copias eorum innumerabiles eſſe, animo paratas ad dimicandum, inflammatas odio. Odium iniquum vocat, quod Hebręus dicit odium חמס uiolentię, odium iniuſtum, violentum, odium necis, & ſanguinis cupidum, letale, mortiferum. Actum eſt de me, inquit, ſi in poteſtatem eorum venero. Eſt animus illis truculentus, ferinus, ſanguineus, aut odium iniquum, quod Hebræis affertur, eſt, Oderunt me gratis, ſine cauſa, immeritum, innocētem. Qui nihil offendiſſem. Hoc genus odij grauiſſimum eſt, ab inuidia, ab improbitate animi, veluti tartarearum furiarum. Nam odium, quod cauſas habuit, excuſari fortaſſe poſſit, at cùm ſe animus perpulit ad inuidiam, corruptus eſt, monſtroſus, dæmoniacus.

Odium iniquum.

Cuſtodi animam meam, erue me: non erubeſcam, quoniam ſperaui in te.

HVius verſus ſentētia, ſępius occurrit hoc pſalmo. Animā ſuam, vitam ſuam vocat. Huic præſidium quàm tutiſſimum præficit. Quæ enim tam fida cuſtodia? Quòd de ignominia, & infamia loquitur, vt qui pietatem veram profitētur, huic omne tempus operam dantes, hac apud cęteras gentes gloriantes, & propter Deum, quem colunt, & cui maximè fidunt, ſe nobiles oſtendentes, ſed cum poſtulat vſus, nullo ſubſidio deſtitutis aduenie̅te, preces nemine exaudiente, nullis teſtimoniis numen eius, quem colunt, comprobantibus, id ſcilicet B maxima ignominia & illuſio fuiſſet, præſertim eo tempore, cum ſoli Hebræi verum Deum colerent, cęteris ſua ſimulacra venerantibus. Apud hos maximum dedecus, pudorq; fuiſſet Hebręis, ſi pręlia aduerſa feciſſent, ſi nihil auxilii victis, & in fugam coniectis adueniret, & preces quaſi in Zephyros abiiſſent, atque opinio poteſtatis, & numinis, quod ab Hebręis adoraretur, longè inferior exiſteret. Id ſcilicet hoſtes irriſiſſent, & præter acceptæ cladis infamiam, deluſis Hebræis, in ipſum etiam Deum contumeliis inſultaſſent. Ob hanc cauſam ſancti prophetæ, quò ſibi Deum conciliarent, propitiumque redderent, hanc infamiam, & quaſi proditionem ſæpiſſimè commemorabant. Niſi, inquiunt, nos ab iniuriis, & maleficio profanorum defenderis, noſtra quidem clades erit, ſed tuum dedecus, tua infamia, qui prodideris eos, qui in te ſperarent. Te quoque prædicabunt nihil eſſe, duntaxat inanem opinionem de te apud Hbreos eſſe, rumores inanes de tua poteſtate iactari.

Anima.

Non erub. qui ſper. in te.

Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te.

Libera Deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus eius.

QVod Græcè eſt ἄκακοι καὶ εὐθεῖς Innocentes, & recti, ſiue ſimplices: in origine ſunt ipſa nomina rerum תם וישר thom ve iosher, perfectio, & rectitudo. Hier. item propè ſimiliter, Simplicitas, & æquitas. Verbum quoque ἐκολλῶντο, adhęſerunt, eſt in fonte יצרוני izruni, Cuſtodient me. Quare efficitur alius ſenſus, quem videlicet reddidit Hier. Simplicitas, & æquitas, aut perfectio, & rectitudo ſeruabunt me. Nobiſcum, inquit, eſt æquitas, iuſtitia, veritas, cum hoſtibus iniquitas, mendacium, violentia. Iuſtior cauſa noſtra eſt, hoc nos defendet, victores oſtendet. C Hæc animos erigit, vt confidamus, ſperemusq; nobis affore ſupernam opem, quæ nos protegat, hoſtes fugere cōpellat. Atque hoc præ ſe fert pſalmus, nō vnam probitatem, ęquitatemq; ſufficere, ſed item ſperare in Deū, auxiliumq, eius implorare nos oportere. Neq; item ſatis eſſe in eum ſperare, niſi probitas, æquitas, integritas adſit, ne putes Deum fauere iniquitati, oculos ad eos vertentem, quorum fortuna ſecunda, multorum ſit cauſa malorum. Demum ſubiicit orationem, vt ab oratione inchoauerat, primò pro ſe, tum pro gente ſua ſuppliciter locutus.

Inno. & recti.

Adhæſe.

Lib. Deus iſr.

PSALMI XXV. EXPLANATIO.

PSALMVS eſt Dauid, quod inſcriptio demonſtrat, Oratio eſt, ac ſupplicatio. Genus orationis eſt, quale multis pſalmis occurrit, partim veniam delictorum petētibus, partim pietatem autoris, ac probitatem commemorantibus, qua commemoratione cōtendebant, vt Deus ſuos defenderet, amicorum ſuorum cauſam ſuſciperet. Hanc eis gratiam referret, vt quoniam pro uirili mandatis eius inſiſtere niterentur, præceptiſque eius obtemperando nullis laboribus pepercìſſent, eos ob hanc cauſam attenderet, ab iniuriis improborum, nequam calamitatem ſibi, ac populo inferrent, defenderet.

IVdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans, non infirmabor.

GRAECVM melius verteretur, in Innocentia mea ἐπορεύθη, inābulaui, inceſſi, per ęqua gradior, iuſtitiam pertinaciter retineo. Iudicare, ab Hebręis ſuę dialecti proprietatem callentibus, explanatur bifariam. Iudica, nempe, fac iudicium, uenias in ius cum inimicis meis, ſententiam contra inimicos pronuntia. Eſt alius ſenſus: Iudica de me, num mandatis

Ingreſſus ſum.

Iudicare.

Innocētia. *Ακακία.*

tuis obtemperauerim,num deſciuerit à te cor meum,nunquid contra fas geſſerim. Namq; ego, D inquit,magnopere tua religione,tuis iuſtiſſimis legibus delector,placet integritas,innocentia, in his mea vita decurrit. Quā Sept. dixerunt ἀκακίαν, innocentiā, Hebraicum תמי thumi, ſonat etiā perfectionem meam. Tametſi innocentia eſt integritas, hæc autem perfectio. Duabusq; cauſis prouocat ad ſe diuinā beneuolentiā,quòd innocēter viuit, quòd ſperat in ipſum.Quibus rebus fit, vt ſubterfugere non poſſit, quin eum ſuſcipiat, amplexetur. Non enim deſerit pios, minus item proditor eſt eorum, qui ſperant in eum. Ecce duo ſunt, quibus cogitur Deus hominem diligere,vitæ integritas,fiducia non huius integritatis,ſed Dei,ne benefactis tuis fidas,ſed vbi beneſeceris,teque gratum Deo ob hanc cauſam reddideris,tunc ſperes in eum. Quo fit, vt neq; ſola probitas ſufficiat,neq; ſpes ſine probitate valeat. Quid enim ſperēt à Deo ſcelerati? Quod ergo ait,Non infirmabor. Hebraicū tametſi non longè diſſimile אמעד emead, vacillabo,cadā,labar:hac fiducia ſuſtētor,comite Deo,& virtute.Nā Deus adit vbi virtus eſt:omnia proſpera, felicia.Pſalmi igitur volunt Deum,& virtutem.Nec deus veniet, niſi virtute alliciente:nec virtus ſibi ſufficiat,niſi Deo præſente. Virtus dat animos, ut audeas implorare,ut ſperes celeriter affuturum.

Non infirmab. prius pro poſte.

Proba me Domine,& tenta me:vre renes meos & cor meum.

Vre.

QVod dicitur Græcè πύρωσον, ure,Hebraicum צרופה zarupha,ſonat quidem urere,ſed proprium eſt de metallis excolatis,feruefactis,expurgandis in fornace. Inde fit, ut id uerbū ſonet probare,purgare,excolare,examinare, quod Grę ce dicitur βασανίζειν. Poſuit quidem etiam Hieronymus urere,ſed in eo ſignificatu,tria uerba eiuſdem ſententiæ,proba,tenta,ure. Renes in Hebraica dialecto, quod ſæpius animaduerſum, & ſubiectum ante oculos eſt, ſunt pro pectore,corde.Quemadmodum Latinus diceret in corde,in pectote ſedere ſapientiam, E Hebræus ſuo ritu loquens diceret,in renibus.Non tamen eſt in pectore,uel corde ſapientia, ſed mens cogitationum,notionumque mater,habitat in capite. Sunt ergo figuræ, ſeu tropi, cuique linguæ particulares. Durum Romanis auribus, audire renibus ineſſe cogitationes: at Hebræis non minus durum, ſedere in pectore Mineruam. Cum igitur ait Hebręus ure renes: eſt proba, ſcrutare pectoris intima.euolue latebras,perſpice,perpende cogitationes,arcana,meditata mea Nihil offendes,quod maieſtatem tuam offendat. Perſpicies animi mei ęquitatem, r ectamque uoluntatem.Eſt alio in pſalmo,Proba me Deus,& ſcito cor meum.His quoque fit perſpicuum, tentare (nam in Hebraico quoque eſt id ipſum uerbum) in ſacris litteris eſſe probare, ſcrutari,examinare,diſquirere.Cùm Deus tentat,requirit,quo in ſtatu ſit noſter amor,quem gradum attigit noſtra pietas.Quid ponderis ſubſit,egerit ne radices,an leui aura lapſura. In hanc arenam fortis athleta Vates deſcendit,prouocans oculos ęternos ad ſe perſpiciendū,penitusq; examinandum.

Renes.

Tentare.

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt:& complacui in veritate tua.

Complac.

Miſericordiæ dei cognitio impel. ad ſtudium pietatis.

COmplacui,Græcè, εὐηρέστησα, Placuit mihi ueritas tua.ea ſum delectatus. Hebraicum,ut clarius noſcas, התהלכת hit halachathi,inambulaui,inceſſi per ueſtigia tuę ueritatis,hoc iter mihi eſt. Hieronymus item, Et ambulabo in ueritate tua. Miſericordia tua,inquit oculis meis cùm ſit perſpicua,cùm habeam eam præ oculis,incitat me, atque impellit, ut ueſtigiis tuæ ueritatis inſiſtam.Noui quàm beneficus ſis,& liberalis,quàm genus humanum diligas, nullo tēpore prodeſſe deſiſtas.Separatim quid mihi contuleris,quibus ſum abs te beneficiis affectus,habens exploratum,feror alacriter in tuos amplexus,eſt ueritas tua mihi gratiſſima.Eſt alius quoq; ſenſus:Quoniam miſericordia tua præ oculis meis eſt,dirigēs incedentē,& ueſtigia firmans,hoc F fit,ut ueritatis tuæ ſemitam ingreſſus,iter cæleſte carpam. Non mea me ſapientia inſtruxit, perſuaſit,ut erroribus mundi huius euitatis,ſequerer meliora, ſed beneficium tuum, tua miſericordia.Hęc mihi dexteram porrexit eunti,tenebras,& caliginem ex animo diſcuſſit. Hæc reddidit me ſapientem,ut plus ſaperem,quàm cætera plebs.Datum eſt id à Deo, diuino beneficio factus ſum ſapiens.Fuit immortalis Dei munus hęc ſapientia, ut tuæ ueritatis amore flagrarem. Veritas eius (ut nobis antea dictum eſt) eſt lex ueridica,plena ueritatis,plena prudentiæ: optima,ſaluberrima hominum generi conſilia. Veritas eius priſco illo tempore, fuit lex Moſaica,lex lata à principio,primis hominibus,lata deinceps Noe tum Abrahę.Sed omnium clariſſima fuit nouiſſimo tempore,ueritas Euangelij,quam præſens ipſe fudit ore ſacro ſuo. Nulla fuit unquam nec tam ſalutaris philoſophia.Nihil dictum eſt,& prædicatum apud homines ueracius.

Veritas Dei.

Non ſedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non inrroibo.

Cōcilium vanitatis.

Iniqua gerētes Io. 3.

Concilium uanitatis,Hebraicè מתי שוא methe shaue, Viri uanitatis,mortales, mendaces. Sæpe declaratum uanitatem Latinis quoque mendacium eſſe. Et pro παρανομούντων, quos Latinus dixit iniqua agentes,ſunt in fonte נעלמים nealamim,occulti,abſconditi. Hos Hebræi declarant eſſe,qui tenebris gaudeant,lucifugos,ne ſcelerata eorum facta dignoſcantur.Latebris occultantes turpitudinem,quod agunt.Omnino deſignantur hac uoce flagitioſi,cędes,fraudesque ab oculis abſconditas exercentes, in inſidiis ſemper deliteſcentes. Opponitque ſingula ſingulis doctiſſimus Vates.Superius ambulaui in veritate: nunc in contrarium duplex falſitatis genus odio ſibi eſſe fatetur dictorum ac factorum.Dictis mendaces ſunt,qui ſecus quàm ſit res, loquuntur: factis mendaces,quos Hebraicus ſermo vocat abſconditos,latētes,aliud quàm quod præ ſe ferūt,

operan-

A operantes. Quoniam igitur in ſemitis veritatis ſeſe incedere, non inſolenter, ſed quale fit ab his, quibus dat animos rectè factorum conſcientia, gloriatus fuerat, nunc orationem implet, additis contrariis. Ne conſuetudo improborum contaminaret, veritas placuit, mendacium diſplicuit, abſtinui commercio fallaciſſimorum, quibus neque os veridicum, neque vita non latebroſa, ambigua facta perſequens. Non ſedi, Hebraicè verbum ſedendi, eſt item habitandi. Non habitaui, ſedesque fixi. Non introibo: rectius Hebraicè אבא abo, non ibo, ambulabo.

Non ſedi. Nõ introibo.

Odiui eccleſiam malignantium: & cum impiis non ſedebo.

Eccleſia.

Malignantes.

Impii.

ECcleſiam (vt cernis) non ſemper in bono eſt apud priſcos. Eccleſiam vocat concionem, multitudinem, conſeſſum. Hebraicè קהל cahal, fortaſſe Græcis ſuſcepta ex Hebraica dialecto ea voce cahal, καλέω. Malignantes ex Græco πονηρευομένων, malefici, quibus mala mens eſt, maleficio gaudentes, nocentes. Quòd ſi vnus contaminare poteſt, cuius ſermonibus aſſentiri, moribus afformari neceſſe ſit, quantò vehementius multorum improborum conſuetudo corrumpet? Qua de cauſa conſeſſum, concilium, aditum, ſermonemque ſceleſtorum, ſe defugere prædicat. Omne genus improbitatis oratione complectens, vanos, inſidioſos, maleficos, demum velut omnis improbitatis colophonem impios, primos hominibus, poſtremos inimicos ipſi Deo. In contrarium proponit, quibus oblectetur, quo ritu vitam ſuam inſtituerit.

Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine.

Lauare.

SEcluſis profanis, repudiata conſuetudine maleficorum, non otiabatur tamen, ſomno, vinoq; ſepultus, libidinibus, & inertiæ ſe dedẽs, ſed vt neceſſe eſt, cùm impia facta peroſi, referimus oculos ad meliora, amplexus eſt pietatem: ſimul oſtendens antea, quàm religionis opera B contingas, oportere te purum eſſe, caſtasque afferre manus.

Procul eſte profani. Et lyricus,

Ἑκὰς ὅστις ἀλιτρὸς,

Claudatur porta profanis.

Mundamini qui fertis vaſa Domini. Et, Si offers munus tuum ad altare, & recordatus ibi fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo. Iuſtiſſimis igitur de cauſis ſapientiſſimus Vates de ſua religione prædicaturus, vt templum Dei frequentet, vt diuinas laudes aſſiduus decantet, veluti præparationem, expiationemque ad rem diuinam, ſingularem vitæ ſuæ integritatem præſtituit, neceſſariamque monſtrauit. Quod igitur ait, Lauabo ἐν ἀθώοις, inter innocentes: eſt clarius, & rectius in Hebraico, Lauabo בנקיון benicaion, in innocentia, quod etiam tranſtulit diuus Hieronymus, Lauabo in innocentia manus meas. Manus, rem diuinam celebraturus, templumque tuum aditurus, non ſanguinolentas, non cæde, rapiniſque pollutas abluo, ſed caſtas, innocentes affero. Non quemadmodum impij, quibus cùm ſit inceſtus animus ad necem, aliaque ſcelera paratus, audent tamen offerre ſacrificia, ſordes ſuas minimè dignoſcentes, minus item conſiderantes illud ſapientis: Victimæ impiorum abominabiles Domino. Hanc ſententiam liquidius explicans Chaldæus, Lauabo in innocentia, commutauit אקדיש בזכותי acdis bezacuti, ſanctificabo, quo perſpicuum fit, ſanctificare in ſacris litteris eſſe mundare, purgare, abluere. Quod voce Græca ſignificatur ἅγιος, ſanctus, ſine terra, ſine ſordibus. Circundare altare, non obſcurum eſt, eſſe ſacrificare, victimas offerre, miſtique altaria circum.

Inter innocentes.

Sanctificare.

Ἅγιος.

Circũd. altare.

Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.

Vt audiã.

Mirabilia ſua.

RES diuina conſtat victimis, hymnis, carminibusque ſacris, diuinæ poteſtatis, ac bonitatis prædicatione. Eſt autem clarius ex fonte quid Vates ſentiat. Pro, τοῦ ἀκοῦσαι, vt audiam vocem, ſua lingua dixit לשמיע lashemia, vt audire faciam. Inſtituam, inquit, cantantes facta tua diuina, medius ipſe conſidens voces efferam, præſente toto cœtu ipſe canam, laudesque tuas ore grandiloquo perſonabo. Audient omnes efferentem me facinora tua magna, tot in me beneficia collata, quem multis cladibus eripuiſti, hoſtes inaudito pauore perterritos in fugam conieciſti. Hæc ſunt illa mirabilia, illa prodigia. Sunt item prodigia, ſiue miracula, quicquid cęleſtis ambitus complectitur, quodcunque vides, quocunque moueris. In cęlo ſidereus ordo, motus, pulchritudo, fulgores inexhauſti. Terra ſedes animantium, temporibus certis pabula ſufficiens, alumna viuentium. Hęc, & id genus miracula diuino carmine Vates proſequebatur, audiente populo. Sed & illa miris laudibus tollebat.

Nanque canebat vti, magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque. mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.

Iamque nouum terræ ſtupeant luceſcere Solem:
Altius atque cadant ſummotis nubibus imbres.
Incipiant ſyluæ cum primum ſurgere: cumque
Rara per ignotos errent animalia montes.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Decor. GRæcum eſt εὐπρέπειαν, decorem domus, at Hebraicæ linguæ vocabulum מעון maon, ſonat potius quod reddidit Hieronymus, habitaculum: Domine dilexi habitaculum domus tuæ. Id conſtat ex aliis locis. Opponitque contraria ſuperioribus. Odiui eccleſiam malignantium, nunc in contrarium, Dilexi domum tuam, quò coit multitudo piorum te colentium, vbi ſacerdotes, ac leuitæ. His ego miſtus, carmina ſancta cano, nec tenuem muſam meditamur, ſed agimur ſpiritu, altiſſima tonamus, rerum magnarum tuarum conſideratio concitat, implet animos. Diligere. Diligere ſeſe domum ſanctam, illic frequentem eſſe, indicat diuinos honores, quibus mortales Deum proſequuntur, celebrantem. Hoc genere vitæ gaudentem, has ſuas delicias exiſtimantem. Et locũ habita. Quòd primum deſignet habitaculum, manifeſtum eſt ex ſequenti, Et locum habitationis. Habitationẽ, tametſi non differt, dixit Latinus, quod Græcè eſt σκηνώματος, tabernaculi, vel tentorij, ſcenæ. Id vertit etiam Hieronymus, quoniam in Hebraico eſt, Et locum tabernaculi gloriæ tuæ. Gloriam Dei habitare in tabernaculo, quod fecit Moſes, ſciebant, & prædicabant. Gloria. Gloria quid ſit, ex Græco maximè perſpicitur, appellatur δόξα, à verbo videndi, apparendi. Eſt gloria, quod maximè apparet, quod perſpicuum, quod illuſtre. Splendorem, quem Moſaicus vultus colloquio Dei contraxit, gloriam dixere interpretes, dicentes, ἐδοξάσθη τὸ πρόσωπον μωϋσέως, Glorificata eſt facies Moſis, ſcilicet ſplendore illuſtrata, irradiata. Hanc ob cauſam tralata re corporea ad incorpoream, quod in ſermone fit ſæpiſſimè, gloria eſt rerum magnarum nobilitas. Splendor, lumen ingens, apparentia, claritas. Quocirca ſolo in Deo eſt gloria vera, vera potentiæ claritas, largiſſimum maieſtatis lumen. Hæc gloria priſco illo tempore, tum fuit rebus magnis geſtis, vt cùm Pharaonis exercitum fluctibus oppreſſit, manna cęlitus demiſit, atque alia memoranda prodigia, quibus claruit, glorioſaque fuit maieſtas eius: tum fuit nonnunquam corporeis oculis perſpicua, qualem in monte Chriſtus oſtendit. Erat autem ſplendor ineffabilis, humanis oculis inſolens claritas. Lumen largiſſimum, radiantiſſimum, mirabilis item ſplendorum varietas. Cæruleus, igneus, croceus, qualis iris in cęlo, qualis ſapphirus, aut cryſtallus, & ſmaragdus, gemmarumq; nitores. Nam his coloribus gloriam Dei deſcribit Ezechiel ſibi viſam, ſæpius horribilem cryſtallum, ſaphirumque memorans. His ſplendoribus, atq; hac luminum varietate apparuit legem laturus in monte, ſpectante populo, atque ob eam cauſam exterrito, nec conſpectum ſuſtinere valente. Hæc, vt monſtraui, ſæpius viſa eſt prophetis, apprimè Ezechieli, qui gloriam Dei, diuerſas templi partes adeuntem, aliaq; loca obambulantem ſuſpiciebat. 3. Reg. 8. b Hæc in templo conſpicua videbatur interdum populo, nonnunquam ſolis ſacerdotibus. Idcirco locus gloriæ diuinæ templum dicebatur, ſiue ad maieſtatem eius, ſiue ſplendorem illum immenſum, largiſſimum, oculos perſtringentem, referas.

Ne perdas cum impiis vitam meam: & cùm viris ſanguinum, vitam meam.

Perdere. NE perdas, exemplar Hebraicum תאסף teeſoph, auferas, aggreges ad impios. Ne me cum impiis recenſeas. Quod ſi conſuetudinem, ſermonem, aditumque impiorum, ſi in numero ſceleratorum haberi, quibuſcunque poſſem rebus, defugi, minus item animam meam cętui eorum adnumeres: ne congreges me cum illis in loco damnatorum. Aut ſi referas ad hanc vitam, ne ſit eadem ſuper bonis, atque malis ſententia, ſi perdere ſceleratos, homicidaſque decreuiſti, ſi ſanguinarias beſtias execratus, funditus abolendas exiſtimaſti: me certe ſors alia longè diuerſa ſecutum ab hac gente ſecernat. Omnes preces eò direxerat, vt Deus probitatem, integritatem, innocentiamque eius diſquireret: religionem, pietatem reſpiceret. Iure nunc tam pretioſarum rerum (quid enim præſtantius vſquam?) præmium exigit, vt peculiari diligatur amore à patre ſuperno, reſpiciat oculis æquis, non quemadmodum ſceleratis illis iratus. Hinc fit perſpicuum idem eſſe animam, atque vitam: idem peccatores, atque viros ſanguinum: cędibus, & ſanguine gaudentes, non ſecus, atque dominus eorum diabolus, qui fuit à principio homicida.

In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.

Munera. MVnera vocat auaritiam, corruptelas ex auro, pecuniam corrumpentem, munera, quibus acceptis, animiſque corruptis interficiunt, nullum improbitatis genus prætermittunt auaritia inſtigante. Prius appellat eos rapaces, homicidas, cædentes, violentos. Iniquitates. Id enim eſt, In quorum manibus ἀνομίαι, iniquitates, pro quo in Hebraico זמה ſima ſcelus quod reddidit Hierony. In manibus eorum ſcelus, rapacitas, effuſio ſanguinis, plagæ, violentia. Id fit ab eis ob munera, quod peſſimum eſt, auaritia oculis eorum tenebras offundente, veluti mancipia, & captiuos agente: Seruum pecus eius. Ab his vt ipſe totis viribus diſcrepauerat, nihil ſibi commune cum illis eſſe ſinens, ſeque ab eorum contagio penitus auertens, ſic orat vt cum rapien-

A tur ad ſupplicium, ſiue in hac vita, ſiue in poſterum, eum longè ab eorum fato ſegregatum ad feliciora ducat.

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſerere.

Pes meus ſtetit in directo: in eccleſijs benedicam te Domine,

Innoc.

INnocentiam Hieronymus dixit ſimplicitatem. Vtrumq; Hebraica voce deſignatur תם thum. Eodem fine claudit carmen, quo inchoauerat, ingreſſus ſum innocenter. Egi vitam innocentem, inculpatam. Eſt quidem per futurum Hebraicè אלך elek, ambulabo, vt affirmet ſe facturum in poſterum, quod ſemper hactenus feciſſet, nulla benefaciendi laſſitudine, quod plerique ſolent, defatigatus. Nam qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Quocirca petit præmium, clementiam, miſericordiam, vt eum redimat, vel ab imminentibus malis, vel his, quæ poſſint accidere, quorum eſt plena terra, paratis ad omne tempus calamitatibus, in quas homines incidant, niſi Deus ictus à ceruice repellat, quem colentes homines, & virtutis honorem adamantes, quod illi gratiſſimum eſt, faciunt vt opponat ſe, maximas à nobis clades depulſurus. Declarat illuſtrius quid ſentiat: Pes meus ſtetit in directo. Dicendum Latino fuiſſet ad Græcum ἐν εὐθύτητι, in rectitudine, æquitate. Pes meus ſtetit in recto: non ſum ingreſſus iter deuium, ſecluſumque à locis cęleſtibus, non per obliqua, præcipitoſa perrexi, quæ me tandem in barathrum præcipitem agerent. Recta tendebat iter noſtrum ad diuina. Secutus ſum æquitatem, iuſtitiam, his ſemitis vitam duxi: his curriculis ætas noſtra decurrit. Propterea ſubiicit, In eccleſijs benedicam. Eccleſias (vt perſpicuum eſt) vocat frequentias, cętus, & quæ Græcè vulgo dicuntur panægyris, tota plebe coeunte ad rem diuinam, ſolennitates templi, dies feſti. Tunc audiente multitudine laudes diuinas concinebant, eorum animos in admirationem diuinæ maieſtatis excitatos, ad pietatem magis incendebant.

In directo.

Panegyris.

B

PSALMI XXVI. EXPLANATIO.

APVD Septuag. præfertur hæc inſcriptio, Pſalmus Dauid, prius quàm liniretur. Linire Latinus dixit, quod Græcè χρισθῆναι, vngi. Sed hæc inſcriptio redundat, quod Nicolaus quoque teſtatur. Neque ab Hieronymo in Pſalterio ad Hebraicam veritatem proponitur. Minus item extat apud Chaldæum: ſolitum tamen Hebraicis addere ſiquid abſtruſioris ſapientiæ ſua tempeſtate circunferretur inter eruditos. Tantum proponitur eſſe Pſalmus Dauid. Eſt vt conſueuerunt plerique Pſalmi, oratio, ſupplicatio ad diuinas aures, plena ſpei, qualem decet eſſe ſupplicantium, qui ſperent, quem precantur, ſibi propitium, modo non precibus ſolum, ſed rectè factis iuſtitia, probitateque nitantur. Nam Deus peccatores non exaudit, quos iniqua mens à iuſtitia, & virtute nonquam pœnitentes auertit. Propterea diuinus Poeta non tantum ſpem, fiduciamq; ſuam omnibus penè carminibus, ſed item huius confidentiæ cauſam celebrat, eamque duplicem: tum miſerationem, clementiamque diuinam libenter peccata condonantem, tum rectè factorum conſcientiam: triaque hæc, omnes penè Pſalmos animaduertes proponere: Miſericordiam, clementiamque diuinam, placabilem, inexorabilemq; in ſupplices, ſi pœnitentiam inuenerit: tum ipſius ſupplicantis probitatem, vt hoc reddant aures diuinas attentiores. Ad poſtremum, magnam ſpem, quod non in aures duras, & in- C exorabiles, ſed faciles & placidas, preces immittit.

Quos peccatores, Deus non audiat.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.

NOn eſt contemnendum, quod Hebræorum nonnulli afferunt, illuminationem, ſiue lucem, vt Vates locutus eſt ſuis verbis, referri ad res animi, ad inuiſibiles animi motus, quos Deus illuminet, ſuggerens meliora conſilia, irradians animo, ne velut cæcus vitam gubernet, nauiculam in ſcopulos impellat. Salutem autem referri ad corpus pulſis à ceruice calamitatibus impendentibus, reiectis procul caſibus aduerſis, fluctibus iamiam in caput lapſuris, confractis, priuſquam mole ſua ruant. Protector autem vitæ meæ, aut quod eſt in Hebraico מעוז maos, fortitudo, quaſi præſidium, referri ad vtrunque, animum cum corpore, quod vita dicitur, tum larga data luce conſiliis, gubernaculiſq; animi, ipſiſque menti deliberanti: tum corpus quacunque tendere pergat, eripiens, ſi qua vel ab hominibus, vel rebus inanimatis impetum factura videantur. In primis ea mala repellens, quæ Vates illuſtriſſimus carmine complectitur:

Illuminatio.

Salus.

Protector, Corpus, vita.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs verſare domos: tibi nomina mille.
Mille nocendi artes, fœcundum concute pectus.

Sunt ei certè nomina mille, totidem detrimenta deſignantia. Diabolus calumniator, Satan aduerſarius, ſerpens peſtilens, exitiale virus inſpirans. Hæc propellit, prohibet ab his fortitudo, propugnaculum, præſidium. Sic ſpes eſt carminis initium.

Satan.

Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. D

Nocētes.
Qui tribulant me.

Homo, homini Lupus.

APpropiant, Latinus ſermo exigit, vt interpres vertat, appropinquant. Fuge nate propinquant. Nocētes, rectè quod Hebræis eſt מרעים mereim, malefici, nocere parati. Qui tribulant me, vnica vox Hebraicè צרי zarai, hoſtes prementes, terentes, in anguſtias impellentes. Infirmati ſunt, quod in Græco eſt ἠσθένησαν, debilitati ſunt, dialectos, Hebraica כשלו cashelu, ut Hieronymus edidit, infregerunt, offenderunt, corruerunt. Non longè inter ſe diſtantia. Ediſſerit, vt cernis, latiusque explicat ſpem præſidiumque cæleſte, quodcunque maleficij genus animo percurras, ſiue quæ res, inanimatæ, ſiue quæ, beſtiæ hominibus inferunt, nullū atrocius reperias, quàm quod affertur ab hominibus. Collectisque exemplis, vt ille inquit, eluuionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu quædam hominum genera conſtat eſſe conſumpta, longè plures deletos homines inuenies hominum impetu, id eſt bellis, aut ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate. Cùm ſit igitur hoc genus mali longe copioſius, & multiplex, longeque nocentius, hoc à ſancto Vate frequentius commemoratur, ab hoc ſuppliciter petit defendi. Inſidias, fraudesque hominum nunquam non proponens, quorum tanta interdum eſt ſæuities, vt meritò comparet eorum auiditatem nocendi, voracitati beſtiarum carne, & ſanguine veſcentium.

Si conſurgant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Caſtra.

Pręlium.

In hoc.

E FOrtaſſe primum genus inimicorum ſunt particulares homines, vt qui clam inſidiantur, per cuniculos ad necem, maleficiumque hominum paulatim adrepentes, aut verbis tacitas labes inurentes, quibus aut opinionem probitatis, aut honores, & dignitates, gratiamq; apud homines eripiant, vt ſummis quos tenent gradibus deiiciant, ipſi in eorum locum ſufficiantur. Secundum genus inimicorum, quibus cum omni tempore bella gerebant diſſentientes moribus, ritibus, religione. Si plures, ait, conſpirent, bellum mihi indicentes, innumerabilibus copiis in me ruentes. Quod ait, In hoc ſperabo: hoc Hebraicè eſt neutrum, aut fęmineum genus, refertur ab Hebræis ad ſuperius, nempe ſalus mea, fortitudo mea: in hanc ſalutem, in hanc fortitudinem ſperabo. Caſtra dixit, directas, diſpoſitasq; acies, ad dimicandum.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius.

Vnā petii.

Voluptatē Domini.

NVnc quoque fœmineum genus, vice neutri: Vnum petij, hoc requiram, quod Hierony. quoque vidit, & ſcripſit. Haud abſurdè forſitan Hebræi declarant hunc locum. Vera quidem fateor dicere Dauid, ſi prælium committere, ſi manus cum hoſtibus conſerere conſtituam, affore mihi tutiſſimum præſidium. Si pro republica, bellis ſuſceptis, memet hoſtibus obiecero, ne noſtras tum vrbes diripiant, tum agros populentur, à latere meo non diſceſſuram cuſtodiam. At mihi longè gratius fuerit, atque hoc poſtulo, omnibusque precibus à Deo contendo, vt bellis ſedatis, & requie ab armis conceſſa, quod reliquum eſt ætatis, in templo cum ſanctis ſacerdotibus, omnibusque piis res diuinas offerendo traducam. Vt viſitem ſacra limina, vt videam voluptatem Domini. Id enim dicendum eſt Græcè τερπνότητα, voluptatem, dulcedinem, ſuauitatem, non voluntatem. Eſt autem pro hoc in Hebraico נעם noam, id videlicet quod reddidimus, dulcedo, voluptas, iucunditas, amœnitas. Hiero. non minus rectè, quoniam is quoque ſignificatus voci ſubeſt, reddidit pulchritudinem. Hæc pulchritudo, ſiue iucunditas, eſt ipſum pulcherrimum, iucundiſſimum templum, locus pijs gratiſſimus, quem gloria Dei, de qua ſuperius à nobis dictum eſt, ſpecioſiſſimum, radiantiſſimum reddebat. Omnis in hoc templo iucunditas, ſiue ſpeciem, ornatumque templi, ſiue dulciſſimam vocum diuinas laudes canentium, muſicorumque inſtrumentorum harmoniam reſpicias. Huc accedebat, quemadmodum dixi, quòd ſæpe ſpectacula cęleſtia contemplabantur: offerente ſeſe humanis oculis conſpicuam, gloria cęleſti, quo nihil in terris videri poſſet delectabilius. Exponunt item iidem Magiſtri locum, quod mihi quoque probatur de voluptate, temploque cęleſti, deſiderio vitæ beatæ teneri Dauid, id à Deo votis intentiſſimis poſtulare, eum in cœtu ſanctorum Angelorum recipiat, vbi voluptas vera, de qua cecinit: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui: in petra exaltauit me.

Abſcondit me.
Tabernaculum.

EX conſuetudine pſalmorum, vbi precibus inſtitiſſent, auxilium cęleſte petentes, multa ſuper eo carmina profudiſſent, reliqua pars orationis excipit, qua gratiarum acceptarum, quas poſtulaſſent, commemoratio continetur. Igitur velut quæ imploraſſet aſſecutus, (optauerat autem præſidio cęleſti in præliis, omnibusque aduerſis caſibus defendi,) prædicat hanc protectionem defenſionemq;. Abſconſionem in tabernaculo metaphoricῶs, ipſum cęleſte ſubſidium, diuinam cuſtodiam appellat, figuratè, tropicè, non propriè. Tabernaculum eſt, quod

Græcè σκηνὴν, ſcenna, tentorium. Tentorium Dei, quo protegitur, vocat figuratè ipſam protectionem, defenſionem, qua Deus illum abſcondat, cladibus impendentibus calamitatis tempore, cùm vis inimica propinquat. Non ſentit tabernaculum templi. Propterea commutauit Hieron. Hebraicum, Abſcondit me in vmbra ſua, quanquam eſt Hebraicè סכה ſucco, tabernaculum, tentorium eius. In die malorum, Hebraicè in die mala: die calamitatis, vt expoſui. Iterat ſimile: Protexit me in abſcondito tabernaculi ſui. Hic quoque tabernaculum, ſiue tentorium, quod æſtus, atque imbrium vitandorum cauſa parabatur, ſenties non illud templi tabernaculum, ſed figuratè ipſam protectionem, quemadmodum figuratè tribuunt alas ipſi Deo, Scapulis ſuis obumbrabit tibi, nempe alis. Quod dixit Latinus, in abſcondito, & ſi non longè diſtat Hebraicum בסתר beſeter, in ſecreto, verè in abſcondito, nulla calamitate eum inuenire valente. Subijcit aliud ſimile, In petra exaltauit me. In origine eſt, In petra ſua exaltabit me. Petram appellat arcem, munitionem, præſidium, caſtra excelſo loco poſita. Locum munitiſſimum, arcem inexpugnabilem, Turrem inacceſſam. In hanc, inquit, me exaltabit, attollet, eleuabit. Conſcendere me faciet ad locum editiſſimum, inexpugnabilem, quò nulla vis inimica poſſit aſpirare. Has ego ſedes editiſſimas obtinebo. Figuræ ſunt omnes, pulcherrimis tralationibus: defenſio, protectio, auxiliumque cęleſte deſignatur.

In die malorum.

In abſcondito.

Petra.

Et nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos. Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino.

NE quiſquam exiſtimet, quod in beneficiis dandis odioſum eſt, id quod poſtulaſti, reiicere in longum, gratiamque procraſtinari: Ecce, ait, protinus aſſequar quod popoſciſſem. Namque caput meum exaltabit (vt eſt in lectione Hebraica) ſuper inimicos. Exaltabit caput, attollet ad ſidera, fama ſuper æthera notum reddet, caput meum ſublime tollet, faciet me hoſtibus ſuperiorem, qui me circunſteterunt, & circumuentum delere putabant. Caput eleuare, exaltare, Hebraicus tropus. Caput eſt totus homo, hic ſenſus, hic vita: Eo tropo Græci, Latinique delectantur.

Caput.

Dij capiti ipſius, generique reſeruent.
-Capiti cane talia demens.
Dardanio rebusque tuis.
-Teſtor vtrunque caput.

Ob has, ait, victorias, ob ſuperatos hoſtes, circuiui, & immolaui in tabernaculo eius. Ad templum gratias acturus, hoſtiasque immolaturus acceſſi. Circum altaria verſor, vbi tentorium eſt, quo tegitur arca. Hic non hoſtias modò mactans, ſed carmen item victoriale concinens. Hoſtiam vociferationis, Hieronymus vt clarius efficeret, dixit hoſtiam iubili, licet Græcè quoque bene ſonet hoſtiam, αἰνέσεως καὶ ἀλαλαγμοῦ, laudis, & vociferationis. Atque eſt ſenſus, aut, vnà cædens hoſtias, vnà carmina cantans. Aut, non alias ſentit hoſtias, quàm ſacrificium laudis, ſacrificium vociferationis, iubilationis, lætitiæ celebritatis. Quanquam Hebræi hoſtias interpretantur, ſuper quibus carmen canitur, ſimul ſacerdotibus hoſtias mactantibus, ſimul vociferantibus. At his in litteris non ſolas hoſtias cæſarum pecudum celebrari inuenias, ſed item ſacerdotium laudis, vt antiquiſſimo tempore, & ſæculis Orphicis etiam gentes offerebant vice ſacrificij odores, ſuffitusque herbarum, panem, & vinum. Noſter reſpicit carmina triumphalia, voces alacres, inimicis oppreſſis, quale Moyſes cecinit, Pharaone cum copiis demerſo. Quocirca ſubdidit, Cantabo, pſallam, vt eſt Græcè, ᾄσω καὶ ψαλῶ.

Hoſ. vocifer.

Num. 10. b

Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

ORationem addit, poſt commemoratam ſpem. Nam quod hactenus prodidit, ſpes eſt ac fiducia. Omnis hucuſque in decantanda ſpe, cantus inſumptus eſt. Nunc ad aliud genus pergit, ne ſola ſpe niti videatur: cùm ſpe miſcere preces oportet. Agit ergo precibus. Clamor quem memorat, quod ſæpius declaraui, eſt clamor tacitus, intentiſſima pectoris contentio, cùm ſoli ſumus nobiſcum loquentes, animumque in varias partes, quod Homerus diuinè vocat μερμερίζειν, diuidentes. Is clamor tam percipitur à Deo, pellitque aures eius, quàm vox exterius profuſa, pellit aures mortalium. Auditus eius, non qualis noſter. In auribus illis, non aer ineſt, quem percuſſus, formatusque noſtris vocibus exterior aer repercutiat, formamq; imprimat. Aliæ ſunt aures Deo, non corporeæ, non artificio corporeo compactæ. Genus aliud aurium, ita genus aliud clamoris, quem Vates edidit, cuius ſunt aures diuinæ duntaxat, capaces. Eſtque oratio vehemens, aures illas vehementer impellens, ingeminatque, Audi, miſerere, exaudi. Videas tonare. fulminare: atque artificioſè ſubijcit: Tibi dixit cor meum. Decreuit cor meum conſiliorum, intelligentiarumque principium, omnis corporei motus origo, decreuit, inquam, & conſtituit, vt facies mea, nempe præſentia, conſpectus, veniret in conſpectu tuo. Ante oculos tuos me cor meum impellit, mouet, agit, Animus incitat me, vt faciem tuam requiram,

Clamor.

Aures dei.

Tibi dixit cor me.

ram, vt ore ad os, quòd aiunt,& vltrò,citroque tecum loquar. Facies mea faciem tuam requirat. Vultus meus oppoſitus tuo velut domini, ac ſerui conſiſtat. Seruum loquentem dominus auſcultet. Hoc mihi cor ſuadet, hoc pectus audet, vt ea quæ poſco, quorumque vſus me vehementer ſolicitat, adhibet calcaria, tibi clarius innoteſcant: conſtituo vultus tuos requirere, memet ipſe, meumque obiiciam caput. Neſcit neceſſitas erubeſcere.

Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſeruo tuo.

Adiutor meus eſto, ne derelinquas me: neque deſpicias me. Deus ſalutaris meus.

CVm venero in conſpectu tuo (quod ſe facturum prædicauerat) quæſo ne ſuccenſeas, & iratus oculos auertas, ne recordatus meorum delictorum, aut contemnas, indignumque tuis oculis,& quaſi ſordidum iudices, aut cum indignatione uidere refugias, meque meis cladibus vexari ſinas. Potius qualis fuiſti ſemper erga me (fuiſti autem protector, defenſor,) eſſe perſeueres. Nulla nanque mentis mutatio tibi clementiam, morumque dulcedinem extorquere poteſt. Minimè qualis noſter animus propter imbecillitatem ad omne tempus mutabilis, quæuis aura ſurgat agitandus, non minus atque mare, nunc placidus & ſerenus, nunc turbulentus; idq; iniuſtis de cauſis. At cùm tibi ſit animus, propter fortitudinem immobilis, ingenium autem mitiſſimum, nec te beneficiorum pęniteat, nulla benefaciendi laſſitudine defatigeris, certè nec debes, nec potes eum deſerere, quem ante hac ſemper protexiſti. Dicitur ergo Hebraicè, Adiutor meus fuiſti, non per imperatiuum, γενοῦ, eſto. Sermonis vbertas eſt, ne derelinquas, ne deſpicias, adiutor ſeruator. Oratio quoque vehementior omnibus ſpiritibus ſumma vi nitentibus, congregatisque ad precandum. Spiritus appello nunc impulſus animi. Salutaris meus, Latinum minimè decuerat dicere, cùm ſit Græce, σωτήρ, quod clarius, & melius redditur ſeruator. Hebraicè ישע Ieſa vnde IESVS.

Salutaris.

Ieſa, vnde Ieſus.

Quoniam pater meus, & mater mea, dereliquerunt me:

Dominus autem aſſumpſit me.

ASſumpſit, melius per futurũ eſt, vt Hebraicè יאספני iaaſepheni, colliget, aſſumet me. Forſan non abhorret à vero, quod exponitur ab Hebræis. Simul editis nobis in lucem parentes adeſſe, qui nutriant, ſuſtineant, quorum præſidio deſtitutus infans, viuere non poſſit. At vbi ſenecta, ſiue quis alius caſus abſtulit parentes, quorum ope ſubleuatur natus, Deum eorum vicem gerere ſe nobis, ſi quis id precibus, ac probitate obtinuerit. Simile quid nunc Vatem poſtulare: Parentes me deſeruerunt ex hac vita digreſſi, deficit eorum præſidium, tu mihi pater, tu matet fueris, qui me lapſantem confirmes, infirma veſtigia ſuſtineas, velut infantem doceas, auxilio, opibusque tuis, quæ ſunt vberrimæ, iuues. Iuxta Gręcos, Amici, inquit, parentesque deſtituerunt, vt fit in calamitate, plerunque ex amicis fiunt inimici, inuiſum habentes, quem miſereri decuiſſet, ſeſe ad flatum fortunæ mouentes. Quodque miſerius eſt, quod fortunæ varietas attullit, aut imprudentiæ, qui ſibi moderari neſcierit, aut peccatis, quæ præſenti pęna plectuntur, tribuentes. Fit igitur aliquando, vt in ſumma calamitate, à parentibus deſeramur, Hanc miſerabilem ſortem proponit Vates, vt magis ad miſericordiam diuina mens conuertatur, maximè miſereri ſolita, quos humana ſubſidia deficiunt. Poteſt igitur, aut tempus calamitatis, quo cuncti deſtituunt, aut quo parentes humana neceſſitas ſuſtulit, intelligi.

Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

Legem pone.

LEgem pone, clarius, & verius ex fonte יורני horeni, doce me viam tuam. Sed Latinus imitatus eſt Græcum νομοθέτισον, legem feras. Vtrunque ſub verbo eſt, ob ſimilitudinem. Qui fert legem, docet, erudit, præcidit viam. In quam partem te flectas eundo demonſtrat. Sed perſpicuus redditur ſermo Prophetæ ſi dicas, Doce me, adiunctusq; ei eſt accuſatiuus, Viam tuam. Eandem poſtulationem ingeminat, vt in more illi eſt, Dirige me in ſemitam rectam. Quis dubitet quin recta ſemita, ſiue plana, æqualisque (vt loquitur Hebraicum) ſit, quod prius poſtulat, via eius? Semita recta, eſt via Dei, via quam Deus oſtendit: via quæ duce Deo carpitur. Eſt virtus, eſt iuſtitia. Nam iuſtitia eſt æquitas, æquitas autem, ſiue rectitudo ſemitæ poſtulatur à Propheta. Ipſam autem æquitatem vocauerat viam Dei. Eſt igitur via Dei, ipſa virtus, princepsque virtutum iuſtitia. Eſt autem alia Dei ſemita, requies curarum ſecura, citra periculum, cuſtodia tutiſſima, ſalus, conſeruatio, te la inter, & hoſtes comite Deo. Multa nos aduerſa, dum viuimus, dum vitæ curricula peragimus, circunſtant, circunfuſis vndique velut hoſtibus, qui vel animum oppugnent, deiiciant, infirmumq; reddant, vel corpori clades inferant. Sed ſi Deus affuerit, qui nos agat per flammas, & mille ſequentia tela: eripiens, medioque ex hoſte recipiens: ille, meum comitatus iter mare omnia circum, ſemita tutiſſima, ſemita Dei ſecura, tuta. Quocirca ſubiicit, Propter inimicos. Hæc ſemita Dei, qua per medios inimicos, ſecuri penetramus.

A **Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui: & mentita eſt iniquitas ſibi.**

IN animas, Hebraicum per ſingularem numerum, בנפש banephes, animæ. Ne tradas me animæ inimicorum. Animam vocat animum, impulſum, vehementem auiditatem, impetum, vt animoſus Eurus. id Græcè dicitur μέγα πνέειν, magnos ſpiritus ſibi ſumpſerant hoſtes aduerſus eum. Et Hebræi pariter exponunt omnes animum, hoc loco תאות cupiditatem, voluntatem. Teſtes iniqui, eſt teſtes שקר sheker, teſtes mendaces. Et quod ait, Mentita eſt iniquitas ſibi, Hebraicum ויפח חמס vaipheach chamas, Et perflat, ſufflat, ſpirat iniquitas. Violentia perſlat, arrogantia magnos ſpiritus edit, minatur. Inſignis eorum ſuperbia monſtratur. Et ab Hebræis exponitur locus. Loquitur violentia, ſuperbia, loquuntur illi verba minacia, nimis arroganter. Sed propriè eſt, quod dixi. Ipſa ſuperbia, ipſa violentia ſpirat, ſentias non homines, ſed beſtias truculentas ſpirare. Quare longè melius hoc, quàm illud Græcorum interpretum, quos Latinus expreſſit, καὶ ἐψεύσατο ἡ ἀδικία ἑαυτῇ, Et mentita eſt iniquitas ſibi. Duo eorum ſcelera proponit optimus Vates, mendacem arrogantiam, crudelitatem. Quid autem mentirentur contra eum, perſpicuũ eſt. Inimicos totius populi, (nam hos in primis innuit) alias nationes à pietate vera abhorrentes appellat, nunquam non Hebræis infeſtas, & infeſtis armis in eos irruentes, liberos, & coniuges eorum in ſeruitutem abſtrahere, eoſque ad ſceleratas ſuperſtitiones, rituſque profanos poſthabitis ſacris Hebraicis conuertere, ſumma vi contendentes. Hos vſurpat teſtes mendaces, quòd in eorum ſuperſtitionibus nihil eſſet præter mendacium. Quodcunque de ſuis ſuperſtitionibus, ad quas trahere niterentur Hebræos, loquerentur: quicquid in Deorum ſuorum laudem prædicarent, & teſtarentur, mendacium erat. B Ipſi autem teſtes mendaciſſimi defendentes falſa, inania, quibus nulla ſubſtantia ſubeſſet, Magicæ vanitates, vana ſuperſtitio. Multaque præterea de ipſo principe, ac Rege mentiebantur, nihil illi cum vero Deo eſſe prædicantes, nullum ei adeſſe præſidium ſupra humanam ſpem, in quo gloriaretur: laudes eius ſupprimentes, ſi quid humana fragilitas peccat, id verò latius, inflatiuſq; exaggerantes. & quod inimici ſolent, contumeliis Hebręos, eorumq; ritus, religionemq; proſequentes.

In animas. Teſtes iniqui. Mẽtita eſt iniquitas ſibi.

Credo videre bona Domini, in terra viuentium.

HEbraicum obſcurum, quod dicitur לולא lule, ſi non, niſi, vel quaſi, vt Hebræis exponitur. Cumque ſit ἀποσιώπησις, refertur ad ſuperius, vt dicat, quaſi periiſſe, quaſi inimici in me inuolaſſent, factoque impetu oppreſſiſſent, niſi ſperaſſem videre bona Domini: niſi me ad præſidium cęleſte conuertiſſem, niſi me ſubſidium Dei, in quod ſperabam, confirmaſſet, protexiſſet. Prudenter igitur Sept. & Hieronymus hanc ſcabredinem vitarunt, dimittentes aduerbium, niſi, aut, proponendum, ſimpliciterque ponentes, Credo videre de bono Domini, ut eſt in Hebraico, (eſt autem bonum, felicitas, beatitudo) & de terra viuentium. Eadem ſentiunt, interpretanturq; Hebræi, atque noſtri: Terram viuentium eſſe, qui Paradiſus appelletur, quemadmodum quoque locus damnatorum gehenna ſit in terra Hieruſalem: vtq; ſunt apud Poetas campi Elyſii, in Paradiſo eſſe felicitatem, beatitudinem, quam bonum Dei vocat. Ad hæc bona iuſtos eſſe venturos, quorum contemplatione inſatiabiliter fruantur. Appellatur item is ſtatus Hebræis vulgo, holam haba, ſæculum, ſeu mundus futurus. Probatur maximè nobis vt terra viuentium, ſiue terra vitæ, non ſit Paradiſus terreſtris, C de quo poſt lapſum, deturbatumque Adam, nihil ſuſpicari licet, potius ratione docente, nullos eſſe ſub cęlo locos vitæ feliciter, & ſine curis ducendæ aptos, & quos fortunatorum ſedes poſſis appellare: omnes mundi partes aut algoribus, aut æſtibus, ventis, & imbribus vexari palàm eſt, vt reliquas mittam peſtes omnibus terris accidentes. Non fuiſſe Paradiſum, ſedem beatam, niſi cùm Deus creans hominem, diuinaque ſpecie ſpectabilem ſe exhibẽs, hac præſentia daret ei beatitudinem. Poſt tantæ claritatis abſceſſum, locum ſimilem reliquis in terra remanſiſſe. Verius igitur eſt, vt terra viuentium ſit cęlum, noſtrati nomine nuncupatum, vt pleraque ſpiritualia, & inuiſibilia nominibus corporeis explicantur. Quemadmodum ex Platone campus veritatis, iuſtitiæque ſedes dicitur. Fluminaque in cęlo vitalis aquæ, florenteſque arbores à Ioanne ſtatuuntur. Eſt tellus illa, tellus æterna, tellus æternorum, nihil ibi, niſi ſempiternum, nihil mortale. Cãpus vitæ, vt noſtra terra, mors vbi regna tenet. Chaldæus quoque declarauit Hebraicum, Credo videre bona Domini in terra vitę ſempiternę.

1. Cor. 15. c. Bona Domini. Terra uiuentium. Paradiſus terreſtris.

Expecta Dominum: viriliter age, & confortetur cor meum, & ſuſtine Dominum.

VIriliter age, rectè iuxta Græcum ἀνδρίζου, Hebraicum חזק chaſac, roborare, confortare, eſto robuſtus, quod & Hieron. tranſtulit. Quoniam in præſidio cæleſti omnem ſpem habendam prædixerat, quo protegente non ſit ab inimicis pertimeſcendum, nunc ſumit animos, & audaciam, excitans ſeipſum, & corroborans, inducenſque ſeſe ad eam cogitationem, quãtum ſibi ſit fidendum, audendumq;, vt quem auxilium Dei defendat. Simul quid virtutis habeat, & quantum noſtra pectora firmet in aduerſis ſpes cæleſtis beatitudinis, ad quam reſpicientes animi, alacritatis, & fortitudinis implentur. Quod ait, Expecta Dominum, eſt Hebraicè, ſpera in Dominum, flectere ad Dominũ: &, vt ait Rabi Salomon, Niſi cõtinuo vocatus aduenerit, at

Viriliter age. Expecta Dominũ. Suſtine.

expecta,confortare,ne deiicias,ne deſpondeas animum. Non tibi defuerit,veniet certò. Propterea iterat expecta,ſuſtine, quod vno eodemque verbo Græcè, & Hebraicè ὑπόμεινον. Suſtinere ſolet Latinus transferre,quod Græcè,& Hebraicè eſt expectare. Itaq; conſonat carminis principium,& finis. A principio corroborans ſeipſum,Dominus lux mea,& ſalus mea quem timebo,à quo trepidabo:nunc,Expecta,confortare,lux,& ſalus tua non procul conſiſtit.Eſt diuinum carmen,plenum ſapientiæ,& pietatis.Oratio valida,vehemens,omnibus neruis contenta. D

PSALMI XXVII. EXPLANATIO.

Ipſi Dauid

INSCRIPTIO pſalmi eſt,Pſalmus ipſi Dauid.Significantius,& ad Hebraicum dices, Ipſius Dauid. Hunc pſalmum, ait Auen Eſra, aut Dauid, aut vnus è cantoribus edidit. Non magni refert, an Dauid, an cantoris. Si titulum ſpectes, eſt Dauid, quod clarum eſt.Eſt ad omnes ferè partes referens ſuperiorem pſalmum, oratio ſuppliciter petentis opem Dei,ne in poteſtatem inimicorum veniat, ne proditorum latentes inſidiæ ei noceant. Imprecatur his pro ſcelerum magnitudine pares pœnas. Pòſt,vt ferè conſueuit cunctis carminibus, agit gratias ꝙ ſit accepta oratio, quòd Deus præſidium,ſalus,decuſque ſit ſuis:quod eo tuente nulla trepidatio,nihil ab inimicis extimeſcendum.Hac ſpe fidentem terror inuadere non poſſit. Ea ſpes dans animos implet alacritatis pectus, corpus hac lætitia refloreſcit,cui ſuccum ſubduxerat mæſtitia. Nec prorſus in eorum ſententiam tendo,vt ad particulares cauſas deſcendas,cur pſalmus is ſit editus,quo Nicolaus attulit,editum cum Saul ipſum Dauid inſequeretur. Eſt,reor,vniuerſalis ſupplicatio,reſpiciens quidem aliquos inimicos:ſed cùm eos minimè placuerit Vati nominare,videntur omnes inimici deſignari,vt ſit ſtatus cauſæ vniuerſalis,quod dignius eſt,non particularis. E

AD te Domine clamabo, Deus meus, ne ſileas à me: nequando taceas à me,& aſſimilabor deſcendentibus in lacum.

8

Petra.

Scutum.

Ne ſileas, ne taceas.

QVOD dixit, Deus meus, in origine propria Dei in aduerſis appellatio צורי zuri, petra mea, præſidium,arx,ſcopulus inacceſſus: robur,durities mea:velut omnis protectio ducitur Græcis à ſcuto ὑπερασπίσαι, Hebræi à petra. Propterea Hierony.dixit fortis meus. Quod ait,Ne ſileas,ne taceas: eſt perinde ſi dixeris,Ne ſurdeſcas me poſtulante, ne aures obdas ad clamores meos. Tacere dixit, quaſi obmuteſcere, nihil reſpondere.Ne quæſo vociferante me,obmuteſcas,non me dignatus reſponſis tuis. Sed precibus meis admiſſis,auxilium mittas: quo ſignum dederis te exaudiſſe, reſponſum erit, miſſum auxilium.Quod ſi nihil aduenerit,indicio erit,te ad preces meas quaſi mutum,ſurdumque fuiſſe,quaſi dormitaſſe me clamante. Ne taceas, ſed reſpondeas, aures apertas ad preces meas habeas. Os quoque tuum diuina mihi reſponſa remittat.Silet igitur qui vel non neglexit,vel audire intellexit. At Deo nihil impedimento eſſe poteſt, quo minus exaudiat. Si non exaudit, fuit in cauſa, quòd audire contempſit.Hunc contemptum ſuſcipit, cùm petimus iniuſta, aut noſtra facit improbitas, vt contemnamur. Hæc melius declarans in ſua tralatione Hieron. hunc locum vertit, Ne obſurdeſcas mihi,ne forte tacente te mihi comparer his.Quod autem ait, cum deſcendentibus in laccum, (Laccus cum duplici, c, Græcum eſt λάκκος) quid ſit diſcas ex Hebraico pro eo בור bor,puteus.Eſt igitur laccus puteus,foſſa,vorago. In hanc deſcendunt,qui ruunt,qui cadunt, qui damnantur.Hebræis eſt opinio,vt poſſit de gehenna interpretari. Deſcendentes in laccum, ſunt qui præcipites feruntur in barathrum, Tartarum, Erebum, Puteum profundiſſimum, qui tantum *Tenditque ſub auras,* F

Laccus.

Deſcend.

Quantus ad ætherium cæli ſuſpectus Olympum.

Poſſet item de corporea ruina intelligi,quemadmodum eos,qui aberrant dicimus labi in voragines,præcipitare.Ruinam,acceptamque cladem vocat Vates in profundam voraginem cecidiſſe. Qui deſcendunt in laccum,ſunt qui corruunt,præcipitantur auxilio cæleſti non ſuppetente,caſibus aduerſis impelluntur in ruinam,velut radicitus arbor exciſa,quam circunfuſi agricolæ ſecuribus,donec euertant,animoſè cædunt.Referri poteſt igitur ad corporeas clades.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Orandi ratio.

Luc. 16.a

Dum extollo manus.

INgeminant curæ, ſuſpiria, preces multis nominibus ſuper eadem re conglobatis exaudi, ne ſileas, ne taceas, vocem, deprecationem, oro, extollo manus. Quibus oratio fit vehementior, pectore plures voces edente, vehementiuſque aures impellente, vt ſi vel dormites, neceſſario inſtantes, ingeminatique clamores excitent. Sic Deus orandus eſt, ſic orandum docuere prophetæ, vt nihil frigidum, nihil oſcitabundum interueniat, omnia ferueſcant, rapiant, transforment,inſtar torrentis oratio fluat, fulminare, tonare videaris, ſit totis contenta neruis ſupplicatio,ne lacrymæ quidem deſint. Tum verò Deus aderit,lacrymas, triſtitiamq; miſeratus. Quòd dixit tollere ſeſe manus ad templum ſanctũ, Græcus quidem habet πρὸς ναὸν, ad templũ,

non

A non admodum magnum interuallum, quòd ſit in Hebraico דביר debir, oraculum, vt Hierony. edidit, aditum, locus templi ſacratior, vnde diuina reſponſa reddebantur. Iuxta hoc oraculum conſtiterat Vates, manibusque ad ſidera ſublatis, numen æternum precabatur, ſibi ſuppetias afferet, ab inſidiis, quas ſuſpicaretur, ſed videre nequiret, defenderet, in poteſtatem inimicorum eum venire ne ſineret. Omnes clades à ſe, & populo cui moderaretur, repelleret, inimicorum vires infringeret. Genus hoc prodigioſum, pernicioſumque humano generi tolleret, eorumque improbitati digna præmia redderet.

Debir, vel deuir. oraculum.

Ne ſimul tradas me cũ peccatoribus: & cũ operantibus iniquitatẽ ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.

SI legas ad Hebraicum, eſt ad amuſſim, quemadmodum vertit Hierony. Ne adnumeres me cum impiis, & cum operantibus iniquitatem, loquentibus pacem cum proximo, aut amico ſuo, & malum in cordibus eorum. Monent Hebræi, & verè plerunque, ſceleratos conſueuiſſe occultare facinora, inſidioſos, proditores, pacem amicitiamq; prætendentes, in pectore conceptum facinus continentes. Hoc genus peſſimum eſt, igni, ferroque amoliendum. Neq; poterit quiſquam ab his tutus eſſe. Sunt enim fraudes eorum inuiſibiles, niſi Deus aperiat. Ecce docent nos ſancti prophetę, quid precibus contendere nos deceat à ſummo patre. Nam eſt, quando precantur vt illuminentur, vt nullis tenebris caliget animus, ſcientiam, lucem, ſapientiamq; petentes, ne peccatis inquinentur, ne contaminati facinoribus, oculis ſanctis ſuis diſpliceant. Tum ſi quid peccatum ſit, veniam petunt. Tertia poſtulatio ſolet occurrere, ſuper inſidiis hominum, B ſuper his, quæ capiti, vitæque noceant: ſæpiusque meminiſſe conſueuerunt, fraudum, inſidiarum, proditionum, quibus omnia redundant. Nulla enim beſtia homine nocentior, vbi ratio deprauata, auxilioque Dei deſtituta, non modò crudelitatem, furoremque induit beſtiarum, ſed longè deterius, quiddam efficitur. Rectè igitur iuxta Hebraicum tranſtulerunt Septuaginta μὴ συνελκύσῃς, Ne ſimul trahas, quod Hebræis exponitur, Ne congreges, ne recenſeas me cum impiis: ne me in numero ſceleratorum, impiorumque habeas. Hocque duos habet ſenſus. Aut facies ope ſancta, validoque auxilio tuo, ne ſim in numero ſceleratorum, ſuſtineas labentem, ne peccare, hallucinarique ſinas: ignarum doceas, lucem infundas, à peccatis auertas. Aut certè ne me in poteſtatem eorum tradas, ne in inſidias eorum præcipitare ſinas. Ne me ſceleratis, impiisq; in cruciatum dedas. Salutis meæ rationem habeas. Superuacaneò igitur Græci ſecundo addiderunt μὴ συναπολέσῃς με, Ne ſimul perdas. Vnusque eſt verſiculus, non duo. Ne ſimul tradas, Qui loquuntur, vt videbis etiam apud Hieronymum.

Piorum preces.

Ne ſimul trahas.

Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum: ſecundum opera manuum eorum da illis: redde retributionem ipſis.

ARridet Hebræorum declaratio, quòd aliud in pectore, aliud ore ferunt, aguntque omnia inſidioſè, vt ab hominibus introſpici conſilia eorum nequeant, quàm fœta ſceleribus mens eorum ſit, quibus notis inquinata, tu qui ſecreta ſcrutaris, quem cogitationes inuiſibiles latere non poſſint, da illis ſecundum facinorum grauitatem. Indignatus in eorum grauiſſima, nocentiſſima flagitia, aduerſus eos prouocat vltionem diuinam. Hoc quoque præter ea C quæ ſuperius diximus in pſalmis, occurrit vindictæ poſtulatio. Id iure merito prophetas (nam apud alios item reperies) feciſſe, palàm eſt. Nil eſt enim tam execratum, atque abominabile, quàm ratio corrupta, quæ ſemper hominum peſtem, exitiumque meditatur. Prodigia ſunt, ac portenta, monſtraque ſuper terra eiuſmodi, non minus fugienda, vitandaque, & è medio tollenda, quàm dracones, aut ſiqua noua, & inuſitata beſtia conſpecta fuit. Hæc monſtra, quibus conficiendis vires humanæ deficiant, debentur Deo, qui cùm fuerit autor omnis vitæ, qua viuunt omnes animantes, cùm repertor eorum omnium, quibus vita ſuſtinetur, certè tollenda ſunt ei, velut conſilijs eius inimica, quæ genus hominum exitialiter infeſtant, in pernitiem ſtirpis humanæ nata, & viuentia. Nec ſolum hominibus nocent, ſed item ſummum Deum, operaq; eius, ignorant blaſphemant, deteſtantur, Ex his cùm detrimentum, non emolumentum, cùm peſtis non ſalus exiſtat, optandum eſt, & ad id Deus precibus prouocandus, vt tollantur è terra, nequò diutius vixerint, hoc maiora detrimenta attulerint. Quod ergo ait, Et ſecundum nequitiam adinuentionum: vt clarius noſcas, pro nequitia, Grecè eſt πονηρία, ſcelus, facinus, prauitas. Pro adinuentionibus, ἐπιτηδεύματα, ſtudia, conſilia, facta. Secundum prauitatem ſtudiorum, tantundem pœnarum perſoluant, quanto cum ſcelere res eorum geruntur. Quanta in conſiliis eorum ineſt pernicies. Non iniuſtum eſt par pari referre ad talionem. Terque eandem ſententiam retulit, Da illis, tribue illis, redde retributionem. Opera, adinuentiones, opera manuum.

De vindicta improborum optanda.

Cicero of. 3.

Nequitia. Adinuentiones.

Quoniam non intellexerunt opera Domini: & in opera manuum eius, deſtrues eos, & non ædificabis eos.

MIrum in modum quorundam Hebræorum placet huius loci declaratio. Tempus, inquit, huius vitę quod fuerat datũ, vt cognoſcendo, colendoq; Deo diſpenſarent, atq; hac vna in re exercerentur, potius vaniſſimis libidinibus tradiderunt, his maximè, non rebus æternis ſtudentes, quarum cognitio, atque amor efficeret eos ſapientes. Sunt plerique, quos animi deiectio, atq; timiditas, ne quid eis aliquando deficiat, rerum item corporearum immoderatus amor facit, vt omnes curas opibus aceruandis, quibus egeſtatem repellant, conferant, ſemper pauentes, atque trepidantes, tantaſque opes ſibi neceſſarias exiſtimantes, quantas ſi ad æternum tempus victuri eſſent. Omne ſtudium, omnis diſcurſatio, quicquid cogitant, loquunturque, propter has opes, propter eam, quam ſemper extimeſcunt, egeſtatem exiſtit. Hos animi imbecillitas agit in anguſtias, longè ab ea dignitate recedentes, quam Deus homini naſcenti dedit, quæque maximè decuiſſet, quibus religio longè meliora promittat. Sunt alij longè deteriores, ſed tamen prioribus affines, quos maximè pſalmum ſpectare palàm eſt. Hos non illa tantum trepidatio, ſed intima prauitas, miſerabiliſque rationis cæcitas, à rebus æternis abducit, contemptores Dei facit, nihil eorum cogitantes, quæ Deus humano generi creauit, donauit, è quibus viuerent, fructum caperent. Ecce igitur verus propheta, verus Dei legatus, & interpres, nominat opera Dei, quæ perinde ſint ab eo conſtructa, vt ſi manibus ea molitus eſſet, fabricam, operaque manuum eius, vt clarius intelligas, mundum appellans. Execraturque eos, interitum, exitiumque eis imprecatur, qui non percipiant, non ſentiant, non animum ad hæc opera vertant, autorem fateantur, laudent, admirentur. Hanc ignorationem aſſerit eos iniuſtos, peſſimoſq; reddidiſſe, vt eos perijſſe expetat, digni, quos Deus deſtruat, amoliatur. Quaſi ex oraculo, quaſi incaleſcens agitante Deo pronunciat eos perituros, ſubducendos è vita, in qua nihil agant vtile, non ſolum terræ inutile pondus, ſed exitium, peſtis in contumeliam Dei viuentes, quos impietas, nempe diuinorũ operum ignoratio (ignoratis operibus, autor ignoratur) ad iniuſtitiam, rapinas, inſidias, cædes induxerit. Itaq; ait, Deſtruas eos, & non ædificabis. Orationem, imprecationemque Hebræi fatentur eſſe: quia paulò antè dixerit. Da illis ſecundum opera eorum. Eſt autem per tertiam perſonam in Hebraico, Deſtruet eos, & non ædificabit. Atque exaggerat imprecationem, Ita deſtruantur, euertantur, vt amplius non ædificentur, nulla ſit reſtauratio, ſit irreparabilis ruina, irremeabilis error. Sicut illi deſtruebant opera Dei, aut ignorando, neſciendo, aut contemnendo contra mundi creatorem loquendo, iuſtitiam, quam ipſe condidiſſet, violando: ſic deſtruantur, fundituſque tollantur, excidantur, opera eorum perdantur, aboleantur.

Opera manuum Dei.

Deſtr. e. & non ædi.

Impietas.

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. Dominus adiutor meus, & protector meus, & in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.

HAnc quoque prophetiam eſſe teſtantur Hebræi, imprecationes ſuas contra impios, qui vexant meliores, in hoc mundo rapiunt, interficiunt, exaudiendas eſſe, per præteritum pronunciatas veluti certiores. Eos penitus excidendos vaticinatus fuerat, nunc orationem, aut prophetiam ſuper eorum interitu fore certam, diuinis auribus acceptam, impetratum eſſe, vt crudeles paribus pœnis occumbant. Ob quam cauſam benedicit Deum, effert laudibus, qui ſceleratos interficiat, iuſtorum patrocinium ſuſcipiat, eos exaudiat, quoties aduerſus ſacrilegos, homicidas cæleſtem vindictam prouocant, ne quis ſuſpicetur cùm pauperes, viduaſque vexari, cùm ſæuire tyrannos, aut alios interficere, familias diripere, patrimoniis inſidiari cernas, hęc à Deo negligi, aut ignorari. Aderit, inquit, aderit, proximeque impendet tempus, cùm prædas illi magno cum gemitu relinquent, longè grauius dolentes, quàm alios dolore coegiſſent. Subijcit alias laudes, Adiutor meus, protector. Verè dicuntur hę quoque laudes ab Hebręis. Dedecus enim fuerit omnipotenti negligere pios, non curare quid fiat in terris: aut enim neſciret, aut non poſſet, aut nollet, quodcunque tribuas, ratio reclamabit. Ergo ſi protector, adiutorque eſt, & eorum qui ſperant, non illuſor: probatur ęquitas, bonitas, iuſtitia, charitas, non negligentia. Quibus virtutibus à nobis decantatis, laudatur, benedicitur, prędicatur, bene de eo ſentitur: opinio virtutis eius clareſcit, fit maieſtas eius in terris perſpicua. Longè ſecus, ſi criminibus ab Epicureis illatis peteretur, ſi neglector diceretur, vltra flammantia mœnia mundi, longè otioſus, grauiſſimis ei culpis vendicatis negligentiæ, crudelitatis, ingratitudinis: ſi neque vota, victimaſque attenderet, neque preces audiret, neque ſuper calamitatibus crudeliter illatis indoleſceret. Laudabatur igitur à prophetis, cùm veris nominibus appellabatur protector, adiutor, exaudiens, ſperantium in ſe, opeque eius nitentium non proditor, ſceleratorum euerſor, malefactis inimicus. Vt antiquior hæc philoſophia, ſic longè præſtantior illa malè ſanorum, ſimulateque id nomen poſſidentium philoſophorum.

Laudes Dei.

Illi fiditur

Epicurus.

Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

HAec cum antecedentibus eodem verſu continentur. Adiutor, protector, ſperantium defenſor. Et refloruit caro mea. Pro quo diuerſum quiddam in fonte Hebraico ויעלז לבי vaialos libbi, Et gauiſum eſt cor meum, quod Hieronymus quoq; reddidit. Itẽ quod Græcè eſt καὶ ἐκ θελήματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ. Hoc quoq; diſcrimẽ hẽt in Hebraico. Nã Hieron. trãtulit. Et in cantico meo cõfitebor illi. In Hebraico igit̃, pro volũtate mea, eſt שירי canticũ meũ, cui quadrat confitebor, quod vt ſæpenumero monui, Hebraicè dicitur הדה hada, à Græcis vſurpa-

Reflo. caro mea.

Et ex uol. me. cõfi. ei. Confiteri.

A vſurpatum ᾄδω. Per tempus futurum profertur אהודנו ahodennu, cantabo illi. Dicendumq́ue, Et cum cantico meo celebrabo illum. Non admodum varium eſt, vt Septuaginta interpretes dixerunt. Pro gauiſum eſt cor meum, ἀνέθαλεν ἡ σάρξ μου, refloruit caro mea. Quid enim aliud gaudere eſt, quàm reflorere, reſurgere? vt refloreſcat arbor, humor cauſa eſt: ſiccitas cogit, vt exareſcat. Vt ergo ſpiritus triſtis exiccat oſſa (ait Salomon) ſic lætitia pinguefacit, ſucculenta facit, replet humore bono, virorem reducit. Gaudium dat florem, colorem: triſtitia ſiccitatem, ariditatem. Quanquam Hebraicum innuit intimam lætitiam. Exponitur enim Hebræis cor, pro animo, mente, intelligentia. Ex animi lætitia, caro refloreſcit, colorem, vigoremq́ue recipit. Poſt lætitiam propter euerſos caſtigatos impios, propter pios ereptos, liberatoſq́ue conſecutam, triumphus, laudes, carmina ſequuntur, fit plauſus, fit gratulatio, gratiarum actio. Laudatur Deus autor lætitiæ, In primis hæc carmina ſunt, atque laus, vt cantando victoriꝗ referantur. Tunc Deus adiutor, protector prædicatur. Hæc prædicatio, eſt laus eius.

Gaudere.

Laus Dei.

Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum Chriſti ſui.

HAEc laus, illa benedictio, cùm Deus protector, ſeruator, ſalus prædicatur. Sciēdū, quod Græcus habet κραταίωμα τοῦ λαοῦ, fortitudo populi, ſiue plebis: Hebræus עז למו os lamo, robur illi: nimirum, Dominus robur ipſi, vt exprimā locutionem Hebraicam. Latine dicas, Dño eſt robur, Deo eſt fortitudo: eſt fortiſſimus, eſt prępotens. Sic exponunt Hebręi, & verè. Et quod eſt Græcè ὑπερασπιστὴς τῶν σωτηρίων, Protector ſaluationum in fonte eſt ומעוז ישועות vemaos ieſuoth, Et robur ſaluationum. Robur, quo continetur omnis ſalus eius, in quo eſt præſidium, B ſalus, protectio eius. Chriſtum ſuum dixit Regem vnctum. Nam Reges perinde vt ſacerdotes vngebantur. Eſt Regis ſacra maieſtas. Quoties eſt apud Homerum vetuſtiſſimum vatem ἱερὸν μένος, ſacra poteſtas, maieſtas. Ob hanc cauſam Reges inungebantur. Eſt enim Rex, Dei imago ſpirans, viua.

Dominus fort. ple.

Prote. ſal. chr. ſu. eſt.

Rex, imago Dei.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vſque in æternum.

SI preſſius examines Hebraica, idem eſt hæreditas eius, atq; populus eius. & pro Rege illos, Hebraicè, & Græcè רעם reham, paſce eos. Græci ſimiliter ποίμανον, paſce. Id rectè transfertur regere: hinc populi ductores, ποιμένες λαῶν, Paſtores populorum uocat Homerus. Explanatur ab Hebræis referentibus ſingula ſingulis: Saluum fac populum ex hoſtibus in bello, in aduerſis. Benedic ei, in operibus, factiſq́ue. Da felicitatem, da ſucceſſum. Sint quæ agunt proſpera, felicia. Inundent, fluant copioſè, quod verbo benedicendi Hebræis denotatur. Regat item, ſiue paſcat, in hoc felici ſtatu ſeruet, velut paſtores agunt gregem ad paſcua, ad limpidos amnes: vigilant, adſunt perpetui excubitores, ſub veſperum ad caulas reuocant. Sæpius hac tralatione ſacrum poema delectatur: vt, Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Meſſias autem, ego ſum paſtor bonus. Quod ait, Extolle illos: ſcilicet ſuper omnes gentes attolle, ſublimes facito, pręcellant, anteeant omnes gentes. Nulla ſit natio potentior, nobilior. Idq́; non ad tempus, ſed vſque in ęternum, non exigua nobilitas, ſed immenſa, & ſuper omnes gentes. Non breue ad tempus, ſed ad ſempiternum. His admirandam charitatem ſancti prophetæ comprobabant, dum C non modò pro ſe priuatas orationes habebant, ſed item pro tota gente. Hæc vera pietas erga patriam. Sic vniuerſam philoſophiam reperies in pſalmis. Quicquid ſacrum ſpirare poteſt os humanum, aut mens cogitare, habetur in hac præſtanti ſapientia. Cuius autoritatem auget antiquitas. Eſt enim vetutiſſima philoſophia, longè ante tempora philoſophorum parata. Vides quo fine ſemper ferè claudantur.

Reham. Rege.

Benedicere.

PSALMI XXVIII. EXPLANATIO.

REDVNDAT totus titulus in Græcis, & Latinis (nam Latini Græca ſequuntur) quem neque in Hebraico, neque in tralatione Hieronymi reperies. Eſt autem eiuſmodi, ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ ἐξοδίου σκηνῆς. Latinus vertit, Pſalmus in conſummatione tabernaculi. Is titulus ſortaſſe fuit appoſitus à Septuaginta ex ſucceſſione, ac traditione doctrinæ. Nam etiam apud Hebręos fama eſt, ſuper lata lege, & portentis, quę tunc acciderunt, editum eſſe. Sunt alij eorum, qui opinentur potius eſſe carmen ſuper miraculis naturę, qualis in extremis capitibus eſt in libro Iob philoſophia ſuper his, quę dicuntur meteora, ſuper arboribus, animalibus. Quę omnis admiratio eſt conditoris prędicatio, quantum facultas datur ingenijs humanis eum admirantibus, & ſuper factis eius philoſophantibus. Eſt alia quorundam Hebręorum ſententia, ſpectare pſalmum tempus Meſſię, figuratiſq́ue nominibus res ab illo geſtas, & populos deſignari. Mihi vehementer probatur ſecunda ſententia, vt ſit philoſophia, ſit conſideratio diuinorum operum, diuinę maieſtatis in omnibus naturę miraculis apparentis admiratio. Gręci ſecundum inſcriptionem pſalmi in ſuis codicibus, quid egreſſis ſacerdotibus è tabernaculo faciendum eſſet, ut hoſtię immolandę, vt canticis Deus laudandus. Sed vt monſtratum eſt, titulus redundat. Nam ſunt etiam, qui referant in CHRISTVM.

Philoſop. Iobi.

AFferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.

Filij dei.

Elim.

LONGE locus is diſſentit ab origine. Nam quod dicitur, Afferte Domino filios arietũ vt Græcè eſt ὑὺς κριῶν, totum redundat. Statimq́; pręcipitur, Afferte Domino gloriam, & honorem ad hunc modum. Afferte Domino filii Deorum בני אלים bene Elim, Afferte Domino gloriam, & honorem. Scire tamen operæpretium eſt, uocem Hebraicam אלים ambiguam eſſe, & poſſe legi cum Iod poſt aleph, quod deſignabit arietes, aut ſine Iod, denotabitq́ue Deos, nec deſunt pro alterutro ſignificatu exẽpla. Et Hebraica ſubnotatio, quę dicit Maſſoreth, oſtendit vtranque lectionem. Vtranque igitur Græci interpretes poſuerunt ὑοὶ Θεοῦ, ὑὺς κριῶν. Sed quoniam alterum per accuſatiuum, alterum per caſum nominandi efferunt, non efficitur ſenſus verus, ut inuitentur filii Dei ad offerendos filios arietum. Alterum ſecludere neceſſe eſt. Verior igitur lectio, pluribusq́ue probatior eſt, vt Elim nunc ſint Dii, idq́ue omnes ad vnũ Hebræi cum Chaldæo comprobant. Nam Chaldæus pro filiis Dei, ſubſtituit, כיתי מלאכיא kite malakaia, acies Angelorum, ordines Angelicos. Auen Eſra, filios Dei, ſtellas interpretatur, ut illud apud Iob, Cum me laudarent ſtellæ matutinæ, & iubilarent omnes filii Dei. Filios Deorum Rabi Salomon, filios principum in terra, ut in Geneſi. Videntes filii Dei filias hominũ. Siquidem Elim non Deus tantum, ſed fortes, robuſtosq́ue etiam ſignificat. Inuitat igitur Angelos, inuitat principes, uirosque conſpicuos, imperatores, reges, dictatores generatim omnes: quibus parent populi, ut offerant Deo gloriam, decus, honorem. Gręci quoque filios Dei, quibus diuina prædicatio permiſſa eſt, interpretantur, nimirum Apoſtolos, uelut etiam Nicolaus, ſacerdotes, ſacrificos. Sed ſi arietes excluſeris, mentemq́ue altiſſimè tuleris, inuitantur Angeli in omnibus rebus creatis primum gradum obtinentes, in admirationem, prædicationemq́ue diuinæ potentiæ, uelut illo Pſalmo. Laudate eum omnes Angeli eius. Proprieq́ue quod Sept. dixerunt τιμὴν, honorem, eſt Hebraice עז os, potentiam, robur. Propterea Hieronymus tranſtulit imperium, dicens, Afferte Domino gloriam, & imperium. Atque ſignificatus uerbi, afferte, eſt prædicate, decantate, uocibus quaſi manibus offerte decus hoc & imperium Deo, hoc ſacrificii genus. Eſt enim in ſacris litteris, etiam ſacrificium laudis.

Honor.
Affertc.

Afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius. Adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Domino
gl. no. eius.

Adorate.
In atr. ſancto eius.

IAm dixi, gloriam, & honorem ſuperiore uerſu contineri. Repetitio eſt uehementior, exaggeratio, profluensq́ue impetus animi laudes præpotentis Dei eflerueſcentis. Hebraiſmus item eſt, Domino gloriam nomini eius, dicendum potius, Afferte Domino gloriam nominis eius, prædicate, reddite Deo gloriam nomini eius. Famam maieſtatis eius euehite: nomen, quo glorioſus omnibus mundi locis agnoſcitur, efferte, commendate. Sit larga copia fandi ſuper hoc nomine, atque hac gloria. Quid ſit afferre gloriam, liquidius explicat, Adorate Dominnm. Adoramus quoties prędicamus, efferimus, laudamus. Sciendum pro eo, quod Septua. uertunt ἐν αὐλῆ ἁγίᾳ αὐτοῦ, In atrio ſancto eius. Hebraicè eſt בהדרת קדש behaderath codes, In decore ſancto, quemadmodum tranſtulit Hierony. Non eſt igitur atrium, ſed honor, decus, quod conuenit Angelis, omnibusq́ue Prophetis, quos inuitauerat à principio. Atrium ſolis ſacerdotibus. Et Abrahã qui à primo filios Dei, ſtellas fuerat interpretatus, nunc eorum adorationem exponit, uelut cùm ſerui parent dominis, celeriter eorum iuſſa exequentes. Nec ſydera curſus ſuos mutare poſſe, ordinibus à præpotenti architecto datis inſiſtentes. Sic quoque ſpectare poteſt Angelos, quos uti primores, atque principes in omni mundo inuitet ad laudandum, afferentes ei decus ſanctum, gloriam cæleſtem, diuinã. Tribus enim nominibus expreſſit, quod ſacrificii genus offeramus. cabod, gloriam: os, imperium: demum hadereth codes, decus ſanctum. Sanctum decus, ſiue decor, eſt decor ei proprius, ſanctiſſimæ maieſtati eius congruus, honor ſacerrimus, qui ſoli Deo, præterea nemini tribuatur. Decus item ſanctum, maximè uenerabile, diuinum, ſuſpiciẽdum, puriſſimum, ab omni inquinatione ſegregatum, decus impollutum, intemeratum, non uiolabile numen. Hoc decus precatur angelos, offerant ſummo Deo, offerant prædicando, laudando.

Sydera, vt
nã adorent
Deũ ſic, &
creaturę
oẽs Deũ adorãt, ꝑter
dæmonas
& hoĩes.

Vox Domini ſuper aquas: Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Qui tibia
canit ĩ choro.

POſteaquam cohortatus fuerat, maieſtatem numenq́ue omnipotens uenerarentur, efferrẽt prędicando, aggreditur ipſe primus veluti choraula diuinum carmen, quo uires, poteſtatem, maieſtatemq́; Dei prædicat. Inducit uocem eius præpotentem, formidabilem ſuper aquas. Hanc uocem Auen Eſra, qui filios Dei, ſidera fuerat interpretatus, exponit tonitru, nubibus colliſis, ſimul nimbis præcipitantibus in terram, quo potentia Dei cognoſcitur,

Ipſe pater media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra. Et,
Ruit arduus æther.
Tonitruque tremiſcunt ardua terrarum.

A *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Aether*
Coniugis in gremium lætus deſcendit.

Hæc prior noſter cecinerat. Eadem referuntur in Iob, excitanturque mortales ad ſcientiam, admirationemq; creatoris. Conſiderata pluuia, tonitribus auditis, colliſarum nubium fragore mentes exterrente, nec temperat æther iterare uoces horribiles una nimbis ruentibus ut uideas totũ in pluuias deſcendere cœlum. Hoc erit primum miraculum, quo numinis æterni maieſtas innoteſcit. Eſt aliorum Hebræorum loci huius explanatio, figuratè uocem in aquas, terrorem in populos iniectum appellari. Sępenumero reperies in hoc longè uetuſtiſſimo poemate atribui Deo uoces horribiles, terribiles increpationes: ut, Increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt. Et Ab increpatione tua fugient: a uoce tonitrui tui formidabunt. Aquas item in hoc poemate, populos, turbaſque ſonantes, & quaſi fluctuantes appellari, uelut fluctus in mare uaſto, creberrimum eſt. Eritque uox Domini ſuper aquas, terror eius ſuper populos uniuerſæ terrę. Vox, & tonitru, terror formidabilis: aquæ genres totum per orbem. Si referas carmen ad tempus, quod uocant illi Gog, & Magog, nimirum Antichriſti, quod Rabi Dauid opinabatur, diuino ſpiritu Vates incaleſcens, decantat interitum exercituũ impiorum, quos peſſimus ille princeps coactos, aduerſus pios incitabit. Illis opem Dei magnis precibus implorantibus, Deus voce formidabili conterritos fundet, delebit, ſtirpemque hominum ſceleratorum tollet è terra, & ſpiritu oris ſui (vt ait diuus Paulus) interficiet impium Antichriſtum. Bellum igitur contra eos ſuſcipiet Deus, armis Dei exterriti diſſipabuntur, fugabuntur, interficientur. Non gladio, non haſtis res geretur, ſed terrore cęleſti, quo mortalia corda tremiſcent. Poſſet etiam citra vllam figuram poeticam interpretari. B Canitur enim alijs Pſalmis, Ignis, grando, nix, glacies, pars calicis eorum. Aduerſus eos fulminibus, grandineque ſaxea pugnabit, velut exercitus Brenni lapidibus cęleſtibus obrutus. Hæc ſunt tela Dei, quibus euertit ſceleratam Sodomæ gentem, vrbes eorum funditus deleuit, Deus maieſtatis, Deus, cuius eſt immenſa poteſtas, intonuit, & cęleſtia tela iaculatus, impias manus latè ſtrauit.

Deus maie
ſtatis.

Vox domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.

POeticè graditur, non ſemel exhibens vocis diuinæ fragorem, quem cũ virtute nimirum, vt Græcè melius habet, & ad Hebraicum, ἐν ἰσχύϊ, cum fortitudine, totiſque viribus contenta fuerit. Vox validiſſima, ſonitus mortalibus auribus inuſitatior. Vox in magnificentia, nempe vt Hebraicè eſt בהדר behadar, decore, vox cum maieſtate, decore. Voxglorioſa, regia, præpotens, vaſta, non exigua, qualis homuncionum, ſed quæ per magnum circunſonet orbem, ad vſque ſidera audita. Tantaque fuit vocis huius contentio, vt cedros altiſſimas arbores confractas deiecerit. Eſt cedrus (vt dixi) procera arbor, locis calentibus gaudens, iunipero ſimilis foliis, & baccis, niſi quòd aſſurgit in altum. Has vſurpat ſacer Poeta, quoties principes, ſummoſque viros innuit, quos fama, aut opes, & potentia cæteris eminentiores reddiderunt. Vidi, ait, impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Libanus mons eſt Iudææ, id genus arborum feraciſſimus, cedris altiſſimis nobilis. Vox igitur Dei præpotens, confringet, radicitus euertet principes ſceleratos, non eis proceritas, non altiſſimæ radices profuerint, quò minus eruantur. Sic Hebræi quoque cedros interpretantur reges nationum, his tonitribus deiectos, & interfectos: ſiue referras hæc cùm lex promulgaretur, ſiue ſceleratos principes, Antichriſti ſigna ſequentes, quos igne cęleſti, grandine delebit, prodigioſiſque tonitribus exterritos, tum viribus, audaciaque eorum in magnam formidinem redactis, vitam eis eripiet: quale ſæpe refertur in ſacris litteris, vt cùm intonuit Dominus voce magna ſuper Philiſtæos, & quod refertur in libris Regum: ſeu malis hęc vniuerſalem rerum ſpectare prouidentiam, qua Deus minimè dormitans ad crudelia facta tyrannorum, ac principum, eis demum luctuoſam, funeſtamq; diem adducet. Bis igitur retulit, confringet Dominus cedros Libani, vt crebra aſſertio prophetiam veram fore comprobet.

Vox in vir
tute.
In magni
ficentia.

Cedrus.

Libanus.

Et confr.
do.cę.li.

Et comminuet eas tanquam vituli Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

MInime arduum erit intelligere hunc locum, ſi diligenter Hebraica diſquirantur, Hieronymuſque in ſubſidium adeatur. Principio, quod Græcus iungit vitulum Libani, minime iungendum eſt, ſed duntaxat dicendum, tanquam vitulus. Verbum autem, quod Septuaginta tranſtulerunt λεπτυνεῖ, comminuet, ſiue extenuabit, eſt melius, & verius in fonte, ipſique vitulo cuius vtitur comparatione maximè congruum, ירקידם iarchidem, ſaltare, vel exultare eos faciet. Eſt enim verbum principale רקד rachad, quod omnibus, vel prima Hebraicæ dialecti rudimenta imbutis palam eſt ſonare exilire, ſaltare. Inde fit verbum tranſitiuum הרקיד harcid. Ergo iuxta veritatem Hebraicam dicendum eſt, Et exilire eos faciet tanquam vitulum. Faciet, coget exilire, migrare diſcedere, velut vitulus fugit ocyor Euro. Eijcientur, fugabuntur, velut vituli, quos leuis ætas reddit inſtabiles. Hoc intelligens diuus interpres, Hebraicum luculentius

Tanquam
vit.lib.
Cõminuet
Nam & à
vitulando,
i, laſciuiē
do, & ſal
titando, di
ctũ à vitu
lis.

lentius Latinę linguę reddidit: & diſperget eas quaſi vitulum. Vtitur ergo comparatione vituli, prius cecinit proceras illas, ſuperbaſque cedros excidendas, in terramq; deiiciendas: nunc euellendas, è natiuo ſolo diſſipandas, quarum fruſta, ac ſtipites exciſi in omnes partes ferantur, exiliant, vt vituli exultant, fugiunt. Dixi minimè iungendum eſſe vituli Libani, ſed Libanus dicendum in caſu nominandi. Et quod Septua. Græcè ſcripſerunt ἠγαπημένος, dilectus, quod vix intelligas quorſum ſpectet, verius habetur in origine שרין Shirion, quod proprium montis eſſe nomen, vnà omnes Hebræi, & Hieronymus fatentur. Rabi Salomon de vtroque perhibet שמות הרים ſemoth harim, Libanus, ait, & Siraion, ſunt montium nomina. Ergo legendum eſt, Libanus, & Sirion, tanquam filius ראמים reemin, vnicornis ſiue rhinocerotis. Eſt autem verus ſenſus, vt vituli comparatione fuerat vſus, nobiles illas arbores è natali ſolo migraturas, proiiciendas, ſic fore vt Libanus, & Sirion montes, harum arborum feraces, ſint velut pulli rhinocerotum. Nec mireris ſacrum hoc poema, dare fugam montibus. Nam pleriſque locis tribuit eis motum, alacritatem, exultationem: vt, Montes exultabunt à conſpectu Domini: velut apud Latinum,

Dilectus.

Omnia quæ quondam Phœbo meditante, beatus
Audit Eurotas, iuſſitque ediſcere lauros

Tribuit poeticè flumini auditum, arboribus diſcendi facultatem. Sic noſter canit montes exaudito diuinæ vocis fragore, tonitruque terribili, & arbores eorum collapſuras, infringendas, & ipſos pauore, ac trepidatione, loco mouendos, excutiendos. Eſtq; deſcriptio illius diuini fragoris, qui proceras arbores deijciat, altiſſimos montes commoueat, & quaſi terræmotu quatiat. Tum ceruas montes excelſos habitantes, exterritas ad partum cogat. Multaque alia prodigia canit accidiſſe, voce illa terribili intonante. Pulcherrima deſcriptio, omnibus metaphoris adhibitis, vt exprimat vocis illius magnitudinem. Alio quoque pſalmo: Montes exultabunt ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium. Igitur clarus eſt locus. Montes ait, Libanus, & Sirion exilient, mouebuntur, vt vitulus, vt pullus rhinocerotum, qui per paſcua decurrit, exultat. Exilient, trepidabunt ad tonitru vocis ætheriæ. Vnicornis Græcum μονόκερως, melius rhinoceros, vnicum in naſo gerens cornu. Hebraicumque nomen id ſonat reem, hic Græcum rhinoceros. Mouebit, exterrebit populos, principes, ſi figuratè nominibus his putes appellatos: ſin minus, eſt deſcriptio vocis horrendæ. Ad hanc quoque orationem locus Hebræis intelligitur.

Rhinoceros.

Vox Domini incidentis flammam ignis: vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertum Cades.

Flam. ignis intercidentis.

PRæter alia horribilia, quæ ad vocem illam cæleſtem, inuſitatamque ſequentur, continget quoque accenſus ignis, flammiſque ſequacibus iræ. Hunc ignem cuncti ferè Magiſtri fulmina ſentiunt, vt illud, Et altiſſimus dedit vocem ſuam, & poſt eam mittet ſagittas ſuas. Et quod Latinus ſcripſit iuxta Græcum διακόπτοντος, intercidentis, Hebraicum & ſi ferè idem eſt, apertius tranſtulit diuus interpres: Vox Domini diuidens flammas ignis. Hebraicè diuidens חוצב choſeb, diuidens, quaſi ſpargens, in diuerſas partes mittens, longè, lateque diffundens, diſtribuens, radijs, flammiſque plurima complectens. Vox Domini terribilis, expauenda, flammas ætherias accenſas diuidet in terram, dimmitet, in omnes partes.

Fulmina molitur dextra, genitor, quæ plurima cælo
Deijcit in terras.
Ipſe pater media inter nubila cælo, *Contorſit.* Et

Aloidæ impij gigantes

Fulmine, deiecti, fundo voluuntur in imo.

Quàm ſimiles noſter, & ille poeta. Aliud quoq; ad hanc vocem vehementem, formidandamq; conſecutum eſt, Vox Domini concutientis deſertum. Dicendum, (& ſi ferè nihil intereſt, vt clarius percipias) Vox Domini excutiens deſertum. Græcum συσσείοντος, in Hebraico eſt validius: Vox Domini יחיל iachil, parturire faciens. Eſt autem parturire Hebræis, quemadmodum Græcis, ὠδίνειν, dolere, ingemiſcere, vt illud Pauli, Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſq; adhuc. Sæpe in hoc poemate, montes & terra parturire, quemadmodum exultare quoque inducuntur, vt illud, A conſpectu Domini parturiet terra. Nempe ingemiſcet, dolebit, trepidabit. Hiero. quoque hoc reſpiciens tranſtulit, Vox Domini parturire faciens deſertum. Inculcatur idem verbum in Hebraico, pro συσσείσει Parturire faciet Dominus deſertum, Cades. Eſt Cades (vt ferunt Hebræi) deſertum immenſæ magnitudinis, ſæpe in ſacris litteris commemoratum. Vide quid de hac voce prædicet, qua copia, verborumque proprietate, quibuſque tralationibus deſcribat. Superius ad hanc vocem Libanum, & Siraion agitandos, quatiendos, nutaturos: nunc deſertum Cades trepidaturum, pauore excutiendum, ſiue ipſi monti metaphoricῶs dolorem, partumque tribuat, ſiue per antonomaſiam, feras hos montes incolentes ſentiat. Eſt vaſtæ vocis omnibus numeris ornata deſcriptio, reor cum ſupremo tempore,

Côcut. deſ.

Parturire. Ro. 8.

Cades.

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει, *Luctificam tuba demittet ab æthere vocem.*

Canit Erythræa Sybylla, ſuper qua voce multa ſunt in hoc ſacro poemate teſtimonia.

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam.

Præparantis.

CONfugias ad Hebraicum, clariora fient. Præparantis καταρτιζομένην, aptans, præparans, in Hebraico luculentius יחולל iecholel, parturire faciens, ad partum compellens: tantus tremor montis, aut deſerti, tantus cedrorum ad tonitru diuinæ vocis cadentium fragor, tanta montis commotio, vt ceruæ quoq; parturiant, quarum partus propterea, quòd vulua anguſtiore vtuntur, eſt difficilis. At tantus erit ſonitus, eaque diuinæ vocis magnitudo, totum nemus excutiens, vt dolore, & timore, ceruæ partus enitantur. Hoc intelligens, innuensque diuus Hieronymus. Hebraicum ſic Latinis expreſſit, Vox Domini obſtetricans ceruis. Obſtetricans dixit, nempe ad pariendum adiuuans, vrgens partum. Hoc fortaſſe ſentientes interpretes Græci, verterunt Vox præparans, nimirum ad partum, Ceruas ad partum præparans. Ad hunc modum Hebræi quoque, quibus ſuorum verborum vis, ac pondus eſt perſpectum, explanant. Quod ait, Et reuelabit condenſa: Deiectis, ait Auen Eſra, proſtratisq; arboribus, pandetur nemus vmbriferum, patefient latibula alta ferarum. Nemus opacum enudabitur, Tonitru diuinæ vocis editiſſimas arbores, quibus totus lucus frondeſceret, denſiſſimusque eſſet, impellet in ruinam radicitus corruentes. Pro condenſis igitur Græcè iuxta Hebraicum δρυμοὺς, Syluas, ſaltus. Iccirco Hieronymus, Reuelans ſaltus. Hebraicum יערות iearoth, nemora, lucos. Quod proſequitur, In templo eius dicent gloriam: templum cæleſte, pleriſque Hebræorum placuit exponere, vt, Dominus in templo ſancto ſuo. Eritque ſenſus, vt idem declarant: Hi qui in hoc templo habitant, efferent laudibus gloriam Dei, qui ſuperbos euerterit, pœnas de ſceleratis ſumpſerit. Vnà omnes ſic prædicabunt, quàm magna gloria tua. Alij de ſacerdotibus, ac leuitis ſunt interpretati, qui in templo nihil ad vocem illam terribilem trepidantes, ſed eos confirmante Deo, concinent, laudabunt gloriam Dei, fortitudinemque efferent. Propterea pſalmus à principio inuitauerat filios Dei, ſiue Angelos, ſiue ſacerdotes, vt decus, maieſtatemque Dei decantarent. Et Ioannes ait in reuelatione, ſanctos exultaſſe, gloriamque fortiſſimi Dei vnanimes prædicaſſe, vbi tyrannos, monſtraque terrarum, qui pietatem eorum perſequerentur, grauiſſimis ſupplicijs vltus eſſet.

Reuel. conden.

In temp. e. di. glo.

Dominus diluuium inhabitabit, & ſedebit Dominus rex in æternum.

Domin. di. inhab.

COmplures à diuerſis Hebræis, vt cuiuſque fert opinio, cauſæ proferuntur, cur induxerit Vates Deum inhabitare diluuium. Si miracula quæ Græci vocant μετέωρα, recenſet, vt à principio propoſuerat Auen Eſra, diluuium vocat pluuiam ingentem, nimboſque nigerrimos, inundantes. Habitat, aut ſedet (vt deſignat verbum Hebraicum ישב iashab) hoc diluuium· Inſidet huic diluuio, velut dominator, præpotens, moderator. Eſt alia verior, probatiorque ſententia, diluuium cui Deus inſideat, nunc fuiſſe commemoratum, nempe diluuium Noe, quod nunc agitur de interitu impiorum, quorum omne ſtudium fuiſſet euertere gloriam nomenque ſingularis Dei, vt illi tempeſtate Noe, Gigantes. Quibus extinctis, ac penitus deletis, fit mortalibus perſpicuum vnum Deum eſſe colendum, verum numen, veram vnicamq; maieſtatem, cęlo, terriſq; præpotentem, vt impijs vnicam, & in eos cùm voluerit, grauiter animaduertentem: ſic pios ſeruantem, ſalutis eorum rationem habentem: non deſertorem, aut ignorantem eorum benefacta, Vt Deus (ait ſapientiſſimus Vates) inſedit diluuium, quaſi Dominus aquarum, tempeſtatum, nimborumque regnator, celſa ſedens arce, ſceptra tenens ventorum, isque telis ſceleratos obrutos ſuſtulit è terra, progenies autem pia, quæ ſeruata eſt, ſublatis ad ethera palmis adorauit ſanctum numen, egitque gratias, quòd ſeruata eſſet: ſic nuuc ſimile quid decantans innuit impias gentes tonitribus Dei, fulminibusque interemptas, atque euerſas, qui regnum, nomenque eius oppugnarent, penitus gloriam eius fuiſſe claram, manifeſtam. Atque udi, quæſo, Rabi Dauid, qui totum pſalmum retulit in tempora Meſſiæ, in alterum ſcilicet aduentum Christi, quo tempore vox horribilis audietur, de qua ſuperius cecinit Sybilla, & de qua iuus Paulus, Canet enim tuba, mortui reſurgent incorrupti. Exemplum, inquit, diluuij, Poeta oster induxit, vt doceret quemadmodum tempeſtate Noe, ſceleratis Gigantibus oppreſſis, ſana progenies ſuperſtes laudauit, benedixitque Deum, omniſque poſteritas hanc maximam vinictam perſpexit, quæ vermes, monſtra illa, ſolum autem Deum eſſe verum Regem, & mundi reatorem comprobauit: ſic erit בימות המשיח beiamoth hamaſſiach, in diebus Meſſiæ, perditis ationibus, quæ cladibus vexaſſent Hebræos, ab ipſis Hebræis, cæteriſque, qui conuertentur, dorabitur, benedicetur Deus, & regnum eius erit ſempiternum. Sic Hebræi, ſed peruersè (vt ſolent) & ſuæ ſalutis inimici. Reſtituatur autem verus ſenſus: Deleto Antichriſto cum agmine ſceleratorum, qui conſurgent contra omne quod dicitur Deus, gens pia ſuperſtes, quam umma vi delere illi contenderent, benedicet, collaudabit Deum non ſolùm in terra, dum maimus ille iudex exquiret, euoluet mortalium facta, ſed etiam aſcendens in cœlum cum Re e triumphante. Tunc plauſus erit, tunc benedictio, gratulatio, carmina triumphalia, trium-

Gigantes.

phus in cælo ; tunc erit Rex dominator in æternum , ſedebitque filius hominis in ſede maieſtatis ſuę .

Dominus virtutem populo ſuo dabit : Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Virtus.

Do.be.po. ſu.in pa.

VIrtutem Græcè ad Hebraicum, verius ἰσχὺν fortitudinem, robur, vim. Tunc, ait Rabi Dauid, aduerſariorum exercitibus deletis, dabit Deus ſuis ſuper omnes gentes autoritatem, fortitudinem, audaciam: populus Dei fortiſſimus ante omnes cognoſcetur. Sancti illi qui impiorum armis circumuenti , auxilium cęleſte precibus ſuppliciter poſtulaſſent, aduerſariorum copijs deletis triumphabunt , erit honos eorum eminentiſſimus. Tunc quoque benedicet Deus populo ſuo in pace, bellis extinctis, deletis, & profligatis, & ad vltimam internecionem exciſis inimicis pietatis, pacem ſempiternam Deus ore ſuo conſtituet, benedictione perpetua, atque ſacra oris ſui confirmatione obſignabit , non diuturnam , ſed æternam pacem. In æternum beatus , æterna pace tranquillus populus eius erit . Huic decreto ſtabunt omnia tempora, quæcunque fuerint opus ad felicitatem, pax illa ſufficiet . Sic cernis Sibyllarum more, multa de ſupremo ſæculo , cùm ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ , & congregabuntur ante eum omnes gentes , oracula Prophetas edidiſſe, Hebræis omnibus ad vnum, huic interpretationi ſtantibus .

PSALMI XXIX. EXPLANATIO.

INSCRIPTIO pſalmi eſt, Pſalmus cantici in dedicatione domus : eadem eſt in fonte , ſed quædam apud Hebræos eſt ſententiarum varietas ſuper dedicatione domus, partim hanc domum opinantibus eam, quam conſtituit Dauid, nempe domum ex cedris : nimirum domum ipſius Dauid , non Dei , propterea , quòd in pſalmo nulla fiat mentio de domo Dei , ſed de peccato tantum , quod ei Deus condonaſſet . Eſt igitur ſententia Rabi Dauid, quæ mihi propabatur, cùm nulla fiat hoc pſalmo mentio templi, at inimicorum Dauid, ſiue qui in populo odio eum proſequerentur, ſiue gentes externæ, propter grauiſſimum illud ſcellus , quod perpetrauit , cùm cupiditas inflammataque libido, vſq; eò præcipitem egit, vt non adulterium modò, ſed homicidium quoque perageret : hinc factum eſſe, vt diuinam ſententiam ſuper excidio ſui, ſuæq; familiæ Deus ei per prophetam denuntiaret: tum verò inimicos pro comperto habuiſſe funditus eum cum tota ſtirpe abolendum : nec amplius fore, quod ei fuiſſet promiſſum, vt aliquis ex ſanguine eius oriretur, qui templum Dei conſtitueret, regnumque nationis illius in ſua familia retineret. Sed vbi Dauid ſuper admiſſo ſcelere grauiter ingemuiſſet , ſuppliciterq; multis cum lacrymis id ſibi condonari poſtulaſſet ; reuocata ſententia eſt , deletum eſt crimen tantopere , vt etiam filius ex illa, quę cauſa peccandi extiterat , procreatus in poſterum , & templum erigeret , & regni maieſtatem in familia Dauid retineret. Quocirca non memoratur in pſalmo conſtitutio , ſiue dedicatio templi, ſed tanummodo preces, quibus peccatum fuit abolitum, recenſentur, & precibus impetratum fuiſſe canitur, vt ſcelus aboleretur, quæ fuit cauſa vt templum dedicaretur. Nec dicitur in titulo, domus Dauid, ſed , Pſalmus cantici ſuper dedicatione domus : tum ſequitur Hebraicè לדוד le Dauid. Eſt, inquit, pſalmus Dauid . Neque hoc debuerat quemquam impellere , quod refert Nicolaus , vt crederent domum ipſius Dauid : ſed pſalmus Dauid , non domus , in titulo dicitur. Domus autem ſimpliciter intelligitur domus Dei .

Le Dauid.

EXaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me : nec dilataſti inimicos meos ſuper me .

Suſcepiſti.

Nec dilat.

SVSCEPISTI me, iuxta Græcum ὑπέλαβες , ſuſcepiſti me , Hebraicè דליתני dalithani, eleuaſti, erexiſti; exaltaſti. Id enim interpretatus eſt præſens verbum, Rabi Salomon, הגבהת , quod citra controuerſiam eſt, exaltaſti me. Rabi verò Dauid declarans: Quoniam, inquit, delapſus eram in voraginem peccati, at tu erexiſti, eleuaſti me inde. Habes igitur ſenſum clariorem ex Hebræis, Hoc intelligens exprimensque Hieronymus tranſtulit, Quoniam ſaluaſti me, magis ſenſum, quàm verbi proprietatem explicans. Quod ait, Nec dilataſti, Hebraicum clarius, & verius שמחת ſimachtha, lætari, vel exultare feciſti. Quod etiam Græcè tralatum eſt εὔφρανας lætari feciſti, gaudio affeciſti: fuerat etiam à Latino poſitum, ſed non tam propriè reſonat Delectaſti, ut non ſit dicendum, dilataſti. Eſt igitur verus ſenſus, Gratias immortales, ò ſancte ac Deus benedicte, habeo, habiturusque ſemper, quòd me ex illa ſceleris voragine eripuiſti, inimicisque meis, non diutinam lætitiam permiſiſti, ſuper calamitate mea uitulantibus, & quaſi triumphantibus. Expiato incommodo, nec mihi longior dolor, nec hoſtibus diutina lætitia relicta eſt. Reſpondentque ſingula ſingulis, exaltabo, propterea quòd exaltaſti, eleuaſti. Faciam uoce erga te, quod tu re erga me feciſti. Iucundè à Græcis aperitur. Quomodo, aiunt, humilis exaltabit altiſſimum? an videlicet ipſum confitendo prædicandoq; altiſſimum? Sic quoque magnificat eum, qui magna de eo ſentit, ſicut è contra deprimit, minuit, qui humilia , exiguaque de eo loquieo loquitur. Iidem Græci commodè declarant verbum illud poſitum à Septuaginta ὑπέλαβες, ſuſcepiſti: nempe, μετεώρισας, ἐκούφισας κατεῤῥαγμένον τῇ ἁμαρτίᾳ, Eleuaſti, ſuſtuliſti, delapſum in peccatum, ſubiecta manu tua auxiliatrice. Subiecit igitur oculis actus corporeos, vt his ſpiritualia facilius cognoſceres. Peccare nil aliud eſſe quàm in altiſſimam foſſam, barathrumque præcipitem ferri: condonante nobis Deo, fletus noſtros acceptos habente, eſſe velut ſi quis extenſa vſque ad intimam voraginem, dextera, nos inde ad ſuperas oras reuocaret. Tum verò in lucem euocati, procumbentes ad pedes, ſeruatori gratias haberemus, memoriamque tanti beneficij in perpetuum tempus retineremus.

Hom. vti nam exal. ac magnificet Deum.

Domine Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me.

Domine, eduxiſti ex inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

ALijs figuris corporeis, declarat illud eximiæ liberalitatis actum. Qui peccaſſent non modò ſimiles ſunt his, qui in voraginem ruiſſent, ſed his etiam, qui in fatalem morbum incidiſſent. Tum quis ope diuina, atque potentibus herbis, morbo expiato, penè à limine mortis eum reuocaret. Alia tralatio ſuperiori ſimilis de his, qui deſcendunt in infernũ, & his qui deſcendunt in laccum. Laccus, vt ſuperius monui, Græcum eſt λάκκος, pro eo Hebraicè בור bor, puteus. Laccus igitur eſt puteus profundiſſimus, foſſa, vorago. Deſcendentes in infernum, etiam Hebræi fatentur eſſe pœnis tartareis damnatos, tartarum ſua lingua vocantes gehennam. Sanitatem ſimiliter, atque noſtri eſſe ſalutem, ſanitatem, medicinamque animi: Damnationem iure mortem appellari. Aegrotabat igitur animus ob peccatum grauiſſimis vulneribus acceptis. Venit medicus, peccatum condonauit, precibus, ac fletu redemptam ſalutem reſtituit. Tunc effectum eſt, ne ſimilis eſſet his, quos damnatos pœna ſequitur, vt in barathrum intrudantur, in infernum, altiſſimumq; ſub terris carcerem abſtrahantur. Poſſet etiam ad corporea referri, quòd raro in Veteri teſtamento, vel ſalutem, vel damnationem animi reperias. Deſcendentes in infernum, aut in barathrum, & in voraginem, ſunt quos Nemeſis grauiſſimis pœnis, ob grauiſſima ſcelera in hac vita adiudicat. Hoc ſæpius, illo vetuſtiſſimo tempore factum inueniemus, nondum bonis, ac malis ſempiternis declaratis. Has pęnas, atque clades fortaſſe reſpicit pſalmus, ipſius in primis Dauid, tum vniuerſæ domus interitum, quæ ſicut vnius honore creuiſſet, ſic vnius exitio concideret. Meritò gratias agit, carminibus tantum beneficium concelebrans, in omnem poſteritatem prodita memoria. Animam ſuam ereptam ex inferno vocat vitam ſuam.

Laccus.
Deſcendẽtes in infernum.
Gehenna.
Infernus.
Tẽpus, vltionis, & gratiæ.
Anima.

Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

VT conſueuit, quo laus ſit plenior, ac celebrior, vt clarius innoteſcat diuina clementia plurimos inuitat ad laudandum. In primis ſanctos eius, hos ſiue Angelos interpretaberis, qui ſæpius inuocantur in hoc poemate, vt voces mortales ipſos, quibus eſt vox cęleſtis, neque vox hominem ſonat, adiuuent pariter, euehentes numinis æterni bonitatem: aut ſanctos in terra, ſentiens iuxta vocabulum Hebraicum חסידיו chaſidau, probos, mites, placidos, innocentes, beneficos, benignos. Hos in primis hortari conſentiunt Magiſtri, vt quoniam Dauid quoque ſanctus aliquando fuiſſet, nunc autem delapſus in peccatum, benificio Dei ſurrexiſſet: ſi quid eis ſimile (vt fert incauta mortalitas) aliquando accidiſſet, ſciret non deeſſe miſericordiam, neue animis deficerent, ſperarent pro eius clementia veniam delicti à Deo conſecuturos. Itaque eos confirmare, & cohortari, velut ſui ſimiles, vt quibus etiam ſingulariter ſit datum colere Deum, habere bonitatem eius magis quàm reliquum vulgus, exploratam. Sancti enim nunc ſunt velut ſacerdotes, religionumq; interpretes, excubitores templi, rebus ſacris pręſidentes, diuina carmina meditantes. Ad hos ſpectant diuinę laudes, his argumentum proponit, quid cantando proſequantur, miſericordiam ſcilicet Dei, & clementiam. Et quod nihil habet natura eius melius, ac præſtantius, quàm vt velit, ac poſſit ſeruare quam plurimos. Quod ergo dixit, Confitemini memoriæ, non eſt omnibus locis monendum, quoties noſtri, ſiue Græci, ſiue Latini transferunt in Pſalmis confiteri, eſſe in Hebraico, verbum canendi, laudandi, quod Græca lingua, ex Hebraica ſibi mutuata eſt הדה hada, ᾄδω. Memoriam ſanctitatis, ſiue memoriam ſanctam (eſt enim phraſis Hebraica) vocat Hebræis teſtibus, nomen ſanctum eius, famam, celebritatem, & quaſi commemorationem. Confiteri memoriam ſanctitatis eius, eſt laudare celebrare, ſacroſanctam eius memoriam memorare: nominis eius, quo nullum ſit ſanctius, meminiſſe, aſſiduis carminibus memorare. Quid enim ingratitudine turpius, gratitudine præſtantius? qua nihil præſtantius mortales poſſunt pro beneficijs acceptis, Deo reddere, perpetuamque accepti beneficij memoriam recolere. Hæc non animis ſolum contineri, ſed ore pronuntiari, & manifeſta fieri, vbique noſtris vocibus audiri debet. Hoc ſacrificij genus offerri.

Sancti.
Optimum in natura Dei confiteri.
Memoria ſanct.

Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius: ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

OBſcura ſunt, propterea quòd non ſunt iuxta veritatem Hebraicam tralata. Pro eo, quòd Septuag. dixerunt ὅτι ὀργὴ ἐν θυμῷ αὐτοῦ, Quoniam ira in indignatione eius. Hebraicum

Ira in ind. eius.

longè

Omnia autē breuia, tolerabilia sūt etsi magna sint.

Vita ī vo. eius.

Ad veſper. demo flet. &c.

longè clarius, & apertius, quod Hier. quoq; nouit, & tranſtulit כי רגע באפו ki rega ben, appo, Quia momentum in ira eius. Hierony. ſimiliter, Quoniam ad momentum eſt ira eius. Audis ſenſum meliorem, liquidiorem. Breue ad tempus, , inquit, eſt ira eius. Non perpetuò iraſcitur, Non eſt ira eius diuturna. Celeriter mitigatur, miteſcit, ſedatur. Pro ira igitur eſt Hebraicè verius רגע rega, quod perſpicuum eſt, ſonare momentum, citò, velociter. Alioquin tralatio Septuaginta perdifficilis. Quid enim eſt ira in indignatione eius? Eam vocem declarans Rabi Dauid, loco eius ſubſtituit, מעט meat, parum, exiguum momentum: enudansque ſenſum, Quia ſi, inquit, fuerit, indignatus contra hominem!, at breue, & exiguuum tempus erit indignatio eius. Subiicit aliud in contrarium, Et vita in voluntate eius. Quod ab Hebræis vnanimiter verè declaratur, Vita diuturna in voluntate eius. Voluntas eius eſt, vt vita ſit diuturna, ſit ad longum tempus. Non delectatur in perditione viuorum. In votis eius eſt, vt viuatur, vt ſit mundus, ſint res in mundo: vitæ non mortis, cupidus. Propterea parcit, condonat, haud ignarus imbecillitatis humanæ. Miſericordia eius plena eſt terra. Non eſt iracundus, crudelis, inexorabilis, durus, præfractus, nunquam furorem remittens, celeriter redit in gratiam, eſt clemens. Hanc ob cauſam creauit mundum, omnibus ad iucundam vitam neceſſariis excogitatis. Hinc abominatur iniuſtitiam, violentiam vitæ, & conſeruationis humani generis inimica. Propterea declarans hunc diuinæ clementiæ ſæpius comprobatum effectum ſubijcit: Ad veſperum fletus eſt, ad matutinum lætitia. Vehementer probatur Hebræorum expoſitio: Veſperum, ac noctem attribuiſſe fletibus, ac lachrymis, afflictionibus, mærori, velut tenebroſum tempus nocturnum: at matutinum, redeunti lætitiæ & alacritati. Erant, ait, ſub veſperum, ſub noctem, ſub tenebris, plena mœroris omnia. Tempus opacum, & tenebroſum, fletus & lacrymas exhibebat, In lacrymis propter ſcelus admiſſum, verſabar totus. Tempus erat ſine luce lætitiæ, tenebriſque nigreſcunt omnia circum. Ecce autem lux diuinæ bonitatis, clementiæ, miſericordiæ reſtituit alacritatem, auroræ ſimilis, quæ terras, tenebris opacis exoneratas, alacritatis ſuæ riſu latè compleuit, omnibus ad eius aduentum ridentibus, & lætantibus. Quàm breuis eſt, ſi qua fuit propter noſtra delicta, diuina indignatio, ſi modo veniam petas, & diſplicuiſſe probes, quod cum voluptate admiſiſti. Tam facilè decurit, aufugit, quàm ſpatium nocturnum. Sub veſperum gemebas, flebas, perpetratum facinus deplorabas: non diutius in his lacrymis verſatus, ad auroram, ad matutinam lucem diuinæ clementiæ lætaberis.

Ego autem dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.

Abundantia.

Lingua sācta, reliquarū parens.

ABundantia Græcum reſpondet ad Hebraicum εὐθηνίᾳ, felicitate, copia. Hebraicè שלו shalau, quid ſonet, vox ipſa Latina docet, quæ hæc ipſa Hebraica eſt ſalus. Omnes enim linguæ à matre ſua Hebraica aliquas voces deſumpſerunt, aut eas ab ea diuulſæ retinuerunt. Quid autē ſalus eſt niſi copia, abundantia, proſperitas, incolumitas? Aſſentior igitur Hebræis, biſariam hunc locum exponentibus, Referre Dauid oculos aut ad priſtinam felicitatem, abundantiam, maieſtatem, honores à mortalibus oblatos. Hos, ait, ſempiternos, nulla calamitate interpellandos arbitrabar. Securum me maximè diuturnâ pace fore penè exploratum habebam. Ecce abſtulit omnia, inquam: propenſa mortalitas eſt, nequitia: nihil in rebus humanis fortuna patiente diuturnum. Falluntur, qui præſentem lætitiam, vultusq; ſerenos ſeruaturam ſemper fortunam arbitrantur. Alij non corpoream felicitatem copiamq; bonorum terreſtrium quaſi amiſſam deplorare, & cur amiſetit, admirari Dauid contendunt: ſed potius integritatem, innocentiam, ſine crimine vitam. Hanc illum ſempiternam exiſtimaſſe. Quis enim virum ſanctum, cuius ſtabilitatem anteacta vita comprobaſſet, tam miſerè lapſurum putaſſet, vt cum adulterio, pariter homicidij ſcelus admitteret? Hoc admirari, ac deplorare Dauid, qui felicitatem hanc ſempiternam exiſtimaret, ſibique fore cum Deo perpetuam gratiam, atque amicitiam. Nunquam hanc gratiam amittendam, qua nullam, quæcunque poſtulaſſet, patiebatur repulſam: nunquam inconſultus, illuſusque ab oraculo diſcederet. Illo cęleſti præſidio comite, omnibus bellis ſuperior eſſet, puer leones ſuperaſſet, Gigantem deieciſſet, interfeciſſet: ad regni maieſtatem, ex humili loco perueniſſet. Tunc ille gloriabatur, plenusque lætitia ſecum reputabat, ad omne tempus permanſuram hanc diuinam beneuolentiam: nunquam remouendum, deiiciendumque ſe ſe ex tanto dignitatis gradu.

Domine in volnntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.

Decor.

COnſultis magiſtris, quos in explicanda verborum proprietate ſequi optimum eſt, hunc verum ſenſum reperies. Nam pro τῷ κάλλει μου, decori meo, Hebraicè eſt הררי hareri monti meo. Hieron. quoque legit montem. Sunt duæ dictiones inter ſe ſimillimæ הרר הדר harar, hadar, prima eſt mons, ſecunda decor. Poſterior lectio fuit in exemplaribus Sept. quæ ex Hebraicis Græca faciebant: hodie vbique eſt vox montem deſignans. Chaldæus quoque pro ea poſuit, quæ clarè montem ſonat טוריא turaia. Sed lectio Græcorum interpretum, tot licet reclamantibus teſtibus, fortaſſe verior. Namque omnes Hebræi montem interpretantur maieſtatem, intellectum metaphoricῶs. Decorem igitur ſuum vocabat maieſtatem, honores regios, excellentiam.

A lentiam. Si montem legas, montem item vocabat excellentiam, eminentiam. Qualecunque legatur, verus ſenſus, vt monſtratum eſt, exhibetur ab illis. Dediſti monti meo, nempe maieſtati fortitudinem. Confirmaueras ſtabilieras, decus meum, erat robuſtum, firmiſſimum, volente te, dum tibi placeret, dum voluntas tua in me propenſa eſſet, dum totus in me inclinares, auxilium tuũ conſilijs meis, meo pectori præſens eſſet, ſuſtinens, illuminans, tacitam lucem immittens. At ubi oculos tuos auertiſti, nec amplius me reſpexiſti, turbatus ſum, offuſa rationi caligo, tenebris incubantibus animus concidit. Quicquid peccaui, fuit, quoniam deſeruiſti me, memet mihi reliquiſti. Nihil valet humana fragilitas abſente Deo. Propterea docuit nos precari, Et ne nos inducas in tentationem. quoniam ſi noſtram ſtabilitatem exquirere placeat, omnes homines inueniet fragiles, imbecillos, lapſabundos, facile cadentes. Hanc ob cauſam omnibus penè Pſalmis, ſupplicationes habentur, vt ſuſtineat, confirmet, regat, lucem vitæ noſtræ præbeat.

In vol. tu. præſt.
Auertiſt. fac. a m. & fa. con.

Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.
Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?
Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?

SVpereſt, cùm peccata deprimunt, onerantq; animum, veniam poſcere, exclamare, vociferari. Non otij, non ſocordiæ tempus illud. Surgendum, vigilandum, precibus inſtandum, dum contractæ notæ deleantur. Omnibus contentionibus vrgendum, vt celeriter morbum depellas, ſaniem expurges. Hoc prophetas omnibus locis facere conſueuiſſe comperies: ea Pſalmorum vnica, ſingularisque philoſophia: ea creberrimas preces continet, pro facinoribus admiſſis. B Hæc ſunt carmina, his hymnis Deus ſummus extollitur, dum & nos noſtra crimina fatemur, & eum clementem, exorabilemque indicamus. Simul iraſci peccantibus oſtendentes, quo cuncta, quæ gerimus in terris, habere perſpicua, malefacta autem odiſſe monſtramus. Quoniam autem varia poteſt eſſe oratio, qua perſuadere illi nitimur, vt nobis parcat, in primis eſt, quam Propheta ſuggerit hoc loco. Quæ inquit, utilitas eſt hominibus perdendis? Quid prodeſt genus humanum delere? Quid in his eſt boni, qui è vita diſceſſere? Qui nihil agnoſcunt, celebrare diuina facta, conditorem laudare non poſſunt. Sanguinem ſuum autoribus Hebræis dixit animam, vitam ſuam, quæ ſanguine conſtat. Quæ fuerit, ait, vtilitas tibi, erepta mihi vita? quid aſſequeris, ſi vita hæc miſera deſcendat in corruptionem, in interitum? Nunquid puluis, in quem defuncti reſoluuntur, num muta cadauera, te laudabunt, fatebuntur, celebrabunt? Facta tua mirifica laudibus in cęlum ferent? An eſt aliquid laudis, prædicationisque in extinctis, & æthere caſſis, cuius cauſa genus humanum condidiſti? Condidiſti, inquam, vt cęlum, ac terras, tantamque rerum pulchritudinem cernentes, creatorem admirati, vultus ad ſidera tollerent, manibusque ſupinis gratias agerent, adorarent, venerarentur. Facientne hoc, quos excideris, quibus vitam ademeris? Veritatem eius dixit, res certas, perſpectas, exploratas, quas ipſe condidit, quas in oculis gerimus quotidie, manibusque tractamus. Veritatem quoque eius, nempe ſtabilitatem, firmitatem ſuæ potentiæ, robur inuictæ naturæ. Veritatem quoque fidem, conſtantiam eorum, quæ promittit. Nam pro veritate, Chaldæus ſubſtituit חמנותך hemenutach, fidem tuam. Græci quoque bene declarant. Veritatem tuam, nimirum ὅτι σὺ ἀληθῶς θεὸς, Quòd ſis verè Deus, quòd verax, cum reliqui C Dij mendaces omnes. Præſtat igitur me incolumem eſſe, viuere, vt bonitatem tuam concinam, vbique celebrem reddam. Interitum, & corruptionem referunt Hebræi tum ad damnationem ſempiternam, (Nam neque damnati gratias habere poſſunt) tum ad interitum corporis, quod magis quadrat, hocque ſpectaſſe pſalmus apparet. Nam de his, quæ ad animos attinent, raro in Veteri teſtamento mentionem reperies.

Quæ vtilitas in ſan. me.
Homo cur factus ſit.
Veritas de.

Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adiutor meus.

OMnia hæc præterita, imperatiua ſunt: Audi Domine, miſerere mei. Domine eſto adiutor meus. Conſule quoque Hieronymum, hæc vera eſſe comperies. Primùm igitur deplorauit facinus, ingemuit, altè ſuſpiria duxit, illacrymatus eſt, puduit, pęnituit, in ſe ipſum iratus, ipſe ſibi viluit, deſpicabilis fuit, contemptus, execrabilis. Poſt hanc commotionem (pars enim ſanitatis eſt, morbum agnouiſſe) ad clementiæ fontem ſe contulit, ignoſceret poſtulauit, nullam eſſe perditorum, damnatorum, interfectorumque vtilitatem, poſſe viuentes & ſeruatos vtiles eſſe, magno rerum Domino aliquid obſequij, in magno regno præſtantes, ſaltem (quæ maxima laus) bonitatem, & clementiam ſuper conſeruatis prædicantes. Poſtulauit primum preces ſuas gratas eſſe. Preces erant, vt ignoſceret, miſereretur. Tum ne omitteret quo minus conſuetum auxilium afferret, neue aduerſus inimicos dimicanti priſtinam fortitudinem ſubduceret. Contra caſus aduerſos cuſtos aſſiſteret, audaciam roburq; pectori ſuggereret: quamcunque ægritudinem res humanæ ob earum inconſtantiam animo conſueſcant afferre, debilitantes, ac frangentes, diſcuteret, ſerenaret: triſtium rerum contemptorem animum efficeret. Hoc omne continetur ea precatione, qua poſtulat eum adiutorem. Oſtendit deinceps ſe exauditum, triumphat, gratulatur.

Pœnitentiæ deſcr.

Conuertiſti planctum meum, in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum, & circundediſti me lætitia. D

In gaudiũ.
Cõſcidiſt.
Circund. me lætitia.
Saccus.

IN gaudium venuſtè Sept. Græcè tranſtulerunt, quod eſſet Hebraicè מחול machol, chorum, vt vertit Hierony. Chorus ergo eſt pro gaudio. Conuertiſti planctum meum in chorum, in lætitiam, in canticum, & quod Latinus, Conſcidiſti, clarius Græcum ad Hebraicum διέῤῥηξας ſoluiſti, ſcidiſti, diſcerpſiſti. Quod ſequitur, Circundediſti lætitia: reſpondet diſciſſo ſacco. Saccum mihi diſtraxiſti: vice eius, lætitia, gaudio me induiſti. Prior veſtis erat lugubris, flebilis, ſaccus, hac amota, reddita eſt veſtis lætitię. Subijt gaudiũ, exultatio, propterea quòd mihi ignouiſti, facinus condonaſti, me tua clementia redemiſti. In ſacco pęnitentes præteritum ſcelus deplorabant. Illud ſignum erat diſplicuiſſe ſcelus, atque indoleſcere ſuper eo, quod contra fas placuiſſet, Saccus veſtis duriſſima, qua duriter corpus malorum cauſam vexabant, vim in ſeipſos exercentes, ne exerceretur à Deo, ſeſe ad pęnas vltro vocantes atque abſtrahentes. Finis igitur pſalmi, eſt triumphus, alacritas, gratulatio. Expiatum eſt peccatum, neq; longior dolor relictus eſt delinquenti, neq; hoſtibus diutina lætitia. Non eſt datum, vt inimici longius gratulentur, quod eos feciſſe, à principio commemorauerat, ſtragem, excidiumq; domus Dauid, ob immane facinus, fore ſuſpicati, & id inter ſe prædicantes.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Vt cant. ti. gloria.

Et non cõ pungar.

HEbraica in ſuum ordinem, Latinè reſtituantur: Non eſt enim gloria mea, ſed duntaxat. Vt cantet te gloria. Subauditur Hebræis, omnis homo. Vt omnis homo cantet tibi gloriam. Eſtque impersonale, Cantetur tibi gloria. Gloriam quoq; Rabi Dauid, (vt ſępius aliàs) animam interpretatur, quæ ſit gloria cuiuſque, vt reſpondeat ex aduerſo ei quod dixerat, Nunquid confitebitur tibi puluis? At anima, vitaq;, inquit cantabit te, & celebrabit. Quod autẽ dixerunt Sept. καὶ οὐ μὴ κατανυγῶ, Et non compungar, limpidius in fonte ולא ידם velo iddum, Et non taceat. Quod apud Hieron. quoque eſt. Semper, inquit, te celebret, & in hac vita, & in poſterum, remanens anima poſt diſceſſum ex corpore. Habes igitur ſenſum veriorem, non ex Hebręis modò, ſed & ipſo diuo Hieronymo. Græci quoque monent Symmachum, quem ſecutus eſt Hieron. ad Hebraicum vertiſſe. οὐ μὴ σιγήσω, Non tacebo. Hunc locum declarans Rabi Dauid, Cantabit, ait, quaſi glorificabit te gloria mea, nempe anima mea in æternum, propterea quòd ſcelus mihi condonaſti. Perſpectum enim mihi, remanſuram in poſtrerum animam meam. Ea te in ſempiternum celebrabit, & non tacebit. Idemq; affirmat ex antiquis Rabenis cogitaſſe Dauid templum Dei conſtituere, eamque ob cauſam in titulo huius pſalmi præfigi, Pſalmus, cantici, dedicationis domus ipſius Dauid. Rabi quoque Auen Eſra interpretatur gloriam נשמה חכמה neshama chakmach, Animam ſapientem, quaſi animam intelligentem, intelligentiam incorruptibilem. Chaldæus autem interpretatur gloriam, יקירי עלמא iakire alema, Honorabiles mundi ſummi proceres. Nam vt eſt alibi, Super ipſum continebunt reges os ſuum, ipſum gentes deprecabuntur. Poteſt igitur diuerſis ſenſibus intelligi gloria, ſiue anima, ſiue regum maieſtas, præcellentia. Aut per accuſatiuum, Omnis homo gloriam decantabit, celebrabit gloriam tuam, propter tuam clementiam, qui plenus ſis clementiæ, & bonitatis. E F

PSALMI XXX. EXPLANATIO.

INſcribitur apud Græcos, quos Latini ſequuntur, is pſalmus. In finem Pſalmus Dauid, pro ecſtaſi. Sic Græcè ἐκστάσεως. Redundat ecſtaſis, neque in fontibus Hebraicis, neque apud ſanctum interpretem inuenies. Ne Chaldæus quidem, ſolitus aliàs liberius Hebraicis addere, quod antiqua traditio doceret, adſcripſit. Obeliſco igitur deleatur Ecſtaſin quidam Græci interpretantur exceſſum, peccatum, ſeceſſum à recto, cum vxorem Vriæ adulterio contaminaſſet: pſalmumq; editum, dum fugeret filio Abſalone perſequente. In eo diſſentiunt Hebræi, potius editum pſalmum Saule ceruicibus eius inſtante, atrociter vrgente. Has orationes, atque has gratias, recordatus poſtea præteritarum calamitatum rex ipſe, ubi parta quies, habebat. Singulis beneficiis, ſingulas orationes, & carmina triumphalia adnumerans, tres in primis aut quatuor inſigniores calamitates auxilio cæleſti vitauerat. Has ubique ferè commemorat, nunquam gratiis habendis defeſſus, memorię viribus integer vſque. Edebat, quemadmodum dixi, hæc carmina, tranquilla pace, quieſcens, multis poſt annis, bellis iam ſopitis, finitimis nationibus pacatis. Adibat templum, cantoribus quos ipſe ſacrauerat, carmina, quę per quietem contexuiſſet, (eruditiſſimus enim poeta fuit, velut Sibyllę agitante Deo, non conceſſa cunctis oracula profundens) canẽda tradebat. Ipſe medius conſidebat, alacri voce (vt cùm ante arcam Dei exiliret) cantores adiuuabat. Propterea piiſſimus fuit, Deique ardentiſſimus cultor. Recordatus igitur pręteritæ calamitatis: cùm Saul crudeliter inſtaret, totieſque ab inſidiis eius duce Deo liberatus, qui fraudes hoſtiles detegeret, non unam, atque alteram pro hoc beneficio odas edidit: cantoribusque, ut perhibent Hebræi, tradebat, ſed longe plurimas, è quibus hæc vna eſt. Propterea pſalmus inſcribitur, Carmen triumphale, victorias illas priſtinas Vate reſpiciente.

Pſalmos quando nã ederet Da.

Pſalmos a ſe cõpoſitos cãtoribus tradebat, illiſq; cõcinebat.

In te

A **IN te Domine ſperaui non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me.**

Spes. Non confunda.

Deus abſ. Confundi.

INitium carminis ſpes eſt. Orat vt ne ſpes ſit inanis, nullius fructus, vt qui ſperant ventura, quæ nunquam venient, quibus non ſubſint vires, & cauſæ vt venire poſſint. At hi qui ſperant in Deum, non poſſunt hac de cauſa decipi, ꝙ is in quo ſperant, præſtare non poſſit, aut non audiat quodpoſtulatur. Prophetæ norant eum omnipotentem, norant item ſic omnia exaudire abſentem, veluti ſi coram adeſſet. Reliquum erat, vt precarentur, grate audiret, neue ſperantes illuderet. Itaque quod ait, Non confundar, eſt potius (vt ſæpius antè dictum eſt) vetantis, prohibentis. Ne confundar, verbum confundendi clarius Hebraicè & Grçcè אבושה ebosha, erubeſcam, pudefiam. Grçcè καταισχυνθείην, pudore & ignominia afficiar. Perinde ſi diceret, Ne confundar, ne decipiar, ne ridiculus appaream, quod mihi turpiſſimum eſſet, & tibi non admodum honorificum, ludificare mortales in te ſperantes, veluti non ſentias, aut non poſſis, aut negligas, humanis calamitatibus oblectatus. Dixit item, Ne confundar in æternum: Hebraicè, in çternum, ſemper: cum negatione, ſonat nunquam. Non lauabis mihi pedes in çternum: nunquam lauabis ſic, Ne confundar in æternum, ne ſit vnquam ſpes hæc vana. Semper ſpero, ſperauiq́; : ſic ſemper aſſequar, quod ſpero. Aut, Ne confundar in æternum, ſi ſimul, atque ſperaui, auxiliumq́ue imploraui, nihil auxilii miſiſti, At ne ſit ſemper hæc expectatio inanis. Aliquando dignare nos tuis reſponſis, aliquando noſtri miſerearis, ne ſemper contemnas, ſemper reiicias, oculos auertas. Vtq́ue magis flectat, iuſtiſſimamq́; opitulandi, & quaſi flexanimam, cauſam proponat, addit: In iuſtitia tua libera me: non mea triſtitia, bonitate, ſed tua. Tua bonitas, tua integritas, immenſa bonitas te flectat, tibi perſuadat, te cogat. In me enim nihil eiuſmodi eſt, quod B te impellat, vt dignum me iudices, ope tua. Ratio igitur iuſtiſſima eſt, te decere mortales exaudire, non facta meritaq́ue eorum, ſed te ipſum reſpicientem, conſiderantemq́;, non quid nos accipere, ſed quid te dare deceat. Tanta eſt autem bonitas, iuſtitiaq́; in te, vt ea poſſit omnia, quantumuis atrocia crimina delere. Oppoſitaq́ue clementia tua, atque multitudine magnorum ſcelerum, plus in te ſit ad parcendum, quàm in ipſo ſcelere ad damnandum. Tua bonitas propter eius magnitudinem omnia mundat, iuſtificat, vt verbo vtar Eccleſiaſtico. Redundat in Græcis, & Latinis καὶ ἐξελοῦ με, Et eripe me. Eſt duntaxat, Libera me.

In tua iuſt. libera.

Iuſtificate.

Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.

AVgentur preces, omni contentione agitur, nullæ rationes omittuntur, quibus in ſua vota Deum Vates inducat. Superius, tua clementia, iuſtitia, bonitas, non mea liberet, abſoluat. Nunc, aures inclina. Tribuit enim vbiq; ſacra poeſis, oculos, & aures Deo, quemadmodum quoque profana. Sunt, ait, tibi cuncta, quæ toto mundo geruntur excipientes aures. Has ad preces meas aperi, placidas aures, inquam, ne obſtruas, celeriterq́; auxilium ſubmittas, celeriter accurras. Omnis ſpes ſalutis in celeritate poſita. Niſi quid auxilij celeriter attuleris, actum de me eſt. Eſto mihi ꝓtector. Tropus Hebraicus, ut ꝓtectionẽ Grçci dicũt à ſcuto. ὑπερασπίσαι, ſic Hebræi à petris duriſſimis, ſilicibus, ſcopulo. Itaq; pro Protectore, eſt צור zur, Petra, ſcopulus. Eſto mihi petra, aut. ſ. fortiſſimũ robur, aut arx munitiſſima, ſcopulis ĩacceſſis affixa, quò nequeat hoſtis aſpirare. Propterea Hieronymus hoc tranſtulit, Eſto mihi in lapidem fortiſſimũ. Domum C refugij dixerunt Sept. οἶκον καταφυγῆς quod Hebræis eſt domum מצודות mezudoth, munitionis, domum munitam, quaſi propugnaculum fortiſſimum, in loco edito in ſummo colle poſitum caſtellum, natura loci inexpugnabile. Ob hanc cauſam Hieronymus in Pſalterio, quod ex Hebraico fecit bonum Latinum, Et in domum munitam. Talis, ait, mihi eſto, talis me cuſtodia defendat. Hoc præſidio me contineam.

Protector.

Domus refugii.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces, & enuntries me.

FOrtitudo, vt Græcè κραταίωμα, robur, firmamentum, Hebraicè סלע ſela, petra, ſilex: eadem atq; ſuperius ſimilitudine, aut ſcilicet durities mea, per quam ego fortis, inexpugnabilis exiſto, ictibus aduerſariorum imperuius, telis eorum impenetrabilis. Aut arx mea, præſidium tutiſſimum ſuper ſcopulo, ſuper edito loco poſitum, quod hoſtes procul ſuſpiciant, irriſi, dentibuſque frementes abeant, noſtri contumeliis in eos inſultent. Hieronymus igitur ſciens proprietatem Hebraicam reddidit, Quia petra mea. Pro refugio quoque, eſt eadem, ac ſuperius, uox מצודה mezuda, munitio, vt tranſtulit Hieronymus propugnaculum, turris edita, caſtra excelſo loco poſita. Tu, ait, murus meus, meum præſidium. Quod ait, Propter nomen tuum deduces, Deduces Græcè ὁδηγήσεις, ages per viam, ductor eris mihi, uelut dux, paſtor ages. Si mihi locus excelſus es, ſi turris, aut caſtellum, huc certè ſine labore, ac laſſitudine conſcendere non poſſum. Ergo ductor eris quoque, ageſque me ad hanc inexpugnabilem arcem. Eſto igitur præſidium, eſto dux itineris, & comes, ut quocunque gradiar, tua cuſtodia comitetur. Iter doceas, nequid ſiniſtri contingat. Propter nomen tuum. Vbique hæc oratio adhibetur, non propter merita noſtra, probitatẽ, iuſtitiã, beneficus exiſtat, ſed propter maieſtatẽ ſuã, bonitatem,

Fortitudo mea.

Refugiũ.

Deduces. me.

Propter nomē tuū

Enutries.

clementiam,facturus naturæ ſuæ congrua,cogitans quid magnitudo ſuæ bonitatis,non quid fragilitas noſtra poſtulet.Nomen ſuum dixit maieſtatem,famam diuinitatis, ac potentiæ. Aut nomen (vt aiunt Græci)quo diceris miſericors. Quanquam periphraſticῶs putant quoque dictum nomen eius,ipſummet.Propter teipſum.Quòdq; ſubijcit,Et enutries,verbum Hebraicum תנהלני tenehaleni, ſignat portare, ſuſtentare,ſuſtinere. Petit atque orat vt agat per iter,ſit ductor,comes.Itemque vt per aſpera,ſalebroſa,per tela,per hoſtes tranſeuntem ſubuehat, veſtigia firmet, robur pedibus addat,labentem ſuſtineat. D

Educes me de laqueo hoc,quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

Laqueus.
Recte.

LAqueus eſt Grçcè,quod Latinus exprimit ἐκ παγίδος, Hebraicè רשת reshet,Ex reti. Vox Hebraica defluxit in Latinum ſermonem.Hieron.ſimiliter edidit, Educes me de rete. Obtenderunt,ait,pedibus rete, inſidias collocauerunt,vt cōtinuò adorirentur,interceptumq; ſuffocarent,vt cæco reti memet inducerem. Declarat ſenſim,quod genus periculi circunſtaret, à quo petit,atque orat liberari.Nondum quidem fuerat interceptus,ſed præſens periculum inſtabat.Nec temperat iterare,eum eſſe protectorem,tutelam ſuam,vnicum præſidium,ſingulare decus.Idcirco oportere eum ſaluti ſuæ proſpicere.Nam qui virtutis officia,qui charitatem à nobis expectant,fidentiſſimè prçſtolantes erubeſcimus prodere,ſi modò pudere didicimus,ſi ruborem timemus, quem offundit ignominia. Quid autem turpius, quàm eos deſeruiſſe,qui ſeſe totos tibi tradidiſſent?

In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis. E

Spiritus.
Commēd. ſpi. in ma.
Redemiſti.
Deus veritatis.
Periculū. Cōmēdati
Salus, ob fidelitatē.

SPiritum,aſſentientibus Hebræis,nunc vocat animam, ſeu vitam,vitam qua ſuſtinentur animantes. Commendare ſpiritum in manus,eſt in poteſtatem eius tradere,ſuæ clementiæ committere vitam,rationem ſuç ſalutis totam Deo relinquere.Manus,eiſdem Magiſtris,ſuæ linguæ apprimè gnaris aſtipulantibus, eſt in ſacris litteris vis,poteſtas,autoritas. Cui Græci quoque aſſentiuntur. χεῖρας γὰρ θεοῦ τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ καλεῖ. ἐν ταῖς χερσὶ γὰρ ἡ δύναμις, ait Euthy.Non poterit hoſtis iniicere mihi crudeles manus,ſi fuerit in manu tua vita mea: propterea trado tibi aſſeruandam. Redemiſti me. Prçteritum pro futuro Rabi Dauid aſſerit eſſe: ſuntq; in hoc poemate lōgè plurima exempla. Haud ab re,ait,me totum tibi trado. Certum enim eſt mihi ſub tutiſſima cuſtodia conſiſtere. Ab inimicis me redimes,eos à maleficio prohibebis: ſitis illa,rabieſq; nocendi non attinget,ſibi ipſis tormentum futura, in ipſis hoſtibus remanſura. Hanc ob cauſam vocat eum,Deum veritatis,nimirum,Deum veracem,fidelem,non deceptorem,proditoremq;.Me tibi tradidi,protectioni,prçſidioq; tuo me commiſi:at tu redimes,liberabis, defendes:quia Deus verax es,non proditor,illuſor, deſertor eorum qui ſe tuç fidei permiſerunt. Quod promittis, exequeris:quod à te ſperatur,certo tempore datur. Non eſt ſpes inanis eorum,qui in te ſperant.Tu es Deus veritatis,à quo veritas omnis ſumpſit exordium,prçſes ueritatis, inimicus illi,qui mendacium eſt,& pater eius.Tres igitur ſunt actus naturali ordine progredientes. Imminet periculum,ſalutem,vitam,ſpiritum noſtrum Deo commendamus: ille liberat,quia verax eſt,non deſerens in periculis,ſpem non ludificans.Agnoſce philoſophiam cçleſtem.

Odiſti obſeruantes vanitatem ſuperuacuè:ego autem in Domino ſperaui. F

Odiſt.obſ. van.

Superuacuè.

NOn eſt per ſecundam perſonam ἐμίσησας, in fonte,ſed per primam שנאתי ſanethi, odio habui,odi. Nec eſt forſan aſpernendus ſenſus Rabi Dauid,priorisq; Abraham,Cùm,inquit,inſequeretur Saul,inſtaretque ceruicibus,non hariolos,non magicç vanitatis profeſſores adiui, quos conſulerem, à quibus opem implorarem, imò vero contempſi, execratus ſum, vt qui vanas profeſſiones obſeruent, uaniſſimis ſtudentes, quorum euentus uanitas ſit,ac vaniſſimi cuiuſque ludibrium. Sed ad verum Deum acceſſi,huic nitebar, hunc conſulebam,inde mihi viua reſponſa dabantur:is meum præſidium,ſpes una.Græci hanc interpretationem afferre non poſſunt,ut quibus lectio ſit per ſecundam perſonam,Odiſti. Chaldæus quoque non abhorret à lectione Hebraica.Hanc vanitatis obſeruantiam, quemadmodum antè dixi, Abraham,& Dauid,reliquorum explanatorum proceres interpretantur הנחש והקוסם hanichus, vehacoſem,Diuinationem,& magicem,quæ iure vanitates appellantur,& qui eas profitentur, uanitatis obſeruatores.Poſſent item vanitates intelligi ōmnia peccata,vaniſſima quæque, quibus nullus ſubeſt fructus,in perniciem agentia. Execror,ait,& abominor,qui ſeſe his penitus dediderunt,nulla mihi cum ſceleratis ſocietas.Quod Latinus dixit ſuperuacuè,melius iuxta Hebraicum,& Grçcum, incaſſum,fruſtà,in vanum. Fruſtrà,inquit,his ſtudentes,uitam in rebus inanibus tranſigentes. Mirum eſt Hieronymum quoque legiſſe,Odiſti.

Exultabo, & lætabor in miſericordia tua,quoniam reſpexiſti humilitatem meam:ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.

Humilitas

Sal. de neceſſ.

HVmilitatem, quod apud Septuaginta eſt, τὴν ταπείνωσίν μου, rectius diuus Hieronymus afflictionem meam,iuxta Hebraicum עניי aneij,tametſi humiliari, & affligi eodem ſpectēt. Qui ſe humiliant,aut ab aliis humiliantur,neceſſariò deiiciuntur,ſternuntur,vexantur, illudunt

terrę.

A terræ. Necnon quod ait, Saluaſti de neceſſitatibus, vt eſt Græcè ἐκ τῶν ἀναγκῶν, Hebraicè eſt apertius, quemadmodum tranſtulit Hierony. Cognouiſti tribulationes animæ meæ. Haud ſecus Hebraicum ידעת בצרות נפשי Iadatha bezaroth napshi, Noſti vexationes animæ meæ. Neceſſitates igitur pro vexationibus dixerunt interpretes. Simile quid explanatores Græci reſpiciunt, exponentes neceſſitates περιστάσεις, κινδύνους, circunſtantias, aut incidentias, pericula. Verſus igitur habet: Reſpexiſti vexationes, agnouiſti tribulationes, preſſuras, anguſtias. Exultat, lætatur, triumphat ſuper miſericordia, ſiue vt eſt illis חסדך chaſdeka, beneficentia, beneficio cęlitus allato. Is eſt Pſalmorum ritus, petunt atque orant à principio, ingemiſcunt, proponunt pericula, clades impendentes, tempeſtatem aduentantem, deſperationem omnium rerum, vna luce cęleſtis ſpei renidente. Haud procul inde lætantur, gratulantur, velut exauditi, lætum pæana canentes, carmen triumphale concinentes: tum, quam ob cauſam triumphalis hymnus inſcribitur, fit perſpicuum. Diuinus ordo canendi, eminentiſſima, tollenſq; animos in altum theologia. Probatur oportere nos in periculis, in cęlum manus tendere, ſuppliciter auxilium petere. Tum non eſſe vanas has preces, rapidiſque ludibria ventis, nec in ventum vocem vertiſſe procellas. Conſequi poſt ſupplicationes, ac fletus, triumphos, lætitiam, gratulationem, fructuoſum eſſe fidere Deo, precibus inſtare, vt liberet, tueatur. Neque enim eum proditorem, impoſtoremque eſſe, ſpes mortalium ludificantem, eſſe Deum veracem, veridicum, beneuolum, ſuorum amantem.

Pſalmorū ritus, & ordo.

Hymnus triūphalis.

Nec concluſiſti me in manibus inimicorum, ſtatuiſti in loco
ſpatioſo pedes meos.

B Conclusiſti in manibus, velut in poteſtatem hoſtium redegiſti, qui catenis vinctum abſtraherent, omnes in me cruciatus experirentur, exempla ederent. Nam Saul, cuius perſecutionem hoc Pſalmo referri probant Hebræi, ſaltus, quibus Dauid latitabat, indagine cinxerat, iam eum penè comprehenſum tenebat, vix prædantium manus elabi poterat. Seruatus tamen eſt, hoſtes in alia bella auertente Deo. Erant pedes in anguſto, vix plantas mouere poterat, quin caperetur: Deus hoſtes auertit: ſpeluncam, latibulumque egreſſus eſt Dauid, ex anguſtijs ſcilicet in libertatem. Data eſt pedibus libertas, vt poſſent quocunque ingredi. Liberauit de neceſſitatibus, nempe ex anguſtijs animam, ſcilicet vitam eius. Reuertitur ad orationem, quam illis anguſtijs detentus habebat.

Cōcludere

Stat. in lo. ſp. p. m.

Miſerere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira
oculus meus, anima mea, & venter meus.

Siue hæc ſit oratio referens præteritas illas calamitates, quibus circunfuſus ſupplex oraret, poſt longum tempus digeſtis carminibus, & ad rationem carminis, rebus illis redactis. Nam illud non carminis, concentuſque tempus erat, nec poterat vexatus animus carminibus aptus eſſe, ſed tota res, poſt multos annos, harmonicè compoſita, & cum cantu pronunciata fuit velut ſi præſens eſſet. Siue, ut nonnullis Hebræis placet, memoratis prioribus illis cladibus, quas beneficio immortalis Dei elapſus eſt, & pro his, gratiis habitis, adiungit alias preces aliorum malorum, præſentis temporis memoria propoſita. Mihi quidem neutrum diſplicet. Vulnera igitur aperit, dolore impellente vociferatur, iniquitatem atrocitatemque temporis exhibet. Petit, atq;
C orat, vt auxilium celeriter, quemadmodum antea feciſſet, ſubmittat. Quod ait, Tribulor, Premunt, inquit, anguſtiæ. Iamiam labori ſuccumbo, defatigatis viribus amplius ſuſtinere non poſſum. Et pro ἐταράχθη, conturbatus eſt, Hebraicè עששה haſaſa, id verbum ducitur à tinea, quę vocatur עש has, vt quaſi dicendum ſit, tineauit, eritq; ſignificatus, corroſus eſt, voratus, depaſtus eſt oculus meus. Aſſiduæ lacrymę, propter ſalſedinem, humorem oculorum abſumpſerunt. Hoc ſignificatum ſciens Hierony. tranſtulit, caligauit oculus, refugiens ſcilicet inſolens verbum tineauit, & eiuſdem ſignificatus aliud ſubiiciens. Facit enim humor exhauſtus, vt oculus caliget, virtute videndi ſublata. Nam Symmachus, quem ſecutus eſt Hieron. pro Græco ἐθολώθη turbatus eſt, dixit ἐταράχθη turbidus factus, caligauit, exponiturque Græcis, propter aſſiduum fletum. Et quod dixit, Conturbatus eſt in ira: pro ira eſt כעס caas, indignatione: tametſi idem eſt. Hanc indignationem, iramque, vel ipſius lacrymantis, indignantis, ac dolentis ſenties, aut quod nonnulli Hebræi, iram, furorem, rabiem inimici. Caligauit, ait, oculus meus ob rabiem, furorem, quo inimicus meus in me properat, impetum facturus. Aut lacrymas continere non poſſum, dolore turbante animum, fletumque exprimente, idque ſemper. Hoc magis quadrat propter ſequentia. Nam Gręci, qui propter indignationem Dei, non omnino mihi probantur. Quod dixit, Anima mea, & uenter, etſi Rabi Dauid refert hęc ad famem, & ſitim, eſuriiſſe, & ſitiſſe Dauid in illis calamitatibus, animamque interpretatur, quę appetit: videtur probabilius vniuerſam perturbationem, commotionemque deſignari, cùm mentem, animam, corpus, intima pręcordia dicit perturbata: vſque ad interiores partes perturbatione penetrante, eaſque exagitante, quatiente. Maximus igitur motus, ac trepidatio proponitur, toto intus & extrà homine motum accipiente, vt impetret auxilium.

Pſalmos quandonā ederet. Dauid.

Trib.

Conturb.

In ira.

Animam. & ven. m.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.
Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa conturbata ſunt. D

Defecit. in dol. in gemi.

VT ſint lucidiora, tametſi non variant multum, pro ἐξέλιπεν, defecit, fons כלו calu, conſumpta, exhauſta vita mea. Pro ἐν ὀδύνῃ, In dolore, eſt יגון iagon, mœrore, triſtitia, vt vertit Hie. Pro στεναγμοῖς, gemitibus, numero multo, eſt duntaxat אנחת anachath, gemitu. Quodq́, dixerunt ἠσθένησεν ἐν πτωχείᾳ, Infirmata eſt in paupertate, Paupertate mea, eſt עוני aoni, iniquitate, aut afflictione mea. Conturbata ſunt, eſt verbum, quod ſuperius oſtendimus עששו aſeſu, tineauerunt, nempe vorata, exhauſta, depaſta ſunt oſſa mea. Propterea vertit hoc verbum Hieron. contabuerunt. Vniuerſa hæc non longè diſcrepant. Exaggerat (vt aſſueuit) lamentationes, exponit magnitudinem calamitatum. Fuerunt, qui hęc de ægritudine corporea interpretarentur. At ſi conſiſtendum eſt in his, quæ ab exordio propoſita ſunt, atrocem illam perſecutionem Saulis repreſentant, quam vbertate verborum, & Poeticis hyperbolis exaggerat, oſtendens ob dolorem, ac gemitum, vitam hominis minui, corpus debilitari, ac frangi, aſcribitq́ue omnia peccatis ſuis, vt ſolent ſapientes, quibus exploratum eſt, pœnas, & incommoda delere crimina, redeunte natura diuina ad clementiam. Oſſium conſumptio, magna hyperbole, maximus dolor, qui vel oſſa quatiat, abſumat, oſtenditur, quibus in corpore nihil robuſtius, ſolidius, quorum compage abſumpta, quid reliquo corpori ſperes?

Pœnas Chriſti, cuius liuore ſanati ſumus.

Super omnes inimicos meos, factus ſum opprobrium: & vicinis meis
valde, & timor notis meis: qui videbant me foras fugerunt à me.

QVò clarius percipiantur, iterum Latina moneta recudantur. Propter inimicos meos factus ſum dedecus, & vicinis meis valde, & timor notis meis, qui vident me, extrà fugerunt à me. E Hæc aperiens, exprimensq́ue Rabi Dauid, cui fuit in primis cura perſpicuitatis, Propter mala, inquit, quæ mihi hoſtes intulerunt, & quæ quotidie aduerſum me moliuntur, factus ſum fabula,, contumelia, dedecus, propterea, quòd fugio ab illis, à loco ad locum: & vicinis meis, non videlicet externis factus ſum dedecus, ſed meis, ſed propinquis, reliquisq́ue Iſraelitis. Hi me riſu, contumelijs inſequuntur: velut, quod alibi dicitur: Poſuiſti nos dedecus vicinis noſtris. Notis autem meis, his ſcilicet, qui me diligunt, conſanguineisq́ue, & propinquis factus ſum timor, & trepidatio, vt qui metuunt propter me, ne tandem incidam in manus Saul, & quicunque cernit me, ſermonem, aditumq́ue defugit, ne quid calamitatis propter me patiantur. Solent enim in calamitate plerunq; fieri ex amicis inimici, habentes odio, quem fortuna perſequitur. Is eſt ſenſus. Nam quod Sept. obſcurè in Græcum tranſtulerunt παρὰ πάντας τοὺς ἐχθροὺς μου, Super omnes inimicos meos, clarius eſt in Hebraico מכל צררי micol zorerai, Ab omnibus inimicis, vel propter inimicos meos, Propter hoſtium perſecutionem factus ſum dedecus. Facit inimicorum crudelitas, odijq́ue pertinacia, vt nuſquam mihi ſit locus, nunquam interquieſcam. Fugitiuus vbique, qui cæteris quondam longè anecellerem. Hęc fuga reddidit me cunctis contemptibilem, & abominabilem. Conſpirauerunt omnes in meam perniciem, alij defugiunt, velut portentum, ne quid ex mea conſuetudine, detrimenti contrahant. Hoſtes inſequuntur, mei trepidant, cęteri diffugiunt, auerſantur: cerne quanta malorum tempeſtas.

Propt. ini. fact. ſ. opp. vic. m.

Notis m. Timor.

Super omnes inimicos.

Et obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde: factus ſum F
tanquam vas perditum.

IS ordo poematis Hebraici, vt videbis item apud Hieronymum. Aſpice, inquit, quo ſtatu res mea ſit, quot me clades circunſiſtant. Illi ipſi amici, familiares habent me pro eo de cuius ſalute iam deſperauerint. A corde ipſorum datus ſum obliuioni velut mortuus. Cor eorum de me velut mortuo cogitat, in eorum cogitatione ſum perinde, ſi perijſſem. Vident enim ſalutem meam in præcipiti. Iam de me cogitare deſierunt: iam de me memoria nulla eſt. Poſuit quoque comparationem vaſis perditi, quod iam ſenio confectum, morti, propinquum eſt: aut quod iamdudum periit, cuius nullus eſt fructus, nullus vſus poſſeſſoribus, propterea nec manibus teritur, nec in domo ad aliquem vſum adhibetur. Vas appellat, vt ſonat Hebraicum, & Græcum σκεῦος, quidquid vſui eſt, quodcunque nobis ad aliquid efferendum, aut agendum deſeruit. Vas perditum eſt, vas, ſiue inſtrumentum ſenio obſoletum, aut infractum, deſtructum, quod non amplius ſit vſui, nec tangitur, nec nominatur. Talem ſe propè factum queritur Vates, veluti eum quem neque cogitant amplius proquinqui, iam veluti deploratum, inutile cadauer, ſine vita, ſine vſu, vtilitate: velut qui mortem effugere non poſſit. Ad hanc rationem exponunt Hebræi, & Græci. Deſperauerant de eo propinqui, quod cædes eius videretur ineuitabilis, atrociter rege perſequente.

Obl. da. ſ. tam. mor. à cor.

Perditum. Vas.

Quoniam audiui vituperationem multorum commorantium, in circuitu.
In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me accipere animam meam conſiliati ſunt.

QVod Græci tranſtulerunt παροικούντων κυκλόθεν, Commorantium in circuitu, eſt vox Hebraica מגור magor, terror, timor, trepidatio, vt Hebræi declarant. Eſtq́ue verſus, Terror in circuitu, quo ſcilicet exterrent me, calumnijs appetentes, notam mihi inurentes, & iuxta has calumnias,

Comm. in circuitu.

A lumnias, cędem mihi minantes. Item quod dixerunt ἐν τῷ ἐπισυναχθῆναι, Dum ipſi conuenirent, quod Latinus minus aptè, in eo dum conuenirent. Verbum conueniendi, in Hebraico eſt verbum conſultandi בהוסדם beiuaſe dam, In conſultando ipſos: dum ipſi conſultarent, peſſimum contra ſalutem meam iniere conſilium. Inimici eius (inquit Rabi Dauid exponens hunc veſum) deferebant contra eum apud Saulem. Ob hanc cauſam, ait, Eſt mihi terror, vndiq;, quia non vno ex loco metus impendet, ſed vndique. Dum conſultant, quia ſcilicet vnà conſpirauerunt, conſilium inierunt contra me, cogitantes corripere animam ſeu vitam meam, auferre mihi vitam. Eſt igitur totus verſus, Quoniam audiui vituperationem, aut dedecus multorum. Metus vndique, dum ineunt conſilium ſimul contra me corripere animam meam, peſſimum conſilium inierunt. Hierony. vocem magor, tranſtulit congregationem, ſed ab omnibus Hebræis exponitur metus, terror. Quanquam eſt alia vox ferè huic ſimilis deſignans collectionem, congregationem.

In eo dum conue.

Ego autem in te ſperaui Domine: dixi, Deus meus es tu: in manibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.

QVod Græci tranſtulerunt οἱ κλῆροί μου, Sortes meæ, Hebraicè eſt עתותי ithothai, tempora mea. Tempora ſua exponunt Hebræi, quibus hoſtes, illi inſidiabantur, intercipere conantes. Hæc tempora, inquit, non ſunt in poteſtate inimicorum, ſed in poteſtate Dei. Non poſſunt ad nutum ſuum diſponere quod animo complectuntur, propterea, inquit, eripe me, ne me violenta, crudeliſque manus abſtrahat. Rabi Abraham exponit, quod & ipſum B placet, tempus ſalutis. In poteſtate tua, inquit, eſt tempus meæ ſalutis, ſi me ſeruare malis. Rabi quoque Salomon ſimile quid: Tempora, inquit, quæ ſuper me decurrunt, ſunt ſecundum diſpoſitiones tuas, peraguntur vt tibi placitum eſt. Omnis meæ ſalutis ratio, in poteſtate tua conſiſtit. Hanc ob cauſam ſerua me. Hæc tempora vides optime Sept. vocaſſe ſortes, quod Græci exponentes ferunt ſortes mortis, & vitæ, rerum felicium, & infelicium, in poteſtate, in manibus eius eſſe. Tu potes, ait, ſeruare, & perdere, necis, ac vitæ dominus, Morte afficis, vitam concedis. Deprimis, attollis. Supereſt igitur, vt me de manibus inimicorum eripias.

Sortes meæ.
In manibus.tu.

Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum: ſaluum me fac in miſericordia tua. Domine non confundar: quoniam inuocaui te.

LAtinus non ſatis propriè illumina, ſiue illuſtra, cùm ſit Græcè ἐπίφανον, oſtende, fac apparere, Hebraicè quoque האירה hairath. Precatur igitur faciem ſuam detegat, vultum iucundiſſimum oſtendat, męroris tenebras diſcutiat. Illo vultu ſeſe terris oſtendente, fugient, vaſto æthere nimbi, nubila diſcedent. Omnia læta, ridentia, exultantia: Furiæ, & triſtes erinnyes penitus faceſſent. Orat vt eum, ſua clementia ſeruet, ſuccurrat ſua miſericordia, vbi deſit humana virtus, quæ Deum ad beneficium excitet. Quod dixit, Non confundar, oſtenſum ſuperius: dicendum, Ne confundar, ne pudefiam, ne erubeſcam, ne ſpes ſit inanis, cum peto auxilium, ne ſeſe auertat, neue aures, obdat, ne ipſe illuſus diſcedat, caſſas preces in Zephyros mittens.

Illumina. fac.tu.
Vultu, quo cęlũ, tẽpeſtateſq; ſerenat.
Sal. fac. in miſericordia tu.

Erubeſcant impij, & deducantur in infernum.

C Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem, in ſuperbia, & in abuſione.

NOn ego, ſed illi erubeſcant, illorum ſit dedecus, ignominia: atque adeo damnati, & profligati cernantur, vt in infernum, ſiue in ſe pulchrum, ſiue in tartarum, (vtrunque proponitur Hebræis) deducantur, ſiue vt eſt Hebraicè ידמו iddemu, concidantur, interficiantur, aboleantur, extinguantur. Mutaque fiant labia doloſa. Propter ea quæ ſuperius memorauit cùm diceret, Audiui vituperationem multorum: nunc, Muta fiant labia doloſa. Doloſa, in origine, labia, שקר sheker, mendacii. Labia mendacia, falſidica, maledica, mentientia, notam inurentia, vituperantia, non poſſint loqui. Vox ſceleratorum concidat, intra guttur compreſſa conticeſcat. Hoc ſit iniquæ loquacitatis ſupplicium, vt quæ contra iuſtum inuehitur, contra Dauid, cæteroſque iuſtos. Loquuntur autem ἀνομίαν, vt eſt Græcè, iniquitatem, ut eſt Hebraicè עתק atak, fortia, dura, vt exponunt Hebræi, & Hierony. interpretatur. Spirant minas, & cędes, deferunt funeſta, crudelia, è quibus mea pernicies exiſtat. Loquuntur autem ſuperbè, atque arrogantiam ſumentes, me deſpicabilem, nauci hominem, nullius pretij, terræ inutile pondus, pernicioſum reipublicę prędicantes, quò furor perſequentis me Regis, magis incandeſcat. Eſt hoc loco Gręcis nomen ἐξουδενώσει, quod rectius redditur, ut habent emaculati codices, contemptu, quàm ut alij, Abuſione. In ſuperbia, & contemptu: non in ſuperbia, & in abuſione.

Erub.
In infer.
Deduc.
Muta fiãt. lab. dol.
Quę lo. ad iuſtit.
Iniquit.
In ſuper.
Abuſione.

Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abſcondiſti timentibus te.

Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectum filiorum hominum.

COnſueta carminis ratio, poſt preces, poſt expoſita pericula, quę circunſtent, velut ſubſidio impetrato gratulantur, clementiam, benignitatemque diuinam, quæ ſeſe ad preces mortalium flectat, tollunt in cęlum, quę terreſtria cernat, procurans omnia, maximè, quę ad homines pertinent.

Dulc. pertinent. Exclamat igitur magnam eſſe dulcedinem, ſiue, vt Hebraicè eſt bonitatem Dei, quæ
Græcè nunc appellatur χρηστότης. Quòd dixit eam abſcondiſſe, proponitur ab Hebræis præclarus
ſenſus. Loquuntur, ait, contra iuſtos, eos ſuperbè deſpicientes, pro nullis habentes, at tu
in futurum tempus abſcondiſti, repoſuiſti, & quaſi in theſauris condidiſti magnum quoddam
Abſcond. bonum, ſuauitatem, felicitatemque inextinguibilem, quam (vt ait Diuus ille) nec oculus vidit,
nec auris audiuit, tametſi ijdem iuſti in hac vita multas contumelias perferentes, potius contemptibiles,
nullius pretij apud improbos habentur. Abſcondiſti igitur eſt velut in theſauris repoſuiſti,
condidiſti, ab oculis amouiſti. Hoc conſtanter Rabi Salomon, & Rabi Dauid adhibent.
Perfeciſti eis. Quod ait, Perfeciſti eis, vt clarius percipiatur, Græcè eſt ἐξειργάσω, feciſti, operatus es. Similiter
Hebraicum פעלת paalta, feciſti, ſperantibus in te. Proponiturque ab eiſdem Magiſtris verus
ſenſus. Hoc bonum, vel hanc inæſtimabilem, inauditamque ſuauitatem feciſti, operatus es. Sperantibus
Qui ſperāt in te. in te, incipit in hac vita, ipſis mortalibus videntibus. In oculis eorum geritur res, multa
beneficia conſequi ſperantes in te, vel in hac corporea vita, quid putes in futura. Emendandi
ſunt quidam Latini codices. Non enim dicendum eſt. A conſpectu filiorum hominum: ſed, In
A conſp. fil. ho. conſpectu filiorum hominum, & Græcè liquidius ἐναντίον τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων, In oculis, in
præſentia hominum. Græci putant alium ſenſum, Abſcondere ſuauitatem ſuam nonnunquam
timentibus ſe, relinquens, vt eos exerceat, vt in officio contineat. Rurſum reddere claram hominibus
aſpicientibus, vt noſcant parata eſſe hæc ſperantibus in eum bona. Sed Hebræorum
mihi placet explanatio.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum: abſcondes eos in tabernaculo à contradictione linguarum.

Liquidiora fiant vt mens facilius excipiat. Abſcondes eos in protectione vultus tui, à ſuperbia,
aut arrogantia viri: Abſcondes eos in vmbraculo, à contradictione, ſiue contentione,
maledicentia linguarum. Senſus igitur clarus, reſpondens ſuperioribus. Loquuntur
aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia. Nunc ſubiicit contraria, aduerſus has peſtes, contra
peſſimas linguas, adeſſe auxilium Dei, qui iuſtos ab improborum maledicentia tueatur. Nihil
Abſcōdes. In abſcondito fa. tu. ſceleratorum arrogantiſſimam linguam contra eos acturam. Abſcondet igitur, ſiue defendet,
ac proteget eos, protectione vultus ſui. Reſpiciet vultu propitio, paternis oculis, benignitate,
atque hilaritate ſui vultus eos amplectetur. Sua illa magna clementia fouebit, nihil humana
ſuperbia, nihil faſtus aduerſus eos poterit. A contradictione, ſeu maledicentia linguarum proteget,
A cōtradi. ling. vmbraculo, quodam ſuæ clementiæ tentorio, quod vt defendit ab æſtu, ſic illud Dei defendet
ab improbitate linguarum. Erunt hoc Dei ſcuto eos protegente ſecuri. Virulentæ linguæ
ſibilabunt incaſſum, in ventos: fient quæ loquentur rapidis ludibria ventis. Audis igitur in pſalmis
auxilium Dei contra linguas venenatas, ſi modò colas, ſi ſperes in eum. Vox Hebraica רכסי
rukiſe, quam Septuaginta tranſtulerunt ταραχῆς, conturbationem, exponitur ab Hebræis, quibus
Tabernac. Cōtradict. in declarandis nominibus non abroganda fides eſt, ſuperbia, elatio, faſtus, arrogantia. Tabernaculum
eſt quod Græcè σκηνὴ, ſcena, tentorium, vmbraculum. Deſignat protectionem, defenſionem.
Contradictionem Græcè ἀντιλογίαν, intelliges iuxta Hebraicum רב rib, iurgium,
loquacitatem, maledicentiam.

Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam in ciuitate munita.

Vſitata pſalmorum acclamatio. Primùm vociferantur, igemiſcunt: pericula calamitateſque
præſentes proponunt ante oculos Dei, precibus inſtant liberari. Eodem carmine
gratulantur exauditi: auxilioque impetrato, prædicatur, benedicitur Deus clemens,
placidus, qui audiat mortales inuocantes, è terris oculos ad eum attollentes, qui miſericordiam
ſuam, nempe beneficium mirabile efficiat in terris, prodigioſam ſalutem afferens, ſalutem, inquam,
inopinatam, quam inimici minimè ſuſpicarentur, vt cum ſcidit medium mare rubrum
cum diluuio ſceleratis obrutis, ſeruauit pium cum prole. Tale quid in particulari ſæpius facere
Mirific. miſericordiam. In ciuit. munita. probatur erga cęteros iuſtos. Mirificat, mirabilem facit ſuam miſericordiam: cogit omnes admirari,
Salus inſperata cælitus venit. Quod ait, In ciuitate munita: idem, Hebraicum exemplar
habet. Senſus ab Hebræis adibetur: Fecit mirabilem miſericordiam ſuam, veluti ſi fuiſſem in vrbe
munitiſſima loci natura: ſic eius clementia ſeruatus ſum, vt ſi in aliqua arce fuiſſem. Rabi Salomon
ſentit vrbem, quæ dicitur Keila, in quam confugerat Dauid. id cùm audiſſet Saul, rapto
agmine ad eum accurrit, deprehenſurus ſi poſſet. Dauid, duce Deo, euaſit incolumnis, neminem
è ſuis deſiderauit. Priori ſenſui Græci quoque aſſentiuntur.

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

In exceſſu. Qvod Septuagin. dixerunt ἔκστασιν, ecſtaſin, ſiue exceſſum, quanquam Hieronymus in ſuo
Pſalterio ad Hebraicam veritatem, vertit ſtuporem, rectius vox Hebraica חפזי chapheſi,
transfertur feſtinatio, ſiue præcipitatio, Hebræis ad vnum id aſſerentibus, Ego dixi in præcipitatione

tione mea. Huius præcipitationis, ſiue fugæ ferunt haberi mentionem, cum fugeret Dauid Saulem perſequentem, tunc pauore perculſus, laſſitudine debilitatus, omni auxilio ſe deſtitutum, auerſumque ſanctum numen, quod ſibi præſidio, & ornamento eſſet, exiſtimabat. Hanc penè deſperationem nunc memor, gratusque recolit, propterea quòd illico ſubſidium cęleſte superuenit. Quod niſi ſuperueniſſet, vera deſperatio fuiſſet. Abiectum, repulſum ſe à Deo querebatur, cuius auxilio deficiente, nulla deinceps animi confirmatio, ſpes nulla ſupereſſet. Nec dicitur Græcè, Exceſſu mentis meæ, ſed duntaxat ἐκστάσει μου, exceſſu meo. Rectè quidem poſſumus cum Hebraico vocem Græcam conciliare, exceſſum Græcis interpretibus appellantibus, pauorem illum, atque animi conſternationem, cùm ſæuus hoſtis ceruicibus inſtaret, pede pedem premeret. Græci longius iter inſtituerunt. Propoſita igitur calamitate, proponit impetratum auxilium, preces auditas, non fuiſſe deſtitutum ſe à Deo in periculis, vt quanti ſit ei ſe credere, notum mortalibus efficiat.

Diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus: & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.

INuitat omnes ad pietatem, vti rem fructuoſam, clauum noſtræ nauis iactatæ procellis, ſpem certam in his fluctibus, in teterrimis vmbris lucem mortalibus renidentem. Rectè igitur hortatur omnes, vt colant, venerentur ſanctum Dei numen, ſubijciens cauſam: quoniam veritatē requiret Dominus: imò iuxta Hebraicum, & quemadmodum tranſtulit eruditiſſimus interpres אמונים נצר emunim nozer, Fideles ſeruat, cuſtodit. Fideles dixit, pios, veridicos, veraces, conſtantes: aut in eum fidentes, credentes, ſperantes, vt exponit Rabi Salomon. Quare non eſt ἀληθείας ἐκζητεῖ κύριος, veritates requirit Dominus. Chaldæus quoque declarans Hebraicum, Fideles, aut fidentes ſeruat à malo. Facientes ſuperbiam dixit, quos ſuperius ſuggillauerat, arrogantes, intolerabiles, iuſtis inſultantes, probis contumelioſos. Vindex erit, inquit, Dominus, eis iuſta reſpondens ad talionem.

Diligite. Verit. req. do.

Fac. ſuper.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes, qui ſperatis in Domino.

VIriliter agite, Græcè ἀνδρίζεσθε, ad Hebraicum חִזְקוּ chaſechu, roboramini, fortes exiſtite, ne animis deficite. Optimę cohortationes, ſalutaria monita. Superius, Amate Deum, colite, obſeruate. Nam qui Deum colunt, inque eum ſperant, redamantur ab eodem cuſtodiuntur, defenduntur. Inde fit, vt plenos ſpei, fiduciæque tales eſſe oporteat. Si Deus pro nobis, inquit, ille, quis contra nos? Sed animaduerte, hæc Dei charitas eſt erga bonos, erga ſperantes in eum. Hos decet eſſe animo inuicto in aduerſis, vt quos Deus protegat, ſuccumbere calamitatibus non ſinat. His fauor cęleſtis aſpirat. His Nemeſis vigilat, pœnas meditans his, qui eos infeſtant. Vide quàm ſalutaris, quàm exoſculanda pſalmorum philoſophia, mortales in his miſeriis, quibus circunſepta ſunt omnia, docentium, ad pietatem cohortantium, ingentia præmia ſecutura in vtraque vita, qui eam colant, demonſtrantium.

Vir. agi.

Vltio diuina.

Pietas, promiſſio ſcilicet vitę ꝓſentis & futuræ.

PSALMI XXXI. EXPLANATIO.

INSCRIPTIO eſt, Pſalmus Dauid, intellectus. Intellectus eſt genitiui caſus συνέσεως. Hebraicè verò eſt, Ipſius Dauid intellectus. Eritque intellectus caſus nominandi. Varia eſt ſententia quid ſit in titulis pſalmorum, quod dicitur Hebraicè משכיל maskil, intellectus. Exiſtimant plerique inſtrumentum muſicum, quo pſalmi canerentur, vt erat multiplex harmoniæ, muſicorumq; inſtrumentorum genus. Cęteris placet eſſe inſcriptionem carminis, quod autor à principio vocet intellectum, quaſi philoſophiam, eruditionem, & quod in pſalmo dixit, Intellectus bonus omnibus facientibus eum: aſſerens legem eſſe intellectum bonum, nempe philoſophiam, ſapientiam. Huius in primis ſententiæ eſt Chaldæus transferens Hebraicum hoc loco שכל טבא ſikla taua, intellectum bonum. Hoc quoque mihi arridet. Nam ſi muſicum inſtrumentum eſſet, dixiſſet, quod conſueuit alibi, Super maskil, vti ſolet dicere ſuper octaua, ſuper octichordio, ſuper lyra Gitthenſi. Nunc autem ſimpliciter inſcribit, Intellectus ipſius Dauid. Hæc igitur verior ſententia, cui Rabi quoque Salomon aſſentitur. Græcis item placet is ſenſus, vt quod ait Euthymius, qui ſuperiorum theologorum ſententias conflauit. Inſcribitur, inquit, intellectus, quia plenus intellectu, hæc ſcripſit: aut quia intelligentia in his legendis opus, propter profunditatem: aut quia erudit legentes, dicens, Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Id placet etiam Latinis. Nam Hieronymus tranſtulit, Dauid eruditio,

Intellectꝰ.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

NOn refert, quod numerus ſit permutatus, cùm Hebraicè dicatur, Beatus cui dimiſſum eſt flagitium, tectum, ſiue abſconditum peccatum. Si legas alia ſerie, quod Hebræi faciunt ediſſerentes, vt planius percipiatur: Beatus cui Deus abſtulit ſcelus, & peccatum contexit. Omne (aiunt Hebræi) peccatum, ſequitur pœna, ſiue maxima, ſiue minor. At cùm delinquens

linquens redierit ad creatorem, flagitiorumque pœnituerit, næ ille beatus, quoniam non tantopere cruciabitur, quantopere promeritus eſſet, detrahente diuina clementia, multum ex pœna his, qui mutare ſententiam decreuiſſent. Nec, vt ait diuinus Poeta,

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Quor. re. ſunt iniq.

Vide igitur quod exordium, quàm ſacroſancta hæc philoſophia. Beatus, ait, cui Deus eſt propitius, cui cùm Deus iraſci debuiſſet, iram ſuppreſſit, peccatum condonauit. Plena eſt omnis terra ſcelerum, iniquitatis, crudelitatis, fragilitatis: nemo non grauiter, multumque peccat, beatus igitur cui Deus plurimum pepercit. Sed hanc gratiam non temerè Deus largitur. Detrahit ex pœna, redit cum his in gratiam, quos anteactæ vitæ pęnitet, ſeipſos execrantes, penitus auerſos animos à prioribus factis gerentes. Cùm igitur ſit ſummæ prudentiæ, crimen agnoſcere, ac deteſtari, certè beatus meretur appellari, cui Deus pepercit, quòd & hanc Dei gratiam eſt conſecutus, & ipſe præbuit præclaræ ſapientiæ teſtimonium. Abſcondere peccatum dixit, quaſi oblitterare, delere, ne poſthac diuinæ maieſtatis oculis appareat.

Abſcondere peccat.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Cui nõ imput. dom. peccatum. Nec eſt in ſpiritu eiꝰ, dolus.

VT liquidius excipias, quæ loquitur, iterat, vt conſueuit, declaratque quòd à principio exorſus eſt, O ter, inquam, quaterque beatus, de cuius peccato nulla eſt amplius apud Deum cogitatio, quem in numero ſceleratorum Deus non habet: atq; in eorum numero non habitus ſupplicia quoque, quæ propter ſcelus eſſent expendenda, euaſit, magnis pœnis liberatus. Beatum autem prædico non quemcunque, nec cuiuis hanc beatitudinem adiudico, ſed ei in cuius ſpiritu non eſt dolus, nimirum, vt exponunt Magiſtri, mihiqne vehementer placet, qui non pectore ficto pęnituit, non animo proditore rediit ad æquitatem, paulo poſt eodem reuoluendus inſyncere pęnitens, adhuc in corde ſceleris radicem continens, non ex animo peccata peroſus, ſed tempori ſeruiens, & præſentis periculi pęnam extimeſcens, ſolicitatusque pauore, peccatis nuntium remittens: ſed metu diſcedente ad priſtinam conſuetudinem reuertens. In huius animo eſt dolus, eſt fraus, eſt ſceleris nota radicibus altis inhærens, Vult fallere Deum, qui non poteſt falli: non agit cum germana, ſyncera pęnitentia. Non hunc prædico beatum, non huic dico oblitteratum, abſconditum eſſe peccatum, ſed penitus pęnitenti, toto pectore ſeſe ad Deum recipienti: omnibus viribus iuſtitiam amplexanti. Corrigendi ſunt Græci codices οὐδ' ἔϛιν ἐν ϛόματι αὐτȣ̃, Neque eſt in ore eius. Pro ore, Hebraicè רוח ruach, ſpiritus, animus. Non eſt in animo eius dolus, fraus, ſimulatio. Eadem ferme Græcorum eſt explanatio.

Spiritus.

Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea dum clamarem tota die.

Dum clamarem.

Quoniã ta. inue. oſ. m. dum cla.

Quoniam.

Inueter.

SI beatus eſt cui condonatur peccatum, cui Deus ſceleris notam diluit, orandum, ſupplicandumque, vt impetres auxilium. Si tacueris, altius inhærebit, oſſibus inſidens peſtis: ad medullas vſque penetrabit. Sciendum tamen hunc verſum, ne ſibi contraria videatur proferre, ſic intelligendum eſſe quemadmodum explanant Hebræi. Non enim eſt in codice Hebraico, Dum clamarem, ſed בשאגתי beſaagathi, dum rugirem, dum gemerem. Qua enim ratione conſequitur, quia tacui, dum clamarem? tacere & clamare, nonne contraria? Verus igitur ſenſus non loquitur de oratione, ſed intimo dolore, ex conſideratione peccati. Tacendo, inquit, mecumq; mea flagitia conſiderando, dolore tabeſco, ipſa oſſa veteraſcunt, nempe (vt claret verbo Hebraico, בלו balu, abſumuntur, areſcunt, velut arbores ſucco deficiente) oſſibus dolor inhæſit. Idque dum mecum rugio, ingemiſco, imo de pectore ſuſpiria duco, ſceleris conſcientia totum me cogit intremiſcere, gemitus erumpit: propter dolorem tantopere ipſe mihi diſpliceo, & quod geſſi, deteſtor, execror. Itaque Hebræi, particulam, כי ki, quam Græci verterunt ὅτι, quoniam explanant alio ſenſu כאשר caasher, dum, cùm. Dum taceo, præ dolore tabeſcunt oſſa, dum rugio, dum gemo, ſuſpiro. Tum verò ſenſus eſt clarior, quem declarant ſequentia. Hie. pro ἐπαλαιώθη inueterauerunt, tranſtulit, attrita ſunt, ſignificatus Hebraici verbi verus, eſt, tabes, ſenium, ariditas.

Quoniam die, ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna dum configitur ſpina.

Conuerſus ſum.

Dæmones.

DVæ voces clariores faciendæ, cætera origini reſpondent. Quod Sept. dixerunt (nam eos Latinus exprimit) ἐϛράφην εἰς ταλαιπωρίαν, Conuerſus ſum in ærumnam, Hebraicum eſt נהפך לשדי nehephac leſadi, Conuerſus eſt humor meus, aut pinguedo mea. Scire operæpretium eſt, vocem Hebraicam לשד leſad, conſtanter ab omnibus Hebræis explanari pinguedinem, ſuccum, declarantibus id ex aliis locis, vt quod dicitur Numerorum libro, לשד השמן leſad haſhemen, humiditas, ſiue pinguedo olei. Rabi Dauid, Leſad, inquit, eſt bonitas olei, aut pinguedinis, in qua dicit Auen Eſra ineſſe vitam. Exponens Rabi Salomon leſadi, adhibet vocem notiorem, לחלוי שלי humor meus, ſeu viror, vigorq; meus. Hoc ſciens item Chaldæus, tranſtulit vocem Hebraicam in aliam notiorem רטבי rutbi, quæ manifeſtò ſignificat viriditatem, aut humilitatem meam, Senſus item declarat vera ſentire Hebræos, poſt oſſium ariditatem, continuo ſubiicit aliud ſimile, vigorem, vitalemque humorem, coloremque immutatum eſſe. Itaque ab omnibus exploditur ſignificatus, quem adhibuerunt Septuagin. ταλαιπωρίαν, ærumnam, &

quem priuatim adhibuit Hierony. qui transfert hunc locum, Verſatus ſum in miſeria mea. Nam ad alia, non eſt prima perſona, Verſatus ſum, ſed נהפך nehephak, Conuerſus, mutatus eſt. Ipſi exiſtimauerunt, leſadi eſſe duas voces, le, in, ad, shadi deſtructio, vaſtitas mea. Vnde shadaim, dæmones, deſtruentes. Sed vnica vox eſt, omnium Hebræorum conſenſu, & ſententia docente. Verus igitur ſenſus, & vera tralatio eſt. Mutatus eſt vigor, ſuccus, color meus. Secunda vox, in qua deſciſcunt ab Hebraica veritate ſoli Septua. non Hieronymi eſt, quod reddiderunt ἄκανθαν, ſpinam, Dum configitur ſpina ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν. Quod dixerunt ſpinam, Hebraicè eſt קיץ kaiz, ea quidem vox interdum ſonat aliis litteris ſpinam. Sed nunc, & ferè vbique ſonat æſtatem, æſtum. Et quod dixerunt ἐν τῷ ἐμπαγῆναι, dum configitur, eſt בחרבוני becharboni, In calore, æſtu, ſiccitate mea. Eſtque totius verſus verus ſenſus: Mutatus eſt ſuccus, vigor meus, in ariditate mea æſtus. Quod exponens Rabi Dauid, Quia, inquit, in æſtate res exiccantur, Hiero. hoc intelligens reddit Hebraicum, Cùm exardeſceret æſtas iugiter. Deplorat igitur Pſalmus, ob intimum dolorem, penituſque cor depaſcentem, ob curas ingentes, propter admiſſum facinus conſecutam eſſe oſſium, medullarumque ariditatem: tum immutatum eſſe vigorem, ſubiiſſe maciem, & pallorem. Idque in illo curarum æſtu, dolore inflammante, vt Latinis quoque dicitur ardere dolore. Aeſtatem, caloremque poeticè vocat curas illas concoquentes.

Cõuerſus ſum.
Dęmones.

Cura, qđ cor orat, de paſcat.

Ex præfatione Catonis maioris. vt Catonẽ ma.

O Tite ſiquid ego adiuto, curamue leuaſſo.

Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa.

Quòd autem dixit manum aggrauatam, manus quid ſit, Chaldæus declarat, ſubiiciens pro ea, plagam. Aggrauata eſt plaga, non dico præſens, ſed quam extimeſco: ſupplicium ex peccato conſecuturum formidans, metuens mihi, rebuſque meis. Hæc plaga, hoc vulnus alto ſub corde, neque noctes, neque dies, dolore, metu, ſolicitudine remittente.

Grauata manus.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi confitebor aduerſum me, iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

SIquid precibus impetrare conaris, id cuius inopia ſolicitat, exprimas neceſſe eſt, egeſtatem proponas, quæ te fortuna fatigat, ediſſeras. Quis enim ſperet opem, niſi calamitatem, periculumque memoret, vt commemoratio magis ad miſericordiiam incitet? Omne item peccatum cum ſuperbia, contemptu iuſtitiæ perpetratur, nihil metuente, nihil vltorem morante peccatore. Maxima autem ſceleris expiatio, ſcelus fateri, quo demittitur animus, ſuperbia proiicitur ſubiit mentem comitas, manſuetudo, ſimilis animo Deorum efficitur. Cum peccatum fateris, primum doces te prudentem eſſe: placet autem Deo prudentia: non agnoſcere quod peccaſti, argumentum ſtultitiæ, vecordiæ eſt ignorare ſeipſum, iuſtitiæ bonitatem non perſpicere. Id pecudis potius quàm hominis. Qui fatetur, agnoſcit ſentit, plenus prudentiæ, non in numero beſtiarum, ſed ſapientiſſimorum hominum habendus. Ad hæc, qui peccatum fatetur, dum fatetur exhorreſcit, deteſtatur, execratur. Non ſine pudore, ac rubore, ac ſtomacho fatetur, memoriam ſceleris inuiſam habet. Indicat ergo confitendo, ſe ſcelus odiſſe, turpitudinem peccati, quam prius non cerneret, nunc reſipiſcentem perſpicere: non fore poſthac amantem eius rei, quam nunc odio proſequatur. Contra, qui peccatum non fatetur, abſcondit, latet animum eius turpitudo, non decernit in poſterum deſerere, quod nunc non perhorreſcit, quod ore non aperiens, oratione non prædicans, minus animo ſentit. Nam ſi ſentiret, effunderet, prædicaret, velut virus euomeret. Simul qui confitetur peccatum, in ea luce verſatur, quòd peccatum pęnam conſequi proſpicit, ea ſapientiæ claritas, mentem eius illuſtrat, quòd ſcit magnum iuſtitiæ ſceptrum ſingulis peccatis, ſingulas pęnas conſtituiſſe. Id metuens, veteriſque memor ſupplicij, quod ſceleratos oppreſſit, adit numen ſeuerum, ad pedes procumbit: petit, ignoſcat imprudentiæ, fragilitati. Nonne prudentiſſimi habentur, qui futura pericula proſpicientes quoad poſſunt, vitant? Sic ille prudentiſſimus, qui cruciatus flagitijs debitos metuens, omni conatu ſtudioque contendit, vt ſibi condonetur. Condonatio impetratur, confitendo, orando, vt parcat, quem offendiſti, vt commemoranda calamitate, animum eius ad miſericordiam flectas. Hæc vera, vetuſtiſſima philoſophia, priſcis patribus non ignota.

Confeſſio peccati.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

QVoniam tam ſalutaris eſt pęnitentia, tantum ſperare poſſunt, qui peccatum confitentur, quoniam confitentes execrantur, inuiſamque ſibi ſceleris memoriam oſtendunt: optimus quiſque precibus inſiſtit, vt ſibi Deus ignoſcat, nullam temporis occaſionem prætermittit. Sciendum quod Græci dixerunt ὑπὲρ ταύτης, Pro hac Hebraicè על זאת al zoth, apud eos fęmineum genus, eſt etiam neutrum, id multis exemplis comprobatum: vt Vnam petij à Domino: vnum, vnam rem. Ita nunc, Pro hac, Propter hoc, propter hanc rem, ob hanc cauſam. Et Auen Eſra id enudans, Propter hoc, inquit, quia ſcilicet condonat peccatum, quoniam non

es in-

In tẽp.op. es inexorabilis, ſed placidus, ignoſcens, ſi qua parte maximè contendunt delinquentes ſibi condonari culpam. Quod item Græci dixerunt, In tempore opportuno, pulchrè id quidem, tametſi fons Hebraicus habet, In tempore מצא mezo, inueniendi. Quod exponentes Hebræi, In tempore, inquiunt, quo tu inueniris gratam habere orationem eius. Cæteri exponunt. In tempore, quo inuenitur cor eorum aptum, propenſumq; ad orandum, quod rectè dicitur, cor perfectum, germanè, ſyncereque pœnitens. In dil. aq. mult. Quod ſequitur, In diluuio aquarum multarum, Diluuium, ſiue vt eſt Hebraicè שטף sheteph, inundationem, vocat poetice, multitudinem calamitatum, curarum fluctus inundantes, veluti noſter.

Quanta per Idæos ſæuis effuſa Mycenis,
Tempeſtas ierit campos. Et
Parque per omnes, Tempeſtas ijt. Et,
Diluuio ex illo, tot vaſta per æquora vecti.

Diluuium appellat maximas acceptas in bello calamitates, ſtrages hominum innumerabiles, excidium Troianæ gentis. Similiter Poeta noſter, diluuium, ſiue inundationem aquarum multarũ, vocat multitudinem vexationum, fluctus impendentes in caput. Eſt igitur ſenſus, Propter hanc cauſam, quòd tu clemens es, parcisq; peccantibus, ſi modo peccare deſiſtant, ſi reſipiſcant, ſibique poſtulent ignoſci, optimus quiſque propriæ ſaluti conſulens, petit, atq; orat, preces nullas amittẽs, idq; in tempore, quo ſyncere pœnituit, quo miſericordia inuenitur, quo mortalium precibus diuinæ pateſcunt aures. Itaq; cùm calamitates inundauerint, cùm diluuium vexationum ingruerit, cum non attinget, non opprimetur his fluctibus.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me, exultatio mea: erue me à circundantibus me.

Refugiũ. AD ſeriem iuxta fontem Hebraicum redigantur. Tu es abſconſio, ſiue protectio mihi, ab hoſte cuſtodies me, exultatio mea: ſaluans circundabis me ſemper. Ad hanc rationem Hierony. quoq; tranſtulit. Illud vnum perpenditur obſeruaturq; ab Hebræis. Exultatio mea, ſeruans, aut ad ſeruandum. Hanc exultationem, ſiue laudem interpretantur orationem, ex qua ſalutem dicat exiſtere. Oratio, inquit, ſeruat me. Poſſet item ſenſus eſſe vt diuerſis epithetis appellet Deum, primum vocat eum סתר ſether, abſconſio, ſubterfugium, præſidium: tum cuſtodẽ, conſeruatorem. Exinde laudem, gaudium ſalutis ſuæ, gaudium ſalutare, lætitiam, delicias ſuas, à quibus ſua ſalus exiſtat. Demum, qui eum circundet, protegat, defendat ab iniurijs, quas inimici minentur. Non refertur igitur circundatio, (quod Sept. voluerunt) ad hoſtes, ſed ipſum ſeruatorẽ Deum, qui circundet, protegat. Minus item dicitur tribulationem circundare, ſed pro hoc Græco participio θλίψεως παριεχούσης, eſt תצרני tizreni, Cuſtodies me. Tribulatio autem non cuſtodit. Senſus igitur clarus, Superius dixerat ſanctos inſtare precibus, vt Deum habeant propitium. Ecce igitur orat, precatur, totus in eam cogitationem inſiſtit.

Intellectum tibi dabo & inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.

Intell. tibi da. VAtem affari, ac docere cæteros mortales Hebræi contendunt, docentem qua via ſit vnicuiq; incedendum, propterea quòd à principio pſalmum inſcripſerat intellectum, eruditionem. Dat vnicuiq; ſalutaria præcepta. Intellectum, inquit, tibi dabo: quod ſecundo, vt liquido percipias, iterat, Et inſtruam, dare intellectum, & inſtruere. Græci potuerũt effingere verbum iuxta Hebraicum, συνετίζειν, In futuro συνετιῶ, Hebraicè אשכילך askileca. Propterea fir.ſu.o.m. Hieron. latinis auribus accommodans, Docebo te, & monſtrabo tibi viam. Quod ait, firmabo ſuper te oculos, vt Græcè ἐπιστηριῶ, Hebraicum eſt איעצה iaſa. Eſt quidem ſenſus, conſulam, conſilium dabo. ſed Rabi Salomon clarius exponit ארמוז לך בעיני oculis meis tibi deſignabo, annuã oculis, oſtendam. Et Rabi Dauid, Dabo tibi conſilium, quod ego vidi per memetipſum, quoniam peccaui, & ambulaui in via non bona. Et intellexi per me ipſum, & pœnituit me, & conuerſus ſum ad Deum cum toto corde meo, pepercitq; mihi Deus, & ſuſcepit me in illa pœnitentia: ſimiliter & tu facias. Intellexiſti quid ſit, Firmabo ſuper te oculos, nempe oculis meis annuam, ſignum dabo, flectam oculos in quam partem velim contendas. Quare facilius aſſentior Hebræis, quàm Græcis, qui putant hæc verba eſſe Dei, loquentis ad ipſum Prophetam, cùm ſint potius Prophetæ, peccatores alloquentis, ac docentis. Propterea Pſalmum inſcripſit intellectum, eruditionem, cui quadrat quod ſubijcit:

Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, in camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.

DIxerat ſuperius, Intellectum tibi dabo, & inſtruam te. Ecce igitur intellectus, ecce eruditio, inſtructio. Ne ſitis velut ratione carentes beſtiæ, quarum impetum, ne noceat, coercere ſolemus fręno, & lupatis. Ordo autem verſus, vt ſit clarior ſententia, ad hunc modum habet: Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: camo, & fręno os

A eorum conſtringitur,ne propinquent tibi.Quamobrem non ſcribitur Hebraicè,Qui non approximant ad te.Ad quam enim ſecundam perſonam,is ſermo dirigitur? Sed dicitur Camo, & fræno os eorum conſtringitur,ne accedant ad te. Accedere, ſiue approximare, rectè exponitur Hebræis,nocere,offendere. Adhibemus,ait, frȩnos his beſtijs,ne proxime faciant in nos impetum, calcibus petant. Nec noceant,non cognoſcentes an bene,aut male agant. At vos eiuſmodi fieri nolite,in numerum beſtiarum referendi,qui neſciant quid agant, quarum inſipientiam fræno & lupatis coercemus,ne nobis propinquæ noceant. Hæc verior ſententia. Quam explicans Rabi Dauid,hæc ſcribit,Ne ſitis quales beſtiæ,quibus non eſt intelligentia,nec ſciunt quid male agãt, quidve noceant,& neceſſe eſt aſtringere os eorum fræno,& lupatis,ne ad te propinquent,morſibus inuadant,neque enim capaces ſunt admonitionis,& correctionis,niſi eis impedimentum opponas,quo minus noceant. At vos ne ſitis tales,ſed intelligite monita, & corrigamini, facta veſtra praua execrantes, ad Deum vertite mentem, qui vobis parcet. Equum & mulum commemorauit,quòd hos in primis inſidentes, fræno ſolemus coercere, moderari, quò velimus impellentes,rurſumq; ſiſtentes. Sententia igitur clara. Camum dixit, vox Græca eſt κημὸς, idem atque frænum. Latinè ego dixerim,lupata,& frænum, vt poeta de equis,

Approximare.

Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

Hier. ſequens tralationem Sepr. minus clarè hunc locum tranſtulit: minus item Græci.

A lupinis dẽtibus,ob inæqualitatẽ aſperioribus & ſæuioribus.

Multa flagella peccatoris:ſperantes autem in Dño, miſericordia circundabit.

MVlta flagella, Hebraicè multi dolores,vt vertit Hier. Peccando, ſcelerateque viuendo graues ægritudines,multiplices ærumnæ contingunt. Nam,vt ait Salomon, Potentes, potenter tormenta patientur. Id accidit improbis,qui ſibi ipſis fidentes,ad iudicem cȩ-B leſtẽ minimè reſpectantes,magnas calamitates adeant neceſſe eſt. At cui fiducia,ſpes,alacritasq; omnis in Deo eſt,perſpectumque habet,alibi nuſquam præſidium ſecurum eſſe,is cogitur odiſſe peccatum,ſciens à Deo bona, malaque exiſtere,quæ ad ſe proueniant ex factis. Itaque Deo immortali confidens à miſericordia circundabitur, affluent ad eum beneficia, vbertasque diuinæ largitatis.Præmium ſceleratorum, totidem flagella, tot tormenta, quot flagitia,ex aduerſo præmium bonorum,erit gratiarum affluentia. Hæ ſunt optimæ monitiones,hac ratione dat intellectum,docens maxima bona conſequi iuſtos,at improbos curis ingentibus excruciari,multis ſupplicijs præſentibus,futuriſq; obnoxios, quos maneant pares ſceleribus pœnæ.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti,& gloriamini omnes recti corde.

VT nihil eſt timendum præter culpam, & peccatum:ſic nulla ſolidior, veriorque lȩtitia, quàm ex benefactis, ex iuſtitia, quæ gratiam amoremq; Dei tibi conciliat. Hæc autem reddit omnia tuta,ſecura,plena lætitiȩ. Vnis igitur iuſtis eſt verè lȩtandum,tum ob hãc iuſtitiȩ ſingularem dignitatem, qua nullum in cȩlo ſidus rutilantius, vt inquit ille, tum propter gratiam,amicitiamque Dei,quæ perpetua eſt ei cum iuſtis, eoſque ob hanc ſui ſimilitudinem diligit,protegit, ſuis præſidijs defendit: in terris,in cælo beatos efficit. Laudata igitur virtute, & iuſtitia, quoniam fons omnis felicitatis inde manat, iure prouocat ad lȩtitiam triumphoſq; hȩc prȩclara bona poſſidentes,nõ quaſi victorias inanes,ſed immortales laureas aſſecutos,quos vnos deceat triumphare, voce, plauſu,ſuorum bonorum conſcientiam exprimentes.

Quid homini metuendum.

PSALMI XXXII. EXPLANATIO.

C CAret inſcriptione pſalmus. Ne dicitur quidem quod apud Græcos extat pſalmus Dauid. Eſt autem (vt ſolent id genus pſalmi) vniuerſalis philoſophia, rerum diuinarum conſideratio, ſpeculatioque de moribus,item de prouidentia, iuſtis & pijs defendendis,dem aieſtate Dei,potentiȩque eius magnitudine. Ad poſtremum, oratio.

EXultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

INitium philoſophiæ pſalmi huius,conſentiens cum fine ſuperioris.Improbis inſtare graues animi, & corporis cruciatus,diras animis eorum inſidere peſtes, vitam eorum cum ſolicitudine ex tormentis conſcientiȩ, & cum metu futurorum malorum traduci dixerat,omnes indignitates & dedecora eos circunſiſtere. Ex aduerſo igitur aliud carmen ſubijciens, ſolis iuſtis eſſe ſyncere lætandum, quos omnes lætandi cauſæ circunfluant, qui nec pœnis conſcientiæ facinoris admiſſi torqueantur,nec metus futuri mali quaſi ſaxum impendens ſolicitet. Tum verò iuſtitia fons alacritatis,recteq; factorum conſcientia optimis gaudijs eos exſaturet. Sed verus alacritatis fons eſt,vt ſis iuſtus,vt læteris in Domino. Exultate in Domino,ad canones Grammaticæ, declaratur Hebrȩis,linguȩ ſuȩ proprios ſignificatus callentibus,exultare ipſi Domino: nempe lȩtitiam omnem ad Dominum vertere. Ac propriè quod Grȩcus tranſtulit ἀγαλλιᾶσθε, exultate. Hebraicũ רננו ranenu,ſonat decantare,vocem efferre. Hortatur igitur iuſtos, vt Deo,lȩtitiȩ carmen offerãt, eum vocibus efferant, plauſu celebrent, quorum duntaxat accepta ſit, non autem improborum celebratio. Sacrificium laudis, vt eſt alibi, ſolos iuſtos decere, impiorum abominandas eſſe

Exultate ĩ domino.

Iuſt.de col.

cantilenas. Choros ducendos tantummodo rectis, æquis: pſalmos vnis bonis eſſe decantandos. D
Inuitat iuſtos ad pſalmorum hymnorumque cantum.

Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decem chordarum pſallite illi.

Confitei.

In cithara.

In pſalt. de cẽ chord.

Decachor.

Pſal. nebel

Aſer.

VT ſcires quid eſſet, Exultate, ſubiicit ſecundum, Confitemini. Id in Hebraico idiomate, quod ſæpius docuimus, eſt הודו hodu, nempe, canite, celebrate, quale Græcis ex hoc Hebraico vſurpatum ᾄδω, cano, Græcum ὁμολογεῖσθε, non adeò clarum, minus Latinum, Confitemini. Ergo iuxta verum ſignificatum, dicendum, Laudate, cantate Domino, in cithara. Hos quoque Hebraiſmos nuſquam non commemorauimus, in cithara, decachordo: in pſalterio cum cithara, cum pſalterio, cum decachordo. Sciendum quod ait, in pſalterio decem chordarum, conſideratur Hebręorum anteſignanis interpretibus, non eſſe legendum velut vnũ, atq; idem, in pſalterio decem chordarum, quod nec Græcum fortaſſe innuit, ſed diſtinctè legendum in pſalterio, in decachordo. Pſalteriũ Hebraicè vocatur נבל nebel, decachordum עשור aſor, quaſi decennarium, in quo decem voces concinunt. Pſalterium autem eſt aliud genus. Et qm̃ eadem vox nebel, ſonat vtrem, forſan harmonicum inſtrumentum eſt, quod flatu completur. Duplex genus eorum hac tempeſtate, quod ventum concipit, vocaturq; organum, quod noſtro ſpiritu tumeſcit, vna reſonat humana vox, atq; harmonica. Ad hanc vocem, carmen Vates cõcinunt, vtraq; voce conſonante. Græca igitur lectio poteſt ſeparatim intelligi ἐν ψαλτηρίῳ δεκαχόρδῳ, In pſalterio decachordo. Separatim leges cum pſalterio, cũ decachordo. Chaldæus tñ legit cum pſalterio decem chordarum: ſed à cæteris Hebræis, quorum arbitrio ipſe ſteterim, reclamatur.

Cantate ei canticum nouum, bene pſallite ei in vociferatione.

Canticum nouum.

CAnticum nouum. Plurimum placet quod Hebræi interpretantur carmen aſſiduum perpetuum, vt aqua ſemper ſcaturiens, nouaq; iugiter è fonte prorumpens. Carmen quotidianum, ore indefeſſo profuſum: carmen inſatiabile. Nunquam à laudibus diuinis interquieſcas, quale apud Homerum, ἀκάματος αὐδή, vox indefeſſa. Et apud noſtrum ex eodem. E

Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum.

Bene pſall.

In vocifer.

Ferrea vox. Quod ait, Bene pſallite, Hieronymus venuſtè, diligenter pſallite, nempe iuxta Magiſtros, Inſtate canendo, voce diurna, nocturna. In vociferatione, voce alacri, elata, conſona, quæ templum compleat, quam plebs omnis exaudiat, quale in caſtris, in acie fit, quod Græcè dicitur ἀλαλαγμός, vociferatio. Hebræi quoque ſuam vocem תרועה terua, quæ eſt hoc loco, exponunt, quæ fit ore, manu, ſcilicet plauſus, vt eſt alibi, Plaudite manibus. Inuitat ad hymnos, ad carmina diuina, ad lætitiam Deorum, patrem ſuum aſſiduè canentium in cęlo.

Quoniam rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide.

Plauſus.

Rectum. n. ver. do.

Opera .n. in fide.

QVæ ſint canenda proponit. Vt canerent iuſti, ore, manuque plauderent, inuitauerat, nunc genus carminis concinendi demonſtrat: hymnus erit, inquit. A principio iuſtitiam, æquitatem. dictorum conſtantiam efferemus. Quæcunque loquitur eſſe veriſſima, plena bonitatis, veridica. Non quales Dij gentium mendaces, implanatores, falſis oraculis, mortalium mentes ludificantes. At verbum Dei, ſermo, oracula, vera, recta ſunt, quia veri Dei. Vt ſermo veridicus, ſic opera comprobant dictorum veritatem. Opera enim fiunt ab eo, vera, ſolida, non falſa, inania, ſubuentanea. Cum fide ſunt opera eius, nimirum ſtabilia, firma, ſolida, quibus veritas ſubeſt, æterna. Hæc prima virtus decantabitur, vt verus Deus, vt cęlo, terriſque numen omnipotens oſtendatur. Secunda virtus, alteraque laus: F

Diligit miſericordiã, & iudicium Dominus, miſericordia Domini plena eſt terra.

In deterio. cernui ſumus.

PRo miſericordia, eſt in fonte צדקה zedaca, iuſtitia, cui quadrat ſecundũ, iudicium. Duas præclaras eius virtutes ore noſtro celebrandas, perpetuoq; referendas oſtendit: Eum eſſe iuſtiſſimũ, æquiſſimũ, iudicio eius cũcta ſubiacere, nõ oſcitantem, dormitantem, negligentẽ res hoĩum, cui nõ doleat ſi quid ſceleris fiat in terris, imò iudicem eſſe, cui gratiſſima ſit iuſtitia, iudiciumq;, ius, ordo, rectitudo: cõtrà, iniquitas inuiſa execranti flagitia, ſceleratos odio habenti. Altera virtus, quòd quanquàm ſeuerus, quanquàm peccata peroſus, ſciens tamen miſeros mortales in errorem pronos, cernuos in ea, quæ ſunt deteriora, miſeretur, condonat, beneficus, miſericors, liberalis. Aſſidet igitur ei virtus vtraq; ſeueritas, iudicium: tum comitas, manſuetudo, clementia. Hi regni comites, ſceptrum eius perpetuò proſequentes. Hæ præclaræ virtutes eius, quibus eſt omnis gloriæ patronus, plena maieſtatis, bonitatis eius, omnia, quo nullus Rex iuſtior, nec iniuriis condonandis, nec iuſtitia moderanda temperatior. Diligit quidem iudicium, & iuſtitiam, at tanta ei miſericordia, liberalitaſque ineſt, vt per vniuerſam terram ſe diffundat, quaſi latior, ingentiorque ſeueritate. Nulla natio expers eſt, nullum hominum genus, bonitatis, beneficentięque eius. Totum per orbem terrarum commeat liberalitas, clementiaque eius. Tanta eſt, quantam capiat vniuerſa terra. Pergit ad alias virtutes.

Verbo Domini, cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum.

Firmati ſunt.

Omnis virtus eorum.

FIrmati ſunt, ἐστερεώθησαν, Hebraicum, נעשו naaſu, facti ſunt, creati ſunt. Omnis virtus eorũ, fons צבאם zebaã, exercitus, aut militia eorũ. Quod Gręcũ quoq; reſonabat πᾶσα δύναμις αὐτῶν, A αὐτῶν omnis militia, ſiue omnes copiæ eorum. Exercitum, ſiue militiam cæli vocant Hebræi, ſtellarum choros, per cælum veluti militares copias, atq; acies diſpoſitos. Itaque Hieronymus refugiens inſolentem Latinis locutionem tranſtulit, ornatus eorum. Quæ vox eſt Græcis etiam pro exercitu, ſiue acie, quam vocant διακόσμησιν. Quòd dixit, verbo eius cęlos eſſe creatos, refert theologiam Moſaicam, qua maximus ille theologus cuncta iubente Deo creata prædicauit, & ſcripſit. Verbum eius hoc loco, eſt imperium eius, iuſſa, motus. Quaſi Vates decantet, imperio Dei creati ſunt cęli. Imperante Deo, mundus editus eſt. Sol, choreæque cæleſtes enituerunt. Solo imperio cuncta condidit. Ad nutum eius ſidera fulſerunt. Eo præcipiente nulla res in tenebris priuationis ſempiternæ, quę mundum anteceſſit, ſubſtitit. Verba igitur, & dicta Dei apud Moſen in libro creationis, & in hoc pſalmo, ſunt imperia, præcepta, nutus. Velut dictator inducitur à ſacris Vatibus Deus, cuius ad nutum cuncta moueantur, vt apud profanos:

Verbum.

Annuit, & nutu totum tremefecit Olympum.

Hoc poteſtas, hoc facultas rerum creandarum comprobatur: qui non laboret faciendo propter potentiæ ſuæ magnitudinem, nihil ei reſiſtat, omnia cedant tantæ potentiæ. Motu quodam inuiſibili, præpotenti, cuncta concitat. Inſuper ea, quę nuſquam ſunt, quibus nullum ſit præiacens exordium, educit. Repetit, vt conſueuit aliis verbis, eandem ſententiam: Et ſpiritu oris eius. Spiritus oris eius, idem atque verbum eius, locutio, ſpiratio: ſicut idem propè eſt, cęli, atque ornatus eorum. Plato ille diuinus, ſiue quòd apud prophetas ea legiſſet, ſiue quòd in libris Mercurij Triſmegiſti legerentur, ſcripſit in libro qui dicitur Επινομὶς, verbum diuiniſſimum cęleſtes ordines poſuiſſe, vt noſtri de perenni philoſophia libri comprobant. Enumerat res poteſtate, imperijſque eius creatas. B

Eaque non ſunt.

Spiritus oris eius.

Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.

Dixerat, beneficijs, ac liberalitate eius plenam eſſe terram. Huius liberalitatis ac munificentiæ fuit locuples teſtimonium, creatio mundi, maximis hominum generi beneficiis collatis, omnibus generatim commodis repertis: vt homines exiſterent ſuper terra, ne quid eis ad viuendum deeſſet, cęlum in primis cum ſideribus, & aſtris, cum Sole, & Luna, velut lucernis in laquearibus mundi, conditum eſt. Sed qui profuiſſet, lumina illa ſuper altiſſimis mundi regionibus poſuiſſe, niſi fuiſſent, quibus luceſcerent, radios ſuæ claritatis demittentes? Erat autem in primordio rerum, vt Moſes docuit, tellus, immenſis aquis circunfuſa, ob eamque cauſam inhabitabilis, inuiſibilis, incompoſita, nullis animantibus, nullis arboribus exornata. Secludere igitur aquas oportuit, quibus in demiſſiora loca coactis, reliqua terra domicilium animantiũ reſtituit aperta, diluta, madida. Sol eam flagrantibus radiis incendens, produxit, plãtas, herbas, bruta animantes. Subito creatus eſt homo, rerum dominus. Niſi igitur aquas longius remouiſſet, fieri quæ poſtea conſecuta ſunt, minime potuiſſent. Congregauit igitur eas quaſi in vtre. Vtrem ex metaphora concauas mundi partes appellat. Pro vtre, vt Græcè quoque eſt ἀσκός, in Hebraico legitur נד ned, ea uox exponitur Hebræis cumulus, moles, aceruus. Congregauit aquas in unum aceruũ, unã molem, unam maſſam, unã gentem coegit omnium aquarum, ſuper uniuerſam terrã prius diffuſarum: eis propria regna dedit, relictis, nõ ſuis. Iterat idẽ, uocans theſauros, quos prius vtrẽ, molẽ. Sunt aquarũ theſauri, loca mundi preſſiora. Condidit hic ingẽs opifex, cuius imperiis obediebant omnia, maximas aquarum moles. Has earum reconditas, ſecluſaſque ab hominum domicilio ſedes eſſe voluit. Hi ſunt earum theſauri, quaſi cellæ non vinariæ, ſed aquariæ. Prius dixit Aquas maris, poſt Abyſſos, vt prius vtrem, exin theſauros. Idem theſauri, atque vter, idem abyſſi, atque aqua, vt paulò ante, idem cęli, atque ornatus eorum, idem verbum eius, atque ſpiritus oris eius. Abyſſos, numero multo dixit, quam Moſes quoque de rerum creatione ſcribens induxit: Et tenebræ, inquit, erant ſuper faciem abyſſi. Sentit, ſcilicet, aquas illas ſuper vniuerſa terra antea quàm iubente Deo diſcederent, latè incumbentes. Abyſſus, Græca vox à verbo βύω, impleo, expleo, & priuatiua particula, quaſi inexplebilis, inſatiabilis vorago.

Status mũdi, recens creati.

Congr. eas quaſi ĩ vtr.

Theſauri.

Abyſſi.

Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

Qvando igitur tantæ maieſtatis eſt, tantæ potentiæ, tantę bonitatis, nonne timendus, & colendus? Beneficentia qua condidit mundum, non inuidus vitę, ſed donator, nonne coget, vel ingratos amare, & colere? Poteſtas item, qua condidit cęlum, ſideribus exornauit, terras ab aquis ſegregauit, nonne coget reuereri, timere, contremiſcere? Terra igitur vniuerſus ſcilicet terrarum orbis, omnes, qui globum hunc tuentur, timeat hunc tam prępotentem opificem, quem dixi terram creaſſe. Oportet habitantes terram timere, venerari eum, qui domicilium hoc dedit, tum cogitare quantę ſit potentię. Quod Gręci interpretes dixerunt σαλευθήσονται, Commoueantur, eſt in Hebraico uerbum timendi יגורו iagoru, expaueſcant, contremiſcant. Conſueuit enim per omnes uerſus diuerſis uerbis, bis eandem ſententiam exprimere.

Commou.

Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

Creata ſũt.
Dixit.

SOlo imperio quemadmodum ſuperius oſtenſum, ſolis nutibus, & edictis, omnia creauit, non laborando, ſudando vt mortales. Edicta, & verba eius efficacia, plena virium robuſtarum, maximas moles excitabant, pulcherrimos ordines, motus ingentes ciebant. Obediebant naturæ diuinæ cęlum, terra, mare. Quidquid vellet in lucem euocabat, magnarum regnator aquarum. Quod Græcè eſt ἐκτίσθησαν, creata ſunt, Hebraicè ויעמוד: vaiaamod, & ſteterunt. Extiterunt, emerſerunt: ſteterunt in pedes. Quid ſit, Dixit, diſce ex ſecundo, mandauit. Dicta eius, quæ ſunt apud Moſen in libro creationis, ſunt mandata, imperia, edicta. Hunc verſum ſcias habere quemadmodum vertit ex Hebraico Hieronymus. Quia dixit, & factus eſt, ipſo præcipiente ſtetit, ſcilicet orbis, quem in ſuperiore verſu memorauerat. D

Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.

REdundat in hoc verſu καὶ ἀθετεῖ βουλὰς ἀρχόντων, Et reprobat conſilia principũ. Propterea clarius, & apertius, hæc transferens Hieron. in ſuo, ad Hebraicam veritatem Pſalterio, Dñs diſſoluit conſilium gentium, irritas facit cogitationes populorum. Propoſito igitur quanta ſit diuina maieſtas, quàm admirabilis, qui ſolis edictis cuncta poſuerit, cuius conſiliis totum mundi conſtitutum ſit opus, reſpicit gentes, quæ verum, ac præpotentem Deum neſcientes, cogitationes, & curas ad fictitios quoſdã Deos cõuerterunt: partẽ alia impios quoſdam, ſiue philoſophos, ſiue nationes coarguit, quibus conſilium fuit funditus euertere verã philoſophiam prædicantẽ, quæ cernimus omnia conſiliis diuinis conſtitiſſe, in contrarium illi, nullum hæc exordium habuiſſe, ſempiterna, ſemperque hunc ordinẽ a natura datum retinentia. Alij ſi quod exordium habuiſſent, at temere, nulloq; operante, ſed ſpõte ſua nata eſſe. Has igitur cogitationes Deus diſſoluit, infirmat, diſſipat, coarguit, non ſinit eſſe veras. Oĩa. n. conſonant vna voce, nihil ſine Deo factum eſſe. Multis quoque & crebris indiciis, quotidie maieſtatis ſuæ magnitudinem confirmat. E

Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.

In genera. & gener.

SEcus quàm conſilium, & cogitatio eorum. Cogitant illi vana, falſa: at Deus ſempiterna: propterea ꝙ vera ſtabilia. Conſilium Dei fuit, vt eſſet hoc omne, cuius dominus eſſet ſpiritus humanus. Hunc Deus creauit ſempiternũ. Fuit itẽ cogitatio eius, vt eſſet iuſtitia, ius, ordo. Hæc voluntas æterna eſt, æternumq; erit quod inſtituit. Cęlum & terra tranſibunt, ſiue mutabuntur, verba aũt eius non tranſibunt. Sub hoc conſilio incluſum eſt, vt qui viuũt iniquè, qui male de rerum conditore ſentiunt, tametſi vindicta differtur, demũ plectantur. Hæc æterna, immutabiliſq; cogitatio: propterea ſolus ipſe, & cogitationes eius permanent ad ſempiternũ tp̃s, reliquis rebus deficientibus. Omnia ad hoc conſilium directa ſunt, & hoc ante mundi cõſtitutionem poſitum, vt iuſtitia, ſanctitaſq; triumpharet, regnaret, vt iuſti acciperent regnũ, quod præparatũ eſſet ab origine mundi, iniuſti, ſcelerati traderentur flãmis, in cõſortio ſpirituũ ſceleratorũ. Exultate igit̃ iuſti in Domino. Euertitur. n. diſſipatur, conſiliũ impiorũ philoſophorum, qui ferunt mundum fuiſſe, futurumq; eſſe ſempiternum, à nemine creatum, nemine rerum cauſas moderante, nemine gubernaculum mundi tenente. Earum item gentium perſuaſio ridicula erit & diſſipabitur, quæ F Deos fictitios coluerunt. In generationem, & generationem, Hebraica locutio in æternum.

Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius, populus, quem elegit in hæreditatẽ ſibi.

Iehouah.

IVre igitur ſunt beati quibus datum eſt noſſe, & colere verum Deum. Quibus eſt Deus verus, quorum Deus, eſt is, qui dicitur Hebraicè quatuor litteris Iehouah, ſi ſcribas ea lingua, IHVH. Beata gens, quæ colit hoc numen, quæ pro Deo ſuo hẽt non Solem, aut Lunam, aut Stellas, ſiue homines inſignes, aut quædam portẽta, vt Chaldæi, Aegyptij, Græci, Romani, ſed vt Hebręi, præpotentem illum cœli, terrarumque repertorem noſcentes. Hunc populum peculiarem ille ſibi delegerat, à reliquis nationibus, moribus, inſtitutis, religione ſegregatum. Iure beatum hominum genus, ob æternæ veritatis ſcientiam, & cultum. Nobiliores ſunt ſcientiæ, nobilior religio, philoſophiaque item melior, quo nobilius eſt quod ſpeculatur, conſiderat, intuetur.

De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum.

Scientia noſtra.

PRopterea beata illa natio, vt cui data eſt ſcientia vera, cæteris inſania laborantibus. Hæc ſcientia, cognitioq; vera beatæ nationis, ꝙ nouit, exploratumque habet Deum ſummum, mare veliuolum, terraſq; iacentes ex alto cęli vertice deſpicere: non facta hominum neſcire, aut negligere, imo fixis oculis intueri. Scit eos eſſe mẽdaces, ꝗ de natura diuina ferunt.

Ipſa ſuis opibus contenta, nil indiga noſtri.

Cecinerat item ſuperius huius ſummi numinis potentiam. En igitur quale, ac quantum robur huius Dei, cui ſedenti, regnantique in cęlo patent omnia, quæ fiunt in terris, motus arcanos animorum, ipſaque etiam pectora intuenti. Nulla eſt in terris natio, quam ipſe de cęli ſpecula non cernat, non cunctos generatim populos modo, ſed ſingulos etiam homines explorans.

A De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant terram.

Præparat.

PRæparatum habitaculum, vt eſt Græcè, ἐξ ἑτοίμου οἰκητηρίου, clarius ex Hebraico percipies ממכון שבתו mimecon shibeto, De firmitate ſolij ſui. Et Hieron. id ſciens, tranfert, De firmiſſimo ſolio ſuo. Solium ſiue ſedem, aut habitationem, firmam vocat, nempe locum immortalem, nullo ſenio deficientem. Et, vt ait Plato de cælo: ἀγήρων, ἀθάνατον, ſenij, & interitus expers. Ob eam cauſam vocatur στερέωμα, firmamentum, firmitas. Homerus χαλκοβατὲς δῶ, ædes æratas, ex ære, compage ferrea, Domos olympias, adamantinas. Ex hac ſtabili ſedis ſuæ ſpecula cuncta colluſtrat in terris. Vno intuitu totum terrarum orbem, nec aere, nec nubibus, proſpectum eis eripientibus, contingit, non tantum ea, quæ in agris, & ſub diuo geruntur, perſpiciens, ſed item penetrans in thalamos, imo pectoribus humanis ſeſe inſinuans. Hæc illi maieſtas, hæc potentiæ, ſapientiæ magnitudo. Haud prohibet quo minus terreſtria cernat, quòd ſit in altiſſimo cęlo: tantus eſt illi viſus, tantus oculorum proſpectus.

Solium.

Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Singillat.

PRæclarè id ſubiicit, Qui finxit ſingillatim cuiuſq; cor: Qui ſingulo cuique cor fabreſecit, qui pectus condidit, aptauitq́; vt moueretur ad cogitandum, nonne is perſpiciet cogitationes, membrorum autor, quibus cogitationes concipiuntur? Eſt quoque in alio Pſalmo, Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Obſcurè tranſtulit Latinus, Græcum κατὰ μόνας, quod eſt ſingulariter, aut ſinguli cuiuſque, Hebraicè חד iachad, ſimul. Finxit ſimul corda eorum, nempe vniuſcuiuſque corda finxit. Facta quoque aſſerit eſſe perſpicua, vt qui cor extruxerit initium cogitandi, fontemque operationum.

Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.

B PErmultam virtutem. Virtus Græcè δύναμις, iuxta Hebraicum חיל chail, hoc loco eſt pro exercitu, militia, copiis militaribus. Rex non ſeruatur exercitus multitudine, ſalus regia non eſt in exercitu innumerabili. Pro Gigante, legitur Hebraice גבור gibbor, fortis, robuſtus. Nec fortis, inquit, ſeruatur ex magna fortitudine, egregiaque virtute. Optimè igitur hæc ſubiecit. Extulerat dictis, numinis æterni maieſtatem, cui nulla cælo, terriſq; ſit comparanda poteſtas, id eo maximè teſtimonio comprobari, ꝗ cùm in terris nulla ſit vis maior, quàm regum, quos magni exercitus comitentur, ſæpe tamen fieri, vt hæ copiæ nihil habeant virium, facile in fugam vertuntur. Gigantes quoq;, qui & corporis proceritate, & viribus cæteros mortales anteire creduntur, debilitate conciderunt. Itaque exercitibus, & regibus vires à præpotenti Deo ſubijciuntur,

Virtus.

Gigas.

Sufficit ille animos, vireſque miniſtrat.

Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.

QVod dixit de pedeſtribus copijs, idem de turmis equitum prædicat. Non eſt quòd fidas innumerabili equitatui. Qui fidunt facile, deceptos inuenies. Fallit equorũ multitudo: nihil habet momenti ad ſalutẽ, equitũ copia. Totaq; res eſt de rege, & exercitu, poteſtq; eſſe ſenſus Hebraicè, Aut in multitudine virtutis ipſius equi, aut ipſius regis. Nã Hebraicè eſt nomẽ exercitus חילו cheilo exercitus ſui, Et in multitudine ptãtis, aut exercitus ſui, nõ ſaluabit̃ rex.

Ecce, oculi Domini ſuper metuentes eũ, & in eis, qui ſperant ſuꝑ miſericordia eius.

C QVando igitur in his, quæ terreſtria ſunt, nulla ſalutis ſpes, nuſquam robur, præſidiumq́; cui poſſis intrepidè, ſecuruſq; fidere, miris certè laudibus efferre cæleſte præſidium decet, totis viribus inhærendum. Hæc vera, hæc fida cuſtodia dicenda. Hac ſuperabis inimicos, per tela, per hoſtes tranſibis innocuus. Sed hęc cuſtodia non cunctis promiſcuè vigilat, non in omnes temere ſuæ prouidentiæ dirigit aciem, aduerſa repellens, ſed his qui metuunt, qui colunt, venerantur eum, venerantes ſperant ſe clementia eius defendendos. Id præmij datur eis, quòd oculi Dei eos aſpiciunt. Nam cùm Deum ſibi colendum exiſtimaſſent, hoc verum numen vniuerſi moderatorem conſiderantes, eadem ſapientia conſtituerunt huic eſſe fidendum, cuius beneficio mortales malis eripiantur. Ex eodem fonte ſapientiæ eſt, Deum colere, atque ſpes omnes ad eum vertere. Cùm aũt ſit hæc philoſophia longè vetuſtiſſima, cum ſint oracula cęleſtia, certè credendum eſt, aſſerentibus oculos Dei reſpicere bonos, ac iuſtos.

Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

ANimas eorũ, vitas eorũ, ſpiritus. Eſt Latinis quoq; aĩa, vita, ſpiratio, flatus, vt impellunt lintea aĩæ Thraciæ. Duo bñficia diuinitus eſſe, ſperantibus in eum prędicat: generatim omnis leti timorẽ ab eis depelli, in primis, quod plurimũ vexat, ingenteſq́, ſtrages edit vbiq;, famẽ prohiberi. Quidquid agitãt mortales, huc deniq; tendit, vt famẽ repellant, oĩs labor, oĩs ſudor, inopię fugã meditatur. Duo finitima memorauit, mortem, famem, vt Gręcis eſt prouerbiũ. λοιμὸς μετὰ λιμὸν, peſtem ſubſequi famem. Peſtis à fame, vt nunc, Mors, & fames. Nutriuntur iuſti, inopia terris incumbente, vt quibus corui panem attulerunt, fame cæteris mortalibus laborantibus, ſæpe pij, & ſperantes in eum, eſcam Deo ſufficiente, inopiam ſuſtentauerunt, famem tolerauerunt.

Impiger extremos currit mercator ad indos, pauperiem fug.

Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noſter eſt. D

ANima, vita nunc quoque Suſtinet Græcè ὑπομένει, expectat, vt eſt Hebraicè. Pios ergo palàm eſt expectare cæleſte ſubſidium, huic fidere. In eorum ſe eſſe numero, canit ſanctus Vates, vt hanc eſſe pietatem veram nobis oſtendat. Quibus Deus eſt auxiliator, & protector, ſuffragium eius è cælo deſcendit. Eſt quibus pietas eſt cordi, benefactis gaudent. Oderunt peccare pietatis amore. Hos expectare decet Dominum, exploratum, compertumque eius ſubſidium habentes.

Quia lætabitur cor noſtrum & in nomine ſancto eius ſperauimus.

HAec lætitia eſt, nimirum quòd ab eo eripimur, quòd iniquiſſimo tempore ſubducimur, quòd affert ſalutem, quòd eo protegente triumphamus, lætum pæana canentes, quòd ſpes fortiſſima nobis ille eſt. Nomen eius eſt ſanctum, venerabile: quod cernuos nos oportet venerari. Nomen ſacrum, ſanctum, auguſtum, pium. Eſt Hebræis nomen eius, fama, celebritas, exiſtimatio, eſt quaſi cognitio eius. Nomen Dei.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

QValis ſpes eſt, talis ſit miſericordia, beneficium. Decet qui noſtra ope nituntur, qui ſeſe nobis crediderunt, non prodere. Spes eorum non fallere, optimæ naturæ eſt, qui ſe tibi totum commiſiſſet, fidemque tuam implorasſet, ne contemnas, negligas, abiicias, ſed plus tribuas quàm ſperaſſet. Hi Deo quàm ſimillimi in terris habentur.

PSALMI XXXIII. EXPLANATIO.

Vultus. TItvlvs huius pſalmi eſt, Pſalmus Dauid cùm immutauit vultum ſuum coram Abimelech: & dimiſit eum, & abiit Vultum ſuum rectius, quod apud Hebræos extat טעמו taamo, ea vox ſignat ſenſum, guſtum, intellectum. Nam Auen Eſra loco eius ſubiicit declarans לבו שכלו דעתו libro, ſikolo, daatho, Cor ſuum, intellectum ſuum, intelligentiam ſuam. Mutauit vultum, quia mutauit intellectum, qui ſapiens eſſet, ſimulans inſipientiam. In vultu ſunt ſigna mentis, ſi mens deſipit, ſi ſapit, vultus teſtis. Hierony. quoque non dixit vultum, ſed os. Nam, qui ſimularet ſtultitiam, ſecus quàm cùm ſapiens videretur, loquebatur. Hiſtoria nota eſt ex libris Regum, abundè ſuper eo Græcis, Latiniſq; loquentibus. Obſeruatur Hebræis eundem eſſe Abimelech, atque Akis regem Ghet, de quo in libris Regum. Arbitrantur, aut cognomen eius fuiſſe Abimelek, aut omnes reges Palæſtinorum, à primo vocari Abimelek, vt omnes Romanorum imperatores, Cœſares, & Auguſti, Aegyptiorum, Pharaones, Arſaces reges Parthorum. Eadem Græci perhibent, in primis diuus Baſilius, quod Euthymius teſtatur. Quòd ei feliciter ceſſit ſimulaſſe ſtultitiam, pſalmum ſuper eo cecinit. Eſt, vt iidem Magiſtri comprobant, artificioſè contextus is pſalmus, vnoquoque verſu à littera Alphabeti incipiente: pleroſque eius generis edidit. Eſt Pſalmus de clementia diuina mortalium auxiliatrice, preces eorum minimè aſpernante, ſceleratis, & flagitioſis exitus triſtes ſortientibus. Aduerſus eos, qui delinquunt in terris, dormire, aut ignorare, vel negligere diuinum numen, iuſtitiam non eſſe contendentes. E

BEnedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. F

HOc ſapientiæ, & rationis opus, amouenda cunctis viribus ingratitudo: qui plurimum profuit, huic maximæ. Non poſſunt Deo referri gratiæ, vt eiſdem eum aliquando beneficiis proſequaris, quæ tibi contulit. Ore tantum, & pectore (quod ei acceptiſſimum ſacrificium eſt) poſſumus gratitudinem oſtendere. Profertur etiam à Græcis ex diuo Paulo, oportere nos ſemper vigilare, atque orare. Benedicitur Deus, ac laudatur, quòd ſæpe admonui, cum maieſtas eius, ore noſtro grandeſcit, inundat facinoribus eius oratio, cùm ſępius redit memoria ſuorum erga nos beneficiorum. Frequenter meditamur, nobiſcum reputantes magnitudinem bonitatis. Inde animus inardeſcit, incenſus amore benefacientis. Hæc pſalmorum cęleſtis philoſophia. Deus quando laudet.

In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur.

Laudab. Para. 287. LAudabitur, eſt velut intranſitiuum, gaudebit, exultabit. Spiritus, ait, meus in vno hoc ſeruatore gaudebit. Non eſt alius mihi ſeruator, aliud præſidium. Hic omnis mea voluptas, hæ deliciæ, hoc gaudium. Inuitat manſuetos ad eandem lætitiam, vt quorum eadem eſt pietas, ac vitæ conſtitutio, eadem quoque ſit lætitia. Manſuetos vocat, quaſi pios, demiſſos, timentes, colenteſque Deum: quibus non dominatur arrogantia, ſuperbia, non impotenter libidinibus parent. Deiecere ſupercilium, faſtum, non præceptis modo, ſed nutibus etiam diuinis parere parati. Hos vnos, non ſuperbos mundi huius, hominum diuumque contemptores, ad audienda beneficia diuina, ſanctamque lætitiam, ad carmina cęleſtia vocat. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, diuites dimiſit inanes. Vt Deus reſpicit humiles, manſuetos, (nam eodem nomine Manſueti.

A humiles, & manſueti dicuntur ענוים anauim, vero nomine Græcè ταπεινοφρονοῦτες.) ſic ſanctus Vates hos audire gratias, precatur, non audientes ſecum lætari. Quorum ſibi lætitia ſit grauiſſima, & quos ſciat ob has cauſas exultare, quorum in pectore vera gaudia verſari conſueuerint, Audiant, aiunt Græci explanatores, vt prodigioſe ſeruatus ſim. Ijdem manſuetos interpretantur innocentes, qualis ipſe eſſet. Exultent, quòd tales à Deo non deſeruntur, in periculis ſeruantur. Ego, ait, ſim vobis exemplo, animos, ſumite.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.

In idipsũ.

IN idipſum, quod etiam in Græco eſt ἐπὶ τὸ αὐτὸ, clarius ex fonte עני iachad, ſimul, vnà, Exaltemus ſimul nomen eius, in vnum coacti, ſimul coeuntes. Plena ſint lætitia, & gratulatione omnia, quòd tanta pericula, opem ferente Deo, vitauerim. Vna ſit noſtrum harmonia, quę magnificet, tollat nomen Dei. Nomen Dei, memoriam, famam, maieſtatem, gloriam: Hinc cernis magnificare, ac benedicere, idem propè eſſe, cùm Deus ſit magnus ore noſtro, cùm magnitudo eius refertur, celebratur. Propterea dictum, magnificate. Poteſt in mundo obſcurior eſſe, ſit clarior laudibus noſtris. Opera Prophetarum, ſedulitate piorum fiebat manifeſtior, bonitatem eius indefeſſè recinentium, apud omnes gentes, quibus eſſet obſcurius id numen, potius ſimulacra colentibus, efferentium. Eodem ſpiritu Græci tendunt, magnificare, eſſe grandia, atque numine eius digna prædicare, quemadmodum exaduerſo, deprimere, atque minuere bonitatem eius, exigua, atque humilia de eo loqui.

Magnific.

Deum.

Deprimer.

Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Tribul.

Deum q̄rere.

B HOc carmen erit. Hoc in primis celebrabitur. Imploratur à iuſtis Deus, imploratus adeſt, non negligit res hominum piorum. In calamitate præſens numen, ſalutaris. Tribulationes, rectius Hie. dixit anguſtias. Quęritur Deus, Vate docente, non pedibus, locorumque mutatione, longinquas terras adeundo: apud nos eſt, cùm imploratur, cum validæ preces feriunt ſydera: aures eius vbique tundentes, impellunt. Non eſt ſurdus vt audire non poſſit, non eſt inexorabilis, vt refugiat audire opem petentes, tam poteſt, quàm paratus eſt audire, nec ſecius audit, quam facultas eſt audiendi. Nec inopia & abſentia prohibet quò minus, quæ petis excipiat, nec crudelis, duruſque auertitur, deſerens multa loqui volentes. Non ſunt caſſę preces bonorum, in tenues auras abeuntes. Non ſecum rapidi portabunt omnia venti, haud in ventum vocem vertere procellę. Nec quales delicati principes, quibus faſtidio ſunt loquelæ, ſeſe veluti canibus apprehenſos alloquentibus, mordicus auribus dependentibus querentes. Nullus ei labor audire numerum loquentium quantum velis auxeris.

Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.

Accedite.

OB hanc cauſam nemini cunctandum eſt, cùm ſint omnia parata, cùm nihil prohibeat quò minus gratias quas poſtulaturus accedis, aſſequaris. Quid moramur? ait. Quin accedimus propius? Non leue, non exiguum beneficium erit, quod dabitur: ſplendeſcet in nos præſentes claritas vultus eius, amouebitur tranſenna, prodibit glorioſum, plenum claritatis numen. omnis in nos fulgor offundetur. Animus clareſcet, mens ſi quibus tenebris caligaret, extemplo radiis diuinis luceſcet, diſcuſſa graui caligine. Dabitur ſapientia, inſcitia, inſipientiaque cui tenebrarum nomen iure congruit, repulſa, euigilabit animus ad alta. C Scire operæpretium eſt, quod Græcè eſt, φωτίσθητε, illuminamini, Hebraicum נהרו naharu, duplicis ſignificatus ab Hebræis accipi. Nahar illis eſt flumen, inde verbum naharu, fluite, confluite. Hoc placuit Hierony. qui tranſtulit, Aſpicite ad eum, & confluite. Rabi Dauid, Senſus, ait, huius verſus eſt, inceſſus cum celeritate, quemadmodum flumen decurrit. Reſpicite, inquit, ad eum, & currite. Non diſplicet illis ſignificatus luminis, ut Auen Eſra, Naharu, inquit, יאורו Iaoru, illuminamini. Sic Rabi Salomon exponit האירו hairu, luceſcite. Non confundentur, Hebraicè clarum יחפרו iechparu, erubeſcent, pudefient, ignominia afficientur: non illudentur, nullo rubore vultus perfundetur ob ignominiam, ob repulſam, vt qui diſcedunt à conſpectu principum, non aſſecuti quod flagitaſſent.

Nahar.

Non conf.

Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

Pauper.

PAuper Hebraicè עני ani, eſt item inops, afflictus, vexatus, calamitate circunuentus. Demonſtrat ſeipſum, vt ferunt Hebræi. Iſte pauper, ait, quem videtis, quem nunc canentem gratiaſque agentem aſpicitis, clamauit cum calamitas premeret, vrgerentque incommoda: Deus exaudiuit. Non ſunt, ait, exempla longè petenda, num Deus audiat, cùm longè grauiſſimus dies inſtat, nos autem circunſpicientes deeſſe quicquid opis humanę ſperare poſſemus, vertimus oculos ad cęleſte præſidium. Iſte vexatus: hoc corpus, quod ante oculos aſtat, magnis eſt per orationem cladibus liberatum. Hoc decanto, hoc carminibus proſequor, hic triumpho, is victorialis, triumphalis hymnus mihi canitur. Has ago, vt cernitis, gratias, acturus ſemper dum vixero, dum memor ipſe mei.

Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noſter eſt. D

ANima, vita nunc quoque Suſtinet Græcè ὑπομένει, expectat, vt eſt Hebraicè. Pios ergo palàm eſt expectare cæleſte ſubſidium, huic fidere. In eorum ſe eſſe numero, canit ſanctus Vates, vt hanc eſſe pietatem veram nobis oſtendat. Quibus Deus eſt auxiliator, & protector, ſuffragium eius è cælo deſcendit. Eſt quibus pietas eſt cordi, benefactis gaudent. Oderunt peccare pietatis amore. Hos expectare decet Dominum, exploratum, compertumque eius ſubſidium habentes.

Quia lætabitur cor noſtrum & in nomine ſancto eius ſperauimus.

HAec lætitia eſt, nimirum quòd ab eo eripimur, quòd iniquiſſimo tempore ſubducimur, quòd affert ſalutem, quòd eo protegente triumphamus, lætum pæana canentes, quòd ſpes fortiſſima nobis ille eſt. Nomen eius eſt ſanctum, venerabile: quod cernuos nos oportet venerari. Nomen ſacrum, ſanctum, auguſtum, pium. Eſt Hebræis nomen eius, fama, celebritas, exiſtimatio, eſt quaſi cognitio eius.

Nomen Dei.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

QValis ſpes eſt, talis ſit miſericordia, beneficium. Decet qui noſtra ope nituntur, qui ſeſe nobis crediderunt, non prodere. Spes eorum non fallere, optimæ naturæ eſt, qui ſe tibi totum commiſiſſet, fidemque tuam imploraſſet, ne contemnas, negligas, abiicias, ſed plus tribuas quàm ſperaſſet. Hi Deo quàm ſimillimi in terris habentur.

PSALMI XXXIII. EXPLANATIO.

E

Vultus.

TItvlvs huius pſalmi eſt, Pſalmus Dauid cùm immutauit vultum ſuum coram Abimelech: & dimiſit eum, & abiit Vultum ſuum rectius, quod apud Hebræos extat טעמו taamo, ea vox ſignat ſenſum, guſtum, intellectum. Nam Auen Eſra loco eius ſubiicit declarans לבו שכלו דעתו libro, ſikolo, daatho, Cor ſuum, intellectum ſuum, intelligentiam ſuam. Mutauit vultum, quia mutauit intellectum, qui ſapiens eſſet, ſimulans inſipientiam. In vultu ſunt ſigna mentis, ſi mens deſipit, ſi ſapit, vultus teſtis. Hierony. quoque non dixit vultum, ſed os. Nam, qui ſimularet ſtultitiam, ſecus quàm cùm ſapiens videretur, loquebatur. Hiſtoria nota eſt ex libris Regum, abundè ſuper eo Græcis, Latiniſq; loquentibus. Obſeruatur Hebræis eundem eſſe Abimelech, atque Akis regem Ghet, de quo in libris Regum. Arbitrantur, aut cognomen eius fuiſſe Abimelek, aut omnes reges Palæſtinorum, à primo vocari Abimelek, vt omnes Romanorum imperatores, Cœſares, & Auguſti, Aegyptiorum, Pharaones, Arſaces reges Parthorum. Eadem Græci perhibent, in primis diuus Baſilius, quod Euthymius teſtatur. Quòd ei feliciter ceſſit ſimulaſſe ſtultitiam, pſalmum ſuper eo cecinit. Eſt, vt iidem Magiſtri comprobant, artificioſè contextus is pſalmus, vnoquoque verſu à littera Alphabeti incipiente: pleroſque eius generis edidit. Eſt Pſalmus de clementia diuina mortalium auxiliatrice, preces eorum minimè aſpernante, ſceleratis, & flagitioſis exitus triſtes ſortientibus. Aduerſus eos, qui delinquunt in terris, dormire, aut ignorare, vel negligere diuinum numen, iuſtitiam non eſſe contendentes.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. F

HOc ſapientiæ, & rationis opus, amouenda cunctis viribus ingratitudo: qui plurimum profuit, huic maximæ. Non poſſunt Deo referri gratiæ, vt eiſdem eum aliquando beneficiis proſequaris, quæ tibi contulit. Ore tantum, & pectore (quod ei acceptiſſimum ſacrificium eſt) poſſumus gratitudinem oſtendere. Profertur etiam à Græcis ex diuo Paulo, oportere nos ſemper vigilare, atque orare. Benedicitur Deus, ac laudatur, quòd ſæpe admonui, cum maieſtas eius, ore noſtro grandeſcit, inundat facinoribus eius oratio, cùm ſępius redit memoria ſuorum erga nos beneficiorum. Frequenter meditamur, nobiſcum reputantes magnitudinem bonitatis. Inde animus inardeſcit, incenſus amore benefacientis. Hæc pſalmorum cęleſtis philoſophia.

Deus quando laudet.

In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur.

Laudab. Para. 287.

Manſueti.

LAudabitur, eſt velut intranſitiuum, gaudebit, exultabit, Spiritus, ait, meus in vno hoc ſeruatore gaudebit. Non eſt alius mihi ſeruator, aliud præſidium. Hic omnis mea voluptas, hæ deliciæ, hoc gaudium. Inuitat manſuetos ad eandem lætitiam, vt quorum eadem eſt pietas, ac vitæ conſtitutio, eadem quoque ſit lætitia. Manſuetos vocat, quaſi pios, demiſſos, timentes, colenteſque Deum: quibus non dominatur arrogantia, ſuperbia, non impotenter libidinibus parent. Deiecere ſupercilium, faſtum, non præceptis modo, ſed nutibus etiam diuinis parere parati. Hos vnos, non ſuperbos mundi huius, hominum diuumque contemptores, ad audienda beneficia diuina, ſanctamque lætitiam, ad carmina cęleſtia vocat. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, diuites dimiſit inanes. Vt Deus reſpicit humiles, manſuetos, (nam eodem nomine

humiles,

A humiles, & manſueti dicuntur ענוים anauim, vero nomine Græcè ταπεινοφρονοῦντες.) ſic ſanctus Vates hos audire gratias, precatur, non audientes ſecum lætari. Quorum ſibi lætitia ſit grauiſſima, & quos ſciat ob has cauſas exultare, quorum in pectore vera gaudia verſari conſueuerint, Audiant, aiunt Græci explanatores, vt prodigioſe ſeruatus ſim. Iidem manſuetos interpretantur innocentes, qualis ipſe eſſet. Exultent, quòd tales à Deo non deſeruntur, in periculis ſeruantur. Ego, ait, ſim vobis exemplo, animos, ſumite.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.

In idipſũ.

IN idipſum, quod etiam in Græco eſt ἐπὶ τὸ αὐτὸ, clarius ex fonte יחד iachad, ſimul, vnà, Exaltemus ſimul nomen eius, in vnum coacti, ſimul coeuntes. Plena ſint lætitia, & gratulatione omnia, quòd tanta pericula, opem ferente Deo, vitauerim. Vna ſit noſtrum harmonia, quę magnificet, tollat nomen Dei. Nomen Dei, memoriam, famam, maieſtatem, gloriam: Hinc cernis magnificare, ac benedicere, idem propè eſſe, cùm Deus ſit magnus ore noſtro, cùm magnitudo eius refertur, celebratur. Propterea dictum, magnificate. Poteſt in mundo obſcurior eſſe, ſit clarior laudibus noſtris. Opera Prophetarum, ſedulitate piorum fiebat manifeſtior, bonitatem eius indefeſſè recinentium, apud omnes gentes, quibus eſſet obſcurius id numen, potius ſimulacra colentibus, efferentium. Eodem ſpiritu Græci tendunt, magnificare, eſſe grandia, atque numine eius digna prædicare, quemadmodum exaduerſo, deprimere, atque minuere bonitatem eius, exigua, atque humilia de eo loqui.

Magnific.

Deum.

Deprimer.

Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Tribul.

Deum q̃rere.

B HOc carmen erit. Hoc in primis celebrabitur. Imploratur à iuſtis Deus, imploratus adeſt, non negligit res hominum piorum. In calamitate præſens numen, ſalutaris. Tribulationes, rectius Hie. dixit anguſtias. Quęritur Deus, Vate docente, non pedibus, locorumque mutatione, longinquas terras adeundo: apud nos eſt, cùm imploratur, cum validæ preces feriunt ſydera: aures eius vbique tundentes, impellunt. Non eſt ſurdus vt audire non poſſit, non eſt inexorabilis, vt refugiat audire opem petentes, tam poteſt, quàm paratus eſt audire, nec ſecius audit, quam facultas eſt audiendi. Nec inopia & abſentia prohibet quò minus, quæ petis excipiat, nec crudelis, duruſque auertitur, deſerens multa loqui volentes. Non ſunt caſſę preces bonorum, in tenues auras abeuntes. Non ſecum rapidi portabunt omnia venti, haud in ventum vocem vertere procellę. Nec quales delicati principes, quibus faſtidio ſunt loquelæ, ſeſe veluti canibus apprehenſos alloquentibus, mordicus auribus dependentibus querentes. Nullus ei labor audire numerum loquentium quantum velis auxeris.

Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.

Accedite.

OB hanc cauſam nemini cunctandum eſt, cùm ſint omnia parata, cùm nihil prohibeat quò minus gratias quas poſtulaturus accedis, aſſequaris. Quid moramur? ait. Quin accedimus propius? Non leue, non exiguum beneficium erit, quod dabitur: ſplendeſcet in nos præſentes claritas vultus eius, amouebitur tranſenna, prodibit glorioſum, plenum claritatis numen. omnis in nos fulgor offundetur. Animus clareſcet, mens ſi quibus tenebris caligaret, extemplo radiis diuinis luceſcet, diſcuſſa graui caligine. Dabitur ſapientia, inſcitia, inſipientiaque cui tenebrarum nomen iure congruit, repulſa, euigilabit animus ad alta. Scire operæpretium C eſt, quod Græcè eſt, φωτίσθητε, illuminamini, Hebraicum נהרו naharu, duplicis ſignificatus ab Hebræis accipi. Nahar illis eſt flumen, inde verbum naharu, fluite, confluite. Hoc placuit Hierony. qui tranſtulit, Aſpicite ad eum, & confluite. Rabi Dauid, Senſus, ait, huius verſus eſt, inceſſus cum celeritate, quemadmodum flumen decurrit. Reſpicite, inquit, ad eum, & currite. Non diſplicet illis ſignificatus luminis, ut Auen Eſra, Naharu, inquit, יאורו Iaoru, illuminamini. Sic Rabi Salomon exponit האירו hairu, luceſcite. Non confundentur, Hebraicè clarum יחפרו iechparu, erubeſcent, pudefient, ignominia afficientur: non illudentur, nullo rubore vultus perfundetur ob ignominiam, ob repulſam, vt qui diſcedunt à conſpectu principum, non aſſecuti quod flagitaſſent.

Nahar.

Non conf.

Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

Pauper.

PAuper Hebraicè עני ani, eſt item inops, afflictus, vexatus, calamitate circunuentus. Demonſtrat ſeipſum, vt ferunt Hebræi. Iſte pauper, ait, quem videtis, quem nunc canentem gratiaſque agentem aſpicitis, clamauit cum calamitas premeret, vrgerentque incommoda: Deus exaudiuit. Non ſunt, ait, exempla longè petenda, num Deus audiat, cùm longè grauiſſimus dies inſtat, nos autem circunſpicientes deeſſe quicquid opis humanę ſperare poſſemus, vertimus oculos ad cęleſte præſidium. Iſte vexatus: hoc corpus, quod ante oculos aſtat, magnis eſt per orationem cladibus liberatum. Hoc decanto, hoc carminibus proſequor, hic triumpho, is victorialis, triumphalis hymnus mihi canitur. Has ago, vt cernitis, gratias, acturus ſemper dum vixero, dum memor ipſe mei.

Immittet Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos. D

Immittet.

IMmittet, non rectè Latinus reddidit Græcum. Quid enim immittet? Græcum ad Hebraicum, παρεμβαλεῖ, caſtrametabitur, caſtra ponet, conſidet: Hebraicè חונה chone, aſſidet, caſtra ponit. Ad hunc ſenſum Hieronymus tranſtulit ex Hebraicis fontibus, circundat Angelus Domini. Et Hebræi declarantes, Inimici, inquiunt, circunſteterunt, caſtra iuxta me poſuerunt: at Angelus Dei ſua quoque caſtra iuxta hoſtes poſuit, non eſt longum à caſtris eius ad caſtra inimicorum interuallum, vt ſi me adoriri cęperint, in eos impetum faciat, in fugam vertat, concidat, velut Angelus Domini centum octoginta millia interfecit in caſtris Aſſyriorum. Iſa. 37. g. Sunt alia in ſacris litteris exempla, de Angelo, bonorum comite, præſide, vt cùm comitaretur Tobiam. Et, Dominus mittat Angelum ſuum vobiſcum. Hoc piis datur, hæc ferunt præmia pietatis: non enim improbos Angeli, ſed Deo charos defendere gaudent: vt Pallas illum vbique comitabatur, rerum ei gerendarum magiſtra. Norant omnia ſęcula, inuiſibilem hanc cuſtodiam, pios, forteſq; comitari. Quod tam crebrum eſt in ſacris litteris.

Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.

Suauis. Guſt. Videte.

SVauis, Græcum χρηστὸς, bonus. Et Hieronymus, Guſtate, & videte, quoniam bonus eſt Dominus. Ad Hebraicum כי טוב chi tob, quia bonus. Guſtare iure referunt Hebræi ad mentem, cor, ſenſum. Guſtate, ſenſum adhibete, conſiderate, periculum facite, guſtum ſumite. Sciendum, corporeos oculos reſpicit, vtroque iudicio comprobari Deum, plenum eſſe clementiæ & bonitatis, vel oculis videri & probari. Vocat ad hoc experimentum conſidens vertice celſo, clamans, genus humanum cum primis ſapientes, exploratum, certumq́ue habeant, propius E accedant viſuri, quod cæteri incertum exiſtiment, Deum tueri bonos, Angelos eius, crebrius ſubſidio mitti probis, quod ſæpius priſcis ſæculis factum eſt. Beat⁹ vir, qui ſpe. in Idcirco non poteſt non eſſe beatus, nititur Deo, ſperans hoc ſibi ſingulare præſidium, non ſperans vel copias ſi ſit Imperator, victorię cauſam, quæ ſæpius terga verterunt, duces illuſos, fortunamq́; ſuam querentes, reliquerunt, vel quodcunque aliud robur, quod ſępe debilitatur. Sed ſpem in Deum dirigens, qui ſi vel vnum Angelum ſubſidio mittat, quantumuis terribilem aciem inimicorum fundat, deleat.

Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum.

HIs fortè clarius efficit, quod omnibus retro carminibus propoſuerat, prodigioſam ſalutem conſeruationemq́; cęleſtem eorum eſſe qui timeant, colant Deum, quibus ſanctorum nomen congruat, non cęteris otioſis, minime laborantibus quid eis ſingulare dari poſſit, minimè morantibus cęleſtia, ab oculis remota, potius in hæc terreſtria curas, cogitationeſque omnes defigentibus. Sanct. Sanctos Hebræi ſimili atque Græci ſignificatione aſſerunt appellatos, corporeis abſtinentes, libidinibus, voluptatibus parcentes, à contagione mortali maximè ſegregatos. Gręcè dicuntur ἅγιοι, ſine terra, ſine ſordibus & inquinatione terreſtri. Terra eſt, quodcunque corpus, quicquid hæret corpori, aut oritur à corpore. Voluptates, & libidines inter corpora verſantur, ſunt corporum contactus, imò claui, vt ille inquit, quibus animus affigitur adhæreſcitque corpori. Qui his abſtinet, ſanctus eſt, reſpicit pura, ſyncera, non inferiora: is diligitur à Deo, hunc cæleſtis cuſtodia comitatur, huic Angelus ſubmittitur, qui defendat, F eripiat, tela inter & hoſtes: ſingularis ex omni mortalium multitudine ſic rara gratia datur, non cuiuis ſolita contingere. Nihil deeſt time. e. Tobi. 4. d. Nihil deeſt timentibus eum, eſt Hebraicè, Non eſt inopia timentibus eum. Tobias filio dixit, Nihil tibi deerit ſi timueris Deum. Quale igitur quantumq́ue præmium pietatis, omnem ſecum bonorum copiam ferentis, omnem egeſtatem repellentis? Quocirca omni vocis contentione ad hanc omnibus carminibus inuitat, hunc fontem vberrimum bonorum prędicans, verum cornucopiæ, verum diuitiarum flumen.

Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.

Diuites egue.

ILla quoque fuit beata vox, beato ex pectore profuſa, Et diuites dimiſit inanes. Sciendum quod Græcus dicit, πλούσιοι, diuites, Hebraicum eſt, כפירים kephirim, ſonat ea vox, leones. Hierony. edidit, Leones indiguerunt, & eſurierunt. Ob id Hebræi interpretantur, non prodeſſe leonibus fortitudinem, quo minus interdum eſuriant. Eſt eis ingens robur ad prædas capiendas, at ſæpe famelici ſunt. Quo fit vt pietas, quæ colendo & inquirendo Deo continetur, valentior ſit ad nutriendum, fóuendum, ſuſtentandum, quàm robur leonum, ad eos alendos, quos ſæpe tueri non potuit à fame, & inopia: pios autem nunquam inuenies indiguiſſe. Diuit cur. Leones appellentur. Cic. off. 3. Noſſe operæpretium eſt, non ab re, Gręcos interpretes, leonum nomine, diuites tranſtuliſſe. Hebræus Auen Eſra, haud minimæ autoritatis explanator, Mihi, inquit, videtur hoc nomine appellaſſe homines leonibus ſimiles auiditate prædandi, quibus eſt incredibilis fames aſſequendi. Ergo diuites iure leones vocantur. Nullę enim ferè diuitię non eadem auiditate quæruntur, retinentur, qua leones prędari conſueuiſſent. Animus diuitibus ad quęſtus, & diuitias, qualis leonibus ad prędam. Non min. omni bono. Non minuentur omni bono, clarius expreſſit Hieron. Quęrentibus autem Dominum, non

deerit

A deerit omne bonum. Nullum bonum, nulla rerum copia deficiet Deo ſtudentes, pietati operam dantes, opem eius requirentes, ad eum refugientes premente inopia, calamitate.

Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.

QVod tantopere commendauerat, & in eo poſitam ſalutem dixerat, vt pietatem coleres, hac ingenium tuum excoleres, omnemq́ue hic curam collocares, magiſtrum eius rei ſeſe exhibet, quo ſua præcepta, ſua Philoſophia vigeat, experientia comprobet, quot ipſe pios reddiderit, totidem probaturos vera eſſe, quæ de præmiis pietatis feruntur. Quid igitur ſit timor, ſeu pietas, venit oſtenſurus, inuitans vti ad locum verarum diuitiarum. Verus præceptor, altiſſimæ Philoſophiæ antiſtes, magnorum myſteriorum interpres, rei, qua non habeat genus humanum meliorem, declarator. Veniant omnes, audiant, doceantur, tantopere complectitur audituros, vt eos vocet filios. Eſt item conſuetudo ſermonis Hebraici, quod hoc loco teſtantur Hebræi, vt filios vocet diſcipulos: vt filij Prophetarum, diſcipuli. Venite, quoque teſtibus eis, eſt non tantum acceſſus, ſed animi excitatio, quem hortaris veniat, hortaris euigilet, ſurgat, promptus exiſtat, ne iaceat, ſtertat: ſi quibus in rebus vigilem eſſe oporteat, in primis his deſiderari vigiliam, animi contentionem. Idq́ue vel maxime cunctos erigat, quod pollicetur ſe pietatis, ſummæq; Philoſophiæ præceptorem, cui par eſt eum omni tempore deſeruiſſe, notam exploratamq́ue ei, frequentem vſum feciſſe.

Filij.

Venite.

Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

B QVod timorem paulò antè dixerat, nunc vitam. Timor Domini vita eſt. Qui vult pietatem, vult vitam, vult felicitatem. Id enim eſt videre dies bonos. Beatè viuere, poſſidentem bona quibus verè congruat nomen bonorum. Hanc vitam, diesq́ue bonos, tempusque beatum, Hebræi quoque ſentiunt de vita cęleſti, & de corporea, vtranque vitam complexum eſſe Vatem. Vnam eandemq́ue eſſe rationem vtriuſque felicitatis, idemq́ue iter ad ambas. Nam & philoſophi vitæ felicitatem ſtatuerunt in virtute, iuſtitia, fortitudine, fide, conſtantia, carere notis, vacare culpa. Similiter noſter primum omnium ſciens omnes cupidos eſſe vitę, metas, quo ad facultas detur, longius proferre, idq́ue fuiſſe priſcum præmium pietatis, quibus vita diuturna cum bonorum exuberantia promitteretur, fontem huius aperit qui longæuus eſſe cupiat, quid agere eum oporteat oſtendens. Non herbis potentibus, non artibus illis Medeę, quibus ſenium pepuliſſe fabuloſè fertur, reddita iuuenta, opus eſſe, diuturnam iuuentam prębere virtutem, cùm diuturnitate pari felicitate comitante. Huic enixè ſtudendum, beatitudinem diuturnitatemq́ue vitæ excipere vitam diuinam. Dies eſt illis tempus, ſpatium rerum gerendarum.

Eadē omnia, ad vtr. felicitatē.

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum.

PRimus quoq, Pſalmus, quibus partibus conficeretur beatitudo, decantans, in primis beatos prædicauit, qui in cathedra peſtilentiæ non ſediſſent, quod Hebraica intelligentia deſignatur: maledicos, linguaces, obloquentes deteſtatum: horum è numero eſſe omnibus modis cauiſſe. Defugiſſe ſermonem, aditum loquacium, maledicorum, quos illi ſua lingua vocant lezim. Nunc primus felicis vitæ gradus, primus ad limina beatitudinis ingreſſus eſt, vt linguam ſceleratis maleficisque colloquis abſtineas, linguæ modereris, ne noceat, ne cauſas interitus, maleficiorum præbeat. Nihil ab ea noxium peſtilensq́ue proficiſcatur, ne ſit autor cędis, detrimenti, cladis, vaſtitatis, ne fallat. Mala lingua, malæ mentis indicium. Cui mala lingua, etiam malus animus. Ergo totus malus, vndequaq; improbus, nefarius cui mala lingua. Ne labia loquãtur dolum, eſt, Hebræis declarantibus, aliud ore aliud corde loquentem, amicum ſermone ſeſe oſtendentem, ſed pectore de interitu eius aut ignominia, quem amicè compellas, cogitantem. Non poteſt igitur eiuſmodi vocari diciq́ue beatus, cum ob interiores infelicitatis cauſas, quas omnis improbitas comites habet, tum præmiis virtutis, quæ Deus cælitus mittit, deficientibus, duabus de cauſis beatitudinem improbis non ſentientibus. Dolum Græci definiunt maleficium occultum, cum præſcriptione bona. Cortex bonus, macula ſubiacente.

Lezim.

Loq. dolū.

Dolus.

Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.

REcte monent Græci, non ſatis eſſe abſtinere malefactis, ſubijciendas eſſe virtutes. Illam eſſe velut ad virtutem præparationem, expiationem, cùm te ſordibus vitiorum expiaueris, extemplo virtutibus imbuendum eſſe animum. Diuertere igitur ſiue diſcedere à malo, primum generatim dixit: generatim quoque, facere bonum. At id poſſet item percipi, vt perſtet oſtendendo timorem Domini, cæteraſq; virtutes, pietatem venerationemq́ue Dei eo maximè comprobari, ſi maleficijs abſtineas, nemo abs te detrimenta ſentiat: hanc eſſe maximam iuſtitiam numiniſq; venerationem, cuius metu, leges humani generis per te nunquam reſcindantur. Huc pertinet, Ne ſint ſermones tui ſceleris autores, quòd omnis propè hominum operatio, initium habet à ſermone, colloquio, aſcitis rerum gerendarum comitibus, quibus cum de re diſſeras, ſententias eorum exquiras. Si penes te ſit poteſtas, imperes iniuſta vel iuſta. Omnis denique res ad ſermonem vt principium redigitur. Sed ab ea in primis ſermone abhorrendum ſanctiſſimus Vates docuit, in quo detrimenta celantur, peſtis occulta, venenum melle contectum. Quod

Diuertere à malo.

vbi

Facere bo.

Inquire pacem.

Pax cum proximo.

Pax nobiſ. aut intra nos.

Perſequere eam.

vbi magnus philoſophiæ antiſtes propoſuiſſet (nam magis è numero dæmonum ſceleratorum quàm hominum id genus haberi conuenit) ſummam totius ſapientiæ poſuit, vt abſtineres malo, faceres bonum, ſentiens videlicet, vt nullius detrimenti autor exiſtas, nullius ſceleris ac vaſtitatis priuatę ac publicę cauſa à te initium ſumat. In omni vita, infamia careas, nullius iniquitatis autor habearis. Hancque vitaſſe proberis, tum quòd è numero ſceleratorum maleficorumque haberi noluiſti, ſed pro virili, quoſcunque potuiſſes, beneficiis affeciſti. Hocque eſt facere bonum, beneficium afferre, vtilem eſſe, beneficum liberalem, enixè multorum commodis ſtudentem, nulla benefaciendi laſſitudine, nulla ingratitudine deficientem. Plurimi enim, quòd nonnullos ingratos experti eſſent, à benefaciendo, quaſi homines odio deinceps habentes, deterriti ſunt. His optimè additur vt quęras, adames, amplexeris pacem. Eſt enim cupiditas pacis, inimica ſuperbiæ. Cui benefaciendum eſt, abſtinendumque iniquitate, certe pax exquirenda. Qui pacem requirit, conſtituit ſecum neminem lædere, contumelias odiſſe, calumniis, & probris, conuitiisque palam, vel occultè tota vita abſtinere, minus loqui, minus agere, ne cuiuſquam animum offendat: omnes pro amicis habere, gratiam, amicitiamque omnium plurimi facere, ſuperare lenitate, quos ſuperbè arroganterque loquentes nactus fuerit. Eſt pax animi tranquillitas, quod hoc loco Græci ferunt, perturbationum domina, odiis ægritudinibusque ſedatis, animus placidus & quietus. Qui pacem requirit, eum omnium gratiam, amicitiamque poſſidere, omnes ei prodeſſe cupere, eamque ob cauſam beatum eſſe neceſſe eſt, propterea Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Non ſolum igitur pax, quando filios Dei reddit, quærenda eſt, ſed omnibus modis perſequenda, dum fugientem (nam odiis, iracundiæque nemo non deſeruit) aſſequaris.

Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.

QVis neſciat iuſtos eſſe, quos pacem perſequi, maleficiis, abſtinere, charitatis amantes dixerat? Quid enim aliud conſtituit iuſtitiam? Chriſtus igitur præmium pacis ſtatuit, vt quicunque amans eius eſſet, filius Dei haberetur. Huic ſupremæ ſententiæ ſubſcribens ſanctus Propheta, primùm hoc genus hominum, iuſtos pronuntiat, apud quos vnos iuſtitia reſideat: tum ſummo Deo charos gratoſque, vt eos ſuis oculis dignetur aſpicere, aures ad eorum preces patentes habere. Is optimus iuſtitiæ fructus, ingens præmium quibus iuſtorum nomen congruit, diuinam prouidentiam habere cuſtodem, aditum ei patere ad aulam Dei, poſſe propius thronum eius conſiſtere, poſſe loqui, orare fidenter, non in ventum precibus eorum abituris. Quibus hæc contingant, nonne perſpicuum eſt, charos amicoſque eſſe ſummo Deo? Quæ amicitia quanti quæſo facienda eſt? Eiuſmodi fuerunt olim Abraham, Iſaac, multique priſcæ illius ætatis, exin poſt Euangelium, præclari viri. Exemplis dicta Vatis huius comprobata. Hunc verſum clarius Hierony. Oculi Domini ad iuſtos, & aures eius ad clamores eorum.

Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Vultus.

ERant oculi eius ad iuſtos, quos placidè reſpiceret, cuſtodiret: nunc facies eius irata, toruaque reſpicientes oculi contra delinquentes: tam indignata malis, quàm placida mitiſque bonis. Vultus eius velut principum iratorum, furentium, indignantium. Poſſet item vultus intelligi, (quoniam Hebræis ea vox amphibola eſt,) indignatio, ira furorque. פנים Panim, eis eſt facies, vultus: eſt item ira, indignatio. Poſſet itaque transferri, Indignatio autem Domini ſuper malos, vt perdat de terra memoriam eorum. Hoc ſentit Hebræus Auen Eſra, exponens hanc vocem, חרון אף charon aph, accenſionem iræ, quæ cernitur in vultu. Horribilis ſentētia, vt omnibus modis ad iuſtitiā totos nos transferamus, hinc pręmiis ingentibus propoſitis, hinc ſi ad aliam partem inclinauerimus, inſtante pęna, quæ perperam agentes, ſequatur. Quantus eſt iuſtitiæ fructus, tantus ex iniuſtitia cruciatus, non modo ad ſupplicia improbis abſtractis, ſed funditus eorum memoria è terris ſublata, demerſis in tartarum, æternamq; necem, qui cùm bene, iuſteque viuere potuiſſent, maluerunt ingredi vias iniquas, legibus humanis ac diuinis violatis.

Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

HEbraicè duntaxat, clamauerunt, & Dominus exaudiuit: haud dubiè iuſti clamauerunt. Moris eius eſt, ſæpius idem aſſerere, exaggerare, paulò ante, Aures eius ad preces eorum: nunc, clamauerunt, exaudiuit. Vera ſunt, inquit, quæ dixi, clamant iuſti, exaudiuntur in calamitate: cuius fidem opemque implorant, non denegat: agitur vtrinque quanta contentione agi debuit, illis huc confugientibus, inſtantibus petendo, hic ſpem eorum non fallendo, depulſis à ceruice calamitatibus, ſummæ ſpei, ſummæ alacritatis eis repletis.

Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit.

Trib. ſunt cor.

TRibulato ſunt corde, ad Græcum & Hebraicū clarius & verius dicendum, συντετριμμένους contritos corde, Hebraicum נשברי לב nisbereleb, confractos, contritos corde. Hieron. quoque vertit, Iuxta eſt Dominus contritis corde. Et Hebræi iuxta hanc ſententiam interpretantur confractos

A confractos ſeu contritos corde, qui ab itinere iniquo redijſſent, ſeſe ad meliora recepiſſent pęnitentes. Secundum quoque ſimile eſt primo, vbique retinente Vate eiuſmodi carminis rationem. Et humiles ſpiritu ſaluabit. Hos Hierony. venuſtè ad Hebraicum, confractos ſpiritu. Erat ſuperius plena mens trepidationis, quòd ſolos iuſtos admittendos ad colloquium, eorum duntaxat preces excipiendas videbatur proponere, iuſtorumque nomine appellare, quorum longè paucos reperias in terris. Nec quiſquam erit, qui ſeipſum contemplans, iuſtitiæ nomen ſibi tribui poſſe confidat, excludendos igitur tantum non omnes mortales ab hoc beneficio, vt in calamitate exaudiantur, propterea quòd iuſtitia terris exceſſit, cęlique in regione reſedit. Audis igitur nunc iuſtos appellari, quorum preces ſentiantur, non qui nulla ſceleris labe careant, quod ſummi Dei tantummodo eſt, ſed quos delictorum pęniteat, quibus cor ob peccata doleat, quatiatur, ſumma commotione perculſum. Tantus dolor inſideat, tanta concuſio, ac commotio propter antè actæ vitæ peccata, vt quaſi frangatur, frangitur, vexatur, diſcerpitur, quale ſæpe de ſuis canit Homerus, quibus ſcindi, & lacerari cor ſcripſit. Cor igitur lacerum, conuulſum, propter odium peccati: ſic ſpiritus deiectus, demiſſus, fractus, quantus peccando arroganter intumuerat. Quid ſit cor contritum, diſce ex ſequenti, ſpiritum demiſſum, fractum: cor, & ſpiritus, idem. Iuſti igitur ſunt quos pęnitet, hos exaudit: iuxta hos Deus conſiſtit, hos ſeruat, cuſtodit. Non eſt iuſtitia res, quam nulli mortales inuenire aut poſſidere non poſſint. Sit tibi ſpiritus minime arrogans, pœniteat ſi quid peccaſti: tunc iuſtus eris, tunc exaudieris.

Humiles ſpiritu.

Iuſti, qui?

Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus.

B IVſtorum numerus vnicus צדיק zadick, iuſti: licet habeant Græca τῶν δικαίων. Nititur probare quanquam multis incommodis iuſti ſubiaceant, eos tamen non deficere refrigeria. Cur iuſtos aſſerat multa perpeti, multaſque eſſe vexationes bonorum, afferunt Hebręi rationem, quòd Deus tentet bonos, quò meliores cernat: quòd eos gaudet habere nitentes vt aurum, perſpectos, cognitos, ac probatos, vt fortes athletas, certaminis illuſtres, qui ſuæ virtutis teſtimonia edidiſſent, non verbis, ſed re philoſophantes. Tentauit, probauit Abraham, Iob, Tobiam, quid virtutis eis ſubeſſet: primus homo quoque probatus. Diuus Paulus, Non patietur, ait, vos tentari ſuper id quod poteſtis. Propterea multæ tribulationes iuſtorum, ſed eripiuntur, decus augetur, illuſtriores redduntur, digni maioribus præmiis habentur. Quòd vides vexari pios, lætoſq; diu florere nocentes, ſi paulum expectaueris, cernes perſpicuam rationem ſegregatis omnibus in ſuas ſortes. Breues igitur ſunt ſimul, & fructuoſæ vexationes bonorum.

Iuſti, cur adfligātur.

Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.

OSſa ſuſtinent molem corporis, oſſibus nominatis tota corporis compago deſignatur. Non adituras ad corpus clades, quæ funditus demoliantur, euertant, vt corruat, obruatur corpus, fundamento ſubruto. Oſſium tralatio multis in locis. Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? Dinumerauerunt omnia oſſa mea, proprius Hebræis loquendi ritus. Noſtris interdum, Atque implicat oſſibus ignem. Eſt noſtris item medullarum nominatio. Cernis cuſtodia qualis iuſtorum, non homo, non præſidium, non mons, aut arx cuſtodit iuſtos, ſed Deus, omnem locum cuſtodia cœleſti, quo iuſtus conſidet, ſi poſſet oculis cerni, protegente. Atque idcirco totus pſalmus in eo eſt, omnibus carminibus iterans hanc diuinam cuſtodiam, dubios confirmans, quoniam plerique de his quæ non videntur, aut dubitant, aut nullam fidem habent. At ille toties ingerit, vt qui non credat, vim ſacri carminis non percipiat.

Oſſa.

Mors peccatorum peſſima, & qui oderunt iuſtum, delinquent,

IVſtis obuenit, quod tam eximia proximaq; Deo virtus merebatur, neceſſario cadit contraria ſors ſuper iniuſtos: infeliciter moriuntur, ſubita clades obruit, morte cum pęna grauiſſima conſequente. Peccatores dixit, Hebraicè eſt, רשע rasha, ſceleratus, impius, nefarius. Huius interitus nunquam non eſt cum pęna. Eſtq; propriè Hebraicè, quemadmodum ſcripſit Hieron. Interficiet impium malitia, nempe calamitas, vaſtitas. Malum vnum, vna clades, auferet impium è medio. Sunt quidem multæ vexationes iuſtorum, at non perpetuæ: at improbis vna, eaq; acerbiſſima. Chaldæus quidem tranſtulit vt eſt apud Sept. Mors impij mala. Noris quis ſit ordo naturæ, & prouidentiæ, talem proponerem diuinum Poetam. Vexabatur iuſtus ab improbo, multis incomodis oblatis, procaciter infeſtabatur, omni tempore, quibus poſſet contumeliis, iniuriis exercebat. Venit tandem finis, improbus ad pęnam cruciatumq; abſtrahitur, cum luctu diſcedens è vita: in his tormentis moriens, quibus iuſtum premeret. Iuſtus liberatus, ſubleuatur, ſurgit, excipit alacritas. Quod ait, Qui oderunt iuſtum delinquent: delinquent, eſt יאשמו ieeſamu. Rectè diuus Hieronymus, Culpabuntur, qui oderunt iuſtum, non modo infeliciter & cum cruciatu morientur, ſed memoriam relinquent execrabilem, prædicabuntur improbi, nefarij: erit eis nomen inuiſum, quale ſceleratorum: Idem verbum deſignat, Euertentur, deſtruentur.

Mors pec. peſſ.

Redimet Dn̄s animas ſeruorū ſuorū, & non delinquent omnes qui ſperāt in eum.

NOn ſunt perpetuæ & bonorum calamitates, & improborum alacritates, dum vexant iuſtos, fortuna ſecunda, diripiunt bona, compendio ſeruiunt, fit celeriter rerum commutatio, bo-

nis

Animas. nis liberatis, illis vexationibus, omnibuſque flagitiis finem facere coacti, miſerè cadentes. Liberatur, redimiturque iuſtus. Ac, vt fertur Hebræis, dixit animas eorum, quòd illi bonorum vitam inſequebantur, vnà ſupellectilem, vnà vitam eripere ſitientes, non minus fortunis atque vitæ inſidiantes. Sed Deus liberat, aderit. Et non delinquent. Eſt ſuperius verbum, יאשמו ieeſemu, non culpabuntur, non habebuntur in numero malorum, laudabuntur, erunt apud Deum magno in pretio. Aut non perib unt, nulla immani calamitate obruentur, vt quibus celeriter auxilium ſubmittitur.

PSALMI XXXIIII. EXPLANATIO.

S Græcos Hebræoſque audias, quod ratio quoq; comprobat, eſt pſalmus editus, cùm dies longè grauiſſimus inſtaret, perſequente Saule, nuſquam eum conſiſtere patiente. Eſt oratio calamitoſi, quem fata vrgent tantis incommodis prementibus: ſupereſt vt oculos animumque ad cęlum vertas. Id ſapientis erit, veritatemque exploratam habentis, & vbi verum ſit auxilium ſentientis.

IVdica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

PRopriè Hebraicè eſt, Aduerſarius eſto aduerſariis meis. Inſta contra inſtantes, vrge vrgentes, condemna condemnantes me: eiſdem armis opprimantur, quibus vrgent. Bellum indicunt, indicatur eis. Miles eſto contra milites. Repetit idem, ſubiiciens eandem ſententiam.

Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.

ARma Græcè & Hebraicè ὅπλον, מגן magnen, ſcutum, Numerus quidem multus ὅπλα, ſignat arma. Secundum eſt Hebraicè צנה zina, haſtam. Hieronymus quoque vertit, Apprehende ſcutum & haſtam. Vult eum armatum: poetarum eſt Aureus ex humero ſonat arcus. Tum virgam capit: genitor, quæ plurima cælo, Deiicit in terras, De fulmine. Dextera ſacras iaculatus arces.

Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui prſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.

APertius, & ad Hebraicum Hieronymus, Euagina gladium. Sæpius monui, tam inuſitatè vocare gladium in tralatione ſacrarum litterarum Septuaginta, romphæam. Nam hoc loco Græcè romphæâm eſt, quam Latinus quicunque fuit, frameam. Vtrunq; apud Græcos & Latinos inuſitatum. Sciendum eſt Hebraicè quod tralationi congruit והרק חנית Effunde haſtam, iaculare telum, contorque, & conclude. Verbum quidem Hebraicum סגור ſegor, eſt

Conclude. Segor. conclude. Adhibent Hebræi ſenſum, quibus facilè aſſentiri poſſumus, Conclude, claude portas contra perſequentes me, ne me aſſequantur. Obuius ito in hoſtes, venientibus eis portas obiice: hic ſubſiſtant. Hęcque per tralationes, vt erat tralatio, telum ſumeret, iacularetur: nunc impetum inimicorum tardaret, infringeret. Hieronymus eodem ferè ſenſu tranſtulit. Et præoccupa exaduerſo, perſequentem me. Deinceps eſt, vt confirmet animum in aduerſis, vt ei auxilium cæleſte affore promittat, ſublata omni dubitatione.

Confundantur & reuereantur quærentes animam meam: auertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala.

COnfundantur, erubeſcant, pudore afficiantur, victi diſcedant, ignominiam in bello accipiant. Sic reuereantur verecundia, dedecore, quale victis, exutiſque armis & veſtibus accidit. Omnia hæc ſigna cladis acceptæ, deleti, fuſique exercitus, cùm in omnes partes diſſipantur, vel puer captiuos fortes milites abducat. Quòd ait, Auertantur retrorſum, eodem pertinet, vt in fugam coniecti eodem impetu quo venerunt, terga vertant, nec prius fugere deſiſtant', quàm in ſuos fines propellantur: ſit eis dedecus, vt qui vincuntur, omni ludibrio & cõtumelia à victoribus afficiuntur. Fit fuga totius exercitus, victores inſequentes vulnerant, interficiunt, capiunt, abſtrahunt, exutos armis relinquunt. Eorum caſtra diripiunt: ipſos contumeliis affectos ſub iugum mittunt. Omnia hæc hoſtibus imprecatur, qui vitæ eius inſidiarentur.

Fiant ſicut puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos.

AVget, In puluerem vertantur, tantopere cõterantur, frangantur, dum puluis ſint, vt puluis per inane magnum ferantur. Nihil illis poteſt vehementius imprecari. Et Angelus

Coarct. Domini coarctans. Quòd ait coarctans, eſt דוחה doche, propellens, impellens, quemadmodum vertit Hierony. Et Angelus Domini impellat. Simile quid etiam voluerunt Septuag. voce Græca, ἐκθλίβων αὐτοὺς, elidens eos. Eſt apud Hebræos accommoda dicti huius explicatio. Ventus puluerem, ſiue paleam iactat quidem ac turbat, verſatque, at ſiſtit aliquo, finemque iactandi facit. Verum his non ita accidat, ſed iactentur attriti, diſſipentur, deleantur armis, bello, aut quauis alia clade. Et ne quid reliquiarum ſuperſit, Angelus Dei reliquias inſequatur, vrgeat, nullus

lus ſit finis iactandi, nec mora, nec requies. Ceruicibus inſtet Angelus fortiſſimus Dei miles, cuius robur ſit vnius exercitus, magnarumque copiarum robore validius. Sint eorum plagæ, quas Græci vocant θεήλατοι. Non alius eſt Græcis ſenſus.

Fiat via illorum tenebra & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.

EXaggerat imprecationes, adiiciens grauiora. Dum fugiunt perſequente Deo, corruant, deficiat eos lux euntes. Inde fiat vt præcipitent, luce veſtigiis eorum non præfulgente. Sit lubricum, via eorum, quod Græcè eſt ὀλίσθημα, prolapſus, locus quo pedes defluant, non ſubſiſtant, qualis glacies aut petra limpida, locus agens in præceps, pedibus non ſe tenentibus. Hæc ſit eis via fugientibus, videas toto itinere corruentes: Quodque grauius eſt, plaga cęleſtis inſtet eos vrgens, perſequens fugientes, ſimulq; ruentes. Sit toto exercitu fuga, ruina, clades, gemitus: tenebris nigreſcant omnia circum.

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui,
ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam.

GRatis, in fonte חנם chinam, vt Hieronymus fruſtra. Nullis iniuriis laceſſiti, furore & libidine nocendi tantum prouecti. Inſidias mihi tendunt, nullis à me priore iniuriis illatis. Quale de Iudæis Chriſtus, Oderunt me gratis. Odium ſcilicet, quod non offenſa, non prius oblatum incommodum excitauit, ſed quo rapitur animus corruptus inuidia, cui ſunt inuiſa cæterorum commoda. Bene inultos inuenias, qui pro benefactis malefacta referant. Interitum laquei ſui, vox Hebraica שחת shachat, eſt quidem interitus, eſt item foſſa, vorago, qua qui intercipitur, labitur, interit. Dices forſan laquei ſui, propterea Hieronymus pro foſſa poſuit inſidias: & pro παγίδος αὐτῶν, laquei ſui, eſt רשתם rishetham, rete ſuum. Tetenderunt inſidias retis ſui. Eodem quidem omnia pertinentia. Quod ait, Exprobrauerunt, ὠνείδισαν, aptius huic loco, Hebraicè, quod ſenſit expreſſitq; Hieron. חפרו לנפשי chapheru le naphshi, foderunt animæ meæ. Iterat idem, Abſconderunt rete, laqueum, foderunt vitæ meæ voraginem, vt vita mea interciperetur. Inſidias vitæ meæ tetenderunt. Idq; fruſtra, ſuperuacuè, quibus nullam iniuriam prius intuliſſem, potius beneficus fuiſſem.

Gratis.

Interitus. Laq.

Exprobra. animæ.

Superuacuè.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit,
apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſo.

LAqueus παγίς, aptius in fonte שואה shoa, calamitas, quod Hieronymus ſcripſit, Veniat illi calamitas, clades quam neſciat, non proſpiciat, calamitas inuſitata, inaudita, inſperata, plaga cęleſtis, horribilis. Pro captione Græcè quidem θήρα, venatio, præda, Hebraicè רשתו rishtho, rete eius. Inſidiæ, inquit, quas abſcondit, eum intercipiant: inſidiis quibus capere paraſſet, capiatur. Illud rete quod mihi velut aui parabatur, intercipiat ipſum. Ipſe ſit auis, ſit pręda, ſit fera, cui rete abſcondebatur. Quod mihi cogitaſſet exitium, illi inſperatò ſuperueniat. Cadat ante diem. Obſcurè dixerunt Septuaginta καὶ ἐν τῇ παγίδι πεσεῖται ἐν αὐτῇ, Et in laqueo cadat in ipſo. Clarius in fonte, בשואה יפלבה beshoa ippolba, in ipſam calamitatem incidat, in eam ipſam cladem offendat, in inſidias, rete, laqueum, quem paraſſet, ruat: ipſe ſe ſtimulis induat, in ſcrobes cæcas delapſus transfodiatur.

Laqueus, quē igno.

Captio.

In laq. ca in ipſo.

Anima autem mea exaltabit in Domino: delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

CVm hæc ita ſint, quòd ſuperiora vel poſtulabantur, vel prædicebantur, venturam ſuper hoſtes calamitatem, inopinanteſque eiſdem malis corripiendos, quæ in exitium Vatis deſtinaſſent: cùm id, inquam, venturum vaticinatus aut imprecatus eſſet, rectè excipit alacritas, exultatio proſpicientis, & ſe inimicorum inſidiis liberandum, & improbos ad ſupplicia rapiendos. Cum hoc totum ſit Dei, non hominum viribus, non humanis præſidiis tribuendum, iure tota alacritas eſt à Deo, in Deum ſpectat, ob eum triumphat, gaudet pius, vt qui diutius fluctibus iactati, portum propinquum proſpectantes, qui vexatos excipiat: ob portum gaudent, de portu prodit alacritas: viſo portu ſit gratulatio, haud ſecus animus Vatis proſpectans cæleſtem ſalutem, Deumq; vindicem fore non dubitans, plenus eſt alacritatis, exilit, nullus eſt ægritudini locus. Itaque delectabitur ſuper ſalutari ſuo. σωτήριον, ſalutare, clarius eſt vt dicatur ſalus, cum ſit Hebraicè ישועתו ieshuatho, ſalute eius. Quod dixit, Delectabitur, eſt quidem τερφθήσεται, oblectabitur, gaudium, voluptatem capiet, ſuper ſalute ab eo afferenda. Omnis mea voluptas eſt in auxilio eius, quod defuturum non dubito.

Exult. in Domino.

Salutare.

Delecta.

Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? eripiens inopem, de manu
fortiorum eius, & egenum & pauperem à diripientibus eum.

TAnta intus erit alacritas, vt oſſa moueantur, permeet gaudium omnes artus. Ipſi, mediusfidius, non dico parietes agunt gratias, ſed nullum eſt membrum quod non loquatur, non efferat clementiam bonitatemq; Dei, cui non ſit ſimilis, amicis tuendis, miſeris debilioribuſq; eripiendis: quo non alius alacrior currat auxilium laturus, gaudens eripere probos ab improbis, imbecillos à validioribus, humiles à ſuperbis. Hoc ſtudēs, hoc vitę ſuę munus amplectēs, quaſi optimus paſtor oues ex ore luporum eruens, rapaces, violentos verberibus à domicilio bonorum longius ſubmouens. Si quid contra ſalutem eorum conſilij ineant hoſtes, celeritate præcurrens: bona eorum a rapacibus diripi non ſinens. Eſt quidem eorum animus rapinis inhians, iuſtorum ſupellectilem auidis oculis contemplantium, afferre ad eam cupidiſſimas manus expectantium. Rapinas agunt, in ſeruitutem abſtrahunt, at non procul oculus diuinæ iuſtitiæ abſiſtit hæc cernens, exitiũ iniquis meditans. Hoc ab eo fieri didicerunt, & nobis ꝓdicauerunt Prophetę. D

Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

ESt magiſtris is ſenſus, non defuiſſe in populo, qui odio haberent Dauid, ei apud Saulem inimicitiam maledictis conflantes, teſtes iniqui, qui ſe vidiſſe aut audiſſe aſſererent, quæ nunquam cogitaſſet: qui ſciſcitarentur ab eo, quæ neſciret, quæſtionem eorum quæ ignoraret, exercentes. Ipſi quidem referrent falſa regi, exquirerent autem ab amicis & conſanguineis Dauid, quod nunquam feciſſet, earum rerum autorem eum eſſe volentes, quas nunquam cogitaſſet, ſed ſuper eos calamitatem venturam quam neſcirent, propterea quòd ipſe ſit ab eis incuſatus eorum quæ neſciret. Illi neſcient calamitatem, quæ eos obruat in præmium ſceleris, ꝙ
Quę igno. calumnientur innocentem, ignarum quorum ab eis inſimularetur. Græci hos Saulem, adulatoresq; eius fuiſſe, qui percunctarentur ab eo, num inſidiaretur regno, quod illi falsò apud Saulem
Interro. prædicabant. Genus hoſtis atrox: iure vaſtitatem eis imprecatur. Interrogabant cùm adhuc Dauid eſſet in regia, cum in ſuſpicionem veniſſet affectati regni, quod ei offerri à populo audiebãt. Surrexit turba improborum adulatorum, circunſteterunt, ſuper regno, ſuper ſalute regis diligentius ſciſcitantes. Inſidias veritus Dauid profugit. Longo poſt tempore, quietem nactus, gratias egit pro ſingulis beneficiis, non immemor calamitatum illius temporis. E

Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.

SAepius id queritur: ſuperius, Oderunt me gratis, gratis abſconderunt mihi laqueum, ſine
Ster. animæ m. cauſa, nulla prius iniuria laceſſiti: nunc acerbius, pro benefactis, maleficia. Quod dixit, Sterilitatem, eſt id quoque in Hebraico, & apud Hieronymum. Intelligitur eadem voce שכול shecol, orbitas, priuatio: ſentitque orbitatem, priuationem animæ, vitæ. Retribuebant mala pro bonis, retribuebant orbitatem vitæ. Studebant vitam eripere. Hæc erat retributio. Omnes cruciatus, omnes indignitates referebant, ad poſtremum mortem. Græci quoque agnoſcunt eum ſenſum, ſterilitatem animæ eſſe, ſpiritu, vita carere, ne viuens virtutis officia proferret.

Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinum meum conuertetur.

HVnc locum ſecus quàm noſtri codices oſtendunt, Hebræi ex ſua lectione interpretan-
Cum mol. eſſ. tur. Eſt enim pro ἐν τῷ αὐτοὺς παρενοχλεῖν μοι, Dum mihi moleſti eſſent, Hebraicum בחלותם bachalotham, In infirmitate eorum, In ægritudine eorum, cum ipſi ægrotarent. Referunt ergo infirmitatem ſiue morbum ad illos, non ipſum Dauid. Toto enim hoc Pſalmo prædicat ſe eos beneficio affeciſſe, eos beneficium minimè agnouiſſe. Inter alia beneficia fuit, cum illi ægrotarent, pro eorum ſalute indutum cilicio, ſuppliciter oraſſe. Incredibilis beneuolentiæ, ſummæ voluntatis exemplum. Indicat hos amicos fuiſſe, pro quibus infirmis ſuppliciter oraret. Eos autem poſtea proditores fuiſſe, regis odio ſeruientes, vt ſunt humana ingenia. Paucos in calamitate amicos reperiri. Singulare igitur bonitatis teſtimonium, cilicium ſumpſiſſe, ieiunaſſe, ſibi pœnam indixiſſe, vt oratio Deo gratior, eos ad incolumitatem reſtitueret. Hoc declarans Rabi Dauid, Recenſet nunc, inquit, beneficia quæ eis quæſiſſet Si quis eorum ægrotaret, dolore afficiebar, cilicium ſumebam, vexabam me, vt eum Deus redderet incolumem. Vtinam oratio, qua Deum pro illorum ſalute ſuppliciter orabam, mihi proſit: mihi ea bona contingant, quæ eis optabam, poſtulabam. Non enim reliquis perſpectum erat, ſed arcano res geſta eſt. Celabatur ſinu oratio: non fuit res in propatulo. Hæc ille. Similia Auen Eſra prior. At noſtris Græcis ac Latinis viſum eſt infirmitatem ſiue moleſtiam, quæ ab inimicis inferretur, deſcribi. Nam Hieronymus quoque reddidit, Ego autem cum infirmarer ab eis. Cum ſint duo ſenſus, alter quòd pro inimicis infirmis orauerit, alter quòd pro ægritudine & moleſtia propulſanda, quam ei inimici inferrent: ego quidem ab Hebræis, & à lectione Hebraica deſciſcere non poſſum. Simile quid fecit Dauid, ſuper Saule interfecto, quanquam inimico. Orauit, ieiunauit, ſcidit veſtimen-
Oratio m. in ſi.m.cõ. ta, fleuit. Oratio in ſinu, ſecreta, clauſa, non in propatulo. Græci orationem velut theſaurum charum, ſinu comprehenſum: repleto ſinu gratijs, quas orando poſtulaſſet. At prior ille ſenſus ex verbis rectà fluit.

F

Quaſi proximo quaſi fratri noſtro, ſic complacebam: quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.

AD fontem perpenſa, clariora erunt. Complacebam εὐηρέστουν, Hebraicum, cui tralatio quoque Hieronymi reſpondet, Tanquam cum proximo, cum fratre ambulaui. Eſt enim voce illius Græci verbi התהלכתי hithhalachthi, ambulaui, inceſſi. Tũ ꝓſequitur, Quaſi lugens mrẽm triſtis ado-

A triſtis adorabam, incuruabar. Septuag. igitur omiſerunt nomen matris: at Hebræis eſt: ſenſumq́; omnem è verbis ſuis euoluentes, interpretantur. Si quis, ait Rabi Dauid, eorum ægrotaret, non ſecus triſtis incedebam, quàm amicus pro amico, frater pro fratre: aut quemadmodum filius ob matrem defunctam luget, illacrymatur. Memoraſſe matrem, quòd grauius ob eam quàm patrem ſoleant nati ingemiſcere. Senſus autem verbi, Incuruabar, ab eis offertur, quòd lugentes ac mꝫſti, demiſſo vultu obambulent. Nomen triſtis Hebraicè eſt, קודר coder, ſonat nigrum, atrum, pullum, referunt quòd vel color ſplendorq́; mꝫſtis abeat, vel ob veſtem pullam, quam lugentes ſumant. Is ſenſus eſt Hebræis, & ex oratione Hebraica reſonat, quem repudiare nequeo, facitq́; vt ſuperiores verſus clarius percipiantur.

Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt flagella, & ignoraui: diſſipati ſunt, ne compuncti.

AD hunc modum habet verſus Hebraicus. Secus, ait, factum eſt ab eis. Non fuit eiuſmodi in calamitate mea commiſeratio. In infirmitate mea lætabãtur, congregabantur, quẽadmodum reddidit Hieron. Conueniebant, vt inuicem referrẽt, geſtirent ſuper mea clade. Quæ dixerunt Septuag. μάστιγες, flagella, ſunt Hebraicè נכים nakim, interpretantur ægritudines pedũ, ſiue podagroſos, claudos, pedibus debiles. Vel ipſi illi, ait, conueniebãt, quibus fors celeritatem ademit, eundi difficultatem patientes. Siue mihi dolores pedum accumulati, ſuper quibus illi lætabantur. At mihi placet magis, quod etiam nonnullis Hebræis eſt viſum, vt nakim deſignet flagella, dolores, & cruciatus illos, illam ægritudinem & infirmitatem, quam commemorat, ſuper qua dolet eos exultaſſe: cruciatus obſederant corpus, tormentis indoleſcens. Amici læ- B tabantur, ex doloribus meis voluptatem capientes. Quòd ait, Ignoraui, neſciebam cur afficerentur inimicè, cauſam huius peruerſæ lætitiæ ignorabam, vt quos nunquam offendiſſem. Cur coirent ſuper calamitate mea gauiſuri, neſciebam. Quòd ait, Diſſipati ſunt, eſt Hebraicum כרעו careu, quod ad alia ſonat, aperuerũt, aperuerũt inquit Rabi Dauid, os ſuũ ex ingenti lætitia, non tacuerunt. (Id enim verbum eſt in Hebraico, pro eo quod Sep. tranſtulerunt, κατενύγησαν, compuncti ſunt, cùm ſit Hebraicè דמו damu, tacuerunt.) Et Hebræi alia notiore voce declarantes ſubiiciunt, שתקו shatecu, quieuerunt, tacuerunt. Aperuerunt & non tacuerunt: effuſè ridebant, exultabant, laſciuiebant. Os erat plenum riſus, lætitiæ, non tacuerunt, imò ridebant, vocem efferebant: non dolor vocem ſupprimebat, nec vox faucibus hæſit, non obſtupuere ſilentes, imò gaudebant, vox contineri non potuit. Totus ergo verſus habet, Et in dolore aut infirmitate mea gaudebant. Congregati ſunt, congregati dolores, aut flagellantes contra me, qui me ſua illa lætitia percuterent. Et neſciui cauſam. Aperuerunt, & non tacuerunt. Ne mirum tibi ſit Hierony. reddidiſſe paulò ſecius Hebraicum, Scindentes, & non tacentes. Nam vox careu, ſonat etiam ſcindere, ſed hoc loco omnino eſt aperire, hiare, non obſtupuiſſe, non dolore conticuiſſe.

Aduers. m. læt. con ue.

Flagel.

Ignoraui.

Diſcip.

Nec co

Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

QVod Sept. tranſtulerunt ἐπείρασαν, tentauerunt, eſt chanaphim, ſimulatores, hypocritæ, eſtque verſus obſcurus, cui diuerſi ſenſus adhibentur, בחנפי לעגי מעוג behanephe laage C maog. Cui ſenſus is ſubiacet. Dum ſimulatoribus irriſoribus, cibus aut irriſio. De hac re loquitur Rabi Dauid. Chanaphim, inquit, ſunt viri irridentes, quibus ſtudium eſt vana & ridicula loqui. Et maog ſonat, inquit, ſermonem vanum, irriſionem. Omniſque ſenſus eſt, Iſti flagellatores, hi maſtiges, congregati ſunt cum deriſoribus. Atque iſti ſcurræ rident, fremunt contra me. Sunt ergo propter voces amphibolas varij ſenſus. Nam maog placet nonnullis, è quibus Rabi Salomon, deſignare eſcam, à verbo עג og, coxit panem, placentam: interpretanturque irriſores & viros ciborum, paraſitos, adulatores, qui in gratiam principis, & cauſa cibi ad menſas regias frequentes probris, irriſionibus, ſannis, inſectarentur Dauid, fremerent in eum. At Rabi Dauid maog vult eſſe à verbo לעג laag, quod etiam in verſu eſt, irridere, ſubſannare, ſannis, ſcommatis perſequi. Totus ergo verſus connexus cum ſuperiore habebit, os aperuerunt, non tacuerunt cum ſimulatoribus ſceleratis, irriſoribus, vel irriſoribus cibi, nempe propter cibum irridentes. Aut irridentes irriſione. Huic ſenſui proximè accedens Hierony. tranſtulit in ſuo ad Hebraicam veritatem Pſalterio, In ſimulatione verborum fictorum fremuerunt. Similem ſenſum Sept. reſpexerunt tranſtuleruntq́; tentare, quod Hebræis eſt chanaphim, ſimulatores, hypocritæ. Nam tentatio propriè cum ſimulatione fit.

Tentauerunt.
Subſa. m. ſub.

Domine quando reſpicies, reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

CVm tot igitur calamitatibus ſim circumuentus, cùm genus inimicorum patiar, quo non ſit atrocius in terris, qñ tempus erit vt videam vindictam? Quouſque ferre poteris pios ab impijs vexari? Quãdo vitam meam reuocabis ab orco, à calamitatibus, quibus iam ſuccumbo? Pro κακουργίας αὐτῶν, maleficio, vel malignitate eorum, eſt משאיהם mishohehem, à calamitatibus eorum, à cladibus quas intulerunt, inferuntq́;. Hier. quoque poſuit calamitates. Idem

Qñ reſp.

A malign

A Leoni. quoque ſonat vox Græca χαυκυργία. Eoſdem leones, rapaces, feros appellat, violentos, auidos vorandi, non æquam, ſed crudelem mentem gerentes. In perniciem eius pertinaces, obduratos. Vnica. Vnicam appellat animam vitamque, nempe ſingularem, charam, quam vnicè diligimus, charam habemus: vt apud Homerum, φίλον κῆρ ἐνὶ ϛήθεσι φίλοισι, Charum cor, chara viſcera, chara pectora. Non tam propriè in Græco eſt μονογενῆ, Vnigenitam: dicendum, vnicam, ſingularem, ſolam, vnicè dilectam, quæ non gemina nobis, quemadmodum digiti, oculi, ob idque minus chari. At anima vnica, hinc chara. Hierony. quoque tranſtulit ſolitariam meam. Reſtitue, libera, abſtrahe, reuoca velut ab orco.

Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo graui laudabo te.

HAec pietas, hoc munus, quod mortalis offerat ſummo Deo, quod beneficentiam eius impetret. Confiteri ſæpius declaratum, eſſe canere, laudare. Hinc canere incipiam. Idq; In eccleſia in magna multitudine, frequenti cętu, quaſi canam triumphale carmen, recitabo panæ-Graui. gyricum, velut in panathenęis, omni cętu coeunte, in comitiis carmina ſacra canam. Dixit in populo βαρεῖ, graui, Hebraicum עצום, azum, forti, vehementi, multo: fortitudo multitudinem ſpectat. Canam vt redemptus, vt aſcitus in libertatem, qui malis obruerer. Hanc gratiam referam, quod non ero immemor: omnis cętus audiet me canentem, efferentem egregiam hanc ſalutem. Agnoſce quid confiteri, ex ſequenti, Laudabo.

Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Qui adu. mi. ini. QVod ſæpius poſtulauerat, ne irrideretur ab inimicis, ne contumeliis eorum proſcinderetur, ne fabula eis eſſet, riſus, plauſus, ludibrium. Iniquè aduerſantes, Hebraicum, inimici mendaces. Mendaces inimici, de ſalute eius conſilium ineuntes, apud regem criminibus onerantes, inuiſum reddentes: rem ſecus quàm habeat, exponentes. Hos effice triſtes, nō Non ſuper gaud. gaudentes, incute vulnus quod eos ab inani improbaq; lætitia transferat ad mœrorem. Vertatur in acerbitatem eis hæc voluptas: ſit riſus is ſardonius. Quorum odium iniquum eſt, inuſitatum, minimè naturale. Natura enim comparatum eſt, vt odium ab offenſa initium ſumat, vt odio ha-Gratis. beas qui læſiſſet, qui detrimentum intuliſſet. At hi oderunt qui non offendiſſet, gratis, fruſtra, ſine cauſa, nulla culpa irritati, minime à me in hanc inimicitiam impulſi. Quo fit vt in numero ſce-Oſores gratuiti. leratorum ducere eos conueniat. Nam cum omnes carere odio, qui bonorum nomen retinere velint, oporteat: tum vero ſuſcepiſſe odium nulla cauſa ſubiacente, nullo ſcelere eius quem odiſti, præcurrente, iniquiſſimum eſt. Id genus hominum ex hominum ſocietate propellendum, vl-Oſores ingrati. tra oceanum deportandum. Tum magis, ſi pro beneficio, quod queritur noſter, odium inueniſſi, in quem animum placidum, beneuolum, beneficiis mitigatum, & ad amandum impulſum, gere-Rom. 12. re oportuiſſet, geſſiſſe mentem iniquam. Id non ab hominibus modo, ſed à feris etiam alienum, Annuunt oc. quæ beneficijs mitigant. Ergo hi pro portentis habendi. Annuunt oculis, quod Hebręis placeat, irrident, alter alteri ridens annuit. Fit naſo irriſio, quæ ſanna Latinè dicitur, Græcè μυκτηρίζειν. Fit oculis, quod fortè Græcè eſt σκαρδαμύττειν. Interpretes Græci annuentes oculis exponunt adulatores, qui præſentem Dauid, vultu, & habitu coram rege irriderent. Eodem pertinet.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & ſuper iram, doloſè cogitabant.

Mi. qu. pac. lo. COntrarius ordo & ſenſus in fonte. Non affirmat eos pacifica locutos, ſed negat. Quod ſciens Hiero. reddidit, Non enim pacem loquuntur. Longè etiam diuerſum eſt ab origine, Super iram doloſè cogitabant, cum Hebraicè habeat ועל ארץ רגעי Veal righee arez. In ira. ter. lodo. co. Cui plures ſenſus ab interpretibus propter amphibologiam adhibentur. Vox raga, Hebræis ſonat rumpere, ſcindere: tum quieſcere. Duos ergo ſenſus apud eos ſuæ dialecti proprietatem ſequentes inuenies. Rabi Solomon cum nonnullis aliis exponit ſciſſuras terræ, nempe loca ſecreta abdita. Ibi, ait, dolos meditantur, ſtruunt inſidias: ibi de mea ſalute conſilia clam ineunt. In locis deſertis ac ſyluestribus, quas fiſſuras aut rimas terrę, quadam poetica ſimilitudine appellat. Huic quoque ſenſui acquieſcit Auen Eſra, autor non ignobilis. At minimè Rabi Dauid, propterea quod cogitationibus locus arcanus, atq; abditus non ſit neceſſarius. Non in receſſu cogimur cogitare: hic verò dicitur, Dolos cogitabant. Propter ea tranſit ad alium ſignificatū, vt vox deſignet quietem, requiem: dicatq; eos in voluptate & requie, malè de ſe cogitaſſe. Per quietem, quieſcentes, voluptatibus indulgentes, otio vinoque ſepultos. Dum ego vexarer, exagitarer perſequente rege, nuſquam conſiſtendi mihi locus eſſet. In illa alta requie mihi negotia faceſſunt, otio eis, vt ſolet magis malorum quàm bonorum pater eſſe, exhibente nefarias cogitationes. Non loquuntur ibi pacifica, ſalutaria, imò crudelia de interitu, de rapinis. Hos duos viſum eſt magiſtris proponere ſignificatus, quos aliis exemplis ex ſacris litteris, quæ ſunt eis certiſſimi linguæ ſuæ autores, corroborantes. Primus antiquis placuit: in ſecundo ſolum Dauid arbitror eſſe. Vterq; ſubeſt propter πολύσημον. Haud mihi compertum eſt cur Hiero. transferat, In rapina terræ, cum is ſignificatus apud eos non extet. Non eſt ergo ἐπ' ὀργῇ, ſuper iram, ſed totus verſus habet. Quoniam non loquentur pacem, & ſuper rimis terræ, verba ſeu res fraudulentas cogitabant.

Et dila-

A Et dilatauerunt ſuper me os ſuum: dixerunt, Euge euge, viderunt oculi noſtri.

Recte dilatauerunt procaciter loquentes, effuſè ridentes. Cùm viderent me, ait Rabi Dauid, huc atque illuc exulem vagari, tunc dicebant, Vah vah, viderunt oculi noſtri quod voluerunt, quod eis gratum eſſet. Eſt enim pro Græco εὖγε εὖγε, Euge, euge, Hebraicum האח האח haach haach, Latinè quod eſt apud Comicos, ah, ah, ridentis, exultantis, os & guttur aperientis, & crebrò riſum repetentis. Erat, ait, in gutture, ore, oculis, lætitia. Guttur hiabat reſonans, oculi alacres aſpectu cladis paſcebantur. Nihil non de inimicis atrox prædicat, inauditam eorum ingratitudinem oſtendens. Viderunt oculis quod optaſſent, augetur eorum improbitas, dolor vexati, quòd gloriantur facinore admiſſo.

Vidiſti Domine, ne ſileas Domine, ne diſcedas à me.

Vidiſti. Ne ſileas.

Vidit eorum acies me, tu quoque vidiſti. Perſpecta eſt hoſtium improbitas, patet oculis tuis. Nihil ego per indignationem exaggero, nec maiora facio. Quod ait, Ne ſileas, Silent qui calamitatibus circumuentos videntes tacent, non exclamant, non ingemiſcunt, non concurrunt opem ferentes, diſſimulant. Eis dolor non exprimit vocem, conniuent, quaſi dormitantes, ſtertentes, negligentes, ſibi quæ fiant conſideranda tanquam nihil ad ſe pertinentia, non putantes. At nos precamur aſpiciat, vlterius vt commoueat ſeſe, miſerorum cladibus indoleſcat. Cuius eſt regere imperio terras, cui lumina mille, quibus vniuerſa cernat, viſis ordinem addat. Ne taceat, ne diſcedat, propinquus aſſiſtat. Non poteſt Deus diſcedere maior omni mundo, nullis quibus ſe recipiat locis patentibus, ab aliis digreſſus, quemadmodum ſol digreſſus à nobis, ad Antipodas receſſit. Diſceſſit cùm videre reſpuit, auerſatur, ſinens perire delinquentem, pęnasq; ſcelerum dantem, cùm dies opportuna veniſſet, aut ſub cruciatu corporis cæleſtia præmia lucrantem. Nos oramus, ne nobis iratus auxilium, cum poſtulat vſus, ferre recuſet, quem à noſtra conſuetudine peccata ſubduxiſſent.

Ne diſcedas à me.

B

Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus, & Dominus meus, in cauſam meam.

Exurge, excitare, ne diſſimules, videre refugiens. Intende iudicio, iuri, iuſtitiæ, quę mihi debetur. Ius à me ſtat, ab eis culpa. Reus non ego, ſed illi. Quaſi pro tribunali ſedens fer ſententiam. Gladium aduerſus iniquos euagina: pęna capitis damnatos, mitte ad ſupplicia. Iudicium ſuum, dixit, iuſtitiam, æquitatem, ius, rationem. Hanc cernat, ad hanc ſe excitet. Iudicium quoque ſuum, vltionem, vindictam, huic ſtudeat, hanc animo meditetur, paret, habeat in promptu, neue inferre moretur. Dixit Deum & Dominum: ſecundum ſonat velut patronum meum, cui cauſa mea commiſſa eſt: ego velut cliens, tu patronus, iudex, cauſæ cognitor.

Dominus.

Iudica me ſecundum iuſtitiã tuã, Domine Deus meus, & non ſupergaudeãt mihi.

Iudica me, vlciſcere mihi iniurias illatas. Inſectare edictis tuis minacibus maleficos, poſt edicta conſequatur pęna. Damnentur, damnati ad ſupplicia rapiantur. Ius meum ſuſcipito, rationem inſpice: idque ſecundum iuſtitiam tuam: quanta eſt æquitas tua, gaudens ordine rerum, & conſeruatione. Quemadmodum iuſtus es, ſic vlciſcere calamitates illatas: id à iuſtitia tua, quę maxima eſt, repoſco, vt iudicium, ſententiamque ſuper iniquos exprimas, tu ſceptra tenes iuſtitiæ, ſolij tui indefeſſæ comitis. Iure vindictam expoſcens in his anguſtiis ad te conuertor, non C tam vltionem, quàm defenſionem efflagitans. Quòd ait, Non ſupergaudeant mihi, eſt Hebraicè ſimpliciter: Ne lętentur mihi, nec mihi dolor longior, nec eis diutina lætitia relinquatur. Conuerſis fatis, illi lugeant, nos excipiat alacritas.

Non dicant in cordibus ſuis, Euge, euge, aĩæ noſtræ, nec dicant, Deuorabimus eũ.

Euge, ſemel eſt indicium (vt diximus) lætitiæ, Hebraicè pro eo האח heah, aaa. Hieronymus vertit, vah: adiunxitque animæ noſtræ, quaſi lætitiam, alacritatem animæ noſtræ. Ne ſit, ait, in pectore atque minis eorum eiuſmodi exultatio. Eſt alacritas eorum pernicioſa, ſcelerata, exoriens ab alterius calamitate, non eis ſperata commoda, ſed ſpes alieni detrimenti gaudio pectora diffundit: conceperunt animo cum voluptate meam calamitatem, nõ exitium ſolum, ſed velut beſtiæ rapaces vorare, totumq; abſumere cogitantes. Pręripiunt animo prędam, auidis animis iam totum me abſorbent: deliberarunt iam de mea calamitate. Hęc deliberatio eſt, velut cum ſæpe lupos, aut leones vidimus impetu facto oues dentibus corripuiſſe, breui eas abſumptas ex oculis abiiſſe. Propterea velut certa, explorataq; victoria lætantur, ſumma omnium lætitia tempus expectatur.

Deuor. e.

Erubeſcant, & reuereantur ſimul qui gratulantur malis meis: induantur confuſione, & reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper me.

Exaggeratio petitionis, Erubeſcant, reuereantur, induantur confuſione, pudore, ignominia. Nam id melius eſt, pro Græco, αἰσχύνην, ἐντροπὴν, quàm confuſione & reuerentia. dicẽdum dedecus, ignominia. Hieronymus quoque Latinius verecundiam dixit. Reuereãtur quoq; Græcè ἐντραπείησαν, melius pudefiant, dedecorentur, fędatos ignominia videamus. Hebraica quoque tralatione dicunt indui dedecore, aut ignominia. Dedecus autem, veluti

Indui.
Spoliari.

veſtem quandam, qua nos veſtiri contingat, inducentes. Latini quoque dignitate honore, auxilio ſpoliari. Eſt decor aut decus, veſtis optata, gratiſſima oculis, reddens eum qui geſtat, ſpectantibus gratiorem. Sic dedecus, veſtis fœda, deformis, informem, inuiſumq;, cui adhæreſcit, exhibens. Eiuſmodi veſtis hoſtes induat, precatur, inani, ſtultaque oſtentatione depoſita: totos eos ignominia, pudorque cooperiat, obruat. Quacunque iter, in fuga ſubſidium ponentes, fecerint, circunſtet pauor, deformitas fugientium corporibus impreſſa, ſub oculis omnium accepta clades, ſtultos eos, nihil ſapuiſſe, nil vidiſſe comprobet. Pulchri ſibi & felices, beatiq; nunc videntur, in aula Regis primos locos, quos ſibi adulationibus quæſierunt obtinentes poſthac miſerabiles, inglorios, infames, deiectos, aſpiciamus. Iuſtè igitur eos his diris inſequitur, omnemq; hanc capitibus eorum malorum molem orando deuoluit, quod genus hominum eſſet maleficum, ingratum quo non terra nequius ſuſtineret. Quod dixit, qui maligna loquuntur ſuper me: eſt fons המגדילים hamagdilim, grandeſcunt ſuper me. Magnificantur dixit Hieronymus, attollunt ſeſe, ſuperbiunt, maiores fiunt, intumeſcunt, minitando grauiterque fremendo, audaciam, ſpiritusque validarum beſtiarum ſibi ſumunt, vt qui me dentibus mandere ſaueant. Septuaginta quoque Græcè dixerunt ad Hebraicum μεγαλοῤῥημονοῦντες, magna, ſuperba loquentes.

Qui maligna loq.

Exultent, & lætentur qui volunt iuſtitiam meam, & dicant, Semper manificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius.

Iuſtitia mea.

Magnific. dominus.

Qui volũt pa. ſer. ei⁹.

Pſalmorũ ritus.

VT eis mœrorem, ſolicitudinem, cruciatus inſtantes propter eorum arrogantiam optauerat, ſic mitibus, iuſtis optat lætitiam. Et (vt aiunt Hebræi) quo tempore erubeſcere cœperint, qui gratulantur meis incommodis, contrà lætabuntur qui cuperent videre iuſtitiam meam, nempe vindictam, vltionem. Iuſtitiam meam Rabi Dauid interpretatur ישרי ieſri, æquitatem meam: id quod mihi iure debetur, ius meum, debitum. Exultent, aut optantis eſt, aut denuntiantis. Exultabunt, lætabuntur, & dicent, Magnificetur. Hæc erit lætitia, is triumphus bonorum, cùm viderint vindictam, cùm viderint Nemeſin expergiſci, improbis infeſtam: tunc dicent, Magnus Deus, admirabilis, tremendus, non imbecillus, neſcius rerum humanarum, tantis laboribus impar, vt eas regere, vt gentes frænare ſuperbas non poſſit. Cùm videris ſceleratos periiſſe, ſenties quid poteſtatis habeat illud numen, quod effertur laudibus iuſtorum, laudatur, tollitur in cælum clamor. Quod ait ſecundo loco, Qui volunt pacem ſerui eius, eſt alius ſenſus ex fonte. Non ſunt οἱ θέλοντες, volentes, quemadmodum prius, qui volunt iuſtitiam meam, ſed Deus החפץ hechaphez, qui vult, qui vult pacem ſerui ſui. Magnificabitur vocibus iuſtorum, deiectis ſuperbis, bonis liberatis. Vult pacem ſerui ſui, ſalutem, conſeruationem. Hieronymus haud aliter, Qui vult pacem ſerui ſui. Propter hanc voluntatem, ſtudiumque bonorum conſeruandorum laudatur, prædicatur, magnus habetur. Eſt clarus hic pſalmorum ritus, quem ſæpius retuli. Primum omnium præponunt calamitates, in hoſtes canuut diras, deſiderant iuſtitiam Dei, bonos vexari ſinentem, ad poſtremum (velut precibus gratis, acceptiſque) vaticinantur ſe liberandos, improbos miſerè perituros, impijs & iniuſtis pro lætitia, qua pios vexantes triumpharent, futuram calamitatem, luctum, finem cum lacrymis. At ſecus iuſtis in lætitiam, & alacritatem, ſolicitudinem, lacrymaſque conuertendas. Hoc haud dubiè cernet fieri, qui paulum expectet. Verſus omnis, habet, Exultent, & lætentur qui volunt iuſtitiam meam, & dicant, Semper magnificetur Deus, qui vult pacem ſerui ſui.

Veniens veniet, nõ tardabit.

Et lingua mea meditabitur, iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.

Meditari.

Laus.

MEditabitur, Hebræis quoque quemadmodum Græcis ac Latinis verbum meditandi eſt exercendi. Qui meditabitur in lege Domini die ac nocte. eſt hoc verbum. Ad hæc verbum ipſum Hebraicum הגה hagah, eſt loqui, hinc הגה heghe ſermo, locutio. Modò nominat iuſtitiam ſuam, modò iuſtitiam Dei. Eſt autem vna eademque iuſtitia: à Deo naſcitur, impartiturque, nos eam recipimus. Fons ille iuſtitiæ, nos haurientes. Noſtra eſt, qui fruimur: illius qui dat, largitur. Iuſtitia noſtra, eſt ius, æquitas, quam Deus nobis exercet, iratus his qui nobis iniurias intuliſſent, amor recti, odium iniqui. Affectus animis magnis ac iuſtis inhæreſcens, eos commouens, & impellens. Huius motus ſumus ipſi participes, quippe qui cauſa noſtri conflagrat, incandeſcit, iniurias quas patimur, concremans, amouens, in nihilum redigens. Ignis animi diuini nobis ardens, nobis deſeruiens, noſtris inimicis infeſtus, nos refouens, recreans, gelidas miſeriarum hyemes diſcutiens, calamitatumque noctem, quæ nos obrueret, ardore repellens. Itaque dicitur iuſtitia Dei, & iuſtitia noſtra, inter donantem accipientemq; interiecta. Quid ſit iuſtitia eius diſce ex ſecundo, Laudem tuam. Iuſtitia eius, eſt laus eius maxima pars laudum, maieſtatiſque eius, regni decus ac robur, quòd iuſtus eſt, optimæ voluntatis, præſtantiſſimæ bonitatis. Hoc decet mortales venerari, nullo non tempore verſare. Nam quod canimus, gratum eſt, arridet, cupimus imitari, optimo gaudiorum genere detinemur, exultatque animus.

A

PSALMI XXXV. EXPLANATIO.

INSCRIPTIO eſt, In finem ſeruo domini Dauid. Nihil varium niſi quòd εἰς τέλος, in finem, dicendum lamnazeah, ad canendum, triumphandum, ad canendam victoriam. Nam Hierony. quoque pro victoria. Nec non τῷ παιδὶ, ſeruo, dicendum τοῦ παιδὸς, ſerui, ad Hebraicum לעבד leebed. Le, ſeruit caſui gignendi, etiam dandi: hic gignendi. Seruum ſeu colentem Dei, ſiue pium ſe appellauit, quod de impio locuturus eſt. Præclarus Pſalmus de pietate & impietate, de virtute & ſcelere, de fine bonorum ac malorum: quis finis præmiumque pietatis, atque iniquitatis. Huius quoque generis erit Pſalmus, huic ſecundus, optima Philoſophia.

Lamnazeach.
Le.

Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo: non eſt timor Dei ante oculos eius.

Clariora fiant ex origine. Dixit ſcelus, aut ſcelerata cogitatio, vt iniquè ageret in medio cordis mei: non eſt timor Dei ante oculos eius. Eſt velut hyperbaton. Nam Hebræi eam partem quæ eſt, In ſemetipſo, pro quo ſecus Hebraicè בקרב לבי bekereb libbi, In medio cordis mei, referunt ad ipſum Prophetam, qui dicat in corde ſuo, cogitet, affirmet. Hoc, inquit, ego mecum reputo, hoc contendo, impios ſtatuiſſe ſceleratè viuere, non ob aliam cauſam, quàm quod non eſt timor Dei ante oculos eorum. Hunc ego, inquit, B totius impietatis fontem prædico, quòd non timetur Deus, quòd fræna timoris depulimus, quòd negligimus ei placere, ſumus velut ſerui dominos ſpernentes. Vt fontem pietatis ſæpius prædicaui timorem Dei, beatos aſſerui, qui eum timerent, quòd timentes, ſeſe ab improbitate continerent, non præcipitarent, recti tutique conſiſterent: ſic nunc contendo ſceleratos infeliceſque homines fieri, quòd timere Deum deſierunt, quòd aliquid acturis non obuerſatur ante oculos timor Dei. Sunt quales olim, qui vel nullum Deum crederent, nullum numen, nullam vim, quæ generi conſuluiſſet humano: ſi forte ſit, dedignari tamen, aut non poſſe res hominum cernere, longiſſimè à regione terreſtri ſemotam. Harum cogitationum pleni, tranſuerſi in omne ſcelus rapiuntur, nullas in poſterum facinoris admiſſi pœnas expectantes, liberata metu præſentis omniaque cernentis numinis conſcientia. Quis enim timeat quem nuſquam eſſe putet, aut eſſe quidem, ſed non iuris aut poteſtatis dignitatiſque eius eſſe videre mortalia? Ergo maximorum malorum, omniſque perturbationis humanæ vitæ cauſa eſt, quòd non timemus Deum. Non timuiſſe cauſa fuit, quòd non credis eſſe, aut eſſe quidem, ſed oculos eius, quoties peccas, non intereſſe. Nec tibi facinus admittenti occurrit ea cogitatio, non ſecus te ab oculatiſſimo Deo videri, quàm ſi millibus hominum oculis ſpectantibus, adulterio aut homicidio te contaminares. Si ſcires, ſi vehementer & ſolide crederes, nihil Deum fugere, non modò factis ſed etiam cogitationibus tuis præſentem, certè timeres, & velut coram iudice trepidus aſſiſteres. Alterumq; ab altero naſcitur, peccas quia nō times: non times quia non credis ſubiectum te oculis Dei: non putas adeſſe vbi ſcelus admittis. Tantopere adeſt, C ſpectans, quantopere tu faciens. Hoc illi neſciunt, aut ne metus abſtrahat, pauor excruciet, neſcire conantur, aut peccati dulcedine capti plus cupiditati, quàm timori obſequuntur. Poſſet eſſe ſenſus, Dixit impius, Iniquè agam in medio cordis mei: concipiam corde meo, conceptam edam in lucem improbitatem, quam quidem ipſe improbitatem non putat. Tum ſubiicit Propheta, Non eſt timor Dei ante oculos eius. Eodem fere pertinet is ſenſus.

In ſemetipſo.
Fons omnis impietatis.
Semē oīs pietatis.
Protagoræ. Epicuri.
Incredulitas, aut impietas facit, vt Deū non timeamus.
Impius nō timet, non timēs, væ nundat ſe peccato.

Quoniam doloſe egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius & odium.

Senſus euoluendus ex verbis Hebraicis. Quoniam ſceleratè egit aduerſus eum in oculis eius, vt inueniret iniquitatem eius, & odio haberet eum. Sunt Hebraica idiomata locutioneſque eis vſitatæ. Iniquus ille, inquit, החליק hechelik, perperam egit, ſceleratè in oculis Dei, eo vidente & ſciente, quem videre & ſcire non putaret. Non deſtitit igitur is peccare: quodcunq; autem peccaſſet, ſub oculis Dei factum eſt: omnis error & culpa admiſſa eſt ſpectante Deo, peccatorum non fugiente, imò inueniente, reperiente. Perpetratum eſt facinus in oculis eius, quos effugere poteſt nemo. Inuenit, vidit, perſpectum exploratumque habuit: & cùm vidiſſet, reperiſſetq; odio habuit. Hoc ſtudent denique, aſſequunturq; improbi, flagitiis ſe captiuos tradentes, quòd cum videantur inueniantur que à Deo, ab eo odio habentur: execratur poſthac abominaturque eos Deus. Lucrantur aliquam voluptatem in ſcelere, at magno conſtantem, inimicitiam Dei parientem. Peccauit improbus, Deus inuenit, vidit, odio habuit, hoc ordine geritur res. Deus eſt mens, recti iuſtiq; amans, iniuſti inimica. Nullum ſupereſt perfugium peccantibus, quin in numero inimicorum Dei habeantur, ſi quodcunq; agunt, perſpicuum eſt oculis illis immenſis, tum qđ agunt, odioſum inuiſumq; eſt illi. Potuiſſet eſſe ſceleratis primum perfugium, Nemo eſt qui noſcat quod agimus, licet impune per omnes animi noſtri libidines vagos decurrere. Adeſt, inquit

Doloſe egit.
In conſ. e.
Vt inue. iniquè.
Ad odiū.

Alterum

Propheta,ſiſtite pedem , ò ſcelerati . Aſpicit Deus,ſi non homo.Eſt alius oculus qui nos cernat. Alterum perfugium,Nouerit licet Deus,nihil eum factorum noſtrorum latuerit,quid ei cum rebus humanis ? Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos ſollicitat. Vulgus ingens eſt omnibus locis impune peccantium . Propheta nuntius Dei contra , Hoc erit veſtri ſceleris denique præmium, hanc demum mercedem feretis, eritis odio ſummo Deo, cum quo gratia amicitiaq́; perpetua vobis eſſe potuiſſet, iuſte ſapienterq́; viuentibus. Quòd ſi neque odium vobis obeſſe, neque amicitiam eius prodeſſe contenditis, hic ego perſpicuis exemplis dementiam veſtram coarguam . Tunc pecudibus deteriores oſtendam , qui propter ſtuporem nec detrimenti cauſas,nec vtilitatis ac felicitatis originem ſentiatis . Pro dementibus inſaniſque relinquendi, niſi tempus aut verbera vobis reſtituant ſanitatem . Verſus igitur habet ex Hebraico fonte , Quia perperam egit aduerſus eum in oculis eius, vt inueniret iniquitatem eius, vt odio haberet eum . Hierony. quoque eadem propemodum, Quia doloſe egit aduerſus eum in oculis ſuis,vt inueniret iniquitatem eius ad odiendum. Docent aliis exemplis Hebræi locutionem , inuenire Deum iniquitatem, quoties vindictam infligat. Verbum quoque doloſè egit, eò pertinet, quòd improbus opinatur arcana ſcelera, quæ per dolum & fraudem fiunt , oculos Dei ſubterfugere . Spectat ad occulta flagitia , quæ cum dolo & fraude fiunt .

D

Inuenire iniqui.

Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere vt bene ageret.

DEclarat ſuperiora, Doloſè egit.Nunc verba oris eius iniquitas & dolus. Sermones eius fraudulenti, fraudibus tecti, ſuperne pacem amicitiamq́ue prætendentes.Subeſt iniquitas, prauitas, ſcelus . Hoc erat, quòd ante oculos eius non eſſet timor Dei, exiſtimabat fraudes illas perinde ignotas eſſe Deo,atque hominibus . Propterea fons ſcelerum, Deum non timere , quòd cum latere poſſe exiſtimantes non abſtinemus grauioribus ſceleribus, quibus tantum turpitudinis ineſt, vt oculos, ea patrantes fugiamus , exiſtimantes nemine mortali cernente non ſupereſſe qui videat. Horum igitur ſermones ſunt cum iniquitate, ineſt eis pernicies, vaſtitas, homicidium, rapinæ, ſed hæc occultata lepore, & verbis amicis. Cædes illa , ſeu vaſtitas diſſimulata vocatur dolus, fraus,Res pernicioſa verbis blandis adumbrata. Tendit,inquit,in perniciem hominum quodcunq; loquuntur, quibus deeſt ſenſus ille timendi colendiq́; Dei. Quòdq́; grauius eſt, operam dant vt ratione inſaniant. Scientes & prudentes, naturaque miſeri peccant, Vltro veritatem & iuſtitiam refugientes. Non eſt eis voluntas rectè agendi,abſtinent etiam volẽtes à ſapientia , deſipiunt non inuiti , offerunt vltro ſeſe dementiæ . Id enim eſt in Hebraico חדל להשכיל להיטיב chadal lehaskil leheitb,Abſtinuit intelligere vt bene ageret. Quòd Hieron.Ceſſauit cogitare vt bene ageret. Funditus deſipiunt, præcipiteſque labuntur, quibus non eſt timor Dei. Longiſſimè exulant à ſapientia. Nam alibi eſt, Accedite ad eum & illuminamini . At hi accedere recuſantes, neceſſario ſemper in tenebris decumbunt. Nam qui timet,colitq́ue,accedit propius. Qui accedit,fit caloris,luciſq́; particeps. Qui non colit, recedit:recedens,non modo non ampliorem lucem accipit,ſed quam poſſidet,etiam amittit. Augetur miſero cæcitas in dies. Hac de fonte ſcelerum,& virtutum ſancti Vates ſuis carminibus nos docentes, indefeſſe concinunt.

E

Noluit intel. vt bene age.

Iniquitatem eſt meditatus in cubili ſuo, aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

F

PErſequitur,vt fons ſcelerum ſit Deum non timuiſſe,expediens ſingula,quid agant quibus cultus, metuſque Dei , oculis non aſſiſtit. Noctes atque dies, inquit, malarum pleni ſunt cogitationum, cùm ſe quieti dediſſent,cùm remotis arbitris , diurniſque negotijs ſepoſitis , liberior animus curiſque ſolutus ſecum ipſe volutat , putes eis tunc meliores cogitationes occurſare,decernentibus poſt rectius viuere,aut qua ratione melius agant, deliberantibus? Nihil omnino tale . Tunc omni ſcelere ſcatet animus . Tempus illud maleficijs condendis, quæ pòſt in lucem ab eis promantur, deſeruit . Duos igitur actus nominat, alterum noctis, ſcelerata conſilia agitandi, alterum diei, eadem perficiendi.Primus eſt, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo. Secundus, Aſtitit omni viæ non bonæ. Quod clarius ex fonte eſt, Inſtitit viæ non bonæ, iter ingreſſus iniquum : tradidit ſeſe maleficiis,poſuit pedes in præcipiti, viuens iuſtitiæ,probitatiq́; inimicus.Is eſt mos eorũ,qui à timendo Deo deſciuerunt:hac ratione vita eis traducitur,neq; dies neq; noctes aut cogitare,aut male,aut peius edere quod cogitaſſent, deſiſtunt . Non ſunt eis inuiſa malefacta. Scelus, vitium non προσώχθισε , vt eſt Græcè, non eſt execratus,non fuit ſceleri infenſus, cùm omne vitium turpitudinem habeat, natura verò comparatum ſit, vt odio turpia habeamus. Hunc habitum comparauerunt, qui Deum timere deſierunt .

Iniq. me in cub.

Aſti. omni viæ nõ bo.

Domine in cęlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes .

HAec optimè poſt commemoratas quorundam hominum in terris improbitates , ſubiicit,qua ratione comprobet nihilo ſecius bonitatem prodeſſe mortalibus,tametſi non deſint ingrati, huiuſque liberalitatis immemores. Tum vt coarguat falſas eorum opiniones,quorum ante oculos non ſit timor Dei,quòd cum neſcire quæ fiant in terris arbitrentur, nihil ab eo mortalibus aut bene aut male capientibus , quippe qui non laboret inſpicere facta noſtra ,

A ſtra, nihil ad ſe attinere, minimè ſibi conſideranda exiſtimans. Adeſt igitur cęleſtis legatus, obuiam ſceleratis humani generis euerſoribus occurrens. Et terras relinquens, deque improbis amplius loqui refugiens, vertit ſeſe ad eum quem iniqui contemnentes, tantopere delinquunt, vt potius pro monſtris, quàm ratione præditis habendi videantur. Illi, inquit, ò pater æterne, quorum autor fuiſti, te deſpicere mare terraſque iacentes, aut quicquam habuiſſe mortales à te, quo vitam ſuſtinerent, numenque tuum beneficijs allecti colerent, pernegant. At non omnia plena ſunt liberalitate beneficentiaque tua? Non vſque in cælum, ad orbes cæleſtes, ad ambitum axis, per omnem mundum longè lateque pertinens munifica charitas tua progreditur? Eſt enim ſenſus vocis Hebraicè חסדך caſdeka, quod miſericordiam Septuagin. tranſtulerunt, beneficium, benignitas. Hæc, ait, benignitas eò vſque larga copioſaque eſt, tantumq; ſpatij in omni terra complectitur, vt in cęlum vſque perueniat. Nullus eſt locus, nulla regio, nullæ in toto terrarum orbe gentes, quin eius ſint capaces & participes. Miſericordia nempe, liberalitate, munificientia tua plena eſt terra. Nullum eſt munus in terra, nulla res quæ ſit vſui mortalibus, cuius non tu autor largitorq; fueris. Ob quam cauſam perſpicuum ſit, quantopere deſipiant omnes impij, quantumq; ingratitudinis crimen incurrant. Tu generatim alis omnes animantes, tu cibos, quibus omnes victitent, ſingulis temporibus ſufficis. Itaque liberalitas tua cęlum vſque pertingit, nuſquam non præſens omni modo. Quod ait, Veritas tua vſque ad nubes, pro ἀλήθεια, veritas, eſt in fonte, אמונתך emunatheca, fides tua, ſiue ſtabilitas aut conſtantia tua. Hieron. quoque tranſtulit, Fides tua. Fidem, quod alijs locis perſpicitur, vocant ſacræ litteræ, ſtabilitatem, conſtantiam, perſeuerantiam: quaſi ſolidam veritatem, non vanitatem, fluxamque inſtabilitatem. Fidem ſeu
B veritatem appellauit eam ipſam miſericordiam, beneficentiam, ſtabilitatem, conſeruationemque perennem mundi, vt exponunt Hebræi. Fides eius eſt, perpetua benefaciendi conſtantia, perpetua illa, indeficienſque liberalitas, qui faciat ſemper & fideliter, amicè ac ſtabiliter, quod ſemel feciſſet. Non deſertor officij, non ſuæ munificentiæ frænator, quaſi pœniteat eum beneficiorum. Eſt fidelis, conſtans, ſtabilis, perſeuerans, inſiſtens, benefaciendi auidus. Hæc virtus in eo tanta eſt, tam larga profuſaq;, vt vſque ad nubes procedat. Nubes, quod etiam placet Hebræis, ſentit, cælum, æthera, quem vſque nubes aſcendunt. Hebraicè שחקים ſhechachim, quod promiſcuè eſt nomen nubium, atque ætheris. Nam cælum quoque nunc aer eſt, nunc orbes cœleſtes. Hæc fides rectè dicta eſt ab interpretibus Græcis veritas, quaſi indeficentia, perpetuus liberalitatis fluxus, non obliuio bonitatis. Nam ἀλήθεια à priuatione λήθης, obliuionis, dicta.

In cęlo miſericordia tua. i. in cęlum.

Miſericordia.

Ver. tu. vſ. ad nu.
Fides Dei.

Nubes.
Cœlum.

Ἀλήθεια.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa. Homines & iumenta ſaluabis Domine.

PLurima de virtutibus diuinis prædicauerat, multus in commendanda charitate munificẽtiaque eius fuerat: nunc de iuſtitia, iudiciorum eius ſeueritate, æquitate quoque. Eſt quidem, inquit, benignitas charitaſque tua tanta, vt omnem mundum amplectens, vel ad ſydera pertineat. At iuſtitia exaduerſo tanta eſt, tam vaſta, longè lateq; eminens, vt montes editiſſimos æquet. Benignitas, inquiunt Hebræi, erga bonos, pios, iuſtos, Dei timentes: iuſtitia aduerſus improbos, impios. Duo ſunt affectus, alter benefaciendi, terraſque omnes vbertate ſua fęcundandi, quem benignum, liberalem, largum, beneficiorum prodigum ſentiant omnes animantes. At rurſum adeſt iuſtitia magna, incredibilis, ſeuera non minoris forſan magnitudinis atque munificentia & charitas. Hæc in terra verſatur, obambulans oculata, peruigil, omnia proſpiciens, nihil ſibi incognitum, non perſpectum exploratumque ſinens. Vigilat ſceleratis damnandis, bonis tuendis. Cùm multa peccata exerceantur in terris, multumque vanitatis, turpitudinis, crudelitatis inueniatur, putes non eſſe qui curet iſta, qui ſibi non conſideranda exiſtimet, qui nec ſenſum habeat, nec dolorem capiat, cùm tantiſq; flagitijs inficitur aer, ſunt prędæ innocẽtes, pauperes, viduæ? Imò verò eſt magna iuſtitia, regina ingens, cui mille oculi, innumeræ manus, quibus cædat ſceleratos, Inſuperabiles vires, quibus iniquos corripiat, proſternat, euertat. Innumeræ ſuppliciorum formæ, quibus capiat, opprimat nefarias beſtias. Quàm nubes attingit charitas, liberalitas, tam iuſtitia, montium vertices excellit. Inque eo charitas eſt, quòd non modò munera ſua effuſè, copioſeque largitur, ſed quòd probos innocenteſque tuetur, amicus verus, paterque, quem commoueat iniuria ſuis illata. Quòd dixit, Iudicia tua abyſſus multa, vt beneficentiam ad nubes, iuſtitiam ad cacumina montium comparando extenderat: ſic iudicia ducit ad abyſſum profundam, magnitudinem harum virtutum demonſtrans. Ad abyſſum vſque, qui locus eſt in mari maximè profundus, impenetrabilis vorago, procedit magnitudo iudiciorum. Sunt eius iudicia magna, grandia, ſine menſura. Virtus hæc iudicandi eſt altiſſima, magnitudinis immenſæ. Tres excellentes ingenteſq; virtutes, quarum excellentiam declarat exemplis, ſpatiiſque in omni mundo maximis commemorat. Maximum ſpatium eſt à terris ad nubes, magnum quoque ad montium vertices à radicibus. Haud minus magnum, à ſumma aqua ad infimam abyſſi ſedem. Eſt Abyſſus Græcè quaſi impenetrabilis vorago. Præclaræ, inquit, & incomparabiles ſunt virtutes eius. Sciendum tres has virtutes ad vnas redigi. Idem enim eſt, iuſtitia, atque iudicia, alterum alterius repetitio, declaratio, quod ſolitum eſt in ſacris litteris. Scire

Iuſtit. tua. ſi. mon. dei.

Iudic. tua abiſſ. mult.

Mõtes dei. quoque operæpretium eſt, quòd dixit, montes Dei, mos eſt in ſacro poemate, cuius aliàs admonui,
quòd adhibent rebus his Deum, quarum velint magnitudinẽ oſtendere, vt cedros Dei, celſiſſimas
cedros, montes Dei, montes altiſſimos. Simili locutione Homerus ἅλα δῖαν, mare diuinum,
nempe ingens, largum. Et cùm res immenſas deſcribunt, vulgo exclamant potentiam
Dei. Hoc docet Rabi Dauid, hoc loco, כשרוצים להגדיל הדבר הרבה סמכו הוא האל. Non diſplicet quod opinatur
Abraam, has comparationes, tam ad ſcientiam ipſarum virtutum quàm magnitudinem referri.
Eſt, ait, incomprehenſibilis noſtris ingeniis charitas tua. Eſt item maxima ſcitu iuſtitia, maiorque,
vt noſtra ſcientia poſſit comprehendi. Iudicia quoque ſunt inſcrutabilia. Prior mihi
ſenſus, quanquam non diſtant, gratior exiſtit. Rabi Dauid propoſuit non aſpernandum, Iuſtitiam
bonis defendendis & beneficiis largiendis. Eſt enim ſæpe in ſacris litteris nomen iuſtitiæ, charitatis,
liberalitatis. Hanc virtutem bonis & piis ſtudere, propterea montibus ſimilaſſe, iudicia in
tartarum & abyſſum demiſiſſe, improbis & ſceleratis. Ne promiſcuè opineris & ſine diſcrimine,
charitatem, iuſtitiam, iudiciaque exerceri. Mihi videntur omnino comparationes à rebus maximis
Homin. & iumẽta ſal. mis deſumptæ. Quod ait, Homines & iumenta ſaluabis, eſt ipſis quoque duplex ſenſus, Homines
Eccl. 12. d. appellaſſe veros, probosque, dignos qui homines vocentur: iumenta verò peccantes, veluti ratione
carentes, prouidentiamque afferre prioribus ſalutem, velut hominibus: poſteriores curare
ac gubernare vt feras, beſtias, habere eos in numero beſtiarum, formam humanam gerentium.
Seruat veros homines, pios, ſanctos, improbos pro beſtijs ducens, cuſtodit, ſeruatque vt beſtias.
Eſt alius ei ſenſus, Omnem carnem, omnem rem ſenſibilem Deus iudicauit. Cuncta, Salomon
inquit, adducet Deus in iudicium. Sed hic nulla ſalutis mẽtio: minimeq; huic ego ſubſcribo. Videtur
ergo ſuſcipiendum vt ſonat: Eam eſſe diuinæ munificentiæ vbertatem, (perſtat enim, vt videbis
verſu ſequenti, miſericordia diuina extollenda) vt vſque ad irrationales beſtias deſcendat,
eas alens, pabula ſufficiens: nuſquam parca, vbique fœcunda, quod alio pſalmo extulit, Et pullis
coruorum inuocantibus eum. Et, A te expectant vt des illis eſcam in tempore. Dante te illis
colligent, aperiente te manus tuas, omnia implebuntur bonitate. Ergo verior ſenſus de vniuerſali
conſeruatione, tam hominum quàm omnium generatim animalium, propterea charitas eius
cælum cacumine tangit, celſiſſima, latiſſima, cunctis fontibus vberior.

Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus: filij autem hominum in vmbra alarum tuarum ſperabunt.

HOc verſu ſi legas, vt eſt in codice Hebraico, claret ſenſus verſus antecedentis de iumentis
conſeruandis, de magnitudine, vbertate diuinæ charitatis, miſericordiæ. Legitur
Quę̃. mult. mi. tu. Hebraicè quòd tranſtulit eximius doctor, מה יקר חסדך ma iacar chaſdeca. Quàm pretioſa
miſericordia tua. Quod quidem Græca quoque reſonant, ſed non rectè Latinus reddidit, ὡς
Filij ho. in teg. al. t. ſp. ἐπλήθυνας τὸ ἔλεός σου ὁ θεός. Quàm multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Effertur igitur
diuinæ copiæ vbertas, cùm primis ad homines vberior confluens, vt quos Deus non alit modò,
ſed velut amatrix pullorum auis, alis extenſis protegit, defendit. Humanum genus eximia charitate
complectitur Deus, non contemnit, aſpernatur, extra flammantia mœnia mundi longè ſepoſitus.
Nobiſcum eſt, nos amplectens, fouens. In eo ſpes omnes, opesque noſtræ ſitæ. In eo viuimus,
mouemur. Sub vmbra eius, ſub alis defendimur ab omni clade. Non eſt inanis ſpes noſtra,
ſperamus ſalutem eius, qui velit & poſſit nos ſeruare. Extulerat miſercordiam eius vſq; ad ſydera:
nunc exclamat, eius magnitudinem admiratus, quæ cuncta gubernet in terris, maximè ea, quæ
ad homines attinent.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Inebr. INebriabuntur, interpretantur Hebræi, replebuntur, fœcundabuntur, explebuntur, totumque
hunc verſum, ſunt ex eis qui de futura beatitudine interpretentur, ebrietatem, æternam voluptatem,
Dom⁹ dei. ſempiternam diuinæ conteplationis in domo Dei, in cœlo, ætheriis domibus, penetralibus
cęleſtibus, palatiis ſupernis, in aula ditiſſima, beata. Hinc intelligas quanta ſit Dei munificentia,
quàm verum ſit eam caput inter nubila condere, quinetiam ſuper æthera tranſit, & ſydera
tranat. In terris vbique vagatur regens cuncta, omnes animantes alens, hominibus autem
fœcundior eſſe cupiens, ducit eos in cœlum, ad fontem æternæ voluptatis, ad inæſtimabiles diuitias,
ad gaudia ſolis nota piis. Aeternam ebrietatem Orpheus etiam antiquiſſimus Vates deſcripſit,
Deos nectaris ambroſiæque poculis ſatiari, Hebe, quæ iuuentus eſt, pocillante. Eſſe Deos
ſemper iuuenes, ignotam eſſe regionibus illis ſenectam, mortis nomen inauditum. Non poſſe magnitudinem
voluptatis æſtimari. Nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus
Torr. vol. ſe. Dicitur torrens voluptatis, vbertas domus eius, ebrietas, æternæ dulcedinis hauſtus. Ergo
qualis ac quanta eſt diuina charitas? quis eſt hic, qui prædicet non eſſe ei curæ quid agant
homines? quæ potius ſtudium contentionemque non remittat, dum eos beatos, Deosque
conſtituat, dum fontes omnes voluptatis aperiat, diuitiarum ſuarum, quos habet in penetralibus
æternis conditos, theſauros largiatur, tantum hominibus aſſequentibus, quantum optare
vix licuiſſet.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

POterant ſuperiora referri ad hæc terreſtria, ad vitam animantium, vniuerſalemq; rerum afluentiam ex fonte diuino, id aſſerens hoc loco, fontem vitæ prædicat apud eum eſſe, qua ratione cecinit alibi, Aperiente te manus tuas, omnia implebuntur bonitate. Poſſet item iuxta ſenſum Hebræorum, vitam beatam decantare, fontem vitæ, torrentem voluptatis, vbertatem lætitiæ, ebrietatem æternam eam appellans, repletis quouſque capere liceat, animis lætitia: ſuauitateq; nobis incognita, quæ propter copiam, & quòd perennis ſit, nunquam exhauriatur, iure nuncupetur fons torrens, vita quoque, vt præ qua noſtra vita, mors ſit, noſtrumque viuere, vitam morte contaminatam ducere, ſemper voluptatibus ac doloribus inuicem ſuccedentibus, turbida, inſynceraque lætitia profluente. At fons ille purus, nullis perturbationibus infectus. Lux quoque ea vita, quòd nulla ſit res in terris æuo beato, rebusque ſupernis ſimilior luce, vt quæ ſubſtantia quidem ſit, resque in terris viſibilis, ſed minimè corporea tactibusq; ſubiecta: ea quoque de cauſa lux vocatur, quòd ſupra cœlum ſint omnia clara, perſpicua, fulgente Deo, veluti ſole quodam immenſo, cui noſter ſol minimè comparari queat, radios quoſdam ignotos, immenſamque claritatem, quam nos quidem augurari, vera autem ſcientia complecti non poſſimus, ſpargente, totumq; locum ſupernum longè, lateque & perpetuo complectente. Is eſt Sol, quo vident, viuunt, ſuisque negotijs inſiſtunt beati. Negotia ſunt non hæc noſtratia, ſed ſpectatio diuinæ claritatis: charitas, amari, & amare illuſtriſſimas, incomparabilesque formas deperire, omnes enim beati pulcherrimi, formoſiſſimi, quorum pulchritudinem, nulla in terris fœmina quantum velis eximiæ formæ, poſſit æquare. Seſe itaque mutuò ſpectantes, amore conflagrant, nemine alterum minus amante, quàm ab eodem redametur. Ambit omnes lux illa Dei, incomprehenſibilis nitor, plenus excellentium colorum, excellentis ſuauitatis, mirabilium formarum, qualis (ſi fas eſt has ſimilitudines vſurpare) gemmarum, ſapphiri, adamantis, chryſtalli, qualis iris in nubibus. Longeque plura ac meliora, quæ ſub voces mortales cadere, noſtrorumque nominum notis deſignari nequeant.

Bea. in cæ.

Largior hic campos æther, & lumine veſtit

Purpureo. In illo igitur lumine viuunt, vident, lætiſſimum vitæ genus agitantes beati. Hæc de ſuperno, beatoque æuo prædicari, Magiſtris viſum.

Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde.

PRrætende, Græcè παράτεινον, extende, protende. Hebraicum, משך meſok, extende, porrige. Hieronymus, attrahe. Sed proprium eſt, extende, porrige. Poſtulat, quod miris laudibus commendauerat, ſummis votis beneficentiam Dei his, qui noſcunt eum, orat pro piis, pro genere ſuo, quibus vnis illo ſęculo datum fuerat noſſe, & colere verum Deum, eoſdem rectos corde, rectæ mentis, recti iudicij: quibus animus eſſet integer, ſcelerisq; purus. Non tam pro populo, quàm pro his qui in populo ſumma eſſent pietate ac iuſtitia, preces habet: ſeipſum in primis innuens, qui ſibi conſcius rectæ voluntatis eſſet, qua pietate erga Deum, qua iuſtitia erga homines eſſet. Quibus rebus fretus, rogat ſua in ſe clementia ac manſuetudine vtatur, dum ad eam beatitudinem attingat, nec minus in hoc ſæculo ab omni clade defendat. Eſt enim beneficentia, cùm futuræ vitæ facere participem, tum verò pios in corpore à maleficiis impiorum prohibere. Eamque ob cauſam iuſtitiam, quæ eſt ſalutis conſeruatio, poſtulat. Iuſtis non ſuppetere vires, quibus ſe tueantur. Propterea ſubijcit.

Prætende.

Recti corde.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

PEdes, & manus ſuperborum memorat, pedibus veniunt, manibus præliantur. Pes ſuperbiæ, pes arrogantium, crudelium. Pes autem impetus, vis, impreſſio. Tardet impetum inimicorum, in ipſo conatu frangat, irruentes opprimat. Irruunt aduerſus innocentem, ceu iubati dracones aduolantes: hic adſit ſuis armis protegens. Omnibus penè carminibus id genus preces inuenias, quòd nullo tempore, nullis locis non adſint plures calamitates, quæ nos excipiant, niſi ab eo qui proſpiciat, eorum initia propulſentur. Ipſe eas dum naſcuntur, quoue loco caſuræ cognoſcens, quod ipſi videre non poſſumus, ſubmoueat, pedibus aduolant, manibus corripiunt.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.

EO ritu, quem cunctis pſalmis aſpicias, omnibus precibus primùm inſiſtunt, ſuppliciter orantes, vt ab improbis tueatur, eorum vim ab eis prohibeat, quibus mos ſit innocentes inſectari, odio vitam, moresque eorum habentes. Pòſt velut exauditi, atque auxilio impetrato, ſuper eorum interitu triumphant, gratias agentes, exitium eorum audaci pectore denuntiantes, certum, ineuitabileq; eis excidium prædicentes. Et quòd futuras eorum clades, certiſſima luce proſpiciunt, velut iam præteritas enuntiant. Ceciderunt igitur ſuperbi, & crudeles, vbi proſternere in ſontem deſtinauerant. Locus is fuit, calamitatis eorum teſtis, quem interficiendo iuſto deſignaſſent. Nec ſolum illic ceciderunt, ſed etiam pars, quæ ſibi in celeritate pedum

Ibi cecid.

ſalutem poſuit,profligata eſt,ac deleta:tantaque fuit ſtrages,atque ruina,vt excitari deinceps non potuerint. Verbum quoque expulſi ſunt,ſonat Hebræis euerſi,fracti. Stare.

PSALMI XXXVI. EXPLANATIO.

Quere.im peritorũ. EAdem atque ſuperioris,pſalmi,huius philoſophia, eruditio cæleſtis, conſilia plena charitatis & prudentiæ. Qua ratione Deus regat res humanas, non vt ignaris imperitisq; fortaſſe videtur,qui temerè & incertis caſibus volui ſæcula,fatumque & fortunam in rebus humanis plurimum poſſe queruntur. Imperitiam hanc coarguit, perturbationes humanas ſedat, dimouet inſcitiam, veriora proponit. Certos eſſe fines, quò ſpectent omnia,quibus conſideratis,acerrimeque perſpectis, facile queſtus, accuſationesque diuinæ prouidentiæ ſopitum iri.Referre oculos interim oportere ad eos fines, non in medio curſu debilitari: omnium rerum vera iudicia in fine conſiſtere. Gubernatori non quæ vulgus ingemiſcat, conſideranda eſſe: nauclero non quid hi, quos vehit, poſtulent, ſed finem itineris, quo curſus properet, tacitum ſecum proſpicere. Quàm velint illi moueantur, agitentur, fluctuent: ſibi clauum tenendum eſſe, qui cymbam ad portum dirigat. Tunc omnia clareſcere, auxilium inſontibus afferre, confeſtim ſontibus trucidatis, & ad ſupplicia correptis, nec diuinæ grauitatis eſſe, nec rebus humanis prodeſſe. Proponit igitur ſalutarem, plenamque veritatis philoſophiam, dignam quam nulli homines ignorent, in promptuque habeant. Eſt Pſalmus Dauid.

NOli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Ariſtotel. mag.mor. li.1. ca.27 Vexariq; pios. Æmulari. LIcet, inquit, videas florere nocentes, copiaſque eis omnes circunfluere: at ne tibi veniat tam dira cupido,vt eorum ſimilis eſſe deſideres:ne falſa felicitatis imagine capiaris. Eſt ſimulata, fictaque eorum beatitudo: Non ſunt verè beati: ſiſte iudicium,prudentior eſto. Noli præſentibus more beſtiarum ludificari: hominis eſt ratione præditi longius proſpicere, ad futura oculos intentos habere. Malignantes dixit, מרעים merehim, maleficos, quæ mala ſunt, perpetrantes, his noctes atque dies ſtudentes,hic omnes actiones conatuſque ponentes. Iidem ſunt facientes iniquitatem Aemulari Latinum, Zelari Græcum. Eſt æmulatio,imitatio,cupiditas agendi ac poſſidendi, quæ nonnullos agere poſſidereque noris: eſt cupere ſimilem eorum eſſe, quibus aliquid præclari ineſſe opineris. Sic interdum fit, vt diuites cernentes, quanquam perſpectum nobis ſit impiè diuitias ſibi quæſiſſe, alios libidinibus tametſi ſceleratis fruentes, eorum tamen in loco eſſe cupiamus, ſuſpirantes, ingemiſcentes, cur non eadem fortuna nobis aſpiret. Ecce de cęlo nuntius veritatis, cui propter allatam ex alto loco ſcientiam credere nemo recuſet. Falleris,ait,quiſquis in his cogitationibus verſaris, quem talia turbant: ſunt profundiora quæ non perſpicis,ſub alta nocte latentia, impiis illis ignota, oculos eorum propter cæcitatem caliginemque à flagitijs obductam, aufugientia.

Malignāt. Æmulari.

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum holera herbarum citò decident.

NOn eſt clarius exemplũ vanæ,& quæ cũ ſcelere poſſidetur,felicitatis. Hæc cauſa vera eſt, cur non decet nos eam felicitatem,illas diuitias,ill am rerum commeatuumque copiam, aurum, veſtes, gemmas que admirari: continuo dies aderit quæ funditus omnia tollat, totam cum ſtirpe videbis procubuiſſe domum. Propediem Tiſiphone, comite Adraſtia, cuncta rapidis manibus euertet, ipſum impium in ſicco relinquens, aut vnà cum ſupellectile corripiens. Hæc quidem priſco illo tempore validius exercebantur, cum bona malaq; præſentem vitam ſpectarent, æternis nondum declaratis.Illic graues ſceleratarum familiarum principumque iniquorum caſus leges, plena domus erat opulentiæ, ipſi ſucculenti, præpingues, florentes, pecunia ſuperbi obambulabant, ſeruorum comitante caterua, nitentibus equis inuecti, tota vrbe conſpicui. Meliores interea vexabat inopia, triſtes, beatos illos aſpicientes, ſi eorum in loco eſſent, nihil ſibi beatius dari poſſe exiſtimantes. O ſtulti, inquit Propheta: ò rerum ignari. Quo tan. ſu. Quos nunc virides floridoſque cernitis, paulò pòſt exaruiſſe, velut herbam à matutino fœniſeca ſucciſam: omnes in terram, aridos, cæſos, extinctos procubuiſſe cernetis. Tantò grauius & maiore cum gemitu atque eiulatu cadentes, quantò felicitas opulentior afflueret. Quod ſi quandoque in hac vita non fit, illo ſaltem ſupremo ſæculo ſeuerius omnes aſpicient fieri.

Spera in Domino,& fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis ejus.

Paſc.in di. CVm cætera congruant cum fonte, in eo diſcrimen eſt, quòd Septuag. neſcio qua de cauſa poſuerunt, καὶ ποιμανθήσῃ ἐπὶ τῷ πλούτῳ αὐτῆς, Et paſceris in diuitiis ipſius terræ, pro hoc omni in origine ורעה אמונה veree emuna,Et paſcere fidem. Tum ſequitur alius verſus, Delectare in Domino. Sed primum totus ſenſus iuxta Magiſtros, & vt Hebraica lectio ſuggerit, aperiatur, In calamitate, fluctibuſque illis animi quibus quatimur, nos ſub ęrumna videntes, alios florentes, diuitijſque impiè partis lætantes, oportere nos forti conſtantique animo

A mo eſſe,totos in fidem poteſtatemq; Dei nos permittentes,ad eum vti portum certum refugientes,huic fidentes,ab eo incommodorum miſeriarumq; finem expectantes, pro comperto perſpectoque habentes,nobiſque ipſis perſuadere conantes,eum nobis auxilio futurum, interim virtutis officia,probitatiſque exercitationem non relinquentes,neque deſperatione, neque indignatione. Quod ſi fiet,è veſtigio conſequetur alacritas,præmium: nos ſoli erimus, qui terram incolemus:erit terra,noſtra poſſeſſio,breui detruſis in tartarum,quos feliciter agere,non meritos indignabamur. Quod ergo dicit imperans,Et inhabita terram,eſt quaſi præmij promiſſio, per futurum,Inhabitabis terram. Tibi cedet terra,mundique poſſeſſio:tu viues,illis è luce repulſis. Tibi debentur,tibi parantur in terris,quæ ſpectant ad vitam. Quod autem ſubiicit, Et paſcere fidem, eſt ex Hebræis duplex ſenſus: Alij paſcere,deſignare documenta,eruditionem. Monere Prophetam,eum,cui det præcepta viuendi,vt in aduerſis fortiter, intrepidus agat, in optimo ſtatu permaneat,virtutem ne deſerat,terram habitet,ęuum decurrat,doceat pietatem,paſcat ſua tolerantia mortales, alimenta Philoſophiæ cæleſtis ſuggerat. Nam & magnus paſtor dixit, Paſce oues meas. In eo officio,quo ſemper functus eſt,etiam in aduerſo tempore perſiſtat. Fidemque illi interpretantur religionem,pietatem. Eſt alius ſenſus: Hortatur in fide permaneas, ne ſuccumbas fortuna in cõtrarium flante,& aduerſa feriente,præſidiũ tuum Deus exiſtat. Huc ſpes omnis tua recumbat:interim fortiter aduerſa percurras. Tunc terram habitabis, colonus eris mundi,mundus erit tua poſſeſſio. Viues,habitabis,paſceris fidenter,cum fide,fiducia. Fidenter ſecurus ages, nullo metu quietem interpellante, nec ſomnos abrumpet cura ſalubres. Nam quem præſidium ſeruatoremque tibi propoſuiſſes,is te ſeruabit incolumem, præmia digna feret. Paſcua tua ſecura erunt. Is ſenſus applaudit. Hieronymus quoque tranſtulit,Et paſcere fide:ſit tibi fides pabulũ.
B Eundem ſenſum reſpexerunt Sept. quia dicunt,Et paſceris in diuitiis ipſius terræ. Erit tibi terra pariens omnia læta,fœcunda,omnigenæ diuitiæ,omnis generis pabulum ſuppetet è terra.

Inhab.ter.

Paſc. fid.

Fortia, vt aduerſis opponat pectora reb.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Pietas,ait,religioque & cultus Dei,ſit tua ſumma voluptas,hæ ſint tuæ deliciæ,hic toto pectore incumbas. Tunc nullam patiere repulſam:facilis ad aures Dei erit tibi aditus, facile quæ poſtulaueris,aſſequeris,compara,inquit, tibi omni ſtudio & contentione amicitiam Dei,hanc plurimi facias. In eam conſuetudinem te inducas,vt nihil habeas antiquius pietate,iuſtitia,religione. Has virtutes ita charas grataſque habeas, vt eas ſummas voluptates exiſtimes. Ex his fructum capias. Sit tibi Deus ſcopus amoris, hunc depereas, hunc omni tempore cogites,mediteris. Hac forma non quidem viſa,ſed qualis eſſe poſſit,conſiderans,incendaris,hęc animo ſemper occurrat, in oculis geras. Quàm fructuoſa hæc amicitia fuerit,quam diuitiarum ſummam tibi conflauerit? Quaſcunq; enim gratias poſtulaueris,quidquid cordi tuo ſederit,nullo remorante,ab aula cæleſti demittetur. Domus erit opulenta,opulentus animus. Et cum calamitas incommodumque impenderit,precibus efficies,vt inſtar nubis,quam ventus diſcutit,longius euaneſcat. Hæc tibi conſtanti pectore denuntio.

Delectare I domino.

Reuela Domino viam tuam & ſpera in eo,& ipſe faciet.

Haec amicitia,oblectatio,voluptas. Hac continetur,vt totum te,tuaque,in fidem ac poteſtatem eius permittas. Sciendum,pro ἀποκάλυψον, reuela, eſt Hebraicum amphibo-
C lum גל gol,reuela,aut deuolue. Hieron. quoque dixit, Volue. Id etiam Rabi Salomon. Vias interpretãtur neceſſitates,quibus vita noſtra circundatur,in his verſatur,his comprehenſa tenetur. Iacta,inquit,deuolue neceſſitates tuas ſuper eum:ſine eum de te cogitare,hanc ei curam relinquas. Expone incommoda,commemora calamitatem, ſuppliciter locutus quæ te fortuna fatigat, explica. Eius clementia ac manſuetudine fretus, ſolicitus eſſe deſiſtas, omnes tuas curas,cogitationeſque ad eum conferas. Videbis quid ei fidere profuerit, quam curam ſuorum ſuſcipiat,quos ei ſtimulos charitas addat. Tacito labentia greſſu beneficia ſenties. Hæc nobis cęleſtis philoſophia promittit, promittit ſi piè iuſteq; vixerimus, ſi ſpes noſtras in Deo poſitas eſſe voluerimus,ſi ab eo dependerimus,omnemq; vitæ noſtræ rationem ex eo ſuſpenſam, ac libratam, totamque in eum referri ac ſpectare voluerimus: nihil aliud in votis habendum nobis proponentes,quàm quod certa eius prouidentia fieri donariq; nobis perſuaſerimus:tum certò fructum huius omnis ſublimis philoſophiæ nos vberrimum percepturos.

Reuela.

Via.

Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam,& iudicium tuum ſicut meridiem.

Dvplex ſenſus: Aut præmium iuſtitiæ pietatiſque & huius fiduciæ quam ei habuiſti,erit clariſſimum,ſpectatiſſimum,cunctis oculis perſpicuum, manifeſtò omnes intelligent tibi iuſtitiam profuiſſe,cuius remuneratio ſole ipſo,quod aiunt,erit clarior,ipſo meridie, cum ſol totus refulget, apertior. Benefactorum tuorum claritas,iuſtitia,æquitas erit in propatulo,ſuis eam pręmiis eximiis,muneribuſq; clariſſimam reddente Deo,cùm tua incommoda ſubleuauerit,cùm tuis neceſſitatibus auxilium tulerit, teq; neceſſario tempore non deſeruerit,ne forte quiſquam dubitet,nullum naſci ex iuſtitia, probitateq; fructum,in latebris remanere virtutem,nunquam quid proſit,quid præſtet,clareſcere,minimum apparere, ob eam cauſam mortalium iudicia ſuper his titubare,clara aũt eſſe quæ diuites & inſolentes, crudeles & ſuperbi

Educ. qua lu.&c.

poſſident, ſenſu ipſo patere. Vel eſt alius ſenſus, ſed ſimillimus, iuſtitia tua atque æquitas velut ſydera niteſcent, aſtrorum decus æquantes, per omnes diuorum ordines laureatus inſignis, ipſis ſtellis lucentior incedes, quæ laurea iuſtitiæ virtutiq; paratur. Nam ſancti fulgebunt ſicut ſydera in perpetuas æternitates: florebunt ſicut lilia in ciuitate Domini. Tanquã nouum ſidus in cęlo virtus tua, Deo id agente, nitebit. Eius opera fiet, vt iuſtitia virtusq; tua, quæ quõdam obſcura, contempta, ſine luce in tenebris proiecta videretur, exeat lucida, conſpicua, velut cùm ſol Oceani de gurgite ſurgens, os ſacrum, comasq; micantes repente protuliſſet, omnibus ad eius aſpectum ſe vertentibus. Non ſemper obſcura eſt iuſtitia, non premitur perpetua caligine virtus. D

Subditus eſto Domino, & ora eum: noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſtitias.

Silentium vere chriſtianum.

GRæcum, ὑποτάγηθι, ſubditus eſto, in Hebraico דום ליהוה Domladonai. Tace ipſi Domino, quemadmodum vertit diuinus interpres. Vult ergo te rebus in aduerſis tacitum eſſe, non querulosum, blaſphemum, importunè gementem, fœmineos eiulatus emittentem, imbecillitate animi proſtratum, ac iacentem. Vult te tacentem, ne qua vox pietate ac virtute indigna audiatur. Non in gemitibus verſantem, fatumq; tuum querentem, ſed potius orantem Deum, eò preces omnes dirigentem, auxilium eius rogantem, qui tempeſtatem ſubmoueat, tenebroſisq; nubibus disiectis, ſerenitatem reddat. Cum dies longè grauiſſimus fuerit, cùm clade ceruicibus imminente, te ſollicitum curæ fluctuare coegerint, ſingulare, inquit, præſentiſſimumque remedium tunc erit, vt ad Deum recurras, ſuppliciter auxilium petas, nocte dieq; orando eum fatiges: totus in eo inſiſtas, eò curas omnes, cogitationeſque conferas. Interea ne ſecundas res improborum admireris, nec ſimilis eorum eſſe, atq; eandem fortunam tibi dari concupiſcas, iniquam illam ſceleratamq; felicitatem cõtemnas, abiicias, iudicio tuo repudies, inuiſam habeas: nec te ob eam cauſam miſerum, perditum, vilem, quòd ea non poſſideas, opineris, ipſe tibi ob inopiam diſplicens, quòd veſte nitente, quòd famulis ſtipantibus, quòd equis, quòd eleganti domo, aulæiſque virenti, quòd ſatiandæ libidinis facultate careas, quòd formas inſignes amplecti nequeas. His enim ferè conſtat felicitas improborum. Hęc, inquit, qui copioſe poſſideat, caue ne admireris, nec æmulus eſto eiuſmodi fortunarum. E

Noli ęmu. in eo qui proſp.

Deſine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari vt maligneris.

Deſine ab ira. der. fur. Noli æm. vt mal.

DVos ſenſus ponunt Hebræi, (quibus ego verbis explicandis, non his quæ de Meſſia interdum loquuntur, libenter aſſentior) Deſine, ait, ab ira, cùm videris alium te opulentiorem, florentemque opibus, ne tibi furor impotentiave dominetur, tranſuerſum corripiat, inuidiaque prouectus in eum exilias, interficere incommodumque afferre cupidus, inuidia ſtimulante, dolore ex aliena felicitate cremante. Conſiſte, intra meliores cogitationes te cohibe, multa alia contemplans, non ſenſibus, te velut pecus abduci ſinens. Alter ſenſus refert iram aduerſus conditorem, cum videris florere nocentes, vexarique pios, teque è numero piorum eſſe perſuadens, cernas autem diuitias opulẽtiamque malis illis affluere, te interim egeſtate torquente: tum ne contra Deum, quem harum rerum autorem exiſtimes, indigneris: non te contra conditorem prouocet indignatio, iniuſtum, imperitum, improbumque gubernatorem clamitans, quaſi præſcribens imperatori, tibiq; quærendum aut cogitandum putans, qua ratione ſit ei mundus gubernandus, meliorem regendi rationem tuo iudicio ei proponens, & quaſi de eius officio deſperans. Furor ille repentinus, exedenſque animum indignatio faceſſat, ne ſubito turbine & tempeſtate correptus animus fluctuet, quatiatur, ęſtuet, potius conſidat immotus velut annoſa quercus, cui bellum indixerit truculentus Aquilo, aut procaciſſimus Auſter, illa grauis hæret, radices ſunt ei validiſſimæ, immotaque ventos contemnit. Noli æmulari vt maligneris, cùm ea felicitas ſit fere ſcelerata, quòd tum violata iuſtitia, & humani generis charitate, tantæ opes in vnum cumulum congeruntur, genusque id rapinæ eſt: tum veris manifeſtiſque rapinis ſæpe agunt, ne tibi incidat ſimilium rapinarum, ſcelerumque æmulatio, vt æmulus eſſe tibi cupiditas inceſſerit eorum, qui vel rapinis apertis, vel adumbratis & ſimulatis, ea diuitiarum onera, domos auxerunt. Ea æmulatio eſt ad maleficium, ad improbitatem, in iuſtitiam, crudelitatem. Qui cupiat horum è numero eſſe, quibus rapinæ felicitatem pepererunt, (nam id perſuaſum iam eſt, haud citra ſcelus, ad eas moles, eorum opes aſcendiſſe) cupit è ſceleratorum numero eſſe, iuſtus eſſe non cupit. Audi ſequentia. F

Annoſa quercus.

Omnis diues aut iniquus aut iniqui hæres.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram.

E xter.

EXterminari, cùm Latinè ſit extra terminos pelli, non eo ſignificatu ſumpſit interpres. Gręcum quidem reſpondet Hebraico ἐξολοθρευθήσονται, delebuntur, funditus euertentur, excindentur. Hebraicum יכרתון icarethun, reſtringentur, interficientur. Vide quid eis denuntiet, quò referre oculos, quos fines ſpectare in rebus humanis oportere aſſerat: quis finis nos expectet, piè vel impiè gerentes, quò tota vitæ ratio ſit dirigenda. Non abſurde Latinus tranſtulit exterminabuntur, vt reſpondeat ſecundo, hæreditabunt terram, ſcelerati tollentur è

medio,

A medio, pellentur terra, æthere caſſi, in Tartarum præcipites acti, ne vita qua fuerant indigni, amplius fruantur, piis autem probisque cedet omnis terræ poſſeſſio. Vidi, inquit alibi, impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce, non erat. Iuſti, quibus probitas pepercißet, quibus Deus præcipue ſemper indulſiſſet, hæredes erunt omnium. Poſſunt hæc ad terreſtria, rationemq; rerum humanarum, dum hoc tempore viuitur, referri. Si quis expectet, ſi iudicium contineat, ne ſimul viſis exemplis ſententiam ferat, at remoretur, premat ſilentium, moram interponat, fore vt omnia clareſcant, in contrarios atque antea curſus, finesque tendentia. Nam quos placidum mare, tranquillis vndis lætos, triumphantesque ferre videbatur, à tergo leni fortuna ſpirante, horum non procul inde naufragium cernes, fluctibus hauſtam nauim. At quos tempeſtas conflictare, iamque pelagis apertis abſorbere videbatur, tenebris omnia circum occupantibus, omnium rerum deſperatione premente, quos miſeros infelicesque, ſpectantes haberent, eueſtigio ſurgentes, liberatos, lætos, in portum collocatos aſpicies. Hæc imago rerum humanarum, iuſtitiæque & iniuſtitię, bonorum ac malorum. Poſſet terra intelligi, quam vocauit alibi terram viuentium, patria cæleſtis, vbi vita vera, campus veritatis. His locis habitant iuſti, hæc patria bonis dabitur, iniuſtis, ſceleratisque exterminatis.

Hæreditat. ter.

Mare.

Huc perti net locus Lu. 16.

Et adhuc puſillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.

AVget, vt ſolet, exaggerat, apertiora quæ ſentit, facit. Putes, ait, quam cernis improborum beatitudinem, ob quam indignaris, ingemiſcis, lacrymaris, fore diuturnam, in hoc rerum ſtatu diutius manſuram, nunquam fortunam commutandam: expectes, taceas, non quidem mille annos, non centum, non longum temporis ſpatium: exiguum quid, paucos aliquot dies, B miſerandam videbis commutationem, mirum ante ędes illius beati ſilentium, vbi paulò antè tantus tantarum rerum, equorum, virorum, ſeruorum, fremitus, reboante domo, vnius improbi libidinibus, ingentes motus edentibus, omnia miſcentibus, in auras euanuiſſe, perinde ſi puluis, ſi paleę fuiſſent inanes, ventis ablata volaſſe. Locum nudum, vacuas ædes relictas. Triſte tantum ſpectaculum, ſtuporemq; remanſiſſe. Is ordo rerum decurrit: hæc diuina prouidentia miniſtrat, ſi cunctetur, ſi manus ad interitum ſceleratorum non admoueat, res tamen ſuis itineribus pergentes in exitium, naturæ curſu properare ſinens, omnibus ad hanc legem rebus mortalium natis, ſed in primis, nullam habentibus ſtabilitatem rebus ſceleratorum, exiguum vitæ iniuſtitia ducente, quam natura quam Deus inuiſam habeat, celeriterque cadere concupiſcat. Eiſdem oculis eorum excidium cernes, quibus felicitatem vidiſti, videns ingemuiſti. non te ad longa tempora reijcio, nolo te fatigare morando. ſpectator eris: tuis pedibus ad illas diuitiarum ſedes opulentasq; domos accedes, conſueta requires, ne muſca quidem hominis in veſtibulo. Hęc ego dum Romæ meditarer, à bonis ſaniſque ſuper rapacibus expectabuntur.

Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

MAnſuetos ex aduerſo ſceleratis, ſiue peccatoribus opponi, teſtes Magiſtri ſuperius, Non erit peccator. Multitudinem quoque pacis futuram, deletis impijs ac peccatoribus, qui vexarent meliores, quorum importuna nequitia, in terris eſſe pacem non ſineret. Illis extinctis, lætitia, triumphus in terra. Manſuetos ענוים pondus Hebraicę vocis, oſtendit vexatos, C aſſiduis calamitatibus attritos, deiectos, humiles: quos ſuperbi & crudeles illi veluti captiuos, catenisque vinctos tenerent. Hęreditare terram, dictum eſt quorſum ſpectet. Erit lux iſta, is iucundiſſimus rerum aſpectus, hæc terrarum poſſeſſio, amandatis exciſisque improbis, bonorũ duntaxat. Sublatiſque peſtibus, omnique ſceleris euulſo ſeminario, quid erit reliquum niſi pax, gaudiũ, charitas? qua nihil habet vita delectabilius, ſolisque bonis ſyncera contingit. Pax erit copioſa, profundũ otiũ, plenæ vrbes alacritatis, oĩbus vijs, tẽplisq; gratulatio, voluptas, oblectatio. Hęc ſunt certiſſima rerũ humanarũ vaticinia, hæc oracula iuſſit ꝓuidentia fundere legatos ſuos.

Manſueti.

Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

OBſeruabit, Hebraicum זמם zomen, cogitat, vt vertit Hier. Deſignatur eo cogitatio improba, malefica, pernicioſa. Ea, inquit, eſt conſuetudo improborum, quibus naturalis eſt inimicitia cum bonis, quàm canes odere feles, quàm malè meditatur ouibus lupus. Eſt naturale odium inter bonos, & malos, naturæ penitus pugnantes, contrariæ volũtates, animi diſſentientes, diuerſa cupientes. Hanc ob cauſam, in mutuam perniciẽ nituntur. Huc accedit quòd etiam cum genere ſuo propter ſummam naturæ prauitatem, improbi pugnant. Cogitãt igitur obſeruantq; iuſtos, ſuper eos defigũt oculos, quibus eos inſidiis aggrediantur, vitã & opes eripiant. Eaq; eſt eis auiditas in eos exiliendi, vt inſtar canum dentibus ſtridant, conceptam rabiem indicantes. Declaratur his, hominibus non raro ineſſe impetus beſtiarum, ſimiles feris ſæpe fieri, conuerti rationem in habitum ingeniumque ferinum, hominesque eſſe ſæpe deſiſſe.

Obſeru.

Strid.

Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicet quòd veniet dies eius.

AT impius ille, & perditus neſcit quæ latent, ab oculis præſentibus longè ſequeſtrata. Nam cùm ſcelerati contra pios bella parant, prædas animo percipientes, in ſummam ſpem venientes eos interficiendi, diripiendi, cum de ſalute eorum iniere conſilium, neſciunt perditi, nõ procul inde maximi iudicis oculos obeſſe proſpectantis, eorumq; conatus irridentis,quos ſciat paulò pòſt daturos pęnam,plagas in ſe ruentes,admiratos,vnde tela volitent,obſtupentes. D Volitant ab æthere. Hæc cernens pater,arcum deſuper intendet,quo terrore ſcelerati terga vertent, ſeſe fugæ præcipites mandantes. Audi igitur ſacra vaticinia, eaque in pectus altè dimitte. Cur non ſimul abſtrahit ſontes Deus ad ſupplicia,atq; facinus admiſiſſent,iniurias intuliſſent,interfeciſſent,per dolum fefelliſſent, amicitiam prodidiſſent? Cur non extemplò detrudit in tartarum, Arbor. ſigna doloris nulla mittit,ſenſiſſe quid ſceleratus geſſerit,non aliquo ſupplicio demonſtrat? Scit, Dies eius ait diuinus nuntius,hæc omnia Deus,videt,percipit,non oculos eius aufugiunt,ſed velut is qui cernat arborem quempiam aſcendentem,quem noſcat paulò pòſt lapſurum,ridet,ſic Deus quoniam proſpicit aduentare diem,quo lugebit improbus ille,perditum ſeſe, miſerumque appellabit,ridet ea quæ conatur,quæ cogent eum propediem lacrymas fundere. Citò(inquit Deus)rationes inibimus,non dormit Nemeſis,cui rationem celeriter reddas. Videt quid agitas,quid moliris,& quoniam contra te moliris,in perniciemque tuam,ridet. Ridentur a Deo ſcelerati,ſuperbi,vana molientes,magno cum riſu ſtultas eorum inaneſque actiones procul aſpiciente. Hæc reſponſio debetur his qui quærunt,dubitant,curent ſuperi terras, an incerto fluant mortalia caſu, cum res hominum tanta caligine volui aſpiciunt,lætoſque diu florere nocentes,vexarique pios. O rerum,inquit,ignari,Vates veridicus. Fruſtrà turbamini. Ridete cum Deo,ſuperbos illos ventoſos,ſtultos,inſanos:diem illum ſupremum vnà cum eo cogitate,cùm velut inertia pecora, velut aſinos oſtendet illuſtres illos raptores,homicidaſque,nobiles illos carnifices,& prædones,velut beſtias in theatro totius mundi comprobabit. Vos interim ridete, diemque illum expectate. Sit pax rebus, Aliorum inſania fruamini.

Gladium euaginauerunt peccatores,intenderunt arcum ſuum, vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. E

QVid agant improbi,quo ritu vitam decurrant,ſæpius memorat,vt in quos oracula fundat, agnoſcas. Eſt autem is totus vnus verſus,non duo. Quod Latinus dixit, Vt deci- Decipiant. piant: credendum eſt dixiſſe iuxta Græcum, vt deiiciant, τοῦ καταβαλεῖν, vt proſter- Rect. cor. nant,mactatumque ante pedes proiiciant:in ſecundoque apparet,Vt trucident rectos corde:etſi idem eſt Hebraicum,rectos via,quod illuſtris interpres,Rectos via, quibus iter rectum eſt,non deuium,vagum. Sunt acta eorum recta,non iniuſta,iniqua. Dicitur etiam Latinis æquitas,corporum proprium ad animos tralatum. Duplex armorum genus,gladius,arcus. Arcus Orientalibus: telis & pilis agunt Occidentales. Quem dixit pauperem,& egenum,eò reſpicit, quòd plerunque potentiores bello perſequuntur debiliores,humiliores: dant illis opes animos, implent ferocibus cogitationibus,illa præſenti rerum potentia deceptos,nullos alios caſus extimeſcentes. Perinde ſi natura, non fortuna,opes illæ,ac potentia niterentur,immutabiles,immortales. Non ſecus eis adhęrentes,atque digiti,manus,oculi,quos naturaliter poſſident,rarò corpus deſerentes. At non opes hunc ſitum habent,velut veſtis adhærent,quam vel exuimus, uel vnius anni,duorumùe ſpatio conſumptam deponimus. Tam facilè exuit fortuna, cum flatus eius remiſit,mortales,quos opibus aliquandiu veſtiſſet. Ea non cogitant inſolentes, ſtulti, bello debiliores perſequentes, ſtultis cogitationibus tumeſcentes, ab iniuria & maleficio minimè temperantes. Sed quid erit tandem? F

Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.

AVt precatur, aut (quod facilius crediderim) denuntiat, Gladius in cor eorum tranſibit, arcus cõfringetur. Vaticinium eſt. Recidet in caput eorum calamitas,conſilium malum, conſultori peſſimum,vt eſt Græcorum prouerbium. Intimè plaga penetrabit, in mediis præcordiis inhærebit. Non leue & in cute vulnus,ſed in pectore,intimè,penetrabile telum. Non hominum iaculante manu,ſed cœlo veniet delapſa ſagitta. Hoc expectare decet viſu- Pauperes. ros propediem,pauperes,debiles,qui premuntur,vexantur, teruntur ab improbis ſceleratiſque.

Melius eſt modicum iuſto,ſuper diuitias peccatorum multas.

Melius. VErus ſenſus Hebræis,quibus aſſentior. Non eſt χρέιασον, melius, ſed טוב tob, bonum. Bonum,ait,ac ſuaue eſt iuſto modicum,moderatum. Iuſtus paucis contentus, his conquieſcit,non rapitur cupiditatis æſtu. At iniuſti,peccatores,tametſi multa poſſident,nõ acquieſcunt,non oblectantur,ſitis inexhauſta,implicata auidis animis. Omniaq; non ad volupta- Ab hidropiſi. tem,veramq; iucunditatem,ſed animi & corporis excidium. Quò plus acquirunt,maiorem vitiorum cladiſq; materiam acquirunt,velut qui laborãt hydropiſi,ſitiunt ſemper, bibunt ſemper,totumq; morbi alimentum eſt. Itaq; diuitiæ peccatorum nec ſunt iucundæ, nec vtiles,non ſatiant corruptos animos,auctis ſcelerum fomes augetur. Auaro tã deeſt quod habet,quàm quod non habet. Animi vorago quicquid intuleris,expleri nequit,omniaq; videntur minora. Magnis curis quæruntur immanes opes,noctes atque dies cruciari neceſſe eſt, iuſtitiam violare, inſidiari his, quorum ad opes,rapaces manus extendere geſtiunt,eos diutius viuere dolentes. Multiſq; de cauſis cruciatuum plenos eſſe diuites malos cogit natura. Hæc noſtri quoque Poetæ decantauerunt

A Beatus qui procul negotiis, paterna rura bobus exercet ſuis. Ne quis decipiatur, maiorem lætitiam ſuſpicatus ineſſe diuitibus, quod ſecus longè eſt. Da mihi, ait ſanctus Vates, exiguum quid cum iuſtitia & probitate, hic ego dico dulcedinem, voluptatemq́; eſſe, à copiis & peccatis abeſſe. Sit impietas quantum velit opulenta, perpetuo voluptatis expers erit.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iuſtos Dominus.

Brachia.

AD alia, quæ probant diuitias improborum ocyus auolare, celeriter eis eripiendas, eſt quod minatur eis Nemeſis irata, quæ robur eorum, quod omne in illis opibus poſitum eſſet, debilitabit. Deſignaturq́; totius molis ac roboris occaſus, contritione brachiorũ, ſermonis Hebraici figura. Brachia, ſunt robur hominis, ac vires. His debilitatis ac fractis, nulla vis ſupereſt. His iniurias inferebant, his debiliores opprimere nitebantur, his prædas auertebant, his iuſtitiam violabant, quibus contritis, finis iniuriarum totiusq́; improbitatis factus eſt. Minatur ergo peccatoribus excidium, peccatores in Hebraico ſunt impii, quorum ſtatum prædicat inſtabilem, magnis periculis ſubiacentem, cui Deus rector orbis infenſus, ſuper eius interitu aſſiduè meditatur, occaſiones expectans rei bene gerendæ. Propterea ſtatus ille non eſt deſiderandus, vt non eſt domus optanda, quæ ad paucos dies collapſa, forſan & habitatores opprimet. Cui Deus & natura minantur, quid de eius perpetuitate ſperes, quid habet quod vehementer expetatur? Contrà, res bonorum protegente Deo, ſtabiles ſunt, de eorum diuturnitate ſperare licet. Suſtinentur, confirmantur à Deo. Secretum robur eis ſufficit Deus, reſpicit benignus. Contritionem brachiorum referunt Hebræi ad arcus ſuperius memoratos, qui brachiis contenduntur: brachiis contritis, inutiles arcus erunt.

Peccator.

Et hoīum iudicio.

B **Nouit Dominus vias immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.**

Nouit dies

NOuit, Hebræis quoque ſenſus eſt, proſpicit, curat, prouidet: dies vniuerſam vitam, totum vitæ tempus, ſpatium vitæ. Quandiu viuunt, nunquam oculi Dei ſuper eis dormiunt. Immaculatos Græcè ἀμώμους, ſine momo, culpa, crimine: Hebraicè תמימים thamimim, perfecti, abſoluti: iidem immaculati. Perfectio enim & integritas ſynceritasq́; idem. Immaculati ſunt integri, ſynceri: integri ſunt perfecti. Vitam ſyncerorum, integrorum Deus charam gratamq́; habens reſpicit, perſpectam exploratamq́; habet. Non eſt ea, de qua nihil Deus cogitandum ſibi exiſtimet. Rationem eius habet. Referunt item hæc Hebræi ad futuram vitam (nã poſteritatem quoq, deſignari poſſe nomine hæreditatis, iidem autores ſunt) fore vt recti ac ſynceri, ad ſempiternam vitam admittantur, vt eorum hæreditas ſit perpetua, cohæredes Chriſti futuros pios. Paulus etiam ſcripſit, exacto vitæ præſentis curriculo, qui piè vixiſſent, ad alia bona, quæ ſit eorum perpetua poſſeſſio, velut hæredes accerſendos, paratam eis vt hæredibus patriam cęleſtem, quam pater eorum Deus, ex teſtamento eis delegaſſet. Hos dies nouit Deus, ante oculos habet, ad hanc vitam, pios expectans, quam hæreditatem eorum eſſe decreuiſſet.

Immac.

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur, quia peccatores peribunt.

Confund.

C COnfundentur, ſonat Græcum & Hebraicum, erubeſcent, pudefient, contumeliam, dedecus patientur. Dedecus autem, quòd implorantibus auxilium neceſſario tempore non veniet, nemo erit qui exaudiat, qui circumuentos eripiat: aut capti, profligati, contumeliis vexabuntur. Nulla calamitas non dedecus affert, ac præter dolorem, qui læſo corpore, fortunis in poteſtatem inimicorum redactis, accidit, id quoq, doloris ineſt, quod plena ſunt omnia ignominiæ & contumeliæ. Hanc, ait Vates, calamitatem euitabunt boni. Confuſio in primis dedecusque, & grauiſſimum tormentum accidit, cum fames in agris in vrbibus bacchatur, omnia triſtia dirum ſpectaculum. Hoc, ait, tempore bonorum, Deus non erit immemor, vberiores eis dabit prouentus, aut cæleſti ſubſidio ſubleuabit, vt quibus manna cælitus venit, quibus eſcam corui attuliſſent, cæteri, incognita eis ratione, non ſenſerunt horrea decreuiſſe, quotidie tamen frumenti nonnihil inde exportantes. Non eſt miraculorum parca, temporibus aduerſis, diuina prouidentia, ſuis tuendis. Quod autem ait

Quia peccatores peribunt: inimici verò Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes tanquam fumus deficient.

Mox vt honorificati fuer.

IS enim verſus eſt in Hebraico, & apud diuum Hieronymum. In eo eſt diſcrimen ab Hebraico, qui fons ipſe eſt, ad quem omnia dirigenda: ἅμα τῷ δοξασθῆναι, καὶ ὑψωθῆναι, Mox vt glorificati fuerint & exaltati. Pro eo Hebraicè כיקר כרים kicarcarim, ſicut pretium agnorum, aut ſicut opimum pinguedoq́; agnorum. Hoc interpretantur Rabi Abraham, & Dauid, cæteris ſenſibus dimiſſis. Sentiunt, ſcilicet, quibus ex parte Salomon aſſentitur, quod in agnis optimum eſt, id autem eſt pinguedo, adeps, quem ſuper altari comburebant. Hæc declarans Rabi Dauid, Id, inquit, quod in agnis melius & pinguius eſt, nempe adeps, qui totus ſuper altari igni crematur. Comparat igitur impios adipi, ſeu pinguedini agnorum, quod omne concremabatur igni, in cineres fumumq́; ibat. Hieronymus tranſtulit, Sicut gloriantes monocerotes. Vr̄ legiſſe non כרים carim, ſed כרים kereim, ſicut monocerotes duas voces. At Hebraica lectio ſecus habet, habuitque etiam apud Septuag. quibus monoceros minimè nominatur. Senſus clarus Hebræis cum Chaldæo conſentientibus, comparat ſceleratos his, quæ celeriter igni conſumpta in nihilum abeunt: comparat fumo, vt item pulueri, paleis inanibus. Conſumentur fame, multiſque aliis calamitatibus quaſi cęlitus illatis.

Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & tribuit.

Mutuab. pec. & nõ ſol.

AD particulares impiorum actiones deſcendit, in quibus eſt in primis crudelitas, auaritia, alieni cupiditas, neſcia miteſcere corda, rapaces ſunt, charitatis expertes, omnia in ſuam familiam contrahentes, propterea neſciunt res humanas, amoremq; ſui, quæ philautia dicitur, velut ſcintillam eſſe, amorem autem vniuerſalem, quæ charitas appellatur, vt ſolis fulgorem, ad plures accedentem, cuius ſint omnes homines participes. Qui autem ad ſeipſos charitatem contrahunt, certe lumen, quod habere maius largiuſque potuiſſent, minuunt. Hoc igitur peculiare tradit impijs eſſe, quòd non reſtituunt, rapiunt, non reddunt. Manus rapaces velut aquilarum, accipitrum, quorum carnibus abſtinere Deus præcepit, Pythagoras domi alere vetuit. Qui non reddit aliena, multò minus dabit ſua, vt Hebræi ferunt. At iuſtus ſi miſeretur, ſi ſua largitur, multò magis reſtituet aliena. Eſſe genus crudelitatis ac rapinæ, accepta mutuo, non reddere, declarat quod tribuit iuſto miſericordiam, cum reddit. Charitas omnibus litteris commendatur, prædicatur, ea proxime mortales accedunt Deo. Iure impiis incognita, quibus Deus ignotus, piis ac iuſtis bene percepta, quibus in pectore Deus. Omni petenti te tribue, dixit idem. Hunc verſum bene vertit ſanctus interpres, Fœnus accipit impius, & non reddit, iuſtus autem & donat, & tribuit.

Aquilæ, ac accipitres alienarũ opum.

Iuſtus mi. & trib.

Quoniam benedicentes eum, hæreditabunt terram: maledicentes autem diſperibunt.

SVbiicit hoc non diſſitum, diſiugatumq; à ſuperioribus, qui tribuunt, miſerenturque, ſunt hi qui benedicunt, ſuſpiciunt Deum, honorem ei deferunt, miſerentes, largientes. Ea eſt benedictio, prędicatio, diuinæ maieſtatis. Qui miſerentur, ſunt in cauſa, vt Deus benedicatur, gratias ei habeant hi, quibus tribuitur, ipſo quoque ſancto opere, illo cęleſti facinore, quod Deo gratiſſimum eſt, benedicunt, qui ſecus, dehoneſtant, gratiam eius ſpernentes, ſimiles eius fieri non magnopere laborantes. Nec non qui iuſtus eſt, non modo charitatis officia præſtat, plenus humanitatis, ſed is ipſe eſt, qui ſemper benedicit, qui Deo ſemper gratias agit. Habent ſummam charitas & iuſtitia, ſimul pietas coniunctionem. Nam iuſtus miſeretur, quòd humanitatis eſt: idem benedicit, quod pietatis, cuius virtutis præmium eſt, quòd hæreditabit terram, ſeruabitur in terra, impios calamitate auferente. Deturbatis impiis ex ampliſſimis illis diuitiis, latifundiis, terræ lata poſſeſſione, reſtabunt lucis hæredes, probi, hæredes, inquam, non quidem diuitiarũ illarum quas minimè morantur, ſed lucis, vt dixi, vitæ, quæ viuentibus data eſt: tum fortunarum quoq; prouentuum, quos Deus efficiet vberiores. Cæli quoq; regnum dabitur eis iure hæreditario.

Hære. ter.

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet nimis.

Apud dominum dirig. greſſ⁹.

CLarius ex Græco, παρὰ κυρίου, A Domino, à Deo. In Hebraico ſimiliter. Dirigentur κατευθύνεται, Hebraicum, כוננו connanu, firmantur, ſtabiliuntur. Quacunque iter fecerit, proſperitas, felicitas ſequetur, ducente Deo. Non cadet, nulla vis inimica propius impetu facto poterit euertere. Veſtigia firmat Deus, ſuſtinet greſſus. Hebræi interpretantur omnes motiones, quacunque clauus animi corpus inflectit, vt loquatur, accedat, recedat, in his cunctis quidquid felicitatis eſt, à Deo eſt. Quod dixit, Greſſus hominis, aut ſentit quamlibet felicitatem, diuinitus eſſe: ſi graditur quis proſperè, feliciter, à Deo eſt, ait. Aut virum ſentit, qui proprie vir nuncupatur, fortem, ſanctum, immobilem, ſanum. Vox Hebraica גבר gheber, quæ eſt hoc loco, id notat. Inde גבורה ghebora, robur, fortitudo, virtus. Fortium Deus veſtigia firmat: quibus eſt virtus, virtutis perpetuus amor, his Deus eſt fidus comes. Hoc probat etiam Auen Eſra, Gheber, inquit, in ſermone noſtro dicitur, qui plenus eſt ſcientiæ. Qui autem eſt plenus ſcientiæ, haud dubiè iuſtus eſt. Hæc Hebræus. Omnes igitur, vt ipſe proſequar, hoc carmine complectitur. Vates laudes virtutis ac præmia, quàm beatus ſit, cui pietas iuſtitiaque placuiſſet, ne quis putet, quod apud Platonem Traſymachus, iuſtitiam nullius vtilitatis eſſe, fatuam quandam inſipidamque bonitatem eſſe, quod ipſi vocant γενναίαν εὐήθειαν. Iuſtitia igitur efficit, vt Deo ſis charus, vt te reſpiciat, cuſtodiat, ſeruet, vt viam tuam velit, nempe placeat ei quod agis, quod iter inſtituis: quoniam placet, comes adeſt, ipſe tibi comites Angelos mittet, omnes à te caſus aduerſos ſubmouentes. Veniunt, quia places, virtutis odorem ſequentes, iuſtitiam vehementer amantes.

Hominis.

Via e. vol.

Cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.

NOn erit verè caſus, ſi ceciderit: non dabit ruinam, non illidet terræ, non proteretur, affictabitur. Ergo poterit videri non cecidiſſe. Hebræi bifariam locum interpretantur, bene. Cùm ceciderit, nẽpe in cogitatione ſua, cui videatur cecidiſſe, qui dubitet ne quam calamitatem inciderit: tum Deus adeſt triſtitiæ ſerenator, ſubmouens metum, meliora lætioraque

raque adducens. Videbatur ergo ſibi cecidiſſe, ſed euentus docuit, & auxilium Dei fecit, vt non eſſet caſus, ſed metus inanis. Alij quoque rectè: ſolere nonnunquam Deum probare, exercere iuſtos, aliquid eis incommodi ſinere, aliquam correctionem, quò meliores fiant, accidere. Id eis prodeſſe, non ob eam cauſam funditus deleri, extremamque pati calamitatem, non eſſe vexationes eiuſmodi grauiores, quàm deceat, quas ſuſtinere nequeas. Quos, ait, diligo, corrigo, & caſtigo. Diuus quoque Paulus, Dabit cum tentatione vires, vt poſſitis ſuſtinere. At impios inquiunt Hebræi, funditus euertit, lapſi ſurgere non poſſunt. Non eſt correctio caſus eorum, ſed certus deſtinatuſque interitus. Huc Deus eos expectat, iniurias eorum ferens æquo animo, niſi pęnituerint, certa ſupplicij die deſtinata. Cadunt ergo, nõ reſurgunt. Auxiliatrix illa manus, quę ſuſtineat labentes, dextera ſacra præpotenſque, cui cedant omnia, indignis opem afferre recuſat. Habent igitur iuſti dexteram Dei opitulantem, quibus ſubiectæ ſunt res humanæ, caſus auertentem. Iniuſti, raptores, quantum voluptatis rapiendo ſceleratéque viuendo cepiſſent, tantum ignominiæ, doloriſque capient, diuinis illis manibus, quæ clades remoueant, labentes ſuffulciant, ſuſtentent in in tempore, deſtituti. Poteſt iuſtus cadere, ſed non frangi, ſignum inclinati corporis dediſſe, ſed non corruiſſe.

Crux pior correc. eſt.

Impiorũ perditio.

Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

HVc ſpectat, poſſe iuſtos velut homines humana pati, caſibus humanis ſubiacentes, fortuna & caſu & natura plurimum in his rebus valentibus, vt multi temporis longæque ætatis exempla docuerunt, leuiores fuiſſe caſus eorum, non velut radicitus auulſos corruiſſe, quod ſceleratis vſu uenit, quos Deus cum tota ſtirpe ſectos auulſoſque, propterea quod eos inuiſos habet, extra lucem exterminet. Exemplum igitur clarum, quæ iuſtis inferantur incommoda, potius eſſe probationes, quàm deſtinata deſuper ſupplicia, quòd celeriter ſurgunt, quòd viuunt in poſteritate, quòd non paternorum ſcelerum, filij luunt pęnas. Imò Deus memor paternæ pietatis, præter quam quòd ipſos parentes ſemper ab iniuria defendiſſet, etiam filijs adeſt propitius, fructuoſam pietatem, largéque præmia donantem comprobans. Ea eſt Dei ſocietas, amicitiaque, vt qui eam amplectatur, ſentiat vberrimè prodeſſe, ſentiat vti perennis aquæ fontem, qui per agros longè lapſus multa terrarum ſpacia percurrat, ſi quis oculos aperiat, ſi rerum iuſtus æſtimator velit eſſe, non indignabitur vexari pios, improbis florentibus, quòd nec flos ille malorum diuturnior eſt, nec illa vexatio piorum. Atque vtriſque ad iniurias ictuſque fortunæ neceſſariò expoſitis, hos quidem leuiter offendere, eos grauiter & pernicioſe cadere. Fui, inquit diuinus Vates, puer, exegi multos vitæ annos, multa vidiſſe potui, nunquam tamen vidi iuſtum derelictum, nunquam ſtirpem ad mendicitatem redactam, precariò viuentem. Hæc Hebræorum tempore maxime nota erant, quo bona, & mala ad hanc in primis vitam referebantur.

Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen eius in benedictione erit.

DAte, ait verus viuendi magiſter, & dabitur vobis, Hæc iuſtitia eſt, quam tantopere commendat, tot laudibus proſequitur. Iuſtus eſt qui nec aufert aliena, nec ſuis parcit. Liberalis, largus, donans, miſerans inopem, auidus effundendi vtiliter. Ei chara aliena ſalus. Hæc charitas eſt, charitas totis ſacris litteris ocurrit, laudibus eius omnia perſonant, hæc clauus eſt vitæ, vertex quem reſpicere conueniat omnes, qui laudari cupiunt. Et quod naturali ac diuino conſilio fit, vt qui profuiſſet, qui beneficentiam liberalitatemque aliis promptè alacriterque exhibuiſſet, ad eum redeant beneficia, illi gratiam memoriamq; omnium comparantia, propterea ditior erit ipſe & poſteritas, charitate fructus eiuſmodi proferente, gratiam amicitiamque omnium generante. Amor autem, & gratia fons eſt bonorum: & ſi defuerit humana gratitudo, ſi quos ingratos, vt fit, reperit in terris, Deus quæ ſua eſt benignitas, non immemor erit in filiis paternæ charitatis, quòd eis conſpectis, ſubito redibit paternæ probitatis recordatio. Genus ac poſteritas liberalium, donantium, largientium, benedicetur à Deo, & ab hominibus, gratia atque amicitia cum eo, cunctis hominibus & Deo perpetua erit.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſęculi,

Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur, iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit.

HOrtari non deſiſtit, vt te totum ab improbis libidinibus, à malefactis auertas, aſpernatus ea, quæ ſanctis oculis Dei diſplicere, rationis inſtinctus oſtendit. Totus in hac cohortatione inſiſtit, in ea ſola moratur. Is vniuerſæ poeſeos ſcopus. Sæpius item iterat præmium iuſtitiæ & probitatis, habitationem ſempiternam, perpetuitatem in poſteris, ſempiternam beneficiorum memoriam apud Deum, & eos qui ea accepiſſent, gratamq; recordationem. Iniuſtitia, omniq; mala actione relicta, totum te charitati iuſtitiæq; tradas. Quò fiet. vt perpetua tibi ſit ſtabilitas, non proiectus vaguſq; eris. Iuſtitia ſedes tuas ſtabiliet, rebus tuis radices firmas altaſque dabit. Inhabita in ſæculum. Sæculum Hebraicè עלם olam, ſonat æuum, æternitatem. Habitabis æter-

Inhabita.
In ſęculũ.
Olam.

bis æternum. Vt violenta, & iniuſta, non diturna, Deo & hominibus inuiſa: ſic bonarum rerum ſumma ſtabilitas, Deus amat iudicium. Sequenda igitur maximè quæ Deus amat. Hæc exiſtimanda, quibus vtiliora habere non poſſit hominum vita. Iudicium nunc vocat iuſtitiam, æqui- Iudicium. tatem, virtutem, rectè factorum veritatem. Hoc etiam cecinit priſcus Homerus, de Dijs, ἀλλὰ δίκην τίουσι, ſed iuſtitiam amant. Sanctos ſuos vocat, eoſdem quos ſuperius rectos corde, iuſtos, Sanctis. ſui ſimiles: ipſe princeps ſanctitatis, ſi quos eiuſmodi reperiat in terris, hos plurimi facit, ab iniuriis defendit, charos habet, conſeruat omni tempore, in periculis ſocius, comes in itinere, rerum gerendarum particeps. Aeterna conſeruatio ſpectat ad totum iuſti ſanguinem, à quo poſteritas eius deſcendit, genus totum. Vtilem & in præſenti tempore, & in poſteritatem, iuſtitiam eſſe, vniuerſo generi prodeſſe, quod ab vno iuſtiſſimo defluxit. Non intra paucos dies exiguamq; vnius ætatem, præmia iuſtitiæ concluſa eſſe, ſed longius ire, per totam deinceps poſteritatem, vt vniuerſum genus beatum eſſet, vnum qui iuſtitia præſtitiſſet, in cauſa fuiſſe. Hinc cognoſci poſ- Semẽ im. per. ſe, quàm largus virtutis remunerator Deus. In contrarium, improbitas vnius maximè improbi, facit, vt totum genus pereat, ramanente veſtigio ſceleris illius prioris, & affectione iniquitatis, in poſteris, quem cupiunt imitari, ſimiles parentibus procreati. Erit, erit impij generis excidium, non diutius in terris permanebit.

Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

SAepius hoc cecinit, vt hac firma ſententia, perpetuaque aſſeueratione imbecillas eorum, exiguumq; lucis habentes mentes coarguat, quibus videntur res hominum magna caligine volui, incerto fluitare mortalia caſu: rerum bonarum atque malarum nullum eſſe diſcrimen, nemine eos diiudicante, ac ſeparante. Expoſitum ſuperius quid ſit inhabitare terram, hæredes terræ fieri, tum interitum necemque ſupremam impiorum, tum confirmationem bonorum eo de- In ſęc. ſęculi. ſignari. Hoc Dei iudicium, præſcriptio veritatis. In ſæculum ſæculi, Græcè αἰῶνα αἰῶνος, ætatem ætatis, æuum æui ſuboſcurum eſt. Hebraicè לעד laad, ad perpetuum, ad vlterius, omne quod re- Os iuſti m. ſap. liquum eſt temporis. Accedit ad ea quibus iuſtitia conſtat, quid ſit iuſtum eſſe. In primis os iuſti caſtiſſimum eſt, qua parte plurimum peccare, aut bene agere poſſunt homines, hanc iuſtus ſanctam, ſynceramque habet. Meditari Hebræis animi & oris eſt. Etiam Latinis, Carmen meditaris auena. Meditatur os iuſti, loquitur ſapientiam. Locus Hebræis rectè declaratur. Superius dixerat, Iuſtus miſeretur, & commodat, Hæc, aiunt, miſericordia, hæc munificentia. Erudit imperitos, docet errantes, ignaroſque viæ quò tendere fas ſit, oſtendit. Hanc ipſe primus gerit in præcordiis ſapientiam. E pectore eius larga profluit. Hic multus eſt: nunquam non hæc loquitur, meditatur: nullum de rebus ſapientiæ finem loquendi facit: ab hoc ſermone nunquam videas eum abhorrentem. Hic omnis inſiſtit, fons eſt perennis pectus illud. Caſta, recta ſemper loqui- Sapientia. tur. Nullus mendacio, vanitatiſque locus, non contumeliæ, non obtrectationibus. Sapientiam Hebręi exponunt ea, quibus diuini plurimum ineſt, in primis ea quæ pertinent ad cultum, ſcientiamque Dei. Tum quibus faciendis laus eſt, ac decus, omnium iudicio comprobantur, ſuſpi- Iudicium. ciuntur, quibus ineſt æternitas, rerum humanarum ſolida confirmatio. Veri à falſo clara ſeparatio, bonorum firma ſtabiliſque admiratio, earumque amor, & aſſecutio. Hinc duo ſunt eiuſdem rei nomina, vnumque ſonantia, ſapientia, iudicium. Iudicium, ius, ęquitas, ordo ſapientia eſt. Os iuſti non vana, plena venti, & inanitatis, ſed magna, æterna loquitur, quæ tempus æternum non fluxam ætatem reſpiciunt. Cupit homines, ſolida, perpetua poſſidere, ad hæc hortatur, inflammat, horum amore cupit eos ardere: id agit prædicando meditandoque, vt hunc amorem implicet animis, pectoribus immitat. Sermones eius feruntur ex optimis naturæ principijs, & veritatis exemplis.

Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.

Lex. EAdem ſunt, ſapientia, iudicium, lex. Hanc iuſtus loquitur, meditatur, in pectore gerit. Nõ ſupp. greſſ. Quod docet, ſapit, ſentit, non minus pectore, quàm ore: non loquendo ſolum, ſed etiam ſentiendo ſapiens. Non ſupplantabuntur greſſus. Eſt propè ſi dixerit, Non vacillabunt veſtigia, non luxabitur pes, non diſcedet à recto, non obliquus, lapſabundus incedet: non labetur in voraginem. Id faciet lex Dei in animo inhærens, mentemque illuminans. Illuſtrat veſtigia, rectum iter oſtendit. Efficit vt lucidè noſcas quem ad finem veſtigia flectas, ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta lex, aiunt Græci, ſemper in corde moratur. Iter quo tendit ad Deum, non impeditur aut ab hoſtibus notis, aut occultis, & ignotis. Quid enim virtuti impedimento eſſe poſſit? Agit altiſſimas radices probitas, ex illa lege perpetuò meditata conuelli non poteſt.

Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.

Conſide. SEnſum qui placeat, exhibent Hebræi. Cùm videat impius fore, vt ipſe denique concidat, finemque ſtultum habitura quæ molitur, tunc inuidere iuſto, tunc inſidias intendere. Inuidet felicitati, ſibi diem fatalem inſtare proſpiciens: omnia verſat, ſi quid ad perniciem eius ido- Mortifi. neum reperiat, ſi quid calumniari, quo pęnam capitis incurrat. Mortificare, θανατῶσαι, rectius

Latinus

A Latinus dixiſſet, interficere, morti addicere. Bellum perpetuum eſt in terris inter iuſtos & impios, omnia eis inimica, vita, mores, conſilia, cogitationes, ſermones, vultus, oculi, neutro alterius conſpectum ſuſtinente, diuerſa itinera, ſi caſus eos obuios dederit, arripientibus, ſubitoque diſcedentibus: non ſecus atque ignis & aqua diſſentientibus. Summa odia, ſummæ inimicitiæ, incredibiles animorum diuiſiones. Haud mirum igitur ſi quærit iniuſtus impiusque interficere iuſtum, omni opere, omni tempore ei auerſantem, conſuetudinem eius reſpuentem, eum ſemper refugientem. Peccator hoc loco eſt רשע rasha, impius, ſceleratus.

Peccator.

Dominus autem non derelinquet eum in manus eius, nec damnabit eum cùm iudicabitur illi.

FAciam clariora, & non damnabit eum cùm iudicabitur lili. Multiplex eſt detrimentum, quod mali homines afferre melioribus conſueuerunt, aut necem apertam, ſuis eos manibus aggredientes, aut apud maiores calumniantes. Habent enim ſcelerati non manus ſolùm exitiales, ſed etiam linguas maledicas, accuſatrices, calumnioſas. Quod poſſunt, afferunt detrimentum. Si non manu, at accuſando, & maledicendo apud principem. Deus igitur non relinquet eum in manus eius, non erit, protegente Deo, manibus iniquis ſuper eum poteſtas. Minus item vt condemnetur, cùm iudicabitur. Liberabit è manibus rapacibus, liberabit ex calumnijs, criminibus: non ſinet eum ſententia damnari, non damnabit eum, non erit apud Deum reus: ſi non erit etiam apud iudicem, Deo defendente, non erit. Non damnabit eum Deus, non damnabit iudex terreſtris. Illæ à ſceleratis oblatæ calumniæ, inanes erunt. Tutatur Deus à probris, calumniis, criminibus iuſtos, inſontes: non ſinit ſuper eos fatalem ſententiam cadere. Hunc ſenſum explicans Rabi Abraham, Senſus eſt, ait, Deus videt, conſiderat iuſtitiam iuſti, cùm improbus percitus inuidia non poterit bonum virum interficere, tunc requiret aliquid criminis contra eum, aut iniuriæ, aut auaritiæ. Simili modo Rabi Dauid, Porrigit oculos impius in omnes partes, ſi qua ad manus eius res perueniat, qua apud principem, labem infligat bono, qua cadat, cùm apud eum iudicatur. At exibit indemnatus, purus, innocens. Audis igitur diuina ſubſidia contra calumnias, ſi modò iuſtus, innocens coneris eſſe.

Nec dã.e. cum iu.il.

Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram, cùm perierint peccatores, videbis.

NOn eſt, ait, cur te rapiat indignatio, ſi non fiunt extemplo, quæ de defenſione, & exaltatione iuſtorum prædico: non eſt fas ſubitò perire malum, fortunis imperioque exui, ad pœnas ſubitò rapi. Eorum ſunt iſta, quos agit impetus, non ratio. At Deum pro ſua manſuetudine & clementia decet grauem eſſe, expectare pęnitentes, an iniuriarũ finem facturi videantur. Te quoque non decet ſubitò coronari, grandem fieri, exaltari, in eorum locum facultatesque, & imperia ſtatim ſuccedere. Expectanda virtus tua, quid virtute poſſis conſiderandum, quis tibi animus in aduerſis. Hæc dum in te expectantur, expectatur quoq; in iniuſto & improbo, num pęniteat, reſipiſcat, maturatus tempore furens animus ad ſanitatem redeat. Deus quoque dum hoc agit, agit optimum grauiſſimumque principem decentia, clementiæ manſuetudiniſque ſuæ vim, naturamque retinet. Expecta igitur, & cuſtodi viam eius, ne ob hanc cauſam quòd, non ſimul ereptus ſis, illeq; ſimul non ceciderit, pietatem relinquas. Eſto pius, bonus: inſiſte diuinis mandatis, ſolitum pietatis iter ne deſeras: nihil impatienter agas. Omnes tibi dabuntur honores, ſi id feceris. Expoſitum ſuperius, quoniam ſæpius iterauit, quid eſſet hæreditare terram, relinqui in terra, damnatis iniuſtis ad pœnas, exterminatis è mundo, deiectis è vitæ præſidio, luce delapſis. Meliores occupare quæ poſſiderent iniuſti, quondam illis erepta, prædas relinquere cum gemitu rapaces, ſuccedere legitimos poſſeſſores iuſtos. Hæc erit exaltatio ex humili loco, ad ſummum gradum prouectio, in calamitatibus, contumeliisq; iacentem, quas inferre perſeuerarent iniqui, manam porrigente Deo, ſurgere, ſublimemque fieri: periiſſe peccatores videbis, ſi paulum expectaueris. Teſtes erunt oculi tui, quibus opes impiorum indignatus aſpexiſſes.

Rho.2. Expec.do. & cuſto. viam e.

Quũ per. pec. vid.

Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce, non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus.

VT hunc locum, qui torſit Philoſophos, multosq; mortales, clarius aperiat, exaggerationibus, repetitionibus, exemplis vtitur. Torſit felicitas impiorum in hoc mundo, quòd impune mactarent, raperent, innoxium ſanguinem funderent, fruſtra numen vltorem cæteris implorantibus, aliis vehementer admirantibus & ſuper religione titubantibus, potius res humanas, curſibus effrænatis ire, ſuſpicantibus. Incidat prauitas tranſuerſa licet, rectoſque ordines feriat, non eſſe qui lapſa retorqueat, praua luxantia ſuis locis reſtituat. At non ita inquit. Tolluntur in altum, Vt lapſu grauiore ruant. Conſueſſe enim Deum immortalem, quò grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro eorum ſcelere vlciſci velit his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Illi quoque ſenſerunt res ſecundiores ſceleratis interdum à Deo concedi, quo caſus ſit grauior. Vt cedros eos vidi, ait noſter,

Cedrus.

ſublimes. (Sunt autem cedri arbores proceræ, quarum Libanus eſt ferax, totoque Oriente naſcuntur: odorata arbor, ſimilis iunipero, baccis & foliis, niſi quòd procera ſurgit, qualis cypreſſus.) Erant altiſſimi, ſuperbi, florentes, inſtar arborum celſarum eminentes. Ipſi tantos ſibi ſpi-
Ecce non erat. ritus, tantam arrogantiam ſumpſerant, vt ferendi non viderentur, tumentes fortunæ flatu. Sed vbi ventus remiſiſſet, concidiſſe, & carbaſa languentia cernes. Stabant media in vrbe, velut medio in nemore arbores excelſæ. Ecce, tempeſtas impreſſione facta, funditus deiicit. Fit fragor: mirantur agricolæ, ſtupet omnis viator: vaticiniorum diuinorum veritas comprobatur, prædi-
Superexa. ctiones abſoluuntur. Verus ordo rerum perſpicitur. Haud multum refert, quòd pro ὑπερυψούμενον ſuperexaltatum, ſit in fonte עריץ ariz, fortis: Vidi impium fortem. Fortitudo diuitiarum,
Ceda. lib. potentiæ, opumque eſt, Neque etiam eſt cedros Libani, ſed אזרח רענן ezrach raanan, arborem virentem. Sciendum igitur quam Sept. tranſtulerunt κέδρον, cedrum, in Hebraico non eſt cedrus
Laurus. ſed אזרח ezrach, quam Laurum interpretantur. Vox propriè ſonat arborem ſemper virentem, ἀειθαλὴς, Græcè vocatur quæ perpetuo floret. Forſan à verbo זרח zarach, ortus eſt. Arbor ſemper oriens, naſcens, virens, nunquam deficiens, Generatim ad omnes ſemper florentes arbores pertinet, quarum ſunt multa genera. Ezrach, inquit Rabi Dauid, eſt virens, & bona, eo nomine vocata, quòd venuſtas, & viror eius omnibus appareat, ſicut vir ezrach, Vir nobilis, clarus, genere de claro. Cuius contrarium eſt, peregrinus, ignotus. Hæc dixit etiam prior Abraham, Rabique Salomon. Chaldaica quoque tralatio verſum hunc transfert, Vidi impium fortem & validum, ſicut arborem יציב ועבוף iazib veabuph, Erectam, & frondiferam, folijs exuberantem. Non eſt igitur cedrus: nam cedrus vocatur ארז erez. Illud autem אזרח zerach, vides quid interſit, nec comparat impium cedro Labani. Hæc comparatio hic nuſquam eſt, potius iuſtum cedro comparat alibi, Sicut cedrus Libani, ait, multiplicabitur. Cedrus arbor ſacra, melioribus exemplis apta. Hoc mihi placuit inſigne, cùm creſcere, boniſq; cæleſtibus locupletari, virtutum odorem longe latèque mittere, factis egregiis ingens celſuſq; fieri, Rempublicam quod ad eius poſſem, iuuare, atque attollere cuperem. Scire quoque operæpretium eſt: cùm hæc vox ſonet oriri, fit vt nomina inde fluant, deſignantia naſcentem, indigenam, quaſi radicentem, habentem radices, radicibus, foliis abundantem: ſonatque virum multa propagine, ingenti familia, magna proſapia, genere fœcundum: cuius contrarium eſt, inquiunt, Hebræi, peregrinus, ſine cognatione, familia, ſine genere. Erat igitur impius ingenti familia, turba nepotum circundabant, ingens propago, affinitas magna. Propterea verſus Hebraicus habet, Vidi impium robuſtum, & propatulum, diffuſum vt Ezrach, arborem virentem, frondiferam: Propter hanc cauſam Hieronymus tranſtulit, Vidi impium robuſtum, & fortiſſimum ſicut indigenam virentem. Vides, vt non ſit apud eum cedrus Libani. Exponunt Hebræi quid ſit indigena. Gloria igitur impiorum deletur breui, velut aura receſſit, velut fumus inanis, velut ſi ſuper ſabulo domus eorum conſiſteret. Sæpiusque id aſſeruit. Sed tanquam puluis, ait, quem proiicit ventus, erunt impij.

Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Iniuſti autem diſperibunt, ſimul reliquiæ impiorum interibunt.

Cuſtod. in
Vid. æqui. CVſtodi, retine integritatem, innocentiam, ſiue ſimplicitatem, vt diuus interpres edidit, Vide æquitatem ſiue rectum, conſidera, perſpice, fixis oculis contemplare, nunquam ab ea diſcedas. Sedeat in pectore, cùm te calamitoſum videris, cùm fata vrgent, tum tempus poſtulat animi conſtantiam, nullum pro laude periculum recuſes. Continenda eſt indignatio, impotentia, permanendum in ea, qua ſemper fuiſti, grauitate animi. Non eſt de rebus cœleſtibus, de imperio Dei ſuper terras, perſuaſio relinquenda, ne ſimilis noſtra mens frondibus exiſtat, quouis ventorum flatu leuanda. Videbis breui eſſe reliquias homi-
Hom. pac. ni pacifico. Hominem pacis vocat fortem, grauem, conſtantem in aduerſis, nullo caſu à virtute diſcedentem, non indignantem, quietum ſedatumque in aduerſis animum habentem. Ad quam virtutem hortatur ipſe Vates. Qui indignari, & fremere, ſubitoque in blaſphemias
Sunt reli. & maledicta prorumpere noluerit, videbit ad poſtremum cuncta cedere victoribus proſpera, piis, & mitibus, patienterque ferentibus ſupereſſe bonum euentum. Quod Septuagin. dixere
Detur. ἐγκατάλειμμα, reſiduum, ſeu reliquias, Hebraicum אחרית acharith, ſupremum, nouiſſimum. Quoniam, ait, homini pacis eſt ſupremum, eſt quod remaneat, eſt quod ei ad poſtremum debeatur. Poſſet etiam ſermonis Hebraici ſenſus eſſe, quem Rabi Abraham proponit, Cuſtodi, adhibe mentem, reſpice virum integrum, & rectum, videbis certè ſemper finem eius eſſe, pacem. Si bene perſpexeris, videbis rectos, & innocentes, ad poſtremum lætos eſſe, pacem tranquillitatemque aſſecutos, portum tenuiſſe, qui modo ſibi timuerant, hos tutiſſimum portum recepiſſe, qui piis periculum intuliſſent, de ſuo timore coactos. Atque, vt ait Rabi Dauid, ſæpius iterauit finem impiorum, eſſe perniciem, iuſtorum tranquillitatem, & pacem, ne quos decipiat præſens felicitas malorum.

Salus

A Salus autem iuſtorum à Domino, & protector eorum eſt in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eum.

Iuſti, qui ſint.

De Spe.

ITerationes ſunt, exaggerationesque, vt dixit Rabi Dauid. Cupidiſſimè inſtat, quò tibi cæleſtis hæc ſapientia clareſcat, inſinuetque animum, penetret intimè, iuſtos à Deo defendi, neceſſario tempore non relinqui, ſalutem conſeruationemque eorum, ei curæ eſſe. Iuſtos autem eſſe qui ſperent in eum: nam qui ſperat, credit: longè ab his abhorret, qui Deum eſſe dubitent: aut ſi ſit, res humanas ei notas eſſe, aut licet noſſe poſſit, ſi velit, at non id eũ laborare, nihil id ad maieſtatem ſuam attinere. Spes autem maxima virtus, maxima pars pietatis, lux animi, confirmatio, robur labentis. Neceſſario, qui ſperat, piiſſimus eſt, credit eſſe Deum, credit ei res terreſtres non minus eſſe perſpectas, atque regibus res ſuorum regnorum, vel potius patri ſuam familiam: non ſperaret, niſi crederet. Tum præterquam quòd perſuadet ſibi Deum eſſe, resque ei noſtras non ignotas eſſe, perſuadet quoq; bonos ei charos eſſe, gratam ei bonitatem iuſtitiamque eſſe. Cur enim ſperaret ſi nihil eum de noſtra iuſtitia laborare, nihil benefacta noſtra morari exiſtimaret? Retortis autem argumentis, qui non ſperat, non credit aut Deum eſſe, aut eum noſtra noſſe. Credens eſſe, ſed non credens ei noſtra perſpecta eſſe, tædio, aut quauis alia de cauſa, hanc cognitionem diffugientem, tribuit ei vel inſcitiam, vel ignauiam vel crudelitatem, quæ in terreſtri quidem principe ferri poſſent. At ſi charitatem, iuſtitiamque in noſtris principibus laudamus, hæcque eis laus gratiſſima eſt, cur Deus principum pinceps hanc maximè laudem non poſſideat, atque adamet, & quoties à nobis iuſtus memorque noſtri, quod charitatis eſt, prædicatur, non gratiſſimum ei eſt? Neceſſario igitur qui ſperat, eſt bonus, eſt iuſtus, ac pius, bene ſentit de ſummo principe Deo. Qui de Deo bene ſentit, magnæ ſapientiæ, eximiæ cognitionis, excellentis prudentiæ vir habendus. Spes autem eſt rerum bonarum expectatio. Qui expectat, noſcit eum à quo quid expectat. ſcit eum velle & poſſe quod expectat. Ergo qui Deum ſperat, noſcit eum, perſpectumque habet. Tum proſpicit eum velle & poſſe quod ab eo expectat. Summæ autem charitatis ac poteſtatis eſt, poſſe iuuare & velle. Spes igitur eſt maxima pietas, inclyta virtus. Et præterquam quòd maximum animi refugium, & recreatio, etiam eſt vera ſapientia, de Deo, & bonitate ac poteſtate eius verus ſenſus Propterea iuſtus eſt qui ſperat, iuſtiſſima, maximeque vera de Deo ſentiens.

Diffugienti.

Spes quid.

PSALMI XXXVII. EXPLANATIO.

In rememoratione.

TITVLVS Pſalmi eſt, Pſalmus Dauid in rememoratione de ſabbato. Is titulus non habet ad hunc modum in origine, εἰς ἀνάμνησιν περὶ τοῦ σαββάτου, In rememoratione de ſabbato. Redundat, De ſabbato: duntaxat eſt להזכיר lehazcir, ad recordandum, vel rememorandum. Videbis idem apud Hieronymum, cui titulus ſic transfertur, Canticum Dauid in commemoratione. Nam Nicolaus habuit codicem Hieronymi mendoſum, apud quem refert eſſe, In commemoratione ſabbati. Placet vehementer (ſepoſita ſententia Auen Eſræ, de qua dubitat Rabi Dauid) id nomen eſſe muſici inſtrumenti, quod cæteri Hebræi vnà cum noſtris afferunt ad commemorandum deſignare, vt hoc carmen cantetur, recolatur ab his, qui ſibi ſceleris conſcii, pœnas metuant, ſupplices veniam pacemque petentes, oportere eos hoc carminis genus canere, hoc orationis genere vti, petere precibus, quibus ipſe quoque obtinuiſſet, vt ſibi Deus crimen condonaret. Et quoniam peccare nobis procliue eſt, nec aliud pene videre eſt in hac vita, quàm homines multa peccantes, docere nos pium Philoſophum, vt preces, quas hoc carmine complexus eſt, aſſiduas commemoremus. Ergo peccantes orare, nulla interpoſita requie, propterea quòd nullus eſt peccandi finis, docet. Probabile fit Græcis & hunc pſalmum in perſecutione Abſalonis fuiſſe confectum. Rabi Salomon propè huc tendit, preces has adhibendas, commemorandas ante Deum, ſupplici calamitate procellisque inſtantibus, applicans ad populum Iſrael, Græci in recordatione delictorum, aut pœnarum ex eis cadentium. Ad commemorandum item Hebraico dicendi genere ſonat, quod oſtendit Rabi Dauid, Ad canendum, laudandum: vt, Mementote quoniam excelſum eſt nomen eius, nempe recolite, celebrate. Edidiſſe, cuicunque clades inſtaret, idque eſſe ad rememorandum, nempe ad oſtendendum cuilibet vexato, vt oret ſupplex, hasque preces habeat in promptu. Omnia eodem ſpectant. Eſt diuinum philoſophiæ genus, diuina eruditio. Docemur Deum eſſe, noſtra ſentiẽtem, præſentemq; nobis, qui nos videat peccantes, videns indignetur, paret ſupplicia. Sed exorari poſſe, exorabilem eſſe, non eſſe, vel inſcium iniquitatum noſtrarum, vel negligentem, aut immutabilis iræ, ſi pœnitentiam inuenerit. Vt ſuperior pſalmus ſolabatur afflictos, vim iniquorum fortiter ferrent, finem à Deo, vexationum expectarent, ſcirent ea Deo non negligi: ſic is eos ipſos qui contra ſontes arma tuliſſent, ſi forte reſipiſcant, docet quid eis precandum, quàm non ſit cunctandum in illa rapinarum acerbitatisque plena vita, quantum dolorem, quos gemitus, ſi redeant ad ſanitatem, conſecuturi ſint ex conſcientia. Ex illo dolore poſſe perſpici quid calamitatis in eo vitæ genere, quid periculi ineſſet. Vbique fœcunda hæc pſalmorum philoſophia, modo miſeros conſolatur, modo non aſpernata delinquentes, à quibus ea incommoda miſeri perferrent, vocat ad ſanitatem, eſſe locum miſericordiæ, portum eis oſtendit, ſalubris conſilij autor.

Corripias.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: aggrauata eſt ſuper me manus tua.

Manus. Infixæ ſunt.

INGEMINATIO, vt ſolet, furor, ira, arguas, corripias. Corripias Latinus dixit quod Græcè παιδεύσῃς, erudias, doceas, Hebraicum תיסרני teiaſereni, corrigas, caſtiges, pœnam incutias. Manus eſt, vt Græcis, vis, vltrix, flagellatrix. Symmachus pro ἐνεπάγησαν, infixæ ſunt, dixit καθίκοντο, attigerunt, tangunt, quod Hierony. imitatus eſt, orat ne cũ animi indignatione quam peccata commouiſſent, caſtiget. Validiores ira plagas facit. Mitius caſtigat cui tranquillus placidusq; eſt animus. Audi à prophetis rerum naturam atque ordinem. Peccamus, iuſtitiam violamus, iniuriam inferimus, Deus qui hæc & alia proſpiciens, vt qui optimus eſt, alterius malis dolet, indignatur inferentibus, & quò peccare deſiſtant, quorum vita detrimenti, dolorisque cauſa eſt, è medio tollere deſtinat, in ea ſententia permanẽs, dum turpis illa vita recedat. Hoc prudentiſſimus quiſq; exploratum habens, multis cum lacrymis ſibi ignoſci poſtulat. Sed cum pateat nullam ſine pœna deleri culpam, petit, id mitius agat, id propemodum poſtulans, vt ſi quis verberandus ſit, poſtulet verberato ne minus ſeuerum. His docemur & Deum iraſci, & poſſe iram eius fieri noſtris precibus leuiorem, ſapientes autem operam dare vt ſibi ignoſcatur. Illud item docemur ſentire ſapientes, plagas cęlitus inferri ex conſilijs magnæ prouidentiæ, vt pœnas luamus non ſine numine diuum. Hoc tum naturæ docet inſtinctus, tum ſapientior erit, quò magis quis hæc ſibi perſuaſerit. Monent Græci furorem iramq; Dei non eſſe paſſiones, commotiones animi magni ſui, perturbationes, ſed qualem meliores Stoici poſtulabant ſapientem, quem exiſtimabant caſtigare poſſe etiam tranquillum, ſine iracundia, ſedatum, fungente muneribus ſuis ratione, cuius eſt praua corrigere, aſpera, dura complanare. Id etiam rectius fieri ſine perturbatione, quale fieret ab igne, natura comburente, non comburente impetu nouo ſuſcepto. Non minus iucundus eſt animus diuinus peccatis delendis, atque bonis creandis. Qui tollit è medio peccatum, tollit iniuſtitiam, impedimentum vitæ beatæ: cupidus bonorum, tollit ægritudinem, dolorem, vult eſſe lætitiam. Iniuſtitia, & peccata, quæ fiunt in terris, turbant humanam felicitatem, non eſt alacritas vbi eſt iniquitas. Qui non fert iniquitatem, optat felicitatem, tollit ea quibus mortales fiunt męſti. Iucundus eſt igitur animus diuinus malis caſtigandis, propter odium iniquitatis, acerbitatis, cupiditatem felicitatis. Qui iucunda bonaque facit cùm ſit bonus, non turbulenter ægræque, ſed cum animi tranquillitate facit, gaudet cadere iniquitatem, turpitudinem deleri. Sagittas Deo tribuit, velut Homerus Deo, ſuo,

Sagittæ.

Τίσειαν δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι:

Dent mei luctus Danai pœnas tui ſagittis.

Sagittas eius vocat plagas diuinitus deſtinatas, quod ſapientibus perſpicuum eſt. Poeticum eſt ſagittas Dei dixiſſe, vexationes, vulnera cęlitus illata. Manum quoque plagam, vt aiunt Hebræi, dixit, vt quam manus incutit. Orat iracundiam diuinam ſedari, mitigari, redire ad lenitatem, quòd plagas ſæuiri ſentiret, non inſtantes metuens, ſed præſentes experiens, non ignarus pęnas peccatis deberi.

Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuę: non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum.

A facie.

Sanitas.

MOnendum eſt, à facie, Hebræis aduerbium eſſe deſignans propter. A facie iræ propter iram. A facie peccatorum, propter peccata. Intellexerunt id etiam Græci, διὰ τὴν ὀργήν σου, διὰ τὰς ἁμαρτίας μου, καὶ διὰ τὴν ἀφροσύνην μου, Propter iram tuam, propter peccata mea, & propter inſipientiam, ait præ cæteris, Euthymius. Iram, minas rectè ſentit. Quam Septuaginta dixere ἴασιν, ſanitatem, Hebraicè מתם methom integritas. Non eſt in carne mea integritas, omnia plena vulneribus.

Vix adeo agnoſcas pauitantem, ac dira tegentem
Vulnera. Lacerum crudeliter ora, Ora manusque ambas, populataque tempora, raptis auribus in honeſto vulnere nares.

Idem eſt propter iram eius vulneratum eſſe, atque propter peccata ſua. Ira propter peccata, ab ira plagæ, vulnera. Idem quoque carere pace, atque ſanitate. Idemque quoque caro, atque oſſa. Carere autem pace, ſanitateque corpus, carnem, aut præſentem vbique prementem calamitatem demonſtrat, dolores ingentes inſitos, aut trepidationem metumque ex conſcientia facinoris admiſſi: tormentum conſcientiæ oſſa commouens, medullas vſque penetrans, animum abſorbens, infeſta omnia impacataq; in mentis domicilio reddens, verbera conſcientiæ infligens. Conſcientia, inquit ille, magnus carnifex. Nec pectore noctem,

Cõſciẽtia.

Accipit,

A Accipit,ingeminant curæ. Hæc vulnera ſenties, vt Græci,iram minaſque præpotentis Dei,quas in lege Moſis ſceleratis minatur, aut quas miſſis prophetis denuntiare conſueuerat. Omnia ad conſcientiam venientia torquent animos,nullam eis pacem, nullam tranquillitatem relinquunt. Id genus,aliis pſalmis habentur,cum ſibi ipſi pęnas indixiſſent pęnitentes,non expectantes diuinas. Humiliabam in ieiunio animam męam, & caro mea immutata eſt propter oleum. Adhæſit lingua mea faucibus. Laboraui clamans. Raucæ factæ ſunt fauces. Dolores ergo vulneraque ſenties aut trepidationem,metumque diuinæ indignationis,aſperitatem conſcientiæ ob facinus,aut illatas ab inimicis calamitates,quas propter ſcelus incidiſſe ſibi perſuaderet: hocque totum carmen oſtendit. Tralationes pulcherrimæ poeticæque, quòd in medullis inſederit dolor, quòd in præcordia lapſus hauſiſſet medullas. Atque implicat oſſibus ignem,noſter ait. Morſu miſeros depaſcitur artus. Verſat ſub pectore,fixa coquit cura. Animam expectorat.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

HYperbolæ ſunt omnes,aliæque figuræ,quòd caput ſuperauerint,totum obruerint. Errores fatetur validè, vniuerſam delictorum turbam explicat, magna contentione agit. Imbecillitatem conditionis humanæ deplorat. Si quis immane facinus admiſiſſet, quid aliud ei pęnitenti,veniamque à Deo petenti exclamandum eſſet,quàm ſcelus ſe obruiſſe,ſe ſub ſcelere velut oppreſſum,ſubmerſumque cecidiſſe. Grauiſſimum ſceleris pondus inſtare ceruicibus. Nil aliud propè eſſe facinus admiſſum, quam ſaxum illud Siſyphi. Peccata eſſe pondera grauiſſima,in terram deprimentia. Tralationes igitur,quòd ſcelera oneribus comparantur, ꝙ B pelago,quòd vndis in caput cadentibus,quibus corpus obruatur: quòd velut opprimere,deiicere, proſternere, ſuffocare dicuntur. Saxis ingentibus, ponderibus immanibus ſimilia prædicantur. Videmur cùm quid peccauimus, ferre pondus intolerabile. Grauitas quoque Latinis eſt in peccando, grauiſſimum facinus dicunt.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.

HAe quoque tralationes, cicatrices ſiue tumores læſi corporis,verberatæ, vulneratæque carnis, dolores illos conſcientiæ nuncupat, paſſiones morboſque animi, magnamq; illam perturbationem vocat, cicatrices, tumores, vulnera tumentia. Eam perturbationem non modò vulneribus, quibus corpus ſaucium ſit,comparat, ſed his etiam vulneribus, quæ grauiorem dolorem faciant corrupta, non ſanata, putrefacta, propterea quòd ſanari non poſſent. Vulnus inſanabile, pectus inſediſſe, magnos cruciatus afferre, non poſſe ſanari: aut, quod ſit grauiſſimum, quòd deſit medicus, qui ſacras manus admoueat. Diuturnitatem inſanati vulneris, putredinem feciſſe, putredinem maiores dolores afferre: proponit igitur magnos animi cruciatus, eos appellans vulnera putrentia, inſanabilia, nullo opem ferente, ipſo in his cruciatibus permanente. Commemorat calamitatem, dolores animi quibus, vel ob ſceleris conſcientiam conficeretur, deteriora timens: peior enim eſt morte,timor ipſe mortis,inquit ille. Aut iam calamitates aderant, premebant, grauiſſimos ictus imprimebant, futurumque erat, vt breui vitam,imperium, copias amitteret, hoſtibus in victoria inſolentibus, nihil victis tutum, nihil hoſtibus impeditum. Idque à facie inſipientiæ,propter inſipientiam,vt ſuperius dictum. Hos dolores, C hos cruciatus attulit ſtultitia, dementia, qui ſtultè, & inconſultò peccauerim: qui ſaperè debuiſſem, potius,peccando deſipuerim. Cicatrices, vt dixi, vocat exponentibus Hebræis (nam dicuntur Hebraicè חבורות chaburoth, forſan à verbo חבר chabar, alligauit, alligamenta, quæ alligantur) non ſigna ſanatorum vulnerum,ac vibices, ſed tumores, plagaſque tumentes, tabentes, putrefactas. Quæſo omnes animaduertant, ſtultitiam,amentiamque vocari in ſacris litteris peccata, libidines, errores, delyria, cęcitates: & quid pariant, conſiderandum. Vocari etiam vulnera grauiſſima, putredines, tabeſque peſſimè olentes. Nam Græcè eſt ad Hebraicum προσώζεσαν καὶ ἐσάπησαν, malè olent, corruptæ ſunt cicatrices.

Mort. metus.

Incipien.

Cicatrices.

Putruer.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſq; in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

MIſer factus,rectè ex Gręco ἐταλαιπόρησαν, Hebraicum נעויתי naauethi,afflictus ſum, vexatus. Vexor,ait,premunt anguſtiæ: quanquã Hebræi eiuſmodi verbum exponunt diſtorquere,incuruari,vt re vera ſignat. Eſt enim aua,prauitas,iniquitas,aſperitas. Vicina ſunt aſperitas in peccando,atq; malè patiendo. Vtrunq; dicitur prauitas iniquitas loci,temporis, rerum aduerſarum. Item iniquitas actionum,opera non recta. Nunc corporis eſſe volunt Magiſtri,dolores,corpus incuruum,nutans in terram reddidiſſe. Hyperbole & hæc,magnitudinem doloris exprimens. Tantos eſſe cruciatus,eam animi amaritudinem, vt corpus in terram deflexerit, ſeu, quòd męror vultum deprimit, inuiſam lucem, cælumque reddit; ſiue quòd deflectit, calor, alimentumque minuitur, vires deficiunt, genua labant, ſoluuntur frigore membra, dolori corpus ſuccumbit. Maximam ægritudinem deſignari apparet ex ſecundo, Tota die contriſtatus, męſtus ingrediebar: tota die mœrens ambulaui, tranſtulit ſacer interpres. Ergo incuruatio, męroris indicium,depreſſi vultus,animi curis detenti. Hos Gręci vocant συώνες, totos conſiderando de-

Miſer.

Aua.

Cõtriſtat.

fixos,curis eos aliud reſpicere,morarique non ſinentibus. Rabi Dauid exponit naauethi, (quod noſtri dicunt,miſer factus ſum:ſiue, vt Hieron. afflictus ſum, quod etiam probo) Ob magnitudinem doloris,ait,corpus eſt incuruatum,curuus incedo, obſcuratus eſt vultus. Nam quod noſtri dicunt mœrens,aut contriſtatus,Hebraicè קדר coder,ſonat tetrum,obſcurum: de męſtis,atriſque dicitur,quibus facies lurida, minimè ſerena. Tota die,inquit,indoleſco.Magna hyperbole.In finem,melius & clarius in fonte עד מאוד ad meod, vſque ad multum,vehementer,validè. Curuatus ſum vehementer.Sequenti verſu bene ἕως σφόδρα, cum ſit idem Hebraicum.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.
Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Illuſio.

Lumbi.

ALia hyperbole,qua manifeſtus dolor,calamitaſque apparet. Lumbos repletos eſſe illuſionibus. Pro ἐμπαιγμάτων, illuſionibus, ludibriis, aptius Hieronymus dixit, ignominiam. Hebraicum נקלה nikle,ſignat dedecus,ignominiam,rem fœdam.Ignominiam hâc in lumbis,exponunt Hebræi, quod arridet, putredinem non ferendam, non nominandam,corruptam,abominandamque tabem. Lumbos præcordia interpretantur. Eſt ſimilis ſuperioribus tralatio, totius intus & extra corporis membris dolorem aſperitatemque ſentientibus. Caro cicatricibus, tumoribus fœda, oſſa commota, conuulſa, corporis incuruatio,debilitatio. Nulla tota compage requie,pondus ingens ceruicibus inſtans,deprimens in profundum,ſubmerſio,ſuffocatio. Nunc præcordiorum fęda putredo,odor teterrimus,ea plenos eſſe meatus interiores,plenos artus,omnia præcordia tabefacta.Propterea repetit,non eſſe tota carne nec intus,nec extra ſanitatem: non in cute modò graſſari morbum, ſed intimè penetraſſe. Græci quoniam in lumbis ſit appetentia Veneris,ac libido,quæ eum præcipitem dediſſet, huic dæmonem,qui fuiſſet autor,nunc illudere,ſuper ea ridere,triumphare,illuſiſſeq;,cum ad illicitos amores impuliſſet. Hebræorum ſenſus congruentior ex proprietate ſuæ dialecti cognitus & propoſitus. Nam lumbi ſunt nunc præcordia,omneſque interiores partes,quas ait putruiſſe, retegens ſuperiora & exaggerans. Declarat dolorem,nullis non viribus neruiſque oratione contenta, veluti flumine currente. Quod dixit ἐκακώθην afflictus ſum: fons נפוגותי naphugothi. Hoc verbo commotionem, vacillationem,luxationemque deſignari Rabeni fatentur,exemplis comprobantes, vt cor vacillare,hæſitare. Ergo dicendum,Commotus,concuſſus ſum,mutatus,relaſſatus, debilitatus. Declarat ſecundum,Humiliatus,nempe cōtuſus,fractus,debilitatus. Quòd Hier. verterit primum,Euigilaui,Hebræi non aſſentiuntur,potius id verbum,vt dixi,contendentes notare remiſſionem, vacillationem,debilitationem,non vigiliam. In Iacob euigilauit cor eius, exponunt vacillaſſe,non credidiſſe. Quòd addit,Rugiebam, dolores ferunt Hebræi ingentes:& cruciatus gemitum dant, non qualem homines,ſed qualem leones,rugiunt. Intentus cordis cruciatus,tormentumq; exprimit vocem,gemitum. Gemitus cordis mei,eſt rugitus. Suſpirant præcordia,pectore ab imo. Vox mei gementis,qualis fremitus leonum. Id facit dolor cruciatuſque. Ego rugio, quòd mihi cor gemit,fremit,prodit gemitus à pectore.

Afflictus ſum.

Humiliat.

Rugie.

Gemi.cor.

Domine,ante te omne deſiderium meum,& gemitus meus
à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt,dereliquit me virtus mea,& lumen oculorum,& ipſum non eſt mecum.

Ante te omne deſiderium.

DEſiderium,vel viuendi Rabeni aiunt,vitæque propagandæ,atque ex his doloribus morbiſque reſpirandi. Aut ante te deſiderium meum eſt, tibi relinquo curam mei ſanandi, non medicis,ait Auen Eſra. Primum melius. Tibi magnitudo mearum calamitatum,dolorumque perſpecta eſt ex ingenti deſiderio,quo mihi ſanitatem reſtitui incredibiliter deſidero. Ingens ſanitatis,liberationiſque deſiderium, quod tibi perſpicuum eſt,teſtatur dolorem eſſe vehementem. Quantò grauius doleo,tantò validius deſidero. Magnum deſiderium liberationis ex magnitudine mali eſt. Si leuiter ægrotarem,leuius ſanari deſiderarem. Nunc autem intentiſſimus doloris ſenſus adigit ad intentiſſimam liberationis cupiditatem. Hoc tibi perſpectum, ſentis quos gemitus mea pectora fundant, ades ſoliuago, ſolitudines appetenti, conſuetudinem refugienti: tum in ſecretis thalamis audis quos gemitus edam, vides etiam cor turbulentum, męſtum. Hunc ſenſum Græci quoque vident,quòd ſalutem,quòd diſceſſum malorum cupio,noſti. Eſt enim res ſapientiæ,deſiderium ſalutis,expiationis à ſcelere: deſiderium teſtari cognitionem. Qui cupit liberari,magnitudinem mali noſcit:ſtulti non cupiunt, quia neſciunt, negligunt, qua dementia peccaſſent, ſe peccaſſe neſcientes, aut culpam negligentes, aut pęnas nullas expectantes, non exiſtimantes iudicem fore delictorum, cui cura plectendi. Vanas fabulas eſſe, quæ de inferis prædicantur. At ſapiens grauiter gemit, ſi peccauit, validè pęnitet, vehementer ſibi condonari cupit, veniam cupidiſſimè petit, gemit, lacrymatur, ſitit ſalutem. poſſunt peccare boni, ſed reſipiſcunt, percuſſo pectore gemunt, oderunt quòd peccaſſent. Stulti non minus deſipiunt, peccatum negligentes, atque peccare contemnentes, vbique ſtultitiæ teſtimonium præbentes. Turbatur cor ſapientis ob peccatum, vires debilitat męror, quod

iidem

Lum. ocu. me.in c.m.

A iidem Græci cum Hebræis, oboritur oculis caligo. Lacrymæ tenebras inferunt, acumen hebetant. Vt gutta cauat lapidem, ſic lacrymarum perennis lapſus exedit oculos, paſcitur lumina ſalſus humor lacrymarum, humor ille per quem ab interiore ſenſu traiicit lux, hebeſcit, minuitur. Omnia magni doloris indicia. Magnus dolor ex conſideratione ſceleris: conſideratio ſapientiæ eſt, negligentia ſtultitiæ. Narrare dolorem, dolorisque ſingulas partes perſequi, eſt eius qui ſuam pœnitentiam iudici monſtret, qui ab eo vehementer liberationem poſcat, lacrymas, exteriores animi dolores, gemitus proponens, quantum doleat, quantum pęniteat pandens, quid incommodi ferat is dolor. Ita flectitur iudex, præcipuè non durus, inexorabilis, cui grata eſt hæc calamitatum commemoratio, doloris cognitio, ſimiles ſui noſcit qui doleant ob iniquitatem, qui magnus eſt æquitatis amator. Etiam, inquit lumen oculorum non eſt mecum, Ipſa quoque lux oculorum à me receſſit. Quatuor, deſiderium ſanitatis, liberationis, gemitus, perturbatio cordis, virium debilitatio, oculorum ex lacrymis hebetatio. Verbum quod bene Septuaginta dixerunt ἐταράχθη, turbatum eſt, Hebraice סחרחר ſecharchar, ſonat Hebręis teſtibus, reuolutionem, rotationem, quod facit animus turbatus. Nunc animum huc, nunc diuidit illuc, inſignis Poeta, ex Homero μερμηρίζειν. Propterea Hieronymus hoc tranſtulit, Cor meum fluctuabat.

Conturb.

Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt: & qui iuxta me erant, de longè ſteterunt.

Amic. & proxi. Adue. me appro. & ſte.

COntraria ſunt, appropinquauerunt, ac de longè ſteterunt. Ergo veritas Hebraica ſecus habet, & clarius, Amici mei & familiares mei מנגד נגעי יעמדו mineged negei iaamodu, Exaduerſo plagæ meæ ſteterunt. Quod exponens Salomon, Qui videbantur, ait, amici, quos B in tempore mihi præſto fore putaſſem, ſtant ex aduerſo, non accedunt, procul conſtiterunt, plagas meas aſpicientes, propius aſſiſtere non audentes. Similiter Rabi Dauid, Stant, ait, ex aduerſo vulneris mei, non accedentes, non inuiſunt: nam viſitatio confirmat animum dolentis. Hoc ſe amicorum refugio carere queritur. Acceſſit ad omnia mala, inquit, & illud incommodum, quòd amicorum, qui iam omnes me deſeruerunt, familiariumque refrigerio careo. Vident vulnera, non accedunt. Et, vt exponit Auen Eſra, quòd cicatrices, quòd vulnera tumuerant, computruerunt, fędum odorem exhalantia, deterriti ſunt amici inuiſere. Deeſt igitur apud Septuag. נגעי nigei, plaga mea, vulnus meum: propterea ſciens veritatem Hebraicam Hier. edidit, Chari mei & amici mei quaſi contra lepram meam ſteterunt. Interpretatur lepram, nam id quoque vox Hebraica ſonat, vulnus, plagam, lepram. Leproſos vitare ſolebant, eos procul ex vrbibus remouebant, ne contagio reliquos inficeret. Sic velut à contagioſo amici ab eo declinabant, ſeſe ſubducebant. Hac ratione non ſunt contraria, Appropinquarunt, De longè ſteterunt. Non dixit Hebraicum eos appropinquaſſe, ſed exaduerſo conſtitiſſe, pedem vlterius ferre non auſos. Conſpicati vulnera, odore tetro accepto, conſtiterunt. Minus item eſt in Hebraico καὶ οἱ ἔγγιστά μου, & qui proxime mihi eſſent, aut qui iuxta me erant: ſed proximos denuo nominat קרבי kerobai, propinqui mei de longè ſteterunt. Illud quidem Græcum proximos non loco, ſed ſanguine, affinitate poſſumus interpretari. De lepra, & plaga nihil apud Græcos eſt: grauiorem igitur calamitatem probat, quòd ab amicis ſit deſtitutus, quòd neceſſario tempore, rebus tam contrariis non ſit adiutus, quòd execrantur, quòd propius accedere refugiunt, inuiſum habent, odoris fœditatem non ferunt. C Hęc aut reuera ſunt, vt ſonant, eum ægrotaſſe, aut ſunt hyperbole, & interioris cruciatus indicia, vocatque perturbationes animi, nominibus corporeorum, vulnera, cicatrices, odores fœdos, quos amici ferre non poſſunt, longius conſiſtunt. Totusque verſus habet, Amici mei, & ſocij mei, exaduerſo vulneris aut lepræ meæ ſteterunt, & propinqui mei procul conſiſtunt.

Et qui iu. me erant.

Et vim faciebant qui quærebant animam meam: & qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Vim facie. Loquitur vanit.

QVod ait, Vim faciebant eſt נקשו nakeshu, inſidias, laqueos ponebant, quærentes animam meam, vitam meam, ſanguinem ſitientes, vitæ meæ inſidiabantur. Quærunt malum meum, meam perniciem, loquuntur vanitates. Hebraicè הוות hauot, prauitates, interitus. Hieron. dixit inſidias, eodem tendens. Ordo totius calamitatis, quam mihi meditantur, eſt, Primum inſidias parauerunt, inter ſe de interitu meo iniere conſilium, dolos tota die meditantur. Multis exprimit inſidias. Primum inſidiabantur, quærebant vitam, ſitiebant ſanguinem, prauitates, interitum, perniciem inter ſe conſultabant, dolos tota die meditabantur. Inſidiæ, doli, prauitates: Quærunt, loquuntur, meditantur, inſidiantur. Hæc Hie. reddens clariora tranſtulit, Et irruebant quærentes animam meam, & inueſtigantes mala mihi, loquebantur inſidias, & dolos tota die meditabantur. His claret ſuperiores hyperbolas potius calamitatum ab hominibus quàm corporis morborum expreſſiones eſſe. Nullum enim atrocius malum eſt, quàm quod ab hominibus infertur. Totaq; hæc exaggeratio, atque repetitio magnæ cladis, teſtimonium eſt, hoſtes habuiſſe ſe non ſegnes, non dormitantes, manſuetudinis, humanitatisque immemores, humano ſenſu mentes exutas, hominis effigie remanente in his habitare feram, Claret homicidia maxima ex parte fieri cum fraude, ne ſentiat cui malum meditaris, ne caueat, ſeſe tueri

Bellua, & fera in fig. hominis.

non poſſit, armatus hoſti occurrere. Inermem cupit, incautum. His curis agitatur improbus. De calumniis quoque poteſt eſſe.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.
Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.

OMnis, vt Hebræi explicant, ſpes in te mea ſita cum ſit, totumque me, meaque omnia in tuam fidem ac poteſtatem tradiderim: audio quidem probra illata, calamitates, quas parant, non me fugiunt, at taceo, ſilentium premo intra pectus, ad te me verto. Quid enim profecero lamentans? Aures ad hæc non adhibeo, ſcio quæ moliuntur, ſed audire refugio, reſpuo noſſe, tum quòd me contra tot hoſtes ſentio nihil poſſe, tum quòd malo me tibi curæ eſſe, quàm mihi. obſurdeſco, obmuteſco ad hæc, nec audio, nec loquor, tum contemnens ea, ſperansq; meliora: tum męſtus, nulliuſque alacritatis flentes oculos in cęlum vertens: hæc mihi potior cura. Tales in calamitatibus mortales oportere ſe præſtare demonſtrat. non ingemiſcere, iactari, turbari, conuitiis hoſtes laceſſere, reuerberare. Boni vertunt animos ad ſydera, cum lachrymis tacent, expectant opem ſupernam, in ea triſtitia taciti permanent, conſiderantes rerum humanarum iniquitatem, quò ſcelerata mens progreditur, hæc mortalia tantopere iniqua eſſe, conſiderantes cęli architectum, regnatorem orbis, hoc vnum eſſe perfugium, ſolamenq; malorum. Super rebus noſtris lacrymas continere non poſſunt, inſcitiam hominum, malitiamque perſpiciẽtes. Peccant principes, cæterique, partim iudicij hebetudine, falſis accuſationibus incitati, quas ipſi diiudicare nequeant, cum accuſatoribus conſentientes, alij cum malitia, vbi ſciunt eſſe innocentiam, crimen eſſe perſuadere conantes, malitia, prauitate, inuidia, inimicitia prouecti. Hoc exploratum habentes, conſiderantesque boni, ſi quando calamitas accidit, hominum miſeram conditionem lacrymantur. Tacent, à Deo auxilium expectantes. Nõ habẽs in ore ſuo redar. Itaque quòd ait, Velut is ſum qui non habeat redargutiones, nempe non retorquens probra, querelis inſtans, hoſtes coarguens, qua quidem re nihil profeciſſem: non talia tempus poſtulat, ad miſericordem patrem confugiendum, qui tecum verè doleat, volens & potens eripere. Inſita malitia nullis argumentis refelli poteſt, nulla ratione à concepto ſcelere dimoueri. A Deo, & virtute petendum auxilium, omnia non quidem in noſtra virtute, ſed Deo poſita.

Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus.
Quia dixi, Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

De ſpe. QVis eſt qui non maximè tueatur, ſi poſſit, quem norit omnem in ſe fidem habuiſſe, totam ſpem in ſe poſuiſſe? Tantum de ſua bonitate ſperare, cùm omnia præſidia deficiant, illud vnum tanti faciat, vt id multorum inſtar arbitretur, omnibus incommodis opponat, velut firmam anchoram, tempeſtate ſæuiente, animo teneat, hic adhæreſcat. Hoc apud mortales præſertim meliores, quibus virtus iuſtitiaque cordi eſt, nemo non magnopere perpenderet, magnumque decus exiſtimaret conſeruare ſperantes, proditionem autem eos deſeruiſſe. qui deſperant, in numero iuſtorum non habendos, potius proditorum, rectè facta, laudem, æſtimationem, opinionemque virtutis pro nihilo habentium. Quòd ſi Deo iuſtitia gratiſſima eſt, ſi nulla laus eſt, quæ poſſidetur à mortalibus, quin magis ab immortali Deo, qui perfectiſſima mens eſt, poſſideatur: certè igitur exiſtimandum eſt, non ſeſe decepiſſe pios Prophetas, nec vana nobis poſteris documenta reliquiſſe, cum ſeſe ſpem omnem in anguſtiis, quibus vita noſtra circunſepta eſt, ad iuſtiſſimum Deum direxiſſe, noſque, vt idem pręſtemus, magnopere adhortãtur. Dum vexamur, triſteſque turbant pectora curæ, tacere nos docentes, quia ipſi tacuiſſent, quanquam triſtitia contrahit cogitantem animum, & ſuper aduerſis indolentem. Crede mihi Prophetarum hæc philoſophia eſt, ſapientum vetuſtiſſimorum virorum (pluris enim faciẽda vetuſtiora) de ſpe cęleſti, ſperare in calamitatibus beneficum, ſalutarem, humaniſſimumque Deum nobis præſto fore. Nos autem tacentes & męſtos, aut tacentes, vt Chriſtus, humilis, deiectus, miſeratus hominum inſcitiam, non muliebres luctus, non fęmineos vlulatus edentes, noſtra triſtitia miſericordiam Dei Non ſuper gaud. prouocantes. Deſperatio magnæ imbecillitatis, etiam impietatis indicium. Quod ait, Quia dixi, Nequando ſupergaudeant mihi: ne triumphent, ne vincant, ſuperent, tunc lætentur. Hoc timens mecumque reputans, precor me tibi vni fidentem tuearis, ſalutis meæ curam ſuſcipias. Dum com. Dum commouentur pedes, ex Hebraico ſermone hoc reſonat, Ne triumphent hoſtes parta victoria, triumphabunt ſi lapſus fuero, ſi pedibus ſuſtinere non valentibus, corruero. Commotio pedum, Hebraica figura, eſt ruina, clades. Quæ ſi acciderit, magna loquentur. Hebraicè: עלי Super me ma.lo. יגדילו alai iagdilu. ſuper me grandeſcent: fient magnifici, tumeſcent, fient maiores. Hoc Septuag. rectè ad iactationem retulerunt. Magna loquentur, inflatis buccis vt victores ſolent, res ſuas prædicabunt. Tria memorat, hoſtium exultationem, pedum commotionem, nempe ruinam, eorumdem hoſtium iactantiam, ſuperbiam. Hunc verſum clarius transfert diuus Hier. cui plurimum debemus: Quia dixi, ne forte inſultent mihi, & cũ vacillauerint pedes mei, ſuper me magnificẽtur. Non erat per præteritum efferẽdũ in Gręco ἐμεγαλοῤῥημόνησαν, magna locuti ſunt: Futurũ eſt vt oſtendimus.

A oſtendimus. Magna loqui quid ſit, & pedes commoti, declaratum eſt. Tacebat ergo Propheta, auxiliumq́; tacitus implorabat & expectabat. Implorabat timens ne victus hoſtibus ludibrio, gaudioq́ue eſſet, ne prolapſus & deiectus faceret, vt hoſtes gloriarentur, virtutem ſuam tollentes, inſultantes victo. Deterſis idiotiſmis Hebraicis, apparent venuſtiſſimæ figuræ, pulcherrima poeſis, fluuius eloquentiæ.

Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

MIrabilis ordo carminis. Propoſuit ſpem in Deum, implorauit auxilium, narrat quid calamitatis inſtet, quàm ſit auxilium, quod petit, neceſſarium. Redit ad eandem malorum commemorationem, ob quæ dicit ſe ſolitum, eſſe pauoris trepidationiſq́ue non mediocris plenum. Is igitur duplex verſus calamitatis repetitur. Metus enim procaciter inſtans vrget, ſollicitat, non ſinit quieſcere, nos in omnia vocat, non dormire, non quieſcere permittit, ad clamores, ſupplicationes agit, quid non mortalia pectora cogit? Huc igitur pertinet quod ait, In flagella paratus ſum. Pro flagellis צלע zela. id verbum ſonat claudicare, aliquo verbere impacto. Non poſſum, ait conſiſtere, idq́; exponunt Hebræi iuxta ſenſum Sept. interpretum, ob plagas, vulnera. Paratus ſum, ait, expoſitus ad omnia verbera, omnes ictus. Sic Rabi Salomon, Firmatus ſum, ait, & præparatus, iugiter addictus ad verbera. Rabi verò Abraham, Reſides artus ſunt, inquit, non ingredior, propterea quòd claudico, nequeo pedibus inſiſtere, inualidus. Tot vulnera ſunt, vt pedibus ingreſſum abſtulerint. Sic Rabi Dauid, In flagella paratus, inquit, propterea quòd incedo claudus, præ doloribus, qui quidem dolores non procul ſunt, ſed in conſpectu, præſentes, ante B oculos. Chaldæus quoque pro zela, poſuit תבירא thebria, fracturam, vulnus. Deſignat igitur, Paratus ſum, duos ſenſus, aut prope circumuentus, expoſitus ad vulnera, ante plagas venientes velut truncus aut arbor ad omnes ventos, ibi defixus, non digrediens à doloribus, non declinans: impreſſionem in me calamitates faciunt. Aut claudico præ doloribus, prohibeor incedere pro vulnerum atrocitate, quæ ſunt in conſpectu iugiter, non remittunt ſęuæ procellæ. Propterea ſubiicit, Annunciabo iniquitatem. Fateor, ait, idq́ue deprædico cunctis, vt exponit Auen Eſra, hæc mala peccatis deberi, expiari mea crimina, meruiſſe fatebor. Hæc conſcientia torquet, conſcius mihi delictorum, quæ mihi ob oculos obuerſantur, crucior, crimen agnoſco, non deprecor, annuntio, fateor. Rabi quoque Salomon, Bene, Annuntiat, ait, cor, ſcelus meum, ob id doleo, timeoq́ue ob peccatum, ne quam mihi cladem, vulnuſq́ue afferat. Itaque quod optimè Septuaginta dixerunt μεριμνήσω, cogitabo, Hierony. iuxta ſenſum huius Hebraici verbi אדאג edag, tranſtulit ſolicitus ero, quod Græcum quoque deſignat. Fatetur, agnoſcit peccatum, & propter peccatum ſollicitus timet, inſtant cruciatus, verbera, ad quorum ictus expoſitum ſe dicit, quæ non procul ſint, ſed in conſpectu, ante oculos, quas ob res metuat non ignarus criminum, quæ pœnis expiantur, ne quam voluptatem malè agendo cepiſſet, eam malè experiendo amittat. Græci proferunt alios ſenſus non longe diſſimiles: ego cum Rabbenis Hebraicum ſermonem conſidero.

In flagella par.ſ.

Annũtiab. iniquit.

Cogitabo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: multiplicati ſunt,
C **qui oderunt me inique.**

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

ACcedit propius calamitates nominatim appellans, in omnibus malis, quæ poſſint hominibus accidere, grauiora ſunt, numeroq́ue plura ab hominibus venientia. Hoc mali genus fœcundiſſimum, vt verè dici poſſit, non minus in hominum genere quàm in genere piſcium perſpici poſſe, alios aliorum eſſe prædam, quod impetu piſces maiores in minores, id mille modis hominibus in alios agentibus. Nec minorem cadere multitudinem hominum, ab hominibus, quàm piſcium à piſcibus vorari. Libidines hominum, quales illi belluarum marinarum impetus in minores. Perit maxima hominum multitudo, perdentibus hominibus: maximaq́ue pars ægritudinum, moleſtiarum, deſperationum tota in homines referenda eſt. Quas ob cauſas ſacrum poema ex ſupplicationibus precibuſq́ue confectum, in primis texitur precibus his, quibus ſalutem noſtram Deo commendantes, ab hominum ſcelere cuſtodiri precabamur, quòd hoc genus malorum fœcundiſſimum eſt. Sunt ad alia quædam hominum inaudita maleficia, prodigioſa, nullas cauſas, quibus hominum mentes irritari ſolent, habentia. Irritantur laceſſitæ iniuria. At ſæpius hoc poemate maleficia commemorantur, ab ingratis animis orientia, cæcitate, malitia, ſcelere prodigioſo, cum mala pro bonis redduntur. Hoc igitur ſupplex orat, ante oculos hoſtes habet, viuentes, florentes, confirmatos. Videt ſcelera, non videt ſupplicia, non pęnas, non qui meritos trahat ad tormenta. Viuunt, inquit, confirmati, corroborati ſunt, lucis participes, obambulant læti, florentes. Nec numerus eorum exiguus eſt, ingens eſt, non contemnenda multitudo. Plures enim per deuia quàm rectà feruntur. Multiplicati ſunt, referri poteſt non tam ad numerum, quàm affluentiam, exuberantiam, eos corroboratos, auctos copiis & diuitiis queritur, impune ferentes quòd iniquè peregiſſent. Quodq́ue dixit, Oderunt iniquè, He-

Homo, homini lupus.

Multiplicati.

Ode. iniq.

braicum שקר shaker, oderunt falſo, odia eorum falſa, ſtatuunt cauſas irarum vbi non ſunt. Non D eſt cur odio habeant innocentem. Falſa odij cauſa, conficta, ſimulata: dicunt nocuiſſe, qui non nocuit, imò profuit. Sontem vocant, maxime beneficum. Rectè hoc odium Septuag. vocarunt odium iniuſtum. Viſitauit eos, inquit Auen Eſra, beneficiis affecit, vt eſt in aliis pſalmis. Rom.8. Multiplicati ſunt in ſtirpe, proſapia, re familiari, ait Rabi Dauid: ego verò inops, deiectus, inuiſusq; eis. Facit enim paupertas ridiculos, inuiſos. Atq; vbi me meliora ſequentem diligere debuerant, amplectique, potius inſectabantur, aduerſabantur. Hanc meam virtutem, charitatem, iuſtitiam, odijs exitialibus perſequebantur. Virtus illis odio eſt, charitas ingratos eos experitur: pro bonis Ingratitudo. mala reddunt. Quod genus improbitatis inauditum eſt, extra terras perditiſſimum. Nec canes quidem multaque alia bruta, tantopere reperies ingrata. Feræ miteſcunt beneficijs. Leones, lupi inuenti ſunt beneficiis manſuetudinem didiciſſe. Detrahebant eſt ישטנוני ishtonuni, Aduerſabantur mihi. Septuag. dixerunt ἐνεδιάβαλον, calumniabantur, detrahebant. Solent enim vbiq; Satan interpretari diabolum, calumniatorem, ipſumque verbum calumniari.

Ne derelinquas me Domine Deus meus ne diſceſſeris à me
Intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ.

SVprema vox cum graui pectoris ſuſpirio, in ea calamitate, qua non ſit formidabilior, peſſimo hoſtium genere circunfuſo: Ne derelinquas, ne diſceſſeris, vel ad Hebraicum, Ne elongeris, ne procul abeas, propius adſis, tempore opportuniſſimo auxilium feras, vrgente hoſte, acriterque in me tela coniiciente: nihil crudelitatis non edet in me, ſi in poteſtatem eius venero: non dubito quin de me grauiſſimum ſupplicium ſumat. Multis cum lacrymis aram complexus obſecrat, E ne deſerat, ne ab eo loco, in quo ipſe conſiſteret, tam propinquis hoſtibus diſcedat. Intend. in adiutor. Deus meꝰ, deus ſalutis. Et quod diſcrimen inſtaret, intendat in adiutorium, quòd Hebraicè חושה cusha, feſtinet, celeriter adſit: omnis ſalus in celeritate poſita. Nominatim appellat, Deus meus, princeps meus, meus imperator, Deus ſalutaris, autor ſalutis, cuius eſt poteſtas ſeruandi, cui ſalus hominum, præcipuè piorum, curæ eſt.

PSALMI XXXVIII. EXPLANATIO.

In finem. INSCRIPTIO In finem pro Idithum, Canticum Dauid. Græcum εἰς τέλος, in finem, eſt למנצח lamnazeach, victoriale carmen, ſiue carmen cum muſica, quemadmodum Pro Idithum. Chaldæus oſtendit efferens, Ad laudandum, cantandum. Latinum, pro Idithum, non rectè ducitur ex Græco, quod Hebraico reſpondet, τῷ ἰδιθοὺμ, ipſi Idithum. Cur duo pſalmi autores ferantur, Hebræi cum Græcis, Latiniſque veram cauſam aſſigant. Monſtratum eſt Idithum fuiſſe cantorem. Carmen quidem, ait Chimchi, eſt ipſius Dauid, at Idithum voce cantatum eſt. Id declarans etiam Chaldæus על פומיה דידיתון al pumei de Idithum, Ore ipſius Idithum pronuntiatum carmen Dauid. Hoc à Sept. oſtenditur, τῷ ἰδιθοὺμ, ipſi Idithum, nempe datum ad canendum: ſuper quo multa Nicolaus non aſpernanda. Subducenda igitur in Latinis præpoſitio, pro. Pſalmus eiuſdem cum ſuperiore argumenti eſt, autoribus Hebræis, & Græcis cum Latinis: commemorat calamitates, ſuper his orat, Eſt humanæ conditionis conſideratio, cui ſit propenſum peccare: peccatis autem pęnæ decretæ, legibus æternis. F Id probatiſſimum ſanctiſſimumque philoſophiæ genus proponitur in pſalmis, quod à philoſophorum animis perſpectum non eſt. Conſideratio peccatorum, proque his ſupplicatio, quæ condonare, atque expiare præter eum poſſit nemo. Quo continetur, & ſcientia Dei, & iuſtitia, rerum humanarum gubernatio, poteſtas cognoſcēdi res terreſtres, odium rerum iniquarum, pęnarum meditatio contra improbos. Tum mitigatio furoris huius, triſtiumq; horum decretorum mutatio, ſi quos pęnituerit. Eiuſmodi rerum Magiſtri ſunt pſalmi.

DIxi, Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, poſui
ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.

Dicere. Viæ. DICERE, Hebræis eſt, cogitare, decernere, proponere. Propoſui, conſtitui, certum mihi eſt. Viæ ſunt eis mores, vitæ genus, inſtituta, conſuetudo. Quod cæteris item linguis vſui eſt, Tendere ad laudem, Ruere, cùm peccant præcipitare, delyrare, quod Cuſtodia. boum eſt, à ſulco diſcedere. Cuſtodiam oris dixerunt Septuag. φυλακὴν, quod Hebraicè מחסום machſon, clauſtrum, frænum. Ne delinqueret, peccaret, loquendo, pręcipuè aſtante Peccator. improbo calumniatore, quem ſua lingua vocat שער rasha, improbum, impurum: tunc maximè cauendum eſt. Igitur Hebræi tendunt ad hunc ſenſum, quid ſibi velit hoc exordium, oportere nos, ſi quando vexamur, circumuentos premunt calamitates, minimè lamentari, blaſphemia, conuitiis, oris maledicentia abſtinere, ſi vel peccator aut improbus aſtans nos cruciet, an-Cùm conſiſt. gat, ad iracundiam laceſſat. Sed duplex ſenſus eius quod dixit, Cum conſiſteret peccator aduerſum me. Aut cùm conſiſteret, improbus calumniator exauditurus quid peccem, quid os præcipitet, A pitet, nociturus obſeruans, meque calumniaturus, vt inimici ſolent, qui non mala tantum deferunt, producunque aduerſariorum, ſed etiam bona peruersè interpretantur, modeſtiam, ſocordiam, timiditatemque vocantes, contendentes te peccaſſe vbi non peccaſti, quod genus inimicorum ſæpius commemorat. Aut melius iuxta Rabi Salomonem, Aſtante peccatore, Hebraicè, vt dixi, רשע rasha, ſcelerato, improbo, nequiſſimo, meque torquente, inſtigante factis dictisue, quod ſolent improbi, contra probos, grauiter inſtante: tunc maximè, inquit, ſtatui mecum moderari linguæ iniurias, contumelias patienter ferre, tacere: non mihi blaſphemiam extorſerit. Hæc interpretatio verior mihi videtur. Ingreditur confeſtim ad philoſopandum, tolerantiam, fortitudinemque docendam, nos improbis exagitantibus, quale fortiſſimus, optimusq; vir Iob feciſſe ſcribitur. Nec ſtultum quicquam contra Deum locutus eſt, tametſi non deeſſet qui inſtigaret, animumq; ad acerbitatem permoueret. Hanc philoſophiam eximius theologus è veſtigio edidit, in exordio carminis, maximè mortalibus neceſſariam, cuius fundamentum, quod philoſophi monſtrare non potuerunt, potiſſimum eſt reſpicere in cęlum, inde auxilium contra inimicos expectare, ſperare à Deo finem malorum. Ergo ait, vt verſum ex Hebraica obſcuritate euoluas, Dixi, mecum conſtitui, propoſui, vt cuſtodirem vias, mores vitamque meam à non peccando, linguam, os meum coercerem, cuſtodirem veluti clauſtro, quo tempore contra me improbus inſtat. Hunc ſenſum Græci quoque proponunt, addentes peccatorem fuiſſe maledicum illum Semei, qui lapides in Dauid mitteret, eique malediceret: itaque nunc Dauid, Laceſſitus, ait, ab eo, tacui. Hieronymus quoque edidit, Cuſtodiam os meum ſilentio, donec eſt impius contra me.

Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt: concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis: locutus ſum in lingua mea.

Humiliatus.

Silui à bonis

QVod Græci ἐταπεινώθην, humiliatus ſum, Fons דומיה dumia, ſonat ſilentium, tacitum eſſe. Hieronymus id ſciens transfert, Silentio tacui de bono. A bonis, vt dixit Hieronymus, eſt מטוב mitob, à bono: eſtq; ſenſus iuxta Hebræos, Tantopere ſtatui tacere, mutuſque eſſe, vt non bona quidem loquerer, eo vſque vereor calumniatorem: ſummum ſilentium pręſtabo. Eſt alius quoque ſenſus, Silui à bono, propterea quod nulla mihi ſpes eſſet boni. Silui bonum, nihil de bono, de ſalute mecum cogitaui. Vidi vexationem vehementem, excidit mihi ſalutis cogitatio in his anguſtiis. Propterea ſubdit, Dolor meus renouatus, Hebraicè non eſt ἀνεκαινίσθη, renouatus, ſed נעכר neebar, ſiue neecar, primum ſonat accenſus eſt, iratus eſt, alterum conturbatus eſt. Hieron. legit poſtremum. Conturbatus eſt, ait, dolor, propter ingentem plagam. Dolor eſt validus, dolor accenſus. Ardere, incendi dolore, Latinis etiam dicitur. Dolor incendium eſt, flamma vorax, ob id ſubiicit, Concaluit cor meum intra me. Ardent viſcera, ardet pectus, curæ coquunt. In meditatione mea exardeſcet ignis. Meditando vror, cogitando incendor: quo magis mecum cogito, meditorque, pectus inardeſcit, dolor augetur, creſcit incendium, flamma populatur intima præcordia. Eſt grauiſſimus dolor, grauiorque fit me tacente, ſermone & queſtu non exhalante, ſilentio nutritur dolor, deferbet, eiicitur colloquendo. Ignis ille præcordia paſcitur, niſi colloquio reſtinguatur: ſi tacueris, peſtis fouetur, permeat medullas, proxima quæque corripit. Vbi diu in hoc ſilentio ſecum colluctatus eſſet, tum demum ſtatuit loqui, orare ſupplex. Eſt autem continuatio horum verſuum cum ſuperioribus, Statuerat irritatus tacere, id optimum in aduerſis arbitratus. Tacens incendebatur, ſubibant curæ, coquebant, conturbatæ cogitationes, cogitabat improbos, tametſi vexarent, cruciarent bonos, eorum iniurias æquo animo perferentes, ſuper his non grauius lamentantes, cuncta tamen eis cedere proſperè. Hæc cogitatio vexat meliores, multa cogitant, multa dubitant, multa dubitantibus occurrunt, quid agant homines in mundo, quem ad finem viuant, quid Deus, num ſentiat, num ſciat hæc mortalia, num ſint ei curæ: quæ res ſit id quod dicitur Deus: ſi ratio, ſi ſapientia quædam perfecta, cur non melius hæc terreſtria gubernet? Id genus cogitationes turbant vexatos, incendunt, dolorem augent. Tum demum tacentibus neceſſariò aliqua vox excidit, quaſi cum ſuſurro, vt aiunt Græci.

Renouatꝰ eſt.

Concal.
In medit. mea ex.

Cogitationes & meliorum.

Notum mihi fac finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.

Veruntamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens.

DVo verſus ſunt huius poſtulationis. Hebræis Græciſque affertur cauſa, cùm ſe grauibus confectum morbis cerneret, tacituſque ſecum de exitu rei cogitaret, aliquem finem expectans qui quidem ei ignotus eſſet, æſtuans cogitando, prouectus eſt vt ſuper eo fine poſtularet, vt ſi diuturnior ætas ſupereſſet, finem malorum impenſius poſceret: ſin breuis inſtaret diſceſſus,

Notũ fac mihi fi.

non

Quid deſit mihi.
Menſur. po.d.me.
Subſtãtia mea.
Tanquam nihil ante te.
Veruntã vni.vani.
Homo viuens.

non eſſet ſolicitus poſt hac, non longius proceſſura vita, finemque properè calamitate allatura. D Nam quantum ipſe de ſe, deque humana vita iudicare poſſit, breues eſſe viuendi fines hominibus conſtitutos. Quod dixit, Quid deſit mihi, eſt Hebraicum חדלי chadalli. Quid, ait, mihi vitæ relictum ſit, quid ſuperſit. Chadel Rabi Dauid exponit tempus, quantum mihi temporis ſit in hac vita. Ecce, ait, vt ego de hominum vita pronuntiem, menſurabiles poſuiſti dies, Hebraicum טפחות taphacoth, breues, vt tranſtulit Hieronymus, breui menſura, quæ dicitur טפח thaphac, palmus, menſuratos. Quod etiam Septuaginta dixerunt, ponentes dies παλαιστάς, quaſi palmo menſuratos. Tempus noſtrum velut palmo deciſum, breuiſſimum menſus es. Menſuram dierum noſtrorum, quaſi vnius palmi conſtituiſti. Et ſubſtantia mea, Fons חלדי cheldi, vita mea: licet ſubſtantiam quoque ſonet. Vitam quoque dixit Hieronymus. Idem eſt ſi cernas, ſubſtantia, atque vita. Hæc ante oculos Dei nihil eſt, aut ratione æternitatis, & immortalitis ſuæ, æuique vniuerſi, aut quod ipſe breue tempus illud humanæ vitæ definiuit. Ante eum nihil eſt, breuiſſimi finis huius autor ipſe: in oculis eius breuitas hæc. Propterea tota vanitas eſt omnis homo, eſt ipſa vanitas, res velut fumus, & aura, qualis motus foliorum. Bulla eſt quidquid agitat homo, vanitas, vacuum, vento plenum, ſine ſubſtantia. Sicut in Eccleſiaſte, Omnia vanitas. Homo viuens, homo in hanc vita, res breuiſſimi temporis. Homo breue ad tempus ſubſiſtit. Tanquam nihil, velut ſi non eſſet, tibi rerum domino, imperatori æternitatis. Hi omnes ſenſus pulchri quoque Græcorum interpretationibus exiſtunt.

Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur: theſaurizat, & neſcit cui congregabit ea.

Verunta.
In imag.p homo.
Fruſtr. cõ. tur.

VNus verſus eſt. Veruntamen, clarius transferri poſſet Græcum, ad Hebraicum: ſi dicas, At certè, profectò. Hebraicè אך ac reuera, profectò. Græcè μέντοιγε, certe tamen. Hierony. minus clarè dixit, Tantum in imagine ambulat homo. Senſus imaginis tranſeuntis, Hebræis placet, hominem eſſe velut ſimulachrum, imaginem mutabilem, cito diſcedentem, auolantem. Nihil imagines habentes quo ſuſtineantur, celeriter ex oculis abeunt, velut illa, quæ apparuit *par leuibus ventis volucrique ſimillima ſomno*. Imagines ſunt quædam apparentiæ, quibus non radices, non fundamentum, ſtabilitas, grauitas ſubſit, mille modis veniunt, totidemque recedunt. Sic homo, inquiunt Rabbeni, in dies mutatur, de tempore in tempus, ſemper in mutatione eſt: nunc iuuenis, nunc ſenex. Animi quoque mirificis modis mutantur, velut imagines in flumine labente. Fluuius ipſum tempus, in hoc res hominum velut imagines decurrunt, fluentes, celeriterque ex oculis abeuntes. Reiicias velut impia commenta, imagines aſtrorum, quas rapidiſſimus cœli motus ad omne tempus deſignet, diſpoſitiones cœleſtes celeriter præterlabentes, ſub quibus res hominum ferantur. Hinc fortunæ momenta, hinc varij illius vultus, modo ſerenus, propitiusque, modo truculentus. Superſtitiones Auen Eſræ violenter ex ſacris oraculis abductæ. Fuerunt, qui interpretarentur imaginem, ſiue vmbram, tenebras. In tenebris ambulat homo, quod ab Hebræis non deſpicitur. Congruè ſubiicit diuinus Vates, vbi rerum humanarum inſtabilitatem memoraſſet, vana hominum ſtudia diuitiarum coaceruandarum, quæ præterquam quòd inſtabiles, mutabileſque ſunt, etiam neſcis ad quorum manus, quibus tantopere ſtuduiſti, deuenient: forſitan ad inimicos, quod Romæ ſæpius viſum, vt quas maximis ſtudijs opes quis coarceruaſſet, earum inimici fuerint hæredes. Omnibus his, laborum, curarumque humanarum vanitas arguitur. Similes interpretationes apud Græcos reperias. Quòd ait μάτην ταράσσεται fruſtra turbatur, Hebraicè אך יהמיון ak iehemaion. At certe ditabitur, accumulabit. Nam Auen Eſra exponit ſupradictum verbum congregationem mamon, diuitiarum, diuitias coaceruaras. Sonat item conturbationem, idque etiam vertit Hieronymus. Verſusq́, habet, At certe in imagine ambulat homo, at certe vanitatem, vel in vanum ditabitur, theſaurizabit, & neſcit cui congreget ea.

Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt? Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium inſipienti dediſti me.

Subſtantia mea.
Oppro.inſi.de.m.

VErſus ad Hebraicum redigendus, vt clareſcat. Et nunc quid expecto Domine, præſtolatio mea tu es. Ab omnibus iniquitatibus meis libera me, opprobrium ſtulto ne ponas me. Ad hunc modum tranſtulit Hierony. Quare nonnulla variant apud Septuag. Senſus quidem primi verſus, tametſi alio ordine, idem omnibus. Confitetur nihil aliud rebus humanis, tam infirmis, tam caducis, contemnendis, ſupereſſe ſapienti, quò ſeſe vertat, quo vires ingenij, rationis acumen, vota cogitationeſque diſpenſet, exerceat, quàm conſiderando, & colendo Deo: in hunc, omnem fiduciam, ſpemque collocando. Hunc omnium rerum ſuarum ſcopum tenendo, è veſtigio ſpem ſuam aperiens, & oratione, delicta ſibi condonari poſtulans. Quamobrem ὑπόστασίς μου, ſubſtantia mea, reſponderet Hebraico תוחלתי thuchalthi, quod eſt expectatio, præſtolatio, ſi deſignaretur eo, vt deſignat, fundamentum, firmamentum, ſtabilitas: vt dicat, Eſt ſtabilitas mea, ſubſtantia, fundamentum apud te eſt. Vox Hebraica propriè ſonat præſtolationem. Illud omnino ſecus ὄνειδος ἄφρονι ἔδωκάς με, Opprobrium inſipienti dediſti me.

Secus omnino: Orat Hebraicum, ne det eum opprobrium inſipienti אל תשימני al theſimeni, Ne ponas me. Quod Hieronymus quoq; tranſtulit. Efflagitat peccata aboleri, his liberatum, ab improbis defendi. Neque enim preces valerent auxiliis impetrandis, niſi deletis erroribus, ob quos inuiſa fuiſſet oratio. Os pollutum, pollutas edit voces. Pollutum eſt os, criminibus homine detento. Mens infecta, totum corpus, vocem, orationemque inficit. Fœtet oratio ſceleratorum. Priuſquam auxilium petas, vt iuſta petiſſe videaris, gratiorque exiſtat oratio, poſtula condonari peccata, tolle cicatrices, notas exure precando. Tunc prior oratio. Inſipientes velut ira percitus, hoſtes appellat, ſtultitiam tribuens velut inſanis, furentibus. Qualis ille, qui populatis agris, deſpecta pace, bello perſequens, quibus beneficus eſſe debuiſſet, quem ad ſanitatem reuerſurum exiſtimabat, qui precabatur, ne amicis noceret. Inſaniunt igitur peccatores, hoſtes. Furor, inſaniaque eſt, bellum, ſeditio, vexatio, iniuriarum illatio. Hæc qui faciunt, apertiſſime inſaniunt. His motus accidunt quales furentibus. Pallor in vultu, oculorum perturbatio, impetus in proximos, ſanguinis effuſio. Orat ne ſit ſtultis hoſtibus ludibrio, riſui victoribus.

Ioan. 8.

Inſipien.

Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.

Amoue à me plagas meas, à fortitudine manus tuæ ego defeci.

IS ordo duorum verſuum. Obmutuiſſe, duas habet cauſas: tum quòd cum ſtulto ei res eſſet, tacendum autem ſtulto oblatrante: tum, quòd magis de Deo cogitant pij ſi quando vexantur, quàm clamoribus agant, conuitijs, aut blaſphemiis inſanientes. Silent, quòd alia cogitant, quòd animo ſunt verſus conditorem, quem taciti ſupplicesque orant, præſenti metu eripiat. Necnon tacent, non queruntur, propterea, quòd quas perferunt calamitates, norunt ob peccata accidiſſe, conſcij delictorum non iniquo animo pœnas ferunt, vt patientia redimant gratiam cæleſtem. Propterea infert, Quia tu feciſti. Vulnus hoc, hæc calamitas à te eſt, hanc ob cauſam conticeſco, collum mitto ſub iugum, fero patienter quod intuliſti. Sed ſupplico, atque oro, verbera remoueas, lacerare deſinas, ne quas amplius mihi plagas inferas. A fortitudine manus tuæ ego defeci. Plagas dat manus, ictus à dextera cadit. Validæ manus, validè percutiunt. Manus Dei præpotens, fortis, χεῖρες ἀάπτοι, robuſta, terribilis: ferit grauiter. Sub eius verberibus ſe defeciſſe, amplius validos ictus, validę manus ictus ferre non poſſe. Vires laſſitudine deficiunt nec vires, nec arma ſufficiunt. Multis vulneribus acceptis, eò redactus ſum, vt iam ſuccumbam. Vocabulum ἰσχύος fortitudine, Hebraicum eſt תגרת thigherath. exponitur Hebræis pauor, timor, à verbo גור ghur, timuit. Nomen fortitudinis eſt huic ſimile גבורה ghebura. A metu manus tuæ validæ defeci. Senſus idem.

Aequo animo, pœnã, q̄ meruere, ferunt.

Quia tu feciſti.

A fortitu. ma. t. e. de.

In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius: veruntamen vanitas omnis homo.

VNicus verſus. Increpationes vocat quaſi correctiones, caſtigationes, eruditiones, dolores, verbera. Nam quos amat, corrigit, & caſtigat. Qui parcit virgæ, ait, odit filium. Diligit nos pater, increpat, corrigit, cædit virga, quoties nos malis humanis relinquit, morbis corporis, ſtimulis inimicorum nos pungentium, torpedinem excutientium. Hæ ſunt eius increpationes, propter noſtra ſcelera. Tabeſcere feciſti, nempe iuxta verum ſenſum, & Hebraicum, liquefeciſti, diſſoluiſti, euaneſcere feciſti τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, animam eius. Rectius ad fontem, חמודו chamudo, cupiditatem, deſiderium eius, aut rem cupitam, deſideratam. Propterea Hieronymus tranſtulit, Poſuiſti quaſi araneam deſiderabilia eius. Sonat ergo rem expetitam, exoptatam. Hanc rem ſenſerunt Septuag. ipſam animam, quæ ſæpe vocatur ab Homero φίλον κῆρ, φίλον ἦτορ, charum cor, chara anima. Nec ab re Septuag. ſenſerunt animam ea voce denotari. Nam etiam Chaldæus poſuit pro ea גושמיה guſmea, corpus eius. Aliique vocem vertunt carnem eius, corpus eius. Eſt corpus ſiue anima, aut caro, res optatiſſima, chariſſima, noſtra poſſeſſio. Senſus autem tineæ, ab illis pulchrè proponitur. Vt tinea vorat paſciturque veſtes, ſic tu ſtatuiſti, vt cupiditates, res optatas noſtras, quas chariſſimas habemus, ipſumque corpus ederent cruciatus, tormenta, morbi, vexationes. Hæc corpus exedunt, vorant, vt tinea veſtes. Nam tineæ ſimilitudinem ſæpius vſurpant ſacri Vates: vt conſumentur velut à tinea. Tineæ noſtræ, quibus in dies abſumimur, ſuccuſque noſter, caro, color liqueſcit, abit, vaneſcit, ſunt tormenta triſtitiæ, incommoda, res aduerſæ, quarum cogitatio deiicit animum, cùm corpus expetitur, voratur, paſcitur, liqueſcit. Sic inopina ſenectus ſentina malorum ſuperuenit. Nos igitur corrigit Deus, tineas admouet corpori, propter iniquitatem. Certe omnis homo vanitas, vt qui peccans aſſidue, aſſidue quoque vulneratur, abſumitur, diffluit corpus, vires minuuntur, debilitantur, decreſcunt, eademque in nihilum, in auras inanes diſſoluuntur, propterea vana res homo, nunc apparens, obambulans, nunc ex oculis ablata recedens, idque propter correctiones, tormenta verbera, plagas, quibus vſque premens nos Deus tollit vires, exedit velut veſtem, in nihilum redigimur. Id non ex eius ſæuitia, ſed noſtra malitia, quibus optimum principem pœnas ſtatuere decuiſſet.

Increpat.

Tabeſc. fe

Aranea.

Exaudi orationem meam Domine,& deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas, ne ſileas. D

Quoniam aduena ſum ego apud te,& peregrinus, ſicut omnes patres mei.

Aduena & peregr.

HOc ordine legendum eſt, Exaudi orationem meam Domine, & clamorem meum auribus percipe : ad lacrymas meas ne obſurdeſcas. Sic quoque legit, & tranſtulit Hierony. Cùm ſint apud mortales omnia vaniſſima, cùm decreueris tu, vt propter peccata totidem ſuppliciis exagitentur,& velut à tinea veſtes, ab aſſiduis vexationibus conſumantur, atterantur, oro mihi parcas, lacrymas excipias, ne precibus aures obdas, neue meos fletus contemnas, expia ſcelera, præterita condona : æquo animo tuli vexationes, quas addidiſti, tempus eſt me abſoluas, ſat pęnarũ lui, ſana vulnera. Homo enim in terris eſt velut aduena celeriter ex hac vrbe recedens, pertranſiens, non perpetuus habitator, aliò tendens. Quotidie in itinere eſt, mutans omnia è tempore in tempus, ſe ſuamque formam. Atque hoc etiam ordine res ante nos ſemper cucurrrit. Eadem fuit maiorum noſtrorum conditio, ſimiles ſunt filij parentibus. Fuerunt omnes in hoc mundo velut aduenæ. Quocirca ſiquid ſupereſſe velis, expiatum me peccatorũ ſordibus, feliciori vitæ reſtitue. Orationem gratam, acceptam habe. Breue enim mihi tempus eſt, velut peregrini, velut tranſeuntis. Id genus interpretationes Hebræi Græciq; afferunt. Cernis vt lachrymas addiderit, flens multis cum lacrymis obſecrare cœpit. Dixit, Peregrinus ſum apud te, vt magis commoueat, miſeram hominum apud Deum conditionem oſtendens, Deus æternus, æternam habens ſuæ maieſtatis poſſeſſionem, verus perpetuusque, immutabilis, æternitatis poſſeſſor, in ſuis rebus non peregrinus & tranſiens, ſed perpetuus, idemque ſemper, E & ſui ſimilis ad omne æuum. Nos contrà mutabiles, inconſtantes, fluentes, velut vmbræ rerum in flumine rapido. Apud eum æternum, immutabilem, nos vti peregrini, inconſtantes.

Remitte mihi vt refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero.

Remitte. Vt refrige.

REmitte, refertur ab Hebræis ad cruciatus, anguſtias. Remitte, relaxa, molli, tempera: fac te mitiorem. Quod ſentiens item Hierony. edidit, Parce mihi. Refrigerer, vt eſt Gręcè, ἀναψύξω, Hebraicum אבליגה abliga, exponitur Hebræis אחזוה roborabor, confirmabor : vt corroborer, confirmer, vt ſanitas mihi reſtituatur. Hierony. neſcio cur dixerit Rideam. Hunc locum explicans Rabi Dauid, vt auditis Hebræis, veras ſententias horum carminum teneas, (plurimum enim verborum explicatione eis tribuendum eſt) Remitte, ait, tempera flagellum, vt confirmer, viresque recipiam, ne me poſt hac ſuppliciis exerceas, vt valeam imperijs tuis obſequi. Neque enim me clam eſt, vexationes de voluntate tua mihi accidiſſe : priuſquam abeam, & amplius non poſſim facere voluntatem tuam, quoniam vita futura, aut ſæculum futurum, non eſt ſæculum operandi, ſed ſæculum retributionis, præmiorum accipiendorum. Quamobrem manifeſtum eſt has preces habuiſſe ſacrum Poetam, aut pro morbis corporis, aut calamitatibus proficiſcentibus ab inimicis, orantem, vt ſit ei à tantis malis reſpiratio, cùm vita breuis ſit, cuius breuiſſima pars cum aliqua ſpiritus recreatione ſaltem traducatur. Cernis, vt Hebræi, ne videatur interitum totius hominis induxiſſe Vates, cùm ait, Et amplius non ero, expoſuerint, Et amplius non ero potens memet in tua philoſophia, teque colendo, qui finis eſt F viuentium, exercere, priuſquam abeam & amplius non ero facultatis eius, vt viuens, tuis præceptis piè ſummoque cultu paream. Hoc etſi mihi non diſplicet, verum eſt tamen in veteris philoſophiæ myſterijs neque de immortalitate animorum ſermones eſſe, neque de eorum interitu, ſed ad præſentem vitam cuncta referri. Quanquam in pſalmis, quorum ſanctior philoſophia eſt, de cœleſti vita quædam oracula contineri non diffiteor.

Et ampli⁹ non ero.

PSALMI XXXIX. EXPLANATIO.

In finem.

PRAEFIGITVR titulus non inſolens, In finem Pſalmus Dauid. Hieronymus, propius ad ſententiam Hebræorum, Pro victoria, pſalmus Dauid. Vt documenta viuendi philoſophi tradidiſſent, qua in re ſacri philoſophi tenent principem locum: ſic item documenta quædam ſupplicandi, atque orandi, quaſdamque preces, quibus mortales vterentur, eoſdem ſanctos Vates edidiſſe Hebræis teſtantibus aſſentior. Atque hanc vnam ex his odis eſſe, qua ſanctiſſimæ eædemque validæ preces, nec non gratiarum habendarum ratio, ob accepta beneficia contineantur, vt vbique ſacroſanctam hanc pſalmorum philoſophiam agnoſcas. Nec aſſentior his omnino, qui, cùm nihil eiuſmodi doceat argumenti inſcriptio ſolita præfigi, ad particulares materias hypotheſesque pſalmos applicant. Quod curant maxime nunc Nicolaus, nunc Burgenſis, nunc Græci, quorum diligentia tamen non eſt aſpernanda. Mihi res vniuerſales, res grauiſſimæ comprehendi pſalmis videntur, vt ſi quis de Deo, de ſcientia, prouidentia, de rebus hominum, de calamitatibus piorum philoſophari inſtituiſſet. Itemque de auxilio cęleſti, an vlla vis ſit, quæ nos gementes audiat, conſoletur, eripiat. An delictis iraſcatur, vexarique pios iniquè ferat, an qui patiantur iniurias, liberare decernat, qui inferunt

ferunt

A ferunt, finem iniuriarum facere ſupplicio cogat. Hæc & id genus, & alia pleraque ex intima philoſophia viſum mihi eſt pſalmis contineri.

Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas.

Et eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fœcis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.

Non eſt, ait, Deus vltra flammantia mœnia mundi, nihil, propter infinitatem locorum, exaudiens, nihil noſtrarum rerum cognoſcens. Nec item inexorabilis eſt, cùm mœſti, & ſupplices opem eius implorant, nobiſcum eſt, in mundo noſtro, in vrbibus, ſemitis, foris, domibus, penetralibus, in agris, terra marique omni, imò verò in pectoribus. Nos audit, ſi vel cogitando, nobiſcum tacitè gemendo, flendoque eum vocemus. Si iuſtum eſt, auxilium tibi mitti, mittit: ſi profuiſſet perdere ſubitò qui te vexant, perderet: ſed nec tibi profuerit, nec manſuetudini eius conſentaneum geſſerit. Eſt quædam ſecretior cauſa, cur non iniquus luat ſubitò pœnas. Ne referas id vel in inſcitiam Dei, qui ne ſciat quid fiat, aut ſciens contemnat. Quòd igitur nos Deus audiat, quòd gementes non ſpernat, quòd auxilium ſubmittat, oſtendit diuinus Vates. Expectans expectaui, eſt Hebraicè, Sperando ſperaui, quod idem eſt. Hæc repetitio in Hebraico ſermone, obſeruatur etiam à Græcis, vt Latinis B Viuere vitam, mortem obire, ingredi ad dicendum. Eſt vehementius quiddam, Intentiſſimè, ait, ſperaui, ſperans non ſum illuſus. intendit mihi, quod ſonat ex Hebraico, inclinauit ſeſe mihi, ad me deflexit: tametſi celſiſſimus & in vertice mundi, at in terras ad me deſcendit, exaudiuit preces, ſiue, vt eſt in origine, clamorem meum. Non leuiter vocaui, ſed vociferatus ſum, tametſi vocem non profuderim: contenta voce vocaui de lacu miſeriæ. His tralationibus ſæpius vtuntur, miſerias vocant inundationes, tempeſtates, turbines: vt, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi. Appellant gurgitem, ſuffocari ſe dicunt, cùm premuntur. Laccum dixit voce Græca, λάκκος, duplici kappa, puteus eſt, fouea, Hebraicè בור bor, puteus, vorago, gurges. Eduxit me de puteo miſeriæ. Pro miſeria eſt שאון shaon, ſonat fremitum, tumultum: ſonitum, fragorem, velut maris frementis, cùm littora planguntur. Indicat multitudinem aquæ ſonantis, aquæ multitudo, copia miſeriarum, vexationum. Eduxit me de puteo, de gurgite ſonanti, frementi, præ aquæ copia, è pelago frementi, ſonanti, cui ſubeſſet impenetrabilis vorago. Euoluere metaphoram Septuaginta noluerunt: ſonitus ille fremituſque aquarum, eſt copia miſeriarum. Hieronymus quoque dixit, De laccu ſonitus. Tum de luto fęcis. Clarius in Græco ἀπὸ πηλῦ ἰλύος, ex cœno, limoſo, ex cęno, limo. Hieronymus quoque clarius, De luto cęni: ex illa voragine non aquarum modò, ſed limi, qui ſubiacet aquis, quo ſæpius infixi exurgere non poſſumus. Non modò ſubmerſus in fluctus eram, ait, ſed etiam infixeram pedes in profundum limum, vt nulla ſpes eſſet ſurgendi. Statuit ſupra petram, ſuper littus ſolidum, in margine, in loco tuto, ſecuro, quo fluctus C illidunt, rumpuntur, vbi pedes tutò conſiſterent, non vt prius in limo abſorbenti. Direxit greſſus, ex Hebraico clarius כונן conen, ſtabilitauit, firmauit, non fuerunt amplius lapſabundi, inſtabiles, ſe cæno limoque induentes. Pulcherrima metaphora miſeriarum, & eius qui ex miſeriis eripitur: vt alio loco, Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.

Expect. expect.

Inten.

Preces.

Laccus.

Miſeria.

De lut. fœ.

Stat. ſup. petr.

Dir. greſſ. meos.

Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro.

Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Dominum.

Beatus vir cuius eſt nomen Domini, ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

Poſt beneficia, poſt admirabilem liberationem, ſecutum eſt carmen triumphale, gratiarum actio, Deus carminis autor, vt qui victoriam attulit, qui ex tantis incommodis eripuit. Carmen nouum, quod ſæpius in hoc ſacro poemate memoratur, eſt Hebræis autoribus, quod ſingulo die canitur, carmen aſſiduum, quod omnibus horis renouetur, referatur. Vox indefatigabilis ἀκάματος αὐδὴ, vox ferrea, nocte, dieque rediens, reparata, repetita, nunquã interquieſcens, quanta fuit liberatio, fuit aũt prodigioſa, tanta ſit gratiarum actio: nunquam memoria tanti beneficij ſopita quieſcat. Videbũt multi, præterita ſunt, viderunt, timuerunt, obſtupuerunt, conſpicati facinus opera Dei editum, arrectæq; horrore comæ, vt ſuper re inuſitata, prodigioſa, ſtupenda. Timuerunt Deum, dixerunt numen illud eſſe tremendum, non eſſe contemnẽdum, plenum virium magnarum, non dormitans ſuis aſſeruandis, cùm ſe excitauerit, terribile opus edere. Hoc facinus conſeruati, liberati hominis multis fuit conſpicuum, multi viderunt, & obſtupuerunt: & ex eo quod in vno factum viderunt, ipſi quoque confidere, & ſperare cœperunt. Si quem ſeruauit, nos quoque poſſe, & velle ſeruare. Si principem beneficio quempiam affeciſſe vidiſti, te quoque licet ſperare gratiam eius inire poſſe. Acceſſit ſpes, & fiducia mortalibus

Cãt. nouũ.

Vid. mult. & time.

Et ſpera. in domino.

Vt ſupra vir, cuius eſt no. do. ſpes e.

Nomen. Shem.

Vanitat. & inſan. falſ.

Mezẽtius, dexteram ſuã appellat Deum.

Reſpicere.

libus vno, aut altero liberato. Si quis æquè ſtuduerit, labore tantum, & precibus profecerit, vt liberari mereatur. Rectè igitur ſubiicit, beatos eſſe qui ſperent in eum, præſidium, decuſq; ſuum, qui ſpem omnem in eum collocent. Sciendum Hebraicè non eſſe, Cuius eſt nomen Domini ſpes eius, ſed, Beatus vir, qui שם ſam, poſuit, ſtatuit Dominum, ſpem ſuam. Hieronymus hoc ſciens reddidit, Beatus vir qui poſuit Dominum confidentiam ſuam. Fuit ex amphibologia varietas, eadem vox Hebręis שם ſonat nomen, & verbum poſuit. Notulæ ſubiectæ, quibus ſermonem Hebraicum olim caruiſſe palam eſt, ſignificata dirimunt. Nomen dicitur שם shem, poſuit שם ſam. Hoc in Hebraico eſt. Qualis igitur, ac quanta hæc philoſophia, quæ nos in his męroribus, quibus quotidie triſtamur, non modò adhortari non deſiſtat, vt in Deum, ſpem, fiduciamq́ue noſtram ponamus, ad eumq́ue recurramus, ſed beatos etiam prædicet, ſi id faciamus. Beatos proculdubio, quòd maxima bona, diuitias maiores, & inſigniores auro reperiemus. Salus enim in periculis, & animi alacritas omni auro præſtat. Non eſt qui poſſidet diuitias beatus, quas amittere poteſt, quibus aggregatis aggregantur curæ: ſed eſt quædam incognita nobis, tantum cogitatione quadam comprehenſibilis beatitudo, qua fruuntur rari, ſingulares quidam. Ad hanc, qui peruenerit beatus eſt. Vanitates, & inſanias falſas, partim idola, ſimulacraq; gentium, Deos commentitios, vanos, non ſubſiſtentes, nihil numinis, aut poteſtatis habentes, appellat, quæ ſæpe vanitas in ſacris litteris vocantur: partim amores inſanos rerum corporearum, quibus mortales detinentur, in quibus præſidium ſtatuant. Qui dicunt auro, Deus meus es tu, qui dexteram vt Mezentius, Deum ſuum appellant, qui totam in hominibus ſpem collocauerunt. Maledictus autem, ait alibi, qui confidit in homine. Et nolite confidere in principibus, in quibus non eſt ſalus. Et, Nolite ire poſt vana, quæ non proderunt vobis. Quòd is ſit verus ſenſus, licet interpretationibus Hebræorum agnoſcere. Nam quas Septuaginta dixerunt ματαιότητας, vanitates, & inſanias, Hebraicè ſunt רהבים שטי כזב rehabim ſate cazab, Superbias, (aut ſuperbos) declinantes ad mendacium. Hos exponit Rabi Dauid, viros arrogantes, ſuperbos, quos ſperet adiutores. Et qui declinant ad viam falſam. Denotat ergo viros principes ventoſos, & inania amantes. Beatus, qui in his ſpem ſuam non collocauit, ſed in Deo. Non ab his auxilium, ſed à ſummo Deo expectauit.

Multa feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.

Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.

Et cogitat. tuis.

Nõ eſt qui ſimil. ſit ti.

Annuntia. & lo. Mult. ſunt ſup. nume.

Mira Dei opera, erga nos, & in gratiã noſtri.

EST vnus verſus. Quod dixit, Et cogitationibus tuis, additur Hebraicè אלינו elenu, erga nos. Cogitationibus tuis pro nobis, vt tranſtulit Hieronymus. Ea quæ pro nobis cogitaſti, cogitationes, ipſa mirabilia, ipſa miracula, prodigia. Non enim Deus leuia, ſed ſtupenda facit. Non eſt finis. Idem ſenſus, licet aliis verbis אין ערוך en arok, non eſt ordo aut aſſimilatio, ſunt innumerabiles, incomparabiles, non eſt eis modus. Prætereunt conſuetos ordines, quæ ab hominibus fiunt, non aſpirant huc. Annuntiaui, & locutus ſum. Futura ſunt in origine, Annuntiabo, referre conabor, recenſebo, memorabo, at עצמו מספר aſemu meſapper, maiora ſunt numero, præſtant omni narratione, euincunt numerationem: propterea clarè Hieronymus, Si narrare voluero, & enumerare, plura ſunt, quàm vt numerari queant. Latinus ergo, Multiplicati ſunt, debuit per neutrum proferre, Multiplicata ſunt, ipſa nimirum mirabilia. Excedunt numerum, narrationem, modum, tua miracula, tuæ cogitationes, conſilia, prouidentiæ tuæ, quæ pro hominibus iniiſti. Stupenda ſunt, vt cęli, & terræ creatio, vt homini datum ſuper omnibus imperium, vt cùm per mare Rubrum medium diſciſſum Hebræos deduxit, cùm genus humanum ſuo ſanguine factus homo redemit. Id genus operatur quotidie: quibus conſideratis impletur ſtupore animus. Vox faucibus hæſit. Tantopere mirari poſſumus, quæ ſingulis diebus, piis præſtet, eos prodigioſis modis conſeruans, vt nullus ſit laudandi finis. Dat ori noſtro ingentes cauſas meditandi, perpetuum carmen modulandi. Beneficia eius, tantum abeſt, vt mortales ad omne tempus non experiantur, vt animos eorum copia, magnitudoq́ue gratiarum diuinarum cogitando fatiget, nequeat explere.

Sacrificium, & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi.

Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, Ecce venio.

In capite libri ſcriptum eſt de me.

Sacrific. & obla. nol.

DVo verſus ſunt. Iuſtè, & ordine congruo hæc ſubiicit, vel Hebræis docentibus. Non ea gratia Deus mortalibus eſt beneficus, mira prodigioſaq́ue eis operatur, quò reddatur ei ſimile quid. Non eſt beneficentia eius, pręmiorum expectatrix, noſtra ſacrificia, victimaſq́ue minimè moratur. Nam, vt alibi eſt, Non accipiam de domo tua vitulum, aut de gregibus hircos. Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues. Comprobat igitur diuinus Vates eo maiorem eſſe Dei, quàm omnium hominum, charitatem, quòd plerique mortalium beneficia dando, remunerationem expectant: at Deus ſola charitate, ſola bonitate, & benefaciendi cupiditate ductus, affatim largitur, copioſiſſimus rerum bonarum donator.

Quod

A Quod dixit, σῶμα δὲ κατυρτίσω μοι, Corpus autem perfeciſti mihi, in fontibus Hebraicis, quod etiam nouit, & poſuit Hierony. eſt ſecus, אזנים כרית לי oſnaim caritha li, Aures fodiſti mihi. Eſt iuxta Hebræos, ex aliis locis comprobantibus, verus ſenſus. Non accipis, aiunt, grataque habes ſacrificia, victimas: non iſta requiris à nobis, ſed vis nos tuis parere mandatis. Samuel dixit, Melius eſt obedire, quàm ſacrificare. Vis nos tuis legibus obſequentes eſſe. Nos optas implere quæ iuſſiſti, victimas minimè moraris. Aures mihi fodiſti, aperuiſti, ad præcepta tua mihi aures aperuiſti. Aures meas apertas ad tua mãdata voluiſti. Hoc exponit Rabi Abraham, & Dauid. Hieronymus quoque tranſtulit, Aures fodiſti mihi. Chaldæus item iuxta ſenſus Hebræorum, & iuxta lectionẽ Hebraicã edidit אודנים לאצתה פודקנך כריתה לי vdnim laazeta pudcanach caritha li, Aures ad audienda præcepta tua fodiſti, ſeu formaſti mihi. Cùm ita ſit, inquit memet offero, exhibeo tibi, parere paratus. Imperata facere non recuſo. Is verius ſenſus. Secum, ait Auen Eſra, loquitur Dauid, Tunc mecum dixi, cogitaui, vt venirem, memet ipſe offerrem. Quod ait, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, In capite libri ſcriptum eſt de me: in fonte במגלת bemiglath, in volumine, Hebræi exponunt rectè quidem mea ſententia, In volumine legis. Ibi, ait, ſcripta ſunt præcepta tua quibus nos parere iuſſiſti, Ibi de me ſcriptum eſt, de me, & his qui legis parere præceptis iubentur, de vnoquoq; homine ſcriptum eſt, iubetur vnuſquiſq; in eo volumine obtemperare præceptis Dei. De nobis ibi ſcriptum eſt, & pronuntiatum, quid agendum nobis ſit, qua via cuique incedendum. Græci iuxta locum ab Apoſtolo ad Hebræos prolatum, de filio interpretantur, qui verum ſeſe pro nobis ſacrificium obtulerit, quandoquidem legalia illa amplius accepta non eſſent.

Cor. perf. mi.

Tũc di. ec. ve.

In cap. lib.

Scri. eſt de me.

Vt facerem voluntatem: Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna, ecce, labia mea non prohibebo,
B Domine tu ſciſti.

VOlui facere voluntatem tuam, id verum, acceptumque ſacrificium. Obedientiam, ait alibi, volo, non ſacrificium. Legem tuam in medio cordis, per nominatiuum efferendum. Lex tua in medio cordis. In viſceribus מְעַי meai, In medio ventris mei, dixit Hieronymus, In pectore lex tua eſt. Huc omnes meas curas conſtitui. Nec ſolum, inquit, ipſe promptus ſum tuis parere mandatis, eaque in intimo pectore defixi, ſed etiam alios adhortari non deſiſto. Annuntio, prædico, vniuerſa concione præſente, voceſque meas audiente. Non abſtinui linguam ab hac prædicatione. Perpetuus ſum in hac proclamatione. Obteſtor, obſecroque omnes tuis legibus, inſtitutiſque obſequantur, quibus parere ſit beatè viuere. His pietatem, ardoremque religionis quo conflagraret, oſtendit. Adeo non erat diuinæ religionis neglector, vt fuerit eius obſeruantiſſimus, ei deditiſſimus: tum omni contentione inſiſteret, vt id omnibus ingereret, omnibus hunc amorem ingeneraret.

Vt fa. vol. tu. volui. & leg. tu. in me cor. mei.

An. iuſt. t. in ec. ma.

Lab. m. nõ prohi.

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.

ESt vnicus verſus: eadem repetit. Prędico, ait, iuſtitiam, fidemque tuam, nempe veritatem, conſtantiam, promiſſorum fidem. Has virtutes tuas, quas ego perceptas, exploratasque complector mente, defixas in pectore, non contineo apud me, atque occulto, ſub ſilentio
C premo, ſed quanta maxime poſſum contentione vociferor, effero. Tres virtutes prædico in te ſingulares, easq; intra pectus meum latere non patior, fidẽ, iuſtitiam, veritatẽ. Pro quo Hebraicè, vt dixi, אמונה emuna, fides, quod Hie. quoq; tranſtulit. Fidem ſentit veritatem, fidelitatem. Fideles dicuntur, quibus fidere poſſumus, quorum dictis, & factis ſtare poſſumus. Sunt ſtabiles, conſtantes, veridici: vera loquuntur, vera faciunt, non ſunt fallaces, fraudulenti, inconſtantes, non perſeuerantes. Hæc virtus à Prophetis in Deo prædicatur. Prædicant eum conſtantem, quæ promittit adimplentem, non illudentem, & fallentem, non proditorem, deſertoremq; eorum, qui ei nituntur. Altera virtus, Salutare tuum, Hebraicè ſalutem tuam, quam ſcilicet hominibus fidem eius implorantibus affert: ex fide ſalus, cui fides, & veritas ineſt: ineſt quia ſeruat, non deſerit neceſſario tempore fidentes, qui in fidem, & poteſtatem eius ſe crediderunt. Repetit ſimilia, adnumeratque quartam virtutem, miſericordiam, clementiam, manſuetudinem, qui peccantibus iniuriamque ei inferentibus ignoſcat, miſereatur peccantium. Vide qualis, quantuſque princeps à Prophetis Deus inducatur. Prædicant eum iuſtum, quod ſpectat ad indignationem contra iuſtitiam profanantes, iniurias inferentes, quod ei ſummè diſplicet. Prædicant fidelem, non proditorem, alia promittentem, alia facientem, ancipitis animi, ambiguæ mentis, nunc bona promittentem, pòſt ſententiam mutantem. Prædicant ſuos ſeruantem, tum miſericordem, manſuetum, clementemque in ſupplices, iuſtum, fidelem, conſeruatorem, veracem, veridicum, verum, non ſimulatum, fictumque. Dixit duobus nominibus eandem rem, fidem, veritatem. Fidem tuam, veritatem tuam. Hæc ait, frequenti concione de te prædico.

Iuſtitiã.

Non abſc.

Veritas.

Fideles.

Salutare.

Miſecordia.

Iuſtitia.

Fides.

Saluator.

Miſericors.

Tu autem Domine, ne longe facias miſerationes tuas à me, miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me. D

Quoniam circundederunt me mala, quorũ non eſt numerus: cõprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

QVod cum ita ſit, inquit, fas eſt quoque me abs te defendi, adiuuari. Adiuuabis enim colentiſſimum tui ſeruum, qui te ſumma pietate veneratur, qui tuas virtutes ore grandiloquo perſonat, qui te laudare, deque virtutibus tuis multa prædicare nunquam quieſcit. Fac igitur ſim particeps tuæ huius beneficentiæ, & clementiæ, quam in te ſingularem eſſe prædico. Fas omne eſt te mihi plurimum indulgere, fas omne tuis me fidere regnis. Ne ſit igitur à me
Semper ſuſcep. m. procul tua manſuetudo, ne prohibeas à me clementiæ tuæ dulcedinem. Veritas illa tua, quæ ſolet ſuis ſeruandis perſpicua fieri, eos non deſerens, ſed celeriter præcurrens, ſi quis eos caſus circunſteterit, tuaq; clementia iugiter me ſeruent. Sic enim eſt Hebraicè per futurum clarius יצרוני tamid izruni, iugiter cuſtodient me. Pro Græco ἀντελάβοντό μου, Suſceperunt me. Hieronymus item, Iugiter ſeruabunt me. Fac vt ſit mihi perpetua cuſtodia Clementiæ, beneficentiæque tuæ, vt tua fides, veritas, nempe fidelitas, conſtantia mihi nunquam non adſint hoc maxime tempore, quo me mala omnia circunſteterunt: hæc mala, ſunt peccata, delicta, à quibus exiſtunt ſupplicia,
Mala. iniquit. calamitates, detrimenta. Sunt hęc innumerabilia, tantopere ab his premor, tanta eorum copia circunſtat, vt his obrutus videre ac reſpirare non poſſim. His adeo oppletus & circundatus ſum, vt
Non pot. vt vid. proſpectus impediatur. Ingens multitudo calamitatum funditus oppreſſit, demerſit, caput totumque corpus obſederunt. Videre item non poſſum, nigreſcunt omnia circum, caligant oculi, E
Multip. ſ. ſup. cap. ca. m. & cor me. der. m. triſtitia pauorq; & plurima mortis imago, oculis lucem abſtulerunt. Eſt enim earum tantus numerus, vt ne capilli quidẽ capitis tot ſint. Defecit cor, ſoluitur metu pectus. Dereliquit me cor, virtus quæ in corde eſt, palpitat, trepidat, pauore defluxit, diſceſſit, reliquit. Vires me deficiunt, genua labant, ſoluuntur frigore membra, oſſa pauor inſinuat. Rigor ex pauore, cordis vim extinxit. Ea eſt cordis trepidatio, vt me non ſuſtineat. Debilitatio enim cordis, totum corpus debilitat. Is ſenſus duorum verſuum.

Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice.

Confundantur & reuereantur ſimul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam: auertantur retrorſum, & confundantur, qui volunt mihi mala.

Cõplaceat reſpice. Confund. & reuer. QVam vehemens oratio, quàm intimis ab affectibus deprompta. Quod dixit, εὐδόκησον, complaceat, bona propitia voluntas tua mihi ſit, Hebraicè ſimile רצה reze, velis volens eſto. Et quod dixerunt Septuag. πρόσχες, attende, ſiue reſpice ad me liberandum, fons חושה chusha, feſtina, accelera. Confundantur & reuereantur, quod Græcè καταισχυνθείησαν, καὶ ἐντραπείησαν, pudefiant, & erubeſcant, illudantur, accipiant aliquod dedecus, aliquam infamiam, & calamitatem: eorum arrogantia deiiciatur, ſimul: vna omnes, omne illud agmen improborum, vna eademque ignominia deformet, dehoneſtet: conuertatur arrogantia in pauo-
Quær. animam meã. Auert. retror. rem, ridiculamque ſolicitudinem. Quęrunt animam, de ſalute mea iniere conſilium, vitę inſidiantur, ſitiunt ſanguinem, necem meam appetunt, tollere de medio conantur. Auertantur retrorſum: vt impetu vaſto contra me ruunt, ſic retro terga vertant, inſequente Deo fugiant, omnem F in celeritate pedum ſalutem ponentes, fugam capiant, nec prius fugere deſinant, quàm virium laſſitudine defeſſi, à noſtris inſequentibus concidantur: ſit totius exercitus turpiſſima fuga. Videamus noſtris oculis turpitudinem fugæ. Confundantur, ipſam ſcilicet fugiendi turpitudinem
Confund. deſignat. Propterea eſt carmen triumphale, precatur victoriam, vaticinatur futuram.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi Euge, euge.

Exultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te Domine, & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Fer. confu. ITerat eaſdem preces pro victoria: Græcum, κομισάσθωσαν, Ferant ignominiam, Hebraicum ישמו על-עקב בשתם Iaſomu alekeb, baſtham, Perdantur, pro fine vel cauſa dedecoris eorum. Pereant, ait: hæc ſit eorum merces pro dedecore quod mihi attuliſſent. Hieron. id cernens dixit, Pereant poſt confuſionem ſuam. Senſus verus, vt dixi, Hebræis, perditio ſit præmium irriſionis eorum, qua me irridebant. Qui me irriderent, dedecus mihi quærerent, pereant, ruant, qui irriſio-
Euge, euge. nibus in me triumpharent, cuiuſmodi ſuperbi arrogantesq; contra debiliores vtuntur. Euge, euge, heach heach, Hebraicum. Solent arrogantes ridere miſeriores, inſultare his quos ſe vincere putant, lacerare conuitiis.

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta

Dindyma.] Finis huius irriſionis ſit, vt illi fugam omnibus locis faciant, noſtri clamoribus inſequentes eos deleant, concidant, poſt triumphantes, exultanteſque reuertantur. Sint chori, cantus, A tus, carmina triumphalia, cuncta plauſu reſonent, ſuper te, qui vincere feciſti, victoriam nobis conceſſiſti: tibi hæc carmina, hęc gaudia veniant. Ad te tota res reuocetur, te noſtra carmina celebrent. Quærentes te, tibi operam dantes, religioni tuæ ſtudentes, te colentes, te nominantes. Des tu cauſam his vt te extollant, magnitudinem opinionemque magnam virtutis tuæ celebrent, dicant, Magnus Deus, mirarum rerum, ingentium operum artifex, magnificetur. Qui diligunt ſalutare tuum, ſalutem tuam, aut ſeruatorem IESVM, quem dabis terris aliquando, aut ſalutem tuam, victoriam diligunt, celebrant, efferunt, habent in viſceribus, hæret memoriæ citra vllam obliuionem, cupiunt à te ſeruari, non à Diis externis. A te ſalutem expetunt, hac fidunt.

Exult. & lęt. ſu. te.
Sufficit ille aīos, vireſque miniſtrat.
Dic. ſemp. ma. do.
Qui dilig. ſal. tu.

Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei,
adiutor meus & protector meus es tu Deus meus, ne tardaueris.

Mendicus Græcum πτωχὸς, pauper, inops, quem deſeruere omnes, quem deficiunt omnia. Hebraicum עני ani, afflictus, triſtis ob inopiam, vexatus, deiectus, humilis. Solicitus eſt mei, pulchrè quidem Latinus, Græcè ad Hebraicum φροντιεῖ μου curabit me, conſiderabit de me, proſpiciet mihi. Hebraicum יחשב לי iachashobli, cogitabit mihi, ſuſcipiet cogitationem pro me. Tu enim ſolus adiutor, ſiue liberator, vt Hebraicè eſt: tu ſalus. Nulla ſit mora in me adiuuando, omnis ſalus in celeritate. Celeriter occurras, nulla dubitatione interpoſita. Properè venias neceſſario tempore, tam propinquis hoſtibus, ne deſeras. Cernis quibus precibus vtendū ſit ijs qui ſeruari à Deo cupiunt, qua cōtentione animi, quibus clamoribus, qua ſolertia, diligentia, quo conatu Prophetę inſtarent, collacrymantes, hyperbolis vtentes omnes modos, figuraſq; precādi, & quo ſibi Deum amicū redderent, omnes affectus adhibentes.

Pauper.
Solicitus eſt mei.
Adiutor & prot.
Ne tardauer.

PSALMI XL. EXPLANATIO.

In finem Pſalmus Dauid.

CONSVETA inſcriptio, Lamnazeach, pro victoria ex hoſtibus referenda. Aut pſalmus editus à Dauid, cantatus ab eo qui erat Mnazeach, cantor victoriarum, triumphator. Aut ad laudandum, triumphandum, vt Chaldæus. Hunc quoque pſalmum, pro ægritudine maliſque auertendis velut ſuperiorem editum Hebræi contendunt. Græci cum Latinis ad Meſſiam myſticis modis, qui teſtimonium ex eo de coniuratione, belloque domeſtico Iudæ contra ſe protulerit, referunt, velut pauperem, egenum, deſtitutum. Poſſit eſſe philoſophia vniuerſalis de charitate, commiſeratione, iuſtiſſimè facere docens homines, quoties miſerorum miſerentur. Documenta quoque, philoſophiæque pars eſt de precibus, de ſupplicationibus, in calamitate magis à Deo, quàm hominibus auxilium expectandum: de inſidiis, maleficiis, quæ prohiberi à nobis, auxiliis diuinis poſſint. Vtiliſſimum eſſe rebus aduerſis orare, non ſeſe deſerere, à Deo auxilium petendum. Hanc tunc virtutem eſſe noſtram, quæ nobis opem ferat, à qua ſalutem ſperemus. Laudat miſerentes, charitatis ſtudioſos, manſuetos, beneficos, quibus animus benignus eſt: his omnia bona precatur. Effert miris laudibus humanitatem, charitatem, quas ſolas Chriſtus laudauit. Deteſtatur maleficos, inſidioſos, humani generis peſtes. Oſtendit homines exaudiri deprecantes, orationem habentes, orare obſecrareque eos oportere: non enim nihil agere, qui precantur, magnum emolumentum ſibi parere, atroces moleſtias à ſe depellere. Simul his actionibus animum impleri ſapientia & pietate.

In finē Lānazeach.
Mnazeach.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala
liberabit eum Dominus.
Dominus conſeruet eum & viuificet eum, & beatum faciat eum
in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Lact. 260.

Qui intelligit, exponunt, Qui curat, prouidet, reſpicit, qui conuertit cogitationes ſuper egenum. Propter hanc cauſam Hierony. tranſtulit, Beatus qui cogitat de paupere. Pauperem ſiue egenum Hebræi conſentientes interpretantur ægrotum, infirmum. Auen Eſra vocem Hebraicam דל dal, quæ hoc loco eſt, aſſerit diuitiarum eſſe & corporis, nimirum egenum non tam qui diuitiis caret, quàm qui incolumitate & bona valetudine corporis. Beatus qui viſitat infirmum. Nam & Chriſtus in die iudicii in regna ſua vocabit qui infirmos viſitaſſent. Infirmus fui, & viſi- ſtis me. Chaldæus quidem ſimpliciter, Beatus qui miſeretur inopis, mes Kini. Quam vocem Ita cus ſermo vſurpauit ex Hebraico. Vna eademque charitas eſt, ſiue inopem miſeraris, ſiue lan- uentem, ægrotantem. Hunc appellat beatum, propterea quòd eandem beneficentiam inue- et à Deo, cui gratiſſima humanitas eſt. Diem malam, diem grauiſſimum, diem calamitoſum, um nos premunt anguſtiæ, in tempore, rebuſque iniquis. Item diem malam diem Gehennæ uidam Hebræi interpretantur, quo tempore in tartarum ſontes rapi præcipientur: tunc prode- t miſericordem erga pauperes & languentes fuiſſe, quod ipſe Ieſus Chriſtus, Iudex harum

Intellig.
Ege. & pau.
Beatus.
Dies mala.

Conſer.viuifi.
In terra.

rerum oſtendit. Conſeruet & viuificet, etiam futuro proferenda ſunt, Liberabit, conſeruabit, viuificabit. Seruabit, ait, vitam dabit, ſalutem afferet, referet in numerum viuentium, in terram viuentium conſtituet. Liberabit eum, aiunt Hebræi, proprijs manibus, non ope humana, ipſemet veniens, eripiensq;. Nec non ex aduerſa valetudine eum liberabit, reddens ei ſimilem charitatem, eumque viſitatione ſua ſanitati reſtituens. Beatum faciet, quòd plurimos annos addet, vitæ metas longius proferet, ſupra cęteros illius ſæculi homines ſpatium vitæ amplius ducet. Inimici eius, qui ei mortem optaſſent, fruſtrabuntur votis. Terram quoque cæleſtem ſenties, in qua beati fient miſericordes. Beati miſericordes, ait ſummus ille iudex, quoniam miſericordiam conſequentur. Huc tota beatitudo ſpectat eorum, quibus animus fuit miſericors. Animam inimicorum, rectè interpretantur, deſiderium, auiditatem. Non tradet eum votis deſideriiſque inimicorum: non ſinet eum his cladibus inuolui, quas inimici impensè cuperent. D

Beatũ faci. in ter.
Non tra. in ani. ini. c.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

Opem fe.

CONfirmat antedicta. Beatus eſt, qui miſeretur, viſitat morbis detentos, quibus omnia membrorum officia propter aduerſam valetudinem ſunt impedita, męſtiſſimi ſtratis decumbunt. Si quis adueniat, ſermone recreet, aut aliquid opis officiique præſtet, quo męſti animum confirmet, paulum reſpiret: beatus is, propterea quòd Deus ei feret opem, cùm & ipſi morbus, vt fert humana conditio, inciderit. Opem ferat, βοηθήσει, auxiliabitur, per futurum, vt Græci monent, Aquilam, & Theodotionem vertiſſe Hebraicum יסעדנו iſadenu, Confirmabit, ſuſtentabit. Vnde Hierony. tranſtulit, Confortabit. Bis dicit Deum viſitaturum venturumque ad lectum ęgrotantis. Vniuerſum ſtratum eius verſaſti, totum cubile lectumque obambulaſti, (eſt, vt poeticis mos eſt, ad Deum apoſtrophe) in omnes partes lecti te conuertiſti, E quo ſeſe propter inquietudinem verteret ægrotus, huc atque illuc cum eo te voluens fuiſti. Deſignat amantiſſimam viſitationem: incredibilis amoris aſſiſtentiam, perſeuerantiam circa ægrotantem, & inquietè ſeſe in omnes partes mouentem. Quoquò ſe vertat, Deum quoq; adeſſe, obambulare lectum. Eſt item ſenſus Hebræis & Græcis, Verſaſti lectum, ab ægritudine ad ſanitatem totum reuocaſti. Totum illud ſtrati incommodum vertiſti, aliud eſſe feciſti. Omnis illa lecti triſtitia verſa eſt in gaudium, incolumitatem. In omnes poterit ægrotans te vertente ſe voluere, non vt quondam immobilis membris omnibus impeditis. Verſaſti, igitur, eſt, inualidi ſtatum vertiſti, commutaſti, ſurgere de lecto dediſti: aut totum lectum obambulaſti, vt hi qui ægrotantibus aſſiſtunt, omnia charitatis munera obeuntes: quales parentes erga filios, aut ſoror in fratrem, talem inquit, te ægroto præbuiſti.

Vniuerſ. ſtra. e. ver.

Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.
Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen eius?

NVnc perſona eſt ęgrotantis, vt Hebræi monent, auxiliumque Dei implorantis, cui propter delicta, quemadmodum in ſuperiori Pſalmo dicebatur, ægritudinis incommoda inciderint: decretum eſſe Dei vt his malis noſtra delicta purgentur, ab eo qui poſſit depellere, cuius conſilio morbi in nos impetum faciant, opem petendam, quam tum benefactis, & charitate impetrari poſſe demonſtrat, tum verò precibus atque oratione, ſcilicet orandum eſſe, vt medicus nobis cęleſtis adſit, qui morbis medeatur, ſceleribus ſua manſuetudine condonatis, tum dandam operam nobis, vt commiſeratione, & charitate Deum propitium habeamus. Sana animam meam, vitam, memet, redde vitæ meæ ſanitatem. Quia peccaui tibi, peto, ait, veniam delictorum, ignoſcas, poſtulo medicinam, peccata mihi morbos induxerunt, crimen agnoſco: ignoſce peccanti: oblitteratis & deletis criminibus, redde ſanitatem. Inſtant inimici, qui me videre iacentem, atque ęthere caſſum cupiant, nomen meum extinctum optent. Grauius eſt ſupplicium, adeſſe quibus mors mea ſit optatiſſima, quibus meus interitus futurus ſit gaudio. Hoc magnum incommodum eſt ęgrotantibus, quibus nihil moleſtum offerri oporteret, quo lenius dolorem morbi ferrent. Satis mali eſt quod ægrotent, ſi moleſtia ex inimicis acceſſerit, longè grauius eſt malum. Ne quæſo hac lętitia fruantur, hunc fructum ex interitu meo non percipiant.

Sana ani. q. pec. tib.
Inimi. me. &c.

Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum.

GRauius ſcelus, proditio, crudelitas. Ex ſermone Hebraico, quem etiam diuus Hieronymus expreſſit, apparet is ſenſus. Si veniret ad videndum, viſitandumque me, vt fit, vana loquebatur cor eius. Vana, vt Hebraicè eſt, שוא shaue, falſum, mendacium, vanum. Cor eius falſa loquebatur, aliud pectore. Sciebam malum animum, malam mentem ineſſe homini, obtendenti amicitiam, charitatemque: cor autem eſſe fraudulentum, exulceratum. Loquebatur falſa cor eius, amicitiam pretendens, charitatem, beneuolentiam. Loquebatur, ſimulabat, fingebat falſa, quę non erant. Vide genus improbitatis, viſitabat, vt amicus, ſed cor eius cogitabat

A tabat falſa, edebat ſermonem amicum, ſed falſo. Hoſtis enim erat, exploraturus venerat num celeriter me morbus perderet, incommoda cogniturus venerat, obtendens viſitandi meque confirmandi charitatem. Oſtendit igitur eum plenum falſarum cogitationum, fingentem vultus hilares, commiſerationem, intus autem cupidum mortis eius quem inuiſeret, eaque de cauſa veniſſe. Congregauit iniquitatem, plenum erat cor iniquitatis, erat in pectore ſcelerum moles, plena perfidiæ mens. Nam præferebat edebatq; iniquitatem, malignitatem penes ſe aggregabat. Et cum foras egrederetur, loquebatur cum aliis inimicis meis, meque odio habentibus, cum his de ſtatu meo loquebatur, dicebat morbum eſſe grauem, pernicioſum, ne dubitarent, læto animo eſſent: interitum, diemq; fatalem inſtare mihi, fieri non poſſe vt conualeſcerem. In idipſum ἐπὶ τὸ αὐτὸ, clarius eſſet & ad Hebraicum יחד iachad, ſimul. Neque eſt de præſenti verſu, ſed ſequenti. Hæ declarationes conſentiunt cum Hebræorum Græcorumque explanationibus.

Coreius cõ grc. iniq. ſ. Egred. for. & loq. in idi.

In idipſum aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei aduerſum me, cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me, Nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat?

IN idipſum, ſimul, inter ſe ſuſurrabant. En proditio, falſitas, perfidia, quam ſuperius deplorabat, Cum cæteris inimicis ſuſurrabat. Malè habet, non eſt morbus is medicabilis, celeriter ſpiritum efflabit. Erat eorum cogitatio, locutio tota de meo interitu, indignabantur contra morbum, qui non celeriter perderet. Hoc ſperantes gaudebant, erat eis ſummæ voluptati grauis ille morbus. Verbum iniquum, verbum בליעל belial, rectè Hieronymus tranſtulit vt alibi, Verbum diaboli. B Eſt enim Belial, iniquum, inutile, eſt πονηρὸν, malum, malignum, nomen dæmonibus congruum. Conſtituerunt, clarius & melius in Hebraico, יצוק iazuc, fundebant, vt edidit Hieronymus. Infundebant, inſtillabant inuicem ſibi verba, ſuſurroſque iniquos: alter in alterius aurem tacitis, iniquiſque verbis inſuſurrabat. Verbum, vel ſermo erat, Nunquid reſurget? ſoliciti ſciſcitabantur inter ſe, an cõualeſcet, an ſurget qui dormit? Melius pro dormit Hebraicum שכב shachab, qui iacet, qui decumbit. Nunquid is è lectulo ſurget, nunc decumbens, morbo membris inſidente? Nunquid iſte iacens, decumbens, proſtratus in lecto, ſurget? Hoc inter ſe ſuſurrabant, requirebant auidi mortis eius, vt ſunt qui dignitatibus, officiis, bonis aliorum inſidiantur, auidè mortem eorum expectantes, exploratores ad lectum ægroti mittentes, qui nuntient quid agat: ſi melius habeat, dolentes: ſi grauius, gaudentes, iam animis in eorum bona ingredientes. Genus peſſimæ carnificinæ, quam ſancti Vates omnibus modis deteſtantur, in ea carmina fundentes. Super quo peſſimo ſceleſtiſſimoque ritu ſæpius Romæ ſum illacrymatus, qui potiſſimum illic viget. Dicendumque iuxta Hebraicum, vt ſit oratio clara, Verbum iniquum infundet ei vel in eo: Qui iacet, non addet vt reſurgat. Modus loquendi Hebraicus. Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.

Verb. iniq. Conſtitue. Nunq. qui dor. &c. Roma.

Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis.

In hoc cognoui quoniam voluiſti me, quoniam non gaudebit iniquus meus ſuper me.

C DEclarat, vt conſueuit, apertius, inſidias domeſticas, quæ ſunt grauiora bella, inteſtina. Homo pacis, homo ſimulans mihi pacem, amicitiam, cui plurimum fiderem, qui domi mecum eadem menſa paſceretur, aſſiduus, vt aiunt, commenſalis. Magnificauit, magnam, inauditam fraudem mihi commentus eſt: grandem, prodigioſam mihi conflauit perniciem. omnia in contrarium, omnia portentoſa, cuius ego vitæ autor eram, quem domi paſcerem. cibum ei ſuppeterem, me per fraudem, per ſcelus agere conatur præcipitem. Idem ſenſus eſt, quod Hieronymus tranſtulit: Leuauit contra me plantam, more inſidiantium, & planta implicata cruribus deiicientium, quod fraudis eſt. Leuauit plantam, ſiue calcaneum, ſupplantauit, vel ſternere, & ſupplantare conatus eſt. Rabi quoque Salomon hanc vocem inſidias interpretatur. His malis circunuentus auxilium petit, Reſuſcita me, ex ſtrato quo nunc decumbo, ex morbo da conualeſcam, ſuſcita me ex hoc lecto, priſtinam reſtitue ſanitatem, aduerſus id, quod optantes dicebant, Non reſurget: ſit ſpes eorum falſa, decipiantur. Retribuam eis, aut oſtendam eos erraſſe, ſceleris eos coarguam. Aut ſi qua calamitas eos apprehenderit, non ero vt quondam eis miſericors, vel quod magis probabile, & vt pij ſolent, retribuam bonum pro malo, non par pari referam, ſed mea charitate ac beneficentia, erraſſe eos conuincam, faciam vt eos improbitatis pudeat. Hos ſenſus Hebræis adhibentibus vehementer aſſentior. Proponit deinceps, vt ſoliti ſunt Vates, quaſi vaticinium, Deum velle facere quæ poſtulaſſet, hoſtibus diutinam lætitiam non relinquendam: non commiſſurum Deum, vt inimici conſequantur, quam peterent voluptatem, vacuos eorum animos futuros, illuſos, expectatione fruſtratos, magno cum dolore diſceſſuros: maior ignominia, quàm exoptata voluptas.

Ho. pacis. Magnific. ſup. m. ſup. Reſuſc. m. Retrib. e. In hoc co. &c.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, à ſæculo vſque in ſæculum. fiat, fiat.

VAticinium eſt omnibus pene carminibus conſuetum: poſt commemoratas calamitates, quas aut humanæ conditionis affert fragilitas, & corporis imbecillitas, aut quod ſæpius ſolent, calamitates ab inimicis, orantes ſuper inſidiis, fraudibus, maleficiis, proditionibus, calumniis, fictis amicitijs: oſtendenteſque Deum propitium eſſe & clementem, nec mortaliũ preces contemnentem, dum palam fatentur ſe exauditos, aſſecutoſque quod poſtulaſſent. Idque tum ob clementiam manſuetudinemque Dei, tum ob ſua benefacta, quibus quidem minimè fiderent, ſed Deum propitium ob hæc ſperarent, cui grata ſit iuſtitia, integritas. Propter innocentiam, Hebraicè perfectionem, ſiue integritatem, vel ſimplicitatem, quod Hieronymus edidit, Quòd mihi cor eſſet caſtum, non infectum, tabidum, exulceratum, quòd animus integer, mens æqua, quibus rebus maximè oblectaris, me ſuſcepiſti, ſiue vt Hebraicè, & Græcè, ἀντιλάβου, auxiliatus es, manu prope cepiſti, tenuiſti, dexteram porrexiſti. Hebraicum תמכפת thamachtha, propterea Hieronymus perſpicuitatis ſtudioſus, euoluens ſcirpos Hebraicos, Ego autem in ſimplicitate mea adiutus ſum à te. Qua ratione ſit adiutus, quàm fuerit præclarum beneficium, quod ſe precibus & Dei clementia aſſecutum gloriatur, oſtendit. Confirmaſti me in conſpectu, clarius ex fonte ותציבני vathazibeni, ſtatuiſti, ſtare feciſti, aſſiſtere dediſti me. Indicat redditam valetudinem, reparata incolumitate me tuo templo, tuo conſpectui reddidiſti: feciſti vt ſanatus adirem templum, ante oculos tuos, ante arcam gratias immortales haberem. Manum mihi porrexiſti, è lecto dextera tua ſubleuaſti, extra limina duxiſti, ad templum quò cœtus omnis confluit, adduxiſti, in conſpectum tuum venire dediſti. Idque in ſempiternum, poſthac in omne tempus, perpetuæ ſanitati reddidiſti: non breue ad tempus, ſed in totum vitæ ſpatium, perennem ſalutem reparaſti. Propterea benedictus ſis. Sunt, inquiunt Hebræi, verba hæc ipſius canentis, qui librum ſuum finiat, cum gratiarum actione, vt omnes conſueuerunt ſcriptores ſacri, velut in quinto Pſalmorum libro, in calce fere vbique eſt haleluia. Nam huc vſque primus liber Pſalmorum progreditur iuxta diuiſionem Hebræorum. A ſæculo vſque in ſæculum, ab æuo ad æuum, à prima æternitate ad alteram, omnibus temporibus, omnibus ſæculis, nullo non ſæculo, & ætate ſit benedictus, magnus, laudatus. Amen, amen, confirmatio, ſtabilitas. Nam Emuna, eſt fides, conſtantia, ſtabilitas. Amen aduerbium ſtabilitatis, confirmationis. Confirmat benedictionem. Laudamus, gratias agimus quòd labori noſtro ſic fauerit, propitiuſque fuerit, vt ad calcem procedere dederit. Sic ego gratias immortales habeo, quòd vires conſtantiamque addiderit, vt totum hunc primi interpretandi Pſalmorum libri laborem æquo animo perferrem, non laſſitudine aut tædio deficerem, aut aliquis caſus obiectus incœptum laborem in medio curſu interpellaret. Romæ opus hoc abſolutum eſt, Paulo Tertio Sacrorum principatum obtinente: tempus magis triſte, quàm lætum. Deus benedictus quem cecinere Prophetæ, ſcintillam lucis ſuæ pectoribus immittat, iucundiora nobis tempora concedat. Annus erat M. D. XXXXIII.

Propt. innoc.

Suſcep. m.

Cõfirmaſt. m. in cõſp.

Nondum enim extabat tẽplũ.

In æther.

Benedict.

A ſæculo. &c.

Amen Amen. Ab emuna.

PRIMI LIBRI PSALMORVM FINIS.

PSALMI XLIIII. EXPLANATIO.

IN hunc Pſalmum mirabili concordia conueniunt Hebręi, Græci, ac Latini eſſe oraculum de Rege Meſſia venturo ad homines. Siquidem primum Ionatas Chaldæus, qui ex litterato ſermone Hebręorum, ſuaque ipſorum priſca lingua, in vulgarem, quam ex captiuitate Babylonica, plebs hauſiſſet, vertit libros ſacros, ſacros, ſacramenta, quæ ſub Pſalmorum oraculis latitarent, quæque apud eruditiores eorum conſtanter eo tempore de Meſſia vaticinari crederent, conatus eſt exprimere, multis in locis in tralatione huius Pſalmi, Meſſiæ meminit. Quem ſecuta cæterorum Hebræorum cuncta cohors, præcipuè Salomon, Auen Eſra, Rabi Dauid vno ore aſſerunt eſſe ſuper Meſſia, quem illi κατ' ἐξοχὴν, & vt à cæteris qui Meſſiæ, id eſt vncti eſſent, diſcrimen ſit, vocare ſolent à Maſſiach, quod Græcè ὁ χριστὸς, Latinè dici non poteſt, niſi dixeris Ipſe Meſſias, ille vnctus, eximius ille in his qui vnguntur. Gręcorum autem, ac Latinorum, qui Gręcos ſequuntur, perſpecta eſt ſententia, dependens præcipuè ex teſtimonio diui Pauli, qui ad ipſos Hebræos, ſuis eos oraculis conuincens, ex iſto Pſalmo, de filio teſtimonium protulit. Ad filium autem inquit, Sedes tua Deus, & quæ ſequuntur. Huncigitur tam communem conſenſum perſpicuum habentes, & ex ipſorum hoſtium pectore, vi ſua, veritate erumpente, facile quorſum ſpectent, quæ dicentur, intelligemus, tametſi Hebręorum lingua, celans ſub rerum vſitatarum nominibus res, quam conditionis mortalis, excellentiores, ſæpe intercludit iter ad perfectam earum intelligentiam, vt cum maiora illa dicantur, res ſenſibiles quę minores ſunt, & terreſtres dici putentur. Quod genus non tam in carminibus Sibyllarum, licet & illa ſint figuris & trationi-

Per eminẽtiam.

A lationibus obuoluta, deprehendas. Illud autem nemini mirum fieri debet, de Chriſto tanta oracula (quæ ſi diuino ſpiritu illuſtraremur, facilius perſpicerentur) apud Hebræos haberi, quandoquidem quoad licet ex quibuſdam, quæ ad nos peruenerunt, reliquijs cernere, omnis terra, vatibus hæc canentibus, (ſed præcipuè terræ Orientis, Aegyptus, Chaldæa, Babylonia, Meſopotamia) plena fuit, primæ ſcilicet hominum ſedes, vbi & Adam creatus, & vixit nongentis triginta annis, cuius vitam de eo, qui & ipſum, & in ea totam poſteritatem creaſſet, redempturuſque à mortalitate eſſet, perennem Philoſophiam par eſt fuiſſe. Neque fas eſt maximo illi genitori creatorem, qui ei maiora oſtendiſſet, futura non demonſtraſſe, aut ipſum poſteros ſuos, præcipuè meliores, quæ vidiſſet, & audiſſet, in tam longæua vita, celaſſe. Atq;, & diuiins oraculis, & diligenti conſideratione conſtat, eundem creatorem hominis, cum quo in paradiſo ille loquebatur, eum contemplabatur, fuiſſe, atque eum qui pòſt redemit, vt neceſſariò & illa pręſentia & futura de eo perſpexerit. Hinc in omnes gentes, oraculis etiam reuelata, de eo ſcientia manauit. Sed his veluti certis omiſſis, titulus huius Pſalmi declarandus eſt. Dicitur, In finem, pro his qui commutabuntur, filijs Core, ad intellectum, canticum pro dilecto. Primum quod Septuaginta tranſtulerunt ἀλλοιωθησομένων, id eſt, his qui commutabuntur, Hebraicè eſt שושנים shoshanim: quæ vox omnium Hebræorum & ſcripturarum teſtimonio, non ſonat immutandos, ſed roſas, vel lilia. Hinc Hieronymus tranſtulit hic lilia, & Symmachus, Triumphus pro floribus. Cur autem Septuaginta immutandos tranſtulerint, cauſa fuit, qnòd maxima ſit ſimilitudo inter shoshanim, lilia, roſas, & verbum immutandi שנה shina: quod ſi ad numerum multitudinis tranſeat, fiet ſuperiori ferè ſimile shanim. Inde factum vt alterum pro altero acceperint illi vetuſtiores. B Quos tamen ſi velimus tueri, probabiliter poterimus, Nam neſcio qua ſorte concurrunt hic inter ſe ſenſus, quòd quos Septuaginta dixerunt immutandos, Hebraicè autem ſunt lilia, Chaldæus interpretatus eſt יתבי סנהדרים iathbe ſanehedrim, eos qui ſederent in concilio Moſis, id eſt, Septuag. ſeniores illos, quos inſtituit Moſes. Perſpicuum igitur eſt eum, lilia pro hominibus ſelectis accipienda crediſiſſe: vt qua forma ſæui & immites in ſacris litteris dicuntur tauri, leones & florentes Reges, arbores appellantur, ſic viri ſelecti, egregij, præſtantes, lilia ſeu roſæ dicantur. Sicque Septuaginta potuerunt vin vocis non ignoraſſe, ſed perſpexiſſe ſub ea ſignificatos fuiſſe aliquos beatiores, præſtantioreſque quàm reliqui, quos immutandos, vt à cæteris diſtarent, vel ad aliquam felicem ſortem renouandos dixerunt. Itaque Græci, & Latini, ſimili ſenſu immutandos dixerunt, quos is, in quem hæc oracula apertè ſpectant, renouaturus ſit, & à mortalitate, ad immortalitatem reuocaturus, quam diuus item Paulus, ſimiliter innouationem appellauit. Omnes inquit ἀλλαγησόμεθα, immutabimur. Hæcque immutatio per eum fiet, in quem, totum hoc oraculum editum eſt. Itaque ſiue caſu, ſiue ſtudio, traslatio Septuaginta vera eſt, nec ab ipſis etiam Hebræis diſcors, quoniam lilia, vel roſæ iure ſancti, & ad immortalitatem reparati dicuntur (nam ſancti Dei florebunt ſicut lilium in ciuitate Domini) ſicque exponunt, Athanaſius, Heſychius, Cyrillus, Appollinarius. Vnus igitur ſenſus ſuper liliis, Septuaginta, Chaldæi, Græcorumque fermè, & Latinorum omnium, vt ſint hi quos ipſe Meſſias ab interitu ad florentem iuuentutem reuocabit. Chaldæus ſapientes hos dicens, qui tanquam roſæ in populo florent, olerentq;, & Rabi Salomon eum ſequens, ſimilem ſenſum propoſuerunt. C Eſt alter liliorum ſignificatus, vt notet muſicum inſtrumentum, quod lilijs incſulptis eſſet inſigne. Quod genus hodie quoque videas, cùm in corpore lyrarum, & vnde ſonus redditur, ſint lilia, roſæq; inſculptæ ligno. Hoc placuit Auen Eſræ, & Rabi Dauid. Salomon autem ſequitur Chaldæum. Hieronymus tranſtulit lilia, nihil quo ſenſu eſſent accipienda locutus. Et alij multi Hebræi, vt teſtatur etiam Nicolaus, iuxta ſenſum Septuaginta & Chaldæi, lilia populum Dei electum aſſeruerunt. In duos igitur ſenſus abit res, quorum neuter videtur reiiciendus. Nam inſtrumentum muſicum eſſe, illa poteſt perſuadere ratio, quod in principiis pſalmorum ſæpe quibus inſtrumentis canerentur, exprimitur. Quale apud noſtrates comicos, in principiis comœdiarum, prædicitur, Tibiis paribus, vel imparibus. Aderant enim varia inſtrumenta, quod & hodie quoque fit in templis, quibus dininæ laudes canerentur. Hinc ſæpe pſalterium decem chordarum, organa, tympana, cymbala, in pſalmis inuenies memorari, quibus laudare nos Deum ipſi pſalmi cohortantur. Haberurque de hac re in libris Paralipomenon hoc modo: Dixit Dauid principibus Leuitarum, vt conſtituerent de fratribus ſuis, cantores in organis muſicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt reſonarent in excelſis ſonitus lætitiæ. Ibidem referũtur, qui præeſſent prophetię pręcinentes, qui canerent pro victoria. Ac cùm dicitur in titulo, Super liliis, poteſt inſtrumentum deſignari, quia ſimili locutione alibi, vbi citra controuerſiam, inſtrumentum oſtenditur, vtitur, vt cùm dicitur in principiis aliorum ſæpe pſalmorum, Super octaua Super Ghittẽſi lyra. Rurſum non poteſt tantorum etiam Hebræorum teſtimonium reiici, probabiliter cenſentium lilia diuiniores quoſdam nuncupatos. Quæ cùm ſub hac voce denotentur, eadem ratione probabuntur à nobis, qua ſæpe duos ſenſus in Ariſtotele, Platone, Homero, Vergilio, ſub eadem, vel dictione, vel oratione deprehendimus. Nec nos turbare debet in litteris ſacris, quod tam crebro occurrit in profanis. Eſt tertius ſenſus ſub voce shoanim, cuius mihi venit in mentem cùm pſalmum interpretarer. Nam, vt inferius videbimus, ששן Shashan, Hebraicè

Idem creator, qui & redẽptor.

Titulus.

His qui cõmutabunt.

Lilia, inſt. muſicum.

cè gaudium vel lætitiam denotat. In numero multitudinis conuerſa vocali, a, in o, quod ſæpe D
fit, erit shoshanim, id eſt gaudia, & lætitiæ. Et titulus dicet, ſuper lætitiis, vt innuat, quod inferius
dicetur, quod vnctus ſit oleo exultationis, ſic nunc prædicat ſe, læta, felicia dicturum, nempe
ipſum Meſſiam, qui eſt ſalus, & gaudium noſtrũ, quemadmodum etiam eum in titulo vocat,
amores, delectationes, vt dicens ſuper lætitijs, innuat ſuper Meſſia, per quem vita rediit, omniſque
In finem. fuit cæleſtis & terreſtris autor lætitiæ. Quod autem dicitur, In finem, diſſeritur alijs pſalmis,
Septuagin. credidiſſe, mnazeach. quod vertunt εἰς τὸ τέλος, in finem, putaſſe duci à נצח nezach,
æternum, quod illi dixerunt in finem. Vox autem nazach, amphibola, ad victoriam, & æternitatem,
exemplaque ſunt multa. Ideo quod Sept. acceperunt pro æternitate, cæteri Græcorum
interpretum, quos ſequitur Hieronymus pro victoria, transferentes mnazeach νικοποιῷ, victoriam
danti, vincere facienti, Hieronymus victori. Idemq; in libris Paralipomenon putat hac voce
denotari ἐπινίκιον, carmen triumphale, quo canerentur in templo victoriæ, ex hoſtibus partæ.
Canebant, inquit, ἐπινίκιον ſuper victorijs. Tunc mnazeach participium eſt, à nazach. Quoniam
Iubilus, vociferatio. autem eadem voce deſignatur ingens, alacriſque iubilatio, & quaſi ἀλαλαγμὸς, vt cùm
dicitur, iubilate Deo omnis terra, videtur, (quod Chaldæus ſequitur) poſſe transferri, quod
Septuaginta dixerunt in finem, ad iubilandum, ad canendum totis præcordiis, toto pectore, alacriter,
vt audiatur iubilatio noſtra, taleque ſit noſtro de pectore carmen, quale exultantium ob
victoriam, iubilantium, frementiumque caſtrorum. Tale quid faciunt Angeli in cælo, cupidiſſimè,
& alacri plauſu, regem ſuum proſequentes. Ad id quoniam eccleſia in terris, eſt eccleſiæ cæleſtis
imago, inuitant pſalmi in principio, vt toto pectore, totis cogitationibus, hoc ſacroſanctum
ſacrificium laudis, Deo noſtro offeramus, quo ſeſe explicat animus, hilareſcit, exprimit
Lamnaz. gaudia, & amoris in Deum indicia pandit. Tunc lamnazeach deſignabit, ad canendum, exultandum E
totis viſceribus, tota vocis animique contentione, vt cantemus repetamuſque hæc diuina
carmina, quibus pulchritudo diuinitaſque creatoris prædicatur. Hocque acceptiſſimum ſacrificium.
Quæritur enim amor, hoc amoris clarum indicium. Dixi alias alibi ſententias, quas
ſi ſyncero animo perpenderis, videbis cum hac congruere ſuper voce mnazeach. Dicitur item
in libris Paralip. vbi de carminibus his & ordine canendi agitur, vt reſonaret in excelſis ſonitus
lætitiæ. Nam mnazeach propriè ſonat conantem, vincentem, contendentem. Sequitur autem
Filiis Core. in titulo, filiis Core, quod Hebraicè לבני quo duo caſus poſſunt intelligi. Etenim articulus Hebraicus
ל genitiuo, & datiuo deſeruit, poteſtq; dici aut filiis, Core, aut filiorum Core. Hocq; poſtremum
verius. Declarat enim Chaldæus, pſalmum editum, vel cantatum à filijs Core, dicẽs, quod
dictum eſt in propheta, ſuper manus filiorum Core. Pſalmus, inquit, & hoc oraculum dictum
Manus. eſt à filiis Core, ſpiritu prophetiæ. Nam manus ſonat autorem apud eos, vt videbis vbique. Filios
autem Core intelliges, ſicut filios Iſrael, eos ſcilicet, qui eſſent de ſtirpe Core. Perijt enim
Core in ſeditione filiis ſuperſtitibus. Et in libris Paralipomen. filij Aaron, filii Cath memorantur,
vbi agitur de his rebus, qui parentes tempore Moſis fuerunt, & Core fuit nepos Cath. Itaq;
nonnulli Græci videntes in editione Septuaginta, τοῖς υἱοῖς κορὲ, crediderunt pſalmum datum
ad canendum filiis Core, à Dauid, quod etſi fieri poteſt, ex Hebraico tamen quo dicendum eſt,
filorum Chore, ſicut quod Septuaginta dicunt τῷ δαβὶδ, ipſi Dauid, dicendum τοῦ δαβὶδ, apparet
eos, quod & Chaldæus oſtendit, autores carminis fuiſſe. Copioſus enim tunc fuit ſpiritus
Sibyllæ, in babylone. prophetiæ, erantque eo tempore ſicut in Babylone Sibyllæ, ſic in Iudæa, & Prophetæ, & Prophetiſſæ F
multæ. Et in libris Paralipo. vbi agitur de hoc ipſo, dicitur: Conenias autem princeps
Leuitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendum melodiam. Ecce, Conenias de tribu Leui, præerat
prophetiæ, filij autem Core erant Leuitæ. Ac forte è filiis Core erat is Conenias, qui in libris
Paralipo. dicitur princeps Leuitarum, quaſi princeps filiorum Core. Ab his igitur edita eſt
hæc prophetia, vel edita à Dauid, ab eis cantata inter alia carmina. Quod autem ſequitur εἰς
Ad intellectum. σύνεσιν, ad intellectum, clarius Hebraicè. Nam redundat Gręcis præpoſitio εἰς, Hebraicè משכיל
maskil, intellectus, eruditio. De hac quoque voce quædam diſſenſio: putant, vt Rabi Dauid,
quod minus probabile, muſicum inſtrumentum. Verius autem, & plurium teſtimonio, ac ratione
firmum, vt ſit maskil, quod Septuagin. dixerunt, intellectus, intellectio, ſenſus, doctrina, ſapientia.
Pſal. 46. Qualis laudatur in pſalmo cx. Intellectus bonus facientibus eum, ſcilicet timor domini,
Initium ſapientiæ intellectus bonus. Et pſalmo xlvij. Pſallite ſapienter, vbi eſt maskil. Sic
iſto loco intellectus ſonat ſapientiam arcanam, eruditionem. Ideo, & Chaldæus, iuxta pſalmum
citatum tranſtulit hoc loco intellectus bonus, & Hiero. eruditionem. Et Rabi Salomon,
expoſuit תורגמן turgman, id eſt, quod Græcè ἑρμηνεία, interpretatio, ſermo clarus, elegans,
comptus, eruditus, Sicque appellat hoc carmen inſigne oraculum, ſapientia, profunda eruditio.
Canticum p dilecto. Cuius autem, vel de quo ſit iſta ſapientia, ſequitur oſtendens, Canticum pro dilecto, quod
eodem ferè modo ab Hebræis atque Chriſtianis intelligitur. Nam propriè Hebraicum שיר ידידות
ſcir iedidot, ſonat canticum dilectionis, ſicque exponit Auen Eſra, pro iedoth ponens אהבות ahaboth,
dilectiones, amores: idem Rabi Dauid, ſic item Rabi Salomon. Ac Rabi Dauid hoc declarans
אהבת אדוני למשיחו Vocatur, ait, hoc carmen, dilectionum, quaſi dicat, dilectionis Dei erga
Meſſiam ſuum. Ex quo habes eos concordes eſſe cum Chriſtiani quis, dilectum interpretantur,

filium

Lactãtius.

Ieſus.

A filium Dei, de quo ipſe pater, Hic eſt filius meus dilectus. Hieron. vertit, canticum amantiſſimi, pulchrum, & iſtud, vnde & Lactantius meritò Iudęos ipſos extremæ neci à Veſpaſiano datos prædicans, Quia, inquit, exultauerunt ſuper amantiſſimum Dei filium. Ex quibus perſpicuum ſit, ita hoc loco vocare Hebraicam dialecton, ipſum dilectum, dilectionem, ſicut vocat ſeruatorem, ſalutem. Nam Ieſus potius ſonat ſalutem, quàm ſeruatorem.

ERuctauit cor meum, verbum bonum, dico opera mea regi.

GRAECI, videlicet Euſebius, Cyrillus, Euthymius verè teſtantur hanc eſſe quandam præfationem pſalmi, & exordium: narrationem autem inchoari cùm dicit, Specioſus forma. Dicturus enim res mirabiles, non ſine præfatione, quem morem vetuſtiſſimos ſeruaſſe poetas, palàm eſt, ingreſſus eſt. Et apud poetas proponitur, deinde narratur. Sicut autem Latinus prius dixit, Arma virumq; cano: & Homerus ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα, & quidam alius: Fortunam Priami cantabo & nobile bellum. Homerus item & ipſe pſalmos quaſi decantans, ſemper in principiis hymnorum præfatur, cui cantare velit: vt in primo hymno:

Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι ἀπόλλονος ἑκάτοιο.

Sim memor, atque tui haud obliuiſcar Apollo.

Eruct.

Sic Vates Hebræus pręfatur quem cantare velit, nempe Regem. Verbum Eructauit, alia ab Hebræis, alia à Gręcis, non multum tamen differenti ratione exponitur. Hebraicè eſt רחש rachas, ebullire, æſtuare, quando res procreatæ ſurgunt, mouentur. Hebręi ferunt hoc verbo deſignari B motum cordis ſilentem, tacitas, arcanaſque cogitationes, habentes in arcano pectore motum, conceptus tacitos. Mouebantur, inquiunt, labia, eloquium non reſonabat. Loquitur os quidem, ſed omnis ſermo prius in corde formatur, Sermo cordis dicitur, rachas: ſic interpretati ſunt Rabi Salomon, & Auen Eſra maiores, minor item Rabi Dauid, ex antiquis ſuis etiam ſenſum deducentes. Ac Salomon pro rachas, poſuit, ſenſum declarare volens השריץ haſriz, pullulare fecit, produxit. Et Dauid הניע hania, mouit, vel mouere fecit: & Symmachus iuxta hæc ἐξεκινήθη ἡ καρδία μου, commotum eſt cor meum, verbo bono. Sicque deſignabit, quod Sept. dixerunt, Eructauit, quaſi produxit. Datur autem ſermo etiam cordi ab Hebræis, Et dixi in corde meo. Vadam & affluam bonis. Dixit inſipiens in corde ſuo. Dixit Deus, Fiat lux. Pulchra eſt etiam ratio Græcorum, & ferè cum Hebræis conſona ſuper Eructauit, eo deſignari ingentem cogitationum motum, æſtum, copiam prorumpentem, non ſponte ſua, ſed ab alio incitatam, nimirum, à ſpiritu ſancto. Sicut enim ignis & ventus tollunt vndas, æſtumque, & crebros agitatus aquæ faciunt, ſic cor ſuum feruere ab igne diuino prophetam dixiſſe. Ferueńsq; æſtuare motu, vt qui moueat, ſignificetur, & motus ingens, altusque cogitationum æſtus, ac feruor. Interius ergo Græci penetrarunt, Hebræi in ſola vocis nudaque ſuperficie conſtiterunt. Referunt item Hebræi hoc loco, cor eſſe fontem cogitationum, & mos eſt ſcripturarum cordi dare principatum, Latinis, & Græcis etiam ſolitum. Vnde excordes, vecordes. Et Homerus facit cor cogitare, dicere, homineſque ad cor ſuum, quaſi ſecum inducit loquentes. Sed quoniam idem C etiam ad animum homines inducit loquentes, & Latini dicunt, dementes, & amentes, Græci quoque ὀλιγοφρονοῦντες, μεγαφρονοῦντες, principatum ad animum referentes: declarata fuit alio pſalmo hæc ratio, cor eſſe fontem cauſamque vitæ, & ſpiritus, qui ex ſanguine exiſtit: intelligere autem & cogitare taciteque loqui, eſſe ſolius mentis, nullum hic munus gerente corde, ſolius terreſtris, ſenſibiliſque vitæ genitore: eoque multa animalia cor habentia, non hebent cogitationes, nec poſſunt loqui in corde ſuo, mente, ſermonis, cogitationiſque fonte carentia. Duoque

Cor cerebrum.

ſunt, vt ait Philon, ἔχοντα ἡγεμονίαν, ἡ καρδία, ἐγκέφαλος, habentia in homine principatum, cor, & cerebrum. Cerebrum ſedes mentis, cor fons & cauſa vitæ & ſenſuum. Sine corde ſenſus non eſſet, ſine mente cogitari non poſſet. Vt autem ſenſus ſunt corporei, & tamen inſenſatos dicimus, quaſi dementes: & ſæpe ſpirationem, totam animam vocamus, licet ratio, & mens non ſit ſpiratio, ſic ex quadam cognatione datur ſenſus, ratio, cogitatioque cordi, non propriè. Si quidem & ſine cerebro dicuntur, quibus deeſt ratio, cùm nec ratio, cerebrum ſit, nec hi cerebro, etiã dementes, careant.

Anima.

Anima quinetiam dicitur animus, ſpiratio, ventus, ab Hebraico נשמה ne ſama, litteris inuerſis, vera tamen anima, non eſt anima, id eſt ſpiratio. Affinitates igitur membrorum iſtæ, non propria membra, & ex affinitate nomina ſortiuntur. Sic cor non cogitat, ſed quia eſt cauſa vt cogitemus, quia generat ſpiritum, is ſenſus efficit, ſenſus ſunt mentis vehiculum: ei tanquam præcipuo membro ſicut vita, ſic item datur cogitatio: de quibus multis in locis.

Verbum bonum.

Verbum autem bonum dicens laudat, vt inquit Rabi Dauid, Meſſiam, Regemque iſtum, dicens ea quæ dicturus ſit de eo eſſe verba bona. Quæ cantabo, inquit, diuina ſunt, admiranda, ſuſpicienda, grauia ſicut dicitur, intellectus bonus, id eſt, ſapientia eximia, pulchra. Aitque Rabi Dauid, vt cognoſcas eos nobiſcum eſſe concordes. Et cantor laudat in exordio ſuorum verborum, quia verba, quæ ſuſcitat cor ſuum ſuper Rege Meſſia, ſunt verba bona. Verborum bonitas etiam Latinis eſt celebris. Et bonum ſonat etiam Hebræis, & Græcis, & Latinis pulchrum, forma bona, ſic verbum bonum,

num,

Bonũ, pro pulchro.

Dico op. m. regi.

Rex regũ.

Callimachus, pſalmicen.

num, quaſi pulchrum, vnde Muſa Græcis dicta Calliope. Et Homerus ὀπὶ καλῇ. Quod autem ait, Dico ego opera mea Regi, eodem ſenſu Hebræi, & Græci, ac Latini opera exponunt, hoc carmen. Canto, inquit, hoc carmen Regi, hanc prophetiam ſuper Rege contextui. Dicam Muſam meam Regi. Poetæ autem profani Muſas ſuas alloquentes, orant, vt canant. Regem autem abſolutè dicens, Quis non intelligit altam, vetuſtamque, per omnes gentes ſparſam ſapientiam? Apud quas Regem Regum, creatorem mundi appellari inuenies, cui cæteris in pſalmis oblaturi alij Reges munera, & cultum dicuntur. Qui Rex Regum dicitur, idemque eſt Rex Regum, atque Rex ſimpliciter, quaſi verus Rex. Et Homerus eum appellauit ob hanc cauſam ὕπατον κρειόντων, ſupremum imperantium. Callimachus item in pſalmo, ſiue hymno in Iouem, Quid, inquit, (dixi enim ſæpe, Iouem eſſe Iehouah Hebraicum) aliud de Ioue dici poſſit? θεὸν αὐτὸν, ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα, quàm eum eſſe, Deum ſemper magnum, ſemper Regem, Poſtea reprehendens Cretenſes mendaces quòd ei tanquam mortuo ſepulchrum feciſſent,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο.
Cretes mendaces ſemper, tibi nanque ſepulcrum,

Deorum. Rex. Angelorũ. Regum.

O Rex fecerunt.] A Tuſcis qui Hebraicè loquebantur, ad Latinos allatum nomen Iouis, ex Hebraico. Et diuus Paulus, quem Aratus Iouem dixit, verum Deum interpretatur. Iamblichus, Illa, inquit, eſt optima ad felicitatem perueniendi via, quæ miſta eſt inuocationibus Deorum, καὶ μάλιστα τοῦ βασιλέως αὐτῶν διός, ſed præcipuè Regis eorum Iouis. Sic etiam illi ex oraculis agnouerunt hunc eſſe Regem etiam Deorum, id eſt, Angelorum, qui dicuntur & ipſi ἄνακτες, Reges, vt ſi Rex Regum eſt, id eſt Angelorum, & Archangelorum, multò magis mortalium Regum. Cùm enim conſtituit pater Regem vniuerſorum, Regem creationis, vt per quem etiam ſæculum, id eſt, cælum, & mundum fecerit: cumque ille ſit Rex vniuerſorum, cùm Rex cæleſtium, ac terreſtrium Regum, iure nuncupatur Rex, ſicut cùm dicimus Apoſtolum, præcipuum Apoſtolorum intelligimus, poetam nos & Græci, principem poetarum: & ſcriptura, quæ tenet in omnibus ſcriptis principatum, ſentitur ſacra. Græci quoque cùm maximum totius Orientis Regem Perſarum ſentirent, eum ſimpliciter, τὸν βασιλέα, nuncupabant. Vrbs dicitur nobiliſſima vrbium, apud eos ἡ πόλις Athenæ. In ſacris ergo litteris Rex abſolutè, eſt maximus ille Rex ab Hebræis, & Chriſtianis concorditer Meſſias dictus, ſed pro ſua cęcitate Hebræis eum mortalium Regum tantum Regem ſentientibus: ſi diligentius conſiderare vellent, cognituris neceſſariò Angelorum quoque, & Deorum iuxta priſcam philoſophiam. Neque enim ſcriptura eum tantopere laudaret, tantamque maieſtatem ei exhiberet, tot oracula in eum euulgaſſet, niſi vera eſſent, quæ maior philoſophia Chriſtianorum apertius, & antiqua theologia Aegyptiorũ, Chaldæorumque perſpexit. Apud Sibyllas enim inuenies præter alia diuiniſſima oracula, etiam hoc expreſsè,

Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο ἡγυτῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε. Hoc eſt,
Diuorumque ducem, & qui cuncta aleretque, crearetque
Inſtituit, dulcem qui vitam homini dedit omni.

Qui dat eſcã omni. carni.

Ioan. 13. a.

Orpheus.

En Sibylla eum à patre ait conſtitutum ἡγυτῆρα θεῶν, ſicut & Paulus, Quem conſtituit Regem vniuerſorum. Eoque etiam vocauit eum παντοτρόφον κτίστην, omnia nutrientem, & creantem, Philoſophia quoque eadem apud Chaldæos, à qua fluxerunt hęc carmina, quæ penes Zoroaſtræos, & Magos erat, hęc diuinitus eloquitur: πάντα ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ ὃν πρῶτον κληΐζεται πᾶν γένος ἀνθρώπων. Omnia perfecit pater, & menti ſecundæ tradidit, quam primam vocat omne hominum genus. En primum dicunt à mortalibus vocari, quaſi Regem principem. Eſt clariſſimum item atque admirabile teſtimonium Orphei, vt videas priſcam omnium gentium philoſophiam hęc cum antiquis Hebręis aperte confitentem. Is hortatur filium Muſæum, vt aſpiciat diuinum verbum, appellans eum mundi formatorem. Deinde adiurat vocem paternam, quam primam ediderit cùm crearet mundum; tum ad hunc ipſum reuerſus, hortatuſque filium in eum intueatur, ait,

Μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα.
Et ſolum mundi aſpice Regem. Paulò pòſt de eodem inuiſibili;
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.
Nec quiſquam eſt alius niſi ſolus maximus Rex.

Cernis apud Orpheum, priſcæ philoſophiæ antiſtitem, eundem eſſe Regem, atque verbum, formatorem mundi. Hinc Philon ex his fontibus hauriens, eum dicit ὕπαρχον, magiſtratum, principem mundi. Clarum igitur eſt, cur eum Regem abſolutè antiqua Hebræorum ſapientia vocet, & cur, & quibus teſtimoniis hęc regia maieſtas non poſſit eſſe à diuinitate ſeiuncta, quod Hebręi ſi ſaperent, intelligerent vtique.

Lingua mea calamus ſcribę velociter ſcribentis.

AB Hebræis exhibetur ſenſus litteralis, à Græcis, quos Latini ſequuntur, vlterius in cauſas penetratur. Lingua, inquit iuxta Hebræos, mea, acceleratè loquitur de eo, videlicet Rege, vt calamus ſcribentis expedite. Ita pura, & minimè rauca, ſed reſona, claraque eſt mihi lingua, in decantando Rege, vt calamus accelerantis ſcribæ decurrit, elabitur. Talis eſt enim calamus in manu, qualis lingua in ore, eſtque calamus, lingua quædam tacita noſtrarum manuum. Græci verò, quorum etiam reſpicit Nicolaus ſenſum, doctè ac ſapienter à Propheta ſic prædicari dicunt. Agitur mea lingua, tanquam calamus à veloci ardentique ſcriba, non mouetur ſponte motuque ſuo calamus, ſed à ſcribente: ſic lingua mouetur à ſpiritu ſancto. Lingua, inquit, mea eſt calamus diuini ſpiritus, qui iſta dictauit, vſus lingua mea, veluti calamo ſuo. Ac Hebræi dicerent eſſe comparationem, linguam eſſe ſicut calamum, Græci proprietatem intelligentes, ſcribam, ſpiritum ipſum, cuius omnis operatio rapida, velociſſimaque eſt, nulla re obſtante potentiæ illius: vt, Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam ſpiritus vehementis. Quemadmodum autem repentino, rapidoque ſpiritus deſcenſu pectora illorum exarſerunt, omnigeniſq; linguis loquebantur, quidam etiam prophetabant: ſic rapiente eodem ſpiritu linguam Prophetæ, locuta eſt oracula eximia, ardentia, vno impetu, æſtu mentis agitante, igne illo inuiſibili, animo calente. Hic Græcè tales dicuntur κάτοχοι occupati à ſpiritu ipſo imperante, regenteque linguam. Vtar (ſi fas eſt) hac ſimilitudine. Vidi fœminas, ſpiritu malo detentas, ita rapidè, promptè, terribiliterque loquentes, tanto torrente verborum, adeoque graui, & accommodo, vt mirum mihi fieret. Quid ſpiritus ille omnipotens, quo fulmine, impetuque verba torquebit, cùm omnia, quæ à ſpiritu facta ferantur, ardentia, volantiaque fuerint? Vide autem qua præfatione in hoc excellenti hymno ſit vſus, primum dixit, feruere, æſtuare ſibi pectus, verbo bono, quaſi diuina prophetia, & quod Græce expeditè vno verbo καλλιόπη ſiue καλλιεπεῖ. Poſtea, loquitur mea Muſa Regem, deinde rapior, feror impetu mentis, ſtare loco neſcio. Quid, inquam, hæc ſibi ſignificant, nempe oraculorum dicendorum maieſtatem, quaſi hæc dicat præfatus, Aeſtuat mihi pectus, pulchra carmina texo, cano Regem, incendor amore canendi, ardeo, rapior, æſtuo videns quæ ſum dicturus, quàm bona, grandiaq;. Scribæ, autem, genitiuus eſt, Græcè γραμματίος. Vnoque verbo Græcè velociter ſcribens dicitur ὀξυγράφος. Calamus eſt etiam in Chaldæo, corruptè colmos, & pro calamo Hebraicè עט &, ſtylus: idque Hieronymus interpretatus eſt. Idem tamen calamus, & ſtylus, alter æreus, alter ligneus.

Theopneuſti, numine afflati.

Calamus.

Specioſus forma præ filiis hominum; diffuſa eſt gratia in labijs
tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

HIc exordium, & enarratio, primùm verba perpendantur. Quod Septuaginta abſolutè pronuntiarunt ὡραῖος κάλλει, ſpecioſus forma, Hebraicè clarius, per verbum יפיפית iapheiaphita, ſpecioſus extitiſti, formoſus es: licet Septuag. more Græco verbum ſubſtantiuum omittentes, idem dixerint, Specioſus, eoque Euthy. dicit ſubaudiendum ὑπάρχεις. Et quinta editio, κάλλει ὡραιώθης παρὰ υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, pulchritudine decoratus es præ filijs hominum. Præclarum eſt eſſe comparationem, Hebræis eo modo comparationem exprimentibus, vt ſi dicant, Iſte eſt melior illo, dicant, Iſte melior præ illo, & in pſalmo, Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Hebraicam locutionem non inuerterunt dicendum eſt, Melius eſt confidere in Domino. Et apud diuum Paulum, Quia multi filij deſertæ, quàm eius, quæ habeat virum: intelligendum, plures: ſua enim lingua vtebatur. Itaque, & hoc loco, licet clarius, quàm in ſuperius adductis, intelliges: Specioſior es omnibus filijs hominum. Item eſt Hebraicum idioma, filij hominum. Origeneſque putat, Hebræis dici filijs hominum, ſicut Græcis υἷες ἀχαιῶν, filios Græcorum: ſed Hebraicè quiddam aliud. Dicunt enim filios Adam, quod Septuaginta dixerunt υἱὲς ἀνθρώπων, quaſi filios Iſrael. Vt enim totam poſteritatem Iſrael dicunt, filios Iſrael: ſic totam poſteritatem Adam, filios Adam. Nec Hebraicè eſt, filij hominum, ſed vbique, filij Adam. Cùm ergo in ſacris litteris eſt, filij Adam, totum genus humanum ſenties, quicunque ex illo primo, qui verè, ac propriè, & primo dictus eſt Adam homo, hoc eſt terrigena γηγενὴς, πηλογόνος, χοϊκός. Hinc vaſti, & proceri ſimiles illi Gigantes, & πηλογόνοι, terrigenæ ſunt dicti, quaſi nati ex τοῦ πηλοῦ, cœno, limo. Nam tulit Dominus de limo. Itaque nunc filios Adam, vel hominis, totum humanum genus ſentiens. Nemo enim eſt, quin ſit filius Adam. Pro, Specioſus forma præ filiis hominum, Hieron. clarius ad Hebraicum dixit, Decore pulchrior es filijs hominum, & forma, eleganter Latinus dixit, quòd Græcè κάλλει. Cætera conueniunt cum fonte. Quod ad ſenſus attinet, quem dixerit ſpecioſum, ad eum rectà ſermonem dirigens, claret ex Chaldæo, qui ſenſus arcanos ſæpe, non veritus munus paraphraſtæ, expedit, ſenſus, inquam, quos antiquo illo tempore conſtans fama eſſet, in ſcripturis eſſe de Chriſto, & de eo debere intelligi. Sic transfert, Pulchritudo tua Rex Meſſias עדיף adiph, maior, excellentior eſt, filiorum hominis, præſtantior eſt forma tua omni humana forma. Tum ſequitur, Datus eſt ſpiritus Prophetiæ in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Ecce adiecit Hebraico, regi quidem, Meſſiam: gratiæ verò, Prophetiam, vt ſcires qui Rex, quæ gra-

Specioſus forma.

Filij hominum.

Terrę filiꝰ cœno ſat. terrenus.

Diffuſa eſt gratia in l.

tia

Bonũ, pro pulchro.

Dico op. m. regi.

Rex regũ.

Callimachus, pſalmicen.

num, quaſi pulchrum, vnde Muſa Græcis dicta Calliope. Et Homerus ὀπὶ καλῇ. Quod autem ait, Dico ego opera mea Regi, eodem ſenſu Hebræi, & Græci, ac Latini opera exponunt, hoc carmen. Canto, inquit, hoc carmen Regi, hanc prophetiam ſuper Rege contextui. Dicam Muſam meam Regi. Poetæ autem profani Muſas ſuas alloquentes, orant, vt canant. Regem autem abſolutè dicens, Quis non intelligit altam, vetuſtamque, per omnes gentes ſparſam ſapientiam? Apud quas Regem Regum, creatorem mundi appellari inuenies, cui cæteris in pſalmis oblaturi alij Reges munera, & cultum dicuntur. Qui Rex Regum dicitur, idemque eſt Rex Regum, atque Rex ſimpliciter, quaſi verus Rex. Et Homerus eum appellauit ob hanc cauſam ὕπατον κρειόντων, ſupremum imperantium. Callimachus item in pſalmo, ſiue hymno in Iouem, Quid, inquit, (dixi enim ſæpe, Iouem eſſe Iehouah Hebraicum) aliud de Ioue dici poſſit? ἢ θεὸν αὐτὸν, ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα, quàm eum eſſe, Deum ſemper magnum, ſemper Regem. Poſtea reprehendens Cretenſes mendaces quòd ei tanquam mortuo ſepulchrum feciſſent,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο.
Cretes mendaces ſemper, tibi nanque ſepulcrum,

Deorum. Rex.

Angelorũ. Regum.

O Rex fecerunt.] A Tuſcis qui Hebraicè loquebantur, ad Latinos allatum nomen Iouis, ex Hebraico. Et diuus Paulus, quem Aratus Iouem dixit, verum Deum interpretatur. Iamblichus, Illa, inquit, eſt optima ad felicitatem perueniendi via, quæ miſta eſt inuocationibus Deorum, καὶ μάλιστα τοῦ βασιλέως αὐτῶν διός, ſed præcipuè Regis eorum Iouis. Sic etiam illi ex oraculis agnouerunt hunc eſſe Regem etiam Deorum, id eſt, Angelorum, qui dicuntur & ipſi ἄνακτες, Reges, vt ſi Rex Regum eſt, id eſt Angelorum, & Archangelorum, multò magis mortalium Regum. Cùm enim conſtituit pater Regem vniuerſorum, Regem creationis, vt per quem etiam ſæculum, id eſt, cælum, & mundum fecerit: cumque ille ſit Rex vniuerſorum, cùm Rex cæleſtium, ac terreſtrium Regum, iure nuncupatur Rex, ſicut cùm dicimus Apoſtolum, præcipuum Apoſtolorum intelligimus, poetam nos & Græci, principem poetarum: & ſcriptura, quæ tenet in omnibus ſcriptis principatum, ſentitur ſacra. Græci quoque cùm maximum totius Orientis Regem Perſarum ſentirent, eum ſimpliciter, τὸν βασιλέα, nuncupabant. Vrbs dicitur nobiliſſima vrbium, apud eos ἡ πόλις Athenæ. In ſacris ergo litteris Rex abſolutè, eſt maximus ille Rex ab Hebræis, & Chriſtianis concorditer Meſſias dictus, ſed pro ſua cęcitate Hebræis eum mortalium Regum tantum Regem ſentientibus: ſi diligentius conſiderare vellent, cogniturìs neceſſariò Angelorum quoque, & Deorum iuxta priſcam philoſophiam. Neque enim ſcriptura eum tantopere laudaret, tantamque maieſtatem ei exhiberet, tot oracula in eum euulgaſſet, niſi vera eſſent, quæ maior philoſophia Chriſtianorum apertius, & antiqua theologia Aegyptiorũ, Chaldæorumque perſpexit. Apud Sibyllas enim inuenies præter alia diuiniſſima oracula, etiam hoc expreſsè,

Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο ἡγυτῆρα θεῶν πάντον ἐποίησε. Hoc eſt,
Diuorumque ducem, & qui cuncta aleretque, crearetque
Inſtituit, dulcem qui vitam homini dedit omni.

Qui dat eſcã omni carni.

Ioan. 13. a.

Orpheus.

En Sibylla eum à patre ait conſtitutum ἡγυτῆρα θεῶν, ſicut & Paulus, Quem conſtituit Regem vniuerſorum. Eoque etiam vocauit eum παντοτρόφον κτίστην, omnia nutrientem, & creantem. Philoſophia quoque eadem apud Chaldæos, à qua fluxerunt hęc carmina, quæ penes Zoroaſtræos, & Magos erant, hęc diuinitus eloquitur: πάντα ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ ὃν πρῶτον κλήζεται πᾶν γένος ἀνθρώπων. Omnia perfecit pater, & menti ſecundæ tradidit, quam primam vocat omne hominum genus. En primum dicunt à mortalibus vocari, quaſi Regem principem. Eſt clariſſimum item atque admirabile teſtimonium Orphei, vt videas priſcam omnium gentium philoſophiam hęc cum antiquis Hebręis aperte confitentem. Is hortatur filium Muſæum, vt aſpiciat diuinum verbum, appellans eum mundi formatorem. Deinde adiurat vocem paternam, quam primam ediderit cùm crearet mundum, tum ad hunc ipſum reuerſus, hortatusque filium in eum intueatur, ait,

Μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα.
Et ſolum mundi aſpice Regem. Paulò pòſt de eodem inuiſibili,
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.
Nec quiſquam eſt alius niſi ſolus maximus Rex.

Cernis apud Orpheum, priſcæ philoſophiæ antiſtitem, eundem eſſe Regem, atque verbum, formatorem mundi. Hinc Philon ex his fontibus hauriens, eum dicit ὕπαρχον, magiſtratum, principem mundi. Clarum igitur eſt, cur eum Regem abſolutè antiqua Hebræorum ſapientia vocet, & cur, & quibus teſtimoniis hęc regia maieſtas non poſſit eſſe à diuinitate ſeiuncta, quod Hebręi ſi ſaperent, intelligerent vtique.

Lingua

Lingua mea calamus ſcribę velociter ſcribentis.

AB Hebræis exhibetur ſenſus litteralis, à Græcis, quos Latini ſequuntur, vlterius in cauſas penetratur. Lingua, inquit iuxta Hebræos, mea, accelerate loquitur de eo, videlicet Rege, vt calamus ſcribentis expedite. Ita pura, & minimè rauca, ſed reſona, claraque eſt mihi lingua, in decantando Rege, vt calamus accelerantis ſcribæ decurrit, elabitur. Talis eſt enim calamus in manu, qualis lingua in ore, eſtque calamus, lingua quædam tacita noſtrarum manuum. Græci verò, quorum etiam reſpicit Nicolaus ſenſum, doctè ac ſapienter à Propheta ſic prædicari dicunt. Agitur mea lingua, tanquam calamus à veloci ardentique ſcriba, non mouetur ſponte motuque ſuo calamus, ſed à ſcribente: ſic lingua mouetur à ſpiritu ſancto. Lingua, inquit, mea eſt calamus diuini ſpiritus, qui iſta dictauit, vſus lingua mea, veluti calamo ſuo. Ac Hebræi dicerent eſſe comparationem, linguam eſſe ſicut calamum, Græci proprietatem intelligentes, ſcribam, ſpiritum ipſum, cuius omnis operatio rapida, velociſſimaque eſt, nulla re obſtante potentiæ illius: vt, Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam ſpiritus vehementis. Quemadmodum autem repentino, rapidoque ſpiritus deſcenſu pectora illorum exarſerunt, omnigeniſq́, linguis loquebantur, quidam etiam prophetabant: ſic rapiente eodem ſpiritu linguam Prophetæ, locuta eſt oracula eximia, ardentia, vno impetu, æſtu mentis agitante, igne illo inuiſibili, animo calente. Hic Græcè tales dicuntur κάτοχοι occupati à ſpiritu ipſo imperante, regenteque linguam. Vtar (ſi fas eſt) hac ſimilitudine. Vidi fœminas, ſpiritu malo detentas, ita rapidè, promptè, terribiliterque loquentes, tanto torrente verborum, adeoque graui, & accommodo, vt mirum mihi fieret. Quid ſpiritus ille omnipotens, quo fulmine, impetuque verba torquebit, cùm omnia, quæ à ſpiritu facta ferantur, ardentia, volantiaque fuerint? Vide autem qua præfatione in hoc excellenti hymno ſit vſus, primum dixit, feruere, æſtuare ſibi pectus, verbo bono, quaſi diuina prophetia, & quod Græce expeditè vno verbo καλλιόπη ſiue καλλιπεῖ. Poſtea, loquitur mea Muſa Regem, deinde rapior, feror impetu mentis, ſtare loco neſcio. Quid, inquam, hæc ſibi ſignificant, nempe oraculorum dicendorum maieſtatem, quaſi hæc dicat præfatus, Aeſtuat mihi pectus, pulchra carmina texo, cano Regem, incendor amore canendi, ardeo, rapior, æſtuo videns quæ ſum dicturus, quàm bona, grandiaq́;. Scribæ, autem, genitiuus eſt, Græcè γραμματέος. Vnoque verbo Græcè velociter ſcribens dicitur ὀξυγράφος. Calamus eſt etiam in Chaldæo, corruptè colmos, & pro calamo Hebraicè עט &, ſtylus: idque Hieronymus interpretatus eſt. Idem tamen calamus, & ſtylus, alter æreus, alter ligneus.

Theopneuſti, numine afflati.

Calamus.

Speciosus forma præ filiis hominum; diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

HIc exordium, & enarratio, primùm verba perpendantur. Quod Septuaginta abſolutè pronuntiarunt ὡραῖος κάλλει, ſpecioſus forma, Hebraicè clarius, per verbum יפיפית iapheiaphita, ſpecioſus extitiſti, formoſus es: licet Septuag. more Græco verbum ſubſtantiuum omittentes, idem dixerint, Specioſus, eoque Euthy. dicit ſubaudiendum ὑπάρχεις. Et quinta editio, κάλλει ὡραιώδης παρὰ ὑιὺς τῶν ἀνθρώπων, pulchritudine decoratus es præ filijs hominum. Præclarum eſt eſſe comparationem, Hebræis eo modo comparationem exprimentibus, vt ſi dicant, Iſte eſt melior illo, dicant, Iſte melior præ illo, & in pſalmo, Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Hebraicam locutionem non inuerterunt dicendum eſt, Melius eſt confidere in Domino. Et apud diuum Paulum, Quia multi filij deſertæ, quàm eius, quæ habeat virum: intelligendum, plures: ſua enim lingua vtebatur. Itaque, & hoc loco, licet clarius, quàm in ſuperius adductis, intelliges: Specioſior es omnibus filijs hominum. Item eſt Hebraicum idioma, filij hominum. Origeneſque putat, Hebræis dici filijs hominum, ſicut Græcis υἷες ἀχαιῶν, filios Græcorum: ſed Hebraicè quiddam aliud. Dicunt enim filios Adam, quod Septuaginta dixerunt ὑιὺς ἀνθρώπων, quaſi filios Iſrael. Vt enim totam poſteritatem Iſrael dicunt, filios Iſrael: ſic totam poſteritatem Adam, filios Adam. Nec Hebraicè eſt, filij hominum, ſed vbique, filij Adam. Cùm ergo in ſacris litteris eſt, filij Adam, totum genus humanum ſenties, quicunque ex illo primo, qui verè, ac propriè, & primo dictus eſt Adam homo, hoc eſt terrigena γηγενὴς, πηλογόνος, χοϊκός. Hinc vaſti, & proceri ſimiles illi Gigantes, & πηλογόνοι, terrigenæ ſunt dicti, quaſi nati ex τοῦ πηλοῦ, cœno, limo. Nam tulit Dominus de limo. Itaque nunc filios Adam, vel hominis, totum humanum genus ſentiens. Nemo enim eſt, quin ſit filius Adam. Pro, Specioſus forma præ filiis hominum, Hieron. clarius ad Hebraicum dixit, Decore pulchrior es filijs hominum, & forma, eleganter Latinus dixit, quòd Græcè κάλλει. Cætera conueniunt cum fonte. Quod ad ſenſus attinet, quem dixerit ſpecioſum, ad eum rectà ſermonem dirigens, claret ex Chaldæo, qui ſenſus arcanos ſæpe, non veritus munus paraphraſtæ, expedit, ſenſus, inquam, quos antiquo illo tempore conſtans fama eſſet, in ſcripturis eſſe de Chriſto, & de eo debere intelligi. Sic transfert, Pulchritudo tua Rex Meſſias עדיף adiph, maior, excellentior eſt, filiorum hominis, præſtantior eſt forma tua omni humana forma. Tum ſequitur, Datus eſt ſpiritus Prophetiæ in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Ecce dicit Hebraico, regi quidem, Meſſiam: gratiæ verò, Prophetiam, vt ſcires qui Rex, quæ gratia

Specioſus forma.

Filij hominum.

Terrę filiꝰ cœno ſat. terrenus.

Diffuſa eſt gratia in l.

Verba, & noĩa duplicata, apud hebr.

tia diceretur. Ac Rabi Dauid admonet, verba ſuæ linguæ duplicata, excellentiam denotare. Habent enim Hebræi ſic verba, ſicut nomina duplicata, quibus exceſſus deſignatur. Nanque vt dicunt, ſancta, ſancta, nos ſancta ſanctorum, id eſt locum ſanctiſſimum: & ſæcula, ſæcula, æternitatem: aceruos, aceruos, magnum aceruum: Deus, Deus, meus: valde, valde, maximè: quod genus etiam in lingua Italica eſt, bene, bene, optimè: albus, albus, albiſſimus: durum, durum, duriſſimum, ſic habent quædam eiuſdem rationis verba Hebræi, vt eſt דק דק dak, dak, quaſi pulueſcere, minui, & , דם דם dam, dam, quaſi ſangueſcere, rubeſcere. Ita eſt hoc loco, pro noſtro ſpecioſus forma יפיפית iaphei aphita, quaſi pulcherrimus es. Omnes autem non noſtræ ſolum litteræ, ſed etiam profanæ mirabilem, immenſamq́ue pulchritudinem, rebus intelligibilibus, id eſt, his, quæ noſtrorum fugiunt nunc obtutum oculorum, nec veniunt ſub aſpectum, quæque cùm non oculis, non auribus nunc ſentiantur, poſſunt aliquo modo intelligi, tribuunt. Tanta eſt illi pulchritudo, vt illa ſit archetypos, noſtra ſimulata, vmbratilis, pendens, & naſcens à corporeis lineamentis, corruptibilibusue coloribus, illa in lumine claritatis ſuæ hærens.

Rom. 1. Deus inuiſibilis, per opera viſibilia cognoſcitur.

In hac eſt Deus formoſiſſimus, omnes antecedens animos diuina, & oculis ac menti noſtræ incomprehenſibili venuſtate. Hoc intelligens ſummo ingenio vir Ariſtoteles, tale edidit penè oraculum: quemadmodum, inquit, anima eſt inuiſibilis, per viſibilia tamen opera, quæ ſunt tam multa cognoſcitur: ſic de Deo cogitare debemus, δυνάμει μὲν ὄντος ἰσχυροτάτου, κάλλει δὲ εὐπρεπεστάτου, ζωῇ δὲ ἀθανάτου, ἀρετᾷ δὲ κρατίστου, διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ' αὐτῶν ἔργων θεωρεῖται. Qui poteſtate quidem ſit fortiſſimus, pulchritudine ſpecioſiſſimus, vita immortalis, virtute optimus, vt tametſi omni naturæ mortali ſit inuiſibilis, ab ipſis tamen operibus intelligatur. Sic Ariſtoteles Deum etiam inuiſibilem dicens, eximiam ei excellentemq́ue tribuit pulchritudinem. Hæcq́ue prædicat de illo Deo, qui fecit cęlum & terram, nempe rege mundi, filio, ſapientia, quæ etiam à Salomone dicitur παντὸς κάλλους γενεσιάρχη, omnis pulchritudinis inuentrix, vt ſi inuenit ipſa omnem pulchritudinem, neceſſario infinita pulchritudine prædita ſit, ſed craſſis oculis noſtris, & non merentibus, nondum apparente. Vt autem Ariſtoteles etiam naturæ inuiſibili, & incorporeæ tribuit κάλλος, decorem: ſic Platonicus Damaſcius τὸ πρῶτον καλὸν, πάντα καλὰ ποιεῖ, primum pulchrum, omnia pulchra facit. Ad quam rationem, hæc etiam Philoſophia, à qua fluxerunt illa Philoſophorum, ſæpe Deum prædicat formoſum. Dominus regnauit, decorem induit, induit fortitudinem, vbi ſunt illa duo Ariſtotelis δυνάμει ἰσχυρότατον. Et pro decore, Græcè apud Sept. hoc loco, εὐπρέπεια, illud ſcilicet Ariſtotelis. Alibi quoque, confeſſionem, & decorem induiſti, amictus lumine, ſicut veſtimento. Quibus & ſacræ, & profanæ Philoſophiæ teſtimoniis, apparet etiam in rebus ab oculis ſeparatis, eſſe venuſtatem, formam, pulchritudinem, etiam ineffabilem, & quàm corporea, maiorem. Ac vbi dictum eſt ſuperius, Et decorem induiſti, Græcè eſt μεγαλοπρέπειαν, quaſi magnum decorem, magnam pulchritudinem. Quo conſtat mortalem pulchritudinem cum illa collatam, eſſe minimam, eſſe deformitatem. Itaque & Boetius ſecutus philoſophiam Platonis, creatorem mundi ad imaginem ſuarum idearum omnia formantem alloquitur. Fingis ad exemplum pulchrum, pulcherrimus ipſe. Nam prior Plato venuſtatem mundi ab alia maiore venuſtate deduxerat, vt à pulcherrimo, niſi pulcherrimum fieri non poſſet. Eaq́ue Plato de creatore, & formatore mundi eloquitur: quem eſſe filium Dei, eiuſdem teſtimoniis conuincitur, αἴτιον, id eſt autorem, ſeu cauſam eum mundi nominantis, deinde iſtius cauſæ patrem in Epiſtolis, vt conſtet eundem eſſe ſpecioſum iſtum, atque eum, quem regem dixerant ſuperiora oracula, quod Hebræi etiam confitentur. Hunc autem eſſe Deum, claris rationibus euincitur, quòd priſcis ſæculis, & in omni philoſophia fuerit vulgatiſſimum. Idem enim eſt, rex abſolute, ac formoſiſſimus, creator, autor, viſibilis pulchritudinis inuentor. Hæc autem eximia pulchritudo, quæ nunc oculos effugit mortales, cælicolis, quos & pietas cum clementia eius ad tantam beatitudinem ſubleuauit, aſpicitur, cuius intuitu eos eſſe ſemper beatos, par eſt: ob hoc dicitur θεωρία, Dei contemplatio.

Matt. 17.

Cuius quandam intuentes imaginem in monte Apoſtoli, hauſtamq́ue mirabili dulcedine, omniumq́ue obliti mortalium rerum, exclamauerunt, bonum ac dulce eſſe ibi conſiſtere, perenneſque ſedes ibi figere optarunt. Nobis item ſi quando cerneretur in hoc corpore, qualiſq́ue videri cęlicolis, & quanta ſolet, inexplicabili, longè quàm formoſarum aſpectu mulierum maiore gaudio afficeret, omnemq́ue mortalitatem redderet contemptibilem. Hæc ambroſia, hoc nectar, quo ſiderea in ſede, beati fruuntur. Diuina lethe, tanta dulcedine inundans, vt omnium præteritarum rerum in ſe diuorum ora conuertens, faciat volentes animos obliuiſci, quod illi, magna inter gaudia poſiti, & gloriæ cæleſtis eis imagine oblata ſenſerunt. Vt autem diuina fortitudo Ariſtotele perhibente non ſentitur mortali naturæ, ſic pulchritudo non aſpicitur. Locum tamen eſſe quendam omnium eſt mortalium, omniumq́ue litterarum conſenſus, vbi hæc affatim eniteſcat, & æther theologia docuit, ſæpe ſpeciem quandam ſuauiſſimæ, & ſemper auguſtæ venuſtatis illius ad oculos mortales veniſſe, venturam autem aliquando, & pandendam totam, cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, cum miſeri mortales pulſabunt pectora palmis, ſe, quanta felicitate ma viuendo priuarint, aſpicientes, quam dulcedinem, quæ gaudia, ſibi ipſis eripuiſſent, videbunt inenarrabilem decorem, nulla cum mortali forma æquandum. Quòd ſi ſæpe formoſam mulierem

cuius

Pulchritudo in deo, quid deſignet.

Auguſtin. Quia feciſti nos ad te, inquietũ, eſt cor noſtrũ donec quieſcat in te.

A cuius formam gratiæ quoque comitentur, aſpicientes, mirabili ſuauitate replemur, incendimur item amore, quarum ſi complexus daretur, beatos ſe nonnulli faterentur: quid facturam putes æternam illam immortalemque pulchritudinem, non è coloribus mortalibus, ſed gratiis inenarrabilibus reſultantem, quæ nos tunc incendia, quæ ſuauitas arripient? Diſce enim ex illis in monte. Itaque ſimili ratione eſt ante omnes formoſiſſimus, qua fortiſſimus, rex maximus, creator, autor. & carmen ſuper pulchritudine eius, hoc deſignat, quòd quemadmodum eſt creator, ſic eſt ipſum bonum, eſt gaudium, eſt vita, in quo omnia noſtra deſideria ſatiata conquieſcent, in eum omnium vota conſumentur. Tunc ſatiabimur, cum apparuerit gloria eius, & torrente voluptatis ſuę nos potabit. Ipſe præmium noſtrum, & dulcedo. Quamdiu à conſpectu eius abſuerimus, nunquam conquieſcemus, perenni ſiti æſtuantes, nec vacuus vnquam erit mœrore animus, quadam nos noctesque dieſque męſtitia tenente. Eadem ratio erit, ſi referas hanc formam ad omnigenam virtutem eius, vt quemadmodum alibi dictum, Confeſſionẽ, & decorem induiſti, quaſi τροπικῶς appellans decorem, & laudem, poteſtatem eius creandi, & ſigna quæ creando, diuinitatis ſuę demonſtrauit, ſic talem ei nunc tribuat decorem, vt qui Rex ſit abſolutè, ceu Rex maximus, ſic etiã pulcherrimus, nempe glorioſiſſimus. nam pulchritudo Dei, gloria dicitur: ἐνδοξότατος nobiliſſimus, nihil habens non egregium, non inſigne, non formoſum, radios diffundens bonitatis.

Pulchritudo corporis in Chriſto.

Eſt alia pulchritudo corporis, quam Vates ſpectare potuerit, vt Meſſiam in humano corpore futurum dicat nobiliſſimum, formoſiſſimum. Quę pulchritudo etſi vera fuit, quia omnium fuit, eſtque mortalium ſpecioſiſſimus: videtur tamen hęc quaſi pars illius vaſtę glorię, vt potius referatur tota maieſtas, & pulchritudo eius, quàm vna corporis, particularis, pręcipuè corporis nondum glorificati, & ſub quo maiorem illam pulchritudinem ſuam occultaret, nolens venire ad mortales in claritate ſua, quòd & ferre eam non potuiſſent, & veniendum ad labores erat, deſcendendum in aciem, perferendi dolores, quibus fortiter tolerandis ad maximam pulchritudinem illam mortales attingerent.

Pulchritudo animi.

Hebræi nihil ſuper hac re loquuntur, ſed tantum de nuda verborum ſignificatione pauca locuti diffugiunt, dicentes, Formoſus es, figura, decore, intuentes formam corpoream. Græci variant, alii ad corpoream pulchritudinem, alii ad incorpoream referentes, alii ad vtrunque: ſic item Latini. Qui ad animam referunt, dicunt eum ſolum ex omnibus hominibus caruiſſe peccato. Alii, vt te appellaui regem, ſic dico te excedere pulchritudine & gratia omnes mortales, ſapientia quoque quæ ore inſidet, mirabilis es. Vera ſunt & illa quæ à Nicolao referuntur, à maioribus Latinis manantia, ad Latinos ex Græcorum fontibus defluentia, corpore & animo fuiſſe eum abſolutum, corporis gratiam cum animi pulchritudine reſpondiſſe: nihil in eo non perfectum fuiſſe. Adduciturque à Nicolao quod Porphyrius ex Euripide, πρῶτον εἶδος ἄξιον τυραννίδος, Prima ſpecies imperio digna. Qui gratia & forma præſtat, is imperio dignus eſto. In quo maior gratia animi & corporis ineſt, huic imperium debetur. Sic regem iſtum Meſſiam, nihil non habuiſſe regium: vt erat Rex, ſic imperium ob infinitas gratias, quantæ in nullo mortali fuerint, meruiſſe, vt ſit præclari regis deſcriptio. Sed quoniam tum non ſubiacere peccato, tum habere incomparabiles gratias, ex illa pulchritudine manat, tum quia Chriſtus non fuit Rex mortalis, ſed maximi regni cęlorum, cuius famam primus ipſe vulgauit, nec hominibus, regum more imperauit: videtur regia cęleſtiſque illa maieſtas, & pulchritudo maximè prædicari

Phil. 2.

Hoc enim maximè fefellit Hebræos, non videntes quale imperium, quæ maieſtas prædicaretur, opinatos corpoream, Prophetæ tamen apertè, nominibus rerum corporearum, maiores illas cęleſtes, & immortales res nuncuparunt. Nam Zacharias (quod exemplum eſt mihi vbique neceſſarium) cum memorat iuſiurandum patribus factum, nominat tenebras, & vmbram mortis, inimicos item, quæ nomina rerum ſenſibilium pro ſenſibilibus accipienda non eſſe clarum eſt. Sic ſpecies, & pulchritudo Chriſti immortalis, indicat eum regem immortalem, non terrenorum regnorum, ſed cęleſtium, & terreſtrium dominatorem, formaq; etiam iſta elucebat in corpore humano ſuo, quoad ipſe vellet, gloriamque ſuam, regiumque decus occultaret, extantibus tamen expreſſis diuinitatis, maximique imperii ſignis.

Præ filiis hominum

Ideo quod ait, præ filiis hominum, poteſt quidem iuxta Auguſtinum, ex hoc intelligi, hunc regem futurum fuiſſe hominem, quia comparatur hominibus: comparatio autem fit in eodem genere, hocque Hebræi dicerent: ſed, vt dixi, iſta maxima gratia, regiaque pulchritudo non poteſt eſſe à diuinitate ſeiuncta. Da enim aliquem hominem, qui non peccet, in quo non ſit aliqua deformitas, aliquod vitium. Et nefas eſt diuinam Theologiam, ipſumque Spiritum ſanctum, mortalem aliquem tantum caducas victorias, ſceptra lignea habiturum, tot laudibus oneraſſe, vt in eum tot Prophetarum ora aperiret, tanta præconia, tot oracula ei prædici faceret. Itaque ſi rectè conſideres, ſecus res quam habuerunt, habere non potuerunt, vt is eſſet diuina pulchritudine, & digna, quæ à tot Vatibus prædiceretur, à Spiritu ſancto decantaretur, indutus, Rex regum, Dominus dominantium. Comparatio autem cum hominibus, non cum Angelis facta eſt, quod tum homo futurus eſſet, tum ex rebus notis aſſumatur exemplum. Nam cum Angelorum forma ſit ignota, accepit exemplum clarum, ſicut ſæpe dicimus, Deum ſuperare vires noſtras, maieſtatem eius, omnem humanam gloriam longè excellere. Hæ locutiones vbique circumuolitant, pulchritudinem quoque humanam Philon ait, à diuina venire, vt quaſi ſit comparatio inter creatorem, & creaturam. Iam etiam homo futurus erat, cuius gratia ſupra omnem mortalem pulchritudinem à diuinitate manaret, iureque obhoc hominibus comparatur, ſicut etiam regibus terrenis collatus, rex regum dicitur. Ideo quod ait,

Tul. offi. 2

Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Gratia.

DEſignatur vt Græci, & Latini teſtantur, regia ſapientia. Deſcribit regem inclytum, inſignem, eumque primum dicit omnium mortalium ſpecioſiſſimum, tum ex ore eius gratiam eloquentiæ fluere, priorque pulchritudo totius maieſtatis, totius formæ regiæ eſt: ſecunda, quæ maxima eſt, tribuitur ori & eloquentiæ. Quid autem ſupererit ad pulchritudinem, cum videris aliquem primum regem, deinde ſpecioſiſſimum? poſtremò diuina, immortaliaque loquentem? Nec vox hominem ſonat, Namque haud tibi vultus mortalis. Tres maximæ Charites, regia maieſtas, forma, eloquentia. Tantam autem docet hanc gratiam oris, ac ſermonis eſſe, vt eam appellet fuſionem, quaſi torrentem, flumen. Sic Homerus γλυκίων ῥέεν αὐδὴ, melle, dulcior fluebat vox. Sed idem noſter maximus, ſpecioſiſſimusque rex verius de ſe dicebat, Qui ſitit veniat ad me & bibat, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et ad Samaritanam, Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Hæc illa eloquentia, hæc oris gratia reuocans à morte, ad regna cæleſtia, rara & diuina πειθὼ, & oris gratia. Quicquid autem hic dicitur, ſpectat, vt dixi, ad aliud regium inſigne. Ac diffuſa eſt, poteſt, quoniam eſt paſſiuum, intelligi diffuſa ab eo qui eum benedixit: aut ſine perſona, diffuſa eſt, fluit, inſidet gratia in labiis tuis, circunfuſum eſt gratia os tuum: ſicut fons effunditur, aut effundit ſeſe, ſic effudit ſeſe vbertim gratia in ore tuo, quaſi vberrima, maxima, redundanſque. Quæ autem ſit hæc gratia, quæue eloquentia, etſi clarum eſt, Chaldæus tamen diuinè explicat, pro diffuſa eſt, dicens, Datus eſt ſpiritus prophetiæ in ore tuo. Gratia igitur eſt ſpiritus prophetiæ. Eſt autem prophetia Hebræis, non futurorum modo prædictio, ſed etiam omnis ſacra cæleſtiſque eloquentia, omnis de rebus altiſſimis, ac ſapientiſſimis ſermo, qualis apud Græcos philoſophia, Perſas & Chaldæos Magia, Theologia quoque apud nos, & illos rerum magnarum, atque occultarum explicatio. Eadem enim ratione celantur, quæ ſunt, tametſi præſentia, ab oculis tamen remota, neque vlla eſt earum in noſtris animis effigies, atque ea, quæ in cauſarum ſuarum ſerie deliteſcunt. Siue igitur explices rerum futurarum ſicut rerum non tempore, ſed obſcuritate remotiſſimarum latebras, prophetia eſt. Ideo prophetæ apud omnes gentes dicti ſunt quaſi theologi, & ſacerdotes cum Diis loquentes, ſacerdoteſque Aegypti, Prophetas Dioſcorides, aliique Græci ſolent appellare. Nam prophetæ quaſi diuorum interpretes dicuntur: ſacerdotes autem intercedunt inter homines, & Deum. Spiritus ergo prophetiæ, eſt ſpiritus ſapientiæ, & ſcientiæ. Spiritus vaticinandi, philoſophandi, theologiæ, in quibus rerum futurarum prædictio tenet præcipuum locum. Et Auen Eſra ait, hoc latam eius ſapientiam deſignari, quæ cum ſit interior, eloquio repræſentatur. Talis gratia effuſa eſt in illo, qui non ſolum venientium ſæculorum, metaſque omnium temporum nobis explicuit, ſed etiam arcana quæ à nullo hominum ſciri potuiſſent, reuelauit, reſerans myſteria cæleſtia, intra cœli vertiginem abſcondita. Hæc eius perennis vbertimque fluens eloquentia. Eadem videbitur, cum eum omnes mortales audient loquentem, tonitrua, fulminaque contra impios tonantem: dulcem autem, ac placidum erga pios, regiis edictiſque ſortes æternas cuique deputantem. Quod autem dixit, Propterea benedixit te Deus in æternum, Rabi Dauid vult hunc eſſe ſenſum: Cùm intelligam in te eſſe tot dotes, tam pręclara dona, dixerim te., Deum, benedictione ſempiterna benedixiſſe, non poſſum aliud dicere, quàm te à Deo benedictum in ęternum. Ac cum dicit, Propterea, non reſpicit cauſam, quòd illa fuerint in cauſa, vt à Deo benediceretur, ſed eorum eſt cauſæ aſſignatio. Hoc, inquit, eſt, quòd in te eſt tanta ſapientia, tanta maieſtas, quia benedixit te Deus in ęternum. Ideo benedictus es in ęternum à Deo, quia tanta es ab eo gratia donatus. Non aliud eſt hæc gratia, quàm diuina benedictio. Verum duos poteſt habere ſenſus, eum à Deo benedictum eſſe, vt aut ad conſuetudinem ſcripturarum omnia in Deum, pręcipuè maxima quęque referentium, dictum ſit, aut altiſſimum ſubeſt myſterium, declaraturque illa ſapientia, quam idem ipſe attulit de cœlo. Omnia quę filius habeat, à patre accepiſſe, à quo primum acceperit, accipiatque, ipſum eſſe: eſſe autem non humanum, ſed diuinum, cum quo omnia bona ſequuntur. Ideo ille dicebat, Sapientia mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Et omnia inuenies eum, pręcipuè apud Ioannem, vbi eſt altiſſima philoſophia, patri referre accepta, tanquam optimum, obſequentiſſimum, gratiſſimum filium, iuxta quam philoſophiam etiam Paulus dixit, Quem conſtituit regem vniuerſorum. Et Conſtitutus eſt à patre iudex viuorum, & mortuorum. Et, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. &, Caput Chriſti eſt Deus: Angelus item magni conſilii apud Eſaiam, nimirum miſſus à patre. Illeque ſolus patris ſui diuinitatem apertè reuelauit. Hanc philoſophiam inueniemus etiam apud priſcos. Ideo enim vocabant patrem τὸ ἀγαθὸν, ipſum bonum, ſcientes ab eo manare omnia: primumq; omnium cauſam, filium ſuum. Chaldęorumq; oracula, & Sibyllarum apertè confitentur, ei à patre rerum creationem traditam, regemq; Deorum ab eo conſtitutum. Hę ſunt gratię, quibus à Deo benedictus fuit in ęternum. Neque verò filius eſt minor.

Rex.
Pulcher.
Eloquens.

Diffuſa eſt.

Prophetia.

Prophetæ.

Sacerdotes

Propterea benedixit te Deus in æternum.
Propterea nō reſpicit cauſam.

Ipſum bonum.

A minor. Nam genitus à Deo, Deus eſt, cum diuinitate eſt æternitas, omnis poteſtas, ſed eò minor, quòd ille dedit, is accepit. Ille genitor, is genitus. Is mittitur, exequitur, paret: ille mittit, iubet. Ac quoniam dixit, inæternum, quis non intelligit diuinitatem ſempiternam? Quid hic dicent Hebræi, cùm hunc de quo hæc dicuntur, fateantur eſſe, Meſſiam, volunt eſſe merum hominem moriturum, nihil amplius? Vbi eſt in his ſempiterna benedictio? quæ, quid aliud, niſi gloria æterna, & earum gratiarum, quæ in eo apparuerunt, & à Prophetis ſunt decantatæ, ſempiterna poſſeſſio? Si eſt rex, ſi ſpecioſus, ante omnes homines, & ſi tanta gratia & ſapientia circunfuſus, hæcq́; omnia in ſempiternum, quid aliud prædicatur, niſi diuinitas, cui & omnia bona, & bonorum æternitas eſt adiuncta? Qui triginta vel quadraginta, vel etiam centum annos regnet, deinde ſicut cæteri moriatur, eo mortuo, omnes cum eo gratiæ morientur, nec erit ſempiterna benedictio? Eſt autem benedictio, largitio, effuſio. Ideo cum Iſaac benediceret filium, dixit, Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei, & ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit, benedictionibus repleatur. Simili quadam benedictione, benedictus eſt à patre ſuo filius amantiſſimus. Dedit ei omnium rerum abūdantiam, dedit diuinitatem, omnigenam ſapientiam, ac poteſtatem, dedit imperium, iuſſit vt in nomine eius omne genu flecteretur, cæleſtium Angelorum, mortalium hominum, dæmonum deiectorum. Qui ſpernit eum, ſpernit patrem eius, & ab eo maledicitur. Qui autem adorauerit, benedixerit, benedicetur ab eo. Et hæc benedictio, non ore, & votis, qualis Iſaac, ſed quoniam ſupra Deum nihil eſt, fuit re, & fuit ab æterno. Ideo vſus eſt præteriti temporis verbo. Ne ſubterfugias autem, dicaſque non ſempiternam benedictionem deſignari, quia עולם olam, deſignet ſæculum, ecce pro B ſæculo tranſtulerunt Septuaginta Hebræi αἰῶνα, æuum, quod teſte Ariſtotele, & Plotino dicitur quaſi ἀεὶ ὢν, ſemper exiſtens. Ideo rectè Latinè redditur inæternum. Ac quod dixit in præterito, in æternum benedixit, reſpicit, vt dixi, non ſolum poſteriorem, ſed etiam anteriorem æternitatem, licet apud Deum ſit vna.

In ætern.

Olam

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.

HEbræi & Græci conueniunt in eundem ſenſum, quòd narrata eius pulchritudine, narrata ſapientia, deſcribit fortitudinem, alloquens vt imperatorem, vt magnum ductorem copiarum, accingat gladium, hoſtes proſternat, & occidat. Hucuſque Hebræi progrediuntur, ſola verba, ſenſum in ſuperna facie apparentem proponentes. Chaldæus autem ampliauit orationem, hoſtes memorans dicenſq́;, Accingere enſe tuo ſuper femur tuum fortis, vt interficias Reges cum Soldanis. id eſt, principibus. Græci igitur, ac Latini hos hoſtes, & Reges, eos interpretantur, qui κοσμοκράτορες, principes mundi à noſtris dicuntur, cum quibus, vt ſæpe dixi, ſceleratorum, impiorumq́; ſequitur agmen, qui perinde regnum patris ſui, quod iuſtitia, æquitaſq́ue eſt, & recta ratio, euertere conantur, atq; dæmones. Reſpice igitur animumq́; exere. Non. n. ſunt veri hoſtes, qui noſtras opes corporeas depopulantur, ſed qui profanant iuſtitiam, quorum conſilio efficitur ciuitas impiorum, regno, & gloriæ Dei infeſta, inimica. Quemadmodum autem iuſtitia, & pietas gloriam Dei, nomenq́ue augent, cupiuntq́; famam cæleſtem imperiumq́; propagari: ſic omnis impietas molitur dedecus Dei, maieſtatem eius quęrit minuere. Cum autem filio, vt omnium gentium, & noſtris oraculis eſt cantatiſſimum, pater tradiderit rerum creationem, & earum adminiſtrationem, eumq́ue imperatorem, & ὕπαρχον, vt Philon vocat, regni ſui conſtituerit, cum filius venerit in mundum, vt patrium decus propagaret: eadem certè ratione eius hoſtes ſunt, & ad eum ſpectat cædes impiorum, inimicorumq́ue Dei, qui ſeſe à cultu eius auertant. Induciturq́ue in ſacris litteris, filius, gloriæ patris ſui ardentiſſimus defenſor, vt cum eiecit è templo iratus vendentes, & ementes, euertitq́ue eorum ſedes, & hoc in humano, fragiliq́ue corpore, & in re minoris ponderis: quomodo æſtuabit, quo impetu, quaue indignatione à conſpectu ſuo abiiciet ſceleſtiſſimos & impiiſſimos quoſque, totamq́ue malorum cateruam? quos inimicos patris ſui appellabit, ſicut pios amicos? Venite, dicet, benedicti patris mei. Vbiq; etiam in ſacris litteris impios, & ſceleratos, inimicos Dei inuenies nuncupari, Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Contabeſcebat, liquefiebat homo dolore, & indignatione ſuper inimicis Dei, quid filius ipſe Dei, ad quem ſpectat maximè totum iſtud odium? Et illud, Inimici autem Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, ſicut holera herbarum deficiēt. Ecce, inimicos Dei ſuperbos, ac principes, & in honoribus conſtitutos vocauit. Conſideratis igitur omnibus, hæc appellatio inimicorum, & contra inimicos bellum, ac cædes eorum, & gladius quo cæduntur, maiora declarat, quàm res humanas, & humana bella, vilia, indigna Deo. Nec de ſanguine inimicorum fundendo, ſed de mactandis eis alia ratione, quod & Eſaias prædixit, de ipſo Meſſia canens, Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et diuus Paulus: Quem Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui interficiet. innuens Antichriſtum, euerſorem paternæ gloriæ, quiq́ue turbabit, aget, rapietq́; mundum. E grege eius ſunt, ſignumq́; eius ſequuntur omnes impij, quæ quidem res principium habuit à dæmonibus. Ecce quomodo Meſſias ſeſe armabit, interficietq́; inimicos ſolo ſpiritu ſuo, ſicut ſolo ſpiritu, & voce quatriduanum mortuum reſuſci-

Hoſtes Dei

Primatem principem ac recto.

Ioan. 2.

tauit. Hæc antiqui Poetæ imitati, induxerunt etiam ipſi Deos pugnantes: & apud eos, & noſtros viſi ſunt Dij, id eſt, Angeli armati, gladium horribilem, fulmineum tenentes, tantaque ſe facies aperiebat, vt exanimes caderent videntes. Et Homerus hæc ſacra ęmulatus, quorum apud Aegyptios non fuit ignarus, perinde atq; noſtrę litteræ, exercitum peſtilentia interfectũ, inducit, interfectum iaculante deſuper Deo. Sic exercitum Aſſyriorum peſtilentia interemptum, ſacræ litterę dicunt ab Angelo trucidatum. Illis & inſequentibus temporibus Angeli gladios ardentes tenere viſi ſunt, qui peſtilentia occidiſſent. His exemplis fit perſpicuum, non debere nos falli, aut turbari conſuetudine ſcripturarum, Deo, & inimicos, & bellum, & gladios attribuentium. Siquidem, & de Angelis (licet de populo exponant Hebræi, Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis) dicitur in Pſalmo, Et gladij ancipites in manibus eorũ. Ecce gladius in manibus Angelorum ad interficiendos Reges, & Principes, quod nunc prædicatur de Meſſia. Nec arbitror tamen gladium illum Angelorum, ferream ſpatham, quibus mortales vtuntur, quenquam ſentire, ſed ſimile quid. Et Chaldæus illic dixit, Et gladius iuſtitiæ in manibus eorum. Habes quem gladium ſentias. Mortales quoque fingunt iuſtitiã, gladium tenentem. Et magiſtratus anteit gladius, quo ipſi non vtuntur. Neque certè ſi rectè perpendas, aliud eſt illa iuſtitia ſic figurata, niſi filius Dei, qui conſtitutus eſt à patre iudex viuorum & mortuorum. Nam pater, vt de ſe filius loquitur apud Ioannem, non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, Iſte gladius, quo accingit ſeſe, & hoc deſignatur vniuerſalis eius iuſtitia, & poteſtas, regia maieſtas. Is procedit ex ore eius acutus. Vocauerat eum Regem, dixerat eſſe formoſiſſimum, grandiloquum, nunc tribuit ſceptrum regium, poteſtatemque iudicandi, dat ei faſces ſicut Dictatori, quæ cùm ſuprema apud Romanos poteſtas eſſet, antecedebant eam duodecim faſces, Conſules ſex, quibus cædere obuios quoſque prauè agentes, vrbem obambulantes, omniaque circunſpicientes, quale facit in mundo iuſtitia diuina, ſolebant. Ex his ſi Hebræi ſaperent, hunc tam inclytum, tanta maieſtate Regem, niſi Deum eſſe non poſſe cognoſcerent. Proponitur enim vniuerſalis quædam iuſtitia, inimici, & gladius alterius generis oſtenduntur. Conſidera & illud, Si Meſſias non Deus, ſed homo, ſi non fuit, ſed futurus eſt, quomodo eum alloquitur quaſi præſentem, Accingere gladio tuo ò potentiſſime? Crede mihi, videbat eum, & cum eo, ſpiritu ſancto vectus loquebatur. Præſens pręſenti hæc canebat. Deinde licet ſit Hebracè גבור ghibbor fortis, potens, vt poſſit in homines cadere: non ſine ratione tamen abſolutè fortis dicitur, ſicut & rex. Et gibbor, ſæpe eſt nomen Dei. Ornat igitur eum regiis inſignibus. Dedit coronam, appellauit, ſalutauitq; Regem, dedit ſpeciem imperio dignam, dedit grandiloquentiam, maieſtatemque dictandi: nunc dat gladium iuſtitiæ, appellans etiam potentem, fortem.

Ioan. 8.
Ghibbor.

Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

ORatio iuxta Græcos, ſic diſtinguenda eſt. Sunt enim tria verba imperandi, Intende, ſequitur Græcè κατευόδου proſperare, feliciter ingredere, quod Latinus, proſperè procede. Tertium eſt, regna. Sed Hebraicè aliquid varium. Primum quod dicitur, ſpecie tua, ſiue gloria tua, eſt הודך hodeka, confeſſione, laude tua. Deinde והדרך vehadareka, & ſplendore tua, gloria, pulchritudine. Tum vbi Sept. dixerũt ϗ ἔντεινε, & intende, eſt rurſum והדרך vehadareka. Eoq; Hie. tranſtulit, gloria tua, & decore tuo. Et quod Sept. καὶ βασίλευε, & regna, eſt רכב rekab, equita. Tum quod tranſtulerunt ἕνεκα τῆς ἀληθείας, propter veritatem, eſt על דבר אמת aldebar, emeth quod duo deſignat, id quod Sept. tranſtulerunt, Et ſuper verbum veritatis. Iam quod apud nos dicitur, & iuſtitiam, iungenda ſunt, & manſuetudine iuſtitiæ. Præterea ſciendum dimidum ſuperioris verſiculi hærere cum iſto, dicendumq; vt oratio ſit clara, & diſtincta, & iuxta Hieron. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, gloria tua & decore tuo. Tum ſequitur alius verſiculus: Et decore tuo, proſperare, equita ſuper verbo veritatis & manſuetudine iuſtitiæ, & docebit te mirabilia dextera tua. Eſt igitur elegans repetitio decoris quod poetæ ſolent:

Ecce autem Panthus telis elapſus Achiuum,
Panthus Otriades.

Et veluti ſi quis diceret, Verſatus eſt in prouincia, ſplendidè, & dignè. Et dignè ſeſe vbique geſſit. Et, in cœlo viuitur perenniter, & beatè. Et beatè ſemper triumphatur. Dixerat autem vt accingeret cum decore & gloria gladium, id eſt, decorè, inclytè, glorioſè, nobiliter, ſpecioſè, pulchrè, regaliter. Rurſum ait, vt decorè & glorioſè accinctus enſe diuino procedat, feliciter ingrediatur in bellum: eius enim tantam eſſe poteſtatem, vt dexteram ſuam ſenſurus ſit fortiſſimam, validiſſimam. Ingrediatur autem ad iuſtitiam, & veritatem, tum ad manſuetudinem, vt iudicium ſit mite, clemens, manſuetum, non crudele: tribuitq; ei hæc omnia, gladium regium, inceſſum grauem, felicitatem in rebus gerendis, veritatem & prudentiam in diſquirendo, cum ſe ueritate & iuſtitia manſuetudinem, fortitudinem quoq; manuum, rerum item gerendarum, incredibilem poteſtatem. Poteſt autem, quoniam apud Hebræos caſus non diſtinguuntur, hoc modo dici iuxta expoſitionem Rabi Dauid, Accingere gladium tuum, ſuper femur, potentiſſime:

Appoſitic.

A gloriam tuam,& decus tuum. Gladium,inquit,accinge,qui eſt decus,& inſigne tuum,in hoc gladio poteſtas & gloria tua cognoſcitur. Glorioſus enſis tuus,maieſtas omnis tua hoc gladio intelligitur. Eſt enim imperij & poteſtatis inſigne. Ac rectè dicunt Hebræi gladium, τροπικῶς accipi, non reuera,ſicut antè dictum eſt,eoque timorem omnium gentium deſignari. Quare autem datus ſit gladius Meſſiæ, non rectè intelligunt. Ac dicunt quòd quanquam in diebus Meſſiæ erit pax,ſicut ſunt vaticinati prophetæ,tamen in principio regni eius, bellum Gog, & Magog. Quo teſtimonio imperitia eorum,apertè conuincitur,& veritas ignaris excidit. Confundunt enim duplicem Chriſti aduentum,quo primo adueniente, pax in toto orbe terrarum fuit. Et Angeli eo naſcente cecinerunt,In terra pax. Et Eſaias eum Regem pacificum appellat. Et Sibyllæ eo naſcente aurea ſæcula reditura. Venit enim manſuetus, humilis,placidus: & cum poſſet gentes implere terrore, ſpargere per omnes terras legiones cæleſtes, adeò tamen maieſtatem ſuam diſſimulauit, & texit,vt ſeſe ante omnes homines deiecerit. Factum eſt igitur, quod Hebræi veritate cogente fatentur à Prophetis prædictum. Quid enim indigemus teſtibus, ipſis ea aperte aſſerentibus? Quod autem dicunt de Gog & Magog,confundunt,vt dixi,ex ſumma imperitia alterum aduentum,qui erit in gloria maieſtatis ſuæ,circunſtantibus legionibus Angelorum, & millibus ſanctorum,bellumque erit viſibile contra Antichriſtum, qui iure à noſtris dicitur filius perditionis, & princeps apoſtaſiæ. Conſurget enim contra omne quod dicitur Deus,eoque cultoribus veri Dei bellum inferet,ſummis eos cruciatibus,vbi potuerit,afficiet. Is ab eis vocatur Gog & Magog ſeptus exercitibus impiis ſuis. Ideo ſanctis fidem ſpemque Dei veri implorantibus, & turbato tumultuanteque toto mundo,nec ſani quicquam reſtante, veniet de cęlo terribilis filius Dei, impiumque illum gladio oris ſui interficiet, finemque rebus imponet. Hæc eſt veritas, hæc ab Hebræis,ſed mente ignara dicuntur. Dicunt enim ab iſto,de quo canitur Pſalmus, bellum impiis inferendum,& ſanctos ab eo liberandos,ſe ſanctos ex ſumma imperitia,impios autem Romanos & Chriſtianos interpretantes,eodem ſcilicet iudicio, quo ſunt in omni profeſſione. Rectè igitur gladium figuratè accipiendum cenſent,eoque deſignari iudicium & bellum contra impios. Hoc enim canunt noſtræ litteræ,quod magis etiam Hebræorum his teſtimoniis roboratur,qui neſcio quo impetu agnoſcunt, & fatentur gladium hic accipiendum eſſe figuratè, quo ſeſe refellunt, cum Meſſiam terreſtrium copiarum ductorem faciunt, enſem ferreum, quo ſanguinem eorum, qui Hebræos infeſtaſſent, ſpargat, tribuunt. Ecce cognoſcunt, pro enſe maius aliquid accipiendum,diuinam nempe autoritatem,& ſolo ſermone vincendi, refellendi, iudicandi poteſtatem. Quæ ſoli Deo adeſſe poſſunt,vt neceſſariò cui tanta autoritas traditur,ab illis,& à nobis Meſſias interpretatus,ſit poteſtate, & natura diuina. Gladius igitur is decoris glorioſus, inclytus, gladius, qui eſt gloria eius, & decus, eſt inclyta poteſtas, lataque maieſtas, ſcelerum cognoſcendorum iudicandorumque diuina autoritas. Id enim faciet Chriſtus ore,imperio, dictis, cum dicet, Ite maledicti in ignem æternum: & cum ſpiritu oris ſui principem impiorum interficiet, & Reges, & principes enſe ferreo, cum caput nefario cuique iubent abſcindi. Sed illi humanè, Deus diuine. Illi quod ad hanc vitam, & corpus,ille quod ad æternitatem, totumque hominem attinet. Quoniam autem iudicium eſt,vbi & cognitio delictorum, ſi Meſſias iudicat, etiam cognoſcat neceſſe eſt: cognoſcere omnia ſcelera,præterita,præſentia,& futura,tum latebras cogitationum euoluere,videre etiam pondera criminum,hæcque exactè,ac diligenter perpendere, ne iudicium aut immeritos damnet, aut meritos pęnarum abſoluat, quis non intelligit, niſi ſolius Dei eſſe non poſſe? Meſſias igitur iudicat, & is eſt gladius eius: vniuerſale autem exactumque iudicium ſolius ſapientiæ diuinæ, vide tu quid ſequatur. Hoc igitur eſt quod in præſenti verſiculo dicitur: Et decore tuo proſperare, equita ſuper verbo veritatis, & manſuetudine iuſtitiæ. Quo loco ſunt Hebraici ſermonis figuræ, & tropi, Equitare ſuper verbo veritatis, ſonat, quod quemadmodum decorem & gloriam eius, dixit gladium regium, ſic bigam & currum eius, dicit eſſe iuſtitiam, veritatem, manſuetudinem,quaſi à duobus nitentibus, diuiniſque equis biga trahatur,à veritate,& à dulci,manſuetaque iuſtitia. Sic enim eſt Hebraicè ענות צדק aneuat zedek, manſuetudine iuſtitiæ. aut ſine tau, manſuetudine, & iuſtitia. Nec mirum hac eum eleganti figura vti, quandoquidem & Plato hominem bigæ aſſimilauit, quæ à duobus equis trahatur, furore,& cupiditate, deſuper regat habenas,tanquam auriga,ratio,mens. Equi ſunt irrationales, furor & cupiditas, ratio auriga, currus moderatrix. Idem facit Iouem ſuper currum πτηνὸν volucrem ire per cœlum. Sic noſter Rex, currum eius iuſtitia & veritate trahentibus, veniet ad iudicium: vt ſi quis Latinè diceret, iuſtitiæ moderatur habenas. Ac veritas pertinet ad verum, ſyncerumque iudicium, iuſtitia vt iudicetur, procedaturque ad ſupplicia: manſueta iuſtitia vt de pœna, & criminibus detrahatur, vt adſit clementia, condonans peccata, fragilitatem humanam miſerata. Quę duo ſunt in his ſanctis litteris celeberrima, nunc iuſtitiam Dei, nunc miſericordiam indefeſſe canentibus. Eſſe autem hunc verum ſenſum apparet ex Chaldæo,qui partem huius verſus transfert, Proſperare ad equitandum ſuper equos regni. Sunt ergo equi regni diuini, veritas & iuſtitia cum clementia, quibus conſtat regnum Dei, quibus vtitur is qui conſtitutus eſt iudex, cui datum eſt iudicium viuorum ac mortuorum. Hæc eſt altiſſima quadriga, qua portatur altiſſimus Rex filius Dei. Quorum dictorum grauitatem ſi poſſent Hebræi agnoſcere,

Philipp.2.

Gladius.

ſcere, intelligerent vtique, eum, de quo iſta tam grandia canuntur, habere neceſſariò diuinitatem. Hæcq́ue eodem ferè modo accipiuntur de vno eodemq́ue Meſſia ab eis, Græcis, ac Latinis. Ad eundemq́ue ſcopum omnes diuerſis è locis tela iaciunt. Nam verbum vęritatis, negotium legis, & fidei, Hebræi, & Chaldæus: noſtri Euangelium, Dicerem ego vniuerſale iudicium, mundiq; moderamen, præcipuè rebus nouiſſimis, quod Hebræi ſpectant, volentes à Meſſia eo tempore legem defendendam, rectius nos, non cęremonias illas, ſed maximum Dei cultum, & honorem, pro quo contra principem apoſtaſiæ depugnabit. Ac verbum proſperandi, ea ratione ab Hebræis exponitur, qua à Sept. eſt tralatum κατευοδεῖν. Exponunt enim ipſum, tranſire, incedere, vt ſonet feliciter ingredi. Quod autem dicit, Et deducet te mirabiliter, pro Deducet ὁδηγήσει, eſt Hebraicè תורך toreka, docebit te, ſicut tranſtulit Hieronymus. Idem verò docere, & ὁδηγεῖν deducere. Senſus autem clarus eſt, tropo qui ſub dextera latet, reſoluto. Dextera eſt potentia, robur, potentia qua inimici cadunt.

Deduc. te.

Nunquam animam talem dextra hac (abſiſte moueri)
Amittes. Et,
Contigimusq́ue manum, qua concidit Ilia tellus. Et,
-Dextra Drancis nec dicta refellam?

Et apud Poetas Græcos, quoties καὶ χεῖρας ἀάπτους. Sic noſter Poeta, bellicoſo regi, cui gladium quoque tribuerat, tribuit dextram potentem, terribilem, grauem, prodigia facientem, bella immania conficientem. Hæc, inquit, docebit te, ſuggeret tibi mirabilia, grādia. Sicq́; τροπικῶς, tribuitur dexteræ quòd doceat, cui tribuunt vim, effectumq́ue belli & cædis, etiam protani Poetæ. Hæc de femore gladium educit. Omnia de diuino Rege ἀλληγορικῶς.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.

PRo corda, dicendum iuxta Græcum, & Hebraicum, Cor. Verba clarent, ſi ſenſus pateret. Eodem tropo tribuuntur ei ſagittæ, atque gladius, & dextera fortis, ac terribilis. Eſtq́;, vt admonent Hebræi, hyperbaton, quia dicendum eſt, Sagittæ tuæ acutæ cadent in corda inimicorum regis, id eſt, figentur in cor inimicorum iſtius regis, inhærebit letalis harundo: tranſadiget coſtas, & pectora rumpet. Aureus ex humero ſonat arcus. Ac fixo tranſit præcordia ligno. Et ſimilia huic loco Homerus,

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφία τε φαρέτραν.
Arcum humeris geſtans, villo horrentemq́ue pharetram.

Similis eſt iſtius item noſtri Dei deſcriptio. Quemadmodum autem Homerus Deum illum vocat Regem tribuitq́ue ei τόξον, arcum & ſagittas, & peſtilentiam, quæ latè ſtrauit Achiuos, inducit fuiſſe vulnera, ſpiculaque Dei, ſic omnia hæc ſunt apud hunc noſtrum. Sagittas appellat dicta, imperiaq́ue Dei, quibus interficiet impium. Et, Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium, ait Eſaias. Neque enim etiam apud illum Poetam, Philoſophi ſagittas, vt ſonat, accipiunt, ipſeq́ue Poeta clarè oſtendit, Ac ſunt etiam Hebræi qui verbum cadendi vtroque referant ad populum, & ſagittas, Populi cadent, cadent ſagittę in cor inimicorum. Primus eſt igitur ſenſus, vt hæc quaſi ad ſecundum Chriſti aduentum referantur, in quo poteſtas eius, & maieſtas, iudicium, ac ſeueritas, qua turbę, vt vertit Chaldæus, vſurpans vocem Græcam ὄχλος, agminaq́ue impiorum ducem Antichriſtum ſequentium, ingenti ruina & vaſtis occiſorum aceruis, ſternentur, tum ante Chriſti tribunal, & ipſi, & omnes ab orbe condito ſcelerati, qui Deo bellum intuliſſent, ſimiles illis qui tunc inuenientur, ab illo fortiſſimo, formidabiliq́ue Rege, quem infinita ducum, principum, poteſtatum circunſtabit multitudo, pęnis æternis deputabuntur. Nec mora erit poſt latam ſententiam. Hæc cum maxima ſint, vt nihil in rebus diuinis, & humanis ſit maius, oraculis Prophetarum ſunt prædicta, præ quibus humana bella vilia ſunt, contemptiſſima. Et apud ipſos Poetas apparet pęnas à Diis illatas, ſagittas, & iacula vocari, vt ſimiliter is, cui ſagittæ volantes, auras ſcindentes, acutæ, volucres dantur, ſit Deus, nec mortalem Regem debeas intelligere, vt toto elucet in Pſalmo. Eſt alius ſenſus Rabi Salomonis, & Græcorum, Latinorumq́ue, vt quemadmodum verbum Dei gladium vocat diuus Paulus, ſic ſagittæ ſint verba Euangelii eiaculata ab Apoſtolis in corda populorum. Nam Salomon ſagittas ſimili ferè ſenſu exponit, ſapientes diſcipulos legis. Quemadmodum extat in Pſalmo, Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum. Et Eſaias vocat Ioannem, ſagittam electam. ibiq́; ait, Vt euellas, diſſipes, quæ pro ruina, hoſtiliq́ue euerſione non accipi, palam eſt. Sed pro euerſis religionibus impiis, humanis cordibus mutatis, talis euerſio poteſt eſſe prædicta hoc Pſalmo, qua etiam euerſio imperii diabolici continetur. Et Chriſtus dixit figuratè, & ad morem Pſalmorum, Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Et, Videbam Satanam ſicut fulgur, cadentem de cęlo. Et Zacharias, iam Chriſto nato, Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos. Quibus teſtimoniis apparet figuratè arma, ſagittas, gladios, bella, hoſtes, cateruaſq́ue cadentium accipi. Sicut figuratè vocauit Homerus ſagittas Dei, peſtilentiam. Hic autem etiam interior quædam figura, ſi populi, hoſteſq́ue in bello cadentes, dæmones innuantur, quaſi συμβολικῶς.

Cadent.

Sagittæ.

A συμβολικῶς. Sunt enim ſymbola, vt ait Philon: σύμβολα δ᾽ ἐςὶν τὰ λεχθέντα φανερὰ, ἀδήλων καὶ ἀφανῶν δ᾽θέος, Clara nomina rerum ſtatim occultarum, aſpectumque fugientium. His plenæ ſunt ſcripturæ ſacræ. Quanquam potius μεταφορικῶς ſuperiora illa dicantur. Hoc quoque loco obſerues, Regem abſolutè vocari, & inimicos eius, quaſi inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, gloriaque eorum, plena confuſionis, terrena tantum cogitantium. Sicque in ſanctis oraculis duæ ſunt acies inimicorum & amicorum Dei, priores etiam ab antiquis Græcis dicti ἄθεοι, θεοςυγεῖς. Poſteriores θεοφιλεῖς, εὐσεβεῖς, θεοσεβεῖς. E quibus duæ reſpublicæ, duę ciuitates, duo regna fiunt, pugnaturque ſemper inter vtroſque, donec bellum ſupremum geretur.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui.

CVm res clariſſima ſit, ad eundem illum eſſe nunc ſermonem, atq; ſuperius, cum quo ſemper ab exordio pſalmi eſt locutus, vt iſta ſecunda perſona, cum qua nunc ſermo eſt, eadem ſit neceſſario, atque ea cum qua quaſi facie ad faciem loquutus ſemper eſt: Hebræi tamen iſtius temporis, qua ſolent vbique miſerabili cæcitate, diuerſis cuniculis ſubterfugere conantur, adnixi totis viribus, veritatem benigne in oculos eorum claram, ac manifeſtam venientem repellere, ne religionem Chriſtianorum, quam ſtulto odio execrantur, aſſerere cogantur. Eſt igitur clara hoc loco confeſſio Meſſiam eſſe Deum æternum, eſſe ſedem eius ſempiternam. Hoc enim eſt, quòd eadem tempore Chriſti conſtans opinio in toto populo Hebræorum erat. Ideo dixerunt eidem, Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. In æternum, B hoc eſt, poſt & retro, eius regnum, ac diuinitatem, imperiumque futurum. Si mortalis eſſet, vt turba dicebat, more cæterorum hominum mortuus deficeret ipſe, & regnum eius. Ecce igitur Hebræos, Hebræis opponentes, recentium eorum poſſumus imperitiam, ac malitiam refellere. falſis, & ineptis diuerticulis à veritate refugientium. Ac Rabi Sahadias paulò ante Auen Eſra antiquior, exponit, Sedem tuam Deus ſtabiliet, in ſæculum ſæculi, refugiens fateri Meſſiam eſſe Deum. Auen Eſra pòſt interpretatus eſt, Sedes tua Dei, id eſt, ſedes tua Meſſia, eſt ſedes Dei, ſicut dicitur de Salomone, quòd ſedit ſuper ſolium Dei, appellante theologia, ſolium regum Iſrael, ſolium Dei, quia ſuper ipſum, imperio Dei ſederant, eademque probat Rabi Dauid. Rabi Salomon vult Deum appellatum ipſum Meſſiam, ſicut appellatur in Exodo, Moſes Deus Aaron, Tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent. Et ad Moſen, Et dedi te Deum Pharaonis, ſic Meſſiam non verum Deum, ſed quaſi Deum, aut vice Dei eſſe. Quorum omnium aperta eſt, & cuiuis de medio expoſita dilutio. Quatuor ſunt rationes, quibus & eorum error refelli, & veritas clara demonſtrari queat. Primum, quòd facile ſit intellectu, eandem nunc eſſe ſecundam perſonam, ac ſuperius, & inferius: ſuperius eorum etiam teſtimonio eſt Meſſias. Poſt ſemper etiam erit Meſſias. Non enim eſt probabile, cùm totus iſte pſalmus cum aliquo ſecundo aſtante, ac præſente loquatur, hunc qui ſemper ſit Meſſias, in vno verſiculo duntaxat eſſe alium. Secundo, ſi Meſſias eſt, vt velle videntur, expreſſa inſcitia eſt, qui Deus dicatur, dicere aut quaſi Deum, aut tam abſurdè orationem interpretari, vt dicant, Sedes tua, Dei, ſcilicet eſt, ò Meſſia. Tertio, quomodo defenditur, ꝙ hanc eandem ſedē cùm Meſſię ſedē fateantur, Vates eam dicat ſempiternã? Quid eo innuitur, niſi ſempiterna diuinitas? Tum ſedē, quæ Prophetarum oraculis cantantur diuinã eſſe neceſſe eſt. Veritas igitur eſt clara, & perſpecta, nec poteſt, quantumuis artificioſa malitia occultari. Idem eſt hoc loco Deus, atque ſuperius, & eiuſdem regnum ſempiternum effertur, cuius gladius, cuius ſagittæ, cuius forma, cunctis hominibus præferebatur. Quem appellauerat primùm regem, tum formoſiſſimum, diuinitus loquentem, in æternum à Deo benedictum, fortiſſimum, veridicum iudicem, felicem, ſeuerè, & clementer iudicantem, inimicorum vaſtantem cateruas diuinis ſagittis: nunc denique tribuit ei diuinitatem, regni æternitatem, ſicut fama erat penes antiquos Hebręos: Nos audiuimus, dicebant, ex lege, id eſt ex ſacris litteris, quòd Chriſtus manet in æternum. Quomodo poſſet igitur ſedes eius, ideſt ſicut tranſtulit Chaldæus ſolium glorię, eſſe in ęternum, & vltrà, ſicut dicitur in pſalmo: & in ſęcula ſæculorum, ſicut vertit Chaldęus, ſi Meſſias homo tantum, non Deus? Cuius eſt mortalium regum regnum ſempiternum? ſi tribuitur Chriſto ſempiterna maieſtas, quod illi quidquid conentur, negare non poſſunt tribuitur ſempiterna diuinitas. Diuinus eſt igitur iſte pſalmus, eiq; ſubeſt alta theologia. Is enim eſt de quo totus iſtorum oraculorum chorus canit, Dominus in cœlo parauit, id eſt firmauit, ſedem ſuam & regnũ eius omnibus dominabitur. Ecce & hoc pſalmo, & regem eum nominat, & ſupra omnes mortales formoſum, nominat item ſedem. Vbinam ſedes ſempiterna niſi in cœlo Sicque locus is ex illo innoteſcit, cùm ſimilia nomina, ſimilis item ſit locutio. Sic dicitur, Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Id eſt, ſedet in altiſſimo diuinitatis throno. En Dominus, en ſedes. Et, Parata, hoc eſt firmata, ſtabilita eſt ſedes tua, ex tunc à ſeculo tu es. Nimirum ab ęterno, ſicut alibi, Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua, in omni generatione, & generatione. Quibus exemplis apparet eundem hunc eſſe, de quo loquitur præſens, atque eum, de quo ſimili, locutione, cęteri loquuntur pſalmi. Illum autem Hebræi Deum non negabant, ne iſtum quidem. Similiter locutus eſt Daniel, Poteſtas eius poſtetas ęterna.

Sedes tua Deus, in ſe. ſc.

Sedes. Directio. Virga.

na. Et regnum eius, quod non corrumpetur. Dicitur ergo, Sedes tua, quo non omnis ſedes intelligitur, ſed regia, Hebraicè kiſe, Græcè thronus, Latinè, ſolium: Quod autem dicit, Virga D directionis, virga regni tui, pro directione, Græcè εὐθύτητος, æquitatis, vt reddit Hierony. Et pro virga, Hebraicè שבט shebet, quod virgam ſonat, & ſceptrum. Non auferetur ſceptrum de Iuda. Vbi eſt hæc vox. Sceptrum hic vertit etiam Hierony. Exponunt autem Hebræi hoc iuxta ſuperiora, refugientes ſenſum verum. Quia, inquit, ſceptrum tuum eſt iuſtiſſimum, ideo regnum tuum erit æternum. At is non eſt verus ſenſus, ſed ideo regnum tuum eſt æternum, & ſceptrum æquiſſimum, quia Deus es. Nemo eſt enim ſuper terram, qui non peccet: vt regnum Dei duntaxat, & iudicium poſſit eſſe incorruptum. Si humanum eſſet hoc regnum, non eſſet vſquequaque à peccato alienum. Præterea ſi homo Meſſias eſt, quomodo regnum eius ſempiternum? Nam ſi homo eſt, vtique morietur, ſicque non erit eius regnum æternum. Quòd ſi in poſteris remanſerit, æternane erit regum ſeries à Meſſia orientium, & in æternum non peccantium, cùm etiam ipſe Adam peccauerit, peccauerit etiam Dauid? à quibus, tametſi ipſi genearchæ ſanctiores fuerunt, nepotes ſcelerati, & impij nati ſunt. Siue igitur in vita Meſſias, ſiue in poſteris, propter eximiam pietatem, æternum regnum habere non poterit. Sicque cognoſcitur, eos quæ maiores bene ſenſiſſent, & bene à ſcripturis tradita fuiſſent, deprauare ſtuduiſſe, propter eum, quem ſibi finxerunt pietatis errorem. Laudat igitur pſalmus incorruptam regni iuſtitiam, ſicut dixerat eum equitare ſuper veritatem, & iuſtitiam. Nullamque partem omittit regię deſcriptionis, dans omnes eximias dotes huic regi, pulchritudinem, grandiloquentiam, potentiam, fortitudinem, æternitatem regni, ſummam æquitatem. Celeberrimus enim fuit iſte rex apud antiquos, ac propter dotes attributas, nominibuſque corporeis ſignificatas, ſuſpicati ſunt nonnulli eum fore quaſi mortalem regē. Audiebant enim ſagittas, gladios, pulchritudines, iudi E cia, virgas, ſceptra, quibus ad opinionē mortalitatis adducebātur, adducunturq; hodie maximè. At ſi linguam ſuam conſuluiſſent, qua Deus dicitur vir belli, dicitur habere manus, pedes, os linguam, ſermonem, dicitur iraſci, contriſtari, dicitur ſedere tanquam rex maximus, apprehendit arma, & ſagittas, & venit in adiutorium: eadem ratione cognouiſſent hæc Meſſiæ Deo attributa, nec inde in ſuſpicionem mortalitatis deueniſſent. Dicitur ergo nunc quod alijs in pſalmis. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, Laudaturque vbiq; & prædicatur, iuſtitia & clementia diuina. Sub cuius autem nomine laudatur alibi, ſub eiuſdem etiam hoc loco.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus,
Deus tuus, oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.

Deus Deus tuus.

Rom. 8.

Chriſtus imago patris.

PRincipio eſt quam Græci dicunt παλιλογία, earumdem rerum repetitio. Idem enim eſt diligere iuſtitiam, & odiſſe iniquitatem: atque ſceptrum regni tui, eſt ſceptrum iuſtitiæ, æquitatis. Quod autem dixit Deus Deus tuus, duos habet ſenſus, vt primum, nomen Dei ſit ad eum, de quo antè, Sedes tua Deus, ſecundum ſit ſummi patris vt dicat, Propterea vnxit te ò Deus, Deus tuus. Secundus eſt ſenſus vt iteret eundem Deum, vt, Deus Deus meus. Prior ſenſus eſt probatior, grauior, profundior, qui facilius decipiat Hebræos obtuſum pecus, altos ſenſus nuſquam agnoſcentes. Et Aquilas etiam Iudæus vertit Θεὲ θεός. Primuſq; caſus eſt vocatiuus. Multaq; ſuper eo Euſebius de Euangelica ἀποδείξει, libro quarto. Et Hiero. ad eſt principium. Eſt autem non ſolum in noſtra theologia, ſed etiam apud antiquos Græciæ F theologos, & antiquiores Hebræos, hæc altiſſima ſcientia, quam apud Mercurium quoque, Orpheum, Platonem, Plotinum, Amelium, Philonem Iudæum deprehendimus, duos eſſe quaſi Deos, quorum ſit alter propriè, ac primo Deus, alter etiam Deus, ſed Deus ab illo. Atque ille dicitur τὸ πρῶτον, primum eſſe, is autem imago eius, & exemplum, natus ab illo, & donatus ab æterno, diuinitate, & regno, & imperio. A Philone, vt agnoſcas veterum Hebræorum longè diuiniorem fuiſſe, quàm iſtorum iſtius temporis, ſemper humi reptantium, omnium rerum imperitorum philoſophiam, ſemper vocatur θεῖος λόγος, verbum diuinum, diuina ratio, diuina ſapienta, De quo ad alia diuine hęc elocutus eſt in libro. Quis ſit hæres rerū diuinarum, δύο λόγοι, εἷς μὲν ἀρχέτυπος ὑπὲρ ἡμᾶς, ἕτερος δὲ μίμημα, ὁ καθ ἡμᾶς ὑπάρχων. Καλεῖ δὲ Μωσῆς τὸν μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς, εἰκόνα θεοῦ: τὸν δὲ καθ ἡμᾶς τῆς εἰκόνος ἐκμαγεῖον. ἐποίησε, φησὶν, ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, οὐκ εἰκόνα, ἀλλὰ καθ' εἰκόνα, ὥστε τὸν καθ ἕκαστον ἡμῶν νοῦν, ὃς δὴ καὶ πρὸς ἀλήθειαν κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν, τρίτον εἶναι τύπον ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος. τὸν δὲ μέσον παράδειγμα μὲν τούτου ἀπεικόνισμα δὲ ἐκείνου. Quæ ſunt: Duæ ſunt mentes, ſiue duæ rationes: vna quidem archetypa, & primæua, altera imitatio, eaque eſt noſtra. Vocat autem Moſes eam quidem quæ ſupra nos, imaginem Dei, noſtram verò imaginis ſimulacrum. Fecit enim Deus, inquit, hominem, non imaginem, ſed ad imaginē. Quocirca noſtra vniuſcuiuſq; mens, quæ propriè & verè eſt homo, eſt tertia imago à creatore. Medius autem, exemplar quidem eſt noſtræ, imago autem illius. Hæc Philon ex ſacris oraculis, & priſcorum philoſophia hauſta. Quo in loco vides eum fateri, duas eſſe mentes, quarum altera quæ ſupra nos eſt, ideſt filius Dei, ſit imago veri ac primi Dei. Ideo enim eſt imago, quia filius, filius eſt enim imago patris. Noſtram autem eſſe imaginem imaginis, creatam ad eum qui eſt imago Dei patris ſui. Eoque fieri vt filius reſpectu Dei patris ſui, ſit imago, & ſi-

Chriſtus imago patris. homi. chriſti. Homo & patie.

A & ſimulacrum, reſpectu noſtri ſit exemplar. Et nos ad ſimilitudinem eius ſumus, ille eſt ad ſimilitudinem Dei patris. Appellatur autem Deus ab eo, ſicut & in ſacra noſtra theologia pater propriè. Semperque inuenies apud noſtros, Deum propriè patrem dici. Qui conſtitutus eſt à Deo, iudex viuorum ac mortuorum. Et idem, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Et, Hunc ſuſcitauit Deus tertia die, Et caput Chriſti eſt Deus. Sicq; eſt Deus de Deo. Hæc altiſſima theologia eſt apud Philonem, cui magis credendum eſt, quàm Iudęorum turbę fallaci, & imperitę omnium bonarum rerum. Idem in ſecundo libro, ſacrarum legum, ſimilia locutus eſt. σκιὰ δὲ θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἐστιν, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος ἐκοσμοποίει, αὐτὴ δὲ ἡ σκιὰ, καὶ ὡσανεὶ ἀπεικόνισμα ἑτέρον ἐστὶ ἀρχέτυπον, ὥσπερ παράδειγμα τῆς εἰκόνος, ἣν σκιὰν κέκλημεν. οὕτως ἡ εἰκὼν ἄλλῳ γίνεται παράδειγμα, ὡς καὶ ἐναρχόμενος τῆς νομοθεσίας ἐδήλωσεν εἰπών: Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ: ὡς τῆς μὲν εἰκόνος κατὰ τὸν θεὸν ἀπεικονισθείσης, τοῦ δὲ ἀνθρώπου κατὰ τὴν εἰκόνα, λαβοῦσαν δύναμιν παραδείγματος. Vmbra autem Dei, eſt verbum Dei, quo tanquam inſtrumento vſus creauit mundum. Hæc autem vmbra, & quaſi imago aliorum eſt archetypum, ſicut exemplar imaginis, quam vmbram vocauimus. Sic imago alteri eſt exemplar, ſicut in principio legis declarauit dicens. Et creauit Deus hominem, ſecundum imaginem Dei. Quaſi imago ſecundum Deum ſit expreſſa, homo autem ſecundum imaginem, quæ acceperit vim exemplaris. His Philonis teſtimoniis probatur, priſcos Hebræos eandem philoſophiam atque noſtros Apoſtolos tenuiſſe. Hęc enim eſt doctrina à Chriſto reuelata. Sicut nos fecit ſimilis ſibi, ſic ipſe eſt ſimilis patri ſuo. Ideoque eſt filius vt qui videat eum, videat patrem ſuum, Hæc autem teſtimonia eò ſpectant, vt cognoſcas ſapientiam in pſalmo latentem, non cognitam ab Hebræis. Hic ſunt duo Dij, aut bis nominatur

Chryſoſt. in epi. ad Heb. ca. 1.

B Deus, ſummus pater, ſummum bonum, & Meſſias ille Rex, verbum diuinum, ratio, ſapientia, imago patris, hominis, vt Græci dicunt πρωτότυπον, primarium exemplum, archetypon item & origo omnium rerum. In libris autem de Agricultura, hæc item locutus eſt, ταῦτα δὴ πάντα ὁ ποιμὴν καὶ βασιλεὺς θεὸς ἄγει κατὰ δίκην, νόμον προστησάμενος τὸν ὀρθὸν τὸν αὐτοῦ λόγον, καὶ πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης τάξεως οἷά τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. Hæc inquit, omnia, paſtor, & Rex Deus agit iuſtè, lege recta præfecta, verbo ſuo, & primogenito filio. Qui prouinciam ſacri muneris huius tanquam magni Regis magiſtratus ſuſtinet. Sic hoc quoque fit perſpectiſſimum, quantum antiquiores Hebræi anteirent ſapientia viles iſtos, & ſtultè pertinaces. Ecce & nunc ſicut in præſenti, pſalmo, duo quaſi Dij nominantur. Et pater ipſe primoque Deus, dicitur præfeciſſe filium ad mundi gubernaculum, ſicut in pſalmo, quòd vnxerit eum Deus. Eſt enim hæc vnctio qualē dixit Philon, Factus eſt Rex mundi, & gubernator. Et res ſpiritualis, & inuiſibilis, more & nomine humano deſignatur. Sicut enim Reges, & Sacerdotes vngebātur, eorūq; electio, erat vnctio, ſic electio filij Dei, ſempiterna in Regē vniuerſi vnctio vocatur. Vnctus eſt à patre. Philō relicta proprietate ſui ſermonis, & ex philoſophia, quæ vt ait Ariſtot. reſpuit metaphoras, loquens, dicit, Conſtitutus eſt, præfectus eſt Rex mūdi. Et Paulus etiam explicuit vnctionem: Conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum ac mortuorū. Quid hoc aliud, niſi ſummum imperium ei traditum? Sicque maximorum virorum, & omnium ſæculorum teſtimoniis concurrentibus, conſonantibus omnibus religionibus, omni philoſo-

Exemplũ.

Vnctio filij.

C phia ſibi reſpondente, veritas eſt clara. Nam & teſtimonium Numenij Pythagorei extat. Quæ etſi alibi tractata ſunt, repetere tamen aptè & commodè, non ab re fuerit. Is hæc ſcribit diuinitus eodem modo loquens, atque in ipſo pſalmo Propheta, & vt Philon, ὁ μὲν πρῶτος ἐν ἑαυτῷ ὤν ἐστιν ἁπλοῦς διὰ τὸ ἑαυτῷ συγγινόμενος δι᾽ ὅλου, μήποτε εἶναι διαιρετόν. ὁ δεύτερος δὲ καὶ τρίτος ἐστὶν εἷς. καὶ γὰρ οὔτε δημιουργεῖν ἐστὶν χρεὼν τὸ πρῶτον καὶ τοῦ δημιουργοῦντος δὲ περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ χρὴ εἶναι νομίζεσθαι πατέρα τὸν πρῶτον θεόν. Quæ ſunt: Primum quidem in ſeipſo exiſtens, eſt ſimplex, propterea quòd ſemper ſibi coniunctus, nunquam eſt diuiduus. Secundus, & tertius eſt vnus. Etenim, neque creare oportet ipſum primum, & de creante patre, & filio, oportet credere patrem eſſe primum Deum. Hæc Numenius: in quibus cùm ſubſit altiſſima theologia, cętera alibi ſunt examinata, id ſolùm nunc conſideramus, quòd duos quaſi Deos nominat, ſed eos tamen vnum eſſe dicit: patrem autem ponit tanquam primum, tanquam vngentem, conſtituentem filium ad creandum, vt imperium filij à patre dependere clarè fateatur. Similis eſt theologia in Pſalmo. Omnia ab Hebræis, & ab antiquiſſimis patribus, ab oraculis item, quæ toto in mundo quondam reſonabant, manantia. Siquidem & oraculum Apollinis ſæpe mirabilia de Deo, de Angelis reuelauit. Sed audi etiam Plotinum, vt in pſalmo, duos quaſi Deos audiens, alterum vngentem, præficientem, alterum vnctum, præfectum, electum, ac conſtitutum Regem, agnoſcas cœleſtem, à regiis ſedibus venientem ſapientiam. Nec more imperitorum Hebræorum decipiaris. Hæc ille ſublimia fatur: Τὶ οὖν χρὴ περὶ τοῦ τελειοτάτου λέγειν μηδὲν ἀπ᾽ αὐτοῦ, ἢ τὰ μέγιστα μετ᾽ αὐτὸς μέγιστον δὲ μετ᾽ αὐτὸ, νοῦς, καὶ δεύτερον. καὶ γὰρ ὁρᾷ ὁ νοῦς ἐκεῖνον, καὶ δεῖται αὐτοῦ μόνου, ἐκεῖνος δὲ τούτου οὐδέν. καὶ τὸ γεννώμενον ἀπὸ κρείττονος νοῦ, νοῦν εἶναι, καὶ κρείττων ἁπάντων ὁ νοῦς, ὅτι τ᾽ ἄλλα μετ᾽ αὐτόν. Quid igitur, inquit, oportet de perfectiſſimo dicere, nihil ne eſſe poſt ipſum, aut maxima poſt ipſum? Maximum autem poſt ipſum, eſt mens, & ſecundum. Etenim aſpicit eum mens, & indiget eius vnius. Ille autem huius nihil. Et quod generatur à maiore mente, mentem eſſe:omnibusque maior eſt mens, quia cætera poſt ipſam. In his Plotinus D tantum theologiæ eloquitur, vt Apoſtolorum diſcipulus fuiſſe videatur. Manabant autem à Mercurio Triſmegiſto, à Chaldæis. Vides etiam hic patrem mentem generantem: vides duos, alter dicitur maior, ſicut ipſe dixit, Pater maior me eſt. Pater dicitur perfectiſſimus, maximum autem poſt patrem, mens, ſiue filius, quia ſuper omnia, ſecunda quidem à patre, quia reſpicit eum, & indiget eius, quia filius, vt ipſe dixit, non poteſt quicquam, niſi pater dederit, dedit autem maximè vt eſſet omnibus viſibilibus, & inuiſibilibus rebus maior. Hæc humano vocabulo, dicitur vnctio. Hæc eſt profunda philoſophia huius pſalmi, quam Hebræi non agnoſcentes, ſed decepti hac ratione dicendi, primum quòd vnctio nominatur: deinde quod alter dicitur vngi, alter vngere, putant neceſſario alterum eſſe Deum, alterum hominem: non enim habent captum ſublimium rerum, vt qui à teneris aſſueſcunt vilibus. Hæc enim igitur vnctio, quod Hebraicè dicitur Maſach, & hinc Maſſiach, Meſſias, Chriſtus, vnctus, non corporalis vnctio, ſed ad regnum æternum, ad regnum dignum, quod tot oraculis prędiceretur. Hunc ſenſum, quòd primò Deus ſit filius, per vocatiuum ò Deus, Græci & Latini ſequuntur, hinc dicentes agnoſci filij diuinitatem, quòd Deus a Vate appellatur. Et Auguſtinus ait, Deus vngitur à Deo. Et in Latino dicit putari idem caſum nominandi Deus, Deus. In Græco, inquit, eſt euidentiſſima diſtinctio, vt alter ſit vocandi, alter nominandi. Videtur enim legiſſe Græcè ὦ θεὸς ὁ θεός. Nunc legitur vbique ὁ θεὸς ὁ θεὸς, ſemper in caſu nominandi, tametſi probo quæ ſentit. Et is videtur ſenſus verus. Et quod dixit ſecundò, Deus tuus, idem eſt myſterium ingens, Hebræorum oculos aufugiens, ſed non oculos magnorum, ſublimiumque theologorum. Vidimus enim ſuperius primum conſtitui, tanquam patrem ac fontem totius diuinitatis. Sicut autem ſummus ille Deus, eſt princeps & Deus noſter, ſic eſt Deus filij ſui, quia pater eius. Ideo dicebat Plotinus filium in E eum reſpicere, & indigere eius, patrem autem filij minimè. Reſpicit filius in Deum, quia eſt bonum eius, felicitas eius, reſpicit imago in ſuum exemplar, vt dicebat Philon. Et filius ipſe in mundo expreſsè dixit, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deũ meum, & Deum veſtrum. Hoc, vt dixi, Hebræi non capiunt, & tamen antiqui eorum capiebant. Fallitque eos, quòd pater dicatur Deus filij, quaſi neceſſaria ſit hic humanitas, quia Deus non poſſit alium habere Deum. Quæ quidem eſt vera illuſio, ac humana deceptio, quã vetuſta philoſophia facile redarguat, & Euangelica nihil aliud ſonant. Quodque dixit, Oleo lætitiæ, Hebræi ignari impingunt in ſcopulum, quem certum fuerat eis vbique declinare. Nam & Rabi Dauid ſecutus expoſitionem Rabi Salomonis, Totus, ait mundus exultauit quando vnxit te Deus. Nonne ſuo ore Euangelio ſubſcribunt? Naſcente enim Chriſto æterno quidem Rege, ſed tunc maximè vnctione eius clarente, totus ſurſum ac deorſum mundus exultauit, Et Angeli carmen lætitiæ cecinerunt, & paſtoribus dixerunt, Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus eſt ſaluator mundi. Oleum igitur lætitiæ deſignat ſub Hebraico tropo tum glorioſum, plenum æquitatis, & tranquillitatis regnum, plenum felicium gaudiorum, tum, quod quidem idem eſt, ſalutem, gaudium vniuerſale, per hunc Regem euenturum. Nàm cùm filius dixit, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi, incluſa eſt his vnctio glorioſa, & ſalus ab æterno. Per eum enim ſtatuit Deus finem, abolitionem omnis peccati: & ſi Adam nõ peccaſſet, per hunc etiam regem ad ęternam felicitatem perueniſſet. Tolle quoque mentem altius, & perſpice, cùm mortalia, caduca, vilia, fragilia noſtra gaudia ſint, vmbræ, inſomnia: conſidera, inquam, quantum lætitiæ, qui plauſus, quæ choreæ, quantus voluptatis fons ſit ab iſto Rege in cœlo, vbi omnia meliora, vbi maieſtas eius clara in luce refulget, qua voluptate eum cęleſtes animi circunſtent, dextra, læuaque frequentes. Sicut conſtitutus eſt, vnctus, vt eſſet creator, & Rex mundi, iudex viuorum ac mortuorum, ſic conſtitutus, vt gaudium, & ſalus inferioris, voluptas æterna, ſummumque bonum vtriuſque mundi. Quæ enim fuit ſalus per eum parata, niſi ad incomprehenſibilia, diuinitatis ſuæ gaudia prouectio? Ideo regnum eius, & vnctio, quandoque à patre eſt definitus, vt quemadmodum præſtaret ineffabilem lætitiam Angelis, ſic extincta morte in mundo, ad veram vitam, homines adduceret, fuit vnctio ſummæ lætitiæ. Sub hoc igitur oleo, & tropo ſermonis humani, non ſenſibile, ſed iuxta ſuperiora, maius eminentius gaudium intelliges, id eſt ἀποθέωσιν, deificationem, in qua ſunt omnia gaudia, & incredibiliter maiores, quàm triumphi Romanorum, lætitiæ, licet non viſibiles. Nec te cortex verborum humanorum, quemadmodum Hebræos, ſtolidum pecus, decipiat. Sicut Regem non terrenum, ſicut eloquentiam non humanam, ſed maiorem quàm humanam, ſicut formam ſupra filios hominum, ſic oleum lætitiæ, maioris quàm humanæ lætitiæ, ſenties. Quod verò dicitur, Præ conſortibus tuis, dicit Auen Eſra, Si Pſalmus eſt de Dauid, conſortes intelliges Saul: ſi de Meſſia, ſanctos qui tempore eius inuenientur. Ecce aut ſicut noctuæ lucem, ſic ipſi verum ſenſum non agnoſcunt, aut agnoſcentes refugiunt. Quinam enim ſunt participes, aut conſortes ſicut Græcè μέτοχοι, aut ſocij, ſicut Hebraicè חבירים chabirim, niſi quos ſuperius dixerat filios hominum? Vt enim dixit eum ibi præ filijs hominum formoſum, ſic nunc ante omnes homines, in humana forma, regium eſſe & inſignem, electumque ad regnum. Ac in Hebræo præpoſitio, me ſonat præ vel ex. Ideo duos ſenſus dat Rabi Dauid, vt vel dicat, Vnxit Deus te de conſortibus

Maſach.
Maſiach.

Deus tuus.

Lego conſtituiſſe.

Oleum lætitiæ.

Si Adam non pecc.

Præ cõſortibus tuis.

A bus tuis, eligens te ex illis, aut magis te quàm illos. Is eſt verior, & à pluribus approbatus, poſſumus iuxta altiores ſenſus, ſublimioremque philoſophiam intelligere Hebraica locutione, obſcurè, & arcane dictum. quod Plotinus apertè, & ex Philoſophia, κρείττων ἁπάντων ὁ νοῦς ὅτι τ' ἄλλα μετ' αὐτὸν, Maior, melior omnibus mens, quia cætera poſt ipſam. Dat menti primatum, & locat ante omnia, mentemq; vocat ſiue intelligentiam, vt vidimus, filium Dei. Et noſter altiſſimus theologus eum dicit primogenitum omnis creaturæ. Et Philon, ὕπαρχον πρωτόγονον. Reſpectu igitur cæleſtium, & terreſtrium creaturarum, præelectus dicitur, & antepoſitus cunctis, figurateque & ad morem illius linguæ vocauit ſocios, vel participes, cæleſtes, & terreſtres. Si quidem Philon filium mentem vocat τὸν ὑπὲρ ἡμᾶς, ſupra nos dicens eum eſſe exemplar mentis noſtræ. Quo eſt participatio, &, vt ait Ariſtoteles, συγγένεια, conſanguinitas, & Plato οἰκειότης, familiaritas, proprietas, inter mentem noſtram, & mentem creatricem. Quòd ſumus ipſi ad ſimilitudinem eius, & multò quidem facilius Angeli. Omnes igitur animi, & mentes, dicuntur participes aut ſocij eius. Moſes diceret ſimiles eius. Ariſtoteles συγγενεῖς, Plato οἰκειότατοι, proximi, vt loquitur in Legibus. Philon ἀπεικονίσματα, ſimulacra. Omnibus his antepoſitus, & prælatus, factus, & vnctus eorum omnium rex, Rex hominumque Deumque filius Dei, propter obedientiam, & æquitatem ſummamque bonitatem confirmatus, aſſertus à patre omnium dominus. Qua locutione etiam Paulus dixit, Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, ſuper omne nomen. Cuius arcanæ ſapientiæ mentes Hebraicæ non ſunt capaces. Aut quemadmodum ſuperius: Quia à patre genitus & electus, ob id optimus, æquiſſimus, optimi patris, optimus filius. Idem vtrunq;.

Philip. 2.

B Myrrha & gutta & caſia, à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex
quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Myrrha.
Caſſia.
Gutta.
A veſtim.
A domin. eburn.
Dotes Re.
Ex quibus del. te. fil. r.

MYrrha Hebraicum eſt מור mor, notus odor, nota arbos, odor ſuauis, vt ait Rabi Dauid: Arabice Lobni, ſeruans etiam à putredine. Et Chaldæus dixit, Mera. Quod Latinus dixit gutta, Græcè στακτὴ, ſtacte, quod guttam propriè ſonat, à στάζω, deſtillo, Hebraicè אהלות ahaloth: videturque eſſe aloe, hocque nomen ad Græcos & Latinos ex Hebraico acceptum. Et Chaldæus expreſſit ואקסיל אלואי Et arbor aluona, Aloe, Myrrha, & aloe ſæpe in ſacris litteris commemorantur. Stacten ſiue guttam Græci Athanaſius, & Euthymius dicunt eſſe liquorem ex arbore Myrrhæ ſtillantem, ἡ στακτὴ γὰρ τὸ ὑγρὸν τῆς σκύρνης ἐστὶν, & quæ ſequuntur. Stacte & ipſa eſt, quod Myrrhæ eſt liquidiſſimum. Reſoluto quidem aromate, quicquid enim defluxit, in ſtacten ſecernitur, craſſius autem ſubſidens Myrrha vocatur. At ſi ita ſit, non intereritinter Myrrham, & ſtacten. Verum quoniam dicit Euthymius, omnem guttam deſtillantem inferius, eſſe ſtacten, aloes autem guttta eſt, & liquor lentus, poſſet credi ſtactem, ſiue guttam, Septuaginta pro aloe poſuiſſe. Omnino eſt in Hebraico aloes. Quod autem Septuagin. dixerunt caſſia, id etiam eſt Hebraicum קציעות chezioth. Baſilius, ἡ δὲ κασία φλοιῶδες ἄρωμα εὐωδέστατον, Caſia eſt cortex aromaticus, odoratiſſimus. Verè dixit Baſilius. Nam Hebraicum hezioth, ducitur à kaza, decorticare, deglubere, abradere. Is eſt quaſi calamus aromaticus, cortex abreptus ex arbuſcula. Quod autem Septuaginta dixerunt ἀπὸ τῶν ἱματίων, à veſtimentis, Hebraicè dicitur כל בגדתיך col bigdoteka, omnia indumenta tua. Omnes, inquit, veſtes tuæ, odores ſunt, fragrant odoribus veſtes tuæ. Veſtimenta tua ſunt myrrha, gutta, caſia. Quem ſenſum clariorem fecerunt Septuaginta adiecta præpoſitione ἀπὸ, manat odor à veſtimentis tuis. Quòd verò ſequitur à domibus eburneis, Græcè domos dixerunt Septuaginta, βαρεῖς, antiquum nomen, domos, templaque deſignans, vt Græci teſtantur. Nam & Aquila, & Symmachus pro βάρεων, tranſtulerunt ναὺς, templa: Hebraicè ſunt הכלי שן hekle shen, templa eburnea. Sicque etiam tranſtulerunt Sept. inferius ναὸν, vbi eſt Hebraicè הכל he cal. Sonat ergo templum, palatium Dicunt Græci, βάρεις eſſe οἴκους ναούς. Quam ſignificationem nonnulli ignorantes, Latinè tranſtulerunt graues, putantes idem eſſe βαρεῖς graues, & βάρεις, diuerſis accentibus. Senſuſque eſt iuxta Hebræos, Veſtimenta tua fragrantia, quæ de templis, vel palatijs eburneis educuntur, è ſacrarijs, è locis ſanctiſſimis, odoris fragrantibus, ebore circunueſtitis. Inde veſtes tuę ſacroſanctæ promuntur. Templa enim & ſacella apud Indos, Perſas, Aethiopas, apud quos eboris copia eſt, veſtiebantur ebore. Veſtes pretioſæ, odorę, fragrantes, & templis, ſacelliſque acceptæ ornamentum regium deſignant: ornamentum autem ſacroſanctum, venerandum, quaſi ſacerdotis magni, æterni, incorrupti. ſanctiſſimi. Nam Aquila, & Symmachus verterant ἀπὸ ναῶν ὀδόντος, à templis eburneis, & Athanaſius βάρεις οἱ πολυτελεῖς καὶ ἐξαίρετοι οἶκοι ἢ ναοὶ, ſumptuoſę domus vel templa. Quemadmodum ei dederat formam excellentiſſimam, eloquentiam ſupra humanam, fortitudinem, inuictaſque manus, armaque immortalia, ſolium regium, æternum, ſummam æquitatem, & iuſtitiam, ſceptrum iuſtiſſimum, vnctionem ſempiternam in regem, in qua totus mundus exultet, quod is ſit electus à Deo rex, & imperator, nunc demum dat ei veſtes fragrantes, optimè olentes, nectareas, ambroſias, odorem ſacrum procul ſpirantes, eaſque acceptas è ſacellis eburneis, venerandis, ſacroſanctiſque, vt nihil deſit ad regiam deſcriptionem. Ac quod dixit, Ex quibus lætificauerunt te, Hebraicum eſt obſcurum:

quia pro ἐξ ὧν, ex quibus, eſt מני minni, quod tamen ab Hebræis, Auen Eſræ, & Rabi Dauid D exponitur ſicut tranſtulerunt Sept. מן אשר ex quibus. Senſus autem eſt, quòd veſtes hæ, aut templa ex veſtibus, ob veſtes odoratas eum lætificauerunt. Tres enim numeri multitudinis hic ſunt, Odores, veſtes, templa. Ac poteſt dici, Templa lętificauerunt te ex his veſtibus, vel potius veſtes, ex his odoribus fragrantibus, quibus cor hilareſcit. Odor hilarem facit, etiam veſtes nitentes. Omni tempore, inquit Salomon, veſtimenta tua munda ſint, ad lætitiam inuitans. Sic nunc dicit, Adeò veſtes tuæ niteſcunt, adeò fragrant, vt tibi lætitiam afferãt, innuens pretioſiſſimas, regias veſtes. Sunt apud Hebræos, & Gręcos, qui odores pro benefactis accipiant. Domos eburneas etiam Auguſtinus exponit regias, pulchras, amplas, lenes, Gręci nimium συμβολικῶς, putant ſub veſtibus myrrha & ſtacte perfuſis intelligi animã & carnem, animam ad inferos euntem, corpore à corruptione ſeruato. Alia allegoria, vel ſymbolo paulò clariore deſcribitur regia maieſtas, omnibus inſignibus decorata, formoſa, incorrupta. Et ſub nominibus corporeis latent res eximiæ. Quod autem dicitur, Filiæ regum, non eſt de pręſenti verſiculo, ne ſententia perturbetur, ſed de ſequenti.

Filiæ regũ.

Filiæ regum in honore tuo: aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate.

PRimum ſciendum, quòd Septuag. tranſtulerunt ἐν τιμῇ σȣ, in honore tuo, Hebraicè eſſe ביקרותך bikeroteka, inter pretioſas tuas, intelliguntque Hebræi pretioſas fœminas ipſius Meſſiæ, pretioſas aulicas, comites nobiliſſimas, puellas pretioſas, inclytas, glorioſas, inſignes, in quibus dicit eſſe filias regum, quaſi hæ ipſæ reginæ ſint omnes regum filiæ. Has ait fore in aula Meſſiæ, nymphas formoſiſſimas, Deas, & heroidas: vt quaſi dicat, Filiæ regum inter heroidas tuas. Sept. tamen & Hier. & alij apud Græcos interpretes ſupradictam vocem iecaroth, videntur legiſſe, iecaruth, quaſi pretioſitas, honor, ſplendor, aut à ſingulari, iecara gloria, maieſtas, putarunt eſſe numerum multitudinis iecaroth. Chaldæus etiam accipit hanc vocem pro honore, non pro mulieribus honoratis. Hebraicum & ſenſus videtur mulieres inſignes ſonare. E Siquidem etiam reginam coniugem Meſſiæ memorat. Nam quam Sept. trãſtulerunt βασίλισσαν, reginam. Hebraicè eſt, שגל shegal, coniux, ſicut reddidit Hier. ſecutus Aquilam qui συγκοίτην, cæteriq; interpres, alij reginã alij pellicem reddiderũt. Quę ſunt idẽ omnia. Sed melius coniux, & regina. Et Rabi Dauid hęc exponẽs, Omnes, inquit, reges gloriabuntur, beneq; ſecum agi putabunt mittere in aulam inclytam tuam filias ſuas. At regina, vel coniux, quę erit de ſtirpe Iſrael, ſola aſſiſtet lateri tuo. Et vocatur, ait, shegal, quia hęc vna ad concubitum eius ſemper erit, cęterę venient temporibus certis, quando vnaquęque vocabitur hora ſua vt veniat ad regem: verum regina vxor eius, in cubiculo quo ipſe dormiet, ſemper aderit. Et quod dixerunt Septuag. ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ, in veſtitu deaurato, recte, & clare, obſcurius Hebraicè בכתם אופיר bekethem ophir, in maſſa vel pondere ophir, in ſplendore auri ex ophir. Innuitur autem veſtis tota aurea. Diuus Hierony. hanc auri maſſam & inſignem notam, refert ad diadema aureum, In diademate aureo, transferens. Eſt autem kethem, aurea maſſa, & aliquid inſigne ex auro. Aurum hic appellat Hebraicum, ophir, quia ex inſula Ophir ſinus Perſici afferebatur. Gręcè dicitur, vt vocat Homerus, ſępe obryzum, quaſi Ophyrizum, vt nonnulli volunt. In Chaldęo etiam, obryzum pro ophir. Rectè igitur refertur tum ad veſtem auream, tum diadema. Et quod Septuag. F dixerunt, περιβεβλημένη, πεποικιλμένη, circundata, circumuariata. Adiectũ eſt ex ſequentibus, totumque redundat. Ideo neque apud Hieronymum reperies. Ferri poteſt quaſi appoſitum ad declarationem vocis kethem: verbis autẽ ſic, expeditis, de ſenſu agendum. Turbat, torquetq; etiã Hebræos iſte locus, ſi regi Meſſiæ futura, quaſi vni ex Tyrannis, & profanis regibus ſint agmina concubinarum, habiturus ſit vxorem, procreaturus filios. Quod Rabi Dauid litteram ſonantem ſecutus approbat, cuius ineptia non ratione ſolum, ſed aliorum etiam Hebræorum teſtimonio refellitur. Quid enim, vt ſæpe dixi, erit poſt Meſſiam corruptibilem illum, mortalem, habentem more aliorum mortalium, vxorem? Nonne periculum eſt, ſi filios procreabit, accidat ei, quod Dauid integerrimo regi, qui filios omnibus flagitiis inſignes procreauit, etiam ipſum Salomonem, cui ad omnem humanam laſciuiam, ſupremam idololatriam impoſuit libido? Ex quo à ſupernis oculis iuſtitiæ, hæc indignantis & execrantis, proſpiciendum, & meditandum fuit de regni, quod longum & diuturnum eſſe voluiſſet, euerſione. Nonne ſimile quid imperio Meſſiæ ſi non eo viuente, certe defuncto, ſi mortalem eum, ſi gregibus formoſarum puellarum circundatum, ſi procreantem filios more cæterorum facis, accidere neceſſe erit? Nulla eſt in rebus humanis, etiam optimis ſtabilitas: optimas dico, vt optimas reſpublicas, optimas leges: principia ſemper ſunt meliora, donec ad corruptiſſimum rerũ ſtatũ deuenitur. Hoc reſpublica generis humani ante diluuium perpeſſa, à Deo inchoata, intra mille & quingentos annos corruptiſſima reddita eſt. Idem accidit poſt diluuium, intra temporis breuius ſpatium. Idem legibus Hebræorum reipublicæ Lacedæmoniorum, Romanorum, quoq; & Chriſtianorum, quas ſæculorum longus proceſſus in peiorem ſtatum ſemper, donec euerteret, demutauit. Paria neceſſe eſt accidant, regno illi corruptibili Meſſiæ, vt legibus eius poſthabitis ab ipſiſmet Iudæis, ad idololatriam, ſicut ſub

In honore tuo.

Coniux. Shegal.

Aſtitit re. a. dext. tu.

In veſtitu deaur.

Ophir. 3. reg 9.d.

Obrizum.

Circũdata. varietate.

Meſsię.

Rex humanæ, à mateice degenerant.

A ſub Moſe fecerunt, vel aliud ſcelus maxime declinent, & hæc aſpiciente, & caſtigante Deo, in terras alienas iterum reiiciatur. Sicq; neceſſe ſit alium venire Meſſiam, qui eos liberet. Idq; in infinitum. Non poteſt igitur eorum ſtare cogitatio, nacta ex locutionibus ſcripturarum, ſuæ deceptionis occaſionem. Itaq; alii Hebræi præcipuè Chaldæus, Rabi Salomon, Auen Eſra non ſecundum verborum ſonitum, nec in ſymbolo, ſupernam faciem acceperunt, ſed in alium ſenſum penetrarunt. Sunt enim ſymbola, quaſi duæ res inter ſe ligatæ, altera ab altera contecta, quaſi duæ veſtes. Alius ſupernam tantum aſpiciat, alius ſagacior, & curioſior dimoueat ſupernam, vt videat inferiorem. Simile ſępe fit in oratione, vt duæ res dicãtur, vt cum Pythagoras monebat, Vias latas, & λαωφόρους populiferas, declina, aliud ſimile in alio rerum regno deſigans. Auen Eſra igitur hoc loco ait, Si pſalmus eſt de Dauid, accipe vt ſonat: ſi de Meſſia, filias regũ vrbes intellige, reginã prouinciã eius. Chaldæus itẽ detecto ſymbolo, pro filiabus regum ait, Prouinciæ regnorum venient vt ſuſcipiant, honorent faciem, præſentiamque tuam, & vt venerentur te, in tp̃e quo futurus eſt liber legis in dextera tua, & ſcriptura deſcripta auro ex Ophir. In his videmus filios regum, prouincias & regiones, eum vertiſſe, & pro regina poſuiſſe legem, veſtitã deſcriptamq; auro. Et quã pſalmus paulò pòſt dicet filiam, hi omnes Eccleſiam Iſrael exponunt. Sicq; conſtat ſecus eos intelligere locum iſtum, ac fermè eodem ſenſu, atque Chriſtianos. Nec ſuſpicione falſa dixerunt filias regũ, prouincias, & vrbes. Eſt.n. vſitata hęc ſacris litteris metaphora, vt filia Babylonis, filię Moab apud Eſaiã, & hoc pſalmo paulò pòſt, Filiæ Tyri in muneribus: quibus locis ubiq; ſunt filiæ, pro prouinciis. Duabus igitur rationibus poſſumus has figuras explicare, aut iuxta ſenſum eorũ quos diximus, vt filiæ regum, ſint nationes ac prouinciæ, quæ vno ore, ac conſenſu colant inclytum regem: B reginam autem aliquam celebriorem, regiamq; vrbem, & prouinciam. Iuxta quem ſenſum alii Græcorum, filias regum accipiunt Eccleſias vbiq; terrarum à regibus ędificatas, quod maxime quadrat Hebraico, banoth, quod non filias ſolum, ſed etiam ædificia deſignat. Alij, vt ſonat, acceperunt, filias nobiliſſimas regum quę ad cultum Chriſti tanquam ſponſi concurrerunt. E quibus exemplum ponit Euthymius ſecutus Chryſoſtomum ὡς ἡ σοφωτάτη κατέρινα καὶ αἱ ἄλλαι, ſicut ſapientiſſima Caterina, & alię. Simili fermè ſenſu ẽt Auguſtinus, & cõcorditer cum Hebręis, Intellige ẽt, inquit, filias regũ, ciuitates, quæ in Chriſtũ crediderunt. Omnium igitur & Hebręorũ, & Gręcorum, ac Latinorum ratione, quę ab eodem fonte fluxit in omnes, duce agnoſcitur, locũ talem quendam habere ſenſum. Altera ratione poſſumus hanc figuram enodare, vt ſit quędam humani regis, humanę aulę deſcriptio, repręſentãs tamen aliam ſublimiorem, ac maiorem. Sicut ei dedit ſceptrum, veſtes pretioſas, acceptas è palatijs ebore veſtitis, quæ quidem ſunt humani ſplendores, ac deliciæ, vt ſagittas, & arcum, & gladium, pro quibus alia maiora quàm noſtra intelligimus, ſic reginas, & filias regum ad explendam maieſtatem regiam. Perficirur aula ab artifice, vate, omnibus apparatibus. In throno ſedet formoſiſſimus rex, ſceptrum tenet æquiſſimum, aſſiſtit lateri fulmineus gladius, plena eſt aula reginarum, virginum formoſarum. Eſt regina, quam toto agmine reliquæ nymphæ comitantes venerantur, adorantque regem. Nihil illic non ſacrum, non venerabile, non caſtum, ſanctum, ac purum. Et hæc deſcriptio terreſtris quidem tota, cęleſtem quandam remotam repræſentat, deſignantibus hominibus terrigenis, res abſconditas manifeſtis, & ſuis nominibus. Quia & ipſi loquentes, & qui audirent, homines eſſent.

Viæ Latæ, declinãdę. Matth. 7.

Caterina.

Apparatus aulæ.

C Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.

Hoc quoque loco eadem ſeruatur tralatio, eadem eſt figura, & eodem ſenſu ab Hebræis, & noſtris accipitur. Chaldæus, quem ſequitur Salomon, pro filia dixit, Audi Eccleſia Iſrael: & obliuionem populi, & domum patris, ſicuti noſtri, operationes iniquas impiorum in populo, & domum idolorum, quibus ſeruierit in domo patris ſui. Qui etiam eſt ſenſus noſtrorum, Græcorum, & Latinorum. Mirabile eſt autem teſtimonium Auen Eſræ, ſuper hac re. Si inquit, pſalmus eſt de Dauid, hortatur cantor coniugem, reginam, vt obliuiſcatur mores ac leges patrias, & legem diuinam ſequatur. Si de Meſſia, filia eſt קהלה kahala, eccleſia, congregatio. Sicut inquit, eſt filia Iuda, id eſt, cœtus, congregatio Iuda: vt quaſi ſit quod alibi dicitur, Et ſeruiant, Dño, humero vno. Et Rabi Dauid, paulò inferius, vbi dicitur, Filia Tyri in muneribus, filiam exponit, עדת cętũ, congregationẽ. Affertq; exemplum, Sicut filia Sion, filia Edõ. Quibus teſtimoniis cognoſcimus rectè Chriſtianos, filiam hic Eccleſiam interpretari, & Vatẽ more ſuæ gentis, loquẽtem, filias, & reginam introducere. Rabi Dauid dicit eſſe ſermonem ad vnamquanq; filiam regis, quæ in aula Meſſię futuræ ſint, vt obliuiſcantur populi, & patrię ſuę. Sed ſi ad ſuperiorẽ reginam, & coniugem eſt ſermo, ſine dubio Eccleſia ſignificatur, quæ tanquam ſponſa in antiqua, & noua theologia ſacra introducitur. Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem, paratam tãquam ſponſam ornatã viro ſuo. Et apud prophetas, anima tanquam ſpõſa inducitur Dei, & dicitur fornicari, quoties alios amatores, relicto vero, ſequatur, quoties ſeſe cultui profanorum Deorum, & impijs religionibus dedat. Tria igitur poſuit verba, quibus hortatur filiam, hortatur reginam, vt audiat, videat, vt attendat, aureſque arrigat ad hæc oracula, ad gloriam tanti Regis, illum charum, iucundumque habeat, illum vnum diligat. Ac verè Chriſtiani patrem, & populum interpretantur

Filia. Obli.pop. t.& do.pat.

Eccleſia. Kahala.

Fornicatio.

Audi. Vide. Attẽd.

ἀπενεχθήσονται τὸ βασιλεῖ παρθένοι ὀπίσω αὐτῆς, Adducentur Regi virgines poſt eam. Poſt quam? ſi adducentur Regi, verbum ergo Adducentur vel Afferentur, debet eſſe ſingulare, iuxta Hebraicum, vt dicatur, In veſtibus intertextis figuris, ſiue ſcutulatis, adducetur ad Regem. Et Hieronymus, In ſcutulatis ducetur ad Regem, virgines ſequentur eam, amicæ eius ducentur illuc. Pulchra igitur reginæ ſicut & regis deſcriptio. Dedit ornamenta ſua regi, dat etiam reginæ ſua. Prædicat eam adducendam, vel portandam ſicut reginæ ſolent, & ſicut portabatur Eſther ad Regem, comitantibus virginibus ſociis eius, quæ eam ſequentur venientem ad formoſiſſimum Regem. Ecce ſenſus clarus. Nam quas Sept. tranſtulerunt proximas eius, eſt Hebraicè, ſicut Hieronymus clarius רעותיה reęotheha, ſociæ, comites, amicæ eius. Sicque & hæc eſt deſcriptio aulæ corporeæ, & ſenſibilis, figuratè repræſentans quandam νοητὴν & maiorem, regiamque pompam maximam, ab oculis ſecedentem, mente tantum comprehenſibilem. Hic eſt Rex, eſt formoſiſſimus, eſt regina, eadem & coniux, & filia regis, ſunt virgines comitantes eam, quarum eſt eximia forma, omnes veſtibus aureis interlucentes. Auen Eſra & Rabi Salomon etiam de Meſſia hæc ſentiunt, coguntúrq; niſi ſint ſui immemores, figuratè accipere. Quòd ſi filiam, & reginam accipias pro eccleſia, facilis eſt de virginibus, vt ſonet has ipſas, ſanctas, integras, intelligere. Regiæ tamen eſt corporalis deſcriptio, ſub qua, maiorem ac quaſi cæleſtem aulam intellige: vt ſi ſingula ſingulis referre nolueris, minimè cogaris, totam tamen formam regię, pro quadam alia maiore accipias. Et quod dixit, Tibi, alii apud Hebręos referunt ad Meſſiam, alii Deum, quaſi innuant idem eſſe Deum atque Meſſiam. Memorabile quoque eſt, quomodo hunc locum vertit Chaldęus, In veſtibus, inquit, figuratis offerent ſacrificia coram, מלכא דעלמא malca de alma, Rege mundi, appellans regem mundi, quem cæteri, Regem Meſſiam.

Proximæ.

Tibi.

Adducentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.

EOrundem eſt παλιλογία. additur autem quòd in lętitia, cantãdo, & exultando, triumphando, coram inclyto Rege venient in palatium eius, ſiue templum, vt ſonat Hebraicum הכל Et Hieronymus perſpicuè, Ingredientur thalamum Regis. Et Auen Eſra expoſuit הכל palatium, aulam, interpretatúrq; Regem, aut Dauid, aut Meſſiam. Hoc quoque loco ipſimet Hebręi, non ſuſtinente tenebras veritate, apertè fatentur, manibuſq; & pedibus veniunt in ſenſum, quem altiſſima, regiaq; theologia noſtra conſpexit. Siquidem Rabi Dauid ratione victus nunc demum ait, Adducentur in lætitia, omneſq; venient aut venire eas facient ad regem, in triumpho, & gaudiis. Venient in palatium Regis, quaſi dicat in palatium, quo Rex inhabitat. Quia ipſæ habitant in palatio, ſibi præſcripto, quæ eſt domus fœminarum, quouſque velit Rex, & vocet eas nominatim, vt veniant ad ſe. Sunt autem qui hæc omnia accipiant figuratè, quorum eſt recta, & vera expoſitio. Et filiæ regum ſunt populi, qui omnes concurrent ad audiendum, vel obedientiam Regis Meſſiæ. Et coniux regia, eadem & regina, figuratè debet intelligi Eccleſia Iſrael, quæ regina erit omnium populorum. Et dicit, Audi filia, ad omnem videlicet orbis terrarum populum, vt non faciant niſi voluntatem Regis Meſſiæ, quia ipſe eſt אדון לכולם Adon leculam, Dominus omnium. Et omnes populi venient cum oblatione ad Regem. Commemorauitque cœtum Tyriorum ſicut expoſuimus, quia Tyros propinqua ſit terræ Iſrael. Et virgines figuratè ſunt populi, ſicut virgines filiæ Iuda. Eruntque hi populi tanquam virgines, quia neſciebant religionem. Accipientque ſuper ſe præcepta Regis Meſſiæ. Hæc Hebræus ille. Nulla igitur, quod ad eos attinet, ſupereſt ſuper hoc Pſalmo, quomodo intelligendus ſit, dubitatio, quorum ore etiam inimico, noſtra religio eo magis inclareſcit, quòd dum eam volunt abſcondere, eluceſcit, dum tollere, hæc ipſa eſſe cernitur, quam ratio eis, oraculorumque vis oſtendebat. Nam omnes populi ad amplexandam hanc pietatem, concurrerunt, impoſueruntque ſibi Chriſti mite ac ſuaue iugum. Omnes, inquam, nationes ab ortu in occaſum, quæ prius virgines eſſent, lege & regno cæleſti, reſurrectione mortuorum, cæteriſque myſterijs ante hac eis incognitis. Ex quibus conflata eſt vna inclyta regina Eccleſia, Sponſa & filia Regis, quæ conatur facere non niſi voluntatem Meſſiæ, qui eſt Rex vniuerſorum. Quantus eſt autem in pectoribus eorum, tenebrarum horror, qui prudentes, & ſcientes, & cum ratione inſaniunt, totum mundum ad hanc religionem concurriſſe cernentes, omnes munera portantes, reges etiam potentiſſimos, & ab Iudæa remotiſſimos, natum in Iudæa, Iudæum, ex eorum ſtirpe, Chriſtum appellare, adorare Deum, per eum legem Moſis in omnium pectora, & animos veniſſe, omnes venari ſacroſancta illa, & quotidie canere, verſare diurna, nocturnaq; manu oracula, vt lex altius, & honorificentius poſt illud tempus prouecta ſit. Idem fuerit autor, vt Deus Abraham, Iſaac, & Iacob apud omnes, innotuerit, adoratus ſit, hæc tamen ſemper cęci, ſemper immundi, non videntes, & vltrò lucem refugientes, ſtulta pertinacia pernegant. Conſidera etiam quomodo ipſa ſeipſam falſitas euertat. Quomodo enim in aduentu Meſſiæ populi virgines erunt, ante id temporis ſine vlla religione, cùm à Chriſto iam nunc totus mundus ſit religione præoccupatus? Nam Arabica illa impia ſuperſtitio, eſt vna quaſi veræ religionis hæreſis, qualis Manichæorum, Eunomianorum, non noua religio. Et colit verum Deum, cæli & terrę creatorem. Colit autem à vera noſtra pietate, quam Chriſtus ſparſit per orbem, accepto hoc lumine, cùm ante Chriſti aduentum hę nationes eſſent idololatræ.

Soli⁹ Meſſiæ voluntas facienda.
Matt. 17.

A idololatræ. Sed cùm veritas ſit clara, ſic eos hanc odiſſe, & refugere dicemus, ſicut apparuit vbiq; pertinaciſſima, & ſtultiſſima natio, ſine iudicio ſemper, & ſemper in malum, quam bonum propenſior, tenebrarum, quàm lucis, ſuperſtitionis quàm veræ ac ſolidæ pietatis, appetentior.

Pro patribus tuis, nati ſunt tibi filii: cõſtitues eos principes ſuper omnem terram.

PRo, Hebraicè & Chaldaicè, & à Hieronymo exponitur, loco, vice. Et Latinus quod erat Grçcè ἐγενήθησαν, non nati ſunt, licet id ſæpe denotet, ſed facti ſunt, vel fuerunt, dicere debuit, iuxta ſignificatum Hebraicum, quanquam Hebraicè potius eſt futurum יהיו ihiu, erunt. Aquilas quoque vertit ἔσονταί σοι υἱοί, erunt tibi filij. Symmachus ἐγένοντο υἱοί σου, filij tui fuerunt. Senſus igitur duobus modis exponitur ab Hebræis. Rabi Salomon vult eſſe ſermonem ad vnumquemque de populo Iſrael, vt dicat ei oraculum, Perpetua erit ſeries, pro patribus ſuccędentium nepotum. Erunt, inquit, tibi ò Iſraelita, loco defunctorum patrum, filii repullulãtes, ſicq; in ſempiternum, felix nepotum ſeries. Auen Eſra ſimili ferè ratione, pro generatione præterita, erit altera ſuccedens generatio, vt Meſſias ſit medius, cui & antè patres erunt, & pòſt filii ſuperſtabunt. Rabi Dauid diuerſo quodam modo. Regnum, inquit, perueniet de generatione in generationem, vſq; ad ipſum Meſſiam, & ſic non deficiet de filiis ſuis. Ideo dixit, loco patrum regnantium, erunt etiam regnantes filii. Chaldæus etiam nihil immutans Hebraicum, eadem ſenſiſſe videtur: Tantum, ait, pro patribus tuis iuſtis, erunt filii tui. Sed hæc accipi non poſſe niſi vt ipſi Hebræi dicunt דרך משל derek mashal, id eſt parabolicè, & figuratè, non ratione ſolum, ſed ipſorum etiam teſtimoniis, eſt euidentiſſimum. Si enim ſuperius filias, & coniugem, & thalamos auratos, B virgineſque Regem adorantes figuratè accipiebant, quo ore nunc quaſi ſui immemores ad proprietatem tranſeunt? Etſi non videbatur aptum, Meſſiam habere pellices, & coniugem, cur ei nũc filii tribuunt? Iam ſi, vt probauimus, ſecum diligentius perpendant, & longius proſpiciant, nonne videant neceſſario futurum, vt filii, qui ſuccedent Meſſiæ, non ſemper cultores Dei ac probi ſint, vt regnum neceſſario aliquandò ab eis transferatur? Deducitur enim hęc ratio è fontibus humanæ naturæ, & ab vſque ſęculorum exordio repetitis exemplis. Nec enim Meſſias defunctus efficere poterit, vt filii ſui ſemper boni ſint, nec erit hac parte cęteris hoĩbus, pręcipuè Moſe, & Dauid, viris maximis, Deoq; acceptiſſimis, felicior. Tum ſi quis ipſorum Iudæorum naturam è pręteritis exemplis iudicare voluerit, ſentiet futurum, vt eadem poſt Meſſiam, atq; ſæpe ſunt, impietate implicentur. Quibus omnibus regni neceſſario erit euerſio. Quando item erit aut eſſe poterit iſte Meſſias, cui à patribus & maioribus ſuis ampliſſimum, ac totius orbis terrarum tradatur imperiũ? Vbi vel ſcintilla, vel minima penes Hebręos imperii radix exiſtit, ſuper qua poſſit ampliſſimum regnum creſcere? Vbi ſunt iſti maiores Meſſię, qui filio tradant imperium tantum ſuper omnes mortales? Quæ principia nunc, quod inchoamentum? Imperator ẽt ex ſe ipſo non erit Meſſias, ſed à maioribus erit ſucceſſio. Cur ergo tantopere celebrant eum oracula? Miremur igitur inanes aĩorum ludificationes, & ſpes ſemper falſas, mentes ſemper vilia, corruptibilia, vana, ſemper opes caducas, in quibus non ſolum nihil eſt ſtabile, ſed nullum ſolidum gaudium, verumq́ue bonum, meditantes. Vt ſi Deus per tot oracula promittebat hominibus ſingulare quoddam bonum, neceſſariò dignum eſſet diuinitate ſua, nempe in renouatione corporum, & abolitione noſtrarũ miſeriarum, quas in hac vita ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue imperantes, ſiue ſeruientes, habemus comites. Verior igitur ſenſus, & clarus eſt, vt non ſit nunc ſermo ad ipſum Meſſiã, ſed ad eandẽ filiã, & reginã, quã ſuperius hortabatur, vt obliuiſceretur populum ſuum, & domum patris ſui. Nũc ait ei, ꝙ pro patre vel patribus relictis, & in obliuionem datis, renaſcentur ei ex amplexu Regis, filii principes orbis terrarum. Ideo dicebat ei, Audi filia, inclina aurem tuã. Prædico.n. tibi prolẽ inclytam, ſobolem glorioſam, filios qui principes ſint in omni terra. Sicq; exponunt Grçci, & Latini, & vera eſt expoſitio. Nam Apoſtoli plus in orbe terrarum, quàm triumphator Cæſar, valuerunt, ſoluſq; Paulus, vt ait Chryſoſtomus, ille inquam tabernaculorum factor, & ſcenopegita, intra quatuordecim annos, ſubegit Græcos, Romanos, Iudæos, Aſiam maiorem, ac minorem, Hiſpaniam, Galliam, multaſq; alias prouincias, quas obſequentes, humileſque Deo reddidit, reddidit autem tanta virtute in eo ſolo florente, quanta non fuerit vnquam in omni exercitu Romanorum. Eoq́ue meruit nomen ſempiternum, vt ſub eadem ſubiectione, & imperio gentes remanſerint, qua eas moriens reliquiſſet, quod Romani facere non potuerunt. Et cum nunc nonnunquam Cæſarem, & Pompeium deteſtentur, Petrum & Paulum colunt, & adorant Romani, limina venerantur, adorant omnes gentes, vt viuus, & mortuus plus imperio, nomine, rerum geſtarũ gloria potuerit, quàm illi Romanorum imperatores. Hæc igitur vera regina, hi veri principes, digni qui oraculis prædicerentur: non ſcelerati, ſuorum vitiorum mancipia, qui ne præſentes quidem titulos, nedum famæ æternitatem mererentur. Qui cædibus terras infecerunt, multoſq́ue mortales, mœſtos reddiderunt, nihil, niſi cupiditatibus ſuis profuerunt. Tales principes etiam in poſteritate Meſſiæ qui cædant, mactent, accincti gladio incedant, ſuperbi, generis humani contemptores prædictos à Prophetis ne credas, ſed veros illos principes, qui pacem, & concordiam, iniuriarum acceptarum obliuionem, charitatem, beneuolentiam, eximiumq́ue Dei cultum, introducentes, felicitatem nobis quæſierunt, & animos ad veram ſapientiam, immortalitatemq́ue

Pro patribus tuis, &c.

Paulus. Chryſoſt.

litatemq́ue excitare ſunt exemplis, & ſermone conati, vſquequaque humano generi vtiles, & D fructuoſi. Variante igitur ſpiritu perſonas, quod creberrimum, & in pſalmis, & prophetis, tum verò & apud profanos poetas deprehendes, nunc ad regem eſt ſermo, nunc reginam, & filiam, ex adoratione, & amplexu, deſiderioq́ue regis inclytam futuram, & filios, mundi principes habituram. Sunt tamen apud Græcos, qui putent poſſe ad Meſſiam hic eſſe ſermonem, vt dicat ei, Patres apoſtoli. pro patribus, quos à genere materno duceret, id eſt Abraham, Iſaac, & Iacob, & Dauid, cæteriſq́ue inclytis, repullulaturos ei ſimiles filios, & ipſos Patriarchas animorum, & princeps, ac patres gentium, patres patriæ, vbicunque fuiſſent: quod & ipſum longè ſapientius dicitur, quàm illa Hebræorum delyria, è pectore nimium humano, & humanas opes, æternum autem nihil, & immortale ſpectante, manantia.

Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione.

AD Meſſiam Hebræis etiam teſtibus eſt ſermo. Nam Rabi Dauid ait, Nominis tui, de rege Meſſia dicit, qui in omni ætate nomen eius recolent, expectantes vel reſpicientes in eum. Rabi autem Salomon, & ex parte Auen Eſra, dicunt nominis tui, referri ad ipſum Mem. erũt no. tu. Deum. Videntes enim, fugienteſque incurrunt in veritatem. Eundem enim illi volunt eſſe Deũ benedictum, quem Rabi Dauid Meſſiam: eſt ergo Deus Meſſias. Ex ipſo enim loco fit clariſſi- In om. ge. & gener. mum, vt nulla certa, rationabiliſque ſit fuga. Recolere in æternum, ac celebrare, niſi de Deo dici non poteſt. Pſalmorum perpetua locutio, vt dicant nomen eius fore ſempiternum, propter ſempiternam gloriam. Ei qui ſemper eſt, debetur nominis æterna memoria, præcipuè pſalmo & Propheta hoc dicente, Ille mihi erit ſemper Deus. Nunquam de noſtro labetur pectore vultus. Semper laus eius in ore meo. Benedicam eum in omni tempore. Hæc omnia ſignificant diuinitatem. E Filij, inquit Moſes, qui naſcentur, enarrabunt filijs ſuis, quanta fecit Deus magnalia. Eſt autem Propheta, qui hæc magnitudine ſuarum cogitationum elatus, loquitur. Mos eſt autem hymnorum diuinorum, in eundem, & eodem modo deſinere quo cępiſſent. Quemadmodum autem dixit in principio, Dico ego opera mea regi, ſic terminans in eundem, Memor ero nominis tui: vt mira ſit Auen Eſræ, & Salomonis mens, non eundem regem, ac Meſſiam ſentientium, niſi videremus, quam ob cauſam refugerent hunc fateri Meſſiam, cui dicat nunc Propheta, Generatio & gener. Neſtor. Memor ero nominis tui in omni ſæculo, quòd id expreſſe doceat diuinitatem. Ac repetitio generationis idem valet, atque ſæculum, vel ſæcula ſæculorum. Idem eſt enim ætas, generatio, ſæculum. Apud Ouidium, vertitur in ætatem, quod erat γενεὴ apud Homerum, id eſt generatio. Annos, inquit longæuus Neſtor, vixi bis centum, iam tertia viuitur ætas. Homerus,

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Εφθίαθ' οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Εν Πυλῷ ἠγαθέᾳ. μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Quo loco apparet Ouidio interprete, idem eſſe generationem, atque ætatem: ætatem autem ſiue generationem eſſe centum annorum. Repetitio igitur generationis, ſonat ętatum, ſęculorumq́ue contiuationem, ac perennitatem. Ac Vates ſeipſum introducens æterne memorem, partim denotat ſe noſcere, quæ cæteri non noſcant, videre quæ multi non videāt, diuinitatem, inquam, æternamq́ue, dignam memoria Meſſiæ diuinitatem, tum ſe pro cęteris ſiſtit, vt ſe tanquam carminis ducem canentem, vehentemq; hunc inclytum regem, reliqui ſequantur chori plaudentium, F exultantium. Ipſe eſt carminis, oraculiq́ue princeps. Chaldæus tamen videtur quid aliud reſpexiſſe. In tempore, inquit, illo, dicetis, Recordabimur nominis tui in omnem ætatem & ætatem. Vera quidem ſentit, quòd tunc recordabimur, & deinceps in omnem ætatem, quia veniente libertatis vindice, pſalmi in toto terrarum orbe reſonarunt. Itaque cùm is pſalmus in omnium ore perſonet, idq́ue iugiter, & in omne ſęculum, cantantibus Eccleſijs pro ipſo Propheta, qui oraculum edidit, efficitur ore noſtro, vt ſempiternus ſit Vates, nominis Meſſię regis pręco. Quod ille videns prędixit, in omnem ætatem, nomen tuum celebrabo, quoniam hoc de te, meum carmen decantabitur ſemper omnibus linguis Græca, Romana, Arabica, Aethyopica. Quanquam & in cœlo canitur laudaturq́ue idem à ſanctis ſemper.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.

SI quis claro, integroq; iudicio perſpiciat, cùm totus is pſalmus ſecundam perſonam quandā loquatur, videbit duos non plures, quibuſcum Propheta loquatur regem, ac reginā eſſe ſemper: vt vbi cum regina non ſit ſermo, rex omnino intelligatur, quod & ipſi Hebręi non negant. Nam Rabi Dauid hic Meſſiam ſentit, Et Chaldęus prębet veritati eximium teſtimonium. Nihil, verò eſt clarius, & quod (quanquam errore graues) magis excitare poſſit mentes Hebręorum, quàm hoc oraculum. Prædicat iſtam religionem & pietatem erga Meſſiā, ęternam, pręđicit eum à populis celebrandum, decantandum, animandum vbique gentes vniuerſas, & vniuerſa tempora complectens, populos dicens, & in ęternum, & vltra, vt eſt in Hebraico. Quod ora- Aeternũ, pro diuturno, & ap. poetas. culum, non ſolum quod nunc vulgatiſſimum eſt, tanto antè tempore prędictum confirmat, verumq́ue docet, ſed cognoſcitur, adorandum, celebrandumq́ue, & laudandum ab omnibus populis, in ęternum, Deum fore. Dicant enim Hebręi, an laudandus à populis, in ęternum

A Poſſit carere diuinitate,cum præſertim hæc non à poetis, & oratoribus dicantur, qui templum pacis æternum, æternam famam, multaque alia ſempiterna, ſiue per exaggerationem, ſiue per mentis errorem faterentur,dicantur autem à Spiritu ſancto, omnia ſæculorum volumina proſpiciente. Tria ſunt hic diuinitatis,& iſtius quæ penes omnes eſt,pietatis teſtimonia. Vniuerſitas populorum,æternitas temporum,cultus ipſe laudis,& Confeſſionis. Qui quanquam de hominibus dici poſſit, vt, Iuda te laudabunt, ſiue confitebuntur fratres tui. in Pſalmis tamen propriè eſt Dei,nec inuenies alium laudari,& de eo vſurpari hoc verbum hoda,cõfeſſionem,quam de Deo. Hinc,Confitebor tibi Domine in toto corde meo: Confitemini Domino quoniam bonus. Confeſſionem,& decorem induiſti. Chaldæus igitur hoc loco, hæc tranſtulit, Quoniam populi qui conuertentur,confitebuntur nomen tuum,in æternum, & in ſæcula ſæculorum. Et Rabi Dauid, Confitebuntur,hoc eſt,te Regem ſuper ſe fatebuntur, quia regnum tunc adeò magnum erit, vt tale non fuerit vnquam. Vera dicit,Nam & Daniel,regnum eius ſempiternum fore prædixit. Poteſtas eius poteſtas æterna,& regnum quod non corrumpetur. Quod de homine, & regno terreſtri,verum eſſe non poteſt. Omnia enim terrena imperia ſimilia præteritis,Perſarum,Medorum, Græcorum,Romanorum erunt,eadem natura,mortalique ætate,mutationeque in deterius. Acternum regnum,alterius generis ſit oportet,ſicut Philoſophi,quoniam cęleſte corpus putãt ęternum,è quatuor terrenis eximentes,quintum ſtatuerunt analogum,vel æquiuocum ad iſta terrena. Sic æternum iſtud regnum à Prophetis viſum, & prædicatum, non vt falſum & obtuſum,& vbique caligans iudicium Hebræorum diſipit,in homine mortali, mortalique poſteritate poterit eſſe, quoniam in ęterno Imperatore, ſupra humanam, vt ſit ab omni homine, & omni tempore B inſuperabilis,neceſſe ſit,poteſtas,ratione, & oraculorum ſummo conſenſu comprobata. Tum ſi mortalis,vt vult cæca natio,erit Meſſias,quomodo ſumma pietate,& amore eum populi in ſæcula ſæcula, in æternitatem confitebuntur? certè ſi cùm ratione, cogitata ſua ponderarent, ſuam abſurditatem, & ſcripturarum in his deprauationem agnoſcerent, cum quibus digredi ſæpe coacti ſumus, quoniam & miramur in tanta oraculorum luce eos cæcos eſſe,& peruerſis eorum, vaniſque interpretationibus vbique occurrere neceſſe fuit.

Confit. ad deum ſolũ dic. in pſa.

Corp. cęli.

PSALMI LXVII. EXPLANATIO.

IS Pſalmus quoniam in titulo non eſt niſi quòd ſit pſalmus Dauid, varia fecit homines ſuſpicari, quamobrem editus eſſet. Græci (quod & Auguſtinus ſequitur) ſolum myſticum ſenſum exhibuerunt, videlicet quòd proſpiciens Dauid magnam per orbem terrarum dęmonum poteſtatem,& ad eius interitum venturum filium Dei per Spirtus ſancti reuelationem agnoſcens, precatur, vt acceleret, docens tum ſalutem humanam,tum dæmonum interitum per omne carmen. Hebræi,& ipſi ancipites,alii ſuper data lege,alij ſuper bellis Dauid,alij ſuper Gog,& Magog,alij ſuper exercitũ Sennacherib, quando Angelu scẽtũ octoginta millia interfecit, editum pſalmum arbitrantur. Hoc poſtremum quoniam & remotiſſimum fuit à Dauid, & tametſi fuit res prodigioſa, non tamen vniuerſale bonum, deinde nulla ratione hęc ſuſpicio roboratur, nec veriſimile eſt Dauid, C qui miraculum illud plus centum annis anteceſſit, oculos ad hęc defixos habuiſſe, quaſi ſpiritus laborarit hęc ei referre: veriſimilius eſt,aliquid ſublimius ac magnificentius iuxta ſuperiores hic doceri. Nam & Chaldæus putauit ſuper lata lege in monte, eum recitatum. Et Rabi Salomon de Gog, & Magog, & de Chriſto nonnunquam. Quicunque igitur altius in hęc penetrauerit, comperiet, in eo vniuerſalem Dei gloriam, vniuerſalem rerum prouidentiam, celebrari,commemoratis etiam nonnullis exemplis,quibus eius prouidentia ſublimiſque maieſtas mortalibus innotuit. Atque in eo refertur, quod Plato videtur hinc acccepiſſe, Iouem, id eſt Deum, aureo curru inſidentem, Deorum immortalium frequentia comitatum, ire per cœleſtia templa, cęlicolas intuentem, circunſtantes diuinis plauſibus ſalutare,quorum vocibus cęlum omne reſultet. Multas igitur res diuinas, ac mirandas canit Pſalmus, vagus per omnes theologiæ partes, nunc cęlum, nunc terras, nunc humana facta, nunc prouidentiam, & Nemeſin oſtendens, præcipuè verò Meſſiam decantans, vt cuncta ſimul, quę Græci, ac Latini, & Hebræi crediderunt, non ſeorſum aliquid referatur, eoq́; Auen Eſra teſtatur hunc pſalmum eſſe גבבר מאד valde nobilem, ac glorioſum, & grauem. Atque in titulo dicitur,In finem ipſi Dauid, pſalmus cantici. Primum cur Septuag. interpretes tranſtulerunt, In finem, retuli alibi, referamq́; nunc breuiter Hebraicè hæc vox נצח nazach ſonat quidem multa, ſed duos principales habet ſignificatus, æternitatẽ, victoriam. Forma verò, & canoniſmus ſignificata diſtinguit. Atque diſtinctè apud Hebræos in æternũ dicitur ac victoria: cùm dicitur in ęternum,eſt לנצח lanezach: cùm victoria, למנצח lãnazeach. Quæ ſunt duę partes,le,qualis Græcus articulus, τῷ: mnazeach,participium ſonans vincentẽ,triumphantem,ſiue canentem vehementer. Crediderunt igitur Sept. lamnazeach, eſſe quaſi lanezach, id eſt in ęternum, eoq́ue tranſtulerunt εἰς τὸ τέλος, in finem, quod illis ſonat in ęternum. Plures igitur Gręci,& Latini partim quid Gręcum ſonaret non intellexerunt, nec agnouerunt,in finem ſonare in ęternum,plures veram vocis Hebraicę vim agnoſcere non potuerunt.

4. re. 19. g.

Plato.

In finem.
Nazach.
Lanezac.
Lamnaz.

Docemur

Mnazech. Docemur autem in libris Paralipomenon, mnazechim, appellatos præpoſitos operis, inſtantes, D vrgentes: ſic quoque iubilantes, & quaſi vincentes alios, quaſi triumphantes, quod genus modulatus ſit voce, ſit organis, tibiis, tubis. Secutusq́; ſum alibi hanc ſententiam, eundem eſſe Dauid, & mnazeach, vt Hebraicum, quod in principiis Pſalmorum ponitur, lamnazeach le Dauid, ſonet iubilantis, triumphantisq́; Dauid, & quaſi exultantis, & duo genitiui in eundem ſpectent. Eſt alius item probabilis ſenſus, vt mnazeach non participium, ſed nomen verbale ſit, aut quaſi gerundium, vt deſignet ad canendum, quod idem dicitur לנצח lenazeach, ſicut apparet in Paralipomenon. Primo, vbi, quod Hieronymus vertit, Pro octaua, canebant epinicion ſuper victoriis, eſt lenazeach, quod ille oſtendit eſſe canere pro victoriis, idq́ue Græcè dicitur ἐπινίκιον. Et Abacuk 3. d. apud Abacuk vbi dicitur in noſtra tralatione, Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem: Hebraicè eſt lamnazeach bnighinothi, quod propriè ſonat ad canendum in cithara mea. Faciet inquit, vt triumphem, & exultem. Chaldæus item pro hoc Hebraico in pſalmis ſemper ponit לשבחא leſabecha, ad laudandum: quibus exemplis colligitur hoc, quod in principiis pſalmorum ſæpius ponitur lamnazeach, eſſe idem atque lenazeach, quod eſt in libro Paralipomen. id eſt, ad laudandum, vt in titulo quaſi ſonet, ad exultandum, ad iubilandum & ad exaltandum Deum totis viribus. Hoc carmen, ait, eſt ad laudandum Dominum, in eo laudamus, exultamus. Hoc facit, inquit, hoc carmen laudat Dominum, præcipuè ob victorias, pro quibus Romani ſupplicationes habebant. Et moyſes, ac Maria carmen pro ſuperatis, & ſummerſis hoſtibus cecinerunt, dicentes, primum cantemus. Sic Pſalmorum autores inuitantes omnes ad laudandum Deum, docent hæc eſſe carmina vera, & dicunt in principio, Hoc carmen eſt pro gratiis agendis. Ad quam ſimilitudinem, formamq́; loquendi eodem libro Paralipomenon, vbi dicitur, Vt con- E fiteamur nomini ſancto tuo, & exultemus in carminibus tuis: Hebraicè eſt להודות lohodoth, להשתבח letiſthabeah, ad confitendum, ad laudandum, exultandum. Sic in principijs Pſalmorum, Homerus. Pſalmicè. lamnazeach, ſonabit ad exultandum, ad canendum, iubilandum. Vtq́ue Homerus in principiis ſuorum hymnorum dicit, εἰς τὸν ἀπόλλωνα, εἰς τὸν δία, in Apollinem, in Iouem: Sic vice argumenti ponitur in noſtris, in principio quaſi in laudem Dei, exultationem Dei. In finē, in Chriſtum. Hæc tam multa dicenda fuerunt, vt eſſent omnia clara, quoniam iuxta tralationem Septuaginta non facilè intelligentur, cogemurq́; à fonte abhorrentia ſentire, vt ſunt qui finem interpretantur Chriſtum. Nam tametſi Septuag. finem reddiderunt, id tamen tum non eſt in Hebraico, tum apud illos potius ſonat æternitatem. Quoniam verò hac voce nazach deſignatur etiam victoria, eo vertunt mnazeach, alij Græci interpretes νικοπιῷ, vincenti, victoriam danti, quos ſequitur Hieronymus eritq́ue eadem ſententia, vt dicat, Hoc carmen canitur ei qui dat victoriam, qui facit vincere, ſicut interpretati ſumus ad canendum laudandum: eos, vt dixi, ſequitur Hieronymus, pro eo, quod Septuag. vertunt εἰς τὸ τέλος, ipſe ſemper reddens victori, quaſi diceret, Canitur is pſalmus ei qui vincit, Deo ſcilicet: quod clarius Græcè νικοποιῷ, victoriam danti, quanquam ſint, qui hanc victoriam, & conatum potius ad cantum, quàm ad victorias bellicas referunt. Poteſtq́; victori, referri ad ipſum Dauid, ſicut ſuperius docueram, qui vel vicerit in bello, vel triumphet in carmine. Quod autem ſequitur in titulo, ipſi Dauid, articulus, qui nomini Dauid apponitur Le. Pſa. cātici. le Dauid, eſt potius caſus gignendi, ſicut & Græcè τοῦ Δαϐὶδ. Sicq́; dicendum potius, Ipſius Dauid, quàm τοῦ Δαβὶδ.. Dicitur in titulo, Pſalmus cantici, quod cùm ſit, & ipſum difficile ad intelligendum, clarum faciendum eſt. Videtur enim eſſe verus ſenſus quem tranſtulit Chaldæus reddens תושבחא ושירא thusbecha veſcira, laus, & canticum, quaſi duo idem pollentia, vt non interſit inter laudem & canticum. Cantica enim, pſalmi dicuntur: viciſſim pſalmi dicuntur cantari. Ergo duo ſunt nomina idem valentia, ſicut, ſi diceremus, melos atque oda. Non enim eſſet ταυτολογία, ſed maior expreſſio, id ſæpiſſimè fit apud Prophetas. Videtur autem deeſſe coniunctio, Et, nec crediderim (tametſi etiam diuus Hieronymus dixit Pſalmus cantici) alterum horum eſſe caſum nominandi, alterum gignendi, ſed potius vtrunq; nominandi, Pſalmus, Canticum. Et di- Pſal. Cant. Cant. pſal. uus ipſe Hieronymus ſæpe hoc nomen miſmor, quod hic reddidit pſalmum, ſolet tranferre canticum, vt ſit quaſi canticum, & canticum, quaſi duo idem. Pſallere. Pſalteriū. Et pòſt, vbi nunc dicitur, Pſalmus cantici, dicetur Canticum pſalmi, vt videantur idem. Et pòſt, illic Septuaginta dicunt ᾠδὴ ψαλμοῦ, hic verò ψαλμὸς ᾠδῆς. Poſſumus, & hoc oſtendere, quod & diuus Auguſtinus propoſuit, pſallere apud Græcos non propriè dici de voce humana, ſed de inſtrumento muſico, quòd à Græcis vocatur ψαλτήριον, pſalterium, quod Athenæus teſtatur octo chordis conſtare, oſtendens Epigonum quendam addidiſſe duas alias chordas. Aitq́ue quòd idem ἔψαλλεν δίχα πλήκτρου, ſine plectro pſallebat. Ex quo videmus, quòd cùm ille ſine plectro pſalleret, pſallere dictum eſſe de voce illa muſica, non humana. Plutarchus ait in Sympoſijs, quòd tarditatem, & curioſitatem Philippi pſaltes compeſcuit, qui eum volebat περὶ τῶν κρουμάτων καὶ ἁρμονιῶν, de pulſu, & harmonia reprehendere, Dij, inquit, auertant vt tu melius quàm ego hæc noſcas. Quo exemplo apparet pſalten eſſe qui pulſet, feriatq́ue. Pſaltes. Miſmor. Sic de Hebraico miſmor, tametſi ad vocem humanam interdum referatur, ſignare tamen propriè vocem muſicam, ſecundum autem nomen ſhir, vo- Shir. cem humanam tantum, vt oſtendatur duabus vocibus & harmonica ipſius pſalterij, & humana Orpheus. recitante hæc verba modulatè, hunc pſalmum & alios multos fuiſſe cantatos. Quod Orpheus lyra feciſſe dicitur, vt & cantando, & lyræ chordas ducendo, ac feriendo dulciſſimum redderet modulatum, quo ſaxa, arboreſque ſe ſequi cogeret. Viget idem vſus hodie apud mortales, & totidem inſtrumentis, quot & tempore Dauid fermè pſalmicanũtur. Nam inſtrumenta quæ numerantur in libro Paralipomenon, quibus pſalmi canerentur, hodie ferè ſunt eadem, in Eccleſia. Numerantur ibi Nebalim, id eſt pſalteria, & kinnoroth, Citharæ, quibus hodie reſpondent lyræ maiores, & minores: & mezithaim, id eſt cymbala, tubæ item, quarum eſt idem hodie quoque vſus. Nec mirum, tametſi propriè Pſalmus ſit vox harmonica, etiam vocem humanam, carminaque propter modulatum, acceſſionemq; vocis harmonicæ, vocata, Pſalmum. Pſalmus ergo propriè vox pſalterij, ob affinitatem autem, & ſecundo, etiam vox humana, ſeu carmen ad pſalterium decantatum.

Inſtrumẽta muſica.

Pſalmus.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.

DEſcriptvrvs maieſtatem potentiamque diuinam, eiuſque excedentem omnia vim, & ſapientiam, ait primo imperium eius, hoſtes poſſe labefactare, daturos inimicos eius terga, formidaturoſq; potentiam. Nihil ei poſſe reſiſtere, & quicunque eum nunc blaſphemant, execrantur, ſi ſe commoueat, vel minimum, ſi velit quid poſſit, oſtendere, in cineres eos & fauillas ſubito abituros. Vt autem is ſenſus melius intelligatur, ſciendum, quod & Hebræi quoque teſtantur, hanc orationem & principium huius Pſalmi duobus modis efferri poſſe. Nam Hebraicè futurum eſt, ſicque per futurum poteſt pronuntiari: Exurgat Deus, & diſſipabuntur inimici eius. Poteſt & per imperatiuum transferri, quoniam Hebræi, & Græci futura pro imperatiuis vſurpant, ſicut & Septuag. & Hierony. tranſtulerunt. Hos duos modos innuens Rabi Dauid, Hoc, inquit, aut eſt oratio, vt roget inimicos diſſipandos, aut prophetia, quaſi vaticinetur fore, vt inimici Dei liqueſcant. Quod ſi verum eſt, ſtabit, & quadrabit ſenſus Chriſtianorum dicentium his quaſi prædici euerſionem diabolicę poteſtatis. Illi enim ſunt veri inimici Dei, multò magis quam omnes homines, cùm imperio, & gloriæ, & cultui eius ſemper aduerſentur, quærentes ad ſe honorem maieſtatis eius transferre. Et communis eſt omnium mortalium conſenſus, hoſtes Dei eſſe aduerſas poteſtates, quæ regnum eius appetierunt. Quod ſi ad homines referas, vt ſępe in ſacris litteris inuenitur, appellantibus homines impios, ac ſuperbos, Dei inimicos: etiam pulcher eſt ſenſus. Si Deus, ait, exurget, deſſipabuntur ſcelerati illi, vaneſcent, qui tum ipſum Deũ, tum amicos eius perſequuntur. Hinc ſuſpicati ſunt nonnulli Hebræi hæc referri ad Sennaeherib ipſos Hebræos perſequentẽ. At qui non debuit res vniuerſalis, & diuinæ maieſtatis vniuerſalis prædicatio ad particulare redigi. Poteſt igitur eſſe aut deprecatio, vt oret Deum excitari, euigilare, commouere ſeſe, facere potentiæ ſuæ contra hoſtes indicium. Poteſt & futurum eſſe, vt prædicat fore vt inimici Dei vaneſcant. Atque oratio de futuro, aut erit, tanquam prophetia, aliquid eximium prædicens, aut eſt vniuerſalis, de poteſtate diuina enuntiatio, & demonſtratio mirabilis, & ineffabilis poteſtatis eius. Quo volente, & nutu ſolo, ad quem tremit olympus, montes quatiuntur, nullus erit locus qui fugientes hoſtes recipiat. Nec dubium eſt, quin exurgere dictum ſit ἀνθρωποπάθως ab humanis actibus, cum irati ſurgimus, cùm expergiſcimur, euigilamus, cum vocat res, & properare facit, cùm maturamus. Atque ideo Hebræi dicunt, exurgere, eſſe potentiam ſuam demonſtrare. Et Græci ferè quiddam ſimile, τὴν ἀνάστασιν καλεῖ, τὴν τῆς μακροθυμίας παῦλαν, ſurrectionem vocat, patientiæ ſuæ finem & interruptionem. Euthymius quoque monet, vt ſurrectionem θεοπρεπῶς, diuinitati congruentem intelligas, motum ad plectendos hoſtes. Ac cùm non haberet ex Hebraico eſſe poſſe hanc orationem de futuro, dicit eam intelligendam quaſi optatiuè, Vtinam exurgat, & diſſipentur. Sed Hebraicè ſcientem is ſcrupus non male habet. Sic quoque facies Dei ſiue præſentia, dicta eſt figuratè à corpore humano, & quia fugiunt cùm pauent hoſtes, gladium perſequentis. Sicut autem ſurgere intelligimus diuinè, ſic hoſtium fuga intelligenda eſt humane, vt homines fugere, diſſipari, perturbari, paueſcere, deinde interfici à perſequentibus, cædi, mactari ſolent. Nam alioqui quocunq; aufugeris, à conſpectu Dei abire non poteris. Sed à ſimilitudine rerum humanarum dictum eſt, tanquam fortiſſimo Deo, turbante, profligante hoſtium phalangas: inimici autem Dei ſunt quos etiam diuus Paulus vocat θεοστυγεῖς, Deum odio habentes. Habuit & apud Græcos antiquos ſuum nomen ἄθεοι ἀσεβεῖς, ſine Deo, ſine pietate. Claret etiam Hebræos aliquid arcanum atque abſtrutum ſub iſto Pſalmo cantari putaſſe, quòd hos inimicos Dei, Rabi Salomon exponit Eſau, id eſt Romanos, vt ipſi putant, quos deſtruendos in aduentu Chriſti prædicant. Sicque conſtat omnium conſenſu eſſe de aduentu Chriſti hæc accipienda, licet diuerſis rationibus exponantur, peruerſe, ut ſolet, ab Hebræis.

Diſsipare.

Inimici Dei.

Macro. Satur. 3. 51.

Precatio.

Prophetia.

Exurgere.

Facies dei.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores, à facie Dei.

EST, vt ſolet, eorundem clarior quædam explicatio creſcente oratione, & manifeſtiora ponente. Hoc erat ergo diſſipari, & fugere, deficere, liqueſcere, abire in nihilum. Eſt autem,

Deficere.

&

Fumus. & hoc efferendum per futurum, ſi placet prior ille ſenſus. Non ſolumque ait hoſtes vertendos, ſed liquefaciendos etiam, & diſſipandos in nihilum. Duobusque internecionis eorum perſpicuis exemplis eſt vſus. Nihil enim eſt vento ac fumo inanius, & quod facilius diſſipetur, ac vaneſcat, tam cito deficiat cera quoq; igni admota extemplo liqueſcit in nihilum, vt quę fuerat, non appareat. Et Græci hanc ſimilitudinem explicantes, vt fumus à vento diſſipatur, & ab igne cera ſoluitur, ſic impios à potentia diuina reſoluendos. Hebraicè pro Deficit, quod Græcè ἐκλείπει, poſitum eſt הנדף hithnedoph, ꝙ quidē ſonat propellere, abiicere, quod fit à vento, cùm fumus in aera tollitur, eum fugante, & diſpergente. Septuag. rem ipſam, & finem dixerunt, cùm in nihi- Deficiant. lum abit. Porrò quod illi dixerunt, Deficiant, licet ſenſus non variet, Hebraicè tamen dicitur, Sicut propellitur, fugatur, abiicitur fumus. תנדף thindoph, propellas, abiicias. Sicut fumus turba- A facie ignis. tur, & tu turbes, aut turbabis, & proiicies: vt ſit oratio ad ipſum Deum. Et quod ait, A facie ignis, Hebraiſmus eſt. Omnem præſentiam, ſiue humanam, ſiue rerum inanimatarum, faciem dicunt, vt facies terræ, facies abyſſi. Latini quoque dant os, & vultum ſæpe rebus inanimatis, ex- Fluit. tulit os ſacrum: ſic & ſuperficiem, quaſi ſuperiorem faciem, de omnibus dicunt. Quod & Græca vox recipit πρόσωπον, quaſi anterior aſpectus cuiuſque rei. Quodque Latinus dixit, Fluit, Græcè melius, & expreſſius τήκεται, diſſoluitur, abſumitur. Et Hieronymus in Pſalterio ex He- Peccator. braico, Tabeſcit. Et quod Septuaginta dixerunt ἁμαρτωλοὶ, peccatores, grauius eſt Hebraicè רשעים reshaim, impii. Sicque cæteri apud Græcos interpretes, id eſt Aquila, Symmachus, tranſtulerunt ἀσεβεῖς, quos ſequitur Hieronymus dicens impij. Et ipſi Septuagin. hanc eandem vocem in primo Pſalmo tranſtulerunt ἀσεβεῖς, impij. Non ſimpliciter ergo peccatores dicit perituros, ſed grauiſſimè peccantes, id eſt impios, quos paulò ante inimicos Dei dixit, vt idem ſit Dei inimicus, atque impius, qui Græcè, ſicut Hebraicè rectè dicuntur, vt dixi, ἄθεοι, θεοστυγεῖς. His ſempiternam cladem comminatur, & optat, in quibus non ſolum impios, & à cultu Dei abhorrentes homines intelligere neceſſe eſt, ſed multò maximè omnium impiorum principes, & ductores dæmones. Quos etſi vulgus fortè non videt, quid in Republica Dei peccent, quas impietates exerceant, ſapientiſſimos tamen Prophetas hæc non latuiſſe credendum eſt. Auguſtinus ſentit Iudęos, qui cruci amantiſſimum Dei filium affixerunt. Vbique autem in ſacris litteris interitus impiorum deſideratur, vt, Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint. Et, nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Sic nunc quaſi ſceleratis, & impius extinctis, & procul a luce, ac vita fugatis, ſolos pios, perpetua pietate, & cultu, ac laude Dei, lætantes, cupit eſſe quietos, & viuere. Eoque ait:

Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.

Epulari. QVod Latinus dixit, epulentur, non videtur quid propriè Latinis ſonet epulari, intellexiſſe. Quis enim neſcit epulas cibos appellari? Epulæq; ante ora paratæ. Inde dicitur epulari. Græcum igitur melius, & Hebraico reſpondens εὐφρανθήτωσαν, lætentur, exultent, hilareſcant, ſint animo læto. Dicitur enim ab εὖ & φρένες. Lætitia vero, & gaudia non in ſola menſa exiſtunt, nec illa gaudia iuſtorum reſpicit Vates. Poteſt hoc ſolo defendi Latinus, vt quaſi ſpirituales epulas ſenſerit, de quibus diuus Paulus, Itaque epulemur in azymis ſynceritatis, & veritatis: vt triumphum, lętitiamque iuſtorum, epulas vocarit. Græcum eſt clarius, & Hebraicè ישמחו iſmechu, lætentur, exultent. Hieron. item tranſtulit lętentur. Pſalterium quoque Auguſtini, ab alio quàm noſtrum è Gręco in Latinum tralatum, habet iucundetur, quod eſt me- Exultent. lius, ne ſympoſia conuiuiaque iuſtis, & bacchanalia videatur aſcribere. Quodque ſequitur: Et exultent, bene Exultent, ſiquidem, & Hebraicè immenſa quædam lætitia deſignatur, יעלצו iaalezu, ſonatq; iubilare, efferri gaudio, exilire, omnibus lætitiis incedere. Vocat iuſtos ad magnam lætitiam, vt alibi, Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Quod quidem omnibus ferè in Pſalmis fit, prouocante Vate ad laudem Dei omnes iuſtos, Deumque colentes, vt geſtiant gaudio, animo, corpore, voce, exultent, quo amorem erga Deum ſignificent. Lætitiæ, plauſusque fremunt, omnibus in templis matrum chorus. Hæc enim maximè cupiunt illi. Poteſt eſſe, vt dixi, vaticinium de futuro, vt prædicat incommemorabilem quandam lætitiam, redeunte Chriſto in mundum, cum ſumma maieſtate, cùm impij lugentes, à conſpectu eius aufugient, iuſti, ac probi incommemorabili gaudio exultabunt. Nulla enim erit vnquam In conſpectu. maior lętitia, & alacritas, ante principem ſuum, cui erunt conformes, his exulantibus. Quòd ſi inuitat ad laudandum, ſicut ſępe faciunt Pſalmi, conſpectum Dei intelligemus ſecretam eius pręſentiam, cui præcipuè aſſiſtimus, cùm ad eius cultum accedimus. Hæcque ad laudem Dei inuitatio pręcipuè fit in Pſalmis, quorum hoc eſt opus. Ter autem inuitat, epulentur, exultent, delectentur: totaque hæc exultatio Pſalmorum, laudumque diuinarum erit.

Cantate Domino, pſallite nomini eius, iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.

Pſallite. Nomen. Iter facite. CAetera ſunt clara. Quinquies inuitat ad laudem Dei, aut quandam exultationem prędicit. Et pro pſallite זמרו zameru. Chaldæus dixit שבחו habehu, laudate. Nomen quoque eſt pro ipſo Deo. Quod autem dixit, Iter facite, ſecus accipiendum eſt, & ſecus Hebręi exponunt.

nunt. Hebraicè eſt סלו ſollu, exaltate, euehite. Cauſa autem varietatis fuit, quòd verbum Hebraicum ſalal eſt ἀμφίβολον, deſignans tum aggerare, aggerem facere, tum ob hanc fortaſſe ſimilitudinem, accumulare laudes, euehere, exaltare. Vt enim Latinè à cumulo lapidum, ac macerie, cumulum bonorum, ac laudum dixerunt: ſic ab aggeratione terreſtri, Hebraicè aggeratio laudum dicta eſt. Siquidem & hoc Latinum, de macerie proprium, tralatum eſt ad orationem, quæ cùm creſcit, exaggerari dicitur. Itaque etiam Hebræi, id eſt Auen Eſra, Salomon, Dauid, exponunt hanc vocem ſollu רוממו הללו romemu, hallelu, exaltate, laudate. Quanquam Hierony. tranſtulit præparate viam. Et Græci hoc volunt eſſe ſicut illud, Parate viam Domini. Sed certè videtur aliud dici hoc loco. Nam ſequitur mox aliud verbum ſimilis ſignificatus, exultate in conſpectu eius, patris orphanorum. Quòd ſi præparationem viç velimus quaſi intelligere triumphum, & pompam, quæ præparatur venturis regibus, cùm ſternitur omne ſolum floribus, & coronis, odores vndique exhalant, nos autem ornati obuiam incedimus, canentes pæanizantes: hoc fortaſſe, & Hebraicum potuit reſpexiſſe, & Græcũ veram proprietatem reddidiſſe. Omnis enim iſta toties repetita exultatio, non aliud quàm triumphus eſt, & pompa, ad quam inuitat pſalmus, quale fecit ipſe Dauid, cum omnibus harmonicis inſtrumentis canentibus, toto populo plaudente, ipſe coram arca, quæ deducebatur, exiliebat tripudiabatque. Is ſenſus poteſt latere ſub ὁδοιποιήσατε, parate aut facite viam, quod & quidam Hebræorum ſenſerunt. Verus tamen, & certior ſignificatus expoſitus eſt. Theodoritus quaſi hæc Apoſtolis imperari cenſet, vt faciant iter in omnes gentes cum plauſu, & chorea, & Deo parent iter, quod & Auguſtino arriſit. Quod autem dicitur, Ei qui aſcendit ſuper occaſum, ſciendum pro ἐπιβεβηκότι, ei qui aſcendit, in fonte eſſe לרוכב lerokeb, id eſt, equitanti. Nam rakab, eſt equitare, & roheb, equitantem, aſcendentem equum ſonat. Et pro occaſu, eſt Hebraicè ערבות araboth, quam vocem ſecus Hebræi exponunt, ſecus Hierony. interpretatur. Chaldæus pro ea, in ſua ex Hebraico in Chaldaicum tralatione poſuit כורסיה יקרה curſea iekara, ſolium maieſtatis ſuæ, dicens: Exaltate eum, qui ſedet ſuper ſolium maieſtatis ſuæ, quanquam poſuit, & ipſe, arabot. Iuxta quem ſenſum Hebræi exponunt, Ei qui aſcendit, aut equitat ſuper cælis, ſicut aſcenſor ducit equum quocunque vult, ſic Deus, Deus benedictus, verſat, torquetque orbes. Hæc illi dicunt. Atque hoc nomen Hebraicum eſt valde polyſemum, nunc deſertum ſignificans, nunc veſperam, nunc dulce, ac iucundum. In numero multitudinis dicitur araboth. Sept. acceperunt pro veſpera. Hieron. tranſtulit deſerta. Verum eſt nomen beatiſſimarum iucundiſſimarumque cæli regionum, quæ dicuntur araboth', quaſi amœnitates, quas & Homerus diſcribens ibi dicit eſſe nectar, & ambroſiam, nunquam locum illum ventis infeſtari nubibus opacari, gelida niue conſpergi, aut pluuia allui. Hebræus ſimilia ſentiens hanc regionem vocauit araboth, ſuauitates, iucunditates, beatitudinem, felicitatem: hic equitate aureis quadrigis inclitum regem Deum, aut in ſolio maieſtatis ſuæ ſedere, vt huic iubeat nos canere, hunc noctesque, dieſque cogitare, & laudare. Itaque & Porphyrius, Apollinis oraculum tale adducit decimo libro ἐκλογίων φιλοσοφίας, quo Deum precari docuit Apollo, cùm celare non poſſet veritatem, ſed exprimere coactus. Afferamque hoc exemplum, vt ſublimis philoſophia iſtius loci ſit perſpectior.

Qui aſcendit.

Super oc.

Arabot.

De p philoſophia, lib. 3. c. 14.

Ἀθάνατε τ᾽ ἄῤῥητε πατὴρ αἰώνιε μύστα,
Κόσμων ἀμφιδρόμων ἐποχούμενε δέσποτα νώτοις
Αἰθερίοις· ἀλκῆς ἵνα σοι μένος ἐστήρικται,
Πάντ᾽ ἐπιδερκομένῳ καὶ ἀκούοντι οὔασι καλοῖς,
Κλῦθι τέων παίδων οὓς ἤροσας αὐτὸς ἐν ὥραις.
Σὴ γὰρ ὑπὲρ κόσμον τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Χρυσῆ ὑπέρκειται πολλὴ αἰώνιος ἀλκή.

Quę & ſi difficile reddentur Latinè, conabor tamen:

Incorrupte pater, ſacer, haud effabilis atque
Aeterne, inuectus mundis voluentibus, ipſe
Aetherijs campis rex incolis, alta poteſtas
Regnat vbi tua, ſtatque immota: hic cuncta tueris,
Auribus, & pulchris exaudis, reſpice natos
Alme tuos, quos ſemper amas: nam deſuper aſtris
Aurea maieſtas tua, mundum & deſuper omnem
Euehitur, ſemper ſtabit, viuetque perennis.

Hæc quaſi ex hoc loco tralata, aut ob diuinitatem ab oraculo ſimilia dicta videntur. Nam propriè quod Hebraicè dictum eſt rokeb, eſt quod dixit oraculum ἐποχούμενος, inuectus, equitans. Et quod noſtrum oraculum araboth, illud appellauit κόσμων ἀμφιδρόμους, mundos circumrotantes, quod etiam ſentiunt hic Hebræi. Appellauit etiam νῶτα αἰθέρια, ſolum cęleſte, ſuperficiem ætheriam, vbi dicit eſſe maieſtatem Dei æternam, ſtabilem, ſupra aſtra, ſupra mundum

Oraculum verè diuinum, noſtris litteris cœleſtibus, altiſſimæque philoſophiæ ſimile. Quo declaratur ſedes Dei æterna, incorrupta, & motor cœli Deus, quod & philoſophi ſenſerunt: qui ſi noſtra oracula, ſi principium & fontem huius ſententiæ cognouiſſent, non applicaſſent Deum ſuo orbi, ſed imperium cęli ei, habenasque diuinè, & vt Deum decebat, dediſſent, & vt altiſſima philoſophia docuerat, propterea quod hoc oraculum dicit, & inde & ex tam ſublimi, tam regio loco, Deum omnia intueri, omnia exaudire, & amare filios ſuos, id eſt homines, & exaudire vocantes. Eſt igitur ſenſus clarus, quid ſonet rokeb araboth, aſcendens, vel equitans, loca beata: notat enim tum ſedem Dei æternam, auream, maieſtatemque in cælo defixam, ſicut Chaldæus docuerat, & oraculum, tum eum eſſe, qui regat moles cœleſtes cum ratione, perpetuaque conſtantia, hocque eſt ἐποχούμενος κόσμων ἀμφιδρόμων, inuectus mundis circumuoluentibus, ſiue rotatis. Ideo hunc locum non videntur noſtri intellexiſſe. Nam Græci occaſum, tenebras, & ignorantias gentium interpretantur, ad quas Apoſtoli mitterentur, ſequentes ſuperiorem ſenſum. Occaſumque tenebras humani pectoris interpretantur. Aſcendere quoque deſerta non claret, quid ſonet. Videmus quàm ſit ille ſenſus altior, clarior, regalior. Iubet pſalmus, vt cantemus ei, vocibusque noſtris eum exaltemus, cuius ſedes, & maieſtas altiſſima, in locis cæleſtibus, regens omnem mundum. Ideo vocatur Altiſſimus, & nos ab eo viuimus, qui nobis mouet, & regit cęlum, inuentor eius. Fuerunt ex Hebręis qui putarent araboth, cęlos dici, quaſi deſerta, id eſt vaſtitates, latas regiones, ſicut Homerus vocat εὐρὺν ὄλυμπον. Nihil eſt enim eo vaſtius. Hicq; nō ab harab dulce deduxerunt. Poſſet autem defendi interpretatio Sept. ſi acciperetur pro Chriſto, qui aſcenderit in cælum, verſus occaſum, partem pro toto accipiendo, aut in vniuerſum de equitatione Dei verſus Occidentem ſolem, ſicut in fine dicet, Aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem, licet locus poſſit ſecus exponi, vt per vniuerſum cęlum, dicat Deum equitare. Nicolaus Hebręos ait Araboth, putare vnum è ſeptem cælis, quaſi cælum empyrium, ad quod aſcenderit Chriſtus. Burgenſis ſicut Rabi Dauid, primum mobile, quod hic occaſus dicatur, quia ab ortu tendit in occaſum. Quaſi dicat pſalmus, Qui aſcendit verſus Araboth, id eſt occaſus. Quæ omnia eodem fermè tendunt, vt cùm probabiliter cuncta dicantur, ſimilem quoque atq; eundem habeant ſenſum, præcipuè ſi recte intelligantur. Eſt enim cęlum Araboth, propter amœnitatem, propter latitudinem, propter motum in occaſum. Quod autem dixit, Dominus nomen illi, in fonte eſt ביה שמו beiah ſhemo, id eſt, in iah, quod eſt nomen eius. Et Hiero. In domino nomen eius. Dicit vt laudemus eum, appellantes eum ſuo nomine Iah, quod eſt nomen diuinum, in pſalmis frequentiſſimum. Omnis enim pſalmus qui inchoatur, Laudate Dominum, Hebraicè eſt halleluiah, Laudate eum qui dicitur iah. Quo dicunt Hebræi deſignari eum eſſe creatorem mundi, atque autorem. Rabi Salomon vult eo deſignari timorem, quaſi iah ſit Deus timendus, verendus, vt pſalmus dicat, Laudate, & timete eum.

Altiſsim⁹.

Aſcenſio Chriſti domini.

Domin⁹, nomē illi.

Iah.

Exultate in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarum.

PRimum ſciendum eſt, principium huius verſiculi hærere cum ſuperiore, vt dicendum ſit, Dominus nomen illi. Et exultate in conſpectu eius. Nam Hebraicè coniunctio eſt, &, ſicut Græcè ϗ ἀγαλλιᾶσθε. Secundò ſuperfluò additum eſt Græcis ταραχθήσονται ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, turbabuntur a facie eius. Hoc enim in Hebraico nuſquam eſt, nec vllam habet hoc loco rationem, nec credo Septuag. appoſuiſſe, ſed potius aliquo caſu irrepſiſſe. In tralatione quoque Hieronymi ex Hebraico non habetur neque apud Chaldæum. Igitur veluti adiectum, prorſum obliterandum eſt, conſequens autem, & addens ad ſuperiores laudes diuinas, quibus dixerat thronum eius æternum eſſe in cęlo, regereque motus cæleſtes, nunc vt eum tanto rerum ſuarum faſtigio, in tanta maieſtate etiam mitiſſimum oſtendat, ad pupillos, & viduas docet eum ſeſe inclinare, aſpicientem in cœlo, & caſtigantem, eos angentes, & turbantes. Opinabar autem ſuperius oraculum illud diuinum Apollinis, aut acceptum ex iſto loco, aut veritatem ad eandem ſpiritum illum adduxiſſe. Vt enim illic vbi diuinam maieſtatem, æternam, inconcuſſam, ineffabilem, in cælo florentem, vbi motus cęleſtes ab ea regi, cierique dixiſſet, poſtea dixit eum diuinis oculis, & auribus benignis, noſtras videre, & audire preces, filiosq; ſuos homines nunquam amare ceſſaſſe: ſic nunc oraculum cùm eum altiſſimum prædicaſſet, prædicat item clementem, ſuauem, miſericordem, aſpicientem omnes, iniuriam patientes, præcipuè pupillos & viduas, genus omni ope humana deſtitutum. Atque adeò bonitatem in hoc eius prędicat, vt patrem eum appellet pupillorum, & iudicem viduarum, ſicut oraculum, filios. Et ipſe Chriſtus docuit eum noſtrum eſſe patrem. Hæc eſt ad ſuperiora conſecutio. Itaque dicendum eſt, Cantate Domino, pſallite nomini eius, qui graditur ſuper aſtra, nomini eius, & exultate ante eum. Pater pupillorum, iudex viduarum, Deus in loco ſancto ſuo, aut dices per caſum dandi, Exultate ei, qui eſt pater pupillorum, iudex viduarum. Ideo Hierony. hoc obſeruans dicit, Et exultate coram eo patre pupillorum, & iudice viduarum. Oraculum dicebat πατὴρ ἀθάνατι, Pater immortalis, pater æternus, ineffabilis. Et conſecutio quidem clara, & clarus ſenſus. Nam Dominus altus quidem eſt, ſed & humilia reſpicit. Sicque pleni ſunt diuinis ſenſibus pſalmi,

Et turbab⁹ à fac eius.

nunc

A nunc maieſtatem Dei, nunc prouidentiam decantantes. Ac ſi velles ſequi Hebraicum, pars verſiculi ſequentis, Deus in loco ſancto ſuo, eſt cum præſenti verſiculo coniungenda. Sed hoc minimum refert.

Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.

Deus in loco ſancto ſuo.

QVo ſenſu dicat Deum eſſe in loco ſancto ſuo, & qua conſecutione, Hebræi quoque docẽt. Sic enim legendus eſſe videtur totus verſiculus, Pater pupillorum, iudex viduarum, Deus in loco ſancto ſuo, è loco illo ſublimi, & eminentiſſimo aſpicit res terreſtres, præcipueq; vexatos miſeretur, ſicut dicebat oraculum πάντα ἐπιδερκομένῳ, omnia aſpicienti è cęlo, vbi tua poteſtas firmata, ac ſtabilita eſt. Inde eſt pater pupillorum. Chaldæus autem dixit, Deus in habitaculo domus shekina, ſanctitatis ſuæ. Eſt autem shekina nomen à verbo shacan, quod Græca dialectos vſurpauit, ſcena, ſonatq; illud Hebraicum, habitationem. Sed quadam priuata loquendi ratione, vocant shekina, diuinam maieſtatem, diuinitatiſque locum, ipſamq; inhabitantem diuinitatem. Ac pro loco Hebraicè dicitur מעון meon, habitaculum, ſicut Ariſtoteles dicit οἰκητήριον θεῶ, habitaculum Dei, eſſe cœlum, negans extra cęlum, vbi degit πᾶν τὸ θεῖον, tota diuinitas, eſſe locum. Et tamen, inquit, ſunt ibi res, optimam vitam ducentes, vt neceſſe ſit locum ibi eſſe dicere, rurſum non eſſe, ſed res noſtris diſſimiles. Quod autem ſequitur, Vnius moris, Hebraicè eſt יחידים iachidim, quod ſonat ſingulares, eoq; Hieron. tranſtulit ſolitarios, ſecutus Symmachum vertentem μοναχοὺς. Septuag. Græcè dixerunt μονοτρόπους. Duo ſunt ſenſus apud Hebræos ſuper hac re, vnus quòd ſolitarios facit habitare, i. quòd ſterilibus det habitationem, det B familiam, det domum, ſicut dicitur de obſtetricibus in Exodo, quòd fecerit eis Dominus domos, hoc eſt copioſam familiam. Sic nunc cum diuina beneficia recenſeat, narrat eum eſſe prolis datorem, quæ res plurimi fiebat apud Hebręos. Iuxta quem ſenſum iakidim tranſtulit Aquilas μονογενεῖς, vnigenitos, quod Auen Eſra exponit Deum diffundere, dilatare vnicos, facere eos plures, augere familiã. Chaldæus item, iuxta hunc ſenſum transfert מזווג זוגים mezaueg zugim, ſociat, coniungit iugatos. Vſusq; eſt voce Gręca ζεύγνυμι. Alter eſt ſenſus, ꝙ quãquã quis eſt omni humana ope deſtitutus, quãquã ſolitarius, derelictus, Deus tñ habitare eũ facit, facit viuere, dat ei opulentiam, felicitatem, dat domum, dat familiam. Isq; veriſimilior ſenſus videtur, hærẽs ad ſuperiora. Pupillos enim ac viduas nominauerat, hi verò ſunt ſolitarij, deſtituti, ſoli, nudati præſidiis, his Deus clementiſſimus & miſericors fert opem, facit opulentos eos, eſt eis δώτηρ ἐάων. Atq; vr̃ is ſenſus, qualis alio in pſalmo, Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lętantem. Solitarios igitur intelliges viduas, pupillos, pauperes, auxilio deſtitutos. Sicque clarus eſt ſenſus. Gręci ex parte viderunt hunc ſenſum interpretantes μονοτρόπους, ſimplices, iuſtos, ſynceros, non duplices, his parare Deum domos, quas iuxta diuum Paulum, Domos non manufactas, domos cęleſtes, ęternas. Is ſenſus magis eſt allegoricus quàm ad litteram. Rabi quoque Salomon nimis allegoricè, ſolitarios, vel vnicos interpretans ipſos Iſraelitas ante Chriſti aduentum diſperſos, eo adueniente colligendos in ſtationem ſecuram, & tranquillam, referens totum pſalmum in aduentũ Chriſti, quem expectant. Quoniam ergo Deo altiſſimam regionem tribuerat, eum in altiſſimo maieſtatis gradu locauerat, eum tamen non ſolum non ſpernere res humanas dicit, vt etiam ſit refugium miſerorum, pater pupillorum, iudex viduarum, deſtitutorum, atque exutorum adiutor, & largitor neceſſariarum rerum, præcipuè tecti, familiæ. Atque habitare facere, eſt dare domum, dare tectum: domo autem cætera neceſſaria continentur. Ideoque ſimile huic beneficium aliud introducens, eximium prouidentiæ, clementiæque ſuæ exemplum, ait:

Scena.

Vnius moris.

Monachi.

Qui habitare facit in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris.

IN his obſeruanda multa, vt veritas eluceſcat, facilis, & perſpicua in fonte. Nam quod Septuag. interpretati ſunt ἀνδρείᾳ, fortitudine, Hebraicè eſt כושרות cosharoth. Hebræi catenas dicunt, dicentes in hac voce eſſe caph, loco coph, vt nomen deſcendat à כשר cashar, ligauit, ſtrinxit. Inde catenæ, casharoth, quaſi clauſuræ. Siquidem hoc verbum venit ex Hebraica lingua, ad Latinos. Ac quanquam ſunt qui casharoth interpretentur, congruentias, exponentes tempore congruenti eductos, vinctos Hebræos de carcere Aegyptiorum, ille tñ eſt purior, veritati congruentior ſenſus. Dicitq; pſalmus, qui educit vinctos catenis, qui de carcere, & catenis eripit. Has catenas Septuag. dixerunt ἀνδρείαν, fortitudinem, vt innuerent hunc ſenſum, Qui educit eos qui fortiter legati. Et Gręci expoſitores ſenſum non ignorarunt. Didymus Liberans, ait, πεπεδημένους ἐν σειραῖς τῶν οἰκείων ἁμαρτημάτων, compeditos catenis ſuorum pctõrum. Chaldæus ad captiuitatem referens, ait eos eductos, be pombi, id eſt, cum pompa, magnificentia. vbi eſt vox Gręca πομπή. Quod autem ſequitur, Similiter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris, longè aliter: Hebraicè hoc modo, videlicet, אך סוררים שכנו צחיחה veruntamen rebelles habitarunt in loco ſqualenti. Quorum is ſenſus eſt, quòd vincti, & compediti catenis liberabuntur, & in lucem educentur apertam: at ſcelerati, duri, pręfracti, impii, & contemptores, habitabunt in

In fortitudine.

Catenæ pctõrum.

Similiter e. qu. exaſ. qui &c.

locis horrendis,ſqualidis,ſiti,& ardore formidandis.Et ſicut ſolitarios dixerat ditandos, vbertate replendos,ſic vexatores eorum,ſiti,fame,egeſtateque necandos. In Hebraico igitur eſt particula aduerſatiua ak,qualis,at, Latinis: referens contrarium eorum quæ dicta ſunt nec ſonat vnquam ὅμοιος, ſimiliter. Et quod Septuaginta tranſtulerunt τάφυς, ſepulcra, Hebraicè eſt צחיחה zechicha,quod Hebræi quoque teſtantur ſonare ſqualorem,ſitum,horrorem. Quod Septuaginta explicare volentes, ſepulcra dixerunt. Dicitque Pſalmus,ſiti, fame conſumentur inimici,piis ex eorum manibus liberatis. Ideo Hieronymus in ſuo Pſalterio referens Hebraicum dixit:Increduli autem habitauerunt in ſiccitatibus.Conſideremus autem vt hæc inter ſe opponantur.Sicut enim Deus,pios,& ſe colentes eripit,ſic qui non eripiuntur,neceſſariò ſunt impij,duri,implacabiles.Hi dicuntur Hebraicè ſoretim,qui Deo aduerſantur, eoſque Septuaginta dixerunt παραπικραίνοντας, exacerbantes,exaſperantes,Deum ad iracundiam prouocantes,debiliores prementes.Itaque Græci videntes coniungi vtranque partem, quòd & inuicti, & exaſperantes æque liberari dicantur,hos exaſperantes,Iudæos ſunt interpretati,à duritie,& perfidia Iudaica ad Chriſtum redeuntes.Compeditos autem exponunt dæmonum catenis prius alligatos.Et de reſurrectione quoddam hic eſſe vaticinium credunt, quia dicantur habitantes in ſepulcris, liberandi. Fortitudinem quoque interpretantur virtutem diuinæ potentiæ,aut euangelicorum verborum, quorum vi ſint homines è tenebris liberati. Is ſenſus etſi pulcher eſt,tamen non eſt in fonte. Atque ex parte vera dicunt,vinctos,exponentes dæmonum laqueis,& carcere prius impeditos. Siquidem & Hebræi ad quoſdam ſuos ſenſus abeunt,alij referentes ad eos qui vincti eſſent à Sennacherib Rege Aſſyriorum, alij ad ipſos Hebræos ſub Pharaone ligatos, alij ad tempora impij Antichriſti, Gog, & Magog. Sed cum hic generaliter dicantur à clementiſſimo Deo prouideri res humanæ, & quod pleroſque perpulit in errorem, abeſſe hinc diuinam prouidentiam ſuſpicantes,quia iuſtos vexari,lacerari cernerent,ipſe autem dicat Deum hæc videre, & eripere pios de manibus crudelium: profectò aut ad vniuerſalem prouidentiam ſunt referenda, aut ad eam maximè liberationem quæ fuit maxima,ac diuiniſſima, à Latinis & Græcis propoſita. Quod eò potiſſimum eſt verum,quòd Chaldęus refert ad captiuitatem Aegyptiacam,ſub qua(tota noſtra theologia aſſentiente)continetur dæmonum captiuitas,ab eiſdemque liberatio.

Captiuitas noſtra.

Captiuitas Aegyptiaca.

Deus cùm egredieris in conſpectu populi tui,cùm pertranſieris in deſerto.

PRopoſita vniuerſali Dei prouidentia,ac beneuolentia erga res humanas, accedit ad quædam particularia exempla. Nec tamen in Hebraico propriè explicatur hoc exemplum. Chaldæus autem referens ſæpe ſenſus occultiores, egreſſum Dei ante populum ſuum, exponit,quando in columna nubis, & ignis anteibat populum, noctu ignea columna,interdiu clara nube præcedente. Egredi igitur antè,deſignat Hebræis ducere, Deo duce ceſſerunt, ducente Deo,ex Aegypto Hebræi.Gręci verò referunt ad ſuperiorem ſenſum,qui myſticè latet ſub iſto qui dicitur in Hebræo,& à Chaldæo ponitur. Egreſſumque interpretantur cùm cœpit Euangelium diffundi,& cum Chriſtus dixit, Ecce, relinquetur domus veſtra deſerta. Deſertum autem interpretantur gentes diuina ſapientia carentes,ad quas Deus ipſe egreſſus ſit.Senſus qui dicitur litteralis,eſt clarus de egreſſu Iudæorum ex Aegypto.Licet non deſint qui dicant Deum ingredi ante populum ſuum in bello,vt ad bellicas pugnas hęc referantur.Et cum Hebræi ad terram promiſſam tenderent,quibus caſtra mouentibus,omnis terra expauit,& concuſſa eſt,vt hęc dicta ſint quaſi ὑπερβολικῶς, non multum hæc à ſe diſtant. Additur autem in verſiculo Hebraico,ſela,quod Hieron.tranſtulit ſemper. Apparet autem ex ſacris litteris,eſſe particulam affirmationis,qualis eſt amen,quod propriè ſonat verè,certè: ideo Septuaginta. γένοιτο, fiat. Idem fermè ſonat ſela.Additurque nonnullis in locis ad confirmationem rerum dictarum. Quales apud Græcos ῥα, κὲν μὴν, τοι.

Sela.

Terra mota eſt,etenim cęli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael.

SI egreſſum Hebræorum ex Aegypto iuxta Chaldæum ſuperius interpretemur, dicitur ſicut ſidem interpretatur,quòd dum Lex diuina daretur in monte,terra mota eſt, terra mouit, ſicut in Exodo legitur,auditæ voces, viſæ coruſcationes, numine diuino præſente,totuſque mons fumigabat. Rabi autem Dauid refert ad ſuperiores ſenſus, quòd in bello hoſtes formidarint,retroq; ceſſerint,perterriti,tumultuantes.Motum terræ Græci referunt ad paſſionem Chriſti,aut motum gentium ad nouam religionem accedentium. Videtur,vt dixi,ſenſus Chaldæi patens,& propior. Claret enim in exodo,omnia ſummæ maieſtatis,dum lex ſanciretur,apparuiſſe ſigna,præcipuè motum montis Sinai. Quod autem ait, Etenim cęli diſtillauerunt à facie Dei Iſrael,cœleſtem diſtillationem,figuratè dixit,fauorem cęleſtem, lapſum cęleſtium gratiarum,affluentiam diuini boni, effuſionem ſpiritus diuini. Sicut dicitur in Iſaac, Det tibi Deus de rore cęli: Et, Rorate cęli deſuper. Diſtillauerunt autem cęli tunc, omnibus gratiis, diuinaque dementia liberaliſſima fuit, fontibus ſapientiæ laxatis. Non placet quòd Rabi Dauid hanc diſtillationem,aeris ſuper hoſtes obfuſcationem interpretatur,quia cum ſtillat cęlum, tenebreſcant.Non enim(reor)diſtillationem leuem,& placidam, tenebroſam pluuiam appellaſſet. Licet alium ſenſum de lata lege proponat. Et diſtillauerunt, de manna Theodoritus interpretatur.Alij

Ter.motã.

Cęli diſtil.

A facie Dei.

Sic & euãgeliũ cõfirmatũ legitur. Matt. 27.

Dei Sinai.

Deus Iſrael.

A tur. Alij de ingentibus pluuiis, quibus oppreſſus ſit Seon Rex Amorreorum. Quod autem dicit, A facie Dei Sinai: à facie, deſignat à cęleſti loco, à ſedibus ætheriis. Quanquam Grçci περιφραστικῶς, à facie, pro ab ipſo Deo poſitum. Aut poterit ſtare ſenſus ille, terræmotus, coruſcationes, pluuiam in danda lege accidiſſe. Quorſum autem iſta referuntur? vult ſummam maieſtatem, auguſtumq; Dei numen prædicare, potentiam efferre, recẽſens prodigia, & ea quæ humanas mentes moueant, quæq; atteſtantur ei, ac ſint tanquam ſigna ſuæ magnitudinis impreſſa animo. Columna nubis interdiu, columna ignea noctu impendens, ducenſq; populũ. Pòſt lex data in deſerto eſt, ad præſentiam diuinam conteſtandam, excuſſus mons, caligine, coruſcationibusq; oppletus, pluuia demiſſa cœlo. Referuntur prodigia, quibus ingens beneficium expreſſum eſt, cuius terra, cęlum, aer, teſtes quaſi fuerunt. Quod autem Sept. tranſtulerunt καὶ γὰρ, Et enim: Hebraicè eſt אך ak, veruntamen, certe, vtique. Nec reddit cauſam, ſed affirmat: quæ quoniam eo modo obſtat ad ſenſum Græcis, eam redundare dixerunt. Et quod ait, Dei Sinai, eſt Hebraicè זהסיני zeh Sinai, is eſt Sinai, ſicut reddidit Hieron. Declarat autem vbi hæc prodigia facta ſint, quæ terra excuſſa, vbi cęli deſtillauerunt. Dicitur quoq; bis in Hebraico, A facie Dei, Dei Iſrael. Deus autem Iſrael eſt, non quia Iſrael, vt paſſim Græci, & Latini ſuſpicantur, dicatur videns Deum, quod ſcriptio demonſtrat Hebraica. Non enim ſcribitur איש ראל vir videns Deum, ſed ישראל ſonatq; ſuperans, vincenſque Deum, quando luctatus eſt cum Angelo, ac ſuperauit, aut non eſt ipſe ab eo ſuperatus. Tunc eum Angelus vocauit ſuperantem, Deum. Itaq; cogor mirari Philonem dicentem, ἰσραὴλ ἑρμηνεύεται ὁρῶν θεόν. Interpretatur Iſrael videns Deum. Deus autem Iſrael eſt, quòd hæc natio verum Deum coleret, cui ſe manifeſtum dediſſet.

B Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.

Plu. volũt.

Segrega.

Infirmata eſt.

Hæreditas Dei.

Perſ. eam.

OBſcurus locus, ſed collatis inter ſe cunctis innoteſcat. Pluuiam voluntariam dicit, Grçcè ἑκούσιον, ſpontaneam, liberalem, munificam, copioſam, ſicut ſonat Hebraicum נדבות nedaboth. Quod autem Sept. dixerunt ἀφοριεῖς, ſegregabis, ſeparabis, ſonat propriè dabis, largieris, offeres. Hac enim voce vtitur Moſes in ſacrificijs, cùm ait, Offeres, eleuabis. Hebraicè hoc verbum תניף taniph. Eoq; Hiero. dixit, Pluuiam voluntariam eleuaſti. Eſt autem horum ſenſus qualis ſuperiorum, & ad illum, explicandus eſt iſte. Nam ſi illic de lata lege in monte prædicari velimus, dicemus quemadmodum ibi, Cęli diſtillauerunt, ſic nunc quaſi eadem re repetita, quod in Pſalmis fit ſæpiſſimè, Deum dediſſe pluuiam liberalem, copioſam, hæreditati ſuæ, id eſt Iſraeli, eos alluiſſe, pluuiam dediſſe eis, hoc ſignum ſuæ præſentiæ, quòd demiſit pluuiam, totamque paſſim regionem compleuit. Chaldæus, Pluuiam voluntariam, ſentit ab illo pauore recreationem, rorem quendam cœlitus demiſſum, conſolationem. Superiorem ſenſum videtur pendere Hierony. transferens futurum Hebraicum תניף taniph, in præteritum eleuaſti, reſpiciens tempus illud latæ legis. Nec verò turbemur, quòd futurum per præteritum reddiderit. Ea enim eſt conſuetudo ſermonis Hebraici, crebra apud Prophetas, & in Pſalmis vſitatiſſima. Rabi verò Dauid iuxta ſuum illum ſenſum exponit, hoſtes ingentibus nimbis mergendos, populum placida, & optabili pluuia exhilarandum. Magis decent ſuperiora. Atque quod ait, Infirmata eſt, Hebraicè eſt ונלאה ve nilea, & defecit, laſſata eſt, referendum ad pauorem illum, ac trepidationem, C cùm tot portentis exterritus eſt populus. Nam cęperant audiri tonitrua, micare fulgura, nubes denſiſſima operire montem. Et totus mons fumabat. Quia Dominus Deus deſcenderat in igne. Eratque omnis mons terribilis. Tunc defecit, id eſt pauore perculſa eſt hęrediras Dei, nempe populus, vſitatè in ſacris litteris dictus hæreditas, eſt peculium Dei. Quem ſibi delegerat. Ideoque hunc ſenſum proſequens ait: Tu verò perfeciſti eam, quod Hebraicè clarius כוננתה conantha, confirmaſti, roboraſti, ſtabiliſti eam. Ingenti enim pauore erant perculſi, genua lababant, Deus eos confirmauit, bono animo eſſe iuſſit. Nec voce ſolum, ſed alijs clementiæ ſuæ ſignis, fortiores eos reddidit. Hunc ſenſum perſpicuè Chaldæus ponens dicit, Quando audierunt domus Iſrael vocem potentiæ tuæ, timuerunt animi eorum. Et Hierony. iuxta hunc vertit Hebraicum. Hæreditatem tuam laborantem tu confortaſti. Græci iuxta ſuperiorem, hæreditatem gentes: pluuiam verbum Euangelicum interpretantur. Legem Moyſi non voluntariam, ſed coactam, & ad tempus fuiſſe contendentes, cum in officio, eos ſuppliciis, & minis, volentes nunquam, repugnantes ſemper cõtineret. Poteſt, vt dixi, & is ſenſus latere ſub littera: ille tamẽ vero propior.

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua, pauperi Deus.

Animalla tua.

ANimalia duobus ſenſibus accipiuntur ab Hebręis. Nam pro animalibus multis חיתך chaiatcha, id eſt fera tua, animal tuum, pecus tuum. Eſt autem ſermonis Hebraici duplex mos. Primus, vt per ſynecdochen, ſingularem pro numero multitudinis accipiant. Vt abſconderunt ſe inter arbores paradiſi: ibi dicitur, inter arborem. Et Lactantius de eo ipſo loco, Et conſitus arbore multa Lucus. Sic animal dicunt pro animalibus. Secunda figura, quaſi animalium gregem, vocat hoĩum multitudinem, cœtum, cõgregationem, ſynodon. Eoq; Auen Eſra, Salomon, & Rabi Dauid chaiat, i. animal, exponunt עדה ada, nempe ſynagogen, cœtum, multitudinem, afferentes exempla, hic non neceſſaria. hinc Homerus vocat reges ποιμένας λαῶν, paſtores populorum. Iuxta igitur hunc ſenſum dicitur, Animalia, hoc eſt copioſa multitudo, ſunt in hac tua hæreditate: relinquens iam commemorationem latæ legis, & ad alia diuina tranſiens. Hæc hæc tua hæreditas, inquit copioſam multitudinem. Rabi Dauid ſecundum ſuum ſenſum, habitabunt in ea, interpretatur Hieruſalẽ, in qua hæreditas Domini inhabitet. Sed prior clarior, veriſimilior. Eſt alter de animalibus, quem fortè reſpexit Chaldæus. Nam omnium eſt Hebræorum mos, animalia, vocare Angelos. Quos in ſcriptura ſacra, animalia ſancta, vocatos certum eſt. Præcipuè apud Ezechielem, qui vidit quadrigam, quam animalia, nimirum Angeli ducebant. Quadrigaque eſt ipſa ſumma diuinitas. Hinc appellati ſunt throni, quibus Deus inſideat. Etiam igitur Ariſtoteles Deum appellat ζῶον μακάριον, animal beatum, ſempiternum. Vtique quia dicitur ζῶον ἀπὸ τῆς ζωῆς, à vita, vt animal ſit quaſi viuens, Hebraicè quoque a chai, vita, chaiab, viuens, animal, animatum, habens vitam. Meliusq; dr̃ Hebraicè, & Græcè Deus, & Angelus animal, quàm Latinè, quia in illis linguis dr̃ à vita. In Deo autem eſt optima vita, ſicut ait Ariſtoteles. Angelus item excellentis eſt vitæ. Animal Latinum eſt ab anima, hoc eſt à reſpiratione, Gręcè dicta ἄνεμος. Vt aũt in Deo eſt vita excellentiſſima, ſic nulla eſt reſpiratio. Appellarunt ergo Latini animal quidquid reſpirat, Græci quidquid viuit. Sic optimè, & veriſſimè Deus dicitur ζῶον viuẽs, vel animal. Ergo & Angeli dñr animalia, & hæc dicit Propheta habitare in hęreditate Dei, eam regere, ac fouere. Vna enim omnium eſt gentium ſententia, & ſæpiſſime Plato confeſſus eſt Deum, cùm cerneret genus humanum per ſe imbecillum, adhibuiſſe ei quoſdam rectores, & cuſtodes, non adhibuiſſe autem eiuſdem generis, ſicut & nos homines non damus rectores, & paſtores gregibus, hircum aut arietem, ſed animal maioris ſolertiæ, hominem: ſic Deum dediſſe nobis quoſdam maioris prudentiæ, ac naturæ gubernatores & ἡγεμόνας, duces qui nos regerent. Sic in legibus Plato. Noſtrę autem litteræ oſtẽdunt nationes habere præfectos Angelos. Michael apud Danielem, eſt Hebraicè gentis præfectus. Et Græci theologi dicunt pręcipuè bonis datam hanc cuſtodiam. Genios eos Latinè dixerunt, quia ſimul ac nati ſumus, eos ſortiamur. Exponitur ergo locus, quod cum in commemoratione diuinorum beneficiorum exiſtat, cum dixerit Deũ è ſublimi ſede reſpicere afflictos, & vexatos, patrem eum pupillorum, iudicem viduarum vocarit. Cum item aliud ſummę clementiæ, ſingulare teſtimonium prębuerit, ꝙ legem ferre, ꝙ venire ipſe in ſuo numine è cęlo voluerit, aliud attulit incommemorabile bonitatis, humanitatiſque exemplum, quòd animalia ſua, Angelos, quos miniſtros, & nuntios, & rapidiſſimos ventos, ob hanc cauſam vocauit, habitare faciat in hęreditate ſua, in populo, quem hęredem habeat & poſſeſſionem, & peculium, & quaſi filium, vt dicebat oraculum, Et ipſe patrem eum vocauit. Is ſenſus ſublimis eſt, quem Chaldęus exprimens ait, Animalia tua vel viuificationem collocaſti, in ea, diſpoſuiſti exercitus Angelorum, ad bonum vel beneficium humilium, ac pauperum. Horum enim pręcipuè gerit curam. Sicut IESVS de pueris dixit, Angelos eorum videre faciem patris. Itaq; quod ait, Paraſti in dulcedine tua pauperi, clarus eſt ſenſus. Nam pro paraſti, eſt תכין takin, fixiſti, firmaſti. referendumque ad illa animalia, locata, poſita, ad dulcedinem. pro quo Gręcè χρηστότητα, bonum, manſuetudinem, Hebraicè טובה toba, id eſt beneficio, clementia. vt dicat, Poſuiſti, firmaſti eos in bonitate & clementia tua pauperi, pro paupere, ad cuſtodiam pauperis, & beneficium, quod quidem eſt beneficium tuum, tua bonitas, & clementia. Aut poteſt dici, Firmaſti, ſtabiliſti, paraſti beneficia tua pauperi. Pauperes autem appellat quos ſuperius, pupillos, & viduas, paulò pòſt, ſolitarios, id eſt ope deſtitutos, nudatos. His abundat, vigilatque miſericordia. Si quis contempſerit vnũ de minimis iſtis, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria, & demergatur in profundum. Nec procul abſunt ab hoc ſenſu Græci, pauperem exponentes populum gentilium, ope diuina, & gratia cæleſti carentem. Animalia verò, Apoſtolos miſſos in mundum, qui & equi apud Abacuc appellentur. Et illa quatuor animalia quę Hebræi Angelos interpretantur, noſtri Euangeliſtas eſſe contendunt. Senſuſque diuerſis itineribus eodem tendit.

Habit. in ea.
Angeli.
Throni.
Deus, Animal.
Angelorũ cuſtodia.
Genij.
Angeli, ſpiritus, igni.
Paraſti in dul. paup. de.
Pauperes.

Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.

ET hic duo ſunt ſenſus, vnus Chaldæi atque Græcorum. Chaldæus enim referens ad ſuperiora, vbi de lata lege facta eſt mentio, ſic locũ transfert, Dominus dabit verbum legis populo ſuo per manum Moſis, & Aaron, annuntiantium ſermonem Dei exercitui magno Iſrael. Græci verò quod Chaldæus de Moſe, & Aaron ſenſerat, ſenſerunt de Apoſtolis, quibus Deus dederit verbum cùm eſſent antea idiotæ & piſcatores. Dederit aũt virtute multa, quia totum mundum reduxerint. Habet certè is ſenſus cum illo ſimilitudinem, ille de veteri, is de noua lege, vt nequeat ẽt à contemptoribus Hebręis reijci. Eſt alter, vt dicat magnum exercitum mulierum nuntiantium venire, dicentium caſtra contra Hieruſalem poſuiſſe regem Aſſyriorum. Nam pro euangelizantibus Hebraicè המבשרות hamebaſeroth, nunciatrices. Is ſenſus eſt Rabi Dauid, qui quidem à nobis vbiq; reiicitur. Refert enim totum pſalmum ad regem Sennacherib, & exercitũ eius profligatum, quæ res nullum hic habere locum videtur. Is autem licet locus ſit perobſcurus, ac perdifficilis, ſenſus apparet. Nam poteſt eſſe ſenſus Chaldæi, cum antè de lege multa dicta noſcantur. Rurſum cum hic incommemorabilia Dei beneficia decãtentur, quorum iã multa dicta ſint, nunc poſt latæ legis commemorationem, perſequitur aliud prouidentiæ eius ſingulare beneficium, A neficium,quòd hoſtes terga vertent,etiam magnis copiis irruentes. Ac dabit ipſe Deus vt fama fundatur,volitentque nuntij,magnos,ac validos exercitus eſſe profligatos,& ad internecionem extremam cæſos. Vt autem is ſenſus intelligatur, ſciendum Hebraicè habere hoc modo, Dominus dabit verbum euangelizãtes,vel nuntiantes exercitum multum. Videtur ergo dicere Deum daturum hanc famam, daturum nuntios exercitus multi. Neque hic remanet fama,& nuntius, ſed ſequitur, Rex virtutum dilecti dilecti, quod Hebraicè verius dicitur, Reges exercituum fugient. Hæc erit fama,hoc verbum,veniens à Domino de profligatis,ac deuictis hoſtibus. Hoc ille dabit vt paſſim per ora volitet. Ipſius erit beneficium, is bonus nuncius, vt dicatur hoſtes aufugiſſe, reges cum magnis exercitibus fuſos. Quoniam autem non probauimus ſenſum Dauid ad vnam particularem victoriam,cuius nullum eſt indicium, nec nomen illius temporis ſit, ſublata diffinitione victoriæ, aut vniuerſalem Dei clementiam in victoriis præſtandis, credendum eſt hic prædicari,aut victoriam,quæ fuit omnium maxima,cęlo,ac terra memoratu digniſſima, quæ quidem quoniam ad animos pertinet, oculos imperitorum non ita attingat, ſapientum autem non lateat. Hæc fuit, quæ noſtris in litteris eſt cantatiſſima, de profligatis atrociſſimis hoſtibus dęmonibus,quos inimicos & Dei & hominum eſſe, clarum eſt. Ac quemadmodum à principio, horum interitum deprecabatur, aut vaticinabatur, exurget Deus, & diſſipabuntur inimici eius: ſic nunc ad hæc habens intentos oculos, aliiſque multis memorandis rebus memoratis, iterato vaticinatur victoriam à Domino. Quod quidem declarat, vt dixi,ſequens verſiculus. Atque vbi Septuaginta dixerunt εὐαγγελιζομένοις, euangelizantibus, eſt,vt dixi, hamebaſſaroth, quod ſonat nunciatrices. Eſtque hoc verbum ex Hebraico aſſumptum in linguam Italicam, qua dicitur imbaſciator,legatus,nuntius. Hos nuntios per fœmininum genus,Rabi Dauid putat dictos,quia B mulieres abſtineant bello,mittant autem ad viros belligerantes, bonas ſpes, eos confortantes. Mihi videtur fęmineum genus deſignare τὰς φήμας, nuntios ipſos,famam, ſermonem nuntiantem. Sæpe enim Hebraicè neutrum genus per fęmineum effertur, זאת zoth,ſonat iſtud,iſtam rem. Et,Vnam petii à Domino: Vnum, vnam rem. Sic hame baſſeroth ſonabit,quod Græcè diceres, τὰς φήμας, τὰ εὐαγγέλια, ἀγγελίας, nuntios, res nuntiantes. Iure autem hæc appellarunt Septuag. euangelizantes,id eſt bona nuntiantes,pacem, victoriam,beneficium diuinum: ſicut Euangelium eſt,quo hæc victoria eſt publicata. Ac verſiculus cum habeat, Dominus dabit verbum euangelizantes,ſecundo etiam loco, intelligendum eſt,Dabit,vt dicas, Dominus dabit verbum, dabit nuntios,vel nuntiantes exercitum multum. Itaque in δυνάμει πολλῇ, quod Latinus dixit virtute multa, δύναμις ſonat hic exercitum iuxta Hebraicum,zaba. Ac poteſt eſſe accuſandi caſus,vt dicat, Annunciantes exercitum multum. Nam virtus hic non ſonat robur,audaciam,ſed exercitum. Conueniuntque ſenſus Græcorum,& Hebræorum, & noſter, ſi quis eos bene diiudicet. Nam lex antiqua, & noua eodem ex fonte manant, ſimili modo,ſimilibus nuntiis promulgata. Hæc autem promulgatio ſimul,& legis, id eſt diuinæ philoſophiæ fama,diffuſa fuit,ſimul victoriæ nuntius. Vtrobique enim ſunt hoſtes iidem deuicti,profligati. Prima lex ſuſtulit idololatriam,ſecunda totum dęmonum imperium vertit. Sic cum generatim, & ex hoſtibus victoriam fore à Domino dicat pſalmus,& hanc famam, bonumque nuntium eum daturum,in hoc autem pſalmo diuinum quiddam, ac reconditum, & arcanum inſit, quod non facile ſub oculos cadat, credendum eſt,æternam illam victoriam maxime eum expectaſſe, nominibuſque, vt ſolet C vſitatis,& vſitato loquendi modo, eam demonſtraſſe. Nam & Zacharias qui de Chriſto præſenti,& iam nato canebat,ſimili locutione dixit: Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos, Rabi Salomon,& Auen Eſra eodem fermè modo expoſuerunt,verbum euangelizantium ad id quod ſequitur,referentes,ſcilicet,Reges exercituum fugient, quorum ex parte ſenſum excepit Rabi Dauid. Atque Auen Eſra hoc exponens,Dominus,inquit,ſuſcitabit verba mulierum nuntiantium in canticis ſuis. Reges fugient,fugient à facie veſtra. Sicque præbentibus ſuæ linguæ declarationem Hebræis,nos veriores ſenſus exculpimus.

Euãgeliũ.

Zaba.

Lex propriam idololatriam ſuſtulit.

Euangeliũ dæmonis imperium ſubuertit.

Rex virtutum dilecti dilecti,& ſpeciei domus diuidere ſpolia.

LOcus erit clarior ſi adhibeantur Hebraica, Pro numero ſingulari rex,'& pro virtutum, eſt מלכי צבאות malke zebaoth, reges exercituum,non rectè Latino,quiſquis fuit δυνάμεις, id eſt copias,exercitus, transferente virtutes. Nunquam enim virtus apud Latinos, exercitum deſignat. Et pro,dilecti dilecti,eſt ידדון ידדון iddodun iddodun,ſecusque,intelligendum eſt & iuxta Hebræos,videlicet,fugient fugient. Eſt enim hoc futuri temporis verbum, à radice נדד nadad,quod ſonare motum,fugam,ne ipſi etiam Septuag. ignorarunt, vt multis apparet exemplis. Vſitatè autem Hebræis ſupradictum verbum ſonat fugere. Ad alia in pſalmo x x x i. Qui videbant me,foras fugerunt à me,Hebraicè, נדדו nadedu. Et Septuag. eum locum tranſtulerunt, οἱ θεωροῦντές με, ἔξω ἔφυγον ἀπ' ἐμοῦ. Quo teſtimonio apparet eos ſignificatum iſtius verbi,non ignoraſſe. Quare autem tranſtulerint τοῦ ἀγαπητοῦ, dilecti, (ſic enim Græcè, ſemel tantum, quanquam credo Græcos codices emendatiores habuiſſe bis Dilecti,quod apparet ex tralatione Latina, & ex Hebraico) fuit in cauſa duorum verborum ſimilitudo ידדון iddodun,fugient,& ידיד iedid,quod ſonat dilectum,ſicut ipſi Septuaginta ſciebant, Pſalmo l x x x i i i i. Quàm dilecta

Rex virtutum.

Virtus.

Dilecti, dilecti.

Vt in iedidia.

tabernacula,Hebraicè ידידין iedidin,Græcè ἀγαπητά. Putarunt igitur etiam hoc loco, quod D certè mirum eſt,cum non inſcitia, ſed ſtudio factum videatur,iddodu,eſſe iedidin,dilecti. Sed quoniam clarius eſt,ac verius quod eſt in fonte, hoc potiſſimum ſequamur. Ac diuus Hieronymus pro Hebraico fugient,fugient,poſuit fœderabuntur fęderabuntur. Apparetque eum nõ quidem ignoraſſe vim verbi Hebraici nadad,ſed quoniam ſonat fugere,diſcedere,recedere,receſſum credidiſſe fęderationem & inducias. Et Burgenſis probat cum Nicolao. Videtur tamen fuga, qualis terga dantium deſignari,propter id quod ſequitur, Diuidet ſpolia. Et Chaldæus hunc locum vertit,Reges cum exercitibus eorum אסלסלו aſalſelu,fugerunt,migrauerunt. Auen Eſra quoque declarans hunc ſenſum ait,Et ſenſus eſt,inquit,quòd reges exercituum prophanorum יברחו ibareku,fugient à facie veſtra. Et Rabi Salomon pro eo ponit יתנדדו ithnadedu,mouebuntur,abigentur. Et ſpec.do. diu.ſpolia. Deinde וישלחו veiushalechu,proiicientur de medio veſtri. Quod autem ſequitur, Et ſpeciei domus diuidere ſpolia, facilius ex Hebraico cognoſcitur. Non video enim cur Septuaginta per caſum dandi τῇ ὡραιότητι, Speciei, vel formæ, vertere voluerint, quod erat clarum per caſum nominandi. Hebraicè dicitur, ונות ביתתחלק שלל Vneueath baith thechalik ſalal. Et pulchritudo domus diuidet ſpolia, ſicut tranſtulit Hieronymus. Forma autem, vel ſpecies domus, Hebraiſmus eſt, pro domo ſpecioſa, formoſa,ſicut flamma gladij,flammeus gladius. Hæc autem domus eſt congregatio bonorum, & Eccleſia. Chaldæuſque dixit, keniſtha de Iſrael, Eccleſia Iſrael, Sicque exponunt Salomon. Auen Eſra, Dauid. Iuſtorum, piorumque manus, diuiſuras ſpolia prædicit, Illi ait, triumphabunt, illi Pæana canent, Tota iuſtorum domus, ſceleratis hoſtibus extinctis cecinit,& exultauit:ſuperni,& terreſtres chori,æthera, & terras vocibus demulſerũt. Hæc erat exultatio ad quam inuitabat, vel eam fore prædicebat in principio, Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. hæc lætitia, hi triumphi, hæc gaudia. Nihil enim vile, & E terreſtre, non victorias caducas,bona, felicitatemque labentem credendum eſt in his pſalmis, præſertim ſublata temporum,rerumq; diffinitione, decantari, ſed æterna, vera bona, immortalitem,veros triumphos, æternasq; victorias, quibus coronabuntur verè, ferentq; palmas manibus iuſti. Omnis enim vita noſtra, vt à ſapientiſſimis probatum eſt, pugna eſt,& militia. Ac ſuperius demonſtrauimus vſitatis loquendi modis,antiquos Hebræos,à ſenſibus remota deſignaſſe, coronas, victoriaſque, & libertatem, & hoſtes, à quorum ſeruitute in æternum vindicemur, vſitato loquendi modo dixiſſe. Nam Zacharias cùm lege patefacta,regna cæleſtia, cùm culpas deletas cerneret, ſolito, & vſitato loquendi modo, quaſi victoriam terreſtrem, è terreſtribus, hoſtibus conſecutus, decantauit: & perinde atque Moyſes de Pharaone, Benedictus Dominus Deus Iſrael,quia viſitauit,& fecit redemptionem plebi ſuæ. Agnoſce igitur ſimilem & hic loquendi modum, redemptionem aſpice, ſcito eandem victoriam, eadem ſpolia decantari. Ac ſicut illic plebi ſuæ dicitur, redemptionem feciſſe, ſic iſto loco, ſpecioſa domus, quam ne turberis, quid ſonet, habes qui eam Eccleſiam tibi interpretentur, ipſi ſcilicet Hebręi, diuidit ſpolia, liberata,redẽpta. Sic hortabatur à principio vt iubilaremus,exultaremus,benediceremus. Sicut ille, Benedictus Dominus. Et hoc carmen dicitur meritò ἐπινίκιον, triumphale,quaſi pæaniſmus pro victoria,ob deuictos hoſtes. Hunc eſſe veriorem ſenſum,ſuperius apparuit,cùm nulla victoria in particulari exprimatur. Græci etſi difficilis erat tralatio,totum tamen hunc ſenſum ferè perſpexerunt, pulchritudinem domus,ſicut & Chaldæus, Eccleſiam interpretantes,ſpolia de gentibus conuerſis.

Si dormiatis inter medios cleros,pennæ columbæ deargentatæ, F
& poſteriora dorſi eius in pallore auri.

Cleri.

PRo, Cleros,quòd Græcè ſonat partem,eſt Hebraicè שפתים ſephathaim, labia. Sed hæc labia variè accipiuntur, Hieronymus interpretatus eſt terminos,alij Hebræi limites. Labia. Chytropodes,ollarũ ſuſtentacula,foci. (gall. fouyers) Hebr. Cirim. Ioan.16. Auen Eſra,quem ſecutus eſt Dauid,labia,vt ſolet hæc vox etiam apud Latinos ſonare,pro Chitropodibus,quæ Græcè pedes ollarum dicuntur, & pro labiis ollarum, ſuper quibus ollas ponimus. Solentque ob ignem,& fumum ſemper nigreſcere. Atque hunc habet ſenſum, vt nigri habitaſtis,& ſqualentes,quaſi miſeriarum caligine denigrati:ſic Deus in contrarium præſtabit,vt nitidi efficiamini,vt clariores,hilariores,ſerenata fronte exiſtatis. Ne timeatis,ait,tenebræ veſtrę in lucem,ſqualor,& ſordes,ad nitorem redibunt. Quòd ſi iuxta Hieronymum,alioſque Hebręos interpreteris,ſephathaim,terminos,limites,idem deſignabitur,videlicet anguſtia, preſſura,afflictio. Termini enim,& limites ſunt extrema cuiuſque rei,& inter terminos,aut limites eſſe notat, inter anguſtias & preſſuras: arctari, ſtringi, vexari,tribulari, id eſt, τρίβειν, atteri, affligi. Hos terminos Chaldæus, Regum impiorum prauitatem interpretatur, reſoluens,ſcilicet, nodum,& obſcuritatem, ſub Hebraico latitantem. Vexatores, & ad amaritudinem adducentes erant impii Reges Aegypti, quanquam ille hanc ſententiam reddit, licet vos impij Reges,nigri,& prauiſitis,at plebs mea ſyncera: omnes item impii, & impiorum principes dęmones,iuxta alios ſenſis. Dormiatis Atque oratio Hebraica ſic legenda eſt,Si dormiatis,vel potius iaceatis תשכבון inter anguſtias, aut nigredines, ad hilaritatem, ac nitorem redire vos faciet Deus, quales ſunt pennæ columbę quale argentum. Deterget miſeriarum ſordes. Gręci verò in contrarium hęc acceperunt propter vocem κλῆρος, dicentes cleros eſſe gentes, Apoſtolorum prędicationi diſtributas, inter quas illi hailli habitent. Et hanc eſſe quaſi vocem, & præceptum ſpiritus ſancti. Sic Cyrillus, & Didymus, & poſt eos Euthymius. Sed clarior eſt ſenſus Hebraicus. Partem autem, ſiue, clerum Septuaginta putauerunt hac Hebraica voce deſignari, quia ſephatthaim, ſonat labia, ea verò ſunt extremę partes. Dicuntur autem iſta ad populum, & ſanctos à Propheta, & Pſalte, eos cohortante, corroborante, æternam alacritatem eis prædicente, ac denuntiante. Quod autem ſequitur, Pennæ columbæ deargentatę: pro Deargentatę eſt נחפהבכסף nechpa, contectæ argento. Vbi Hebraicum verbum eſt capa, quòd à Latinis, & Græcis, & lingua Italica eſt acceptum. Hinc cophinus, à tegendo, hinc capa, & alia. Eſt idem ſenſus atque in Græco. Pennas autem columbæ non tectas argento dicit, quòd ita reuera ſit, ſed à candore, ſicut apud noſtrum argenteus anſer. Quodque ait, Et poſteriora dorſi eius, in pallore auri, pro Poſteriora, ſunt אברות eberoth, deſignatque alas, & partes poſteriores, ſicut Septuaginta tranſtulerunt μετάφρενα, id eſt, ſcapulas, & quæ ſunt poſt φρένας. Pennam quoque ſonat: Quis det mihi pennam, vel alam ſicut columbæ? vbi eſt ſingulare אבר eber. Deſcribit columbam argenteam, & deauratam, pulcherrimam, lucentem, hanc volucrem pro exemplo aſſumens, quòd ſit timidum, ſimplex animal, rapinis expoſitum: tum quia in ea erat albedo, ad hanc comparationem aptiſſima. Totus ergo verſiculus ſic habet: Et ſi iacueritis inter nigredines, caligineſque, & miſeriarum ſordes, mox tamen renouabit Deus nitorem veſtrum, eritiſque ſicut argentea columba, cuius poſteriora, & ſuprema plumæ aureæ videntur, ad ſolem colorem variantes. Atque vtitur hac comparatione ſimiliter ac cum in ſequentibus pſalmis vſurpabit exemplum aquilæ pro reparata iuuenta, & reſurrectione: Renouabitur ſicut aquila iuuentus tua. Vtque illic reſurrectionem prædicari, omnium eſt conſenſus, ſic certè iſto loco prænuntiari videtur, vt reſolutis mortalitatis, atque peccati antiqui vinculis, ſimiles columbis puri, nitidi, aurei, per reſurrectionem, & Chriſti beneficium in æthera reuolemus. Eodem ferè exemplo Zoroaſter, Magi, ſapienteſque Perſarum dixerunt animam duas habentem alas, è cęloque ruentem, vnam amiſiſſe: ſi reuolare velit, pro viribus conandum ei, vt alam recipiat, vſurpantes, & ipſi ad reſurrectionem, æternamque vitam, volucris ſimilitudinem. Chriſtus item exemplo columbæ eſt vſus, Simplices ſicut columbæ, Et in pſalmo alibi, Quis det mihi pennas ſicut columbæ?

Penna co. dearg.
Cophinus.
Capa.
Poſte. dor. e. i pat. au.
B
Animarũ. Alæ duæ.

Dum diſcernit cęleſtis Reges ſuper eam, niue dealbabuntur.

In Selmon, mons pinguis.

ILluſtranda ſunt Latina ad Græca. Græcè, ἐν τῷ διαστέλλειν τὸν ἐπουράνιον τοὺς βασιλεῖς ἐπ' αὐτῆς, Dum diſcernit, vel diuidit, diſſipat cęleſtis, reges ſuper eam. Aduertendum quòd cæleſtis non hæret cum Regibus, ſed cęleſtis ipſe Deus eſt, Reges terreſtres impij, perſecutores. ἐπουράνιον autem, id eſt, cęleſtem, Septuaginta tranſtulerunt, qui in Hebraico vocatur שדי shaddai, nomen omnipotentis, robuſti. Eoque Hierony. dixit robuſtiſſimum. Vocatur shaddai Hebraicè à shaddad, diſſipare, euertere, profligare, quo poteſtas Dei contra impios ſignificatur. Quod & veteres Græci imitati vocarunt & ipſi in ſua lingua Erinnyn, Aten, Nemeſin, à lædendo, caſtigando impios, & iniuriarum ſitibundos, quo pars illa prouidentiæ demonſtratur, qua defenduntur boni à malis, malè mali perduntur. Hocque nomen meritò hic vſurpauit, vbi de nece malorum loquitur. Verſiculus igitur ſic habet: nam Latinus non debuit dicere diſcernit, licet in Græco eſſet διαστέλλειν, validius, & vehementius eſt in Hebraico בפרש baphares, dum diſſipat, differt Omnipotens, reges in ea, dealbabitur niue in Selmon. Dum omnipotens frangit, ſternitque inimcos, ipſa redibit ad candorem omniſque habitatio eius. Ipſa ſpectat ad eam quæ ſuperius hæreditas, & Eccleſia vocata eſt. Et Chaldæus hunc ſenſum exprimens interpretatur, quando Pharao ſubmerſus eſt, in mare diuiſum ab altiſſimo. Illi ſunt Reges diſſipati, poſſumus iuxta ſuperiorem ſenſum, hos Reges interpretari, quos alta noſtra philoſophia vocat κοσμοκράτορας, principes mundi, principes tenebrarum. Quod vt verum agnoſcas, ſcis in Pharaone Aegyptio, qui captiuos teneret Hebræos, deſignari principem ſpirituum malorum in noſtra theologia. Illum Chaldæus ſubmerſum dicit, ſub illo noſtri dicent principes mundi euerſos. Quod autem in Latino dicitur, Niue dealbabuntur, & Græcum χιονωθήσονται, clarius per ſingulare, & genus fęmininum Hebraicè תשלג tashleg, niue dealbabitur, niteſcet, ipſa ſcilicet hæreditas, populus, grex Dei, qui prius eſſet miſeriarum tenebris ſepultus, & obſcurus, eoq; Septuaginta per numerum multitudinis tranſtulerunt, ipſum populum, & cœtum Dei deſignantes. Sciendum autem Zalmon, eſſe poſſe nomen montis iuxta traiectum Iordanis, vt ait Auen Eſra, quem pro tota regione, & colonis dixerit dealbandum. Poteſt iuxta Rabi Dauid eſſe nomen obſcaritatis, & tenebrarum, quaſi Zalmauet, vmbra mortis, quod Nicolaus, & Burgenſis ſecuti ſunt, ſed prior ſententia probatior. Non enim diceret, Dealbabitur in Zelmon, tum de hoc monte, fit paſſim mentio. Et Burgenſis montem vmbroſum, & protectum à Deo dici credit. Hic autem terminandus eſſet verſiculus, etiam iuxta Grecos. Quod autem ſequitur, Mons Dei, mons pinguis, eſt alia oratio. Sed non magni referunt. De monte igitur iſto iam fortunato, iam dealbato, & claritate illuſtrato loquitur, eum pinguem appellans, per antonomaſiam, montem pro pupulo accipiens. Obſeruandum tamen Baſan Hebraicè ſonare pinguem, & nomen

Shaddai.
Dum diſcernit.
Niue dealbabuntur.
Zalmon.
Mõs Dei.
Baſan.

item

Mõs pin.

Res inanimes, pro animatis.

item eſſe montis à pinguedine appellati, vt qui & vini, & olei ſit feraciſſimus, & paſcuus. Quod D ergo dixerunt Septuaginta, ὄρος πῖον, mons pinguis, poteſt dici, & dicendum Hebræi aſſerunt Mons Dei Baſan. Baſan, ait eſt mons Dei. Sicut enim dixerat Zalmon dealbandum, ſic nunc alium montem, ob affluentem Dei clementiam, & redundãtem gratiam, montem Dei vocat. Vſitatiſſimusq; eſt Theologiæ tropus, res inanimes quaſi animatas introducere, & loca pro habitantibus vſurpare, quod de colonis dicendum eſſet, de locis dicere. Ea exultare, illuſtrari, fieri nobilia, fortunata canere, qualia apud noſtros multa deprehendas.

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audit Eurotas: iuſſitque ediſcere lauros.

Beatum appellat flumen, quod vocem eius Dei audierit: & lauri didiciſſe carmina dicuntur. Sic Zalmon candore niuali niteſcit, & Baſan efficitur beatus, quia mons Dei eſt, mons diuina clementia irradiatus, & locis domeſticis, humanaque loquendi ratione ſalus immenſa declaratur. Sicut & Chaldæus omnia refert ad exitum ex Aegypto.

Mons coagulatus, mons pinguis, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Coagulatus.

Gibboſi montes.

COagulatus Græcè τετυρωμένος, quod alij apud Latinos tranſtulerunt incaſeatus, quod habet Pſalterium Auguſtini. Ac cùm Græcè ſit mons neutri generis, ille tranſtulit per accuſatiuum, montem Dei, montem vberem, montem incaſeatum. Sed noſter interpres rectius, nuſquam enim accuſatiuos illos referens. Ac quod Septuag. dixerunt incaſeatum, rectius Hieronymus cum Hebræis, & cæteris Græcis interpretibus, excelſus dixit. Et Rabi Salomon, & Dauid hoc exponentes הרים הגבנים harim hagebolim, montes excelſi. Hebraicè enim גבן ghibben dicitur gibbus, dorſum, à dorſo autem editi montes dicuntur ghibnunim, quaſi gibboſi, dorſo immani. E Datur etiam à Græcis dorſum rebus ingentibus εὐρέα νῶτα θαλάσσης, Dorſum immane maris. Et, νῶτα αἰθέρια, dorſum cœleſte, quaſi immenſa latitudo. Quoniam idem caſeus Hebraicè etiam dicitur ob eandem figuram גבנה ghebinna, eo Septuag. montes incaſeatos dixerunt, ſed non rectè. Celebrantur ergo non montes incaſeati, ſed inſignes in Iudæa, altiores cęteris: exultareque lætitia, alacreſque eſſe dicuntur, ob victoriam quandam inclytam diuinam. Sunt autem tres montes, Zalmon, qui eſt in traiectu Iordanis ad ortum, vt ait Auen Eſra, mons hagabnunin, id eſt Gabaon, habens dorſa, gibbos, excelſus, & mons Baſan, tres montes inclyti, paſcui, vberes, læti, & alti, quibus gratiis laudantur, celebrantur, ſunt in ſacris litteris nobiles. Quod autem dicit, Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? pro Suſpicamini, eſt Hebraicè תרצדון terazidun, Exultabitis, laſciuietis, ſaltabitis. Hieronymus dixit contenditis. Et Coagulatos, nominandi caſus eſſe debet. Eſt autem ſenſus iuxta Hebræos & ipſum Hieronymum, Quare ò vos alij montes exultatis, vos ipſos euehitis, & commendatis, cùm Deus alium montem elegerit, cum quo non poteſtis gloria certare? Hieron. etiam iuxta hunc ſenſum dixit, Quare contenditis montes excelſi aduerſus mõtem, quem dixit Dominus vt habitaret in eo? Eſt autem is, mons Sion autore Salomone, quem propter decus inclytum tribus illis prænominatis anteponit. Quanquam, inquit vos ò montes ſitis excelſi, eſt alius tamen diuinus mons vobis pręferendus, in quo maiora fient, eaque hærent cum ſuperioribus, hac ratione. Dixerat illos quidem eſſe montes Dei, eos in triumphum ob fuſos hoſtes exultare prædicauerat: nunc ait vnum eſſe peculiarem, ac diuinum montem, in quo tota diuina gloria, & maieſtas magis eluceſcat. F Hunc montem, vt dixi, alij montem ſanctum Sion, in quo erat templum ſanctum, eoque dilectus eſſet à Domino, dicunt. Chaldæus Sinai propter latam legem, de qua totum hunc exponit Pſalmum. In Sion ſcis quanta myſteriorum ſeries peracta fuerit. Ac potuit etiam eſſe ſenſus in ſuperioribus, non eum quidem inuitaſſe montes ad laudem, & triumphum, ſed cùm commemoraſſet iuſtorum victoriam, impiorum interitum, tunc acceſſiſſe eum ad loquendum de hac hæreditate cœtuque diuino, de terris ſanctis, quibus parta victoria, quæ victuræ eſſent, quibus libertatem, lætitiamque Deus daturus eſſet, cantantem. Pro terris autem ſanctis, montes inſignes nominauit, in quibus præcipuè locum obtineat amatus mons Dei. Eccleſiam ergo laudaturus, eſt deſcripturus, cui æternos triumphos vaticinatus fuerat: commemorat montes, & in montibus præcipuę gratiæ vnum, quòd ibi Deus habitare dignatus ſit. Auen Eſra, terazedun, dixit, תשפלו humiliamini, deicitis vos, ſed prior ſenſus clarior.

Montes. Zalmon. Gabaon. Baſan.

Suſpicamini, Coagul.

Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.

DEclaratum eſt, quid ſit, quòd in vno præcipuo monte Deum dicat habitationem conſtituiſſe. Pro, Beneplacitum eſt, Græcè εὐδόκησεν, quod verbum ſecus apud ſacros ſcriptores, ſecus apud profanos ſonat. Apud ſacros, delectari, acquieſcere, contentari: vt, Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui, εὐδόκησα. Et, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, εὐδοκία, bona voluntas, delectatio, contentatio magna ſuper nato. Apud profanos bene audire, celebrem eſſe, bonæ exiſtimationis eſſe. Hebraicè igitur, vt Græcum agnoſcas, eſt חמד chamad, delectatus eſt, concupiuit. Et pro, in finem, eſt לנצח lanezach, in ſempi-

Matth. 3. d. Luc. 2. b

F. ὐδοκία.

In finem.

ſempiternum, eoque Hierony. tranſtulit ſemper. Idemque ſonat etiam, ſi quis noſcat vſum loquendi Græcum. Ex quo intelligimus, quoniam æternitatem his attribuit, hæc niſi altiſſimo ſenſu intelligi non poſſe, ſenſu inquam à littera deſcendente, ab his quæ præſentia putantur, ad æterna abeunte. Ac propriè ſanctuarium Dei eſt in cęlo, vbi eſt habitaculum ſanctum ſuum, cuius σύμβολον, fuit ſanctuarium terreſtre. Ac ſæpe in ſacris litteris inuenies habitationem Dei, ideſt, ſanctuarium, de cęleſti etiam dici. Neque multum aberrant ab hoc ſenſu Græci montem Dei, in quo habitet, Eccleſiam interpretantes. Neque enim in templo veluti muris illis habitabat, ſed habitans in toto populo, locum corporeis oculis, & certum hominibus, quibus definita ſint neceſſaria, poſitum, quo adirent, præfixit. Auguſtinus item Eccleſiam cum Græcis interpretatur, ſed varietas verborum fecit, vt difficilius proponeret, quod verbis intellectis ex fonte, fuiſſet facilius. Sed prudentibus vna fermè ſententia videbitur. Verſiculus ergo ſic dicit, Mons Dei, in quo delectatur habitare, etiam in eo ſemper habitabit.

Sanctuarium Dei.

Dei habitatio.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sinai, in ſancto.

Circa verba difficiliora apud eos, quàm in fonte, prima cura eſto. Septuag. rectè Hebraicum reddiderunt, quod habet רבתים ribbothaim, quod propriè ſonat, quod illi tranſtulerunt μυριοπλάσιον, quaſi numerum infinitum. In qua voce ſicut, & apud Hebræos μύρια, non ſonat decem millia, vt interdum ſolet hæc vox, ſed numerum infinitum. Nam μύρια, præterquam, quòd ſunt decem millia, vnde myrias, etiam infinitum deſignat, vt claret Græcè ſcientibus. Idem valet Hebraicum ribbothaim, quo & decem millia, & infinitus numerus deſignatur, eoque Hierony. tranſtulit, Currus Dei innumerabilis. Et Pſalterium Auguſtini habuit, millium multiplex, vbi dicit ipſe Latinum vt potuiſſet, tranſtuliſſe. Deſignari autem voce Gręca μυριοπλάσιον, multiplicationem myriadum. Myrias eſt numerus decem millium. Si dicas μυριοπλάσιον, dices multiplices myriades, multas myriades, in quo quoniam non eſt certus numerus, pro infinito accipitur. Hebraicè dicitur hæc vox, vt dixi ribbothaim, qui eſt numerus multitudinis, à rabebah. Et in plurali rabeboth, inde numerus multitudinis ribbothaim, quaſi רבבות rabebothaim רבבותים Eoque Chaldæus, & Rabi Dauid quoniam numerus multitudinis apud Hebræos ſimpliciter prolatus, eſt numerus dualis, volunt eo deſignari duas myriadas. Sed rectius eſt, vt ſit numerus indefinitus, non dualis. Secundò dicitur, Millia lætantium, Gręcè etiam pulchrè χιλιάδες, vbi eſt numerus millium indefinitus, ſicut antè indefinitus numerus myriadum. Innumerabilis ergo multitudo deſignatur. Quod autem Latinus dixit, Lætantium, Græcè eſt εὐθηνούντων, quod alij transferunt abundantium: nam Græcè εὐθηνία, abundantia, felicitas, proſperitas. Hebraicè eſt שנאן shinean, quæ vox dubia eſt. Alij apud Hebræos dicunt eſſe propria nomina Angelorum, vt ſint shineam, quaſi ſecundi, ſecunda eorum acies, ſecundus ordo. Et Chaldæus, pro eo expreſsè poſuit nomen Angelorum דאנגלר Angelorum dicens millia Angelorum. Alij putant deſignare duos, quaſi duo millia. Mihi videtur quoniam hæc vox ſonat mu-are, variare, deſignari alternatim canentes, quod etiam Græcè dicitur ἀμοίβεσθαι, eſt canere ἀμοιβλὼ, alternis, alternatim, vnde carmen amębeum. Sicque optimè Septuaginta reddide-unt εὐθηνούντων, quod tametſi abundantiam notet, à Græcis tamen hoc verbum pro alacrita-e, felicitate, & hilaritate nonnunquam accipitur, quaſi εὐπραγία, εὐδαιμονία. Sicque dicit illia beatorum, & exultantium, viciſſimque cantantium Angelorum. Hieronymus iuxta Græcos tranſtulit abundantium. Quod ad animum ſpectat potius, quaſi Græcè εὐδαιμονούντων, cùm felix, lætuſque eſt dæmon, genius, id eſt, animus, vt ait Plato. Ergo in Pſalmo re-ertur quadrigam Dei circundatam innumerabilibus agminibus Angelorum. Millia millium ſſiſtunt ei, ait DaniEl, perinde atque Dauid, & Eſaias, vidit Deum in ſolio maieſtatis ſuæ, & on duo Seraphim: nam, & illic eſt numerus indefinitus, ſed innumerabilem Seraphinorum multitudinem circunſtantes tanquam famulos. Et circum Eliſeum vidit famulus currus innuerabiles igneos, eademque voce ibi hoc dicitur, atque hoc loco רבבותרבות multas myriadas ſiue finitam multitudinem. Diuinum quoque eſt oraculum Apollinis, qui cùm æternam immorlemque maieſtatem Dei prædicaſſet, eam in excelſis empyrij cęli regionibus regnare dicens, m eum patrem hominum clamat, & Angelorum:

Decē millibus multiplex.

Myria.

Myrias.

Myrias.

Infi. multiplicatū.

Chilias, numerus continens mille.

Lætantiū.

Genius.

Ος ῥα κύει τὸ δὲ πᾶν τετεχνωμένος ἄφθιτον ὕλην,
Ην φύσις δεδόκηται, ὅτι σφὲ τυποῖσιν ἔδησας,
Ενθεν ἐπειστρέουσι γοναὶ ἁγίων μὲν ἀνάκτων
Αμφί σε παντόπατορ, βασιλεῦ τε, καὶ μόνε θνητῶν
Αθανάτων τε πάτερ μακάρων, αἳ δ᾽ εἰσὶν ἄτερθεν.
Εκ σέο μὲν γεγάα, ὑπ᾽ ἀγγελίῃσι ἔδ᾽ ἕκαστα,
Πρεσβυγενεῖ διάγουσι νόῳ, καὶ κάρτεϊ τῷ σῷ.
Πρὸς δ᾽ ἔτι καὶ τρίτον ἄλλο γένος ποίησας ἀνάκτων
Οἵ σε καθ᾽ ἦμαρ ἄδουσιν ἀνυμνείοντες ἀοιδαῖς
Βουλόμενον ῥ᾽ ἐθέλοντες, ἀοιδιάουσι δ᾽ ἔς ᾧδε.

Qui generas hoc omne, hylen, formasque perennem,
Qua fit rerum ortus, varias capiente figuras.
Ex te quin etiam regum ſanctiſſima proles,
Quæ circum te eſt omnipotens, rex ſolus & altor.
Magne pater hominumque Deumque, hi, teque parente
Exorti referunt, quæ fiunt multa per orbem
Aeternæ menti, tua cognoſcitque poteſtas.
Tertium item genus altorum pater alme creaſti
Regum, qui lætum te illorum carmine ſemper
Laudant, perpetuasque ſonant tibi carmine voces.

Hoc oraculum, noſtræ philoſophiæ vſquequaque conforme: & hoc Porphirius poſuit, vbi dicit ſpiritus ipſe, cui nota hæc fuiſſe par eſt, circum patrem, circum regem aſtare gentes regias Angelorum, eos appellans reges, ſicut theologia, gibborim, id eſt, fortes, & poteſtates, & autoritates. Hos ait laudare circunſtantes thronum Dei, patrem, eorum laudes gratas habere, vltro volentes volenti offerre laudes, vt & ipſi libenter fundant carmina, & pater libenter audiat. Idem dicitur hoc loco millia lætantium, exultantiumque Angelorum. Exponuntque Græci illud ἀμφί σε, in oraculo, circum te, quia portent omnes quadrigam, currum, ſedemque Dei, ſicut eſt in Ezechiel. Conſideraque altiſſimam philoſophiam. Vidi Romæ (ſi parua licèt componere magnis, & ſi fas eſt mortalem immortali comparare) patrem portari ſuper cathedra, circumque aſtantem principum, virorumque ſummorum innumerabilem multitudinem. Tale ſpectaculum videre, & prædicant in cœlo eſſe Prophetæ, portatur altiſſima maieſtas à regibus, illis, circunſtat innumerabilis multitudo regum. Omnes reges omnes beati, & inclyti, lætitiæ plauſuſque fremunt, omnes flectuntur, & adorant, pſallentes in vnum, cæleſtia templa reſultant, beatiſſimumque illum regem regum videntes. Hæc eadem vidit, & audiuit Plato, Iouem dicens, per cęlum, aurea quadriga inuectum, diuis comitantibus obambulare, πτηνὸν ἅρμα, currum volucrem, non mortalium equorum tribuens. Et Philon inſignis philoſophus ad eandem rationem loquens, Deus, inquit, πηδαλιουχεῖ τὸ κοινὸν τοῦ κόσμου σκάφος, ᾧ τὰ πάντα ἐμπλεῖ, ϗ τὸ πτηνὸν ἅρμα, τὸν σύμπαντα οὐρανὸν ἡνιοχεῖ, χρώμενος αὐτεξουσίᾳ, καὶ αὐτοκράτορ, βασιλείᾳ. Tenet, & regit gubernaculum totius mundanæ nauiculæ, qua cuncta implet. Et currum volucrem cęlum omne habenis ducit, poteſtate regia vtens, & libera. Philon hic appellat, cęlum currum Dei volucrem. Conſideranda verò, quæ hic dicuntur. Dominus in eis, deſignat aut inter, illos, in media illa multitudine regum, aut ſuper eis, quòd ab eis portetur. Deinde Sinai, Chaldæus ſuum illum ſuperiorem ſenſum ſecutus, exponit, veniſſe Deum in montem Sina, agminibus Angelorum, legem daturus, comitatum quod quadrat Auen Eſra. Rabi Dauid expon Deum cum Angelis veniſſe ſicut in monte Sina. Poſſumus in vniuerſum accipere, vt dicat curru Dei ire per cęlum, ſicut in Sina, quemadmodum a principio Deum equitare ſuper cælos dixit. In ſancto autem Hebraicè, bakodes, id eſt in ſanctuario, in loco ſacroſancto, quo cælum intelligen eſt, licet poſſit etiam templum terreſtre deſignari. Obambulatq; in ſancto, ac ſacro regno ſuo De vectus, ac comitatus immenſa regum ducumque multitudine. Sicq; habet totus verſiculus. Currus Dei ſunt innumerabiles myriades, & chiliades exultantium Angelorum. Dominus eſt i mediis illis ſicut in Sina venit, in ſanctuario ſuo, ſacroſancto diuinitatis ſuæ loco, quanqua ſanctum Græci ad ipſum Sina referunt, quod ſtare poteſt. Et currum dicit conſtare tot millibus Angelorum, vt ait, Auguſtinus, vt ſit tota illa multitudo currus, & triumphus eius, quo & Nicolaus, ſed decem millia multiplex exponit, duplicatus, quod in voce Græca ſecus eſt μυριοπλάσιον, ſonat non duplices, ſed multiplices, myriades, vt Auguſtinus dicebat. In Hebræo quoque eſt numerus indefinitus. Hoc autem ad ſuperiora habet hanc conſecutionem quòd commemorata terra ſacra, deueniensque ad templum, eò Deum cum agminibus Angelorum deſcendere dicit, aut ad altum maieſtatis eius locum, animo conſcendens, exultat canens cæleſtia, ſimul & terras ſuas commemorans.

Dominus in eis.
In eis.

In ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.

HOc quoque diuerſis ſenſibus intelligitur. Chaldæus ſecundum ſuperiora, Aſcendi in cęlum. Moſes propheta captiuam duxit captiuitatem, Rabi Dauid exponit, q aſcendens in cęlum Deus, & populum ſuum in manus hoſtium relinquens, captu eos effecerit. Eſt alius melior ſenſus, quòd pater omnipotens in curru diuino ſuo, cælum, terram inambulans, victoriam ex hoſtibus profligatis, & conciſis, ad vltimamque interne nem redactis retulerit. Hi hoſtes ſunt aut impij, aut impiorum principes dæmones, iuxta ſu riores ſenſus, vt circumuolitet animo Vates per vaſtum theologiæ campum, portatus altiſ conſiderationibus vſque & ſupra ſydera. Ad quem ſenſum ſpectabit ex parte, quod Græ

Latin

Latini dicunt præſertim Auguſtinus. Quis enim aſcendit niſi, qui deſcendit? deſcenderat ad nos, inferius etiam ad tenebroſas tartareaſque ſedes penetrauit, agens exemptos captiuos victor ſuper aſtra. Is ſenſus eò maximè latet ſub littera, quòd hoc toto pſalmo, altiſſima quædam, & à conſuetudine remota vſitato loquendi more, videtur decantari philoſophia, ſicut conſtat cantaſſe Zachariam, ne cui fortè hæc expoſitio dura, & ad religionem extorta videatur. Hoc enim eſt, quod ille dixit, In quibus viſitauit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent. Et paulò antè, Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi. Qui ſunt enim hi inimici, è quorum manibus prædicit nos liberatos? Et quæ fuit illa vmbra mortis, & tenebræ, in quibus ſedentes quoſdam commemorat? Certè quod hic ſimili locutione dicitur, Cepiſti captiuitatem,, captos, & in poteſtate hoſtium miſeros eripuiſti, in altum aſcendens ſupra ſydera vectus, agens æternos triumphos, veris hoſtibus ſuperatis, veris captiuis abductis. Et Chaldæus hæc de Aegyptia ſeruitute interpretatur, ſub qua myſticè latet illa, quam Zacharias agnouit, & prædicauit. Et Origenes hanc liberationem, & agere captiuos interpretatur, ab ignoratione Dei, ad veram eius cognitionem. Atque, vt ait Auguſtinus, per ἀποςροφὴν, nunc ad ipſum Seruatorem, & æternæ libertatis vindicem, ſermonem, propter inclytum, inauditumq; facinus, vertit. Et Græci cum Latinis locum iſtum oſtendunt à diuo Paulo dicente, Vnicuique autem noſtrum datur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit, Aſcendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quo loco apparet, eum non curaſſe reddere ad amuſſim, vt haberet Hebraicum, aut Græcum, & per tertiam perſonam, quod per ſecundam diceretur, enuntiaſſe. Tum pro, Accepiſti dona, dixit, Dedit. Quod à Græcis, & Latinis pulchrè ſoluitur, dedit fidem, charitatem, eademque à nobis recepit, & eorum præmia dedit. Poteſt is item eſſe ſenſus, vt eadem ratione, dicat eum dona accepiſſe, ſicut captiuitatem abduxiſſet. Abduxit captiuos, in carcere crudeliter à crudelibus hoſtibus catenatos, abduxit item, & abſtraxit dona, id eſt ſpolia, trophæa, manubias hoſtiles, totaque inimicorum caſtra eſt depopulatus. In hominibus autem erant ea dona, in hominibus florebant, his illi fruebantur, his erant induti. Atq; pro, Hominibus multis, eſt in Hebraico, Adam, vt poſſit expectare exuuias illas priores, quibus Adam exutus ab hoſte eſt, eaque dona, quæ ei dederat, aut erat daturus Deus. Hæc ſpolia ſæuus hoſtis abſtraxit, & verè nudum, turpitudinem agnoſcentem, gementemque ſuam, eum reliquit. Dicetque Vates omnia conſpiciens, Accepiſti, recepiſti munera, quæ erant in Adam, eum in ſuum gradum, quo futurus eſſet, reſtituiſti. Hæcque fuit captiuorum libertas. Is ſenſus poteſt latere ſub littera, quoniam, vt ſæpe dixi, & iterum, iterumque monebo, eſt hoc veluti profundo cęleſtique oraculo inexplicabilis quædam abſtruſiorque philoſophia. Non attendo quod exponit Rabi Dauid iuxta ſuum ſenſum, Accepiſti dona, diuinitatem tuam ſubmouiſti, homines in hoſtiles Aſſyriorum manus abire permiſiſti. Cui ne cæteri, quidem Hebræi aſſentiuntur, veluti Chaldæus antiquior, & grauis autoritatis. Et Rabi Salomon, etiam de lege, & religione exponit, dicens, Accepiſti dona à ſupernis ſedibus, eaque hominibus dediſti. Quod reſpondet ſenſui noſtrorum.

Cepiſti c.
Aſcen. in altum.

Loc⁹ Pau.

In homi.

Etenim non credentes habitare Dominum Deum.

HOc cum ſuperiore verſiculo coniungendum eſt. Neque dicitur, vt Græcum habet, καὶ γάρ, Etenim, ſed iuxta Hebraicum ואף veaph, atque etiam, ſicut vertit Hieronymus, Inſuper & non credentes. Senſus igitur eſt idem repetitus. Superius dixit eum captiuos abduxiſſe, quos interpretari poſſumus, aut eos, qui eſſent in poteſtate hoſtium, abactos à Rege victore, aut ipſos hoſtes captos, manibus poſt terga reuinctis ductos. Id apparet, id eſt hoc poſtremum, ex eo quod præſenti verſiculo dicitur. Hi ſunt enim qui non credebant vſquam eſſe Deum, nec pios tueri, nec res humanas regere, ſicut ſtultus dicit, nuſquam eſſe Deum. Et icit corde, cogitatione, dubitando, & aſſerendo, quòd ſæpe videt meliores deteriora pati, uòd habet animum defixum ad libidines ſuas explendas, furore, & cupiditate cęcus, ruens nquam ferus leo, aut draco, nec ſciens, aut ſcire volens, præſidem aliquem eſſe contemplanm omnia. Hi ſunt qui non credunt habitare Dominum Deum. Atque in Hebraico eſt valiius, & expreſſius verbum pro non credentibus סוררים ſorerim, alienati, declinantes, rebelles, ποςατοῦντες, mente cæci, à recto, & Deo deſciſcentes. Hos egit captiuos, hos deuicit, profligat, extinxit. Græci exponunt, Non credentes accepiſti, id eſt, gentes idololatras ad cultum um reuocaſti. Quod etiam ad ſuperiores ſenſus quadrat. Et Rabi Salomon. Vt etiam rebelles, increduli fuerunt, tamen cum eis eſſe voluiſti. Quod habet ſimilitudinem cum ſenſu noſtrom. Et Chaldæus mire. Verum etiam rebelles conuertentur & reſipiſcent, habitabitque ſuper numen tuum. Sic ait,

Etenim.

Non cred.

Benedictus Deus die quotidie, proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

N Græcis exemplaribus, quæ vidi, eſt bis Benedictus Dominus Deus. Quod quidem redundat. Quod autem dixerunt Septuaginta ἡμέραν καθ' ἡμέραν, redundat Die, primo dicendum. otidie tantum, quod ſonat Hebraica repetitio יום יום iom iom, die, die, ſingulis diebus. Et Hie-

Die quot.

Proſpe iter fa. de ſal. no.

Ieſus, ſal⁹ noſtra.

Sela.

Ieſus mu.

Hieron. per ſingulos dies, ſicuti dicunt, ſæcula ſæcula, id eſt omnibus ſæculis, nos non æquè clarè D ſęcula ſæculorum. Et quod Latinus dixit per futurum, Proſperum iter faciet, Græcè deprecatio, eſt κατευοδώσαι, faciat, deducat nos per vias bonas, felices, proſperas. Obſeruandum tamen Hebraicè ſecus dici, יע סם לנו האל ia mas lanu hael, imponat nobis Deus, tollat nobis, oneret nos, ſicut exponunt Hebræi, dicuntque ſubaudiendum benedictiones, beneficia ſua vt ſit ſenſus, Benedictus Dominus ſemper accumulet nobis Deus bona ſua. Quanquam mihi nihil deeſſe videtur. Lege enim totum verſiculum, Benedictus Dominus ſemper accumulet nobis Deus ישועתנו ieshuatenu, ſalute noſtram, Ieſum noſtrum, ſalutare noſtrū, ſemper accumulet, imponat, attollat. Obſeruandum autem, quòd futurum Hebraicum, aut deprecatio poteſt eſſe, aut vaticinium. Attendeque quod tranſtulit Hieronymus, Portabit nos Deus ſalutis noſtræ. Hoc quoque, inquam, futurum, Portabit, obſerua. Nam non eſt accuſatiuus Nos, in Hebraico, ſed datiuus לנו lanu, Nobis. Ergo poteſt dici, Benedictus Dominus ſemper, portabit nobis Deus Ieſum noſtrum. Sit ſemper benedictus pater omnipotens, pater clementiſſimus, qui vt à ſeruitute, & captiuitate liberemur, portabit, demittet ſuper nos Ieſum noſtrum, ſeruatorem noſtrum. Accumulabit nobis ſalutem noſtram, ſtare pro nobis faciet ſeruatorem noſtrum. Hoc eſt myſteriū latens ſub pſalmo. Et Chaldæus ſimilem quendam ſenſum agnoſcens, Onerat, ait, nos, addens, vel qui addit pręcepta ſuper præcepta. Ille ergo de veteri lege, Pſalmus de nouo autore. Itaque quod Septuaginta tranſtulerunt τῶν σωτηρίων ἡμῶν, ſalutarium noſtrorum, genitiuus, accuſatiuus eſſe debuit, vt oſtenſum eſt: deinde non erat numerus ſingularis in numerum multitudinis vertendus. Ieſuathenu, ſonat ſalutem noſtram. Neque enim littera tau, quod illi fortè ſuſpicati ſunt, in hoc nomine ישועת Ieſuath, eſt ſignum numeri multi, ſed eſt vice he litteræ, quæ vertitur in tau, nomine ad aliquam perſonam relato. Si numerus multus fuiſſet, dixiſſet ישועתותנו Ieſuatothenu. Deinde clarius eſt dicere ſalutem, quàm σωτήριον, ſalutare, quod obſcurum eſt. Et vox Hebraica propriè ſonat ſalutem. Quoties igitur in pſalmis dicitur ſalutare, & quoties apud nos Ieſu, ſalus eſt intelligenda. Et per ἐξοχὴν, aut ἀντονομασίαν, is intelligitur, qui veram, & vniuerſalem, maximam, qua non ſit maior, attulit ſalutem. Diciturque ſalus, ſeruator ipſe, aut more Hebraico: aut quia quicquid fuit, ſalus noſtra fuit, & in eo deleta ſunt omnia peccata noſtra, hoſtibus inuiſibilibus captiuis, extortaq; ex eorum manibus præda. Verſiculus igitur ſic legendus eſt, Benedictus Dominus per ſingulos dies, portabit nobis ſalutem noſtram. Additurque in Hebraico, Sela, quod, vt dixi, eſt aſſertio eorum, quæ dicuntur, quaſi amen, fiat, ſit, vtinam. Oſtenditurq; aliquid ingens dandum. Quoniamque caſus non diſtinguuntur apud Hebræos, eò fit vt Ieſuathenu, poſſit eſſe nominatiuus, vt dicat, portabit, vel accumulabit nobis, ſalus noſtra. Ipſe qui eſt ſeruator noſter, omnia bona conferet nobis, efficiet beatos. Quem ſenſum exprimens Chaldæus, hunc verſiculum transfert, Benedictus Dominus, qui quotidie onerat nos, addens præcepta, ſuper præcepta fortis, qui eſt redemptor noſter, & robur noſtrum in æternum. Siue igitur ſalus per accuſatiuum, ſiue per nominatiuum efferatur, idem ſenſus erit. Ad hunc ſenſum Simeon videns Chriſtum natum dixit, Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. De hoc ſalutari loquitur is Pſalmus futurum prædicens, quod Simeon ante oculos haberet. Et Rabi Salomon exponit, Portabit nobis, dabit nobis Ieſum multam, id eſt, ſaluatorem, vel ſaluationem, ſalutem quoad capere poſſimus.

Noſter.

Deus noſter, Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.

Deus noſt. de⁹ ſal. fa. Domi. do. exi. mor.

PRo noſter eſt לנו lanu, nobis. Et totus locus obſcurus propter Hebraicum dicendi modum: ſic legendus eſt, Deus nobis, ſeruandi, aut ad ſalutes, eſt ipſi Deo Domino, mortis egreſſiones, vel ereptiones. Eadem ſunt igitur verba in Græco, atque Hebraico, ſed implicata. Quorū eſt hæc intelligentia, quòd confirmans ſuperiora, cùm diceret, Dabit vobis Deus ſalutem, aut ipſe ſalus, & ſeruator adueniet: nunc ait, Deus eſt nobis, Deus ſeruans, Deus ſeruandi, Deus ſalutaris, Deus ſaluationum. Omnis noſtra ſalus ab eo eſt. Sicut eſt Deus vltionum, ſic eſt nobis Deus למושעות lamoshaot, ſalutum, conſeruationum. Deinde in eo omnis à morte liberatio, omnis exitus, vel abſtractio à morte. Eſt Domini exitus mortis ideſt, liberatio à morte, ſolutio mortis, omnis & mortis, & mortalitatis pulſio. Vt enim dixerat eum captiuos abegiſſe, impios, & ſceleratos, & perfidos, euidentiſſimis teſtimoniis docuiſſe, ſe habitare inter pios eorumque patrocinium ſuſcepiſſe: ſic idem repetens ob deuinctos, extinctoſque hoſtes, dicit eum ſalutem accumulaſſe, tantum ſalutis attuliſſe, vt impleuerit ſalute omnem terram, cumulum felicitatis aceruumque bonorum congeſſerit. Tum idem affirmans, ac repetens, Deníque, inquit, nuſquam eſt niſi in Domino Deo noſtro ſalus, in nemine eſt à morte liberatio, niſi eò ſolo. Hunc ſenſum etiam Chaldæus clarum exhibens & rebus Aegyptiacis applicans ſic transfert, Deus nobis fortis, & redemptor, & à Deo Domino certant contra impios, mors, & exitus animæ in ſuffocatione. Suffocationem dicit Pharaonis, & exercitus omnis quorum demerſio a Domino fuit. Conſidera igitur myſterium: ſiue enim litteram, vt ſonat accipias, ſiue de victo Pharaone, aperte Ieſu noſtri redemptio prædicatur. Et ſeruator ipſe ſuis nominibus exprimitur, Ieſus, redemptor, liberator, ſoſpitator, ſoſpes. Sicque ſtat ſenſus Chriſtianorum, præcipuè cùm nunc

ſalus

A ſalus in particulari referatur, vt vniuerſam, aut oĩum maximam, vt ſæpe dixi, par ſit eum dicere. Et quod dixit, Exitus mortis, duobus modis pōt intelligi, aut liberatio à morte, aut quod Hebręi nonnulli, & Chaldæus, diuerſa genera mortis, varia mortis facies. Diuerſis, inquit, modis pōt inferre mortē hoſtib. trahere variis modis eos ad mortem. Exituſq; eſt numerus multitudinis. Hieronymus ēt hunc locum clarius trāſtulit, Deus noſter, Deus ſalutis, & Dei Dñi, mortis egreſſus. Domini Domini non eſt nugatio, vt ait Nicolaus. Nam Hebraicè ſunt duo nomina diuina, diſtincta, Iehouah, Adonai. Diſtinctio autem Burgenſis de greſſu, & ingreſſu, leuis momenti eſt.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum,
verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

GRæcè pro Veruntamen, eſt iuxta Hebraicum πλὴν, tantum, ſolum, Hebraicè אך ak, Quæ dictiones ſonant, quidem, veruntamen: proprius autem ſignificatus hoc loco eſt duntaxat, tantum, ſicut etiam Hebræi atteſtantur. Solus, inquit, Deus, confringet capita ſuorũ inimicorum, is duntaxat, is tantum. Quod autem dicit, Verticem capilli perambulantium, figura eſt Hebraica, qua & Græci, & Latini vtuntur, cum dicunt, In caput meum cudetur hæc faba, Et Ariſtophanes, εἰς τὴν κεφαλὴν σοῦ, in caput tuum recidat. & Poeta, Capiti cane talia demens, Dardanio, rebuſq; tuis. Sicq; bona, & mala multaq; præterea in caput, tanquam totum hominem referuntur. Teſtamur etiam caput ob hanc cauſam, & dulce caput dicimus, & Gręci ἱερὰν κεφαλὴν, caput ſacrum. Hinc cenſentur capita, i. ipſi homines. Simili hic figura dictum eſt, Deus confringet capita, confringet ceruicem: In caput eorum, ruinam impellet. Rabi autem Dauid putat hanc figuram, eam habere rationem, quòd in vertice, in dextram, & ſiniſtram partem capilli dirimantur, B eoq; pro bonis, & malis diſpoſitionibus accipi. Non videtur hæc ratio, ſed illa quam diximus: ratio autem ceruicis eſt eadem atque capitis, & repetitur ceruix pro capite, vt ſit idem caput franget, franget ceruicem. Quod autem dicit, Verticem capilli, eſt perinde ac ſi dixiſſet, Verticem comantem, Verticem capilloſum: referturq; rei proprietas, ſicut ſuperius, Et pulchritudo domus diuidet ſpolia, id eſt, domus pulchra, formoſa. Et in Geneſi, Et flammam gladij ad loci cuſtodiam, i. flammeum gladium, gladium flammātem. Aequè hic verticem capilli, verticem capilloſum. Quoniam autem Ionathas Chaldæus dixit, Vellet capillum capitis, poſſet & hoc ſentiri, quaſi figuratè dictum, Deus radet barbam, & capillos, nec ſolum radet, ſed euellet, inimicorum ſuorum ignominia, & ſupplicij dirum genus deſignatur. Nam caluitium, & barbæ abraſio, ſigna ſunt ignominiæ in ſacris litteris. Perambulare quoque in delictis, figura eſt Hebraica, ſicut Latinè, Manere in ſententia, vagari per errores, ambages: & anfractus animo tribuimus, ruinæ, præcipitiaque Gręcè, & Latinè grauiſſima peccata. Ipſum etiam peccare, & delinquere, eſt delyrare, à motu corporeo tralatum ad animos. Eoſdem igitur inimicos Dei, ac perambulantes in delictis ſuis, nunquam ad rectum redeuntes ſenties. Hæcq́, eſt, quam primo Pſalmo viam peccatorum, conſilium, mentemq; impiorum dixit, à qua qui declinarent, beatos exclamauit: vt ſint iidem, abeuntes in conſilio impiorum, manentes in via peccantium, atq; inimici Dei. Rabi Salomon, vt Hebręus, hos exponit Eſau, i. Romanos, ſiue Chriſtianos. Nos ergo, vel in ipſos, vel omnes impios, vel dæmones retorquebimus. Verſumq; leges, Solus Deus confringet inimicorum capita, verticemque comantem ſceleratorum, & petris allidet, ſcopuloque infixit acuto, κορηκομῶν τας ἀχαίους.

Verunt. Deus.
Verti.cap.
Caput.

Peram. in del.

Dixit Dominus ex Baſan, Conuertam, conuertam in profundum maris.

DIfficilis atque anceps ſenſus, an Deus locutus ſit de monte Baſan, quaſi de loco ſublimi contemplatus hoſtium caſtra, iuſtosque eorum viribus ſuperari cernens. Capias exemplum ſimile ex Homero, vt quod dicitur, ſit clarum. Homerus Deum maris ex Solymis contemplatum venientem hoſtem, & mergere parantem ſic inducit. Hunc, inquit, nauigantem, & iam tuta tenentem,

Τηλόθεν ἐκ σολύμων ὀρέων ἴδεν εἴσατο γὰρ οἱ
Πόντον ἐπιπλώων, ὧδ᾽ ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον.
Κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν, Nempe,
Hunc procul ex Solymis vidit, ſiquidem ſibi viſus
Eſt, ſulcare æquor, concepit corde furorem,
Concutienſque caput, ſic ſecum eſt verba locutus.

Videntur propemodum ex iſto loco accepta, ex Solymis ille conſpexit indignatus, ſecumque locutus: hic ex Baſan monte Galaad aſpexit Deus hoſtiles manus, aduerſus pios infeſtis ſignis tendentes. Tunc ſecum locutus eſt: Eripiam, ait, iuſtos, ſceleratos in profundum demergam, efficiamque vt hoſtium ſanguine cuncta redundent. Sicut enim ſuperius hunc pręcipuè montem induxerat exultantem ob victoriam, ſic ei tribuit, vt ex eo Deus hoſtes contempletur, iuſtoſq; ex eorũ ſeruitute, & nece cupide recipere ſtatuat. Et Abacuk ſimili figura dixit, Sanctum venturũ de mōte Pharan. Moyſes item benedicens populum, Dominus de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis. Apparuit de Pharan, & cum eo ſanctorũ millia. Sic Dauid de monte Baſan inducit Deũ ſecũ locutum, de ſalute, & victoria. Nã & Moyſes millia ſanctorum, i. Angelorũ in comitatu eius ſtatuit.

In profundū maris.
Conuertā.

Quod item imitatus ſuo carmine Dauid eſt, vt ſuperius apparuit, & paulò pòſt cognoſcetur. Is mihi ex aliis exemplis verior ſenſus. Nec plura, poſitis his, quæ clariora videantur, commemorabo. Quod autem ait, Conuertam in pronfundum maris, non eſt in profundum, ſed מצולות mimmezolot, de profundo, vt ſpectet potius ad iuſtos eripiendos, de profundo, quàm malos demergendos in profundum. Et pro Conuertam, eſt אשיב ashib, reducam, reuocabo. Profundumq; maris aut res Aegyptiacas innuit, quod Chaldæus, vt ſæpe viſum eſt, ſequitur: aut appellat profundū, omnes calamitates, fluctusq; miſeriarū, procellasq;, ſicut, De profundis clamaui. &, Eripe me de luto vt non infigar. &, De profundis aquarum, inundantes, opprimentesq; calamitates, profundas aquas appellans. Sic iſtud profundum maris, nō ſolum de mari rubro, per cuius profundū Hebræi incolumes perrexerunt, ſed miſeriarum etiam pelagus pōt intelligi. Sicq; verſiculus, Locutus eſt, ait, Deus ſanctus è monte Baſan, reuocabo, reuocabo meos de profundo maris rubri, vel de tantis miſerijs, quibus opprimuntur, aut omni hoſtium impendente vexatione. Ac poteſt etiam myſtice profundum maris inferos appellaſſe, vnde Deum erepturum ſuos prædicat, ſicut ſuperius captiuam duxit captiuitatem. Arcana enim quædam hoc carmine celari palam eſt.

Vt intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Intingatur.
Linguaca. tuo.
Ex inimicis ab ipſo.

PRo intingatur, id eſt βαφῇ, Hebraice תמחץ timchaz, calcet, vt Hieron. quanquam Hebræi exponunt תאדם teadam, rubeſcat, vel intingas tu ò Eccleſia pedem tuum. Senſusq; eſt idē, vt calcet pes tuus, incedat per ſanguinem occiſorum, tingatur, baptizetur: qualia apud Poetas, Bella horrida bella, Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno. Et quod ait, Lingua canum tuorum, iterum intelligendum eſt, intingatur. Vt intingatur pes tuus in ſanguine, lingua quoque canum tuorum intingatur, lambat hunc ſanguinem. Quod autem ait, Ex inimicis ab ipſo, Hebraicus loquendi modus, duæque ſunt formæ, vna repetitio παλιλογία altera, quod dicitur articulus, ſiue abſolutum. Sicut enim ſine copula dixit Lingua canum tuorum, dimittens verbum intingendi: ſic nunc eandem rem repetens ait, Ex inimicis videlicet intingatur, & ex ipſo, inimicorū ſanguine, reddens ſingula ſingulis. Vt intingatur pes tuus in ſanguine, intingatur, lambat lingua canum tuorum ex ipſo inimicorum ſanguine. Canitur autem eadem, aliiſque nominibus ſignificatur victoria, nunquam ſimplici oratione, ſed multiplici, ſæpeque repetita, res magnas exprimente carmine. Hos autem inimicos iuxta ſuperioris orationis ſeriem poſſumus aut Pharaonem cum exercitu ſentire, aut generatim omnes inimicorum copias, aut μυστικῶς, quod Græci ſentiunt, ἢ καὶ τῷ νοητῷ αἵματι τῶν δαιμόνων, νοητῶς ἐπισφαττομένων, Vel intelligibili ſanguine dęmonum, intelligibiliter ſiue ſpiritualiter occiſorum. Hæc autem interpretatio, ne fabuloſa videatur, habes ſuperius exempla, quibus oſtenſum, Prophetas, res myſticas more loquendi apud homines vſitato deſcripſiſſe. Bella inuiſibilia, inimicos, cædes, ſanguinem, cuncta hæc νοητὰ vocaſſe hiſce notis nobis nominibus.

Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.

PRo Viderunt, Græcè ἐθεωρήθησαν αἱ πορεῖαί σου, Viſi ſunt ingreſſus tui, ſicut habet Pſalterium Auguſtini. Latini autem ex tralatione Hieronymi iuxta Hebraicum, dixerunt, Viderunt. Rectè igitur Latinum habet. Hanc viſionem ingredientis Dei Chaldæus refert ad res Aegypti, locum hunc diuinè transferens. Vidit domus Iſrael ingreſſus shekinthach diuinitatis tuæ, numinis tui, ſuper mare Deus, dixerunt, inceſſus Dei, omni mundo imperantis in ſancto. Quare ſenſus clarus eſt, ſi ad ſubmerſum Pharaonem referas. Populum vidiſſe, ipſum diuinum numen viſibili præſentia, manifeſtisque ſignis, cum & columnam igneam noctu, interdiu nubem claram ſuſpiceret, aquas item virga Moſis percuſſas abijſſe, & redijſſe cerneret, multaque alia nō ſcripta diuinitatis ſigna data: veriſimile eſt, vt ſecum Deos, i. Angelos eūtes aſpexerint. Rabi Dauid, iuxta ſuum ſenſum refert, Cùm viſus eſt Angelus interfeciſſe in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta millia. Iuxta Græcos, & Latinos, verè erit de CHRISTO, & noſtra liberatione quę μυστικῶς, latet ſub Aegyptiaca. Quod autem dicit, In ſancto, declarauit Ionathas Chaldaicè transferens, Qui in loco ſacroſancto maieſtatis ſuæ imperat mundo. Idem alij Hebræi. Illic regnum eſt eius ſanctum, ſed inde maieſtas eius pertinet in omnem terram. In cęlo, ſacrario diuinitatis ſuæ regnat, ſed cœlum & terras numine torquet. ὕπατος κρειόντων, vt talia ſentiens eum vocauit Homerus, Rex cęleſtis, Rex in regione ſancta ſua regnans.

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

Principes.
Cant. cant.
Præuenerunt.
Cōiunct. Pſal.

VOx Hebraica שרים sharim, quam Sept. tranſtulerunt ἄρχοντες, amphibola eſt, deſignās tum principes, tum cantores, canentesque. Sed apud eos inſigniter diſtinguuntur, quòd altera habent shin exile, altera craſſum, & ſpumans. Itaque hoc loco non Principes dicendum, ſed Canentes. Nam sharim, cantores dicuntur, vnde shir canticum. Et liber Salomonis, shir hashirim Canticum Canticorum. Et Hieronymus hunc locum, Præceſſerunt cantores eos, qui poſt tergum pſallebant. Chaldæus item, Præuenerunt & dixerunt canticum. Quod autem Septuaginta dixerunt, προέφθησαν, hunc habet (etiam iuxta Hebraicū קדמו cademu) ſenſum, A ſenſum, quòd antecedebant cantores, ſicut vertit Hieronymus. Pòſt ſequebantur noghenin, id eſt, pſallentes, harmonica inſtrumenta percutientes, in medio erant adoleſcentulæ tympana pulſantes. Chaldæus autem, vt dixi, declarat hunc ſenſum transferens, Antecedebant & dicebãt canticum poſt Moſen, & Aaron, qui pſallebant ante eos. Hoc forte poſſet defendi tralatio Septuaginta quòd principes Moſes & Aaron, canentes antecederent, ſubſequerentur hi qui pſallerent. Ac dicitur etiam in Exodo, Moſen carmen pro ſubmerſis hoſtibus decantaſſe: Mariam autem ſororem tympana cum mulieribus pulſantem obambulaſſe. Omnis ille triumphus hic refertur canentium principum, pſallentium, tympana pulſantium mulierum. Ex quo loco, liquido apparet, Pſalmũ tum oĩa prodigia, facinoraq; diuina celebrare, tum vel maximè Aegyptiacum illud, cum quo vel aperte, vel myſticè noſtræ redemptionis facinus prædicatum fuiſſe etiam Hebræorum teſtimonio conſtat, qui dicunt oẽm illam lætitiam & carmen Moſis, ac populi, recinendam in diebus Meſſię, iterumq; Moſaicum carmen decantandum, Cantemus Dño glorioſè. A Græcis quidem, & Latinis ad tẽpora CHRISTI refertur, ſed alio modo, diuerſiſq; vijs, eodẽ à cunctis peruenitur.

In med. iuuecul. ty.

In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael.

PRo Eccleſijs ſunt מקהלות makeheloth, cœtus, congregationes, quæ Græcè dicuntur Eccleſiæ. Et quod ait de fontibus, ſingulare eſt ממקור mimekor, de fonte. Quod ab Hebræis exponitur, hi qui de Iſrael nati ſunt, qui de fonte eius profluxerunt, originem ab eo habuerunt. Et Chaldæus pro fonte poſuit זרעא zarea, ſemen. Vos, inquit, qui eſtis de fonte Iſrael, qui ab eo propagati, benedicite Deum in panegyribus, concionibus, exaudiant: hæ noſtræ panegyres, hi triumphi, plauſus noſtri atque theatra. Conuenite omnes, & in conuentu omnes exaltate Deum, & vocibus conſonis celebrate, ſicut illi fecerunt Aegyptia ſeruitute liberati. Vos qui ab eis orti eſtis, facinus illud æterna memoria proſequamini, nunquam ex ore & pectore veſtro excidat. In his omnem agite lætitiam, ac triumphum. Dicitur & alio in pſalmo, Semen Iacob glorificate eum. Pro iuuenculis, ſunt Grĕcè νεάνιδες quas Latinus dicere melius poterat adoleſcentulas, aut puellas. Hebraicè עלמות alamoth à ſingulari halma. quod clauſam, & ignotam propriè ſonat: eoq; Sept. in Eſaiam παρθένον virginem tranſtulerunt.

Eccleſiæ.
De font. iſr.
Iuuenculę.
Alma.

Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu: Principes Iuda, duces eorum, principes Neptalim.

PRo eo quod Septuag. dixerunt ἐν ἐκστάσει, in ecſtaſi, id eſt mentis exceſſu, Hebraicè eſt, רדם rodem, in qua voce, tres ſunt ſignificatus, deſcendit à radam, dormiuit ſopore preſſus, in ecſtaſim lapſus eſt. Quod ſignificatum ſecuti ſunt Sept. Poteſt item deſcẽdere, à רדד radad, extendere, dilatare, continere, & per ἀποκοπὴν extremæ ſyllabæ rad, in participio rod, in relatione ad plures רדם rodam, extendens, vel dilatans, vel continens eos. Quod ſignificatum ſecutus eſt Hier. transferens, Ibi Beniamin paruulus continens eos. Eſt tertia deductio à רדה radah, dominatus eſt, in participio רדם rodem, dominans, vel imperans eis. E tribus igitur his ſignificatis, cum ſub voce omnia intelligantur, quales apud Græcos, & Latinos multæ dictiones, videtur poſtremum magis congruere. Apparet enim principes tribuum hic conuocare ad laudẽ Dei. Ac ſicut ponit principes Iuda, & Zabulon, & Neptalim, ſic Beniamin dominatorem, & præſidem in hoc carmine vult eſſe, vt ſit ſenſus: Ibi, nempe in his triumphis, in hac panegyri, Beniamin qui poſtremus fuit natorum Iacob, antecedat eis, præſit omnibus cantando, ludendo, tum principes aliarum tribuum ſubſequantur. Iſte ſit ordo pompæ diuinæ, hoc ordine incedatur. Et poteſt etiam referri tempus illud, cum ſubmerſo Pharaone pæaniſmum totus Hebræorum populus decantauit, inchoante Moſe, & Aaron, principibus tribuum ſubſequentibus, præcipuè Beniamin, minore in omnibus natis Iſrael. Is, vt dixi, ſenſus eſt apertior. Poſſunt autem Sept. intellexiſſe per mentis exceſſum, raptum mentis in laudes diuinas, in commemorationem memoriamque diuinorum facinorum, ſeceſſum, cum ſublata mẽte, opera diuina admiramur, cum dulcedine corripitur animus, extra ſenſus ſecedit, vbi & ſuauitas eſt ingens, & ſuauitas cum admiratione rapit mentem. Qui ſenſus mihi vehementer probatur. Quis reiiciat, quod Græci, i. Didymus, Cyrillus, Beniamin diuum Paulum adoleſcẽtem, raptum ad arcam Dei interpretantur, principes alios apoſtolos ex aliis tribubus? Quod autem Hier. dixit Continens, poteſt eundem ferè habere ſenſum, atq; præſidens, dominans. Siquidem & Græcè κρατεῖν, eſt continere, & imperare. Nec moror ꝙ Rabi Dauid, & Chaldęus, quodam alio ſenſu hæc interpretantur. Quæ dixi, ſunt veriora, & ad totam præcedentium ſeriem magis cohærentia. Poſt ſuperatos hoſtes ſequitur plauſus, lętitia, exultatio, alacritas animorum, ſaltus corporum, proceſſio, voces canunt, harmonię conſonant, pulſantur pſalteria, organa, principes antecedunt, ſequitur plebes. Quod autem dixit, Duces eorum, Hebraicè eſt רגמתם rigmatham, poteſt exponi multitudines eorum, vt ſonet, principes Iuda multitudinis eorum. Eſt autem regma, aceruus lapidum, tralatus hic pro aceruo hominum: ſonatq; totius multitudinis duces hos fuiſſe, aut iubet eſſe. Hier. dixit principes Iuda in purpura, transferens rigma, purpuram, quod etiam ab Hebręis ponitur, videlicet Rabi Menachen, & Rabi Salomon qui ſupradictam vocem exponunt rikmatham, i. opus variatum, veſtem variam, auro, & figuris intertextã, quod Hebraica voce, Italicè dicitur, Richamo, purpura Hebraicè dicitur ארגמן argman.

In exceſſu
Ibi.
Duces eorum.

Purpura.

Hinc reiecta prima littera factum est רגא Etiam quod reddiderunt Sept. ab Hebræis approbatur. Nam Auen Esra exponit hanc vocem שרים sarim, Duces, principes. Cęteri lapidationem putant hac voce notari quod animo meo non applaudit. Clarus est sensus. Et versiculus habet, Ibi Beniamin ille minor natu, præses eorum ludendo, principes item totius multitudinis eorum, duces Iuda, Zabulon, & Neptalim, induti vestibus intertextis auro, aut duces eorum.

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Manda.

Deus.

Fortit.

Apostrophe.

Confirma hoc Deus est.

Chaldaica lingua.

ALius orationis ordo Hebraicè. Nam pro imperatiuo, quo vsi sunt Sept ἔντειλαι est enũciatiuum præteriti temporis צוה ziua, præcepit, mandauit. Deinde dicitur אלהיך Eloheka, Deus tuus, non Deus tantum. Totusq; versiculus habet sicut vertit Hieronymus, Præcepit Deus tuus de fortitudine tua. Quoniam autem Hebraicè non est præpositio de, sed tantum עזך vseka, fortitudo tua, dici potest, Præcepit Deus tuus fortitudo tua, qui est fortitudo tua, robur, præsidium tuum, propugnaculum, scutum, protectio cui niteris. Aut præcepit, iussit hanc fortitudinem. Diuersas igitur mutationes animorum facit psalmus, quod in omni ferè carmine fieri solet. Hæc forma Græcè dicitur ἀποςροφὴ cum relicta præsenti persona, ad alium, sermonem conuertimus. Sermo autem nunc dimissis superioribus, est ad populum, ad cœtum iustorum, ac victores, ac triumphantes, vt sit sensus, Pręcepit, mandauit, statuit Deus tuus istam fortitudinem, hoc fortissimum facinus, harum gestarum rerum magnitudinem, hæc præclara facta. Voluit ipse fieri, ab eo facta, ipse tanti facinoris autor. A Domino factum est istud, illo sponte veniente, & certante, non fortuitu, ac temere, non viribus humanis. Fuit, fuit stratagema diuinum, Dei tui est facinus. Cumque hec dixisset, rursum per aliam apostrophen, ad ipsum Deum conuersus, At tu ô fortissime, confirma quod fecisti nobis, stet in æternum hoc trophæum, sit eadem erga nos tua, & perpetua voluntas. Sępe nobis da talia dona: da vt illa libertas, & tantum ex ea libertate beneficium sit stabile, permaneat in nobis. Salus illa qua seruata omnis gens est, nũquam deficiat, pariat fructus æternos. Da vt colamus te semper, & hæc beneficia, perpetua laude decantemus. Ex illo tempore per omnia sæcula salus tibi inchoata decurrat. Is est verus sensus, quem Ionathas, illo sermone Chaldaico, quo vt vulgari de captiuitate Babylonica allato, vtebantur Christi tempore, & pòst Hebræi, exprimens dicit, Præcipe Deus fortitudinem tuam, corroborare, fortisque esto Deus, habita in domo sancta, quam fecisti nobis. Ex quibus apparet, etiam sensum Græcorum, ac Latinorum huc tendere, vt sit ęternum, & fructuosum redemptionis opus, & quicquid in ea præclari gestum est, maneat. Ac quod Sept. dixerant ἔντειλαι, per imperatiuum, i. manda, potest stare, quoniam ziuah, est etiam imperans, & Chaldæus dixit פקיד pakid, impera, pręcipe. Quidam Græcorum virtutem volunt esse filium, vt à sanctis dicatur patri, Præcipe ô pater virtuti tuę, vt sit ęternum Euangelij opus. nimis alienum.

A templo tuo quod est in Hierusalem tibi offerent reges munera.

Templum Dei.

Tibi of. re. munera.

HAec referenda sunt ad superiora, vt clarè possint intelligi. Ac templum Dei cum duplex sit cęleste, & terrestre, Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo: videtur potius cęleste templum hic intelligendum, quàm terrestre, vt dicat, Confirma Deus à templo diuinitatis tuæ, à cœlo demitte hanc virtutem, hoc robur. Inde hoc tuum consilium stabiliatur super Hierusalem. quòd is sit sensus verus, apparet ex Hebraico, quod pręcise habet, Cõfirma hoc Deus, quod operatus es nobis, neque in, in Hebraico est neque Græco. Nam Septuag. iuxta Hebraicum reddiderunt ἀπὸ τοῦ ναοῦ σοῦ ἐπὶ ἱερουσαλὴμ, A templo tuo, super Hierusalem. Licet Chaldæus secutus sit alium sensum, A templo tuo accipies sacrificia, super Hierusalem diuinitas tua habitet, pinguia tibi offerent reges sua, & sacrificia. Templum terrestre, vt vides, ille sensit. Non interest ab vtroq; sensu multum. Prior tamen magis mihi probatur, quia dicit super Hierusalem: illeq; est apertior, luculentior. Quod autem ait, Tibi offerent reges munera: Pro hoc, ait, diuino facinore, ob has cognitas vbiq; terrarum, res gestas, te verum esse Deum reges fatebuntur, & inclinati adorabunt, muneribusq; salutabunt, sacrificiisq; oblatis, diuinitatem tuam confitebuntur; cognosceris in omni terra, vt etiam à regibus adoreris. Reges igitur etsi ipsorum Iudęorum dicere possis, melius tamen est, vt omnes generatim reges intelligas. Quo loco clara prophetia est, etiam Hebręo Salomone teste, de adorando à regibus, appellandoq; rex regum, Dominus dominantium. Et, Ego sum Alpha, & ω. Et, Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra.

Increpa feras harundinis, congregatio taurorum, in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento.

Increpare.

OBscurus ac difficilis sensus propter verba polysema, vt potero tamen extricabo. Conuersus enim ad Deum orat vt dissipet, euertatq; omnes sceleratos, & impios, iustitiam tum erga homines, tum erga Deum violantes, id est, & iniuriosos, immites, inhumanos, & idolorum cultores. Ac primum, vt monent Hebræi, Increpare, est aut formidabilem, aut exitiale vocem intonare. Solo. n. verbo Deus cuncta operatur. Verbũ contra sceleratos, est increpatio, letalis pronunciatio, edictũ mortale. Talis locutio est alio in psalmo, Increpasti gentes, & periit impius, nomen eorũ delesti in ęternũ, & in sæculum sęculi. Similemq; increpationẽ hic deprecatur

Ferę harū. Tauror congre. In.vac. popul∙ Vitulos. Vt exclud. e. qui pb. ſ. ar. Hierony.

A Feras autem harūdinis vocauit μεταφορικῶς, homines feros, θηριώδης, ratione, & humanitate carentes, ſæuos, crudeles, appellans eos feras harundinis, quaſi inter harundines commorantes, inter harundineta, inter calamos deliteſcentes. Nam pro harundine, calamum dixerunt Septuag. τοῖς θηρίοις τοῦ καλάμου, feras quæ inter calamos habitant: quaſi angues, in herba latentes, & quaſi pardos, & leones ſeptos calamis herbarum, ac fruticū. Malæ beſtiæ nemorum, regionibus Oriētis innumerabiles. Eoſdem tauros, ſicut ſolent vbiq; Prophetæ, appellauit, quaſi indomitos, & feros, obuios quoſq; cornibus appetentes. Ac dicendum eſt per accuſatiuum ſemper, Increpa feras harundinis, congregationem, vel gregem, vel armentum taurorum. Hos euerte, in hos letalem ſententiam pronuntia. Deinde per alium ordinem orationis, addita præpoſitione, in, eadem dicit, Increpa feras harundinis, armentum taurorum, increpa vitulos, aut vaccas populorum, i. idola confringe, euerte, idola illa, quæ erant more Aegyptio, apud quos, bos Apis colebatur, imagines vitulorum, aut vaccarum. Aut non idola dicit, ſed eoſdem ipſos, quos congregationem taurorum dixerat, pòſt appellat געלי עמים ghele hamin, i. vitulos populorum, qui inter populos, vt ait Rabi Salomon ſunt feroces, aut ipſi feroces populi. Hoc idem Hebræus Dauid Eſau, i. Chriſtianos exponit, Reiice in eos, & principes eorum dęmones. Poſtea quod Sept. dixerunt, Vt excludāt eos, qui probati ſunt argento, purius in fonte מת רפס ברצי כסף mit rapes beraze caſeph. Quorum verborum is ſenſus, Qui currunt, vel incedunt ad eos, vel cum eis qui frangunt argentum. Quo loco obſeruandum quod ſæpe fit apud eos, mutatum eſſe numerum. Nam populi numero multitudinis additum eſt participium ſingulare mitrapes, incedit, vadit, currit. Sciendum quoque participium razze, quod ſonat frangentes, referendum propriè ad opificia idolorum, tametſi poſſint alij eſſe ſenſus, vt ſonet currentes, vel volentes argentum, i. idola argentea. Qui quidem idem erit etiam ſenſus. Hieronymus igitur ex parte reddidit hunc ſenſum, Increpa beſtiam calami, congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas. Ecce diuus Hierony. raze quod poteſt etiam ſonare currentes, tranſtulit rotas, quaſi currentes. Et mitrapes, quod ſignat incedentes, currentes, interpretatus eſt, calcitrantes. Sed durus eſt ſenſus, ac vix intelligibilis. Cum autem ſit clarum quod poſitum eſt ex Hebraico, euoluta, & expedita eſt horum intelligentia. Nam & Chaldęus ſenſum illum quem diximus, exhibens, ait, Iraſcere in exercitus peccatorū, confringe illos ſicut cannam, congregationem Gigantum, vel fortium, qui confidunt in vitulis, quę ſunt idola populorum. Similiter verſiculus Hebraicus dicit, Increpa beſtias calami, armētum taurorum, intona in vitulos populorum, qui currunt ad opifices vel opificia argentea. Is ſenſus eſt clarus. Nam participium razze, apparet deſcendere à razaz, confringere, non à razah, velle, quia notatum eſt puncto, quod ſignum eſt ablatæ litteræ רצי razze. Quanquam ſi ſonet volentes, non variabit etiam ſenſus. Auen Eſra mitrapes ſic aptat vt verſiculus dicat, Increpa feras harundinum, gregem taurorum, in vaccas populorū, vt mitrapes ſit, fugiat à facie tua, vaneſcat. Quod non aptum eſt. Minus quod Rabi Salomon. Nolunt quenquam niſi qui faciat currere ad eos argentum. Clara eſt igitur conſecutio ad ſuperiora. Mos eſt enim Prophetarum, ſed cum primis in pſalmis fit, vt gloriam Dei propagari, innoteſcere, eam ſolam exiſtere cupientes, ſemper ſuperſtitionum interitum, & eorum qui eas foueant, efflagitent. Precantur vbique errorum ruinam, & eos qui ſummis viribus eos ſuſtinerent, tolli de mundo cunctis votis expoſcunt. Omnes item qui iura diuina, humanaque miſceant, quorum ſcelere mundus, & iſta rerum pulchritudo fœdatur. Hocq; in fine præcipuè omnium pſalmorum. Deſiderabant enim ſolum in cultu, & laudibus Dei quietè, & tranquillè viuere. Videbis idem in omnibus ferè pſalmis fieri: poſtulatur, deſideratur regni Dei incolumitas, aduerſi interitus, quaſi duarum ciuitatum, alterius flos, vita, conſtantia, alterius interitus, ruina, æterna abolitio. Ideo etiam dicit:

Mos piorum.

Diſſipa gentes quæ bella volunt: venient legati ex Aegypto,
Aethiopia præueniat manus eius Deo.

Legati. Machab. Venient. Præue. Manus e.

HOc principium, Diſſipa gentes quæ bella volunt, hæret cum ſuperioribus. Tum ſequitur alia diuerſa ſententia, de venturis principibus, magniſque viris ad templum ſanctum Dei, aut ad religionem ſacroſanctam eius. Ac pro legatis ſunt חשמנים chaſmonim, viri inſignes, nobiles, optimates. Hinc dicti ſunt Machabæi apud Hebræos, chaſmonim, quaſi nobiles, & inſignes. Alii apud Hebræos putant hoc eſſe nationis nomen, vt chaſmonim, ſint hi qui de Chaſmania. Quod & Chaldæus videtur ſuſpicatus, transferens chaſmonim, filios Cham. Ac fortè hæc prouincia eſt quæ dicitur Charmania, licet longinquior. Pro eo autem quod dixerunt Septuaginta ἥξουσι, venient, Hebraicè eſt יאתיו ieethaiu, venire facient, adducent, offerent. Et quod dixerunt προφθάσαι, præuenient, eſt clarius תריץ thariz, feſtinabit, feſtinare, aut currere faciet. Aethiopia faciet manus ſuas feſtinare, accelerabit ad munera portanda. Et quod Latinus dixit Manus eius, debuit iuxtà Græcum, & Hebraicum, vt monuit etiam Auguſtinus dicere, Manus ſuas, Græcè χεῖρας αὐτῆς. Claraque eſt de futura, & celebranda, colendaque apud omnes gentes religione, prophetia, præcipuè cum totus pſalmus à Chaldæo de ſubmerſo Pharaone tralatus ſit, & nunc in fine, illa materia relicta, ad aliam ſermonē conuertit, idq; in fine carminis.

Sicut enim ſuperius dixerat, Offerent tibi Reges munera, ſic nunc Venient præpotentes, ac nobiles ab Aethiopia, & Aegypto. D Vereque locus exponitur à noſtris, de cognoſcenda ab omnibus religione Siquidem & ipſe dixit, Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Et, Replebitur ſcientia Domini omnis terra. Et, Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, Hebraicè, Ieſum ſuum, in conſpectu gentium, reuelauit iuſtitiam ſuam. Quod Simeon iam Chriſto nato, eumque tenens in vlnis ſimili locutione effatus eſt, Viderunt oculi mei ſalutare tuum, Hebraicè Ieſum tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Pſalmus autem, In conſpectu gentium reuelauit. Et Simeon, Lumen ad reuelationem gentium. Sicq; ſimilibus verbis, & gentis ſuæ locutionibus, ab altero de venturo, ab altero de pręſenti Chriſto hæc canebantur. Mitto quod in pſalmo LXXII. quem myſticè de Chriſto etiam Hebræi vaticinari aſſeuerant, dicitur. Reges Tharſis, & inſulæ, munera offerent, Reges Arabum, & Saba, dona adducent. Et Rabi Salomon hoc loco fatetur expreſſè, hæc dicta de Meſſia. Tunc, inquit, cum ſubmerſum fuerit regnum Eſau, & ſurrexerit Rex Meſſias, offerent tibi munera ab Aegypto, & Aethiopia. Vides etiam eos de Meſſia pſalmum editum crediſiſſe. Exemplumq; de Aethiopibus Græci afferunt de Eunucho Candacis reginæ Aethiopum. Et certum eſt, quàm illa natio cupidè religionem acceperit, quàm auguſtè, ſapienterq́; retineat, vt etiam eos apud quos nata eſſet, in hoc vincat. Deprecatus igitur impiorum interitum, & finem pſalmi cum principio conformans cum diceret, Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: &, Fugiãt qui oderunt eum: canit futuram gentis ſuæ gloriam parandam per Chriſtum, per quem & litteræ, & religio, philoſophiaque Iudæorum, ab omnibus populis cognita, & ſuſcepta eſt.

Regna terræ, cantate Deo, pſallite Domino.

EX his etiam apparet prophetia. Inuitat enim ad cultum, laudemque Dei omnes nationes, ac prouincias, omnes oras, ob accepta beneficia, ob ſalutem omnibus collatam, ob conſeruatas omnes gentes, & magnis calamitatibus liberatas. E Laudamus autem libertatis vindicem, canimus ἐπινίκια ei qui nos eripuit. Si igitur regna terræ ad laudandum, & canendum inuitantur, vtique propter commune, ac vniuerſale omnibus terris beneficium. Non laudarent etiam niſi cognoſcerẽt. Sicque multis rationibus conſtat, ſub carminibus Prophetarum, obſcuris propter gentis ſuæ humanum loquendi morem, eadem diſſimulari, atque ſub carminibus Sibyllarum interdum, & ipſis obſcuris, interdum clarioribus, quorum cognitio ab altioribus principiis
Sela. manat. Additur autem in fine huius verſiculi in Hebraico סלה ſela, quæ vox quam vim habeat, diſcere potes à Chaldęo, qui eam tranſtulit לעלמין lealamin, in ſęcula, in æternum eum celebrate, laudate. Septuaginta transferunt διάψαλμα, diapſalma, quaſi vox interiecta pſalmis, addita ad vim pſalmi non de pſalmo, ſed interiecta, & pſalmum adiuuans, quia eſt aſſertio pſalmi, & confirmatio. Quam vim etiam habeat pſallite Hebraicè זמרו zameru, ab eodem diſcas, vertente שבחו shabechu, laudate.

Pſallite Domino, qui aſcendit ſuper cęlum cęli ad Orientem.

Qui aſcẽ.
Cęlum cęl.
AD declarationem tertiò additum eſt à Latino, Pſallite Domino, Hebraicè, & Græcè bis tantum. Et quòd dixit Græcum ἐπιβεβηκότι, Qui aſcendit, obſeruatum eſt ſuperius, Hebraicum לרכב propriè ſonare, ei qui equitat. Cœlos etiam cęli, alibi obſeruatum ſonare ſacerrimam, altiſſimamq; cęli partem, ſicut ſancta ſanctorum locus ſanctiſſimus in tẽplo. Et, canticum canticorum, canticum nobiliſſimum. Et, Rex Regum, maximus Rex. Et, ſęcula ſęculorum, omnis æternitas. cumq́; finis pſalmi cum principio conſentiat, apparet hic eum, cœlum cœli appellaſſe, quod in principio, araboth, id eſt, regiones amęnas, beatas, aut vaſtas, latas: cum diceret etiam illic Deum equitare ſuper araboth, quod Chaldæus hic, & illic ſolium diuinitatis ſuæ interpretatur. Cęlum autem cæli dixit, Hebraicè Cæli cælorum. Sic in Eccleſia canitur, quòd cæli cęlorum laudent, tremant, nimirum habitatores, quos poteſtates, & volucres, & ardentes, flammantesque ibidem, Hebraico autem nomine Cherubim, & Seraphim appellant. Nam cum cælũ ſit omnis ſupra terram regio, etiam aer, quæ vltra Solem, Lunæque labores, vltra cæli vertiginem
πορρωτάτω, remotiſſime, vt ait Ariſtoteles, poſita eſt, cælum cœli dixit. Sic alibi, Cœlum cœli
Ariſtotel.
Cælum.
Domino. Hebræi dicunt eſſe הגלגל עליון hagalgal elion, altiſſimam ſphęram, ſupremum orbem. Sed melius Ariſtoteles dicens πορρωτάτω τῆς φορᾶς, remotiſſimè à cœli vertigine, eſſe diuinas illas regiones. Theodoritus tamen οὐρανὸν οὐρανοῦ καλεῖ τὸν ἀνώτερον, ἐπειδὴ ὅπερ ἡμῖν οὗτος, τοῦτο ἀνώτερος αὐτοῖς, Cœlum cęli vocat ſupremum, quoniam quale nobis iſtud cęlũ, tale eis ſupremũ illud. Mihi videtur Ariſtoteles diuinitus locutus, vt alibi oſtendi, extra vertiginem cœli, ſedes illas ęternas ſtatuens. Sed ſi de motu primi cęli ſermo eſt, quadrat Hebræorum expoſitio. Quod
Ad oriẽt. autem dixerunt Septuaginta κατὰ τὰς ἀνατολὰς, Ad oriẽtem, melius, A principio, Hebraicè קדם kedem, vt dicat, Pſallite ei qui equitat, inſidet cęlo altiſſimo ab æterno, vel à mundo cõdito. Sciẽdum vocem iſtam Hebraicam ancipitem eſſe ad tempus, & locum, ſicut omnia ferè nomina loci, eadem ſunt & temporis, ſignificatq́;, & loci, & temporis anteriorẽ partem. Eoq; ſonat orientem, & item anteriorẽ temporis partem, & quicquid temporis anteceſſit, pro tẽpore hic accipiẽdum

eſſe ratio clara eſt. Nam cùm de ſupremo cęlo loquatur, vbi neque occaſus ſit, neque ortus, quoniam Sol, qui affixus eſt orbi noſtro, quod dicitur firmamentum, occaſum, & ortum efficit, non debuit dici, qui aſcendit, vel equitat cœlum cœli ad orientem. Dicendum ergo, à principio, id eſt ſemper. Et Symmachus tranſtulit ἐκ τῆς πρώτης, à principio, Et Hieronymus eum ſecutus, Qui equitauit ſuper cęlum cęli à principio. Et Chaldæus transferens Hebraicum לא רמין le kodamin, ab æterno, à principio. Et Theodoritus adiutus à Symmacho, ὑμνεῖτε ὂν τὸν ἐξ ἀρχῆς καὶ ἀεὶ ἐπάνω ὄντα τῶν οὐρανῶν. Laudate eum qui à principio, & ſemper deſuper cælis fuit. Euſebius quoque exponens quod verterat Symmachus ὁ δὲ σύμμαχος ἐκ πρώτης συνῳδὰ, πάτερ δόξασόν με τῇ δόξῃ ἣν εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Symmachus tranſtulit à principio conſonè ei, quod ipſe dixit, Pater glorifica me gloria, quam habui antequam mundus eſſet. Hebræi quoque teſtantur Deum à principio inſidere cęlo, quia corpus eius à die quo conditum eſt, ſemper idem fuerit. Aduertendum tamen: Vel de motu cęli ſermo eſt, qui regatur à Deo, ab eo machina eius impellatur, aut de æterna regni ſui ſede, in altiſſimis cęli regionibus defixa. Si hoc poſtremum rectè dicitur, vt expoſuit Euſebius Dei gloriam fuiſſe ſempiternam, imperium eius æternum. Regnum tuum, ait alibi, regnum omnium ſæculorum. Gloria eius æterna in cęlo empyrio, nunquam creato. Hic ſemper regnat, ſedet. Si de motu cęli, poſſet defendi editio Septuaginta, quoniam primum mobile, ſupremuſque orbis, ab ortu vertitur in occaſum, vt dicit verſiculus, Qui equitat, agitque ſupremum orbem, & cęlum ab ortu. Quoniam autem obſcurè, ac raro de motu cęli, ſcripturę ſacræ loquuntur, potiuſque philoſophorum eſt res, videtur verior primus ſenſus, de æterna Dei gloria. Ac neſcio an aſſentiar Burgenſi, Araboth iure occaſus, equitare ſuper occaſus Deum dici, quia cęlum ab ortu tendat in occaſum: dico primum mobile. Quòd ſi verum eſt principio dicet terminum ad quem, in fine Pſalmi terminum à quo, vt more philoſophorum loquar.

Cælũ empyriũ, increatũ, ad fir.

Ecce, dabit voci ſuæ, vocem virtutis: Date gloriam Deo, ſuper Iſrael, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

CLariora ſunt Græca, ad Hebraicum reſpondentia ἰδοὺ δώσει τῇ φωνῇ αὐτοῦ, φωνὴν δυνάμεως, Ecce dabit cum voce ſua, vocem potentiæ. Quare τῇ φωνῇ, non eſt ſimplex datiuus. Hebraicè quoque בקולו bekolo, cum voce ſua. Duos autem hoc habet ſenſus, aut mittet vocem formidandam in hoſtes. Et quod ait Theodorus, ſcripturam ſolere Deo tanquam ſummo formidandoque imperatori dare vocem terribilem, & tonitrua, qui ſola voce terreat hoſtes. Aut ſenſus Chaldæi eſt verior, quo dicit, Ecce dabit cum voce ſua, vocem ſpiritus prophetiæ, Prophetæ. Hoc mihi verius videtur, terminauit enim iam ſermonem de hoſtibus, loquitur nunc de altioribus, ipſoque ſolo Deo. Vocem autem iſtam potentem, & vaſtam non aliud ſentias, quàm diuinitatis ſuæ, vt ab omnibus gentibus, & regnis exaudita cognoſcatur. Hoc enim eſt, quòd notum fecit ſalutare ſuum, hæc illa vox, totum vulgata per orbem, fama diuinitatis ſuæ, qua gentes exaudita, propriè venerunt, munera proferentes, ſigna vocationis, & cultus ſui, iureque Chaldæus eam prophetiæ vocem dixit. Omnis enim cœlitus veniens ſapientia, prophetia, oraculumque dicitur: Prophetæque non futura ſolum prænuntiantes, ſed etiam præſentia loquentes, ſed cęlitus afflati dicuntur. Is ſenſus videtur vehementer probabilis, cui non eſt diſſimilis, quod Auguſtinus de voce iudicij exponit, cùm, vt ait Sibylla de Deo,

Prophetia Prophetæ.

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Tunc tuba luctificam demittet ab æthere vocem.

Eiuſdem enim ſenſus hæc ſunt, vna eademque vox. Nec apparet quicquam veriſimilius, cum Pſalmorum ſit grauiſſima, plenaque oraculorum ſapientia. Hæc ſunt, quæ ipſe autor dixit. Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Quod autem dicit, Date gloriam Deo, ſuper Iſrael, exponitur, qui eſt ſuper IſraEl, qui præſidet Iſrael noſter Rex eſt, hunc laudate, huic date עז robur, fortitudinem, gloriam, canendo, attribuendo, confitendo. Sicque interpretatus eſt Chaldæus. Quanquam iſte ſenſus clarior eſt in Hebraico, ſi puncta reſpicias. Dicitur enim, Date gloriam Deo, ſuper IſraEl magnificentia eius, Cuius, inquit, maieſtas eſt ſuper Iſrael, eos protegens, eis proſpiciens, eos illuſtrans, nobiles faciens. Chaldæus tamen legit, Date gloriam Deo, qui eſt ſuper Iſrael. Maieſtas eius, & fortitudo eſt in cęlo. Ac vides eum tranſtuliſſe cælum, quod Septuaginta nubes, Hebraicè שחקים shechakim. Vt autem cęlum, & aer dicitur, volucres cęli, & vbi fulgent ſidera, ſedeſque diuinæ, ſic shechakim vtrumque deſignat. Et hoc loco cęlum dicendum fuerat, ſicque tranſtulit etiam Hieronymus. Et virtus eius in cęlo, Hoc autem dicit Pſalmus, vt oſtendat Deum, quanquam propriam ſedem habeat in cęlo, eſſe tamen etiam in terra, præcipuè apud pios, eumque colentes, vt & maieſtatem altiſſimam, & ab omni corruptione ſeiunctiſſimam demonſtret, & prouidentiam, reſpectumque ad res humanas, ima reſpicientem, licet altiſſimam.

Date gloriã, deo ſuper. Iſrael.

Virtus. e.I nub.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus IſraEl, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus.

Mirabilis in ſanctis ſuis.

Virtus. Fortitudo Sedi. etheriis ſpirit. ille venit.

SI reſpicias Hebraica, verum ſenſum agnoſces. Pro θαυμαστὸς, mirabilis, eſt נורא nora, terribilis. Et pro, In ſanctis ſuis, eſt ממקדשיך mimmicdasheka, de ſanctuario tuo, de ſacrario tuo, quod Septuaginta per numerum multitudinis, iuxta Hebraicum dixerunt τὰ ἅγια, locum ſanctiſſimum, ſancta, ſicut dicuntur ſancta ſanctorum: per numerum multitudinis dicuntur iuxta nonnullos Hebræos, quia templum terreſtre reſpiciat cęleſte, aut quod triplici ſtructura conſtaret. Dicitur ergo, Mirabilis es tu de ſanctuario tuo, de ſublimi regno, & ſanctiſſimo tuo, mittis indicia, quàm terribilis, ac formidabilis ſis. De cęlo ſancto tuo, potentia claret, de ſede magnitudinis tuæ. Dantur mortalibus manifeſta indicia eſſe in cęlo, ab illa aula, & regia, veniunt in terras beneficia, quibus bonos aduerſus malos defendis, & oſtendis diſplicere tibi nefas. Hieronymus etiam vertit, Terribilis Deus de ſanctuario ſuo. Poteſt quidem ſanctuarium terreſtre intelligi, in quo Deum ſæpe dicunt habitare Prophetæ, ſed rectius eſt, de templo cęleſti ſentire. Quod autem dixit, Virtutem, Græcè melius δύναμιν, robur, vim, præſidium, ad Hebraicum עז oz. Fortitudinem quoque clarius dixerunt Septuaginta κραταίωσιν, roborationem, confirmationem, ſolamen, pro Hebraico תעצומות thazumot, Ex illo, ait, ſacrario hæc bona demittet. Sedibus ætheriis, robur in nos deſcendet inuiſibilibus, & arcanis modis, euentu autem claris. Propterea ſemper benedictus. Amen.

PSALMI LXXXIX. EXPLANATIO.

Oratio Moſis.

HIc inchoatur quartus Pſalmorum liber apud Hebræos, facta à poſterioribus hæc diuiſio, vbi iuſta ratio aliquem librum finire docuiſſet. Nam huc vſque pſalmi Dauid, & filiorum Core, & aliorum leguntur: qui ſequuntur, non habent ferè nomen autoris, nec vllum titulum pręſcriptum niſi primus iſte. Poſt multos pſalmos repetitur inſcriptio Dauid. Hęc ratio poſteriores docuit, vt libros diuiderent. Is dicitur oratio Moſis viri Dei. Super quo variæ fuere apud Hebræos ſententiæ. Fuerunt qui dicerent repertam hanc orationem à Dauid, traditionemq; antiquam apud eos fuiſſe, hanc Moſen edidiſſe, & Dauid huic libro ſuo inſeruiſſe. Alij exiſtimauerunt cùm dicitur, Oratio Moyſi, Moyſen poſteros eius ſentiendos, Leuitas ſcilicet, qui cantores eſſent in templo, vt habetur in libris Paralip. Quæ locutio ſoleat etiam alijs in locis haberi: vt, Comederunt Iacob, id eſt progeniem eius. Et, Ex Aegypto vocaui filium meum IſraEl, id eſt filios & nepotes eius. Sic dicitur in libris Paralipo. Et Ieiodas princeps Aaron, nimirum filiorum Aaron. Sic oratio Moyſi, nempe filiorum Moyſi: maior tamen eorum pars ſentit fuiſſe Moſis, quòd per numerum multitudinis loquatur, Factus es nobis, quaſi populo meo. Et Rabi Salomon vnam ex vndecim benedictionibus, ſuper vndecim tribubus hanc eſſe putat. Chaldæus item argumentum ſic tranſtulit, Oratio qua orauit Moſes propheta Domini, quando peccauit populus domus Iſrael in deſerto, reſpondit, & dixit: Hæc erat antiqua illa traditio, orationem hanc eſſe Moſis, quam Chaldæus videtur commemoraſſe. Fuerunt etiam è noſtris, qui non crederent eſſe Moyſi, ſed potius Dauid: referri autem in Moyſen, quòd de lege loquatur, quod & nonnulli Græci ſequuntur. Sed quoniam, & à pluribus approbatur, & magis elucet ex titulo eſſe Moſis, id potiſſimum arbitror ſequendum. Nec verò mirum non eſſe in libris Moyſi hanc orationem deſcriptam, quandoquidem neque in libris Regum vbi de Dauid texitur hiſtoria, pſalmos eius, niſi vnum vel duos inuenias. Sit igitur id verius eſſe Moyſi orationem, idque ad Hebræos ex ſuccedenti traditione, ſicut alia pleraque apud eos, & noſtros, per traditionem non ſcriptam inoleuerunt, manaſſe. Dicitur oratio, veniæque deprecatio, quod in omni ea maximè perſpicitur. Ac iuxta ſuas ineptias, Rabi Dauid aſſerit deprecationem eſſe ſuper eorum præſenti, & omnium maximè diuturna captiuitate, referrique in ea, humanam imbecillitatem, vitæ breuitatem, deprecari, Moſen creatorem, ne pro eorum ſceleribus, ab eo plectantur, cùm potius vniuerſalis ſit humanæ fragilitatis teſtatio, populi autem electi, non eorum qui in præſenti captiuitate detineantur, ſed pro omnibus hominibus criminum deprecatio. Græci quoque duplex in ea vaticinium contineri dicunt, de euerſione Iudæorum, & reditu ad meliora.

Viri Dei.

Virum autem Dei, Chaldæus, & Hebræi, quia fuerit Propheta, quia diuinis alloquiis aſſuetus, quaſi is quo Deus vteretur vti interprete, & miniſtro ſuo, interpretantur, vt vir ſiue homo Dei eſſet, qui poſſideretur à Deo tanquam Domino: ſeruus ipſe, & miniſter. Sic Auguſtinus eum miniſtrum Veteris, prophetam Noui teſtamenti dicit. Vertentes autem Hebræi virum Dei, Prophetam ſentiunt, vt dixi, Dei ſummi ſacerdotem, ἱερομύστην, religionis interpretem, ſacrorum antiſtitem ἱεροφάντην. Hi enim Prophetæ apud Hebræos, & Aegyptios ſunt vocati, vt apud Perſas Magi. Talis fuit diuinus Moſes, ſed qui in eo mortales omnes anteierit, familiaritate diuina, & alloquiis, ante omnes dignior habitus. Cognitaque hæc diuinitas eius omnibus gentibus fuit, ob id à nonnullis Magus appellatus ex eo ſcilicet genere, qui apud Perſas haberentur. Græcè Septuaginta tranſtulerunt, Oratio Moyſi homini Dei, cùm genitiuus eſſe potius debuerit, ſicut Pſalmus τῷ δάβιδ, potius τοῦ, Hebraicè le Moſe, vbi le eſt articulus caſus gignendi.

Le·

Domine refugium factus es nobis, à generatione, & generatione.

DIVINVM ac præclarum exordium, quo res humanas, licet fragiles, ac miſeras, plenaſque ſemper lacrymarum, & interitum ſpectantes, habere docet, quo ſtabilire ſeſe, ac firmare poſſint, neque vnquam, tametſi vallati calamitatibus ſimus, refugium, & tutiſſimum præſidium nobis defuiſſe. Nunquam diuinam prouidentiam ſuper nobis dormitaſſe, nunquam nauiculam procellis iactatam vorari permiſiſſe. Eſſe aliquem portum, quò liceat in tantis miſeriis, in hac humanarum rerum miſeranda lacrymandaque vanitate, & præcipiti fuga rapidoque interitu refugere: eſſe quoddam ac fuiſſe ſemper maximum in hoc mundo, cuius faciem quotidie mutari cernimus, in quo luctus & gemitus, lamentaque quotidie exaudiuntur, paucaque aſpicimus, quibus lætari liceat, & frontem ſerenare, ſolamen. Ac comprehendit omnium ſæculorum, æternam prouidentiam, non ad vnum tempus, ſæculumve vigilantem poſtea auertentem ſeſe, & in penetralia cęli ſe abſcondentem, ſed dicit, in omni generatione refugium eum fuiſſe. Quod vt melius intelligas, verba obſeruanda ſunt. Nam quod Septuagin. tranſtulerunt ἐγενήθης, potuit quidem tranſferri factus es, ſed melius erat dicere, fuiſti, iuxta Hebraicum אתה היית atta haitta, Domine refugium tu fuiſti nobis. Et quod dixit, In generatione, & generatione, obſeruatum, alibi generationem eſſe vnum tempus, vnum ſæculum, vnam mundi faciem, cuius repetitio indicat omnium temporum, ſæculorumque ſeriem implicatam, totum generationum progreſſum. In omni tempore, inquit, in omni ætate, refugium tu nobis fuiſti, nullo tempore à nobis abfuiſti, licet remotiſſimus habitatione, præſentiſſimus tamen oculis, & præſentia fuiſti. Diuineque locum tranſtulit Chaldæus: Domine, inquit, cuius numen, & diuinitas, habitaculum habet in cęlo, fuiſti nobis robur, præſidium, refugium. Ac vox quam Septuaginta tranſtulerunt καταφυγή, refugium, Hebraicè eſt מעון maon, ſignatque etiam habitaculum: eoque Hieronymus tranſtulit habitaculum. Et Hebræi exponunt eum locum. Idem tamen eſt ſenſus. Denotat enim locum, quò refugimus, præſidium, arcem. Ipſique Hebræi, & locum exponunt, & מחסי machſe, perfugium: & Chaldæus pro ea poſuit סעיד ſaid, robur, ſuſtentationem, firmamentum. Locus eſt, quò confugimus, in quem noſtra ſuſpiria, & lacrymæ tendunt, ad quem derelicti, grauibuſque malis oppreſſi deuolamus. Ille ſinus placidos pandit venientibus. Nihil diuinius, & ad conſolationem, medelamque dolorum noſtrorum præſentius dicere poterat.

Factus es.

In generatione & generatio.

Refugiũ

Priuſquam formaretur terra, & orbis, & à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus.

HAec conſequuntur ad antecedentia pulcherrimè, quod eum dixerat refugium in omni ætate, in omni æuo hominibus fuiſſe, nunquam oculos benignos ſuos amouiſſe. Neq; enim fuit vnquam tempus, quando tu non fueris, neque homines aliquando fuerunt, quin tu quoque adeſſes, qui eis prouideres, vt neceſſario nunquam caruerit rectore mundus, & nauclero, ante omnium rerum conſtitutionem exiſtente, qui ſimul atque creaſſet, proſpexerit, rerum ab ſe creatarum ſuſtentatio, præſidiumque fuerit, vt neque voluntas, neque poteſtas ſuſtinendi defuerit. Non voluntas, quod pſalmus ipſe prædicat, minus item poteſtas, quia ab æterno fuit El, id eſt, Deus omnipotens. Hoc enim eſt, quod ſapientiſſimè Philon dixit, Deus regit perennem naturæ curſum, præfecto tanquam lege, filio ſuo, quem δεσμὸν ἄρρηκτον ἐποίησε, vinculum indiſſolubile fecit vniuerſi. Ideoque is pſalmus de eo propriè eſt. Eſt enim de eo qui fuit ante mundi conſtitutionem, & qui poſt conſtitutionem rexit ſemper, is autem omnibus antiquis, & nouis litteris conſentientibus, eſt filius Dei, Creator, mundi, gubernator. Atque non meminit, vt ait Rabi Dauid, creationis cæli, quia de hominibus, & omni mortalitate, quæ tamen ab vno opere regatur, ſermo eſt. Loquitur enim de hominibus, quorum breui ſpatio vita definitur, quorum antequam, & ipſi, & omnis eorum habitatio, & ſedes extitiſſet, creatorem demonſtrat fuiſſe. Ac dicens, Priuſquam montes fierent, nominat res inſigniores, ac diuturniores. Montes & ſublato ſupra reliqua terra vertice nobiliores fuerunt, & perpetuitate, ſemper manentes incorruptibiles, etſi qua pars abſciſſa cadat: his & regiones definiuntur, earum ſempiternis finibus. Nam flumina, neque ſtabilia adeoque fortia ſunt neque perennia, neque tam vaſta, & ſtupenda, omniaque terreſtria. Nihil eſt montibus altius, vaſtius, diuturnius, memorabilius, cùm ſcopulos pendentes aſpicimus, cùm tantam lapidum molem, aeriaſque arces obſtupeſcimus mirati, qua vi excitari tanta ſaxorum vaſtitas potuerit, nunquam adeò obſtupui exclamauiq; admiratus naturam, & creatorem, quam cùm iter primum feci per montes Italiæ, quos Metaurus prope Forum Sempronij medios interſecat, Furui ex opacitate, & tenebris dicuntur. Videas ſtupendas hinc atque hinc, oculis altiſſimè ſublatis, ſaxorum cautes, horribiles procurrentium montium, nudorumque ſcopulorum ſeries, inter quæ percuſſa vocis reſultat imago, vt

Voluntas. de. Poteſtas.

Montes.

hæc

Fierent.

Formatet.

Creare, Creatio, ppriè, animaliũ eſt.

A creas, caro.

A ſæculo, & vſq. in ſæc.

Olam.

Donec.

Terra, & orbis.

Deus El.

hæc ſola vera miracula naturæ dicas. Priuſquam tanta rerum, ſtupendaque vaſtitas eſſet, creator Omnipotens fuit, qui ea ipſa è nihilo creauit. Hocque naturaliter volens edocere non dicit, quanquam idem eſt, Priuſquam montes fierent, ſed ילדו iulladu, gignerentur, naſcerentur: ita montes, & ſcopulos illos genitos fuiſſe docens, ſicut arbores, & animalia, quæ de exiguo ſemine, in tantam molem conſurgunt. Montes item ex medullis, & exiguis humoribus terræ ſunt mirabiliter generati, prius è nihilo facta genitrice terra. Genitos item dicit, quaſi de nihilo creatos, ex eo, quòd ad tantam vaſtitatem poſſit haberi pro nihilo. Locuti enim omnes antiqui theologi ſunt de creatione terræ, montium, maris, tanquam his, quæ in materno vtero ſata grandeſcant, ex paruis, & inuiſibilibus ſeminibus ſurgentia. Hierony. etiam dixit, Priuſquam naſcerentur. Sic quoque quod de montibus dixerat, eos genitos, ſeu natos eſſe, de terra locutus eſt expreſſius. Nondum aſſero quod Auen Eſra, dicit, montes à ventis, ſpirationibuſque generatos. Nam quod Græcè eſt, καὶ πλαθῆναι τὴν γῆν καὶ οἰκουμένην, aut formaretur terra & orbis: Hebraicè eſt תחולל techolel, parturiretur, ederetur in lucem. Ideo & Hieronymus vertit, Parturiretur. Generatio quoq;, & partus fuit terræ, cuius à Deo creationem, quia non eſt humana mente comprehenſibilis, dicunt, partum, conceptum: diuino enim ordine, cuncta ſunt generata. Sicut ex aqua, & terra tanquam primis ſeminibus facta ſunt ſuperiora, & inferiota: inferiora animalia, plantæ: ſuperiora, aer, æther: fuitque vbique diuinus & certus ordo, quem huc vſq; vel ſimilem natura ſeruet, ſic parta eſt è nihilo, & concepta ſimili quadam ratione, terra, ſicut quaſi è nihilo, tantæ è tam exiguis principiis res naſcuntur. Ecce ſic terræ quidem conceptus, & partus fuit, ſicut omnium aliarum rerum, & ſicut ex exiguo igni maximus. Nam etſi velociſſimè Deus operatur, ex cauſis tamen effectuum ortus fuit inuentum eius. Atque cauſæ aliæ aſſignantur, aliȩ ſunt inſcrutabiles. Aſſignantur à theologia, cùm vellet ſiccare contra ſolitas naturæ leges mare rubrum, flare feciſſe ventum tota nocte: quibus autem cauſis tam vehementem ventum ſpirare fecerit, non aſſignatur, & fortè non poſſet intelligi. Sic quomodo terra è nihilo concepta creuerit vaſtaque fuerit, tamq; ex pauca aqua plurimus aer, exiguoque ſemine, tam grande ſubito animal, & ex priuatione vitæ, ſubito vita, nobis intelligi non poſſet. Ordinem tamen quendam diuinum, ſicut in cæteris rebus illic fuiſſe neceſſe eſt. Montium ergo ortum & partum, conceptumq; terræ dixit. Latinè quoque dicitur creare, & ipſum animalium proprium. Eſt enim creare, à creas Græco, carne, quaſi carnem facere. Quod autem ait, A ſȩculo vſque in ſæculum, quod & Hebræi perhibent, duo ſunt ſenſus: Aut ab ȩterno vſq; in æternum, à prima æternitate, vſq; ad alteram, ſicut antè ſempiternus fuiſti, ſic pòſt, Quod quidem dicitur reſpectu noſtri, non Dei in quo non eſt antè & pòſt, non prior & poſterior, ſed vna æternitas. Qui enim nullos dies habuit nullum tempus, nullos annos, nullas horas, nec fuit eſtq; ſub motu Solis, quomodo habuit ante, & poſt, quȩ ſunt partes ad motum Solis collectȩ? Qui ſupra Solem eſt, etiam ſemper ſine ſole exiſtens, tempori non ſubiacet, ideo nec partes temporis, nec temporum conſiderationes habet. Primus ſenſus eſt, vt dicat, ab omni ſȩculo, ab omni æternitate: vt æternitas ſiue ſæculum ſit, quod fuit ante mundum, & quod eſt poſt mundum. Alter eſt ſenſus, ſed & Rabi Salomon, Auen Eſra, Dauid, ſequuntur eũdem propè, quem Chaldæus. Vox enim Hebraica עלם olam, & ſæculum, æuumque denotat, & mundum. Eoq; Chaldæus dicit, A mundo præſenti, ad mundum venturum, Qui Deus es mundi prȩſentis, idem futuri, id eſt cȩleſtis, & eius qui alius futurus ſperatur. Quoniam mundi iſtius mutata facie, cuncta in immortalitatem renouabuntur. A conditione iſtius mundi ad finem, ideſt ad alterum, tu es. Ex quo loco intelligimus Hebraicum loquendi modum. Nam non terminabitur cùm venerit alter mundus, licèt dicat à mundo vſque ad alterum mundum tu es eſſentia diuina. Sic cùm dicitur. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, non terminatur ſeſſio. Vbi eſt eadem vox עד ad, vſque, donec, atq; hoc loco. Itaque vel à mundo ad mundum tu es, vel ab æterno in æternum. Ideo refugium in omni generatione, & ſȩculo, quia fuiſti ſemper, & eris. Quod verò ait, Terra, & orbis, eam cauſam aſſignat Rabi Dauid, quod terra dicatur ea, quæ habitatur, & quæ non habitatur. Totum terrȩ corpus, totum terreſtre elementum, totus orbis terrarum. At aliud nomen, quod Hebraicè eſt תבל tebel, Grȩcè dixere Septuaginta, quod & Hebrȩus ſentit οἰκουμένην, terram habitatam, quicquid vbiq; ab hominibus occupatur. Id Hebraicè dicitur tebel. Vtranq; igitur terram deſignat. Dicens autem poſteriore loco terram, docet antè terram, quàm montes naſcerentur, extitiſſe, vt ait Dauid. Dixit enim poſterius antiquius, maius, grandius natura, quanquam eadem hȩc ſunt. Chaldȩus quidem hunc locum ſic reddidit, Quoniam patuit ante oculos tuos, populum tuum eſſe peccaturum, prȩparaſti pȩnitentiam antequam montes erigerentur, & terra crearetur, & habitatores orbis, à ſȩculo prȩſenti, ad futurum tu es Deus. Qui quidem idem eſt ſenſus, qui fuit refugium ſemper: eo fuit, quòd pȩnitentiæ locum reliquit, ad ſe redeuntes humanè recepit. Deus etiam hoc loco Hebraicè eſt El, quod ſonare omnipotentem & fortem etiam Hebrȩi teſtantur, vt oſtendat eius omnipotentiam gubernandi, & proſpiciendi his, quȩ condidiſſet, tamen ȩternitatem, infinitamque durationem.

Ne auertas hominẽ in hu.

Ne auertas hominem in humilitate: & dixiſti, Conuertimini filij hominum.

OBſeruare operȩpretium eſt, quȩ cauſa lectionem Grȩcam, & Hebraicam (nam Latina ſequitur Græcam) variauerit. Non enim eſt Hebraicè, vt Græcè μὴ ἀποστρέφῃς, ne auertas, ſed nulla eſt negatio תשבאנוש אודכא thesheb enos addaca, hoc eſt, conuertas hominem vſque ad interitum, vel minutionem, ſiue humilitatem. Et Hieronymus iuxta hanc lectionem tranſtulit, Conuertes hominem vſque ad contritionem. Eadem & Hebræi, & Chaldæus agnoſcunt. Cauſa varietatis fuit, quòd Hebraica dictio אל ſi ſine ſubiectis notulis maneat, erit amphibola, vt vel ſit nomen Dei, vel negatio: ſubiectis notulis diſtinguitur, cùm Deum ſonat, ſcribitur per vocalem, quæ Hebræis dicitur zere, אל cùm eſt negatio, ſcribitur per patach אל Poſteriore modo eam acceperunt Septuaginta, & lectionem antecedentem terminarunt, vt dicerent, A ſæculo, & vſque in ſæculum tu es. Negationem in ſubſequentem lectionem reiecerunt, dicentes, Ne auertas: vt prior Hebraicè habuerit ועד עלם אתה vead olam attha, poſterior אל תשב ne auertas. Hodierna lectio eſt verior, & clarior: diciturque hominem à Deo ad ſummam fragilitatem, deiectionemque deduci, permitti vt in miſerias, vexationesq; omnigenas delabatur, rurſum offerre eis placidum lumen ſuum, & miſeris clementem dare dextram. Quod quadrat antecedentibus. Ideo enim refugium eſt, & portus, quia deducit non quidem volens, ſed permittens homines ad varias clades, & vexationes: rurſum ſubleuat, caſtigatos veluti à miti patre. Nam quos diligit, corrigit, & caſtigat. Atque ad hunc modum clarè ſequuntur, hæc ad ſuperiora. Eſt tamen Hebræis etiam alter ſenſus, quem Salomon, Auen Eſra, Dauid proponunt. Conuertes hominem ad contritionem: ei miſerias, & vexationes importas, quibus attritus, deducitur ad ſenium, vt contritio, ſiue debilitatio, vel humilitas ſit ipſa ſenectus, omnium ſentina malorum, in qua virtus omnis, & robur delabitur. Ad ſenium adducuntur homines à Deo.

Optima quæque dies, miſeris mortalibus, æui,
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Nam & hoc Hebræi in hoc ſenſu afferunt, hominem deduci ad debilitationem, tum eſſe dictum, decretumque diuinum, vt conuertantur in puluerem ſuum, vnde ſunt accepti. Et dixit, Conuertimini filij hominum, hoc eſt, in principia veſtra reſoluamini, in cineres primordiales reuertamini. Sed vos in terram cuncti redeatis, & vndam. Dictum tuum eſt, & decretum in natura inciſum, vt homines cladibus & incommodis attriti, morte adueniente, reſoluantur, is eſt ſecundus ſenſus. Chaldæus tranſtulit, Conuertes hominem propter ſua peccata ad mortem, & dixiſti, Reuertimini filij hominum. Quo videtur ſentire poſtremum illum ſenſum, & conuerſionem in primordia reſolutionem interpretari. Noſtri verò id eſt, Græci, ac Latini, ſequentes quod lectio offerret, & humilitatem interpretantur extremam ruinam, interitum animi, cladem illatam ab hoſte antiquo, aut alia peccata, vt dicit Propheta, Ne auertas hominem in hac calamitate, in hac tanta ruina, ne relinquas, ſed refugium eſto, poſtea quod ait. Et dixiſti, Conuertimini. Iam aſſertionem liberationis eſſe dicunt, eius liberationis, quam precaretur, & id quod ipſe multis in locis promiſiſſet. Sed vt verum fatear, is ſenſus videtur perplexior, nec cum antecedentibus hæres, nec cum ſequentibus conſequens. Priores ſunt veriores: ex quibus ſecundus apparet in toto pſalmo. Proponit enim miſerias humanas, fragilitatem, dura decreta Dei, quibus ſubiacentes miſeri mortales, morbis & incommodis omnibus vexati, demum deuoluuntur ad mortem. Quod, & cæteri ſunt deplorati, præcipueque Homerus antiquus Vates, eodem atque Moſes ſenſu.

Conuerti. filij hom. Dixiſti.

Οὐ μὲν γὰρ τι πού ἐστὶν ὀιζυρώτερον ἀνδρων
Πάντων ὅσα τε γαίη ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

Non homine eſt animal certè infelicius vllum,
Quod tellure ſuper ſpiretq; & inambulet ipſa.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna quæ præteriit, & cuſtodia in nocte.

HAec eſt tota periodus in Hebraico, & eſſe debet, eritq; clarior ſenſus, quam vt habent Latina, & Græca. Eſt autem & hic duplex Hebręis ſenſus, vt ſit vel ſermo Dei ad homines, vel Moſis ad ipſum Deum. Primò dicitur, Quid ſtruis, qua fretus ſpe viuis? qui ſi vel mille annos, ideſt, pluſquam primus genitor, qui nongentos triginta annos traiecit, ipſe viueres, omnis hæc ætas, quandoquidem moriendum tandem eſt, erit tibi velut vna dies heſterna, elapſa. Siquidem & Mathuſalem qui nongentos, & ſexaginta obiuit annos, nihil dici poſt, qui mortuus eſt, vixiſſe, nullaq; eſt ætatis, & vitæ tam diuturnæ eius memoria. Sic & ſi tibi vt mille annos tranſigas cõcedatur erunt hi velut vna elapſa dies, aut vna è quatuor noctis partibus, quæ in quatuor vigilias diſtribuebantur: vanus es igitur: nubis inſtar fugax, & reſolubilis, fugiens velut vmbra. Hoc ego volui, hoc dixi Adæ, In quacunque die peccaueris, morte morieris, ideſt, amiſſa deificatione, quam per obedientiam fuiſſes aſſecutus, breui vitæ interuallo obito diſſolueris. Nec prohibet hunc ſenſum, vt ait Auen Eſra, quòd prius locutus Deus ſit per numerum multitudinis, Conuertimini filij hominum, nunc, Mille anni ante oculos tuos. Eſt enim linguæ conſuetudo, quod & poetæ noſtri interdum, mutare numeros. Noli igitur gloriari, & inſoleſcere idem futurus

Mille anni.

Cuſtodia in nocte.

Morte morieris.

ſi vel

Plutarch' de eſsētia. hominis.

ſi vel mille annos, pluſquam primus genitor, putes te poſſe viuere, nihilominus item moriturus. Alter eſt ſenſus, vt ſit ſermo Prophetæ cum Deo. Vna dies ſunt mille anni apud Deum, cuius eſt ęternitas. Quicquid apud nos viuitur, cum ipſa ęternitate, cuius & vnius eſt immortalitas vera, comparatum velut vna elapſa dies eſt. Nam cùm ſtatutum ſit ab eo, vt homines vitæ ſuæ curſum breui ſpatio definiant, alia autem ſit ætas eius, æternitas appellata, nihil eſt hoc omne tempus noſtrum, quod eſſe particulam æternitatis, philoſophi, Pythagorei verò & antiquiores imaginem dixere. Quòd ſi humana vita eſt particula temporis, tempus breuiſſima pars æternitatis, quid erit quicquid vnuſquiſque hominum viuit ante oculos Dei? Humanæ fœlicitatis teſtimonium, dum & vita fugaciſſima eſt, & quicquid eſt, miſeriaruum eſt plenum, quod poſtea narrabitur. Canitur etiam gloria eius, quippe quæ fuerit, priuſquam montes naſcerentur, & orbis terræ fingeretur, contraque nefas ſit homines animalia exigua, fragilia, & quaſi diurna, inſoleſcere. Tum æternus ipſe, vt Auguſtinus ait, noſtræ mortalitatis refugium. Fuerunt autem, qui dicerent ex Hebræis vnum diem Dei eſſe mille annos. Quod quadam figura dici certum eſt. Nam apud Deum, vt ſapientiſſimè Plato locutus eſt, Ariſtoteles, nec dies eſt, nec annus, nec menſis, qui eſt, vt antè dixi, ſupra ſolem, temporis genitorem, ac patrem, nec tempore poteſt intercipi. Præclarè enim ſcribit Plutarchus, nos cum eſſe nihil communicare, ſed omnium mortalem naturam, in medio generationis, & corruptionis exiſtentem ſimulacrum quoddam, atque vmbram caſſam, vixque apparentem, ſui ipſius oſtendere: in quam, ſi cogitationem coneris defigere, tanquam compreſſa manu aqua diffugiat, deferens etiam, quæ manu teneretur. Tum addit, τὸ οὖν ὄντως ὂν ἐστὶ τὸ ἀΐδιον, καὶ ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον ᾧ χρόνος οὐδεὶς μεταβολὴν ἐπάγει. Vere igitur exiſtens, eſt id quod ſempiternum eſt, & ingeneratum, incorruptibile, cui nullum tempus mutationem adducat. Eadem nunc apud Moſen philoſophia, à quo primo iſta fluxerunt. Ipſe enim dixit, Priuſquam montes naſcerentur, & terra, nempe, quod Plutarchus ἀγέννητος. Præclareque etiam idem ait antiquos, fortaſſe Moſen & Hebræos innuens, Deum adoraſſe, & benedixiſſe dicentes εἶ ἕν, es vnum, tu es vnitas, omnium rerum ſimpliciſſima, incorruptibiliſque perfectio. Græci igitur & Latini recte dixiſſe Prophetam diem præteritam, non præſentem, aut futuram, vt oſtendat nullam eſſe rationem, etiam mille annorum ad ęternitatem Dei. Nihil enim eſſe quod præterit. Etiam Græci quatuor cuſtodias nocturnas in caſtris eſſe docent tres horas cuique deputari: Vigiliæ Latinè dicuntur, ponitque poſtremo loco, quod etiam eſt breuius, vt nullam temporis cum æternitate monſtret eſſe comparationem.

Quæ præterit.

Quæ pro nihil. ha. eo. an. c.

Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, mane ſicut herba tranſeat.

IS eſt verſiculus, is eſſe debet, vt ſenſus oſtendit. Sciendum autem Græcè hunc locum habere, τὰ ἐξουδενώματα ἔτη αὐτῶν ἔσονται. Hoc eſt, Vanitates, nihilum erunt anni eorum. Volens autem Latinus interpres reddere Græcum nomen ἐξουδενώματα, quaſi dixeris nihilitudines, nihilationes, extenuationes in nihilum, non occurrebat commodius, quam vt vocem reſolueret in plura verba, id eſt ea, quæ pro nihilo habentur, Quæ tota oratio eſt vnius Græcæ vocis interpretatio, pro qua in Hebraico eſt זרמתם zeramtham, ac Rabi Abraham, & Dauid, ſermonem, dicunt eſſe cum ipſo Deo, ferè innuentes, eam vocem eſſe verbum, nō nomen, vt Septuaginta tranſtulerunt. Verbum ſcilicet à voce זרם zerem, quæ ſonat vndam, fluctum, ruentem, currentem, rapidum, vt dicat, Feciſti eos ſicut vndam, & fluctum, ſicut bullam. Homo bulla eſt, fluctus ſubito intumeſcens, ſubito corruens, & vaneſcens. Simili, & noſter, Poeta, figura loquutus eſt.

Mare vitę.

Tempora prætereunt more fluentis aquæ.

Procella vitæ.

Heraclit. Pythago.

Eorum anni er.

Fluuius eſt tota vita, corruens rapidus, præceps, rapiens omnia ſecum. Eſt item tumidum mare, non minus quàm flumina, præcipuè cùm ſęuit, labens, fluuius vaſtus, mare, in quo procellę ſurgentes, moxque conſidentes, fluuius vaſtus, vita vniuerſa hominum, tanquam procellæ, & elati fluctus, vitæ particulares cuiusque. Dicitque Moſes, Fluctuaſti (vt licentioſius fingam nouum verbum) eos: Fluctuare eos feciſti. Quod Hieronymus reſpiciens dixit, Percutiente te eos, vt ſomnium erunt: percuſſionem, meo iudicio retulit ad fluctum ruentem, in littus procumbentem, illidentemque. Quanquam quod tranſtulit eſt obſcurius: Denotat autem zerem etiam turbinem, tempeſtatem, impetum, qualis inundantium nimborum. Tale quid dicit Propheta homines Deum feciſſe: fecit eos velut imbrem, nimbum, fluctum. Sic Heraclitus vitam hominum, flumen eſſe dixit. Et Pythagoras rogatus quid eſſet humana vita, ingreſſus cubiculum, ſubito egreſſus eſt, innuens introitum eſſe, & ſimul exitum, vitam aduentum, & diſceſſum. Pro hoc omni igitur Septuaginta dixerunt ἐξουδενώματα, & quidem eodem ſenſu, tametſi alio paululum vocis ſignificatu. Porrò quod Septuaginta dixerunt ἔτη αὐτῶν anni eorum, in Hebraico eſt vox anceps ad annum, & ſomnum. Nam ſi ſcripſeris שנה ſonabit annum, vel ſomnum. Itaque pro vtroque ab Hebræis etiam exponitur, vt dicat, Fluctuare feciſti, ſubito rapuiſti annos eorum. Aut quod quidem melius quadrat, & clarius eſt זרמתם שנה יהיו zeramtham ſhena ihiu, Rapuiſti eos, vel fluctuare feciſti, ſomnium erunt. Tanquam ſomnium, ait, eſt humana vita, tu rapis, tu poſuiſti terminos eius, qui præteriri non poſſunt. Tu dixiſti, Conuertimini filij hominum, redite in puluerem veſtrum. Ad hunc ſenſum Hieron. tranſtulit, Percutiente eos, vt ſomnium erunt. Et Chaldæus etiam eſt hunc ſenſum ſecutus היך דמכין יהון hekdimkin iheon, tanquã dormientes erũt. Atq; is ipſe pulcherrimum, paululum variata littera, poſuit ſenſum: Et non conuertentur, induces ſuper eos mortem, tanquam dormientes erunt, & ad mundum vitamve futuram tanquam herba quæ ſiccatur, mutabuntur. Ecce quod corporaliter dici videbatur, ſpiritualiter ad latiora maioraque retulit. Sciendum autem quoſdam Græcos legere non ἔτη, id eſt annos, ſed ἔτι etiam: exponuntque non ſolum, ſunt mille anni noſtri apud te tanquam vna dies elapſa, ſed etiam viliora dicam, ſunt ἐξουδενώματα, ſunt nihil. Sed vera lectio eſt vt legas ἔτη, annos. Et verum ſenſum demonſtraui, Fluctuaſti eos, ſomnus erunt: vt referas ad eos, qui ante diluuium vixerunt, & eos, quorum poſtea fuit vita decurtata, vt dicat, fluctibus, Priores illos longæuos oppreſſiſti, poſt illud tempus, humana vita, tanquam ſomnus eſt. Qui ſenſus, à nonnullis Hebræis creditus, ab aliis nõ admodum probatur. Quod verò dicit, Mane ſicut herba tranſeat, non eſt Hebraicè optandi modus, licet ſit Græcè παρέλθοι, ſed clarius futurum tempus יחלף iachaloph, mutabitur, tranſibit, abibit. Quod autem ait mane herbam tranſire, iuxta Hebræos, ante Solis aduentum, florentem eſſe, vt multi flores ſub ortum areſcentes, caputq; demittentes, prius ſucculenti. Poteſt & de fęno intelligi, quod Hebraicè interdum dicitur חציר chazir, ſicut hoc loco, quod nocte tondetur. Nocte arida prata Tondentur (melius) noctis lentus non deficit humor: ſole autem appetente, herba prius viridis ſiccatur, facta fœnum. Eoq́, alibi, Homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri. Et Homerus iuxta ſenſum diuinorum Vatum ſimiliter herbis comparans homines,

Mane ſi-
cut her.
tranſ.

Οἵηπερ γενεὴ φύλλων, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Qui folijs ſatus eſt, talem liquet eſſe virorum.

Nanque cadunt folia, naſcuntur & altera rurſum.

Mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.

HAec quoque non video cur Sept. per modum optandi verterint, cum in Hebraico ſint per enuntiationem futuri temporis. Mane יציץ iaziz, florebit, tranſibit, veſpere decidet & areſcet. Quod & Græci intellexerunt, vt Euthymius τὰ γὰρ εὐκτικὰ νῦν ἀντὶ μελλόντων ἐκλαμβάνεται. Nam optatiua pro futuris nunc ſunt. Illud quoque ſciendum, nõ eſſe in Hebraico, Induret, licet ſit apud Sept. σκληρυνθείη, ſed tantum Areſcet, ſub quo intelligitur etiam induratio. Quod enim ſiccatur, dureſcit: ne aliud quidem eſt ſiccatio. Et terra tunc arida vocata eſt, cũ aquis ſecluſis, à Sole duruit prius limus, & humus lenta. Itaq; verbũ indurandi, ad claritatẽ inductũ. Superius dixit mane trãſire herbã, vaneſcere, amittere ſuccũ, habitũ priſtinũ, nunc veſpere fieri quid miſerius? qđ quæ ante Solis exortũ eſſet viridis, Sole exoriẽte, virore aſpectũq; amittat, veſpere aũt qđ triſtius eſt, diurno ſole ſiccata decidat. Quanquã Rabi Dauid ad humanam vitam refert. Si, inquit, mane floreat, ſi iuuenis ſit, iucundus, pulcher, formoſus, ſucculentus, at trãſibit, & veſpere, i. in ſenecta quæ totius eſt vitæ veſpera, ſiccatus cadet: Aut in ipſo flore extinguet, & vaneſcet, aut ſiccatis humoribus cadet in ſenio. Ecce, vt ait Abraham, vnã diẽ, humanã vitam dicit, in qua matutinũ ſit, & veſpera. Mane flos, ſuccus, forma, robur, peracto cœli circulo à Sole, & orbe luſtrato, Ecce veſpera, ecce inopina ſenectus, obrepẽs, improuiſa, mortis pręnuntia. Tum lapſus in terrã, & interitus. Sic tũ cõparat ſomno vitã, tum diei elapſæ, tum nocturnæ vigiliæ, tum floribus. Chaldæus hunc locũ clarè trãsferens, Similia, inquit, ſunt opera eorũ, vt herba quę mane vireſcat, & creſcit, tum ex ſole interit, & ſiccatur ob ęſtum. Ad facta referens, & opera, quod cęteri ad vitam: nuſquam certa ſtabilitas, ne in his quidem quæ ad ſempiternam memoriam parãtur, quæ, & ipſa mirum in modum dilabuntur. Eram Romę cùm hæc ſcriberem, quam hoc primum tempore cõſpexeram, & ſępe animi cauſa, per ruinas veteris vrbis obambulans, nec lacrymas, nec gemitum continere poteram, partim miſeratus tam præclaræ vrbis miſerabilem interitum, partim rerum humanarum etiam grandium, fortium, robuſtarum, pulcherrimarum inſtabilitatẽ deplorãs, ſuperbiſſimas imperatorum domos, vineta nunc, tantum veſtigiis ſuperſtitibus videas, ambulacra, longoſque thalamorum ordines, terra quæ ſuperuenit, ſepultos. Quicquid ſtatuarum eſt reliquum, fere truncatis, aut manibus, aut pedibus, aut brachiis, vel naribus aſtare: Omnia cadaueroſa, ruinoſa, tanquam formoſi quondam corporis oſſa. Ecce curæ, ecce conatus eorum, qui ſempiternam vrbem erigere ſibi perſuaſiſſent, robuſtiſſima fundamenta iecisſent, tam breui temporis ſpatio, cuncta vanuerunt, non tam ſæculorum tantum iniuria, quàm humanarum manuum. His duobus malis cuncta ſubiacent, quòd vel a nobis euertuntur, vel tempus inducit ſenium, & interitum.

Flo. tranſ.

Indur. are.

Ruina ſeu
depopula-
tio Romę.

Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus.

HIc addit cauſam cur ſit tantopere humana vita interciſa propter peccata, quod Nicolaus ab Hebræis mutuatus refert ad diluuium, quo propter humana flagitia, cùm omnia interempta ſunt, tum humana vita fuit intra breuius ſpatiũ coarctata. Quãquã alij referũt ad peccatum primi genitoris, cui dictum ſit, In quacunq; die peccaueris, morte morieris, id eſt, vt Symmachus tranſtulit, mortalis eris, pro immortalitate id nactus. Hoc fuit ira Dei, & furor,

Morte mo-
rieris.

Anni à Salomone, ad Chriſtum.

ſiue indignatio eius, cernentis ſe neglectum, ſerpentis verba ſuis edictis apud eos præponderaſſe. Fuerunt ēt apud Græcos, qui hoc & ſuperiora ſpectare ad Hebræos ipſos crederent, vt prius dixerit, mille annos fugaces quidem illos, Iudæos floruiſſe (tot.n. à Salomone numerari vſq; ad Chriſtum) hos velut, propter eorum ſcelera, vnam diem fuiſſe, felicitatem autem, & florem tanquam mane apparuiſſe, i. ſub Salomone tm̃, deinceps in nihilum, imminutionemq; res eorum ſpectaſſe, nunc quotidie magis atteri, in nihilumq; decidere perſeuerante in eos magno quodam θεηλάτῳ cęleſti furore, quo nihil eis poſſit cedere proſpere. Hunc ſenſum ex parte etiam Hebræi ſequuntur. Siquidem Rabi Dauid, Defecimus, ait. Nunc loquitur ſub perſona eorum, qui ſunt in hac diuturna captiuitate, ſiue exilio. Omnis, ait, homo vanum quiddam, vel hi qui florere, beatiq; eſſe putantur, multò magis nos qui ſumus in exilio tam diuturno, defecimus enim, & ad nihilum quotidie redigimur, indignatione diuina, quæ de peccatis noſtris exarſit, flammante. Hæc ille prodidit.

De mortis cauſa.

Itaq; quod philoſophi, & medici rerum ſæpe maiorum ignari, cauſarum terreſtrium vim ſolam tenentes, in eas referrēt, ſi theologiæ vocem audirent, veriores ſæpe cuiuſq; rei rationes aſſignarēt. Dicerent.n. hoĩem diutius viuere non poſſe, deficiente, quod ipſi vocant, ſemper, humido radicali, à naturali igne ſemper depaſto, quo exhauſto collabi corpus: philoſophi autem nihil quod è quatuor elementis conſtitutionem habuiſſet, æternitatem habere poſſe. Quæ etſi vera ſunt, maiora tm̃, proprioraq; tibi dicet theologia. Fuit.n. tempus, qñ ſuperabant homines nongētos annos viuendo. Hoc vt dem tibi in magnam copiam humidi radicalis referas, agnoſcis Deum tm̃ vitę parare fomentũ potuiſſe, quod ad tam diuturnum ſpatium perduceret. Poſſet ergo qui hęc ipſa, ēt plura alia & æternum vitæ ſpatium largiri. Sed iniquitates noſtræ nobis immòrtalitatem abſtulerunt. non.n. vt diuus ille ait, ad magnos triumphos, & honores licet aſpirare, niſi per magnos labores, quòd homo per minimos, olim, nunc omnes, paucis demptis, labores pertingere aſpernantur. Deprauatis ergo legibus diuinis, duabus ex cauſis efficitur lapſus, & interitus, tum ꝙ in conſtitutione legum diuinarum eſt vita, eſt ordo, felicitas, opulētia, quibus præuaricatis, diſcedimus ab eo, quod fons eſt, & origo bonorum: tum ſecretæ nos perſequuntur Erinnyes, & Nemeſis, indignatæ viuere, qui ſcelleratè viuendo, & Deo diſplicendo, viuere non meruiſſent. Nam & ipſe breue vitæ voluit eſſe interuallum his qui pietatem erga Deum vel parentes non ſeruaſſent. Quę quidem multo magis ad vitam futuram, vt Chaldęus ſuperius oſtendit, ſpectant. Deficiunt enim, & in nihilum abeunt omnes, qui vitam hanc, quæ potuit eis occaſio eſſe acquirendæ ſempiternæ, ſceleribus, & impiis factis coinquinauerunt, ſibi æternitatem bonorum miſerabiliter eripientes. Eadem vigente nunc quoque, atq; in primis illis ratione, dum nos in hoc mundo, velut in paradiſo probamur, an diuinis mandatis obſequentes, æternitatem vitæ, reparationemq; pulcherrimæ iuuentæ cupiamus, an maximis præmiis contemptis, fœmineas potius voces, voluptateſque ſequamur, propter quæ, ad alta præmia nec poſſe nec debere homines peruenire, clarum eſt. Ac tametſi oĩum erit generatim vitæ reſtitutio, quia tm̃ alij ad vitam, alij ad ſupplicia reſurgent, ſolos eos viuere iure dicemus, quibus melior iſta vita continget. Sicq; cum ſæpe ſit eadem præſentiũ, ac futurarum rerum ratio, quod olim vitæ longæuæ ſpatium abſtuliſſet, nũc reuelatis æternis auferet ęternæ. Sicq; poteſt quod dixit, Defecimus, ad diminutionem quoque conceſſę vitę pertinere, quæ diuturna promiſſa, propter peccata interciditur, ſicut ęternum regnum promiſſum Dauid, ſub nepote ablatum eſt. Nam dixerat Deus, Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum. Eſt autem hoc loco, vt monet Rabi Dauid, quæ Gręcè dicitur παλιλογία Idem enim eſt, In furore, & in ira, &, defecimus, ac turbati ſumus. Nam quod Sept. tranſtulerunt ἐταράχθημεν, turbati ſumus, Hebraicè etſi idem eſt ſignificatum, נבהלנו nibhalenu, Obſtupuimus, nempe conſilium, vires amiſimus, vt res quę ſtupet, vita ſublata. Quod fit, vel apertè, vel clam ira Dei ſęuiente.

Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo: ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

Epanaph. Poſu. ini. no. in conſp. tu. Sæculum. noſtrum.

Hic quoque eſt ἐπαναφορὰ antedictorum relatio, licet alia ratione dicantur. Idem defecimus in furore eius, eſt eum exactè peccata noſtra cognouiſſe, oculis ſuis prępoſuiſſe, ad viuum reſecaſſe, vt ait Rabi Dauid, eò ante oculos poſuiſti, vt intuereris iugiter, vt in contrarium alibi, Auerte oculos meos ne videam vanitatem. nimirũ in noſtris erroribus oculatus fuiſti: in noſtris vitiis tam cernis acutũ. Deinde quod dixit ſęculum noſtrum, Hebraicè eſt עלמינו alimenu, quod Hebręi ſecus exponũt, aut occultum ſcelus noſtrum, in lucem extraxiſti, aut iuuētutis errorem. Sciendum vocem Hebraicam עלם nullis notulis ſubſcriptam, tria habere poſſe ſignificata, ſonat abſcondere, vnde alma, abſcondita, incognita: ſonat adoleſcentem. Poſtremo ſęculũ. Subnotata vero ſolitis apud Hebręos notulis, ſignificata dirimuntur. Sæculũ dr̃ עלם olam, adoleſcens עלם elem, abſcondere נעלם alam. Oẽs autem Hebræi, inſuper & Chaldæus, & D. Hier. poſteriora duo proponunt, vt vel dicas abſcondita, occulta peccata, in lucẽ eduxiſti, aut lapſum iuuentutis: ſæculum aũt nemo eſt, qui memoret. Nam Rabi Salomon, alimenu, inquit, חטאת נעורינו cattaneurenu, pctm̃ iuuentutis noſtræ. Auen Eſra ſequitur alterum, vt deſignet abſcondita delicta. Rabi Dauid vtrunq; עונו ונעלם peccatũ noſtrum, inquit, occultum, oculis exhibuiſti tuis, quia nihil te fugit. Tũ proponit ſecundum: Chaldæus aũt transfert iniquitatẽ, vel peccatum טליותנא taliutana, iuuentutis

A iuuentutis noſtræ. Paulus Burgenſis item dicit in Hebræo haberi, abſcondita noſtra. Quod autē Hier. tranſtulit, ſecutus Symmachum qui ἀμέλειαν, negligentias noſtras, ea cauſa fuit, quòd occulta putauit, quæ per inſcitiam, & animo incauto committuntur. Eſt enim negligere, non eligere, non legere: oculis autem attentis legitur, colligitur, ſecernitur bonum à malo. Abſcondita ergo dixit negligentias, & quę imprudenter perpetrantur. Nemo itaque ſęculum commemorauit. Poſſet tamen defendi, & quidem rationabiliter quod tranſtulerunt Sept. quia ſtatim ſubdit, Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, Anni noſtri ſicut aranea. Ecce Deus poſuit ſęculum noſtrum ante oculos ſuos, quoniam abbreuiauit, detraxit ex longæuitate. Prudentia eius hoc egit, oculi ſui viderunt detrahendum eſſe, ex priſtina diuturnitate, quia ſcelera noſtra meruerunt, Quod & poetæ ab antiquis Græciæ poetis audierunt:

Subijtque argentea proles,
Auro deterior, fuluo pretioſior ære,
Iuppiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes, æſtusque & inæquales autumnos
Et breue ver, ſpatijs exegit quattuor annum.

Hoc vel ſimile quid fortaſſe dicitur à Propheta, quanquam de curſu humanæ vitæ potius loquitur, cuius quidem breuitas efficitur cum primis ab ea ipſa cauſa, quam Poeta dixit, quòd priſtinā temperiem, & æternum ver Deus detorſit curſu ſuo, flagitiis, & ferro creſcente. Occulta quadrāt plurimum ad lucem, & conſpectū, vt duo inter ſe contraria, rurſum quadrat, ſęculum propter B ſubſequentia. Relatio quoque & eorundem ſolita ſcriptoribus ſacris repetitio declarat potius occulta peccata dicendum. Nam poſt iniquitates debuit ſequi aliquid ſimile. Sic quicquid ſequaris, ſenſus erit verus. Illuminationem autem Latinus dixit, quod Hebraice מאור maor, quod in Geneſi eſt nomen Solis & Lunæ. Ex quo apparet maor proprie ſonare lucem, & nitorem, vt or, id eſt lux, & maor ſint idem. Nam hic maor non luminare corpus, ſed nitorem ſonat, ſiue lucem. Itaque quod quarta die repetitur in creatione, eſt id quod primo creatum, fecit diem. Eoq́; Sept. tranſtulerunt φωτισμόν, illuminationem, ſplendorem. Ac quod creatur quarto, eſt quod primam genuit, cęterasq́; deinceps dies. Non quidem creatur quarta, ſed repetitur cum cæteris luminibus cęleſtibus. Sicut & poeta poſt ventos & aerem:

Illumin. vult.
Loc. Gen. 1

Hæc ſuper, impoſuit liquidum & leuitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem,

At hunc ante aerem, ante ventos eſſe oportuit. Sol quoque æther eſt. Quomodo igitur poſt ventos, & aerem Sol, omniſque ætheria ſubſtantia ſuis locis diſponitur? Repetitio igitur eſt, & eorum quæ omiſſa fuerant, interpoſitio. Sæculum autem nunc, vt Græci monent, ætatem humanam deſignat, maxime centum annis conſtantem. Græcè non per accuſatiuum ſed nominandi caſum ὁ αἰών.

Sæculum.

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. dies annorum noſtrorum ſicut aranea meditabantur.

ORatio ſic diſtinguenda eſt iuxta Hebraicum ꝙ ipſe quoq; docet Hier. Quoniam omnes dies noſtri abierunt in ira tua, ſub indignatione tua tranſierunt, nihil beatum fuit, miſerè dies noſtri abierunt. Viuitur breui, & minime beatè, ac iucundè. Alia autem pars, vbi eſt defecimus, Hebraicè hēt כלינו calinu, conſumpſimus, exegimus annos noſtros. Itaq; nec copula eſt in ſuperioribus, neq; dies eſt in Hebraico, ſed שננו shanenu annos noſtros, totaq; periodus ſic accōmodanda eſt iuxta fontem, vt ſit ſenſus clarus: Qm̄ omnes dies noſtri abierunt in ira tua, exegimus annos noſtros, ſicut ſermonē. Quocirca & hoc obſeruandum, in Hebręo neq; araneā eſſe, neq; ἐμελέτων, meditabantur, in quo verbo nullus eſt ſenſus, Ac Sept. interpretes par eſt dixiſſe tm̃ ἀράχνην, araneam, ab alio autem additum fuiſſe ἐμελέτων, meditabantur: quia Hebraicum הגה heghe, dr̄ à verbo meditandi. Veritas igitur eſt, ꝙ pro Aranea, & Meditabantur, eſt ſuperior vocula, heghe, oīum Hebræorum teſtimonio, & exemplis omnigenis, ſonans ſermonem, verbum volans, alatum, volucre. Nam Rabi Dauid, Heghe, inquit, eſt locutio egrediēs ex ore, quæ velociter abit, ac deficit. Sic animi noſtri celeriter auolarunt. Eademq́; & eiſdē præciſè verbis dixere priores, Salomon, & Auen Eſra, Chaldæus quoq;, Dies vitę noſtrę defecerunt ſicut הבל hebel manitas, vapor oris. Hieronymus quoq; ſecutus alios interpretes Gręcos, tranſtulit, Conſumpſimus annos noſtros, quaſi ſermonem loquens, Attribuit autem ſummam pernicitatem, vanitatemq́; ſermoni, ſicut apud Homerum toties ἔπεα πτερόεντα verba volucria, alata, volantia, pennigera, quibus nihil velocius. Et quoties quid velox Gręci dicere volunt, dicunt λόγου τάχιον, dicto citius. Gręci quidem theologi, vt potuerunt, verum ſenſum extraxerunt, dicentes, hic ἀράχνην, araneā, non ipſum animal, ſed telam eius ſentiendam: meditabantur autem paſſiuè accipi, nimirum dies noſtri vt tela araneę computantur. Qui ſenſus etſi verus ſit, non eſt tamen in Hebraico. Nam & Nicolaus dicit in Hebręo haberi vt nos diximus. Eſt quidem ęquè pulchra collatio vitę humanę,

Oēs dies noſtri def.
defecimus
Sicut ara. medit.
Heghe.

telæ aranei, atq; locutionis. Vtrunq; vaniſſimum, fragile, ex ore, araneus ore vomit telam, homines verba. D Sic apud ſacros poetas, præter ſublimiores ſenſus, poeſis eſt. Comparauit vitam diei elapſæ, vigiliæ nocturnæ, fluctui, bullæ, flori, herbæ: poſtremo pennigero verbo. Itaq; periodus ſic legi debet, Quoniam omnes dies noſtri defecerunt in ira tua, exegimus, vel conſumpſimus annos noſtros ſicut verbum, ſeu locutionem.

Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor, quoniam ſuperuenit manſuetudo & corripiemur.

Di. anno. SIc habet tota periodus in fonte, nec ſunt hæ partes ſeparandæ. Primumq́, ait, breuitatem vitæ, quam in vniuerſum ſuperius deplorauerat, nunc in particulari declarans, ad ſeptuaginta annos redigi, quòd ſi vires cuiquam validiores, temperatiorq́; craſis contigerit, poſſe ad octogeſimum quidem annum aſpirare, at quæ ſequentur, labor erit, & anguſtia. Quod duobus modis intelligitur: Aut vita triſtis, laborioſa, odioſa, plena ſenilium malorum, aut mors. Iſque ſecundus eſt verior. Superue. manſ. Nam quod Septuaginta dixerunt, ὅτι ἐπῆλθε ἐφ ἡμᾶς πραότης, καὶ παιδευθησόμεθα, Quoniã ſuperuenit in nos manſuetudo, & corripiemur: Hebraicè verius כי גז חיש ונעפה chi gas chis, venaupha, Quoniam receſſit robur, & auolabimus. Nam Rabi Dauid exponit & ipſe hæc, Quoniam receſſit robur illorum annorum velociter, & auolabimus ad ſepulchrum. Hoc eſt, ait, Ibimus illuc velociter ſicut auis volans. Chaldæus etiam eundem ſenſum tranſtulit, Quoniã tranſeunt velociter, & volant. לעפרא leaphra, in puluerem. Diuus item Hieronymus hæc cognoſcens vertit, Quoniam tranſiuimus citò & auolauimus. Eadem atq; Dauid expoſuerunt priores, Abraham, & Salomon, præcipueq́; Salomon ait, gas ſignare tranſitum, diſceſſum. E Quis etiam eſt eorum, qui ſciunt Hebraicè, qui ignoret naupha non denotare παιδευθησόμεθα, corripiemur, ſed auolabimus, à voce עוף oph, volucre, volatile? Licet autem idem verbum deſignet deficere, idem erit ſenſus, Et deficiemus. Correctionem nunquam denotat, niſi fulgorem, qui iſta voce poteſt intelligi, correctionem illi ſenſerint. Quod longinquum eſſet, & non intelligibile. Verus ſenſus omnium concordia claruit. Is eſt igitur verus ſenſus. Nam quem tranſtulerunt Sept. etſi pulchrè à Græcis, & Latinis exponitur, non eſt tamen in contextu. In potent. Dicunt enim hic manſuetudinẽ, diuinam intelligendam eſſe, quæ ad correctionem, vitam decurtauerit, malis, & ærumnis ſubiectam eſſe voluerit. Sed ad ſuperiora redeundo, fuerunt ex Hebræis, qui inde hunc Pſalmum Moſis eſſe negarent, quòd referat vitam humanam redactam ad ſeptuaginta annos, qui tamen vixit centum viginti. Soluitur ab eiſdem, eum loqui de maxima hominum parte, licet ſint, qui ad centeſimum etiam nunc & decimum annum attingãt. Quod verò dixit, Dies annorum in ipſis, dies vocat totum tempus, ſolitis Hebræis dies, tempus appellare, Vt Liber dierum, χρονικὸν. Et, In diebus illis. In ipſo autem vitę tempore ſunt Sept. anni, hęc meta, hoc temporis ſpatium. Quod autẽ dixit, In potentatibus, ſecus Græci quàm ſit in fonte, intellexerunt. Nam nomẽ גבורות gheburoth, quod Sept. tranſtulerunt δυναστείας potentatus, potentias, nunc non denotat regiam potentiam, vt ipſi interpretes tranſtuliſſe videntur, ſed robur corporis, fortem craſin, vires: vt dicat, Si autem in viribus octoginta anni. Idque ſentiunt Hebræi, & Chaldæus, pro numero multitudinis, gheburoth, ponens ſingulare גבורתא gheburetha, valetudinem. At ſi, inquit, in valetudine octoginta anni. F Eſt tamen etiam Hebræis alius ſenſus, vt dicat, Si autem pręualuerint octoginta anni, ſi ſuperauerint illam metam ſeptuaginta annorum, ſi euicerint vt ſint octoginta. Hunc ſenſum demonſtrans Salomon ait, Et multum pręualuerint dies eius, octoginta anni erunt. Et Hieronymus iuxta hanc ſententiam licet obſcurius, Si autem multum, octoginta anni. At Gręci crediderunt δυναστείας, hoc loco eſſe pro libertate, vt dicatur. Quòd ſi in libertate octoginta anni, quantò minus in ſeruitute temporis continget? Sed longius abit, & ex obſcura tralatione naſcitur, quę & diuum Auguſtinum turbauit. Nicolaus autem iuxta Hebręos, In potentatibus expoſuit, in bene complexionatis, verbo non bono, bonum ſenſum exhibens.

Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare?

HAec quoque periodus confuſa eſt, dicendumq́ue: Quis nouit potentiam, aut vim irę tuę, & ſecundum timorem tuum iram tuam? Deinde ſequitur alia: Ad numerandum dies noſtros, ſic notum fac. Itaque dinumerare non eſt de pręſenti verſiculo. Et Hieronymus iuxta Hebraicum, clare, Quis nouit fortitudinem irę tuæ, & ſecundum timorem tuum, indignationem tuam? Senſus autem huius loci eſt iuxta Hebræos, Quis eſt qui poſſit cauere ab ira tua, & quanta ſit noſcere? Quia nos vt timorem tuum in homine, ſic iram quoque ineſſe putamus: videlicet quòd omnis qui te magis timeat, & colat, magis in eum ira tua deſæuiat, cum vel exiguum peccet. Sicut dixit Moſes de ſe: Et iratus eſt Dominus in me propter vos. Quod peccatũ nocuit deinceps. Hæc ait Rabi Dauid. Rabi Salomon expoſuit, Quando vita, tanta anguſtia circunſcripta eſt, quis in tanta breuitate poterit noſſe quæ ſit ira tua, quomodo timendus, & colendus ſis? quæ multorũ annorum, multarũq; ætatum, eſt ſcientia, multò q̃ ſcire vires herbarum, animaliumq; naturas, quarum ſcientiam multorum ſęculorum curſu perfici dixerũt nonnulli, &

corporis

A corporis humani medicinam,longam ſcientiam,& artem dixit ille.Et ſicut timeris à nobis, ſic ira eſt in te,ſicut timor,ſic ira timenda.Sicut manifeſtò timeris , ſic timori noſtro ſubeſt ira tua manifeſta.Chaldæus verò ſimili ferè modo,Quis eſt qui poſſit vaſtam iram tuam reprimere? ſoli iuſti qui timent te,ſedant,placant furorem tuum.Hæc ſuper hoc loco ſenſerunt Hebræi . Eſt enim in Hebræo,quod Septuaginta tranſtulerunt καὶ ἀπὸ φόβου σου, quod Latinus obſcurè, & impropriè, Et præ timore tuo.potius comparatio quædam timoris,& iræ.Dicitur enim וכיראתך עברתך vciirea theca,ebratheca,hoc eſt,Et ſecundum timorem tuum, indignationem tuam . Hic vt Hebræi ſentiunt,timor Dei,vt vbique in ſcripturis cernitur, paſſiuè accipiendus eſt, nempe non quo ipſe timet,ſed quo timetur à nobis.Iuxta timorem hunc, iuxta pietatem,& religionem iraſcitur, indignatur,furit.Appellat fornicationem ſponſus ipſe, quoties à ſacroſancto, ſyncero , felici amore eius,ad corruptibiles amores itur . Tunc furebat velut amans, ſæuiebat in amatam.Ob hoc igitur Hebræi,ſunt ſenſum interpretati de his qui eum timent,in quos magis iraſcatur , quia vt vidiſti, loco præpoſitionis ἀπὸ. Hebraicè eſt כי ki,quæ comparatio eſt,& aduerbium quãtitatis,& menſuræ.Videtur ergo locus is iuxta Hebræos de his intelligendus,qui cum ſe ſe veræ pietati, & cultui Dei tradidiſſent,poſtea fiunt amicitiæ eius proditores. Nam de his, videlicet ſua gente,ac religione præcipuè agit Moſes. Chaldæus autem & ex parte Salomon,crediderunt dici , & quæri, quis eſſe poſſit,qui teneat ſcientiam placandi Dei,quis ſit,qui eum poſſit, vel ſciat placare iratũ, ſciens iræ qualitatem.Ideo reſpondet iuſtos ſolos.Mihi videtur iuxta ſuperiora,quanquam idem fermè erit ſenſus,dixiſſe de grandi ira Dei,quam magnam ſuperius prædicauerat , ſecum omnia rapientem,inuoluentemque,mortalitati homines ſubijcientem.Hæc cum primis fuit,cum Adam præuaricatus optima iuſſa eius , eiectus eſt gladiis fulmineis Angelorum de Paradiſo,& eiectio B fuit ad mortalitatem, labores, ærumnaſque acceſſus , inde omnia incommoda,& quicquid hoc pſalmo queritur Vates,originem habuerunt.In particulari autem,quotidiana ira eius non eſt facilis intellectu,& multi ſępe peccauerant,nec arbitrati ſe peccare,Deum experti ſunt iratum, vt cum Dauid numerari iuſſit populum,in quo maxima Dei apparuit indignatio . Et ſæpe fit quod teſtatur Salomon , Neſcit homo an odio, vel dilectione dignus ſit . Tum neſcimus autem,quando,quibuſue factis humanis ſæpe Deus indignetur: tum iræ magnitudo non eſt in proſpectu.Sicque poteſt etiam per interrogationem ſenſiſſe magnitudinem,vt interrogãs,Quis ſit qui noſcat, ſentiat,neminem eſſe qui noſcat,quod & ex eo fiet clarum,quod non dixit iram tantum,ſed vim, poteſtatem iræ.Secundo loco adhiberem ipſe & hunc ſenſum. Et ſecundum timorem tuum, indignationem tuam,nempe,quàm formidabilis ſis,quis ſcit,quàm & timendus ſis,& quantum indigneris? Quis ſcit,quanta formido indignationis tuæ eſſe poſſit , quàm debeat timeri numen tuũ iratum?vt diceris timendus,ſic indignaris.Neque hic timorem Dei credas illam δυσιδαιμονίαν, ſed verum eius timorem , vbi timendus verè eſt . Quo conuincitur antiquus error Stoicorum, non credentium iraſci diuinum numen.

Fornicatio.

Adam.

Bona intentio.

Stoici.

Dexteram tuam ſic notam fac mihi , & eruditos corde in ſapientia .

VT docui,eſt de præſenti periodo,quod ſuperius adſcriptum erat,dinumerare,Hebraicèque habens למנות limnoth,participium eſt cum præpoſitione,ad dinumerandum, vel vt numeretur,ſicut tranſtulit Hieronymus.Deinde ſciendum in Hebraico non eſſe δεξιάν σου dexteram tuam,quod quidem miror Septuaginta poſuiſſe,ſed ימינו iamenu,dies noſtri,Eadem enim eſt hic dictio,atque ſuperius,Dies noſtri defecerunt.iamenu panu. Cauſa autem varietatis fuit,quòd dextera dicitur ימין iamin,ſimilis dictio ſuperiori iamemenu,dies noſtri.Poſtea vbi Septuag.verterunt, καὶ τοὺς πεπαιδευμένους τῇ καρδίᾳ ἐν τῇ σοφίᾳ, & eruditos corde in ſapientia, pro Eruditos,eſt ונבא venabo,quod duo deſignat,aut prophetam, aut, & veniemus. Tum ſequitur לבב חכמה lebab cochma,id eſt corde ſapienti: totaque periodus habet,vt tranſtulit Hieron. Vt numerentur dies noſtri,ſic oſtende,& veniemus corde ſapienti. Aut,Et prophetam corde ſapienti.Cur autem Septuag. tranſtulerunt,quod Hebraicè eſt,venabo,& veniemus , ſiue prophetam, πεπαιδευμένους eruditos,fuit & hic ſimilitudo dictionũ,ſicut ſuperius . Etenim propheta dicitur נביא nabi,prima autẽ perſona numeri multitudinis in futuro,verbi בא ba,iuit,profertur נבא nabo. Chaldæus tñ tranſtulit eã dictionem נביאי nebiai,prophetas,& Hebræi nonnulli legunt נביא nabi, prophetam.Iuxta igitur hanc lectionem ſenſus eſt,Tu qui tempora noſtra tenes,dies noſtros habes in numerato,oẽs præteritas & futuras ætates noſti,fac eos nobis notos,fac vt noſcamus annos noſtros.Tunc propheta ſapiens erit cor noſtrum,& cognoſcens finem , & vitæ breuitatem, quiſq; fiet ſapientior.Nunc nulli hora perſpecta ſua,putatur ęterna ſępe vita,idq́; eſt malorũ cauſa.Sic quoq; precatur alio Pſalmo, Notum fac mihi Dñe finem meum, numerum dierum meorũ quis ſcit? Sic exponit Rabi Dauid,arbitratus etiam de præſenti eorum captiuitate eſſe ſermonẽ, vt dicat, Notam fac metam huius exilij,præſentium malorum, quia inquit , non claret, quando finis erit: & verba Danielis ſuper eo valde ſunt obſcura. & Angelus ei prædixit ſe velle ei celare quæ noſceret,dicetq́; Notum mihi fac quis finis erit,& numerum dierum captiuitatis,& quando veniet propheta. Fac nobis notos dies noſtros,& prophetam illum ſapientem. Prophetam autẽ ſentit Eliam venturum ante Chriſtũ,quia tunc erit nobis cor ſapiens,ſicut ſcriptũ eſt,Replebitur

Et erue. cor.in ſap.

Propheta, Nabi.

ſcientia Domini omnis terra. Hæc ille ſentit. Quæ quidem vera erunt de aduentu Chriſti, ſi conſideres quando, & à quo hæc dicerentur. Dicebantur à Moſe nondum propter eorum ſcelera Hebræis in hac præſenti captiuitate gementibus, dicebantur de Chriſto, mortalitatis noſtræ reparatore, qui dies noſtros tam breues, ad æternitatem eſſet reuocaturus. Hunc verè potuit Moſes oraſſe vt manifeſtus ſibi foret, manifeſtus quando de miſeranda captiuitate non corporum, quæ minima eſt, ſed animorum, homines eſſet liberaturus. Hæc autem omnis expoſitio pendet ex ſecunda lectione, ſi legas נביא nabi, prophetam, non נבוא veniemus. Quam legit & Chaldæus & Septuag. prophetam dixerunt πεπαιδευμένους, eruditos, vt ſecundum eorum interpretationem poſſit eſſe ſenſus, Dies noſtros notos fac, & eruditos corde in ſapientia: monſtra qui tales ſint, qui futuri ſint. Quanquam non poſſet facile ex eorum lectione hoc intelligi. Rabi autem Salomon proponit priorem ſenſum, quòd ſi nobis innoteſcat vita, fiet vt eruditiores,ললmelioreſque reddamur: legitque iuxta lectionem Hieronymi, Nabo, veniemus, dicens eam dictionem ſonare הבאה ambulationem, vel adductionem, vt dicat, Et veniemus ad te corde ſapienti, ſi dies cognouerimus noſtros, ſi vitæ metam. Eadem ſentit Auen Eſra dicens, nabo, vel nabi, hoc loco eſſe, ſicut dicitur in libris Regũ, ומה נביא אל איש vmah nabiel ais, Et quid afferemus viro? Quo teſtimonio declarat nabi eſſe verbũ tranſiens μεταβατικόν, vt & hic dicatur, Et afferemus cor ſapiens. Græci ſequentes vulgatam editionem, & Latini, dexteram vel in die iudicij ad quam boni, vel auxiliatricem, quam notam faciat, oſtendat, porrigat: Eruditos autem ſeruatos. Sed vera claruit lectio, & verus ſenſus. Non eſt autem ab hac theologia alienum, vt poſtuletur dierum, vitæque cognitio, vt cognoſcentes ſimus eruditiores, vt vitetur indignatio diuina, à qua & vitæ interciſio, & mortalitatis incommoda, noſtris importata malis, ſceleribuſque eueniunt. Bonaque eſt cognitio futurorum malorum, ſi vitari poſſent. Nam ſecundum Stoicos, qui cuncta fato fieri, & ineuitabili neceſſitate faterentur, ſapiens ille cognitionem futurorum malorum cenſuit inutilem. Sed quoniam poſſunt declinari volentibus nobis, diuinum eſſet beneficium ea prænoſcere. Veruntamen non meremur, cum maxima mala futura ſceleratis, tanquam ex prophetia, ſi rectè conſideres, ſunt omnibus nota. Nemo enim eſt cui non ſit reuelatum deſuper, qui finis ſit bonorum, ac malorum. Omnes norunt, & ab omnibus prædicatur, malos malè perituros etiam in hac vita. De futura certiſſimum, ac vulgatiſſimum. Cum ergo maxima mala ſint prædicta, præmonſtrata, ſimul & maxima bona, debemus nobiſcum cor ſapiens vbique ferre. Neque denegatum eſt quod Pythagoras poſtulabat,

Ζεῦ πάτερ, ἢ πολλῶν κακῶν παύσειας ἅπαντας,
Ἢ πᾶσι δείξας οἵῳ τῷ δαίμονι χρῶνται.
Iuppiter hoc pater aut miſero nos carcere ſoluas,
Aut genium doceas duce quo ſit degere vitam.

Datus omnibus eſt, & electioni cuiuſque permiſſus genius ſuus, patefacta & voce Dei oſtenſa via, & viæ finis, totaque cognitio rerum futurarum, ac prophetia, tanquam ex cœleſti oraculo in omnium aures inſonuit. Cognitis autem maioribus, ad quæ tota vita dirigenda eſſet, particulares cuique ſuas actiones prædicere ſuperuacaneum fuiſſet. Itaque ſi quid peccatum fuerit, iure, ſolis nobis deputabitur. Quod & ipſe idem Pythagoras, diuinitus eſt locutus, Si rectè, inquit, ſenſeris, ſi te cognitione Dei imbueris,

Γνώσῃ δ᾽ ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ᾽ ἔχοντας
Sponte ſua noſces, homines ſibi quærere clades.

Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

Vſquequo IVxta Hebræos, & ſenſu magiſtro, eſt ἀποσιώπησις ſuper aduerbio Vſquequo, vt dicat, Vſquequo vexabis nos, tantis nos laboribus premes? Nam & Chaldæus quod tacebatur, adie-
Cõuertere cit, Vſquequo תס גיפננא tas ghi phinana. flagellabis nos, exercebis nos, affliges? Quod autem dixit primo, Conuertere, eſt ipſis etiam teſtibus, à malo, ab hac ſententia, qua nos ferire ſtatuiſti, conuertere, redi ad lenitatem, da te ad dulcedinem, reuoca ſententiam. Hanc oro proijce mentẽ. Quod verò di-
Et deprec. eſto. nos tandiu torques, cum ſis mitis natura, & facilis, ſolitus noſtrum eſſe refugium? xit, Et deprecabilis eſto, Hebraicum, Græcum, Latinum differunt, ſed parum. Nam Hebraicum eſt והנחם vehinnachẽ, quod poteſt duobus ſignificatis reddi, Et pœniteat te, ſicut dicitur in Noe, ſimili verbo והנחם vehinnachem, Et pęnituit Dominum. Auen Eſra dicit humano more dari hãc affectionem Deo. Orat ergo, vt pœniteat eum conſilij acerbi, vt mutet tum quæ feciſſet, tum
Pęnitẽtia. quæ facturus eſſet, vt ne in ſententia maneat, ſicut Græcè pœnitentia dicitur μετάνοια, animi mutatio. Chaldæus etiam hoc tranſtulit verbo pœnitendi תוב thub, Conuertere, mutare, vertere. Alia tibi mens eſto. Alio ſignificato reddi poteſt, ſicut Septuag. παρακλήθητι conſolare, Hebraicum enim nacham, ſonat etiam conſolari. Atque idem eſt ſenſus, licet non idem verbum. Qui flagellant, ſolicitant, animo ſunt in eos, quos torquent, acerbo, amaro. Cum placantur, remittitur amaritudo, dulceſcit animus, & conſolatur, fitque placabilis, placidus. Dum pœnitet, dulceſcit, molleſcit, conſolatur, fit placidus. Poſtulat Latinus Dei animum mitem, placidum, Græcus ani-

A mum ſine acerbitate, & amaritudine, ſolamine plenum: Hebræus animum à priſtina ſententia mutatum: priſtina erat acerba, dura, ſententia caſtigandi, flagellandi, puniendi: aduerſa huic ſententia, nihil horum faciendi, ſed parcendi, clementia, benignitas. Ideo Chaldæus dixit: Et pœniteat te mali, quod ſtatuiſti facere ſeruis tuis. Seruus autem Dei Hebraicè cultor Dei, verbo ſeruiendi vtente ea lingua pro cultu. Græci dicunt, Conuertere vel te ad nos, vel nos ad te. Qui quidem idem erit ſenſus, ſed clarius ex fonte ſonabit. Si cùm dixiſſet breuem humanam vitam, breuiorem autem, propter peccata, iramque Dei, vigilemque iuſtitiam fieri: tum poſtulaſſet cognitionem, & ſcientiam vitæ degendæ, exitumque rerum humanarum, in quo bene perſpecto, ac locato, totius vitæ bene ducendæ ratio exiſtit: flagitat demum, vt redeat ad clementiam, ira quam queſtus fuerat, depoſita.

Seruus Deus.

Repleti ſumus mane miſericordia tua exultauimus & lætati ſumus omnibus diebus noſtris.

REdit in ſeipſum, vt vbique ferè ſolent cęteri, & iſte Pſalmus. Dixerat in omni æuo Deum refugium fuiſſe. Idcirco autem fuiſſe in omni æuo, quia nullum fuerit vnquam ſæculum in quo non floruerit, aſtiterit Deus, qui fuiſſet ante æuum, ante ſæcula, ante terram monteſque partos. Narratis autem alijs, reuertitur ad initium. Eſt autem hoc loco duplex apud Hebræos ſenſus, de matutino, quo repleti ſimus miſericordia. Nam Chaldęus, Rabi Salomon, Rabi Dauid, alio ſenſu quàm ſonet, putant mane accipiendum. Sic enim Chaldęus tranſtulit, Satia, vel reple nos לעלמא דמתיל לצפרא טובך le alma dimthil le zaphra, tubac. Hoc eſt, in mundo, qui ſimilis eſt auroræ, bonis tuis. Mundum ſimilem auroræ vocat, cęlum empyreum, quem, & antiquiſſimi, vt Ariſtoteles ait, vocarunt olympum, quaſi ὁλολαμπής, totum lucentem, & Homerus illic eſſe λευκὴν αἴγλην, purum ſplendorem dicit. Sic Hebraicè vocari putant mane. Ac Rabi Dauid, ait, Tempus IESV, id eſt ſalutis appellari matutinum, lucemque: cuius dixit duo ſuccurrunt obſeruanda. Quem Chaldæus dicit mundum fulgentem, aſſerit eſſe tempus ſalutis, tum hanc ipſam vocat nomine, quo & Chriſtiani IESVM. Regnum igitur cælorum eſt tempus IESV, veniente IESV, id eſt ſalute totius humani generis, venit mane, cùm prius eſſent tenebræ, cùm nox ęterna antea inhorruiſſet. His eorum neſcio de pectore dictis, conſtat IESVM, id eſt ſalutem humani generis, non in terra, ſed in ætheriis, puriſſimiſque locis eſſe, ipſeque, & Angeli eius id annuntiauerunt. Non enim ſalus vocata eſt ob hunc mundum, cùm res humanæ poſt eius aduentum, in eodem, atque antea ſtatu, permanſerint. Promittentes autem nobis ſalutem, promittebant aliquid pęrfectiſſimum, non corporeum, caducum, mortale, cito periturum, imbribus, tempeſtatibus, ægritudinibus expoſitum, breuia, & inſyncera gaudia, ſed maximum, mirabile, ſingulare bonum, quod poſſit ſitientes animos ſatiare, cuius quaſi ſimulacrum ſint humana gaudia, triumphi, pompæ, ſpectacula, iuuentus, robur, incomparabiliter maiora in regno diuino. Poſtulat ergo Vates iuxta interpretationem Chaldæi, ſatiari bonis illis æternis, perennibus, quæ ſunt in loco, lucenti, micanti, ſydereo, puro, lætoque nitore, ſicut ſplendor lumenque matutinum. Et hanc beatam gloriam vocat Rabi Dauid, tempus IESV. Ecce regnum IESV, ad quod de cęlo miſſus, vocare mortales venit. Rabi etiam Salomon, mane vocari putat tempus ſalutis, ſubſequens tribulationes nocturnas. Quæ etſi peruerſo ſenſu ab eis accipiuntur, quia referunt ad ſalutem corpoream afferendam à ſuo Meſſia, Chaldęus tamen antiquior, de cęlo ſenſit, & nomen IESV profertur ab inimicis Iudæis. Nam & Salomon hoc tempus appellat ſalutis, & redemptionis. Quæ prudentem vehementer commouebunt. Non enim de ſalute corporea, Iudæorum tantum debet eſſe prophetia, cùm Deus vniuerſalis ſit, ſuæq; liberalitatis, ac benignitatis ſit, dare maxima, maiora quàm terrena bona. Quod illi ſumma mentis hallucinatione videre non poſſunt. Eſt alius, vt dixi, ſenſus Auen Eſræ. Saturatis, ait, nobis mane bonis tuis, quaſi tunc incipiet dies, incipiet luceſſere, tunc orietur nobis dies. Simul exortum eſt nobis mane clementiæ tuæ, lux bonitatis tuæ, ſimul exultauimus. Si ſatiabimur mane, ſi diem lætitiæ nobis reddideris, exultabimus, & lætabimur. Eſt & is bonus, preſſiorque, & ad litteram propior: primus autem, altior, regalior ſenſus. Hic mane pro principio & aduentu bonorum, illic pro cęlo, & luce cęleſti, pro ſalute cunctis oraculis prophetata, prædicta. Nec ſibi aduerſatus prius męrorem, afflictionem proponens, poſtea lætitiam. Loquitur enim, aut de reditu poſt miſerias corporeas ad ſuperos, aut aduentante miſericordia, dicit fore gaudium, vt ſit conditio: Si exorietur bonitas tua, ſi ſatiabimur, erimus lęti cunctis diebus. Sciendum autem cęteros omnes interpretes, id eſt Aquilam, Symmachum tempus mutaſſe, quod Sept. per pręteritum, ipſi per imperatiuum transferētes, ἔμπλησον ἡμᾶς ἐν πρωῒ ἐλέους σου, καὶ αἰνέσομεν, καὶ εὐφρανθησόμεθα ἐν πάσαις ταῖς ἡμέραις ἡμῶν. Reple nos mane miſericordia tua & laudabimus, & exultabimus in cunctis diebus noſtris. Hier. etiam, Imple nos matutino, Itaque duos ſicut etiam Hebręi, ſenſus Græci adhibent. Euthymius collecta ex antiquioribus theologis, ὁ μὲν παρὼν βίος, Pręſens quidem vita, ſit veſpera, & nox, in qua dormitur, & itur ad mortem, erroribus item eſt circunfuſa: futura verò, matutinũ, & dies. Hęc ille. Iuxta alium vero ſenſum Theodoritus, Mutationem ait, à calamitatibus aurorã, & exordium diei appellat. Imperatiuum itaque tempus, etiam in Hebraico eſt שבענו ſabeenu, quod no-

Olympus

Tempus IESV.

Rho. 13.

Locus. IESV.

Salus promiſſa.

tulis ſubductis, potiut eſſe præteritum, & prima perſona numeri multitudinis, quanquam tunc potius dicendum fuiſſet, Repleuimus, ſicut pacdnu שבענו Itaque verior lectio eſt imperatiuus. Omnis autem diebus noſtris, quia, vt ait etiam Rabi Dauid, non erit amplius anguſtia, quod de regno cæleſti ſolum intelligi poſſe, ratio clara eſt.

Exultauimus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.

Exult.

HOc quoq; eſt tempus imperans, ſimile quidem præteritæ perſonæ primæ, numeri multi שמחנו ſam chenu, lætifica nos, fac lætos nos. Subductis notulis, potuiſſet eſſe quod Septuaginta tranſtulerunt. Eſſe autem imperans Chaldæus etiam euidentius oſtendit שמחנא ſamach iathana, lætos ſac nos. Sic Hierony. Lætifica nos. Ac ſenſus apparens, eſt is quem verba præ ſe ferunt, & Chaldæus expreſſit. Antiquiores quidam Hebræi, pro numero temporum quibus in afflictione fuimus, dicunt tantumdem futuros nos in lætitiis, poſtea fore finem rerum. A quibus diſſentit Rabi Dauid, eſſe ſenſum dicens, Quemadmodum nos hiſce diebus in exilio diuturno, attriuiſti, vexaſti, experiri tot mala feciſti, ſic facies in æternum lætos. Quod, vt antea dixi, in terris, vbi aer, aqua, ignis, venti, pluuiæ, fulmina, grandines, bella, inuidię, odia flagrant, fieri non poteſt. Qui id dixerit, eum neceſſe eſt nullo eſſe iudicio. Rabi Salomon etiam cum noſtris ſentit, aſſerens hoc fore in diebus Meſſię, in diebus redemptionis, & ſalutis. O gentem, cuius veritatis eſt inimica, eius aſſertricem, vel inuitam. Neque enim nos etiam aliud tempus ſalutis eſſe dicimus, quàm dies Meſſię, cuius duplex aduentus, primus quidem cognitionem, & ſcientiam Dei ſparſit per terras, vulgauit, quod per ſuum ſanguinem, noſtramq́ue ſimul vitę probitatem, in ſecundo, donec perfectio ſęculorum decurrat, eſſet daturus, remanentibus interim nobis, in qua antea conditione fuiſſemus. Nam etſi tempus ſalutis diceretur quo primum aduenit, diceretur tamen ratione futurarum rerum, futurę immortalitatis, deificationis, animi, & corporis, quę tunc promiſſa, tempore certo, & vero dabuntur, conceſſa interea libertate his qui ſalui fieri, & hęc pręclara bona ſuſcipere, & amplecti velint, reiiciendis ignauis, & impuris. Interea conſiderante, & expectante Deo, quę expectatio tamdiu erit, quamdiu in mundo erunt, boni, & mali, ſinente Domino vtroſque ſuccreſcere, vſque in maturam mundi ſegetem, prudenter omnia gerente multasq́ue rationes obſeruante. Salus igitur etiam nobis eſt in diebus Meſſię, & ſalus æterna, locus autem, & ſedes æternitatis eſt æther, Olympus. Salus, & redemptio prædicta, promulgata veniente Chriſto, primo, futura, ſpectabili, & abſoluenda, danda quanta fuiſſet promiſſa, eo redeunte.

Et reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.

Reſp. in ſ. tu. &c.

HEbraicè paulò ſecus, pro Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, eſt ירא אל עבדך פעלך ierae el abadecha, paoleka, Appareat ſuper ſeruos tuos, opus tuum. Hierony. item haud ſecus, Appareat apud ſeruos tuos, opus tuum. Chaldæus quoque ſic, Manifeſtentur ſeruis tuis opera ſignorum tuorum. Similiter ſecunda pars, Dirige filios eorum. Eſt והדרך על בניהם ve haadareka hal benehem, & gloria tua, ſiue ſplendor tuus ſuper filios eorum. Sicq́ue etiam Hieronymus. Gloria tua. Et Chaldæus ושבהודך ve ſhibehodak, Et ſplendor tuus. Cur autem, quod eſſet ſplendor tuus, Septuaginta verterint ὁδήγησον, dirige, fuit ſimilitudo vocum. Nam Hebraicè דרך darak, eſt ire, vnde derek, via. Si fiat verbum tranſiens imperantis, dices hadrak, fac ire, fac ambulare, incurritq; in hanc aliam vocem ſonantem ſplendorem tuum. Ac niſi ſenſus ſecus doceret, potuiſſet etiam id transferri. Clarius autem, & propius eſt, ſplendor tuus: quia dixit antè, opus tuum. Opus autem mirabiliter Hebręi atteſtantur, eſſe opus ſalutis, appellantes ſalutē ſua lingua ha ieſua, illum Ieſum, maximam quandam eximiamq; ſalutem articulo emphaticos innuentes. Rabi Dauid פעל הישועה poal ha Ieſuah, opus Ieſu, ſalutis. Sic, & nos canimus, Hoc opus noſtrę ſalutis. Miro etiam ſpiritus ſancti inſtinctu, Ionathas Hebręus, qui Chaldaicè vertit ſcripturas ſacras, antiquior aliis explanatoribus, opus tranſtulit עבדי נסך obade niſach, opera ſigni tui. Illa portenta, ſtupendaq́ue prodigia, & incognitas mundo antea res, appellans, quod Hebraicè ſplendor, gloria. Idem eſt opus eius, poſtea gloria, decor, ſigna, celebritas, quando inclaruit in omni terra. Et hoc ſuper filios eorum, ſuper poſteritatem. Vobis & filiis veſtris, ait diuus Petrus, miſit Deus ſalutare hoc. Si quis ergo Hebręos audiat, poſtulat Moſes aduentum Ieſu Chriſti. Chriſtum expreſsè dixit Rabi Salomon iamoth Maſſiach, dies Meſſiæ. Ieſu Rabi Dauid, vt eſt è litteris, & libris Hebraicis cernere. Videbunt, ait Rabi Dauid, patres & filij הישועה illum Ieſum. Sic certè, viderunt, videbuntq́ue omnes fines terrę, ſalutare, Hebraicè Ieſum, Dei noſtri, Ieſum miſſum à Deo noſtro. Additq́ue Rabi Dauid, In omni ſęculo aſſerent hoc patres, quòd Ieſus qui aliquando venturus eſſet, in diebus filiorum ſuorum, adueniet, & erit in diebus eorum, & videbunt patres, & filij ſimul. Hęc ait illo violento veritatis ęſtu raptus huc, antiquos & maiores dicens, qui prędixiſſent filiis, id eſt, poſteritati, venturam de cœlo, quandam ſalutem, venturum Ieſum, etiam ipſos propriis oculis contemplaturos. At hoc fieri, niſi per regenerationem, quod teſtatur theologia vera, non poteſt, cùm prima vſque ab origine mundi,

Dirige fil. e.

Derek, via.

Ille. IESVS.

Corpora conſurgent, vetereſq́ue redibit ad artus
Spiritus, antiquaſq́ue oculis aſtare figuras

Cernemus. Tunc patres cum filijs videbunt miſſum de cęlo Ieſum. Aliter ipſi cum omni poſteritate intereſſe non poterunt. Hæc Hebræorum ſparſa per omnes ſcripturas, ab antiqua quadam theologia fluentia teſtimonia, apertè ſuæ cæcitatis eos conuincunt, quod prudentiſſimus quiſq; facile cognoſcet. Græci nobiliores, hoſce ſenſus non addunt.

Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.

Splendor.

VT clarius intelligatur, ad fontem examinentur. Pro ſplendore eſt נעם noam, voluptas, dulcedo: Chaldæusq; ſpeculatus diuiniorem ſenſum, vnicam hanc Hebraicam vocem tranſtulit, Et ſit dulcedo paradiſi terreſtris à Domino ſuper nos, appellans paradiſum, vt Hebræi ſolent Gan eden, Ortum Eden, nemus voluptuoſum. Aitque, Fluat à Deo ſuper nos paradiſiaca dulcedo, cęleſtis amœnitas aſpiret. Quin & ipſi Septuaginta, vt mittam alia teſtimonia, vbi dicitur, Vt videam voluptatem Domini, cùm ſit præſens & ibi vox, tranferunt eam τερπνότητα, delectationem, voluptatem. Quare propius erat hoc, quàm λαμπρότης, ſplendor, quanquam & Hierony. dixit decor. Verius oſtendi. Eſt enim hic Hebræorum etiam teſtimonio, de beatitudine, & inenarrabili voluptate, quæ ſola, poterit animos exhilarare, & ſatiare noſtros, philoſophia. Innuitur ἀποθέωσις illa in qua ſola, perfecta, abſolutaque, omnibus animi, & corporis incommodis excluſis, erit lætitia, gaudia ſolis nota piis. Nam Rabi Dauid, Præſens, ait oraculum, non eſt niſi de tempore haieſua, illius Ieſu, illius ſalutis inſignis, celeberrimæ, maximæ, cùm miſeriis, & calamitatibus homines liberati, in numerum naturamque Deorum transformabuntur. Hinc & ſalus inſignis, & voluptas nuncupatur, ſalus, quòd prauorum ſpirituum ditione liberabuntur, voluptas quòd, & ad voluptates æternas, omnibus, quibus nunc implicamur, malis exuti, admittentur. Nec miſeri Hebræi aliud, ſi paululum modo oculos attollerent, ſentirent, ſalutem illam famigeratam, tot oraculis prædictam, à ſanctiſſimis viris deſideratam, terreſtrem, & corpoream eſſe non poſſe, qualis in tranſitu maris rubri, ſed maiorem, vniuerſalem à maioribus malis ad maiora bona generatim omnes adducentem. Tum ſi ſalus maior quam corporea, eius neceſſario collatorem, maius aliquid quam hominem, quando ab homine, niſi humana fieri non poſſunt, futurum. Hoc illi ſi ſaperent, ſi ſe ueritate, & ratione, non ſemel irroborata pertinacia duci ſe ſinerent, viderent, admirarentur, nobiſcum expectarent. Exiguum aut propemodum nihil ei debes, qui te, gentemque tuam, terreſtri imperio ſupra cæteros, qualis rex Perſarum, Aſſyriorum, tolleret, interea te mortali, eiſdem quibus antea malis, morbis corporis, anguſtijs animi implicito, nihil nimis lætum, habente. At ſi quis immortalem te redderet, ſi decoram iuuentam, ſi corporis felicem habitum, & agilitatem, veluti volatum, vt corpore, quemadmodum animo præſto vbique fores, ſi ſummam ſapientiam, ſi locum immortalem, ac beatum, ſi gaudiis æternis, nunquam in męrorem animo cadente, faceret hilarem, vt non ſolum ſemper, ſed maximè lætus eſſes: deniq; ſi te in numerum naturamque Deorum cooptaret, vt eorum voluptatibus intereſſes, nectare, & ambroſia fruereris: vrbem triumphantem ſemper aſpiceres: id demum perfectiſſimum munus eſſet, tantiſque oraculis prædici, ac prædicari debuiſſe diceres, hoc Deum facientem, diuinitate ſua digniſſimè, æternæ bonitati ſuæ, & clementiæ congruenter facere diceres, facere quod continuo, vt homo conditus eſſet, decreuiſſet, quem obedientem, ac probatum ad immortalitatem ducere ſtatuiſſet. Quid enim naſci, quid mundum homini condere profuiſſet, cùm brutæ animantes, volucres, feræque ſylueſtres, nobis ſint feliciores? Itaque probamur, & ab hac triſti vita fit his, qui velint, tranſitus ad meliorem, quod nunc obſcurum, fiet tempore certo nobiliſſimum, ſpectatiſſimum. Iure hoc tempus illius inclytæ, maximæ ſalutis dicitur. Et Hebræi ſimiles ſomniantibus cernunt. Vbi autem dicitur, Et opus manuum noſtrarum dirige, pro Dirige, eſt clarius כוננה conena, confirma, ſicut tranſtulit Hierony. firma, ſtabili. Opus autem manuum, interpretantur Hebræi, & congruit, quicquid gerimus, omnem vitæ actionem. Quicquid nunc laboramus, agitamus, tunc ſtabile, firmum fiat, dignam laudem, ac pręmium conſequatur, precamur. Omnis iuſta actio fiat immortalitatis occaſio. Stabili in loco, certoque fine noſtræ actiones conſtituantur. Ideo Chaldęus dicit, Et opera manuum noſtrarum proſpera ſint. Operamur nunc, precamur vt ſint opera proſpera, optatum finem aſſequantur. Finis, & proſper curſus operum iuſtorum, ſanctarumque actionum eſt, vt ad illam ſalutem, ad ipſum Ieſum aſpirent. Hoc proſpiciens diuinus Moſes, ſupplex pro ſe, & populo ſuo orabat, bis idem poſcens, impenſiusque, Hebræis teſtibus precans.

Dirige.

Opus mano.

PSALMI XC. EXPLANATIO.

HVic pſalmo neque inſcriptio eſt, neque argumentum. Si quid apud Latinos prętitulari deprehendes, ſcito, vt admonuit etiam Nicolaus, adiectitium. Hebręi quoniam ſublata eſt omnis nomenclatura, pſalmum, ſicut & pręcedentem, referunt in Moſen, Salomon, Auen Eſra, & Rabi Dauid. Et cum ſuperiore putant eſſe coniunctum, quoniam ibi cladibus humanis enumeratis, hic omnium earum vitandarum conſilium offeratur, vt in Deo ſpem tuam omnē colloces, eum pro ortu, ſalute habeas, ad eum in omni vexatione refugias. Hanc ob cauſam, eiuſdē autoris, prius quidem miſerias humanas deflentis, pòſt earum remedium docentis Moſis eſſe vetuſtiores Hebræi arbitrati, nullo interuallo, hunc cum antecedente connectūt. Ionathasq; vbi ſuperiorem abſoluiſſet, Et opera manuum noſtrarum dirige, dicens ipſe Chaldaicè יתקנן itkanan, dirigantur, ſtabiliantur: ſtatim intulit, Cuius habitat diuinitas in ſecreto altiſſimo. Non admodum laboro, quod veteres quidam Hebræi, totidem pſalmos, quot tribus eſſent, edidiſſe Moſen arbitantur, & quem cuiq; tribui pſalmum ediderit, oſtendunt. Miſeris igitur mortalibus refugium demonſtratur, cladibus nominatis, à quibus eripiantur. Omni autem ſpem ſuam in Deum ponenti, & in afflictione ad eum recurrenti, pſalmo congruente, multò maximè potuit Chriſto, velut appetito ſicut ſępe mortales ſolent, à malorum principe, & perinde atq; omnes homines, in hoc corpore, in Deum patrem ſpectanti congruere: vt ei cùm cęteris mortalibus, quo homo eſſet, nihilq; humanum, præter culpam, alienum à ſe putaſſet, congruat auxilium, ſpes in Deum, liberatio, ſicut in perferendis malis, & tentationibus ſuſtinendis, nemini fuit diſſimilis.

QVi habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cęli commorabitur.

Adiutor.

QVod Sept. tranſtulerunt βοηθείαν, adiutorium, Hebraicè eſt סתר ſether, abſconſio, ſecretum: eoq; duo ſenſus efficiuntur, alter vt de Deo hęc dicātur, alter, vt de eo, qui ad ipſum Deum refugiant. Prior eſt, vt ſit inuocatio deprecantis, ac dicentis O qui habitas in abſcōdito altiſſimo, in locis latentibus, in vltramūdanis, & remotiſſimis à nobis regionibus. Secreta regni tui frequētas, in receſſu ſedium tuarum, ad quas hominum oculi non attingunt, fer opem, ades precanti. Hunc ſenſum poſuit Ionathas Chaldæus, dicens, Cuius habitat diuinitas, ſiue numen in ſecreto altiſſimo, in vmbra nubium, gloria Dei incolit. Quanquam poteſt dixiſſe, Qui poſuiſſet habitationem ſuam, vt poſſit de homine intelligi. Cęteri Hebræi alteri ſenſui inſiſtunt, vt ſit ſermo ad cultorem Dei, ait Auen Eſra, & Dauid, & Salomon, qui ſpem ſuam in Deum poſuerit. Sic erit idem auxilium, & abſconſio, refugium, quo nos à cladibus recipimus, portus tegens quaſſatam nauiculam, à tempeſtate, ventorumq; ſæuitie defendens. Hoc iure auxilium Septuag. dixerunt. Habitare quidem magis congruit abſcondaculo, pręſidio, loco, oraculo, in eoq; tralatio eſt clarior. Nanque nulla alia lingua reor, hanc metaphoram vſurparet, habitare in ſpe, in adiutorio. Hiero. ergo dixit, Qui habitat in abſcondito excelſi. Hanc habitationem Græci, & Latini interpretantur, vt eius prouidentiæ te, tuaque tradas, vniuerſaliter quidem omnia gubernanti, ac regenti, ſed eorum curam præcipuè gerenti, qui ſpes in eum ſuas poſuerunt, nullis ſe demouere loco procellis committentes, ſtante incolumi mente, & ſe curę eſſe Deo indubitate aſſerenti, & ſi votis continuò, vt vocatus eſt, non adſit. Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet. Rabi verò Moſes in libro Reſolutionum, valido amore Deum colentem, intenteq, in eum aſpicientem, in oculis gerentem, vult innui, qui eximia pietate eum colat, is habitet in pręſidio eius, ab eo vbique protegatur, defendatur. Itaque habitare duobus modis poterit accipi, vel pectore, & animo ei cohærere, cum eo eſſe, de eo ſemper cogitare, in omni opere in eum intueri. Aut, vbi ſe fortuna inimica aperuerit, eò confugere. Vterque quadrat, ſimilis, ac par, prior magis. Siquidem & Plato, & Ariſtoteles, Homerus, omneſq; mortales aſſeruere, Deo pios eſſe curę, & Ariſtoteles loquitur ἀντευποιεῖν, redamare eos, beneficiiſque afficere. Plato ſe periculis elapſum, diuinæ acceptum refert prouidentiæ. Pius ergo qui ſemper habitat in pręſidio altiſſimi, cumque eo perpetuus exiſtit, in protectione Dei cęli commorabitur. Hebraicè quidem is ſenſus, ſed verba ſic ſunt בצל שדי bezel shadai, in vmbra omnipotentis. Vmbram perſpicuè Septuaginta σκέπην, protectionem, cooperimentum. Omnipotentem autem, Deum cæli dixerunt. Shadai Hebraicè omnipotens, à Shadad, frangere, diſſipare, euertere, nomen huic rei accommodum, contra aduerſas poteſtates, frangens impetum inimicorum pijs ſuis. Et Salomon hoc nomen ait eſſe קרק korek, potentiæ, roboris. Poteſt & is eſſe ſenſus, quem Chaldæus non refugit, In vmbra omnipotens habitat. Ad hunc ſuſpiciam, huius implorabo fidem. Prior clarior. Hieronymus etiam iuxta ſuperiora, In vmbraculo omnipotentis commorabitur. Rabi quoque Salomon, apertiorem faciens ſenſum, Qui ſperat, ait in protectione alarum diuinitatis, is morabitur in vmbra eius, quia Deus benedictus proteget eum. Verum Auen Eſra arbitratur ſic locum poſſe intelligi, vt quod crebrum eſt, in his litteris ſit παλιλογία, dicta Hebraicè קפול kephul, iteratio: eritque ſenſus annexus ſequenti verſiculo, Qui habitat in latibulo altiſſimi, & qui in vmbra omnipotentis commoratur, dicet Domino, Suſceptor meus es tu. Quod mihi quoque non diſplicet.

Habitare.

Qui ha. in adiu. al. in pro de. cę. com.

Shadai.

Palilogia.

Dicet Domino, Suſceptor meus es tu, & refugium, Deus meus ſperabo in eum.

Dicet.

CVm ſit Hebraicè, pro ἐρεῖ, dicet, אמר omar, dicam, Auen Eſra, & Dauid ſimilem quandam ſententiam proponunt, vt is qui pſalmum edidit, fermè loquatur, Audi, ò qui confidis in Deo, ego ei dicam eum eſſe refugium meum, & præſidium, ſpem. Quod ego loquor, & tu loquaris. Dic eum eſſe ſpem, refugiumque tuum, eum pro præſidio habeto. Hoc etiam Salomon, clarius.

Suſceptor.

Refugiũ.

Deus me Spe.

A clarius vero, & euidentius Chaldæus explicuit addens Hebraico aliquid. Dixit, inquit Dauid, Ego dicam Domino, Spes mea, & Rex fortitudinis meę. Verum quoniam ſubductis notulis, dictio אמר ancipitem habuit ſonum, omar, dicam, vel omer, dicens: hoc reddiderunt Sept. licèt per futurum. Senſusq; non peruertitur, ſiue Vates hoc dicat, ſiue qui ſperat in Deum. Porrò quòd Latinus minus aptè dixit ſuſceptor, Græcè eſt ἀντιλήπτωρ, auxiliator, ſuſtentator, apprehenſor: Hebraicè verbum ſimilis fermè ſignificatus, atque ſuperius ſeter, defenſaculum, abſconſio: hic vero מחסי machſi, protectio, defenſio mea, vel ſpes mea, ſicut Hiero. & Chaldæus רוחצני ruchazani, confidentia mea, affinia cuncta. Quod vero Septuagin. dixerunt καταφυγή, refugium, in fonte מצודתי mezudathi, propugnaculum meum, turris mea, arx, præſidium, locus munitiſſimus. Eoque Hieronymus, fortitudo mea, ſimiliter Chaldęus תוקפי tukphi, robur meum, vis mea, omnia ſimilia, idemque valentia, quæ etiam refugium ſunt. Eſt autem in his ſecunda quidem perſona, ſed ſub tertia, quòd dicit ſe appellaturum cęleſtem pręſidem, refugium ſuum, ſpem, portum. Ideo poſt ait, Sperabo in eum. Deum quoque dicens, innuit quaſi Dominum, ac præſidem, protectorem ſuum, ob diſcrimen aliorum Deorum, quos ſuos, & illi ſuperſtioſi dicerent. Spes autem eſt animi ad alicuius opem conuerſio, eſt mentis quaſi labentis, ſuper alicuius robore inclinatio: vt ſi fragile corpus ſcipione ſuſtineretur, lapſurum, ſi deeſſet. Sic animus ſæpe, cui totius vitę, & ſui, & corporis data eſt conſideratio, aliqua clade impendente, qua, vita, vel aliqua vitæ pars ſit collapſura, inclinat in aliquem ſi poteſt, adempto cui' nitatur, fit deſperatio. Sic illa dicebat.

In te nanque omnis domus inclita recumbit.

Cur ſero ex aud. Deus.

Omnium autem rerum noſtrarum in ruinam inclinantium, etſi ſunt quædam fragilia ſuſtentacula, nullum tamen eſſe tam validum, vniuerſale, diuturnum, quàm Deus, hi qui cum Deo loquebantur, prædicauerunt. Nam humana vis tum ſe ad corporea tantum extendit, non ad ſalutem animorum, tum debilis eſt, & ſæpe in contrarium tendit. Iam nuſquam tuta fides, vt tametſi alicubi ſit, quoniam id raro contingit, nuſquam eſſe merito prædicetur. Ne deſperes autem, te poſſe in Deum quē nunquã videris, verſatus cum eo nunquam fueris, ſpem ponere, habes hos ipſos mores, naturamq; eius callentes, cum eo ſæpe loquutos, eumq́, conſpicatos prædicantes, eum licet altiſſimum, humilia reſpicere, licet ignotum, & occultum, & inuiſibilem, vbique tamen adeſſe: eſſe autem tantæ ſapientiæ, vt non ſolum voces vel tenues audire tuas, ne clamoribus ſit opus, ſed etiam intima pectora, motusque animorum poſſit perſcrutari. Quæ cùm ita ſint, ſtultum erit, alterius auxilium implorare. At cur ſæpe vocatus nuſquam adeſt? Nimirum, quod aut neſcires quid peteres, indigna, non multum profutura, corpus autem, quod fragile eſt, breueque reſoluendum, iuuatura poſtulares, aut quod profuiſſet te aliqua corporea vexatione fieri meliorem, & caſtigatiorem.

Quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Libera. te.

De laqueo venãtium.

A ver. aſ.

Sept. interpretes.

Dabar, deb.

GRæcè, & Hebraicè dicitur ad ſecundam perſonam יצילך iezilecha, liberabit te. Itaque corrigendum eſt. Quod autem dixerunt Græci ἐκ παγίδος θηρευτῶν, laqueo venantium, pro Venantibus eſt יקוש iakus, cupiens, illiciens, vel capturæ, de laqueo illiciente, inuoluente pedes, de pedicis, quas venatores præcipuè, & aucupes, ſolent obtendere, de laqueo capturæ. Eo nomine venatores etiam, & aucupes dicuntur, pedicæ quoq; quibus vtuntur. In Pſalterio Auguſtini pro laqueo, eſt muſcipula. At Græcè παγὶς, omnem laqueum deſignat, non quo mures tantum capiuntur. Quod verò Latinè, Et à verbo aſpero, Græcè autem ἀπὸ λόγου ταραχώδους, à verbo turbulento, tumultuante, ſecus Hebraicè מדבר הוות midaber hauot, à peſtilentia interitus. Primumq; aduertendum, ſicut ſæpe monuimus, tempeſtate Sept. interpretum, non fuiſſe Hebraica nomina ſubſcripta notulis. Hæc itaque vox דבר non ſubnotata, poteſt ſonare dabar, aut deber. Primum eſt verbum, ſecundum peſtilentia. Ea fuit cauſa cur Septuaginta dixerunt, pro peſtilentia, verbum. Quadrat autem magis hodierna lectio, Hebræis, omnibusque aliis concordibus. Nam Hieronymus item interpretatus eſt, de morte inſidiarum. Sic & Chaldæus pro ea ponens מותא mota, mortem. Secunda vox deſignare poſſet quidem tumultum, eam tamen interpretatur Rabi Dauid שברין interitum, ruinam, contritionem, à verbo hauah, deſtruxit, corrupit. Chaldæus tamen dixit ſimiliter, ac Septuag. איתרגישתא it raghiſtha, tumultus. Vnde, lama ragheshu, Quare fremuerunt. Latinus ergo obſcurè, & impropriè ſecundum reddidit. Septuaginta primum, dicendumque, Quoniam ipſe liberabit de laqueo pedicæ, & à peſtilentia interitus. Putat autem Auen Eſra poſſe dictam eſſe peſtilentiam hauoth, quaſi tumultuantem, accelerantem, quia celeriter conficiat, vt dicatur, A peſtilentia horribili, celeri, cito conficiente. Quid autem per ὑπόνοιαν deſignetur, Symmachus apertè tranſtulit vertens quod Septuaginta verbum ταραχῶδες, tumultuoſum, ἐπηρεαστικὸν noxium, exitiale, Græciq; exponunt συκοφαντικὸν, ſycophanticum. Nam vexat, & dimouet loco animum ſycophantia. Ecce igitur quadrat, ſiue verbum dicas, ſiue peſtilentiam vocem Hebraicam: videtur enim apertè referri ad homines, ſicut & ſuperius. Vt enim dixit à laqueo venantium, nempe humanis inſidiis, ſic à peſtilentia, à ſceleratis contra te conſilijs, ab impoſtura parata, à fraude, inſidiis. Hæc illa labes. Sic ſcelerati apud Latinos peſtes, labesque, omnia dictis factisque labefactantes.

Sic

Peſtilẽtia.

Nã occulte, ſæuit peſtilentia.

Sic primo Pſalmo, linguaces dixit, peſtilentias. Iidem ergo ſunt peſtilentia, & ſycophantia, metaphoricῶs. A verboque aſpero, eſt à peſtilentia, ab homine peſtilenti, loquenti peſtilentiam, ruinam verbis ſtruenti. Siue igitur caſu, ſiue ſtudio tralatio Septuag. congruit ad amuſſim cum Hebraico. Neque enim poteſt peſtilentia hic eſſe deſignata, quæ eſt humorum corruptio, aut inflammatio, à qua dicat liberandum eum, qui nitatur Deo: nam antecedit laqueus venantium, quod hominum eſt. Debuitque quod ſequitur, eſſe priori ſimile, non à malis, ab hominibus illatis, ſtatim refugi ad ea, quæ ſunt naturalia. Peſtilentiam ergo dixit eos, qui cùm ipſi ſcelerati corruptique ſunt, ad cæteros etiam virus peſtilens exhalant, quorum eſt nocere ſemper & obeſſe. Ab his ait pium fore ſecurum. Sunt qui hæc referant ad tentationes dęmoniacas, & carnis, quibus ſæpe irretiamur, pręcipiteſq; trahamur, à quibus in Deum fidentem, tutum eſſe dicat. Prior ſenſus eſt euidentior, & ſub malis illis poſſunt quæuis intelligi. Et Græci Theodorus, Euthymius non ſolum ab apertis hoſtibus, ſed etiam occultis dicere fore tutum in Deum ſperantem aſſeuerant. Auguſtinus videns in tralatione Latina eſſe, A verbo aſpero, putat contumelias, feraque verba deſignari, quibus in grauiora ſcelera, & in laqueum diaboli cadamus. Verum vnicuique voci ſuus eſt ſonus. Si verbum aſperum eſſet in contextu, ſtaret quod dicit, Quoniam autem eſt peſtilentia, ſiue verbum ἐπηρεατικὸν, labefactans, deſtruens, de inſidiis occultè ſtructis eſt ſermo. Nam Nicolao cur placuerit referre hæc ad populum cùm eſſet in Aegypto, non video, cùm veritas ſeipſa eluceſcat.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.

Scapulæ.

Et ſub pe.

Sperabis.

Scuto cir. te ver.

QVod Septuaginta tranſtulerunt μεταφρένοις, ſcapulis, Hebraice אברתו ebratho. Id etſi poteſt in homine ſcapulas deſignare, attamen verus ſignificatus eſt alarum volucrium. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? potius alas, vbi eſt præſens vox, ſic, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora eius. Quanquam, & illic poſteriora, quod Hebraicè eſt ebrath, Septuag. dixerunt μετάφρενα. Eſt igitur potius de volucribus quàm hominibus, nec ſcapulas humanas, ſed alas volucrium deſignat. Fit autem metaphora vt dicat, Alis ſuis obumbrabit tibi, ſicut, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum cõgregat gallina pullos ſuos ſub alas. Nec quadrat omnino, nec poteſt intelligi, vt Deus ſcapulis obumbret, cùm non poſſit ſcapulis fieri protectio, obumbratio. Fuiſſet verius dicere, alis, quæ & in homine per ſimilitudinem ſunt, quibus poteſt fieri protectio. Igitur & Chaldæus in id idioma, melius tranſtulit pro ebratho ala ſua, טלל telal, vmbram, dicens, Cum vmbra diuinitatis ſuæ, obumbrabit tibi. Et Salomon hanc vocem exponit כנף Kenaph, alam. Idem Auen Eſra, dans ſimilitudinem Aquilæ pullos tegentis, ſicut Chriſtus gallinæ. Ideo, vt ſolent ſemper pſalmi, aliud inferens, Et ſub pennis eius ſperabis, Quod & ipſum non rectè tralatum a Latino: Græcè enim τὰς πτέρυγάς, alas, Hebraicè quoque כנפיו alas eius. Et Pſalterium Auguſtini habet, Et ſub alis eius ſperabis: exponitq; pulchrè, vt tanquam pulli ſub alas eius, a miluo immani fugiamus. Miluum aerias poteſtates nobis impendentes interpretatur. Succurrunt tamen Græci ſuæ tralationi, dicentes eum, qui pro aliquo contra hoſtem depugnet, intercedere inter vtrunque, obuerſis ſcapulis ei quem protegat a telo. Eſſe autem μετάφρενα τὸν μεταξὺ τῶν ὤμων τόπων ὃν τινὲς νῶτα καλοῦσι. Nempe ſcapulas locum inter humeros, quem nonnulli tergum appellent. Sed, vt dixi, vnicuique verbo ſuus eſt ſignificatus, & expoſitio. Fieri poſſent hæc: illa clariora, & veriſimiliora: deſignatur autem alia protectio, vt ait Rabi, ab omni caſu aduerſaque fortuna, cui ſemper humana ſubiaceant. Nam prior ad inſidias pertinebat, fraudeſque excogitatas: hæc ad aperta vulnera, & plagas, ad gladium impendentem. Quodque dixit, Sperabis, poteſt eſſe iſtud ſignificatum, clarius quidam Hebraicè תחסה thechſe, conteges te, abſcondes: Sub alis eius te abſcondes, nec te gladius, aut alius caſus attinget. Ideo melius hoc ex Hebraico intelligitur, quàm quod Græci τὸ ἐλπιεῖς ἀντὶ τοῦ θαῤῥήσεις δίκην νεοττοῦ, Sperabis, pro confidens eris, ſicut auis, ait Euthymius. Melius, Te abſcondes; vnde מחסה machſe, abſconſio. Eſt autem cum iſto verſiculo, etiam hoc adiunctum. Scuto circundabit te veritas eius. Pro quibus in Hebraico tametſi eſt idem ſenſus, ſunt duo armorum genera צנה וסחרה אמתו zinna veſochera imetho, id eſt, haſta & clypeus, veritas eius. Quare non eſt in fonte κυκλώσει σε, circundabit te, ſed clypeus eius. Senſuſque eſt, veritatem Dei, & fiduciam in eum certam, & ſolidam, & fallere non valentem, eſſe vice clypei, & haſtæ. Haſta & clypeus eſt veritas eius. Eoque Hieronymos. Scutum, & protectio veritas eius. Et Chaldæus תריסא ועגילא tereſa ve agila, Clypeus, & parma. Nam prima vox zinna, non haſtam ſolum, ſed etiam clypeum denotat, & loricam. Et ſochara, Rabi Dauid interpretatur עגלה agula, rotunditatem, quaſi ſcutum, parmam: quod cùm eſſet nomen, Septuaginta fecerunt verbum κυκλώσει. Sed clarius Hebraicè. Nam veritas, quomodo circundabit? Melius Veritas eius, id eſt ſpes tuta in eum, eſt haſta, eſt clypeus, eſt maximum, fortiſſimumque robur. Non opus eſt alia lorica, ſi ſperes in Deum. Veritatem autem Dei ſenties, tutam promiſſionem tutam ſpem, confidentiam. Sic exponit etiam Rabi Dauid, quod veritas, quæ facit confidere in eum, ſit haſta, ſcutum. Et Abraham veritatem interpretatur אמונת השם emunath haſhem, Fiduciam in Deum, credere ſe ei & fidei eius.

Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die.

Timor noct.

TImores nocturnos nominat, quòd, vt ait Rabi Dauid, ſolitudo noctis ſolitariè ingredientem, vel habitantem exterreat. Græci non ſecus, nocturnum terrorem aut à dæmonibus aut hominibus illatum. Latini à latronibus nocturnis, graſſatoribus, improuiſo adorientibus. Probatur mihi vt tum ad inſidias, inuaſionesq; humanas, tum ſpectra, vmbras, phantaſmata, lemures, empuſas, noctu nonnunquam inſultantes, exterrentesque pertineat. Sic Auen Eſra, & Dauid, caſus, incidentiasque nocturnas multas illas, & varias interpretantur, a quibus tutus ſis, ſi te, vt ait Salomon, in tutela eius colloces. Quod vero caſus, incidentia, terrorque nocturnus, hoc, ſagitta diurna, letalis arundo, volucresque ſagittæ, letifer arcus. Rabiq; Dauid volatum ſagittæ attribui teſtis eſt, quòd perniciſſima, & quòd etiam alata. Caſus autem multiplices in vita, repentinos, inſperatos, inopinos, aduolare velut ſagittas. Volant autem, vel à Deo, vel ab hoſte occulto, vel manifeſto. Natura quoque, multa peperit incommoda. Sed grauiora ab hominibus, volantia, grauiſſima à dæmonibus. Ab his omnibus, qui ſe ad præſidium diuinum recepit, tutus eſt, non ſolum timore, qui peior eſt ipſa morte, vanaque formidine vacuus, ſed tutus etiam ab his, quæ certò parantur, inopinaq; cadentia. Tutus autem erit ſiue quòd ſpe auxilij diuini mollIet mœſtitiam, peccataq; ſua his expiari percipiet, feretque æquius, ſicut impius iniquiſſimè: ſiue quòd reuera, ſi profuturum ei ſit, ſi verè in Deum ſpes ſuas poſuerit, eripietur, eiuſmodi exemplis ſacræ, & profanæ litteræ redundant.

Sagit. vol. in die.

A negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.

A nego. per. in te.

SImilis atque ſuperius, varietas & varietatis cauſa. Dixi Hebraicam vocem ſine notulis דבר ſonare poſſe dabar, vel deber: primum eſt verbum, vel res, vt Græcè ϖράγμα, verbum, & res, vt ὐδὲν ϖρὸς ἔπος, nihil ad rem. Secundum peſtilentia. Ergo amphibolum ad verbum, & ad rem, pro verbo ſuperius, acceperunt Sept. A verbo aſpero. Nunc pro re ἀπὸ ϖράγματος, quod cum ſonet etiam negotium, vt negotium faceſcere, ϖράγματα παρέχειν, id Latinus eſt maxime ſecutus. Vera autem lectio, & verus hoc loco ſignificatus דבר A peſtilentia perambulante in tenebris. Id cęterorum teſtimonio clareſcit. Hieronymus, A peſtilentia in tenebris ambulante, Ionathas Chaldaicè מין גרידא דמלאך מותא min gherida, dimaleak mota, A ſagitta Angeli mortis: mortiferam, letalemque ſagittam, ipſam peſtilentiam interpretans. Burgenſis etiam id obſeruat. Itaque iſtud verius, & certius. In Pſalterio Auguſtini eſt, à ruina, cui nec Hebraicum, nec Græcum reſonat. Nam σύμπτωμα, occurſum, rem incidentem deſignat. Quòdque ait, Ab incurſu, & dæmonio meridiano, non eſt συμπτώματος, incurſu, ſed habet מקטב ישוד צהרים miketeb iashod zoharim, A morſu lædente meridie. Rabi igitur Salomon ait ſuperius deber, & hoc keteb eſſe duo nomina dæmonum, primus dicitur peſtilentia, alter morſus. Ille nocturnus, iſte diurnus. Antiquæ theologiæ placita, vt apparet ex Chaldæo, hac ratione in ſacris litteris Satā aduerſans, Gręcè διάβολος, calumniator dictus apud priſcos poetas A te, à nocendo, Tiſiphone, homicidarum vltrix, A lecto ineuitabilis, Megæra, liuida, inuida, Eumenides in contrarium, immites, inexorabiles. Et Hieron. abundè ſuper hac re locutus eſt in Prophetis, oſtendens Hebræos etiam ſui temporis opinari ea eſſe nomina dæmonum. Sic & Sept. ex veteribus Hebræis dæmonem ſecundum crediderunt. Poſſunt igitur, vel omnia generatim, ab hominibus ſceleratis, iniuriarumq; ſitibundis, noctu & interdiu inflicta mala, eſſe deſignata, vel clades à dæmonibus occultè importatas, & excogitatas, à quibus ipſi denominentur. Ab his in Deum ſpes ſuas collocans tutus erit. Hier. quidem tranſtulit, A morſu inſanientis meridie. Pro Inſanientis, clarius in ſuo fonte ישוד iashod, deſtruente, euertente, diſſipante. vnde shadaim dæmones labefactantes, nocentes. Diceſque, A morſu vel dęmone vaſtante in die. Noctu nocet, lędit, & inſidiatur interdiu, ſed bonis nihil neque viuis, neq; mortuis poteſt quicquam, vt ait Plato, nocere.

Abinc. & dæm. mer.

Satan.
Diabolus.
Ate.
Tiſiphone
Alecto.
Megæra.
Eumenides.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Approp.
Chilias.
Myrias.

QVorſum ſpectabit ſingulare verbum, Appropinquabit, cum antecedentia ſint numeri multi? Ergo Græcè clarius ex Hebraico, pro mille χιλιὰς, chilias, numerus millenarius, & μυρίας, myrias decennarius millium. His reſpondent verba, Cadet, Appropinquabit, ſiue iuxta Græcum, Cadet à latere tuo chilias, & myrias à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Exponitur ēt hoc ab antiquis Hebręis de dęmonibus. Teſtis Rabi Dauid his verbis, Secretiores interpretes peſtilentiam nocturnā, ſeu tenebrarum, & morſum diurnum, dęmonas ſunt interpretati. Sic cadent à latere tuo, chilias, millenus numerus, & myrias, de dęmonibus dicit. At verò, inquit, rerum ſcrutatores non aſſentiuntur dęmonas eſſe, euertuntq; hanc ſententiā demōſtratione. Sic ille. Quod ad dęmonas attinet, ſint, necne, nemini ferè nunc dubium, pariter, & litteris profanis, & ſacris conſonantibus, & exemplis atteſtantibus. Eſſe autem hęc dęmonum nomina, duę ſunt perſpicuæ rationes, quòd apud alios ſcriptores ab hiſce ipſis malis nomenclaturam ſortiūtur, ab aduerſando, lędendo, vaſtādo, & is pſalmus prolatus eſt, vbi dęmon ipſe appetiuiſſet.

Tum ea fuit antiquorum ſententia, ad quos, ex aliqua maiore ſcientia, iſta perueniſſe fas eſt. Itaq; D & Ionathas paulò antè Chaldaicè poſuit סיעת שדידין ſiat shadidin, à caterua, multitudine, legionibus dæmonum. Quòd ergo Burgenſis aſſeueret, quæ Salomon ſuperius dixit, eſſe fabuloſa, hoc non ille ſolum fabuloſus erit, ſed omnes iam inde ab initio Hebræi, & antiquiores theologi, à quibus hæc fluxerunt. Suntque duo non concedenda cuiquam, aut dæmonas non eſſe, aut ſuperiora eorum appellationes eſſe non poſſe. Non enim ſacra duntaxat ſcientia dæmonas fatetur, ſed priſci Græciæ theologi, Orpheus, Homerus, Heſiodus, Thales, Pythagoras, Empedocles, Plato, omneſque Platonici. Ac Thales, vt ait Athenagoras, πρῶτος διαιρεῖ εἰς θεὸν, εἰς δαίμονας, εἰς ἥρωας: ἀλλὰ θεὸν μὲν τὸν νοῦν τοῦ κόσμου ἄγει: δαίμονας δὲ οὐσίας νοεῖ ψυχικὰς, καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς ἀνθρώπων, ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθὰς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας.

Deus, Dæmones Heroes, Angeli.

Primus diuiſit in Deum, dæmonas, Heroas, Deum eſſe mentem, mundi gubernatricem, dæmonas ſubſtantias animales, Heroas item ſeparatas animas humanas, bonorum bonas, malorum malas. Philon verò Iudæus diffinit dæmonas, & aſſerit à Philoſophis eos agnitos, in libro de Gigantibus, οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας ἀγγέλους μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν: ψυχαὶ δὲ εἰσὶν κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι, Quos, inquit, alij philoſophi dæmonas, hos Angelos ſolet appellare Moſes: ſunt autem animæ per aera volantes. Sic Paulus vocat eas δυνάμεις ἐπουρανίους, poteſtates cęleſtes, nempe aerias. Eos eſſe maleficos palàm, & occultè nocentes, ad alios Porphyrius teſtis, ὅταν ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνει κακὰ, τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον. Cum dæmon, ait, cuipiam ſuggeſſit mala, mentem eius labefactauit prius. Hic ille teſtatur, & mala dęmonas hominibus ſuggerere, & mentẽ poſſe labefactare. Eos etiam peſtilentiæ, quod hoc pſalmo prædicatur, cæterorumque in terris malorum autores, idem apertè eſt cõfeſſus, De abſtinentia animalium αὐτοὶ αἴτιοι γίνονται τῶν περὶ τὴν γῆν παθημάτων, οἷον λοιμῶν, E ἀφοριῶν, σεισμῶν, αὐχμῶν, καὶ τῶν ὁμοίων. Ab his, inquit, dæmonibus, ſunt terreſtres calamitates, peſtilentiæ, ſterilitates, terræ motus, ſqualløres, & id genus. Nec iniuria crediti ſunt ab antiquis autores peſtilentiæ, & nomen peſtilentiæ iure merito datum eis non vno, atque altero liquet teſtimonio, & exemplo.

Apollo, dæmon.

Homerus ſagittas Apollinis, qui dæmon fuit, peſtilentiam fuiſſe perhibet. Cui in ſacris quoq; litteris conſonè, in caſtris Aſſyriorum centum octoginta millia ab Angelo interfecta, peſtilẽtia periiſſe boni autores Hebræi, & noſtri confitentur. Et Dauid Angelum vidit cædentem populum, ſed peſtilentia. Memoratu autem digniſſimum eſt, quo locus is mirè explicatur, teſtimonium Procopij de temporis ſui prodigioſa, ſæuiſſimaq; peſtilentia, cuius initium deſcribens hęc refert. φάσματα δαιμόνων πολλοῖς εἰς πᾶσαν ἀνθρώπου ἰδέαν ὤφθη, ὅσοι τε αὐτοῖς περιέπιπτον παίεσθαι ᾤοντο πρὸς τοῦ εὐτύχοντος ἀνδρός: καὶ τὰ λοιπά. Quæ ſunt Latinè: Spectra, & viſiones dęmonum ad omnem humanam ſpeciem, multis occurſabãt. Quicunque autem in eos incidiſſent, ab eo quem obuium habuiſſet, aliqua corporis parte percuti videbatur. Simulque ac ſpectrum vidiſſet, morbo detinebatur: A principio autem qui obuij eſſent auertere ſeſe conabantur, & tum nomina diuiniora inuocabant, tum cæteris ſe expiationibus muniebant. Sed nihil proficiebant. Siquidem & ad templa plurimi qui confugiſſent, extinguebantur. Templum autem neq; amicis aperire volebant, ſed ſe intime claudentes audire refugiebant, veriti ne qui vocaret, dæmon aliquis eſſet. Nonnullis diuerſa ratione peſtilentia incidebat, ſomniare enim aliquem ſibi aſſiſtere, à quo ſimilia paterentur, aut audirent ſe futuros in numerum paulò poſt mortuorum videbantur. Hæc & plura alia Procopius. Verè igitur dicitur hoc loco, ab incurſu, & dæmonio meridiano. Occurſant enim dirę facies, inimicaq; numina, ſæpe occulta, nonnunquã F manifeſta. Quos ergo rerũ ſcrutatores dixit Dauid, palàm eſt eum quoſdam ligneos gentis ſuæ, nouelloſque peripateticos ſpectaſſe, cum maioribus, vetuſtioribusq; philoſophis collatos, inter mancipia futuros. Ergo hoc loco, tum malorum hominum, tum dæmonum cateruæ, debent intelligi, dextera, lęuaq; cadentes, aggredientes quidem, ſed in ipſo conatu ruentes. Aut iuxta Rabi Dauid, irruente peſtilentia, videbis hinc inde cadentes, te verò incolumem.

Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.

Conſyder.

Retributio

Deo, cũ illis in caſu ambulante, le. 26. d.

PRo κατανοήσεις, conſiderabis, etſi fermè ſit idem, eſt תביט thabit, aſpicies, intueberis. Videbis, ait, propriis oculis, quàm certa ſit ſpes in Deum, qui portus ille ſalutis. Videbis latam inimicorum ſtragem, qui non conſtituerunt ſedem ſuam in adiutorio, aut refugio altiſſimi, ſicut tu, te verò incolumem ſuperaſſe cernes. Hæc eſt retributio, ſeu præmium peccatorum: hoc inſigni diſcrimine, boni ac mali diſtinguuntur, quòd illi iuxta impietatẽ ſuã omni ſuperno auxilio deſtituti, cladibus humanis, & naturalibus, dæmoniacis item relinquentur, permiſſa quicquid velit in eos ſęuire fortuna. Hierony. autem dixit, Et vltionem impiorum cęrnes, vt, ſi clareſceret, quid eſſet eorum retributio, cùm retributio Hebræis ſit anceps, ad pręmium beatitatis, & pœnarum. De quo eſt apud eos articulus. Gręcè hoc dictum ἀνταπόδοσις, cui ſubeſt is ſenſus, vt reddatur quod feciſti, ſi malè, malum, ſi bene, bonum. Tantundem, ac ſimile recipias, quod feceris. Hoc Latinè dicitur vindicta, Gręcè τίσις. Inde Tiſiphone, id ipſum quod datur impiis, & quę dat. Gręcè quoq; hanc retributionem interpretantur τιμωρίαν, ſupplicium, pœnam, vltionẽ. Verius autem eſt vt dicas iuxta Hieronymum, impiorum, quàm peccatorum, quòd Hebraicè ſit רשעים reshaim, quos etiam ipſi Septuaginta in primo pſalmo dixerunt ἀσεβεῖς, impios.

Quoniam

A Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

IVxta Auen Eſra,& Dauid,verba ſunt Vatis ad virum probum,ac ſanctum. Quoniam tu dixiſti,Deum refugium meum,Altiſſimum poſuiſti præſidium ſiue refugium tuum,altiſſimum habes præſidium magnum,robuſtum,cum dicis Deum eſſe ſpem tuam. At Rabi Salomon hoc ſecundum ad ipſum Deum dici, Altiſſimum poſuiſti tu Domine habitaculum tuum. Nam quod Septuaginta dixerunt, καταφυγὴν, refugium, eſt Hebraicè מעונך meoneka, habitaculum tuum. Et Hieronymus,habitaculum. Eritque ſenſus,relicta ſecunda perſona, & inducta prima quæ loquatur,quod apud poetas fit: Labi non poſſum,in tuto ſunt ſpes meæ, quoniam tu es ò Deus, ſpes & portus meus,tu portus tutiſſimus,quoniam habitas in excelſis cœli regionibus,non es mortalis, non tibi mortalis,ſed incorruptibilis,& æterna ſedes. Ideo qui in te nititur,ſapit,quæſiuit immortale,nunquamque deficiens refugium,quæſiuit eum qui poſſet vndequaque ferre ſuppetias. Ionathas etiam Chaldaicè dicit,In habitaculo excelſo poſuiſti domum diuinitatis tuæ. Græci verò iuxta priorem Hebræorum ſenſum exponunt. E quibus Euthymius,duas hic eſſe perſonas dicit: Primam fidentis in Deum,eum colentis, pij, qui dicat Deum eſſe ſpem ſuam: alteram recinentis ei Prophetæ, Cum dicis Deum ſpem tuam,poſuiſti Altiſſimum qui foret refugium tuum, aut nidum tuum in altiſſimo vertice locaſti,quo nulli ſcelerato, ac nocenti detur aditus. Altiſſimo in loco es,in editiſſima arce,quo neque arma,& ſagittæ, neque genus vllum telorum aſpiret. Didymus quoque teſtatur,quod crebrò fiat in pſalmis,hic orationem eſſe mutilam, vt deſit, Dixiſti. Dixiſti,ò vir pie, Tu Domine ſpes mea. amphibologiamque diſſolui ex eo quod ſequitur. Dixiſti,inquit,Dominum eſſe ſpem tuam,ſperas in eum, & opem eius imploras, τῆς παρ' αὐτοῦ κηδεμονίας τυγχάνεις. B Ergo non deerit tibi prouidentia eius. Burgẽſis putat reddi rationem,cur Deus ſit ſpes tua. Quid ſit quòd in eum præcipuè ſpes noſtra ſit,aut eſſe debeat, vtique quia altiſſimum,nempe tutiſſimum,maximè ſecurum eſt hoc auxilium, in quo ſenſu ferè etiam eſt Nicolaus,Deum poſuiſſe, exhibuiſſe ſe nobis auxilium altiſſimum, inacceſſum ſceleratorum telis. Auguſtinus ad Chriſtum applicat,qui patrem dicat ſpem, & altiſſimum refugium ſuum. Quod poſt ſenſum litteralem,id eſt,cognito quid locus innuat,poterit aſſumi.

Refugium

Quoniã tu es,domine ſpes mea. al. po. re. tu.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

ACcedet προσελεύσεται, adueniet, Hebraicè תאנה theunna, incidet, fataliter hærebit, cadet, adueniet, vt referatur ad fatalia, id eſt naturalia mala. Nam fatum & natura ſæpe idem ſunt.

Accedere.

Fatum.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem.

Ab his ergo,quæ natura importet mala,tutum pium fore dicit. Eſt idem propheta loquens cum eo,qui ſuperius introducebatur. Malum autem Auen Eſra morbos interpretatur, vt diuerſa incommoda quibus humana vita vexari ſolet,deſcribantur. Primum ea quæ ab hoĩbus,pòſt, quæ à dæmonibus,poſtremò, quæ à natura. Dr̃ ẽt Græcè κάκωσις. Origenes tñ adhuc de dæmoniacis malis putat dici exponens hæc, κρείττων ἔσῃ τῶν διαβολικῶν προσβολῶν, καὶ βλάβην ἐκεῖθεν οὐ δέξῃ. C Superior,inquit,oĩbus diabolicis inſultibus eris, nec inde detrimentum accipies. Probatur mihi,quod Hebræi ſentiunt,quod maximè claret ex ſequenti, Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Nã pro μάστιξ,flagellum,Hebraicè eſt נגע negah,quod plagam,perſecutionemq; ſonat. Hieronymus autem tranſtulit leprã. Quanquã hoc vnicè deſignari non arbitror,potius vniuerſale malum,quæ perſecutiones,plagæ Hebraicè dñr, vt plagis maximis flagellatus Pharao, & decem eius,licet ſupernaturales plagæ. Pulchrè autem flagellum hoc dictum eſt,quòd hoc genere malorum,& percutimur,& caſtigamur. Omniaque illata mala flagellum dicuntur.

Flagellum

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona, flagello.

Nicolaus autem,& Burgenſis videntur malum ſentire τὸ ἠτικὸν,malum,quod in moribus verſatur,virtuti contrarium,vitium, Græcè κακία. Flagellum autem pœnam illatam culpæ,in quæ ne cadat pius,Deum fore præſidio. Non vſquequaq; crediderim hæc pſalmo prædicari, ſed flagellum eſſe iterationem antedicti mali,vt ſit idem malum,& flagellum. Tabernaculo autẽ putat Rabi Dauid deſignari non eum ſolum,qui pius,& fidens in Deum ſit,ſed etiam totam eius familiam fore ſecuram,ob probitatem. Nam à patre tota familia dependet,bonorum, & malorum ſibi, & ſuis autore. Si religionem retineat,bona conſequatur, bona autem,vt corpus ſit integrum,ſanũ. Tum bona fortunæ non deſint,opes,honores,pulchra,ſanaque familia. Flagellatur autem pater, dum filiis orbatur,dum domus morbis conflictatur. Itaque,quod ait etiam Ariſtoteles,ciuilis felicitas bonis corporis,& fortunæ,quæ nunc deſignatur,perficitur. Primum quod ait, Non accedet ad te malum: ſpectat ad bona corporis. Secundum ne domus flagelletur,ad bona fortunæ,diuitiis,honoribus,pulchritudine liberorum,conſtantia. Sed maximum eſt malorum flagellari familiam, vt peſtilentia, cæteriſque id genus atrociſſimis morbis. Tabernaculum domus eſt ſacris ſcriptoribus, quòd erant Eoi, Orientales, quibus regionibus maximus tabernaculorum,

Malum.

Tabernaculum.

Iudæi orientales. quibus arcent calores, vſus. Hinc diuus Paulus σκηνοποιὸς, factor tabernaculorum. Hinc ſcenitæ D Arabes. Et tentoria Aethiopiæ, & pelles Madian.

Quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

VT dæmonas occultos hoſtes, & carnifices, humanarum cladium ſitibundos induxerat, ſic opponit occultos eis protectores, à quibus non ſolum à dæmonibus defendantur homines, ſed etiam à morbis corporis, quorum infligendorum, & arcendorum habent eximiam poteſtatem. Atque hoc loco protectio generis humani per Angelos, quod omnibus linguis cognitum, & prædicatum eſt, deſignatur. Eos ob hanc cauſam Hebraicus ſermo, Græcusq; ſequutus, vocauit miſſos, profanæ litteræ Hermas, interpretes, noſtras ad Deum preces & vota, Dei ad nos iuſſa, beneficiaq; perferentes. Locus is clarè teſtatur, diuinis illis, inuiſibilibusque animis, res humanas permiſſas, traditas à Deo. Hanc aſſiſtere noctesque diesque vigiliam. Siquidem & Ariſtoteles Deos, i. hos ipſos Angelos teſtatur remunerari pios, & pro eorũ pietate eos ἀντευποιεῖν, maioribus beneficiis afficere. Senſeruntq; & ipſi homines habere ſuperiores quoſdam, qui res eorum gubernantes, bonis præcipuè, & animum excolentibus, pietatemque tuentibus, adeſſent. Eò dicuntur milites regni Dei, imperatores, duces, exercitus regni cœleſtis, à quo terreſtre gubernatur. Genius. Hos paſtores, ac ductores in legibus vocat Plato. Genios eos dixerunt, quòd ſimul ac geniti ſimus, nobis eos aſſiſtere cuſtodes opinarentur, eoque verè, & ex hac theologia dixerunt duos eſſe cuique genios bonum alterum, alterum malum: vt ſi bene, ac piè viuas, ſi te ſub tutela diuina colloces, bonum genium cuſtodem ſis habiturus, ſin malefactis vitam dedecoroſè, & impiè tranſigere decreueris, continuo à ſcelerato, & aduerſo genio tenearis. Sapientiſſimèque Plato quod antea Pythagoras, docuit noſtrum eſſe, genios eligere. Dicit enim etiam hæc theologia, ſi habi- E tes in refugio Altiſſimi, ſi amicus ei fieri ſtudeas, ſi ſpes in eum tuas ponas, affuturam tibi geniorum, vel Angelorum bonorum, mittente eos Deo, cuſtodiam. Itaque Angelorum, & geniorum electio noſtra eſſe conuincitur. Et quod petebat Pythagoras, vt Iuppiter doceret quo dæmone, i. genio homines vterentur, ecce docent oracula, ab Ioue ipſo fuſa, bonos genios bonis futuros, nec ab vno ſolum genio, ſed pluribus etiam pium ac probum defendendum, vt ſi vel à caterua malorum geniorum appetatur, ipſi dextera, læuaque à bonis oppreſſi cadant. Vt autem à malis genijs docent hiſtoriæ, omnesque litteræ, conſentientibus philoſophis, diuerſa malorum genera affligi poſſe, vt tum ſceleratas offerant cogitationes, tum corpus aliqua inaudita ægritudine diuexent, cæterisque id genus malis inſultent: ſic miſſi Angeli à Deo, diuerſa nos cuſtodia, tum à cogitationibus impiis, & impuris, tum à vexatione corporis defendent. Mandab. de te. At quod dicitur Græcè ἐντελεῖται περὶ σοῦ, mandabit, vel præcipiet de te, Hebræi exponunt, propter te, Chaldaicè ſuper te. Et Græci referri hoc loco oſtendunt, quod dicitur in Pſalmo trigeſimo tertio, Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Sed rectius potuit transferri παρεμβολεῖ, caſtrametabitur, aſſidebit. Et Abraham, Dominus mittet Angelum ſuum ante faciem tuam. Et Iacob, Angelus Domini qui eripuit me ex omnibus malis. Et Tobias, proficiſcenti filio cum Angelo, quem neſciebat, Angelus Domini comitetur vobiſcum. Quibus exemplis probatur bonos, fidentesque in Deum, Angelorum cuſtodia in omnibus rebus gerendis muniri. Quo fit neceſſariò, vt vel a bono vel a malo genio habeamur. Eoque dicuntur beati, ac fortunati Græcè εὐδαίμονες, quibus bonus eſt genius, quibus erectis in ſpem Altiſſimi, eſt dux vitæ verus, in quo felicitas ſit. Vt autem raro illatæ a dæmonibus clades, perſpicuæ fuerunt, ſic raro dignoſcitur aduentus bonorum An- F gelorum, partim quòd non adeſt, quanta oporteret adeſſe pietas, partim quod raro quæ ſunt ab vſu quotidiano remotiora, fiunt a Deo. Hinc infrequentia aufert fidem, & quod non fuit ſemper, putatur a poſteris nunquam fuiſſe: vt ſi quando fons fluere deſijſſet, nunquam fluxiſſe credatur. Viæ. Vias autem pro omni vita, quæ fermè fluuius, & iter quoddam perpetuum, tum pro omni actione, eſſe apud ſacras litteras, & Græci agnouerunt.

In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem, pedem tuum.

Manus angelorum. DEclarat apertius hanc Angelorum cuſtodiam, exemplis vſitatis, & oculatis, hominibusque notis. Ac manus Angelorum, aut propriè accipies, vt cum humana forma corporibus formoſiſſimis, iuuenes ephebi, imberbes, cãdentes, roſeis puniceisque genis, venuſtiſſimi adoleſcentes viſebantur, quorum inuſitata, diuinaq; forma incẽdit Sodomitas illos vt a tota vrbe ad eos fieret concurſus, vt ita te viſibiliter manibus illis portent, ſubleuentque, ſicut in illo Sodomitico incendio, cunctantem Lot, cum filiis, manibus correptos, a mox futuro incendio ſemouerunt. Aut tropicè dari manus, ſicut & Deo ſenties. Sic Græci manus nunc interpretantur φρουρητικὰς δυνάμεις, vires conſeruandi, defenſandi. Et Chaldæus, pro manibus, tropum reſoluens dixit תקיפיהון tekuphehon, potentiam, vires ſuas. Viribus ſuis te ſubnixum portabunt. Portab. Et Nicolaus, manus miniſterium exponit, ipſam nempe cuſtodiam, ac defenſionem. Nec proprie Græcè eſt Portabunt, ſed ἀροῦσι, Tollent, & eleuabunt, non ſemper portantes, ſed incidente offendiculo, quo ruas, ſubleuabunt ne cadas, ſublatum tenebunt, dum periculum euadas, Lapis. quod & ipſum tropicum eſt. Nã lapis eſt pro omni offendiculo. Eoq; diuerſis modis acceptus eſt.

Tum

A Tum enim denotat corporis offendiculum, ruinam, cladem, euerſionem, bonorum amiſſionem, inſidias paratas, tum prauas, ſceleſtaſq́; cogitationes, à quibus defendamur à cuſtode. Quod non Græci ſolum ſentiunt. Nam Euthymius lapidem exponit τὰς δυςχέρειας, temporum, rerumq́, difficultates, & ἁμαρτίαν, καὶ πᾶν ἐμπόδιον, peccatum, & quicquid eſt impedimento. Verum etiam Chaldæus, pro lapide dixit יצרא בישא izra bisha, Cogitationem malam, à qua defenderis. Didymus his omnigenam prouidentiam pulchrè dicit deſignari. Et, Portabunt, eſſe perinde ac χειραγωγήσουσι, ποδηγήσουσι, ὑπερείσουσιν ἀσθενοῦντα, Manibus ducent, ſuſtinebunt labentem, imbecillum, lapſantem.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.

HAec quoque ſimili, atque lapidem tropo accipies, vt hæc nocentia, venenata, rapaciaq́; animalia, aut dæmones deſignent, à ſummis detrimentis veneniſque fatalibus, funeſtiſque facibus, in ſacris litteris, aſpides, baſiliſcos, leones, draconeſque appellatos: aut omnigenas calamitates, homines item ſceleratos, peſtiferos, inſidioſos. Sunt autem hic, vt Græci pulchrè in ſuis nominibus dicũt, feræ ἰοβόλοι σαρκοβόροι, quæ morſu, quæ veneni afflatu noceãt. Poteſt & ad litteram accipi quòd ſanctiſſimi multi accepta ſuperna cuſtodia, ab his feris attingi non potuerint, eas euicerint, eiecerint etiam. Anagogicè, vt dixi, ſiue potius tropicè, quod & Græci proponunt, aſpis eſt pro inuidia, ſpargente ſimiliter & ipſa virus. Baſiliſcus pro ea quę Gręcè dicitur βασκανία, quaſi dixeris faſcinationem, quæ fit oculis, crudelitas. Draco pro furore, ꝙ C incenſus, & rapidus ſit. Has autem quas Pſalmus decantat præclaras virtutes, ſcito ſolum de perfectis prædicari, de his qui omnem cogitationem, ſpemque in Deum erexerunt. Quòd ſi quempiã huiuſmodi dederis, videbis has in eo, longeq́; maiores virtutes. Sed pretioſiſſima, & optima quæque, raro quoque inuentu ſunt. Commercium Deorum, in carne eſſe, & præter carnem viuere, eſſe in terreſtri corpore cęlicolam. Quod rarum inuentu eſſe, rei magnitudo demonſtrat.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

VErba ſunt Altiſſimi. Tres enim, quod in omni quoque poemate elegantiſſimè fit, hic perſonæ ſunt: Vates ipſe carminis autor, vir pius, Deus altus. Nunc Deus loquitur. Ac pro ἤλπισε, ſperauit, eſt Hebraicè חשק chaſak, concupiuit, vel adhæſit amanter, vt non Sperare : leuem, ſimplicemque ſpem denotet, ſed amorem validum, cultumque intentiſſimum, conglutinationem, Amare. vt ait Burgenſis. Tales obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, retuderunt aciem gladij. Vides ergo de quibus hęc prædicentur, vt minimè ſit mirum, ſi paucos reperias, quibus hæc fidiſſima vigilet Angelorum cuſtodia. Vult enim Deus nos ſui feruidos amatores, vult nihil diffidere, nihil titubare, in eum vnum reſpicere, ei cohærere, amans ardenter, cupit redamari. Tunc fiunt miracula, tunc extinguitur ignis, fluctus maris ſedantur.

Siſtere aquam fluuijs, & flumina vertere retro.

Nihil venenata nocent animalia, ferę rapaces diffugiunt, ratione carentia obſequuntur. Quodq́; Sept. dixerunt σκεπάσω, protegam, Hebraicè eſt אשגבהו aſagbehu, exaltabo eum, honorabo, glorificabo. Protegere Nam qui quæ ſummè nocere debuiſſent, aſſecutus eſt, vt cogeret, ne nocerent, magnum decus, nomenque ſupra mortalitatem eſt aſſecutus. Quas laudes, qualem etiam venerationẽ obtinuerunt ſanctiſſimi, amiciſſimique Deo, quos magis coluit poſteritas, quàm ſummos, potentiſſimoſque imperatores. Is eſt verus honos, cuius ſint omnino pauci participes. Has igitur difficultates diuino beneficio ſuperaſſe, ex acerbiſque cladibus, quod cæteris non item datum ſit, euaſiſſe, iure, gloria dicitur. Atq; Auen Eſra vult hæc verba eſſe Dei ad Angelos, vt hoc ſit præceptum quod mandet Angelis propter ſeruum Dei, quia dicat eis, Iſte cultor meus cognoſcit nomẽ meũ, Cogn. no. meum. ſperauit in me. Idcirco ſtatui prouehere eum: ſit in omni vexatione ſecurus, &, vt Gręci aiunt, eripiatur ὁρατῶν καὶ ἀοράτων ἐχθρῶν, à viſibilibus, & inuiſibilibus inimicis. Duo quoque dixit more ſuo fermè æquipollentia, Sperauit in me, cognouit nomen meum, alterum alterius explicatio. Si neſcis quid valeat cognoſcere nomen eius, audis eſſe ſperare, vel cõcupiſcere eum, ei cõglutinari. Ex cognitione ſpes, ex ſpe cognitio. Qui ſperat cognoſcit. Nec ſperare quidem poſſet, vel concupiſcere, niſi cognoſceret. Deus tametſi perfectè non cognoſcitur à nobis, at aliquid cognoſcitur. Scitur immortalis, ſcitur omnipotens, beneuolus, generis humani protector. Multaq́; alia poſſimus Ne. me. in eum perinde, ac ſi vidiſſemus oculis, facile ſperare. Nomen aũt Dei pro ipſo Deo, Hebraici ſermonis eſt vſurpare. Burgẽſis, nomẽ Dei, ꝓ fide, ac pietate, ac religione. prius magis arridet.

Clamabit ad me, exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

EOrundem relatio, ſperauit, & clamauit. Ideo clamauit, quia ſperauit. Concepta animo ſpe, vox erupit. Aut ſi non erupit, animi ad Deum intentiſſima eleuatio. Hebraicè dicitur, Clamor, ꝙ fuit vocatio etiam mente, corde. Dixit inſipiens in corde. Salomon dixit in corde ſuo Clamare.

Exaud.

Cum ipſo ſum in tribul. Ioan. 16.

Erip. e. & glo. eum.

vt afflueret diuitiis. Deus dixit vt fieret, vel eſſet lux. Eſt igitur clamor etiam mentis. Qui ſi rectè perpendas, haud aliud eſt, quàm quod ſuperius, ſperauit vel concupiuit, adhæſit mihi. Poſtulauit, ad ſe animo, menteque attraxit. Sic exaudire intelliges, quod apertius nunc tranſtulerunt Septuag. Nam Hebraicè eſt reſpondebo. Ipſe, inquit, clamabit, ego verò exaudiam. Reſponſionem, quæ fit ore, exauditionem illi tranſtulerunt, quam θεοπρεπῶς intelligis, non humanam videlicet auditionem, ſed diuinam quandam, & maximam, vniuerſalem, aures regias, cunctas etiam cogitationes, exaudientes. Sic eſſe tribulationis comitem, idem fermè eſt. Tribulatio Græcum eſt, à τρίβω, attero, vexo, qua ſoli, vt reor, Eccleſiaſtici Latini vtuntur, attritio, vexatio, pro eo Hebraicè צרה zara, anguſtia, preſſura. Premimur, cum vexamur, cum atterimur. Eſt Deus in mediis vexationibus nobiſcum, ſi inclamatur, ſi inquiritur, ſi aduocatur, ſed à piis præcipuè. Superius mittebat Angelos ſuos, nunc adeſt ipſe. Non ſolum autem eripit, ſed etiam efficit illuſtrem, & conſpicuum, quem eripit, qui premeretur, erigit ad ſidera, tollit in altum. Sic exaltantur cornua iuſti, tu ad præſentis vitæ calamitates, honoreſque referantur, tum æterna bona, eadem ratione vigente in æternis, atque corporeis. Qua probitate te Deus à cladibus corporis defendit, eadem æternis ſuppliciis liberatum ducet ad ſuperos. Vbique locuples pietas, largiens non æterna ſolum, ſed etiam præſentia bona. Latini igitur, & Græci æternam etiam glorificationem, ſempiternoſque honores intellexerunt, vt declarant ſequentia.

Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Long. die. repl. eum.

IVxta primam verborum apparentiam, hæc cum ſuperioribus conſonabunt, vt referantur ad corporea. Cùm Deus ereptos homines amantes ſui, efficit vt vitæ metas longius proferant, quale largitus eſt iuſtiſſimo Iob, cui poſt duras vexationes illas viuendi ſpatium amplum conceſſit: viuaces etiam iuſtiſſimos quoſque fuiſſe, vt Abraham, Moſes, Ioſeph, cæterorumque turba piorum, conſtat: protegente igitur iuſtos Deo, viuendi curſus, inquit, nulla clade interpolabitur. Venies beatus ad ſenectam, longæuus, vitæque longitudine ſatiatus. Nam pro, Adimplebo eum, etſi idem eſt, Hebraicè אשביעהו asbiehu, ſatiabo eum. Memorabile autem eſt, ac penè prodigioſum teſtimonium Hebræorum exponentium hunc locum, qui quoniam duo hic dicuntur, Longitudo dierum, & Salutare meum: primum referri contendunt ad vitæ huius ſpatium, ſecundum ad æternitatem. Ac pro Salutare meum, Hebraicè eſt ישועתי Ieſuathi, quod præciſè ſonat Ieſum meum, ſiue ſalutem meam. Cumque dicat pſalmus, Et oſtendam illi ſalutare meum, eſt, Et oſtendam illi Ieſum meum. Hunc Ieſum, hanc ſalutem Auen Eſra, & Rabi Dauid vitam æternam teſtantur eſſe. Nec eorum teſtimonio ſempiterna gloria, quam promittat Deus adhærentibus, ſuique amantibus, eſt aliud quàm IESVS. Siquidem Rabi Dauid ſecutus Auen Eſra ait, Longitudine dierum in mundo iſto, ſatiabo eum. Et in mundo futuro faciam ei videre IESVM meum, quia ſalua erit anima eius coram me. Tum ſubdit, Aut totum ſpectat ad mundum futurum, aut, inquit, expones IESVM meum, dies IESV, in aduentu regis Meſſiæ: vt fermè dicat, Si in exilio iſto, ſiue captiuitate, ſanctus, ac probus, morietur, oſtendam tamen ei IESVM, cum liberauero Iſrael de captiuitate, quoniam reſuſcitabo eum in reſurrectione mortuorum, quæ erit in tempore IESV, id eſt ſalutis. Hæc ait Hebræus. Quibus contra ſuam perfidiam, & pro vera religione, ac pietate, nihil potuit dici efficacius, veritate, ex inimico ore teſtimonium claritatis ſuæ exculpente. Qui ſi ſaperent, ſi tandem renunciare infelici pertinaciæ vellent, cognoſcerent vtique hodiernam veram eſſe religionem, cui & ipſi cæci, ignarique ferant teſtimonium. Voco enim prudentes, & accuratos ad hæc diligenter inſpicienda, & quid ab illa gente ex ſacris oraculis ſentiatur, conſideranda. Multa enim ſunt, quæ maximè à prudentiſſimo quoque debeant hic animaduerti. Sentiunt primum bona ſempiterna, ad quæ non poſſe alia ratione pertingi, niſi quam IESVS CHRISTVS aperuit primus, certum eſt. Si enim per pietatem, benignitatem, manſuetudinem, tolerantiam aduerſarum, iniquarumue rerum, ad ſuperos peruenitur, harum profectò princeps, & doctor virtutum maximè fuit Chriſtus, qui nobis hanc viam dictis, & factis primus oſtendit. Agnoſcunt etiam felicitatem perfectam in caducis eſſe non poſſe, aſcenduntque ratione, & natura per inſtinctus gradiente ſuos ad bona quæ docuit Chriſtus. Tunc hanc ſalutem, & hæc bona appellant nomine illo ſanctiſſimo IESV, omnibus oraculis celeberrimo, & dicunt hanc eſſe veram felicitatem, ęternamque beatitudinem, vt conueniant, etiam inuiti, cum Chriſtianis iſtum IESVM, & ſalutem in altiſſimis mundi partibus, in bonis ſempiternis eſſe, & ſimili vocant nomine, ea æterna bona IESV. Nihil autem dedit hactenus IESVS noſter, ſed promiſit deificationem, ad quam inuitauit, & hortatus eſt, impedimentaque vię remouit veniēs de cœlo, vt iure IESVS, id eſt ſalus ſit ab oraculis dictus, liberans à corruptione, ad vitam optimam, ac regiam adducens. Ad quam cum nos ille maximè excitarit, nihil tale, antiqua religione, aut certè obſcurè promittente, hunc Hebręi maximè ſuſcipere deberent, qui fuit autor tantę ſalutis, quam & ipſi ex parte ſomniant. Tum apertè dicunt IESVM eſſe dies Meſſiæ, coniungentes IESVM, & Meſſiam, aduentumque eius, dies magnæ ſalutis vocantes. Pręterea, quod mirabiliſſimum eſt, reſurrectionem mortuorum confitentur, eamque futuram dicunt in diebus Meſſiæ, appellantes hanc reſurrectionem, IESVM. Ecce ob hoc ſeruator

Reſurrectio mortuorum.

dictus eſt à nobis, quia extincta morte, reddet nos immortales, mortuus ipſe pro nobis, & primus reſurgens, reſurrecturos omnes, qui mortui fuiſſent, oſtendens, futuroſque omnes demonſtrans, qualis ipſe fuiſſet. Cur igitur non hunc maximè recipiunt, quem ipſa theologia, & ratio docuit reſurrexiſſe primum, vt in eo cuncti reſurgerent? Reſpondeant etiam, quoniam tempore Meſſiæ futura eſt reſurrectio, ea per quemnam erit, cùm mortalis, vt dicunt, ſit Meſſia? Et num illi ipſi reſurgentes, iterato morientur? Quid enim fiet poſt reſurrectionem mortuorum, ſi Meſſias erit mortalis, & filios poſt ſe relinquet? Vbi habitabunt hi qui reſurrexiſſent? Num etiam Hebræi illius temporis mortales, vel immortales erunt? Si mortales, neceſſaria ſemper erit aliquorum reſurrectio, ne cęteris morientibus, alij viuant immortales. Et quomodo fieri poteſt, vt ſit mortalis Meſſias, cùm tanta plebs vilis, futura ſit per reſurrectionem immortalis ipſo morituro, & prolem pòſt ſe relicturo? Certè igitur ſi quis dicta eorum conſideret, mirabitur, ac miſerebitur cœcitatem, confitentium quidem veritatem, ſed quoniam vti eſt, ponere recuſant, impoſſibilia neceſſario ſtatuentium. Non poteſt enim eſſe reſurrectio, niſi per Deum, nec ea debet eſſe, niſi in fine omnium rerum, nullis poſthac, in mundo, hominibns, qui perinde, ac nunc naſcantur, ac moriantur, futuris. Ac niſi hæc conſtituantur, vt conſtituit theologia cęleſtis, implicata, & impedita, impoſſibiliaque ſequentur. Itaque, & Auen Eſra hanc rupit vocem, Et oſtendam illi ſalutare meum. Senſus eſt, inquit, Et delectabitur in ſplendore diuino, in ſplendore Shekina, id eſt diuinæ maieſtatis. Quod quidem eſt verus Ieſus, ſiue ſalutare Dei, vel ad dies Meſſiæ ſpectat. Hæc ille dixit, totumque expoſitum eſt à Rabi Dauid, vt ſiue ad gloriam cœleſtem, ſiue dies Meſſiæ, ſalutemque per eum afferendam pertineat, non ſit aliud, quàm Chriſtus ipſe hominibus reuelatus è cœlo, in quo omnium vota conquieſcent, vt ita ſit vniuerſale bonum, ſicut eſt vniuerſalis cauſa, & eſſe, multò magis quàm cœlum, & terra. Igitur & Chriſtiani, & Hebræi concordes hanc glorificationem, & ſalutem intelligunt eam, qua ſuperatis diuino beneficio omnibus vitæ huius vexationibus, & incommodis, triumphabimus in cœlo. Amen.

PSALMI CII. EXPLANATIO.

IS Pſalmus refertur in Dauid, apud Hebræos. Et Chaldæus interpres, cui ſolitum eſt eos ſenſus, qui penes doctiores de ſummis, & occultis rebus latitarent, proponere, Hebraico titulo ſimpliciter habenti לדוד le Dauid, ipſius Dauid autoris Dauid, adiecit dicens, per manum Dauid cantatus, aut dictus eſt in prophetia. Manus vſitata illi genti phraſi, autoritatem, id eſt eum, qui autor & inuentor carminis fuiſſet, deſignat: quia omnibus propè corporeis actionibus fungente manu, iure ea nominata, quoniam corporeis incorporea, actioneſque animi ſignificamus, omnis operatio, & autoritas, id eſt, operandi facultas, & principium, intelligitur. Prophetiam dixit raptum mentis diuinum, ſtatum quo ſupra mortalitatem, relicta conditione terrena, tollitur animus, ac ſubleuatur in deificationem Angelorum, ac Deorum ſocietatem receptus, qua tum gaudia cœleſtia ſentiat, tum vagus, & vinculis corporeis expeditus præterita latius, ac præſentia, futuraque perſpiciat, in corpore quædam cęleſtis, & æternæ vitę imago. Huc felix anima ſublata, gaudia quæ vidit & ſenſit, tum maiorem quàm natura nobis, inter corporeas vmbras, verſantibus oſtendat, rerum diuinarum ſcientiam, modulato, lætoque ſpiritualibus gaudiis animo, deſeruiente voce, depromſit, prophetiam non ſolum futurarum rerum ac præteritarum, ſed pręſentium quoque humanæ naturæ obſcurarū, latam ſcientiam appellante prædicto interprete. Referuntur autem gratiæ hoc pſalmo de peruigili prouidentia diuina, ſuper rebus humanis, nunquam bonitatem in nobis conſeruandis ſuam interpolente, vitamque noſtram aſſidua & indeficiente cuſtodia gubernante, condonante quoque nobis peccata: vt ſit altiſſima quædam de prouidentia, philoſophia, indefeſſa voce per omnes ſacras litteras à Prophetis, oraculis, exemplis, ſignis, ſymbolis ſignificata. Cuius inſigne, ſingulareque exemplum, & indicium voluit etiam eſſe cum primis, cùm flammam æternam in templo ardere iuſſit, quo diuinorum beneficiorum nunquam nobis deficientium ſignum indicari, Philon teſtis, ἐπειδὴ γὰρ τοῦ θεοῦ αἱ χάριτες ἀέναοι καὶ ἀνελλιπεῖς. Nam cùm ſint Dei erga nos perennia, & inceſſabilia, nuſquamq; intermiſſa beneficia, quibus noctes, atq; dies fruimur: congruè quoq; perpetuę memoriæ, & agendarum gratiarum ſymbolum flamma ſacra, ſemperque inextincta accēdatur. Itaq;, vt ipſe loquar, duo propoſita fuerant, tum æternæ benignitatis ſignum, tum æternæ actionis gratiarum, vtrunque flamma ſignante. Sic iſte pſalmus eſt, vt Græci quoque dicunt εὐχαριστήριος, reddendis gratiis factus, vt poſſit eſſe perpetuæ flammæ loco, quibus meminiſſe ſui creatoris cupido inceſſit. Fuerunt autem quibus videretur ad captiuos & exules in Babylone referendus. In qua ſententia Hebræi nonnulli ſunt, & Græci. Dauid inquit, etiam is pſalmus pronuntiatus eſt ore captiuorum, aut pro captiuis, & exulibus. In quibus ſanctior quiſque, & ſapientior hæc canebat. Eodem conſenſu apud Græcos inuenies, δοκεῖ μὲν οὗτος εἶναι ἀκόλουθος προτεταγμένῳ, καὶ κατὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν. Videtur, ait, is eſſe precedenti conſentaneus, & eiuſdem argumenti, in illo qui erant

Le Dauid.

Manus.

Prophetia.

Flamma in templo Ieroſolymitano.

in Babylone, calamitates lugentes. Deum efflagitare reditum inducebantur, hic aſſecuti, quod poſtulaſſent, gratias referre. Ipſe potius omnibus hominibus, & acerbiore ſeruitute liberatis, maioremq́; libertatem conſecutis congruere dixerim. Hæc illi. Quæ poſterius dicta ſunt, vt maiora referantur, quàm Babylonicæ captiuitatis liberatio, mihi maximè probantur. Cuius ſunt multa indicia. Primum quod agit de lege lata Moyſi, agit de reparata iuuenta, agit de miſeratione diuina his, qui ſeruant mandata eius: qui autem erant in Babylone, potius præuaricati fuerant. Deinde mirabile eſſet, cur ſemel ſaltem illius captiuitatis non meminiſſet, non Babylonem, non reditum nominaſſet, quod fit his in libris, quibus eſt de captiuitate ſermo. Quomodo etiam ipſi Dauid inſcribitur pſalmus tam à captiuitate longinquo? quid oportebat eum de captiuitate, de reditu iam abſente vaticinari, quaſi illa libertas eſſet æternum, vniuerſale bonum? Credendum igitur ita falli illos Hebræos qui hæc dicunt, ſicut cùm diuinitatem Meſſiæ, faciunt humanitatem, & regnum eius cœleſte faciunt terrenum, æternum, corruptibile: libertatem animorum, libertatem corporum, opes æternas, & inæſtimabiles, caducas, mortales, paruipendẽdas: omnia videlicet quodam cæco ſcopo deprauantes. Nam cùm optimam, altiſſimamq́ue philoſophiam, à maioribus ſuis Prophetis, nominatis, & occultis accepiſſent, ipſi quodam infelici, nunquamq́ue ſanabili iudicio cuncta peruertunt. Non talia igitur apud Ioſephum, Philonem, aliosq́ue, quos horum ſimiles fuiſſe credendum eſt, ſed longè meliorem philoſophiam à corporeis recedentem inuenias. Hanc igitur hoc pſalmo credendum eſt de ſumma, & vniuerſali rerum humanarum prouidentia doceri, ſicut in ſequenti de vniuerſali creatione, atque dominatu Dei decantabit. Conſtat enim pſalmos varias philoſophiæ partes amplecti, quæ eſt eorum admiranda maieſtas.

BEnedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.

Bñdictio. BENEDICTIO, ſi quis interiores cauſas eius perſcrutetur, eſt beneuolentiæ, accenſique & vehementis amoris erga autorem, patremq́; hominum, ac Deorum teſtimonium, ac indicium. Laudamus autem, ac benedicimus eum gratiasq́; agimus, ſcelerata atque impia obliuione bonitatis ſuæ nos inuolui non ſinentes, memoriæ ſuorum apud nos beneficiorum, id ſit certum ſignum. Homerus, à quo multa licet, quibus ſacras litteras illuſtremus, accipere, Deos laudaturus, dicturusq́ue in eos quaſi & ipſe pſalmos, & odas, hoc fecit exordium:

Μνήσομαι οὐδὲ λάθομαι ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

Sum memor, atque tui nunquam obliuiſcar Apollo.

Amor dei. Is autem affectus memoriæ diuinæ, & inclinationis amoris, dulciſq́ue erga eum charitatis, adeò mouebat pios, vt omnia membra, & inſtrumẽta corporis ad eum laudandum conuocarent: referentes ſcilicet, quod in lege fuerat præceptum, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus cogitationibus tuis. Is enim amor debet eſſe diuinus.

Dator bonorum. Si Deus optimus eſt, ſi maximus eſt δωτὴρ ἐάων, ſi, vt ait Ariſtoteles εὐπρίστατος, formoſiſſimus, certè dignus eſt in quo amando, non modo incendamur, ſed inſaniamus etiam. Sed quoniam pulchritudo eius eſt abſcondita oculis mortalibus indignis, qui eam intueantur, tempus erit cùm natura inuiſibilis, ipſa ſe faciens animo, & oculis ſpectabilem, omnium gentium in ſe ſtupentia ora conuertat. Interea cernitur animo tantum, & ex operibus fit piis, ac ſapientibus manifeſta.

Omnia, q̄ intra me ſunt. Quod ergo dicit, Et omnia, quæ intra me ſunt, eſt hyperbole, & tota amoris, laudandiq́; Dei cupiditatis expreſſio: ſicut alibi, Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? Et quæ Septuaginta dixerunt, τὰ ἐντός μου, quæ intra me ſunt, vel interiora mea, vt redditum eſt in

Anima. Pſalterio Auguſt. In Hebraico ſunt קרבי kerabai, præcordia mea, interiora, viſcera mea, vt Hieronymus dixit. Eaq́ue Hebræi dicunt eſſe renes, cor. Euſebiuſq́ue non iniuria membra poſt animam, ait ad laudandum Deum conuocata, vt quæ per totum corpus diuerſas habens facultates, eas per membra, & organa exequatur, vt conuocatio membrorum ſit quaſi animæ facultatum ad ſuam arcem, & ad principatum, quaſi vires ſuas per omne corpus diſtributas, magnum factura opus, anima ad ſe reuocet miniſtros ſuos, ad auxilium præſtandum ſibi in re tam præclara concurrere iubeat, eos maximè miniſtros, quibus ipſa ad conſeruationem ſui cum primis vtitur principaleſq́ue habent in regno ſuo partes. Ea ſunt præcordia, quibus cor, & renes aliæq́ue circunſparſæ virtutes intelliguntur. Hæc bene diuus Hierony. in ſuo Hebraico Pſalterio tranſtulit viſcera. Et ſuperiores Euthymius ſecutus, interpretatur τὰς δυνάμεις, τὰς ἐνθυμήσεις, τοὺς λογισμοὺς, facultates, cogitationes, conſiderationes. Auguſtinus idem. Nihil ferè variant ab his, quæ alio ſenſu dicuntur, interiora pro corpore toto accepta. Et Chaldæus dixit, Et omnis ſtructura corporis mei. Enumerantq́ue Hebræi, animæ facultates per inſtrumenta corporis, quæ eo nomine putant comprehendi, vt guttur ad vocem, ſtomachum ad cibos digerendos, iecur ad furorem, ſicut & Plato ponens ſedem furoris iecur, fel ad inuidiam, ac liuorem, cæteraque raq; id genus nota. Ac quoniam dixit primo, Dominum, ſecundo, nomen ſanctum eius: videtur duplex repetitio, vt prius animam, poſterius eam referentia viſcera, vel interiora induxit, ſic prius Dominum, poſterius Nomen eius, quo portatur ad aures noſtras, in mentem penetrat. Vehiculum animæ membra ſunt præcipuè interiora, vehiculum Dei nomen eius, ſicut omnia nomina, omnium ſignificatarum rerum ſunt vehicula. Ac pulchra, ex iſto loco accepta occaſione, veteres Hebræi ſunt philoſophati, quia Deus, & anima, & corpus, ſeu viſcera nominantur, conferentes inter ſe, vt, Benedicat anima Deum, cui eſt varia cum eo ſimilitudo, vt anima implet corpus, ſic Deum implere totum mundum. Anima portat, ducit, regitque corpus, ſic Deum omnem mundum, vnam ſingularemq; eſſe animam in corpore, ſic in omni mundo, vnum eſſe ſingularem Deum. Animam perficere corpus, ſic item Deum, vniuerſum. Animam non comedere, nec bibere viuentem, Deum item his non vti. Animam puram eſſe ſupra naturam à corpore, nec infici corpore: ſic puriſſimum Deum eſſe ſupra mundum. Animam videre, & non videri, Deum quoque omnia videre, à nemine videri: vt nemo ſit, qui noſcat vnde anima acceſſerit in corpus, locuſque eius, & ſedes ignoratur, ſic neſciri locum diuinitatis, quia etiam animalia ſancta, id eſt, Angeli, apud Eſaiam circunſtantes thronum Dei, ac tegentes ipſum, neſcirent locum eius, ſed ipſe ſolus, eoque vociferabantur, Benedicta gloria Domini de loco ſancto ſuo. Alij ex eis pulchrè dixerũt, quinquies ab hoc ad finẽ ſequentis pſalmi inueniri animam benedicere Dominum, vt referantur quinque ipſius ſtatus: primus cùm eſſet in vtero matris, alter cùm egreditur in auras, tertius cùm huc atque illuc ingreditur, quartus cùm recedit de mundo, vt pro quinque memorabilibus rebus quintuplicem perſoluat. Hæc autem eò, vel maximè protuli, vt intelligas etiam antiquos ſuos reſurrectionem, reditumq; animarum ad corpora agnouiſſe. Quæ Pythagoras ab Aegyptiis, vbi theologia Hebræorum, antiquarumque gentium philoſophia celebrabatur, accipiens, vocauit παλιγγενεσίαν, reditum ſcilicet animarum ad corpora, & regenerationem, cùm ſederit filius hominis, quam ſiue ipſe, ſiue alij non intelligentes, crediderunt eſſe animarum ad corpora reditum in hunc mundum, eodem atq; prius modo, ſequutura non cognoſcentes, iudicium ſcilicet, & aſcenſum ad ſuperos, eandem corpoream, reſtitutionem exiſtimantes. Comparationem quoque animæ cum Deo, etiam apud Ariſtotelem inuenies. Illud quoque obſeruamus, Hebraicæ ferè vnius linguæ proprium eſſe nomen Dei, pro ipſo Deo accipere, quod quidem ſecus, quàm par eſſet, arbitror à poſterioribus vſurpatum, nomina diuina magis, quàm his ipſis ſignificatum, venerantibus: omnemque Hebræorum theologiam, & pietatem, ac cultum inuenies in his nominibus verſari, vt quoniam ea tantopere venerantur, omnemque huc ſpeculationem, ſtudiumq; contulerunt: neceſſe ſit dicere apud eos hanc idololatriæ eſſe formam: vt cum Chriſtianos accuſent, quòd imagines venerantur, meritò eis obiici poſſit, ita eos immoderatè nomina venerari, ſicut qui nimium imagines amplectuntur, Omnis apud eos virtus in nominibus conſtituitur, audito aliquo diuino nomine proni labuntur. Litteras etiam quadã religione diſponũt, ac ſcribunt. In ſacris igitur litteris de nominibus rarius religio ſeruatur, & ſeruatur ſuperſtitione excluſa. Chaldæus ob hanc ſupradictam arbitror cauſam, multis in locis vbi inducitur, Dn̄s aut Deus benedicendus, nomen Dei adhibet. Et hic, Benedic anima mea Dominum, dixit, nomen Domini. Et apud eos nomen, id eſt שם shem, κατ᾽ ἐξοχὴν ſignat nomen diuinum. Ac pro ſancto eius, Hebraico more eſt קדשו kadsho, ſanctitatis eius, denominatio pro re denominata. Sãctum autem quid ſit, licet ex Gręco noſcere ἅγιος, quaſi ſine terra. Quoniam autem terra eſt denſius, & impurius elementum, ea carentia, & ab ea diſtantia, puriora, meliora, ſanctiora. Sic nomen Dei, non quidem ipſum cæteris purius nominibus, ſed quia eo res ſanctiſſima, incorruptiſſima, mundiſſima ſignificatur. Sicut ſacræ ſunt veſtes, quas ſacer aliquis, ac pius induiſſet. Et ſacri calices, ſacra domus ac ſancta, ſancta ſacerdotum manus, omnia ſanctitatem non à ſe, ſed aliunde nanciſcentia. Sic Dei ſanctum nomen, rei puriſſimæ, ac ſanctiſſimæ vehiculum.

Nomen Dei.

Ezech. 3. c

Palingeneſia.

In qua hæreſi, & Druydæ fuerunt.

Nomen Dei.

Nomen. Sanctum.

Ἅγιος. Sanctus.

Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

PRima benedictio fuit propter magnitudinem, ac ſanctitatem, ſecunda propter beneficia: quæ etſi ſumma bonitas eius non præſtare nequeat, tamen ſi non præſtaret, adhuc eam venerari nos deceret. Multò autem magis conuenit nos eſſe eius benedicentes, quòd ad magnam ſanctitatem accedit eius erga nos magnitudo beneficiorum. Hanc repetitionem bene etiam Græci dicunt eſſe ἐπίτασιν intenſionem, augmentum. Auguſtinusq; ait repetitionem eſſe exhortationem. Obliuio dicitur Hebraicè שכח shachak, quod quidem, vt alia pleraque apud eos, apparet mutata vna littera eſſe חשך chashak obtenebrauit, inhorruit. Interpoſita enim littera cheth, vt ſit media, quæ prima eſſet, ex obſcuritate fit obliuio. Verè igitur nomen obliuionis, eſt nomen tenebrarum. Vnde Græcè in contrarium dicitur φαντασία quaſi φάεος στασία, ſedes luminis, ſtatio lucis. Et exaduerſo fugam mentis, obtenebrationem dicunt σκοτοδινίαν. Et a φαίνω, appareo, dicuntur φάος φῶς, φωστῆρες, lumen, luminaria. Orpheusque ait appellatum Solem φάνητα, Phaneta, ὅτι πρῶτος ἐφάνθη, quia primus viſus eſt. Et per eum omnia corporea videri cœperunt. Ex quibus videmus ſcientiam, & cognitionem appellari lucem, & cum luce, habere

animum noſtrum cum intelligit, cognationem, ſic inſcitiam, dici tenebras. Acquiritque lucem
animus, cum intelligit, verſatq; animo rem cognitam: in tenebras autem delabitur, cùm in obliuionem
ſe rapi permittit. Neceſſe autem eſt illam fuiſſe maxime obſcuritatem, quæ pepulit
maximam lucem. Sicut ergo extincta luce ſuccedunt tenebræ, ſic abeunte cognitione, obliuio
tanquam opacitas conſequitur. Vt autem veritas eſt fuga obliuionis, dicitur enim ἀλήθεια
quaſi ſine λήθη, obliuione, ſic obliuionem neceſſe eſt eſſe priuationem, ſiue carentiam veritatis.
Caret igitur veritate, & luce, quem occupauit obliuio. Hæc autem mentis obſcuratio, cæteris
in rebus non ita fortaſſe magni referat, in re autem fulgentiſſima mentem caligare, tenebroſamque
eſſe, multò eſt miſerabilius. Intelligimus ergo quid ſit obliuiſci. Dei autem obliuiſci
Retributiones. facilè poſſumus, vt qui ſit inuiſibilis, ſoloq; animo opera eius contemplanti ſpectabilis. Quod
niſi faciamus, quod ille præcepit, vt eum & ſurgentes, & cubantes, & ingredientes, in omnique
opere cogitemus, memoriamque in eo meditando exerceamus, facile ex animo labatur, cuius
miſeriæ plena eſt terra. Retributiones autem dixit beneficia, & Symmachus pro ἀνταποδώσεις
quo vſi ſunt Septuag. poſuit εὐεργεσίας, beneficia. Sed & ipſi Sept. interdum hoc verbum transferunt
εὐεργετεῖν, benefacere. Vox Hebraica גמול ghemul, variat ad bonum, & malum, & priuato
ſuo modo, quicquid impenditur, tribuiturque, hac voce exprimunt, & ghemul dicunt præmium.
Retributiones autem ſunt à Deo, vt Græci docent, quòd beneficijs acceptis, gratam autem
memoriam non reddentibus nobis, ſed in eum peccantibus, hæc ille minimè moratus, retribuit
Merita. bona pro malis. Quod Auguſtinus pulchrè innuens, Non tributiones, inquit, ſed retributiones.
Aliud enim debebatur, & redditum eſt, quod non debebatur.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Propitia. PRopitiari Græcè dixerunt Septuag. ἱλατεῖν, ab εὖ bene, ἵλεως placidus, mitis, propitius.
Hebraicè dicitur סלח ſalach, ſignatq; ignoſcere, offenſam dimittere, condonare. Eademq;
res diuerſos habens modos, à diuerſis ipſis, in linguis eſt vocata, vt enim, qui hominem
vocarunt, à diuerſis conſiderationibus in omni lingua mouebantur, Hebræa, & Latina,
conueniente, ab opificio primæuo corporis, primaque origine, antequam animatus eſſet, humum,
Adam. id eſt Adam, vel terrigenam, vocantibus, Græci non item, ſed ἄνθρωπος, quaſi ἄνω ἀθρῶν
Anthropos. ὦπος, ſurſum proſpiciens vultu. Sic res iſta condonandi à Græcis dicitur, ab animi dulcedine,
Lac. 51.52. manſuetudine, æquitate. Iratus enim animus quaſi fluctuat, tolluntq; ſeſe vndæ, mitigatus conquieſcit,
fitque æqualis, læuis, non aſper, nam aſperitas ab inæqualitate eſt, hancque animi dulcedinem,
& æquitatem, ſæpe à cœleſti Rege deprecamur. Vox autem Latina condonandi, quod
& Italica lingua retinuit, perdonare, maiora quædam deſignat. Simul ac enim peccamus, ad pœnam
Peccata ſoluere, hinc peccata dicuntur. obligamur. Ideo dicunt, ſoluere pœnam. Atque omne peccatum, aut eſt aduerſus Deum.
Omne quidem aduerſus homines peccatum, eſt etiam aduerſus Deum, ad quem omnia peccata,
legem vniuerſi, ius vniuerſale reuocantur. Sed quoniam fieri poſſunt peccata, quæ non ita aliquem
Matth. 6. hominem attingant, hæc ad Deum, vt dixi, tandem reducuntur. Nam quicquid peccamus,
Deum putamus nos offendiſſe. Vt autem in homines peccamus, aut honorem, aut opes, &
commoda detrahentes, quo facto ad perſoluendum, quæ abſtuliſſemus, aut ad pœnam obligamur,
vt tantundem doleamus, quantum voluptatis percepiſſemus: ſic apud vniuerſalem iuſtitiam,
quam ſæpe indignis modis violamus, in omni pecccato ad pœnam aſtringimur. Eſt enim
Peccatum. peccatum delapſus ab æquo: Caſtigatio autem pœnæque importatio, eius in ſuum locum reſtitutio.
Hoc vigilat Deus, cernens omnia, vt digniſſimè ab antiquis ſit prouidentia eius appellata
Adaſtria. ἀδραστία, Adraſtia, quaſi ineuitabilis, & εἱμαρμένη, fatum, decretum, fixum, immotum, irreuocabile
Fatum. dictum, & ἄτροπος, inexorabilis, inuertibilis, quia ſoluere neceſſe eſt, niſi aut precibus,
aut benefactis mitigetur. Nec priſcos latuit diuina prouidētia: nam ſupradicta, & quas Parcas dicunt,
Parcæ. eſſe nomina diuinæ prouidentiæ, Ariſtoteles clarus teſtis eſt. Fit igitur condonatio, cùm
ad maximas, & plurimas pęnas, ob maxima, & plurima peccata obligatis neceſſe erat perſoluere:
mitigatoque animo diuino, aut pęna minuitur, aut in totum oblitteratur. Neceſſe tamen eſt
aliquid perſoluere. Hæc autem ſe mutuo conſequuntur, vbi ratio eſt, & ſapientia, & cognitio,
od[illegible] eſt malorum, iuris cupiditas, ſummaque iuſtarum rerum delectatio, cui inſunt hæc, neceſſe
eſt eos, placere, qui hæc ipſa exequuntur: ſic eos diſplicere, & amorem ab eis auertere ſuum,
qui non exequuntur. Redire rurſum reuerſis illis. Nec viderunt, qui Deum immutabilem fecerunt,
quæ ſapientiam, cognitionemq́, neceſſario ſequantur. Omnes enim qui in homine, quibus
noſcit, & ſapit, affectus inueniuntur, neceſſe eſt habere Deum, vt eum eadem cauſa faciat miſericordem,
atque iuſtum, ſeuerum. Si diſplicet malum, placet bonum. Et malis mala, bonis bona
retribuit. Bonitas aũt ante peccatũ, & poſt peccatum. Quæ prius placuit, poſterius placeat neceſſe
Iniquitas. eſt. Porrò quod ait, Iniquitates iniquitas Hebraicè עון auon, propriè Latinè obliquitas, deprauatio,
diſceſſus à recto, curuatio. Cùm autem rectum ſit ipſa lex, eò Græcè iniquitas dicitur
Infirmitas. ἀνομία, quaſi legis priuatio. Quodque dicit, Qui ſanat omnes infirmitates, videtur ſolita παλιλογία,
& ἐπίτασις. Quaſque infirmitates Latinus, Græcè νόσους, ægritudines dixit, Hebraicè
תחלואי thachaluai, dolores, quos ægritudines important. Has, & animi, & corporis poſſe dicta
eſſe,

eſſe, Hebræi aſſentiuntur, rectius eſt de morbis animi ſentire propter præcedens, pulchraq́; eſt tralatio. Nam & Græci, quos appellant ϖάθη morbos, affectus, ad corpus, & animum referunt, & ἐμπαθεῖς, affectibus malis detentos dicunt. Sic apud Latinos ægritudo, & ſanitas, inſania quoque ad animum tantum. Et ſani boni iudicij, bonæ mentis. Sicq́ue etiam rectè ſanare dixit Hebraicè הרופא ha rophe, qui curat, medetur. Sunt autem ſcelera, animi morbi, tum quia malè eum afficiunt, dolores afferentia, vt ambitio, ira, metusq́, cupiditas, tum quia alia ex eis ſupplicia in corpus, & animum ſequuntur. Sanantur ergo cùm dimittuntur, obliterantur, ne dolor ſuccedat, & pœna. Nec ſolum medicus eſt, quia tollit hos morbos, ſed quia tollit, ne noceant. Hocq́; poſtremum maximè reſpexit, peccataq́; ęgritudines appellauit, quòd hæreat quidem eorum deformitas in animum, ſed multò maximè quia triſtes pariant fructus, detinentia hominem in plaga, & indignatione diuina, ſubmouentia omnia bona, ſicut ægroto corpori nulla ſunt bona.

Sanare.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.

POſſunt hæc autem corpoream ſpectare felicitatem, aut animorum. Si ad corpoream referantur, quam diuinæ clementiæ acceptam referebant, omnium bonorum vbertatem a benignitate eius prouenire fatentes, dicemus pro ſalute, ac vita conſeruata primum eum gratias agere, poſt pro beneficiis quotidianis, à prouidentia diuina, qua volente ſuppetunt omnia, manantibus. Eoq́ue primum omnia generatim beneficia complectens dixit, Noli obliuiſci omnes retributiones eius. Deinde deſcendit ad eorum particularem explicationem, in quibus tenet primum locum, primumq́ue debitum, vt gratias pro eo habeamus, quòd viuimus, ſuſtinemur, alimur. Magnus alit magnos commiſtus corpore fœtus. Et quod eius κεχρήμεθα, indigemus ad viuendum, vt ait Aratus. Et in ipſo ſumus, & mouemur, eius clementia ab interitu defendimur. Alter eſt ſenſus, vt vtranque vitam præcipuè futuram reſpiciat. In qua ſententia ſunt cum Græcis, etiam Hebræi. Ex quo cognoſcas hunc pſalmum non ſpectare exilij Babylonici liberationem, ſed vniuerſalem Dei erga animos, & corpora ſeruanda benignitatem. Primumq́ue Chaldæus ait, Qui redimit de gehenna vitam tuam. Gehennam, æternam damnationem Hebræi (quæ erat peculiaris Chriſti tempore, inferorum ſeruata per omnem poſteritatem nuncupatio) etiamnum vocant. Eſtq́ue gehenna, quod apud poetas, Erebus, Tartarus, Pyriphlegethon. Et Hebræi conſiderantes verbum redimendi, dicunt ſæpe homines peccare, vnde letali ſententia damnari mereantur, aut animæ condemnationem neceſſario, & amiſſionem, vt ipſi vocant לעלם הבא leolam haba, mundi, vel ſæculi, vitæ futuræ, incurrant. Deum autem conuerſis eis, & pœnitentibus condonare, atque ab impendente morte eos eripere, aut vexationibus corporis, animæ ſalutem redimere. Ex quibus apparet eorum etiam teſtimonio alter ille ſenſus. Græci quoque idem pariter λυτρούμενον ἐκ κινδύνου ψυχικοῦ καὶ σωματικοῦ, Recipientem è periculo animi, & corporis vitam tuam. Interitum autem dixit, quod Hebraicę שחת shachath, corruptionem, ruinam, deletionem, & Græcè φθορὰν, eleganter Latinus interitum, Hierony. iuxta Hebraicum, corruptionem. Idq́ue habuit Pſalterium Auguſt. ex Græco. Vnde de duabus inter ſe contrariis rebus Ariſtoteles περὶ γενέσεως, καὶ φθορᾶς, de generatione, & interitu, quaſi de eſſe, & non eſſe, de aduentu in vitam & receſſu. Iure autem condemnatio ad pęnas æternas, & à vera vita expulſio, dicitur interitus. Nihil enim valet, vt ait Iamblichus, eſſe, niſi adſit bene eſſe. Ab optima autem vita cœleſtium triumphorum, ac gaudiorum, delabi in peſſimum ſtatum, in luctuoſiſſimum carcerem non modo interitus eſt, ſed omnis alia mors, præ iſta, fabula eſt, ſicut omnis vita præ illa, vmbra, imago. Redimere igitur verè, & appoſitè dixit, vbi mors intentabatur. Et Græcè apud Septuaginta, hoc dicitur, λυτροῦσθαι, vnde λύτρα, ea quæ dantur pro captiuis redimendis. Latineq́ue eſt redimere, iterato emere, & dato aliquo pretio, recipere quod erat amiſſum. Et nulla virtute redempti dicuntur, quos omnia vitia duxere captiuos, vituperabilesq́; fecerunt, nulla virtute interueniente, & a dedecore eos liberante. A Deo autem amiſſam vitam recipimus, nullo pretio dato, ſed ſola pęnitentia: maxima autem eius humanitate fit, vt vita, & libertas, quam ſcelera abſtuliſſent, gratis ad nos redeat, ſola pęnitentia intercedente, quę vice eorum ſit, quæ Græcè λύτρα dicuntur. Hocq́ue pretio te captiuum apud iuſtitiam diuinam redimes, ſi tantum reſipiſcas. Dixit autem vitam tuam, loquens ſecum. Anima autem pro ipſomet dicitur Hebraicè. Quodq́; dixit, Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus, eſt duarum rerum repetitio, ſolita ἐπίτασις, oſtendens diuinorum beneficiorum multitudinem. Quam etiam per hyberbolen conatus oſtendere, appellauit coronationem, quaſi circunfluentiam, exuberantiam. Circundamur vndique, ac coronamur beneficiis diuinis, ſiue cùm tot noſtra ſcelera tranſeunt impune, nec ad peccata totidem vt meriti eſſemus, pęnæ decurrunt, ſiue cùm in contrarium vndequaque, in omne tempus, bonis eius circumfundimur. Quod eſt, ait, noſtræ vitæ momentum, quæ pars, quam non innumerabilia beneficia diuina ſequantur? Quid eſſemus ſine eo, à quo primum viuimus, tum bene, ac beatè ſi volumus, viuimus? Vbi defuiſſe nobis bonitatem eius, ſi rectè cogitemus, poſſumus queri? qui per omnes humanitatis, quanti maximè cogitari poſſunt gradus, progreſſus ad vltimum, & incommemorabilem vſque proceſſit, vt nos deificaret.

Gehenna.

Redimere.

Interitus.

Vita.

Qui cor. te in miſer. & miſerat.

Haſid.

Luc. I.

ficaret. Hæc enim deificatio iſto loco præcipuè ſignificatur, cùm dicitur ab interitu, & illius magni boni priuatione, etiam meritos pœnarum nos defendere. O verè beneficum, & tam humanum, quàm potentem, paris clementiæ atque poteſtatis. Hanc igitur infinitam diuinorum bonorum exuberantiam coronam appellauit. Ea autem beneficia duobus nominibus appellauit חסד cheſed, & רחמים rachamaim, quæ iure miſericordia, & miſerationes traducuntur, reſpondentq; liberalitati, humanitati, benignitati. Nam cheſed ſignat benignitatem, beneficium, gratiam. Vnde chaſid, ſanctus, iuſtus, beneficus, non ſolum aliena non rapiens, ſed etiam propria largiens, aut beneficia à Deo conſecutus. Rachamaim, propriè ſunt viſcerationes, intimæ commotiones, cùm ad manſuetudinem interius commouemur. Eodemque nomine, & interiores partes, & miſerationes dicuntur ab eis, validusque motus ad miſerandum hoc deſignatur. Vnde commota viſcera eius. Et, Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus hæc eſt vox. Vere autem noſtri Deus miſeretur; docent enim, eum, ſcripturæ ferè illacrymari ſuper flagitiis noſtris, & ſpiritum ſanctum ſuum contriſtari. Cùm autem videt nos conuerti, placidus, & intimis affectibus permotus recipit, & tum non vult in peccato nos perdere, tum reuertentes recipit humaniſſimè: nunquam durus pater. Duo igitur beneficia, prædicabat, & quæ ad conſeruationem vitæ pertinent, & quæ ſunt condonatio peccatorum, quorum ea eſt multitudo, vt iure coronatio dicantur. Sic ad ſuam phraſim dixit alibi, Gloria & honore coronaſti eum, enumerans collata beneficia. In autem, obſeruatum ſæpe, deſignare, cum.

Qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua.

Replere deſider.

Neſcio quā natale ſolū, dulcedine, cunctos, Ducit.

In.

Renoua. vt aqu. iu tu.

Chaldæus interpres.

REplet Hebraicè המשביע hamasbia, ſatiat, exaturat, & pro deſiderio, Græcè ἐπιθυμία, cupiditate, eſt in fonte עדיך ediek, quod ſonat duo, ornatum tuum, aut os tuum, os, vt Pſalmo XXXII. In chamo, & fręno maxillas ore conſtringe: vbi eſt עדיו edio, quod exponunt os eius, vel eorum. Ornatum, dixit Hierony. in ſuo Pſalterio. Dicendum igitur iuxta Hebraicum potius os tuum, vt exponunt Hebræi, licet poſſit etiam ſtare quod reddidit Hieron. Ac Hebraicè quaſi per hyperbolen, dictum eſt, Qui replet bonis os tuum, nempe ſuauitate, dulcedine, bonumque hoc loco ſuaue deſignat, & bona dixit ſuauia, dulcia. Ac volunt id Hebræi reſpondere ei quod ſuperius dixerat, Qui ſanat omnes morbos, aut infirmitates tuas. Vt enim amara ſunt omnia ęgrotis, ſic ſano palato dulcia ſentiuntur, pulſaq; ægritudiue, docet inductam ſuauitatem, vtrobiq; felicitatem metaphora deſignans, ibi pulſione morborum, quibus os amaricatur, hic quod faciat os dulceſcere: tralationes Hebraicæ. Opulentia, ac felicitas niſi ſentiatur, guſtetur, non proficit. Ac quanquam totius felicitatis τ' κριτήριον, ſit mentis ſolius, omnia circunquaque bona, non ſolum, quæ guſtari, ac comedi, ſed quibus etiam ornari corpus poſſit, amicis item beneficia præſtari intuenti ſuauia, tamen ore probantur. Sunt alia bona præterquam oris, quibus felicitas abſoluitur. Sed quoniam omnia bona, dulcia dicuntur, ad vnum guſtum cuncta reuocantur. Nam etiam ſi propriè loquamur, non ſunt præterquam in guſtu dulcia. At noſtri tamen, & Græci alibi dulcedinem ſtatuunt. Neſcio qua dulcedine læti. Et, Tuumq; dulce caput, dulcē vitā, dulce lumē Gręci γλυκυθυμία, animi dulcedinē. Quid, quòd eadem metaphora nos, & Gręci dicimus guſtari felicitatem, deguſtari mores, deguſtari ſapientiam? Palatum quoque, & ſaliuam iudicium omnium rerum vocamus. Sic & Hebręus dixit, Qui replet ſuauitate, felicitate, guſtum tuum, dedit tibi guſtum rerum bonarum, imò affatim guſtare fecit, facit te ſentire, guſtare quę ſint bona. Reliquerunt autem metaphoram Septuag. Nam ſignificatum huius vocis eos non ignoraſſe apparet ex Pſalmo prolato, vbi verterunt hoc nomen maxillam: cupiditatemque, aut deſiderium pro guſtu poſuerunt, quandoquidem ſola bona, vera, aut apparentia deſiderantur. Gręci pro poſtulatione accipiunt omnem petitionem, omne deſiderium iuſti bonum eſſe dicentes. Sed paulò ſecus à fonte. Et Chaldęus item metaphoram reliquit, Qui replet in bonis יומיסיבו תיבי iome ſibuo thaik, Dies circuitionis, ſiue peregrinationis tuę. Hoc autem dixit, vt comprehenderet vtriuſque vitę felicitatem, & vtriuſque Deum autorem doceret. Nam ſubdit, Et ad futuram vitam renouaberis ſicut aquila. Stat etiam & huc tendit, quod vertit Hierony. ornatum tuum. Sicut enim alibi, Gloria, & honore coronaſti, id eſt circunfudiſti, prouexiſti eum, ſic hoc loco, Qui replet in bonis ornatum tuum, id eſt decus tuum, gloriam tuam prouexit, omnibus bonis cumulauit. Nihil ad decus, gloriamque tibi deeſſe paſſus eſt. Vndequaque bonis ornatus, decoratusque es. Videtur tamen prior ſenſus clarior. In, etiam hoc loco eſt pro, Cum. Quodque ait, Renouabitur ſicut aquila iuuentus tua, oſtenſum antiquiores Hebręos hanc renouationem ſenſiſſe, ad futuram vitam reparationem, antiquis decantatam, oraculiſque cognitam παλιγγενεσίαν, quod Hebręi maiorum dicta ſequentes, hic confirmant. Nam Chaldæus interpres eſt vnus ex his qui ante Chriſtum in Babylone floruerunt (ſi modo is non eſt Aquila proſelytus.) Qui ideo vertit ex Hebraico in Chaldæum ſermonem libros ſacros, quòd vulgaris lingua Hebræorum in captiuitate, quam etiam in Hieruſalem deportarunt, eſſet lingua Chaldęorum, perindeque tranſtulerunt in eam libros ſacros, ac ſi quis nunc Euangelium, ſacroſque libros, in linguam Italicam, aut Germanicam vertat. Sentiebat igitur hunc locum eſſe de futura vita. Et Hebręi hoc alio teſtimonio roborantes, adducunt quod ſcribitur Iob. cap. 33.

Conſumpta eſt caro eius à ſuppliciis, reuertetur ad dies adoleſcentiæ ſuæ. Quod Heliu apud Iob recenſet inter miracula Dei. Renouatio autem aquilę alibi in ſacris litteris celebratur. Et canimus ſemper, Sanctorum velut aquilæ iuuentus renouabitur, florebunt ſicut lilium in ciuitate Domini. Hæc aquilæ renouatio diuerſè traditur. Alij, vt diuus Auguſtinus, quòd ei ſenio confectæ, roſtrum adeò repandum, & incuruum reddatur, vt cibum capere non liceat, languore, & inedia, toto corpore veteraſcente. Ire eam ad petram, ibique tandiu fricare, donec os accommodum ad cibos capiendos fiat. Hancque eſſe renouationem, quòd accepto cibo, corpus omne refloreſcat. Aliam tradunt Hebręi, & Græci, ꝙ ſenio affecta, & auctis nimium alis, & pennis, altiſſimè ad Solis ardores aſcendat, ibique pennis & plumis exuſtis reparetur ad iuuentam. Euſebius ὁ ἀετος πάντων ὀρνέων βασιλικώτατόν ἐστὶ καὶ ὑψιπετὴς: μόνον δὲ ἡλίου φωτὸς ἀντοπεῖ δυνάται καὶ ἀτενὲς ἐφορᾶν αὐτῷ. Aquila, inquit, ante omnes aues regia eſt, altiſſimi volatus. Sola poteſt defixe ſolem intueri. Hic Euſebius nihil de reparatione, per alarum exuſtionem ſcribit, ſed ſolum altiſſimum volatum & defixum in radios ſolis intuitum. Euthymius autem, Depones, inquit, debilem ſenectam, quā morbi, & peccata contraxerant. ὡς ἐκεῖνος τὸ ἑαυτοῦ πτερῶν, ſicut ille ſenectam alarum. Renouaberis per pœnitentiam, ὡς ἐκεῖνος διὰ τῆς παλιφυΐας πτερῶν, ſicut ille per alarum repullulationem. Hoc item perhibet Hieronymus, aquilæ ſeneſcenti plumas cadere, denuoque renaſci. Rabi quoque Sahadias, vt teſtatur Dauid, ait aquilam ante omnes aues eſſe maximi volatus vſque in altiſſimum cœlum, ad ignem elementarem aſcendentem, tum ſe dare in mare præcipitem ob calorem in alis accenſum, ſic renouari, repullulareque alas, ſingulo quoque decimo anno. Centeſimo in mare, vt ſolita eſt, delapſam emori. Commentum Hebraicum. Sunt Græci qui dicant aquilam ſeneſcentem fieri validiorem. Notis igitur rerum terrenarum exemplis, diuinam illam, & omnipotentem, omnibusque ſæculis celebrem παλιγγενεσίαν, demonſtrauit. Exemplo ex parte, non vſquequaque, immortalitatem, vt ait Auguſtinus, referente.

Aquilæ. renouatio

Faciens miſericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

MAgnum & hoc beneficium, prouideri, & gubernari nos à Deo, non committere eum, vt qui vexāt nos, impunes abeant. Pro miſericordia, eſt צדקות zedakoth, iuſtitias, vt vertit Hieronymus. Neque aliud eſt iuſtitia quàm miſericordia, ſicut injuſtitia crudelitas. Videre oppreſſos, & vexatos, & non commoueri, quid aliud quàm feritas? Pro iniuriā patientibus, Hieron. Calumniam ſuſtinentibus, idque ſonat vox Hebraica העשוקים haaſukim, ſed idem ſunt. Ecce igitur Pſalmorum maieſtas, maximaque eorum, ac diuina philoſophia, nunc vnū nunc aliud myſterium declarantium. Prædicatur hic Nemeſis illa ſacra, & Adraſtia, ineuitabiliſque prouidentiæ diuinæ neceſſitas, qua bona bonis, mala malis prudenter, & certo tempore redduntur: quam non ſolum hæc cęleſtia oracula, ſed ſummo naturæ conſenſu, ſapientiſſimi quique cognouerunt, & confeſſi ſunt. Hinc ille de his qui ſero à Deo plectuntur, quòd tarditatem ſupplicij grauitate compenſet. Ariſtoteles aũt ait tres Parcas deſignare diuinā, & ineuitabilem prouidētiam, præterita, præſentia, futura cernentem. Dictam Nemeſin, quia vnicuique tribuat, quod meritus eſt: Adraſtiam quia ineuitabilis, αἶσαν, quaſi ἀεὶ οὖσαν ſemper exiſtentē, circa ſortes. Tum cōcludens ταῦτα δὲ οὐκ ἄλλο τι ἢ θεός: τῷ δὲ ξυνέπεται δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός, ἧς ὁ εὐδαιμονήσειν μέλλων, μακάριος, καὶ εὐδαιμόνων ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος. Hęcque oīa, inquit, non ſunt aliud niſi Deus ipſe, quem ſemper ſequitur iuſtitia, eorum qui à lege diuina deficiunt, vltrix, cuius, qui velit eſſe felix, ac beatus, particeps exiſtit ſimul, ac venit in lucem. Locus igitur ab Ariſtotele eſt declaratus. Nam facere iuſtitiam, ſiue miſericordiam, & iudicium omnibus iniuriam patientibus, eſt quod ſequitur Deum, τιμωρὸς δίκη. Et hoc ſemper. Similia prorſus diuinitus locutus eſt Homerus, Deos peregrinorum habitu verſari per vrbes,

Miſericor. Iuſtitia. Iniur. pat.

Nemeſis, Adraſtia. Aeſa.

Ἀνθρώπων ὕβριν τε, καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
Οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι:
Ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ᾽ ἀνθρώπων.
Spectantes hominum facta iniuſta, aut probitatem.
Nanque execratur Deus impia facta beatus,
Iuſtitiamque colit: rebus lætatur & æquis

Ac pſalmus duas videtur iuſtitiæ complecti partes. Primā ꝙ faciat miſericordias, beneficia præſtans, liberalis, beneficus, ſanans ægritudines, deinde iudiciū, liberans ab iniuria, caſtigans ſontes. Hæc aũt res, ſicut ipſe Deus eſt inuiſibilis, ita nec ipſa, vt Vates dixit, viſa tā magis exiſtit, quàm ſi viſibilis eſſet, quàm magis ipſe Deus eſt omnipotens, inuiſibilis. Ratione .n. & veritate magiſtra probamus rerum inuiſibilitatem, non earum eſſe tenuitatē, ſed noſtrorū oculorū imbecillitatem. Cum aũt Dei ſunt oīa plena, licet inuiſibilis, vt poſſit inuiſibili aeri implenti oīa comparari: ſic arbitrari debemus iuſtitiā eius inuiſibilem per oēm quem creauit mundum vagantem, nihil incognitum, & inexploratū relinquere. Hocque eſt ſingulare eius erga nos beneficium, & inauditę bonitatis ſignum, vt iure inter magna eius munera, ſit connumeratum. Nec diſtat ꝙ pro iniuriam patientibus Hieron. dixit, cunctis qui calumnias ſuſtinent. Illud latius, hoc ad ſola verba.

Iuſtitiæ. Partes. Miſericor. Iudicium.

Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas.

D

HOc quoque fuit incommemorabile, & omnibus gratiis decantandum Dei beneficium, lumen in magnis humanarum tenebrarum erroribus, & auerſo pene toto mundo à cultu eius attuliſſe, donaſſe ſapientiam, & inuiſibilem eam viſibilem feciſſe, vt abundantius diffunderetur. Nihil fuit omnium, quæ donari ab eo ab hominibus potuiſſent, melius, quo honorificentius, quo propius ad naturam eius peruenirent, ſapientia. Pro hac,

Non nobis ſi centum ſint linguæ, oraque centum,
Ferrea vox, grates vnquam perſoluere dignas,

Poterimus. Nam quod illis datum fuit, ſapiendi principium, ad nos vſq; peruenit. Vias aũt dixit μεταφορικῶς, quibus incedit ipſe, quibus delectatur, cupiditates, ſtudia. Et Græci eas interpretantur θελήματα, voluntates. Hebræi quoq; dicunt eſſe מדותיו midothau, mores eius. Simili locutione vtitur lingua Italica, appellans mores, ambulationes: referturq; hoc loco quod dr̃ de Moſe, cum poſtulauit à Deo, vt oſtenderet ei vias ſuas, & oſtendit. Eſt autem profundæ philoſophię locus de viis Dei, quas ſcire, & magnæ ſapientiæ, & felicitatis. Nam oĩs miſerorũ mortalium imperitia, & cęca vita hinc eſt, ꝙ ignorantur vię Dei, aliasq; illis ignoratis, capeſcimus. Plures ſe eas tenere credentes fortaſſe falluntur. Habet autem Deus ipſe, perinde atq; homo ſuas cupiditates, ſuos inſtinctus, ac naturæ inclinationem. Hæc autem non eſt niſi quam & ſacræ litteræ, & omnis philoſophia clamat, δίκην τίει, colit ius. Placet ei æquitas, lætatur, gaudetq; iuſtitia, eſt ſeruantiſſimus æqui. Talis eſt enim, vt ait Plato, Deus, ſi parua licet componere magnis, qualis homo iuſtus. Quicquid placet iuſto, & qua via ingreditur, hoc multò maximè Deus, cuius eſt infinita iuſticia. Declaremus autem hanc viarum metaphoram. Nam cùm anima noſtra in corpore, & corporeis actionibus ſit qualis gubernator in naui, auriga in curru, quæ ad eas vias dirigũtur, in quas dux ipſe flexit: ſic noſtra corporis, vitæq; nauicula tendit, quò gubernator direxit. Ac quoniam vita mare eſt, in quo portus ſunt, innumerabilia naufragia, ſunt certi ad portus tendentes, ac recti curſus: ſic quocunq; vitã inflectit mens, quocunq; hoĩem direxit, rectè via dictũ eſt. Quaſi curſus, quaſi nauigatio, ſic & vias Dei dixit, præcepta, legemq; diuinarum voluntatum indicem, corpus quo continentur ea, quibus vult nos ire per hoc mare Deus: ipſe eſt auriga in mundo, mundus, & vita, mare vaſtum, nos nauiculæ, ipſe regat neceſſe eſt, & quem docuit curſum, nos tenere oportet. Quemadmodum ergo mens noſtra flectit corpus, omnemq; hoĩem in vias dirigit, & alij huc, alij illuc ingrediuntur: ſic Deus mens maxima, rectiſſima ad iuſtitiam, & ęquitatem, ad verũ, cęleſtemq; portum, curſum vult tenere nauim noſtram. In qua qm̃ eſt auriga minor, qui poſſit maiori reſiſtere, rebellisq; eſſe: tunc fiet acerbum, & lacrymabile naufragium. Et Philon diſertiſſimus super eo de viis Domini, Omnis quippe caro corruperat viam ſuam, Κατέφθειρε πᾶσα σάρξ τὴν τοῦ αἰωνίου καὶ ἀφθάρτου τέλειαν ὁδὸν, τὴν πρὸς θεὸν ἄγουσαν: ταύτην ἴσθι σοφίαν: διὰ γὰρ ταύτης ὁ νοῦς ποδηγετούμενος, ὀρθείας καὶ λεωφόρου ὑπαρχούσης, μέχρι τῶν τερμάτων ἀφικνεῖται: τὸ δὲ τέρμα τῆς ὁδοῦ γνῶσίς ἐστι, καὶ ἐπιστήμη θεοῦ. Corruperat, ait, oĩs caro æterni, & incorruptibilis Dei perfectam viam, ad ipſum ducentem. Hanc ſcito eſſe ſapientiam. Per hanc.n. qm̃ recta, & regia eſt, mẽs ingreſſa, ad metas aſpirat. Meta verò viæ eſt cognitio, & ſcientia Dei. Audiſti igitur quæ ſit via Dei, quis viæ finis. Hoc quoq; loco obſeruãt Hebræi eſſe futurum pro præterito. Dr̃.n. יודיע iodia,

E

Notas fecit. notas faciet. Afferuntq; exempla, vt, fecerunt vitulum in Oreb, futurum יעשו Tunc cecinit Moſes futurum ישיר Tunc ædificauit Ioſue, & hic futurũ יבנה Similiter in ſequenti Pſalmo. Super mõtes ſtabunt aquæ, à voce tonitrui tui fugient, formidabunt. futura pro præteritis. Quod aũt dixit

F

Volũtates ſuas. Voluntates ſuas, eſt ſolita repetitio. Et pro Voluntatibus, Hebraicè עלילות aliloth, quod ſonat voluntates, conſilia, cogitationes, opera, ſtudia. Ideoq; Hieron. vertit cogitationes, & ipſi Sept. alibi ἐπιτηδεύματα, ſtudia, conatus. Hebræi hic exponunt מעשיו maaſau opera ſua. Cuncta idem, &, vt dixi, declaratio prioris. Si expones opera ſicut & Chaldæus vertit, עבדוי obadoi, quæ fecit in deſerto, ſunt illa opera, quæ docuit, quæ monſtrauit, quibus ſe delectari probauit. Sicq; idem eſt.

Miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors.

QVattuor nominibus per ἐπίτασιν, magnam Dei miſericordiam, humanitatemque declarat. Et eſt ferè antè dictorum repetitio. Satiari enim non poteſt hoc ſermone. Vtimur, vt dixi, hoc quaſi torrente, & congerie verborum, cum res ingentes ob oculos verſantur, cum affectus erumpere noſtri geſtiunt, vt ſtare loco, & ſe continere nequeant. Cætera quidem verba ex his quattuor appoſitè ad Hebraicum, & Gręcum reſpondent. Et pro miſericors, ne idẽ

Macroth. verbum repeteret, Hieronymus dixit Clemens. Quod autem Latinus tranſtulit Longanimis, nõ ita fortaſſe propriè. Siquidem Græcè θυμὸς, ſonat animum, atque iracundiam, furorem. Itaque μακρόθυμος, non eſt longanimis, ſed tardæ, longæque iræ. Et in ea compoſitione τυμὸς, non ani-

Lõganim. mum, ſed furorem indicat. Quod oſtendit vox Hebraica, ad quam Græca formata eſt. dicitur Hebraicè ארך אפים erek appaim, tarditas furoris, iræ procraſtinatio. Vbi appaim omnino ſonat furorem, irã. Nec Latinè vna voce potuit reddi. Eſt aũt huius vocis Hebraicæ, & Græcę ſignificatus, is qui apud philoſophos inuenitur βραδέως τιμωρῶν βραδυτὴς μέλλησις, tarditas, cunctatio, & ad vin-

A ad vindictam ſui tarde procedens. Myſteriumque iſto loco de procraſtinatione vindictæ diuinę declaratur, in qua infinita bona inſunt. Quo & manſuetudo Dei immenſa demonſtratur, et Stoicorum error refellitur, τὸ θεῖον ἄτρεπτον, diuinitatem inexorabilem, qualem ſapientem ſuum fingebant ipſi, ſaxeum, ἀναίσθητον aſſerentium. Meritò irriſi ab omnibus, & reiecti. Tum eorum imprudentia, apud quos vindictæ procraſtinatio, fidem aufert prouidentiæ. En laudatur tanquam maximum beneficium, humanæq; fragilitati neceſſarium, conniuentia, expectatio. Hanc æquè, atque Vates ſacer, Euripides agnouit Dei in caſtigando tarditatem:

Μέλλει, τὸ θεῖον δ' ἐστὶ τοιοῦτον φύσει.
Tardat Deus, taliſque eſt ingenio.

Talem eum ingenio, naturaq; eſſe dixit. Vbi eſt enim ſumma diuinitas, etiam neceſſariò ſumma bonitas, ſumma manſuetudo. Sapientis eſt, ſibi moderari, conſtantem, etiam illata iniuria, eſſe. Hoc quod apud nos tantopere laudatur, non vigebit magis apud Deum? Sed ad Plutarchum, qui locum iſtum abundè tractauit, lectorem remitto. Simul obſeruandum, ſuperius eum dixiſſe, iudicium eorum qui iniuriam patiantur Deum exequi, nunc ad caſtigandum, eum eſſe tardum, temperatum, vt non idcirco eum aut dormitare, aut neſcire quid in terris fiat, exiſtimes, quòd moderate ad ſupplicia procedat. Atque poteſt etiam vox Latina fortaſſe defendi longanimis, ſi quis hunc ſub ea reddi ſenſum agnoſcat: vt ſit longanimis qui ſerò iraſcitur, aut iratus differt vindictam. Si enim longanimis eſt magnanimus, magnanimitas autem præcipuè in tolerandis iniuriis exiſtit, (contemnit enim magnanimus, omnia inferiora ſe exiſtimãs: & Latini, impotentes, Gręci ἀκρατεῖς dicunt, quos aut cupiditates, aut iracundia victos extra decorem rapiunt: vulgò fracti, quaſſatique dicuntur) B conſtat eundem eſſe magnanimum, atque iniuriarum tolerantem. Et verum ſenſum Latini non ignorarunt. Hieronymus tamen maluit dicere patiens, quàm longanimis. Ac tria prima pertinent ad condonanda peccata, quod præcipuum eſt beneficium. Poſtremum, id eſt, multum miſericors, πολυέλεος, Hebraicè רבחסד rab chaſed, ad alia beneficia, & benignitatis varias formas, ſicut ſonat Hebraicum.

Magnan.

Mult. miſ.

Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur.

DVas diuinæ clementiæ partes edocet quòd neq; ſubitò accenſus deſæuit in vindictam, & quod facile obliuiſcitur. Et Græci ob hanc cauſam eum vocant εὐδιάλλακτον reconciliabilem, cum quo facile reditur in gratiam, vt vſquequaq; bonitas eius ſit manifeſta, tum cum creauit mundum & cum res hoĩum æternis regit imperiis, & quòd placatur, miteſcit, et indigniſſimè offenſus. eoq; eum pulcherrimè Græci dicunt ἀμέτρητον ἔλεος, τῆς φιλανθρωπίας, τὸ πέλαγος, ſine fine miſericordem humanitatis pelagus. Et quod Latinus dixit In perpetuum, Græcè dixerunt Sept. εἰς τέλος, in finẽ. Ex quo intelligis, In finẽ ſonare in æternum: vt mirer Latinum interpretem tam clarè nunc, & appoſitè ad fontem reddidiſſe, cum alias ſolitus ſit ſemper dicere in finem, vt in principiis Pſalmorum, niſi à D. Hieronymi interpretatione ſit acceptũ, qui tranſtulit in ſempiternum. Nam & Pſalterium Auguſtini ex Græco, habet In finẽ. Hebraicè igitur eſt לנצח lanczach, in perpetuum, in æternum. A quo Septuaginta putãt duci mnazeach, eoq; in principiis Pſalmorum ſemper vt hoc loco, vertunt εἰς τὸ τέλος, in finem. Quod autem dixerũt C Sept. ὀργισθήσεται, iraſcetur, eſt Hebraicè יריב iarib, cõtendet, diſceptabit, cauſam diligentius examinabit. Hinc Chaldæus ינצי inze, iurgabit, contendet, quale fit in foro. Hieronymus item, Iudicabit. Hæcq; oĩa facit ira, vt bene ſtet quod Sept. dixerunt. Ideo enim Deus contendit, & cauſam examinat, quia ſceleris memoria, & indignatio facit eum conſiſtere. Depoſita ira, de cauſa non agitur amplius, quaſi lite compoſita, & de iure ſuo remittẽte Deo. Porrò tralatio eſt in Hebraico à iudicibus, à foro, à cauſarum diſceptatione, cum ſtat ὁ φεύγων reus, & accuſator, & iudex. Nos rei, crimina, accuſatores, Deus iudex. Sed is quæ ſua eſt clementia, pronuntiat pro nobis, facile placatus, & iniuriarum oblitus. Ideo intulit, Neque in æternum comminabitur: quod clarius Hebraicè, & Græcè, יטור ittor, ſeruabit, iram videlicet, non premens alto, & retinens ſub corde dolorem. Non ſeruat, inquit, hæretque affixus in memoria noſtrorum flagitiorum, facile ex eius animo vaneſcunt, facile dilabuntur: habetque illam in promptu ἀμνηστείαν, illatarum iniuriarum obliuiſcentiam. Græcè hoc Septuaginta dixerunt μηνιεῖ, à verbo μηνίζω & à nomine μῆνις, quod furorem, furentemq; è pectore indignationem ſonat. Apparetq; ex Homero ab hoc nomine principium ſui libri auſpicante, & furorem in corde Achillis retentum, deſignante:

In perpet.

Iraſcetur.
Rom. 8.
Ioan. 5.
Rom. 5.

Neque in æter. con.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος,
Iram pande mihi Pelidæ diua ſuperbi.

In quo, vt ait Iuſtinus martyr, & Ioannes Philoponus, ſequutus eſt Orpheum, librum ſuum, ante Homerum, eodem exordio inchoantem:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ δημήτερος ἀγλαοκάρπου,
Frugiferæ Cereris longum cane, diua furorem.

Iram igitur, & feruentem indignationem ſemper deſignat μῆνις, retuleruntque pulcherrimè Hebraicum Septuaginta. Latinus verius dixit quàm clarius, Comminabitur. Nam ſi con-

Minari.

ſideret Minari,Latinum,ab hoc Græco μνίζω deſcendit. Eſtque minari in furore perſiſtere,rem furoris facere, iram præ ſe ferre,cauſas irarum continentem,ſigna proferre. Sicque eodem omnia concurrunt. Pſalterium Auguſtini habet Indignabitur, quod eſt clarius, transferente neſcio quo Græcum μηνιεῖ, indignabitur. Hieronymus iraſcitur. In Hebraico igitur quiddam magis reconditum.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

HOc erat longanimis & miſericors,ſeu clemens,vt vertit Hierony. Eratque clarum ex ſuperiore,cum vocauit procraſtinantem vindictam,ſed ſolet eandem rem diuerſis nominibus exprimere.Nunc ait,Si Deus eſt iuſtitiæ princeps,ſi ad forum eius omnia ſcelera applicantur, vt expendantur : certè tanta pęna ſit oportet, quanta ſcelerum grauitas,& pondus,vt paria paribus referantur. Diminuit autem eius clementia pondus peccatorum, aut inæqualitatẽ facit detrahens de pęna.Hæcque tum ad præſentem vitam poſſunt referri,tum futuram,vt beneficia præſtet etiam immeritis,vt ſceleratos luce frui ſinat,vt non execretur eos vt digni ſunt,nõ obliuiſcatur,non abiiciat à conſpectu ſuo. Blaſphematur, debuit iraſci,debuit ingratos illos ſubito perdere : proditur,ad alias res tralato cultu eius,debuit & ipſe prodere,& auertere ſeſe. Nihil horum facit,ſed viuunt,viuunt illi, fiunt communis lucis, ac bonorum participes. Eadem eſt ratio ad futuram vitam,nunquam bonitate eius deficiente, ac ceſſante, parcente in hoc ſæculo propter futurum. Ac quanquam fiat aliquando correctio,id bonum eſt,& ad tempus.Mirari igitur deſinamus viuere peccatores,omnibus pęnitendi locum relinqui, non extingui confeſtim flagitioſos. Clara cauſa eſt,quia iudex natura eſt clemens, non poteſt ſæuire, non ſinit eum natura eius iraſci,ſubitoque incandeſcere.

Quoniam ſecundum altitudinem cęli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

Secũd. alt. cæ. à ter. &c.

MAxima hyperbole, & qua nulla in rebus ſenſibilibus, quarum exemplis inuiſibilia declaramus,maior occurrat. Et vt dicunt Græci ἄμετρον καὶ ἀνείτασον, ἄπειρον ἔλεος humanitatem,immenſurabilem, & inexcogitabilem, ſiue quæ animo comprehendi nequeat, & infinitam oſtendit. Ita certè eſt, ſi conſideres humanæ mentis peruerſitatem, tot crimina,tot flagitia,quantum ab hominibus non modo non diligatur,ſed contemnatur, abiiciatur,& quod indignius,blaſphemetur Deus.Hic niſi immenſa miſericordia,& incomprehenſibilis in eo bonitas eſſet,quas ſceleratorum ſtrages videres, quàm inauditis ſuppliciis viſibilibus & inuiſibilibus omnes torqueri? Quas Erinnyes & Ates per mundum verſari cerneres? Eſt autem hæc comparatio de magnitudine, ac immenſitate. Similitudoque eſt corporea,de re incorporea. Et ſpatium,ſiue quantitas corporea,ſumpta ad deſignandam quantitatem incorpoream. Incorporea quantitas eſt, miſericordia, lenitas. Quanta autem ſit hæc,& quàm ingens,declaratur quantitate corporea. Quanta videlicet eſt inter cęlum, & terram. Non eſt autem maior diſtantia,maius ſpatium, quàm à cęlo ad terras. Sic ſi miſericordia Dei videri poſſet, videremus eius verticem tangere ſidera,totum quod intra cęlum ac terram ſpatium interiacet,magnitudine eius repleri.Simili figura eſt vſus Eſaias,infinitam maieſtatem Dei ſignificans,non eſt autem vſus loquendo,ſed vidit rem incorpoream,corporea figura veſtitam.Vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum,& eleuatum,adeò autẽ excelſum, vt à cęlo in terras pertineret.Ideo plena erat omnis terra claritate,ſiue maieſtate eius.Sic ſi miſericordia eius tanquam regina videri poſſet,in excelſo throno ſederet implens,quicquid intereſt inter cęlum, & terram. Hac ſimilitudine vſus eſt alibi.Magna eſt vſque ad cęlum miſericordia tua. Offerebant autem,vt diuinæ rei magnitudinem repræſentarent,rem oculis humanis maximam,rebus notis, ac viſibilibus, inuiſibiles,& obſcuras exprimentes. Simili linguæ ſuæ figura vſus eſt diuus Paulus, Vt ſciatis, inquit,quæ ſit longitudo,& profundum, de Deo loquens. Ac Hebraicum dicit,Quoniam ſecundum altitudinem cęli ſuper terram, quaſi ſit de altitudine cęli comparatio. Sed idem eſt de ſpatio inter duos terminos,atque ſupremis terminis ſermo. Quod verò dicit, Corroborauit miſericordiam ſuam, poteſt ſic dici,Creuit miſericordia eius,vt verbum גבר gabar, quod eſt in Hebraico, ſit intranſitiuum,actione in illomet remanente,non tranſeunte ad alium. Et gabar,ſignabit roborari,grandeſcere,increſcere.Caput intra nubila condit.Et חסדו chaſdo,miſericordia eius,poteſt eſſe nominandi caſus,aut accuſandi:primum melius. Dixit item, Super timentes ſe,Hebræi ad Iſrael referunt, ſibi videlicet eblandientes. Verius autem ſuper timentes,vt ſit iuſtitiæ,& æquitatis locus.Neque enim temeraria eſt liberalitas, & humanitas, clementiaque diuina,ſed prudens, parcens qui ſibi poſtulent ignoſci,quos malæ actæ vitæ pęnitet, qui eum timent, hoc eſt, (vt ſæpe apparet apud Septuaginta qui transferunt timere εὐσεβοῦσι, & timorem Domini εὐσέβιαν, pietatem) qui colunt,venerantur. Sic tollitur temeritas. Nec ſperandum eſt,niſi his qui timent. Sicque expoſuit etiam diuus Auguſtinus, ne theſaurizemus iram in die iudicij.

Eph. 3.

Gorrobo, miſer.ſu.

Sup. tim. ſe.

A Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

ALia ſimilitudo, qua non liceat de magnitudine, & ſpatio inueniri maiorem. Nihil enim eſt ortu, & occaſu longinquius. creſcitque oratio, longius enim diſtat ortus ab occaſu, quàm cœlum à terra. Nam à cœlo ad terram eſt hemiſphęrium, ad dimidium diametri, ab ortu ad occaſum tota diametros. Quantum eſt à circunferentia ad punctum, tantum à cęlo in terram: quantum à circunferentia ad alteram partem, recta per diametron, tantundem ob ortu in occaſum, ſi ad ſolem orientem, ipſumque cęlum, non terram, hæc referantur. Sicut autem noſter Poeta, latiſſimas imperij metas deſignans,

Iacet vltra ſydera tellus,
Extra anni, Solisque vias, vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Sic hac ſimilitudine Hebræus diuinæ clementiæ maieſtatem latiſſimis finibus circunſcribens demonſtrauit. Et vt dicunt peccata vltra oceanum deportanda, ſic Hebræus, perpetuam eorum apud Deum, obliuionem, & æternam abolitionem, obliterationemque hoc exemplo expreſſit. Submouente hæc ab aĩo ſuo, Deo, ob immenſam clementiã, longiſſimè, nullamq; eorũ memoriã in æternum retinente, ſempiternaq; obliuione delente, vt eorum labes nihil attingat, nulla iuſtitiæ, & Nemeſi remaneat indignatio. Licet ſcelera grãde creuiſſent, magis tamen ſubmouit quàm creuiſſent. Hebræique perhibent, ortum, & occaſum, non aquilonem, & meridiem vſurpatum, quia poſſit commeari ab his, ab illis non poſſit, quòd non ſint vſquequaque habitabiles. Mihi videtur, tametſi hæc vera ſunt, ortum & occaſum dixiſſe, tanquam manifeſtiores, clarioresq; mundi partes, & ad exemplum aptiores. Vide quanta ſit in Pſalmis philoſophia. Hæc enim omnis oratio eſt naturæ diuinæ manifeſtatio.

Ort. occaſus.

C Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.

ALio ſingulari exemplo bonitas eius deſignatur. Primum rerum inanimatarum vſus eſt exemplis, in quibus ingens ſpatium, nec aſpectu grandius in terris contineretur, nunc affectus adducit, à naturæ inſtinctu naſcentes. Hocq; exemplo ſæpe alij ſcriptores ſacri delectantur. Si poteſt, inquit, mater obliuiſci infantis pupilli ſui, ita ego obliuiſcar veſtri, dicit Dominus. nullamque eſſe vehementiorem in tota natura beneuolentiam atque patrum in filios, teſtes omnes. Eoque pro, Miſeretur, eſt ſolitum verbum Hebraicum רחם richam: ſonat vt dixi viſcera σπλάγχνα, inde affectum quendam vehementem, & intimam in præcordiis commotionem quaſi viſcerum colliſionem dicunt, quod imitati aliquando ſcriptores ſacri Græci fingunt σπλαγχνίζειν. Adeò enim ſæpe interius commouemur, vt coeuntes ſecretiores partes, lacrymas exprimant. Et Latini dicunt, hoc quaſi imitati, à corde, miſericors. Et vere patris exemplum allatũ eſt. Omnes enim ab orbe cõdito cognouerunt Deum eſſe communem patrem. Ideo enim exigit à nobis pietatem, quia pater eſt. Sic eum verus filius eius miſſus ab eo affectu paterno in terras, ſæpe prędicauit eſſe patrem hominum, Cùm precari nos eum docuit, patrem appellantes, & cum ſe aſcenſurum ad ſuum, & noſtrum patrem diceret, & cum hortabatur, vt patrem noſtrum cęleſtem imitaremur, qui Solem ſuum oriri faciat ſuper bonos, & malos. Et antiquiſſimi poetæ, qui eodem tempore, quo ſacra hæc decantabantur, floruerunt, agnoſcentes eum eſſe communem patrem ſæpe πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, i. Angelorum, atque hominum pater. Nam Angeli Dij ſunt. A quo patre canit Heſiodus Deos, atque homines natos.

Miſereri.

Deꝰ omn. pater.
Matth. 6.

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοί, θνητοί τ' ἄνθρωποι
Dijque hominesque eadem ſunt ab radice creati.

Et Aratus quod diuus Paulus approbauit, genus ab eo, i. natales nos ducere dixit τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Eius nam genus ſumus. Vere igitur omnia cum ſacris oraculis conſentiunt, Deum eſſe hominum patrem, beneuolentia, & patrio affectu, ſicut creando fuit. Non more patrum nos genuit, at quadam paterna charitate creauit. Et vere paterno affectu erga filios ſuos afficitur. Omniſque à creatione mundi, vſq; ad nouiſſima tempora fuit paternæ charitatis quicquid geſſit, expreſſio. Patremq; habent Deum, qui timent, i. colunt eum, vt reſpondeat beneuolentia pietati. Qui pius erga patrem ſuum illum eſt, regitur ab illo tanquam patre. Vt cognoſcas hanc paternam, effuſamque charitatem, non eſſe temerariam, ſine delectu bonorum, ac malorum, ſic Græci referunt ad paternas caſtigationes, & correctiones. Quòdq; ait, Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrũ: Figmentum Græci πλάσμα, vnde protoplaſtos: proprieque notat figurationem, formationem, ſicut Hebraicum יצר iezer, à verbo iazar, finxit, figurauit, ſicut figuli, vt repræſentet quod factum eſt à primordio, Formauitque Dominus hominem de limo terræ. Et.

Figmentũ.

Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem dominatum cuncta Deorum.

Refertur ergo hoc verbo, antiqua ex luto, limòue, qualis vaſorũ apud figulos, creatio. Terreſtres

Animæ duæ.
Gene. 6.

ſumus, γηγενεῖς, πηλογόνοι χοϊκοὶ, ſumus Adam, id eſt, terrigena: ſumus vaſa fragilia, fictitia, conſtantia ex ratione quidem, ſed & ex parte irrationali, habentes affectus beſtiarum, affectus ab anima lutea, luteoque corpore. Hoc ille nouit. Videt eſſe facile propter coniugium duarum animarum cęleſtis, & terreſtris, alteram ab altera ſuperari. Eoque quod Septuaginta tranſtulerunt πλάσμα, Hebraicè יצר iezer, deſignat etiam cogitationem malam, fragilem, ſenſum debilem. Et dicitur in Noe, cunctaque cogitatio cordis intenta eſſet ad malum. Pro cogitatione, præſens vox iezer, quaſi figmentum omnis ſenſus. Et Chaldæus hoc loco, Quoniam ipſe cognouit יצרנא בישא iezrana bisha, cogitationem noſtram malam. Tum addit, Quæ facit nos peccare. Poſſumusque & cogitationem, & formationem hac voce intelligere. Hieronymus dixit, Plaſmationem, quia πλάσμα, in Græco: Hebræi ferunt iezer eſſe appetitus ferinos, corporales, qui humus, ſiue limus ſunt, quibus homo conuenit cum pecudibus, quæ ſolum terreſtres, & humus ſunt. Eodem omnia tendunt.

Recordatus eſt quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit.

Puluis.
Gene. 2.
Ho. ſic. fœ. dies eius.
Fœnum.

PRo puluere eſt עפר aphar, limus, lutum, hyle, humus, chaos, cum tulit Dominus de limo terræ, vt crearet hominem, tulit aphar. Ex eo limo finxit corpus humanum: & limus, ſiue humus fuit animalium creandorum principium, fuit etiam arborum, quæ de limo terræ pullularunt. Hæc vox interdum etiam ſonat puluerem. Ab illa humo antiqua, dictus eſt homo, Latinè, vt Hebraicè ab Adama, Adam, humanus retinet veram litteram. Deinde quod ait, Homo ſicut fœnum dies eius, phraſis Hebraica, qua ſæpiſſimè vtuntur, Latinè dicendum, Hominis ſicut fœnum dies. Vita hominis ſicut fœnum. Nam homo nominandi caſus, non habet quo referatur. Hebræi ſoli eo modo loquuntur. Et dies Hebraicè numerus multitudinis, iomau. Accommodant autem phraſim Latini dicentes, Homo eſt ſicut fœnum, tum ſequitur periodus. Pro fœno Hierony. dixit herbam, Hebraicè tamen eſt chazir, quod fęnum ſonat, ſic Græcè χόρτος, licet interdum ſonet herbam. Comparat autem vitam hominis, fęno naſcenti in pratis, comparat flori agreſti, & hortenſi,

Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens, laſſoque papauera collo
Demiſere caput, pluuia cùm fortè grauantur.

Adonidis horti.
Dies.

Vſi ſunt hac item ſimilitudine Græci, cùm dicunt hortos Adonidis, qui erant in vaſis fictilibus, dicebaturque, vt ait Suidas, Χρῶνται δὲ ἐπὶ τῶν ἐπιπολαίων καὶ κούφων ἀώρων, καὶ ὀλιγοχρονίων, καὶ μὴ ἐρριζωμένων, hoc prouerbium cum momentanea, & leuia, cùm immatura, & breuia, radicesque non habentia demonſtrarent. Eſaias item ait, Omnis caro fęnum, ortus eſt ſol, & ſiccatum eſt fęnum. Dies autem Hebraicè tempus, & vita dicitur. Liber dierum eſt χρονικόν: vt ait diuus Hieronymus, Et factum eſt poſt multos dies, Græcè, & Latinè, Poſt multum temporis. Eſt item hoc loco repetitio, prius dixit, Cognouit figmentum noſtrum, figmentum autem eſt, quod puluis, ſiue humus, vel limus, ſumus, vel de limo, vt dicit Chaldæus, Hebraiſmus quoque, quòd dicat Deum recordari quaſi ſit homo. Non video cur Pſalterium diui Auguſtini habeat memento. Nam Græcum, vnde Latinum illud tralatum eſt, eſt ἐμνήσθη, recordatus eſt. Et Hebraicum זכר zacur. Et ſuperiora ſunt enuntiatiua pręteriti temporis, Cognouit, miſertus eſt.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.

Rucha, πνεῦμα, Spiritus.
Nō cogn. amp. lo. ſu.

DVobus ſenſibus hæc poſſunt intelligi, vt ſpiritus deſignet ventum, ſicut Hebraicè ruach, & πνεῦμα, Gręcè. Et illum, reſpiciat florem de quo ſuperius loquebatur. Quoniam, inquit, ſufflabit ventus in illum, & exiccabit. Sicut de papauere dicebat Poeta, Pluuia cum fortè grauantur. Non cognoſcet autem amplius locum ſuum, non erit amplius ille idem qui prius. Amittit gratiam, & colorem, delabitur à ſtirpe, demittit caput, non ſtat amplius. Eaque eſt quædam ſui obliuio. Poteſt eſſe alius ſenſus, vt ſpiritus ſonet animam humanam, quæ ad tempus accedens ad corpus, & animans, deinde diſcedens in ſuum locum non reuertitur, quaſi oblita domus, aliò enim demigrauit. Nam de præſenti vita loquitur, non de reſurrectione. Quòd ſi etiā de reſurrectione, etiam tunc non erit, vt Græci exponunt, eadem domus, idem locus, ac domicilium. Erit corpus immortale, incorruptibile. Loquutus eſt autem diſtinctè de ſubſtantia, & natura corporis atque animi, ſicut & Moſes in creatione humana. Vt enim apud Moſen corpus de humo formatur, Spiritus aduenit θύραθεν, exterius à Deo: ſic ſuperius Dauid dixerat, Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, quod pertinet ad corpus ex humo mutatum in carnem: nunc autem, Spiritus pertranſibit in illum, quaſi exterius aduenit in corpus, ſed citò emigrabit, corpus exanime relinquens, & adeò relinquens, vt locum ſuum amplius non recognoſcat. Quo loco expreſſè traditur ille, quem Plato appellat χωρισμὸν, diſceſſum, ſeparationem animi à corpore, & φυγὴν, fuga. Vnde philoſophiam mortis μελέτην, exercitationem, quaſi in continua morte, nempe ſeparatione animi à corpore eſſe, præparari ad futurā ſeparationem, eamq; præmeditari.

A Eademque hæc dicuntur alio in Pſalmo, Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens. Expreſſius autem traditur hic ille ſpiritus exterius acceſſus, cùm ait, In illum pertranſibit. De regreſſu autem, vt dixi, ad vitam præſentem loquitur, & ad vitam ſentientem. Hos duos ſenſus apud Hebræos, & Græcos inuenies. Nam Rabi Dauid ſequitur priorem, Didymus poſteriorem. Euthymius propoſito primo illo, ſecundum cui magis fauere videtur, ſubiungit. Heſychius quoque οὐ γὰρ εἰς τὴν ζωὴν ἐπίπονον πάλιν ἐπιστρέψαντες εὑρισκόμεθα, Neque enim in hanc vitam laborioſam reuerſi inuenimur. Et Didymus, καὶ οὐκ ἐπιστρέφει οὐκ ἔτι ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ. Et non reuertitur, non eſt amplius in mundo iſto. Aduerte autem quod Hebraicè non eſt, Et non ſubſiſtet, ſed ואיננו veenenu, & non ipſe, ſcilicet adeſt: deſignatq; abſentiam, non priuationem ſubſtantiæ. Græcè eſt οὐχ ὑπάρχει, non exiſtet, non erit, ſicut habuit Pſalterium Auguſtini, Hebraicum abſentiam tantum. Quodque dicunt noſtri amplius, Græcè ἔτι, Hebraicum eſt עד od, etiam, adhuc, vt non ſit ſempiterna negatio, ſed præſcripta ad aliquod tempus. Huc autem tendit ratio, vt cognoſcas non eſſe ſibi inconſtantem Prophetam, cùm ſuperius aſſentientibus Hebræis fuerit locutus de reſurrectione, nunc eam videatur auferre: quoniam de ſola præſenti, & quæ nunc cernitur, vita loquitur: metaphoricè etiam dixit: Non cognoſcet locum ſuum, diſceſſum illum perpetuum vſque ad ſupremum tempus deſignans, vocanſq; incognoſcentiam, vel obliuionem, abſentiam tam diuturnam. Ac quanquam diuturnus abſceſſus, non ſemper ab obliuione eſt, ſed ſæpe cum ratione abſiſtimus, & abſumus: dixit tamen quod haberet apparentiam, hominibusque eſſet vſitatius. Alioqui rationabiliter non obliuioſè, abſunt animæ à corporibus, donec perfectio ſæculorum decurrat, donec veniat conſtituta dies à Deo. Quod apud ſummam prudentiam eius veras, optimasque habet rationes, partim manifeſtas, partim obſcuras. Locum autem animæ dixit corpus, ſicut dictum Græcè volunt σῶμα σῆμα, quaſi monumentum, ſepulchrum, & ſicut alij, nauiculam animæ: quo diſceſſus, diſcrimenq; naturæ apud omnes deſignatur. Minus eſt clarum quod tranſtulit Hieron. Spiritus pertranſibit illum, cùm in Hebraico ſit præpoſitio, In, & illud non poſſit ad animam referri. Deinde mirum eſt, quod diuus ipſe maluerit dicere, Et non cognoſcet eum amplius locus ſuus, quaſi referens hæc ad florem, & ventum, non ad animam. Nam יכירנו iakirennu, id eſt, cognoſcet, ipſe, vel ipſum, facit hanc amphibologiam. Sequendum eſt tamen quod eſt veriſimilius, & clarius.

Et nō ſubſiſtet.

Nō cogno. eū ampli', locus ſuus.

Miſericordia autem Domini ab æterno, vſque in æternum, ſuper timentes eum.

IS quoque locus duos habet ſenſus etiam apud Hebræos. Nam interpres Chaldæus tranſtulit, Miſericordia autem Domini à ſæculo vſque in ſæculum. דאתי deate, quod venit, qua locutione vſus eſt etiam diuus Paulus, anathema, maronata, id eſt, quando veniet dies iudicij, vel ſæculum futurum. Quòd ſi eſt is ſenſus: ſic videntur hæc hærere cum ſuperioribus, quòd quanquam corpus corruptibile eſt, quanquam cinis, & puluis ſumus, adeſt tamen æterna benignitas eius, quæ reuocet pios ad vitam. Huncque ſenſum exponens Rabi Dauid, Si, inquit, de vita futura locum interpretamur, dicemus quòd quanquam deficit corpus hominis, ſi tamen timuerit Deum, non deerit ei, id eſt animæ eius, miſericordia eius in æternum, dabitque ei beneficium ſempiternum, ſua immenſa miſericordia, plus quàm mereatur. Et ſicut ſeruabit hoc ſingulare beneficium illi in vita futura, ſic & filijs eius in vita præſenti. Hæc Hebræi ſentiunt. Græci quoque exponunt à ſæculo præſenti vſque in futurum, id eſt, vt interpreter Euthymium, in vita corporea nunc, & futura, hic, & illic. Iugiter, ait, miſeretur, nunquam miſereri deſiſtet, nunc quidem in diſcrimine vitæ cuſtodiens, tunc à ſempiternis ſuppliciis eripiens. Sed hęc miſericordia erit ſuper timentes eum. Iuſtitiaque eius, hoc eſt, vt vertit Symmachus, Ἀμοιβὴ κατορθωμάτων, benefactorum retributio perennis erit, tradita per ſucceſſionem, etiam filiis & nepotibus, & Deinceps. Hęc Euthymius ſelecta ex maioribus antiquioribusque patribus ſapientiſſimis theologis. Videsque ſumma omnium concordia hęc referri ad pręſentia, & futura bona, non ad reſurrectionem tantum, quę bonorum, & malorum erit, nec ad bona pręſentia ſolum, vt videtur ſecundus ſenſus offerre, & ad ſolos filios, eorumque corpoream felicitatem. Ac non video, quomodo non ſit aſſentiendum tantæ concordiæ. Eſt igitur ſecundus ſenſus, vt poſteaquam dixit homines eſſe fragiles, & carnem, ac ſanguinem, & ſæpe labi, & aduerſus numen diuinum delinquere, illius tamen ſempiternam eſſe commiſerationem, quòd non in perpetuum iraſcatur, neq; in æternum habeat indignationem, ſed tum patribus parcat, tum à ſtirpe eorum clementiam ſuam non ſubducat, habens indeficientem, & inexhauſtam humanitatem, fontemque perennem bonorum. Sicque hoc ſenſu de futura vita nihil loquitur. Videtur etiam prior non abhorrere à veritate. Quod autem dixit, ab æterno, vſque in æternum, eſt Hebraicè à ſęculo in ſæculum, quod tum duo ſęcula, id eſt, duas vitas, pręſentem, ac futuram poteſt deſignare, tum ipſam æternitatem, quæ repetitione ſæculi apud Hebræos denotatur, vt in ſæculum ſæculi, ſęcula ſæculorum, quo ſæculorum infinitas oſtenditur. Et pro miſericordia eſt חסד cheſed, beneficentia, clementia, de qua dicit Rabi Dauid, quòd ſit excellens bonitas, præſtantior benignitas.

1. Cor. 16.

Super timen. eum.

Ab ęterno vſque in æternum.

Et iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius. Et memores ſunt mandatorum eius, ad faciendum ea.

Iuſtitia.
Filij filiorum.
Teſtamentum.

EST eorundem repetitio. Iuſtitia ſonat hic liberalitatem, miſericordiam, ſicut ſuperius tranſtulerunt Sept. illam videlicet iuſtitiæ partem, quæ liberalitate, benignitateq; continetur. Duas autem dicẽs generationes, numerum certum pro indefinito poſitum, etiã Hebræi fatentur, nõ in nepotes tm̃, ſed in totã poſteritatem, benignitatem diuinã tendere. Explicatq; quod ſuperius dixerat. Et quod aiũt Græci, ἡμῶν ἐν ἡ φύσις οὕτως ἐπίκηρος ἡ δὲ θεία φιλανθρωπία τὸν μακρὸν αἰῶνα χαρίζεται βίον. Noſtra natura corruptibilis, diuina verò humanitas, longũ æuum præſtat, vt viuatur. Et vſque ad poſteritatem promiſſam patribus, aut inchoatam benignitatem proſequitur. Exemplaque afferunt de Dauid, cuius pietas toti poſteritati profuit. Teſtamentum Hebraicè dicitur ברית berith, quod fœdus deſignat, pactum, quicquid inter aliquos intercedit, quod ſibi inuicem promittunt. Lex inter aliquos ſancita, expiationibus, ſacramentis, iuramentis ſtabilita, quaſi coniugium, & cum affinitatem iuramus, quod ſolenniter, diuiniſque ceremoniis ſolet fieri. Sic Deus affinitatem, coniunctionemq́ue maiorem cum illo populo, & quaſi nuptias ſolenniter celebrauit, fœdus pepigit. Auditę voces, & tonitrua, viſa lumina cœleſtia: Et ſe ſponſum, animam ſponſam, ſe amatorem, animam amatam demonſtrauit. Hoc vocatum eſt berith, fœdus, Græcè διαθήκη, diſpoſitio, quaſi res ſolenniter, omnibus ceremoniis, ac ritibus, celebrata, ordinata, ſancita, firmata. Latinè teſtamentum, eadem ratione, quia & teſtes affuere. Conteſtor hodie cœlum, & terram ait Moſes, & ſcriptura interceſſit, & ex vtraque parte ſtabant promittentes inuicem ſibi, Deus protectionem, cuſtodiam, omnium bonorum vbertatem, populus obſeruantiam mandatorum, pietatem iuſtitiã. Tunc coiere fœdus, res ſcriptura ſancita, ſanguis victimarum fuſus. Nullæ ceremoniæ defuerunt. Qui ſeruant igitur hoc fędus, Deus ex parte ſua non deeſt, ſed ardentior eſt fœderis, & perpetuus ſeruator, ſicq́ue remuneratur in mille generationes, pietatem patrum in filios. Repetit autem id eum facere his, qui parent mandatis eius, quibus placet iuſtitia, pietas, non temere, vt quanquam ignoſcat, crimina debentibus condonet aliqua tamen ratione, & qua res excogitauit, gratia faciat. Vult enim amari ardentiſſimus amator. Moritur pius pater, remanet in poſteritatem, pietatis eius apud Deum, memoria, fructuoſæ ſemper, æternorumq́ue beneficiorum genitricis. Eſt in ſecretioribus ſenſibus Hebræorum, quòd dixerit eſſe miſericordiam eius ab æterno in æternum, iuſtitiam in filios filiorum: videlicet, quòd ſi quis ſupra, quàm præceptum ſit, operatus fuerit, ſeruatur illi ęternum beneficium: qui autem iuſtus tantum, mandatorumq́ue ſeruator, vſque in tertiam generationem. Quod quidem eſt aureis litteris incidendum. Hinc caſtitas, hinc ieiunia, & corporis ſpontaneæ, & non pręceptæ in Euangelio vexationes propter Deum. Sic beati qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Centuplum accipiunt laureis æternis apud ſuperos coronabuntur. Repetit autem, ſi filij fuerint memores mandatorum diuinorum, & fœderis, & ita memores, vt operentur. Neque enim vſquequaque filijs impiis paterna pietas prodeſſet. Augentur autem eorum bona, ſi ad paternam pietatem accedat probitas eorum. Id etiam Hebræis, & Græcis, & Latinis placet. Poteſt etiam, His qui ſeruant, qui memores ſunt, qui timent, referri ad patres tantum, quibus detur longęuum pro eorum pietate præmium. Tranſtulit autem iuſtitiam, vt dixi, Symmachus, κατορθωμάτων ἀμοιβὴν, hoc eſt benefactorum remunerationem, pulcherrimè, oſtendens diuinam iuſtitiam, id eſt beneficentiam duplici re conſtare, benefactis noſtris, humilitate, retributioneque eius, ambobus ad præmia æterna neceſſariis.

Fœdus.
Diathece, diſpoſitio.
Berith.
His qui ſe.
Opera ſuperrogationis.
Et memo. ſunt, &c.

Dominus, in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Aula Dei.
Parauit.
Sedes dei.
Parata.

CONſequuntur hæc cum ſuperioribus, quoniam narratis ineffabilibus eius erga homines beneficijs, quorum laudandorum nullus eſſet finis, reflectit mentem ad æternitatem magnitudinemq; Dei, defixus in eam, & vt ſolet admirans, ac benedicens, conuerſus à terrenis ad cęleſtia, à beneficiis, quæ largitur affatim terris, ad æternas arces, vbi aula Dei & thronus eius. Prouidentiam rerum mundanarum elocutus, ad altiſſimum ipſum creatorem ſe recipiens, prius ſedem digniſſimam, celſiſſimamq́ue eius, gloriamq́ue referens, tum vicinos, & famulos aſtantes conuocans Angelos, vt Regem illum ſuum maieſtatis ineffabilem, collaudent, ſuſpiciant, admirentur, qui tantus ſit, tam bonus, tam beneficus. Et vbi mortalis lingua, ſonusq; humanus non ſufficit, ipſi diuinis, & immortalibus laudibus ſuis ſuppleant, quorum eſt ἀκάματος αὐδὴ, humanæ imbecillitati ſuccurrentes. Primumq́ue cùm dicit Parauit, Hebraicè הכן hakin, ſtabiliuit, firmauit, fixit. Solent quidem communiter hoc verbum Septuaginta transferre ἑτοιμάζω, ſed ſonat etiam firmo, ſtabilio, vt illud, Erit mons Domini paratus ſuper verticem montium, dicendum ſtabilitus. Et Parata ſedes tua ex tunc, hoc eſt firmata, ſtabilita. Et Chaldæus pro hoc Hebraicè poſuit אתקין atkin, diſpoſuit, fixit. Et Hieronymus ſtabiliuit. Sedes autem eſt כסאו kiſeo, ſolium ſuum, proprie regia ſedes. Et Græcè θρόνος, thronus. In cęlo autem dicit thronum Dei ſtabilitum, ac defixum. Qualia de ſtabili ſede Dei, atque diuinis hiſce litteris prorſus conſentanea locutus eſt Homerus. Vt enim hic, & alibi dicitur, ſedes Dei ſtabilita, firmata, quaſi incorruptibilis, indelebilis, regnum immortale, ſic ille;

Οὐλυμπόν δ᾽ ὅτι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι. οὔτ᾽ ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ᾽ ὤμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλανται, ἀλλὰ μάλ᾽ αἴθρι
Πέπταται ἀνέφελος λευκὴ δ᾽ ἐπιδέδρομεν αἴγλη.
Τῶ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ, ἤματα πάντα.
Venit Olympum, vbi ſedes inconcuſſa Deorum
Dicitur eſſe, haud hæc ventis agitatur, & imbre
Alluitur, niue nec tegitur, ſed purior aura,
Et ſine nube volat, paſſim lux alba vagatur:
Hic Dij felices lætantur ſecula cuncta.

Ecce, vocat ſedem Dei ἀσφαλὲς, ſtabilem, firmam. Hinc forte ſidera dicta, quaſi ferrea, nullo ſenio terenda. Deſcribitque Homerus diuinè locum illum dicens, φασὶ, aiunt, ibi eſſe thronum Dei. Siquidem omnis eſt mortalium conſenſus, vt ait Ariſtoteles, propriam Dei ſedem eſſe in cœlo, & cęlum eſſe τὸ οἰκητήριον αὐτοῦ, habitaculum eius, vnde, inquit, Deo ſupplicantes, manus in cęlum tendimus. Et Poetæ antiqui ſemper de Diis ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες, cęleſtia templa tenentes. Et Dñs Iesvs deſcendit de cœlo, & reuertentem diſcipuli videbant, verſus cęlum tendere. Eſt quidem Deus vbique, ſed vno in loco, ſi tamen locus eſt: nam vbi eſt Deus, neque locus eſt, vt ait Ariſtoteles, neque tempus: extra mundum, præclariſſimè, diuiniſſimè, glorioſiſſimè, maieſtas eius refulget: vbi tot millia millium ei aſſiſtunt, vbi omnium rerum eſt abſolutiſſima felicitas, ſplendor, & claritas æterna. Ergo dicitur ibi eſſe thronum, quo ad licet è noſtris, & per ea, quæ facta ſunt, inuiſibilia cognoſcere. Nam ſi propriè loquamur, nullus in cęlo Dei thronus, nec Deus ſedet, nec habet membra apta ad ſedendum. Sic non poſſumus intelligere quomodo exiſtens vbique, in cælo tamen certam habere ſedem à theologis, philoſophis, Poetis, omnibusque mortalibus dicatur. Et tamen vidit Propheta in excelſo throno ſedere virum quem adorat multitudo Angelorum pſallentes in vnum. Et Eſaias vidit Dominum ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Et Dominus Iesvs, corpus habens ſimile noſtro, ſupra ſidera eſt, in diuiniſſimis regionibus. Sic appellatur Deus ὕψιστος,, altiſſimus. Tria verò deſignat cùm Deum dicit in cęlo ſedem ſtabiliſſe, æternitatem regni, quia ſtabilitum, & firmatum eſt: nobilitatem, quia in loco regaliſſimo: infinitam poteſtatem, quia non alius thronum eius poſuit, & ſtatuit, ſed ſolus ipſe, ipſe ſui regni cauſa, ipſe ſibi bonorum autor, ideo dictus ab antiqua philoſophia, αὐτογενὴς αὐτοτελὴς, αὐτάρκης, αὐτοπρεπὴς, per ſe genitus, à ſe perfectus, ex ſe pulcher, ſibi ſufficiens. Ac poteſt dici hic eſſe, vel tropum, vel proſopopęiam. Datur enim ſedes, & ſeſſio non habenti, & re humana veſtitur diuina, ſceptro, & ſede, & loco nobiliſſimo, atque incorruptibili, regnum nobiliſſimum, & immortale deſignatur. Sedere dicitur, vt aiunt Hebræi, in altiſſimo ſupra omnes loco. Si enim inquiunt, ipſe eſt in cęlo, & in excelſo throno, ecce omnia cęleſtia, & terreſtria ſubiacent ei, & regno eius. Ideo dicit, Et regnum eius omnibus dominabitur. Et Euthym. τὸ ὕψος τῆς βασιλείας θεοῦ τὸ ῥητὸν ἐμφαίνει. Et quoniam vniuerſa ſubdita ſunt ei, & regno eius, ob hoc benedicite eum ſurſum, ac deorſum cuncta, præcipuè Angeli ſui, qui tenent in hoc regno principatum, incipitq́: à maioribus, deſinens in infimos. Ac Chaldæus, vt plerunq; ſolet nomina Græca vſurpare, ſolium appellat כורסי curſe quaſi vt reor κῦρος, Cyros, id eſt autoritas, ſtabilitas, poteſtas, ſoliumq́; autoritatem, & regnum Dei deſignabit. Quodq́; dicit, Et regnum ipſius omnibus dominabitur, eſt præſens משלה mashala, dominatur. Hinc à Poetis Deus vocatur ὕπατος κρειόντων, omnium imperantium maximus, Rex regum, Dominus dominantiũ.

Sydera.

Antropopathia.

Regnũ ipſ. omni do.

Cyrus.

Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius.

HAec eſt Pſalmorum, diuinarumq́ue ſcripturarum maieſtas, nunc hoc, nunc illud myſterium nobis reuelantium. Panditur enim hoc, & ſequenti Pſalmo, omnis fermè, quę de Angelis à mortalibus ſciri poſſit, philoſophia, quemadmodum ſuperius omnis ſcientia de Deo. Inuitat eos primum, vt benedicant Dominum, quo inæqualitas, & ſubiectio demonſtraretur, demonſtratur princeps eorum eſſe Deus, ipſos aſſiſtere tanquam in aula principis ſui, voce, obſeruantia, obedientia venerantes. Proponitur item eos eſſe miſſos, famulos, nuntios, miniſtros: tum fortes eſſe, magnosq́ue Heroas, principes, rerumq́ue rectores, robuſtos: ideo Græcè dicuntur δυνάμεις, ἐξουσίαι, poteſtates, autoritates. In ſequenti Pſalmo dicentur fulmina, fulgura, venti rapidiſſimi, velociſſimi, hic quoque dicuntur ſicut alibi exercitus Dei, quaſi innumerabiles copiæ circunſtantes eum. Quæ tota fermè eſt de Angelis, quanta narrari poſſit, philoſophia. Obedientia igitur qua Deo parent Angeli, ſicut indicat eos eſſe creaturas eius, quod & antiquis confeſſum, & prædicatum eſt, vt quòd Empedocles dicit omnia ab vno nata, etiam δολιχαίωνας θεοὺς, longæuos Deos, & Heſiodus, Scito, ait,

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ᾽ ἄνθρωποι.
Eſſe homineſq́ue Deoſq́ue, eadem ab radice creatos.

Angeli.

Peſtilentia Sennacherib.

Potentes virt.

Poteſtates Facientes ver.e.

Aud. vo. ſer.e.

Sic docet quid agant, quo munere in mundana repulica fungantur. Neque vero, ſicut clariſſimè traditur eorum famulatus, imperiique diuini executio, traditur item, quod philoſophi poſtea finxerunt, in quo Hebræi eos ſequuntur, quod moueant orbes cœleſtes, quorum ſit poteſtas, quòd moueant orbes cœleſtes. Hoc etſi fortè theologiæ contrarium non ſit, obſcuriſſimum tamen eſt, nec quod vllo poſſit ſcripturæ teſtimonio probari. Et Auen Eſra, quòd erat Aſtrologus, ab eis, ait, vel per eos deſcendere influxus cœleſtes, ſicut peſtilentiam Sennacherib. Dicendum illam peſtilentiam non fuiſſe influxum cęleſtem, ſed diuinum, extraordinariumque prodigium. Ac quanquam Angeli miſſi ſæpe ad aliqua immitenda ſupplicia dicantur, non poteſt tamen eo colligi, à cęlo, & aſtris bona cladeſque eos dediſſe: nec apud Græcos theologos ea reperies. Miſſi igitur, qua ratione, & miniſtri dicuntur. Potentes autem virtute, id eſt robore, ſicut ſonat, choak, Hebraicum, & Græcum, δυνάμει, vt vertit Hierony. fortes robore, quia vt Hebræi aſſentiuntur, non ſit vſquam maior poteſtas, quæ poſſit eis reſiſtere. Et Chryſoſtomus plus vnum Angelum poſſe, quàm omnes ſimul mortales. Hinc etiam dicuntur κρείττονες, potentiores, meliores. Potentes ait pro cæteris Græcis dictos Euthy, quod vis eorum ſit ἀγήρως ἀνόλεθρος, inſeneſcibilis, incorruptibilis, & poteſtates eos vocatos, quòd exequi poſſint, quæ iubentur. Quòd autem dicit, Facientes verbum eius, Hebræi referunt, quòd non ſint quales mortales, mercedem à Deo operum bonorum expectantes, ſed merces eorum, & voluptas, ac gloria ſit optemperare iuſſis eius. Græci ex parte referunt ad id, quod ſunt vocati potentes. Quæ vera ſunt omnia. Facere autem verbum, Hebraiſmus eſt, quaſi iuſſa exequi, verbum autem, & vocem attribuit Deo tropicè, pro his imperiis, quibus ipſi inuiſibiles, inuiſibiliter parent. Referunt hoc Græci ad id quod etiam cognouit Plato. Vtuntur enim, & ipſi verbo quo Plato eſt vſus διαπορθμεύειν, perferre à Deo ad nos mandata. Hinc Plato vocat, eos ἑρμηνεῖς, interpretes, & Philon ὑποδιακόνους. Hocque eſt audire verbum, res humanas ad nutum Dei eos regere. Quòd poetæ in ſacra theologia, & apud Aegyptios audientes, finxerunt nuntium quendam patris ſummi, vocantes eum Angelum, & Hermen interpretem, ei & alas volucres, & celerem à cęlo in terras volatum tribuentes. Hoc, vt alia pleraque à ſacris litteris acceptum. Cùm ergo audis poetam,

Dixerat, ille patris magni parere parabat
Imperio, & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem illum, ſiue æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Scito eſſe hæc ſacra, in antiqua theologia, quam Homerus didicit apud Aegyptios, reperta. Non multum refert quòd ſit non ſermonum, ſed דברו debaro, ſermonis eius.

Benedicite Dominum omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

Virtutes.

Deus Sabaoth.

Error gręcorũ, ſuper angelis.

PRo, Virtutes, Græcè δυνάμεις, quod iuxta Hebraicum צבאו zebau, ſonat copiæ eius, exercitus eius, ſicut vertit Hieron. Hoc enim eſt, quòd maximam Dei gloriam quotidie efferimus, canentes eum eſſe Dominum Deum Sabaoth, id eſt cæleſtium exercituum, innumerabilium Angelicarum copiarum ductorem, ac principem, quo poteſtas eius immenſa deſignatur, quippe quæ tot millibus tantorum, tanquam potentum Heroum, ac principum, & Deorum anteeat, & qui per omne cęlum, innumeris his exercitibus, ſicut Plato de Ioue dicit, comitatus eat. Siquidem etiam hic eſt nomen Iouis, In Hebraico Iehouah. Hoc item ex eo, quòd eum poetæ vocant regem Deorum, ac patrem. Eſt enim in eo magna, apud eos perinde, atque noſtros theologia. Quare zebaaoth ſonat innumerabilem, omnem Angelorum multitudinem. In quo Græci non vſquequaque ad verum attigerunt, putantes hoc nomine δυνάμεις, deſignari aliud quoddam Angelorum genus, qui poteſtates dicantur, ſicut ſuperius Angeli. Dicendum δυνάμεις, eſſe copias omnes generatim cœleſtes, diuinos exercitus. Sunt enim, vt ait Philon, Angeli στρατιὰ τοῦ θεοῦ, exercitus Dei. Quo Græci filium vocant ἀρχιστρατηγόν. Quod. facilius didiciſſent, ſi vidiſſent in fonte eſſe nomen exercitus, ac militiæ. Et Græcè δυνάμις, ſonat quidem potentiam, virtutem, atque item exercitum, belligeras copias. Eſt igitur hoc loco, ſicut item in toto Pſalmo eorundem repetitio, maiorque declaratio. Nam vbi ſuperius vocauerat eos robuſtos, robuſtiſſimæ virtutis, valentes, quod eſt Hebraicè ghibborim, hic vocat exercitus, copias, militiam; ſicut, & Ieſus, legiones. Et vbi dixerat eos ibi facere verbum eius, hic eos vocat miniſtros eius, famulos, parere paratos. Et quod illic verbum eius, hic voluntatem eius.. Sicque aliis verbis repetita ſunt clariora. Et magna eſt hoc pſalmo de diuinitate, & Angelis philoſophia. Declarata eſt ſuperius natura diuina, quid cupiat, quid agat in mundo, ex operibus autem, & ſtudiis fiunt animi, qui non videntur, manifeſti. Sic agnoſcimus hic quid ſint, quid faciant Angeli. Beatus, qui meditatur in his die, ac nocte.

Benedicite Dominum omnia opera eius, in omni loco dominationis, benedic anima mea Dominum.

INuitauit ad laudandum Deum, prius ſe ipſum, commemorans ſecum eius ſummam bonitatem, infinitam clementiam, incommemorabilemq́; lenitatem, manſuetudinem, quibus peruagatis, ſuſpiciens Angelos, & eos famulos Dei, abſolutiſſimæ, & immortalis ſapientiæ, conſpectu Dei fruentes ſciens, orauit ſupplex, non vt faciant, quod indefeſſe eos facere norat, ſed quaſi humanam vocem debilem, & fragile ingenium cognoſcens, precatus eſt, quorum ſit ἀκάματος αὐδὴ, vox indefatigabilis, pro ſe reſpicere, & laudare regem illum, eos felicitatis ſuæ pariter admirans. Tum deſcendit ad omnia mundana opera, conuocans ad eius laudem, & admirationem, cultumque vniuerſa. Pòſt in ſeipſum reflectitur. Ac cùm dicit opera eius, innuit, cœlum, ſidera, elementa, quæque ex elementis exiſtunt, animalia, plantas, ζωόφυτα, ſubterraneas metallorũ temperies, vt nihil ſit quod non ſuum recognoſcat autorem. Sicut dicitur in multis aliis pſalmis. Cumque ait, In omni loco dominationis eius, ſi quis hæc ad philoſophiam reuocet, pulcherrimè ſequentur. Omne enim elementũ, & omnis res ex elementis, naturalem habet ſitum, & locum. Totque ſunt loca, quot res à Deo creatæ, & in ſuis ſedibus poſitæ. Totus quidem mundus eſt locus vniuerſalis dominationis diuinæ, aſſerentibus philoſophis tẽplũ Dei eſſe totum mundum, & Deorum, atque hominum eſſe domum. Quocunque oculos inflectas, ſurſum, ac deorſum tendit regnum Dei, nullis metis definitum, ſi non ſolum noſtrum mundum, ſed multò magis mundum ſupernum reſpicias. Locum dominationis diuinæ videtur eadem figura dixiſſe, qua dixit ſolium eius in cęlo defixum, à ſimilitudine regum viſibilium, qui & ſoliis regiis ſedent, & eorum regna locis, ac regionibus deſcribuntur, prouinciaſque ſubiectas habent, diuerſaq́; hominum genera. Græci nullum eſſe locum qui non ſit regni eius. Vbicunque igitur fuerimus, eum laudare neceſſe eſt, etiam cùm dormimus, vt ait Auguſtinus. Et vt magis ipſi incendamur, inuitantur inanimata. Atque iidem obſeruant, Iudæis hunc Pſalmum conuenire non poſſe. Quomodo enim inquiunt, cantabimus canticum Dñi in terra aliena? Non poſſunt in terra aliena cantare. At Apoſtolus iubet, vt omni in loco manus ſupplices gratias agentes tendamus. Totus ergo mundus eſt regnum Dei. Ac Pſalmus eodem fine artificioſè clauditur, quo principio fuerat inchoatus, vt ſit vbique laus, & benedictio. Et, vt Auguſtinus ait, Ipſe vltimus verſus eſt, qui primus, benedictio à capite, benedictio à fine.

Opera e.

In omni lo. do. c.

PSALMI CIII. EXPLANATIO.

HVic Pſalmo nullus appoſitus eſt titulus, quo vel autoris nomen declaretur, aut genus modulaminis, quo caneretur, ſiue ſubiectum, reſq́; indicetur. Quinetiam, nec nomen Pſalmi eſt adiectum, vt non modò non dicat Pſalmus Dauid, ſed ne Pſalmus quidem. Recurrendum igitur ad ſolitam Hebræorum, ac Græcorum admonitionem, quoties inſcriptione careat Pſalmus, eſſe vniuerſalem, ſolutamque rerum conſiderationem. Quanquam omnes ferè ab iſto qui ſequentur pſalmi, nec nomine pſalmorum nuncupãtur, nec autorem indicant ſuum, non modulatum, non ſubiectum, ea fortaſſe ratione, quòd poſſet ex pręcedentibus ſciri, & autorem eſſe Dauid, & hanc eſſe ſicut, & cæteras, odam diuinam. Neque enim & libri Pentateuchi habent vſquam nomen autoris aſcriptum. Liber quoque Sapientiæ caruit titulo autoris. Sunt id genus multa. Neque in hymnis Homeri in vniuſcuiuſq; principio nomen autoris aſcriptum inuenias, iam ex præcedentibus clarum. Sic cùm conſtet ex ſuperioribus inſcriptionibus autor Pſalmorum, omittitur hoc loco: ſimiliter erat clarum, pſalmum, aut Odam hanc eſſe. Neque enim curæ nobis ſemper eſt inculcare, quæ ſuperius dixiſſemus. Has eſſe conſtat veriſimiliores huiuſce rei cauſas. Vt enim non negabis, tametſi deſit nomen pſalmi, hunc eſſe pſalmum: ſic tametſi deſit nomen Dauid, non conſequitur pſalmum, aut nullius eſſe, aut non ipſius Dauid. Philoſophatur autem is pſalmus altiſſimè de rerum creatione, vt ſit quaſi quædam naturalis ac diuina philoſophia, quædam Geneſis, quidam Timæus Platonis. Vt enim illic cęli, ac terræ, Deorum, hominum, cęterorumq; animalium creatio, ſic in iſto pſalmo, omnia hæc diuinè deſcribuntur, ſimilis eſt quædam philoſophia. Idem fecit, & eadem propè, atque autor iſte, ratione, Ariſtot. in libro de Mundo, in quo pulcherrimè ac diuinè, prorſusq; huic ſcriptori ſacro conſentaneè, de toto mundo diſſeruit. Idem poſtea Philon Iudęus duabus orationibus, duobusq; locis totam mundi vniuerſitatem diuinè complexus, pluresq́, alij fecerunt, cùm ſublatis oculis in cęlum, tum in terras & mare porrectis, omnia admirationis plena, plena diuinę harmoniæ, incomprehenſibilis ſapientiæ repererunt. Quarum rerum conſideratione ſatiari non poterant. Hocq; eſt munus ſapientię, viuere qua parte maximè homo es, ratione, intelligentia, ſemper in conſideratione rerum diuinarum, & admiratione creatoris perſiſtere. Pythagoras quidem autore Iamblicho à Deo natos homines, vt cognoſcerent, intelligerent, præcipueque cęlum, ac ſtellas ſuſpicerent, vt & qui ſtellas creaſſet, & motum, ordinemque dediſſet, intelligerent, ἐπὶ τό γνῶναί τι καὶ θεωρῆσαι πᾶς ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ θεοῦ συνέστηκεν. Illum item beatiſſimum

Liber Ariſtotelis de mundo.

Viuendũ nobis qua parte ſunt homines.

tiſſimum fore dicit Architas Tarentinus, & hanc eſſe certam ad veram beatitudinem, veramq; ſapientiam, viam, ire per omnium rerum ad ſuum caput coniunctionem. Deducere omnia à principe ſuo Deo, deinde reflecti ab his ipſis ad ipſum principium: vt tum cognoſcas pſalmi huius maieſtatem, tum noſcas conſenſum omnium ſapientium, & nos ad conſiderationem rerum cohortantium, quibus cognitis, quia tollemus oculos ad autorem, in cuius agnitione eſt vera beatitudo, beati in hoc mundo ſimus, & in futuro. Architas veſtigia priorum ſecutus monuit faciendum, quod fecit autor huius carminis, his verbis Doricè, vt ſolebant Pythagorei: ὅςις ὧν ἀναλῦσαι, οἷός τε ἐςὶ πάντα τὰ γένεα: ὑπὸ μίαν τε καὶ τὰν αὐτὰν ἀρχὰν καὶ πάλιν συνθέμεναί τε καὶ συναριθμήσασθαι: οὗτος δοκεῖ μοι καὶ σοφώτατος ἦμεν καὶ παναλαθίςατος ἔτι δὲ καὶ καλὰν σκοπιὰν εὑρηκέναι ἀφ' ἇς δυνατὸς, ἐσεῖται τὸν θεὸν κατοψεῖσθαι, καὶ πάντα τὰ συςοιχεία καὶ τάξει τὰ ἐκείνω κατακεχωρισμένα καὶ ταύταν ἁρματήλατον ὁδὸν ἐκπορισάμενος τῷ νῷ κατ' εὐθεῖαν, ὁρμαθῆναι, καὶ τελευδραμῆσαι τὰς ἀρχὰς τοῖς πέρασι συνάψαντα, καὶ ἐπιγνόντα ὅτι ὁ θεὸς ἀρχά τε καὶ τέλος καὶ μέσον ἐςὶ πάντον τῶν κατὰ δίκαν τε καὶ τῆς ὀρθὸν λόγον περαινομένων. Quæ ſunt: Quicunque igitur poſſit omnia genera rerum ſub vnam, eandemq; originem reuocare, ac reſoluere, is mihi ſapientiſſimus, & verè perſpicaciſſimus videtur: & inueniſſe pulchram ſpeculam, ex qua poſſit Deum, & omnia quæ in cohorte, dependentia, & ordine eius exiſtunt, cernere. Hacq; clata, & certa via, menti ſuæ patefacta, rectè poſſe contendere, & ad metam excurrere, principia finibus connectens, cognoſcensque Deum eſſe principium, & finem, & medium omnium, quæ moderatè, & cùm ratione fiunt.

Deus. Principiũ. Medium. Finis, omnium bonorum.

Et Archytæ teſtimonio rerum vera contemplatio facit vt cognoſcatur Deus, laudetur, ſuſpiciatur, in maxima veritate animus verſetur, eum noſcens efficiatur beatus. Hæc eſt via regia, cùm ad vnum caput omnia reuocamus, principium, medium, finemq; omnium rerum, Deum intelligimus. Tanta eſt autem horum dictorum veritas, & adeo placuerunt, vt & Plato ea vſurpauerit, & Ariſtoteles in libro de Mundo confirmauerit, approbauerit: Ex aſpectu autem iſtius mundi oritur Dei cognitio, & admiratio.

Philon.

Cui enim ait Philon cum primum ſtatuas, aut picturas vidiſſet, non ſtatim venit in mentem, ſtatuarij, & pictoris? Quis veſtes, aut domos contuitus, non notionem accepit ſutoris, ædificatoris? In vrbem quis introgreſſus bene inſtitutam iuſteque viuentem, quid aliud ſuſpicabitur, quàm eam ab optimo Senatu gubernari? Sic qui in mundum tanquam magnam quandam vrbem verè ingreſſus ſit, contemplansque montes, & campos, animalibus, & plantis, fluminibus perennibus refertos, maris item ſinuumque profuſiones, veris temperiem, annuas temporum mutationes, deinde Solem, & Lunam diei, noctiſq; præſides, cæterarumq; errantium, & nõ erratiũ totiuſq; cæli conuerſiones, & choreas ſuſpiciens, non iure quidem, ſed neceſſariò ſententiam apprehendet creatoris autoriſque. Hæc quidem Philo.

Ariſtote.

Ariſtoteles autem diuino quaſi ſpiritu afflatus, mirabilem nobis rationem Dei ex rebus, quæ ſunt in mundo cognoſcendi demonſtrauit, vt dignus ſit quem audire, & ſuſcipere ob hanc cauſam debeamus. Sicut, inquit de anima, cuius opera ſunt, domus, ædificia, vrbes, agriculturæ, conciſiones, artes, vſus legum, bellum, pax, ipſa tamen harum tantarum ſenſibilium rerum autor eſt inuiſibilis: ſic de Deo ſentire debemus. Qui poteſtate quidem fortiſſimus, pulchritudine formoſiſſimus, vita immortalis, virtute ſit optimus, quod etſi omni mortali naturæ ſit inuiſibilis, ex ipſis tamen operibus videtur.

Heb. 1. a.

Nam affectiones omnes, ſiue quæ in aere, ſiue in terra, & aqua fiunt, opera Dei dicenda ſunt, qui ipſum ſuſtinet mundum. Hæc ſummus ille vir. Apud quem videmus maximam noſtræ theologiæ partem, exploratumq; eum habuiſſe, opera teſtari opificem naturæ, quemadmodum & animam inuiſibilem. Ex operibus autem, quoniam oculis videri non poteſt, apparere eum eſſe fortiſſimum, optimum, æternum.

Rom. 1.

Reſpiciant hoc exemplum, quod de anima noſtra dedit Ariſtoteles, quicunque Deum, quia inuiſibilis ſit, non percipiunt. Opera, inquit idem, quę ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me. Habes etiam apud Ariſtotelem nomina Dei, apud Hebręos celebrata. Dicitur fortiſſimus, cui reſpondent El, Elohim, Gręcè ἰσχυρός. Dicitur ſpecioſiſſimus, de quo in pſalmo, Specioſus forma, & Specie tua, & pulchritudine. Hoc quoque pſalmo, vbi dicitur, Confeſſionem, & decorem induiſti, pro Decore Gręcè μεγαλοπρέπεια, id eſt, magnus decor, Ariſtoteles eodem modo eum dicens εὐπρέςατον. Deinde eſt nomen bonitatis. Solus enim Deus eſt bonus. Et in antiqua philophia τὸ ἀγαθὸν, ſummum bonum, aut ipſum bonum. Immortalis item, ob quod vocatur in noſtris litteris ὁ ὢν, qui eſt, quod ęternitatem deſignare Græci teſtantur.

Qui eſt.

Totus item pſalmus is canit omnia, quę cernimus, poſſeſſiones, operaque eſſe Dei. Beati igitur qui Deum ex operibus cognoſcentes, & amantes, in eius cultu laudibuſque omnem eis certum eſt tranſigere vitam. Sicut fecit Vates, & à Sibylla eſt etiam prædicatum:

Ὄλβιοι ἄνθρωποι κεῖνοι κατὰ γαῖαν ἔσονται,
Ὅσοι δὴ ςέρξουσι μέγαν θεὸν εὐλογέοντες.
Πρὶν φαγέειν, πιέειν, πεποιθότες εὐσεβίῃσι.
Felices homines in terris atque beati,
Qui magnum coluere Deum: laudantque, priuſquam
Ad menſas adeunt, freti pietate perenni.

Hoc

A Hoc igitur factum eſt hoc Pſalmo, quo continetur altiſſima, veriſſimaque, quam Architas, Plato, Ariſtoteles, & Philo dicunt, philoſophia. Panditur illa συστοιχέια, coordinatio, coelementatio, rerum ſeries, ab vno Deo dependens. Ideoque hęc omnia diuinus Vates cognoſcens, cognouit, vt illi aiunt, & cognitum eſt admiratus. Primamque vocem quam tulit, ab admiratione, & laude creatoris, inchoauit, philoſophiæ ſuæ verum fructum conſecutus.

BEnedic anima mea.

Anima.
Amor ſui.
Alloquũt. ſe, vates.

PRIMVM quod ſæpe in noſtris interpretationibus eſt obſeruatum, admonendi ſumus, animam in Hebraica dialecto deſignare ſubſtantiam, & ipſummet vnumquenque, priuatamque cuiuſque perſonam: vt, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur, id eſt, quicunque peccauerit. Et in Iob, Tantum animam eius ne tangas, id eſt, eſt, Datur tibi facultas vexandi opes, poſſeſſiones, bona fortunæ, perſonam autem eius, & ipſummet non datur. Et, Qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Quod nunc verum habet ſenſum: Quicunq; vult ſeipſum ſaluum facere, perdet ſeipſum. Et, Qui odit ſeipſum in hoc mundo, in vita æterna cuſtodiet ſeipſum. Damnabat enim omnium malorũ fontem φιλαυτίαν, charitati perinde aduerſam, ſicut eſt impietas pietati, auaritia liberalitati. Quo bona cæleſtia contemnuntur, voluptate, quam qui ſequitur, indicat ſe ſui amatorem, ad omnia vocante. Noſtræ & vitæ, & ſapientiæ princeps docuit veram virtutem, & certam ad cœlum viã, eſſe ſeipſum contẽnere. Is eſt verus eius locutionis ſenſus, cui correſpondet fermè quod ait pſalmus, Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Id eſt ſeipſum odio habet, perniciem ſuam ſtudet, qui malefactis delectatur. Neq; verò aduerſantur Euangelium atq; Pſalmus, ꝙ ſeruator ibi dicat, qui animam ſuam odio habet, vitam æternam conſecuturum: Pſalmus odio habere animam ſuam, qui diligat peccare, quaſi Chriſtus cum nos odiſſe iubeat animam noſtram, iubeat diligere iniquitatem. Nam Hebræi oĩa ad corporea bona referebant. Ieſus autem Chriſtus, qui primus regni cæleſtis famam diuulgauit, iubet contemnere, quę bona in antiqua lege putabantur, neq; ſperanda amplius reſpiciendaq; vitę iſtius commoda. Alloquitur ergo ipſe ſe ip ſum, & cohortatur Vates, quod genus etiam apud antiquos Poetas inuenias. Quoties Homerus inducit magnos viros ſeipſos cohortantes, idque præcipuè cùm ad aliquam egregiam rem ventum eſſet:

Cor patere iſtud, namque hoc & maiora tuliſti.

Anima.
Animus.
Nephes.
Ratio, ſe ipſ. alloquendi.
Benedicere.

Et cum ſæpe dicit homines affatos πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμὸν, ad ingentẽ animum ſuum: quodque Hebræus alloquitur animam ſuam, ab Homero dici apparet quòd alloquerentur illi aut animum ſuum aut cor ſuum. Siquidem anima dicitur Hebraicè nephes, proprieque ſonat ſpiraculum, ſicut & Latinè anima, id eſt, ἄνεμος, ventus. Spiraculum autem cum à corde eſt, præcipuo totius vitæ membro, propter calorem & ſanguinem, ex ſanguine efficitur ſpiritus, tum refrigerat cordis calorem. θυμὸς, autem eſt acumen illius ſpiritus. Dicamus ergo proprium hominem, à diuerſis partibus præcipuè appellari, à corde, ab anima, ab animo. Illiq; ab Homero, cum ſecum loqui introducuntur, cum corde aut cum animo loqui introducuntur, Hebræus cum anima ſua. Alloquendi autem, & cohortandi ſe ipſum ratio, duas res indicat, tum aliorum abſentiam, & tacitas meditationes, tum impulſum quendam, motumque mentis in ſeipſum, & quaſi vehementem conſiderationem. Ex quo, & animi libertas declaratur, ſeipſum in quam velit partem vertentis, ſibi ipſi iubentis, tum illam in ſeipſam reflexionem immortalitatis ſignum voluerunt eſſe quidam. A nullo enim inchoatur ille motus, ſed circumuertitur non motu à ſenſibus, ſed occaſione mouendi tantum accepta. Declaratur item animus ſeipſum intelligere. Senſus autem ſeipſum non cognoſcit. Non diſplicet quod Hebræi dicunt, quia ſolus homo noſcat opera Dei, eo cohortari ſeipſum Vatem, quaſi diceret, Benedic anima tu quæ ſapis, quæ ſentis, quæ intelligis ſola. His omiſſis, verbum benedicendi conſideramus. Benedicere Hebraicè dicitur barak, Græcè ſicut & Latinè εὐλογεῖν, ab oratione, & ore: vt ſit vtraque lingua dicere verba bona, verba laudantia, commendantia, tollentia. Verbum Hebraicum refertur quidem ad ſermonem, ſed propriè deſignat vbertatem, fluentiam, inundationem, vnde eadem voce birkah, piſcina, vt deſignet inundare in commendationes, pandere os in laudes, effundere abundantem orationem. Neque enim etiam Græcè, & Latinè eſt aliud benedicere, quàm multa dicere. Bona enim & entia conuertuntur. Idemque eſt bonum, & eſſe. Vbi bonum, etiam eſſe. Qui benedicit, bona dicit: qui dicit bona, dicit multa, dicit magna, dicit maximè exiſtentia, dicit magnum eſſe habentia: Magnum ſplendorem, magnum lumen, grandia, excelſa, mentem, & os implentia. Sicque efficitur, vt quanquam videatur diuerſa deductio, idem tamen ſit ſenſus Hebraicæ vocis, atque Græcæ, & Latinæ. Benedicitur Deus, cum ore noſtro grandeſcit, cum maximis factis eius implemus animum, & os: cum dicimus grandia, cum fluit oratio grandis à cogitationibus animum implentibus, & in ſtuporem adducentibus. Cum tantus eſt in ore, quantus in oculis, & multo quidem maior. Nam os deſeruit menti, mens acceptas ex oculis res perpendit, & ſæpe parnæ ab oculis acceptæ, in mente grandeſcunt, vagante, diſcurſante, comprehendente. Hoc cupit à nobis Deus, magnitudinem eius cognoſcamus, cognoſcamus pariter & admiremur, magnificemus, grandeſcat apud nos, quo ad mens, & os capiant. Hoc fecit diuinus Vates. Impleuerat animum D ſuum operum diuinorum admiratione, tum ſeipſum ob magnitudinem rerum, qua mouebatur, impellens effudit res grandes Dei. Ac quod ait,

Dominum.

Iehouah, Qui eſt, Ipſum eſſe

HEbraicè eſt nomen Tetragrammum quatuor litterarum. Iehouah, quod idem eſt apud Hebræos, atque Græcos in ſacris litteris, יהוה qui eſt apud antiquos philoſophos, rerum diuinarum non ignaros, neutro genere τὸ ὂν, ipſum eſſe. Quod bene admonent Græcè dicentes τὸ ὂν ἀιδιότητος δηλωτικὸν, hoc nomine deſignari æternitatem. Dicitur enim, qui eſt, quia ſemper fuit, non habens, vt inquit ſapiens Plato, præteritum, aut futurum, inclinationes temporis, ſed ſolam præſentem æternitatem. Nam cum ſolus Deus habeat immortalitatem veram, & æternitatem, ſolus appellatur, Qui eſt: & hoc nomen proprium eſt Dei, iuſtiſſimaque ſubſtantiæ, naturæque ſuæ appellatio. Diciturque Qui eſt, vel exiſtens, non tam propter æternitatem, quàm vniuerſitatem. Ens vniuerſale, multò magis quàm cœlum & terra implens omnia intra & extra mundum, omnium rerum fontes, & perfectas rationes continens. Exiſtens, omnes res poteſtate. Eſt autem quanquam hęc appellatio patris ſummi, quia in priſca philoſophia τὸ ὂν τὸ ἀγαθὸν, dicitur, propriè tamen filij Dei, in quo ſunt omnium rerum rationes. Atque hunc potiſſimum reſpexiſſe diuinum Vatem hinc clarum, quòd celebrat factorem cęli, & terræ, rerum terreſtrium, ac cęleſtium. Hunc autem eſſe filium Dei, verbum, rationem, ideam omnium rerum, ſapientiam patris, & etiam à priſcis philoſophis ſumma veneratione traditur. Nam apud Anaxagoram mens exornat mundum, digerit cahos. Apud Platonicos, mens eſt ſecundum principium poſt patrem, poſt ſummum bonum, eſtque principium mundi, eſt ſapientia E rerum, opifex, & inuentrix, de qua præ cæteris Platonicis Iamblichus egregiè, & eadem, atque Salomon, in libro de ſecta Pythagoreorum, Sapientia, inquit, πάντων τῶν ὄντων τὰ εἴδη περιείληφεν ἐν ἑαυτῇ τῶν τε νοητῶν ἐστὶν ὀφθαλμὸς καὶ ζωὴ τῶν νοερῶν, καὶ τὸ ὁρᾶσθαι τοῖς νοουμένοις παρέχει πᾶσι καὶ τὸ εἶναι τοῖς οὖσιν: δημιουργίας τε πάσης ἀρχηγὸς γίνεται ἐν τῷ κόσμῳ καὶ γεννήσεως τῆς πρώτης καὶ τάξεως. Quæ ſunt: Omnium rerum rationes in ſe complectitur. Intelligibilium, eſt viſio, oculus, & vita intelligentium, dans ſcilicet rebus intelligibilibus, vt intelligantur, & videantur, dans omnibus rebus eſſe. Omnis opificij in mundo, & omnis primæ creationis, atq; ordinis princeps. Hoc teſtimonio intelligimus etiam eis perſpectum creatorem cœli, & terrę fuiſſe, cum dicat ſapientiam omnis primæuæ creationis, atque ordinis fuiſſe principem, ducem. Sapientia autem, vt claret ex noſtris litteris, eſt filius Dei, vt iure Iamblichus diuinus ſit appellatus, qui tam diuinè de ſapientia loquitur. Cum autem Vates hoc carmine, rebus tam mirabiliter creatis, in conſiderationem & admirationem creatoris deueniſſet, & in eius commendationem hanc odam diuinam edidiſſet: creatorem autem, & inuentorem omnis ordinis, omnium rerum quæ ſunt in mundo mirabiles, philoſophi cum noſtris aſſerant fuiſſe ſapientiam, ſapientia autem, vt eſt clariſſimũ filius Dei ſit, quæ propter rerum creatarum bonitatem, propter vniuerſitatem, ſapientia dicitur: certè liquet hoc carmine celebrari filium Dei, & nomen Tetragrammum illius eſſe proprium quo propter diſcrimen à rebus, quæ non ſemper extitiſſent, ipſe creator ſemper exiſtens, eſt nuncupatus. Eadem enim vocatur ratione Iehouah, id eſt exiſtens, atque ſapientia. Vt enim ſapientia, vt deſignatur mirabilis creatio, & creandi facultas, qua contineret, & eſſet ſapientia omnium F creandarum rerum: ſic exiſtens, vt deſignetur & ante res creatas extitiſſe, & ipſum eſſe vniuerſalem rerum formam, vniuerſalem rationem, vniuerſale eſſe, vniuerſalem naturam: quaſi exiſtens magnum, magnum eſſe, vnde minora entia, tanquam magno ſui parente naſci potuerint, vt vocetur ens per exceſſum. Cæteræ res nec habent verum eſſe, nec vniuerſale, nec æternum, ille æternum, vniuerſale, perfectiſſimum. Hunc Vates ſpectauit dicens, Benedic anima mea Dominum. Nam & qui loquebatur cum Moſe, ſuumque hoc nomen verum dixit eſſe, fuiſſe filium Dei, non ſolum è noſtris litteris eſt certiſſimum, prędicantibus miſſum ad priſcos patres fuiſſe filium Dei, vt idem vetus teſtamentum rexerit atque nouum (is enim fuit, quo viſo Abraham gauiſus eſt, & adorauit) ſed etiam è litteris antiquorum philoſophorum. Quorum Plotinus mentem explicans dicit, ſummum bonum, id eſt, patrem hominibus non fuiſſe notum, ſed Deum ſecundum tantum. Nam quem putarent cęli & terrę creatorem, per inſcitiam eos arbitrari, hunc eſſe primum. Illum primum eſſe obſcurum nobis, & ignotum. Hunc autem omnia creantem, eſſe ſecundum ab illo. Hæc verè dicit Plotinus. Conſtat itaque qui mundum creauit, creatumque ſemper rexit, filium Dei fuiſſe, illum quem Plotinus ſecundum docuit eſſe. Et Philo Iudæus filium Dei nominans, appellat ὕπαρχον, id eſt, magiſtratum, præfectum mundi, miſſum ſcilicet à patre ad creandum, regendumque mundum. Idemque cauſas creandi mundi aſſignans, cauſam quidem Deum à quo ſit creatus, materiam quattuor elementa, deinde ὄργανον δὲ λόγον θεοῦ, δι᾽ οὗ κατεσκεύασται, organum verbum Dei, per quem creatus eſt. Cum ergo ſit idem, is, qui apparuit Abraham, atque Moſi, ille autem ſit filius, is autem, qui Moſen eſt alloquutus, dixerit nomen ſuum eſſe Iehouah, exiſtens ὁ ὢν, perſpectum eſt, hoc nomen eſſe filij Dei, & hunc à Vate laudari. Quod & Hebræi ex parte viderunt, ſed ignari quid loquerentur.

Iāblichus diuinus.

Sapientia cur dicatur Chriſtus.

Exiſtens.

Chriſtus, patribus loquutus.

Nam

A Nam exponentes hunc Pſalmum à principio dicunt, Dominum omnia in ſapientia feciſſe. At hęc ſapientia eſt filius Dei, in quam, & per quam Deus fecit omnia. Ideo Philo eam vocat ὄργανον, inſtrumentum Dei ad creationem. Et quia ſapientia eſt, & origo mundi, dicit de ea θεὸς οἶκος ἀσωμάτων ἰδεῶν ἀσώματος χώρα, Deus eſt domus, & locus incorporeus incorporearum idearum. Et ſpiritum qui ferebatur, id eſt, operabatur ſuper aquas, Veteres Hebræi dicunt fuiſſe ſpiritum Meſſię.

Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

HAec illa Dei Benedictio, ad quam cohortabatur, inuitabatq́; ſeq́;, mentemq́ue ſuam. Simul ac exordium illud feciſſet, inchoauit ſermonem à laudibus magni Dei, extollens eum, & admirans. Illud fuit exordium, quod ſequitur oratio ipſa, & benedictio. Repetitque idem nomen Tetragrammum, vt intelligas hunc benedicere ac commendare eum voluiſſe, ad quem ſuperius laudandum ſe inuitaſſet. Sunt autem in principio benedictionis, duo nomina diuina, Iehouah, Elohai. Primum deſignat ipſum eſſe, eſtq́; illius proprium, quem extollere decreuiſſet. Secundum etiam eius, ſed non tam proprium. Extenditur enim etiam ad creaturas. Nam Angeli, ſacerdotes, iudices, homines ſancti dicuntur Elohim. Sonat autem Elohim, Hebraice fortem, potentem, proprieq́; reſpicit creatorem. Eoq́; vſus eſt Moſes in creatione ſemper. Iehouah, vt dixi, eſt nomen æternitatis, hoc autem creationis magnæq́; poteſtatis Dei, omnia creare potẽtis. Ac quanquam ſit ad alios translatum, propriè tamen fuit Dei. Septuaginta hæc duo nomina in Græcum, vt potuerunt, tranſtulerunt, κύριος, θεὸς, quæ non reſonant Hebraicum. Ac primum potius ſonat ſecundum Hebraicum. Eſt enim κύριος Græcè dominator. Vnde κῦρος poteſtas, autoritas, B vis, ἄκυρον, ſine autoritate, ſine vi. Dominator autem, & potens proprie Hebraicè eſt Elohim. Duobus ergo nominibus eum Hebræus Vates appellat, quorum altero deſignat eius ante mundum æternitatem, immenſamq́; diuinitatem, altero creandi ſummam poteſtatem, vt æternitas Dei, & tempus creati mundi hiſce ſit comprehenſa. Nam & Hebræi in Geneſi dicunt Elohim in principio à Moſe poſitum, vt potentia creandi deſignaretur. Diuinè autem duo illa nomina Philo diſertiſſimus in ſua Monarchia, vbi etiam ipſe de creatione diſſerebat, explicat dicens: ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅτι περὶ τὸ ὂν αἱ πρῶται καὶ μέγισται τῶν δυνάμεων εἰσιν· ἥ τε εὐεργέτις, καὶ κολαστήριον, καὶ προσαγορεύεται ἡ μὲν εὐεργέτις θεός, ἐπειδὴ κατὰ ταύτην ἔθηκεν, καὶ διεκόσμησε τὸ πᾶν· ἡ δ᾽ ἑτέρα κύριος καθ᾽ ἣν ἀνῆπται τῶν ὅλον τὸ κράτος· θεὸς οὐκ ἀνθρώπων μόνον, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἐστὶ θεός. Quę ſunt: An non vides quòd circa eum qui eſt, duæ primæ, ac maximæ virtutes exiſtunt, benefica & vltrix? & benefica vocatur θεὸς, Deus, quia per hanc poſuit, & exornauit vniuerſum. Altera autem Dominus, per quam omnium rerum poteſtas penes eum eſſe declaratur: Deusq́; eſt non ſolum hominum, ſed etiam Deorum. Hæc Philo. Quibus declaratur is locus. Nam dicit hæc duo eſſe penes τὸ ὄν, id eſt, eum qui eſt. Declarauimus autem, quod nomen quatuor litterarum ſonat eum qui eſt, de quo loquitur Pſalmus. Et primum nomen theos, Philo dicit, deſignare creatorem, ergo filium, ſapientiam, cauſam, opificem. Vult autem θεὸς duci a τίθημι, pono, licet alij ἀπὸ τοῦ θεῖν currere, aſtrorum apud antiquos nomen. Quod autem dixit Meus, Hebraiceque eſt Elohai, ſonat potius Dij mei. Eſt enim numerus multitudinis ab Eloha. Hebraici ſermonis proprietatem dicunt eſſe Hebræi, vt interdum numerus multitudinis ſit pro ſingulari, quemadmodum apud Græcos, nomina neutra in numero multitudinis adiunguntur tertijs perſonis ſingularibus verborum. Sunt alia ſuper eo dicenda, non huic apta loco.

Iehouah, κύριος, Dominas. Eloha, θεὸς, Deus.

Gen. I.

Deus. Dominus.

Theos, a ponendo. Elohai.

Magnificatus es vehementer.

EOdem ferè modo Hebraicè גדלת gadaltha, creuiſti, granduiſti, magnus effectus es, pulchreq́ue exponunt Hebræi locum, non apud ſeipſum, qui infinitus ſit, (infinito autem nihil addi poteſt) Deum, ſed ex miraculis operum ſuorum, ex noſtra admiratione grandeſcere. Et Græci monent ἐμεγαλύνθης, non ſonare incrementum, ſed eſſe ἀμετρήτου μεγέθους σημαντικόν, Quaſi diceret, Deus meus magnus. Et cum Hebræis conſonans Euthymius, Magnificatus es, exponit μέγας σφόδρα ἀνηγνωρίσθης, Magnus cognitus es. Nos ergo rerum magnarum rationes conſiderantes, Deum immortalis inuictæq́ue virtutis incipimus agnoſcere, paulatimq́ue ille in animo noſtro grandeſcit. Nam qui repunt humi nunquam ad rerum principia, & creationem oculos tollentes, maieſtatem ſingularis Dei non agnoſcunt. Et aut apud eos non exiſtit, aut non eſt quantus eſſe poſſet. Hæc eſt igitur gloria Dei exterior, cum maieſtas eius nobis innoteſcit, ſitq́ue clarus in omni terra. Poteſtq́ue Deus cognoſci, nobiliſq́ue fieri nobis, aut rerum naturalium harmonijs, omniumq́ue naturarum modis, aut extraordinarijs miraculis. Vtraque ratio perennis, ſed poſterior ſingularior apud Hebræos. Apud Philoſophos, veroſq́ue rerum æſtimatores, eadem ſunt miracula naturæ, & eodem modo ex his Deus apparet grandis, mirabilis atque ex portentis. Omnia enim portenta ſunt, & ſtupenda miracula, ſi rectè conſideres. Sicut ergo apparuit grandis, mare diſcindens, & aquas in vtranque partem ſtare immotas cogens, ſicut cum formicam tam exiguum animal ſine ſanguine, ſine pulmonibus, reſpiratione, fecit viuere, & in exiguo vixq́ue viſibili corpuſculo, prudentiam incluſit magnarum beſtiarum. Hancq́ue partem maxime Vates eſt ſecutus. Hic ſuper artificis ſapiẽtia obſtupebat, inenarrabiliſq́; ſcientię

Magnificatus es.

Gloria Dei Exterior. Interior.

Vehemen. ac prudentiæ eſſe intelligebat. Quodq; ait Vehementer, admonent ſecretiores traditiones Hebræorum, quas illi Midras appellant, ſi forte cui placeat, antequam Deus crearet mundum, fuiſſe magnum, ſed creato mundo, magnum vehementer. D

Confeſſionem, & decorem induiſti.

Confeſsio. HEbraicè, quod Septuaginta vertere ſemper ſolent ἐξομολόγησιν, eſt הוד hod, perueniтque vox etiam ad Græcos. Eſt enim hod, quod Græcè oda. Et quod illi dicunt ᾄδω, ex Hebræis acceptum eſt הודה hada. Deſignat autem Græcis ado, canto, laudo. Idem in priſca lingua eſt ſignificatus. Itaque cum Iacob à nominibus filiorum ſumeret elogia, de Gen. 49. Iuda dixit, Iuda te laudabunt fratres tui. Idem Hebraice hod, ac Græcè oda, cantus, carmen, laus. Et Septuaginta ob id tranſtulerunt confeſſionem, quaſi narrationem operum diuinorum, & expreſſionem. Siquidem ὁμολόγησις eſt ſermo multa complectens. Eſtque eadem Latina, atque Greca deductio. Latini dicunt, Confeſſionem, inuerſa littera quaſi confaſſionem, à fando. Græci ὁμολογέω. Sed, vt vera dicam, neque Græca bene reſpondent ad Hebraicam, neque Latina ad Grecam. Nam apud Latinos confeſſio pro laude, & præconio non ita eſt, ſic neque apud Græcos ἐξομολόγησις, potiuſque in vituperationem accipiuntur, Ergo quoties eſt in Pſalmis verbum confitendi, ſonat laudare, tollere, celebrare. Confeſſionem autem dixit Latinus exprimens vocem græcam. Chaldæus autem declarans Hebraicum, pro hod, expreſſè poſuit quod laudem deſignat שבחא shebacha. Diuus autem Hieronymus gloriam. Euthy. vero ait ſonare confeſſionem εὐχαριστίαν, gratiarum actionem. Quod quidem ſi quis rectè iudicet ex parte verum eſt, & Hebraico non diſſonum. Nam vox Hebraica notat laudem, gloriam, cum diuina beneficia cognoſcuntur & laudantur. Non laudantur autem, ſine gratiarum actione. Tunc enim E agimus præcipuas gratias, cum diuina opera contemplantes autorem laudamus. Ergo laus, & gloria Dei, & in magnitudine eius interius, & in noſtris animis, ac cogitationibus exterius exi-Eucharist. ſtit. Tuncque eſt εὐχαριστία, id eſt gratum, memoremque acceptorum beneficiorum ſeſe oſten-Decor. dere. Secunda vox eſt, Decorem, Græcè μεγαλοπρέπεια, proprieque ſonat magnificentiam, virtutem, autore Ariſtotele, magnorum virorum propriam, maximè in magnificis apparatibus, ac pompis, ſumptibuſque exiſtentem. Quæ quidem etſi veriſſimè ſoli Deo competit, qui nobis magnificentiam ſuam innumeris, prodigioſiſque rerum apparatibus oſtentauit: propriè tamen in ſacris litteris ſonat decorem, pulchritudinem, venuſtatem, ſplendorem, vt verius ad vocem Hebraicam הדר hadar, reſpondeat Latina quàm Græca. Dicitur Hebraicè propriè hadar, ſplendor, claritas, ſicut declarat quod ſequitur, Amictus lumine. Verum quoniam magnificentia, & claritas, non in ſplendore corporeo tantum, ſed omnigena alia claritate ſentitur, ſicut homines illuſtres, & clari, non quia corpus, aut vultus eorum ſplendeſcat, ſed ob aliam claritatem dicuntur: fit vt vox Hebraica metaphoricè ſit accepta ad deſignandum ſplendorem diuinum, qui in magnitudine ſuorum operum enituit. Vt enim viri clari dicuntur, non quia reſplendeant fulgore corporeo, ſed alio quodam nitore, ſic appellata eſt claritas diuina nunc, non quæ de lumine naturæ ſuæ refulgeat, ſed qua mirabilis, celebriſque ſit, & ſuſpiciendus ob operum magnitudinem. Vox ergo Græca pulcherrimè quod per translationem dixerat Hebræus, iuxta proprietatem deſignauit. Neque enim aliud eſt ſplendor ille diuinus, niſi magnificentia. Euthymius μεγαλοπρέπειαν exponit τὴν μεγαλοπρέπουσαν, id eſt honorem magnum, magnificum, magnos decentem. Eſtque, vt dixi, hoc loco, duplex tralatio, ſplendoris, & indumenti. F Amictus lumine. Fingit autem Deum quodam quaſi immenſo ſplendore veſtitum, & tanto circumamictum lumine, vt compleat cœlum, & terram, omniumque animos in admirationem ſui adducat. Veſtire lucem, dicitur etiam Latinè: Et lumine veſtit purpureo. Veſtitur autem Deus luce, non aliena, ſed claritatis ſuæ, in cuius de ſe manantis, ac naſcentis medio ipſe moratur, qualis apparuit Matth. 17. Exo. 3. a. in monte Sina, & Thabor, qualis viſus Moſi, cum videret rubum ardentem circum, flammaſ-Lactātius. que quaſdam mirabiles iactantem, ſed quia non eſſet ignis, ſed ſplendor diuinæ præſentiæ, non ardentem. Et de qua Lactantius oſtendens eum venire in claritate ſua ad mortales, non oportuiſſe, Vt mittam, inquit, quòd mortales oculi clariratem maieſtatis eius ſuſtinere non poterunt. Meminit eius etiam Philo diuinè his verbis ὁ γὰρ τοῦ ὄντος ὀφθαλμὸς, φωτὸς ἑτέρου πρὸς κατάληψιν οὐ δεῖται: αὐτός γε ὢν ἀρχέτυπος μυριὰς ἀκτῖνας ἐμβάλλει, ὧν οὐδεμία ἐστὶν αἰσθητὴ, νοηταὶ δ' ἅπασαι. Nam oculus eius, qui verè eſt, alterius luminis ad perſpiciendum non indiget: quia cum luminis ſit archetypus, innumeros radios fundit, quorũ nullus eſt viſibilis, ſed inuiſibiles omnes. Sed hoc modo, ſplendore viſibili Deus veſtitur, tanquam indumento ſuo. Splendor autem quem propriè conſiderabat Vates, erat, vt dixi, per tralationem ab iſto viſibili potentiæ diuinæ, laudis, pompæ, magnitudinis, celebritatis. Hos enim rerum mirabiles decores, & ordines, etiam Philoſophi radios dixerunt. Hanc igitur decoris, & luminis, ac claritatis veſtem hoc modo decet intelligere. Hebræi, & Græci verbo quidem diuerſa, re autem eadem dicunt. Græci quòd habitet lu-Cœlum empyrium. cem inacceſſibilem, qua ſit ipſe circunfuſus, vnde & caliginem, ob immenſitatem vocat eam 1. Timo. 6. Dionyſius. Hæc autem inacceſſa lux, aut eſt cœlum empyreum, vbi ſplendor, & à ſplendore dictũ diuinæ preſentiæ, aut infinita bonitas, quæ nõ poſſit ſimiliore quàm lucis nomine deſignari, A excæcans oculos, quantò diutius in ea intuenda perſeuerauerint. Eadem ferè Hebræi obtulerunt, cum primum Deus cælum creaſſet, quaſi veſtem ſuam induiſſe, & ex ſplendore cęleſti innotuiſſe, ſicut dicebat Philo, Hocque veſtimento, ipſum à mortalibus cognoſci, qui cum in ſuis regnis, & in propria ſubſtantia non videant.

Amictus lumine ſicut veſtimento.

EOrundem repetitio, eadem res, duobus verbis deſignata, quaſi Latinè quis dicat, Veſtiſti lucem, claritatem amictus es. Duabusque rationibus hoc poteſt intelligi. Vbi enim Septuaginta tranſtulerunt ἀμβαλλόμενος, id eſt amictus, Hebraicè eſt עטה ote, quod ſonat veſtiens. Anceps ergo tum ad Deum, qui ſit luce veſtitus, tum lucem qua veſtiat ipſe omnia. Ac Græci priorem ſolum ſenſum tralationem Septuaginta ſecuti, obſeruarunt exponentes Indutus, veſtitusque lumine. At Hebræi propter linguæ ſuæ proprietatis ſcientiam vtrunque ſenſum exhibent. Et Rabi Dauid ait Prophetam inchoare à luce, rerum mundanarum deſcriptionem, ſicut & Moſes. Vt enim Moſes in creatione lucem ante omnia factam memorauit, ſic Dauid fecit à luce principium, dicens Deum veſtiſſe luce tanquam veſtimento, vniuerſum orbem: feciſſe vt omnia ſurſum, ac deorſum ea tangerentur. Quod vt primum fuit, ſic diuiniſſimum, maximeque mirabile opus. Docuimus autem in Coſmopœia, lucem iſtam omnium rerum primogenitam, eſſe lucem viſibilem, ipſumque Solem, cuius non tam fuit ſummis theologis conſideratio, quàm lucis omnem mundum implentis. Mirabile enim, & prodigioſum corpore, vt videtur nobis, tam exiguo totam terram inardeſcere. Conſiderabant ergo magis lucem, quàm lucis fontem, qui propter fundendam lucem factus eſſet, Solem lucem appellantes, B à re in eo nobiliſſima, maximeque communi. Quod quidem fecit multos non cernentes nomine lucis Solem apud priſcos illos Hebræos appellari, à vero diſcedere, vt ſuſpicarētur aliam quandam lucem dictam à Moſe. Atque Sol fuit prima rerum creatarum poſt principia, prior omnibus factus, quia principium eſt omnium viſibilium rerum. Chaldæus item iſto loco appellat נהורא nehora, id eſt, luminare, ipſam lucem. Luminare autem maius eſt ipſe Sol. Sicque apparet lucem illam Moſaicam primogenitam, iſtius Pſalmi teſtimonio fuiſſe Solem. Quare autem dicatur quarta die creatus, expoſitum illic fuit per ἐπανάληψιν id eſt repetitionem dictum. Non ſolus autem Moſes Solem quadam ſublimiore phraſi lucem appellauit, ſed alij quoq;, & Hebręi, & Latini, Græcique ſcriptores, & Poetæ. Ouidius introduxit Phaethontem Solem patrem alloquentem: O lux immenſi publica mundi. Nonne autem prima omnium rerum eſſe Sol debuit, de quo verè refert Architas Tarentinus? ἥλιος ὀφθαλμός ἐντὶ καὶ ψυχὰ τῶν φύσει ὁρᾶται γὰρ δι' αὐτῶ πάντα, καὶ γεννᾶται, καὶ νοῆται τὰ ῥιζωθέντα καὶ γεννηθέντα δὲ τρέφεται καὶ αὔξεταί τε, καὶ ζωπυρῆται. Quæ ſunt: Sol eſt oculus & anima rerum naturam habentium. Siquidem per eum videntur omnia, & generantur, & pullulaſſe ſentiuntur. Genita verò nutriuntur, & augentur, concaleſcuntque. Hęc docent abundè, ſicut pater omnium genitorque corporearum rerum, & alter eſt Sol, ſic priorem eum fieri oportuiſſe, vt tanquam à parente ſuo res corporeæ naſcerentur. Nec vlla in re corporea, tanta ſapientia creatoris, tanta prudentia, & bonitas, quam in creatione Solis & lucis apparuit. De quo quoniam multa in Moſe dicta ſunt, plura non proſequar hoc loco. Gręci, vt dixi, vnum tantum ſenſum agnouerunt, exponentes lucem λαμπρότητα, claritatem diuinam: alii, vt ait Euthymius, τὴν γνῶσιν, cognitionem, quaſi nobilitatem, qua nobilis ſit vbique, & cognitus. Ioānesq; Chryſoſtomus reſpicit illud, Erat lux vera, & inacceſſa à Paulo. Mihi vterq; ſenſus probatur. Nam & Chaldæus qui norat vim ſermonis Hebraici, quod Hebraicè dicitur עטה veſtiens, induens, paſſiuè ſicut & Septuaginta dixerunt מתעטף mithaſaph, indutus, veſtitus. Tunc nehora, deſignabit ſplendorem, nitoremque.

Amictus.

Sol, prima lux.

Epanalipſ.

Sol alter genitor omnium.

Extendens cęlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.

SI priorem ſenſum ſequaris, quo Vates diuinus decantet iuxta ordinem Moſaicum opera mundi, dicemus primum lucem eum commemoraſſe, ſicut & Moſes: tum, quemadmodum Moſes, poſt lucem, firmamentum ſecunda die induxiſſe creatum. Ne ſequatur autem in his referendis confuſio, prudenter ſunt interpretanda, & verius quàm appareat in fronte, indaganda. Vt enim ſuper Geneſim ad Hebraici ſermonis proprietatem refugientes docuimus, lucem eſſe Solem, (quod autem Septuaginta trāſtulerunt ςερέωμα, id eſt firmamentum, Hebraicè autem rakia, non firmamentum, ſed aeriam diffuſionem interpretati ſumus, quæ poſt Solem creatum effecta ſit) ſic exponimus iſto loco. Nam in Geneſi diffuſio illa aeria fuit a Deo nuncupata shamaim, quod ſonat aqueam regionem, aquarum ſitum, & vt Ariſtoteles ait, τόπος ὑδάτων, de qua loquens Moſes ſimul ſupernas aquas, & infernas commemorauit, vt hoc & illud ſit verum teſtimonium, firmamentum, & cęlum ſecunda die apud Moſen, non orbes eſſe cęleſtes, ſed regionem aeriam. Aequè nunc cælum eſt aer effectus a luce, a Sole, quemadmodum per initia ſua decurrens, nunc efficit. Sequiturque verus ordo narrationis. Nam cum lux ſit Sol, cum Sole, ſolaris orbis adſit, qui etiam non videtur nobis: liquet Solem cum orbe narratum. Ergo quod ſequitur ſecundo narrationis loco, non ad cæleſtes orbes attinebit, ſed erit aliud, nempe aer, qui efficitur a Sole. Extenditur autem aer, per Solem a Deo, quia rareſcit flammis ſolaribus aqua,

Stereoma. Rakia. Shamaim.

Cœlum: Aer effectus à ſole

Extendet

& vt philoſophi ſcribunt, ex aquæ pugillo, fit decies tantum aeris, hocque eſt diffundi inſtar pellis, id eſt tentorij, quod pellis, quia de pellibus tentoria ſint Orientalibus, vocatur. Tentorium autem antequam diffundatur, breue eſt, & clauſum: diffuſum vſqu quaque grandeſcit, & rareſcit. Sic aer grandeſcit ex aqua, clauſus prius in aqua, & ex vna parua aquæ metreta, fit aer ingens. Teſtantur fumi ex paruis humoribus, lignis contentis ſurgentes, cum tota domus fumo à lignis effecto impletur. Similis eſt aeris naturalis effuſio ex aqua, facta per lucem, id eſt Solem, à Deo. Quod vt clarius intelligamus, veramque ac naturalem huius pſalmi philoſophiam videamus, Ariſtoteles audiendus in libro de Mundo, de aere, nubibusque loquens: Δύο μὲν γὰρ δή τινες αὐτῆς ἀναθυμιασεις. Quæ ſunt: Duæ igitur ſemper exhalationes ſuper aerem qui nobis imminet, feruntur è terra, tenues omnino & inuiſibiles, niſi matutino tempore è fluminibus, ac paludibus aſcendere videantur. Harum altera eſt ſicca, & fumida ſurgens à terra, altera humidior, & caliginoſa ab humida materia euaporata. Et ab hac quidem fiunt caligines, rores, gelationes, nubes, & pluuiæ, niues, & grandines: à ſicca verò, venti ſpirationumque varietates, tonitrua, & fulgura. Hæc Ariſtoteles. Videmus igitur conſimilem hic philoſophiam, vt ſenſum huius loci philoſophus ipſe nobis declarauerit. Videmus è terra ſurgentes vapores adeò tenues, vt ſint inuiſibiles, in aerem extenuatos, & extenſos: nubes quoque & ventos videmus, de quibus hoc Pſalmo. Is mihi viſus eſt in Moſe verus ſenſus & nunc videtur. Nam quòd cœlum ſit aer hoc loco, apparet ex ſequenti, Qui tegis aquis ſuperiora eius. Solæ enim ſupernæ aeris regiones aquis implentur, non ſupernæ & vltra mundanæ regiones cęli, rerum ſpiritualium, Diuorumque domicilia, non res elementares. Nam ſi à Vate, vt clarum eſt, ordo creationis traditus à Moſe, hic introducitur, ſecunda autem die firmamentum à Moſe creatum: ideo cęlum or[illegible] cęleſtis eſſe non poſſit, quia neceſſariò cęleſtis orbis cum luce refertur, vt qui dicat lucem creatam, ſimul orbem lucis vectorem oporteat ab eo dictum, neceſſeque ſit, quod ſecundo loco poſitum eſt, eſſe variam rem ab orbe cęleſti: deinde multa alia perſuadeant, firmamentum ſecundæ diei opus apud Moſen, eſſe aerem: certè & apud hunc diuinum ſcriptorem eandem ſtare neceſſe erit expoſitionem. Hebræique conſentiunt iuxta ordinem Moſaicum, poſt lucem, poſuiſſe Dauid cęlum, nomen impoſitum ei quæ prius dicebatur rakia, id eſt firmamentum: expreſſeque Rabi Dauid fatetur, hoc cęlum nos de nouem orbibus ſentire non poſſe, quia ſint hi creati ante lucem. Sic enim ipſe ſenſit prima die. Quia, inquit, antequam Deus ſphæras, & quatuor elementa creaſſet, orbes cęleſtes confecerunt duodecim horas, quia cum motu cęleſti tempus exiſtit: finitis autem duodecim horis, Deus dixit, Fiat lux, & facta eſt lux duodecima hora. Non quidem his prorſus aſſentior, ſed vt intelligas cęlum poſt lucem commemoratum, etiam eos non credere eſſe cęleſtem orbem. At Græci extenſionem cęli, ſicut pellis ſenſerunt, vt facultas diuinæ potentiæ in creando demonſtretur, qui tam facilè crearet cęlum, quàm facilè diffunditur pellis ab homine. Euthymius, Qui extendit tam facilè cęlum, ſicut quis pellem, quo facilitatem productionis cęli docere conatus eſt Dauid. Eadem ſentit Chryſoſtomus. Non verò, vt loquar quod ſentio, videtur mihi quod viſum eſt illis ex hoc Pſalmo poſſe colligi cęlum eſſe quadratum, ſiue καμεροειδὲς, cameratum, quia Dauid dicat, Tanquam tentorium à Deo diffuſum, vt figuram pariter cęli creati, & creandi facilitatem tradiderit. Nam ſimilitudo tentorij potius reſpicit ipſum collectum, deinde diffuſum & expanſum, figuram certè non reſpicit. Omnes enim optimæ rationes cum ſenſu concordes docent cęlum eſſe ſphæricum, nec eſſent theologia, ac philoſophia inter ſe diſcordes. Trahiturque expoſitio, quò ſcriptor non reſpexit, qui naturæ & philoſophiæ contraria non dixiſſet. Probant Aſtronomi, neceſſariò cęlum eſſe rotundum: probant item omnem aliam figuram multa incommoda facturam fuiſſe, de quibus non eſt hic dicendi locus. Non debet ergo res minimè naturalis autoritate ſcripturæ introduci. Quod autem allegatur ab eis Eſaias, Qui ſtatuit cęlum ὡσεὶ καμάραν, ſicut cameram, præcipuè à Chryſoſtomo: οὐχ ὁρᾷς τοῦτον τὸν οὐρανόν· ὅτι μὲν καμάρας εἰκόνα διασώζει ἴσμεν, τοῦτο οὐκ ἀπὸ λογισμῶν μαθόντες, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς. Nonne vides hoc cęlum: inquit, quod quidem figuram cameræ habeat ſcimus, idque non ratiocinatione, ſed diuina ſcriptura didicimus. Sciendum Hebraicè non eſſe cameram, ſed דק dak, quod ſonat ſubtile, tenue. Et Hieronymus tranſtulit illum locum, Qui extendit cęlum tanquam nihili, vt deſignetur quàm facile Deus ipſum creare potuerit, non figura docetur. Mirabile item hi dicunt quòd ſuper cęlum cameratum conſiſtat aqua, quorum vtrunque quoniam eſt naturæ contrarium, non eſt credendum à ſcriptura poſitum, & Hebraicus ſermo fecit hæc ſuſpicari. Mirumque etiam quod ait Euthymius de firmamento, καμεροειδὲς γὰρ καὶ τοῦτο καθὼς δείκνυσιν ἡ ὄψις, Cameratum, id eſt quadratum, & ipſum eſt, ſicut viſus oſtendit. Videtur enim viſus aliud prorſus oſtendere. Nam noctium dierumque æqualitas, & duo hemiſpheria, docent cælum eſſe rotundum. In tribus ergo modeſtè, & cum venia ab eis diſſentio ſuper expoſitione cęli, non orbem cęleſtem, ſed aerem hic ſentiens: ſuper ſimilitudine tentorii diffuſi, non facilitatem eo, ſed rei proprietatem exprimi: ſuper figura cęli, eam non eſſe cameratam, ſiue quadratam, niſi fortè cameratam ſentiant orbicularem, circularem, quales templorum teſtudines. Pellis autem ipſam pellem deſignat, aut tentorium, & ipſi Græci ſenſerunt. E pellibus enim fiunt apud eos tentoria, & in ſcriptura ſępe pelles tentoria vocantur.

Pellis.

Ariſtotel.

Quando creata ſit lux, Rabi Dauidis opinio.

Loc⁹ Eſaię 40.c.

Qui

Qui tegis aquis ſuperiora eius.

A

SIcut Moſes cum commemoratione cęli, ſiue firmamenti, ſuperiores, & inferiores aquas adiunxit: ſic Dauid. Et ex Moſe intelligitur Dauid, viciſſimque ex Dauid intelligas licet Moſen. Quid autem coegerit Moſen cum firmamento meminiſſe aquarum ſuperiorum, & inferiorum, non apparet vlla ratio, niſi cęlum illud, & firmamentum aerem ſentias, cui non ſolum loco ſed etiam natura, eſt cum aquis ſuperioribus, & inferioribus ſocietas, intercedenti inter nubes, pluuiasque, & mare terreſtre. Deinde è mari ſurgentes vapores, nubes, & aerem efficiunt, & aquæ terreſtres extenuatæ aſcendunt ſuper aerem, fiuntque cœleſtes. Rurſum denſatæ in aerem, in mare recurrunt, vt naturalis fuerit plenaque philoſophiæ, illa cum cœlo, ſiue aere, aquarum inferiorum, ac ſuperiorum commemoratio, docente altiſſimo theologo, alteras ex alteris gigni, aere qui etiam ex ipſis generatur, intercedente, ac generationem iſtam deferente. Quod ſi cœlum apud Moſen cœleſtes orbes intelligas, nulla conſecutio, nihil naturale, confuſa omnia. Etiam igitur Hebræi ſenſerunt hoc loco aerem dicentes. Et hunc ſenſum probat, quòd ſequitur, Qui ambulas ſuper pennas ventorum: eadem ſcriptore, ſed addita ſimilitudine, dicente. Quæ etiam ſuperiora ſint intelligenda, declaratur ex ſequentibus cùm dicitur, Rigans montes de ſuperioribus ſuis. Quo loco ſuperiora, cuncti nubes, & altiores aeris regiones interpretantur. Ac pro eo quod Septuagin. dixerunt ὁ στεγάζων, quod ſonat, Qui tegis, & qui contignas, eſt מקרה mekare, deſignatque, vt dixi, contignare, tabulatum denſum efficere. Tale quid aſſerunt etiam Hebræi fieri à nubibus. Incumbunt terris denſatæ, tanquam tabulatum, cùm pluuiam meditantur, nigreſcitque aer, & duratur, fiuntque nubes inſtar parietis, qui hac ipſa voce ſignificatur. Is eſt ſenſus. Nam aquas vltramundanas à ſcriptura commemorari, etſi ſum aliquando ipſe cum multis ſuſpicatus, poſtea tamen rectius animaduertens, & ſermonis Hebraici proprietatem preſſius conſiderans, deprehendi, quomodo rectè poſſet ille, non naturalis ſupra ſydera, ſitus aquarum euitari, vt ne ſint philoſophia, ac theologia in rebus naturalibus referendis diſcordes. Ac quoniam multa de ſupercęleſtibus aquis, in Coſmopœia diſſeruimus, mittam nunc plura ſuper his loqui. Græcis viſum eſt, quòd videbatur exhibere Hebraica phraſis, ſuper cœlo, ſuper orbibus cęleſtibus aquas exiſtere. Nam Chryſoſtomus, ὅτι ὑπὲρ νῶτον τοῦ οὐρανοῦ περικέχυται πολλὴ φύσις ὑδάτων, ὅπερ καὶ μωσῆς ἔλεγεν. Quia ſuper dorſo cœli magna vis aquarum eſt, ſicut & Moſes dicebat. Alii ad myſticas baptiſmatis aquas refugerunt. Verbum Græcum στεγάζων, non ſolum tegere, ſed contignare ſonat, vnde στέγη contignatio. Inde Triſtega, id eſt, trium tectorum, aut contignationum domus. Superiora autem diuus Hiero. vertit, cęnacula, ſupremas ſcilicet domus partes, ſuperiores thalamos. Poteſt tamen dici, Superiora ſimpliciter, quod de aere clarius erit. Nec me clam eſt, ὑπερῷα, Græcum ſonare ſuperiora cœnacula, etiam Hebraicum עליות elioth, tamen ſuperiores partes dicentes melius intelligemus.

B

Nubes.
Aer.
Mare.

Aer ex aqua, Aqua ex aere.

Superiora.

Tegis.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum.

HEbraicè, & Græcè per tertiam perſonam ὁ τιθεὶς νέφη τὴν ἐπίβασιν αὐτοῦ, Qui ponis aſcenſum ſuum. Latinus iuxta ſuperiorem ordinem ſecundarum perſonarum. Fortè etiam Latinus dixit, Suum. Porrò non nubem dicendum eſt, ſed nubes, quod facilius de nubibus congregatis à Deo non de aliqua nube, quam iure inequitet, intelligitur. Quoniamque Poeta eſt etiam Dauid, & antiqui maximè conueniunt in theologia, apparet eum hoc loco de Deo dixiſſe, quale ſæpe Homerus appellat Iouem νεφεληγερέτα, & κελαινεφῆ, nubium congregatorem, nigras agentem nubes. Crebrum apud eum epitheton. Singularis eius, & admiranda poteſtas, nubes nuſquam apparentes, ſubito congregatas, horrorem terris præbere, campos, colleſque humore latè fœcundare. Qui ſi defuiſſet, inutilis fuiſſet creatio terrarum, quale mare ſabuloſum in Aphrica, & Arabia, vbi quòd nunquam terra pluuia madefit, ſteriles harenæ, lapillorumque acerui cernuntur. Eoque inter præcipua diuinæ prouidentiæ munera recenſetur pluuia à ſcriptoribus Hebræis. Sciebant enim illarum vicinarum terrarum ſterilitatem, & deformitatem, propter pluuiæ inopiam. Pro aſcenſu igitur in Hebræo eſt רכובו rekubo, id eſt, equitatione ſua. Et Hieronymus, Currum ſuum: pulchreque locus ab Hebræis declaratur. Vt enim equus currit, & recurrit, agiturque quocunque ſeſſoris voluntas tulerit, ſic eunt, redeuntque ſemper nubes, interdum immorantur, vt habeant quaſi aſcenſorem, qui eis inequitans, per omnem mundum eas agat, & impellat. Hanc pulcherrimam ſimilitudinem non reſonabat Gręcum, quia ſimplicem ἐπίβασιν, id eſt, aſcenſum meminit, Sic neq; Latinum, ſequens Græcum. Tria igitur commemorauit: primum, cęlum extenſum ſicut pellem: deinde pluuiam cœleſtem, cum nubes aquoſas: poſt hæc ventos. Hæc Ariſtoteles appellat, μετέωρα, ſublimia, alta, Aer, pluuia, nubes, venti, quorum autorem Deum prædicat, & collaudat, in eius voluntatem, & poteſtatem referens res omnium hominum, ac terrarum communes, ex quibus omnia nata, & viuere dicuntur. Hæc autem ſunt, Lux, aer, pluuia, nubes, venti. Quorum autor, quia mirabiles ſunt, & ex eis viuimus, dignus eſt admiratione, & laude noſtra. Græci non omnino hunc ſenſum ſequuntur, ſed putant hac comparatione aſcenſionis nubium, partim leuitatem diuinæ ſubſtantiæ deſignari, partim quòd viſus ſit interdum inuectus nube ſerena, ſicut in monte Sina.

Nubes.

Aſcenſus.

Sed certè verior ſenſus eſt, quem Hebræi linguæ ſuæ proprietatem noſcentes exhibuerunt. Ipſaq; comparatio eſt venuſtiſſima. D Et hic agitur de creatione rerum. Non oportebat autem dicere, quòd Deus vtatur nubibus pro vehiculo, nec quòd ſubſtantia eius ſit leuis nubium inſtar. Non enim hæc cum ſuperioribus ſequuntur.

Qui ambulas ſuper pennas ventorum.

Ambul. ſuper pen. vẽtorum. EST, vt dixi, hæc quoque poeſis plena ſenſuũ diuinorũ, figurarũ, tralationũ. Vt Poetæ Græci, & Latini, ventos fingunt barbatos crinibus madentes, ſic eis dedit alas Poeta diuinus, vocans ventorum celeritatem alas, & hanc dicens eſſe ſubiectam Deo moderariq; ab eo.

-Celſa ſedet Aeolus arce

Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras. A ſacris enim ſcriptoribus fluxerunt. Fingitur ab eis Deus ventorum ſedere excelſa arce tenens incluſos carcere ventos, noſter autem inſidere Deum ventis ipſis, quorum celeritatem, quocunque velit, impellat, impulſas nubes agat, aut abigat, idque ſubito, modò ad has. modò illas terras, nubes deferens. Eadem ſenſerunt Græci, Hoc, inquit Euthy. deſignatur πανταχοῦ παρεῖναι τοῦτον, Vbique hunc adeſſe. Velociſſimus enim eſt ventus, citoque à terris ſummis, ad alias vectus, omnia diſcurſat.

Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.

QVid cauſæ fuerit, cur poſt res terreſtres, de Angelis, quos veriſimile eſt ante mundum, aut vnà cum mundo creatos, ſcripſerit, id forte dicendum eſſet, quòd ſuperius ordinem Moſaicum ſit ſecutus. Sed quoniam Moſes nihil de Angelis ſcripſit, ipſe, quod ſæpe fit, vt poſteriores addant inuentis maiorum, cum rebus creatis voluit etiam Angelos aſcribere, dans eis poſt res terreſtres locum, quia deſcriptionem Moſis inchoatam prius ſequeretur. E Angeli ergo à Propheta nunc adiecti ſunt. Iam enim erant notiſſimi, nec quod tempeſtate Moſis, eorum adorandorum imminebat periculum. Poſſumus, & hæc dicere, vno ſpiritu Prophetam, creationem induxiſſe, deinde aliud exordium feciſſe, repetendo rem altius. Deſcripturum nouum creationis ordinem inchoaſſe ab Angelis, deinde rerum viſibilium exordia poſuiſſe, vt appareat ante res terreſtres, Angelos creatos cum dicere voluiſſe. Priores Angeli fuerunt, tum exordia mundi viſibilis, pòſt, ipſæ res terreſtres. Loquiturque de Angelis, non quidem de eorum ſubſtantia, & creatione, ſed qualitate, functione, & celeritate, quibus facultatibus, igni, & ventis aſſimilantur. Quod & îdem Græci agnouerunt, prudenſque Chryſoſtomus, ἐνταῦθα δὲ τὶ ποτε εἰσὶν, οὐσίαν παρίστησι, Hic, inquit, non qua ſubſtantia ſint, oſtendit, ſed eorum operationem, leuitatem, potentiam, celeritatem. vigilantiam. Ergo cùm ait, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus: **Spiritus.** pro Spiritu Hebraicè eſt רוחות ruchoth, hoc eſt ventos, quo celeritas eorum deſignatur. Nõ minus enim atque venti propter eximiam leuitatem, peruolant omnes mundi plagas, nulla re quantumuis craſſa, & corporea, illis obſtante. Is videtur verior ſenſus. Eſt enim alius, quòd omnes animi ſeparati ſpiritus ſeu venti, vel aerij dicuntur, incertum, an propter ſimilitudinem, quia ſint inuiſibiles, ſicut venti, operantes tamen mirabiliter non viſi, aut quia ſint eis corpora aeria, illo vel aere ſubtiliora, quo ſonos, odores accipimus, quos videmus ad nos pertingere, clauſis ianuis, & feneſtris, & ſi quod eſt corpus denſius. **Pneumata.** Hinc fortaſſe dicti ſunt πνεύματα, id eſt venti, quaſi ſpirabiles, penetrabiles, habentes corpora aeria, ſed ex aere puriſſimo. F Angelorum vera naturalis à Philone datur diffinitio, de Monarchia, ἀγγέλους ἀσωμάτους ψυχὰς, οὐ κράματα ἐκ λογικῆς καὶ ἀλόγου φύσεως, οἵας τὰς ἡμετέρας εἶναι συμβέβηκεν, ἀλλ᾽ ἐκτετμημένας τὸ ἄλογον, ὅλας δι᾽ ὅλων νοερὰς, λογισμοὺς ἀκραιφνεῖς μονάδι ὁμοιωμένους. Angeli ſunt animi incorporei, non conſtantes quemadmodũ nos ex rationali, & irrationali natura. Sed irrationali parte carẽtes, ſunt puræ in totũ intelligentiæ, rationeſq; ſegregatę ab omni cõcretione, ſimiles vnitati Platonici, & Chriſtiani ſumma cõcordia fatẽtur dæmones aerios eſſe corpore, & habitatione. An autem idẽ de Angelis dici poſſit, non facilè nunc aſſeruerim. Tutior expoſitio, quam diuus Chryſoſto. reſpexit. Nonnulli Hebræi credunt eos ventis comparatos, propter ſuperius, cùm ventos equitari, & agi à Deo diceret, tale quid, & Angelos iuſſis, & imperiis diuinis circumactos agere. Vbi ergo ait, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, eſt eadem vox ſpiritus, atque ſuperius, Super pennas ventorum. Ruach deſignat ſpiritum, & ventum. Superius, ventum, id eſt ἀνέμους, Septuagin. ſunt interpretati, hic πνεύματα, quod & ipſum ſonat quidem ventum: accipitur autem pro ſpiritibus beatis, qui vt ſpiritus dicantur, venti tamen non ita. Conſentiunt ergo Græci, & Hebræi ſpiritus eos appellari propter velocitatem, non ſubſtantiam. Nam eorum ſubſtantiam definire impoſſibile eſt, nedum difficile. Idem ſenſit Chaldæus adiecta vna dictione, qua diſſoluat explicetque Hebraicum. Qui facit, inquit, Angelos ſuos סרהבים הך רוחא veloces ſicut ventum. Videtur autem vel eo maximè celeritatem eorum dixiſſe, quia vocat eos malakim miſſos, quaſi ſeruos veloces, expeditos, & quod ſæpe Homerus ὀτρηροὺς ἀμφιπόλους, θεράποντας. **Malakim, miſſi. Cherubĩ.** Ea etiam de cauſa alati fingebantur, dicebanturque cherubim, id eſt, volucres, alati, pennigeri. Sic & αἰθεροπόρους, eos ex hoc loco vocant Græci. Demonſtratur ergo Deus autor mundi viſibilis, & inuiſibilis. Et de Angelis dicitur, quod poteſt ab hominibus ſciri. Nam particularem eorum vitam, & ſubſtantiam, moreſq; neſcientes, hoc certè ex ſcriptura ſcimus, eos eſſe miſſos, & ſeruos, miniſtroſque Dei, veloces item, vt qui à cęlo in terras tantis ſpatiis intercedentes ſubito veniunt. Poteſt autem, & ad hunc modum verus deſcriptionis ordo demonſtrari, quòd Angelos cum rebus aeriis commemorauerit, quòd & ipſi aerij, & cœleſtes ſunt, non tam corpore, quàm habitatione. Nam ſi cęlum exponimus aerem, & totam ſupernam regionem, decorum fuit cùm rebus cęleſtibus, Angelos adnumerare, quorum genus è cœlo eſt. Cœpit enim à luce, id eſt cęlo, cœleſtiq; orbe, inde ad omnia cœleſtia peruenit, cum quibus etiam Angeli ſunt. Sicut in alio Pſalmo, Laudate eum omnes Angeli, laudate eum omnes virtutes. Sunt etiam, qui opinentur Angelos in aere fuiſſe creatos, bonos, & probatos in cęlum aſſumptos, malos in aere remanſiſſe. Eſt alius ſenſus Rabi Dauid, vt dicat, Qui facit Angelos ſuos, ventos, id eſt miſſos ſuos, ventos eſſe facit: præſto, inquit, ei ſunt venti, parere parati mittuntur ab eo in omnem mundum. Angeli eius, id eſt, miſſi ſunt venti, quia mittuntur. Sic miniſtri eius ſunt fulmina, quia mittuntur ab eo, ſeruiuntque eius imperio, ſicut Homerus vocat eum à mittendis fulminibus τερπικέραυνον. Hanc autem expoſitionem ille induxit, quòd perſiſtat pſalmus in recenſendis rebus aeris. Quæ quidem mihi non probatur. Nam ex alio pſalmo, quo dicitur, Laudate eum omnes Angeli eius, apparet, & hic Angelos inter res creatas poſitos. Et Chaldæus poſuit expreſſe איזגדוי iſgadoi, nuncios. Tum ineptum eſt ventos, vel fulmina Angelos vocare, nec credendum tam inſolentem ſimilitudinem vſurpaturum Vatem fuiſſe, vt ſacroſanctum nomen Angelorum fulminibus, & ventis dederit. Deinde ex præcedenti Pſalmo perſpicuè apparet, quos miniſtros, quos Angelos ſentiat. Dicit enim, Benedicite Dominum Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Deinde ſubdit, Benedicite Dominum omnes exercitus, ſiue militia eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Quibus teſtimoniis apparet non rectè Dauid interpretatum, Angelos, & miniſtros Dei, ipſos ventos, & fulmina. Nec vlli ſano ac prudenti eius interpretatio placebit.

Et miniſtros ſuos ignem vrentem.

Iguis vrẽs.

PRo, Ignem vrentem, Hebraicè eſt אש להט Es lohet, quòd ſonat ignem fulgurantem, ſplendentem. Et de fulguribus dictum affirmant Hebræi. In eo enim eſt vera comparatio, quòd Angeli, quos, & ventis comparauerat, ſint fulgurei, non ſegnius è cœlo labentes ac fulmina, vel fulgura, quæ ſubito accenduntur, ſubito diffugiunt. Suntque aptiſſimæ ſimilitudines. Ac Græcum poteſt referre illud Hebraicum φλέγειν, ignem flammantem, aptius certè, quàm Latinum. Non enim vrunt Angeli. Nonnulli Græci putant dictos eos πῦρ ἄϋλον, ignem immaterialem. Verius autem eſt, vt ſit comparatio, Mic ntes, & igneos dicit Angelos ob celeritatem. Nam & apud noſtros, has dicendi formas inuenies. Manus iuuenum emicat ardens. Quo animi præſentia, & celeritas, inflammataque voluntas oſtenditur. Incomprehenſibilis autem eſt velocitas Angelorum, gerentium tam leuia corpuſcula, vt ſpiritualia dicantur, corpora ea quidem rurſum non corpora, propter tenuitatem, leuitatem. Taliaque ea poſſumus fingere, quales, vt dixi, ſoni ſunt, & odores, qui licet corporei, vno tamen iactu oculi, multa terrarum ſpatia contingunt. Exauditurque ſubito ſonus, delatus ad aures, penetratque per omnia corpora. Lux item corporea, ſubito per omnem mundum, à cęlo in terras deuolat. Hæ & id genus ſimilitudines à rebus noſtris aſſumptæ, poſſunt exhibere nobis, corpora Angelorum quantæ velocitatis, quàm ſint incorruptibilia. A nulla enim re lux corrumpi, nec ſonus, nec odor poteſt, propter tenuitatem, læſionem aliorum corporum diffugientes. Credendum eſt item ea corpora, etſi magnitudinem fortaſſe non recipiunt, eſſe maiora longe, quàm noſtra, tanquam luces, multa circum luſtrantes, tanquam ſonos, latè ſe diffundentes. Iure igitur eos appellauit ignem fulgurantem. Sed nos prolixitatem effugientes, plura ſuper his loqui recuſamus.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſęculi.

ABſolutis rebus cęleſtibus, deſcendit ad terreſtres: ac tametſi fundatio terrarum fuit primum in omni creatione opus, initio enim Domine terram fundaſti: orditur tamen rem a principio, quia totus deinceps ſermo ad terreſtria pertinet. Primum opus apud Moſen eſt lux, ſecundum aer, tertium reuelatio terrarum, rerumque terreſtrium productio, ſic apud Dauid fuſius explicantem, & addentem multa, primum cęleſtia, deinde terreſtria traduntur. De miranda igitur terræ creatione primum loquitur. Mirabile autem, & cæteris poetis, ac philoſophis eſt viſum, terram ſuſpenſam in medio aere, circumrotante cęlo, teneri.

Lux.
Fir.
Ma.her.li.

Nam cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Et lucis, noctiſque vices, tunc omnia vidi
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, tellurem medio librauerit axe.
Nec circunfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis.

Ouidius.

Quod

Qui fund. ter. ſu. ſta.

Quod igitur Poetæ dixerunt terram libratam, vel ſuſpenſam in medio aere, ſurſum, ac deorſum exiſtente aere, & cœlo: hoc Vates ſacer, terram ſuper ſtabilitates ſuas fundatam. Hanc autem ſtabilitatem, primum Græci iure interpretantur diuinam voluntatem omni re fortiorem, & cõſilium Dei, ſicut dixit Claudianus, vt in ſapientiam, voluntatemque eius primum referatur. Secundo in rei naturam, quod traditur à Philoſophis, & ab Hebræis: omne enim graue natura tendit deorſum leuia ſurſum aſcendunt. Profundum totius mundi eſt terra circunquaque, ſicut cęlum circunquaq; eſt ſupremum, dictũ à Græcis ὐρανὸς, quaſi ὅρος ἄνω, extrema mundi meta, vltima diffinitio, & determinatio. Et hoc naturale eſt. Nam ſi montem ingentem hinc, atque hinc homines inambularent, non quidem prorſus eorum veſtigia eſſent inter ſe aduerſa, ſed inciperent contra ſe tendere, vt ſi mons eſſet ingens, & rotundus, procederentq; illi longius, iam eo deuenirent, vt veſtigia eorum eſſent contraria, & grauia ex vtraque parte contra ſe nutarent ad medium. Sic toto mundo, quoniam terra eſt latiſſimus ambitus, ampliſſimusque orbis, fit vt quæ ſuper inambulant, deuoluantur æque ad imum. Terræ igitur grauitas, & rotunditas facit, vt contra ſe nutet, lineis tendentibus ſemper ad centrum. Hæc quidem, vt dixi naturalia, ſed mirabiliſſimum fuit ac diuiſſimum opus terrarum è nihilo. Sola enim ex omnibus corporeis rebus terra cum aqua facta eſt è nihilo. Deinde in orbicularem formam diſpoſitio. Effectum eſt igitur naturale, quod conſiliis Dei fuit repertum, & diſpoſitum. Quocirca rectè in voluntatem eius omnia referuntur. Non enim hanc naturam habuiſſent, niſi ſua ſapientia Deus præſtitiſſet. Prima igitur omnium rerum fuit creatio terrarum, quæ iurè dicitur fundatio, quaſi fundamentum totius mundi. Et Hebræi ex philoſophia dicunt, in rota, vel circulo, prius eſſe punctum, deinde lineam circunduci, fierique orbem. Hæc Marcus quoque ceu diuinus Philoſophus conſiderans, Ac principio, inquit, terra vniuerſa cernatur locata in media mundi ſede, ſolida, & globoſa, & vndique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus. Alio in loco, Quocirca ſi mundus globoſus eſt, ob eamque cauſam, omnes eius partes vndiq; ęquales, ipſę per ſe atq; inter ſe continentur: contingere idẽ terræ neceſſe eſt, vt omnibus eius partibus in medium vergentibus, id autẽ medium infimum in ſphęra eſt, nihil interrumpat, quo labefactari poſſit: tanta eſt contentio grauitatis, & ponderum. Porrò, quod ait, Stabilitatem Græcè bene ἀσφαλείαν, ſecuritatem, infallentiam, inuacillantiam. Hebræi מכוניה mekoneha, quaſi columnas eius, ſuſtentacula eius. Et Chaldæus עלוי בסיסה halui beſiſaa, id eſt, ſuper baſes ſuas. Quo loco eſt nomen Græcum baſis, ſicut ſuperius ſindon. Dantur ergo baſes terræ, & columnæ per ſimilitudinem ædificiorum. Hieron. etiam in ſuo Pſalterio poſuit baſem. Duoq; miranda Deus fecit, quod & terram in medio mundi de nihilo fundauit, inuenit, & eam ita ſtabiliuit, vt ſtet in æternum. Quod & Salomon, Terra autem in æternum ſtat. Porrò quod ait, Non inclinabitur, eſt בל מוט bal timot, non vacillabit, non fluctuabit. Hinc appellatam dicunt ἱστίαν, quaſi ſtantem, fixam. Philon: ἡ δὲ μονὴ τῶν τοῦ κόσμου μερῶν ἱστῶσα παγίως, ἱστία πρὸς τῶν παλαιῶν ἀθυβόλος ὠνόμασαι. Ariſtoteles item mirabiliter conueniens, immotam eſſe terram prædicat, vt ſi omnes Dij congregarentur, eam loco minimè dimouendam. Situsque terræ non declinat, etſi tota terra ſemper mouetur, & quæ ſurſum ſunt, eunt deorſum, occulta veniunt ſurſum. Et quod dixit Latinus, Græcum ſecutus, In ſæculum ſæculi, Hebraicè eſt, In ſæculum, ועד ve ed, & vltra, quo tota æternitas deſignatur. Nam ſæculum non eſt æternitas, ſi addas ſæculum ſæculi, vel ſæculum, & vltra, infinita æternitas deſignatur. Chaldęus etiam dixit, In ſæcula ſæculorum. Quodque dicit terram in æternum non inclinaturam, non obſtat, quòd die nouiſſimo cœlum, & terram diuus Petrus dicat per ignem reſoluenda. Nam omnis theologia conſentit, non perituras res, ſed immutandas. Homerus de terra, eam Veſtam appellans,

Cęlum vn. dictũ græ.

Nõ inclinabitur.

In ſæculũ ſæculi.

Et vltra. 2. Pet. 3.

Ἕδρην ἀΐδιον ἔλαχε πρεσβηΐδα τιμήν.
Aeternam ſedem, primum ſortita decusque.

Ingemiſcitque omnis creatura, expectans filiorum Dei reuelationem, vt & ipſa fiat melior, & incorruptibilis.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius.

Valde locus is eſt perpendendus, & verior ſenſus è fonte petendus. Alioqui fecit tralatio, vt ſecus plerique interpretarentur, quàm autor ſcripſerit. Eſt igitur ſciendum Vatem hic canere, quòd cum terra, & aqua pariter, vt Moſes oſtendit, fuit creata: Nam Moſes creationem aquarum non expreſſit, quia voluit eam cum creatione terræ eſſe comprehenſam, eſt enim terra aquarum ſedes. Qui ſcribit de aquis, indicat eas habere ſedem. Moſes autem memorauit abyſſum. Non potuit, qui terram dixit creatam, deinde nominans aquas, non eas etiam dicere fuiſſe creatas. Neque enim ſi terra creata eſt, aquæ ęternæ eſſe potuerunt, carentes ſede, & lecto ſuo. Vt igitur Moſes, immenſam abyſſum ſuper terra incubuiſſe dixit: ſic ſecutus eum philoſophus iſte ſacer, vt in cæteris, etiam hoc loco prædicat creationem aquarum, eas incumbentes terræ introducens, creationem non exprimens, quia cùm terra ſequitur. Et Moſes creationem non expreſſit. Dicebat Moſes, Et tenebræ erãt ſuper faciem abyſſi. Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, Ecce, duobus locis aquas nominat, primum appellans eas abyſſum, deinde ſuo nomine aquas. Prædixerat item Moſes paulò antè Deum creaſſe terram: ſic nunc poſt creationem terræ, ſubijcit aquas illas immenſas terram vndique cingentes. Quare autem aquas immenſas oportuerit creare, docuimus in Coſmopœia, quòd ex eis creandus eſſet aer, creandæ nubes, ætheriæq; ſubſtantiæ, alluenda terra, vt arbores, & animalia, calore Solis conforta, produceret. Mare multis partibus tota terra maius remaneret, vt terræ vapores miniſtrarentur, hisque ſublatis, & denſatis, immadeſceret. Hæ veriſſimæ cauſæ, cur cùm terra creata ſit abyſſus vaſta, de qua Moſes prius, & hic Pſalmus ſcribit, oſtenſumq; alibi etiam gentes antiquas, poetas, & theologos, hoc agnouiſſe, prædicaſſe. E quibus Mercurius Triſmegiſtus, non ſecus atq; Moſes de creatione ſcribens, ait, Γῆ καὶ ὕδωρ ἔμψυαι καθ' ἑαυτὰ μεμιγμένα. Hancque eſſe cauſam, quod Homerus ſecutus Orpheum dixit:

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα τηθύν.
Oceanum rerum patrem Tethynque parentem.

Orpheus autem prius,

Ὠκεανὸς γένεσις πάντεσι τέτυκται.
Oceanus cunctis fuerat qui rebus origo,

Appellabant enim Oceanum, quem Moſes abyſſum, cùm terra omnium rerum cauſam, ſed magis aquam, quàm terram. Igitur cum altiſſimis aquis terra in creatione, vt docuit Moſes, obuolueretur, id Vates etiam prædicans dicit, Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Quòd Hebraicè verius, & clarius, תהום כלבוש כסיתו Abyſſus ſicut veſtimentum, cooperiebat eam. Ex quo videmus ſenſum longè clariorem. Demonſtrat enim, quod ſuperius prædiximus, terram fuiſſe abyſſo contectam, tanquam veſtimento, & inuolucro. Quare autem Septuaginta bis poſuerint veſtimentum, videlicet ἱμάτιον περιβόλαιον, fuit cauſa, quod verbum כסיתו kiſſitho, putarunt eſſe nomen verbale, à cooperiendo, cum potius tertia perſona verbi ſit, hoc modo, כסה כסיתי כסיתא כסיתו kaſah, kiſſithi, kiſſithe, kiſſitho. Ideo Chaldæus pro eo poſuit חפיתה taphitaa, id eſt, circundabat eam. Hoc ergo fecit, vt Græci, & Latini non antiquas illas aquas, ſed quotidianum vſum aquarum, terras contegentium ſentirent. Quod quidem, vt verum eſt, de aquis illis antiquis, terram nondum reuelatam, obruentibus, ſic minime verum, ſi ſentias de aquis huius temporis. Neque enim cingunt, inuoluuntq; ſicut veſtimentum, totam terra, ſed maxima terræ pars eſt detecta. Euthymius igitur, quod offerebat editio, Septuaginta ſecutus, καὶ τὸ περιβόλαιον δὲ αὐτοῦ τοῦ στοιχείου ἤτοι τῆς γῆς, id eſt, Indumentum autem eius elementi, id eſt, terræ, abyſſus eſt, videlicet aquarum multitudo, quod eſt mare, tanquam veſtimentum circundans, & ſuper extenſum. Chryſoſtomus item eadem ſentit. Vide, inquit, quanti vſus ſit aqua, ſuper cœlo eſt, ſub terra, circum terras. Eadem, & Nicolaus, & tamen ſciebat Hebraicè. Nam Græci digni venia ſunt. Non ergo ſermo eſt de temporis huius aquis, non de aquarum natura in vniuerſum, ſed de primordialibus aquis immenſis, vt declarabunt ſequentia. Et nos nunc locum aperimus, gratias Deo offerentes. Igitur etiam Hebræi ſcientes linguæ ſuæ proprietatem, eo quo dixi, modo interpretantur, è quibus Rabi Dauid, vt fiat res manifeſtior, Abyſſus, inquit, ſicut veſtimentum operiebat eam, עתה ספר איך היתה הארץ מכוסה בתחולת הבריאה Atha ſapper, ek haitha haarez mekuſa, bamaim, bethek bat haberiach. Nunc, inquit, memorat quomodo erat terra contecta aquis, in principio creationis. Proſequensque ait, Quia ſic eſt natura aquarum, vt eſſent circum terram ex omni parte ambientes eam, quia ex omni parte erant ſuper eam. Sed Deus benedictus ſua potentia, & ſapientia, congregauit eas in vnum latus, ſuper terram. Et detexit ſuperficiem terræ propter vſum plantarum, & animalium. Et hoc eſt, inquit, quod ait, Abyſſus ſicut veſtimentum tegebat eam. A principio ſcilicet anteaquam congregarentur aquę, erant cooperimentum terræ. Hæc Hebræus. Clarus eſt igitur verus ſenſus, clara ratio, quæ Græcos interpretes ſecus ſentire fecit. Abyſſum ergo dixit illam Moſaicam. Eſt autem abyſſus immenſitas aquarum, dicta Græcis ab ἀ στερητικοῦ μορίου, καὶ βύω, imbuo, impleo, expleo, quaſi inexplebilis, inſatiabilis, deuorans. Eſtq; idem abyſſus, ac vorago. Hæc res etiam gentibus cognita fuit, præcipuè Mercurio Triſmegiſto dicenti in ſuo Pimādro, vbi de creatione ipſe quoq; diſſerebat: Γῆ καὶ ὕδωρ ἔμενε, καθ' ἑαυτὰ μεμιγμένα ὡς μὴ θεωρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ὕδατος. Terra, inquit, & aqua in ſe commiſta manebant, vt terra præ aqua videri non poſſet. Hoc etiam eſt, quod Septuaginta tranſtulerunt pro, Terra erat inanis, & vacua, ἀόρατος, inuiſibilis.

Amictus eius.

Super montes ſtabunt aquæ.

HOc quoq; loco erratum eſt, ex Hebraici ſermonis non animaduerſa proprietate. Nam Hebræi canentes præteritis imperfectis, ea ſæpe enuntiant per futura, cuius vſus plurima ſunt exempla. Hoc igitur etiam loco erat futurum pro præterito imperfecto. Septuaginta Hebraicum, vt habebat, reddiderunt στήσονται, & Latinus Græcum ſecutus. Dicendum ergo, Stabant, immorabantur. Eſtque ſermo de aquis illis immenſis, quas propter ingentes aceruos, cum Moſe appellat abyſſum. Tanta autem erat earum copia, vt montium cacumina ſuperarent. Hæc veritas eſt. Vide igitur quid à tralatione manare neceſſe fuerit. Non enim poterant Græci capere, quomodo ſuper montes ſtarent aquæ, niſi de fontibus interpretarentur,

Hebræi, imperfecta præt. non habent.

Stabunt. Aquæ.

tarentur, qui ne ſuper montibus quidem ſcaturiunt, ſed ad radices montium. Audi enim Euth. ἐπὶ τῶν ὀρέων συναχθήσονται καὶ πηγάσουσι καίτοι πεφυκότα καταῤῥέιν. Quæ ſunt: Super montibus congregabuntur, & fontes facient, quanquam natæ ſunt, vt defluant ab excelſoribus locis. Vel aquæ conſurgent ſuper montes, ſublati fluctus maris, aut aquæ. Hæc ille. Hæc fingere coactus propter interpretationem illam. Chryſoſtomus, & Apollinaris, & Athanaſius ſimilia quædam de fluctibus intumeſcentibus ſenſerunt. Nam & Euthymius eum ſenſum propoſuit. At quomodo pertinent hæc ad creationem? Hebræi verò etiam inquiunt, Super montes erant aquæ, tantus earum erat cumulus. Hæc igitur quanquam ſit verior expoſitio, ſunt tamen Hebræi, qui putent hæc intelligi poſſe poſt creationem, vt dicat quòd abyſſus, quę remanſit, cingat terras, & in mari ſint etiam montes aquis tecti. Sed probatior ſenſus prior. Porrò in Græcis codicibus vbi legitur, περιβόλαιον αὐτοῦ, amictus eius, ipſi Græci monent dicendum αὐτῆς, vt referatur ad terram fęminei generis. Idque dicunt cæteros interpretes tranſtuliſſe, tum inferunt, καὶ ὥσπερ ἐν τῷ μέσῳ κάθηται πᾶσα ἡ γῆ, Tanquam inſula in medio Oceani terra ſedet. Sed docui veriorem ſenſum. Quo enim referes, Super montes ſtabunt aquæ?

Ab increpatione tua fugient.

Fugient. HOc item loco eſt futurum pro præterito imperfecto, vt dicendum ſit, Ab increpatione tua fugiebant, vel fugerunt. Idque admonent etiam Hebræi. Rabi Dauid præcipuè עתיד במקום עבר ורבים כמו הם futurum pro præterito, & multa id genus inuenias. Exponendus igitur locus hoc modo: Quando tu vocem illam diuinam, terribilemque intonaſti. Congregentur aquæ in vnum locum, vt appareat arida, hac exaudita, præcipites aquæ ferebantur, altiora deſerentes, & in concauas terræ partes proruentes. Hæc illa fuit miranda, Increpatio. vaſtaque increpatio. Eſt enim hoc loco tralatio à dominis ad ſeruos, a potentioribus ad humiliores. Vt ſerui audientes imperantem Dominum, præcipuè ſi contenta voce pręcipiat, rapiuntque ruuntque, ſic Domino illo præpotenti mandante, fiebat aquarum maxima confragoſaque ruina. Creberrimè autem per venuſtas tralationes, datur in ſacris litteris ſenſus, datur auditus, datur vox rebus inanimatis, vt Exultabunt omnia ligna ſyluarum. Et Cœli enarrant gloriam Dei. Pari tralatione datur auditus aquis illis, quòd audierint vocem Dei increpantem. Et forte eadem tralatio eſt, quòd datur Deo vox, datur increpatio. Qui potius voluit, & volendo iuſſit, non intonuit, licet ſine vocalibus inſtrumentis, poſſit intonare. Illa igi- Mare, cur nō creſcat. tur Dei increpatio, fuit voluntas eius, & naturalis exſiccandarum aquarum inuentio: exhauſit autem eas per Solem, in aerem extenuatas, vt maxima pars earum in vapores aerios abierit, ſicut totum ferè mare, ſaltem omnia flumina, quę intrant in mare, vna die, vt Ariſtoteles probat, in cœlum reuocantur, vt tantundem quotidie detrahatur, quantum flumina importaſſent. Eoque mare non creſcit, quia tantundem detrahitur à Sole, quantum à fluminibus infertur, Qualem autem fuiſſe putes, quantamque exſiccationem, quàm præcipitem, cùm recens natus Sol flagrantiſſimè aquam inflammaret, & immenſa inter cœlum, & terram regio, aere repleretur. Linquebant igitur aquæ montes, pręcipitesque in loca caua ſubſidebant, Volente Deo, cuius voluntati, & imperio nihil reſiſtit. Is eſt verus ſenſus. Nam ſenſus Gręcorum, à ſuperioribus expoſitionibus dependet. Audi enim Euthymium, ἀπὸ τῆς σφοδρᾶς σου κελεύσεως, τὰ μὲν ἐπὶ τῶν ὀρέων πηγάζοντα ξηρανθήσονται. Ob vehemens imperium tuum aquæ, quę fontes in montibus faciebant, ſiccabuntur. Fluctus autem maris ſurgentes & intumeſcentes, comprimentur. Sed, vt iam dixi, non in montibus fontes, ſed ſub montibus manant. De fluctibus autem ma- Aeris creatio. ris non eſt hic ſermo, quia de creatione diſſeritur. Expoſuit etiam Chryſoſtomus eodem modo, quòd volente Deo aquę proprias ſępe ſedes deſtituant. Apparuit verior ſenſus, clarus de creatione aquarum, de aperta, & de nudata terra, ingens diuinę ſapientię argumentum, eodem tempore, & aerem creantis per Solem, ad vitam animalium, & terras aperientis, vt naſcerentur è terra, nata ab eadem nutrirentur. Quod niſi ſubmotis aquis fieri non poterat. Simul duo diuina opera, omni laude, & admiratione, digniſſima fiebant, creabatur ad vitam aer neceſſarius, terra reuelabatur. Eoque aere creato, & aperta terra, ſimul animalia ſunt exorta. Hęc Vates admiratus, & Moſen ſecutus decantat. Fontium deſiccatio non habet multum quod admireris. Increpatio autem hoc loco non propriè ſonat reprehenſionem, ſed vocem vehementem, contentam, vocem cum fragore, & terrore. Et quod Euthy. dixit σφοδρὰν κέλευσιν, eadem locutione dicitur in alio Pſalmo, Increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt. Quaſi Deus imperioſè, regaliterq; ei diceret, Diſcede, abi hinc. Quale cum ventis imperans Neptunus, Maturate fugam. Eſt enim & ſacra hęc poeſis. Mercurius autem Triſmegiſtus, quod maximè obſeruandum eſt, ſeparationem aquarum à terra, de creatione loquens ait factam fuiſſe: deinde dicit factam, vt menti placuiſſet. Ex quo uidemus illum Deum Moſis, creatorem, & hunc, quem introducit Dauid, eſſe Mentem, ſapientiam, filium Dei ſecundum à ſummo bono. Sic verò ait, διεχώρισαι δὲ ἀπ᾽ ἀλλήλων ἥ τε γῆ καὶ τὸ ὕδωρ καθὼς ἠθέλεσεν ὁ νοῦς. Separatę ſunt ab inuicem terra, & aqua, quemadmodum voluit mens. Hoc etiam eſt, quod in Pſalmo dicitur, Omnia quęcunque voluit, fecit Dominus in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.

A voce tonitrui tui formidabunt.

A

Formida.

PRo Formidabunt, futuro, dices iuxta ſuperiora, Formidabant, pręterito imperfecto. Eſt autem quòd ſæpiſſime fit eiuſdem repetitio, expreſſiorque declaratio. Appellat imperium illud diuinum, incrępationem, vocemque imperioſam: deinde creſcente oratione, tonitru. Prius aquæ fugiebant, ruebantque, nunc formidant. Vocem igitur illam, & increpationē, vt ſcias quid eſſet, quámue vim haberet, vocat tonitru. Hoc pulchrè Euthymius exponens, Formidabunt, inquit ἀντὶ τοῦ τρομήσουσι φυσικῷ τινὶ λόγῳ. Id eſt, Contremiſcent quadam naturali ratione. Quòd ſi aquæ tremunt facto tonitru, multo magis decet nos, qui ſumus rationales, id perpeti, & contrahi. Hunc locum iuxta ſuperiora declarans Dauid, ait, Sicut quis aduerſus alterum intonet, & ille veritus, ac tremens aufugiat, ſic aquæ terga vertebant, Voluntasq; tua, inquit, erat eis vox tonitrui, feſtinabantque ad locum cauum.

Tonitru.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi.

IVre, ac pleno harmoniæ carmine, poſt fugatas aquas, poſt enudatam terram, proſequitur bona hanc nudationem conſequuta. Nam cum aquæ montes, & campos prius occuparent, nuſquam loco, habitationeque apparente, vt primum voluntate, & imperio Dei his ſemotis, aperiri terræ cęperunt, ſurgebant montes in altum, campi depreſſi iacebant. Remotisq; aquis apparuit diuerſa facies terrarum, partim montibus extans, partim camporum vaſtitate complanata. Quod & Poeta Latinus, ſicut alia ex iſto carmine expreſſit, de Deo, quem ignorabat dicens.

- Quiſquis fuit ille Deorum,
Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſyluas, lapidoſos ſurgere montes.

B

Pari igitur ſenſu ab vtroque dictum, de eleuatis montibus campisque depreſſis, & ex vno fonte ſunt petita. Diſpoſitionem quidem hanc montium, & camporum, factam à Deo prius in creatione terræ, par eſt, naturalibus cauſis ſi poſſet intelligi, ab eo iuſſis, ac diſpoſitis. Nam creſcere partim montes, partim diffluere, ratio docet. In radicibus circaq; terram ſic ſaxa creſcere docemur, ſicut oſſa animalium, ex medullis teneris dureſcunt, & creſcunt. Habentque ſaxa montium ſuas venas, ſicut metalla. Decreſcunt autem in ſummo, ſemper aut pluuia, aut alio caſu, eos diminuente, & ad vnum deiiciente alluenteque terram, & ſaxa ſenio confecta cadunt. Campi autem remanſerunt, vbi vena ſaxorum defuiſſet. In quaſdam autem mundi cauernas, & planiora loca mare ſubſedit. Hæc loci declaratio. Athanaſius ſicut & cæteri Græci, ex ſuperioribus dependentem ſenſum præbuit, non eum ſcilicet, quem Dauid dediſſet. Vult enim eſſe comparationem quandā, vt fluctus maris eleuati, montibus aſſimilentur: depreſſi, campis: ὑψούμενα, φησὶν, παρεικασθείη ἂν ὄρεσιν. Elati, inquit, fluctus, ſimiles ſunt montibus, depreſſi formidine tua, tanquam planicies, & æquata terra fiunt. Euthymius etiam de fluctibus putat hæc dicta, quanquam & ſitum montium, & camporum aliquantum aſpexit. Verior ſenſus iam claret. Fugientibus igitur aquis, montes extulerunt caput, campi ſubſederunt aperti, detecti aquis. Bene autem adiecit, In locum quem fundaſti eis, vt omnia doceat eum ſitum, quem Deus voluiſſet, habuiſſe. Quod & Poeta Latinus retulit in eum Deum quem ignorabat,

Saxa creſcere, vt oſſa.

In lo. quē fund. e.

Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, nec conuertentur operire terram.

Ter. poſ.

CVm montes, & campos deſcripſiſſet, montes datos pro clauſtris ipſi mari, aquisque ſummotis velit oſtendere, ecce declarat, primum eos creatos, deinde datos pro clauſtris, tum incluſum eis mare tranſilire non poſſe, vt in eo etiam prædicet ſapientiam diuinam, quod non ſolum mare ſubmouit, ſed dedit eas obices, ea clauſtra, his definitionibus, & terminis circunſcripſit, vt tranſire inde non liceat. Quanquam autem erat obſcura oratio, cuinam diceret terminum eſſe præfixum, an montibus, an aquis: ſenſus tamen ipſe declarat, quòd nunc ad aquas & abyſſum reuertitur, præcipuè montibus, propter mare commemoratis. Et Chaldæus expreſſit, Terminum, ait, poſuiſti, fluctibus maris, quem non præteribunt. Quod autem dicitur, Terminum poſuiſti, etiam Poeta Latinus à Deo factum intellexit:

Tum freta diffudit, rapidisque tumeſcere ventis,
Iuſſit & ambitæ circundare littora terræ.

Is enim fuit terminus præfixus, littora ſcilicet, ſed præcipuè montes. Nuſquam enim fere mare inuenias, quod non ſit, aut certè fuerit montibus incluſum. Nam etſi planicies aliqua eſt, quæ mari non finitur, ſi tamen oculos vlterius tuleris, videbis circunquaque altiſſimas arces montium, quas à principio, terminum maris fuiſſe conſtat. Diſcedente autem mari, aut fluminibus, glebas, omnemque materiem ſemper aduehentibus, & de ſummis montibus ſaxa limumque deferentibus, accidit vt maris ora repleta, non appareat antiquus circumobeuntium montium terminus, Nilus.

vetuſtate longinquior, ſicut ad pontum Euxinum, & in Aegypto, quam totam Nili beneficium D eſſe ſcriptores aſſerunt: Nilusque dictus quaſi νέα ὕλη. Mare quoque Italicum, id eſt, Adriaticum, ſemper recedit, longiusq; abit à montibus, ad quos vſque in antiqua rerum creatione, mare perueniſſe eſt probabile. Porrò quod ait, Nec conuertuntur operire terram naturaliter quidem, ſed prius diuinè. Ideo Ariſtoteles Deum, & naturam conſociat. Mare non ſolum non tranſcendit hos terminos, vt etiam longius diſcedat ſemper in ſeipſum ſeſe coarctans: ſed & veriſſimum eſt, vt dixi, mare à principio circunquaque, ſaltem magna ex parte altiſſimis, & inter ſe, inſtar exercitus complicatis montibus exilire non poſſe, vt terram habitabilem alluat. Quòd ſi alicubi accidit, vt mare terminum tranſierit, in vniuerſum nunquam probabis, vbi terra eſſet, montibus oppoſitis, mare excurriſſe, & montes tranſijſſe, particulare autem non præiudicat vniuerſali. Nec verum eſt in vniuerſum, niſi alicubi tantum:

Vt pſ. 106 poſuit deſertum in ſtagna aquarũ poſuit flumina, in deſertum.

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ,
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis.

Conchæ Marinæ. Terreſtres Nõ cõuer. op. ter.

De conchis clarum eſt, poſſe eas terreſtres, & marinas eſſe, ſaxeas inquam in montibus genitas, alias in mari. Anchoras autem potuit aliquis caſus in montes tuliſſe, aut remanſiſſe ex antiqua alluuione. Et ſummi montes poſſunt eſſe colles exigui, vbi aliquando mare fuerit. Hebræi quoque dicunt, Non conuertentur operire terram, ſicut prius. Ideo dixit, Non conuertentur, non redibunt. Notat etiam Chryſoſtomus, hinc intelligi, non montium, iſtorumque murorum fortitudinem efficere, vt ne mare tranſiliat, ſed imperium voluntatemque Dei. Ipſe igitur terminum poſuit mari.

Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ.

EAdem poeta Latinus:

- Addidit & fontes, & ſtagna immenſa, lacusque.
Fluminaque obliquis cinxit decliuia ripis.

Illi etiam hæc à Deo facta, & reperta cognouerunt, & confeſſi ſunt. Naturaliter autem fontes in conuallibus confluunt, ſed natura inuentum eſt Dei, vt aiunt boni Philoſophi. Deus naturæ princeps, & moderator. Quod illi intelligentes, naturam nominantes, Deum item nominabant, priorem Deum, tanquam principem, primarumque cauſarum repertorem. Hoc illi non minus religioſè, ac nos prædicauerunt. Ac primum quod ait, In conuallibus, Hebraicè eſt בנחלים banechalim. Nachal propriè ſonat torrentem, foſſam, aqua viua irriguam ſemper, aquamque decurrentem. Sonat etiam conuallem, id eſt depreſſum inter montes locum, quo montanæ aquæ confluunt. Is locus Græcè dicitur φαρὰγξ, Hebraicè, vt ait Dauid, nachal, licet deſignet etiam torrentem. Sic enim, inquit, Et mittit eas vt diſcurrat in valles, quæ ſunt inter montes. Et hæ vocantur nechalim. Chaldæus autem accepit aliud ſignificatum dicens, Qui emittis fontes בנהרותא benacharutha, in flumina. Ac quanquam verum ſit, fontes in flumina deſcendere, videtur tamen eſſe verum quod ait Dauid. Declaratur enim ex ſequenti, Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Confluunt igitur inter montes aquæ, vndique de cauernis montium deſcendentes, quo nihil iucundius mirabiliusque aſpici poteſt. Huius cauſam referunt Hebræi hoc modo, Cum Deus congregaſſet in vnum locum aquas, fecit vt eſſent ſalſæ. Eoque non diſcurrentes, ac motæ, emarcuiſſent, aeremque corrupiſſent. Idcirco fecit eas ſalſas, vt aer ſanus eſſet, & corruptione immunis. Quas autem in arida reliquiſſet, dulces eſſe iuſſit, quia diſcurrerent, & in terram abſorberentur. E quibus fecit vt in loca humilia defluerent, vnde & animalia viuerent, & plantæ irrigarentur, vt aer refrigeraretur, humores corporibus ſuppeditarentur, aeris ſiccitas madeſceret, quæ ex ſalſedine maris ad eum peruenit, & vt earum vagatu, terræ plantæque irrigarentur, odores exiſterent. Ideo, vagæ aquæ, & in diuerſa tendentes dulces factæ ſunt. Ad vſum rerum, non emiſit fontes, vt ſuper terram voluerentur, ne inundarent plantas, & terrarum habitationem labefactarent, fecit vt in locis humilibus decurrerent, quæ ſunt inter montes, qui dicuntur conualles. Aliæ per terram diffunduntur, quarum eſt nota vtilitas, quas autem deſerta peragrare dedit, viatoribus, & cæteris animalibus voluit deſeruire. Hæc illi dicunt quibus non cauſa fontium in conualles manantium, ſed finis oſtenditur. In conualles autem delabuntur è montibus aquæ, ima petentes, quoniam ima petunt aquæ: è montibus autem prorumpentium fontium cauſæ à philoſophis ſcientiam mutuamur. Ideo philoſophia theologiæ deſeruit. Ferè enim montes ſunt cauernis interius vaſtis patentes, in quibus frigidiſſimi aeris maxima copia colligitur. Hæc ſemper tum ob aerem frigidum, tum quia ſemper infernè aqua in cauernis colatur, quam pluuiæ terris demittunt, deſtillat, ſemper cauernæ illæ collacrymantur. Nunquam ceſſant rores defluere, pluitque illic perinde, guttæque perpetuæ decidunt, ſicut cum ſuper terras incumbunt nubila. Ex illa pluuia, & perpetuis hinc inde deſtillationibus, flumen aut fons conficitur, propè, vel longius, vt faciliorem exitum nactus fuerit, erumpens.

In conuallibus.

Inter me. mõt. per. a.

Salſedo maris, quorſum, computruiſset

Vt rebus prodeſſet, noluit emittere.

Cauſa fontium, ꝓrũpentium è montibus. Iob. 28. b.

Hinc

A Hinc ait Ariſtoteles, vaſta, memorabiliaq; omnia flumina à montibus defluere, Danubium, Rhodanum, Rhenum, ex vno eodemque monte Heluetiorum: Tagum, & Hiberum ex Pireneis, Euphratem, & Tigrin è monte Tauro, ſimiliterq; omnes. Vide igitur diuinum conſilium creandorum montium, vide mirabilem, incredibilemque vtilitatem. Diſtinguunt, ornantque terras, mare ne procedat, coercent, gignunt nobis fontes, & flumina, vt nos, & bruta animalia viuamus. Iure dignus eſt admiratione, & laude, rerum iſtarum inuentor, vt eum & admiremur ſapientem, & collaudemus beneficum & clementem. Porrò in Hebraico non eſt Aquæ, ſed tantum, Inter medium montium pertranſibunt, fontes ſcilicet, quos prius dixerat.

Montium tres vtilitates.

Potabunt omnes beſtiæ agri, expectabunt onagri in ſiti ſua.

VTilitatem aquarum per conualles ſcatentium oſtendit. Quis enim credat aliam ob cauſam, fontes à Deo repertos, quàm vt animalia biberent? Et tamen ſi naturam montium aſpicies, neceſſariò propter latiſſimas cauernas à Sole & calore remotas, fontes efficiũt. Sed Deus inuentor rerum, tanta ſolertia, tam profunda ſapientia res ſuas diſpoſuit, vt factæ naturales fuerint, vnaque res plures vtilitates habuerit. Aquæ autem, & fontium vſus in Oriente, vbi hæc cogitabantur, & decantabantur, magnis laudibus celebratur, regionibus Sole ardẽtibus maxime neceſſarius, vt fons aquæ ſit nectaris cęleſtis loco. Ardent enim omnia flammis ſolaribus, & ſæpe decem dies, & plures per ardentis ſabuli aceruos viatores, nuſquam aquam offendentes eũt, oneratos aqua camelos adducunt. Cum primis autem ex animalibus memorat onagrum, in cuius reddenda cauſa Hebræi cum Græcis conueniunt, Græci dicunt hoc animal eſſe κατάξηρον καὶ διψῶδες, exuſtum, & ſitibũdum: Hebræi quia ſit animal ſylueſtre, deſerta ſemper incolens. Ideo dicitur ὄναγρος, i. aſinus ſylueſtris. Dixerat enim Beſtiæ agri, Græcè ϑηρία, proprie animalia ſylueſtria, Hebraicè חיות chaioth, feræ ſcilicet campeſtres. His dicit à Deo potum ſuppeditari in locis ardẽtibus. Ideo memorauit cum primis onagrum, animal regionibus Orientis domeſticum, ignauum, pauidum, tantum aſinus. Conueniunt autem ibi animalia ad vnum aliquem fontem, vnde prouerbium, cuius Ariſtoteles etiam meminit, Semper noui quid affert Aphrica. Miſcent enim mutuo ſeſe, diuerſaſque ſpecies, & monſtra pariunt. Obſeruandumque quod admonent ex iſto loco Græci. Si diuina prouidentia ſeſe ad viles animantes inclinet, multò magis curaturam res noſtras. Atque ad rerum quoque creationem pertinet, poſt principia terram, & aquam, montes, campos, terminos, fontes in collibus, animalium creatio, & alimentum.

Potab. omnes beſt.

Iudęa, in oriente.

Onager.

Beſt. agri

Aphrica, internoui.

Matth. 6.

Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

PRo, Ea, eas, dicendum eſt Latinè. Refertur enim ad aquas, quæ tametſi Græcè neutro genere proferuntur, diciturque hoc loco, ἐπ᾽ αὐτὰ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνῶσι, tamen Latinè vt aquas intelligas, ſicut apparet Hebraicè, & Gręcè, dicendum Eas. Pro petris quoque in Hebraico eſt עפאים hiphaim, quod potius ſonat frondes, folia, ramos. Dicendumque, De medio arborum. Et Hier. hoc intelligens in Pſalterio Hebraico tranſtulit, De medio nemorum. Et Rabi Dauid exponens hoc verbum dicit, והם עלי העץ vehem ale haez. Et hæc ſunt folia arboris. Loquitur igitur de volucribus aquaticis, ſtagna, lacuſq; incolentibus, vel in vniuerſum de omnibus quibus ad fontes, & flumina ſitientibus, neceſſe eſt confugere. Hocq; Græci, & Hebræi pariter exponunt, παρὰ τοῖς ὕδασι τῶν ποταμῶν ἐν ταῖς ὄχταις τὰ πετεινὰ, ὅσα φίλυδρα, κατασκηνῶσι, Propter aquas, inquit Euthymius, fluuiorum in ripis volucres habitant, quæ aqua delectãtur. Sic & Hebræi. Porrò quod ait Super ea, Hebraicè Super ſignat etiam, iuxta, propè, vt dicat, Iuxta ea, propter ea. Obſeruãt etiam Hebręi, volucres maiores ex parte aquaticas eſſe natura. Vnde in Moſe piſces, & volucres ſimul ex aqua naſci iubentur. De quo ſuo loco. Ea igitur eſt venuſtas, ea diuina quædam rerum pulchritudo, quod montes, & colles aſcendunt, campi ſtrati latè iacent, fontes ſcaturiunt, riuos & flumina efficiunt. Huc coeunt feræ ad potandum, circunquaq; autem demulcentes auras volucres, ex arboribus frondiferis concinunt, vt Poeta de fluuio Tyberino:

Super ea.

Petræ.

In mare prorumpit, variæ, circumque, ſupraque
Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alueo,
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.

Et Homerus de antro Calypſonis:

Ἔνθα δὲ τ᾽ ὄρνιθες τανυσίπτεροι εὐνάζωντο,
Σκῶπες ἴρηκές τε, τανύγλωσσοί τε κορῶναι
Εἰνάλιαι, τῇσίν τε θαλάσσια ἔργα μέμηλον.
Hic volucres habitant pictæ, atque ingentibus alis,
Buboque, accipitresque, & longo gutture cornix,
Aequoreæ, quibus eſt mos vitam degere in vndis. Et,
Hic ver purpureum, varios hic flumina circum,
Fundit humus flores, hic candida populus antro,
Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.

Dab. voces

Vterque igitur volucres iuxta aquas conſtituit, concinentes. Quod à noſtro prius dictum eſt. Nec vel noſter, vel Latinus poeta dicunt è petris, aut ripis tantum volucres concinere, ſed ex arboribus iuxta ripas fluuiatili humore grandeſcentibus & frondeſcentibus, vt vtraque re volucres ad canendum inuitent. De mediis ergo arboribus, & fruticeris, ramiſque ſentias. Itaque non propriè acceptum eſt ab Euthymio, Ε᾿κ μέσου τῶν πετρῶν δώσουσι φωνὴν, τὰ ὕδατα δηλονότι, ἐκ πετρῶν γὰρ ἐκπορευόμενα μετὰ ῥύμης, &c. De medio, inquit, petrarum dabunt voces, aquæ videlicet. E petris enim prorumpentes cum lapſu, & ſonitu, tantum non animalia quidem inuitant ad bibendum, homines autem ad laudem eius, qui ex arentibus ſaxis naturam humentem affatim elicit. Hæc quanquam vera ſunt, à Vate tamen dicitur, quòd volucres concinunt, è mediis arboribus, in ripis frondeſcentibus. Quod maximè cognoſcitur ex Hebraica voce עפאים iphaim, quæ non propriè ſonat petras, ſed potius ramos, frondes, arbores. Rabi quoque Dauid, quod dicitur, De medio petrarum, exponit והם עלי העץ Et hæc ſunt folia arborum. Nec arbores, inquit, ſed ramos, aut folia, quia plerunque ingentes arbores & frondoſæ iuxta ripas fluminum aſſurgunt. Credoque Septuaginta petras intellexiſſe ripas fluminum frondentes, arboribus opacas. Quodque Hebraicè dicitur, Dabunt vocem, Chaldæus adiecit, vocem זמר zemar, id eſt, cantus, modulatus, vt Virgilius:

Aethera mulcebant cantu.

Habitabunt. Hebræi.

Sunt etiam hoc loco duo verba, alterum Hebraicum, alterum Græcum, ſimilia, eiuſdem ſignificatus in eadem re, vt intelligas linguam Græcam ab Hebraica fluere. Dicitur Græcè, Super ea volucres cęli σκηνώσει: Hebraicè ישכון iſcon. Ex quo videmus ſcenam Græcum, ab Hebraico deſcendere, sheam. Illud item (ſi cui fortè hæc obſeruatio placeat) poteſt hic animaduerti, Hebræos nō ſeruare numeros in verbis. Et ſæpe nominibus ſingularibus adiungere verbum multitudinis: ſic viciſſim. Hic enim dicitur, ſuper ea עופא השמים ישכין auis cęli habitabit. Deinde, De medio petrarū יתנו קול dabunt vocem. paulò antè, Potabunt כלא חיתו omnis beſtia, fortè quia collectiua ſunt.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis.

Superiora

Pſ. 146.

Theſ. dei.

Rigans.

POſteaquam executus eſt venuſtatem, decorem, vtilitatem, quæ percipitur ex aqua, eaque omnia dixit quæ pertinent ad aquas, fontes, & flumina, cum aquis illis primordialibus, de quibus ſermonem de rerum creatione agens, inſtituerat ſequentia: nunc ordinem Moſaicum ſecutus, ad arbores, & plantas è terra natas ſe recipit. Plura enim diuina opera, tertia die ſimul facta docet Moſes. Summotæ ſunt aquæ, ex quibus marinæ ad vapores aereos remanſerunt, ex his aer in cauernis conceptus fontes & flumina ad vſum animalium, & pulchritudinem terrarum emittit. Tum tellus ipſa patefacta germinauit imperio Dei plantas. Quæ cum natę eſſent, eodem humore eas creſcere, & nutriri neceſſe erat, quo natæ eſſent. Ideo Moſes, cum terram apertam dixiſſet, intulit plantarum ſatum, tum irrigationem cęleſtem. In recapitulatione autem, antequam terra produceret, dixit, Et fons aſcēdebat de terra, & irrigabat vniuerſam faciem terrę. Tunc ſubiicit, Et produxit Dominus de humo, omne lignum frondoſum. Hoc igitur noſter imitatus, dicturus de agrorum vbertate, de plantis, & arboribus, orditur ab illo fonte qui aſcendebat è terra, eamque vniuerſam irrigabat. Quem autem dixit Moſes אד quod Sept. tranſtulerunt πηγὴν, Hebraicè, ſicut Aquilas & Symmachus verterunt irrigationem, ſonat vaporem, nubem. Hoc appellat Dauid, Superiora eius, ſcilicet Dei. Conueniuntque Græci, & Hebræi, hæc ſuperiora exponentes, Dauid והם העננים Et hæ ſunt nubes. Euthymius, Υ῾περῶα δὲ νεφέλας λέγει, ἐκεῖθεν γὰρ τὰ ὄρη ποτίζονται. Superiora, inquit, nubes dicit. illinc enim montes irrigantur. Apollinarius, item, Τινὲς δὲ φασὶν, τῆς θαλάσσης εἶναι τοῦτο τὸ ὕδωρ, διὰ νεφελῶν ἀναπωμένον. Quidam, inquit, ſenſerunt hanc aquam eſſe marinam, per nubes attractam. Vere quidem pluuia eſt aqua marina, ſed non per nubes attracta, ſed in nubes conuerſa. Quare autem præcipuè montes meminerit irrigari à Deo, pulchrè Hebræi, & Gręci docent, Hebręi quòd montes ſint ſicciores, & quia poſſint campi deductionibus fluminum, ac fontium ab hominibus irrigari: Græci quòd in montibus prę cipuè fœnum producatur. Et quia ſi montes, multò magis omnis terra, è montibus, aquis in plana delabentibus. Superiora igitur nubes intellige, quæ iure dicuntur ſuperiora Dei. Appellant enim ſacræ litteræ, pluuiam, & ventos, theſauros Dei. Et Chaldæus בית גנזי id eſt, domum theſaurorum dixit, pro eo quod Hebræus, Superiora eius. Congruè cum Hebraico Græce dicuntur μετέωρα. Latinus pulchrè vertit, Rigans, quod Græcè eſt ποτίζων, cum non dicunt vocem Latinam inueniri reſpondentem, niſi dare bibere, proprieque ſonat, potum dans montibus, ex Hebraico משקה meshake.

De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

Fruct. operum Dei.

EST, vt dixi, in ſacris litteris pluuiarum ſumma commendatio, & admiratio, in eo maximè creator laudatur, & extollitur. Hebræi concordant cum Græcis pluuiam fructum Dei dicentes, Nubes opus diuinum: fructum autem nubium ipſam pluuiam. Si enim ſuperiora Dei vocauerat nubes, iure etiam opera Dei eas dicit. Sunt ergo nubes, & ſuperiora Dei, & opera eius. Ipſe enim fecit aſcendere fontem, ſiue vaporem de terra, ex quo vapore, diuinus fructus pluuia naſcitur. Paterque pluuiæ vocatur Deus in theologia. Eſt enim res diuina, ſummęq; ſapiētię,

coque

eoq; inter mirabilia eius recenſetur. Loquensque cum Iob Deus, Nunquid, inquit, pluuiæ es pater, aut quis genuit rores cęleſtes? Sicque Deus pluuiæ pater, fructus & proles pluuia oſtenditur. Chryſoſt. quoque, Ἔργον τοῦ θεοῦ λέγει τὸν ὑετὸν, ἀφ᾽ οὗ πλουτεῖται πλησμονῆς ἡ γῆ, opus Dei pluuiam dicit, à quo tellus vbertate ditatur. Et Euthymius, Nonnulli, inquit, τὸν καρπὸν τῶν ἔργων αὐτοῦ τὸν ὑετὸν ἐνταῦθα προσαγορευθῆναι λέγοντες ὡς καρπὸν τῶν οἰκονομικῶν αὐτοῦ, fructum operum ipſius, pluuiam hic appellari dicentes quaſi fructum prouidentiæ ſuæ. Iure etiam dixit, Satiabitur, quia de agrorum ſiti ſermo eſt. Et pluuia tale, quid efficit, quod Poeta expreſſit, Rura natant foſſis,

Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris,
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluuia ingenti ſata læta, bournque labores
Diluit, implentur foſſæ, & caua flumina creſcunt.

Deinde Virgilius etiam patrem pluuiæ nominat.

Ipſe pater media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra.

Hæc tametſi natura fiunt, à Deo tamen fieri, & illi prædicabant.

Natur. op. Dei.

Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum.

Fœnum. Herba.

DE fœno, & herba, certa ex Hebræis, & Græcis differentia. Fœnum quòd ſponte ſua naſcitur, herbam autem quæ opere humano adhibito, vt eſt triticum, omneſque generatim ſegetes, tum olera, omniaque hortenſia, quibus ſerendis homo & colendis deſudat. Pro ſeruitute igitur eſt עבודה abodah, quod tametſi ſonat ſeruitutem, ſignat tamen hic propriè cultum: vnde cultores Dei dicuntur abdim. Cultumque appellat ſudorem, quo ſibi victum parare iuſſus eſt homo. Poteſt tamen herba, iumentorum intelligi, quę humano opere creſcat. Ideo pro herba, Hierony. fœnum tranſtulit, Et fęnum ſeruituti hominum. Pro iumentis autem Græcè κτήνεσι, i. pecoribus, Hebraicè behema, quod beſtiam, quaſi veſtiam, ſiue voſtiam deſignat. βόσκω autem boſco, eſt paſco. Diciturque propriè de beſtiis maioribus, quæ iumenta appellari ſolent, minores, ſunt pecora: quanquam fecilè confunduntur.

Seruitus.

Iumenta. Ge. 1. d. 97

Vt educas panem de terra, & vinum lætificat cor hominis.

COmmemorato cibo iumentorum, cibum humanum perſequitur, tria præcipuè quibus humana vita ſuſtinetur referens panem, vinum, & oleum. Ac videtur declarare repetendo quod dixerat, Et herbam ſeruituti hominum. Hæc enim eſt herba, panis, ſ. humano labore, (quam ſeruitutem Septuaginta dixerunt δουλείαν) parta. Ac vbi dicit, Vt educas, Græcè, & Hebraicè poteſt referri ad aliquem tertium, להוציא lehozia, ad extrahendum, Gręcè τοῦ ἐξαγαγεῖν, vt referatur ad laborem, cultumque humanum, quo laborando educunt panem è terra, auxilio imbrium cęleſtium. Ac panis Hebraicè dicitur לחם lechem, quod ſonat ſimpliciter cibum, κατ᾽ ἐξοχὴν, panem, in omni cibo præcipuum. quod teſtatur & Rabi Dauid ולחם האכלל לכל מאכל velechem hukelal le col maacal, Lechem, ait, vniuerſum dr̄ omnis cibus, præcipuè autem panis, quia ſemper eo vtimur. Sicq; exponunt dicētes ſeruitutem, ſiue cultum humanum in eo eſſe præcipuè C vt panis ſuppetat. Vinum item educunt è terra homines, quod lætificat humanum cor. In quo vtilitatem eius declarauit. Dulcedine autem, & ſapore dum hauritur, & in palato lætificat, hauſtum autem, calorem dat membris, ſitimque depellit, vt tres ſimul voluptates efficiat: Primam, dum hauritur, dulcedine titillans guſtum: tum ſitim quæ infeſtabat, triſtitiamq; afferebat, depellens, hauſtum, calorem cordi, membriſque adhibens. Sicut autem triſtitiæ comes eſt frigiditas (nam & męrentes & pauentes rigeſcimus. vnde Græcè idem eſt timere, ac frigeſcere ῥιγεῖν) ſic calefactio efficit lætitiam, frigus contrahit, contractio męror eſt, calor diffundit ſanguinem, vnde lætitia. Eſt enim lætitia ſic diffuſio ſanguinis, ſicut męſtitia, contractio, fuga, perturbatio. Hinc Græci quomodo lætitiam vinum efficiat, docentes dicunt θεραπεῦον καὶ ἀνιεὶς αὐτὴν, i. Demulcens, & remittens ipſum, ſ. cor. Et lætificare illi dicunt εὐφραίνειν, quaſi mentem, ſiue cor diſponere εὖ & φρένες. Homerus etiam vinum appellat μενοεικέα, quaſi dulcianime, ſuauem, lætumque faciens animum, & μελίφρων, Ac Hebræus de corde dixit, ſiue, vt mos eius linguæ eſt, cor pro anima tota accipere, vt, cogitationes aſcendere in cor, quod noſtri in animum, & mentem. Et Homerus,

E ducere.

Panis.

Vin. lætifi. cor hom.

Εἴπεθ᾽ ὅπως ὑμίας κραδίη, θυμός τε κελεύει.

Dicite cor quæcunque iubet vobis animuſque.

Aut φυσικῶς, quoniam propria cor ſanguinis eſt ſedes, illicq; ſanguis, vel diffunditur, vel contrahitur, relictis venis ad arcem confugiens: & quia in ſanguine calor exiſtit, corpus ſimul, & pallidum, & frigidum fuga ſua efficiēs. Hinc hauſto vino, incaleſcit corpus, & animus ex συμπαθείᾳ & exhilareſcit, & color accedit melior in vultu, ſanguine ſeſe vſquequaque diffundente. Ecce igitur diuina prouidentia, quæ non tam quæſiuit, vt viueremus, ſed etiam vt iucundè, & ſuauiter viueremus, vt quod grauiſſimus Orator dixit, interdum hæc προνοιὴ, Epicurea fuiſſe videatur.

Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. D

Exhilaro.

EAdem dicit, vt moris eius eſt, dicta ſua ſemper augere, & efficere repetendo clariora. Oleum autem nondum nominaret. Exhilaratio quidem vultus, quam oleo tribuit, duobus modis etiam Hebræis teſtibus, poteſt intelligi. Aut enim vnctio corporis indicatur, quo ſolebant veteres oleo perungi. Sæpe docet Homerus, cum hoſpites inducit, hoſpitio amicorum receptos, lauaſſe pedes, & corpus oleo vnxiſſe, vt in Odyſſea de Telemacho à Neſtore recepto.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ λοῦσέν τε καὶ ἔχρισε λίπ' ἐλαίῳ
> *Aſt vbi lauit eum, corpusque perunxit oliuo.*

Aut ad lucernam refertur, cuius lumine facies, & oculi exhilareſcunt. Hunc ſenſum declarans Dauid ait, ſic etiam oleum è terra, humano labore educitur, quo veſcens homo מצהיל ואאיר פנין illuſtrat, & claram facit faciem ſuam. Deinde addit, Etiam noctu lumen per ipſum facit. Ac quoniam Hebraicè eſt, Vt exhilaret faciem, משמן mishamen, ex oleo, vel de oleo: credit hunc eſſe ſenſum, vt è multis commodis, quæ percipimus ex oleo (nam eo veſcimur, eo & corpus inungimus) vnam præcipuam vtilitatem, Vatem nominaſſe, quòd eo faciem illuſtramus in tenebris, apparenteque lumine irradiamur, oculi quoque ac vultus, mira lætitia afficiuntur. Hæcque fuit diuina vtilitas ex oleo, maximi in rebus mortalium ponderis. Hunc autem ſenſum exibet, quia videtur eſſe partitio de oleo, non omnem vtilitatem, ſed vnam præcipuam, ſcriptore nominante. Poteſt igitur duplex faciei exhilaratio per oleum intelligi, aut lucernæ, aut vnctionis. Nam quòd faciem vngerent oleo Hebræi, Euangelium indicat: Oleo caput meum non vnxiſti. Et, Cum ieiunatis, vngite capita, & facies lauate. Hunc etiam ſenſum, videtur vox Hebraica demonſtrare, pro Exhilarare habens, הצהיל hazil, quod ſonat claram facere, & pellucentem. Relucet autem oleo facies. Et pro eo, Chaldæus dixit לנהרא lenahara, ad illuſtrandum. Vterque ſenſus defenditur. Porrò quod ait, Et panis cor hominis confirmet, idem quod Homerus ſæpe, καὶ ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν, Panem, ſeu farinam eſſe medullam hominis. Sic Hebræus ſubſtantiam, & robur hominis dixit panem. Vt autem Homerus farinas ad medullam retulit, licet ex farina fiat panis, panis eſus in ſanguinem vertatur, vnde exiſtit ſpiritus, & vita: medulla verò potius oſſium ſit origo: ſic Hebræus refert panem ad cor. Diximus enim Hebræis dari principatum, dari cogitationes, totamque vitam ipſi cordi, ipſam animam, ipſamque vitam, cor appellantibus. Eſt enim etiã cor Latinè quaſi Græcum κῆρ, quo anima etiam dicitur. Dicitur autem confirmatio cordis, quaſi vitæ ſolidatio. Valentiſſimus enim (ait Celſus) cibus eſt panis. A corde eſt omnis vita ſenſibilis. Inde ſanguis, inde robur. Qualis autem cibus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis cordis affectio. Omnis digeſtio fit per calorem cordis, conuertentis cibos in ſanguinem, & corpus omne irrigantis. Quod ſi ex fame ſequitur totius corporis debilitatio, ſequitur autem, quia calor cordis non habens quod abſumat, quidquid circumiacet ſanguinis abſumit, & membris non reparatur ſanguis: vtique in contrarium, totius firmitatis, ac roboris cauſa cor erit. Robur autem membra accipiunt à ſanguine, & medullis, licet & ab aliis cauſis, ſic à corde exiſtit debilitatio, quoties non paſcitur, non ſolidatur. Hebraicus etiam tropus dicere cor à cibo confortati. Quem alibi quoque inuenies. Accipiam, inquit, buccellam panis, & confortate cor veſtrum. Sic Homerus etiam, vt dixi, imperium dat cordi,

Luc.7. Matth. 6

Panis, cor ho.con.

E

> Εἴπεθ' ὅππως ὑμέας κραδίη, θυμός τε κελεύει.
> *Dicite vos animus quæ corque ſuaſerit ipſum.*

F

Sic firmamentum panis etiam dicunt, ſiue ſubſtantiam, ὑπόστασιν, quo ſtat homo, viuit. Hinc Græci βίον, appellant non ſolum vitam, ſed id quo viuitur. Tandiu enim viuimus, quandiu nutrimur. Ex intima igitur philoſophia datur cordi, totius corporis ſolidatio. Corroborato enim hoc principali membro, vita ipſa exiſtit: corroboratur autem cibo: vt etiam Homerus à principali membro, corde totum hominem denominat. Nam cum ait,

> Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ.
> Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης
> *Cor patere iſtud, nanque hoc, & maiora tuliſti.*

Cor tanquam ſeipſum totum ille alloquebatur. Sic apud Hebræos à præcipuo membro, poteſt homo, & vita ſenſibilis eſſe appellata, & potius confortat cor hominis, id eſt totam vitam, totum hominem. Stante etiam corde, ſtat totus homo, corde tremente, omnia membra labant. Ideoque Homerus,

> Καὶ τότ' Ὀδυσσῆϊ λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ
> *Tum genua, & cor extemplo ſoluuntur Vlyſſi.*

Genuum reſolutionem ex ſolutione, & pauore cordis præcedente innuit. Sicque apparet, & firmitatis, & debilitatis cor eſſe principium.

A Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt.

NEceſſe eſt hoc ordine hiſtoriam texere, vt prius expoſita vna re cum his, quæ cohærent, reuertamur eo vnde digreſſi fuiſſemus. Dixerat autem, à pluuia montes irrigari, ſecutus eſt præcipua, quæ de pluuia proueniunt, ea videlicet, quæ pertinent ad genus humanum. Ad arbores reuerſus, & ipſas dicit irrigatione creſcere. Ligna ca. Ligna campi, dicit arbores latè in campis vireſcentes. Ligna enim arbores dicunt Hebræi. Et pro lignis, Chaldæus poſuit Ianaia, id eſt arbores. Obſeruandum autem, quòd Hebraicè non dicitur, Ligna campi, ſicut Septuaginta ξύλα πεδίου, ſed ligna Domini, quòd apparet ex ſequenti, quas plantauit. Ligna enim præcipuè vnius ſacri montis Libani decantauit, ſicut Poetæ, Hyblæas apes. Fortè ligna Dei intellexit Paradiſum terreſtrem, qui ſemper dicitur Paradiſus Dei. Talia, inquit Ezechiel, ligna non fuerunt in Paradiſo Dei, Aemulata ſunt eum omnia ligna, quę erant in Paradiſo Dei. Ligna ergo Dei dixit Paradiſiacas arbores. Quod ſi non placet, interpretare de Monte Libano, aut de cedris excelſis, quaſi diuinis, ſicut Homerus εἰς ἅλα διάν, mare diuinum appellat, nimirum immenſæ magnitudinis. Et Latinis os ſacrum, maximum oſſium. Nihil eſt autem illo aſpectu iucundius, & admirabilius, quàm cùm veſtitos arboribus montes, & campos, & totam quaſi terram picturatam intuemur. Hinc omnis locorum deſcriptio, arbores cum primis habet. Aſſeruit autem cedros ipſi Deo, propter altitudinem. Omnia enim excelſa, & magna Deo ſcripturæ adiudicant. Vt montes Dei, cedros Dei in Pſalmo, hoc loco ab eo plantatas. B Poteſt etiam, vt Hebræi aſſerunt, harum arborum ſatum Deo vendicaſſe, quia ſuperius ea induxerat, quæ humano cultu creſcerent, ſunt autem alia, miræ etiam magnitudinis, ad quæ cultus hominum non aſpiret, ſed ſuapte vi creſcant. Cedri. Quod in naturam quidem, ſed principaliter in Deum quaſi ſatorem, & cultorem eſt referendum. Cedros autem præcipuè nominauit, quòd ſint in ſyluis cæteris arboribus proceriores. Arbor eſt, vt Dioſcorides ait, iunipero folijs, & baccis ſimilis, ac niſi altius creſceret, iuniperus eſſet. Hæc in Iudæa, & Oriente præcipuè naſcuntur. Plantare. Quoniam igitur, & irrigationem Deo tribuit, iure etiam ſatum harum arborum, & augmentum, & proceritatem. Ipſe enim præſtitit, vt hæc plantarum varietas exiſteret. Ipſe genitricem terram, ipſe patrem imbrem creauit. Formas item ſeminibus dedit, & ante ſemina, terram fecit prolificam. Gene. 2. b. Ex hoc loco videre eſt, quantum illi fallantur, qui ne Deum, qui dicitur Paradiſum plantaſſe, hortulanum faciant, quaſdam commentitias ideas, non veras illas, pro Paradiſo aſciſcunt. Quod quidem mirum eſt etiam Philoni placuiſſe. Eſt locutio ſermonis Hebraici nota, qua datur Deo plantatio cedrorum, nec potes hic ideas aſciſcere. Et Euthymius ἐφύτευσας δὲ ἀντὶ τοῦ ἀνῆκας προστάγματι, quod eſt, Plantaſti, pro eo, quod eſt imperio produxiſti. Libanus. Dixit autem Cedros Libani, mons enim eſt Syriæ, notus vatibus Hebræis res ſuas canentibus. Sicut Poetæ Græcorum inſatiabiliter, ſuas Hippocrenes, ſuos Parnaſos, & Helicones, & Mœnalos decantant, Latini Soracte. Illic paſſe. nidi. In eo quoque diuina prouidentia eſt mirabilis, quòd auiculis etiam tecta, domoſque parauit, vt arbores excelſæ, & decorem in ſyluis, montibuſq; præſtent, & auibus nidos. Latibula dedit feris, nidos auibus, alias abores fecit fructiferas, alias auium nidos. Pro eo autem quod στρουθία, Septuag. dixerunt, quod Latinus vertit, paſſeres, Hebraicè ſunt צפורים zopporim, quo generaliter omnes aues appellari Hebræi teſtantur, de quo Rabi Dauid: Ve zipporim hem celal lecol ha ophoth. Zipporim vniuerſale ad omnes aues, vt non de ſolis paſſeribus ſit ſermo. Quanquam Græci hoc non ignorarunt, è quibus Euthymius διὰ δὲ τῶν στρουθίων, καὶ τ᾽ ἄλλα νοήσον ὄρνεα, Per paſſeres, etiam alias aues ſentias. Nam etiam Græcè inuenies omnes ferè auiculas στρουθία, vocari.

Herodij domus dux eſt eorum, montes excelſi ceruis, petra refugium herinaciis.

LOcus obſcurus apud Græcos, & Latinos, clarus autem in fonte, vt mirum ſit, quam ob cauſam Septuaginta dixerunt ἡγεῖται, quod Latinus, Dux eſt eorum. Dux. e. eo. Cætera cum fonte congruunt, in hoc ſolo diſcrimen. Pro eo igitur, quod illi dixerunt ἡγεῖται, Hebraicè eſt ברשים beroſcim, quod ſonat abietes. Dicitque Pſaltes, Herodij domus, abietes. Quod, vt vides, clarum ac perſpicuum eſt. Vt enim ſuperius dixerat cedros eſſe nidos auium, ſic nunc domos herodiorum eſſe abietes. Et Hierony. Miluo abietes domus eius. Quare autem Septuag. vocem quæ ſonat Abietes, tranſtulerint ἡγεῖται, dux eſt eorum, hinc profectum eſt ראש ros, Hebraicè, caput ראשם rosham, caput eorum. Addita autem præpoſitione be, id eſt, Inſonabit, In capite eorum, quod illi tranſtulerunt ἡγεῖται, vt quaſi dicatur, Herodij domus eſt, imperans illis ſupradictis auibus. Celſior eſt aliis nidis in edito locata. Quia igitur erat inter duas has voces ברשים beroshim, & בראשם berosham, ſimilitudo, quarum prior ſonat abietes, poſterior in capite eorum, hinc factum eſt, vt alteram pro altera acceperint Septuag. Verus igitur, & expeditus ſenſus eſt, vt dicas iuxta Hebraicum, Herodij domus abietes. Et Hebræi exponunt dicentes Herodium præcipuè nominaſſe, quòd ſit auis ingens ſolita nidos in arboribus excelſis ponere, vt Herodiũ. Abies.

re, vt cedris, & abietibus. Et Aquilas tranſtulit ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτοῦ. Herodio abietes, domus ſua. Porro quod illi dixerunt ἐρώδιον, Herodion, quæ eſt auis ex genere aquilarum, Hebraicè eſt חסידה chaſida, ciconiam dicunt omnes ferè Hebræi. Ea enim eſt auis ingens, nidos in locis, & arboribus excelſis figens. Abies autem eſt altiſſima, vt quam Homerus vocat οὐρανομήκη, tendentem ad ſydera. De Herodio Græci dicunt εἶδος ὀρνέου πρώτου συμπηγνύντος τὴν καλιάν, Genus auis, primæ nidum conſtruentis. Miluum, vt vidimus, vertit Hieronymus idem in Leuitico, porphirionem, Hebræi magis ciconiam ſentiunt, ei ſanctitatem tribuentes, quod & Græci. Vnde illa, quæ dicitur ἀντιπελάργησις. In pſalterio, quo diuus Auguſtinus vſus eſt, vertit pro Herodio neſcio quis, fulicam, cum fulica ſit, vt idem ait, auis marina, non amans arbores. Nominatis autem nidis auium, perſequitur latibula ferarum, in quibus ſic quaſdam præcipuè nominat, ſicut in auibus herodium, ſeu ciconiam. Ceruos adducens, quòd editiſſimos cum primis montes perſequantur. Nunquid, ait in Iob, noſti partus ibicum in petris? pro ibicibus, ceruæ ſunt, petraſq; eis, & ſcopulos excelſos attribuit. Pro herinaciis Græcè ſunt λαγωοὶ lepores, vel cuniculi. Nec video cur Latinus, ſi tamen non eſt mutatum pro leporibus, herinacijs, hoc dicere noluerit. Eſt enim notum λαγωοὺς, appellari lepores à Græcis. Pro καταφυγή, refugio, eſt Hebraicè מחסה machſeh, tegumentum, tectum. Habent enim ſcopuli latibula apta refugiis. Hebraicè autem ſunt שפנים shephanim, id eſt herinacijs, quos in Leuit. Septuaginta vocarunt χοιρογρύλους, vulgoque dicuntur, porci ſpinoſi. Hiero. item in Pſalterio tranſtulit herinaciis. Quæ vox à Latinis in Pſalterio Sept. eſt poſita. Nam λαγωὸς, omnino ſonat leporem. Sed, vt videmus, ſecus alibi Sept. ſenſerunt. Dicendum igitur ſicut habet Latinum herinaciis. Nihil igitur fruſtra factum docet, omnia ſumma & infinita ſapientia excogitata, tantas res, neceſſitateſque proſpiciente, nuſquam dormitante. Pro petra in Chaldæo eſt כפי kephe. Ex quo videmus hanc vocem (licet etiam Hebraica ſit) præcipuè vſos Hebræos tempore Chriſti, cùm lingua vulgari Chaldæa quam attulerant de Babylonia, vterentur.

Mont. excel. cer.

Herina.

Refugiũ.

Petra.

Hebrȩorũ Lingua.

Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occaſum ſuum.

COmmemoratis his, quæ cum tertia die creationis ſequuntur, accedit ad opus quarti diei, licet in his certus ordo ſeruari non poſſit: multa ſunt repetenda, multa prius facta, poſterius narranda, ſicut hoc loco. Nam ea, quæ præceſſerunt, ſine Sole, & Luna exiſtere non poterant, non arbores, non animalia, non feræ, non volucres, non venti, non pluuiæ, non nubes, non terrarum ab aquis ſegregatio. Quorum omnium Solem autorem eſſe apertè cognoſcimus. Sicut ergo Moſes, & ſicut poeta Latinus poſt terras, montes, campos, lacus, flumina, arbores, animalia, ventos, pluuias, de Sole, & Luna, ſtelliſq; loquitur, ſic repetit Vates ſacer hęc ipſa fundamenta, & cauſas eorum, quę prius deſcripſit. Velut cùm Solem antè debuerit referre, Lunam prius nominauit. Et Chryſo. hic ait, Quæ ſuperius prætermiſſa videbantur, cùm de cęlo, nubibus, ventis, diſſereretur, nunc ſermo ipſe repetit, quoniam & hæc vtilitatis cauſa extiterint. In tempora ergo dicit Lunam à Deo factam, ideſt factã, vt tempora faceret, nempe in menſes, vel ad menſes factam, vt menſes efficeret. Idque exponunt etiam Hebræi. Nam è motibus lunæ dies, & menſes, è menſibus anni colliguntur. Temporumque luna eſt indicium. Hæc eius eximia, & inæſtimabilis vtilitas. In Geneſi Moſes, & tempora, & illuminationem noctis expreſſit, at Dauid potius tẽpora, & ſigna. Nam nõ ſemper noctu lucet, vt verior priorq; eius vtilitas ſit temporum efficiendorum. De Sole autem dicit, quòd cognoſcat occaſum ſuum. Quod occaſum tranſtulerunt Græci, id eſt, δυσμὴν, Hebraicè eſt מבוא mabo, quod propriè ſonat aduentum, progreſſum: ideo dicit Dauid Chimchi, ſonare occaſum, & ortum, hanc vocem. Quia; inquit, quando Sol oritur, ecce venit ſuper terram. quando occidit, ecce vadit ſub terram. Sed quoniam ortus alio etiam nomine poteſt dici, vſurpatum eſt, vt potius pro occaſu accipiatur, quàm ortu. Cognouit autem occaſum ſuum Sol, æternam in motibus ſuis, ortu atque occaſu ſeruans conſtantiam, nunquam iter ſuum obliuiſcens. Hebræi, quòd cognoſcat lucem ſuam, non ſicut Luna, quæ luce lucet aliena. Cognoſcens ergo Sol lucem ſuam, id eſt à ſe ipſo eam diffundens non ab alio illuminatore, ſicut Luna, per cœlum decurrit. Sunt ex eis, qui ſic interpretentur: Sol cognouit mebo, occaſum eius, ſcilicet Lunæ: dicentes, quòd Sol creatus, vidit, & cognouit occaſum Lunæ, , ipſę in ortu ſuper orizonte, illam occidentem, & ad alterum hemiſphærium tendentem, vt Sol, & Luna dum crearentur, eſſent oppoſiti ex diametro. Nam, quòd cognitionem Soli attribuit, facit quod & antiquus poeta Homerus de Sole loquens,

Luna in tẽpora.

Sol. co. oc

Ἠελίου, ὃς πάντ' ἐφορᾶ, καὶ πάντ' ἐπακούει.
Solis qui cernit, quique audit cuncta ſuperne. Quod & noſter imitatus.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras.

Cognouit igitur, inquiunt, occaſum Lunæ Sol, & vidit ipſe exoriens. Non defuerunt ex an quis Hebręis, qui pulchrè, etiam interpretarentur, quod Sol cognoſcat occaſum, ſiue iter ſuum Luna non cognoſcat, vt quæ varia ſit, & vaga, nunc meridionalis, nunc ſeptentrionalis, nu parua, nunc grandis, quaſi obliuioſa, & incertæ mentis. Ideo ſtultum Lunæ comparat Salomo

Mihi ſenſus ille probatur, vt deſignetur æterna conſtantia, quod alio loco cecinit, Dies diei eructat verbum, quo conſtantia, recurrenſque dierum ſimilitudo deſignatur. Et Græci diuinè locum interpretantur, è quibus Euthymius. ἔγνω ταύτην οὐχ ὡς ἔμψυχος, ἀλλὰ κατὰ τὸν θεῖον ὅρον. Cognouit, ait, occaſum, non tanquam animatus, ſed ſecundum definitionem diuinam. tam veluti ratione præditus non præuaricans, imperij non ignarus. Eſt autem tralatio, Cognouit, pro eo, quod eſt, Operatur, ſequitur, amplectitur. Frequenſque eſt proſopopœia in ſacris litteris. Cęli enarrant gloriam Dei. Idem, Sol exultat, vt Gigas. Et id genus multæ.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt, nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.

Palam eſt mutari perſonas. Superius per tertiam, Fecit Lunam in tempora. Hic per ſecundam, Poſuiſti. Poetarum mos. Mutatum etiam tempus: nam pro Poſuiſti, eſt תשת thesheth, Pones. Sed præteritum intelligendum eſt. Pro Beſtiis, Græcè verius θηρία, feræ, ſic Hebraicè חיות chaioth, Beſtiæ potius placidæ ſunt. Veſcentes, id eſt paſcentes. Incommemorabilis autem ſapientia creatoris, non minus ex nocte, quàm die probatur, non minus animalibus atque die ipſo, neceſſaria. Non commemorabo quibus laudibus noctem efferat Chryſoſto. omnia commoda eius euoluens, oſtendenſque nihil diem fuiſſe profuturum, niſi nox interceſſiſſet, reparans feſſis corporibus vires, animis vigilia fatigatis, alacritatem reducens, ægrotis pluſquam medicina, ſomno, & refrigerio conferens. Hoc autem loco, vnam ſolum vtilitatem exponit, duas amplectentem. Vnam, quòd ferę noctu obambulantes, venationi inſiſtant, alteram quòd homini non noceant, noctu victum quærentes. Cauſam igitur ferarum noctu circumeuntium Hebræi ferunt, quod cæteras feras perſequantur, quorum venatu victitent. Humano autem timore prohibente, interdiu deliteſcant, quod & ipſum à Deo eſt. Dicitur enim in Noe, Et, timor, & terror veſter, ſit ſuper omnes feras campeſtres. Conſtitutum igitur fuit à Deo, vt terribiles, & fortiſſimæ feræ oblitæ virium ſuarum, hominem animal imbecillum reformident, præcipuè interdiu, vt lupus ſæpe hominem conſpicatus, præcipiti fuga terga vertit. Conueniuntque Græci cum Hebręis ſuper aſſignanda cauſa cur noctu feræ obambulent. Iſidorus enim, οὐ μικρὸν δὴ καὶ τοῦτο τῆς τοῦ θεοῦ σοφίας, & alia. Non exigua fuit diuinæ prouidentiæ res, vt noctu, non interdiu feræ vagarentur, vt neque viatores, neq; agricolas offenderent. Eadem Hebræi. Sed & aliam pulcherrimã cauſam habes è philoſophia, de qua Plutarchus in Sympoſiacis: ὃ δὴ καὶ περὶ νυκτίνομα τῶν ζώων παθήματος αἴτιον ἐστὶ: ἡ γὰρ ὄψις αὐτῶν, ὑπὸ τοῦ μεθημερινοῦ φωτός. Eadem videlicet, inquit, cauſa eſt, quòd animalia, quæ noctu paſcuntur, ſimiliter afficiuntur. Nam oculus eorum debilis à diurno lumine mergitur, & premitur, nec poteſt cum maiore, & fortiore lumine miſceri. At ad lumen debilius, & obſcurius, vt ſtellæ, radium habet proportionatum, vt ſenſus poſſit operari. Hæc ille. Quare notum eſt animalia noctiuaga propter oculorum debilitatem refugere lucem diurnam. Dei conſilium.

Poſuiſti.

Beſtiæ.

Nox.

Feræ, cur noctu vagẽtur, ex Plutarco,

Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.

Pro participio Rugientes, quod & apud Græcos eſt ὠρυόμενοι, potius verbo enunciandum eſt, Catuli leonum rugiunt. Nam tametſi etiam Hebraicè ſit participiũ שואגים shoagim: apud eos tamen eodem ſono participium, ac præſens tempus profertur. Et in Hebraica grammatica פקד poked, ſonat viſitans, & viſitat. Mutatio non magni refert. Hanc rgo, ait Chryſoſtomus, ab opifice ſortiti ſunt naturam, vt quoniam neque ſerunt, neque col- gunt, alterius generis animantibus veſcerentur: præcipuè cùm neque herbis, neque fructi- us arborum delectentur. De leonibus autem eſt pręcipuè locutus, quòd hi ſicut in toto Orien- , ſic in Iudęa præcipuè inueniantur. Et ſæpe reperies de leonibus in ſacris litteris, haberi men- onem. Occiſique à leonibus, aut qui leones occidiſſent non raro referuntur. Et Salomon ti- iditatem, & ignauiam re domeſtica exprimens, vtitur hoc dicto: Dicit piger, Leo eſt in via. t Eſaias, ſuæ regionis animalia proferens, Vitulus, inquit, & Leo, ſimul accubabunt, & puer aruulus minabit eos. Quanquam igitur ſunt alię ferę noctu obeuntes, leonem tamen, tum vt rris ſuis domeſticum, tum quia ferociſſimus eſt, vt ſi interdiu ingrederetur ad prędandum, vt onnunquam facit, facturus generatim ſit, quod fertur interdiu feciſſe, & quoſdam occidiſſe, xempli cauſa produxit. Quanquam diuinè etiam dixit, quòd quęrant à Deo eſcam. Ipſe enim at victum omni carni: vt genere differunt animalia, ſic victu, ac cibo: & qui parauit, diuerſis formis, naturiſque naſcerentur, idem & cibos vniuſcuiuſq; excogitauit. Feruntque ręci in ſumma fame, & ſiti, ſępe viſa animalia in cœlum vultus tollere, quaſi ſecreta ratione, ctorem inuocantia. In primum igitur autorem iuſtiſſimè cuncta referuntur.

--Genus atque alimenta miniſtrat

Omnibus, atque eius viuunt ſub nomine cuncta.

ebręi addunt quaſi, quòd leones rugientes quęrere victum à Deo videantur. Poteſt eſſe eam atque ſuperius proſopopœia, vt irrationabilia quęrere & poſtulare dicantur, qui actus eſt tione vtentium, ſicut ſermonem dat cœlo, alacritatem montibus, & ſyluis. Sed cum in prisis ſcripturarum ſacrarum moris eſt, omnes naturę motus, ſiue animatorum, ſiue anima carentium

Rugien.

Leones.

Quærãt, a Deo, eſcã ſibi.

rentium, referre in Deum, omnis naturę principem, primumque rerum inuentorem, primam cauſam, ad quam, vt dicebat Architas, ſapientiſſimè cuncta reuocantur. Nec curauit, vt animalia rapacia quædam, cæteroſque abſumentia reperirentur. Vt enim conceſſum eſt homini, animalibus veſci, ſic quibuſdam rapacibus datum, vt aliorum præda victitarent. Sunt enim animalia ratione carentia, tanquam arbores, & herbæ. Non tamen ſui generis animal vllum inuenies quicquam abſumere.

Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.

Cubilia. Mandræ. Sic, eccleſia.

Etiam hoc loco venuſtè mutatum eſt tempus è Græcis interpretibus. Hebraicè enim dicitur תזרח thiſrach, orietur. Et יאספון ieaſephun, Congregabuntur illi, συνήχθησαν. Pro cubilibus, Græcè μάνδρας, quod à Latino propriè verſum eſt, licet mandræ potius de ouibus dicantur. Eſt enim mandra, tum locus vbi congregantur, & accumbunt oues, tum grex ipſe. Sicut concilium, & locus, & gens frequens. Sic Græcè, βουλή, dicitur Senatus, concio Latinè, & locus vnde concionamur, & turba exaudiens. Hinc recentiores Græci Archimandritas, vocant aliquam monachorum multitudinem regentes, quaſi ἀγελάρχας τινάς, & gregis duces. rectè igitur Latinus tranſtulit cubilia, pro quo Hebraicè מעונות mehonoth, habitacula, manſiones, propter id Septuaginta μάνδρας, dixerunt, quaſi ſtationes, manſiones. Et quod Latini dixerunt Collocabuntur, Græcè eſt, κοιταθήσονται, propriè quod Hebraicè ירבצון irbazun, id eſt, accumbent, recumbent. Quod ad ſomnum poteſt referri, vt ire ad dormiendum dicat animalia hominibus ſurgentibus, illis die, his nocte ad dormiendum data. Omnium ergo rerum diuina viciſſitudo, luminoſaque mundi lucerna, orbem circumuecta, nunc noctem, nunc diem efficiente, ſemper neceſſe eſt, dimidium illuſtrari, dimidium obtenebreſcere. Quod prudentiſſimè, vereque diuino conſilio factum, res ipſa probauit. Dormientibus hominibus, quietemque feſſis corporibus accipientibus.

Collocabuntur.

Nox hominum genus, & duros miſerata labores,
Rettulerat ſomnos, & feſſa ſilentia terris, ait Flaccus.

Tum feræ, quæ cœtus humanos reformidabant, conſurgunt, nocturnis autem vigilijs fatigatæ, ſomnoſque appetentes, redeunt ad cubilia. Homines contra, luce indigentes ad opera, & nocte ſomnis opportuna vſi conſurgunt è ſtratis. Vide autem mirabilem opificis ſapientiam, vt nox eſſet feris velut ignobilioribus, dies hominibus nobilioribus, diſpoſuit oculos ferarum, vt noctu magis, quàm interdiu cernerent, lucemque naturaliter refugerent. Nam cùm oculos habeant humidiores, ac craſſiores, in mediis quidem tenebris cernunt, vt lupi, leones, feles. Lucem autem offenſi fugiunt, atque auerſantur.

Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.

Homines vocat gratiſſima lux, exeuntes ad opera. Nonne Poetæ hæc confitentur? Poetis enim Græcis, ac Latinis, Poetam Hebræum potes intelligere:

Euandrum ex humili tecto, lux ſuſcitat alma,
Et matutini volucrum ſub culmine cantus.
Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus.
Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis,
Tum lateri, atque humeris Tegeæum ſubligat enſem,
Demiſſa ab læua pantheræ terga retorquens,

Similia prior Homerus, & ex eo hæc deſumpta,

Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.
Ὤρνυτ' ἄρ' ἐξ εὐνῆφιν Ὀδυσσῆος φίλος υἱός,
Εἵματα ἑσσάμενος περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ,
Ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα
Βῆ δ' ἴμεν ἐκ θαλάμοιο.

Cùm retulit roſeos vultus Aurora decora,
Conſurgit ſtratis extemplo natus Vlyſſis.
Induitur veſtes humeriſque appendit acutum
Enſem, tum teneris nectit talaria plantis.
Progreditur thalamo.

Operatio. Duo autem dixit Vates Hebræus, opus, operationem: quorum poſtremum expreſsè, vt etiam Hebræi teſtantur, ad agricolationem, & opera quæ fiunt in agris ſpectat. Nam pro eo eſt עבודה habods, quod vt ſuperius diximus, cultum ſonat, quod à Græcis non ita potuit intelligi, & Euthymius, Ἔργον δὲ καὶ ἐργασίαν ἐκ παραλλήλου τὸ αὐτὸ καλεῖ. Opus, inquit, & operationem, pro eodem poſuit. Placet magis, quòd Hebræi vim vocis ſentientes adducunt. Et Sept. probabile eſt le eſt voluiſſe ἐργασίαν, eſſe propriè agrorum. Quanquam autem homines diuerſa operationum genera exequantur, vniuerſalior tamen, & priſcis vſitatior erat cultus agrorum.

Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua.

IN admirationem tantarum rerum raptus, in pelagus ἀχανὲς, vt aiunt Græci, diuinæ ſapientiæ prolapſus, in exclamationem erumpit. Sicut & diuus Paulus cùm multa miranda narraſſet, verſansq; animo, atque obrutus rerum maximarum admiratione, exclamauit, O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Id enim his accidere neceſſe eſt, qui in contemplatione rerum verſantur, quò magis omnia conſiderauerint, & ad vltimas origines, intimaq; principia, ac ſecreta penetrauerint, tum verò nihil aliud ſupereſſe intelligunt, quàm admirari, & exclamare. Non eſt admirandi finis, nulla ſatietas, ſtupor mentes premit. Quicquid vbiq; eſt, miraculum eſt, & portentum. Pro eo autem quod Sept. tranſtulerunt ἐμεγαλύνθη, id eſt, magnificata ſunt, non refert quod ſit Hebraicè מה רבו. Quàm multiplicata ſunt. **Magnificata.** Nam magnitudo operum diuinorum, etiam in multitudine exiſtit. Et Hebraicè רוב rob, ſonat etiam magnum. Vt abyſſus magna, vaſta, Hebraicè תהום רבה thehom raba. Et Hebræi exponentes dicunt מה גדלו ma gadelu, quàm magnificata ſunt. Aſſeruntq; etiam numerum poſſe reſpicere. Quod autem dixit, In ſapientia, obſeruatum alibi, præpoſitionem, In Hebræis ſonare Cum. **In ſapien.** Sapientiam autem Græci bene referunt ad id, quod dicitur à Moſe, Et ecce omnia valde bona. Nam bona ideo, quia ſapienter facta. Si defuiſſet ſapientia, bona eſſe non potuiſſent. Reſpondentque inuicem ſibi καλὸν, ἀγαθὸν, σοφόν. In eo enim officia ſapientiæ verſantur, vt ſemper fiant meliora, & pulchriora, deterioribus poſt habitis. Quomodo autem ſapientiſſimè cuncta fieri non debuerunt, cùm à ſapientia, id eſt, ab eo, qui, quicquid eſt, ſapientia eſt, fierent? Propter hanc cauſam vocat ſapientiam Salomon τοῦ κάλλους γενεσιάρχην, pulchritudinis artificem, principem, genitricem. Eadem de cauſa vocatur ab Anaxagora, & ſuperioribus νοῦς, id eſt, intelligentia, mens, cognitio, **Nous.** quam Chaos exornaſſe prædicabant, & formas rerum, quas hic poſſeſſiones dicit, feciſſe. Hinc Mercurius, & Antiqui Theologi vocarunt, eum λόγον, id eſt, rationem, prudentiam, ſcientiam. **Logos.** Vocarunt etiam πάνσοφον, cuncta ſapientem. **Imple.** Quod autem dicit, Impleta eſt terra, hinc videtur ſuperius numerum potius deſignaſſe. **Poſſeſſ.** Poſſeſſiones autem dixit diuinè, ac ſapienter, vt deſignaret dominum autorem. Hinc dicitur in Geneſi, Leuo manum meam ad Dominum Deum poſſeſſorem cęli, & terræ. Et Plato dicit, homines eſſe poſſeſſiones Dei. Idemque ait, πάντων κτημάτων ἡμετέρον ψυχὴν θειότατον, Omnium noſtrarum poſſeſſionum animam eſſe diuiniſſimam. Ariſtoteles item omnia dicit ἔργα θεοῦ opera Dei. Philon quoq; Si vnus, inquit, eſt verus, & ſtabilis dominus, neceſſe eſt, vt veri ſerui ſimus nos: ſic eſſe in vniuerſo verum Dominum ᾧ λέγειν ἦν πρεπῶδες, ὅτι πάντα αὐτοῦ κτήματα, cui dicere fas eſſet, omnia eſſe poſſeſſiones ſuas. Ex quo apparet iuſtiſſimè res omnes Vatem Hebræum appellaſſe poſſeſſiones Dei, ſicut anima noſtra, eſt noſtra poſſeſſio. Sunt autem duo nomina vna tantum littera diſtantia, κτῆσις & κτίσις. Primum deſignat poſſeſſionem, alterum creationem. Hoc poſtremum legitur in nonnullis exemplaribus, ſed primum legendum eſt. Quod tametſi parum inter ſe differant, mirum eſt tamen magis Latinam vocem cum Hebraica, quàm Græcam congruere. Nam pro creatione eam Græci legerunt, Euthy. Impleta eſt, inquit, terra creatione tua τῆ τίσει τῶν κτημάτων σου. Et pro poſſeſſione ſingulari, Hebraicè קניניך kineianeka, id eſt, poſſeſſiones tuas. Licet hæc nullius propè ponderis ſint, poterantq; pro interpretum arbitrio mutari. Implere autem dixit, ex philoſophia. Hinc enim illa, quæ dicitur διακόσμησις, & κόσμος. Ornatus enim in numero pulchro, & ſapienter poſito exiſtit. Sic Coſmus, id eſt, mundus eſt filius ſapientiæ. **Coſmus.** Mundus totus, poſſeſſio Dei, cuius poſſeſſio ſunt omnia, quibus totus ordo rerum, ac numerus, mundus appellatus, conficitur. Et nihil non à Deo factum, nihil fortuitum, ac temerarium in mundo oſtēditur, nihil vacuum in terra, plena muneribus Dei omnia, cuncta officijs ſuis fungentia, cuncta rationem aliquam habentia, licet nobis incognitam.

Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus reptilia, quorum non eſt numerus.

PEragratis rebus terreſtribus, & cęleſtibus, accedit ad marinas, ex quibus infinita exempla incomprehenſibilis, inæſtimabiliſq; diuinæ ſapientiæ colligantur, vbi & multitudine, & varietate formarum, monſtrorumq; inuſitatis formis, ipſa ſecum videtur certaſſe natura. Res autem, quæ hic deſcribuntur, ſpectant ad diem quintum. Illud primum admirari ſuccurrit, cùm Pſalterium Latinorum ſit, (vt manifeſtum eſt,) idem atque Græcorum, ipſorum videlicet Sept. hoc tamen, quod hic dicitur, ſpatioſum manibus, tranſlatum ab illis, vt debuit, & clarius factum εὐρύχωρος, id eſt, latum, ſpatioſum, ſicut Homerus ſæpe loquitur ἐπ᾽ εὐρέα νῶτα θαλάσσης εὐρέα πόντον. Latinus, vt habet Hebraicum, retulit גדול ידים gadol iadaim, id eſt, magnum manibus, ſpatioſum manibus. Niſi fortè ex alijs interpretibus irrepſit, vt Aquila, vel Symmachus, vel ſanctus Lucianus Syrus, dixerit ſpatioſum manibus, quod ad Latinos

aliquo modo peruenerit. Neque tamen hinc reliquam editionem ſuſpicemur Septuag. non eſſe.
Manus. Leue enim eſt hoc. Et poſſunt omnibus in libris hæc accidere. Verior autem cauſa cur Latini
codices habeant Manibus, eſt editio diui Hieronymi ex Hebraico, qui tranſtulit, Latum mani-
Hoc. bus, quod huc irrepſit. Manus ergo Hebræis ſępe ſonat, ſpatium, menſuram, locum. Dicitque
Magnum. ſpatioſum manibus, quod pulchrè, vt dixi, vno nomine è duobus facto εὐρύχωρος, quod εὐρεῖα
χῶρα, id eſt, mare latum, loco, regione, ſpatijs. Magnum quoque dixit, & δεικτικῶς, digito
quaſi demonſtrans, dicensque hoc, quia proximus erat mari, non multum à littoribus Syriæ,
Iudæa interius recedente. Parte alia haud magnis itineribus inſtabat mare Oceanū, cuius lati-
tudo, magnis ſpatiis ſuperat terras. Et Chryſoſtomus, Quare, ait, dixit magnum? ὅτι μείζων ἐστὶ
Reptilia. τῆς γῆς, quia terra vaſtius. Reptilia autem dixit, & ſi reptare Latinum potius terreſtrium ſit,
Hebraicum tamen, & ad terreſtres, & marinos animantes, aptatur. Hic marina appellan-
tur רמש remes, reptile. Superius autem, In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, vbi eſt תרמש
Quor. nō eſt numer. thirmos, quaſi reptabunt. Apparetque ad vtraſque animantes hoc verbum accommodari.
Innumerabilem igitur reptilium copiam dicit, cuius cauſam aſſignant, quòd latius ſit mare, & quòd piſces omni tempore gignant, non quidem omni tempore omnis ſpecies, ſed ſeparatim, ſingulo quoque menſe, ſingulis quibuſque generibus procreantibus. Tum aqua aptiſſima eſt ad generandum, quandoquidem omnis generatio ab humoribus habet ortum, piſciumq; multitudinem indicans Oppianus ſic carmen orſus eſt:

Ἔθνεά σοι πόντοιο πολυσπερέας τε φάλαγγας
Παντοίων νεπόδων πλωτὸν γένος Ἀμφιτρίτης.

Gentes cantabo ponti, immenſasque phalanges
Omnigenumque natans, nec habent veſtigia in vndis.

Aqua, mater, oīum. Sic arbitrati ſunt nonnulli Thaletem ab Homero didiciſſe omnium rerum originem eſſe aquā.
Nam Homerus præterquam quod dicit,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Oceanum rerum patrem, Tethynque parentem.

In quo ſecutus eſt Orpheum, prius canentem.

Ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Oceanus fuerat qui cunctis rebus origo.

Etiam cùm mala imprecantes inducit, ſic loqui facit:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Sed vos in terram cuncti redeatis, & vndas.

De quo Iuſtinus martyr, & philoſophus: δι' ἀπροβολῆσαν ὀργὴν εἰς ἀρχαίαν αὐτοὺς ἐκ γῆς ἀναλύων γένεσιν. Implicabili ira eos in antiquas origines terram, & aquam reſoluens. Et hæc dicit Homerum ab Aegyptiis didiciſſe. Itaq; innumerabilis eſt piſcium multitudo ſuppetente facilem, & aſſiduum partum ipſo humore, quem omnium rerum principium fuiſſe omnes gentes confitētur.

Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt.

PVſilla Græcè μικρὰ, parua, exigua. Nauigationum autem traiectio etiam diuinum quiddam habere, philoſophis viſum eſt, ex quibus infinita commoda mortales conſequuntur. Nam præterquam, quòd piſcibus in eo imperamus, dominatoresq; etiam maris tametſi terreſtres & χερσαῖοι probamur, eſt item mirabilis nauium curſus, quibus ad cognitas terras penetramus, mutuisq; mercibus commutatis diuerſos quoque ritus, & linguas, habitus, mores, ſitusque locorum cognoſcimus. Nam is de quo ſublimis Vates canit,

Multorum mores cognouit, & oppida vidit.

Ad hæc non perueniſſet, niſi nauigatione, quæ illum in varias orbis oras perferret. Eoq; intulit:

Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.

Multa quidem in ponto fuit ille aſperrima paſſus.

Verè igitur dixit idem Propheta ſacer ſubiectos volucres, & piſces qui perambulant ſemitas maris, quod maximè, vt Hebræi teſtantur, nauibus fit.

Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.

Draco. PRo dracone Hebraicè Leuiathan. Et pro illudendum, vt & Græcum habet, ἐμπαίζειν, eſt
Illudēdū. שחק ſakec, ludendum, laſciuiendum. Et pro Ei, quod & Græcè αὐτῷ, clarius Hebraicè ב
Ei. bo, in eo, vt ſignet mare, in quo ingens beſtia ludit. Duobus autem modis poteſt luſus intelligi, quòd laſciuiat, diſcurſet, exultet, altero, quem proponunt Hebræi, quod ludat ſuper ceteris piſcibus, & quaſi contemnat, & irrideat, eos abſumens, & deuorans. Violentia enim illuſio ſępenumero vocatur: Vt, Et Dominus irridebit eum. Et, Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Semper eſt hoc verbum. Ac neſcio quo conſenſu de cetis, ſiue draconibus dictum eſt ab Homero, quod aduenienti maris Deo, luderent, exultarentq;, ceto præ cæteris piſcibus, ſicut, à Vate noſtro, nominato, & quod luſum ei det in mari:

Βῆ δ' ἐλάαν ἐπὶ κύματ', ἄταλλε δὲ κήτη ὑπ' αὐτοῦ
Πάντοθεν ἐκ κευθμῶν, οὐδ' ἠγνοίησεν ἄνακτα.
Impulit in fluctus currum, exiliereque paſſim
E latebris ceti, proprium agnouereque regem.

Et cetos deſcribens, Opianus ea dicit eſſe,

Κήτεα δ' ὀβριμογυῖα πελώρια θαύματα πόντου.
At validis membris ceti miracula ponti
Horrenda.

Magnitudo igitur fecit eos memorabiles.

Vnum autem eorum genus tradit appellatum γαλέοι, Galei: vnde fortè ab eorum ſimilitudine maritimæ gentes longa nauigia vocarunt galeas, ſicut piſtres, centauros: Galeaque formam habet draconis. Draconem igitur etiam Græci cum Hebræis ſentiunt piſcem ingentem, i. cetum. Sicut ait Euthymius. Et, Draco is, inquit, ſiue cetus quem creaſti ad illudendum ei, id eſt aquæ marinæ. Draconem autem vocauit, cetum, perinde inter marinas beſtias maximum, ſicut in terreſtribus draco. Quod quidem prior Euſebius dixerat, διὰ τοῦ δράκοντος τὰ μεγάλα παρεδήλωσε κήτη, ἃ τοῖς μεγάλοις πελάγεσι ἐμφιλοχωρεῖ. Per draconem indicauit magnos cetos, qui in vaſtis ſinibus commorantur. Eſſe autem cetum piſcem magnum, ac memorabilem, nec mirum eſſe quòd præcipuè adductus ſit in exemplum, declarat quòd Homerus eum ſimili modo citauit, cum is qui nauigaret, periculum timeret, Timeo inquit:

Galeus, piſcis, rhodi celebris, dicitur et galea.

Cete, cur draco.

Cete grandia.

Ἤ ἔτι μοι καὶ κῆτος ἐπισσεύῃ μέγα δαίμων
Ἐξ ἁλὸς, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη.
Aut aliquem mihi cetum ingentem immittat ab vndis
Sors, aut quos nutrit vaſto ſub marmore pontus:

Etiam Hebræi Leuiathan, dicunt eſſe piſcem immanem qui deſcribitur in Iob. Leuiathan quoq; non ignorarunt Septuag. eſſe cetum. Siquidem in Iob, vbi dicitur, Qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan, dixerunt illi, magnum cetum. A magnitudine igitur & poſitu corporis dicitur cetus, & draco. Cetus ſonat Græcè vaſtitatem, magnitudinum: draco autem eſt, ſi formam corporis reſpicias, aſpectu & cauda ſimilis draconi. Atque in Geneſi vbi ſcribitur, Creauit Deus cete grandia, Hebraicè ſunt hataninim, id eſt dracones. Ex quo videmus eundem eſſe Leuiathan, cetum, & draconem. Sæpe autem adducitur pro exemplo, in diuinis litteris. Audierunt credo famam eius ab his, qui de ſinu Perſico, vel Arabico, qua penetrat Oceanus, in Iudæam reuertebantur. Raro enim in mediterraneo mari conſtat has beſtias inueniri. Vt autem in Geneſi è tot generibus piſcium, de draconibus, quos Septuag. & noſter transferunt cetos, fit peculiaris mentio: ſic adduxit Moſen ſecutus, in exemplum eos Dauid. Et creauit, inquit Moſes, Deus cete grandia. Vocatos autem etiam ab antiquis piſces, dracones, & draconum forma depingi ſolitos declarant Hieroglyphica Aegyptiorum, de quibus Græci qui res eorum ſtudioſiſſimè ſcrutabantur, memoriæ prodiderunt, quòd annum deſignantes, draconem mordentem caudam pingerent in pyramidibus. ἄβυσσον γὰρ ὑποτίθενται, καὶ δράκοντα ἐν αὐτῇ, ἐξ οὗ τοὺς αἰσθητοὺς θεοὺς καὶ αὐτὸ δὲ τὸ πᾶν αἰσθητὸν γενέσθαι βούλονται. Abyſſum, inquit, ſubiiciunt, & draconem in ipſa, ex quo ſenſibiles Deos, totumque ſenſibile quicquid eſt, volunt extitiſſe. Hæc eſt abyſſus apud Moſen, apud Orpheum, Homerum, Thaletem, omnium rerum principium. En draco in mari. Cæterum quidam è Græcis quodam myſtico ſenſu, hunc locum ſunt interpretati de diabolo. Athanaſius, τὸν διάβολον εἶπε τὸ κῆτος, &c. Quæ ſunt, Draconem, ſiue cetum diabolum dicit, factum à Deo vt illudatur, ſicut & in Iob dicitur, Non eſt ei quicquam ſimile ſuper terram: factus eſt vt illudatur ab Angelis, hoc eſt à iuſtis. Myſticè inquam, non litteram reſpicientes, hæc illi dixerunt. Nam verum ſenſum eos agnouiſſe, apparet ex his quæ Euthymius, qui poſt eos, eorumque quaſi abbreuiator fuit, ſcripſit ſuper hoc ſenſu cum Hebræis concordans. Fabulas autem Hebraicas, de Leuiathan qui comedetur tempore Meſſiæ, in conuiuio iuſtorum, legat qui velit apud Nicolaum Lyranum. Habent tamen aliquam veriſimilitudinem. Nam ſicut Græci locum de diabolo ſunt interpretati, hunc, & eum qui eſt apud Iob de Leuiathan: ſic Hebræi quaſi mactandum in diebus Meſſiæ, & comedendum diabolum a iuſtis allegorizabant. Et Græci Angelos, licet non ſint pro Angelis accipiendi, iuſtos interpretantur, qui draconi illudant. Illuſionem Hebræi, comeſtionem, quia piſcis eſt, vocarunt. Itaque de diabolo interpretatio qui illudatur à iuſtis, vel illudat ipſe, videtur non Græcorum ſolum, ſed etiam antiquorum Hebræorum. Siquidem & Chaldæus hunc locum tranſtulit, Leuiathan iſte, quem creaſti ad illudendum, צדיקיא zadikaia, id eſt iuſtis. Vtcunque ſenſus litteræ eſt quem diximus, & in eo Græci, & Hebræi concordant. Ad myſticos autem ſenſus datur, dum ſobriè, & piè, aliquando diuerti. Simile quid videtur ſenſiſſe Hiero. transferens, Leuiathan iſtum plaſmaſti, vt illuderes ei, quia videlicet Hebraicum ב bo, id eſt, in eo, poteſt referri ad mare, & ad piſcem. Sed quoniam facilius & naturalius refertur ad mare, in quo ludat ille, hoc magis ſequendum putauerim.

Iob.3.b

Nicolaus Lyranus.

Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore.

A te. LAtinum interpretem licet exigui momenti ſit, credendum eſt iuxta Græcum ſcripſiſſe, Ad te: Græcè πρὸς σε προσδοκῶσι. Sicut Hebraicè אליך ישברון eleka ishaberun. Sed fortè clarius erat dicere A te, Hebraiſmus autem Ad te, Aut Expectabunt, eſt, Sperabunt: vt dicat, Ad te, vel in te ſperabunt: ſicut Græci exponunt. Hæc vniuerſitas, non maris ſolas, ſed etiam terræ reſpicit animantes. Nam cum animalia terreſtria, poſt aquatica maiora, & minora commemoraſſet, concludens cuncta intulit: Omnia cibum expectant à te, vt oſtendat illum, non ſolum vitam, & eſſe cunctis dediſſe, ſed dare etiam alimentum, conſeruare quod dediſſet. Quod antiquus poeta Aratus diuinè, & hæc ipſa cognoſcens, cecinit ab Ioue cuncta eſſe nata, illum adeſſe vbiq; quare autem adſit, & cur eum adeſſe oporteat, præclarè definiunt διὸς γὰρ κεχρήμεθα πάντες, cuncti Ioue indigemus. Hæc enim eſt neceſſitas, & indigentia, quia ſine eo ita non poſſumus viuere, **Iehouah.** ſicut non poteramus naſci. Iouem autem dixit eodem eum, atque Hebræus appellans nomine. **Ioues.** Nam vocat hic eum Hebræus Iehouah, detractis aſpirationibus, quibus abundat Hebraica dialectos, remanet Ioues. Græcè ζεὺς, ab hoc ipſo quod dicitur in Pſalmo ἀπὸ τῆς ζωῆς, à vita, quia **In tẽpore.** vitam det omnibus. Id autem quod Latinus dixit In tempore, interpretes Græcè dixerunt εἰς εὔκαιρον, in opportunitate, non ſemper, ſed quando opus eſt, quando danda ſunt omnibus animantibus ſua. Aeſtas enim omni præcipuè fructificat (exprimentes videlicet quod eſt in Hebraico **Dare.** בעתו beitho, in tempore ſuo.) Dat eſcam in tempore ſuo, quo certa prouidentia, certus ordo deſignatur. Repetitur autem hoc loco, quod dicitur alibi, Qui dat cibum omni carni. Dat autem, habens principales in poteſtate, & mouens cauſas, quibus herbæ, frugeſque naſcantur. Quas ſi **Expectare.** prohiberet, inferiora fame abſumerentur. Expectant autem illa, naturali motu ad ſuas pergentes eſcas. Ac quanquam ignorant datorem, agnoſcimus ipſi.

Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

NOn refert, quòd tempora ſint in participia ab interpretibus Græcis commutata: et quòd aliud filum ſit orationis Hebraicè, hoc modo ſcilicet, Dabis eis, colligẽt, aperies manum tuam, ſatiabuntur, vel abundabunt bono. Clarior eſt enim Græca oratio, ac debet in transferendo, ſenſu integro, aliquid mutari. Dixerunt autem Septuagin. τὰ σύμπαντα, referen**Impleb. bonitate.**tes ad animalia, quæ ſuperius eſcam à Deo expectare dixerat. Implere etiam poſuerunt pulchrè pro Hebraico ישבעון isbeun, ſatiabuntur, abundabunt. Et quod Hebræus טוב bonum, venuſtè illi χρηστότητα, bonitatem, ſuauitatem. Vadam, ait Salomon, & fruar bonis, bona, ipſas voluptates appellans, aut ea è quibus voluptates exiſtunt. Hæc interpretes Græci dixerunt χρηστότητα, ſuauitatem, lenitatem è bonis, & commodis corporis exiſtentem, quia efficiunt ſuauitatem, lenia ſunt animo & corpori, aſperitate pulſa. Suntq; hic pulcherrimæ tralationes à rebus humanis. Apertis enim manibus damus. Vnde Græcè δεξιὰν, dextram dictam volunt, non ſolum quia δέχεται, id eſt recipit, ſed etiam quia eſt δεκτὴ, i. capitur, apprehenditur ab accipiente, vt ait Iamblichus: explicanſq; figuram Euthymius, χεῖρα δὲ λέγει τὴν χορηγὸν δύναμιν, χρηστότητα δὲ τὴν πρόνοιαν. **Manus.** Manum, ait, vocat largitricem poteſtatem, bonitatem autem, prouidentiam.

Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.

Auert. Facies. AVertere faciem, pulchrè Septuag. dixerunt quod Hebraicè תסתיר tasthir, abſcondes, celabis. Chaldæus pro facie, diuinè poſuit שכינתך shekinthak, propriè quidem ſonat habitationem, shenam, à verbo shacan, quod etiam peruenit ad Græcos, ſed quædam eſt apud recentiores Hebræos priuata loquendi conſuetudo, vt hac voce deſignent diuinam maieſtatem, præſentiam numinis, aut ipſum numen diuinum. Scitè igitur Chaldæus faciem dixit numen **Turb.** præſentiamq; diuinam. Turbare autem dixit, quod ſonat etiam horrere, tremere: propriè autem turbabuntur. Sicut enim prius diuina benignitate arridente, lætabantur, laſciuiebant, exultabant, quod faciunt homines, quando rerum copia præcipuè panis ſuppetit, ſic fame premente, plena mœroris, ac perturbationis omnia. Qua de cauſa dicuntur bona, quia perturbationes ſubmouẽt. Et Græcis felicitas dicitur εὐδαιμονία, quaſi genij, i. animi, bonitas, alacritas, licet ſecus eam philoſophi poſtea diffinierint. Ab hac perturbatione ſpiritus reſoluitur. Eoq́ue qui dat cibos, dat vi**Puluis. Gen.1.20**tam. Qui aufert, vitæ quoq; eſt ademptor. Redire autem eos dicit in puluerem ſuum, pro puluere, eſt in fonte עפר aphar, quod vt ſæpe oſtenſum eſt, fuit omnium rerum principium. Eſt autem aphar, maſſa è duabus rebus, terra & aqua. Harum duarum coagmentatio, dicitur Hebraicè aphar **Gen.1.17. id.19.** Græcè chaos, à χέω, fundo, vt lutum, dicitur quoque hyle, quaſi ἰλὺς, limus. Perindeq; fuit dicere, In puluerem ſuum reuertentur, atque in hylen ſuam, in ſuum chaos. Eos reuerſuros canit in primam originem, quæ fuit aphar, i. terra, & aqua, quod diuinitus & ab Aegyptijs cognouit Homerus, cum imprecantes homines inducit,

Ἀλλ᾽ ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
Sed vos in terram cuncti redeatis & vndam.

Quo, Iuſtino teſte, cum Homerus eos reſoluat in antiqua primordia, apparet eum in ſacris litteris rerum prima principia cognouiſſe, & affirmaſſe. Atque eos reſoluens in terram, & aquam, reſoluebat in aphar, id eſt limum, hylen, maſſam, ex aqua, & terra. Hoc & Xenophanes ſenſit, qui fertur dixiſſe,

Γῆ καὶ ὕδωρ πάντ᾽ ἐσθ᾽ ὅσα φύονται, ἠδὲ γίνονται.

Eſt vnda, & tellus quod ſit, generatur & vſquam.

Eadem ratione cecinit Salomon, Omnia facta ſunt ex aphar, & omnia reuertentur in aphar. Hanc vocem interdum noſtri traducũt, id eſt Latini, puluerem, interdum limum. Græci χοῦν, chun, quod ſonat quidem puluerem, ſed chus propriè eſt chaos. In caſu accuſandi dicitur choon per craſin, chun, idem choos atque chaos. Ecce nomen chaos antiquis Græcis, qui omnia didicerunt ab Aegyptijs, celebre hoc poſitum pſalmo, reſpondens Hebraico aphar. Ex qua omnia facta ſunt, etiam corpus humanum. Nam tulit Dominus de limo terræ, pro quo Hebraicè aphar. Sicque per omnia ſæcula, omnis philoſophia ſibi reſpondet, & veritas quæ latet in noſtris litteris, lucem in omnes gentes ſparſit ſuam.

Perennis philoſophia.

Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Spiritus eorum ſuperius dixit, nunc ſpiritum ipſius Dei: Chaldæusque adiecit, Emittes ſpiritum ſanctum tuum. Sciendum igitur duos hunc locum habere poſſe ſenſus. Aut enim loquitur de ſolis brutis animantibus, tota oratione ſuperius in eaſdem reſpiciente, vt cum dicebat. Hoc mare magnum, ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis, in quibus nuſquam homo nominatur. Ne ſuperius quidem, vbi de terreſtribus canebat, quaſi creationem hominis ſilens, alterius generis, quàm aeriarum, terreſtrium, aquaticorum animantium. Sicque ſenſus erit clarus, Quòd benignitate diuina arridente, omnes animantes quas deſcripſit, naſcantur, viuant, alantur, eadem ſe ſubtrahente, moriantur, ablatis alimentis, præſente hac diuina largitate, & terras vbertate replente, ſpiritus terreſtres qui à materia nati, eiuſdem alimentis fouentur, hilareſcant, viuant, lætentur, quibus ſubtractis moriantur. Nec intereſt quòd ſecundo loco ſpiritum Dei dixerit, primo ſpiritum ipſorum animantium. Idem enim eſt ſpiritus datus illis à Deo, mediis terreſtribus cauſis, & per eas introductus, & factus: eſtque is ſpiritus Dei, quaſi à Deo creatus, non quòd à Deo, ſicut Spiritus ſanctus eius procedat, vt ſit ſpiritus Dei, quaſi creatura Dei, Dei opus, diuina poſſeſſio, diuinum inuentum, diuinum beneficium. Eſt autem idem ſpiritus atque anima, alterumque eſt Latinum, alterum Grecum. Anemos Græcè eſt flatus, ſpiratio, ſpiraculum. Cum ergo dicit ſpiritum Dei, dicit quaſi animam Dei, ſpirationem, ventum, ſpiraculum à Deo datum, & conceſſum, animam à Deo creatam, videlicet animam ſentientem, corpoream. Quæ quidem eſt ipſorum animantium, quia poſſidetur ab eis: eſt item Dei, quia datur, & largitur. Hæc verior expoſitio. Nam ſicut in Geneſi, poſt omnium animalium creationem, noua hominis, & omnino diuerſa creatio introducitur ſermone nouo: ſic cum idem ſit hic ſuper animantibus ſemper ſermo, vnum eorum tantum genus, id eſt, irrationabilium deſcribi, & numerari par eſt. Nuſquam enim de creatione hominis, quaſi eſſet altioris negotij, eſt locutus, ſed de volucribus, de beſtijs agri: de alimentis humanis, poſtea ad marinos, & aquaticos ſe recipit. Nam ſi eundem de ſpiritu humano, atque brutorum velis eſſe ſermonem, oportebit quaſi fateri eandem vtriſque eſſe conditionem. Alter autem eſt ſenſus, vt de homine præcipuo inter omnes animantes loquatur, & de reſurrectione mortuorum, conſentientibus etiã Hebręis. Primumque dicunt Græci, *Ἐνταῦθα σαφῶς ἡμῖν τὴν ἀνάστασιν προεκήρυξεν, καὶ τὴν διὰ τοῦ παναγίου πνεύματος ζώωσιν.* Hoc loco, inquit, apertè nobis reſurrectionem prædixit, & per Spiritum ſacroſanctum, viuificationem. Idem videtur Chaldæus ſenſiſſe: neque enim dixiſſet Spiritum ſanctum mitti ad brutas animantes. Hebræi quoque priſci, & recentiores eos ſequentes reſurrectionem hoc loco confitentur. Sic enim Rabi Dauid loquitur, Secundum religionem noſtram, ait, & quicunque eam ſequuntur, redibunt animæ ad materiam, id eſt corpus priſtinum, ex quo egreſſę fuerunt. Hocque erit tempore reſurrectionis de qua nobis aperte Deus teſtimonium dedit, eritque hoc per modum prodigij, ac portenti, non naturaliter. Ob hoc dixit, Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ac quanquam ſuperiora ſpectant ad omnes animantes, hoc tamen de homine tanquam præcipuo eſt locutus. Diſſenſio autem eſt inter noſtros, de reſurrectione mortuorum. Nam maior pars ſapientum Talmud aſſerunt ſolos iuſtos ſuſcitandos, impios autem minimè. Hæc Hebræus, quo videmus eos cum Græcis concordes. Sciendum etiam hunc pſalmum veteres philoſophos legiſſe, aut ſimile quid audiſſe. Nam Pythagoram accepimus dixiſſe, Deum eſſe animum per omnes mundi partes intentum, ex quo noſtri animi carperentur. Quam ſententiam duobus locis eximius poeta, philoſophiæque antiquæ non ignarus expreſſit, hoc carmen vſquequaque ſecutus. Etenim ſpiritum à Deo per omnes terras dari, & auferri dixit Vates Hebræus, at ille:

Spiritus tuus.

Spiritus animantiũ eſt Dei, vt Gene. 6. a

Reſurrectio.

Diſſenſio de reſurrectione, inter Iudæos

Deus, q͂d Pythagoræ.

Principio cælum & terram, campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra,

Spiritus intus alit, totamq́ue infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. D
Inde hominum, pecudumq́ue genus, vitæq́ue volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Ecce Poeta canit ſpiritum diuinum, per omnes mundi partes intentum, & commeantem dare vitam affatim, inde ſpiritus ſuos accipere omnes animantes. Eoq́ue appellarunt ipſum animam mundi. Luculentius item cecinit alio loco quod à Dauid hic eſt cantatum, diſſerens & ipſe de animalibus, id eſt de apibus, & antiquorum ſententiam innuens,

– Deum nanque ire per omnes
Terraſq́ue tractuſq́ue maris, cœlumq́ue profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quæque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitam.
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia, nec morti eſſe locum, ſed viua volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.

Ecce quem ſuperius mentem & ſpiritum dixerat, nunc expreſsè vocat Deum, datorem omnium ſpirituum, quod à Moſe prius dictum fuerat. Ecce ſpiritus, omnium apud eos creator, & viuificator. Quod autem dixit redire, ac referri omnes ad eum ſpiritus, videtur, expreſsè Salomon dixiſſe, Et ſpiritus, inquit, reuertatur ad Deum qui dedit illum. Dauid quoque clarè & apertè videtur idem confeſſus. Nam vbi dicitur, Auferes ſpiritum eorum Hebraicè eſt תסף thoſeph, quod ſonat, colliges, congregabis, reuocabis. Sed hæc reuocatio, eſt ablatio tota, quæ ideo Deo tribuitur, quòd ab eo ſunt alimenta, & is fuit omnium vitarum ſator, & repertor. Eoq́ue adiecit, Et deficient. Quod autem dixit Salomon, de ſpiritu humano apertè eſt. Reuocatio igitur, ac reditus, animalium quidem eſt in antiquam materiam: humani autem ſpiritus in ſuam originem Deum, qui dedit, & infudit eum exterius venientem ab ipſo **Renoua.** opifice rectà. Renouatio autem terræ etiam exprimit, quòd prioribus extinctis, fiet noua creatio: in quo videtur prior ſenſus eſſe verior, iuxta id quod Salomon dixit, Generatio præterit, generatio aduenit. E

Sit gloria Domini in ſæculum ſæculi: lætabitur Dominus in operibus ſuis.

EXpletis, ac peragratis omnibus rebus creatis, vnde admiratio nata, ex admiratione laus, & lætitia, vt initia cum extremis conſentirent, in eaſdem laudes, atque prius prorupit. Prius dixerat, Benedicat anima mea Dominum, nunc, Sit gloria Domini in æternum. Videtur etiam in eo Moſen ſecutus. Nam quemadmodùm ille in fine omnium operum diuinorum ſubiicit Deum vidiſſe quòd eſſet bonum: nouiſſimeq́ue, Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & ecce erant valde bona: ſic Dauid, hinc gloriam Dei apparuiſſe, & ſuis operibus eum oblectari. Non oblectaretur autem, niſi eſſent valde bona. Nam bonum, & pulchrum conuertuntur. Gloria igitur Dei eſt operum ſuorum bonitas, & venuſtas, eoq́ue cęli prædicant etiam gloriam Dei, propter diuinum eorum, mirabileq́ue opificiũ. Ac quod dixerat Moſes, Deum vidiſſe cuncta quæ fecerat eſſe valde bona, eſt fermè id quod ait Dauid, Lætabitur Dominus, vt videre Dei, ſit oblectatio, aſſenſus, & quod Græci dicunt εὐδοκία: & id quod alio in pſalmo, Benedixiſti Domine terram tuam, pro quo eſt Græcè εὐδοκήσας, quaſi conquieſcis in ea creata, contentus es quòd ea creaſti. Ex quo, vt Græci colligunt, apparet Dominum lætari rebus ſuis creatis, ſicut nõ lętatur in perditione viuorum. Eſt autem lætitia in animis ſeparatis, ſicut & coniunctis, dolor item, & męror. Sed lætitia diuina eſt, vt Græci monent, ἀπαθὴς, ſine perturbatione, exiſtens alio modo, atque in animis corpori coniunctis. Noſtram quidem lætitiam ex diffuſione ſanguinis fieri conſtat, quia ſociata eſt anima corpori, diuulſa muneribus fungitur eiſdem. Vt enim non intelligit etiam ab organo ſeparabilis, ſine organo, & organo læſo, ceſſat operari: Intelligeret autem etiam multò magis à vinculis corporeis diſſociata: ſic aliis virtutibus, & facultatibus fungeretur ſeparata. Nam neque lætitiæ principium eſt ſanguinis diffuſio, licet pòſt ſequatur, ſed prior animus lætatur, coniunctuſq́ue corpori motu animi, mouet etiam corpus. Ac vera lætitia eſt mentis & intelligentiæ ex cognitione naſcens, ſequens intelligendi facultatem, quia cognoſcentes maximè delectamur, quę lętitia nullam habet cum corpore ſocietatem. Eaq́ue dicitur, gaudium, εὐδαιμονία, εὐθυμία, nomina rerum in animo exiſtentium. Alia tamen eſt lętitia corporea, quę potius dicta voluptas, ſenſuum titillatio, carnis illecebra: puriora autem & impaſſibilia, maximeq́ue rationabilia gaudia ſunt ſeparatorum animorum, propterea quòd lętari ferè idem eſt, atque cognoſcere. Atque iſto loco eſt illa Platonis in Timęo, vbi etiam ipſe de creatione rerum loquebatur, ſublimis philoſophia. Quoniam cum dicit Deum ideo creaſſe quia bonus ſit, bonum autem nemini inuideat: non inuidẽtem ſequitur neceſſario lętitia. Si enim creauit, quia bonus, à bonitate

Ex cognitione, & intellectu, lætitia. Lætitia corporea.

A bonitate autem abeſt inuidia, dolor autem eſt inuidia: vbi non eſt inuidia, neceſſario eſt lętitia. Eadem bonitas facit Deum rebus creatis gaudere, quæ fecit vt eas crearet. Nulla enim bonitas eſt ſine commercio lætitiæ, maximæ bonitatis comite. Et hilarem datorem diligit ipſe. Sic quod ipſe dedit, maxime fas eſt eum feciſſe, vt dans nobis lucem, & vitam, maxima cum lætitia, ſuique animi dulcedine dederit. Vide igitur altiſſimam in ſacris litteris philoſophiam. Non ſolum enim voluit Deus nos eſſe, ſed maxime lętatus eſt nos in lucem veniſſe. Cuius Plato reddet tibi rationem, quòd maximè bonus, habet cum maxima benignitate, ac liberalitate, maximam largiendi alacritatem. Bonus enim eſt, quia liberalis naturà eſt, & largitur. Non largiretur autem, niſi dulcedine motus, vt alij bonis ſuis fruantur. Et in largiendo maxima voluptas eſt largientis. Sic Deus quanto maiora dedit beneficia, tantò omnibus melior ſit neceſſe eſt: quanto autem melior, tanto lætior in dando, maximam eius benignitatem, maxima alacritate ſequente, quantaq; fuerunt beneficia, tanta largitoris lætitia. Maximè autem probatur creatione rerum exultaſſe, quia ſæpe triſtatus eſt, ſublata lætitia, & gaudiis, quibus ipſe omnia lætari voluerat. Tuncque enim pęnituit hominem feciſſe, cum gaudia vitæ interpellare cępiſſet, ad quæ vniuerſum ordinauerat. Męstuſque fuit ob męstitiam noſtram. Hoc autem loco ſemper pro Domino eſt Iehouah, quod eſſe nomen creatoris filijq; Dei, ſuperiora teſtimonia, & rationes docuerunt. Quod autem dicit opera Dei, etiam Ariſtoteles diuinè, quicquid eſt in mundo, aſſerit eſſe opera Dei. Deus, inquit, ex ipſis operibus cognoſcitur: τὰ γὰρ πάθη, καὶ τὰ δι' ἀέρος ἅπαντα, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τὰ ἐν ὕδατι, θεοῦ λέγοι τ' ἂν ἔργα εἶναι τοῦ τὸν κόσμον ἐπέχοντος. Nam affectiones, inquit, aeris omnes, & quæ in terra, quæque in aqua, opera Dei dici debent, qui ipſum continet mundum. Quàm altè, ac ſa-B crè locutus eſt Ariſtoteles hoc loco.

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.

HOc inductum eſt Hebræis teſtantibus, vt oſtendat creatorem eadem virtute, ac poteſtate poſſe qua res creaſſet, in antiquum chaos, ſi velit, eas reſoluere. Lætaturq; mundum creaſſe, quòd ſuſtinet, & conſeruat: quem ſi vellet, ad nutum ſubuerteret. Vt autem poteſtatem probauit in creando, ſic hoc ipſo argumento, quòd ad nutum eius omnia contremiſcant. Quale Homerus, cui nota fuit hæc theologia, de Ioue,

-- Μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Magnum tremefecit Olympum.

Facit eam trem.

Reſpectus

Apud Homerum ad nutum ſolum Iouis, id eſt, huius de quo is canitur Pſalmus, cęlum contremiſcit, hic ad ſolum intuitum terra, eodem ferè tropo, & ſenſu. Fumigationem autem montium dixit, aut, vt Græci ſentiunt, qualis facta eſt numine præſenti, in monte Sina. Aut συμβολικῶς, quòd tacti montes ab eo, ardebunt, comburentur, liqueſcent, in cineres ibunt. Sæpeque montes ardentes in his litteris inuenies, ardere etiam fundamenta terræ. Quibus maieſtas diuina, vniuerſaliſque potentia, facillimaque omnium maximarum rerum faciendarum poteſtas declaratur. Oſtenditur quàm facile poſſit quæ velit, quantumque poſſit: quæ ſi homines item conſiderarent, & magis eum timerent iratum, & venerarentur potentem. Nec dubium eſt quin hic ſit tropus, aut proſopopęia ſi placet. Datur enim perſona non habenti, datur intuitus tremendus, ac formidabilis, fitque Deus rex, ad cuius nutum omnia contremiſcant. Quod etiam Hebræi fatentur, C appellantes tropos, ſua lingua דרך משל derek mashal, modum parabolæ. Quale cum Eſaias vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, inclyti Regis inſtar. Talem etiam volunt fuiſſe ſuperius cum Deo velut homini lætitia dabatur, quanquam ea proprietas potius eſt quàm comparatio, quò omnem mentem lætitia comitatur habens cum ſcientia coniunctionem. Sed ſuo iure Deus, & ratione diuinitati, ac maieſtati congrua lætatur. Non enim, licet eius lætitia, eodem atque mortalis nomine ſit deſignata, ſicut mortales, lætatur. Sed qualem habet mentem, talem etiam lætitiam. Neque eſt vſquequaque verum, in Deum non cadere lætitiam, cadit quidem, ſed non more noſtro, ſic alios affectus habet, vt iram, quam eadem de cauſa Stoici nolebant in Deo eſſe, videntes iram humanam eſſe perturbationem. Porrò Hebræi nutum illum, intuitūq; Dei, quo terra tremiſcat, poſſe deſignare iram eius aduerſus impios, affirmant. Quale dicitur alibi, Commoueatur mare, & plenitudo eius. Et montes arſuros ob iram Dei. Futurum autem hoc potiſſimum aſſeuerant in die Domini, id eſt Meſſiæ, cum ſuo nomine Meſſiam appellantes, & de iudicio ſupremo per Meſſiam nobiſcū conuenientes. Ac dicunt בימות המשיח beiamoth ha maſiach, id eſt, in diebus Meſſiæ, Deum lætaturum ex omni parte, ſuper operibus ſuis, cum ſermonem omnium populorum iuxta Prophetam, ad laudandum, ſeque concorditer colendum ipſe conuertet. Id autem futurum poſteaquam impios è terra ſubſtulerit, ſicut Scriptura fateatur. Superbos, & oēs qui faciunt impietatem, ſicut ſtipulam arſuros in die venturo. Tunc erit gloria Domino, lętabiturque in operibus ſuis. Hocque erit impiis extinctis. Idque eſſe quod ait, Reſpicit terram, & facit eam tremere. Hæc autem adduxi, vt miſerabilem eorum cęcitatem, & ex inuito pectore erumpentem veritatem agnoſcas. Non enim ſentiunt ignaros ſe duci ad confeſſionem noſtræ pietatis. Primum de iudicio conueniunt, deinde per Meſſiam id faciendum conſentiunt. Tunc autem perfectam fore lætitiam dicunt, cum ablatis impiis è mundo, ſoli iuſti remanebunt,

Fumig.

Tropi Hebræis.

Lætitia Dei.

Ira Dei.

Lact. 336. 337.

Reſpic.

2. Cor. 6. a

Deum concorditer colentes, & collaudantes. Et hæc è ſcripturis probant. Hæc tria deducunt eos etiam inuitos, & ignaros, ad noſtram religionem. Fieri enim non poteſt, vt ſit homo qui omnes homines eſt iudicaturus, quia omnis homo culpæ eſt obnoxius. A quo enim ipſe iudicabitur? Qui cæteris iudicat, omni culpa vacare neceſſe eſt. Infinitæ etiam eſt ſapientiæ, latebras humanarum cogitationum, ſcelerumque formas, & diſcrimina diſcutere, & dignoſcere. Ex quo cum iudicium per Meſſiam exercendum conſentiant, inuiti fateri coguntur, eum eſſe diuina poteſtate prę ditum. Deinde quòd aiunt extinctis impiis perfectam lętitiam futuram, concorditer Deum laudantibus cunctis, vbi hoc erit vnquam niſi in cœlo, niſi habito delectu bonorum, malis procul, quod & ipſi fatentur, ſegregatis? Fierine poteſt vt homines in carne, & libertate ſua, vt nunc, non peccent? Fierine poteſt, vt non ſemper aliqui mali in terra inueniantur? Certè igitur ille bonorum ad colendum Deum conſenſus, & illa impiorum ex mundo expulſio, & illa perfecta lætitia, non poteſt eſſe niſi in cœlo. Sicq; coguntur regnum Chriſti, non in terris eſſe confiteri, ſed in cœlo, ſicut nos ſapientiſſimi Apoſtoli, Prophetæ, & ipſe ſapientiſſimorum princeps docuit Chriſtus, non ſolum oraculorum veritate, ſed etiam ipſa nos ratione huc adducente. Ac videmus neceſſario eundem eſſe eorum confeſſione Meſſiam, atque eum, qui ſolo intuitu terram faciet tremiſcere. Is autem eſt Iehouah, id eſt Ioues, Pater hominum, atque Deorum, habens à Deo traditam ſibi, ſicut creandi, ſic iudicandi hominis poteſtatem. Obſerua etiam quòd quem ſapientiſſimi Hebræi, id eſt Apoſtoli, diem Domini vocare ſolent, poſteriores antiquæ ſuæ ſapientiæ quædam naufragia retinentes, vocant dies Meſſiæ. Itaque hoc Pſalmo tribus locis de Meſſia Hebræi loquuntur, principio, cum ait, Confeſſionem & decorem induiſti, dicentes hæc duo daturum Deũ regi Meſſiæ, in aduentu ſuo. Reuera enim dedit, & dabit, cum venerit in ſede maieſtatis ſuæ. Ecce data eſt mihi omnis poteſtas, in cęlo, & in terra. Et, Veniet in nubibus cęli cum poteſtate magna, & maieſtate. Id enim deſignant confeſſio & decor. Superius autem reſurrectionem mortuorum, clare confitebantur. Quæ ſi futura eſt, profectò & à Deo ſit neceſſe eſt, non ab homine, & poſt reſurrectionem, alia vita eſſe non debet, niſi cęleſtis, illudque erit regnum Meſſiæ. Quòd ſi quis dicta eorum colliget, ſunt autem antiquarum traditionum reliquiæ, videbit eos venire neceſſario, ad confeſſionem noſtrę veritatis. Nam ſi Meſſias eſt, vt fatentur, in fine ſęculorum venturus, etſi iudicandi ſunt, fugandique de mundo impij, iuſti autem reſuſcitandi, certè fieri non poſſunt hęc, niſi Meſſias ille ſit Deus, regnum eius cęleſte, non terreſtre. Quid enim in terris poſt reſurrectionem, præcipuè fugatis malis, erit? Ad hęc autem ſum digreſſus, quia dicta eorum occaſionem mihi præbuerunt. Apertè enim tribus locis, & palam de Meſſia ſunt locuti. Occultè autem, & ſapientibus manifeſtè, totus Pſalmus eſt de Meſſia. Nam cum de creatore loquatur, creator autem, & opifex mens, & cauſa, ideaque archetypa, verbum, ſiue ratio, totius philoſophiæ, priſcæ & nouæ, claris teſtimoniis ſit filius Dei: is certè laudatur hoc Pſalmo, ſuſpicitur, celebratur, illi gloria datur. Quem Mercurius vocat δημιουργὸν λόγον. Anaxagoras νοῦν. Plato αἴτιον, λόγον, κόσμον νοητόν. Salomon, & Iamblichus σοφίαν, quibus nominibus creatio mundi deſignatur. Et de quo ſcribit Syneſius: νοῦς μὲν γὰρ τὰ εἴδη τῶν ὄντων ἔχει, ἀρχαία φιλοσοφία φησί. Mens, inquit, formas, ſiue ſpecies, aut ideas tenet omnium quæ ſunt, ait antiqua philoſophia. Conſtatque idem eſſe mentem, ac verbum, de quo dicunt Græci quòd ſit δημιουργικός, & quod virtualiter omnia in eo contineantur. Declaratur item antiquam philoſophiam ideas menti attribuiſſe, quòd ei creationem vendicabant, ſicut oſtendit Timæus Platonis. Audiſti etiam antiquam philoſophiam, hæc cognouiſſe. Quæ cum alibi etiam probauerim, ſuperflua eſſet eorundem hic repetitio.

Nomina Meſſiæ.

Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo, quandiu ſum.

O Vitam beatiſſimam, opera diuina contemplari animo, & ore verſare, tum admirari, & collaudare creatorem. Tunc pectus inardeſcit, animus dulcedine liqueſcit, labuntur præ gaudio, ex oculis lacrymæ, contemnimus terrena, accendimur ad cœleſtia. Nulla maior, ſolidior, rationi congruentior voluptas, qua lætemur dum fruimur, & poſt fructum, eadem ſemper eſt lætitia. Hac ſenſit ſe affectum diuinus iſte Vates. In vita ſua dixit, quòd is ſit, vt Græci obſeruant, fructus vitæ verus. Ad hoc venimus in mundum, vt cognoſceremus, adoraremus, laudaremus Deum. Iidemque præclarè, cauere nos oportere, ne ſimiliter, atque ſtultæ virgines, dum tempus emendo oleo inſumitur, ingreſſum ad æternas nuptias amittamus. Et quia in inferno nemo confitebitur, Et mortui non laudabunt te Domine: ideo, Nos qui viuimus benedicamus, dum vita ſupperit, dum licet, & datur. Ac quaſi Deo ſuo dicebat,

In vita. Lact. 106. Cur facti ſimus.

Dum ſpiritus hos reget artus,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt. Quanquàm.
-- Grates perſoluere dignas,
Non opis eſt noſtræ genitor, nec quicquid vbique eſt
Humanæ gentis, magnum quæ ſparſa per orbem.
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ.

Luſtrabun

Luſtrabunt conuexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper noſtra tuas in laudes ora patebunt.

Cur enim non his carminibus vtar, quæ & ipſa ob beneficia, ob vitam conſeruatam dicebantur? Et Vates Hebræus ſuo carmine, non aliud innuit: Ac, vt Græci monent, παλιλογεῖ, ideſt, repetat eandem ſententiam, ſicut ſolitus eſt, Oratoribus congruum, Abiit, excessit, euaſit, erupit. Sic is, quaſi cantabo, pſallam, in laudes erumpam, perpetuus ero, & indefeſſus operum diuinorum & creatoris præco: nunquam à commendatione, carminibusq; ſanctis eius interquieſcam. Quibus repetitionibus clariores affectus noſtros exhibemus.

Iucundum ſit eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.

Iucund.

ELoquium iucundum, ſiue dulce, ipſas laudes, & carmina dicit. Dulcedo enim eſt, & ſuauitas in carminibus, tum quia, & pulſu citharæ proferuntur, tum quia cum lætitia, & dulcedine. Illa vero dulcia carmina, quæ ſancti probiq; mente in altum ſubleuata, fundunt, vnde incognita gaudia percipiunt, cœleſtium gaudiorum quaſi præludia. Ac quaſi vult eſſe, vt Hebræi teſtantur, hanc quandam remunerationem. Ipſe, inquit, nobis creatis lætatur, nos autem ipſo creatore lætamur. Ille nobis beneficia præſtitit, nos laudes, & cultum, gratamque acceptorum beneficiorum recordationem reponimus. Neque enim indiget ipſe muneribus noſtris, ſed vult nos ſui memores, & amantes. Hæc erit noſtra voluptas, vt eum ſemper cogitemus, laudemus. Ille erit mihi in omni vita iucundiſſimus, ex eo ſolo cogitando, & laudando capiam voluptatem. In eum ſpes, & cogitationes meæ requieſcent. Sicut os eo laudando dulceſcit, ſic cogitando mens exuberabit gaudiis. Ac ſemper quidem, Talis amor meme teneat, nec ſit mihi cura mederi.¶Diuus autem Hier. in ſuo Pſalterio dixit, Placeat ei eloquium meum. Quod idem eſt, Placent iucunda, dulcia, grata. Nam cum Hebraicè ſit יערב ieerab, quod propriè ſonat, dulceſcat, amœnum ſit, ſtat quod vertit Hierony. & quod Septuag. ἡδυνθείη, quaſi voluptuoſum ſit, & ſuaue, placens, gratum. Et poteſt eſſe aut precatio, aut ſibi imperium, vt obſecret Deum, vt quicquid cantet, ſit ei gratum, ſuaue, iucundum. Aut quaſi cohortatio eſt ad ſeipſum, & confirmatio, vt quemadmodum dixit, Benedic anima mea, ſic nunc, Dulceſcat os meum laudibus diuinis, has amet, his delectetur: perinde, ac ſi ſecum, Age anima mea, delectare laudibus ſacris, his inſiſte, hic vita decurrat, hac perpetua voluptate detinearis. Hocque poſtremum videtur dixiſſe, quia in Hebraico eſt dulceſcat עליו ſuper eum, ſermo, aut eloquium meum. Eoque intulit, ego delectabor in Domino.

Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint: benedic anima mea Dominum.

Deficiant peccator.

QVoniam omnium hominum eſt, quos aliqua ratio ducit, ſuſpicere, & admirari creatorem, neq; eſt vllus tam ferus, tam humanæ conſuetudinis expers, qui ſuſpiciens in cœlum, terraſque oculis colluſtrans, harum tam mirabilium, tamq; multarum rerum aliquem fuiſſe autorem non intelligat, admiretur, & collaudet: ſic ſi quis eſt tam infelix, qui vel nullum rerum creatorem fuiſſe contendat, aut ſi fuiſſet, auerſis tamen à cultu, & veneratione eius ſtudiis, omnem ad res mortales, & caducas, aut etiam impias curam conuertat: hunc certè cùm omnes inſtar portenti deteſtari, ac refugere eum, ab hac vita vaneſcere, tolli de luce optare debent, tum ſancti, ac iuſti viri, qui diuinæ benignitatis magnitudinem, oculis, & animo contemplabantur, aduerſus id genus indignati, vitam eis, qua eſſent indigniſſimi, eripi, atq; eos è numero viuorum tolli optabant, animo, & voce precabantur. Nam cùm omnis res ad aliquem finem à natura genita ſit: humanum autem finem ratio doceat, in quo & ſapientiſſimus quiſq; conſentit eſſe, vt eum qui nos, atque nobiſcum tot bonarum, vtiliumque rerum copias nobis excogitauit, cognoſcamus: cognitum, vt felicitas ſit perfecta, amemus: ea autem res, quæ finem, ad quem propter decorem, & vtilitatem parabatur, non eſt aſſecuta, propter deformitatem & detrimentū reiicienda, & abolenda ſit: certè homines quos diximus, cùm non modo non ornent hunc mundum, ſed deforment, euertant, deſtruant, ſi nulla ſuperſit correctio, optandū eſt, vt extinguantur, vt ex hoc mundo tanquam inutiles, & fruſtra nati, & quod vere à poeta dictū eſt ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, tanquā prodigioſi, exitiales, vltra Oceanum deportandi, abeant, recedant. Hos ergo ſæpe apud prophetas inuenies deſiderari, efflagitari, vt moriantur, vt mundum, quem vndique pulcherrimum intuebantur, tandem ceſſent defœdare, ſanctiſſimam lucem, inquinatiſſimis factis ſuis conſpurcare, ne tamdiu diuina clementia abutantur. Nam cùm in mundo nihil ſit non venuſtiſſimum, cùm omnium rerum decor ſibi reſpondeat, vna ſola eſt deformitas hominum impiorum, a quibus diuerſę turpitudines naſcuntur. Quicunque igitur aliquo ſpiritu cœleſti afflantur, quos honor, cultuſque Dei, id eſt, maxima æquitas ſolicitat, certè ſine hoc deſiderio eſſe non poſſunt, vt cupiant eos non eſſe, qui nati, naſcendi finem non conſequuntur. Sæpe etiam aduerſum introducunt, vt multos à felicitate ſua veroque decore auertant. Intelligebant, & exemplis ſæpe docebantur ſapientiſſimi illi viri, quanta morum vaſtitas, quanta ruina pietatis fieret per homines impios, illo præcipuè tempore, cum fragili radice teneretur.

retur. Diſcedant igitur, inquit, impij ab hac luce. Ego non ſolum laudabo creatorem meum, D ſed eis etiam mortem imprecor, qui eum non colunt. Sic ſibi reſpondens alio loco dixit, Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Tanto odio inflammabatur, vt liqueſceret: Et, Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Duo videlicet apud eum ſemper, amor Dei, & odium malorum. Malos enim, & impios odiſſe cogitur, qui Deum diligit. **Hallel.** Aduertendum quòd in Hebraico in fine addidit, halleluiah, ſonat Laudate Deum, repetens ſcilicet iterum, iterumque monens, vt Deum laudemus. Eaque, vt Hebræi dicunt, cohortatio eſt ad bonos, ſicut peccatores, Deique immemores deteſtabatur. Digredior rurſum paucis cum Hebræis, qui peccatores dicunt בימות המשיח id eſt, in diebus Meſſiæ penitus è terra tollendos, quorum loco alij deinceps non oriantur. Dico hoc eſſe non poſſe in hoc mundo. Quis eſt enim tam demens, qui dum hoc fragili corpore veſtimur, non ſentiat ſceleratos, & peccatores multos nunquam defuturos, quia plures à ſenſu, quàm à ratione ſe regi permittunt. Sic mira cęcitate non cognoſcunt, ſe regnum Meſſiæ in cœlo, & in ἀποθεώσει, & confirmatione virtutis ponere. Fugaque, & ſupremus diſceſſus malorum non poteſt eſſe niſi à regno cœleſti, quo ſceleratis aditus non datur. Sicq; dicta eorum ſtare non poſſunt, quæ quidem non à ſeipſis, ſed ab antiquis ſuis acceperant, &, vt videmus, fuerant adimpleta: illi tamen furore cęci, ſecus, quàm dicta eſſent, conantur exponere, ſed locum non habet deprauatio.

PSALMI CIX. EXPLANATIO.

HVNC pſalmum eſſe de inclyto, omnibusque oraculis celeberrimo rege Meſſia, cuius E fortitudinem, ac res præclarè geſtas non ceſſant decantare Prophetæ, Græci, ac Latini antiquorum Hebræorum, id eſt eorum, qui ipſius Meſſiæ tempore florebant, autoritate, publicaque illa ſcientia, quæ de Meſſia circunfertur, probabiliter aſſeuerant. Ad quam & ipſe Chriſtus excitans caligantes Phariſæos, teſtimonium ex iſto pſalmo citauit. Et diuus Paulus, ſuis teſtibus refellens Hebræos, Cui, inquit, Angelorum aliquando dixit, Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum? Quẽ locum etiam in aliis epiſtolis, & diuus Petrus in actis protulit. Sed Hebræi iſtius temporis, quos non modò magnorum myſteriorum, ſed omnium etiam bonarum ſcientiarum imperitos eſſe conſtat, partim iudicio inerti, partim ſcopo, quem cum lacte ſuxerunt, eos à veritate deducente, vt alias multas prophetias, ſic iſtam ipſam peruersè interpretantur. Nam cùm ſcirent, ac viderent Chriſtianos iſtius pſalmi autoritate gloriari, oppoſuerunt ſeſe, vt aliò interpretatione eius detorta, accepta etiam ex eo occaſione, alium de quo hæc dicantur, oſtenderent. Quod hic eos feciſſe eò minus mirum eſſe debet, quòd vbique ſimilia ſtuduiſſe conuincuntur. Siquidem & Rabi Salomon, cùm teſtetur ſecundum Pſalmum ab antiquis ſuis de Meſſia acceptum fuiſſe, Nos, inquit, ob aduerſam religionem, quaſi diceret, ne ei fauere videamur, de Dauid interpretabimur. Iuxta quam deprauationem, cùm antiquiores eorum, vt claris exemplis docebo, hunc pſalmum de Meſſia intelligerent: alij in Abraham retulerunt, alij in ipſum Dauid. Ac Rabi Salomon, & Rabi Dauid dicunt, hunc pſalmum maiores noſtri de Abraham expoſuerunt, quia fiat mentio de Melchiſedek. At Auen Eſra videns in pſalmo dici, Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, Sion autem tempore Abrahæ nondum erecta ſtaret, potius de Dauid putat accipiendum. Quæ diſſenſio declarat eos nihil certi habuiſſe, vt quoniam vnam veritatem ſequi noluiſſent, meritò in varia mendacia, & inter ſe contraria ceciderint. Multa ſunt alia quæ prohibebunt, vt neque in Abraham, neque in Dauid referri poſſit, vt apparebit in toto Pſalmo. Quem eſſe de Chriſto non ratione ſolũ, & loquendi modo liquet, ſed priſcorum etiam, vt dixi, autoritate Hebræorum. Ac tametſi ipſius Chriſti, & ſummi Pauli autoritas apud nos, omnibus Iudaicis ineptiis præponderare debeat, extant tamen aliorum Hebræorum teſtimonia, ex iſto loco in declarationem qualis, quid futurus eſſet Meſſias, aſſumpta. Ac primum, **Nicolaus. Lyræ.** quod ait Nicolaus de Lyra, Ianetham filium Oziel, qui ſcripturas Hebraicas fecit Chaldaicas ſiue Syriacas, quòd eo ſermone Hebræi poſt captiuitatem Babylonicam, pro vulgari vterentur, **Ling. heb. locutio.** tranſtuliſſe, dixit Dominus verbo ſuo, ſciendum nunc ſecus legi Chaldaicè, Dixit Dominus **Lo. eſt di..** במימריה bemembrea, in verbo ſuo, vt ſonet potius, Dixit cum dicto ſuo, cum oratione ſua, cum **Supra vo. Ianethã.** ſermone. Et quod ſolent ſcripturę dicere, Locutus eſt Dominus dicens. Itaque hoc teſtimonium non eſt validum, irrideturque ab Hebræis. Quòd ſi Ionathas ipſe hunc pſalmum, vt apparebit, de Chriſto eſt interpretatus, poſſumus augurari Nicolaum in emendatioribus codicibus legiſſe membrea verbo ſuo, non in verbo, vt nunc legitur. Etenim eſt penes omnes gentes antiqua theologia de verbo diuino: Et apud Mercurium Triſmegiſtum, vnum è priſcis theologis Aegyptiorum, cuius ego ſimiles, ſimilemque doctrinam redolentes multos floruiſſe dixerim, ſæpiſſime commemoratur θεῖος λόγος, diuinum verbum. Apud alios Platonicos, idem paſſim circumuolitat. Et ipſe Plato ad alia dixit in Epinomide θειότατος λόγος, verbum diuiniſſimum, reperit ordines, motusque cęleſtes. Et Philo Iudæus impleuit libros ſuos hoc nomine. Ad alia cùm de origine mundi loqueretur, eamque ex Idæis, & mundo intelligibili deduceret, vt inquit,

quit, in mente opificis, præcedit operis imago, Τὸν αὐτὸν τρόπον, ὐδ' ὁ ἐκ τῶν ἰδεῶν κόσμος ἄλλον ἂν ἔχοι τόπον, ἢ τὸν θεῖον λόγον τὸν ταῦτα διακοσμήσαντα. Eadem ratione, & mundus, qui ex ideis conſtat, non alium habet locum, quàm diuinum verbum, qui hæc condidit. Ideo in principio erat verbum (vt intelligas Philonem) nempe ante creationem mundi. Poſtea ne putes aliquid eſſe in Deo alienum à Deo, declarat nihil aliud eſſe mundum idealem, & intelligibilem, ſenſibilis imaginem, quàm verbum diuinum, Ει δότις ἐθελήσεις γυμνοτέροις χρήσασθαι ὀνόμασιν, ὐδὲν ἕτερον εἴποι τὸν νοητὸν κόσμον εἶναι, ἢ θεῦ λόγον ἢ δὴ κοσμοποιοῦντος. Quòd ſi quis, inquit, velit apertioribus, & planioribus verbis vti, nihil aliud dicat mundum intelligibilem eſſe, quàm Dei verbum, iam mundum creantis. Superius dixit verbum Dei, creatorem, nunc ipſum Deum patrem, quaſi ſit idem creator vterque. Ex his igitur conſtat antiquis Hebræis, Aegyptiis, & Chaldæis, de verbo diuino, lucem manifeſtam irradiaſſe, vt meritò inchoaturus hunc pſalmum Ionathas, in quo de diuinitate Meſſiæ agitur, appellauerit eum verbum Dei. Quòd autem Chaldęus ipſe ex antiquioribus Hebræis, hunc pſalmum ſit interpretatus de Meſſia, cùm ex aliis apparet, tum verò cum dicitur, Iurauit Dominus, & non pęnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum. Quòd Chaldaicè tranſtulit ipſe, Iurauit, vel ſtabiliuit Deus, & non reuocabit, quòd tu præfectus ſis in principem לעלמא דאתי le alma deate, ſæculi, vel mundi futuri. Ecce, prędicitur Rex, & princeps ſæculi futuri. Nuſquam autem inuenies, ſiue apud Hebræos, ſiue ipſum Chaldæum, ſiue noſtros, quoties dicitur ſæculum futurum, quin intelligatur de altera vita, de alio mundo, de mundo incorruptibili, de mundo animorum, Angelorum, ac Deorum, cuius Rex, & princeps dicitur is, de quo pſalmus eſt. Et Rabi Moſi liber apud Hebræos extat de ſæculo venturo, ideſt, futura vita. Reſpondeant Hebræi, ſi poteſt aut Dauid, aut Abraham eſſe Rex ſæculi venturi. Et ſi poteſt non eſſe Deus, qui Imperator animorum, & vitæ erit, quæ ſæculo venturo fore prædicitur, Is vtique eſt, de quo cęleſtes theologi noſtri dixerunt, Conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, ac mortuorum. Data eſt ei poteſtas in cęlo, & in terra. Eodem autem ſpiritu, & maiorum conſenſu videtur Ionathas dixiſſe, Conſtituit te Deus Regem ſęculi futuri, quo diuus Paulus, eodem & ipſe fermè florens tempore, ex hoc Pſalmo imperium Chriſti probauit. Sed quia nondum omnibus oculis apparet, & tempus erit, cum in claritate maieſtatis ſuæ manifeſtus omnibus veniet, triumphator, gloriæq; immenſæ, in qua regnabit in æternum, eò dicitur Rex ſæculi, ſiue mundi futuri. Quòd myſterium in iſto potiſſimum pſalmo declaratur. Sunt autem alia teſtimonia ſparſa, quaſi quædam oracula per libros Hebræorum aſſumpta ex hoc loco in declarationem diuinitatis Meſſiæ, è quibus eſt in eodem libro Midras Thehilim, quod ſuper eo, Et dediſti mihi protectionē ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me: fertur dixiſſe Rabi Ioden ex noīe Rabi Chia, אמר נאם מושיב בה וה לבא דעתיד אמר לימיני שב לאדני שנאמר לימינו המשיח למלך In poſterum Deus, cuius ſit nomen benedictum, ſedere faciet Regē Meſſiam ad dexteram ſuam, ſicut ſcriptum eſt, Dixit Dn̄s Domino meo, ſede à dextris meis. Eademq;, vt ait Nicolaus, affirmat Rabi Moſes Hadarshan ſuper Geneſim ca. 18. vbi dicitur, Apparuit autem illi Dominus ad ilecem Mambrę. Item Rabi Iſaac, qui commentarios edidit in Geneſi, vbi cap. 47. agitur de loco in quo habitaret Iacob, citans locum ex iſto Pſal. Ex vtero ante Luciferum genui te, Hæc ait,

והיה יושב לא מצינו אדם ונביא שיתנבא ילידתו קודם ילדת אביו ואמו כי אם משיח צדקנו ולזה רמז מרחם משחר לך קודם יברא רחם

בכאוושב עליו באמת יולדתך נתנבא ולזה רמז לפני שמש ינון שמו כי אפילו קודם בריאת השמש היה חזק וקיים שמו של משיח

בימין האל וזה הוא שאמר שבלימיני ואמר גם כן והוכן. Quæ vt facilius intelligantur, Hebraica verba Latinè proferam, Lo mazinu Adam ve nabi, sheithnabe ielidtho, codem ieladath abiu, ve immo, kiim mashiach zidkenu, velaze ramas. Me rechem, mishecar lak, codem ibare rechem iuladtheca, nithnabe, iuladtheca. Liphne shemesh, ianun shemo. ki aphilu kodem beriath ha shemesh haia chazak, ve kaiem, shemo shel meshichenu. ve haia iosheb bi iamin hael. veze hu she amar, Sheb liimini. ve amar gam kem, ve hucan bacheſed kiſe, veiasheb halau, baemet. Quæ Latinè ſonant: Nuſquam inuenimus quenquam, etiam prophetam, cuius natiuitas ſit prophetata ante natiuitatem patris & matris ſuæ, niſi Meſſiæ, qui eſt iuſtitia noſtra. Ad hocque reſpexit, qui dixit, A vulua, ex vtero tibi, hoc eſt, anteaquam crearetur vterus conceptus tui, prophetata fuit natiuitas tua. Et ad hoc reſpexit, qui dixit, Ante Solem permanet nomen eius. Quia etiam antequam crearetur Sol, ſtabile, & firmum erat nomen Meſſiæ noſtri. Sedebat autem ad dexteram Dei. Idque reſpexit theologia cùm dixit, Sede a dextris meis. Alibi quoque, Et parabitur, ſiue ſtabilietur thronus in manſuetudine, & ſedebit ſuper eum in veritate, id eſt veridice. Sic ille. Quibus omnibus teſtimoniis, recentium Hebræorum imperitia, & à veritate longinquus animus demonſtratur, oſtenditurq; penes antiquiores Hebręos, non ſolum de ſenſu iſtius Pſalmi, ſed tota religione fuiſſe ſcientiam, atque nunc. Ecce, is tribuit ei patrem, & matrem, quòd ad hominem attinet. Tum ait, eum ante Solem extitiſſe, quod declarat ante omnium rerum creationem eum fuiſſe, quia Sol fuit prima rerum creatarum. Et qui erat ante Solem, erat ante lucem, Sicque erat is de quo Moſes dixit, Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Et is fuit, qui paulò pòſt dixit, Fiat lux, id eſt Sol. Creator Solis ante Solem, qui ferebatur, moliebatur ſuper aquas, vaſtum Solis orbem. Quod ne ipſi etiam Hebræi tacuerunt. Dicitur enim in Bereshit Raba, quòd ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, fuit ſpiritus Meſſiæ, ipſe videlicet Chri-

ſtus,

Ioan. 1. a.

Iſa. 9.

Secul. fut.

Paulꝰ ſynchronos, iona. cha. iterpretis.

Ge. 18. a.

Iſa. 7. & 9.
1. corin. 1.
Pſalm. 71.

Sol.

ſtus, ipſa Dei ſapientia, quam ſuperius Philon inſignis apud Hebræos philoſophus, conſeſſus
eſt mundi ſenſibilis originem, mundumque originalem, & archetypum. Hæc omnia in vnum
eundemque Deum ſempiternum tendunt. Si homo tantum, vt voluit gens, quæ ſucceſſit imperitior,
eſſet Meſſias, vtique ante omnium hominum genitorem Adam eſſe non potuiſſet. Declaratur
Nomen claratur item diuinitas eius, quod dicat nomen eius, ideſt, diuinitatem (ſic enim rectè vertitur
De. illud Hebraicum loquendi genus, Latinè) fuiſſe firmam, ſtabilem, inconcuſſam ante cœlum.
Deus ipſe. Quaſi illud, Sedes tua parata, nempe ſtabilita, firma, extunc à ſæculo, ab æterno tu es. Eoque
Pſalm.92. diuinitas eius enuntiatur, quòd dicat eum ante ſolem, ante mundum conditum ſediſſe ad
Dext.Dei. dexteram Dei. Hoc enim eſt, quod Chaldæus dixit, Eum conſtitutum à Deo, principem ſęculi
futuri, mundi νοητῦ, regni cęleſtis, inuiſibilis, quod futurum, vel venturum dicitur, non quòd
nunc non ſit, ſed quaſi reuelandum his, qui ſenſibilem ſolum, norunt. Dexteraq; Dei demonſtrat
Chri. no. principatum, imperium totius mundi. Et quod alio Pſalmo, Dico ego opera mea Regi:
Iuſtitia. eum abſolutè Regem theologia prædicante. Et Philon vocat ὕπαρχον, magiſtratum Dei. Declaratur
item, in eo deleta eſſe omnia ſcelera noſtra, quia iuxta Hieremiam, aſſerit eum eſſe iuſtitiam
Manſuet. noſtram. Ipſe enim nos ad iuſtitiam reuocauit, criminibusq; noſtris obliteratis, idoneos
& verit. fecit ad vitam, iterque cœleſte nobis expediuit. Benignitas item, & clementia, & veritas oſtenditur,
quæ ſunt indicia iudicantis mundana crimina. Quòd munus ſolius eſſe Dei, palàm eſt.
Et hæc ex eiſdem locis theologiæ probantur, quos Chriſtiani, ab antiquioribus imbuti de Chriſto
acceperunt. Et is Hebræus declarans. Ex vtero ante Luciferum genui te: prædicat eſſe
oraculum de Meſſia, cuius natales præcedere dictos ait ab oraculo, natales parentũ. Si enim ante
luciferum genitus dicitur, dicitur generatio, vel natiuitas eius fuiſſe antequam parentes naſcerentur.
Lact.185. Hoc enim eſt, quod Græci, quod Mercurius, & Sibyllæ prædicauerunt, eum ante
mundum fuiſſe ἀμήτορα, ſine matre: in mundo, cùm nobis apparuit, ἀπάτορα, ſine patre. Et
Ioan.12. hoc erat, quod turba dicebat, Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Erat
enim ſparſa per omnes multis ex oraculis propagata fama, Chriſtum eſſe ſempiternum Dei filium,
non tum cùm natus eſt corporaliter, cum ſe transformauit, & regia veſte depoſita, acceptaque
ſeruili, quale ſæpe principes faciunt, venit ad homines, & cum illis verſatus eſt, inchoaſſe.
His igitur declaratis, & Hebræis Hebræos reuincentibus, & teſtibus inter ſe oppoſitis veritas
eſt clara. Superare enim debet plurium teſtimonium, teſtimonium paucorum, antiquiores,
grauioresque teſtes, debent iunioribus præponderare, præcipuè cauſa mentiendi, & grauioribus,
Titulus. maioribusque minores contradicendi, manifeſta. Argumentoque declarato, nihil eſt in titulo
Matt. 22. Tempus à nouum, niſi quòd ſit Pſalmus ipſius Dauid: quomodo autem, vel quo inſtinctu pronuntiatus,
Dauide, ille idem de quo editus eſt, oſtendit. In ſpiritu, non humano inſtinctu, non humana cogitatione
ad Chriſtum. haud longius tendente, ſed in medio curſu debilitata. Et non ſolum in poſterum non
proſpectante, ſed ne etiam, quæ ſunt ante pedes conſiderante. Qui vidit poſt ſexcentos annos
ventura, & qui vltra Solem, & Lunam oculis, vel res cœleſtes, & æternas penetrauit, non ſpiritu
ſuo, ſi vel lynceos oculos habuiſſet, ſed magno ſpiritu vectus, nubes, & æthera ſecans, multaque
& longinqua tempora circumſpexit. Sic & Chaldæus ad morem illius temporis, ſæpe in
principiis pſalmorum præfatur. Dictus eſt in ſpiritu prophetiæ, ſpiritus autem prophetandi, eſt
Spiritus ſanctus. Sic pronuntiauit in ſpiritu prophetiæ, qui & Spiritus ſanctus, Dauid hoc oraculum,
non ſpiritu ſuo, humano, debili, fragili. Et ſi poteſt etiam in ſpiritu declarare, quod quidem
idem erit, à corporeis ſenſibus ſeparatus, extra ſenſus poſitus, ſolo ſpiritu, quæ dicitur à
Græcis, & Latinis, mens, quale facere animos a corporibus ſeparatos par eſt, operante, nihil
corporeis vinculis, & ſenſibus ſeſe immiſcentibus. Autor ergo Dauid oſtenditur, id quod etiam
declarat Ionathas dicens, Per manum Dauid, quaſi autore Dauid. Quibus ineptia Dauid
Chimchi refellitur, qui articulum le Dauid, vult eſſe quaſi propter, vel ſuper Dauid, cùm le,
ſit articulus caſus gignendi.

DIxit Dominus Domino meo. Sede à dextris meis.

Dixit.

QVOD Septuag. tranſtulerunt εἶπεν, dixit, Hebraicè eſt נאם neum, quod ſonat dixit,
vel dictum, participium à verbo Naam, dixit. Noſtri commodè, & clarè in ſuam
linguã vertunt, Dixit. Nimiũ autem ſuperſtitioſi, qui, quæ clarè dici poſſent, obſcuritati
Hebraicæ potius hærentes, quaſi verius aliquid dicant, malunt transferre,
Dictum Dñi, Dño meo, cùm hoc obſcurius quidem illo ſit, propius autem ad veri
minimè. Et quærenda ſunt, quæ melius poſſint intelligi. Chaldæus etiam vertit אמר amar, dixit.
Et quod iidẽ tranſtulerunt κύριος, Dominus, Hebraicè eſt tetragrammõ Iehouah, nomen ſemper
altiſſimi, vniuerſaliſque Dei, maioris longè ponderis, quàm ſecundum Adonai, quod de hominibus
etiam dicitur, primum de ſolo Deo. Et quod Græcè, ac Latinè videtur idem Dominus
Dominus. Domino, non idem eſt Hebraicè. Ideo cæteri magis ad Hebraicum tranſtulerunt, dixit Deus
Domino. Domino meo. Secundum nomen Adonai declarat propriè quòd Septuaginta verterunt κύριον,
Adonai. Dominum dominantem dominatorem, præſidem. Id quanquam ſoleat, ſicut & Græcum, de
hominibus

Heb. figu.

Duo Dii quomodo.

Plato.

hominibus vſurpari, verus tamen dominator, ac, vt ait Philon, ὕπαρχος & ὕπατος κρειόντων, eſt ſolus filius Dei, Rex mundi, cui data eſt omnis poteſtas in toto mundo, quæ hoc carmine deſcribitur. Sciendum, vt omnes diuinæ antiquæ, & nouæ litteræ docent, Hebraicam loquendi rationem, quam etiam Arabas, & Aethiopas, Syros, cæteraſque gentes orientis ſequi animaduerti, eſſe à ratione loquendi Græcorum, ac Latinorum longè diuerſam, figuras item eorum tales, quas ſi Latinas aut Græcas facias, aut non intelligantur, aut putidæ ſentiantur: vt ſunt, Placuit in oculis meis, peccauit coram Domino, pretioſa eſt anima tua in oculis meis, excitauit nobis cornu ſalutis, ſalutare quod paraſti ante faciem omnium populorum. Quibus, & his ſimilibus in ſuo idiomate remanentibus, ſuſpenſi cogitant externi ſermonis homines, quidnam debeat intelligi. Hæc autem dicendi ratio latius procedens ad res theologiæ penetrauit, in quibus præterquam, quòd ſunt paſſim Hebraica idiomata, vna cum primis ratio dominatur, quod non, vt philoſophia, nudis nominibus vtitur, ſed vt quædam poeſis, diuina veſtit corporeis actibus, ac figuris. Tum verò & ſecretior quædam theologia, nec cuiuis mortalium patens, facit, vt quędam plurimum à mortalibus diſtantia, ſimila mortalibus, propter & dicendi eandem rationem, & interiorem illam, abſtruſamque, & mortalibus ignotam ſcientiam, videantur. Verbi cauſa, Si quis audiat aliquem à Deo creari regem, neceſſario veniat in eam cogitationem, qui conſtituiur, hominem, mortalemque eſſe ſimilem alijs mundanis regibus. Et ſi audiat hunc regem accinctum, armis, ire in prælium, hoſtes ſternere, trophæum erigere, intelliget ea, quæ fiant apud mortales: maiora autem non intelliget. Sic cùm audiam nunc Deum dixiſſe, locutumq; eſſe, primum ſuccurrit os, lingua, dentes, vox ipſa corporea, ictus aer. Succurrit, & qui loquitur, & qui audiat, more noſtro. Tum ſi audiam, quaſi imperantem, ſuccurrit eum cui iubeatur, quaſi famulum, ſubiectum poteſtati imperantis, aſt alium eſſe principem. Tertiò, ſi videam eum dicentem, Hære lateri meo, ſecus me eſto, donec hoſtes tuos profligauero, ſubit ea cogitatio, eo cateruas hoſtium timente, fidemque maioris implorante, illo autem pollicente auxilium, geri aliquod mortale bellum. Igitur maxima pars recentium Hebræorum interiorem illam, abſtruſamque mortalibus ſcientiam non capientes, & ſæpe rerum ac verborum ſimilitudine illuſi, abeunt à ſcripturis: & cum eminentiſſima quædam dicantur, induta tamen veſtibus, & coloribus humanis, aſpectu primo capti, vt ſi quis Rex inclytus induta perſona ſeruili procedat in vulgus, habitus, & creditus à vulgo pro ſeruo, vbique ludificantur. Nonnunquam figuras, & perſonas rebus maximis detrahentes, verum ſummos tantum colores remouentes, totam autem vmbram non amandantes, ſimili ratione, ac ſi nihil detraxiſſent, decipiuntur. Vt quando Meſſias armatus, formoſus, egregiuſq; heros inducitur, remouent quidem aliquid ex iſta vmbra, interius tamen non penetrant. Eſt autem illa paucis eorum non antiquorum quidem, ſed iſtius temporis abſtruſa, impenetrabiliſque craſſis iudiciis, eminentiſſima ſcientia, cuius plena eſt priſca, ac noua philoſophia, duos quaſi Deos eſſe mundo, alterum genitorem, alterum genitum, ſæpe tanquam duos dictos, in quo quoniam & ſimilitudo eſt, & diſſimilitudo cum rebus humanis, partim capitur, partim caput aufugit. Et vbi cum noſtris eſt ſimilitudo, latet quidam maior ſenſus, in quo non eſt cum humanis vllum commercium. Illic enim duo ſunt Dii, ſed ideo non duo Dij, quia nec diuinitas poteſt eſſe diſiuncta, & tanta eſt ibi coniunctio, vt duos Deos dicere, niſi alio quàm humano modo intelligatur, ſit nefas. Tota igitur theologia docet duos appellari Deum, alterum genitorem, datorem, principem, fontemque omnium bonorum, cui fuerit ab ęterno filius, omnis paternæ maieſtatis particeps, omnibus ab illo bonis paternis donatus. Quod myſterium ab altiſſimis generis humani principiis deſcendens inuiti audientes, & non intelligentes dixerunt, Deū primo feciſſe maximam quandam intelligentiam, omnium aliarum rerum creatricem, ipſum autem, creatione rerum aliarū ſuperſediſſe, non intelligentes videlicet æternam coniunctionē, coniunctiſſimamque, omni ſæculo ante, & poſt mundum diuinitatem. Duos quaſi Deos prodidit, & reuelauit non nobis ſolum theologia, ſed à primis etiam ſæculorum exordiis, omnibus hominibus. Poſſetq; de eo dubitari, niſi maximis quibuſq; viris eadem fama inclaruiſſet. Hanc ob cauſam quoniam alter eſt genitor, alter genitus, alter accepit, alter largitur, accepit diuinitatem, cum diuinitate imperium, principatum, gubernaculumque totius mundi: ſæpe apud theologos, ſecundus ſub nomine opificis, cauſæ, principis præſentium, ac futurarum rerum introducitur, notus hominibus magis, vt Plotinus ait, quàm ipſe pater, quem filius reuelauit. Quod etiam antiquiſſimis ſęculis notiſſimum fuiſſe, nec ſolis prophetis Hebręorum innotuiſſe, ſed etiam omnibus aliis gentibus, præcipuè Chaldæis, Aegyptiis, priſcis Græcis, vt noſcamus, & alia, teſtis eſt hæres antiquæ ſapientię diuinus Plato, in epiſtola ad treis amicos, Hermiam, Eraſtum, & Corſicum, de charitate mutua loquens, demumq; Epiſtolam claudens, hortatuſque vt amicitiam ſacroſanctis iuramentis roborarent, hos Deos vt adhiberent, pręcepit: καὶ τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα, τῶν τε ὄντων, καὶ τῶν μελλόντων: τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντες: ὃν ἂν ὄντως φιλοσοφῶμεν εἰσόμεθα πάντες σαφῶς εἰς δύναμιν ἀνθρώπων εὐδαιμόνων, Adiurantes tum omnium rerum principem Deum, omnium, inquam, præſentium, ac futurarum rerum, tum vero principis huius, & cauſæ patrem dominum, quem ſi philoſophando verè ſcrutemur, cognoſcemus clarè, quoad hominibus fortunatis liceat. Hęc Plato. Quibus ſub-

Iſa. 9.
Sæc. fut.

eſſe noſtram theologiam, vt mirabilis ſit eorum, quę hoc Pſalmo dicuntur, interpres ipſe Plato, palam eſt. Vides duos Deum hic nominari, alterum principem pręſentium, ac futurorum, eumq; appellari principem, ductorem, ac cauſam. Obſerua tria nomina θεὸν, ἡγεμόνα αἴτιον: quibus, & diuinitas, & mundi principatus, & creatio docetur. Appellatur αἴτιος, autor, cauſa, creator, quaſi maximus autor, maxima cauſa, tum Rex, & princeps. Mirabilius etiam princeps futurorum. Confer autem, quæ ſuperius transferebat Chaldæus, Iurauit Dominus, & non reuocabit, te cōſtituere principem mundi, vel ſæculi futuri. Plato autem dicit eum eſſe ἡγεμόνα τῶν μελλόντων, principem rerum futurarum. Omne nomen, inquit Paulus, quod nominatur, ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro. Ecce & Plato agnoſcit ſæculum futurum, eiusq; principem quendam Deum nominat. Deinde nominat patrem principis huius, & cauſæ, & vt Pſalmus Græcè loquitur, Dixit, κύριος, ſic patrem appellat Plato κύριον. Aſcendo, inquit idem, ad patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum, quaſi Dominum meum. Et Paulus, Caput Chriſti eſt Deus. Eoque etiam Plato Dominum eum appellat. Vt enim ipſe filius eſt dominator, & præſes noſter, rerum

Vnde, & ſeruũ, illũ q̃nq; voc.

viſibilium & inuiſibilium, ſic Dominus filij eſt pater, ſicut & Deus, & pater eſt. Cumque Plato dicat futura, ventura, noſtri autem ſæculum futurum, innuunt profundiſſimum myſterium. Appellant enim mundum inuiſibilem ſæculum ſeu res futuras, quæ tamen pręſentes ſunt, earumque ita eſt nunc princeps, ſicut erit in poſterum. Propter myſterium ingens dicitur Rex ſæculi futuri. Proditurque aliquando fore, cum omni poteſtate ad filium Dei reuocata, factaque omnium rerum mirabili immutatione, clarus & manifeſtus erit ipſe imperator. Videbuntque eum oculi mortalium, ſed tunc immortalium, formoſum, inclytum, ſeptum agminibus Angelorum in maieſtate ſua. Tuncq; Pſalmorum oracula magis patebunt, cùm faciunt eum potentem, armatum iudicem, inimicorum vaſtantem cateruas, ſceptrum inſigne gerentem, ſuper ſolio æterno ſuæ maieſtatis ſedentem. Hæc cùm nunc deliteſcant, in ſęculo illo futuro exibunt in apertam lucem, nullus oculus erit, qui hæc non videat. Tunc is, qui eſt Rex, vt ait Plato τῶν ὄντων, præſentium, ſed occultus, Rex mundi, faciem præſentem gerentis, conuerſa eius facie in alterius mundi aſpectum, & rebus immutatis, Rex erit, & princeps, qui fuiſſet occultus quondam, tunc manifeſtus. Ideo cognoſcentes, & noſtri, & antiqui theologi, non ſemper mundum ſenſibilibus ordinibus conſtantem fore, ſed alterum meliorem, quando erit cœlum nouum, & noua tellus, celebrarunt nomen ſæculi futuri, & memoriam τῶν μελλόντων, rerum futurarum, quæ quidem reſpectu alicuius partis totius mundi, etiam nunc ſunt. Nam beatorum ſedes, & felix ſtatus idem eſt, qui eſt futurus. Eoque dicitur ratione mortalis ſtatus, illud alterum ſæculum vitaque poſt hanc futura, reuelanda. Quibus rebus intelligimus hanc diuinam ſcientiam, quæ larga luce poſtea refulſit, nunquam humanas mentes principis illius beneficio latuiſſe. Eoq; magis Iudaica debet pudore ſummo, ſi ſcirent erubeſcere, affici imperitia, cum diuina oracula deprauant, cum lucem tam claros iactantem radios exoſi, veſpertilionum, aut talparum more auerſantur.

Sĉtia dei.

Sed ſuſpice etiã Platonem vere diuinum, fottunatos eos dicentem, qui de patre pro viribus philoſophando cognitionem hauſerint. Qui verè de eo philoſophati fuerint, cognoſcent eum, & cognoſcentes erunt fortunati. Hoc enim eſt, quod toties filius prædicabat, veniſſe ſe in mundũ, vt notum faceret patrẽ quem mortales agnoſcentes, beati & fortunati, ſempiterniq; boni, æternorumq; gaudiorum forent participes. Conſtituens ſemper ſummum bonum in cognitione, & ſcientia patris ſui quẽ & ſuum fontem, ac genitorem ſuum, & omnium rerum originem pręicabat. Hic fiunt homines fortunati. Ideo dicebat, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnũ, quod vobis paratum eſt à cōditione mũdi. Cur ſui patris benedictos dixit, & regnum à patre paratũ? Et, Confitebor tibi pater, Dñe cęli, & terrę, quia abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus, & ſcientibus, & reuelaſti ea paruulis. Hęc illa ſcientia, & philoſophia, ac reuelatio, quam de patre dixit Plato, conſtituens in ea τὴν ὧδ᾽ ἁρμονίαν, vereq; à filio vocata eſt reuelatio.

Dixit.

Nemo enim ante & poſt Chriſtũ, eam, niſi aliquo oraculo, & cęlitus reuelatã noſſet. Digreſſus ſum ad hęc, ſuper oraculo Platonis, quod eum ab Hebræis, & Aegyptiis, Sibyllis, Mercurio, cęterisq; vatibus, par eſt didiciſſe, q̃m in eo continetur huius loci declaratio. Cùm ergo ait, Dixit, reuocanda eſt ad memoriam conſuetudo diuinorũ Hebraico ſermone deſcriptorum oraculorũ, in quibus, quod ad hoc attinet, duplex eſt forma: vna ꝙ dicere, in ea lingua non ſolum ad linguam, dentes, ictumq; exterius aerem refertur, ſed arcanas etiã, tacitasq; cogitationes, interioresq; animi locutiones, vt in noſtris animis, ſic in animis ſeparatis locutiones. Sæpe attuli hæc exempla. Et Anna loquebatur in corde ſuo. Et Salomon, Dixi ego in corde meo, Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et, Dixit inſipiens in corde ſuo. Philon item Philoſophus inſignis, exponens decem verba, quæ Deus locutus ſit ad Moſen,

Act. 9. & 22.

nefas eſſe dicit arbitrari factam humano more locutionem, ſed θεοπρεπῶς, vt Gręci quoq; hoc loco dicunt. Et Paulus cùm ei filius Dei Damaſcum proficiſcenti loqueretur, dicit ſe ſolum vocem loquentis audiſſe, circunſtantes autem eum loquentem & reſpondentem audientes, ſed nō videntes, nec audientes cum quo loqueretur, ſtupefactos ſtetiſſe. Cognoſcimus ergo locutionẽ fieri poſſe etiã aliis modis, quam quo mortales vtuntur, ſine dentibus, ſine lingua ſine exteriore aeris ictu. Eritque in Deo ſpiritualis locutio. Multæ item ſunt rerum rationes nobis incognitæ, quas propter conſuetudinem rerum noſtrarum vix apprehendimus. Altera eſt forma, cùm ſacrę litteræ, veluti poeſis animata, perſonata, figurata veſtit tenuia, exilia, inuiſibilia, incomprehenſibilia figuris, & coloribus humanis, facit Deum loquentem, manus, oculos, aſpectum, naſum, pedes habentem, armatum, enſiferum, pugnantem: quæ etſi in Deo non ſunt more noſtro, ſunt vt ferũt theologi θεοπρεπῶς, diuinitus, magnificè, more ſuo, in nobis debiliter, in Deo diuinè, excellentiſſimè. Hæc figura congruit cum prima. Igitur Deum audientes dixiſſe, intelligamus arcanam, diuinam, excellentemq; locutionem, locutionẽ ęternã, aſſertionem ſempiternã, ſempiternã voluntatẽ, ſempiternũ velle, humana voce deſignatũ. Sic, Benedixit te Deus in æternũ, vnctionem æternam, conſtitutionem in regem, more diuino. Atq; cum ait, Dixit, æternitatis eſt, non alicuius præteriti temporis. Per inſcitiam, & imbecillitatem ait Plato, totuſque theologorũ cętus, ponimus in Deo, Erat, vel Fuit, in quo ſit æterna præſentia, ſic ſempiterna præſens locutio, aſſertio, voluntas in æterna præſentia. Ac ſicut hoĩes intellexerunt cum dr̃ de Deo, erat, vel fuit humana cogitatione, non attingente veritatem dici: ſic quod à Propheta pronuntiatum eſt, Dixit Dominus, ſcias humanè pronuntiatum, eſſe autem interiorem alium ſenſum, diuinum, regium, inclytum, vt ſi ſupernum corticem, vileque ac rude tegumentum dimoueas, glorioſam æternitatem, patris æternum in filium, ardentiſſimumque amorem, eximiamque voluntatem, vt is eſſet filius ſuus, & ineffabilem in eo voluptatem ſis perſpecturus. Ac ſi verè conſideres, non aliud profundus Vates Hebręus olim dixit, atque alij item Hebręi aliis verbis multo pòſt tempore. Scribunt Euangeliſtę, Et vox de cęlo facta eſt, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Dauid autem, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Vox apud Euãgeliſtas, facta eſt à patre, hunc eſſe filium ſuum dilectum. Apud Dauid, idem pater dixit ad eundem filium, Sede à dextris meis, quaſi patris tui chariſſima proles, regni conſors, hære lateri paterno, ſoboles amata, dilecta, mecũ eſto, in regnis meis. Sit thronus meus, idem & thronus tuus. Poetæ iuſtitiam, quæ idem eſt filius, dicunt eſſe πάρεδρον τοῦ θεοῦ, aſſiſtricem, aſſiſtentem Deo. Et Salomon vocauit ſapientiam, quæ & ipſa eſt filius, aſſiſtentem πάρεδρον. Et precans Deum dicebat, Mitte eam à ſede magnitudinis tuæ. Verum ſedere à dextris, ſiue à dextera, vt Hebraicè dicitur, cum ſit figura Hebraica, ab Hebræis, qui ſenſum pſalmi deprauare conantur, à Rabi quidem Salomone exponitur, Hęre ad dexteram meã, i. ſalutem, ac protectionem, quæ dextera fit. Dextera, inquit, mea ſalutem tibi pariet, apud eam eſto. Et, Dextera tua dicit alibi, ſuſcepit me, Græcè ἀντελάβετο protexit, ſuſtinuit, defendit. Eadem exponit Rabi Dauid. At Auen Eſra, partim hoc, partim aliud quaſi dixerit oraculum ipſi Dauid, Sede in domo mea, eſto mecum, mitte alios in bellum. Qñ dixerunt principes ne exiret in p̃lium, ne extingueret lucernã Iſrael. At Chaldæus, qui ſæpe relicta exterius ſonante littera ad maiores, vt erat illud tp̃s, ſenſus aſcendit, locũ vertit, Dixit Dñs vt daret mihi רבנותא Rababucha, principatum, imperium. Dixit Dñs ſe mihi imperiũ daturum. Ecce Sedere ad dexteram, ſicut ſuperius exponebamus, interpretatus eſt, imperii munus. Dixit, i. publicauit, pronuntiauit me imperatorem mundi. Neque eſt alius hic ſenſus, quam pſ. 44. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, in æternum. Sũt. n. pſalmus ille, & is mirabiliter inter ſe ſimiles, eundem regem & vnctum à Deo canentes. Illic vocatur rex, & vnctus in æternum: hic ſacerdos in ęternum. Illum ſine controuerſia de Meſſia intelligunt Iudæi, cur non igitur & iſtum, cum ſit eadem phraſis, idem dicendi modus, eadem idea? illic etiã aliqui eorum erant perplexi, an de Meſſia, an de Dauid eſſet, ſic in iſto, quod erat de Meſſia, in Dauid conuertunt. Quanquam illic Auen Eſra aſſerit Dauid deſignare Meſſiam. Sedere igitur ad dexteram antiquiores Hebræi non ſolum Chaldæus, ſed etiam diuus Paulus, cæterique Apoſtoli referunt ad regnum, imperium. Nam Paulus exponens hunc locum, Oportet, inquit, illum regnare, donec oĩa ſubiiciat ſub pedibus eius. Regnare dicens quod Dauid, ſedere ad dexteram. Eſt aliis locis clarum, perſpicuumque teſtimonium, ſtare, ſiue ſedere ad dexteram, deſignare, vitam, nobilioremque mundi locum, excellentiorem rerum ſtatum. In Euangelio in dexteram, & ſiniſtram iudicandi ſuprema luce diſtribuũtur: fortunati, cęlicolę, Deiformes, regnatores, triumphantes, tenent dexteram: damnati, miſeri, captiui ſiniſtrã. Hoc etiã veteres, alti animi poetas non fugit, viam in loca dãnata, & infelicia ferentem, læuam eſſe canentes, dexteram quæ ducat ad campos Elyſios, id eſt alyſios, vbi corpora non diſſoluuntur, immortalia.

Dixit.

Matth. 3. & 17.

Iuſtitia, Sapientia, Aſſiſtrix Dei.

Dextrum ſedere.

Dixit.

Apoſtoli.

Campi Elyſij.

Hic locus eſt, partes vbi ſe via findit in ambas,
Dextera, quæ ditis magni ſub mœnia tendit,
Hac iter Elyſium nobis, at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. Et poeta,
Εἴτ᾽ ἐπὶ δεξὶ ἴωσιν ἐς ἠῶτ᾽ ἠέλιόν τε.
Siue in dextram ierint, auroram verſus & ortum,
Siue ſiniſtram, qua tenebræ, atque horrida nox eſt.

Iure igitur Deus dexteram dixit eſſe ſuam, imperium cęleſte, ſedes fortunatas, ſolii ſui maieſtatem. Eſt dextera, & ſiniſtra Dei. Nec tamen data filio dextera, cogitur pater tenere ſiniſtram. Mortalis, hæc & fictitia cogitato. Cape enim de hac humana figura, quantum licet, quod nõ licet reiice, intellige in ea, non corporalẽ ſeſſionẽ, ſed imperium, maieſtatem, nobilitatem. Totũ regnũ, maieſtasq́; Dei,eſt dextera,ideo in ſuis regnis nunquā in ſiniſtra pater eſſe poteſt.Si.n.ſiniſtra eſt debilitatio,eſt imbecillitas,ignobilitas, & impia tartara:dextera aūt,eſt gloria,regnū,imperiū,robur,vis,poteſtas:quomodo in ſiniſtra pater erit,cuius eſt propriè dextera, cuius fecit filium participem.Ex quo Philoſophi dicunt dextrā mundi eſſe vnde motus,i.ortum, ſicut in nobis motus à dextera incipit. Dexteræ ſunt item in mundo auſtralia,lucētia,radiata : Septentrio vbi tenebrę & horror,& longus à luce diſceſſus,eſt ſiniſtra:Siniſtræq́; vmbræ ſunt in ſeptentrionem cadentes.

Lucanus. *Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.*

Itaque dextera eſt patris,& filij,Domini,& Domini,ſed pater ſuam eam eſſe dixit,dedit filio.Pater dedit,filius accepit.Fecit eum regem cęleſtium,& terreſtrium, & , vt Plato dicebat, ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων. Nonne & filio dicente, Pater clarifica filium tuum gloria, quam habui antequam mundus fieret,audita eſt vox:Et clarificaui,& iterum clarificabo.Hæc eſt dextera,patris imperium,tota poteſtas,omnis gloria, quam filio ſuo dedit donans ei nomen,quod eſt ſuper omne nomen,vt in iſto nomine,omne quod intelligit,flectatur.Hoc canebant Hebræi,hoc oracula in toto mundo perſonabant.Ne credas autem,data filio dextera, patrem ire ad ſiniſtrā: audis inferius in iſto pſalmo ad filium,Dominus a dextris tuis. Duo igitur; ſedere ad dexteram, notat,aut protectionem iuxta Hebræos,aut iuxta regium,ſublimioremq́; ſenſum,imperium,nobilitatem,poteſtatem.Qui ſenſus rite conſiderati ijdem noſcentur,ſi modo de Meſſia ſint.

Donec ponam inimicos tuos,ſcabellum pedum tuorum.

SIcut in Pſal.44.quem concorditer Hebræi de Meſſia intelligebant,Meſſiæ tribuuntur arma, ſagittæ,gladius lateri accinctus,populi cadentes,inimici.Et ſicut Zacharias Meſſiam iam tāquam natum proſpiciens,per eum ab inimicis liberandum populum Iſrael cecinit,Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati,ſeruiamus illi.Nulli tn̄ hoſtes eo tp̄e,à quibus per Chriſtū liberarentur,extitiſſe noſcuntur,nec Chriſtus armatus præliū vllū cum inimicis geſſit:ſic eodē genere ſermonis vtēte alio poeta ſacro vetuſtiore,debemus eadē ſentire.Duo ſunt aūt tropi apud Hebræos,primus eſt cū Deo datis rebus humanis efficit̃ ſimilis homini,vt quod ait Moſes,Dominus tanquā vir pugnator.Quod Hebraicè ſine cōparatione,Dn̄s vir belli.Duo tropi,q Deus dr̄ vir bellicoſus.Quo tropo,alio pſalmo legitur,Apprehende arma,& ſagittam, & veni in adiutorium noſtrum. Simile prorſus ei quod apud Homerum ſacerdos,Deum ſuum precatur,

Τίσειαν δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσι.
Atque tuis iaculis lachrymas vlciſcere noſtras.

Soluant,inquit,tuis ſagittis meas lacrymas Græci.At nec Deus eſt corporeus, nec corporea,viſibiliaq́; tela.Alio quoque pſalmo,Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi,Et, Sagittas meas cōplebo in eis. Ex quo cernimus hos tropos eſſe pulcherrimos,dum rebus nobis manifeſtis, obſcuriores ſignificātur apud omnes,& profanos,& ſacros poetas.Eſt autem aut alius, aut ferme idem tropus,de inimicis,apud Homerum,atq; noſtrum.Illic inimici,in quos tela Deus iaculatus eſt,ſunt hoīes iuſtitiam violātes,idem ſunt inimici Dei noſtri.Pars autem inimicorum profanis non prorſus cognita vatibus,ſunt alij quidam inuiſibiles.Illiq́ue impios hoīes cæde,& gladiis, ſagittiſq́ue Deorum interfici,noſtri,& hos,& quoſdam alios occultiores dicerent.Putant & Græci theologi,hoſtes illos inuiſibiles,vates priſcos agnouiſſe, vt cū Iupiter iratus apud Homerum proiicit è cęlo Aten, ab ἄτω, lædo,noceo,dictam ſimiliter apud eos,atque apud noſtros Satan,ab aduerſando.Et fortè Græci antiqui Hebraicam vocem vſurpantes reiecerunt primam litteram, Satan, Atan.

Inimici Dei.

Ate. Satan,è cęlo proiectus.

Αὐτίκα δ' εἷλεν Ἄτην, κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο.
Χωόμενος φρεσὶν ᾗσι καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον,
Μήποτ' ἐς ὄλυμπον τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην ἣ πάντας ἀᾶται.
Extemploque apprehendit Atan, de crine comanti,
Iratus mente,& iurauit voce tremendum,
Nunquam in olympum, & ſtelliferum cœlum redituram,
Exitialem Aten,quæ virus ſpargat in omnes.

Hoc Homerus,creditur à theologis de caſu dęmonis ex priſca theologia ſenſiſſe.Omnium eſt igitur litterarum conſenſus,ſic inimicos habere ſuos quoſdam Deum,vt homines,ſuos. Attribuitur autme ſicut creatio,ſic rerum prouidentia,filio Dei à cunctis,quem Nemeſin, & fortunam, primam,indignantē contra colla tumentes,alterā,ſecretis paſſibus ad oēs euntem,dixerunt. Hincq́ue ait priſca ſecutus Philon, Χορεύει γὰρ ἐν κύκλῳ λόγος ὁ θεῖος, ὃν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ὀνομάζουσι. Obambulat,ait,circū,verbū diuinū,quā multi mortales fortunā vocant. Tū ſemper per vrbes,& gentes,& regiones ingrediens,quę aliorum eſſent aliis,& quę ſunt oīum, oībus diſtribuit, temporibus liberis,& placitis mutans,quę quiſque habet.Hęc ille, Et Euſebius in Panegyri Conſtantini, ἀλλ' ἦν ἄρα τούτων εἷς ἑρμηνευτὴς, ὁ διὰ πάντων ἥκων τοῦ θεοῦ λόγος. Omnis,ait,ſapientiæ,omnium abſtruſorum reuelator fuit,qui per omnes commeat,verbum Dei.Huius verbi diuini circū mūdum ambulantis,omniaque diſtribuētis,cuius eſt totum ius offendere tacitos oculos,clarū eſt

Fortuna.

1. Pet. 5.

omnes impios, iniuſtos, omnes qui viribus humanis freti, nõ modo in homines miſeros inſultãt, ſed in cęlum etiam poſuerunt os ſuum. Hi ſunt hoſtes eius, totaq; eorum mactandorum vindicta ad cũ ſpectat. Ius enim vniuerſale, & lex, & ratio, vt Stoici dixerunt, eſt ſummi Iouis, cui antiquiſſimi theologi, & poetæ, vt ait Plutarchus, omnia attribuebant. Hincque perpetuò dictitabant:

Ζεὺς ἀρχὴ, ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέλονται.
Principium, mediumque eſt Iuppiter, ab Ioue cuncta.

Dei, ſunt. Principiũ. Medium. Finis, ideſt Omnia.

Eſt autẽ Iuppiter, vt ſæpe dixi, Iehouah, Ioues, in lingua Hetruſca litteris, & vocibus Hebraicę ſimili, dictus. Qui cum ſit Deus, cum oculus omnia cernens, oculataq; iuſtitia, & νόμος, cum iudex, & præſes: eodem tropo & ſenſu ei tribuuntur inimici, & arma, quo clarè & apertè Moſes vocat Deum, virum belli. Et Pſalmus orat, vt apprehẽdat arma, & ſagittam, & veniat in auxilium. Ideo non debuerunt Hebræi, venire in ſuſpicionem Meſſiam eſſe verum hominem, ꝙ ei dentur inimici, & arma, cum etiam dentur vbiq; Deo in ſacris litteris, eumq; virum bellacem faciãt. Declaratis igitur inimicis, illud item perſpiciendum eſt, duplici ſenſu ſanctiſſima oracula, bellũ huic Deo, & hoſtes tribuiſſe, tum ꝙ norant antiqui prophetæ clarius fortè, quàm nobis videatur, quoſdam hoſtes horribiles, ſanguinarios, homicidas à principio hominis necem, ſtragemq; petentes, Gigantibus fortiores, monſtra fera, formidanda, qui homines à principio interfeciſſent, & nunc vbique vt ille dicebat, πάντας ἀᾶται, omnes deuaſtent, ſpargentes virus in pręcordia, inq; exitium trahentes, qua fraudè à principio circumueniſſent. His autem ſceleratis, immanibusque Gigantibus, ſolum Deum poſſe reſiſtere, imperiumque eorum euertere, humanas hic nihil valere vires. Hęc antiquos Hebræorum theologos vidiſſe, & audiſſe par eſt, ꝙ cęteris gentibus etiam innotuiſſent, & horum cædem Deo ex ſublimi ſcientia, gladios autem & arma Deo dediſſe, ſicut eum prælijs humanis adeſſe dixerunt pugnantem pro ſuis, & ſicut Homerus dixit Iouem crinibus apprehẽſam Aten, deturbaſſe coelo. Non ſunt enim crines ei, nec manus habet Iupiter, nec eo modo, eam de cęlo egit præcipitem. Huiuſmodi figuris vſi ſunt Hebræi poetæ, de ſuo Ioue loquentes, quas Homerus ab Aegyptijs didiciſſe par eſt, figuris venuſtiſſimis theologiæ, & ſermonis diuinitatem pręferentibus. Canitur igitur iſto Pſalmo numen, imperiumque Meſſiæ, & alterius imperii, impiorũque Gigantum ruina. Quaſi in nubibus bellũ geſtum. Canitur poteſtas Regis, & ꝙ à patre ſit princeps conſtitutus, & ꝙ imperium inimicorum euertit. Quando factus eſt Rex mundi, & omnes impias poteſtates deiecit. Depingiturque quadam ratione humana bellum, vt ſi pictores, quibus eſt cum poetis ſimilitudo, vt quod illi coloribus, hoc iſti verbis exequantur, bellum cum vaſtis Gigãtibus geſtum exprimerent, Iouemq; è mediis nubibus tela iacentem. Alterum ꝙ ſpectarunt Prophetę, fuit iudicium magnum, regni Antichriſti, omniumq; qui ſub impiis ſignis eius militabunt, euerſionem. Qui conſurget contra omne quod dicitur Deus, princeps apoſtaſiæ, templorũ Dei euerſor, mundi tempeſtas, qua ſupremo tempore quaſſabitur, bellua immanis, nihil à dęmonibus quos impiorum operũ duces, & comites habebit, diſtans, corporeus, viſibiliſque dæmon, Ate humana forma, & corpore veſtita, quam infinita ſceleratorum hoĩum agmina ſequentur, bellum pietati in toto terrarum orbe inferentes. Quibus præcipuè veram religionem, & qui eam ſanguine ſuo peperit, oppugnantibus, idem Rex viſibili præſentia cęlitus, legionibus Angelorum comitatus obuiam veniet, pios de manibus impii liberaturus. Quæ res qm̃ non minor erit, quàm vllum vnquam ab orbe condito facinus, imò maximum facinus, cęli ac terræ creatione, ipſoque primo aduentu Dei memorabilius, veniet.n. maieſtas, claritaſque Dei manifeſta, taliſque aderit Deus, qualem ac quantum eum cælites aſpiciunt, & qualem ratio ſæpe depingit, prædictum eſt, & decãtatum, ſic ab Hebræis Poetis, ſicut clariſſimè à Sibyllis, vt cum Erythræa dixit:

Hostes dei

Ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων:
Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοί τε ἄπιστοι
Ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο.
Cælitus adueniet Rex ſæclum æternus in omne,
Aſpicietque Deum credens, incredulus omnis
Celſum cum ſanctis ſupremo limite ſæcli.

Hanc ſublimem theologiam diuina oracula indefeſſe præcinunt, quod & ab Hebræis creditur, ſed peruerſo ſenſu, confundentes ſenſus oraculorum. Nam cum Meſſias mactaturus hoſtes, & pietatis euerſores dicitur, Romanos, & Chriſtianos hos ineptiſſimè interpretantur, cum apud hos præcipuo, ſublimique cultu Deus adoretur. Liberationem autem ſuam à Chriſtianis credunt, ipſum autem Antichriſtum, non vident fore illum quem ſibi fingunt Meſſiam. Qui quoniam verum Chriſtum, humilem, ſuauem, dulcem recipere noluerũt, meritò impium illum apoſtaſię principem propter ſigna, quæ faciet, reſpicient vbique cæci, & ſine iudicio. Quoſcũq; igitur Pſalmos Hebræi de Chriſto venturo tanquam iudice, liberatore, armato, bellicoſo, interpretantur, ſcias eo modo accipiendos, quo cecinit Erythræa Sibylla, ibique hoſtes, arma, prælia, cædes, piorum autem liberatio commemorantur. Nam totum pſalmum quadrageſimum ſextum, & ſeptimum de venturo Meſſia, & bellis gerendis contra Gog, & Magog exponunt Iudæi. Nam ibi dicitur, Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur in cor maris. Erythręa verò:

Pſal. 64.

Υ'ψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βυνῶν
Ι'σά τ' ὄρη πεδιοῖς ἔςαι, καὶ πάσα θαλασσα.

Aequabit valles, ſternet que à vertice colles,
Exiſtent que pares campis montes, mare que omne.

Hoc enim eſt, quòd montes transferentur in cor maris, omni terra complanata. Turbationem autem, tumultumque terræ, etiam Sibylla aperte prædixit:

Θρῆνος τ' ἐκ πάντων ἔςαι, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.

Luctus vbique, tremorque, & dentes ore ſonantes.

Hoſtes dei duplices. **Donec.** **Mat. 1. d.** **In æter. & vltra.**

Cum autem conueniant Hebræi ea prædici de Chriſto, & bello contra impios gerendo, Sibylla verò de Chriſto Ieſu ſit apertè (ex ea quæ dicitur ἀκροςιχὶς, cuius meminit etiam Tullius in libro de Diuinatione, in qua eſt, Ieſus Chriſtus filius Dei Seruator crux) vaticinata: certè liquet eundem etiam Hebræos ſi ſaperent, ſi alicuius iudicij eſſent, debere intelligere ex ſuis Pſalmis. Itaque Pſalmos Pſalmis exponentes, (nam & alibi eſt, Commoueatur à facie eius vniuerſa terra, quod Hebraicè per futurum dicitur, Commouebitur. loquitur autem de ſupremo aduentu) intelligimus ſimile quid etiam iſto Pſalmo prædici. Etiã Pſalmum quadrageſimum quintum, vbi ſunt hoſtes; arma, ſagittæ, de Rege Meſſia cuncta Hebræorum familia exponit: eadem profectò ſunt ſentienda hoc loco. Duo igitur inimicorum genera expoſuimus, non multum quidem ab inuicẽ abhorrentia. Iidem enim ſunt ſpiritus ſeparati improbi, atque corporibus adiuncti. Et ex profunda theologia à Prophetis vtroſq; prædici clarum eſt. Quod ergo ait, Donec ponam, rectè Græci docent, Donec, in ſanctis litteris non tempus definitum, ac præfixum deſignare, vt terminet tempus eius verbi cui adiungitur. Non.n.dicit, Sede à dextera mea, tantiſper, dum tibi hoſtes ſubiiciam, deinceps receſſurus. Sicut in Euangelio, Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, quaſi poſtea cognouerit. Sunt.n. Hebraici loquendi modi, deſignantes, & continuantes non interrumpentes aliquam actionem. Nam vox Hebraica עד had, quam noſtri transferunt Donec, deſignat etiam perpetuitatem: vt cum dicitur, In æternum, & vltra, va had. Duobusque verbis poſitis, ſedendi, & ponendi, non terminatur res ſedendi, à re ponẽdi, ſed fit inſignior. Tunc inquam maximè cognoſcetur ſediſſe, cum poſuerit inimicos ſub pedibus. Eſt & is ſenſus, ac ſi quis diceret, In cęlo viues, donec ſtabit regnum Dei. Et quod noſtri poetæ dicunt,

In freta dum fluuij current. Et
Donec erunt ignes, arcusque, Cupidinis arma:
Dum matutinos, prædicet lucifer ortus

Act. 3. d.

His æternitatem deſignant. Sic, donec ſubiecero tibi omnia, ſedebis ad dexteram. Vtrunque ait erit ęternum, & ſeſſio, & ſubiectio. Sedebis, & imperabis ſemper. Hoc ille dixit, hoc ſtatuit. Quod ſi iuxta Græcos, & Latinos intelligas ex apoſtolis accepto ſenſu, tunc maximè regnum Chriſti fore perſpicuum & clarum, cum deuicto pietatis euerſore Antichriſto, profligatis impiis, & expiatis ſceleribus ſolus Deus colatur, ſolus ametur, interea in regnis paternis agat, cum charo genitore, in ſinu eius, procul ab oculis mortalibus, erit & iſte ſenſus pulcherrimus. Videtur enim eſſe is Pſalmus, oraculum Sibyllæum de aduentu magni Dei, ſupremo tempore perſpiciendi à bonis, & à malis, vbi totus ab origine mundus aderit, mutabiturque rerum facies. Inter ea habet regnum cum patre, nunc non cognitus, ſed cognoſcendus Rex ſæculi futuri. Hoc enim præcipuè prædicitur. Hũc ſenſum diuus Paulus exhibuit. Oportet inquit, illum regnare, donec omnia ſubiiciat ſub pedibus eius. Et Petrus, Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium. Quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſæculo prophetarum. Hæc Petrus. Huic eſt ille quoque ſimilis ſenſus, quòd Dauid in ſpiritu præuiderit Chriſtum, antequam veniret in mundum, fuiſſe in regno patris, venturum poſtea, linquentem aurea regna patris, ad profligandos atrociſſimos hoſtes, abolendumque nefas, & quod dixit ille,

Solue catenatas inferni carceris vmbras,
Et reuoca ſurſum quicquid ad ima ruit.

Angelus magni cõſilij. **Scabellum**

Venientem autem à ſede Dei, veniſſe, vbi in æternum fuiſſet, ob poteſtatem autem à patre conceſſam, diabolicam poteſtatem ſuperaſſe. Ideo dixit pater, Donec ponam inimicos. Miſit enim ſuum illum ὕπαρχον, magiſtrum, qui hoc faceret. Qua de cauſa magni conſilii Angelus etiam eſt dictus. Scabellum autem pedum, perſpicua metaphora, deſignatur triumphator ſedens ſolio excelſo, ſubiectos conculcans hoſtes, deiectos è cœlo in terram, quæ in theologia ſcabellum Dei vocatur. Quod dæmonibus maximè conuenit. Ac pro ſcabello, eſt Græcè ὑποπόδιον, inuenuſtius apud Latinos quidam reddiderunt, ſubpedaneum, ſed ad intelligendum aptius.

Virgam virtutis tuę emittet Dñs ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorũ.

SI quos perturbet, & auertat à vero oraculorum ſenſu, ſermonis ſimilitudo, dum ea dicuntur, quæ ſunt mortalibus congrua: vt facilius de hoĩe quàm Deo, poſſint interpretari, recurrat ad ea, quæ ſine dubio, de Deo in Pſalmo dicta noſcãtur. Tunc horũ quoque ſenſum, ad ambigua illa, aut

A aut eorum ad hæc ſenſum conformabit. Siquidem cum is verſiculus de aliquo homine pronunciari videatur, is qui ſequitur de Deo proculdubio enuntiatus, redarguet, & cõprobabit, hæc quoque de Deo decere intelligi. Clariora erunt quidem quæ ſequentur, ex illiſque hæc illuſtrantur. Primum quod dixit, Virgam, Hebraicè eſt מטה matte. Tria à ſe non diſcrepantia notat. Virgam, ſceptrum, baculum. Primum poteſt referri ad germinationem, vt Virga Ieſſe floruit, vt hanc dicat de Sion pullulaturam. Secundum ad imperium, regiamq; maieſtatem, paſtoralem virgam, regendi, vt virga æquitatis, virga regni tui. Tertium ad cæſos, ac verberatos hoſtes, caſtigatoſq; malos. Sæpe in ſacris litteris, virgam, & baculum, verberationem, cædemque denotare videbis. Senſum autem Hebræorum reijcientes, quòd & à principio teſtimonia, rationeſque nobis oſtenderent, quo dicunt, quòd ædificata arce Sion, cœpit Dauid eſſe fortior, vt quaſi virgam, i. baculum, ſuſtentationes, firmitatem dederit ei Deus ex Sion, quæ dicta eſt arx Dauid, quòd dicit Rabi Dauid. Auen Eſra verò, quòd in Sion eſſet arca, & gloria Dei, inde Deum accipientem oblationes, & preces Dauid, miſſurum ei fortitudinem, ac robur è loco ſancto, loco forti. Salomon autem referens ad Abraham, quod feſſis militibus Abraham redeuntibus à cæde regum, & fame ſitiq; cõfectis, mittet Deus ex Sion Melchiſedek, qui portet panem & vinum, ſicq; virgam, i. robur, ſuſtentamentum. Hos, inquam, ſenſus palam ineptos, & non veridicos, reiicientes, veriorem proponamus, Græcorum, ac Latinorum, antiquorumque Hebræorum, qui hæc ad Chriſti imperium aduentumque ad homines, referentes, ex Sion in omnes gentes oſtendunt datam à patre, Chriſto famam, nomẽ, diuinitatem, præconibuſque eius virtutes omnigenas, miraculorum, ſignorum linguarum, curandarum ægritudinum, pellendorum dæmonum. Huic vulgatum fuiſſe imperium Chriſti, regiumque ſceptrum, maieſtatemque ſempiternam. Sion autem dicens, ipſam ſentit Hieruſalem, B vnde regnum Chriſti prius inuiſibile, æternaq; apud patrem ſeſſio, de qua ſuperius ſcripſit, cępit nobilis fieri, cognoſci, prædicari, in toto terrarum orbe reſonare. Inde vox illa, quaſi è media habitabili terra in omnes mundi partes ſeſe diffudit. Hinc Græci virgam, i. lignum virtutis aiunt etiam crucem ſentiri poſſe. Quid enim hoc ligno potentius, robuſtius, trophæum deuictorum dæmonum, ſignum profligatarum impiarum, fortiſſimarumque legionum, ſuperſtitionumque impiarum, quod princeps, & dux humani generis, hoſtibus illis truculentis ſuperatis, erexit? Hoc etiam ſceptro regio victi ſunt omnes, & humiliati Reges terreſtres, & religionis hoſtes. Tantaque fuit virtus, & poteſtas virgæ iſtius, ſceptrique, vt victus ſit eo, & proſtratus non modo totus viſibilis mundus, ſed occultiora etiam multoque & numero maiora, & animi feritate terribiliora monſtra inuiſibilium hoſtium. Et hac potẽti virga, caſtigata, cęſa, mactata, humi deiecta ſub ſcabellum Dei. Ac dicens, mittet virgam virtutis, pro Virture, eſt Græce iuxta Hebraicum δυνάμεως, poteſtatis, Hebraicè עז uz. Retulit quoque Mittet, ad ipſum patrem, à quo miſſus filius fuit, eoque magni cõſilij Angelus dictus. Qui autem miſit filium, miſit cum eo infinitam poteſtatem, æternam quidem antea, tunc autem viſam temporariam. A Deo monſtratur mitti filium cum robore, & poteſtate magna. Quod diuinè eloquitur in Panegyri Conſtantini Euſebius. Et quia placet profero: ἀρχιςρατηγὸν αὐτὸν, καὶ ἀρχιερέα μέγαν, προφήτην τε τοῦ πατρὸς, καὶ μεγάλης βουλῆς ἄγγελον, & reliqua. Imperatorem eum, magnumque pontificem, prophetam patris, & magni conſilij Angelum, luminiſque paterni ſplendorem, vnigenitum filium, cæteraque id genus theologorum voces conſonæ diuinitus appellant. Quem & viuens verbum, & legem, & ſapientiam, omniſque C boni copiam, genitor ipſe conſtituit. In his videmus quibus nominibus filius vocetur, & à patre cernimus omne eius imperium, ac gratiam exiſtere. Proprie enim, vt dixi, ac primo pater dicitur Deus. Sicut ergo dedit eum eſſe ſapientiam, legem, ſic miſit virgam virtutis eius, i. poteſtatis, roboris. Ingentem eius gloriam, ex Sion ſplendere, celebrari fecit.

Virga.

Sion Emittere.

Virtus.

Chriſtus. Imperat. Pontifex. Propheta.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum, genui te.

VOcum prius perplexitas euoluenda eſt, multa quidem, & mira hoc loco, propter nominum polyſemon, quæ alio modo tranſtulerunt Septuaginta, alio in Hebraico videntur reſonare. Quod igitur antiqui illi ſcripturarum ſacrarum in Græcum interpretes, dixerunt μετὰ σοῦ tecum, Hebraicum habet עמך ameka, populus tuus. Ratio varietatis fuit, quod, vt veris coniecturis, & teſtimoniis vbiq; probatur, dum illi ſcripturas interpretarentur, nondum extantibus notulis, quibus vice vocalium vtuntur Hebræi, poſt aduentum Chriſti, à ſapientibus Tyberiadis, iam lingua in deſuetudinem abeunte, repertis, effectum eſt, vt vna dictio, ſine ſubiectis notulis varia poſſet habere ſignificata, quę poſtea per notulas ſubiectas ſunt diſtincta. Euenit enim Hebræis, quemadmodum Gręcis, apud quos cum florente lingua accentus quemadmodum in Italica non notarentur: poſtea cęperunt à Grammaticis adijci dictionibus, vſu lingua iam veteraſcente. Sic quas notulas, ſiue puncta Hebræi nunc dicunt, apud Hieronymum, & Græcos explanatores, accentus appellatos, repertæ poſtea ſunt ad clariorem, ſecuramq; pronuntiationem, & repertæ ſunt in libris ſacris tantum, cęteris non item. Nam ſine notulis cętara leguntur. Neque illis difficile erat ſine notulis pronuntiare, ſicut & vſitatè accentus in lingua Italica, à nemine edocti, ſed à matribus cũ ſermone in faſcijs apprehendunt. Notulę igitur hæ nõ ſolum non tẽpeſtate

Tecum.

Septuaginta interpretes.

Lingua Hebræorũ Græcorũ.

Vt in Abraham. Vt in Immanuel.

Principiũ.

Virtus.

In ſplend.

Sãctorum.

Ex vte. an. luc. ge. te.

Pſal. 44.

Septuaginta, ſed nec Hieronymi adhuc extabant, apud quem ſicut apud Talmudiſtas nuſquam inuenies earum vllam commemorationem, & de litteris tamē eſt creberrimus ſermo. Ac, vt dixi, quod Hebræi nunc dicunt camez vel patah, i. colligens labia, vel aperiens, accentū inuenies apud Hieronymum, & Græcos vocari, diuerſitatemq; illam notularum, diuerſitatem accentuum illi dixiſſent. Varius igitur accentus, diuerſaq; notularū ſubſcriptio, hanc dictionem עם quæ nullis ſubſcripta notulis aut accentu pronuntiata, remanet anceps, diſtinguet. Atq; eam legerunt Septuag. imeka, i. tecum, nunc legitur ameka populus tuus, à ſimplici dictione עם ſonāte vel am, vel im. Primum ſignat populum, alterum eſt præpoſitio cum. Apud Chaldæum quoq; eſt iuxta hodiernam in Hebraico dictionem, populus tuus. Et Hieronymus legit, populi tui. Lectio tamen Septuaginta probabiliter defenditur. De qua re poſtea. Secunda dictio eſt Græcè ἀρχὴ, duoq; deſignat, principium, vel principatum, magiſtratum, nec recte eam intellexit Latinus interpres, dicendū enim fuerat, Tecum imperium vel principatus. Hebraicè eſt נדבות nadaboth, dictio & ipſa amphibola, deſignans principes, duces, tum voluntaria, ſpontanea. Ac cum ſit numerus multitudinis, & genus fœmineum, aut deſignabit voluntaria, inclinationes, voluntas, promptitudines, aut principatus, imperia. Potius tamen ſignat promptitudines, ſicut inferius Pſ. 119. ipſi Septuaginta tranſtulerunt ἑκούσια, vbi Hebraicè eſt, nedaboth. Hieronymus autem tranſtulit, populi tui duces, faciēs populi tui, caſum gignendi. Hebraicum vertendum opinor in Latinum, Populi tui promptitudines in die belli. Erūt, inquit, prompta, parata corda, cum bellum gerere volueris, populi tui. Sponte populus tuus veniet, animoq; propenſo te ſequentur. Quòd ſi lectionem Sept. defendere volueris, plane poteris. Tecum promptitudines, voluntates, aut magiſtratus totus, te duces ſequuntur, tota ἀρχὴ, totum regnum, totum imperium. Aut, penes te regnum eſt, tota multitudo, totum regni corpus. In te ſunt omnes prouinciæ, omnes magiſtratus, omnia gubernacula. Hæret tibi totum regnum, ex te pendent omnia in bello. Qui ſenſus idem fermè eſt, atque ſuperior. Sequuntur alia verba, In die virtutis tuæ. Pro Virtute, quod Latinus non rectè, Græcè iuxta Hebraicum eſt δυνάμεως, expeditionis, exercitus belli, Hebraicè חילך cheileka, quæ ſicut Græcum, & multitudinem coactam ad bellandum, & ipſum bellum deſignat, ſicut concio, conciliū, theatrū. Quodque dicit, In ſplendoribus ſanctorum, Hebraicum הדרים haderim, ſonat ſplendorem, gloriam, decora alta, inſignia, vt Confeſſionem, & decorem, induiſti, vbi eſt הדר hadar ſingulare, quod Sept. illic tranſtulerunt εὐπρέπειαν, decentiam, venuſtatem. Et pro ſanctorum, eſt kodesh, ſanctitatis. Eſtque Hebraiſmus, quo dicunt, linguam ſanctitatis, pro lingua ſancta, & locum ſanctitatis, pro loco ſancto. Sic nunc, In ſplendoribus ſanctis, gloria ſancta, ingenti gloria, & nitore. Omnia enim ſancta, ſunt magna, pretioſa. Sic ſplendores ſancti, magni decores, magni, glorioſi, nobileſq; triumphi, pompa glorioſa, glorioſus inceſſus. Dicitque oraculum: Populi tui prompti, in die belli venient, in ſplendoribus ſanctis, in claritate magna, & maieſtate. Venies legionibus tuorum angelorum, ciuiumque cęleſtium comitatus, flagrabunt lumine cuncta, admirabilis triumphus erit, maieſtas, nitor, gloria non explicabilis humana lingua. Hieronymus pro hadere legit harere, montes, vertens, In montibus ſanctis. Eſt enim magna ſimilitudo inter resh, & daleth. Poſſet & iſta lectio defendi, licet hodierna ſit clarior, apertior. Quodque ſequitur, Ex vtero ante luciferum genui te, Hebraica variant מרחם משחר לך טל ילדותך merechem, mishekar, leka, tal ialdutheka. Hæc verba, hoc propriè ſonāt: Ex vtero, vel vulua, ex aurora, tibi ros natiuitatis tuæ. Eſt aūt ſenſus iuxta plures Hebræorum, A vulua, à natali, & ab aurora, i. à luce illa, qua prodijſti, fuit ros natiuitatis tuæ, id eſt rore cęli, cęleſti gratia perfuſus fuiſti. A die qua natus es & conceptus, felici rore, ac benedictione præuentus fuiſti. Cęleſtium gratiarum vbertas in te deſcendit. Vulua, diem conceptionis deſignat, aurora diem natalem, Fuit, ait, ros natiuitatis tuæ, ex illa die. Ros enim ſcripturis, cęleſtē affluentiam, gratiamque deſignat: vt, Det tibi Deus de rore cęleſti. Ac Rabi Ieſua exponit hunc locum, à vulua matris tuæ paratus fuiſti vt eſſes rex. Abraham vero obſcuriorem ſenſum. Si inquit, ibis in bellum, ſequentur te populi, ſicut pluuia nedaboth, voluntaria, deſiderata, expetita, videbiſque eos in ſplendoribus ſanctis, à vulua, ab aurora, id eſt cum primum roſeos crines aurora reſoluit, cum quaſi ex vulua, foras prodit aurora. Præſto citi aderunt, ſicut ros quem tu mane à iuuentute tua, cum eſſes paſtor, videre ſolitus eras. Qui ſenſus prorſus reijciendus eſt. Rabi autem Salomon exponens ialdutheka, iuuentutem tuam, licet ſonet natalem tuū, dat hunc ſenſum. Splēdores enim ſanctos interpretatur futuros de ſtirpe Abraham, de quo vult eſſe hunc pſalmum, qui cognoſcant creatorem ſuum. Eoſque & ſplendores ſanctos, & rorem iuuentutis, Abrahæ, quaſi in iuuentute procreatos exponit. Dat alios ſenſus, vt ros adoleſcentię Abraham ſit probitas, æquitas. Et in iuuentute, aut natiuitate eius rorem, ſuauitatem, dulcedinem futuram. Sed cum veterum Hebræorum autoritate pſalmum de Meſſia editum oſtenderimus, claret ſuperiores eorum ſenſus ab animo fundentis oracula longius abire. Verior igitur ſenſus vnus erat, quem ſuperius propoſuimus. Sicut enim in pſalmo 45. quem huic prorſus ſimilem diligens veri ſcrutator inueniet, Effuſio gratiæ in labiis, diuina, perennis benedictio, pulchritudo, fortitudo, felicitas, Meſſiæ tribuuntur: ſic ſub nomine roris, omnes gratiæ, omnes virtutes dicuntur hic in eum, antequam conceptus, & partus eſſet, profuſæ. Et ſicut dixit de eo Eſaias tanquam homine nato, Et replebit eum ſpiritu timoris Domini, ſpiritu ſcientiæ, ſapientiæ, & intellectus, ſpiritu fortitudinis.

A Hæcq; omnia, quæ habuit ab æterno, tanquam homini dantur à Prophetis, ſic à Pſalmo, ab exortu, à conceptu, à natali dicitur rore cęleſti conſperſus. Duoq; ſunt aduertenda. Aut enim dantur hæc Deo veluti homini tropicῶs, parabolicῶs, ſicut arma, ſagittæ, ira, pœnitentia, dolores, odor, nares, manus, pedes, digiti: nunc vulua materna, conceptus, partus, gratia cęlitus demiſſa. Aut de humanitate, eſt ſermo, ſicut antè de diuinitate, Sede à dextris meis. Et ſicut in pſalmo præſtrato, ſæpe, de diuinitate, nonnunquam eo ſtatu, quo apud homines fuit, oracula concinunt: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi. Natiuitas enim illa diuinior, & ſatus æternus, ſæpe ſolet à Prophetis, ſermone, & tropo, humano naſcendi modo, tradi, appoſitis tamen his, quæ diuinitatem teſtentur. Nam etiam thronus, ſolium, & ſeſſio figuratè tribuitur, redundatq; tropis, vberrimèq; ſcatet ſermo Hebraicus, non minus quàm poeſis Homeri, tropis inhoneſtis, & Deo indignis exemplis. Sept. verò qui præpoſitionem Hebraicam, mi, deſignantem, ex, ab, ſecundo loco tranſtulerunt πρὸ, ante non ſine ratione, nec procul à conſuetudine ſermonis Hebraici fecerũt. Siquidem & Rabi Moſes Ha Darſan à principio, quod hic dicitur, Ex vtero, vel ab vtero, ex aurora, vel ab aurora expoſuit. Codem id eſt ante vterum, ante auroram, ac vult pſalmum dixiſſe Ante vterum conceptionis tuæ, ante auroram, vel diem natalem tuum, fuit ros natiuitatis tuæ. ergo dicerem, Erat affluentiſſima diuinitas tua erat natiuitas tua æterna, & ros illius æterni natalis. Antequam naſcereris, fuiſti, adeoque fuiſti, vt fueris etiam ante Solem, & Lunam, ante auroram. Ideo dicebat idem de ſuo æterno eſſe, Amen amen dico vobis antequam Abraham fieret, ego ſum. Et à Græcis theologis dicitur τὸ ὂν ἀϊδιότητος δηλωτικόν. Hoc nomen, qui eſt, ſonare æternitatem. Ac præpoſitionem, mi denotare ante, apparet ex ipſo ſermone. Deſignat enim præ. Et Hebræi cùm comparationes formant, dicunt. Iſte bonus præ illo, iſte ſapiens præ illo: quod deſignat ante illum. Sic nunc, Ex vtero, ex aurora, quaſi præ vtero, præ aurora, tibi ros natiuitatis tuæ. Ac natiuitatem, ſicut generationem æternam intelliges, vt vbique noſtri intelligunt. Vt enim eſt æternè genitus, ſic natus æternè. Hæc æternitas apertè deſignatur, quando tẽpori præfertur, & cum eo comparatur. Id enim quod fuit ante tempus, fuit ὁ αἰὼν æuum, æternitas. Tempus autem cœpit eſſe, quando cœlum eſt creatum, quando Sol, Luna, aurora. Cùm ergo de eo loquuntur oracula, quòd fuit ante Solem, ante auroram, ſentiunt æternitatem. Sic ros natiuitatis ante vterum virgineum, quando erat ἀμήτωρ, ſine matre, ante auroram declarat, tum aliam natiuitatem, quàm vteri materni, tum eam ante tempus. Si ante tempus, id eſt, Solem, auroram, vtique in æternitate. Itaque hac ratione efficitur, vt quod priſci Hebræi, qui ſcripturas Hebraicas, Græcas. fecerunt, tranſtulerunt, habeat eundem ſenſum, atque eum, quem modo diximus. Nam quod illi dixerunt, ἐγέννησά σε. Genui te: quod Deus ipſe pater loquitur, eſt idem, quo declarauimus, per aliam perſonam, & per nomen verbale, non per verbum, Ros natiuitatis tuæ, ante vterum, ante Auroram. Vterum autem tranſtulerunt illi, quod Hebraicè eſt vulua, matrix, honeſtius illi. Nec mirum, ſi & vterum fœmineum, & generationem maſculam tribuit Deo. Nam tum hæc in Deo non ſunt humana membra, tum habet diuinitus vim vtranq;. Ideo Mercurius Triſmegiſtus maximus theologus, loquens de hac ipſa æterna natiuitate, & generatione, patrem dicit habuiſſe vim maſculi, & fœminæ, ὁ δὲ θεὸς ἀρρενόθηλυς ὢν ἀπεκύησε τὸν λόγον. Deus, inquit, cùm maris, & fœminæ vim haberet, peperit verbum. Eadem eſt hæc theologia, antiqua, veneranda, ſacroſancta. Quare autem Septuag. per verbum dixerint, Genui te, quod nunc eſt per nomen, fuit ſimilitudo lectionis. Nam ſi dixeris, Genui te, dices, ſicut eſt in ſecundo Pſalmo ילדתיך ielidthica. Si dixeris natiuitas tua ילדותך ialedutheca. Eſtque hoc loco notula Hebraica, quæ monet poſſe legi ילדתך quæ ſi non ſubnotetur punctis, deſignabit, Genui te, eritque eadem dictio, atque ſecundi Pſalmi. Eaque fuit antiqua lectio. Idem ergo erit, Tibi ros, id eſt felicitas, benedictio natiuitatis tuæ, ante vterum maternum, ante auroram, & Solem. Ac, Ex vtero paterno, ante Luciferum, qui Hebraicè ſhacar, idem & Aurora, Genui te. Eſt itẽ ſimilis quorundam veterum Hebræorum obſeruanda, quam Nicolaus adducit, interpretatio. Rabi Barachias in Geneſi cùm, vt mos Hebręorum eſt, afferret locum è lamentationibus Hieremiæ vbi dicitur, Pupilli, vel orphani facti ſumus abſque patre, Deus ſanctus, ac benedictus dicit Iſraeli, Vos dicitis eſſe vos orphanos ſine patre: at redemptor quem ex vobis ſuſcitabo, abſq; patre erit, ſicut ſcriptum eſt, De matrice Auroræ, tibi ros infantiæ tuæ. Quem locum Nicolaus ita vertens non ſonabit, quod Hebræus ille ſentiebat, Vertendus ex Hebraico ſic erat, De matrice Auroræ, tibi ros natiuitatis tuę. Videtur aut ille locum iſtum audiſſe à maioribus eſſe de Meſſia, cuius mater quaſi Aurora ἑωσφόρος, Lucifer, vt vertunt Sept. eſſet vocata, quaſi ſtella matutina, ſidus flagrantiſſimum, quaſi Aurea Dea, aſtrum radiantiſſimum, ſicut & Solem Chriſtum appellat theologia, ex hac creandum Meſſiam. Ideo autem ſine patre, quia tum ſola mater nominetur, tum ea dicatur Lucifer, quaſi virgo ſacrata, incorrupta, intemerata, qua omnis mortalis eſſet indignus. Videbant enim antiqui illi fieri non poſſe, vt Meſſias, quem tam inclytum vaticinantur oracula, haberet mortalem patrem. Maior enim pater eo fuiſſet, at omni homine maiorem Meſſiam fore prædicabatur. Ecce & iſtud teſtimonium Hebræorum, Pſalmum eſſe de Meſſia. Expoſita igitur lectione Hebraica, reuertor ad Græcam, ſenſuſque Græcorum, ac Latinorum, quos videbis cùm Hebræorum antiquorum ſenſu eſſe concordes. Nam, vt dixi, recentium non eſt multi facienda

Ante.

Vt erus.

Genui te.

Lucifer.

cienda imperita malitia, iam Iudaica pertinacia, & odio in Chriſtum inualeſcente, prognata. Cæteri igitur Græciæ interpretes, hunc verſum iuxta Hebraicum, varia quidem tralatione conuerterunt in Græcum, ſed ſenſu eodem. Hiero. ſecutus Symmachum dixit, Populi tui duces. Quod verò tranſtulerunt Sept. Tecum principium, Græci exponunt, tum de primo aduentu, tum de ſecundo. Diem autem δυνάμεως, virtutis, poteſtatis, præclarum, ſalutiferumque exortum, aut aduentum gloriæ magni Dei, cùm reformabit corpus humilitatis noſtræ. Tunc in die illo, erit cum eo ἀρχὴ, principatus, poteſtas, regnum, totum imperium, tota gloria, quam etiam habuit in primo aduentu. In ſplendoribus ſanctorum, ſolus Symmachus, quem Hieron. eſt ſecutus, legit non hadre, ſplendores, ſed hatre, montes, reddens ἐν ὄρεσιν ἁγίοις, in montibus ſanctis. Vtraque lectio, vt dixi, ſtare poteſt. Cæteri non montes, ſed ſplendores, legerunt. Nam Aquilas ἐν διαπρεπείαις ἡγιασμέναις, in venuſtatibus ſanctis, dicens venuſtates, quod Sept. Splendores, quod idem pollet: clarius quiddam illud Aquilæ. Splendores aũt ſanctos, tum Apoſtolus tũ optimos quoſq; interpretãtur Chry. & Cyrillus, quãdo fulſerunt, fulgebantq; magis ſancti ſicut Sol, & ſydera. Theodotio ſimiliter, & quinta editio, ἐν εὐπρεπείᾳ ἁγίων, in venuſtate ſanctorum. Eodem ſenſu, ſed clarius, dixit ſexta ἐν δόξῃ ἁγίων, in gloria ſanctorum. Quæ omnia à Latinis, & Græcis, vt dixi, ad vtranq; gloriam vtriuſq; aduentus referuntur. Quod autem vulgata editio dixit, Ex vtero ante Luciferum genui te: Aquilas iuxta ea, quæ ſuperius declarauimus, ἀπὸ μήτρας ἐξωρθρισμένης σοι δρόσος παιδιότητός, à matrice, vel vulua matutina, tibi ros pueritiæ tuæ: Symmachus, ἐκ μήτρας ἀπὸ ὄρθρου σοι δρόσος νεότητος, à matrice, ab aurora tibi ros iuuentutis. Quod Hierony. ſecutus, De vulua orietur tibi ros adoleſcentiæ tuę. Sed cùm ſuperius declarauerimus verum eorum ſenſum, non adiiciemus alia. Diem virtutis, quando eſt exercitus dæmonum, Græci dicunt, ſi diem ſupremæ expeditionis contra ſceleraros, ipſumque impiorum principem Antichriſtum dixeris, idem erit ſenſus. Idem Rex, eadem arma, iidem hoſtes, licet non idem tempus. Hoc ergo verſu, tum principatus Chriſti, & regnum, maieſtasque ſupra omnes, & iudicandi altiſſimum, profligandorumq; hoſtium munus, tum eius æterni natales, cum quibus hæret iſta maieſtas, poteſtas, canuntur, aſſententibus etiam antiquis Hebræis.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchizedech.

Sacerdos.

Melchiſedech.

Sacerdotiũ Melchiſedech.

Secũdum ordinem.

In ęternũ.

HAec, vt dixi, recentiores Hebræi, ſecuti ſuos Midrashim, alij referunt in Abraham, alij in Dauid, magis autem in Dauid. Sacerdotem autem æternum Dauid dicunt propter Saul, qui non ſemper fuerit. Et Sacerdotem, Regem, & principem exponunt: ſicut dicuntur filij Dauid fuiſſe ſacerdotes, id eſt, feciſſe eos patrem principes, & maiores. In Melchiſedek duos ſenſus adhibent, vt redundet Iod, remaneat Melekzedeck, Rex iuſtus, vt dicat, Tu es ſacerdos ſemper, ſecundum verbum, aut conſuetudinem Regis iuſti, aut propter Regem iuſtum. Hoc eſt, Quia Rex iuſtus es, aut ſicut Melchizedek iurauit Dominus, te Regem ſempiternum facere, vel ſecundum Melchizedek, ſicut Melchizedek facere te ſacerdotem, qui fertur ſacerdos Altiſſimi fuiſſe. At Rabi Salomon exponens de Abraham, ait eum timuiſſe, ne pœnas lueret, quòd tantam hominum cędem in bello feciſſet, tunc ei Deum dixiſſe ne timeret, neque enim ablaturum bonum, quod promiſiſſet. Sacerdotes autem de ſtirpe eius futuros, & Reges, hocque ei oraculum promittere. Vbi autem exponit de Dauid, Iurauit inquit regnum tuum fore ſempiternum: de ſacerdotio vero exponit. Et quod vnquam, inquit, ex omnibus ſacerdotiis fuit maius, ſacerdotio Melchizedek? Hoc enim fuit regnum, ſacerdotium eius regium, idem Rex & ſacerdos. Deinde, quoniam vbi dicitur, Secundum ordinem Melchizedek, Hebraicè eſt עלאדברתי ſuper ordinem, ſuper morem Melchizedek, locum exponit. Iurauit Dñs fore regnum tuum ſempiternum, etiam ſupra regnum, id eſt maius, nobilius quàm regnum Melchiſedech, vt nulla ſit ratio cum regno Iſrael, & illius. Hęc Salomon. Nos igitur accipientes eorum litteralem interpretationem, ſed in illum referentes, in quem totum Pſalmum antiquiores Hebręi retulerunt, eos in cæteris, aut veluti ſine mente loquentes, deſeremus, aut rationibus reuincemus. Apparet enim, niſi detorquere à recto verba coneris, hæc de vllo mortali dici non potuiſſe. Aeternum enim imperium non poteſt eſſe in homine. Et Dauid, aut Abraham nunquam ſacerdotes fuiſſe memorantur. Neque verò extorquendum eſt, vt ſacerdotem interpreteris principem tantum: proponit enim exemplum de Melchiſedech, qui non ſolùm Rex, ſed etiam ſacerdos dicitur fuiſſe. Quod neque Dauid habuit, qui Rex tantùm fuit, non etiam ſacerdos, neque Abraham, qui neutrum, nec Rex, nec ſacerdos. Verſare autem adeò ſcripturas, vt dicas aut ſacerdotes de ſtirpe futuros, aut quia Rex iuſtus eſſet, eſt eorum qui veritatem refugientes, omnia diuerticula ſolicitè ſcrutantur. Sed horum expreſſam obſcuritatem poſt habentes, veriora ex ipſis Hebræis proponamus, quod recentiores de Dauid iuxta ſuperiores ſenſus, de Meſſia intelligentes. Quod, vt dixi, apparet hic ex editione Chaldaica, quæ habet, Statuit Dominus, & non reuocabit דאנתי מתמני לרבא לעלמא דאת De anthe, mithmane, le rabba, le alma de ath, id eſt. Quòd ordinatus vel præfectus ſis, vel ordinaberis, præficierisq; in principem ſæculi futuri. Principio, æternitatem, & quod in Hebręo dicitur leolam, id eſt, in ſæculum, interpretatur ſęculum futurum.

Sacerdos ſecundum Melchiſedech.

Anius.

futurum. Deinde quem Hebraicum dixiſſet ſacerdotem, ille principem tranſtulit, & quem Melchiſedech, ipſe Regem iuſtum. Ex quo etiam Rabi Salomone teſte, intelligimus hoc ſacerdotiū ſecundum Melchiſedech eſſe proprie regnum, imperium, quod Melchiſedech fuerit ſacerdos, & Rex Hieruſalem, quæ prius dicebatur Salem: vt qui eſt ſacerdos, ſecundum rationem qua fuit Melchiſedech, habeat regale ſacerdotium, qualis eſt, ſi parua licet componere magnis, ſummus ſacerdos Chriſtianorum, qui idem & Rex eſt, tripliciq; corona redimitur. Cæteri Reges venerantur, parentque ei, cuiuſmodi apud gentes, fuerunt Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique ſacerdos. Is eſt vnus ſenſus, de ſacerdotio ſecundum rationem Melchiſedech. Eſt, vt vidimus, alius, vt Melchiſedech non ſit nomen proprium illius ſacerdotis, & Regis, ſed duæ appellationes, Rex & Iuſtitia. Nā Melceh Hebraicè, Rex, Zedech, Iuſtitia, vt ſi detraxeris iod, vt Hebræi monebant, remaneat Melechzedech, Rex iuſtus. Tūc erit ſenſus, Tu es ſacerdos in æternum, quia Rex iuſtus. Nam quod Sept. tranſtulerunt κατὰ τὴν τάξιν, ſecundum ordinem, Hebraicè eſt על דברתי al dibrathi, id eſt, propterea, quòd etiam ſecundum ordinem, vel morem deſignat. Hunc ſenſum etiam Chaldæus eſt ſecutus dicens, Princeps futuri ſęculi, propter זכותא probitatem, innocentiam vel morem, quia fuiſti מלך זכי melekzacai, Rex probus, integer, incorruptus. Sicque vterq; eſt probandus, & vterque à noſtris propè recipitur, vt ſit Chriſtus, Rex & ſacerdos: aut quia Rex iuſtus, id eſt, quòd regnum eius, & ſacerdotium eſt ſempiternum, eſt iuſtiſſimum. Dicitur enim, vt ſuperius vidimus, in omni philoſophia, filius ille Dei, Rex mundi, dicitur σοφία νοῦς, propter res ſapientiſſimè creatas. Dicitur autem νόμος, lex, quia diſtribuit, gubernat, regit, ſuſtinet, res naturales, & humanas. Iuxta quam certam ſcientiam antiquiſſimi Hebræorum vates dixerunt de eodem, Et erit iuſtitia cingulum renum eius. Et Pſalmus, quem ſine controuerſia, de Meſſia intelligunt Hebræi, Virga æquitatis virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Et cùm ait, Procede, equita ſuper verbo veritatis, & manſueta iuſtitia, quaſi currum eius, & equos, vt ibi fuit declaratum, caneret eſſe veritatem, & iuſtitiam. Vt autem ſimilitudinem oraculorum agnoſcas & ex alio loco, quem de Meſſia non negant Hebræi, præſentem perſpicias, ſicut in illo Pſalmo dę ipſo Meſſia dicitur, Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, & benedixit in æternum: ſic in iſto dixit Chaldæus interpres, Iurauit Dominus, pręficere te Regem ſempiternum, ſæculi futuri quia fuiſti Rex iuſtus, coluiſti iuſtitiam, iniquitatem es omni odio proſequutus, perfuſus hac gratia, ob id te Deus in æternum regno & bonis ſuis dotauit. Hic autem quoniam iuſtus es, iurauit Deus, te fore ſacerdotem ſempiternum. Illic vngitur, hic eſt ſacerdos: ſacerdotes autem, & Reges vngebantur. Et Apoſtoli dicebant: Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum IESVM, quem vnxiſti illic in æternum benedicitur, hic fit ſacerdos, & Rex ſempiternus. Illic ſæpe dicitur Rex, dicitur ſolium eius ſempiternū, hic ſempiternus ſacerdos, à Chaldæo princeps ſempiternus, aut mundi futuri, qui ſempiternus erit, nunquam, vt iſte mutandus. Illum Pſalmum ſine vlla diſcordia Hebræi de Meſſia recipiunt, cur non & iſtum, cùm ſit eadem phraſis idē dicendi modus, eadem oratio, eędem dictiones, eadem philoſophia, vt de eodem expreſsè dicāt? Is igitur ſenſus quem etiam ab Hebræis mutuamur, Tu es ſacerdos in æternum, quia Rex iuſtus à noſtris approbatur, qui ſciebant Melchizedech ſonare Rex iuſtus, vt ſacerdotium ſecundum Melchizedech, ſit ſacerdotium regium, tum ſacerdotium iuſtitię. Tria enim hic ſunt Sacerdos, Rex, iuſtitia. Eadem, vt dixi, in præmonſtrato Pſalmo, eſt enim vnctio oleo lætitiæ, eſt Rex abſolutè, eſt ſceptrum ęquiſſimum. Prior autem ſenſus, ſi rectè penſites, idem eſt cum iſto. Nam Melchizedech, fuit ſacerdos, & Rex optimus, iuſtiſſimus, cuius ſacrę litterę nomen poſteritati traderent, vt qui eſt ſacerdos ſicut fuit Melchizedech, ſit iuſtiſſimus, ſit ſacerdos Dei altiſſimi. Interius autem penetrantes, ſecretiores quoſdam ſenſus inueniemus. Primum ſępe demonſtrauimus duos illos in diuinitate celebres, notos etiam priſcis ſæculis. Hoc myſterium ad humanos ſenſus nunquam venire potuiſſet, niſi idem ille reuelaſſet. Quod, & Gręci admirati obſtupuerunt. At hęc, inquit Euſebius, in oratione regia, quomodo mortales noſſe potuerunt, quę aures capere, & tradere aliis, quę lingua carnea, à carne, & corporibus aliena loqui? Quis ignotum Regem intuitus, has in eo nouit virtutes? Fuit igitur horum vnus interpres, qui per omnia commeat, verbum Dei. Solus quidem ad paternam deitatem adhęrens, ſed ab ſe creatis, patris affluentias laxans. Hinc omnibus hominibus Gręcis, & barbaris venit ſapientia. Hęc & id genus Euſebius admiratus cum multis illius temporis theologis, & ipſe, ea quę tam multa, vt paulo antè ex Platone citauimus, apud Gręcos, & exteras nationes de duobus patre & prole inuenirentur. Nouimus igitur ipſo apertè, qui prius obſcurè, reuelante, illum eſſe quidem Deum, rerum corporearum & incorporearum creatorem, ſed habere alterum ſe maiorem, genitorem ſuum, cuius ipſe ſimillimus eſſet, à quo ſubſtantiam, & diuinitatem, poteſtatemque creandi, autoritatemque regendi acceperit. Neſas enim eſſe, licet humanè dicatur, diceret Philon, vt pater altiſſimus veniret in mundum ad res corporeas, voluiſſe filium dilectum ſuum eſſe ſibi tanquam παρχον, magiſtratum, Angelum. Ideo in antiquis oraculis dicitur Rex à Deo conſtitutus, vnctus in Regem, factus ſacerdos Dei altiſſimi. Rex quidem vt cui rerum ſuprema poteſtas conceſſa: ſacerdos, quia vt Dionyſius ſupremus theologorum tradit, genus humanum cœleſtibus myſteriis

Chriſtus Rex. Sacerdos.

ſteriis initiauit. Ob id vocatus in theologia μυςαγωγὸς, τελέταρχος, ſacrorum, initiationumq; princeps, ducens ad myſteria, ad ſacra, myſterijs imbuens. Hæc myſteria, & initiatio fuit altiſſima illa ſapientia, & cognitio patris ſui, quam detulit ipſe de cœlo. Tum conſecratio generis humani, cùm ſceleribus expiatos nos in gratiam cum altiſſimo patre ſuo redire fecit, & ſacros ad eum reduxit. In quo quidem ſacrificium inclytum, regium, nobiliſſimum, ſtupendum, & preces interceſſerunt, quibus ſacerdotes vtentes inter Deum, & homines ſunt ſequeſtri. Hunc magnificum, veridicumque ſenſum non arbitror Hebræos, præcipuè recentiores vidiſſe. Græci prudentiſſimè, & ſimili ferè ſenſu eum fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchizedech, quia ſimiliter atque ille Abrahæ, obtulerit panem, & vinum Apoſtolis, & in eis, cunctis hominibus. Idque ſacrificium altiſſimi fuiſſe, cùm ſublatis oculis in cęlum benedixit. Ipſe quoque dicebat. Caro mea verè eſt cibus, quod Hebraicè eum dixiſſe arbitror, Caro mea vere eſt lechem, ideſt Panis. panis. Nam panem omnem cibum appellant Hebræi, ſicut Gręcè σῖτος, & Latinè eſt panis à paſcendo. Expreſsè igitur ipſe, ſuam carnem, panem dixit. Hanc obtulit, hanc ſacrificauit, ſicut Melchizedech. Et, Hic eſt panis qui de cęlo deſcendit. Et, Panis quem ego dabo. Ideo ſicut hoc tempore, ſic illo non capiebat obtuſa mens Hebræorum, quomodo poſſet dare carnem ſuam ad manducandum: nunc non capiunt, quomodo Meſſias ſit ſacerdos offerens, & conſecrans panem, & vinum, ſicut Melchizedech. Is eſt etiam ſenſus Latinorum. Græci addunt, quòd ſicut Melchizedech eſt ἀγενεαλόγητος, nuſquam eius traditur generatio: ſic natiuitas Chriſti caruit principio. Iuramenti autem ratio, eadem eſt, atque dicendi, Sicut dixit vt ſederet, ſic iurauit, θεοπρεπῶς intelligas omnia, validaque eſt aſſertio. Dixerat ſuperius, vt ſederet, nunc iurauit Iurauit. ſuper æterno regno, & ſacerdotio. Ac, vt ait Philon, Deus iurat per ſeipſum, quia non habet maiorem. Iurauit hic per ſeipſum. Sæpeque in ſacris litteris inducitur iuraſſe. Quod autem di- Pœnit. xit, Et non pęnitebit, expreſſa ratio, de Dauid hæc dicta eſſe, non poſſe, quandoquidem Deum 3.Reg.11. pęnituit ſempiternum regnum ei tradidiſſe, pœnitenſq; abſtulit. Et Chaldæum audiſti quomodo pęnitere in Deo tranſtulerit, nimirum reuocare ſententiam.

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges.

HEbræi, ſuperiores illos ſuos ſenſus retinentes hæc tum ad bella Abraham, tum ad bella Dauid referunt, vt dicat Deum fuiſſe defenſorem, protectorem, & aſſiſtentem Abrahæ, bellum contra quatuor Reges gerenti. Aut protexiſſe Dauid, contra gentes, regeſq; pugnantem. Ac Hebraicè dicitur, Dominus עלימינך aliemineka, ſuper dextera tua. Præpoſitio Super ſonat etiam prope, iuxta, vt dicat, Prope dexteram tuam, iuxta latus tuum. Dominus iux- A dextris. ta te pugnantem erit, dextera, læuaque proſternens hoſtes. Alij dicunt, vt Rabi Dauid, Super dextera tua, Dominus erit ſuper brachio tuo, ipſum corroborans, indefatigabile reddens, ſolidans, robuſtum efficiens. Senſus igitur Hebręorum reiicientes, iuxta ſuperiora hæc quoque intelligamus. Duo enim de Meſſia canunt ſemper oracula, iuſtum eum, manſuetum, pacis, & æqui amantem, iuducentia, parte alia belligerum, armatum, cum inimicis depugnantem. Quod, vt Cōfregit. ſępe diximus, duo reſpicit, tum hoſtes illos inuiſibiles, tum ſupremum diem, bellaque horrida cum impiis, quando cateruas impiorum, certis, vt Græci dicunt, ſuppliciis deputabit. Ac nos in noſtra lingua, quod Hebræi in ſua dicunt interficere, confringere, diceremus iudicare. Sicut quod ait Eſaias, Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Nos hanc locutionem omittentes, diceremus, Iudicabit impium, ad magna ſupplicia deputabit. Eſt tamen pulcherrima tralatio, dare cędem ori, pręcipuè ori ſacro, altiloquo, iudicanti, grauiſſimas ſententias proferenti, ſententias veridicas, cum quibus ſequitur executio, vt dicta ſint tanquam facta. Eſaias etiã de eodem dixit, Et percutiet terram virga oris, quo mortiferę ſententiæ lætiferumque iudicium oſtenditur. Illumq; locum Hebræi, & Chaldæus de Meſſia citra controuerſiam interpretantur. Cur & hic ſimilem ſermonem non agnoſcunt? Itaque apertè aſſentientibus Græcis prædicitur hoc oraculo, ſupremæ diei bellum, & iudicium, quando,

Ductores ante ſeueri
Iudicis ora trement, pauidoſque aſtare tyrannos,
Cernemus, ſcelerumque omnes immania pendent
Supplicia, aſt alios ſtellantibus inferet aulis.

Prędiciturq; apertè quod à Sibyllis quoq; eſt decantatum, hunc Regem, de quo tot, tantaq; oracula canuntur, venturum aliqñ cum tota regni ſui maieſtate, tanquam iudicem, formidabilemq; dictatorem, reges terreſtres maximum omnium regum euertentem, à cuius conſpectu fugere omnes latebras quærentes, conabuntur. Nam Erythræa non ſecus, atque hoc carmen clare

Ἥξουσι δ' ἐπὶ βήματος θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
Cuncti aderunt Reges diuinum ante tribunal.

Sic quod Hebræus vates dixit de cæde regum, & iudicio, Sibylla quod ante tribunal iudicandi reges adducentur. Hæc enim erit eorum cædes. Ideo vocatur dies ille dies furoris, dies iræ. Quod & Sibylla prædixit apertè, canens ad alia furoris, & iræ indicia fore.

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει
Ὠρύουσα τὸ μέλλων, καὶ δὴ πύματα κόσμου.
Luctificasque tuba ingeminabit ab æthere voces,
Exululans ventura mala, ſupremaque ſecla.

Hæc erit confractio, mactatio, concuſſio pręcipuè regum. Venite, inquit Ioannes in Reuelatione, congregamini aues cœli ad deuorandas carnes principum, ac regum. Quod autem tribuit hoc Deo, vt Deus, qui à dextris eius erit, confringat, ſecundum illam, quam ſæpe dixi, ſcientiam locutus eſt, & vt Apoſtoli loquebãtur, IESVM Nazarenum virum approbatum à Deo in omnibus virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quę fecit Deus per illum in medio veſtri. Hæc Petrus ad plebem. Sicut Deus fecit per illum ſigna, & ſicut fuit vir approbatus à Deo, ſic per eum in die furoris ſui, proſternet, confringet, delebitque reges. Et de eo Petrus voluit alio in Pſalmo dixiſſe Dauid, Quoniam à dexteris eſt mihi, ne commouear. En nunc à dextris fore dicitur ei Dominus. Quæ locutio eſt hæc, vt ſi IESVS erat Deus, Dei filius, ſicut ipſi nos docuerunt, dicere eum virum approbatum à Deo quaſi de mortali aliquo hoc dicerent? Sic locuti ſunt etiam Prophetæ, ijdemq; Apoſtoli dixerunt, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus pattũ noſtrorũ, glorificauit filium ſuum IESVM, quem Deus ſuſcitauit à mortuis. Et, Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſum ſanctum puerum tuum IESVM, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus. Quibus locutionibus ipſe etiam IESVS Chriſtus vſus eſt, tribuens omnia patri ſuo Deo, cuius eſt propriè, & primo diuinitas. Hoc loquendi genus ludificat cum primis imperitos Hebræos, putantes Meſſiam fore merum hominem, videntes eum in Pſalmis, & Scripturis ſæpe tanquam hominem, tanquam ſubditum, obſequentemque Deo, mandatisq; eius parentem, introduci. Arreptaq; hac opinione, teſtimonia de diuinitate eius, omnibus modis deprauant. At Apoſtoli ijdem doctiſſimi Hebræorum, vt à ſpiritu diuino edocti, antea idiotæ, litterarumq; imperi- i, vtrunq;, ſicut & priores Prophetæ in eo intellexerunt, & tradiderunt nobis. Tradiderunt, inquam, altiſſimam quandam, arcanamq; ſapientiam, eſſe in diuinitate duos, alterum patrem, magnũ, priorem, alterũ ab illo cuncta nanciſcentem. Loquebantur Prophetæ Meſſiam eſſe tanquã hoiem, confirmatum à Deo in bello, dante ei vim, & poteſtatẽ, imperium, & pro eo depugnante. Parte alia apud eos audis, Ego hodie genui te. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, Ante luciferum genui te. Omnia melius ab antiquioribus Hebræis, quàm poſterioribus cognita. Chaldęus ergo hoc loco dixit שכינתא shekintha, diuinitas, maieſtas Domini à dextera tua eſt. Sicut ipſe dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas. Hac data poteſtate, & maieſtate reges confringet, præcipueq; regum impiorum principem humani generis monſtrum Antichriſtum, totaque ab origine mundi regum, ac principum ſeriem iudicabit, vt qui iudicat reges, ſit ipſe rex regum, ſuper quem cõ- inebunt reges os ſuum. Gentes eum, & populi deprecabuntur. Prædici autem futura, locutionibus rerum præteritarum, etiam Hebræi confitentur.

Diuinitus.

Præterita. pro futur.

udicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.

ECce quod ſuperius erat per præteritum nũc per futurum, Iudicabit: rurſum reuertitur ad præteritum, Conquaſſabit. Hebraicè enim מחץ machaz, cõquaſſauit, cõfregit. paulò pòſt: Bibet, exaltabit caput. Quæ temporum varietas declarat, non tã rationem vaticinij hanc, quàm locutionis, &; linguæ Hebraicæ proprietatem, tum poeticam rem. ſicut apud noſtros,

Tempora pro temporibus.

Preſſitq; iacentem.
Egregia interea coniux arma omnia tectis,
Euomet, & fidum capiti ſubduxerat enſem,
Quid moror? irrumpunt thalamos: comes additur vna,
Hortator ſcelerum Aeolides. Dij talia Graijs
Inſtaurate, pio ſi pœnas ore repoſco.

ic triplex eſt ſuper eadem re tempus, præſens, pluſquam perfectum, præteritum. Eleganter fa ũ. Subita quoque conuerſio ad Deos, ſermonis mutatio, elegans eſt, & crebro in ſacro quoque emate reperta. Hoc quoque loco palàm fit, idẽ eſſe confringere, & iudicare nationes, & reges. uod enim antea dixit, Confregit, nunc iudicabit. Perſpectiſſimè autem locus iſte neque de raham, neq; de Dauid eſſe poteſt. Nam Chaldæus, pro Hebraico Iudicabit, poſuit את מנאלדין על it manaledaian al amamaia, id eſt, Conſtitutus eſt iudex ſuper populis, aut ad iudican m populos. Quod diuinum, & clarum vaticinium eſt de Chriſto, qui conſtitutus eſt iudex vi rum ac mortuorum, vt totus pſalmus ſibi bene conſentiat. Simili modo vaticinata eſt, nihil Hebræo propheta diſcrepans Sibylla, carmen inchoans,

Ἱδρώσει γὰρ χθών, κρίσεως σημεῖον ὅτ᾽ ἔσται
Ἥξει δ᾽ οὐρανόθεν βασιλεύς, αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι, καὶ κόσμον ἅπαντα.
Iudicij ad ſignum, tellus ſudabit Olympo

Deſcendet rex, & ſeclum regnabit in omne,
Iudicet vt præſens omnem carnem, populumque.

Hebræus dicit, Iudicabit in nationibus, Græcè ἐν τοῖς ἔθνεσιν, in gentibus, ſicut Hebraicè, goim, Chaldæus populos, Sibylla, omnem carnem, omnem mundum, & ſicut pſalmus, antea reges, ſic illa ductos ante tribunal. Et Sibylla de quo hęc diceret, occulta quadam ſapientia, & quaſi Cabaliſtica ratione demonſtrauit, ſi incipiens à prima littera primi verſus, vſq; in finē totius carminis, ſemper primā cuiuſq; verſus accipias, videbis fieri. Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, σταυρός, id eſt, Ieſus Chriſtus, Dei filius, ſeruator, crux. Hunc prędicit venturū ad iudicandum omnem carnem, oēm mundum. Et Chaldæus ait, eum conſtitutum iudicem ſuper populos, Hebraicè, ſuper nationes. Eundemq; neceſſe eſt Hebræum Vatem ſpectaſſe, atq; Sibyllā. Vterq; per futurum loquitur: iſte, Iudicabit: illa, Veniet ad iudicandum. Illa regem æternum venturū, Ieſum Chriſtum, Seruatorem, Dei filium. Hebręus hęc quidem, ſed profundiore quadā ratione. Rex enim, & Chriſtus, id eſt vnctus, apud eum, quia ſecundum rationem Melchizedek, qui, & rex, & ſacerdos fuit. In vtroq; vnctio. Et Chaldæus eum dixit Raba, principē, regem ſæculi futuri. Ecce rex, ecce vnctus. Dei aūt filius, quia ex vtero, ante luciferum genuit eum. Seruator autem, quia in die expeditionis, & belli ſplendores ſancti, & populus eius charus, & grex voluntarius cum eo. Nā, & nos canimus, Ecce Dn̄s veniet, & cum eo ſanctorum millia. Horū eſt Seruator. Propter hos miſit pater virgam virtutis ſuę. Crux aūt, quia forte hęc eſt virga, is baculus, hoc lignum, miſſum ex Sion, & erectū in monte Sion, ſignum iudicij, quo confracti ſunt hoſtes tartarei. Idem ſignum erit in cęlo, quo ſcelerati, & impij, pudibundi fugient, qui clementiā Dn̄i ſui admirari noluiſſent. Et crux à Conſtantino ad ſimilitudinē eius quā viderat in nubibus, facta, erat ὑψηλὸν δορὺ, haſta excelſa, vt ait Euſebius. Haſta, & virga idem. Sicq; palā eſt eadem ab Hebræo, & Sibylla decātata, prænuntiata. Sed Hebręo Hebraicis tropis vtente, & neſcio quibus arcanis modis loquente. Sibylla Gręcè oracula fundente, & more noſtro dicente clarius, & apertius. Lingua enim Gręcorū antiquiſſimo illo tempore, toto penè in Oriente floruit. Quod autem dicit, Implebit ruinas, error Latini

Imple. rui. fuit interpretis. Nam Sept. iuxta Hebraicum bene tranſtulerunt. Vt enim Latinè, ſic Græcè à πίπτω, πτῶμα, cadauer. Et hoc loco eſt πληρώσει πτώματα, implebit cadauera, vel cadaueribus: Hebraicè מלא גויות male gheuioth. Gheuioth cadauera ſunt. Et Chaldæus trāſtulit explicans, Implebit terram גושמי רשיען קטילין cadaueribus impiorū occiſorum. Vides quæ cadauera, & quorum. Hi ſunt, vel erunt, qui ducem Antichriſtum cum infinitis copiis ſequentur, Tum omnes, quos diuin ſententia, ſecunda morte, quod Ioannes in Apocalypſi ſæpe, interficiet. Ideo fert gladiū ore, ex vtraq; parte acutum, vt in ipſo percutiat gentes. Gentes apud Ioannem percuſſę gladio oris, hic terra plena cadaueribus, quo tum cædes, vt dixi, impiorum, tum vniuerſale iudicium deſignatur. Ideo Ioannes gladium non in manibus, ſed in ore dixit. Eadem figura apud eum, & apud Dauid. Quam cędem, quem gladium ſentis in Apocalypſi, hic item ſentias. Atque is ſenſus eſt, qualē expreſſit Lactantius de rebus nouiſſimi illius temporis ſcribens, Et videbunt cāpos cadaueribus opertos. Vides has eſſe Hebraicas quidē figuras, ſed naturales tamen. Interfectæ gētes apud Ioannem, ſunt iudicatæ, deputatæ ad æterna funera, ad ſupplicia, ad tartarū: ſic apud Dauid, cadauera per totam terram, eadem figura, iudicatæ gentes, & ſententiis letalibus interfectæ. Quā aūt Hier. in Pſalterio Hebraico tranſtulit, Implebit valles, ratio huius varietatis fuit, quòd ſimillimę ſunt inter ſe hæ duæ voces גויות Gheuioth, & גיאות gheioth, primū cadauera, ſecundū valles, à ſingulari גיא Hier. ergo omnino legit poſtremum, arbitrorq; eum, vt ſæpe ſolet, Symmachum ſecutum. Et vtraq; lectio defendi poteſt, licet & Chaldæus, & omnes Hebræi Sept. quoque legant potius cadauera: ruinas autem nulla ratione dicendum eſt. Quod autem ait, Conquaſſabit capita

Conquaſſ. cap. in ter. mult. in terra multorū, eſt רבה rabba, multa, vt referantur ad terrā. Cōquaſſabit caput in terra multa. Et Hier. Percuſſit caput in terra multa, eſt tn̄ ſenſus idem. Nam Rabi Dauid dicit, caput, & multum, eſſe nomina multitudinis, quaſi multa capita, per omnem terram, Et rabba propriè ſonat multum, valde, copioſè, vt dicat conquaſſabit caput in terra plurimum, id eſt, plurima capita, in plurima terra. Et Chaldæus, qui obſcuriora Hebraica facit clariora, ſic vertit, Conquaſſabit capita regum ſuper terrā, multorum ſimul. Multitudinem capitū, retulit ad capita regum, ſicut ſuperius. Ioannesq; hunc locum innuere palam eſt, cùm in Apocalypſi ſcribit, Et vidi beſtiā, & reges terræ, & exercitus eorū, congregatos ad faciendum prælīū cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea, pſeudopropheta, & qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnū ignis ardentis, & ſulphuris. Et cęteri occiſi ſunt in gladio ſedēti ſuper equo, qui procedit de ore eius, & oēs aues ſaturatæ ſunt carnibus eorū. Hæc apud eū. Itaq & Theodoritus ait hoc loco, σαφέστερον ἐν ταῦτα τὴν κρίσιν ἐδήλωσε. Clarè, & perſpicuè hic iudicium ſignificauit, & vt illo tēpore, impiè quibus viuere libuiſſet, omnigenis ſuppliciis deputabit. Tametſi putat Chryſoſt. hanc vindictam de his dictam, qui perſecuturi eſſent Apoſtolos, & ſanctos. Non defuerunt Hebræi, qui cēſerent, In terra Rabba, deſignari Rabat in terra Moab vrbem regiam, hodie quoque ſuperſtitem, ad quā Dauid depugnauerit. Nulla ratione probādus ſenſus.

De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

A HIc duo ſenſus ſunt,quẽ verba prætendũt,& alius quem allegoricè,vel figuratè poſſint verba abſcondere.Prior eſt iuxta Hebræos,tãtam occiſorũ fore cædem,tantũ vbique ſanguinis,vt torrentes ſanguine decurrant,& ex torrentibus ſanguine ſpumantibus figuratè dicat eũ bibiturũ.

-Bella horrida bella,

Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.

-Inundant ſanguine foſſæ.

Hæc quoque tanta cędes,per aliam figuram,deſignabit iudicium vniuerſale,multorumq; impiorum interitum ſempiternum.Salomon longinquiores ſenſus,& Auen Eſra excogitarunt. Prior quòd torrens is ſit Nilus,qui per terram Aegypti decurrat,ſuper eo gloriari Regem Aegypti:cõtra hunc autem tam ſuperbum,& tumidum populum Iſrael,qui genus ab Abraham duceret,prę ualiturum.Parte alia bellum exponit,quod ex ſtirpe Dauid, Ezechiel geſſit contra Senekerib, qñ Angelus Domini centum octoginta millia interfecit in caſtris Aſſyriorum.Gloriatum autem Regem fuiſſe bibiturum exercitum ſuum de Iordane,eoq; exaltaſſe caput. Auen Eſra verò, adeò pauore afficiendos inimicos Dauid,vt ſiti cõfecti de torrẽtibus ſuis neceſſariò bibant,quale Darius Rex Perſarum fugiens Alexandrum.Vel tantum illi copiarum futurum,vt fontibus non ſufficiẽtibus,ad torrentes accurrãt,ideò exaltabit caput:quòd habeat exercitum,aut quod eunti ad bellum,demittent torrentes aquam,vt bibat exercitus.Hæc & id genus comminiſcuntur.Verior igitur ſenſus,eſt prior ille Rabi Dauid,qui poſterior fuit Salomone & Auen Eſra.Sæpe autem iunioribus occurrit aliquid melius,quod antiquiores videre non potuiſſent.Et ſenſus illi palam aſcititij ſunt.Sanguinem autem occiſorum bibi,ſæpe dicitur in his litteris.Gręci autem nonnulli dicũt adeò vilem rationem viuendi Chriſtum ſecuturum,vt etiam de torrente bibat.Heſychius allegoricè,quod & Nicolaus,putat torrentem,magnitudinem tentationum,& vexationum appellatã,& hanc eum in via,hoc eſt in tota vita,quæ via dr̃,bibiſſe.Aſſentitur huic ſenſui Euthymius. Auguſtinus propè ſimiliter,torrentem vitam mortalem,hanc eum bibiſſe,expertum eſſe.Chaldæus verò locum tranſtulit,Ex ore Prophetarum in via,doctrinam accipiet,propterea exaltabit caput. Ecce torrentem doctrinam ſanctam,& cęleſtem interpretatus eſt,quã Chriſtus ex ore Prophetarum tradiderit mundo,proferens,ſ.in medio,quæ per Pſalmos,per Prophetas, per Moſen, de ſe dici feciſſet.Et in Synagoga lectus eſt Eſaias,& ex eo,Chriſtũ ſe illũ eſſe probauit,quẽ Propheta p̄dixiſſet.Tribus igitur ſenſibus torrẽs exponitur ad litterã vt ſit torrens ſanguinis:Anagogicè vt ſit,vel torrens vexationũ,vel doctrina exuberans.Qui quidẽ oẽs mihi probãtur. Nã & Hebręus Ionathas,qui trãſtulit Chaldaicè,allegoriã ſubeſſe putauit. Exaltare autem caput,clarũ eſt,vnoq; ſenſu à cunctis accipitur.Exaltabit enim nomẽ ſuũ,quia ſupremo illo die,cognoſcetur Rex regũ, Dñs dñantium,Antichriſto maieſtati ſuæ aduerſante,& Regibus impiis ſequacibus eius interemptis. Solusque ipſe adorabitur, ſolus eſſe Deus etiam à Iudæis cognoſcetur. Ideo dixit Sibylla.

Torrens,
Sanguis hoſt.
Crux.
Doctrina.

Aſpicietque Deum credens, incredulus omnis.

Et videbunt, qui eum pupugerunt.

Videbunt eum diuina virtute,ſplendoreque prędltum,videbũt obſequentes Angelos. Ideo exaltabit caput,dictus,& aſſertus ab omnibus à principio vſq; in finem mundi hominibus,Deus. Nulla ſupererit dubitatio. Veniet enim non qualis prius humilis,forma ſeruili,diſſimulans diuinitatem,ſed in tota maieſtate ſua,& claritate:omnes aderunt intuentes,ſtupentes,trementes tantum numen. Non eſt autem Exaltauit,ſed Exaltabit. Hebraicè,& Græcè ὑψώσει.

PSALMI CXXXVIIJ. EXPLANATIO.

TITVLVS Pſalmi cõmunis ferè cum cæteris oĩbus,quos non pro acceptis beneficijs,quaſi gratiarũ actiones edidit Propheta,ſed ad commemorationem potentię,bonitatiſq; diuinę. Nã cũ Pſalmi ſint tanquã Odę ſacrę,atq; hymni,qui in laudẽ cęleſtium cõponebantur,vt variis ex cauſis canebantur,ſic variabant ſubiectũ.Nonnulli pro acceptis beneficiis, victoria parta,profligatis hoſtibus canebãtur:alij ex cõſideratione rerũ diuinarũ,quæ cõtẽplanti Prophetę cũ mirabiles viderẽtur,eas carmine cõprehendẽs,celebrabat,idemq; cęteros factitare iubebat.Nullum eſt.n. vitę genus laudabilius,nullum quod propius ad vitã Angelorũ accedat, quàm de Deo factiſq; mirabilibus eius cogitare,& ſemper loqui, vt rara ſit cęteris de rebus cogitatio, atque locutio:huc aĩus ſemper confugiat,non tanquã abſoluti Philoſophi, ſed quemadmodũ ſanctiſſimi illi viri,Deique amore flagrantiſſimi.Quẽ cũ ardentiſſimè amarent, in eius ſemper cõmemoratione,laudibuſque verſabantur.Is igitur Pſalmus ex his eſt,qui cõtẽplantur, ac de potentia maieſtateque diuina philoſophantur.Ideoque titulũ habet ſimplicẽ, למנצח לדוד מזמור lamnazeach, le Dauid,miſmor,hoc eſt,Iubilantis,triumphantiſque Dauid oda,ſeu carmen,ſiue hymnus. Reddidimus autem in cæteris pſalmis rationem,cur omnibus ferè pſalmis,duo autores præfigantur, cum articulo caſus genitiui, menazeach,& Dauid. Quibus addito le, fit caſus gignendi. Diximuſque Dauid compoſitorem Pſalmi fuiſſe, Mnazeach cantorem. Nam Nazach pręter cęteras ſignificationes, ſignificat canere, παιανίζειν. Ideo Chaldęus interpres, cuius translatio

Vita,angelicæ proxi.

Nazach.

D

Pſalmi. Hymni.

apud Hebræos grauiſſimæ eſt autoritatis, ac propter vetuſtatem valde fideliter transfert linguã, ſenſusq; Hebraicos, ſemper hanc vocem interpretatur, tusbachra, pęaniſmum, exultationem. Addimus autem hoc loco, ac dicimus fieri poſſe, vt Mnazeach non ſit alius à Dauid, ſed epitheton eius, vt dicat, Iubilantis Dauid carmen. Perinde ſi quis Græcè diceret, τȣ̃ ἄδοντος τȣ̃ δαβίδ. Nam repetitionem articuli omnis ferè lingua vſurpat. Italicè dicitur, Il victorioſo Re, il Re Matthia. Sic Hebraicè fortè intelligi debet, canentis, exultantisque Dauid, cum articulo. Pſalmus autem apud Græcos, vt ex ſcriptoribus Græcis apparet, eſt quidem carmen, ſed laſciuum, vt videre ſępe eſt apud Plutarchum. Hymni potius dicuntur, qui in honorem Dei canuntur. Sed ab his quæ iã recepta ſunt, non eſt facile diſcedendum, niſi res grauioris momenti ſit. Diximus item philoſophari, aut theologari eos Pſalmos, quibus titulus tantum, non etiam argumentum præfigatur. Igitur, & is Pſalmus caret argumento: theologatur autem altiſſimè de ſapientia, profunditateque ſcientiæ diuinæ. Eſt quoque in hoc Pſalmo maxima ab Hebraica veritate diſcrepantia, vt difficillimè eum putem poſſe intelligi, niſi collatis diligenter codicibus Hebræorũ, & illuſtrata tranſlatione Septuaginta, quæ quidem a Græcis toto veteri teſtamento, cæteris interpretibus collatis, ſolet ſiue declarari, ſiue corrigi, vt noſtræ in Pentateuchum reliquosque libros, annotationes oſtendunt. Nos ergo accuratè veritatem Hebraicam, ſenſusque veriores elicere conati, ſignificationes verborum, & vim ſententiarum exprimemus.

DOmine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

E

Probare.

PRIMVM ſciendum eſt, clarius haberi Hebraicè quàm Græcè, clarius Græcè, quam Latinè, hoc quod dicit, Probaſti me, Hebraicè חקרתני inueſtigaſti me, ſicut vertit Hieronymus: ſiue, ſcrutatus es me. Ac propriè hoc verbum, vt tradunt Hebræi, & vt obſeruare licet in ſcripturis, deſignat quod Græcè μεταλλᾶν. Ac de his appoſitè dicitur, quæ non videntur, tactumque corporeum, ſenſumque omnem effugiunt, & quorum eſt inuiſibilis facies, vt ad eam ſola cogitatione penetrari poſſit. Dico autem formas quaſdã inuiſibiles, corporea ſubſtantia qualitateque nudatas, virtute harum formarum videndarum, ante oẽs ſpiritus, omnes animos generatim: mirabiliterq; pollet Deus, vt ipſe vnus inuſitato quodã atq; infinito genere ſapiẽtiæ videat omnia, quæ à cæteris corporeis & incorporeis animis videntur: ſed rurſum alia, quæ à nullo Angelorum vel maximo ac ſapientiſſimo cognoſci poſſint. Atq; hæc quidẽ infinita eſſe dicendum eſt, quæ latitent in arcanis atq; abditiſſimis antris ſapientiæ vaſtæ, & immenſæ. Ex his autem duo genera tantum nominari fortaſſe poſſunt, cætera in ſuis tenebris incognita, & innominata manent. Dico ſcientiam cogitationum, ac prouidentiam rerum futurarum. Hæc, inquam, duo ex immenſo aceruo rerum earum, quæ ſciuntur à Deo, à nullis ſpiritibus ſciuntur, his à nobis appellationibus proferuntur, ac nominantur, in quibus, vt dixi, ſolus Deus dominatur, nec alius eſt intellectus qui videre inuiſibiles illas formas præter ipſum poſſit.

Cogitationes.

Res futur.

F

Proba & cogno. me.

Cogitationes formæ ſunt internæ, abditiſſimæ, ab omni oculo corporeo & incorporeo remotiſſimæ, quas tamen videt tam facilè Deus, quàm facilè noſter oculus obiectam molem. Res autem futuræ, formæ quędam ſunt longè inuiſibiliores, vt dubium ſit, an formæ poſſint appellari, cum nõdum exiſtant. Atque longè eſt mirabiliſſimum ſcire quod nullam habeat ſubſiſtentiam, quod in cauſis ſuis ſit abſtruſum. Tanta igitur eſt, tã prodigioſa hæc vtraq; cognitio, vt ſolius Dei ſit, a cęteris autẽ animis non eorũ virtute, ſed reuelatione diuina aliquãdo poſſidetur. Neque tamen ſemper neque in vniuerſum. Meritò igitur ſapientiſſimus Vates exclamauit, carmẽ inchoans, Deus, ſcrutatus es, inueſtigaſtiq; me, & cognouiſti. Simul ac in me oculos tuos conuertiſti, cognouiſti quicquid in me eſſet. Nulla res arcana in me fuit, quam tu perceptam, exploratamq; non habueris. Prædicatur igitur hæc Dei virtus tanquam præcipua, ac peculiaris illius, ac propria. Id quod cęteris locis idem Poeta facit, vt cum dicit, Scrutans renes & corda. Huius facultatis ac potentię, vt mirabiliſſima eſt, ſic nullam poſſunt mortales reddere rationem, quomodo, inquam, animos noſtros adeat, inſpiciatq, Deus, quo acceſſu ſubeat aſpiretq; intacto carneo velamine, ad ſedem mentis, eamque cogitantem aſpiciat, cum animus etiam ſit inuiſibilis, & inſcrutabilis. Declarat igitur hoc, apertiſſimeq; teſtatur mirabiliſſimam Dei potentiam, immenſamque ſpiritus eius lucem, ac profunditatem, & infinitam ſapiẽtiam, quam nulla res exilis, atque abſtruſa, ſubterfugiat.

Sedere. Surgere. Incedere. Cubare.

Quatuor autem ſunt motus, quibus animi ad mouenda corpora incitantur. Qui quidem motus atque eorum cauſę prius in animo generantur. Aut enim ſedemus, aut ſurgimus, aut incedimus, aut recumbimus. Hisque quatuor motibus omnes actiones diſtribuuntur, omnesque ad eos cogitationes diriguntur. Sedemus igitur, aut ſurgimus, aliqua nos prius cogitatione mouente. Nullaque ferè eſt cogitatio, quę non ad hos corporis motus pertineat. Principiumque vt ſurgas, eſt obiecta animo tuo res, impellens illum, vt corpus excitet, ad ea quę deſtinaſſet. Hęc igitur principia, & cauſas iſtorum motuũ notas eſſe Deo prędicat. Neque enim aliud innuit cum ſeſſionem, excitationemque meminit, id eſt principia horum motuum ac cogitationes ipſas. Nam motus ipſi corporei, etiam hominibus ſunt noti. Quare autem moueatur homo, ſolus habet Deus, qui voluntates omnium videt, exploratum. Quam rem ſi mortales attenderent, multas abſurdas

A nefariaſque à ſe cogitationes reiicerent. Sed quid facies, quando ne facta quidem turpia, ſub oculis diuinæ maieſtatis, & hominibus aſpicientibus, erubeſcimus perpetrare ?

Intellexiſti cogitationes meas de longe.

De longe.

Tempus.

EXplicat quod propoſuit, ſed addit quod hanc diuinam poteſtatē magis oſtendat. Ac quod dicit de longe, duobus modis poteſt intelligi: Aut de cœlo, & è loco remotiſſimo: aut à remotiſſimo tempore. Nam primum poteſt eſſe quale in ſuperiore Pſalmo dixit, Et alta à longe cognoſcit. Quod Hebræi interpretantur, è cęlo. Secundum item aliquot Hebræi proponunt. Intelligit ergo Deus non ſolum res occultiſſimas, maximeq́; inuiſibiles, ſed eas proſpicit à remotiſſimis temporibus, vt omnem habeat ante oculos æternitatē. Ac cum tempus ſit res in continua mutatione ſubſtantiam habens, vt præteritum abierit, futurum nondum ſit, atq; inſtar fluminis ſemper decurrat, intelligitur tamē ab eo perinde, ac ſi res vna eſſet ac continua. Nec ſolum ipſe circumplectitur, ſcientia ſua, tempora, ſed quicquid etiam in temporibus geritur: nec ſolum quæ palam geruntur, gerenturq́;, ſed etiam quæ cogitantur, ac cogitabuntur. Quod clariſſimum primæ ac ſempiternæ diuinitatis eſt teſtimonium. Cognitioq́; rerum futurarum, & earum quæ ex humano ingenio, quod mutabiliſſimum eſt, naſcuntur, adeo ſolius Dei eſt, vt hoc apud prophetas maieſtatis ſuæ velit eſſe argumentum. Apud Eſaiam indefeſſa voce, rerum futurarum ſcientiam, ſed remotiſſimarum à ſuo præſenti, præbet Deus argumentum ſuæ magnitudinis. Afferte, inquit, de idolis & Diis ſimulatis, ſi quid fortè habetis, dixit Rex Iacob. Accedant, & nuntient vobis quæ ventura ſunt. Quæ ventura ſunt, indicate nobis. Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos. Et paulò pòſt, Quæ prima fuerunt, ecce venerunt, noua B quoq; ego annuntio. Antequam oriantur, audita faciam. Hæc apud Eſaiam à Deo in teſtimoniũ diuinitatis ſuæ dicuntur. Ac duplices ſunt res quæ prouideri poſſunt, naturales, atque humanæ. Naturales in vniuerſum conſtantiſſimæ ſunt, ſingulæ variabiles. Humanæ vndequaque mutabiles, vt quæ principium habent volubiliſſimum, mentem humanam, qua nihil ferè eſt mutabilius. Res naturales aliqua ex parte prouideri ab omnibus poſſunt, ſingulæ autem & in particulari, inexplicabiles ſunt, longè inuolutiores res humanæ. Vtræque aũt tam humanæ, quàm naturales à ſuis effectibus remotæ, omnino ſunt hominibus incognitæ, & inexplicabiles. Longè autem inexplicabiliores, ſi ſint remotiſſimæ. Hæ tamen ſciuntur a Deo. Neque vero auſim ego aſſerere hanc rerum longinquarum cognitionem eſſe in Deo, propter ideas illius mente comprenſas. Cum hæ quoque cognitionis ſint diuinæ, nihil à cogitationibus, niſi nomine, differentes. Siquidę Idea Gręcè forma inuiſibilis dicitur. ἰδέας κακῶν malorum formas ait Thucydides, & de ideis ſcribendi tractat Hermogenes. Sunt enim, quemadmodum ait Galenus ex ſententia Stoicorum, Ideæ νοήματα, id eſt cogitationes. Quare qui dicat Deum cognoſcere per ideas, videtur dicere, Deum cognoſcere per cogitationes. Nullamq́ue affert cauſam. Minus auſim dicere, idcirco à Deo omnia cognoſci, quia ſit cauſa omnium rerum, quæ quoquomodo gerantur. Non enim autor malorum eſt Deus. Neque idcirco proſpexit lapſum Adæ, quia cauſa fuit, aut caſum Angelorum, quia cerneret quid eſſet ipſe aliquando facturus, ſed proſpiciebat, vt ab illis facienda. Quare ratio iſtius cogitationis videtur incomprenſibilis, & inexplicabilis. Ac perinde naturalem omnium prouidēdarum rerum Deus habet facultatem, quemadmodum debilem quandam ac exiguam prouidentiam habet homo. Vtq́ue infinite eſt iuſtitia ſanctitaſq́ue diuina tum per ſe, tum ſi hæc in hominibus reſpicias, ſic prouidentiam quandam naturalem comitantem ab æterno, ſpiritus ſui magnitudinem eum habere putandum eſt. Mens eſt altiſſima, vaſta, amplectens omnia. Homines autem perſpiciunt minima eorum quæ proſpiciunt ipſi autores, aut quòd ideæ animis eorum inſideāt. Nouit igitur Deus omnium rerum naturas, nihilq́ue eſt quod non habeat in numerato. Et vt homo rem à propinquo tempore proſpicit, eaq́; facultas maior ac minor eſt inter mortales, ſic Deus cum ſit mens maxima, ab æternitate in alteram proſpicit æternitatem. Proſpicit autem quæ à ſe, quæ ab hominibus, quæq́ue vbique ab omnibus fient cauſis, quibus ipſe dedit vim faciendi. Proſpicit autem quadam infinita ac ſibi naturali prouidentia, incommemorabiliq́ue ſolertia, vt tanto præcedat humanam prouidentiam illa diuina, quanto, & fortitudine, & conſilio, & ſapientia, & virtute ipſe eſt homine ſuperior. Quòd ſi altero modo placuerit intelligere locum, de longe, id eſt è cęlo, quo non eſt à terris remotior locus, id quoque mirabiliſſimum eſt, maximumq́ue diuinæ ſcientiæ teſtimonium. Nam id quoque prorſus eſt incredibile, maximeq́ue ſtupendum, vt cum Deus, cuius ſtatio longius diſtat à terris quàm ortus ab occaſu, ibi tamen conſiſtens, vt omnium gentium, vetuſtiſſimorumq́; hominum, vt ait Ariſtoteles, eſt conſenſus, videat quicquid geritur cęlo, & terris. Non ſolum veluti ſol omnes gentes & vrbes aſpiciens, ſed etiam quæ tenebris opacis ſepulta iacent, quæq́ue à ſumma terrarum facie altiſſimè recedunt, quò nequit aſpirare Sol. Nec ſolum hæc ipſa, ſed quædam longe plura nobis mortalibus incognita, quæ in cælo, qui locus in immenſum ſuperat ſpatium terrarum, fieri par eſt, quò vult oculos diuinos extendens. Ac quanquam ſit ab omnibus remotiſſimus, ſedem enim habet celſiſſimam, perinde tamen omnia cernit, ac ſi præſens ſit. Ac videbatur pariter mirabile ipſi Prophetæ, vt qui in oriente eſſet, videret quæ fierent in occaſu, atque Deus regnans in altiſſima

De longe, ideſt è cęl.

Homini animali.

regione, videat ſubiectas terras: & adeo videat, vt vſque ad inuiſibiles cogitationes penetret. Merito igitur clamauerunt veteres Poetæ, Deum ire per omnes, terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum. Nec alienum eſt, vt veritas fiat illuſtrior, proponere quid magnus vir Ariſtoteles, ſuper hac re locutus fuerit, quomodo Deus in cęleſti ſede poſitus, adſit in omni loco, cuncta videns atque exaudiens, ſicut ait Orpheus in hymnis ſuis:

Πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἀκούεις, καὶ πάντα βραβεύεις, id eſt,

Cuncta vides, & cuncta audis, & cuncta gubernas.

Ariſtotelis de Deo teſtimoniũ. Dei omnia plena, & quoniam. Ariſtoteles igitur in libro de mundo, ait, vetuſtam eſſe famam, à Deo, & per Deum cuncta extitiſſe, cuius auxilio deſtituta, nulla natura poſſit conſiſtere. Hinc quoſdam eouſque progreſſos, vt dicerent, Dei omnia eſſe plena, qui ob oculos, ob aures nobis occurrat; quam aſſeuerationem nõ de ſubſtantia, ſed vi ac facultate diuina, dicit idem eſſe veram. Eſſe enim Deum ſeruatorem genitoremque omnium rerum, non quòd laborem perinde atque animalia ſuſcipiat, ſed indefeſſa virtute ac facultate in eis inſtituendis, ac creandis vtatur, qua vel remotiſſima euincat. Dei ſedes. Supremam igitur celſiſſimamque ſedem ipſum natura ſua poſſediſſe, indeque ſummum ſolere à Poetis nuncupari, inq; altiſſimo vertice totius cęli, vt Poetarum princeps ait, conſiſtere. Maxime autem bonitatis eius eſſe particeps proximum illi corpus, cætera poſt illud deinceps, vſque in noſtra loca. Hinc res terreſtres, quia ſint ab eo remotiſſimæ, fluxas eſſe, ac debiles, plenaſq; turbationis. Quatenus igitur per omnia penetrat diuinitas, hoc propiores, lõginquioreſue, tum noſtrates res, tum Ab inde choro. quæ ſupra nos exiſtunt, magis minuſve illa ſumma bonitate ſolere frui. Itaque melius eſſe, ipſiq; Deo congruentius arbitrari, poteſtatem eius in cęlo conſiſtentem, omnia vel quàm diſtantiſſima conſeruare, quam per omnia, & quo neque decorum Deo ſit penetrantem, res terreſtres procreare. Ecbatanorum vrbs mediæ, Sol. Id ne principibus quidam humanis eſſe decorum, vt omnia operi promiſcuo, ac vulgari ipſi interſint. Exemplum de Dario vel Xerxe ſummis regibus Perſarum: Ipſe enim rex tanquam ratio Suſis aut Ecbatanis ſedet, omnibus inuiſibilis, admirabilem auroque & electro & ebore flagrãtem aulam obtinens. Extra proceres, è quibus alij regem proxime circunſiſtant, alij cuiuſuis ambitus, veſtibulique cuſtodes ac nuntij ſint, vt ipſe Rex cuncta exaudiat. Et quæ ſequuntur apud eundem. Quare videtur ab eo probatè dictum, non ſubſtantia adeſſe vbiq; Deum, ſed præſentiã eius eſſe in cęlo, potentiam vſquequaque pertinere: perinde, quaſi ſolem, qui in cęlo exiſtens, radiis ac potentia flumineque lucis ſuæ, adeſt omni loco. Supremus Deus Homero. Regnantis in ſummo cœli vertice. Cogitationes. Quare qui dicunt, Deũ vbiq; eſſe per præſentiam, per potentiam, per prouidentiam, non videntur quicquam dicere diſtinctum. Nã ſi adeſt per potentiam, vtique & per præſentiam, ac prouidentiam. Ac præſentia illa non ſubſtantiæ eſt, ſed potentiæ, tanquam radiorum, tãquam lucis ab eo manantis, omniaque implentis. Hoc eſt quod dicitur à noſtro, Deum è ſummo vertice mundi videre vniuerſa, etiam inuiſibiles cogitationes. Cum quo mirabiliter concordat Homerus, interdum appellãs Deum ὕπατον, i. ſupremũ, regnantem in ἀνωτάτῳ κορυφῇ celſiſſimo vertice cęli, interdum εὐρυόπα, id eſt latiſſimè cernentem, noſtro autem à longe dicente Deum videre voluntates humanas, vt illi certam ſedem in cęlo, oculum autem ſiue prudentiam, terras attingentem, & vſque in corda humana penetrantem, adſcribat. Hoc loco admoneo diſſentire Hebręos à diuo Hieronymo, qui in ſuo Pſalterio tranſtulit, Intellexiſti malum meum de longè, pro eo quod trãſtulerunt Sept. Cogitationes meas de longè. Cuius varietatis hęc cauſa eſt. Malum Hebraicè dicitur רע rah, cogitatio רע reh. Vtraque vox addita Iod rehi, ſignat malum meum, vel cogitationem meam. Sed quando per ſeua ſcribitur, malum meum deſignat. Quando per zere, cogitationem meam. Conſentiuntque omnes interpretes Hebræi, declarare hanc vocem cogitationem, ponẽtes loco eius מחשבותי machshe vathi, quæ clarè ſignificat, cogitationem meam. Quamobrem hoc loco magis ſequi debemus editionem Sept. quàm quod vertit Hieronymus. Neque enim hæc dicentes, autorem ſanctimum reprehendimus, vt nuper quidam, vt ſe defenderent, nos criminati ſunt. Nam propoſito quid ſit in fonte, debent editiones illuſtrari, quod neque diſſentire eſt, neque reprehendere.

Semitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti.

Funiculus. RECurrendum hoc quoque loco ad fontem, ne translatio ſenſui ſit impedimento, pro funiculo Hebraicè eſt ריבעי quod Hebræi concorditer ſignificare dicunt רבעי accubationem meam. Quod prodit Rabi Moſes, eumque ſequitur Abraham & Dauid. Hieronymus item vertit, accubationem. Sept. verterunt χοῖνον, quam vocem interpres Latinus, quiſqu fuit, non rectè vertit, funiculum, nec aſſequutus eſt mentem interpretum. Minus etiam illi qui c reddiderũt, directionem. Diuus item Hilarius, qui ait hanc vocem ſignificare certum itineris ſp tium, verum quidem dixit, ſed non quod proponitur hoc loco. Ergo χοῖνος vt ait Suidas, duo ſummum declarat, μέτρον τι γεωργικὸν, mẽſurã quãdã in agricultura, quã ſignificationẽ Latinu eſt ſequutus, tum dicit idẽ, χοῖνος ἡ ψίαθος ſchęnus ſtorea eſt, ſiue cubile, è ſtoreis factum, & quo à Græcis dicitur χαμευνη, i. humi cubatio: quamobrem non receſſerunt Septuaginta à ſignific tione vocis Hebraicæ, ſed eam appoſitiſſimè verterunt. Inueſtigaſti. Latini vero quo ſignificatu ea vox acc pienda eſſet, non videntur intellexiſſe. Quocirca pro, Et funiculum meum inueſtigaſti, iux Septuaginta dicemus, Et cubationem meam inueſtigaſti. Ac pro inueſtigaſti, eſt זרית zeritha

quod

A quod Rabi Dauid docet ſignificare סבבת,id eſt circundediſti, comprendiſti. Multaq; ſunt in ſacris litteris teſtimonia. Nihil autem poterat dicere clarius,perfectam cognitionem volens oſtendere, quàm vt fateretur Deum circundare,comprendere more coronæ,facta humana,cogitationes,& inceſſus. Poſuit igitur,quemadmodum diximus,quatuor circunſtantias,quibus humana vita diſpenſatur,Seſſionem,reſurrectionem, inceſſum, cubitionem. Pro ſemita igitur eſt ארחי inceſſus meus. At inceſſus diurnus eſt,cubatio nocturna. Clamat igitur tã nocturnos,quàm diurnos motus corporis ac poſitus, Deum habere perſpectos,ac comprenſos. Si cubem inquit,ſcis quid faciã ſi proficiſcar,ſi ſedeam,ſi ſurgam,nullus motus,nulla corporis animique affectio te latet. Sedeo, cernis,quid moliar,quo memet vertam: Sto, extemplo aſpicis, quo ſpectem : cubo, identidem. Non eſt quò me vertam,vt oculos tuos effugiam.

Semita.

Et omnes vias præuidiſti.

PRo eo quod Septuaginta dixerunt prouidiſti,Hebraicum habet הסכנת haſcantha,quod interpretes aiunt declarare הרגלתה aſſuetus es,incaluiſti ad ſemitas meas. Diuerſum eſt autem hoc à ſuperiore,& voce,& ſignificatu. Illud enim ſolum corporis inceſſum declarat, hoc autem totam humanam vitam,variis ſtudiis moribuſque inflexam,quæ viæ dicuntur Hebraicè. Omnis ergo inſtitutio, omne ſtudium,quod ab homine ſuſcipitur, via dicitur Hebraicè. Nec de vita corporea,& artibus corporeis,ſiue inſtitutis his dicitur, quæ ad corpus pertinent,ſed his quæ pertinent ad animos. Generatim quidem,duæ ſunt viæ,virtutes ac vitia,omniumque virtutum eadem ferè via ac ratio eſt. Non multum inter ſe omnes diſſimiles exiſtentes. Viæ vitiorum infinitæ penè,totque eorum formæ, vt ferrea vox eas non poſſit comprendere. Reperiunt enim quidam inuſitatas prorſus,& horribiles flagitiorum vias,quas ẽt deteſtabile ſit commemorare. Alios inflammat libido,quoſdam captiuos habet auaritia,cæteros obſidet ambitio,quę quidem cunctis ſunt nota. Quidam magnis fraudibus ad omnia muniunt ſibi viam. Hæ igitur dicuntur viæ. Ac ſiue ad famæ, ſiue honorum, ſeu pecuniarum tendis cupiditatem, nota ſunt omnia Deo,nihil facies quod ille non cernat. Habes ſemper cum facta tua contemplantem, ſaltem cum voluerit,cognoſcere potentem. Ac ſi facta tua, ſiquidem fœda obſcęnaque fuerint,nota quidem tanquàm iudex habebit, fruitur tamen beatitudine ſua, nec eum perturbat facinorum tuorum turpitudo. Scit autem te daturum aliquando pœnas, venturumque te ad tuarum miſeriarum & ſcelerum confeſſionem.

Præuidiſti.

Viæ.

Quia non eſt ſermo in lingua mea,ecce Domine tu cognouiſti omnia.

HOc ordine legendum eſt. Sed illud item oportet ſcire, vt oratio ſit integra, id quod Septuaginta verterunt,omnia ſecus habere in Hebraico. Nam quod tranſtulerunt ſermonem,eſt מלה id eſt verbum,dictum: quod fœminei generis in Hebraico. Huic reſpondet quod reddiderunt oĩa,cum Hebraicum habeat כלה totum ipſum, videlicet verbum,totuſque contextus ſic habet,quia non eſt verbum in lingua mea, ecce Domine cognouiſti totum ipſum. Arbitrorque Septuaginta omnino vertiſſe λόγος,id eſt verbum, non δόλος dolus,vt quidam habent codices. Procedens igitur per omnia, ſcientiamq; diuinam ad omnia pertinentem demonſtrãs,poſteaquam prædicauit ei notum eſſe cor,perſpectiſſimas eſſe cogitationes,progreſſus eſt ad quatuor corporis circunſtantias,quibus corpus agitatur,tum cęteras partes commemorat. De ſermone igitur loquitur,quem notum eſſe Deo teſtatur. Idq; pluribus modis, non ſolum enim dicit eum audire è cęlo loquentes,ſed omnium linguas,etiam barbaras habere animaduerſas ac certas,tum ſi quid in ſermone abſtruſum eſt,ſi quod latet ęnigma,ſi qua obliquitate oratio torquetur,ſi quo fuco & colore figurato tegitur,omnia,ait,ſunt illi nudata atque aperta, ac ſcit, quo pertineat omnis oratio, quidve ſpectent loquentes. Audit blaſphemias humanas,& querimonias. Audit laudantes,benedicentes,& in aduerſis illi gratias agentes, tum deſperantes,& imprecantes. Sentit quorundam philoſophorum iactantiam,&,vt loquar grauiſſimè, ſentit temeritatem,audit altercantes ac pertinaces,de minimis rebus digladiantes, & in dubitationem ac quęſtionem omnia adducentes. Exaudit omnium clamores,nihil eum præterit, quod inter homines vario ſermone circumfertur. Vnius pauperculæ tacitas precationes excipit,& hæc omnia de cęlo, est,loco remotiſſimo,illis auribus diuinis,non noſtris hiſce corporeis, ſed admirabili,incommemorabili,incognitaque nobis mortalibus virtute ac maieſtate. Nec minus exaudit quæ in vno loco atque in altero dicantur,tam in latum tendit eius auditus, quàm deſcendit in altum. Nulla eſt ocula cuius vis mortalis,ſit licet in occaſu,ſit in ortu,in carceribus, altiſſimiſque tenebris delitecat,mirabiliter omnes exaudit. Omnia,inquit Orpheus, videt, omnia exaudit, Ille eſt ſol,qui, ὁρᾷ, ϗ πάντ' ἐπακούει, cuncta videt,cuncta audit,vt Homerus inquit. Quid enim prohiet,quo minus horum teſtimoniis vtamur,quando & Apoſtolus his vſus eſt? Hæcque omnia ſie defatigatione,ſicut ſine defatigatione ſol opera omnia luſtrat. Similiter autem non inficitur, e perturbatur,tantis vocibus,clamoribuſq; magnus animus eius,vt non inficitur ſol radios etiã et fęda immittens. Eadem maieſtate non accipit offenſam,qua vincit omnia auditu. Aureſque bens cuncta excipientes,ſtabilis eſt,& æternus, & à ſua felicitate nunquam tantillum deflecti r. Similis nobis in noſtris,magnus autem in ſuis.

Sermo omnia.

Sol.

Nouiſſima, & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Nouiſſ. & anti.

HAec quoque longe ſecus habent in fonte. Attende igitur cuncta, videbiſq; ſenſum veriorem. Pro hoc etenim, nō ipſa nomina rerum, nouiſſima, & antiqua ſunt, ſed aduerbia iſtarum rerum hoc modo. אחור וקדם צרתני id eſt, ante & retro formaſti me. Quòd autem hæc ſit verior lectio, multis indiciis poteſt colligi. Siquidem, & Hieronymus ſequutus Hebraicū tranſtulit, Retrorſum & ante formaſti me. Chaldæus itē eodē modo nihil diſſentiens, מאחורי ומאפי hoc eſt à tergo, & à facie, & Hebræi concorditer exponunt hæc aduerbia, pro ante, & retro. Idq; videtur eſſe filum orationis, ac conſequutio. De omnibus enim internis & externis motibus humanis loquitur, poſteaquam de ſermone propoſuit. Deinde vt vniuerſa complecteretur, addidit ſe eſſe opus diuinum, propterea nihil fugere Deum quod ſit in opere ſuo: quo loco diligenter ſunt à nobis, quæ dicantur, etiamque atque etiam animaduertenda. Nam qui potius naturam quàm Deum proponerent indagandam, non in Deum, ſed in naturā humanum opificium referrent.

Deus. Natura.

Dicerent nos de ſemine naturaliter naſci, manus, pedesque totumq; corpus naturaliter effingi, ſic item natura cuncta corporis munera fuiſſe diſtributa. Sicut naturalis quidam motus, rerumque rationes in omni re exiſtant, vtq; vulnus aut corporis abſceſſus, ac caro diuulſa concurrant. Quòd maria tumeſcant, æſtuſq; fiant, & quas ἀμπώτιδας vocant. Nam vt febres in corporibus animantium nemo diceret à Deo certos ordines, reditusque tenere: ſic eſſe potius rationes quaſdam omnium rerum, quibus naſcantur, creſcant, moueātur. Sic formam humanam, & omne opificium ad certas leges, neceſſitateſq; naturæ referrent. Hæc, inquam dicuntur, dicebanturque olim à multis, ſed ſumma imperitia dicebantur: ꝙ non animaduerterent errorem, quo implicarentur, dum quaſdam rerum ab vniuerſalibus principiis rationes profectas, eodē iudicio, atque illas ipſas vniuerſales cauſas componerent. Atque equidem cenſeo ſeparandum quidem, quod natura, ab eo quod fiat voluntate diuina, ſed non vbiq;. Natura cogebat arborem creſcere, eadem ſubitò, volente Deo, creuiſſe potuiſſet. Et ſi homo parare in alterum expeditionem decreuiſſet, idē & à Deo fieri potuiſſet, poſſuntque omnia generatim à Deo fieri, quòd à ſingulis quibuſque cauſis generantur. Dicendum ergo, datos eſſe vnicuique rei particulares motus, ſed principia originesque maiores à Deo profectas, ab his magnis exordiis reliqua proueniſſe. Itaque ſi ſanè ac prudenter loqui velimus, in eum, qui maiores illas cauſas omniumque particularium motuum excogitauit principia, cuncta referemus. Neque enim idcirco non ſumus ipſi Dei opus, quia non ſimiliter atque Adam ſumus à Deo creati. Creati enim ſumus in illo ab eodem atque ille. Sic omnes formæ generatim. Hocque palam intereſt inter magnum illum autorem parentemque generis humani, atque mortales opifices, quòd ille formarum vniuerſalium, earum inquam formarum, è quibus aliæ innumerabiles naſci poſſent, fuit creator, & homo vnam modo creat rem quæ de ſe aliam generare non poſſit. Quis eſt enim qui in vno ſimulacro, plura poſſit inſtituere ſimulacra? In vna domo eas cauſas collocare, vt ex his plures naſcantur? Formarū igitur vniuerſalium Deus eſt creator, qui in vna rei cuiuſque origine, innumerabilem naſcentium rerum ſtirpem collocauit, ac fundauit. Quocirca perſpectiſſimum ſanctiſſimi patres illi habentes, primum hominem à Deo fuiſſe creatum, ſe a Deo creatos prædicabant. Quia quidquid in illo fuit, eſt item in nobis, & in illa origine, tota proles humana pependit. Audiant hæc igitur omnes qui naturam à Deo ſecernunt, quod quidem ſine errore & cum errore fieri poteſt. Quicquid enim facit nunc natura, facit à Deo ſemel inſtituta, & in hoc curſu poſita, habens particulares motus, qui à prima origine, inuentioneque diuina deſcendunt.

Tu formaſti me.

Atque hoc quoque conſidera, quod ait, tu formaſti me. Nunquam enim fieri potuiſſet vt ex viliſſimo ſemine, tāta moles corporis, tam decoris membris diſtincta ſuccreſceret, niſi Deus ſapientiſſimis ſuis conſiliis id præparaſſet. Nonne confundi, ordo, ratioque corporis potuiſſet? Quomodo ex humano ſemine, non monſtrum aliquod coaluiſſet? Vbi in ſemine equino, erat equus, in bubalo bos? in leonis ſemine, leo? Non igitur ſine diuina ſapientia fieri hæc potuerunt, nec poſſunt habere niſi conſilium magni opificis, principium. Ideo addidit, Poſuiſti ſuper me manum tuam.

Poſuiſti ſuper me manu tu.

Manus, inquit, tuæ fecerunt me, vt ait Iob. Manum tuam ſuper me, dum me creares, poſuiſti, vt figulus manum operi admouet ſuo Quo loco mirabile proponitur ſacramentum, quomodo manu diuina creatus ſit homo. Dicamque quæ mihi probabilia videātur. Duabus rationibus poſſumus hoc intelligere, vt per proſopopœiam manus Deo dederit, pro quadam diuina facultate ac poteſtate, quæ in manibus apud nos extitit.

Manus dei

Nam, vt alibi nobis eſt dictum, à conſuetudine rerum noſtrarum oculos remouere nos oportet, ac quandam cogitare ſecretam ignotamque Dei virtutem, quæ in alio ſit, quàm in manibus. Atque illud fortaſſe eſt accommodatiſſimum exemplum, ſi conſideremus omnium rerum eſſe priuatas facultates, etiam occultas nonnullas, & ingentes ac mirabiles.

Venti.

Venti idem efficiunt ſine manibus, atque homines manibus, Deiiciunt arborem, domos euertunt, vndas propellunt, Hæc eadem fiunt ab hominibus, ſed diuerſa facultate, & ex diuerſa cauſa ſurgente.

Nerui. Remora. Lapis Herculeus. Deus.

In neruis ſunt humanæ vires, ac vires ventorum non item. Remoræ exigui piſciculi, tanta vis eſſe fertur, vt contra omnem impetum, nauim ventis, & remis incitatam ſiſtat. Lapis Herculeus nec manibus, nec vllo quod videri poſſit inſtrumento, attrahit ferrum. Similem quandam vim ſecretam, ac latitantem habere Deum certò ſcias, qua cuncta moueat, operetur, informet, ac perficiat.

Sed

Deus formans hominem.

Matth. 17. 109.

Euſebius.

Sed vim ſecretam nobis, ac inuiſibilem, & incognitam, nec in manibus exiſtentem, ſed ſua ratione, ſicut priuatam vim habet, ſi parua licet componere magnis, obſcuramque Remora. Hæc vis diuina, quæ quidem non eſt in manibus, tropicῶs in manibus eſſe dicitur, ideſt, loquentibus, nobis, ex his, quæ noſtra ſunt. Ac ſolius ferè linguæ Hebraicæ ſunt hæ figuræ. Nemo enim, reor, niſi poeticè, dixiſſet, apud Romanos ac Græcos, manum Dei, ac pedes, atq; os. Ea igitur diuina virtute creatus eſt homo. Secundo poſſumus non quidem tropicè: ſed ad verum credere Deum manu ſua hominem creaſſe: non quòd corpus carneum, neruis atq; oſſibus ſeptum, tunc haberet: ſed corporis humani aſſumptum ſimulacrum, aut præſentiam quandam mirabilem, atque ſtupendam, lætiſſimam, quam cernens primus homo, incredibili voluptate afficeretur, præſentiam dico diuiniſſimam, ipſumq; Deum maximè decentem, humanam tamen, humanæque figuræ archetypum. Figuramque iſtiuſmodi, ne fortè quod dicimus, cuiquam impium, aut nouum videatur, referentes ſcripturas, audies habuiſſe Deum ſæpe, & in hac priſcis patribus apparuiſſe, alloquutumq; fuiſſe. Tres enim vidit Abraham, è quibus duo Sodomam acceſſerunt, quos Angelos fuiſſe ſcriptura dicit. Primus autē, vel qui medius inter eos incedebat, erat Deus, qui cū Abraham reſtitit, & cum eo de gentis ſceleratæ loquebatur excidio. Iſq; nomine illo ſupremo ac diuino quatuor litterarum vocatur ibidem à ſcriptura. Hunc cum duobus illis, ſub forma viri vidit Abraham. Et ecce, inquit tres viri. Is idem apparuit Moſi. Neq; verò illum prodigioſa aliqua forma apparuiſſe credas, ſed admirabili quidem illa, humana tamen. Poſſemq; alia exempla commemorâre, quæ erunt volentibus in promptu. Hac humana forma dixerim Deum à primis parentibus viſum, atque ideo dixiſſe ſcripturam, Deum feciſſe hominem ad imaginem ſimilitudinemque ſuam, eam videlicet ſimilitudinem, qua creans hominem appareret, & videretur, audiret eum, videretq; homo deambulantem, ſicut deambulauit cum Abraham, & cum eo comedit. Fas enim eſt hanc ſimilitudinem, & ad illam interiorem animi, & illam, quam induit creans hominem, pertinere. Induit autem eam figuram, qua creare, & formare hominem ſtatuerat, & quam eſſet vſque ad oſſa, & carnem aliquando aſſumpturus. Propterea non erat Deus ſimilis homini, ſed homo ſimilis Deo, ad cuius formam creabatur homo, vt de eſſet quaſi factitius Deus, Dei ſimulacrum. Eratque ea humana quidem figura, longè tamen clarior ac diuinior, quàm noſtra: veluti apparuit in monte, in quo non mutata facies eius, ſed glorificata fuit: nec formam humanam depoſuit, ſed eandem glorioſiſſimam oſtendit. Vt ergo Deus Abrahæ viri habitu apparuit, comedit, loquutus eſt, æquè primum hominem, eum in humana figura vidiſſe, & audiſſe cenſeo, manuſque ſuas ſuper ſe imponentem, aſpexiſſe, & tactum manuum eius ſenſiſſe. Ac video veterem quoque poeſim, quæ magna ex parte ex antiqua theologia, & litteris ſacris, fluxit, humanas figuras dare Deo ſolitam, quibus Deus circumamictus hominem aliquem regeret, illique vbiq; eſſet comes. Ac modò iuuenem, modò grauiſſimi aſpectus ſenem apparuiſſe. Homerus, cuius non repudio teſtimonium, cùm bene loquitur, filiā Dei, ideſt, ſapientiam, proponit humana figura aſſumpta, ire amantiſſimo iuueni comitem, eique optima conſilia proponere. Atque etiam Euſebij doctiſſimi, & infinitæ eruditionis viri, vt alios interim taceam, non tacebo teſtimonium, vt ſcias quis eſſet is, qui facie ad faciem cum antiquis patribus loquebatur, is libro primo Εʼυαγγελικῆς ἀποδείξεως, ſic ait ad verbū: Εʼπάκουσον γοῦν ὡς πάλιν αὐτὸς ὁ Μωσῆς τὸν ἐπιφανέντα τοῖς θεωφιλέσι, καὶ πολλάκις χρηματίσαντα αὐτοῖς τὰ ἀναγεγραμμένα, ποτὲ μὲν θεὸν καὶ κύριον, ποτὲ δὲ καὶ ἄγγελον θεοῦ προσαγορεύει: θεὸς μὲν καὶ κύριος τῶν θεοφιλῶν ἀνδρῶν ἀνθρωπευόμενος, ἄγγελος δὲ τοῦ ἀνωτάτου πατρὸς. Hoc eſt, Audi igitur, vt Moſes ipſe, eum qui amicis Dei olim apparebat, & cum illis ſæpe loquebatur, interdum Deum, Dominumque, interdum, & Angelum Dei vocitarit. Deus enim erat illorum piorum virorum, Angelus ſupremi patris. Hæc Euſebius. Hippolytus item Epiſcopus verbis ſuper Danielem ca. 10. de viſione quam idem Propheta vidit, ait, Εʼν μὲν ἐν τῇ πρώτῃ ὀπτασίᾳ ἄγγελος Γαβριὴλ πετόμενος, ἐνταῦτα δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλʼ αὐτὸν τὸν κύριον ὁρᾷ, οὔπω μὲν τέλειον ἄνθρωπον, ἐν δὲ σχήματι ἀνθρώπου φαινόμενον. Id eſt, In priore quidem viſione volantem ad ſe Angelum vidit, hic ipſum Dominum, non quidem cum perfectum hominem, ſed in figura humana apparentem. His Euſebius & Hypolytus commonſtrant Deum fuiſſe, qui à veteribus patribus viſus fuerit. Talem ego eum Adæ apparuiſſe cenſuerim, vt illius eximiam effigiem ille videret, ad quod exemplum, ipſe ab illo formatus fuerit, idque poſteris ſuis tota vita, quæ longiſſima fuit, prædicauerit. Vt eiſdem illis manibus viderit ſe ab eo creari, quibus vidit Abraham panem ſumentem, oriq; admouentem. Hancque cognitionem reor ad poſteros manaſſe.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.

Mirabilis ſcientia.

Ex me,

VT ſint omnia clariora, vim verborum, & tranſlationis proprietatem conſideremus. Cùm multa, è quibus inenarrabilis & inſcrutabilis ſcientia Dei exiſtat, propoſuiſſet, nunc perinde atque Paulus ille exclamat, O mirabilem ſcientiam, ad quam neque ego, neque quiſquam poterit acedere. Mirabilis apparet, & inſuperabilis, meiſque cogitationibus longè excelſior. Diffugit oculos meos. Duoſque hæc verba habent ſenſus, conſiderata, & accuratè animaduerſa ſermonis Hebraici proprietate. Nam quod dicit, ex me, poteſt transferri, & intelligi,

præ

Confortata eſt, Nō potero ad eā.

præ me, vt dicat, mirabilis eſt ſcientia tua prę me. Sic enim formantur Hebraicè comparationes. Ponitur nomen ipſum ſimplex, pòſt ſequitur præpoſitio מן id eſt, præ, cum re, cum qua fit comparatio. Ad quem ſenſum intelligendus eſt locus ille, Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Quæ locutio Hebraica eſt. Dicendum Latinè fuerat, potius quàm confidere. Et illud: Quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum, id eſt, plures. Hebraiſmus enim eſt. Similiter ſi dicere vellent, Deus eſt homine potentior, dicerent, Deus eſt potens præ homine. Hoc eodem ſenſu dictum eſt: Mirabilis eſt ſcientia tua prę me. Excelſior me eſt, non poſſum eam effugere. Et quod dixit, Confortata eſt, Græcè ἐκραταιώθη, clarius Hebraicè, נשגבה exaltata eſt, præualet, antecedit, ſupra me eſt. Et quod ſequitur: Non potero ad eam: id eſt, cum illa nihil poſſum. Non poſſum illam ſubterfugere: apud illam nihil poſſum. Vbiq; ab ea pręuenior. Is enim eſt loquendi Hebraicus modus. Is ſenſus eo quoq; probatur, quòd ſtatim ſubijcit, quò ibo à ſpiritu tuo? Ergo verior ſenſus eſt, vt dicat ſcientiam diuinam, omnes humanas aſtutias euincere, omnes omnium notas habere cogitationes. Neminem eſſe, qui ſe ab ea queat abſcondere. Adeſſe eam vbiq;, omnia intuentem ac ſcientem. Iuxta hunc ſenſum, qui mihi magis probatur, neceſſe eſt vocem Hebraicam, ממני (quam Sept. reddiderunt, ἐξ ἐμοῦ, ex me) interpretari, prę me. Quę eſt ratio ſermonis Hebraici in comparationibus. Nam alter ſenſus, vt dicat, ſcientiam, ſapientiamque Dei mirabilem apparuiſſe ex homine, id eſt, propter humanum opificium, bonus quidem ille, ſed agitur hoc loco non de ſapientia operum diuinorum, ſed infinita cognitione, qua nihil illi ſit obſcurum, præcipuè facta, cogitataque humana. Quod declarant omnes verſus, qui ſequuntur. Hiero. quoque hunc locum vertit, Supra me eſt ſcientia, & excelſior eſt. Hoc quod dixit, Non potero ad eam, Hebraiſmus eſt, id eſt, cum illa, iuxta illam, præ ea.

Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?

Spiritus.

Animi, cur ſpiritus dicantur.

SPiritum Hebræi hoc loco præſentiam interpretantur. Ac repetitionem eſſe dicunt, cùm ait, & quo à facie? Verum appoſitiſſimè locutus eſt Propheta. Propriè enim ſpiritum diuinum dixit, quia inuiſibiliter penetret in omnes partes. Omnibus autem in linguis idem eſt nomen ſpiritus ac venti. Sic Hebraicè, & Græcè, ſicut Latinè. Cur autem animi ſeparati atq; inuiſibiles, ſpiritus & venti vocentur, non vna fortaſſe ratio eſt. Nam cùm hoc nomen rei corporeæ ſit ſignificatio, ſpiritus fortaſſe dicuntur à corpore aerio, quo veſtitos eos ac circundatos eſſe, multi ſibi perſuadent. Vnde de his Heſiodus,

Ἠέρα ἑσσάμενοι πάντη φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν.
Aeraque induti tota tellure vagantur.

Animus.

Item ſpiritus appellantur, quia ſint inuiſibiles, ſicut aer, & ventus, mirabiliter autem perinde atque ventus, inuiſibiles operentur. Vt euertit ventus radicitus arborem, nec viderut ab vllo, ſic operantur ſpiritus miranda, à nemine viſi. Hac ego ratione putauerim omnes res, quæ noſtrorũ fugiunt obtutum oculorum, ſpiritus appellatas, quia plurimum à corporea natura recedant. Nã nomen ſpiritus cùm corporeæ rei ſit appellatio, tranſit ad ſignificationem incorporearum, propter ſummam affinitatem atque ſimilitudinem. Siquidem neque animus eſt nomen rei incorporeæ, ſed corporeę, Animus enim quaſi ἄνεμος, anemus, id eſt, ventus. Spiritus igitur, vel ſpiratio, ſeu ventus, cùm ſit res inuiſibilis, præpotens, operans mirabiliter, ſumptus eſt vt ſignificaret res incorporeas, quæ totæ ſunt inuiſibiles. Ac primùm ſpiritus dicitur, omnis inuiſibilis animus, deinceps omnis inuiſibilis res, quæ ex inuiſibili animo proficiſcitur. Primumq; ſpiritus cuiuſque, eſt ipſemet, id eſt, animus, non ſubſtantia quidem, ſed effectibus apparens oculis, Secretę autem animorum, & inuiſibiles operationes, ſpiritus, vel afflatus dicuntur, Quibus propter ſympathiã, ipſorumq; inter ſe conſenſum, ſe mutuo tangere & afflare animi poſſunt. De quo non eſt is diſſerendi locus. In afflatibus, inuiſibilibusq; aſpirationibus, ſpiritus diuinus, qui per omnia viſibilia, & inuiſibilia intenditur, tenet principatum, habens animos in poteſtate, eos quocunq; velit, mouendi potens. Ergo occulta Dei maieſtas, quæ per omnia ſparſa permeat, ſpiritus dicitur. Id eſt ſecreta quædam & oculis noſtris, qui craſſi, corporeiq; ſont, occulta poteſtas, omnia amplectens, vbique prędens. Ideoque Hebręi ſpiritum dicunt ſignificare aſſiſtentiam in omni loco diuinam. Eam celebrant vbique philoſophi, atque Poetæ. Proinde anima mundi ab antiquis dicebatur. Ac

Cicero.

Tullius philoſophiæ Latinæ princeps, cùm de ordine & conſtantia omnium rerũ loqueretur, hãc ſapientiſſimam vocem tulit: Hæc ita fieri omnibus inter ſe mundi partibus concinentibus profecto non poſſent, niſi ea vno diuino, & continuato ſpiritu, continerentur. Hæc ille dicens, oſtendit, & celebrat omnia implentem, viuificantem, vbique præſentem ſpiritum, ſic cognoſcentem omnia, ſicut alentem, viuificantemq;. Meminit ſpiritus huius etiam Ariſtoteles, qui de mundo differens, hæc dixit, Λέγεται δὲ καὶ πνεῦμα ἑτέρως ἥτε ἐν φυτοῖς, καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων ἥκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία, περὶ ἧς λέγειν νοῦν οὐκ ἀναγκαῖον. Hoc eſt, Alio item modo, inquit, ſpiritus dicitur quædam tum in plantis atque animantibus, tum per omnia commeans animata, fœcundaque ſubſtantia, de qua nunc loqui non eſt neceſſe. Hæc Ariſtotelis deſcriptio

Ariſtotel.

ferè repræſentat illud, quod iam diximus. Spiritus igitur diuinus eſt vis ac poteſtas vbique diffuſa, omnia continens animans, exaudiens, videns, quo vniuerſa indigent ad vitam ac ſui prouidentiam.

A uidentiam. Rectè igitur dixit: Quo ibo à ſpiritu tuo? Nemo enim poteſt illos oculos effugere, non corporeis modo motionibus, ſed ne animi quidem.

Si aſcendero in cęlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.

DVas inter ſe remotiſſimas proponit mundi partes, ſupremam, altiſſimum cœlum, atque infimam, quæ infernus appellatur. In his locis, qui ſunt maximè longinqui, ſi nemo valet conſpectum Dei effugere, multo magis nullus erit locus, in quo in præſentiam Dei non incurras. Atque eſſe remotiſſimas mundi partes cœlum & inferos, phyſica quoque ratione probatur. Orbis enim quidem eſt terra, non tendens in infinitum, nec in profunditatem interminatam procedens. Nam cùm quantitas terrarum, ſupremaque circunferentia, & ambitus, quem numerum habeat, ſit certis rationibus deprenſum, facile poteſt intelligi, quanta ſit earum profunditas. Omnis enim orbicularis corporis ambitus, triplo ac dimidio maior eſt diametro, id eſt, linea, quæ ab extremo ad extremum recta per centrum egreditur. Si igitur deprenſum eſt, quod quidem facillimum fuit, quantus ſit orbis terrarum, id eſt, tota ſurſum ac deorſum, ac circum, ſuperficies terrarum, deprenditur etiam quanta ſit earum profunditas. Terras autem non eſſe infinitas, nec in infinitum ſubſidere, declarat quotidiana cęli rotatio, ac reditus luminum cęleſtiũ, quę vigintiquatuor horis hunc orbem circumeunt. Circũeunt autem ab illo remotiſſima, vt ſi terris propius ferrentur, iter quod diei ac noctis conficitur ſpatio, vnius horæ conſiderata ſituũ proportione, ſit conficiendum. Breuiſſimus igitur eſt, reſpectu mundi, terrarum orbis. Quo loco audi ipſum illum Ariſtotelem: καὶ τῶν μαθηματικῶν ὅσοι τὸ μέγεθος ἀναλογίζεσθαι πειρῶνται τῆς περιφερείας, εἰς τετταράκοντα λέγουσιν εἶναι μυριάδας σταδίων, ἐξ ὧν τεκμαιρομένοις οὐ μόνον σφαιροειδῆ τὸν ὄγκον ἀναγκαῖον εἶναι τῆς γῆς, ἀλλὰ καὶ μὴ μέγαν πρὸς τὸ τῶν ἄλλων ἄστρων μέγεθος. Quæ ſunt: Quin & mathematici, qui hunc numerum colligere conati ſunt, ferunt terrarum orbem procedere vſq; ad quadraginta millia ſtadiorum. Ex quibus non ſolum globum terræ orbicularem coniectantibus eſſe neceſſe erit, ſed etiam non adeo magnum, ſi cum cæteris aſtris conferatur. His Ariſtote. oſtendit terram in orbem, vel circunferentiam eſſe circiter quinquaginta millia milliariorum. Tot enim ferè ſunt quadraginta millia ſtadiorum. Si tanta igitur eſt circunferentia, profunditas, id eſt diametros erit triplo dimidioque minor, id eſt, nouem millia milliariorum. Hæcque quantitas terrarum eſt à ſummo vſque ad ſummum. Centrum autem in medio eſt, quod æqualiter ab vtraque parte diſtat. Quatuor igitur millia milliariorum ac quingenta, plus, minus, ſunt vſq; ad centrum terræ, id eſt, locum profundiſſimum, & à cęlo remotiſſimum. Quo cum perueneris ad alteram terrarum partem propinquabis. In centro autem terrarum, maximeq; longinquo loco à luce, & ſede diuorum, inferos eſſe, omnibus gentibus eſt perſuaſum. Appellatur autem is locus Hebraicè שאול sheol, id eſt cauerna, foſſa, vt locus qui ſit profundiſſimus, altiſſimaque quaſi cauerna, nulla vt ſit profundior, ἀντονυμικῶς, dicatur foſſa, cauerna. Chaldaicè dicitur ob eandem cauſam, puteus. Quæ etiam noſtri ſenſerunt, vt,

Diametrũ.

Centrum.

Inferi.

–Tantum tenditque ſub auras,
Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus olympum.

Græcè dicitur ἄδης, quaſi informis, locus turpiſſimus, fędiſſimorum incolarum fędiſſima regio. Nullaque eſt natio & lingua, quæ non confiteatur inferos. Qui tametſi non ſit locus damnatorum, infima tamen terrarum pars eſt. Nam ſuppliciorum loca, & ibi, & alibi fortaſſe ſint. Vbiq; igitur eſt Deus. In cœlo confitentur omnes gentes ac litteræ eſſe ſedem eius. Quod Ariſtoteles dicebat, Ac ſedes quidem in cœlo eſt, & præſentia, poteſtas vero tendit vſquequaque implens vniuerſa. Cœlum, inquit Eſaias, ſedes mea, terra ſcabellum pedum meorum. Regnat igitur in cęlo, illicque à diuis aſpicitur, cuius illi iucundiſſimo conſpectu fruentes, æterna voluptate ſaturantur. In quo maxima quæque ineſſe gaudia neceſſe eſt. Vt igitur ſol eſt in cęlo corpore ac ſitu, & ſtatione ſua, terras autem luminibus luſtrat omnia proſpiciens, talem neceſſe eſt nos cogitare Deum, qui quidem eſſentia ac præſentia ſit in cœlo, ſpiritus eius, & cognitio, & ſcientia vſquequaque pertineat. Erat IESVS cum diſcipulis, loquebatur, videbatur, videbat idem, quæ cæteris in locis fierent, quaſi præſens eſſet. Scientia igitur attingit omnia, intra, & extra mundum, vt nulla res ſiue exiſtens, ſiue non exiſtens, oculos eius, infinitamque ſcientiam effugiat. Porrò quod ait, Si deſcendero in infernum, Hebraicè אציעה ſi iacuero, vel penetrauero, ſi cubile meum poſuero in inferis, vt quaſi à conſpectu tuo fugiam, & in loco ſim, vt à te non videar, tutum ac ſecurum me ab oculis tuis arbitrans. Vt etiam radiis ſol omnia luſtrans non inficitur, ſic eadem inſuperabili diuinitate Deus, & videt omnia, & videns ac ſciens loca inferorum non turbatur, non læditur, omnium ipſe Dominus, & autor, & conſtitutor, tam iuſtiſſimus atque optimus, quàm potentiſſimus ac ſapientiſſimus.

Heb. 1.

Sol.

Si deſcen.

Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.

COgitat omnia, ſibique proponit, quibus declinari poſſe præſentiam illam, vaſtamq; ſcientiam quis ſibi perſuaderet, nihilque relinquit quod in cogitationem poſſit cadere. Neque verò proponit tantum quæ fieri poſſint, ſed etiam, quę poſſint cogitari. Fac igitur, inquit, vt in

cęlum

cœlum aſcendam, ecce illic potiſſimum ades. In infernum deſcendam, ne hic quidem non inuenieris. Dentur mihi alæ, vt longiſſime auolem, & exorta aurora curſum velociſſimum in vltimum Oceanum perueniam: A Iudæa vſque ad toto diuiſos orbe Britannos, nonne perinde hic aderis, vt cæteris in locis? fortaſſe etiam hic magis, quanto, & pietate, & fide, & caſtis, & aſſiduis precibus illuc vocaris. Quot illic exaudis, opem tuam implorantes? Quot piè ac bene facta ab illis extremis hominibus, ante oculos tuos perueniunt? Si igitur pennis aſſumptis, mane, primo quoque tempore, vt longius procedere die tota liceat, ab ortu in occaſum, aut ab occaſu in ortum me transferam, ſed propriè de occaſu loquebatur, nonne eris vbique mihi comes? Extrema maris, Hebraicè אחרית extremitas. Ibique eſt finis orbis terrarum, & eius quæ Græcè dicitur οἰκουμένη, id eſt, quidquid terrarum habitatur. Huc ſi perueniam, inquit, nihilominus eris in his extremis mundi locis incognitis, ac in cæteris terrarum partibus. Quod dixit: Si ſumpſero pennas meas diluculo, Hebraicè habet, כנפי שחר pennas diluculi, vel pennas auroræ. Duosque habet ſenſus, eum quem ſuperius propoſuimus, pennas ſcilicet mane aſſumptas. Secundus, vt quaſdã pennas auroræ commemoret, non recedens à conſuetudine poetarum, qui roſeos oculos, genas, digitos, auroræ attribuunt. Vt ergo Homerus auroram dicit, ῥοδοδάκτυλον, ſic diuinus poeta dat illi alas, quibus nihil ſit velocius. Iſtis alis aurora repente ab ortu deuolat in occaſum. Vno momento vſque in vltimum Oceanum excurrit. Nam cùm dies terris irradiare cœpit, quæ aurora dicitur, breuiſſimo temporis interuallo omnia luſtrantur. Et recedens aurora ab antipodibus, noſtraſq; regiones appetens, paulatim gentibus omnibus, & terris oſtenditur. Is videtur verior ſenſus. Pēnæ igitur auroræ, eſt velociſſimus auroræ per omnem mundũ decurſus. Vt etiam, inquit, hac ſim præditus velocitate, fugiens conſpectum tuum, nihil tamen profecero.

Diluculo. Extrema maris. Si ſumpſe. pen. me. di.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Etenim. Manus dextera. Act. 17.

PRo Etenim, Græcè καὶ γὰρ, Hebraicè eſt גם etiam. Quare dicendum, etiam, vt ſenſus oſtendit. Nulla enim redditur cauſa eorum, quæ ſunt ante dicta, ſed ea confirmãtur. Etiam inquit, manus tua deducit me. Tantum abeſt, vt te effugiam, vt etiam motus ille meus, à te regatur ac ſuſtineatur. Neque enim eò volaſſem, niſi ſpiritus tuus, tuaque illa per omnes terras ſparſa poteſtas, me rexiſſet, eoque deduxiſſet. Omnis enim omnium vita ac motio viuit ac mouetur in illa principe vita, quæ eſt vitalis cauſa omnium rerum. Putas igitur te, vel digitum procedere poſſe, niſi Deus eſſet tecum? In illo viuimus omnes, ait diuus Paulus. Nec ſolum genus ab eo ducimus ac principium, ſed alimur, viuificamur, mouemur. Si vel vno ictu oculorum ſe ex hoc mundo ſubduceret, tota machina laxatis ordinibus ac vinculis collaberetur. Non moueretur cœlum, non fulgerent ſydera, miſerabilibus tenebris omnia inuoluerentur, vno omnia interitu, luce ac vita illa deſtituta conciderent. Si igitur omnium penes ſe habet ille vitas, quia ſparſa eſt vbiq; eius diuinitas, quomodo ſine illo viuere, moueriq; poterimus? Audi igitur etiam teſtimonium diuini Ariſtotelis, quod ab illo prolatum, exoſculandũ eſt à nobis. De Deo ſic ait: οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' αὑτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας, σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐστὶ καὶ γενέτωρ τῶν ὅπως δήποτε τῶν κατὰ τόνδε τὸν κόσμον συντελουμένων, δυνάμει χρώμενος ἀτρύτῳ, δι' ἧς καὶ τὰ πόρρω δοκοῦντα εἶναι περιγίνεται. Nulla natura, inquit, ipſa per ſe, ſibi ſatis eſt, Dei ſalute deſtituta. Eſt enim vere cõſeruator & genitor omnium rerum, quę quoquo modo fiant in hoc mundo. Vtens indefatigabili poteſtate, per quam etiam, quæ procul diſſita videntur, exuperat. Cernimus igitur omnium magnorum virorum eſſe conſenſum, omnia viuere ac moueri à Deo, & conſeruari fierique ab eo. Hoc dicit & confitetur diuinum oraculum.

Ariſtotel. Deus pat. & ſeruat. omnium.

Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

In del. me.

CIrca verba, hæc ſcienda ſunt: Hæc periodus (eſt enim ad arcem ſermonis Hebraici confugiendum) ſic debet iuxta verborum proprietatem transferri: Et dixi, Certè tenebræ obſcurabũt me, nox quoq; lux erit cõtra me. Hier. itẽ reddidit, Nox quoq; lux erit circa me. Itaq; vt diligentius cuncta penſitẽtur, cur Sept. tranſtulerint, delicias meas, quod Hebraicè ſignat contra me, hæc fuit cauſa. Deliciæ dicuntur עדן Bheden, aduerbium autem quod ſignificat contra, eſt. בעד bahad, ſi dicendum eſt, contra me Hebraicè, dicitur duobus modis בעדי bahadi, & cum nun בעדני bahadeni. Itaq; fit vt eadem dictio poſſit eſſe una ſimplex, videlicet bahad, aut duæ: ba, id eſt, in, heden delitiæ poteſt quidem duplex eſſe vocis iſte ſignificatus, ſed omnino ſi ſenſum reſpicias, dicendum eſt, contra me, ſicut, & Hebræi interpretantur. Quare poſteaquã remotiſſima quæque loca veſtigauerat, ſupremum mundi cælum, centrum terrarum inferos, quin & extrema orbis terrarum, id eſt, mare oceanum, nunc ad tenebras tranſit, quibus acies oculorum impeditur, ac res corporeæ occultantur. Ac poſſet ſibi aliquis perſuadere, ut ita non videret in tenebris Deus, ſicut non uident mortales. Summouet igitur hanc ſtultiſsimam opinionem, dicens, omnia eius oculis patere, nec minus illi lucere noctem atque diem. Ideoque ait, At ſi mihi perſuaſero occultare me tenebris poſſe, quid profecero? nox erit illuminatio, vel iuxta Hebraicum, lux aduerſum me. Nox in lucem vertetur contra me ut me uideas, vt oculos tuos extendas. Prębebit tibi lucem nox ipſa contra me, in me, lucebit, ſicut verſus terras Sol radis dios eiaculatur. Ac quod dixit lucidam eſſe Deo noctem, vt aſpectum eius impedire non poſſit, facile eſt intellectu, cùm etiam ſint animantes quæ noctu videant, alij qui è remotiſſima regione minima quæque cernunt. Cogitare igitur debemus, quod antè diximus, eaſdem animos ſeparatos habere facultates ſine organis, quas in organis habeant animantes. Nos autem aſſueti rebus noſtris, nō putamus videri poſſe ſine oculis, audiri ſine auribus, impelli quicquam ſine manibus. Quæ cogitatio etiā terrenis exemplis coarguitur. Diximus piſciculum Echenein, ideſt, remoram, ſine manibus, ſine robore corporis, ſine neruis, ſiſtere incitatiſſimā nauim. Experimur etiam eſſe quædam animalia quæ noctu videant. Remoueamus igitur mentem à rebus noſtris, cogitemusq; res diuinas & inuiſibiles, ſciamusque earum longe aliam eſſe atque terrenarum iſtarum rationē. Non enim continetur humore oculorum omnis viſio, ſicut non omnis impulſus manibus. Non omnis item ingreſſus fit pedibus, celeriter enim procurrunt ſerpentes ſine pedibus. Minus item illa eſſe, ſunt neganda, quæ oculis non uideantur. Quis enim neſcit quales ac quantæ res ſint ſonitus ac voces, quæ tamen oculis non percipiuntur? Diuerſa ſunt igitur & rerum & facultatum genera. Nec omnia videntur, nec omnia quæ uideri poſſunt, ſolis corporeis oculis cernūtur. Atque oculis corporeis luminoſus aer eſt neceſſarius: at mens abſq; hiſce innumerabilia uidet, & intelligit. Deus igitur eſt mens & ſapientia perfectiſſima, nullamq; habet cum corporibus affinitatem, ut illi vel lux corporea ſit neceſſaria, vel tenebræ illi inhorreſcant. Nec luce illuminatur, nec tenebris caligat, ſed eodem modo videt in luce, ac non in luce, ſicut eodem intelligit modo, ſiue in luce ſine in tenebris animus. Vt enī exteriore luce mens non illuſtratur, ſic nō obſcuratur Quid? Vbi Deus erat antequam lux eſſet? Et nunc in cælo ſedem habet, in quo nulla ſydera micant, non irradiat Sol, nec Luna ſole clareſcit. Qui igitur creator eſt omnis lucis, eum neceſſe eſt nulla indigere luce. Nullus enim artifex non pollet longè meliore virtute, quàm opus quòd à ſe efficitur. Ergo qui lucis corporeæ fuit creator, eum in melioribus quibuſdam rebus verſari neceſſe eſt, quadam celſiore frui ſapientia, quadamque luce æterna, & incommemorabili, quæ quidem qualis ſit, prorſus cogitare non poſſumus, ſed eam eſſe maximam, longeque corporea luce meliorem intelligimus. Idq; percipimus ratione, non cogitatione. Sentit enim id ratio, omninoque decernit: ſed non percipit cogitatio, cui corporeæ res tantum ſunt notæ. Spirituales autem quaſdam formas agnoſcit quidem, ſed formas uidelicet non remotas. Fertur igitur etiam dixiſſe. Epicharmus, νῦς ὁρᾷ, νῦς ἀκύει, τὰ δ᾽ ἄλλα πάντα τυφλά Mens videt, mens audit, cætera cæca ſunt vniuerſa. Quare fatendum eſt oculatiſſimos, perſpicaciſſimosque eſſe Angelos, & ſpiritus humanos ſeparatos, rebus ſuis congruere ratione, ſicut etiam diuerſa atque nos ratione uiuunt. Viuimus ipſi ſpiritum attrahentes, cibo mortali veſcentes, longè diuerſiſſima eſt uita Angelorū. Qui quidem viuunt, ſed quadam incognita uita, beatiſſima quidem illa, atque altiſſima, vt vita noſtra ad illam ſit quaſi vita plantarum. Habent ergo ſenſus perfectiſſimos, perindeque vident in tenebris ipſi ac luce, ſicut nos æquè audimus in tenebris ac luce. Et vt aures noſtræ non indigent luce ad ſonos excipiendos, ſic illis ad uidendum non eſt lux neceſſaria. Hac autem facultate omnibus modis Deus ſuperat Angelos. Hoc igitur loco pro in delicijs meis, legemus, contra me, & quod verterunt, Tenebræ conculcabunt me, rectius eſt dicere, obſcurabunt. Nam ישופני ieshupheni, non ducitur à שוף shoph, id eſt calcauit, ut interpretes videntur opinati, ſed נשף nesheph, id eſt crepuſculum, obſcuritas. Eſtque verbum in quo abijcitur in futuris nun, iuxta Grammaticam Hebraicam.

Membr. in Deo ut ſit.

Artifex, opere ſuo melior.

Mens Videt, Audit.

Conculcabunt me.

Etiam tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

BIs, ac ter, & quater eandem rem inculcat, propter ſummam Dei ſapientiam, quam cupit omnibus modis reddere teſtatiſſimam. Itaq; quod paulò antè dixerat, ter repetit hoc loco. Prudenter hoc faciens, vt uidere in tenebris, quod penè difficilè factu hominibus videtur, clarius crebra aſſertione innoteſcat. Dico, inquit iterum, iterumque moneo, tibi tenebras non inhorreſcere, dico te eam eſſe lucem, qua præſente, omnes tenebræ diſſoluantur. Potes enim tu efficere, ut in medijs tenebris, Sole Antipodum campos illuſtrante, ſubita & inſperata lux exoriatur. Et talis lux, vt mirabiliter animum & oculos paſcat, ac ſtupore compleat. tibi ad me noctu venire placeret, comes eſſet tibi incommemorabilis lux. Quis enim illam columnā lucis, quæ noctu illuceſcebat Hebræis, totque millibus hominum, veſtigia, quo figi debebant, oſtendebat, & latè radios ſpargens, nocturnas tenebras diſſipabat, creauit? Si tu es igitur lucis corporeæ creator & inuentor, quis non intelligat te eſſe quendam lucis theſaurum, rem quantam omni luce maiorem? Similiter igitur tibi nox ut & dies ſplendeſcit. Quoniamq; animi ſapiētum conſentiunt, admirare etiam eadem dicentem Pindarum Thebanum. Θεῷ γὰρ φησὶ, δυνατὸν μελάνας νυκτὸς ἀμίαντον ὄρσαι φάος κελεναιφεῖ δὲ σκότει καλύψαι, καθαρὸν ἀμέρας σέλας. Deo, inquit, facile eſt, ex nocte tetra, puram accendere lucem, rursùmque, obſcura nocte, lumen obſcurare niridum. In verborum autem proprietate hæc ſcienda ſunt. Primum quod Sept. tranſtulerunt. Tenebræ non obſcurabuntur a te, לא יחשיך Hebraicè, non tenebrare facient, non obſcurabunt, ſubaudiuntque Hebræi, vllam rem, id eſt, Tenebræ non occultabunt tibi ullam rem.

Colū. ignis

Theodorit. cyr. 56

Matth. 27.

Tenebr. nō obſc. à te.

Et

Illuminab.
Sic.tene. c.
ita & lu. c.
Conciliat.

Et quod dixerunt, Illuminabitur, eſt יאיר id eſt, lucere faciet. Nox, ait, perinde atque dies illuminabit tibi res, nihil non perſpicuum tibi faciet, non ſecus, atque dies. Deinde quod tranſtulerunt ὡς τὸ σκότος αὐτῆς. οὕτως καὶ τὸ φῶς αὐτῆς: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. In Hebræo non ſunt relatiua eius, quo enim refertur eius? Quare Hebraicè dicitur כחשכה כאורה vt tenebræ, ſic lux: ſic tenebræ, ſicut & lux. Videnturq; Septuag. credidiſſe vltimum He, eſſe ſicut ידה manus eius. Sed quia deeſt punctus, qui format relatiuum fœmininum, dicendum per paragogen He ſcriptorem protuliſſe pro חשך chosheh, חשכה chasheka: & pro אור or, אורה orah, primum ſignat caliginem, alterum lucem. Hæc autem dicimus, ut tralationem noſtram faciamus clariorem, Hieronymus etiam vertit, Similes ſunt tenebræ, & lux.

Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ.

Suſcipere.
Hom. pio.
Renes.
Sed, animi, Cor.
Caput.
Præcor.
Mens in capite.
Spiritus
Mortalis.
Cœleſtis.
Anima
Sentiens.
Intelligẽs.
Mens, homo.
Cogitationes
Puræ.
Corporeæ
Renes:

IN verbis hoc tantum ſciendum, multis in uocibus eum qui Pſalmos fecit è Græcis Latinos, non fuiſſe perfectè ſenſus Græcæ dialecti aſſecutum. Veluti quod Septuaginta tranſtulerunt, ἀντελάβου μου, apprehẽdiſti me, ſuffulſiſti me, ac ſuſtẽtaſti, qđ reſpõdet Hebraico תסכני Latinus ſicut ſolet, ſemper vertit, ſuſcepiſti. Quare iuxta Septua. dicendum eſt, Suſtinuiſti, ſuſtentaſti me ex vtero matris meæ. Quanquam Hebraicum poteſt iuxta Hebræos ſignare, operuiſti me, ut dicat, Et in vtero matris creaſti, formaſti me, ſpiritumque meum corpore ueſtiſti. Sicut beatus Iob ait, Oſſibus & neruis cooperuiſti me, ubi eſt hoc uerbum. Hunc itaq; ſenſum innuit Propheta: Qui fieri poteſt, vt quòd à principio dixi, non ſit verum, te uidere cogitationes meas, cùm eas ipſas ſedes poſſideas, in quibus cogitationes formentur? cùm animi domicilium poſitũ ſit à te, atq; repertum, & excogitatum, & conſtitutum, & quaſi exædificatum? Primum ſpiritum meum qui à te ueniebat, id eſt me ipſum, tu perinde quaſi ueſte, corpore circundediſti, ſedem animi & cogitationum tu paraſti, atque ſtabiliſti. Si hæc ſunt, cætera quis non uideat, motus animi, cuius creator fuiſti, & in domo propria eum collocaſti, te habere comprenſos? Hæc ait diuinus Propheta. Sunt autẽ pleraq; obſeruanda, Primum ſacras litteras teſtari, id quod & Græci demonſtrant, ſedem cogitationum eſſe renes. Quidam igitur domicilium animi, τὸ ἡγεμονικόν. dixerunt eſſe Cor, alij in capite conſtituerunt, cæteri circa præcordia. Quæ quidẽ res non uidetur eſſe iſtius loci, nec tempus poſcere, ut id à nobis extricetur. Nam ſacræ litteræ ubiq; loquuntur à corde naſci cogitationes, quod & ipſa veritas dixit: De corde, inquiens, exeunt adulteria, fornicationes. Hacq; confeſſione plenæ ſunt ſcripturę ſacræ. Vnde & latinè uecordes & excordes. Rurſum nemo neſcit menti, & puriſſimæ animi parti, à qua & cogitationes, & conſiderationes, proficiſcuntur, in capite ſedem ſolere conſtitui. Fortaſſe igitur dicendum eſt, quod etiam, certis conſtat exemplis, vitam quæ ſenſibilis appellatur, naſci ac proficiſci à corde, qui eſt fons ſanguinis, per quod ſanguis excretus ac purificatus in venas tranſmittitur. In ſanguine autem, autore etiam Platone, & Mercurio Triſmegiſto, continetur is qui dicitur ſpiritus. Non ille ſpiritus cęleſtis, qui nullam habet cum corpore ſocietatem, ſed ſpiritus mortalis, ac vita quædam corruptibilis, quæ eſt etiam in brutis animantibus. Vide igitur & obſerua totam conſecutionem. A cibo oritur χυμὸς, id eſt, ſuccus medius inter cibum & ſanguinem, tum calore cordis, (qui fons ac ſedes caloris animantum) chymus vertitur in puriſſimum ſanguinem, à ſanguine ſpiritus ille conſurgit, ſpiritus fertur ad caput, vbi ſunt ſenſus, ubi & animalium vita perficitur. Sedes autem atque domicilium mentis & intellectus, eſt anima ſentiens. Quarum propter ſummam coniunctionem, fit, ut anima intelligens, ſeu mens communicet cum illa in pleriſque cogitationibus, quarum quędam principia ab anima ſentiente exiſtunt. Itaque à corde naſcuntur cogitationes, quia de corde, anima ſenſitiua, quæ mentis eſt domicilium, naſcitur. Animaque ſentiens principium eſt terrenarum cogitationum, cupiditatum, ac libidinum, ad quas appetitione corporis incitãte ferimur. Altiſſima verò pars animi in capite id eſt, ipſe totus ac verus homo. Atque, ut ait Ariſtoteles, νοῦς μὲν πᾶς ὀρθός ἐστὶ, ὄρεξις δὲ καὶ φαντασία, καὶ ὀρθὴ καὶ οὐκ ὀρθή. Senſus omnis, ſeu mens recta eſt, appetitio autem & phantaſia recta & non recta. Quamobrem verè dicitur, in capite, & in corde eſſe cogitationes. In corde quidem, quia ſanguis & ſpiritus & anima ſentiens illic oritur, tum appetitiones & libidines, & irritationes, quæ omnes à ſanguine habẽt principium. Mentis autem domicilium, ac vehiculum, eſt anima ſentiens, quæ aſcendens a corde ad caput, ibi præcipuè commoratur, ſuper quo tanquam vehiculo mens ſedet, & dominatur cùm vult. Duoque ſunt genera cogitationum, quædam altiſſimæ, ac puriſſimę, quę à mente pura, tanquam fonte naſcuntur, quędam corporeæ & libidinoſę, quæ a ſanguine & anima ſentiente ferè producuntur, id eſt, irritante ſanguine totum corpus, & inflãmante, quę inflammatio in animalibus eſt animata, ad vſq; animum perueniens, eumq; ipſum etiam inflammans. Hoc modo verum eſt a corde cogitationes & a mente generari. Quę ſunt quaſi duo principia, nunc eodem, nunc in diuerſa tendentia. Ad propiora nunc venio, Nam cùm cor ſit principium cogitationum, id eſt, animę ſentientis, ad hanc rem efficiendam, etiam pręcordia quę circum cor exiſtunt, auxiliantur. E quibus ſunt renes, qui loca ſunt occulta atq; interna, in quibus genitura perficitur. Eoque illic neceſſe eſt eſſe pręcipuam generationem corporis, & animę ſentientis. Vbi enim humanum principium gignitur, maximam illic decet eſſe hominis partem. Quamobrem ſępiſſime dicunt ſcripturę, Deum ſcrutari renes, quaſi illinc feruere, & inchoari animam ſentientem aſſererent. Quod quidem & exemplis probatur: quandoquidem varijs, & in ſomniis & in vigilia cogitationibus infeſtentur, quibus eæ ſedes repletæ ſunt. Ac quod noſtri tranſtulerunt, renes, vox Hebraica כליות propriè ſonat vaſa, & quaſi genituræ receptacula, quam præcipuam atque optimam ſanguinis partem opinantur. Eamque vocem Abraham ſignificare aſſerit הקרבים id eſt, præcordiorum quandam partem, licet à corde diſtent. Eadem vox, id eſt, kiliotai, quam renes, noſtri vertunt, opinantur nonnulli Hebræi duci à כלה kala, quod ad alia, ſignat delectari, iucundari, quia illic ſit maxima animæ terreſtris delectatio, eoque etiam maxima commotio, & κνησμὸς ἰσχυρὸς, vt ait Ariſtoteles. Quare cauſa patet cur renes, cogitationum principia veteres crediderunt. Siquidem & Græci φρένα, appellant mentem, cogitationem, ſeu cogitandi, & ſentiendi facultatem, quam dicunt ὑμένα τίνα. Alij ὁ ὑπεζωκὼς καλούμενος, id eſt, pelliculam eſſe quandam quę ab aliis vocetur cinctum. Inde dicitur ea pars quæ ex aduerſo corporis huic reſpondet, μετάφρενον, id eſt, ſcapula. Dicunt quoque φρένα, eſſe præcordiorum, ſeu viſcerum quandam partem, quę etiam diaphragma, id eſt, ſeptum tranſuerſum dicatur, vt ſit muſculus diuidens iecur à liene, & pulmonibus, ac corde. Secundum etiam veteres φρένες, ſunt quæ diſiungant locum qui hæret ſub pulmonibus & corde, quæ ad intelligendum ſit comes. Ab hac Græci deducunt φρονῶ ſapio, ſentio. Quare hoc ferè cum Hebraico concordat. Quin etiam Homerus in oſſibus collocauit animum, dicens: λίπε δὲ ὀστέα θυμός: id eſt, animus tunc oſſa reliquit. Attende etiam quæ ab Ariſtotele in declarationem iſtius loci dicantur. ὅτι μὲν οὖν ἡ τῆς αἰσθήσεως ἀρχὴ γίνεται ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ μέρους τοῖς ζώοις, ἀφ' οὗπερ καὶ ἡ τῆς κινήσεως, διώρισται πρότερον ἐν ἑτέροις: αὕτη δὲ ἐστὶ τριῶν διωρισμένων τόπων ὁ μέσος κεφαλῆς καὶ τῆς κάτω κοιλίας. Eſſe, inquit, animalibus principium ſenſus in eadem parte, atque principium motus, ſuperius determinatum fuit. Hoc principium ex tribus locis diffinitis, eſt medius capitis, & ventriculi inferioris. Vides igitur in quibus locis principium ſentiendi locauerit Ariſtoteles. Nam illud Hebraicum kelaioth eſt infimus ille ventriculus. Idem de generatione animalium diſſerens ait, μόριον ἐν ᾧ ἀποκρίνεται τὸ σπέρμα ἐστὶν ὁ τόπος ὁ περὶ τὸ ὑπόζωμα τοῖς ἔχουσι. Pars in qua genitura excernitur, eſt locus circa ſeptum his qui ipſum habent. Ergo eadem pars principiũ generandi & ſentiendi. Ac quod dixit Propheta, poſſediſti renes meos duos habet ſenſus, vel principia cogitationum mearum, cogitationesque ipſas, aut formam corporis, & corporis membra habes in poteſtate, quia tu ea creaſti. Cui quadrat, ſuſcepiſti me de vtero. Quod iuxta Septuaginta dicendum eſt, ſuſtentaſti, iuxta Hebraicum, cooperuiſti. Ideo Hieronymus, Orſus es me ab vtero matris meæ. Quo loco obſerua Prophetam dicentem ſe à Deo oſſibus & corpore circundatum. Ergo innuit quod & Socrates, & Plato, cæterique ſapientes confeſſi ſunt, hominem verum, eſſe animum, mentemq; ipſam, quam Deus, vt iidem dixerunt, in corpore collocauerit. Propterea ferebant non eſſe iniuſſu eius hinc recedendum, qui hic nos conſtituiſſet. Hæc autem ex illis citamus, bona tantum eligentes. Clamat ergo Vates, ſi tu ergo in tenebris vteri materni me formaſti, compegiſti, tenuiſti, nonne vbique me cernes, & videre poteris? Multo certè magis. Agnoſce etiam hoc loco creationem ſuam, Vatem in Deum referentem.

Poſſediſti renes me.

Homo verus.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima cognoſcet nimis.

IN vocibus hęc ſcienda ſunt. Vbi tranſtulerunt Septuaginta ἐθαυμαστώθης, terribiliter magnificatus es, Hebraicè hebetur נפליתי magnificatus ſum. Et Hieronymus hanc perſonam volens exprimere, vertit, Magnificaſti me: vt de ſeipſo hoc Propheta dicat, innuens ſummam in corpore ſuo Dei apparentem ſapientiam. Locutus eſt enim antè, ac quaſi fundauit ſermonem de diuino opificio: ſenſus quidem idem. Nam quod dicit Hebraicum de opificio, redundat in gloriam opificis, in quo ipſe magnificatur. Et quod Latinus vertit, magnificatus es, Græcum magis reſpondet, ἐθαυμαστώθης, mirabilis effectus es, mirabilis oſtenſus. Hebraicè נפליתי Quod autem dicit, terribiliter, intelligendum eſt quaſi ſtupendè, mirabiliter, eo vſque vt animus conſiderando exterreatur, ac quaſi ſtupeſcat attonitus. Illud quoque quanquam exiguum eſt, emendandum, Cognoſcet nimis, dicendum per præſens, cognoſcit, iuxta Græcum γινώσκει, & Hebraicum ידעת. Et pro terribiliter, Hebraicè eſt, נוראות terribilia, mirabilia. Hæc igitur manifeſto de humano corpore, & animo, quod Lanctantius diuinum opificium, ſacras litteras ſecutus, appellauit, dicuntur, quod mirabile & infinitæ propè contemplationis ſapientiſſimo cuique eſt viſum. Siquidem ad commonſtrandam prouidentiam diuinam hoc cum primis argumento Tullius eſt vſus, totumque hoc ſapientiſſimè deſcripſit. Quem & Lactantius ſecutus eſt. Apud Græcos pulcherrime ſuper eo diſſeruit Theodoritus in libro de prouidentia, in quo vir ſapientiſſimus, perſpectis argumentis, annixus eſt claudere os prouidentiam blaſphemantium. Quoniam igitur Propheta ait, Admirabilis factus ſum ob ſapientiam quam in me conſtituendo adhibuiſti, te celebrabo, & indefeſſa voce prædicabo. Id enim ſonat Hebraicum, quod noſtri & Græci tranſtulerunt, confiteri. Quis eſt enim, inquit, cui non mirabile ſit humanum opificium, non inauditæ & incommemorabilis ſolertiæ ac prudentiæ aſſeratur? Apprime vero illud eſt mirabile, vt ne explicari quidem poſſit, quo modo coniuncta ſit anima intelligens cum ſentiente, id eſt immortalitas

Terrib. magni. es.

Cognoſcet nimis

Confiteri.

cum mortalitate copulata,& quo modo cum duæ prorſus animæ ſint,anima brut
Angelorum,id eſt mens,ex duabus tamen hiſce diuerſiſſimis rebus vna facta ſit,
ſubſtantia,& ita facta,vt etiam diſſoluantur,vt vinculum & diſiunctio eadem in
Nam quanquam ſit mirabile opificium corporum brutorum , hic tamen, hic pro
pet,hęretq; cogitando. Hæc illa arx altiſſimæ ſapientiæ, cum anima corruptibili
immortalem. Miratusq; ipſe ſæpe mecum ſum, qui fieri poſſet, vt non eſſent du
eum in diuerſas partes agerent,ſicut ſi duos diuerſæ naturæ colligares. Hæc, ait
mea cognoſcit,hæc aſpicit mens mea,& exultat, & te celebrat, laudatque. Quo
omnes aduertant diuinos viros fatentes,ſe erumpere in laudes Dei,opera eius m
videntes in hoc mundo. Meditemur igitur facta diuina,& contemplemur. Hæc ſi
tio,noſtraque voluptas. Tunc creatoris noſtri cognoſcemus ſapientiam ac bon
mirationem amoremque eius rapiemur. Tunc eum laudabimus ac celebrabimus.

Non eſt occultatum os meum quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Os. IN vocibus hæc ſcienda ſunt: Primum omnium quòd per amphibologiam
ſingulari non diſtinguitur os,diſtinguitur autem in numero multitudinis oſſa
Subſtantia mea. co pro ore,ſicut oſtendit Græcum & Hebraicum. Tum quod Latinus vertit,
propius ad Hebraicum accedit Græcum ὑπόστασις, ſubſiſtentia,Hebraicè autem
thi,id eſt contextus ſum,& compoſitus. Vox quidem Hebraica רקם rakam ſonat
lymita texere,aureis & argenteis filis veſtes variare. Quæ res quia potiſſimum H
Chriſtianos eſt opus,inde in linguam Italicam arbitror hanc vocem irrepſiſſe.
apud Romanos dicebatur. Hieronymus interdum veſtem variam,interdum ſcu
Texturam autem corporis quia ſumma ſapientia, ſolertiaque perfecta eſt, hoc n
gnificauit opus quaſi diuina quadam arte,à ſapientia ſumma repertum. Inferior
pellat matricem, autoribus Hebræis Rabi Abraham, & Rabi Dauid, & Salomo
Infer. ter. qui pro,in inferioribus terræ,tranſtulit, בבריסא ואמא In vtero matris. Inferiora e
Hier.3.a corpore ſunt genitalia loca. Mulierem autem appellari terram,apparet Hieremię
legimus Latinè,Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? pro mulie
eſt, הארץ ההוא id eſt, terra illa. Quanquam Hebræi paulò ſecus id quod hic dicitu
centes terram ſignificare imum,id eſt quod infimum, atque infernum eſt: afferu
id quod dicitur apud Ezekielem,Et rota vna in terra,contra rotas quę deſuper. Q
Quod feceſti. eſſe terram pro infra vel imo. Poſtremo quod Septuaginta vertunt,Quod feciſt
עשיתי exponunt Hebræi,ſubactus ſum, coagmentatus ſum,ac conſtipatus. Volu
gnificatione eius quod dicitur Ezekielis cap. 23. Ibi ſubacta ſunt vbera earum,q
ſens verbum. Totaque oratio ſic habet בחם עצמי ממך א שר עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ
celatur os meum à te,quo coagmentatus, ſiue ſubactus ſum in abdito, contextu
terræ. Hieronymus igitur,vt vitaret amphibologiam quæ eſt in voce os,vertit,
oſſa mea à te,quibus factus ſum in abſcondito. Notum eſt igitur quid Propheta
poſuerat enim ſuperius harmoniam corporis,diuinumq; artificium,quo mirabil
ſapientia. Quod cùm fuerit à Deo excogitatum,& inuentum,manifeſtam hinc
bat, Deo omnia quantumuis arcana atque abſtruſa eſſe nota. Nunc ait eadem
Nullum eſt os, nulla corporis mei compago ac ſtructura, quæ te lateat. Minuti
abditiſſimasque partes habes cognitas,atque animaduerſas. Et ea quæ nulli vnq
re potuerunt,ne ipſorum quidem,quorum ſubſtantia eſt, à te mirabiliter cernu
eum facilem rem dixiſſe. Nihil eſt enim incertius, nihil obſcurius membris, ſtru
na,vt incredibilis labor offeratur ſingulo quoque tempore medicis, ſemper hæ
& ad arcana ac prima penetrare non valentibus. Qui quidem partes quaſdam ta
ſecreta vero oſſium,neruorum,cartilaginum,humorumque compagem ſolus D
Nemoque poterit vnquam explicare, quæ temperies ſit atræ bilis cum pituita,
ribus,quæ proportio,quantum adhibere,qua ratione ea diſponere oportuerit.
partes commemoro,ſiue intelligentis,ſiue ſentientis: de corpore tantum loquo
cordisq; diſpoſitio. Qua ratione ſpiritus generatur, quomodo per totum corpu
ſus decurrat. Et quod ait Theodoritus περὶ τῆς προνοίας, qua tandem ratione e
hortum,totum corpus irrigante, oſſa,medulla, cartilago,caro conſtipentur,alat
tur oculorum humor, caro concreſcat. Denique res inter ſe contrariæ creentu
ignoratio facit,vt ſæpe remedia contra morbos, qui corpus infeſtant, inuenire
ſa igitur Propheta dixit eſſe coagmentata & coacta è medulla, perinde quaſi la
corpus propter pulcherrimam varietatem, diuinumque artificium, dixit eſ
tum, id eſt,tanquam pulcherrimam veſtem,diſtinctum ac variatum. Quo loco
mus vir oculatiſſimus, non diſſentit, vt quidam non rectè ſuſpicantur, ab Hebr
Hebraicum dicit,Contextus ſum in inferioribus terræ,ipſe,Imaginatus ſum in

A Crediderim autem ipſe virum diuinum, Imaginatus ſum,non ad imaginem animi, vt ſolet hoc verbum accipi,ſed ad ſimulacrum formamq; corporis retuliſſe. Ergo quod Hebraicum dicit,Cõtextus ſum,pulcherrime Hieronymus,licet nouè,dixit imaginatus ſum, id eſt, informatus,effictus,quaſi imaginibus depictus, volens exprimere vim verbi Hebraici rakam,quod ſignat imagines in ſerico,veſtibusque pretioſis effingere.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.

IMperfectum appellat embryonem,cum videlicet homo nondum perfectus eſt,dico monſtrũ informe,quod corpus formatum antecedit.Ideo Hieronymus tranſtulit,Informem adhuc me viderunt oculi.Librum appellat præſentiam memoriamq; diuinam,in qua deſcripta ſint omnia,de partibus autem corporis præcipuè hic eſt ſermo,quas,anteaquam creentur,deſcriptas eſſe dicit in mente Dei.Porrò quod dicit,Omnes ſcribentur: dicendum potius,omnia:refertur.n. ad membra.Quanquam Rabi Salomon refert ad omnes creaturas,quarum numerum certum ac cognitum Deus habeat.Illud autem quod ait,Dies formabũtur, dicendum eſſet potius, Diebus formabantur.Loquitur enim de formatione corporis ac membrorum,quæ non vna ſola die,ſed pluribus ait,perfici.Quod autem dixit,Et nemo in eis,dicendum magis:Et nullum in eis, iuxta Hebraicum ולא אחד. Refertur enim ad membra, vt dicat,& nullum in ipſis membris eſt,quod.ſ. tu non videas. Rabi autem Abraham interpretatur, & nullum in ipſis. Nullum,inquit,eſt actu membrum in illo monſtro informi,& corporis prima compage,ſed eſt potentia,ſapientia autem tua mirabili ex nihilo formatur.Non erat auris,oculus,aut aliud vllum membrum diſtinctum ac ſeparatum,ſed per te in lucem emerſit.Membra igitur omnia, tametſi non exiſterent, ait fuiſſe quaſi in libro quodam Dei ſcripta, quodam albo comprenſa. Neque vero hic altius myſterium eſt,humanam quandã propoſuit ſimilitudinem, ſicut homines in litteris res habent arcanas comprenſas,aut cum opificium aliquod eſt deſcriptum,& ſuis partibus expoſitum.Liber Dei eſt ęterna memoria eius,in qua omnis comprehenditur ſapientia,omnes res antequã naſcantur,exiſtunt. Suntque illic quæ ſint,& quæ poſſint eſſe,ſi creatori ſederet.Quæ ſint,quæ fuerint,& quæ ventura trahãtur.Poſſunt quoque hæc exponi iuxta ſenſum tralationis Chaldaicæ,quæ ſic habet,Corpus meum viderunt oculi tui,& in libro memoriæ tuę omnes dies ſcripti ſunt,in die qua creatus eſt mundus à principio, omnes creaturæ conditæ ſunt,& non ſicut vna,vna inter eas,id eſt,altera ſicut altera.Hunc ſenſum ſequitur in primis Rabi Salomon.Oſtenditur autem innauigabile diuinæ ſapientiæ pelagus,infinitaque & indefatigabilis ſcientia, quæ omnes creaturas in exordio, cognitione ſua præuenerit, vt habuerit ante oculos omnem rem creandam, & viderit ac ſcierit numerum creandorum hominum.Nam quod dicit, In libro tuo omnes ſcribentur,clarum eſt ex editione Chaldaica,librum deſignare memoriam.Et quod dicitur,ſcribentur, quod etiam vbiq; in noſtris annotationibus oſtendimus,futurum eſt,pro præterito imperfecto, quod quia non eſt apud Hebræos,per futurum ſubſtituitur. Ergo Propheta oſtendit quàm facile ſit Deo,hominem cognoſcere,cum etiam numerum creaturarum,antequam crearẽtur,ſcierit, vt quæ in libro eius & memoria ſcribebantur. Pariter autem vt creaturæ,dies item & quo quiſque tempore eſſet edẽdus in lucem,quid in omni ſęculo eſſet gerendum,quot ſæcula,quot ætates, quot dies & anni futuri eſſent,nouerat.Itaque etiam,dies formabantur,legemus,pro formabuntur.Formabantur autem dicit,id eſt,erant formati,habebant formam,& ſubſtantiam apud te,videbantur & agnoſcebantur,formabantur inquam,& extabant,& tamen nihil erat creatum ſub diebus illis.Tu tamen & creaturas & dies in quibus res eſſent creandæ, habebas in numerato, inſignes & ſpectabiles erant oculis tuis,eas perinde aſpiciebas,ac ſi formam haberent conſpicuam.Duos ergo hos ſenſus hæc verba habere poterant.

Imperfe-ctum.

Liber.

Omnes.

Dies formabunt.

Et nemo in eis.

Scribẽtur. Præterito imp̃fecto, hebræi carent.

Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

PLura in perpendendis vocibus ſunt hoc loco animaduertenda. Primum quod Septuaginta trãſtulerunt amicos,omnino non amicos,ſed cogitationes ſignificat. Percipimus enim hoc cum primis ex his quæ præcedunt, cum de cogitationibus & ſcientia diuina vbique fuerit ſermo,ſed & expoſitiones Hebræorum hoc apertè teſtantur. Nam vocem Hebraicum רעיך reheka,Rabi Dauid interpretatur מחשבותיך machsheuotheka, id eſt, cogitationes tuæ. Idem dicit Rabi Abraham grauioris etiam autoritatis.Eſt enim hæc vox רע reha,amphibola,deſignans cogitationem & amicum. Igitur iuxta hunc ſignificatum dicemus, Mihi autem מה יקרו quàm pretioſæ, quàm glorioſæ ſunt cogitationes tuæ, quanta eſt maieſtas apud me gloriæ tuæ, quàm immenſa,inaudita,incommemorabilis ſapientia tua? O pelagus infinitum, & quod Platonici quid chaos ſit exponentes,ferunt ἀκατάληπτον τοῦ νοητοῦ, i. immenſitas,incomprehenſibilitas intellectualis ſubſtantiæ diuinæ.O chaos,inquam, ſapientiæ. Quàm creſcunt, & præcellunt, & excedunt capita,id eſt, principia earum?Nam hoc dicit in ſecunda parte periodi,pro eo quod Septuaginta,Nimis confortatus eſt principatus eorum. Quo loco ſciendum,propius accedere Græcum ad Hebraicum,Λίαν ἐκραταιώθησαν αἱ ἀρχαὶ αὐτῶν, Nimis roborata ſunt principia eorum.

Amici.

Nimis honorati ſunt.

Nimis conf ort.eſt prĩcipatus eorum.

in Hebræo igitur ראש id eſt, caput, ſignificat etiam principium. Græcè ἡ ἀρχὴ ſignat principium D & principatum. Ergo dicendum principia earum, videlicet cogitationum, & capita & origines, atque Ideæ עצמו fortes ſunt, incomprenſibiles, mirabiles, ſtupendæ, impenetrabiles, adiri non poſſunt, & cognoſci: cogitationes ergo, ſiue excogitata ac reperta in opificio corporis humani dicit. Exponunt autem capita iſtarum cogitationum Hebręi, vniuerſales ac primas origines, primas Ideas. Et ea quæ principia ſunt cæterarum rerum atque operationum. Cæterum minime id nos prætereat, alium quoque hæc habere poſſe ſenſum, iuxta interpretationem Chaldęi, & expoſitionem Rabi Salomonis, vt hæc referantur ad ſecundum illum ſenſum, quem in ſuperiore verſiculo poſuimus. Cum in principio crearet omnia Deus, notum habebat numerum creandarum rerum ac futurorum ſęculorum. Hoc cum cerneret & conſtitueret, multitudo amicorum ſuorum incredibilis erat in cogitatione ſua. Ampliſſimum enim atque latiſſimum fundauit domicilium, quod amicorum ſuorum replere iam tum decernebat. Eſt enim cæleſtis ambitus ac latitudo incomparabiliter maior centro terrarum, vbi carceres eſſe damnatorum, omnes cõfitentur. Ergo parabat miſericordia diuina, infinitum penè efficere numerũ ſuorum amicorum. Itaque Chaldęus ad hũc ſenſum ſic tranſtulit: At mihi quam pretioſi ac mirabiles ſunt iuſti Deus, præſtant grauitates, & excellentiæ aut princepatus eorum. Et Rabi Salomon ſic exponit, vt ſit is qui loquitur quaſi eccleſia, quæ dicat, Quàm honorabiles & inclyti ſunt mihi iuſti, qui in omni ſęculo florent: & quàm ſunt ingentes cenſus eorum? Is igitur Hebręus caput vult deſignare cenſum, numerationem, nam ſæpe in ſacris litteris caput pro ſumma accipitur. Et Latine, capita ciuium Romanorum. Dicemus igitur, quàm creſcunt, quàm amplę multiplicesque ſunt ſummę eorum vel ſcilicet amicorum, aut cogitationum. Obſeruandum quoque quòd Hierony. pro principatus eorum tranſtulit, E pauperes eorum. Videtur enim legiſſe, רשיהם rashehem, id eſt, pauperes eorum, pro eo quod legitur nunc ראשיהם roshehem capita, vel principatus eorum. Nec aliam ob cauſam credendum eſt, eum eo modo reddidiſſe. Quadrat tamen magis hodierna lectio.

Dinumerabo eos, & ſuper harenam multiplicabuntur: exurrexi & adhuc ſum tecum.

Exur. & ad ſum te.

Deus ſol quidam.

DIcebat incredibilem & incomprehenſibilem eſſe numerum cogitationum vel amicorum Dei, id nunc magis declarat exemplo. Nam cum me accingo, inquit, vt eas dinumerem, harenam ipſam eas inuenio ſuperare. Diximus vtranq; expoſitionem ab Hebręis defendi. Quod autem ait, Exurrexi, & adhuc ſum tecum, duobus ſenſibus poteſt intelligi, quorũ primum proponunt Abraham, & Dauid: Superant harenam multiplices cogitationes, innumerabilesque inuentiones tuæ, quas ipſe, non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum, aut quod ait Homerus, φωνὴ ἄῤῥηκτος, vnquam comprehendere poſſim. Et quoniam pars humanę vitæ ſomnus eſt, non ſi ſemper vigilem, tecumq; ſemper ſim, eas vnquã potero percurrere. Nam quod Septuaginta tranſtulerunt ἐξηγέρθη, exurrexi, Hebraicè הקיצותי hikizothi, propriè ſignificat euigilaui. Si ſemper vigilem, inquit, tecumque verſer, ac tibi comes veniam, vt videre meditata, rationesque tuas poſſim, & omnino omnes ſapientiæ tuæ theſauros euoluere, nunquam id conſequar. Si tota vita in te contemplando ſim, vt ſomni etiam adempta ſit neceſſitas, ſi in te oculos perpetuo defigam, tantum aberit vt te inueniam, vt potius in caliginem maiorem, cęcitatemque decidam. Nam, vt ait grauiſſimus autor Plato, Deus Sol eſt, in quem quò magis oculos defixeris, eò magis F obtuſos eos referes. Poteſt & hoc modo is ſenſus exponi, Adeò ſemper incommemorabilis viſa eſt mihi ſapientia tua, vt eam cum dormio, mecum ſomniem: deinde cum vigilo, tecum ſum, de te cogitatio recurrit omnibus horis, mihique ſemper mirabilior occurris. Poteſt & hoc modo, Si tecum ſemper ſim, vt nunquam moriar, ſi tanta ſit vita mea, quanta tua, & in ęternitatem tecum pariter contendam, æterna mihi ſit vigilia, tum in hac omni vita æterna de te ſemper mediter, rimando, explorando ſemper theſauros tuos, nunquã certè numerare, atque diſcutere eos potero. Alter autem ſenſus, vt diximus, is eſt: Dinumerare, inquit, nemo poterat in æternitate perinde atque tu creaturas, quæ toto mundi complexu continerentur. Quis enim alius tanta memoria ac prouidentia pollebat? Non deſpero tamen cætera. Nam ad te vigilo, ſemperque in te oculos attollo, Tu mihi ſcopus & vertex es, tecum ſemper verſor. Nam quanquam ſapientia tua ſit incõprehenſibilis, multa tamen ſunt, quę de te ſcire noſtra mortalitas poſſit. Sparſa ſunt vbique plurima diuinitatis tuæ indicia. Videris etiam à nobis, & audiris ſæpe, nec te adeo in caliginem maieſtatis tuę abſcondis, ne velis non agnoſci. Nam qui ad te euigilat, tecum eſt, ad te accedit. Inueniris ab his qui te quærunt. Hinc ego in te cogitando curas meas diſpenſo, in te cogitationes deſideriaque mea conſumuntur. Vnum te in oculis fero, tu mihi certa ſalus, meus ignis, mea ſola voluptas. Te ſitio, ad te tota vita inardeſcit mea. Præcipuè verò ſortem illam beatam attendo, cũ ad te propius profectus, conceptum videndi, fruendiq; tui, ardorem vberius extinguam, ob id in his curis exerceor. Nullumque temporis momentum non tecum ſum. Hunc igitur ſenſum etiam Chaldęus, qui ſenſus occultiores ſępe pandit, ſic declarat: Accendor, ſurgo, ac ſpem attollo, ad ſæculum, ſiue mundum futurum, & adhuc ſum tecum. Rabi autem Salomon ſic interpretatur: Ecce ego nunc perueni ad calcem ſęculorum, quę iam tunc vſque ad hęc tempora præcidiſti.

Et adhuc hoc ſęculo tecum ſum, nunquam à te deflectens, ſed te ſemper colens. Is ſenſus fortaſſe non tam proprius atque ſuperiores. Priores eodem ferè tendunt. Non deſunt etiam, è Latinis, qui exponant, Exurrexi à peccato per pœnitentiam, & tecum adhuc ſum. Qui quidem ab Hebræis non proponitur.

Si occideris Deus, peccatores: uiri ſanguinum declinate à me.

PRo peccatoribus eſt, רשע Peccator vel impius. Hoc loco, quod ſolet in cæteris Pſalmis facere, omittit paulum ſuperiorem ſermonem, tranſiens ad diuerſam rem. Non tamē vſq; adeo diuerſam, quantū fortaſſe uideatur. Dixit ſapientiam diuinam eſſe inſcrutabilē, dixit eam omnes animos habere in poteſtate, omnes illi patere cogitationes, nullas eius aſpectum tenebras obſcurare, uſq; ad minutiſſimas arcanasq; corporis partes eam penetrare. Dixit mirabilem, adorandam, colendam, ſuſpiciendamque ſibi videri maieſtatem illam. Hinc quaſi accenſus ex hac omni cogitatione, dolet mortales non colere quantum decuiſſet hoc numen, quòd multi miſerabiliter ab illo deflectant, cùm lux ſit inaudita, omnium dominatrix, effugatrixq; tenebrarum. Itaq; in eos quaſi letali odio accenditur, qui non hanc tantam maieſtatem ſuſpiciant, ac uenerētur. Exclamat aduerſus illos, & cum Deo, cuius immenſa ſit maeſtas, fatetur ſe eſſe concordem, vt qui eum nō colant & admirentur, eoſdem ipſe ſit inimicos habiturus. Declinate, inquit, à me, & procul eſte profani, quos iure merito Deus, quia maieſtatis ſuę ſunt contemptores, execratur. Si occideris, inquit, impium, ſi capitali ſententiæ apud te omnis qui impiè agit, ſubiectus eſt, ſi in foro iuſtitiæ tuæ impij cōdemnantur, ſi iuſtiſſimis legibus tuis, qui te non ament ac venerentur, tum ius humanum violant, uocantur ad cædem, ite, ite procul à me tales, faceſsite omnes impuri, & homicidæ. Qui enim ſanguinem ſitit, dedecus primum infligit maieſtati diuinæ, quam aut neſcit, aut non credit rebus humanis proſpicere. Ideoq; uiros ſanguinum, id eſt, impuros, ac ſceleratos, vltoresq; iniuriarum, & qui ſanguine innocentum aut opes peperere ſuas, aut ad optatas voluptates aſpirauere, uel vllo gradu ac dignitate ſunt potiti, eoſdem impios eſſe, quo nullum eſt nomen execrabilius, neceſſe eſt. Violatis enim humanis legibus, princeps ratio, ac lex vnde omnia iura fluunt, violatur: & aut contemptu ſummæ maieſtatis eius, aut fœdiſſima inſcitia, vel tollendo & amandādo ex animo ſuo, diuinæ prouidentiæ opinionē, homines in hæc flagitia prolabuntur. Nam cui certum, exploratumq; foret, Deum omnia facta humana cernere, & tanquam iuſtiſſimum caſtigare, abſtineret utique, libidinesq; ſuas coerceret. Quis ergo non amans hominē quem videt, amabit Deum quem non videt? Id eſt, quis nō violaret res diuinas, ſi poſſet, qui labefactat humanas? Eodem enim gradu ad vtrunque ſcelus proceditur. Et iura ſingula ab vniuerſali ratione proficiſcuntur. Impium & virum ſanguinum ſub eandē culpam adijcit. Quo loco quędam ſunt animaduertēda. Non enim virum ſanguinum vocat Hebraica dialectos, eum qui ſimplex, aut quaſi inuitus perpetrauit homicidium, ſed qui hiſce cicatricibus ſæpe vitam ſuam dedecorauit. Cui minus præponderat hominis vnius vita, quam honos, aut voluptas, aut aurum, & opes: cuius animus ſanguineis cupiditatibus eſt infectus, cupiditatibus, inquam, quæ plenæ ſanguine ſunt, qui leuiſſimis de cauſis ſanguinem funderēt. Sic vocabat Dauid, iniurioſè uirum ſanguinum, hoſtis ſuus de familia Saul, quem mentiebatur ad imperium, multorum ſanguine fuſo perueniſſe. Dicitur autem Hebraicè, ſanguinum, quòd ſic conſuetudo linguæ ſit, ſicut pulmones Latinè. Virum item ſanguinum dicunt, ſicut virum mendacij, mendacem: virum terræ, agricolam. Itaque impium & homicidam eodem ſermone & ſenſu comprehendit. Illud quoque perſpicere debemus, omnes iure quodam obſtringi, ut eos deteſtentur, odioq; habeant, quos inuiſos eſſe Deo, quos eſſe impios certò ſciant, Eo enim potiſſimum argumento pietas probatur, ſi eadem diligamus atque Deus, ſimiliterq; deteſtemur. Plato igitur ille diuinus etiam uocat homines ſanguinarios ἀνοσίους, id eſt, a ſanctitate ac pietate remotos. Occiduntur ergo impij a Deo, non ſolum in hac uita, ſed longè acerbius in altera. Quod & ipſum condemnatio, & cædes ſolet vocari. Occiduntur autem, quia occiderunt. Ideo & viri ſanguinum, & impij, & occiſi a Deo ſunt idem. Ac propriè cædes Dei, eſt æterna damnatio, quanquam & ad hanc vitam poteſt referri.

Epilogus.

Si occide. Deus, peccatores, viri ſang. decli. à me.

Quæ uere ſint leges.

Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanum ciuitates ſuas.

PLVRA ſunt in vocibus aduertenda. Nam quod Septuaginta tranſtulerunt, obſcuriſſimum eſt, primum Latinus interpres non rectè reddidit Græcū, ὅτι ἐρισταὶ ἐστὲ εἰς διαλογισμοὺς. Quia contentioſi eſtis ad diſceptationes. Latinus autem interpres uidetur credidiſſe ἐρισταὶ, duci ab ἔρω, dico, cùm veniat ab ἐρίζω, contendo. Sed hoc quoque quod uerterunt Septuag. non reſpondet ad Hebraicum. Proponam igitur quod eſt in fonte, quia longè clarius eſt. Igitur pro, Quia dicitis in cogitatione, Hebraicè eſt, אשר יומרך למזמה, Qui loquentur te ad cogitationem. Hoc itaque dicit de impijs & peccatoribus, quorum cogitationes blaſphemiæ ſunt, ac diuinæ tum prouidentiæ, tum iuſtitiæ, tum lenitatis uituperatrices. Recedite, ait, ò profani, quorum cogitatio operibus diuinis detrahit. Quorum mens non ſentit de Deo uera, & quæ ſentiri de eo deberent. Faceſſant qui de te loquuntur למזמה id eſt, ſecundum cogitationem, peruerſiſſimasq; opiniones ſuas. Hunc ſenſum fortaſſe etiam Septuag.

Quia dicitis in cogitatione.

tranſtulerunt, appellantes contentioſos in diſceptationibus, ſiue, vt Græca vox ſonat, in cogitationibus, impios illos, qui non acquieſcant diuinis inuentis, ac factis, & inſtitutis, & iuſtitiæ, & prouidentiæ, qui dicant aliquid malè poſitum fuiſſe, & aut res naturales à Deo cōſtitutas calumniantur, aut falsò de eo queruntur, quòd malè res humanas adminiſtret, iuſtos contemnat, improbis omnia bene procedere permittat. Id genus enim cogitationes, improborum mentes obambulant. Hos ergo ſuperius impuros, & viros ſanguinum appellauit, nunc malè de Deo ſentientes, omnia hæc, idem eſſe ſtatuens. Ac vox Hebraica זמה propriè ſonat cogitationem impiam, impiū ſenſum, animi quoddam inquinamentum. In voce autem יומרוך id eſt, loquentur te, deeſt Aleph, deſcendit enim ab. אמר Credo autem Septuaginta vocem eam deriuaſſe à מרר ideſt, amaricauit, exacerbauit. Ideo contentionem ſignificare putauerunt. Altera pars periodi, ſic diſſentit à fonte. Non enim dicitur, Accipiant in vanum ciuitates, ſed נשוא לשוא עריך id eſt, eleuati ſunt, vel aſſumpſerunt in vanum hoſtes tui. Quo loco attendant omnes cauſam varietatis. Vox Hebraica נשו naſu, dicitur à verbo נשא naſa. Quæ in numero multitudinis in præterito, formatur naſu, vel antecedente, vel præcedente Vau, litteram Aleph. Hoc ergo per futurum Septuaginta tranſtulerunt, in quo non magna ab Hebraico diſcordia. Quod autem dixerunt, ciuitates tuas, Hebraicè eſt, עריך hareka, quæ vox amphibola eſt. Poteſt enim deſignare vrbes tuas, rurſum participium eſt à verbo ערר harar, & per apocopen har. Significatque inſurgere. Eoque harim dicuntur hoſtes, id eſt, inſurgentes, inſultantes. Non ſignificat igitur hoc loco vrbes, ſiue ciuitates tuas: ſed, hoſtes tui. Totaque oratio ſic legenda eſt: Qui loquentur ad te cogitationem, aſſumpſerunt in vanū hoſtes tui. Quorum verborum, teſtibus etiam Hebræis, is eſt ſenſus. Conſentiens enim cum antecedentibus & ſubſequentibus, ait: Illi procul à me ſint, quos & tu procul arces, & qui de te non æqua cogitant, & in corde ſuo praua loquuntur, quique cùm hoſtes tui ſint, te ore aſſumunt in vanum, id eſt, vel ad mentiendum, & ad mendacium, quod vanitas dicitur, vel fruſtra, quia ſapiētiæ tuæ, bonitatique fruſtrà obloquuntur. Stultè enim id faciunt, & in ſuam potius perniciem, ſempiternumque dedecus. Tum idcirco fruſtra, quia non tangit cœlum, rugitus aſelli. Beſtiæ ſūt omnes impij, aſini, & muſcæ, & ſi quid eſt vilius. Quid poterunt contra diuinam magnitudinem è in ſe potius verba blaſphema reflectent. Hunc ergo ſenſum proponunt concorditer Hebræi, lectioque Hebraica hoc modo eſt clara. Nam quod Septuaginta tranſtulerunt, vix eſt intelligibile. Editio quoque Chaldaica, cum his quæ propoſuimus ſic conſentit: Qui iurant in nomine tuo mendaciū, iurant in vanum inimici tui. Ecce tranſtulit inimicos, quod Septuaginta ciuitates. Legitur etiam alia parte male apud Latinos, Ciuitates ſuas, cum Græcè habeat πόλεις σου, ciuitates tuas. Sunt igitur valde attēdenda. Nam & diuus Hieronymus in Pſalterio iuxta ſenſum Hebræorum, ſic tranſtulit: Qui contradicent tibi ſceleratè, eleuati ſunt fruſtra aduerſarij tui.

Accipi. in vani. ci. ſu.

Beſtiæ, omnes impij.

Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

ADuerſus impios inflammatur, quos non homines ſolum, ſed natura etiam ipſa execratur. Quo loco agnoſcimus inimicos Dei, & odientes ſummum bonum, quod fortè aut incredibile, aut impoſſibile videretur inueniri. Habet igitur mundus & ambitus iſte cœleſtis, qui Deum habeant odio. O rem incredibilem, & immania ſeculorum portenta. Nati ſunt, & naſcuntur, naſcenturque, quandiu hoc omne Dei conſiliis conſtitutum ſtabit opus, qui eum odio habeant. Quos tamen patitur luce & bonis frui ſuis, non eripit eis vitam, nec cogitat quantum, quale ſcelus admittant, nec de facinore tanto viuentes eos appellat, non rapit ad inferos, traditque meritis flammis. Non minus aduerſus leges ire naturæ, ſi mundi exordio affuiſſem, ipſe putaſſem, fore in mundo, qui Deum execrarentur, ac ſi quis ceſſura retro aliquando flumina tum mihi prędicaſſet. Et tamen Prophetarum teſtimoniis percipimus eſſe qui Deum odio habeat, quod & Paulus hominum peccata commemorans, docuit, in quibus etiam θεοστυγεῖς, id eſt, odientes Deum, eſſe oſtendit. Atque vtinam iſtorum non tantus eſſet numerus, vt prę cæteris ipſi quaſi rara portenta in terris vagarentur, latiſſime patet malum, vt pars bonorum ex aduerſo minime reſpondeat. Atque odientes Deum facile qui ſint, intelligimus, ſi ab effectibus humanis exempla ſumamus. Sunt enim duo ex aduerſo motus & affectiones animorum, odium & dilectio, quos ita erga Deum concipere homines poſſunt, ſicut inter ſe. Neque vero incredibile videri debet, vel diligi, vel odio haberi Deum ab homine poſſe, quòd inuiſibilis ſit, cuius ante oculos noſtros forma nunquam venerit. Neque enim omnia ſolis oculis cognoſcimus, & oculis cognita amamus, vel deteſtamur. Multæ ſunt formę quæ oculis inuiſibiles, animis ſolis cernuntur. Iuſtitia ſi rectè cenſeas, forma quędam inuiſibilis eſt, temperantia, fortitudo, religio, pietas, itē rerum rationes, & vniuerſales conſiderationes, tam oculis cernuntur, quàm ſonitus & voces, quæ ſolis auribus percipiuntur. Denique maxima pars eorum quæ in animis inſidunt, ab inuiſibilibus rebus ſunt profecta. Quare multa videt nouitque animus, quæ allata ab oculis minime fuiſſent. Atque omnes & ſenſu quodam motuque naturæ, & certiſſimis rationibus intelligimus numen eſſe quoddam auguſtiſſimum ac maximum, maximam quandam iuſtitiam, viuacem, plenam oculis, atque auribus. Quam quidem alij minus, alij magis habent exploratam. Hanc tam ſcimus eſſe, etiam ſi non videmus, quàm ſcimus eſſe oceanum, quem nunquam vidimus, ſed cum tum auditu

Rom. 1

Odium. Dilectio.

1. Par. 22. d Deum ſcimus.

tum ex deſcriptione, tum rationibus ire circum terras cognoſcimus. Deum igitur omnes notiſſimum habentes, ſed hi præcipuè quibus doctrina de cęlo data eſt, æquè diligere & odiſſe poſſumus, atque eos ipſos quos videmus, quorumq; conſuetudine vtimur. Commemorat autē etiam Deus quoſdam qui eum oderunt: Ego, inquit, ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me, & faciens miſericordiam in multa millia diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea. Ex quo loco facile poſſumus animaduertere, qui ſint, quibus odio ſit Deus, quique eum diligant. Vt enim mandata dei cuſtodientes, amici eius intelliguntur, ſic inimici qui ea præuaricantur. Atque ratio quoque iſtius rei, in promptu eſt. Nam cùm poſſit tribus rationibus amor variari, vt ſit aut æqualium, aut minorum in maiores, vel è conuerſo, propriè minorum erga maiores amor eſt, cùm eorum mandatis hi fideliter obſequuntur. Maiorum autē in inferiores, cùm beneficiis eos afficiūt. Aequalium cum eadem fiunt ab vtriſq;. Cùm autem nulla ab imbecillioribus erga potentiores, expectentur beneficia, eo tantum amor eorum probatur, ſi pareant, ac plurimi ſe facere dicta ac iuſſa eorum præ ſe ferant. Hæc ratio præcipuè in Deo vera eſt, cui cùm ſint omnes ſubiectæ creaturæ, cum ſit ipſe eminentiſſimus, omniumque bonorum vbertate circumfuſus, non aliud efflagitat à nobis, quàm vt mandatis ſuis pareamus, vniuerſalemque iuſtitiam quę res humanas circumvagatur, cuſtodiamus illæſam. Ex quo intelligimus, facile eſſe amare Deum, quem non videmus. Ac priſcis hominibus etiam quandam legem quædamque præcepta dederat, quæ & ipſi ſentiebant non eſſe violanda. Quare & illis hæc opinio certaque ſcientia inſederat, parendum eſſe magnæ iuſtitiæ, ex quo leges & inſtituta profecta ſint, quædamque in animis ſapientum ſubſtiterūt, quæ & ipſa & alia ſunt poſtea philoſophia cæleſti comprenſa. Cum igitur ſit Deus ſumma inuiſibilisque poteſtas, cuius aſpectus latet mortales ad tempus, ea tantum ratione nunc amatur, ſi præcepta eius cuſtodiantur. Nam in cęlo, & vita futura amabitur, ſicut nunc ſe inuicem hi amāt, quorum amor ex commercio & præſentia eſt effectus. Qui ergo perturbantur cum amare Deū, quē videre paucis datum ſit, præcipiuntur, quòd eum ſe amare poſſe deſperent, quem non videant, audiant diuinas ſcripturas & rationem clamantem, rerum Dominum imperatricemque diuinitatē atque autoritatem, ab illis amari, quibus iuſſa eius ita cuſtodiantur, vt ea cunctis rebus præferāt. Vult enim tantum decretis ſuis nos obtemperare, in quibus æquitas iuſtitiaque ineſt. Hoc igitur argumento te Dei probabis amicum, ſi ea quæ clariſſimè ſanxit, obſerues. Videre autem & ſcire hæc facillimum eſt. Propterea lectio diuinarum ſcripturarum eſt magnopere neceſſaria, quę iuſſa Dei complectuntur. Itaque hæc omnia ſe conſequuntur. Si præcepta diuina ſeruabis, Deum amabis: amantes autem Deum, ab eodem amabuntur. Nemo enim eſt qui non amet amantem. Nūc vide quid ſequatur. Crede mihi, copioſe remunerabitur amorem. Hæc quæ de amore dicta ſunt, ad odium poſſunt ex aduerſo applicari. Eos enim odiſſe Deum neceſſe eſt, quanquam eum nunquam viderunt, nunquam fuerint allocuti, nullum cum eo commercium habuerint, qui præcepta eius contemnunt, autoritatem iuſtitiamque eius per omnia ſparſam deſtruant. Hac enim nobis nunc præſentia Deus innoteſcit. Hoc contemnentes & aſpernantes, aſpernamur ipſum, perinde ſi pręſens eſſet. Præſens enim eſt per eximiam quādam iuſtitiam & autoritatem, quam omnes habemus notiſſimam. Hanc amplectentes, Deum amplectimur: repudiantes, odimus & contemnimus. Atque illud quoque ſequitur, ſi hanc diuinam pręſentiam ſuſpiciamus, honoremus, charam amicamque habeamus, vt deteſtari eos cogamur, qui ſunt eius contemptores. Nec perfectè autoritatem illam diuinam is amat, cui peccatores, ſceleratique non diſplicent. Is plane ardentiſſimus eſt ęquitatis, id eſt, Dei amator, qui impios execratur, odit, à conuictu, conſuetudine, factisque illorum abſtinet, nihil commune, nil concors, cum illis. Hunc affectum ſuum vt declararet, bis ac ter Propheta hos appellat inimicos.

Ioan. 14. c.

Amor. Æqualiū min. in maior. maior. in minor.

Deus, quid à nobis requirat.

Ioan. 14. d.

Ioan. 14. c.

Præſentia Dei.

Perfecto odio oderam illos: inimici facti ſunt mihi.

FIt, vt diximus, & vt docent Hebræi, repetitio, quæ creberrima eſt apud eloquentes Hebræorum, vt Eſaiam, Salomonem, & noſtros, vt, Abiit, exceſſit, euaſit, erupit. Hęc autem fiunt, cum multorum idem ferè pollentium verborum concurſu, rem reddere vehementiorem cupimus. Ac quod Sept. dixerunt, τέλειον μῖσος, perfecto odio, Hebraicè eſt חבלית שנאה extremo odio, ſuprema, & qua non detur maior, inimicitia. Sempiternas, inquit, cum illis inimicitias ſuſcipio, qui te oderunt. Non poſſum magis eos odiſſe.

Perfectum odium.

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

HAec ſunt in vocibus admonenda. Quod Latinus tranſtulit, Proba me, propius ad Hebraicum accedit Grecum, δοκίμασον, examina, diſquire, perpende, Hebraicè חקרני veſtiga', ſcrutare me. Et quod Latinus dixit, interroga, non ita ſonat Grece, ſed ἔτασον, id eſt, inquire, diſcute. Videtur enim Latinus credidiſſe hoc eſſe quaſi αἴτησον, pete, poſtula. Atque iuxta Hebraicum verterunt Septuaginta בחנני exquire perpende me. Quod autem Septuaginta tranſtulerunt τὰς τρίβους μου, ſemitas meas, Hebraicè שרעפי ſarhaphai, Hebrei concordes exponunt, cogitationes meas. Et Hieronymus noſter, Et ſcito cogitationes meas. Quāquam cogitationibus ſemitę exiſtunt, perindeque incędimus, vt cogitamus ac ſenſimus. Principiaq; ſemitarum

Proba me. Interro.

Semitæ. Vita a cogitationibus & perſuaſione.

mitarum ſunt cogitationes.Repetit igitur ea quę dixerat à principio.Nam cum ad inuiſibiles vſque cogitationes dixiſſet ſciētiam Dei progredi,pòſt contemptores Dei commemoraſſet,à quorum commercio ſe abſtinere dixiſſet,nunc ad id magis exprimendum, vocat teſtimonium diuinum,probationemq́ue hic eius deſiderat.Aſpice,inquit tu qui omnium potes cogitationes intueri an cum ſceleratis conſentiam,an eos tecum deteſter,an ſempiternis odiis in eos inflammer.

Et vide ſi via iniquitatis in me eſt,& deduc me in viam æternam.

Via iniq.
Eph.4.g.
Iſa.63.c.

PRo via iniquitatis,Hebraicè, דרך עצב via exacerbationis,ſicut interpretatur Abraham:Rabi Dauid, via amaritudinis,& triſtationis. Attribuit enim hunc affectum Deo, quòd triſtetur,quòd mœrore propter humana flagitia tangatur. Nam & hi eum oderunt,qui ſpiritum eius, vt alibi dicitur, triſtare, & importare ſolicitudinem ei non ceſſant.Eſt enim ſpiritus eius mitiſſimus,vt cum maximus ſit,etiam ad id ſe inclinet, vt mœrore propter peccata noſtra ſolicitetur. Vt ergo ſunt qui eum oderunt,ſic qui triſtem mœſtumq́ue eum reddant.Quod non ad morem imbecillitatis humanæ in eo fit, ſed modo quodam grauiſſimo, Deoq́ue conuenientiſſimo.Quod autem hæc vera ac germana ſit iſtius vocis ſignificatio ac ſenſus, claret eo dicto Eſaiæ:ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt,& afflixerunt ſpiritum ſancti eius. Vbi pro Afflixerunt,eſt עצבו præſens ſcilicet vox. Triſtatur igitur à nobis, & affligitur ſpiritus diuinus, cum in peccatis & erroribus volutamur.Hæc via,id eſt,vita,& inſtitutio, amara, acerba,ſceptro Dei iniurioſa uocatur,longius abiens à iuſtis voluntatibus eius, iura,quibus vniuerſa inter ſe ligare ac fortunare inſtituit,diſſoluens.

Et deduc me in viam æternam.

Holam.
Deuotio.

HIc quoque admonendi ſumus,vocem Hebraicam עולם holam, modò ſonare æternitatem,modò ipſum mundum ac ſæculum. Vnde liber apud Hebræos, quo ætates & ſæcula comprehenduntur,dicitur ſepher holam.Secus igitur locus exponitur ab Hebręis,vt ſit imprecatio ac deuotio.Si,inquit,cum impiis ſentio, ſi cum peccantibus communico,ſi factis meis ſpiritum tuum ſanctiſſimum vero,duc me in viam mundi,id eſt,in mortem, viam ad quam totus mundus contendit. Interfice me, ſi non coló venerorq́ue iuſtitiam tuam. Quo loco ſciamus eſſe modum quendam loquendi Hebraicæ dialecti, ſicut admonet Abraham, redundare ſcilicet copulam,Et deduc me,quemadmodum eo loco, In die tertia, & eleuauit Abraham oculos ſuos.Et illud: Et factum eſt poſt mortem Moſis. Itaque & hoc loco cenſet ſic eſſe ad ſenſum,legendum: Si via exacerbationis in me eſt,deduc me in viam æternam,vel in viam mundi, in viam ſæculi. Dele nomen meum ex hac vita. Ad hanc phraſin dixit Iacob, Ecce ego ingredior viam vniuerſæ terræ, id eſt, totius mundi. Huc quoque pertinet quod in Eccleſiaſte dicitur, Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ,vbi eſt holam. Is igitur rite verbis Hebraicis examinatis, videtur eſſe ſenſus.

3.Reg.2.a.
Eccl.12.b.

FINIS.

VENETIIS. MDXC.
Apud Dominicum Nicolinum.

RERVM MEMORABILIVM, ET MATERIARVM PRAECIPVARVM, IN HOC PSALMORVM COMMENTARIO CONTENTARVM,

Locupletiſſimus Index, Foliorum numeris, ac marginalibus litteris accommodatus.

A

Abemuna. 123.c
Abies. 178.b
Ab incurſu, et dæmonio. 157.b
Abintus. 134.a.b
Abominabiles qui. 22.b
Abominari. 22.b
Abſcondere peccatum pro obliterare. 95.d
Abſcondita quid. 151.f
Abſcondita pro theſauro. 50.e
abundantia. 90.e
abyſſi. 98.c
abyſſus ſicut veſtimentum amictus. 174.f
abyſſus Græcis quid. 107.c
abyſſus quid. 174.c
accedere malum. 158.b
accedere ad Deum. 100.b
accingere gladium tuum. 128.f
actiones impiorum particulares. 111.d
actionum rectarum fons. 1.e
actus duo, noctis & diei. 106.f
actus tres naturali ordine progredientes. 95.a
adam quid. 161.e
adam cur eiectus de paradiſo. 153.a
abducentur Regi Virgines poſt eam. 134.b
adorare quid. 13.a
ad intellectum. 124.f
adipe concludi, quid. 49.f
adipe in agnis nihil melius. 111.e
ad vehementiam & exaggerationem 9.f
pro Adiutor meus, petra mea. 67.b
adiutorium bifariam exponitur. 153.e
admirabile. 30.c
adoneum. 30.c
adonidis horti. 165.e
adoratio fit ore admoto, atque oſculo. 12.f
adraſtia. 161.f.163.b
aduena & peregrinus. 117.f
Aedificatio Sion quid. 10.d
æmulari. 108.e
æquitas cuſtodienda. 114.f
aer ex aqua. 172.a
aer Dei opus ſecundum. 173.c

Aer effectus à Sole. 95.b
aeris creatio. 174.f
ærumnæ multiplices contingunt his, qui ſcelerate viuunt. 97.b
ætas idem quod generatio. 135.d
æternitas regni Dei. 167.b
æternitas Dei deſignatur. 169.d
æternum pro diuturno. 135.f
affectus duo Dei. 107.b
afferre domino gloriam quid. 87.e
a facie iræ 114.f
afflati numine. 126.a
afflictio. 53.e
ala. 49.e
alæ duæ animabus datæ. 142.b
alacritates impiorum non ſunt perpetuæ. 102.c
alecto. 157.b
alma. 146.b
almoth, vox amphibola. 32.e
aloes quid. 132.b
aloidæ. 36.d
altiſſimus Sol vocatur. 33.a
altiſſimus proprium Dei nomen. 29.f.33.a
altitonans. 34.a
amare. 159.b
ambulare, ſtare, ambulare. 3.b
ambulare in conſilio impiorum. 3.d
ambulare ſuper pennas ventorum. 172.d
amen, amen. 123.e
amici, quomodo fiant inimici. 94.e
amictus lumine Deus. 170.f
amictus terræ, aqua. 174.b
amentia, pro peccatis. 115.c
amor filius beneficij. 51.b
amor Dei. 133.e.160.e
amor indamnatur. 169.b
angeli. 157.d
angeli in ſacris litteris pro dijs. 31.d
angeli Deo charos defendere gaudent. 100.d
angeli, Reges. 125.d
angeli, Spiritus, ignis. 140.e
angeli, miſſi dicti. 158.d.167.c.170.a
angeli potentes virtute. 167.c
angeli animi ſunt incorporei. 172.f

Angelis ſuis Deus mandauit. 159.d
Angelorum cuſtodia. 140.d
Angelorum munus. 167.c.167.d
Angelorum diffinitio, difficilis. 173.a
Angelus domini bonus. 100.d
Angelus magni conſilij. 188.f
Animæ. 245.e.26.c.76.e.125.c.160.f.169.a.39.d.57.f
Anima pro vita. 3.b.c.80.c.81.a.82.f.90.d.99.c.d
Anima pro perſona. 14.f
Anima, pro animo impulſo. 85.a
Anima quinquies benedicit dominum. 161.a
Anima, animus, Nephes. 169.b
Anima mea illi viuet. 75.f
Animæ duæ. 161.d
Animæ locus. 166.b
Anima videt, nec videtur. 161.a
Anima impiorum non viuet. 76.a
Animalia Hebræis duobus ſenſibus accipiuntur. 140.c
Animalia cibo differunt. 179.c
Animalia ſancta Hebræis angeli. 140.d
Animam ſuam. 78.b
Animarum alæ duæ. 142.b
Animi irati deſcriptio. 24.d
Animi pulchritudo. 127.b
Animus noſter, animo deorum ſimilis. 2.b
Animus piorum qualis. 5.f
Animus quomodo dilatatur, aut contrahitur. 17.d
animus duplex. 41.b
anni mille. 150.c
anni à Salomone ad Chriſtum. 151.d
anni eorum. 150.f
anni noſtri ſicut aranea. 152.c
annuere oculis quid. 104.e
annunciat firmamentum. 58.f
ante luciferum. 190.a
antichriſtus Gog & Magog dicitur. 14.b
antiquus dierum. 69.f
antropopathia. 167.b
antropos. 161.e
aperuerunt. 104.b
aphrica quid noui ſemper adfert 176.b
apollo, dæmon. 157.e
apoſtoli. 48.b
apoſtoli patres. 135.d
apparatus aulæ. 133.b
apparere pro ſatiari. 50.f
appellatio patris ſummi. 169.d
appropinquare, & de longe ſtare. 116.b
appropinquabit. 157.c
approximare. 97.a
aqua & terra ſimul creatæ. 174.a
aqua ex aere. 172.a
aqua ex nihilo facta. 173.d
aqua refectionis. 76.d
aqua mater omnium. 180.e
aqua. 4.e.53.c
aqua vſus in Oriente. 176.a
aqua cur ſalſæ quædam, aliæ dulces. 175.f
aqua ſtabunt. 174.e
aqua ſupercæleſtes. 172.a
aquarum vtilitates per conualles ſcatentium. 176.a
aquilæ renouatio. 163.a
aquilas cur alere domi vetuit Pythagoras. 113.d
aquilo toto cælo fugat nubes, 42.e
araboth quid. 138.b.c.d
Aranea. 119.c
arbitrij libertas. 80.b
arbor pro homine iuſto 5.b
arboris bonæ fructus. 5.b
arca Dei in Sion. 44.d
arca teſtimonij. 62.e
arca fœderis in monte Sion. 67.e
argentum pro pecunia. 45.e
arida quare terra dicta. 151.b
ariſtoteles de anima. 168.e
arma. 102.e
arma meſſiæ tribuuntur. 187.e
armorum genus duplex. 110.e.161.a
arrogantes fugiendi. 3.d
aſcendiſti in altum, diuerſis ſenſibus intelligitur. 143.f
aſcenſio Chriſti domini. 138.e
aſcenſus, equitatio Dei. 172.c
aſpides & baſiliſci pro omni genere calamitatum accepti. 159.a
a te. 181.d
aua quid. 115.c
auaritia iuſtitiæ inimica. 46.a
auarus. 46.a
auertere faciem. 42.d.181.e
aula Dei. 166.f
à veſtimentis. 132.b
aures Deo tribuuntur. 92.b
aures Dei. 36.a.51.f.84.c
aurium genera. 84.c
aurum ex Ophir. 133.e
aurum obrizum. 69.e
aurum cur magis à quibuſdam expetatur quam ſapientia. 64.f
authores malorum in terris. 157.c.d
auxilij genera duo. 67.b

B

BAcæ, minutorum arborum fructus eſt. 31.e
Baculus. 76.f
Bar duo ſignificat. 13.a
Baſan, locus paſcuus eſt fertiliſſimus. 72.f
Baſan mons Dei. 142.c
Baſan mons. 142.c
Beati qui. 2.b.4.c
Beati multis de cauſis homines dicuntur. 14.a
Beati iure qui ſunt. 98.f
Beatitudinis fons. 1.b
Beatitudo impiorum ſimulata. 108.e
Beatitudo vera quibus perficiatur. 1.d
Beatitudo quæ 1.c.64.b
Beatitudo quibus conſtet & paretur. 2.b
Beatitudo vera in quo declaratur 2.c
Beatum quæ efficiunt. 2.a
Beatus qui bonus. 4.e
Beatus vnde deducitur. 1.f.2.a
Beatus in terra. 122.c
Beatus qui ſperat in Deo. 100.e
Beatus quis. 95.d.122.c
Beatiſſimus Archita Tarentino, quis. 168.c
Belial nomen infame. 51.d
Bellum Deo tribuitur. 188.a
Belua & fera in hominis figura. 115.a
Ben, Bath. 35.b
Benedic anima mea domino. 160.a
Benedicendi verbum medium eſt ad bonũ & malũ. 37.a

Benedicere Hebraicè quid. 167.c
Benedic anima mea dominum. 167.a
Benedic anima mea domino. 169.a
Benedicite dominum omnes angeli eius. 167.c
Benedictio. 150.e
Benedictio Dei. 170.a.b
Benedictio Græcis quid. 16.e
Benedictio præmium virtutis incomparabile. 78.c
Benedictio diuinæ maieſtatis. 111.e
Benedictiones. 69.d
Benedictiones dnæ. 161.c
in Benedictionis principio duo ſunt nomina diuina. 170.a
Benedictus Deus. 144.c
Benedictus quis. 56.e
Benedictus dominus. 123.e
Beneficia diuina duo in Deum ſperantibus. 99.c
Beneficia duobus nominibus appellantur. 161.d
Benignitas erga bonos. 107.b
Beneuolentia diuina cauſis duabus prouocatur 80.f
Beneuolentiæ incredibilis exemplum. 104.e
Beneuolentiæ indicium. 80.e
Beniamin adoleſcentulus. 146.b
Beſtia nulla homine nocentior. 86.b
Beſtiæ. 179.a
Beſtiæ agri potabunt. 176.b
Blandities ſub lingua. 22.f
Bſalphemiam infandum ſcelus nec nominandum. 27.a
Bona, dulcia dicuntnr. 162.d.e
Bona domini quæ. 85.b
Bona cæleſtia. 70.b
Bonitatis ſummæ teſtimonium. 103.e.103.f
Bonitas Dei ſuuma commemoratur. 168.a

C

CAchas verbum duos ſenſus habet. 56.c.d
Cadendi verbum Hebræis quid. 76.a
Cades deſertum. 81.f
Cæcitas quorundam de Meſſia. 160.a
Cædes bonorum & malorum penes quem. 128.b
Cæli cælorum. 57.e
Cæli natura duplex. 57.f
Cælli diſtillauerunt. 139.f
Cælo & ſtellis nihil admirabilius. 31.a.31.b
Cælos non eſſe animatos. 57.f
Cælum. 107.b
Cælum duplex. 57.e
Cælum Ariſtoteli. 147.f
Cælum cęli. 147.f
Cęlum cameratum. 171.e.171.f
Cęlum cur non corrumpatur. 59.b
Cælum Empyreum. 171.a
Cęlum Empyreum, increatum. 148.a
Cælum Gręcis vnde dictum. 173.c
Cęlum templum Dei. 40.a
Cælum πολύχαλκον dictum. 59.b
Cęlum proprium Dei diuerſorium. 9.c
Calor in animalibus. 61.d
Calamitas efficit, vt amici fiant inimici. 73.d
Calamitates olim fuiſſe triplices. 11.d
Calamitatum veritas. 6.a
Calamitoſi oratio. 102.c.d
Caligo oculorum vnde. 93.c
Calix. 47.c
Calix inebrians. 77.a
Calix in ſacris litteris quid. 40.d
Callidi vitandi. 3.e.f
Calumnię, Diabolus. 22.a
Campi Elyſii. 187.c
Campus vitæ quis. 85.c
Campus veritatis. 78.a
Canticum canticorum. 145.f
Canticum pro delicto. 124.f
Canticum nouum. 97.d
Carbones. 40.c.d
Carcer animi. 2.c
Capita pro hominibus. 145.a.b
Captiuitas noſtra. 139.d
Captiuitas Aegyptiaca. 139.e
Caput pro toto homine. 84.b
Carmen triumphale. 57.b
Carmen nouum. 120.c
Caro. 47.f
Caro vnde deducta. 149.d
Caſia quid. 132.b
Caſtra. 83.d
Caſus in vita multiplices in vita. 157.a.b
Cathedra pro doctrina. 3.e
Cathedra peſtilentiæ variè interpretatur. 3.d
Cathena peccatorum. 139.c
Catuli leonum rugientes. 179.b
Cauſa. 33.c
Cauſa fontium prorumpentium è montibus. 175.f
Cauſa mortis. 151.d
cauſę cur aureo præferenda philoſophia diuiua. 7.d
cedros ponunt Hebręi pro regibus. 88.b
cedri Libani. 178.b
cedrus arbor Libani procera. 113.d
cedrus locis calentibus gaudet. 88.b
cerebrum, mentis ſedes. 125.c
cerebrum non habere. 125.c
ceremonię. 4.b
cernui ſumus in deterioribus. 97.f
cerua matutina quid. 71.d
cerug nomen tres habet ſignificatus. 71.d
ceruo eſt cor maximum. 43.a
cete, cur draco. 181.a.b
chariſſimi Deo qui. 1.c
charitas Dei maior, quàm omnium hominum. 120.f
charitatis, iuſtitię ac pietatis coniunctio. 111.e
charitas maximæ tres. 127.f
chauan. 60.c
cherub in ſacris litteris quid. 52.d
chilias numerus continens mille. 143.b
chilias numerus millenarius. 157.c
chriſtiani Iudęis hęretici. 7.e
chriſtum ſuum. 57.a.b
chriſtum regem futurum ſuper montem Sion. 10.c.d
chriſtus, imperator, pontifex, propheta. 189.b
chriſtus, ex cuius ſanguine natus. 14.c
chriſtus imago patris. 130.f
chriſtus, Meſſias. 8.f
chriſtus noſter, iuſtitia. 185.d
chriſtus patribus locutus. 169.f
chriſtus Rex. 191.c
chymus ſuccus. 73.b
chytropodes, ollarum ſuſtentacula, 141.f
cicatrices læſi corporis. 115.c
ciconia miſericors dicitur. 18.c
ciconias imitari. 54.c
cladium omniũ vitandarũ offertur conſilium. 154.155.e
clamabit ad me. 159.c

Clamare. 159.c
clamare pro rugire ſeu gemere. 95.e
clamor tacitus. 84.c
clementiæ diuinæ partes duæ. 164.b
claudicauerunt a ſemitis ſuis, plures habet ſenſus. 56.c
cleri pro labijs. 141.f
clibanus. 70.c
coagulatus mons. 142.d
coarctans Angelus domini. 102.f
cogitationes, & meliorum. 118.c
cognitio lux appellatur. 161.c.161.d
cognitio Dei. 63.a
ex cognitione, & intellectu lætitia. 182.f
cognoſcit nomen meum. 159.c
colere pro habitare. 77.e
colloquium aduerſariorum Dauidis. 15.a
colores quibus conſtabat templum. 45.a
columbæ argenteæ deſcriptio. 142.a
columnæ cur erectæ. 46.a
cometæ antecedunt graues calamitates. 59.f
comminabitur. 64.b.c.d
commotio pedum. 116.f
commoueri. 70.c
comparatio vaſis perditi. 93.f
conchæ, aliæ ſunt terreſtres, aliæ marinæ. 9.d
concilium vanitatis. 81.f
concilium duobus appellatur nominibus. 6.e
concilium malignantium canes. 73.c
concluſerunt adipem quid. 49.f
concludere. 93.b
conditio hominis diuina. 31.e
confeſſio peccati. 96.b
cconfeſſio pro narratione. 170.d
confeſſionem, & decorem induiſti. 170.c.d
confidere in domino. 39.c
confirma hoc Deus. 146.d
confitebor. 32.e
confitebor, cantabo. 29.e
confitebor domino in cithara. 97.c
confiteri. 57.a
confiteri memoriam ſanctitatis. 90.c
confiteantur. 102.e
coniunx. 132.e
confundentur. 111.b
coniunctio charitatis, iuſtitiæ ac pietatis. 111.e
coniuratio contra Chriſtum futura. 14.c
concidiſti ſaccum. 91.d
conſilium Concilium quid. 6.e
conſcientia. 114.f
conſilium. 44.c
conſilium malum conſultori peſſimum. 29.d
conſilium impiorum quod. 2.c.3.b
conſilium pro voluntate. 68.a
conſtituerunt. 123.b
conſtitutus ſum paſſiuè ſumptum. 10.a
conſuetudo ſceleratorum. 101.c.d
conſuetudo in naturam vertitur. 4.f.a
conſuluendum priuſquam incipiat. 8.e
conſiderabis oculis tuis. 157.f
contradictiones. 56.b
conturbari vnde ductum. 93.c
conturbata ſunt, tineauerunt. 93.c
conualles montium. 175.e
conuenerunt. 8.e
conuenirent pro conſultarent. 94.a
conuerſio omnium gentium vaticinatur. 75.d
Conuerſus ſum in erumnam.
conuertere Hebraicè, & Græcè. 95.f
conuertere. 24.f
conuerti de quibus dicatur. 153.f
conuertimini filij hominum. 26.a
Cor. 150.b
cor, & cor. 47.f
cor mundum. 43.a.c
cor, animus. 78.b
cor cogitationum fons. 75.c
cor pro anima. 125.c
cor impiorum. 68.a
123.a
cor totius vitæ præcipium membrum. 163.b
cor vitæ fons. 125.c
cordi tribuitur locutio. 43.c
cornu. 51.c
coronarum tempus. 14.c
coronæ impoſitio. 69.e
corporis qualitates. 3.b
corporis pulchritudo in Chriſto. 127.a
corpus vnde formatum. 165.f
corpus cæli. 136.a
corpus ſomno irrigatur. 73.b
corpus animi carcer. 2.c
corripere, verbum eſt. 24.c
corroborauit miſericordiam ſuam. 164.f
coſmus, mundus. 180.c
conſumetur. 28.b
creare quid. 149.e
crratio, propriè animalium eſt. 149.e
creatio rerum, & prouidentia filio tribuitur. 187.f
creationem rerum penes filium. 128.b
creationes mundi duæ. 62.d
creator idem qui & redemptor. 124.a
crucis fructus. 40.c
crudelitas genus aliena rapere, nec reddere. 111.d
crux. 44.c
cubilia. 179.d
cùm ceciderit, Hebræis biſariam exponitur. 111.f
cura hominum prima. 21.c
curæ. 29.c
cus. 26.c
cuſi. 26.c
cuſtodes, Angeli hominibus dati. 140.c
cuſtodia in nocte. 150.c
cuſtodia oris. 117.f
cuſtodia fida, quæ. 99.c
cuſtodia nocturnas in caſtris eſſe dicunt Græci. 150.c
cuſtodire. 65.d
cynoſura vrſa minor. 61.f
cyrus. 167.c

D

DAch. 39.b
Date gloriam Deo ſuper Iſrael. 148.c
Danielis oraculum de Chriſto. 69.f
Danubius. 44.e
Dæmones. 96.a.157.d
Dæmones peſtilentiæ authores. 158.c
Dare. 181.b
Dare vindictas exponitur. 56.e
Dator bonorum. 160.e
Dauid Rex. 21.b
Dauidis in hoſtes incredibilis beneuolentia. 103.e.f
Dauid peccator. 66.d

Dauidis oratio pro inimicis. 103.f
Decachordum. 97.d
Decem millibus multiplex. 143.a
Decipiat rectos corde. 110.e
Declinare quid. 44.a
Decor. 90.f
Decor aut decus vestis oculis optatissima. 105.d
Decor Deo proprius. 87.d
Decorem induisti. 169.a
Dedecus vestis fęda. 105.d
Defecit sanctus, sensu duplici exponitur. 41.a
Deficere. 137.c
Delectare in domino. 109.b
Delere. 56.b
Delicta. 66.b
Delictum maximum. 66.f
Deprecabilis esto super. 153.f
Deprecatio Mosis. 148.e.f
Descensus Dei. 52.d
Descriptio descensus Dei. 52.c
Descriptio turbati & irati maris. 24.e
Desiderium meum ante te. 115.f
Desine ab ira, duos habet sensus. 109.e
Detrimentum multiplex, quod solent mali homines inferre iustis. 113.d
in Deterioribus cernui sumus. 97.f
Deuorare. 105.c
Dei in Sion habitatio. 34.e
Dei nomen vnde deductum. 61.e
Dei Sinai. 140.a
Deum esse in loco suo sancto, quo sensu dicatur Deum quærere. 100.b
Deum scire. 43.c
Deum requirere, dupliciter sensu dicitur. 43.e
Deum timere. 64.b
Deum vnde agnoscimus. 57.f
Deus quid. 31.e
Deus. 157.d.100.a
Deus, animal. 140.d
Deus de Basan loqui dicitur. 145.d
Deus cur sit beatus. 33.f
Deus cur serò exaudit. 156.b
Deus cur sit admirabilis. 30.c
Deus, dominus. 170.b
Deus, Deus tuus, duos habet sensus. 130.e
Deus inuisibilis per opera visibilia cognoscitur. 126.d
Deus incorporeus. 187.e
cum Deus in cęlo sedem stabiliuit, tria notantur. 167.b
Deus Iacob. 67.a
Deus Israel. 140.a
Deus iustitiæ mere exponitur. 17.c
Deus meus, Spes. 156.a
Deus omnium pater. 165.b
Deus quis. 78.a
Deus quomodo procul consistit. 36.e
Deus quando laudetur. 99.f
Deus noster, Deus saluos faciendi. 144.f
Deus in quibus mirabilis. 148.d
Deus Pythagoræ, quid. 182.c
Deus piorum semper memor. 111.c
Deus, principium, medium, finis omnium bonorum. 168.d
Deus, proprijs, non alienis bonis est felix. 1.d
Deus quomodo à nobis cognoscitur. 170.c
Deus quando benedicitur. 169.d
Deus quando nos audit. 120.a
Deus, vt homo suas habet cupiditates. 163.d
Deus, Rex. 21.b
Deus solus timendus. 64.c
Deus Sabaoth. 167.f
Deus vniuersalis iudex. 33.d
Deus veritatis cur dicatur 92.e
Dextra. 49.e
Dextera quid. 129.d
Dextra Dei. 185.d.187.b
Dexteram suam Deum appellauit Mezentius. 120.d
Dextram tuam notam fac. 153.b.c
Dextram sedere. 187.b
à Dextris. 191.e
Diaboli nomina. 83.c
Diaplasma quid. 15.a
Dicere Hebræis cogitare est. 117.f
Dicere in cordibus quid. 19.a
Dicet domino susceptor meus es tu. 155.f
Dicta pro mandatis. 98.d
Dierum longitudo. 159.d
Dies annorum nostrorum duob. modis intelligitur. 152.d
Dies externa. 175.b
Dies magnæ salutis. 159.f
Dies magna. 6.b
Dies mala. 122.c
Dies pro vita. 165.e
Dies nostri omnes defecerunt. 152.c
Dies tabulationis. 67.a
Dies vna, humana vita. 151.b
Dies, vniuersa vita. 111.b
Diffusa est gratia. 126.c
Dij iudices. 64.d
Dij duo nominantur. 131.a
Dij duo, quomodo. 186.b
Dij pugnantes. 128.d
dilatare quid. 55.e
dilatare os. 105.a
dilatare iter. 55.e
dilatatur animus quomodo. 17.f
dilecti, dilecti. 141.c
dilectio superbiæ vnde. 12.d
dilectus. 88.d
diluuium inhabitans. 89.a
diluuium pro calamitatibus in bello acceptis. 96.d
dinumeratio ossium. 73.d
directionis virga. 130.d
dirigere. 27.c
dirigere filios eorum. 154.e
ne discedas. 105.a
discedit Deus, quando. 121.a
discernere. 142.c
dispersio ossium quid. 73.a
disciplina. 55.d
disrūpamus vincula eorum in duos sensus vertitur. 9.c
dissipa gentes. 147.c
dissipare. 137.a
dissentio de resurrectione inter Iudæos. 182.c
diuertere à malo. 101.cf
diues omnis aut iniquus aut iniqui hæres. 109.e
vbi diuinitas summa, ibi summa mansuetudo. 164.a
diuinitatem significantia. 135.d
diuinitatem quę declarant. 69.f
diuites cur leones appellentur. 100.c
diuites plebis. 133.f
diuites populi qui. 133.f
diuitiæ malæ partæ. 6.a

Diuitiæ multis inſidijs expoſitæ. 64.f
Diuitias reijciunt ſacræ litteræ. 2.a
Dixit. 187.b
Dixit dominus domino meo. 185.f
Dolor. 29.c.37.f.38.d.118.b
dolores. 51.d
Doloris indicia. 116.a
doloſè agere in conſpectu eius. 106.c
dolus. 22.a.37.e
Dolus Græcis quid. 101.c
Domine ſpes & tu. 158.a
Domine refugium factus eſt nobis. 149.a
Dominationis diuinæ locus. 168.b
Dominus. 105.b
Dominus dabit verbum euangelizantibus. 140.f
Dominus, AdonaiK. 133.d
Dominus in cęlo parauit ſedem ſuam. 166.f
Dominus, domino, Adonai. 185.f
Dominus in eis. 143.e
Dominus Ieſus. 20.c
Dominus nomen illi. 138.e
Dominus noſter quid. 30.c
Dominus nouit dies immaculatorum. 111.b
Dominus, pater ſummus. 8.f
Domus Dei. 107.f
Domus Dei duplex. 76.c
Domus eburneæ. 132.c
Donec. 149.f
Donec ponam. 188.d
Draco. 180.f
Duces eorum. 146.c
Dulcedo, bonitas. 94.c

E

EBrietas æterna. 107.f
Ecce dabit voci ſuæ duos habet ſenſus. 148.d
Eccleſia. 82.a.104.d.146.a
Eccleſia Kahala. 133.c
Eccleſia multitudo. 74.d
Eccleſia manere comparata. 179.d
Ecſtaſis, exceſſus. 91.f
Educere. 177.b
Educet quaſi lumen, ſenſum duplicem habet. 109.c
Effunde frameam. 102.d
Effundi ſicut aqua. 73.a
Ego hodie genui te, quomodo intelligendum. 11.b
Egredi quid. 139.e
Et Deus. 58.b.149.f
Et duobus modis legitur. 10.f
Electio, vnctio. 130.f
Electus. 54.c
Elementa quattuor. 77.e
Elice viſa maior. 60.f
Elim quid. 87.d
Elohim quid. 69.b
Eloquia. 54.f
Eloquia Dei caſta. 41.e
Eloquium iucundum. 184.a
Eliſij campi. 45.c
Emulatio quid. 108.e
Enarrant gloriam Dei. 58.b
Epicur eorum impietas. 12.d
Epinicion, Victoriale carmen. 26.b.29.a
Epulari. 137.e
Equi regni diuini. 129.d
in Egnitibus multis, ſalus non conſiſtit. 99.e
Eripe animam meam. 25.c
Eripere de portis mortis. 35.a
Eripi à tentatione. 54.e
Error quorundam de Meſſia 4. rationibus reſellitur. 130.b
Error Græcorum ſuper angelis. 167.f
Erubeſcere. 26.a
Eructare verbum. 59.e
Eructauit verbum Hebræis, & Græcis variè accipitur. 125.a
Erudimini quid. 12.b
Eruditio quid. 13.b
Eſſe de hoc mundo. 50.d
Eſſentia quinta. 31.c
Ethice. 4.a
Ethnici qui. 8.a
Euangelium. 141.b
Euangelium, dæmonis imperium ſubuertit. 141.b
Euangelium quomodo confirmatum. 139.f
Euchariſtia. 170.e
Euge lætitiæ ſignum. 171.f
Exalationes duæ à terra. 171.d
in Exceſſu, ectaſi. 146.b
Exceſſus, ſtupor. 94.f
Excidium peccatoribus minatur. 111.a
Exercitus deleti & fuſi ſigna. 102.e
Exſiccationis deſcriptio. 53.c
Ex inimicis ab ipſo. 145.e
Exhilaratio faciei duobus modis poteſt intelligi. 177.d
Ex leges qui. 68.f
Expectare. 181.e
Exploratores vnde dicuntur. 45.b
Exprobrauerunt animæ meæ, foderunt. 103.b
Ex Sion ſalus. 44.d
Exiſtens. 169.f
Exiſtens vere eſt, quod ingeneratum eſt. 150.d
expectans expectaui. 120.a
expectare Dominum. 85.e
expoſitio viſionis Danielis. 69.e
exterminari. 109.f
exultare in Domino. 97.d
exultauimus pro diebus. 154.d.154.e
exultent. 137.f
exurgere. 137.b
ex vtero ante luciferum genui te. 189.e

F

FAcientes ſuperbiam. 95.d
Facere bonum. 101.d
à Facie ignis. 137.d
Facies Dei. 137.e
à Facie Dei Sinaì. 140.e
facientes verbum eius. 167.e
facies terræ renouabis. 181.d.182.b
facies pro ore. 52.a
facti cur ſimus. 183.f
fames antecedit peſtilentiam 59.f
falſitatis duplex genus. 81.e
fatum. 161.f
fatum & natura ſæpè idem. 158.b
fauus pro redundantia. 64.b
felicitas impiorum quorſum. 35.d
felicis arboris deſcriptio. 5.b.5.d

Felicitas

Felicitas diuitijs non ineſt. 2.c
Felicitas quid. 1.e
Felicitatis vanæ exemplum. 107.a
Felicitatis deſcriptio. 1.a.b
Feræ cur noctu vagentur. 178.f
Feræ Harundinis. 147.a
Fides. 107.a
Fides religio. 109.a
Fideles. 62.e
Fideles qui. 95.a.121.c
Fides. 121.c
Fides quid. 45.a
Figuræ, dictæ, factæ, viſæ. 134.c
Figurarum tria genera. 134.c
Figmentum. 165.c
Filia regis. 134.b
Filia pro Eccleſia. 133.c
Filia Sion. 35.d
Filiæ pro vrbibus. 133.f
Filiæ regum, populi. 134.e
Filiæ regum, multipharium exponitur. 132.d.133.b
Filij Dei. 87.d
Filij diſcipuli. 101.a
Filij pro viris. 18.a
Filij filiorum. 166.d
Filij alieni mentiti ſunt mihi, ſenſu vario dicitur. 56.c
Filij hominum. 126.c.17.f
Filijs Core. 124.e
Filius mortis. 17.f
Filius hominis. 31.c
Filius Dei, Sapientia dicitur. 169.e
in Fimbrijs aureis. 134.a
Finis omnium virtutum. 1.e.f
Finis vitæ humanæ omnium nobiliſſimus. 12.d
Finis, ideſt, omnia. 188.a
Firmamentum, ſecretum. 80.c
Flagella. 104.a
in Flagella paratus ſum. 117.a.117.b
Flagellum plaga. 158.c
Flamma in templo Hieroſolymitano. 160.c
Flumen cur beatum dicitur. 143.a
Fluminibus auditus tribuitur. 88.e
Fluuius vita noſtra eſt. 150.f
Fœdus diſpoſitio. 166.d
Fœnum ab Herba in quo differat. 177.a
Folia defluentia, famam poſteritatis quidam dicunt alij
  ſapientiam. 5.c.d
Folium. 4.e
Fortis & patiens. 28.e
Fons malorum omnium. 43.e
Fons vitæ prædicatur. 108.a
Fons omnis impietatis. 106.b
de Fontibus Iſrael. 146.a
Fontium vſus in Oriente. 184.f
Fontium è montibus manantium cauſa. 184.e
Forma locutionum duplex. 186.e
Formidabunt. 175.a
Fornicatio. 133.c.153.a
fortitudine. 139.c
fortitudo 97.c
fortitudo quid. 139.d
fortitudo Dei. 148.d
fortitudo Dei deſcribitur. 128.d
fortuna. 187.f
framea. 72.e.74.a
fragoris diuini deſcriptio. 156.a
Fratres qui. 74.d
fremuerunt verbum exponitur 8.a
fructum de terra perdere. 70.f
fructum ſuum dare, quid, iuxta Græcos. 4.e
fructus. 4.e
fructus progenies. 70.f
fructus operum Dei. 176.f
fructus nullus in factis iniquis. 79.a
fructus arboris Hebræi duobus modis exponunt. 5.a
fructus cognitionis Dei. 63.a
fructus Chriſtianæ meditationis. 4.f
fructus meditationis Chriſtianæ, pietas. 5.a
fumigatio montium. 183.b
fumus. 137.d
fundamenta pro præceptis. 39.f
fundare virtutem. 31.b
funes inferni. 51.d.e
funes menſuræ vocantur. 57.c
furor. 25.d
furor Dei, quomodo placatur. 23.e
furor Deo tribuitur. 23.f
furor & ira Deo tribuitur. 19.f
futurum pro præterito. 15.e

G

GAbaon mons. 142.e
Galeus piſcis Rhodi celebris. 180.e
Gaudere, reflorere. 87.a
Gaudia in ſola menſa exiſtunt. 137.e
Generatio. 37.d
Generatio & generatio. 135.e
in Generatione & generationem. 149.b
Generationes duæ. 166.d
gehenna. 162.b
genij qui. 140.e.158.d
gemitus cordis. 115.e
genius. 143.c
gentes, quæ. 35.c.36.b
gentes quare fremuerunt? 8.a
gentes ad Dei cultum vocatæ. 11.e
gentes omnes ſeruient ei, quomodo intelligendum. 11.c
gentes, omnes nationes, quæ à vero Dei cultu abhorrebant, ſunt appellate. 8.a
gentes omnes conuertẽdas ad Chriſtum prædicitur. 76.e
genui verbum de quo dicatur. 11.a
genui te. 190.b
gigantes. 89.b
gigas. 99.b
gigas pro forti. 61.a
gladius. 129.b
gladius Dei. 50.c
gladius iuſtitiæ. 128.d
gladius poteſtatis regiæ inſigne. 128.f
gloria. 47.f
gloria quid. 82.d
gloria Dei quid. 182.f
gloria, anima appellatur. 27.c
gloria Dei interior & exterior. 58.a
Gloria pro anima. 91.d
Gloria pro anima. 15.d
Gloria Dei, exterior & interior. 170.e
Gloria Dei duabus rebus oſtenditur. 58.a
Gloriã & honorẽ aliqui pro immortalitate ſumunt. 31.f
Glorificabo eum. 154.c
Gog & magog quid. 129.a

Gradus primus vitæ felicis. 169.a
Græcorum de reſurrectione mortuorum ſententia. 5.d
Gratia. 127.d
Gratia in labijs tuis diffuſa. 127.d
Gratiarum dator, Deus. 22.e
Gratitudine nil melius. 90.d
Gratis. 103.a.104.e
Guſtare ad ſenſum refertur. 100.d

H

Habitare. 155.e
Habitatio Dei in Sion. 34.f
Habitatio Dei. 143.a
Halleluiah quid. 184.d
Hebręa lingua cęterarum parens. 33.b
Hebręi à ſe ſalutem repudiunt. 20.d
Hebræis pauca nomina deriuata. 8.d
Hebræis gentes aduerſæ. 7.e
Hebræorum lingua. 17.e
Heghe quid. 152.c
Hæreditas Dei. 140.c
Herinacijs refugium. 178.d
Hæretici ex leges dicti. 68.f
Herodius am. 178.c
Heioeb. 157.d
Higaion, ſela. 35.d
His qui commutabunt. 124.c
Holocauſtum pingue. 67.f
Homicidia fiunt ex fraude. 116.d
Homine quando nil nocentius. 86.b
Hominem diligere duobus modis cogitur Deus. 81.d
Homines. 36.d
Homines ad quid nati. 168.c
Homines fortunati. 186.e
Homines & iumenta ſaluabis, habet ſenſum duplicem. 107.d
Homines cur facti. 25.b
Homines hortantur ad ſapientiam. 12.f
Homines non homines. 66.f
Homini quid metuendum. 97.b
Hominis definitio. 66.e
Hominis greſſus. 111.e
Hominum habitatio prima. 123.f
Hominum infelicium genera, duo. 4.c
Hominum conditio. 31.d
Hominum genus verè beatum. 98.f
Homo. 34.b
Homo homini lupus. 83.d
Homo omnis, vanitas eſt. 118.e
Homo velut aduena & peregrinus. 119.e
Homo, Enos. 39.c
Homo totius mundi Dominus. 31.e
Homo ſicut fœnum dies eius. 165.e
Homo, cur factus ſit. 12.d.91.b
Homo imago Chriſti. 130.f
Homo pacis. 123.c
Homo, quid eſt, duobus ſenſibus declaratur. 31.c
Homo cur omnium animalium nobiliſſimus. 30.e
Homo cur ſit factus. 91.b
Homo homini lupus. 117.c
Homo naturalis & animalis. 66.e
Homo velut imago mutabilis. 118.e
Homo pacis quis. 119.f
Homo proprius a diuerſis partibus appellatur. 169.f
Homo quidam paruus Deus. 31.e
Honore in tuo. 132.d
Hortatio a malo ad bonum. 112.c
Horti Adonidis. 165.e
Hoſpitibus duo olim exhibebantur. 177.d
Hoſtes Dei. 118.b.188.a
Hoſtes Dei duplices. 188.d.e
Hoſtia vociferationis. 84.b
Humiles ſpiritu. 102.a
Humilitas, afflictio. 92.f
Humilitas. 35.a 80.f
Humilitas mea, ambigua vox eſt. 74.c
Humiliatus ſum pro obmutui. 118.b
Hymnorum diuinorum mos. 135.e
Hymnus triumphalis. 93.a

I

Iamblichus cur diuinus appellatus. 169.e
Ibi reciderunt. 108.e
Idithum. 117.e
Idololatria, abominatio cur dicatur. 133.f
Iehouah. 30.c.39.d.61.f.98.f.170.a.181.d
Iehouah, qui eſt, ipſum eſſe. 169.d
Ieſum meum, ſalutare meum. 154.d.e
Ieſus. 35.c
Ieſus ille. 154.f
Ieſus ſalus noſtra 144.d
ignis furor 70.e
ignominia Hebræis in lumbis. 115.e
ignorantia Dei. 63.a
ignorans. 104.b
illuminamini. 100.b
Illuminatio vultus. 152.b
Illuminatio ad inuiſibiles animi motus refertur. 83.c
illuſio. 115.d
imago quid. 118.e
immaculati qui. 111.b
immaculata lex duplicem habet ſignificatum. 61.a
immittet, pro caſtra metabitur. 100.d
imperitia hominum vnde. 163.d
imperia omnia terrena ſimilia præteritis. 135.f
Imperatores quomodo olim adorabantur. 13.a
imperandi verba tria. 128.e
Imperium meſſiæ. 188.a
Imperium diuinum increpatio. 175.a
Impietas quid. 66.e
Impietas. 26.b.86.e
Impietas grauiſſima quæ. 15.b
Impietas facit vt Deum non timeamus. 160.b
Impietatis omnis fons. 160.a
Impij qui. 2.e
Impij paleis aſſimilati. 5.e
Impij quomodo non reſurgent in Iudicio. 6.b.6.e
Impij iuxta Ariſtotelem qui. 3.b
Impij cedris comparati. 113.c
impiorum iudicium quale. 7.b
impiorum perditio. 112.a
impiorum deſcriptio. 2.d.e
impiorum ſucceſſus quorſum pertineat. 35.b
impius non timet, non timens vęnundat ſe peccato. 106.e
impius, Dei gladius. 50.e
implebuntur bonitate. 181.e
impleta eſt terra. 179.f
imprecatio contra impios. 86.e
improbitatis genus. 122.f
improbi è medio tollendi. 86.b

Improborum conſuetudo. 110.b
Improborum genera tria. 5.b
Improbus cur cito non petit. 113.a
In pro cum. 12.a.180.a
Inanimata pro animatis. 142.d
Inaurire Aurizare. 20.f
In æternum. 126.b.130.a.182.a
In breui, celeriter. 13.e
In cęlo miſericordia tua. 107.a
Incommoda quæ iuſtis accidunt, probationes ſunt non
 deſtinata ſupplicia. 112.a
Incommoda multa hominibus natura peperit. 157.b
In conſpectu tuo, duos habet ſenſus. 36.c
Incredulitas facit, vt Deum non timeamus. 106.b
Increpaſti gentes. 146.f
Increpatio. 119.c
Increpatio Dei miranda. 174.e
Indicat ſcientiam. 59.f
Indui confuſione. 105.d
Inebriari pro fęcundari. 108.a
Infelices homines qui. 4.c
Infernus. 25.a.90.b
Infernus pro ſepulchro. 48.a
Infixæ gentes. 35.d
In finem pro in æternum. 20.d.23.b
In finem 36.a.38.b. 47.c.57.b.67.c.68.e.112.e.119.f.
 122.b.124.d.136.c. 142.f.
Inidipſum. 100.a
Infirmitas. 161.f.77.e
Infirmitates pro idolis. 46.f
Infirmum eſſe quid. 24.d
Ingratitudo. 117.d
Ingratitudine nihil turpius. 90.d
Ingrediendi finis. 45.b
Ingredi ſine macula. 45.b
Inhabitare terram. 109.a.112.e
Inimici. 43.a
Inimici, alij viſibiles, alij inuiſibiles. 187.f
Inimici Dei qui 137.b.145.b.187.e
Inimici multiplicati ſunt. 117.c
Inimicorum genera duo. 83.d
Inimicos apud Saulem, Dauid habuiſſe conſtat. 103.d
Iniquitas. 29.e.161.f
Iniquitas quid. 21.d
Iniquitas grauior quæ. 116.b
Iniquitas in manibus rectè dicitur. 26.f
Iniquitatem Deus non vult. 21.d
Iniquitatem meditari in cubili ſuo. 106.f
Iniquitates. 82.f
Iniquitatis operatores. 25.f
Iniquus cur citò pęnas non luat. 120.a
Iniuria calumnia. 163.b
In medio iuuencularum tympaniſtriarum. 145.f
Innocens. 54.c
Innocentia. 81.d
Innocentia manuum. 78.b
Inopes ſine ope 41.d
In ſeculum ſæculi. 64.b
Inſanias falſas, idola vocat. 120.d
In ſemetipſo. 106.b
Inſcitia quorundam de Rege meſſia conuincitur. 128.b.
 129.a
Inſipiens quid. 43.c
In ſplendoribus ſanctorum. 189.e
Inſtrumenta muſica. 40.f.137.a
Inſurgunt verbum quid deſignat. 13.f
Intellectum dare. 96.c
Intellectus. 95.c
Intelligentia maxima à Deo facta. 186.c
Intemperantiæ proles. 49.f
Intende, procede, & regna. 128.f
Intentio bona. 153.a
Interitus. 103.a.162.b
Intingatur. 145.d
Ipſum eſſe. 69.d
Ira quid. 52.b
Ira Dei qualis. 27.d
Iram tuam denumerare quid nouit. 153.a
Iracundi. 56.c
Ira Dei. 23.f.183.c.26.d.77.d
Iraſcetur. 164.c
Iraſcimini pro timere. 18.d
Iraſcitur quomodo Deus. 23.f
Irriſio duplex. 72.c
Irritare. 38.c
Iſrael. 44.e
Iſter. 44.e
Iter idem ad ambas vitas. 101.b
Iter proſperum faciet Deus. 144.d
Iubilus, vociferatio. 124.d
Iurare proximo ſuo. 45.e
Iudæi cur à Veſpaſiano neci dati. 125.c
Iudæa in Oriente. 176.a
Iudicare. 28.a.39.b
Iudicare bifariam exponitur. 81.c
Iudicia doloris. 116.b
Iudicia, leges. 54.a
Iudicia Dei, varia eſt explicatio. 64.c
Iudicij dies. 6.b.c.
Iudicij nomine quid intelligendum. 64.f
Iudicium. 6.e.112.d
Iudicium actiuum: 6.c
Iudicium pro æquitate. 79.f
Iudicium pro vltione. 37.d
Iudicium pro iuſtitia. 105.b
Iugum pro conſpiratione, & copijs coniurantibus, aut
 coniurantis. 9.b
iugum vnde dictum. 8.f
iumenta. 177.b
iura diuina. 64.d
iurauit dominus. 191.b
iuuenculæ Iſrael. 146.b
iuuentus. 79.e
iuuentus tua, vt aquilæ renouabitur. 162.f
ius naturale. 64.c
iuſta à Deo petendum. 119.b
iuſti qui. 102.a
iuſti cur affligantur. 102.b
Iuſti qui ſint. 114.a
iuſti cur optent viuere. 25.c
iuſti caſibus humanis ſubditi. 112.b
iuſti ſunt curæ Deo. 28.b
iuſti hortantur, vt Deo lętitiæ carmen offerant. 97.d
iuſtificare. 92.b
iuſtitia. 121.c.190.f.191.a
iuſtitia noſtra. 105.f
iuſtitia erga malos. 107.b
iuſtitia pro liberalitate. 166.d
iuſtitia maxima quæ 101.c
iuſtitia, miſericordia 162.b
iuſtitia mea. 105.e
iuſtitia pios Deo charos efficit. 111.f

Iustitia Romana: 128.e
Iustitia scelus inimica. 40.e
Iustitia Dauidis. 28.b
Iustitia in sacris litteris modo duplici accipitur. 17.c
Iustitia Sapientia assistrix Dei. 187.a
Iustitia Dei. 76.c
Iustitia Dei, & Iustitia nostra. 105.e
Iustitiæ partes. 163.c
Iustitiæ gladius. 128.e
Iustitiæ domini rectę. 63.b
Iustitiam diligere. 5.a
Iustorum verba impiorum consilijs contradici. 2.f
Iustorum iudicium. 7.b
Iustus quis. 112.b
Iustus nunquam derelictus est visus. 112.c
Iustus qualis. 4.e
Iustus cur cito grandis non fit. 113.b

K

KAbod quid. 58.a
Kebod. 17.f

L

LAbia dolosa. 41.b
Labia variè accipiuntur. 140.a
Labor. 38.d.80.f
Labor pro iniquitate. 29.e
Labor pro impostura. 37.f
Lacus. 29.d
Laccus cc, duplici. 120.b
Laccus quid. 85.e.90.a
Lachrymæ salsæ. 93.c
Lętari. 69.a
Lętitia corporea. 182.f
Lętitia. 182.f
Lætitia Dei. 183.c
Lætitia in mensa sola existit. 137.e
Lætitia pinguefacit. 87.a
Lętitia veræ vbi 65.c
Lamnazeach plures habet sensus. 16.f.20.d.23.d
Lamnazeach. 40.f.42.b.67.c.68.e.57.b.122.b.124.e.
136.c.
Lapis pretiosus pro varo obrizo. 64.e
Laqueos. 40.d
Laqueus. 92.d
Laqueus, pro calamitate in bello accepta. 35.d
Laqueus pro calamitate. 103.b
Laqueus vęnantium. 156.b
Laqueus. 80.d.103.b
Laquei mortis qui. 51.e
Lasciuire. 39.d
Latitudo. 53.e
Lauare. 82.b
Laudare. 74.e
ad Laudem Dei quinquies inuitat Dauid. 138.a
Laudes Dei. 86.f
Lauri carmina didicisse dicuntur. 142.d
Laurus. 113.d
Laus Dei. 87.a
Laus. 105.f
Laus & gloria Dei. 170.e
Le Dauid quid. 68.f
in Lege domini voluntas eius dupliciter exponitur. 4.a
Legis diuinæ fructus. 62.c
Legis Mosaicæ summa. 4.b
Legis diuinæ vis. 62.b
Legislator. 36.c
Legum humanarum perfectio. 62.b
Leonis ingenium. 73.d
Leones. 26.e
Leones, iure diuites appellantur. 101.a
Leones indiguerunt, & esurierunt. 100.f
Leonis mos describitur. 38.b
LeroKel quid. 138.b
Leuiathan piscis. 180.f
Lezim qui dicantur. 3.d.4.b
Lex antiqua & noua ex eodem fonte: 141.b
Lex, alia diuina, alia naturalis, alia Mosaica &c. 4.a
Lex Dei. 62.b
Lex diuina, sola deuios reuocat mortales. 62.b
Lex esse cùm dicitur. 4.a
Lex Hebraicè. 61.f
Lex Latinis vnde dicta. 4.c
Lex omnis duas habet partes. 64.d
Lex quomodo data. 139.f
Lex vnde dicta. 3.f
Lex sapientia, Iudicium. 112.f
Lex scopus noster. 62.b
Lex tua in medio cordis. 121.b
Lex vera quid. 4.c
Libanus. 88.b
Libanus, mons vatibus notus. 178.b
Liberari qui cupit delictum agnoscit. 116.a
Liber Aristotelis de mundo. 168.c
Liberalitate Dei repleta est terra. 98.b
Libertas animi declaratur. 169.b
Libertas arbitrij auxilio diuino coniuncta. 66.a
Ligna campi, pro arboribus. 178.a
Lignum pro arbore. 4.d
Lignum scientiæ boni & mali. 4.d
Lilia instrumentum musicum. 124.c
Lilia, plures habet sensus. 124.c
Lingua. 47.f
Lingua mea calamus. 126.b
Lingua Chaldaica. 146.e
Lingua canum tuorum. 145.d
Lingua magniloqua. 41.c
Lingua sancta reliquarum parens. 90.e
Linguam faucibus adhærere, quid. 73.b
Lingua Hebræorum, Græcorum. 189.c
Locus sanctus. 78.a
Locus dominationis diuinæ. 168.a
Locus animæ. 165.f
Locus animæ nescitur. 161.a
Locus Iesu. 154.b
Locutio cordi tribuitur. 43.c
Locutio fit multis modis. 186.e.f
Longaminis. 163.f
Logos. 180.b
Longitudo dierum. 77.c.159.e.f
Lumbi. 115.d
Luce cælesti omnia aluntur. 61.e.f
Lucerna. 54.e
Lucifer aurora. 190.c
Lucretiani, quidam philosophi impij. 43.d
Lucretij error. 43.e
Luna quomodo olim adoraretur. 13.a
Luna temporum indicium. 178.e
Lupi. 26.e
Luporum proprium. 37.f
Lusus duobus modis intelligitur. 180.f

Lux cęli. 58.a
Lux primum Dei opus. 173.c
Lux quando creata. 171.e

M

Machabæi qui. 147.c
Μακάριος quis. 2.b
Magnificare quid. 39.c
Magnificare ſalutes. 57.a
Magnificare fraudem. 123.c
Magnificata ſunt opera tua. 180.a
Magnificatus es vehementer Deus. 170.f
Magnificentia Dei. 30.e
Maieſtas Dei. 187.d
Maieſtas Dei cantatur. 77.c.d
Maieſtas diuina deſcribitur. 137.a
Maieſtas Dei quibus dignoſcatur. 88.b
Maieſtas diuinarum ſcripturarum. 167.c
Maieſtas Meſſiæ æterna. 70.b.c
Maieſtas diuina quàm admirabilis. 98.d
Maieſtatis diuinæ prædicatio. 111.e
Maligna loquuntur qui. 105.d
Malignantes. 108.e
à Malignitate eorum. 104.c
Malignus. 45.d
Malignus pro ſcelere. 21.f
Malorum authores in terris, qui. 157.d
Malorum omnium radix. 46.f.78.b.c.
Malum atrocius nullum quàm quod ab homine.
Malum pro morbis. 116.d
Manda Deus virtuti tuæ. 158.c
Mandra quid. 146.d
Mane ſicut herba tranſeat. 179.d
Mane repleti ſumus miſericordia, duos habet ſenſus. 151.a
pag.
Manichæorum error. 154.a
Manſueti. 60.e
Manſueti. 99.f
Manſuetudo & veritas Dei. 36.a.79.f.99.f.110.c
Manſuetudo Dei demonſtratur. 185.d
Manus quid ſit. 163.f.164.a
Manus. 96.a
Manus & pedes. 180.d.181.e
Manus authoritatem deſignat. 73.c
Manus infixæ ſunt. 160.b
Manus pro authore. 114.d
Manus canis. 124.e
Manus Angelorum. 74.b
Manus Dei. 108.f
Manuum opera. 58.e
Mago quid. 32.a.58.c
Mare. 104.c.
Mare vita. 110.a
Mare hoc magnum. 150.f
Mare cur non creſcat. 180.d
Maris turbati & irati deſcriptio. 174.e
Mars. 24.e
Medicina peccatorum. 41.c
Megera. 23.f
Meditandi verbum quid. 157.b
Meditari. 4.c.d
Meditari, & cogitare. 105.f
Meditationis Chriſtianæ fructus. 118.b
Mel. 4.f
65.c

Melchiſedech vnde deductum.
memoria æterna nominis debetur ei, qui ſemper eſt. 191.a
pag.
mendacium vanitas. 135.d
mens Platonis ſecundum principium. 78.b
menſurabiles dies. 169.d
mentes duæ. 118.d
mentis malæ indicium. 130.f
mentis exceſſus. 101.b
mentis lucerna. 146.b
merces virtutis. 54.e
merita. 42.d
meritum iuſtitiæ, pęnæ peccati reſpondet. 161.d
meſſiæ nomina. 101.f
meſſiæ arma tribuuntur. 183.f
meſſiæ ſolius voluntas facienda. 187.e
meßias Chriſtus ante ſolem. 134.e
meßias Deus ęternus. 185.c
meßias futurus omnium terrarum imperator dicitur. 130.b
11.d
meßias probatur eſſe Deus.
meßias in cælo triumphans in cælo decantatur. 135.d
meßias rex appellatur. 89.d
meta vitæ Dei, quæ. 69.a
metuendum. 163.e
metus quid. 1.e
metus Dei. 26.d
Mezentius dextram ſuam Deum appellat. 66.d
Michtam quid. 120.d
Midras Iehilim. 46.b
mille anni. 69.a
millia lętantium. 150.c
miluus, aere poteſtates. 143.b
minari. 155.d
Mineruæ feſta. 164.c
Mineruæ ſacra. 47.a
miniſtros tuos ignem vrentem. 56.a
menſa. 173.b
mira Dei opera. 77.a
mirabilia. 120.f
mirabilis Deus in ſanctis ſuis. 82.c
miranda Deus duo fecit. 148.d
mirificauit verbum. 173.e
mirifici qui. 18.b
miſer factus ſum. 46.e
miſeratio domini quo tendit. 115.c
miſerendi verbum, à viſceribus dictum. 79.d
miſeria. 24.c
miſeria. 41.d
miſericordia. 120.b
70.c.79.d.107.a.162.b
miſericordia Domini ab æterno duos habet ſenſus.
pag.
miſericordia, iuſtitia. 166.b
78.c
miſericordia Dei quatuor nominibus declaratur. 163.f
164.b
miſericordia Dei immenſurabilis. 164.e
miſericordiæ partes. 163.c
miſericordiæ Dei cognitio impellit ad ſtudium pietatis.
pag.
miſericors. 81.e
miſmor. 121.c
mitis quid. 136.f
mnazechim. 74.f
mnazechim qui. 162.a
mnazeach quid. 16.f
moleſti cùm mihi eſſent. 57.b.124.e
103.e

Mona-

Monachi. 139.b
monita ſalutaria. 95.a
monoceros. 74.c
mons Domini, Sion. 78.a
mons Dei, Cælum. 15.f
mons Dei. 142.c
mons pinguis. 142.d
mons ſanctus. 15.e.44.f.45.c
montes. 149.c
montes non ſunt unimati. 57.e
montes excelſi ceruis. 178.d
montes gibboſi. 142.f
montes aquarum ſunt termini. 175.c
montes Dei. 107.d
montibus motus tribuitur. 88.e
montium tres vtilitates. 175.a
morbi animi qui. 162.a
mortalibus quid ante omnia quærendum. 21.c
mors peccatorum peſſima. 102.c
morte morieris. 151.c.d
mortificare. 112.f
mortis metus. 115.b
mortis cauſa. 151.d
mortui qui. 150.e
mos hebraici Sermonis duplex. 140.c
mos lupi deſcribitur. 37.f
mos piorum. 147.b
moſis ſcripta. 77.e
moſis oratio. 148.e
motus cæli. 58.a
mundicies cordi. 78.c
mundum, quidam templum Dei nuncupant. 15.f
mundum ſempiternum non eſſe. 98.e
mundus duas res admirabiles habet. 57.d
munera pro auaritia. 82.f
muſtum Hebræis. 19.f
myrias quid. 143.b.157.c
mirrha quid. 132.b

N

NAbi propheta. 153.e
Nachal quid. 175.e
Nahar. 100.c
narrabo. 32.f
narrare quid. 58.b
nationes omnes ad Dei cultum inuitantur. 147.e
nationes præfectos Angelos habent ad cuſtodiam. pag. 140.e
natura cæli duplex. 57.d
ne auertas hominem in humilitate. 149.f
negligere quid. 151.f
negotio perambulante in tenebris. 157.b
ne ſimul trahas, duos habet ſenſus. 85.e
nilus. 175.d
niue dealbabuntur. 142.e
nobilitas regni Dei. 167.e
noli æmulari, vt maligneris. 109.e
noctu ægri grauius laborant. 25.d
nomen Dei ſanctum. 161.b
nomen Dei, Deus ipſe. 185.c
nomen domini. 120.d
nomen Dei Iacob. 67.a
nomina Dei Ariſtoteli. 168.f
nomen Dei. 30.c.99.d.159.c.161.a
nomina Dæmonum. 126.d
Nomina apud Hebræos duplicata. 126.d
nomina Meſſiæ. 183.e
nomina tua quibus docetur diuinitas. 186.d
nominis tui memores erunt. 135.d
non eſt ſalus dupliciter exponitur. 15.a
noſter pro nobis. 144.f
nox. 47.e.49.a.179.a
nubes, aer, mare. 172.a
nubes ſunt ſuperiora Dei. 176.f
nubes. 107.b.172.d
nubium fructus. 176.f
numeri multitudinis tres. 132.d
numen Meſſiæ. 188.a
numinis aduentantis deſcriptio. 52.e

O

OBedientia melior quàm hoſtia. 121.a
Obliuio Dei. 35.f
obliuio quid. 161.d.e
obliuionis nomen quid. 161.c
obſcurum. 34.e
in Obrizum aurum. 132.e
occaſus pro ſolio. 138.b
oculi Deo tribuuntur. 49.a.b
oculi ſuperbi. 54.e
odiſti obſeruantes vanitatem. 92.f
odium iniquum. 81.a
odium naturale inter bonos, & malos 110.c
odium vnde ſumit initium. 104.c
odores pro benefactis. 132.c
officium Angelorum. 167.c
olam enim, & mundum ſignificat. 39.a
olam. 128.b.149.e
oleum lætitiæ. 131.a
olympus. 154.b
omnia ex Deo. 43.e
omnia quæ intra me ſunt. 160.f
omnia à te expectant. 181.d
onager ſitibundum animal. 176.a
onagri inſiti ſua expectabunt. 176.b
opera digitorum. 32.a.b
opera diuina duo. 174.f
opera manuum Dei. 86.d
opera Dei mira erga nos, & in gratiam noſtri. 120.e
opera ſuper erogationis. 166.e
opera enim in fide. 97.a
opera Dei omnia, benedicite dominum. 168.a
opera infeſta Deus non amat, ſed iuſtitiam. 21.e
opera Dei. 58.e
operatio, & opus. 179.f
operatores iniquitatis. 25.f
opes cur multi maximè expetant. 64.f
opiniones tres quorſum ſpectat Pſalmus. Quare fremuerunt. 7.d
opus Dei, pluuia. 177.b.c
opus pro opera. 58.c
oraculum totius gentis Hebraicæ, Sion. 67.e
oraculum de Chriſto venturo. 75.e
oraculum de aduentu ſummi Dei. 188.a
oraculum de Meſſia. 69.a.f
oraculum Platonis de Deo. 186.f
oraculum de Rege Meſſia venturo. 123.f
orandi ratio. 85.f
oratio in rebus aduerſis vtiliſſima. 122.b
oratio in ſinu. 103.f

Oratio

Oratio Dauidis ad Deum, vt impij diſſipentur. 141.a
oratio vnde fluat. 15.e
oratio calamitoſi. 102.e
oratione ira Dei placatur. 23.d
orbis terræ. 60.d.77.d
orizon, finitor circulus. 61.c
orpheus. 136.f
ortus, & occaſus. 165.a
os iuſti quale. 112.e
os pollutum. 118.f
oſſa pro totius corporis compage. 102.b
oſſa. 47.f
oſſa & caro Hebræis quid. 73.e
oſſibus dinumeratis, duplex eſt ſenſus. 73.e
oſores gratuiti, & ingrati. 104.e
oſſium conturbatio. 24.d
oſſium conſumptio. 93.d
oſſium dinumeratio. 73.f
oſtendam illi ſalutare meum. 154.f

P

Palingeneſia. 161.b
Palla veſtis Mineruæ. 56.a
palpebræ pro oculis. 40.b
panis. 177.b
panis vnde deducitur. 191.d
panis cor hominis confirmet. 177.d
paphlagoniæ perdicibus ſimiles, ijs enim duo corda eſſe leguntur. 41.b
paradiſus ducis Ferrariæ. 4.e
paradiſus Terreſtris. 85.c
parare, firmare. 71.b
parare ſagittas. 39.e
parcæ. 161.f
parcæ tres. 163.c
paris quid. 49.b
parnaſus mons. 44.e
parturire. 81.f
parturire iniquitatem. 29.b
paruuli. 62.e
paſcere fidem, Hebræis duplex eſt ſenſus. 109.a
paſci in diuitijs Dei. 108.f
paſſer generaliter ſumptum. 39.d
paßeres illic nidificabunt. 178.b
patientia. 36.a.64.b
patres Apoſtoli. 135.d
patris ſummi appellatio. 169.d
Paulus plus valuit, quàm Cæſar. 135.c
Paulus contemporaneus Ionathæ Chadæi interpretis. 185.b
pauper egenus. 122.c
pauper quis. 36.a
pauperes qui. 34.f
pauper. 34.b. 39.b. 41.d. 74.f. 80.e. 100.c. 140.e 122.a.c
pauperes manſueti. 74.f
pauperes. 14.f. 36.a 41.d. 140.e
paupertas Spiritus. 80.f
pax cum proximo. 101.d
pax nobiſcum, aut intra nos. 101.d
peccata vnde. 79.e
peccata ſpiritus. 66.c
peccata innocentium inſcitiæ, non malitiæ ſunt. 66.a
peccata odiſſe quid. 5.a
peccata quæ delent. 80.e
Peccata grauißima, tria. 22.a
peccata pondere grauißima. 115.a
peccata ſoluere, huic peccata dicuntur. 161.e
peccati expiati ſignum. 91.e
peccator. 113.a
peccator mutuabitur. 111.a
peccator iuſtum conſiderat. 113.a
peccator cum conſiſteret duos habet ſenſus. 137.a. 117.f. 118.a.
peccatores, quos Deus non audiat. 83.b
peccatores qui. 102.c.26.f
peccatores omnes. 26.f
peccatores. 35.f. 40.c. 117.f. 137.d
peccatores deficiant à terra. 99.a
peccatorum ſtatus. 111.a
peccatorum medicina. 23.d.e
peccatum quid. 161.e
peccatum cum ſuperbia, contemptu iuſtitiæ per peccatur. 96.b
pecora campi. 32.c
pecunia vnde dictæ. 45.f
pedes hoſpitibus lauabantur. 177.d
pedum commotio. 116.f
pelagus vnde dictum. 4.d
pellis pro tentorio. 171.c
pennæ deargentatæ. 142.a
perambulare in delictis. 145.b
percutere in maxilla. 16.b.c
perdere. 82.f
perditio ſceleratorum. 112.a
perfeciſti. 39.f
perfeciſti pro feciſti. 94.c
perfecit 55.b
perficere. 140.d
perfugium patrum. 72.b
perfugium ſceleratis duplex. 106.c
perire de uia, perdere viam eſt. 13.c.d
perturbationum malarum fons. 63.a
pes ſuperbiæ. 108.c
peſtes quanquam impietatem deſerunt. 37.e
peſtilentia ſæuit occultè. 156.d
peſtilentia. 156.d
peſtilentia famem ſequitur. 59.f
peſtilentia Sennacherib diuinitus miſſa. 167.d
peſtilentiæ authores. 157.d.e
petra pro ſcopulo, & arce. 92.c
petra pro arce, & præſidio. 84.a
petra pro arce, & munitione. 84.a
petræ. 176.b
pharetra. 39.e
phariſeus. 18.b
phariſeus, ſegregatus. 49.d
φιλαυτία damnatur. 169.a.b
philoſophi externi qui. 8.a
philoſophia. 43.f
philoſophia duplex. 65.c
philoſophia Zobi. 87.c
philoſophia diuina auro cur præferenda. 64.e
philoſophia prophetarum. 116.f
philoſophus perfectè quomodo quis euadere poſſit. pag. 4.c
pietas. 34.c.43.f
pietas quid. 66.c
pietas, fons beatitudinis. 1.e
pietas timor Domini. 12.e
pietas manſuetorum eadem. 99.f

Pietas à matrice nobis colenda eſt. 47.c
ad Pietatem inuitantur omnes. 95.a.b
pietatis præmium quantum. 100.f
pietatis partes. 12.e
pietatis omnis ſemen. 104.c
pietatis factus. 80.c
pietatis pars. 45.e
pij, ac giuſti virentibus arboribus comparati. 5.e.f
pij nunquam indigent. 100.f
piorum vita inimicis plena. 25.f
piorum preces. 86.a
piorum præmium. 97.b
pingues terræ qui. 75.f
plagas dat magnus. 119.b
plantare. 178.b
plantam leuare, ſiue calcaneum. 123.c
plato de ſæculo futuro, & eius principe. 186.d
plenitudo deliciarum. 48.c
plenitudo terræ. 77.d
plaere laqueos quid. 40.c
pluuiam voluntariam ſegregabis. 140.b
pluuiarum commendatio. 176.f
pęna, omne peccatum ſequitur. 95.c
pœna ſequitur edicta. 105.c
pęna maxima, & minor. 95.c
pęnarum genera quibus cognita. 24.b
pœnas cur non ſubito luat malus. 120.a
pœnitentia deſcribitur. 91.c
pœnitentia. 24.f. 153.f
pęnitentia peccata obliterat. 80.f
populi pro Iudæis impijs. 27.f
populus quis. 8.b
populus humilis. 54.e
populus pro hæreditate 140.b
portes æternales. 78.e
portæ filiæ Sion, portis mortis oppoſita. 35.b
poſterius pro priore. 9.d
potentia diuina deſcribitur. 137.a
poteſtatem iræ tuæ quis nouit. 152.f
poteſtas. 149.c
poteſtas Angelorum. 167.d
poteſtas Dei in creando probatur. 183.b
poteſtas Romana. 128.e
poteſtas Dei admiranda. 172.b
poteſtas infinita Dei. 167.c
præcepta diuina auro præferenda. 64.f
poteſtas rerum creandarum comprobatur. 98.b
præceptum Domini lucidum. 63.d
præceptum Dei in monte. 10.f
præceptum omnium ſapientium. 21.c
præcingere. 55.b
præ conſortibus tuis. 131.f
præ filijs hominum. 127.c
præmia pietatis. 80.c
præmia bonorum, & malorum. 97.b
præmium iuſtitiæ. 112.c
præmium pacis ſtatuitur. 101.e
præmium ſceleris. 106.c.d
præmium virtutis. 111.f
præparare. 77.e
præparatum habitaculum. 99.a
prætende. 108.b
præterita pro futuris. 69.c
præteritis imperfectis carent Hebrei. 174.c
præueniendi verbum cadit in duos ſenſus. 69.d
prædicatio. 103.d
Præces. 120.b
pręcibus inſcitia mentis tollitur. 79.c.d
principes terræ qui. 7.c.f
principes præuenerunt. 145.f
principes venturi ad templum ſanctum Dei. 147.e
prius pro poſteriore. 8.e
priuſquam montes fierent. 149.d.e
probare. 49.a
probabilia magis quæ dicantur. 64.a
probatio piorum. 40.c
procella vitæ. 150.f
procraſtinatio. 36.c
procraſtinatio vindictæ diuinæ demonſtratur. 163.f
pro occultis. 32.e
prodigia. 82.c
prodigia vitanda atque tollenda. 86.b
proditio impiorum. 123.a
profundum maris. 145.d
profundum totius mundi, terra. 173.c
propheta. 127.e
propheta Nabi. 153.e
prophetæ qui. 148.b
prophetia. 124.e. 160.b. 148.b. 127.e. 137.b
pro patribus tuis. 135.e
propinqui qui. 116.b
propitiari quid. 161.e
proprietas inter mentem noſtram, & mentem creatricem. 132.a
propterea benedixit te Deus in æternum. 127.f
proſopopeia noctis, ac diei. 58.f
proſopopeia de portis. 78.d
proſopopeia. 58.d.e
proſperitas variè exponitur. 5.c.d
protectio generis humani Angelis data. 159.e
protectio pro clypeo 55.c
protector, petra. 92.b
protegere. 159.b
pro torcularibus. 30.a
prouidentia. 33.f. 35.d
prouidentia in omni rerum humanarum decurſu. pag. 36.a
prouidentia vniuerſalis Dei commemoratur. 136.b
prouidentia Dei diuiſa. 23.f
proximus. 41.b
pſallere. 34.d
pſallere domino. 34.d
pſallere laudibus proſequi. 29.f
pſallere dicitur de inſtrumento muſico. 136.f
pſalmi, carmina triumpalia ſunt. 30.a
pſalmi dua æditi à Dauid ſuper impijs principibus. pag. 43.b
pſalmi diuerſis inſtrumentis canebantur. 20.e
pſalmorum ordo. 7.e
pſalmorum liber, moralis philoſophiæ liber dictus. 4.e
pſalmorum inſcriptiones. 14.b
pſalmorum precationes quo ſpectant. 22.c
pſalmorum ritus. 105.e
pſalmorum ritus & ordo. 93.e
pſalmorum victoralium ordo. 36.a
pſalmos quandonam ederet Dauid. 91.f. 93.b
pſalmos à ſe compoſitos Dauid cantoribus tradebat illiſque concinebat. 91.f
pſalmus ipſi Dauid. 14.b
pſalmus cantici. 136.e
pſalterium. 136.f
pulchritudo. 127.a.b

pulchri-

Pulchritudo in Deo quid deſignet. 127.a
puluis. 181.f
puluis homines ſumus. 165.d
puluis mortis quid. 73.b.c
puluis pro paleis & tritici inuolucris. 5.e
pupilla oculi. 49.e
Purpura. 146.d

Q

Qvadriga pro ſumma diuinitate. 140.d
Quærere Deum. 78.c
Qualitates corporis tres. 3.d
Quare fremuerunt gentes de quo æditus. 7.d
Quercus annoſa. 109.f
Querela imperitorum. 108 d
Qui aſcendit ſuper occaſum. 138.a
Qui aſcendit, pro qui equitat. 147.e
Qui coronat te in miſericordia. 162.c
Qui eſt. 168.f.169.d
Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. 172.e.f
Qui habitat in adiutorio altiſſimi. 155.e
Qui redimit de interitu. 162.a
Quid metuendum. 1.e

R

RAchas, quid. 125.a
Rachia cæli. 58.f
Ratione corrupta nihil execrabilius. 86.b
Ratio alloquendi ſeipſum, res duas iudicat. 169.b
Rationes duæ. 130.f
Recti corde. 108.b
Redimere. 162.b
Reditus animarum ad corpora. 161.a
Refugium. 92.c.96.e
Refugium, arx, turris. 156.a
Refugium, habitaculum. 149.b 158.a
Regem ſempiternum declarantia. 69.f
Regeneratio prædicatur. 161.b
Regere quid. 87.b
Reges olim vngebatur. 131.b
Reges terræ qui. 8.d.e
Reges eos, pro paſces. 11.f
Reges munera tibi offerent. 146.f.147.c
Reges, & principes quomodo nunc adorantur. 12.f
Reges cur inungebantur. 87.b
Regina quid. 147.c
Regina aſtitit à dextris tuis. 132.e
Regiæ corporal s deſcriptio. 134.d.e
Reginæ pulchra deſcriptio. 134.d
Regis nomen meſſiæ tribuitur. 69.a
Regna terræ, cantate Deo. 147.e
Regnum Dei. 187.d
Regnum Dei omnibus dominabitur. 167.b
Regnum Dei non in terris. 183.d
Regnum Dei quibus conſtat. 129.c
Regnum Dei primo quærendum. 21.c
Regnum iuſtitiæ. 78.a
Regnum meſſiæ decantatur. 75.c
ad Religionem noſtram tua nos deducunt. 183.c.d
Renes. 42.e
Renouatio Aquilæ. 162.f
Renouatio terræ. 182.e
Replere in bonis deſiderium. 162.d
Repleti ſumus mane miſericordia duos habet ſēſus. 154.a
Reptilium maximus numerus. 180.d
requirentes Deum qui. 75.c
rerum creandarum facultas comprobatur. 98.b
rerum creationem pater filio tradidit. 128.c
Res admirabiles duas habet mundus. 57.d
Res diuina quibus conſtet. 82.c
reshaim impij. 2.d.e
res humanæ à matrice degenerant. 132.f
res impiorum ſecundas non admirandum. 198.f
res inanimes pro animatis. 142.d
res omnis ad finem aliquem genita. 183.f
reſipiſcere quid. 12.b
reſpice in ſeruos tuos. 154.e
reſponſa Dei vbi dabantur. 72.a
reſpicere. 120.e
reſponſa in Sion dabantur. 67.e
non Reſurgent impij. 6.f
reſurrectio inter Iudęos dubia. 182.d
reſurrectio mortuorum. 159.f.7.a
reſurrectio prædicitur. 182.c
retributio peccatorum. 157.f
retributiones. 161.d
retributio. 65.e
reuela vox eſt amphibola. 109.c
rex quid. 87.b
rex. 191.a.b
rex Angelorum. 125.d
rex fortis, & potens. 78.e
rex futuri ſæculi, propter miſterium dicitur. 186.d
rex gloriæ. 78.e
rex inclytus deſcribitur. 127.a.b
rex, pulcher, Eloquens. 127.d
rex regum. 125.d
rex ſimpliciter quis. 125.d
rex verbum idem. 125.e
rex virtutum. 141.c
rex verus. 21.b
rhinoceros. 42.b.74.c.88.e
ridere tranſitiuè ſumptum. 9.d
rigans mentes. 176.e
riſus per metaphoram Deo tribuitur. 9.c
romanus Epiſcopus quomodo adoretur. 13.a
romphæa. 33.e
ros quid. 189.e.f.190.b
ruina Romæ. 151.c

S

SAcer latinus nunc ſanctus nunc exacrabilis. 36.f
Sacerdos. 190.e.191.c
Sacerdos, Rex, Iuſtitia. 191.b
Sacerdos ſecundum Melchiſedech. 190.e
Sacerdotes. 127.e
Sacerdotes olim vngebantur. 131.b
Sacerdotum Melchiſedech. 190.f
Sacra Minerua. 56.a
Sacrificare, ſacra facere. 19.b
Sacrificia. 67.e
Sacrificij genus quod Deo offeramus tribus exprimitur nominibus. 87.f
à Sæculo. 123.e
è Sæculo, & vſque in ſæculum. 149.e
Sæculum noſtrum. 151.f
Sæculum futurum quid. 185.a
Sæculum pro ætate humana. 152.b
Sęculum futurum. 186.c

in Sę-

in Sęculum ſæculi. 39.a.173.e
Sæculum futurum agnouit Plato. 186.d
Sæculum, centum annorum tempus. 79.d
Sacrificium iuſtitiæ. 19.b
Sagitta. 129.f
à Sagitta volante in die. 157.a
Sagittæ tuæ acutæ. 129.e
Sagittæ Deo tribuuntur. 114.e
Sagittæ Apollinis. 157.e
Sagittæ pro fulminibus. 53.b
Sagittas ſuas faciet, ſenſu duplici exponitur. 29.a.b
Sagittas Dei Homerus vocat peſtilentiam. 129.f
Sala petra. 51.c
Saluator. 121.c
Salus in celeritate poſita. 117.e
Salus à domino. 16.e
Salus ex Sion. 44.d
Salus ad corpus refertur. 83.c
Salus noſtra in quo ſita. 144.d.e
Salus promiſſa. 154.b
Salus regia non in exercitus multitudine. 99.b
Salus inſignis, voluptas dicitur. 155.a
Salutare meum. 159.e
Salutare. 43.a. 44.e. 69.a. 70.a. 78.c. 103.c. 121.c. 122.a.
ſalutes magnificare. 57.a
ſana animam meam. 122.f
ſanare. 167.a
ſancta ſanctorum. 57.f
ſancti Hebræis qui. 100.c
ſancti qui. 90.b.112.b
in ſancto habitas. 72.a
ſanctuarium Dei. 143.a
ſanctuarium duplex. 148.d
ſanctus. 54.c.63.f
ſanctus, benignus. 18.c
ſanguinem requirere. 34.f
ſanguines. 22.b
ſanguiſuga. 42.b
ſanguis Hebræis pro anima & vita. 91.b
ſanitas. 114.f
ſapiens quercui robuſtiſſimæ comparatur. 6.a
ſapientia. 43.f. 47.d. 133.f. 180.a
ſapientia Hebræis quid. 112.e
ſapientia Dei admirabilis. 61.d. 180.a
ſapientia vbi ſita. 1.c
ſapientia, cur dicatur Chriſtus. 169.e
ſapientiæ totius ſumma. 101.c.d
ſapientiſſimus quis. 168.d
ſatan, Diabolus. 157.b
ſatan è cælo proiectus. 187.e
ſatiari quid. 50.f
ſaxa creſcunt vt oſſa. 175.b
ſcabellum pedum. 188.f
ſcapulæ. 156.e
ſcelera impiorum duo proponuntur. 85.a
ſcelerati cur non cito poſt delictum, puniuntur. 110.d
ſcelerati aquilis comparati. 111.d
ſceleratorum conſuetudo. 86.a
ſceleratorum præmium. 96.b
ſceleris commiſſi diſplicentiæ ſignum. 91.e.f
ſceleris omnis fons. 43.e
ſcelerum fons. 106.e.f
ſcelus fateri quid. 96.b
ſcena. 139.a
ſcientia Dei. 186.e
ſcientiæ noſtræ. 98.f
ſcientia appellatur lux. 161.d.e
ſcrutari cor & renes. 28.c
ſcuto circundabit te veritas. 156.f
ſcutum bonæ voluntatis. 23.c
ſecundum ordinem. 190.b
ſedes tuas Deus. 130.b.c
ſecreta Dei ſolis eum timentibus. 80.d
ſedere ſupra thronum. 33.c
ſedere ad dextram. 187.b
ſedes Dei. 166.f
ſedes Dei in Sion. 44.d
ſedes hominum primæ. 123.f
ſedes omnium virtutum. 1.e.f
ſedes peſtilentia quibus data. 3.e
ſela. 36.d
ſemen Iacob & Iſrael. 74.e
ſemen impiorum peribit. 112.d
ſemen omnis pietatis. 106.b
ſemita Dei recta duplex. 84.f
ſemita iuſtitiæ. 76.e
ſenſus pro Iugo, & vinculo. 9.a
ſententia eadem diuerſis verbis ſolet repeti. 98.c
ſeptuplum. 41.f
ſepulchra pro ſqualore, & ſiti. 139.c
ſepulchrum patens guttur. 23.a
ſermo omnis in corde prius formatur. 125.a
ſermo ſimulacrum eſt animi. 17.e
ſermoni pernicitas ſumma attribuitur. 152.c
ſerò cur exaudiuit Deus. 156.b
ſeruire domino. 12.c
ſeruire in timore. 12.d
ſeruitus. 177.b
ſeruus Dei. 154.a
ſpecies Chriſti immortalis quid indicat. 127.c
Shaddai quid. 142.b
Shaddai, omnipotens. 155.f
Samaim, aquarum diffuſio. 171.c
Sibgaion. 26.c
Sirion & Libanus, cedrorum feraces. 88.d
ſibylla erithræa de Chriſto oraculum. 10.c
ſibyllæ quo tempore floruerunt. 73.f
ſibyllæ in Babylone. 124.e
ſibyllæ vaticinium de Chriſto. 86.f
ne Sileas. 105.a
ſilentium verè Chriſtianum. 109.d
ſilentium vocis quies eſt. 18.f
ſimilitudo hominis quæ. 31.a
ſine cauſa percutere. 17.e
ſigillatim. 99.a
ex Sion emittere. 189.b
ſion habitatio Dei. 34.f
ſion vbi ædificata. 10.d
ſion mons omnibus alijs cur præfertur. 142.f
ſion, oraculum Hebræorum. 67.e
ſion pro Hieruſalem, & tota Iudæa. 10.d
ſodomæ ſuperbia vnde. 49.f
ſol alter genitor omnium. 171.a
ſol cognouit occaſum ſuum. 178.f
ſol omnium author. 178.e
ſol noſter quis. 19.
ſol eſt oculus & anima rerũ naturam habentium. 171.a
ſol omnium ſiderum rex. 60.e.f
ſol ortus eſt. 179.
ſol prima lux. 171.a
ſol quomodo adoraretur. 13

ſol

Sol prima rerum creatarum fuit. 185.c
Solicitudo Dei erga iuſtos. 7.b
Solicitus eſt mei. 122.a
Soliditas cęli. 59.b
Solitarij ditandi. 139.c
Solitarij qui. 139.c.d
Solium. 99.a
Somno corpus irrigatur. 73.b
Somnus. 42.f
Sonus. 60.c
Sors iuſtorum, & impiorum contraria. 102.c
Sortes hominum duæ. 75.f
Sortes mea, tempora mea. 94.a
Specioſus forma. 126.b
Sperandum in domino. 19.b
Sperare. 159.b
Sperabis ſub pennis eius. 156.e
Spes mea ab vberibus. 72.d
Spes qualis, talis miſericordia. 99.e
Spes mea tu es domine. 158.a
Spes hominum. 26.d
Spes omnis in Deo. 116.d
Spes in miſericordia Dei habenda. 43.a
Spes quid. 26.d.e.92.a.114.b.116.e
Spina quid. 96.a
Spiritus Dei. 182.b
Spiritus tuus duos habet ſenſus. 182.a
Spiritus non ſubſiſtet. 166.a
Spiritus prophetiæ pluribus in locis. 124.e
Spiritus duobus modis poteſt intelligi. 166.a
Spiritus animantium eſt Dei. 182.b
Spiritus pro anima. 165.f
Spiritus oris Dei. 98.a
Spiritus non cognoſcet amplius locum ſuum. 166.b
Spiritus ex ſanguine. 169.b
Spiritus pro vento. 172.e
Splendor quid. 155.a
Splendor domini ſit ſuper nos. 155.a
Splendor diuinus quid. 170.e
Splendor mirabilis. 82.e
Splendores qui. 189.e
Strages quanta hominibus per dæmones facta. 157.f
Στερέωμα. 59.a
Stabilitas terræ. 173.c
Stacte pars eſt myrrhæ liquidiſſima. 132.b
Stare. 108.d
Stare in via peccatorum. 3.c
Status mundi recens creati. 98.b
Status peccatorum. 110.f
Stereoma firmamentum. 171.c
Sterilitas animæ. 103.e
Stoicorum Apatheia. 23.c
Stoicorum error refellitur. 163.f
Stoicorum error non credentium iraſci numen diuinum. 153.b
Stratum eius vniuerſum verſaſti. 122.e
Studia pro operibus. 34.d
Stultitia multiplex. 62.f
Stulto oblatrante tacendum. 119.a
Subſtantia mea. 118.d.f
Subſtantia hominis panis. 177.e
Summa legis Moſaicæ. 4.b
Subſannare verbum. 9.e
Summum pro termino & fine. 61.b
Super Aſpidem & Baſilicum ambulabis. 159.a
Super ea volucres cæli. 176.b
ſuper me. 28.a
ſuper Sion Chriſtum conſtitutum. 10.d
ſuperbia. 66.e
ſuperbia vnde naſcatur. 49.f
ſuperbia peccatum maximum. 66.d
ſuperbiæ deiectio vnde. 12.d
ſuperbiæ proprium. 66.d
ſuperbiam facientes. 95.a
ſuperiora quæ. 172..a
ſuperiora Dei. 176.e
ſuperuenit manſuetudo. 152.d
ſupplantaſti. 55.f
ſuppliciorum innumeræ formæ. 107.e
ſupplicium ſuperborum. 9.c
ſuſcepit. 55.e
ſuſceptio matutina. 71.d
ſuſceptor. 156.a
ſydera dicta quaſi ferrea. 167.a
ſydera, vt nam adorent Deum, & creaturæ omnes, Deum adorant, præter dæmonas, & homines. 87.f
ſymbola quid. 129.f.132.f
ſynagoga populorum, ad pietatem ventura. 27.e

T

TAbernaculum pro cælo. 44.f
Tabernaculum. 44.f.60.e.83.f.94.e.158.c
Tabeſcere feciſti. 119.c
Tacere pro obmuteſcere. 85.e
Tartarus gehenna. 90.b
Tauri qui. 72.f
Tauri Baſan. 72.f
Taurorum congregatio. 147.a
Tecum principium. 189.c
Tegis aquis. 172.a
Tela Dei quæ. 88.b
Tela Dei inuiſibilia. 187.d
Templa apud indos ebore veſtiabantur. 132.c
Templnm Græcis. 22.c
Templum. 45.a
Templum Dei, cælum. 15.f
Templum Dei duplex. 77.c.146.e
Templum aut cæleſte, aut terreſtre. 51.e
Tempus coronarum. 14.c
Tempus furoris ad multa referri poteſt. 13.e
Tempus in arboribus, Ver & Autumnus. 5.b
Tempus Ieſu quid. 154.b.159.e
Tempus à Dauide ad Chriſtum. 185.e
Tempus hominis herbæ comparatum. 150.f
Tempus ſalutis prædictum. 10.d
Tempus vltionis, & gratiæ. 90.b
Tenebræ. 52.d
Tenebræ mentis. 54.e
Tentauerunt me, diuerſos ſenſus habet. 104.c
Termini. 141.f
Termini aquis poſiti. 175.e
Terra quid. 100.e
Terra baſis eſt omnium elementorum. 77.e
Terra & orbis. 149.f
Terra ex nihilo. 173.d
Terra ante res omnes prima eſt creata. 173.d
Terra, arida ſic dicta. 151.b
Terra fixa, & ſtans appellata. 173.e
Terra mota eſt cum lex diuina daretur in monte. 139.f
Terra in media mundi ſede locata. 30.c
Terra viuentium quæ. 85.b
Terra pro mortalibus. 12.c
Terræ filius. 126.c

Terræmo-

Terræmotum antecedit tranquillitas. 144.c
Terrarum reuelatio tertium opus Dei. 173.c
Terrarum terra. 8.d
Testamentum, fędus. 80.a
Testamentum Hebræis quid. 166.d
Testamentum Dei. 80.a
Testes iniqui. 85.a
Testimonia diuinitatis, & pietatis testimonia. 136.a
Testimonium, passiuum, & actiunm. 62.c
Testimonia pro mandatis. 62.c
Tetragammum nomen. 169.d
Theos vnde deductum. 170.b
Theopneusti, numine affati. 126.a
Thesauri aquarum. 98.b
Throni. 141.e
Thronus Dei ab Homero descriptus. 166.f
Timentibus Deum nihil deest. 100.f
non Timere Deum, omnium malorum causa. 106.c
Timere nostræ. 119.c
Timor quid. 101.b
Timor Hebræis. 22.c
Timor domini. 64.a
Timor hominum. 64.b
Timores nocturni, qui. 157.a
Timoris domini effectus. 17.d
Tisiphone quid. 157.c
Torrens voluptatis Dei. 107.f
Torrentes iniquitatis. 51.d
Tribulatio vnde. 159.d
Tribulatio. 34.c
Tribulatio vnde deducitur. 72.f
Tribulati corde qui. 101.f
Tribulationes iustorum multæ cur. 102.a
Tribulationis dies. 67.d
Tribuli. 14.e
tribulo. 93.b
tribulo verbum vnde sumptum. 14.e
turbare. 181.f
turbatio vnde dicitur. 24.e
turbatus. 25.d
tyrus Emporium totius orbis nobilissimum. 133.f

V

VAlles tenebrosæ, 76.f
Vana, mendacia. 41.b
Vanitates. 120.d
Vanum. 45.d
Vas perditum quid. 93.f
Vasa pro armis. 28.f
Vaticinium de Christo. 10.d
Vaticinium omnibus pene carminibus consuetum. 123.d
Vaticinium de passione Christi. 72.c
Vaticinium de resurrectione. 139.d
Vbertas copiæ diuinæ effertur. 107.e
Venetiæ emporium in Europa celebræ. 133.f
Venire. 101.a
Ventus calamitatum. 5.f
Verba tria imperandi. 127.e
Verba delictorum quid. 71.f
Verba apud Hebræos duplicata. 126.d
Verba, pro oratione. 21.a
Verba volucra. 148.a
Verbo domini cæli firmati, variè exponitur. 98.a
Verbum. 8.f
Verbum asperum. 156.c
Verbum pro pestilentia. 156.c
Verbum bonum. 125.c
Verbum iniquum. 123.b
Verbum Deo tribuitur. 167.e
Verbum Dei pro gladio. 129.f
Verbum pro imperio. 98.
Verbum Dei rectum. 97.e
Veritas. 121.c
Veritas Dei pro lege. 81.f
Veritas vbi. 64.
Veritas pro stabilitate. 91.b
Veritas, & iustitia duo sunt iu sacris litteris celeberrima. 129.c
Veritates diminutæ sunt. 41.
Verticem capilli perambulantium. 145.a.b
Vestes pretiosæ. 132.
Vestire lucem. 170.
Vestis nectarea. 70.b
Vestis diuisio. 73.
Vestitus decauratus. 132.f
Vexationes, & clades aquæ vocantur. 53.b
Vexationes iustorum multæ sunt, non perpetuæ. 102.
Vexatores pauperum, fame necandi. 139.
Via. 54
Via Dei. 84
Via pro æquitate. 22
Via optima perueniendi ad felicitatem. 125
Via immaculata. 55.b
Via qua peruenitur ad beatitudinem. 34
Via in sacris litteris ætas est. 13
Via vitæ. 48
Via peccatorum dixit pro consuetudine peccandi. 34
Viæ. 54
Via Dei sapientia. 163
Viæ Dei. 76.b.163
Viæ, pro omni vita. 158
Viæ Dei multiplices. 80
Viæ latæ declinandæ. 133
Viæ pro moribus. 117
Viam iustorum nouit dominus, quid sit. 74
Vias, necessitates. 109
Victoria contra quos. 39
Victoria multiplici oratione solet exprimi. 145
Vides quid. 38
Vidisti domine. 105
Vim facere, pro insidias ponere. 116
Vincula eorum, & ingum ipsorum idem. 9
Voluptates. 177
Vinum lætificet cor hominis. 177.b
Vindicta improborum optanda. 86
Vindictas dare. 56
Violentia pro illusione. 180
Virga multis modis sumitur. 189
Virga virtutis. 189
Virga ferrea quid. 12
Virga directionis. 130
Virgines, populi. 134
Viri Dei. 148
Virtus quid. 65
Virtus. 55.a.89.d.189
Virtus Dei in nubibus. 148
Virtus pro exercitu. 189
Virtus Hebræis exercitus. 14
Virtus cælorum quæ. 98
Virtus pro fortitudine. 71
Virtus maxima spes. 114
Virtus venalis. 65
Virtus pro exercitu, & militia. 99

Virtus

Virtutes in Deo tres prædicantur. 121.c
Virtutes duæ Dei ſemper à nobis efferendæ. 97.f
Virtutes pro copijs & exercitibus. 78.f
Virtutes excellentes tres. 107.c
Virtutes Ethicæ quomodo acquiruntur. 4.a
Virtutes pro exercitibus. 167.e
Virtutis fructus duplices. 4.f
Virtutis ariditas quid. 73.b
Virtutis præmia. 65.d
Virtutum omnium ſedes & finis. 1.e.f
Vis ſuperbia. 66.f
Vis in cornibus ſita. 51.c
Viſo Danielis exponitur. 69.f
Viſitare quid. 31.c
Vita. 162.c
Vita duplex. 101.b
Vita pro anima. 82.f
Vita pro itinere. 76.e
Vita hominis flumini comparata. 150.f
Vita, mare eſt. 164.d
Vita humana, tanquam mare tumidum. 150.e
Vita humana cur breuis. 154.a
Vita hominis fœno comparata. 165.e
Vitæ duæ. 3.f
Vitæ duæ proponuntur. 50.e
Vita ſomno comparata. 151.b.c
Vitæ felicis gradus primus. 101.b
Vitæ humanæ finis, inter omnes nobilior. 13.b
Vitulare vnde dictum. 88.c
Vituli. 147.a
Vituli libani qui. 88.c
Viuendum nobis qua parte ſumus homines. 168.c
Viuens nomen proprium ſummi Dei. 57.d
Viuere cur optant iuſti. 25.b.c
Vltio diuina. 95.b
Vltio peccatorum. 157.f
Vltionis diuinæ duplex explanatio. 51.f
Vltor, pro crudeli. 30.f
Vmbra Dei, verbum Dei. 131.a
Vmbra pro protectione. 155.f
Vnctio filij. 131.b
Vnctio electio. 131.b
Vnica pro anima. 74.b.104.d
Vnicornes. 74.b
Vnius moris duos habet ſenſus. 139.a
Voces horribiles Deo data. 33.d.88.b
Volucres cæli. 176.c
Voluntas Meſſiæ ſolius facienda. 134.e
Voluntas. 149.c
Voluntas æterna. 98.e
Voluptas domini. 83.f.155.a
Voluptas in ſcelere magno conſtat. 106.c
Voluptatis torrens. 107.f
Voluntates pro voluntatibus. 163.f
Voluptates vinum tres efficit. 177.c
Vox obſtetricans. 89.a
Vox Dei horribilis. 9.f
Vox Deo tribuitur. 148.c
Vre renes. 81.d
Vrere verbum. 81.d
Vſquequo. 153.f
Vterus quid. 189.f
Vtilitas in ouibus multiplex. 32.f
Vtilitates montium tres. 176.b
Vtilitates aquarum per conualles deſcendentium. 176.d
Vtilitates vini. 177.c
in Vtre aquas congregatas, quid. 98.b
Vulgus omnia ferè iudicat præpoſterè. 64.f
Vultus pro furore. 70.e
Vultus. 99.d
Vultus diuinus mœrores omnes diſſipat. 42.f
Vultus variè ſumitur. 101.f
Vulua quid. 189.f

Z

Zalmon mons. 142.e
Zelmon montis nomen. 142.e

FINIS.

VENETIIS, MDXC.

Apud Dominicum Nicolinum.

tantia Deo tres prædicantur. 121.c
irtutes duæ Dei semper à nobis expetendæ. 97.f
irtutes pro copijs & exercitibus. 73.f
irtutes excellentes tres. 107.c
irtutes Ethicæ quomodo acquirantur. 4.a
irtutes pro exercitibus. 167.e
irtutis actus duplices. 4.f
irtutis vnitas quid. 73.b
irtutis præmia. 65.d
irtutum omnium fides & finis. 1.c.f
is superbiæ. 66.f
is in cornibus sita. 51.c
isio Danielis exponitur. 69.f
isitare quid. 31.c
ita. 162.c
ita duplex. 101.b
ita pro anima. 82.f
ita pro sanitate. 76.e
ita hominis fluminis comparata. 150.f
ita, mare &c. 164.d
ita humana, tanquam mare tumidum. 150.e
ita humana cur breuis. 154.a
ita hominis fœno comparata. 165.e
itæ duæ. 3.f
itæ duæ proponuntur. 50.e
ita fumo comparata. 151.b.c
itæ felicis gradus primus. 101.b
itæ humanæ finis, inter omnes nobilior. 15.b
ulare male difficam. 83.c
ma. 147.a
nde bibunt qui. 88.c
nanimem nobis qua parte sumus homines. 168.c
nicus nomen proprium summi Dei. 57.d
ocare cur optauit iusti. 25.b.c
ocatio diuina. 95.b
ocatio peccatorum. 157.f
ocationis diuinæ duplex explanatio. 51.f
or, pro crudeli. 30.f
ox Dei, verbum Dei. 131.a
Vmbra pro protectione. 175.f
Vnctio filij. 151.b
Vnctio electio. 151.b
Vnica pro anima. 74.b.104.d
Vnicornes. 74.b
Vnus motus duos habet sensus. 130.c
Voces horribiles Deo datæ. 33.d.88.b
Volucres cœli. 176.c
Voluntas Messiæ solius facienda. 134.c
Voluntas. 149.c
Voluntas æterna. 98.e
Voluptas domini. 83.f.175.a
Voluptas in scelere magno consistit. 106.c
Voluptatis torrens. 107.f
Voluntates pro voluntatibus. 163.f
Voluptates summæ tres efficit. 177.c
Vox obstetricans. 89.a
Vox Dei horribilis. 9.f
Vox Deo tribuitur. 148.c
Vre renes. 81.d
Vrere verbum. 81.d
Vsquequo. 173.f
Vterus quid. 189.f
Vtilitas in omnibus multiplex. 32.f
Vtilitates montium tres. 176.b
Vtilitates aquarum per conualles descendentium. 176.d
Vtilitates vini. 177.c
in Vtre aquas congregatas, quid. 98.b
Vulgus omnia ferè indicat præpostere. 64.f
Vultus pro furore. 70.c
Vultus. 99.d
Vultus diuinus mœrores omnes dissipat. 42.f
Vultus parùm sumitur. 101.f
Vulua quid. 189.f

Z

Zalmon mons. 142.c
Zelmon montis nomen. 142.c

FINIS.

VENETIIS, MDXC.
Apud Dominicum Nicolinum.

AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI,
SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII,
CANONICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SANCTI SALVATORIS.
TOMVS TERTIVS.

IN QVO HAEC CONTINENTVR,

De
- Perenni Philoſophia, Libri X.
- Mundi exitio, quod eſt, vt cenſemus, vigeſimum nonum caput decimi libri de Perenni Philoſophia.
- Eugubij, Patriæ ſuæ, nomine.
- Falſa donatione Conſtantini, aduerſus Laurentium Vallam, Libri II.
- Reſtituenda nauigatione Tiberis, Oratio ad Paulum III. Pont. Max.
- Aqua Virgine in vrbem reuocanda, Tractatus.
- Tuenda Religione Chriſtiana aduerſus Lutheranos Libri tres, in quibus multa tractantur, quæ ſub ipſa eorum inſcriptione patebunt.
- Sibi obiectis criminibus, præclara dilutio, ſub titulo Reſponſionis.

Cum Indice Rerum, ac verborum locupletiſſimo.

NISI QVI LEGITIME CERTAVERIT

VENETIIS, MDXCI.

Apud Dominicum Nicolinum.

BEATISSIMO PATRI, AC SVMMO CHRISTIANAE RELIGIONIS PRINCIPI

Paulo III.

AVGVSTINVS STEVCHVS EVGVBINVS EPISCOPVS KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARIVS,

Canonicus Regularis, Congregationis Sancti Saluatoris,

BEATISSIME PATER,

VERA mihi ſemper in philoſophia viſa eſt ſententia, Sapientiam, atq; Pietatem, ex eiſdem fontibus naſcentes, vnumq́; ad finem reſpicientes: omnes quoque rationes alias, quibus conſiſtant, habere conformes. Ipſa Philoſophia id clariſſimè probat: quæ cùm ſupremum fructum, præmiumq́; laborum, Sapientiam promittat, hanc Plato, & Ariſtoteles, Philoſophorum facilè principes, non aliam denique nobis intelligendam proponunt, quàm Scientiam, cultumq́; Dei: quod illis ſua lingua dicitur, θεωρεῖν, καὶ θεραπεύειν τὸν θεόν. *Hanc rerum eſſe ſummam, hic demum ſpeculationes, ſtudia, curaſq́; Philoſophorum omnes deſinere. Multos igitur velut in amœniſſimis campis flores ex omni Philoſophia hanc diuinitatem redolentes, decerptos, eorumq́; ſuaueolentem coronam confectam, iure tibi, qui & Sapientiæ, & Religionis obtines principatum, ſacrauimus: tuæ maieſtati congruos honores offerentes, quæ Sacris tuendis, Sapientiæ propagandæ, atque illuſtrandæ, præſidet. Quam cùm & authoritate, & ſcientia tamdiu tenueris, rexeris, & ad eam amplificandam animi tui magnitudinem oſtenderis, dum viris vndique, ſapientia, moribusq́; conſpicuis, ad religionis moderamen accitis, ex his ſapientiſſimum Senatum conficis: dum pulcherrimis ædificijs, Vrbem, templaq́; Deorum exornas, bibliothecas Græcis, Latinisq́; præcellentibus ſcriptoribus auges: (mitto enim quòd pacis, qua ſtabilita religio, difficillimis itineribus ſuſceptis, author fuiſti) tibi certè de philoſophia, ſupremisq́; ſapientiæ myſterijs libri, velut archus triumphales inſcribere, quibus tua memoria, quantum in nobis eſſet celebraretur in poſterum, par erat.*

INDEX EORVM, QVAE IN HOC OPERE DE PERENNI PHILOSOPHIA HABENTVR.

LIBRO PRIMO.

DE ſucceſſione Doctrinæ ab exordio mundi. cap. j. fol. 1.a
De tribus modis, quibus cognita eſt Sapientia, ſed poſteriore præſtantiſſimo. c. ij. 2.f
Quod Patris ac Filij diuinitas & poteſtas fuerit apud antiquos celebris. c. iij. 3.b
Eorum quæ prolata ſunt, comprobatio, ex Theologia Græcorum, & Hebræorum. c. iiij. 4.a
De eadem Mente, Progenie, Sapientiaque diuina, ex Platone, regina, moderatrice omnium rerum, omnium maiorum conſenſu. Et quòd Ariſtoteles eam laudarit, ſuſpexerit, qui de ea locuti eſſent, admiratus fuerit. c. v. 4.f
Mentem ex Macrobio eſſe Filiam ſummi Boni, ſummum Bonum ipſum ſupremum Genitorem. c. vj. 5.e
Ex eiſdem Chaldæorum oraculis de Mente, diuina Progenie, cuius imago ſit animus humanus, & ex Philone. c. vij. 6.c
De Mente, Prole diuina, ex Mercurio Triſmegiſto: Eademque Creatrice animi humani, ſicut ex Chaldæo Philone. c. viij. 7.a
De eadem Mente ex oraculis item Chaldaicis, quòd ſit creatrix, quòd ſpectaculum Deorum. c. ix. 7.d
De eadem Mente, ex Mercurio, & Platonicis, omnique eius diuinitate, & quòd ſit mundi creatrix, & Idea mundi, ipſeque mundus archetypus. c. x. 8.b
De Mente ex oraculo quoque Chaldæorum, & Porphyrio, & Proclo, & quòd ſit à Patre, quòd creatrix mundi: & quòd ſit ea, quæ dicitur vltramundana Mens. c. xj. 9.d
Quòd Mens ſit Deus, opifexque mundi: & quòd veteres Græciæ Philoſophi id agnouerint: & de Ideis. c. xij. 10.b
Ex Proclo, & Porphyrio de Mente, & eam antecedente Genitore. c. xiij. 10.e
Ex eodem Proclo, de Genitore, ſummo Bono, progenie diuina, Mente: item de tertio Anima, ſeu ſpiritu: & de diuinitate ipſius Mentis. c. xiiij. 11.c
Mirabile teſtimonium Porphyrij de eadem Mente ab æterno genita. c. xv. 12.c
Ex Plotino de eadem ipſa mente, & Genitore eius, & eius cum Patre coniunctione: & quòd poſt Patrem ſit maxima omnium Mens. c. xvj. 13.a
Ex eodem Plotino, quòd Mens ſit poſt ſummum Bonum, quòd per eam ad ſummum perueniatur, quòd ſit locus, & Idea omnis pulchritudinis, quòd creauerit mundum. c. xvij. 13.e
Quòd creatio ſit Mentis, Genitore iubente, ipſa operante, & de duobus his, ex eodem Plotino. c. xviij. 14.d
De eadem Mente ex Plotino mirabilis Theologia, vt à Patre generetur, omnibus bonis ditetur. c. xix. 15.e
Summa eorum, quæ diuinitus Plotinus de Primo & Secũdo eſt locutus, De Bono & Mente ab eo genita, Idearum plena, ſapientiſſima origine Mundi. c. xx. 15.f

Ex Theologia Chaldæorum apud Sibyllas, de Prole diuina, quòd ſit Regina mundi viſibilis, & inuiſibilis: & quod à Patre princeps conſtituta. Ex quibus eſt conformatio, & cõprobatio eorũ, quæ ſuperius Platonici dixerũt. c. xxj. 16. f
Fidele eſſe Magorum, Sibyllarumque teſtimonium. c. xxij. 17. d
De Verbo diuino, & quo modo ſit Lumen de lumine, ex Mercurio. c. xxiij. 18. c
De diuino Verbo, ex eodem Triſmegiſto, & de virtute eius, quòd ſit opifex mundi, & quòd naſcatur à Patre. c. xxiiij. 19. b
De Mercurio Triſmegiſto, Theologiamque eius eſſe veram, ideſt, ab antiquiſſimo illo Mercurio perſcriptam: de Magis, & Sybillis. c. xxv. 20. a
De Verbo diuino, ex Philone Iudæo, cuius dictis probetur verè priſcum illum Mercurium de ipſo Verbo ſuperiora ſcripſiſſe. Multiplexque de eo apud Philonem Theologia, quòd ſit creator Mundi, & origo, quòd Filius Dei, quòd hominis archetypum. c. xxvj. 21. c
Ex Platone, Filium habere Patrem: Verbum eſſe diuiniſſimum, Principem præſentium, & futurorum. c. xxvij. 23. f
Ex Theologia Orphei, de Verbo diuino, & quòd ſit vox diuina, & quòd formator mundi. c. xxviij. 24. e
Alia quædam ex Philone Iudæo, de Patre, & primogenito Filio, qui ſit verbum eius, creator mundi, hominis archetypum: & quòd Pater ſit eminentiſſimus, Filius lex, & moderamẽ mundi, princeps Angelorũ, coęternus Patri. c. xxix. 25. e
Teſtimonium de Patre, ac Filio, ex Numenio Pythagoreo: & quòd Pater ſit primus, Filius ſecundus: & quod Filius agat omnia, Pater iubeat: & quòd Pater ſit ipſum Bonum. c. xxx. 27. a
Ex Amelio, de Verbo diuino æterno, poſt homine facto: Et quòd Amelius teſtimonium Ioannis protulerit: Heraclitumque etiam de Verbo fuiſſe locutum. cap. xxxj. 27. d

LIBRO SECVNDO.

De Theologia antiquorum teſtimoniũ Ariſtotelis, exemplaque ex alijs, quàm ſit veneranda, ac ſuſpicienda. cap. j. 28. a
Quòd à Barbaris Græci didicerunt, & quòd ingenuè diſcipulos eorum ſe Græci fatentur, quo conſtet Barbarorum Theologiam priorem, ac meliorem eſſe, & quòd à Græcis nihil debuit, vel potuit innouari ſuper Theologia. c. ij. 29. d
De tribus gradibus diuinis, ſiue Numine trino, vel tribus Regibus, ternaq; poteſtate, & de Spiritus ſancti apud antiquos commemoratione, ex Mercurio, Plotino, Pythagora: & quòd procedat à Mente. c. iij. 30. d
Examinatur oraculum Platonis de tribus numinibus, aut hypoſtaſibus, circa quas ſint omnia: ſed principaliter circa Primum, qui ſit omnium finis. cap. iiij. 32. a
Quomodo animam ſeu ſpiritum ex illis duobus produci tradiderint. c. v. 33. b
Quod Ægyptij ter acclamabant, trinam Deitatem deſignantes, & quòd diuinam ſapientiam, omnia eſſe apud eos inſcriptio demonſtrabat. c. vj. 33. d
De tribus Regibus, ſiue tribus Intelligentijs, triplicique Diuinitate, ex Numenio, Amelio, Plotino, Theodoro, Iamblicho, Proclo. c. vij. 34. b
De tribus principijs, ex Proclo, Platonis Theologia contentis, quæ dicuntur Bonum, Mens, Anima: alijsque nominibus appellantur. Et quòd hæc tria

principia, non ſubſtantia tria ſunt, ſed alia ratione. c. viij. 35.d

Quod Proclus teſtatur Platonem de tribus Regibus in Epiſtola ſenſiſſe: & de nominibus, quibus deſcribitur ineffabile Principium, nempe Deus Pater. cap. ix. 36.f

De tribus item illis altiſſima Procli Theologia, myſteria Platonis interpretantis: & quod Platonici faciunt tria principia, quorum primum gignat ſecundum, tertium ſit habitus amborum. c. x. 37.d

De tribus ſubſiſtentijs, ſiue principijs, ex Plotino: & quod non ſint plura, neque pauciora. Et quòd hæc cognitio potius diuina eſt, quàm ratione demonſtrabilis. c. xj. 38.a

Profunda Theologia Plotini de tribus ſubſiſtentijs: & quòd à Primo ſit omnis ſapientia, Diuinitaſque Secundi. c. xij. 39.a

De trina Diuinitate, ex Numenio: & quod ſuper his ſanctè, caſteque loquendum eſt: & de eorum mutua indiuiſibiliq; ſubſtantia. c.xiij. 39.f

De trino Deo, ternaque Diuinitate ex Calcidio, quo ſenſa ſuperiorum Platonicorum declarantur. Et quod Primus eſt ſummum Bonum, Secundus Mens, Prouidentia, Sapientia æterna, Tertius Intimator, & Anima mundi. Et quod tres has perſonas, & hypoſtaſes apertè, & diſtinctè fateantur. c. xiiij. 40.c

De ſecunda Hypoſtaſi, ideſt, Mente creatrice mundi, ex Anaxagora diuina naturæ eius deſcriptio, & quod ab hac creat viſibilia, & inuiſibilia Anaxagoras, quéadmodum hodierna religio. c. xv. 41.a

Comprobatio ex Plethone Gemiſto, quod Magicæ ſententiæ de Trinitate loquãtur, de primo, & ſecundo Creatore, ſiue Deo: & quod Beſſarion etiam vidit hęc & confirmauit: quod Auicenna Arabs hunc Trinitatis ordinem vidit apud Platonicos, ſed non vſquequaque rectè percepit, & quod intelligentia primi orbis, eſt eadem & Anima mundi. c.xvj. 41.c

Quod autore Suida Triſmegiſtus de trina Diuinitate, ſempiternaque Trinitate ſcripſit, quam ſolam dixit æternam, inſeparabilemque ſubſtantiam, & quod creationem per Verbum Dei, quemadmodum & Moſes, extitiſſe dicit. cap. xvij. 42.a

Diuũ Auguſtinũ apertè teſtari Platonicos de tribus perſonis ſcripſiſſe. c.xviij. 42.c

De tribus Hypoſtaſibus, ex Apollinis oraculo, & quod apud priſcos, omnia metricè ſcribebantur, & quod ab his oraculis myſteria veterum Philoſophorum manare potuerunt. c. xix. 43.a

LIBRO TERTIO

DE tota Diuinitate, & quod omnes inſtinctu naturæ Deum ſingulariter in omni ætate nominarint: exemplaque ex Platone, & Ariſtotele, & Homero, & Demoſthene, cap. j. fol. 43.d

Quod ſimili ratione locuti ſunt, & quidem diuinius poëtæ, qui Homero ſucceſſerunt, de ſingulari Deo, & his quæ verè de eo prædicantur. c. ij. 44.d

Eadem probatio ex priſcis Philoſophis, de laudibus diuinis, ab eis celebratis, quod ſit vnus Deus, quod Mens Animatioque Vniuerſi, principium, medium, finis, ex Pythagora, & Archyta, Philolao, & Aſclepio, Acmone, Mercurio. c. iij. 46.a

Quòd

Quòd priſci Philoſophi ſuper vno, ac ſingulari Deo, mirabiliter cum ſacris litteris conſenſerunt. c.iiij. 47.c

Quòd appellata ſit in veteri Theologia Natura diuina, prima excellentiſſimaque Vnitas: & quòd omnia ex ea dixerint eſſe nata, ex Empedocle, & Parmenide, & Zenone, & Ariſtotele, Meliſſo, Damaſcio: & quòd hanc Vnitatem vocarint immobile Principium. c. v. 48.c

Eadem probatio ex his quæ ſenſerunt Parmenides, & Meliſſus, Empedocles, & Plato. c. vj. 49.b

Priſcam Philoſophiam Deum appellaſſe ipſum Eſſe: conſenſuſque eius cũ Theologia vera. c. vij. 49.d

Quòd Deus in veteri Theologia appellatus ſit ipſum Vniuerſum. c.viij. 50.d

Deum in antiqua Theologia appellatum ipſam Infinitatem. c. ix. 51.a

Comprobatio eorum, quæ ſunt antè demonſtrata de ſententia priſcorum, nominibus, quibus appellarunt ſummam Diuinitatem, ex Simplicio, qui libros eorũ legit, quod retulit etiam doctiſſimus Beſſarion. c. x. 51.f

Eadem ratione dixiſſe priſcos Mundum imaginem Dei. c. xj. 52.e

Deum apud veteres, Deorum eſſe creatorem. c. xij. 53.c

Quòd vnus tantum maximus Deus, ideoque ſolus æternus. c. xiij. 54.d

Oraculum Apollinis de Deo, & de creatione Deorum. c. xiiij. 55.a

Aliud ex eodem, de Deo, diuiniſque rebus teſtimonium. c. xv. 56.a

Aliud oraculum de Deo, lociſque cęleſtibus, quòd Deus fons, principium, creator omniũ, inſcrutabilis: quòd nemo peccãs eũ lateat: quòd oĩa ꝓſpiciat. c.xvj. 57.a

Quòd Iupiter ſit Deus ille verus, magnus, Dæmonis oraculo: quod eius poteſtas, omnibus veneranda: quod ſolus ille ſapiens, largitorq; ſapientiæ, & quòd hęc oracula, verè ſunt à Dæmone edita Philoſophorum teſtimonio. c.xvij. 57.f

LIBRO QVARTO, PLATONIS ET ARIſtotelis *Theologia diſcutitur.*

ARiſtotelem ſingularẽ Deũ eſſe cõfeſſum: Nõ ſolis motibus cęleſtibus, ſed oĩ itẽ mundo eũ præfeciſſe: Eandẽ fuiſſe Academicorũ Philoſophiã: Eandẽ Senecę: Non ſolas intelligentias, quæ cęlum moueant, eum agnoſcere. cap. j. fol. 59.a

Ariſtotelem aliud intelligentiarum genus, quàm cęleſtes orbes mouentes ſenſiſſe: ſupra motus cęleſtes, Deos beatos locaſſe: Eorum veram felicitatem deſcripſiſſe: Antiquos qui hæc docuerant collaudaſſe. c. ij. 60.a

Compendium Philoſophiæ Ariſtotelis, vnum ſingularem, moderatorem ſolum ordinum cęleſtium, vitęque omnis confiteri. Collatio aliorum quorundam locorum, de priſca Philoſophia, quæ ſingularem Deum prædicat: Deum inuiſibiliter omnia mouere, & regere. c.iij. 60.e

De hoc Philoſophiæ compendio quædam probationes, quod Ariſtoteles prouectioris ætatis, & ad Alexandrum ſcripſerit, ſæpe Magnos viros ſententiam mutaſſe: Multa ex priſcis Ariſtotelem in cõtrarium retuliſſe: Multa ſcripſiſſe Ariſtotelem, quæ non extent. c.iiij. 62.e

Examinatur Philoſophia, quæ eſt in Compendio: Vbi vnum duntaxat cęli motorem, dominumque totius vitæ videtur Ariſtoteles agnoſcere. Quòd minores iſto ſupremo Deos quoſdam confeſſus eſt: Quod eius poteſtatem omnia inuiſibiliter operari dicit. c. v. 63.d

Ariſtotelem fateri à ſummo Deo factos Deos minores: interpretari Deum, quam Vnitatem Empedocles dixiſſet: confiteri diuinam Prouidentiam, quæ naturá excedentia aliquando inoperetur. Compendium verè eius eſſe. Loqui nunc emendatius eum de Vno ſingulari, quod alibi de pluribus. c.vj. 64.c

De vno ſingulari, ac ſupremo Deo, ex eodem Ariſtotele, quem à motu cęli abſoluerit, cuius ſit immenſa ſapientia, qua reſpicit etiam res humanas. c.vij. 64.f

Ariſtotelem miris laudibus efferre, qui Menti rerum creationem tribuiſſent, in quo ſit incluſa confeſſio creati mundi. De Mente dixiſſe eum, quæ prior pręceptor Plato, In his vnius Dei confeſſionem eſſe. c. viij. 65.e

Quod etiam in moralibus vnum ſingularem Deum eſt cõfeſſus, rerum humanarum proſpectorem: Et quod ad aliam, quàm præſentem vitam prouidentia eius, & quæ largiri bonis eum ait Ariſtoteles, referantur. c. ix. 66.c

Ex eo quod Ariſtoteles de Nectare Deorum ſcripſit, probari & vnius ſummi Diuinitatem, qui ſibi & cunctis ſit cauſa felicitatis: & Deos illos non eſſe vertentes orbes celeſtes. Virtutes, quæ poſſidentur à mortalibus, multo magis à Deo poſſideri. c. x. 67.c

Admiranda Ariſtotelis Theologia de beatitate diuina: quæ ſit contemplatio: Eandem eſſe minorum Deorum felicitatem, Deum ſummum contemplantium. Ex quo ſumma vnius maieſtas comprobatur. c. xj. 67.f

De beatitudine Deorum: de vnica, ſimpliciique voluptate, quam Deo tribuit Ariſtoteles. Conſenſus eius cum ſacris litteris, beatitudinem eſſe diuinam contemplationem. c. xij. 68.c

Ariſtotelem ſummum Deum affirmare cum Homero Patrem eſſe Deorum, hominumque: eiuſdem eſſe generis cum illis. Hinc creationem Deorum, & ſolú Primum æternum demonſtrari. c. xiij. 68.f

Deum ab Ariſtotele, veluti generis humani Regem declarari, omni genere ſapientiæ maiorem, cui libenter omnes obtemperare oporteat. c. xiiij. 69.c

Mentem, quam exterius venire ſcribit Ariſtoteles, non niſi ab vno ſingulari Deo venire poſſe. Quem Theophraſtus eius diſcipulus confeſſus eſt omnium rerum originem. c. xv. 69.e

Appellari legem Deum ab Ariſtotele: imperium legis eſſe imperium Dei. Ex his ſequi, vt tacitè fateatur legem hodiernam diuinam eſſe, cui maximè parendum ſit: in his eſſe Dei ſingularis confeſſionem. c. xvj. 70.b

Quod Ariſtoteles dicens diuiniſſimum Reipublicæ genus Monarchiam, viſus eſt vnum Deum ſingularem, qui ſingulariter omnem mundum gubernat, confiteri. c. xvij. 70.c

Ariſtotelem pietatem collaudare, vtilemq; eſſe fateri. Ex his deduci, vt pietaté, quæ verè Deum colit, creatoré mundi credit & fatetur, collaudari. c.xviij. 71.a

De ſingularis Dei beatitudine, quam Ariſtoteles vidit, vereque definiuit. Quod omnes Ordines mundanos confeſſus eſt à Deo factos, dicens ab eo contineri naturam, & quod is eſt Verbum Dei, ex Philone. c. xix. 71.c

Ariſtotelem fateri Deum maſculum & fœminam creaſſe ad generis humani perennitatem, cum Moſe mirificè conſentientem. c.xx. 72.c

Ariſtotelem cunctis in republica rebus præferre pietatem. Quæ cauſa iuſtiſſima, cur ſit pietas potior. Super hoc, Ariſtotelem præceptoris Platonis ſententiam fuiſſe ſecutum. c.xxj. 72.f

LIBRO QVINTO, PLATONIS DE SINGVLARI ac ſupremo Deo Philoſophia perpenditur.

Platonem vnum ſingularem Deum aſſerere, quam cęlo perinde, atque Ariſtot. tribuat Diuinitatem, non verã, ſupremamq́; illi Diuinitatem, ſed creatam eſſe, factamq́; ab illo ſupremo. Deum illum magnum, ac ſupremum appellare Platonem ineffabilem, ex Theologia Triſmegiſti. Hunc ipſum, non corporis modo cęleſtis, ſed etiam animi affirmare Platonem creatorem. Vehementer eos errare, qui dicunt Platonem ſentire creationem perpetuò manantem. Secutũ eſſe Platonẽ Aegyptios, & Chaldæos in deſcribenda creatione mũdi. cap. j. f. 73. d

Non ſolum in Timæo, ſed alijs item locis, Platonem de Deo ſupremo egregiè loqui: Eum cunctarum rerum, etiam Deorum, affirmare creatorem. Exemplum in libris de Republica, de facili Dei rerum omnium creãdarum poteſtate. Platonem dicentem, Deum etiam ſeipſum gignere, quis ſenſus. c. ij. 74. f

Cur Plato in libris de Legibus magis aſtrorum Diuinitatem, quàm ſupremi Dei obtulerit. Quòd ſupremum Deum ſentit, ac dicit ineffabilem, de quo cautè ſit loquendum. c. iij. 76. b

Platonem de ſummo ac ſingulari Deo ſenſiſſe, quæ à maioribus audiſſet. Timæũ Pythagoreũ fateri Deum autorem mundi, itemque temporis, & omnis cęleſtis ordinis inuentorem: quæ ſecutus ſit, maximeq́; approbauerit Plato. c. iiij. 77. b

Exempla, quibus probatur Dei ſingularis, & vnius confeſſio apud Platonem, in cuius potentiam & authoritatem cuncta bona referat idem, confitens eum cunctorum, quæ poſſidemus autorem. c. v. 77. d

Apud Platonem multa, nomine diuino appellari, ſed vnum eſſe ſingularem, & ineffabilem creatorem omnium, atque moderatorem. c. vj. 78. c

De ſummo Deo, quem ſummum Bonum vocat Plato, affirmans eum rerum cunctarum cęlo ac terris autorem, à quo rebus omnibus adſit eſſe. c. vij. 79. c

Platonem fateri Deum omnium bonorum nullius autem mali autorem, optimũ, pulcherrimum, veridicum. Prodeſſe dare pęnas, & caſtigari. Dogma de Bonitate, ſumptum eſſe ex Triſmegiſto. c. viij. 80. c

Hoc de Bonitate diuina ſumpſiſſe Platonem ex Triſmegiſto. c. ix. 81. a

Deum creatorem omnium rerum dicere Platonem. Teſtimonia, quibus apparet eum Vniuerſi conditorem nuncupaſſe. Prolem diuinam authorem mundi eſſe Platoni, cui det Patrem in Epiſtola. c. x. 81. f

Alijs locis creatorem cęli, ordinumque cęleſtium moderatorem Platonem dicere Deum, qui diſtribuerit ad gubernacula mundi Angelos ſuos, creator mundi, bonorum omnium repertor. c. xj. 82. c

Varia teſtimonia, quibus ſingularis Dei apud Platonem probatur confeſſio: quem & creatorem mundi fatetur, & ei bona cuncta accepta refert. c. xij. 82. f

LIBRO SEXTO.

QVòd recentiores Philoſophi, qui poſt Platonẽ, & Ariſtotelẽ floruerũt, Theologiã maiorum venerati imitatiq́;, mirificè cũ Theologia cęleſti cõſenſerint, vnum ſingularemq́; Deum appellantes, omniaq́; de eo prædicantes, quæ ſunt in libris ſacris. Teſtimoniũq́; Theophraſti, & Alexãdri de Deo cap. j. 83. d

Theologiam Romanorum agnoſcere, fateri, nominare Deum vnum ſingularem,

proſpi-

proſpicientē omnibus,vbique præſentem,mundū omnē implentem, immenſę ſapientiæ, rerum creatorem,animorū largitorem, Mentem Vniuerſi, inuiſibilē,ex operibus agnoſcendū. Variaq; de eo Marci Tullij Philoſophia . c.ij. 84.c

Senecam vnum ſingularemq́ue Deum ore pleno nominare Autorem mundi, & rerum humanarum Præſidem, ſæpius prædicare: Ei cuncta in terris bona accepta referre . c. iij. 86.b

Senecam exordium mundi fateri à Deo fuiſſe, qui ſingula diſtinxerit, loca rebus, ſituſque aſſignauerit. Antiquior mundo, lucis creator, operis ſui ſpectator, per vniuerſum diffuſus. Ventorum moderator, largitor, proſpector, cuius decreto cuncta fiant, qui mane diffuderit ad beneficium noſtrum, benignus Pater, bonorum amantiſſimus. c. iiij. 86.c

Deſignatio diuinæ Naturæ apud Senecam: quòd ſit ratio incorporea, rerum maguarum opifex: per omnia diffuſa , cuſtos , rector vniuerſi , Dominus , & artifex : cauſa cauſarum : Natura rerum ex qua nata ſunt omnia. Quomodo ſit ipſe mundus, aut pars maxima mundi . Qui ſit plenus Ideis æternis , ad quas formauit mundum. Fundator mundi : & quòd ipſa Natura . c.v. 87.d

De ſummo & ſingulari Deo, ex Plutarcho, & Philoſopho inſigni,omnes fermè de eo laudes canente, quæ in ſacris litteris habentur : Hunc vnum adorandum eſſe,non elementa mundi huius : Solem, Lunamq́ue eſſe ſigna quibus diuina maieſtas innoteſcat : Ea eſſe organum, artemq́ue Dei . Deum eſſe creatorem mundi , qui ſit templum ſacerrimum , in quod ſpectator operum diuinorum introducatur homo . Mundum eſſe tanquam theatrum, in quo nobis ſpectatoribus Deus inſignes opes ſuas oſtentat . Deum creaſſe Solem , qui ſit quædam lucis æternæ ſuæ per mundum decurrens imago . Diuinam naturam eſſe ac felicitatem , virtutis excellentiam . c. vj. 88.c

Item ex Plutarcho Deum in pelago ſanctitatis habitantem , cuncta rectè moderari : Solem in cęlo velut exemplum ſui collocaſſe . Eſſe eum virtutis omnis ſimulachrum & Ideam , quam homines oporteat imitari quoad fas eſt. Principes eſſe diſtributores bonorum , quæ largitur Deus . Principem eſſe imaginem Dei viuam . Præcipuum , inſignemq́ue Dei cultum , eſſe, imitari bonitatem eius. Ad virtutes acquirendas opem eius eſſe neceſſariam . Res Romanas creuiſſe, Deo volente . Deum eſſe regem mundi bonorum largitorem. c. vij. 89.c

Affirmare Plutarchum omnia facienda in Republica,honoris diuini cauſa. Deum eſſe Patrem hominumq́ue Deûmq́ue , creatorem autem mundi . Hunc priſcos fateri totius ordinis , harmoniæq́ue autorem . Principium iuſtitiæ . Viuens æternum,optimum . Dęmones malos eum non feciſſe : ex inordinatione ordinē feciſſe . Optimum artificem,plenum artificij , immortalem , beatum , beneficum , vìdentem vniuerſa . c. viij. 90.d

Deum feciſſe hominem animal placidum, ſociabile . A more patrio eum hominum res attendere.Omnia circum mare,& terras proſpicientem,omnibus cōſulentem. Volūtate eius,pulcherrima quæque fieri. Animā eſſe inſtrumentum eius . In eo ſempiternam eſſe præſentiam.Hominem ad cognoſcendum feciſſe cap. ix. 92.

Ex alio Philoſopho,qui dicitur Epictetus , Stoicus autem fuit, non Chriſtianus, de Natura diuina, de qua deprædicet , quæ ſacræ litteræ concelebrant. Eandem eſſe naturam bonitatis ac Dei . Subſtantiam diuinam eſſe Sapientiam, perfectamque rationem Deum cunctis proſpicere, mundum gubernare. Hominem eſſe opificium eius. Ad vnum Deum reſpiciendum eſſe. Ei pro beneficijs gratias haberi oportere. c.x. 93.c

Eadem de ſummo ac ſingulari Deo ſenſiſſe ſubſecutos Philoſophos. Iamblichum affirmare, Deum principium, medium, finẽ, in eo reſpiciendo, & ſequendo felicitatem eſſe. Eum eſſe Dominum omnium bonorum, principium beatitudinis, finemq; omnis Philoſophiæ. Felicitatem eſſe, ſequi mandata eius. c.xj. 94.d

Porphyrium, ſingularem, vnicumque Deum commemorare, cui rationabili ſacrificio, caſtiſque cogitationibus ſit litandum. Eum eſſe omnipotentem, omnis virtutis autorem. c.xij. 95.b

Item ex Simplicio profunda Theologia, de vno bonitatis fonte, vnico rerum, ſingularique principio, à quo cauſæ cunctæ, cunctaque principia dependeant. Et quòd ſeſe ad ferendam miſeris opem inclinet. c.xiij. 95.e

Ex eodem Simplicio, Deum eſſe abſoluti boni noſtrorum animorum principiũ finemq;, in quem vnum ſit reſficiendum, cui quandiu cohæſerit animus, ſua radice hæreat, diuulſus marceſcat. Quòd mundum Deus creauerit. c.xiiij. 96.c

Ex Proclo, de ſingulari Deo, quòd ſit vnus, quòd Bonum, quòd prima cauſa, Bonorum cunctorum Autor, Deorum etiam Creator. Quòd ineffabilis, incogitabilis, Virtutis infinitæ, Naturæ indeficientis. c.xv. 97.a

LIBRO SEPTIMO AGITVR

De Mundi creatione.

Omnem nationem à vetuſtiſſimis ſeculis traditione per oés ætates deſcendente, fateri mundum creatum. Vidiſſe quædã Creati mundi priſcos ſigna. Fuiſſe famam apud priſcos Creati mundi creberrimam. Rationes, quibus nonnulli noluerunt creatum mundum. c.j. 98.a

Reſoluuntur rationes de Æternitate mundi. Nulli Æternitatem prodeſſe, ſed vehementer obeſſe. Hunc eſſe mortalibus omnis impietatis, omnis infelicitatis fontem, rerum humanarum confuſionem. Nullam reddi poſſe prouidentiæ rationem, rebus æternis. Non poſſe animos immortales eſſe rebus æternis, aut eos non aſcendere in cælum, nullaque eſſe poſt vitam præmia virtutum. Stultos eſſe, qui deteriora velint æterna, quę ſint melioribus impedimento. Non eſſe malum deſtruere mundum cauſa maiorum bonorum. c.ij. 98.e

Diſſoluitur ſecunda ratio, In creando mundo non eſſe prius, & poſterius tempore. Quandocunque creatus fuiſſet mundus, quæri potuiſſe, cur non prius creatus. In æternitate non eſſe prius, & poſterius. In multis hallucinari mentes humanas perinde atque ſenſus. Omnem infinitatem abſurdam eſſe, & indecoram, præter diuinam. Vnius tantum eſſe naturaliter Aeternitatem. Quòd ſuperſedens Deus creatione mundi, neque tardauit, neque ceſſator fuit. Neque dici poteſt ſuperſediſſe, ac diſtuliſſe. c.iij. 101.c

xaminantur Philoſophorum, primum Ariſtotelis de Aeternitate rationes. Ariſtotelem non impugnare ſimpliciter Creationem, ſed qualem nonnulli ante eum deprædicaſſent, qui Chaos æternum, Creationem in tempore fuiſſe aſſerebant. Priſcos non quemadmodum calumniatur Ariſtoteles, tempus æternum crediſſe. Priſcos aſſeruiſſe tempus, & cælum creatum, creatum cælum ex liquida aquæ ſubſtantia. c.iiij. 102.f

Diſſoluuntur rationes Procli partim ex natura, partim opinione Platonis ductę. Tempus in quo conditus eſt mundus, non eſſe cæleſte tempus. Plura eſſe poſſe tempora, quàm cęleſte. Redundare, ſuperuacaneamq́ue eſse animam cęli, aut eam eſse Deum ſummum. Maioris honoris eſse Deo, æternitatem ſuam, quàm perennem rerum factionem. Aeternitatem mundi impiarum opinionum eſse fontem. Non ſequi poteſtatem æternam Dei, æternam mundi conditionem. Deum non eſse mutatum cùm creauit. Naturalem fuiſse Dei æternitatem, mundi principium. Platonem non æternum, ſed in tempore factum mundum ſcripſiſse. c.v. 104.e

Platonicos priſcos, non quemadmodum affirmat Proclus, mundum æternum dixiſse, ſed factum. Diluuntur rationes Plutarchi ſub aliorum perſona. Deum creantem mundum, humaniſque rebus conſulentem non laboraſſe, Deum creaſſe hunc mundum non cauſa voluptatis ſuæ, ſed propter homines, quod Stoici etiam fatentur. Vexationes bonorum, improborum ſecundas res non prohibere, quo minus mundus ſit creatus. c.vj. 109.d

Diluuntur rationes Epicurei, & Cottæ apud Tullium. Earum ſolutionem eſſe, quod vbi Marcus ipſe loquitur, ſecus ſentit. Et ea eſt Academicorum libertas. Platonem non ſuis primum oculis creationem vidiſſe, ſed apud priſcos legiſſe. Platonem dicere mundum corruptibilem in poſterum, ſed poteſtate opificis non interiturum. Non ociatum eſſe Deum, fruentem ante mundum Diuinitate ſua. Non ſuperſediſſe creatione mundi. Sapientibus, & ſtultis creando mundo prodeſse voluiſse. Aſsecutumq́ue eſse, quòd bonitatem ſuam fecit clariorem. Omnes particulares motus in primum motorem referri. c.vij. 111.a

Diluuntur rationes Simplicij de Aeternitate mundi. Simplicium ægrè tuliſse Iohānem Philoponum rationes Ariſtotelis de Aeternitate motus refutaſse. Eundem Theologiam Moſaicam contemnentem, non intellexiſse, quæ de luce, & Sole creato idem ſcripſit. Non accepiſse Moſen ab Aegyptijs Theologiam, ſed contrà, Aegyptios ab eo. Græcos ab Aegyptiis didiciſse, vt ſi ſit Aegyptiorum fabuloſa Theologia, ſit etiam Græcorum. Quomodo oporteat intelligi, lucem primum creatam, quarta autem die creatum Solem. Reſoluuntur rationes, quibus Simplicius ex Platone probat æternum mundum. c.viij. 113.b

Oſtenditur Creationem mundi ab antiquiſſimis omnium nationum fuiſse confeſſam. Cunctos ferme Philoſophos vetuſtæ famæ, patrumq́ue traditioni ſubſcripſiſſe. Explicatur in primis Theologia Triſmegiſti de Creatione mundi. Triſmegiſtum cum Moſe congruere in deſcribenda Creatione. De creatione lucis, ſiue Solis, ſiderumq́ue aliorum, & aeris ex aquæ puriſſima defœcatione. Ante omnia de creatione terræ, & aquæ, quæ cæteris fuere principia, dictum Chaos ab illis, aut hyle. De nudatione terræ, creatione animalium, & hominis ad imaginem Dei creati. Hanc Theologiam vidiſſe Ouidium apud Græcos, Latineq́ue expreſſiſſe. Deos eorum eſse ſidera, factos ex aqua. Secutos eſse priſcos Græcos hanc Theologiam. exempla ex Platone. cap. ix. 117.d

Orpheum adoraſse, ſecutumq́ue eſse Theologiā Triſmegiſti de conſtitutione mūdi. Minores affirmaſse, quæ prior Orpheus prodidiſset. Primam Theologiæ partem apud Orpheum, eſse laudes Creatoris æterni, ſapientiſſimi, fęcūdiſſimi.

Omnia nata eſſe ex fœcunda ſapientia verbi diuini ſecundùm Orpheum. Secundam Theologiæ partem eſſe de Chao, nempe terræ & aquæ creatione, poſt quas ex eis creatæ ſint formæ rerum. Similem eſſe Moſi Orpheum in hac creationis aſſignatione. Phaneta eſſe Solem. apud Orpheum, Amorem ipſam diuinam ſapientiam creandi cupidam. Ex Chao, & Oceano natos eſſe Deos, nempe ſidera cęleſtia. c. x. 122.d

Homerum atque Heſiodum veneratos hanc Theologiam, ſimiliter atque priores de mundi origine, & eius principijs ceciniſſe. Terram & aquam Homerum primas res creatas dixiſſe. Heſiodum primum fuiſſe Chaos, ideſt, terram & aquam, totamque creationem affirmaſſe, ac decantaſſe. c. xj. 123.c

Parmenidem, Thaletemque creationem eſſe confeſſos. Amorem eſſe Deum ſempiternum apud eos. Solum Deum æternum dixiſſe Thaletem. Mundum opificium diuinum appellaſſe. Noctem anteceſſiſſe diem, dixiſſe Thaletem, vt Moſes tenebras ante lucem. Aquas illas primordiales Moſaicas eum principium dixiſſe, Mentem autem creatricem. c. xij. 126.b

Phyſicos autorē Plutarcho confeſſos creationem mundi, cuius initium fuerit à terra: Ab aquis ſegregatam ætheriam ſubſtantiam primam. c. xiij. 126.f

Aratum fateri Deum ſummum poſuiſſe ſtellas in firmamento cęli, quemadmodū Moſes. Idem cantaſſe Ouidium. c. xiiij. 127.b

Ariſtotelem, rationem fateri coëgiſſe creationem mundi. In æternitate, vel animos eſſe mortales, vel aſcendere in cœlum non poſſe, corpora ſemper animantes. Sequi ex his in Philoſophia grauiſſimos errores. Ariſtotelem à maioribus in creatione mundi diſſentire non debuiſſe. Verba Ariſtotelis, quæ diuerſis locis poſita probant eū creationem prudentē, vel imprudentē eſſe confeſſum. c. xv. 127.e

Ex dictis oratorum & poëtarum, artium, ſermonis, & humani generis probatur exordium. c. xvj. 130.b

Plotinum apertè fateri, contrà quàm Proclus contēdat, tempus creatum, cum cuius conditione conſequitur etiam cęli, mundique creatio. c. xvij. 130.e

Apertè, perſpicueque Porphyrium de temporis exordio ſcripſiſſe. Iamblichum multis rationibus omnia nata eſſe, confiteri: Qui conſentaneę cum Moſe prędicet hominem diuinitus factum. Itemque ordines cęleſtes à diuiniſſimo Verbo repertos. Et quòd condemnat hunc mundum, aſſerens ab eo fugiendum eſſe. c. xviij. 131.d

Crantorem Platonicum, vitam præſentem condemnaſſe, eique non eſſe, & mortem antepoſuiſſe. Quo ſequitur improbatio Æternitatis mundi. Idem ex Ariſtotele infertur. c. xix. 132.e

Epictetum & Arrianum homines à Deo creatos, inque mundum, operum diuinorum ſpectatores introductos fateri. c. xx. 133.b

Ex ſententijs Plutarchi de mundo, Principiiſque eius. Ea in quibus nonnulli peccauerunt, de materia prima, de anima malefica. Reſponſiones contra calumnias Lucretij, quas contra prouidentiam, temeritatem, & caſum defendens, effudit. c. xxj. 133.d

Diſſoluuntur vanæ Lucretij contra mundi creationem, rerumque ordinem, calumniæ. Coarguitur neceſſariò ſenſiſſe prouidentiam rebus ineſſe, Omnia cauſa noſtri feciſſe Deum: quæ putaſſet Epicurus noxia, vel ſuperuacanea, ſummam prouidentiam habuiſſe. c. xxij. 134.a

LIBRO OCTAVO.

DE Angelis, & ea natura, quæ inter Deum ſupremum, atque homines intercedit, & quòd de his etiam priſci Philoſophi ſunt locuti: Et de veris Dijs fabuloſis excluſis. cap. j. fol. 137.a
In ſermone Platonis, Ariſtotelisque, apparere Deos alios, quàm qui moueant orbes cęleſtes. Nec alios eſſe poſſe, quàm Angelos ſupercęleſtes. c. ij. 137.f
Quòd Plato de Dijs, ſiue Angelis vera ſenſit, & ſcripſit. Et quòd eorum ſedes in cęlo conſtituit, quibus Deus gubernationem humani generis tradiderit, & de eorum natura. c. iij. 138.b
Ex Ariſtotele de Dijs ſiue Angelis, quos ſimiliter, ac Plato in cœlo ſupra motus ætherios locauit, & beatos eos, rerumq; humanarũ cuſtodes dixit. c. iiij. 139.a
Ex cæteris locis probatio, Deos Angelosque Ariſtotelem ſenſiſſe ſupra ſidera motusque cęleſtes, eumque de beatitudine eorum vera ſcripſiſſe. c. v. 139.f
Quòd vitam, naturamque Angelorum, & felicitatem Poëtæ ſicut & Theologi deſcripſerunt. c. vj. 140.e
Conſiderationes ex Marco Tullio, apud quem eſt Deus ſupremus, & item alij Dij nominantur, qui præterquam Angeli eſſe non poſſunt. c. vij. 141.a
Ex alijs autoribus de Angelis, ſiue Dijs, poſt ſummum Deum. c. viij. 142.a
Ex oraculis Chaldaicis de poteſtatibus, ſiue mentibus ſummis, & quòd has rectores mundi Chaldæi dixerint. c. ix. 142.e
De triplici ordine Deorũ, ſiue Angelorũ ex Platonicis, præcipuè Proclo, in quo videtur noſtros ſecutus, vbi à veritate diſſentiat: & de primo Deorũ ordine. c. x 143.a
Generatim de Dijs, & eorum prima acie, quidve Proclus commentitium affixerit. c. xj. 143.e
De triplici Hierarchia Deorum, & quid veri, aut à vero diſſentiens de ea ſcripſerit Proclus. c. xij. 144.d
De ſecundo Deorum, ſiue Angelorum ordine, quem ex Dionyſio deducat Proclus. c. xiij. 145.a
De tertia Hierarchia, vel ordine Deorum, ex Proclo, & quòd in eo ſecutus eſt Areopagitam. c. xiiij. 145.f
Quòd Hermias item, quemadmodum & Proclus, ſecutus eſt Dionyſium in definiendis Hierarchijs cęleſtibus, & quid non veri addiderit. c. xv. 146.e
De alijs generibus, & nominibus Deorum apud Proclum ex Dionyſio, & quid in his diſſentiat à vero. c. xvj. 146.f
De eſca Deorum, vel Ambroſia, & Nectare: quæ cùm vere à Platone, & Ariſtotele fuerit aſſignata, Proclus parumper infecerit. c. xvij. 147.b
Ex Theologia Damaſci de Dijs, ſiue Angelis, & vno ſuperſubſtãtiali Deo, & quòd is etiam imitatus eſt Dionyſium. c. xviij. 147.e

DE DÆMONIBVS.

PRiſcis Dæmonum naturam innotuiſſe. Profanas litteras ſimilia ſacris de Dęmonibus perhibere. Nomen Dæmonum, Græcum, Hebraicumq; eſſe poſſe. Eſſe hoc nomen commune bonorum, ac malorum. c. xix. 148.b
Exempla quibus monſtratur hoc nomen, diuinam potentiam, numenq; deſignare, & vſur-

& vſurpari pro Deo, Dijſq; à Poëtis, & Philoſophis. Demum quòd malorum poteſtatum ſit proprium nomen. Eſſeque apud eos bonos & malos Dæmones. cap. xx. 148. f

De vario genere Dæmonum apud Philoſophos, & quòd non ſemper phyſicè nomen hoc vſurpent, transferentes nomen, naturamque Dæmonum ad alios. De Dæmonibus veris & fabuloſis ex Platone, & Poëtis. Et quòd veri Dæmones ſint aërij. Correctio eius, quòd ſitum aërium dicunt naturaliter Dæmonibus attributum. c. xxj. 149. e

Declaratur ſententia Platonis de Dæmonibus, qua tribuit eis legationes, interceſſionemque inter hominem, atque Deum. Et quòd hi ſunt Angeli cęleſtes. cap. xxij. 150. f

Separantur, ea quæ promiſcuè de Dæmonibus aërijs, & Angelis cęleſtibus locutus eſt Plato. Et, quod mirè cum ſacris litteris conſentit, de principibus humano generi datis. c. xxiij. 150. d

De Dæmonibus eligendis, eorumque præſidio, cuſtodiaque hominum in vita, & poſt, à Platone tradita, in Deos, vel Angelos congruere. Quis ſenſus, cùm aiunt iuſtus poſt mortem fieri Dæmones. c. xxiiij. 152. b

Separantur veri Dæmones à fabuloſis, quos celebrant Poëtæ. Veros Dæmonas aërios illos eſſe. c. xxv. 152. f

Veri Dæmones oſtenduntur eſſe aërij, natura malefici, ingenio praui, bona nunquã ipſiſmet Philoſophis autoribus. Et quòd etiam Ariſtoteles de Dæmonibus eſt locutus. c. xxvj. 153. c

Dæmones eſſe gentem aëriam. Hoc ſacram & profanam ſentire Theologiam. Idem Platonem, Pythagoram, Ariſtotelem prodidiſſe. Teſtimonium etiam diui Pauli. c. xxvij. 154. d

Ex priſca Magorum Theologia, naturæ Dæmonum clara definitio. Eos eſſe maleficos incantationibus præſidentes, quod Plato aſſeruit: eſſe feras agreſtes, Stygios canes, Vltores, carnifices malorum: affectibus malis delectari, domicilijſque impiorum: Transferre ſeſe in Angelos lucis. c. xxviij. 155. a

Ex Theologia Ægyptiorum vetuſtiſſima apud Triſmegiſtum Dæmonas eſſe, & eſſe malos, malorum inſpirationum authores. His eſſe omnia plena. Vltores impiorum eſſe. Eos eſſe ex alijs aërios, vagos, per phantaſias, & illuſiones decipientes. In quibus cùm noſtra Theologia concordia. c. xxix. 156. b

Dæmones nidoribus oblectari, ob id materiales appellari. c. xxx. 156. d

Quæ Dæmonibus nonnulli Philoſophi attribuerunt, eos omni mundo præficiẽtes, Angelis congruere, idque ab eis deprædicari. c. xxxj. 156. f

De Dæmonibus, qui dicuntur ſe mulierem commercio contaminaſſe, alioſque Dæmones genuiſſe: Hos eſſe Dæmonas fabuloſos, & quaſi poëticos, non veros: & quòd is fuit multorum error. c. xxxij. 157. b

Apud Orpheum cùm ſint Dæmones boni & mali, hoc nomen denique malorum potius eſſe, quàm bonorum, ſicut in ſacris litteris. c. xxxiij. 158. d

Dæmonas ab antiquis Philoſophis proditum, dare pœnas toto mundo perſecutionem patientes. Nullum eos elementum admittere cœlo cadentes, ab Empedocle dictos. Pherecydem de eis ſcripſiſſe. Zoroaſtrem principem malorum quendam prodidiſſe. Nomen Dæmonis eis propriè malorum eſſe. cap. xxxiiij. 158. f

Dæmonis nomen apud priſcos malorum eſſe. Vera eorum deſcriptio apud Philoſophos veraque cognitio: Eos eſſe aërios, vagari per omnem mundum, Deo perſequente dare pœnas. c. xxxv. 159.c
Diuinationem, vaticiniaque & oracula ab halitu terreſtri fieri non potuiſſe. Ariſtotelem, Plutarchum, Ciceronem iſta ſuſpicatos, ſe ipſos declarare, contrarias rationes opponentes. c. xxxvj. 160.c
An oraculum Apollinis à bono, vel malo Dæmone funderetur. Quod à malo, ſignaque eius. Quòd ſæpe Deus ſpiritibus, hominibuſque improbis vſus eſt ad prædictionem futurorum. c. xxxvij. 161.c
Dæmones nunquam in conſortio beatorum fuiſſe, non ex cœleſtibus gaudijs, quæ poſſiderent, ſed poſſeſſuri eſſent, ſi rectè operarent, cecidiſſe. Peccatum eorum fuiſſe ſuperbiam, inuidiamque. c. xxxviij. 162.a
De Dæmonibus è cœlo ruentibus, priſcos quædam cognouiſſe, & prodidiſſe, Pherecidē, Empedoclē, Homerū, Plutarchū ruinam hāc deſignaſſe. c. xxxix. c. 163.a
De Genijs, ſiue Angelis, ſingulo cuiq; cuſtodibus datis, inter eos & noſtros mirus cōſenſus. Teſtes horū Menander, Empedocles, Plutarch. Adrianus. c. xl. 163.c
Chalcidij de Dęmonibus ſententię, Dæmones ætherios, quibus ſerena, puráve corpora tribuat idem, potius Angelos appellandos. Definitio Dæmonis iuxta eundem. c. xlj. 163.c

LIBRO NONO, DE CREATIONE HOMINIS, *& immortalitate animorum.*

QVòd omnes conſenſerunt hominem à Deo creatum: animos venire diuinitus, & quomodo fuit hæc fama manans à priſcis, temporum longinquitate apud nonnullos denigrata. cap. j. fol. 164.a
Vt Pythagoras, & Archytas conſentiant hominem à Deo creatum, eique ſuper oēs animantes imperiū datū. Et quòd hæc fuit etiā totius ſcholæ ſentētia. c. ij. 164.c
Quòd hæc Pythagoręorum, de homine diuinitus creato Theologia ducitur ab Aegyptijs: Et quòd Mercurius Triſmegiſtus eam latius expreſſit. c. iij. 165.a
Poëtas antiquos, quos ſecutus eſt Ouidius, Moſaicam de homine diuinitus creato, ſententiam confirmaſſe, idq; etiam Cornutum aſſerere. c. iiij. 165.d
Quòd etiam Chaldaica Theologia confirmat hominem à Deo creatū, animamq; exterius infuſam in corpus. Et quòd idem aſſerunt Ægyptij Philoſophi, & item oraculum Apollonis. c. v. 166.c
Sententia Platonis de homine diuinitus creato, & quòd in Timæo formationem corporis attribuens minoribus Dijs, poëticè potius dixit, in alijs locis tribuens totum opificium ſummo Deo. c. vj. 166.c
Quòd Ariſtoteles mirificè conſentit cum Theologia Moſaica, hominem à Deo conditum, formatumque corpus, datamque ſexus varietatem, animam autē exterius inſpiratam. c. vij. 167.c
Quòd Ariſtoteles de animi immortalitate, ac diuinitate ſenſit, ac dixit, quę ſuperiores, Chaldæi, Pythagoras, Aratus, Mercurius Triſmegiſtus, exinde Philo, & Marcus Tullius. c. viij. 168.c
Quòd confirmauit Ariſtoteles eandem ſententiam alijs locis, quibus ſenſit aperteque pronuntiauit animum à corpore ſegregatum, idemque teſtantur Peripatetici

tetici eum ſenſiſſe. c. ix. 169.c

Ex his quæ ſcripſit in libris de Anima, & de partibus animaliũ ſimilis probatio, & quòd hoc ipſum interpretes Græci contendunt Ariſtotelem ſenſiſſe. c. x. 170.a

Quòd Marcus Tullius pro cunctis Romanis animum, & corpus affirmat à Deo ſupremo creatum, ipſumq; animum eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: & quòd cum Moſe mire conſentit. c. xj. 170.e

Variæ, multiplicesque Senecæ ſententiæ de immortalitate, origineque animorũ. Fateri eum delibatos, aut fuſos eos à ſpiritu diuino. Futuros in æterna requie inter beatorum choros poſt à corpore diſceſſum. De eorum cum Dijs cognatione, de ſempiterna luce, fortunatorum ſedibus. c. xij. 171.e

De ſempiternis animis hauſtis ex origine diuina, ex eodem Seneca. De eorum diuina ſtirpe, atque natura. De natali die, quo peruolabunt ad ſuperos. De vita beata poſt mortem, eiuſque diuina deſcriptio. c. xiij. 172.e

De ſimilitudine, & imagine animorum cum Deo, ex Platone, qui tota ſua Philoſophia hoc idem perhibuerit: Et quòd hanc cauſam immortalitatis eorum aſſeruit. c. xiiij. 173.c

De Phocylide vetuſtiſſimo Poëta, qui dixit animam immortalem, digreſſamque à corpore fieri Deum. Et quòd ſimilia confeſſa eſt antiquiſſima Theologia Magorum. c. xv. 174.f

Epictetum in Philoſophia cunctis admirabilem, creatum animũ à Deo ad ſimilitudinem ſuam fuiſſe confeſſum, & quòd membra corporis idem diſpoſuerit, animo libertatem dederit. c. xvj. 175.d

Aliæ ſuper eodem, Epicteti ſententiæ, quòd animus abſciſſus, ſiue radiauit à Deo: & quid abſciſſio, aut radiatio animorum. c. xvij. 176.e

Quòd factus eſt homo, in mundumque introductus à Deo, vt contemplaretur, quòd membra corporis ad operationes diſpoſita: & quòd is eſt omnium conſenſus. c. xviij. 176.f

Quòd Philoſophi duplicem hominem aſſignauerint: ſed verum ipſum animum, hunc immortalem, & ſimilem Dei. c. xix. 177.d

Quòd ob hanc cauſam dixerunt animum è cęlo cecidiſſe in corpus, in quo viuat in pœnã, & quòd hæc ſuſpicio nõ ſit vera: & quòd alio ſenſu intelligendũ, quod priſci prodiderãt: Et Plotini ſentẽtia ſuper immortalitate animorũ. c. xx. 178.a

Alexandrum Aphrodiſeum, animũ immortalem ſenſiſſe. Separare eum animam corpoream, ab anima diuiniore. Animi agẽtis dignitatem primũ ſummo Deo, tum intellectui noſtro tribuere, vtrumque incorruptibilem, affirmantem. Alexandri clara verba de intellectus humani incorruptibilitate. c. xxj. 178.d

Quòd idem Alexander Aphrodiſeus animũ immortalẽ aſſeruit, & dubitationẽ de mortalitate reſoluit. Et quòd Plato prior & Ariſtoteles hoc ipſum docuerunt, oſtendẽtes organa labefactari poſſe, animo incorrupto & inuiolato. c. xxij. 179.c

Rationes Plotini de immortalitate, & quòd idẽ iterum Ariſtoteles, & Plato ſunt confeſſi, animã eſſe incorporeã, quẽadmodũ Deum: Et epilogus eorũ, in quibus mirè cũcti fermè Philoſophi cõueniũt, ſuper immortalitate aĩorũ. c. xxiij. 180.c

Epilogus rationũ, quibus viſus eſt ſapientibus animus immortalis. c. xxiiij. 180.f

Contra rationem, qua putarunt animos retro ſempiternos, & quòd errarunt, omnipotentiam, maieſtatemque ſummi Dei, qui ſolus ſit præditus motu ſempiterno, imbecillis animis tribuentes: & quòd animi humani non ſunt per ſe principium

cipium omnis motus, ſed ſolus Deus. c. xxv. 181.b

Quòd ratio, quà ſibi perſuaſerunt animos ingenerabiles, non eſt vera: & quòd errauit Panætius transferens ad animos, legem rerũ corporearum. Et quòd etiam Philoſophi conſentiũt non omnia nata occidere, è quibus Plato cenſuit mundum factum non interiturum. Tum ex ratione decretum hoc Philoſophorum, neque verum eſſe, neque animis congruere. Reſoluunturque rationes Ariſtotelis, quibus probat omnia nata interire. c. xxvj. 182.b

Quòd lex illa in Philoſophia, omnia orta occidere, etiam à Philoſophis aliquando contemnitur: quòd eorum ſententia, non modò incorporea, & ſimplicia, ſed etiam corporea poſſint incorruptibilia fieri: Et quòd non eſt ſemper vſitatis exemplis inſiſtendum, & de duabus naturis. c. xxvij. 184.a

Quomodo ſibi ipſis contradixerunt, animos è cęlo cadere dicentes, iterumque reuerti, & quæ fuerit erroris cauſa. Et quòd perperam intellexerunt, quæ de regeneratione fuerant vaticinatæ Sibyllæ. c. xxviij. 184.d

Quòd Plato dicens in Timæo ſeri animos in aſtris, & inde demitti, non videtur id penitus exiſtimaſſe, & quòd alijs libris veriora ſcripſit, quibus hæc in Timęo refelluntur. c.xxix. 185.e

Quomodo vera ſit ſententia, ad animum vniuerſi, particulares reuerti. Quòd hoc myſterium Philoſophi recentiores peruersè intellexerint. Quòd ea ſit ſacrarum litterarum ſententia. Quòd Plato, & Pythagoras dicunt animos ad Deum reuerti. Et ſuper hoc errores Themiſtij. c. xxx. 186.d

Errores Themiſtij, aliam eſſe animam vniuerſalem aſſerentis, alium ipſum Deum ſummum. Si foret vnus illuminans omnes mentes, intellectus Deum fore. Rationes cur non ſit vnus. c.xxxj. 186.f

De immortalitate animorum famam eſſe vetuſtiſſimam. Nolle facinoroſos animam immortalem, nec terrore futurarum pœnarum peccatis impendentium torqueantur. c. xxxij. 187.f

LIBRO DECIMO.

IN religionem veram cunctos Philoſophos conſenſiſſe: Pietatem, Philoſophiamque Chriſtianam, quæ ſola cunctas ambages reſoluit, omnes tacitè collaudaſſe: Rerum humanarum finem eſſe, Philoſophorum conſenſu, pietatem: Hanc autem eſſe ſolam Chriſtianam. cap. j. fol. 188.a

Philoſophos perhibere pietatem eſſe virtutum principem: probari hanc ſolam eſſe Chriſtianam. Finem à Philoſophis conſentaneę religioni Chriſtianæ conſtitui, vt Deum ſequamur. Huc omnem vitam dirigendam. Hoc illos dicentes, apertè religionem, quæ ſequitur Deum, reſpexiſſe, probaſſe. Philoſophis veram ſcientiam eſſe, Deum noſcere. c.ij. 188.d

Definiente Platone veram ſapientiam fugam ex hoc mundo, aſſimilationemque diuinam tum ſanctitatem, ac iuſtitiam, vnam duntaxat religionem Chriſtianam hac definitione concluſiſſe. Probari Platonis hoc teſtimonio, neceſſariò venturum in terras Deum fuiſſe, quem imitari genus humanum poſſet. Iamblicho apertè fatente diuinam ſimilitudinem comparari, Deique præcepta cognoſci non poſſe, niſi Deus ipſe audiatur: palàm hodiernam religioné neceſſariam mundo oſtendiſſe. c. iij. 189.c

Beatos Ariſtotele & Platone prædicantibus, qui diuinam iuſtitiam ſequuntur, hodiernam religionem cunctis laudibus comprobaſſe, ſolam magiſtram veram diuinæ iuſtitiæ. c. iiij. 190. a

Platone præferente cunctis obedientiam diuinam, apertè aſſenſum eſſe hodiernę religioni: vt homines ſcirent iuſſa ſuperna, in terras neceſſariò venturum fuiſſe Deum. c. v. 190. b

Definitioné ſapientiæ veræ, quæ aſſignatur à Iamblicho, vni Chriſtianæ congruere. Philoſophos in humana ſapientia nullam ſpem habendam aſſerentes, ſolam diuinam hodiernam, veram eſſe iudicaſſe. Ex his quæ facere Philoſophiā contendunt, & quæ in humana Philoſophia reprehendunt, probari duntaxat Chriſtianam veram Philoſophiam eſſe. c. vj. 190. c

Philoſophos mundi voluptates improbantes, omnemque continentiam admirātes, collaudaſſe, comprobaſſe Chriſtianam religionem, veram continentię magiſtram. Mirabile Plutarchi dictum ad virtutem, & probitatem, opem Dei eſſe neceſſariam. c. vij. 191. c

Philoſophos eam laudantes Philoſophiam, qua viuitur purè, à corporeis illecebris ſegregamur, apertè religionem Chriſtianam ſpectaſſe. Eos, voluptates corporeas impedimento eſſe ad cęleſte iter aſſerentes, vnam nobiſcum religionem aſſeruiſſe. c. viij. 192. d

Philoſophiæ finem, cognitionem Dei, maieſtatiſque eius admirationem Philoſophos aſſerentes, religionem Chriſtianam, cuius finis eſt Dei notio, omnibus ſuffragijs confirmaſſe: Archytam, Plutarchum, Iamblichum, Simplicium hęc dicere. c. ix. 193. a

Philoſophos præſentem vitam contemnendam, & ad ſolū Deū vertendos animos, odioque habendum corpus affirmantes, hodiernam religionem comprobaſſe. Mercurij Triſmegiſti, Platonis, Ariſtotelis, Syriani ſuper eo teſtimonia. cap. x. 193. d

Philoſophos affirmantes finem omnis Philoſophiæ eſſe contemplationem, & felicitatem veram, ſolum intuitum Dei, & regnum cœlorum ſentire potuiſſe. In terris nullam eſſe beatos reddentem contemplationem. Ex his cum religione Chriſtiana palàm eos ſentire. c. xj. 194. a

Veram ſapientiam, & omnium quæ fieri poſſint optimum, teſtibus Philoſophis eſſe pietatem: hanc autem eſſe ſimilitudinem cum Deo, eamque felicitaté veram. Hoc cùm à Philoſophia fieri dicant, nullam aliam eos ſpectare potuiſſe Philoſophiam, quàm hodiernam. c. xij. 194. f

Miris laudibus extuliſſe Philoſophos charitatem non fictam: Eo Chriſtianam religionem, cuius fundamentum eſt charitas, comprobaſſe. De præcepto Pythagoreorum. c. xiij. 195. c

In cultu Dei & Pietate Philoſophos, eximias voluptates ſtatuentes, affirmare, quæ ſemper concinunt ſacræ litteræ. Deſiderantes eoſdem perfectam, mirificamq; pietatem, hodiernam deſideraſſe. c. xiiij. 195. c

Philoſophos diuitias contemnendas docentes, maliſq; malas, & pernicioſas aſſerentes, paupertatem admirantes, curam carnis abijciendam, ſtudiumque ad pietatem, & cultum Dei transferendum contendentes, præſentem religionem vnicè comprobaſſe. Hanc vnam eos voluiſſe. c. xv. 196. b

Philoſophos aſſerere religioné purè exercendam eſſe, quærendumq; acceptiſſimum

Deo

Deo cultum, cuncta humana contemnenda. His probari, ea, quæ habentur in religione Christiana, auidiſsimis animis eos acceptaſse. c. xvj. 196.f

Philoſophos arbitrio libertatem tribuentes, ſed opem diuinam ad opera recta neceſsariam prædicantes, mirificè cum religione hodierna congruere. Mala ex nobis ipſis eſse, authoribus eis. c. xvij. 197.c

Hieroclem, Cyrianum, eximios Philoſophos, veram iudicare ſapientiam, virtutumque principem pietatem, & aſsimilationem cum Deo, & imitationẽ bonitatis, iuſtitiæq; eius. Eumq; eſse Philoſophiæ finem. Hanc eſse beatitudinẽ, quam Marcus Tullius dicit à Philoſophia donari. c. xviij. 197.e

Priſcos à maioribus audiſse de præmijs æternis. Famã ſemper inter mortales crebuiſse futuræ felicitatis poſt hanc vitam. Platonis, & Socratis, & Marci Tull. teſtimonia. c. xix. 198.b

Plato & Socrates & Marcus Tullius teſtes, fidem antiquam eſse de præmijs iuſtitiæ, ac probitatis. Eos cum noſtris prædicare, fugiendas corporeas illecebras, vitam cęleſtem in corporibus agitandam. Qui hoc egiſsent, in concilio Deorum futuros. c. xx. 199.a

Probos poſt vitam Deos declarandos, quemadmodum ſacræ litteræ, prædicare Platonem: Improbos, iniuſtos, ſceleratos cum ſimilibus habitaturos, Tenebras appellare Platonem, pęnas malorum. c. xxj. 199.c

Ex Platone de bonorum, malorumque futura ſorte. Teſtimoniũ eius hanc Theologiam priſcam eſse. c. xxij. 200.a

Platonis de præmijs & ſupplicijs poſt vitam, de regno Sacroſancto Beatorum, de teterrimo carcere malorum, de carnificibus infernis, ſententiæ. Quòd boni bonos, mali malos adeunt. Quòd hæc religio, Fideſque, non fuit niſi cęlitus antiquis reuelata. c. xxiij. 201.a

Platonem fateri, reddituros quoſque de factis proprijs rationem, bonos cum fiducia: malos, cum ſumma trepidatione, Non illic affore propinquorum cateruas, qui reos ante Tribunal iudicis defendant. Labores quos pij fortiter exantlaſsent in vita, meritis præmijs afficiendos. Deſcriptio patriæ cęleſtis, nominibus rerum ſenſibus expoſitarum. c. xxiiij. 201.c

Deſcriptio religionis beatæ, Platonis, diuiq; Ioannis. Vt pulchritudo venuſtaſque terreſtris, exprimit eis pulchritudinem cęleſtem. c. xxv. 202.b

De pęnis ad inferos, ex Plutarcho. De Dæmonibus carnificibus. De præmijs ęternis. Hanc Theologiam eſse priſcam. c. xxvj. 202.c

Ex vetuſtiſsimis Poëtis, de pœnis & præmijs bonorum ac malorum. Philoſophorum ac Poëtarum autore Plutarcho eſse teſtimonium, manere bonos maxima præmia poſt vitæ curſum. c. xxvij. 203.d

Teſtimonium Plutarchi, Iamblichi, Marci Tullij, Pythagoræ, de præmijs ac ſupplicijs poſt vitam. c. xxviij. 204.b

De Mundi exitio. 204.c

FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER PRIMVS.

De ſucceſſione Doctrinæ ab exordio mundi. Cap. I.

VT VNVM eſt omnium rerum principium, ſic vnam atque eandem de eo ſcientiam ſemper apud omnes fuiſſe, ratio, multarumque gentium, ac litterarum monimenta teſtantur. Hæc partim nata a prima hominum origine, per omnes ętates deuoluta eſt ad poſteros: Partim ex multiplici rerum conſideratione parta, Philoſophiæ nomine ſemper celebris fuit. Hanc quidem ſcientiam in primis hominibus cumulatam, abſolutamque fuiſſe, ea res clariſſimè probat, quòd dum naſcerentur, a Deo ſe creari cernerent: & ab eo paulò ante omnia condita perſpicerent: Cœlum, ac Terras, & Mare è nihilo parta: Animalia, Sydera, Camporumque viriditates. Nati autem, colloquio Dei, & præſentia fruebantur: & quicquid temporis a creatione ad eos pulſos è Paradiſo exactum eſt, mirabilium rerum fuit cognitio: fas autem non eſt, tantarum rerum memoriam poſteris eos non reliquiſſe. Neque verò probabile eſt, primum hominem ſuum, mundique ortum ignoraſſe, ſcienterque filiis ſuis exerta voce non prædicaſſe: totaque vita caſum, resque priores ſuas non commemoraſſe. Ac magnus ille ſator, & parens generis humani a creatione ſua ad mortem, mille annos, demptis ſeptuaginta, vixit: quo temporis ſpacio innumerabiles (licet pauci commemorentur) neceſſe eſt fuiſſe procreatos, qui primum illum generis ſui ducem, diuinitus creatum contemplati, & cum eo locuti fuerint, totamque creati mundi rationem ab eo didicerint. Plura quoque, quorum in eo fuiſſe perſpicuam, exactamque ſcientiam, mirabilis animi, & corporis veniens a Deo arguit creatio. Nos enim ab eo nati ſumus. Eum verò, quem Deus præſens, aſtansque creauit, multis de cauſis neceſſe eſt animo, & corpore fuiſſe nobiliſſimum. Quæ igitur ab illo referebantur, ab innumerabilibus quidem audita, paucorum animis (quos ſcilicet terrenæ cupiditates, curæque mortales minus occuparant) retenta ſunt. Qui & ea ipſa & alia, quæ ſæculorum ordo, ętatiſque ſucceſſio afferebant, cognoſcentes, poſteris, quorum mentes tantarum rerum ſcientia ad cultum Dei inflammare cupiebant, prodiderunt. Quippe Noe, cuius poſt diluuium plus trecentis annis vita proceſſit, plus quingentis anteceſſit, & ſæcula diluuio ſuperiora, & interitum generis humani cum filiis non conticuiſſe, ſed maximè prædicaſſe, omniumque aures hac fama repleuiſſe, & probitas eorum, & humanus inſtinctus oſtendit. Atque is ipſe optimus, iuſtiſſimusque vir, cuius ante magnam alluuionem ſexcentos annos vita dicitur obiuiſſe, vidit eos, qui primum parentem vidiſſe potuerunt: (ſi quidem diluuium milleſimo, & quingenteſimo plus minus anno ab origine generis humani inundauit) vita verò primi hominis ad millenos annos, demptis ſeptuaginta, progreſſa eſt: proxime quam ſexcenti illi Noe ante diluuium anni, palàm attigerunt.

SVMMA THESIS. Vnū principium rerū, ſic vna ſcientia omnium.

Prima ſcientia poſteris cōmunicata.

Primi homines colloquio, & præſentia Dei fruebantur.

Adami ętas.

AbAdamo ſcientia rerum hominibus tradita.

Multi ſcientiam Adami auditu exceperūt pauci perceperunt, & cur.

Noej patriarchæ ętas, & vaticinium de diluuio.

Annus diluuij.

Quot annis Adam vixerit.

Ac præter alios fortaſſe (quorum nec memoriam, nec numerum annorum Theologiæ viſum ſit referre: quod vna tantum ſeries præſtantiorum hominum, ad texendam principij, omniumque deinceps naſcentium ſæculorum hiſtoriam ſatis eſſet) fuit is, qui dictus eſt Mathuſalem, quem inter Adam & Noe poſitum vtrumque vidiſſe, familiariterque cum vtroque vixiſſe, primo quidem ſeruientem, ac ſumma cum pietate, obſequium præſtantem, ab altero veluti minore obſequium accipientem, ad rationis conſenſum, etiam antiquæ Hebræorum traditiones prodiderunt. Illumque ipſum veriſſima temporum ſupputatio probat, anno ante diluuium deceſſiſſe, natum agente Adam vitæ ſuæ ſexcenteſimum octogeſimumſeptimum annum, vt ducentos quadraginta tres annos Mathuſalem viuere, verſarique cum Adam, eumque videre potuerit. Cum Mathuſalem autem commercium, conſuetudinemque Noe potuit habuiſſe, plus quingentis annis ante diluuium. Omnia igitur ante diluuium vel vidit, vel audiuit Noe, tum in medio quaſi temporum conſtitutus, & diluuium aſpexit, & prædicare trecentos annos poſt, omnibus omnia potuit: præcipuè filiis, a quibus, ceu tribus fontibus, natum omne humanum genus fecit diuortia. Atque antea quàm deceſſiſſet Noe natus Abraham eſt, ante eius obitum plus quinquaginta annis. Nec verò piiſſimum hominem patriſque ſimillimos filios, par eſt, ſub ſilentio res tantas, tamque memoratu dignas preſſiſſe, & ad pietatem, iuſtitiamque homines tum originem eorum a Deo docentes, tum pœnam, quæ ſæculum flagitioſum deleuiſſet, commemorantes non inflammaſſe, præcipueque ipſum Abraham, quem ſanctiſſimum, piæque nationis principem fore proſpicerent. Ab hac igitur veriſſima cauſa, magnam rerum diuinarum, humanarumque ſcientiam deductam par eſt, ſæculis, poſtea & barbarie, ſolitudineque primorum hominum plurimum labefactatam, factamque ſemper vetuſtate deteriorem: ſiquidem cùm poſt ſparſum, ac diffuſum in omnes terras genus humanum, priores illi & pauci fuiſſent, & longius a ſe receſſiſſent, tum vitæ neceſſariis excogitandis eſſent intenti, neceſſe fuit rerum præteritarum memoriam neglectam, apud paucos omnino remanſiſſe. Et fortè necdum litterarum repertus erat vſus, aut diluuio penitus extinctus, aut ne tum quidem repertus. Maioribus igitur hæc ore, non ſcripta poſteris tradentibus, facilior fuit obliuio. Et veritas quidem apud paucos reſtitit: falſa verò quædam, obſcuraque eius imago, & fabuloſis vulgi rumoribus ſimilis, per omnes dimanauit. Hinc nationes hę, quę priores ſunt ſatę, & in quorum terris natæ, & geſtæ res antiquorum ſunt, earum rerum clariora ac plura, quàm cæteræ, monimenta retinuerunt: dico Chaldæos, Armenios, Babylonios, Aſſyrios, Aegyptios, Phœnices, penes quos partim aperta, & detecta, partim fabuloſa, & ſcyrpis & latebris abſconſa, & diſſimulata, partim impiis figmentis violata Theologia maiorum reſedit. Factum non tam ſtudio, & induſtria, quàm caſu, dum veritas a ſuo fonte recedens, fit per omnes diſſipata deterior, affigente vnoquoque aliquid, aut quod traditum eſſet non recordante. Eandemque par eſt fuiſſe cauſſam deprauandæ veritatis, quæ rerum ſolet eſſe cæterarum. Nullus eſt enim rumor ac fama, quin fiat, quanto magis ſpargitur, & ab autore diſiungitur, fabuloſior. Idemque caſus antiquiſſimam ſapientiam, doctrinamque, tanquam rapidus torrens euertit, atque ſermonem & dialecton, quæ cùm vna eſſet, & apud priſcos, velut in fonte ſuo, eſſet puriſſima, eaque tota poſteritas vteretur, facta omnium ab inuicem in omnes terras deductione, ſermonem quidem eundem omnes ſecum detulerunt, ſed non longo temporum interuallo ita fecere diuerſum, vt plurimum a primo, natiuoque illo differret. Multum tamen habuit ſimilitudinis cum primo, vt facile riui de quo fonte profluxerint, agnoſcas. Hinc ſermo Chaldęorum, Aſſyriorum, Arabum, Aethiopum, totiusque fermè Orientis, ſic appropinquat Hebraico, vt adulterina germanis, corrupta ſynceris reſpondent. Perinde igitur, vt ſermo, eſt diſſipata, & contaminata ſapientia, & tempora ſub quibus omnia ſeneſcunt, tum cætera quæ mortalitatem comitantur, fuerunt eis exitio. Apparent tamen quędam veteris ſapientiæ veſtigia, vt tametſi nominibus falſis, corruptiſque circuntegitur, potrigere certè aliquam ſolertibus de ſe coniecturam poſſit. Vt igitur omnes ab vno principe Deo, ab vno generis autore, qui Deum, & Angelos eius in viſibili forma vidit, & cum eis familiariter aliquando vixit, primogeniti ſunt, ſic communem quandam de Deo, rebuſque diuinis ſapiētiam oportet fuiſſe. Alterum fuit ſcientiæ primordium non a ſucceſſione, & reuelatione natum, ſed contemplatione rerum, ſaniſque iudiciis exceptum, primò quidē incertius & obſcurius, eaſdem tamen habens cauſas. Nam Deus naturæ pater & repertor, ſicut ex eo commercio & reuelatione maieſtatem, diuinitatemq; ſuam homini declarauit: ſic item cum ordine & decore, & numeris, omniumque pulcherrimarum rerum formis mundum compleuit, oblata etiam ignaris diuinitatis ſuę varia, certaque occaſione, ſeipſum oſtendit. Veri quidem eſt ſimile, maiorū illorum & perfectiorem longe & clariorem fuiſſe, iſta, quę poſtea ex contemplatione nata eſt, Philoſophia. Sed nouiſſimis ſęculis, omnis & illa & hæc, clariore exorta luce (veluti oriente ſole, ſolent ſtellæ obſcurari) abſconſa, vel hebetata eſt, vt quaſi radij fuerint eius, & venturum Solem præcedens aurora. Sic autem tres Philoſophiæ fuiſſe dicemus ętates, priorem quaſi iuuentam vegetam, robuſtam, quę cùm ad ſenectutem perueniſſet, cœperit, philoſophorum tempore, ſed ſui longè diſſimilis, renaſci, ac reparari, nouiſſimè non renaſci ſolùm, ſed maior, luculentiorque quàm vnquam fuiſſet, oriri, lucemque, quantam poſſent capere mentes, vbique diffundere.

Omnium hominum origines, non ſunt ſacris expreſſæ bibliis.

Mathuſalē, ętas.

Mathuſalē vidit Adamum.

Noe in medio tpum poſitus.

Natꝰ Abrahamus ante Noe exceſſum è viuis.

Prima ſentētia a primis tradita patribus plurimum labefactata hominū incuria, & ſolitudine.

Litterarū vſus poſt diluuium.

Veritas immerſa, & quidem penes paucos reſtitit.

Figmentis & fabulis obruta theologia.

Vnde rerū falſitas, & veritatis extinctę labes.

Idiomata alia vt primo Hebręi ſimilia.

Veteris ſapientiæ veſtigia.

Adamus Deū & Angelos viſibili forma vidit.

Vt Deus ſuam maieſtatem hominibꝰ patefecerit.

Prima Philoſophia perfectior, & cur, & quādo obſcurata.

Tres ętates Philoſophiæ.

Eodem

A Eodem videlicet, quo proles humana labentes, quæ principio quidem beata fuit, futura immortalis ſi ſtetiſſet, tum in omne malum, peſtemque delapſæ, poſt reſtitutæ creuit multis gradibus prior dignitas. Omnem igitur, quæ ſemper in hominibus fuit, ſapientiam, non rationibus his ſolum perſuademur, eandem apud omnes fuiſſe, ſed multis quidem illis ac maximis exemplis, cùm ſparſa per omnes gentes veritatis eius veſtigia intuemur, quam libris ſuis Moſes olim, quaſi procul è remotiſſima ſpecula inſpiciendam oſtendit: poſtea luce clariſſima eadem refulgens, omnium oculos, animoſque compleuit. Digniſſimum autem eſt oſtendere, idem ſemper omnes gentes credidiſſe, quod nunc credunt, retinentque omnes: idque duabus rationibus: tum iudicio, rationeque docente, ac veritate ad ſui confeſſionem omnes attrahente: tum ex vetuſtiſſima Theologia, quæ a primis hominibus perueniens, qui Armeni Chaldæique fuerunt, perpetuis ſucceſſionibus deſcendit ad cæteros barbaros, ab his ad Græcos, vt Plato quoque teſtatur. Inſignes autem ante omnes in ſcrutanda, proferendaque omni doctrina, fuerunt Græci: è quibus qui ſe philoſophandi cauſa ad exteras nationes contuliſſent, multas ab eis diuitias auexerunt, ſed minimam, vt par eſt, earum partem, quæ litteris earum celarentur. Apparet & perverſè quædam eos intellexiſſe, ſiue errore ſuo, ſiue iam etiam apud eos, a quibus ea traderentur, veritate veterem dignitatem non retinente. Nam & nomina immutarunt Græci: quædam quidem non adeo multum, alia tantopere, vt veræ, antiquæque appellationis nullum remanſerit veſtigium. Græcos igitur ac Romanos, qui a barbaris & genus duxere quondam, & eorum ſapientia longo poſt tempore ad eos defluxit, multa latuerunt, quæ vel tunc, vel multis retrò ſæculis apud eos haberentur. Eodem enim progreſſu, quanquam non eodem tempore, & genus humanum, & ſapientia eſt propagata. Fuit enim generis humani primordium in Armenia, Meſopotamia, Chaldæa, Aſſyria, ibique ante diluuium duntaxat homines vixerunt: Poſt diluuium, hæ ipſæ primum terræ, quas ante diluuium tenuerant, habitatæ ſunt, Aſſyriæque gentis, & Medæ, Armeniæ, nepotes Noe conditores fuerunt: ab his diffuſi paulatim ſunt in omnes terras, & diſtributi coloni, quod quodam temporis ſpacio factum neceſſe eſt. Sapientia quoque, præter eam quam ſecum detuliſſent veteres coloni, a Chaldæis peruenit ad Hebræos, excipio quæ ſcripſit Moſes, ab Hebræis ad Aegyptios, ab his ad Græcos, a Græcis ad Romanos. Siquidem Abraham Chaldæus fuit, in cuius domo veterem Theologiam, patriaſque traditiones par eſt remanſiſſe, quarum ille hæres fuerit. Nam & temporum exactiſſima ſupputatio, & Hebræorum litteræ aſſentiuntur, vitam Noe vſque in tempora Abrahæ perueniſſe: vixit enim Noe poſt diluuium trecentis quinquaginta annis, Abraham ducenteſimo nonageſimotertio natus eſt, quocirca quinquaginta, & eo amplius, annos cum illo vixit. Optimi enim cum optimis viuere gaudent. Ecce autem tota ſeries vt hominum, ſic ſapientiæ inter ſe deinceps implicata vſque ad Moſen. Princeps humani generis creari ſe vidit a Deo, ſuis eum oculis aſpexit, pulchritudinem mundi naſcentis ac nati vidit, nomina beſtiis fecit, cæteraque percepit, quorum in eo fuiſſe certiſſimam ſcientiam, multiplex & irrefragabilis ratio demonſtrat. Nepotes eius, qui diu cum annoſo patre vixerat, vidit Noe: & vt credere fas eſt, formoſum parentis corpus, formoſiorem animam referentes audiuit. Et quȩ diuiniora ſunt, audiuit eos Theologiam diuini parentis recenſentes, vt in Paradiſo creatus, vt moratus, vt pulſus fuiſſet. Qua cœlum ac terræ, animalia, ratione creata: quid primum, quid poſtremum conditum: quam arbores illȩ, altera vitȩ, altera ſciendi boni & mali, vim haberet. Omnem enim magni genitoris illius, ac magnæ genitricis ſermonem, Theologiam fuiſſe credendum eſt, vt perpetui de rebus ante caſum ſuis, de ortu, habitu, formis Angelorum & dȩmonum loquerentur: quid enim poſſumus aliud ſuſpicari? Hȩc omnia Noe, filioſque eius retinentes, vidit & audiuit Abraham: Is filio & nepoti narrauit: a Iacob, in omne genus defluxerunt. Præter hanc autem gentis Hebraicæ ſeriem, plures alias fuiſſe credendũ, per quas pari progreſſu & pietas, & rerum antiquarum ſcientia ierit. Nobiliorem quidem ac ſynceriorem hanc Hebrȩorum. Nec verò ſolus Noe ante diluuium multos annos cum patribus illis diuinis vixit, nec ſolus eos audiuit: nec ſolus item Abraham pius fuit, & antiquas res memoratu dignas a Noe & a filio eius, Shem audiuit, & ſe miniſtrum eius fuiſſe quindecim annos, ſi traditionibus Hebrȩorum credimus, confeſſus eſt: vnde enim pietas, & ſapientia Iob, nulla in re cedens ſapientiæ, pietatique Hebræorum, manauit? An cenſes & hunc, cùm ſit vetuſtiſſimus, videlicet Abrahæ tempeſtate, ipſum Noe non vidiſſe, loquentemque non audiſſe? cùm non multum inter ſe diſtarent, ille in Armenia, is in terra Hus, quȩ eſt pars Arabiȩ deſertȩ, adiacens Meſopotamiæ, ſine Armeniȩ minori. Quid Sibyllȩ, prȩſertim Sambethe, quȩ etiam in his ipſis locis, id eſt Perſide, vel Chaldȩa nata, fertur de genere Noe fuiſſe, cuius extabant vigintiquatuor libri, vbi plurima de Chriſto, plurima item de origine ſuȩ gentis, de creatione ſcripſit? Sola igitur ex tam multis Hebræorum familia, vt prȩſtantior, numeratur: & ſola ad texendam, continuandamque hiſtoriam neceſſaria. A Barbaris igitur & genus & ſapientia peruenit ad Grȩcos, non tam eo tempore, quo philoſophari gens illa cȩpit: ſed multis ante ſȩculis: quod, vt non ſit ſcriptum, poſſit tamen ex coniecturis rationeque innoteſcere. Quandoquidem ante Homerum, & Heſiodum multos floruiſſe præſtantes viros ſit neceſſe, a quibus ipſi & carminum rationem,

Veritatis veſtigia omnibus ſæculis atque apud oēs. Oēs idem ſemper credidiſſe duobus argumētis oſtēditur.

In Epinomide.

Grȩcorum diligentia in Philoſophia excolenda.

Græci fallaces.

Grȩcorum & Romanorũ ignorantia.

Primordiũ generis humani, vbi.

Sapiētia vetus vt communicata variis populis.

Aetas Abrahami.

Noe quid viderit, & audiuerit.

Abraham quid viderit & audiuerit.

Hebræorũ ſciētia nobilior, ac ſincerior.

Shē filius Noe: Iob ſapiens.

Iob ex terra Hus.

Sibylla Sābethe, & eius vaticinia.

A Barbaris ſapientia dimanauit ad Grȩcos.

Ante Homerum, & Heſiodum multi excellentes homines floruerunt.

Veteres ad ſcribēdum tardi, cur.

Cum Imperio Romano ſcripta multa interciderūt.

Libri Hebræorum amiſſi temporū iniuria.

Plato vnde ſuos libros hauſerit.

Seruata pars melior ſcriptorum.

Fabula de chao Heſiodi.

Tribus modis ſapiētia periclitata.

Reliquiæ collectæ ex naufragio ſcriptorū vetuſtiſsimorum.

Genere poſteriores, ſapientia inferiores.

De perenni Philoſophia libri.

Religio cęleſtis vnde, & eius ſeries.

numerumque ſyllabarum, cum modulatu, & tot, tamque mirabiles res didicerint. Neque verò fas eſt, primum Homerum autorem poeſis fuiſſe, quem tametſi Orpheus, Muſæus, Linus, anteceſſiſſe dicantur, plures tamen extiterunt qui poſſent Theologi certè, ſi non abſoluti poetæ vocari. Vnde enim illam Homeri grandiloquentiam, tot cultus, cerimonias, ſacrificia, in quibus manifeſtam inuenies cum ſacris litteris concordiam, manaſſe putes? Fuerunt ad ſcribendum veteres tardi, & ſegnes, ſiue quia litterarum vſus non eſſet vbique receptus, ſiue quòd conſuetudo ſcribendi, & per litteras ad poſteritatem res mandandi, nondum eſſet vſitata: Deinde omnia fert ſecum inuidioſa vetuſtas, magnaque facta ſunt omnibus ſæculis veterum monumentorum naufragia. Non eſt opus exemplis, quot cum Imperio Romano nobiliſſimi ſcriptores interciderunt, quot deſiderantur è Græcis, quorum nomina vix audiuimus. Eadem ergo hæc tempeſtas antiquiſſima ſæcula depopulata, abſtulit rerum præteritarum memoriam. Nullaque eſt lingua, quæ non bonorum autorum deploret interitum. Vt mittam apud Hebręos multa, quæ ſolent ab eis proferri, vbi ſunt libri Natam prophetæ, & Achiæ Salonitæ, & viſio Addo videntis, qui citantur in libris Paralipomenon? Vbi tot libri Mercurij Triſmegiſti, vetuſtiſſimi hominis, quem Iamblichus ad centum & decem millia biblorum, id eſt chartarum è papyro de rebus diuinis, & naturalibus conſcripſiſſe memorat? cuius eſt quicquid de mundi creatione, de rebus diuinis in Platone admiramur. Equidem ſic ſtatuo, vt innumerabiles è lingua Latina, & Græca ſcriptores ad poſteritatem non peruenerunt, ſic plurima vetuſtiorum ſæculorum, quæ de creatione rerum, de rebus a regibus geſtis nos docerent, monumenta interiiſſe. Seruata tamen eſt pars melior, ſicut multis, minoribus multis ſcriptoribus cadentibus, incolume ſemper fuit Euangelium. Hinc igitur nihil habent Græci, quod ante Homerum, atque Heſiodum citare poſſint: nam Muſæus ferè nihil ſcripſit: Orpheus, cuius extant hymni, alius videtur a vetere illo: quanquam priſci illius a Græcis multa citentur: & certè aliquem docuiſſe Heſiodum neceſſe eſt, ante omnia chaos fuiſſe, poſtea terras apparuiſſe. Soli igitur Homerus & Heſiodus, aut ſcribere cęperunt, aut iſtorum, vti nobiliorum tantum, ex multis ad poſteros monumenta peruenerunt. Et vt de chao ea dixit Heſiodus ab antiquis audita, ſic alia per populos ſolita vagari, aut penes ſapientiores ſolita recondi ſentire debemus plura longè, ac meliora. Igitur apud Græcos & Romanos, tribus modis periclitata eſt ſapientia: Primùm linguæ diuerſitas, locorumque diſtantia fecit, vt Græcos multa effugerent, quæ apud exteras nationes, Græcis antiquiores, & cum cœlo & terra penè ſatas, haberentur: Tum quæ ſecum veteres filij ac nepotes Noe, Iauan, Cittin, Rodanin, a quibus Græca natio eſt condita, Iones, Cyprij, Rhodij detuliſſent, primo illo ſæculo, cùm propter inopiam rerum, vitæ neceſſariarum, artiumque nondum repertarum, imperitiam, alia ſequerentur, nec litteris vacare poſſent, facilis fuit obliuio. Poſtremo quòd ea, quæ apud priſcos Græcos illos circumferebantur, tametſi a nonnullis meliore ingenio viris præſcripta fuiſſent, multis tamen caſibus incercepta perierunt, vt peruenire omnia ad poſteros non potuerint. Multæ tamen reliquiæ remanſerunt, multaque ex tot, tantiſque diuitiis naufragia iactari per vndas vidimus, quę nos impulerunt, vt qua poſſemus ope, ea colligeremus: quanquam & hoc peius habet Romanos, quàm Græcos, quòd eorum omnia attingere monumenta non potuerunt: Vt qui genere poſteriores ſunt, ſapientia quoque ſint inferiores. Huius operis autem duplex erit ratio, vt quoniam oſtenſum eſt, vnam neceſſario ſemper fuiſſe ſapientiam, ſiue ſucceſſione proditam, ſiue coniecturis, & iudiciis exceptam, vtranque reuocare, & conferre cum vera: propterea conformationes, aut de perenni Philoſophia ſunt appellatæ. Nam cùm vna ſit religio cœleſtis, conſtans eximia pietate & doctrina, eandem fuiſſe, ex quo genus hominum cępit eſſe, aut indicante natura, aut reuelatione ſuccurrente, obſcuriorem quidem quondam & penes paucos, poſtea radiantiſſimam, totoque in mundo flagrantem, qui voluerit, intelliget. Hæc veſtigia, has reliquias ſapientiæ nos videntes, credidimus maioris cuiuſdam priſcis ſæculis, poſtea maximę lucis fuiſſe quaſi radios: ſicque in vnam omnia ſpectare veritatem.

De trbus modis, quibus cognita eſt Sapientia, ſed poſteriore præſtantiſſimo.

Cap. II.

Prima ſapiētia perfecta, ſed temporum ſucceſsione diſsipata.

Obſcuratæ res prioris ſæculi.

IGITVR vt a Sapientia inchoemus, ſuperiorem rationem ſtrictius repetentes, dicimus, Sapientiam, ſiue Veritatem venientem ad homines, vel offerentem ſe de cęlo, tribus gradibus eſſe progreſſam. In primis hominibus vberiorem, largam, & tradente Deo perfectam: poſtea creſcentibus annis diſſipatam, diſiectam, euerſam, magniſq; temporum, atque hominum iniuriis affectam, ad poſteros tanquam fabulam & ſomnium, vilem, laceramq; perueniſſe. Ex his eſt ortus mundi, Deus autor, principia, chaos, aqua, animalia, Mens opifex, diluuium, gigantes, turris, rerum diuinarum certior cum rebus humanis affinitas, notiſſima priſcis ſæculis, poſteris aut penitus ignorata, aut ita obſcura & incerta, vt tantū non pro fabulis habita fuerint. Exorti Philoſophi partim eam vti fabuloſam reiecerunt, A partim ſuis monimentis, vt acceperant, obſcuram, & contaminatam tradiderunt, Repulſæ, quam ſuis ſe reperiſſe iudiciis perſuaderent, prætulerunt. Sic veritas pro fabulis, obſcura vel falſa, pro veris & certis haberi cœperunt. Tres igitur Philoſophiæ partes, & genera contigit eſſe: Primum fuit illud totum, quod ab origine mundi, quaſi per manus, & famam ſuccedente fama, in multas gentes ſe diffudit, quod niſi violatum poſtea fuiſſet, magna rebus humanis ea lux extitiſſet. Alterum genus a Philoſophis, naturas cauſaſque rerum ſpeculantibus habuit ortum, quod a primo quidem plurimum receſſit, iudiciis humanis ſæpenumero labentibus, & quam quærunt veritatem, non inuenientibus. Tertia demum Philoſophia illuxit, omnes claritate ſui, prioris tenebras depellens, non vno ſe loco continens, ſed radiis replens vniuerſa. Hæc errores Philoſophiæ, & plagas ac vulnera, quæ temporibus fuerant illata, prioris illius ſanauit: mediæ præpoſtera iudicia retexit. Ab omnibus expetita, omnium hominum iudicio, vel ipſorum Philoſophorum, mundo neceſſaria, ſola digna Sapientiæ nomine: vt in omni lingua & doctrina fraudes, & fabulæ multæ: ſic ſolùm hic dulcis, & optata requies animorum, per incertas hominum coniecturas ante vagantium. Hæc, quæ fuit vera ſcientia rerum humanarum, ſemper aliqua luce refulſit in mundo, ſemper eundem mundi principem, eundem ortum, eandem animorum immòrtalitatem, eaſdem culparum pœnas, & eadem præmia, peccatorum eandem expiationem, atque poſtea demonſtrans, quod erat ex ipſis teſtimoniis inter ſe collatis perſpicuum. Igitur quoniam diximus probabile eſſe, quandam fuiſſe ab orbe condito Sapientiæ traditionem, principium habentem a Deo, qui primo homini magnitudinem, diuinitatem, arcanaque ſublimia ſua reuelauit, & is in Deo Filium, ac Genitorem eſſe didicerit: hinc claret fuiſſe profectum, quòd omnes ferè gentes aliqua monumenta de B Patre ac Filio, & Spiritu, de Angelis bonis & malis, de creatione eorum, & mundi, recondita ſuis litteris habuerint. Quæ ſunt erroribus abſterſis in ſuum locum reſtituenda. Multa item quæ conſona veritati, ratione duce repererunt homines demonſtranda. Nec nouas res auribus apportabo, ſed longè vetuſtiſſimas: vt appareat neceſſariò vnam totius humani generis eſſe religionem.

Philoſophia ꝑ manus tradita.

Philoſophorũ doctrina quę.

Philoſophia Chriſtianorum ſola vera, dignaque ſapientiæ nomine.

Vna totius humani generis religio.

Quòd Patris ac Filij diuinitas, & poteſtas fuerit apud antiquos celebres. *Cap. III.*

NIHIL habet altius ac maius myſterium Theologia, & ante quod aliud arcanum antecedat, quàm Patris ac Filij diuinitatem, ac notionem. Idque eſt in omni rerum diuinarum ſcientia primum myſterium, quod quidem propter magnitudinem, ac neceſſitatem nullis vnquam ſæculis fuit obſcurum. Quoniam autem non omnibus, ſed omninò paucis, in omni ſæculo ſpeculationis, & cognoſcendæ veritatis gratia eſt conceſſa, & veritas quæ libris committitur, perinde caſibus patet humanis, vt cęteræ res, labefactarique eam & intercidere ob hanc cauſam contingit, debemus hic paucorum eſſe contenti teſtimoniis, & ex his deduci in conſiderationem cęterorum. Ac pro omni ſęculo & ętate, pauca in vnaquaque probatione teſtimonia ſufficient: cùm clarum ſit, non apud multitudinem, ſed longè pauciſſimos, veritatem quaſi a cæteris non receptam, ſed ſpretam potius diuerti, ac morari. Quoniamque vetuſtiſſimorum ſęculorum neque extant, neque extare a caſibus ſeruata monimenta potuerunt, hoc iudicio nos eſſe conuenit, vt credamus ad ſubſecuta ſęcula, priorum ſæculorum ſcientiam, quaſi hęreditatem deuolutam, & a maioribus accepiſſe, quæcunque de magnis rebus locuti ſunt poſteriores, donec ad primum vſque hominem tota ſucceſſio redigatur. Quæ res prudentiſſimo cuique videbitur neceſſaria: idque etiam Plotinus teſtatus eſt. Reliquias autem quaſdam veritatis, etiam Ariſtotele confitente, poſteritas a vetuſtate deſcendentes accepit, quas a vaſto quodam corpore, quaſi lacera membra veniſſe credendum eſt. Vtemur ergo, quorum per tempora licebit vti teſtimoniis. Sed de ſucceſſione doctrinæ, vbicunque opus erit, diſſeretur. Primi igitur omnium ſunt Chaldæi, proximè quos & Paradiſus fuit: & primi homines, qui ad partem orientalem paradiſi dicuntur habitaſſe, hanc potiſſimum regionem tenuerunt. Illud ſaltem eſt certum, hic poſt diluuium primos homines habitaſſe. Iure ergo antiquiſſimos ſe iactabant, ſed quod ſæpe fit, inſolentius mendaciſſimum ſuis annis cumulum addentes. Primi igitur omnium ſunt Chaldęi, ab his Hebræi, Aegyptij, Phœnices, nouiſſimi Gręci, poſt Romani ſunt nati. Omnes autem hos, è quibus quidam clariores extiterunt, conſtat tum per illam a primo homine deſcendentem Theologiam, tum toto mundo reſonantibus oraculis, notum habuiſſe, Deum immenſum, immutabilemque naturam, alteram ab ęterno Mentem genuiſſe, eiſdem eam etiam nominibus, quibus extrema poſtea maiorque Theologia, vocantes, nunc Filium Dei, nunc Vocem Dei, nunc Verbum, nunc Mentem, Sapientiamque: eamque omnium fuiſſe rerum creatricem aſſeruerunt. In quorum dictis recitandis, & recenſentis, & interpretis vtar officio. Hoc omne antiquiſſima Chaldæorum, tum Aegyptiorum, demum Theologia Gręcorum cognouit. Principes Chaldaicæ Theologię fuerunt, quos patria lingua Magos, quaſi ſapientes, ſiue Philoſophos & Sacerdotes appellabant.

Quid maximum in theologia.

Ex paucorum teſtimoniis elicienda veritas.

Veterum ſæculorum ſciẽtia, tãquam hæreditas poſteris tradita.

Chaldæi primi homines.

Populi qui poſt Chaldæos floruere.

Vetꝰ Theologia.

Mercurius Triſmegiſtus.

Vnus rerū fons.

Mens mundum creauit.

Quod melioribus ꝓbatur, id certius.

Magi Perſarum, & Chaldæorum.

Balaham magus. Num. 22.

Magica ars vbi potentiſſima.

Sibylla Erithrea.

Teſtimonia Magorum, & Sibyllarū de filio Dei.

Theologia nouiſsima.

Iehouah, nomē Dei.

Filius Dei prædicatus veteribus, longè ante carnis aſſumptionem.

Anteſignanus ac princeps Aegyptiæ Theologiæ extra controuerſiam fuit Mercurius Triſmegiſtus. Græcam Theologiam ex antiquis rexit ac celebrauit, quorum nomen peruenerit ad poſteros, præcipuè Orpheus, deinceps Homerus & Heſiodus, quos Theologos dixerunt: è philoſophis Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Empedocles, Parmenides, & Plato. Nouiſſimi, ſed ſuperioribus nonnihil diſpares, Ariſtoteles & Theophraſtus. Superiorū igitur pari & voce & conſenſu dictum, ac traditum poſteris fuit, & litteris mandatum, Vnum eſſe rerum fontem, alterius Mentis, creatricis mundi genitorem. Ipſum quidem genitorem genuiſſe quandam Mentem ab ęterno, Mentem mundum aliquando creaſſe, ſeorſumque ſingula pro omni natione Sapientum aderunt teſtimonia. Certum eſt enim teſtimonium ſapientum eſſe pro tota natione, vt quod meliores, doctioreſque teſtentur, id ſit placitum ac ſenſus totius gentis. Referunt enim omnes ad peritiores. Magi Perſarum, & Chaldæorum (nam priores ſunt Perſis Chaldæi, & regno & ortu, eoq; doctrina potius erit Chaldæorum) Sapientes ac Sacerdotes, vt ſuperius monſtratum eſt, eius nationis fuerunt, qui res regum geſtas ſciberent, ſecretiores quaſdam ſcientias ſoli cognitas habentes. Hos conſtat non ſolùm res diuinas plurimum tenuiſſe, ſed etiam dæmonum naturas, & euocationes adeo cognouiſſe, vt mira portenta eos euocatos cogerent in conſpectu edere. Hinc Balaham horum è numero Magorum, ſua tempeſtate celeberrimus, creditus eſt poſſe veneficiis & incantationibus obeſſe populo Hebræorum, aſcitus a Rege Arabum ob hanc cauſam. Habitabat autem is, vt teſtatur Moſes, ſuper fluuium filiorum Amon, id eſt, Euphraten: quo fit perſpicuum, eum fuiſſe Aramæum, ſiue Chaldæum, vnum nempe ex his Magis. Hæc fuit cauſa vt Magica vel ars, vel vanitas ac ludibrium, his in locis, antiquis illis temporibus eſſet potentiſſima, quòd maxima a primis hominibus, horum locorum habitatoribus tradita eſſet cognitio rerum diuinarum, naturalium, ipſorumque dæmonum, quorum ruinam, & priorem, poſterioremque naturam par eſt antiquis illis notiorem fuiſſe. Euanuiſſe autem ſæculorum vetuſtate & hanc, & omnem aliam maiorem cognitionem. Hinc Sibylla Erythrea, quæ fertur Chaldæa fuiſſe, filia Beroſi Chaldæi, tum & Sambethe, clara & aperta, peneque innumerabilia, cùm de omnibus diuinis rebus, tum verò, de ſummi Dei filio edidit oracula, vt quorum ſimilia ac longè plura in arcanis ſuæ gentis, ſapientumque myſteriis latitarent. Dupliciaque ſunt Theologiæ Chaldaicæ, de filio Dei, & ab ęterno genita Mente, teſtimonia, Magorum & Sibyllarum, litteris Græcorum fideliſſimè comprehenſa: vt non ſolùm in ſuo fonte videri poſſint, ſed etiam a grauiſſimis & priſcis ſcriptoribus prolata. In dictis igitur Magorum, a Zoroaſtre deſcendentium (etſi, quod fieri ſolet, ad ſuperſtitiones, vaniſſimumque dæmonum, & elementorum cultum nonnunquam deflexerint) hæc ad alia habentur: πάντα ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλήζεται πᾶν γένος ἀνθρώπων, hoc eſt: Omnia perfecit Pater, ac Menti tradidit ſecundæ, quam vocat primam omne hominum genus. Sic ait Theologia Magorum. Declarauit autem nouiſſima Theologia, creatorem omnium quæ cernuntur, & quę fugiunt oculorum obtutum, eſſe Patrem, creantem hæc per mediam illam intelligentiam ac Mentem: quæ ſecunda quidem eſt, ſi Patrem reſpicias: prima, ſi res viſibiles, & inuiſibiles creatas, quarum hæc ipſa Mens fuit principium. Eoque eam dicit vocari ab omnibus hominibus primam, id eſt, principium, fontemque omnium rerum. Quantum ſubeſt hic myſterium? ſiquidem, vt ait Numenius, & poſtea videbimus, non erat Pater hominibus notus, eum ſolùm cognoſcentibus, qui mundum creaſſet. At is Filius eſt, inquit, Menſque ſecunda, quam homines neſciebant habere Patrem, eoque dicebant eam eſſe primam. Siquidem ille ipſe qui mundum creauit, qui ferebatur ſuper aquas, molem extendens deſuper cœleſtem, qui hominem ad imaginem ſuam finxit, ad præmium immortalitatis vocauit, tranſgreſſum è Paradiſo eiecit, erat ille idem qui poſtea redemit mundum, quem quondam creaſſet, pietate, iuſtitia, cultuque Dei repleuit. Hunc ergo ſolum homines cognoſcentes, Primum appellabant, alterum Genitorem, qui eum hoc genitoris gradu præcederet, minimè cognoſcentes: ne Hebræi quidem, niſi ſapientiores. Solùm ergo hunc filium Dei notum habent Hebræi, & cæci neſciunt, ſe blaſphemare pòſt hominum redemptorem, qui prius legem Moſi in monte tuliſſet. Atque illud celeberrimum ac ſanctiſſimum nomen Iehouah, ſemper ferè eſt filij Dei. Is vnus cognoſcebatur, primus ab omnibus habebatur: totaque eſt his Magorum verbis comprehenſa maxima, primaque Theologia: comprehenditur enim diuinitas ac pręceſſio, qua pater ac genitor pręcedit genitum. Quippe quem & priorem Mentem vocarit, & quaſi dominum ac principem dediſſe ſecundę menti, res creatas dixerit. Apparet generatio, vocat enim eum Patrem: comprehenditur etiam creatio rerum per Patrem, tanquam Dictatorem ſupremum, per Filium tanquam miſſum, ac deſtinatum ad rerum creationem. Tum dicit, Patrem ei tradidiſſe res creatas: id eſt, eadem qua creaſſet autoritate regendas. Poſtremo Filium oſtendit eum eſſe, & vocari primam omnium mētium. Totus ergo mundus cognoſcebat, prædicabat, adorabat Filium Dei: & qui ſe nouiſſimis ſęculis viſibiliter omnibus declarauit, erat ille ipſe, quem olim obſcurè cuncti venerabuntur, Iouem, Creatorem, regentemque omnia Poteſtatem vocantes: Philoſophis, religionibus, ſęculis omnibus notum, vt melius declarabitur. Qui ne qua ſupereſſet amoris ineffabilis expreſſio, vt hominem faceret Deum, fecit ipſe ſeipſum hominem. Fuit autem horum

A rum Magorum Theologia apud veteres magno in pretio, atque etiam Ariſtoteles in libris de prima Philoſophia, eorum meminit.

Eorum quæ prolata ſunt comprobatio, ex Theologia Græcorum, & Hebræorum. Cap. IIII.

VERISSIMUM autem eſſe, Magos hæc de Patre ac Genitore Deo, & omnium rerum creatrice Intelligentia cognouiſſe, credidiſſe, prædicaſſe, eo maximè fit perſpicuum, quòd poſteriores, qui ſunt apud Græcos philoſophati, duces, atque autores ſequentes Chaldæos, & Aegyptios, ad quos ſeſe diſcendi cauſa Græci recipiebant, principia rerum eodem atque illi ordine collocauerunt, Bonum primo in loco, deinceps Mentem conſtituentes. Siquidem ijdem ipſi Chaldæi, Genitorem Deum non ſolùm Patrem, ſed etiam Bonum, vt apparet eodem loco, appellant: quod & Plato, & cæteri omnes vſurparunt. Mentem quoque, Græcè νοῦν, ſecundo loco ſtatuerunt. Mentem dico illam ab ęterno a Patre primogenitam, & vnigenitam, rerumque principium ab eo conſtitutam. Anaxagoras igitur ex antiquioribus idem imitatus, pronunciauit omnium rerum principium νοῦν, id eſt, Mentem: quam ne credas eum aliam, atque Chaldæorum illam, dixiſſe, apparet eo vel maximè, quod hanc ipſam & ſapientiſſimam cenſuit, & eam vocauit, teſte Ariſtotele, ἀμιγῆ καὶ ἀπαθῆ, ſine complexu, ſine alterius rei commiſtione: quod proprium ac ſolum Dei eſt. Eidem Menti omnia dabat Anaxagoras, atque Moſes apud Hebræos, Mercurius apud Aegyptios, prædicans eam aggreſſam Chaos modificaſſe, dirigendoque res creaſſe, & cùm immota, quieſcentiaque cuncta eſſent, motum & ordinem dediſſe. Nec Ariſtoteles amicè ac beneuolè mentem eius interpretatus eſt, eum ſtatuiſſe ęternum Chaos, creationem Mentis anteceſſiſſe, vt à Chaos ad creationem tempus infinitum interceſſerit. Non eſt credendum, Anaxagoram, cuius ſententias antiquam Theologiam ſpirantes inuenias, id ſenſiſſe: Nec ſi anteceſſiſſe Chaos dicat, eò ęternitatem confuſionis illius aſſeruit: ſiquidem & Moſes & Heſiodus prædicant antea vacuam terram inuiſibilemque fuiſſe, deinceps terram, cœlum, lucem apparuiſſe: quos nemo putabit, tamen interieciſſe tempus ęternum ab illis exordiis, ad res creatas. Didicit ergo Anaxagoras hanc a veteribus creationem. Siquidem & Euripides, quem ferunt diſcipulum eius fuiſſe, cum præceptore, vt poſtea demonſtrabitur, conſentit. Tum non mundum ſolùm didicit creatum, ſed rationem quoque creandi: vt Mens informe & immobile Chaos formauerit, motumque dederit: πάντων ἠρεμούντων κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν καὶ διακρῖναι. Omnibus quondam quieſcentibus, motum Mentem dediſſe, ab inuicemque ſeparaſſe, ait Ariſtoteles dixiſſe Anaxagoram. Eadem hæc canit & Moſes de Deo, aſſerens prius tenebras fuiſſe, & aquam cum terra commiſtam: Deum autem lucem, tenebris diſiectis, intuliſſe, aquasque a terra ſeparaſſe. Quis autem is fuerit, diſce ab Anaxagora, videlicet νοῦς, Mens, Intelligentia, Sapientia, Spiritus. Quę ſit hæc Mens, conſule Chaldæos, & Mercurium, qui præcipuo nomine vocant filium Dei, Creatoremque mundi, νοῦν, Mentem, Intelligentiam. Cui præferebant τὸ ἀγαθὸν, ipſum Bonum, Bonitatem ipſam: & hæc, declarantes rerum principia. Platonici quoque, quorum libri ſunt vetuſtiſſimis oraculis ac ſententiis Magorum, & Aegyptiorum referti, eodem ordine, Bonum, poſtea Mentem ponunt: Illam videlicet Mentem, quam primam ab omnibus mortalibus haberi dixit Chaldæus. Ariſtoteles igitur audiens priſcos Menti rerum principatum, creationemque attribuiſſe, alacri voce pronunciauit eam eſſe τῶν φαινομένων θειότατον, omnium, quæ poſſint cogitari, diuiniſſimum: ſubſcribens videlicet veteri theologiæ, Mentem principium vocanti. Huius Mentis diuinitatem alibi diſſerens, eius infinitam voluptatem aſſeruit in intelligendo ſeipſam, & in amore diuinitatis ſuę. Neſciebat enim eam habere Patrem: veriſſima tamen dixit. Nam Mens intelligendo Patrem, intelligit etiam ſeipſam. Aeternam, ſynceram, incorruptamq; voluptatem hanc ei dat Ariſtoteles, quòd ſeipſam (nihil enim habet ſeipſa maius) contemplatur, & agnoſcit. Quam quidem vocem cœleſti, non humano inſtinctu videtur protuliſſe. Sed audi & Platonem: qui cùm audiſſet, ab Anaxagora datam Menti rerum creationem, eo ſe maximè dixit acquieuiſſe, cæterorum quorumcunque repudians ſententiam. Nullamque cenſet rei cuiuſque reddi poſſe probabilem rationem, niſi Mentem ad omnia accerſas: qua rerum principe conſtituta, nihil non pulchrè poſitum & inuentum poſſis affirmare. Nam ſi ſumma Sapientia, intelligentia, Mensque fecit, vtique meliora, lectiora fecit. Si Mens creauit, certè creata ſunt ea, quibus non poſſint meliora fieri, optimè igitur omnia. Et quod Moſes etiam ſimile quid, Valde bona: in Phædone igitur, ὡς ἄρα νοῦς ἐςὶ ὁ διακοσμῶντε καὶ πάντων αἴτιος ταύτη δὲ αἰτία ἥσθωντε, καὶ ἔδοξε μοὶ τρόπον τίνα εὖ ἔχειν τὸ τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιαν: Audiens, inquit ex libro Anaxagoræ, Mentem eſſe mundi ędificatricem, omniumque rerum cauſam, hæc ſum mirificè lætatus: & neſcio qua ratione videbatur mihi optimè habere, Mentem eſſe omnium cauſam, dare Intelligentiæ omnium rerum principatum. Hæc illi aſſerebant, non tam Anaxagoræ ſententiæ ſubſcribentes, vt quæ mirificè placeret, quàm apud Chaldæos & Aegyptios reperta confirmantes, dictiſque ea ſuis inſerentes. Siquidem & Macrobius, Platonicorum de principiis

Vnde Magi didicerint.

Græci a Chaldæis, & Ægyptiis edocti.

Bonum, pater.

Mẽs, filius.

Anaxagoras νοῦν poſuit rerum oĩum principium ex veterũ ſententia.

Chaos modificatum a mente.

Ariſtotelis opinio.

Moſis, & Heſiodi ſententia.

Geneſ. 1.

Platonici libri ex magorum doctrina.

Fortè de animal. 2. c p. 3.

Platonis ſentẽtia de Mente.

B

Nomẽ Patris & Filij.

Antiquæ Græcorum theologiæ teſtimoniũ de Mente.

Mens, λόγος.

Mens, Intelligẽtia, Ratio.

νοῦς nomẽ ab Hebręis deflexum.

Pſal. 135.

Repetitio breuis totius capitis.

principiis ſententiam proponens, duo hæc prima principia conſtituit, τὸ ἀγαθὸν τὸν νοῦν, Bonitatem, Intelligentiam. Quorum primum eſt nomen Patris, alterum Filij. Filius enim dixit de Patre, Nemo bonus, niſi ſolus Deus. De ſe autem, Ego principium, qui & loquor vobis. His conſtat Magorum ſuperius oraculum, illius antiquæ gentis verum eſſe teſtimonium: nullamque hic eſſe debere ſuſpicionem mendacij, vt a poſterioribus ſint conficta. Supereſt autem veteris Theologiæ Hebræorum teſtimonium, quod mecum reputans, ſoleo vehementer demirari. Ex illo enim Chaldaicæ Theologiæ teſtimonio, probatur antiquam Græcorum Theologiam ſenſiſſe, per Filium Dei, mundum fuiſſe creatum. Nam Chaldæus Filium Dei vocat Mentem: Græcus autem fatetur Mentem creatricem, ornatricemque rerum: Hebraica autem Theologia, quem Chaldæus & Græcus Mentem, Aegyptius λόγον, verbum, rationem, ipſa vocans Spiritum & Intelligentiam, eandem etiam mundi declarat creatricem: Quemque Anaxagoras vocans Mentem, dicit Chaos ordinaſſe, eundem Hebræus vocans Spiritum, ſuper aquas & Chaos ait operatum. Ea autem erat operatio, quòd mundum, id eſt, cęlum, omnium rerum aliarum condebat principium. Eadem quoque eſt apud omnes nominum ratio. Intelligentia dicitur a Chaldæo & Græco, ab Aegyptio (vt oſtendam.) Ratio: quæ ſi conferas, idem ſunt atque Spiritus: Spiritus enim eſt Sapientia, eſt intelligentia: huic datur ab omnibus rerum creatio. Oſtendo etiam alia ratione Hebræos cum Gręcis eſſe concordes in hoc Principio. Siquidem nomen iſtud νοῦ, Nun, eſt Hebraicum. Accidit autẽ ſæpenumero, vt nomina, quæ a linguis ad linguas transferuntur, vel numeris ſyllabarum augeantur, vel diminuantur, vel aliquæ litteræ peruertantur: veluti quod erat Hebraicè Rapa, id eſt, mederi, Græci qui & naſci & loqui ab Hebræorum maioribus habuerunt, addita vna ſyllaba, dixerunt therapeno. Eodem exemplo, ſed ex aduerſo, quod erat Hebraicè Banun, Intelligere, Sapere, fecerunt Græci Nun, Mentem, Intelligentiam. Hoc declarato, claret Theologiam Hebraicam fateri mundum creatum per eandem rem, atque Theologia Græcorum. Vates Hebræus canens opera diuina ait, Qui fecit cœlos in intellectu: Hebraicè Thebuna, in quo prima ſyllaba iuxta idioma Hebraicum, eſt adiectitia: eſtque ea vox, vnde deduxit ſermo Græcus ſuam νοῦ, Nun: confitetur Vates Hebræus, Deum creaſſe cœlos per Nun, per Intelligentiam, per Mentem. Apparet enim tam ex ſignificatione, quàm ſono, eandem hic eſſe rem, quam Græcus Theologus celebrauit, Principiumque rerum dixit, atque eam, quam confeſſa eſt Theologia Hebraica. Ac Cœlos præcipuè nominauit Hebræus, veluti rem in omni illa creatione præcipuam. Sic liquet Chaldæos, Græcos, Hebræos, cognouiſſe, prædicaſſe Filium Dei, eumque omnium rerum Principium laudaſſe. Quod repetens his rationibus probatur: Theologia Chaldaica, Patrem & Mentem ſecundam, creatricem confitetur. Hanc Mentem collaudant, ſuſpiciunt, venerantur Anaxagoras, Plato, Ariſtoteles, cuncta Platonicorum familia, omnes igitur hi celebrarunt progeniem Dei, licet ignari. Nituntur enim illa Chaldaica ſententia cuncti. Quoniam autem eadem loquitur Theologia Hebraica ac Chaldaica, & Græca: hæ autem loquuntur & prædicant Filium Dei: neceſſariò Filiũ Dei loquitur etiam Hebraica Theologia. Ecce quæ ſecretò, & quaſi velata facie illa ſæcula loquebantur, nouiſſima clara & illuſtri voce prædicauerunt, cognouerunt, adorant, venerantur.

De eadem Mente, Progenie, Sapientiaque diuina, ex Platone, regina, moderatrice omnium rerum, omnium maiorum conſenſu. Et quòd Ariſtoteles eam laudarit, ſuſpexerit, qui de ea locuti eſſent, admiratus fuerit. Cap. V.

Platonis de mente ſententiæ.

12. de Legib. maximè.

In vita Platonis.

Cicero 1. de Legib.

MVLTA quoque ſunt admiratione digna, de mente apud Platonem altiſſimæ Theologię noſtrę myſteria. Hanc enim Mentem, quam ſecundum Principium, ac poſt ſummum Bonum cæteri ſtatuerunt, non in Phædone ſolum, ſed aliis multis locis, miris extulit laudibus Plato, dans ei principatum, inuentionem omnium rerum, imperium cœli & terræ, vocans eam Creatricem, Imperatricem, Reginam, Sapientiam: nihilque non inuenies de ea apud Platonem, quod in ſacris litteris habeatur. Ex omni autem apud eum deſcriptione, ſicut item ex aliis Theologis, claret hanc eſſe prolem Dei ęternam, omnipotentem ſapientiam Patris ſui. In Cratylo, εἶναι δὲ τὸ δίκαιον ὃ λέγει ἀναξαγόρας νοῦν εἶναι τοῦτο· αὐτοκράτορα γὰρ ὄντα αὐτὸν καὶ οὐδενὶ μεμιγμένον πάντα φησὶν αὐτὸν κοσμεῖν τὰ πράγματα διὰ πάντων ἰόντα: Eſſe, inquit, Iuſtitiam, quam Anaxagoras Mentem dixit, aſſerit Cratylus: quę cùm ſit Imperatrix, & Regina ac Princeps, nullique commiſta, eam tradit omnia creare, per omnia commeantem: ſic Plato. Audis Mentem illam, quam Chaldęus memorabat, nunc Imperatricem, cunctarum rerum creatricem, ipſum ius, ipſam iuſtitiam: quod etiam Laertius perhibet ſenſiſſe Platonem, τὴν δικαιοσύνην θεοῦ νόμον ὑπελάμβανεν: Iuſtitiam Dei legem ſuſpicatum eſſe Platonem. Et quod Marcus noſter apertius, Orta autem ſimul eſt, inquit, cum Mente diuina: quamobrem lex vera, atque princeps apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Quid de mente diuina poterat diuinius loqui Plato? vt iuſtitia, moderamen, temperantia cunctorũ ſit, vt diſpoſitor, ornator, creator, præſens vbique tanquam lex, tanquam ſempiternus

A ſempiternus ordo, cuncta ordinans, quia data eſt ei poteſtas omnis in cęlo & in terra, ipſiusque erit iudicare omnem carnem, ipſe Deus iuſtus noſter. Eodem libro Socrates rogat Hermogenem, τί δὲ καὶ τὴν τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν, οὐ πιστεύεις ἀναξαγόρα νοῦν καὶ ψυχὴν εἶναι τὴν διακοσμοῦσαν καὶ ἔχουσαν, Quid, inquit, nonne credit Anaxagoræ, Mentem & Animam eſſe, quæ naturam omnium rerum exornet, & contineat? Hic Plato rurſum Mentem ornantem omnia, ſuſtinentem, vt vides, fatetur, inuentricem omnis ordinis, omnis naturæ, quæ ordo eſt, & ęquitas, moderatricem, ordines rerum certos, certosque ſitus, Mentis opus eſſe, quæ Chaos digeſſit, formas deprompſit, ordinem, & temperamentum vbique adhibuit. Et, vt Ariſtoteles perhibuit, confeſſus eſt eam Anaxagoras, οὐδενὶ μεμιγμένον, nulli rei admiſtam, nempe non corpoream, ſed purè diuinam, ab omni corporis contagio abſolutam. Nihil aliud de creatore illo mundi, ſacræ litteræ loquuntur. Hæc apud eos eſt αὐτοκράτορ, Dominatrix, Regina omnipotens. Eſt διὰ πάντων ἰών, per omnia intenta, præſens vbique, totam naturā aptans, ſuſtinens, mouens cœlum, terris perpetuos ordines adhibens. In Philebo autem longè maiora: πάντες συμφωνοῦσιν οἱ σοφοὶ ἑαυτοὺς οὕτω σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν, οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ ἴσως εὖ λέγουσι: Conſentiūt omnes, inquit, ſapientes, ſeipſos in eo iactantes, quòd Mens ſit regina nobis cęli & terræ, & fortè rectè loquuntur. Nihil Plato magnificentius, altæque Theologię noſtrę venerabilius loqui potuit. Is eſt apud eum Rex cęli, & terræ, qui apud Diuum Paulum Rex ſęculorum immortalis, inuiſibilis. In eo Plato fatetur ſapientes omnes conſentire, hunc eſſe Regem cęli, & terræ. Qui ſunt igitur hi ſapientes? non videlicet Anaxagoras ſolus, ſed & Chaldæi, vt apparuit, Mercurius Triſmegiſtus, Orpheus, pluresque alij, quos legerat Plato, ſed ante omnes fuit Moſes, qui hunc, quem ſua lingua Græci Intelligentiam, ſiue Mentem appellarent, vocauit ipſe ſua, Spiritum, qui ferebatur ſuper aquas, id eſt, cęlum moliebatur, ornatumque cęleſtem, qui propriè dicitur κόσμος, ſtatuebat: ideo Mens dicitur διακοσμοῦσα, exornans. Audi igitur & ſuſpice quæ Plato loquitur de conſenſu ſapientum, & perpende qui ſint iſti ſapientes, quos ait in eo gloriari, ceu rem magnam diuinamque loquantur. Nam & Ariſtotelē cernes poſt eandem mentem Mundi fateri principem. Proſequitur in Philebo Plato: Num, inquit, ò Protarche vniuerſa, & hoc quod vocamus vniuerſitatem, gubernare dicemus vim quandam irrationabilem ac temerariam, an contra, καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν ἔλεγον νοῦν καὶ φρόνησίν τινα θαυμαστὴν συντάττουσαν κυβερνᾶν: quemadmodum hi, qui nos anteceſſerunt, locuti ſunt, Mentem & Sapientiam quandam admirabilem ea componentem, regere ac moderari? Ad hæc reſpondet Protarchus, ne ſanctum quidem videri, quod prius poſitum fuiſſet: τὸ δὲ νοῦν πάντα διακοσμεῖν αὐτὰ φάναι καὶ τῆς ὄψεως τοῦ κόσμου καὶ ἡλίου, καὶ σελήνης· καὶ ἄστρων, καὶ πάσης τῆς περιφορᾶς ἄξιον, καὶ οὐκ ἄλλως, ἐγὼ γ' ἄν ποτε περὶ αὐτῶν εἴποιμι οὐδὲν δοξάσαιμι: Mentem autem aſſerere cuncta diſpoſuiſſe, aſpectum mundi, Solem, Lunam, aſtra, omnemque cęli conuerſionem: id verò digniſſimum eſſe, nec ſecus vnquam ego, ait, de his ſtatuerim. Cernis hic, quid maiores tradidiſſent, cernis antiquam Theologiam de Mente, quæ non ſolùm crearit, aptauerit, vt Anaxagoras dixit, ſed ordinet, componat, regat ad omne tempus omnia. Huic ordinem cœleſtem creatum adiudicat, Solis, Lunæ, ſtellarum. Id enim etiam prodidit Iob & Moſes, hanc ipſam Mentem, & Spiritum ornaſſe cęlos, lucem creaſſe, Lunam, ſidera accendiſſe, & vt facerent diem ac noctem, lucerentque ſuper terram, in conuerſiones & reuolutiones poſuiſſe. Attendeque hæc maiores aſſeruiſſe, videlicet Chaldæos, Aegyptios, antiquiſſimos Græcorum, Orpheum, Heſiodum & Pythagoram, Timæum, pluresque alios, quos ipſe legit Plato: quo fit clara diuinitas priſcæ Philoſophiæ. Proſequens Plato: Scimus, inquit, in vniuerſo infinitum quiddam, & aliquem terminum eſſe, quibus præſit cauſa κοσμοῦσά τε καὶ συντάττουσα ἐνιαυτούς τε, καὶ ὥρας, καὶ μῆνας, σοφία καὶ νοῦς λεγομένη δικαιότατα ἄν: exornans, & coordinans annos, & tempeſtates, & menſes, quæ Sapientia & Mens vocetur iuſtiſſimè. O ſacroſancta, cęloque miſſa myſteria. Sentis illam Sapientiam, quam perhibent etiam Hebræi fuiſſe mundi creatricem, quamque aſſerunt eſſe, de qua Salomon ſcribat, Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cęlos prudentia. Et de qua Salomon idem, ſimiliter prorſus atque Plato: τί σοφίας πλουσιώτερον τῆς τὰ πάντα ἐργαζομένης, τίς αὐτῆς τῶν ὄντων μᾶλλον ἐστὶ τεχνίτης, ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου καὶ σοφία σοῦ κατασκευάσας τὸν ἄνθρωπον: quid ſapientia opulentius, quæ operatur omnia, quis rerum magis artifex ipſa? qui creaſti omnia verbo, ſiue ratione tua, & ſapientia tua hominem molitus es? Hæc illa quoque eſt Sapientia, quę apud Cabaliſtas Theologos Hebręorum, eſt ſecundo loco, poſt coronam altiſſimi, obtinens ſecundum gradum diuinitatis, cui dant omnium rerum principatum. Sed audi hęc eadem narrantem aſſerentemque Platonem. Teſte enim Laertio, qui ſcribit duo mundi creati principia ſtatuiſſe Platonem, Materiam, ac Deum, ὃν καὶ νοῦν προσαγορεύει καὶ αἴτιον, quem & Mentem appellat, & Autorem, ſiue Cauſam. Plato Creatorem, Imperatoremque mundi declarat, conſultatque ipſam Mentem, quam eandem & Deum, & Cauſam vocet. Claruit igitur quę ſit Mens, nempe Diuina progenies, id eſt, Filia Dei, vt Chaldęus loquebatur, quę in noſtra Theologia ſimiliter, atque apud Platonem nuncupatur Sapientia: quis item ſit iſte αἴτιος, cui dat mundi autoritatem (teſte Laertio) Plato, diſce ex ſecunda epiſtola Platonis, in qua videbis hunc αἴτιον, & Cauſam mundi, habere Patrem. Imperat enim tribus amicis, vt in amicitia

In Cratylo.

In Phyſicis.

1.Tim.1.

Multos ſcriptores veteres Plato legerat.

Plato Philæbo.

Prouerb.3.

Mens, cauſa mundi.

Motus cauſæ.

In Metaphyſicis.

adiurent dominum ac principem & cauſam omnium rerum, & cauſæ patrem. Si cauſa igitur ipſi Platoni eſt mens, teſte Laertio, Cauſa autem habet patrem, Mens ergo Patrem habet. De qua re poſtea. Eſt igitur apud Platonem Mens, Sapientia, Cauſa filius Dei, quia hæc cauſa habet patrem, vt mirabiliter aſſeratur illud oraculum Chaldaicum. Hanc item Mentem, quę fuit cauſa mundi, agnouit, exoſculatusque eſt multis in locis, honorificeque de ea ſenſit Ariſtoteles: è quibus eſt admirabile teſtimonium primo de Philoſophia libro: quærens enim de principiis rerum, quæ apud maiores ſuos reperiſſet, cumque multos offendiſſet, quos in aſſignandis principiis non approbaret, nouiſſimè dixit, νοῦν δέ τις εἰπὼν εἶναι καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον καὶ τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως ἁπάσης. οἷον νήφων ἐφάνη παρ εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον: οἱ μὲν οὖν οὕτως ὑπολαμβάνοντες, ἅμα τοῦ καλῶς τὴν αἰτίαν, ἀρχὴν εἶναι τῶν ὄντων ἔθεσαν, καὶ τὴν τοιαύτην ὅθεν ἡ κίνησις ὑπάρχειν τοῖς οὖσιν: quod eſt, Mentem quidam qui dixit quemadmodum in animalibus, omnique natura, ſic cauſam fuiſſe mundi, totiusque ordinis, is certè viſus eſt reſipuiſſe præ iis, qui prius temerariè loquerentur. Itaque huiuſmodi qui ſunt hoc arbitrati, non ſolùm benè, & congruè hanc cauſam, principium rerum ſtatuerunt, ſed etiam talem Cauſam attulerunt, vnde motus extiterit, vel exiſtat rebus. In his Ariſtoteles, tametſi obſcurè loquatur, ſentit ea, quæ prior Plato docuerat, Mentem ſicut inueniſſet rerum ordines omnes, quantamque oculis aſpicimus pulchritudinem, ſic dare rebus moderamen in præſens, vinculum eſſe quibus vniuerſa ſuſtineantur, legem rerum cunctarum, mundi nauclerum: vtque ſit rerum moderator, & ſapientiſſimus in omne tempus artifex, ſic fuiſſe in primordio rerum: vt animalia, vt naturam, nunc regat, agatque in lucem, ſic huiuſcemodi quondam ordines ſua ſapientia reperiſſe. Qui talia locuti eſſent, collaudat Ariſtoteles, aſſerit fuiſſe ſapientes, euigilaſſe inter errores cæterorum cæteris dormientibus, καὶ γὰρ αὖ καὶ ἀναξαγόρας, ὃς δὴ δοκεῖ, καθευδόντων τῶν ἄλλων, τὸν νοῦν πρῶτον αἴτιον τῶν γινομένων ἰδεῖν: Mentem primum vidiſſe fuiſſe cauſam rerum Anaxagoram, inquit Proclus ex ipſo Ariſtotele, optimam rerum Cauſam, a qua principium fuerit omnibus, reperiſſe: Veram originem, vnde moueri cęperint cęlum, & aſtra, totusque inde mundus, deprehendiſſe. O quanta verbis his ſubeſt diuinitas. Neceſſariò enim Ariſtoteles, qui de Mente mundi inuentrice, talia prædicat, prædicat de ea Mente, quam Chaldæus antea inuulgauerat, & quam Plato, quod & ipſe Ariſtoteles, vocat Cauſam, & vocans dat ei patrem in epiſtola, ſicut & Chaldæus in oraculis. Hanc ipſam in libris poſt res naturales vocat Diuiniſſimam, eam ſeipſam contemplari dicens. In Moralibus quærens de eius contemplatione, vocat Deum. Sic ex Platone, Chaldæo, Ariſtotele, Mens eſt Deus, eſt Proles Dei, eſt Regina mundi.

Mentem ex Macrobio eſſe Filium ſummi Boni, ſummum bonum ipſum ſupremum Genitorem. Cap. VI.

Macrobij locus è cõmetario I. in ſomniũ Scipionis, cap. 2.

Sciri non poteſt qualis Deus ſit.

Nullũ Deo ſimulacrũ cõſtitutum vt aliis diis, cur.

Solus Deus bonus.

Philonis Iudæi locus è primo, & ſecundo legis allegoriarum.

VT autem hæc eſſe veriſſima conſtet, Mentemque ſecundam eſſe ab ipſo Patre, vt Chaldęus dicebat, Filiam autem ac Progeniem diuinam, vt Plato in epiſtola (ob quam cauſam Chaldæus vocauit eum Patrem) audienda ſunt, admirandaque, quæ locutus eſt, vt paulò ante dixi, noſter Macrobius, decerpta ex ipſis Platonicis. Proferamque totum locum in ſomnio Scipionis: Cæterùm, inquit, cùm ad ſummum, & principem omnium Deum, qui apud Græcos τὸ ἀγαθὸν πρῶτον ἀπάντον nuncupatur, tractatus ſe audet attollere, vel ad Mentem, quàm Græci νοῦν appellant, originales rerum ſpecies, quę εἴδη ſunt, continentem, ex ſummo natam & profectam Deo: cùm de his, inquã, loquuntur, ſummo Deo & Mente, nihil fabuloſum penitus attingunt: ſed ſi quid de his aſſignare conantur, quę non ſermonem tantummodo, ſed cogitationem quoque humanam ſuperant, ad ſimilitudines & exempla confugiunt. Sic Plato cum περὶ ἀγαθοῦ loqui eſſet animatus, dicere quid ſit non eſt auſus, hoc ſolùm de eo ſciens, quòd ſciri quale ſit, ab homine non poſſit. Solum verò ei ſimillimum de viſibilibus Solem reperit, & per eius ſimilitudinem, viam ſermoni ſuo attollendi ſe ad comprehenſibilia patefecit. Ideo & cùm nullum ei ſimulachrum cum Diis aliis conſtitueret, finxit antiquitas, quia ſummus Deus, nataq; ex eo Mens, ſicut vltra animam, ita ſupra naturam ſunt: quò nihil eſt de fabulis peruenire. Ecce audiſti & vidiſti apud Macrobium, non Chriſtianum, duo diuiniſſima ac maxima: ipſum ſummum Bonum, principatum omnium rerum, vt clarebit etiam apud Platonem, Mentem ex eo natam, & profectam, natam inquam a ſummo Deo, qui dicitur a Philoſophis ipſum Bonum, ipſa Bonitas per excellentiam: de quo Mens ipſa, filius eius, perhibuit in hoc mundo, Nemo bonus niſi ſolus Deus: illa ſcilicet fontali, præcipua, ſupereminentique bonitate. Vidiſti quoque Mentem continere ſpecies rerum: quo deſignatur creatio, deſignatur (quod videbis etiam Philonem perhibentem) creator mundi, inuentor cunctarũ rerum, quæ in ſuis originibus continerentur. Vt enim ipſe Philon dicit, ſi quis nudius & expeditius velit loqui, nil aliud dicat Mundum archetypum, ſiue originarium, quàm ipſum Verbum, Creatorem mundi. Videbis etiam Mercurium Triſmegiſtum, dantem Verbo Dei, ſpecies, aut ideas, origineſque rerum: Hac igitur attributione ſpecierum, perſpicuum ſit, deſignari Sapientiam

tiam creandi, & inueniendi è nihilo, vt ſuperius omnes prędicauerunt. Deſignatur hanc Mentem eſſe mundi creatricem, adornatricem rerum, formarum matrem vaſtam, inæſtimabilem ſapientiam. Ecce Plato vocauit eam, ob eandem cauſam, αἴτιον, Autorem: apud quem teſte Laertio, idem eſt. Mens, & Autor, id eſt, Autor mundi, Conditor, per quem omnia facta ſunt. De quo prorſus ſimilia, noſtræ Theologiæ princeps diuus Paulus, vt vtranque philoſophiam conferam: ὅς ἐςὶν εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα: εἴτε θρόνοι εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, τὰ πάντα δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, καὶ αὐτὸς ἐςὶ πρὸ πάντων. καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέςηκε: Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt omnia cęleſtia & terreſtria, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt. Hæc diuiniſſima tuba Theologiæ noſtræ. Confer igitur omnia, & gratias age ęternæ menti: cuius tanta clementia fuit, vt ſeſe mundo ſemper declarauerit, & ne gentibus quidem ſe abſconderit. Quem Diuus Paulus vocat Deum inuiſibilem, Macrobius ex Philoſophis ſummum Bonum, Primatum omnium rerum, Principem rerum cunctarum, eum per excellentiam appellans Deum, vt magnus Theologus noſter. Quem Macrobius Mentem, ſiue Intelligentiam, aut Sapientiam, natam ex ſummo Deo, quæ contineat ſpecies, Paulus Imaginem Dei, quoniam Filius eſt imago Patris, Primogenitum omnis creaturæ, id eſt, aut genitum ante omnia creata, aut principalem inter omnia, ad cuius magnitudinem cętera nihil attingant: ſupra omnia creata. Quem ſuperare cogitationem & ſermonem dixit Macrobius, & quòd ſciri non poſſet, & incomprehenſibilem, & quòd ſit ſupra naturam, hunc Paulus & inuiſibilem, nempe Patrem ipſum, tum & Primogenitum, id eſt, antecedentem omnes creaturas Mentem. Et cui ſpecies tribuere, ſiue ideas, origineſque rerum dixit antiquitatem Macrobius, hunc Paulus prædicauit fuiſſe, per quem viſibilia & inuiſibilia ſint creata, ſiue Dij ipſi cœleſtes, quorum nec nomina norunt, nec naturas homines, ſiue homines, omniaque terreſtria: & quòd ipſe ſit ante omnia, id eſt, ſupra naturam, vt Macrobius: & quòd per ipſum omnia ſubſiſtant. Veritas igitur clara, aperta, cognita etiam gentibus. Retulit item Macrobius, cùm de maximis hiſce rebus ſermonem & cogitationem ſuperantibus, Philoſophi loqui inſtituerint, amandare eos, proculque iubere faceſſere fabulas: vti autem fabulis, cum vel de anima, vel aereis, aut ęthereis poteſtatibus, vel cæteris Diis loquantur. Dixit etiam nullam eſſe cęteris Diis (nempe quos diuus Paulus citauit ſuperius) ſimilitudinem cum ipſo ſummo Bono & Mente: quia ſunt ante omnia, ſupra omnia. Vidimus etiam teſtari Macrobium, hanc omnem, quam narrauimus Sapientiam, ſtupendamque Theologiam, antiquitatem cognitam habuiſſe. Ergo quod Chaldæus, a Zoroaſtre, ſapientibusque Perſarum. Sic vndique veris coniecturis relucet, iſtam quam nunc totus colit mundus, Sapientiam omnibus ſæculis & gentibus irradiaſſe, ſed occultiorem quàm nunc, poſteaquam Mens ipſa, bonitate ſua, Patriſque ſui, qui eſt ſummum Bonum, clementia impellente, deſcendit de cęlo, hominiſque veſtita figura ſolidaque natura, verſata nobiſcum, locutaque eſt ſuam propria voce Sapientiam.

Colloſſ. 1.

1. Commẽ. in ſomn. Scip.

Colloſſ. 1.

Ex eiſdem Chaldæorum oraculis de Mente, diuina Progenie, cuius imago ſit animus humanus, & ex Philone. Cap. VII.

CVR admiraris autem Græcos & Latinos, Mentis ęternæ diuinitatem prædicaſſe rerum cunctarum rationem, inuentionem, ordinemque illi dediſſe, Patrem ei eſſe perſpexiſſe, aſſeruiſſe, cùm ſit hæc omnis Sapientia vetuſtiſſima, ab antiquiſſimis gentibus prodita, ad quas diſcendi cauſa Græci adeuntes ex eorũ vberrimis fontibus riuulos in Gręciam deduxerunt? Ecce igitur eadem Chaldaica Theologia, vt habetur in ſententiis Zoroaſtręorũ, tradit hanc ipſam diuinam, ęternamque Mentem, creaſſe ad imaginem ſuam iuxta Moſen σύμβολα πατρικὸς νοῦς ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς: Signa, vel indicia paterna Mens inſeruit animis. Hoc oraculo declaratur a paterna Mente, id eſt, ab ea quę Patris eſt Mens, Patris Sapientia & Intellectus, inuſtum animis noſtris ſymbolum ſuæ diuinitatis: quemadmodum tot locis fatetur Philon Iudæus, aſſerens ipſum Verbum eſſe archetypum, exemplarque animi noſtri: nos ſimulachrum eius, ſicut ipſe ſit imago patris ſui. Haud aliter oraculum, appellans ſymbolum, quod Philon ſimulachrum, imaginem, & quod Moſes imaginem & ſimilitudinem, Hebraicè Zalmenu, Demuthenu. Eadem hæc ſenſit, & expoſuit Pſellus Philoſophus Chriſtianus declarans ſupradictum locum, ὥσπερ ἡ μωσαϊκὴ βίβλος κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ πλάττει τὸν ἄνθρωπον οὕτω καὶ χαλδαῖος τὴς ποιητὴν, καὶ πατέρα τοῦ κοσμου φησὶν σύμβολα ἐνκατασπεῖρα ταῖς ψυχαῖς τῆς αὐτοῦ ἰδιότητας· καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν πατρικῶν σπερμάτων οὐχ αἱ ψυχαὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπερκείμεναι πᾶσαι τάξεις ἐβλάςησαν: καὶ ἀλλὰ μὲν τὰ ἐν αὐτοῖς ἀσωμάτοις ὑπάρξεσι συνθήματα ἀσωμάτος ἐςι καὶ ἑνοειδῶς: ἀλλὰ δὲ ἐν τοῖς κόσμοις συνθήματα καὶ συμβολὰ ἐςὶν αἱ ἄῤῥητοι τοῦ θεοῦ ἰδιότητες αἱ καὶ τῶν ἀρετῶν ὑπερκείμεναι. Sicut, inquit, liber Moſaicus ad imaginem Dei fingit hominem, ſic planè

Philo, de mundi opificio.

Pſellus de Dæmonibus.

ſic planè Chaldæus Creatorem ac Patrem mundi dicit ſymbola inſeruiſſet animis, proprietatis ſuæ: ſiquidē a paternis ſeminibus, non animæ ſolùm, ſed & ſuperni omnes ordines pullularunt. Atque alia quidē ſigna, quæ ſunt in ipſis corporeis ſubſtantiis, incorporaliter & vnificè exiſtunt: alia verò in mundo ſigna & ſymbola, ſunt ſecretæ Dei proprietates, quæ & virtutes ſupereminent. Hæc Pſellus. Apud quem aſpicis a ſeminibus paternis, id eſt, Creatoris mundi, quem Patrem dixit ſuperius, natos eſſe non animos modò noſtros, ſed ſupernos omnes ordines. Id Diuus Paulus ante eſt confeſſus, Imaginem illam, progeniemque diuinam, creaſſe Thronos, Poteſtates, Dominationes, Virtutes, propterea potes Symbola ſentire origines ipſas rerum, ac primordia. Hic etiam Pſellum conſtat eodem loqui modo atque Salomonem de creatione hominis, quòd inſeruerit Deus ſymbola, vel ſimilitudinem proprietatis ſuæ: Salomon autem, ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισεν τὸν ἄνθρωπον καὶ εἰκόνα τῆς ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν: Quoniam Deus condidit hominem, & imaginem ſuæ proprietatis fecit eum. Pſellus etiam vſus eſt verbo, quo Empedocles, Ab vno, id eſt, vnitate, ἐβλάστησε, pullularunt omnia, homines, beſtiæ, piſces, volucres, arbores. Denique δολιχαίωνες θεοὶ, Dij longæui. Sicut Paulus, Throni, Dominationes, Poteſtates, Pſellus autem ordines ſuperni. Idem refert hæc ſymbola in ęternis, intelligibilibus ſubſtantiis, eſſe incorporaliter, ac diuina quadam, ſupereminentiq; ratione, & per vnitatem, aut aggregationem ſimplicem. Eadem in hoc mundo eſſe ſecretas Dei virtutes, creationem ſcilicet innuit ſupernam, ac inferiorem, viſibilem, & inuiſibilem. Claret ergo, ſicut & ſuperius, a Mente, id eſt, Sapientia Patris, nata eſſe viſibilia & inuiſibilia, mirabiliter ſecum conſentiente congruenteque Theologia, radios vndequaque iactante ſuos: Ecce omnis lingua confitetur Dominum. Similia cernentur apud Philonem de Verbo diuino atque de mente apud Chaldæum, de quo dicit, ἀόρατος καὶ σπερματικὸς τεχνικὸς θεῖος λόγος: Inuiſibile & ſeminale, artifex diuinum Verbum Sunt ergo ſemina rerum apud Philonem in Verbo diuino, ſicut apud Chaldæum de Mēte qua ſeminauerit ſua ſymbola in animis: Idem Philon explicabit hanc Chaldaicam Theologiam: πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ᾠκείωται θείῳ λόγῳ τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γέγονος: Omnis homo ſecundum rationem habet cum Verbo diuino ſocietatem, factus naturæ beatæ ſimulachrum, aut abſciſſio, aut radius. Quibus verbis Philon explicat illa ſymbola a Chaldæo propoſita: ſunt enim numero multo ſymbola, quod tribus nominibus Philon declarauit, Imago vel Simulachrum, Abſciſſio, aut Eradiatio, Moſes diceret Afflatus. Ac numerus multus apud Chaldæum, & pro ſingulari ſymbolum. Eruntque omnia eadem, & illa tria apud Philonem, & ſymbolum apud Chaldæum, & apud Salomonem proprietas, apud Moſen imago, ſimilitudo, apud Marcum Tullium delibatio, hauſtus: cùm ait animos noſtros hauſtos & delibatos ex diuinitate: & in Tuſculanis, eodem prorſus modo atque Chaldæus, vt ſit mirum: Humanus, inquit, animus decerptus ex mente diuina: Mentem diuinam faciens animi noſtri originem, vt Chaldæus nobilis apud omnes, implens omnes, ſed ſapientum præcipuè mentes claritate ſua. Agnoſceq; hic Mentem, vt ſuperius mundi Creatricem, ſic nunc hominis: quod vtrunque proditum eſt a Moſe: qui cætera quoque apud eoſdem Chaldæos, antiquiſſimamque eorum Theologiam viderit, tam magis obſtupeſcet, quod mihi ſæpenumero fateor accidiſſe. Alio præclaro, diuinoque oraculo de eadem paterna Mente Magus ille, aut totus Magorum chorus ſic locutus: ἀλλ᾽ οὐκ εἰσδέχεται, κείνης τὸ θέλον πατρικὸς: νοῦς μέχρις ἂν ἐξέλθῃ λήθης: καὶ ῥῆμα λαλήσῃ μνήμην ἐνθεμένη πατρικοῦ συνθήματος. Quę ſunt, Sed non admittit illius, nempe animæ, voluntatem paterna Mens, donec diſcedat ab obliuione, verbumque loquatur, memoria paterni ſigni adhibita. Hoc illud, cuius etiam meminit Proclus. Eſtque ſenſus regius, diuinaq; pronunciatio, non placere quicquam creatori noſtro, quod anima conetur, ſtudeatque, niſi prius deiecerit, repulerit, excuſſerit obliuionem, & in orationem, laudemq; eruperit, memoriamque exercuerit, recordataque ſemper fuerit, quòd ad imaginem Dei ſit facta, quòd paternum ſymbolum acceperit. Hancque ſententiam declarans Pſellus hæc loquitur ad verbum: Non ſuſtinet Mens paterna, cupiditates, impetuſque voluntatis animæ, dū permanſerit in obliuione eorum, quibus ditiſſimè locupletata fuit a παναγάθου πατρὸς, patre omnium bonorum, & donec peruenerit ad recordationem ſacrorum ſignorū, quę accepit ab eo, ediderítque vocem gratificantem, gratias agentē, adhibita recordatione ſymbolorum patris, qui eā creauit: conſtat enim anima ex ſacris rationibus & diuinis ſymbolis, quę ſunt ab intelligibilibus formis, ſymbola verò a diuinis, & vnitatibus: ac ſumus imagines quidem intelligibilium ſubſtantiarum, ſimulachra verò incognitorum συνθημάτων ſignorum aut ordinum. Oportet autem & hoc noſſe, quòd omnis anima, ab omni anima ſecundum ſpeciem differt, & quòd quot ſunt animæ, tot ſpecies animarum. Hęc Pſellus: cęteraque ſunt perſpicua. Quas autem intelligibiles ſubſtantias, ac diuinas vnitates dixit, arbitror eum iuxta cæteros Platonicos & Dionyſium Areopagitam ſentire, Deos ſiue Angelos, quos vocāt priores νοητοὺς, ſecundos νοεροὺς: prioreſque item Platonici vocant θείας ἑνάδας, putantes has eſſe ideas, ad quas velut ſimplices vnitates, omnia reuocentur. Quod an verum ſit, poſtea diſquiretur. Horum imaginem eſſe docet animam noſtram. Similis eſt enim Angelus & homo, vterque imago Dei. Cætera quoque, quæ de anima philoſophatur Pſellus, quoniam non ſunt huius loci, prætereo: tantum oſtendo, nunc oraculum loqui de Mente Dei, vel Patris,

Creatio viſibilis, & inuiſibilis. Rom. 14.

Lib. Quod omnis probus, liber. Philo vt animam adumbrarit.

In ſomnio Scipionis, 1. Tuſcul. &c.

Proclus Platonicus & Pſellus Chriſtian⁹ conciliantur. Quibus anima conſtet.

Duæ ſpecies Angelorum.

Angelus & homo, Dei imago.

A vel Patris, quæ ſæpe Mens ipſa, cùm nobiſcum eſſet, eſt locuta, cohortans ad memoriam, & amorem Patris ſui, & quòd oporteat eum diligere, eius meminiſſe, collaudare, quale vates hortabatur animam ſuam, Benedic anima mea Dominum, & non obliuiſci omnes retributiones eius. Oraculum nunc loquitur ad ipſam animam, vt ſit Patris ac Creatoris ſui memor, alioqui nihil fore gratum quicquid ſtuduerit. Hæc verò eadem apud Mercurium Triſmegiſtum reperta, magis ſtuporem incutient, erumpereque cogent in laudes ſanctiſſimæ, clementiſſimæ, ſempiternæ Mentis: quæ ſicut Chaldæis ſeipſam reuelauit, ſic ab Aegyptiis ſe non abſcondit.

Pſal. 102. & 103.

De Mente, Prole diuina, ex Mercurio Triſmegiſto: Eademque Creatrice animi humani, ſicut ex Chaldæo Philone. Cap. VIII.

VT AGNOSCAS, omnia vndequaque ad veritatem prædicandam ſæcula, gentes omnes facere concurſum, audienda ſunt, quæ de Mente hac loquitur Mercurius Triſmegiſtus. Vbi dixerat, quòd cùm Pater ſit Mens, genuit alteram Mentem opificem, vt declarabitur poſtea: hanc ipſam Mentem opificem ſibi ipſi Mercurio, cui apparuerat, ſicut apparuit Adæ, Abraham, Moſi, multiſque aliis diuinis patribus, ſic inducit loquentem in Pimandro, qui liber eſt notiſſimus, neminique cordato dubium quin ſit Mercurij: προσγίνομαι ἐγὼ ὁ νοῦς τοῖς ὁσίοις καὶ ἀγαθοῖς καὶ καθαροῖς, καὶ ἐλεήμοσι τοῖς εὐβεβοῦσι· καὶ ἡ παρουσία μου γίνεται βοήθεια, καὶ εὐθὲς τὰ πάντα γνορίζαι, καὶ τὸν πατέρα ἱλάσκονται ἀγαπητϊκῶς, καὶ ευχαριςοῦσιν εὐλογοῦντες καὶ ὑμνοῦντες τεταγμένοι, πρὸς B αὐτὸν τῇ ςοργῇ: Quæ ſunt, Accedo ego Mens ad ſanctos, & bonos, & puros, & miſericordes, & pios, & præſentia mea eſt auxilium, & ſtatim omnia cognoſcunt, & Patrem inuocant propitium cum dilectione, & gratias agunt benedicentes, & laudantes coniuncti cum ipſo in charitate. Hæc & alia multa, quę longum eſſet, referre, Mercurius. Habes Mentem de Patre, ac Genitore loquentem, ad quem ait ſe adducere bonos & pios, ſe ducem eſſe ad Patrem, ad paternam charitatem. Nil aliud prorſus, quàm quòd loquitur eadem Mens ſumpta humana figura apud Theologum noſtrum Ioannem: Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Et, Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Et, Hæc autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ecce apud vtrunque dilectio erga Patrem, collaudatio, benedictio, ad quam inuitabat olim, poſt noſtra imagine ſumpta Mens ipſa, & de qua dixit Chaldæus, quòd non eſt ei grata vlla actio, quæ ſine recordatione Dei fiat: & quòd ea polluta, & impura ſit anima, cui nulla Dei ſit memoria. Inuitamur ergo a tribus maximis Theologis, duobus antiquiſſimis, altero iuniore, ad cultum, charitatem, memoriamque Dei. Apud ſecundum & tertium loquitur Mens ipſa: apud primum loquitur alius de ipſa. Apud omnes eſt nomen Patris, & ipſa Mens loquitur de Patre. Chaldæus eum vocat Mentem paternam. Nouiſſimè autem vbi multa apud Mercurium dixiſſet, reſpondit Mercurius, εὖ μοὶ πάντα, ὡς ἐβουλόμην ἐδίδαξας ὁ νοῦς: Bene me cuncta, vt volui, docuiſti ô Mens. Nulla igitur ſupereſt dubitatio, & admiratio, vnde Platonici, & C ante Platonem multi alij: vnde Anaxagoras, & quos Plato dixit, Mentem extulerint laudibus, celebrauerint, nominauerint. Omnes item ante Platonem Theologi, poſt ipſe Plato & Ariſtoteles cum tota familia, creationem, ordinemque rerum Menti dabant. Chaldæus autem propius accedens, creatum hominem a Mente confeſſus eſt, vt ante monſtratum eſt. Philo item hanc Mentem declarauit animi noſtri creatricem. Similia igitur audies apud Mercurium, clara, aperta, expoſita, luculenta, vt præ gaudio ne lachrymas quidem continere queam: ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ, καὶ φύσις, ἀπεκύησε τὸν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου. Paulò poſt, ἐγὼ δὲ ἀναςήσας αὐτοὺς μαθοδηγὸς ἐγενόμην τοῦ γένους τοὺς λόγους διδάσκων πῶς, καὶ τίνι τρόπῳ σωθήσονται, καὶ ἔσπειρα αὐτοῖς τοὺς τῆς σοφίας λόγους καὶ ἐτρόφησα ἐκ τοῦ ἀμβροσίου ὕδατος. Mens autem omnium Pater, cùm ſit vita, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem dilexit tanquam propriam prolem. Ego, inquit eadem Mens, excitatis eis dux ſum generis, docens verba quo modo, & qua ratione ſeruentur, & inſerui eis rationes ſapientiæ, & nutriui ex immortali aqua. Quanta ſimilitudo eorum, quæ nunc Mercurius, cum his, quæ paulò ante Chaldæus? Symbola dixit ille Mentem animis inſeruiſſe, σύμβολα πατρικὸς νόος ἔσπειρεν ταῖς ψυχαῖς: Mercurius autem eodem verbo, ἔσπειρα αὐτοῖς τοὺς τῆς σοφίας λόγους: Chaldęus, cęterique omnes creationem, rerumque cunctarum diſpoſitionem Menti attribuerunt. Haud ſecus Mercurius apertè clareque, omnia Moſi ſimilis: ἀὴρ δὲ πετεινὰ ἤνεγκε, καὶ τὸ ὕδωρ νηκτὰ· ἀπεχωρίσθη δὲ ἀπ' ἀλλήλων ἥ τε γῆ καὶ τὸ ὕδωρ, καθὼς ἠθέλησεν ὁ νοῦς. Aer, inquit, extulit volucres, aqua natantes. Factaque eſt ſeparatio abinuicem terræ, & aquæ, quemadmodum voluit Mens. Quem ergo Moſes dixit aridam ab aquis ſeparaſſe, iubentem dicentemque, vt congregarentur aquæ in vnum locum, & arida appareret, & qui iuſſit aquas producere genus omne animantum, ecce fuit Mens, rerum creatrix: quod Anaxagoras, Plato conſtanter aſſeruerunt:

Mens opifex cum Mente patre.

Locus è Pimandro Triſmegiſti.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Ioan. 17.

Philo a Mente hominē creatū aſſeruit.

Conciliat Philonem cum Mercurio Triſmegiſt.

Geneſ. 1.

apud Mercurium enim, cęterosque barbaros hæc legerunt Græci. Ecce quàm diuinè conformat ſeſe Philoni Mercurius, imo tota ſibiipſi vetuſtas reſpondet. Duas Mentes inducit Philon, alteram ſupra nos, alteram noſtram, quæ ſupra nos, noſtrum dicit eſſe archetypum, nos ad ſimilitudinem eius eſſe creatos. Idque deducit ex libro Moſis: quam Mentem Mercurius, ipſe λόγον, Verbum appellat, quod idem eſt, vt poſtea videbimus.

Duplex Mens, Philoni.

De eadem Mente ex oraculis item Chaldaicis, quòd ſit creatrix, quòd ſpectaculum Deorum. Cap. IX.

DE HAC ipſa Mente extat apud Chaldæos mirabile myſterium, & oraculum, quod profertur a Proclo, licet ab eo non tam propriè explicatum: ϖολὺ γὰρ μόνος ἐκ ϖατρὸς ἀλκῆς δρεψάμενος νόου ἄνθος ἔχει τὸ νοεῖν πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι ϖάσαις πηγαῖς το καὶ ἀρχαῖς καὶ τὸ νοεῖν, ἀείτε μίμνειν ἀόκνῳ στροφάλιγγι. Quæ ſunt, Solus decerpens ex virtute paterna, Flos Mentis, poſſidet ipſum intelligere, paternamque Mentem indere omnibus fontibus, & principiis aut principatibus, & ipſum intelligere, ſeque manere impigra conuerſione. Hoc oraculum, licet obſcurius, qui oraculorum, myſteriorumque mos eſt, ſciendum, Florem Mentis vocare principem, egregiam, eximiam, præcellentem Mentem. Quemadmodum Græci & noſtri, florem, & decus, eminentiſſimum quemque nuncupant, ſic præcipua, eminentiſſima, reginaque Mens, flos Mentis. Eadem hic, & ſuperius paterna Mens. Hæc ex virtute paterna dicitur habere ſapientiam, ſenſum, ipſum intelligere. Eſt enim ſapientia Patris ſui. Philo perhibet repleuiſſe eam Patrem ideis ęternis, Originibuſque rerum, & gignere eam ſapientiſſimam. Eandem hanc reginam, paternamque Mentem, ait, accepta paterna virtute, in cęteros diffundere ſapientiam, quos ipſe vocat fontes, & principatus, aut principia, nimirum diuinos ordines Angelorum, qui & in noſtris litteris Principatus appellantur, fontes quidem, quod ſciam, nunquam: Niſi fontes dictos velis, quemadmodum ἀρχαὶ, principia, principatus, capita, non origines rerum, vt malè creditur a nonnullis Platonicis, niſi quantum habuerint a Deo facultatis. Ab ipſa igitur paterna, reginaque Mente dicit dari Angelis (quod ſapientiſſimus Paulus teſtatus eſt, & Plato) ipſum intelligere, ipſum eſſe, & permanere, ſemperque flecti ſeſe ad ipſum Deum, diuinam, ſempiternamque eius venuſtatem: Circunſtant animi, dextra, læuaque frequentes. Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari: Expleri nequeunt; Certatim properant illum ſine fine tueri. Hoc appellat Chaldæus ἄοκνον στροφάλιγγα, impigram conuerſionem, conuerſionem vehementem, accenſam, ardentem. Proinde dicuntur etiam Seraphim ardentes, amore flagrantes. Explicanturque hoc oraculo, quæ prædicauit ſublimis Paulus, quòd per ipſum condita ſunt omnia viſibilia, & inuiſibilia, omne Deorum genus, Throni, Dominationes, Principatus, quos etiam Chaldæus appellat πηγὰς, ἀρχάς. Mercurius aſſerit ab eo creata animalia, terram ab aqua, vt ipſe optaſſet, ſeparatam, creatum hominem ſui ſimilem, inſertas animo noſtro ſapientiæ rationes, vocari nos ab illo, adducique ad Patrem. Chaldæus autem & ſatorem mundi, ſatorem animarum, & Angelorum, Deorumque. Cæteri Aegyptij Solis, aut lucis creatorem: Theologia profectò per omnia ſæcula luminoſiſſima: vt qui putet hanc mundi nunc, aliquando non fuiſſe religionem, ac ſapientiam, mireturque Patris, ac Filij traditam terris vti nouam religionem, non ſit admiraturus, cognita diligenter, probeque explorata vetuſtiſſima Theologia. In cuius apud omnes gentes mirabili, ſtupendaque concordia, nemo erit modò ſolers, modò non peruicacia, aduerſorumque dogmatum dura perſuaſione irroboratus, qui non miretur, Deum ęternum collaudet, fateatur, noſcatque parentem beneficum, qui ſe totum nobis oſtenſurus, qui varias prius apud homines ſui, obſcuraſque viſiones feciſſet, venit ipſe, verſatuſque eſt aliquandiu nobiſcum, vt nos in ęternum cum eo lætaremur. Eoque in die iudicij nulla ſupererit excuſatio. Semper enim qualicunque ratione cognitus eſt: voluntaſque eius, vt rectè viuamus: poteſtas, quòd per eum creata ſint omnia, quòd ipſe fuerit origo noſtra, ſemper celebris ac nota fuit. De hac item Mente, audire operæpretium mirabile profundiſſimumque myſterium, cuius omnis noſtra poſtea Theologia, quæ melius & aptius vetuſtam Theologiam declarauit, fuit explicatio. Adducitur hoc oraculum a Platonicis. Νοήσας γὰρ πατρικὸς νόος αὐτογένεθλος, ϖᾶσιν ἐνέσπειρεν δεσμὸν πυριβριθῆ ἔρωτος ὄφρα τὰ ϖάντα μένῃ χρόνον εἰς ἀπέραντον, ἐρῶντα. Cogitando paterna Mens, quæ eſt per ſe generatrix, & intelligendo, omnibus inſeruit vinculum igne graue, amoris, vt cuncta permaneant tempus in immenſum, amantia. Hæc verè diuina, cęlituſque miſſa vox, primum nominat, ſibi conſtans, Mentem paternam, Mentem Patris, cui Pater eſt. Eum appellat per ſe Genitricem: quod ſcilicet concorditer omnis & indefeſsè clamat Philoſophia, Mentem rerum principium fuiſſe, cuncta de nihilo, tantum ex originibus illis ęternis, quarum ſimplex vnitas eſt ipſamet, produxiſſe: proinde dicitur ab aliis αὐτόσοφος, per ſe ſapiens: αὐτοτελὴς, per ſe perfecta: πρωτόγονος, primogenita, id eſt, tum ante omnia ab ęterno generata, tum ipſa prima rerum generatrix, origo prima.

Procli loc° de Mente.

Oraculorum mos, vt ſint obſcura.

Ordines Angelorū, principat° nominati. Heb. I.

Virgil. 6. Aeneid.

Seraphin quid.

Coloſſ. I.

Appellationes Angelorum.

Omnes gētes concordes in vera Dei cognitione.

Sententia Platonicorum de Mente.

Attributa Mentis diuinæ.

Eandem

A Eandem dicit ſola cogitatione (quod dogma noſtrum, & Platonicorum eſt) produxiſſe, procreaſſe, inſeruiſſe rebus vinculum amoris, vinculum igneum, quo ſe cuncta amantia, inuicemq́; adhærentia, in omne tempus perdurarent. Hoc vinculum eſt primum in animantibus miſcendorum corporum mira libido, vt Philoſophus Græcus, & Latinus tradit: ex quo perennis exiſtit generatio, nullo vnquam tempore amore deferbente, ſeſe in cunctis animantibus fœmina, mareque appetentibus. Quod Ariſtoteles confitens a Deo repertum, profecto confitetur ab illo, quo Chaldæus, id eſt, Mente filia Dei, rerum inuentrice. Id enim ipſe dixit in Politicis: Ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν οὐ δύναται, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ εἶδος: οὕτω προσωκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου, ἑκατέρου ἡ φύσις τοῦ τε ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν, Quod eſt, Simul autem & natura replet hac circuitione, & reditu, vt ſit ſempiterna: quando non ſecundum numerum, ſed ſecundum ſpeciem tantum id fieri poterat. Sic prouiſa fuit a Deo natura maris, & fœminæ ad coniunctionem. Eadem hæc in libris de Generatione & interitu., Cùm cuncta, inquit, corruptibilia eſſent, quoniam plurimum ab eo, quod primum eſt, aberant, τῷ λοιπομένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεός, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν: Reliquo, qui ſupererat, modo repleuit vniuerſum Deus, faciens generationem perennem. Hæc ille, ſcilicet vt generarent omnia mutuis amoribus, ſeſe inuicem ardenter amantia. Quod a Mente diuina factum Chaldæus prædicat, vocans id vinculum πυριβριθῆ, igne graue, inflammatum. Eoque, vt apud Philonem videbis in libro de Mundo, Verbum Dei eſt δεσμὸς ἄρρηκτος, vinculum indiſſolubile totius mundi: quoniam non animatis ſolùm, ſed etiam inanimis inſeruit amorem ęternum, quo ſeſe mutuo deperirent. Is amor tam mirabilis eſt in arboribus, & herbis, in elementis, aqua, igni, terra, aere, quàm in animalibus. Nec B fuit aliud, quod Moſes factum prodidit a Deo, Producat vnumquodque iuxta genus ſuum. Idcirco & Theologus noſter, Manus tuæ fecerunt me: &, Sicut lac me coagulaſti: &, Antè & retrò formaſti me, cæteraque multa: quoniam ille & formas aptas inuenit, & amorem addidit ambobus. Videſque vt mirabiliter conſentiant, qui religionem Chriſtianam pluſquam annorum duo penè millia anteceſſerint.

Vinculum amoris in animalib⁹.

Ariſ. Polit.

Philo de Mente.

Geneſ. I.

De eadem Mente, ex Mercurio, & Platunicis, omniq́ue eius diuinitate: & quòd ſit mundi creatrix, & Idea mundi, ipſeque mundus archetypus. *Cap. X.*

DVo quoque extant alia diuina, & ſapientiſſimo cuique admiranda teſtimonia de Mente: alterum apud Mercurium Triſmegiſtum, alterum apud Platonicos. Primus Triſmegiſtus, eam illam Mentem Anaxagoræ, & Platonis, quam teſte Ariſtotele dixit Anaxagoras ἀπαθῆ, impaſſibilem, Plato οὐδενὶ μεμιγμένον, nulli rei admiſtã, docuit Græcos, vt nomina & proprietates eas ei attribuerent, in eo qui inſcribitur Aſclepius: Τὸ οὖν ἀσώματον τί ἐστι; νοῦς καὶ λόγος ἐξ ὅλου ἑαυτὸν ἐκ περιέχων ἐλεύθερον σώματος πάντος ἀπλανὴς ἀπαθὴς σώματι, καὶ ἀναφής: αὐτὸς δὲ σαυτῷ ἑστώς, χωρητικὸς τῶν πάντων καὶ σωτήριος τῶν ὄντων: οὗ ἀκτῖνες εἰσὶ τὸ ἀγαθὸν ἡ ἀλήθεια, τὸ ἀρχέτυπον φῶς, τὸ ἀρχέτυπον ψυχῆς. Quæ ſunt, Quid igitur eſt incorporeum? Mens, inquit, & Verbum, quę ſeipſam ex vniuerſo ab omni corpore liberam ſuſtinet, & continet: Inerrabilis, impaſſibilis a corpore, & intangibilis: ipſa ſeipſa ſtans, capax omnium, ſeruatrixq́ue rerum: cuius radij ſunt bonitas, veritas, lux exemplaris, exemplar animæ. Hæc Triſmegiſtus: quibus clariora, diuinioraq́ue, ne ſi Angelus quidem loqueretur, enarraret. Is vt apparet fuit fons Græcæ Philoſophiæ, inde Theologiã hauſerũt, hinc aſciuere vulgatam, celebremq́ue Mentem illam, rerum originem, & cauſam, cui dabant ſapientiam, inuentionemq́ue omnium rerum, eam perinde, vt merita eſſet, deſcribentes, prædicanteſq́ue, inerrabilem, vt quæ plena eſſet ſcientiæ, ſolertiæ, prudentiæ, cuius omnis inuentio, vt in Phædone dicit Socrates, non potuerit eſſe, niſi bona, ſolertiſſima. Eſt enim, inquit Triſmegiſtus, infallibilis, non poteſt falli, & decipi. Deinde nullis corporeis adiumentis ſuſtinetur, nulla corporea vi viuit, agitatq́ue guum, non indiget corpore, quod corruptibile eſt, ſed ab omni corpore libera, & expedita, ſuſtinetur ſeipſa, ſua ſapientia, incredibili poteſtate naturæ ſuæ. Neque poteſt vllum a corporibus accipere detrimentum, vt quam corpora nequeant attingere, eſt enim intacta. Cumq́ue ſit huiuſcemodi natura, eſt capax omnium rerum, & conſeruatrix omnium: In ea enim viuunt, & ſubſiſtunt omnia: ſecretum, arcanumq́ue vinculum, & conſeruatio eſt cunctarum rerum. Nec poteſt tuendis rebus fatigari: quoniam tam vaſta eſt, non quidem corporea mole, & vaſtitate, ſed ſapientiæ & ſolertiæ, vt omnia capiat, vbique adſit. Ab hac, inquit, Mente, tanquam luce immenſa, fulſere radij bonitatis, & ſapientiæ, ac veritatis omnes. Hinc emicuit quidquid rerum vbique eſt, quidquid boni, quidquid veri. Propterea fuit archetypa lux: ea nempe lux, quæ tanquam Regina, materq́ue, omnia creauit. Ab ea accenſa ſunt lumina cœleſtia. Hoc vocatur a Philone Iudæo παναύγεια, dicas licet omniluminis, ingens omnis lucis regio, ſe-

Mẽs ἀπαθὴς καὶ οὐδενὶ μενιγμένος.

Triſmegiſtus in Aſclepio.

Fons Græcæ philoſophiæ.

Mercurius Triſmegiſtus.

Quæ tribuat Menti Triſmegiſtus.

Mens παναύγεια.

Mens archetypus animæ.

Duæ Mentes Philoni.

Oraculum Mercurij de Deo.

Deus νοῦς καὶ αἴτιος.

Duo principia rerũ, Deus & Natura.

Platonis locus è Timæo.

Locus è Theodoro Platonico de duplici mente.

Ideæ rerũ vniuerſarũ Dei: particularum, hominis.

D. Cyrilli locus.

Lumen mẽtale.

Vnus, æternus genitor.

des, ipſamet origo lucis, a qua lux omnis corporea, & incorporea manauerit. Eoque etiam Archetypum animæ, vt ſuperius omnes confitebantur. Ipſamet creauit hominem, eique fuit velut archetypum, formans eum ad imaginem ſuam. Hanc ob cauſam autore Philone ſunt duo λόγοι, duæ rationes, duæ Mentes: altera ſupra nos, exemplar rationis noſtræ: altera noſtra ipſa. Ibique apertè Philo confeſſus eſt, credo ab his libris Triſmegiſti imbutus, Verbum archetypum, creatorem verbi noſtri, id eſt, rationis noſtræ, mentis, animæ. Deſcripſit igitur nobis Mentem Mercurius, eam ex profundiſſima ſapientia appellans etiam λόγον, Verbum, cuius vocis plena eſt Theologia Philonis & Platonicorum, vt videbis, deſcendens, orienſque a priſcis ſæculis, reuelata ab ipſomet Verbo, qui ſe Mercurio, multiſque aliis priſcorum detexit. Conſtatque hæc verè priſcum illum Mercurium locutum: quoniam ſunt etiam a Platone, Platoniciſque omnibus vſurpata, libriſque eorum celebria. Idem Mercurius in eo qui inſcribitur ἱερὸς λόγος, loquens de creatione, exordienſque quaſi geneſim, hæc ait: Ἀρχὴ καὶ ὄντων ὁ θεὸς, καὶ ὁ νοῦς, καὶ φύσις καὶ ὕλη. Principium rerum Deus, & Mens, natura & materia. Ecce quod perhibet Laertius Platonem dixiſſe, mundum creatum a Deo, appellaſſeque Deum, νοῦν καὶ αἴτιον, Mentem & cauſam, acceptum ex Triſmegiſto. Deus igitur & Mens idem ſunt. Hæc fuit principium omniũ, ꝙ tot alij fatebantur ſuperius. Hunc omnes vna voce hominis creatricẽ, Mentem, nunc mundi declarantes, conſultantes. Duo igitur principia rerum veteres ſtatuerunt, alterum agens Mentem, Deumque alterum admittens, & patiens naturam, vel materiam. Priſcorum Theologia, vt vbique vidiſti. Platonici quoque iuxta vetuſtam hanc Theologiã dicunt, τὸ πᾶν ἐκ νοῦ καὶ ἀνάγκης ἐστὶ, τούτου πείθοντος τὴν ἀνάγκην, τῆς δὲ ἀνάγκης πρὸς τὸν νοῦν ἐπιστροφὴν, Vniuerſum ex Mente, & neceſſitate eſſe, Mente perſuadente, & cogente obedire neceſſitatem, neceſſitate autem obſequente, & ad mentem ſe conuertente, eamque ſequente. Hæc prior Plato in Timæo, in hunc modum loquens, paucis exceptis: Sed & quæ a neceſſitate, inquit, fuerunt, adhibere oportet. Miſta enim mundi huius creatio ex neceſſitatis, ac Mentis conſtitutione fuit: ſed Mente imperante neceſſitati, vt ſibi parerent, quæ fierent, haberentque optimè. Sic igitur neceſſitate victa, & coacta ab Intelligentia, & Imperiis Dei, hoc omne conditum eſt. Obſeruandum quoque, perſpicaciterque animaduertendum, quod refert Proclus, Theodorum Platonicum apud Porphyrium inueniſſe opinionem, quaſi allatam ex Perſide: δύο νόας πρὸ αὐτῆς θέντες, τὸν μὲν τῶν ὅλων τὰς ἰδέας ἔχοντα, τὸν δὲ τῶν μερικῶν: Duas mentes ante animam eos ſtatuiſſe, quarum altera contineat ideas vniuerſorum, altera particularium. Sunt enim hęc ea, quæ dixit apertius Philo eſſe δύο λόγους, duo verba, duas rationes, alteram archetypam, alteram noſtram. Dabant autem magnæ Menti, vt creatrici, ideas vniuerſales, quod Plato in Timæo & Mercurius in Pœmandro, & Timæus Locrenſis: minorem autem Mentem, quæ noſtra eſt, particularium rerum dicebant tenere ideas. Hæc Theologia venerat a Barbaris. Quanquam fieri poſſit, vt duas Mentes potius ſentirent eas, quas in primo oraculo demonſtrauimus. Omnia, inquit, perfecit, pater, & tradidit Menti ſecundæ, quam vocant primam omne hominum genus. Longè autem clarius, & verbis plenioribus, aureaque prorſus, & cœleſti oratione locutus eſt in ſermone tertio ad Aſclepium Mercurius de hac Mente: videbis claram Theologiæ Græcæ, & omnium Platonicorum originem. Profertur etiam a Diuo Cyrillo: Οὐ γὰρ ἐφατὸν ἐστὶν εἰς ἀμυήτους τοιαῦτα μυστήρια παρέχεσθαι, ἀλλὰ τῷ νοῒ ἀκούσατε: ἓν μόνον ἦν φῶς νοερὸν πρὸς φωτὸς νοεροῦ: καὶ ἐστὶν ἀεὶ νοῦς φωτινὸς: καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ ἡ τούτου ἑνότης: ἀεὶ ἐν ἑαυτῷ ὢν, ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νοῒ καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα περιέχει: ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐ δαίμων, οὐκ οὐσία τὶς ἄλλη: πάντων γάρ ἐστι κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ ζωὴ, καὶ δύναμις, καὶ φῶς, καὶ νοῦς, καὶ πνεῦμα, καὶ πάντα ἐν αὐτῷ, καὶ ὑπ᾽ αὐτὸν ἐστίν. Quæ ſunt, Neque enim fieri poteſt, vt eiuſmodi myſteria tradas apud profanos, necdum initiatos: ſed animo audite, Vnum ſolum erat lumen mentale, ante lumen mentale: & eſt ſemper Mens illuminata, aut luminaris: & nihil aliud erat, quàm iſtius vnitas, ſemper in ſeipſo exiſtens, ſemper ſua mente, & lumine, & ſpiritu omnia continet. Poſt pauca addit Mercurius: Extra hunc, non Deus, non Angelus, non dæmon, non ſubſtantia, nulla alia. Omnium enim eſt Dominus, & Pater, & Deus, & fons, & vita, & poteſtas, & lumen, & Mens, & ſpiritus, & omnia in ipſo, & ſub ipſum ſunt. In his Triſmegiſti verbis cernitur, vnde Plato myſteria ſua potarit. Vt autem Plato in Epiſtola de myſteriis iiſdem locuturus præfatus eſt, ſe per ęnigma loqui velle, ne venirent ad manus imperitorum quæ ſcribit, & non intellecta contemnerent: eadem præfatione vſus eſt Triſmegiſtus, & Orpheus ſimiliter. Dicam queis fas eſt, claudatur porta profanis. Primumque apud Triſmegiſtum ſunt hæc nomina paterna, vt etiam apud reliquos omnes Theologos, Vnum lumen mentale ante lumen mentale. Sicut igitur Chaldæus duas Mentes docuit, quarum ſuperior & prior genuiſſet ſecundam: ſic Mercurius duo lumina mentalia, duas Mentes luminoſas, Mentes luminis plenas. Prima eſt ipſa Vnitas. Iam enim ſæpe vidimus, & videbimus, Vnum dici ipſum ęternum genitorem. Hoc vnum & lumen eſt, & non eſt lumen corporeum, ſed lumen mentale, lux alterius generis, quàm quæ cernitur corporeis oculis. Eſt autem hoc mentale lumen ſupra, vel ante aliud lumen mentale. Duæ luces, altera prior, altera ſecunda, vel poſterior.

A Fuit ſemper hoc lumen, ſiue primum, ſiue ſecundum. Et nihil aliud fuit vtrunq; lumen, quàm vna coniunctio, vna aſſociatio. Nec aliud fuit ab ęterno, quàm luminis huius coniunctio, vna aſſociatio. Nec aliud fuit ab ęterno, quàm luminis huius coniunctio, & vnitas, ſummaq; vnio. Ante omnia ſæcula fuit ſemper in ſeipſo. Creato autem mundo, continet omnia non manibus, ſed diuinitate mentis ſuæ, & ſpiritu, ſiue ſapientia ſua. Præter hunc primum, & ſecundum non fuit aliud ab ęterno, non Deus vllus, aut Angelus, non qui ſecundum locum obtinent, dæmones, non ſubſtantia. Quæ neque fuerunt ab ęterno, neque dici poſſunt eſſe: quibus non ſit verum eſſe. Eſt Deus ipſe, & hæc ſunt nomina eius. Item aliis locis de eadem locutus eſt Triſmegiſtus, in Pœmandro, vbi viſionem qualem vidit in rubo Moſes expoſuiſſet, emiſſamque vocem, cuiuſmodi item audiuit Moſes, vt & apud Moſem ille idem dixit: Ego ſum Deus patrum tuorum, ego ſum, qui ſum: ſic apud Triſmegiſtum, ſeipſum declarans dixit: Ἐγὼ μὲν φησὶν εἰμὶ ποιμάνδρης ὁ τῆς αὐθεντίας νοῦς. Paulo pòſt: Τὸ φῶς ἐκεῖνο ἔφη ἐγὼ νοῦς ὁ σὸς θεὸς ὁ πρὸ φύσεως ὑγρᾶς τῆς ἐκ σκότους φανείσας. Ego, inquit, ſum Pœmander, id eſt, Paſtor humani generis. Id enim videtur deſignare, Mens autoritatis. Illud lumen, inquit, ſum ego Mens. Deus tuus, qui eram ante humentem naturam, quæ ex tenebris apparuit. Hæc grandia ſublimiaque effatur Triſmegiſtus myſteria. Primùm cùm Mens, ſe Mentem autoritatis appellat. Autoritatem enim dixit patrem, qui primus eſt, & ante omnes, maior etiam ipſa Mente, quatenus genuit eam, deditque ei poteſtatem: ſed non maior, quoniam ęqualem ſibique coæternam genuit. Ipſe igitur eſt autoritas, primatus, principium, caput, primum eſſe, natura bonitatis. Huius eſt Mens, vt dixit Chaldæus, toties appellans eam πατρικὸν νόον, Mentem paternam: in noſtra Theologia, Sapientia Patris. Deum quoque ſeipſam prædicat eadem Mens, ſicut apud Moſen. Etiam B ſe ante humidam naturam gloriatur extitiſſe. Hic ſublime, mirabile myſterium. Eſt enim humida natura, quod apud antiquos Chaos, a fuſione, humiditate, terra, aqua, commiſta, hyle, id eſt, litteris inuerſis ἰλὺς, limus, humus. Eſt terra inanis, & vacua, vel ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, inuiſibilis, & incompoſita. Ante hanc, quæ fuit rerum primordium, initium, embryon, ſemen, fundamentum, inchoatio totius mundi ex terra & aqua, gloriatur Mens ſe fuiſſe. Ergo hæc illa eſt, quam Salomon appellans Sapientiam, inducit eam loquentem, ſicut loquitur apud Triſmegiſtum: Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam ęthera firmaret ſurſum, & libraret fontes aquarum, cæteraque de creatione. Apud Salomonem prædicat ſe poſſeſſam a Domino: apud Triſmegiſtum, prædicat ſe eſſe Mentem autoritatis: apud Chaldæum, Mens patria: apud noſtros, Sapientia Patris. De quo igitur Moſes, cùm rerum deſcriptionem inchoans dicit; In principio creauit Deus cœlum & terram: &, Qui ferebatur ſuper aquas: &, Qui præcepit luci, vt emergeret: innuit iſtam Mentem, quæ fuit antea quàm fieret cœlum, & terra, ante humidam materiam, & inchoamentum, primordiumque totius mundi. Sic item in eo quem vocat ὑμνῳδίαν, hymnum, cantum, gratiarum actionem, verſus erga creatorem ſuũ loquitur: Σὺ ὁ πατὴρ, σὺ ὁ κύριος, σὺ ὁ νοῦς. Tu es Pater, tu Dominus, tu Mens. Cuncti igitur Mentem nuncupantes, creationem ſentiebant: partaque omnia eius ſapientia monſtrabant. Eoque eſt oraculum apud Platonicos ex antiqua Theologia, νοῦ μὲν γὰρ μίμημα πέλει τόδε πᾶν. Hoc vniuerſum, inquit, eſt Mentis imitatio. Eſt, inquit, vniuerſum a Mente depromptum, formatum a mente, velut opifice. C Mirabile verò argumentum, & indicium, Mercurium, Aegyptiosque de Mente, Verboque Dei conditore mundi, hæc myſteria prodidiſſe, ex Plutarcho, in eo, quem inſcripſit de Iſide, & Oſiride, ſiue de Theologia Aegyptiorum. Ait enim in eorum arcanis fuiſſe fabulam (mos enim priſcę Theologiæ fuit, fabulis inuoluere veritatem) Ὅτι καθ' ἑαυτὸν ὁ τοῦ θεοῦ νοῦς καὶ λόγος, ἐν τῷ ἀοράτῳ, καὶ ἀφανεῖ βεβηκὼς εἰς γένεσιν ὑπὸ κινήσεως προῆλθεν, Quòd Mens & Verbum Dei, cùm eſſet per ſe in inuiſibili, & in abdito, proceſſit mota ad creationem, vel mouit ſe ad creandum. Agnoſcis omnes ex vno fonte per omnem mundum ſparſos veritatis riuos? Si ſcire cupis, qui fecit eam, quæ dicitur Geneſis, quam ſcripſit Moſes (Deus autem fecit) qua continetur generatio cęli, & terrę, cęleſtium, ac terreſtrium, autoribus Aegyptiis, fuit Mens, fuit Verbum Dei, inuiſibile, regnans in arcanis diuinitatis ſuæ. Manebat in ſecreta, inſcrutabili diuinitatis ſuæ caligine: &, quod ait magnus Theologus noſter, Erat apud Deum coniunctiſſimus illi, in ſinu eius. Proceſſit ad creandum, ad generandum. Ergo is eſt, de quo Moſes: In principio creauit Deus cęlum, & terram. Hæc eſt Geneſis facta teſtibus Aegyptiis, a verbo, a Mente diuina. Quæ ſicut Græcè dicta νοῦς, Mens, λόγος, ratio: ſic Hebraicè, ſpiritus, ſapere ipſum, ipſa ſapientia, vita. Ex his fontibus arbitror manant, quæ tam pręclara Philo de Verbo Dei eodem & Mente canit, vocans eam ſimiliter ἀόρατον θεοῦ λόγον, inuiſibile Dei Verbum, opifex mundi: & vt ait Pindarus, ἀριστοτέχναν, optimum artificem: Italicus autem poeta, magiſtrum ęternum. Is eſt verbum Dei, Mens, ſapientia inuiſibilis, arcana, abdita, poſtea quaſi facta viſibilis, cuius myſteria ſupremo tempore, ipſa propius ad nos accedente, claruerunt. De hoc ipſo Aegyptiæ Theologię princeps, quæ cęteri ſacerdotes fortè ſuper his, quę retulit Plutarchus, reſpiciebant, in Pœmandro locutus eſt: ὁ δὲ ἐκ νοὸς φοτεινὸς λόγος υἱὸς θεοῦ: Ex Mente verò radians Verbum Filius Dei.

Lumẽ primum, & ſecundum.

Quomodo Deus omnia continet.

Præclarus locus Triſmegiſti, cõſentiẽs cũ hiſtoria ſacra.

Pœmander quid.

Mens autoritatis.

πατρικὸς νόος.

Terra, chaos, ὕλη.

Prouer. 8.

Geneſ. 1.

Vniuerſũ, mẽtis imitatio.

Locus ex Plutarcho Commentario de Iſide.

Geneſ. 1.

Mens, ſpiritus, ſapientia.

Eulogia Dei magnifica.

De Mente ex oraculo quoque Chaldæorum, & Porphyrio, & Proclo: & quòd ſit a Patre, quòd creatrix mundi: & quòd ſit ea, quæ dicitur vltramundana Mens. *Cap. XI.*

DECLARATVR etiam a Philoſophis Græcis, crediturque oraculum illud Chaldæorum, de Patre, & Filio fuiſſe locutum, ꝙ primo loco prolatũ eſt: è quibus eſt Pſellus. Dicebat Chaldæus, Omnia perfecit Pater, & Menti, ſiue Intelligentiæ tradidit ſecundæ, quam vocat primam, omne humanum genus. Pſellus autem Philoſophus: τὴν πᾶσαν κτίσιν δημιουργήσας, ὁ τῆς τριάδος πρῶτος πατὴρ, παρέδωκε ταύτην, τῷ νῷ, ὅν τινα νοῦν τὸ ξύμπαν γένος τῶν ἀνδρῶν, ἀγνοοῦντες τὴν πατρικὴν ὑπεροχὴν, θεὸν πρῶτον καλοῦσι, πλὴν τὸ παρ' ἡμῖν δόγμα ἐναντίως ἔχει, ὡς αὐτὸς ὁ πρῶτος νοῦς, ὁ υἱὸς τοῦ μεγάλου πατρὸς τὴν κτίσιν πᾶσαν ἐδημιούργησεν: ὁ μὲν γὰρ πατὴρ λέγει παρὰ τῇ μωσαϊκῇ βίβλῳ πρὸς τὸν υἱὸν, τὴν ἰδέαν τῆς παραγωγῆς τῶν κτισμάτων, ὁ δὲ υἱὸς αὐτουργὸς τοῦ ποιήματος γίνεται. Hoc eſt, Vniuerſam rerum conditionem molitus primum in Trinitate Pater, tradidit Menti, quam Mentem, omne humanũ genus, ignorantes paternam excellentiam, Deum primum vocant. Verum noſtrum dogma in contrarium habet: quoniam ipſa prima Mens, Filius magni Patris, omnem molitionem perfecit. Nam Pater in libro Moſaico, dictat Filio ideam productionis rerum: Filius autem ipſe per ſe operatur. Hæc Pſellus. Sed aduertat Pſellus hoc oraculum non aduerſari dogmati noſtro, ſed vndequaque congruere, ſi rectè quis intelligat & enodet. Confitemur enim ipſi Patrem omnipotentem, factorem cęli, & terræ, & Filium, per quem omnia facta ſunt. Hoc dogma Chaldaicum ſentit, omnium autorem Patrem, primum fuiſſe, Filium autem ſecundum, iuſſum a Patre creare, aut qui volente Patre, & qui eum omnipotentem genuiſſet, creauerit. Vtriuſque creatio eſt, ſed Patris primum, qui primus eſt. Idque etiam eſt, quod prodidit Pſellus, Patrem dictare, proponere Filio ideam creationis, Filium autem operari. Primus ergo Pater fecit, in quo primo fuit idea & voluntas, & fœcunditas creationis: Filius autem creauit, quia non fecit, niſi quod Pater voluiſſet, fœcunditatem, totamque in idea, & fœcunditate paterna molitionem accepiſſet. Eſtque creatio, prima mundi inuentio, quæ cùm in Patre primo fuiſſet placita, & concepta, decreta, & deſignata, etiam in Filio fuit, Patre donante: qui dedit ei poteſtatem in cœlo, & in terra, glorificauitque Filium ſuum, gloria quam habuit, priuſquam mundus fieret. Hoc ſentit Chaldęus. Hęc ipſa item Mens eſt a Platonicis appellata ὁ ἐπέκεινα νοῦς, Mens vltramundana, ante oĩa, & quod diuus ille, πρωτότοκος πάσης κτίσεως: de qua Porphyrius in Propoſitionibus: περὶ τοῦ ἐπέκεινα νοῦ κατὰ μὲν νόησιν πολλὰ γέγονται, θεωρεῖται δὲ ἀνοησίᾳ κρείττονι νοήσεως ὡς περὶ τοῦ καθεύδοντος: διὰ μὲν ἐγρηγορεύσεως πολλὰ λέγεται, διὰ δὲ τοῦ καθεύδειν, ἡ γνῶσις καὶ ἡ κατάληψις· τῷ γὰρ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον γιγνώσκεται: ὅτι πᾶσα γνῶσις τοῦ γνωστοῦ ὁμοίωσις. De Mente, inquit, vltramundana, aut ſuperna, ſecundum intellectionem multa dicuntur. Cognoſcitur autem & conſideratur ignorantia, quæ eſt omni cognitione melior. Sicut de dormiente. Nam per vigiliã multa dicuntur: per dormitionem verò fit notio & apprehenſio. Simili enim ſimile noſcitur: quia omnis notio, rei notæ eſt ſimilitudo. His innuit Porpyhrius, quæ ſæpe noſter Dionyſius de negationibus in Theologia, Meliorem ſæpe ignorantiam in altiſſimis rebus, quàm ſcientiam, negationem, quàm affirmationem. Sacrum item ſilentium, quo colitur ineffabilis diuinitas. Tuncque rectè Theologiam explicamus, cùm dicimus: Deum inſcrutabilem, inueſtigabilem, incomprehenſibilem, ineffabilem. Hoc a Porphyrio dicitur ἀνοησία, omni notione melior inſcitia. Dixit item Porphyrius per affirmationem multa de ea prædicari, vt quòd ſit omnipotens creator, opifex omnium. Sed eſſe rurſum negationem (quæ ſi in animo ſit, dicitur ἀνοησία) omni affirmatione meliorem. Pulcherrimumque adhibet exemplum: Qui vigilant, de eo qui dormiat, multa diſſerere poſſe, multa ſuper eo fabulari: ſed notionem veram dormitionis, & quid ſomnus tandem ſit, quidve dormire, tunc fore perſpicuum, ſi tu qui dormieris aliquando, didiceris, quid ipſum dormire ſit: Sicque melius ſciri ſomnum, per alium ſomnum, quàm per vigiliam, quia ſimile ſimili perſpiciatur. Sic de altiſſima & vltramundana Intelligentia, multa prædicari per notionem, & ſcientiam, eſſe autem inſcitiam quandam ſomni ſimilem, melius & dignius tacetem, tacendoque intelligentem, quàm ſi loqueretur, & affirmaret. Quia ſupermundana Mens illa, mentes, & ſenſus excedit omnes. His igitur Porphyrij documentis, declaratur ęternæ Mentis, ac cæterarum diſcrimen. Sæpe enim & apud Mercurium, & alios Philoſophos, de mente noſtra, & mente in commune fit ſermo: ſed ſeparat vbique ipſa ratio, principem Mentem, genitricemque aliarum, ab omni alia. Hæc princeps præcipuè dicitur, ὁ ἐπέκεινα νοῦς. De hac item eundem Porphyrium ſiue Proclũ par eſt locutum eodem libro, cùm ait: Omnis proceſſus eſt ab eo, ad quem naturalis fit conuerſio. Poſtea, quoniã a Mente, vt a principio, & origine cuncta naſcuntur, infert: ἐκ δὴ τούτων φανερὸν ὅτι καὶ ὀρεκτὸν πᾶσι νοῦς, καὶ πρόεισι πάντα ἀπὸ νοῦ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος ἀπὸ νοῦ ἔχει κ' ἂν ἀΐδιος ᾖ καὶ διὸ οὐ πρόεισιν ἀπὸ νοῦ διότι ἀΐδιος: οὐ γὰρ διὰ τοῦτο οὐκ ἐπέστραπται, διότι ἀεὶ τέτακται: ἀλλὰ καὶ πρόεισιν ἀεὶ καὶ ἀΐδιος κατ' οὐσίαν, καὶ ἐπέστραπται ἀεὶ ἄλυτος κατὰ τάξιν. Ex his, inquit, manifeſtũ eſt, quòd ab omnibus deſideratur Mens, & omnia procedunt a Mente,

Pſelli locꝰ de Mente.

Pater dictat, filius operatur.

Matth. 28.

Mẽs vltramundana.

Ignorãtia melior cognitione.

Notio, rei notæ ſimilitudo.

Negatio melior affirmatione quomodo.

Somnum per ſomnũ melius ſciri.

Mens princeps diſtincta ab alijs.

Porphyrij ſententia de Mente principe, ſeu vltra mundana.

A & omnis ornatus eſt a Mente, etiam ſi ſit ęternus. Neque propterea non procedit a Mente, quoniam ſit ſempiternus. Neque enim ob id non conuertitur, ac reflectitur, quoniam ſemper gubernetur, & ordinetur. Sed & procedit ſemper ſempiternus, ſecundum ſubſtantiam: & conuertitur ſemper etiam indiſſolubilis ſecundum ſubſtantiam. Hæc ille ſine dubio de Mente, ſiue Sapientia vltramundana. Nec moror nunc, quę de ſempiternis ordinibus diſputat: ſuis hęc locis perpendentur. Diuinè quoque naturam Mentis huius, ac poteſtatem explicuit, & aſſignauit Proclus in Theologia Platonica, vt ſecundo quoque libro demonſtrabitur, de qua ſic loquitur: οἱ δὲ αὖ καὶ τὰ τῶν ψυχῶν πλήθη παράγουσι, παρ' ἄλλης πρεσβυτέρας ἀρχῆς καὶ νοῦν ἡγεμόνα τῶν ὅλων ὑποτίθενται, τέλος μὲν τὸ ἄριστον εἶναι φασὶ, τὴν πρὸς τὸν νοῦν τῆς ψυχῆς ἕνωσιν: Qui verò, inquit, multitudinem animarum producunt ab alio vetuſtiore principio, Mentemque principem omniũ decernunt, finem optimum eſſe dicunt, animæ cum Mente coniunctionem. Hæc Proclus, referens placita quorundam aliorum Platonicorum. Quibus nihil venerabilius, nihil cęleſtius, Mẽtem eſſe fontem, originem animarum, principiumque maius, eamque eſſe omnium Principem, & Imperatorem, vt eſt in Epiſtola, & in Philebo. Eum autem eſſe finem optimũ, vt vniatur, copuleturque anima cum principe Mente. Hæc enim etiam noſtra Theologia eſt, neceſſe eſſe, vt ſociemur, vnumque efficiamur cum illo, ſi beati volumus eſſe. Pergit etiam Proclus, hæc ipſa melius de tribus principiis, quid Platonica ſentiat Theologia, declarans: σωμάτων μὲν ὥσπερ εἴρηται, καὶ ψυχῶν πατέρα τὸν νοῦν ἀποφαίνει καὶ αἴτιον, καὶ περὶ ἐκεῖνον πάντα, καὶ εἶναι καὶ ἐνεργεῖν ὅσα τὴν ζωὴν ἐν διεξόδοις, καὶ αἰελίξεσι κέκτηται: Corporum, inquit, quemadmodum dictum eſt, & animarum patrem & cauſam mentem pronunciat Theologia Platonis: circaque illam eſſe omnia, & operari, quæ vitam in proceſſibus, & explicationibus poſſideant: Sic ille. Aduerte igitur, quę de B Mente nunc ſentire dicit Theologiam Platonicam Proclus. Innuit enim epiſtolã ad Dionyſium de tribus Regibus, Mentemque ſecundum eſſe ex illis Imperatoribus, principiiſque tribus, circa quam omnia eſſe Plato fatetur. Sicq; eſt Filia ſummi Boni: quoniam ſummum bonum eſt primus Rex: & is primus Rex eſt Pater cauſæ, & principis in Epiſtola. Cauſa autem & princeps eſt Mens.

Procli locus è libro de Theologia Platonis.

Mens, origo animarum.

Quòd Mens ſit Deus, opiſexque mundi: & quòd veteres Græciæ Philoſophi id agnouerint: & de Ideis. Cap. XII.

QVòd Plato in Philebo dixit, non ſolùm Anaxagoram, ſed maiores fermè omnes, præcipuè prudentiores, dediſſe Menti principatum, inuentionemq; rerum, eamque Deum, & cauſam declaraſſe, non modò tam multa ſuperius teſtantur, ſed etiam hi, quos autor eſt Plutarchus in Philoſophia nobiles extitiſſe. Ac primũ de Anaxagora. Is inquit corpora a principio cõſtitiſſe: νοῦς δὲ θεοῦ αὐτὰ διεκόσμησεν, καὶ τὰς γενέσεις τῶν ὅλων ἐποίησε: Mentem autem diuinam hęc exornaſſe, omniumque ſatus naturaſque feciſſe. Quod ergo ſenſit Anaxagoras, a priore Thalete traditum fuerat. Thales, inquit, ſentit νοῦν τοῦ κόσμου θεὸν: Mentem, ſiue Intelligentiam Mundi, Deum. Pythagoras item hanc Intelligentiam, ſeu Mentem diuiniſſimam agnouit, eodem autore, vt Deum quidem appellaret Monada, id eſt, C Vnitatem: & τὸ ἀγαθὸν, ipſum Bonum, quę ſit natura vnitatis. Quod a Mercurio prius proditum. Siquidem Triſmegiſtus in eo qui inſcribitur Crater (quod nomen & rem imitatus eſt in Timæo Plato) dixit: ἡ μονὰς πάντων οὖσα ἀρχὴ καὶ ῥίζα: καὶ ἀρχὴ οὖσα, ἄνευ δ' ἀρχῆς οὐδὲν, οὖσα μονὰς ἐν ἀρχῇ καὶ πάντα ἀριθμὸν ἐμπεριόχει, ὑπὸ μηδενὸς ἐμπεριεχομένη: καὶ πάντα ἀριθμὸν γεννᾷ, ὑπὸ μηδενὸς γεννωμένη ἑτέρου ἀριθμοῦ: Vnitas, inquit, omnium eſt principium, & radix. Cumque ſit principiũ (nam ſine principio nihil fit) omnem numerum continet, a nullo contenta: & omnem numerum gignit, a nullo alio numero genita. Hanc igitur, quam docuit Pythagoram Triſmegiſtus Theologus Aegyptius, longeque Græcis antiquior, Monada, ſiue Vnitatem, idem Pythagoras dicebat αὐτὸς ὁ νοῦς, quòd ſit ipſa Mens. Democritus etiam, qui plurimum aliàs delyrauit, νοῦν τὸν θεὸν: ἐμπυροειδῆ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν: Mentem ipſum Deum, igneam mundi animam Deum, habuit a Chaldæis, qui Deum priores ignem dixerant in ſententiis Zoroaſtreorum: εἰσὶ πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα: Sunt ab igne vno omnia nata. Ignem inuiſibilem, noſtræ quoque litteræ Deum vocant. Ab eo ſic nata cuncta Chaldæi, ſicut Democritus, quòd ſit anima mundi. Socratem, & Platonem Plutarchus ait ſimiliter atque Triſmegiſtum ſenſiſſe: τὸ ἓν τὸ μονοφυὲς, καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μονοδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθὸν, πάντα δὲ ταῦτα τῶν ὀνομάτων, εἰς τὸν νοῦν σπεύδει. νοῦς οὖν ὁ θεὸς χωριστὸν εἶδος: τουτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδὲν ἐν τῷ παθητῷ συμπεπλεγμένον: Ipſum Vnum ſingularis naturæ, per ſe natum, ſingulare, verum bonum eſſe Deum: hæcque nomina ſpectare ad ipſam Mentem. Mens igitur Deus, forma ſeparata: hoc eſt, nulla materia contaminata, & concreta, nulli rei paſſibili admiſta. Ecce quod Anaxagoras ſuperius, & quod de eo prodidit Ariſtoteles. Stoici quoque, qui mundum, & ſtellas Deos, ſicut Ariſtoteles & Plato, putarent, tamen τὸν ἀνωτάτω πάντων νοῦν ἐν αἰθέρι, Altiſſimum, ac ſupremum omnium Deorum, ipſam dixere Mentem. Hinc apparet quid ſenſerint, quicunque aſtris, aut mundo dederunt diuinitatem, non illam ſcilicet ineffabilem, ſupremam, principem inuentricem omnium,

Mens princeps, rerũ omniũ cauſa, Platoni.

Mens mundi, Deus Thaleti.

Deus, vnitas & bonum locus è Cratere, libro Triſmegiſti.

Democriti ſententia de Deo.

Ignea mũdi anima.

Stoici & Plato ſydera deos putarunt.

Ideæ Platonis.

Definitio Ideaũ ex Dionyſio.

Alia deſcriptio Ideaũ, & quæ earum ratio.

nium, ſed diuinum quiddam, factumq́ue ab ipſo Deo. Ideas quoque Plutarchus perhibet Socratem & Platonem ſenſiſſe, ἐν τοῖς νοήμασι, καὶ ἐν ταῖς φαντασίαις τοῦ θεοῦ, τουτέστι τοῦ νοῦ ὑφεστῶτας, In cogitationibus, ſenſiſque Dei, hoc eſt, Mentis ſubſiſtentes. Sic Deus eſt mens, creatrix mundi, cuius Ideam in ſe contineret. Is locus & hæc declaratio Plutarchi admirabilis & obſeruanda, vt ſcias & quid de Ideis ſenſerit Plato, & quo in loco habere deceat Ideas. Sunt videlicet, ſicut rectè & ſapienter diffiniuit Dionyſius, προορίσματα καὶ θελήματα θεοῦ, prædefinitiones & voluntates Dei. Idq́ue etiam perhibet Pſellus priores Chaldæos ſenſiſſe, cuius teſtimonio recognoſces ea, quæ ſuperiores attulerunt, Chaldæorum eſſe, ſicut item erant Triſmegiſti, μίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσιν, καὶ ἓν αὐτὴν καὶ ἀγαθὸν ἀπο ὑμνοῦσι· ἰδέας δὲ νομίζουσιν, νοῦ μὲν τὰς τοῦ πατρὸς ἐννοίας, νοῦ δὲ τοὺς καθόλου λόγους, φυσικοὺς καὶ ψυχικοὺς καὶ νοητοὺς, νοῦ δὲ τὰς ἐξῃρημένας τῶν ὄντων ὑπάρξεις. Vnum, ait, principium omnium opinantur Chaldæi, ipſum Vnitatem, & Bonum, laudando vocantes. Ideas ſentiunt, modò Patris cogitationes, modo rationes vniuerſales naturę, mentis, animę, modò ſeparatas a rebus ſubſiſtentias. Dico igitur ex ſententia Plutarchi & Dionyſij, prioris quidem, opinionem Platonis fuiſſe, Ideas eſſe primum illud Chaldæorum, Patris, id eſt, opificis mundani ſenſa, & meditata: poſterioris, Ideas eſſe ipſas Dei voluntates. Si addideris ſecundum ſignificatum, vt ſint rationes naturales, & vniuerſales in natura, & in mentibus, & anima, rectum erit, & idem ferme atque primũ. Vltimas autem Ideas ſicut Plato & Ariſtoteles, & Dionyſius reiecerunt, delectum in Chaldaicis dogmatis habentes, ſic prorſus reiiciendas cuique, perſpicuum. Ergo pro errore, & fabula, commentoq́ue habendum dogma quorundam Platonicorum, τὰ νοητὰ, id eſt, Ideas, quæ Plato in mente opificis ſtatuit, eſſe quandam diuiniſſimam, primamq́ue Deorum gentem, ceu primam Angelorum Hierarchiam. Item vnitates rerum, & Ideas ſeparatas, fontes, & origines. Commentum non a veritate modò, ſed etiam Platonis animo alienum, vel Plutarchi ad rationis claritatem teſtimonio accedente. Item ex Plutarcho obſeruari operæpretium eſt, & ſcitu digniſſimũ, idem eſſe diuinam Mentem atque ipſas Ideas, quod Philo, & Plotinus docuerunt: Sapientiamq́ue eius eſſe Idearum cunctarum naturam, ac ſubſtantiam: idemq́ue totam Idearum ſeriem, atque ipſam immenſam Dei ſapientiam. Obſeruandum item hanc Mentem eo fuiſſe cunctis Philoſophis creatorem, quòd ei tribuerent Ideas rerum origines. Ex quibus claret eos ſenſiſſe, locutoſque eſſe, quæ a Barbaris didiciſſent. Priores Barbari Chaldæi, Aegyptij, & quos priore loco ſtatuere fas erat, Hebræi hanc Mentem rerum creatricem prædicauerant, anteponentes ei quendam alium genitorem ſuum. Cuius rei pro Chaldæis teſtis eſt cum Sibyllis ſecta Zoroaſtreorum & Magorum, pro Aegyptiis Triſmegiſtus, pro Hebræis ad alios multos, Philo: pro Græcis maximè Plato, omniſque Platonicorum familia: prior autem Orpheus. Apud quos vno ore, Patrem iſtius ęternæ, omnipotentis, omniaq́ue creantis Mentis, inuenies. Quod partim oſtendi, partim oſtendam.

Ex Proclo, & Porphyrio de Mente, & eam antecedente Genitore. Cap. XIII.

DE HAC item Mente, non ſolùm rerum opifice, ſed etiam ſecundo principio, habente ante ſe priorem, multa loquuntur alia concorditer Platonici, per manus inuicem tradentes Theologiam. Nam Proclus in permonſtrato libro, vbi de Theologia Platonis, quæ traditur in Parmenide, multa dubitat, hæc dicit: ἀλλ' οἱ μὲν παλαιοὶ, καὶ τῆς Πλωτίνου φιλοσοφίας μετέχοντες τὴν νοερὰν φύσιν ἐνταῦθα πεφυκέναι λέγουσιν ἀπὸ τῆς ὑπερουσίου τῶν ὄντων ἀρχῆς ὑφισταμένην, καὶ πάνθ' ὅσα διὰ ταύτης συμπεράσματα προτείνεται, τῇ τοῦ νοῦ μιᾷ καὶ παντελῆ δυνάμει, συναρμόζειν ἐπιχειροῦσι: Sed veteres, inquit, & qui Plotini Philoſophia ſunt initiati, naturam intelligibilem in Parmenide dicunt ab vno ſuperſubſtantiali rerum principio ſubſiſtentem, & omnes, quæ per hanc pręponuntur concluſiones, Mentis vni, atque perfectiſſimæ poteſtati coniungere nituntur. Ecce Proclus teſtatur Philoſophiam Plotini id maximè ſtuduiſſe, vt oſtenderet naturam intelligibilem, & inuiſibiles ſubſtantias, Angelorumq; choros ab vno ſubſtantiali procedere principio. Quòd autem ſit principium tantum ac tale, paulò poſt docet: Mens videlicet, ad cuius ineffabilem poteſtatem, omnes, quæ ſunt in Parmenide Platonis, & de quibus tam multa cuncti diſſerunt, concluſiones, conentur reuocare, vt quidquid ibi locutus ſit Plato, pertineat ad Mentem, ordineſque intelligibiles, a ſuperſubſtantiali principio Mente naſcentes, Hocq́ue eſt, quod in noſtra Theologia, per eum creata viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Thronos, ſiue Poteſtates, ſiue Virtutes, ſiue Dominationes. Hæc a Platonicis dicitur νοερὰ φύσις, & dicitur nata a ſuperſubſtantiali principio, ab ineffabili, & omnipotenti Mentis autoritate. Perhibet idem Proclus, apud vetuſtiores Platonicos (vt eorum diuinitatem agnoſcas) καὶ παρ' αὐτοῖς εἴωθε θρυλλεῖσθαι, τὸ μὲν πρῶτον ἕν τι θεμένοις, τὸν δὲ νοῦν ἓν πόλλα, τὴν δὲ ψυχὴν ἓν καὶ πολλά: Apud eos iactari ſolere, primatum omniũ rerum Vnitatem, ipſam autem Mentem vnum multa: Animam verò Vnum & multa. Sunt igitur hæc omnia ſymbolica, & mathematica, quibus ſignificabant res diuiniores, Tria numina, & qui in Epiſtola ſunt tres Reges, nominibus mathematicis deſignantes. Primus eſt vnitas Pater, qui eſt ante omnia, eoq́ue eſt Vnitas, &

Mens, vnũ multa.

Tria nomina, tres Reges, vnꝰ Deus.

A tas, & Principium. Mens autem naſcens ab illo, eſt Vnum multa: Vnum quia retinet naturam paternam: Multa, quia facit ſecundum numerum. Eſt enim ſecunda. Ab ea incipit numerus. Tertio loco eſt tertius Rex, aut tertiò, vocatus Vnum & multa, addita copula, vt magis eũ a primo diſtare, ſecundum numerum, deſignarent: quia ſecundo loco. Copula quidem vnum non ſignificaret in eo, quia faceret tertium, aut numerum. Separatis autem duobus, vnum ab vtraque parte eſt. Tertius eſt vnum, & multa: Quia tum procedit a primo, eoque retinet naturam eius & nomen: tum tertio loco exiſtens eſt, & multa: quia ſi tria ſepares, ab altera parte remanet vnitas, ab altera multitudo, nempe duo. Sed relinquamus nomina nimium mathematica. Illud perſpicuum eſt, ſecundo loco Mentem eos ſtatuiſſe, poſt Patrem ſuum: idque vetuſtiores Platonicos tradidiſſe. Proclusque adducit ex Porphyrio: ἐν τῇ πατριαρχῶν πραγματείᾳ, τὸν νοῦν εἶναι μὲν αἰώνιον ἐν πολλοῖς καὶ καλοῖς ἀποδείκνυσι λόγοις, ἔχειν δὲ ὅμος ἐν ἑαυτῷ καὶ προαιώνιον τοῦ νοῦ, τῷ ἑνὶ συνάπτειν: ἐκεῖνο μὲν ἓν ἐπέκεινα παντὸς: τὸ δὲ αἰώνιον δευτέραν ἔχειν, μᾶλλον δὲ τρίτην ἐκείνου τάξιν, δεῖ γὰρ οἶμαι τοῦ προαιωνίου καὶ αἰωνίου τὸν αἰῶνα, μέσον ἱδρῦσθαι: Porphyrius, inquit, in libro quo agit de Patriarchis, id eſt, primis rerum autoribus, Mentem eſſe ęternam, multis, ac prędaris probat rationibus: habere tamen in ſe quod ſit Menti præęternum (vt ſic vertamus verbũ) Vnitati connectere. Illud quidem erat vltra omne ęuum: ęternum autem ſecundum habere, immo verò tertium ordinem ab illo. Oportet enim, vt reor, præęterni, & ęterni mediam ipſam collocare ęternitatem. Tum addit Proclus (ſed de hoc, ſermo nobis ne ſit) τοσόνδε δὲ ὅμος ἐκ τῶν εἰρημένων λάβωμεν, ὅτι καὶ ὁ νοῦς ἔχει τι κρεῖττον ἐν ἑαυτῷ τοῦ αἰονίου: Tantum, inquit, ex dictis accipiamus, quòd etiam Mens habet aliquid melius in ſe ipſa, quàm ęternitatem. Ex his, etſi dicuntur obſcurè, & more Platonicorum, is tamen efficitur ſenſus, Mentem eſſe ſempiternam, habere autem quod eam antecedat, non tempore, aut ęternitate (nam ęterna ſunt ęqualia) ſed natura: vt cùm ſint duo ęterna, ſed alterum alterius genitor, neceſſariò gignens verè ſit ęternum, & aliud magis, quàm alterum. Nam Primus ipſe eſt ante omnem ęternitatem, non tempore, ſed naturæ: ęternus autem ipſe Filius habet ſecundum locum, immo verò, quoniam inter ęternum & præęternum, interiacet ęuum, vel ęternitas, neceſſariò tertio in loco eſt ęternum. Sed ſcias iſta dici de ſumma Patris excellentia: quia cùm Mentem ęternam genuerit, non poteſt eſſe præęternus ipſe, id eſt, ipſam ęternitatem antecedens. Et ipſe Porphyrius teſtatus eſt Mentem habere quid ęternitate melius. Ergo ea dicuntur, vt oſtendatur id, quo Genitor præcedit Genitum, vt ipſe docuit, cùm Patrem ſuum maiorem ſe prædicabat, referebatque illi accepta cuncta bona. Hoc Platonici explicare melius non valentes, vſi ſunt nominibus Aeterni, & Præęterni, quorum primum eſt Mentis, ſecundum eius qui Mentem natura præcedit. Quorum conformitatem, & ſummam naturæ coniunctionem declarantes, dicunt Aeternum, ipſam nempe Mentem, habere quid ęternitate melius, attingere ſcilicet, ad naturam Primi. Dicunt etiam ipſam Mentem habere in ſe Præęternum, id eſt, naturam ante ęuum, ante ſæcula, quo copuletur cum Vnitate, quæ Pater ipſe eſt, primum eſſe, primatus, fons omnium rerum, vnde numeri cuncti prodiere, ante omnia ipſe Filius. Totaque tandem hæc Theologia eſt, quam nos quotidie celebramus, quòd Mens & proles Dei ſit patri ſuo coęterna.

Mens poſt patrem ſtatuta.

Procli locus.

Mens aliquid in ſe melius habet, quàm ęternitatē.

Primũ nõ tempore, ſed natura.

Ioan. 14.

Ex eodem Proclo, de Genitore, ſummo Bono, progenie diuina, Mente: item de tertio Anima, ſeu ſpiritu: & de diuinitate ipſius Mentis. Cap. XIIII.

DIVINITVS etiam eſt de ea locutus Proclus, declarans & Platonis Theologiam, & aliorum placita Platonicorum: cuius teſtimonio, & quantum Menti præcellat Vnitas ipſa, noſcitur, & quanta rurſum inter eam ipſamque Vnitatem coniunctio intercedat: in eo ipſo libro de Platonica Theologia: ἡ οὐσία καὶ ὁ νοῦς, ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ πρώτως ὑφιστάναι λέγεται, καὶ περὶ τὸ ἀγαθὸν ὕπαρξιν ἔχει, καὶ πληροῦσθαι τοῦ τῆς ἀληθείας φωτὸς ἐκεῖθεν προϊόντος, καὶ τῆς ἐπιβαλλούσις αὐτῆς μεθέξεως ἐκ τῆς ἑνώσεως τοῦ φωτὸς τούτου τυγχάνειν, ὃ δὴ καὶ αὐτοῦ νοῦ, καὶ τῆς οὐσίας ἐστὶ θειότερον, ὡς τοῦ ἀγαθοῦ πρώτως ἐξηρτημένον. Quæ ſunt: Subtantia, & Mens a Bono & principaliter, & primò dicitur ſubſiſtere, & circa Bonum, exiſtentiam abere, & repleri lumine veritatis illinc promanantis, & accipere participationem, ſeu dependentiam ex coniunctione, & vnione luminis, quod & ipſa Mente & ſubſtantia eſt diuinius, vt quod primò dependet a Bono. Hæc ille: quibus nihil profundius, grandius, ſublimius effari poeſt omnis Theologia. Eſt autem apud Platonicos altiſſimum dogma, idem eſſe, ſubſtantiam, ſie Ens, atque ipſam Mentem: idem quoque Bonum, & Vnitatem. Iure autem, Mens, & ſubtantia, ſiue Ens, ſunt idem: quippe & ipſa Mens apud vetuſtiſſimum Theologorum Moſen diit, Ego ſum, qui ſum, ὁ ὤν: Philoſophis, τὸ ὄν: & Dionyſius Ieſum vocat τὸ ὄν. Eſt autem Ieſus lius Dei, Mens ipſa. Ea eſt primum, excellentiſſimumque Ens, primo principaliterque naſcens Patre ſummo Bono, & Vnitate. Vt ergo ſubſtantia & Mens ſunt nomina ſecundi principij Patre procedentis: ſic ipſum Bonum, aut ſummum Bonum, atque item Vnitas, ſunt nomina mi principij. Vnitas quidem, ꝙ ab eo naſcuntur omnia, vel ipſa Mens, caput, & fons omnium.

Subſtãtia, idē atque Mens, bonũ, vnitas: ὁ ὤν, καὶ τὸ ὄν.

Dicitur,

Ab ipſo bono Mens. Lumen de lumine.

Dicitur, inquit Proclus, & conſtantiſſima fama eſt inter omnes Theologos, ab ipſo ſummo Bono, primitus, primò, ante omnia ſubſiſtere Mentem, & ab eo, & circa ipſum habere exiſteriam, circa ipſum reuolui: quia niſi eſſet illud, ipſa non eſſet. Inde naſcitur, dependet, ſicut ipſa fatebatur in mundo. Inde repleri quoque inquit lumine veritatis manantis inde. Eſt enim diuina progenies, lumen ęternum, lumen de lumine, eſt ſapientia patris ſui.

Ioan.7.

Eoque clamabat, Doctrina mea, non eſt mea, ſed eius, qui miſit me: & cùm diceret ſe glorificatum a Patre ſuo gloria ęterna, antequam mundus fieret. Hoc omne multis nominibus ſignificant Platonici, depēdentię, participationis, exiſtentiæ ex illo, & circa illum, luminis ex illo. Ac quod ait, hoc lumen quod Patris eſt, eſſe Mente diuinius, noris eum ſentire, Patris præexcellentiam, & primum eſſe, fontalemque lucis ęternæ (quę natiuitas ipſa eſt prolis ſuę, immo proles ipſa) exiſtentiam. Non poteſt enim aliter excellentia paterna deſignari. Sed audi mirabiliora, vt cęlos eis patefactos poſſis dicere, vidiſſeque eos gloriam ſempiterni Dei.

Mira Platonicorū Theologia.

Omnis enim hæc Theologia Procli, eſt ſuperiorum, & ante eum Platonicorum, vt ſtupeam noſtram radiantem apud eos miratus Theologiam: τὴν τοῦ νοῦ τάξιν δευτέραν ἀποφῆναι τῆς ἐξῃρημένης τοῦ ἑνὸς ὑπεροχῆς: εἰ τοίνυν καὶ ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς εἰκὼν τοῦ πρώτου νοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο μόνον τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν τοῦ νοῦ μετουσίαν αὐτάρκεια, καὶ τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν παρῆν: ἀλλὰ ὁ μὲν ἡμέτερος νοῦς, τοῦ ἀγαθοῦ διέζευκται, καὶ ἐστὶν ἐνδεὴς, καὶ διὰ τοῦτο δεῖται καὶ τῆς ἡδονῆς δεῖται: ὁ δέ γε θεῖος νοῦς, ἀεὶ τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει, καὶ συνήνωται πρὸς αὐτὸ, καὶ διὰ τοῦτο θεῖός ἐστι, ἀγαθοειδὴς μὲν ὢν κατὰ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ μετουσίαν θεῖος δὲ ὡς τῆς πρώτης θεότητος ἐξηρτημένος: Secundum, inquit, ordinem, poſt Vnitatis ſeparatam excellentiam dicere Platonicam Theologiā habere Mentem.

Mens noſtra imago primæ Mētis, & quomodo.

Si igitur & mens noſtra eſt imago primę Mentis, etiam ſecundum hoc tantum bonum, & nobis ſecundum Mentis participationem, ſufficientia, & proprium bonum adſit. Sed mens noſtra a bono diſiūcta eſt, eſtque indiga, eoque etiam voluptatis indiga ad humanam perfectionem. At diuina Mens ſemper bonum participat, & vnita eſt cum ipſo, & propter hoc diuina eſt. Similis quidem ipſi ſummo Bono, ſecundum Boni participationem: diuina verò, ceu quæ ſit cum prima Deitate connexa. Hæc Proclus. Ecce ſecundus ordo, locuſque Mentis poſt altiſſimam, eminentiſſimamque Vnitatis excellentiam, ac ſupereminentiam. En item mens noſtra, imago diuinæ Mentis.

Geneſ.2.

Nullus nobis ad patrem aditus niſi per Mentem.

Ioann.14.

Ioann.1.

Cōciliatio loci D. Ioānis cū Procli verbis de Mente Dei.

Ariani diſiungebant Mentē a Deo.

Fecit enim nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Ecce nobis non aditus ad Patrem, non Boni communicatio, niſi per Mentem primogenitam, noſtra mente ab ipſo ſummo Bono longè diſiuncta. Ecce quoque Mens diuina, Mens Dei, Mens paterna, vt Chaldæus dicebat, ἀγαθοειδὴς, ſimilis ſummo Bono, gerens ſimilitudinem, formamque ſummi Boni Patris ſui. Propterea dicebat: Qui videt me, videt & Patrem meum. Ecce Deus ipſe Pater, ipſa prima Diuinitas. Denique ecce quod ait diuus Ioannes, Et verbum erat apud Deum: qui quidem ſermo ſonat, quod Proclus, συνήνωται πρὸς αὐτὸ. Coniunctus erat cum ipſo Bono. Ioannes, ἦν πρὸς τὸν θεόν: Proclus, πρὸς αὐτὸ ἀγαθόν: & Ioannes, Erat apud Deum: Proclus, Coniunctus, vnitus cum ipſo: cùm Ioannes ait, Erat apud Deum, deſignat, coniunctus erat, cohærebat cum Deo, erat a Deo inſeparabilis, coęternus. Quem Ioannes vocat Deum, Proclus ipſum Bonum, etiam Deum. Quod Ioannes item λόγον, Rationem, Verbum: Proclus νοῦν, Mentem. Idem eſt autem Ratio & Mens. Ratio, ſapientia ſummi Dei. Nota obſecro, inure menti, infige verbum illud συνήνωται, coniuncta eſt, vnifacta, vt ſic loquar, erumpens Verbum Philoſophis contra Arianos, & alios, qui diſiungebant Mentem a ſummo Bono. Coniuncta eſt, ait, vnita cum ſummo Bono Mens. Hoc Proclus ex Platone, hoc omnes.

Mens vnita cū Deo.

Quòd ſi Proclus dicat excellentiam ſummi Boni etiam a Mente ἐξῃρημένην, ſeparatam: ſcias eum maieſtatem illam, altiſſimamque diuinitatis arcem eo, non diſiunctionem innuere. Quòd ſi ſecus ſentiat, ecce ſe ipſo refellitur, συνήνωται vnita, vnifacta, copulata, connexa Mens cum ſummo Bono: Nec rectè explanaret Platonem. De Mente quoque conſiderandum, quòd ex ſententiis cæterorum Platonicorum idem Proclus pronunciat: νοῦς δὲ ἐν αἰῶνι τὸ ζῆν ἔχων καὶ τῇ οὐσίᾳ αἰω ἐνεργείᾳ καὶ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν νόησιν ἐν τῷ νῦν ἑστῶσαν πηξάμενος, ἔνθεός ἐστι διὰ τὴν πρὸ αὐτοῦ παντὸς αἰτίαν διττὰς γὰρ ἔχει τὰς ἐνεργείας ὥς φησιν ὁ Πλωτῖνος, τὰς μὲν ὡς νοῦς, τὰς δὲ ὡς μεθύων τῷ νέκταρι, καὶ ἐν ἄλλοις ὅτι καὶ ὁ νοῦς οὗτος ἐν τῷ πρὸ ἑαυτοῦ ὡς θεὸς, ὥσπερ ἡ ψυχὴ τῇ ἑαυτῆς ὑπὲρ ψυχὴν ἀκρότητι νοῦς. καὶ τὸ σῶμα τῇ πρὸ τοῦ σώματος δυνάμει ψυχή: πάντα δὲ οὖν ὥσπερ εἴπομεν ἀνήρτηται τοῦ ἑνὸς διὰ νοῦ μὲν καὶ ψυχῆς: καὶ ὁ μὲν νοῦς ἑνοειδὴς ἐστὶν, ἡ δὲ ψυχὴ νοειδής: καὶ ὁ μὲν θεὸς πρὸ τοῦ νοῦ τῇ νοερᾷ φύσει πρώτως ἐποχούμενος: ὁ δὲ νοῦς θειότατος ὡς πρὸ τῶν ἄλλων ἐνθεούμενος: ἡ δὲ ψυχὴ θεία καθ' ὅσον δεῖται τῆς νοερᾶς μεσότητος.

Mens, Deo ſimilis.

Quæ ſunt, Mens in ęternitate habet vitam, & ſubſtantia, operationeque intelligendi eſt ipſa ęternitas, ſimulque omnem intellectionem in pręſenti habens defixam, Deifica eſt, id eſt, Deo ſimilis, diuina propter cauſam vniuerſi, quæ ante ſe eſt. Duas enim, vt Plotinus teſtis eſt, habet operationes: primas, vt Mens: ſecundas, vt nectare ebria: & in cęteris quidem eſt vt Mens: in eo autem, quod ante ipſam, vt Deus: ſicut anima ſuper omnem animam ſua excellentia eſt Mens: corpus autem virtute, quæ eſt ante corpus, ſit anima.

Mens vniformis, Anima mentiformis.

Omnia igitur, vt diximus, pendent ab Vno, per Mentem quidem, & Animam. Et Mens quidem Vniformis eſt, Anima vero Mentiformis, vt ſic loquar. Atque Deus qui eſt ante Mentem, naturæ mentali primum ſuperuehitur. Mens autem eſt diuiniſſima, vt quæ ante omnia Deifica. Anima verò ma verò diuina, quatenus indiget media Mente. Hæc apud Proclum, ſimilia atque ſuperius admiranda myſteria, vt mirabile ſit, quonam inſtinctu ad hæc peruenerint. Tria dicuntur eſſe apud eos principia, Deus aut Bonum vel Vnitas, Mens, Anima: tres Imperatores, primus Bonum, ſecundus Mens, tertius Anima. Mens, inquit, eſt ſempiterna, ęterna ſapientia, ęternum intelligere, ſempiternum ſapere. Hæc fit, aut gignitur Deus ab antecedente cauſa Genitore ſuo, qui propriè & primò dicitur apud nos & illos, Deus. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Glorificauit Deus Filium ſuum. Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. Nemo nos ſeparabit a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Innumeraque exempla. Habet igitur Mens ab antecedente cauſa eam diuinitatem, ęternamque ſapientiam. Eſt quidem & ipſa Deus, ſed ab illo Genitore ſuo. Quidquid autem eſt, ęternaliter eſt. Habet duas operatione: alteras, vt Mens, vt rerum principium, vt intelligens, moderans, producens omnia quæ creauit, vt ſpectans poſt ſe: alteras, vt reſpiciens ſupra ſe Genitorem ſuum, fruenſque ex eo ęterna voluptate, nectare diuino ebria, beata ex amore, & dulci charitate, quem ſuſpicit, admiraturque ſemper, Patris ſui: ex quo deificatur, fit, eſtque Deus, ſicut eſt, quia genita ab eo, vt Macrobius dicebat. Anima verò tertium principium eſt vt Mens, propter coniunctionem ſubſtantiæ, eoque etiam Deus, quia & ipſa a primo per ſecundum, & a ſecundo. Corpora verò, vt effectus trium principiorum. Omnia denique ſunt ab Vnitate. Nam Mens ab Vnitate gignitur, inde voluptas eſt, & diuinitas eius, eoque diuiniſſima, quoniam ſola gignitur a Deo, & genita eſt Deus. Cætera participant diuinitatem, propterea non ſunt diuiniſſima. Nomen autem Diuiniſſimi eſt apud Platonem, & Ariſtotelem. Plato vocat Verbum Dei diuiniſſimum: Ariſtoteles, Mentem diuiniſſimã, vt videbis. Anima autem etiam Deus, per vtrunque, maximè per ſecundum. Ac Pater, vt ait Dionyſius, quoniam eſt pater luminum, irradiat in omnem naturam Angelicam. Hæc illi dixere, partim ex Platone, partim ex noſtra Theologia hauſta. Siquidem hæc ſunt ea, quæ Græci, Latinique definiere, Spiritum, id eſt, Animam, tertiumque principium, eſſe ęternaliter a primò, & ſecundo. Primus dicitur a noſtris, & ab illis Pater: præcipuè verò ab illis Vnitas, & bonum. A noſtris item fons, & principium totius Deitatis. Ipſam inquam dixere Animam, ſeu Spiritum, eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtẽs habere ex Patre ſimul, & Filio, & ſimul ab vtroque ęternaliter tanquam ab vno principio procedere. Filium cauſam eſſe Animæ, Græci, principium Latini, ſicut & priorem. Omnia enim, quæ Patris, ſeu Boni ſint, dediſſe Patrem ipſum vnigenito Filio ſuo gignendo, præter eſſe Patrem. Et quòd Anima, vel Spiritus procedat ex Mente, vel Filio, ipſam Mentem a Patre ęternaliter habuiſſe, a quo ęternaliter ſit genita, Patremque eſſe fontem & principium totius Deitatis. Ecce enim ipſi dicunt omnia pendere ab Vno, ſed per mediam Mentem & Animam. Quippe Pater cùm ſit fons, & principium totius Deitatis, primò efficit eſſe Deum Filium, & Animam, alterum gignendo, alterum producendo. Eſt enim Proclo eſte, etiã Anima Deus, non fontaliter, ſicut primus, propriè Deus: ſed vt ab illo producta, eoque vocat eam magis diuinam, quàm Deum: & quod procedit a primo, vel datur per medium ſecundum. Gratias igitur agamus ſummo Deo, qui coegit etiam ſuæ religionis imperitos, rapido mentis exceſſu abſtractos, pro ea loqui, eaque perhibere de ipſa teſtimonia, quæ nemo ſit, qui non miretur, obſtupeſcat, lacrymas etiam qui pius eſt, præ gaudio profundat.

Tria principia Platonicorũ. De⁹, Mẽs, Anima.
2.Cor.1.
Ioann.17.
1. Ioan. 4.
Mẽtis duę operationes.
1. Comm. in Somn.
Oĩa ſunt ab Vnitate.
Verbũ Dei diuiniſſimum Platoni.
De⁹, pater luminum.
Spiritus, anima.
Filius cauſa animæ.
Omnia pẽdent ab Vno, ſed per mediã Mentem.
Etiam religionis diuinæ imperiti de Deo magnificè loquuti.

Mirabile teſtimonium Porphyrij de eadem Mente ab æterno genita. Cap. XV.

EAEDEM lachrymæ manabunt ei, eadem eum gaudia arripient, qui leget ea, quæ ſcripſit Porphyrius. Quippe quæ Proclus, perinde ac ſi de cęlo cęleſtis Angelus eũ docuiſſet, nunc locutus eſt, & propoſuit, ſuperiores Platonici, & quidem diuinius & auguſtius tradiderunt. Porphyrius igitur in quarto de hiſtoria Philoſophi (quem locum totum Cyrillus contra Iulianum Imperatorem: quem cæca dementia, & odium veritatis non ſinebat cernere verum, nec quam contemneret religionem, illam eſſe, perſpicere, quam ſæcula, Philoſophiaque omnis arcana coluiſſet, quamque ipſe neſcius ſectaretur, profert) de ſummo bono ex opinione Platonis, ſtupenda miracula ſcripſit: ἀπὸ δὲ τούτου, τρόπον τινὰ ἀνθρώποις ἀνεπινόητον νοῦν γενέσθαι, τὸ ὅλον, καὶ καθ' ἑαυτὸν ὑφεστῶτα: ἐν δὴ τὰ ὄντως ὄντα, καὶ ἡ πᾶσα οὐσία τῶν ὄντων, ὃ δὴ καὶ πρώτως καλὸν, καὶ αὐτόκαλον παρ' ἑαυτοῦ τῆς καλλονῆς ἔχον τὸ εἶδος, προῆλθε δὲ προαιώνος ἀπ' αἰτίου τοῦ θεοῦ ὡρμημένος αὐτογέννητος ὢν, καὶ αὐτοπάτωρ, οὐ γὰρ ἐκείνου κινουμένου πρὸς γένεσιν τὴν τούτου: ἡ πρόοδος γέγονεν, ἀλλὰ τούτου προελθόντος αὐτογόνος ἐκ θεοῦ, προελθόντος δὲ οὐκ ἀπ' ἀρχῆς τινὸς χρονικῆς οὔπω γὰρ χρόνος ἦν, ἀλλὰ οὐ δὲ χρόνου γενομένου πρὸς αὐτὸν ἐστὶν τι ὁ χρόνος: ἄχρονος γὰρ ἀεὶ καὶ μόνος αἰώνος ὁ νοῦς, ὥσπερ δὲ ὁ θεὸς ὁ πρῶτος, εἰ καὶ μόνος ἀεὶ, κἂν ἀπ' αὐτοῦ γένηται τὰ πάντα, τῷ μὴ τούτοις συναριθμεῖσθαι, μὴ δὲ τῆς ἄξιαν αὐτῶν συγκατατάττεσθαι δύνασθαι τῇ ἐκείνου ὑπάρξει: οὕτω καὶ ὁ νοῦς αἰώνος μόνος, καὶ ἀχρόνως ὑποστὰς καὶ τὰ ἐν χρόνῳ αὐτὸς χρόνος ἐστὶν ἐν ταυτότητι μένων τῆς ἑαυτοῦ ὑποστάσεως. Quæ ſunt, Ab hoc autem ſummo bono ratione quadam hominibus incognita genitam Mentem tradit Plato, quæ

prorſus

Porphyrij locus præclarus de Mente.

prorſus per ſe ipſam exiſtat, in qua videlicet ſint veræ res, & omnis rerum ſubſtantia: quod & primò pulchrum, & per ſe pulchrum ſit, habeatque ſpeciem pulchritudinis. Proceſſit autem ante ſęcula, vel ęternitatem, ab autore Deo promanans, per ſe genita exiſtens, & per ſe Pater. Neque enim illo mouente ſe ad generationem huius, proceſſus fuit: ſed iſto progrediente per ſe generabiliter, vel ex ſua generatione a Deo: & progrediente, non a principio aliquo temporali: necdum enim tempus erat: ſed neque creato tempore, præ illa eſt aliquid tempus. Semper enim eſt carens tempore, & ſola ęterna Mens. Sicut autem Deus ille primus, vnus, & ſingularis ſemper eſt, licet ab ipſo facta fuerint omnia, eò quòd cum his connumerari, & in eodem loco, quem habet ſubſtantia ſua, ea poni non poſſunt: ſic & Mens ſempiterna ſola, & ſine tempore: & creatis his, quæ ſunt in tempore, ipſum tempus eſt, permanens in vnitate ſuæ ſubſtantiæ. Hæc teſtatur Porphyrius ſenſiſſe Platonem ex antro diuinitatis miſſa oracula, myſteriaque ineffabilia, vt admirando expleri nequeam, quibus tandem diuinis (vt ſic loquar) Aquilonibus portati in cœlum altiſſima ſacramenta introſpexerint: Niſi quòd iam Euangelio coruſcante, melius ea, quæ Plato, Triſmegiſtus, Sibyllæ, Magi, tot per omnem mundum oracula locuta fuerant, explicare poterant. Principio igitur ingreſſus vaſtum Theologię pelagus, refert ab hoc ſummo bono, quod eſſe ſempiterni Genitoris nomen, ſæpe iam claruit, naſci Mentem, ineffabili, inexplicabili cunctis mortalibus modo. Vt & noſter Vates ſimiliter dixit, Generationem eius quis enarrabit? Cuius enim mens capiat vnquam ineffabilem Mentis natiuitatem? vt miraculum ſit, vel hoc ipſum eos agnouiſſe, quòd naſcatur, quòd ſint duo, Genitor, & Genitus. Hoc primum decus huius teſtimonij, quòd ineffabilem fateatur hanc natiuitatem. Secundum, quòd naſcens Mens per ſe ſubſiſtat, Deus ſcilicet & ipſa, omnipotens & ipſa. Tertium, quòd ſit omnium rerum domicilium, ſedes, & origo, fons, & principium, rerum vniuerſalis eſſentia, verarum rerum regnum, & Idearum, quæ ſunt eſſentiæ veræ, vaſta mater. Sic prima pulchritudo, & omnis pulchritudinis origo, pulchritudo primordialis, exemplar omnis pulchritudinis, mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipſe. Eoque fuerunt omnia pulchra & bona, quæ fecit. Hanc pulchritudinem, & ſpeciem, ideamque venuſtatis, tanquam principium, & origo habet ipſe a ſe ipſo. Ad hæc, quòd nata ſit ab ipſo Deo ęternaliter, & ante ſæcula, ante ęuum per ſe genita, per ſe Pater, quippe quæ nata, velut ſui principium, & ſibi pater eſt, quia genita a Patre, ipſa gigni, & naſci volens. Proinde etſi naſcatur a Patre ſuo Deo, naſcitur tamen ineffabiliter, volens ipſa naſci, quaſi natiuitatis ſuæ etiam ipſa principium, non ſe ipſam generando, ſed naſcendo coniunctim, ęternaliterque ab illo. Deſignatur etiam ineffabilis quædam Genitoris, & Geniti coniunctio, genus naſcendi inauditum, incomprehenſibiliſque modus. Diuerſa, quàm noſtra, naſcendi ratio, qui non ſumus, antequam naſcamur, nec a nobis habemus quidquam, differentes ſubſtantia a genitoribus noſtris. Ibi quoniam ineffabilis, & admirabilis, alteriuſque omnino generis natiuitas, & vt naſcatur, tamen eſt patri coæqualis, coęternus, dicitur naſci ipſe, volens a Patre generari, vt volendo naſci, ineffabiliterque exultando ex ea natiuitate, & inſeparabiliter a Patre naſcendo, fermè ſit & ipſe ſibi genitor. Myſterium quidem altiſſimum, validiſſimaque in eos vociferatio, qui detrahunt diuinitati Filij. Hic non modo non detrahitur, vt nimium propemodum tribuatur. Repetit deinde hanc generationem non eſſe ſempiternam, ante tempora, ante ſæcula, cùm nullum tempus eſſet: vt etiam tempus poſtea creatum nihil ſit præ ipſa Mente, vt quæ ſola ſit ſempiterna, & ante omnia tempora, nullum habens cum tempore conſortium, aut dependentiam: & vt Pater ſit ſempiternus, & vnus etiam creator omnium, & autor: quia cum nullis commiſcetur, & cenſetur omnibus retro longiſſimè remanentibus: ſic Mentem quoque ęternam eſſe ſolam omnium: quæ etiam ſit ipſum tempus, cùm ſub tempore creauit, & ad ipſum tempus, mundi menſuram, venit ipſum tempus, quo menſurarentur omnia, conditura. Nihil dici, aut cogitari poterat altius, grandius, ſublimius, profundius. O Platonici igitur, qui neſciebatis huius admirandæ Sapientiæ religionem Chriſtianam patronam eſſe veram, nec aliud hanc religionem eſſe, quàm cultum, & notionem ſummi Boni, & ęterne mentis, eorumque inter ſe ſempiternæ coniunctionis ſcientiam, quæ nihil loquatur, clamet, vociferetur aliud: qua reprehenſione tandem digni, qua cæcitate capti, q eam inſectabamini, cuius vos admiranda, ſtupendaque myſteria, cum ſumma admiratione explicatis, & principem veſtrum Platonem putatis, & aſſeritis ea tenuiſſe, ſcripta reliquiſſe. Miſereri quoque oportet miſerrimos Hebræos, quibus ob inauditam cęcitatem, ob profundam animi caliginem, eadem dominatur calamitas: qui quæ iam inde ab exorto mundo per omnia ſæcula innotuit Sapientia, quam gentes omnes cęlitus reuelatam coluerunt, tradiderunt, & ſuæ gentis doctiſſimis monimentis litterarum mandauerunt, apud omnes ſuæ gentis erudit ſub ſecretis myſteriis abſcondebatur, non videant nunc adorari, coli, agnoſci a toto terrarum orbe. Ideo nunquam deficiet hæc religio, & vera illa Sapientia, & antiquiſſima ſæculorum omnium, in arcanis abſtruſa Theologia.

Deus vnus, a quo omnia facta.

Nata Mẽs inexplicabili modo.

Eſaiæ 53.

Actuum 1.

Genitor & Genitus.

Prima pulchritudo, & exẽplar pulchritudinis, Deus.

Nata Mẽs a Deo ante ſęcula.

Genitoris & geniti cõiunctio.

Mens ſola ęterna, & ante omnia tempora.

Religio eſt cultus, & notio ſummi boni.

Platonici cæci, qui tã mira dixere, tamen veræ religionis expertes.

Hebræi cæci & ignari veræ ſapientiæ.

Religio vna nũquã deficiens.

Ex Plotino de eadem ipſa Mente, & Genitore eius, & eius cum Patre coniunctione: &, quòd poſt Patrem ſit maxima omnium Mens. Cap. XVI.

PLOTINVS item inter Platonicos maximus,& vbique celeberrimus,mirabiliter omnia,quæ ſuperius ab antiquis tradebantur, approbauit, diſſeruitque copioſius,vt hęc veræ Sapientiæ myſteria perfectiſſimè videatur tenuiſſe, vt inſtar miraculi ſit, totus is hominum, ac ſæculorum concurſus, ac conſenſus. Audiant igitur Philoſophi patefactum nouiſſimis ſeculis, quod antea foret etiam notum, atque animis multorum hominum comprehenſum, declaratum autem poſtea, atque ita diffuſum, vt quod anguſtis locis prius contineretur, in totum mundum euaſerit, nuncque Numen iſtud adoretur, omneſque de eo philoſophentur, de quo ſoli ſapientiſſimi quondam, & hi omnino pauci philoſopharentur. Hęc eſt enim ſcientia Domini, qua repleta eſt omnis terra, quòd omnes nunc philoſophantur, Patrem & Filium cognoſcentes, adorantes, ſemper loquentes: quæ ſcientia prius erat paucorum. Ac Plotinus, qui nec Chriſtianus fuit, nec fortaſſe norat Chriſtianos, ſi ſciſſet eos hanc adorare Sapientiam, quam maiores ſui tantopere coluiſſent, ac veluti de profundiſſimis myſteriis de ea loquerentur, quorum ſcripta & ipſe veneratus eſt, & approbauit, certè ipſe cum cæteris Platonicis religionem noſtram, quam nonnulli eorum propter inſcitiam, velut ſuperſtitionem contemnebant, adoraſſet, retinuiſſet, veramque eſſe ſapientiam prædicaſſet. Plotinus igitur ad alia, hæc diuina, ſublimiaque in libro de Tribus principalibus hypoſtaſibus loquitur, quę poſtea imitati ſunt, & ſecuti Porphyrius, & Proclus, pluresque alij Platonicorum: τί οὖν χρὴ περὶ τοῦ τελειοτάτου λέγειν, μηδὲν ἀπ' αὐτοῦ, ἢ τὰ μέγιστα μετ' αὐτὸ, μέγιστον δὲ μετ' αὐτὸ νοῦς καὶ δεύτερον, καὶ γὰρ ὁρᾷ ὁ νοῦς ἐκεῖνον, καὶ δεῖται αὐτοῦ μόνου: ἐκεῖνος δὲ τούτου οὐδὲν, καὶ τὸ γεννώμενον ἀπὸ κρείττονος νοῦ, νοῦν εἶναι, καὶ κρείττων ἁπάντων νοῦς, ὅτι τ' ἄλλα μετ' αὐτὸν. Quæ ſunt, Quid igitur de perfectiſſimo dicere conuenit? Nihilne ab ipſo, an maxima poſt ipſum? Maximum autem poſt ipſum Mens, & ſecundum. Etenim aſpicit Mens ipſum, & eius tantùm indiget: ipſum autem, Mentis nihil prorſus: & quod a Mente maiore generatur, Mentem eſſe: & omnibus maior eſt Mens: quia poſt eam ſunt cætera. Hæc intimæ philoſophiæ myſteria proloquitur Plotinus, vt ſi Chriſtianus eſſet, apertius loqui non potuerit. Principio Patrem dicit eſſe perfectiſſimum, principium ſcilicet,maximum,eminentiſſimum,excellentiſſimum, præcedens etiam Mentem. Hoc enim eſt, quod Filius dicebat toties, Pater maior me eſt. Non id quidem tantùm propter corpus aſſumptum: ſed quia ille Pater ſit principium,fons totius Deitatis: Filius autem genitus, naſcens,& proles. A maximo ac perfectiſſimo Plotinus ait nihil generari pręter Mentẽ: Maximam autem poſt perfectiſſimum, ſiue Patrem, eſſe Mentem, ſiue Filium: & quod ante omnia mirabiliſſimum eſt, ait Mentem ſuſpicere, & intueri Patrem, & indigere eo ſolo, Patrem autem eo minimè. Aperit enim abditiſſimum myſterium,Patrem ſcilicet gignere Filium: tanquam ipſe ſit maior autoritas, quanta ſcilicet eſt inter Genitum, ac Genitorem. Quoniamq; Pater genitor eſt, primaque omnium origo, non indigere, aut dependere a Filio, Mente ſcilicet: contrà, filium indigere eius ſolùm,quòd ab eo diuinitatem,ſubſtantiamque habeat, diſcatque ab eo omnia. Nec aliud dicitur hic a Plotino, quàm quòd eadem Mẽs ſæpe locuta eſt apud nos mortales, docens ſe a Patre miſſum,vnicam ſe,amantiſſimamq; eius eſſe prolem: nihil habere ſe,niſi quod Pater ei dediſſet: quidquid haberet traditum ſibi a Patre. Ecce Plotinus ait,Filium intueri Patrẽ, tanquam in eum, a quo tota ſua pendeat beatitudo, tanquam in bonum ſuum, fęlicitatem ſuam: & iure quidem. Nam ſi ab eo, qui maximus, qui perfectiſſimus eſt, habet tantam diuinitatem, tantam naturæ magnitudinem, vt potuerit mundum viſibilem, & inuiſibilem creare, neceſſe eſt beatitudinem eſſe tantam,quanta beata maximum filium ſuum efficiat: id eſt, tantã eſſe beatitudinem, quanta eſt rerũ ſuarum magnitudo, quanta diuinitas,quanta poteſtas. Intuetur Filius in Patrem, ſinuque paterno continetur,nec alia eſt beatitudo eius, quàm ex bonis, & cognitione paterna, maximarum voluptatum theſauro. Ideoque optauit omnes ad hęc paterna bona ſublimare. Præter hæc autem addit Plotinus: ποθεῖ δὲ πᾶν τὸ γεννῆσαν, τὸ γεννώμενον καὶ τοῦτο ἀγαπεῖ, καὶ μάλιστα ὅταν ὦσι μόνοι τὸ γεννῆσαν, καὶ τὸ γεννημένον: ὅταν δὲ καὶ ἄριστον ᾖ τὸ γεννῆσαν σύνεστιν αὐτῷ, ὡς τῇ ἑτερότητι μόνον κεχωρίσθαι: εἰκόνα δὲ λέγομεν εἶναι τὸν νοῦν; δεῖ γὰρ σαφέστερον λέγειν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Πλάτωνος τριττὰ τὰ πάντα: Deſiderat omne quod gignit, id quod gignitur, & hoc amat: maximè verò, cum ſoli fuerint gignens, & genitum: cùm autem optimum eſt quod gignit, neceſſariò eſt cum eo coniunctum, quod gignitur, vt ſola alteritate ſeparentur. Dicimus autem imaginem eius eſſe Mentem: oportet enim loqui clarius. Eoque apud Platonem terna ſunt omnia. Sunt, inquit, penes omniũ regem omnia, & penes ſecundum ſecunda,& penes tertiũ tertia. Dicit quoque cauſam habere Patrem, cauſam quidem appellans Mentem ipſam. Opifex enim illi eſt Mens. Hunc autem dicit creare animam in cratere illo. Cùm igitur cauſa ſit ipſa Mens, Patrem eius dicit Bonum, & quod vltra Mentem eſt, vltraque ſubſtantiam. Multis autem locis appellat ipſum Ens,& Mentem,& Ideã: vt Plato cognouerit, ex Bono quidem Mentem exiſtere, ex Mente Animam, & eſſe verba iſta minimè noua,neque nunc cępta dici, ſed olim,licet obſcurè.

Plotini laus.

Plotinus minimè religionem noſtram nouit.

Liber Plotini de tribus hypoſtaſib⁹ principalibus.

Ioan. 10.

Matth. 17.
Luc. 9.
Mar. 9.

Filius intuetur Patrem, quomodo.

Optimum quod gignit & gignitur.

Omnia terna, apud Platonem.

Ens, Mẽs, Idea.

Bonum eſt vltra ſubſtantiam.

Maxima coniunctio ex maxima perfectione.

Sola ἑτερότητι, id eſt alteritate ſeparantur Bonũ ac Mens, & quomodo.

Eadem noſtra Philoſophia, qualis veterum.

Vocabula Patris, & Filij eadẽ atque Boni & Mentis.

Deus nunquam celauit ſuam diuinitatẽ, ac benignitatem.

Verba autem, quæ nunc ſuper hac re habeantur, eſſe quaſi earum interpretatores, quę atteſtentur dictis Platonis, eſſe ea verba vetuſta. Talia dicens ad verbum Plotinus, innuit quicquid prędicatur nunc de Patre, & Filio, de Mente, de Bono, a quo veteres fluere, aut gigni Mentem dixere, priſca Theologia: Tum quòd Bonum ſit vltra ſubſtantiam, vltra omnia: in quo excellentiam ſummi, ac Genitoris Dei oportet agnoſcere. Neque enim eſt excellentius, ac maius quicquam. Idem Bonum vocat Genitorem, Mentem genitam, eaque fatetur eſſe coniunctiſſima, quia ſit optimum quod gignit, & quia Genitor, ac Genitum ſint ſoli. Ex quo vult effici, vt inter eos ſit indiſſolubilis coniunctio. Maximam enim eſſe coniunctionẽ ex maxima perfectione. Aduerte igitur diuinam, profundiſſimamque apud Plotinum Theologiam, de ſempiterna Filij generatione ex Patre, & cum eo coniunctione, de beatitudine eiuſdem, ex intuitu in Patrem. Poſtremò ait eos ſola alteritate ſeparari. Rem inauditam, ac ſtupendam. Sola, inquit, alteritate Bonum, ac Mens ſeparantur, Græcè ἑτερότητι, ſolis perſonis dicerent Chriſtiani. Alter enim eſt Pater, alter Filius, non aliud, vel alterum. Tanta eſt enim inter duos illos perfectio, perfectaq; coniunctio, quanta deceat eorum diuinitatem. Tum reſpice quæſo attentius, quid Plotinus tradat. Ait hæc myſteria, hos ipſos ſermones, vltramundana hæc ſacramenta, eſſe vetuſta: & nunc quæ dicantur, non eſſe noua, ſed his explicari a veteribus tradita. Audi quęſo, referque animum ad ea, quæ tum in prefatione, tum toto progreſſu locuti ſumus, quam nos habemus nunc philoſophiam, fuiſſe etiam apud veteres. Ipſum Plotinum audis confitentem totam hanc philoſophiam a priſcis deſcendere. Quo teſtimonio probatur, confirmatur, quicquid Chaldæi, Mercurius Triſmegiſtus, Orpheus, Sibyllę, cęterique omnes de Patris, ac Filij diuinitate tradidiſſent. Ipſi hoc teſtantur, non poſſunt a Chriſtianis poſt natum Chriſtum, eſſe conficta. Plura ſunt alia apud Plotinum miranda de Patre, & Filio teſtimonia. Quos appellat noſtra Theologia expreſſius, ac notius Patrem, & Filium, illi Bonum, & Mentem, Generans, & Genitum, Patris, ac Boni imaginem, ipſam Mentem, Bonum, & Vltraſubſtantiam, ipſum Patrem. Quis hæc cognouiſſet, niſi philoſophia cœleſtis illuxiſſet? Benedictus igitur primogenitus, vnicus, ſummi Boni filius, per quem & creati ſumus, & redempti, & eouſque amati, vt non celauerit vnquam profundiſſimam diuinitatem ſuam, cuius humanitatem, affabilitatem, clementiam, benignitatem, familiaritatem ſenſit in omni ętate omnis terra.

Ex eodem Plotino, quòd Mens ſit poſt ſummum Bonum, quòd per eam ad ſummum perueniatur, quòd ſit locus, & Idea omnis pulchritudinis, quòd creauerit mundum. Cap. XVII.

Princeps Platonicorum Plotinus.

Ex lib. de pulchro, Plotini. Enneadis 1. lib. 6. capit. vlt.

Primus aſcenſus ad Mentẽ debet eſſe, vt ad Bonum perueniatur.

Quomodo fieri homo poſſit deiformis.

Prim⁹ gradus ad Mẽtem faciendus, vt ad Bonũ perueniatur.

PLATONICORVM item pręcipuus Plotinus, cuius a cunctis prędicatur admirabile ingenium, etſi floruit ante Porphyrium, & Proclum, vt teſtimonia eius debuerint antecedere, tamẽ ordinem quendam de ea, quam dixere Mentem, prolemque ſummi Boni, nos ſequentes auidos reddit, vt ea proponamus. Varia verò, & multiplex præter ſuperiora de duobus illis, Genitore, proleque ab ęterno genita extat apud eum Theologia. E quibus in libro de Pulchro, hæc ex intimo quaſi philoſophiæ antro profatur: γενέσθω δὴ πρῶτον θεοειδὴς πᾶς καὶ καλὸς πᾶς, εἰ μέλλοι θεάσασθαι, θεόντε καὶ καλόν: ἥξει γὰρ πρῶτον ἀναβαίνων ἐπὶ τὸν νοῦν, κἀκεῖ πάντα εἴσεται καλὰ τὰ εἴδη, καὶ φήσει τὸ κάλλος τοῦτο εἶναι τὰς ἰδέας: πάντα γὰρ ταῦτα καλὰ τοῖς νοῦ γεννήμασι καὶ οὐσία: τὸ δὲ ἐπέκεινα τούτου, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ λέγομεν φύσιν, προβεβλημένον τὸ καλὸν πρὸ αὐτῆς ἔχουσαν, ὥστε ὁλοσχερεῖ μὲν λόγῳ, τὸ πρῶτον καλόν: διαιρῶν δὲ τὰ νοητά, τὸ μὲν νοητὸν καλὸν ὄν, τῶν εἰδῶν φήσει τόπον, τὸ δὲ ἀγαθὸν τὸ ἐπέκεινα καὶ πηγὴν, καὶ ἀρχὴν τοῦ καλοῦ, ἢ ἐν τῷ αὐτῷ τὸ ἀγαθὸν καὶ καλον πρῶτον θήσεται, πλὴν ἐκεῖ τὸ καλόν. Quæ ſunt, Sit igitur quiſque primùm Deiformis, & pulcher quiſque, ſi Deum, & ipſam pulchritudinem ſit contemplaturus. Veniet enim primũ aſcendens ad Mentem, ibique omnes ſpecies pulcherrimas noſcet, & dicet hanc pulchritudinem Ideas eſſe. Omnia enim hæc ſunt pulchra genituris, & ſubſtantia Mentis. Vltra verò & ſupra hanc, naturam Boni dicimus, quę propoſitum ſibi pulchrum habet. Quocirca perfecta ratione eſt prima pulchritudo: Diuidens autem intellectualia, quod quidem eſt intellectuale pulchrum, formarum dicet locum. Bonum autem quod eſt vltra fontem & principium pulchritudinis, vel in eodem Bonum, & pulchrum, primum ſtatuet, verùm ibi pulchrum. Hucuſque ille. Quæ etſi abſtruſa Platoniciſque vſitata ratione proferuntur, hunc tamen habent ſenſum: Vides primum ſanctiſſima illa duo, altiſſimaque numina, quorum primum in omni vetuſta philoſophia vocatur Bonum, ſecundum Mens? Ac loquitur de eo, qui cupiat videre veram pulchritudinem, oportere eum primum fieri Deiformem, aſſimiliari Deo, quòd nunquam ad verum venuſtatis intuitum ſit admittendus, niſi diuinam ſibi ſimilitudinem aſſumat. Eſt autem ſimilitudo, Platone ipſo teſte, ſanctitas, iuſtitia. Hæc habeat neceſſe eſt, quem tenet veræ pulchritudinis aſpiciendæ ardor. Atque is qui beatitudinem hanc affectat, aſcendens animo ad faſtigium rerum, primum gradum faciet ad Mentem: hęc enim eſt poſt ſummum Bonum.

Et ipſa

A Et ipſa dicebat hominibus, ſe ducem eſſe, & portam ad ſummum Bonum: & quòd nemo poteſt videre Patrem, niſi Filius adduxerit, ac reuelarit. In hac igitur Mente, quę fuit mundi melioris origo, omniumq́ue rerum, quę ſuis originibus, & rationibus ęternis (quas Ideas Philoſophi dicunt) continebantur, principium, cernent omnem Idearum venuſtiſſimam varietatem. Habent enim, vt ſuperius vidimus, omnes fateri, Ideę locum, ſedemq́ue in ipſa Mente. Mens, ac Verbum, vt ait Philo, eſt Idearum locus. Progreſſus igitur ad Mentem, cernet hic omnes Ideas, earumq́ue venuſtatem: quę quoniam Mente continentur (Mens enim habet exemplar omnis pulchritudinis) iure omnia ſunt pulchra, Mente creatrice, genitriceq́ue, & ſubſtantia, ſiue exiſtentia rerum. Vbi autem Mentem attigerit, ſuperabit quoque altius ad alium ſublimiorem, qui dicitur Bonum, ſeu Natura bonitatis, quæ & ipſa pulchritudinem eximiã, & eandem, atque Mens, ſed principalius complectitur. Eoque fit, vt qui velit perfectè loqui, ſtatuat primùm pulchritudinem, ipſum Genitorem, videlicet pulchritudinem, omniaq́ue bona dantem Secundo, neceſſe eſt. Quocirca dirimens ſingula, locum quidem Idearum, vel formarum dicet ipſum intellectuale pulchrum, id eſt, Mentem. Summum autem, & vlterius Bonum, fontem vocabit, & principium pulchri. Quoniam etiam Mens, quidquid habet pulchri, habet ab illo principio. Aut in eodem gradu ſtatuet Bonum, & Pulchrum, vt nõ aliud fontem dicat, aliud ipſum pulchrum, ſed vnum, & idem. Ibiq́ue primum hæc ſtatuet. Oſtendit etiam Plotinus cum ſuperioribus philoſophis, & prædicat hanc Mentem mundi principium, inuentorem, & cauſam, vt hinc ſumma maieſtas, diuinitasq́ue Mentis eniteſcat. Multaq́ue ſcitu digna, velutq́ue ineffabilia myſteria prodit de ea, in libro de Prouidentia. Quę mihi non modò proponenda ſunt, ſed etiam declaranda, & explicanda, vt ſi quid obſcuritatis habeant, aperiantur, vt veritas nuda, claraq́ue remaneat: B τὴν πρόνοιαν ὀρθῶς ἂν καὶ ἀκολούθως λέγοιμεν τῷ παντὶ εἶναι τὸ κατὰ νοῦν αὐτὸν εἶναι καὶ νοῦν πρὸ αὐτοῦ εἶναι, οὐχ ὡς χρόνῳ πρότερον ὄντα, ἀλλ᾽ ὅτι περὶ νοῦ ἐστὶ καὶ φύσει πρότερος ἐκεῖνος καὶ αἴτιος τούτου ἀρχέτυπον οἷον καὶ παράδειγμα εἰκόνος τούτου ὄντος: εἰ οὖν φαμεν ἐκ νοῦ, τὸ δὲ πᾶν ἠρτῆσθαι, καὶ εἰς ἅπαντα ἐληλυθέναι τὴν δύναμιν αὐτοῦ πειρᾶσθαι δεικνύναι ὅλα ἕκαστα τούτων καλῶς ἔχειν. Quæ ſunt, prouidentiam rectè, & conſentaneè in Vniuerſo dixerimus, quòd ipſum Vniuerſum ſit ſecundum Mentem, & Mens ante ipſum, non quaſi tempore priorem, ſed quia a Mente eſt: & Mens ipſa natura prior, & cauſa huius, velut archetypum & exemplar huius, qui ſit imago. Si igitur ex Mente dicimus pendere vniuerſum, & in omnia vim eius pertinere, ſic conabimur oſtendere cuncta bene poſita. Hæc Plotinus, Mentem aſſerens a maioribus confeſſam cauſam mundi, cuius quaſi ſit (vt Plato tradidit in Timęo) exemplar: mundus autem, velut imago, factus ad eam vim & formam, quam Mens animo complecteretur: quę quidem forma, & conceptus mundanus, vt Philo dixit, erat Mens ipſa. Sicq́ue apparet Mens mundi principium, & cauſa. Apparet hanc eam eſſe, a quo ſuſtineatur vniuerſitas, per quam omnem pertinet Mentis diuinitas. Hanc ait Plotinus rationem eſſe prouidentiæ veram: quoniam cuncta fecit, poſuit, conſtituit, ordinibusq́ue diſtinxit Mens & poteſtas eius, per omnia commeans: vt hac vna pulcherrima cauſa poſſis, in omnem rationem prouidentiæ latiſſimè tendere, oſtendens bene vnicuique rei eſſe conſultum, quia Mens fuit, eſtq́ue ſemper moderatrix. Quòd autem Plotinus hoc loco Mentem antecedere mundum, non tempore, ſed vt cauſam, & autorem, & a quo ſuſtineatur ſemper mundus, aſſerit, vt videatur (quod Proclus affirmat) ęternitatem mundi credere: dico eum, quod plurimis philoſophorum accidit, diuerſa ſenſiſſe, & quod ſæpe fit, a veritate ab illo ſuo ſenſu, reuocatum. Nec longis ambagibus opus eſt: ipſe in ſeipſum ſtet teſtis. Eodem enim libro hæc proſequutus eſt. Quoniam igitur mundus omnis eſt id, quod factum eſt, hunc tu aſpiciens, audire hæc fatentem fortaſſe poſſis: ὡς ἐμὲ πεποίησε θεός, κἀγὼ ἐκεῖθεν ἐγενόμην, τέλος ἐκ πάντων ζώων καὶ ἱκανὸς ἐμαυτῷ καὶ αὐτάρκης, οὐδενὸς δεόμενος: Quod me creauit Deus. Et ego inde extiti, abſolutio omnium animantium, ſufficiens, contentusq; meipſo, nullius indigens, quoniam in me ſunt omnia, & plantę, & animalia, & omnis generabilium rerum natura, & Dij multi, & dęmonum populi. Neque enim γῆ μὲν κεκόσμηται, terra quidẽ plantis omnibus, & animalibus omne genus eſt ornata, & ad mare vſque peruenit animæ poteſtas: aer autem omnis, & ęther, & cęlum omne eſt animæ expers. Nouiſſimè concludit: νοῦς τοίνυν δοὺς τι ἑαυτοῦ, εἰς ὕλην ἀτρεμὴς, καὶ ἥσυχος τὰ πάντα εἰργάζετο. Mens igitur cùm dediſſet aliquid ex ſe ipſa, in materiam ſtabilis ipſa, & quieta, & immota, cuncta moliebatur. Quibus teſtimoniis, ſiue vltro, ſponteq́ue pronunciatis, ſiue ꝙ non admittit alium natura ſermonem, & vult nos ad hanc rationem loqui, claret eum locutum, qua ratione loquuntur omnes, qui principium habuiſſe mundum fatentur. Et quo verbo Moſes dixit; In principio ἐποίησε, fecit, creauit Deus cęlum, & terram: eodem vſus eſt Plotinus. Sic etiam, operabatur, aut operatus eſt. Sic, ornata eſt terra, pertinuit, extenditq; ſeſe animæ poteſtas. Sic, inde ego extiti, vel ſum effectus: & quòd Mens ſine labore, ſine commotione ſui, ſed quieſcens, immittensq; vim ſuã in materiam, molita eſt. Quæ quidem oſtendunt, ac prę ſe ferunt quoddam tempus, quo ſunt omnia creata. Neque enim, qui ſempiternam dependentiam deſignaret, præteritis, ſed præſentibus verbis vteretur: aut ſi interdum pręteritis, certè non ſemper. Diceretq́ue nõ fecit Deus, operatus eſt, ſed, operatur, producit. Quid ꝙ idem definit Prouidentiam? πρόορασις τίς καὶ λογισμὸς θεοῦ, ὡς ἂν γένοιτο, τὸ δὲ τὸ πᾶν, καὶ ὡς ἂν ἄριστα κατὰ τὸ δυνατὸν εἴη:

Mens mundi melioris origo.

Ideæ ſedẽ habent in Mente.

Mens habet exemplar omnis pulchritudinis.

Bonũ fons & principium pulchri.

Ex lib. Plotini, de Prouidentia 2. cap. 1.

Vniuerſum a Mẽte profectum.

Mens, cauſa mundi, & exemplar.

Mens oĩa conſtituit, & ordinauit.

Cur ſit bene conſultũ rei vnicuique.

Plotinus in eo errauit, quòd mundum ab ęterno eſſe putarit.

De Prouidentia 2. cap. 2.

Creatio mundi.

Mens ſine labore, & quieſcens omnia fecit.

Prouidentia quid, Plotino.

Geneſ. 1.

Proſpectio quædam, & conſideratio Dei, vt fieret hoc vniuerſum, & vt optimè, quoad fas eſſet, haberet. Nonne hęc eum proſpexiſſe, cogitaſſe de re facienda, demonſtrant? Nonne eſt Theologia Moſaica, quòd Deus fecit bene omnia, quæ fecit, & videt bene facta? His etiam Plotini dictis conſtat eundem eſſe Deum, atque Mentem: eamque rationem eſſe manifeſtæ Prouidentiæ, quòd ſunt omnia facta diuinitus, ſapientiſſimiſque Mentis, Intelligentiæque conſiliis conſtituta. Vt ſit hoc illud Moſis, Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Sicq; ad vnamquamque rem creatam. Poſtremo, Et ecce omnia erant valde bona, videlicet à Sapientia ſumma, perfectaq; Intelligentia creata. Tum eſt illud apud eum pulcherrimum, quòd Mens eſt alius, & primus mundus, à quo mundus iſte habuit principium.

Quòd creatio ſit Mentis, Genitore iubente, ipſa operante, & de duobus his, ex eodem Plotino. *Cap. XVIII.*

Primus, Deꝰ pater, ſecundus, ipſa eius progenies.

Mirum eſt quàm curioſè myſteriũ illud diuinitatis, in perſonarum diſtinctione, verbis exaggeret Plotinus.

Theologiæ hoc maximum ſacramentũ a Patre filium angelũ miſſum.

Ioan. 5.

Primus & ſecundus, vnus, & idẽ Deus.

In Numenij philoſophia, cẽtum libros ſcholiorũ ſcripſit Plotinus.

D. Cyrilli locus. Vide eundẽ, de Trinitate 2. & contra Iulian. 8.

Ioann. 7.

Ioann. 3.

Ioann. 6.

AD INTELLIGENDVM, quod Plotinus dixit, Mentem quietam, ſine motu, concitationeque ſui, cuncta feciſſe, eſt operæprecium animaduertere, quæ Euſebius, & Cyrillus contra Iulianum Imperatorem referunt Numenium locutum, primum Deum (ſic enim locuti ſunt Platonici, primum Deum, Patrem, ſecundum, ipſam eius progeniem vocantes) quietum & immobilem eſſe, Secundo dediſſe ipſum, actionem, autoritatemque creandi, quod quidem eſt ineffabile myſterium: εἰσὶ δὲ οὗτοι βίοι, ὁ μὲν πρώτου, ὁ δὲ δευτέρου θεοῦ, δῆλον δὴ ὅτι ὁ μὲν πρῶτος θεὸς ἔςαι ἑςώς, ὁ δὲ δεύτερος ἔμπαλιν ἐςὶ κινούμενος· ὁ μὲν οὖν πρῶτος περὶ τὰ νοητὰ, ὁ δὲ δεύτερος περὶ τὰ νοητὰ, καὶ αἰσθητὰ, καὶ μὴ θαυμάσις δὲ πάλιν εἰ τοῦτο ἔφην, πολὺ γὰρ ἔτι θαυμαςώτερον ἀκούσῃ, ἀντὶ γὰρ τῆς προσούσης τῷ δευτέρῳ κινήσεως, τὴν προσοῦσαν πρώτῳ ἴασιν εἶναι φημὶ κίνησιν σύμφυτον, ἀφ᾽ ἧς ἥτε τά τοῦ κόσμου, καὶ ἡ μονὴ ἀΐδιος καὶ σωτήριος ἀναχεῖται εἰς τὰ ὅλα. Sunt, inquit, hæ duæ vitæ, altera quidem primi Dei, altera ſecundi; videlicet, quòd primus quidem Deus erit ſtans, quieſcens: Secundus verò rurſum erit qui ſe moueat. Itaque primus eſt circa intelligibilia, ſeu ſpiritualia: Secundus circa intelligibilia, & ſenſibilia. Neq; verò mireris, quòd hoc dixerim: Multò enim mirabilius audies. Nam pro motione, quæ præexiſtit in Secundo, pręexiſtentem Primo miſſionem eſſe dico, motionemque coniunctam, a qua & ordo mundi, & ſempiterna, ſalutariſq; ſtabilitas permanet in omnia. Hæc Numenius, quæ & poſtea neceſſariò proferentur. Hic ego obſtupeſco, attonitus hęreo, nec capio, nec explicare queo, vnde tanta Theologiæ profunditas, horum mentes inundauerit. Hoc myſterium altiſſimum eſt, noſtrę Theologiæ ſacramentum, Patrem qui primò eſt Deus, mittere Filium ad agendum, illum eſſe Angelum Patris. Et apud Philonem eſt ὕπαρχος, magiſtratus Dei: ὑποφήτης, declarator, interpres, quo Pater eſt ad omnia, tanquam ſuarum voluntatum executore vſus. Ideo ſicut venit in mundum miſſus a Patre, ſic creauerat mundum & hominem: Prophetis apparuit, legem Moſi dedit, Legationibus paternis eſt functus. Sic dedit ei iudicium Pater, & ipſe iudicabit omnem carnem. Denique non primus Deus vnquam, ſed ſecundus (Dico autem Primum, & Secundum, vnum eundemque Deum) monſtratur, prædicatur veniſſe. Non admiraberis igitur hæc apud Plotinum. Hauſta ſunt è ſuperioribus Platonicis, Philone, Numenio, cuius lectioni perpetuam dedit operam, centumq; libros ſcholiorum autore Porphyrio, in eũ ſcripſit. Is prior etiam hæc prodiderat: τὸν μὲν πρῶτον θεὸν ἀργὸν εἶναι συμπάντων, καὶ βασιλέα, τὸν δημιουργὸν δὲ θεὸν, ἡγεμονεῖν δι᾽ οὐρανοῦ ἰόντα: Primum quidem Deum vacare ab omni opere, vti regem: opificem autem Deum imperare, per cęlum euntem. Philo quoque in optima diuinitatis Idea, Primum florentem, nefas putat, vt ad hominis molitionem deſcẽderet, miſiſſe nuncium, legatumq; vnigenitam prolem ſuam, quæ vias, documentaque Patris, cuius eſt Sapientia ſecuta, non hominem modò produxerit, ſed omnem mundum decoris formis, ordinibuſque inſtruxerit. Hanc quoque fuiſſe pręceptoris Platonis ſententiam refert, vti a Platonicis relatum & proditum, diuus Cyrillus: ὁ γοῦν πλάτων θεὸν μὲν τὸν ἀνωτάτω φησὶ τὸ ἀγαθὸν, ἐξ αὐτοῦ γε μὴν ἀναλάμψαι νοῦν, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν προσεχῆ τοῦ κόσμου δημιουργὸν, ὄντος ἐν ἀκινησίᾳ τοῦ πρώτου, καὶ τρίτην εἰς φέρει ψυχὴν ἀφ᾽ ἧς τὰ πάντα κινεῖσθαι φασί. Itaque Plato, inquit, ſupremum quidem, altiſſimumque Deum fatetur ipſum ſummum Bonum. Cæterum ex eo emicuiſſe Mentem, & hanc eſſe proximum mundi opificem, primo manente in quiete, & vacatione. Tertiam inducit Animam, a qua cuncta cieri, agitarique cenſet. Apparet igitur (vt loquar ipſe) quodam admirabili, & cęleſti beneficio (Non enim humana conſideratione eò peruenire potuerunt) eos audiſſe, legiſſeque, in vetuſtiſſimis oraculis duos Deos, in vnam ſubſtantiam, diuinitatemque coniunctos: quorum Primus admirandę, ſuſpiciendę, auguſtæ maieſtatis, mitteret Secundum ab ſe genitum ab ęterno, ad omnia. Et hæc eſt illa toties ab ipſa diuina Mente prædicata Theologia: Doctrinam ſuam, non eſſe ſuam, ſed eius, qui miſiſſet eum: &, Quòd ſic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam ęternam: &, Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos: &, Quòd Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Denique, quòd eum ſemper prædicabat genitorem, maioremque ſuum pręceptorem mittentem.

Summa theologiæ Chriſtianæ.

Illi cunctos honores, vti maiori, ac patri deferebat. Nec alia prope fuit ab eo reuelata Theologia, quàm quod a Patre miſſus, rediturus ad eum, certo tempore circumacto, veniſſet, faciens omnia, ſumpta humana figura: quæ Pater non fecit, ſed voluit, & iuſſit Filium, Deumque ſecundum facere, ſicut & opificem mundi eum miſerat. Eademque ratione, ſecundus Deus, mundum, & hominem creauit, qua prędicatur: veriſſimumque fuit, in mundum eum veniſſe, ea exequentem, quæ Primus non quidem fecit, ſed voluit, iuſſitque vt magnus Genitor, facere Secundum. Cuius eſt clariſſima ratio, quòd è duobus, quorum alter Genitor, alter Genitus eſſet, Genitus debuit parere, & facere, quod non decuiſſet facere Priorem, præſente Secundo. Cuius rei tota humana progenies fuit imago, vbi maieſtas & præcellentia genitorum (ſi parua licet componere magnis) ſuper genitis apparet. Atque vbi iuſtitia regnat, iubentibus genitoribus, parent piè, reuerenterque nati. Id, vt dixi, fuit imago eius, quod ab ęterno præceſſit in Deo. De qua re mirabile eſt, & ſtupendum, Platonicos tam profundè philoſophari: & dicunt id ſenſiſſe Platonem, qui Chriſtum natum plus ducentis, & quinquaginta annis anteceſſit: & Plotinus teſtatur hos ſermones non nouos eſſe, ſed vetuſtam quandam, neſcio quibus a locis manantem ad Græcos, Theologiam. Atque iterum tradit Plotinus, etiam diuo Cyrillo teſte: τοῦ δὲ αἰτίου νοῦ ὄντος πατέρα φησὶ τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἐπέκεινα νοῦ, καὶ οὐσίας, πολλαχοῦ δὲ τὸ ὂν καὶ τὸν νοῦν, τὴν ἰδέαν λέγει: ὥστε πλάτωνα εἰδέναι ἐκ μὲν τοῦ ἀγαθοῦ νοῦν, ἐκ δὲ τοῦ νοῦ τὴν ψυχὴν, καὶ εἶναι τοὺς λόγους τούτους, μὴ καινοὺς, μὴ δὲ νοῦν, ἀλλὰ πάντα μὲν εἰρῆσθαι μὴ ἀναπεπταμένως, τοὺς δὲ νοῦν λόγους ἐξηγητὰς ἐκείνων γεγονότας, μαρτυρίοις πιστωσαμένοις τὰς δόξας ταύτας παλαιὰς εἶναι, τοῖς αὐτοῦ τοῦ πλάτωνος γράμμασι. Cumque, inquit, autorem, & cauſam dicat ipſam Mentem Plato, eius quoque Patrem dicit ipſum Bonum, & id, quod eſt vltra Mentem, & ſubſtantiam. Multiſque in locis ipſum ens, & ſubſtantiam, Ideam appellat. Quocirca Platonem nouiſſe, ex Bono quidem Mentem, ex Mente Animam exiſtere: & hos ſermones, non nunc natos, ac nouos eſſe, ſed cùm omnia ſuperioribus ſæculis obſcurè dicta eſſent, his verbis eſſe declarata, & velut ab interpretibus explanata, has eſſe vetuſtas ſentẽtias ipſius Platonis, libris eius pro teſtimonio nobis vtentibus. Sic Plotinus, quibus non eſt mirabilius quicquam, non ipſos tantum, qui Chriſtianam religionem non colebant, ſed etiam, velut ineptam, ac ſuperſtitioſam, ad cuius profundiſſima ſacramenta non attigerant, ſed vulgi opinionem, contemptumque ſequentes aſpernabantur, confeſſos eſſe, ſed longè antiquiores, hæc myſteria. De quo ſuperius, ſed nequeo mihi moderari, quin repetam, & inculcem, quæ mihi ſuauia, iucundaque ſunt.

Imago Patris, filius.

Plato floruit ante Chriſtum natũ 250. & eo plus.

D. Cyrilli locus.

Non recẽs fuit Platonis doctrina de Bono, Mẽte, Anima.

De eadem Mente ex Plotino mirabilis Theologia, vt a Patre generetur, omnibus bonis ditetur. Cap. XIX.

IDEM in libro de Prouidentia, & ſpeculatione, multa diſſerit veneratione, & cultu digniſſima, ſed explicanda, declarandaque nobis. Mens, inquit, indiget ipſo Bono, Bonum eius non indiget. Vnde fit compos ipſius Boni, efficiturque ἀγαθοειδὴς, ipſi Bono ſimilis, & perficitur a ſummo Bono, Specie quidem, ſiue Idea, quę eſt in ipſa Mẽte, quę venit ab ipſo Bono, eã efficiente ἀγαθοειδῆ, Boniformem. Ac quaſi cernitur in ipſa Mente veſtigium ſummi Boni. Eiuſmodi archetypum cogitare conuenit reputando, quod verum eſt in eo, ex veſtigio quod ad Mentem peruenit. Itaque veſtigium eius, quod eſt in ipſa Mente, dedit ipſi Mẽti aſpiciẽti, vt in ipſa ſit cupiditas, & ſemper cupiens ſemper aſſequatur. Illic autẽ neque cupiens eſt (quid enim cupiat?) neque qui aſſequatur: neque enim cupiebat. Nõ igitur neque Mens cupit: Nanque cupiditas eſt in ipſa, & intellectus ad ſpeciem eius. Cũ igitur Mens ſit pulchra, imò oĩum pulcherrima in lumine puro, & claritate pura: καὶ πάντων καλλίστου ἐν φωτὶ καθαρῷ καὶ αὐτῇ καθαρᾷ καὶ τὴν τῶν ὄντων περιλαμβάνοντος φύσιν, οὗ καὶ ὁ καλὸς οὗτος κόσμος σκιὰ καὶ εἰκὼν καὶ ἐν πᾶσα ἀγλαΐα κειμένου ὅτι μηδὲν ἀνόητον καὶ σκοτεινὸν, μηδὲ ἄμετρον ἐν αὐτῷ ζῶντος ζωὴν μακαρίαν, θάμβος μὲν ἂν ἔχοι τὸν ἰδόντα, καὶ τοῦτον καὶ ὡς χρὴ αὐτὸν εἰς δύντα καὶ αὐτὸν γενόμενον ἕνα: Et cùm oĩum naturam complectatur: cuius & iſte pulcher mũdus eſt vmbra & imago, & in omni claritate ea refulgente, quoniam nihil incognitum, & obſcurum, neque immenſuratũ eſt in ipſa, viuente vitam beatam: ſtupor quidem ſubiret aſpicientem, & iſtum, &, vt oportet, penetrantem, ibique vnitum, factumque vnum & idem. Vt autem, inquit, qui ſuſpexit cęlum, viditq; claritatem aſtrorũ, cogitat & quærit τὸν ποιητὴν, creatorem: ſic oportet, & qui mundum intelligibilem contemplatus, & intuitus, admiratusq; eſt, eius opificem, qui eum conſtituerit, inquirere, aut vbi, vel qui, ὁ τοιοῦτον παῖδα γεννήσας νοῦν κόρον καλὸν· καὶ παρ᾽ αὐτοῦ γενόμενον κόρον πάντως τοι, οὔτε νοῦς ἐκεῖνος οὔτε κόρος ἀλλὰ καὶ πρὸ νοῦ καὶ κόρου μετὰ γὰρ αὐτὸν νοῦς καὶ κόρος, δεηθέντα καὶ κεκορέσθαι, καὶ νενοηκέναι, ἃ πλησίον μέν ἐστι τοῦ ἀνενδεοῦς, καὶ τοῦ νοεῖν οὐδὲν δεομένου, πλήρωσιν δὲ ἀληθινὴν, καὶ νόησιν ἔχει, ὅτι πρώτως ἔχει, τὸ δὲ πρὸ αὐτῶν, οὔτε δεῖται οὔτε ἔχει, ἢ οὐκ ἂν τὸ ἀγαθὸν ἦν, Talem genuit filium, & puerum pulchrum, & ab ipſo genitum filium. Omnino autem neque Mens illa, neque coros, id eſt, filius, vel vbertas eſt, ſed & ante Mentem, & filium, vel ſatietatem. Poſt ipſum enim Mens & filius, aut ſatietas eſt, quem oportuit ſatiari, & intelligere.

Mens ἀγαθοειδὴ, Bono ſimilis.

Mens omnium pulcherrima.

Mundus, imago Mẽtis.

Quę proxima quidem ſunt ei, Qui non indiget, neque habet opus intelligere. Plenitudinem autem veram, & intellectionem habet, quia primò habet. Quod verò antecedit hęc, neque indiget, neque habet: alioquin non eſſet ſummum, vel ipſum Bonum. In his Plotini verbis eſt omnis hęc Theologia. Bonum, quoniam primò Deus, eſt Genitor, ac Pater omnis ſubſtantię, bonorumq́ue ſuorum, Menti largitor, non indigere Mentis: contrà autem, quoniam ſit proles, & genita, lumen de lumine ipſa Mens, indigere ipſius boni: quippe quę a Patre ſuo generetur, nec poſſit non generari, nec lucens lucere aliunde poſſit, quàm ab illo. Dat Bonum omnia ipſi Menti, totam ſubſtantiam, videlicet gignendo dat diuinitatem: Pater autem a Mente nihil accipit. Et quoniam cuncta, quæ Pater, aut ipſum Bonum poſſidet, habet etiam Mens, inde fit, vt Mens ſit ἀγαθοειδὴς, imago ſummi Boni, ſpeculum diuinitatis, vt qui videat Mentem adamuſſim, videat ipſum Patrem, ac Bonum. Peruenit autem a ſummo Bono, ad Mentem Idea, & veſtigiũ, ſiue creati mundi, ſiue ipſa bonitatis ſpecies, totaq́ue ſubſtantia, & diuinitas: ac tanquam a primo Sole, Sol alter eluxit. Quo fit, vt ſi videas hunc ſecundum, putes te vidiſſe primum Solem. Quoniamq́ue Pater eſt pulcherrimus, pulchritudo, item eſt & venuſtas, a Mente cernitur, & cõſideratur, & deſideratur, concupiſciturq́ue ſemper: nec Mens fruſtratur concupiſcendo, ſed ſimul cupit, ſimul aſſequitur. Nec quiſquam eſt, ſiue Angelus, ſiue quouis alio gaudeat nomine, qui fructum capiat tantum ex ſummo Bono, vt Mens. Eſt enim filius in ſinu Patris. Suſpectus ergo & conſideratio eſt Mentis ad primum: Primi non ſuſpectus, ſed amor. Nec bonum habet, cùm ſit eminentiſſimum, quod aſpiciat, vt maius, ſicut Mens aſpicit eum. Eſt autem Mens pulcherrima, in luce claritatis ſuæ, complectiturq́ue omnem rerum naturam. Eſt omnium principium, & fons, cuius eſt pulcher is mundus vmbra, & imago, vt dictum eſt a Platone. Apparetq́ue, quod etiam tradit Philo, Plotinum, nunc mundum νοητὸν, de quo ſcribit in Timæo Plato, interpretari ipſam Mentem: vt nihil ſit alius mundus archetypus ille, quàm ipſa Mẽs. Cùm inquam ipſa Mens ſit in ſumma claritate, & pulchritudine. (Erat enim, vt ait noſter, quem Plotinus hoc loco ſequutus videtur, in eo lux vera, quæ illuminat omnem mundum, & in eo tenebrę non ſunt vllæ.) Tum cùm ſit (vt idem etiam ait noſter) in ipſo vita beata, ſi quis & iſtum videret coniunctus cum eo, idemq́ue effectus, obſtupeſceret, attonitus hæreret, eueniretq́ue ei, quod illis, qui dixerunt, viſa hac pulchritudine & claritate, Bonum eſt nos hic eſſe. Vt autem, inquit, qui ſuſpicit cęlum, attollitur in conſiderationem opificis: ſic qui viderit hanc Mentem, & mundum intelligibilem, neceſſe eſt inquirat, quis eum genuerit, quis & hunc filium genuerit, & ſatiauerit, impleueritq́ue ſapientia, dederitq́ue pelagus ſapientiæ. Nam Primus, ipſumq́ue Bonum, ſapientiſſimus eſt, nec indiget, qui eum compleat vbertate ſapientiæ, & intelligẽtiæ. Eſt enim eminentiſſimus, iureq́ue vocatur ἀνενδεὴς, non indigens. Habet autem Mens πλήρωσιν: plenitudinem, veramq́ue ſapientiam: quoniam prior ipſa habet, & fruitur. At verò, quod Mentem antecedit, non quòd ſine ſapientia ſit (nam Chaldæus, & Mercurius dixerunt vtrunque Mentem ſiue Intelligentiam, prioremq́ue Mentem genuiſſe ſecundam) ſed quia a nemine accepit, dicitur non habere. Nam ſi acciperet ab vllo, non eſſet ſummum Bonum. Proxima autem, immo coniunctiſſima, eſt Mens, ſeu ſatietas, cum ſummo Bono, vt ſuperius monuit, cũ dixit, καὶ μάλιστα ὅταν ὦσι μόνοι τὸ γεννῆσαν, καὶ τὸ γεγεννημένον: Et maximè cùm ſunt vnum Genitor, & Genitum. Hęc eſt tota Theologia Plotini, eam non a maioribus modo, Platone, omnibusq́ue eius, & ſuperioris ętatis Philoſophis deducentis, ſed videtur prorſus noſtrum expreſſiſſe Ioannem. Nam quod ille dixit, Verbum fuiſſe in principio, id eſt ab ęterno apud Deum: eſt quod Plotinus inquit, Diligit Genitor Genitum, maximè cùm ſunt vnum vtrunque. Erat apud Deum, videlicet erat coniuncta, vnita cum Deo, & cohærebat Mens inſeparabiliter: Sic, Quòd ſine ipſo factum eſt, nihil eſt, quòd ipſe plenitudinem habet, & ſcientiam omnium rerum, atque exemplum a Patre. Ecce item, vita illa beata, claritas, gloriaq́ue filij, quam habuit priuſquam mundus fieret. Ecce ſtupor, & extaſis intuentium gloriam filij Dei, & ſumma voluptas: circunſtant animæ, dextra, læuaq́ue frequentes: Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari. Denique ecce Genitor, & Filius apud Plotinum, qui Chriſtianus non fuit. Veritas igitur, quoniam eſt Solis claritate luculentior, nunquam latuit.

De⁹, pater omnis ſubſtantiæ bonorũque.

Cũcta quæ pater habet & Mẽs habet.

Idea in Mente.

Sol lucens & viſibilis, imago ei⁹ qui eſt in Mente.

Mundus νοητὸς in Mente tanquam archetypo.

Matth. 17.

Filij conſiderationos ducit ad Patris conſiderationem.

Pater rectè ἀνενδεὴς appellatus.

Vnũ ſunt in Deo, genitor & genitum.

Cõciliatio philoſophiæ Plotini cũ ſacra D. Ioannis theologia.

Ioann. 1.

Virgil. 6. Aeneid.

Veritas nũquã latuit.

Summa eorum, quæ diuinitus Plotinus de Primo, & Secundo eſt locutus, De Bono, & Mente ab eo genita, Idearum plena, ſapientiſſima origine Mundi. Cap. XX.

Pagani veritatẽ Chriſtianam inſectabãtur, cuius myſteria latebant in ſcriptis Platonicorum.

Liber Plotini de tribus hypoſtaſibus.

SED quoniam tanta eſt apud Plotinum, tamq́ue ineffabilis Theologia, quem profani Philoſophi adeo admirantur, diuinumq́ue iure merito vocant: Chriſtianam autem ſapientiam, vt ſuperſtitionem inſectabantur: quo quidem apparet eos Andabatarum more cõtra veritatem depugnaſſe, quaſi cæca vulnera offerentes ei, quam traditam a ſuis venerarentur, adorarent, ſuſpicerent, diuinos qui de ea loquerentur, prædicarent: proponenda ſunt pauca ex his, quæ ſcripſit ad alia preſſius in libro de Tribus hypoſtaſibus, inſcriben-

eum,

A eum, περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, De tribus principalibus hypoſtaſibus, vel tribus Imperatricibus ſubſtentiis, illis ſcilicet tribus Regibus, de quibus egerat in Epiſtola Plato. In eo libro aſſerit, Mentem a ſummo Bono generari, a Mente Animam mundi, id eſt, Spiritum ipſum. Ac Primum appellat ſupremum, Vnum, dicens, aſcendendum eſſe μέχρι τοῦ ἀκροτάτου, καὶ ἑνὸς καὶ πρώτου, Vſque ad altiſſimum, & Vnū, & Primum. Ab Anima dicit oēs animas natas, vt poſtea latius oſtendemus. De ipſa verò Mente loquens, in omnem mundum, magnitudine, & pulchritudine, & ordine, motuque perenni inſignem hortatur reſpicias. Tum Deus in ipſo perſpicuos, alios obſcuros Dæmonas, animalia quoque & plantas. Ad eius item archetypum, verioremque mundum aſcendens, omnia ibi cernas intelligibilia, & in ipſo ſempiterna, vt in propria ſapientia, & vita, exponens, vt reor, & vſurpans illud Ioannis, Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Plotinus autem ea fuiſſe ἐν οἰκείᾳ συνέσει, καὶ ζωῇ, in ſapientia ſua domeſtica, & vita. Tum proſequitur, καὶ τούτων τὸν ἀκήρατον νοῦν προστάτην καὶ σοφίαν ἀμήχανον: Et horum omnium principem, ac perfectam Mentem, & incomprehenſibilem ſapientiam, videlicet illius intelligibilis mundi, & Idearum. Quod idem ſonat, atque quod alibi ſæpe locutus eſt, Eſſe mundum intelligibilē, & Ideam mundi, ipſam Mentem. Audiſti ſapientiam ineffabilem. Proſequitur hunc Deum & Mentem eſſe magnum, cui cùm contemplator appropiauerit, ζητεῖ τις οὖν ὁ τοῦτον γεννήσας ὁ ἁπλοῦς, καὶ ὁ πρὸ τοιούτου πλήθους, ὁ αἴτιος, καὶ τοῦ εἶναι, καὶ πολλῷ εἶναι τοῦτον ὁ τὸν ἀριθμὸν ποιῶν: Quærit quis nunc genuerit, reſpondetque ſimplex, & ante talem multitudinem, Autor & eſſendi, & vt magnus eſſet is, qui & numerum faciat. Pater ſcilicet & principium Filij, vt noſtri & Greci: ſimpliciſſimus, ipſa Vnitas, & quòd cum eo Pater omnia genuerit, fœcunditatem ſcilicet omnium formarum, ac ſpecierum, & quòd omnia complectatur, cuncta continens, in amplexu ſuo, B ſapientiæque pelago. Hanc eſſe priſcorum Theologiam, è quibus Parmenides tres illas hypoſtaſes exquiſitius ab inuicem ſeparauerit, Primum appellantem, ipſam principalem Vnitatem: Secundum Vnum multa, vt poſtea dicemus: Tertium, Vnum & multa, quorum rationes libro ſecundo reddentur: ſicque conſentire Parmenidem φύσεσι ταῖς τρισὶν, Tribus naturis (ſic enim loqui conſueuerant) Anaxagoram autem Mentem puram, & intemeratam ſtatuentem, primarum rerum poſuiſſe ſimplex, & ſeparabile, ipſum Vnum: Heraclitum quoque ipſum Vnum agnouiſſe ſempiternum, & intellectuale: Empedocli materiam fuiſſe quatuor elementa, amicitiam ipſum Vnum, incorporeum quidem, quoniam elementa corporea. Denique veteres præcipuè, qui Pythagoræ, & Pherecydi ſucceſſiſſent, huic ſupremæ, ſimpliciſſimæque naturæ, cùm primis incubuiſſe, ſed alios ſenſa ſua ſcripta reliquiſſe, alios non ſcribendo, ſed in communi ſermone tradidiſſe, eſſe videlicet vltra ipſum Ens, τὸ ἕν, ipſam Vnitatem, ſequi deinceps τὸ ὂν, καὶ νοῦς, id quod vocatur Ens, & Mens. Tertia iam animi natura. Ac quemadmodum ea terna inueniantur in natura, ſic arbitrandum eſſe apud nos. In libro quoque de Generatione, & ordine eorum, quæ poſt Primum, dicit ipſum Vnum, videlicet Patrem, Genitorem eſſe τοῦ ὄντος, ipſius Entis, nimirum Mentis, hancque eſſe primam Generationem. Nam cùm ſit perfectiſſimus ipſe Genitor, qui neque quærat, neque habeat, neque indigeat, vti ſuperius monebat, ſummaque eius vbertas genuerit alterum Genitum quidem, in ipſum conuerti Genitorem, ac repleri, Genitumque eſſe in eum reſpicientem: καὶ νοῦς οὗτος, hancque eſſe Mentem. Hæc & id genus pręclara multa, eo & ſequentibus libris Plotinus docens ipſum primum eſſe ſibi copioſiſſimū, vberrimum ſuæ bonitatis fontem: etiam ſimplex, & primum omniū, appellatum τὸ ἐπέκεινα οὐσίας, vltra ſubſtantiam, ſcilicet vltrà Mentem, quę dicitur Subſtantia, & Ens: Quòd ſit principium ingenitum, & perfectiſſimum omnium, prima virtus, & potentiſſima, quàm omnes aliæ virtutes imitentur: & quòd δεῖ δὴ καὶ τιμιώτατον εἶναι τὸ γεννῶν τὰ ἐφεξῆς, δεῖ δὴ καὶ τιμιώτατον εἶναι τὸ γεννώμενον, καὶ δεύτερον ἐκείνου τῶν ἄλλων ἄμεινον εἶναι. Oportet precioſiſſimum eſſe, quod gignit poſteriora, oportet precioſiſſimum eſſe Genitum, & ſecundum ab illo, omnibus rebus melius, proles ſcilicet prima omnium, meliorque, vt Chaldæus dicebat: idem eſſe Mentem & ipſum Ens: & quod ait in libro de Bono, intelligibilia non eſſe extra Mentem: Hanc vnam naturam, nempe Mentem eſſe omnes res: Eſſe ζωὴν ἀλήθειαν, veritatem, quemadmodum ipſe locutus eſt in mundo: Eſſe Deum magnum, eam naturam, καὶ θεὸς δεύτερος, & ſecundum Deum, proferentem, & oſtendentem ſeipſum, anteaquam videat illum: Eſſe Regem, non rerum a ſe exterarum, ſed iuſtiſſimo, neturalique Imperio, & vero Regno: ἅτε τῆς ἀληθείας βασιλεύς, vt pote Rex veritatis, Vt in noſtris litteris extat, & Dominus vniuerſi, ſecundum naturam γεννήματος, καὶ θείου τάγματος, prolis & diuini ordinis, Rex Regum, & Pater Deorum iuſtè appellatus. In libro autem de Pulchritudine intelligibili, Sapientiæ, inquit, magnitudinem, & poteſtatem quis perſpiciat? quoniam ſecum habet, & fecit entia, ſeu res, & omnia conſecuta ſunt cum ea, & ipſa eſt, quæ ſunt & fuerunt cum eo, & ſubſtantia illic eſt ſapientia. Pluraque alia diuiniſſima, in quibus etſi poſſunt eſſe (neque enim eſt, cur abſolutam, inuiolatamque Theologiam, quemadmodum a noſtris, ab illis expectes) quæ limam non reſpuant, eò tamen ſcopus intendit, vt omnium ſæculorum ſapientia, quæ nouiſſimis diebus, ruptis omnibus clauſtris inundauit in orbem terrarū, eorum teſtimoniis appareat. Ecce enim Plotinus, maiores Græciæ Philoſophos, ipſam Vnitatem, primum principium, altiſſimumque, Diuinitatem fatetur ſenſiſſe, deinceps Mentem.

Aſcendendum ad altiſſimum, & primū.

Ioan. 1.

Mens, mūdus intelligibilis, & Idea mundi.

Deus oīa ſuo quaſi ſapientiæ pelago cōplectitur.

Parmenides circuitione myſteriū τριάδος explicare conatus.

Anaxagoræ ſententia.

Heracliti ſententia.

Heracliti ſententia.

Empedoclis opinio.

Pythagorę & Pherecidis decreta.

Pater, genitor entis.

Mens, ſubſtantia & ens.

Mentem, eſſe res omnes.

Rex vnitatis, & dominus vniuerſi.

Præclara de Deo eulogia.

Omnium ſæculorum ſapientia, noſtris ſæculis apparuit luciſſima, quæ perobſcura fuerat.

Sic apparet

Chriſtiana religio vetuſtiſſima. Mens omnia in Bono annuncians, tanquam imago illius. Mens, verum ens, & vera ſubſtantia. Mẽs, fons rationum.

Sic apparet Chriſtianam religionem vetuſtiſſimam eſſe, reuelatam poſtea, exhibitamque paſſim omnibus, vel pueris, & fœminis, quæ quondam apud ſolos Philoſophos, nec perfectè intellecta, latitaret. Præclara verò ſunt & illa, quæ in libro de Ideis, An ſiſtendum ſit, vbi Mens: an ad id, quod eſt vltra Mentem, ſit procedendum. Mens, inquit, præfuit principio primo, tanquam in veſtibulis ipſius Boni, annuncians in ipſo omnia, tanquam τύπος, forma, aut imago illius, magis in multitudine, quàm ipſum quod manet in Vnitate. Conſiderandamque Mentis huius naturã, quam ratio pronunciet eſſe, το ὂν ὄντος, καὶ τὴν ἀληθῆ οὐσίαν, verum Ens, & veram Subſtantiam. Eandem eſſe χορηγὸν τῶν λόγων, quaſi dixeris, fontem rationum, & quòd verè intelligat ea, quæ ſunt & intelligendo creet. Eſſe igitur eam τὰ ὄντα, ipſa entia. Hæcque eſſe ante mundum, Ideas nempe, nõ figuras, aut imagines ab aliis rebus naſcentes, ſed ἀρχέτυπα καὶ πρῶτα, καὶ νοῦ οὐσία, Archetypa, & prima, & Mentis ſubſtantiam. Eoque infert, νοῦς μὲν δὴ ἔςω τὰ ὄντα, Mens igitur eſto ea, quæ ſunt. Eandem Mentem pronunciat, non ſimul, ac aliquid cogitauerit, aut intellexerit, continuò creare, neque enim cùm Deum cogitaſſet, factum eſt videlicet aliquod aſtrum, neque ſtatim, vt motum cogitaſſet, creatus eſt. Quo declaratur, non omnem eius intellectionem eſſe creationem, ſed duntaxat cum vult. De eadem in libro de Generibus entis loquens, Aſpice, inquit, in hac Magna Mente, & incomprehenſibili, non πολυλάλῳ, multa loquente, & verbis creãte, ſed πολυνῷ, multa intelligente, id eſt, ſapientiſſima, quomodo omnia ſunt ex ea. Eſtque ἓν καὶ πολλά, Vnum & multa. Hæcque multa, inquit, ſunt vires admirandæ eius, non debiles illæ quidem, ſed puræ, maximæ, conglobatæ virtutes, aut vires veræ. Neque hæ vſque ad certum modum procedentes, ἄπειρον τοίνυν, καὶ ἀπειρία καὶ τὸ μέγα, Infinitas igitur ipſa, & immenſitas, & magnitudo. Hæc magnitudo cum pulchritudine ſubſtantiæ, quæ eſt in ipſa, & ſplendore, & lumine. Ex quibus Plotini verbis, ipſo auro precioſioribus, fit perſpicuum, Mentem eſſe ipſam rerum vniuerſalem, ſpiritualiter, formaliterque ſubſtantiam: eſſe ſapientiam infinitam, eſſe omnia, ſed formaliter, virtualiter, originaliter, diuino, & ineffabili modo. Eſſe imaginem, & ſpeculum Bonitatis, vt eſt apud Sapientem, eſſe veram ſubſtantiam. Res noſtras præ illa eſſe vti ſimulachrum, ſicut mens noſtra, eſt eius imago. Et quod maximè obſeruandum, figendumque in pectore, colliges ex Plotino, Ideas nil aliud eſſe, niſi vires illius ſapientiæ infinitas, immenſas, admirandas, quibus in omnia tendit eius ineffabilis inuentio, & molitio, vt his viribus, omnia creata, & creanda contineantur. Ea cauſa eſt, quòd cùm multa ſint Hebręis nomina diuina, illud in creatione Moſes vſurpauit, quod deſignat fortitudinem, potentiã, Elohim. Illa igitur multa, quæ ſunt in eo, ſunt Ideæ. Ideæ autem ſunt vires eius ineffabiles, immenſę, fontes fœcundiſſimi, formæ primæuæ, in vnam diuinitatem conſentientes. Non enim, etſi multitudinis nomine nuncupantur, ſunt multæ: ſed multæ ſunt, & vnum. Is eſt veriſſimus, optimusque Idearum ſenſus, dignus qui recipiatur, & inter principia rerum primo loco habeatur. Quanquam non erunt duo principia Deus, & Idea, niſi quadam conſideratione.

Mens, cũ vult, creat. Mẽs, rerũ vniuerſalis, ſpiritualis, formaliſque ſubſtantia. Mens, imago & ſpeculum bonitatis. Mens noſtra, imago Mentis diuinæ. Ideæ, vires infinitæ ſapiẽtię Dei. Ideæ, quænam ſint. Deus & Idea non ſunt duo principia.

Ex Theologia Chaldæorum apud Sibyllas, de Prole diuina, quòd ſit Regina mundi viſibilis, & inuiſibilis: & quòd a Patre princeps conſtituta. Ex quibus eſt conformatio & comprobatio eorum, quæ ſuperius Platonici dixeruut.

Cap. XXI.

Sibylla Erythrea vnde denominata.

EX CHALDAEORVM Theologia ſunt etiam Erythreæ Sibyllæ teſtimonia, quæ Chaldęa fuit, filia, vt fama eſt, Beroſi Chaldæi, appellata fortaſſe Erythrea, non ab Erythris Ioniæ vrbe, ſed a ſinu Perſico, & mari rubro, quod vſque in Perſas & Indiam pertinens, Erythreum, ſiue rubrum vocatur. Potius autem ab Erythreo Rege, vt Duces Alexandri teſtabantur: cuius ſepulchrum eo in littore ad veteris Regis memoriam conſpiceretur. Hæc præclara edidit oracula, vt & claritate, & numero carminum cæteras omnes tum Sibyllas, tum Prophetas anteceſſerit. Nullus enim prophetarum tam clarè & apertè de Filio, & Genitore, de creatrice Mente, de rebus ab eis gerendis, humana natura, diuinitati coniuncta, ſcripſit. Cuius cùm ad manus Romanorum carmina perueniſſent (neque verò omnia peruenerunt, ſed vix minima pars) non intellecta, vt quæ ad res eorum non pertinerent, ſæpe peruersè interpretabantur. Eadem igitur ea, pluribus eius oraculis omiſſis, cecinit de Mente, atque Magi: vt omnibus è locis fiat perſpicuum, Mentem a Græcis vſurpatam, aſcitamque ad rerum creationem, non fuiſſe, niſi eundem, quem poſteriora ſæcula confeſſa ſunt creatorem: cuius laus & gloria, & diuinitas, ac maieſtas ſemper celebris, ſemper nota terris fuit, ſed vt Dei, non vt filij Dei, niſi longè paucis. Oraculum Magorum dicebat Patrem omnia patraſſe, & Menti, quæ prima celebretur a mortalibus, tradidiſſe, ſcilicet Patrem per ſuam hanc prolem eſſe Creatorem, tradentem ei totam poteſtatem, autoritatemque creandi, altero dante, altero recipiente. Sic & principium rerum a Genitore Mentem conſtitutam. Peculiareque eſt eius oraculi teſtimonium, Imperatorem mundi eſſe Filium, eſſe Mentem: ſed Imperio accepto ab alio, nempe a Genitore: ob quam cauſam eum dicebat omnia perfeciſſe. In eo igitur eſt filij

Oracula Sibyllæ Erythreæ de filio Dei. Romani carmina Sibyllę nõ intellexerunt. Imperator mundi, filius.

t filij diuinitas, vt tum ſit a Patre genitus, tum omnium rerum creandarum ab eo quondam,
Ioann.1.
oſtea conditarum, Imperium acceperit. Hoc clamant noſtræ litteræ, docentes per hunc crea-
s eſſe res: hunc iudicem viuorum, ac mortuorum a Patre conſtitutum. De ſeque ille ipſe:
Matth.28.
Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra: omnia concordia, mirabileſque omnium ſæ-
ulorum conſenſus. Quod diuinum Magorum prædicabat oraculum, quod Plato, Platoni-
ſque omnes, non ita fortaſſe cognitum ante Chriſtum fuiſſet, donec præſentia eius fecit cla-
iſſimum. Sibyllam igitur Chaldæam eadem prædicantem, & totam hanc Diuinitatem
duobus carminibus exprimentem, audire iucundum eſt. Nam cùm de Patre Deo, a quo
rincipium carminis fuerat auſpicata, plura dixiſſet, ſicut Magi, adiungens eius ad Filium
naieſtatem, protulit.

Sibyllini verſus.

Παντοτρόφον ϗ τίϛην ὅϛις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο, ἡ γητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε. Id eſt,

Diuorumque ducem, & qui cuncta aleretque, crearetque,
Inſtituit, dulcem qui vitam homini dedit omni.

Duo ſunt in hoc carmine, quę Chriſtiani, id eſt, patefactę, & notę Mentis adoratores cogno-
centes, mira lętitia exiliant, omnibus gaudiis inceſſant. Clamat Sibylla Patrem dulcem omni-
Cōciliatio doctrinæ Chriſtianę cum oraculo Sibyllino.
us vitam dediſſe. Oraculum Magorum, omnia Patrem perfeciſſe: Theologia Hebręorum,
Qui fecit cęlos per intellectum: Theologia Chriſtiana, Patrem vocat creatorem cęli, & terrę.
Multa id genus Platonici. Proſequitur vates, Conſtituit eum παντότροφον ϗ τίϛην, Creato-
em, fouentem, ſuſtinentemque omnia, alentem cuncta. Eundem dicit a Patre datum princi-
Pſal.135.
em, & Imperatorem Deorum, quaſique Regem corporearum, incorporearumque rerum.
Quod & Hebraica Theologia ſemper reſpiciens, vocat eundem Dominum exercituum, quaſi
Dominus exercituū, Deus.
Regem, ac Principem, ductoremque Deorum, quos Angelos, & Deos appellat. Chaldęus igi-
ur, Omnia perfecit Pater, tradiditque Menti ſecundę, quam credunt, dicuntque primam om-
es homines. Gręca Theologia, autorem & creatorem, & omnis ordinis inuentorem, terram
nformem, formis decorantem, Mentem ſiue Intelligentiam prędicabant. Hebręa Theologia,
ræter alia, hunc vocat Spiritum, ſuper Chaos operantem: tum ait eadem, Qui fecit cœlos in
Pſal.135.
ntellectu quod ſonat, per Intelligentiam. Nam apud Hebræos In, eſt Per. Idemque dicit Gre-
us, atque Hebræus. Idem apud Græcum νοῦς, Intelligentia, atque Hebręum, Spiritus ſuper
Geneſ.1.
quas, & Intelligentia creans cęlos. Nouiſſima Theologia, totum vulgata per orbem, quoties
æc prædicat? Conſidera, & confer hoc oraculum cum magni Pauli dicto. Cui enim, inquit,
Heb.1.
Angelorum aliquando dixit, Filius meus es tu, ſede a dextris meis? Sibylla verò, Conſtituit
um pater ἡγητῆρα, principem, regem, ducem Angelorum, id eſt, Deorum. Dij enim apud He-
ræos & noſtros Angeli vocantur: Vt illud, Minuiſti eum paulominus ab Angelis: Hebraicè
Pſalm. 8.
b Elohim, id eſt, Diis: & illud, In conſpectu Angelorum: in Hebręo, In conſpectu Deorum.
Hebr.2.
Aſpice diuinitatem, maieſtatemque Filij a diuinitate Genitoris non ſeparatam. Duos hi om-
es fatentur, vnum tamen oſtendunt. Vt niſi ſit in dictis eorum altiſſimum myſterium, ſit ne-
eſſariò contradictio. Chaldæus omnia perfeciſſe Patrem, ac Filio, qui Mens prima ſit, dediſ-
e. Vates autem, Patrem, dulcem ſpiritum, dulcem animam omnibus infudiſſe. Poſt, omnium
reatorem, & alumnum illum, Secundum, vocat. Duos ergo, & vnum. Nam vtrique dant re-
um creationem. Planè igitur, omnem filij diuinitatem, autoritatem, ac facultatem venire a
Patre tradiderunt. Quoniamque vtrunque vocant vitarum datorem, eorum apertè coniun-
unt diuinitatem, coniunctamque vociferantur, & adeò coniunctam, vt omnia habuerint duo
Coniuncta diuinitas Patris, & Filij.
principia, veluti vnum, duos creatores, quos ob id coniunctiſſimos, vniſſimoſque aſſerunt, quia
non poſſunt eſſe duo mundi creatores. Si enim dat cunctis dulcem ſpiritum ipſe Pater, iuxta
Sibyllam: & ſi Pater omnia perfecit, iuxta Magos: quid reſtat Menti ſecundæ? Atqui ijdem
Mentem declarant creatricem. Videbant igitur, aut auditam prędicabant coniunctiſſimam ſub-
ſtantiam & diuinitatem, Confeſſique ſunt filium Regem Deorum, creationis Principem, ſed eius
a Patre genitam ſubſtantiam, & autoritatem. Totaque deducitur Theologia ex hoc oraculo.
Vnde ducatur tota Theologia.
Magi nomen Patris vſurpant, eo primam illam dictatricem, genitricemque Mentem nuncu-
pantes. Quæ ſi Pater eſt eorum teſtimonio, certè propter eum, quem genuit. Sic ęterna ge-
neratio. Tum autoritatem quandam minorem, gradumque inter illos oſtendunt, dum alter di-
citur Pater, dicitur Primus, dicitur tradere creationem alteri, conſtituit eum omnium creato-
rem. Iungunt autem diuinitatem, & ſubſtantiam, quia iungunt creatorem. Si enim eſſet ſeiun-
cta ſubſtantia, etiam autoritas, & facultas: aliudque fieret ab vno, aliud ab altero. Sed cùm
rerum creatio ſit opus eminentiſſimum, ſi tam a Patre id fit, quàm a Filio, neceſſariò ſunt
vna ſubſtantia, vna autoritas, poteſtas vna, vnum imperium, vna diuinitas. Quidquid enim
fit ab vno, fit item ab altero. Quod fieri non poſſet, niſi eſſet vnum. Sic erant in antiquiſſima
Chaldęorum Theologia Pater, & Filius. Et lumen, quod poſtea in immenſas excreuit flammas,
unc quaſi in crepuſculo ſcintillabat.

Fidele eſſe Magorum, Sibyllarumq́ue teſtimonium. Cap. XXII.

SI QVIS autem eſſet, cui forſan incredibile videretur, hæc a Magis, & Chaldæa Sibylla dicta, & cognita fuiſſe: is ſi libros Platonicorum, dictis, ac Theologia iſtorum Magorum refertos legerit, conſideraritq́ue ea, quæ ſuperius ex eis adduximus, certè non dubitabit. Tum ſolos Chaldæos, & Hebræos Apollo teſtatus eſt fuiſſe ſapientes: μοῦνι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρα ἑβραῖοι: Solis noſſe datum Chaldæis, atque Hebræis. Nec aliunde eueniſſe putes, vt hi potiſſimum cognouerint ortum iſtius magnæ Mentis, diuinæq́ue prolis, creatricisque Intelligentię, quàm ex antiqua eorum Theologia, quæ prędicabat apertè, fore, vt filius ille Dei, omnium rerum creator, venturus eſſet aliquando in mundū, oſtendendumq́ue ipſis Magis ſuper hac re ſignum de cęlo. Itaque in eorum Theologia, quę referta eſſet oraculis de Filio Dei, & tempus aduentus declarabatur, & ſignum, quod locum indicaret oſtendendum cęlitus. Propterea vigilantiſſimè obſeruabant, totumq́ue ea fama Orientem repleuerat, vt Suetonius in Veſpaſiano, & Tito teſtatur. Pręceperatq́ue Sibylla, vt in cœlo ſignum conſpicati, ducem ſtellam ſequerentur, Regemq́ue magnum adorarent. More autem gentis ſuæ adorarent. Nemo autem apud Perſas ſalutabat Regem, niſi muneribus allatis. Munera erāt, quorum regio eſſet ferax. Itaque & illi, quoniam auro propter vicinam Arabiam, & thure, ac myrrha abundant Chaldæi, & Perſæ, his oblatis, Regem illum Deorum, Creatorem mundi, Filium Dei, primam Mentem, adorauerunt. Sed teſtimonium, Theologiaq́ue Magorum, etiam noſtris litteris & Platonicorum eſt clariſſimum. De quibus ſatis erat ſuperiore loco dixiſſe: ſed ideo repetere rationem ſuper eorum Theologia placuit, quod de Sibylla, quę & ipſa Chaldaicæ Theologiæ eſt vates, eſſet dicendum. Vera igitur eſſe, ac fidelia teſtimonia iſtius vatis, clariſſimum eſt. Nam Romani, gens ſcilicet nondum Chriſti religione imbuta, earum libros Romam deportatos, in Capitolium collocarunt. Quorum inſpiciendorum poteſtas facta eſt poſtea Lactantio propter Conſtantini Imperatoris familiaritatem, vt quòd pręceptor eſſet Criſpi filij. Ea teſtimonia a doctiſſimo, eloquentiſſimoq́ue viro fideliſſimè referri, credēdum eſt, propter ſummam eius probitatem, & doctrinam, quam vtranque & libri eius locupletiſſimè teſtantur, & quòd filij Imperatoris aſcitus eſſet præceptor. Sed luculentiſſimum eſt apud Marcum Tullium ſuper hac re teſtimonium, primùm de ordine carminū iſtius vatis, tum eo ipſo, quod his comprehenderetur. Atteſtabiturq́ue Tullius dictis, & oraculis Sibyllę, ſcribens de eo diuinationis genere, quod afflatu diuino fieret, quem illi Inſaniam appellant: volensq́ue morem Academiæ ſecutus id deſtruere, plura dedit nobis indicia, & argumenta ſuper his carminibus. Primum teſtatur ea carmina fuiſſe contexta per ἀκροστιχίδα, id eſt, cùm deinceps ex primis cuiuſque verſus litteris connectitur, ac diſſultat aliquid. Aſſeritq́ue idem in verſibus Sibyllinis ex primis litteris cuiuſque verſus, omne carmen prętexi. Confer igitur hoc eloquentiſſimi viri teſtimonium cum carmine Erythręæ Sibyllæ, quod cecinit de extremo iudicio, rebusq́ue nouiſſimis, quod eſt nunc ferè notiſſimum, & ab Auguſtino in libris de Ciuitate Dei refertur. Ibi videbis ex primis litteris cuiuſque verſus totius carminis, colligi Græcè, ἰησοῦς χριστὸς, σωτὴρ, θεοῦ υἱός, σταυρός. Ieſus, Chriſtus, Seruator, Dei filius, Crux. Sed audi, quid idem in dictis Sibyllarum deprehenderit. Quorum, inquit, carminum interpres, nuper falſa quædam, hominum fama dicturus in Senatu putatur, eum, quem reuera Regem habebamus, appellandum quoque Regem, ſi ſalui eſſe vellemus. Audite inquā quid Sibylla vaticinata Romanis eſſet: Eum, qui reuera, qui ſolidè, eorum Rex eſſet, appellādum quoque, adorandumq́ue vti Regem, ſi vellent eſſe ſalui. Idq́ue Sibylla prædixerat futurum paulò poſt ea tempora, cùm Marcus Cicero hæc ſcriberet. Erat autem eius oraculi publica fama. Etenim ait, Hominum fama eſt, interpretem carminum Sibyllinorum, neceſſariò dicturum falſa in Senatu, videlicet de Rege Romanorum, quem appellare Regem, Romanos oporteret, ſi vellent eſſe ſalui. Hæc erat fama hominum, oraculumq́ue multis erat notum, falſum autem ab eiſdem putabatur, quia nunquam fore credebant, vt eſſet Rex vllus Romanorum, quorum res eſſet publica, a quo ſalui Romani fierent. Hæc autem ſcribebat Marcus poſt mortem Caij Cæſaris, paulo ante Triumuiratum. Hoc tempore ſcribens dicebat, Quorum interpres, nuper falſa quædam dicturus in Senatu putatur de Rege Romanorum. Obſerua tempus. Dixit enim, Nuper dicturus putatur, indicans proximū eſſe tempus, cùm lectis carminibus Sibyllinis in Senatu, ab interprete oſtēderetur ex illis quidam Romanorū Rex, quem appellare, & fateri Regem Romanis neceſſe eſſet, ſi vellēt eſſe ſalui, id eſt, a Seruatore redimi. Et quanquam erat certa temporū ſublata definitio, id tamen tempus iſtius Regis, Sibylla conſtituerat, vt Romani & ipſe Tullius intelligere potuerint, ſub ea tempora eum oriturum. Vnde enim hominum fama ex carminibus manaſſet, nuper ex his Regē proferendum? Legebantur enim ea iuxta tempora, & olympiadas, quas deſcribebat etiā Sibylla. Et fortè talem olympiadem Sibylla iſtius Regis declarauerat, vt non multò poſt tempus ſuum, Marcus, cæteriq́ue cognoſcerent, hunc Regem ex carminibus illis proferendum, ac monſtrandū, non illum quidem multo pòſt futurum, ſed iam ferè præſentem. Itaque idem concludens, & deteſtans Regem, quippe qui reipublicæ partes tueretur, ait, Cum Antiſtitibus agamus, vt quiduis potius ex his libris, quàm Regem proferāt, quē Romæ poſthac nec Dij, nec hoīes eſſe patientur.

Non in-

Chaldæi & Hebræi, ſoli ſapiētes, vel teſte Apolline.

Sibylla ſtellam prædixit de qua.

Libri Sibyllini Romæ aſſeruati in Capitolino. Vide Lact. li. 1. cap. 6. Lib. 2. de Diuinatione.

Verſus acroſtichi.

Vide Aug. de ciu. Dei. 18. cap. 23. Euſebium ἐν τῷ λόγῳ βασιλικῷ. Oraculum Sibyllæ publicè cognitum.

Rex Romanorum, Chriſtus.

Quo tempore Cicero de Diuinatione libros ſcripſit.

Chriſtus, paulopoſt Ciceronis mortem natus.

Non intelligēs videlicet, quem Regem Sibylla dixiſſet. Prędixerat autem Regem, non per quem euertenda Reſpublica eſſet, quod Cæſar, & Auguſtus fecerunt, ſub quibus crudeliſſimę proſcriptiones, & ciuium Romanorum miſerabiles cędes extiterunt: ſed per quem ſalus eſſet Romanis pręſtanda. Eoque Seruator, & ſalus a Sibylla vocabatur: pręſtanda autem, ſi eum Regem cognoſcerent, & appellarent. Tale oraculum etiam Magi, quo ferè tempore Marcus hæc ſcribebat, cognoſcentes, hunc ipſum Regem, & appellarũt Regem, & adorauerunt. Dixit aũt Marcus, Nuper. Ab eo autem tp̄e, quo hæc ſcripſit, & ad Chriſtum natum, viginti plus minus anni interfuerunt. Propterea dixit, Poſthac. Prædixerat ergo Sibylla Regem Romanorum, qui Reges ipſi cęterorum eſſent, non multò poſt ea tempora oriturum, poſt ſcilicet bella ciuilia, poſt pacatam rem publicā, & pacem vſquequaque partam, & omnes gentes a Romanis ſubactas. Romæ fama increbuerat, quendam Regem ex carminibus Sibyllinis eſſe monſtrandum: Cerneque, vt concordes fuerint, & Magi in agnoſcendo eo, & Sibyllæ in prædicendo. Et fortè idem oraculum eiuſdem Sibyllæ erat apud Chaldæos. Babyloniam nāque Sibyllam Erithream fuiſſe multi autores ſunt. Vnaque & prior Sambethe è decem Sibyllis, de Perſide dicitur fuiſſe. Sed clarius, vt in ſuo fonte habebatur apud Chaldæos. Propterea toto Oriēte, ſicut & Romæ & in Iudęa, vt Ioſephus eſt autor, hæc fama de magno quodam Rege vulgata fuerat. Non ſolùm autem de Rege plura fuerat vaticinata Sibylla: ſed etiam eaſdem circunſtantias adſcripſerat, quas & Eſaias, Reditura aurea ſęcula, pacem vbique futuram. Quę cùm Virgilius quoque in carminibus Sibyllinis legiſſet, eadem qua Tullius inſcitia aſcripſit homini, quę de Deo canebantur. Sic & Tullius ſuſpicatus hominem fore hunc Regem, in eum deſtomachatus eſt, & in carmina Sibyllina, quę de eo vaticinarentur. Ex his igitur, & Theologia Magorum & oracula Sibyllæ ſunt probata, & fidelia, omniaque mirabiliter conſentiunt. Ex Sibylla quoque ratio ſuccedentis ab antiquiſſimis patribus in poſteros doctrinę maximè cōfirmatur. Vna enim Sibylla Chaldęa, vel de Perſide, innumerabilia de Chriſto & eius aduentu vaticinata dicitur, ex ſucceſſione Noe vocata, vt dixi, Sambethe. Viginti quatuor libros fertur ſcripſiſſe. Suidas autor. Et Conſtantinus Imperator, cùm apud Virgiliū carmina Sibyllina deprehendiſſet, obſtupuit, eoque teſtimonio comprobauit, quę de Chriſto Sibyllæ vaticinentur, a Chriſtianis non fuiſſe conficta. Atque in hunc modum loquitur: Sibylla igitur Erythrea, quæ ſe ſexta ętate poſt diluuium fuiſſe dicit (hoc eſt, ſexcenteſimo anno) Sacerdos Apollinis erat, ferens diadema ęquè, atque is Deus, quem ea coleret, & tripoda cuſtodiēs, circa quem anguis erat obuolutus, reſpondebatque ſciſcitantibus, huic cultui & dementiæ a parentibus addicta, in qua præter furores incompoſitos, nihil pręterea venerandum cerneres, iuxta ea, quę de Daphne feruntur. Ea igitur intra adyta ineptæ ſuperſtitionis ingreſſa aliquādo, diuinoque afflatu myſteria Chriſti, expreſſione litterarum ἥτις ἀκρόςοιχις λέγεται, quę dicitur Acroſtichis expreſſit. Productiſq; carminibus illis, quę ſuperius dixi, proſequitur Conſtantinus: Et hęc vtpote virgini diuinitus datum fuit vaticinari. Beatā ego cenſeo, quā Seruator ſuę de nobis prouidentię vatē elegerit. Sed plerique fidē abrogant, Sibyllā quidē Erythreā fatentes fuiſſe, hęc autem carmina ab aliquo è noſtris fuiſſe conficta, qui poeticę non eſſet ignarus, adulterinaq; eſſe, inſcripta Sibyllæ, ꝙ vtiles ad vitam ſententias contineant, a voluptatibus ad modeſtiā auocantes. Sed in propatulo veritas eſt, collectis diligenter temporibus, a noſtris hoc poema poſt aduentum Chriſti, & mortem non fuiſſe ſcriptum: falſoque ei detrahi, quando tot annis ante editum eſt a Sibylla. In confeſſo enim eſt Ciceronem hoc poema vidiſſe, & tranſtuliſſe in linguam Romanam, ſcriptiſque ſuis adnumeraſſe. Hunc autem ab Antonio occiſum, Auguſtum Antonio ſuperſtitem fuiſſe, qui ſex & quinquaginta annis imperauit. Huic ſucceſſit Tiberius, cuius tempore, Chriſti illuxit aduentus, ideſt, religionis eius fuit incremētū, ἥτε νέα τȣ̃ δήμȣ διαδοχὴ συνέςη, nouaq; populi extitit ſucceſſio. De qua eminentiſſimum Latinorum vatum arbitror locutum: Iam noua progenies cęlo demittitur alto. Hęc omnia Cōſtantinus Imperator in oratione, de Religione Chriſtiana. Examinatq; totum carmen Virgilianum è ſexta Ecloga. Obſeruareque operæprecium, quòd in vltimo carmine, quod per præpoſitionem de Chriſto contexuit Sibylla, nouiſſimè ſunt hi duo verſus:

Chriſto Rege, ſalus expectabatur.

Nat⁹ Chriſtus, reſtincto ciuiliū bellorum incendio.

Virg. 4. Ecloga de filio Pollionis malè prædixit, q̄ de Chriſto ſolo intelligenda verè fuerant.

Sibyllæ Perſicæ vaticinia de Chriſto ſeruatore.

Auguſtus Octauius quot annis imperarit.

Οὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροςοιχίοις θεὸς ἡμῶν,
Σωτὴρ ἀθάνατος, βασιλεὺς ὁ παθὼν εἵνεκα ἡμῶν. Id eſt,
Is nunc præſcriptus per ſingula carmina noſter,
Eſt Deus, eſt ſeruans Rex, paſſus pro crimine noſtro.

De Verbo Diuino, & quo modo ſit Lumen de lumine, ex Mercurio. Cap. XXIII.

THEOLOGIA quoque Aegyptiorum complura continet de ęterna Mente, ipſoq; Patre ingenito teſtimonia. Nam Mercurius non Mentem modò, iuxta vniuerſam Platonicorum, priſcorumque Theologiam, progeniem illam diuinam nuncupat, ſed etiam eo ipſo nomine, quod celebre eſt, ac tritum in noſtra Theologia, Verbo. Scripſitque de eo antequam ipſum Verbum veniſſet in mundum, ſtupenda: vt apud eum omnem ferè reperias religionem. Mirabiliter cum Chaldæis congruit, verbis humanis explicans rem ęter-

Mercurius Triſmegiſtus, vtitur nōīe verbi ad Mētem ſignificandam.

rem ęterrem æternam, & incomprehenſibilem, ὁ δὲ νοῦς ὁ θεὸς ἀῤῥενοθῆλυς ὢν, ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύησε λόγον ἕτερον νοῦν δημιουργόν. Hoc eſt, Intelligentia illa Deus, cùm maris, ac fœminæ vim haberet, & vita, & lumen eſſet, genuit Verbum, alteram, ſcilicet Mentem opificem. Hæc enuntiat antiquiſſima Aegyptiorum Theologia. Ex multis autem vetuſtiſſimi Theologi dictis, pauca nunc cito, vnde liceat de tota re diiudicare. Audis eum commemorare ſimiliter, atque Chaldæum, duas Mentes, quaſi duas Chriſtianorum perſonas. Et vt rudes doceret, quomodo potuerit Pater generare, teſtatus eſt eum eadem vi præditum ad gignendum, qua ſunt mas, & fęmina ſeparatim. Quod quidem vocibus humanis, remq́ue corpoream ſonantibus abuſus, dixit, vt erat veteris Theologiæ mos. Neque enim poteſt in ſenſus humanos cadere, vt Mens gignat Mentem, cùm in omnibus animantibus procreandis, vtraque vis ſit neceſſaria. Aeternæ autem generationi, & incomprehenſibili, remotiſſimæque ab oculis natiuitati, potius congruunt exempla naſcentium, rerum inanimatarum, quę, vt altera ex alteris naſcuntur, in pleriſque tamen ſola, & vna res eſt generans. Nullum eſt autem aptius, clariusq; exemplum, quàm vitæ, & luminis. Contemplare igitur, & ſuſcipe altiſſimum myſterium, profundiſſimumq́; ſacramentum, quo omnia de æterna generatione declarantur, atque in nouiſſima hac, redditaque mundo cęlitus Theologia prędicat cęleſtis Sapientia, quomodo à Patre æterno, Filius æternus generetur, dicens, Lumen de lumine. Mercurius autem ait, Patrem, quia lumen ſit, genuiſſe, & peperiſſe Filium. Ergo talem generationem, & ortum nobis illius æternæ Mentis oſtendunt, qualis eſt immenſæ lucis ex immenſa luce, puriſſimi luminis ex lumine puriſſimo, diuerſiſſima noſtra, atque illius ęternæ Mentis procreatione. Ac quoad ex viſibilibus exemplis licet res ęternas capere cogitando, ſola propemodum quadrat generatio lucis ex lumine, ad æternam illam intelligendam. Diuinus Apoſtolus, & is qui Sapientiam tantopere celebrauit, vocauit Filium Dei ἀπαύγασμα αἰωνίου φωτὸς, candorem, ſiue radium lucis æternæ. Sic Mercurius, vt vides, volens explicare, quomodo Pater generet, lumen dicit eum eſſe. Agnoſcis veterem Theologiam, non aliam fuiſſe, atque hanc noſtrorum ſæculorum? Semper enim eſt veritas, nullo non tempore aliquo modo clareſcens. Mercurius etiam eam cauſam cur gignat Mens mentem, proponit, quòd Pater ſit vita. In quo latet profundiſſimum myſterium. Simul enim lux eſt Pater, ſimul vita. Non enim eſt iſta lux, quæ noſtris oculis præfulget, ſed lux viuens, maxima lux, lux lucens, & viuens, lux cum maxima vita, & aut vita luculentiſſima, aut viuaciſſima lux. Noſtra lux, eſt lux tacens, & quaſi mortua lux. At neq; lumen viuit, neque de lumine manans lux. At in illa luce eſt vita. Imo ipſa vita eſt amicta lumine, ſicut veſtimento. Quod igitur altiſſima lux, & lucidiſſima vita eſt Pater, hoc gignit alteram Mentem, velut alteram lucem. Quoniamq; hæc generatio luci comparatur, indicatur etiam eam eſſe generantis, & geniti connexionem, qualis inter lumen, & lucem. Nunquam autem lux à lumine ſiue radius à luce ſeparatur: ſe ſemper comitantia ſunt. Vbique alterum gignit, alterum gignitur. Nec radius ſine luce eſſe poteſt genitrice, vel genitore, & cauſa ſua, neq; lux ſine radio: quia nunquam poteſt lux non generare lumen. Quam enim dabis lucem, non ſemper fundentem totum lumen? Hæc prędicauit antiqua Theologia. Verba clarent, & exempla. Tum Mercurius tribus nominibus vocat rem generatam, ſicut ſuis item nominibus Patrem nuncupauerat. Patrem appellauerat Intelligentiam ſeu Mentem: quanquam hoc ſit proprium Secundi, vt vidimus. Item Deum cum articulo, & emphaſi, quòd principaliter conueniat in Patrem nomen diuinitatis, qui totius diuinitatis eſt autor. Tum vim gignendi, nomine fictitio humanæ conſuetudinis expreſſit: deinde Lumen, tum Vitam, eum eſſe dixit. Quę etſi in Filium quoque conueniant, propria tamen ſunt ipſius Genitoris. Nam & Filius eſt Deus. Sed cùm hæc diuinitas generetur à Patre, ille principalius eſt Deus. Vita quoque & Lumen eſt Filius, ſed proprie Pater, vt pateat cauſa, & vita, & fons diuinitatis. Nomen autem Mentis, propriè congruit Filio, vt pote Sapientię. Quod autem totum myſterium complectitur, omnemq́ue vim, & poteſtatem filij exprimit, eſt nomen Verbi, & Opificis. Sunt apud Mercurium paternæ proprietates, eſt generatio prolis ſempiterna. Poſtremò creatio mundi per eundem Filium. Nam cùm eum appellat λόγον δημιουργὸν, id eſt, Verbum opifex, noris his nominibus ſignificari autoritatem creandi, atque originem, quam omnis Theologia noua & vetus, ſummo conſenſu decernit Filio Dei. Si æternam igitur generationem aſpicias, dicitur Filius, dicitur Proles: ſin autoritatem, principiumq́ue creandi, quod accepit à Patre, vocatur Verbum & Opifex. Dicitur verbum ſiue locutio, quaſi locutor, & interpres Dei, quaſi Dei ad omnia internuntius, aut ratio, & forma, origo rerum creatarum. Hoc & poteſtas Dei, & autoritas, & miſſio, & ſapientia: Omniaq́ue reſpiciunt creationem, rerumq́ue adminiſtrationem à Patre traditam Filio. Hoc illud Verbum eſt, per quod cæli firmati ſunt, & per quod cœlum ſtat in ęternum. Sic enim canit Vates, In æternum Domine Verbo tuo ſtat cęlum. Mirabilis profectò omnium temporum omnis Theologiæ concordia. Quoniam igitur affirmat Vates Hebręus per Verbum Dei factos eſſe cælos: Verbum autem Dei clamat Mercurius natum, ac generatum à Deo, claret Hebręum prædicaſſe per generatum à Deo, creatum eſſe cœlum. Et cùm hunc Pſalmum Veteres olim Hebręi, & nunc quotidie canunt in ſynagogis, certè canunt per Filium Dei cęlo creatos. Sic eſt profectò, velint, nolint, huc veniunt. Magna enim vis eſt veritatis, quaſi quida rapidus æſtus, etiam reſiſtentia ad ſe rapiens. Poteſt etiam Verbum Grecè λόγος, interpretari, a tore

D

Duæ Mentes quid apud Triſmegiſtum. Abuſus verbi.

A Patre æterno filius æternus genitus.

Exemplis viſibilibus inuiſibilia capienda.

Veritas ſemper clareſcens.

Pater vita & lux, & vita.

Noſtra lux muta, & quaſi mortua.

Lumen de luce.

Mēs, & filius, & ſapientia.

Verbum opifex.

Magna vis veritatis.

A tore Ariſtotele, rei cuiuſque ratio, & forma & eſſentia. Filius autem Dei omnium rerum ratio eſt, & principium: Forma communis, & ratio, & principium: Forma formarum, omnium eſſentiarum, & formarum inuentio, Idearum regnum, vt Plotinus antè dixit: Forma vaſtiſſima comprehenſas habens omnium rerum perfectiſſimo modo rationes, & formas: vt ita ab ea reperiuntur, ſicut ab equo equus naſci poteſt, à leone leo, ab igni ignis, & ſicut à particularibus rationibus omnia. Omnis res habet particularem λόγον, qua vnum quodque eſt quod eſt, alterumque poteſt gignere ſimile ſui. Vna eſt autem maxima, & omnipotentiſſima ratio, potens ſola quicquid, & quantum particulares omnes, potens ſic omnem producere rem, ac ſi forma particularis eſſet eius. Ab hac non minus poteſt homo creari, & ignis accendi, quàm ab homine, & igne: Eoque eſt λόγος, & forma formarum. Prima ratio, qua filius Dei dicitur Verbum ſcripturis, vnde nata eſt hæc locutio, congruentior. Eſt enim verbum Dei, quaſi locutio eius, & ſermo, miſſio, interpres, legatus. & ſolet hebraiſmus pro denominatis abuti denominationibus, vt Seruatorem appellant ſalutem, & redemptorem redemptionem. Hac ratione eum, qui loquitur pro Deo, Verbum Dei appellãt, & locutionem dicunt, quaſi locutorem, & interpretem. Secunda magis apta philoſophantibus, rerumque veritatem indagantibus, locutiones autem humanas in Deo non recipientibus.

λόγος qd.

λόγος, forma formarum.

De diuino Verbo, ex eodem Triſmegiſto, & de virtute eius, quòd ſit opifex mundi, & quòd naſcatur à Patre.

B *Cap.* XXIIII.

PLVRA ſunt inclyta, auguſta nomina eius, quæ ſemper cognita, & adorata ſæculis omnibus fuit diuina progenies. E quibus duo cumprimis, quorum in omni arcana Philoſophia, ſacroſancta ſemper eſt mentio. Ea ſunt Mens, & Verbum. In Theologia, quæ poſtea cunctis latebris apertis, incognita myſteria cunctis hominibus patefecit, Verbum eſt frequentius. Apud Philoſophos vtrunque tritum, ſed Mens vſitatior. Multa igitur pręclara, ſuſpiciendaque tradita ſunt ab eis, ſicut de Mente, ſic de Verbo. Eſt autem eadem vtriuſque nomenclaturæ ratio. Mens diuinam illam, ſempiternamque deſignat Sapientiam. Verbum Græcè λόγος, eſt ratio, notio, vis ſentiendi. Potuit λόγος quoque vocata eſſe, vt dixi, perinde quaſi forma, Idea. Primus igitur, è quibus ad notionem noſtram peruenire potuerunt, Triſmegiſtus, locupletiſſimus teſtis, & ingens præco fuit eius quod dicitur Verbum: quem ſecuta tota Græcorum Philoſophorum claſſis, quos & quæ Mercurius ſcripſit, & alia nobis incognita legiſſe, veriſimile fit, ceu priſcorum myſteriorum interpretes, (libenter enim grandia, pauciſque nota, referimus) ſæpenumero ipſum illud Verbum ſuſpexerunt, eximiiſque laudibus extulerunt. E multis igitur, vt audito principe, vnde manarint ea, quæ apud poſteriores admiramur, noſcas, Triſmegiſtus de Verbo hæc dixit: ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ προελθὼν παντέλειος ὢν, καὶ γόνικος, καὶ δημιουργὸς, ἐν γονίμη φύσει, πεσὼν ἐπὶ γονίμῳ ὕδατι, ἔγγιον τὸ ὕδωρ ἐποίησε. Quod eſt, Verbum eius procedens vndequaque perfectum, & fœcundum, & opifex, lapſum in naturam fœcundam, & fœcundas aquas, fecit eas prolificas. Hæc admiranda Mercurij Theologia. Primum procedens Verbum dixit, à ſuo nempe genitore: perfectum autem & fœcundum & opifex, quia fœcundiſſimus, creator ditiſſimus Sapientiæ, copioſiſſimus rerum theſaurus, infinitę diuitiæ. Sine enim ipſo, nihil factum eſt, quodcunque factum eſt. Ipſe origo, inuentio, generatio. Cum quæſieris, vnde facta ſint omnia, hoc aſſignato Verbo, ſiſte gradum, originẽ rerum veram deprendiſti. Nomen Opificis etiam Platonicæ Theologiæ eſt tritum. Is Opifex mundum creat Platoni. Apud Moſen, & Triſmegiſtum eſt Spiritus ſuper aquis eas fœcundans, ex quibus omnia Verbi diuini virtute progenita. proſequitur Mercurius: ἡ οὖν πυραμὶς ὑποκειμένη φύσει, καὶ τῷ νοερῷ κόσμῳ, ἔχει γὰρ ἄρχοντα ἐπικείμενον τὸν δημιουργὸν λόγον τοῦ πάντων δεσπότου ὃς μετ᾽ ἐκεῖνον πρώτη δύναμις, ἀγέννητος, ἀπέραντος, ἐξ ἐκείνου προκύψασα, καὶ ἐπίκειται καὶ ἄρχει, τῶν δι᾽ αὐτοῦ δημιουργηθέντων, ἐστὶ δὲ τοῦ παντελείου πρόγονος καὶ τέλειος, καὶ γόνιμος, γνήσιος υἱός. Quibus nihil clarius, euidentius de Filio Dei. Latineque ſunt: Pyramis ſubiacet naturæ, mundoque intelligibili. Habet enim principem incumbentem, opifex Verbum eius, qui eſt omnium dominus. Qui poſt illum, eſt prima virtus increata, infinita, ex illo promanans. Et incumbit, atque imperat his, quæ ab ipſo facta ſunt. Eſt autem perfectiſſimi primogenitus, & perfectus, & fœcundus, legitimus filius. Vidiſti mirabilem hominis antiquiſſimi Theologiam? Pyramidem vocat elementa rerum, naturæ quidem ſubiacentia, ſed longè magis mundo intelligenti. Eſt autem mundus intelligens, ſiue mentalis, cum primis opifex Verbum, qui mens dicitur, imperator, & aſtans mundo. Hoc verbum eſt eius, quo omnium dominus eſt, qui poſt ipſum vniuerſalem dominum eſt prima virtus, increata, infinita, ex illo procedens. Hæc regit omnia creata. Eſtque primogenitus eius, qui vocatur παντέλειος, perfectiſſimus, abſolutiſſimus. Huius perfectiſſimi ipſe perfectus, & fœcundus ob res creatas, &

Mens, & Verbũ, priſca & cognita ſeculis omnibus vocabula.

Mens qd.

Verbum quid.

Triſmegeſti, de Verbo teſtimonium.

Ioan. 1.

Verbo, omnia facta.

Gen. 1.

Pyramis quid apud Triſmigeſt.

Mundus mentalis.

Filius παντέλειος.

tas, & legitimus filius. O diuinam Theologiam. coarguit autem verè Mercurium vetuſtiſſimum illum hæc dixiſſe, non ab aliquo noſtrorum, ſi quis forte addubitaret, conficta, tota Platonicorum Theologia, non hæc nomina modò, ſed totam adamuſſim rem continens: præcipueque videbis totum hunc fermè locum vſurpaſſe Philonem, apud quem eſt, Verbum primogenitum, legitimus filius: Verbum gubernare mundum, vinculum vniuerſi eſſe. Probaturque hæc antiqua eſſe Sapientia. Nihil dici poteſt diuinius, quòd poſt Patrem Verbum ſit prima virtus increata, infinita, manans ab illo, tenens imperium, & gubernacula mundi. Proſequitur Mercurius, loquens cum alio Aegyptio ſacerdote ex eo quærenti, quid hæc, quæ dixiſſet, ſignificarent. σὺ δὲ οὐ συνῆκας, φύσις τοῦ νοεροῦ αὐτοῦ λόγου, φύσις ἐστὶ γεννητικὴ, καὶ δημιουργητική. τοῦτο ὥσπερ αὐτοῦ ἡ γέννησις, ἢ φύσις, ἢ ἔθος, ἢ ὃ θέλῃς αὐτὸ καλεῖν. κάλει τοῦτο μόνον νοῶν, ὅτι τέλειος ἐστὶ ἐν τελείῳ, καὶ ἀπὸ τελείου τέλεια ἀγαθὰ ἐργάζεται, καὶ δημιουργεῖ καὶ ζωοποιεῖ; ἐπειδὴ οὖν τοιαύτης ἔχεται φύσεως, καλῶς τοῦτο προσηγόρευται: Tu inquit, non intellexiſti.

Natura mẽtalis Verbi, eſt opifex.

Natura mentalis ipſius Verbi, natura eſt generatrix, & opifex. Hoc veluti eius generatio, ſiue natura, ſiue mos, aut quidquid libet vocare, voca: id vnum ſentiens, quòd perfectus ſit in perfecto, & à perfecto perfecta bona operatur, & molitur, & viuificat. Quando igitur hac maximè natura præditus eſt, iure id appellatum eſt.

Verbũ prolificum.

Ecce, & nunc Triſmegiſtus, ſicut ſuperius, de generatione ſempiterna, diuinitate, ſubſtantia, poteſtate diuinę prolis, de Genitore eius meminerat, ſic nunc explanat quare ſic appellatum Verbum prolificum, qua ve dignitate, & autoritate præcellat. Eſt, inquit, natura Verbi huius prolifica, generatrix, producens, creans omnia de nihilo, quia fęcundiſſima per ſe, plena formarum, & originum, nec indiget præeunte materia. Etenim materia, & forma omnium rerum ipſe eſt, quia talis eſt natura eius, ea vis, vt generationes, formaſque genitales, & principia in ſe contineat omnium rerum.

In Verbo latent principia rerum omnium.

Sicut in ſemine animalium latent inuiſibiliter formæ ipſorum, nactęque calorem, & tempus, aperiuntur, & clareſcunt: ſic inuiſibiliter, in illo Verbo latitant omnes formæ, & rerum principia. Nec opus eſt, vt dixi, alio præcedente principio, alia materia, & forma. Talis eſt natura eius, eoque dicitur prolificus, fertilis, opulentiſſimus, ditiſſimus. Quemadmodum in palatio regio ſunt variæ diuitiæ, in terra ſunt variæ formæ, vt fertilis aqua parit tot monſtra: ſic (ſi parua licet componere magnis, & a corporeis aſcendere ad inuiſibilia) ea eſt vrbs, & palatium omnium, quæ cęlo, terris, mari, æthere ſint, fierique poſſint formarum. Eo creat, molitur, inuentor omnium bonorum. Eo perfectus eſt: nihil illius inuentionem, ac poteſtatem ſubterfugit. Hac Theologia nihil ineffabilius, nihil quod poſſit magis animos quietare noſtros, cùm nequeunt adduci, vt capiant. E nihilo facta omnia. Eſſet ſcilicet mirum, ſi Deus ſterilis eſſet, & infæcundus: nunc autem cum ſit ars omnium formarum, non cadet niſi in imperitam mentem, & corporeis aſſuetam, huiuſcemodi cogitatio. Hæc ego in priſca illa Philoſophia reperiens, admirando expleri nequeo, attonitus obtupeſco, lætuſque gratias ago redemptori noſtro ſummo, qui diuinitatis ſuæ, paucis quondam reuelatæ, nouiſſimè veniens ipſe declarator, impleuit omnes terras notione ſua. Addit Mercurius ad Tat filium, quem ſuo nomine vocauit.

Theut, vel Tat filius Mercurij.

Dicitur enim ab Aegyptiis Mercurius autore Platone, Tohyt, vel Theut, arbitror ego Tat. ὁ τοῦ δημιουργοῦ λόγος ὦ τέκνον, ἀΐδος, αὐτοκίνητος, ἀναυξὴς, ἀμείωτος, ἀμετάβλητος, ἄφθαρτος μόνος ἀεὶ ἑαυτῷ ὅμοιος, ἐστὶ δὲ ἴσος καὶ ὁμαλὴς, εὐσταθὴς, εὔτακτος εἷς ὢν, ὁ μετὰ τὸν προεγνωσμένον Θεόν. Verbum Opificis, ò fili, ſempiternum, per ſe mouẽs, inaugmentabile, indiminuibile, immutabile, incorruptibile, ſingulare, ſemper ſui ſimile, æquale, concors, ſtabile, bene inſtructum, Vnum exiſtens, eſt poſt Deum, qui prior intelligitur. In his quoque quanta poſſit de Verbo diuino, vocibus humanis efferri Theologia, quantum vires animi cogitando valent, imò non animis vires, ſed quanta potuit cœlitus illabi in humana pectora veritatis irradiatio, tanta paucis verbis effuſa?

Hæretici à pfanis auctorib. ſuũ errorẽ hauſerunt.

Vbi igitur (vt hoc primum, veritate dante, arripiam) vbi inquam dementiam illam ſuam potauere Ariani, & Valentiniani, quam videntur è profanæ Theologiæ libris hauſiſſe, cum Prolem, & Verbũ Dei factum, ſolum autem Patrem Deum ſempiternum pugnarent? Scilicet perinde malè in Philoſophia, & in qua gloriabantur, iactabantque ſeſe, profana ſapientia cæcutiebant, ſicut in literis ſacris.

Verbi pulchra deſcriptio.

Nonne vides Triſmegiſtum, Verbum ſempiternum prædicantem, eique eas conditiones, eas dotes dantem, eam vitam, eam ſubſtantiam, eum locum, quem ſola diuinitas admittat? Eſt ſempiternus, nempe Deo coæternus. Omnes motus, omnem vitam, omnem ſiue ad creandum impulſum, ſiue ad cogitandam, ſpeculandamque diuinitatem ſuam habet a ſe ipſe. Ipſe motus ſui principium. Non mouetur, vel exterius ab obiectis rebus, vt ſenſus noſtri: aut habet vſquam cœlo, & terra, quod eam impellat: ſed ipſe ſibi motus, ſibi origo, fons vitæ ſuæ. Cumque ſit æternus, cum nihil ſit melius, cum infinitus, hoc quoque neceſſariò poſſidet, vt non poſſit augeri, nulla fieri ad eum poſſit acceſſio. Quid enim acceſſerit, quod non poſſideat? quantumuis per vaſtum bonorum omnium campum diuageris, quantumuis curioſus explores, an quid ſit vſquam, quod illic non offendas, certè nihil occurret, quod non exuberet in regnis illis. Illudque in eo mirabile, & ſolitarium, ac ſingulare, quòd hæc bona minui, aut labefactari, felicitaſque tanta interpellari non poteſt, perinde vt augeri non poteſt. Eadem enim ratio minuendi, atque augendi. Cui poteſt detrahi, poteſt addi. Vbi tanta perfectio, vt aduentus rerum

rum exterarum, non habeat hoſpitium, quid dico exterarum, cum ipſe ſit omnia? ne migrare quidem à ſedibus ſuis poſſit. Eſt enim immutabilis, incorruptibilis, ſingularis, prædítus natura non modò rara, ſed ſingulari, ſemper eadem permanente, & ſui ſimilis ſemper, non quemadmodum nos, quorum animi, & corpora aſſiduis ceu fluctibus huc illuc deportantur, & tanquam ſcena demutent facies. Eoque eſt æqualis, planus, non modò hac, modò illa mente, varioque ſenſu. Ipſe enim dixit, Ego Deus, & non mutor. Et is eſt poſt Deum gradu: Pater enim dicitur propriè Deus. Sed cum, & ipſe dotes omnes diuinitatis obtineat, eſt etiam ipſe Deus, ſed Deus ab illo. In ſermone autem, qui dicitur τέλειος, Filium Dei alloquens ait: Filius benedicti, ac bonæ voluntatis, cuius nomen non poteſt humano ore nominari. Quem locum citat Auguſtinus ex ſuperioribus, quædam Cyrillus vterque doctiſſimus, & ſanctiſſimus. Videmus in his ſapientiam, Theologiamq; Chriſtianam, æternam quidem apud Deum, ſemper autem in mundo aliquo ſplendore radiantem: declaratam affatim nouiſſimis ſæculis, vt omnes reconoſcerent, quæ Genitor noſter principio ſenſit, vidit, cognouit, guſtauit: vt ſciretur ab omnibus, ſuam diuinitatem manifeſtante Deo, quod penes paucos olim per oracula, ſucceſſioneſque exiſteret. Sed de ipſo Mercurio, Sibyllis, Zoroaſtre, Magiſque quædam teſtimonia proponamus, vt ſit eorum Teologia probatior.

Malach. 3.

Sapientia Chriſtianorum æterna, aliquo ſplendore inſinuata veterib.

De Mercurio Triſmegiſto, Theologiamque eius eſſe veram, id eſt ab antiquiſſimo illo Mercurio perſcriptam: de Magis, & Sibyllis. Cap. XXV.

POTEST dubitari, hæc non quidem à Mercurio Triſmegiſto dicta, ſed ficta à poſterioribus fuſſe. Sed nullis antiquis Theologis, ac Philoſophis, non diuini viri huius doctrina fuit, vt eum propter inauditum ingenium, propter mirabilem, multiplicemque omnium rerum ſcientiam Ter maximum vocarent. Græcorum loquendi mos eſt, vt ſummum quid, ac perfectum dicturi, Ter iſtud ipſum eſſe dicant. Homerus τρισμάκαρας, appellat ter, beatos vndequaq; beatiſſimos. Vndequaq; nequiſſimũ dicunt τρισκατάρατον, ter execrandum. Sic eum quem vndequaque maximum, ac mirabiliſſimum perſpicerent, Ter maximum appellarunt. Antiquorumque Grecorum fuit appellatio, quòd ad Aegyptum profecti, diuque cum ſacerdotibus verſati, copiam magnitudinemque ingenij tanti viri cognoſcerent. Quocirca, qui putant eum Ter Maximum vocari propter tria munera, quòd ſacerdos, quod rex, quòd propheta eſſet, eaque omnia maxima non rectè, mea quidem ſententia, ſuſpicantur, nec norunt, aut non animaduerterunt vim ſermonis Græci. Hunc Plato perſpectum habuit, totumque hauſit, & in ſuos libros fontes eius deduxit, vt quicquid diuinius, ac cęleſtius in eo admiramur, non à Moſe, vel prophetis, ſed à Mercurio potius ſit profectum. Eum in Phædro ſcribit Deum apud Aegyptios habitum, cui ſacrata eſſet auis Ibis: primum numeri, ſupputandi ſcientiæ, & item Geometriæ, & Aſtronomiæ, teſſerarum, calculorum, itemque literarum repertorem fuiſſe. In Philebo proſequitur, quo artificio elementa ſermonis, ac literarum diſtinxerit, artemque legendi confecerit. Hunc ipſum Philo Phœnix, autore Euſebio, ſcribit Sanchuniatum, qui Theologiæ Phœnicum illuſtrator fuit, dixiſſe omnium mortalium, quos Sol aſpiciat, ſapientiſſimum, eumque principem, ac ducem ſecutum ſe eſſe in repetendis vetuſtiſſimis rerum exordiis, totaque Theologia deſcribenda, tranſlatis è lingua Aegyptia in linguam patriam quoſcunque idem ſcripſiſſet libros, quos tranſtulit, autore Clemente, è lingua Phęnicum in Græcam Ioſephus Iudæus. Idem vocat Mercurium Toautum, ab Aegyptijs ait appellatum Θωύθ, Thoyth, ab Alexandrenſibus Thoth. Apud Platonem ſemper vocatur, Θεῦθ, Theuth. Tullius de natura Deorum Thoyth. Eundem Platonici diuino cultu venerantur. Hinc Iamblichus inchoans opus ſuum de myſteriis, ait; Θεὸς τῶν λόγων ἡγεμὼν ἑρμῆς πάλαι δέδοκται καλῶς ἅπασι τοῖς ἱερεῦσι εἶναι κοινὸς: Deus loquendi Princeps Mercurius omnibus olim ſacerdotibus rectè viſus eſt. Huic omnia ſua reperta, omnia ingenij monimenta priſcos ſacrare ſolitos, idem eſt autor. Quaſdam eius etiam antiquiſſimas columnas in Aegypto fuiſſe commemorat, quas viderint, ac legerint Pythagoras, & Plato, vnde ſe ad Philoſophandum tradiderint. Plutarchus, Ἑρμῆν δὲ γραμματικῆς, καὶ μουσικῆς εὑρετὴν νομίζοντες: Aegyptios ferre inuentorem grammatices, & muſices Mercurium. Huius teſtimonijs vſi ſunt Lactantius, & Auguſtinus, doctiſſimi viri, quod non feciſſent, niſi probatam doctrinam habuiſſent. Apuleius item Platonicus dialogum eius diuinum Latinum fecit. Verſi fuerunt libri eius quidam in linguam Græcam ab his, qui in Aegyptum amore Philoſophiæ proficiſcebantur. Vt verſus eſt item Orus Apollo. Athenienſem quendam quindecim eius libros refert Cyrillus tranſtuliſſe, inſcriptos Hermaicos. Ibique repetit primò de Mercurio, quę ſcribit in Phædro Plato. Ad aliaque de eo ſcribit: Τελεστὴς ὤν, καὶ μένοι ι θεῶν προσιζήσας ἀεὶ πεφροντικὼς εὑρίσκεται τὰ Μώσεως, εἰ καὶ μὴ εἰς ἅπαν ὀρθῶς, καὶ ἀνελήπτος: ἀλλ᾽ οὖν ἐκ μέρους, ὠφέληται γὰρ καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν μωσαϊκῶν: πεποίηται δ᾽ οὖς καὶ τύ- μνήματ, ὁ συντεθηκὼς ἀθήνησιν ἐκ ἰδίαις γραφαῖς τὰ ἐπίκλην ἑρμαϊκὰ: πέντε καὶ δέκα βιβλία

Mercuri', cur Triſmegiſtus. i. ter maximus appellatus.

Vnde hauſta philoſophia Platonis.

Ibis ſacra Mercurio.

Laus Mercurij à rebus inuentis.

Mercurius Theuth, eiuſq; inuenta varia.

γράφει δὲ οὕτως ἐν τῷ πρώτῳ περὶ αὐτοῦ, εἰς κεκόμικε δέ τινα τῶν ἱερουργῶν λέγοντα: ἆρα οὐχὶ τὸν καὶ ἡμέτερον Ἑρμῆν ἀκούεις, τήν τε Αἴγυπτον εἰς λῆξιν, καὶ κλήρους ἅπασαν τεμεῖν σχοίνῳ τὰς ἀρούρας καταμετροῦντα. Cùm eſſet, inquit, ſacrificus, templiſque Deorum aſſideret, viſus eſt ſemper Moſaica ęmulatus, tametſi haud prorſus ſyncerè, & citra culpam. At ex parte habuit, vnde ex Moſe proficeret. Huius quoque meminit is, qui ſeparatim ſcripſit Athenis libros nuncupatos Hermaicos, id eſt, Mercuriales. De eo in hunc modum inducens ſacerdotem quendam loquentem: Nonne noſtrum Hermen audiſti, Aegyptum in priuatas partes, & ſortes diſtribuiſſe, funiculo metitum agros? & quæ ſequuntur. His conſtat verè Mercurium illum fuiſſe diuinum, plenumq́ue doctrinæ, eximiæq́ue ſapientiæ, & incomparabilis ingenj virum, vt non ſit mirum ſuperiora eum ſcripſiſſe. Columnarum quoque eius, quæ in Aegypto multis myſteriis plenæ viſerentur, præter Iamblichum, etiam Proclus meminit: μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ Προφῆται φησὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐν στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις, ταῦτα γεγράφθαι, Atteſtantur his, inquit, prophetæ Aegyptiorum, in columnis, quæ nunc vſque ſeruantur, ea ſcripta eſſe. Rurſumq́ue eodem libro: ἡ δὲ μνήμη διὰ τῆς ἱστορίας, αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν στηλῶν, ἐν αἷς ἀπεγράφοντο τὰ παράδοξα, καὶ τὰ τοῦ θαύματος ἄξια, τῶν πραγμάτων, εἴτε ἐν πράξεσιν, εἴτε ἐν εὑρέσεσιν. Memoria, inquit, ex hiſtoria. Ea verò ex columnis, in quibus admiranda egregiaq́ue, ſiue inuenta, ſiue res geſtæ deſcriptæ erant. Magorum quoque & Zoroaſtris Pythagoram, Platonemq́ue ſecutos Theologiam (vt cauſa vera innoteſcat, vnde de tribus Regibus, de cauſa, & Patre eius loqui potuerit Plato) Magicaq́ue illa eloquia verè ipſorum eſſe, quippe quorum ſenſa extent apud Platonem, qui Magos fuerit imitatus, autor eſt eximius Platonicus Plethon, cognomento Gemiſto, aduerſus Scholarium: ἐφιλοσόφησέ τε, οὐκ ἰδίαν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν τεμὼν, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ Ζωροάστρου διὰ τῶν Πυθαγορειῶν εἰς ἑαυτὸν κατεληλυθυῖαν. Πυθαγόραν γὰρ τοῖς ἀπὸ Ζωροάστρου συγγεγονότα ἐν τῇ Ἀσίᾳ μάγοις: ταύτην τὴν φιλοσοφίαν μετελθεῖν, τὸν δὲ Ζωροάστρην ἱστοροῦσιν: ἄλλοι τε καὶ Πλούταρχος πεντάκις χιλίοις τῶν τρωϊκῶν γεγονέναι ἔτεσι πρεσβύτερον: εἰ τῷ, δὲ τοῦτο οὐ πιστὸν, ἀλλ᾽ οὖν παλαιότατος ἂν εἴη τῶν ὅλως ὀνομαζομένων, σοφῶν τε καὶ νομοθετῶν: ἐδέξαντο δὲ καὶ οἱ τῶν Αἰγυπτίων οἱ ἱερεῖς μάλιστα τὰ Ζωροάστρου τούτου δόγματα, καὶ εὐδοκίμουν, κατάγεδη τὰ δόγματα: ὡς δὲ ταύτην Πλάτων μετῆλθε τὴν φιλοσοφίαν, τὰ ἀπὸ Ζωροάστρου, ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς σωζόμενα λόγια δηλοῖ σύνωδα ὄντα, ταῖς Πλάτωνος πάντη τε, καὶ πάντως δόξαις. Et ad Beſſarionem: οὐ γὰρ τάδε γε μάλιστα λόγια τῶν ἀπὸ Ζωροάστρου μάγων, οἷς καὶ Πυταγόρας καὶ Πλάτων ἠκολούθησεν. Philoſophatus eſt, inquit, Plato, non peculiari, priuataque ſibi Philoſophia reperta, ſed ſecutus Philoſophiam Zoroaſtris, quæ per Pythagoreos ad eum vſque peruenit. Nam Pythagoram hanc philoſophiam a Magis, qui a Zoroaſtre deſcenderent, in Aſia didiciſſe. Zoroaſtrem autem bellum Troianum quinque annorum millia anteceſſiſſe præter cęteros, Plutarchus teſtis. Quod ſicut fortè incredibile videatur, certè antiquiſſimus eſt omnium, qui vel in philoſophia, vel legibus latis celebres ſunt. Huius Zoroaſtris dogmata, ſacerdotes Aegyptiorum ſuſceperunt, magnamq́ue ſibi ex his gloriam quæſierunt. Quod autem Plato hanc philoſophiam exercuerit, indicant Magica eloquia, quæ a Zoroaſtre deſcendunt, & vſque in noſtra tempora ſeruantur, conſona prorſus & congruentia opinionibus Platonis. Neque verò hæc habentur in oraculis, ſiue eloquiis magicis, quæ Pythagoras & Plato ſecuti ſunt. Hoc Plethonis magni in philoſophia Platonis viri teſtimonio, fit perſpicuum, ea oracula, ſiue eloquia, quæ ſuperius vbique adhibita ſunt, ipſorum verè fuiſſe Magorum, quorum decreta per omnem Pythagoreorum, Platoniſque philoſophiam internoſcantur. Nam & Pſellus philoſophus eadem teſtatur, atque Plethon, Pythagoram, Platonemq́ue Magica illa dogmata ex parte ſuſcepiſſe. Hæc origo, hæc illa concordia, quòd oraculo magico, de duabus mentibus, loquente, Plato quoque de Cauſa principe, & Genitore eius ſcripſit. Vidit id in arcanis dogmatis Mercurij, ac Magorum. Iamblichus quoque in libro de Myſteriis veneratur, ſequitur, vt priſcam, veridicamq́ue Theologiam Aſſyriorum. De Sibyllis item, & Triſmegiſto Hermias Platonicus ſuper Phædro Platonis, vt clareat magnos, priſcoſq́; viros fidem habuiſſe carminibus Sibyllarum, Magicis eloquiis, & Triſmegiſto, ſic loquitur (Non fuit autem Chriſtianus) περὶ δὲ τῆς Σιβύλλης, οὕτος ἐστὶ θαυμαστὰ τὰ λεγόμενα, ὥστε δόξαι μύθους εἶναι, πολλαὶ μέν τοι Σίβυλλαι γεγόνασι, πᾶσαι τοῦτον ἑλόμεναι βίον: πᾶσαι μὲν διά τινα ἴσως αἰτίαν εἵλοντο Σίβυλλαι προσαγορεύεσθαι, ὥσπερ δὴ ὁ τρισμέγιστος Ερμῆς λέγεται πολλάκις ἐπιδημήσας τῇ Αἰγύπτῳ, ἑαυτοῦ ἀναμνῆσθαι, καὶ τρίτον κεκλῆσθαι Ερμῆς, καὶ τρεῖς δὲ ὀρφεῖς παρὰ Θραξὶ γενέσθαι, ἴσως οὖν, καὶ αὗται κατά τινα κοινωνίαν, καὶ ἀνάμνησιν εἵλοντο ταύτας τὰς προσηγορίας, ἐπεὶ αὐτή γε ἡ Ξίβυλλα ἡ Ἐρυθραία περὶ ἧς νῦν λέγει Ἐριφύλη ἐκαλεῖτο ἐξ ἀρχῆς, λέγουσι δὲ αὐτὴν εὐθὺς προελθοῦσαν προσειπεῖν ἐξ ὀνόματος ἕκαστον καὶ ἔμμετρα φθέγγεσθαι, καὶ εἰς βραχὺν χρόνον τέλειον εἶδος ἀνθρώπου λαβεῖν. De Sibylla verò, inquit, adeò mira ſunt, quę feruntur, vt penè pro fabulis habeantur. Sed tamen multę Sibyllę fuerunt, eodem genere vitæ omnes, omneſq́; forſan rationabili de cauſa Sibyllas a ſemetipſis appellatas: ſicuti fertur Triſmegiſtus, ſępe in Aegypto verſatus ſuimet mentionē feciſſe, tertioq́; Hermetem appellatum. Tres quoque apud Thraces Orphei extitiſſe dicuntur. Fortaſſe igitur & hæ ob aliquam inter eas communicationem, ac commemorationem, has appellationes delegerunt. Quando-

Plato Magos imitatus.

Plethō Gemiſto Platonicus.

Zoroaſtris philoſophia.

Aegyptij edocti a Zoroaſtre.

Decreta Magorum ſparſa in philoſophiam Pythagoreorum & Platonis.

Iamblich' lib. de Myſterijs.

Hermias Platonic'.

Mira de Sibyllis, quibus nō eſt omnino creditum.

Tres Sibyllæ apud quos.

Erythræa Sibylla q̃, & Erophile.

Plutarchi locus, de Sibylla.

Sibyllæ multa prædixerunt.

Quandoquidem hæc ipſa Sibylla Erythræa, de qua nunc loquitur Plato, a principio Erophile vocabatur. Ferunt autem eam continuo, vt edita eſſet, appellaſſe vnumquenque proprio nomine, verſuſque numeroſos elocutam, breuique in perfectam hominis ſpeciem euaſiſſe. Hæc ille. Claret igitur doctiſſimos viros, & Sibyllas credidiſſe, & carminibus earum fidem habuiſſe. De Triſmegiſto quoque, & Chaldæis eadem eſt apud eruditiſſimos fides. His dictis Hermiæ, & de Sibylla teſtimoniis, mirum in modum congruunt ea, quæ ſcribit Plutarchus in eo quem, Cur deſierit Pythia metricè reſpondere, inſcripſit. Ac primum de ea refert: Σίβυλλα δὲ μαινομένῳ στόματι, καθ' Ἡράκλειτον, ἀγέλαστα, καὶ ἀκαλλώπιστα, καὶ ἀμύριστα φθεγγομένη, χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν Θεόν. Sibylla verò, inquit, ore furenti, iuxta Heraclitum loquens incompta, inordinata, irridenda, voce ſua, ſuperauit annorum millia, Deo afflante. Hic Plutarchus, cùm redderet cauſam, cur oraculum Apollinis deſierit reſpondere vt quondam carmine, primum ait moris priſca tempeſtate fuiſſe, vt non oracula ſolum, ſed etiam hiſtoria, philoſophiaque modulatè ſcriberentur, afferens exemplum ex Orpheo, Heſiodo, Parmenide, Empedocle, Xenophane, Pherecyde, Thalete, qui quæ ſcripſerint, modulatè ſcripſerint: ſic Sibyllam plura oracula, verſibus edidiſſe, millia ſæculorum futurorum voce ſua complexam. Verè multos voce ſua ſuperauit annos, vt quæ non media ſolum tempora, caſus, calamitates, bellaque multa, ſed etiam quę ſuprema die ventura eſſent, cecinerit. De bellis prædictis, aliiſque calamitatibus, idem Plutarchus teſtis. Quòd ſi, inquit, fabuloſa putas, quæ de Sibyllarum vaticiniis prædicantur: ἀλλὰ ταῖς τε μαντείαις ἐπιμαρτυροῦσιν πολλαὶ μὲν ἀναστάσεις καὶ μετοικισμοὶ πόλεων ἑλληνίδων: πολλαὶ δὲ βαρβαρικῶν στρατειῶν ἐπιφάνειαι, καὶ ἀναιρέσεις ἡγεμονικῶν, ταυτὶ δὲ τὰ πρὸς, φατὰ, καὶ νέα πάθη περί τε κύμην, καὶ δικαιαρχίαν οὐχ ὑμνούμενα πάλαι, καὶ ᾀδόμενα διὰ τῶν Σιβυλλειῶν ὁ χρόνος ὥσπερ ὁ φίλων ἀπέδωκε ἐκρήξεις πυρὸς ὀρείου, καὶ ζέσεις θαλασσίας: At vaticiniis, inquit, atteſtantur vrbium Græcarum plurimæ euerſiones, aut migrationes: plurimi barbarorum exercituum aduentus, cædeſque clarorum virorum. Sed enim nouas iſtas, recenteſque calamitates circa Cumam, & Puteolos, prædictas, decantataſque carminibus Sibyllarum, nonne tempus velut debitor, reddidit? Sciſciones montani ignis, marinaſque ebullitiones ſcopulorum, flammarumque a ventis incendia, interitus tot, tantarumque vrbium, vt qui interdiu ſuperuenirent, tota regione confuſa, quo in loco vrbes hæ fuiſſent habitatæ, ſcire non poſſent. Hæc Plutarchus, addens ſine diuinitate hæc prędici non potuiſſe. Eaſdem Sibyllas bella Romanorum contra Carthaginenſes, & quòd in omnes gentes arma illaturi eſſent, teſtatur quingentos annos ante prędixiſſe: ἀλλ' ἡ τάξις ἐμφαίνει τὴν πρόγνωσιν, καὶ τὸ Ρωμαίους πρὸ ἐτῶν ὁμοῦ τοι πεντακοσίων προειπεῖν τὸν χρόνον ἐν ᾧ ἅπαντα τὰ ἔθνη πολεμήσουσιν ἅμα. Sed inquit, tum ſęculorum ordo declarat, eas hęc proſpexiſſe, tum prędixerunt quingentorum annorum tempus, in quo Romani contra omnes nationes eſſent præliaturi. Idem Plutarchus, quemadmodum Hermias, teſtatur Sibyllam Erythræam vocatam Herophilem: Ηροφίλην δὲ τὴν Ερυθραίαν μαντικὴν γενομένην Σίβυλλαν προσηγόρευσαν. Herophilem autem Erythræam vatem, quæ Sibylla fuit, appellarunt. De prima quoque Sibylla refert: ἐπειδὴ γὰρ ἔστημεν κατὰ τὴν πέτραν: & quæ ſequuntur. Poſtquam ſedimus in petra, quæ in foro, ſuper qua fertur prima Sibylla ſediſſe, ab Helicone deſcendens, a Muſis educata. Quidam verò ferunt eam in Meleona veniſſe, filiam Lamiæ, ex Neptuno natæ. Serapion quidem meminit carminum, in quibus ſe ipſam laudauit, quòd ne mortua quidem ſit ſorte vaticinandi, aut ne mortua quidem vaticinari deſiſtet. Sic Plutarchus. Iuſtinus autem Martyr, & Philoſophus, inuitat gentes, vt credant Sibyllæ: πείθητε ὡς ἔφην τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ σιβύλλῃ ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει. Credite, inquit, vt dixi, vetuſtiſſimæ, longeque antiquiſſimæ Sibyllæ, cuius libros toto terrarum orbe ſeruari contigit. Lactantius quoque in libro de Ira Dei, plurimos, & maximos autores Græcorum ait de Sibyllis ſcripſiſſe. Dicit etiam, Cumeæ quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt, in arcanis habentur: cæterarum tamen ferè omnium libelli, quo minus in vſu ſint omnibus, non vetantur. Sic Lactantius. Vides quanta ſit omnium doctiſſimorum, ſuper Sibyllis & carminibus earum, concordia.

In Apologia pro Christianis.

Cap. 22.

De Verbo diuino, ex Philone Iudæo, cuius dictis probetur verè priſcum illum Mercurium de ipſo Verbo ſuperiora ſcripſiſſe. Multiplexque de eo apud Philonem Theologia, quòd ſit creator Mundi, & origo, quòd Filius Dei, quòd hominis archetypum. Cap. XXVI.

E vetere Aegyptiorum & Hebræorum theologia, myſteriorum Platonicorum fons.

SED de Verbo Diuino ſuperiora ſenſiſſe, prodidiſſe vetuſtiſſimum illum Mercurium, omnis admiranda Platonicorum, Hebræorumque Theologia clamat. Neque eſt alium reperire eorum myſteriorum fontem, quæ Platonicorum libris continentur, quàm vetuſtam Aegyptiorum, Hebræorumque Theologiam. Ex Hebræis Theologis Philo, quem Platoni coęquat Græcum prouerbium, qui & Aegyptiam, & Græcam, Aut Plato philonizat aut Philo platonizat.

Ioann. 13. & 21.

præcipuè Platonicam cum Moſaica temperauit philoſophiam, mira, & velut oraculum, de Verbo diuino canit, & eadem prorſus, atque Triſmegiſtus, noſterque Ioannes. Sæpe quidem ſum arbitratus ex eadem Hebræorum ſecretiore Theologia, tot, tamq́ue clara Philonem de Verbo diuino locutum, atque Ioannem eundem etiam Hebræum, vt præterquam quòd potarit Ioannes de Chriſti pectore Theologiam, ſcripſerit etiam, quæ penes arcanarum rerum ſcriptores Hebræos prius haberentur: qualia multa ſublimia myſteria, melius poſtea ab Apoſtolis explicata, apud veteres Hebræos licet deprehendere. Quod igitur Ioannes Apoſtolus, Hebræus, dixit: In principio erat λόγος, Verbum, & Verbum erat apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, idq́ue dixit, vt doceret Verbum rerum fuiſſe creatorem, eumq́ue ante mundum extitiſſe, vt per quem creatus ſit mundus: eiuſdem generis multa per omnes libros ſuos eloquitur Philo, non Chriſtianus, ſed Iudæus:

Ioann. 1. Philo de allegoriis legis.

in libro de Allegoria legum: βιβλίον δὲ εἴρηκε τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, ᾧ συμβέβηκεν ἐγγράφεσθαι, καὶ ἐγχαράττεσθαι τὰς τῶν ὅλων συστάσεις. Librum, inquit, vocat Moſes allegoricè, Verbum Dei, in quo deſcriptæ, & impreſſæ ſunt vniuerſarum rerum exiſtentiæ.

Ioann. 1.

Hoc teſtimonio eandem declarat Philo Theologiam, atque Ioannes, & Platonici ſuperius de Mente. Vt enim ille dixit; Omnia per ipſum facta ſunt: ſic is in Verbo Dei, quod creatorem ſemper appellat, tanquam libro perhibet exiſtere rationes, & eſſentias omnium rerum, tanquam forma maxima, omnium rerum creandarum capaciſſima, origine vaſta, Mente infinita, latiſſima maieſtate, rerum creandarum copioſiſſima poteſtate, fœta rebus omnibus ratione. In libro quoque de his, quæ poſt ſex dies, hæc ſcribit: τὸ δὲ γεννητικώτατον ἐστὶν ὁ Θεὸς, καὶ δεύτερος ὁ θεοῦ λόγος: Generandi potentiſſima, maximeq; genitalis res, eſt Deus, & Secundus, Verbum Dei. Hęc quoque eſt Theologia Ioannis, Omnia per ipſum facta ſunt. Quia maximè genitale, & fœcundiſſimum eſt Verbum Dei, ſecundus, vt ſuperius Platonici dicebant, poſt Deum. Theologia quoque noſtra dicit, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, de Filio per quem omnia facta ſunt. Tale quid Philo appellans Filium, Secundum. Quia ſunt a Patre per Filium cuncta, quo coniunctio demonſtratur diuinitatis. Vterque enim creat, vterque eſt genitaliſſimus. Secundumq́ue dicit Verbum, id eſt, gradu, non natura, aut diuinitate poſt Patrem. Vterque eſt Deus, quia creat vterque mundum. Non poſſunt autem eſſe duo mundi creatores, & non poſſunt eſſe duo Dij, quia Deus eſt ſumma natura. Summum autem niſi vnum eſſe nõ poteſt. In libro autem, quòd inſomnia ſint a Deo: κατὰ δεύτερον δὲ τρόπον ὁ θεῖος λόγος, τόπος ἐστὶ ὃν ἐκπεπλήρωκεν ὅλον, δι᾽ ὅλων ἀσωμάτοις δυνάμεσιν αὐτὸς ὁ θεός: Secundum alium modum, diuinum Verbum, locus eſt, quẽ repleuit totum per omnia incorporeis poteſtatibus ipſe Deus.

Ioann. 1.

Hoc item teſtimonio explicat Theologiã, quę eſt apud Ioannem de Verbo diuino, Philo: quę appellatio ob creationem mundi, non natiuitatem ſpiritualem, vt nonnullis poſtea viſum, ab antiquis Philoſophis eſt indita. Idemq́ue dicit de hoc Verbo, quod Ioannes, Omnia per ipſum facta ſunt: Philo, eum repleuiſſe Deum incorporeis virtutibus, id eſt, Ideis ęternis, prolificis virtutibus, rationibus ſempiternis, quarum copiam habuit a Patre ſuo Deo, teſte etiam Plotino de mente. Vtq́ue Ioannes dicens, Erat apud Deum, appellans Deum peculiariter ipſum Patrem: ſic Philo, Deum repleuiſſe Verbum virtutibus incorporeis, nimirum a Patre creandi mundi poteſtatem Verbum accepiſſe, genitum, miſſumq́ue ab eo ad creandum mundum. Dico autem miſſum, humano more loquens, declaransq́ue rem diuinam nomine corporeo.

Res diuina declarata noĩe corporeo. Verbo Dei creata omnia.

Hunc appellat locum Idearum incorporearum, quaſi vaſtam Mentem, ampliſſimum Idearum, & originum, rationum, formarumq́ue regnum, fertiliſſimum, feraciſſimumq́ue rerum creandarum mundum, infinitam originem. Totum autem ait a Deo repletum, quaſi vndequaque prolificum genitum. Hæcq; omnis Theologia ſpectat ad creationem mundi, cuius principium fatentur omnes Verbum Dei, maximum formatorem, latiſſimam ſapientiam, habentem virtutes omnes, quibus tanquam originibus ſuis, omnes res produceret. In eodem quoque de duobus primis: ὧν τὸ μὲν ἕτερον, θεῖος ἐστὶ λόγος: τὸ δ᾽ ἕτερον ὁ πρὸ τοῦ λόγου θεός, ὁ δὴ ξεναγηθεὶς ὑπὸ σοφίας εἰς τὸν πρότερον ἀφικνεῖται τόπον δράμενος τῆς ἀρεσκείας κεφαλὴν, καὶ τέλος τὸν θεῖον λόγον, ἐν ᾧ γενόμενος οὐ φθάνει πρὸς τὸν κατὰ τὸ εἶναι θεὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ αὐτὸν ὁρᾷ μακρόθεν. Quorum alterum quidem, eſt diuinum Verbum: alterum autem Deus, ante Verbum. Is verò, id eſt, Intellectus, homoq́ue ipſe, ductus a Sapientia in primum peruenit locum, inuento lubentiæ capite, & fine, Verbo diuino. In quo poſitus, non attingit vt perueniat, vt ſit Deus, ſed ipſum procul aſpicit. Hoc quoque loco Philo & Verbum diuinum & Deum, qui ſit ante Verbum commemorat, appellans Deum ipſum Patrem, ſicut Ioannes: Verbum erat apud Deum. Deinde dicit, Verbum diuinum, eſſe principium, & finem voluptatis, fœlicitatis, finem contemplandi, amorem, & deſiderium, gaudiumq́ue, vt canunt noſtræ litteræ. Hoc omne Græcè dicitur ἀρέσκεια.

Verbum, dux ad peueniẽdum ad Deum.

Per hoc ipſum verbum, ait homines Deum procul aſpicere, ducem ad perueniendum ad Deum, eſſe Verbum eius: ſicut ille in mundo ſe oſtium vocabat, quo perueniatur ad Patrem, priusq́ue ait per ſapientiam attingi ad Filium: inde videri Deum procul. Eſtq́ue profundiſſima Theologia, quam puto Philonem in antiquorum ſuorum monumentis reperiſſe: celebrem item apud Chaldæos, Aegyptioſq́ue.

Verbum, exemplar pleniſſimũ & cur.

Eodem libro ſcribit: τὸ μὲν παράδειγμα ὁ πληρέστατος ἦν αὐτοῦ λόγος. Exemplar, inquit, erat pleniſſimum Verbum eius. Sic & iſto loco denotat originem mundi Philo eſſe Filium Dei. Exemplar autem propter res creatas: pleniſſimum, propter fœcunditatem, infinitamque rerum creandarum poteſtatem, formam rerum infinitam genitricem omnium rerum Sapientiam. Eodem libro, ſub quibus ſignificatis ſit Sol: κατὰ τὸ τρίτον συμαινόμενον ἥλιον καλεῖ τὸν θεῖον λόγον, τὸν τοῦ κατ' οὐρανοῦ περιπολοῦντος: Secundum tertium ſignificatum, Solem vocat diuinum Verbum eius, qui per cœlum circumambulat. Quid admirabilius dicere Philo poterat de Verbo Dei? appellari eum Solem, qui de ſe dicebat; Ego ſum lux mundi: & Eccleſia canit, Ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

Ioann.8.

Hæc nuncupatio ad magnam Verbi diuinitatem, vniuerſalemque, & incorporeum nitorem, inuiſibilemque oculis humanis claritatem reſpicit: quæ claritas non poſſit, quàm Solis nomine verius deſignari. Eodem ſignificatu Ioannes dixit de cœleſti ciuitate: Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea. Nam gloria Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt agnus, & non egent lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Deus illuminat illos.

Apoc.23.

Sic & idem Ioannes: Erat lux vera, quæ illuminat omnem mundum.

Ioann.1.

Inambulantem autem per cęlum dicit, aut ipſum Patrem, cuius maieſtas ſit in cęlo, totum implens intra & extra mundum, aut certè Solem ipſum eius, qui per omnem inambulet cęlum. Quod Plato de Ioue, Pſalmus quoque, Qui aſcendit cœlum cœli ad Orientem. Quod Hebraicè, qui ęquitat Araboth, orbes cęleſtes, aut cęlum ſupremum.

Pſal.67.

Eodem quoque libro: Δύο γὰρ ὡς ἔοικεν ἱερὰ Θεοῦ, ἓν μὲν ὅδε ὁ κόσμος ἐν ᾧ καὶ ἀρχιερεὺς ὁ πρωτόγονος αὐτοῦ θεῖος λόγος: ἕτερον δὲ λογικὴ ψυχή, ἧς ἱερεύς, ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἄνθρωπος: Duo ſunt, vt apparet, templa Dei. Vnum quidem mundus iſte, in quo & Pontifex primogenitus eius, diuinum Verbum. Alterum verò rationalis anima, cuius ſacerdos eſt, verus homo.

Duo tẽpla Dei, mundus & anima rationalis.

Quid apertiur, diuinius, mirabilius? Pontificem templi, qui eſt totus mundus, eſſe diuinum Verbum, primogenitum? Mundum templum Dei. Huius templi, diuinum ſummumque ſacerdotem, primogenitum Dei, Verbum eius. Quia ſcilicet ille Rex eſt, & Dominus mundi, omnia regens, ac ſuſtinens, creator, altor. Pontificem quoque vocat eum Paulus, qui pro peccatis hoſtiam obtulerit, inter homines, Deumque ſequeſter, & mediator.

Heb.5.12.

Qua ratione Dionyſius item vocat eum τελέταρχον, μυσάγωγον, initiationum, myſteriorumque principem. Primus ipſe initiator, & ſacrator, qui ſuis myſteriis, præcipuè cognitione, & cultu patris ſui, nos initiauit. Hoc maximus ipſe in toto mundo ſacerdos egit, & agit.

Deus initiationum & myſteriorũ princeps.

Triaq; ſunt hic diuina nomina filij Dei apud Philonem, Verbum diuinum, ſummus Sacerdos, Primogenitus. Altiſſima Theologia Apoſtolorum.

Tria noĩa Filij Dei.

Quàm eſt etiam diuinum, quòd mundum vocat templum Dei, in quo colitur, adoratur, cognoſcitur, laudatur Deus inuiſibilis? Sic & animum eſſe templum Dei, noſtra Theologia eſt: Templum Dei, inquit Paulus, eſtis vos, Dei ędificatio.

2.Cor.5.& 2.Cor.6.

Philo quoque eodem libro loquens de hoc ipſo: τὴν τοῦ Θεοῦ εἰκόνα, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον: Imaginem Dei, Angelum ipſius Verbum. Hic quoque tria ſunt nomina Filij Dei diuiniſſima; Theologiæ veræ frequentia. Imago Dei: id enim etiam vocat eum Paulus, & Characterem.

Hebr.1.

Angelus item eſt, ſicut in Eſaia, Magni conſilij Angelus. Eoque etiam dicitur λόγος, ſermo Dei, locutio Dei, nuncius Dei, loquens & agens omnia pro Deo, tanquam ſequeſter inter nos, & illum. In quibus eſt omnis Theologia. In libro quoque de Agricultura: Hæc omnia, inquit, ποιμὴν καὶ βασιλεὺς Θεὸς ἄγει κατὰ δίκην, καὶ νόμον προστησάμενος, τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον πρωτόγονον υἱόν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης. οἷα τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. Hoc eſt, Paſtor, & Rex Deus ducit rectè, & legitimè, præfecto lege recta Verbo ſuo, primogenito Filio, qui curam ſacri iſtius gregis, tanquam magni Regis quidam magiſtratus ſuſcipit.

Paſtor & Rex, Deus.

In his quoque Philo apertè primogenitum Filium Verbum nominat, eum proſpicere gregi ſuo, omni mundo, præcipuè generi humano. Idem etiam Filius dixit, appellans homines, ouile ſuum, oueſque homines a patre ſibi creditas. Denique omnem generis humani adminiſtrationem, redemptionem, curam, traditam ſibi a Patre dicebat: ſeque ab eo miſſum in hunc mundum, agentem quæ Pater ſuus imperaſſet. Eamque ob cauſam vocat eum Philo ὕπαρχον magiſtratum, miniſtrum, ſubimperantem, vt ſic loquar, alterius imperio parentem: imperantem quidem, ſed ſub altero imperatore, & patre qui mittat eum ad omnia. Eaque eſt ratio appellationis λόγος, quod rectius vertitur, ſermo, locutio, quàm Verbum. Sonat enim id nomen locutorem, internuncium, non natiuitatem, vt reor, ſpiritualem.

λόγος, ſermo: quia Filius interlocutor & internũcius.

In libro quoque, Quòd diuinitas ſit immutabilis: χορεύει γὰρ ἐν κύκλῳ λόγος ὁ θεῖος, ὃν οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων ὀνομάζουσιν τύχην, εἶτα ἀεὶ ῥέων κατὰ πόλεις καὶ ἔθνη, καὶ χώρας τῶν ἄλλων, ἄλλοιν: καὶ πᾶσι τὰ πάντων ἐπινέμει: χρόνοις αὐτονόμοις ἀλλάττων, τὰ παρ' ἑκάστοις: Inambulat enim circum, Verbum, quod appellant plerique Fortunam. Deinde ſemper per vrbes commeans, & gentes, ac regiones, quæ ſunt aliorum, aliis, & omnibus, res omnium diſtribuit, temporibus liberis, mutans quæ ſinguli habent. Hic quoque Philo oſtendit Filium Dei, Verbum, eſſe rectorem, gubernatorem, moderatoremque Vniuerſi, ſicut ſuperius, datam curam gregis a Patre, Filio dixit.

Filius, moderator vniuerſi.

Quæ quidem omnia indefeſsè concinunt ſacræ litteræ. Eum dicit inuiſibiliter perambulare mundum. Eadem cauſa ſuperius vocabat eum hyparchum, magiſtratum. Eum ait omnia diſtribuere, vertere, verſareque regna, commutare diuitias, opes, quod totum eſt mundum moderantis. Portans omnia, inquit ille, verbo virtutis ſuæ.

Hebr.1.

Et in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia. Idem in libro de Flammeo gladio: μετέλθων οὖν ἀπὸ τῶν ἐν μέρει κατασκευῶν, ἴδε τὴν μεγίστην οἰκείαν, τὴν πόλιν, τὸν δὲ τὸν κόσμον, εὑρήσεις γὰρ αἴτιον μὲν αὐτοῦ τὸν Θεὸν, ὑφ' οὗ γέγονεν: ὕλην δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, ἐξ ὧν συνεκράθη: ὄργανον δὲ λόγον Θεοῦ, δι' οὗ κατεσκεύασαι, τῆς δὲ κατασκευῆς αἰτίαν τὴν ἀγαθότητα τοῦ δημιουργοῦ. Digreſſus igitur a particularibus opificiis, aſpice maximam domum, aut vrbem, hunc mundum. Inuenies enim eius cauſam Deum, a quo factus eſt, materiam, quatuor elementa, è quibus conſtitit: Organum autem Verbum Dei, per quod constructus eſt: conſtructionis autem cauſam, bonitatem opificis. Quanta hoc quoque loco Theologia? Vrbem dicit, aut domum, totum mundum: eius opificem, & cauſam, Deum: materiã, quatuor elementa: Organum, id eſt, cauſam mediam, Verbum Dei. Quatuorque nominat cauſas: efficientem, Deum ipſum: materialem, quatuor elementa: Organicam, ſiue motricem, ſeruientem primo: finalem, bonitatem, vel etiam efficientem. Noſtræ Theologiæ myſteria, prædicantis Deum Creatorem cęli, & terræ, vti cauſam principalem. Filium autem, per quem omnia facta ſunt, Gręcè ſicut & Philo, δι' οὗ, Præpoſitio enim Gręca διὰ, deſignat medium. Et quod expreſſit Philo Organum, id eſt, motorem eum, qui ab alio mouebatur: mouebatur enim a Patre Filius ad creationem, eo vti artifice vtebatur: eum imperauit creare, dederat poteſtatem creãdi. Itaque mundus a Patre, & Filio eſt creatus: a Patre, vti prima cauſa, volente, dictante, iubente: a Filio, parentę iuſſo, motoq; a Patre. Sicque fuit creator vnus, & quia creauit vterque, vterque Deus. Sed quoniam bonus, niſi vnus, neceſſariò vna diuinitas: quod ipſa ratio declarat, Theologiaque demonſtrat. Non enim tanquam a duobus diuerſis autoribus creatus eſt mundus, ſed a duobus, velut vno, a principali cauſa Deo, a cauſa mota ab ipſo Deo Filio. Neque enim Filius creaſſet, ſi Pater noluiſſet, & ſi poteſtatem non dediſſet. Paruit igitur Patri accepta ab eo ęterna poteſtate. Quæ res exemplis humanis eſt elara. Ergo dicit Philo nunc, quod Ioannes, vtens ſimili præpoſitione, Omnia per ipſum facta ſunt. Philo autem, δι' οὗ κατασκεύασαι. Eaque eſt ratio cur appellauerit ipſum, Organum. Vides igitur & hic profundiſſimum myſterium: quod etiam inuenies apud Platonem, Orpheum, Mercurium Triſmegiſtum: diuiniſſimeque ſecum omnes conſentiunt, reuelatam nouiſſimis ſæculis radiantiſſimè Theologiam prædicantes. In libro quoque in quo diſſerit, quòd apparuit Dominus Abrahæ, dicit, ὁ ὑποφήτης αὐτοῦ λόγος, Internuncius, denunciator, interpres eius Verbum. Eadem eſt ratio, vt appelletur ὑποφήτης, Interpres, atque hyparchus, magiſtratus, & logos, id eſt, locutor, locutio, ſermo, & ſuperius Angelus. In ſecundo quoque Allegoriarum legum, hæc ſcribit: σκιὰ δὲ Θεοῦ, ὁ λόγος αὐτοῦ ἐστί, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος ἐκοσμοποίει: αὐτὴ δὲ ἡ σκιὰ, καὶ ὡσανεὶ ἀπεικόνισμα, ἑτέρον ἐστὶν ἀρχέτυπον: ὥσπερ ὁ Θεὸς παράδειγμα τῆς εἰκόνος, ἣν σκιὰν νυνὶ κέκλημεν, οὕτως ἡ εἰκὼν ἄλλο γίνεται παράδειγμα, ὡς καὶ ἐναρχόμενος τῆς νομοθεσίας, ἐδήλωσεν εἰπὼν, καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα Θεοῦ, ὡς τῆς μὲν εἰκόνος κατὰ τὸν Θεὸν ἀπεικονισθείσης, τοῦ δὲ ἀνθρώπου κατὰ τὴν εἰκόνα λαβοῦσαν δύναμιν παραδείγματος. Quæ ſunt, Vmbra Dei, eſt Verbum eius, quo tanquam organo vſus, creabat mundum. Hæc autem vmbra, & quaſi aſſimilatio, aliorum eſt exemplar. Sicut Deus exemplar imaginis, quam vmbram nunc vocauimus: ſic imago alteri fit & exemplar. Sicut inchoans libros legis expreſſit Moſes, dicens; Et creauit Deus hominem ad imaginem Dei, quaſi ipſa quidem imago ſecundum Deum ſimilita ſit, homo autem ſecundum imaginem, quæ acceperit vim exemplaris. Hic quoque Philo maxima fatur altiſſimaque myſteria, eſſe Verbum quaſi vmbrã Dei (non poterat enim alio cõmodiore nomine vti.) Sed ſe ipſum quoque declarat, hanc vmbram eſſe velut aſſimilationem. Noſtræ quoque, vt diximus, litteræ, imaginem Dei, Filium vocant. Nam Paulus ad Coloſſæos: ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Et Salomon; Imago bonitatis eius. Hinc ipſe dicebat; Qui videt me, videt & Patrem meum. Iterumque eum Philo nominat Organum, quo Deus ſit ad creationem vſus, innuens medium, ſequeſtrum, autorem, quo Paulus eum omnis conditionis, & creationis primogenitum dicit, id eſt, anteeuntem, pręcedentem omnes res creatas. Quia (vt ibidem fatetur) in ipſo facta ſunt omnia, cęleſtia, terreſtria, viſibilia, & inuiſibilia, Angeli, Poteſtates, Dominationes, Throni, omnia per ipſum, & in ipſum facta, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt. Hæc Paulus: Non alia Philo, etiam Iudæus. De eo quoque diuinam eminentiſſimamque canit Theologiam: Sicut ipſe ſit imago Patris, vt Pater illi tanquam exemplar ſit: ſic ipſum eſſę exemplar hominis: idque ait a Moſe declaratum, cùm de homine creato ſcriberet, Ad imaginem Dei fecit illum. Quo Philo ſignificari putat, hominem factum ad illum, qui eſt imago Dei. Is autem eſt Filius, vt in eo Moſis dicto, ſint duo exemplaria, duæque imagines: primum cùm ait, Ad imaginem Dei: is autem eſt Filius. Ergo Pater exemplar Filij. Cùm verò ad ſimilitudinem iſtius imaginis ſit homo creatus, erit Filius ipſi homini exemplar. Sicque Filius reſpectu Patris ſui eſt imago, reſpectu hominis, exemplar. Audiuitque ex altiſſima Sapientia Philo, Filium creaſſe mundum, tanquam organum Dei: creaſſe hominem, tanquam exemplar. Quanquam & exemplar, & Idea mundi dicitur a Platonicis, vt quandocunque Moſes loquatur de mundo, vel homine a Deo creato, illum innuat Deum, qui eſt Organum, & Imago Patris ſui: organum reſpectu creationis: imago, reſpectu naturæ, quam Patri habet coęqualem. Ideo neceſſe eſt ipſum quoque eſſe Deũ: ſi Deum, ęternum quoque. Sed ſicut in ſacris litteris propriè Deus dicitur Pater: vt ſæpe oſtendimus,

quia

Maxima domus, aut vrbs totus mundus.

Filius, δι' οὗ, quid ſit.

Bonus, niſi vnus.

Ioann. 1.

λόγος, ὁ ὑποφήτης.

Hebr. 1.

Filius, imago Dei.

1. Coll. 15.

Sapient. 7.

Ioann. 14.

Verbum, organum Dei.

Roman. 8.

Geneſ. 1.

Pater, exẽplar Filij.

Filius, imago Dei, & exemplar hominis.

Geneſ. 1.

ntia principaliter, & genitor: ſic apud Philonem, Deus propriè Pater ipſe eſt. Et quoniam petit ſtimonium Moſis ſuper hoc, Moſes autem dixit, Et creauit Deus hominem, ad imaginem Dei reauit illum. Hunc autem creatorem, Philo, vult eſſe Filium, qui etiam mundum, tanquam iuſs à Patre, & vt organum crearit. Claret etiam ipſum aſſertione Philonis eſſe Deum. Itaq; cùm dicit, In principio creauit Deus cœlum, & terram: ſi Philonem Iudæum audias, Patrem, & Filium creaſſe dicit: Patrem, vt Autorem primum: Filium, vt Sapientiam, & Organum Patris. deò veteres Hebræi, quod apud Moſen eſt, In principio, interpretabantur, in Sapientia. Si conſulas autem veteres illos, & ipſum Philonem, Sapientia eſt ipſum Organum, eſt primogenitus filius, Verbum, plenus Idearum Deus, archetypum hominis. Hanc eandem prędicabant Apoſtoli in toto orbe Theologiam: cuius, vt arbitror, plenæ erant ſecretæ, & ſynceræ traditiones Hebræorum. Hinc ipſe dicebat, Scrutamini ſcripturas, & inuenietis ibi de me, & Incipiens à Moſe, & Prophetis omnibus, interpretabatur eis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Nec fieri poterat quin hanc de Patre, & Filio Sapientiam Philo ex aliqua profunda, & oraculis reuelata Theologia hauſerit. Eodem quoq; libro: ὁ Θεοῦ λόγος ὀξυδερκέστατος ἐστὶν, ὡς ἐφορᾶν εἶναι ἱκανὸς: Dei Verbum acerrimi oculi eſt, vt conſpicere queat omnia. Hoc teſtimonio ſentit, quod ſuperius, eſſe Prouidentiam Filij Dei, quem dicebat totum inambulare mundum. In libro quoque, Quis ſit hæres rerum diuinarum: ἀόρατος καὶ σπερματικὸς τεχνικὸς θεῖος λόγος: Inuiſibile, ſeminale, opifex, diuinum Verbum. His quoq; nominibus potentiam creandi, qua præditus ſit Filius, declarat, plenum artis, ſeminum, rationum, formarum, eum dicens. Eodem libro: ἔτι τοίνυν τὴν οὐρά- τροφὴν ψυχῆς, ἣν καλεῖ μάννα, διανέμει πᾶσι τοῖς χρησομένοις λόγος θεῖος ἐξ ἴσου περιφροντικῶς διαφερόντως ἰσότητος. Quod eſt, Adhuc igitur, cœleſtem eſcam animi, quam vocat Manna, diſtribuit vniuerſis, qui vtentur, Verbum diuinum, ex æquo præcipuè proſpiciens æqualitati. Sentit Philo Sapientiam, quæ dicitur Manna, a Verbo, quem proſpectorem, prouidentemque ſuperius vocauerat, donari. Collectis autem omnibus inuenies apud eum, Filium, aut Verbum, eſſe creatorem mundi, eſſe maximam mundi creandi Sapientiam, Idearum, id eſt, originum, ſeminum, formarum, fontem, ac regnum, hominis creatorem, mundi gubernatorem, moderatorem generis humani, mutantem, transferentemq; regna, dantêm ſapientiam. Quanquam hoc Manna, cuius nunc meminit, poteſt intelligi, beatitudo cœleſtis, quæ donetur a Filio Dei. Eodem quoque libro: Inuenies, inquit. δύο λόγους, ἕνα μὲν ἀρχέτυπον ὑπὲρ ἡμᾶς, ἕτερον δὲ μίμημα, τὸν αθ᾽ ἡμᾶς ὑπάρχοντα: καλεῖ δὲ Μωσῆς τὸν μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς εἰκόνα θεοῦ, τὸν δὲ καθ ἡμᾶς τῆς εἰκόνος ἐκμαγεῖον. ἐποίησε γὰρ φησὶν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον οὐκ εἰκόνα ἀλλὰ κατ᾽ εἰκόνα: ὥστε τὸν καθ᾽ ἕκαστον ἡμῶν, ὃς δὴ καὶ πρὸς ἀλήθειαν κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν τρίτον εἶναι τύπον, ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος: τὸν δὲ μέσον παράδειγμα μὲν τούτου, ἀπεικόνισμα δὲ ἐκείνου: Duo Verba eſſe, vel, Rationes: vnam quidem exemplarem, ſupra nos: alteram imitationem, quæ noſtra eſt. Vocat autem Moſes, eam quidem quæ ſupra nos eſt, Imaginem Dei, quæ autem noſtra, imaginis ſimulachrum. Fecit enim, inquit, Deus hominem, non imaginem, ſed ſecundum imaginem. Quo fit, vt ſinguli cuiuſque noſtri mens, quæ ſcilicet verè & propriè eſt homo, tertia ſit expreſſio, ab eo, qui fecit. Medius autem exemplar quidem noſtrę huius, aſſimilatio autem illius. Hæc Philo. Audiſti igitur, duas ſiue Mentes, ſiue Rationes: alteram ſupra nos, archetypum, & exemplar ad noſtram, ad quam noſtra creata ſit, ſicut Moſes declarauit, quem Philo etiam Iudæus ſentit de Filio, de Verbo fuiſſe locutum: huncque fuiſſe, qui creauit hominem, ad ſimilitudinem ſuam, quia fuit illi exemplar, qui ſe reſpiciens, hominem crearit. Vt quemadmodum Filius ipſe eſt imago Patris, ſic nos ſimus imago eius. Itaque ſi Philonem audias, Moſes de Filio, & Verbo Dei, diuinè prædicauit, & ſcripſit: vt iure merito Græci vocent Dei filium πρωτότυπον, prototypum, primum exemplum ad pſum hominem creatum ab eo, vt ille fuerit verus homo, ab eo alter homo, mens noſtra ad ſimilitudinem eius. Sanctiſſimum, eminentiſſimumque noſtræ Theologiæ myſterium. Hinc ipſi Filio canimus, Qui mundi in primordio Adam plaſmaſti hominem, cui tuæ imagini vultum dediſti ſimilem. Itaque Philone magno Theologo teſte, qui mundum creauit, qui ſpiritum, mentemque humanam afflauit, cæteraque fecit, quæ tam multa in veteri teſtamento Deo adſcribuntur, fuit Verbum Dei medius, interpres, nuncius, legatus ſummi Patris ad hominem. Sic gerens vices prouidentiæ, ſicut geſſit creationis. Eodem quoque libro, ὁ γὰρ θεῖος λόγος τὰ ἐν τῇ φύσει διεῖλε καὶ διένειμε τὰ πάντα: Verbum Dei omnia, quæ natura continentur, diuiſit, ac diſtribuit. Hic quoque Philo repetit, Verbum fuiſſe creatorem, moderatorem, qui digeſſit, diſtinxit, diſtribuit omnia. Vt ſit illa Anaxagoræ Mens, quæ Chaos digeſſit, inque ordinem redegit. Refertur item hoc ad Prouidentiam. Eodem item libro: ἄτμητοι μὲν οὖν αἱ δύο φύσεις ἥτε ἐν ἡμῖν τοῦ λογισμοῦ, καὶ ἡ ὑπὲρ ἡμᾶς τοῦ θείου λόγου. Paulò poſt: νοῦς τε ὁ ἐν ἡμῖν καὶ ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς. Id eſt, Indiuiſibiles igitur ſunt duæ naturæ, ea quæ in nobis rationis, & ea, quæ ſupra nos diuini Verbi, Mens, quæ in nobis, & quæ ſupra nos. Ecce ſemper recitat eadem, clarioraque reddit, commemorans, celebrans Verbum diuinum, appellans ipſum Mentem, quæ ſupra nos, ſuperius autem ad quam noſtra ſit formata. Indiuiſibilis naturæ dicit vtranque eſſe, ſicut ſunt incorporeæ. Nam cùm noſtra cenſetur etiam Mens Angelorum, quam & ipſe creauit, vt poſterius erit manifeſtum. Eodem item libro ſcribit, πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν οἰκείωται θείῳ λόγῳ, τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον

Geneſ. 1.

In principio, id eſt in ſapientia.

Ioann. 5.

Luc. 27.

Deus, acerrimi oculi eſt.

Exod. 16.

Sapientia, māna: eademque cęleſtis beatitudo.

Duo Verba, vnum exemplaris, imitationis alterum.

Dei Filius, πρωτότυπος.

Mēs chaos diremit, Anaxagoræ.

Duæ naturæ indiuiſibiles.

Oīs homo, ſimilis Verbo quomodo.

Homo, dei abſciſſio & radius.

Gen. 1

Animus noſter Deo ſimillimus,

Mens humana formata ad archetypum Verbum,

ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα γεγονός. Omnis homo, inquit, ſecundum Mentem ſimilatur, communicatque cum Verbo diuino, factus beatæ naturæ expreſſio, aut abſciſſio, aut radius. Quid his altius, mirabilius? Ecce iterum creatio animi noſtri, Verbum diuinum, cum eo nos habere ſocietatem, affinitatem, communicationem, animum noſtrum illius beatæ naturæ aut ſimulacrum eſſe, aut abſciſſionem quandam ex ea, aut radiationem. Nec enim explicare melius licet, quod traditur à Moſe, cum inſufflauit Deus in hominem. Hunc afflatum, quem animum noſtrum vult à Deo manantem fuiſſe, vocat aut expreſſionem, vt cùm in cera reddimus imaginem ſigilli, vt talis homo fuerit ad Verbum diuinum, ipſum ſigillum, homo cera: aut radium, aut abſciſſionem, quibus rationibus immortalitas animi declaratur. Ac cùm Ariſtoteles & ipſe confiteatur animum noſtrum eſſe Deo συγγενέστατον, ſimillimum, finitimum, eiuſdem generis, ecce quomodo debeat intelligi, licet diuino Verbo ſimile. Et cùm dicit animum venire in corpus θύραθεν, exterius à Filio Dei, à Verbo diuino, ab Archetypo noſtro, intelligendum eſt, ipſo Philone non Chriſtiano, ſed Iudæo, eminentiſſimoque Platonico declarante. Item in libro, Quòd mulieres non decet indecorè agere: ψυχὴ γὰρ ἀνθρώπου σημεῖον, ἧς μεθισταμένης, καὶ μετοικιζομένης τὰ ἀπολειφθεισόμενα πάντα μιαίνεται, στερόμενα θείας εἰκόνος. ἐπειδὴ δὲ θεοειδὴς ἀνθρώπινος πρὸς ἀρχέτυπον ἰδέαν τὸν ἀνωτάτω λόγον τυπωθείς: Anima enim hominis ſigillum eſt, qua diſcedente, & migrante, quæ remanebunt omnia fœdantur, priuata diuina imagine. Quoniam diuinæ ſimilis eſt mens humana, ad archetypum, id eſt, exemplarem Ideam, altiſſimum Verbum formata. Quid is item diuinius, excellentius, in omni Theologia profundius, de creatione animi noſtri, & quòd oporteat retinere imaginem, qua diſcedente, cuncta fœdentur, & polluantur? Tota igitur hæc Theologia eſt apud Philonem, nec aliam apud ſcriptores ſacros reperias, vt mirabile ſit ab homine Iudæo, a Philoſopho tam clara, tam minime ambigua teſtimonia proferri, niſi videremus Theologos omnium gentium eadem cognouiſſe, prædicaſſe, nouiſſimiſque ſæculis inclaruiſſe, quod olim fuiſſet celebre apud ſapientes omnium nationum. Verbum igitur apud Philonem eſt Primogenitus, eſt Filius, & organum Dei, eſt fœcundiſſimus, & Idea Idearum, eſt mundus archetypus, eſt hominis item exemplar, & archetypum. Eſt imago Dei, eſt diſtributor, moderator, eſt is per quem venitur ad Deum, eſt Sol, eſt Pontifex in templo Dei hoc mundo, eſt rector, moderator omnium, eſt magiſtratus Dei, eſt humanarum rerum, regnorumque diſpenſator, eſt prouidentiſſimus, oculatiſſimus, eſt mens ſupra nos, ad quam noſtra eſt creata, eius ſimilis eſt homo. Quòd item iſte Logos ſit Deus, & æternus apud Philonem, non ſicut plerique dementiſſimi, naturæque ignari ſuſpicati ſunt, non Deum, ſed Mentem quandam velut Angelum maximum, vt Valentiani, declarant tum omnia, quę nunc protulimus, tum locus in libro de Mundo, cùm de creatione hominis loqueretur. Nam cùm in his locis productis, Verbum diuinum dixerit fuiſſe archetypum, exemplarque animi noſtri: in libro de Mundo ſcribit, cæteros affinitatem eſſe homini cum æthera dixiſſe. At magnum Moſen, nulli rei creatæ, ſpeciem animæ rationalis ſimilem tradidiſſe: ἀλλὰ αὐτὴν εἶπεν τοῦ θείου λόγου· καὶ ἀοράτου Θεοῦ ἐκείνου εἰκόνα, δόκιμον εἶναι νομίσας, ἧς εἴωθε. καὶ τυποθὲν σφαγίδα Θεοῦ ἧς ὁ χαρακτήρ ἐστιν ὁ ἀΐδιος λόγος. ἐνέπνευσε γὰρ φησὶν ὁ Θεὸς εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς ὥστε ἀνάγκη πρὸς τὸν ἐκπέμποντα τὸν δεχόμενον ἀπεικονίζεσθαι, διὸ καὶ τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα φασὶ Θεοῦ γεννῆθαι, οὐ μὴν κατ' εἰκόνα τινὸς τῶν γεγονότων: Sed eam dixit diuini Verbi, & inuiſibilis illius Dei imaginem, probabile arbitratus, etiam quod formatum fuit, ſigillum eſſe Dei, cuius character eſt Verbum ſempiternū. Inſpirauit enim, inquit, Deus in faciem eius, ſpiraculum vitæ. Quocirca neceſſe eſt, eum qui accepit, ad eum, qui emiſit, aſſimilari. Ideo hominem dicunt factum ad imaginem Dei, non ad imaginem alicuius rei creatæ. Ecce fatetur Philo ipſum Verbum ſempiternum, fatetur Deum, fatetur nos ad imaginem eius, fatetur Moſen de eo fuiſſe locutum.

Ex Platone, Filium habere Patrem: Verbum eſſe diuiniſſimum, Principem præſentium, & futurorum. Cap. XXVII.

Platonis doctrina ꝑfecta ab Ægyptiis.

PLATO quoque, cuius omnis Theologia fluxit a Triſmegiſto, cuius tredecim annos in Aegypto verſatus omnem introſpexit ſapientiam, eaque amplitudinem ſuam ditauit, expreſſis, nullaque ambage obuolutis verbis confeſſus eſt in Epinomide, creaſſe mundum Verbum diuiniſſimum. Mercurius ergo, & Philo λόγον, id eſt, Verbum, non ſolum Filium Dei dicebant eſſe, ſed etiam opificem. Verbumq; eſt opifex, propter mundanum opificium, in quo opificium cœli eſt præcipuum. Plato autem in Epinomide ſic ait: Quælibet ſtella proprium curſum conficit, συναπτελῶν κόσμον ὃν ἔταξε λόγος, ὁ πάντων θειότατος, ὁρατὸν, Abſoluens, inquit, ac peragens eum ordinem, & decorum quem, vt videri poſſet, fecit diuiniſſimum Verbum. Audierat ergo Plato ex Mercurio, Mentem, Verbum opificem, condidiſſe mundum. Quocirca in Phædone clamat, & affirmat Mentem

m omnium creatricem, in Timæo vocat creatorem mundi opificem, in Epinomide Verbum di-
niſſimum cęleſtes ordines excogitaſſe. Hinc neceſſariò ſequitur, eadem vt ſentiant Ariſtoteles,
Plato: Ariſtoteles vocat Mentem θειότατον diuiniſſimam, in libris diuinæ Philoſophiæ: Pla-
verbum dicit eſſe diuiniſſimum. Profectò non poſſunt eſſe duo diuiniſſima. Sunt igitur omnia
mina Filij Dei, quibus eadem res apud duos inclytos Philoſophos, totamq; priſcorum Theo-
giam ſignificatur. Quoniam igitur & nomina, & res apud Platonem reperiuntur, quæ ſupe-
us in Theologia Mercurij habebantur, perſpicua ratio eſt, ea quæ ſunt ex illo prolata, illius eſſe
identiſſimè, nec fuiſſe vel à Chriſtianis, vel aliquo alio commenta. Sed audi aliud luculentũ
ſtimonium ſuper & Theologia Mercurij, & ipſa veritate, de Patre inquam & Filio apud Plato-
m, ac vide quantum ex Chriſtiana Theologia priſcis innotuerit, tum ex eo intellige, quæ de
agis, Sibyllis, Aegyptiiſque prolata ſunt, ſine controuerſia non eſſe adulterina, & commenti-
Filius non ſolum a Chriſtianis, ſed his etiam omnibus, quorum vſi ſumus teſtimoniis, voca-
r totius orbis, cęli, ac terræ princeps, vt Sibylla canebat. Princeps, ait noſter, regum terræ, Do-
inus dominantium. Vocatur etiam Opifex & Cauſa. Vbique enim nunc ſcimus celebrari, ac
mmemorari, quòd omnium rerum cauſa ſit Filius Dei. Idem etiam valet Opifex, ac Cauſa: vt
i dicat opificium, neceſſariò id deſignet, quod fit à cauſa. His ergo nominibus clariſſimè vſus
Plato pro ipſo Filio. Tum eodem loco, vbi hoc dixerat, Patrem iſtius Cauſæ, & Principis
mmemorat, eamque commemorationem myſticam, arcanam, ſacerrimamque aſſerit. In epiſto-
ad tres amicos, Hermiam, Eraſtum, Coriſcum, de amicitia, & charitate locutus, poſtea epiſto-
m claudens hæc adiecit: Hanc epiſtolam vos tres ſimul oportet legere, ſin minus, duos certè
commune, idque quoad eius fieri poſſit, creberrimè, fœdere, & lege firma, ac ſancta, quæ iuſti-
a eſt, adiuuantes omni animi contentione diſciplinam, quæ ſoror, & comes eſt ſtudiorum: καὶ
ν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα, τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα
ριον ἐπόμνυντες, ὃν ἂν ὄντως φιλοσοφῶμεν, εἰσόμεθα πάντες σαφῶς εἰς δύναμιν ἀνθρώπων εὐ-
αιμόνων. Hoc eſt, Adiurantes etiam, omnium rerum Principem Deum, rerum inquam præſen-
um, ac futurarum, tum Principis huius & Cauſæ Patrem. De quo ſi verè fuerimus philoſopha-
dilucidè, ac clarè cognoſcemus, quantum poteſt concedi hominibus beatis. Hæc Plato de fon
bus Mercurij, vt reor. Quę mecum reputans, modo non lacrymas profundo præ gaudio. Video
nim generis humani Seruatorem ſemper cognitum, nunquam ſe ab aſpectu humano adeò ſub-
uxiſſe, vt eo veniente, prorſus noua res Diuinitas eius, & auguſtiſſima, quæ dicitur Trinitas, vi-
eretur. Videtur enim ignaris admirabile, in Deo eſſe Patrem, ac filium, idque præcipuè cæcu-
entibus diſplicet Hebræis, quorum ſunt animi ſemper ineptiſſimarum cogitationum pleni, nec
nit eos vnquam imperitia videre veritatem. Habes apud Platonem Philoſophiæ profanæ an-
ſtitem, hominem ante Chriſtum multos annos natum, nudam, atque apertam Patris, ac Filij cõ-
emorationem. Filium dicit eſſe Principem omnium rerum præſentium, ac futurarum. Quæ
nt autem res futuræ, niſi futurum ſęculum? Si quidem & Paulus Regem ſęculorum, & præſen
s, ac futuri ſęculi Principem eum appellat. Vtriuſque Principem dicit eum Plato, cuius paulò
oſt nominat Patrem. Tum Plato vocat eundem Cauſam, eam videlicet, quæ creauit omnia,
nnium cauſarum princeps, ac magiſtra. Ideoque per excellentiam vocatur Cauſa, vt Pater per
xcellentiam vocatur ipſum Bonum. Eam cauſam ſcilicet Plato innuit, quam in Epinomide vo-
t Verbum diuiniſſimum, ordinum cęleſtium repertorem, in Phædone Mentem, in Timęo Opi-
cem. Hac inquam in epiſtola vocatur ab eo Cauſa. Quod & Laërtius teſtatur, aſſerens Plato-
m duo creati mundi ſtatuiſſe principia, Deum, ac Materiam, ὃν καὶ νοῦν προσαγορεύει, καὶ αἴ-
ον, quem Deum, inquit, & Mentem appellat, & Cauſam. Cuncta igitur hęc ſunt nomina Filij
ei, Cauſa, Mens, Opifex, Verbum. O rem mirabiliſſimam. Vide etiam generationem iſtius
auſę. Nominat enim eius Patrem: vides creationem mundi per Filium, dum nominat Cau-
m, nominat Regem, vel Principem rerum pręſentium, & futurarum, quemadmodum videlicet
bylla Regem, ſeu ἡγητῆρα, Principem Deorum. Sunt autem Dii, res futurę reſpectu noſtri.
am Paulus, Omne, inquit, nomen, quod nominatur in hoc ſęculo & in futuro. Horum Sibyl-
Principem Filium dicebat à Patre conſtitutum. Similiter & Plato: Nomina quoque ſunt ſi-
ilia: Sibylla ἡγητῆρα, Plato ἡγεμόνα. Tum appellat Plato hanc ipſam Cauſam Deum. Ergo
c omnia euidentiſſimè locutus eſt in Epiſtola Plato, Filium eſſe, & Patrem: Filiumque eſſe
auſam, eſſe Regem viſibilium, & inuiſibilium, eſſe Deum. Quid ſupereſt in Theologia? Po-
emò, quod omnibus modis eſt mirandum, ſuſpiciendum, exoſculandum, & in quo nequeo ip-
lacrymis & gaudiis moderari meis, & admirando ſatiari, dicitur à Platone, de Patre eſſe verè
ilosophandum. Fore enim vt hæc ſcientia nos efficiat beatos. Certè diuine Plato magnum
id innuebas: ideòque cautè & abſconditè more Prophetarum es locutus. Quid enim verè
de Patrę philoſophari? Cur id de Patre potiſſimum? Nempe ea de cauſa, quoniam, vt ſupe-
s dicebamus, & vt oſtendemus in ſequentibus, ex ſententia Philonis, Numenij, & Plotini, non
at hominibus notus Pater, ſed Filius tantum, creator ſcilicet mundi. Sciebant omnes, & prę-
cabant mundum a Deo creatum. Solum ergo norant creatorem, Patrem non norant. Ergo be-
admonet, oportere de Patre verè philoſophari. Quid eſt vere, Græce ὄντος, id eſt, realiter, eſ-
ſentialiter?

Nihil commẽtitium de Deo affert a Platone & Ægyptuis.

Seruator humani generis, cognitus gentibus.

Rex ſæculorum. 1. Tim. 1.

Deus, Cauſa q̃ creauit omnia.

Deus pater, bonũ.

Duo principia rerũ omnium, Deus & Materia.

Ephe. 1.

Deus, rex viſibilium & inuiſibilium.

Plato, prophetas imitatus, obſcure diſputauit.

Priſci norant creatorem Deũ, patrem nõ norant.

ὄντως q.d.

Philoſophia non nouiſſimis tantum ſęculis, ſed vetuſtiſſimis.

ſentialiter? Digna ſcilicet de eo philoſophari, cogitare, ac loqui, quæ illius ſunt: & facere, quod f ciebat Filius eius, qui reuelauit hanc de Patre ſuo Philoſophiã oĩa illi aſcribens, diuinitatẽ, eſſe tiam, poteſtatemq; ſuam, dicens ſe ab eo miſſum, ab eo conſtitutum iudicẽ viuorum ac mortu rum, omnia ſibi ab eo tradita, appellans eum Patrem ſuũ, Deum ſuũ, affirmans eum eſſe ſe maio rem, nunquam Patrem agnoſcendum, & ad conſpectum eius iucundiſſimum veniendum, niſi fili reuelãte, & perducẽte. Hęc inquã eſt Philoſophia de Patre reuelata à Filio, faciẽs hoĩes beatos, im beatiſſimos: reuelata inquam à Filio, non nouiſſimis ſæculis modò, ſed etiã, vt apparet, iam inc ab origine mundi. Filius eã reuelauit, redditurus hac cognitione nos beatos, & ad voluptates pa ternas, paternum regnum adducturus. Hic eſſe beatitudinẽ, prædicante Platone, quis erit tam ta dus, ac ſaxeus, quem non hæc cõmoueant in admirationẽ, ſemper hodiernã ſapientiam, quę nun eſt vbiq; vulgatiſſima, fuiſſe prioribus ſęculis notã, prædicatam, licet paucis? Quòd autem Plato i hac epiſtola de Filio Dei ſit locutus, & quòd non mihi primo veritas hęc affulſerit, ſunt doctiſſim Græcorum Theologi, iidemq; maximi Philoſophi teſtes, Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſe bius, Cyrillus, qui fatentur hac Epiſtola, de Filio Dei ſcripſiſſe Platonem, idq; contra Philoſopho profanos diſſerentes, & eos ſcriptis ſuorum reuincentes. E quibus Origenes contra Celſum, lib. 6 ὁ δὲ πάντα ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι κέλσος, καὶ πολλὰ τῶν τοῦ πλάτωνος παρατιθέμενος, ἑκὼν οἶμ σιωπᾷ τὸν περὶ υἱοῦ θεοῦ λόγον, τὸν παρὰ πλάτωνι λεγόμενον ἐν τῇ πρὸς ἑρμείαν καὶ κορίσκον ἐπ στολῇ, οὕτω δὲ ἔχει ἡ τοῦ πλάτωνος λέξις, Celſus autem, qui ſe omnia ſcire profitetur, multaq; e Platone profert teſtimonia, vltro, vt quidem ipſe arbitror, reticet, quæ de Filio Dei loquitu Plato, in Epiſtola ad Hermiam, & Coriſcum. Sic enim ſcribit ibi. Hæc Origenes. Eadem Euſe bius, & Cyrillus, & Clemens in Stromatis. Sed vnus Origenes ſufficit. Nam Platonicos ipſos vi debimus in progreſſu ſimilia confitentes, hacque Epiſtola pro teſtimonio duarum hypoſtaſeo vtentes. Hoc idem vidit, & protulit Vgo ſenior, valde bonus Theologus.

Ex Theologia Orphei, de Verbo diuino, & quòd ſit vox diuina: & quòd formator mundi.

Cap. XXVIII.

Princeps Theologię Gręcę Orpheus, & eius laus.

PRINCIPEM Gręcę Theologię diximus Orpheum. Nã nemo ferè ante hunc apud Gr cos memoratur. Siquidẽ ante Poetas, quos appellant Theologos, & ante Philoſopho floruit. Conſtatq; eum in Aegypto diu peregrinatũ, ab Aegyptiis Sacerdotibus Theo logiã didiciſſe, Hunc Ioannes Grãmaticus in vita Homeri vocat σοφώτατον. Eius Iu ſtinus Martyr, & Cyrillus egregiè meminerũt. In huius Theologia multa veritatis antiquę viſũtu veſtigia, quę etſi ſunt quibuſdã fabulis à ſuperſtitioſis poſtea temerata, ſepoſita tñ, ac direpta, expurgata, ſuã recipient venuſtatẽ. Nã cum & ſuperſtitionibus falſis, & cultui dęmonũ, omniq; id lolatriæ deditus antea fuiſſet, & hymnos, & odas Diis fictitijs cecinisſet (ſi tñ eius ſunt hymni, potius alterius Orphei ętate multo poſterioris) poſtea rerũ verarum ſcientia adiutus, cecinit an teactæ vitæ palinodiã, & in vnum, verumq; Deum acie defixa maieſtatẽ, diuinitatemq; eius, qu apud Aegyptios didiciſſet miris laudibus celebrauit. Hunc igitur, cùm oẽs vetuſtiſſimũ confite tur, quidamq; aſſeuerent eum diſcipulũ Moſis fuiſſe, id eſt, Muſæi, è quibus eſt Polyhiſtor (quo ipſe non affirmo) ex illa Aegyptia ſapientia, aliaq; per orbẽ ſparſa Theologia, multa ſcripſit, ve & his ſęculis admiranda. Altiſſimumque Dei Verbum ſequens celebrem famam, vocat Vocem per quam aſſerit Patrem omnia creaſſe. Scripturuſq; hæc altiſſima myſteria, ſic carmẽ inchoauit

Orpheus, vnum tandem verũque Deum agnouit.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δὲ ἀπίθεσθε βεβήλοις.

Dicam queis fas eſt, claudatur porta profanis.

Proponentur igitur quædam tantùm carmina ad fidem, vt conſenſum omnium ſęculorum agno ſcas. Apparent enim eadem apud hunc de Filio atque Platonem, Mercurium, Chaldæos, cæte roſque omnes. Ad Filium:

Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε,
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ δ' ἐπίβαινε.
Ἀτριτοῦ, μοῦνον δ' ἐξόρα κόσμοιο τυπωτὴν,
Ἀθάνατον, παλαιὸς δὲ λόγος περὶ τοῦ δὲ φαείνει,
Ὥς ἐστι αὐτοτελὴς, αὐτοῦ δ' ὑπὸ πάντα τελεῖται,
Ἐν δὲ αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράα ψυχῶν θνητῶν, νόῳ δ' εἰσοροᾶται.

Inque Dei Verbum aſpiciens, huic ſemper adeſto,
Defigens animi altas luces, perge viamque
Rectam, factoremque vnum nate aſpice mundi,
Immortalem, quem patrum fert fama priorum
Vnum, perfectumque ſibi, tum perfici ab illo
Cætera, cumque illis verſari, non tamen vllis
Cerni animis hominum, ſed ſola mente videri.

His carminibus non ſolum declaratur noſtræ nouiſſimorum ſæculorum Theologiæ dignitas,quę omni mundo illuxit,ſed confirmantur dicta Mercurij,Chaldæorum,Sibyllarum,Anaxagoræ,Platonis: cum quibus Orpheus, ipſiq; omnes inter ſe, diuino quodam inſtinctu conſentientes, Filio Dei decernunt ſummam diuinitatem,rerum creationem,hunc adorandum, ſuſpiciendum prædicantes. Chaldæus rerum cunctarum dicebat Patrem dediſſe Filio autoritatem, & creationem. Is appellatur ab Anaxagora,& Platonicis Mens. Confirmatur à Platone, & Ariſtotele. Vocatur à Mercurio non ſolum Mens,ſed etiã Verbum,genitum à Patre. Ecce igitur & apud Orpheum hæc vniuerſa. Nuncupat enim eum Verbum diuinum: Verbum declarat autoritatẽ,rationemq; creandi: diuinum oſtendit eum alterius eſſe Verbum, eius ſcilicet qui propriè, ac principaliter eſt Deus. Quem,& idem Filius,Deum ſuum vocabat. Non eripitur tamen ab vllis diuinitas Filij,ſed prædicatur,prouehitur,hortantur omnes,vt hunc agnoſcamus,ac veneremur. Deinde Orpheus appellat eum ipſum κόσμοιο τυπωτὴν, formatorem mundi. O conſenſum omnium mirabilem. Is enim eſt ſenſus vocis illorum priorum,qui Filium dicebant Mentem, dicebant ſcilicet propter formas mundi,propter decorem,ac venuſtatem,propter ordines repertos. Sola ratio dare poteſt ornatum, ſola Mens,ſola intelligentia, maxima autem, & ſapientiſſima, Omnipotensque Mens, ſummos & vniuerſales ordines. Intelligentia igitur dicebatur ab illis propter creationem,propter Chaos,è quo Mens omnipotens,tanquam origine,rudique inchoamento,ordines omnes ſapientiſſimè expreſſit. Quem ſenſum Orpheus alio ſono notiore exhibens, appellat eum τυπωτὴν, Formatorem. Idem ergo eſt Mens, atque Formator. Cuius eſt enim formare,niſi Intelligentiæ, & Mentis? Hæc omnia audiens, & reſpiciens, ac celebrans Poeta noſter, commemorato Chao, hunc ipſum,quem Orpheus Formatorem,eadem prorſus ſcientia, mundi melioris Originem vocauit. Ille inquam formator,mundi melioris fuit Origo. Mundus melior,forma cœli,& terræ,omniumque cæleſtium, ac terreſtrium. Et apud Platonem Verbum diuiniſſimum, apud Orpheum, Verbum diuinum,apud Mercurium Mens prima,generat Mentem,Verbum. Eſt apud Anaxagoram Mens digerens Chaos, & creans: confirmat lætaturque ea Plato. Eſt apud eundem Cauſa, excellenterque Cauſa. Apud Orpheum mundi Formator. Nihil ergo diſcrepat. Poſtea & hoc expreſſius carmen intonuit Orpheus,

Repetitio antedictorum.

Verbũ qd. Diuinum quid.

ὁ λόγος κοσμοιο τυπωτής.

Deus τυπωτὴς.

Ouid. 1. Metamorph.

Οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ, μεγάλου σοφὸν ἔργον,
Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην.
Te cælum obteſtor ſapiens opus omnipotentis,
Vocem te Patris adiuro,quam protulit ipſe,
Primum, conſilijs eius cum conſtitit orbis.

Verbum,& Vox nomina Filij,eademque vtriuſque ratio Iuſſus eſt, & dictus,miſſuſque ad creandum. Hic quoque patet Theologia nouiſſimorum ſæculorum,quæ confitetur creatorem omniũ Patrem,ſed per Filium. Quibus verbis is ſubeſt ſenſus,quem ſæpenumero declarauimus, Patrem eſſe tanquam iubentem,tanquam dictatorem,mittentemque Filium ad creationem,cui non ſolũ autoritatem,ſed & naturam,ac diuinitatem ſuam dedit,id eſt,genuit. Vt autem ſcimus, & prædicamus non Patrem veniſſe ad redimendum genus humanum,feciſſe res humanas,functum mortalium muneribus,ſed Filium: ſic idem miſſus eſt ad creandum,quem redemiſſet,propter quem cęlum,ac terras creaſſet,quemadmodum dicebat ipſe,& ſcimus omnes,hanc redemptionem iuſſam a Patre,peractam a Filio. Res autem eorum principaliter eſſe dicuntur, qui primi mouent,à quibus conſilium naſcitur rerum gerendarum: qui autem faciunt, ſecundæ cauſæ ſunt. Sic creatio mundi, Patris eſt,tanquam principalis cauſæ. Item redemptio dicitur ab eo facta, mittente Filium ſuum vnigenitum ad hoc ipſum. Hoc igitur mirabile eſt fuiſſe quoque priſcis illis cognitum rem ſcilicet obſcuriſſimam, quam mortales ſe ipſis agnoſcere non poſſunt. Verè enim ille dixit, Nemo nouit Patrem,niſi Filius,& cui voluerit Filius reuelare. Cognoſcere quidem,cogitareque poſſimus,aliquem fuiſſe creatorem mundi,ſed hunc habere Patrem, & eſſe diuinitatem Patrem, & Filium,non ſolum non cognoſcimus,ſed propemodum negamus,non capientes,non credentes,vnquam fieri poſſe, vt apud Deum ſit qui generet, & qui generetur. Quod Hebræi vel maximè irridentes,hi potiſſimum fuerunt,qui non nouerunt Patrem. Nam noſcunt,ac celebrant creatorem mundi,hunc in Synagogis venerantur, verum is eſt Filius Dei,quem poſtea corpore,magnitudinem diuinitatis ſuæ abſcondentem,cruci affixerunt,factum ſimilem noſtri tunc,vt nos ſimiles ſui poſtea efficeret. Ergo niſi Filius reuelaſſet,& nos ſimili in errore verſaremur. Ac certè credendum eſt eundem ipſum antiquis ſæculis Patrem ſuum manifeſtaſſe,vnde Chaldæus,Sibylla, Mercurius, Plato, Orpheus, hanc cognitionem hauſerint, qui poſtea copioſiſſimè reuelauit, oſtendens hanc eſſe felicitatem veram,vt homines intelligerent Patrem, cum Filio. Superiores Patrem cognouerunt,omnes enim patris meminerunt,credo,tam ex antiqua traditione,quàm reuelatione cęleſti. Nam Platonem quæ ſcripſit de Patre,a maioribus, vel Mercurio, vel Orpheo credendum eſt accepiſſe, Mercurio quidem & Sibyllis,& Chaldæis,tum ex oraculo cęleſti, tum antiquiſſimis ſucceſſionibus innotuiſſe. Siquidem is idem Orpheus meminit antiquæ famæ, fe- ntus perfectiſſimum eſſe,nulliuſque indigentem hunc mundi creatorem,omnia circumeuntem

Officium filij,creare mundum & redimere.

Matt.11.

Hebręi,nõ nouerunt patrem.

Superiores patrem nouerant.

Tria nomina Filii Dei, apud Orpheum

Videmus animis lōge plura, quàm oculis.

Deus, ens, ὁ ὤν.

Perfectio, & ipſum eſſe, idem.

Iehouah, Hebræis quid.

regentem, ſuſtinentemq́;, qui ſola mente, cogitationeque puriſſima videatur. Ergo à fama priſca hæc deſcendentia referebat, affirmabatq́; Orpheus. Videmusq́; hic non ſolum ipſam Theologiam, ſed clarum etiam Orphei teſtimonium de ea à maioribus deſcendente. Fama igitur erat antiqua de eo, qui cum eſſet ipſe perfectiſſimus, ab eo perfecta omnia fuerint. Ea enim fuit cauſa, cur cætera ipſe abſoluerit, perfectiſſimeq́; creauerit: quia perfectiſſimus ipſe, & omni poteſtate, viribusq́; inſtructiſſimus. Triaque ſunt nomina Filij apud Orpheum, totam Theologiam continentia, θεῖος λόγος, τυπωτὴς, αὐτοτελὴς, Diuinum Verbum, Formator mundi, per ſe, vel à ſe perfectus. Quibus & ſumma diuinitas eius, & mundi creatio apertiſſimè deſignatur. Deinde Orpheus tria de eodem dicit ad profundam Philoſophiam ſpectantia. Primum, quòd idem per conditas à ſe res verſatur, regens ſcilicet, & gubernans eas, vt Philo declarabat, tum quòd eius per omnia conuerſio, & aſſiſtentia eſt inuiſibilis, quæ noſtris oculis videri nequeat: poſtremò quòd ſola mente, ſola ratione intelligatur. Nunc enim, etſi oculi corporei non cernunt, at mens eò peruenire debet. Plura.n. animis cernimus, quàm oculis corporeis. Videre per animos partim ratio dicitur, partim fides. Hæc Orpheus, & alia complura, de diuinitate Filij. Sciendumq́; nomen αὐτοτελῆ, eſſe idem atq́; quod habetur apud Moſen, αὐτοὼν, per ſe exiſtens, primus exiſtens, & a nullo exiſtens. Id enim eſt, quod indicauit Moſi, Ego ſum, qui ſum, quod Græcè ὁ ὤν, Ille qui præſtanter eſt. Articuloque indicatur excellentia, polletq́; idem αὐτὸς, atque articulus ὁ. Pronomen indicat principium, originem, articulus excellentiam. Idem verò eſt, & is qui per ſe exiſtit, & qui habet hoc ipſum abſolutiſſimè, præcipuè, primò. Porrò autem idem ſunt αὐτοτελὴς, αὐτοὼν, per ſe perfectus, per ſe exiſtens. Idem enim ſunt, perfectio, & ipſum eſſe. Quare qui a ſe exiſtit, a ſeipſo eſt perfectus. Quocirca idem dicit Orpheus, atque Moſes. Illum quoque euidentiſſimè ſequitur. Appellat hoc nomen αὐτοτελῆ, Orpheus Filium Dei, vt clarum eſt. Cum autem idem ſint, per ſe perfectus, atque per ſe exiſtens, efficitur, vt quem Moſes vocauit per ſe exiſtentem ὁ ὤν, ſit is, quem Orpheus per ſe perfectum. Is autem eſt Filius Dei apud Orpheum, idem ergo apud Moſen, cum ait, Ego ſum, qui ſum. Dionyſius quoque Areopagites Filium Dei vocat τὸ ὄν. Id quoque ſciendum eſt, nomen quatuor litterarum apud Hebræos Iehouah, ſonare hunc ipſum, quem Orpheus Græcè dixit αὐτοτελῆ. Etenim illud nomen deſignat eum, qui eſt, eaq́; eſt omnis vetus Philoſophia, vt videbitur: ac prorſus, quod ipſi Græciæ Philoſophi τὸ ὄν, quod eſt, vocabant. Siquidem eſt verbum ſubſtantiale, apud Hebræos haiah, à quo fit nomen quatuor litterarum, ſonatque exiſtentem. Quem ſenſum autem id habeat, Orpheus pulcherrimè Græcè ſignificauit. Apud omnes igitur eſt celebris Filius Dei. Teſtatur autē Iuſtinus Martyr idem & Philoſophus, in Apologetico, Verbū Dei cæli, & terræ creatorem Orpheū cognouiſſe, ſicut nos, inquit, prophetiæ ſanctorū docuerunt, ὡς ἐν μέρει καὶ αὐτὸς ἐν τῇ αἰγύπτῳ προσχὼν, ἔγνω, ὅτι διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, πᾶσα ἐγένετο φύσις: Quibus cum idem ex parte ſe tradidiſſet in Aegypto, cognouit ꝙ per verbum Dei omnis extitit creatio.

Alia quædam ex Philone Iudæo, de Patre, & primogenito Filio, qui ſit verbum eius, creator mundi, hominis archetypum: & quòd Pater ſit eminentiſſimus, Filius lex, & moderamen mundi, princeps Angelorum, coæternus Patri. Cap. XXIX.

Qvae hucuſque locutos maiores vidimus, ita ſe inuicem corroborant, facemque præbent, & lucem, vt qui velit aliquod eorum dimouere loco, totam neceſſe ſit ei conſecutionem reſcindere. Certa enim ſunt ſcripta Platonis, & Ariſtotelis, qui & ſua, & maiorum dicta confirmant. Sed arbitror neminem fore cui minus fidelia, & credibilia hæc videantur, clariſſima luce, omniumque ſcriptorum indiſſolubili concordia ſe offerente. Referam igitur quædam alia ex eodem inſigni Philoſopho Philone Iudæo, vt totus inter ſe ſit aptus narrationis ordo. Nam magnis ſemper viris hæc admirationi fuere. Is igitur in opere, cuius inſcriptio eſt, Quæſtiones, & ſolutiones, in hunc modum quærit ſuper illum ſcripturæ locum Geneſis capite ſecundo. Ad imaginem Dei fecit illum, διὰ τί ὡς περὶ ἑτέρου θεοῦ φησὶν τὸ, ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' οὐχὶ τῆς ἑαυτοῦ, παγκάλως καὶ σοφῶς τοῦτο κεχρησμῴδηται, θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω, καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον θεὸν, ὅς ἐστιν ἐκείνου λόγος, ἔδει γὰρ τὸ λογικὸν ἐν ἀνθρώπου ψυχῇ τύπον ὑπὸ θείου λόγου χαραχθῆναι, ἐπειδὴ ὁ πρὸς τοῦ λόγου θεὸς κρείσσων ἐστὶν, ἢ πᾶσα λογικὴ φύσις, τῷ δὲ ὑπὲρ τῶν πάντων ἐν τῇ βελτίστῃ, καὶ τινι ἐξαιρέτῳ καθεστῶτι ἰδέᾳ οὐδὲν θέμις ἦν γεννητὸν ἐξομοιοῦσθαι. Quæ ſunt, Quamobrem tanquam de altero Deo dicit, Ad imaginem Dei fecit hominem, non potius ad imaginem ſui? Præclarè, & ſapienter id dixit oraculum. Neque enim fieri potuit, vt vlla res creata ad ſimilitudinem altiſſimi, omniumq́; Patris effigiaretur. Ergo ad ſecundum Deum, qui eſt Verbum eius. Debuit enim forma rationalis in animo hominis, à Verbo diuino formari. Quandoquidem Deus, qui eſt ante Verbum, melior, ac celſior eſt omni creatura rationali. Nam cum in optima, ac ſeparata ſit Idea conſtitutus, non erat fas quicquam creatum ei aſſimilari. Hæc Philo. Quibus nihil de Patris, ac Filij diuinitate clarius, apertius, nihil magis Theologicum, profundius: vt a Chriſtianis expectare meliora propemodum non liceat.

Deus ſecūdus, Verbum Philoni.

Audite Hebræi gens ferrea,& tandem caligine graues oculos attollite: audite inquam doctiſſimũ ac diſertiſſimum gentis veſtræ ex Geneſi,ex veſtris inquam litteris colligentem demonſtrantemque Patrem,ac Filium,quem iuxta Chriſtianorum Theologiam,& ſuperiorum omnium,quos adduximus,vocat Verbum: Ad cuius imaginem,vt Chaldæus,& Mercurius dixerant,aſſerit hominem creatum: Tum ipſum Verbum imaginem altiſſimi Patris. Quid Paulus aliud? qui,cum ſit,inquit,imago,radius,& character ſubſtantiæ Dei. Audiant inquam Hebræi virum maximum,& inter eos nemini,vel Rabbenis illis,quos adorant,ſecundum,teſtantem hominem à Filio,& Verbo Dei creatum: vt veriſſimam rationem intelligant,cur ſit ab eodem redemptus. Doceret enim eos Philo,nefas fuiſſe, vt Pater veniret in mundum, ſicut nefas eſſe conuincit, vt ad Patrem homo crearetur. Filium autem eo munere perfunctum, tanquam minorem, & quo Pater tanquam miniſtro,& nuntio ſuo vtatur,ſicut perhibet alibi idem Philo. Proh Deum immortalem,quis hęc homini reuelauit? quis ad hæc Theologiæ adyta eum intromiſit? Qua naui ad pelagus iſtud penetrauit? An quia Platonicus erat,videratq́; copioſiſſimas quaſdam apud Mercurium, reliquosq́; antiquiſſimos Theologos diuitias,vnde Platonis illa fuerant decerpta? Deinde eo tẽpore floruit quo iam per totum orbem coruſcabat Euangelium. Sunt autem in his verbis altiſſima, profundiſſima myſteria. Non poteſt altiorem Theologiam loqui os humanum. Cõſidera enim quàm intimè cauſam introſpexit,cur per Filium,Verbumq́; diuinum ſint omnia creata. Id enim obſtupeſco, quonam duce perceperit,Filium ad creationem,adminiſtrationemq́; rerum fuiſſe miſſum, & vt conſentiat cum Euangelio, dicente eodem Filio de ſe ad Patrem, Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Intellexerunt omnes Patrem eſſe primam cauſam, alterius Sapientiæ genitricem, cauſam altiſſimam,à rebus creatis remotiſſimam,inter eam, & res creatas filio intercedente, quam nefas ſit ipſam per ſe ad res ingredientem agere,ſeſeq́; immiſcere,habentem medium per quem operetur. Nam quod de creatione dictum eſt à Philone,etiam de toto mũdo eſt verum: vt quemadmodum non debuit ad Patrem homo creari,Filijque creatio eſt,ſic totius mundi creatio eiuſdem eſt. Quapropter altiſſimè,& ex profundiſſima Theologia idem Philo in libris de Agricultura, verba diuina,aureis litteris deſcribenda,vt ſuperius viſum,effatus, ταῦτα δὲ πάντα ὁ ποιμὴν καὶ βασιλεὺς θεὸς ἄγει κατὰ δίκην. νόμον προστησάμενος τὸν ὀρθὸν, τὸν αὐτοῦ λόγον. καὶ πρωτόγονον υἱὸν ὡς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης τάξεως οἷα τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. Quæ ſunt, Hæc omnia ducit ac gubernat aptiſſimè Paſtor,& Rex Deus,Præfecto,tanquam lege recta, Verbo ſuo,& primogenito Filio,qui hanc ordinis ſacri adminiſtrationem, tanquam ſummi Regis magiſtratus ſuſtinet. Hæc item maxima myſteria religionis Chriſtianæ. Audire propemodum eſt ipſum Paulum. Magna quippe vis veritatis, ſemperq́; magnorum virorum ſententiæ ſunt inter ſe concordes. Audiſti Filium Dei primogenitum,audiſti Verbum, audiſti rectorem,legemq́; mundi à Patre conſtitutum. Illi rerum gubernandarum prouinciam creditam,eum eſſe tanquam Dei magiſtratum,nuntium, exequutorem voluntatum paternarum. Mundum quoque audiſti regi à Patre, Primogenitum ſuum huic gubernaculo adhibente. Regitur ergo mundus a Patre per Filium ſuum,ſicut regnum à rege per magiſtratus. Pater autem,qui Filium ſuum amat vnicè,& ſingulariter,imò omnipotenter,ſicut omnipotens eſt,nõ inuidet filio ſuos honores,ſed ei dedit omne regnum viſibile,& inuiſibile,eumq́; pręfecit vniuerſis,Filium inquam ſuas delitias,in quo amãdo,viciſſimq́; Filius amando Patrem,æterna voluptate,gaudiisq́; incõprenhenſibilibus perfruuntur. Audiant deſperatiſſimi Hebræi,& cognoſcant ex ſuis litteris, ex autore ſuo grauiſſimo, nunc toto terrarum orbe adorari,& coli eum,qui ſe vnicum Dei Filium,& Verbum,& Miſſum, & Nũtium prædicabat, Omnia Patri,tanquã genitori,ac maiori ſemper aſcribens,domino,ac fonti ſuo, æ origini,& cauſæ diuinitatis ſuæ. Nam quanquam omnia,quæ habet Pater, Filius item habet, amen Pater à nemine largita,à nemine accepta habet,Filius eadem,ſed à Patre. Fons ille & largi or,& lux,primaque cauſa,Filius radians ex illa luce, lux æterna, ex æterna luce. Hæc dicuntur à Philone,genere Iudæo,profeſſione Platonico,i. Platoni,Platoniciſq́; ſimili,nato ſub Tyberio,ſub Claudio Philoſophãte,Apoſtolorum tẽpore,ante Plotinũ,Amelium,Porphyrium,Proclum,Damaſcium,æquali ferme Numenio,apud quos ſimilia inueniuntur. Is ſi nunc videret gentis ſuæ cæ itatem,ac pertinaciam,eam,credo,vt plerique ex illa gẽte probatiſſimi viri, defleret,& coargue et. Extant apud ſuperiores Theologos,quibus tota Theologia comprenditur,hęc nomina Filij, Verbum,Mẽs,Opifex,cauſa,addidit ad hæc Philo,Primogenitus,Filius,lux mundi, Gubernator, Græcè hæc omnia, λόγος, νοῦς, δημιουργὸς, αἴτιον, πρωτόγονος υἱὸς, ὕπαρχος. Quæ cum apud vete s,ac nouos omnes Philoſophos habeantur,Platonem,Ariſtotelem,Anaxagoram,Chaldæos,Si yllas,Mercurium,Orpheum,omnem Platonicam gentem, apparet totam de Filio,quæ nunc co ur,ac celebratur, Theologiam cognitam, confeſſam, adoratam, prædicatam, antequam ipſe eret homo. Perhibet item Philo, nihil eſſe, quod mundum ſuſtineat, ne diſſoluatur, niſi Ver um Dei æternum, hoc eſſe omnium rerum vinculum firmiſſimum, ac ſtabiliſſimum, quod à mediis ad extrema, & ab extremis ad media pertinens, æternum, indefatigabilemque regat aturæ curſum. Eum enim genitorem conſtituiſſe vinculum indiſſolubile Vniuerſi. Iure igi r, inquit, neque terra ab omni aqua alluetur vnquam, quæ ſinu continetur eius, neque ab re extinguetur ignis, neque ab igne inflammabitur aer, Verbo diuino omnia dirimente,

Heb. 1.

Mirum,tã euidenter de Deo filio loquutum eſſe Philonem

Ioan. 17.

Mundus à patre regitur per filium.

Matt. 3.

Filius dei, Verbum, Nuncius.

Quo tpe Philoſophatus eſt Philo.

Nomina Filij, apud theologos veteres.

Verbo mũdus ſuſtinetur.

quaſique elementis in animis imperante. Vt vniuerſum, ex diuerſis partibus, ſuauem efficiat harmoniam. Hæc in ſecundo de Agricultura. Eadem item in libro de Mundo. Quo loco obſeruandū eſt perperam legi in impreſſis codicibus νόμος, pro λόγος. Nam liber ille multis in locis mendoſus eſt. Eandem præterea ſententiam repetit in libro de Agricultura, quo loco eſt, λόγος. Eſt locuples teſtimonium, eum locum eſſe deprauatum, ꝙ ibidem ſcribit: δεσμὸν γὰρ ἄῤῥηκτον τοῦ παντὸς ὁ γεννήσας ἐποίει πατήρ. Vinculum.n. vniuerſi indiſſolubile genitor eius Pater fecit. Quod de lege non quadrat, ſed Verbo, quod à Patre generatur Rurſus in opere, quod inſcribit, Quòd malum ſoleat inſidiari bono, hæc ait: Decet, inquit, eos, qui cum ſcientia fędus inierunt, affici deſiderio videndi, τὸ ὄν, Id quod eſt. Quòd ſi nō detur, ſaltem imaginem eius ſacerrimam, Verbum. Tum ſi quis nōdum dignus habitus ſit, vt Filius Dei appelletur, ſtudeat ſaltē aſſimilari primogenito eius Verbo, qui eſt ante omnes Angelos, Angelorumq́; tenet principatū, multiſq́; nominibus appellatur. Etenim vocatur Principium, & Id quod eſt (Nomē.ſ. tetragrammū, vt reor ſentire Philonem) & Verbum, & Homo ad imaginem, & Videns, & Iſrael. Eoq́; prouectus ſum paulò antè, vt laudarem virtutes eorum, qui dicunt, ꝙ omnes ſumus filij vnius hominis. Etenim ſi nondum eò peruenimus, vt ſimus filii Dei, ſaltem æternæ ſimus Imaginis eius. Dei enim imago eſt Verbum æternum. Audiui autem quendam ex amicis Moſis efferentem tale oraculum, Ecce homo, cui nomē eſt Oriēs. Noua quidem nuncupatio, ſi videlicet de eo dici putes, qui conſtet ex animo, & corpore. Verum ſi de incorporeo illo, diuinam Ideam ferente, tum vera fateberis, rectiſſimum, ac ſignificantiſſimū illi nomen inditum Oriens, vel Ortus, ἀνατολή. Hunc.n. æternum Pater omnium genuit, quem alibi Primogenitum appellauit. Ipſe autem, qui genitus eſt, vias paternas imitans, & ad exemplaria eius originaria reſpiciens, ſpecies formauit. Quòd ſi quis velit nudius, atque expeditius vti nominibus, nihil aliud dicat mundum intelligibilem, quàm Verbum Dei, iam mundum creantis. Nam ſi homo, qui eſt pars mundi, ad imaginem eius factus eſt, multo magis totus mundus. Eſt ergo Deus, Verbum, Idea, Idearum Archetypa, hoc eſt, originaria. Ac Moſes cum dixit, In principio creauit Deus, non vt plerique arbitrãtur temporis principium reſpexit: neque enim erat tempus ante mundum, ſed aut cum ipſo fuit, aut poſt ipſum. Quòd ſi principium temporis Moſes illic nō reſpexit, neceſſe eſt dicere principium ſecundum numerum, vt In principio creauit, ſit perinde ac ſi dixiſſet, primum creauit cęlum. Primum igitur, inquit Philo, ipſe creator, creauit cęlum incorporeum, & terram inuiſibilem, & Ideam aeriam, & vacuum. E quibus aliud quidem appellauit Tenebras, quandoquidem magnus eſt aer natura, hanc autem id eſt Ideam aeriam, Abyſſum, profundum enim eſt vacuum, & propè infinitum. Deinde aquæ incorporeæ ſubſtantia eſt, & ſpiritus. Tum ſeptimi ſuper omnes luminis. Quod & ipſum erat incorporeum, & intellectuale, Solis exemplar, omniaque in cęlo aſtra luminoſa erat facturum. Priuilegium autem ſpiritus, & lumen ſunt ſortiti. Spiritum enim dixit eſſe Dei, quia vitaliſſimus ſit ſpiritus, vitæ autem Deus autor. Porrò lumen, quia excellens pulchritudo, tãto intellectualis ipſa, viſibili clarior, & lucentior, quanto ſol tenebris, dies nocte, mentis iudicium, quæ eſt totius animæ principatus, oculis corporeis. Illud ergo inuiſibile, & intelligibile lumen Verbi diuini fuit imago, generationem eius interpretantis. Et eſt ſupercęleſtis ſtella, fons viſibilium ſtellarum, quam non ab re appellaueris ἀπαύγειαν, i. cuncti luminem, vel luminoſitatem, à qua Sol, & Luna, cæterique errones, & ſtellæ fixæ accenduntur, quatenus cuique potuit ex puriſſimo, ac ſyncero lumine largiri, vbi ſe vertere cępit ſecūdum lumen intelligibile, ad viſibilis mutationem, i. fieri lumen viſibile ex inuiſibili. Nihil eſt enim eorum quæ ſunt in ſenſu, purum. Igitur incorporeus mundus iam finem habuit ſtabilitus, ac firmatus in Verbo diuino. Hæc Philo, quæ nos fideliſſimè vertimus è Græco. Eadem & ab Euſebio proferuntur, ſed à nobis præteriri non debuerant, nec erubeſcendum nobis putauimus, in vnum corpus reuocare, quæ ſparſa locis multis eſſent. In his igitur mirabiliſſimè prædicat, agnoſcit Verbum diuinum, ſcit quam vim habeat, vt meliora vix apud Theologos Chriſtianos reperias. Omnes ſunt præcones Verbi diuini, veteres, & noui, ſed hic apud Philonem, ſtupenda, eoq́; magis miramur, ꝙ non facilè attigimus, vnde hæc proficiſcantur, an ab antiqua Theologia, an quòd florente noua, is quoque floruerit, quem ſcribunt cum beato Petro Romæ locutum. Agnoſcit ergo Verbū diuinum, vocat primogenitum, creatorem, æmulum, vel imitatorem paternę Sapientiæ. Siquidem & idem Filius, Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. Vocat orientem, totamq́ue hanc Theologiam colligit, vel illuſtrat ex Moſe, & Prophetis, oſtendit per Filium omnia creata, Patris imaginem, exemplar autem & Ideam rerum creatarum, vt Pater ſit exemplar, & Idea originaria Filij, Filius autem Idea & λόγος, id eſt, ratio rerum creatarum. Inter Patrem & res creatas maximum Verbum intercedat. Fontem autem omnium rerum, & omnis lucis eundem dicit, vias paternas imitantem. Nanq; & idem in Euangelio, Filius nihil facit, niſi quod viderit Patrem facientem. Nihil ſublimius poteſt memorari, non valet vlterius cogitatio penetrare. Dictum eſt à Philone, quicquid apud Mortales de diuinitate Patris, ac Filii dici potuiſſet. Sola ſupereſt gratiarū actio, vt laudemus Ieſum Chriſtum, Deum noſtrum, Verbum Dei æternum, Sapientiam, Creatorem, qui ſuam oculis humanis ignotam veritatem reuelauit, eamq́ue ita patefecit, vt poſſet cognoſci, & adorari, quem agnoſcentes, ſimul agnouimus fontem diuinitatis ſuæ Patrem, eumq́ue cum ipſo ſapientia eius adorauimus.

Verbum, imago τοῦ ὄντος.

Nomina Verbi plura.

Mundus intelligibilis, Dei Verbū

Supercælestis ſtella.

Philo, cum beato Petro loquutus Romę.

Ioan. 5. 6. &c.

Teſtimonium de Patre, ac Filio, ex Numenio Pythagoreo: & quòd Pater ſit primus, Filius ſecundus: & quòd Filius agat omnia, Pater iubeat: & quòd Pater ſit ipſum Bonum. Cap. XXX.

NVMENIVS, vt dixi, inter Pythagoreos Philoſophos inſignis, cuius Porphyrio teſte ſtudioſè legebat Plotinus libros, quiq; apud Platonem Philoſophiam Moſis credidit eſſe, dicens non aliud eſſe Platonem, niſi Moſen Attica lingua loquentem, is inquam, ſiue quòd priſcorum ſententias teneret, præcipuè omniũ, quos produximus, ſiue ꝙ in Moſe, vel Platone, vel certè Philone aliquid eiuſmodi vidiſſet, ſiue ꝙ poſt Chriſtum natum floruerit, multa dixit de Patre, ac filio, duas eos Cauſas, duosq; Deos appellans: Primum, ſ. ac ſecundum, vt Philo, vt Plotinus, ſed Deum Patrem cauſam filij, Filium autem cauſam mundi aſſerens: eodem videlicet ordine, atque ſuperiores omnes. Afferentur in medium aliquot verba Græca, reliqua fideliſſimè reddentur: ὁ θεὸς ὁ μὲν πρῶτος, ἐν ἑαυτῷ ὢν ἐστὶν ἁπλοῦς, διὰ τὸ ἑαυτῷ συγγενόμενος δὶ ὅλου, μήποτε εἶναι διαιρετόν: δεύτερος καὶ τρίτος ἐστὶν εἷς, καὶ γὰρ οὔτε δημιουργεῖν ἐστὶν χρεὼν τὸ πρῶτον, καὶ τοῦ δημιουργοῦντος δὲ περὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ χρὴ εἶναι νομίζεσθαι πατέρα τὸν πρῶτον θεόν. Deus Primus, inquit, in ſe ipſo quidem exiſtens, eſt ſimplex, propterea quòd ſemper ſecum eſt, nunquamq; eſt diuiduus: Secundus & Tertius, eſt vnus. Etenim neque operari oportet Primum, & de opifice Patre, ac Filio oportet arbitrari, Patrem primum Deum. Quid ſentiat Numenius, multis aliis locis indicat. Sic enim addit: Si igitur de Opifice quæſierimus, dicentes eum oportere priorem exiſtentem, ſic facere, habet præclarè. Iſq; rationis aditus. Si autem de Opifice non ſit ſermo, ſed de Primo quæratur, ea quæ dicta ſunt conſecro, & ſancta ſtatuo. Ac ſint ea quaſi arcana, & non pandenda. Tranſeo igitur, ad capiendam rationem, aliunde eam venatus. Anteaquam tamen ſermonem ingrediamur, confitendum nobis eſt rem haud ambiguam, Primum ſcilicet Deum, ac Regem, vacare ab omni opere. Deum autem opificem, imperare per cęlum euntē. Sunt autem hæ vitæ, alia quidem primi, alia ſecundi Dei. Nam primus Deus erit ſic. Secundus autem è conuerſo mouetur. Primus inquam circa intelligibilia, Secundus circa intelligibilia, & ſenſibilia. Neq; verò admireris ea, quæ dixi. Multo enim audies mirabiliora. Nam pro motu, qui ineſt Secũdo, dico quietem ineſſe primo, motum cognatum, propinquum à quo & ordo mundi, & perſeuerantia æterna, & ſalus in omnia refunditur. In ſexto autem libro Numenius ſic ſcribit, Quoniam autem ſciebat Plato apud homines, ſolum Opificem eſſe notum, primam autem Mentem, quæ vocatur Pater, omnino ignorari, ob id eo modo eſt locutus, ac ſi quis diceret, O homines quem vos arbitramini Mentem, nõ eſt prima, ſed altera eſt ante hanc prior, ac diuinior. Et rurſum, Gubernator quidem in medio pelago vectus, ſuper gubernacula ſtans celſa in puppi, temonesq; tenens, nauim flectit, ac regit, oculi autem eius, & mens verſus ęthera, ad ſublimia reſpiciunt. Idem Numenius in libro de Bono, Etenim, inquit, ſi opifex Deus, eſt generationis principium, bonum neceſſe eſt ex proportione eſſe principium eſſentiæ. Huius autem ex proportione imitator eſt Deus opifex. Subſtantiæ verò reſpondet generatio, tanquam imago eius, & imitatio. Si igitur Mens ſecũda, eſt opifex generationis, bonum erit ipſius eſſentiæ opifex, per ſe bonum eſſentiæ innatum. Nam Secundus duplex exiſtens per ſe facit & Ideam ſuam, & mundum, cum ſit Opifex. Primus igitur Deus eſt per ſe bonum, huius autem imitator Opifex bonus. Hæc omnia dicit Numenius, obſcurius quidem propter res obſcuras, & modum loquendi Philoſophorum. Vidimus præclara multa, Patrem, ac Filium, primam & ſecundam Mentem, quo Chaldæorum dicta confirmantur, clareſcunt, primam Mentem procreatricem, genitricemq; ſecundæ, ſecundam opificem, & creatricem mundi, imitantem primam. Vidimus Patrem appellari per ſe bonum, Filium autem Mentem mundi opificem, imitatoremque Patris, Patrem vacare ab omni opere, Opificem, ac Regem per omnia tendere. In Euangelio Ioannis eadem Mens dicit, Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Platonem dicere, homines credere hunc Opificem, Patrem autem ignorare. Crediderunt ſcilicet, & ſenſerunt homines, Platone teſte, Filium Dei, id eſt, Opificem mundi, Pater autem erat ignotus. Apparet igitur omnibus ſæculis noſtram viguiſſe Theologiam. Siquidem Numenij teſtimonio perſpicitur veriſſimum eſſe, antiquos ſcripſiſſe, & tradidiſſe, quæ ſuperius admirati ſumus. Sunt enim eadem hæc, atque illa. Ex his enim Numenij dictis panditur quoddam ſacramentum, quod in noſtra quoque Theologia ſæpiſſimè refertur, eum, qui apud Moſen ac Prophetas, creator cęli, ac terræ, ſator hominis, legiſlator, generis humani gubernator, & rector memoratur, quique cum patribus olim loquebatur, apparebat, Angelos ad eos mittebat, fuiſſe Filium. Nam Pater, ait Plato, & Numenius, erat obſcurior. Fallebanturq; mortales, credentes mundi, & humani generis autorem eſſe primum illud, eminentiſſimumque principium. Erat, inquiunt, is Filius, & Mens ſecunda, cui Pater contulit omnem diuinitatem. Eoque vocat Verbum eius, id eſt, locutio, autoritas, miſſio, magiſtratus. Pater erat obſcurior, ac niſi Filius reuelaſſet, ſiue per oracula & prophetas, ſiue per ſucceſſionem, ſiue nouiſſimè præſentia ſua, nunquam eum mortales in animum inducere potuiſſent. Pater, vt ſupremus, eſt vacans, Filius operans. Hinc omnes animaduertent eandem eſſe Philonis, Numenij, Plotini, Theologiam, vt alter ab altero didicerit.

Numenij Pythagorei laus.

Deus pater, cauſa Filij: Filius cauſa mundi.

Mens ſecũda opifex.

Ioan. 5.

Filius mẽs ſecunda.

Ex Amelio, de Verbo diuino æterno, pòſt homine facto: Et quòd Amelius teſtimonium Ioannis protulerit: Heraclitumque etiam de Verbo fuiſſe locutum. *Cap.* XXXI.

AMELIVS nec ipſe inter Platonicos non illuſtris, omnium, quæ præceſſerunt, præcipuus, ac nobiliſſimus eſt teſtis. Ac veritas harum rerum, quas hoc opere diſſerimus, eo eſt irrefragabilior, quòd per ſucceſſionem hominum, ac ſeculorum eſt roborata, ab omni ætate prædicata, cõfirmata. Nam præter id, quod ſuperius dixerant omnes, etiam cum teſtimonio Amelij, ſequitur teſtimonium Heracliti de Verbo Dei. Sic autem ait: *καὶ οὗτος ἄρ' ἦν ὁ λόγος, καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα, τὰ γινόμενα ἐγίνετο, ὡς ἂν καὶ ἡράκλειτος ἀξιώσει, καὶ νὴ δία ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ, ἐν τῇ ἀρχῆς τάξει τε, καὶ ἀταξίᾳ καθεστηκότα πρὸς θεὸν εἶναι, καὶ θεὸν εἶναι, δι' οὗ πάντα ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ τὸ γενόμενον, ζῶν, καὶ ζωὴν καὶ ὂν, πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον, φαντάζεσθαι ἄνθρωπον, μετὰ τοῦ καὶ τηνικαῦτα δεικνύναι τῆς φύσεως μεγαλεῖον, ἀμέλει καὶ ἐναλυθέντα, πάλιν ἀποθεοῦσθαι, καὶ θεὸν εἶναι, οἷος ἦν πρὸ τοῦ, εἰς τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῆναι*: Atq; hoc certè, inquit Amelius, erat Verbum, per quod ſemper exiſtens, ea quæ ſunt, facta fuerunt, ſicut Heraclitus cenſet, & per Iouem, quod Verbum Barbarus ille exiſtimat in ordine, & confuſione principij ſtans, apud Deum fuiſſe, & Deũ fuiſſe, per quem in vniuerſum cuncta ſunt facta: in quo quod factum ſit, fuerit viuens, & vita, & Ens: tum in corpora lapſum carnemq; indutum, hominem apparuiſſe, oſtendens etiam tunc naturæ ſuæ magnitudinem. Omninoq; reſolutum, rurſum deificatum, Deumq; extitiſſe, qualis item fuiſſet, anteaquam in corpus, & carnem, & hominem deſcendiſſet. Hæc ait Amelius, vir à Chriſtiana quidem religione alienus, ſed qui principia Chriſtianæ ſapientię & nota habuit, & approbauit. Non ſolũ in eo maiores ſuos, Græcosq; Philoſophos ſecutus, ſed noſtros item, præcipuè Diuum Ioannem, quem Barbarum appellat, ꝙ eſſet Hebræus. Cuius totũ aſſerit Euangelium, quo de Verbi æternitate, & rerum creatione per ipſum, eiusq; in carnem deſcenſu philoſophatur. In carne ait eum magnitudinem diuinitatis ſuæ demonſtraſſe, nihilq; de ſua maieſtate amiſiſſe: creaſſe omnia in ordine, & confuſione: ordinem dicit ipſum mundum creatum: *ἀταξίαν*, i. inordinationem, ipſum Chaos, quod ordinem anteceſſit, vt eſt apud Platonem. Aderat, inquit Amelius, hoc Verbum, quando ex inordinatione factus eſt ordo. Ipſe enim fuit cauſa, ipſe moderator. Erat in illo exordio: eratq; ſequeſter inter ordinem, & confuſionem, tuncq; etiam fuit cum Deo, eratq; etiam ipſe Deus. Hæc omnia reperta apud Barbarum Amelius miratur, laudat, probat, exclamans, & deierans per Iouem, hoc illud eſſe Verbum, per quod omnia facta fuerint. Audite quæſo omnes, non enim leui de re eſt ſermo. Autore, & teſte Amelio, illud Verbum de quo Plato, & ante eum Heraclitus locuti fuerant, eſt illud Verbum, per quod omnia ſunt creata, & de quo ſcripſit in principio Euangelij ſui Ioannes, quem Barbarum Amelius vocat, i. non Græcum, ſed quaſi Aegyptium, Chaldæũ, vel Hebræum. Quemadmodum Plato dicit philoſophiam à Barbaris veniſſe ad Græcos. Omnes. n. qui non eſſent Græci, Barbaros vocare ſolebant. Videte concordiam totius veteris, àc nouæ Philoſophiæ, non me, ſed ipſis Philoſophis ſequeſtris, & arbitris, aſſerentibus Verbum à Chaldæis, Mercurio, Orpheo, Heraclito, Platone celebratum, illud eſſe per quod ſint omnia creata, & quod poſtea carne aſſumpta homo viſus fuerit, Nec imminuta in eo diuinitas eius fuerit, ſed mirabilis in eo apparuerit, & & qualis, quantusq; quondam. Coniungunt igitur dexteram, ſeſeq; exoſculantur, vetus, & noua Theologia, & ſæculorum interuallis diſiunctæ, redeunt, ipſis philoſophis autoribus, ad amplexũ, mutuoq; copulantur, & per manus philoſophorum ducitur in ſacrarium, domiciliumq; ſuum veritas, cuius certum, verumq; domicilium, eſt nouiſſimus is aduentus eius, ad quem omnia reſpondent. O beata palam tempora, quibus veritas hęc, hæc Theologia manifeſtiſſima de cœlo refulſit, quam Philoſophi videbant, & non videbant. Occurrebat oculis, ſed quia non erat, quantum poſtea luminoſa, totaque lucis ſuæ flumine prorumpens, rurſum oculos eorum deluſos, in quadam caligine relinquebat. Eadem igitur eſt vetus, ac noua Theologia, nec alium adoramus Deum autorem principemque generis humani, atque illi. Siquidem & Plotinus affirmat ſermones hos, nũc de magnis his principiis habitos, de Verbo, de Imagine ſummi boni, de prima Cauſa, de Opifice, non eſſe nouos, ſed longè antiquiſſimos, quæ nunc à nobis dicãtur, eſſe quaſi interpretationes eorum. Veriſſima profectò dixit. Hæc enim nouiſſima Theologia, reſcidit velum, omniaq; quæ laterent, patefecit, omnem caliginem diſtulit. Quocirca cum ſint hæc non noſtra ſolum prædicatione, & profeſſione manifeſta, ſed ipſorum quoque Philoſophorum teſtimonio probata, non video, quid Philoſophiam à Theologia diſiungat. Nam neq; Ariſtotelem, quem ſuorum maiorum Theologiam admirantem ſæpe reperies, poſſumus ab iſtorum conſortio, ſi iudices æqui voluerimus eſſe, ſeiungere. Quod iudicium viris doctiſſimis relinquam. Declarabo ipſe ex parte, vbicunque res & vſus poſtulabit. Conſtat, quàm fallantur, hallucinentur miſeriſſimi Hebræi, quos equidem ad hæc aſpicienda inuitarem, niſi ſcirem eos dare operam, vt perpetuò cum ratione inſaniant, & quibus imperitia, malitiaque reddat incognitam, & ingratam omnem veritatem.

Amelius Platonicus.

Vir non Chriſtianus, principia chriſtianæ ſapientiæ approbauit.

Chaos ordinem anteceſsit.

Barbari, q & à qbus nũcapati.

Vetus & noua Philoſophia, cõſentientes.

Noua theologia detexit quæ latebant in vetere.

Hebręorũ cæcitas & malitia.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER SECVNDVS.

De Theologia antiquorum teſtimonium Ariſtotelis, exemplaque ex alijs quàm ſint veneranda, ac ſuſpicienda. Cap. I.

SCRIPTVRVS ſum hoc ſecundo libro de Numinibus tribus, ſiue hypoſtaſibus, totaque Diuinitate, ſequens præteritarum demonſtrationum rationem. Quod anteaquam faciam, viſum eſt prius Ariſtotelem audire loquentem ſuper Philoſophia maiorum, vt antecedentia, & ſequentia confirmentur, & illuceſcant. Qui etſi viderit, aut vidiſſe diſſimularit eos libros, quos Plato, videlicet Mercurij, Sibyllarum (nam in Phœdro meminit Sibyllæ Plato) Orphei quoque, cæterorumque item quos Plato cognouit, & doctrinam eorum adeò eſt admiratus, vt fuerit ſecutus, dico Anaxagoræ, Heracliti, Pythagoræ, Empedoclis, & Parmenidis, cæterorumque: eius tamen teſtimonio poſſit apparere, antiquos illos præclara multa, mirabiliaque dixiſſe, vt ſiue in numerum Theologorum, ſiue Philoſophorum aſcribantur, plurima ab eis manauerint, quæ magnam quandam priorum ſæculorum ſapientiam teſtarentur. Ariſtoteles ergo de Rerum principiis in libris de prima Philoſophia diſſerens, hæc ſcripſit, Traditum eſſe ſub fabularum inuolucro ab antiquiſſimis illis, priſcisq; viris poſteritati, hos ipſos, quos diximus, eſſe Deos, & naturam diuinam regere, ac continere totam ipſam rerum naturam: cætera fabulis, vt probabilia eſſent, & legum obſeruandarum cauſa, ad vtilitatem ab his fuiſſe obuoluta, qui finxerint Deos ſimiles hominum, cæterorumque quorundam animantium, multaque id genus eis addiderint. De quibus ſi quis meliora ſeparet, id videlicet, quod tradiderunt, Deos eſſe primas principaleſq; ſubſtantias, diuinè locutos eos arbitretur. Atq; veriſimile eſſe, ſæpe vnamquamq; artem, Philoſophiamque perfectè repertam, rurſum extinctam, & deletam, & has opiniones placitaq; eorum, vſq; ad hæc tempora tanquam reliquias perueniſſe. Patriam igitur opinionem de primis ſubſtantiis hucuſque nobis claram fuiſſe. Hæc Ariſtoteles in libris de prima Philoſophia, de deſcendente vſque ad ſua tempora maiorum ſapientia, ſed lacera, & cuius velut reliquiæ vſque ad ſua ſæcula permanarint. Vnamquamque item artem, & diſciplinam priſcis ſæculis floruiſſe, ſed extinctam temporum iniuriis, ad poſteros non perueniſſe, niſi laceram: magnum autem ac diuinum corpus eius apud maiores extitiſſe. Priſcos illos credidiſſe, & aſſeruiſſe, Deum, id eſt, τὸ ϑεῖον, ipſam diuinitatem, numenque, naturam complexum omnem continere, idq; afflatu quodam diuino eos dixiſſe. Hæc affirmat Ariſtoteles, quem ſi poſſem orarem, vt ſecum ſua dicta perpenderet, diligenterque conſideraret, quæ de Deo maiores tradidiſſent. Quos ſi laudat, quòd crediderint omnem naturam Deum complexum ſuſtinere, admiretur etiã neceſſe eſt, quæ tam mira, ſublimia, profunda de eo prædicauerunt. Et ſi putat Ariſtoteles integram olim perfectamque viguiſſe Philoſophiam, cuius tantum reliquiæ ad poſteros peruenerint,

Ariſtoteles diſſimulauit ſe vidiſse libros veterum.

12. Metap. cap. 8.

Diſciplinã oẽm & artẽ priſcis cognitam, iniuria tẽporum extinctam.

rint, illum etiam, atque etiam rogatum velim, vt me colligentem has reliquias, & aſſerentem ex his, ſicut & ipſe, maiorem quandam diuinamque Sapientiam apud priſcos floruiſſe, ne ſpernat, ne contẽnat. Quod certe non faciat, niſi ſecum ipſe diſſideat. Admiror enim & affirmo iuxta cum ipſo, diuinam quandam, perfectamque penes antiquos Philoſophiam, idque ſimiliter atque ipſe per quaſdam quaſi coniecturas, & reliquias ad nos vſque deuectas, incedens. Quòd ſi Ariſtoteles qua parte hæc maiorum Philoſophia Deum rectorem rerum fatebatur, laudat, & admiratur, admirabitur etiam quædam alia, quæ ipſe aut viderat, aut ſuſpicatus fuerat. Nullus autem ſupereſt aduerſarius, ſi Ariſtoteles quoque maiores admiratur, commendat, quorum affirmat fabulis ſapientiam obuolutam. Videat igitur, atque conſideret, quid eum veritas fateri coegerit. Nam cum Deum, rerumque principia quæreret, & ad ſummum iam ratio perueniſſet, impegit tanquam in ſcopulum, quem tota fortaſſe Philoſophia vitare decreuerat, Theologiam antiquorum, nec habuit de Deo quid amplius diceret, quàm quod illi ſtatuiſſent. Nihil enim aliud videbat poſſe dici. Ergo ſi prima principia eadem atque veteres conſtituit, neceſſariò ſunt ei illa quoque ſuſcipienda, quæ de principiis, totaq; Philoſophia diſſeruerunt, immortalitas animorum, rerum creatio, & prouidentia. Plurima præterea, quæ ſunt ei quoque aſſerenda, qui priorum Philoſophiam probandam, admirationeque dignam intelligit, & confitetur. In maioribus autem illis hæc minora continentur. Ecce ſua voce, & mundi creationem cogitur, & alia, quæ in Theologia maiorum canebantur, Ariſtoteles aſſerere. Omnes enim ſuperius rerum creationem ſunt confeſſi. Eaque eſt antiqua Theologia, tantopere ab Ariſtotele commendata. Reddidit autem cauſam Ioannes Philoponus, cur cùm ſit triplex Philoſophiæ genus, diuinum, mathematicum, phyſicum, poſtremum maximè ſecutus Ariſtoteles copioſè a ſuperioribus tractata dimiſerit, phyſicum autem in quo pauci ad id vſque tempus elaboraſſent, delegerit, in quo vires ingenij ſui oſtentaret. Quo fit perſpicuum, non contempſiſſe maiorum Theologiam Ariſtotelem, quòd non eadem, atque ipſe tractauerint, ſed quoad licet diuinare, plurimi etiam feciſſe. Deprenſum quoq; ab eruditiſſimis viris, & patefactum, eum pleraſque priſcorum ſententias aut diſſimulaſſe ſe intelligere, aut perperam interpretando deprauaſſe, nec eo ſenſu eas protuliſſe, quo fuiſſent ab autoribus pronuntiatę. Flectebat enim omnia, ad quam moliebatur primus Philoſophiam, cuius principia cùm vellet inconcuſſa firmaq; ponere, in quibus præcipuè eſt æternitas cœli, pleraque ab antiquis deprompta, ſuis inuentis accommodauit. E quibus duo tantum exempla proponam. Nam cùm maiores appellaſſent cęlum æthera ab αἴθω, ardeo, quòd igneũ corpus cœlum opinarentur, ſic ad ſuum dogma, id eſt æternitatem, detorſit, vt veteres hoc nomen cœlo indidiſſe dixerit, quia ſemper torqueatur, ab ἀεὶ θέειν. Rurſum cum iidem ęuum, & tempus apertè, ac manifeſto diſcrimine diremiſſent, ęuum vitam æternam Dei dicentes, tempus particulam ſiue imaginem æternitatis, Ariſtoteles ita tempus cum æuo contaminauit, vt diceret æuum, eſſe ſpatium motus cœleſtis, ambiens tempus infinitum. Quamque maiores ętatem Dei ipſe cœli fecit ętatem, cum illi neque ęuum cum motu cœli commemorauerint, neque cum commemoratione æui, tempus aſciuerint, vt ſuo loco eſt oſtenſum. Et ipſe Deo tribuit ęuum ſempiternum in Metaphyſicis. Sed nos vniuerſam eius Philoſophiam euoluentes, multas diuinæ lucis ſcintillas deprendimus, è quibus probari poſſit, hominibus non prorſus duris, ac feris, pertinacibuſque in decretis eius oſtendi, eandem Philoſophiam eſſe eius, atque maiorum ſuorum, dico de rebus diuinis. Quem nunc ſepoſitum habeamus, reiicientes in aliud aptius tempus colloquium cum eo. Tantum proponam exemplum ex antiqua Philoſophia, quid ſibi velit hoc nomen, & quomodo ab illis inducatur, & quantum ei cuncti Philoſophi detulerint. Nam quoties inuenies priſcæ Sapientiæ teſtimoniis Philoſophos vti, ſublime eſt, & diuinum myſterium, vt bonitatem integritatemque doctrinę apud vetuſtiores agnoſcas. Ariſtoteles in libro de Mundo, ſi modo Ariſtotelis eſt, licet Platonici, id eſt, Plutarchus, Proclus, Philoponus, teſtimoniis ex eo libro vtantur, fuitq; etiam ſui temporis dubitatio, an eſſet Ariſtotelis, proferens quod prior Plato, quòd Deus ſit principium, medium, finis ὁ μὲν θεὸς, ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος. Deus, ait, ſicut antiqua fama eſt, principium, medium, finis eſt omnium. Ab antiqua Philoſophia vides, quid proditum eſſet. Philo autem Iudęus, παλαιὸς λόγος ὅτι τὸ θεῖον, ἀνθρώποις εἰκαζόμ ἄλλοτε ἄλλοις περινοστεῖ τὰς πόλεις ἐν κύκλῳ, τάς τε εὐδικίας, καὶ παρανομίας ἐξετάζων. Vetuſta fama eſt, quòd diuinitas, ſub humana imagine, modò his, modò illis ſimilis, circumambulat vrbes, bene & male facta examinans. Hoc quoque quàm diuinum eſt? Idem in libro de Mundo, παλαιὸς λόγος, hominem plantam cœleſtem eſſe, non terreſtrem, quod Plato in Timæo. In tertio quoque de Republica apud Platonem ſunt παλαιοὶ λόγοι, veteres ſermones de cataclyſmis, quibus affirmatur, prodíturque poſteris cataclyſmum fuiſſe. In Phœdone eſt in arcanis à maioribus proditum, quod in quodam carcere ſumus omnes homines in hoc corpore, & hoc mundo. In decimo de Legibus, eſt vetuſtiſſima Theologia, de Diis, quòd prima fuit generatio cœli, cæterorumque omnium. Apud nos, inquit, ſunt λόγοι λέγοντες περὶ θεῶν, οἱ μὲν παλαιότατοι ὡς γέγονεν, ἡ πρώτη φύσις οὐρανοῦ, τῶν τε ἄλλων. In duodecimo eſt antiquiſſima relatio, cui oporteat credere, remanere animos poſt mortem: πιστεύειν τε ταῖς ἄλλαις φήμαις χρεὼν περὶ τοιαῦτα, οὕτω πολλαῖσι καὶ σφόδρα παλαιοῖς οὔσαις. Ecce Plato vult adhiberi fidem venerandæ vetuſtati,

Ariſto. fateri veritatẽ coactus.

Iiſdẽ principiis cõſtitutis ſequitur idẽ eſſe quod de principiis exiſtat.

Triplex Philoſophię gen⁹.

Diſſimulator Ariſt. eorũ quæ à priſcis audierat & didicerat, vt mũdi æternitatem, aſtrueret.

Aether, vt accipiatur ab Ariſto.

Multæ diuinæ lucis ſcintillę in Philoſophia Ariſ.

Liber de Mũdo, an ſit Ariſtot. dubitatur.

Antiqua fama, de Deo.

Hõ, plãta cœleſtis.

vetuſtati, conſtanter aſſerens, animos immortales: quod etiam Marcus Tullius, de animorum immortalitate loquens in Tuſculanis: Autoribus, inquit, ad iſtam ſcientiam, quam vis obtineri, vti optimis poſſumus, quod in omnibus cauſis, & debet, & ſolet valere plurimum. Et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu, & diuina progenie, hoc melius ea fortaſſe quæ erant vera cernebat. Itaq; vnum illud erat inſcitum priſcis illis, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, vt funditus interiret. Vides quanti faciat vir grauiſſimus vterque, & apud ſuos vterque eminentiſſimus, teſtimonium vetuſtatis, afferentes etiam cauſam, quòd erant principio mundi, & diuinæ progeniei, id eſt, ei, quem creauit aſtans, & pręſens ſuis manibus Deus, qui verè fuit diuina progenies, à quo audire poterant omnia, propiores? Diuina progenies item eſt, cæli, terrarumque ſatus à Deo proditus in lucem. Dij prætereà, id eſt Angeli, cœlum aſtra, quæ ſunt omnia, vt Plato poſtea fatebitur in Sophiſta, γλυννὴ κατὰ θεῦ. Quodque magis admiraberis, hanc ipſam cauſam fidei veteribus habendæ, vetuſtatiſque colendæ, didicit, vt par eſt, à Platone Marcus. Similia enim locutus eſt in Phæbo Plato, οἱ παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες. Priſci, inquit, nobis fuere meliores, propius Diis degentes. Quid diuinius Plato loqui poterat? Id enim noſtræ litteræ demonſtrant, priſcos illos longè optimos fuiſſe, iuſtitiam, & pietatem maximè coluiſſe, fuiſſe ſimplices, integerrimiſque moribus. Eandemq; cauſam (quod miror, in quo præ gaudio exilio) audimus à Philoſophis, de maiorum longè quàm minorum excellentiore probitate, atque à ſacris litteris, quòd erant Diis propiores. Noſtræ litteræ teſtantur, crebro viſibiles Angelos in habitu virorum priſcis illis apparuiſſe, allocutos eos eſſe, plenaque vetuſtas erat prophetarum viſionibus Angelorum, cùm ſe darent in conſpectu conſpicabiles: ob id proditum poſteritati, vt ſuperius Philo aſſeruit, à maioribus illis, Deos, id eſt, Angelos humanis aſſumptis figuris, circumire vrbes, contemplantes humana facta. Quod fecerunt duo illi profecti Sodomam Angeli. Stabant enim in platea, ſceleratæ ciuitatis flagitia contemplantes, mox ea ſupplicio formidabili animaduerſuri. Plotinus autem ait, ἐστὶ γὰρ δὴ ὡς ὁ παλαιὸς λόγος, καὶ ἡ σωφροσύνη, καὶ ἡ ἀνδρεία, καὶ πᾶσα ἀρετὴ, κάθαρσις καὶ ἡ φρόνησις αὐτὴ: Eſt enim, vt priſca fama habet, temperantia, & fortitudo, omniſque virtus expiatio, & ſapientia ipſa. Fit igitur his rationibus clarum, colendum eſſe ac venerandum quidquid proditum fuit à vetuſtate, quæ ſciebat cęlum, & terram, homines, Deosq; à Deo creatos, gubernari, conſiderari ab eo cuncta. Quare etiam atque etiam conſiderandum, quod Ariſtoteles primo de Cęlo, & mundo libro refert, priſcos homines cęlum pro habitaculo Diis attribuiſſe, quippe quod ſolum ſit immortale, & incorruptibile, τὸν δ᾽ οὐρανὸν, καὶ τὸν ἄνω τόπον, οἱ μὲν ἀρχαῖοι τοῖς θεοῖς ἀπένειμαν ὡς ὄντα μόνον ἀθάνατον. Conſiderandum inquam diligentius. Non enim efficitur, quod ipſe vult. Vult enim quoniã cęlũ eſt immortale, & incorruptibile, maiorum conſenſu, nullum habuiſſe principium, quòd omnia orta occidant, ſic in contrarium cuncta, quæ non occidant, nullum ortum habuiſſe. Dico non ſequi, quod cupit. Verè enim maiores cęlum Deo, Diuiſque, vt locum diuinum, ſacroſanctum tribuerunt. Verùm non hoc cęlum, iſtaque viſibilia lumina, eorumq; orbes, ſed quod eodem libro dixit idem, quod eſt extra vertiginem cęli, extra flammantia mœnia mundi. Hoc tribuitur à priſcis, vt tu quoque teſtaris Ariſtoteles, habitandum Diis immortalibus, nempè Deo, & Angelis, non tribuitur orbis Solis, Lunæ. Illud quidem quod fertur habitaculum Deorum, ſi diuina claritas, ſi ſempiternus Dei fulgor eſt, vtique immortale eſt, incorruptibile regnũ Dei, ſine principio, ſine fine. Sin corpus aliquod (priſci dixerunt totum cęlum creatum) videbimus omnium veterum conſenſu, cęlum tẽporis exordium habuiſſe: Platoq; ſequens maiorũ dogmata, & Timæus Locrenſis eſt confeſſus. Quare non ea gratia cęlum Diis veteres tribuerunt, quod immortale cęlum cum Diis eſſet, ſed perhibuerunt cęlum creatum cum Diis, quoſcunque eos interpreteris, ſiue præſides orbium cęleſtium, ſiue quos alios à mouendi munere abſolutos. Nihil igitur, quod conabatur, efficitur. Et recidit in eum, planeq; dogmata eius deſtruit, quod eius libri eodem loco dixit: διόπερ καλῶς ἔχει συμπείθειν ἑαυτὸν, τοὺς ἀρχαίους, καὶ μάλιστα τοὺς πατρίους ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγους. Quod eſt, Rectum eſſe, ſibi quemlibet perſuadere, priſcam Theologiam aut ſermones, maximè autem patrios noſtros, veros eſſe. Conſidera quò te veritas traxit ò Ariſtoteles. Si debent, laudabileque ducis, omnes ſibi perſuadere, à priſcis tradita, præcipuè maioribus Græcis, vera eſſe, maiores, & Barbari, & Græci vno ore fatentur mundum à Deo creatum. Cælum ſi ſit vlla præditum immortalitate, eam eſſe, vt Plato dixit in Sophiſta, ἐπισκευαστὴν, fabricatam, repertam. Maiores ergo Græciæ mirabili conſenſu creationem mundi prodiderunt. Nam Empedocles vnitatem aſſerit omnia creaſſe, Pythagoras retulit Vnitatem omnium rerum eſſe principiũ. Anaxagoras Menti tribuit cunctorum inuentionem. Architas hominem à Deo creatum, dixit, vt oſtendam. Timæus Locrenſis clarè, perſpicuè, aſſerit à Deo mundum habuiſſe principium, quem ſecutus Plato, eiſdemq; inſiſtens veſtigiis, tradidit, & ſcripſit ſimilia. Omnium antiquiſſimi, Orpheus, & Heſiodus, maiore, & apertiore teſtimonio hæc perhibuerunt, Orpheus appellãs Deum κόσμοιο τυπωτὴν, Formatorem mundi, Heſiodus teſte ipſo Ariſtotele in primo poſt res naturales, ſcripſit aliquod rerum fuiſſe principium, omnes denique mundum, vt ipſe in eiſdem libris confirmat, creauerunt. Quare ſi pulchrum, ſi bonum eſt, ſi bene habet omnes ſibi perſuadere,

1. Tuſcul.

Teſtimonium antiquitatis.

Angeli.

Priſci meliores nobis, quia Deo propiores.

Colẽdũ, & cõplectendũ quidqd à vetuſtate proditum fuit.

Cœli noĩe quid.

Libr. de Mundo.

Maiores creationẽ mundi tradiderunt.

dere, quæ maiores præcipuè Græci posteris prodidiſſent, eſſe vera, certè credendnm eſt, quæ de Deo, de diuina Prouidentia, de Mundo creato narrauerunt, cuius cauſa eſt, quòd erant, vt Plato ait, Diis propiores, eoque meliores, vt Marcus Tullius, quòd minus aberant à progenie diuina, à ſenatu cœli, & terræ, Angelorum, Dæmonum, hominum. Audiebant maiorum voces de Deo, de rerum conditione vnanimiter prædicantes. Videbant frequentes Deos inter homines. Noſcuntur autem melius, quæ propius audiuntur, ſpectantur.

Quòd à Barbaris Græci didicerunt, & quòd ingenue diſcipulos eorum ſe Græci fatentur, quo conſtet Barbarorum Theologiam priorem, ac meliorem eſſe, & quòd à Græcis, nihil debuit, vel potuit innouari ſuper Theologia. Cap. II.

Græcis à Barbaris didicerũt.

ILLVD quoque deducendum, aperiendumq; eſt, atttenteq; conſiderandum, ſi Græci ſcientias, Theologiamque à Barbaris, vt ipſi fatentur, didicerunt, eandem fore eorum neceſſariò Sapientiam Theologiãq;. Et ſi ſunt Barbari Græcis antiquiores, & ab his natio Græca ſermonem, litteras, ipſum genus, & eſſe, quòd oſtendam, deduxit, quibus Græci ſint omnino iuniores, neceſſariò veriorem eſſe Theologiam Barbarorum, quàm Græcorum: aut Theologiam Græcorum, ſi rectè cuncta perpendantur, Barbarorum illam eſſe, quam vetuſtiſſimi Græcæ gentis parentes, qui Barbari fuerunt, ſcilicet Iauan, a quo Ionia dicta, & Cittim, à quo, nomine deprauato, vocata Cypros, & Rodanim, à quo Rodos, in Græciam, detuliſſent. Hos inquam veriſimile fit diluuio, diuiniſq; hominibus propiores, Theologiam in eas regiones, in quas à patribus diſtribuerentur, importaſſe, ortum mundi, ſcientiam vnius omnipotentis Dei, cæteraſque res diuinas, quas partim conſcripſere Barbari, partim vt notiſſimas non conſcripſere, quòd in ore omnium verſabantur. In ſequenti autem tempore, ipſi Gręci ad Barbaros vti maiores ſuos, longeq; antiquiores ſe recipientes, in Græciam, eorum Theologiam, ſacraq; deportabant. Quo fit neceſſario, vt debeat, ſicut eſt, eadem eſſe Theologia Græcorum, atque Barbarorum. Vt ſi quid poſtea nonnulli Philoſophi mentis errore, inſcitiaque peccauerint, ſecuſque ſtatuerint, tum repudietur, tum ea pro verioribus habeantur, quæ maiores, ſiue Barbari, ſiue Græci tradidiſſent (quod Ariſtoteles etiam concedit) non, quæ cæco iudicio, temerariaque mentis hallucinatinoe, quidam recenter inuexiſſent. Teſtantur autem non modo ſacræ litteræ Græcos à Barbaris natos, vt ſuperius oſtenſum, ſed ipſimet Græci, ſe iuniores Barbaris eſſe, & doctrinam, ſermonemque ab illis acceptum. Omniumque eſt teſtimonium, Pythagoram in Aegyptum, Solonem, Eudoxum, Platonem acceſſiſſe, vt audirent eorum ſacerdotes. Oſtendi ſuo tempore eorum ambulacra illic à ſacerdotibus ſcribit Strabo: Symbola illa ſua Pythagoras ab eis detuliſſe, & ſe Aegyptiorum more circuncidiſſe fertur. Fuiſſe eum in Iudæa, & in monte Carmelo habitaſſe, perhibet Iamblichus, in Aegypto quoque annos duos, & viginti eum peregrinatum, de quo Xantiphonem ſcripſiſſe prodidit Porphyrius, amplexum mores, inſtitutaque Aegyptiorum ſacerdotum, rogaſſeque Polycratem tyrannum, vt ad Amaſim Regem Aegypti, amicum, & hoſpitem ſcriberet, vt fieret diſciplinæ eorum particeps. Venit, inquit, & ad Aegyptios Pythagoras, & Arabas, & Chaldæos, à quibus rationẽ inſomniorum edidicit, vaticinioque, quod fit thure, primus vſus eſt, & in Aegypto cum ſacerdotibus eſt verſatus, ſapientiamque Aegyptiorum, & ſermonem didicit. Sic Porphyrius. Tullius item noſter, Cur, inquit, ipſe Pythagoras, & Aegyptum luſtrauit, & Perſarum Magos adiit, cur tantas regiones Barbarorum pedibus obiuit, tot maria tranſmiſit? Proclus autem ſuper Timæum, ſcribit Pythagoricum eſſe, ſequi Orphicas genealogias. Superius enim ab Orphica traditione, per Pythagoram, ad Gręcos ſcientiam de Diis perueniſſe, vt ipſe Pythagoras referat in ſermonem ſacro. Dixit etiam ab Aegyptiis Orpheum didiciſſe: Omnis item, ait, Gręcorum Theologia, eſt Orphicæ initiationis alumna. Nam cùm primus Orpheus ab Aglaophemo res diuinas fuiſſet edoctus, deinceps ex Pythagoricis, & Orphicis litteris excepit Plato, Orpheum nemo eſt, qui neſciat in Aegyptum veniſſe, indeque ſacra, Theologiamque aſportaſſe. Qui de ſe ipſo in Argonautica:

Eadem Theologia Græcorũ & Barbarorum.

Philoſophi à Barbaris edocti.

Ab Orpheo Gręci edocti.

Ἡ δ᾽ ὅσον αἰγυπτίων ἱερον λόχον, ἐξελόχευσα
Μέμφιν ἐς ἠγαθέην πελάσας, ἱεράς τε πόληας
Ἄπιδος ἃς περὶ νεῖλος ἀγάρροος ἐστεφάνωται.

Aegyptique ſacra omni ſum regione vagatus.
Illuſtrem Memphim, ſacraſque acceſſimus vrbes
Apidis, has ingens Nili præterfluit amnis

Homerum tota poeſis eius teſtatur Aegyptias diſciplinas, Theologiamque coluiſſe. Litteras legendi, ſcribendiq; ſcientiam teſtatur Plato in Philebo, & Phœdro, ab homine Aegyptio repertam, quem illi vocent Theuth. Soloni dixit ſacerdos Aegyptius, Vos Græci pueri ſemper, non eſt apud vos ſenex quiſquam, res antiquas ignoratis, neſcientes diluuium, & conflagrationes, quæ melius Aegyptii norant à primogenitoribus ſuis audita, & locis his, quibus hæc acciderunt,

Ægyptius Theut. Plato Alcib. I.

runt propinquiores. Nam diluuium in Chaldæa, Meſopotamiaque, in qua regione tantum homines tum degebant, inundauit. Incendium autem, cuius meminit etiam Strabo, Paleſtinæ vrbes, quæ adiacet Aegypto, populatum eſt. Refertque Proclus, Solonem apud Aegyptios in Sai audiſſe ſacerdotem nomine Patanit, in Heliopoli eum qui dicebatur Oclapi, in Sebemyto Ethimon, vt hiſtoriæ Aegyptiorum atteſtantur. Quæ prior Plutarchus. Teſtatur Plato Græcos à Barbaris didiciſſe in Epinomide, ſed ab eis accepta meliora feciſſe: λάβωμεν δὲ ὅπερ ἕλληνες βαρβάρων παραλαμβῶμεν, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται. Veniſſeque famam, & cultum Deorum, ad Græcos eodem libro. In Cratylo ſuſpicatur multa nomina, maioremque ſermonis partem à Barbaris ad Græcos allatam, præcipuè ad eos qui ſub Barbaris degerent, παρὰ τῶν βαρβάρων εἰλήφασι. Ibidem ſapientiſſimè putat, prima nomina rebus à Diis indita: vt Moſes a Deo, cœlo, ac terræ, multiſque aliis primis rebus. Platoque neſcio quibus a Barbaris nomina rerum manaſſe, quodam inſtinctu diuino ſentiens, linguam Hebraicam omnium linguarum, præcipuè Orientalium, matrem (Nam, & cæteras linguas aſperſas omnes inuenies vocibus Hebraicis) innuit: παρὰ βαρβάρων τινῶν αὐτὰ παρειλήφαμεν. Ibi fatetur clariſſimè Plato, Barbaros Græcis vetuſtiores, ἐσὶ δὲ ἡμῶν ἀρχαιότεροι βάρβαροι. Vide igitur, & ſapienter agnoſce quid ex his ſequatur, nempe veritatem duntaxat apud Barbaros eſſe, vt Deo propiores, vt idem in Philebo, & noſter Marcus, Eſſe veriora a vetuſtioribus tradita. Omnibus autem Barbaris antiquiores ſunt Hebræi, id eſt, Hebraica lingua, qua vſus eſt Adam, natique ab eo omnes, vſque ad diluuium. Diſſipatis autem omnibus, vetuſtiſſimus ſermo corruptus eſt in Chaldaicum, Aramæum, Arabicum, aliosque ſermones Orientis. Quoniam igitur teſte Platone, ſunt antiquiores Græcis Barbari, efficitur, vt ſit verius traditum a Barbaris, quod poſtea Græci didicerunt, diſcipuli ſemper Barbarorum. E Barbaris autem omnium conſenſu vetuſtiſſimus eſt Moſes, ante quem neminem alium inuenies ſcriptorem, neque apud Græcos, neque Chaldæos, neque Phœnices, cęterosque Barbaros, poſt quem floruit Mercurius, Triſmegiſtus in Aegypto. Credenda igitur ſunt, Græciſque præferenda tradita ab illis, vt pote qui magis ea tenerent, Deo, diuiniſque hominibus propiores, & meliores, vt Plato in Philebo. Adeoque Moſes omnium eſt antiquiſſimus, vt Iuſtinus, quoties apud Platonem, Philoſophoſque inuenies παλαιὸς λόγος, antiquam famam, eos de Moſe ſuſpicetur ſenſiſſe. Quoniam igitur ab omnibus Barbaris, conſtantiſſimè traditur creatio mundi (fuerunt enim mundo creato propiores, potueruntque vidiſſe & audiſſe, eos qui primos homines vidiſſent, eoſque de ſatu mundi rerumq; cunctarum ortu diſſerentes audiſſent) hæc erunt veriora, quàm, quæ poſtea rerum magnarum homines imperiti ſuſpicati ſunt. Toto enim Oriente fama vagabatur, mundum ab omnipotenti Deo creatum, cui ſapientiores vetuſtioreſque Græciæ, vt pote minores, diſcipuliq; ſubſcripſere. De quibus poſtea. Nunc tantum venerandæ vetuſtatis offeratur imago, & quæ ab ea tradantur, ad veritatem reuocentur, & eorum teſtimonio mendacia iuniorum arguantur. Quippe & ipſe Ariſtoteles putat teſtimonium vetuſtatis fidiſſimum, ὡς ἔδει προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων τοῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων: διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας τὸ ὄμμα ὁρῶσιν ἀρχάς. Quæ ſunt, Quocirca attendenda, quæ periti, & vetuſtiores aut prudentes ſine demonſtratione proferunt, opinanturque, non minus, quàm ſi demonſtrationibus vterentur. Vident enim principia, quoniam acumen habent ex experientia. Si igitur putat Ariſtoteles vetuſtiorum teſtimonia, eodem loco habenda, atque ea, quæ demonſtrationibus comprobantur, certè, quæ vetuſtiſſimi hominum Hebræi, Chaldæi, à longæuis, viuaciſſimiſque progenitoribus audierunt, credenda, amplectendaque, etiam ſine demonſtrationibus. Eademque dixerat prior Plato, In ſenectam differendum iudicium de Diis. Illud item magnopere conſiderandum, quod Plutarchus de priſcis perhibet, ſolitos eos in aſſignatione cauſarum, nullam aliam nominare cauſam, niſi principalem, ac meliorem, dicentes quale ſemper eſt in ſacris litteris, ζεὺς ἀρχή, ζεὺς μέσσα, δίος δὲ ἐκ πάντα τέλονται, Principium, medium, ipſe eſt Iupiter, a Ioue cuncta, οἱ μὲν σφόδρα παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ ποιηταὶ τῇ κρείττονι μόνῃ τὸν νοῦν προσέχειν εἵλοντο, τοῦτο δὲ κοινὸν ἐπιφθεγγόμενοι πᾶσι πράγμασι. Hos Plutarchus ait vehementer antiquos, Antiquiſſimi, inquit, omnia meliori cauſæ, præteritis aliis neceſſariis, & naturalibus, aſſignabant, cùm iuniores ab optima, & diuina cauſa declinantes, omnia in affectionibus corporis ſtatuerint. Vides priſcorum pietatem, religionem, ſapientiam? Hoc in ſacris litteris eſt perpetuum, vt omni alia cauſa præterita, vnam diuinam illam perenniter memorent. Hinc apud Moſen, quæ facta a ſecundis cæteri dicerent, in primam cuncta referuntur. Hinc Deus è terra producit arbores, & herbas, ex aquis piſces, plantat paradiſum, volare per ęthera volucres iubet. Idem cęteri Prophetæ. Idem igitur, teſte Plutarcho, vetuſtiſſimorum Theologorum Poetarumque Gręcorum mos, eadem religio. Quare non potuit ſine impudentia quicunque fuit, ſi quis fuit, a tanta maiorum religione deficere.

Plato Cratylo.

1. Tuſcul.

Moſes vetuſtiſſim⁹.

In Apologetico.

De mundi creatione, veterũ opinio.

Teſtimoniũ vetuſtatis fideliſſimum. 12. Meta

In ſenectã differendũ iudiciũ de Deo. Platonis dictum. Idẽ Plato 4. Legum.

De tribus

De tribus gradibus diuinis, ſiue Numine trino, vel tribus Regibus, ternaque poteſtate: & de Spiritus ſancti apud antiquos commemoratione, ex Mercurio, Plotino, Pythagora: & quod Procedat à Mente. Cap. III.

Genitor ac Genit⁹.

Hebrçorũ cęcitas.

Creatio rerũ, vt cognoſcatur.

Plato, hæres primæ ſapientiæ.

Platonis locus præclarus de Deo trino.

Cyrilli locus.

Id li. I. explicatũ copioſè.

ἄνεμος. anima.

PRIMVM arcanumq́ue myſterium, in excelſa Diuinitate eſt, illic eſſe Genitorem, ac Genitum, principem quendam, & fontem totius Diuinitatis, ſublimiſſimamq; cauſam, tum genitam ab ea Mentem, potentiſſimam rerum cæterarum creatricem. Noua res ignaris fortaſſe, & abſurda, in Deo perinde atque mortalibus animantibus, & omni re terreſtri, patrem, & prolem eſſe. Verum diuinis ingeniis, & aliqua cœleſti luce irradiatis, nihil probatius, nihil rationabilius, omnium ſæculorum, & ſapientum pari voce, atque conſenſu proditum. Hebræos autem, & qui ad hæc cogitanda nequeunt animum inſtituere, debemus ita contemnere, vt quorum feras mentes, neque rationes, neque flamma multorum inter ſe collatorum teſtium, ſplendorq́ue commoueat. Hoc igitur primum maximumq́ue myſterium eſt, in quo tota ferè Theologia continetur. Nam cùm Verbum, & prolem Dei, cognoſcimus, ſimul & creationem rerum cognoſcimus. Conſtituta creatione conſtituitur idem gubernator, qui creauit: Tunc & adoratio eius, qui creauit, & gubernat, in quo ſuper omnia principatus eius demonſtratur. Adoratio autem eſt primi. A quo ſi regimur, certè non in hac vita ſolum, ſed etiam futura. Hæc omnia non ſolùm neceſſaria, ac naturali conſecutione veniunt ex illo primo, ſed ab his ipſis etiam traduntur poſteriora hæc, qui priora illa obſcuriora tradiderunt. Deuenio igitur ad alia de tribus Numinibus conſideranda, vocoq; Platonem teſtem. Platonem inquam hæredem maiore ex parte priſcæ Sapientiæ, ad quem tanquam legitimum filium, aut cuius ex aliis multis ſuperſint monumenta, doctrina priorum eſt deuoluta. Is erit inſtar multorum de triplici imperio teſtis, quod tunc cœlitus reuelatum, totus mundus adorat. Nam quod eſt à Platone dictum, credendum eſt ab aliis ante eum, à quibus ipſe didiciſſet, fuiſſe perſcriptum, ab his videlicet, vt ipſe reor, quos ſuperius audiuimos. At quod apud eos non poſſumus, in Platone veluti eorum legato legemus, & oſculabimur. De Spiritu diuino primùm, poſtea tota Diuinitate. Platonis autem interpres erit Porphyrius, aliiq; Platonici, quorum approbatione res confirmetur. Plato igitur in Epiſtola ad Dionyſium, qui eum de natura Dei percunctatus fuerat, reſpondet, hæc quæ prorſus diuina ſint, eſſe per ænigmata declaranda, vt ſi quo caſu epiſtola ad aliquem peruenerit, legens non intelligat: περὶ τῆς τοῦ πρώτου φύσεως, φραστέον δὴ σοὶ δι' αἰνιγμῶν, ἵνα ἄντι ἡ δέλτος ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθη, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ: ὧδε γὰρ ἔχει: περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶν, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν: δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα: De natura Primi, inquit, loquendum eſt tecum per ænigmata, vt ſi quid epiſtola ponto, vel terra perpeſſa fuerit, qui legerit, non intelligat. Sic habet res, circa omnium regem omnia ſunt, & illius gratia exiſtunt omnia, illeq́ue eſt cauſa omnium bonorum. Secundum autem circa ſecunda, & tertium circa tertia, &c. Igitur verba Platonis, quem habeant ſenſum, Porphyrius explicans refert, quod producitur etiam à diuo Cyrillo aduerſus Iulianum Imperatorem: ἄχρι τριῶν ὑποστάσεως τὴν θείου προελθεῖν οὐσίαν: εἶναι δὲ τὸν μὲν ἀνωτάτω θεὸν, τὸ ἀγαθὸν, μετ' αὐτὸν δὲ καὶ δεύτερον, τὸν δημιουργὸν, τρίτην δὲ καὶ τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν, ἄχρι γὰρ ψυχῆς, τὴν θεότητα προελθεῖν: Vſque ad tres ſubſiſtentias, ſiue hypoſtaſes, ſeu perſonas progredi: id eſt, habere diuinam ſubſtantiam tres deſcenſus, vel in triplicem numerum ſe propagare. Eſſe enim ſupremum, altiſſimumq́ue Deum, ipſum per ſe bonum, poſt eum, & ſecundum opificem, deinceps animam mundi, vſque enim ad animam procedere Deitatem. Diximus autem in veteri Theologia, Patrem appellatum ſummum Bonum, Filium Mentem, & opificem, Spiritum videmus dici Animam mundi. Nam Anima, & Spiritus idem ſonant. Spiritus eſt Latinè, quod Græcè anima, id eſt, ἄνεμος, ventus. Idem ſpiritus, & ventus: ventus autem Græcè anemos. Et apud Latinos anima ſpirationem, ventumq́ue deſignat, Animas, & olentia Medi Ora fouent illo. Et, Quantum ignes, animæque valent. Quibus locis idem eſt anima atque ſpiritus. Quem igitur ſcripturæ diuinæ Spiritum dicunt, veteres Theologi dixere modò Animam mundi, modò etiam Spiritum. Nam & Poeta loquens de anima mundi, quam apud Platonem vetuſtioresq́ue Theologos audierat, ait,

Aeneid. 6.

Spiritus intus alit, totamq́ue infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Anima mundi.

Pſal. 103.

Appellabant igitur Spiritum diuinum Animam mundi, ab ea cuncta naſci, ac viuificari dicentes, ſimiliter atq; Chriſtiana poſtea ſapientia. Quod vt intelligas, idem Poeta, qui vetuſtam Theologiam ſequebatur, ſententiasq́ue ex Platone, & ſuperioribus decerptas carminibus ſuis inſerebat, teſtis eſt. Conferamus Poetam profanum, atque alterum Poetam ſacrum, & alloquiis diuinis aſſuetum. Dauid, Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Vergilius autem præ cæteris de eodem ſpiritu,

Vnde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Virgil. ibi-

Dauid verò per Spiritum miſſum à Deo, cuncta viuificari, cuncta naſci, ac fieri. Eundem Spiritum idem Poeta, Deum alibi dixit, ſubſcribens Platoni, aliiſque Theologis,

-Deum nanque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Virgil. ibi.

Si conferas igitur omnia, eundem hoc loco dixit Deum, quem ſuperius Spiritum, quemq; Dauid Spiritum Dei, Plato cum multis, Animam mundi. Ideo verò Animam mundi, quòd vt & Dauid cecinit, & alter Poeta, omnia ab eo naſcantur, ac viuificentur. Id beneficium Spiritus eſſe diuini, tota vetuſtas confeſſa eſt, & ſacræ litteræ conſentiunt. Ac Mercurius teſtimonium pro priſcis illis feret, quem videbis ad amuſſim vim iſtam diuinam, altricem, ac viuificatricem cognouiſſe & deſcripſiſſe, idque in media illa antiquitate, ac ſæculorum propemodum exordio. In ſermone ad Aſclepium hæc ait, Spiritu agitatur, & viuificatur omnis in mundo ſpecies. Deinde Spiritus implet omnia. Ibidem, Mundus nutrit corpora, Spiritus animas. Ibidem, Spiritu miniſtrantur omnia & vegetantur in mundo, & quaſi organum, vel machina, ſummi Dei voluntati ſubiectus eſt. In ſermone autem tertio abſolutiſſimè de Spiritu hæc dixit: οὐ μὴ πρόνοια τις ἦν τοῦ πάντων κυρίου, ὥστε μετὸν λόγον τοῦτον ἀποκαλύψαι, οὐδὲ ὑμᾶς νῦν ἔρως τοιοῦτος κατεῖχεν ἵνα περὶ τούτου ζητήσετε, νοιῦ δὲ τὰ λοιπὰ τοῦ λόγου ἀκούετε: τούτου τοῦ πνεύματος, οὗ πολλάκις προεῖπον, πάντα χρήζει: τὰ πάντα γὰρ βασταζων, κατ' ἀξίαν ζωοποιεῖ καὶ τρέφει, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας πηγῆς ἐξήρτηται: ἐπίκουρον πνευμάσι καὶ ζώοις ἅπασιν ἀεὶ ὑπάρχον. Niſi, inquit, prouidentia quædam eſſet Dominatoris omnium, vt hanc ego Theologiam reuelarem, neque vos nunc talis amor tenuiſſet, vt de eo quæreretis, nunc reliqua audite. Huius Spiritus, de quo ſæpenumero dixi, omnia indigent, omnia portat ſecundum dignitatem, omnia viuificat, & nutrit, & a ſancto fonte dependet, omnibus ſpiritibus, & viuentibus ſemper eſt auxiliator. Hæc Mercurius. Quibus tota ſpiritus diuini natura, vis, & proprietas exprimitur. Primum dicit eum à fonte ſancto produci, Patre ſcilicet, ac Mente. Plotinus autem dicebat ſuperius, à Mente produci Animam, quod eſt, à Filio Spiritũ. Nam anima mundi eſt Spiritus diuinus. Fontem ſanctum Patrem cum Filio vocat Mercurius. Fontem propter exuberantem ex eo ſpiritum, Sanctum autem, quia Spiritus ſanctus a ſancto manet neceſſe eſt. Deinde audiſti hunc Spiritum eſſe vita fœcundiſſimum, ab eo cuncta bona proficiſci. Nec ſolum proficiſci bona, ac viuificari, ſed etiam portari, ac regi. Homines autem & viuificari, & inflammari ad bona, optimam quamque aſpirationem ab eo exiſtere. Hæc de Spiritu ſancto Mercurius, vndequaq; veræ Theologiæ conſona. Apertè autẽ imitatus eſt, propoſuitq; ea Plotinus in libro de Tribus imperatricibus ſubſiſtentiis, loquens de tertia ſubſiſtentia, quę eſt eis animatio mundi, nobis Spiritus Dei, hæc ad verbum. Illud primum, inquit, quiſque cogitet, ὡς αὐτὴ μὲν ζῶα ἐποίησε πάντα, ἐμπνεύσασα αὐτοῖς ζωὴν, ἅτε γῆ τρέφει, ἅτε θάλασσα, ἅτε ἐν ἀέρι, ἅτε ἐν οὐρανῷ ἄστρα θεῖα, αὐτὴ δὲ τὸν ἥλιον, αὐτὴ δὲ τὸν μέγαν τοῦτον οὐρανὸν, καὶ αὐτὴ ἐκόσμησεν, αὐτὴ δὲ ἐν τάξει περιάγει, φύσις οὖσα ἑτέρα ὧν κοσμεῖ, καὶ ὧν κινεῖ, καὶ ζῆν ποιεῖ. Quæ ſunt, Quòd hæc quidem cuncta animalia creauit, inſpirata eis vita, quæque alit tellus, quæ mare, quæ volant in aere, quæ ſunt in cęlo aſtra diuina. Hæc item Solem, hæc magnum hoc cælum exornauit. Hæc ordine ducit, exiſtẽs altera vis, & natura ab his quæ tẽperat, & mouet, & quæ viuere facit. Sic Plotinus. Eodem libro docet vt hæc Anima magna, cęlũ animarit: Ingreſſa, inquit, hæc Aĩa cæleſte corpus, ἴδωσι τὴν ζωὴν, dedit vitã, dedit immortalitatẽ, excitauit ipſum proſtratum, iacenſq;. Quod circum rotatum motum ſempiternum, ab Anima ſapienter agente, animal beatum effectum eſt. Habuitq; decus cęlum, Anima inducta, ante Animam cadauer mortuũ. Terra & aqua, imò verò tenebræ ipſius materiæ, & non exiſtens, & quod execrantur Dij, vt inquit ille. Hæc Plotinus ad verbũ, in quibus tum perſpicua tertiæ ſubſiſtentiæ eſt confeſſio, tum quam vim habeat, qua ſit natura, declaratur. Illud fortaſſe incorruptius & melius Triſmegiſtus, quàm Plato, & Plotinus, ꝙ nuſquam inſeruit hanc diuinam Animam orbi cæleſti Triſmegiſtus. Illud quoq; melius à maioribus traditum, quòd vt rectè Platoni producit hanc Animam Mens opifex mundi, ſic non rectè producit cum mole cęleſti. Præceptor enim Triſmegiſtus, naſcentem quidem ab opifice mundi, non quo tempore cęlum, corpus eius produxerit, ſed cum duobus aliis, ſempiternam tamen a Mente naſcentem, & à fonte ſancto Genitore, quòd illi clarè non intelligentes, audienteſq; eam eſſe viuificationem vniuerſi, cum vniuerſo ab eodem opifice conditam putauerunt, præcipueque cęli totius Animam Plato eam exiſtimauit. Quæ dupliciter redarguuntur, priſcorum autoritate, nil tale aſſerentium, vt appareat à Platone affictum commentum, & ipſorummet verbis, quibus hanc Animam definientes, tribuunt ei partes omnes, ac munera diuinitatis. Autor quoque Calcidius ſuper Timæum, Platonem poetaſque Spiritum ſanctum nominaſſe Animam mundi, & eum eſſe quem noſtri vocant Spiritum ſanctum. his verbis, Plato, inquit, dicit eſſe

Locus Mercurij Triſmeg. de Deo, ſanctoque ſpiritu.

Plotini locus, de ſpiritu Dei.

Alter Plotini locus.

Conciliat Triſmegiſtum cum Plotino.

Improbatur cõmẽtũ de anima mũdi.

Aeneid. 6. Act. 17.

Cic. de Natura Deor. 2.

Locus D. Cyrilli de anima mũdi.

Animam mundi, & Animam mundi vocat illum Spiritum quo vegetatur, & regitur mundus. De quo Poeta dicit: Principio cęlum, ac terras. Vſque, Spiritus intus alit. De eo etiam Apoſtolus ait, In quo viuimus, mouemur, & ſumus. Hæc ille. Vult igitur Spiritum ſanctum priſcos agnouiſſe, vim, proprietatemque eius deſcripſiſſe, vt vegetet, vt regat, vt animet mundum, & vult congruere noſtrorum, atque Philoſophiæ profanæ ſuper Spiritus diuini natura, ſententiam. Pythagoras autem, quem plures ſecuti ſunt, cum audiſſet hunc Spiritum, vt alia pleraque diuina ab Aegyptiis, cenſuit eſſe Animam, per omnem rerum naturam intentam, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. Hoc Marcus de natura Deorum. Interpretatus eſt autem ψυχὴν: id eſt, Animum, quem cæteri dicerent Animam. Itaque & Animus mundi, & Anima, & Animatio poteſt, & ſolet appellari. Spiritum autem ipſum diuinum idem Marcus & cognouit, & vim, proprietatemque eius, quam in rebus habeat, audiuit, eamque ſuo nomine appellauit. Nam cum de ordine, ac conſtantia mundi loqueretur, hanc ſapientiſſimam vocem tulit: Hæc ita fieri omnibus concinentibus inter ſe mundi partibus, profecto non poſſent, niſi ea vno diuino & continuato Spiritu continerentur. En Tullius dicit Spiritum diuinum diffuſum per omnia, ſine quo tantus ordo vitæ, quæ eſt in omni mundo, exiſtere non potuerit. Quid amplius de Spiritu prædicari, quid planius, & apertius poterat? Didicerat id reor ab antiquis. Qui nobis pro omnibus Romanis eſt teſtis, ſicut pro Græcis omnibus Plato. Intellexit ergo quendam Spiritum diuinum, diffuſum, continuatumque per omnia, viuificatorem, vitarum datorem, & conſeruatorem. Tanta eſt vis veri. De hac ipſa Plotinus item ſic locutus eſt. Qui locus etiã à Diuo Cyrillo profertur: γένοιτο δὲ ἂν φανερωτέρα, καὶ ἐνεργεστέρα αὐτὴ ἡ δύναμις καὶ ἡ φύσις ἄν τις ἐνθυμηθείη ὅπως περιέχει ταῖς αὐτῆς βουλήσεσι τὸν οὐρανὸν: παντὶ μὲν γὰρ τῷ μεγέθει τούτῳ, ὅσος ἐστὶ, δέδωκεν ἑαυτὴν καὶ πᾶν διάστημα, καὶ μέγα καὶ μικρὸν, ἐψύχωται ἄλλη μὲν καὶ ἄλλου κειμένου τοῦ σώματος, καὶ τοῦ μὲν ὡδὶ, τοῦ δὲ ὡδὶ ὄντος: καὶ τῶν μὲν ἐξ ἐναντίας, τῶν δὲ ἄλλην ἀπάρτησιν ἀπ' ἀλλήλων ἐχόντων, ἀλλ' οὐχὶ ψυχὴ οὔτος ἐν δὲ μέρει ἑαυτῆς ἑκάστῳ κατακερμασθεῖσα μορίῳ ψυχῆς, ζῆν ποιεῖ: ἀλλὰ πάντα ζῇ τῇ ὅλῃ, καὶ πάρεστι πανταχοῦ τῷ γεννήσαντι, πατρὶ ὁμοιουμένη, καὶ κατὰ τὸ ἓν, καὶ κατὰ τὸ πάντῃ. Fiat, inquit, clarior, & euidentior hæc vis, ac natura, ſi quis cogitet quomodo ſuis cęlum continet voluntatibus. In omnem. n. quanta quanta ſit, cęli magnitudinem ſe dedit. Et omne ſpatiũ vel ingẽs, vel exiguum, animauit, aliis alia corporibus motione concitatis, quorum varius eſſet ſitus, quæ vel contra ſe incitentur, vel ab inuicem aliam habeant dependentiam. Sed ipſa Anima ſecus, nec ſe ipſam vbiq; diſtribuens, viuere facit, ſed viuunt omnia ipſa vniuerſali. Atque adeſt vbique, ſimilis tum vnitate, tum vniuerſali illa aſſiſtentia Genitori, ac parenti ſuo. Hæc Plotinus. Quæ conſtat eadem eſſe, atque ea, quæ noſter Sapiens, Spiritus, inquit, Domini repleuit orbem terrarum. Sic,

6. Aeneid.

-Totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Sententia Plotini de anima mũdi.

Calcodea. Error paganorũ quorundam de anima.

Quę ſi paulùm modò expolieris, noſtra erunt liquidò. Item Plotinus eandem Spiritus diuini vim verbis his deſcripſit, λάμβανε τῷ θείου τούτου θειότερον τὸ ψυχῆς πρὸς τὸ ἄνω γειτόνημα, μεθ' ὃ, καὶ ἀφ' οὗ ἡ ψυχὴ, καίπερ ἓν οὖσα χρῆμα, οἷον ἔδειξεν ὁ λόγος, εἰκών τις νοῦ, οἷον λόγον ἐν προφορᾷ λόγου, τοῦ ἐν ψυχῇ οὕτω καὶ αὐτὴ λόγος νοῦ, καὶ ἡ πᾶσα ἐνέργια ἣν προΐεται ζωὴν, εἰς ἄλλου ὑπόστασιν: οἷον πυρὸς τὸ μὲν καὶ συνοῦσα θερμότης, ἡ δὲ ἣν παρέχει: Accipe diuina hac re, diuiniorem Animæ ad ſuperius vicinitatem, poſtquam & à qua, Anima, & ſi vna res ſit, vt ratio demonſtrauit, imago quædam Mentis, ceu verbum in prolatione verbi, quod eſt in Anima, Sic & ipſa eſt verbũ Mentis, & omnis operatio, quã effundit vitã in alterius ſubſiſtentiam, vt ignis, alius quidem caliditas aſſiſtens, alia quam præbet. Ecce Plotinus oſtendit Animam hanc vniuerſalem à Mente produci, eamq; vnam atq; eandem eſſe cum ipſa Mente, cuius ſit quædam quaſi imago, vt verbum prolatum, nuntius, & imago mẽtis. Sic. n. & Mens ipſa magna, effudit per afflatum exterius eam. Pulcherrimumq; eſt exemplum de calore, & eo, qui ineſt igni, & eo, qui funditur exterius. Haud aliter à Mente diuina, & à fonte ſancto, procedere Animã, vnam eandemq; rem, & ſubſtantiã, ſola alteritate differentẽ. Suntq; hic de productione Animę, duo clara, aptaq; exempla, ꝙ producitur ſicut verbũ ab animo, & ſicut calor exterius ſe diffundens, à calore, qui eſt in igne, cui inſeparabiliter exterior eſt cõiunctus, quanquã eſt alter. Nam non exiſteret calor circumeffuſus, ſi diſcederet calor in igne, ſiue ignis ipſe. Sunt igitur, quanquã duo manifeſtò intelliguntur, tamẽ inſeparabiles ab inuicem, alterq; manat, effunditurq; ab altero. Fõs. n. caloris exterioris, eſt calor in igne. Simile exẽplum eſt de Sole & radiis, quibus nobis notis, ignota illa redduntur clariora. Cũ igitur hæc vis cognita, ac ſpectata Philoſophis fuerit (nã hæc item eſt, quam calcodeam ineptè quidam dixere, intelligentiam, ſ. vniuerſi) apparet Spiritum ſanctum æquè atque Genitorem, ac Mentem ſub aliqua ſcientia fuiſſe. Hanc Animam non rectè antiquorum ſenſa accipientes, dixerunt, è qua animi noſtri tanquam ſcintillæ lucerent poſt vitam in eandem redeuntes. Quod Poeta quoq; maiorum inuenta referens expreſſit,

Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia, nec morti eſſe locum, ſed viua volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.

Quare non fuit poſterorum inuentum de vnica Anima , & redeuntibus ad eam animis noſtris. Nec verò de Spiritu illo vniuerſi,& Anima mundi ea ſenſerat antiqua Theologia,reſolui in eam noſtros animos. Additæ ſunt hæ fabulæ à poſterioribus Poetis. Dico igitur omnibus ſæculis tres hypoſtaſes,aut tria numina,ſeu tria principia ſub aliqua ſcintilla micuiſſe . Nam apud Platonicos tria principia commemorantur ab antiqua Theologia deſcendentia,Bonum,Mens,Anima. Ea dicuntur in nouiſſima Theologia,Pater,Verbum,Spiritus.Sed viciſſim tum veteris Theologiæ nomina perſonant in nouiſſima,tum nomina iſtius in illa.

Examinatur oraculum Platonis de tribus numinibus , aut hypoſtaſibus , circa quas ſint omnia : ſed principaliter circa Primum , qui ſit omnium finis . Cap. IIII.

IGITVR Plato circa omnium Regem omnia dicit exiſtere,Secundum circa ſecunda, & Tertium circa tertia : illiuſque Regis cauſa omnia extitiſſe, ipſum omnium bonorum cauſam fuiſſe. Hæc quidem obſcurius , id promittente autore , & ſe per ænigmata loqui velle pollicente . Quo conſtat eum maximis de rebus ſermonem inſtituiſſe. Idque ipſe ſtatim confeſſus eſt,cum ait de natura Primi . Hæc igitur de natura eius,quod dicitur Primum,à Platone diſſeruntur, & a Porphyrio Platonis interprete, ad treis hypoſtaſes applicantur , in quas ſe natura diuina diffundat quæ dicitur iure τὸ πρῶτον . Ac Patrem & Bonum prius nominauit,appellans omnium regem. Triaque dixit de eo,oſtendens eum triplicis cauſæ ad omnia habere rationem.Primum eſſe autorem omnium bonorum,quæ cauſa efficiens eſt . Tum circa ipſum ea conſiſtere, quæ cauſa rectrix eſt & moderatrix . Tum gratia eius omnia extitiſſe . Paulus igitur loquens de Patre,de quo Plato iſto loco, ſic inquit: Ex quo omnia,in quo omnia,per quem omnia . Quo tres cauſæ comprenduntur: Deus creator & imperator,rector quoque rerum creatarum,demum finis omuium. Atq; obſerua,idem eſſe apud Platonem,Circa omnium Regem,ſunt omnia,atque Paulum, In quo omnia : Significatur enim apud vtrunque imperium & ſuſtentatio rerum à Deo, ſed ſuſtentatrix,non quidem qualis hominum imperantium,& exterius regentium,ſed maior interiorque moderatio, quam facilè ipſe eſſentialem dixerim:Suſtineri ſcilicet à Deo,non per exteriorem modò prouidentiam,ſed quadam diuiniore,ac ſecretiore ratione,qua cuncta exiſtunt,exiſtente Deo,collapſura, & in nihilum abitura,non exiſtente.Nihil enim eſſet,ſi ipſe non eſſet, neque decor, neque deformitas , neque Chaos,neque ordo. Illa lux omnium rerum,ac ſæculorum,illa vis,ſtabile, firmumque vinculum Vniuerſi,ſicut docuit ſuperius Philo, Pater omnium,robur, gratia, lætitia , fęcunditas . Hoc apud Platonem,præpoſitio Circa,ſignificat, apud Paulum clarius , In. Idemque Platoni , Circa omnium Regem omnia,atque Paulo,In quo omnia. Dixi clarius apud Paulum,quòd apud Platonem,Circa,deſignat exterius quiddam, paulò interiorem , naturalemque complexum , quo cum Deo tanquam origine,& capite,coniuncta ſunt vniuerſa. Id ipſum illuſtri teſtimonio aſſeruit Ariſtoteles in libro de Mundo . Sic ad Verbum : Vetus ait & patria fama eſt,omnia ex Deo , & per Deum extitiſſe.Nulla quidem natura ipſa ſibi ſufficit,illius ſalute deſtituta.Ideo quidam ex antiquis eo progreſſi ſunt,vt dicerēt,omnia eſſe plena Dei,qui ob oculos, ob aures, omnem denique ſenſum,ſeſe nobis offerat. Quæ quidem de poteſtate diuina iure merito prædicentur, de ſubſtantia non item.Planè enim ſeruatorem,ac genitorem quarumlibet rerum eſſe Deum fatendum,nō tamen velut animal , laborem in eo ſuſtinentem , ſed quadam indefeſſa poteſtate , contingente etiam longiſſima.Sic Ariſtoteles . Apparetque magna ingenia in ſimiles ſententias incurriſſe,vel quod magis crediderim,Ariſtotelem expoſuiſſe Platonē.Quo loco fatetur eximius Philoſophus, veterem eſſe famam,omnia genita,& conſeruari a Deo,cui ſententiæ ipſe quoque ſubſcribit.Pręterea Plato,hunc Regem omnium bonorum dicit cauſam . Animos quæſo intende . Non enim cum dixit Deum cauſam τῶν καλῶν, bonorum,ſiue pulchrorum, aliquid excluſit quod non eſſet bonum,nec à Deo profectum,bona & omnia promiſcuè commemorans . Nam qui dicit omnia, dicit etiam bona. Audi igitur Moſen ad ſingulam quamque rem creatā clamantem,Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Hoc dicit de luce,de cęlo,aquis,terris,plantis,animalibus. Demumque,Et vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erant valde bona. Agnoſcis idem eſſe,Omnia,atque Bona . Nam ſi omnia erant bona,palam nomine omnis rei,omne bonum item deſignatur. Da enim quòd non cadat ſub earum rerum numerum,quas creauit Deus, bonaſque vidit & iudicauit . Quapropter Plato dixit omnium bonorum cauſam,omnium Regem,omnia bona , omnes res ſignificans,quas omnes bonas Deus vidit & aſſeruit.Paulus autem ait, Ex quo omnia . Ariſtoteles Deum omniū γενητῶρα, genitorem.Deinde Plato ait,Et ipſius cauſa ſunt omnia,Paulus autem, Per quē omnia. Hæc cauſa finalis.Nemo autem fuit.Philoſophorum, quin confiteretur, omnium rerum finem eſſe Deum.Quod hac ratione clarum fiet.Res ſenſibiles ſunt propter homines.Nam maria & terræ exercentur & coluntur ab hominibus ſolis , & his homines ſoli fruuntur . Cælum quoque duas habet res ſolis hominibus vtiles,ac neceſſarias,lumen & calorem . Nam motus tertia res in cælo,

Omnia exiſtere circa omniū regem.

Tres hypoſtaſes. Hebr.2.

Suſtētatio rerū a deo quomodo.

Paulus clarius Platone de Deo loquutus.

Plato in Epinomide,&Virg. 3. Ecloga.

Rex omnium bonorū De⁹.

Gene.1.

Omnia, & Bona, idē.

Hebr.2.

Omniū rerum finis, Deus.

Ex Cœlo duo hominibus vtilia, lumen & calor.

propter illa duo eſt adhibitus, omnibus terris, lucem, caloremque diſtribuens. Vniuerſa igitur oculis ſubiecta, hominum vitæ, commodiſque deſeruiunt. Ex quo neceſſariò finis earum eſt homo. Hominem autem aliquem habere finem, clarum eſt. Qui quoniam niſi Deus eſſe non poteſt, propter Deum erit homo & res humanæ, & propter omnium Regem, vniuerſa. Hæc quidem pronunciatio propriè in Deum Patrem, inde quo loquitur Plato, conuenit. Nam cum dicat Plotinus Filium intueri in Patrem, indeque beatum effici, certè ipſius prolis genitor finis eſt, vt quam non ſolum gignat, ſed etiam feliciter. Nec poſſumus aliter decernere, totaque poſterior Theologia vociferatur omne bonum, felicitatemque prolis, eſſe Patrem, à quo diuinitatem, id eſt, naturam ſuam, cum diuinitate omnem beatitudinem habet.

Gradatio pulcherrima.

Cum autem finis & bonum & felicitas Mentis, ſit Genitor, multo magis erit cæterarum mentium, quarum creator fuit Mens & inuentor. Vt liceat ſic colligere, & cauſas cum cauſis ſic connectere: Res ſenſibiles propter hominem, homo propter creatorem ſuum, Mentem opificem, Mens propter Genitorem, & ipſum Primum. Rurſum, cœlum propter res ſenſibiles, res ſenſibiles propter hominem. Totus igitur viſibilis, & ſenſibilis mundus, ſurſum, ac deorſum propter hominem. Hominem autem ita flecti ad aliquem, & id perinde quaſi bonum ſuum deſiderare, in quo cupiditates ſuas vſquequaque ſatiet, multis de cauſis eſt neceſſarium. Nuſquam enim eſt certa quies, ſemper ad abſentem quandam ſuſpiramus naturæ noſtræ tranquillitatem. Quam ideo neceſſe eſt eſſe ſupra hominem, quòd nuſquam tantum in rebus humanis bonum inuenitur, quod plenam illam, optatamque requiem tribuat. Solus igitur Deus. Ille ſolus occurrentem ſępe, deijcientemque animum ægritudinem poteſt tollere, & eiecto męrore, eam tranquillitatem, dulcedinemque inducere, quæ cogitari poteſt, intelligi non poteſt, longè ab omnibus hiſce gaudiis, quæ ſoliti ſumus in hac vita percipere, remota magnitudine, & perpetuitate incommemorabilis. Omnia igitur cauſa eius extiterunt, vt ad beatam, indeſinentemque lætitiam ac bonum perueniant. Et Mens ipſa in mundo prolocuta eſt, veniſſe ſe, vt ad regna paterna, patrioſque aſpectus tanquam verum finem homines adduceret. Qui non ſolum hominum omniumque aliarum mentium eſt beatitudo, ſed etiam Filij ſui, quod & ipſe demonſtrauit, & Philoſophi obſcurè cognouerunt. Ergo propter eum cuncta.

Pater τὸ πρῶτον.

Ipſe finis Mentis vnigeniti, Mens finis hominum & Angelorum, homo finis mundi corporei, tenduntque omnia in Patrem, iure Patrem & τὸ πρῶτον, ipſum Primũ, ipſum Caput: Siquidem etiam Mentis. Atque ἕνεκα, propter, ſiue cauſa, non Dei, ſed rerum neceſſitatem reſpicit. Illius quoque cauſa omnia extiterunt, quia ſceptris eius ſeruiunt vniuerſa, & ab omnibus animatis, exanimiſque rebus prædicatur, collaudatur. Factaque ſunt omnia, vt fieret maieſtas eius manifeſta. Venire, ac flecti ad illum cuncta neceſſe eſt, omnes velint, nolint, eum confitentur, neceſſitatis æſtu. Longè in hominibus clariſſimum. Nam res naturales eundem ſemper tenent curſum.

Homines deuii, tandem ſupplices ad Deum redeunt.

Videbis igitur homines deuios & à pietate, ipſoque Deo longius vagantes, tandem ſupplices, dementiamque ſuam accuſantes. Quod quidem faciunt & hi, quos arbitramur pertinaces, contemptoreſque decedere, qui multo forte miſerabilius præteritos errores deplorant. Sed ad Platonem reuertor. Propriè igitur hęc de Patre, tanquam prima cauſa dicuntur, quòd Rex omnium ſit, quòd ab eo ſint omnia creata, quòd ſuſtineantur, quòd eius cauſa extiterint. In quibus eſt maxima, multiplexque Theologia. Deinde Plato, Secundum circa ſecunda, Tertium circa tertia ait exiſtere. Declarare igitur hæc, obſcura quidem, nos oportet.

Platonicæ locutiones

Quo loco primum poſſumus ſuſpicari, more ſuo, cæterorumque Græcorum locutum eſſe Platonem, cum præpoſitiones, quæ debuiſſent nominibus præponi, poſtponunt. Quale eſt apud Homerum, φίλων ἄπο, καὶ πατρίδος αἴης. E apud Romanos, Quamobrem, Quibus de cauſis. Sic apud Platonem, Circa omnium Regem omnia ſunt, δεύτερον πέρι, τὰ δεύτερα: τρίτον πέρι, τὰ τρίτα: vt ſit punctum δεύτερον πέρι, ſenſu que habeat, circa ſecundum, ſecunda, circa Tertium, tertia. Quæ rationes diſponendi crebræ ſun Platoni. Eritque idem orationis tenor, vt quemadmodum dixerat, circa omnium Regem, ſic circa Secundum, circa Tertium. Tres autem vir diuinus audierat aut apud Chaldæos, aut apud Aegyptios in ſumma diuinitate Reges, qui numero, & effectu diſtinguerentur. Primus maxima cauſa, maximus Rex, de quo in Epiſtola, qui verè philoſophentur, fore beatos, prædicat. Secundus creator: Tertius altor & viuificator. Nam cum ait circa ſecundum, ſecunda, intelligit munus, ve numen quoddam ſecundum, ſic cum circa Tertium, tertia, quoddam diſtinctum munus innuit. Ex eo autem quod dixerat de Primo, intelligitur ſenſus ſequentium. Declarauimu enim præpoſitionem, Circum, deſignare vim ſuſtinendi, ac regendi. Primus omnibus in rebus gradus eſt, vt ſit autor & cauſa, tum eorum creatio, deinde viuificatio, & ſuſtentatio. Autor & cauſa prima Pater, cui principaliter, & vt Platonici loquuntur, fontaliter aſcribuntur omnia, quia genitor eſt Mentis opificis, creatricis, & quia prima eſt origo, prima dignitas, primum e ſe. Secundum eſſe, vel ſecundum exiſtens, eſt proles eius, à qua eſt ſecunda rerum exiſtenti ſecunda origo. Tertia eſt anima mundi, tertiam rerum exiſtentiam ſuſtinens. Tres igitur ſu origines, tanquam vna, tres habentes, ac ſuſtinentes rerum exiſtentias, tanquam vnam. Primæ o gini tria hæc ſimul attribuuntur, quòd ſit cauſa, regat, finis ſit. Eſt enim Pater cauſa Mentis, & S ritus. Itaque etiam virtutis & poteſtatis eorum. In Patre tanquam prima cauſa omnis eſt virt Secundi & Tertij, id eſt, Mentis, & Spiritus. In Patre & Rege omnium ſunt ea tria, in Prole aute

& Anima ſic explicantur, quòd Proles creat, Spiritus viuificat,& regit. Sicque circa Secundum, ſecunda,id eſt,circa Mentem,& Prolem creatricem,eſt ſecunda rerum origo, circa Tertium ſunt tertia,id eſt,tertia origo,tertium eſſe. Voluit enim Plato, quod apud Mercurium didicerat, tres omnium rerum eſſe origines, à quibus tripliciter res dependerent: Fontaliter, & originaliter,& primo à Patre,ſecundum creationem à Filio,ſecundum vitam,ac viuificationem à Spiritu. Spiritus enim,ait Proles Dei,eſt qui viuificat. Pater eſt fons,& primum,Filius creator,Spiritus viuificator. Quod quidem in ipſa redemptione apparuit. Pater miſit,Filius venit,Spiritus aluit,afflauit, viuificauit. Primus autor tanti boni fuit Pater, qui miſit & iuſſit. Secundus Filius,qui egit & paruit. Tertius Spiritus, qui afflauit. Sicque circa omnium Regem fuerunt ea principaliter, ac fontaliter. Nam miſit ipſe Filium redempturum,miſit Spiritum afflaturum, circa Secundum fuerunt hæc ipſa,ſed ſecunda quadam ratione, tertia quadam, circa tertium. Hoc quod nos de redemptione vidimus, audierant illi de creatione, & Plato tradidit tanquam priſcum myſterium, Noſque expoſuimus Platonem, nec ferè ſecus Plotinus, & Porphyrius, cuius hæc pauca verba ſunt, ὡς γὰρ πάντων μὲν περὶ τοὺς τρεῖς ὄντων θεοὺς, ἀλλ' ἤδη πρώτως μὲν περὶ τὸν πάντων βασιλέα, δεύτερον δὲ περὶ τὸν ἀπ' ἐκείνου θεὸν καὶ τρίτως περὶ τὸν ἀπὸ τούτου. Platonem ſic locutum, vt diceret omnia eſſe circa tres Deos,ſed principaliter circa Regem omnium, ſecundò circa Deum, qui eſt vel naſcitur ex illo,tertiò,circa Deum qui procedit ab iſto. En Porphyrius ſecundum à primo naſci,tertium à ſecundo docet,ex Platone.

Atribus omnia depēdent.

Pulcherrima Trinitatis diſtinctio & declaratio.

Quomodo Animam ſeu ſpiritum ex illis duobus produci tradiderint. Cap. V.

PLOTINVS igitur pro tota Theologia Platonica, omnibuſque Platonicis, in quibus tenet principatum, erit interpres, & aſſentiens ei Porphyrius. Hinc quantum de noſtra Theologia veteres cognouerint, intelliges. Tota eſt enim concatenata, mutuiſque nexibus implicata. Vt enim ſcribimus,quæ ſupra millenos annos,hi prodiderunt,ſic iidem ſcribebant,& loquebantur multis retro annis tradita. Plato inquam,Anaxagoras,Parmenides,ſecuti maiores illos,hos ſecuti recentiores. Plotinus igitur,vt eſt paulò antè demonſtratum,tres has rerum origines, triaque numina aſſumens,& de eorum inter ſe ratione diſſerens,ſic perhibet. Bonum,id eſt,Pater gignit mentem, Mens gignit Animam. Porphyrius autem exponens quaſi Platonem,& Plotinum,dicit eſſe omnia,circa omnium Regem,ſecundò,circa Deum ex illo,tertiò, circa Deum ex iſto. Tres ergo quaſi Deos,vel tria numina demonſtrant,quæ deinceps alterum ex altero naſcantur. A bono Mens,a Mente anima. Omniaque ſunt conformia cum Theologia vera,eo excepto(quod quidem exiguum eſt diſcrimen)quòd Anima,id eſt,Spiritus,non a Mente ſolum procedat, neque is tanquam certus generationis ordo debeat conſtitui. Sed enim certus ordo eſt ipſorum numinum, vt Anima ſit tertio loco, quia cauſa eſt poſt effectus, Anima autem ſiue Spiritus producitur à ſuperioribus. Hunc ordinem crediderunt eſſe etiam in gignendo. Sed etiam certè eſt,ſolum reticuerunt Bonum,a quo Spiritus producetur. Non negatur autem,quod reticetur,ſicut non negat Euangelium Spiritum etiam à Filio manare,quia Filius dicat,Spiritus qui a Patre procedit. Ac ſi velis munera,non ſubſtantiam diuinorum numinum ſpeculari,hæret magis ad Prolem Spiritus,quàm ad Supremum. Producitur.n. Bono,a Mente producitur & donatur,& effunditur. Ob hanc cauſam in productione eius,Prolem tantum commemorarunt, nec par eſt tamen Bonum eos excluſiſſe, præcipuè vetuſtiores. Nam Mercurius dixit à fonte ſancto Spiritum produci. Fontem autem Patrem eſſe conſtat. Vt ergo ex Euangelio colligimus modò Spiritum a Patre procedere, modò a Filio, non ſequitur autem errores eorum, qui tantum ea probant teſtimonia, quæ Spiritum aſſerunt a Patre produci, ſic ex diuerſis huius Theologiæ locis colligimus eum a Bono, & Mente exiſtere. A Bono Mercurius,a Mente iuniores Platonici,Plotinus,Porphyrius. Bonumque oſtenſum eſt, ipſum Genitorem appellari. Filius in Euangelio de Patre ſuo,Nemo bonus,niſi ſolus Deus. Sed diligentius ad Plotinum inſiſte. Si enim dicebat ſola alteritate Bonum ac Mentem ſeparari, vt ne ſit ſeiuncta ſubſtantia,efficitur eundem produci à Bono,atque Mente. A ſubſtantia enim diuina producitur. Eadem autem, Plotino teſte,eſt ſubſtantia Genitoris, ac Geniti, vt eos, à veritate aut nihil, aut non multum decidiſſe clarum ſit. Non ſeparaſſe autem eos ſubſtantiam horum trium, ſæpe probatum. Adeò verò non eſt is error apud eos, vt in contrarium potius deflexerunt. Nam coniunctionem ſubſtantiæ eorum quidam etiam inter cęteras diuinas ſubſtantias eſſe voluerunt, vt altera cum altera eſſet connexa, Deus cum Deo, vel Angelus cum Angelo. Quod quidem in ſubſtantiis, excepta diuina, fieri non poteſt. Nuſquam eſt tanta coniunctio, nunquam,excepto Deo æternitas. De quo poſtea. Nominant autem treis Deos, alteritatem tantum, non numerum ſubſtantiarum innuentes. Difficile enim eſt habere in promptu locutiones & nomina, quibus coniunctio ſubſtantiæ, atque diſiunctio numerorum deſignetur. Nam nomen perſonæ non fuit apud eos, prorſus hac in re apud antiquos inuſitatum. Ad vitandum autem errores, caſtigatius poſteriores locuti ſunt. Agnoſcimus igitur totam Theologiam, non ſolumque dependentiam, creationemque rerum ex Deo, ſed etiam & gradum illorum trium,

Theologia concatenata.

Plotinus de tribus rerum originibus.

Fōs, Pater.

Luc. 18.

Sola alteritate Mentem à Bono ſeparari,non ſubſtantia.

Caſtigati' de Trinitate loquuti poſteriores

& ortum, ac productionem, & quid muneris, ac numinis exiſtat in vnoquoque. Credo diuinis oraculis, non viribus humanis, priſcis cognita.

Quòd Aegyptij ter acclamabant, trinam Deitatem deſignantes, & quòd diuinam ſapientiam, omnia eſſe, apud eos inſcriptio demonſtrabat. Cap. VI.

Damaſci. Platonicus

CONSIDERANDVM quoque, quod traditur à Damaſcio Platonico haud ignobili, qui de Aegyptijs perhibet: πρώτην ἀρχὴν σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν, σκότος ἄγνωστον, τρὶς τοῦτο ἐπιφημίζοντες. Quæ ſunt: Primum principium appellant tenebras, ſuper omnem cognitionem, tenebras incognitas, Ter iſtud acclamantes. His intelligimus claruiſſe priſcis ſæculis magnam de tribus illis lucem. Omnium enim rerum principium ter acclamantes, appellanteſq́; tenebras, omnem humanam cognitionem ſupereminentes, triplicem Deitatem deſignabant. Hinc etiam Dionyſius ex ſanctis, ac diuinis fontibus caliginem hanc vocat, Qui poſuit tenebras latibulum ſuum. Et de eodem diuinus Orpheus,

Omniũ rerũ principiũ ter acclamabant Aegyptij.

Αὐτὸν δ᾽ οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται.
Illum non video: eſt etenim caligine ſeptus.

Bonum, Mẽs, Anima.

De Iſide & Oriſide.

Exod. 3. Deus ὁ ὤν.

τὸ ὄν. Philoſophorũ

Sic Aegyptij ſanctiſſimam Trinitatem, primumq́ue omnium rerum principium, tenebras ignotas dixere, nulla potes humana cogitatione contingi, ſub altiſſima diuinitatis ſuæ caligine latitantem diuinitatem, pelagus altiſſimum, quod intueri, penetrareq́ue ſummas ad vſque ſedes, nullane Deorum quidem valeat cogitatio. Terq́ue iſtud acclamabant, tria illa principia innuentes, Bonum, Mentem, Animam, ſeu Spiritum, Platonicis, multiſq́ue alijs Philoſophis notiſſima. Triplex apud illos acclamatio, ſicut Angeli clamarunt ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Item illud conſiderandum, quòd Plutarchus in Aegypto in templo Mineruæ, quæ eſt diuina Sapiẽtia, filia ſummi Dei, fuiſſe hanc inſcriptionem dicit, ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν: Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod futurum eſt: velum meum nemo mortalium hactenus reuelauit. Hæc inſcriptio. Scito igitur & attendè, quòd hæc inſcriptio erat ea, quæ eſt apud Moſen, Ego ſum qui ſum. Quod Hebraicè dicitur, Ero qui ero, Græcè, ὁ ὤν, ille qui eſt. Scitoq́ue hoc eſſe nomen tetragrammum, quod apud Hebræos eſt nomen à verbo ſubſtantiuo à voce futura יהיה Ihieh, id eſt, erit: vocatur יהוה tantum vna littera Iod, mutata in Vau, quod fit apud eos vſitatiſſimè. Hoc nomen etiam eſt, quod vocatur à Philoſophis τὸ ὄν, quod eſt, ipſum eſſe. Vt igitur dixit ipſe apud Moſen, Ego ſum qui ſum, & apud Philoſophos & Hebræos, Ille qui eſt, vel, Illud quod eſt: ſic illa inſcriptione teſtabatur ſe eſſe, quod fuit, eſt, erit, omnia videlicet, quæ continentur nomine, Ille qui eſt. Quoniam apud Deum, vt inquit Plato, neque præteritum eſt, neq; futurum, ſed ſola æterna præſentia. Præterea vt dicitur in ſacris litteris, Hoc nomen meum non indicaui eis, ſic ait inſcriptio, Velum meum nemo reuelauit. Nouimus itẽ appellaſſe ſe Ille qui eſt, quia deſignet æternitatem, deſignet creatorem, & per ſe exiſtentem, illum qui ſemper fuit, etiam anteaquam res crearentur, illum item qui non ſit ab alio, deinde illum qui maximè ſit, ens item vniuerſale, magis quàm totus mundus, & vniuerſum. Et vt apud Ioannem, Quod factũ eſt in ipſo vita erat, aut, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, ſic iſta inſcriptione, oſtendit ſe eſſe omnia, eſſe ſe cauſam vniuerſalem omnium rerum, ſine ſe nihil eſſe poſſe, nihil fuiſſe, & eſſe, futurumq́ue eſſe ſine ſe, qui ſit omnia, ens maximum, ens vniuerſale. Vt autem nouimus nomen illud, Qui eſt, eſſe Filij Dei, qui crearit, qui ſit cauſa vniuerſalis, ens vniuerſum, ſic inſcriptio iſtum ipſum denotabat. Sed Græci fallebantur, inuenientes templum illud in Aegypto diuinæ Sapientiæ, filiæ Dei dicatum, putabant hãc eſſe Mineruam. Quod verum erit, ſi ſordes fabularum abſterſeris, detraxeriſq́; vile pallium, quod ex parte fecit Proclus, dicens hanc Mineruam eſſe, δημιουργική τις ἡ θεός, Opificem Deam. Siquidem & idem Plutarchus perhibet, Rex, inquit, quicunque apud eos eligebatur, ſtatim fiebat ἐκ τῶν ἱερέων, καὶ μετεῖχε τῆς φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ, μύθοις καὶ λόγοις, ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἔχουσιν: ὥσπερ ἀμέλει καὶ παραδηλοῦσιν αὐτοὶ, πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἐπιεικῶς ἱστάντες εἰς αἰνιγματώδη σοφίαν, τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχούσης: Ex ſacerdotibus, eratque particeps Philoſophiæ, quę magna ex parte, fabulis, narrationibuſq́ue, quę obſcuras veritatis declarationes haberent, abſcondebatur. Quod ipſi apertè præ ſe ferebant, ponentes templis Sphingas, innuentes adumbratam ſapiẽtiam eorum Theologiam habere. Hæc cum teſtetur Plutarchus, non mirum eſt, ſi ter acclamãtes tenebras, trinitatem, aut tria numina deſignabant. Et diuinam Sapientiam, à Deo natam de ſe loqui obſcurè, ſeq́ue velatam eſſe fatentem introducebant. Nec item tantam apud eos Theologiam fuiſſe mirabere, ex his quæ leges apud Mercurium, Orpheum, qui didicit ab Aegyptiis, Platonem, itemq́ue Chaldæos, apud quos omnes erant duo, Genitor, & Proles, vt tria ſemper ſunt apud cæteros. Sed peculiaris ſermo de duobus, ſicut item in noſtra Theologia. In eo porrò quod Plutarchus protulit oraculo, Proclus addit hoc quod deeſt apud Plutarchum. Vbi dixiſſet, Velum meum reuelauit nemo, ſequitur, ὃν ἔτεκον καρπὸν, ἥλιος ἐγένετο, Quem ego fructum peperi, fuit Sol. Prædicat igitur ſe Solis creatricem. Mirabile myſterium. Hoc

Ille qui eſt

Ioan. 1.

Minerua quid, niſi opifex Dea? Ibid. de Iſide.

A Hoc enim eſt, quod Moſes, Dixit Deus, Fiat lux. Et, Creauit Deus duo luminaria magna. Et quod Plato in Republ. Sol filius ſummi Boni. Et quod Homerus in hymno de Sole, διὸς τέκος, Proles Iouis. Et eadem Sapientia apud Solomonem idem mirabiliter gloriatur: Ego feci, vt oriretur lumen in cœlis. Et, Ante Solem permanet nomen eius. O miſeri mortales, cur Solem adorabatis, non, vt nunc totus mundus, eum qui Solem peperiſſet? Nominauitque præcipuè Solem oraculum, quòd ſit in omni creatione præcipuus, admirabile Dei opus, præpoſitum etiam à Moſe ante omnes res creatas: Et de quo Propheta, qui cœlum contemplatus, admiratusque inuentorem, tot cæteris omiſſis, prædicauit, In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Quod ſecus, In cœlo poſuit Solem, proſequiturque ortum, & occaſum, lucem, calorem per omnem mundum intentum. Hunc ergo in oraculo gloriabatur Sapientia ſe feciſſe, quo nomine debuerat adorari, coli, à cunctis gentibus, non ipſum opus. Verè igitur illa Sapientia, erat Filia Dei, cui concorditer a cunctis datur creatio, vocata ſummi Boni Filia. Non erat illa fabuloſa Minerua, quæ cùm homo fuerit, Solem creare non potuit. Habes ergo ternam illam apud Aegyptios acclamationem non iniuria trinitatem, tria numina, tres reges deſignaſſe, vt quæ de Prole tam mira, certaq; tradiderit. Ac verè oraculum illud apud Aegyptios fuiſſe declarat Mercurius Triſmegiſtus, qui ſimiliter de Deo locutus, eſt in eo quòd Deus inuiſibilis, ſit viſibilis ex operibus, σὺ γὰρ πάντα εἶ, καὶ ἄλλο οὐδέν ἐστὶ ὃ μὴ σὺ εἶ, σὺ πᾶν τὸ γιγνόμενον, σὺ τὸ μὴ γιγνόμενον: Tu enim omnia es, & nihil aliud eſt, quod tu non ſis. Tu es omne, quod fuit, & quod non fuit. Hæc de Deo, cum Deo loquens, quod Deus de ſe ipſo in templo. Deſignat autem illud Ioannis, Sine ipſo factum eſt nihil.

Solis creatrix. Minerua qd.

Pſal. 71.

Pſal. 18.

Sapientia, filia Dei.

De tribus Regibus, ſine Tribus Intelligentijs, triplicique Diuinitate, ex Numenio, Amelio, Plotino, Theodoro, Iamblicho, Proclo. *Cap. VII.*

CONSIDERANDA quoque, quæ cæteri Platonici, tum dicta Platonis, tum Orphicam, & Aegyptiam Theologiam ſequentes, & vt ſolent, aliquo in abdito apud priſcos loco reperta proponentes, vt ænigmata, prodiderunt. Proclus igitur hæc ait ſuper Timæum: Νουμήνιος τρεῖς ἀνυμνήσας θεοὺς, πατέρα μὲν καλεῖ τὸν πρῶτον, ποιητὴν δὲ τὸν δεύτερον, ποίημα δὲ τὸν τρίτον, ὥστε ὁ κατ' αὐτὸν δημιουργὸς διττός, ὅ τε πρῶτος καὶ ὁ δεύτερος θεός: Numenius celebrat, & laudat tres Deos, primumque vocat Patrem, ſecundum Creatorem, ipſum opificium, ideſt, Animam mundi, tertium. Quocirca Opifex ſecundum illum eſt geminus, & primus ſcilicet, & ſecundus Deus. Hæc Numenius à Proclo recitata. Vides apud Numenium, duos creatores, Duos Deos. Eo enim modo tunc loquebantur. Vides primum Patrem, ſecundum Opificem, vel Creatorem, quod nomen, vt ſæpius claruit, propium eſt diuinæ Prolis. En quod noſtra canit Theologia, confitens Patrem creatorem cœli, & terræ, confitens item Filium creatorem, vt per quem omnia facta ſunt. Nec te turbet, quòd tertio loco diuinitatis, dicat Proclus ponere Numenium ipſum opus. Non enim ita nominat tertium, vt æquale prioribus duobus, ſed vt factum, & opus quoddam diuinum, ſicut & Plato in Timæo, ſtatuens Mundum aut Animam eſſe Deum, creatum à Deo, id eſt, rem diuinam, opus Dei, ſolum autem geminum Creatorem fatetur, ſolis duobus aſcribit creationem, de quibus vt in primo libro viſum, tam præclara ſcripſit Numenius. Vera quidem diuinitas eſt duorum opificum, & duorum non diſtinctorum, ſed vt ipſi quoque docent, vnius operis mundani, duo creatores velut vnus, quia opus vnum. De duobus autem numinibus, & de duobus, quibus rerum creationem attribuunt Philoſophi, nunc ego loquor. Excludoque tertium illud à vera diuinitate. Quanquam ſit mihi veriſimile tertio loco, non id quod Proclus dixit poſuiſſe Numenium, ſed quod Pythagoras, Plato, Plotinus, Amelius, vt poſtea docebitur. Plato enim, vt ſuperius audiſti, tres nominauit. Duos autem qui crearent, vt idem Proclus perhibet, Plotinus adhibuit, διττὸν μὲν ὑποτίθεται τὸν δημιουργὸν, τὸν μὲν ἐν τῷ νοητῷ, τὸν δὲ ἡγεμονικὸν τοῦ παντός: Duplicem quidem proponit Opificem Plotinus, alterum in intellectuali, alterum imperantem vniuerſo. Hæc dicta Plotini eò ſpectant, Patrem eſſe, primum intellectualem dantem ſapientiam, & Ideas Prolis ſuæ, quas appellant Platonici, νοητὰ: eum eſſe ſummum, eminentiſſimumq; in mundo, qui dicitur νοητός: Prolem autem, vt omnes ſuperius vidimus confitentes, eſſe reginam vniuerſi creatricemq; Mentem. Amelius autem melius, & clarius explicuit tres illos. De quo idem Proclus: Ἀμέλιος δὲ τριττὸν ποιεῖ δημιουργὸν, καὶ νοῦς τρεῖς, βασιλέας τρεῖς, τὸν ὄντα, τὸν ἔχοντα, τὸν ὁρῶντα: διαφέρουσι δὲ οὗτοι, διότι ὁ μὲν πρῶτος νοῦς ὄντως ἐστὶν, ὁ δὲ δεύτερος ἐστὶ μὲν τὸ ἐν αὐτῷ νοητὸν: ἔχει δὲ τὸ πρὸ αὐτοῦ, καὶ μετέχει πάντος, καὶ διὰ τοῦτο δεύτερος: ὁ δὲ τρίτος ἐστὶ μὲν τὸ ἐν αὐτῷ, καὶ οὗτος νοητὸν: πᾶς γὰρ νοῦς, τῷ συζυγοῦντι νοητῷ ὁ αὐτὸς: ἔχει δὲ τὸ ἐν τῷ δευτέρῳ, καὶ ὁρᾷ τὸ πρῶτον: ὅσον γὰρ πλείων ἡ ἀπόστασις, τοσοῦτον τὸ ἔχον ἀμυδρότερον. Quæ ſunt, Amelius, inquit, triplicem, facit Opificem, & Mentes tres, & Reges tres, eum qui eſt, eum qui habet, eum qui aſpicit. Differunt autem hi, quoniam prima Mens verè eſt: Secunda eſt quidem intellectuale, quod eſt in ipſo, habet autem ante ſe, & participat omnino ipſum, & propter hoc, eſt ſecunda. Tertia verò, eſt quidem,

Tres Dij Numenio.

Duobus Diis aſcripta creatio.

Procli locus de tribus intelligentiis.

& ipſa, quod in eo intellectuale. Omnis enim mens conſociato intellectuali eadem eſt. Habet autem quod eſt in ſecundo, & videt primum. Quanto enim fit maior diſceſſus, tanto, id quod habet eſt obſcurius. Hæc vbi recitaſſet, Proclus addit, τούτους οὖν τοὺς τρεῖς νόας, καὶ δημιουργοὺς ὑποτίθεται, καὶ τοὺς ϖαρὰ πλάτωνι τρεῖς βασιλέας, καὶ τοὺς τρεῖς ϖαρὸρφεῖ τρεῖς. Videlicet, Has igitur tres Mentes, & Opifices ſtatuit Amelius, & qui ſunt apud Platonem tres Reges, & qui apud Orpheum tres, Phanes, Vranos, Cronos. Hæc Proclus. Ex his fit clariſſimum etiam Platonem, & Orpheum antiquiſſimum, de tribus numinibus locutos incorruptius quidem, diuinius, & cœleſtius Platonem, nominantem tres illos, tres Reges, velut vnum. Sunt ergo tres Reges apud Platonem, teſte Proclo, non Chriſtiano, imò Chriſtianis inimico, ſunt, tres Mentes, tres Intelligentiæ, tres Reges velut vnus. Vt noſtræ litteræ canunt, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus: Non tamen tres Dij, ſed vnus eſt Deus: ſic dicere poſſis ex Platone, Rex eſt Pater, Rex eſt Filius, Rex Spiritus ſanctus. Non tamen tres Reges, ſed vnus Rex. Quoniamque mens eſt vna hypoſtaſis, aut perſona, crediderim rectè ſic prædicari, Mens eſt Pater, Mens Filius, Mens Spiritus ſanctus. Non rectè autem, ſi dicas, Non tamen tres Mentes, ſed vna eſt Mens. Quia Mens eſt hypoſtaſis. Sed ſit quod verius, ac melius Theologis videbitur. Quis autem reuelauit Platoni, qui Mentis æternæ aduentum in mundum, plus trecentis annis anteceſſit, tres illos Reges, circa quos omnia eſſe prædicauit? quis item Orpheo, licet, vt moris, eius poeticis nominibus tria illa nomina deſcripſerit? Sed ſit obſcurius, quod ab Orpheo poſitum eſt, vera, luculenta, clareſcentia, quæ Plato de tribus Regibus, Plotinus, Numenius, Amelius de duobus Opificibus. Nam tertius ſemper fuit obſcurior, etiam apud noſtrates. Hoc miraculum, tres omnium rerum Imperatores Platonem nominaſſe, cęteros autem Philoſophos, duos Opifices, vt eſt in noſtra cœleſti Theologia. Hoc indicio eſt, ſemper in priſca Theologia, apud Chaldæos, Phœnices, Aegyptios, gentes vetuſtiſſimas, quæ nunc penitus apparuit, abditam fuiſſe ſapientiam, ſed non cognitam, adulteratam nominibus, & ſenſibus, donec præco cœleſtis ipſe, viſibilem, qui eſſet antè inuiſibilis, ſe reddens, eam efficeret rutilantem, doceretque omnes, oportere adorare Deum, in ſpiritu, & veritate. De quibus tribus, Deo, Veritate, Spiritu, notionem priora ſæcula, ab initio generis humanis deſcendentem, tenuerunt. Nam ſicut Amelius ſecutus eſt Platonem, ſic neceſſariò Plato didicit ab anteceſſoribus, credo ego, Aegyptiis, & Chaldæis, quemadmodum item in Epiſtola nominat Cauſam mundi, & Patrem eius, certè ab aliquo oraculo, ab aliqua vetuſta Theologia, quale canebat Aegyptia, tria numina, ea tenebras appellans, & vt tam multa Mercurius, Chaldæuſque decantauit. Veriſſimum eſt item legiſſe Platonicos multa, quæ peruenire ad noſtra ſæcula non potuerunt, ex quibus illi libris ſuis quædam largiti ſunt. Sed reuertor, declaroque Amelium. Patrem, primamq; Mentem dicit exiſtentem, ſecundam habentem, tertiam videntem. Quorum ratio eſt, quòd primo ac principaliter, fontaliterq; eſt ipſe Pater, qui dicitur etiam τὸ ϖρῶτον, Primatus, Principatus, Primum eſſe, à quo reliqua Secundus dicitur habere, qui participat priorem, naſcitur à priore, eſt filius eius, habet ab illo bona ſua, diuinitatem, ſapientiam, autoritatem, idque ipſe prædicabat in mundo, eoque eſt ſecundus, participanſque, quod dixit de eo Ioannes, eum eſſe, & fuiſſe ſemper apud Deum. Tertius autem, inquit, habet quidem quod in Secundo eſt, reſpicit autem Primum. Hoc nos clarius diceremus, manare à duobus, quia Primum velut fontem ſuum aſpicit, habet autem, quod in Secundo eſt. Fluit enim ab ipſo, habet ab ipſo, à præcedente, quod eſt, & datur, mittitur, fluitque ab ipſo Secundo. Aſpectus in Primum eſt, vt in fontem ſuum, habere quod in Secundo eſt, item accipere, quod ipſe ſit, à Secundo. Dat enim ei Secundus, quod eſt. Quòd ſi hæc ad creationem, Ideaſque referas, & vt tres rerum Imperatores, triaq; principia velut vnum, eadem eſt ſententia. Primus verè, principaliter, fontaliter eſt. Secundus, eſt Idea quæ in ſe eſt, quæ dicitur ab eis τὸ νοητὸν. Ob id autem eſt Idea, quia nihil eſt in Deo alienum à Deo. Et quia Mens, aut Intelligentia eſt idem cum re intellecta, ſic etiam Tertius, quia & ipſe Mens eſt, eſt ipſum intellectuale ſiue intelligibilitas, vt ſic dixerim. Id ſcilicet, quod eſt in Secundo, & quia Mentes ſunt, intelligendo operantur. Quia verò ſunt vnus Deus, quod intelligitur, & intelligendo creatur à Secundo, intelligitur item, fitque à Tertio, ſi velis iſta ad creationem referre, cuius principalem cauſam aſſignant Platonici velut originem, Ideam in mente Opificis, quæ ab eis nuncupatur τὸ νοητὸν. Hæc Idea, inquit Amelius, eſt in Secundo, eſt item in Tertio, ſed Secundus, & Tertius eſt item cum iſta Idea. Sunt enim velut duo opifices mundi, vterque mundi origo, vtrique ineſt Idea mundi, & vterque eſt ipſa Idea. Non eſt diuinitas eorum diſiuncta, quia vterque eſt eiuſdem rei ſummus opifex, vterque principium. Pater autem & primus eſt, quem & Secundus participat, & Tertius aſpicit, eoq; Primus à duobus participatur. Quæ quidem noſtra Theologia clarius loqueretur. Sed nobis ſatis eſt oſtendere, cœleſti nunc reuelatam teſtimonio veritatem, ſemper in aliqua luce apparuiſſe, religionem hanc, quam colit mundus, antiquiſſimam illam omnium ſæculorum eſſe: verum vt nunc radiantiſſimam, omnibuſque perſpectiſſimam ſic tunc obſcuriorem, inter abdita myſteria latitantem, vix paucis introſpectam, nec ab illis etiã forte intellectam, donec apparuit tota. Ecce tot autores, tot teſtes, de duobus Opificibus, de tribus quibus canitur nobis æterna gloria, teſtes inquam, quibus cùm aut incognita prorſus noſtra religio,

Tres Mentes, Reges, ſeu intelligẽtiæ.

Non tres Reges, ſed vnus.

Plato vixit ante Chriſtum plus trecẽtis annis.

Apud quos abdita ſapientia.

A qui. Plato didicit.

Pater τὸ πρῶτον.

Idea & τὸ νοητὸν.

Veritas tãdẽ reuelata, quę diu latuerat.

A religio, aut vix cognita eſſet, loquebantur tamen eadem, apud maiores Theologos reperta. Nam quod Plato de tribus Imperatoribus ſcripſit, extabat etiam apud priores Pythagoreos. Nec tibi referam hoc loco, quod ſuperſtitioſi quidam è noſtris, ex libris Ariſtotelis, qui teſtetur Pythagoreos vſos numero ternario in ſacris, quo deſignabant principium, medium, finem in cunctis rebus, ſed quod euidentiſſimè monuit Proclus à Iamblicho traditum, τρεῖς εἶναι θεοὺς τούτους καὶ παρὰ τοῖς πυθαγορείοις ὑμνουμένους: Celebrari, laudari tres iſtos Deos apud Pythagoreos Videlicet quod nos, perpetuo, & indefeſſè, noctesque dieſq;, nunquam ſanctiſſimas voces has interpolantes, vt ſit gloria Patri, Filio, Spiritui ſancto, qui fuerit ſemper, & ſicut fuit, ſic ſit, futurusque ſit in æternum. Eadem extant apud Numenium Pythagoreum. Mirificè quoque conſenſere cæteri Platonici, venerantes, adorantesque cum cæteris tres hos Imperatores, & Reges, treſq; Deos, vt vnum. Nam Theodorus Platonicus inſignis, ſecutus Amelium, hæc Proclo teſte ad verbum poſt Iamblichum inquit, τρεῖς μὲν ἀμελίῳ συνεπόμενος εἶναι φησὶ δημιουργούς: τάττει δὲ αὐτοὺς οὐκ εὐθὺς μετὰ τὸ ἓν ἀλλ' ἐπέκεινα τῶν νοητῶν τε καὶ νοερῶν θεῶν: ἀποκαλεῖ δὲ τὸν μὲν οὐσιώδη νοῦν τὸν δὲ νοερὸν οὐσίαν, τὸν δὲ πηγὴν ψυχῶν, καὶ τὸν μὲν ἀδιαίρετον, τὸν δὲ εἰς ὅλα διηρημένον τὸν δὲ καὶ τὴν εἰς τὰ καθ' ἕκαστα διαίρεσιν πεποιημένον. Nimirum, Tres, inquit, ſecutus Amelium, dicit eſſe Opifices Theodorus. Nec eos ordinat mox poſt vnum, ſed ante Deos intellectos, & intelligentes. Aliumque vocat Mentem ſubſtantialem, alium ſubſtantiam mentalem, tertium Fontem animarum. Ac primum indiuiduum, ſecundum per omnia diſtributum, tertium facientem per ſingula diſtributionem. Hæc Theodorus, ſecutus Amelium, Amelius ſecutus Platonem, Plato veteres Aegyptios, hi maiores, primoſq; homines, & oracula cœleſtia, vbique reſonantia. Conſidera obſecro ordinem, quem dat his Theodorus. Non enim locat eos poſt Vnitatem, quæ tribuitur ab eis tum ſummo Bono, tum Ideis, ſed locat ante Deos intellectos, & intelligentes. Noris, vt ſuo loco videbitur, apud Platonicos, & noſtros eſſe duo genera Deorum, ſiue Angelorum: priores dicuntur νοητοὶ, Intellecti: poſteriores νοεροὶ, Intelligentes. Dionyſius dictos priores Intellectos, quia intelliguntur ab his, qui dicuntur νοεροὶ: quo, & illi Intellecti, vt ſuperiores, & hi Intelligentes vocantur: irradiare enim maiores in inferiores intelligentiam ſapientiamque. Hos in illos reſpicere, velut intelligentes, & cognoſcentes. Nonnulli Platonici ingeſſere noua, Intellectos, & Priores, Ideas ſentientes, quæ ab inferioribus intelliguntur. Sed ordo, & ſenſus ſyncerus prior. Tres igitur illos Opifices, id eſt, Trinitatem, ſtatuebat Theodorus ante omnes ordines Angelorum, prioremque vocabat Mentem ſubſtantialem, ideſt, cuius ſubſtantia ſit Mens, ſit primum ſapere, primum noſſe, prior ſapientia, cuius ſubſtantia non ſit aliud quam Mens, Mens plena ſubſtantiæ, quo deſignatur primatus totius eſſe, omniumque mentium. Secundum vocabat Subſtantiam mentalem, hoc eſt, eam mentem, & ſapientiam, quæ hoc ipſum habuerit à primo, & quæ non primò Mens ſit, ſed ab eo, qui primò Mens: idcirco etiam primò ſubſtantia, quia mens ſubſtantialis primò. Tertium vocabat Fontem animorum, quo nihil diuinius, & profundius, Quippe & noſtra Theologia vocat eum Creatorem ſpirituum, vt paulò ante vidiſti, & hæc eſt Anima mundi viuificatrix, mater animarum. Nonne etiam noſtri eum appellant Fontem viuum? rogamuſq; vt per eum ſciamus Patrem, primum ſcilicet illum? Priorem autem Indiuiduum dicit, quia Filio datur creatio, datur executio rerum paternarum, iſte facit omnia, & per omnia commeat creator, princeps, iuſſus à Patre. Nam Indiuiduus, deſignat eum non fungi his officiis, Filium autem fungi, eſſe eum, vt Philo perhibet, Patris ſui ὕπαρχον, ſubditum magiſtratum, ſubminiſtrum, facientem omnia pro eo, ius eius, ac poteſtatem. Hæc igitur Platonici eo ſpiritu, ex ea Theologia locuti ſunt, quæ peruenit ad eos à ſæculis prioribus, inuentaq; eſt apud Chaldæos, & Aegyptios, Sibyllas, & in oraculis. Quos libros ſi ſic nobis videre datum fuiſſet, ſicut quædam fruſta, propemodumque naufragia vidimus, certè myſteria penitus noſtra videremus. Sentiremus toto in mundo, beneficio diuino prius obſcurè reuelatam hanc religionem, ac Philoſophiam nouiſſimorum ſæculorum: donec veniens princeps eius, in cuius morte velum templi ſciſſum eſt, remotis tenebris totam aperiret. Quo factum, vt eo veniente repleta ſit omnis terra, vt prædixerant oracula, ſcientia Domini. Hæc autem, quæ producta ſunt, etſi non rectè Proclus interpretetur in Timæo, videbis tamen paulò pòſt hominem reſipiſcentem. Neque ego contendo, quanta poſtea Trinitatis refulſit notio, eos tenuiſſe, ſed eam audiſſe, ex parte vidiſſe. In Theologia Platonicorum, ea potiſſimum ſequenda, quæ maiores tradidiſſent. Nam Proclus ferme poſterior omnibus floruit. Sed enim etiam noſtri ſenſerunt, prodideruntque mirabili, propemodumque diuino ſenſu: verum manabat ab Aegyptiis, & Chaldæis, Platonem de tribus numinibus, præcipuè duobus prioribus locutum, è quibus præter Cyrillum, & Euſebium eſt Conſtantinus Imperator in oratione de religione Chriſtiana, in qua mirificis laudibus collaudato Platone, ſubdit, πρῶτον μὲν θεὸν ἐξηγήσατο τὸν ὑπὲρ τὴν οὐσίαν, καλῶς ποιῶν: ὑπέταξε δὲ τούτῳ καὶ δεύτερον: καὶ δύο οὐσίας τῷ ἀριθμῷ διεῖλεν: μιᾶς οὔσις τῆς ἀμφοτέρων τελειότητος, τῆς τε οὐσίας τοῦ δευτέρου θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἐχούσις, ἐκ τοῦ πρώτου: αὐτὸς γὰρ ἐστὶν ὁ δημιουργός, καὶ διοικητὴς τῶν ὅλων. Primum, inquit, Deum docuit rectè ſupra ſubſtantiam eum collocans. Huic etiam ſubiecit ſecundum: duaſque ſubſtantias numero partitus eſt, vna exiſtente vtriuſque perfectione, & ſubſtantia ſecundi Dei

existentiam

Numeri Pythagorei, & opinio de Triade.

Platonici Triada venerati.

Tres Opifices, Amelio.

Duo genera Deorũ, νοητοὶ καὶ νοεροὶ, intellecti, & intelligẽtes.

Mens ſubſtantialis.

Subſtantiã mentalis.

Fons animorum.

Matt. 27.

Eſa. 11.

Philoſophi viderũt in parte.

exiſtentiam habente ex primo. Ipſe enim eſt opifex, & gubernator omnium. Hæc quidem ille, docens Platonem duos quidem Deos, vt eſt in Epiſtolis, nominaſſe, ſed vnam vtriq; perfectionem attribuiſſe, habente Secundo ex Primo ipſum eſſe, ipſum exiſtere. Duas autem ſubſtantias eum numero fuiſſe partitum, eſt duas hypoſtaſes, duos numero gradus in diuinitate ſtatuiſſe, ſic enim, eo ſæculo, & religione loquebantur. Aſſignans autem vnam ambobus perfectionem Plato, certè ſubſtantiam, Diuinitatemq; eorum vnam aſſignabat. Vna enim eſt Diuinitas, vna perfectio, vnum cunctarum rerum faſtigium. Sic vnum amborum culmen, vna maieſtas, vtique, & diuinitas vna, quæ eſt ſuprema perfectio.

De tribus principijs, ex Proclo, Platonis Theologia contentis, quæ dicuntur Bonum, Mens, Anima: alijsque nominibus appellantur. Et quòd hæc tria principia, non ſubſtantia tria ſunt, ſed alia ratione. Cap. VIII.

Trinitas, ſupremũ Theologię cacumen, Platonicis cõfeſſa.

NEC VERO noſtri ſolum, ſed ipſimet Platonici, clariſſimè confitentur tres illos Reges, triaque numina rerum, decreuiſſe, declaraſſe Platonem, idque eſſe ſupremum Theologiæ eius cacumen, in quo ſita ſit eminentiſſima Trinitas, ad quod ſapientiſſimum quemque oporteat aſpirare. Conſiderent igitur omnes, ſuſpiciantque veritatem omnipotentem, quę ſæpe velut ignis in anguſtiis clauſa, impatienſq; tenebrarum violenter erumpit. Nulla eſt reliqua controuerſia, quando tot teſtes aſpicis, paribus teſtimoniis aſſerentes, concorditerque acclamantes triplici imperio, ternæ, aut triplici vel trinę Diuinitati, ac maieſtati. Proclus ille, qui ſuper Timæum, cæterorum Platonicorum de tribus Regibus ſententiam propoſuerat, in libro de Theologia Platonica, in quo latè de dogmatis Platonicis diſſerit, ſimilia atq; priores, Numenius, Porphyrius, & Plotinus, Amelius, confitetur ſenſiſſe Platonem: cuius ſermo etſi prolixior eſt, allectus tamen declarandæ veritatis amore, totum proponam, & ediſſeram: σωμάτων μὲν ὥσπερ εἴρηται καὶ ψυχῶν πατέρα τὸν νοῦν ἀποφαίνει, καὶ αἴτιον, καὶ περὶ ἐκεῖνον πάντα καὶ εἶναι, καὶ ἐνεργεῖν ὅσα τὴν ζωὴν ἐν διεξόδοις, καὶ ἀνελίξεσι κέκτηται: πρόεισι δ' ἀπ' ἄλλην ἀρχὴν, τοῦ νοῦ παντελῶς ἐξῃρημένην, καὶ ἀσωματωτέραν, καὶ ἄρρητον, ἀφ' ἧς πάντα, κἂν τὰ ἔσχατα τῶν ὄντων, λέγης τὴν ὑπόστασιν ἔχειν ἀναγκαῖον: ψυχῆς μὲν γὰρ, οὐ πάντα μετέχειν ἀναγκαίως πέφυκεν: ἀλλ' ὅσα ζωὴν ἔσχε τρανεστέραν, ἢ ἀμυδροτέραν ἐν αὐτοῖς: οὐ δὲ νοῦ πάντα. καὶ τοῦ ὄντος ἀπολαύειν δυνατὸν, ἀλλ' ὅσα κατ' εἶδος ὑφέστηκε: δεῖ δὲ αὖ τὴν ἀρχὴν τῶν πάντων, ὑπὸ πάντων μετέχεσθαι τῶν ὄντων, εἴπερ μηδενὸς ἀποστατήσει, πάντων αἰτία τῶν ὅπως οὖν ὑφεστάναι τῶν λεγομένων οὖσα: ταύτην δὲ πρωτίστην τῶν ὅλων, καὶ νοῦ πρεσβυτέραν ἀρχὴν ἐν ἀβάτοις ἀποκεκρυμμένην, ἐνθέως ἀνευροῦσα, καὶ τρεῖς ταύτας αἰτίας, καὶ μονάδας ἐπέκεινα σωμάτων ἀναφαίνει, ψυχὴν λέγω, καὶ νοῦν τὸν πρώτιστον: καὶ τὴν ὑπὲρ νοῦν ἕνωσιν, παράγειν μὲν ἐκ τούτων ὡς μονάδων τοὺς οἰκείους ἀριθμοὺς, τὸν μὲν ἑνοειδῆ, τὸν δὲ νοερὸν, τὸν δὲ ψυχικόν: πᾶσα γαὸ μονὰς ἡγεῖται πλήθους ἐν αὐτῇ συστοίχου: συνάπτει δὲ ὥσπερ τὰ σώματα ταῖς ψυχαῖς οὕτω δὴ ποῦ καὶ ψυχὰς μὲν τοῖς νοεροῖς εἴδεσι ταῦτα δὲ ταῖς ἑνάσι τῶν ὄντων: πάντα δὲ εἰς μίαν ἀρχὴν ἐπιστρέφει τὴν ἀμέθεκτον ἑνάδα καὶ μέχρι ταύτης ἀναδραμοῦσα, πέρας οἴεται τὸ ἀκρότατον ἔχειν, τῆς τῶν ὅλων, θεωρίας, καὶ ταύτην τὴν περὶ θεῶν, ἀλήθειαν, καὶ περὶ τὰς ἑνάδας τῶν ὄντων. Quæ ſunt Latinè: Corporum quidem, quemadmodum dictum eſt, & animarum patrem, Mentẽ pronunciat, & cauſam, & circa eam cuncta eſſe, & operari quæcunque vitam in proceſſibus, & explicationibus poſſederunt. Progreditur autem ad aliud principium, à Mente penitus abſolutum, magiſque incorporeum, & ineffabile, à quo omnia etiam extrema rerum dicas habere ſubſtantiam, neceſſe eſt. Animam enim non omnia participare neceſſariò nata ſunt, ſed quæcunque vitam habuere puriorem, aut obſcuriorem in ſeipſis. Neque Mente omnia frui, & ea, quæ verè eſt, fas eſt, ſed quæcunque ſecundum ſpeciem ſubſiſtunt. Oportet principium omnium ab omnibus rebus participari: ſiquidem a nullo deficit ea, quæ eſt cauſa rerum, quæ quomodocunq; ſubſiſtant. Hoc igitur primo, ac ſupremo cunctarum rerum, etiam ipſa Mente antiquiore principio, quod in abditis, & inacceſſis eſſet abſconditum, cum Platonis Theologia reperiſſet, & tres has cauſas, & vnitates, vltra corpora demonſtraſſet, dico Animam & mentem ſupremam, & ſupra Mentem Vnitatem, procedere quidem ex his, vti vnitatibus, aut ſingularitatibus proprios numeros, alterum quidem vniformem, alterum mentalem, tertium animalem, docuit, omnis enim ſingularitas antecedit multitudinem, ſibi coelementalem. Coniungit autem ſicut corpora animis, ſic ſanè animas quidem mentalibus ſpeciebus, aut formis, has autem vnitatibus rerum, omnia verò in vnam vertuntur incommunicabilem Vnitatem: & vſq; ad hanc progreſſa Theologia Platonis, finem putat ſupremum ſe tenere totius rerum ſpeculationis, & hanc de Dijs veritatem, & circa vnitates rerum. Hæc & alia multa Proclus aſſerens hanc eſſe Platonicam theologiam. Totus autem is ſermo eſt declaratio eius, quod in illa inclyta ad Dionyſium Epiſtola, quæ eſt ſecunda, locutus eſt Plato, Circa omnium Regem eſſe omne, & illius cauſa omnia, & illum eſſe cauſam omnium bonarum rerum, Secundum autem circa ſecunda, Tertium circa tertia: Vel, vt ſuperius fuit expoſitum, circa Secundum ſecunda, circa Tertium tertia. Tria hæc principia,

Mẽs, principiũ antiquus.

Circa omnium Regem, omnia. & illius cauſa omnia.

A principia, & tres cauſas aſſerit Proclus in theologia Platonica celebrari, Primumque ac Supremum appellari Vnitatem abditam, arcanam, maximam, Secundum Mentem, Tertium Animam: Mentemque eſſe cauſam animarum, & corporum omnium. Huc vſque rectè ac diuinè explicat Theologiam Platonicam Proclus. Atque ait, vt ſtupore digna res ſit, Platonem omnes quidem animas, & corpora à Mente ſuprema, & prima producere, quam, vt teſtatur etiam Laertius, Cauſam appellet, ſed rurſum altius eum aſcendiſſe, & ad aliud principium, arcanum, ineffabile, perueniſſe, à quo procedant omnia, etiam extrema rerum. Sed Proclus dicens, hoc altiſſimum, & ineffabile principium, quod eſt ante Mentem, Platonem dixiſſe, παντελῶς ἐξῃρημένον τοῦ νοῦ, penitus & vndequaque à Mente abſolutum, ſeparatum, extractum: ſciat nihil tale dixiſſe Platonicam Theologiam: quod & ratione, & Platonis autoritate probabo. Ratione quidem, quoniam Platonem producere ab altiſſima, primaque Mente dicit animas omnes, & corpora, circaque eam aſſerere, verſari, quæ quomodocunque vitam participent, altius autem illud, & ineffabile principium, quod antecedit Mentem, dicit item omnium rerum, etiam extremarum aſſeruiſſe eſſe cauſam. Ergo quorum Mens eſt cauſa, eorundem quoque ineffabile principium. Quæro igitur quid cauſæ ſit, quòd eorundem vtrunque eſt cauſa, vt quot fiant ab vno, totidem ab altero? Nonne quia vna autoritas, vna poteſtas? Si enim Mens creat Platoni corpora, & animas, omnemque vitam: ineffabile vero Principium omnium eſt cauſa, etiam minimarum rerum: profectò, & Mens quoque potentiſſima eſt, & facit omnia, quæ Principium ineffabile. Ergo vna eſt autoritas vtriuſque. Neque enim bis poteſt mundus creari, vt partim creetur ab ineffabili Principio, rurſum accedat Mens, quæ & ipſa creet. Sed vnam neceſſe eſt eſſe autoritatem, vnam voluntatem, par conſilium, quod ſimul conſpirans crearit mundum. Neque poteſt vlla alia reddi ratio, ſi fit idem ab vtroque, quin ſit eadem voluntas, & autoritas. Quod vtique non eſſet, ſi ineffabile Principium eſſet à Mente vndequaque ſeparatum. Neque enim voluntas conſpiraret, longè lateque his à ſe diſtantibus. Adde quòd ſi Mens eſt Deus omnipotens, vt apparet, creat enim omnia, quod eſt Diuinitatis: ineffabile quoque Principium eſt Deus: vterque neceſſariò eſt Deus, & æternus vterque, omnipotens, & ſapientiſſimus vterque. Hæ rationes ſunt naturales, & veræ. Verba autem Platonis, apertè Proclo contradicentia ſunt in ſexta Epiſtola, vbi Plato commemorat principem, & cauſam omnium præſentium, & futurarum rerum, & deinde patrem iſtius principis, & cauſæ. Princeps, & Cauſa, omnium Platonicorum conſenſu, & vt tam multis exemplis probatum eſt ſuperius, eſt Mens illa ſecundum principium. Ergo ſi Mens habet Patrem (Pater autem eſt is, quem ineffabilem Vnitatem, & ſummum Bonum dixere, quod Macrobius teſtabatur, addens veterem Philoſophiam dixiſſe Mentem eſſe filiam ſummi Boni) efficitur, vt eiuſdem naturæ ſint Pater, & Proles. Nam qui naſcitur ab homine eſt homo, qui à leone, eſt leo: ſic qui naſcitur à Deo, & ineffabili Bono, etiam ipſe eſt Deus, eſt ineffabilis, eſt Bonum ſummum. Igitur Plato tria decreuit principia, vt Proclus inquit, tres cauſas, tres Reges, modus autem, quo ſint principia, quem poſuit Proclus, forſan non eſt Platonicus omnino, vt à Primo vniformes, à Secundo mentales, à Tertio animales ordines exiſtant, quia Primus Vnitas, Secundus Mens, Tertius Anima, Dico ex Platone, omnes æqualiter eſſe eorundem cauſam. Tres cauſæ tanquam vna, quod ipſe quoque ſuis probat verbis. Quod quidem fieri à ſummo Bono pronuntiat, quorumve ipſum eſſe principium, etiam à Mente, etiam ab Anima fieri fatetur. A Mente, & Cauſa factus eſt totus mundus, corpora, & animæ. Summum autem Bonum cunctorum eſt principium, etiam minimorum. Mens creat animas, ab Anima quæ tertium eſt principium, animarum naſcitur ordo. In mundo nihil eſt præter hæc ipſa, nec aliud eſt mundus, quàm hæc ipſa: ergo quidquid fit ab vno, fit ab altero, quoniamq; non conuenit eiuſdem rei duos, vel tres aſciſcere creatores, naturali deductione efficitur, vt trium principiorum, & cauſarum ſit vna eademque poteſtas, autoritas, conſilium, imperium. Et ordo ille Procli, vt à Primo ſint vniformes, à Secundo νοεροὶ, intelligentes, à Tertio animæ. Vniformes autem, vt reor, vocat primam Angelorum Hierarchiam quam illi conficiunt ex Ideis, eoque vocant eas Vniformes, id eſt, ſimiles ineffabili Vnitati. Secundos ſentit, ſecundum ordinem Angelorum, qui creentur à Mente. Tertius eſt ordo animarum, qui ab Anima prima ſerantur, creentur. Is inquam ordo non eſt Platonicus, etſi ex parte verus. Et ratio clamat ex dictis eorum, ordinem non eſſe ita præfixum, vt hoc fiat à Mente, hoc ab ineffabili Vnitate, illud ab Anima, quippe quot fiunt ab vno, totidem fiunt ab altero, totaque creatio à cunctis vetuſtiſſimis theologis viſibilium, & inuiſibilium aſcribitur Menti. Hoc etiam Proclus fatetur, in primis verbis Animarum, & corporum, totius ſcilicet ſenſibilis mundi aſſignabat Menti creationem. In vltimis dicit à Mente procedere νοερὺς, nimirum cunctos ordines Angelorum. Sic etiam diuus Paulus, vt ſæpe videmus, docuit hunc eſſe primogenitum, principium omnis creaturæ, per ipſum extitiſſe viſibilia, & inuiſibilia, ſiue thronos, ſiue poteſtates, ſiue dominationes, ſiue virtutes. Hæ ſunt Angelicæ gentes, tota cœleſtis Reſpublica creata à Mente, ſumma Sapientia, & intellectu, omnium intelligentiarum creatrice, ipſa prima ſapientia arce, & faſtigio intelligentiæ. Quocirca nullus supereſt Angelorum ordo, & eorum, qui dicuntur νοεροὶ, quin creentur à Mente. Sed aperiam huius ſermonis apud Platonicos cauſam,

Refutatur Proclus, q̃ à Platonica doctrina deſciuerit.

Vna eſt & eadẽ autoritas Mentis, & Principii.

Comm. in Sõniũ Sci.

Tria principia Platoni. Vnitas, Mens, Anima.

Rom. 8. Coll. 1.

Angeli oẽs creati à Mente.

Ideæ à ſũmo Bono.

Ioan. 8. & 14.

Athenagoræ philoſophi Chriſtiani ſimilitudo.

Vnitas ineffabilis, principiũ omnium:

Spirit' ſãcti appellatio, noïe Animę.

Dei patris deſcriptio.

1. Ioan. 4.

Mẽs creatrix.

Mẽs ſe viſibilem fecit quibus. Gen. 3. 15. Exod. 3. Lactã. 4. de vera ſapiẽtia, ca. 17. & ſequen. 1. Timo. 2. Hebr. 8. 9. 12.

ſam, cur ab ineffabili Vnitate producant primas vnitates, primam Hierarchiam. Ea videlicet eſt, quoniam conficiunt ex Ideis hanc Hierarchiam. Ideas autem ferunt à ſummo Bono habere principium, eaſque dari Menti creatrici. Sed norint poſteriores Platonici, nihil tale dixiſſe Platonem, qui rectà, & expeditè principatum, autoritatemque cunctarum rerum aſſignat Menti in Timæo: in Epiſtola vocat principem præſentium, & futurorum: rurſum in ſecunda Epiſtola, tres omnium rerum declarat, adorat, conſalutat Imperatores. Verus autem iſtorum Regum imperatorumque ordo, iuxta Platonem, & veritatem, & vt ipſi Platonici ſponte ſua fatentur, eſt, quòd omnes Reges, & Principes viſibilium, & inuiſibilium, omnium tres cauſæ, tria principia, tres fontes, ſed vt vnus, vt vna Diuinitas, vnus conſenſus. Gradus autem eſt inter eos, quòd primus eſt, ineffabile Bonum, Vnitas eminentiſſima, cui Filius etiam in hoc mundo omnes honores acceptos referebat, eumque vocabat patrem, & Glorificatorem ſuum: ab illo data ſibi omnia: nihil habere ſe, quod non accepiſſet ab eo: ſe eſſe lumen ex illo lumine: omnia quidem habere ſe, ſed ab eo, non eum à ſe. Attulit pulcherrimum, quo ad licet ex mortalibus noſſe immortalia, Athenagoras exemplum, in oratione ad duos Imperatores, patrem, & filium. Pater erat Antoninus Pius, erat ei filius Auguſtus, genitus ab eo, & declaratus Auguſtus, Imperatorque totius orbis. Omnis terra, gentes omnes venerabantur vtrunque, vt vnum Imperatorem. Quidquid iubebat filius, factum erat: quidquid item pater, fiebat extemplo: procedebat filius, venerabantur, adorabant omnes, idque cupido, & volente patre: ſimiliter procedebat Imperator verus, omnes venerabantur, etiam filius. Filius venerabatur patrem, non pater filium, ſed tanta charitate filium diligebat pater, vt ille ſuæ deliciæ eſſent, ſua voluptas, & gaudium, vt dederit ei quidquid ipſe eſſet. Genuerat eum, tum Imperatorem declarauerat, totius orbis poteſtatem tradiderat, omnes illi parere iubebat: quidquid honoris impenderetur filio, ſibi collatum prædicabat, præ ſe ferebat, nihil erat reliquum, quod filio non tradidiſſet. Eſt igitur, vt docui, & vt declarem Platonem, & Platonicos, gradus in illis, quod principatus, & ſummum, eſt ipſum Bonum, ipſa ineffabilis Vnitas principium, fonſque omnium, etiam Mentis, tum Mens ab illo generata, tum anima. Propterea ſunt omnia circa tres Reges, ſed principaliter circa Primum, ſecundò circa Secundum, tertiò circa Tertium. Hunc ordinem verum viderunt propemodum, oſtenderuntque Platonici, quoniam à Primo gignunt omnia, etiam ipſam Mentem, à Secundo quoque præcipuè vitas, animas, corpora. Nam etiam apud nos maximè datur Filio cunctarum viſibilium, & inuiſibilium rerum creatio, raroque audimus creatorem mundi Spiritum ſanctum, etſi audimus Deum. Hunc igitur Tertium quaſi faciunt (quod noſtra tantopere vociferatur Theologia) fontem animarum. Eſt enim Anima illa, Spiritus ſanctus, vt apparet, & vt docuimus vbique. Spiritum autem nos viuificatorem, creatorem, ſatoremque animarum dicimus: Tu Paracletus diceris, donum Dei altiſſimi, fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio. Ecce igitur, quanto miraculo, quo ſtupore digna res ſit, ante Chriſti aduentum, antequam Mens maxima veniſſet in mundum, audiebantur, noſcebantur illa tria principia, triplex illa maieſtas, trina Diuinitas. Quin etiam gradus inter eos habuere notos, primum altiſſimum, venerabiliſſimum, ἄῤῥητον, ineffabilem, & quòd in ἀβάτοις, inacceſſis, in caligine habitaret, dicentes. Eoque non erat hominibus notus, vt dixit Chaldæus, & Plotinus, & diuus Ioannnes, Deum nemo vidit vnquam, credebantque, vt credit cæca ſemper, & infelix ſemper Hebræorum natio, Creatorem eſſe primum illum, non habentem ante ſe quenquam. Ecce diuino munere, & vt verè ille inquit, allata de cœlo Philoſophia, ſapientiores audierunt Mentem creatricem, eſſe ſecundam ab illo primo, genitum ab eo, ab æterno, genitum Deum, & ipſum omnipotentem. Triaque principia velut nunc, quo tempore claruit arcana illa, paucisque olim nota Sapientia, norant ſapientes, & Plato non fuit prior huius Sapientiæ repertor, ſed eam didicit ab Aegyptiis, à Chaldæis, ab oraculis, quæ & hæc, & alia innumera cecinerant. O cæcas igitur mentes Hebræorum, ſuper quibus nemo cordatus lacrymas continere poſſit vnquam. Hæc enim Mens eſt, quæ creat mundum apud Moſen, loquitur cum Adam, viſibilem ſe reddit Abrahæ, apparet Moſi in rubo, dat ei leges, cæteraque exequitur apud Prophetas. Idcirco vocatur à Philone etiam Iudæo ὕπαρχος, miniſter, nuntius, legatus, vt vocat Lactantius. Mittebatur enim ab illa ineffabili, & arcana Vnitate, à ſummo Bono Patre ſuo, qui habitat ἐν ἀβάτοις, in abditis, inacceſſis, arcanis, & quem ait Philo non decuiſſe venire ad homines. Is autẽ erat, eſtq; vt Paulus vocat, μεσίτης, mediator, internũtius inter nos & ineffabile Principiũ. O ſanctiſſima, diuiniſſima, prima Mens, generis humani creatrix, & redemptrix, quę fuit clementia, bonitasq; tua, vt venires in mundum, vt nos efficeres Deos, facta ipſa homo, & quæ te ſemper mundo declaraſti, ea miſerata peccata noſtra, reuoces nos ad te, efficiasq; vt te in tua claritate, ac diuinitate videamus.

Quòd Proclus teſtatur Platonem de tribus Regibus in Epiſtola ſenſiſſe: & de nominibus, quibus deſcribitur ineffabile Principium, nempe Deus Pater. Cap. IX.

TEſtatur item eodem libro Proclus explicans Theologiam Platonicam, dogmataque Platonis proponens, eum in Epiſtola de tribus Regibus, ſiue Imperatoribus fuiſſe locutum,

εἰ δὲ βούλει

Ἂν δὲ βούλει κατὰ τρίτην τάξιν καὶ τὰς ἐπιστολὰς τίθει, παρ' ὅσων δυνατὸν εἰς τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιστήμην ἀναπέμπεσθαι, καὶ γὰρ περὶ τῶν τριῶν βασιλέων ἐν ταύταις εἴρηται: Iuxta tertium ordinem, ſi velis, etiam Epiſtolas, ex quibus fas eſt ad ſcientiam Diuinitatis aſcendere, adhibe. Etenim de tribus Regibus, in his locutus eſt. Ecce Proclus conſentit cum cæteris Platonicis, Plotino, Porphyrio, Theodoro, Amelio, ſuper trina maieſtate, ac Diuinitate, ſuper tribus omnium rerum Imperatoribus, de quibus aſſerit ſenſiſſe Platonem, Platonem autem eo ipſo libro fatetur à Pythagoricis, Pythagoram ab Aglaophemo, & Orpheo didiciſſe. ἅπασα γὰρ ἡ παρ' ἕλλησι θεολογία, τῆς ὀρφικῆς ἐστὶ μυσταγωγίας ἔκγονος, πρώτου μὲν πυθαγόρου παρ' ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος, δευτέρου δὲ πλάτωνος ὑποδεξαμένου ἐκ τῶν πυθαγορείων καὶ τῶν ὀρφικῶν γραμμάτων. Omnis enim, inquit, Græcorum Theologia, nata eſt ab Orphei myſteriis. Primo enim Pythagora ab Aglaophemo ſacra Deorum edocto, ſecundus Plato ſecutus eſt, hauriens hæc è libris Pythagoreorum, & Orphei. Non primus igitur de tribus Regibus eſt locutus Plato, ſed priores Aegyptij, Orpheus, Pythagoras. Idemque Proclus è ſententia Platonicorum, omniumque ante eum Philoſophorum ex Parmenide Platonis, & omni alia Philoſophia eius, elicit duo ſummi Patris genitoriſque Dei peculiaria nomina, ab omnibus ſæculis, à Chaldæis, Aegyptiis celebrata, nouiſſimè Græcorum ſermonibus trita. Sunt autem vnitas, Bonum: de quibus ipſe, διττὸς ὁ τρόπος τῆς τοῦ ἑνὸς ἐνδείξεως, διττὰ ὀνόματα παραδίδωσιν ἡμῖν ὁ πλάτων τῆς ἀρρήτου ταύτης ἀρχῆς: ἐν πολιτείᾳ τ' ἀγαθὸν καλεῖ, καὶ τῆς ἀληθείας τῆς ἑνιζούσης τὸν νοῦν, καὶ τὰ νοητὰ πηγὴν ἀποδείκνυσι, ἐν παρμενίδῃ ἓν ὀνομάζει: καὶ τῶν ἑνάδων ἀποφαίνει τῶν θείων ὑποστατικήν: Duo modi ſunt, quibus Vnitas ipſa demonſtratur. Duo nomina tradit nobis Plato, huius ineffabilis Principij. In Republica Bonum vocat, & veritatis, quæ Mentem vnit, & intellectualia, fontem demonſtrat. In Parmenide vocat vnitatem, oſtendens eam creatricem diuinarum vnitatum. Sic ille. Diuinæ autem vnitates ſunt Angelici chori, quos in nouem diſtinguit Proclus ſecutus, vt arbitror, & vt Greci ſuſpicantur, Dionyſium, deducit eos tamen ex Platone. De quibus aliàs. In his apparuit eum præferre Vnitatem ipſi Menti, quam ſibi vniat, & copulet Vnitas ipſa. Sicque apparent duo Pater & Filius, Vnitas, & Mens. Latiſſimè verò, & pulcherrimè diſputat de Vnitate, probans eam eſſe Principium, ſine qua nihil poſſit exiſtere, applicans vniuerſalem omnium rerum de Vnitate conſiderationem, ad illud ineffabile Principium. Pulcherrimeque addit duo hæc nomina, alterum eſſe productionis manationiſque Vniuerſalis, Bonum: alterum conuerſionis ad ipſum, & vti caput & fontem, Vnitatem. Sic Genitor, & Pater eſt Bonum producens omnia, origo, fons omnium, eſt item Vnitas, coniunctio, connexio, ad quod omnia pendent, tendunt, aſpiciunt, vniuntur, diuulſa viuere non poſſent, prima, ſempiternaque coniunctio, eſt ipſius Mentis, cæterorum alio modo, vti ad creatorem, autoremque ſuum. Mirabilis, digna cultu, & adoratione Philoſophia. Et hanc Proclus non Chriſtianus, imò Chriſtianis inimicus, proponit ex Platone, antiquiſque. Igitur eorum inſcitia, qui Chriſtianam religionem omnium ſapientiſſimam, velut anilem ſuperſtitionem irridentes, neſciebantque eam venerari, cum primis hanc Philoſophiam, ſolamque eam veram eius eſſe poſſeſſionem & alumnam, in cuius vnius theſauris perfecta tantorum myſteriorum contineretur ſapientia, coarguitur. Sed ea quæ de primo illo rerumque omnium ſupremo, ac ſupermundano principio, cuius tanta ſit maieſtas, vt ab omnibus diſtet in infinitum, digniſſima Theologia noſtra, & de fontibus eius quædam hauſta ab eodem Proclo, audire pulchrum eſt: Nulla, inquit, res eſt ex omnibus, quoniam ab illa procedunt omnia. Principium enim eſt omnium, & eorum quæ ſunt ſimul, & eorum quæ non ſunt. Omnia procedunt ab illo, & ad illum conuertuntur. Hæc Proclus, quæ ſine dubio ſunt ea, quæ prior Dionyſius, a quo Græci ſuſpicantur Proclum Theologiam ſuam deduxiſſe. Dionyſius in principio ſui libri: πατροκινήτου φωτοφανείας πρόοδος εἰς ἡμᾶς ἀγαθοδότος φοιτῶσα, πάλιν ὡς ἑνοποιὸς δύναμις ἀνατατικῶς ἡμᾶς ἀναπλοῖ, καὶ ἐπιστρέφει πρὸς τὴν τοῦ συναγωγοῦ πατρὸς ἑνότητα καὶ θεοποιὸν ἁπλότητα, καὶ γὰρ ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα, καὶ εἰς αὐτόν. Quod eſt, Proceſſus a Patre manantis luminis, perueniens in nos ex bonitate, rurſum vnifica virtus, extentè vos replicat, & conuertit ad Vnitatem Patris vnifici, & Deificam ſimplicitatem. Etenim, vt ait ſacra Theologia, Ex ipſo, & in ipſum. Proclus autem, οὐδέν ἐστι τῶν πάντων, ὅτι πάντα ἀπ' αὐτοῦ προελήλυθεν: ἀρχὴ γὰρ ἐστὶ τῶν ἁπάντων, καὶ τῶν ὄντων ὁμοῦ, καὶ τῶν μὴ ὄντων, κατὰ δ' αὖ τὸν ἕτερον, τὴν πρὸς αὐτὸ τῶν προελθόντων ἐπιστροφὴν ἀπεικονίζεται: Nihil eſt omnium, quoniam ab illo omnia, principium omnium, quæ ſunt, quæ non ſunt. Alia rurſum ratione conuerſionem ad ipſum, eorum quæ proceſſerunt, ponit Plato. Ecce proceſſus, & reditus ad ſuum caput, & initium. Nam ſubdit, ταῦτα οὖν καὶ πρόεισιν ἐκεῖθεν, καὶ ἐπέστρεπται πρὸς ἐκεῖνο: Hæc, ait, & procedunt illinc, & reflectuntur ad ipſum. Nimirum igitur quod Paulus, Ex ipſo omnia, & in ipſum. Poſtea ſubdit Proclus, Qui igitur modi ſint docendi de primo, & quibus ipſum nominibus Plato ſignificauerit, & vnde nomina, & modos hos, ineffabilis & incognitæ omnibus demonſtrationis acceperit, ex his arbitror perſpicuum. Oſtendit in aliis admirabilem ad omnes res & capita eorum excellentiam Plato. Omnes Deos, id eſt, Angelos, ad vnam Vnitatem congregari; pendere ex Vnitate. Hæc etiam dixit Dionyſius, ὁ τῶν καλῶν ἁπάντων αἴτιος, εἰς

Vnde nata Græcorũ theologia.

Vnitas, & Bonum.

6. de Rep.

Vnitas Menti præfertur, & cur.

Nomen productionis & conuerſionis.

Arguũtur Chriſtianæ religionis reprehenſores.

Vnde Proclus ſuam theologiã hauſit.

Omnes Angeli pẽdent ab vnitate ſ. Deo.

Vnum & Bonum.

πάντα καταλάμπων τῷ θείῳ φωτί: Bonorum autor omnium, in omnia irradians lumine diuino. Sciendum autem hæc duo nomina ſummi Dei apud Platonem, Vnum & Bonum, a Chaldæis primò tradita, quod Pſellus teſtatur, μίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσι, καὶ ἓν αὐτὴν καὶ ἀγαθὸν ἀνυμνοῦσιν: Vnum principium omnium opinantur, vocantes Vnitatem, & Bonum. Idem Mercurius, quòd μονὰς ſit radix, cuius excellentiam inenarrabilem dicunt, ſicut & noſtri ἀνεξήγητος τῆς πρωτίστης ἀρχῆς ὑπερβολή. Hæc igitur ſunt ea quæ ſæpe noſtri dicunt, Patrem eſſe fontem, & principium totius Deitatis, duorum ſcilicet Imperatorum, Mentis & Animæ.

De tribus item illis altiſſima Procli Theologia, myſteria Platonis interpretantis, & quòd Platonici faciunt tria principia, quorum primum gignat ſecundum, tertium ſit habitus amborum. Cap. X.

EODEM libro de Theologia Platonis Proclus diuinè de tribus hiſce principiis loquens, de Platone & veris amicis eius, τρεῖς ποιοῦσι τὰς ἀρχὰς πολλαχοῦ, ἀγαθὸν, νοῦν, ψυχήν: πᾶν τὸ ὂν νοῦν προσαγορεύοντες: τὸ μὲν δὴ πρώτιστον, καὶ ἀμέθεκτον ἓν ἐπέκεινα τῶν ὅλων προϋπάρχον οὐ τῶν μετεχόντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν μετεχομένων ἑνάδων, ὕμνηται διὰ τῆς πρώτης ὑποθέσεως, ἁπάντων μὲν ἀῤῥήτως αἴτιον ἀποπεφασμένον, αὐτὸ δὲ ἐν οὐδενὶ δὴ τὸν πάντων ἀφωρισμένον, οὐδὲ τινα δύναμιν ἔχον, οὐδὲ ἰδιότητα συγγενῆ πρὸς τοὺς ἄλλους θεούς: μετὰ δὲ τοῦτο μόνος ὑπερούσιον καὶ ὑπαῖρον, καὶ ἄμικτον πρὸς πάσας τὰς ὑπάρξεις, ἑνάς ἐστι μετεχομένη μὲν ὑπὸ τοῦ ὄντος, καὶ περὶ αὐτὴν ὑποστᾶσα τὴν πρώτην οὐσίαν, καὶ πλεονάσασα τῇ προσθήκῃ τῆς μεθέξεως ταύτης τοῦ πρώτως ἑνός: αὐτὴ δὲ ὑπερούσιος ὕπαρξις, καὶ τῆς πρωτίστης νοητῆς τριάδος: δυὸ δὴ τούτων ὄντων, ἐν τῇ πρώτῃ τριάδι, τοῦ ἑνὸς, καὶ τοῦ ὄντος, καὶ τοῦ μὲν γεννῶντος, τοῦ δὲ γεννωμένου, καὶ τοῦ τελειοῦντος, τοῦ δὲ τελειουμένου, δεῖ δὴ καὶ τὴν μέσην ἀμφοῖν ὑπάρχειν δύναμιν, δι᾽ ἧς τε καὶ μεθ᾽ ἧς, τὸ ἓν ὑποστατικόν ἐστι, καὶ τελειωτικὸν τοῦ ὄντος: ἥτε γὰρ πρόοδος ἀπὸ τοῦ ἑνὸς, καὶ ἡ πρὸς τὸ ἓν ἐπιστροφὴ τῷ ὄντι διὰ τῆς δυνάμεως: τί γὰρ σὺν τῷ ἑνὶ τὸ ὂν, ἢ μετεχόμενον ποιεῖ τὸ ἓν ὑπὸ τοῦ ὄντος, πλὴν τῆς δυνάμεως: πρόοδος γάρ ἐστι τοῦ ἑνὸς, καὶ ἔκτασις ἐπὶ τὸ ὄν: τριὰς οὖν ἐστιν αὕτη, τῶν νοητῶν ἀκρότης, τό ἓν, ἡ δύναμις, τὸ ὄν, τὸ μὲν παράγον, τὸ δὲ παραγόμενον, ἡ δὲ ἐξηρτημένη μὲν τοῦ ἑνὸς, συμφερομένη δὲ τῷ ὄντι: τριὰς οὖν αὐτὴ πρώτη νοητὴ, τὸ ἓν, τὸ ὄν, καὶ σχέσις ἀμφοῖν, δι᾽ ἣν καὶ τὸ ἓν, τοῦ ὄντος ἐστὶ, καὶ τὸ ὄν, τοῦ ἑνός: πάνυ θαυμαστῶς, καὶ διὰ τούτων ἐνδεικνυμένου τοῦ πλάτωνος, ὅτι καὶ ὁ πατὴρ τοῦ νοῦ πατήρ ἐστι, καὶ ὁ νοῦς τοῦ πατρὸς, καὶ ὡς ἡ δύναμις κέκρυπται μεταξὺ τῶν ἄκρων. Tria, inquit, principia multis in locis faciunt, Bonum, Mentem, Animam, omne quod eſt, Mentem appellantes. Primum, ac præcipuum & imparticipabile, Vnum, vltra omnia præexiſtens, non modò vnitates eas quæ participant, ſed etiam quæ participantur, laudatur per primam ſuppoſitionem. Quod omnium quidem ineffabiliter cauſa demonſtratur: ipſum autem in nulla re exiſtens, & ab omnibus ſegregatum, nullam virtutem habens, neque proprietatem propinquam cum cæteris Diis. Poſt hoc autem, ſingulariter ſuperſubſtantiale, & ſupereminens, & imparticipabile ad omnes ſubſtantias, Vnitas eſt, participata quidem ab eo quod eſt, & circa ipſam primam ſubſtantiam ſubſiſtens, abundansque adiectione participationis huius, quod primo Vnum eſt. Hæc autem eſt ſuperſubſtantialis exiſtentia, & primæ intelligibilis Trinitatis. Duobus igitur his exiſtentibus in prima Trinitate, nimirum Vnitate, & Ente, primaque gignente, ſecundo generato: & illa quidem perficiente, hoc autem perfecto, oportet ſanè mediam amborum exiſtere potentiam, per quam, & cum qua, Vnum ſubſtantificum eſt, & perfectiuum ipſius Entis. Nam & proceſſus eſt ab Vno, & ad Vnum ipſius Entis conuerſio per potentiam. Quid enim aliud cum Vnitate Ens, aut participatum facit Vnum ab Ente, quàm poteſtas? Proceſſus enim eſt Vnitatis, & extenſio ad Ens. Trinitas igitur eſt hæc, intellectualium faſtigium. Vnitas, potentia, ens. Alterum producens, alterum productum, Potentia verò pendens ab vno, coniuncta cum Ente. Trinitas igitur hæc prima intellectualis Vnitas, Ens, & habitus amborum, per quem & Vnitas Entis eſt, & Ens Vnitatis. In his ſtupendè demonſtrante Platone, quòd & Pater, Mentis eſt Pater, & Mens Patris, & quòd Potentia occultata eſt inter ſuprema. Hucuſque Proclus. Quæ facilè patebunt, ſi totius dogmatis, quod ſuperius ab omnibus Platonicis aſſerebatur, ordinem meminerimus. Nomen Patris æterni, primæque originis & fontis totius deitatis eſt Vnitas. Nomen coæternæ Prolis, eſt, Ens, ſubſtantia, Mens. Nam etiam Proclus affirmat Platonem oſtendiſſe Mentem Patris eſſe, Patrem autem, Mentis genitorem, ceu correlatiua ſint Pater & Mens, inter quæ ſit potentia, quæ dicitur à noſtris Amor vtriuſque, Proceſſus ab vtroque. Duobus nominibus appellat Spiritum ſanctum, Animam, Potentiam. Hæcque tria coæterna, ineffabilia principia dicuntur, Bonum, Mens, Anima. Dicuntur Vnitas, Ens, Potentia. Dicuntur tres Imperatores, tria Numina, tria Principia. Dicitur Secundum à Primo Patre, & Genitore ſuo naſci, Tertium dicitur Poteſtas, Habitus amborũ. A noſtris Amor, Proceſſus ab ambobus. Dicitur ipſe Genitor, Fonsq; totius Diuinitatis,

Tria, Principia.

Proceſſus Vnitatis ad ens.

Vnitas entis, & ens vnitatis, eſt.

Nomẽ Patris vnitas

Nomẽ prolis, Ens & Mens.

Amor, ſpiritus ſanctus.

Nomina Dei, trini & vni.

A ſegregatus ab omnibus, altiſſimus, vltra mundanus, ineffabilis, a cæteris Diis diſiunctiſſimus, ſupra omnia incommunicabilis, imparticipabilis. Dicitur item Vnitas aut Pater gignere. Ens autem, vel ipſa Mens, & Subſtantia, gigni. Vocatur enim, vt ſæpenumero dixi, ſecundum principium τὸ ὄν, ipſum Ens. Et Proclus ipſe declarat appellari a Platonicis Mentem πᾶν τὸ ὄν, vniuerſalem exiſtentiam. Eſt autem Vnitas participata Mens ipſa, quia Filius eſt imago Patris, character ſubſtantiæ, ſplendor claritatis eius. Proles ergo eſt Vnitas, eſt eadem atque Genitor ſubſtantia, ſed genita tamen, & manans ab illo. Ob id Vnitas participata. Dicerent noſtri, Vnitas genita, non ingenita, quemadmodum prior, ſed Vnitas tamen, quòd ſubſtantia ſua eſt ſubſtantia Vnitatis. Perficitur item Secundum a Primo, & ſubſtantialiter manat, quòd omnia bona Secundi ſunt a Primo. Repetit eadem tria principia, quorum Primum generet, Secundum generetur, Tertium verò a Primo, & Secundo eſt, amor vtriuſque potentia. Hæc illi conſtanter aſſeuerant, & Platonem ea mirabiliter docuiſſe prædicant. Admiranda profectò myſteria.

πᾶν τὸ ὄν.

De tribus ſubſiſtentijs, ſiue principijs, ex Plotino: & quòd non ſint plura, neque pauciora. Et quòd hæc cognitio potius diuina eſt, quàm ratione demonſtrabilis. Cap. XI.

SED quoniam Plotinus, præter ea, quæ paulò antè poſita ſunt, multa diuinitus de tribus hiſce Principiis, aut Numinibus ex Theologia Platonis, aliorumque qui ante eum floruerunt Platonicorum ſcripſit, è quibus, Porphyrio teſte, fuerunt, quorum ſcripta aſſiduus legeret Seuerus, Cronius, Numenius, Gaius, Atticus, Longinus, Philarchæus, qui, ſicut ante hos omnes clariſſimus Philo, mira, & inaudita quædam de Verbo diuino, ac Progenie diuina tradidit, ſic prodidere iſtius modi plurima, examinanda ſunt ea, & proponenda, vt totius veritatis concentus, perpetuaque ab initio generis humani veræ theologiæ ſucceſſio audiatur. In libro contra prognoſticos: ἐπειδὴ τοίνυν ἐφάνη ἡμῖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἁπλῆ φύσις καὶ πρώτη: πᾶν γὰρ τὸ οὐ πρῶτον, οὐχ ἁπλοῦν, καὶ οὐδὲν ἔχον ἐν ἑαυτῷ, ἀλλ' ἕν τι, καὶ τοῦ ἑνὸς λεγομένου ἡ φύσις ἡ αὐτὴ, καὶ γὰρ αὐτὴ οὐκ ἄλλο, εἶτα ἕν, οὐδὲ τοῦτο ἄλλο, εἶτα ἀγαθὸν, ὅταν λέγωμεν τὸ ἕν, καὶ ὅταν λέγωμεν τὸ ἀγαθὸν, ταύτην δεῖ νομίζειν τὴν φύσιν, καὶ μίαν λέγειν, οὐ κατηγοροῦντας ἐκείνης οὐδὲν, δηλοῦντας δὲ ἡμῖν αὐτοῖς ὡς οἷόν τε: καὶ τὸ πρῶτον δὲ οὕτως, ὅτι ἁπλούστατον, καὶ τὸ αὔταρκες, ὅτι οὐκ ἐκ πλειόνων: οὕτως γὰρ ἀναρτηθήσεται εἰς τὰ, ἐξ ὧν, καὶ οὐκ ἐν ἄλλῳ: ὅτι πᾶν ἐν ἄλλῳ καὶ παρ' ἄλλου: εἰ οὖν μὴ παρ' ἄλλου, μηδὲ ἐν ἄλλῳ: μηδὲ σύνθεσις μηδὲ μία; οὐ τοίνυν δεῖ ἐφ' ἑτέρας ἀρχὰς ἰέναι, ἀλλὰ τοῦτο προστησαμένους, εἶτα νοῦν, μετ' αὐτὸ, καὶ τὸ νοοῦν πρώτως: εἶτα ψυχὴν, μετὰ νοῦν: αὕτη γὰρ τάξις κατὰ φύσιν, μήτε πλείω τούτων τίθεσθαι ἐν τῷ νοητῷ, μήτε ἐλάττω: εἴτε γὰρ ἐλάττω, ἢ ψυχὴν καὶ νοῦν ταυτὸν φήσουσι, ἢ νοῦν καὶ τὸ πρῶτον: ἀλλ' ὅτι ἕτερα ἀλλήλων, ἐδείχθη πολλαχῆ. Quæ ſunt: Quoniam apparuit nobis Boni natura ſimplex & prima. Omne enim quod non eſt primum, non eſt ſimplex: Et nihil habens in ſe ipſo alia, Vnum eſt quid. Et eius quod dicitur Vnum natura eadem. Etenim hæc ipſa non eſt aliud, deinde Vnum. Neque hoc aliud eſt, deinde Bonum, cum dixerimus Vnum. Et cum dixerimus Bonum, oportet eandem ſentire naturam, & Vnam dicere, non prædicantes de ea quicquam, ſed declarantes nobis ipſis, vt poſſibile eſt. Ac primum hoc modò, quod ſit ſimpliciſſimum, & ſufficiens per ſe, quòd non ſit ex pluribus. Sic enim attolletur in ea, ex quibus, & non erit in alio. Quoniam quidquid in alio eſt, etiam ab alio. Si igitur non ab alio, neque in alio quidem ſit. Neque compoſitio vlla. Neceſſeque eſt ſuper ipſum nihil eſſe. Non eſt igitur cur ad alia principia eatur: ſed hoc præpoſito, deinceps Mens ſtatuenda, & id quod primo intelligit Deinde Anima poſt Mentem. Is enim ordo eſt ſecundum naturam, neque plura hic, in intellectuali, neque pauciora. Si enim pauciora, aut Animam, & Mentem idem dicent, aut Mentem & ipſum Primum. Sed quòd alia ſint ab inuicem, oſtenſum ſæpenumero. Si plura, & cætera, quæ ſequuntur, Plotinus ex priſca Platonis, Platonicorumque omnium Philoſophia, in qua peruenitur ad vnum ſingulare, ſimpliciſſimumque Principium, Bonum & Vnum: Bonum, quia fons omnium rerum, & principium, Vnum, quia ſolitarium, ſimpliciſſimum, ab omni externa re ſegregatum, totum ipſummet, non varia natura. Tota vna Bonitas, & vna bona, ſimplexque Vnitas. Hæc omnis ratio clara, cui vel ipſa natura facem ac lucem præbeat, vt ab ea ipſa penè declaretur. Huic cum ſit ſumma ſimplicitas, cui etiam adiunctum quoque eſt id quod a Philoſophis & ab Ariſtotele inducitur, quod dicitur ab illis αὔταρκες, per ſe ſufficiens, ſibi ſuppetens, ſe ipſo contentus, conſequitur vt nihil habeat aliunde, habens omnia ex quibus poſſit eſſe contentus, contentus autem ex ſeipſo, non ex alienis bonis. Sicque aſcendit, ſuperque greditur ea, quæ faciunt aliquam compoſitionem, & farraginem, ac quaſi corpus, effugiens eam, immo ſupergrediens infinita bonitate, & affluentia propriorum bonorum. Efficiturque vt nec in alio ſit, a quo contineatur, nec ab alio procedat. Hoc erit nobis, inquit, primum, ac ſingulare Principium: poſt hunc ſequitur Mens, quæ vocatur a ſacra Philoſophia Sapientia.

Omne qđ nō eſt primum, non ē ſimplex.

Quidquid in alio eſt etiam ab alio eſt.

Vna Bonitas, ſimplexq; vnitas.

Mens primò ſapit.

Hæc dicitur primò ſapere, primò, & principaliter intelligere, quia vt Chaldæus dicebat, vocatur à cunctis hominibus prima Sapientia, prima Intelligentia. Vocatur autem, quia neſciebant eam habere, qui eam antecedat. Iſtud igitur primum Intelligens, non dicitur reſpectu Boni ac prioris, in quo eſt exquiſita ſapientia, & quod Chaldæus, & Triſmegiſtus dixerant, cùm eſſet prima Mens, Intelligentia, genuiſſe ſecundam. Dicitur ergo primum Intelligens, ratione noſtri, ſicut habuit peculiare apud vetuſtiſſimos nomen Mentis. Subſequitur tertium principium Anima. Hi ſunt igitur tres illi Reges, tria Numina, tria Principia, circa quæ cuncta docuit eſſe Plato. Illud autem in Plotino obſeruare operæpretium eſt: primum, quòd hæc ait eſſe altera ab inuicem: deinde, quòd quaſi naturalibus rationibus probat, neceſſariò neque plura eſſe, neque pauciora principia. De primo dicendum: Cùm altera fatetur eſſe ab inuicem, ſciendum eſt, eum non ſentire tantam alteritatem, ac diuiſionem, quanta diuidat ſubſtantiam, duoque ſeparata numina conſtituat. Quod ne cogitari quidem poteſt. Nec fuit ferè Philoſophorum quiſquam, modò Philoſophi nomen mereatur, cui non placuerit vnum caput, vna origo. Cùm autem ſuperiores tribuant Menti quanta poteſt tribuit diuinitas, vt quam ſuperius ex ſententia Platonis Porphyrius dixerat coæternam, natam ante omnia tempora, & ſæcula ex ſummo Bono, eamque dixerat per ſe Patrem, Principium omnis pulchritudinis, totque ei dotes tribuerat, quot concurrant ad declarationem primæ, ac ſempiternæ Diuinitatis: ad hæc cum Triſmegiſtus, hoc ſecundum principium, quod Mens, & Verbum à priſcis dicitur, vndique perfectum, opificem mundi, primam virtutem, increatam, ἀπέραντον, infinitam, perfectiſſimi Patris perfectiſſimam Prolem, legitimum Filium, ſempiternam originem vitæ, inaugmentabilem, incorruptibilem, ſui ſemper ſimilem, æqualem, qui de naturæ ſuæ ſtatu nunquam decedat: cùm his inquam nominibus appellauerint Mentem, ſecundum Principium, & cùm hæc declarent eandem atque ſummi Boni Diuinitatem (Nam ſi ſummum Bonum deſcribas, non habueris aliud, quod de eo prædices, cogeriſque repetere hæc omnia, quæ Menti tribuiſti, eo excepto, quòd Bonum à nemine habet, à nemine oritur) profectò fiet, vt æquè ſit Deus Mens atque ſummum Bonum. Sed cùm neque poſſint eſſe, neque natura ferat, duas ſeparatas Diuinitates, duo capita, duos creatores, certè non poſſunt ſeparata dici duo hæc Principia. Huc adde quòd Triſmegiſtus, Porphyrius ex Platone, Philo Iudæus nobiliſſimus Platonicus, hanc Mentem, & ſecundum Principium vocant, declarant conſalutant γνήσιον ὑὸν, legitimum Filium, ſummi Boni. Non poſſunt igitur eſſe ſeparati Pater, & Filius, cum in vtroque ſit eadem Diuinitas, & pater æterno deuictus amore, genuerit, gignatque Prolem, & Proles eodem amore ardens, velit naſci. Quæ ſunt illi ingenuè confeſſi. Quare quod Plotinus dixit, ἕτερα εἶναι, altera eſſe ab inuicem: aut intelligendum eſt, quòd ſint duo Principia, ſicque fiat, vt ſint altera: noſtraque Theologia dixiſſet emendatius, alteros, quæ nominum diſtinctio inuenta nondum fuerat, aut ſi ſeparet eorum ſubſtantiam, quæ eſt Diuinitas, dicam Ariſtoteli tritum, apage, ἀφιλόσοφον, caret Philoſophia, non ſapit naturam, non redolet rationem. Diſcedit non à conſideratione modò, ſed etiam à Philoſophia maiorum: cum & Triſmegiſtus, & Plato, Mentem, & τὸν αἴτιον, autorem, cauſam, principem, declarent legitimam Dei, & coæternam progeniem, in quo eſt coniunctio Diuinitatis. Denique clarus eſt Plotinus, quid ſenſerit. Nam in libro de Tribus principalibus ſubſtantiis expreſſè confeſſus, ipſum Bonum, & Mentem, vnum, idemque eſſe, vt apparuit in primo libro. Alterum quod aduertendum eſt in Plotino, quibus vtitur rationibus, quibus probet, nec plura, nec pauciora eſſe Principia, non eſſe omnino, vt Græcis nonnullis item videtur, ſynceras, vetuſtamque Philoſophiam redolentes, ſed habere aliquid commentitium. Reuelata eſt, & prædicata ineffabili modo Diuinitas trium Numinum, tres Reges, aut Imperatores: quomodo autem ſint, & quæ cauſa faciat, vt ſint tria, non plura, aut pauciora, non credo mortalem ſcire poſſe, fortaſſe nec Angelum. Minus item fas eſt, deducere prorſus ex conſideratione & creatione rerum noſtratium, hoc triplex imperium: quia videretur æterna principiorum, & cauſatorum connexio. Quare fatendum eſt ſupergredi mentem humanam rationem trium Numinum: datam autem diuino munere terris hanc lucem, vt Deum ſuum noſcerent. Ad hæc, huius ſententiæ Plotinum fuiſſe, non eſſe duo illa, ſubſtantia ſeparata, probabo ex verbis eius, quibus in primo libro eximijs laudibus eam, quæ vocatur Mens, extulerat. Atque ibi vocauerat ſecundum, & primum Numen, quod hic ἕτερα. Necnon genitam Mentem à primo dixerat, ſed primum non indigere ſecundo, ſecundum autem primo, quia naſcitur ab eo. Quibus apparet eum non ſeparationem quaſi duorum, hominum, ſic duorum Deorum induxiſſe: ſed vti duorum, quorum cum ſit eadem omnipotentia, maieſtaſque, ſit item neceſſariò Diuinitas, voluntas, conſiliumque idem. Quod quoniam difficile ab hominibus intelligitur, deſunt verba, quibus exprimatur, ſicut nec perfectè contingit cogitatio. Quocirca nominibus, & modis vſitatis vtentes dixerunt eos duos Deos.

Philoſophi omnes ad vnum principium retulerunt omnia.

Non ſunt duę diuinitates, neque duo creatores.

Non ſeparantur Pater, & Fili⁹.

Fides, & ratio ſeu perſuaſio de Trinitate, data nõ ex hominum inſtituto, ſed diuino munere.

Profunda Theologia Plotini de tribus ſubſiſtentijs, & quòd à Primo ſit omnis ſapientia Diuinitasque Secundi. Cap. XII.

PLOTINVS item ſcripſit librum περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, de Tribus principalibus ſubſiſtentiis, in quo ſummum Bonum, ipſamq; excellentiſſimam Vnitatem, ex priſcorum Philoſophia facit primam hypoſtaſin, ſecundam ipſam Mentem, Tertiam Animam mundi, vt ſuperius oſtenſum: Animamque viuificatricem, animatricem omnis vitæ, nullum toto mundo eſſe animal, quod non acceperit ab ea vitam, ab hac omnem vim ſubſtantiamque omnem ſuppetere, ſine ea cęlum nec vim habere potuiſſe viuificantem, nec motum, quòd ea ſit omnis mundi concitatio, cuncta complexa, ſimilis genitori ſuo Menti, præcipuè enim prædicat Mentem genitricem Animæ, eamque vocat Imaginem Mentis, vt verbum ſimulachrum animi, innuens ſic propè produci animam à Mente, ſicut ab animo producitur oratio: noſtrarumque litterarum eſt, imaginem vtriuſque eſſe Spiritum. Item Plotinus eſſe ipſam operationem, opus ipſius Mentis, ſubſiſtentiamque ei a Mente eſſe. Illud; vt dixi, non eſt verum, nec clarè comprehenſum à Plotino, Opificem Mentem, cuncta, etiam Animam creaſſe. Quaſi ſatus vnus fuerit rerum atq; Animæ. Nam ſi Principium, ſi Rex eſt tertius, ſi Deus, vtique ſempiternus. Etſi Plotinus longè differre naturam iſtius Tertij à cunctis rebus creatis contendit, certè differt, quia Deus. Et ſi dat vitam, dat motum, fecit moueri cęlum, quo modo feciſſet, niſi Deus eſſet? Quis enim largiri poteſt, & inſpirare vitam, præterquam Deus? Et quis poteſt omnium animalium eſſe animatio, niſi Deus? Cuius eſt omnium rerum continuatus motus, niſi Dei? Et ſi is eſt, vt Marcus Tullius ait, Spiritus diuinus, num Deus vnquã ſine Spiritu ſuo potuit eſſe? De Mente quoque loquitur ea, quæ ſuperius, ipſam à bono naſci, perfectum à perfecto, magnum a magno, ſecundum a primo, numerum ab vnitate ſimpliciſſima, Mentem gignere τὸ ὄν, ipſum Ens cogitando, inſidere ei ſpeciem, formam, eſſentiam cunctarum rerum. Perfectiſſimum eſſe Bonum, maximum autem & ſecundum poſt Bonum, eſſe Mentem, Mentemque eum aſpicere, & indigere eius, Bonum Mentis minimè. Quod ab optima Intelligentia, vel Mente generetur, Intelligentiam vel Mentem eſſe. Patrem ſcilicet, vt dicebat Chaldæus, eſſe optimam Mentem, ſiue Intelligentiam, quæ optimum tantundem genuerit ſecundam. Meliorem eſſe omnibus Mentem, ſicut poſt Mentem ſit Anima vti Verbum eius, quaſique ſimulachrum, quæ & in ipſam Mentem reſpiciat, eamque deſideret. Eſſe autem vnum, idemque, ſolaque alteritate differre, Genitorem ac Genitum. In libro autem, quem inſcripſit, Quo modo conſtitit Idearum multitudo, & de Bono, hæc ad alia inquit: Veſtigium vitæ eſt etiam veſtigium Mentis. Illic autem archetypum boniforme, quoniam in ſpeciebus bonum habet. Alterum enim eſt Bonum, alter autem Bonus, in ſpeculando vitam habens, ſpeculatur autem Boni boniforma exiſtentia, quæ conſiderantur & ipſa, quæ poſſedit, quando ſpeculabatur Boni naturam. Venit autem ad ipſum, non tanquam illic eſſet, ſed vt ipſe habuiſſet. Principium ille eſt, & ex illo in iſto, & iſte qui fecit hæc ex illo. Neque enim fas erat reſpicientem in illum, nihil intelligere, neque rurſum ea erant in illo. Neque enim ipſe generabat. Vim igitur ad generandum habuit ab illo, quæ non habebat ipſe, ſed ex vno ipſo, multa huic. Hæc Plotinus, quorum eſt ſenſus, omnem ſapientiam, omnem creandarum rerum ſcientiam, & potentiam, omnem prolificationem, fęcunditatem, plenitudinem bonitatis Mentem habere a Genitore ſuo, quem reſpiciens fiat ſapiens, à quo perueniat in ſe tota bonitas eius & ſapientia. Ille Principium. In Mente eſt archetypum boniforme, quoniam archetypum eſt vniuerſalis rerum ſubſtantia, contenta in æterna Mentis ſapientia, eaque a Patre eſt in Filio, quem pater genuit ſapientiſſimum, & quia non eſt aliud archetypum, niſi ipſum Verbum, & Mẽs, Verbum autem eſt boniforme hoc eſt, ſimillimum Patri ſuo Bono, ea de cauſa archetypum etiam eſt boniforme. Nec aliud eſt archetypum, quàm ipſa Mens boniformis. Eſt igitur hoc archetypũ formarum plenitudo, & ipſa Mens. Primus quidem & ſummus Genitor eſt ipſum Bonum, Filius autem eſt bonus, nempe neſcio quid plenius ipſum Bonum, quàm bonus, quod eſt accepta bonitas, a bonitate illa prima. Bonus qui eſt ipſa Mens, vitam habet in ſpeculando, vt Ariſtoteles etiam dixit, ſpeculando inquam Patrem ſuum, ſeque ipſum. Speculatur autem, vel contemplatur ſeipſum, quando plenitudinem Diuinitatis ſuæ, & omnem ſcientiam contemplatur, quam a Patre, & ipſo Bono habuit, per generationem, & contemplationem. Itaque & ſe ipſum, & Genitorem ipſum contemplatur. Omnis autem doctrina Filij venit a Patre, qui Principium eſt, a quo in Secundo ſunt omnia, creauitque Mens omnia, ex Patre nacta vim & ſapientiam, ac facultatem. Accepit igitur a Patre cunctam generandi, ſiue creandi vim, & potentiam, quam ſine illo non habuiſſet, vt rectè poſſit dici ex genituris, & viribus Dei, id eſt, a Deo, ſapientiſſimam Mentem, quam genuit Deus, mundum feciſſe. Hæcque fuit veriſſima cauſa mundi, & hæc duo principia, velut vnum, quoniam non ſunt duo Dij ſeparati, ſed Secundus a Primo natus, & cum eo bonis ſempiternis locupletatus. Paulo inferius ſimilia refert Plotinus, Repletus quidem, vt habeat, quod aſpiciat. Reſpiciens autem ipſa cum lumine, ab eo, qui dedit illa, & hoc reportans. Ob hoc non ſolum dicitur ſubſtantiæ, ſed vt videatur ipſa, cauſa ille. Sicut Sol, vt videatur à ſimilibus, & vt naſcantur, cauſa cum ſit, cauſa quoque eſt viſionis, qui neque viſio ſit, neque res ipſa.

Mens genitrix Animæ.

Nemo uitam inſpirat niſi Deus.

De vniuerſitate.

Boniforma exiſtentia.

Quomodo Deus ſpeculatur ſeipſum.

Sic & Boni natura,cauſa ſubſtantiæ , & Mentis exiſtens , & lumen, ex proportione his , quæ illic ſunt viſibilia,& videnti neque entia,neque Mens eſt,ſed cauſa horum,& vt intelligantur,lumine ſuo præbens & ipſi Menti,& ipſis entibus.Paulo pòſt inquit,Mens generata,ipſa apparuerunt. Venit autem ad Mentem,& vitam,ab illo. Ex efficacia enim ab illo,ſubſiſtit.Mens quoque per illum & Idearum pulchritudo illinc,omniaque ipſa Deiformia,& Vita , & Mens,& Idea. Non procul inde Plotinus : & Mentem quidem ſupergreditur . Non poteſt ſupra Bonum excedere , quoniam nihil eſt ſupergrediens . Deinde , Si enim ex hoc omnia , nihil eſt illo melius , inferiora autem omnia . Optimum autem omnium , quo modo non Bonum eſt? Et quidem neceſſe eſt Boni naturam per ſe ſufficientiſſimam, & non indigam alterius cuiuſquam . Plotinus repletam vocat Mentem , quam prolificis formis à Patre repleri contendunt , affirmatque Mentem aſpicientem,contemplantemque ſuperiorem, non modò diuina ſapientia repleri, ſed lucem item inenarrabilem referre . Quocirca Genitorem non modò ſubſtantiæ,nempe Ideæ , cauſam iure vocari, ſed etiam autorem , vt ea ipſa videatur , cum nec Idea ſit ipſe, nec Secundus,proles nempe ipſe ſua . Quemadmodum Sol infundens largam rebus viſionem , nec viſio eſt , nec res ipſæ , ita patrem cum nec viſio, nec res viſa ſit, nec ſecundum Mens, præbere tamen vt ea ipſa ſint,& videantur . Denique & vita, videlicet fons ipſe vitæ proles Dei, Menſque,venit à Primo,per illum & Mens , & Idearum pulchritudo . Proinde Genitori ſuo Bono aſſimilantur,ſuntque ἀγαθοειδῆ , Boniformia, tria ſcilicet, ſed vnum,Vita,Mens,Idea.Quocirca ſupereminet omnia ſummum Bonum,cuius eſt,rerum prima & perennis vbertas, ipſe nullius indigus.Poſt multa Plotinus, eodem libro , de pulchritudine ſummi Boni loquens , quod Plato cauſam omnium pulchrorum dixit, Quod deſiderabile eſt,inquit,carens forma & figura , omnium eſt deſiderabiliſſimum , & amabiliſſimum . Hic enim non amori finis , quoniam nec finem habet amatum . Itaque & amor infinitus , & pulchritudo eius alterius generis , & venuſtas ante omnem venuſtatem . Flos & virtus omnis pulchritudinis,pulchritudo καλοποιὸς , pulchrifica,principium & finis omnis pulchritudinis,id pulchrum reddens , cuius eſt principium , innuit autem Mentem a Genitore æterna pulchritudine clarificatam . Effecit autem eum pulchrum,non in figura,& forma , quippe & ipſum clarificatum,figura caret . Itaque ſine figura oportet eſſe φύσιν , τὴν πρώτην , primam naturam, vt non ſit mirum,ſi vehementiſſimis inflammat amoribus . Quippe & anima cum validum concepit amorem , omnem , quam habet, abiicit formam . Itaque Mens contemplatur, quaſi Mens effecta, verſaturque in loco eximiæ venuſtatis . Sed cum viderit τὸν θεὸν , Deum , omnia dimittit,amplectiturque illum ſolum,& contemplatur , Vt qui regium intuens palatium pulcherrimum,ſi prodeat rex,dimiſſis ſpectaculis illis, in hunc vnum ora conuertat . Eſſetque vera ſimilitudo,niſi quòd is,qui ibi contemplatur,eſt homo intuens,qui contemplatur ſupernè,Deum eſſe. Denique de tribus Numinibus concludit Plotinus, declarans quæ de tribus Regibus in Epiſtola prodiderat Plato . Neque,inquit,ſecunda addideris primo , neque tertia ſecundis , ſed ſecunda circa primum ſtatuas, tertia circa ſecundum . Sic enim dabis vnicuique ſuum locum, poſterioraque illis applicabis, ceu illa circum currant in ſe ipſis exiſtentia . Quocirca rectè circa omnium Regem cũcta dicuntur eſſe,& illius nomine omnia,quippe qui cauſa ſit illis exiſtendi,eumque appetant alium ab eis exiſtentem . Itaque Anima ad Mentem , Mente ad Bonum applicata, ſic omnia in illum deſinunt per media,alia quidem propius,alia poſterius,ad extremam reuocatis ſenſibilibus ipſam Animam . In libro quoque de Bono,& Vno,de Mente hæc ait, Mentem quietam, & inagitatam motionem dicendum,omnia habentem in ſeipſa, & omnia exiſtentem,multitudinem inſeparabilem,rurſumq; diſcretam. Sentit autem Plotinus principium, fontemq; rerum, quas ſinu & ſapientia ſua complectatur,Mẽtem eſſe. In quibus,& id genus omnibus(paucos enim quaſi flores,ex amenis campis decerpſi)etſi haud aſſeram puriſſimum veritatis fontem fluere,erit tamen ex his intelligere hodiernam rerum diuinarum Philoſophiam,abſtruſum , arcanumq; priſcorum temporum myſterium,nouiſſimis ſæculis cæleſti beneficio penitus patuiſſe, & quæ antea mundus non cognouiſſet,aperta melius,& enarrata a Filio Dei claruiſſe.

Vita, Mẽs, Idea.

Pulchritudo pulchrifica.

Mẽs Deũ contẽplando quid aſſequatur.

Omnia in Deum deſinunt per media.

De trina Diuinitate,ex Numenio : & quòd ſuper his ſanctè, caſtèque loquendum eſt: & de eorum mutua indiuiſibilique ſubſtantia. Cap. XIII.

DIxi Plotinum, Numenium , cui perpetuum ſtudium impenderet , facile perſuaderi poſſe,in omni Theologia fuiſſe, ceu præceptorem imitatum. Is igitur ante Plotinum, Porphyriũ, Amelium, Proclum, hęc de tribus Hypoſtaſibus, aut numinibus ſcripſerat, τὸν μέλλοντα συνήσειν περὶ θεοῦ πρώτου καὶ δευτέρου, χρὴ πρότερον διελέσθαι ἕκαστα ἐν τάξει, καὶ ἐν εὐθυμοσύνῃ τινὶ : κἄπειτα, ἐπὰν δοκῇ, ἤδη εὖ ἔχειν τότε ἐπιχειρεῖν εἰπεῖν κοσμίως : ἄλλως δὲ μή: θεὸν δὲ προσκαλεσάμενος αὐτοῦ γνώμονα γενόμενον, τῷ λόγῳ δεῖξαι θησαυρὸν φροντίδων: ἀρχώμεθα δὲ οὕτως. ὁ θεὸς ὁ μὲν πρῶτος ἐν ἑαυτῷ ὤν, ἐστὶν ἁπλοῦς, διὰ τὸ ἑαυτοῦ συγγινόμενος δι᾽ ὅλου, μηδέποτε εἶναι διαιρετός. ὁ θεὸς μέντοι ὁ δεύτερος, καὶ ὁ τρίτος, ἐστὶν εἷς: καὶ τοῦ δημιουργοῦντος δὲ θεοῦ, χρὴ, εἶναι νομίζεσθαι πατέρα τὸν πρῶτον θεόν. Latine autẽ: Qui cogniturus eſt de primo Deo & ſecundo, oportet prius diſtinguat ſingula

A ſingula in ordine, & quadã animi tranquillitate. Tũ ſi bene habere videatur, aggredi ad dicendũ decore. Aliter abſiſtendum. Inuocato igitur Deo ſibi conſcio, verbis aperire theſaurum cogitationum. Incipiamus autem ſic: Deus primus quidem in ſe ipſo exiſtens eſt ſimplex, quòd ipſe ſibi vbique coniunctus eſt, nec vſquam diuiduus. At, & ſecundus Deus, & tertius eſt vnus. Verum oportet noſſe, Patrem primum Deum eſſe, præ Opifice Deo. Hæc Numenius. In quibus primum eſt, quòd quemadmodum Plato in Epiſtola, de tribus Numinibus, & in alia, de Cauſa, & Patre locuturus præfatus eſt, & quemadmodum de eiſdem dicturus Orpheus, præmonuit,

Numenius agnoſcit Trinitatẽ.

φθέγξομαι οἷς θέμϊς ἐςὶ, θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Dicam queis fas eſt, claudatur porta profanis.

Sic præfatus eſt Numenius, grandia myſteria traditurus. Præfatus autem eſt, oportere cùm de his narraturus accedas, eſſe te animo hilari, compoſito, tum ſeparare quæque ſeorſum, ne primum cum ſecundo commiſceas, & confundas, quoniam plerique hæc duo Numina non dignoſcentes (Deum enim nemo vidit vnquam, ſed Filius qui eſt in ſinu Patris enarrauit) non crediderunt alterum eſſe primum ac genitorem, ſupremam mundi, rerumque æternarum arcem, alterum genitum atque opificem, ſecundum ab illo, vt Sabelliani. Hæc oportere diſiungere præmonet, & ſcire quid Primi, quid Secundi ſit, prius noſcentem eſſe Primum & Secundum. Quod quidem non facilè aſſequaris, niſi ope diuina implorata. Hanc autem reconditam, eminentiſſimamq; ſapientiam appellat Theſaurum arcanę meditationis, in qua pretioſiſſimi theſauri abſcondantur. Sic & diuus Paulus, in Deo theſauros abſconditos dicit. Atq; Deum primum, iuxta Pythagoram, Empedoclem, omnemque Platonicam familiam, narrat eſſe ſimplicem, indiuiduum, qua de cauſa per totam maiorum Theologiam dictus eſt ipſum Vnum, quod propriè nomen Primi eſt. Verùm ab hac eadem ſimplicitate, quoniam eadem eſt diuinitas, nec Secundus etiam ac Tertius abſunt. Sunt igitur & ipſi Vnum. Primus eſt ſimplex, Secundus & Tertius, Vnus, quibus nominibus eadem natura ſubeſt. Sed illud cum primis noris, inquit, etſi Pater, atq; Opifex idem ſint, eadem ſubſtantia, parque & inſeparata Diuinitas, Patrem tamen iure vocari priorem, quoniam Mens ab ipſo, non ipſe à Mente. Nec talis inter eos ordo qualis duorum, alterius ab altero nihil habentium: ſed qualis, ſi fas eſt mortalibus exemplis abuti, patris alicuius, ac prolis: vel quod in omni Theologia celebre eſt exemplum, qualis Solis, ac lucis, à Sole naſcente luce ac radiante, non à luce Sole quicquam accipiente: Sic Proles Opifex, etſi tantus ſit, quantus Genitor, nihilque ſibi de ſit paternorum bonorum, à Patre tamen iubar Diuinitatis ſuæ relucet. Et is patrijs imperijs obſequitur, cuius ſub pedibus omnia ſubiecit. Et quanquam eſt Opifex etiam Deus, eſt tamen ab illo, qui eum genuit Deum. Similia quædam dixerunt illi, narrata melius, & declarata aduentu Filij Dei. Quanquam hæc lux, quæ venit in mundum, & ad propria, palatiumque ab ſe quondam creatum, non fuit agnita ab his, quorum excæcauit oculos malitia: & dilexerunt quondam homines, ſicut diligunt, magis tenebras, quàm lucem.

Non confundẽdę pſonæ ĩ Trinitate.

1.Ioan.4.

Popularibus interdum exemplis vtẽdũ in reb. arduis, & Theologicis.

De trino Deo, ternaque Diuinitate ex Calcidio, quo ſenſa ſuperiorum Platonicorum declarantur. Et quòd Primus eſt ſummum Bonum, Secundus Mens, Prouidentia, Sapientia æterna, Tertius Intimator & Anima mundi. Et quòd tres has perſonas, & hypoſtaſes aperte & diſtinctè fateantur. Cap. XIII.

HANC admirabilem Platonicorum, priſcorumque Theologorum, atq; oraculorum, & per ſucceſſionem omnium ætatum traditam de triplici Deo Pphiloſophiam legit & agnouit, produxitq; in medium Calcidius Platonicus ſuper Timæum. Cuius hæc verba ſunt, Vt igitur breui multa complectar, iſtius rei diſpoſitio talis mente concipienda eſt: Originem quidem rerum, ex qua cæteris omnibus, quæ ſunt, ſubſtantia miniſtratur, eſſe ſummum & ineffabilem Deum. Poſt quem Prouidentiam eius, ſecundum Deum latorem legis, & vtriuſque vitæ, tam æternæ, quam temporariæ. Tertiam eſſe porro Subſtantiam, quæ ſecunda Mens Intellectuſque dicitur, quaſi quędam cuſtos legis æternæ, his ſubiectas fore rationabiles animas, legi obſequentes. Miniſtras verò poteſtates, naturam, fortunam, caſum, & Dæmones inſpectores ſpeculatoresq; meritorum, Ergo ſummus Deus iubet, Secundus, ordinat, Tertius intimat. Animæ verò legem agunt. Lex porrò ipſum fatum eſt. Hæc ille. Paulo autẽ ſuperius Plato veritatis inſtinctu locutus eſt, Principio, cuncta, quæ ſunt, & ipſum mundũ contineri, regiq; principaliter quidem à ſummo Deo, qui eſt ſummum Bonum, vltra omnem ſubſtantiam, omnemque naturam extimatione, intellectuque melior, quem cuncta expetunt, cùm ipſe ſit plenæ perfectionis, & nullius ſocietatis indigus, de quo nunc plura dici, exorbitare eſt. Deinde à Prouidentia, quæ eſt poſt illum Summum ſecundæ eminentiæ, quam νοῦς, Græci vocant. Eſt autem intelligibilis eſſentia, æmula bonitatis propter indefeſſam ad ſummum Bonum conuerſionem. Eſtque ei ex illo bonitatis hauſtus, quo tam ipſe ornatur, quàm cętera, quæ ipſo autore honeſtantur. Hanc igitur Dei voluntatem, tanquam ſapientem tutelam rerum

Calcidius Platonic.

Summus Deus iubet. Secund⁹ ordinat, Tertius intimat.

νοῦς quid.

rum omnium, Prouidentiam homines vocant, non vt plerique exiſtimant, quia præcurrit in videndo, atque intelligendo, prouentus futuros, ſed quia proprium eſt diuinæ mentis, intelligere, qui eſt proprius mentis actus. Et eſt Mens Dei æterna. Eſt igitur Mens Dei de intelligendo æternus actus. Sequitur hanc Prouidentia, Fatum, lex diuina promulgata intelligentiæ ſapienti modulamine ad rerum omnium gubernationem. Huic obſequitur ea, quæ ſecunda Mens dicitur, id eſt, Anima mundi. Hic fatum. Hæc quidem Calcidius, quibus profunda Platonicæ Theologiæ myſteria, cæterorumque item Platonicorum, & omnium, qui de rebus diuinis locuti ſunt, enodauit. Hic igitur expreſſè nominantur, recoluntur illa tria Numina, tres Imperatores, trinus Deus, terna Diuinitas. Quorum primum iuxta ſuperiores omnes, quos vidimus, ſummum Bonum, ſummus & ineffabilis Deus appellatur. Alter vocatur Deus ſecundus, vocatur Prouidentia, quemadmodum ſuperius locuti ſunt omnes. Nam Philo, prouidentem, gubernatorem, pręfectūq; mundi, dicit, hunc Secundum, primogenitum Dei Filium. Qui etiam de ſeipſo dicit apud Ioannẽ, Pater nõ iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Et, Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Paulus autẽ, Qui conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum. En igitur Prouidentia, en generis humani, omnis carnis iudicium. Ea enim eſt Prouidentia. Rectūq; naturę curſum dicebat ſuperius Philo, qui conſtituit Deus primogenitum Filium, rectam legem. Eandem prouidentiæ cauſam, ſicut oſtendimus, propoſuit Plotinus. Hinc etiam declaratur myſterium, quo Calcidius dixit, Ergo ſummus Deus iubet, Secundus ordinat, Tertius intimat. Declarantur item dicta Numenij, quibus dixit, Patrem vacare ab omni opere: & quæ dixit Philo, Quòd Patrem in excelſa, longeq; optima Diuinitatis arce poſitum, nefas erat hominem ad ſuam imaginem creare, delegaſſe Filio, & Secundo tanquam minori, hanc prouinciam. Etiam declarantur, quæ idem Deus dixit, Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Scilicet iuſſit, dictauit Pater, Filius iuſſus paruit, creauit mundum, creauit hominem ad imaginem ſuam. Iudicat item mundum. Hinc dictus à Philone organum, miniſter, legatus. Nomina igitur Patris apud Calcidium, quemadmodum cæteros omnes, ſunt vt in ſacris literis: item, quòd is propriè dicitur Deus, dicitur ſummum Bonum, dicitur Origo prima rerum cunctarum, quia primum Genitor Filij ſui, Filius autem Creator omnium: dicitur ineffabilis: dicuntur omnia principaliter ab eo manare, ſuſtineri, regi. Idem ſummus Deus, & ſummum Bonum nuncupatur, vltra omnem ſubſtantiam, omnemque naturam, ſuperans omnem cogitationem omni conſideratione maior, non minus incogitabilis, quàm ineffabilis, nullius ſocietatis indigus. Dicitur item Iuſſor, Imperator. Dictator Secundo, imperans iubenſque Secundo. Nomina autem Secundi ſunt, principio appellatur Deus, & dicitur Lator legis, Iudex ſcilicet, dicitur Autor æternæ, & temporariæ vitæ, dicitur Prouidentia, dicitur ſecundi gradus, ſecundę eminentiæ poſt Primum, dicit Calcidius eum à Græcis appellari νῦν, Mentem. Audis Mentem (de qua primus liber) ſecundam eſſe à Primo. Dicitur Eſſentia νοητὴ, intellectualis: eſt enim Idea rerum, eſt perfecta Subſtantia, eſt Ipſum eſſe, quemadmodum vocat eum Dionyſius, τὸ ὄν. Et ipſe de ſe, Ego ſum qui ſum: propter rerum pleniſſimam fœcunditatem, originem vberrimam, aulam formarum ditiſſimam. Dicitur item æmula Bonitatis, & quod indefeſſè conuertitur ad ſummum Bonum: quia dixit ipſe apud Ioannem, declarans hoc miſterium, Filius nihil agit niſi, quod viderit Patrem facientem. Et, Doctrina mea, non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Obſerua quoq; contra Arianos, & Valentinianos, quòd hæc Mens eſt æterna: Non, quemadmodum illi dicebant, Fuit tempus quando Filius non erat. Nonne audis Mentem æternam, quemadmodum apud ſuperiores? Item obſerua quòd beatitudo Filij, & Bonitatis hauſtus, eſt ex Patre. Filius enim eſt in ſinu Patris. Aeterno Pater deuictus amore, Filium amplectitur. Hic profundum, ineffabile myſterium, quòd eo hauſtu Bonitatis Filius ornatur, & Filius ornat, & honeſtat omnia. Vt Pater bonum filij, ſic Filius bonum reliquarum rerum. Hæc vocatur ab hominibus, ſapientia, tutela, ſalus omnium rerum, robur, ſuſtentaculum, vt Philo, δεσμὸς ἄρρηκτο, vinculum non diſſoluendum. Nomina porrò Tertij, primum dicitur Suſtentatio hypoſtaſis, quemadmodum Primus, & Secundus: dicitur Intimator, quia funditur, mittiturque, datur à ſecundo, Ipſe enim (inquit Mens) quæcunque dixero, annunciabit vobis. Ipſe prophetas afflauit. Ecce igitur verè intimator, declarator, Paracletus, conſolator. Dicitur etiam ſecunda Mens, quia nomen Mentis eſt propriè Secundi, Iſq. eſt Mens in omni Philoſophia celebris. Quapropter Tertius dicitur etiam ſecunda Mens, vel Intellectus. Agnoſcis diſtinctas perſonas, diſtinctas hypoſtaſes? Non confuſas, quemadmodum apud Sabellianos. Omnes enim ſunt Mentes, Intellectus. Dicitur item Tertius quemadmodum apud ſuperiores omnes, Anima mundi, nimirum vniuerſalis afflatus, vita. Poſtremum tribus his dicuntur ſubiacere miniſtræ poteſtates omnes, caſus, fortuna, Angeli, Dæmones. Habes hic profundiſſima myſteria, quæ Calcidius iuxta atq; Platonici cuncti, dicit Platonem veritatis inſtinctu vidiſſe, aſſeruiſſe. Ego verò dico, non veritatis inſtinctu modò, ſed etiam quia didicerat ab Aegyptiis, Chaldæis, oraculis, Sibyllis, & quia per manus tradita, per omnes ætates deſcendit hæc Theologia, tunc latens apud paucos, nouiſſimis diebus apertiſſima, toto terrarum orbe radiantiſſima.

Anima mundi.

Trinus Deus, terna diuinitas agnita Platonicis.

Ioan. 5. 8.
Ioan. 5.
Act. 10.
Luc. 20.

Dictauit Pater, filius paruit.

Nomina Dei patris & filij.

Exod. 3.

Ioan. 7.

Spiritus ſãctus, hypoſtaſis.

Deo trino ſubiiciuntur oẽs miniſtræ poteſtates.

A *De ſecunda Hypoſtaſi, id eſt, Mente creatrice mundi, ex Anaxagora diuina naturæ eius deſcriptio, & quòd ab hac creat viſibilia, & inuiſibilia Anaxagoras, quemadmodum hodierna religio.* Cap. XV.

De Mente creatrice mundi, hæc ſcripſit Anaxagoras, autore Simplicio Philoſopho; Νοῦς δὲ ἐστὶν ἄπειρον, καὶ αὐτοκρατὲς, καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι· ἀλλὰ μόνος αὐτὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ἐστὶν, εἰ μὴ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ ἦν, ἀλλὰ τέῳ ἐμέμικτο ἄλλῳ, μετεῖχεν ἂν ἁπάντων χρημάτων, εἰ ἐμέμικτο τέῳ: ἐν παντὶ γὰρ παντὸς μοῖρα ἔνεστιν, ὥσπερ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐμοὶ λέλεκται, καὶ ἀπεκώλυεν αὐτὸν τὰ συμμεμιγμένα, ὥστε μηδενὸς χρήματος κρατεῖν ὁμοίως, ὡς καὶ μόνον ἐόντα ἀφ' ἑαυτοῦ: ἐστὶ γὰρ λεπτότα τόντε πάντων χρημάτων, καὶ καθαρώτατον, καὶ γνώμην γε περὶ παντὸς πᾶσαν ἴσχει, καὶ ἰσχύει μέγιστον, ὅσαγε ψυχὴν ἔχει, καὶ μείζω καὶ ἐλάττω. πάντων νοῦς κρατεῖ, καὶ τῆς περιχωρήσιος τῆς συμπάθης νοῦς ἐκράτησεν: ὡς περιχωρῆσαι τὴν ἀρχὴν, καὶ πρῶτον ἀπὸ τοῦ σμικροῦ ἤρξατο περιχωρῆσαι: ἐπειδὴ πλείων περιχωρεῖ καὶ περιχωρήσει ἐπὶ πλεῖον, καὶ τὰ συμμεμιγμένα τε καὶ ἀποκρινόμενα, καὶ διακρινόμενα, πάντα ἔγνωσε νοῦς, καὶ ὁ ποῖα ἔμελλε ἔσεσθαι, καὶ ὁποῖα ἦν, καὶ ὅσα νῦν ἐστὶν, καὶ ὁποῖα ἔσται: πάντα διεκόσμησε νοῦς, καὶ τὴν περιχώρησιν ταύτην ἣν νῦν περιχωρέει, τά τε ἄστρα, καὶ ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, καὶ ὁ ἀὴρ, καὶ ὁ αἰθὴρ οἱ ἀποκρινόμενοι: ἡ δὲ περιχώρησις αὐτὴ ἐποίησεν ἀποκρίνεσθαι, καὶ ἀποκρίνεται, ἀπό τε ἀραιοῦ τὸ πυκνὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ τὸ θερμόν, καὶ ἀπὸ τοῦ ζοφεροῦ τὸ λαμπρὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ διεροῦ τὸ χηρόν; μοῖραι δὲ πολλαὶ πολλῶν εἰσίν: πάντα πάσι δὲ οὐδὲν ἀποκρίνεται ἕτερον ἀπὸ τοῦ ἑτέρου, πλὴν νοῦ, νοῦς δὲ πᾶς ὅμοιος ἐστὶ, καὶ ὁ μείζων, καὶ ὑ ἐλάσσων: ἕτερον δὲ οὐδὲν ἐστὶν ὅμοιον ἄλλῳ.

B Mens autem eſt immenſitas, abſoluta poteſtas. Nulli rei eſt admiſta, ſed ſola ipſa a ſeipſa exiſtit. Si enim a ſe ipſa non eſſet, ſed alteri alicui admiſta eſſet, omnes res participaret, ſi cuiuſquã contagio infecta eſſet. (In omni enim re ineſt omnis rei particula, quemadmodum in antecedẽtibus mihi ſcriptum eſt.) Prohibuiſſentque ipſam, & implicatam tenuiſſent res commiſtę, vt nulli dominari poſſet, ęquè, vt ipſa a ſe ipſa eſſet. Eſt enim omnium rerum tenuiſſima, ac puriſſima, & ſcientiam de vnaquaque re vniuerſam continet, valetque maximè. Quęcunque quidem animã habent, maiorem vel minorem, his omnibus dominatur, potiturque Mens. Omnem locum, complexumque Mens comprehendit, vnde & ipſum principium comprehendit. Et primum orſa eſt a paruo complecti. Poſtea verò maius complectitur, & complectetur magis. Quin & quæ miſta eſſent, & ſegregata cuncta nouerat Mens, & qualia futura eſſent, & cuius modi forent, & quot nunc ſunt, & cuius modi ſunt futura, cuncta exornauit, compoſuitque Mens, & hunc complexum, quem nunc complectitur, aſtra, & Sol, & Luna, & aer, & ęther, quæ ſunt ſegregata. Is autem complexus fecit ſecernere. Secerniturque a raro denſum, a frigido calidum, a tenebroſo lucidum, ab humido ſiccum. Particulę autem multorum multæ ſunt. Omnino autem nihil eſt ab alio ſegregatum præterquam Mens. Mens autem omnis ſimilis eſt maior & minor. Nihil autem alterum vlli alij eſt ſimile. Hæc, vt ait Simplicius, ſcripſit Anaxagoras in primo ſuorũ Phyſicorum. Duplicem quinetiam videtur, vt teſtatur idem, ponere creationem ſenſibilem, & intelligibilem: Vt appareat manifeſtò eum ante tot ſęcula ceciniſſe, quod canitur hodie ab omni lingua: Viſibilium omnium & inuiſibilium. Hoc ergo teſtatur de eo Simplicius his verbis: Quòd duplicem creationem ſtatuat, alteram intelligibilem, alteram ſenſibilem ab illa, manifeſtum quidem & ex his, quæ dicta ſunt, & ex his: Mens, ait, quæcunque ſunt omnino, & quę nunc ſunt, vt & alia omnia in eo, qui continet multa, & in aggregatis, & ſegregatis. Atque cùm dixit ineſſe multa, & varia omnibus in rebus aggregatis, & ſemina rerum cunctarum, & formas omnimodas, colores, & voluptates habentia, & hominibus compacta eſſe, & alia animalia, quæcunque animam habent, ſubiicit. Et hominibus eſſe tum vrbes congregatas, tum opera conſtructa, quemadmodum apud nos & Solem eis eſſe, & Lunam, & alia, ſicut apud nos, & terram eis producere multa, & varia, quorum illi vtilia congregantes, in habitationem vtuntur. Hęc Anaxagoras. Simplicius ſubiicit: & quòd alium quendam mundum a noſtro innuat, manifeſtat cùm dicit non ſemel, Quemadmodum apud nos. Vult etiam eum non ſenſibilem illam χρόνῳ δὲ ταύτης προηγησαμένην: ſed tempore præcedentem iſtam noſtram ſpectaſſe.

Mẽs dominatur animabus omnibus.

Nihil ab alio ſegregatum prę ter Mentẽ.

Duplex creatio, ſẽſibilis & intelligibilis.

Comprobatio ex Plethone Gemiſto, quòd Magicæ ſententiæ de Trinitate loquantur, de primo, & ſecundo Creatore, ſiue Deo: & quòd Beſſarion etiam vidit hæc, & confirmauit, quòd Auicenna Arabs hunc Trinitatis ordinem vidit apud Platonicos, ſed non vſquequaque rectè percepit: & quod intelligentia primi orbis, eſt eadem & Anima mundi. Cap. XVI.

Magica quoque logia, id eſt, ſiue ſententię, ſiue oracula, apertè de Trinitate ante Chriſti aduentum locuta fuerant, de duobus primis Patre, & Filio, vt primus liber oſtendit, clarè prædicantia. E quibus illud oraculum, quo dixerant Magi, ἀλλ' οὐκ εἰσδέχεται, κείνης τὸ θέλειν πατρικὸς νοῦς, μέχρις ἂν ἐξέλθῃ λήθης, καὶ ῥῆμα λαλήσῃ μνήμην ἐν θεμένη πατρικοῦ συνθήματος ἁγνοῦ. Hoc oraculum declarans Pletho, ſecutus Pſellum,

Magi de Trinitate loquuti.

& quæ ſit paterna Mens oſtendens, ait: ὁ πατρικὸς νοῦς, ὁ δεύτερος δηλαδὴ θεὸς, καὶ τῆς ψυχῆς, προσεχὴς δημιουργὸς οὐκ εἰσδέχεται ἐκείνης τὴν θέλησιν μέχρις ἂν ἐξέλθῃ τῆς λήθης: ἣν ἐκ τῆς πρὸς τόδε τὸ σῶμα ἐπιπλοκῆς ἔπεσθε: καὶ λαλήσῃ τι ῥῆμα, ἤτοι λόγον φρονήσει τινὰ, μνήμης ἐχόμενον τοῦ πατρῴου θείου συνθήματος τοῦτ' εἶναι τήν τε τοῦ καλοῦ διώξεως ἐντολήν: ἧς τὴν ψυχὴν ἀναμνησθεῖσαν οὕτος ἤδη καὶ τῷ ἑαυτῆς δημιουργῷ μάλιστα ἀρέσκει. Paterna, inquit, Mens, ſecundus videlicet Deus, & animæ immediatè Opifex, non admittit illius voluntatem, vſquequo egreſſa fuerit ex obliuione, quam ex complexu ad hoc corpus paſſa eſt, & locuta fuerit verbum aliquod, ſiue ſermonem ſenſerit aliquem, memoria pendentem paterni diuini ſigni, hoc eſſe & pulchri executionis mãdatum. Cuius animam memorem ſic iam, & ſuo ipſius Opifici maxime placere. Hęc Pletho, conſentiens Mentẽ paternam dictam ab oraculo, ſecundum Deum, Filium Dei. Secundo quoque oraculo, cum ait, Omnia perfecit Pater, & Menti tradidit ſecundæ, quam primam vocat omne hominum genus: ὁ γὰρ πατὴρ ἅπαντα ἐξετέλεσε τὰ νοητὰ δηλαδὴ εἴδη: ταῦτα γάρ ἐστι τὰ ἐκτετελεσμένα τε καὶ τέλεια: καὶ τῷ μεθ' ἑαυτὸν δευτέρῳ θεῷ παρέδωκεν ἄρχειν δηλαδὴ καὶ ἡγεῖσθαι αὐτῶν: ὥστε ἤν τι καὶ διὰ τούτου παράγηται τοῦ θεοῦ πρὸς παράδειγμα ἑαυτοῦ τε καὶ τῆς ἄλλης νοητῆς οὐσίας, καὶ τούτο ἐκ τοῦ ἀνωτάτω πατρὸς ἴσχειν τὴν γένεσιν, τοῦτον τὸν δεύτερον θεὸν πρῶτον φησὶν ἑαυτοῖς τίθεσθαι τὰ τῶν ἀνδρῶν ἔθνη: ὁπόσα δηλαδὴ τοῦ μὲν κόσμου τοῦ δὲ προσεχῆ τινα δημιουργὸν νομίζει, τούτου δὲ οὐκέτι ἀνωτέρα οὐδένα. Nam Pater, inquit, omnia perfecit, nempe intellectuales formas: Hæ enim ſunt perfectæ, & abſolutæ, & ei qui poſt ſe eſt Deo ſecundo tradidit, vt imperaret ſcilicet, & præeſſet eis. Quapropter ſi quid & per hunc producatur Deum, ad exemplum ſuiipſius, & alterius intellectualis ſubſtantiæ, & hoc à ſupremo Patre habere generationem dicit. Hunc Deum ſecundum ait humanas gentes ſibi feciſſe primum, quæ ſcilicet aliquem mundi creatorem immediatè arbitrantur, eo autem ſuperiorem neminem. Hæc Pletho, iuxta ea, quæ prior Pſellus expoſuerat. Eſt igitur hoc oraculum diuiniſſimum, vetuſtiſſimum, quod legiſſe veteres Platonicos, præcipuè Numenium, ac Plotinum apparet ex eo, quòd Plotinus exclamat ad omnes (vt viſum ſuperius) inducens Platonem loquentem, O homines, quem vos arbitramini primum Deum, mundi creatorem, non eſt primus, ſed eſt eo ſuperior, & hoc ait quaſi dixiſſe Platonem. Numenius autem dicit Patrem vacantem ab omni opere, dediſſe ſecundo totam mundi molitionem, & adminiſtrationem. Legerunt igitur id in his oraculis, & volunt eadem ſenſiſſe Platonem.

Beſſarij Cardinalis laus.

Doctiſſimus etiam Beſſarion, nullis priſcis Platonicis inferior, vidit hoc dogma Chaldaicum, Platonicumq; & comprobauit, exponens Platonica dogmata aduerſus calumniatorem, libro ſecundo, Seruat quidem, inquit, hoc propoſitum Plato ſemper, vt non primum per ſe Principium exiſtimet creatorem ſenſibilium rerum, propinquum, ſed eum qui poſt Primum illum, quem Vnum vocat, ſecundo loco conſtitutus eſt, cui cùm materia, tum Ideæ à Primo tributæ ſunt, quas reſpiciens Creator ſecundus, formas materiales, atque ſenſibiles materiæ imprimit iam præuiæ, altero mentis conceptu, & à Primo pendente, ſiue enim ſignis, ſiue relationibus iſta diſtinguantur, nihil re fert. Hæc Beſſario. Ecce igitur quod eſt in dogmatis Magorum, vult etiam eſſe dogma Platonis, quod ab illis vtique manauit vti prioribus. Vides igitur Deum primum, & ſecundum.

Creatores duo, velut vnus.

Vides Creatores duos, velut vnum. Primum, qui det vim, ſapientiam, ingenium, fœcunditatem, theſauros abſconditos Secundo, hæ enim ſunt Ideæ, ſiue ſpecies, Secundum, qui creet doctus iuſſusque à Primo. En quod canit Eccleſia, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Deinde inducens creatorem ſecundum, Filium Dei vnigenitum, per quem omnia facta ſunt. Vides Supremum, Primumque à Platone vocari Vnitatem. Hoc vetuſtiſſimũ, & cum primis ſanctiſſimum dogma cum Arabs Auicenna legiſſet in libris Gr corũ tralatis in Arabicam linguam, & non intellexiſſet, quod accidit ei in aliis pleriſq;, affirmaui Primam Mentem ſiue Intelligentiam produxiſſe, ſiue procreaſſe duntaxat Mentem ſecundam (quas duas Mentes memorauerat Chaldæus) Secundam verò producere Tertiam. Eſt enim hoc dogma Plotini, Platonicorumque, qui præcipuè tradiderunt à ſecunda Mente naſci Tertiam, i eſt, à Filio produci Spiritum. Primam verò genuiſſe duntaxat Filium ſuum vnigenitum, & pri mogenitum, qui deinde viſibilia & inuiſibilia creauerit à quo prodeat Anima mundi, qui idem Spiritus dicitur ſanctus, autore Calcidio. Hucuſque legerat, & rectè intellexerat Platonicorum vetuſtiſſimorumque dogma Auicenna.

Auicennæ error.

Sed modum, quo putat Secundam cùm ſe ad Primã co uerterit, producere Tertiam, cùm verò ſeipſam reſpexerit, producere Animam primi orbis, fu inane commentum adiectum à ſe, non extans vſquam neque apud Platonem, neque Platonicos quos ille ſequebatur. Eſt enim ineffabilis modus, & omni mente incomprehenſibilis, quo Secundus à Primo naſcitur, vel à Secundo procedit Tertius. Animam verò primi orbis pro rem ex Platone, à Plotino, viſumque eſt ſuperius, eſſe eandem Animam mundi, hanc autem ſe tertiam Intelligentiam, ſeu Mentem, & Hypoſtaſin. Idcirco enim vocatur Anima mun quia mouet, animatque principio cœlum, dein vniuerſum terrarum orbem.

Sap. 1. Act. 2.

Spiritus enim D mini replet orbem terrarum, continens omnia.

Intelligentia primi orbis, Auicennæ cõmenta.

Hæc illa Intelligentia, quæ producitur fun turque a Secunda, quæ ſola generatur à Primo, eoque vnica proles eius. Superfluo igitu hoc ordine addidit Auicenna Intelligentiam primi orbis. Modus etiam producendi à ſecun per conuerſionem, vel ad Primum, vel ad ſeipſam, ſuus eſt, non priſcorum. Dicunt etiam quidam alij Græciæ Philoſophi, de Teologia Magorum, quòd apud eos ὁ πρῶτος θεὸς ἀρχέτυποί τῶ ἐλάττονι.

Quòd autore Suida Triſmegiſtus de trina Diuinitate, ſempiternaque Trinitate ſcripſit, quàm ſolam dixit æternam, inſeparabilemque ſubſtantiam, & quòd creationem per Verbum Dei, quemadmodum & Moſes, extitiſſe dicit. *Cap. XVII.*

QVICVNQVE qualis ante Platonicos, quos produximus teſtes, & ante Platonem Philoſophia celebris eſſet, habuerit exploratum, deſinet anxius quærere, & admirari è quibus fontibus ſuperiores myſteria tanta haurientes, digna Spiritu Dei locuti, cœleſti numine afflati videantur. Figentes igitur velut veſtigia per omnes retro ætates vſq; ad primæuos, diuiſque familiares Theologos, ad ipſam originem veniemus Ecce enim Suidas autor valde bonus teſtatur Triſmegiſtum appellatum, quia de Trinitate, quodã diuini Spiritus inſtinctu locutus ſit: cuius autoritate multa ſuper Theologia eius confirmantur: ἑρμῆς ὁ τρισμέγιστος, οὗτος ἦν αἰγύπτος σοφὸς, ἤκμαζε δὲ πρὸ τοῦ φαραώ: ἐκέκλητο δὲ τρισμέγιστος διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο εἰπὼν ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα, οὕτως: ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τούτου ἑνότης, καὶ πνεῦμα πάντα περιέχων: ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη: πάντων γὰρ κύριος, καὶ πατὴρ καὶ θεὸς, καὶ πάντα ὑπ' αὐτὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστίν: ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν καὶ γόνιμος καὶ δημιουργικὸς ἐν γονίμῳ φύσει πεσὼν, καὶ γονίμῳ ὕδατι, ἐγκύοντο ὕδωρ ἐποίησε. Quæ ſunt, Mercurius Termaximus, is fuit ſapiens Aegyptius. Floruit autem ante Pharaonem. Appellatus eſt autem Termaximus, quoniam de Trinitate edidit oraculum, dicens in Trinitate vnam eſſe diuinitatem his verbis: Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale. Et erat ſemper Mens Mentis luminoſa. Et nihil aliud erat, quàm horum Vnitas, & Spiritus omnia continens. Extra hunc non Deus, non Angelus, non ſubſtantia vlla alia. Omnium enim dominus, & Pater, & Deus, & omnia ſub ipſum, & in ipſo ſunt. Nam Verbum eius perfectum exiſtens, & fœcundum, & opifex, lapſum, in fœcunda natura, & aqua fœcunda, prolificam fecit aquam. Hæc affert Suidas ex Triſmegiſto. Ac quanquam ipſe Ter maximum eum vocatum puto propter ingenij, ſapientiæque magnitudinem, hoc ſum duntaxat contentus, apparere, & hoc teſtimonio Triſmegiſtum de Trinitate ante Platonem, Platonicoſque natos ſcripſiſſe. Ecce enim tres perſonas diſtinctè ſuis nominibus appellat, appellans Patrem, & Filium, lumen, lucem intellectualem: duas intelligibiles luces, quarum altera ſit ante alteram, non tempore, ſed qua Genitor antecedit gradu Genitum. Nempe quod idem Filius eius dixit, Pater maior me eſt. Ho- um ſubſtantiam lucem eſſe dicit, non lucem corpoream, ſed lucem intelligentem. Et cecinit an- quiſſimus ille, quemadmodum hodierna religio, Deum de Deo, lumen de lumine. Sicut autem dicit diuinus Ioannes, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ver- um: ſic Triſmegiſtus, Erat lux intelligibilis (ſiquidem etiam ipſum idem Verbum Lucem Ioan- es appellat) ante lucem intelligibilem, & erat Mens Mentis luminoſa. Id eſt, Deus de Deo, Mens à Mente naſcens. Deſignat enim quod ait Ioannes, Et Verbum erat apud Deum, quia na- cebatur æternaliter ab eo, lucens ab æterna altera luce, lux ipſe intelligens, ex luce intelligen- Loquiturque de eorum Vnitate inſeparabilique Diuinitate. Exin inducit Spiritum ſanctum, o cuncta contineantur, viuificentur: qua poteſtate celebratur in ſanctis litteris: Spiritus enim omini, inquit liber Sapientiæ, repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcien- am habet vocis. Ecce etiam fatetur hunc Trinum ſolum, Deum fuiſſe ſemper, ſolum hunc vi- iſſe: Præter hunc non fuiſſe Angelum, non Dæmonem, nullam aliam ſubſtantiam. Eſt enim oc dictum Triſmegiſti, id quod quotidie canit Eccleſia de tribus illis, Sicut erat in principio, nunc, & ſemper. Erat in principio, videlicet ab æterno. Ecce etiam vociferatio valida contra aros veritatis, rationis expertes Arianos, qui dicebant fuiſſe quando Filius non erat: non re- tantes quantum non impietate modò, ſed inſcitia, & imperitia naturæ peccarent, partim quòd nc errorem à Platonicis, & ſcriptoribus profanis, quos non intellexerunt, videbantur ſuſcepiſ- partim quòd non viderunt, quàm eſſet impoſſibile, vt qui erat Filius Dei verus, Deus & ipſe ex i ſubſtantia non fuerit ſemper. Conſequuntur enim ſe diuinitas, & æternitas. Si filius Dei verus, etiam Deus eſt: Si Deus, etiam ęternus. Adeſt igitur Triſmegiſtus dicens, Fuit ſemper Mens entis luminoſa. Mens Mentis Filius eſt, Mens ex altera Mente. De quibus Chaldæus in primo ro dicebat, Omnia perfecit Pater, & Menti tradidit ſecundæ, quam vocat Primam omne hu- num genus. Hæc igitur tria duntaxat fuerunt ſemper, & ab æterno. Non Angelus, non Dæ- n, nulla alia ſubſtantia fuit, ſed ſola trium æterna in vna ſubſtantia coniunctio. Hoc ſentit, & quitur diuiniſſimus Triſmegiſtus, non ſolũ confirmans hodiernam ſapientiam, ſed contra omnes

obteſtan

Platonici locuti digna ſpiritu Dei.

Suidæ la°.

Mercurij Triſmegiſti laus.

Cur ter maximus appellatus Triſmegiſtus.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Spiritu ſãcto cũcta viuificantur.

Sap. 1.

Act. 2.

Arianorũ error.

Tria ſemper ab æterno.

Error Pici Mirandulani, & Ficini. obteſtans, qui Mentem ſecundam à prima putarunt priſcos ſeparaſſe. E quibus Ioannes Picus, & Marſilius dicta Procli videntes, qui hoc loco non rectè Platonem, maioresque interpretatur, aſſeruerunt ſecundam illam Mentem, quaſi creaturam quandam in tempore conditam priſcos ſenſiſſe. Nos autem probauimus, & probamus, nec Platonicos, qui talia prodiderunt, priſcam Philoſophiam ſyncere expoſuiſſe, nec Platonicos illos Latinos Græcos rectè ſecutos eſſe, quos ſi ſine iudicio, nec vetuſtate cunctaque Philoſophia bene conſulta temere ſequaris, tam in hoc, quàm in aliis multis haud leuiter cecideris. Expoſita igitur, & decantata Triſmegiſtus trium numinum trinaque Deitatis, quæ ſola fuit ab æterno, ſempiternitate, accedit ad creationem, dicens fœcundum illud Verbum Dei, quod eſſet perfectiſſimum, fœcundiſſimum, opifex, aquas illas quibus ſuperferebatur, amplexum fœcundaſſe, & feciſſe, vt ex his omnia naſcerentur, principio lux cœleſtis, tum aer, inde plantæ, ſtirpes, animalia. Ac quod ait lapſum Verbum fœcundum ſuper aquas, eſt quod ait Moſes, Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ferebatur autem, vt opifex, vt operans, maximè cœleſtes orbes, quos primos eodem Triſmegiſto teſte, ex aquis ſecreuit, & in his primum Solem. Quòd autem hæc ſcripſerit, locutusque fuerit Triſmegiſtus, ex eo liquidò noſcet prudentiſſimus quiſque, quòd apud omnes Platonicos, qui poſt Platonem floruerunt, extant, vt non alium habuerint ſuper his myſteriis præceptorem, quàm Triſmegiſtum. Suidas igitur vbi dicta Triſmegiſti protuliſſet, adiecit, καὶ ταῦτα εἰρηκὼς ηὔξατο λέγων, ὁρκίζω σε οὐρανὲ θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον, ὁρκίζω σε φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἡνίκα τὸν πάντα κόσμον ἐστηρίξατο: ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ τοῦ πατρὸς τοῦ περιέχοντος πάντα: ἵλεως ἔσο: Et hæc locutus orauit dicens, Adiuro te cœlum Dei magni ſapiens opus. Adiuro te vocem Patris, quam protulit ipſe primam, cùm omnem mundum ſtabiliuit. Obteſtor te per vnigenitum Verbum, & Patrem, qui continet omnia, eſto propitius. Hæc igitur carmina, quæ Suidas tribuit Triſmegiſto, cæteri tribuunt Orpheo. Inſuper, quæ poſtremò citauit, quoniam in libris vulgatis non habentur, credendum eſt eum in aliis eiuſdem Triſmegiſti legiſſe: Quemadmodum & Lactantius, Auguſtinus, Cyrillus aduerſus Iulianum Imperatorem proferunt, quæ nos in libris eius, qui pauci ex innumerabilibus ad nos peruenerunt, non videmus.

Gene. 1.

Diuum Auguſtinum apertè teſtari Platonicos de tribus perſonis ſcripſiſſe. Cap. XVIII.

Lib. 10. ca. 28. & 29. CAETERVM etiam diuus Auguſtinus, in libris de Ciuitate Dei apertè teſtatur, quod etiam librorum illorum interpretes aſſeuerant, Porphyrium, quem vocat doctiſſimum Philoſophorum, iuxta Platonicorum ſententiam tria principia ſtatuere, ſed eos more ſuo loquentes tria Principia dicere, quæ Chriſtiani ad certam regulam loquentes, vnum Principium, tres Perſonas appellant. Vnũ principiũ, tres perſonæ. Eius hæc verba ſunt: Dicit enim, inquit, Deum Patrem, & Deum Filium, quem Græcè appellat paternum Intellectum, vel paternam Mentem, πατρικὸν νοῦν. De Spiritu autem ſancto aut nihil, aut non apertè aliquid dicit: quamuis quem alium dicat horum medium, non intelligo. Si enim tertiam, ſicut Plotinus vbi de tribus principalibus ſubſtantiis diſputat, animæ naturam etiam iſte vellet intelligi, non vtique diceret, Horum medium, id eſt, Patris, & Filij medium, poſtponit quippe Plotinus animæ naturam paterno Intellectui: iſte autem cùm dicit medium, non poſtponit, ſed interponit, & nimirum hoc dixit, vt potuit, ſiue vt voluit, quoniam nos Spiritum ſanctum nec Patris tantum, nec Filij tantum, ſed vtriuſque Spiritum dicimus. Hæc quidem Auguſtinus. Ecce teſtatur à Platonicis, videlicet Porphyrio, & Plotino claram, apertamque habitam de Patre ac Filio commemorationem. Filium in primis appellatum, quemadmodum à principio in oraculis Chaldaicis vidimus, paternam mentem, quod ſonat paternam Sapientiam. Paterna Mens, paterna Sapientia. Tertium autem dictum, ψυχὴν, Animam: Videlicet Animam mundi, qui dicitur à noſtris & ab illis Spiritus ſanctus. Hunc etiam Proclus medium amborum vocauit. Filium igitur Patris ſummi, vocatum à Platonicis ait, patriam Mentem, de qua totus primus liber diſſerebat. Quibus fit perſpicuum, magnos in noſtra Theologia viros, eiuſque ſuſpiciendos antiſtites, non ignoraſſe profanæ Philoſophiæ primates de Patre, Filio, Spiritu ſancto ſcripſiſſe. Quæ Philoſophi, vt idem ait Auguſtinus, liberis verbis loquentes, nec in rebus ad intelligendum difficiliſſimis, offenſionem religioſarum aurium pertimeſcentes, ſoleant vocare, vel tria Principia, vel tres Deos. Eiuſque loci explanatores afferunt, quod nos quoque fecimus, teſtimonium Macrobij, de Mente Ideas continente, & Triſmegiſti dicta de Verbo perfecto.

A

De tribus Hypoſtaſibus, ex Apollinis oraculo: & quòd apud priſcos, omnia metricè ſcribebantur: & quòd ab his oraculis myſteria veterum Philoſophorum manare potuerunt. Cap. XIX.

SIT poſtremo loco, quod ſub Christi deceſſum, Oraculum Apollinis de tribus Numinibus diuinè pronunciauit. Rogatus de vera religione, cui maximè genus humanum initiandum, conſecrandumque eſſet, quaque vti vera ſapientia cunctæ nationes eſſent decorandæ,& quæ foret omnibus ſuperſtes, quod Daniel vaticinatus fuerat, ad hunc modum fertur dixiſſe:

Oraculum de ſancta Triade.

Μὴ ὄφελες πύματον με καὶ ὕστατον αὐτὸς ἐρέσθαι,
Δύστηνε προπόλων, περὶ θεσπεσίου γενετῆρος.
Ἀμφιτε πηλογέτοιο πανομφαίου βασιλῆος.
Καὶ πνοιῆς, ἣ πάντα πέριξ βοτριδὸν ἐΐχει.
Οὔρεα, γῆν, ποταμοὺς, ἅλα, τάρταρον, ἠέρα, πῦρτε,
Ἥ με καὶ οὐκ ἐθέλοντο, δόμων ἀπὸ τῶνδε διώξει.
Αὐτίκα ἐρημαῖον δὲ λελείψεται οὖδος ἀφήτωρ.
Ne me vtinam ſupremum, infelix ipſe ſacerdos,
Sciteris de ſancto, ac diuino Genitore,
Et ſobole chara, rebus magni Induperantis,
Et Flatu, qui mundum aſtrictum continet omnem,
Montes, tellurem, fluuios mare, tartara, & ignem.
Aeraque: heu templis is me diſcedere ab iſtis
Coget, linquetur, quo edebam oracula, limen.

Hoc oraculum excerptum cum multis aliis, ab his qui audierunt, traditumque memoriæ, cuiuſmodi carminibus Sibylla, quæ & ipſa Apollinis oraculo præfuit, multa decantata reperiuntur, philoſophis etiam atteſtantibus, Sibyllas diuinas fuiſſe, & oraculum illud diuina ſæpenumero myſteria aperuiſſe. Decantabantur autem, autore Plutarcho, fermè cuncta, ſcribebanturque à priſcis numeroſè, Philoſophique priſci ferè omnes, ſiue de creatione mundi, ſiue de reliquis philoſophiæ partibus, poeticè, non oratione ſoluta ſcripſerunt. Quid mirum igitur, ſi cecinit oraculum de tribus Numinibus, quando Plato quoque & Triſmegiſtus, Chaldæi, & Magi, homines ſcilicet, & minoris quàm Dæmones ſapientiæ, tam multa de his ipſis prodiderunt? Ab his arbitror oraculis, quibus miranda myſteria Deus aperuit hominibus, manarunt Philoſophorum illa de ſummo Bono, de creatrice Intelligentia, priſcorum hominum nonnullis, quemadmodum & Sibyllis, cælitus reuelata non ęquè tempeſtate illa, atque poſtea cognita: Vt quod viderat Virgilius apud Sibyllam.

De Iſide.

Homines minoris ſapientiæ, quàm dæmones.

Eclog. 4.

Iam noua progenies cælo dimittitur alto:

cecinerat ſimili modo Sibylla, Græcè,

Καὶ τότ' ἀφ' ἠλίου πέμψειε θεὸς βασιλῆα,
Ὅς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.
Αὐτὸν σὺν γίγνωσκε θεὸν, θεοῦ υἱὸν ἐόντα.
Tum Deus excelſo demittet ab æthere Regem,
Qui bella è tota pellat tellure, nefanda.
Atque tuum cognoſce Deum, qui natus ab ipſo.

Hæc qui legebant, quò pertineret, neſciebant. Philoſophi verò libris ſuis excepta, quæ quidem naſcebantur etiam ab antiquiſſimis Theologis, ac Prophetis, quando nationes ferè omnes, Prophetis abundare dederat Deus, qui de magno illo in mundum venturo Rege, velut ante ambulones, vbique concinerent, ſpeculationibus, egregiiſque ſermonibus decorarunt.

Sibyllini verſus non intellecti Paganis.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER TERTIVS.

De tota Diuinitate, & quòd omnes instinctu naturæ Deum singulariter in omni ætate nominarint: exemplaque ex Platone, & Aristotele, & Homero, & Demosthene. Cap. I.

Vnꝰ Deus omnibus linguis, & nationibꝰ confeſſus.

Nō a Diis, ſed a Deo mundum fuiſſe conditum prædicarunt idololatrę.

Præclarus Platonis de vno Deo locus.

Deū ignorari ab homine, nefas.

POST hęc naturalis eſt ordo, vt qui de tribus Numinibus executi ſumus, nunc de Deo, totaq; ſimul Diuinitate nobis ſit ſermo. Conuenit enim in treis illos, quicquid de Deo per vniuerſam Theologiam ab omnibus linguis, nationibusq; pręedicatur. Primumq; erit de ſingulari Diuinitate myſterium, omnes ferè homines tum animo intento, tũ natura duce, ac magiſtra, rapidoq; veritatis ęſtu, ſemper vnum, ſingularemq; Deum fuiſſe confeſſos. Vt quanquam corruptiſſima inoleuit nominandi, adorandiq; plures Deos conſuetudo, propter inſitam tamen, altiſſimeq; impreſſam a Natura Dei notionem, & ad eum inclinaitonem, cum ſerio loquerentur, & ſe ab impetu Naturæ rapi paterentur, vnum modò Deum prædicarint, appellarint, habuerint in ore, cunctasq; ei veræ Theologiæ laudes attribuerint. Omnesq; quos ſub falſis religionibus, Deorumq; multorum cultricibus ortos conſtat cùm de creatione rerum, de mirabili cœli, terrarumq; ordine, ſiue magna alia de re loqui cogerentur, nunquam Deos, ſed vt Naturæ fert instinctus, verum Deum appellaſſe, ei prouidētiam, maximam, incommunicabilemq; bonitatem, cunctasq; Diuinitatis laudes tribuētes. Ac quanquam Platonis, Ariſtotelisq; Theologia, differtur in poſterum examinanda, ad exemplum tamen perſpicuitatemq; dicendorum, præcedat eorum teſtimonium, quo fiat omnium Philoſophorum, vetuſtiſſimorumq; hominum ſingularis & vnius Dei è Natura manifeſta cōfeſſio. Nam Plato non modò neſcius, & eo quem dixi veritatis ęſtu raptus, ſed ſciens & prudens confeſſus eſt, & oſtendit, quid inter Deos, Deumq; maximum ac ſingularem putarent ea ſæcula intereſſe, ſe cùm ſeriò loqueretur, Deum nominaturum: cùm minus ſeriò, plures Deos. In Epiſtola ad Dionyſium, De ſigno, inquit, Epiſtolarum, quas ſtudioſè, & quas minus ſcribā, arbitror te meminiſſe. Verùm cognoſce, animumq; intende. Multi enim ſunt, qui me iubeant ſcribere, quos non ſit facilè reiicere: τῆς μὲν γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς θεὸς ἄρχει, θε δὲ τῆς ἧττον. Nam ſeriæ Epiſtolæ Deus præeſt, Dij autem minus ſerię. Hæc igitur erit vniuerſalis admonitio, ac naturalis inſtinctus conſideratio, cunctos fermè mortales ea ratione locutos eſſe, cuius dedit documentum Plato. Et quod etiam Lactantius animaduertit. Cùm verò, inquit, ipſos Deorum cultores ſæpe videamus Deum ſummum, & cōfiteri, & prædicare, quam ſibi veniam ſperare poſſint impietatis ſuæ, qui non agnoſcant cultum eius, quem prorſus ignorari ab homine nefas eſt. Nam & cùm iurant, & cùm optant, & cùm gratias agunt, non Iouem aut multos Deos, ſed Deum nominant: adeò ipſa veritas cogente Natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit. Videre igitur licet, quod Lactantius monuit, vbique Naturā ad hoc homines impuliſſe, vt Deum Patrem ſuum recognoſcerent, nominarent, appellarent, venerarentur, eumq; meritis pręconiis, qualia ſacræ litteræ cecinerunt, efferrent, nunc autorem generis humani, fabricatoremq; mundi, nunc prouidentem vniuerſis, oculosq; Diuinitatis ſuæ per omnes terras latè de ſublimi ſede ſua tendentem, cæteras item Diuinas attributiones decantantes, quas indefeſsè reſonat Philoſophia cęleſtis. Quas quidem laudes & Theologiam, partim ex fonte Naturę, partim illa priſca, cum ſolus verusque Deus colebatur, Theologia, manare compertum. Ad hanc igitur rationem reuocabitur, omiſſis multis, quę poſt examinabuntur, hoc autem vt exemplum multorum, quòd Ariſtoteles, qui videtur cœlo, ſtellisque Intelligentias diuinas adiungere, venaturque ex motu cœleſti Diuinitatem in libris de prima Philoſophia, naturæ quodam impulſu definit Naturam diuinam: φαμὲν δὲ θεὸν ζῶον ἀΐδιον ἄριστον: Dicimus Deum animal aut viuens ſempiternum, optimũ. Ecce Deus optima vita, Deus ille naturalis, verusque, nulla cęleſtis, aut quæuis alia Intelligẽtia, quarũ nulla optima eſt, quòd Vnũ duntaxat neceſſe ſit eſſe optimum. Ecce item ſingularis & vnius Dei nuncupatio, cumque multos Deos ſoleant Philoſophi, poetæque nominare, vnus tamen ſingularis inſtinctu Naturæ nominatur: Cuius eſt ſolius, naturaliterque hoc nomen Dei, & qui vt ſingulariter Deus, ſic ſingulariter ſempiternus, & ſingulariter optimus. Apparet enim, vel cogitur Ariſtoteles id ex ipſa locutione ſenſiſſe, quia ſicut per eminentiam hæc Dei nominatio cadit in verum illum, ac naturalem, haud minus cadere debet reliqua definitio, quòd ſolus ſempiternus, ſolus optimus. Vt habet ſingulariter quòd ſit Deus, & quòd ſit optimus, quod nemo negat, ſic quòd ſingulariter ſempiternus. Hæc illa veritas ex inuitis pectoribus erumpens. Eundẽ innuit, & eum Natura duce reſpexit, cum negans indiuidua fieri potuiſſe ſempiterna: διὰ τὸ πόῤῥω τῆς ἀρχῆς ἀφίστασθαι τῷ λειπομένῳ συνεπλήρωσεν τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν: Quia longè diſtarent a principio, altera, quę ſola ſupereſſet ratio, abſoluit, repleuitque Deus Vniuerſum, facta generatione perenni. Ecce Deus Naturæ, Deus maximus, ordinum, mundaniq; concentus moderator. Certè igitur neque Solis, neque Lunę, vlliusque ſideris intelligentia: minus etiam illi fabuloſi Dij, Minerua, Diana, Mercurius, Apollo. Deus ille, verè Deus, qui ne rerum deficeret ordo, perpetuis generationum ſucceſſionibus repleuit Vniuerſum. Singulariter vnus Deus inducitur, eique ſingulariter nomen hoc tribuitur. Naturæ moderator, ordinum cęleſtium, a quibus dependent terreſtres, inuentor prædicatur. Quantum ſcilicet audimus in Theologia Moſis, ſi quis altè ſpectet, prædicari. Aliud exemplũ eſt ex Platone, cùm ei ſtructæ in Sicilia inſidiæ fuiſſent, ex hisq; euaſiſſet: καὶ τούτων δὲ μετὰ θεὸν, Διονυσίῳ χάριν εἰδέναι χρεών: Et pro his, poſt Deum Dionyſio gratias habere par eſt. Quis is Deus, cuſtos, proſpector, liberator hominũ, qui ſingulariter a Platone, ſub religionibus ſuperſtitioſis, Dianæ, Solisque cultricibus orto, Deus nominatur? Quid ponderis habet hæc nomenclatio? Naturalis videlicet eſt, ſpectans vnicum illum, ſingularẽ, eundemque vniuerſalem Deum. Sed his exemplis ex Platone, Ariſtoteleque, quorum poſterius declarabitur Theologia, dimiſſis, ingrediamur hunc campum, flores ex omni vetuſtate, quę maximè ſingularem Deum coluit, & vbique ſingulariter nominauit, decerpentes. Hoc Theologos, hoc Poetas etiam ſuperſtitioſos, & fictitiorum Deorum laudatores inuenies feciſſe. Homerus igitur, qui pater fabularum viſus eſt, poeticosque illos Deos nunquam non habet in ore, Naturę tamen inſtinctu, ſæpe Deum vniuerſalem, quemadmodum Philoſophi, & præſens hæc ętas, cui ſingularis innotuit Diuinitas, nominauit. E quibus eſt, quod etiam adducitur a Iuſtino Philoſopho eodem & martyre, quod vbi Phœnix affatur Vlyſſem, inducit loquentem:

Arist. Metaphyſicis vt Deum definierit.

Deus ſingularis.

Deus optimus, ac ſẽpiternus.

Dij fabuloſi, & Deus verus.

In epiſtol.

Poetæ Deũ vnum falsi ſunt.

Iuſtini martyr. Apologia.

Οὐδὲ εἰ κἄν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτὸς
Γῆρας ἀποξύσας θήσειν νέον ἡβῶντα.

Non mihi ſi Deus hinc etiam promitteret ipſe,
Mutato ſenio, viridem inſtaurare iuuentam.

En Deus ſingularis, potens auferre ſenectam, reſtaurare iuuentam. Iuſtinusque ipſe inquit: διὰ τῆς ἀντωνομασίας τὸν ὄντως θεὸν σημαίνων: Significans per Antonomaſiam, verum Deum. Hoc ſcilicet perpetuum eſt in omni natura, inſtinctuque humano, quoties Deum nominauit, deſignatur verus, vnicus Deus, & cuius eſt verè Diuinitas, qui verè, ſingulariterque Deus nuncupatur. Non eſt is Homeri Deus ex his vllus, quos bellaces inducit, humanisque affectibus deturpat. Eſt Deus magnus vniuerſitatis, dictus ſimpliciter Deus, quia ſolus verus ſemper Deus. Homerus item hunc ipſum innuit, cùm dixit:

Deus verus, vnicus Deus. Dij bellaces Homerici.

Αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς, ὡς τὸν ὅμοιον.

Semper agit ſimilem Deus ad ſimilem, aſſociatque.

Quis is Deus, niſi magnus, verus, præpotens, naturalis, & naturaliter occurrens ori, offerens ſeſe menti, dans ſeſe obuiam vbique nobis, cogens vt eum cogitemus, ſentiamus, loquamur, nominemus, eique poteſtatem vniuerſalem tribuamus? Superius Homerus, ꝙ poſſit abradere ſenium, reparare iuuentam: nunc ꝙ agat ſimiles ad ſimiles. Quo decreto Dei impij ſceleſtique cũ impiis, & coinquinatis ſpiritibus aſſociabuntur. De ſupremo Deo, cuncta proſpiciente, moderante cum primis res humanas, hoc dictum ab Homero. Quod & Plato in eo qui inſcribitur Lyſis, declarauit afferens hoc carmẽ: ἀλλὰ τὸν θεὸν αὐτόν φασι ποιεῖν τοὺς φίλους αὐτοὺς ἄγοντα πρὸς ἀλλήλους: Sed Deum ipſum aſſerunt amicos facere adducentem eos ad inuicem. Ille igitur facit amicos

Similẽ ducit Deus ad ſimilẽ.

Dialogo de Amicitia.

ad amicos accedere, ſuaque hac lege, ſibi pios,& iuſtos,gratos,amicoſque aſſociabit, qui paſſim ſparſit in humana pectora, vt Plutarchus inquit, charitatem. Eundem ſingulariter nominauit Deum,quod etiã affertur a Plutarcho: οὐχ ὅγε ἄνευ θεοῦ τά δὲ μαίνεται: Haud ſine Deo is inſanit. Eundem quoque confeſſus eſt omnipotentem, largitoremque bonorum, cùm in 14. Odyſſeæ:

Θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ᾽ ἐάσει.
Ὅττιαν, ᾧ θυμῷ ἐθέλει, δύναται γὰρ ἅπαντα.
Largitur Deus hæc: aſt altera linquit.
Quicquid mente ſedet, cunctorum nanque potens eſt.

Epiſtolis περὶ ὁμονοίας.

Indicauit, ſignificauitque hunc ipſum Demoſthenes, etiam ſuperſtitioſorum Deorum cultor, ſed actus impetu Naturæ, cùm dixit, Conãdum eſſe, vt omnia bona cum bona ſpe conſectemur: φέρειν δὲ ἃ ἂν ὁ θεὸς διδῷ, γενναίως: Ferre autem quæ Deus dederit, generosè & fortiter. Is etſi Dianæ Palladiſque cum Athenienſibus venerator eſſet, luce tamen Naturæ, vniuerſalem magnumque Deum vidit, ſingulariterque appellauit.

Quòd ſimili ratione locuti ſunt, & quidem diuinius poetæ, qui Homero ſucceſſerunt, de ſingulari Deo, & his quæ verè de eo prædicantur. Cap. II.

Deus, ſolertiſsim⁹ opifex Pindaro dict⁹.

EADEM ratione locuti ſunt veteres celebreſque poetæ. E quibus Pindarus propter pulchritudinem, ordinemque rerum cęleſtium, & omnium rerum bonarum inuentionem appellat θεὸν ἀριστότεχναν, Deum, optimũ, ſolertiſſimumque opificẽ. Quod adducit, admiraturque ſæpe ſæpius Plutarchus. Hic & ꝙ opifex mundi ſit, & omnia iuxta Theologiam Moſis fecerit optima, & ꝙ ſit vnus, ſingularis, oſtenditur. Crede mihi, quo ſunt homines rerum exordio propiores, hoc meliores, & ſingularis optimique Dei colentiores. Idololatria fuit error poſteriorum ſæculorum, contraque impetum Naturæ. Similiter locutus eſt Aeſchylus, quod adducitur etiam a Platone: θεὸς αἰτίαν φύει βροτοῖς ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδη θέλῃ. Nimirum, Deus cauſam creat, cùm domum funditus labefactare decreuit. Ecce Deus is Aeſchylo, Deus Moſis, Deus Prophetarum, apud quos prędicat ſe creare malum, videlicet quod Aeſchylus, euertere, labefactare domos impiorum, quod toties in libris Regum refertur feciſſe, & facit quotidie, etiam Prophetis non denunciantibus. Vides eum fatentem, ſingularẽ illum iuxta ſuperiores Regẽ, moderatoremque humanarum rerum, vltorem impiorum, quorũ domos euerſurus, cauſam ipſe reperiat, nos autẽ vnde veniat, neſciamus.

Idololatria naturam corrupit. Aeſchylus de Deo.

Callimachus de Deo.

Callimachus autẽ, vt eſt etiã apud Plutarchũ, ſic locutus eſt: εἰ θεὸν οἶσθα, ἴσθι ὅτι καὶ δαίμονι ῥέξαι πᾶν δυνατόν: Si Deum noſti, noris ꝙ diuinitati ſunt omnia poſſibilia. Quid diuinius hoc teſtimonio? Eſt hic eadẽ ſingularis Dei nuncupatio, eſt vniuerſalis poteſtatis attributio, ſacrarum litteratũ Theologia, ꝙ non ſit abbreuiata manus Dñi, ꝙ ſit omnipotens: ſic pectoris humani naturalis confeſſio, ſicut cęleſtis oraculi reuelatio, cõſpirante vtraque Theologia, & ea quæ de cęlo, & quæ de natura manauit.

Simonides de Deo.

Lib. 3. ca. 2.

Simonides autẽ non modo ſingularẽ Deum nominauit, ſed item de ſapiẽtia, bonitateque eius ſingulari, & incommunicabili, altiſſimè philoſophatur. Teſtimonium ſapientiæ adducitur ab Ariſtotele, bonitatis a Platone. Quo nomine ſuſcipitur ab vtroque. Ariſt. in lib. de prima Philoſophia: Sola, inquit, ſapientia quæritur cauſa ſui. Quocirca iure non humana poſſeſſio dicatur. Multis enim modis ſerua eſt humana natura: ὥστε κατὰ σιμωνίδην, θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας: Quapropter iuxta Simonidem, ſolus Deus habet hanc dignitatem. Quanta eſt, quam profunda Theologia Simonidis, ꝙ ſolus Deus ſit ſapiens? Eadem cauſa per excellẽtiam dicitur in ſacris litteris, Sapientia, per quã fundata eſt terra. Et Pindarus eum dicebat optimum artificem. Hæc ſapientia Dei. Teſtimonium autem ſummæ, & incommutabilis bonitatis, apud Platonem in Protagora, quod prior Chilon: ὅτι γενέσθαι μὲν ἄνδρα ἀγαθὸν χαλεπὸν ἀλαθέως: οἷόν τε μέντοι ἐπὶ χρόνον τινά: γενόμενον δὲ διαμένειν ἐν ταύτῃ ἕξει, καὶ εἶναι ἄνδρα ἀγαθὸν ἀδύνατον καὶ οὐκ ἀνθρώπειον, ἀλλὰ θεὸς ἂν τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας: Bonum quidẽ virũ fieri verè difficile eſſe, licet tamen ad aliquod tẽpus eſſe. Sed cũ fueris, in hoc habitu permanere, virumque bonum eſſe, impoſſibile, & non humanũ: ſed Deus hoc habeat decus. Nonne ſapiẽtia Simonidis hęc, naturali bonitate profuſa, ea eſt, quam Seruator hoĩes erudiuit dicens, Nemo bonus niſi ſolus Deus? Hic igitur Simonides, etſi Græcus erat, multiſque ante coruſcans Euangelium natus annis, deduxit eum Natura tamen ad inclytæ Theologiæ confeſſionem. Necdum enim eouſque peruaſerat ſuperſtitio vt bonitatem ſuperioris ętatis, ſciẽtiamque illã Dei a primis hoĩbus venientem, obfuſcarit. Quodque mirabilius eſt, hanc ſapientiam, vel a Simonide natam, vel antiquiorem putat Plato: ἢ ἀπὸ σιμωνίδου ἀρξαμένην, ἢ καὶ ἔτι παλαιοτέρα: vel a Simonide cœpiſſe, vel etiam vetuſtiorem eſſe. Hic eſt ille Simonides, qui non ſolum ſummam ſapientiam Deo, bonitatemque ſupremam adiudicauit, ſed etiam dixit eum inſcrutabilem. De quo, Marco Tullio autore, cum quæſiſſet Hiero tyrannus, quid aut qualis ſit Deus, deliberandi cauſa ſibi vnum diem poſtulauit: cùm idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petiuit: cùm ſæpius duplicaret numerum dierum, admiranſq; Hiero quæreret, cur ita faceret: Quia quanto, inquit, diutius cõſidero, tanto mihi videtur res obſcurior.

Sol⁹ Deus ſempiternus.

1. de Nat. Deor.

A Vnum igitur ſingularemque ſpectabat, maximum, vniuerſalem, naturalemque, inſcrutabilem, innominabilem, vt Mercurius dixit, non fabuloſos illos, aut vllam cęli Intelligentiam. Ad hanc Theologiam, atque ad has laudes, Diuinitatisque ſemper impulit homines Natura confeſſionem. Is ante oculos obuerſabatur, ſeſe tum mirandis operibus ſuis exhibens animis, tum quibuſdam primæ Theologiæ ſcintillis ſuperſtitibus, quibus mentes hominum excitabantur, multitudine fabuloſos illos, nuperque delatos colente Deos. Audi igitur mirabiliora canentem Sophoclem, & cum ſacris oraculis mirificè congruentem in appellatione ſingularis Diuinitatis, & prædicatione operum diuinorum ſuperſtitionumque deteſtatione. Is autore Cyrillo aduerſus Iulianum Imperatorem, hæc ſcripſit:

Natura ſemper homines impulit ad cognitionē, & confeſſionē vni' Dei.

Sophocles de Deo.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶ θεὸς,
Ὃς οὐρανὸν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακράν:
Πόντου τε χάροπον οἶδμα, καὶ ἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ, καρδίᾳ πλανώμενοι,
Ἱδρυσάμεθα πημάτων περὶ ψυχὴν
Θεῶν ἀγάλματα ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων,
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων
Θυσίας τε τούτων, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες: οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Vnus verò duntaxat, vnus eſt Deus,
Qui polum creauit, & latum ſolum.
Pontique lętos fluctus, ventorumque impetus.
Mortales autem multi, animo vagi,
Ereximus erroris & cladis, animi
Deorum ſimulachra, è lapidibus, materieque
Siue constructa auro, vel ebore.
His ſacrificia, feſtoſque celebrauimus dies.
Sic pietatem retinere credimus.

Hæc reddidi, non moratus nunc numerum, temporaque ſyllabarum. Ex his clareſcit magis, eandem, vnamque ſemper fuiſſe religionem, clariorem primis ſæculis, mediis obſcuriorem, hominum erroribus inquinatam, nouiſſimis clariſſimam, quam nulla deinceps corrumpat ſuperſtitio. Agnoſcebant igitur illi ſuorum temporum, ac fatebantur errores, ad genitorem ſuum redeunte Natura, & quos ſuperſtitiones delirare cogebant, ad veritatem machinis ſuis reuocante. Quid poſteri Philoſophi dicent, cum maiores, a quibus per ſucceſſionem, vitam, mores, opes, ſermonem, litteras, iure hæreditario acceperunt, videant piè confitentes vnum, ſingularem, eundemque iuxta Theologiam Moſis, Vniuerſi conditorem? Omnia igitur ſæcula hunc cognouerunt, meritis laudibus extulerunt. Modò Vnitatem, & inæſtimabilem Bonitatem, Sapientiamque, interdum Omnipotentiam ei tribuentes, nunc Conditorem Vniuerſi cum Moſe, nunc inſcrutabilem aſſerentes. Eundem quoque ſingulariter nominauit Euripides, etiam ſub his religionibus ortus, quæ vanos illos, ineptoſque Deos colerent, eiuſque miſericordem naturam indulgentemque fatetur. Afferturque etiam a Plutarcho:

Coguntur philoſophi recentes veterū philoſophorum ſententię ſubſcribere.

Varia Deo nomina tributa.

Euripides de Deo.

Μέλλει τὸ θεῖον, ἐστὶ δὲ τοιοῦτον φύσει.

Cunctatur Diuinitas, *taliſque eſt ingenio.*

Hæc de clementia. miſericordiaque diuina dicuntur, cuius Propheta ſimili ratione dixit eſſe plenam terram. Quo vocatur in ſacris litteris μακροθυμὸς, noſtri dicunt longanimis, ſed melius, ſero iraſcens, differens vlciſci. Ideo ſubdit quidam apud Plutarchum, minimè decere aduerſus malos, ῥαθυμὸν εἶναι τὸν θεὸν, ſegnem eſſe Deum. Corrigitur autem a Plutarcho. Hic igitur Euripides, nullum e fabuloſis illis Diis, quos illa ſæcula colerent, ſed vnum præpotentem vniuerſalem, ſemper animis occurrentem ſpectauit Deum. Multo autem diuinius Phocylides, è priſcis illis ante Platonem poetis (fuit enim autore Suida ęqualis Theognidi) de ſingulari Deo ſcripſit, vt penè prophetarum quis videatur extitiſſe. Fuit tamen Mileſius, his temporibus ortus, quibus Deorum multitudo ab ignaris adorabatur, ſuperſtitionibuſque vanis ſcatebat Græcia. At is multa tamen diuinitus ſcripſit. E quibus ſunt illa, quæ locutus eſt in his, quæ vocantur παραινέσεις:

Pſalm. 32.

De ſera vindicta numinis.

Phocylides de Deo.

Εἷς θεὸς ἐστὶ σοφὸς δυνατός γ' ἅμα καὶ πολύολβος:

Eſt vnus ſapienſque potens Deus, atque beatus.

Hinc nō mirū ſuperiora cecinisse Sophoclē de ſingulari Deo. Putat aūt Suidas, qui autor eſt, verè Phocylidē ſcripſiſſe verſus illos, vitæq; degendæ pręcepta, quæ hodie circunferuntur, inſcripta, vt ipſe inquit κεφάλαια, ex verſibus Sibyllinis fuiſſe decerpta, εἰσὶ δὲ ἐκ τῶν σιβυλλιακῶν κεκλεμμένα.

Præcepta Phocylidis parænetica.

Facilè igitur potuit Phocylides de ſingulari Deo, ſapientia, potentia, beatitudineq́ue eius, laudes D has, vel ſub falſis religionibus ortas edidiſſe: quippe qui cum reliquis poetis, hæc apud Sibyllas legerit. Videbis igitur in verſibus Sibyllinis ſimilia. E quibus: Lactant. lib. 1. c. 6.

Εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστὶν, ὑπὲρ μεγέθης, ἀγένητος.
Ἀλλὰ θεὸς, μόνος, εἷς, πανυπέρτατος.
Vnus ſolusq́ue eſt Deus, *maximus, ingenitusq́ue,*
At Deus *eſt vnus, cunctis altiſſimus idem.*

Ex his carminibus, quemadmodum ſuſpicatur Suidas ſumpſiſſe Phocylidem de ſummo, ſingulari, ſapienteq́ue Deo loquentem, ſic fortè ſumpſerunt Sophocles, & Simonides. Is loquens, Ariſtotele teſte, de ſapientia eius, quam ab eo ſolo poſſideri, vt apparet nunç Sibyllam cecinisse, dicebat. Ille ſuperius cantabat vnum, ſummum, ſingularem, qui creauerit cœlum, terras, maria. Sibylla verò totidem verbis: Ibidem Lactant.

Ἀλλὰ θεὸς, μόνος, εἷς, πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκε
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖαν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.
Sed Deus *eſt vnus, ſummus, qui ſidera fecit,*
Cælum, Ph*æbeiumq́ue iubar, lunæq́ue nitorem,*
Frugiferam & terram, ponti fluctusq́ue tumentes.

Vidiſti ſuperius in Sophocle, non eandem modò ſententiam, ſed eadem prorſus verba, de vnitate Dei, de cœli, latæq́ue terræ, ęquoreiq́ue fructus creatione. Eadem igitur priſcorum Philoſophorum, quorum tempore, autore Plutarcho, metricè Philoſophiā, Theologiam, & hiſtoriam ſolitum erat decantari, fuit de Deo atque Sibyllarum ſententia, religio, par Theologia. Lib. de Iſide, & cur oracula verſibꝰ edi deſierint. Nam Thales Mileſius, quemadmodum & Sibylla, dixit autore Laertio, Deum ingenitum. Hoc ergo pro comperto, perſpectoq́ue habeamus, tam magis fuiſſe Diuinitatem ſuis laudibus decoratam, creationem mundi cunctis vocibus hominum atque dæmonum, in eam relatam, quàm magis vlterius ad priſcas ętates, exordiumq́ue mundi quis aſpiciat. Proſequitur Phocylides, quem Plato quoque nominat & admiratur, ſingularem Deum appellans, omnemq́ue ei prouidentiam tribuens, & ante omnes res, operasq́ue colendum docens: πρῶτα θεὸν τίμα: In primis venerare Deum. Vides eum non dixiſſe quemadmodum poeta, venerare Deos. Spectabat enim verum illum, & ſingularem. Item:

Εἰ σὺ κακῶς δικάσης, σὲ θεὸς μετέπειτα δικάσει.
Si malus es iudex, Deus *& te iudicat ipſe.*

Pſal. 7. 49. 74. Pſalm. 95. Pſal. 145. Hæc Theologia eſt ſacrarum litterarum: Deus iudex iuſtus. Qui iudicas omnem terram. Viduam & pupillum ſuſcipiet. Item Phocylides.

Quæ tibi largitus eſt, des tu quid egenis.
Ὧν σοι ἔδωκε θεὸς, τούτον χρήζουσι παράσχου.

His illa Moſaicæ Theologiæ pars aſſeritur, qua docuit Deum, fructus, holera, beſtias, mare, terras, in hominum poteſtatem tradidiſſe. Quæ cùm tanta copia, vbertateq́ue donauerit, velit item nos eius imitari clementiam, manus egenis aperientes, quemadmodum bonitatis ſuæ theſauros aperuit ipſe nobis. Armauit Deus animalia ſingula. Eundem fatetur Phocylides, omnibus animantibus arma ſua dediſſe, volucribus pennas, leonibus robur, tauris cornua, apibus aculeos, verùm pro cunctis his, hominem armaſſe ratione, valido aduerſus omnia propugnaculo:

Ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεὸς.-
Armauit nam cuncta Deus.-

Aſſerit etiam mirifice cum Moſe, hominibus eſſe ſpiritum, & imaginem a Deo, quemadmodum videlicet Sibyllæ ceciniſſent.

Πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ, χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών. Quod eſt,
Spiritus ipſe Dei *eſt mortalibus atque imago.*

Et cùm ait omnes ęquè mortales eſſe, Deum autem animis imperare. Non imperat autem mortuis, quemadmodum ipſe dixit. Si eſt Deus Abraham, Iſaac, non eſt Deus eorum, qui non ſunt.

Πάντες ἴσοι νέκυες, ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύσει.

Nominatur igitur Deus vbique ſingulariter: qualisq́ue fuit Phocylidis philoſophia, talem arbitrandum eſt fuiſſe omnium eius tempeſtatis ſapientum. Semper igitur Deus vnus cognitus eſt & prædicatus, quem ſic exhibuit animis Natura, quemadmodum ſunt animantibus inſtinctus cuique ſui.

Eadem probatio ex priſcis Philoſophis, de laudibus diuinis, ab eis celebratis, quòd ſit vnus Deus, quòd Mens Animatioque Vniuerſi, principium, medium, finis, ex Pythagora, & Archyta, Philolao, & Aſclepio, Acmone, Mercurio. Cap. III.

POST poetas, ſimilem pietatem tenuiſſe Philoſophos, præſertim vetuſtiores illos ante Platonem, vnanimi religione ſummi ac ſingularis Dei memoriam ſingulariter celebrantes, ac nominantes, ſi quis eorum dicta conſideret, quæ partim nunc in libris eorum leguntur, partim ab ſubſecutis Philoſophis, qui libros eorum legerunt, referuntur, facilè cognoſcet. Ex his ſunt Triſmegiſtus, Orpheus, Sibylla, Empedocles, Pythagoras, Meliſſus, Anaxagoras, Philolaus, Pherecides, pluresque alij, qui ſuperiorum ſæculorum ſapientiam, cuius a Deo fuit origo, quam primis hominibus tradidiſſet, venerantes, de maieſtate, ſingularique eius Diuinitate cunctiſque bonis, quæ poſſidentur ab eo, diuinas laudes, cuiuſmodi reſonant in ſacris litteris, decantauerunt. Ex his primum, quàm mirabilis, quàm diuinus fuit vetuſtiſſimus Triſmegiſtus in confeſſione ſummæ Diuinitatis? quos hymnos ei decantauit, quibus nominibus appellauit? Cum in Pœmandro deprecans vt rationale ſacrificium ſuſcipiat, ſic eum vocat, ἀνεκλάλητε, ἄῤῥητε, σιωπῇ φωνούμενε. Ineffabilis, indicibilis, ſilentio vocatus. Qui ſcilicet ſilendo vocaris, audiens etiam ſilentes, orationemque diuinam exordiens: ἅγιος ὁ θεὸς οὗ ἡ βουλὴ τελεῖται ἀπὸ τῶν ἰδίων δυνάμεων ἅγιος ὁ θεὸς ὃς γνωθῆναι βούλεται καὶ γιγνώσκεται τοῖς ἰδίοις· ἅγιος εἶ ὁ λόγῳ συστησάμενος τὰ ὄντα: ἅγιος εἶ οὗ πᾶσα φύσις εἰκὼν ἔφυ: ἅγιος εἶ ὃν ἡ φύσις οὐκ ἐμόρφωσεν ἅγιος εἶ ὁ πάσης δυνάμεως ἰσχυρότερος: ἅγιος εἶ ὁ πάσης ὑπεροχῆς μείζων: ἅγιος εἶ ὁ κρείττων τῶν ἐπαίνων: Sanctus Deus, cuius voluntas peragitur a propriis viribus, & poteſtate. Sanctus Deus, qui vult cognoſci, & cognoſcitur a ſuis. Sanctus es qui ſolo verbo cuncta feciſti. Sanctus, cuius omnis natura fuit imago. Sanctus es, quem non formauit natura. Nimirum cuius forma nuſquam in natura eſt. Sanctus es qui ſuperior & fortior es omni poteſtate. Sanctus es, qui omni magnitudine maior, & excellentia excellentior. Sanctus es, qui es omni laude ſuperior. Sic ille. Agnoſcis pſalmos, & hymnos diuinos a cunctis, non ab Hebræis ſolis decantari. Sumus enim omnes filij Dei, omnes ab illo. Eoque ſpiritus omnis laudat creatorem ſuum. Sibylla verò, quam Iuſtinus Philoſophus vocat vetuſtiſſimam, eodem ipſo autore ſcripſit (multis omiſſis, quæ reperies apud alios)

Philoſophi ante Platonem.

Triſmegiſtus ſummam diuinitatem confeſſus.

Pſalmi, & hymni nõ a ſolis Hebræis decantati.

Apologia pro Chriſtianis.

Lactant. lib. 1. ca. 6.

Εἷς θεὸς ἐστὶ μόνος καὶ ὑπὲρ μεγέθης, ἀγένητος:
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρώμενος αὐτὸς ἅπαντα
Αὐτὸς δὲ οὐ βλέπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἁπάσης.

Vnus Deus ſolus eſt ſupra omnem maieſtatem, ingeneratus, omnipotens, inuiſibilis, videns ipſe omnia, ab omni mortali corpore non viſus. Hæc illa cum ſacroſanctis Prophetis, & Apoſtolis vetuſtiſſima decantauit. Eodem Iuſtino autore dixit eadem:

Ὄλβιοι ἄνθρωποι κεῖνοι κατὰ γαῖαν ἔσονται,
Ὅσσοι δὴ στέρξουσι μέγαν θεὸν εὐλογέοντες,
Πρὶν φαγέειν, πιέειν τε, πεποιθύτες εὐσεβίῃσι.
Οἳ νηοὺς μὲν ἅπαντας ἀπαρνήσονται ἰδόντες,
Καὶ βωμοὺς, εἰκαῖα λίθων ἀφιδρύματα κωφῶν
Οἵμασιν ἐμψύχων μεμιασμένα, καὶ θυσίαισι
Τετραπόδων, βλέψουσι δὲ: ἑνὸς θεοῦ ἐς μέγα κῦδος.
Sunt homines illi verè in tellure beati,
Qui magnum coluere Deum, & cecinere priuſquam
Ad potumque cibumque adeant pietate decori.
Qui delubra oculis mox auferre videntes
Atque aras, lapides, vita & ratione carentes,
Sanguine pollutos animantum, pecudumque
Cæſorum, vniusque Dei aſpiciunt decus ingens.

Ecce igitur omnes cum ſacris litteris, id eſt, cum veritate pura conſentiunt. Ecce quo magis vetuſtiores ętates reſpicias, tam magis cognitum, prædicatumque Deum ſingularem agnoſcas. Cuius clarior ſcientia, cunctis ambagibus amotis, a filio ſuo nouiſſimis ſæculis fuit patefacta. Orpheus igitur etiam vetuſtiſſimus, ante omnes celebratos in Græcia philoſophos, & poetas, multis carminibus de ſingulari Deo, non ſecus atque Prophetarum quis, mira exprompſit, nemini non ſuſpicienda. Hæcque carmina partim apud Platonicos, partim Theologos noſtros, Iuſtinum, Euſebium, Cyrillum, Clementem Alexandrinum habentur, ne putes non vetuſtiſſimi, quem-

Quo vetuſtiores philoſophicè in doctrina puriores.

Orpheus de Deo.

ſimi, quemque vocat diuiniſſimum Ioannes Philoponus, eſſe. Is ad filium Muſæum de Deo ſcripſit, quorum nonnulla minores poſtea deſumpſerunt:

-Μοῦνον δὲ ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα
Εἷς δ' ἐστὶ αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.
Οὗτος δ' ἐξ ἀγάθοιο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι
Καὶ πόλεμον κρυόεντα, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα.
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος, χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.
Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται
Πᾶσιν γὰρ θνητοῖς, θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις.
Ἀσθενὲς δὲ ἰδέειν Δία τὸν πάντων μεδέοντα.
Οὗτος γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται
Χρυσέῳ ἐν θρόνῳ, γαίης δὲ ἐπὶ ποσσὶ βεβηκὼς
Χεῖρα δὲ δεξιτερὰν ἐπὶ τέρματος ὠκεάνοιο,
Πάντοθεν ἐκτέτακεν, περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα μακρὰ,
Καὶ ποταμοὶ, πολιῆς τε βάθος χαρόποιο θαλάσσης.

-Solum Regem aſpice mundi.
Vnicus ex ſe natus, ſunt atque omnia ab Vno.
In his ingreditur, nec quiſquam reſpicit illum
Mortalis, verum ipſe immenſus reſpicit omnes:
Iſque bonis demptis mala dat mortalibus atra,
Et ſæuum bellum, & lacrymas, ſæuoſque dolores.
Nec quiſquam eſt alius, niſi Rex is maximus. illum
Non video: circum eſt etenim caligine ſeptus.
Non ſunt mortales acies mortalibus, atque
Cernere non poſſunt Regem, qui cuncta gubernat.
Is cœlo ærato, robuſto & præſidet axe,
Inque throno ſidet aurato, pedibuſque per ipſam
Ingreditur terram, oceanique ad vltima, dextram
Porrigit vndique, montes ingenteſque tremiſcunt.
Fluminaque, & cani fluctus, æquorque profundum.

Pythagoras de Deo ex Cyrillo.

Primuſque Pythagoras autoribus Theologis Græcis, Plutarcho quoque & Cicerone, fertur velut vnus è Prophetis, dixiſſe: ὁ μὲν θεὸς εἷς, αὐτὸς δὲ οὐχ ὡς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τῆς διακοσμήσεως, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὅλος ἐν ὅλῳ, τῶν κύκλῳ πάσας ἐπισκοπῶν γενέας: ἐστὶ κρᾶσις τῶν ὅλων αἰώνων, ἐ φῶς, τῶν αὐτοῦ δυνάμεων καὶ ἔργων, ἀρχὰ πάντων ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς, καὶ ψύχωσις τῶν ὅλων ἀπάντων κίνασις. Quæ ſunt, Deus quidem vnus eſt. Ipſe verò non, vt nonnulli ſuſpicantur, extra mundum, ſed in ipſo eſt, totus in toto, omnes circunquaque conſiderans generationes. Eſt Temperies omnium ſæculorum, Opifex, ſeu Lumen ſuarum facultatum, & operum. In cœlo Lumen, omnium Pater, Mens & Animatio cunctarum rerum & Motus. Hæc dixit Pythagoras, autore Cyrillo aduerſus Iulianum Imperatorem, etiam Euſebio, multiſque aliis: Etiam Cicerone, & Plutarcho. Nam quoniam dixit Deum rerum cunctarum Animationem, mentium, animarum Genitorem, hinc Cicero referens eius ſententiam, Nam Pythagoras, inquit, qui cenſuit animum eſſe per Naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi, ac dilacerari Deum. Et cùm miſeri animi eſſent, quod pleriſque contingeret, tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt. Cur autem quicquam ignoraret animus hominis, ſi eſſet Deus? Quomodo porrò Deus iſte, ſi nihil eſſet in mundo? Vides Ciceronem, ſub Epicurei perſona, omnem hanc ſententiam interpretantem, qua Pythagoras dixerat, Deum non extra, ſed per omnem mundum intendi, & commeare. Et quoniam vocat eum Pythagoras ψύχωσιν, Animationem, hoc Latinus Philoſophus interpretans animum, declarat quam ob cauſam, eum Pythagoras Animationem, ſiue Animum vocaſſet: quia ſcilicet inde noſtri animi carperentur. Plutarchus item referens placitum Pythagoræ de Anima, quod verbis Græcis ſuperius poſitis continetur: Pythagoras, inquit, & Plato ἄφθαρτον εἶναι τὴν ψυχήν: ἐξιοῦσαν γὰρ εἰς τὴν τοῦ παντ ψυχὴν, ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμογενές: Incorruptibilem eſſe Animam. Exeuntem enim, ad animam Vniuerſi, vt ad ſuũ genus reuerti. Verè igitur illa ſuperiora ſenſit, poſteriſq; reliquit Pythagoras.

Cicer. 1. de nat. Deor.

Deus, ψύχωσις dictus a Pythagora.

Expers corruptionis animę.

Primaque Theologia de Vnitate diuina, tum de Maieſtate, mundum vniuerſum complectente, nulla, quam non totus in toto cernat, amplectaturque parte vacante: exin de prouidentia, quo præſente generationes, ordineſque omnes concinant, ipſo velut corypheo, duceque chorę, rerumque tempetie. Quorum cùm ſit ipſe moderator, & effector, iure Principium, Opifexque vocatur, ſuaque opera dicuntur, quæ circunſpicimus: Luminum cęleſtium temperator, & ad vitam vniuerſi, quacunque diffunditur mundus, luminis donator, immo verò lux ipſe ſempiterna, cęleſtis repertor: Genitor, Mens Vniuerſitatis, qua viuit, ſentitque plenus ordinum venuſtiſſimus mundus. Hæc tempeſtatis illius ſacra, veneranda Theologia, nunquam ſopita, vel extincta, quam primus homo manifeſtam vidiſſet, luce veritatis. Philolaus igitur diſcipulus Pythagoræ, hæres huius ſacroſanctæ ſapientiæ, autore Philone Iudæo: ὁ ἡγεμὼν, καὶ ἄρχων ἁπάντων θεὸς εἷς ἀεὶ ὢν μόνιμος ἀκίνητος, αὐτὸς αὐτῷ ὅμοιος, ἕτερος τῶν ἄλλων: Princeps & Dux omnium Deus, vnus, ſemper exiſtens, ſingularis, immotus, ipſe ſui ſimilis, alius ab aliis. Quantum hic Diuinitatis? quam claret nunquam non mundi, generiſque humani patrem, perſpectum fuiſſe, & errante multitudine, Deoſque illos commentitios colente, ſapientes aliud ſenſiſſe, vanitate vulgaribus conceſſa, veritatem ſibi reſeruaſſe? Quid aliud extat Theologię apud Prophetas? Quòd ſit vnus, non plures, quòd in ſempiternum, quod vocauit ſeipſum in libro Moſis ὁ ὢν, Ille qui eſt, ſignificatus nominis tetragrammi, exiſtentis ſcilicet ęterna ſubſtantia, vita, luce florentis. Immobilis autem, deſignat eius incommutabilem naturam, nullam in omni ęternitate mutationem, alterationemque recipientem. Eoque ſui ſimilis ſemper, quantum cæteris rebus diſſimilis, quæ ſemper variantur: & tum fuit tempus cùm non eſſent, tum deinde creatæ, iugibus huc illuc fluctibus ſemper deportantur: nihil vſquam ſtabile, tam variantibus animis, quàm corpora nunquam in eodem habitu perſeuerant. Ille autem idem ſemper, cuius eſt perfecta beatitudo, ſempiterna poſſeſſio. Talis erat eius temporis Theologia. Nunquam abfuit a mundo Deus, nunquam ſe ſe abdidit, abſtruſitque, ne quis eum agnoſceret. Hanc ſanctiſſimam Sapientiam, par eſt totius tempeſtatis, & ſuperiorum ſæculorum, ad diluuium vſque floruiſſe, tametſi ſuperſtitiones inualeſcebant vbique, Barbaris cęlum ſideraque colentibus, Græcis homines illuſtres. Sed, vt dixi, is erat magis multitudinis error, luce veritatis quaſi in crepuſculo, & aurora apud paucos niteſcen- e. Omnis igitur Pythagoreorum ſchola, quæ ex nobiliſſimis Italiæ Græciſque viris conſtabat, hæc ipſa de ſummo ac ſingulari Deo ſentiebat, ac prædicabat. Audi enim Archytam, Pythagoræ cum Philolao diſcipulum. (Is autore Iamblicho de ſecta Pythagoreorum, quorũ libri ad manus orum peruenerunt, nobis temporum iniuria, incogniti) vt altiſſimè philoſophatus ſit de Deo: ςις ὢν ἀναλῦσαι οἷός τε ἐστὶ πάντα τὰ γένεα, ὑπὸ μίαν τε καὶ τὰν αὐτὰν ἀρχὰν, καὶ πάλιν συνθεῖναί τε καὶ συναριθμήσασθαι, οὗτος δοκεῖ μοι καὶ σοφώτατος ἦμεν, καὶ παναληθέστατος: ἔτι δὲ καὶ καλὰν σκοπιὰν ρηκέναι, ἀφ᾽ ἇς δυνατὸς ἐσσεῖται τὸν θεὸν κατοψεῖσθαι, καὶ πάντα τὰ ἐν συστοιχείᾳ, καὶ τάξει τὰ τω κεχωρισμένα: καὶ ταύταν ἁρματήλατον ὁδὸν ἐκποριστάμενος, τῷ νόῳ, κατ᾽ εὐθεῖαν ὁρμαθῆμεν, καὶ λοδρομῆσαι τὰς ἀρχὰς τοῖς πέρασι συνάψαντα, καὶ ἐπιγνῶντα ὅτι ὁ θεὸς ἀρχά τε, καὶ τέλος, καὶ μέσον στὶ πάντων, τῶν κατὰ δίκαν τε, καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον παραινομένον. Quicunque, inquit, poſſit omnia enera rerum, ad vnum, & idem principium reſoluere, & rurſum componere, & connumerare, mihi ſapientiſſimus, maximeque veridicus eſſe videtur. Inſuper pulchram ſpeculam reperiſſe, x qua poſſit contemplari Deum, & omnia, quæ in coordinatione, & ſerie eius ſeparata ſunt. acque regia via aperta menti, recta pergere, curſumq; conficere, principia finibus connectens, ognoſcenſque ꝙ Deus eſt principium, & finis, & medium omnium, quæ ſecundum ius rectamq; ationem peraguntur. Hæc Archytas. Quanta Dij boni Theologia? quàm multiplex ſapientia? ę philoſophia? quæ laudes? quæ cognitio Diuinitatis? Quòd ſit principium, medium, finis omnium, quòd is ſit ſapientiſſimus, in numerum verorum Philoſophorum ponendus, qui cuncta euocet ad creatorem, principiumque ſuum, duabus incedens philoſophando viis, prima per eſolutionem, altera per compoſitionem, connumerationemque. Principio reſpiciens fontem llum, cunctorum bonorum, ab eoque deducens viſibilium, & inuiſibilium molitionem: ab hac rigine cęlum, terras, mare, Solem, Lunam, genus hominum, vſque ad minima quæque. Altera ediens a nouiſſimis hiſce ad illum, quaſique aſcendens in cęlum. Vt qui fontibus Nili repertis, er totum flumen vſque ad oſtia deſcendat, cernens omnem hanc vberrimam aquam a fontibus lis naſci, citra originem illã, tantum flumen manare non poſſe. Aut ſi ſpectans oſtia, flumenque erenne miratus, neſciens vnde tanta vis aquarum ſcaturiat, per flumen vſque ad fontes ſcrutaturus accedat. Eiuſmodi philoſophando rationem quicunque teneat, Archytas admiratur, ſapientiſſimus ab eo, maximeque veridicus iudicatur. Quia hæc veritas eſt, quòd Deus eſt rincipium, finis, medium: ſic in medio manantibus omnibus ab eo, ſuſtentatiſque, ſicut autor it vt naſcerentur. Hæc pulcherrima philoſophandi ſpecula, vnde latè diuina luſtrare, fontem rum proſpectare queas. Hoc iter quo ducimur ad originem mundi, & innumerabiles ordines, rieſque rerum longiſſimas ab illo fluentes circunſpectamus. Hac animus incedens, conficit curſum rectum, regium, cuius eſt ſupremus anhelitus, Deum principium, medium, finem noſſe rerum nctarum. Nam pulchritudo mundi, vt Marcus Tullius iuxta philoſophiam hanc ait, ordoque

rerum

Quæ tradidit prima Theologia.

Philolaus de Deo.

Deus, ille qui eſt.

Deus immobilis.

Sapientia ſẽper fuit, quanquam erroribus obſcurata.

Schola Pythagoreorum.

Architas de Deo.

Deus, principium, mediũ, finis.

Duplex via philoſophandi.

2. de Nat. Deor.

Homo a Deo creatus.

rerum cęleſtium, cogit confiteri, eſſe præſtantem aliquam, admirandamque hominum generi naturam. Aſpicis igitur veram philoſophandi viam. Sed Archytas non modo in vniuerſum Deum eſſe principium, medium, finem, verum etiam confitetur apertè, hominem ſapientiæ capacem feciſſe. Ad aliaque, quæ proferentur in libris de Anima concludens ſermonem, ſuper humana creatione: τοῦτο δοκεῖ μοι ἦμεν ποθ᾽, ὅπερ καὶ γέγονε, καὶ συνέστα ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὄργανα δὲ, καὶ δυνάμεις, ἔληφεν παρὰ τῶ θεῶ. Hoc, inquit, videtur mihi aliquando fuiſſe, quod etiam fuit. Creatus eſt homo, & inſtrumenta, atque facultates accepit a Deo. Quid aliud locutus eſt Moſes, vt fuerit olim, quod verè fuiſſe ſuſpicatur Archytas? Deum manus ad opificium hominis admouiſſe ſuas, inſtrumenta corporis callidiſſimo artificio feciſſe, facultates addidiſſe, quibus intelligentia contineretur, capax omnium rerum, ſed in primis autoris ſui. Cùm igitur eandem philoſophiam in omni Pythagoreorũ ſchola, quoniã is præ cęteris nobiliſſimus fuit, paucique alij ęquè docti, viguiſſe par ſit, apparet vtique Moſaicam illã ſapientiam, quã non modò conſcripſit oraculis diuinis eruditus, ſed tradebatur etiam per omnes ętates, fama manante ſemper in poſteros, in Græcia quoque priſcis illis ſæculis claruiſſe, ſingularemque Deum inter tot ſuperſtitiones pręſertim ſapientibus innotuiſſe: Hanc vltimorum ſæculorum Sapientiam cunctos eſſe confeſſos, ſiue natura documenta præbente, ſiue patrum voce ſatorem ęternum ſemper reſonante.

Quòd priſci Philoſophi ſuper vno, ac ſingulari Deo, mirabiliter cum ſacris litteris conſenſerunt. Cap. IIII.

Aſclepius de Deo.

In Deo ſempiterna poteſtas, ſapiẽtia, beatitudo.

Aduerte perennem Theologiam.

Iſa. 45.

Thales Mileſius Deũ dixit antiquiſsimũ, & ingenitum.

ASCLEPIVS ad Ammonem Regem, de Deo profundè philoſophatus eſt, eum ſingulariter nominans, & ei maieſtatis laudes eas concinens, quas canunt indefeſsè litteræ ſacræ, quaſque ſuperiores audiuimus decantaſſe, vt conſtet vnam eandemque tempeſtatis eius fuiſſe ſapientiſſimam pietatem, & piiſſimam ſapiẽtiam, pares laudes diuinas, omnibus animis conſonãtibus: ἀκάματον μὲν ἐστὶ πνεῦμα ὁ θεός, ἀεὶ καὶ ὡσαύτως ἔχων ταῖς οἰκείαις ἐπιστήμαις, διηνεκὴς δὲ ταῖς εὐδαιμονίαις, ἐνεργεσίαις δὲ ταῖς αὐταῖς διαπαντὸς κεχρημένος, ὕπατος βασιλεὺς τῶν ὅλων ἀγαθὸς ὁ θεός. Nimirum, indefatigabilis, ait, Spiritus eſt Deus, ſemper & eodem modo habens ſua ſcientia. Perennis fęlicitate, operationibus eiſdẽ vtens ad omne tempus. Supremus omnium Rex, bonus Deus. Principio definit eum Spiritum ſeu Mentem, tum indefatigabilem, quod Philoſophi dicerẽt, virtutis infinitæ, facultatis inexhauſtæ, tum ſapientiæ, ſcientiæque perpetuæ, immutabilis, ad quam nulla fiat acceſſio, nulla ſit ei diminutio, aut quę ſit quemadmodum noſtra varia, nunc hac, nunc illa ſententia diuino animo ſurgente: Eadem perinde luce, Sole illo ſemper niteſcente, aque ſole corporeo, cuius lumen nemo vidit vnquam, vel largius creuiſſe, vel ſolitum iubar ei caligaſſe. Aequè ſapiens, ſemper item ęquè beatus. Tria ſempiterna poſſidens, ſempiternam poteſtatem, ſempiternam ſapientiam, & ſempiternã beatitudinem. Regiam quoque ſublimitatem, & illam ſæpe in ſacris litteris prædicatam inſuperabilem, nullaque mente cogitandam bonitatem. Multorum igitur vocibus concurrentibus, exploratum nobis erit, Deum, quem nouiſſima coluit, vidit, declarauit religio, Natura quoque, & crebra quondam oracula, ſemper hominibus obtuliſſe, religione, Natura, cœlo, inter ſe ſemper congruente. Et quas Prophetæ, diuinituſque afflati viri laudes edidiſſent, eaſdem multos alios, quos ſola Natura, ſparſæque per omnem mundum nationes commouerent, celebraſſe: vt verum ſit, q Deus per Prophetam: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Itaque etiam Thales Mileſius è priſcis illis, tum Deum ſingulariter appellauit, tum eum dixit autore Laertio πρεσβύτατον, antiquiſſimum: & ἀγέννητον, ingeneratu declarans videlicet cur eſſet antiquiſſimus. Eundem, autore Cicerone, dixit eam Mentem, qu cuncta ex aquis finxiſſet, nimirum Sapientiam ęternam, ſolertiſſimam, omnis pulchri, boniq repertricem, quæ & Chaos, nempe aquam cum terra, ad ędificium mundi pręparauit, & ipſum mundum ſuper extruxit. Duos quoque vetuſtiſſimos Philoſophos, quos prius memorare debueram, teſtatur Iuſtinus Martyr, & Philoſophus in Apologetico, de Maieſtate diuina vera prodiſſe: Teſtimonia, inquit, πρεσβυτάτων φιλοσόφων, ἄκμονος, καὶ ἑρμοῦ: ἄκμονος πάγκρυφον θε ὀνομάζοντος. ἑρμοῦ δὲ φανερῶς λέγοντος θεὸν νοῆσαι μὲν ἐστὶ χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον: Vetuſtiſſimorum Philoſophorum extant, Acmonis, & Mercurij: Acmonis appellantis Deum vndique abſconditum, Mercurij autem apertè dicentis Deum cogitare difficile, eloqui verò impoſſibile. Quàm veneranda vetus Theologia? Quæ diuinitus laudes nõ ſunt apud priſcos illos? nunc creationis, nunc omnipotentiæ, interdum inexhauſtæ ſapientiæ, nonnunquam prouidentiæ, interi bonitatis, aliàs quòd ſit abſconditus, dignus quem ſilendo veneremur, ſobriè de eo loquamur. Is fortè eſt Acmõ, ad quem ſuperiora ſcripſit eiuſdem tempeſtatis Philoſophus Aſclepius. Quanquam ille dicitur in libris Mercurij Ammon, is Acmon. Sed mihi eundem fuiſſe perſuadeo. Habes hic quoque teſtimonium Iuſtini, de Mercurio Triſmegiſto, quem Plato proculdubio ſecutu pronunciauit, & ipſe in Timæo: τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ ρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Creator & Pater vniuerſitatis huius, & inuentu difficili

Acmon & Mercurius philoſophi vetuſtiſsimi.

Ammon & Acmon idem.

Platonis præclarè dictum de Deo.

& cùm inueneris, in vulgus efferre, impoſſibile. Vides admirantem, ſequẽtemque priſcã Philoſophiam Platonẽ. Vides oĩbus ſæculis cum hominibus verſatam, nunquã caligaſſe, aufugiſſeque penitus a terris cęleſtẽ lucem, donec a Sole deuecta ſuo rediret tota. Pherecydes quoque Syrus, qui fuiſſe dicitur Pythagoræ præceptor, & Deum ſingularẽ, quemadmodum philoſophi tempeſtatis illius omnes, nominauit, & creatorẽ, optimum dixit. Autor Ariſtoteles in libris de Philoſophia: φερεκύδης καὶ ἕτεροι τινες, τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι. Pherecydes, & alij nonnulli, quod primum genuit, ſiue creauit, optimum ſtatuunt. Item Euclides autore Laertio, Numẽ vnum, Naturamque Bonitatis vnam, quę multis nominibus appelletur, modò Deus, modò Sapientia, interdũ Mens, agnouit, prædicauit, nihil aduerſum eſſe bono, cum magnis Philoſophis, & noſtris contra inſaniam Manichæorũ conſentiens: οὗτος ἓν τὸ ἀγαθὸν ἀπεφαίνετο πολλοῖς ὀνόμασι καλούμενον: ὅτε μὲν γὰρ χρόνησιν, ὅτε δὲ θεὸν, καὶ ἄλλοτε νοῦν, καὶ τὰ λοιπὰ, τὰ δὲ ἀντικείμενα τῷ ἀγαθῷ ἀνήρει, μὴ εἶναι φάσκων. Xenophon autẽ ille, cuius melle dulcior fluxit oratio, eadẽ atque Plato tempeſtate, declarat diuinam illam, admirandamque Philoſophiam, nõ vnũ Platonem detinuiſſe in admiratione, ſed illius ſæculi fuiſſe firmam de vero Deo ſententiam. Is autore Cyrillo, aduerſus Iulianũ, ſic de Deo philoſophatus eſt: ὁ γοῦν πάντα σείων καὶ ἀτρεμίζων ὥσπερ μέγας τὶς καὶ δυνατὸς φανερός· ὁποῖος δὲ τίς μορφὴν ἀφανής· οὔτε μὴν παμφανὴς δοκῶν εἶναι ἥλιος οὐδὲ οὗτος ἔοικες ὁρᾶν ἑαυτὸν ἐπιτρέπειν ἀλλ᾽ ἄν τις ἀναιδῶς αὐτὸν θεάσηται τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται. Qui igitur, inquit, cuncta commouet, iubetque quieſcere, ceu magnus quidã & præpotens, manifeſtus quidẽ eſt, ſed qua forma ſit, obſcurus eſt. Neque verò etiam qui ſuſcipitur lucidiſſimus Sol, apparet ſeipſum ab vllo aſpici ſinere, ſed ſi temere quis eũ contueatur, viſione multatur. Quo potuit clariore Diuinitas exẽplo deſignari? quid ea dignius prædicari? ꝙ ſit Sol, ꝙ appareat, luceat vbique cunctis ſæculis, nationibuſque ſemper manifeſtus, ſed non ita tamen, vt eum ſe quiſquã gloriari poſſit vidiſſe, penituſq; oculos in naturam eius defixiſſe. Caligabit, qui voluerit eum videre quis ſit. Deum enim nemo vidit vnquam, dicunt noſtræ litteræ. Et, Nemo me videbit, & viuet in ęternum. Similia dixerunt illi ab ipſa natura, ſuppetente luce. Eoque Triſmegiſtus, cùm aliàs Deum ineffabilem, innominabilemque dixiſſet, docuit eum ex operibus clarere nobis. Et Moſi oſtendit poſteriora, nõ faciem. Obſcurus igitur & clarus: operibus clarus, obſcurus natura, quam nemo vidit vnquam. Et multi videre volentes, propiuſque oculos admouentes, cæci redierunt. Hoc exemplum, collatioque Solis, & Dei, cùm etiam extet apud Platonem, fit veriſimile, fuiſſe temporis eius Philoſophiam, Deũ quidem nullo alio nomine ſapientibus nuncupantibus, ſed Soli ſimilem arbitrantibus, qui partim ſit omnibus nationibus clariſſimus, partim tanta caligine ſeptus, vt ab exordio mundi nemo potuerit eum cognoſcere. Quid verò Cleanthes Stoicus de ſummo, ac ſingulari Deo antequam Filius eius conceſſiſſet in terras, perhibuit? de quo Simplicius ſuper Epictetum: ὔχεται δὲ οὗτος ἐν τοῖς ἰαμβείοις τούτοις, ἄγεσθαι ὑπὸ θεοῦ, καὶ τῆς ἀπ᾽ αὐτοῦ διὰ πάντων ἐν τάξει φοιτώσης αἰτίας, ποιητικῆς τε, καὶ κινητικῆς, ἣν πεπρωμένην, καὶ εἱμαρμένην ἐκάλει: ἐπαγγελλόμενος ἀόκνως καὶ ἕψεσθαι: ἂν γὰρ ἀντιτείνω φησί μόνον ὅτι κακὸς ἔσομαι, καὶ οἰμώζων, καὶ στένων ἀκολουθήσω: ἀνάγκη γὰρ ἀκολουθεῖν τὸ ἀσθενέστερον, τῷ ἰσχυροτέρῳ, καὶ τὸ αἰτιατὸν αἰτίῳ. Quæ ſunt, Precatur, inquit is, in Iambis iſtis, agi a Deo, & a Cauſa eius, quæ per omnia ordinatè tendit, operans, & mouens, quã Fatum vocat & Decretum, promittens intrepidè libenterque ſe ſecuturum. Neque enim, inquit, reſiſto. Nam alioqui malus ſim, & gemens ac lugẽs ſequar. Neceſſe enim eſt ſequi, quod debilius eſt, fortiorem, & cauſarum cauſam. Hæc ab his dicebantur, quorum terras etſi vana ſuperſtitio, veteriſque ignara Dei, occupaſſet, aderat tamen primæua lux, quam maieſtatis ęternæ iubar in ſenſibus humanis accendiſſet, qua ſæpe tetræ ſæculorum tenebræ diſcuſſæ ſunt.

Pherecydes Syrus de Deo.

14. Meta. cap. 4.

Euclides de Deo.

Xenophõ de Deo.

1. Ioan. 4.

Deus ex operibus claret.

Exod. 33.

Dei cum Sole comparatio.

Cleanthes de Deo.

Quòd appellata ſit in veteri Theologia Natura diuina, prima excellentiſſimaq; Vnitas: & quòd omnia ex ea dixerint eſſe nata, ex Empedocle & Parmenide & Zenone, & Ariſtotele, Meliſſo, Damaſcio: & quòd hanc Vnitatem vocarint immobile principium. Cap. V.

SEMPER humanum genus vnum Deum cognouiſſe, & prędicaſſe, in hanc animos inclinationẽ perenniter perpendiſſe, vtque vera pietas naturalis eſt, ſic ſuperſtitiones, & oẽs a veri Dei cultu deuios ritus violentos fuiſſe, non his modo claret, ſed aliis etiam longè perſpectioribus. Priſcos appellaſſe Deum, perfectiſſimam, primam, præcipuam, in omni vnitate tenentem principatum Vnitatem, Primum & vnitiſſimum ſimpliciſſimumque vnum, quod Græcè per articulum Emphaſeos τὸ ἕν, id eſt, ipſam Vnitatem, & ab ea cuncta pro xiſſe, idque profundiſſimum apud eos myſterium fuiſſe conſtat. In hac autem probatione primum ac præcipuum eſt teſtimonium Empedoclis, penes quem antiqua Philoſophia reſedit. Fuit im diſcipulus ac ſucceſſor Pythagoræ. Eum autem potiſſimum audire operæpreciũ eſt, quòd peram Ariſtoteles mentẽ eius interpretetur, modò amicitiam ac diſcordiam, modò materiam cuerans eum nomine Vnitatis appellaſſę. Quid igitur per vnitatem antiquus Philoſophus intellexerit, abunde docent eius carmina, è quibus hæc potiſſimum in libro de Mundo, quæ etiam Ariſtotele in prima Philoſophia, & in compendio de Mundo proferuntur: ἐκ τοῦ ἑνός.

Omnes deuij ritus, violenti.

Dei vnius elogia.

Empedocl. de Deo.

Πάνθ' ὅσσ' ἦν, ὅσα τ' ἐστὶ, ὅσα τ' ἔσται ὀπίσω
Δένδρεα δὲ βεβλάστηκε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
Θῆρές τ' οἰωνοί τ', καὶ ὕδατο θρέμμονες ἴχθυς,
Καί τε θεοὶ δολιχαίωνες, τίμησι φέριστον. Ab ipſo vno, inquit,

Quæ fuerint, quæ ſint, quæ poſt ventura ſequentur,
Et plantæ viruere, mares & fœmina quæque,
Atque feræ, volucreſque, habitanteſque æquora piſces,
Longæuique Dei, quorum eſt veneranda poteſtas.

Ab vnitate viſibilia, & inuiſibilia profecta.

Pſal. 103.

Pſal. 113.

ebr. 1.

Angeli creati ab vnitate.

Vnitas, per excellentiam.

Angeli, tãquam germina, & propagines.

Omnium rerũ principiũ, vnitas.

Qui vnus eſt, nomine nõ ge.

1. Phyſic cap. 3.

Coact⁹ eſt Ariſtot. fateri vnum Deum.

Quam igitur Vnitatem ſol1 tus eſſet celebrare Empedocles, a qua dicat viſibilia, & inuiſibilia profecta, nataque præſentia, præterita, & futura, quicquid mari, terraque naſcitur, feras, aues, piſces, demum & Deos ipſos facilè conſtat. Audierat enim a ſuperioribus, omnique priſcorum Philoſophia, Deum vocatum Vnitatem & totam incipientem a Diis, id eſt Angelis creationem in vnum eum altiſſimum fuiſſe relatam. Ac quaſi hoc loco eſt alter Moſes Empedocles. Quicquid enim Moſes a Deo creatum prædicauit, Empedocles prædicauit creatum ab Vnitate. Adiecit Empddocles, etiam Deos, quos omiſit Moſes. Quaſique ingreſſus eſt Empedocles, ſicut & Dauid: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimentum: Extendens cęlum tanquam cęnaculum, qui tegis aquis ſuperiora. Et quæ ſequuntur de rerum creatione, ob quam dicit Deum oſtendi glorioſum, omnipotentem, magnificum. Siquidem, & idem ipſe Dauid in tota quam refert creatione, adnumera Angelos, quos Deos appellat Empedocles. Qui facit, inquit, Angelos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Quod ergo Dauid Deum dicit feciſſe, at Empedocles feciſſe dicit Vnitatem. Hanc ſententiam videtur etiam Plato in Timæo ſecutus, cùm Deos factos a creatore mundi, diſſolubiles autem natura, indiſſolubiles diuina voluntate confitetur. Deus igitur autore & aſſertore Empedocle, non ſolum eſt Vnus, ſed ipſa princeps, & præſtantiſſima Vnitas, rerum omnium eſt creatrix, etiam ipſorum Deorum. Quos ſi creauit, ipſa quidem ęterna, hi non ęterni. Tum creati, vtique nec cum vnius Diuinitate ſubſtantialiter coniuncti. Poſtremò quod maximè conſiderandum eſt, ſi primum, præcipuumque nomen naturæ diuinæ eſt Vnitas, & ſi in omni vnitate, hæc illa eſt Vnitas, quæ per excellentiam dicitur Vnitas, neceſſe eſt Deum naturaliter eſſe Vnum, magis quàm omnem rem, quæ vna eſt, natura ſimpliciſſimum, vt nũquam ſit maior rei ſecum coniunctio. Illud item magnopere conſiderandum, vt ex Empedocle cæterorum dicta intelligantur, ꝙ tametſi multos Deos appellent, eoſque ab vno dixerunt eſſe progenitos, ſenſiſſe quidem eos eſſe, & appellari Deos, ſicut & ſacra doctrina vocat, ſed eos tamẽ a ſummo Deo condidiſſe. Deum igitur verum, Vnitatem, Deos autem tanquam germina, & propagines eius dixerunt, idemque aſſeruit in Timæo Plato, & Ariſtoteles in libro de Mundo, & vbique in ſua poe demonſtrauit Homerus. Conſtat igitur Empedoclem non tam afflatu quodam diuino, hæc de Vnitate protuliſſe, quam ꝙ a maioribus ea ſuis acceperat, præcipuè Mercurio, patre & fonte omnium Græciæ veterum Theologorum. Is non vno in loco vocaliſſimè Vnitatem diuinam decantauit, celebreque eſt dictum eius apud Platonicos, ἡ μονὰς ῥίζα τῶν ἁπάντων: Omnium rerum radix & principium Vnitas. Eiuſdem quoque eſt, ὁ δὲ θεὸς εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται. Deus, inquit, vnus eſt: qui verò Vnus eſt, nomine non indiget. Ecce Mercurius confitetur, Vnum alterius nominis non indigere, cuius proprium ſit nomen, quem alio nomine nefas ſit appellari. Ariſtoteles igitur veterum illorum ſæpe ineptè irriſor, quaſi Parmenidem irridet, quod ipſum Vnum vel Vnitatem Deum diceret, in primo de Philoſophia libro: Παρμενίδης οὐδὲν ἐσαφήνισεν, οὐδὲ φύσεως τούτων, οὐδ' ἑτέρας ἔοικε θίγειν, ἀλλ' εἰς ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας, τὸ ἓν εἶναι φησὶ τὸν θε Parmenides, inquit, nihil clarum propoſuit, neque harum rerum videtur vſquam attigiſſe naturam, ſed in omne cœlum ſuſpiciens, ipſum vnum dicit eſſe Deum. En teſtimonium Parmenidis confirmat Theologiam Empedoclis, vt nulla obſcuritas relinquatur, quin ſit apud vtrunque Deus ipſa Vnitas. Quodque longè mirabilius eſt, idem Ariſtoteles quaſi ex altiſſimo ſomno euigilans, aut ceu pœniteret eum occultatę ab ſe veritatis, profert hæc ipſa carmina Empedoclis, in libro de Mundo, aſſerens exerta voce eum de Deo fuiſſe locutum, & commendans. Omnia, inquit, quæ vel terra, vel aere, vel aqua generantur, iure Deo vendicantur, qui totum continet & regit mundum. A quo, vt ait phyſicus Empedocles,

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ poſt ventura ſequentur
Et plantæ viruere, virique, & fœmina quæque
Atque feræ, & volucres, habitanteſque æquora piſces,
Longæuique Dei.

Hæc Ariſtoteles in libro de Mundo, dicens Empedoclem de Deo prædicaſſe: in libris autem de Philoſophia, de Vno. Sic clara veritas eſt, vt ne poſſit etiam ab ipſo, qui conatus eſt, obſcur Extat etiam in libris Ariſtotelis de Philoſophia, antiquiorem Zenonem irrefragabili argume comprobaſſe, Deum neceſſario eſſe vnum, vt niſi ſit vnus, ne Deus quidem eſſe poſſit. Cum autem omnium optimum, inquit, ac potentiſſimum eſſe Deum, vinceret, eundem etiam eſſe vnum oportere demonſtrabat. Nam ſi duo vel plures fuiſſent, optimum ac præſtantiſſimum eum amplius eſſe non poſſe Singulum enim quemque eorum, quia ſimiles inter ſe omnes eſſent, fore optimum. Idem eſſe Deum, diuinamque potentiam conſtare aſſerens, quòd vbique & in omnibus teneat principatum. Quapropter eadem fieri ratione, vt ne eſſet Deus, qua neque optimus eſſet. Quòd ſi & plures, & alij aliis potentiores ac meliores eſſent, ne Deos quidem eſſe. Nunquam enim poſſe vinci ac ſuperari Deum. Etenim æqualia neque maiora, neque minora inter ſe eſſe. Quocirca ſi conuincitur, & Deum eſſe, & eundem eſſe optimum, vnum neceſſario eum eſſe. Neque enim poſſet omnia quæ vellet, neque poſſet vnus, multis exiſtentibus. Hæc Zeno. Sic & Parmenides, & Empedocles, & Ariſtoteles, Deo neceſſariam Vnitatem attribuerunt. Fuitque id vetuſtiſſimæ Philoſophiæ ſacramentum. Nam & in dogmatis Chaldæorum inter alias proprietates Dei eſt nomen Vnitatis. Quod in oraculis Magorum viſum eſt. Et Sibylla eiuſdem Theologiæ vates:

Deus neceſſario vnus, & niſi ſit vnus, ne q̃dē eſſe Deus poteſt. Zeno.

Vide Lactant. li. 1. c. 5. & lib. 2. cap. 5.

Vnitas Dei, Chaldæorum opinione.

Ἀλλὰ θεὸς μοῦνος, εἷς πανυπέρτατος
Εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης, ἀγένητος.

At Deus vnus, ſolusque & celſiſſimus ipſe,
Eſt Deus, vnus ſolus, maximus, ingenitusque.

Cum quibus carminibus eſt adiuncta ratio Zenonis, ideo Deum eſſe vnum, quia ſit celſiſſimus, maximus, ſummus. Summum autem niſi vnum eſſe non poteſt. Non enim eſſet ſummus, ſi pares haberet, aut multos, aut alterum. Eadem ſententia Pythagoras ex Mercurio, ἡ μονὰς ῥίζα πάντων: Vnitas radix omnium, fons, & origo ſcilicet. Diuineque Damaſcius Platonicus de Vnitate, τὸ ἓν ὥσπερ ἥλιος πόρρωθεν ἀμυδρῶς πῶς ὁρᾶται, ἐγγὺς δὲ ἀμυδρώτερον, ἔπειτα καὶ τὴν ἄλλων ἀφαιρεῖ τὴν ἀντίληψιν. Vnitas, inquit, tanquam Sol, procul obſcurè, quaſi videtur. Si propius acceſſeris, obſcurius, demum cæterarum rerum tollit apprehenſionem. Verè igitur eſt lux incomprehenſibilis, inacceſſibilis. Et profundè Soli comparatur, in quem quo magis intuearis, eo magis cæcutias, & caliges, oculosque ſtupentes reportes. Idem Damaſcius de eadem Vnitate, conſiderata eius excellentia, τὸ ἓν τετιμείσθω σιγῇ: Vnitas, ait, honoretur ſilentio. Sic eſt ſanctum ſilentium apud Dionyſium, quo temeritate excluſa, Deus adorandus, & colendus eſt, ſobriè de eo loquendum. Item Damaſcius, τὸ ἓν πάμφορον: Vnitas omnia producit. Ferax omnium rerum Vnitas. Sed alia in ſequentibus libris diſſerenda reiiciuntur.

Summum nõ niſi vnum eſſe poteſt.

Damaſci⁹ de vnitate.

Eadem probatio ex his quæ ſenſerunt Parmenides, & Meliſſus, Empedocles, & Plato. Cap. VI.

TESTATVR quoque Ariſtoteles Parmenidem & Meliſſum, vnum & immobile decreuiſſe Principium. In quo teſtimonio hoc incluſum eſt, eos ipſum Vnum vocaſſe Deum, & id dixiſſe omnium rerum Principium. Nam Parmenides ipſum Vnum dixit eſſe Deum: Meliſſus ergo eodem Philoſopho atteſtãte, ſentit quod Parmenides. Qua e conſtat etiam iſtud omnium rerum ſingulare Principium, eos nuncupaſſe Deum. Quoniam itur ſentit Meliſſus de vno Principio, quod & Parmenides: Parmenides autem vocat Deum vni atem: palam fit vnam eſſe vtriuſque Philoſophiam. Conſiderare autem operæpretium eſt, quod üit, hoc Principium eſſe immobile. Docebit enim te Ariſtoteles ipſe cauſam, qui quos inſectatur cutus, ſententiam in octauo naturalis Philoſophiæ principiorum libro, pronunciat, affirmatque oc ipſum mouens non motum. Antiquiores autem μίαν ἀρχὴν καὶ ἀκίνητον, Vnum & immobile rincipium aſſerebant. Vt autem hoc immobile Principium eſt Deus apud Ariſtotelem, ſic eundẽ e neceſſe eſt, quem Parmenides & Meliſſus prædicabant. Empedocles autem & Parmenides, au re Ariſtotele, appellabant Deum nomine Vnitatis: ergo idem eſt apud eos τὸ ἕν, καὶ ἡ μία ἀρχή, a Vnitas, & Vnum Principium. Rurſum cum & Empedocles ipſam Vnitatem affirmet omnium rum creatricem, colligitur etiam id ipſum dixiſſe Parmenidẽ ac Meliſſum. Quo loco non æqua niter interpretatur eorum Theologiam Ariſtoteles. Quos, cum de rebus diuinis loquerentur, ruit de Principiis rerum naturalium fuiſſe locutos, vt dicerent Vnũ eſſe ipſũ Ens. At quis adeo lirasſet? Non videbant illi tot ſpecies, tot formas? Oculisne & auribus, cæteriſq; ſenſibus care nt, vt omne quod eſſet, vnum eſſe dicerent? Eodem autem autore diſcimus Theologiam eſſe tuſtam, quòd Vnitas ſit omnium rerum autor: ἔοικε παλαιὰ εἶναι αὕτη ἡ δόξα, ὅτι τὸ ἓν ἀρχὴ idetur, ait, antiqua opinio, Vnitatem eſſe Principium. Si igitur Principium & Deus ſunt idem, Vnitas ac Principium idem, neceſſariò Vnitas illa apud veteres, eſt Deus. Omnes enim con ntur Deum eſſe Principium. Deus ergo eſt Vnitas. Et hanc ait Veterem eſſe Theologiam riſtoteles. Refer igitur animum ad ea quæ ſuperius de antiqua ſapientia idem prædicabat, cu quaſdã aſſerebat quaſi naufragas reliquias ad poſteros perueniſſe. Hæ ſunt pretioſæ reliquiæ.

1. Phyſ. c. 3

Vnum & immobile principiũ.

Vnitas, & vnũ principium.

Parmenides & Meliſſus non fuerunt ab Ariſtotele ita reprehendendi.

Vnitas prĩcipium.

Deus, τὸ ἕν, vnum Philoni.

Videbis ergo etiam apud Philonem Platonicum veteris Philoſophiæ conſcium, ſæpe Deum appellari τὸ ἕν, ipſum Vnum. Aſpice dicta eius in libro de Mundo. Nam ad alia cum de oculis animi loqueretur, eorum dixit mirabilem videndi facultatem, ἅπερ ὑπὸ πολλοῦ τοῦ, τὸ ἓν κατιδεῖν τηλαυγῶς ἱμέρου πτερωθέντα: Qui cupiditate videndi ipſum Vnum perſpicuè & clarè explicati, non ſolum ad ſupremum æthera tendunt, ſed inferioris omnis mundi regionibus relictis, ad ipſum ingenitum applicant. Hæc Philo. Nulla ſupereſt igitur dubitatio, quin ipſum Vnum, aut ipſa ſumma Vnitas, ſit Deus apud antiquos: vt Sophocles, Phocylides eadem tempeſtate decantabant, & Xenophanes eiuſdem tempeſtatis Philoſophus, apertè confeſſus eſt, autore Marco Tullio in Academicis. Xenophanes, inquit, paulò etiam quàm Anaxagoras antiquior, Vnum eſſe omnia, neque id eſſe mutabile, & id eſſe Deum, neque natum vnquam, & ſempiternum, & conglobata figura. Deſciſcit quidem à vero Xenophanes vt ego corrigam, tribuens Deo figuram, ſed incorrupta veritos non omnium fuit genitum.

Priſcam Philoſophiam, Deum appellaſſe ipſum eſſe, conſenſusque eius cum Theologia vera. *Cap. VII.*

Theologia & Religio ſæculorum omnium.

Deus, ipſū Ens, & ipſa īfinitas.

Theologiæ finitima poeſis.

ALIVD mirabile veteris Theologiæ ſacramentum, vt fiat exploratum, horum ſæculorum Theologiam, & Religionem, fuiſſe omnium ſæculorum Religionem, naturalemque Deo ſcientiam, quam a Natura ſentimus animis noſtris offerri, pectoribuſq; clam inſpirari. Vetus Theologia vocat Deum celſiſſimam, pretioſiſſimam, primamq; Vnitatem, clamat item eandem Vnitatem omnium rerum Principium. Audi mirabiliora. Dico eandem rem ab eis fuiſſe nuncupatam τὸ ὄν, τὸ ἄπειρον, ipſum Ens, ipſam Infinitatem: Vt qui vocabatur ipſa Vnitas, idem dictus ſit, ipſum Eſſe, & Infinitum. Et quoniam ſuperius nomen Diuinitatis apparuit eſſe ipſum Vnum, & hoc loco probamus eãdem Diuinitatem apud eos duo alia nomina habuiſſe, Ens & Infinitum. Principio ſciendum eſt, antiquam Theologiam, & quæ cum Theologia finitima eſt, Poeſin, ab hominibus Barbaris ad Græcos perueniſſe. Ratio autem qua peruenit, duplex fuit. Prior, quòd homines priſci, primi terrarum coloni, ab vna ſtirpe orti, in quo copioſiſſima viguit rerum diuinarum magnarumque ſcientia, eam cum aliis multis ſecum in omnes terras detulerunt. Ex quo fama quædam à veterum illorum ſucceſſoribus per omnes latiſſimè manauit, ſemper, quo antiquior, longinquiorque a primis, hoc deterior, & quaſi decoloratior. Secũda fuit ratio, cum poſt multa ſæcula, quos ſciendi cupiditas tenuiſſet, terris ſuis relictis, ad exteras nationes, & vbi nomen ſapientiæ celebrius ferretur, accedebant. Illique aut audiebant ab eis res antiquas, penes eos incorruptiores, aut in libris eorum introſpiciebant. Tertia poſtea ratio acceſſit, non per famam antiquam, & ſucceſſionem, ſed lumen Naturæ fuit, quæ cum prioribus rationibus coniuncta, deduxit quoſdam ad naturalem quandam, veriſſimamque Dei ſcientiam. Igitur qua ratione nomen illud cæleſtiſſimum, quod putamus apud omnes gentes olim nuncupationem Dei fuiſſe, Iehouah, quod deſignat ipſum Eſſe, eadem videtur nominis eius ſignificatio ad omnes gentes perueniſſe. Erat quoque in arcanis diuinarum litterarum, quas ipſas, aut earum ſenſus, apparet Homerum, & Heſiodum, ac plures alios non ignoraſſe, veriſſima Dei appellatio, tralata atque expreſſa in ſermone Græco, ὁ ὤν, Ille qui eſt, hinc euenit vt ea res celeberrima, vulgatiſſimaque circumferretur apud Græcos. Huc primum pertinet, quòd Plato in Timæo aggrediens exordium mundi, hanc rerum diuiſionem præmittit: Aliud eſſe τὸ ὄν, Ipſum quod eſt, aliud τὸ γινόμενον, Id quod fit. Et quoniam ſub Secundo omnia corporea, & ſenſibilia intelliguntur, neceſſariò ſub Primo ſunt ab oculis ſeparata. Quod quoniam idem cum Ente, & Vno ſtatuebant, apparet ipſum Eſſe, vnum apud eos tantum, idque ipſum Deum fuiſſe nuncupatum. Primumque aſciſco eos, qui floruerunt ante Platonem, quorumque eſt Philoſophiam Plato ſecutus. Vocarunt antiqui Deum, τὸ ὄν, Ipſum eſſe, id quod ſolum, ac principaliter exiſtat, quod nunquam non fuerit, nunquam eſſe ceſſauerit. Cætera enim aliquando fuerunt, aliquando non fuerunt. Vt ergo diuinitas cum articulo dicebatur τὸ ἕν, ipſa Vnitas, & τὸ ἀγαθὸν, ipſa Bonitas, ſic per excellentiam dicta eſt τὸ ὄν, Ipſum eſſe, id quod in omni re & eſſe, teneat principatum. Quoniamque datur Deo ipſum eſſe principaliter, videtur deſignari, eam eſſe ſolam eſſentiam, ſolumque eſſe, vt cætera præ illa non exiſtant. Priſci igitur dixerunt ipſum Vnum, eſſe Deum, Vnum vocarunt ipſum Ens: igitur perinde Ens deſignabat eis Deum atq; ipſum Vnum. Nam primo ſuæ diuinæ Philoſophiæ Ariſtoteles de Meliſſo dicit, ἐξ ἀνάγκ οἴεται εἶναι τὸ ὄν: Neceſſario putat vnum eſſe ipſum Ens. Quòd ſi Vnum eſt Deus, vt Parmenides & Empedocles canebant, certè etiam eſt ipſum Ens. Et quoniam ipſum Ens dicebant immobile, Ariſtotele ſæpe teſte, immobilitas autem dabatur Vnitati ab illis, primo Principio ab Ariſtotele, certè hac ratione claret, eſſe Deum ipſum Ens. Hæc igitur omnia ſunt nomina Naturæ diuinæ, τὸ ἓν τὸ ὄν, τὸ ἀκίνητον, Vnitas, Ipſum eſſe, ipſa Immobilitas. Ac ſuper primo cætera fundantur, eique ſecundum, ac tertium aſſignantur. Vbi intellexeris, de quo dicatur ipſum Vnum, facilè de quo reliqua dicantur percipies. Tribus teſtimoniis conf

Prima theologia purior.

Res antiquæ incorruptiores.

Lumen naturę cognitionē Dei docuit.

Iehouah, quid.

Aliud τὸ ὄν aliud τὸ γινόμενον.

1. Metaph.

Vnitas immobilis.

Naturam diuinam eſſe, & dici ipſum Ens, ipſumq; ſubſiſtere: teſtimonio veteris Theologiæ, teſtimonio Platonis, qui quaſi eius eſt interpres, poſtremò Philoſopiæ cæleſtis, magiſtræ ac ducis cęterorum. Etenim cùm nomen ſacrum Iehouah, ſit quaſi tertia perſona verbi ſubſtantiui futuri, conuerſo Iod in Vau, יהיה יהוה idq; fuerit antiquiſſimum Dei nomen tralatum ad Græcos ὁ ὤν, Qui eſt (Nam τὸ ὄν, & ὁ ὤν, genere tantum differunt) Proinde Platonis illa diuiſio, in quo eſt ipſum Ens, & id quod fit, innuit rem creantem & creatam. Qui cùm ſecutus ſit in hac diuiſione maiores (reperit enim ea apud Empedoclem, Parmenidem, Meliſſum, Heraclitum) proculdubio, & ipſe cum Ente aſſociauit Vnitatem, indicans illud id τὸ ὄν, non aliam, quàm vnius ſingularis, ac ſummi Dei eſſe Naturam. Quòd ſi Ideas, aut mundum Idealem, appellauit ipſum Vnum, nulla controuerſia eſt. Nam interprete Philone, idem eſt mundus Idealis, ſiue Archetypus, atque ipſum Dei verbum, & Filius Dei. Declaranſque Plato quid de Vno, aut Ente dicerent, quod eſſet, ἀκίνητον, immobile, apertè fatetur ipſum Ens, atque τὸ ἕν, id eſt, Vnitatem, & Vniformitatem, eſſe Deum. Dicit enim ipſum Ens, eſſe ſemper idem, perpetuò conſtans, ſemper eandem habens naturam, contrà, quam res ſenſibiles, quæ ſemper fiant, ſemper moueantur, ſemper aut creſcant, aut dilabantur in deterius. Verumq; eſt tam ex parte animorum, quàm corporum, poteratq; dubitari quid Plato per id, quod eſt τὸ ὄν, intelligeret, niſi & ſuperiores Theologos teſtes, & ipſam cæleſtem Philoſophiam haberemus, cum qua nihil diſcrepat Plato, niſi quòd apud eum eſt genus variatum, vt qui erat ὁ ὤν, in ſcripturis ſacris, dictus ab eo ſit τὸ ὄν. Quæ variatio iure quidem, duabus de cauſis facta eſt, tum quòd neutrum genus non eſt apud Hebræos, tum quia videtur eſſe plenius, dicere Deum Ipſum eſſe, vt totam exiſtendi plenitudinem nomen complectatur, quàm τὸν ὄντα, id eſt, exiſtentem. Plus enim ſignificãt ipſarum nomina naturarum, quàm deriuata ab illis. Vt qui dicitur vita, non vitalis: ſalus, non ſalutaris: & de malis ſcelera potius, quàm ſcelerati. & portentum magis, ac portentoſum. Declarant autem profundius hoc myſterium Plato, ac Plutarchus, Iuſtinus item Martyr, idem & Philoſophus cur ſit Deus Id quod eſt, aut Ipſe qui eſt. Iure autem per præſens, Qui eſt, dicitur, quoniam apud ipſum, neque præſens, neque pręteritum, neque futurum, ſed ipſa ſola æterna præſentia, Vocatus eſt, Ille qui eſt, quo tollitur error, & exploditur falſa cogitatio, qua crederet homo in Deo præteritum, vel futurum. Intelligimusq; in eo ſolam eſſe præſentiam. Conſule etiam Plutarchum, quem etſi reieci in poſterum, nũc paucis veterem Theologiam reddat clariorẽ. Viderat idẽ in tẽplo Apollinis Delphici ad alia miranda, quæ prudentibus poſſent eſſe grata, ſcriptum, εἶ, Vox Græcè deſignat Tu es. Cuius cùm cæteri variam rationem reddidiſſent, omnem eam recuſauit, eamque approbauit potiſſimum, quòd his, qui illluc tanquam ad Deum accederent, offerebat ipſe Deus hoc dictum, γνῶθι σεαυτόν, Agnoſce te ipſum. Reſalutantes autem mortales ſolerent dicere, legendo εἶ, Tu es, tanquam vera, ac germana Dei appellatione. Nos enim cum vero Eſſe nihil communicamus, ſed omnis mortalis natura, in medio generationis, & corruptionis exiſtens, ſimulachrum quoddam atque vmbram caſſam, vixque apparentem, ſui ipſius oſtentat. In quam ſi cogitationem coneris defigere, tanquam aqua defluens & manibus compreſſa diffugit, deferens etiam, quæ manu teneretur. Similique ratione ſemper affectionibus variantibus, perditur omnis rerum certitudo, & fallitur cogitatio, dum aliud fit, aliud corrumpitur factum, nullam rem ſtantem, vereque manentem valens apprehendere. Neq; enim, ſicut inquit Heraclitus, bis eundem fluuium traiicies, neque mortalem ſubſtantiam bis eandem licebit apprehendere. Poſtea Plutarchus addit: τὸ ἒν ὄντως ὂν ἐςὶ τὸ ἀίδιον, καὶ ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον, ᾧ χρόνος οὐδ᾽ εἷς μεταβολὴν ἐπάγει. Verum, inquit, Ens eſt æternum, ingeneratum, incorruptibile, cui nullam tempus affert mutationem. Nam tempus, inquit, cum quaſi vas ſit generationis, & corruptionis, partes eius priores, ac poſteriores oſtendunt ipſum non eſſe. Nam id eſſe dicere, quod nondum eſſe non habet, aut ceſſauit exiſtere, ſumma eſt deceptio. Rurſum ne pium quidẽ, dicere eum, vel fuiſſe, vel futurum eſſe, qui ſolum nunc ſit. Nam hæ inclinationes quædam ſunt, & mutationes, ac varietates eius, quæ in ipſo eſſe non poſſit inſiſtere. Sed de Deo dicendum eſt ſemper, ipſum Eſt, idq; non temporariè, ſed æterne, immutabiliter, intemporeè, indeclinanter, cuius nihil ſit prius, atq; poſterius, neque recentius. Sed quòd vnus exiſtens, ipſo nunc repleat ſempiternitatem. Iure autem eſt verum Ens, in quo non olim, non futurum, neq; principium neq; finis inſit. Sicq; neceſſe eſt, eum venerari ac ſalutare dicendo, Salue qui es, Benedictus ſis qui es. Hæc ferè grauiſſimus ſcriptor Plutarchus. Vt autem nulla ſupereſſe poſſit dubitatio, quin Vnitas, atque Ens ſint idem, & hæc ſint nomina Naturæ diuinæ, præbet locupletiſſimum teſtimonium idem Plutarchus. Quippe cum diceret hæc, quæ nũc propoſuimus, de ſalutatione Dei veriſſima, poſtea adiecit: ἢ καὶ νὴ Δία, ὥς ἔνιοι τῶν παλαιῶν, ἕν. Aut per Iouem, inquit, ſicut priſcorum nonnulli, Es Vnum. Neque enim, inquit, Diuinitas eſt plura, ſicut quilibet ex nobis, qui ex innumerabilibus affectuum varietatibus conſtamus, quaſi quædam turba, atq; concio, ἀλλὰ ἓν δεῖ εἶναι τὸ ὂν ὥσπερ ὂν τὸ ἕν: ſed vnũ neceſſe eſt eſſe ipſum Ens, ſicut Ens ipſum Vnum. Igitur ipſam Vnitatem, atq; ſynceritatẽ neceſſe eſt ineſſe ei, qui ſemper eſt incorruptibilis, & vndequaque purus. Hæc ratio & teſtimonium Plutarchi, nullam relinquit latebram obſcuritatis, & nemini poteſt eſſe dubium, apud priſcos cognitam, & prædicatam Diuinitatem veram, quam nunc totus mundus vnam, vereque exiſtentem veneratur, ac con-

Deus, ens dictus tribus teſtimoniis.

Mundus Idealis, ipſum Dei Verbum.

Quod in ſacris litteris ὁ ὤν, Platoni eſt τὸ ὄν, & cur.

Plus ſignificant primitiua nomina quã deriuata.

Lib. de εἶ, aſcripto pſ foribus tẽpli Apollinis.

γνῶθι σεαυτόν, ſcriptum litteris aureis in eodem templo.

Omnia nata pereũt.

Entis attributa.

Deus eſt, & quidẽ æternè.

Diuinitas niſi vna.

fitetur. Salomon quoque in ſua ſapientia, reprehendens vanos homines, ignaros Dei, qui eum ex aſpectu rerum noſſe recuſaſſent, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν τὸν ὄντα γνῶναι. Non poterant ſcire eum qui eſt. Dionyſiusque Filium Dei vocat τὸ ὄν. Hoc Hebraicè eſt, Iehouah.

Quòd Deus in veteri Theologia appellatus ſit ipſum Vniuerſum. Cap. VIII.

Deus, τὸ πᾶν, & ἕν.

PROSEQVENS dico Diuinitatem, id eſt, illum ipſum, qui apud priſcos diceretur ipſum Vnum, ipſumque Ens, appellatum quoque magno quodam, altiſſimoque myſterio τὸ πᾶν, ipſum Vniuerſum. Quod non obſcuris, fictitiiſque teſtimoniis comprobabo. Ariſtoteles in primo de principiis Philoſophiæ libro, prodit veteres illos dixiſſe ἓν εἶναι τὸ πᾶν: Vnum eſſe Vniuerſum. Si probamus igitur & hoc, & aliis multis eadem eos de Vniuerſo prædicaſſe, atque Ente & Vno, claret vtique Vniuerſum, fuiſſe eis ipſum Deum. Vnitas eſt Dei, Vnitatem dicunt Vniuerſitatem. Deum ergo dixerunt Vniuerſitatem. Dixerunt ergo de Vniuerſo quæcunque de Vno. Immobile Vnum & omnium Principium dicebant. Autore autem Ariſtotele, iidem prodiderunt τὸ πᾶν ἀκίνητον, Vniuerſum immobile. Et quod eſt euidentius, idem Ariſtoteles primæ maioris Philoſophiæ libro: εἰσὶ δέ τινες οἳ περὶ τοῦ παντὸς, ὡς ἂν μιᾶς οὔσης φύσεως ἀπεφήναντο: Sunt qui de Vniuerſo tanquam vna Natura pronuntiarunt. Ecce vnam Naturam dicunt Vniuerſum. Vnitas autem Naturæ, dabatur concorditer Deo a cunctis. Eandem ſententiam repetit in libro de Principijs. Sed omnium ſuper hac re nobiliſſimum eſt teſtimonium Plutarchi, qui veteris ſapientiæ omnium ſui temporis fuit prudentiſſimus. Etenim hæc placita de Vnitate, & Exiſtentia, Vniuerſitate, ab antiquis profecta, ad Empedoclem, Meliſſum, Parmenidem, aliosque complures deuenerunt, declarat igitur Empedocles quid crediderit eſſe ipſum Vniuerſum, cuius Plutarchus citans in placitis Philoſophorum de Mundo, & Vniuerſo ſententiam, hæc ad verbum: Ἐμπεδοκλῆς δὲ κόσμον μὲν ἕνα· οὐ μέντοι τὸ πᾶν εἶναι τὸν κόσμον, ἀλλ᾽ ὀλίγον τί τοῦ παντὸς μέρος. Empedocles autem, inquit, Mundum quidem vnum dicit, non tamen ipſum Vniuerſum eſſe Mundum, ſed exiguam quandam partem Vniuerſi. Ex quibus verbis & aliud eſſe Mundum conſtat, quàm Vniuerſum, & magnum item myſterium conſiderationiſq; pleniſſimum aperitur. Primum fatetur Mundum eſſe vnum. Quòd ſi Mundus eſt vnus, certè nihil eſt extra Mundum. Nam ſi quid eſſet extra, eſſet aut alius Mundus, aut pars aliqua Mundi. Si autem eſt vacuum infinitum extra Mundum, quomodo Mundus erit, pars vacui, cum vacuum nihil ſit, Mundus ipſa ſubſtantia? Neceſſe igitur eſt, eum qui verbis expreſſis aſſerit vnum Mundum, nihil eum aliud corporeum cõſtituere. Cum vero dicat tantum intereſſe inter Vniuerſum, ac Mundum, quantum inter immenſum quiddam ac breuem particulam, palam fit hoc Vniuerſum, aliquid a Mundo diuerſum, eum ſenſiſſe. Nam ſi res vlla eſſet corporea præter Mundum, iam vnus Mundus non eſſet. Ergo ſuperiorum Philoſophorum veſtigia ſequutus Empedocles, ipſum Vniuerſum dicebat Deum, cuius quaſi particula eſſet iſte Mundus. Eſt autem Theologia Empedoclis, Deum eſſe Vnum, eſſe Immobile, eſſe ipſum Ens. Ergo de Deo dicit, quod Ariſtoteles teſtatur, Vniuerſum eſſe vnum: vt ſint duo interpretes Theologię Empedoclis, Ariſtoteles & Plutarchus. Homo igitur paruus Mundus, quoniam in eo ſint omnia breuitate, quæ magnitudine quadam in hoc mundo corporeo, ac viſibili. Simili ergo ratione Deus eſt Maximus Mundus, quia poſſidet infinita magnitudine cuncta, quæ paucitate homo. Paulo amplius, ac latius ipſe viſibilis Mundus. Vt autem mos inoleuit, vt homo appellaretur paruus Mundus, paruusque Deus, ſic Deus eſt maximus, infinitusque Deus, & Maximus quidam Mundus, tanto nomine Mundi dignior, quanto non eſt vſquam rerum perfectio, comprehenſioque maior, in quo veri ſint, inexplicabileſque theſauri, omnes infinitæ, innumerabileſque diuitiæ, tanto plures, ac maiores, quàm in hoc Mundo, quantum nequeat neque cogitatione neque ſermone comprendi. Habetque non ſolum omnia quæ Mundus iſte, Deus, ſed tum ea ipſa perfectiſſimo modo, tum infinities plura, theſauris ſuis immenſis latentia. Iure igitur ſolus Deus appellatur τὸ πᾶν, ipſa Vniuerſitas. Non enim Mundus iſte eſt vera Vniuerſitas, cum deſint ei plura: ſolo Deo comprenduntur omnia quæ ſunt, quæque eſſe poſſint, idque beatiſſimo, excellentiſſimoque modo. Mundus autem noſter, huius Vniuerſi quaſi particula. Nulla igitur eſt vox mortalis reſonare potis excedentem omnia Maieſtatem. Cumque nihil ſit Vniuerſo maius, hæc erit aptiſſima Naturæ diuinę nuncupatio. Habet fontes & origines omnium rerum, quicquid hic eſt inops, mancum, debile, caducum, fragile, eſt in eo opulentiſſimum, perfectiſſimum. Apud nos, eſt vita, eſt ſenſus, eſt tempus. In illo Vniuerſo, pro tempore æternitas, pro fragili, debilique vita, nobiliſſima, potentiſſimaque vita, pro breui particula ſapientiæ, ac ſenſus, ipſe theſaurus, fonſque ſapientiæ, conſilij prudentiæ. Illa maxima, longe, lateque manans, & omnes amplectens cauſas cauſa. Igitur omnia quæ ſunt in hoc Mundo, ſunt etiam in illo, plura quoque, & hæc & illa incredibiliter noſtris meliora. Deum autem nefas eſt intercipere cum iſto Mundo, extra quem, ſicut fuit, antequam eum condidiſſet, ſic non eſt cum

Vnus Deꝰ à cunctis confeſſus.

Lib. 1. c. 5.

Mundus nõ vniuerſum, ſed pars vniuerſi.

Nõ ita eſt: ſed appellatione vniuerſi cõprẽditur mundus & cœlũ: mũdus aũt eſt id qđ eſt infra cęlum.

Quid differant, vniuerſum & mundus. theologia Empedoclis.

Vniuerſũ & vnum, idem.

Hõ paruus mundus.

Deus, maximus mũdus.

Deus perfectiſſimꝰ.

Mundus, nõ eſt vniuerſitas.

In Deo omnia perfectiſſima.

eo, nunc commiſcendus, nec eſt in numerum rerum mundanarum referendus. Deus eſt extra Mundum, omnium penes ſe cauſas, omnes origines tenens, ſolus verus, ac maximus, opulentiſſimusque Mundus, plusque inter magnitudinem eius, atque iſtius noſtri diſtat Mundi, quàm inter microcoſmum, ipſumque magnum, ſenſibilemque Mundum. Quo fit vt iſte Mundus ſit quaſi breuiſſima quædam particula, reſpectu eius mirabilibus modis, nobiſque incomprehenſibilibus ab eo generatus, vel factus. Hocque, recitans veteris Theologiæ placita, ſentiebat Empedocles, acceptum, vt arbitror, ab Aegyptiis, qui τὸν πρῶτον θεὸν τῷ παντὶ τὸν αὐτὸν νομίζουσι ὡς ἀφανῆ, καὶ κεκρυμμένον: primum Deum, eundem cum Vniuerſo opinantur, vt obſcurum, & abditum, autore Plutarcho in eo, qui eſt de Iſide, & Oſiride.

Deum in antiqua Theologia appellatum ipſam Infinitatem. *Cap. IX.*

EXPONENDVM aliud altiſſimum ſacramentum, quo melius etiam antedicta intelligentur. Eandem enim cauſam fuiſſe conſtat, vt nomen Infinitatis, antiquis ſignificauerit ipſam Diuinitatem, & quòd imaginem Dei dicerent hunc Mundum. Quibus impenetrabile pelagus myſteriorum, vaſtaque Theologia ſubeſt. Erit igitur certiſſimus teſtis Ariſtoteles, ad quem antiquæ Sapientiæ quædam quaſi ab remotiſſimo colle ſpirantes odores peruenerunt. Noſtrum autem eſt oſtendere, quæ magnus vir operi non apta ſuo diſſimulauit, efferre in lucem. Pono autem ea, ex quibus intelligas, quid illis eſſet Infinitum. Non. n. materia prima. Nam quem Vnum, quem Ens appellabant, hunc etiam ipſam Infinitatem, ipſamq; immenſitatem. Ariſtoteles ergo primo ſuæ Philoſophiæ maioris hæc ait, ὁ δὲ μέλισσος φησὶν εἶναι τὸ ἓν ἄπειρον, Meliſſus, inquit affirmat, ipſam Vnitatem, eſſe ipſam Immenſitatem. Deinde alio loco μέλισσος τὸ ὂν ἄπειρον εἶναι φησὶ: Meliſſus affirmat ipſum Ens infinitum. Si igitur conſtat, vt negari nequeat, eos dixiſſe Naturam diuinam Vnitatem, ipſumq; eſſe, eandem autem rem vocat Meliſſus infinitum, certè palam eſt, eandem eis fuiſſe Immenſitatem, qui erat Vnitas, ipſumq, Eſſe. Eſt autem teſtis Meliſſus pro cunctis temporis ſui Philoſophis, ſed & pro omni antiquitate. Deſcendit enim ab altioribus principiis hæc Sapientia. Qui fieri autem poteſt, vt materiam vocarint Infinitatem, cum materia ſit principium multiplicitatis, infinitum autem dicebant Vnitatem? Cęterum lōgè clariſſimum eſt ac nobiliſſimum teſtimonium apud eundem Ariſtotelem alio loco. Nā cum de Infinito diſſereret, ait, καὶ πάντες ὡς ἀρχήν τινα τιθέασι τῶν ὄντων: Et omnes, inquit, antiqui, decernunt quaſi quoddam rerum principium ipſum Infinitum. Paulò autem pòſt lōgè clarius: περιέχειν ἅπαντα καὶ κυβερνᾶν ὥς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον, ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν, ἢ φιλίαν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον, ἀθάνατον, καὶ ἀνώλεθρον, ὅσπερ φασὶν ὁ ἀναξίμανδρος καὶ οἱ πλεῖστοι, τῶν φυσιολόγων. Infiniti, inquit, nullum eſt principium. Haberet enim terminum. In generabile quoque eſt, & incorruptibile, vtpote principium. Siquidem quod genitum eſt, neceſſe eſt habere finem: finis autem ad corruptionem ſpectat. Ideo quemadmodum diximus, principium eius eſt nullum, ſed ipſum omnium cernitur eſſe principium, & omnia complecti, ac regere, ſicut dicunt, qui faciunt pręter infinitum alias cauſas, vt Mentem vel amicitiam. Hancq; eſſe diuinitatem veram, immortalē, & incorruptibilem, quod fertur dixiſſe Anaximander, pluresq; è naturalibus Philoſophis. Ecce Ariſtoteles expreſſe cōfitetur, veteres dixiſſe, omnia complecti & regere ipſum Infinitum. In libro autem de Mundo, omnia regere & continere Deum fatebatur. Idem ergo, eo interprete, eſt Infinitum ac Deus. Denique nullus relinquitur dubitationi locus, cum ait hoc eſſe ipſam incorruptibilem Diuinitatem. Triaq; de infinito dicit maiores ſtatuiſſe, quæ ſoli Deo conueniunt. Eſſe Principium, eſſe Incorruptibile & Immortale, omnia continere ac regere. Teſtemque vnum vocat antiquorum Anaximandrum, in quorum numero neceſſe eſt etiam fuiſſe Meliſſum, Empedoclem, qui mundum dicebat eſſe particulam Vniuerſitatis & Infinitatis. Neceſſe eſt fuiſſe Meliſſum, qui pronuntiauit Vnum, & Infinitum idem eſſe. Neceſſe item eſt fuiſſe Anaxagoram, quem Ariſtoteles ait de Infinito dixiſſe, Stabilire, ac firmare ſeipſum, ipſumque in ſeipſo exiſtere: quique declarauit cauſam, ipſam νοῦν, Mentem. Quæ de ſolo Deo dici iure merito poſſunt. Apparet autem eos hanc Infinitatem, non corporeæ magnitudini dediſſe, ſed Diuinitati. Siquidem Ariſtoteles naturaliſſimis rationibus colligit Infinitatem eſſe ipſam Diuinitatem, idq; ait creditum & aſſertū ab antiquis. Nec verò melius quiſquam naturam Infinitatis, atque ipſe, declaret. Dicit. n. eam neceſſariò carere principio, & fine, & eſſe omnium rerum principium. Quæſo, quid ex his Ariſtotelis verbis ſequatur agnoſce. Sequitur. n. ſolū Infinitatem, i. ſolum Deum, carere principio & fine, natura. Sequitur eundem neceſſariò eſſe Deum, atq; Infinitum. Sequitur item ab eo omnia proficiſci, & gubernari, cumq; omnia continere. Id eſt, tria ſequuntur Deū, vt omnium generator, & autor, & principium, & conſtitutor, vt omnia contineat, complectaturq;, vt Græca vox oſtendit, poſtremò vt gubernet, alat, foueat, ſuſtineatq;. Hæc verò illius afflatu dicta, in quo viuimus, ac mouemur aīs, & ſentimus. Atq; Ariſtoteles referens eorū placita, ſemper addit, Videtur, Probabile eſt, vt ſibi idem atq; patribus videri & placere, prę ſe ferat. Non ſunt autem diſſimilia, quæ & ab eo, & ab antiquis de Infinito dicuntur, his quæ Plato dicit de omnium Rege, circa quem omnia dicebat exiſtere,

Apud Ariſ. quędā particulæ veteris ſapientiæ.

1. Phyſic. 3

Materia nō eſt principiū infinitatis, ſed multiplicitatis.

Lege 3. Phyſi. cap. 2. & ſeq.

Deus & infinitū, idē Ariſtoteli.

Tria de Deo ſtatuunt veteres, eſſe Principiū, Incorruptibile, Immortale.

Infinitas, ipſa diuinitas.

De Infinitate corporea, nihil apud veteres.

In Aristotelem, qui motum infinitū statuit, vt etiā Deum infinitum, & infinitę potentiæ agnoscat.

Deus immēsæ, sciētiæ, sapientiæ, potentiæ.

Psal.146.

Ierem. 33.

quòd regere, & continere deſignat. Infinitatem autem illam corpoream veteres ne ſomniauere quidem. Ariſtotelesque colligit iſto loco eum, qui principio, & fine careat, eſſe neceſſariò infinitum. Deus caret principio, & fine: infinitus eſt igitur. Itaque ſiue prudens ſiue imprudens, cum maioribus ſentit. Quod apertioribus expreſſit verbis, in libris Philoſophiæ, cùm primum motorem probat infinitum, quia niſi infinitus eſſet, infinitam mouendi vim non haberet. Si non habeat, non poſſet infinito tempore mouere. οὐδὲν ἔχει δύναμιν ἄπειρον, πεπερασμένον, Nihil enim habere vim infinitam, quod ſit finitum, ac terminatum. Neque verò de temporis Infinitate poſtremo loco dixit: Imò etiam dixit, Nam Infinitas temporis efficitur ex Infinitate Naturæ, poſſe infinito tempore mouere, eſt indefatigabilis, & indeficientis naturæ indicium. Ratiocinaturq; Ariſtoteles ex æternitate motus æternam, & indefatigabilem vim ipſius motoris. Aſt ego, ſi Ariſtoteles, ex motu infinito, quæ quidem ratio non patet quantum decuiſſet, ex longè potioribus argumentarer vim infinitam Dei. Vt ſi ei viſum eſt primum motorem, ex infinitate motus, eſſe infinitæ potentiæ, neceſſariò ſit eius indefatigabilis poteſtas, infinita ſapientia, quia regit, ſuſtinetque mundum, quia prouidet, omniaq; habet tempora in numerato. Hoc arguit eum eſſe infinitæ virtutis, infinitæ naturæ. Leuate, inquit, oculos veſtros in cœlum, & videte, quis hæc creauit. Si motus æternus, Ariſtoteli placuit eſſe infinitæ potentiæ Dei, teſtimonium, cur non ipſa pulchritudo, conſtantia, vſus? Qui eduxit, inquit Propheta, de cœlo militiam eorum, & omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque eius, neque vnum reliquum fuit. Vides quam locupletius Propheta, virtutis infinitæ teſtimonia proferat non recedens etiam à cœlo cum Ariſtotele? Ariſtoteles ſolum motum, Propheta creationem, multitudinem ſtellarum, ſcientiam earum creandarum, & creatarum. Vt ſi habet in numero, ſingulam quamq; ſtellam, vt poſſit nominatim appellare vnamquamque, id immenſæ ſcientiæ eius, & ſapientiæ ſit indicium inueniendi, creandi, ſcientiæ, quòd teneat omnia earum nomina. Quæ eſt enim alia cauſa, niſi quam veteres de infinito dixerunt, περιέχειν ἅπαντα, continere omnia? Propheta clamat multitudinem fortitudinis, roboris, virtutisque diuinæ efficere, vt ne vna quidem ſit ſtella reſidua, quam Deus non videat, noſcat, teneat, pluraq; alia inuenies in ſacris litteris produci teſtimonia ſuper incomprehenſibili infinitaque potentia Dei, vt hæc Ariſtotelis ratio ſit omnium minima, & tamen effici vult ex ea, vt Deus ſit infinitę virtutis. Conſidera enim, quò velit, nolit, trahitur Ariſtotrles. Nam quod de infinitate virtutis dicit, de primo motore dicit. At niſi ex alio colligas hanc immenſam virtutem, nihil vnicum, ac præcipuum motoris illius colliges. Nam & cæteræ Intelligentiæ (ex Ariſtotele loquor) mouent in ſempiternum. At tu argumentaris, Ideo motor eſt infinitę virtutis, quia in omne tempus mouet. At Sol, at Luna, nonne mouent æternos motus? Cur ergo de ſolo Primo prędicas infinitam virtutem, cùm & iſti proprios motus habeant ęternos? Videbas igitur aliquid peculiare, ex quo ad confeſſionem virtutis infinitæ illius Primi deueniſti, cęterorum vim ęternam conticuiſti. Tota autem ratio, eo loco tendit in Primum. Nam proſequens ait, Nobis autem ex his, quæ propoſita ſunt, & definita, dicendum eſt, Ipſum Principium & Primum omnium quę ſunt, per ſe & per accidens eſſe immobile, mouens primum, & æternum, vnicum motum. Sed ad antiquos reuertor. Dicentibus igitur illis, ab Infinito omnia contineri, & regi, & gubernari, & eſſe Principium, autore Ariſtotele, profectò de Mente & Intelligentia neceſſe eſt, eos dixiſſe, non alio Infinito vel corporeo, vel inani. Neque enim vel corpus, vel inane, habent vim continendi, & regendi. Sola ratio gubernat, ſolius Mentis hoc officium. Si igitur infinitum gubernat & adeò gubernat, vt etiam contineat, vtique & ſenſu, & intelligentia, & ſapientia pollet, ſapit, videt, cognoſcit. Cui autem poteſt merito infinitum ſapere aſcribere, niſi Deo? Cùm igitur principatus, ac gubernaculum Vniuerſi ſit ſolius Dei, hęc autem data ſunt ab eis ipſi Infinito, certè clariſſimum eſt, eos immenſitatem, ac Diuinitatem copulaſſe. Quòd apertè Philoſophus ipſe confeſſus eſt, aſſerens eos dixiſſe Infinitum τὸ θεῖον ἀθάνατον, ἀνώλεθρον, ipſam Diuinitatem immortalem & incorruptibilem.

Principiū immobile per ſe.

Corpus, vel inane, non continēdi vim.

Comprobatio eorum, quæ ſunt antè demonſtrata de ſententia priſcorum, nominibusque, quibus appellarunt ſummam Diuinitatem, ex Simplicio, qui libros eorum legit, quod retulit etiam doctiſſimus Beſſarion. *Cap. X.*

Comm. in Ariſt. phyſica.

SED operępretium eſt audire Simplicium, antiquorum Theologiam explicantem, vt omnes eorū ſuper vera, ſupremaq; Diuinitate ſententiæ noſcantur, quas Prophetarū, Apoſtolorumq; Theologiæ congruentes effuderunt, hincque ſit perſpicuum, eundem ſemper Dominum, ac Deum mundi cunctis innotuiſſe, ab vniuerſis adoratum, mundi creatorem prædicatum. Is ſuper primo de Naturalibus principiis Ariſtotelis ait: Neceſſariò inquit, vel vnum eſt principium, vel plura. Si autem vnum, aut immotum, aut cum motu ſemper. Et ſi immotum, vel infinitum, vt Meliſſus Samius dicere videtur, aut finitum, vt Parmenides Eleates videtur dixiſſe, οὐ περὶ φυσικοῦ στοιχείου λέγοντες οὗτοι, ἀλλὰ περὶ τοῦ ὄντως ὄντος, Non de naturali elemento dicentes hi, ſed de eo, quod vere eſt, μίαν δὲ τὴν ἀρχὴν ἤτοι ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν, καὶ οὔτε πεπερασμένον, οὔτε ἄπειρον, οὔτε κινούμενον, οὔτε ἠρεμοῦν Ξενοφάνην τὸν Κολοφώνιον, τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον, ὑποτίθεσθαι φησὶν ὁ θεόφραστος ὁμολογῶν ἑτέρας εἶναι μᾶλλον, ἢ τῆς περὶ φύσεως ἱστορίας, τὴν μνήμην τῆς τούτου δόξης: τὸ γὰρ ἓν τοῦτο, καὶ πᾶν, τὸν θεὸν ἔλεγεν: ὁ ξενοφάνης, ὅν, ἕνα μὲν δείκνυσιν ἐκ τοῦ πάντων κράτιστον εἶναι: πλειόνων γὰρ φησὶν ὄντων ὁμοίος ἀνάγκη ὑπάρχειν πᾶσι τὸ κρατεῖν, τὸ δὲ πάντων κράτιστον, καὶ ἄριστον, θεὸς, ἀγένητον δὲ ἐδείκνυεν ἐκ τοῦ δεῖν, τὸ γιγνόμενον ἢ ἐκ τοῦ ὁμοίου, ἢ ἀνομοίου γίγνεται. Vnum autem Principium, ſiue Vnum quod eſt & Vniuerſum, neque terminatum, neque infinitum, neque motum, neq; quieſcens, Xenophanem Colophonium, Parmenidis præceptorem ſtatuere dicit Theophraſtus, confitens alterius eſſe potius, quàm hiſtoriæ naturalis, memoriam opinionis viri huius. Siquidem Vnitatem hanc, & Vniuerſitatem dicebat Deum Xenophanes. Quem vnum quidem demonſtrabat, ex eo, quòd omnium rerum eſt optimum: Nam multis, inquit, exiſtentibus neceſſariò in cunctis eſt ſupremum. Optimum autem omnium, & præſtantiſſimum, Deus eſt. Aeternum autem, vel ſine exordio demonſtrabat, ex eo, quòd oporteat id quod fit, vel ex ſimili, vel diſſimili fieri. Sed ſimile, inquit, impaſſibile eſt à ſimili. Nihil enim magis generare, quàm generari cõuenit ſimile ex ſimili. Si autẽ ex diſſimili fieret, erit ens ex non ente. Et ſic ingeneratum, & æternum demonſtrabat, & neq; finitum, neq; infinitũ eſſe, quia infinitũ quidẽ id quod non eſt, vt neq; principium habens, neque medium, neque finem. Hæc, & alia quædam Simplicius, in quibus apertè confitetur retuliſſe Theophraſtum, Ariſtotelis diſcipulum, non fuiſſe faciendam mentionem de opinione Xenophanis in libris de Rebus naturalibus. Quippè, qui non de rebus corporeis, ex forma, & materia conſtantibus loqueretur, ſed de ſupremo ac ſingulari Deo, vt potius Theologus fuerit illic Xenophanes, quàm phyſicus Philoſophus. Quo quidem iure coarguitur a diſcipulo præceptor, qui ineptè Theologiam antiquorum cum rebus naturalibus coinquinauerit, nec intellexerit, vel intelligere diſſimularit, vetuſtæ Theologiæ bonitatem. Hic etiam cernis, vt Simplicius affirmet, Xenophani præceptori Parmenidis Vnitatem, & Vniuerſitatem fuiſſe nomina ſummi Dei. Refert item Simplicius, Nicolaum Damaſcenum dixiſſe, Parmenidem infinitum immobile appellaſſe Principium in libro de Diis, quo probatur infinitatem, & immobilitatem Deo dediſſe. Alexander item vult Parmenidem, Deum appellaſſe Terminatum, & σφαιροειδῆ, Sphæricum, διὰ τὸ πανταχόθεν ὅμοιον: quia vndique ſimile. Eumque omnia dicit intelligere ac ſentire:

Vnum, & vniuerſũ, noïa Dei, ex Xenophane. Oium optimum ac pſtantiſſimũ Deus.

Xenophanes non phyſicus, ſed Theologus.

Cur Deus terminat. & ſphęric. Parmenidi.

Ἀλλ' ἀπανεύθε πόνοιο νόου, φρενὶ πάντα κραδαίνει.

Sed ſine cura animi, res omnes mente mouere.

Quid hac Theologia diuinius, Deum ſolis nutibus cuncta mouere, omnis curæ, laboris expertem? De Xenophane quoque dicit idem Simplicius. Verùm Xenophanes inquit, ὡς πάντων αἴτιον καὶ πάντων ὑπερανέχον, καὶ κινήσεως αὐτὸ καὶ ἠρεμίας, καὶ πάσης ἀντιστοιχείας ἐπέκεινα τίθησιν: Vt omnium autor, & omnia ſupereminens, extra motum, & quietem, omnemque contrariam elementationem. Parmenides autem inquit, quod ſimiliter, & eodem modo habet, & extra omnem motationem, fortè, & operationem, & poteſtatem, Θεασάμενος ἀκίνητον αὐτὸ ἀνυμνεῖ, καὶ μόνον ὡς πάντων ἐξῃρημένον οἷον ἀκίνητον, τελέθει, τῷ πᾶν ὄνομα εἶναι: Speculatus, immutabile ipſum laudat, & ſolum, vt ab oĩbus ſegregatum immutabile exiſtit. Huicq; nomen eſſe Vniuerſitatẽ. Meliſſus verò, inquit, immutabile quidem ipſum ſimiliter conſiderabat, κατὰ δὲ τὸ ἀνέκλειπτον τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ἄπειρον τῆς δυνάμεως, ἄπειρον αὐτὸ ἀπεφήνατο ὥσπερ καὶ ἀγένητον: Secundum autem ſubſtantiæ indeficientiam, & infinitatem virtutis, ipſum infinitum, quemadmodum & ingenerabilem, pronuntiabat. Quoniam igitur non eſt factus, ἐστί τε καὶ ἀεὶ ἦν, καὶ ἔσται, καὶ ἀρχὴν οὐκ ἔχει, οὐδὲ τελευτὴν, ἀλλ' ἄπειρόν ἐστι. Eſt, & fuit ſemper, & erit, & neque principium, neque finem habet, ſed eſt infinitum. Nam ſi factus, inquit, fuiſſet, principium vtiq; habuiſſet, & finem, cępiſſet enim aliquando factus, finiſſet etiam aliquando. Cùm verò neq; cęperit, neque deſierit, ſemper erat, non habens principium neque finem, ἀλλ' ἄπειρον, ſed infinitum eſt. Atque ita inquit eum ſecundum tempus ſine principio, & fine, καὶ ἀεὶ ὄν, & ſemper exiſtens oſtendebat. Et Parmenides atteſtans eiſdem propè verbis:

Deus ſolo nutu oĩa guberna t.

Deus eſt, fuit, & ſẽper erit.

Ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστι.
Οὖλον μουνογενὲς, καὶ ἀτρεμὲς, ἠδ' ἀτέλεστον.
Οὐδέ ποτ' ἦν, οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἐστιν ὁμοῦ πᾶν.
Ταυτότε ὄν, ἐν ταυτῷτε μένον, καθ' ἑαυτότε κεῖται.
Οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει, κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη,
Πείρατος ἐν δέσμοισιν ἔχειτε μιν, ἀμφὶς ἐέργει.
Οὕνεκεν οὐκ ἀτελεύτητον, τὸ ἐὸν θέμις εἶναι:
Ἔστι γὰρ οὐκ ἐπιδευές. Quæ ſunt,

Ingeneratus erat, ſemper ſine morte futurus,
Vnicus, & totus, ſtabilis, ſine fine perennis.
Nec fuit ipſe vnquam, neque erit, quia nunc ſimul omne eſt,
Idemque exiſtens, eademque in ſorte moratus.

Sic ſtabiliſque manet, nanque illum magna neceſſi
Vis habet, aſtringens vinclis, clauſtriſque coercens.
Vnde nefas is qui eſt, includi finibus vllis,
Quem nulla vnquam rerum ſollicitauit egeſtas.

Hæc, & id genus alia Simplicius adduxit ex illis, quæ etiam producuntur à doctiſſimo Beſſarione. Dixerat autem a principio Simplicius, quod Xenophanes, & Parmenides, & Meliſſus, περὶ τῆς νοητῆς καὶ πρώτης ἀρχῆς διελέχθησαν, de intelligibili, & primo Principio locuti fuerant. Non ſcilicet principio corporeo, ſenſibili, ſed intellectuali, inuiſibili, nempe Deo ſummmo. Eumque appellaſſe Philoſophos hos Vnum, & determinatum, quia ſit infinitus, determinans omnia, perficiens, μᾶλλον δὲ τέλος τῶν πάντων ὡς καὶ ἀρχή: Imò verò finis omnium, quemadmodum, & principium. Hunc item appellaſſe Parmenidem Dæmonem, id eſt, Deum, τὴν ἐν μέσῳ πάντων ἱδρυμένην καὶ πάσης γενέσεως αἰτίαν δαίμονα τίθησι: Qui ſit in medio omnium, omnis generationis cauſa, cuius eſt carmen.

Principiũ intellectuale, & inuiſibile, Deus.

Ἐν δὲ μέσῳ τούτων δαίμων, ὃς πάντα κυβερνᾷ.
Ταύτην καὶ θεῶν αἰτίαν εἶναί φησι.

In medioque horum Dæmon, qui cuncta gubernat,

Hanc, & Deorum cauſam fuiſſe dixit. *Quia,*

Eque Deis primum cunctorum fecit amorem.

Eudorus de Deo.

Eudorus etiam referens placita vetuſtæ Theologiæ, præcipuè Pythagoreorum, ait eodem Simplicio autore: καὶ κατ᾽ ἄλλον τρόπον, ἀρχὴν ἔφασαν εἶναι τῶν πάντων, τὸ ἕν, ὡς ἂν καὶ τῆς ὕλης, καὶ τῶν ὄντων πάντων, ἐξ αὐτοῦ γεγενημένων, τοῦτο δὲ εἶναι τὸν ὑπεράνω θεόν. Quod eſt, Et ſecundum alium modum, Principium dixerant omnium rerum ipſam Vnitatem, quòd ab eo nata ſint omnia, etiã materia prima. Hunc autem eſſe ſupremum Deum. Syrianus quoque, qui fuit præceptor Simplicij, ſuper libris Metaphyſicorum collaudans, & defendens ſententias Pythagorę, & Platonis, ſic perhibet: Archænetus, & Brotinus, οἷς ἐπηκολούθησεν ὁ θεῖος Πλάτων, οἱ θεῖοι ἐκεῖνοι ἄνδρες τὸ ἕν, θεὸ ἔλεγον, ὡς ἑνώσεως τοῖς ὅλοις αἴτιον, καὶ παντὸς τοῦ ὄντος, καὶ πάσης ζωῆς: Quos ſecutus eſt diuinus Plato, diui illi viri, Vnitatem dicebant Deum, vt vnitatis rebus omnibus cauſam, omniſque rei, vitæq; autorem. Ex his igitur omnibus claret quanta fuerit apud priſcos veri, ſummique Dei cognitio, quàm ſit vera, ſuſpiciendaq; omnibus hominibus hodierna religio, quæ tanquam magna, largaq; lux exorta mundo, aperuit, poſuit ante oculos omnem, quæ per omnes ætates proceſſit ab exordio mundi, ſapientiam. Fecitq; vt noſcerentur, omnium in ore conſonarent, pueri, fęminæ callerent, quæ vix a paucis quondam ſapientiſſimis tenerentur. Sic apparet vna cunctarum gentium religio, a qua nemo ſe debeat auellere, quoniam hæc veritas ſola.

Syrianus de Deo.

Vnitas, cauſa & autor vitę omnium.

Eadem ratione dixiſſe priſcos Mundum imaginem Dei. *Cap.* XI.

Imago Dei mundus.

IMAGINEM autem Dei eſſe hunc Mundum ſæpe prædicauerunt, habetque profundiſſimum myſterium. Non poteſt enim iſto Mundo maius præter Deum cogitari. Immenſitas autem Dei, quæ nequeat intelligi, & percipi, rerum noſtrarum indiciis ſignificatur. Quòd ſi Deus eſt maximus, imò verò infinitus, certè non habet niſi Mundum ſui magis ſimile. Erit autem Mundus aptè imago Dei, ſi prius conſideres naturam rerum verarum, atque imaginum ipſarum. Si conſideremus, quid inter exemplaria interſit, primaſque ipſa res, atque earum ſimulachra. Ecce enim cùm varia multipliciaque ſunt ſimulachra, referentia ſcilicet res ipſas totas, vel earum aliquam partem, interiorem, vel exteriorem ſubſtantiam, & qualitatem, vt filij parentes ſuos. Referunt enim cum primis humanitatem, quam ab eis acceperunt, nonnunquam ingenia, ſæpe colores, ac lineamenta, geſtus item, cæteraque id genus. Sunt alia rurſum ſimulachra, ſimilitudinem tantum eorum, quæ repræſentant, reddentia, interuallumque eſt à ſimulatis ad vera maximum, ſic Mundus eſt imago Dei, reiecta quidem natura corporea: ſicut ex imagine humana in lapide, reiicis naturam lapidis, accepta tantum humana effigie. Vt in lapide, cognoſcis hominem, ſic in Mundo Deus tibi repræſentatur. Nihil enim cogitabit homo, toto Mundo maius. ſic cùm magnitudinem Dei nullis viſibilibus exemplis (quoniam infima ſunt, exiguaque omnia) poſſis colligere, apparet tibi in toto Mundo. Cogites igitu Deum ita maximam, vniuerſalemque Naturam vbique præſentem, omnia videntem, audientemque, cuncta continentem, nulla re complexum, notionemq; eius aufugiente, ſicut in mundo cuncta continentur, nihilque non eſt in eo, per omnia circumeunte, ſeſeque extendente. Quid autem cogitabis de Deo verius? quando ſi non humana mediocritas, minus item cætera animalia, terreſtres, aquaticæ, aeriæque res vllatenus, propter non modo mediocritatem, ſed cætera diſſimillima, poterunt animis eũ exhibere noſtris, vt indigniſſima ſit cogitatio, perinde ſi neſcienti leonem, quis muſcam aut formicam oſtdenderet, ſimile quiddam leonem eſſe dicens. Sic qu

Quid differant exẽplaria, & res ipſæ.

Mundus, q̃uo imago Dei.

Pulcherrima definitio.

cunque Deum alicui mundanæ rei aſſimilet, plurimum de maxima Natura detrahat: vt ſi Mundum ipſum, quis non maiorem, quàm pingi ſolet, aſſerat? Eſt igitur Deus maximus Mundus, ſicut diuerſa ratione, homo paruus. Eſt Mundus ſapientiæ, Mundus ſanctitatis, Mundus intelligentiæ, Mundus vitæ, rationum, formarum, ſed quoniam hæc inuiſibilia, & ipſe inuiſibilis Mundus, conſtans, ſi dicere fas eſt, ſed conſtans tamen ex inuiſibilibus rebus: ita quidem conſtans, vt non ex alienis, ſed ſuis, eoq; maximus unus Mundus. Proin qui prouidentiam (pauci tamen) ſuſtulerunt, Deum non putantes ſentire, noſſeque mortalia, non viderunt huius Mundi magnitudinem, nec ſenſerunt eum ita vbique præſentem, ſicut aufugere non potes, quin ſemper à Mundo videaris, contineaaris. Hac ratione, Iouis omnia plena dixerunt. Et Aratus, omnes ſemitas, vbicunque concilia ſint hominum, omne mare, portus omnes, eſſe Ioue plenos, tanquam Mundo inuiſibili, omnia inuiſibiliter amplectente. Prædicauit hoc ille, qui per cœlum, liquidumque elementum, ſidera, atque aſtra, totamque molem, ac magnum mundanum corpus immiſcere eum ſeſe dixit, aſpectans & ipſe inuiſibilis iſtius Mundi vaſtitatem, per omnia ſic inuiſibiliter pertinētem, ſicut per omnia viſibiliter diffunditur viſibilis Mundus. Eadem ratione Deum dixerunt animam per omnes mundi partes intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. Vtique per omnes Mundi partes intentus ęquat neceſſariò totum Mundum magnitudinē ſua. Mundanæ autem partes vſquequaque diffuſæ videntur, intentus per omnes partes non videtur, eſt ergo Mundus inuiſibilis, tendens per totum Mundum viſibilem inuiſibiliter. Hoc dixit Pythagoras, maiorum Theologiam imitatus, eamque prædicans poſteris. Hinc quoniam Mundus eſt imago Dei, dixerunt Pythagorei, & Plato eſt eos ſecutus, Deum, qui Mundus ipſe intelligibilis eſſet, creaſſe Mundum ipſum, vt quaſi Mundus ex Mundo ſit natus, viſibilis ex inuiſibili, minimus ex maximo, temporeus ex æterno, corruptibilis ex incorruptibili, viſibilis ex inuiſibili. Et Plato ſicut in iſto Mundo cuncta animalia viſibiliter, ſic τὰ γὰρ νοητὰ ζῶα πάντα ἐκεῖνο ἐν ἑαυτῷ περιλαβὸν ἔχει, κατάπερ ὁ κόσμος, ἡμᾶς, ὅσατε ἄλλα θρέμματα συνέστηκεν ὁρατά: Intelligibilia, vel inuiſibilia, Mundum illum in ſe eſſe complexum: quemadmodum ipſi, cæteraq; animalia, con- ineamur ab iſto. Sentiens reor inuiſibilia animalia, quæ Mundo diuino continentur, eſſe fon- es illos, origineſque rerum, quibus infinitus ſapientię diuinæ exuberat theſaurus, maximuſque ſt Mundus ille, plenus ordinum, ac rationum, plenus formarum νοητῶς, non viſibilium, ſed ſo- cogitatione, licet debiliter apprehenſibilium more diuino. Et Timæus Pythagoræus, ipſum em Deum vocat ἰνδαλλικὸν κόσμον, Mundum exemplarem, quaſi is cum illo gerat ſimilitudi- em, ſed continens iſte cuncta viſibiliter, ille, vt illi loqui ſolebant, diuinè, mentaliter, ſapien- r, intellectualiter: non ad morem iſtius, qui corporaliter, corruptibiliter, viſibiliter continet, diffunditur, ſed modo quodam ſuperiore, qui dicitur νοητῶς, per modum mentis, ſapientiæ, tione à corporibus varia. Hancq; illi diuiniſſimam creati Mundi rationem aſſignauerunt, quòd rporeus, paruuſq; mundus profectus eſt ex maximo, in quo rationes, formæ, principia, cauſæ, unt, & ſunt, origineſq; innumerabiles. Neq; enim ex nihilo factus eſt iſte Mundus, ſed factus ex iginibus in maximo Mundo contentis, ex quibus ita tanquam ſeminibus ſuis cuncta in iſto na- potuerunt, ſicut ſecreto, arcano, naturalique modo, in ſeminibus rerum, ſunt formæ earum.

Deus, quō mundus.

Quāto errore tenebātur, qui diuinam prouidentiam tollerent.

Arat. ī phęnomenis.

Deus, aīus per omnes mūdi partes intentus.

Mūdus ex mundo.

E diuino mūdo oīa viſibilia oriri.

Mundus exēplaris.

Deum apud veteres, Deorum eſſe creatorem. *Cap. XII.*

POSITIS his, quibus diuinæ Naturæ maieſtas, vnitas, principatuſque cognoſcitur, eo quoque ab antiquis confeſſo, rerum omnium eum eſſe creatorem, non viſibilium ſolum, ſed etiam inuiſibilium, id eſt, animorum, ac Deorum: neceſſariò vnicam eius Diuinitatem, vniuſq; veram, & ex omni parte immortalitatem, apparebit eos etiam eſſe confeſſos. Nam quod ſapientiſſima, cœlituſque miſſa Theologia, diuino benefi- o clariſſimè cognouit, Deum ſolum ab æterno fuiſſe, Deos autem, id eſt, diuiniores animos, n aliquando creaſſe, vt qui reperit tantam animorum Diuinitatem, teneat neceſſariò rerum ctarum principatum, quoniam anteſtat Diis, eorumque eſt, ſicut & noſter, Deus, & creator, s autem atq; animis nihil eſt in omni mundo melius, eadem illis audita, & confeſſa, præcipuè lioribus eorum probatur. A quibus ſententia dependet cęterorum. Referunt enim omnes ad entiores. Sunt autem ſine dubio ſapientiſſimi Orpheus, Heſiodus, Empedocles, Plato. Or- us clariſſimè teſtatur, ab eodem ſimul, eodem tempore generata ſiue creata omnia, nulla re, de Mente eius non profecta ſit, excluſa. Nam ad filium, quem creatorem mundi formato- que orbis ſuſpiceret, hortabatur, hanc veluti ex oraculo profudit vocem:

Μοῦνον δ' ἐξόρα κόσμοιο ἄνακτα τυπωτὴν,
Εἷς δ' ἐστὶ αὐτοτελὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Et ſolum regem formatorem aſpice mundi.
Vnicus ac ſibi perfectus, ſunt omnia ab vno.

e Orpheus, & ſingularem vocat eum mundi Regem, & vnum dicit eum eſſe, quo ſuperiora ia comprobantur. Deinde vocat per ſe perfectum, à ſe perfectionem, complementumque

Deus viſibilium, & inuiſibiliū creator.

Deus ab æterno ſolus: Dij vero .i. animi diuiniores creati.

Sapientiſſimi ex veterib. qui.

habentem, Denique dicit ab vno cuncta eſſe progenita, nihil non eſſe prolem eius, tanquam omnium rerum matris, ac genitricis ſapientiæ. Connumerari autem in hac ab Orpheo prolata vniuerſitate non terreſtria ſolum, quorum Vnitas fuerit autor, ſed etiam cœleſtia, id eſt, Deos ipſos, aut Angelos, ſi quis forte dubitet, liquido Theologorum, qui ſunt Orpheum ſecuti, teſtimonio cognoſcet. Nam etſi Orpheus ab vno cuncta nata dicens, Deos ipſos non expreſſerit, Empedocles tamen & Heſiodus expreſſerunt. Sed etiam expreſſit ab illo ſummo Deo, Deos omne creatos, dicit enim de eo Proclus, ἀπὸ τοῦ κρυφίως ὄντος θεοῦ τὰ πάντα: καὶ ἀπὸ τούτου, πάσ ὑφίστησι τὰς δευτέρας τάξεις τῶν θεῶν: Ab arcano, & ſecreto Deo cuncta, & ab iſto producit ſecundos omnes ordines Deorum. Vidiſti igitur Empedoclem, interpretantem carmen Orphei quo breuiter dixerat πάντα ἔκγονα ἑνός, Omnia ſata ab vno. Quænam enim ſunt illa omnia Nempe, vt ait Empedocles, ἐξ ἑνός, vt ſuperius productum eſt,

Ab arcano Deo creati alii Dii, quid. Omnia ab vno creata;

Quæ fuerint, quæ ſint, quæ poſt ventura trahantur,
Et plantæ viruere, mares & fœmina queque,
Atque feræ, volucreſque, habitanteſque æquora piſces.
Longæuique Dei.

Empedocles de creatione rerum.

Ab vno hæc omnia parta dicit Empedocles, includens in hoc catalogo etiam Deos nominatim Ecce quàm ſimiles ſunt Empedocles & Orpheus, imò ſuperioris Orphei, tempore poſterior, interpres Empedocles. Ille dixit. Omnia ab vno generata, Empedocles quaſi per inductionem, præterita, præſentia, futura, plantas, homines, feras, volucres, piſces, poſtremo Deos etiam, vt clari quiddam, quàm Moſes, locutus ſit Empedocles de creatione. Nam Moſes cęlum & terram, plantas, hominem, maſculum & fœminam, ſicut Empedocles, beſtias item, feraſque tum volucre & piſces ait Deum creaſſe, de Diis ne verbum quidem. Non enim omnia ſcripſit Moſes. Et a eiſdem tamen parentibus ſparſa eſt in omnes cognitio rerum diuinarum, à quibus accepit Moſes, & Hebræi, licet etiam Spiritu diuino doctore ſit vſus. Hæc profectò mira, eandem totius humani generis fuiſſe ſemper pietatem teſtantia, ſi quis eam contaminare dogmatis impijs noluiſet. Cùm igitur Empedocles eodem modo, eodem verbo, dixerit Deos ab vno pullulaſſe, atq omnia terreſtria, videlicet, ἐβλάστησε, apparet eandem creationis rationem, idem tempus cunctis eum attribuere. Neque enim poſſunt (ſi forte quis deprauare, quod facere ſoliti ſunt nonnu Peripateticorũ, dicta eius conetur) Deos ab eo dictos naſci à Deo, quaſi per continuam depēdentiam. Nam dixit de cunctis ἐβλάστησε. Et dixit in quodam tempore, includens ſub eadem ratione, ac tempore, terreſtria ac Deos ipſos. Ecce igitur, quod diuiniſſima vociferatur Theologia noſtra, omnis Theologiæ, ſeſe per terras diffundens latiſſimè, pelagus, Creatorem viſibilium & inuiſibilium. Eadem verò hæc apertè confeſſus eſt Heſiodus, quaſi ſecutus Orpheum, totamq; illius temporis Theologiam. Quippè clariſſimè ſcripſit ad fratrem, vt omnino perſuaderet ſibi:

Non omnia ſcripſit Moſes.

Peripatetici deprauãt interdum dicta Empedoclis.

I. ἔργων.

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ, θνητοί τ᾽ ἄνθρωποι.

Sunt homines, Dÿque vna ab radice creati.

Nam Græci interpretantur illud ὁμόθεν, ex vna radice, ex eodem principio, origine, eodem fonte Deo. Nihilque prorſus diſſentit Heſiodus cum Orpheo, & ex vtroq; locutus eſt Empedoc Ecce & ab ipſo datur eadem origo Diis, atque mortalibus. Quòd ſi interpreteris ὁμότεν, Sim vt dicat ſimul, eodemque tempore natos Deos, atque mortales, eadem erit, clarior etiam confeſſio, vt mirabilis ſit eorum Theologia, quæ perſpicuè fateatur, quæ Moſes aut tacuit, aut di mulauit de generatione Deorum. Hæc tria teſtimonia diuina prorſus, & admiranda, ſacram ſcorum ſæculorum Theologiam ſpirantia, reuelata ſiue cœleſtibus oraculis, ſiue diuinorum hominum, Deoque amiciſſimorum traditione ad poſteros: Tres antiſtites veteris ſapientiæ, cætera multitudo loquentes audiebat, dictiſque ſtabat eorum, vociferantur ab Vno cuncta viſibilia, & inuiſibilia, Deos & homines, cæleſtia & terreſtria, eandem originem, idem naſc tempus omnibus fuiſſe. Igitur etiam Plato ſecutus hæc ipſa, quibus ſemper fauit, pectuſq; ditiſſimè ſuum locupletauit, de rerum terreſtrium creatione locutus: poſtremo tranſiens a ſos Deos, quos, patrium morem ſequutus, non ex ſuo, vt poſtea docebo, pectore nominibus ticis appellat, nihilq; altius de his, præter vulgata apud plebem diſſerit, omnes eos docet à tore mundi creatos. Ac ſunt apud eum, patrio more, populoque grata loquentem, duo g Deorum, primum Intelligentiæ cæleſtes, de quibus diſſerit in Timęo, & in Epinomide: ſe dum quos appellat obſcuros, non ita videlicet apparentes, ſicut ſidera. Hos ſecundos etiam monas dicit, de quibus eiſdem locis agit. Vtrunque igitur fatetur creatum ab illo ſuo mun opifice, idque non obſcurè. Nam primum Deorum genus clarè ſcribit ab opifice illo cre millies idem diuerſis verbis repetens, aſſerens totum ordinem cęleſtem, eius opificis eſſe tum, qui corpora diuina crearit, eiſque diuinas animas inſeruerit. Eoque dicit: Vt inquit ſet clariſſimum, ac pulcherrimum ętherium corpus, reddens id vniuerſo ſimile, circulare ex igne fermè totum. Idq; genus verbis vtitur Plato ſæpiſſimè. Ac paulò antè, de generib mantium loquens, μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος. Vna, inquit, ſpecies eſt cęleſte Deoru

Laus Orphei, Heſiodi, Empedoclis.

Plato more vulgari & poetico loquutus de Deo.

Dęmones.

Con

Concludensque ſuper his orationem, περὶ θεῶν ὁρατῶν καὶ γεννητῶν εἰρημένα φύσεως, ἐχέτω τέλος. Quæ, inquit, de viſibilium, ac genitorum Deorum natura dicta ſunt, finem habeant. Ecce eos genitos, id eſt, creatos dicit, ſicut loqui ſolent Philoſophi. Alterum autem genus quomodo factum, ſiue genitum ſit, difficile explicatu aſſerit. Genitos eos tamen ab eodem opifice clarè confitetur. Nam proſequens inquit: De Dæmonibus dicere, & eorum noſſe natales, maius eſt, quàm facultatis noſtræ. Credendum eſt autem eorum filiis, qui ſe ab eis natos dixerunt. Sic igitur habeat noſtra opinio, de ortu iſtorum Deorum. Paulò poſt, Poſteaquam igitur, inquit, omnes, qui circumuagantur vrbes, & qui perſpicuè cernuntur, vtcunque velint, ortum habuere Dii, hæc, qui creauit hoc Vniuerſum, ad eos affatus eſt, Dij Deorum, quarum ego rerum opifex, & pater extiti, quoniam à me factæ ſunt, certè me volente, diſſolui non poſſunt. At omne, quod eſt ligatum, eſt diſſolubile. Verum quod pulchrè compactum eſt, beneque habet, deſtruere, non eſt probi. Ob quam cauſam, quoniam facti eſtis, immortales vos quidem non eſtis, prorſusque indiſſolubiles. Attamen non diſſoluemini, neque mortalem conditionem ſubibitis. Quoniam voluntatem meam, vinculumque maius, & fortius aſſecuti eſtis, quàm erant ea, quibus ligabamini, quando creabamini. Paulò poſt: Tranſite igitur ad animalia creanda, μιμούμενοι τὴν ἐμὴν δύναμιν περὶ τὴν ὑμετέραν γένεσιν, Meam imitantes potentiam, qua ſum vſus in creandis vobis. Hæc apertiſſimè Plato, ſæpe, & clarè confitens, ortum vtriuſq; generis Deorum, natos omnes aſſerens à creatore mundi. Vocat autem hoc ſecundum genus, Deos Deorum, filios ſcilicet Deorum, quoniam rædixerat eos natos ex cœlo, & terra: quaſi Deos ex Diis. In quorum numero cenſet Tetyn & Oceanum natos ex cęlo & terra, ex his Phorcyn, Saturnum, Rheam, cæterosque omnes: Ex Saturno, & Rhea, Iouem, Iunonem, aliosque. Apparet eum omne Deorum genus, ſiue illos è Philoſophia, ſiue poeticos à creatore mundi, confiteri ſatos: Et ſatos eodem atq; viſibilia, reliquumque mundum, tempore. Nam ſimul omnium tradit creationem. Sic extant quatuor grauiſſimorum priſcorumque hominum teſtimonia, de creatione Deorum ab opifice mundano. Et obſerua quòd quem Orpheus, & Empedocles dixerunt Vnum, platọ vocat δημιουργὸν, Opificem, Creatorem: Anaxagoras Mentem: Idem Plato αἴτιον, Autorem, Cauſam. Quibus conſtat eundem creaſſe inuiſibilia, atque viſibilia. Hunc autem fuiſſe Filium Dei, nomina ipſa, vt ſæpe docui, declarant. Nam Mens eſt poſt ſummum Bonum, Secundum Principium, eadem Opifex, & Autor eiſdem appellata. Reuertor igitur ad initium, ex his inclareſcere, creatorem Deorum ſolum eſſe ſempiternum, ſolum immortalem, ſolum omnipotentem, vt qui Deos ipſos crearit, quorum tanta eſt poteſtas. Et principatus, maieſtas illius vnius oſtenditur. Tum claret, quæ fuerit hominum ſapientum illius temporis religio. Apparet eandem fuiſſe, paucis demptis, atque poſterorum ſeculorum, ſed à vulgaribus, nonnulliſq; nimium poeticè loquentibus de Deo, deprauatam. pparet eos vni duntaxat dare principatum, ęternitatem, cętera omnia creata confiteri.

Ab opifice Deo creati angeli, ſed dicere qũo, non eſt noſtræ facultatis. Dii Deorum.

Diigeniti.

Quòd vnus tantum maximus Deus, ideoque ſolus æternus. *Cap. XIII.*

EX HIS etiam conſtat non fuiſſe apud eos plures Deos, ſed verum Deum, & in quem vnum competat verum Diuinitatis nomen, vnum modò: Quidquid aliud inoleuiſſet, corruptam vulgi conſuetudinem fuiſſe. Tribus autem hoc probo rationibus: vna ex Platone, altera ex Platone & Iamblicho, demum ex Stoicis. Siquidem Plato luculentiſſimè, vt ſuperius claruit in Timæo, Deos illos, quos multitudo coleret, mones eſſe, id eſt, Deos minores infimumque Deorum genus oſtendit, quibus Deus, nemcreator mundi, eodem ipſo teſte ſupereminet. In his autem minoribus Diis, eſt ad alios Iupiquē etiam neceſſe eſt, & docuit ipſe, ab Opifice mundi fuiſſe creatum. Cùm autē eſſet Iupiter ximus Deorum, docente Platone, id perinde eſt, acſi diceres maximum Dęmonem, primum æmonibus, quos omnes à creatore mundi condidit Plato. Ecce igitur Iupiter ille nominatiſſis, ex infimo genere Deorum, creatus a creatore mundi: itemque Saturnus, Iuno, cęteraque orum illius temporis familia, vt ſolus creator & opifex Platoni ſit Deus maximus, verus, & gularis iuxta ſuperiores. Quòd ſi, vt ego quidem arbitror, Iupiter eſt maximus Deorum, id eſt, Dæmonum ſolùm, ſed totius mundi creator (quod cùm eſſet nomen ſummi, & ſingularis, attributum eſt poſtea homini nefario filio Saturni, quem veluti Dæmonium, id eſt, miſtum umanitate, & diuinitate introduxit Plato, eumq; vulgus hominem fecit, & vocauit ob quæbeneficia, Deum, nomine ſcilicet diuiniſſimo, Iehouah, quo paſſim apud antiquiſſimos voatur Deus, ſicut Dios, & ζεὺς, apud Græcos) etiam hac ratione docemus, vnum ſingularem m eos cõfiteri, cęteros autem quos Deos dicerent, ita dixiſſe, ſicut in noſtra religione dicuntur Angeli Dij, quaſi Dij minores, Dij facti, creati, veram omnipotentemque Diuinitatem non entes. Nam quod Homerus vocat Iouem ὕπατον καὶ ρειόντων, Deorum ſupremum, imperam Deorum, ab Ariſtotele, naturaliter, & à Platone, à Iamblicho, & à Plutarcho exponitur, d ſit maximus Deorum, idque naturaliter, non poeticè. Hunc ipſum enim hypaton, Ariſtoteles affirmat mundi rectorem, viuificatorem: deq; eo dicit, τὴν μὲν ἐν ἀνωτάτω καὶ πρώτην, αὐτὸς ἔλαχεν, ὕπατος δὲ διὰ τοῦτο, ὠνόμασται: Supremam, inquit, mundi partem, primamq;

Tribus argumentis, vnitas Dei ꝓbatur. 1. Dii dæmones,

Deus maximus ac ſingularis. Saturnus Dæmon. Iehoua, Deꝰ, Dios. ζεὺς.

Angeli, Dij, minores. Iupiter quomodo Deorum maximus.

regionem obtinet ipſe Deus, eamque ob cauſam vocatus eſt hypatos. Hæc de quodam naturali veriſſimoque Deo dicuntur, quem neceſſariò ſentiebat Homerus, cum diceret ὕπατων καὶ ρειόντων, ſummum dominantium: & Deus ſabaoth, id eſt, exercituum cœleſtium. Qua ratione ſicut nobis Rex eorum dicitur, quia creator, non quia ſempiternis ei s, maior ipſe præſidet (Nam in æternitate non eſt maius, & minus) neceſſariò, & illi eadem ſenſere. De qua re clarè locutus eſt Plutarchus: τὸ γὰρ ἄνω καὶ πρῶτον ὕπατον οἱ παλαιοὶ προσηγόρευον: πρότερον δὲ ὅμηρος τὸν θεῶν ἀρχόντων ἀρχονταθεὸν, ὕπατον καὶ ρειόντων προσεῖπε. Quæ ſunt: Supremum, & primum Hypaton vocarunt priſci. Prior autem Homerus Principem principum, ſiue Imperatorem imperantium Deum, vocauit Hypaton regnantium. Principes Plutarchus vocat Deos ipſos, qui in noſtris litteris Angeli, δυνάμεις, ἐξουσίαι, Poteſtates, Dominationes. His omnibus, quod & noſtri dicunt, eſt Deus. Itaque Plato in libris de Republica, εἰδ' οὖν θεούς, μήτοι, τόν γε μέγιστον τῶν θεῶν τολμῆσαι οὕτως ἀνομοίως μιμήσασθαι. Quod ſi, inquit abſurdum ſtatuimus, Deos apud poetas audire lugentes, multo minus maximum Deorum. Maximum Deorum Iouem vocat. Et Iamblichus μία μὲν ἀρίστη παράκλησις εἰς τὴν θείαν εὐδαιμονίαν, ἡ μεμιγμένη ταῖς εὐχαῖς, καὶ ἀνακλήσεσι τῶν θεῶν, καὶ μάλιστα τοῦ βασιλέως αὐτῶν Διός. Vna, inquit, conſolatio ad diuinam felicitatem, quæ miſta eſt in vocationibus Deorum, maximè regis eorum Iouis. Quoniam igitur eſt Deus maximus cæteri minores, profectò ſi bene conſideres, illius maximi eſt æternitas. Eo enim eſt maximus, quòd ipſe ſolus ęternus; Si cunctorum æternitas eſſet, alter altero maior non eſſet. Eademque poteſtas faceret omnes maximos, & omnipotentes, quæ feciſſet æternos Non enim ſi Naturam inſpicias, à ſumma Diuinitate ſeparata eſt æternitas. Cui fuit æternum eſſe, fuit etiam vt poſſet vocari Ioues, quod eſt ab eſſendo perpetuo. Et vnus tamen eſt Ioues, vel Iupiter. Hæcque ratio ducitur ex fontibus Naturæ: vt ſi vnus maximus, ille certè ſolus æternus. Vnus eſt igitur maximus Deorum, eorumque creator. Cui rei etiam Dæmon ipſe, quem ſcire plurima nomen indicat, perhibet teſtimonium. Igitur & Stoici ſimilia prodiderunt, aſſeruerunt que. De quibus in contradictionibus Plutarchus: ἥλιος μὲν γὰρ καὶ σελήνη, καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ παραπλήσιοι ἔχοντες λόγον, γεννητοί εἰσιν, ὁ δὲ Ζεὺς ἀΐδιός ἐστί: Sol, inquit, Antipater Stoicus, & Luna, cæterique Dij huiuſmodi rationem habentes, creati ſunt omnes, ſolus autem Iupiter æternus. Claret igitur Philoſophorum opinio de Ioue ſummo, ſolo, ſempiterno Plato quoque in Cratylo, declarat, quid valeat nomen Iouis. Alij, inquit, vocant eum Ζῆνα, Alij Δία. Quæ ſi conponas, δηλοῖ τὴν φύσιν τοῦ θεοῦ: declarant naturam Dei, οὐ γὰρ ἐστὶν ἡμῖν, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ὅστις ἐστὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν, ἢ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων: Non enim, inquit, eſt nobis cæteriſve cunctis, qui magis ſit cauſa vitæ, quàm Princeps, & Rex omnium. Vult igitur Plato Iouem dictum Zena, à Gręco Zen, viuere. Quemadmodum ſcimus ab eſſendo vocatum Hebraicè, Iehouah, qui forte eſt Ioues. Agnoſcunt igitur eundem eſſe Iouem, atque Deum. Qui dictus eſt ab Ethruſcis quorum ſermo, & litteræ fuerunt Hebraicæ, nomine Hebraico Ioues, cum priſci paulo poſt diluuium, per omnes terras diffunderentur, probaturque ex tribus linguis eundem eſſe Iouem, atque Deum. Dicitur Hebraicè Iehouah, Græcè Dios, Dios Græcè, Deus Latinum, Iehouah Hebraicum, Iouis Latinum, illud Latinum Deus. Declarat idem vel id Iouem eſſe Deum. Diuus Paulus vocat teſtem Aratum apud Athenienſes: In quo inquit, viuimus, & ſumus, quemadmodum quidam è poetis veſtris dixit, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: Huius enim genus ſumus. Subiicitq; Paulus: Genus igitur cum ſimus Dei. At illud Aratus de Ioue dixerat, ſic opus exordiens,

In æternitate nihil maius, & minus.

Homerus de Deo. Plut. Deos Angelos vocat.

Iambl. de Deo, & angelis.

Vnus De⁹ & ſolus æternus. δαίμον, quaſi δαήμον D. Auguſt. ciuit. Dei 9. cap. 20.

Quid deū Ζῆνα, vel Δία, veteres appellarint.

Nomen Dei apud varias nationes.

Aratus initio, φαινομένων. Act. 17.

> Ἐκ Διὸς ἀρχόμεθα, τὸν οὐδέ ποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
> Ἄρρητον, μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ
> Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα.
> Καὶ λιμένες, πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
> Τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν.
> *Ab Ioue principium facimus, quem dicere nunquam*
> *Ceſſant ore viri: Ioue nam ſunt omnia plena.*
> *Atque hominum cœtus implet, ſimul æquora ponti,*
> *Et portus: Ioue mortalis nanque indiget omnis.*
> *Eius enim genus extitimus.*

Eſt igitur Iupiter ac Deus idem, & is ſolus æternus, cæteri Dij creati. Homerus item quantum & antiquitate, & ſcientia cæteros Deos Iuppiter antecedat, illo carmine oſtendit, quòd à Platonicis etiam affertur:

> Ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει, καὶ πλείονα ᾔδη:
> *Iuppiter ante alios, & longe plurima cernens.*

Declarat etiam Proclus Iouem iuxta priores eſſe principium, & finem Vniuerſi: ὅτι μὲν οὖν ὁ Ζεὺς μονάς ἐστὶ παντὸς, καὶ πλήθους ἐγκοσμίων θεῶν, καὶ ὅτι πάντας καὶ παράγειν ἀφ' ἑαυτοῦ δύναται, καὶ ἐπιστρέφειν εἰς ἑαυτὸν, εἴρηται πολλάκις. Quòd Iupiter, ait, Vnitas ſit Vniuerſi, etiam multitudinis

Iupiter, & Deus, idē.

Iupiter, q̄d Proclo.

nis mundanorum Deorum, & quòd omnes & à ſe producere, & ad ſe conuertere poteſt, dictum ſæpius. Plato verò: αὐτοὶ δὲ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν δία τῶν θεῶν ἄριστον, καὶ δικαιότατον. Hierocles quoque Pythagoreus ſic ſcribit, τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ δὲ τοῦ παντὸς, ἔθος ἦν τοῖς πυθαγορείοις τῷ τοῦ διὸς, καὶ ζηνὸς ὀνόματι σεμνύνειν, δι' ὃν τὸ ζῆν, καὶ τὸ εἶναι πᾶσι.

Oraculum Apollinis de Deo, & de creatione Deorum. Cap. XIIII.

POST Philoſophos igitur non ab re fortaſſe ſit audire Dæmonum quoque Theologiam, & arcanas quaſdam Diuinitatis laudes. Nullus erit, cui vel ſummis labris latices ſapientiæ Natura potandos dediſſet, qui non miretur Dæmonum præclaram Diuinitatis, poteſtatiſque diuinæ confeſſionem: Vt à Dæmone Mortalis, ſi quis eſſet tam profundè durus & peruicax, ad cultum Dei, vel inuitus trahatur. Adducitur hoc oraculum non à Chriſtianis, ſed a Porphyrio Chriſtianorũ hoſte, decimo libro ἐκ λογίων φιλοσοφίας. Rogatus Dæmon quomodo Deus colẽdus & rogãdus eſſet, cũ negare nõ poſſet, hæc diuina carmina profudit:

Dęmonũ oraculum de Deo vero vnoq;

Ex Porphyrio.

Ἀθάνατε, ἄῤῥητε πατὴρ αἰώνων, μύστα,
Κόσμων ἀμφιδρόμων ἐποχούμενε, δέσποτα νώτοις
Αἰθερίοις, ἀλκῆς ἵνα σοι μένος ἐστήρικται
Πάντ' ἐπιδερχομένῳ, καὶ ἀκούοντι οὔασι καλοῖς,
Κλῦθι τεῶν παίδων, οὓς ἤροσας αὐτὸς ἐν ὥραις,
Σὴ γὰρ ὑπερκόσμοντε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Χρυσῆ ὑπερκείται πολλὸ αἰώνιος ἀλκὴ,
Ἧς ὕπερ ἠώρησας, ὀρίνων φωτὶ σεαυτὸν,
Ἀενάοις ὀχετοῖς τιθήνων νοῦν ἀτάλαντον,
Ὅς ῥ' ἀκύει τόδε πᾶν, τεχνώμενος ἄφθιτον ὕλην,
Ἥν γένεσις δεδόκηται, ὅτι σφε τύποισιν ἔδησας
Ἔνθεν ἐπεισρεέουσι γοναὶ ἁγίων μὲν ἀνάκτων,
Ἀμφίσε παντόπατορ, βασιλεῦτε, καὶ μόνε θνητῶν.
Ἀθανάτωντε πάτερ μακάρων, αἳ δὲ εἰσὶν ἀτέρθεν
Ἐκ σέω μὲν γεγαῶσαι, ὑπ' ἀγγελίῃσι δὲ ἕκασται
Πρεσβυγενεῖ διάγουσι νόῳ, καὶ κάρτεϊ τῷ σῷ.
Πρὸς δέ τι καὶ τρίτον ἄλλο γένος ποιήσας ἀνάκτων,
Οἵ σε καθ' ἦμαρ ἄδουσιν ἀνυμνείοντες ἀοιδαῖς
Βουλόμενον ῥ' ἀεθέλοντες ἀοιδιάουσι δ' ἐς ὧδε.
Τύνη δ' ἐσσὶ πατὴρ, καὶ μηρτέος ἀγλαὸν εἶδος,
Καὶ τεκέων τέρεν ἄνθος ἐν εἴδεσιν εἶδος ὑπάρχων,
Καὶ ψυχὴ, καὶ πνεῦμα, καὶ ἁρμονία, καὶ ἀριθμός.

Hæc carmina quoniam difficilia ſunt, & ipſa dogmata facilius oratione ſoluta intelligentur, non reddam, quod alibi feci, totidem carminibus, ſed oratione ſoluta. Immortalis, ineffabilis, Pater æterne, ſacer, ſuper mundis circunuertentibus inuectus, dominator in campis ætherijs, vbi poteſtati tuæ robur eſt defixum: indeque omnia deſpicis, pulchris, & auribus audis: exaudi filios tuos, quos dilexiſti ad omne tempus. Tua enim ſupra mundum, & cœlum ſidereum, aurea ſupereminet, magna, æterna poteſtas. Super qua eleuaris, ſplendore te ipſum excitans, perennibus riuis, nutriens animum infinitum. Qui producit hæc omnia, formans materiam indeficientem, quam generatio circumuagatur, quoniam illam formis obligaſti. Ex eodem animo fluxerunt genituræ ſanctorum regum, qui te circunſtant Pater vniuerſalis, & Rex, & ſingularis, mortalium, immortaliumque beatorum Pater. Quæ quidem ſeorſum ſunt ex te natæ, nuntiis autem ſingulæ præfectæ, æternæ Menti referunt, tuæque potentiæ. Præterea tertium quoddam genus Regum creaſti, qui te ſemper canunt, carminibuſque laudant volentem te, ipſi cupidi, prædicantque nunc & ſemper. Tu es pater, & matris præclarum exemplum, & filiorum tener flos, exiſtens forma in omnibus formis, & anima, & ſpiritus, & concentus, & numerus. Hæc oraculum, altiſſimæ Theologiæ myſteria. Quanta cum ſuperioribus concordia? Vocat eum Patrem, Regem, Motoremq; cęli, Mundos circumuertentes, orbes cęleſtes appellans. Eius eſt de motu cęleſti verior, quàm Philoſophorũ ſentẽtia, Deũ Patrem hominũ atq; Deorum, vitam, ſalutem, non vnum tantũ primũ mobile, ſed vniuerſos orbes incitare. Non ab homine dicitur, ſed a Dæmone, quos à ſciendo vocatos autor Plato, multo maiora, longeq; plura cognoſcẽtes, quàm mortales. Ecce Dęmon it Deum ſuperuehi, ſuperferri, ac portari, mundis ἀμφιδρόμοις, circumrotantibus. Mundos appellans omnes cæleſtes orbes, quorum quiſq; ſit inſtar mundi: Quòd ſi ſuperuehi, non refertur ad motũ, & impulſum cęleſtẽ, ſed ad ſedem, ſtationemq; Dei ſupra cęlo in altiſſimis cęli regionibus: entiet tamẽ oraculum quædã diuina gubernacula, quaſdã habenas, quibus vt equus a quadriga,

Mundi, orbes cęleſtes

cœleſtes orbes agantur, inſidente deſuper Deo, ſub pedibus omni cœleſti ſe machina vertente.
Ac cæleſtes orbes rotatos gyranteſque memorauit, vt rectorem, moderatoremque agnoſceres.
Eſt in noſtris litteris, Dominum eſſe in cælo, ſedem eius ibi conſiſtere. Oraculum autem in campis
ætheriis regnare, ac dominari, præcipuè cæleſti regno commemorato, quòd illa ſit optima mundi
Matth. 6. pars. Et nos paternæ Sapientiæ, magnorumque myſteriorum nuntius orare docuit, Pater noſter
qui es in cælis. Ecce & Dæmon veritatem abſcondere non potens Patrem hic eum cæleſtem
vocat, ſicut & ſuperiores omnes. Pater æternus, primum Filij ſui, tum rerum creatarum. In cælo
pulcherrimum, ampliſſimum, fortiſſimumque eius regnum florere canit. Inde mortalia cernere,
diſtet licet longiſſimè., Dæmones fatentur, vſque in terras, oculos eius tendere, omnia diuinis
auribus eum exaudire. Quæ ſanctis oraculis noſtris, infinities prædicantur. Quod verò ſequitur,
quàm diuinum? homines introducens tanquam filios eius orantes, quod ipſe quoque docuit,
Pater noſter, Deus. Pater noſter. Nos vti filios introducit oraculum: Filius Dei iubet nos eum appellare Patrem
noſtrum. Fatetur item Dæmon amari nos ab ipſo omni hora, nullam eſſe beneuolentiæ,
paternæque charitatis interpollationem. Nunquam illum nos amando defatigari. Rurſum iterat
poteſtatem eius auream, & pretioſam florere ſupra cœli vertigine, vbi ſit eius æterna, immenſaque
maieſtas, qua ſublimatus ipſe ſit ſupra omnia, luminis in pelago, lucemque habitans inacceſſibilem.
Riuos autem æternos, quibus, immenſum, ſuum nutrire animum dicit, ſentiendum
eſt, tum ſapientiam eius infinitam, gaudiaque magna mentis ſuę, tum quod dicebat Ariſtoteles,
cognitionem Dei de ſeipſo, cognoſcentis bona ſua, & ex eo voluptatem infinitam capientis,
innumerabiles item rerum ſpecies, & Ideas continentis, quibus natus eſt, & naſci potuit iſte mundus.
Idcirco ſtatim adiecit, infinitam Mentem iſtam produxiſſe. Quo loco, quæſo, ſublatis
animis, arrectaque mente ſimus. Vt enim ſuperiores diuino quodam, & quaſi ex aula cæleſti
allato conſenſu prædicant ſimul, ex eodemque fonte natos Deos, atque mortales, cæteraque
quibus mundi vaſtitas efficitur, ſic Dæmon diuinè, ex illa infinita Mente parta vniuerſa, nominatim
Ab vniuerſi opifice ꝓducta omnia. Deos ipſos, eorumque genera appellans. Laudat igitur eum primum Vniuerſi opificem,
formas materiæ perenniter affigentem, eamque renouantem aſſiduis figuris, circum quam verſetur
ſemper generatio. Quod ſæpe proditur a Philoſophis, materiam ſubiacere formis, nunc
vni, nunc alteri, inuicem ſuccedentibus. Deinde tradit ex hac eadem Mente, fluxiſſe Prolem regum
Reges ſancti, angeli. ſanctorum. Reges ſanctos angelos vocat. Sanctos, quoniam ab omni terreno contagio
ſegregati. Reges autem, quoniam his maxima poteſtas, ciues, Heroeſque regni cęleſtis, exercitus
Filij Dei, duces, & principes omnes, poteſtates etiam, autoritateſque noſtris in litteris, rectores
item hominum, ac prouinciarum vocati. Mirabiliter item docet, quid faciant in cœlo, totoque
mundo. Aſſiſtunt, inquit, tibi ſemper, circunſtant dextra, læuaque frequentes thronum
Eſa. 6. Dei. Eſaiaſque vidit Dominum ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & Seraphin: non duo, cum
ſit ibi numerus multus, ſed innumerabilem Seraphinorum, ſolium Dei circunſtantium, multitudinem.
Tob. 12. Et ſæpe fatentur illi ſe conſpectibus Dei aſſiſtere. Et Raphael dixit Tobiæ, Ego enim
ſum Raphael vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Ob hanc cauſam, cum in hac commemoratione
Dæmon eſſet, iteratò confitetur eum Patrem omnipotentem, non eorum tantum,
qui terras, ſed etiam qui cœlum incolunt, in immenſum genus humanum multitudine ſuperantes.
Horum omnium Patrem eum & Regem dicit. Iteratoque confitetur eos natos, id
eſt, creatos a Deo, eodem vſus atque Orpheus, Heſiodus, Empedocles, verbo, γεγαῶσαι. Et quod
diuinius eſt, declarat munus eorum, qui ſunt præfecti nimirum nuntiis, quo primò fuere apud
Officiũ angelorum quòd antiquiſſimos Hebræorum vocati Malachim, miſſi, nuntij: & Græcos hæc ſecutos, Angeli. Quia,
inquit Dæmon, pręfecti ſunt ἀγγελίῃσι, Angeliis, nuntiis: referuntque omnia, inquit, Menti φρο
βυλινεῖ, ęternę, magnæ, venerandæ. Tum tertium genus eorum nominat, quaſi qui ſunt nunti
Angeli & Archangeli. præfecti, ſint duo genera, Angeli ſcilicet, & Archangeli: tertij autem aſſiſtunt, quanquam etia
omnes, laudantes, clamantes, Sanctus ſanctus, idque cupidè, libenter, ſicut ille voces eorum libenter
audiat. Mireque concordant hæc cum Theologia Dionyſij, ſuper tribus Hierarchijs Angelorum,
Dęmonibus ipſis, qui ſæpe abſtruſa multa confeſſi ſunt, prædicata. Repetit iterum eum e
Patrem, eſſe inſtar optimæ matris. Sic enim etiam Græci locum intelligunt, quòd patris, ac matris
charitatem oſtendat erga nos Deus, & quòd condeſcendat per humanitatem, dulcedinemqu
paternam, ac maternam, quam tenerum florem dixit. Deinde cum cæteris omnibus ſuperi
Anima vniuerſi. nominatis Theologis, appellat Animam Vniuerſi, & Spiritum, ſicut & ille, Spiritus intus ali
Eoque etiam eſt Anima mundi apud Philoſophos. Appellat Harmoniam, & Numerum perinde
vt Pythagoras κρᾶσιν, Temperamentum, quaſi moderamen, gubernaculumque totius. E
ſicut Pythagoras eum ψύχωσιν, ſic Dæmon ψυχὴν vnde omnia viuunt, & intelligunt, intelligentiarum,
ac vitarum fons. Hæc qui preſſius conſideret, mirabitur Dæmonibus etiam confeſſ
cum priſcis Theologiam.

Aliud ex eodem, de Deo, diuiniſque rebus, teſtimonium. *Cap. XV.*

Aliud oraculum dæmonis de Deo vero.

ALIVD eiuſdem oraculi præclarum, admirabileque de ſumma Diuinitate, teſtimonium, quo maxima declaratur altiſſimæ Theologiæ pars¦. Rogatus à quodam Theophilo, an ipſe Deus eſſet, Reſpondit ad hunc modum:

Ἔσθ' ὑπὲρ οὐρανίου κύτους, καθύπερθε λελογχὼς,]
Φλογμὸς ἀπειρέσιος κινούμενος ἄπλετος αἰών.
Ἔστι δ' ἐνὶ μακάρεσσι ἀμήχανος, εἰ μὴ ἑαυτὸν
Βουλὰς βουλεύσῃ πατὴρ μέγας, ὡς ἐσιδέσθαι,
Ἔνθα κε οὐδὲ αἰθὴρ φέρει ἀστέρας ἀγλαοφεγγεῖς,
Οὔτε σεληναίη λιγυφεγγέτις αἰωρεῖται.
Οὐ θεὸς ἀντιάει κατ' ἀταρπιτὸν, οὐδ' ἐγὼ αὐτὸς
Ἀκτῖσι συνέχων ἐπιδίναμαι, αἰθεροδινής.
Ἀλλὰ πέλει πυρσοῖο θεοῦ περιμήκετος αὐλὼν,
Ἕρπων εἰλυμύει ῥοιζούμενος, οὐ μὲν ἐκείνου,
Ἁψάμενος, πυρὸς αἰθερίου δαισίετις ἦτορ.
Οὐ γὰρ ἔχει δαίην, ἀζηκεῖ δ' ἐν μελεδηθμῷ,
Αἰὼν αἰῶσι ἐπιμίγνυται ἐκ θεοῦ αὐτοῦ,
Αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος,
Οὔνομα, μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων.
Τοῦτο θεός, μικρὴ δὲ μερὶς θεοῦ ἄγγελοι ἡμεῖς.

Hæc cum & ipſa perobſcura ſint, ſoluta oratione reddam. Eſt ſupra cęleſti vaſtitate, deſuper fulgor, motus, immenſum æuum. Eſt autem inter beatos inæſtimabilis, incomprehenſibilis, niſi ſeipſum, conſilia, conſiliet Pater magnus, vt videatur. Hic neque æther fert ſidera nitentia, neque luna obſcuræ lucis attollitur. Non Deus occurrit per ſemitam, neque ego ipſe, radiis continens, amplectens ſpargor, per æthera volutus¦. Sed eſt flammæ Dei immenſa profunditas, repens voluitur rapidè cum ſtrepitu. Non tamen qui illum tetigit ignem ætherium, timidus cor. Non enim habet ardorem, ſed placida combuſtione, ſæculum ſæculi miſcetur ex Deo ipſo. Per ſe genitus, indocibilis, ſine matre, inconcuſſus, cuius nomen ſermone non capitur, in igni habitans. Hoc Deus, exigua verò; pars Dei, nos Angeli. Hæc oraculum Apollinis, quo tota ferè traditur in aures hominum Theologia. Primum deſcribit locum ¦ſanctiſſimæ Diuinitatis, vt Ariſtoteles etiam cęlum dicit eſſe οἰκητήριον τοῦ θεοῦ, in libro de Mundo. Hunc locum ¦ſupra cęleſti locat immenſitate, ſupra cęleſtes orbes, extra anni, Solisque vias. Hic eſſe largiſſimam lucis copiam, mundum lucis viuentis, vegetæque ſemper. Hic æuum infinitum, id ſcilicet quod eſt ſupra tempus. Supra tempus, quod ex cęleſti motu colligitur, eſt ipſa æternitas, dicta Græcè αἰών, quia ſemper fuit. Illic æternitas, illius infinitæ lucis ætas. Nec dubium eſt, quin hæc immenſa flamma, ardorque ſempiternus ſit quod apud priſcos Theologos, quos poſtea noſtri ſunt ſecuti, dicitur Cęlum empyrion, id eſt, igneum. Nam & ipſe Dęmon appellat eum φλογμὸν, ardorem, & πυρσὸν, facem. Dicit item Deum habitare ἐν πυρὶ, in igne, vnde ἐμπύριον. Hoc Cęlum empyrion, eſt claritas æterna, flagrans à Diuinitate. Ea quoque deſcriptio Cęli empyrij, Illic neque Solem eſſe, neque Lunam, neque aſtra, genus cęli diuerſum, alia lumina, alia lux. Ad eam noſtra hæc ne lucerna quidem videri poſſe. Ioannes illo in regno, diuinaque regione, neque Solem eſſe, neque ſidera, eſſe autem Chriſtum Solem eius. Similia mirabili conſenſu locutus eſt Homerus, approbaturque vehementer ab Ariſtotele Olympum dictum quaſi ὁλολαμπῆ, totum ardentem, nomen ſcilicet Empyrij, de quo ſcribat Homerus,

Cęlum diuinitatis locus.

Aeternas, αἰών.

Cœlū, Empyræum.

Olymp' vnde dictus.

Οὔλυμπόνδ' ὅθι φασὶ ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ,
Ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται ἀλλὰ μαλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἀναδέδρομεν αἴγλη.

Venit Olympum, vbi ſedes diuum dicitur eſſe
Immota, hæc vento haud quatitur, nec ſpargitur hymbre,
Non nix decidit, aſt ſplendor puriſſimus albet,
Et ſine nube nitor, campos hic occupat omnes.

lucem, ignemque illum non eſſe, qualis noſter abſumens, ¦ſplendorem eſſe tranquillum, lætum, puriſſimum, per terras latè micantem. Hunc ſplendorem ſi quis ex Homero, & Ariſtotele, qui dicta probat eius, percunctetur, vnde nam emanet, dicent non a Sole. Nam Sol exurit, nec ſupra cęleſtes orbes. Ergo genus aliud luminis. Ergo veriſſimum eſt, quod conſentaneè noſtræ quoque Theologiæ dixit oraculum, lucem illam infinitam, camporumq; admirabilem, lętamque ſerenitatem, manare ab ipſa Diuinitate, Solis ipſius creatricem immenſam. Hunc igitur locum,

Genus luminis cæleſtis.

Aeterna lux beatis.

Virgil. 6. Aeneid.

Matth. 11.

Ad vnum cauſam ortus oſum reuocādus

Sapientia Dei oritur a fonte ſuę naturæ.

1. Tim. 6.

Nos ſum⁹ exigua dei portio. Naſci & creari Philoſophis idem.

Omnia immortalia & immutabilia in cælo ex Ariſtotele.

vbi tanta lux apertè cernitur, appellat ardorem, facem, flammam, ignem, dicens eam eſſe αὐλῶνα ἀδιμήκετον, vallem immenſam luminis, regionem lucis vaſtam: Eſſe æternam hanc lucem in medíis beatis, circunſtant enim dextra, læuaq; frequentes. Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſq, morari. Hæc beatitudo, θεωρία, contemplatio diuinitatis, quam Dæmon tanquam vnus è ſupernis Angelis hic prædicat, dicens Deum videri nõ poſſe, appellansq, eum Patrem, niſi ipſe voluerit. Nam & Filius apud nos, Nemo, inquit, videt Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Deinde hanc lucem eſſe ſuauiſſimam, manantem à Deo ſemper. Deſcriptaque habitatione, & loco ſummi Dei, deinde loquitur eum, declarans quæ de Natura diuina fas ſit ab hominibus noſci. Eum primò vocat αὐτοφυῆ, per ſe ortum, a ſe natum. In quo latitat ſublime myſterium. Vt enim ad vnam primam cauſam omnium rerum ortus reuocatur, ibiq; deſinit, vt non ſit progreſſus ad infinitum, ſic naturæ eius, bonorumq; ſuorum cauſa deſinit in ipſum, quoniam nõ habuit aliunde, quod habet, qui maior eſt omnibus. Eſt autem, ne fallamur, ortus eius ex ipſo æternus, quod iſto nomine declaratur. Si enim nulla terrena creata res, fieri ex nihilo, i. a nulla cauſa potuit, multo certè minus ipſe Deus. Quòd ſi Deus aliquando non exiſtens, natus eſſet ex ſeipſo, fuiſſet Deus, antequam eſſet: efficiturq; ſi Deus natus eſt ex ſeipſo, vt hæc natiuitas ſit æterna, vt & ſemper fuerit a quo naſceretur Deus. Semper enim oportuit id antecedere, à quo natiuitas diuina ex ſe ipſa proficiſceretur. Nam quod non erat, nihil poterat producere. Aſſeris autem eum, à quo natus eſt Deus, anteceſſiſſe, quia dicis ab eo Deum pullulaſſe. Duæ igitur ſunt cauſæ, cur hoc nomen, αὐτοφυὴς, altiſſimè deſignet æternitatem: quia cum non poſſit naſci, nec tu confitearis Deum ex nihilo natum, ſemper habuit à quo naſceretur Deus. Iam ſi quando fuiſſet tempus, cum Deus non eſſet, ſed poſtea ex ſe ipſo natus, neceſſariò fuiſſet Deus, quando non eſſet. Ex quo efficitur, vt quoniam cætera dicimus a Deo nata, Deum autem natum a ſe ipſo, cæteræ quidem res, quibus aliena a ſe ipſis cauſa fuit, eſſe quidem ſinę cauſa non potuiſſe, cauſam autem ſine eis, a quibus nihil dependeret, potuiſſe. Vt autem res ſine cauſa ſua Deo, naſci nõ potuerunt, ſic Deus ſine cauſa Deo, nunquam potuit eſſe. Nunquam igitur poterat Deus naſci, niſi Deus prius affuiſſet. Hoc autem in ęternum. In æternum igitur natus eſt ex Deo Deus. Hanc neceſſariam, naturaliſſimamq́ue conſecutionem, non vidit ille, qui cum de natiuitate Dei loqueretur, Verum quia, inquit, fieri non poteſt, quin id, quod ſit, aliquando eſſe cęperit, natus eſt ex ſe ipſo. Error quidem euidentiſſimus. Significauit igitur & æternitatem, & maieſtatem ſupra omnes, quia nullius indiget Deus, potens à ſe ipſo cuncta bona pentere Dæmon. Siquidem ſi a ſe ipſo habet ſeipſum. Deo autem nihil eſt melius, vtique vniuerſa ex ſe ipſo habet. Hinc efficitur etiam illud Ariſtotelis, eum in cognoſcendo ſe ipſo, eſſe beatum. Nam ſi ex ſe habet eſſe, vtique etiam beatitudinem vitæ ſuæ, omniaque naturæ ſuæ bona. Vt autem dixit vitam eius ex ſe ipſo proficiſci, ſic etiam ſapientiam, cum eum appellat ἀδίδακτον, non edoctum, quaſi videlicet αὐτόσοφος. Nam cum ſit ſapiẽtiſſimus, & vt Paulus μόνος σοφὸς, eius autem ſapientia non ſit aliunde, oritur certè a fonte naturæ ſuæ. Sic eum dicens ἀμήτωρ, ſine matre, declarat tum æternitatem, tum quoniam prædicat eum ex ſeipſo natum, non eo modo natum, quo ſolent ea, quæ apud nos naſcuntur, & quæ cauſam in aliis, cur naſcerentur, habuerunt, ſed diuino, & ineffabili modo, quoniamq́ue ei dedit æternitatem, æternamq́ue bonitatis ex ſeipſo dependentiam, efficitur vt ſit incorruptibilis, & immutabilis. Quia qui fuit ſemper, altiſſimam, optimam, eminentiſſimamq́ue naturam ſibi ſuppetens, non habet a quo oppugnetur, corrumpatur. Quapropter vocat eum ἀςυφέλικτον, inconcuſſum, immobilem, incorruptibilem. Hoc, inquit, eſt Deus, hæc natura diuina. Habitat lucem inacceſſibilem, vt ait Apoſtolus, eſt æternus, per ſe genitus, non more noſtro, eſt incorruptibilis. Nos autem Angeli (omnes enim ſunt Angeli, boni ſcilicet & mali, Philoq́ue Iudæus confitetur, quos Moſes Angelos vocet, Dæmones a Philoſophis appellari) ſumus exigua Dei portio, non videlicet per transfuſionem ſuæ in nos Diuinitatis, ſed quaſi quædam ſcintillæ, quę ex luce Diuinitatis ſuæ micuerunt. Ille maximus, ſolus, ſolus æternus. Intelligentiæ verò quædam quaſi particulæ diuinæ, quædam ſcintillulæ, natæ ex illo, vel productæ (Nam naſci Philoſophis eſt creari) ſpirituali quodam modo, ſoli Deo, neſcio an & illis noto. Et vt ait Philo, νῦς ἀπόσπασμοι θεῖον, Mens quædam diuina abſciſſio. Ex his conſtat, tum quid ſit Natura diuina, tum apparet Dæmones confiteri, creatos etiam Deos ab illo. Demonſtratur etiam cęlum empyrium, locusq́; ſupra ſideribus, quem etiam Ariſtoteles duobus in locis, in libro de Mundo, & primo de Cęlo, eſt confeſſus, his verbis: Extra cęlum oſtenſum eſt, neque eſſe, neque eſſe poſſe corpus, claret igitur quòd neque locus, neque vacuum, neque tempus, eſt extra. Ideo neque in loco, quæ illic ſunt, exiſtunt, neque tempus ea facit ſeneſcere. Neque eſt vllius vlla mutatio eorum, quæ ſupra extremam vertiginem conſiſtunt. Sed immutabilia, & indolentia, optimam agunt, opulentiſſimamq́ue vitam, omne æuum. Ecce Ariſtoteles per numerum multitudinis, res neſcio quas extra cęlum collocat, ſed præcipuum id Diuinitatis eſt regnum, cuius fecit, clemẽtia ductus, alios animos participes. Latiusq́ue explicuit Dæmon illum locum, & melius quàm Ariſtoteles, vterque tamen diuinè. Vterque florere ibi vitam, optimam beatitudinem ac ſupremam. Nam quod Ariſtoteles per neutrum genus dixit, nolens explicare τὰ ἐκεῖ, quæ ibi. Dæmon expreſſe dixit, μάκαρας, beatos. Et ipſe paulo ſuperius Ariſtoteles ab eo loco πᾶν τὸ θεῖον. Vtque Dęmon ἄπλετον αἰῶνα, ſic Ariſtoteles ibi locat æuum immenſum.

Aliud oraculum de Deo, locisq́ue cæleſtibus, quòd Deus fons, principium, creator omnium, inſcrutabilis: quòd nemo peccans eum lateat: quòd omnia proſpiciat. *Cap. XVI.*

ALTISSIME quoque Philoſophatus eſt velut cęleſtis præco, Dęmon, de Natura diuina rogatus, afferens eadem atque ſuperius.

Ἔσθ' ὑπὲρ οὐρανίου πυρὸς ἀφθίτου, αἰθομένη φλὸξ,
Ζωογόνος, πάντων πηγὴ, πάντων δὲ καὶ ἀρχή.
Ἥ τε φύει μάλα πάντα, φύουσα τε πάντ' ἀναλίσκει.
Αὐτοφανὴς, ἀλόχευτος, ἀσώματος, ἠδέ τ' ἄϋλος,
Κεῖθεν δ' ἐξελάων σὲ περὶξ σφαιρηδὸν, ὄλυμπον
Ἔνθεν δ' αὖ τυτθὴ διαείδεται αἰθέρος αὐγὴ,
Ἥλιος, μήνη, καὶ τείρεα φωτίζουσα.
Ταῦτ' ἐδάην, ἔμαθον τε νόῳ, τὰ δὲ λοιπὰ σιωπῶ
Φοῖβος ἐὼν, σὺ δὲ παύου, οἷς μὴ θέμις ἐξερεείνων.
Εἵνεκα σῆς φυσικῆς σοφίης τὰ δ' ὑπὲρ τερα νωμᾶν.

Dæmonis reſpõſum rogati q̃d Deus.

Quæ & ipſa non carmine, ſed ad verbum reddam.

Eſt ſuprà cæleſti igni, incorruptibilis, ardens flamma, vitalis, omnium fons, omnium quoque principium, Quæ & producit omnia, & producens omnia abſumit, Ex ſe apparens, inlocabilis, incorporeus, immaterialis. Illinc circum olympum diffunditur in orbem. Hinc rurſum paruus promicat ætheris ſplendor, Sol, Luna, & aſtra accendens. Hæc noui, didiciq; mente, cætera vero taceo, Phębus exiſtens. Tu verò deſine, quos nefas ſit ſcrutari, propter tuam naturalem ſapientiam, ſuperiora veſtigare. Ecce iterum meminit illius immenſæ lucis, quam ſuperius ignem, facem, flammamq́ue vocarat, nunc etiã flammam, à diuo quoq; Paulo nuncupatã lucem inacceſſibilem. Ab omni Philoſophia Cęlum empyrion, flammeum, ardens. Hãc flammam, quæ quemadmodum a Sole manat a Diuinitate, ſupra cęleſtem nitorem, vt paulò antè, & vt Homerus, & Ariſtoteles, ſupra ſidera, ſupra motus cęleſtes locat. Duo diuina myſteria, primo de nitore illo ſempiterno, tum de loco, ſi locum eum dicere fas eſt. Hanc quoque lucem, ſeu flammam, vocat vitalem, omnium rerum fontem, & principium. Deum videlicet ipſum extra cęlum, motuſq́ue cęleſtes. Hoc rerum Principium dicit omnia producere, atq; abſumere, fortaſſe, quod ait Dauid. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerẽ ſuũ reuertentur. Dominus necis & vitæ, auferens quæ dediſſet, ſi voluerit: In eandem cũ placuerit, oĩa potens redigere vanitatem, qua fuerunt antequam conderentur. Hoc ſentit oraculum, clamans eum ſicut vitarum repertorem omnipotentem, ſic omnipotentem mundi, rerumq́; oĩum euerſorẽ, ſi vellet. Ad cuius conſpectum oĩa contremiſcunt. Qui tangit montes & fumigant nutu tremefacit olympum. Hæcq́; multo de ſumma Dei Omnipotentia maior prædicatio, quàm motorem eum dicere cęleſtem. Multo.n. potentius eſt, omnium vitarum, omniſq́; mundi euertendi habere poteſtatem, quàm machinam cęleſtem, leuem illam quidem, & vi ſua incitatam mouere poſſe. Ingreſſus deinde de natura eius dicere Dæmon, prædicat eum αὐτοφανῆ, per ſe apparentem, ſpectans infinitã illã immenſamq́; lucem. Eſt.n. per ſe apparens, per ſe lucens à ſe, a fonte ſuo, è theſauris Diuinitatis, maieſtatis ſuæ lucem diffundens. Radians a ſe ipſo, non aliena lucerna, habens inſitam magnã maieſtatis ſuæ claritatẽ. Eoq́; ſemper ardet, tãquam Sol cæleſtis, illius magnæ Diuinitatis imago. Item eum vocat ſine loco, incircunſcriptum, quia videlicet infinitus, immenſæ maieſtatis, nullo loco potens intercipi. Inlocabilẽ itẽ, quia incorporeus, & immaterialis, extra mũdum, omnemq́; locũ & tempus. Vaſtitas igitur immenſitaſq́; eius incorporea, nullo loco capiẽda. Non eſt infinitus corpore, ſed mente, ſapientia. Secundò, tribuit ei motum per totum olympum: dq; ad illam flammam, diuiniſſimumq́; ſplendorẽ referas, pandentem ſeſe circunquaq;, cunctaq́, complectentem, per totam olympi vaſtitatem. Quantus eſt.n. olympus, cum terræ, quæ centri in toto Vniuerſo habent rationem, ſint vaſtæ, ingentes? At olympum cunctis orbibus ſublatum, in immenſum terra latioribus, quantum eſſe par eſt? Hũc circum ſancta, amęna luce complet Deus, nulluſq́; eſt locus, ſi locum illic eſſe fas eſt, quin à ſplendore ſacro contingatur. Ex hac largiſſima luce, aſſerit accenſa lumina cæleſtia, Solem, Lunamq́;. Teſtatur idem Iudæus Philo, Platonicorum eximius, Ideã omnis lucis, & fontem, theſaurumq́; nitoris Deũ, παναύγειαν, omniluminem, luminoſitatẽ dicens, deducẽs ab ea, corporum cęleſtium, omniumq́; rerum lucem. Hæc diuiniſſima lux cit corpora cęleſtia, & præ qua Sol tenebræ ſunt, & caligo, facile potuit cæteris rebus dare nitorem. Prædicat oraculum, hanc ætheriã, Solis, Lunæ, aſtrorumq́; lucẽ, eſſe τυτθὴν, exiguã, paruã, minimã, obſcurã. Reputa igitur, quanta ſit illa diuina claritas, cui ſcintilla quædã eſt lux ſolaris, omniumque ſiderũ collata. Hæc, inquit, ſunt quæ de Deo mihi ſcire datum. Hæc vidi & noui. Et fortaſſe dicat ad hunc modum. Cum ad illã claritatem venturus eſſem (vtinam mea ſcelera non obſtitiſſent) oblata mihi fuerat, & vt præmium propoſita. Vidi eam aliquãdo, ſed procul, vidi animo.

1. Tim. 6.

Pſal. 103.

Pſ. 103. & 143.

Deus habet poteſtatem euertendi mundi.

Deus αὐτοφανὴς.

Magna Olympi capacitas.

Deus, idea lucis omnis.

Scrutandũ ſunt arcana Dei.

Cætera taceo, non licet homini loqui. Sunt enim arcana verba, i. arcanæ res, quas tu quoque abſiſte ſcrutari, quas te ſcire nefas. Noſter Theologus, Non licet: Dæmon, οὐ θέμις, Nefas eſt, Deſine ſcrutari, amorem compeſce quærendi. Nec fas eſt, quo tibi compares ſcientiam, quam vti naturalem poſſideas, arcana rimari cæleſtia. Tenes, quæ teneri de Deo potuiſſent. Rogatus item an quis peccans, Deum latere poſſet, reſpondit: D

Deũ nihil latet.
Ex Porphyrio ἐκ λογίων φιλοσοφίας.

Οὐδεὶς ἂν λήθοι τοῖς θεὸν, οὐδὲ σοφοῖσι
Κέρδεσιν, οὐδὲ λόγοις ὑπεκφύγοι ἄλκιμον ὄμμα.
Πάντα θεοῦ πλήρη, πάντη θεὸς ἐστεφάνωται.
Πάντα ζωογονῶν, ὁπόσα πνείει τε καὶ ἕρπει.

Quæ ſunt, Nemo profecto, qui talis eſt, Deum latere poſſit. Neque ſagacibus dolis, aut verbis acerrimum oculum ſubterfugiat. Omnia plena Deo, Deus vbique vagatur, omnia viuificat, producitque quæcunque ſpirant, & inambulant. Ecce quæ de vno ſingularique Deo prædicat Dæmon, ſunt ea, quæ de Anima mundi, Poeta diuinus:

Virg. 6. Aeneid.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Virgil. 3. ecloga.

Is Deus vbique eſt, omnia viuificans, dans omnibus quæ viuunt, & mouentur, vitam, & motum, portans omnia verbo virtutis ſuæ. Eiusque ſunt omnia plena. Eoque is eſt quem dixit Aratus, & eum ſecutus Poeta, Iouis omnia plena Non alicuius videlicet fictitij, ſed veriſſimi, naturaliſſimi Dei, de quo, velut diuinus Theologus hæc edit oracula Dæmon, prouidentiæ diuinæ magna confeſſio, quam nulli peccantes poſſint effugere. Idem atque illud in ſacris litteris: Si aſcendero in cęlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Quanta inter vtrunq; oraculum concordia? Dęmon oculum Dei ἄλκιμον, Fortiſſimum, robuſtiſſimum, acerrimum, omnia contuentem, terras, cęlum, marę colluſtrantem. Quantumuis item artificioſa malitia, doliſque te circuntegas, quantumuis abſcondas, oculos eius non poteris effugere: Quiduis loquaris, dicta, factaq; omnium ſunt in conſpectu eius. Illud Philonis ἀκοιμήτῳ ὀφθαλμῷ βλέπει πάντα, peruigili oculo cũcta cernit. Qui enim fieri poteſt, quin illi ſint cuncta nota, qui vitas omnes, menteſque cogitatrices finxit prior? En illa Pythagorę ψύχωσις: Et Pauli, Genus cum ſimus Dei, in illo mouemur, & ſumus. Vniuerſa, inquit oraculum, complectitur. Oraculum verè mirabile, omnipotente veritate, claros ex omni loco radios iactante. Omnis enim lingua confitetur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Rogante quoque ſacerdote, quęnam religio plurimum maximeque foret ſuperſtes, iniecit miranda de Diuinitate, vt viſum ſuperius. Vtinam ne me nunc ſupremò, ac nouiſſimè interroges, infelix ſacerdos, de diuino Genitore, deque chara, & vnica prole Panomphęi regis: Et Spiritu, Qui continuatim continet omnia, Montes, terram, flumina, mare, tartarum, aerem, ignem. Qui me nolentem, domibus ab his repellet, Moxque linquetur deſertum limen iſtud oraculorum fundendorum. Panomphęum regem cęleſtem dicit, quòd ei cuncta oracula concinant. Panomphęus eſt, cui πᾶσα φήμη, omnis fama, ſiue oraculum canit. Huius, quem etiam diuinum Genitorem dixit, nominat vnicam Prolem. Sonat enim Gręcè τηλύγετος, aut dilectum, aut vnicum Filium. Spiritum quoq; nominat diffuſum per omnia, de quo Marcus etiam Tullius, eum per omnia pertinere, perinde vt oraculum, & per omnia cõtinuatum, ſicut hic βοτρυδὸν affirmat, ex fontibus antiquę Theologię hęc ad verbum de rerum pulchritudine, concentuque loquens: Hęc, inquit, fieri, omnibus concinentibus inter ſe mundi partibus, profectò non poſſent, niſi ea vno diuino, & continuato ſpiritu continentur. Bene igitur etiam Dęmon locutus. E

Pſal. 138.
Deus omnia videt.
Act. 17.
Panõphę˚ rex, Deus.
Vnica proles, τηλύγετος.
1. Tuſcul.

Quòd Iupiter ſit Deus ille verus, magnus, Dæmonis oraculo: quòd eius poteſtas, omnibus veneranda: quòd ſolus ille ſapiens, largitorq; ſapientiæ: & quòd hæc oracula, verè ſunt à Dæmone edita Philoſophorum *teſtimonio.* *Cap. XVII.*

Aliud reſpõſum dęmonis.

EVNDEM eſſe quoq; Iouem, ac veriſſimum, naturalemq; Deum, quęque de Ioue dixit Aratus, & Homerus, eſſe de ſingulari Deo, Dæmonis etiam teſtimonio probatur. Rogatus de æterno Deo, reſpondit, addens de interitu ſuo:

Ἦν Ζεύς, ἔστι τε νῦν Ζεύς, κ᾽ ἔσσεται. ὦ μεγάλε Ζεῦ,
Οἴ οἵ μοι χρησμῶν ὑπολείπεται ἠριγένεια.

Alio in loco, vehementer ingemiſcens:

Οἴ οἵμοι τρίποδες στοναχήσεται, οἴχετ᾽ ἀπόλλων
Οἴχεται, ἐπεὶ φλογόεν με βιάζεται οὐράνιον φῶς.

Erat Iupiter, eſt nunc, & erit, o magne Iupiter, Hei mihi deficit oraculorum claritas. Hoc illud in ſacris litteris, Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, & in ſæcula. Heu heu Tripodes plangite, obit Apollo. Obit, quoniam flammans cœleſtis lux, vim adhibet: lucem ſupra cęlo mirabilem, vocat Deum. Et de ſuo vaticinatur interitu. De Byzanto quoque qui condidit Byzantium, contra eum, qui eum æmulabatur, cuidam pro eo ſciſcitanti reſpondit:

Vaticinatus de ſuo īteritu dæmon.

Ἔργεο καὶ παλίνορμος ἐπείγεο, καὶ λέγε ταῦτα,
Οὔτι γε φοῖβος ἄνωγεν ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι
Κείνῳ γὰρ θεὸς αὐτὸς, ἑὴν ὑπερέσχετο χεῖρα.
Ὃν καὶ γῆ τρομέει, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Πόντος τ', ἠέλιός τ', ἠδ' ἠέριον χάος αὐτό.

Quæ ſunt, Excitare, & reuerſus feſtina, & dicas iſta, Non te Phœbus ipſe iubet fortiori viri depugnare. Illi enim Deus ipſe ſuam porrexit manum, Quem & terra tremit, & cęlum deſuper patens, pontuſque, ſolque, & tenebroſum Chaos ipſum. Nihil abſcondit de Deo: prius regionem, claritatem, creationem etiam Deorum prædicauerat, nunc vniuerſalem præſentiam. Noſtris igitur in litteris etiam extat, Tremunt poteſtates, tremunt videntes Angeli. Ecce nunc omnia tremunt ad nutum eius, vaſtitas olympi, terra, pontus, Sol inſuper, & ipſa tartara. Tremunt autem omnipotentem, tremunt, cùm voluerit, venientem. Nam mons Sina tremebat, & fumigabat, & horror erat maximus in caſtris Hebræorum. Talis vbique terror foret, ſi ipſe vellet, & ſeſe quantus eſt oſtenderet, quantum eum cęlicolæ cernunt. Meritoque vident, & obſtupeſcunt, horrent, & lætantur ad tantum numen. Serapis quoque in oraculo de ſapientia eius in cęlo florente, prædicans eius largitatem:

Cælicolæ horrēt, & lætātur numen Dei.

Serapis de Deo.

Τόσση ἀπείριτος σοφίη βασιλῆος ἐπ' οὐδῷ
Ἀθανάτου, κεῖνος δὲ δίδοι, καὶ δῶρον ὀπάζει.

Infinita, inquit, ſapientia verſatur in limine Regis immortalis, Ille dat, & munus largitur. Vocibus igitur humanis, & vocibus Dæmonum decantata, apertaque eſt Theologia. Quæ ne quenquam è noſtris confinxiſſe ſuſpiceris, ad ſunt ipſi Philoſophi teſtes. Nam præterquam, quòd ſuperiora oracula produxit in libris ſuis Porphyrius, in eo quoque, quem Plutarchus inſcripſit, Cur Pythia deſierit oracula fundere metrice, & Plotinus, Proclus, aliique Platonici, qui paſſim Apollinis oracula proferre ſolent, declarant his oraculis fidem ſe habuiſſe, & Dæmonem veluti declaratorem rerum abſtruſarum hominibuſq; ignotarum, eis fuiſſe. Affert igitur eo libro Plutarchus oraculum, quo Dæmon ſingularem Deum eſt confeſſus, & prædicauit eum moderatè, & iuſtè indulgentem. Rogatus à quodam, qui peccauerat, an vlla ſceleris eſſet indulgentia, reſpondit: ἅπαντα ἀναγκαῖα συγχωρεῖ θεὸς, οὐ μὴν ἀλλὰ δοὺς, ἄντις, ὡς οὐδὲν ἄνευ μέτρου: omnia neceſſaria concedit Deus, veruntamen ita largiens, vt nihil immodicè. His Dæmon, & Deum vnum nominat, & clementem prædicat, vſquequò iuſtitia poſtulet. Oraculum autem, quod affert Proclus, eſt altiſſimæ Theologiæ declaratio, ſimile Propheticis oraculis. Dicit ergo Proclus ſuper Timæum: οὕτω δὲ καὶ τὰ λόγια τὸν μέγιστον τοῦτον θεὸν, πηγὴν πηγῶν προσαγορεύει, καὶ μόνον ἀπογεννῆσαι τὰ πάντα.

Dęmon rerū abſtruſarum declarator.

Deus iuſt⁹ ſed moderatè.

Oraculū ex Proclo, de Deo.

Ἔνθεν, ἀδὴν θρώσκει γένεσις πολυποικίλου ὕλης,
Ἔνθεν συρόμενος πρηστὴρ ἀμύδρου πυρὸς ἄνθος,
Κόσμων ἐνθρώσκων, κοιλώματα, πάντα γὰρ ἔνθεν,
Ἄρχεται, εἰς τὸ κάτω τείνειν ἀκτῖνας ἀγητάς.

Itaque, inquit, etiam oracula, maximum Deum, fontem fontium hunc appellant, & ſolum eum vniuerſa genuiſſe. Dicit enim de poteſtate eius;

Exilit hinc rapide variantis materiæ ortus,
Hinc rumpit iubar, & flos omnis debilis, ignis.
Mundorumque globi, nanque hinc ſunt omnia nata,
Hincque micant radij, & mundo mirabile lumen.

Audis oraculum, cuncta ab altiſſimo Deo profecta canere, repetens quaſi Geneſim Moſaicam. Vt Moſes è primis operibus eius prodidit fuiſſe terram, & aquam, nempe materiam totius futuri mundi, congeriem, & ſementem omnium rerum, non ſecus Dæmon primum affirmat ab eo profectam generationem materiæ, multiformis, cui variæ ſpecies viciſſim inhærent, propterea multiformis. Poſt hanc materiem, ſementemque rerum, & maſſam, quemadmodum ad res gignendas eam præparauerat ſapiens opifex, ſic ex eis præcipuam, principem cunctarum viſibilium rerum, produxit lucem. Hoc memorans Moſes, poſt terram, aquamque creatam, ait ſubitò apparuiſſe lucem. Dæmon ſimiliter ab eodem præpotenti Deo, flumen lucis erupiſſe: lucis inquam, præ qua lux omnis, & ignis debilis ſit. Ipſa verò flos omnis lucis. Ea enim eſt lux ſolis, Lux mundi corporei. Poſt lucem, ſicut Moſes, qui ſiluerat creationem orbium cęleſtium, eam poſtea repetiturus, dixit ab eo omnia cæleſtia perfecta: ſic vno complectitur verbo Dæmon, mundorum globos omnes, & concauas illas, orbicularesque cœli machinas eum feciſſe. Denique, vt Moſes repetens ait, In die, qua creauit Deus cęlum, & terram,

Gene. 1.

Principiū lucis omnis Deus.

Gen. 5.

terram, ſic per Epilogum repetit Dæmon, ab eo micare, & in terras fundi radios omnes bonitatis. Omnis ergo lingua confitetur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, quia Dominus Ieſus Christus in gloria eſt Dei Patris. Philip. 2. Iuſtinus igitur Martyr, & Philoſophus ad gentes, ait oraculum fuiſſe quoddam, hymnum gloriæ diuinæ: Oraculum apud Iuſtinum. ὅτι τὸ παρ' ὑμῖν χρηστήριον ἀξιωθὲν ὑπό τινος, ὑμνὸν, τῷ παντοκράτορος ἐκδοῦναι, οὕτως ἐν μέσῳ τοῦ ὕμνου ἔφη ὅτι πρῶτος πλάσας μερόπων, ἄδαμ δὲ καλέσας: καὶ τοῦτον σώζεσθαι τὸν ὕμνον παρὰ πολλοῖς ὧν ἴσμεν συνέβη. Nimirum, Oraculum veſtrum rogatum à quodam, vt hymnum funderet Omnipotenti, ſic in medio hymni dixit: Quod primus hominum formator, Adamque vocauit. Et hunc hymnum apud multos, quos ipſi ſcimus, contigit aſſeruari. Vides Dæmonem hymnos, cuiuſmodi ſunt, quos oſtendimus, edidiſſe, ſingularem Vniuerſi creatorem Deum ingenuè confeſſum. Vidit item Lactantius oraculum illud, quo Dæmon dixit, μικρὰ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς: Exigua Dei portio nos Angeli. Profert enim hoc carmen in ſuis Inſtitutionibus: Quærenti, inquit, cuidam quis eſſet, aut quid eſſet omnino Deus, reſpondit viginti, & vno verſibus: quorum hoc principium eſt. Sic Lactantius. Nec refert, quòd carmina ſint tranſpoſita, vt quod Lactantius principium, nos finem carminis eſſe ſcriptum referimus. Vide li. 2. cap. 14. 15. 16. 17. cap. 23. Facile enim potuerunt verſus transferri. Satis eſt oraculum reuera Dæmonis eſſe, id eſt, Apollinis, editum non Delphis, ſed Colophonæ. Idem in libro de Ira Dei, aliud oraculum, & quaſi vnum ex ſuperioribus ait Apollinem Mileſium effudiſſe, conſultum de religione Iudæorum.

Ἧς δὲ θεὸν βασιλῆα, καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων
Ὃν τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα
Ταρτάρεοί τε μυχοί, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσι.

Fortaſſe præcedit hæc carmina quod affertur à Iuſtino, Euſebio, aliiſque multis, quod eundem Apollinem reſpondiſſe ferunt:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

AVGV-

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER QVARTVS.

In quo Platonis, & Ariſtotelis Theologia diſcutitur.

Ariſtotelem ſingularem Deum eſſe confeſſum: Non ſolis motibus cœleſtibus, ſed omni item mundo eum præfeciſſe: Eandem fuiſſe Academicorum Philoſophiam: Eandem & Senecæ: Non ſolas intelligentias, quæ cœlum moueant, eum agnoſcere. Cap. I.

POST priſcos Philoſophos, qui magis Theologi dicebantur, & poſt ea ſæcula, quę à Moſe, Triſmegiſtoque, ad Platonem, Ariſtotelemq; vſq; decurrerunt, in quibus adorata, & cognita fuit, prædicataque ſingularis Diuinitas, partim lucem hanc afferente natura, partim ab exordio generis humani, quo ſolùm Deus verus colebatur, ea ſcientia manante, quippe quam per omnes terras ſecum patres antiqui deferebant, ſucceſſerunt duo multorum Philoſophorum, Academiarumque principes, ad quos velut in portum veteris Sapientiæ naufragia deuenerunt, ſed pro varietate ingeniorum magis Platonem, quàm Ariſtotelem, qui re- um infimarum, ſenſibuſque notarum ſtudio magis delectatus, obſcuras illas, ingeniumque hu-manum excedentes, Platoni, cæteriſque veſtigandas reliquit, veterum myſteria, ſecretaque Dei, ilendo veneratus, quorum difficilis eſſet, nec procul à temeritate confirmatio. Sed quoniam ullus ſermo, citra Dei appellationem haberi poteſt, nec vllius Philoſophię fundamenta ſtabili- i, niſi origine reperta, multa de fontibus Theologię naturalis (naturalem dico, non fictitiam, fa- uloſam, quam ratio, naturaque docet omnes homines) ſimiliter atq; alij loqui coactus eſt. Qui- us conſideratis id iudicium colligitur, aut veritatem inuito imprudentique excidiſſe, aut non abentem quid pro vero aſſereret, diuerſa ratione loquutum. Quam animorum inconſtantiam, n omnibus Philoſophis ferè deprehendas. Nondum enim fulgor veritatis terras impleuerat, uo pulſa omni denſa caligine, vnam duntaxat veritatem homines ſequerentur. Erant autem cun a craſſis occultata, & circunfuſa tenebris. Hac caligine effectum eſt, vt Ariſtoteles, & Plato in fferenda Diuinitate modò cœlum, motuſque cœleſtes admirati, illic Deum ſe reperiſſe credi- erint, modò reſipiſcentes, implentem omnem mundum, quemadmodum ſuperiores, magnum um, inſcrutabilemque Deum, non cœlum duntaxat mouentem, ſed præſentem vbique prædi- uerint: longè quidem clarius Plato, quàm Ariſtoteles. Delectis igitur verioribus, primum ex Ariſtotele, dein Platone, vt cuius vberior affluentiorque Theologia diligentius examinanda eſt, ndem atque apud ſuperiores pietatem reperiemus. Ac primum inſtinctus illos, quibus ad ap- ellationem ſingularis Dei compellimur à Natura, videamus. Sæpe extat apud eum, Deus, & tura nihil agunt fruſtra. Hic & Deus ſingulariter excellenterque nominatur, & opus ei magnum,

Duo principes philoſophis ſucceſſere primis, nẽpe Plato, Ariſtotel.

Theologia naturalis.

Q̃uo ſingularem Deum deprehenderint philoſophi.

Deus, & natura nihil agunt fruſtra.

1. de Cœlo ca.4. li. de ani greſſu. de partib. animal. 2. ca.13. &c.

Gen. 1.

Deus artifex optimus.

Deus, & Natura idem.

gnum, mirabile, varium tribuitur: tum verò cùm Natura ſociatur: ſed ipſe prior, pòſt Natura nominatur. Quicunq; igitur hæc conſiderando dilatet, quid aliud reperiet, quàm Deum autorem naturæ, & principem, quemadmodum ſcribit Moſes, appellari? Quidquid enim tradidit Moſes Deum feciſſe, primum terram cum aqua, poſtea Solem, orbeſque cœleſtes, tum plantas, & animalia, eaque mirabili ordine poſuiſſe, hoc omne, Natura eſt: quæ idcirco nihil exorbitant, nec curſus ſuos deprauant, quia facta ſunt optima ab optimo magiſtro. Eoq; vocatur prima Sapientia, & à Pindaro, ἀρισοτέχνης, optimus artifex. Et Ariſtoteles dixit Pherecydem, multosq; alios, primum autorem, creatorem, optimum declaraſſe. Theophraſtus omnia volentem optima. Itaque non agit fruſtra Natura, quia Deus eam fecit optimam. Hæcque conſociatio Dei, ac Naturæ, non eſt duorum, vel diuerſorum: neque enim ſociarentur ad vnum idemque opus, neque duorum æqualium, quòd & Deus præfertur, & Natura ſine Deo nomen inane eſt. Sociantur igitur velut artifex, & artificium. Quidquid enim fit à Natura, eo teſte, fit item a Deo. Si enim loquens de rebus in vniuerſum, quæ ſinu Naturæ continentur, eas nec à Deo fruſtra fieri, nec à Natura dicit, certè quidquid fit ab vno, fit itẽ ab altero. Nihil enim ſupereſt alteri, ſi cuncta fiunt ab alterutro. Sed cur duo rerum autores declarantur, ſi ſufficit vnus, vel Deus, vel natura ſeorſum? Imò non ſufficit, neque vult, quemadmodum Democritus, & Epicurus, ſine Deo operari Naturam, nec Deum à Natura ſegregatum, ceu gubernatorem a naui. Sociat igitur vtrunq; alterum velut autorem, artificem, alterum velut artificium, vt gubernatorem, ac nauim. Iam verò ſi Deus agit Naturam, princeps eius, ac moderator, certè non motus cęli ſolos moderatur, nec per vnum motum gubernat Naturam, ſed eſſe eum præſentem vbique, quemadmodum dixerat Pythagoras, neceſſe eſt: & quemadmodum ille cecinit:

6. Aeneid.

> *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus,*
> *Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Deus eſt vbique.

1. Acad.

Non ſolos igitur orbes cœli mouet, non in cœlo duntaxat, ſed vbique verſatur, infuſus, non infixus mundo. Quam fuiſſe Platonicorum, Peripaticorumq; ſententiam, teſtatur Tullius in Academicis. Partes, inquit, autem eſſe mundi omnia, quæ inſint in eo, quæ natura ſentiente teneantur, in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna. Nihil enim valentius eſſe, a quo intereat. Quam vim Animam eſſe mundi dicunt, eandemque eſſe Mentem, Sapientiamq; perfectam, quem Deum appellant, omniumque rerum, quæ ſunt ei ſubiectæ, quaſi Prudentiam quandam procurantem, cæleſtia maximè, deinde in terris ea, quæ pertinent ad hominem. Hæc Tullius. Similia igitur Ariſtoteles ſentiebat, cùm Deum, ac Naturam nihil agere fruſtra, ſæpenumero clamat. Sentiebat Deum eſſe Mentem vniuerſi, Sapientiamque perfectam, cui ſubiectæ mundi partes omnes eſſent, procurantem omnia, ſed maximè motus cœleſtes, quibus regitur aliturque omnis mundus. Hanc eius, & omnium Peripateticorum de Deo ſententiam etiam Seneca declara in Quæſtionibus naturalibus, Quid eſt Deus? inquit. Mens Vniuerſi. Quid eſt Deus? Quod vides totum, & quod non vides. Sic demum magnitudo illi ſua redditur, qua nihil maius excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia, opus ſuum, & extrà, & intra tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars, animus eſt, in illo nulla pars extra animum. Totus ratio eſt. Hæc Seneca. Huiuſmodi fuit igitur etiam Ariſtotelis opinio, de Deo & Natura, Natura quidem, velut opere eius, cui præſideat vniuerſaliter, extrà, & intrà commeans, ſeſeque intendens, alenſque omnia. Seneca dicit eum eſſe Animum, cuius nulla pars non ſit animus, non ratio, magnus non corporali magnitudine, ſed magnitudine rationis, ſapientiæ. Quare non affix eam primo mobili duntaxat Ariſtoteles, qui ſolo motu primi orbis regeret mundum, prætereà nihil ageret, ſed præfecit vniuerſæ naturæ, tam cœleſti, quàm terreſtri, motibus cœli, & terra. Et, vt ait Tullius declarans eorum ſententiam, procurantem omnia in terris maximè, quæ pertinent ad homines. Hæc illo ſæpe à ſe repetito ſermone ſentit Ariſtoteles. In libris autem de prima Philoſophia, vt productum fuit ſuperius, ſingularem Deum nominauit, & definiuit, Dicimus Deum viuens, immortale, ſempiternum. Quid ſequatur ex his, palàm eſt. Vnus appellatur, viuens, immortalis, ſempiternuſque definitur. Soli igitur congruit hęc definitio. Eiſdem in libris vocauit eum, iuxta cæteros Philoſophos omnes, Mentem, diuinas de beatitudine eius, omnique vita diſſerens ſententias, Vt ſe ipſum contempletur, contemplando ſit beatus. Vnica beatitudo eius ſit, quod ſeipſo fruatur, fons ipſe ſibi felicitatis ſuæ, inenarrabili gaudio perfuſus ſemper ex intuitu pulchritudinis ſuæ. Quæ latius in ſequentibus diſſerentur. Volo igitur omnibus eſſe clarum, ac perſpicuum, Ariſtotelem, etſi genus diuinum, in libris de prima Philoſophia videatur agnoſcere, duntaxat quod mouet orbes cœleſtes, quoniam hæc Barbara fuit ſuperſtitio, qui Deos appellarunt lumina cœleſtia ſemper labentia, quemadmodum Plato teſtatur in Cratylo, reſipuiſſe tamen ab hac ſententia, Deumq; verum aſſeruiſſe, magnum, vniuerſalem, non qui ſolum primum orbem conuertat. Alterumque è duobus de omni eius Philoſophia dicendum: Aut qu ſuſpicatus eſt cœleſtes Intelligentias orbium verſatrices, non eas ſolas poſuiſſe in genere diuinorum animorum, ſed ſenſiſſe Diuinitatis etiam aliud genus, cuius princeps Deus ſummus tame moueat primum orbem, agat etiam alia per omnes mundi partes intrà, extraque intentus, Au

Anima mundi, mens ſapiẽtiaq; perfecta.

Senecæ loc. de Deo.

Vt definiatur Deus ab Ariſtotele.

Barbara ſuperſtitio Deos appellare aſtra.

eum

m inconſtantem fuiſſe, nec in ea ſententia permanſiſſe. Quòd ne cuiquam mirum videatur,
oſſumus videre Platonem ſimili vertigine correptum, cùm in Epinomide, nullas laudes præte-
ſſet, quas non in cęlum effunderet, dans ei Diuinitatem, adoranſque vti Deum, agnoſcere ta-
en eum, verum, vnicumq; Deum ipſius cœli motorem, & creatorem: Genus item animorum,
uod ſupra Solem, & Lunam degit, confiteri. Quemnam, inquit illic Plato, adorans ò Megille,
Clinia, fatebor eum eſſe Deum? certè ipſum cœlum. Multaque alia plurimum tantum virum
famant, niſi quòd mos eius temporis fuit, vt etiam flumina, terram, mundum, fontes Deos di-
erent. Tali Diuinitate cęlum eſt Deus. Alioqui verum Deum agnouit, inſcrutabilem, rerumq;
tificem vocauit. Eandem conſtat fuiſſe Mentem Ariſtotelis, vt ſi cęlo, cæleſtibusq; Intelligen-
is, tribuat Diuinitatem, aliud tamen de vero, ac ſingulari Deo ſenſerit, quàm vt moueat orbem
leſtem, eas item Intelligentias confeſſus ſit, quos Plato, veteresq; ſupra cęlo viuere dixiſſent.
Quo paulum conſiderato, ad ſingularem Deum reuertemur.

Platonis error, qui cęlum Deũ putatit.

riſtotelem aliud Intelligentiarum genus, quàm cæleſtes orbes mouentes ſenſiſſe: ſupra motus cæleſtes, Deos beatos locaſſe: Eorum veram felicitatem deſcripſiſſe: Antiquos qui hæc docuerant collaudaſſe. Cap. II.

IN libro de cęlo, loquens de ſignificatione eius quod dicitur Cęlum, Poſtremò, inquit
dicitur cęlum corpus naturale, τὸ ἐν ἐσχάτῃ περιφορᾷ τοῦ παντός. εἰώθαμεν γὰρ τὸ ἔσχα-
τον, καὶ τὸ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανὸν, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμὲν: Quod eſt in
extrema circunferentia Vniuerſi. Solemus enim extremũ, & quod ſupremum eſt præ-
puè vocare cęlum, in quo totam Diuinitatem dicimus hábitare. Hęc ille. Apparet hic Diuini-
tis aliud omnino genus, quàm eorum qui moueant orbes & lumina cęleſtia. Nam Platonem
æceptorem ſecutus, ſupra ſyderibus, in extrema vertigine mundi, id eſt, vt clarum eſt, ſupra
imo mobili collocat hos Deos. Deos autem in Metaphyſica cenſuit Intelligentias orbium cę-
ſtium, Solis, Lunæ, aſtrorum, epicyclorum, planetarum, qui ſunt omnes infra primum mobile,
extremam circumferentiam. Porrò quod hoc loco ad conſuetudinem temporis, communem-
ue omnium mortalium ſententiam dixerat Deos habitare ſupra mundum, poſtea pluribus ver-
s, & ex Philoſophia explicans, diſſerit præclara latius velut in ipſam Theologiam ingreſſus. Cu
s hęc verba ſunt: ἔξω δὲ τοῦ οὐρανοῦ δέδεικται ὅτι οὔτ᾽ ἐστὶν, οὔτε ἐνδέχεται γένεσθαι σῶμα, φανερὸν
ὅτι οὔτε τόπος, οὔτε κενὸν, οὔτε χρόνος ἐστὶν ἔξωθεν. διόσπερ οὔτ᾽ ἐν τόπῳ κἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρό-
αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὔτ᾽ ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ, τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένον
ρὰν, ἀλλ᾽ ἀναλλοίωτα, καὶ ἀπαθῆ, τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν, καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν
ἅπαντα αἰῶνα. Quæ ſunt, Oſtenſum eſt autem extra nullum eſſe, neque eſſe poſſe corpus. Ma-
feſtum igitur, quòd neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrà. Quocirca, quæ
ſunt, neque in loco ſunt, neque tempus ea facit ſeneſcere. Neque vllius eſt vlla mutatio eo-
m, quæ ſupra nouiſſimam, ſupremamque vertiginem poſita ſunt, ſed immutabilia, & impaſſi-
ia, optimam agunt vitam ſemper, & opulentiſſimam, omne ęuum. Sic ille. Conſidera igitur
gula. Prius dixerat, Cœlum dicimus extremam circumferentiam, vbi totam dicimus habitare
uinitatem. Nunc dat quidem clarius. Illic in cœlo, nunc ſupra cœlo, ſupra vltima circumferen-
. Nam dicit etiam extra cœlum nullum eſſe corpus. Igitur multo magis ſemouet eas res a toto
ndo, dicens eas eſſe extra locum, extra tempus, quæ cum cœlo ſunt: Deinde eas res non eſſe
tabiles. Ex quibus omnibus clariſſimè conſtat, eum non ſentire de Intelligentia Solis, Lunæ,
netarum, epicyclorum, quę ſunt omnia infra extremam circumferentiam, & corporaliter ſunt
oco, & tempore. Tum loquitur de his, quæ non ſunt corpora, & ideo negat ea habere locum.
taque deſcriptio eſt pulcherrima, diuinaque, vt à Theologo nihil expectem amplius, de his,
i habitant in cęlo, id eſt, deſuper. Deſcribit enim beatitudinem, immortalitatem, felicitatem
ernam, æternamque eorum requiem: quia neque ſeneſcunt, neque ſubiacent tempori, non
t in loco, nulla diſtricti, & præſcripti ſede. Vita non deficit eos omnibus bonis copioſiſſima.
ppellat enim eorum vitam, optimam, αὐταρκεστάτην, copioſiſſimam. Nec Ariſtoteles nunc di-
quid ea ſint, ſed per neutrum genus τὰ ἐκεῖ, ea quæ ibi. Superius autem declarauerat, & de
rat alibi, eos eſſe Deos, & in ſecundo libro eiuſdem operis, τὸν δ᾽ οὐρανὸν, καὶ τὸν ἄνω τόπον,
ὲν ἀρχαῖοι, τοῖς θεοῖς ἀπένειμαν, ὡς ὄντα μόνον ἀθάνατον: Cœlum autem, & ſupremum locum,
eres quidem Diis attribuerunt, quippe qui ſolus ſit immortalis. Horum igitur eſt illud, quod
ra cœlo dixit eſſe. Eorum eſt regio habitaculum, vt in compendio ſuæ Philoſophiæ quoque
gis declarat. Veterumque maiorum ſuorum Theologiam declarauit in primo libro, reducens
n ad conſiderationem Philoſophiæ. Sunt igitur Dij, Ariſtotele etiam teſte, ſupra ſideribus.
di etiam quid de hoc ipſo quod antiqui tradidiſſent, loquatur: διόσπερ καλῶς ἔχει συμπείθειν
τὸν, τοὺς ἀρχαίους καὶ μάλιστα τοὺς πατρίους ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγους: Quocirca, inquit, præcla-
habet, vt quiſque ſibi ipſi perſuadeat, veteres traditiones, præcipuè maiorum noſtrorum, ve-
eſſe. O Ariſtoteles, ſi rectum eſt inducere in animum vnumquenq;, vt credat vera eſſe, quæ
crediderunt

Ariſtot. de Deo.

Intelligentię orbium cæleſtium, Dii.

Vita cælicolarum.

Dij minores, miniſtri Dei.

Dij fabuloſi.

Dij,primę, ſubſtantia, & cæleſtes intelligentiæ.

Immobiles cauſæ & immobilia principia.

crediderunt antiqui,vide quæſo quid retro antiqui omnes tradidiſſent, quid Chaldæi, quid Sibyllæ,quid Mercurius,quid Græci ipſi,quibus fidem maximam putas tribuendam.Orpheus,Pythagoras,Anaxagoras,Archytas,Philolaus, Parmenides,cæterique omnes vnanimiter,non illo fictitios orbium cæleſtium motores Deos,ſed vnum ſingularem,omnipotentemque ſunt confe ſi,qui non corpus quidem cæleſte moueat, aliud non agat, ſed Deum per omnia penetrantem totum mundum implentem,omnia conſiderantem.Tum Deos quoſdam minores miniſtros eius induxerunt,qui res humanas ei parentes adminiſtrent.Sic illi cenſuerunt,& tu aliquando aſſeru ſti,ſi quis dicta tua bene conſideret. Recordare quæ dicis vndecimo de Philoſophia diuina libro,de eiſdem antiquis.Traditum eſt,inquit,ab antiquis de Diis,per fabulas interdum: ὧν ἐιτις χωρίσας αὐτὸ λάβοι μόνον τὸ πρῶτον, ὅτι θεοὺς ᾤοντο, τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι, θείως ἂν ἐιρῆσθα νομίσειε: A quibus ſi quis id ſeparet,id eſt,fabulam;ſolumque accipiat,quod eſt præcipuum,quod Deos crediderunt primas ſubſtantias,diuinè locutos eos arbitretur. Bene igitur habet o Ariſto teles:aſſeris maiores diuinè locutos,Deos eſſe primas ſubſtantias.At antiqui, ſi benè meminiſti dicta tua,non dixerunt Deos illos orbium cæleſtium motores,ſed ſicut ſuperius in libris de cęlo monſtraſti, ſupremum altiſſimumque locum extra cęlum, & locum & tempus eis attribuerint. Aſſeris autem diuinè eos locutos.Si diuinè igitur locuti ſunt,non ſunt Dij cęleſtes Intelligentię, nec prima Intelligentia mouet cęlum duntaxat,aliud non agens.Hæc igitur conſideratio veriſſima eſt, & incontradicibilis, niſi quis furioſorum Peripateticorum vaniſſimis quibuſdam artificiis eam conetur ſubuertere. Denique ſupradictum locum teſtatur Simplicius quoſdam interpretum ſenſiſſe de immobilibus cauſis cęleſtibus,& immobilibus principiis, qui moueant ſphæras cęleſtes. In quo quidem cùm rectè ſenſerint, quod Ariſtoteles de cauſis ſupermundanis fi ibi locutus,in vno tãtum error fuit,quòd eas cauſas dixerunt,quæ moueant orbes cęleſtes. Quo modo enim mouent,ſi ſunt,vt ait Ariſtoteles, ἐξωτάτω,longiſſimè,remotiſſimè,ſupra motus cęleſtes? Si motrices cauſas has Ariſtoteles ſenſiſſet,non longiſſimè ab eo,quod mouent,ſeparaſſet. Cur enim cauſa mouens Solem, debuit ſupra Solem, ſphæraſque omnes longiſſimè locari? Clarum igitur, Ariſtotelem Deos quidem illic eſſe ſupra cęleſtes motus longinquiſſimos, ſed non eos Deos, qui moueant orbes: quos ſi mouerent, vnuſquiſque ſphæræ ſuæ, vel ineſſet, vel aſſiſteret.

Compendium Philoſophiæ Ariſtotelis, vnum ſingularem, moderatorem ſolum ordinum cæleſtium, vitæque omnis confiteri. Collatio aliorum quorundam locorum, de priſca Philoſophia,quæ ſingularem Deum prædicat: Deum inuiſibiliter omnia mouere,& regere.

Cap. III.

Liber de mundo, Ariſtotelis philoſophiæ compendium.

Mundus omnium rerum coordinatio.

Conſeruatio mundi eſt a Deo.

Hippocrates, Auguſtin. & alij ſuos errores confeſſi ſunt.

Altiſſima cęli pars, domiciliũ Dei.

ARISTOTELES in libro de Mundo,quem olim appellabant, vt Iuſtinus Martyr, Philoſophiæ eius compendium, quod ipſe ſcripſit ad Alexandrum, Latinis Peripateticis obſcurum, diuinè iuxta maiores,quos videbat ſentiebatque eſſe ſequendos, locutus eſt de Deo,longè quidem alia,atque ea quæ in libris de Cęlo, & Metaphyſices, non amplius motus illos cęleſtes, ad quos affixę Intelligentiæ, id eſt, Dij aſſideant mouentes, introducens, ſed vniuerſale dans ſummo, ac ſingulari Deo rerum gubernaculum. Et vt decet Philoſophum,errores vulgi expoliens,detrahenſque fabuloſitatem,& impietatem. Audiamus igitur eum loquentem: Mundus,inquit, item dicitur alio modo, omnium rerum coordinatio ac diſpoſitio, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη: Quæ & Deo & per Deum conſeruantur: Paulò poſt, ἧς τὸ ἀνωτάτω, θεοῦ οἰκητήριον: Cuius ſupremum, inquit, eſt habitatio Dei. Quàm ſui ſimilis hic & in libris illis? Multo quidem hic religioſius. A Deo, inquit, conſeruatur is,qui dicitur Mundus: conſeruatio autem eſſe non poſſet,ſi tantum ſupremum mo ueret orbem. Iam nomen Diuinitatis vim tantum tribuit, quod certè mirum. Nam ſi de cęle motu,ob quem Diuinitatem Diis dediſſet, hic ſermo eſſet, non vnum tantum nominaſſet, ſe Intelligentias multas,ſicut in libris Metaphyſices. Alterum igitur è duobus dicendum eſt: aut ip ſum ſibi contradicere,mutante ſententias hominum tempore,quod ſæpe fit,cum multa reuoca mus in poſterum,quæ prius conſtanter aſſeruimus.Sæpeque acceſſit grauius iudicium. Et Hippocrates ſuos errores confeſſus eſt,ſimiliter & Auguſtinus,aliique multi boni viri,apud quos ve tas,gloriæ inani præponderaret. aut dicendum in illis libris eum quandam aſtrorum à Plato acceptam poſuiſse Diuinitatem, reſeruantem ſibi genus aliud Deorum,de quibus aliis in libr diceret: & de quibus quædam in libris de Cęlo innuiſset,cum diceret veteres de Diis diuinè lo cutos: & cum eis tribuit ſupremum cęlum,& vltramundanas regiones habitandas. Nam ea q ſint,quæ non expreſſit,quæque in ſupremo cęlo,imò extra,dixit exiſtere,appellans ea neutro g nere,quia fortè neſciret,aut nollet fateri Deos, hoc loco clariſſimè docuit, videlicet altiſſim cęli partem eſse οἰκητήριον τοῦ θεοῦ Habitaculum ſummi Dei. Hæc igitur ſunt illa τὰ ἐκεῖ, quæ d cebat in libris de cęlo, Deus ſcilicet ipſe princeps maximus, Deorumq; ſupremus, qui Deos ali minores admittit illuc: non quòd propius etiam eorum ſit locus,ſed quòd clementiſſimus pri ceps donat eis ſedem in regnis ſuis. Et cum Ariſtoteles ſupremam mundi partem habitaculum Dei prædicat, innuit, quod ipſi clamamus, Pater noſter, qui es in cęlis.

Matth. 6.

Ariſtoteles θεὸν vocat illum, nos Patrem. Sed & Patrem dicet Ariſtoteles, vt poſtea probabitur. Nos, Qui es in cęlis: Ariſtoteles, ἧς τὸ ἀνώτατον οἰκητήριον τοῦ θεοῦ. Deinde eodem loco refert Ariſtoteles ipſum idem cęlum, quod habitaculum dixerat, eſſe plenum θείων σωμάτων, diuinorum corporum.

Cęlũ, plenum diuinorũ corporum, Ariſtoteli.

Non ergo diuinorum animorum, aut diuinarum Intelligentiarum. Semperque in prædicto libro appellat diuina corpora, vt eis corpoream Diuinitatem, non intelligibilem, vel intelligentem attribuat. Deinde diuinius multo, totamque animi ſui prorſus declarans ſententiam, adiecit in eodem libro: Supereſt, inquit, vt de cauſa, quæ continet omnia, breuiter dicamus, ſicut de cæteris diximus. Error enim eſt, qui loquuntur de Mundo, tametſi, non diligenter, & exquiſitè, ſed ſaltem quod ad doctrinæ exemplum ſufficiat, τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν, quod in mundo optimum, potiſſimumque ſit, dimittere. Hæc ille. Deinde quanta concordia, quàm mirabili conſenſu cum his, quæ in libris de Cęlo, & Metaphyſices dixerat? Nam in vtroque opere maiorum de Diis opiniones addiderat, eas diuinas appellans, & collaudans. Nunc autem, iuxta id quod dixerat Orpheus, Mercurius, Acmon, Pythagoras, cęterique multi: ἀρχαῖος μέν τις λόγος, καὶ πάτριος ἐστὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ θεοῦ, ἡμῖν συνέστηκεν: Antiqua quædam fama & patria eſt, omnibus hominibus, quòd ex Deo, & per Deum, fuerunt nobis omnia.

Ex Deo & per Deum nobis omnia.

Audis igitur antiquam famam & patriam, cuius meminit vt ſuperius vidiſti, in libris Metaphyſices, & de Cęlo, ſæpe eodem loquens modo? In libris de cælo? ἀρχαίους καὶ πατρίους λόγους: Antiquos, & patrios ſermones de Diis. In libris Metaphyſices: παραδέδοται ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, καὶ παλαιῶν: Traditum eſt ab antiquis, & priſcis. Et illic de multis Diis eſt ſermo, hic de vno tantum. Hæcque declarant illa. Et cuius animi tunc eſſet, nunc in compendio totius Philoſophiæ melius explanat. Ibi ferebat Deos ab antiquis traditum, vniuerſam continere Naturam: hic & in libris de republica Deum vnum duntaxat. In compendio repetentes, quæ multis retro annis dixiſſemus, ſi quid erroris ignaris excidiſſet, ſolemus corrigere, ſolemus emendatius loqui. Sic fecit Ariſtoteles: quod antea retulerat de multis Diis, ab antiquis, nunc corrigit, ſentiens id de ſingulari Deo. Hanc famam ait eſſe de Deo cunctis hominibus, eamque eſſe antiquam & patriam. Ergo omnium hominum antiquiſſimi genitores tradiderant, vnum vitæ cunctarumque quæ ab hominibus poſſidentur rerum, autorem.

Non Hebręi ſolum de Deo aliquid nouerunt, ſed & nationes aliæ.

Non Hebræi a ſolis genitoribus, maioribusque id didicere ſuis, ſed omnium etiam genitores nationum, poſteris ea tradiderant. Ideo per totum mundum manauerant, apud omnes circunferebantur, Hebræos, Chaldæos, Aegyptios, Græcos ipſos, qui didicerunt, autore Platone, a Barbaris cuncta. Omnibus hominibus inuulgata fama fuit a maioribus, quòd a Deo, συνέστηκεν, extiterunt, nata ſunt, facta, data hominibus omnia. Prædicatur, inquit, hoc apud omnes gentes, acceptum ab antiquiſſimis, & per traditionem ab exordio mundi ad poſteros deuolutum.

Fama peruulgata apud homines antiquiſſimos.

Hocque eſt quod apud Aegyptios, Chaldæos, Phænices, totumque Orientem, inuenimus eandem atque apud Moſen de Mundo creato Philoſophiam. Naſcitur enim hæc fama, ſicut alia pleraque myſteria, ab exordio mundi, ab antiquiſſimis hominibus, qui Deum viderunt creantem, audieruntque loquentem, alterque referebat alteri. A Deo, inquit, & per Deum. Duo genera cauſarum: altera inuentrix, altera conſeruatrix: Sicut ſuperius a Deo & per Deum ſeruari Naturæ ordinem. Deinde melius hæc omnia, & explicatius declarans, addit: Nulla verò, inquit, Natura ipſa per ſeipſam ſufficiens eſt, huius deſtituta ſalute. Nulla, inquit, Natura, a Deo non conſeruata viuere poſſet. Hoc quidem non in motum cęleſtem tantum, ſed vniuerſalem conſeruationem, & rerum tenacia vincula referendum perſpicuum eſt, & ſapientiſſimi quique ſenſerunt. Addit autem: ideo & priſcorum nonnulli, eò vſque fando progreſſi ſunt, vt dicerent hęc omnia Diis eſſe plena, & per oculos nobis, & aures, omnemque ſenſum offerri.

Deus omnia creat, ordinat, & conſeruat ſine labore.

Quod diuinæ quidem poteſtati congruenter dicitur, ſubſtantiæ non item. Seruator enim reuera eſt, καὶ γενέτωρ, & genitor, quaruncunque, quæ mundum hunc conficiant, rerum, Deus, non tamen in eo laborantis, & per ſe operantis animalis laborem ſuſtinens, ſed vtens poteſtate indeficiente, per quam etiã quæ remotiſſima videantur, exuperat. Altiſſimam igitur, primamque regionem, ſortitus eſt ipſe. Hypatoſque ob hanc cauſam à Poetis eſt dictus, qui, vt Poetarum princeps inquit, in ſummo totius cęli vertice præſidet. Cuius poteſtate maximè fruitur proximum ei corpus, deinceps per ordinem, vſque in noſtras regiones vniuerſa. Terreſtriaque omnia, quoniam plurimum diſtant a bono, quod a Deo diffunditur, debilia ſunt, & corruptibilia, plenaque tumultu. Non eſt autem verum, quoniam per omnia penetret Diuinitas, inde fieri, vt noſtra, & quæ ſupra nos longius aut propius a Deo diſtent, magiſque vel minus vtilitate fruantur. Præſtat igitur arbitrari, quod quidem & ipſi Deo decorum maximè ſit, poteſtatem eius in cęlo præſidentem, omnibus etiam remotiſſimis rebus, cauſam eſſe ſalutis potius, quàm vt penetrans, quò neque decorum honeſtumque ſit, ipſa ſuo labore terreſtria operetur.

Magna principum quorundã potentia.

Nam id ne humanis quidem Principibus conueniat, vt viliſſimo cuique operi ipſi adſint: vt in exercitu, aut vrbe, aut domo, ſi ſarcinæ colligendæ eſſent, aut contemptibile quid agendum, quod ſub magno Imperatore vile mancipium exequetur, Imperatorem adeſſe oporteret. Sed quale fertur de Cambyſe, aut Xerxe, vel Dario, qui ad ſummam magnificentiæ pompam ac faſtum, vt dictatrix ratio, vel, vt fama eſt, Suſis aut Ecbatanis inuiſibilis omnibus, ſedebat, regiam domum admirabilem, cuius ambitus auro, & electro, eboreque refulgeret, obtinens. Veſtibula multa, perpetuaque inuicem atria, & continuis diſtantia ſtadiis ab inuicem, foribus aureis, & altiſſimis parietibus muniebantur: Extra quas proceres, ac ſpectatiſſimi ſtabant ordine viri. Alij cuſtodes, & famuli, & Regem ipſum circunſtantes ſtipatores, cæteri cuiuſque ambitus cuſtodes, foribus item aſſidentes, excipientesque auribus omnia, vt ipſe Imperator, quem & Dominum & Deum vocabant, omnia quidem aſpiceret, nihilque non exaudiret. Præter hos item præerant alij ærario, reditus accipientes: erant duces item exercitus, ac venationum: muneribus accipiendis alij præerant, cunctique officijs ſuis ordine fungebantur. Totum autem imperium, quod vniuerſam amplectens Aſiam, ab occaſu Heleſponto, ab ortu India claudebatur, diſtributi Præſides, ac Satrapæ, Reges per prouincias gubernabant, omnes ſerui magni Regis. Item veredarij, & exploratores, nuntij, & cuſtodes, facumque, quæ de ſummis turribus noctu oſtendebantur, obſeruatores. Tantus autem erat ordo, maximè facum è ſummis turribus continuatim per prouincias ardentium, inuicemque à finibus imperij vſque ad Suſa, vel Ecbatana, ſibi ſuccedentium, vt rex eadem die omnia, quæ in Aſia noua accidiſſent, cognoſceret. Comparanda eſt igitur magni Regis potentia, cum poteſtate Dei, qui continet mundum, eo quidem debilior, ac inferior Regis illius, quo hæc Dei ſit, illa animalis viliſſimi, ac tenuiſſimi. Quocirca ſi indecorum erat illi, ipſum Xerxem videre propriis manibus vniuerſa operari, & perficere quæcunque vellet, præſentemque agere, longè certè id minus Deo fas ſit. Sed congruentius erit, ac venerabilius, eius in altiſſima regione præſidentis poteſtatem per omnem mundum vagari ac pertinere, Solemque mouere, & Lunam, totumque cœlum circumagere, autoremque eſſe ſalutis rerum terreſtrium. Neque enim illi aut arte, aut aliorum miniſterio opus eſt, quemadmodum noſtratibus Principibus, quibus propter imbecillitatem, multorum manus ſint neceſſariæ: Sed ea eſt ſumma Diuinitas, vt cum facilitate & vno ſimplici motu, omnes generatim formas rerum producat. Quemadmodum architecti, qui vnici inſtrumenti machina, multas & varias operationes exequuntur: Similiter qui neuroſpaſtæ dicuntur, id eſt, qui circulatorum inſtar aliquod animal ſimulate mouent. Vno enim filo contracto, mouent collum, manus, & humeros, & oculos, nonnunquam omnes partes numeroſè, eius animalis, quod ſimulant. Sic profectò Natura diuina ſimplici motu primi cœli dat virtutem in ſuccedentia, & ab illis rurſum in longinquiora, donec in omnia peruenerit. Nam aliud ab alio impulſum, rurſum id mouet aliud ordinatè, cunctis tamen ſua opera exequentibus. Non omnibus eadem via eſt, ſed varia, ac priuata cuique. Nonnullis etiam contraria, tametſi prima ſe incitatio ad vnicum motum impellat. Velut ſi quis ex vaſe ſimul pilam, cubum, & conum, & cylindrum iaceret, quodcunque enim in ſuæ figuræ motum ſe daret. Vel ſi quis ſimul animal aquaticum, & terreſtre, & volucre, in ſinu tenens, abiiceret. Perſpicuum enim eſt, natatile elapſum in ſuas ſedes nataturum, terreſtre ad mores, ritumque ſuum inambulaturum, aerium à terra ſublatum, ſublime volans abiturum, quibus vnica prima cauſa propriam facultatem dediſſet. Sic habet in Vniuerſo, per vnicum enim totius cœli circumactum, die & noctu expletum, diuerſi omnium orbium motus, tametſi ab vno orbe contenti, alii quidem citius, alii tardius peraguntur. Et ex ſpatiis longitudines, & propria cuique opera fiunt. Nam luna quidem, menſe aucta, & diminuta, deficiensque, ſuum conficit orbem: Sol anno, æqualesque illi Venus, & Mercurius: Mars duplo temporis ſpatio: Iupiter ſex iſtius tantum: ſupremus Saturnus duplo, & dimidio, quàm inferior. Vna autem harmonia ex omnibus per cęlum concinentibus. Quæ & fit ab vno, & definit in vnum. Mundumque vel ordinem rectè dixeris Vniuerſum, non Inordinationem. Quemadmodum in choro, præſidente choraula, & priore concinente, conſonat totus chorus virorum, interdum etiam mulierum, qui diuerſis vocibus, acutis aut grauibus vnum dulcem, temperatumque miſcent concentum. Sic habet in Vniuerſo, moderante Deo. Nam deſuper, vbi initium eſt, ab ipſo qui iure merito dictus eſt Coriphæus, id eſt, princeps, mouentur aſtra ſemper & totum cęlum. Ingreditur autem duas vias clariſſimus Sol: quorum altera diem, ac noctem definit ortu & occaſu: altera quatuor anni tempora peragit, citro, & vltro ad Boream, & Meridiem progrediens. Hinc imbres, venti, rores, affectionesque, omnia continentis aeris, ex principali cauſa omnia, ſequuntur manationes fluminum, tumor maris, arborum productiones, frugum maturitates, procreationes animalium, nutrimenta, vigores, ætates, defectus, concurrente ad hæc, vt dixi, propria cuiuſque natura. Quando igitur omnium Princeps ac Genitor, qui præterquam quod animo inuiſibilis eſt, ſignum dederit omni naturæ, quæ inter cęlum, & terram exiſtit, mouetur omnis continuatim, motibus finibusque ſuis, interdum obſcurè, interdum clarè, producens innumeras formas, rurſumque occultans, ex vno principio. Videturque res vehementer ſimilis his quæ fiunt tempore pugnæ. Vbi tuba ſignum ex caſtris dederit, exaudita, concurrunt omnes, alius clypeum capit, alius induit loricam, pars ocreas implicat, aut galeam, aut balteum accingitur. Frena equo alius addit, conſcendit alius bigam, alius ad ſignum ſe adiungit, ſtatimque centuriones, ductoresque ordinum aciem inſtruunt, equites in

Dominus & Deꝰ, impurus hõ appellatus

Comparatur Deus potentiſſi. cum potenti rege Xerxe.

Vno motu Deus omnia regit.

Quàm admirabilis diuinæ naturę potentia.

Planetarũ curſus.

Deus Coryphęus.

Principis vnius nutu, bellicer tamen initur.

res in cornu diſponuntur, velites currunt in ſuum locum: Omniaque ad vnius Principis ſignum aguntur, penes quem tota poteſtas: Sic de Vniuerſo ſentire neceſſe eſt. Vno enim motu, eoque inuiſibili & abſcondito, impulſis omnibus, fiunt cunctis propria. Nam quòd inuiſibiliter id fiat, neq; illi ad faciendum, neque nobis ad credendum impedimento eſt. Nam etiam animus, per quem viuimus, vrbes, & domos habemus, cum ſit inuiſibilis, operibus ipſis cognoſcitur, omnis enim vitæ ordo ab iſto repertus, & diſpoſitus eſt, & tenetur. Agrorum cultus & conſitiones, inuentiones artium, vſus legum, res publicæ, actiones vrbanę, finitimis illatum bellum, pax item ab illo omnia. Eadem hæc de Deo oportet cogitare, qui poteſtate ſit fortiſſimus, pulchritudine formoſiſſimus, vita immortalis, virtute optimus, qui omni mortali Naturæ inuiſibilis ex ipſis operibus videatur. Nam affectiones aut aeris, aut terrarum, aquarumque, opera Dei dicenda, qui ipſum continet mundum. A quo, vt ait Phyſicus Empedocles,

Dei pulcherrima deſcriptio

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ pòſt ventura ſequentur,
Et plantæ viruere, mares, & fœmina quæque,
Atque feræ, volucrèſque, habitanteſque æquora piſces.

Videtur autem profectò, tametſi exiguum ſit, mundus comparari poſſe vmbelicis, qui ſunt exiguis lapillis incluſi. Qui in medio exiſtentes, & ad vtranque partem æquè inclinantes, venuſtè & ordinatè ſeruant totam figuram ipſius ordinis & immotam. Ferunt etiam Phidiam ſtatuarium, cum Mineruam in arce fabricaretur, in medio eius ſcuto imaginem ſuam ita impreſſiſſe, & quodam occulto artificio, ſtatuæ alligaſſe, vt neceſſariò, ſi quis vellet eam conuellere, vniuerſam ſtatuam diſſolueret, & deſtrueret. Hanc igitur in mundo rationem habet Deus, continens omnium rerum concentum & ſalutem. Verum neque in medio eſt, vbi eſt terra, & turbulentus iſte locus, ſed deſuper, purus in pura regione, quam appropriatè vocamus Cœlum, Vranon, quia horos eſt, id eſt, finis rerum ſupernarum: Olympum quoque, quaſi Hololampem, totum lucentem, ab omni caligine incompoſitoque motu ſegregatum: qualia fiunt in terris, propter tempeſtatum, ventorumque violentias: ſicut ait & Poeta Homerus:

Phidiæ artificium ingenioſum

Venit Olympum vbi ſedes dicitur eſſe Deorum
Inconcuſſa, hæc haud ventis agitatur, & hymbre
Alluitur, niue nec tegitur, ſed purior aura
Et ſine nube micat, paſſim lux alba vagatur.

Atteſtatur & vita omnis, quæ ſupernas Deo regiones adiudicat. Omnes enim homines tendimus in cælum manus, ſupplicantes. Qua ratione non male & illud dictum eſt:

Iuppiter accepit latum cœlum in æthere, & nubibus.

Idem ſemper ordo, & idem in aſtris locus.

Quocirca & ſenſibilium corporum pretioſiſſima, eundem obtinent locum, aſtra, Sol, Luna, ſolaque cæleſtia ob hanc cauſam ſemper eundem ordinem tuentur, nec vnquam variantia curſus, mota ſunt. Quod patiuntur terreſtria, expoſita mutationibus & variationibus. Terræmotuſque olim violenti, multas terrarum partes abruperunt. Imbres item immanes rupti alluerunt, fluctuumque impetus in terras, & regreſſus, ſæpenumero continentem mare reddiderunt, maria fecerunt continentem. Violentiæque ventorum, & quos Typhones dicunt, interdum integras vrbes euererunt. Incendia quoque & flammæ, partim è cœlo ruptæ, vt ſub Phaetonte ferunt olim, partes Orientales concremarunt, partim ad occaſum è terra emergentes, eructanteſque quemadmodum in locis, qui Crateres dicuntur apud Aetnam, aperte, perque terram torrentis inſtar deuouti. Vbi & pios, præcipuè honore Deus affecit. Deprehenſos enim à fluuio flammæ, quoniam innumeris parentes ſenio confectos portabant, filios ſeruauit. Nam cum fluuius ignis inſtaret iam propinquus, ſciſſus eſt, & hinc atque hinc diuertit, ſeruauitque intactos cum patribus adoleſcenes. Omnino autem quod in naui eſt gubernator, in curru auriga, in choro choraula vel coryphæus, in vrbe lex, in exercitu princeps, hoc Deus in mundo: Excepto quòd his laborioſum eſt mperare, multarumque ſolicitudinum agitationumque imperium eſt plenum: Deo autem læum, ab omni labore, & corporea imbecillitate ſepoſitum. Nam cum habitet in loco immobili, omnia mouet & circunducit quocunque voluerit, & quomodo, in diuerſis formis & naturis, cut prorſus & lex vrbis: quæ in animis eorum, qui ea vtuntur immota manens, omnem moeratur rempublicam. Exeunt enim magiſtratus ad munera, ſequentes eam ius dicturi ad foum quiſque ſuum, conſultores, & oratores ad conciones. Alterque in Prytaneum tendit, acpturus annonam, alius ad Iudices, ſe expurgaturus, alius ad carceres. Fiunt item epulæ legimæ, Panagyres, ſacrificia Deorum, cultus Heroum, iuſta defunctis ſoluuntur. Dumque alia aliis ad vnum imperium, autoritatemque legis fiunt, ſeruant rationem creantis, & facien- s. Vrbes autem ſimul odoribus fragrant, ſimul pæaniſmis & cantibus perſonant. Sic de mate vrbe hoc mundo cogitare debemus. Lex enim nobis æquiſſima eſt Deus, quæ nullam adittat correctionem, aut mutationem: melior, firmiorque, vt reor, his quæ in columnis deibuuntur. Præſidente autem eo, immobiliter, & moderatè ſemper vniuerſus ordo cœli, &

Præclaræ comparationes ad ſinigficandam Dei potētiam.

Lex Deus,

Varij vſus terræ fructuum.

Animalia omnis generis naturam .i. Deum ſequuntur. Deus, eſt per quem viuimus.

ζῆνα καὶ δία. quaſi δι᾽ ὃ ζῶμεν

Varia Dei nomina & eorũ ratio.

Parcæ.

terræ peragitur,diuiſus ſecundum naturas omnes, per propria ſemina in plantas , & animalia,in generaque & ſpecies. Nam vites quidem & palmæ & perſica , ficusque dulces oliuæ, vt ait Poeta: quęque fructu carent,alios autem vſus exhibét,platani,ſpinus,buxi,Populus atque alnus pariter & odora Cypreſſus: & quæ fructum dulcem,ſed qui difficilè recondi poſſint, Meſpilaque & mali,præclaro & Punica fructu: Animalia quoque agreſtia,& cicuria quæ in aere,terra,aqua nutriuntur,naſcuntur,& augentur,& intereunt , Dei ſtatutis obtemperantia. Omne enim quod reptile eſt,in terra paſcitur,vt ait Heraclitus. Qui cum vnus ſit,multis nominibus appellatur,omnibus affectionibus,quas ipſe nouat. Vocant autem eum Iouem,id eſt,Zena & Dia, appoſitè his nominibus vtentes,perinde ſi diceremus,Dio Zomen,id eſt,per quem viuimus. Dicitur item Filius chroni,vel temporis , quia ab omni æuo, in omne æuum eſt ſempiternus. Fulgurator quoque & Tonans,Serenator,Aetherius,Fulminator,Hymbrificus,ab hymbribus,fulminibus,cæteriſque. Item Frugifer a frugibus, Gentilis ab vrbibus, Natalis, Patrius, Domeſticus, quia cum his communicet. Amicabilis item & Socialis,Hoſpitalis, Militaris,Trophæifer,Expurgator,Depulſor,Supplicabilis, Dulcis,ſicut Poetæ dicunt. Seruator item , ac Soſpes verè. Vt autem in vniuerſum dicam, Cæleſtis,Terreſtris, ex omni natura,& ſorte nómen accipiens , vtpote omnium ipſe autor. Eoque apud Orpheum non malè appellatur tot illis nominibus. Neceſſitatem quoque alium,niſi iſtum dici non credo,quaſi ſit ſubſtantia immobilis. Fatum quoque,quia fatur, & ambulat citra impedimentum. Sors item,quia definit omnia,nihilque eſt in rebus infinitum. Pars item,quia partitur. Nemeſis,quia vnicuique diſtribuit. Adraſtia,quia operatrix cauſa,ſecundum naturam. Aeſa quoque , quaſi Aiuſa, id eſt, ſemper exiſtens. Et quæ de Parcis,ac fuſo,dicuntur,in iſtum etiam ſpectant. Tres enim ſunt Parcæ,pro tempore diſtributæ,ſtamen autem aliud factum, aliud nendum,aliud quod ducitur. Ac præteritum tempus deſignat , quæ dicitur Atropos , quoniam præterita ſunt immutabilia. Futurum Lacheſis,in omnia enim naturalis manat ſors. Præſens Clotho,complens, & ducens cuique ſua. Terminatur etiam fabula non inconcinnè. Hæc autem omnia,nihil ſunt aliud,niſi Deus,quemadmodum egregius Plato inquit: Deus , vt eſt antiqua fama, principium,finem,mediumq; omnium habens rerum,recta tendit ſecundum naturam incedens. Hunc autem ſequitur Iuſtitia,vltrix eorum,qui legem diuinam deſerunt. Cuius,qui velit eſſe beatus,& fortunatus,ab ipſo mox exordio ſit particeps.

De hoc Philoſophiæ compendio quædam probationes , quòd Ariſtoteles prouectioris ætatis, & ad Alexandrum ſcripſerit. ſæpe magnos viros ſententiam mutaſſe: Multa ex priſcis Ariſtotelem in contrarium retuliſſe: Multa ſcripſiſſe Ariſtotelem, quæ non extent. Cap. IIII.

Ariſtoteles philoſophiæ epitoma.

Loquũtur ſenes dulcius.

Gellius li. 20.cap.4.

Ariſtoteles vt viri docti ſolent, ſua mutauit.

Opinionũ mutatio in viris doctis

HAEC tot,tamq; præclara attulit de Deo Ariſtoteles teſtimonia,vt plura ferme,clarioraque,ab his qui cæleſte nectar ebibiſſent,roreque diuino pectora imbuiſſent,dici non poſſint. Hunc autem librum illius eſſe,probat maiorum , vt ſuperius dixi,autoritas,qui eum appellabant Philoſophiæ ſuæ ἐπιτομὴν , Compendium , quod poſt omnia , quæ nunc habentur paſſim , cum iam prouectæ ætatis , iam grauis annis,ad Alexandum ſcripſit. Totamque in hoc libro breuiter,& dilucidè, ad Imperatorem videlicet , cui non eſſet in obſcuriſſimis Philoſophorum ſententiis tempus inſumendum , explicauit traditam aliis in libris,additis nonnullis,Philoſophiam. Propterea locutus eſt explicatius & apertius,quàm aliis in libris . Loquuntur enim ſenes dulcius,cum poſito iuuenili calore,& inanis gloriæ, quam ſæpe ex ſermonis obſcuritare captamus,cupiditate,veriora loquimur & clariora. Nam qua cæteros ſparſit Philoſophiæ ſuæ libros obſcuritate, non caſu , talemque phraſin ei ſuggerente natura, ſed dedita opera eum adhibuiſſe, declarat ipſius teſtimonium , cum quereretur Alexander, quòd libros Philoſophiæ in vulgus edidiſſet: reſpondit,ſciret eos editos & non editos . Nunc autem ad maiorem totius Philoſophiæ,quam difficilem cæteris in locis,& obſcuram tradidiſſet,claritatem, & quòd tali principi ſcriberet,amplexus omnia,& additis nonnullis,luculenter expreſſit . Eoque, vt dixi , omnia hoc in libro ferme dogmata eius reperias . Quæ verò addita ſunt, ſunt ea quæ vel ſuppreſſerat propter obſcuritatem , vel tempus nondum perfectè reuelauerat. Neque verò mirum eſt , aliquid eum hic vel diuerſum ab aliis Philoſophiæ libris tradidiſſe, vel explicatius , & melius de Deo docuiſſe . Nam omnes propemodum Philoſophos , omnes item ſcriptores , aliquid in dogmatis ſuis inuenies , ſi diu vixiſſent , poſtea demutaſſe . Sæpe diuerſæ ſententiæ fuerunt in ſenectute , atque in iuuenta . Quin a ſexennio variari animos magnorum philoſophorum deprehendes . Vidi ego claros quoſdam viros , quas profeſſiones quondam conſtanter tuerentur , poſtea eouſque deſeruiſſe , vt execrarentur prorſus , auerterentque mentem. Et quæ pro veris decretis habuiſſent , poſtea fuiſſe deteſtatos,aut omnibus modis contempſiſſe. Hæc, qui ſcriptores item habet Græcos & Latinos perſpectos, facilè cognoſcet, & omnis ætas abunde teſtatur . Semper enim ad meliora proficimus . Sine dubio autem ſunt meliora poſteriora,vt eſt in prouerbio, δεύτεραι φροντίδες. Cuiuſuis enim,vt ille inquit, eſt hominis errare,nullius,niſi inſipientis,perſeuerare in errore: poſteriores cogitationes ſapientiores eſſe ſolere. Quòd ſi tempus eſſet, oſtenderem in vnoquoque grauiſſimo ſcriptore huiuſmodi multa. Quæ quidem non habuerim pro inconſtantia,ſed potius in naturam humanam,ſemperque elucentem magis veritatem retulerim. Quæ,vt Heraclitus inquit, cum latitet in profundo demerſa, tempus,quod,vt dicitur, πάντων βασανιστής, elicit in lucē.Sed tamen hæc,quæ dixit Ariſtoteles hoc in libro,non ſunt his aduerſa,quæ cæteris in libris tradidiſſet, ſed magis aperta & explicata.Nam apparet eum eius mentis alibi fuiſſe,licet ſuppreſſè,& tacitè. Ac contulimus ſuperius quædam loca. Veriſſimè quoq; deprehenſum eſt,Ariſtotelem in libris Philoſophiæ naturalis & diuinæ,maiorum ſententias ſæpe peruersè,vt ſuis reprehēſionibus eſſet locus,retuliſſe,poſtea vero modo propoſuiſſe, cuius vnum nunc, vel alterum duntaxat afferam exemplum. Cum in ſecundo maioris Philoſophiæ,irriſiſſet Empedoclem,qui quādam Vnitatem, principium faceret omnium rerum, diſſimulans ſe quamnam Vnitatem ille ſenſiſſet intelligere, in libro de Mundo apertè confeſſus eſt,eadem eius adducens & collaudans carmina,eum de Deo fuiſſe locutum,qui rerum omnium fuerit Principium. Ecce igiturquod illic occultabat, expreſſit in Compendio. Item eodem libro ferme reprehendit Heſiodum, qui cum Deos principia rerum dixiſſet,quæ quidē Nectar & Ambroſiam non guſtaſſent,aſſerit mortalia remanſiſſe.Ipſe verò inquit, Certum eſt, ꝙ hæc nomina ſolis illis nota ſunt. Et de ipſa nominum prolatione,ſupra nos dixerunt. Nam ſi voluptatis cauſa ea propoſuerunt,nihil cauſæ ſubſiſtendi habent Nectar,& Ambroſia. Quòd ſi habent, quomodo ſunt æterni,qui alimento indigeant?Sed de his qui per fabulas ſapientiam oſtentarunt,indignum eſt attentius loqui.Hæc ille.In quo non ſolum ineptè facit,quòd reiicit quæ ad verum ſenſum facilè & expeditè poterat traducere, ſed etiam ſibimet contradicit. Recita enim ei verba ipſius,in vndecimo,cum maiores aſſerit,id eſt,Heſiodum,alioſq; diuinè locutos, quòd Deos principia rerum dixiſſent: Clarum autem erat,cur Heſiodus diceret mortalia, quæ Nectar & Ambroſiam nō guſtaſſent.Vtrunque nomen ſonat immortalitatem.A Deo non facta immortalia,nec naturæ diuinæ participia, Ambroſiam non bibiſſe. Et ipſe ait de nectare Deorum in ſecundo magnorum Moralium,cum reprehenderet eos,qui voluptates,velut generationes damnarēt.Accidit,inquit, his qui voluptates improbant, οἷον οἱ μὴ εἰδότες τὸ νέκταρ οἴονται τοὺς θεοὺς οἶνον πίνειν, καὶ οὐκ εἶναι τούτου ἥδιον οὐδέν: Sicut illis,qui neſciunt Nectar,putant Deos bibere vinum,neque eſſe eo ſuauius quicquam,hoc autem patiuntur propter inſcitiam.Se ipſum igitur condemnat Ariſtoteles:ibi fingebat ſe neſcire quid Nectar eſſet,hic apertè ignaros,& vulgares vocat,qui neſciant.Et confitetur Nectar aliud eſſe,quàm vinum.Multa ſunt alia huiuſmodi, quibus intelligas non eſſe verba eius, quaſi Deus quis ſit locutus,tanti facienda,vt alia veritas eſſe non poſſit. Scias eum hominem fuiſſe,eruditum quidem,ſed non æquè fortaſſe bonum,quod in Philoſophia plurimi refert.Ea ſequimur enim,approbamus,opinamurque magis,quibus plurimum fauemus. Illud item conſtare debet,multa Ariſtotelem ſcripſiſſe,è quibus minima ad nos pars peruenerit. Ac vt mittam innumera,quæ ſcribit Diogenes Laertius,adducit ipſemet autor librum de bono,in quo vt Græci teſtantur,vendicat ſibi τὰς ἀγράφους πλάτωνος δόξας, opiniones Platonis non ſcriptas. Eius in primo de Anima,& Philoſophia meminit. Quid illud quod Marcus Tullius, qui & orator magnus, vt inquit Lactantius,& Philoſophus fuit,in primo de Natura Deorum? Ariſtoteles quoque,inquit,in tertio de Philoſophia libro multa turbat,a magiſtro Platone diſſentiens. Modò enim Menti tribuit omnem Diuinitatem,modò Mundum ipſum,Deum dicit eſſe, modò quendam alium pręficit mundo,eique eas partes tribuit,vt replicatione mundi quadam,motum regat,atque tueatur. Tum cœli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens cœlum mundi eſſe partem, quam alio loco ipſe deſignarit Deum. Hæc Marcus.Iſte autem tertius liber nuſquam eſt nunc. Apparent autem vera,quæ dicit Marcus.Et in hac inconſtantia ex rei obſcuritate eum fuiſſe,ex his,quæ habentur in Philoſophia eius. Nam Mentem in libris,poſt naturales res,appellat diuiniſſimam, ea dicens nihil eſſe melius. Ardorem autem cœli,& cœlum ipſum in eiſdem libris deificat, appellans corpora diuina ſtellas.In hoc autem de mundo Compendio,præficit,vt vidiſti,Deum omni mundo. Obſcuritas igitur Diuinitatis fecit vt prius diuerſa ſentiret,nunc hic,nunc illic ſtatuens Diuinitatem. Itaque non mirum,quòd tantam etiam nos in dictis eius inconſtantiam deprehendamus. Quam quidem conabuntur minores Peripatetici diſſoluere, ſed, vt mihi ſemper viſum eſt, quoties eos audiui,impudenter.Hunc enim ſibi finem propoſuerunt, vt quem ſolum ſequuntur, non ſolum Stentoreis contentionibus & clamoribus, ſed vſque,ſi quidem opus eſſet, ad ſanguinis effuſionem tuantur. Acceſſit ea calamitas, quòd cum cęptum eſt abhinc trecentis annis in Gallia & Italia philoſophari,vnum Auerroen, quòd nō extaret alius,ſunt ſecuti. Qui cum Arabicè ſcripſiſſet ab Hebræis in ſuam linguam tralatus, ab aliis in Latinum verſus, ſolus tantæ apud eos celebritatis fuit,vt hunc vnum admirarentur,eumque & præceptorem ſupra cæteros efferrent. Scilicet & illam linguæ imperitiam,malæque tralationis verba vſurparunt, & hominis parum rerum periti placita ebiberunt,vt vtraque barbarie degenerarint.Sed hæc nos omittentes,quædam ex his quę ſunt in Compendio declaremus.

Poſteriores cogitationes,meliores.

Veritas demerſa ī ꝓfundo.

Metaphy. 13.cap.8. Nectar & Ambroſia.

Ariſtot.homo doctꝰ, ſed non æquè bonꝰ.

M. Tullij laus ex Lactantio.

Peripatetici impudētes in rebꝰ arduis vt ī diuinitate agitanda. Auertoes, autor impius & barbarus.

Examinatur Philoſophia, quæ eſt in Compendio: Vbi vnum duntaxat cœli motorem, dominumque totius vitæ videtur Ariſtoteles agnoſcere. Quòd minores iſto ſupremo Deos quoſdam confeſſus eſt: Quòd eius poteſtatem omnia inuiſibiliter operari dicit. Cap. V.

Cęlũ, Dei domiciliũ

Singularis diuinitas.

Ariſtotelis opinio de actione & prouidentia Dei.

Angeli, miniſtri Dei.

Solis curſus & creatio.

OBSERVARE primum nos conuenit, cum paſſim eo ipſo libro dixerit Deum è cœlo, totum gubernare mundum, ipſe tamen & Plato ſæpe dicunt Deos habitare in cęlo, eos rebus humanis pręſidere. Huc ſcilicet ſpectat, cœlum, rerumque moderamen, natura illius eſſe vnius, horum autem munere eius. Nam principio de mundo loquens: ἧς τὸ ἀνώτατον, θεῶ οἰκητήριον: Cuius altiſſimæ partes, ſunt habitatio Dei. Paulò pòſt: καὶ τὸ μὲν ἄνω, θεῶ ἀπέδειξεν οἰκητήριον, κάτωδὲ ἐφημέρων ζώων: Cuius ſummum, Deorum habitaculum eſſe voluit, inferius animalium corruptibilium. Quis hoc voluit? Ille ſcilicet, de quo tam mira ſuperius. Ille igitur ſtatuit ſupremam mundi partem, vrbem eſſe Deorum. De quo etiam ibidem, τὸν κόσμον ὅλον συνεστήσατο: Totum mundum creauit. Factum eſt igitur eo confitenti, hoc omne aliquando. Et cum dicunt Deos, ſentiunt eos eſſe minores, non æquales primo, vt è toto opere, quo toties, totque exemplis ſingularis vnius principatus probatur, apparet. Totaque eius collecta varijs argumentis de Deo probatio, ſingularem, non multorum ſpectat Diuinitatem. Ac illud exemplum, quod de Rege Perſarum, omnique regni, miniſtrorumque ordine propoſuit, pulcherrimum eſt, maximeque veridicum, ſi quis ſanè de ſede Dei præſentiaque cæleſti, quæ maximè in cęlo conſpicua ſit, ſenſerit. Nam eſſe Deum vbique, ſuperioribus, vt vidimus, Theologis eſt apertè prædicatum, cum Iouis omnia plena, cum portus & vrbes, & ſemitas eum implere, animationem Vniuerſi per omnes mundi partes intentam & commeantem eſſe prędicarent. Nunc autem Ariſtoteles, cum de omni terreno opere vitaque corporea, quæ ſub cęlo agitatur, loquatur, fatetur indignum eſſe Deo, eum viliſſimis quibuſque, exiguiſque Naturæ operationibus, tanquam architectum intereſſe. Aliter autem per omnem mundum eum verſari, præſentem explorantemque omnia, & conſeruantem, quorum primum ad Naturæ prouidentiam, alterum ad res humanas pertinet, euidenter eſt confeſſus, in fine libri, dicens Prouidentiam res humanas contemplantem, Iuſtitiam illi ire comitem, prauè viuentes inſectantem. Principio autem tradiderat conſeruari machinam mundi, varioſque rerum ordines à Deo, quod etſi poſſit in primum motum referri, perfecta tamen gubernatio, & conſeruatio, niſi præſidente Deo, non eſt. Denique quod ait τῇ δυνάμει, per poteſtatem eum præſentem eſſe, idem eſt atque per præſentiam, ſi conſideres, Deum non indigentem opera miniſterioque cuiuſquam, omnia, vt ipſe fatetur, operari ſine labore, & defatigatione. Si enim poteſtate ſua operatur, vbi ſit poteſtas ſua, affore quoque ipſum, ſi non ope alterius, ſed ſua in creandis & conſeruandis rebus vtitur, palam eſt. Illud ſanè veriſſimum eſt, omniumque mortalium conſenſu prædicatum, Deum eſſe in cęlo. Et de cęlo deſcendiſſe ſæpe dicitur, in cęlumque, functum muneribus, quorum gratia veniſſet in terras, rediſſe. Quomodo autem qui dicitur in cęlo videri, per totum mundum inuiſibiliter ſit diffuſus, intelligi quidem à nobis non poteſt. Quia, vt inquit Mercurius, cogitare eum difficile, loqui impoſſibile, & ſi motus cæli, ſit cauſa generationum, ſuperſunt tamen alia, quæ nihil illum motum ſpectent. Tantundem igitur eſt, eum poteſtate inuiſibili, & ſua, non functione miniſtrorum, vbique eſſe, atque ſubſtantia. Spectat quoque illud exemplum, etſi de cauſis terrenis eſt maximè locutus, quæ ſint tanquam eius obſequentes imperio miniſtri ad Angelos, quos per omnem mundum habeat diſtributos, imperium ſuum, velut Reges & Satrapæ, Duceſque adminiſtrantes. Nam & ipſe Philoſophus eorum penè nomine eſt vſus, cum de Rege Perſarum loqueretur, ἀγγελιοφόροι, nuntios ferentes. Sic & cuſtodes cæteraque officia. Iam quod ait, Omnium rerum Princeps, καὶ γενέτωρ, Genitor inuiſibilis, quid aliud ſonat, quàm generationes omnes eum feciſſe ac facere, non ſolum per motum luminis & caloris cæleſtis, ſed per alias item particulares cauſas, quæ ad generationem concurrunt? Etenim ſpecies ipſæ, formæque rerum, non ſunt a motu cęli, etſi a calore Solis creſcant. Innuit igitur totum exemplum, Deum per naturales cauſas, quarum inuentor ipſe fuit, vt hoc facerent, quod facere videntur, rerum naturalium omnem agere cateruam. Quod ipſe ſapienter in poteſtatem eius, quæ primo cieat molem cęleſtem, vt per vnam principalem cauſam, multa cooriantur, retulit. Ideo enim Solem primum omnium corporearum rerum fecit, & fecit ab ortu in occaſum euntem, rurſumque redeuntem, nuncque ad Boream, nunc ad Meridiem accedentem, vt fieret, quidquid nunc per vnam hanc a Deo repertam cauſam fieri videmus. Quodque ad operationes cęli ac terræ naturales ſpectat, diceret Ariſtoteles, non ad vnamquamque aſſidente Deo fieri, ſed per maiores cauſas, vt qui poſuit maiores illas facturas, quæ poſtea conſtantiſſimè imperiis eius obſequentes fecerunt, vtique cunctarum rerum autor ipſe fuerit. Iureque in ſacris litteris, omnes Naturæ operationes, in eum referuntur, eum vẽtos impellere, arbores producere, animalia creare dicentes. Quod etſi per naturales, maioreſque cauſas, non per præſentiam eius, id eſt, manibus ſuis animalium corpora formantis, fieret, eadem tamen ratio eſſet. Nam quod manibus faceret ſuis, facit per cælum, per Solem, cęterasq; cauſas, quas iuſſit & diſpoſuit, hæc operari, tanquam manibus ſuis eis vſus. In Theologia quoq; eſt, eum poſt creatam lucem, & iuſſam vt circum cęlum ſeſe rotaret, creaſſe cælum, hoc eſt, aerem, factum à Deo per Solem: inde terram iuſſiſſe nudari, quod item per Solem factum eſt: nudatam plantas, animaliaq; producere. Sic aquis imperaſſe, proles aquaticorum varias in lucem efferrent. Omnia ab omnipotente vno facta, quorum faciendorum diuiniſſimè cauſas excogitauit. Quod & Ariſtoteles referens, in hac omni eius operatione, rerumq; procreatione, vnam tantum principalem, cæteriſque maiorem memorat cauſam, Solem: Sacrę autem litteræ, tacitè Solem innuentes, particulares item in terra cauſas, quibus imperaret Deus, aſciſcunt. Non igitur Deus, cum animalia terreſtria aquaticaque, cùm arbores & herbas crearet, manibus ſuis lutulentam illam terram capiebat, ſed reperit, ordinauitque cauſas, vt hæc ipſa operarentur. Adeſt tamen ipſe præſens opificijs ſuis, non potens (qui tantus ſit) non adeſſe. Hoc ſentit Ariſtoteles. Atque obſerua quæſo, quod cæteris in libris tradidiſſet, ad vnumquenque orbem aſſidere motorem mouentem, diuinam Intelligentiam, vt nunc emendet. Non enim vllam aliam memorat nunc in cęlo Intelligentiam, torquentem cœleſtes orbes, ſed Deum vnicum, cuius potentia moueat Solem, Lunam, totumque circumagat cęlum: αὐτὸν μὲν ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω χώρας ἱδροῦσθαι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου διήκουσαν ἥλιόν τε κινεῖν, καὶ σελήνην, καὶ τὸν πάντα οὐρανὸν περιάγειν: Ipſo quidem, inquit in altiſſima regione præſidente, poteſtatem eius, quæ per vniuerſum mundum penetret, mouere Solem, & Lunam. Excluſit igitur cæteras omnes nunc, & toto illo opere Intelligentias, velut ſcilicet ſuperuacaneas. Si enim fieri potentia eius, quam fatetur ἄτρυτον, indefatigabilem, totius cęli poteſt conuerſio: Et ſi mouet primum, vtique poterit minores orbes mouere. Caſtigauit igitur, expoliuitq;, quod aliis in libris tradiderat. Atque item obſerua, quòd & ipſum prouectior emendauit ætas. Non enim includit Deum in orbem cœleſtem, ipſum animantem, aut incluſum mouentem: ſed ait eum præſidentem in altiſſima cęli regione, vt dicit in libro de Cęlo, ἐξωτάτω τῆς φορᾶς, extra omnes motus cęleſtes, poteſtate ſua, quæ ſit vſquequaque diffuſa, mouere, non primum ſolum, ſed item omnes orbes: adhibens pulcherrimum exemplum, vt qui ſinu contineat diuerſa animalia, volucria, reptilia, natantia, detq; libertatem, motumque omnibus, alia cęlum petent, alia terris inambulabunt, alia natabunt aquis, Sic ad vnum Dei motum, fieri diuerſam luminum cęleſtium motionem. Dei dico, non incluſi in orbe, ſed velut Imperatoris, Dictatoriſque magni præſidentis in cęlo, ſua vera poteſtate, nutuq; cęlum mouentis. Repete igitur, vt totius Philoſophiæ ſentias concentum, quæ ſuperius dixerat oraculum Apollinis, κόσμων ἀμφιδρόμων ἐποχούμενος, Mundis circumrotantibus inuectus. Et ſacræ litteræ, Pſallite ei, qui aſcendit ſuper occaſum. Hebraicè, Qui equitat ſuper Araboth, ſphæras cęleſtes, aut pręſidet in altiſſimis cęli regionibus. Hoc ſæpiſſimè loquitur Ariſtoteles, dicens ad vnius Dei inuiſibilem concitationem, totum mundum moueri, nihil citra opem eius fieri poſſe, omnia vel in aere, vel in terra & aqua opera, illius eſſe, qui totum contineat mundum, à quo per ſimplicem cæli motum, quo cuncta lumina contorqueantur, Sol, Luna, aliique planetæ, omnes rerum formę in lucem edantur: appellans Deum inuiſibilem, motumque iſtum eius item inuiſibilem, inuiſibilemq; præſentiam, & poteſtatem, ſicut noſter animus ſit inuiſibilis. Quo exemplo etiam Marcus Tullius eſt vſus pro Milone, his verbis, Et eſt profectò illa vis, neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto Naturæ tam præclaro motu? Niſi forte iccirco non putant, quia non apparet, nec cernitur. Perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus, ac dicimus, videre, aut planè qualis, aut vbi ſit, ſentire poſſimus. Ea vis, ea eſt igitur, quę ſæpe incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit. Hæc Marcus, In quo & ipſe diuinæ Prouidentiæ eſt aſſertor, & eam comparans menti noſtræ, non iccirco negandam dicit, quia non videatur. Nam, & animum noſtrum, quo hęc omnia dicimus, cogitamus, intelligimus, videri non poſſe. Erit ergo in hac fragilitate noſtra, quod regat, gubernet, vigeat, ſentiat, & non erit in toto mundo? Ac Marcus paulò antè & ipſe cæleſtis motus vſus eſt exemplo.

Sol primũ creatus, deinde alia oĩa, Ariſt.

Diuina intelligentia mouens orbes cœli.

Deꝰ, vt imperator, & dictator aliquis cælo p̃ſidet. Pſal. 67.

Locus ex Miloniana Ciceronis.

2. De natura Deor.

Ariſtotelem fateri à ſummo Deo factos Deos minores: interpretari Deum, quam Vnitatem Empedocles dixiſſet: confiteri diuinam Prouidentiam, quæ naturam excedentia aliquando inoperetur. Compendium verè eius eſſe. Loqui nunc emendatius eum de Vno ſingulari, quod alibi de pluribus. *Cap. VI.*

ALIVD item in Ariſtotele obſeruandum eſt, quòd referens, vt ſæpe dixi carmina illa Empedoclis, in quibus cuncta ab vno deducebat, Vnius Dei ſingularem maieſtatem eſt confeſſus, licet Vnitatem ipſe hoc in libro non expreſſerit, ſicut in Metaphyſica. Nam quod illic Vnitatem dixerat, in Epitome Deum interpretatur. Idem etſi non adduxerit in iſto libro, dimidium carminis eiuſdem Empedoclis, in quo dixerat ab vno natos, καὶ δολιχαιῶνας θεοὺς, etiam Deos longæuos, ſubeſt tamen hæc ſententia, creatos etiam à Deo

A Deo Deos creatos.

In Metap.

Ariſt. præclara hiſtoria de eorum pietate, qui ex incendio Ætnæ mõtis parẽtes liberant.

Deos eum confiteri. Nam ſi probat ea carmina Empedoclis (in his autem dixerat ille, nata omnia ab Vno, etiam Deos) profectò ſentit eadem Ariſtoteles. Sicq; apertè cuncta fatetur ab Vnitate, ſingulariq́ue Deo profecta. Nam in libris item illis poſt res naturales, affirmat Empedoclem tradidiſſe nata ab Vno cuncta, πλὴν ϑεὸν, præter Deum, innuentem propemodum, ipſum eſſe illam Vnitatem, quæ produxerit omnia. Iam in hoc Compendio perſpicuè diuinam ſuper rebus humanis confeſſus eſt Prouidentiam. Quod poſtea ex aliis libris eius demonſtrabitur. Quippe dicit hic cùm fluuius ignis ex Aetna prorumpens, omnem circum regionem inuaderet, fugientibus ex oppidis, & agris omnibus, ſed ſenioribus affectæ iam ætatis, fugere non valentibus, adoleſcentes filios, parentes in humeros ſuſtuliſſe, ac flammam euadentes, fluuium ignis in eos ſuperueniſſe: Sed diuinam Prouidentiam, quæ rebus benefactis delectatur, perſpicuam hic fuiſſe. Scindens enim ſeſe rapidus ignis in duas partes, reliquit intactos parentes, & alios, quaſi pietatem tantam veritus. Hic ergo nominat Ariſtoteles τὸ δαιμόνιον, Diuinitatem, eamq́ue dicit præcipuo honore affeciſſe genus piorum, pium genus. Quo duo conſequuntur, diuinam pręſidere rebus humanis Prouidentiam, tum ei res omnes eſſe ſubiectas, & poſſe curſum naturalium rerum ſiſtere, ſi velit. Confitetur item miracula. Nam ingens fuit miraculum, vt cum eſſet propinquus ignis, furens rapidiſſimè, ſe ſe in duas partes diuiſerit, relictis in medio piis. Poſſetque hæc aſſertio ad alia innumera transferri. Quis autem negabit librum eius eſſe, ſi forte quiſquam eiuſmodi eſt, quem apud veteres paſſim comperies, & cuius vbique exemplaria ſint apud Græcos? Ex quo item exemplum contra Epicurum affert Plutarchus, & cuius meminit Proclus. Iuſtinus appellat Philoſophiæ eius Epitomen. Certè qui ſapit, non negabit. Nam ſimilia locutus eſt, licet obſcurius in his, qui nunc habentur libri. Proponam nunc euidentiſſimum exemplum. Hoc loco dicit Ariſtoteles, numen diuinum, quod eorum pietatem gratam habuiſſent, eximio eos honore proſecutum. Audi igitur & agnoſce ſimilia in decimo Moralium. Qui, inquit, ſecundum mentem operatur, & hanc excolit, optimeq́ue affectus eſt, is videtur Deo acceptiſſimus. Si qua enim cura rerum humanarum eſt à Diis, ſicut apparet, vtique rationabile eſt delectari eos re optima, ſibiq́ue proxima. Hæc autem mens eſt, quam qui diligant, maximè, & colent, redamari eos à Diis, tanquam rerum ſibi acceptarum curatores, & rectè, ac probe agentes, fas eſt. Quid his luculentius? Eſt, inquit, rationi conſentaneum, eſt euidens, Deos curare res humanas, diligere probos, ac ſapientes, & eis beneficia præſtare. In illa igitur deflagratione, quoniam Deus pietate delectatur, mens excolitur, & eſt ſimillima Deo, quæ colit pietatem, remuneratus eſt pios. Adhibuit eis cuſtodiam. In Compendio dicit Deum feciſſe, quod in Ethicis dixerat à Diis fieri, eſſe probabile: quòd ſcilicet bonos, & honeſtos remunerentur. Hoc igitur Dij fecerunt. Honorauit eos Numen, oſtendit eos eſſe ſibi curæ, propter pios filios ſeruauit parentes. Simul obſerua, quàm ſeſe emendet. In Ethicis Deos, in Compendio Τὸ δαιμόνιον, ipſam Diuinitatem, ipſum Deum, de quo ſingulari, toties loquitur. obſerua quoque vt agnoſcit Prouidentiam, quæ mortalia curet, ſine qua opinione, certaq; fide, nihil vſquam poſſumus loqui. Item in eo ipſo Compendio audiſtis Iouem eſſe Deum, per quem viuimus: audiſtis eum eſſe, cui cuncta obtemperent, qui ſeruet regatq́ue omnia, qui ſit Neceſſitas & Fatum, quem vltrix Iuſtitia ſequatur comes, vindex ſceleratorum, leges diuinas tranſgredientium. Affirmat etiam, quæ Plato diuinus ab Archyta, Pythagoreiſq́ue audita, aſſeruerat, Deum eſſe principium, medium, finem omnium rerum. Affirmat item, quod in Ethicis dixerat, eum eſſe beatiſſimum, qui & ſapientiſſimus: Sapientem autem Deo gratum, hancq́ue eius eſſe felicitatem, quòd placeat Deo. Nunc autem beatum dicit, qui ſimul natus cœpit obtemperare legi diuinæ, vt qui velit eſſe beatus, & felix, legem diuinam, continuò vt editus eſt in lucem, ſequatur.

Deo acceptiſſimus quis.

Conſentaneũ, Deos curare res humanas.

De vno ſingulari ac ſupremo Deo, ex eodem Ariſtotele, quem à motu cœli abſoluerit, cuius ſit immenſa ſapientia, qua reſpicit etiam res humanas. Cap. VII.

SED proponam alia ex hiſce, qui nunc in propatulo ſunt, libris indicia, mentis ei Ariſtotelem fuiſſe, quam Philoſophiæ ſuæ teſtatur Compendium. Erunt autem vo lut quædam indicia, è quibus ſapientes, non ſtultè pertinaces, poſſint intelligere ſingularem Diuinitatem ei placuiſſe, non multis eam, niſi per affinitatem quandam cu primo dediſſe: Non orbi cęleſti, quem torquens in ſempiternum, actione, moderamineq́ue cęterarum rerum ſuperſederet, affixiſſe: ſed potius Deum quendam vniuerſalem, tam in cœlo ſupra ſiderum concitatione, quàm per vniuerſum mundum regnantem, cui res humanæ ſeparatim ac naturales, curę ſint, ſenſiſſe: Non aſtrorum, Intelligentiarumq; cæleſtium ei diuinitas eſſe, ſe vnius, qui & cęlum circumuertat, & omnia, quę bona ſentit de Deo Theologia, faciat Num eſſe. Nam primo, quid illud eſt, quod in libris poſt res naturales, cum de ſapientia quæreret, ſo lamq́ue eam ſui cauſam eſſe diceret, idcirco diuinam potius, quàm humanam cenſuit poſſeſſionem, quæq́ue à ſolo Deo poſſideatur? Si Sapientia eſt rerum omnium humanarum, diuinarum cognitio, & ſi in ſolo Deo eſt perfecta, veraq́ue eius poſſeſſio, illle multo magis res naturales, hu

manasq́ue

Sapientia, ſolius Dei profeſſio.

manaſque cognoſcet, quàm omnes homines, qui ſapientes, cùm res humanas, ac diuinas habent exploratas, appellantur. Quas cùm ſine collatione præ illis Deus habeat perſpectiſſimas, vtique quod debiliter, & obſcurè ſcitur à Deos clariſſimè. Sciunt autem res ſuperiores obſcurè, inferiores eodem ferme modo mortales: quarum cognitio cum ſit in Deo radiantiſſima, neceſſe eſt, quod vnanimiter antiquiſſimi Philoſophi aſſeruere, Deum vbiq; adeſſe, omniumque ante oculos eius, rerum verſari abſolutiſſimam notitiam, nullam vel tenuiſſimam rem non perſpectiſſimam ei eſſe, vel in tartara ſuis oculis, vt oraculum dicebat, penetrare. Hinc oculum eius dixit ἄλκιμον ὄμμα, fortiſſimum, robuſtiſſimum. Si res humanas neſciret, vt dementiſſimi, erroribus ſuis, quos procedere, nulloq; impediri metu Dei cupiunt, fauentes contendunt, aut ſi in vniuerſali tantum ſciret, eò ſapientiores longè homines eſſent. Contulit autem Ariſtoteles ſapientiam Dei, cum humana, dicens, quoniam ſerua, & imbecilla ſit humana natura, à ſolo Deo ſapientiam poſſideri dicendum. Et vt dicat Simonides, quem Plato in primo de Repub. diuinũ virũ & ſapientem vocat: θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχει τὸ γέρας: Solus Deus habeat hoc Decus. Quis igitur erit ille Deus, cuius vnius iure ſit ſapiẽtia? Profecto qui ſolus in oĩbus nominatur. Et vide, quàm clarè, & quod perhibuit Simonides affirmet Ariſt. & quod ſuperius oraculum, cum Deum appellabat ἀδίδακτον, non edoctũ, ſe ipſo modò ſapientem, nimirum ſapientiſſimũ, fontemque ſapientiæ. In Theologia eſt, Sapientiam fuiſſe omnium rerum inuentricem. Itemque eum clamauerunt veteres omnes αὐτόσοφον, per ſe, a ſeipſo ſapientem. Hæc omnia videns, & ſciens Ariſtoteles, tribuit, & ipſe Deo admirabilem, & pluſquam humanam ſapientiam. Noſtra enim, inquit, natura ſerua eſt. Sumus prę Deo, tanquam mancipia: ille dominus verus, Pater hominum atque Deorum, ſolus hoc nomine decoratus, vt vnus verè poſſit dici ſapiens, non vt nos mortales. Scit Deus omnia melius, quàm nos ipſi. Quæcunque ab homine noſcuntur, multò magis à Deo, in quo ſolo eſt vera ſapientiæ poſſeſſio. Hæc Ariſtoteles, dicens Prouidentiam Dei maximam, luminoſiſſimam, oculum mentemque perſpicaciſſimam ſentit. Affirmans etiam quæ in Ethicis, Si qua, inquit, cura eſt Diis rerum humanarum, vt videtur, & eſt rationi conſentaneum. Eadem affirmat hoc loco, corrigens, quod ibi de multis, hic de vno Deo. Sed illi à maximo facti ſapientes, & proſpectores rerum humanarum, vt Plato docuit in Legibus, & Sympoſio. Clara igitur eſt ratio, veraque deductio. Deinde reprehendit Ariſtoteles Poetas, qui, quoniam ſolius eſt Dei ſapientia, poſſeſſio, dixerunt eam inuidiſſe mortalibus. Reprehendit Poetas, mendaces, vt in prouerbio ſit, appellans: Non enim in Deum inuidiam cadere poſſe. Ecce igitur Deus non inuidit mortalibus ſapientiam: Si non inuidit, dedit: Si dedit, vt etiam ait Marcus, excepta ſapientia nihil à Diis immortalibus dari amicitia melius potuiſſe. Excepit ſapientiam munus Dei. Si dedit igitur, dedit quod eſt diuiſſimum, vt ipſe inquit, & pretioſiſſimum, qui autem dat, & dat quod optimum eſt, tum noſcit eum cui dat, tum amat eum vehementer. Non inuidit autem Deus mortalibus ſapientiam. Amat igitur. Recordare nunc, quæ dicit in Ethicis, eundem appellans beatum, ac ſapientem autem θεωφιλέςατον, Deo acceptiſſimum. Et paulò inferius, tria deducere homines ad probitatem, naturam, conſuetudinem, documenta. Naturam, inquit, certum eſt non eſſe in nobis: ἀλλὰ διά τινος θείας αἰτίας ἀληθῶς εὐτυχέσιν ὑπάρχειν: Sed per quandam diuinam cauſam, his qui verè fortunati ſunt, exiſtit. Exprimit igitur hoc loco, donari alteram ſapientiæ veram partem a Deo, videlicet naturæ bonitatem. Duplex enim ſapientia: altera contemplans, altera operans, mutuo connexa. Qui donat vnam, donat alteram. Probitas ex notione rerum diuinarum & humanarum, quibus bene perceptis, inſtituitur optimus vitæ curſus. Deinde duplicem tradit Ariſtoteles eſſe ſapientiam: ἥν τε γὰρ μάλις' ἂν ὁ θεὸς ἔχοι, θεία τῶν ἐπιστημῶν ἐςί, κἂν εἴ τις τῶν θείων εἴη, μόνη δ' αὐτὴ τούτων ἀμφοτέρων τετύχηκεν. ὅτε γὰρ θεὸς δοκεῖ τῶν αἰτίων πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις, καὶ τὴν τοιαύτην ἢ μόνος, ἢ μάλις' ἂν ἔχοι θεός. Hoc eſt, Quam maximè poſſideat Deus, diuina præ cæteris ſcientia eſt, & quam, ſi quis maximè diuinus. Sola autem ipſa, vtraque hæc aſſecuta eſt. Nam & Deus videtur cauſarum omnibus eſſe principium. Et talem vel ſolus, vel maximè poſſideat Deus, Repetit Sapientiam eſſe ſingularem Dei poſſeſſionem: Et Sapientiam eſſe diuinam quandam, mirabilemque ſcientiam, tum eam a Deo maximè poſſideri, id eſſe decus eius, poſſideri etiam ab aliquo diuino homine. Quomodo autem diuino? nempe ex eo, quòd primã ſedem & originem habet in Deo. Erunt ergo diuini, quibus Deus dedit ſapientiam, quaſi participes eius, quod largiſſimum eſt, & naturale in Deo. Deinde proſequitur: Iccirco, inquit, eſt in Deo ſumma ſapientia, & ſapientia eius eſt prima, nobiliſſima. Quoniam nemo eſt cui non videatur Deus eſſe principium, & origo omnium cauſarum. Aut hoc modo intelligas, Quia videtur in omnibus rebus Deus principium cauſarum: Videtur earum origo cauſarum, quæ res produxerunt, & producunt: Videtur Deus cauſa cauſarum. Quoties apud Ariſtotelem inuenies, δοκεῖ, videtur, ſcito non leuem, ſed euidentem apparentiam denotari. Videtur, id eſt, apparet, oſtenditur, claret, cognoſcitur Deus eſſe principium cauſarum omnibus rebus. Si cauſas igitur omnes Deus orditur, tanquam principium, ſcit omnia, moderatur, regit, quia ſuperiores cauſas fecit, propter res particulares. Vt exiſterent particularia, fecit vniuerſalia. Et ſi cauſas omnibus rebus dedit, dedit etiam hominum, id eſt, ſingularem vnum (vt Archytas dicebat & Pythagoras) hominem, à quo tota humana

propago

Deus oĩa vidit, & nouit.

Simonides, de Deo.

Deus, ſapientiæ fons.

Deus non inuidit ſapientiam, mortalibꝰ.

Tribꝰ maximè homines probi fiunt.

Probitas vnde petitur.

Sapientia quid.

δοκεῖ, apud Ariſt. quid.

propago naſceretur. Ex hac igitur omni Ariſtotelis confeſſione, ſequitur vnum ſingularem eſſe Deum, quem ſingulariter nominat, non alias Intelligentias. Deinde ſequitur, non ſolum motum cęli ciere Deum, ſed etiam alia multa facere, gubernare res humanas, verſari per mundum, ſcire omnia. Item fit hinc perſpicuum, cum dicit Principium cauſarum omnibus rebus, eum ſentire totum illum ordinem, quem dixit in Compendio. Nam ſi deducas omnia, orſus ab ipſo Deo, ad omnes vſq; cauſas, & res ipſas, erit totius ordinis illius explicatio. Princeps & origo cauſarũ Deus. Prima cauſa cęlum, cęliq; motus. Qui mouet cœlum, reperit cœlum, vt ipſum moueret. Si datur enim origo cauſarum Deo, certè datur non motus modò, ſed etiam corporis eius, in quo futurus eſſet motus. Quomodo enim eſſet origo cauſarum, ſi motus ſolius, non corporis moti fuiſſet inuentor? Duæ enim ſunt cauſæ: corpus ipſum quod mouetur, & motus ipſius. Motus ſine corpore eſſe nõ poterat. Multo igitur magis eſt corpus ipſum vna maxima cauſa, quàm motus ipſius, qui ſine eo eſſe non potuiſſet. Hæc igitur eſt vera deductio. Si datur Deo cauſarum principatus, datur omnium eorum inuentio, & excogitatio. Non debet eſſe mouendi potens Deus, inueniendi non potens. Nam non eſſet principium cauſarum. Aliquas cauſas feciſſet, alias facere non potuiſſet. Sicque non eſſet principium, & origo. Qui poteſt indefatigabiliter mouere, & ex motu tam mirabilem, tamq; varium rerum ordinem conficere, tot formas generare, multo magis inuenire potuit vnde talia fierent. Illud item obſeruandum eſt, duplex eſſe rerum genus, naturales, & humanas. Naturales ſunt corporeæ, quibus viuitur corporaliter: Humanæ ſpirituales, multo fortaſſe, quàm naturales maiores, quia naturales propter humanas. Si Deus igitur omnibus rebus & cauſis earum eſt principium, non ſolum naturalium erit, ſed etiam humanarum maioris ponderis. In quem enim earum principia, ſi non in Deum, referes? Iam verò quomodo vnam tantum cauſarum partem amplexus Deus, alteram tenere non potuit? Qui igitur inuenit cauſas, vt res eſſent, inuenitq; res naturales propter humanas, vtique fuit etiam autor humanarum, eadem eas regens poteſtate, qua creauit, cauſis earum excogitatis. Eo enim conſilio reperit res naturales, vt homines eſſent, & viuerent. Quibus ſi prouidit hac parte, multo magis prouidebit ea, quæ pertinet ad animos, ad præmia, & pęnas, ad merita in hac vita, & in alia. Quòd & Ariſtoteles eſt confeſſus, dicens Deos redamare, & remunerari probos. Si remunerantur, non vtique his quibus corpus viuit, paratis æque bonis, & malis, ſed alio genere præmiorum: Et vt illic, & hic dixit, largitione probitatis, & ſapientiæ: multiſq; aliis, quæ Marcus ſuperius eſt confeſſus, cùm felicitates, & opes vim illam Dei inuiſibilem attuliſſe imperio dixit. Conſentiunt igitur ſapientes, ſuper re clariſſima, cuius confeſſionẽ natura extorquet ipſa nobis, impellitq; animũ ad has voces, vt niſi velis ei reſiſtere, impetumq; eius retardare, non aliud ſis dicturus.

Principiũ cauſarum, Deus.

Deũ remunerari probos.

Ariſtotelem miris laudibus efferre, qui Menti rerum creationem tribuiſſent, in quo ſit incluſa confeſſio creati mundi. De Mente dixiſſe eum, quæ prior præceptor Plato. In his vnius Dei confeſſionem eſſe. *Cap. VIII.*

VT apparuit Ariſtotelis illa confeſſione, Deum cunctarum cauſarum eſſe principium, quæ res quàm latè pateat, videbunt ſapientes, ſic alio ſimili quodam teſtimonio fit perſpicuum, creatricem illam Mentem, rerumq; principium, ſicut Platoni, vt ſuperius eſt oſtenſum, ſic item ipſi, mirificè placuiſſe. Nam cum maiorum, & anteceſſorum ſuorum de rerum principijs proponeret opiniones, variaſq; ſententias protuliſſet, hęc demum intulit. Cogor enim rememorare, quo ſit ſermonis aptus ordo. Mentem autem qui dixit eſſe, ſicut in animalibus, & in Natura cauſam mundi, item & totius ordinis, quaſi euigilaſſe videtur ad comparationem eorum, qui antea temerariè loquerentur. Qui igitur hoc modo ſuſpicantur, ſimul quod bene cauſam, principium eſſe rerum ſtatuerunt, etiam talem conſtituerunt, vnde motus rebus exiſteret. Sic Ariſtot. Viſum igitur ſuperius ex Laertio quæ ſit Mens, quis Autor, vel Cauſa, nimirum opifex mundi, cui in ſecunda Epiſtola Patrem dat Plato. Duobuſque verbis comprobat Ariſtoteles quod de Mente rerum Principio dictum fuiſſet ab Anaxagora, aliiſq; multis. Primum quòd ait eos quaſi νήφοντας, ſobriè, prudenter, vigilanterq; locutos. Deinde quòd καλῶς, bene, rectè conſtituerunt Mentem, vnde motus fuiſſet omnibus rebus. Recolas igitur, quę dixerat ſuperius, Deum eſſe τῶν αἰτίων πᾶσιν ἀρχὴ, cauſarum omnibus rebus principium. Illic Deum, hic Mentem, Cauſam. Illic omnibus rebus: hic animalium, Naturæ, mundi, ordinis omnis. Illic apparet, claret: hic καλῶς, bene, ſobriè dicitur Mens eſſe Principium rerum cunctarum. Recordare quoque quæ Plato in Phędone loqui Socratem facit: ὡς ἄρα ἐςὶν ὁ διακοσμῶντι· καὶ πάντ αἴτιος ταύτῃ δὴ αἰτίᾳ ἥσθην τε, καὶ ἔδοξε μοι τρόπον τινὰ εὖ ἔχειν τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον. Hæc ex libris Anaxagorę, quos de natura ſcripſit: Quòd ſcilicet Mens exornauerit, & omnium cauſa extiterit. Hac ego cauſa lętatus ſum, viſumq; eſt mihi modo quodam bene habere, Mentem eſſe omnium cauſam. Vides mirum in modum cunctis placuiſſe inuentionem omnium rerum, & ordinum Menti adiudicari. Vides alium longè Deum, quàm illum, qui moueat cęleſtem machinam. Nam iuxta ſuperiores, etiam ipſam, quam mouet, reperit: Quippe Anaxagoras, quod ab Ariſto. & Platone approbatur, non præſentem tantum rerum, continuatamq; per omne tempus

8. Phyſic.

Mens, Autor, Cauſa, Pi Deus.

Ordo rerũ omniũ à Mente.

generationem,Mentem ſuſtinere docuerat, ſed inueniſſe aliquando & feciſſe,quod faciat ad om
ne tempus, quod Ariſtoteli,& Platoni,ſi bene dicta ſua penſitare, ſecumq́; meditari voluerint, eſt
confitendum. Sed Plato quidem manifeſtè in Timæo, inducens Creatorem mundi, ſupernum al-
iſſimumque Deum, vt Plutarchus ait, eumq́; appellans Opificem, quem Anaxagoras Mentem.
Ariſto.autem paulò antè,dans principium omnium cauſarum ipſi Deo : nunc autem dans Menti
auſam mundi, Naturæ, animalium, totiuſque ordinis : & eos qui hæc confeſſi ſunt collaudans,
rofectò ſentit eundem Deum,ac Mentem,eumq́; omnium rerum Principium. Ac veriſimile eſt,
adem affectum lętitia, & quiete mentis Ariſt. ſuper conceſſa Menti rerum inuentione, qua leta-
us erat Socrates apud Platonē;Ariſtotelesq́; ipſe bene fatetur eos Mentē cauſam ſtatuiſſe, vnde
motus rerum extiterit. Socrates autem ait, bene habere ſibi viſum, dare Menti principatum. Hęc
vera ſunt, huç illi propenſiores fuerunt. Quidquid alibi ſtatuerunt, aut aliò pertinet,aut tandem
eniunt huc omnia,ſi rectè reſoluas. Atq; vbi paulò pòſt eodem libro coarguit Ariſto. Anaxago-
am ſuper Mente , coarguit , quòd cùm rerum principium Menti dediſſet, non ea vtatur ad to-
am Coſmopœiam.Sed ſolum cùm in dubitationem caderet, quare quidq; eſſet neceſſarium, eò
Mentem trahebat : Quare cęlum moueatur,quia Mens,inquit,voluit: quæ cauſa creauit anima-
ia, Nimirum Mens reperit modos eorum ſerendorum veros . Sic omnes rerum neceſſitates ad
Mentem reuocabat. Faciebat enim, quod perhibet eum feciſſe Socrates, & ipſe maximè com-
robat dicens, Exiſtimauiq́ue ſi Mens creauit mundum, τὸν δὲ νοῦν κοσμοῦντα πάντα κοσμεῖν, καὶ
καστον τιθέναι ταύτῃ, ὅπῃ ἂν βέλτιστον ἔχῃ: Ipſam creantem,omnia adornaſſe,& poſuiſſe ſic rem
namquanq;, vt optimum eſſet. Deniq; hęc item addit ibi diuina Socrates,vt rem totam cogno-
cas. Si igitur, inquit, cauſam reperire volueris de vnaquaque re, quomodo exiſtat, vel intereat,
el ſit, hoc oportuiſſe dices de ea inuenire, quod ei optimum eſſet, vel eſſe, vel alio modo affici,
ut agere. Ex qua ratione nihil aliud homini conſiderare conueniet,tum de ſe,tum cæteris rebus,
uàm quod ſit optimum, & vtiliſſimum . Sic neceſſe erit cognoſcere quid peius. Eadem eſt enim
eis ſcientia. Hęc igitur penſitans,lætabar me pręceptorem inueniſſe, qui mihi cauſam omnium
erum aſſignaſſet , Anaxagoram , cur terra lata , vel rotunda facta eſſet: hoc aſſerto dicturum
lum , cauſam neceſſitatemq́ue putabam , quòd ita melius eſſet , & quòd præſtiterit eam
ſe huiuſmodi . Et cur in medio ſit poſita, nimirum , quia melius eſſet eam in medio eſſe.
uibus ab eo aſſignatis, non eram aliam cauſam quæſiturus. Sic de Sole, Luna, cæteriſq́ue
ſtris, eorumq́ue celeritate, conuerſionibus,aliiſq́ue affectionibus, agere, & facere ea, quæ eſſet
æſtantius. Neque enim putabam eum , vbi Mentem ea exornaſſe dixiſſet, aliam cauſam ſu-
erindicturum, quam quod optimum fuerit, ea ſic habere , ſicut habent. Cæteraq́ue per-
quitur Socrates , in quibus eam demum reprehenſionem atq; Ariſto.adhibet, quòd cum Men-
m pulcherrimè , ſapientiſſimeq́; principium feciſſet , poſtea deſerit eam. Vtunturq́ue Plato , &
riſt. eodem verbo de Anaxagora.Plato progreſſus, inquit, vt viderem, & legerem, video ho-
inem τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, Mentem nuſquam vtentem. Ariſto. ἀναξαγόρας μηχανῇ χρῆται
τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν. Anaxagoras vix vtitur Mente, ad creationem mundi : ideſt,rerum
eatarum poſt mundi ornatum . Ex hac igitur reprehenſione apparet eis mirificè Mentis princi-
atum placuiſſe, quæ ſapienter omnia poſuerit : ſed cum diſpliceat, quòd non vbique Mentem ,
uod facit Moſes , adhibuerit cauſam , etiam palàm eſt , multo magis hanc eis cauſam placuiſſe.
oſes eadem ſemper dicit Deum feciſſe, creaſſe cęlum , & terram, animalia, plantas, hominem,
iq; Mentem rebus creandis pręficiens. Quam Theologiam ſi Plato & Ariſto. videre potuiſſent,
am approbaſſent? Quorū hoc loco eadem eſt atq; Moſis certè confeſſio, à Deo cuncta gene-
ta,& facta,& diſpoſita diſpoſitaq́; vt melius fuiſſet, cùm dicat ad vnūquodq;, Et vidit Deus, ꝙ
ſet bonū. Qua aſſignatione Plato fatetur ſe eſſe contentū, vt dicas bonum,quod Mens excogi-
ſſet. Sic quod audis apud Moſen,Feciſſe,deinde bonū ipſi viſum eſſe,mirificè Plato approbaſſet,
uia ſi Deus,ſi Mens,ſapientia,conſiliū,ſolertia fuit autor,& ſi ei bene poſita videbantur,certè ni-
eſſe melius poterat.. Declarauit etiam Plato in Cratylo, illam Anaxagoræ Mentem, mirificè
placuiſſe. Vbi Socrates rogat Hermogenem, nònne, inquit, credis Anaxagorę Mentem , &
nimam eſſe , quæ exornet, & contineat omnium aliarum rerum naturam? Nil aliud , inquit ,
καὶ τὴν τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν, οὐ πιστεύεις ἀναξαγόρᾳ, νοῦν καὶ ψυχὴν εἶναι, τὴν διακό-
ουσαν, καὶ ἔχουσαν. Eandem,vt in primo libro vidiſti,vocat imperatricem, exornātem omnium,
permiſtam,ius vniuerſale,ſegregatam ab omni concretione mortali. Quàm autem hæc Mens,
am Anaxagoras celebrauit , placuerit Ariſtoteli, collaudauerit, adorauerit , ſuſpexerit, potes
elligere ex his, quæ ſcribit in vndecimo poſt res naturales. De qua hæc ad verbum : Quæ de
ente dicuntur, habent quaſdam dubitationes. Videtur enim omnium quæ cogitari poſſit,diui-
ima. Quomodo autem ſe habens talis exiſtat,habet quaſdam difficultates. Nam ſi nihil intel-
t,quæ maieſtas eius eſſet? Eſſet enim ſicut dormiens. Si autē intelligit, hoc autem eſſet aliud
uliare, non eſſet hoc, quòd eſt eius ſubſtantia,intellectio,ſed facultas, certè non eſſet optima
ſtantia. Nam quia intelligit, dignitas ei exiſtit. Inſuper verò,ſiue mens ſit ſubſtantia eius, ſiue
llectio,quid intelligit? Aut eñ ipſa ſe ipſam,aut aliquid aliud. Et ſi aliquid aliud,aut idē ſem-
aut aliud. Vtrum igitur differt aliquid, vel nihil, intelligere ipſum bonum , vel quiduis : vel

Opifex Deus.

Mēs, principium.

Cur terra lata vel ro tunda.

Cur terra in medio.

Gene. 1. Plato , & Ariſt. eadē confeſſi, ꝙ Moſes.

Mentis diuinę attributa.

Mens diuiniſsima omnium , quæ cogitari poſſunt.

&

& abſurdum eſt cogitare de nonnullis. Certum igitur quod diuiniſſima res, & pretioſiſſima, inte ligit, & non mutatur. In peius enim fit mutatio. Et motus quidam iam, talis res eſt. Primum ig tur ſi non eſt intellectio, ſed facultas, rationi eſt conſentaneum, laborioſum eſſe ei continua intellectionem. Poſtea manifeſtum, quòd aliud quid eſſet pretioſius, quàm Mens, res ſcilicet intellecta. Etenim intelligere, & intellectio exiſtent, & peſſimum intelligenti. Quocirca, id vitandum eſt. Quædam enim non videre melius, quàm videre. Non eſſet certè res optima, intellectio. Seipſum igitur intelligit. Siquidem eſt, quod optimum. Hæc dicit Ariſt. non de omni mente, humana, vel Angelica, aut Sphærarum cęleſtium, ſed optima, & pretioſſima, & qua nihil ſi maius, quod ab ea intelligatur. Quia ſi quid præter ſe intelligeret, in quo cognoſcendo delectaretur, maius eſſet ipſa. Conſtat autem quàm latè pateat hæc Ariſto. confeſſio. Videmus hinc eundem eſſe Deum atque Mentem, & hanc Mentem videmus Ariſtot. fatentem eſſe rerum Principium. Nam ſi dat Deo, vt claruit, omnium cauſarum principium, vtique dat etiam Menti, qui Mens eſt ipſe Deus. Quod non ſolum ex his, quæ dixit nunc de ea Philoſophus, conſtat, ſed hi etiam, quæ in libris de Republica, & quæ in ſecundo magnorum Moralium. Etenim dubitatione diſſoluit in libris poſt res naturales de Deo, quæ oborta in libris moralibus fuerat. Oborta autem fuerat de intellectione, vel cogitatione Dei. Vbi dicit hęc ad verbum: Ea igitur quæ inter loquẽdum ſimilitudo ſolet aſſumi de Deo, neq; ibi rectè, neq; hic eſſet vtilis. Non enim ſi Deus eſt ſib ſufficiens, & nullius indiget, ob id neque nos vllius indigebimus. Eſt enim, & talis quidam ſermo, qui dicitur de Deo. Nam quoniam, inquiunt, omnia bona poſſidet Deus, & eſt ſibi ſufficiens, quid faciet? Non enim dormiet: ſpeculabitur igitur, inquiunt. Hoc enim eſt pulcherrimum maximèque proprium. Quid igitur ſpeculabitur? Si enim aliquid aliud, melius certè aliquid ſe ipſo ſpeculabitur. Sed abſurdum eſt, eſſe Deo quidquam melius: ipſe igitur ſeipſum contemplatur. Sed & hoc abſurdum. Etenim hominem, qui ſe ipſum contemplatur, ſolemus tanquam inſenſibilem reprehendere. Abſurdum igitur eſt, ſi Deus, inquiunt, erit ipſe ſe ipſum ſpeculans. Quid igitur Deus ſpeculetur nunc dimittatur. Hæc Ariſtoteles. Videmus igitur eum hanc dubitationem diſſoluere, eandemque rem repetere, in libris Philoſophiæ primæ. In quibus affirmat, Deum contemplari ſe ipſum, non conſequi autem, vt ſit inſenſibilis: Neque enim eaſdem eſſe res diuinas, atque humanas. His igitur locis conſiderare licet, eandem eſſe Mentem atque Deum. Nam quam Mentem vocat in Philoſophia, in Moralibus, & in libris de Republica, Deum. Sic apparet illam Anaxagoræ Mentem eſſe Deum, eſse Creatorem mundi, omniũ ordinũ Inuentorem. Is per excellentiam dicitur Deus, huic datur vni Diuinitas. Nam intelligere ſeipſum, de Supremo ſolum, & qui verè Deus ſit, dictum apparet. Non ſunt hic vllæ aliæ planetarum Intelligentiæ, neq; poſsunt eſse. Hanc Mentem, quam in Timæo Plato vocat Opificem mundi, tum in eo ipſo libro, tum in Phœdone dicit eſſe Inſcrutabilem, vt difficile poſſit inueniri: In Cratylo, αὐτοκράτορα, Imperatricem.

Mẽs, Deꝰ, Principiũ.

Deus oĩa bona poſſidet, & ſeipſum cõtemplatur.

Intelligere ſeipſum, ſolius Dei eſt.

Quòd etiam in Moralibus vnum ſingularem Deum eſt confeſſus, rerum humanarum proſpectorem: Et quòd ad aliam, quàm præſentem vitam prouidentia eius, & quæ largiri bonis eum ait Ariſtoteles, referatur. Cap. IX.

SVNT item alia plurima hinc inde ſeſe offerentia indicia, non ſolas illas cæleſtes Intelligentias Ariſt. Deorum nomine, & excellentia dignatũ, ſed iuxta maiorum ſuorum religionem, meliorem quandam, abſolutamq; ab incitatione cęleſti Diuinitatem, eum aſſeruiſſe. Illamq; aſtrorum diuinitatem aſcititiam, peregrinamq; illi eſſe, & ad tempus prædicatam, cùm non haberet quid de Deo clarius, & probatius tunc diceret. Cum autem alijs in locis humanæ naturæ veros inſtinctus ſuper confeſſione Diuinitatis ſequatur, confitens Diuinitatem, quæ regit mundum, non ſòlum machinam cæleſtem mouens, ſed etiam per omnem mundum inambulans, præcipueque res humanas, propter quas ſunt naturales, moderans, dicemus eum aſtrorum Diuinitatem, aut partem quandam Deorum ſtatuiſſe, vt ſi quis aliquos Angelorum cælo voluendo præficeret: aut inconſtantem fuiſſe, & vbi contra Naturæ impetum violenter locutus eſſet, poſtea relatum, ab eodem Naturæ, cui reſiſtere non poſſet, æſtu, veram Diuinitatem fuiſſe confeſſum. Nunquid inquit, in Moralibus, Fortuna, quaſi Prouidentia quædam eſt Deorum? An potius id non eſt probabile? Quippe Deum cùm dominus ſit huiuſcemodi rerum, arbitramur tribuere merentibus bona, & mala. Fortuna, verò, & quæ à Fortuna ſunt, ver fortuito eueniunt. Quam rem ſi Deo tribuamus, iudicem improbum eum faciemus, aut inuitum quod Deo non conuenit. Itaque neq; bonam Fortunam, Prouidentiam, aut Beneuolentiam De eſſe, probabile eſt: quia improbis etiam datur. Deum autem curare improbos, non eſt probabile. Primum iuxta vulgares, plures Deos loquitur: deinde ſeſe ad Philoſophiam recipiens, vnicũ ſemper Deum, qui dominus, ac patronus ſit omnium, quæ poſſident homines, rerum. Ad hæc negat, quæ Fortunæ bona dicuntur, ab eo proficiſci, id eſt, dari certa quadam cura eius, & prouidentia ac beneuolentia. Diuites, improbos, Deique contemptores eſſe. Præclareque ſecum ag putare, quòd aliquem trucidarint, opes auxerint. Quorum à Deo nihil eſt. Non enim malarum

Diuinitatis maxima poteſtas.

Fortuna quid.

Deus rerũ bonarum largitor.

rerum Deus eſt largitor,ſed bonarum. A quo tametſi proficiſcuntur omnia, vera tamen eius beneuolentia,vt Ariſtoteles ait,erga bonos duntaxat.Nec ſi Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos,& pluit ſuper iuſtos,& iniuſtos,nullo diſcrimine id facit,ſed propter bonos benefacit malis.Omninoq; Ariſtoteles ſentit caducarum rerum,temerariamq; iſtam felicitatem, neminem debere diuinæ erga ſe beneuolentiæ aſcribere,quia datur æquè malis,atque bonis: ſæpius etiam malis.Quoniam,inquit,quæ vulgo putantur bona,& quibus apud plebem ſolent homines fortunati vocari,eueniunt ſine diſcrimine bonis & malis,non ſunt quibus ea contigerunt, amici, gratique Deo dicendi,vt ſit eadem ratio conciliandæ charitatis diuinæ,atque conſequendorum terrenorum bonorum.Ipſe enim etiam dicit,Si mundus vos odit,ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.Et,Odiſti obſeruantes vanitatem. Non amantur igitur improbi à Deo,inquit Ariſtoteles. Si non amantur,bona quæ ſunt conſecuti,non omnino eius beneuolentia ſunt aſſecuti, ſed ipſo conniuente,& ſinente.Multo enim largitur amicis ſuis meliora. Quos igitur fortunatos aſpexeris,non continuo amicos Dei,& quibus Deus faueat,arbitreris, ſed ſcito hæc accidere, fieriq; eo conniuente.Subiicit Ariſtoteles,Bona & mala meritis à Deo dari.Hunc ordinem eſſe Prouidentiæ,vt dentur bonis bona,mala malis. Quòd ſi terrena bona, quæ dicuntur εὐτυχίαι, temerariè contingunt,i. caſu quodam,& fortuito, quid ſupereſt quod detur a Deo, certo diſcrimine bonis & malis?Nam largitio,inquit,rerum fortuitarum non eſt recta a Deo.Ergo quod dat Deus,maius ſit quàm quæ ſint in poteſtate Fortunæ,neceſſe eſt.In poteſtate Fortunæ ſunt vires corporis,forma,opes, à bonis, & a malis æquè poſſeſſæ. Igitur quid mali dabitur à Deo malis,boni bonis,ſi ſunt ea fortuita,& in poteſtate Fortunæ?Et tamen Ariſtoteles fatetur: τὸν γὰρ θεὸν ἀξιοῦμεν κόριον τῶν τοιούτων, τοῖς ἀξίοις ἀπονέμειν, καὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακά: Exiſtimamus.n.Deum, penes quem ſint iſta,meritis tribuere bona & mala. Nulla igitur ſuperſunt mala & bona,quæ dêtur a Deo.Eadem ſiquidem ratione cum videam bonis eſſe mala,dicam fortuito id fieri. Et cũ dicas bene fieri bonis à Deo,verum miſerijs & incommodis æquè atq; improbi,ſæpe magis,ſubiaceãt boni,quid ſupereſt quod detur vtriſq; pro meritis?Cogimur ergo hæc ad alia bona & mala,quàm pręſentia, quæ fortuito dantur,referre,maiora videlicet,& æterna,quod Ariſtoteles quadam mentis diuinitate fortaſſe perſpexit.Obſerua etiam,quòd nefas eſſe dicit, vt Deum faciamus iniuſtum, aut improbum iudicem.Itemque obſerua,quòd ait non eſſe veriſimile,Deum curare improbos:ergo ex aduerſo eſt veriſimile eum diligere bonos,quod ipſe euidentiſſimè confeſſus eſt in decimo, vt ſuperius oſtendi.Hic inquit,non eſt veriſimile,improbis Deum conſulere.Deinde putamus eum tribuere malis mala. In decimo autẽ Moraliũ dicebat,Si Dii mortalia curant,vt probabile eſt, & euidens,veriſimile eſt bonos,beneq; & probè viuentes eos redamare. Aperta igitur eſt ratio Prouidentiæ,claraq; confeſſio,Deum cuiuſq; merita reſpicere,dantem bona bonis, mala malis, reiicienda in aliud tempus,diligentiuſq; iudicanda,quoniam pręſentia ferè ſine diſcrimine.Atq; hoc loco,clariſſimè non eſt Deus ille Motor cęli,aut vlla Planetarum Intelligentia,ſed quidam vniuerſalis Deus,non cęlum tantum mouens,verumetiam reſpiciens,& intuens res humanas, ponderanſque merita cuiuſque. Conſidera enim, Si negat Ariſtoteles fortuita bona debere referri in Deum,quoniam malis & bonis accidant,à motu autem cęli non datur niſi vita corporea,qua mali,& boni æquè fruuntur: certè ſi Deus,cęli motor non alia bona largitur,quàm corporea,& vniuerſalia,non diſtinguens merita cuiuſquam,ſed vitam æquè ſuppetens omnibus,meritorum pondera non attendat. Datur igitur aliud autore Ariſtotele in quo Prouidentia eius diſtinguatur,diſtinguantur mali à bonis.Super quibus æquè Sol lucet,pluit ęquè. Motor igitur ille Deus, curat etiam alia longè maioris ſapientiæ.Nam mouere Solem,& ſidera,ſolum ad vitam corpoream pertinet.At in nobis non eſt ſolum corporaliter viuere.Eoq; neceſſe eſt,non illam cęli Intelligentiam nunc Deum eſſe, quem nunc dicit: aut illum quidem, ſed non cęlum duntaxat mouentem, verum etiam humana gubernantem.

Ioan. 15.
Pſalm. 30
Improbi non amantur a Deo.
Fortunati non continuo amici Dei habendi.
Deus, non eſt iniuſtus
Deus vniuerſalis, & primus veruſq; Deus
Prouidentia quibus diſtinguatur.

Ex eo quod Ariſtoteles de Nectare Deorum ſcripſit, probari & vnius ſummi Diuinitatem, qui ſibi & cunctis ſit cauſa felicitatis: & Deos illos non eſſe vertentes orbes cæleſtes. Virtutes, quæ poſſidentur à mortalibus, multo magis a Deo poſſideri. Cap. X.

QVOD ſuperius de Nectare Deorũ in Moralibus dixerat Ariſtoteles, Duo præclara, & Theologiam fatentia in eo deprehendes:Illam dico Theologiam,quam Ariſtoteles,præterquàm de Intelligentiis cęleſtes orbes mouentibus,apertè propoſuit.Primũ Deos eos nominat,qui non moueant orbes cæleſtes, deque his ita loquitur, vt eandem de his, atque mortales omnes religionem prædicaſſe apertè conuincatur. Ad hæc nominat Nectar,vt Philoſophus,non vt vulgares,ſentiens vinum ſuauiſſimum, ſed verè ex Philoſophia diuinius,& incorporeum quiddam, quod perſpicuo exemplo demonſtrauit. Dicit enim eſſe nonnullos,quibus voluptates omnes,generationes viderentur,negãtes voluptatem eſſe bonum.Hoc autem accidit eis,inquit, quia ſolas corporeas voluptates habent exploratas, haud alias eſſe putantes: ceu qui neſciunt Nectar, putantes Deos bibere vinum, quia non putant dulcius eſſe quicquam. At Nectar eſt incorporea ſuauitas. Cum igitur incorpoream voluptatem, aut

Nectar qd Ariſtoteli.

ſuauitatem ſentiat Ariſtoteles,qua Dii fruantur,ea profectò non eſt alia , quàm celebris illa apud Poetas,quos Ariſtoteles ediſſerit, & quam dixit ipſe Deus , Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et,Amplius non bibam de genimine hoc vitis, niſi cum vobiſcum illud bibam in regno Patris mei.Qui bibunt igitur hoc Nectar,non ſunt planetæ , nulla cæleſtis Intelligētia rotando cęlo præfecta: ſed certè Dii illi , quos beatos in omne tempus cenſuit triumphare ſupra cęli vertigine corporibus liberatos,ſufficientiſſimam,copioſiſſimamque bonis omnibus vitam agentes. Hi ſunt Dii,non Intelligentia Solis, Lunæ. Illud item conſiderandum eſt, quod ſecundo Moralium ſcripſit,cum de Heroicis,& ſupra hominem virtutibus loqueretur. Eſt,inquit, quædam virtus oppoſita feritati,quæ nullum habet nomen, quia οὐκ ἐςὶ θεοῦ ἀρετὴ. ὁ γὰρ θεὸς βελτίων τῆς ἀρετῆς, καὶ οὐ κατ' ἀρετὴν ἐςὶ σπουδαῖος. οὕτω γὰρ βελτίων ἔςαι ἡ ἀρετὴ τοῦ θεοῦ: Nō eſt Dei virtus. Etenim Deus eſt virtute ſuperior & melior. Et non ſecundum virtutem eſt bonus. Hoc enim modo virtus eſſet Deo melior. Is igitur Deus,virtute ſuperior quis eſt,& quid deſignat eum habere virtute pręſtantius?Si enim non virtutes ipſas quæ conſuetudine, documentiſque acquiruntur,ſed excellentius & naturalius quiddam poſſidet, vtique cuncta bona,& omnem laudem,quam poſſidet homo,longè magis Deus poſſidebit. Hominum virtutes ſunt fortitudo,modeſtia,temperantia,iuſtitia,liberalitas,charitas,hæc omnia Deus longè excellentius poſſidebit. Ergo ſi ſolent homines,cum proſpiciunt reipublicæ,cum humanè,iuſtè,moderatè,ſapienter,liberaliter,& clementer agunt,laudari,extolli,præferri,prędicari,nonne laudibus his Deus erit excellentior,magiſque eas vſurpabit? Si enim eſt virtute ſuperior,is ſit neceſſe eſt quo beneuolentius,liberalius,clementius nihil poſſit eſſe, præ cuius æquitate , liberalitate, charitate, humana charitas ſit penè vitium , nedum virtus. Hinc igitur fit, vt Deus,quod omnis antiqua Theologia teſtatur , ſit bonorum effuſiſſimus largitor,eximia charitate & beneuolentia præditus,indulgentiſſimus,prouidentiſſimus,omneſq; item laudes,omnem gloriam,abſolutiſſima quadam ratione poſſidens. Hæc autem omnia in vnũ competunt ſolum. Recordare hoc loco , quòd ait eſſe virtutes quaſdam Heroicas nomine carentes,i. diuinas quaſdam & eminentiſſimas,quas Heroicas dixit,quaſi ſimiles earum, quæ a Diis,vel Heroibus poſſidentur. Heroes autem hoc loco ſunt Dii . Nam & ipſe Ariſtoteles dixit ibidem, hanc virtutem Heroicam eſſe quandam,ac diuinam, vt feritas immane quoddam prodigioſumque vitium. Ergo ſi quanto melius,laudabilius,rectius,modeſtiuſque agunt homines,Deo magis aſſimilantur,profectò neceſſe eſt eandem virtutem eſſe in Deo,cuius in homine quædam ſit imago. Cũ verò nihil ſit liberalitate & clementia, charitateque apud homines commendabilius,& quod magis prædicetur,extollatur,certè neceſſe eſt hæc eſſe in Deo pręſtantiſſima,abſolutiſſima. Qui ſi careret Prouidentia rerum humanarum,ſi negligens eſſet ſalutis cuiuſquam,ſi non audiret cum inclamatur,ſi Patrem tantum ex motu Solis ſuppeteret,multi mortales eo meliores eſſent. Nec hi cum eminentiſſimis factis inclareſceret,Dei ſimiles dicendi eſſent,ſed Deus ſimilis eorum. Fatetur ergo Ariſtoteles in Deo quandam eſſe mirabilem virtutem,eximiamque prouidentiam,benignitatem,charitatem,vſque eò præſtantem,vt intelligi quidem poſſit,nominari non poſſit. Incurruntque omnia ad confeſſionem vnius Dei . Memineris item quæ Marcus ille Tullius ob ingenii diuinitatem vt diceret prouectus eſt: Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare,aduerſarium nobilitate, ingenio , virtute præſtantem non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem. hęc qui faciat,non ego eum ſummis viris comparo,ſed ſimillimum Deo iudico. Intelligebat ſapientiſſimus orator , eminentiſſimas in Deo quaſdã eſſe virtutes,quarum mortales aliquando eſſent participes. Vbi clementia, liberalitas,ſi res humanas negligeret ? quæ ſunt materia clementiæ . clementia autem ſine prouidentia non poteſt eſſe. Nam qui neſciat,quibus parcendum eſt,& ſi nullum cum eis intercedit ei commercium,nec offenditur,nec parcit,nec clementia præditus eſt. Rem igitur,quam Natura faciebat clariſſimam, Philoſophus eſt confeſſus,eamque celare non potuit. Cuius ſi vocem audirent , ſi dicta ponderarent ruſtici tempeſtatis noſtræ Peripatetici,non tam pertinaciter ei confeſſionem Prouidentiæ,aut Diuinitatis,quæ non cœlum duntaxat,ſed alia agat pleraque digna maieſtate ſua,detraherent.

Ioan. 7.
Matth. 26.
Luc. 22.

Vita Deorum quæ.

Deus, virtute ſuperior.

Hominũ virtutes.

Deus optimus ĩ omnibus.

Virtutes heroicæ.

Virtutis Dei,ẽ imago quædã in homine.

Si non ſit Prouidentia Dei,homo Deo melior eſt.

Pro Marcello.

Virtutum diuinarum homines participes

Admiranda Ariſtotelis Theologia de beatitate diuina: quæ ſit contemplatio: Eandem eſſe minorum Deorum *felicitatem,* Deum *ſummum contemplantium . Ex quo ſumma vnius maieſtas comprobatur . Cap.* XI.

ARISTOTELES decimo Moralium, perfectam felicitatem probat actionem eſſe contemplandi ſemper,idque ea ratione probat: Deos, ait,arbitramur beatos & felices . Sed cum nullas eis humanas actiones tribuere poſſimus , viuere autem eos dicimus. Neque enim fas eſt eos dormire,vt Endymion. Viuenti cui ſit omnis actio detracta,nihil ſupereſt,niſi θεωρία, ſpeculatio,inde fieri, ὥςε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα θεωρητικὴ ἂν εἴη: Vt actio Dei quæ beatitudine eſt præcipua,ſpeculatrix ſit . Omnis enim, inquit,vita Diis eſt beata. Ex his eius verbis,quæ quidem & aliis in locis,& in libris poſt res naturales eſt locutus,efficitur hoc omne . Principio totam hanc contemplandi , in quo beatitudinem vult

Felicitas pfecta quæ.

vult eſſe, rationem, habere caput, vbi ſiſtat, ne procedat ad infinitum. Et primum quod dixerat de Mente, cuius ferebat felicitatem in contemplanda ſe ipſa, quod hoc loco aſſerit, præcipuè eſt verum. Hæcque erit Ariſtotelis Theologia, Deus cognoſcit, contemplaturque ſe ipſum, ipſe ſibi felicitatis obiectum. Cæteri ergo Dii contemplabuntur eum, inde beati. Nam ſi Deus aut Mens, quam diuiniſſimam, optimam, pretioſiſſimamque prædicauerat, eximia in cognitione ſui fruitur felicitate tantundem beata, quanta maieſtas ſua, quam ſemper cognoſcens efficitur beata, etiam minores Intelligentiæ Deum intuentes felicitabuntur. Scilicet fit ex his neceſſariò, Deos minores fieri beatos in cognitione Dei: quoniam ratio quæ cogebat ne confiteremur Deum præter ſe in quo beatus ſit aliud contemplari, erat, quia quod contemplaretur, ex eo beatus exiſtens, eſſet maius ipſo Deo. Sed quoniam nihil Deo melius, & maius, neceſſariò ſe ipſum contemplatur. Hęc inquam ratio non habet in Diis minoribus locum, ſed in contrarium, quoniam Diis eſt ſupremus quis, neceſſariò fiunt eo contemplando beati. Vt ſit ratio, Deus, quo non eſt melius, ſe ipſum contemplatur, ſe ipſum contemplando eſt beatus. Dii minores, quibus eſt melius, & ſuperius, illud ipſum contemplantur, & in eo contemplando ſunt beati. Hæc igitur neceſſariò ſunt in hoc ordine, vt ſi Dii nihil aliud agentes, duntaxat contemplantur, eos neceſſariò Deum contemplari: Deum autem contemplari ſe ipſum. Vt qui dat ſibi, qui maximus eſt, felicitatem in contemplatione ſui, longè facilius daturus ſit minoribus. Ex quo clariſſimè efficitur, quod Ariſtoteles in fine totius rationis poſuit: ὥςε ἔν ἀν ἡ εὐδαιμονία θεωρία τις. Quocirca felicitas erit quædam theoria, id eſt, contemplatio Dei. Græcè theos, Deus, oria, viſio. Totaque beatitudo erit contemplatio Dei: vt nec Dii minores, nec maximus ipſe Deus, in alio ſint beati, quàm in contemplatione Dei: Ex eodemque cæteri Dii beati, quo maximus Deus. Quanta igitur hic cum religione concordia? Felices nos futuros oracula, cum videbimus eum ſicuti eſt. Cum is igitur ſit contemplationis ordo, vt felicitas omnis ſit contemplatio Dei, eaque non cuiuſcunque Dei, ſed maximi, & eminentiſſimi tantum, & qui verè Deus ſit, hæc deinde ſequuntur, Huiuſmodi contemplationem non fieri in abſentia, Et Deos contemplantes oportere propius aſſiſtere, eodem in loco eſſe, in quo quem contemplentur: Haud aliter perfecta futura contemplatione. Ex hoc item ſequitur, hos Deos, quorum beatitudinem dixit eſſe theoriam, viſionem Dei, eſſe non poſſe Intelligentias cęleſtes, Solis, Lunæ planetarum, nimium a primo diſtantium, è cuius contemplatione exuberat beata vita. Ex primo autem ſequebatur, vt ſi ex vnius contemplatione omnis manat felicitas, illum eſſe optimum, maximum, omnibus his, quos ſua præſentia efficit beatos, incommemorabiliter maiorem. Sic rationibus altera ex altera conſequentibus, Diis eſt beatitudo contemplatio: Non ſui, quoniam eſt excellentior, qui poſſit eis eſſe obiectum contemplandi. Nam dicebat Ariſtoteles, Deus ſiue Mens eſt beata cognoſcendo: Aut ergo ſe, aut aliud. Non alium, quia maior eſſet qui cognitus & inſpectus eum bearet. Non admittit autem ratio Deo quidquam præſtantius. Ergo ex aduerſo; ſi Dii minores habent ſupremum, quia neceſſe eſt, ad vnum caput venire, quod & ipſe Philoſophus fatetur, in eo cognoſcendo ſunt beati. Hunc ergo contemplantes, propius adeſſe, intuentes eum neceſſe eſt. Quod ſi verum eſt, aſſiſtentes non erunt motores orbium cęleſtium, ſed aliud Deorum genus, Illi ſcilicet, quos in libris de Cęlo dixit extra cœli motus viuere beatos. Hæc eſt autem eorum beatitudo, quòd contemplantur. Ratio autem docet, eos vnum primum contemplari, qui ſit etiam ſibi cauſa felicitatis. Ex his igitur, vt omnes rationes ad epilogum reuocem, efficitur, vt hac parte ſapientiſſimè ſit Ariſtoteles locutus, proponens ſimilem noſtræ, quam ſuggerebat ei ratio, philoſophiam. Eſt hic clara primi Dei confeſſio, cuius contemplatio felicitat Deos contemplantes, coramque aſſiſtentes: Hos orbium cæleſtium motores non eſſe. Cumque hic de cęleſti motu, & animatione orbium nihil loquatur, conſtet eum non ſemper in eo ſenſu fuiſſe, eſſe Deos, qui moueant orbes. Eſt demum contemplatio Deorum ipſum Nectar. Nam contemplatio & εὐδεμονία, id eſt, felicitas ſunt idem. Nectar eſt pabulum Deorum, Dii non bibunt, non comedunt, non negotiantur, ſed ſpeculantur tantum: Ergo Nectar eſt contemplatio, contemplatio beatitas. Hinc Poetæ cecinerunt ad menſas, ab Hebe Nectaris huius plena pocula miniſtrari Diis. Eſt enim Hebe iuuentus. Perpetuò iuuenes ſunt Dii, Deum ęternum contemplantes. Merito Dii vocati, quia felicitas eſt & Diuinitas videre Deum. Vt cui datum ſit venire ad conſpectum illum, iam verè ſit Deus beatus.

Deus, ipſe ſibi obiectum felicitatis.

Dij minores vt beati fiant.

Deus, θεὸς dictus.

Deus optimus qui.

Beatitudo cęlicolarum quæ. Repetitio ſupiorum.

Contemplatio & εὐδεμονία Hebe qd.

Dij qui dicendi.

De beatitudine Deorum: de vnica, ſimplicique voluptate, quam Deo tribuit Ariſtoteles. Conſenſus eius cum ſacris litteris, beatitudinem eſſe diuinam contemplationem. Cap. XII.

ITEM Ariſtoteles ſeptimo Moralium ad Eudemum, aliiſque in locis aſſerit, non eadem nobis eſſe dulcia, iucundaque, vt quod nonnunquam efficit hilaritatem, aliàs generet moleſtiam, quoniam non vna ſimplexque ſit natura nobis. Alioqui foret ſemper actio iucundiſſima. tū concludit, διὸ ὁ θεὸς ἀεὶ μιαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονὴν, Quamrem Deus ſemper vna & ſimplici lætatur voluptate. De quonam Deo hoc dictum ſuſpicemur,

Non vna & ſimplex hoīs natura: Deus verò ſemper idem.

Cōtemplatio, ſtabilis eſt Dei voluptas.

Dij ſunt Deo ſimiles quomodo.

Contēplatio, beatitudo, Nectar, Voluptas, idem.

Nectar qd. Chaldæorum ſuperſtitione doctrina de Deo fœdata.

Tob. 12.

Nectar qd Ariſtoteli.

quem ſingulari appellatione Deum appellat, natura in hanc nuncupationem rapiente, tum ei tribuit vnam immobilem, æternamque voluptatē? Certè de vnico illo ſingularique Deo, quem poſt res naturales, iuxta maiores, appellat Mentem, in Moralibus Deum, cuius ferebat ſui, non alterius eſſe contemplationem. Nunc eandem contemplationem dicit eſſe vnicam, ſtabilemque ipſius voluptatem, beatitudinemq; Diuinitatis ſuæ, quam habuit ab æterno, in qua nulla fuit vnquam mutatio, aut ſcilicet in deterius, aut melius, quippe quo nil melius. In deterius autem mutari, qui ſit omnipotens, incorruptibilis, ſimplex, vnaque natura, non poteſt. Hæc mirabilis, diuinaque confeſſio, in vnum duntaxat ſpectat altiſſimum, naturalē, vniuerſalemque Deum: Quod & appellatio deſignat, & quòd ſimplicem, vnamque tribuit ei voluptatem, ex vna, ſimpliciique natura naſcentem. Quæ ſi minoribus item Diis adeſt, eatenus aderit, quo ſunt illi primo ſimiles, vt quemadmodum non natura, ſed affinitate & aſſimilatione ſunt Dij, ſic vna ſimplexque voluptas eis ex illo primo. Nam quoniam hæc voluptas eſt contemplatio, Dii autem contemplantur, contemplantes ſunt beati, ratio autem docebat eos contemplari maximum, qui ſibi quoque ſe contemplanti ſit cauſa felicitatis: efficiturque neceſſariò, vt ſimplex illa, vnaque voluptas ſit illius primi, cuius intuitus, & ex intuitu voluptas, in ipſum, & in minores Deos redundat. Vna eſt ergo, ſimplexque Dei, Deorumque voluptas ac delectatio, contemplatio maximi Dei: quæ quidem ideo ſimplex eſt, & vna, quia Deus eſt ſimplex, ſcilicet maximus ille. Ob id de ſolo Deo, cui ſoli vera Philoſophia dat ſimplicem, ſingularemque naturam, hæc prædicatio præcipuè vera eſt. Non eſt item Diis ipſis ab hac voluptate digreſſus, qui facti ſunt immortales & immutabiles ab illo primo. Colligentes igitur Ariſtotelis hinc inde dicta, deprehendemus vnum idemque eſſe, quatuor hęc, Contemplationem, Beatitudinem, Nectar, Voluptatem. Nam ſuperius probauerat, Deos, quos communi conſenſu fateamur beatos, cum nihil eos aliud agere fas ſit, quàm contemplari, neceſſariò ſemper ſpeculari. Ecce beatitudo, ecce ſpeculatio. Iam dixerat Nectar eſſe ſuauitatem, vulgaribus incognitam ſuauitatem, non vini, vt illi crederent, qua Dii fruantur bibentes. Cum autem probauerit eos nihil aliud agere, quàm ſpeculari (bibunt autem Nectar. Nectar non eſt vinum, ſed eſt æterna immutabiliſque voluptas) Nunc autem tribuit Deo voluptatem vnicam, & ſimplicem, & immutabilem. Ergo eſt illa contemplatio. Vt rationes ſic coaceruentur: Deorum eſt beatitudo: Dii nihil agunt, nec eos agere par eſt: intelligunt autem: Sola igitur ſupereſt ſpeculatio, quæ ſit eadem beatitudo. Bibunt Dii Nectar: Deos dictum eſt ſolum ſpeculari: Nectar bibere, eſt ſpeculari, hoc autem, eſſe beatum. Deus item capit immutabilem voluptatem, ergo voluptas eſt Nectar, Nectar ſpeculatio, ſpeculatio beatitudo. Ex his igitur efficitur, vt ſint veriſſima in veteri Philoſophia tradita, non poſtea ex ſuperſtitione Chaldæorum, & Aegyptiorum inuecta, a Philoſophis quibuſdam approbata. Tradiderat priſca Philoſophia, quod dixit Angelus Raphael Tobiæ: Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. Is potus eſt Nectar, quod potant Dii, maximo Deo, vt idem Angelus eſt confeſſus, aſſiſtentes. Hunc potum inuiſibilem dixit Angelus. Ariſtoteles autem vulgares, ait credere, Deos bibere vinū, quòd neſciunt Nectar. Hoc Nectar, hunc potum inuiſibilem & panem, vel Ambroſiam, priſca Philoſophia prodidit Deos in cœlo edere, & bibere. Ariſtoteles vt Philoſophus perpēdit, quis is ſit cibus, & potus inuiſibilis. Eſt, inquit, contemplatio Dei, ipſummet primum efficiens beatum, eoq; habet ſimplicem, vnicam, æternam, immutabilem, de cognitione & aſpectu naturæ ſuæ, felicitatem. Eadem cognita ab aſtantibus Diis, efficit eos gaudiis ineffabilibus lætos. Hæc voluptas & lætitia tanto maior & vberior eſt in Deo, quanto magis ipſum cognoſcit. Et quoniam nemo eſt, qui quoniam eſt infinitus, poſſit eum perfectè noſcere, ſolus ipſe perfectè, infiniteque de ſeipſo beatus. Cæteri quoad capax eorum natura eſt. Hæc omnia ſequuntur ex dictis Ariſtotelis. Hucque ei deueniendum fuiſſet, ſi rationes nectere, & perſequi totam rem voluiſſet. Hoc vetus philoſophia confeſſa. Aſtrorum autem Diuinitas Chaldæorum & Aegyptiorum fuit ſuperſtitio.

Ariſtotelem ſummum Deum affirmare cum Homero Patrem eſſe Deorum, hominumque eiuſdem eſſe generis cum illis. Hinc creationem Deorum, & ſolum Primum æternum demonſtrari. Cap. XIII.

Reſipuit Ariſtoteles

Genitor, charitate & dignitate imperans eſt.

DVAS in Ariſtotele & Platone Mentes de Diis ac ſummo Deo fuiſſe, aut non quidem duas, ſed vnam tantum, reſipiſcentem, ab erroreque euigilantem, quem prius natura pulſans ſemper conſcientiam, ab erroreque ad veritatem reuocans, ferre non poſſe, qui mentem ad ſcripta eorum legenda ſagacem, æquam, prudentem attulerit, agnoſcet. Accipimus autem, quæ mens euigilans, naturæque ſtimulis & rationis exagitata profi Quid enim illud item eſt, quod in primo Politicorum dicit: Filiorum autem dominatus, regi eſt. Nam quod genuit & ſecundum charitatem, & ſecundum dignitatem imperans eſt. Quæ ſpecies eſt regii principatus διὸ καλῶς ὅμηρος τὸν δία προσηγόρευσεν εἰπών. πατὴρ ἀνδρῶν τε, τι τὸν βασιλέα τούτων ἁπάντων· φύσει γὰρ τὸν βασιλέα διαφέρειν μὲν δεῖ, τῷ γένει δὲ εἶναι τὸν αὐτὸν, ὅπερ πέπονθε τὸ πρεσβύτερον πρὸς τὸ νεώτερον, καὶ ὁ γεννήσας πρὸς τὸ τέκνον. Videlicet, Quocirca bene Homerus Iouem appellauit, cum dixit, Pater hominum, atque Deorum, Regem iſtorum omnium. Natura enim vel ingenio Regem differre quidem oportet, genere autem eundem eſſe. Quod habet antiquius erga recentius, & genitor erga filium. Hæc Ariſtoteles dicens, & quæ locutus eſſet Homerus collaudans, approbanſque, nónne declarat ſibi quæ mens ineſſet, probatque omnia antedicta? Appellat autem Homerus Iouem Patrem hominum, atque Deorum, qui ſit idem Rex eorum. Eò igitur ſpectat dictum Ariſtotelis, Iouem patrem hominum, atque Deorum, iure etiam Regem eſſe, quoniam pater erga filios regiam gerat excellentiam: Regē oportere eiuſdem generis eſſe, licet ingenio & prudentia differentem. Bene igitur Homerus Iouem, qui ſit idem Rex Deorum hominumque dixit eorum eſſe Patrem. Aut bene qui ſit pater hominumque Deumque, Regem etiam eorum appellare. Quoniam pater erga prolem, regiam obtinet potentiam, quia & natura idem cū filiis, & antiquior, ac venerabilior. Pater igitur Deorum & hominum, eſt eorum merito Rex appellatus. Et meritò dictus Pater eorū, qui & Rex ſit. Quòd ſi Homerus bene eſt locutus, & ſi verum eſt Patrem Regem eorum eſſe, quos genuiſſet: aut Patrem eorum quibus imperet: certè colligitur Iouem, qui Græcè duo habet nomina, vt Ariſtoteles ipſe dicebat in Compendio, ζοὺς διὸς, quæ copulata deſignant eum, per quem vita eſt, genuiſſe Deos & homines. Eſt autem generare apud Philoſophos, creare, facere, vt Plato gignit tēpus, aliaque exempla innumera. Genuiſſe inquam autoremque fuiſſe Deorum & hominum: & quia genuit non ſolum eſſe genitis antiquiorem, ſed etiam excellentiorem, & Regem: Deinde eiuſdem eſſe generis genitorem, ac genitos. Ergo eſt, quod dixit idem in Moralibus, Mentem eſſe Deo συγγενέστατον: Plato in legibus, οἰκειότατον: Moſes, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuā fecit illum. Ex eodem genere ſunt Pater & Filij, Deus & Dij, homineſque, ſcilicet affinitas eſt cognatio, Aequaleſque ſunt homines Diis in cognatione: quoniam Pater idem vtriſque pariter ſatis, & ſimul ſub filiorum nūcupatione cum Diis adſcriptis. Ipſe Deus omnium Imperator, inquit, eſt. Antecedit autem tempore & dignitate paternam retinens autoritatem. Ex his igitur omnibus hæc ſequuntur, bene, teſte Ariſtotele, Iouem eſse Regem Deorum, qui Pater ſit: aut bene Patrem appellatum, qui idem Rex ſit, vt ſiue propter imperiū nomen Patris ſit ſortitus, ſiue propter generationem nomen Regis, vtrunque ſit verum. Sequiturq; Iouem, apud antiquiſſimos Græcos, & Latinos fuiſse nomen ſempiterni Dei ſæpius oſtenſum, Patrem, & Regem eſſe Deorum & hominum, præcedentem eos antiquitate, id eſt, anterioritate, vt fingā nomen æquipollens. Eſt enim Antiquus, ab ante, ſicut à poſt, Poſtiquus, præcedens item regia autoritate. Sequiturque dictorū ſuperioribus libris cōfirmatio, etiam Ariſtotele ſuffragium ferente. Eſt enim Deus Pater & Rex, non hominum tantum, ſed etiam Deorum. Si Pater, vtique autoritate, & tempore: cui paternitas dat regium principatum. Si Deorum & hominum, non ſolum humani generis, & generis diuini ſator & creator, ſed etiam eodem modo, eodem tempore ipſe antiquus, & æternus. Vt homines ab illo geniti aliquando, ſic Dij. Itaque apparet Ariſtotelem nunc ſentire, quod dixerat in Compendio, cum dixit Iouem eſse nomen ſummi Dei, hunc autem eſse ſupremum, altiſſimum, regentem omnia. Ibique de Diis nihil, ſed de rebus naturalibus tantum: hic apertius de diis. Apparet eum confirmare, quæ dixit in libris de Cœlo, de Diis extra cœli motiones viuentibus. Item eum nec primum, nec alios minores Deos orbibus affigere. Item Diuinitatis eum ſtatuere ordinem, quem & natura, & ratio, reuelataque deſuper Theologia docet. Sicque etiam nuſquam illæ planetarum Intelligentiæ, ſed Dij, quos creauit Deus æternus. Aeternus autem, non illi, quia Pater ille. Nam ſuper æternitate paribus nulla paternitas, nullum imperium. Hæc ex Homeri, & Ariſtotelis, qui dicta probat eius, teſtimonio irrefragabiliter ſequuntur.

Rex differt ingenio, genere idē eſt.

Iupiter cur pater hominum & Deorum, idēq; rex.

ζεὺς διὸς quid.

Generare quid Philoſophis.

Homines Diis æquales, quomodo.

Deus Imperator.

Iupiter, nomen ſempiterni Dei.

Antiquus. Poſtiquus.

Deum ab Ariſtotele, veluti generis humani Regem declarari, omni genere ſapientiæ maiorem, cui libenter omnes obtemperare oporteat. Cap. XIIII.

QVIS item erit è ſapientibus, qui non conſideret, admireturq; illud, quod Ariſtoteles item tertio Politicorum prudens & ſciens de ſingulari Deo eſt locutus? Nam cum de Republica, ciuibuſque quæreret, an quem virtute præſtantem cæteris perſpicuum eſſet, præferri reliquis ciuibus oporteret: an æqualem locum, atque cæteros obtinere: reſpondet huiuſmodi viros iniquè laturos, ſe ad æquales conditiones redigi, qui virtute & ſcientia Reipublicæ inæquales ſint: ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις, εἰκὸς εἶναι τὸν τοιοῦτον: Huiuſmodi enim virum, ſi quis ſit, veriſimile eſt eſse tanquam Deum in hominibus. Quod quidem duobus poteſt ſenſibus intelligi: Aut talem virum, virtute præcellentem, fore inter cæteros, vt inter homines Deus: aut eum futurum veluti Deum cæterorum. Quocunque ſenſu concipiatur, primum ſingularis Dei clara nuncupatio: Exin munus eius præcellentiaque ante omnes mortales. Talem, inquit, exiſtimandum eſt hominem ſapientem,

Princeps ciuitatis, tanquam Deus aliqs.

Deus hominibus pfectus vt ſuperior & melior.

Deus natura, vix rectrix.

Deo parẽdum, natura docẽte.

Sententia de Deo.

cæteriſque longè eminentem, reique publicæ gubernandæ prudentem, eſſe, qualis inter homines Deus. Deus igitur qui præfertur hominibus, qui prudentiæ dicitur poſſeſſione nobiliſſimus, quis eſt alius, niſi Deus vniuerſalis, gubernator humanæ Reipublicæ, ac moderator, cuius virtus, & ſcientia, cæteros anteſtat vniuerſos, quos longo interuallo dicitur ſuperare. Quæ eſſet autem eius cum homine prudente comparatio, ſi non proſpiceret, ſi ſcientia reipublicæ moderandæ careret, ſi procul à gubernaculis mundanæ nauiculæ ſederet? Videbat igitur quodam mentis acumine, & ſuperiorum ſeculorum Theologia duce, ſingularem quendam Deum, qui perinde eſſet eminens, & omnes gubernans: vt (ſi parua licet componere magnis) videmus interdum quoſdam mortales alios ingenio, dexteritate, prudentiaque antecellere. Hunc in natura eſſe confeſſus eſt, longe humanam prudentiam præcedentem. Quòd ſi ſentis, talem virum eſſe veluti cæterorum hominum Deum, id item eò ſpectat, vt comparatio cernat cognationem gubernandi, reique publicæ moderandæ communicationẽ. Quomodo enim eſt vt cæterorum Deus, niſi ſentias Deum, Naturam, vimque rectricem, gubernatricemque & quaſi regiam, ſic hominibus omnibus antecellentem, ſicut omnibus ille ſuis ciuibus? Vt ſit totus mundus quædam reſpublica, ciues eius omne hominum genus, præſtans omnibus ciuibus ſuis, cui diſſimiles, atque cæteris honores propter infinitam prudentiam, virtutemque debeantur, Deus. Ideoque paulò pòſt adiecit Ariſtoteles, non debere grauari cæteros, ſi quem ſapientiorem agnouerint, eum ſibi præficere, eique veluti Regi parere: λείπεται τοίνυν ὥσπερ ἔοικε πεφυκέναι, πείθεσθαι τῷ τοιούτῳ πάντας ἀσμένως, ὥστε βασιλέας εἶναι τοὺς τοιούτους ἀϊδίους, ἐν ταῖς πόλεσι. Supereſt igitur, quod videtur natura comparatum, parendum eſſe huic ab omnibus libenter, vt hi Reges ſint perpetui in vrbibus. Eiuſmodi Deum in hominibus decernit eſſe, qualis Rex in hominibus, decernit iudicatque Deum eſſe Regem, huic eſſe parendum, quia ſic natura ſit comparatum, vt melioribus pareatur, honos deferatur, eorum conſiliis ſtetur. Nulla autem eſſet inter homines & Deos comparatio, ſi cęleſtes tantùm verteret orbes Deus, humanarum rerum, maioris, quàm naturales, ponderis, gubernaculis aut ſpretis, aut ea capere non potens. Nam qui moles cęleſtes indefatigabiliter, & æternis motibus cient, ideo cum humana prudentia comparari non debent, aut quaſi Reges nuncupari, quia nec habet rerum humanarum prouidentiam, naturaliter facientes quod faciunt, nec cognationem, affinitatemque. Dixit igitur, quam ſuadebat inſtinctus, confirmataque omnium mortalium conſenſu ſententia de Deo: Qui rex humani generis ſit, prudentiſſimus, æquiſſimuſque rector, habitans nobiſcum, ſimilis atque nos naturæ, ſi rationem, prudentiam, conſilium benefaciendique cupiditatem reſpicias, eminens inter nos omni genere ſapientiæ, quem nos appellare Regem conueniat, ſi naturæ veros inſtinctus, ſi rationem, & quod ipſe dixit ἔοικος, veriſimilitudinem, decorum ſequi velimus.

Mentem, quam exterius venire ſcribit Ariſtoteles, non niſi ab vno ſingulari Deo venire poſſe. Quem Theophraſtus eius diſcipulus confeſſus eſt omnium rerum originem. Cap. XV.

Lib. 2. c. 3.

Sola mens exterius adueniens, & ſola diuina

1. Tuſcul. Gen. 2.

De Opif. Dei 19. c. 1. Legum, & Lactant, 2. c. 12.

IN EO quoque latitat admiranda ſuſpiciendaque vnius Dei, Patris Vniuerſitatis, autoriſque apud Ariſtotelem confeſſio. Quam duobus verbis expreſſiſſet, ſi voluiſſet: ſed cæteri expreſſerunt, explicato eo, quod ipſe propter obſcuritatem, reticuiſſet. Nã in libris de Generatione animalium, cum cæteras omnes animas a corporeis elementis eſſe, naſcique cum corporibus, atque immori ſtatuiſſet, quia cum ex materia cooriantur, non poſſint ſine corpore conſiſtere, ſicut nec ambulatio ſine pedibus fieri, nec per ſeipſas poſſint ingredi in corpora, veluti inſeparabiles, eſſe enim ſemen ventris excrementum, concludit: λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον: Supereſt, ſolam mentẽ exterius aduenire, ſolamque diuinam eſſe. Hic igitur latitat vnius Diuinitatis, quam ſuperius Orpheus & Pythagoras, Archytas, cæterique omnes exclamauerant, aperta, claraque confeſſio. Nam ſi ingreditur extrinſecus anima, cum elementis, corporibuſque non habens commercium, pręter elementum, mundumque corporeum non eſt niſi natura diuina, ab hac ſola certè poterit animus aduenire. Si quis enim Ariſtotelem rogaſſet: Dicis exterius animam venire, a quibus locis? neque enim ab aliqua corporei mundi parte. Igitur a Deo ſolum. Atque Ariſtotelem ſenſiſſe clarum eſt, quale dixit Marcus Tullius grauiſſimus orator & Philoſophus. Neque inuenietur, inquit, vnquam, vnde venire poſſint, niſi a Deo. Et quale apertè Moſes, hominem terrenum, luteumque hominis figmentum, exterius animatum a Deo; exterius à Deo animum infuſum, & datum. Et quod dixit Lactantius proferens dicta Ciceronis: Marcus autem dixerat quæ prior Ariſtoteles. Qui ſi latius explicare ipſimet dicta ſua voluiſſent, eò tandem deueniẽdum eis fuiſſet, quò Lactantius reſoluta ratione tota peruenit. Sed & Marcus quidem expreſsè cõfeſſus eſt: Animal, inquit, hoc prouidum, ſagax, quem hominem appellamus, præclara quadam conditione a ſupremo Deo generatum. Igitur non aliud loquitur Ariſtoteles tacendo, quâm, quod cæteri exprimendo, Moſes, & Marcus, & Lactantius. Sed maximè quod Pythagoras, qui Deum vocans ψύχωσιν, Animationem, vt ſuperius vidimus, vitalem ſenſum cunctis animalibus eum tribuere confeſſus eſt. Et idem Marcus aſſeruit, Pythagoram cenſere Deum eſſe animum per omnes mundi partes intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. Ab iſto igitur Deo neceſſariò confeſſus eſt Ariſtoteles, qui fatetur exterius accedere mentem, animum noſtrum infuſum. Ideoque eum appellat, θεῖον, diuinum, id eſt, a Deo creatum. Cum igitur declarauerint ſuperiores omnes quod Ariſtoteles ſubticuerat, nec poſſit aliud dici, certè confeſſus eſt tacitè vniuerſalem, naturalemque Deum, noſtrorum animorum ſatorem. Dixitque quod Marcus, Animorum in terris nullam originem inueniri poſſe: & quod prior Pythagoras, Ab vniuerſali Deo animos decerpi; vt Philo, ἀπόσπασμα θεῖον, νοῦς: Abſciſſionem quandam diuinam eſſe mentem, quaſi particulam: Et quod antiquiſſimus Moſes, afflatum: Et quod oraculum Apollinis, μῖρα δὲ μερὶς θεοῦ ἄγγελοι ἡμεῖς: Particula quædam Dei nos Angeli: Hoc Ariſtoteles inſtinctu Diuinitatis ſenſit. In quo eſt euidentiſſima Dei ſummi, generiſque humani creatoris confeſſio. Elabiturque Ariſtoteli creati hominis cæterarumque rerum confeſſio. Iſte quoque Deus, nec Intelligentia Solis eſt, nec Lunæ, vlliuſque planetæ, nec motor orbis primi, ſed eſt vniuerſalis Deus, potentiſſimus, maximus, non tam primi motor orbis, quàm præſidens vbique, ſupernum mundum, depreſſumque gubernans. Qui igitur erat, eſtque optimus, omnia vult bona. Quanta igitur eſt apud omnes ſapientes concordia? Cum autem omnia dicat Theophraſtus velle optima: illud primum, quid aut quomodo voluiſset, niſi creaſset? niſi fecißet, quod Moſes prodidit? Quod quidem etiam idem Theophraſtus eodem libro eſt elocutus: θεία γὰρ πάντων ἀρχὴ, δι᾽ ἧς ἅπαντα καὶ ἐστὶ, καὶ διαμένει: Diuina omnium rerum eſt origo, a qua vniuerſa ſunt & permanent. Hoc igitur omne cũ de vno Deo ſit Theophraſtus locutus, cui tãtam maieſtatem tribuat, vt eum fateatur omnia excedere, fateatur inſcrutabilem, eique omnium rerum tribuat principium, profectò is eſt, a quo venire, & dari noſtros animos neceſſe eſt Ariſtotelem dixiſſe. Quia dicit Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus, eum eſſe omnium rerum principium, per eum eſſe cuncta, & conſeruari. Quòd ſi Ariſtoteles venire exterius mentem, ſiue intelligentiam, qui eſt verus homo, fatetur, profectò quoniam ab aliqua origine eam venire oportet, non niſi ab iſta, cui tribuit omnium rerum autoritatem Theophraſtus. Sic apparet, Soleque ipſo clarius perſpicitur, quid Ariſtoteles ſenſerit, aut ſentire coactus fuerit, præſertim cum diſcipulus, quem ſenſa præceptoris tenuiſſe par eſt, perhibeat teſtimonium.

Lactant. lib. 7. c. 3.

1. Tuſc.

Theophraſtus de Deo.

Appellari legem Deum ab Ariſtotele: imperium legis eſſe imperium Dei. Ex his ſequi, vt tacitè fateatur legem hodiernam diuinam eſſe, cui maximè parendum ſit: in his eſſe Dei ſingularis confeſſionem. Cap. XVI.

ALIVD item quàm mirabile, ſuſpiciendumque apud Ariſtotelem, quàm clara de ſummo Deo, Prouidentiaque eius confeſſio, eaque duobus verbis, Politicorum tertio. Nam cum leges laudaret, multaque de earum bonitate diſſeruiſſet, præſtare dicens leges magis imperare, quàm homines, adiecit: ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους ὁ δὲ ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας: Quicunque igitur legem iubet imperare Deum, & leges: quicunque iubet hominem, addit & feram, quæ eſt ipſa cupiditas. furor quoque principes peruertit, optimoſque ſæpe viros. In his Ariſtoteles clariſſimè confitetur Deum quendam ſingularem, Deum ſimpliciter appellans. Deinde fatetur, Deum eſſe legem: Et quicunque velint leges, id eſt, rectam rationem imperare, velle imperare Deum, eſſe enim Deum ipſam legem. Si igitur Deus eſt lex, quia quicunque vult imperiũ legis, vult Dei: lex autem eſt gubernaculum, eſt conſilium, prouidentia, rerumque humanarum diſpoſitio: talis certè eſt etiam Deus. Eſt Deus moderamen, eſt lex Vniuerſi, eſt ordo, princeps omnium rationum. Perſpicuumque Ariſtotelem hic ſenſiſſe, locutumque eſſe, qualia a maioribus, & his ipſis Philoſophis accepta locupletauit, aperuitque Marcus Tullius philoſophus inſignis. Qui, cum de legibus ſcriberet, Erat, inquit, ratio perfecta, rerum Natura, & ad rectè faciendum impellens, & a delicto auocans, quæ non tum denique incipit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tum, cum orta eſt. Orta autem ſimul eſt cum Mente diuina. Quamobrem lex vera, atq; princeps apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Ergo vt illa diuina Mens ſumma lex eſt: item cum in homine eſt perfecta, eſt in mente ſapientis. Hæc Marcus Tullius diuinè dilatans, aperienſque breue Ariſtotelis dictum, dicentis eandem eſſe legem atque Deum, vt qui velit legem imperare, velit imperare Deum. Marcus autem clarè confeſſus eſt rationem ſummi Iouis eſſe legem illam, diuinam Mentem legem eſſe. Patet etiam ſummum Iouem apud Marcum eſſe, quem Ariſtoteles dixit τὸν θεὸν, ipſum Deum, dictus a veteribus Ioues, aut Iupiter, nomine præcellenti maieſtatis, æternæque Diuinitatis ſuæ. Is ampliſſima lex, fons, origo legum omnium.

Lex Deus.

Lex recta ratio.

Deus, lex & ordo vniuerſi.

1. Legum.

Fons legũ omnium Deus.

omnium. Ab ampliſſima, vaſtaque lege, ratione, Menteque diuina, nati ſunt omnes ordines, natę mentes hominum ſapientum, qui ſimiles artificis ſui leges confecerunt, deducentes eas ex illa ratione ad imaginem Dei creata. Deus maxima lex hominem creauit legis inuentorem, imitantē & ipſum rationem, æquitatem, prouidentiamque ſuam. Lex eſt ipſe Deus, imperiumque legis eſt imperium Dei: omnis ratio prouidentiæ, gubernandi, regendi, eſt ſimilis magnæ rationi, à qua ratio, ordoque omnis eſt profectus. Si gubernant homines Rempublicam, ſi iuſtè agere compellunt, multo facilius gubernat Deus rempublicam ſuam, totum mundum, cum minor omnis ordo, minorque ratio contineatur in maxima. Sparſaque eſt per omnia æquitas diuina, cui leges, recteque rerum gerendarum omnes rationes obſequuntur, & ad eam referuntur. Si quis igitur prudenter diiudicet, omniaque conferat, nec ſe à pertinacia, aut imbecillitate iudicij agi decipique ſinat, videbit hic apud Ariſtotelem ſublimem quandam, eminentiſſimamque Theologiam: Cognoſcetque, quoniam legem eſſe Deum confeſſus eſt, multo magis ei confitendum fuiſſe, illam legem eſſe Deum, aut à Deo profectam, & fuiſſe diuinam, quæ & optima omnium ſit, & homines maximè doceat iuſtè, & ſapienter viuere. Illud item ei confitendum erit, vt ſi lege imperāte, Deus imperet, eò autem optimum ſit imperare leges, id eſt, ad præſcriptum, præceptumque legis nihil non fieri in ciuitate, quia tunc Deus adſit Imperator, neceſſariò legi parendum eſſe, ſtandumque mandatis & dictis eius. Dicta autem legis diuiniſſimæ, & vniuerſalis, ac ſapientiſſimæ ſunt, mundum & genus humanum eſſe a Deo creatum, mandatis eius parendum, quoniam non in hac vita quietius, beatiusque agemus ſolum, ſed ad meliorem vitæ conditionem perueniemus. Hæc dicit lex, hęc iubet credi, vt ad fidem actiones ſequantur. Iubes autem tu ò Ariſtoteles, & cenſes in ciuitate omnem legibus honorem deferendum, Deique loco eas habendas: lex autē præſtans imperat, quia verum eſt credere creatum a Deo mundum, qua fide ſublata, nec legibus honos erit, nec ipſi Deo: Sicque deſtruentur decreta tua, quibus omnem honorem legibus decernis. Eoque cenſes eas venerabiles, quia ſint ipſe Deus. Neque verò imperarent ipſæ, ſi mendaces crederentur, ſi fidem apud auditores non promererentur. In contrarium autem tum maximè leges imperant, cum veraces habentur, & incorrupti teſtes eorum, quæ decernunt. Cætera igitur quæ ſequantur, luce clariora ſunt. In his igitur confeſſionem Prouidentiæ, & alia multa bona, vniuerſalemque Diuinitatem tacitè deprehendes.

Imperium legis eſt imperiū Dei.

Legis diuiniſſimæ placita.

Quòd Ariſtoteles dicens diuiniſſimum Reipublicæ genus Monarchiam, viſus eſt vnum Deum ſingularem, qui ſingulariter omnem mundum gubernat, confiteri. Cap. XVII.

ARISTOTELES item diuiniſſimum Reipublicæ genus fatetur eſſe βασιλείαν, Regnum, Monarchiam, πρώτην καὶ θειοτάτην, primum, & diuiniſſimum. Quid autem ex his ſequatur, ſapientes perpendent. Si enim Monarchia eſt prima Reipublicæ ſpecies, ac diuiniſſima, efficitur vt diuiniſſima ſit, quia ſimilis, & concors cum imperio diuino, Diuina enim dicuntur, quæ aut ſunt a Deo, aut ſimilia Deo. Si autem ſingularis principatus primus eſt, & diuinus maximè, ſanè eſt, quòd ei eſt cum diuino ſimilitudo. Et id imperij genus in mundo maximè vigere par eſt, quod in Republica, & apud homines eſt primum & diuiniſſimum. Id autem eſt cum imperat vnus. Sic maximè Deus vnus in toto mundo debet eſſe. Et quoniam ideo Monarchia primum ac diuiniſſimum genus eſt Reipublicæ, quia melior & ſanctior huiuſmodi, certè credendum eſt eſſe in omni mundo. Aut ideo apud mortales Monarchia eſt diuiniſſima, quia diuino, ac ſummi Dei imperio maximè ſimilis, habens bonitatem, ac diuinitatem ex ſimilitudine cum imperio diuino, quo ſolebant dicerent regem eſſe imaginem Dei viuam. Hæc Ariſtoteles, etſi clarè, & apertè non dicit, dicenda tamen ei fuiſſent, ſi fuiſſet vlterius progreſſus, reſolutaque omni oratione ad calcem perueniſſet; confeſſus item eſt in metaphyſicis. Ex his autem efficitur hunc mundanæ Reipublicæ ordinem, non in ſolis vertendis luminibus cęleſtibus eſſe, quorum motus, ad corpoream duntaxat vitam ſpectat: ſed in gubernandis, & naturalibus, & humanis rebus. Neque enim aliter humana Reſpublica ſimilis eſſet diuinæ, niſi cuncta gubernacula, rationeſque amplexa proſpiceret vbique, & conſuleret. Si igitur eſt vna Monarchia in toto mundo, totum vtique mundum gubernat gubernans; per ſolum cœli motum non gubernat, quia motus cœli ſolùm ad corpoream vitam ſpectat. Superſunt alia innumerabilia, ad quæ neceſſe ſit prouidentiam ſe extendere. Itaque vniuerſalis rerum cunctarum gubernatio per ſolum cœli motum, quia particularis eſt ſola terrena mouens, animanſque & augens corpora, cauſis particularibus cuiuſque rei comitibus fieri non poteſt. Cœli motus eſt particularis: gubernatio Dei quia maxima, & prima Reipublicæ regendæ ratio, & quia ſimilis eſt ei humana, vniuerſalis: non igitur qui mundum gubernat, tantum cœleſtes orbes concitat. Nam ſi quis Rex in aula regia proſpiceret tantum, vnde annona aducheretur, quibus ex locis carnes, piſceſque, & veſtes importarentur, cætera, quæ vis humanæ ſocietatis reſpiciunt, non curaret, verus Imperator, aut Rex non eſſet, Tota ratione iuris, & æquitatis, quæ maxima rerum pars eſt, neglecta, aut eo capere non valente. Sed vt fieri non poteſt, cuius

Regnum, præclariſſ. genus Reipub. Diuina q̄.

Deus vnus neceſſario.

Rex, imago dei viua.

Vna in toto mundo monarchia.

Rex minorib. negotiis intentus dūtaxat, non vere habēdus Rex.

A iuſſu fit earum rerum importatio, quin habeat poteſtatem iuris, & æquitatis moderandæ, moderandorum morum, caſtigandorum ſcelerum, virtutum prouehendarum: ſic fieri non poteſt, qui mouet orbes cęleſtes conſtantiſſimis, & indefatigabilibus motibus, quin hominum facta reſpiciat, ac moderetur, omnemq́ue gubernandæ prouinciæ moderationem amplectatur. Sed hæc quidem nobis clariſſima, non ideo diſputantur, vt fiant clariora, ſed quia & ſuper his loqui, ac meditari pulcherrimum eſt: & veris rationibus deducuntur ex Ariſtotele, cui, poſitis illis, neceſſariò ſunt, & hæc confitenda, quæ naturaliter ſequuntur ex illis.

Vera Regis officia eaq́ue optima.

Ariſtotelem pietatem collaudare, vtilemq́ue eſſe fateri. Ex his deduci, vt pietatem, quæ verè Deum colit, creatorem mundi credit & fatetur, collaudarit. Cap. XVIII.

ILLVD item, cui prudentia, iudiciumq; ineſſet, & qui ſtatuiſſet exactè cuncta ponderare, & perpendere, quę apud magnos viros reperiuntur Ariſtotelem præcipuè, quem vera de Deo ſententia caruiſſe contendunt, perſpiciet, vigilanterq́ue conſiderabit: Reſolutaq; tota ſententia, cernet, quò neceſſe ſit deuenire ei, qui primum aliquid ſtatuiſſet. Nam Politicorum quinto, cùm de Imperatore aut Rege ageret, quibus moribus in republica moderanda eum eſſe oporteret, numeratiſque nonnullis aliis, adiecit: ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισι δαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν, καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τους θεοὺς, Inſuper inquit, præſtat eum videri ſemper, & præcipue ſtudere ea, quæ pertinent ad Deos. B Minus enim timent aliquid ſubire, & perpeti præter legem ab eis, ſi putauerunt principem eſſe religioni deditum, & curare Deos. Minuſq́ue ei molientur inſidias, quippe Deos habenti adiutores. Ex his igitur quid conſequatur videbunt ſapientes. Laudat, probatq́ue videri, noſci, intelligi Imperatorē colere Deos immortales, quòd hæc publica cognitio multa commoda pariet populo. Nam ſi quid illatum fuerit à Principe ſupplicij, pręterquam quod à lege fuerit proſcriptum, magis verebuntur, arbitrantes Dei conſilio eum egiſſe, caſtigaſſeque ſceleratos nutu diuino: & minus ei inſidias intendent, quem Deos habere cuſtodes & præſides arbitrabuntur. Si bonum eſt igitur videri, melius eſt eſſe. Quidquid enim apparentia vtile, multo magis eſſentia. Vt ſi vtile eſt, & fructuoſum hoſtibus videri fortem, & inexpugnabilem, longè præſtet talem eſſe. Et ſi conducit aliquem videri probum, virtutiſque colentem, quia diligetur, honores conſequetur, cæteriſq; bonis locupletabitur, multo magis hęc ipſa conſequetur, verè probus. Similiter igitur ſi ficta, vel apparens pietas eſt vtilis principibus, & oī populo, multo magis vera, & ſolida. Argumentum ab apparentibus ad vera. Deinde à cōtrariis: Si pietas apparens eſt vtilis, multo melior, & vtilior vera. Impietas igitur primo apparens noxia, ſolida verò peſtilentiſſima. Ad hæc, Omnia, quę proſunt apparenter, aut verè, non ſolum apparentes cauſas bonitatis habent, ſed etiam ſolidas. Igitur pietas q̃m vel apparenter, vel verè prodeſt, ſemper ſolidas habet cauſas bonitatis. Pietas autem cùm ſit, vt Mercurius Triſmegiſtus ait, cognitio Dei: qui poſſidere eam velit, Deum noſcat neceſſe eſt, prodeſt autem omni genere vtilitatis pietas, proderit igitur noſſe Deum. Cognitio autem Dei, & pietas non conſiſtit, niſi putes & credas eum creaſſe homines, & regere. Non poteſt igitur Princeps videri colere Deum, niſi credat eum vniuerſa condidiſſe, & proſpicere. Eſt autem vtile videri & eſſe pium: vtile igitur C erit credere Deum omnia condidiſſe, & regere. In contrarium. Vt noxium erit, & peſtilens, neque eſſe, neque videri pium, ſic neque Deum noſcere. Quoniam autem, quæ non apparentia ſolum, ſed multo magis eſſentia bona & ſalutaria, ſunt maximè naturalia, & vera, quia bonum, & ens conuertuntur, & ipſe Ariſtoteles ait, οὐδὲν δὲ τῶν παρὰ φύσιν καλὸν, Nulla res præter naturam eſt bona. Ergo Deum noſſe, & colere, eſt maximè naturale. In contrarium, maximè non naturale, eum ignorare, & non colere. O Ariſtoteles igitur vide & conſidera. Si enim præſtat Principes videri pietatis ſtudioſos, videri autem non poſſent, niſi præ ſe ferrent credere Deum ſuper hominibus habere poteſtatem: Ideo enim populi timebunt, quia putabunt Deum cultori ſuo fauentem eſſe, & hoc bonum eſt: habere autem poteſtatem non poſſet, niſi creaſſet: cui etiam eſt adiunctum, quia niſi creaſſet, non faueret, & proſpiceret: neque enim rei non ſuæ proſpiceret, melior eſt igitur & vtilior, eoq́ue verior, & natularior Philoſophia, quæ putat Deum creaſſe genus humanum, & regere, quàm quæ negat. Contra igitur Philoſophiam tuam nunc apertè pronunciaſti, ſi negas, vt perhibent, mundum, & genus humanum conditum: cum quo eſt adiunctum, nulla erga genus hominum Deum affici charitate. Quam opinionem tu dicis eſſe peſtilentem, quia contrariam eius, dicis Principi & populo vtilem. Quæ autem ſunt noxia, & peſtilentia, ſunt minus naturalia, ſunt deprauata etiam tuo teſtimonio, eoq́ue vitia Græcè dicuntur, κακίαι, nocentia, labefactantia. Vitanda, quia noxia. Noxia, quia non naturalia. Quidquid enim corrumpit, tollit eſſe, & naſci. Impietas tollit bonum, & vtile. Tollit igitur naturam, tollit ipſum eſſe, tollit bene eſſe. Minimè igitur naturalis. Si non naturalis, non vera, quia verum, & eſſe, ſunt eadem. Credere autem Deum non creaſſe mundum, humanumq́ue genus, perficit, vt neq;

Princeps religioni addictus, eſt in tuto.

Decreta punitio a lege, tanquā a Deo.

Pietas apparēs ſi vtilis eſt, certè vtilior ea, quæ vera eſt.

Pietas q̄d. Vera pietas.

Vtilior philoſophia, quæ Deum aſtruit, quā quę negat.

Noxia cur vitanda.

credatur hominibus proſpicere, neque ſuper eis habere poteſtatem. Hoc autem impietas, inutilis impietas, imò noxia, quia pietas vtilis: execranda ergo & fugienda, tanquam inutilis, & peſtilens Philoſophia tollens pietatem, ingerens impietatem. Hoc tu dicis, hoc tu apertè teſtaris. Naſcuntur enim altera ex alteris. Ergo aut obliuioſus es, nec vidiſti quid tandem ex dictis tuis deduci poſſet, aut animo diuerſo ſæpe fuiſti. Recordare etiam, quæ in libris de cœlo dixiſti, δεῖ δὲ ἕκαστον λέγειν τοιοῦτον εἶναι, ὃ φύσει βούλεται εἶναι καὶ ὃ ὑπάρχει, ἀλλὰ μὴ ὃ βίᾳ, καὶ παρὰ φύσιν. Oportere vnumquenque id dicere, quod è natura velit eſſe, non quod præter naturam, & violenter eſt. Illud item perpendendum eſt, & deducendum, Si non decipit homo iuſtus, multo minus Deus. Iuſtus credenti ſibi, fidemque imploranti ſuam, aut in ſe ſperanti, non deerit. Multominus igitur Deus fallere non poterit eum, qui ſe colat, & populorum fidem, vniuerſalemque omnium hominum conſenſum deludere, qui credunt Principes Deum colentes Deo eſſe curæ. Et id etiam Ariſtoteles ſuperius eſt confeſſus. Laudauit igitur Ariſtoteles religionem, eamque principes dixit colere oportere, vtilemq; eſſe. Et quod dixit præſtare eum τὸ δοκεῖν, videri, apparere, deſignat cerni, cognoſci, intelligi, ſentiri, vt denotent religionem perſpicuam, exploratam, quam populus cernat, habeatq; perceptam, cuius exemplo fiat Princeps venerabilior. Hoc enim eſt, quod ſuperius dicebat, Deos curare res humanas.

Noxia impietas.

De ſingularis Dei beatitudine, quam Ariſtoteles vidit, vereque definiuit. Quòd omnes Ordines mundanos confeſſus eſt à Deo factos, dicens ab eo contineri naturam: & quòd is eſt Verbum Dei, ex Philone. Cap. XIX.

QVAM diuina quoque, quàm ſuſpicienda, manifeſtaque ſingularis & vnius Dei duobus locis, Ariſto. confeſſio, qua nihil à noſtra Theologia clarius, ac melius expectes, octauo Politicorum confirmans ea, quæ de Mente in libris poſt res naturales fuerat locutus, vt ſeipſam cogitet, contempleturque: quæ retulit quoque in Moralibus, vocans ibi Deum, quem Mentem in libris illis. In octauo Politicorum hæc ſui ſimilis dicit: ὅτι μὲν οὖν ἑκάστῳ τῆς εὐδαιμονίας ἐπιβάλλει τοσοῦτον ὅσονπερ ἀρετῆς καὶ φρονήσεως, καὶ τοῦ πράττειν κατὰ ταύτας, ἔστω συνωμολογημένον ἡμῖν, μάρτυρι τῷ θεῷ χρωμένοις, ὃς εὐδαίμων μέν ἐστι καὶ μακάριος, δι' οὐθὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν ἀλλὰ δι' αὐτὸν αὐτὸς καὶ τῷ ποιός τις εἶναι τὴν φύσιν. Quod igitur tantum cuique felicitatis adſit, quantum virtutis, & prudentiæ, & quantum ſecundum has virtutes agat, ſit nobis in confeſſo, vtentibus teſte ipſo Deo, qui felix eſt, & beatus, non ob vllum exterius bonum, ſed per ipſum ipſemet, & quia talis eſt natura. Quantum hic eminentiſſimę, profundiſſimæque Theologiæ? Primum dicitur hoc de ſummo, & vno, ac ſingulari Deo, quem vero naturæ inſtinctu, Deum ſimpliciter vocat: non conuenit vlli cęleſti Intelligentiæ, quarum nulla eſt beata per ſeipſam, ſed per ipſum illum, qui ſibi quoque eſt beatus. Huic ergo tribuit magnam infinitamq; beatitudinem, cui comes it omnium corona bonorum. Id enim eſt beatus per ſe. Audias, quæ pòſt eloquitur, ſimillima prorſus his, quæ ſenſit, & ſcripſit, in Compendio. Nam cùm ordinem, legemque in moderatione, non exceſſu conſiſtere probaret, dixit, ὁ δὲ λίαν ὑπερβάλλων ἀριθμὸς οὐ δύνατα μετέχειν τάξεως, θείας γὰρ δὴ τοῦτο δυνάμεως ἔργον, ἥτις καὶ τόδε συνέχει τὸ πᾶν: Numerus, qui nimium excedit, non poteſt ordinis eſſe particeps. Is enim fuit diuinæ poteſtatis inuentum, quæ continet hoc Vniuerſum. Duo admiranda, Numerum, quemadmodum Plato in Epinomide, eſſe diuinum opus, opus Dei, rem diuinam, rem repertam à Deo. Appellans numerum ordinem, concentum, harmoniam rerum, quæ tota in numero eſt, & proportione, omnem hunc ordinem, hanc harmoniam rerumq; mirabiles ſitus ac concentus fatetur eſſe diuinæ poteſtatis opus. Et quid aliud ei numerus, quàm quod Moſes in creatione mundi, lux, cęlum, maria, terræ, herbæ, animalia? Deinde non inueniſſe ſolum hunc ipſum ordinem dicit, ſed conſeruare, continere Vniuerſum ordinibus, legibusque numeroſis à ſe repertis. Si Deus igitur continet Vniuerſum, primum hunc eſſe ſingularem quendam Deum, qualem ipſe videtur deſcribere, cui referat ordines, & ſitus omnes acceptos, oportet. Tum ſi continet Vniuerſum, ſi numerus eſt opus eius, teſtatur id infinitam eius poteſtatem. Qui enim poteſt continere totum mundum, quoniam in mundo eſt, quidquid poteſt eſſe, neceſſariò poteſtate ſempiterna præditus eſt. Nihil enim deeſt mundo, quod natura capere potuerit. Si qua igitur eſt potentia, quæ continet, ſuſtinetque Vniuerſum, eam infinitam eſſe neceſſe eſt: quia ſuſtinet quidquid eſſe poteſt: vt ſi hæc continet, poſſit etiam alia, ſi darentur. Veriſimile enim eſt, ſi tribuas Deo cunctarum rerum ſuſtinentiam, in quo maxima poteſtas cernitur, nefas que ducis alterius quàm Dei, hanc eſſe poteſtatem, Deum, ſi adeſſent plura, continere poſſe. Eadem enim ratio faceret, vt ad ea ſeſe Deus extenderet, qua facilè continet hęc ipſa, quæ nunc ſunt in mundo. Quoniam, quæ ea facilè, & ſine defatigatione continet, claret quòd multo plura continere poſſet. Nam qui facit aliquid ſine labore, faceret etiam plura. Itaq; efficitur, quod ipſe dixit in Compendio, virtutem diuinam eſſe indefatigabilem. Deinde ſi tantę poteſtatis eſt, vt efficiat numerum, contineat Vniuerſum, facilius potuit ipſum creare. Imò niſi creaſſet, continere non

Deum vnũ hic nominat Ariſt.

Harmonia rerum, tota in numeri proportione.

Numerus teſtatur infinitã Dei poteſtatẽ.

Virtus diuina, infatigabilis.

poſſet, quia mundus non ſubiiceretur ei, nec appareret, vt res æterna, vt nullum habens ab ea principium. Qui continet ergo, moderatur rerum concentus, efficit, & ordinem, oportuit eum res ita moderaſſe, vt imperiis eius obtemperarent. Si conuincitur autem poteſtas eius immenſa, quoniam ſuſtinet Vniuerſum, quo neque eſt, neque poteſt eſſe maius, arguitque id poteſtatem infinitam, certè potuit & creaſſe, & creandi quoque habuiſſe poteſtatem. Quomodo enim cęlos mouiſſet, niſi poteſtatem creandorum habuiſſet? Niſi ad motum corpora ipſa aptaſſet? Ad hæc, qui facit, creatque numerum, cur non ſemel creauit? Si perpetua quædam huiuſmodi creatio eſt, cur adimis ei non aliquando potuiſſe? Quandoquidem hoc aut æquale, aut maius illo. Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri. Illa quoque euidentiſſima conſecutio, Si diuina poteſtas continet regitque Vniuerſum: in hoc Vniuerſo ſunt res humanæ. Nam Vniuerſum conſtat è rebus naturalibus, & humanis. Eſt autem ſignificatus continendi, quod amplectitur vndequaque, & ſuſtinet, aſtringit, alligat, regit. Quo declaratur poteſtatem diuinam, vniuerſum amplecti mundum, ſuſtinere, conſeruare, ſicut dicebat in Compendio. Qui hoc facit, etiã res humanas in omni mundo meliores contineat neceſſe eſt. Igitur & has ſic continebit, & reget, vt dirigat, diſpenſet, quod eſt officij, & poteſtatis ſuæ. Quòd ſi eas non continet, non continet vniuerſum. Aut etiam non poteſt, aut non vult: vtrunque abſurdiſſimum. Probatur autem hoc teſtimonio, librum illum, aut ſententias illas in libro de Mundo, eſſe eius: quia ſimilia hic, atque illic de poteſtate Dei, qua contineantur omnia, loquitur. In eo autem libro prædicat Deum gubernare res humanas: in Moralibus, præcipuè bonos. Si conferas igitur omnia, videbis ei veritatem confeſſionem ſui luculenter extorſiſſe. Poſt hæc omnia ſequitur, quoniam Philo Iudæus, omneſque quos antea vocauimus teſtes, Verbum Dei dixere concorditer, id eſt, creatricem illam Mentem, cuncta continere, neceſſariò, & iſtud tacitè Ariſtotelem innuere. Audi igitur Philonem, ſimilia in libro de Mundo atq; hic Ariſtoteles de Prouidentia, & rerum continentia requirentem, quid dixerit tandem continere hunc mundum: τὰς δυσωπίας οὖν εἴτις ἀποδιδράσκειν βούλοιτο τὰς ἐν τοῖς διαπορηθεῖσι λεγέτω μετὰ παῤῥησίας, ὅτι οὐδὲν τῶν ἐν ὕλαις κραταιὸν οὕτως ὡς τὸν κόσμον ἀχθοφορεῖν ἰσχύσαι, λόγος δὲ ὁ ἀΐδιος θεοῦ αἰωνίου τὸ ὀψυρώτατον, καὶ βεβαιώτατον: Quicunque igitur, inquit, vellet ruborẽ euadere, qui ſolet in his de quibus addubitatur, accidere, is intrepidè dicat, nullam rem corpoream adeo robuſtam eſſe, vt poſſit ſuſtinere mundum. Verbum autem ſempiternum Dei æterni, firmiſſimam, ac ſtabiliſſimam ſuſtentationem eſſe. Quod à mediis ad extrema, & ab extremis ad media pertinens, & ſtipans deducit inuictum Naturę curſum. Vinculum enim indiſſolubile Vniuerſi, qui genuit ipſum, Pater fecit. Iure igitur neque omnis terra alluetur ab aquis, quæ ſinibus eius continentur, neque ab aere extinguetur ignis, neque viciſſim ab igne inflammabitur aer, Verbo diuino ſeſe medium interponente. Hæc Philo. Dixi autem alibi, locum eſſe mendoſum in impreſſis codicibus, vt legendum ſit non νόμος, ſed λόγος. Quid igitur diuinius his, & mirabilius, & pro quibus magis Deo gratias habere debeamus? Ariſtoteles cenſet diuinam poteſtatem continere Vniuerſum. Philon declarat hanc poteſtatem diuinum Verbum, vinculum, & ſuſtentaculum Vniuerſi. Et Paulus ſimiliter diuinè, & cùm his omnibus maximè conſonè, Portans omnia Verbo virtutis ſuæ. Paulus, & Philo Verbum: Ariſtoteles, & Paulus δύναμιν, Virtus. Eſt ipſe quoque Poteſtas, ac Virtus Dei.

Ouid. 2. de arte.

Vniuerſũ quibus cõſtat.

Verbum Dei ſuſtẽtatio mũdi.

Diuina poteſtate cõtinetur vniuerſum, Ariſtoteli.
Heb. 1.

Ariſtotelem fateri Deum maſculum, & fœminam creaſſe ad generis humani perennitatem, cum Moſe mirificè conſentientem. *Cap.* XX.

COLLECTIS igitur hinc inde multis, conflabitur ex Ariſtotele mirabile, pulcherrimumque Theologiæ corpus: quam cum Deus poſtea præſens ipſe docuiſſet, prius per oracula reuelabat: docebat item & ſuggerebat Natura. Nam cum in Oeconomicis de coniugio, quam bonum eſſet, ac neceſſarium, diſſereret dixit, ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ᾽ ἀριθμὸν οὐ δύναται, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ εἶδος. οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις τοῦ τε ἀνδρὸς, καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Quod eſt, Simul autem & Natura ſupplet hoc circuitu, vt ſit res ſemper, quia ſecundum numerum fieri non poteſt, ſed ſecundum ſpeciem. Sic prouiſa fuit ab ipſa Diuinitate, vel Deo, natura vtriuſque, maſculi ſcilicet, & fęminæ, ad coniunctionem. Hæc Ariſtote. dignus, qui nunc inter primates Theologos teneat primum locum: quandoquidem Naturæ locutus eſt inſtinctu, quæ magnus Moſes ex oraculo cęleſti, & antiquiſſimæ doctrinæ ſucceſſione ſcripſit. Vt igitur Moſes dicit Maſculum, & fęminam creauit eos: ſic audis dicentem hoc loco (vt mirabile ſit) Ariſtotelem, à Diuinitate prouiſum fuiſſe, vt eſſet maſculus, & fęmina ad coniunctionem, vt repararetur propago per continuam ſpeciem, quæ per vnum indiuiduum ſubſiſtere non poſſet. Quo loco multa conſideranda. Primum, quod hoc factum in pręterito dicit, ſicut Moſes, vt det huius rei aliquod principium, in quo de vtroque ſexu fuerit prouiſum. Et quid aliud dicere poſſis, quàm quod ſemper Moſes, Fecit, Creauit in principio? Si fuit autem iſtius rei principium, fuit etiam cæterarum. Et qui proſpexit, & ordinauit, vt eſſet maſculus, & fęmina, certè

Secundũ ſpeciẽ, nõ numerum natura cõſeruatur.

Ariſt. theologus.
Gen. 2.

Continua ſpecie propagatio cõſeruatur.
Gen. 1.

Si prouiſũ eſt æterna ſucceſſione à Deo, ſic & cętera æquum eſt cũ prouidere.

Dei actio quæ.

Gen. 2.

Mens exteri° eſſe, Ariſtoteli.

Melius eſt eſſe, quam non eſſe.

2. De natu ra Deor.

Natura, Deus.

certè totos eos etiam creauit: vt qui dedit eis ſexus varietatem, dederit etiam ſubſtantiam. Sic fuit is ſator, & autor generis humani. Si item creauit, ſexumq; amborum diſtinxit, cætera quoque non minus neceſſaria prouidebit. Si enim eouſque ſe extendit Prouidentia, vt corpora ad generandum apta formaret, vt eſſet æterna ſucceſſio, certè reliquas officij ſui, prouidentiæque partes non relinquet. Apparuit enim eam poſſe, quia potuit formare corpus, dare ſexus varietatem, maximæ potentiæ res. Qua charitate autem, & clementia duos ſexus ad æternitatem excogitauit, eadem volet alia ad genus humanum attinentia cernere, ac tueri. Quod autem opus ſit prouidentia, nemo eſt, qui non intelligat, nemo eſt, qui non ſit confeſſus. Deducitur etiam ex his, hunc Deum, quem generis humani confeſſus eſt Ariſtoteles creatorem, non eſſe Deum illum affixum voluendo primo mobili, ſed Deum, qui & cœlum vertat, & cætera in mundo neceſſaria agat. Neque enim ſi affixus erat orbi ſupremo, in terris eſſe poterat, diſtinguens duos ad perpetuam procreationem ſexus. Deinde vbi ſunt illi, qui negant Ariſtotelem Deo prouidentiam rerum terreſtrium dediſſe, ne vileſceret? Quid enim his clarius, minuſque amphibologiæ, deprauationique expoſitum? Videbis igitur apud Ariſtotelem, admiraberiſque eandem, atque apud Moſen de homine creato Theologiam, vt animum, & corpus cum Moſe dicat expreſsè a Deo creata. Eiſdem verbis, eadem ſententia, de animo, & corpore. De corpore, ſicut Moſes, Maſculum, & fœminam creauit eos, totidem, & ipſe verbis. De animo, vt Moſes dixit Deum exterius, afflaſſe, mentemque dediſſe, ſic ipſe in libris de Generatione animalium, mentem eſſe diuinam, ac venire θύραθεν, exterius, à foribus, à porta. Itaque ſibi etiam probè conſentiens, eadem aſſerit aliis in locis, quæ nunc de propagatione iuxta Theologiam Moſaicam ſcripſit. In libris de Generatione, & interitu: Nam cùm, inquit, in omnibus Naturam appetere melius dicamus, melius autem ſit eſſe, quàm non eſſe: hoc autem in omnibus fieri non poſſit, quoniã à principio recedunt: τῷ λειπομένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν: Reliquo qui ſuperat modo, compleuit Vniuerſum Deus, facta perpetua generatione. Moſes autem, Vnumquodque iuxta genus ſuum. Ecce quod in particulari de maſculo, & fœmina dixerat in Oeconomicis, hic de indiuiduis omnium ſpecierum. Loquitur item hic per præteritum, συνεπλήρωσε, ποιήσας, compleuit, fecit. In Oeconomicis autem προεωκονώμηται. Et Deum facit huius rei autorem illic, & hic, omnia Moſi ſimilis. Eadem, quadam ingenij diuinitate vidit, & confeſſus eſt Marcus Tullius: Quid loquar, ait, quanta ratio in beſtiis ad perpetuam conſeruationem earum generis appareat? Nam primum aliæ mares, aliæ fœminæ ſunt, quod perpetuitatis cauſa machinata Natura eſt. Deinde partes corporis, & ad procreandum, & concipiendum aptiſſimæ. Et in mare, & in fęmina commiſcendorum corporum miræ libidines. Sic ille dicens in vniuerſum de animalibus, quod particulariter Moſes, & Ariſtoteles de homine. Quòd autem, quæ refert in Naturam, referat in Deum, qui talem Naturam fecerit, apparet vbi concludit. Sic vndique omni ratione concluditur, mente, conſilioque diuino omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium conſeruationemque mirabiliter adminiſtrari.

4

Ariſtotelem cunctis in republica rebus præferre pietatem. Quæ cauſa iuſtiſſima, cur ſit pietas potior. Super hoc, Ariſtotelem præceptoris Platonis ſententiam fuiſſe ſecutum. Cap. XXI.

Primum quærite regnũ Dei. Matth. 6.

Matt. 6.

Pietas primò exercenda.

QVis non mirabitur item Ariſto. cum priſcis Philoſophis, cum ſapientibus omnibus tam mirificè, tam vnanimiter, manibus, pedibuſq; tendere in eum ſenſum, ac ſapientiam, quam noſtra ſemper ingerit religio? Deum oportere colere, primumque regnum cælorum eſſe quærendum. Hoc Ariſtotele aſſeuerante, quid aliud ſentire cogemur, & interpretari, quàm eum cogitaſſe, ac ſenſiſſe pietatem omnium rerum optimam? cui multa alia neceſſaria cohærent. In libris igitur de Republica, cùm de his ageret, quæ ſint in ciuitate, & republica neceſſaria, primumque alimentum numeraſſet, tum artes, tertio arma, quarto copiam aliquam pecuniarum, ſubiicit, πέμπτον δὲ καὶ πρῶτον, τὸν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν, ἣν καλοῦσι ἱεράτειαν, Quintum, & primum cultus Dei, quam religionem vocant. Paulò poſt, ὑπὸ γὰρ πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς θεοὺς, πρέπει δὲ τήν τε θεραπείαν ἀποδιδόναι τοῖς θεοῖς, A ciuibus enim conuenit coli Deos. Et Conuenit cultum reddere Diis. Primum, inquit, locum habeat in ciuitate cultus Dei. Nam τὸ θεῖον, eſt numen: quod etſi in multos competat, vt ſanctitas, eſt tamen præcipuum ſingularis Dei nomen, ſicut Deus, & quemadmodum ſæpiſſimè locutus eſt idem. Quæro igitur ex eo primum, cur cultus numinis ſit ex his, quæ ſunt in ciuitate neceſſaria, aut ſine quibus, vt ipſe loquitur, res publica non poſſit conſiſtere. Iam quid ſit illud Numen, cuius in ciuitate cultus ſit neceſſarius. Certum igitur Ariſtotelem dicturum, cum primum in republica fateatur eſſe cultum Dei, quod Chriſtus dixit, Primum quærite regnum Dei. Siquidem & ipſe cum de his loqueretur, quæ fiunt in omni vita humana, præpoſuit omnibus, vt quæreremus regnum Dei. Id omnes communi conſenſu pietatem ſentiunt, & interpretantur. Hanc autem cum ſentiant omnes regnum Dei appellatam, palàm eſt ideo pietatem primum exercendam

A dam eſſe, quia per eam ad præmium cæleſte peruenitur. Aut ſi non tam altè ſuſpexit Ariſtoteles, ſupereſt vt primum in ciuitate locum dederit pietati, ob maximam aliquam æquitatem, ac iuſtitiam. Si colendus eſt enim, & qui eum colunt, operantur iuſtiſſimè, faciuntque id quod eſt præcipuum in ciuitate: Iuſtitia autem poſita eſt in dando & accipiendo: ciues iubentur reddere, reddentesq; dicuntur agere iuſtiſſimè: neceſſe eſt pietatem ſiue cultum Dei, maximo debito reſpondere, ob maxima beneficia. Quænam igitur alia hæc eſſe poſſunt, quàm ea, quæ ſuperius dixit Ariſtoteles? quòd continet Vniuerſum, regitque Deus, quòd humana corpora creauit, inq; ſexus varietatem, vt naſceremur, diſtinxit, quòd animos exterius immiſit. Qui enim vtrunque ſexum, vt naſcerentur, qui poſtea nati ſunt, aptauit, diſtinxit, is vtique fuit autor, vt nati ſint omnes, quicunque poſtea nati ſunt. Eique tanquam autori, & qui parauerit, vt naſceremur, omnes debemus perpetuas grates. Triaque maxima beneficia doceo ipſo autore nobis a Deo largiri: Quod ab eo nati ſumus, id eſt, prouidentia eius corpus effictum: Quòd animi noſtri exterius ab eo donati: Quòd alimur ſemper, & vegetamur. Id enim cęli motus præſtat, quem à Deo eſſe ſępius ipſe teſtatur. Deniq; quòd prouidemur ab eo, vt multis apparet locis Ariſtotelem fuiſſe confeſſum. Hæc illa maxima iuſtitia, ipſo Philoſopho aſſerente, ob quam fit, vt primum cultus Dei habeat in ciuitate locum. Si negligat Deus res humanas, vt pertinaciter nonnulli Ariſto. ſuſpicatum contendunt, nullus deberetur ei cultus. Efficiturq; neceſſariò, quòd Marcus latius aperuit: Sin autem, inquit, Dij neque poſſunt nos iuuare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animaduertunt, nec eſt quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt, quod vllos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem fictæ ſimulationis, ſicut B reliquæ virtutes, ita pietas ineſſe non poteſt, cum qua ſimul & ſanctitatem, & religionem tolli neceſſe eſt. Hæc ille. Nullus igitur ei cultus deberetur, ſi cùm precamur, & colimus eum, nec animaduertit honores, religionemque noſtram, nec preces exaudit. Cum autem nulla virtus non maximè naturalis, ac ſolida, minimeq; fucata ſit, nec poſſit eſſe laudabile, quod fucatum eſt: pietas cum non ſolum virtus ſit, ſed omnium virtutũ excellentiſſima: fieri non poteſt, vt ſit ſimulata, ſit de eo quod non eſt, falſa, mendax. Sed ſicut fortitudini ſubeſt materia, à qua vera laus fortitudinis exiſtat, cæteriſque ſimiliter virtutibus: ſic neceſſe eſt, circa quod pietas verſatur, & quo virtus eſt eminentiſſima, maximè naturale, maximè verum eſſe. Id autem eſt firmiſſima perſuaſio, à Deo cuncta bona homines accepiſſe, iugiterque præſtari, quod aliquando dediſſet. Quę perſuaſio ſi falſa eſt, pietas ipſa virtus inclyta, virtutumque princeps, vana, falſa, inanis eſſet, vaniſſimoq; fundamento niteretur. Sed nulla virtus eſt falſa, quia naturalis eſt potius, & communi conſenſu laudatur, poſſidenteſque celebres facit & beatos, vt neceſſariò ſit res ingens, ac ſolida, quod laudem gignit & beatitudinem: ſic pietas multo maximè habebit hæc omnia. Tum ſi nullum decorum, & honeſtum eſt falſum, contrà omne falſum, aut fictitium, eſt inhoneſtum. Et ſi decorum cenſet coli Deos Ariſtoteles, certè hoc decorum eſt maximè verum, habetque verum fundamentum, veras cauſas. Vt ſi decorum eſſet filium venerari parentes, aliqua maxima cauſa id efficiat: ſic ſi decorum eſt homines venerari Deum, ab aliqua ingenti cauſa dependeat neceſſe eſt. Hęcque ab ipſa Natura comprobantur. Apertè igitur, vt in pleriſque aliis, ſic nunc ſecutus eſt præceptorem Platonem Ariſtoteles, qui in Epinomide dicit: μείζων μὲν γὰρ ἀρετῆς μιδεὶς ἡμᾶς πότε C πειθέτω τῆς εὐσεβείας ἔιναι τῷ θνητῷ γένει: Nemo vnquam nobis perſuadeat, eſſe humano generi quicquam maius virtute, quæ dicitur Pietas.

Sexuum diſtinctio a Deo.

2. de Natura Deorũ.

Pietas virtutum maxima.

a Deo cũcta bona præſtari.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER QVINTVS.

In quo de ſingulari ac ſupremo Deo Philoſophia Platonis perpenditur.

Platonem vnum ſingularem Deum aſſerere: quam cœlo perinde atque Ariſtoteles tribuat Diuinitatem, non veram, ſupremamque illi Diuinitatem, ſed creatam eſſe, factamque ab illo ſupremo. Deum illum magnum ac ſupremum appellare Platonem ineffabilem, ex Theologia Triſmegiſti. Hunc ipſum, non corporis modo cœleſtis, ſed etiam animi affirmare Platonem creatorem. Vehementer eos errare, qui dicunt Platonem ſentire creationem perpetuò manantem. Secutum eſſe Platonem Aegyptios & Chaldæos in deſcribenda creatione mundi. Cap. I.

Aſcititia cœli diuinitas.

Plato, in Timæo Deum verum confitetur.

QVOD in Ariſtotele fecimus, vt eius vel inconſtantiam, vel neceſſariam mentis mutationem ab ea ſententia, quam contra naturam violenter ſuper maieſtate ſingularis Dei, fictitiaque illa tantum luminū cęleſtium, quam in libris poſt res naturales confinxit, Diuinitate protuliſſet, conuinceremus, eadem, & multo quidem luculentior, occurrit ex Platone comprobatio. Quem eodem genere rationum verbis illis ſuis recitatis eò deducemus, vt quando corpora, Intelligentiaſque cæleſtes deificat, vel inuitum, & Chaldæorum, Aegyptiorumque receptæ apud Græcos perſuaſioni ſubſcribentem feciſſe monſtremus, aut non veram, & ſolam, vt in Ariſtotele, illam cęli Diuinitatem, ſed aſcititiam, ac diuinum quiddam potius, quàm verum, & vniuerſale Numen confeſſum oſtēdemus, productis his, quæ naturæ vel inſtinctu, vel iuxta maiorum Philoſophiam, ſuper vero Deo, ſummaque & naturali Diuinitate ſenſit, perſpicueq; prædicauit. Incipiam igitur ex Timęo, quo in libro mirabili conſenſu ex Theologia videlicet Moſis, & Aegyptiorum, creatorem omnium rerum inſcrutabilem, ineffabilemque Deum, non viſibilium ſolum, ſed etiam ipſorum animorum, ac Deorum, maximè verò Animæ mundi, id eſt, eius, qua cęlum animatum putauit, confitetur. Nec reliquum eſt quicquam, quod ille non referat in illum omnium rerum creatorem. Vt ſic quibus aliis locis, cęlum & ſidera deificat, aut inconſtantē eum cōfiteri oporteat, aut ita deificaſſe, proq; Diis habuiſſe, ſicut item Deos appellat ab ipſomet Deo maximo creatos. Vt non quidem vera æternaque præditos eos, ſed quadam donata, factaque diuinitate, ſenſerit: quale noſtris in litteris non Angeli modò, ſed etiam viri iuſti, ac Principes Dij dicūtur, haud protinus ſuſpicantibus nobis eos veros eſſe Deos, & non à ſummo, ac ſingulari

Deo creatos. Hanc Theologiam clarum eſt extare apud Platonem, totius item Theologiæ ſacratioris,quæ magnis myſteriis conſtat,receſſus: quos qui ſcrutatus fuerit,fabulis,& his, quæ ceu ſordes adhæſerunt (quia nox atra terris adhuc incubabat) ſepoſitis, cernet claram , vel inſtinctu Naturæ, vel priſca ſucceſſione editam Theologiam. Exordiens igitur creationem rerum, hoc diuino principio auſpicatus eſt,Marco Tullio interprete. Atque illum quidem quaſi Parentem huius Vniuerſitatis inuenire difficile:& cum iam inueneris,indicare in vulgus, nefas . Hæc Tullius. Plato autem, τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Hoc præclarum Platonis exordium,diuinum ,conſonumque noſtræ cælitus reuelatæ ſapientiæ. Quandoquidem & Moſes ſcribens de creatione mundi, nihil de creatore mundi,requiſiuit,ſcripſit,indicauit. Nimirum ea de cauſa,quam memorauit, quia ſit eum cogitare quidem difficile,in vulgus efferre,& pronuntiare,impoſſibile,& nefas. His de cauſis expeditè pronũtiauit vterque,eum fuiſſe Patrem,aut Parentem Vniuerſitatis. Apud Moſem , Creauit cœlum,& terram: Quod parentis eſt,& quaſi gignentis. Et quia non propriè genuit, Marcus eum , quaſi Parentem dixit. Vbi autem Hebraicè eſt Creauit, Sept. interpretes verterunt ἐποίησε , Fecit. Ecce igitur Creator,ſiue Parens,ecce Factor. De quo ergo Moſes ſcripſit,In principio creauit Deus cęlum & terram,de eodem Plato dixit,quòd eum,qui fuerit Creator,& quaſi Parẽs Vniuerſitatis,i. cęli & terræ,difficile ſit cogitare,multo difficilius effari in vulgus. Progreſſus vlterius Marcus pro Platone:Rurſus igitur,inquit, videndum ille fabricator tanti operis. Paulò pòſt, At qui ſi pulcher eſt hic mundus,ſi probus eius artifex . Quandoquidem neq; mundo quidquam pulchrius, neque eius ædificatore præſtantius . Oſtendens item vna cum mundo à ſupremo Deo natos eſſe Deos, Quocirca,inquit,ſi fortè de Deorum natura , ortuq; mundi diſſerentes, minus id,quod habemus animo conſequimur,vt tota dilucidè,& planè oratio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſecũ ipſa conſentiat,haud ſanè erit mirum. Progreſſus inde,Quæramus,inquit,igitur cauſam, quæ eum impulerit,qui hæc machinatus ſit,vt originem rerum,& molitionem nouam quæreret: probitate videlicet præſtabat. Probus autem inuidet nemini. Itaque omnia ſui ſimilia generauit. Hæc nimirum gignendi mundi cauſa iuſtiſſima. Nam cum conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum,mali nihil admiſcere,& cætera . Eadem totidem verbis apud Platonem , paucis interiectis: Quamobrem efficere moliens Deus,terram primum,ignemque iungebat. Subiicit item: Deus autem,ait,& ortu,& virtute antiquiorem genuit animum,eumque vt Dominum, atque Imperantẽ obediẽti præfecit corpori. Paulò autem inferius de hoc ipſo: Animum igitur cum ille procreator mundi Deus ex ſua Mente,& Diuinitate genuiſſet,tum denique omne quod erat concretum,atque corporeum,ſubſternebat animo,interiusque faciebat. Hæc Plato interprete Marco . Eſt autem is Animus,vt dixi,Anima cęleſtis orbis,eſt Deus ille,qui animat orbem cęleſtem,id non Platonicis modò perhibentibus,ſed ipſo indicante Platone,his verbis: Sic animus a medio profectus, extremitatem cęli a ſuprema regione rotundo ambitu circumiecit,ſeſe ipſe verſans,diuinę,ſempiternæ,ſapientiſq; vitæ induxit exordium,& corpus quidem cæli ſpectabile effectum eſt , animus autem oculorum effugit obtutum. In his omnis ambiguitas diſſoluitur, quam cęlo tribuat Diuinitatem Plato,cuius & animum & corpus fatetur à Deo creatum. Creatus eſt igitur animus cæleſtis,ſiue anima cœli a Deo,corpus viſibile,anima inuiſibilis. Si det igitur Plato Diuinitatem cęleſti aut corpori,aut animo,cernis hic nec æternam Diuinitatem,nec veram,ac primam. Vt qui adoret animam cęli ſummo cultu,maximum apud Platonem faciat flagitium. Taliſque eſt animus ille cęleſtis,de cuius creatione tam multa diſſerit Plato,qualis maximus quis Angelorum, voluendo cęlo a Deo præfectus. Si creatus eſt igitur cęli totius animus à Deo , vtique etiam particulares animæ ſtellarum. Ecce igitur quomodo ſit intelligendus in Epinomide Plato,cum cœlum Deificat, ita videlicet,vt intelligas eum non veram,ac primam Diuinitatem illi dediſſe,ſed factam,creatãque aliquando a ſummo Deo. Eodem modo conſtat intelligendũ eſſe Ariſtotelem,qui præceptorem Platonem dãda cęlo Diuinitate fuerat ſecutus:vt,quemadmodum exempla docuerunt, principalem ſempiternamque Diuinitatem alibi ſtatuerit,aut oblitus ſuorum decretorum ſtatuere ſe non perſpexit,cum eam confitetur continere totum mundum,cum ſexus varietatem feciſſe,cum regnare ſupra vertigine cęli,extra anni Soliſque vias,non videlicet incluſum orbi cęleſti, ipſumque animantem,prædicat. Illum igitur,qui cęleſte corpus impellit animator eius , non, eſſe maximum,ſupremumque Deum , ſed Intelligentiam quandam a Deo creatam,cum qua corpus etiam creauit,aptauit arte mirifica,vt ſemper verſaretur rotũdo motu: vnde vita eſſet perpetua,dogma Platonis eſt. Quare cęli ac Solis motum nõ Animæ illi deberemus,ſed conditori magno,qui eam creauit. An autem ſit Animus is,nunc non diſputo. Tantum contendo Platonem ingenuè confiteri cuncta à ſupremo Deo creata,vel cęli vniuerſalem Intelligentiam , ſi qua ea ſit. Nam quemadmodum item Moſes aſſerit Deum creaſſe lucem, aut quarta die Solem & Lunã : ſic eiſdem pene verbis Plato: Atq;,inquit,vt eſſet menſura quædam euidens,quæ in iſtis octo curſibus celeritates tarditateſque declaret,Deus ipſe Solem , quaſi lumen accendit ad ſecundum ſupra terra ambitũ, vt quàm maximè cęlum collucerent. Ecce igitur Solis creator Deus,nihil eſt autem apud profanos Sole venerabilius,cuius Intelligentiam Dei filiam dicat Iulianus. Sed quoniam totus liber eſt clariſſimus,quo & mundi exordium prædicatur,& omnia viſibilia , & inuiſibilia ab vno Deo cõdita

De Natura Deorum 1.

Parens vniuerſi, deus. Geneſ. 1.

2. De Natura Deorum.

De Vniuerſitate.

Animi creatio a deo.

Intelligentia a Deo creata.

Gen. 1.

Nihil venerabilius ſole apud paganos.

Deprauatores Platonicorũ librorum.

Aegyptij & Chaldęi constanter mũdi creationem astruunt.

ſæpe referuntur, aliud ex eo libro ſuper hac ratione non addam. Nam Platonici illi, vt Proclus, & Alcinous & Simplicius, qui deprauare conati ſunt ſenſa Platonis, quòd creationem non aliquo temporis exordio cœpiſſe, ſed fluere manareque in ſempiternum cenſuerit, ideo contemnendi ſunt, & irridendi, quia tum manifeſta, & ipſo Sole clariora obſcurare nituntur, tum id ſunt conati, vt idololatriæ, profanæque Philoſophiæ ſuæ labenti ferrent opem, in qua nefas putabant, cœlum, quod adorabant, aliquando creatum, aliquando non fuiſſe. Sed cum totus liber ſit planus, perſpicuumq; ſit Platonem in Timæo ſecutum fuiſſe Pythagoreos, hos autem Aegyptios, & Chaldęos, apud quos conſtanter traditur creatio mundi. Extat enim liber Timæi Locrenſis de Creatione mundi, in quo ad alia ipſe hæc: ἐποίησεν ὦν τὸν δὲ τὸν κόσμον ἐξ ἁπάσας τᾶς ὕλας, ὅρον αὐτὸν κατασκευάσας τᾶς τῶν ὄντων φύσιος: Creauit igitur hunc mundum ex vniuerſa materia, terminum ipſum efficiens omnium Naturæ rerum. Multaque eiuſdem generis ibi Timæus, vt conſtet eum creationem vni Deo tribuere, materiam fateri ſempiternam, de quo poſtea. Igitur quidquid Plato in Epinomide & in Legibus de aſtrorum Diuinitate loquitur, perſpectum eſt qua ratione ſit intelligendum. Nam quod paulò antè de Sole creato loquebatur, transferas licet, ad id quod de Legibus: Solis, inquit, corpus nemo eſt, qui non cernat, animam autem minimè. Neque enim etiam cuiuſquam corporis anima cernitur aut viuentis, aut cum moritur. Sed magna ſpes prorſus, hoc quod non ſentitur vllis ſenſibus inſeruiſſe genus nobis: eſſe autem ſola mente intelligibile, quæ ſola cogitatione capiamus. Hæc, quæ de Sole Plato loquitur, habent eum ſenſum, vt ſi qua Soli ſit, vt perhibet, anima, eam fatearis, vt in Timæo vidiſti, à ſummo Deo creatam. Similiter quod paulò antè de Anima totius cęli eodem libro dixit: ὡς τὴν ἀρίστην ψυχὴν φατέον ἐπιμελεῖσθαι τοῦ κόσμου παντὸς, καὶ ἄγειν αὐτὸν τὴν τοιαύτην ὁδὸν ἐκείνῳ: Optimum animum præeſſe omni mundo, ipſumque agere ea via. Oſtendam autem eum inconſtantem, ſibique contradicentem, & commentitia ponentem, de ſatu noſtrorum animorum a Sole, nec quæram alium, a quo refellatur, niſi ipſummet teſtem. Sicut item commentitium eſt, de anima illa cęli. Quomodo enim totum cęlum erit animatum, ſi cuique ſideri ſit anima? Eſſet ergo anima in anima, omninoque aliqua ſuperuacanea. Sed hoc non ſit nunc conſiderationis noſtræ, nec magni referat. Quod item eodem libro ſcribit: De aſtris omnibus, Luna, annis, menſibus, temporibusque anni, quid aliud dicemus, quàm hoc ipſum, videlicet, quòd quoniam anima quidem, vel animæ, horum omnium cauſæ fuiſſe noſcuntur, bonæque ſunt omni genere virtutis, Deos ipſos eſſe dicemus, ſiue in corporibus habitantes, cum vti animalia exornant omne cęlum, ſiue quouis alio modo. Deinde vt quiſpiam hæc confeſſus fuerit, num continere ſe poterit, quin fateatur omnia plena Deorum? Hæc Plato de ſtellarum Diuinitate, animiſque eas inhabitantibus, quibus vti rerum terreſtrium autoribus tribuit Diuinitatem. Vidiſti igitur in Timæo quam diuinitatem, nempe factam, datam a ſupremo Deo, vt ob id venerationem cultumque minimè promereantur, ſed animæ illę habeantur quaſi pro mẽtibus Angelicis. De quibus fortaſſe Deus apud Iob, Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filii Dei. Diſſeretur autem aliàs de anima cęli. Cum igitur ſemper ſint duo genera Deorum apud Platonem, ſidera, corpuſque cęleſte, tum Dæmones, conſtat vtrunque a ſupremo, ac ſingulari Deo confiteri eum fuiſſe creatos. Vnum autem duntaxat Deum ineffabilem, inexplicabilem, omnium rerum creatorem, cui ſubiecta ſint vniuerſa, ſolumque ſempiternum agnoſcere. Ineptias autem recentium Platonicorum, Deos æternos prædicantium, autoritas ipſa præceptoris manifeſta refellit. De qua re nihil nunc attingendum.

Sibi cõtra dicit Plato

Iob 83.

Duo genera Deorũ, apud Platonem.

Non ſolum in Timæo, ſed aliJs item locis, Platonem de Deo ſupremo egregiè loqui: Eum cunctarum rerum, etiam Deorum, affirmare creatorem. Exemplum in libris de Republica, *de facili Dei rerum omnium creandarum poteſtate. Platonem dicentem, Deum etiam ſeipſum gignere, quis ſenſus. Cap. II.*

Coll. 1. Heb. 11.

HVIVS item Platonem mentis fuiſſe, aſſeruiſſeque vnum omnipotentem vniuerſa creaſſe, etiam Deos, vt in illum vnum eminentiſſimum, ſicut in noſtra eſt Theologia, cuncta viſibilia & inuiſibilia creata referantur, qui fuerit autor, vt non modò terreſtria & cæleſtia, ſed etiam ipſi Dii extiterint, quemadmodum videlicet tradidit in Timæo, aliis ex locis euidentiſſimè conſtat, præcipuè decimo & ſexto de Republica, quo nihil de ſuprema Diuinitate diſſerere potuit excellentius, veræque Theologiæ congruentius. In decimo igitur, cum de opificiis cuiuſcunque opificii loqueretur, hæc dixit: Aſpice verò quemnam dicas δημιουργὸν, Opificem iſtum. Quemnam inquit? Illum, ait, qui facit omnia, quęcunque ſingulus quiſque opificũ. Sapientem, inquit, dicis quendam, dignumq; admiratione virũ. Nõdum iſtud, inquit. At forte potius dices, ait. Idem.n. iſte artifex non modò omnia poteſt facere opificia, ſed etiã facit omnia, quęè terra naſcuntur; & itẽ animalia machinatur, cęteraque omnia, etiã ſeipſum, γῆν, οὐρανὸν, καὶ θεοὺς, καὶ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐν ᾅδου ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἐργάζεται·

δημιουργὸς Deus.

Deus, auctor rerũ omnium.

Terram, cœlum, & Deos: Tum quæcunque ſunt in cęlo, & quæ in inferis ſub terra, hæc, inquam, vniuerſa efficit ille. Admirabilem quendam, inquit, dicis ſapientem. Forte nõ credis, inquam ego. Dic mihi, videturne omnino tibi eiuſmodi opifex, aut aliquo quidem modo horum omnium ποιητὴν creatorem fuiſſe, aliquo non? An non percipis, quòd etiam tu poſſis ratione quadam hæc cuncta facere? Et quæ, inquit, hæc erit ratio? Non difficile eſt, inquam ego, ſed varia celeriter efficies. Celerrimè profectò ſi voles, ſpeculo accepto, eoq; circumacto in omnes partes, extemplo facies Solem & cæleſtia, mox etiam terram, mox etiam te ipſum, cæteraq; animalia, vaſa, arma, artificia, plantas, omnia denique, quæ paulò antè dicebantur. Ita, inquit, ſed apparentia, non ad verũ exiſtentia. Bene, inquam ego, & vt res poſtulat, loqueris. In hiſce enim huiuſmodi opificibus etiã pictor eſt ànne? Qui non? inquit. At dices, reor, eum non vera facere, quę facit. Atqui, inquit, ratione quadam etiam pictor facit lectum, nònne? Ita, inquit, & is apparẽtem facit. Qui ipſe lecti faber? Nònne modò dicebas, nõ ipſam formam facere quam dicimus eſſe, id quod eſt lectus, ſed lectum quendam? Dicebam, inquit. Igitur ſi facit quod non eſt, certè non faciat rem exiſtentem, ſed ſimile quid, vt exiſtens, exiſtens autem nequaquam. Perfectè autem eſſe rem, opificium fabri lectum fabricantis, aut aliud id genus artificium, quiſquis dicat, apparet eum dicturum non vera. Non certè, inquit, vt cenſebunt hi, qui circa hæc verſantur. Nihil igitur mirum, ſi & hæc obſcura quædam res eſt reſpectu veritatis. Nònne? Vis igitur, inquit, in his ipſis quæramus imitatorem huius, quinam ſit? Si placet, inquit. Igitur tres lecti iſti ſunt, vnus eſt in Natura, ἣν φαῖμεν ἂν ὡς ἐγῷ μαι θεὸν ἐργάσασθαι, ἢ τίνα ἄλλον οὐδ' ἕνα οἶμαι: Quam dicere nos oporteat, vt ipſe arbitror, Deum feciſſe, aut vllùmne alium? Nullum, inquit, alium arbitror. Alter erit lectus, quem facit architectus. Ita, inquit. Tertius quem facit pictor. Nònne? In confeſſo ſit. Pictor igitur, lectique faber, & Deus, hi tres præſunt tribus generibus lectorum. Tres inquit. Igitur Deus quidem, ſiue nolebat, ſiue aliqua neceſſitas aderat, ne pluſquam vna in natura efficeret lectum, ſic fecit vnum ſolum lectum, ipſam naturam, qui eſt lectus. Duo autem tales, aut plures, neq; plantati ſunt a Deo, neq; naſcũtur. Quomodo? inquit. Quoniam, inquam ego, ſi duos ſolos feciſſet, rurſus vnus apparuiſſet, cuius illi rurſus vtriq; formam haberent. Et eſſet ſanè, quod eſt lectus ille, ſed non duo. Rectè, inquit. Hæc igitur arbitror explorata habens Deus, volens eſſe veri lecti factor, verè exiſtentis, ſed non lecti cuiuſdam, neque quidam faber lecti, vnum natura duntaxat ἔφυσε, produxit. Vis igitur hunc itẽ vitium conſitorem vocemus, an quid aliud? Iuſtum planè, ait. Quandoquidem ex natura, & productione, & iſtud, & cætera omnia fecit. Et quæ ſequuntur in eo libro, quæ verba magis ad verbũ tranſtuli, vt eſſet, quod ſentit, clarius, ac manifeſtius, quàm nitorem, elegantiáque ſermonis attendens. Perſpicuũ igitur eſt hoc loco dogma Platonis, ſecum conſtantiſſimè ſentientis in Timæo, & iſto libro. Ecce .n. nunc citra omnem ambiguitatem prædicat Deum omnium rerum artificem, rerum cœleſtium & terreſtrium, omnium quæ è terra naſcũtur animalium, plantarum, omnium itẽ quæ ſub terra, deniq; etiam Deorum. Aſſumitq; pulcherrimum exemplum ſpeculi: quo in omnes partes conuerſo, ſicut omnia ab eo, qui circunuertit, naſcuntur ſimulatè, & apparenter, ſic a Deo vniuerſa creari verè, & naturaliter, imò momento. Nullum eſt certè diuinius, luculentius diuinæ poteſtatis exemplum, quæ tã facilè poſſit cuncta extemplo producere, quàm facilè producuntur in ſpeculo ſimulatè, & apparenter omnia. Hoc exẽplo vtitur ad probandũ ei, cui tarda mens eſſet, facilitatem omnium creandarum rerum a Deo, ſi forte quis eſſet, cui non videretur fuiſſe, ab vno omnia condita. Deinde proponit exemplũ domeſticum de tribus lectis, quorum vnus in natura ſit, alter in ſpeculo, alter in pictura. Non eo quidem conſilio, vt affirmet lectum, quod artis eſt, in natura eſſe: ſed naturam nũc appellat ipſam rerum veram exiſtentiã. Lectus ergo, ſicut omnis alia res, tres habet locos, aut gradus: Primus eſt verũ eſſe, veritas ipſa: alij duo ſunt apparentiæ, ſimulationes illius veri, alter in ſpeculo, alter in pictura: Vterq; ſimilitudo veri. Sic Soles ſunt tres: primus verus ipſe, & in natura Sol: alius in ſpeculo: alius in pictura. Similiter fluuius, aut lucus alius verus, alius expreſſus in ſpeculo, alius in pictura. Vt autẽ per ſpeculũ, aut picturã fingere poteſt homo Solẽ ſimulatũ, repręſentatũ: ſic Deus fingat Solẽ verum, cuius eſt opus veritas. Ac Plato reſpicit nunc, ac proponit dogma Philoſophiæ cęleſtis, quæ prædicat creationẽ, veramq; rerum productionẽ eſſe ſolius Dei, ſicut ſimulationes, imitationeſq; mortalium. Quoniamq; tota natura, veritaſq; ipſa eſt ſolius Dei, conſentanea ratione eum vocat φυτουργὸν arborum cõſitorem: Sic omniũ rerum uerarum artificem uniuerſalem. Ecce igitur ut in Timæo vocauerat eum δημιουργὸν, artificem mundi, cęli, & terræ, quorum complexu cuncta continentur, ſic ſui nunc ſimillimus, vniuerſę veritatis architectum, rerum cęleſtium, & terreſtrium, & ſubterranearum. Quidquid vel in cœlo, vel in terra, vel ſub terra ſit, etiã Deorum clamat eum creatorem. Deos autẽ illos nominans cum cęlo ſentit, vt arbitror, Intelligẽtias illas cęleſtes, de quibus in Timæo, in Epinomide, in Legibus. In Timęo, animam uniuerſalem totius cęli, particulares item aſtrorum creatos à ſupremo Deo fatebatur. Sunt, ut dixi, duo genera Deorum apud Platonem lumina cęleſtia, i. Intelligentiæ, lumina illa circunrotãtes, & Dæmones, id eſt, Dij, ſiue Angeli corporibus aeriis, per urbes, totumq́ue mundum uagantes, duces, & principes rerum humanarum, ut ipſe & in Sympoſio, & in Legibus confeſſus eſt. Vtrunque genus producit Platoni magnus Parẽs Vniuerſitatis. Hoc item in Critia ſiue Atlantico retulit. Quoties enim eo in libro, θεῶν γένεσιν, ortum & ſatum Deorum nominat?

Præclara ex Platone ſimilitudo a ſpeculo, & a lecto, vt ꝓbetur rerum omnium creatio a Deo.

Cur hic vſus ſimilitudine Plato.

Aduerte ſimilitudines ad creationẽ rerum intelligendã facilius.

Intelligentiæ & dæmones, duo genera Deorũ, Platoni.

Tria genera Deorũ Ariſtoteli.

Si quis autem Ariſtotelem, totamque ipſam aſpiciat Philoſophiam, tria ſunt genera Deorum, Dæmones, Intelligentiæ ſiderum, Dij cælicolæ cum ſummo Deo, extra cœli, Solisque vias habitantes. de quibus magis locutus eſt Ariſtoteles, quàm de Dæmonibus. Sed de his ſuo loco. Conſentiente igitur Platone, & Ariſtotele, ſed clarius Platone, eſt vnius magni Dei rerum inuentio, eas non modò in præſens veluti à ſe manantes producentis, ſed qui vt prædicant clariſſimis in præterito verbis, ἔφυσε, produxerit, Sicque nunc creare ſemper, ſicut quondam dedit exordium. quod clarius explicat in Timæo. Illud item hoc loco mirabile eſt apud Platonem, quòd dicit Deum creare ſe ipſum.

Æternitas Dei.

Recordare enim nomina illa apud vetuſtiſſimos Philoſophos αὐτόγονος, αὐτοτελὴς, αὐτάρκης, αὐτογενὴς, αὐτοφυὴς, per ſe, vel à ſe genitus, a ſe abſolutus, a ſe ditiſſimus, a ſe natus. Quibus nominibus, vt ſuperius oſtenſum, deſignatur æternitas. Quia ſi Deus naſcitur à ſe ipſo, nec vel a nihilo, vel ab alio naſci poteſt, neceſſariò ſemper fuit Deus, a quo Deus ipſe naſceretur. Si Deus eſt, non eſt natus ex nihilo, non ex aliquo alio: in æternum igitur fuit ipſe ſui cauſa. Oſtenditur igitur hoc dicto, ipſum ſuimet eſſe principium ęternum, a ſe habere quod eſt. Quæ res in ſeipſam reciprocans, æternitatem demonſtrat, & omnino genus aliud rei, ac ſubſtantiæ, quàm ſimus ipſi, qui pendemus ab illo, quem formarum naturalium potentiſſimum creatorem fatetur Plato: vt qui ſe ipſum gignit, qui eſt omnipotens, maior toto mundo, longe facilius poſſit cætera ſe ipſo in immenſum minora producere.

Mirabilis artifex, Deus.

Eò vocat eum θαυμαστὸν σοφιστὴν, mirabilem artificem, admirandæ ſapientiæ architectum. Vocat naturæ ἐργάτην, opificē. Et hæc ſunt nomina diuina myſteriis, Theologiaque fœcundiſſima apud Platonem, Cœli & terræ, Deorum, rerum cęleſtium, terreſtrium, infernarum Creator, τῆς φύσεως ἐργάτης, naturæ Opifex, αὐτοφυὴς ſui ipſius Genitor, ſibi ipſi Autor, ſibimet Principium, Verus rerum Procreator, Producens vnam naturam tantum, non plures, quia quidquid produxiſſet, veritas ipſa, ipſa natura vera fuiſſet.

Deus, αὐτοφυής.

Sicque eodem reuoluitur res, vnam tantum futuram veritatem fuiſſe, ad quam omnia a Deo creata, reuocarentur. Simulatio autem, & mendacium duobus aut pluribus modis, fieri poſſet ab hominibus, naturam opificium Dei imitantibus. Sicut autem apud Moſem cœlum, & terram, animalia, plantas, ſidera, ſic Plato clarè confitetur a Deo cuncta hæc creata, eumque, quoniam vniuerſalem naturam produxit, putat appellandum φυτουργὸν, plantarum conſitorem, ſicut Moſes dat ei plantationem Paradiſi, productionem omnium ſtirpium, plantarum, arborum, herbarũ

Gen. 2.

Quo mirabili, & diuino teſtimonio, ipſas ſacras litteras intelligimus explicatas, cum Deo dant plantationem Paradiſi, vt non cogamur auxilio accire fictitias illas quorundam Ideas, pro Paradiſo vero, naturali, è veris arboribus a Deo plantatis, qui ipſam naturam produxit, uanas allegorias, vbi non opus eſt, introducentium. Hunc locum apparet Platonem ſumpſiſſe ex Mercurio Triſmegiſto, è cuius vbertim fontibus potauit.

Mercurij Ter Maximi verba, de creatione rerum.

Is ad Aſclepium hæc loquitur: ἔξεστι τῷ ζωγράφῳ. καὶ οὐρανὸν ποιῆσαι, καὶ θεοὺς καὶ γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ ἀνθρώπους, καὶ τὰ ἄλογα πάντα, καὶ τὰ ἄψυχα. τῷ δὲ θεῷ ἀδύνατον αὐτὰ ποιεῖν. ὢ τῆς πολλῆς ἀνοίας, καὶ ἀγνωσίας τῆς περὶ τὸν θεόν. τὸ γὰρ πάντων καινότατον πάσχουσιν οἱ τοιοῦτοι. τὸν γὰρ θεὸν φάσκοντες εὐλογεῖν, τῷ μὴ τὴν τῶν πάντων ποίησιν αὐτῷ ἀνατιθέναι, οὔτε τὸν θεὸν οἴδασι, πρὸς δὲ τῷ μὴ εἰδέναι, καὶ τὰ μέγιστα εἰς αὐτὸν ἀσεβοῦσι πάθει αὐτοῦ περιτιθέντες ὑπεροψίαν ἢ ἀδυναμίαν. εἰ μὴ γὰρ πάντα ποιεῖ, ἢ ὑπερήφανός ἐστι, ἢ μὴ δυνάμενος, ὅσπερ ἐστὶν ἀσεβές. ὁ γὰρ θεὸς ἓν μόνον πάθος, τὸ ἀγαθόν. ὁ δὲ ἀγαθὸς, οὔτε ὑπερήφανος, οὔτε ἀδύνατος. τοῦτο γάρ ἐστι θεός. τὸ γὰρ ἀγαθόν ἡ πᾶσα δύναμις τοῦ ποιεῖν τὰ πάντα. πᾶν δὲ τὸ γεννητὸν, ὑπὸ τοῦ θεοῦ γέγονεν, ὅσπερ ἐστὶ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ τὰ πάντα δυναμένου ποιεῖν. ἴδε πῶς αὐτὸς μὲν ποιεῖ, πῶς δὲ τὰ γινόμενα γίνεται, καὶ εἰ βούλει μαθεῖν ἔξεστί σοι ἰδεῖν εἰκόνα καλλίστην καὶ ὁμοιοτάτην, ἴδε γεωργὸν σπέρμα καταβάλλοντα εἰς τὴν γῆν, ὅπου μὲν πυρὸν, ὅπου κριθὴν, ὅπου δὲ ἄλλο τι τῶν σπερμάτων. ἴδε τὸν αὐτὸν ἄμπελον φυτεύοντα καὶ μηλέαν, καὶ τ᾽ ἄλλα τῶν δένδρων. οὕτως ὁ θεὸς ἐν μὲν τῷ οὐρανῷ ἀθανασίαν σπείρει ἐν δὲ τῇ γῇ μεταβολὴν, ἐν δὲ τῷ παντὶ ζωὴν, καὶ κίνησιν. Quæ ſunt, Licebit pictori cœlum facere, & Deos, & terram, & mare, & homines, brutaq; omnia, & inanimata, Deo autem erit impoſſibile. O dementiam, imperitiamq; incredibilem erga Deum. Tales enim patiuntur rem nouam, & inuſitatam. Nam cum aſſerant, ſe Deum benedicere, quòd ei non aſcribant omnium creationem, neque Deum norunt, & præterquam quòd ignorant, etiã in eum peccant grauiſſimè, ei vel ſuperbiam, vel imbecillitatem tribuentes. Si enim non creat omnia, aut ſuperbus eſt, aut imbecillus, quod impium eſt. Deus enim vnam ſolam habet affectionem bonitatis. Bonus autem neque ſuperbus eſt, neque imbecillus. Hoc autem eſt Deus. Nam Bonum eſt vniuerſalis poteſtas cunctorum creandorum. Omnis autem res creata, & generabilis, a Deo creata eſt. Quod eſt Boni, & omnia creare valentis. Aſpice verò & quomodo ipſe creat, & quæ creantur, quomodo fiant. Quòd ſi velis, licet tibi pulcherrimum, ſimillimumq; cernere exēplum. Aſpice agricolam ſemen iacientem in terram, alibi quidem frumentum, alibi verò hordeum, alibi ſementem alterius generis. Eundem aſpice vitem plantantem, & malum punicum, cæteraſque arbores: Sic Deus, in cęlo quidem ſeminat immortalitatem, in terram viciſſitudinem, in vniuerſo vitam & motum. Hæc Triſmegiſtus. Apud quem recognoſcimus dogmata Platonica. Alterum in Timæo, de Bonitate creatoris mundi, quæ fuerit eius creati cauſa. Alterum in libris de Republica. Dogma de Bonitate creberrimum apud Mercurium, etiam verò Platonē. Nunc ergo manifeſtò cernimus Platonem ſecutum Theologiam, rationesque ſermonis Triſmegiſti. Eſt apud Platonem exemplum ſpeculi, rurſum exemplum de tribus lectis, & de pictura. Apud Triſmegiſtum eſt exemplum pictoris cęlum, terras, mare, Deosque creantis: Eſt item de agricola variam ſementem in terram iacientis, eiuſdem item omne genus plantas conſerentis. Platoni ob eã cauſam Deus vocatur φυτουργὸς plantarum conſitor, quia naturæ repertor, quẽ Moſes & Paradiſum è terra, & omnes generatim plantas, & herbas produci iuſſiſſe refert. Eſt item Mercurio, quòd pictor creat Deos, aſtra ſcilicet cęleſtia, quæ Deos, vt Plato refert in Cratylo, conſtat Barbaros vocaſſe, eos a curſu, concitationeque ſic vocantes. Sic etiam Deum, inquit, creare Deos, cui, qui detrahat hanc facultatem, grauiſſimè, planeque impiè peccet. Similiter Platoni, Deus creat Deos. Eſt item apud Mercurium diuinum dogma, quòd omnis res generabilis, generationi ſubiecta, facta eſt, fitque a Deo iugiter. Eſt item, quòd niſi tribuas ei rerum cunctarum molitionem, aut ſuperbiam, inſolentiamque, quippe qui res vti viles aſpernatus, ſuaque diuinitate delectatus refugiat, aut imbecillitatem neceſſariò tribuas, qui velit quidem, ſed non poſſit. Arguitque hoc ſuo teſtimonio vetuſtiſſimus Theologus eos, qui ne gerendis eis Deus vileſcat, curam ei rerum humanarum abnegant: Eos falli aſſerit, aduerſaque via pergere, veluti neſcios veritatis ruere: Neſcire eos naturam Bonitatis, ac Diuinitatis. Item immortalitatem in cęlo fieri dicens Mercurius a Deo, ſenſit lumina cęleſtia non corrumpi: & quod Plato, noſtriq; cęlum eſſe ἀγήρω ἀθάνατον, citra ſenium, citra interitum, corpus incorruptibile: Niſi, vt idem ait, qui fecit, reſcindat. Ex his igitur conſtat, Theologiam Græcorum a Barbaris fluxiſſe, neceſſarioque, niſi velit a fonte diſſidere, eandem & apud Platonem & Ariſtotelem eam ſemper fore. Quod vbique monſtrabitur.

Plato Triſmegiſtũ ſequutus.

Deus φυτουργὸς.

Neſciunt naturã bonitatis Dei, qui eius prouidentiã negant.

Theologia Gręcorum a barbaris.

Cur Plato in libris de Legibus magis aſtrorum Diuinitatem, quàm ſupremi Dei obtulerit. Quòd ſupremum Deum ſentit ac dicit ineffabilem, de quo cautè ſit loquendum. Cap. III.

Ex his item luce clarius conſtat, conſtabitque magis, quidquid de Deo, vel Diis ſtatuerit ſecus Plato, pręcipuè in Legibus, Epinomide, vbi miris laudibus tollit cęlum, aſtraque cęleſtia, eaque in numero Deorum putat habenda, quomodo debeat intelligi: ſcilicet uel ſibi ipſi eũ apertè contradicere: aut minorem quandam Diuinitatem eis attribuiſſe: aut quoniam ciues ſuos aliqua manifeſtiore pietate vellet imbuere, oſtendiſſe eis manifeſtiora numina, a quibus inferiora gubernentur. Illum autem maximum, ineffabilemque Deum idcirco non tam clarè adorandum propoſuiſſe, quòd non poſſet enarrari, & deſcribi qualis eſſet, & quomodo colendus. Confeſſus eſt enim eum tribus locis inenarrabilem, in Timæo cogitatu difficilem, dictu ineffabilem: Philo etiam cogitari, & intelligi non poſſe, nedum proferri. Quoniam igitur hunc ineffabilem, inexplicabilem, quemque ſuperiores omnes Theologi, alij innominabilem, alij inuiſibilem, alij ſilentio colendum, alij ἀζήτητον inueſtigabilẽ dixerant, non eſt de eo in Legibus locutus, cuius de cultu quicquam ſtatuere, quia nec nomen noſſet, nec naturam eius haberet exploratam, non poſſet. Sic etiam in Phædone, appellans eum Mentem, clamat, ἐγὼ μὲν τοιαύτης αἰτίας ὁπήποτε ἔχει μαθητὴς ὁτουοῦν ἥδιστ' ἂν γενοίμην, ἐπειδὴ δὲ ταύτης ἐστερήθην, καὶ οὔτ' ἂν αὐτὸς εὑρεῖν, οὔτε παρ' ἄλλου μαθεῖν οἷός τε ἐγενόμην: Ego quidem eiuſmodi cauſæ, id eſt, Mentis, quænam natura ſit, libentiſſimè omnium didicerim. Sed quoniam ea priuatus ſum, neque ipſe per me inuenire, neque ab alio diſcere poteram, verti me ad alia. Ecce nec ſe inuenire poſſe, quænam ſit ea Mens creatrix mundi, fatetur, nec ab alio diſcere potuiſſe. In Epiſtolis ad Dionyſium cùm de natura Primi idem dubitaſſet, nec ſibi ſatis antè explicatũ dixiſſet, reſpondit ei, vt ſuperius oſtenſum, per Epiſtolam miſſam per Archedemum: φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμάτων ἵν' ἄν τι ἡ δέλτος, ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ: Loquendũ eſt tibi per ænigmata, vt ſi quid tabella ponto, vel terra fuerit perpeſſã, qui legerit non intelligat. Paulò autẽ inferius, cur hæc putet vitanda: εὐλαβοῦ μὲν τοι μήποτε ἐκπέσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους. σχεδὸν γὰρ ὡς ἐμοὶ δοκεῖ οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς καταγελαστότερα ἀκούσματα οὐδ' αὖ πρὸς τοὺς εὐφυεῖς θαυμαστότερά τε, καὶ ἐνθουσιαστικώτερα: Caue, inquit, nequando excidãt hæc in homines imperitos. Siquidem, vt ego cenſeo, nihil propè eſt quod magis irrideatur apud plebem: ſicut nihil apud eruditos, rectique iudicij, mirabilius, ac diuinius. Habes igitur a Platone cauſam verã, cur oporteat de primo ſilere apud vulgus, cur efferre nefas in vulgus Parentem Vniuerſi. Irrident enim non intelligentes, veluti a populari cõſuetudine, craſſiſq; auribus remota, quę de eo dicuntur. Eoq; cùm de legibus loqueretur quas populo publicare oporteret, magnũ illũ, & inſcrutabilẽ Deũ, a quo nata omnia retulit in Timęo, & in Repu. in Epiſtola principiũ, medium, finem vocat, & circũ quem & per quẽ, & propter quẽ ſint omnia: nihil eſt locutus, propoſito tantum cęli cultu, vt cui de certa religione loquendũ eſſet. Totaq; illa cęli apud eum Diuinitatis eſt, qualis fluminũ, fontiũ, Hamadriadũ apud Poètas. In alia quoq; Epiſtola ad tres amicos, Hermiã, Eraſtum, Coriſcum, vt primo libro oſtenſum eſt, longe aliũ Deum propoſuit quàm illã cęli fictitiam,

Plato, aſtra in numero Deorũ habet.

Deus inenarrabilis & inueſtigabilis.

Vtendum Ænigmatis cenſet Plato ad arcendos imperitos

Credendũ ſenibꝰ eſſe, vult Ariſtot.

A barbaris ad Græcos philoſophia venit.

Superſtitio vnde primum.

A barbaris ſapientia.

Ordo cęli, inuentũ Dei.

Sol aĩal ſempiternum quomodo.

tiam, poeticamq; Diuinitatem. Adiurantes, inquit, in amicitia τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων, καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμῶνος καὶ αἰτίου πατέρα, Omnium rerum Deum, Principem, præſentium, & futurorum, & principis ac cauſæ Patrem & Dñm. En Deus is magnus ille, quem dixit ineffabilem in Timæo, & in Phædone. De hoc admirando Deo tam ſtupenda, mirabiliaque locutus eſt in ea Epiſtola, iam longæuus, iam ſenex, vt ipſe in eadem teſtatur, καίπερ γέρων ὤν: Etſi ſenex ſim. Credendum autem ſenibus Ariſtoteles ipſe teſtis: Quocirca, inquit, oportet ſeniorum, & expertorum, prudentiumque etiam ſine demonſtratione pronuntiatis, ſententiis, & opinionibus adhibere fidem, non minus quàm ipſis demonſtrationibus. Vident enim principia, quoniam habent acumen, & intuitum experientia. Hæc omnia, quę nunc ait Ariſtoteles, habuit Plato, vt ſumma fides ei ſit habenda. Erat ſenex, erat prudens, erat peritus. Grauiſſimas igitur & prudentiſſimas opiniones, & ſententias eius, quas in extrema ſenecta protulit de Deo, ſeueriores, ac meliores omnibus, quas in omni vita retinuit, putandum. Ac credendum eſt eum, quòd nunc tam magnificè, ac diuinè de Deo pronuntiauit, è fontibus Aegyptiorum præcipuè Mercurii Triſmegiſti hauſiſſe. A Barbaris enim, vt idem perhibet ad Græcos, venit Philoſophia. Eiuſcemodique multa apud Mercurium inuenies. Fuiſſe autem illam cœli Diuinitatem, quam apud eum & Ariſtotelem cernimus, non naturali ratione, ſed ſuperſtitione potius inuectam, hauſtamque ex erroribus Chaldæorum, & Aegyptiorum, quæ ab ipſo Deo, per Prophetas ſuos coarguitur, idem ipſe eſt teſtis in eodem libro, in quo fatetur primos Aſtrologiæ contemplatores fuiſſe Barbaros, loco peruetuſto, ſemperque ſereno innutritos, quod Aegyptus in primis Syriaque habeat, ob id claras ſemper ſtellas eos in apertis, & ſerenis campis ſpectare ſolitos, ὅθεν καὶ πανταχόσε, καὶ δεῦρ' ἐξήκει βεβασανισμένα χρόνῳ μυριετεῖ τε καὶ ἀπείρῳ: Vnde per omnem mundum, & in Græciam peruenerint, infinito tempore conſiderata, & expenſa. Paulo poſt, Quoniam, inquit, Natura ſitum dedit nobis, non adeo clarum, & lucidum, ὕστερον αὐτοῖς παραδίδωκε τὸ τούτων τῶν θεῶν τοῦ κόσμου κατανόημα. Effectum eſt, vt poſterius nobis ipſis horum Deorum, qui in mundo, id eſt cœlo, ſunt, ſcientiam tradiderit. Sed quæ, inquit, Græci à Barbaris acceperunt, fecerunt meliora, πολλὴ δὲ ἐλπὶς ἅμα καὶ καλὴ κάλλιον καὶ δικαιότερον ὄντως, τῆς ἐκ τῶν βαρβάρων ἐλθούσης φήμης τε ἅμα καὶ θεραπείας πάντων τούτων ζῶν θεῶν ἐπιμελήσεσθαι τοὺς Ἕλληνας. Magna ſpes & pulchra, melius & iuſtius eam famam, & cultum ſiderum à Barbaris Græcos curaturos. Ecce fatetur apertè famam, & cultum ſiderum à Barbaris ad Græcos perueniſſe. Hæc illa ſuperſtitio, quæ damnatur, infamaturque apud ſacras litteras, tanquam Aegyptiorum, Aſſyriorumque error. Hæc à Barbaris tranſiit ad Græcos. Philo idem confeſſus eſt de Abraam, qui genere Chaldæus fuerit, ex patre Aſtronomico, ex his, τοὺς ἀστέρας θεοὺς νομίζουσι, καὶ τὸν σύμπαντα οὐρανόν τε καὶ κόσμον, παρ' οὓς τότε εὖ καὶ τὸ χεῖρον φασὶν ἀποβαίνειν: Qui aſtra Deos putant, & totum mundum, ac cęlum, a quibus bene, & male putant euenire. Clarius item Plato id confeſſus in Cratylo: Videntur, inquit, mihi priores Græci, ſolos Deos putaſſe, οὓς νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανόν: Quos nunc multi è Barbaris, Solem, & Lunam, & terram, & aſtra, & cælum. Vt autem a Barbaris meliorem quandam ſapientiam Græci hauſerunt: in omni autem profeſſione ſunt adulterina, & vera: ſic ſuperſtitiones erant repudiandæ, ſola meliore ſcientia recepta. Quare, quæ poſt res naturales diſſeruit Ariſtoteles de cæli, ſtellarumque Diuinitate, ſcito non naturali ratione dicta, ſed ex ſuperſtitione Barbarorum, apud quos etiam erat bona Theologia, a ſuperſtitioſis, Zoroaſtre, Magiſque vitiata, & adulterata. Vt autem tametſi Aſſyrij, & Aegyptij cęleſtibus luminibus tribuebant Diuinitatem, militiamque cęli adorabant, non tamen verum Deum ignorabant, vt in primis libris apparuit, item non dederunt æternitatem mundo ob eam cauſam: ſic Græci Philoſophi errare in eo non debuerunt. Et Ariſtoteles qui ſecutus eſt Platonem in deificatione cęleſtium ſiderum, debuerat item in eo ſequi, vt ea confiteretur a ſupremo Deo creata. Nihil igitur amplius dicam de his, quæ vel in Legibus, vel Epinomide de Siderum Diuinitate diſſeruit, cum cęleſtem ordinem, perennemq; conſtantiam ait ordinis Diuinitatem indicare Plato. Totus enim is ordo inuẽtum eſt maximi Dei, ipſo teſte: qui ſiue dederit aĩam diuinam cęlo, ſiue citra animam motum æternum, & conſtantem, quemadmodum cordibus animalium, rerumque ſeminibus, ipſe ſolus, Deus ſolus adorandus eſt. Quod igitur eſt in definitionibus eius de Sole, quòd ſit, ζῶον ἀΐδιον, ἔμψυχον, animal ſempiternum, animatum, palàm eſt ex Timæo, non de priore æternitate, ſed poſteriore dictum, de qua dubius etiam plato fuit. Nam priorem ſine controuerſia cęlo non tribuit. De poſteriore ſic in Epinomide, De cęlo, inquit, & ſtellis, alterum de duobus neceſſe eſt ſtatuere. Aut enim vnamquanque incorruptibilem eſſe, & immortalem, prorſuſque diuinam: aut aliquam vitam, quanta fas ſit vnicuique, & cui nihil amplius deſit, viuere. Huiuſcemodi tribuit Soli æternitatem Plato. Quorum alterum etiam Theologia vera confitetur: vel prorſus interitura ea lumina, ſublatis hominibus è terra, quibus aſtra refulgent: vel vſque in ſuprema ſæcula futura, tunc vel remouenda, vel renouanda, vel vno in loco ſtabiliter figenda. Hæc autem opinatus, & confeſſus eſt Plato hoc loco, & in Timæo, vbi magnus ille mundi architectus alloquitur Deos creatos, id eſt, animos cæleſtes, & dæmones, prænuntiatque eos eſſe natura corruptibiles, niſi voluntas ſua reſiſtat, quia principium aliquando habuiſſent. Idemque Timæus Locrenſis in ſua

Geneſi:

A Geneſi: idem tot locis, quos oſtendam, Plato. Nam eos natos aliquando eum arbitratum apparet, quod in Epinomide dicit: καὶ τῆς μεγίστων σοφίας περὶ θεῶν γενέσεως ὀρθότατα ἐπιβαίνειν ἡμᾶς: Maxima, inquit, ſapientia rectiſſimè nos de ortu Deorum cognoſcere. Hic ſuccurrit expreſſa apud Platonem contradictio, vt ſentias, ea quæ eo in libro locutus eſt, inuitum, & quaſi iocantem dixiſſe. In Timæo dicit Deum illum, maximum creatorem Vniuerſitatis iuſſiſſe ſideribus, & Dæmonibus, quos appellat Deos Deorum, id eſt, vt interpretatur Cicero, eos qui Deorum ſatu orti eſſent, vt partem mortalem attexerent immortali, hoc eſt, animo humano, cuius initium, & ſtatus eſſet ab ipſo ſummo Deo, adiungerent corpus: quaſi magnus ille parens fuerit animi creator, corpus autem iuſſerit minoribus Diis effingere. Cæteraque item animalia iubet formari e Deos minores. At in legibus à Sole dari genus nobis, vt ſuperius vidiſti, eſt confeſſus. In Epinomide perhibet animam mundi, vel cœli creaſſe animalia ignea, aeria, aquatilia, forte etiam homines. Animalia autem aeria appellat Dæmones. Quomodo igitur creant Dæmones, & ſtellæ corpus, humanum, cæterorumque animalium, quæ cum cæteris vna creantur ab anima illa? Ex quo licet dogmatis incertitudinem cernere. Et, vt Ariſtoteles inquit, veluti qui feriunt, imperiti pugnandi, & feriendi, dant ſæpe opportunas plagas: aut qui dubij partes verſantur in omnes: tale quid perpeſſus eſt Plato. Sed ſine dubio meliora, quæ grauior ætas, quę de Naturæ ſinu, non ſuperſtitionum felle, protulit.

Contradictio Platonis.

Dii Deorum.

Animalia aerea.

Platonem de ſummo ac ſingulari Deo ſenſiſſe, quæ à maioribus audiſſet. Timæum Pythago-
B *reum fateri Deum autorem mundi, itemque temporis, & omnis cœleſtis ordinis inuen-*
torem: quæ ſecutus ſit, maximeque approbauerit Plato. Cap. IIII.

DE ſingulari Deo veridiceq; ſenſiſſe Platonem, tum ſuperius allata loca demonſtrant, tum verò multa alia, quibus aſperſa paſſim eſt Philoſophia eius. Habuit enim ante ſe præceptores diuinos, præcipuè Pythagoreos, Timæum Locrenſem, Empedoclem, Triſmegiſtum. Eos norat Plato, totamq; eorum Philoſophiam indidit libris ſuis. Timæus igitur Locrenſis in ſua quaſi Geneſi, aut Coſmopœia dicit: τουτέων δὲ τὸν μὲν τᾶς τ' ἀγαθῶ φύσιος ἦμεν, θεόν τε ὀνυμαίνεσθαι, ἀρχάν τε τῶν ἀρίστων. Ex his, inquit, cauſis, quæ mundum condiderunt, alterum fuiſſe dicit Timæus Locrenſis ipſius boni naturam, appellarique Deum, principium rerum optimarum: Cæteras autem ſocias cauſas ad neceſſitatem adductas ab eo. Sic Timęus mundi præcipuam cauſam Deum confitetur, eumque eſſe naturam bonitatis, quæ eum impulerit ad creandum, formaſque rebus addendum, accepta materia informi, & inordinata, ἀγαθὸς ὢν ὁ θεὸς, ὁρῶν τε τὰν ὕλαν δεχομέναν τὰν ἰδέαν, καὶ ἀλλοιουμέναν. Eumque fatetur expreſsè mundum hunc creaſſe, tota illa aſſumpta, diſtributaque materia, ſtatuiſſeque corpus, & locum omnium rerum, in quo res omnes continerentur, ipſum mundum, ἐποίησεν ὦν τόνδε τὸν κόσμον ἐξ ἁπάσας τὰς ὕλας, ὅρον αὐτὸν κατασκευάσας τᾶς τῶ ὄντος φύσιος. Deinde Deum volentem facere prolem optimam, feciſſe hunc genitum, ſiue factum, ſiue generabilem Deum, ἐθελώμενος ὦν ἄριστον γένναμα ποιεῖν τοῦτον ἐποίει θεὸν γεννατόν. In quo vides, quo genere Diuinitatis mundus ſit Deus, factitio ſcilicet, & ab illo ineffabili, & ſupremo Deo, qualis aſtrorum item, effecto. Eò quoque pulcherrime faſſus eſt à Deo mundum creatum, quia ab omni cauſa ſit incorruptibilis, niſi velit eum Deus ipſe diſſoluere, qui fecit, & inſtruxit eum, εἴποκα φθαρησόμενον ὑπ' ἄλλω αἰτίω, ἔξω τῶ αὐτὸν συντεταγμένω θεῶ εἴποκα δήλετο αὐτὸν διαλύεν. Sed quoniam non ſit improbi vertere ſe in perniciem rei pulcherrimæ, ob id eum incorruptibilem, immortalemque permanſurum. Eſſeq; optimam omnium genitarum rerum mundum, quoniam ſit ab optima cauſa creatus. Animam quoque mundi eundem admirabilem Deum, procreatam, à medio ad extremas partes duxiſſe, diffuſam per ipſum totum, temperatamque ex forma indiuidua, & diuidua ſubſtantia, quæ eſt tota cœli compago, ex anima ſcilicet, & corpore perfecta, vt illi putabant, eique vnam temperiem ex hiſce duobus, duaſque mouendi facultates ei adhibuiſſe. Pluraque alia narrat de anima cęli, à qua cœli motus eſt, à ſummo Deo creata, & ordinata, cui corpus etiam aptarit, corpus inquam diſſolubile, cùm velit ipſe. Temporis item partes, & tempus, circuituſque cęli Deum conſtituiſſe vnà cum mundo, ſicut etiam Moſes, fatetur. Neque enim aſtra fuiſſe ante mundum, ideo neque annum, neque circuitus horarum, & tempeſtatum, quibus menſuretur mundus iſte creatus, χρόνω δὲ τὰ μέρεα τὰς δὲ τὰς περιόδως λέγοντι, ἃς ἐκόσμισεν ὁ θεὸς σὺν κόσμω· οὐ γὰρ ἦν πρὸ κόσμω ἄστρα· διόπερ οὐδ' ἐνιαυτὸς, οὐδὲ ὡρᾶν περίοδοι, αἷς μετρέεται ὁ γεννατὸς κόσμος οὗτος. Poſt mundi verò conſtitutionem, Deum animalium mortalium generationem exorſum, animam humanam, ex ſubſtantia diuiniore, quam ipſi vocant, ταὐτὸ, inſecabilem, indiuiduam, inalterabilem, immutabilem, eandem ſemper, creatam tradidiſſe alteri Naturæ, quæ corpus eſt. Nimirum vt Moſes ait, ſpiritum à ſe formatum in corpus inſeruiſſe. Nouiſſimè concludit, mundi gubernaculum, qui plenus ſit Deorum, & hominum, traditum à principe Deo Dæmonibus, quos Angelos eſſe in ſacris litteris, teſtis eſt Philo: οἷς ἀπάντων ἁγεμὼν θεὸς ἐπέτρεψε διοίκησιν κόσμω συμπεπληρωμένω, ἐκ θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων. Ecce prin-

Platonis magiſtri.

Mundus, quo ſenſu Deus appelletur.

Mundus, cur optimus rerũ omniũ genitarum.

Anima cœli.

Anima humana ex ſubſtantia diuiniore

principem omnium Deum fatetur, cui ſubiecti quoque ſint Dæmones, id eſt, Angeli qui mundum gubernent, præfecti ab ipſo, qui ſit omnium rerum princeps. Sicque perſpicua eſt altiſſima Philoſophia Platonis, claret quo loco mundi, cęli, aſtrorumque Diuinitas haberi debeat. Quibus etſi attribuerint Deificationem hi omnes, exerta tamē voce fatentur ab vno ineffabili, ac præpotenti Deo ſatos. Vt potius pro ſuperſtitione barbarica, Diuinitas illa cæli ſit habenda, quàm ex vera Philoſophia profecta.

Exempla, quibus probatur Dei ſingularis & vnius confeſſio apud Platonem, in cuius potentiam, & autoritatem cuncta bona referat idem, confitens eum cunctorum, quæ poſſidemus autorem. Cap. V.

SED ſunt etiam perſpicua, & per totam Philoſophiam eius quaſi ſtellæ radiantia, teſtimonia, de ſummo, ac naturali Deo, ad cuius appellationem mens inſtinctu naturæ corripit omnes: quæ ſi diſperſa congregaueris, & ſub oculos poſueris, videbis diuinam Theologiam. Principiumque ab ipſa Epinomide, vbi cœlum deificatur, facias. Ibi quærens quænam ars faciat homines ſapientes, peruagansque, & examinans omnes, accedensque ad agriculturam, ne hac quidem inquit nos fieri, quia non arte aliqua ſapienti, ſed natura, & ſecundum Deum, id eſt, impulſu Dei, qui nos ad hoc inſtigauit, agriculturam exerceamus. οὐ γὰρ τέχνῃ, ἀλλὰ φύσει κατὰ θεὸν πάντες φαινόμεθα γῆν μεταχειρίσθαι. Quid enim hoc aliud eſt, quam quod Moſes perhibet? Deum miſiſſe hominem in terram, vt laboraret, ſudore vultus ſui pane veſceretur: Et cum terræ maledixit, vt homini ſpinas, tribulosque produceret. Qui hoc iuſſit, & ſtatuit, vt omnes homines terra colenda victitarent, nònne fuit ille qui creauit omnia, protulitque omnes è terra ſtirpes, & herbas, quibus homo veſceretur, viueret, nutriretur? Vniuerſalis ſcilicet Deus, omnium rerum, ordinumque repertor. Et hoc Plato dixit, vbi de cœli Diuinitate loqui inſtituerat. Progreſſus, datam confitetur nobis cognitionem, & ſolertiam, rationemque a Deo, qua poſſemus præter cæteras animantes diſcere a patribus, quæ nobis illi tradidiſſent. Hoc primum Dei beneficium. Nullum autem animal eſſe cui data ſit hæc facultas, & ſolertia, vt eſſet capax eorum, quæ traderentur, præter hominem, παρὰ δὲ ἡμῖν τοῦτο αὐτὸ πρῶτον ἐνῴκισεν ὁ θεός, ὥςε ἱκανοῖς δεικνύμενον ξυννοεῖν. Nònne iſte Deus, eſt is qui apud Moſen ad imaginem ſuam fecit hominem, eique à ſe ipſo ſpiritum, mentemque dedit, qua poſſet diſcere? Et ſicut perpetua ſerie, à patribus filij generantur, ſic ab eis, ab ipſo Deo inchoato hoc ordine, diſcant loqui, & ſentire, & numerare, multaque alia. Ille dedit ingenium primus, & hoc inſeruit nobis, etiam primarum vocum, nominumque, quibus res appellarentur, inſtitutor. Omnis igitur is ordo, à quo vniuerſa pependit ætas, principium habuit a ſummo Deo. Deinde eodem libro, ſicut Moſes docuit ſupremum, eminentiſſimumque Deum fuiſſe cęli, luminumque cæleſtium inuentorem, præcipuèque Lunæ, ad quam modò maiorem, modò apparentem modò occultantem ſeſe, fierent tempora, dies, & anni: ſic Plato teſtatur hoc ipſum factum à Deo magno, vt ex Lunæ hac varietate vſque ad quindecim dies numeraremus, quod etiam perhibet de eo Laertius: Vt enim, inquit, numerare poſſemus tria, quatuor, multaque alia, ex quibus vnum numerum faceremus, Deus fecit Lunam, ὡς γὰρ καὶ τρία καὶ τέτταρα. Nònne hoc quod Plato hic loquitur, eſt quod Vates diuinus? Fecit Lunam in tempora. Pauloque inferius iterum Plato fatetur datam nobis naturam percipiendi, cognoſcendi, cum quo conuenit dies, & annos, & tempus, Timæus à ſummo Deo repertos: Timæus. Temporis, inquit, partes, quas periodos, id eſt, reuolutiones reditusque dicunt, Deus ipſe vnà cum mundo conſtituit. Neque enim erant aſtra ante mundum, eoque neque annus, neque horarum, ſiue tempeſtatum reditus, quibus menſuratur genitus iſte mundus. Hæc ille, prædicans ab eo neceſſario tempora, dies, & annos, & horas effectos, annuasque reuolutiones, qui ipſum creauit cęlum. Non ergo cæli Diuinitas erit, vt ob id a Platone, vel Ariſtotele debuerit deificari, ſed eius, qui cælum molitus, ei talem ordinem dedit, quem a ſe cęlum habere ipſiſmet teſtibus non potuit. Neque enim antequam Deus crearet mundum, inquit Timæus, erant anni, dies, horæ, conuerſionesque temporum. Plato quoque in legibus ſcribit: ἐςὶ δὲ θείῳ μὲν γεννητῷ περίοδος ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος: Eſt ait, Diuinitati creatæ, aut rei diuinæ creatæ, conuerſio, quam numerus perfectus complectitur. Ecce nihil clarius, cęlum habere Diuinitatem genitam, factam, creatam. Talem aut debuit Ariſtoteles tribuere cęlo, aut veriſimile eſt tribuſſe. Quare ſi de cælo diceret ea Plato, profecto dignus eſſet, quem omnes, poſt habita ſolita erga eum reuerentia, irriderent velut inconſtantem. Ordinem enim illum Lunæ, Solis, dierum, noctiumque, ob quem putat cęlum deificandum, probarem ex ore ipſius, & Timæi, quem expreſſit, non eſſe cęli, ſed eius, qui inuenit cęlum, cum cælo tempus item, totumque ordinem cęleſtem. Audi enim ipſum Platonem: Vt fieret, inquit, tempus, Sol, & Luna, & quinque alia aſtra, quæ Planetæ, ſiue Errones cognominantur, ad diuiſionem, & cuſtodiam numerorum temporis facta ſunt. Quorum cum vniuſcuiuſque corpora Deus creaſſet, poſuit in uertigines. Nonne ita loquitur Plato? Ita certè, nihil addo ipſe, nihil concinno,

Gen. 2.

Ratio ad quid homini data.

Cur Deus Lunam fecit.

Temporis partes .i. reuolutiones cum mundo Deus conſtituit. Cęlum nō eſt Deus, aut ſi ſit, ea diuinitas creata dici debet.

Ordinis rō a Deo.

ita

ἵνα γεννηθῇ χρόνος, ἥλιος καὶ σελήνη καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα, ἐπίκλην ἔχοντα πλάνητες, εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονε: σώματα δὲ αὐτῶν ἑκάστων ποιήσας, ὁ θεὸς ἔθηκεν εἰς τὰς περιφοράς. Cur igitur ò grauiſſime, quaſi oblitus tui, in Legibus, & Appendice legum, cælum, & aſtra, quia doceant nos numerare, docuerunt rationes temporum, ſine quibus omnia confuſa, & perturbata futura eſſent, et quia beneficio nos afficiunt, faciunt nos viuere, alunt, ſuſtinent, in Deos referre voluiſti? Cur ò vir grauiſſime non hunc cultũ ad illum tranſtuliſti, qui te teſte, reperit admirabilem omnem hunc ordinem, Aſtrorum periodos excogitauit? Ea ſic poſita, ordinata, inſtituta, peragunt curſus ſuos æternos, quouſque autor ipſe voluerit. Hæc enim omnia tu dixiſti. Quare cælum deificare non debuiſti, cuius, te teſte, te iudice, non eſt Diuinitas illa, quam ei in Legibus dediſti, ſed eius, qui reperit eam. Huic acceptam referre debemus vitam, quę ſuppetit à cælo, ſcientiamq; numerandi, temporum definitiones. Adorabo igitur horologium, ſiue ſolarium, quod mirabiliter motis machinis eius omnibus numeroſè, diſtinguit nobis horas, dat rerum agendarum tempora, autorem, & inuentorem non adorabo? Et Laertius aſſerit Platonem tradidiſſe, ad horas efficiendas, & vt animalia numeris agerent omnia, accenſum Solem a Deo. Nolo igitur alium teſtem, non aſciſco Moſen, qui Platonem coarguat, Platonem Platoni oppono. Sed pergo ad alia ex Epinomide teſtimonia. Cùm de Diis, & Deabus loqueretur, quòd difficile de his foret definire, Perge modo, inquit, ſupplicaque Diis, dicque de Diis, & Deabus, quæ tibi ſuccurrunt. Faciam, inquit, ſi Deus ipſe nobis viam aperuerit ἂν αὐτὸς ὁ θεὸς ἡμῖν ἡφηγῆται. Quis iſte eſt Deus, quem cupit de Diis locuturus, fauentem, ac propitium? Certè præpotens ille autor & opifex toties apud Platonem Deorum. Hunc tanquam communem præceptorem, largitoremque ſapientiæ inuocat, de Diis locuturus. Sunt enim oculis Dij, vt ipſe dixit, obſcuri. Progreſſus inde dicit fieri non potuiſſe, vt tanta cæli vaſtitas, tantus orbis ſemper moueretur, niſi Deus ipſe autor eſſet, neq; futurum vnquam aliter. Nam animatum quidem præterquam διὰ θεὸν, per Deum, vt nos oſtenderimus, nunquam futurum, fuiſſe. Hoc teſtimonio indicat ea Plato, quæ dixit in Timæo, animam datam cælo a Deo, animam potentem, diuinam, ipſum ſemper vertentem. Ritus item, quibus colendi ſint Dii, & de ſacrificiis, præcipuos in republica, ac primates, niſi Deus ipſe dux ſit, neminem fore qui doceat, ἀλλ᾽ οὐδὲν διδάξειεν εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο. Quis Deus iſte dux hominibus ad pietatem? Vera autem dixit, diuiniſſimeque eſt locutus, Nam niſi Deus docuiſſet, quem colere homines oporteret, quæ religio, quæ pietas eſſe deberet, nullus vnquam homo dicturus erat. Hoc Plato appellat μέγιστον κυριώτατον. Maximum, præcipuum: ad quod cognoſcendum, & commonſtrandum, pureque exercendum, opem Dei putauit neceſſariam: ſine qua, magna mortalium pars peccauit in eo. Poſtremò cenſet Plato tendendum ad diuinam pulcherrimamque ſpectandam viſibilium generationem, ὅσιν ἀνθρώποις θεὸς ἔδωκε καθιδεῖν: quantam dedit hominibus Deus aſpicere. Generationem viſibilium dicit de luminibus cęleſtibus, quæ & generata fatetur, & perſpicua, claraque hominibus, ad generationem eundum ſit oculis animi, conſideranda, cognoſcenda, perſpicienda eorum pulchritudo. Id enim Pythagoras monebat φιλοσόφει τὸν οὐρανὸν ὁρῶν, Philoſophare, cęlum contemplans. Et noſter id contemplatus, Cęli enarrant gloriam Dei. Hocq; teſtimonio, & cęlum genitum, ſiue factum, profitetur, & factum vt ipſum homines contemplarentur. Quis enim alius Deus is, niſi vniuerſalis ille, cuius magnitudo capiens omnia non recipit plures, & quem naturali conſenſu adiuramus, teſtemque vocamus, tanquam exaudientem, accipientemque omnia, & vbique præſentem?

Aſtra non ſunt dij, quia nos viuere faciāt & ſuſtineant.

Cur Sol à Deo creatus.

Vult Plato Deũ inuocari ab eo, qui ſit de reb. diuinis diſputaturus.

Nihil fieri & cõſeruari poſſe niſi autore Deo.

Religio a Deo, non ab homine tradita.

Creatio, & pulchritudo rerum, cæleſtium, quæ.

Apud Platonem multa nomine diuino appellari, ſed vnum eſſe ſingularem, & ineffabilem creatorem omnium, atque moderatorem. *Cap. VI.*

EX HIS omnibus licet in hunc definire modum, ſicut in ſacris litteris eſt verus Deus omnibus adorandus, ſuſpiciendus, colendus, pater, inuentorque omnium: ſunt Dii minores, id eſt, Angeli, & viri ſancti, qui & iidem Dij dicuntur: ſunt Dij falſi, id eſt, nihil diuinum habentes, ſed nomen tantum Diuinitatis, inane, ſicut idola, quæ Dij dicebantur, & Dæmones vocantur Shadaim quod eſt nomen Dei: etiam apud Platonem, cęteroſq; Philoſophos tale quid inueniri: Primus, ac verus, æternus, ac ſempiternus Deus, Deus ante mundum, mundi, & cęli, & temporis potentiſſimus conditor: minores deinde Dij, ſiue natura diuinum quiddam, ſimileque Dei habentes, ſiue opinione humana, & conſuetudine, licentiaque Poetarum, quorum interdum Philoſophi teſtimoniis abutuntur. Prima Diuinitas ſo- a ſempiterna apud Platonem, & ſola vera. Eaque eſt, quam ineffabilem in Timęo, creatricemq; mundi, ibi & in Republica, multiſq; aliis locis pronunciauit. Principiũ, medium, finem in Epiſto- s: Summũ Bonum in. Repub. Secundum Diuinitatis genus ei multiplex, & adeo multiplex, vt ni- il non ſit ei Deus. Tribuit enim cęlo, terræ, ſtellis, mundo, terræ, dæmonibus, animæ, menti hoĩs, iuinitatis nomẽ. Nam in Timæo, vbi caput, præcipuuſq; ſermo de creatore mundi, ſummo Deo, ominantur alij Dij, ab illo magno Deo ſati. Quin etiam ſunt ibi Dij Deorum, id eſt, Deorum tu orti. Ibi, Terra, Oceanus eſt Deus, Deus etiam ipſe ſenſibilis Mundus. Sunt alij multi Dii.

Deus ver.

Dij falſi.

Dij facti hominum opinione.

Dei a Deo ſati.

In

Deus, dæmoniũ Socratis.
Aſtra, Dij.
Mens humana, Deus. in Som. Scipionis.
Sol, Deus.
Canis Ægyptiorũ, Deus.
Amor, Deus.
Noxa, Dea.
Amor, dęmon.
Vir bon⁹, dęmon.
Tres dij Platoni.
Idea mundi.
Dii paganorum.
Deus Deorum, Pſal. 49.
Deprauata doctrina de deo quomodo. Pſal. 49.
Deus ineffabilis.

In Philebo Dea voluptatis Venus. In Charmide Zamolſis rex Thracum, idem eſt Deus. In Phędro Mercurius Triſmegiſtus, qui ab Aegyptiis dicebatur Theuth, eſt Deus ex antiquis Diis. Eſt Deus Dæmonium Socratis in Alcibiade. In Legibus tota penè Diuinitas, aſtrorum eſt. Ibidem parentes à filijs pro Diis haberi iubentur. Illic mens humana eſt Deus, aſſociata animæ, quæ & ipſa Deus ſit. omninoq; varia, ac multiplex Diuinitas apud Platonem, vt nulli fermè rei inuideat hoc nomen. Sic Marcus dixit, Deum te eſſe ſcito. Et veteri prouerbio, Homo homini Deus. In ſeptimo item de Republica, ciuibus iuſtis, qui ad inſulas beatas abiiſſent, iubet Plato monimenta erigi, & publicè ſacrificari tanquam Dæmonibus, ſi minus, tanquam beatis & diuinis, quod in religione noſtra iuſtiſſimè fit ſanctis & diuis. In ſexto de Republica, Sol eſt Deus, natus tamen & factus à ſummo Bono, & datus ad illuminandos oculos, viſionemque faciendam, quemadmodum ipſum Bonum ſummum illuminet mundum intelligibilem. Socrates iurat in Gorgia, per iocum, νὴ τὸν κύνα, τὸν αἰγυπτίων θεὸν: Per Canem, Deum Aegyptiorum. Et in Phædone, Eſculapio Deo gallus ſacrificatur. In Sympoſio, non Dionyſius ſolum, ſed etiam amor eſt Deus: τῷ ἔρωτι τηλικούτῳ ὄντι, καὶ τοσούτῳ θεῷ: Amori tanto, ac tali Deo, nullum Poetam hymnum feciſſe. Ibique paſſim Amor vt Deus prædicatur, prædicatur antiquiſſimus, pretioſiſſimusque Deorum. Ibi quoque ex Homero monſtratur Ate, id eſt, noxa, Dea Vtque omnia bona accepta referuntur Amori, vti Deo, in Sympoſio, ſic Cœlum deificatur, vt bonorum autor, in Legibus. Amor autem non eſt Deus, ſed cupiditas vniuerſalis naturalis, vt cælum, inanimatum vtrunq;. Eodem libro Amor, non Deus, ſed Dæmon eſt, medius ſcilicet inter humanam, diuinamque naturam. In Timæo quoque terra eſt Deorum antiquiſſima. In Cratylo ſunt iuxta Græcos, & Barbaros, Sol, Luna, Aſtra, Terra, Cœlum, Dii. Ibidem ſunt alij præter hæc, quidam Dii. Ibidem omnis vir bonus, ſeu viuens, ſeu mortuus, eſt Dæmon. In Apologia, Socrates Solem, & Lunam Deos putat, ne à vulgari pietate diſſentiret. In quarto de Republica Apollo eſt Deus interpres, in medio terræ, in vmbilico. In Timæo ſunt tres Dij, mundus iſte viſibilis, mundus inuiſibilis, quem ipſe vocat. νοητὸν. Timæus Locrenſis, ἰνδαλικὸν, mundum exemplarem, aut archetypum, id eſt, Ideam mundi, quam ab æterno Deus ipſe concepiſſet, tum ipſe opifex Deus. Quanquam diceret Philo illam mundi Ideam, mundumque ipſum archetypum, non aliud eſſe, quam ipſum Verbum opifex mundi. In Critia, qui liber mox ſequitur Timæum, orat Timæus Deum illum, qui olim re factus eſſet, nunc autem verbo, id eſt, ipſum mundum, quem olim re vera Deus feciſſet, nunc autem verbis creationem eius deſcripſiſſent, quaſique eum, loquendo feciſſent. Eodem libro ſunt Dij, qui olim inter ſe partiti eſſent omnem terram, non ex contentione, & ambitu, ſed, vt fas eſt, Deos ſcire decorum ſibi quenque & homines velut gregem ſuum duxiſſe, aluiſſe. Ex his autem Diis ſunt Vulcanus & Minerua. Ibique eſt, quod ἡ τοῦ θεοῦ φύσις ἐπὶ πολλὰς γενεὰς διήρκει, in multa ſæcula Natura, vel Stirps Dei perdurauit. Ad poſtremum ibi eſt, θεὸς θεῶν Ζεὺς, Deus Deorum Iupiter, Noſtræ litteræ de ſupremo Deo. Deus Deorum dominus locutus eſt. Agnoſcunt igitur & ipſæ quendam Deum Deorum, id eſt, conditorem, ſatoremque Deorum, & regem, vt ibidem etiam aſſerit Plato. Is Deus Platone teſte, qui priſca ab Aegyptiis audita, ſed æui longinquitate deprauata, ſæpenumero memorat, Deus Deorum, conuocatis omnibus Diis in cęlo diſſerit in medio multa, de genere illo diuino corrupto, diluuio eos perdere decernens. Quod noſtræ quoq; litteræ teſtantur, ſed incorruptius, & apertius. Loquutus eſt etiam Latinus Poeta à Græcis audita, qui ea à Barbaris accepiſſent. In noſtriſq; litteris inducitur, quod Deus quaſi cum aliis Diis ſit locutus: Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Eſt igitur apud eos Deus Deorum is, quem in Timęo ineffabilem, & inexplicabilem confeſſus eſt, nominatq; eum, non habens hactenus aliud nomen, Iouem, vt ſæpe dictum, antiquiſſimum Dei veri, ac ſummi nomen. De quo etiam Homerus inducens vnum è Diis eum aſſantem:

Iliad. θ. initio fere & Odyſſ. α.

> Ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων.
>
> *O genitor noſter Saturnie, rexque ſupreme.*

Angeli, dominationes, poteſtates, throni.
Iliad. θ.

Supremum imperantium vocat, quod Theologia, Rex regum, Dominus dominantium: Et Dominus Deus Sabaoth, id eſt, exercituum cęleſtium, ordinum, legionum cęleſtium. Quos illi promiſcuè Deos vocant, noſtræ litteræ promiſcuè quidem Angelos, ſed & κυριότητας, ἐξουσίας, θρόνους, dominationes, poteſtates, thronos: quod repręſentat illud Homeri à vetuſtiſſimis ſęculis veniens, κρείοντας. Id enim eſt κυριότης, dominatio, κρείων, dominator. De hoc ipſo etiam clarius locutus alibi Homerus, inducens ipſum Patrem dicentem:

> Ὅσσον ἐγὼ περί τ᾽ εἰμὶ θεῶν, περί τ᾽ εἰμ᾽ ἀνθρώπων.
>
> *Quantum ego, præcedo diuos, præcedo hominesque.*

Plato, medium incedit inter poetas, & oratores.
Act. 17.

Sic fit perſpicuum, tametſi Plato diffundat nomen Diuinitatis in multos, eum tamen id ſæpe iocando feciſſe, & quaſi poeticè. Nam Platonem perhibent medium inter poetas, & oratores incedere, tum eum apertè fateri non poeticè ſolum, ſed naturaliter vnum ſupremum, maximum Deorum hominumque ſatorem, ac Regem. Et huic opera grauiſſima tribuere, creationem mundi, omniaque maxima ponderis opera. Nam Iouem eſſe illum verum Deum etiam Paulus demonſtrat ex Arato, qui dixerat, Iouis omnia plena. Et quod genus eius ſumus: Huius enim genus ſumus.

A ſumus. Hæc dixerat Aratus de Ioue, quem verum Deum, à quo genus ducamus, & in quo viuamus, Paulus interpretatur. Errabant quidem attribuendo ſacroſanctum Dei nomen tam variis, & indignis rebus, ſed apud Philoſophos, ſaltem Platonem (Nam de vetuſtioribus clarum eſt) eſt verior ſenſus. Eadem peccat Ariſtoteles, dum cælo, ſtelliſq; tribuit Diuinitatem, etiam æternitatem, adeoq; cæleſte corpus deificat, vt omnè genus laudis in ipſum effundat. Et vt eum arguit Marcus Tullius, licet in perſona Epicuri, quòd in tertio de Philoſophia libro (qui nunc non extat) multa turbet, modò menti tribuens omnem Diuinitatem, modo quendam alium præficiens mundo, eiq; eas partes tribuens, vt replicatione mundi quadam motum regat, atq; tueatur. Tum cœli ardorem Deum dicat eſſe, non intelligentem, cęlum eſſe mũdi partem, quam alio loco ipſe deſignarit Deũ: Hoc ergo cogit eos inconſtantes fuiſſe, & in re certa nihil habuiſſe, quod proferrent. Aut ſi boni conſulamus, & fortaſſe melius mentem eorum interpretemur, dicemus eos vltro de vero, ac naturali Deo multa locutos, multa naturam ignaris extorſiſſe. Ac tametſi vaga ſit Diuinitas apud illos, eſſe tamen etiam veram illam, ac ſingularem, quam & antiquitas ſuggerebat, & natura. Nam Ioue vt ſuperius, verum illum, ac naturalem Deum, non fabuloſè, & poeticè Platonem & Ariſtotelem cum multis aliis ſenſiſſe, apparet quòd eum Ariſtoteles, vt noſtræ litteræ, locat in vertice mundi, cuius per omnes mundi partes tendat immenſa, & indefatigabilis poteſtas. Plato autem de eo dicit in Cratylo, quòd duo nomina, quibus eum vocant ζῶα καὶ δία, coniuncta declarant Naturã Dei, qua putamus omnia fieri, & peragi. Neque enim eſſe nobis, & cæteris omnibus, qui magis autor ſit vitę, quàm is, qui Princeps & Rex eſt omnium. Hęc Plato, dicens de Ioue, certè ſentit illum verum Naturę Deum, Principẽ, Regemq; omniũ, Cauſamq; vitæ, vt eſt in noſtris litteris. Quodq; B magis admirabere, quod in fabularum inuolucris dicitur, Iouem filium eſſe Saturni, audi quomodo id interpretetur. Hunc, inquit, filium fuiſſe Saturni, contumelioſum ſtatim videatur audienti: εὔλογον δὲ μεγάλης τινὸς διανοίας ἔκγονον εἶναι τὸν δία: Rationabile autem eſt, magnæ cuiuſdam Mẽtis filium eſſe Iouem. Nam, inquit, cronos deſignat quaſi puriſſimam, incorruptamq; mentem, cuius filium dicunt Iouem. Hæc ille, declarauimus autem ſuperius prolem Dei vocatum Iouem, qui dictus eſt ab eſſendo: ipſe item Rex & opifex mundi, ipſe omnibus imperans, ipſe vita omnium, ipſe rex hominumque Deumque, ſicut apud noſtros. Aſpice etiam, an Iupiter, & Mens illa apud Anaxagoram ſint idem. Mentem autem probatum eſt ſæpe, eſſe ſecundum è tribus, eſſe poſt ſummum Bonum, eſſe eam, quam litteræ Hebræorum Sapientiam, Aegyptiorum, & Hebræorum λόγον, Interpretationem, aut rationem vocant, nomina ob creationem mundi. Iouem teſtatus eſt in Cratylo, quòd ſit cauſa vitæ, Princeps & Rex omnium. In eodem autem libro de Mente, quòd ſit αὐτοκράτωρ πάντα κοσμῶν διὰ πάντων ἰών, Imperatrix, omnia exornans, per omnia pertinens. Eadem paulò antè tradit. Item Laertio teſte vocat creatorem mundi Plato νοῦν, αἴτιον, Mentem Cauſam. Vnus igitur, vt vides, eſt atque idem, Iupiter atque Mens, ille Rex, Princepſq; omnium, Autor, Imperator, exornans omnia: ſicut ille Cauſa vitæ, ſic iſta per omnia commeans, & pertinens, quod Pythagoras de Deo, per omnes mundi partes intento dixit, ex quo noſtri animi carperentur. Ecce idem hæc omnia, Iupiter, Mens, Deus, Cauſa, quia tendunt per omnia, regnant per omnia, regunt omnia. Superius item vidiſti, πάντων αἴτιον τὸν θεὸν, omnium autorẽ Deum. Confer Iouem in Cratylo αἴτιον τοῦ ζῆν, ἄρχοντα, βασιλέα τῶν πάντων: Cauſam vitæ, Principẽ, Regẽ omnium. Item Mentem, quòd ſit αὐτοκράτωρ διὰ πάντων ἰών, Imperatrix, per omnia commeans. C Ecce ſunt idem Deus, Iupiter, Mens, Autor, qui in Epiſtola ſecunda extat, habet patrem, ergo eſt filius, & is autor, teſte Laertio, eſt Platoni mundanus opifex. Ex quo efficitur, vt quicquid illi de Ioue loquerentur, de ſummo Deo ſit dictum, licet indigna Deo multa, vt poetarum fuit error, ad ſuum arbitrium de Diuinitate fingentium. A Platone repudiata, ab aliis allegoricè interpretata, quibus niſi allegoria ſubſit, vt ait Palephatus, omnium mortalium impiiſſimum confiteri Homerum neceſſe ſit. Sed & apud hunc, & alios omnes, Triſmegiſtum, Sibyllas, Orpheum deprehendas fabuloſa miſta veris. Nam & populari conſuetudini nonnulla dabant, vt apud Platonem viſum, & ſibi, ac ſapientiæ, de rebus grauiſſimis diſſerentes, item ſatisfaciebant. Itaque & veram, naturalemque deprehendas apud eos ſapientiam, & rurſum populares, aut poeticos errores. Nos autem dicimus ab initio mundi natam veritatem, quæ ex certa Dei conſpecta præſentia habuiſſet initiũ, per omnes deinceps ætates deſcendentem, fuiſſe magis deprauatam, remanente ſemper aliqua luce: Solas autem apud ſacras litteras incorruptam eſſe veritatem.

Nimium licenter abuſi veteres nõie Dei.

Inconſtanter de diuinitate pagani ſenſerunt.

Iupiter cur Saturni filius.

Iupiter & Mens, an idem.

Mens, cauſa.

Quicquid de Ioue loquuti pagani, id de vero Deo intelligi.

Fabuloſa miſta veris

De ſummo Deo, quem ſummum Bonum vocat Plato, affirmans eum rerum cunctarum cœlo ac terris autorem, à quo rebus omnibus adſit eſſe. Cap. VII.

SED omnium nobiliſſimum, ac præclariſſimum eſt teſtimonium de ſummo Bono, de quo mira, & ex intimis Theologiæ myſteriis eloquitur in libris de Republica Plato, cuiuſmodi apud Theologos, præcipuè Paulum, multa deprehendas. Hic Plato ſupra mortalitatis conditione ſublatus, tranauit cęlos mente, & ad ipſam ſummi Boni regiam progreſſus, vidit arcana Dei, vidit ineffabilem ſummi Boni Diuinitatem vidit luce, & claritate maieſtatis ſuæ, totum illuminari ſupernum mundum: vidit eum Solem creaſſe, omnium rerum viſibilium, & inuiſibilium autorem fuiſſe: in eo omnem veritatem eſſe D omnia bona: Nos autem reſpectu Diuorum, qui propius eum intueantur, tanquam in carcere eſſe, inter vmbras, & ſimulachra.

Idea Boni, vt à Platone deſcribatur.

De hoc ipſo igitur ſummo Bono, & Idea Boni, hæc loquitur in ſexto de Republica. Hoc igitur, quod veritatem prębet rebus, quæ cognoſcuntur, & ipſi cognoſcenti dat virtutem, Ideam boni dicito eſſe, etiam ſcientiæ, & veritatis cauſam, vt quæ cognoſcantur per mentem. Vtraque autem, quæ vſque adeò pulchra ſunt, id eſt, notione, & veritate, ſi quid aliud pulchrius exiſtimaueris, rectè exiſtimaueris. Scientiam autem & veritatem ſicut rectè lumen, & viſionem Solarem, non autem ipſum Solem credere rectum eſt: ſic iſto quoque loco, vtraque eſſe ἀγαθοειδῆ, id eſt, ſimilia ipſi Bono, rectum eſt: Bonum autem arbitrari vtrum eorum, non rectum, ſed ἔτι μειζόνως τιμητέον τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἕξιν, adhuc habitus Boni magis honorandus eſt. Inauditam, inquit, dicis pulchritudinem, ſi ſcientiam quidem, & veritatem præbet, ipſum autem eſt ſupra has pulchritudines. Neq; enim dicis eſſe ipſam voluptatem. Bona verba, inquam ego. Sed ſic magis imaginem eius contemplare. Quomodo? inquit. Solem his, quæ videntur, nõ ſolùm prębere facultatem vt videantur, reor, fateberis, ſed & ortum, & incrementum, & alimentum, qui tamen res ipſa nata ipſe non ſit. Qui fieri poteſt? inquit. Itaque etiam his, quæ noſcuntur, non ſolum adeſſe a ſummo Bono, vt cognoſcantur: ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι, οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπεκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος: Sed etiam & eſſe, & ſubſtantiam ab illo, eis adeſſe, cùm ipſum Bonum non ſit ſubſtantia, ſed etiam excedens ſupra ſubſtantiam, dignitate, & virtute. Hui, inquit cum riſu Glaucon, Hercules diuina excellentia. Tu inquam ego, cauſa es, qui me cogis fari, quæ de ipſo, mihi videantur. Nequaquam abſiſtas niſi quid, ſed ſimilitudinem de Sole reliquiſti. Relinquo, E inquit, ſæpe. At ne minimum quidem relinquas. Etſi multum feci, inquit, veruntamen quoad fieri poterit, in præſens non relinquam. Cogita igitur, inquam ego, ſicut dicimus, ea duo exiſtere, & imperare, alterum quidem τοῦ νοητοῦ γένους τε καὶ τόπου, τοῦ δ' αὖ ὁρατοῦ, ἵνα μὴ οὐρανοῦ εἰπών, δόξω σοι σοφίζεσθαι περὶ τὸ ὄνομα: ἀλλ' οὖν ἔχεις ταῦτα διττὰ εἴδη, ὁρατὸν, νοητὸν, Generi, & loco intelligibili, alterum viſibili, ne dicens cęlo, videar tibi circa nomen cauillari.

Viſibile & intelligibile.

Saltem habes has duas ſpecies, viſibile, intelligibille. Hæc & id genus Plato. Nouiſſimeque quam Ideam boni dixerat, vocat τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν, Principium Vniuerſi. In ſeptimoq;, qui ſtatim attexitur ſexto, deq; eadem re eſt ſermo, hæc infert. Hęc igitur ſic mihi videntur. In intelligibili nouiſſima eſt Idea Boni, vixq; ea videtur. Viſa verò conſiderandum eſt, quòd ſcilicet hæc ſit omnibus omnium rectorum, & honeſtorum cauſa: & quæ in hoc viſibili lucem & dñm Ens pepererit. In intelligibili autem, hęc domina eſt, quæ etiam veritatem, & mentem præbet: & quòd oportet hanc videre, qui prudẽter aut priuatè, aut publicè velit agere. Hæc Plato de Idea Boni, quæ quidem magis ad verbum, oratione Græcanica, non Latina protuli, vt dogma ipſum magis eluceret. Hic ergo effudit cæleſtem, aureamq; orationem, adita Diuinitatis aperuit. Confert Solem, & ipſum Bonum, proponit duo regna, duo genera rerum. Collatio prima Solis, & Boni, quòd quemadmodum Sol efficit vt omnia videantur corporaliter, & in hoc corporeo viſibilique mundo, ſic ſummum Bonum, in regno intelligibili, ſiue inuiſibili, largiſſimam ſuæ claritatis ſpargit lucem. Hæc autem lux, non corporea, inquit, ſed intellectualis, ſcientiæ, ſapientiæ, cognitionis.

Idea Boni quid.

Quia Idea Boni, vel ipſum Bonum, eſt pelagus, & locus ſapientiæ, eſt aſylum, arx totius ſapientiæ, eſt ratio vniuerſalis. Qui hanc videt, videt omnia. Ab hac autem vaſta ſapientia, omnem mentem intelligentem F manaſſe, tum omne lumen mentis, id eſt, & ipſam facultatem, virtutemq; intelligendi, quæ eſt ipſa mens, & ab eo infuſam, tum donari ſapientiam, notionemque omnium rerum dicit. Id enim clamant noſtræ litteræ, Sine illo nihil nos ſcire poſſe: &, Lignum vitæ his, qui apprehenderint eum: &, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et ipſe vocatus eſt ſapientia, ratio, forma. Hic omnia tanquam in ſua Idea coniuncta bona.

Multi ſũt modi inligendi ſũmũ bonũ.

Duobus igitur modis poteſt intelligi quod det his, quæ cognoſcuntur, & cognoſcenti vim poteſtatemq, intelligendi: aut ſcilicet ſpiritualiter, & mentaliter, quòd ipſe mentem crearit, & eam illuminet: aut refert ad mundum ſupernum, in quo regnet ſummum Bonum, immenſa claritate ſua dans illic ſe magis conſpicabilem intuentibus, qui fecit eos, vt intueri, & cognoſcere eum poſſent. Secunda, quòd quemadmodum Sol dat lucem, facit viſionem, non tamen eſt aut viſio, aut ſparſa lux, ſic ſummum Bonum, non eſt ipſa cognitio, radius, aut mens cognoſcens, ſed maius.

Bonũ, eſt maius cognitione ipſa.

Tertia, quòd quemadmodum Sol dat ortum, augmentum, alimentum viſibilibus, ipſe autem non eſt γένεσις, generatio, res facta, ſic Bonum, non ſolum præbet rebus, quæ intelliguntur, vt intelligantur, ſed & ipſum eſſe, & ſubſtantiam. Ipſum autem non eſt ſubſtantia, ſed maius & melius, dignitate & poteſtate vltra ſubſtantiam. Quarta, de Imperio, quòd quemadmodum præeſt huic mundo Sol, & imperat, ſic imperat ipſum Bonum mundo intelligibili. Quo loco cum Plato ſtatuat duo regna, duo genera rerum νοητὸν, ὁρατὸν, apertè noſcitur ſentire, & innuere ea, quæ ſummus Paulus, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ γῆς, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα: Quæ ſunt in cęlis, & quæ in terra, Viſibilia, & inuiſibilia.

Duo genera rerum, νοητὸν, intelligibile. & ὁρατὸν, viſibile.

Itaque quæ Philoſophi appellant νοητὰ, intelligibilia, id eſt, ſola ratione & mente comprehenſibilia, noſtri inuiſibilia dicunt, tum quia corporeis oculis, corpore carentia, videri non poſſunt, tum quia ſunt in loco, de quo cogitari poteſt, videri non poteſt, Etiam quia intellectus ſunt & mentes.

Quæ autem ſint iſta inuiſibilia, Paulus ipſe docet, ſtatim ſubdens: καὶ τὰ ἀόρατα εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι. Inuiſibilia, inquit, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. In hoc etiam primum adnumerauerat ipſum Bonum Deum, dicens Chriſtum eſſe imaginem τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, Dei inuiſibilis. Quare cum τὰ νοητὰ, id eſt, intelligibilia, ſint inuiſibilia, hæc erunt ipſe Deus, & omnia genera Angelorum. Vtque Paulus de his ait, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, Omnia hæc per ipſum Verbum facta ſunt: ſic Plato dicit, Bonum feciſſe hæc ipſa inuiſibilia, intelligibilia, quibus dederit ipſum intelligere, & intelligi, ipſum tamen eſſe longè præcellentius illis. Sic & Paulus innuit, ipſum anteſtare creata illa. Aitque Plato veritatem & notionem, qua illi cognoſcũt, eſſe pulchras, ſed longè pulchrius, qui dedit hęc ipſa. Sic conferens ipſum cum duabus rebus pulchris, ſcientia & veritate, dicensque ipſum eſſe venerabilius, fatetur eſſe ἀμήχανον κάλλος, Inæſtimabilem pulchritudinem. Sic ſupra ſubſtantiam. Item affirmat eum creaſſe Solem, eſſe omnium rerum principium, creaſſe Dominum lucis. Sunt item apud Platonem duo regna, viſibile, & νοητὸν, intelligibile, ſiue ſpirituale, vel inuiſibile. Duo genera rerum, ὁρατὸν, νοητὸν. Sic etiam νοητὸν γένος καὶ τόπος, Genus inuiſibile, locus intelligibilis. Videbis autem hunc locum intelligibilem apud eum, eſſe patriam cęleſtem, regna beata, vt declarat exemplum in ſeptimo de Republica, quo fingit habitantes in terra, quaſi in ſubterraneo Specu eſſe, qui a pueris aſſuerint illic videre in pariete ſola rerum ſimulachra ab aliquo lumine repræſentata: Sic nos inter vmbras eſſe, veritatis autem campum, veraſque res, vere bona apud ſuperos eſſe, vbi eſt Idea Boni. Eodem libro dicit, τὴν δ' ἄνω ἀνάβασιν καὶ θέαν τῶν ἄνω, τὴν εἰς τὸν νοητὸν τόπον, τῆς ψυχῆς ἄνοδον, Aſcenſum ad ſupera, rerumque ſupernarum contemplationem, eſſe animi aſcenſum ad locum intelligibilem. Quòd ſi quis contendat Platonem, Ideam ſummi Boni, aut ipſius Boni in vniuerſum ſenſiſſe non Deum quidem, ſed vniuerſale totius Bonitatis, quaſi vniuerſalem ſpeciem, ſicut humanitas, multaque id genus vniuerſalia: Ecce tota oratio refellet eum. Nam vniuerſalia neque generant neque generantur: at Idea ſummi Boni, genuit Solem: Tum ipſa eſt dominatrix in mundo intelligibili, in mundo mentali, vel inuiſibili, ſicut Sol in hoc mundo, qui ſic det naſci, eſſe, augeri, ali, videri ſenſibilibus, ſicut inuiſibilibus ipſa Bonitas. Denique ſi Sol cauſa eſt rerum viſibilium, partus autem, vel creatus eſt a ſummo Bono, ipſum autem ſummum Bonum, peperit alia non indigentia Sole, & ad quæ non ſe extendit eius potentia, vtique fatetur Plato quod diuus Paulus, per ipſum facta viſibilia, & inuiſibilia: quia fecit Solem cauſam viſibilium, inuiſibilia quoque ipſe creauit: fecit luces quaſdam, quædam lumina, dedit eis ſentire, noſſe. Eoque luces in noſtris litteris vocantur. Et per allegoriam, non proprietatem, creatio lucis, fuit creatio ipſorum. Deinde Idea bonarum rerum non eſt niſi Deus ipſe exemplar, vt Philo ait, & Idea omnium Idearum, Idea maxima, id eſt, maxima ratio, maximus logos, verbum, forma, ratio, exemplum, Mundus, vt idem Philo perhibet, νοητὸς, intelligibilis, plenus rationum, formarum ſapientiæ, ſcientiæ. Hæc omnia ſenſit Plato. Suntque hæc nomina ſummi Dei apud eum plena Theologiæ, τὸ ἀγαθὸν, ἰδέα τοῦ ἀγαθοῦ, βασιλεὺς τοῦ νοητοῦ γένους, καὶ τόπου, τὸν ἥλιον γεννήσας, ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, τοῦ παντὸς ἀρχὴ ἀφ' οὗ εἶναι ἐστὶ, καὶ ἡ οὐσία τοῖς γιγνωσκομένοις, Ipſum Bonum, Idea Boni, Rex generis & loci inuiſibilis, Genitor Solis, Vltra ſubſtantiam, Principium Vniuerſitatis, A quo eſt eſſe & ſubſtantia his quæ noſcuntur. Denique qui genuit ſiue creauit Solem, ſibi ἀνάλογον, proportionatum, vt ſic loquar, quia & ipſe Sol eſt mundi inuiſibilis. In quibus eſt tota Theologia, omnis ſapientia.

Chriſtus, imago dei inuiſibilis.

Duo regna, Platoni.

Comparatio pulchra.

Nomine Ideæ ſummi Boni, Plato non intelligit vniuerſale Bonitatis.

Deus, Idea idearum.

Platonem fateri Deum omnium bonorum nullius autem mali autorem, optimum, pulcherrimum, veridicum. Prodeſſe dare pœnas, & caſtigari. Dogma de Bonitate, ſumptum eſſe ex Triſmegiſto. *Cap.* *VIII.*

DIVINE quoque locutus eſt de ſummo, ac ſingulari Deo, in ſecundo de Republica. In quo agnoſces ea, quæ proponit in Timæo, de Creatore mundi, ac Bonitate eius, & item quod ſuperius in ſexto. Ibi apertè fatetur in Deo ſolàm bonitatem, autoritatemq; bonorum eſſe. In illum mala vlla accepta referre nec debere homines, nec poſſe, loquẽs in hunc modum: ἀγαθὸς ὄγε θεὸς τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον οὕτω: Bonus profectò eſt Deus, idque confitendum eſt. Nihil item quod bonum eſt, eſt noxium. Ergo quod non eſt noxium, non nocet. Sic quod non nocet, non afficit malo, ne mali quidem ſit autor. Eſt item ipſum Bonum, vtile: αἴτιον ἄρα εὐπραγίας: cauſa igitur eſt felicitatis, rerumque bonarum. Non ergo omnium rerum, cauſa eſt ipſum Bonum, ſed bonarum tantum, beneque habentium, Malorum autem autor minimè. Non ergo Deus cum ſit bonus, omnium cauſa ſit, vt plerique loquuntur: ſed cum quædam det hominibus, aliorum nullam ipſe affert cauſam. Longe enim pauciora nobis bona, quàm mala ſunt. Ac bonorum quidem neminem alium fatendum eſt autorem: malorum autem alias quaſdam quærere cauſas oportet, ἀλλ' οὐ τὸν θεὸν, non Deum ipſum. Nouiſſimeque addit, Mala, inquit, Troianis illata, aut Pelopidis, aut omittendum ea referre in Deum vti autorem, aut ſi a Deo profecta ſint, inuenienda eſt his, qui hæc dicunt, ea ratio, quam nos

Deus bonus, & boni cauſa.

Si Deus malo afficiat, id optima cauſa facit. Deus, non ẽ mali cauſa.

item veſtigamus, & dicendum quòd Deus iuſta & bona fecit: his autem profuit ſic caſtigari, ſed quòd vel miſeri ſint, qui luunt pœnas, aut quòd Deus hæc fecerit, poetæ dicere non eſt concedendum. Sed ſi diceret, eis caſtigatione opus fuiſſe, velut miſeris, quia mali eſſent, dantes autem pœnam, ὠφελοῦντο ὑπὸ τοῦ θεοῦ, beneficio affecti ſint à Deo, permitti debet. Malorum autem alicui autorem fuiſſe Deum dicere, qui bonus ſit, omnino prohibendum eſt. Igitur, inquit, omnium dicemus Deum autorem, ſed bonorum. Sic neque præſtigiatorem, ſimulantemque varias figuras Deum dicemus. Nam mutare formam ſuam in peius eum nefas eſt. ἀλλὰ μὴν ὁ θεός τε, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει: ταύτῃ μὲν τοι ἥκιστα, ἂν πολλὰς μορφὰς ἴσχοι ὁ θεός. Atqui & Deus, & omnia, quæ ſunt Dei, ſunt vndequaque optima. Itaque minime varias figuras ſubeat Deus. Itaque cum Deus ſit ὡς ἔοικε κάλλιστος καὶ ἄριστος, vt apparet, pulcherrimus, & optimus, nefas eſt eum ad peiorem conditionem deſcendere. Denique concludit in Deo nullum eſſe mendacium: Κομιδῆ ἄρα ὁ θεὸς ἁπλοῦν, καὶ ἀληθὲς, ἔντε ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ: omnino igitur Deus ſimplex & verus verbo & re. Hæc igitur omnis prædicatio, etſi in omnes Deos æqualiter, vt Plato fortaſſe ſenſit, tendit, ex dogmatis tamen eius apparet, propriè, ac primo in illum congruere, quem Ideam Bonitatis in ipſis de Republica libris dixit: & cuius bonitatem genitricem mundi fuiſſe confitetur: quæque cum ſumma eſſet, fecerit mundum pulcherrimum: cuius pulchritudo non aliam habuerit cauſam, quàm ipſius opificis pulchritudinem, ac bonitatem, vt cui non placeant niſi pulchra, & optima, eoque omnia crearit formoſa, pulchra, vtilia. proinde dicit eum Moſes ad vnamquamque rem creatam vidiſſe eam eſſe bonam. Ad poſtremumque vidiſſe cuncta, & ecce erant valde bona. Excluditur enim, & exploditur etiam ab ipſiſmet Philoſophis, turpiſſima Manichæorum inſania, aliquid mali eſſe in hoc mundo, quod ab autore mundi habuerit principium. Quod illi vitare volentes, in aliud abſurdius ceciderunt, in duas partes ſecantes autoritatem mundi creati, vt aliud à Bono, aliud à malo principe ſit factum. Sed quoniam confitentur omnes, ab vno factam totam rerum Naturam, dicenda eſt vndequaque bona. Mala autem ab ingenio humano, quæ propriè mala dicantur, habere originem. Ac diuinitus etiam Plato, ſicut item Gorgia, clamat, ſi quid cui acciderit mali profuiſſe dare pœnas eum fatendum eſſe. Nam in eodem libro ſæpe affirmat, τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι κάκιον: Peius eſſe inferre iniuriam, quàm pati. Et, τὸ δίκην διδόναι, μεγίστου κακοῦ ἀπαλλαγὴ πονηρίας: Dare pœnas, eſſe liberari à maximo malo, nempe à ſcelere, ſic nunc eadem aſſerens veluti diuinus Theologus, ſi quid cui mali eueniat, quod à Deo fatearis accidiſſe, reuocandum eſſe ad Bonum, quia melius ſit caſtigari, quàm permanere in ſcelere: Poſſis, inquit, etiam ſi iuſtus interficitur, ſi patrimonio multatur, ſi veſtalis virgo vitiatur, non referre hæc mala in voluntatem diuinam, ſed in illorum, qui faciunt, prauitatem, qui pœnas tamen dantes, vel in hoc mundo, quod Troianis ob adulterium accidit, vel alibi, proderit eis, & omni mundo, dum ſcelus expiatur, quod bonum eſt, cùm iuſtitia redit in ſuum locum. Quæ etſi nocent caſtigato, prodeſt tamen alibi, quia labes elui, de medio tolli, pulcherrimum eſt. Hæc ferme Plato, aſſerens tum miſeros appellandos non eſſe, qui dent pœnas, quia ſcelus eorum expiatur: tum hanc voluntatem non eſſe rectà in Deum referendum, vt eueniant mala, quæ diluantur, vel quæ debeant coronare iuſtos, quibus melius ſit pati quàm inferre iniuriam. Neque enim Deus quenquam beneficio affecturus noceret, alteri decernens caſtigari vel flagellari, iuſtum ab iniuſto, vt is aſcendat ad triumphos, ille deſcendat in Tartarum: ſed in Deum non ſunt referenda, tanquam ea uolentem, ſed conniuentem. Interim tamen melius eſt pati, quam inferre iniuriam: & beatius eſt dare, quam accipere beneficium, vt dixit Dominus Ieſus. Sicque tria diuina dogmata ſunt hic apud Platonem, πάντων αἴτιον τὸν θεὸν, ἀλλ᾽ ἀγαθῶν, Omnium Deum eſſe autorem, omnium rerum bonarum: Bonum autem, & Ens conuertuntur. Item omnium malorum, ἀναίτιον, non autorem. Tertium ſi malorum autorem dicas, id eſt, non ſcelerum, non vitiorum, ſed pœnarum, caſtigationum. Prodeſſe pœnas has perpeti. Et quòd hoc fuit diuinum beneficium, effectum te meliorem, expiato piaculo tuo prodeſſe tibi & omni humano generi, detrahi ſuperbis ſupercilium, quoniam nimia felicitas corrumpit, reddit ad voluptates alacriorem: Virtus autem infirmitate perficitur. Hæc Plato ſenſit eo inſtinctu, quo creatus eſt homo ad imaginem Dei, eoque ſentit eadem atque Deus. Noſtra autem religio eſt ſenſus Dei, eſt locutio Dei. Locutique ſunt homines ſæpe ſimilia, præcipuè ſapientes, quia ſunt imago Dei. Neque adeò potuit vnquam tenebris obrui mens humana, quin eluceret, quod diuus Paulus prædicauit, veritas in terris. Denique infert Plato, vt nec malorum ſit autor Deus, ſic nec eum eſſe mendacem aut verſipellem, ſed eſſe ἁπλοῦν, καὶ ἀληθὲς, rem ſimplicem, veram. Itaque hæc nomina ſupremi Dei, nunc apud Platonem ſunt ἀγαθῶν αἴτιος, κακῶν ἀναίτιος, αἴτιος εὐπραγίας, κάλλιστος, ἄριστος, ἁπλοῦν, ἀληθές. Bonorum autor, malorum non autor, felicitates, proſperitatis autor, pulcherrimus, optimus, ſimplex, verus.

Bonitas Dei, mundi genitrix.

Inſana Manichæorum hæreſis, qui Deũ mali cauſam aſſererent.

Dare pœnas, non eſt malũ, cùm ſit liberari à maximo malo.

Miſeri nõ ſunt, qui pœnas dant.

Tria diuina dogmata apud Platonem.

Hoc

Hoc de Bonitate diuina ſumpſiſſe Platonem ex Triſmegiſto. Cap. IX.

HVNC locum haud dubiè ſumpſit Plato ex Mercurio Triſmegiſto, a quo tota ferme Platonica Philoſophia, vbi myſteria attingit, defluxit. Nec potuit ab Angelo cęleſti dici de ſummo Bono quidquam diuinius, & excellentius. Duas cenſet veras ſummi Dei appellationes, Patris, ac Boni, ſed eam quę eſt Boni, veriorem, ἔθυ τὸν θεὸν δυσὶ ταύταις ταῖς προσηγορίαις σέβεσθαι δεῖ, ταῖς μόνῳ αὐτῷ προσῳκειωμέναις, καὶ ἄλλῳ οὐδενί: οὔτε γὰρ τῶν ἄλλων λεγομένων θεῶν, οὔτε ἀνθρώπων. οὔτε δαιμόνων τις δύναται, κἂν ὁπωσοῦν ἀγαθὸς εἶναι, ἢ μόνος ὁ θεὸς καὶ τοῦτ' ἐστὶ μόνον, καὶ οὐδὲν ἄλλο: τὰ δὲ ἄλλα πάντα χωρητὰ ἐστὶ τῆς τοῦ ἀγαθοῦ φύσεως: σῶμα γὰρ εἰσὶ καὶ ψυχή. τόπον οὐκ ἔχοντα χωρῆσαι δυνάμενον τὸ ἀγαθὸν: τοσοῦτο γάρ ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ τὸ μέγεθος, ὅσον ἐστὶν ὕπαρξις πάντων τῶν ὄντων, καὶ σωμάτων, καὶ ἀσομάτων, καὶ αἰσθητῶν, καὶ νοητῶν, τοῦτ' ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν, τοῦτ' ἐστὶν ὁ θεός: μὴ οὖν εἴπῃς ἄλλό τι ἀγαθὸν, ἐπεὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἄλλό τί ποτε τὸν θεὸν, ἢ μόνον τὸ ἀγαθὸν, ἐπεὶ πάλιν ἀσεβεῖς: λόγῳ μὲν ὑπὸ πάντων. λέγεται τὸ ἀγαθὸν, οὐ νοεῖται δὲ τί ποτ' ἐστὶ, ὑπὸ πάντων: διὰ τοῦτο οὐδὲ ὁ θεὸς νοεῖται ὑπὸ πάντων, ἀλλ' ἀγνοίᾳ καὶ τοὺς θεοὺς, καὶ τίνας τῶν ἀνθρώπων ἀγαθοὺς ὀνομάζουσι, μηδὲ ποτε δυναμένους, μηδὲ εἶναι, μήτε γενέσθαι ἄν: ἀλλοτριώτατον γάρ ἐστι τῶν ἄλλων, καὶ τοῦ θεοῦ ἀχώριστον: ὡς αὐτὸς ὁ θεὸς ὤν: θεοὶ μὲν οἱ ἄλλοι πάντες ἀθάνατοι τετιμημένοι τῇ τοῦ θεοῦ προσηγορίᾳ, ὁ δὲ θεὸς τὸ ἀγαθὸν οὐ κατὰ τιμὴν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν: μία γὰρ ἡ φύσις τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ ἓν γένος ἀμφυτέρων, ἐξ οὗ τὰ γένη πάντα, ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἅπαντα ἐστὶ διδοὺς καὶ οὐδὲν λαμβάνων, ὁ οὖν θεὸς, τὰ πάντα δίδωσι, καὶ οὐδὲν λαμβάνει: ὁ οὖν θεὸς ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἀγαθὸν, ὁ θεός. Quæ ſunt, proinde duabus hiſce Deum appellationibus colere conuenit, quæ ei ſoli congruunt, alteri præterea nemini. Neque enim vlli ex his, qui dicuntur Dij, aut homines, aut Dæmones, poſſunt vllatenus boni eſſe, niſi ſolus Deus. Et hoc eſt ſolum, & nihil aliud. Cætera verò omnia ſunt capacia naturæ Bonitatis. Corpus enim ſunt & anima locum non habentia, qui poſſit bonum capere. Tanta enim eſt boni magnitudo, quanta ſubſtantia omnium corporum, & incorporearum rerum, ſenſibilium & intelligibilium. Hoc eſt bonum, hoc eſt Deus. Ne igitur dicas aliud Bonum, quoniam peccas impiè, aut aliud quid Deum, niſi ſolum ipſum Bonum, Quia rurſum peccas impiè. Verbo quidem ab omnibus dicitur Bonum, non cognoſcitur autem ab omnibus quid ſit. Propter hoc neque Deus cognoſcitur ab omnibus, ſed per inſcitiam & Deos, & quoſdam homines bonos appellant, qui neque ſint, neque potuerint eſſe. Alieniſſimum enim eſt ab aliis, & a Deo inſeparabile, cum Deus ipſe ſit. Cæteri igitur Dij, omnes quidem immortales, hoc honore affecti, vt Dii appellentur. Deus autem eſt Bonum, non ſecundum pretium, aut honorem, ſed ſecundum naturam. Vna enim eſt natura Dei, ipſa Bonitas, & vnum genus vtriuſque: Ex quo cætera genera. Nam bonus omnia dat, nihil accipiens. Deus igitur omnia dat, & nihil accipit. Ergo Deus eſt ipſum Bonum, & ipſum Bonum eſt Deus. Hæc Theologus Aegyptius. Quibus nihil diuinius, ad refellendam veterem omnem idololatriam, Philoſophorum, Poetarumque errores, ſi qui ſunt, aptius dici poteſt. Ex his, & à Chaldaicis oraculis, Platonem apparet, quæ de ſummo Bono in ſecundo, & ſexto de Republica diſſeruit, accepiſſe. Definiuit ergo, præſcripſitque Mercurius de Bono ſententiam veram, excellentemque Bonitatem, & quæ a Platonicis vocatur τὸ ἀγαθὸν, ipſum Bonum, ſiue αὐτ' ἀγαθὸν, per ſe Bonum, ſoli ei congruere, quod ipſi etiam ſolent appellare ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, Quod ſit vltra ſubſtantiam. Quod tanquam fontem omnium rerum, etiam Mentis, & animæ præferunt, anteponuntque omnibus. Eoque nomen Dei & Boni declarat Mercurius in illum duntaxat vnum congruere: vt ſit impietas, ſiue Dei nomen, ſiue Boni, cæteris aut hominibus, aut qui dicuntur Dii, attribuas. Eſtque apud eum, vt maieſtatem priſcæ Theologiæ noſcas, ea quæ crebro ſolet à Theologis vſurpari differentia, quòd ſit vnus verus, ſingularisque Deus, cuius ſubſtantia, ac natura ſit ipſa Bonitas, cæteros autem, quos vſus obtinuit vt Dii vocarentur, eſſe non natura Bonos, ſed τιμῇ honore, opinione, opinata quadam bonitate, & ab hominibus honoris cauſa tributa, non vera ſubſtantia Bonitatis. Atque in hoc non homines modò, ſed Deos etiam recenſet, qui verè neque nomen Bonitatis, neque Dei mereantur. Ipſe igitur Mercurius ſe ipſum vel refellit, vel declarat, omneſque alios cuiuſuis diſciplinæ Philoſophos ſiue Platonicos, ſiue Peripateticos, in appellatione Deorum. Vt enim ex ipſo Mercurio refellitur, vel declaratur Mercurius, cum dicit in eo qui inſcribitur, Quòd Deus inuiſibilis ſit ex factis manifeſtus: ὁ ἥλιος θεὸς μέγιστος τῶν κατ' οὐρανὸν θεῶν, ᾧ πάντες εἴκουσι οἱ οὐράνιοι θεοὶ, ὡσανεὶ βασιλεῖ καὶ δυνάστῃ. Quòd eſt, Sol Deus maximus cęleſtium Deorum, cui cedunt omnes cæleſtes Dii, veluti Regi, ac Principi. Et quod alio loco, χοροὶ δὲ δύο θεῶν, ὁ μὲν τῶν πλανωμένων, ὁ δὲ τῶν ἀπλανῶν: Duos eſſe choros Deorum, alterum errantium, alterum non errantium. Et quod alio loco, quòd mundus ſit θεὸς ὑλικὸς, mundus materialis. Refellitur inquam Mercurius aut declaratur ſuis illi verbis recitatis, quibus dixit impietatem eſſe & inſcitiam, vel Bonitatem, vel Diuinitatem cæteris, ſiue hominibus, ſiue quos vſus obtinuit, vt Dii vocarentur, tribuere. Declaratur autem, quòd tametſi Solem, aſtraque, & mundum Deos vocet, aut ſequitur vulgi conſuetudinem, relinquens ſibi retinere ſenſum verum, ac pietatem,

Duo nomina Dei, Pater & bonus.

Deus, eſt ſolum ipſum bonū. Homines. falſò boni & Dij appellantur.

Deus, bonus omnia dat, nihil accipit.

Dij nō natura, boni ſed opinione humana.

Conciliatur Mercurii ſibiipſi.

Aſſertio Triſmegiſti & Platonis, de deo

Ariſtot. veritatem fateri coactus.

aut quòd tametſi dixerit eos Deos, dixit quadam Diuinitate, quam ipſe vocat τετιμημένην, appretiata, honorata, affecta hoc honore, nõ ex natura: affecta autem vel ab hominibus, vel ab ipſo Principe Deo, Qui dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, & vt dedit aſtris Diuinitatem, i. fecit nobiliſſima, immortalia corpora, niſi velit ipſe abolere, ſic dedit hominibus, vt in numerum Deorum poſſent euadere, factis etiam aliis ac declaratis Diis cęleſtibus. Ad hunc ergo modum Platonem, cuius Theologia prorſus ab hac Mercurij defluxit, eique ſimillima eſt, decet intelligere. Vt enim apud Mercurium audis, vnius eſſe veram Bonitatem, ac Diuinitatem, rurſus audis aſtra, Solem, cęlum, mundum Deos eſſe: Similem ſcito Platonem expreſſiſſe Theologiam. In ſexto de Republica agnoſcit, confiteturque veram Diuinitatem, in ſecundoque Deos ait ſatos cum omnibus ab ipſo Deo. In eiſdem libris vocat cęlum θεῖον γεγενημένον, Diuinitatem factam. In Timæo mundanus Deus creat omnia, etiam Deos, aitque omnia poſſe ab eo, qui ligauit, diſſolui. Rurſus audis in libris de Legibus cęlum, aſtraque Deos, quin ipſum Solem iuxta ea, quæ Mercurius prior, maximum Deum eſſe. Hæc igitur eo modo interpretaberis, quo Triſmegiſtus totius Philoſophiæ princeps, præcipuè Platonicæ, docuit. Nec opus eſt confutationibus, cum ipſimet ſeipſos declarent, auguſtè fatentes, ac ſanctè Deum, Bonumq́; æternum, conditorem omnium, vnicum ſingularemque, imparticipabile, Bonitatis ineffabilis, cæteram factitiam, & vel nomine tantum, vel ſimulatam quandam, & honore affectam Bonitatem vel Diuinitatem. Eodem ſenſu oportebit intelligere Ariſtotelem: quandoquidem omnis apud eum Theologia, a maioribus Græcis, & Barbaris manauit. Vt cęli Diuinitatem, neceſſariò eo loco habeat, quo habuere, à quibus ipſe didicit, retinens ſibi veram pietatem, verioremq́; Diuinitatem, a qua Diuinitas venerit cæli, eo quo Barbari docuere modo, non in æternum pendens, generataque, ſed facta a magna Bonitate, ac Diuinitate, rerum cæterarum creatrice, cuius ſit tanta magnitudo, vt ſola potuerit, ſola meruerit eſſe ſempiterna. Cætera quoniam diſtant in immenſum ab ea, noua Diuinitate, Bonitateque fuiſſe donata. Hæc Ariſtoteles certè fateri cogetur, & quidem confeſſus eſt, ſiue illum huc rapiente natura, ſiue animo ſuo veriora cernente, reſpicienteque ad eos, à quibus manabant ea, quæ ſcribebat ipſe. Eiuſdem etiam alibi confeſſus eſt Triſmegiſtus tantam eſſe, tam differentem ab omnibus maieſtatem, vt dicat potentiæ eius οὔτε τὰ ἀνθρώπεια, οὔτε τὰ θεῖα προσβάλλοι ἄν τις μηδέποτε τῶν κάτω, μηδὲ τῶν ἄνω ὁμοιόντι ἡ γήσῃ τῷ θεῷ: οὐδὲν ὅμοιον τῷ ἀνομοίῳ καὶ μόνῳ, καὶ ἑνὶ, Neq; humana, neq; diuina eſſe comparanda. Neq; quæ deorſum, neq; quæ ſurſum Deo ſimilia arbitreris. Nihil ſimile diſſimili, & ſoli, & vni. Ex quibus probantur ea, quæ noſtra Theologia clamat: Vnum eum eſſe ſempiternum, verè immortalem, omnibus diſſimilem: factos autem ab eo Deos, & homines, quoniam ille ſolus debet eſſe ſempiternus. Hæc eadem, de Bonitate Dei retulit item diuinè in Protagora Plato. Quo libro ex ſententia Simonidis aſſerit, hominem bonum inueniri perdifficile eſſe: fieri autem poſſe, vt ad aliquod tempus. Sed cum bonus fuerit, perſeuerare in bonitatis habitu, virumque bonum eſſe, vt dixit Pittacus, impoſſibile eſſe, minimeque humanum. Sed ſolum Deum hoc honore præditum eſſe, hominem autem fieri non poſſe, quin ſit malus.

Deum creatorem omnium rerum dicere Platonem. Teſtimonia, quibus apparet eum Vniuerſi conditorem nuncupaſſe. Prolem diuinam autorem mundi eſſe Platoni, cui det Patrem in Epiſtola. Cap. X.

A Deo creata omnia

Quæ fiant à Deo, & quæ ab hominibus.

EAM mentem in Platone fuiſſe, Deum ſicut a maioribus audierat, cęli & terræ, cunctarumque rerum cæleſtium & terreſtrium, quæ prius non eſſent, fuiſſe Creatorem, quod in Timæo tam clarè, & in decimo de Republica confeſſus fuerat, declarant alia, per omnem Philoſophiam eius tanquam ſidera internitentia teſtimonia: Similia enim in libro, qui dicitur Sophiſta, locutus eſt de Deo creatore, atque in decimo de Republica. Ibi cum de veris rebus, ac fictis, ſimulatiſque diſſereret, hæc ait: Animalia quidem omnia mortalia, & plantas, quæque in terra ex ſeminibus, & radicibus producuntur, & quæcunque inanimata terræ complexu tenentur, corporaliquentia, & non liquentia num altero, quàm creante, & opifice Deo, dicemus poſtea extitiſſe, cum prius non eſſent, μῶν ἄλλου τινὸς ἢ θεοῦ δημιουργοῦντος φήσομεν ὕστερον γίγνεσθαι, πρότερον οὐκ ὄντα: aut multorum dogma, aſſertionemque ſequemur, naturam ex quadam fortuita cauſa, & ſine conſilio, producente hæc ipſa genuiſſe, An cum ratione & ſcientia diuina a Deo extitiſſe? Hæc Plato. Huic autem altiſſimæ quæſtioni Theætetus, quòd adoleſcens eſſet, non reſpondet, ſed vertit oculos ad Zenon, ſiue hoſpitem, expectans quid ille pronuntiet, Quanquam arbitror, inquit, te dicturum hæc ex Deo extitiſſe, idque ipſe arbitror, καὶ ὑπολαμβάνω οἴεσθαι σε κατὰ δὲ θεὸν αὐτὰ γίγνεσθαι, ταύτῃ αὐτὸς νενόμικα: Tum verò pronuntiat ipſe, Sed ſtatuo, inquit, res quidem naturales factas, ſiue fieri arte diuina, quæ autem ſunt ex his, fieri ab hominibus. Innuit ſcilicet artem. Deinde multo magis idem hoſpes, ἡμεῖς μέν που τά τ' ἄλλα ζῶα, καὶ ἐξ ὧν τὰ πεφυκότα ἐστὶ, πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ τὰ τούτων ἀδελφὰ θεοῦ γεννήματα πάντα ἴσμεν αὐτὰ ἀπειργασμένα ἕκαστα: Nos quidem, tum cętera animalia, tum ea quibus exiſtunt, quę nata ſunt, ignem, & aquam, cęteraque id genus, Dei ſcimus eſſe opera.

Hęc

A Hæc Plato diuinus, eadem atque in libris de Republica, loquens de arte, & inuentione diuina, cuius ſint res veræ, ac naturales, quas humana ars imitetur. Sicut Moſes incipiens a cœlo, & terra, ſcribit plantas, herbas, arbores, animalia diuinitus effecta, tribuens vnicuiq; operi diem certam, gradusq; naſcendi. Sic Plato perſequitur vnamquanque rem, vniuerſales primum res, tum particulares, quas Sapientia diuina perfecerit, elaborarit. Ac quanquam nunc potius loquatur in præſens, vt innuat præſentem, ac continuatam rerum productionem diuina Sapientia ſuſcitari, ſuſtineriq; natura perenniter generante: claret tamen eum oſtendere nunc diuinitus fieri, quòd aliquando diuinitus habuerit principium, ſicut declarauit in Timæo, & ſicut teſtatur Diogenes Laertius Platonem ſenſiſſe, poſuiſſe eum duo principia, θεὸν, καὶ ὕλην: ὃν καὶ νοῦν προσαγορεύει καὶ αἴτιον, Deum & Materiam, quem & Mentem appellet, & Cauſam. Ecce enim quemadmodum idem eſt Deus, Mens, Cauſa, Opifex apud Platonem, ſic apud Moſen, Deus Creator, Spiritus, id eſt Sapientia. Vides enim hic artificem diuinum, cuius ſapientia veras res eduxerit. Vt autem eſt in Theologia, per Sapientiam diuinam creata omnia: ſic affirmante Laertio apud Platonem idem eſſe Deum Opificem mundi, atque νοῦν αἴτιον, Mentem, Intelligentiam, ac Cauſam, intelligimus hunc eſſe prolem Dei, magnamq; illam, infinitamq; Sapientiam. Accipe enim & confer loca inter ſe diuulſa, & iunge ea adinuicem. Appellatur teſte Laertio mundanus Opifex ille à Platone νοῦς, αἴτιος, Mens, Cauſa: ipſe tibi declarabit Plato, ſi capias ſecundam Epiſtolã ad tres amicos, Hermiam, Eraſtum, Coriſcum. In cuius calce eſt, vt in amicitia vera, & ſtabili adiurent, τὸν τῶν πάντων θεὸν, ἡγεμῶνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμῶνος, καὶ αἰτίου πατέρα κύριον: Deum omnium rerum præſentium, ac futurarum Principem, tum principis & cauſæ ſiue autoris Patrem Dominum. Si igitur Plato memorat Patrem τοῦ αἰτίου, eumq; Dominum appellat: iſtum autem αἴτιον, Laertius fatetur à Platone dictum mundanum illum Opificem: profectò cognoſcimus hunc autorem, creatoremq;, vt noſtra, ac Aegyptiorum, Chaldæorum quoque prædicabat Theologia, Filium eſſe, ac Prolem Dei. Eſt enim αἴτιος is, qui habet Patrem, in Epiſtola: & is Platoni eſt Opifex mundi teſte Laertio. Clarum igitur apud Platonem ab altiſſimis generis humani initiis, & per omnes ætates delabens dogma, θεοῦ γεννήματα πάντα, cuncta eſſe creaturas Dei, non ſolum in principio temporis, ſed etiam ſemper & perpetuò, non ſolum perpetuò, & ſemper, ſed etiam aliquo temporis primordio, nata cùm prius non eſſent, diuina arte reperta, & reperiri ſemper, reiecto Democriti, Leucippi, quos ſecutus eſt Epicurus, dogmate, ex fortuita cauſa cuncta conſtitiſſe. Nam quod iſti ingeſſerunt, ab antiquis ſæculis non eſt profectum, ex eorum capite, quod & Atomos ſomniauit, ortum. Sicq; claret ſententia Platonis de ſummo Deo, Opifice mundi, cui tot locis vocaliſſimè dat creationem, dat cunctarum rerum naturam, ac naſcentium ſapientiam, ac cauſam, appellans Naturam, Artem diuinam, Inuentionem ingenij diuini. Is eſt Deus, quem vt perhibet Laertius dixiſſe Platonem, ὅπως διάδηλος τῶν ὡρῶν ἢ ἀριθμὸς, καὶ μετάσχῃ τὰ ζῶα ἀριθμοῦ, τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ἀνάψαι τὸν θεὸν: Vt manifeſtus eſſet horarum, tempeſtatumque numerus, caperentque numerum animalia, Solis lumen accendit. Eoq; ſunt omnia creaturæ Dei, ſic enim bene videor interpretari, γεννήματα, quoniam creauit rerum formarumq; corporearum autorem Solem. Eoque Moſes teſtatur eum poſt inuentam maſſam, & chaos, extuliſſe lucem, per quam naſcuntur omnia corporea. Ac in eius creatione aſſignanda mirabiliter cum Moſe conſentit Plato. Neq; enim etiam Moſes alias, quas affert lux vtilitates aſſignat, ſed temporum tantum, horarum, dierum, noctium diſtinguendorum. Poſuit, inquit, ea in firmamento, cœli, vt lucerent ſuper terram, & vt eſſent in ſigna, & tempora, dies & annos. Plato autem ad diſtinguenda tempora, numeroque certo res ſeparandas, accenſum eſſe ſolis à Deo iubar in cœlo. Cæteras autem vtilitates tacitè demonſtrat Moſes, dum primam cunctarum rerum lucem ſcribit à Deo creatam, nimirum vt eius auſpiciis cætera coorirentur. Horum igitur omnium Plato ſanctiſſimè, diſtinctè, ſeparatim, clarè refert inuentionem in vnum ſingularem, vnicumque Deum, quem clamat iubar Solis inflammaſſe, ingenio ſuo, omnes rerum ſpecies extuliſſe. Hunc appellat Deum, Mentem, id eſt Sapientiam, Intelligentiam, appellat Cauſam, in Cratylo, αὐτοκράτορα νοῦν, regiam, imperatricem Mentem. Etiam Regem, Principem, vniuerſalem, per omnia commeantem, naturam rerum, vt ſuperius vidiſti, producentem. Is autem eſt diuina proles, diuina ſapientia, cui Patrem tribuit in Epiſtola.

Gen. i.

Deꝰ, Mẽs, Cauſa, Opifex Platoni.

Deꝰ, Creator, Spiritus, Sapiẽtia Moſi.

Deus, filiꝰ ac proles Dei.

Moſes, q̃ cauſam afferat finalem lucis. Gen. 1.

Lux ad quid Platoni.

Alijs locis creatorem, cœli, ordinumque, cœleſtium moderatorem Platonem dicere Deum, qui diſtribuerit ad gubernacula mundi Angelos ſuos, creator mundi, bonorum omnium repertor. Cap. XI.

EADEM affirmat in eo, qui inſcribitur Politicus, in quo Regem deſcripturus, qualem eum eſſe deceat, repetit fabulam ex Atreo, & Thyeſte, qua dicitur antea Solem diuerſa ratione atq; nunc oriri ſolitum, fuiſſe enim Solis occaſum, vbi nunc ſit ortus. Hæc autem etſi fabula ſit, vt idem fatetur, poſita tamen eſt, vt ex ea verior quædam deſcriptio depromatur. Ibi igitur ſæpenumero repetit cœlum à Deo creatum: cõcitationem, conuerſionemq; eius, Dei opus eſſe: regi ab eo & circumuerti: poteſtatis eius eſſe flectere in quam velit ipſum partem: in hunc ortum, & occaſum, & in hanc formam, qua nunc ſit, poſitum

Fabula Platonis de ſolis ortu & occaſu.

poſitum

ſitum à Deo. Ac dicit: τότε δὲ δὴ μαρτυρήσας ἄρα ὁ θεὸς Ἀτρεῖ, μετέβαλεν αὐτὸν εἰς τὸ νῦν σχῆμα: Tum verò conteſtatus Deus Atreo, mutauit ipſum ſcilicet Solem, in præſentem figuram. Paulò pòſt: Vniuerſum hoc aliquando Deus ipſe regit circumactum, flectitque circum, aliquando dimittit, cum reuolutiones numerum temporis ei congruum iam habuerunt. Hoc autem iterum ſponte ſua in contrarium flectitur, vt pote animal, & rationem, ac prudentiam ſortitum ab eo, qui à principio ipſum conſtruxiſſet. Hæc Plato. In quibus Deum gubernatorem cęli, motusq; eius præſidem fatetur, cuius maxima, & vniuerſalis incitatio poſſit flecti, circumagi, ſiſti à Deo. Qui poſſit cęlo ſic imperare, ac quaſi dicere, Siſte gradum, aut, Flectere in aduerſum, motusque tuus, qui nunc tendit in occaſum, flectatur in ortum. Deinde dicit cœlum rationem accepiſſe ab eo a quo a principio factum fuiſſet. In quo ſunt tria dogmata, quæ etiam in Timæo propoſuit, quòd cęlum eſt a Deo conſtructum, compoſitum, coaptatum, quòd id factum ſit κατ᾽ ἀρχὰς, ab initio, in principio, ſicut eſt apud Moſen, In principio creauit Deus cælum & terram. Tertio quòd tametſi rationem, intelligentiamque cęlum habeat, habuit tamen ab eodem atque homo conditore ſuo. Homo mentem, rationemque ſortitus ab eo, qui creauit rationem: ab eodem, Platone teſte, cęlum, factum eſt rationale. Quocirca ſicut non meretur homo Diuinitatem, id eſt, diuinos honores, ob rationem & ſapientiam, tanquam ipſe rationis & mentis ſuæ ſit autor: ſic non meretur, nec mereri debuit apud Philoſophos cęlum, ob rationem, certamque ſapientiam, ordinisq; Diuinitatem. Sed exclamandum fuerat, quod ille longe ſapientior, Cæli enarrant gloriam Dei. Huic honores diuini, huic laudes, hymniq; non cælo debebantur. Quod autem de reuolutione loquitur Plato, & quid veri habeat, quandoquidem toto illo loco diſſerit de reditu ad alteram vitam, declarabitur alio opportuniore loco. Proſequitur Plato, qui totis ſuis libris ab Heraclito duo genera rerum ſemper memorat, quod ſemper eſt, & quod nunquam, fitque ſemper, cęlum dicit eſſe ex primo genere: ὃν δὴ οὐρανὸν καὶ κόσμον ἐπωνομάκαμεν, πολλῶν μὲν καὶ μακαρίων παρὰ τοῦ γεννήσαντος μετέληφεν: Quod, inquit, cælum, & mundum nuncupauimus, multa quidem, & beata ab eo qui eum creauit accepit. Factum dicit cęlum beatum à Deo genitore ſiue creatore ſuo factum incorruptibile, inſeneſcibile, vt dixit in Timæo, eoque eodem ipſo loco accepiſſe fatetur immortalitatem ἐπισκευαστὴν παρὰ τοῦ δημιουργοῦ, aduentitiam, factitiamque à conditore, ab opifice. Id eſt, non veram immortalitatem, qualis ipſius opificis, ſed factam quandam, excogitatamque ab ipſo, qualis animorum ab ipſo repertorũ, qui potuit creare res æternas, & corruptibiles, vt vellet. Hic Plato quoq; perhibet in illa παλιγγενεσίᾳ, reuiuiſcentia, renaſci terrigenas, & ex terra, ex humo conſurgere, eos duntaxat, ὅσους μὴ θεὸς αὐτῶν εἰς ἄλλην μοῖραν ἐκόσμησε, Quos non Deus ipſe in aliam ſortem diſpoſuerit. Quo docet, & cæli conuerſionem, & illam regenerationem diuino nutu adminiſtrari. De quo poſtea diligentius. Proſequitur loquens de ſæculo illo aureo, cùm ſponte ſua tellus ferret omnia, nec raſtros patiebatur humus, non vinea falcem, eam ſæculi felicitatem non fuiſſe ſub hac cæli conuerſione, motuque hodierno, ſed alia. τότε γὰρ αὐτῆς πρῶτον τῆς κυκλήσεως ἦρχεν ὅλης ἐπιμελούμενος θεός: Tunc enim eius cõuerſionis primum Deus præſes erat, & princeps. Autor, inquit, ipſe fuit felicitatis eius, cælum vertebat ipſe, præerat ipſe cæli reuolutioni illi. Eodem loco tantam huius Dei maieſtatem fatetur, quemadmodum Timęus Locrenſis tradidit in ſua Geneſi, vt affimet eum vniuerſo mundo præfeciſſe Dæmones, id eſt, Angelos, vt Philo interpretatur, qui regant tanquam ductores gregum, totũ genus humanum, iuxta diſtributiones ſuas, quas aſſignarit eis Deus, θεὸς ἔνεμεν αὐτούς. Paulò inferius, τοῦ παντὸς κυβερνήτης, Vniuerſi gubernator. Ibidem, θεὸς ὁ κοσμοποιήσας, Deus creator mundi. Et quod paulò ſuperius mundum ſiue chaos inordinationis, confuſionisq; ante plenum fuiſſe, quàm in hodiernum ordinem redigeretur. παρὰ μὲν γὰρ τοῦ συνθέντος πάντα καλά: Ab eo enim, qui compoſuit, omnia bona, aut pulchra. Id ſcilicet quod Moſes: Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Sicq; ad omnia opera ſex dierum, Quod eſſent bona. Tandem, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, quòd erant valde bona. Nam cum Ideam Boni, vniuerſalem, magnamque Bonitatem attribuit Deo, vt vidiſti, tum eum verè Bonum duntaxat eſſe iuxta ſacras litteras affirmat. Siquidem in Protagora quod à Simonide didicerat, perpetuam, aut veram bonitatem homines poſſidere non poſſe, ſed ſoli Deo hoc decus eſſe. In quo & vetuſtæ Theologiæ, quæ in Simonide apparet, dignitatem admirari licet. Quippe & diuinam hanc Sapientiam Plato dicit, & eam, vel à Simonide cępiſſe, vel eſſe etiam vetuſtiorem. Agnoſcis inquam vetuſtæ Sapientię, ac Theologię maieſtatem, quæ ſoli Deo perfectam adiudicat Bonitatem. Eſt enim hoc, quod ipſa Progenies Dei apud nos, nemo bonus niſi ſolus Deus. Et, Omnis homo mendax.

Dei ſumma poteſtas, qui ſolem flectere poſſit.

Gen. 1.

Vt homo propter rationẽ De° non eſt ſic cęlum ob ſuum ordinem admirabilẽ nõ eſt Deus appellandus.

Platonis opinio de cęlo beato & incorruptibili.

Platonis regeneratio.

Angeli ꝑfecti mundo.

Gen. 1.

Varia teſtimonia, quibus ſingularis Dei apud Platonem probatur confeſſio: quem & creatorem mundi fatetur, & ei bona cuncta accepta refert. Cap. XII.

SVNT aliæ per totam Platonis Theologiam, de ſummo, ac ſingulari Deo, mundi, rerumque omnium autore clariſſimæ voces: quas qui conſideret, videbit eandem ſemper apud ſapientes fuiſſe magni Dei, quem Natura docuit ipſa, confeſſionem. Eas ſi quaſi per epilogũ ſub oculos poſueris, veriſſima, quæ dico probabis. Laertius Diogenes creatorem mundi Platonem aſſerit. Deum ſenſiſſe, quod Marcus noſter perhibet: qui in

Magni Dei confeſſio ſemper fuit apud ſapiẽtes.

Timæo, inquit, mundum ædificauit Platonis Deus. Idemq́; paulò pòſt, Si hæc nata ſunt, vt Platoni videtur. Et Ariſtote. in libris de cęlo: καὶ γενόμενον, ἄφθαρτον διατελεῖν ὥσπερ ἐν τῷ τιμαίῳ: ἐκεῖ γὰρ φησὶ τὸν οὐρανὸν γενέσθαι μὲν, οὐ μὲν φθαρτόν. Et Laertius a Deo factum mundum ſenſibilem, & chaos indigeſtum, reuocatum ad ordinem à Deo, Platonem dixiſſe, Deumq́; ei videri incorporeum: Iuſtitiamq́ue eſſe legem Dei. In Apologia, adeo Deum colendum obſeruandumq́ue, & ob amorem eius, nunquam iuſtitiam violandam, vt fateatur Socrates ab antiquis Philoſophis acceptum, ſe Deo potius obſecuturũ, quàm hoĩbus oĩbus: πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. Id eſt nẽpe quod veri, ac ſancti Theologi, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Ibidẽ ſe datum à Deo ſuæ ciuitati gloriatur, qui mores eorum corrigeret, oſtenderetq́; ſolam virtutem eſſe colendam: ὅτι δὲ ἐγὼ πυγχάνω ὢν τοιοῦτος, οἷος ὑπὸ τοῦ θεοῦ τῇ πόλει δεδόσθαι. Is Deus eſt, qui per omnes ætates dedit aliquos meliores, miſit Prophetas, & Sapientes, & Scribas, ſingularis, prouidus, humanus, creator, proſpector rerum humanarum. In eo, qui inſcribitur Phędon, apertè prędicat eum curare res noſtras, εὐλόγως ἔχει, θεόν τε εἶναι ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. Id eſt: Rationabile eſſe, & Deum curare, ac prouidere nobis, & nos eſſe poſſeſſiones, aut peculium eius. Hoc Ariſt. eſt in moribus ſecutus. Ibidem ſe cogniturum paulò poſt, quæ poſt hanc vitam ſequantur, ſi Deo placuerit, ait Socrates. In Cratylo, eum per quem viuamus eſſe naturam τοῦ θεοῦ, Dei. In Theæteto quid dicturus, more piorum loquitur, σὺν θεῷ, cum Dei adiutorio, ſi Deo placuerit. Eodem libro ſtatuit ab hoc mundo quam ocyſſimè fugiendum: φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ δυνατόν: Fugam autem eſſe fieri Deo ſimilem pro viribus: innuens, ꝙ Moſes, Ad imaginem Dei fecit illum. Similitudinemq́; eſſe, ſanctum, ac iuſtum eſſe cum ratione, & prudentia. In Politico præter ſuperiora, vocat Deum ποιμένα ἀνθρωπίνης ἀγέλης, Paſtorem gregis humani. In Parmenide, ſolum Deum poſſidere abſolutiſſimam ſcientiam, qua poſſit etiam res humanas cognoſcere: οὐκ ἄν τινα μᾶλλον θεὸν ἔχειν τὴν ἀκριβεστάτην ἐπιστήμην, οἷός τ᾽ ἔσται ὁ θεὸς τὰ παρ᾽ ἡμῖν γιγνώσκειν, αὐτὴν ἐπιστήμην ἔχων. Et quòd apud Deum ſit hæc dominatio omnia noſcendi. Quod Ariſt. in Metaphyſcis. In Philebo, poſuiſſe in mundo infinitum, & definitionem τὸν θεὸν πού τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι καὶ ὄντον, τὸ δὲ πέρας. Ibidem præter alia ſuperius oſtenſa, Veras eſſe voluptates, quæ virtute pendentes, Deo ſint Comites. In Phędro Deum eſſe θεὸν ἀθάνατόν τι ζῶον, Animal immortale. Ibiq́; optat vt ea, quæ diſſerit, ſint Deo placita, ταῦτα μὲν δὴ ὅπῃ θεῷ φίλον. Ibidem Iupiter eſt magnus Dux ac Princeps, vt apud nos, Rex exercituum, quem ſequatur exercitus Deorum, & Dæmonum, vt eſt in noſtris litteris, Currus Dei multiplex millia lætantium, pro quo Græcè, currus Dei, μυριοπλάσιον, multarum myriadum. Et pro Lætantium, ſunt Angeli. Sic Plato: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, τῷ δὲ ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνον: Magnus princeps in cęlo Iupiter currum alatum inagitat, ſequiturq́; eum Deorum, ac Dæmonum exercitus. Et quod ait, an poſſint innueniri qui intueantur in ipſum Vnum, aut multa, θεὸς οἶδε, Deus nouit. Et cùm rogat ibidem, an noſcat quomodo Deo rem gratam poſſit facere, de oratione agens, vel loquens, ὅπῃ θεῷ μάλιστα χαριῇ. Et in Alcibiade, cum quid dicturus ait, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, Si Deus voluerit. Similiter, ὅσι ἂν θεὸς ἐθέλῃ, Quodcunque Deus voluerit. Et cùm ibidem teſtatur, quod cognoſcens quis Deum & ſapientiã, ſic etiam noſcet ſe ipſum, θεόν τε καὶ φρόνησιν, οὕτω καὶ ἑαυτὸν ἂν γνοίη μάλιστα. Et cum in Theage Socrates fatetur, Theagem multum augendum, ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον, Si Deo gratum fuerit. In eo qui inſcribitur Laches, poſtridie promittit ſe venturum Socrates, Deo volente. Simile in eo qui dicitur Hippias maior, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ. In eo autem qui appellatur Lyſis, Deum amicos facere, quos, iuxta Homerum, aſſociet adinuicem. Quid verò illud in Gorgia? Quantum temporis viuendum nobis ſit, non debere vos ſollicitos eſſe, neque vitæ nimio amore detineri, ſed ſuper eo Deo relinquendam curam, credendumq́; mulieribus, neminem eſſe, qui diem conſtitutam ſubterfugiat. Itaq; conſiderandum diligenter, vt hoc quidquid temporis eſt, iuſtè, & laudabiliter tranſigatur. Et illud quod eſt in ſeptimo de legibus, Deum quidem eſſe omni beato ſtudio dignum, hominem autem eſſe opus eius. Et cùm in decimo, de anima locuturus affirmat Deum inuocare oportere. Et in quinto, quòd Deus dedit eis vt nouam conderent rempublicam. Socrates item in Phædone, Deum, inquit, arbitror, & ipſam vitæ ſpeciem, & ſi quid aliud eſt immortale, omnes confitentur nunquam interire. Omnes per Iouem, inquit, homines, & longè magis, vt ipſe arbitror, Dii. Hic Plato monſtrat omnium hominum, ac Deorum eſſe confeſſionem, Deum eſſe ſempiternum, ſeparans Deum à Diis, quorum confeſſione Deus ſit immortalis. In eo autem qui dicitur Ion, ait Deum ablata vatibus mente, eis vti miniſtris, poſitis ſcilicet in exceſſu: Quale noſtris Prophetis vſu veniebat. Sunt alia plurima, quæ ſi quis ſapienter conſideret, cernet profectò validos naturæ, & veritatis impulſus in omni actione, cogitationeq́ue vitæ ad inuocationem ſingularis Dei. Atque hanc Platonis variam, naturalemq́ue Theologiam, quam Natura formabat ipſa, apud omnes, ſed præcipuè vetuſtiores inueniet, qui libros eorum diligenter dictaq́ue perſpiciet. Similiter enim locuti ſunt, vt vidimus Pythagorei, Thales, Empedocles, Parmenides, Anaxagoras, Euripides, Aeſchylus, Theognis, Phocylides, Pindarus, Heſiodus, Demoſthenes, Homerus.

Act. 5.

Deus prouidet reb' omnibus.

σὺν θεῷ, iuuante Deo.

Deus, paſtor gregis humani.

Veræ voluptates, q̃.

Rex exercituum, Deus.

Si Deus voluerit.

Deũ amicos facere. Non debere nos eſſe nimiũ de vita ſollicitos, ſed Deo curã relinquendam.

Deus vatibus vtitur miniſtris.

AVGVSTINI

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER SEXTVS.

Quòd recentiores Philoſophi, qui poſt Platonem, & Ariſtotelem floruerunt, Theologiam maiorum venerati imitatique, mirificè cum Theologia cœleſti conſenſerint, vnum ſingularemque Deum appellantes, omniaque de eo prædicantes, quæ ſunt in Libris ſacris. Teſtimoniumque Theophraſti, & Alexandri de Deo. *Cap. I.*

OMNIVM ſæculorum conſenſus, & omnis per vniuerſa tempora linguis humanis conſone celebrata diuinitatis confeſſio declarat, vel illam à rerum exordio lucem veritatis, per omnes ætates progreſſam, nunquam penitus caligaſſe, vel ipſam ſeſe attollentem naturam, ſemper ad notionem, confeſſionemque Dei iter hominibus aperuiſſe, inſtigaſſeque eos, vt eum non modò ſingularem vbique nominarent, ſed eas quoque voces ederent, quibus in veris litteris, cęleſte numen à Prophetis exaltatur. Vt appareat vnam eandemque eſſe ſapientiam, vel quam, Natura, vel quam oraculum cæleſte reuelauit. Ita demum fieri, vt lux poſtremis ſæculis allata terris, ea ſit, quæ fuit ſemper, quamque velut naturalem, veramque, & vnam, multorum ratio præcipuè ſapientum, conſentiens vidit, aſſeruit. Nullamque eſſe, ſi quis cunctas ad vnum fontem, ex quo fluunt omnes, reuocet hominum ſententias, in vita degenda, in aſſerendis principiis ac finibus, inter omnes diſcordiam. Niſi quòd obſcuritate priorum ſæculorum fulgore magnæ lucis illuſtrata, iter quod erat tenebroſum, & ambiguum ad veram ſapientiam apertum eſt. Factumq;, vt audacius de rebus diuinis poſteriores Philoſophi, & maiore nobiſcum conſenſu diſſeruerint. Sed vnde fulgor ille veniret, eorum plerique fateri noluerunt. Ordiamur igitur à Theophraſto, & quid de ſummo, & incomprehenſibili Deo ſenſerit, audiamus, vt ex diſcipulo præceptorem Ariſtot. omnemque ſcholam agnoſcas. Is in libris de Metaphyſica ſcribit de primo principio: τὸ γὰρ δὴ πρῶτον, καὶ θειότατον, πάντα τὰ ἄριστα βουλόμενος, τάχα καὶ τοῦτο μὲν, οἷον ὑπερβάλοντι καὶ ἀζήτητον, Nam id quod eſt primum, & diuiſſimum, omnia optima vult eſſe. Fortaſſeque id eſt, exuperans omnem ſcientiam, & inſcrutabile. Quid altius dici, & veræ Theologiæ congruentius potuit? Hæc Theologia illa magnorum Philoſophiæ noſtræ principum: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? Dicitur idem à Theophraſto, dicitur excedens, ſupergrediens, nempe mentes humanas, omnem cogitationem, cui non liceat vnquam ad ſupremam illam aſpirare Naturam. Sic quoq; vocatur à Dionyſio ὑπερουσίας, superſubſtantialis. Vocat Paulus ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, inueſtigabiles vias eius. Theophraſtus ἀζήτητον, inſcrutabilem, inuentu impoſſibilem naturam eius. Eſt item in Theophraſti Philoſophia hac, illa Moſaica, quæ per omnia ſex dierum opera declaratur, ad quorum vnumquodque dicitur Deus vidiſſe, quòd eſſet bonum. Vidit bona, quæ conſilio voluntateque ſua bona, imò

Diuinitatis cõfeſsio vſurpata oĩbus ſæculis.

Vna eadẽ que omniũ ætatum ac temporum ſapientia, ſed prioribus obſcura, ſed poſterioribus clara illuxit. Ingrati philoſophi veritatẽ non agnoſcentes.

Deus exuperat omnem ſcientiam.

Gene. 1.

nò verò optima naſcebantur. Sic Theophraſtus confirmat eum voluiſſe, velleq; optima cuncta,
ſquam vt vitio, malitiæ, detrimento ſit locus. Hæc in mundo formoſa, venuſta teſtari artifi-
em, optima voluiſſe. Definitur igitur, & vocatur a Theophraſto prima Natura θειότατον, diui-
iſſima, ὑπέρβατον, tranſcendens, ſupereminens. Quod Plato in Rebulica ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, Vl-
a ſubſtantia. Noſtræ litteræ, ὕψιστον, altiſſimum. Mercurius & Acmon, vel Ammon, & Plato, vt
iſum ſuperius, πάγκρυφον, obſcurum, clauſum vndique, cogitatu difficilem, dictu ineffabilem.
ria nomina Naturæ diuinæ apud Theophraſtum, θειότατον, ὑπέρβατον, ἀζήτητον, diuiniſſi-
um, ſupergrediens, inſcrutabilis. Adde, cuncta volens optima. Eodem libro Theophraſtus hęc
x intimis Philoſophiæ myſteriis: θεία γὰρ πάντων ἀρχὴ, δι' ἧς ἅπαντα καὶ ἐστὶ, καὶ διαμένει, Di-
inum Principiũ, per quod omnia ſunt, & permanent. Quo Moſes ore loquitur alio? quid clamat
liud Philoſophia cęleſtis? Ex ipſo per ipſum ſunt omnia, diuus Paulus ait. Sentitur idem ab vtro-
ue, altero cælitus inſtructo, alterum erudiente natura & ratione, quæ nonnunquam relicta re-
ione terreſtri, nubes & ſidera tranat: Eruit item in lucem demerſam in profundo veritatem.
Non aſſero, quanquam fortaſſe poſſim, latitare ſub hoc Theophraſti de diuino Principio ſermo-
e, creationem mundi, Si per ipſum ſunt & permanent omnia, Sunt, referri, ad originem, cum na-
ſunt: Permanent, ad conſeruationem iam rerum conditarum. Sed hęc ſapientiſſimo cuiq; cogi-
nda relinquo. Poſt hãc Theophraſti, qualis ac quãta manat Alexandri Aphrodiſei ab ore Theo
gia? quod etiam Theologis Gręcis mirũ in modũ placuit. Is de diuina prouidentia ad Antoniũ
um Imperatorẽ ſcribens, & ſingularem illum, magnumq; Deum nominauit, & adeſſe pręſentem
ebus humanis, videntem, luſtrantemq; mundum, conſtanter aſſeruit, nihil à noſtris diſſentiens:
ὸ δὲ λέγειν μὴ βούλεσθαι τὸν θεὸν, τῶν ἐνταῦθα προνοεῖν, παντελῶς ἀλλότριον θεοῦ: φθόνου γάρ τινος, καὶ
αντ ἀπάσης ἀτόπου φύσεως, τὸ τὰ βελτίω μὴ ποιεῖν δυνάμενον, ἐπειδὴ δὲ ἑκάτερον τούτων ἀλλότριον
οῦ, οὔτε ἂν ἄμφω εἴη περὶ αὐτὸν, οὔτε θάτερον: εἰ δὲ βούλεται καὶ δύναται, δῆλον ὡς καὶ προνοεῖ:
Dicere, inquit, nolle Deum, rebus quæ ſunt hic, proſpicere, omnino eſt a Deo alienum. Inuidiæ
enim, & prorſus iniquę naturæ eſt, meliora, cùm poſſis, facere nolle. Et quoniam vtrunq; alie-
um eſt à Deo, neque vtrunque ſit in eo, neque alterum. Quòd ſi vult & poteſt, vtiq; etiam pro-
icit. In his non modo ſingularis ille Deus nominatur, verum etiam is Deus, qui non ſolum mo-
eat cęleſtes orbes, aut primum Mobile, quod Ariſtot. ſentire videtur, verum etiam per omnem
undum diffuſus, cuncta proſpiciat, pręcipuè res hominum, quas æternis regit imperiis. Abſol-
itq; eum Alexander (quanquam Peripateticus) ab orbe primo, cuius concitatione fit totius cę-
conuerſio. Neque dedit ei, quemadmodum ſentire Peripatetici hodierni aſſeuerant Ariſtote.
untaxat machinæ cęleſtis motum. Neque enim ſi Deus proſpicit, quod neceſſarijs rationibus
olligitur ab Alexandro, prouidentia eius ſolo cęli motu conſtabit, reliquis alijs multis, quibus
ulla cum cęleſti motu ſit cognatio. Neque ſolùm corporaliter more beſtiarum viuitur, neque
ugibus legendis, carpendis fructibus motu cęleſti maturatis conſtat hominum vita. Sunt alię
tiones, ad quas oculos ſuos intendere prouidentiam oporteat, alioqui non efficiatur quod col-
igitur ab Alexandro. Ecce igitur Deum verum, vniuerſalem, totam mundi regionem complen-
m, vſq; in intimas cogitationes penetrantẽ propoſuit Alexander nobis, non Deum mouentem
untaxat primum orbem, aliud præterea nihil agentem. Cui ſi gubernaculum, ſi prouidentia,
rumq; adminiſtratio tribuitur, non ſolus cęli motus profectò tribuitur, qui corporeus eſt om-
s, animans mundum corporaliter, ſed tribuitur item cura rerum meliorum, ſpiritualium, actio-
um humanarum, diſpoſitio regnorum, animaduerſio malorum, prouectio bonorum, quibus
nſtat prouidentia. Hoc teſtimonium Alexandri ſufficit pro cunctis Peripateticis, quorum
ſt Theophraſtum nemo æquè nobilis. Fremat licet Auerroes, reſpiciam meliores vetuſtiores-
e, quorum autoritas ſubſecutos pudefaciat. Sed ego qui poſt Theophraſtum, ſeculorum ordi-
m reſpectans, è noſtris eos, qui non longius ab eo ſecuti ſunt, accerſire debueram, qui luces
oque ſuas, muneraque Naturæ nobis oſtenderent, Alexandrum inieci propter familiæ cogna-
nem. Hinc iuxta Theophraſtum duos ex his nobiliſſimos ſtatuamus, Marcum Tullium, &
g lium, & alios nonnullos, qui de Deo præbebunt eadem teſtimonia.

Prima natura, quæ Theophraſto.

Tria diuinæ naturæ nomina.

Eſſe, & permanere.

Dei certa, & neceſſaria prouidentia.

Rebus omnibus, & ſingulis Deus prouidet.

Alexander Peripateticorũ princeps vnus è ſummis.

eologiam Romanorum agnoſcere, fateri, nominare Deum vnum ſingularem, proſpicientem, omnibus, vbique præſentem, mundum omnem implentem, immenſæ ſapientiæ, rerum creatorem, animorum largitorem, Mentem Vniuerſi, inuiſibilem, ex operibus agnoſcendum. Variaque de eo Marci Tullij Philoſophia. Cap. II.

SIMILIS igitur horum quoque atque Græcorum Theologia eſt, ſi quis voces eas
capiat, quas ex illo inſtinctu protulerunt, quo non ſuperſtitioſi, ſed homines, & ſa-
pientes erant, ex illa progenie nati, quam Deum creaſſe, eumq; creantem, & loquen-
tem, vidiſſe, audiſſeque, doctrina cæleſtis declarauit. Iam primum audi Virgilium,
& ſingularem, vniuerſalemque Deum iuxta Homerum, omneque genus hominum nomina-
, exinde quædam propius è Theologiæ fontibus manantia deſcripſit: vt illud, Dabit Deus his

quoque

Aeneid. 1.
De⁹ ver⁹.
Ecloga. 8.

quoque finem. Is Deus, qui finem laboribus imponit, recreat afflictos, quis alius, niſi is, de quo Pſalmus, Dominus erigit eliſos, ſoluit compeditos? Non vtique quiſquam ex illius tempeſtatis poeticis Diis. Nominatur enim per excellentiam Deus, qui res humanas attendat, Deus Vniuerſitatis. Naturalis, non natus è Saturno, aut fictitius quiſquam. Is ille, quem Prophetæ ſemper celebrant, & nouiſſimis ſæculis omnium per ora verſatur, oblatus à Natura prius, dein manifeſtè reuelatus: quem ratio, Naturaq; ſuggerit animis, & ad eum nominandum linguam impellit. Eundem poeta reſpexit, Numero Deus impare gaudet. Reſpicit enim hic harmoniam, rationemq́ue mundanorum numerorum, quos repertos à Deo, factosq́ue vt inuicem concinerent, in quo imparitas eſt, ea q́ue harmonia, id eſt, conſonantia, congruentia, etiam Ariſtoteles teſtis, vt ſuperius claruit. De eodem ſcripſit apertius ex ſententia Pythagoreorum:

Georg. 4.

-Deum nanque ire per omnes
Terrasq́ue tractusq́ue maris, cœlumq́ue profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemq́ue ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Is Deus Vniuerſi, fons animorum, quia creator, origo, vnde petunt animas omnia naſcentia, vitam hominum gubernans, finemq; laboribus, & incommodis imponens, omnia faciens numeris imparibus conſonare. Eundem deſcripſit, Naturamq; magnam, per omnem mundum diffuſam, fundentem vitas omnes, mundum animantem, alentemq́ue omnia nominauit:

Aenid. 6.

Principio cœlum ac terras, camposq́ue liquentes.
Lucentemq́ue globum Lunæ, Titaniaq́ue aſtra,
Spiritus intus alit, totamq́ue infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Hæc de magno Deo, quem Pythagoras ψύχωσιν τοῦ παντὸς, animationem Vniuerſi dixit, imitatusq́ue eſt eum Poeta. Hunc item Ouidius ſingulariter vocat, & mundanæ creationis autorem confitetur. Qui chaos inuolutum, confuſum expedierit, elementorumq́ue litem compoſuerit,

Metam. 1.

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.

Cur Deus & Natura coniũctim nominentur.

Quid De⁹, iuxta Senecam.

Diuina magnitudo, vt æſtimatur.

Ioan. 1.

En quod Ariſtoteles, Philoſophiq́ue ſolent in diſſerendis, explicandisq́ue Naturæ rebus, aſſociare ſemper Deum ac Naturam. Videlicet quia Naturæ princeps, autor, moderator, quo ſi vacaret, in cineres Natura, nihilumq́ue abiret, omniaq; in chaos reuerterentur, chaos in nihilum, tenebrasq́ue priores. Hanc ob cauſam Deus & Natura coniunctim nominantur, vt nauis, & gubernator, vt hortus & conſitor, vt currus & auriga, opifex & opificiũ, Rex & regnũ. Eundem pulcherrimè Philoſophiæq; ex theſauris noiuit, deſcripſit, aperuit aliud Philoſophus Seneca. Quid eſt, inquit, Deus? Mens Vniuerſi. Quid eſt Deus? Quod vides totũ & quod nõ vides totũ. Sic demũ magnitudo illi ſua redditur, qua nihil maius excogitàri poteſt. Sic ſolus eſt omnia, opus ſuũ, & extra, & intra tenet. Quid ergo intereſt inter Naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars, animus eſt, in illo nulla pars extra animum, totus ratio eſt. Hæc definitio Dei apud Senecam, oſtendit eandem omnium gentium cum Theologia cęleſti ſuper appellatione, ſcientiaq; ſummi Dei, concordiam. Hebræi, Græci, Latini conclamant vnicum, omnipotens, magnumq; Numen, cuius magnitudo ſuperet omnia. Quid enim aliud hoc Philoſophi Latini atque quod apud Hebræum Vatem de ſe prædicat Deus? Cœlum & terram ego impleo. Ecce Latinus quoque affirmat, tunc illi magnitudinem ſuam reddi, maieſtatemq́ue eius vero exemplo demonſtrari, cùm circunſpiciens cœlum ac terram, talem ac tantum cogites eum, qui fecit hæc omnia: maiorem quoq;, qm̃ eſt, quod vides, & quod non vides. Non modo videlicet æquè atque viſibilis mũdus, ingens, ſed ingentior itẽ, inuiſibili noſtris oculis magnitudine. Quæ ſi videri poſſet, videremus eum non modò cęlum ac terras æquantem, ſed inæſtimabili interuallo ſuperantem. Eſt igitur Deus, quod vides, & quod nõ vides. Eſt ſcilicet quaſi mundus, ſed mundus inuiſibilis, mundus ſapientiæ, ſcientiæ, rationis, vniuerſitas incomprehenſibilis, animi vaſtitas. Nihil illic non animus, non ratio, tam vnicus, quàm magnus. Immenſitas vniformis, non corporis autem, non elementi, non ignis, aquæ, vel aeris immenſitas, ſed ſapientiæ, rationis, conſilij, prudentiæ, bonitatis. Cernitur autem in hoc mundo velut opifex in opere ſuo, cùm iudicamus ex opificiis opifices. Sic magnitudo diuina æſtimatur ex operis ſui magnitudine, cuius quidem mens eſſe dicitur, non quòd corpus Dei ſit mundus, ſed quod opificium regitur, aliturq́ue ab opifice ſuo, perinde ſi dicas, mentem nauis eſſe gubernatorem. Item omnia dicitur eſſe, quoniam per ipſum facta ſunt omnia, deq́ue theſauris ſuis proruperunt, nec ſine ipſo fieri quicquam potuiſſet. Item de immatura morte diſſerens, Non intelligis, inquit, autoritatem, ac maieſtatem iudicis tui rectoris orbis terrarum, cœlique, & Deorum omnium Dei, à quo iſta numina, quæ ſingula adoramus, & colimus, ſuſpenſa ſunt? Item in exhortationibus: Hic cùm prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, & hoc ordiretur, quo neque maius quicquam nouit Natura, nec melius, vt omnia

ſub

A ſub ducibus ſuis irent, quamuis ipſe per totum corpus ſe intenderat, tamen miniſtros regni ſui Deos genuit. Hæc Seneca, quæ etiam à Lactantio proferuntur. Omnis ergo lingua confitetur Dominum. Inciſa enim fuit ea lex in Natura, quam nulla peruerſitas vnquam obliteret, qua ſurſum rapitur ignis, aqua labitur deorſum. Sed ad Philoſophiæ Romanæ inter omnes facile principem reuertor, huc vſque volens vtroque prolapſus. Apud hunc, magnam Naturæ facibus illuſtratam lucem veritatis deprehendas, haud ei diſſimilem, quam cæleſtes in terris voces intonuerunt. Modoque eum vim immortalem, inuiſibilemque appellat, modò creatorem mundi, ſæpe quoque ſingulariter, quemadmodum ſuperiores, nominat. Ac quanquam erat cum cæteris Romanis, ſub vanis natus & educatus ſuperſtitionibus, quæ non ingentem modò Deorum plebem colerent ac nominarent, ſed eorum etiam Deorum, quos vbique Natura repudiaret, ſæpe tamen ad vnicum illum Naturæ totius Deum conuerſa mente, ſingularem Diuinitatis appellationem ei vendicat. In Quæſtionibus Academicis primum referens ſententiam Philoſophorum, Nam cum dicatis, inquiunt, viſa quædam mitti a Deo. Item, Quærunt quonam modo falſa viſa quæ ſint, ea Deus efficere poſſit probabilia. Et, Si tale viſum obiectum eſt a Deo dormienti, vt probabile ſit. Et ſub perſona contradicentium, Quis enim tibi dederit, aut omnia Deum poſſe, aut ita facturum eſſe, ſi poſſit? Et, Neque tam quererer cum Deo, quod parum longè, quàm quod falſum viderem. Item, Plato ex materia in ſe omnia recipiente, mundum eſſe cenſet a Deo factum ſempiternum. Item, Cur Deus omnia noſtri cauſa cum faceret, (ſic enim vultis) tantam vim natricum viperarumque fecerit? Et ex Epicuro, Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim poteſt, cùm exiſtimet à Deo ſe curari, non & dies, & noctes diuinum B Numen horrere? Et in Legibus, Ad Deos adeunto caſtè, opes amouento: qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. His conſtat Philoſophos vti caput, ſummamque omnium conſiderationem, & ſcopum, ad quem totus de Natura ſermo dirigatur, autoremque rerum omnium, de quibus dicendum eſt, Deum proponere, cui, & factionem mundi, & rerum humanarum procurationem, vniuerſalemque autoritatem decernunt. Eadem eſt Philoſophorum nuncupatio Dei, omniumque rerum attributio in libris de Natura Deorum. Ac quanquam Marcus iuxta vulgi conſuetudinem nonnunquam plures Deos de rebus diſſerens aſciſcat, errore tamen abiecto, mens, linguaque redit ad vnum. Et in ſecundo de Natura Deorum, Non eſt igitur natura Deorum præpotens, neque excellens, ſiquidem ea ſubiecta eſt ei, vel Neceſſitati, vel Naturæ, qua cælum, maria, terraque regantur. Nihil autem eſt præſtantius Deo. Ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi. Nulli igitur eſt Naturæ obediens, aut ſubiectus Deus. Omnem ergo regit ipſe Naturam. In his Marcus cùm Deos, ac Deum appellet, cum ſummum, aut ſupremum Deum, ſæpe cæteris in libris nominauerit, vt oſtendam, & cum hic nihil Deo præſtantius affirmat, qui præſtat autem cæteris, vnum ſit neceſſe eſt: neque enim præſtaret, ſi multos æquales haberet: certè coarguitur vanitas eſſe, Deum non ſemper, vt nonnunquam, aſciſcere. De eodem cum Philoſophi res admirati, cœpiſſent philoſophari, Sic Philoſophi, inquit, debuerunt, ſi forte eos primus aſpectus mundi conturbauerat, poſtea cum vidiſſent motus eius finitos, & æquabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique conſtantia, intelligere ineſſe aliquem non ſolùm habitatorem in hac cæleſti ac diuina domo, ſed etiam rectorem, & moderatorem, & tanquam Architectum tanti operis, tantique muneris. Hæc C conſideratio reſpicit vnum ſingularem, iuxta ea, quæ tradiderat Plato, quem libenter ſequitur Marcus. Nam Architectus operis tanti, quem Græcè Plato vocat δημιουργὸν, vnus ſit neceſſe eſt, & vnus à Platone nominatur. Habitatorem quoque mundi, ſi bene reſpicias, appellat, quem maiores animum mundi, mentem Vniuerſitatis, animationemque dixerunt. Quam vim, inquit, in Academicis, animum eſſe mundi dicunt, eandemque eſſe Mentem, ſapientiamque perfectam, quem Deum appellant. Vnus igitur mundi Architectus ò Tulli, non plures eſſe poſſunt, ſic vna Mens, non plures, vnus animus, vna ſapientia. Cur ergo dicis nonnunquam Deos, non ſemper vnum? cuius magnitudo impleat cęlum, & terram, Deos habens vti miniſtros. Eundem de Natura Deorum innuit, cum ait, Quam, inquit, id eſt, rerum per omnem mundum varietatem, ſi vt animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram, de diuina ratione dubitaret. Appellat diuinam rationem, quam in Academicis dixerat à Philoſophis appellatam Mentem, ſapientiamque perfectam, eamque eſſe Deum. Eundem quoque reſpicit, autoremque generis humani, quemadmodum Moſes, omniumq; ad vitam degendam commodorum largitorem, prædicat in ſecundo. Ad hanc, inquit, prouidentiam naturæ tam diligentem, tamq; ſolertem, adiungi multa poſſunt, è quibus intelligatur quantæ res hominibus à Deo, quamque, eximiæ tributæ ſint, qui primum eos humo excitatos, celſos & erectos conſtituit, vt Deorum cognitionem, cęlum intuentes, capere poſſent. Et Cotta referens eadem in tertio, Sed à Deo, inquit, tantum rationem habemus. Quid amplius eſt in Theologia cęleſti? quòd hominem ad ſimilitudinem ſuam fecerit, præeſſe cunctis animantibus voluerit. Id enim eſt, celſos eos & rectos fuiſſe conſtitutos, vt cognitionem capere poſſent, non Deorum. quorum enim Deorum? ſed eiuſdem, qui celſos eos & erectos conſtituit. Ex quo, cælum intuentes, exclamarent, quod ille diuinus, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius nunciat firmamentum.

Cicero, quãquam ſuperſtitionibus immerſus tamen Deũ vnũ ſæpe confeſſus eſt.

In Lucullo.

2.de Finib.

2.de Legibus.

Cicero ſæpe iuxta vulgi conſuetudinẽ, Deos nominauit.

2.de nat. Deor.

Animus mundi.

Vnus mũdi architectus.

2.de natu. Deor.

Quem enim alium decet homines agnoſcere,& fateri,colere,& venerari , admirari & ſuſpicere, D quàm eum,de quo Marcus idem ſic locutus eſt,vt ſi vates quis Hebræus eſſet , in ſecundo de Diuinitate:Et eſſe,inquit,præſtantem aliquam,æternamque Naturam,& eam ſuſpiciendam,admirandamq; hominum generi,pulchritudo mundi,ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.Hæc ille.Vna igitur præſtans,æternaque Natura, cuius pulchritudo mundi, ordoque rerum cęleſtium fuit inuentum,ſuſpicienda & cognoſcenda ex intuitu cęli,non Dij.Quos enim Deos ſentiã,ſi vna eſt præſtans,admirandaque nobis Natura?Innuit ergo ſingulare vnicumque Numen,de quo quaſi diuinum fudit oraculum in tertio de Legibus,de lege,& imperio loquens:Sine quo,inquit, nec domus vlla,nec ciuitas,nec gens,nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.Nam & hic Deo paret,& huic obediunt maria,terræque,& hominum vita iuſſis ſupremæ legis obtemperat.Ecce igitur,vt ipſe loquar,Deus ille verus,vniuerſalis,vnicus: quem terra,pontus,æthera colunt,adorant,prædicant: cui parent motus cæleſtes,cuius poteſtati nihil reſiſtit:Sic ab his prædicatus,quos in eius admirationem natura,conſideratioque trahebãt, ſicut ab his,quos paterna traditio vſque ab origine mundi,famaque cęleſtis commouebat: Eumque ſenſit, maieſtatemque eius inuiſibiliter in omni mundo præſidentem , quæ Romanas opes auxerit,confeſſus eſt pro Milone, velut Theologus : Nec verò, inquit, quiſquam aliter arbitrari poteſt,niſi qui nullam vim cæleſtem exiſtimat Numenve diuinum. Quem neq; imperii veſtri magnitudo,neq; ſol ille,nec cęli, & ſignorum motus,nec viciſſitudines rerum,atque ordines mouẽt, neque,id quod maximum eſt, maiorum ſapientia , qui ſacra, qui cerimonias , qui auſpicia & ipſi ſanctiſſimè coluerunt,& nobis ſuis poſteris prodiderunt. Et eſt profectò illa vis,neque in his corporibus atque hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam quod vigeat & ſentiat , & non ineſt in hoc tanto Naturæ tam præclaro motu. E Niſi forte idcirco non putant, quia non apparet,nec cernitur, perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus,qua prouidemus,qua hæc ipſa agimus ac dicimus,videre,aut planè qualis,aut vbi ſit,ſentire poſſimus. Ea vis,ea eſt igitur,quę ſæpe incredibiles huic vrbi felicitates,atque opes attulit. Et de Aruſpicum reſponſis Latinæ Philoſophiæ facilè princeps,ex ea Natura,quæ,vt idem ait,ſine doctrina notitias paruas ingenuit rerum maximarũ: Nulla maior res atque Deus , cuius ingenuit ſine doctrina , notitias ingentes Natura nobis . Vt minimè mirum fieri debeat,eos de Deo ſenſiſſe,locutoſque eſſe talia,quos Philoſophia nunc magnum ſparſa per orbem,non erudiiſſet . Præſtò enim erat alia minor quidem Philoſophia, quam non didicimus,accepimus,legimus,verum ex natura ipſa arripuimus,hauſimus,expreſſimus . Ad quam non docti,ſed facti, non inſtructi, ſed imbuti ſumus. Hæc aperit os nobis ad confeſſionem magni Dei. Eoque dux fuit eidem Ciceroni,vt item ſingularem Diuinitatem nominaret,eamque veriſſimè definiret in Tuſculanis: Nec verò, inquit, Deus ipſe,qui intelligitur a nobis,alio modo intelligi poteſt , niſi Mens ſoluta quædam & libera , ſegregataque ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & mouens , ipſaque prædita motu ſempiterno . Agnoſcis quod noſter Vates introducens eum loquentem,Cęlum & terras ego implebo.Et,Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc. Deus ſempiternus,Dominus qui creauit terminos terræ, & non deficiet,neque laborabit,nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Et, Verè tu es Deus abſconditus , Deus Iſrael,ſaluator.In hac igitur Marci definitione,omnia ſunt,quæ litteris ſacris continentur, nomina diuina.Primum,Mens immortalis,incorruptibilis ſapientia,perennis , incorporea,omnia ſentiens. F Spiritus enim,id eſt,Sapientia Domini,repleuit orbem terrarum,Per omnes ſpiritus penetrans,vt idem Salomon ait . Quem quodam mirabili conſenſu videtur Marcus expreſſiſſe . Vt enim Marcus aſſerit Deum eſſe Mentem omnia ſentientem & mouentem , ſegregatam ab omni concretione mortali : ſic ſapiens ille,quiſquis fuit : πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερος σοφία, διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων διὰ καθαριότητα : Omni motu velocior eſt Sapientia,penetrans per omnia,& commeans ob puritatem. Vides puritatem, quod ille, ſuis verbis, ſegregatam ab omni concretione mortali.Et quem dixit omnia ſentire, ſapiens ille πανεπίσκοπον , omnia circunſpicientem . Et εὐκίνητον , τρανὸν ἀμόλυντον , mobilitate vigentem , penetrabilem , incoinquinatum . Is igitur ſi mouet omnia, ſolus etiam mouet orbes cæleſtes , non aliæ Intelligentiæ. En igitur eandem exhibet Natura Theologiam,atque reuelatio diuina.Eundem ſingulariter Marcus appellauit,rectiſſimeque ſenſit eum inuiſibilem ex operibus ſuis agnoſcendum . Vt, inquit , Deum non vides,tamen vt Deum agnoſcis ex operibus eius.Et, Illud modò videto,vt Deum noris,etſi eius ignores & locum, & faciem,ſic animum tibi tuum notum eſſe oportere . Et , Certè & Deum ipſum & diuinum animum corpore liberatum , cogitatione complecti non poſſimus . Eundem affirmat creatorem animorum . Nec inuenietur, inquit, vnquam vnde ad hominem venire poſſint , niſi à Deo . Ab eodem ait denunciari exceſſum è vita, ſicut animi creatorem aſſeruerat. Nos verò , inquit , ſi quid tale acciderit , vt a Deo denuntiatum videatur , vt exeamus è vita, læti & agentes gratias pareamus . Et, Vetat enim dominans ille in nobis Deus , iniuſſu hinc nos ſuo demigrare . Et , Nec tamen illa vincula carceris ruperit (Leges enim vetant) ſed tanquam à magiſtratu,aut ab aliqua poteſtate legitima,ſic a Deo euocatus,atq; emiſſus exierit. Eundem ſingulariter reſpexit & nominauit,cum ait in Legibus de eo,qui cęlum , terras , maria, omnemque rerum naturam perſpexerit,ipſumque ea moderantem , regentemque penè prehẽderit.

Quid cogat confiteri Deum eſſe.

Dei nomẽ vni⁹ aſſertum a M. Tullio.

Locus Ciceronis de prouidentia diuina.

In Miloniana.

1. Tuſcul.

Omni motu ſapientia velocior.

1. Tuſcul.

Ad finem 1. Leg.

A En moderatorem, regemq́ue cęli ac terræ, naturæq́ue eum conſalutat. Eundem creatorem hominis in legibus ſentit & nominat: Nunc quoniam, inquit, hominem, quod principium reliquarum rerum eſſe noluit, generauit, exornauit Deus. Et paulò antè, animi ſatorem: Animum, inquit, eſſe ingeneratum a Deo. Agnoſcis Theologiam Moſaicam: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit omni terræ, principium ſcilicet reliquarum rerum. Et de afflatu animi: Et, inquit, quoniam nihil eſt ratione melius, eaq́ue & in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis ſocietas. Et, Parent huic cęleſti deſcriptioni, Mentiq́ue diuinæ & præpotenti Deo. Et, Itaque ex tot generibus nullum eſt animans præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Deq́ue ipſis hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiam ſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Et in Tuſculanis: Sic mentem hominis, quamuis eam vt Deum, non tamen vt Deum agnoſcis ex operibus eius: ſic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omniq́ue pulchritudine virtutis vim diuinæ Mentis agnoſcito. Hic & vnum Deum fatetur, & per ea quæ facta ſunt, quæ opera eius dicit, putat eum agnoſcere oportere. His omnibus igitur conſtat, vera eſſe, quæ Theologi noſtri, primi religionis præcones, prodiderunt ex omni Natura cunctas nationes diſcere Deum potuiſſe, niſi ſuperſtitionum agmen terras occupaſſet. Sed enim multos tibi ſegregauit Deus, qui non incuruaſſent genua coram Baal. Hi ex operibus eius, & per ea quæ facta ſunt, inuiſibilem eum agnouerunt, & aſſeruerunt. Videre autem ex his licet, quantum ab hac Latinorum grauiſſima Theologia deſciuerit Plinius, quem laudes Diuinitatis, quas inuiſibili Deo cęteri decantarunt, corporeo mundo non puduit vendicare: B Quòd ſit Numen æternum, immenſum, nec genitum vnquam, neque interiturum: Aeternus, immenſus, totus in toto. Sed eum mundi, cuius omnes decreuerat explicare partes, longius extra decorum prouexit amor, in numerum Philoſophorum planè non ponendus, verum eorum duntaxat, qui promiſcuè aliorum placita referentes, iudicium ſuum adhibere vel noluerunt, vel non potuerunt.

Gene. 2.

Ibi. 1. Leg.

1. De nat. Deor.

Plinius alienus a theologia

Senecam vnum ſingularemq́ue Deum ore pleno nominare Autorem mundi, & rerum humanarum Preſidem ſæpius prædicare: Ei cuncta in terris bona accepta referre. Cap. III.

SED cum me neceſſitas abſtraxerit, vt in declarationem Spiritus eius, ſiue Mentis, quam ſublimis Vates per omnes mundani corporis artus infuſam dixit, duobus Senecæ teſtimoniis Tullianam Theologiam præueniens vterer, nunc a Tullio digrediens, ad Stoicum Romanæ Theologiæ maximum, eminentiſſimumq́ue antiſtitem reuertor. Huic Spiritus ipſe, qui per ætates & gentes omnes inambulans, ſæpe multorum pectus impleuit, dedit vt ſingularem Deum (quanquam Philoſophus, quanquam Romana idololatria florente natus) ſæpe nominaret, rerum creatorem moderatoremq́ue agnoſceret, fateretur, omnia tribuens ei, quæ litteræ cæleſtes indefeſsè clamant. Vt hinc ſit perſpicuum, veriſſima eſſe, quæ noſtri dixerunt: Vnus Dominus, vnus Deus, vna tandem C fides, vna religio. Is igitur primum in libro de Vita beata, alijsq́ue libris, ſic vnum ſingularemq́ue Deum veneratur, appellat. Hæc, inquit, qui contemplatur, quid Deo præſtat? Ne tanta eius opera ſine teſte ſint. En fatetur in mundum veniſſe homines, vt opera diuina contemplarentur, appellans opera eius, cuncta quæ ſub contemplationem noſtram cadunt. Et teſtes operum diuinorum Philoſophos appellato ſermonem aureum. Eodem libro: In regno nati ſumus, Deo parere libertas eſt. Vides quid dicat. Nunquid aliud in religione vera? Libertate qua nos Ieſus Chriſtus liberauit, inquit diuus Paulus. Et ipſe Deus, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Regnum vocat Seneca, diuinis parere mandatis. Eadem retulit in Epiſtolis: Philoſophia, inquit, adhortabitur, vt Deo libenter pareamus, vt fortunę contumaciter reſiſtamus: hæc docebit, vt Deum ſequaris, feras caſum. Hic ſingularem Deum toties appellat, felicitatem appellat, huic vni parere. In libro autem de Prouidentia, Ipſis inquam, Deus conſulit, quos eſſe quàm honeſtiſſimos cupit, quoties illis materiam præbet, aliquid animosè, fortiterq́ue faciendi. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet. Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat. Hæc nonne eſt Philoſophia Chriſtiana? quam quidem non quòd libros noſtros legerit, licet legiſſe potuerit, arbitror Senecam effudiſſe, ſed ex animi, & rationis bonitate. Audis, ſingularem Deum. Tum quæ Deus ipſe in Apocalypſi: Ego, inquit, quos amo, corrigo, & caſtigo. Ibidem: Quid mirum ſi durè generoſos ſpiritus tentat Deus? Digni viſi ſumus Deo in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati. Et hoc eſt propoſitum Deo, quòd ſapienti viro oſtenderet hęc, quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona eſſe, nec mala. Hæc ab illo dicuntur, quem par eſt, cum cæteris Romanis ad templa Deorum adire ſolitum, quanquam iam fulgor Euangelij Romam afflauerat. Sed mihi crede, dicebantur ab eo tanquam ethnico, tanquam Philoſopho, non plebeio, non vulgarium errores attendente, natura duce, diuino Spiritu duce, quo ducimur omnes.

6. Aeneid.

Senecæ laꝰ

Locus Senecæ ex li. de vita beata.

Aliꝰ locus eiuſdem.

Aliꝰ locus

Cur Deus patitur bonos affici malo.

Felicitas vulgaris.

Cur felices improbi.

Multa Senecæ loca, qbus vnus Deus cenſetur.

Proſequitur: Quare tamen bonis patiatur aliquid mali Deus fieri? Ille vero non patitur, omnia mala ab illis remouit, ſcelera, & flagitia, & cogitationes improbas, auida conſilia, & libidinem cęcam, & alieno imminentem auaritiam. Ipſos tuetur, aut vindicat. Nunquid hæc quoque a Deo aliquis exigit, vt etiam ſarcinas ſeruet? Remittunt ipſi hanc Deo curam. Democritus diuitias proiecit, onus, illas bonæ mentis exiſtimans. Quid ergo miraris, ſi id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult ſibi accidere? Puta itaque Deum dicere, Quid habetis quod de me queri poſſitis, vos quibus recta placuerunt? Aliis bona falſa circundedi, & animos inanes veluti longo, fallacique inſomnio luſi: auro illos, argento, & ebore, adornaui. In his boni nihil eſt. Iſti quos pro felicibus aſpicitis, ſi non quà currunt, ſed quà latent videretis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida, & ſyncera felicitas, cruſta eſt equidem tenuis. Vobis dedi bona certa, manſura. Quanto magis verſaueritis, & vndique inſpexeritis, meliora maioraque permiſi vobis, metuenda contemnere, cupiditates faſtidire. Non fulgetis extrinſecus. Hæc ille in confeſſionem ſingularis vnicique Dei, qui ſolus ſit, qui res aſpiciat humanas, bonis, & malis conſulat, ſed malis tribuat quod in litteris ſacris eſt, Recepiſti mercedem tuam. Eiuſmodi mercedem Deum clamat Stoicus improbis dediſſe, quos auro fulgere, diuitiis affluere dederit: probis autem dediſſe longè maiora, ſi quis rectè decernat, bona, ſanum, prudentem, fortemque animum, caducorum contemptorem, ſcelera ab eis flagitiaque auertiſſe. Hæc eſt omnis ſacrarum litterarum doctrina. In Epiſtolis autem de eodem dicit, quod noſter Theologus Ioannes, Deum nemo vidit vnquam. Seneca verò ad Lucillium, Nemo nouit Deum, multi de illo malè exiſtimant, & impune. Et ad eundem, Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit. Et, Craſtinum ſi adiecerit Deus, læti recipiemus. Ibidem, Agamus Deo gratias, quòd nemo nos in vita tenere poteſt. Et, Bonus vir ſine Deo, eſſe nemo poteſt. An poteſt quiſquam ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus, exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & recta. Audi etiam quæ decima epiſtola: Audacter, ait, Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Quibus omnibus, qui Deos Romanorum cum multitudine coleret, apparet, dum philoſopharetur, dum mentem in rerum obſeruationem immitteret, vnum nominaſſe operum mundanorum autorem, humanæ vitæ cuſtodem ſenſiſſe, grauiter & ſæpe cum ſuperioribus ſeculis, cum origine mundi, cum religione ſancta, quæ totum mundum feliciter occupauit, aſſeruiſſe.

Senecam exordium mundi fateri à Deo fuiſſe, qui ſingula diſtinxerit, loca rebus, ſituſque aſſignauerit. Antiquior mundo, lucis creator, operis ſui ſpectator, per Vniuerſum diffuſus. Ventorum moderator, largitor, proſpector, cuius decreto cuncta fiant, qui mare diffuderit ad beneficium noſtrum, benignus Pater, bonorum amantiſſimus. Cap. IIII.

Nulli tam craſſi errores fuere, vt vera de Deo pſuaſio penitus tolleretur.

Plato & Ariſt. ratione: Seneca vero natura, Deum faſſus eſt.

Gene. 1.

Cur a Deo creata omnia.

PRopius autem ad Theologiam diuini viri, ſub profanis cultibus Deorum nati, accedens, videbis vera eſſe quæ libris his oſtendere conamur, nullos vnquam errores, nullas ſuperſtitiones, nullam tam ſæuam fraudem efficere potuiſſe, vt verus Deus, vera Philoſophia eius, qua ſenſerunt homines eum patrem generis humani, cæli, terræq; artificem, moderatoremque omnium, caligaret, aboleretur ex hoc mundo. Audi igitur profundiſſimam eiuſdem de ſummo ſingularique Deo, tum qua ſempiternus eſt ante mundum, tum qua condidit mundum, autorque eſt, vt omnia vigeant, nullo caſu ſuccumbant, Theologiam. Qualem Ariſtoteles, qualem Plato ratione pandente viam, deprehendit Deum, talem Seneca naturam ſecutus, indicauit, expreſſit. Principioque ait de vita beata: Vt inquiſitio tranſeat ex apertis in obſcura, & aliquid ipſo mundo inueniat antiquius, vnde iſta ſidera exierint, quis fuerit Vniuerſi ſtatus antequam ſingula deſcenderint, quæ ratio merſa & confuſa diſiunxerit, quis loca rebus aſſignarit. Hæc quidem ille, per ſpeculationes, & argumenta, ad eum perueniens, qui fuit ante mundum, a quo exierunt ſidera. Nam quem quaſi per tranſennam reſpicit nunc Seneca, is eſt, de quo Dauid canit, Ante Solem permanet nomen eius. Et Moſes ſcripturus de mundo, clarè locutus eſt, tribuens ei cuncta, quæ Seneca philoſophatus. Mundo enim antiquior eſt is, de quo Moſes, In principio creauit Deus cœlum & terram, creauit, quia prior fuit. Neque enim creaſſet, niſi præfuiſſet. Exiſſe autem ſidera ab ipſo iſto, Moſes apertè in ipſo operis ſui veſtibulo monſtrauit: Et dixit Deus, Fiat lux, Et facta eſt lux. Exiit igitur ab eo lux aurea mundi, Sol lucis omnis pater. Hunc ipſum cum mundo antiquiorem Moſes oſtendiſſet, merſa, & confuſa ſeparaſſe probauit, cum terra permiſta aquis, in quarum congerie rerum confuſarum multitudo latebat, facta eſt imperante Deo ſeparatio, nataque ſunt è terra terreſtria, ex aquis aquatica, rebuſque cunctis aſſignata loca. Inde eſt, quod addidit eodem libro Seneca: Hæc qui contemplatur, quid Deo præſtat? Ne tanta eius opera ſine teſte ſint. Opera Dei, quæ teſtibus nobis, & ſpectatoribus oſtendit, mundanos ordines cum Moſe vocat. Eodemque libro vocat mundum opus Dei. An multa, inquit, Deus corpora eiuſmodi ſparſerit, cōtinua ſit omnis, & plena materia, ex qua cūcta gignuntur,

& ſolidis

A &ſolidis inane permiſtum ſit, Deus ſedens opus ſuum ſpectet an tractet, vtrum extrinſecus illi circunfuſus ſit, an toti inditus. Audis iterum mundum opus Dei, qui ſit vel per eum omnem intentus, quemadmodum Pythagoras, ipſis Philoſophis teſtibus, cantabat, aut extrinſecus circunfuſus, velut celſa in puppi, mundi gubernacula torquens. Aequè bene Natura hæc docente, quàm cæleſtibus oraculis. Alio autem loco, Nam mundus, inquit, quoque complectens, rectorque mundi Deus, in exteriora quidem tendit, & redit. Ecce rector mundi, quale canitur in ſacris litteris, Trinam regentem machinam. In Quæſtionibus naturalibus perſtat in eadem confeſſione: Non ad hoc Prouidentia, ac diſpoſitor ille mundi Deus, aera ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, nequid eſſet ſitu ſqualidum, effudit, vt nos claſſes partem freti occupaturas compleremus milite, hoſtem in mari, aut poſt mare inquireremus. In his diſpoſitor mundi, ſuperius creator, rector, Ventorum largitor, illud quod in ſacris litteris, Qui producit ventos de theſauris ſuis, & omnibus eis nomina vocat. Qui apud Moſen creat quod Hebraice dicitur, chamaim, nempe aerem, qui per omnes mundi partes diffuſus, aleret omnes quieſcens, motus autem nauigiis curſus dirigeret. Ibidem: Non tantum, vt paulò antè dicebam, queri poſſumus de autore noſtri Deo, ſi beneficia eius corrumpimus & vt eſſent efficiamus. Dedit ille ventos ad cuſtodiam cęli, terrarumque temperiem, ad euocandas, ſupprimendas aquas, ad alendos ſatorum, atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis cauſis adducit iſta iactatio. En glorioſa Philoſophorum cum ſacris litteris confeſſio, de autore noſtri Deo ſingulari, qui non crearit modò genus humanum, ſed ventos dederit, quibus excitæ cæleſtes aquæ, terras grauidarent. Quid amplius eſt in Pſalmis, Prophetis & Moſe, quod ad hoc attinet? Res naturales, ipſumque B omnem mundum docuit, aſſeruit inuentum, diſpoſitum, regique a Deo, humanas autem docuit, & docet ſimiliter ab eodem adminiſtrari. Tertio eiuſdem operis de rebus Naturæ: Nunc cum maximè Deus alia exaltat, alia ſubmittit, ac molliter ponit, aut ex faſtigio ſuo nullas habituras reliquias iactat. Fatetur moderatorem rerum humanarum Deum ſummum, confitens eum facere, quod prophetæ indefeſsè conclamant: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Dei, & tranſiui, & ecce non erat. Et, Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſubleuat. Et, Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vnde hæc concordia, niſi quia veritas nullo loco non adeſt? Eodem loco Seneca: Quidquid acciderit, ſic ferre, quaſi tibi volueris accidere. Debuiſſes enim velle, ſi ſciuiſſes omnia ex decreto Dei fieri. Sic denique nihil eſt, cuius non fateatur Deum autorem, cuius conſilio fieri cuncta refert. Nam in Suaſoriis: Non in hanc, inquit, conditionem Deus fudit æquora, quàm ne omnis ex voto iret dies. Quidquid fuit extra iuſſum Dei, tutum fuit adultero mare. Superius: Qui mundum condiderit, diſpoſuerit. De Prouidentia quoque ſic, Cum præeſſet, inquit, Vniuerſis, Prouidentiam probauerimus & intereſſe nobis Deum. Ibidem, Inter bonos viros ac Deum amicitia eſt conciliante virtute. Amicitiam dico, imò etiam neceſſitudo, & ſimilitudo: quoniam quidem bonus tempore tantum a Deo differt: diſcipulus eius, æmulatorque ex natura proueniet, quem parens ille magnificus virtutum, non lenis exactor, ſicut ſeueri patres, durius educat. Bonum virum in delitiis non habet, experitur, indurat, ſibi illum præparat. Eodemque libro, Paternum Deus habet aduerſus bonos viros animum, & illos fortius armat, & operibus, doloribus, ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Paulò infrà, Miraris tu, ſi Deus ille bonorum aman- C tiſſimus, qui illos quàm optimos, atque excellentiſſimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, aſſignat? Ecce ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo. In quibus omnibus qualis in litteris diuinitus ſcriptis conſonat Theologia, ſiue qua cum Deo nobis eſt ſimilitudo, ſiue qua patrio nos ille complectitur amore. Aut quòd nos eum oporteat æmulari, ad quod ipſe nos inuitat: Diſcite, ait, a me quia mitis ſum, & humilis corde. Audimus etiam parentem magnificum virtutum, amantiſſimum bonorum. Nonne Stoicus item confeſſus eſt, quòd ipſe generis humani magiſter, nos docendo declarauit, vt precaremur, Pater noſter? Seneca verò, Paternum Deus habet aduerſus bonos viros animum. Quibus probatur omnium gentium, quas ex vno fonte natas ſenſus, rationiſque ſimilitudo ſociauit, fuiſſe ſemper in vnius veri, ſingulariſque Dei maieſtatem, laudeſque omnes eius, ora propenſa. Denique de moribus Seneca dicit: Optimus ergo animus, & pulcherrimus, cultor Dei eſt. Et, Quid eſt dare beneficium? Deum imitari. Et, Poſt Deum, veritatem colēdam, quæ ſola homines Diis proximos facit. Quid illud item quod in libris de beneficiis? Euntque, inquit, tua cauſa, etiam ſi maior illis alia, ac prior cauſa eſt. Quanto ſatius eſt, gratum aduerſus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, ſed ſuos benignè æſtimare, & in lucro ponere? Hoc me dignum indicauit Deus. Hoc ſatis eſt. Potuit plus, ſed hoc quoque beneficium eſt. Nihil igitur relinquit, vt ipſe loquar, ſapientiſſimus, & grauiſſimus Philoſophus: quod altitudinem Theologiæ veræ ante oculos ponat. Nihil illi ratio, & Natura negauit, quod benignitas diuina, melius oraculis ſuis declarauit.

Cur creati venti.

Officia vẽtorum.

Bonus tẽpore tãtũ a Deo differt.

Deus bonos amat & affligit.

Matth. 6.

Dare beneficium, eſt Deum imitari.

Deſignatio diuinæ naturæ apud Senecam: quòd ſit ratio incorporea, rerum magnarum opifex: per omnia diffuſa, cuſtos, rector vniuerſi, Dominus, & artifex, cauſa cauſarum: Natura rerum ex qua nata ſunt omnia. Quomodo ſit ipſe mundus, aut pars maxima mundi. Qui ſit plenus Ideis æternis, ad quas formauit mundum. Fundator mundi: & quòd ipſa Natura. Cap. V.

Tribus nominibus Deus a Seneca appellatus.

De⁹ quid, Senecæ.

Fatum qd.

DE ſubſtantia verò diuina, quoniam præclara quædam Philoſophorumque digna penetralibus mirabili cum noſtris ſimilitudine ſcripſit Seneca, ea libens, volensq; cunctis oſtendam, vt fiat perſpectum vnum fuiſſe Romanorum, vel cùm idola colerentur, cunctarumq; gentium atq; Hebræorum Deum. In libro de Conſolatione: Quocunque nos mouerimus, ſequetur natura communis, & propria virtus. Id actum eſt, mihi crede ab illo, quiſquis formator Vniuerſi fuit, ſiue ille Deus eſt potens omnium, ſiue incorporalis ratio, ingentium operum artifex, ſiue diuinus Spiritus, per omnia maxima, ac minima, æquali intentione diffuſus, ſiue fatum, & immmutabilis cauſarum inter ſe cohærentium ſeries. Id inquam actum eſt, vt in alienum arbitrium niſi viliſſima quæque non caderent. Hæc ille. Principio fuiſſe mundi formatorem confeſſus, quem quidem tribus appellationibus, ſed in eundem cogruentibus appellat: Nam ſi percuncteris quid ſit Deus, optima erit, & veræ Philoſophiæ apta definitio, Ratio nempe, intellectus, ingenium, mens, ſapientia incorporalis, ingentium operum artifex. Item diuinus Spiritus per omnia maxima, ac minima diffuſus: Nuſquam ſcilicet non præſens, quod in ſacris litteris pariter dicitur, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Quartam verò nuncupationem Fatum, non alium, quàm hunc ipſum deſignare ipſiuſmet Senecæ ſermone docemur. Nam cùm in confeſſo apud grauiſſimos Philoſophos ſit, idem eſſe Fatum, atque Naturam, vt quod ait Poeta:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

Deus ſatũ.
Deus, Prouidentia.
Deus, Natura.
Deus, Mũdus.
Deus, Iupiter.

Deus, & Natura nihil agunt frustra.

Quid De⁹, Senecæ.

Natura quid.

Non omnia viſibilia ſunt.

Is idem confitetur apertè, idem eſſe Deum atque Naturam. Si Natura igitur, & Fatũ idem: Deus autem & Natura idem, Idem ergo Deus, & Fatum. In Quæſtionibus igitur libro ſecundo, Eundem, inquit, Ethruſci, quem nos, Iouem intelligunt, cuſtodem, rectoremque Vniuerſi animum, ac ſpiritum mundi, huius operis Dominum, & artificem, cui nomen eſſe conuenit. Vis illum Fatum vocare? non errabis. Hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo ſunt omnes cauſæ cauſarum. Vis illum Prouidentiam dicere? rectè dicis. Eſt enim cuius conſilio, huic mundo prouidetur, vt inconcuſſus exeat, & actus ſuos explicet. Vis illum Naturam vocare? non peccabis. Eſt enim ex quo nata ſunt omnia, caius ſpiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? non falleris, Ipſe eſt totum quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens, & ſua. Et ſui ſimilis vbique, vocans rectorem mundi, & artificem, Spiritum ſimiliter, atque in libro de Conſolatione. Eundemque ait appellari Iouem, qui non modò fuerit huius artifex, ſed nunc quoque Dominus, & cuſtos. Hunc ipſum dicit appellari Fatum, quia cauſa cauſarum, ab eo pendentium princeps, à quo totus ordo cauſarum dependet. Ex cuius decreto dicebat ſuperius omnia fieri. Mirabilis quoque eſt, & è Philoſophiæ deprompta theſauris Naturæ nuncupatio. Magna veritatis explicatio. Declarantur enim, quæ ſæpe cum multis, ac magnis alijs Philoſophis Ariſtoteles vſurpat. cum philoſophantes, & per rerum vaſtos campos contemplando delati ſociant Deum, atque Naturam, Nihil agere fruſtra Deum ac Naturam dicentes, omnia opera, mirabileſq; rerum ordines vtrique ex æquo tribuentes, ſed priorem Deum nominantes. Declarant enim Naturam eſſe motum, artemque Dei, quòd à Deo moderatè, ſolerter agitur, excitatos ordines, circumq; actos, & in hoc ſpiritu, vitaque conſeruatos à Deo. Quòd autem ait illum appellari poſſe Mundum, idem eſt atque Naturæ nomen. Non ſcilicet hoc mundanum corpus. Quomodo enim, ſi ſuperius Deum dicebat, rationem incorpoream? Primo quoque Quæſtionum naturalium, Quid eſt Deus? Mens Vninerſi. Quid eſt Deus? quod vides totum, & quod non vides. Vult igitur Deum appellari poſſe Mundum, quemadmodum Naturam. Eſt enim Natura mundus omnis, cunctæ res, quibus conficitur mundus, quarum mirabilem vitam perenneſque motus, vocamus Deum, velut opus diuinum, diuinam ſapientiam, ſolertiam. Nam quòd non ſentiat Deum hæc corpora, perſpicuum inde eſt, quòd appellat eam Mentem, Rationemque Vniuerſi. Ratio verò, ac mens incorporeæ. Scuocat igitur eum à corporibus, ſuperaddens, vocari poſſe Animationem Vniuerſi, ſapientiſſimeque ſtantes ordines nomine rerum ab ſe repertarum. Rectorem igitur, artificemq; mundi vocauit nomine operis ſui, propter ſapientiam in ipſo opere apparentem. Non ſcilicet opus ipſum corporeum. Nam ſuperius quærebat mundo antiquiorem, a quo iſta ſidera exierint Erat igitur ille anteaquam eſſet opus ſuum. Nõ eſt igitur ipſum opus, Nec id vult Philoſophus. Rationẽ ergo, ingenium, ſapientiamq; apparentem in opere mundano, Deum clamauit. Eodem ſenſu intelligendus eſt, totaque Philoſophia declaratur, cum ait in Quæſtionibus, Neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota oculis pars tanti operis committitur? Ipſe qui ipſa tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, deditque circa ſe, maiorque eſt pars operis, ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus eſt. Multa præterea cognata Numini ſummo, & vicinam ſortita potentiam, obſcura ſunt. Paulò infra, Cùm maxima pars mundi Deus lateat. Hæc Philoſophus. Vides vt primum fatetur Deum inuiſibilem, effugientem oculos. Si inuiſibilis, ſi fugiens obtutum, certè ne corpus quidem mūdanum, quod videtur & tangitur. Sicque declaratur quod poſuit ſuperius. Quid eſt Deus? quod vides totum, & quod non vides. Si Deus inuiſibilis, non eſt quod vides totum. Ergo ſolertiam operis, ac Diuinitatem deſignauit. Quòd autem dicit Deum maximam mundi partem, tenes quo modo ſit intelligendum. Maximam ſcilicet rem in mundo, inter omnes res, inter omnes animos principem. In ipſo enim exordio docebit: Qui inquit, condidit, qui totum hoc fundauit. Si condidit igitur, & ſi totum fundauit, certè fuit ante fundamentum. Fuit totus ipſe, quo modo igitur pars eius, quod condidit, & fundauit? Imò toto opere ſuo, ſed alia magnitudine, maior. Nam ſuperius dixit, Deus eſt ratio incorporalis, ingentium operum artifex. Ergo cum dicit, Deus eſt maxima pars mundi, ſentit, Deus eſt maxima res in mundo, omnibus ſubſtantiis, ſimul aggregatis maior. Vna res in mundo, ipſo mundo maior, mundi nunc appellatione ſignando, quicquid vbique eſt. Quod autem dubitans, & inquirens loquitur in Quæſtionibus naturalibus, Quis autor ſit, aut cuſtos: quid ſit Deus: totus in ſe intendat, an ad nos aliquando reſpiciat: Faciat quotidie aliquid, an ſemel fecerit: pars mundi ſit, an mundus: Liceat illi aliquid ex lege Fatorum derogare, an maieſtatis diminutio ſit, & confeſſio erroris, mutanda feciſſe. Neceſſe enim eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt. Nec ob hoc minus liber, & potens eſt. Ipſe enim neceſſitas ſua. Hæc omnia, quæ nunc diſiungendo, inquirendoque proferuntur, habent ſuas aliis locis reſolutiones, aſſeuerando probatas. Quis enim autor ſit & cuſtos, & an ſemel fecerit. Et an bonis ſuis delectatus, a nobis oculos auertat, ſæpe confeſſus eſt, autorem eſſe Deum, nec autorem modo, ſed nunc quoque cuſtodem. Hunc ipſum ſuperius fatebatur, ſemel hæc omnia feciſſe: Qui condidit, inquit, qui totum hoc fundauit. Fundatio autem exordium machinæ deſignat. Mille locis autem vidimus eum ſuperius fatentem, Deum res humanas attendere. An autem ſit vel pars mundi, vel mundus, ſuperius declarauit, mundum, rationes appellans, rectos ordines, leges æternas in mundo: Et has Deum largiſſimè appellatione diffuſa, nuncupauit, deſignans ea eſſe ſolertiam, inuentionemque diuinam. Declaratum quoque non poſſe Deum vocari ab eo mundum, ſi mundum corpus mundanum ſentis: quia dicit, Deum nunc Mentem Vniuerſi, nunc Rationem incorporalem, ingentium operum Artificem. Oſtenſum quoque quomodo Deus ſit pars mundi, ſcilicet res in omni numero rerum, qui dicitur mundus, maxima, eminentiſſima. Maior ſcilicet, quàm omnes homines, cælo, & terra quoque maior. Sentit autem Seneca, cum Deum vocat partem mundi, rationem, mundum gubernantem, a corpore mundano ſegregatam, velut animum a corpore. Non vult autem vt cuipiam fortaſſe videretur, mundum eſſe quaſi corpus Dei, Deum autem animum ipſius mundi. Scit enim & fatetur artificem mundi, mundo longe antiquiorem, condidiſſe, & fundaſſe hoc omne, ſegregatum ab ipſo ſemper. Sed cum Deus ſit inuiſibilis, à quo mundus viſibiliter regitur, dixerunt Deum eam rationem, qua regitur, agiturq; mundus, velut a ratione corpus. Quod autem inquirit, an ex lege fatorum ei liceat aliquid demutare, ipſe declarat, vbique confitens in manu Dei eſſe Fata, quia ipſe Fatum eſt, ipſe princeps Cauſa. Facit quod vult, & non vult niſi optima. Non poteſt ab hac voluntate mutari, vt velit aliquando non optima, nec tamen minus ob id liber, & potens. Impotentia eſt, poſſe velle non optima. Ea verò pulcherrima, ſacraq; Philoſophia apud eum de creatione mundi, de cauſis, de toto ordine creandi, explicantem, quam probabat, Philoſophiam Platonis. Hæc, inquit ad Lucillum, exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet, numeros vniuerſorum, quæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt. Plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, indefatigabiles, innumerabiles. Non procul inde Cauſa efficiens Deus eſt. Forma hæc eſt habitus, & ordo quem videmus, exemplar ſcilicet, ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit. Propoſitum, propter quod fecit. Quæris quid ſit propoſitum Dei? bonitas eſt. Ita certę Plato ait, quæ faciendi mundi ſit cauſa. Bonus eſt, bona fecit. Bono nulla cuiquam inuidia eſt. Fecit itaque, quàm optima potuit. Paulò inferius, Quærimus, inquit, quæ ſit cauſa: ratio ſcilicet faciendi, id eſt, Deus. Ita non ſunt multæ, & ſingulæ cauſæ, ſed ex vna pendent ea, quæ faciunt: Progreſſus inde, Et non quęram, ait, quæ ſint initia vniuerſorum, quis rerum formator, qui omnia in vno merſa, & materia inerti conuoluta diſcreuerit. Non quæram quis ſit iſtius artifex mundi: Qua ratione tanta magnitudo in ordinem, & legem venerit: Qui ſparſa collegerit, confuſa diſtinxerit: In vna deformitate iacentibus faciem diuiſerit: Vnde lux tanta fundatur, ignis ſit, an aliquid igne lucidius. Ego iſta non quæram. Ego neſciam vnde deſcenderimus. In fine autem, Nempe vniuerſa ex materia & Deo conſtant. Deus iſta temperat, quæ circunfuſa rectorem ſequuntur, & ducem, potentius autem eſt, ac pretioſius quod facit, quod eſt Deus, quàm materia patiens Dei. Quem locum in hoc mundo Deus obtinet, hunc in homine animus. Hæc omnis Philoſophia Senecæ, maximè conformis Moſaicæ, de mundano primum opifice, de maieſtate eius, de exordio mundi, de Ideis, rerum ſcilicet ſeminibus affluentiaque ſempiterna, æ ſunt enim Ideæ, diuino Verbo, nempe opificę mundano, contentæ. Hæc rerum vbertas, di-

uinæque

Deus, maxima mūdi pars, vt intelligat.

Autor, & cuſtos idē mundi.

Deus, pars mūdi, quo modo.

Mundus, nō eſt Dei corpus.

In manu Dei fata.

Propoſitū Dei, bonitas.

Ideæ quæ.

Gen. 1.

Nomina Dei apud Senecam.

Natura quid.

uinæque ſapientiæ fœcunditas, qua grauidus erat Deus. Ex hac magna, inenarrabili, nata ſunt omnia. Secunda pars Philoſophiæ eius, & ipſa Moſaicæ conformis eſt, qua dicitur à Moſe Terra inanis, & vacua, à Græcis interpretibus inuiſibilis, & incompoſita. Ea erat terra & aqua conuolutæ, iactæ ad fundamentum mundi, in quibus omnes terreſtres, & cœleſtes formæ latebant. Ibi erant ignes ætherij, puræ cœleſtium orbium ſubſtantiæ. Ibi aeris globus, illic animantes terreſtres, & aquaticæ, plantæ quoque & herbæ. Ecce autem vt opifex, qui terras, & aquas fundauerat, admouit potentes manus, primùm puriſſima lucis orbiſq; cęleſtis, qualis nubium candentium educta eſt, & extricata ſubſtantia. Sol cœpit rotari per orbem, aquas exhauſit, aerem abſtraxit, ſiccauit terras, mari ſubſidente. Terræ madentes, herbas, arbores, animalia genuerunt. E terra madenti, lutulenta, ſumptum corpus humanum. Hæc cum dixerint Prophetæ, Seneca ex vetuſta fama apud Philoſophos audita, confirmat. Vocat rerum formatorem, Deum illum Moſaicum. Hunc optima dicit feciſſe, quemadmodum Moſes, qui ad vnamquanque rem creatam facit Deum vidiſſe aſſeruiſſeque bona. Erant omnia in vno corpore terræ, & aquæ vt embryone merſa, & conuoluta. Tunc opus ex pulchris, & bonis factum, apparuit pulcherrimum. Veneruntque omnia in ordinem, legemque. Ab illo formatore nos deſcendimus. Ipſe quidem inuiſibilis, regnans, imperanſque in mundo, & vbique præſens, licet inuiſibilis, quemadmodum animus in corpore. Talis eſt Senecæ diuina Philoſophia, partim ex ſucceſſione ſæculorum, partim luce rationis oſtenſa. Nomina, quibus Deus ab eo vocatur, ſunt, Formator, Opifex mundi, Ratio incorporalis, Mens Vniuerſi, Animus in mundo, Fatum, Cauſa cauſarum, Vnica rerum Cauſa, Natura, id eſt, fons rerum & ordo, Spiritus per omnia diffuſus, Fundator, Conditor mundi, Prouidentia, Temperator, Dux ordinis omnis. Vt autem finem faciam, audi tantùm diuiniſſimam eius vocem, qua docet nihil eſſe Naturam niſi Deum, in libris de Beneficijs: Natura, inquit. hoc mihi præſtat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud eſt Natura, quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo, & partibus eius inſerta? Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, ſed Naturæ. Quia nec Natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine Natura, ſed idem eſt vtrunque, nec diſtat. Si quid à Seneca accepiſſes, Anneo te diceres debere, vel Lucio, non creditorem mutares, ſed nomen. Sic ille:

De ſummo, & ſingulari Deo, ex Plutarcho, Philoſopho inſigni, omnes fermè de eo laudes canente, quæ in ſacris litteris habentur: Hunc vnum adorandum eſſe, non elementa mundi huius: Solem, Lunamque eſſe ſigna quibus diuina maieſtas innoteſcat: Ea eſſe organum, artemque Dei. Deum eſſe creatorem mundi, qui ſit templum ſacerrimum, in quod ſpectator operum diuinorum introducatur homo. Mundum eſſe tanquam theatrum, in quo nobis ſpectatoribus Deus *inſignes opes ſuas oſtentat.* Deum *creaſſe Solem, qui ſit quædam lucis æternæ ſuæ per mundum decurrens imago.* Diuinam *naturam eſſe ac felicitatem, virtutis excellentiam.*

Cap. VI.

Elementa non adoranda, ſed Deus, elemẽtorum autor.

Natura eſt inſtrumentum Dei.

Quid maximè cogit fateri Deũ eſſe.

Cice. 2. de nat. Deor.

Cic. 1. Le.

NEMINI dubium erit, qui ſapientiores Philoſophos conſuluerit, quin omnes, qui vanis ſuperſtitionibus populo relictis, ſe per campos totius Naturæ ferri paſſi eſſent, vnum, ſingularemque Deum omnium rerum autorem, parentemque didicerint, & hunc ſolum adorandum, ſuſpiciendumque confeſſi fuerint, eique meritas laudes attribuerint. Audi igitur, quàm diuina, excelſa, de fonte veritatis hauſta, locutus ſit Plutarchus, in eo, qui inſcribitur de Iſide, & Oſiride: ἀγαπητέον οὖν οὐ ταῦτα τιμῶντας, ἀλλὰ διὰ τούτων, τὸ θεῖον, ὡς ἐναργεστέρων ἐσόπτρων, καὶ φύσει γεγονότων, ὡς ὄργανον, ἢ τέχνην ἀεὶ τοῦ πάντα κοσμοῦντος θεοῦ νομίζειν καλῶς: Debemus, ait, lætari, conquieſcere, non hæc elementa mundi venerantes, ſed per hæc, vt clara exempla, & ſpecula, ipſam Diuinitatem, quæ cum natura naſcantur, tanquam inſtrumentum aut artem omnia ſemper ornantis Dei, arbitrari pręclarè habet. O vocem penè Apoſtolicam, Propheticam. Non eſt, inquit, cur Solem, Lunam, Cęlum venerari, & adorare decere te putes, ſed per hæc venerare ipſam Diuinitatem, & hæc tanquam exempla clara maieſtatis eius agnoſce, tecumque reputa, nihil vniuerſam Naturam aliud eſſe, quàm inſtrumentum, aut artem ſummi Dei, omnia ſemper exornantis, & pulcherrimos hos, quos ſurſum deorſumque cernis, concentus rerum efficientis. Nimirum quod ſapientiſſimus alius, qui & ipſe popularibus ſuperſtitionibus contemptis, veriora quærebat: Et eſſe, inquit, pręſtantem aliquam, ęternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cęleſtium cogit confiteri. Aſpicis ad vnam veritatem mortales concurrentes, maieſtatemque diuinam ex aſpectu rerum docentes? Cogit, inquit, fateri etiam inuitos ordo rerum cęleſtium, mundique pulchritudo, eſſe pręſtantem ęternamque naturam, quam ſuſpicere, & admirari, colere, venerari, non ea, quæ fecit ipſa, non pulchritudinem ab ea effectam, mortales debeant. Idemq; in Legibus: Nam & hic mundus Deo paret, & huic obediunt maria, terręque & hominum vita iuſſis ſupremę legis obtemperat. Aſſerit hic, quod illic ex argumentis colligebat. Argumenta igitur, & exempla diuinæ maieſtatis, eſt ornatus mundi. Nonne & noſter Theologus? τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης. Quod eſt: Nam inuiſibilia, inquit, eius, ſcilicet maieſtas eius (quod paulò pòſt explicat) à creatura mundi, id eſt, a re creata in mundo ab hominibus qui ſunt creatura mundi, in ipſis rebus factis apparens conſpicitur. Conſpicitur inquam æterna poteſtas, diuinitasq; eius in τοῖς ποιήμασι, rebus effectis. Hæ autem ſunt quæ Tullius dixit, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cęleſtium: Et quod huic obediunt maria, terræq;. Verè igitur ipſorummet voce refellitur, coarguitur, exibilatur oĩs idololatria. Ecce ſi quid popularibus ſuperſtitionibus dabant, alius in pectore ſenſus reſidebat. Veritas vna ſemper eſt, & fuit. Sed proſequor Theologiam Plutarchi, dictis diui Pauli vehementer conſonantem. In eo quem inſcripſit De hilaritate animi, & quòd conſiderata mundi pulchritudo, nos in omni ſemper lætitia retinere debeat, viſibilia, exempla eſſe inuiſibilium, opera diuina, quæ tanquam ſpectacula, theatraque nobis aperuit: ἱερὸν μὲν γὰρ ἁγιώτατον ὁ κόσμος ἐςὶ καὶ θεοπρεπέςατον: εἰς δὲ τοῦτον ὁ ἄνθρωπος εἰσάγεται διὰ τῆς γενέσεως, οὐ χειροκμήτων, οὐδὲ ἀκινήτων ἀγαλμάτων θεατὴς, ἀλλ' οἷα νοῦς θεῖος αἰσθητὰ νοητῶν μιμιτάγησιν ὁ πλάτων, ἔμφυτον ἀρχὴν ζωῆς ἔχοντα, καὶ κινήσεως ἔφηνεν: ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ ἄςρα, καὶ ποταμοὺς, νέον ὕδωρ ἐξιέντας ἀεὶ, καὶ γῆν, φύτοις τε καὶ ζώοις τροφὰς ἀναπέμπουσαν: ὧν τὸν βίον μύησιν ὄντα, καὶ τελετὴν τελειοτάτην εὐθυμίας δεῖ μεςὸν εἶναι, καὶ γήθους. οὐχ ὥσπερ οἱ πολλοὶ, κρόνια, καὶ διονύσια, καὶ παναθήναια καὶ τοιαύτας ἄλλας ἡμέρας περιμένουσιν, ἵνα ἡσθῶσι, καὶ ἀναπνεύσωσιν ὠνητὸν γέλωτα μίμοις καὶ ὀρχηςαῖς μισθοὺς τελέσαντες, εἶτα ἐκεῖ μὲν εὔφημοι καθήμεθα κοσμίως, οὐδεὶς γὰρ ὀδύρεται μυούμενος, οὐδὲ θρηνεῖ πύθια θεώμενος: ἢ πεινῶν ἐν κρονίοις: ἃς δὲ ὁ θεὸς ἑορτὰς ἡμῖν χορηγεῖ, καὶ μυσαγωγεῖ, καταισχύνουσιν ἐν ὀδυρμοῖς τὰ πολλὰ, καὶ βαρυθυμίαις, καὶ μερίμναις ἐπιπόνοις διατρίβοντες.

Mundus, templum, ſanctiſs.

Quæ ſunt, Templum ſanctiſſimum, ſacerrimumque eſt mundus. In hunc introducitur homo per generationem, non quidem imaginum, quæ manibus fiũt ſpectator, ſed quæ diuina illa Mens vt ait Plato, ſenſibilia ad exemplum intelligibilium, inſitum vitæ, & motus principium habentia, propoſuit: Solem, & Lunam, & aſtra, & flumina noua ſemper aqua exuberantia: Terram quoque plantis, & animalibus alimentum ſuppetentem. Horum vita cum quædam arcana initiatio perfectiſſimaque releta ſit, decet eam plenam hilaritatis, gaudijq; ſemper eſſe. Non quemadmodum plerique Saturnalia, Dionyſia, Panathenæaq;, & id genus dies expectant, vt hilareſcant, reſpirentq; emptitium riſum, mimis, ſaltatoribusque, mercedem ſoluentes. Exinde ſedemus ibi compoſitè, incomptiſque vocibus, abſtinentes. Nemo enim lamentatur cùm initiatur, neque deplorat, qui Pythia ſpectat, aut cùm eſurit in Saturnalibus. At quos Deus feſtos dies nobis apparat, & largiter quotidie primus actor celebrat, quaſi nos ad initiationes ſuas cõuocãs, deformamus lacrymis plerunque, curis operoſis, mœroribusq; nos dedentes. Sic ille.

Omnia à Deo creata, plena pulchritudinis.

Ecce igitur Deus, Solis, Lunæ, totius cęleſtis ordinis autor: & quoniam à ſanctiſſimo repertus, & compoſitus opifice, & plenus diuinæ pulchritudinis, ſupremæq; venuſtatis, nihil ineptum, incompoſitè vagans, nihil exorbitans, & errans continet. Ecce mundus templum ſanctiſſimum, ſacerrimum, alma lux, lux ſacra diei. Ecce quoque rerum tantarum inductus homo contemplator, vt cęlum ſuſpiceret, opera magni Dei diligenter attenderet, inde coleret, ſuſpiceret, manibus ad cælum tenſis exclamaret, O rerum optimè, dignus quem ob infinitam ſapientiam, benignitatemque immenſam veneremur. In his hymnis nocteſque dieſque agamus. Hæc ſint noſtra ſpectacula, è terra tanquam theatro cuncta contemplantes, hinc omne lætitiæ genus animis infundamus, diuinos ordines, incredibilemq; varietatem in Theatro totius mundi varijs animalibus, arboribusque, fontibus, & fluminibus pleno, aſpicientes.

Theatrũ mundi.

Hæc ſunt ſpectacula, hi feſti dies, celebritates, panagyris, ad quas Deus diuitias gloriæ ſuæ monſtraturus, inuitat. Quarum ſpectacula, niſi ſe corrumperet, inficeretq; animus, vberrima lætitia ſe paſceret.

De Ira Dei. c. 14

Tanquam diuini templi antiſtitem, ait Lactantius, ſpectatorem operum rerumque cęleſtium, fecit hominem. Hæc illi prædicabant, non Chriſtiani, non illa, quæ noua & magna mundo ſuperuenit, attacti luce, ſed illa duntaxat, quam Deus ad imaginem ſuam creans animum, infudit ei. Eadem memorat Plutarchus in eo quem ſcripſit aduerſus Principem imperitum:

Sol, & Luna, ſimulachra Dei pulcherrima.

Qualem, inquit, ἐνίδρυσε, poſuit pulcherrimum ſuimet in cęlo ſimulachrum, Solem, & Lunam Deus, tale eſt in vrbibus exemplum, & lumen, Princeps, qui Dei ſimilis, iuſtitiam ſequatur, nimirum cuius animo ratio inſideat diuina. Hac deſcriptione Plutarchus docet Simulachrum Dei eſſe Solẽ, velut ſcilicet Solem maximum, radiantiſſimum, ſed vt is corporeus, ſic incorporeus ille, incorporabiliterque nitens. Declarat etiam & fatetur, Deum Solis, Lunæ creatorem, qui locauerit, fixerit faces illas in ſublimi, congruens vndequaq; cum Moſe, qui dixit, Et poſuit Deus duo luminaria magna in firmamento cęli.

Gen. 1.

Plutarchus ἐνίδρυσε, locauit: Addens hæc quaſi Diuinitatis eſſe ſimulachra, per quæ vt diuus Paulus, ipſeq; idem, ſuperius, velut imagines, peruenias ad ſcientiam creatoris. Proſequitur idem offerens multa, quibus intelligas, quę ſit Natura diuina, qualem nos eam cogitare deceat, velut quis è cœleſtibus Theologis eodem libro:

Qui à Deo amentur, aut qui odio habeãtur.

Indignatur, inquit, Deus in eos, qui tonitrua ſua, fulmina, fulgetras, radiorumque iactationes imitantur: ſed his qui virtutem eius, & probitatem æmulantur, ſeq; ipſos ad honeſtatem, humanitatemque eius componunt, delectatus auget, participeſque eos æquitatis, & iuſtitiæ, veritatis

Deus, quo modo beatus.

ritatis, manſuetudinis, qua ipſe præditus eſt, fecit, quibus diuinior neque ignis eſt, neq; lux, non ſolis rotatio, conuerſio, non ortus, obitusq; aſtrorum, οὐ τὸ ἀΐδιον, καὶ ἀθάνατον: οὐ γὰρ χρόνῳ ζωῆς ὁ θεὸς εὐδαίμων, ἀλλὰ τῆς ἀρετῆς τῷ ἄρχοντι: τοῦτο γὰρ θεῖόν ἐστι, καλὸν δὲ αὐτῆς, καὶ τὸ ἀρχόμενον: non æternitas atque immortalitas. Neque enim diuturnitate vitæ Deus eſt beatus, ſed excellentia virtutis. Hoc enim eſt Diuinitas, hæc pulchritudo eius, & principatus. Sic Plutarchus ore diuino locutus, vbertate cœleſti completus. Ecce igitur Natura diuina, magnitudo Bonitatis eius. Ecce beatitudo, quòd inæſtimabiliter bonus, virtute, iuſtitia, manſuetudine, clementia ineffabili. Eoque miſericordia eius plena eſt terra. Hæc creationis cauſa, vt ait Plato. Nam cùm ea natura eſſet Deus, nemini bonitatem ſuam, ac lucem, ſciens etiam ac proſpiciens fore malorum ingratorumque innumerabilem in mundo, quem creabat, multitudinem, inuidit. Hinc quo manſuetiores, placidiores, benignioresque ſumus, hoc ei ſimiliores. Ex eodem fonte, & cauſa eſt, quod idem in eo qui eſt de Theologia Aegyptiorum: οἶμαι δὲ καὶ τῆς αἰωνίας ζωῆς, ἣν ὁ θεὸς εἴληχεν εὐδαιμον εἶναι, τὸ τῇ γνώσει μὴ προλιπεῖν τὰ γιγνόμενα: Arbitror, inquit, & ſempiternæ vitæ, qua Deus fruitur, beatitudinem eſſe, præoccupare ſcientia, ea quæ fiunt. Sic ait. Nam magnitudo ſapientiæ, facit excellentem virtutem, ac bonitatem. His conſtat vnum eundemque ſingularem Deum Naturæ luce, eos agnouiſſe, eumque ſingulariter nominaſſe, ſummasque dotes ei tribuiſſe, quæ crebrò in ſacris litteris canuntur. Sic apparet eadem omnium ſcientia, religio, idololatriæque fictitiorumque Deorum exibilatio.

Item ex Plutarcho Deum in pelago ſanctitatis habitantem, cuncta rectè moderari: Solem in cœlo velut exemplum ſui collocaſſe. Eſſe eum virtutis omnis ſimulachrum, & Ideam, quam homines oporteat imitari quoad fas eſt. Principes eſſe diſtributores bonorum, quæ largitur Deus. Principem eſſe imaginem Dei viuam. Præcipuum, inſignemque Dei cultum, eſſe, imitari bonitatem eius. Ad virtutes acquirendas opem eius eſſe neceſſariam. Res Romanas creuiſſe, Deo volente. Deum eſſe regem mundi, Bonorum largitorem.

Cap. VII.

Abſurdū eſt dicere, Deum eſſe cum materia miſtū.

SIMILIA de Diuinitate ſcripſit Plutarchus eodem libro de Principe, ſæpe ſingularem, vnicumque Deum, ac naturalem habens in ore, & Theologiam mirabilem ſacroſanctam de eo profundens, vt clareat quemadmodum omnes ſumus filij eius ſic omnes Patrem ſuum duce Natura, licet oculis inuiſibilem, ratione ſibi aperiente viam, recognouiſſe. Neque enim, inquit, veriſimile eſt, neque decorum, quemadmodum Philoſophi nonnulli aſſeuerant, Deum miſtum eſſe cum materia, cuncta patiente, neceſſitatesque, & fortunas, mutationesque innumerabiles recipiente; ἀλλ' ἡμῖν ἄνω που περὶ τὴν ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ οὕτω φύσιν ἔχουσαν, ἱδρυμένος ἐν βάθροις ἁγίοις ἤ φησι Πλάτων, εὐθεία παραίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος: οἷον δὲ ἥλιον ἐν οὐρανῷ μίνομα περικαλλὲς αὐτοῦ δι' ἐσόπτρου ἀναφαίνεται τοῖς ἐκείνων ἐνορᾶν δι' αὐτοῦ δυνατοῖς: Sed nobis deſuper defixus, ſtabiliſque ea natura, quæ ſemper eodem modo permanet, immutabiliter ſanctus, ſiue roboribus ſanctis, vt ait Plato, recta peragit per omnem naturam inambulans, quaſique præclarum ſuæ maieſtatis indicium, Solem locauit in cœlo, per quem vt ſpeculum apparet his, qui eum per ipſum intueri poſſunt. Hic iterum Plutarchus Solem dicit à Deo velut ſpeculum, & exemplum ſuæ claritatis collocatum in cœlo. Eſt enim Deus Sol iuſtitiæ, Sol inuiſibilis, incorporeus, luminoſiſſimus, per hunc apparentem oculis, cerni poſſe apparentem. Eum eſſe in natura ſtabili, vniformi ſemper, à Philoſophis appellata κατὰ ταὐτὰ, robore, aut fundamento ſancto, cuius ſcilicet firmamentum, ac fundamentum, ſtabilitas æterna, ſancta, Deus, inquit, fundamentis ſanctitatis ſubnixus, per omnem naturam inambulat: non quaſi materiæ miſtus, ſed in excelſo throno diuinitatis ſuæ, mirabili modo regnans in cęlo, & per omnia diffuſus, velut Sol flammis terrarum opera omnia luſtrans. Sol eſt exemplum inuiſibilis claritatis eius. Quàm magis Solem intuearis, tam magis deluſus cœcatusque diſcedas: ſic oculis temere in Solem illum defixis æternum, periculum ſit, ne tenebris offuſis, non modò cognoſcendo nihil promoueas, ſed noua caligine obuoluaris. Parte alia, poſſis ex Sole viſibili, inuiſibilem noſcere, ſi claritatem, ſi vniuerſalem præſentiam, ſi cauſam cur eo videant, & videantur omnia, conferas. Pluraque alia. Plutarchus item in eo, quem inſcripſit de his qui ſero a Deo puniuntur, ſæpe ſingularem, naturalemque Deum appellat, & ei mirabiles, ſuſpiciendasque Theologiæ laudes vendicat, quas in noſtris litteris audimus ſæpe conſonare: κατὰ Πλάτωνα, πάντων καλῶν, ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἐν μέσῳ παράδειγμα θέμενος, τὴν ἀνθρωπίνην ἀρετὴν, ἐξομοίωσιν ἀμωσγέπως πρὸς αὐτὸν ἐνδίδωσι, τοῖς ἕπεσθαι δυναμένοις. Iuxta Platonem, inquit, omnium bonorum honeſtorumque, Deus in medio, ſeipſum proponens exemplum, virtutem humanam his qui poſſunt ſequi, concedit aſſimilationem eſſe ſibi. Sic ille. Nonne hæc eſt Theologia noſtra? Imitamini, inquit ipſe, Patrem veſtrum, qui

Sol præclarū indicium Dei.

Sol, exemplum inuiſibilis Dei claritatis.

Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & idem clamabat, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Et alius de eo, Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio. Sic Plato, & Plutarchus, humanam virtutem fieri, naſci ex aſſimilatione, & imitatione bonitatis diuinæ, quoad fas eſt. Neque enim ſentiunt nos ad infinitam bonitatem eius, quantumuis conemur, labores pluſquam Herculeos exantlemus, aſpirare poſſe: ſed dicunt quantum humanæ vires procedant, vſque quo naturæ datum. Hunc igitur virtutum fontē reſpicias, in eū velut ſpeculum ac ſpecimen cōtuitus te formes, cōponas. Reſpice ſi parcit hoſtibus, an ſit beneuolētiſſimus, bonorū ſuorum effuſiſſimus largitor. Agnoſce puritatem, candorem, cæteraq;, quæ ſacris libris decātantur. Hæc imitare. In libro quoq; aduerſus Principem imperitū, ſic ſingularem, naturalemq́; Deum noīat, vt ei dicat ſeruire Principes ad curam, ſalutemq́; hominum, vt ea bona, quæ largitur hoībus Deus, partim diſtribuāt, partim adſeruent: ἀληθέστερον δ᾽ ἄν τις ἔιποι, τοὺς ἄρχοντας ὑπηρετεῖν θεῷ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν: ὅπως ὧν θεὸς δίδωσιν ἀνθρώποις, τὰ μὲν νέμωσι, τὰ δὲ φυλάττωσι. Hæc autem ab eo dicuntur, qui Chriſtianæ, Moſaicæque religionis vix nomen audiſſet ſolo Naturæ lumine ſuperiorumq́; Philoſophorum bonorum, eodem naturali iudicio, ad veritatis veros fontes deuectus: ſeruire Deo principes ceu diſtributores, conſeruatoreſque bonorum, quæ Deus largitor hominibus effudiſſet. Hinc magnus Theologus noſter dixit, qui poteſtati reſiſtit. Fatetur cuncta bona, quemadmodum noſtri, cælitus deſcendere. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſcendit ſurſum à Patre luminum, inquit ille noſter. Plutarchus autem, data à Deo bona, honeſta, quæ per Principes velut miniſtros eius, diſtribuantur, & conſeruentur. Idem imaginem ornantis, moderantiſque cuncta Dei, Principem dicit, cui non ſit opus Phidia, aut Polycleto, vel Myrone ſculptoribus, ſed ipſe ſeipſum ad ſimilitudinem eius per virtutem componat: ἄρχων δὲ εἰκὼν θεοῦ τὰ πάντα κοσμοῦντος οὐ φειδέου δεόμενος πλάττοντος, οὐ δὲ πολυκλείτου, καὶ μύρονος ἀλλ᾽ αὐτὸς αὐτὸν εἰς ὁμοιότητα θεῷ δι᾽ ἀρετῆς καθιστάς. Hic toties ſingularis Dei nominatio, hic illa Theologia, quod is cuncta moderetur, ab eo componantur, quòd omnia bona ipſo largitore contingant. Demum, quòd imago eius ſunt Principes, qua de re vocantur etiam in diuinis litteris, Elohim, Dij, diuini. Illum Principem, pulcherrimam imaginem ſui, vel ſtatuam erigere, qui ſe diuinis virtutibus reddiderit inſignem, reſpectans archetypum ſuum. Principem quidem imaginem Dei dicit, quòd imperat, dominatur, moderatur, componit, homines item ſentit nihil maius aſſequi poſſe, quo frui Deo queant, & quaſi ex Diuinitate eius delibare, quàm vt venerantes perſequenteſq́; bona, quæ ab eo poſſidentur, ad virtutes contingant. In eo, Qui ſero à Deo puniūtur, οὐ γὰρ ἐστὶν ὅτι μεῖζων ἄνθρωπος ἀπολαύειν θεοῦ πέφυκεν: ἢ τῷ τιμήσει καὶ διώξει τῶν ἐν ἐκείνῳ καλῶν καὶ ἀγαθῶν εἰς ἀρετὴν καθίστασθαι. Sed breuiter ſumma quæq́; perſequar, quæ velut verus, naturæque apprimè narus Theologus idem Plutarchus ſcripſit, & ſenſit de ſummo Deo. In eo, Qui ſero Deo caſtigantur, patientiam ſuſtinentiamq́ue diuinam (ob quam vocatur in ſanctis litteris μακρόθυμος, exempla eſſe debere virtutis noſtræ, & quos moueant dicta, factaque magnorum virorum, iramque nonnunquam retundant, multo magis debere, θεὸν ὁρῶντας, Deum reſpicientes, quem neque metus ſollicitet, nec pœnitentia mutet, ſero & cunctanter ad pœnas procedentem, fieri meliores, putantes partem diuinam eſſe manſuetudinem, ἣν ὁ θεὸς ἐνδείκνυται, quam Deos claram oſtentat. Hic enim commendatur celeberrima illa in ſanctis litteris patientia: dicitur eſſe diuina virtus. procedit etiam ad alias Diuinitatis veræ laudes Plutarchus, non eſſe, vt ait Heſiodus, humanæ ſapientiæ animorum latebras perſpicere, ἀλλὰ θεοῦ, ſed Dei. In eo autem quem inſcribit, Quomodo ſe quis citra inuidiam laudare poſſit, vitari poſſe inuidiam, ſi bene facta referes in Deum, nonnunquam Fortunam. Emendat etiam ſententiam Euripidis, dicentis, Deus magna curat, parua relinquit: ἐγὼ δὲ τῇ τύχῃ οὐδὲν οἶμαι ἐπιτρέπειν: Ego verò Fortunæ nihil arbitror permittendum. Quanquam alio loco id mulcet interpretando. Siquidem & in noſtris litteris, Nunquid Deo curæ eſt de bobus? Magna autem, quæ curat Deus, ſunt res humanæ. Illud in eo quoque præclarum, quòd arbitratur ad virtutes obtinendas, opem diuinam neceſſariam. Manſuetudinemq́ue, & æquitatem animi, quæ prius aſpera, duraque videretur, experientiam ipſam auxiliante Deo docere, & oſtendere, nemini, quibus cum degas, adeò dulcem, gratamq́ue eſſe, ac iucundam, atque ei, qui poſſidet: ὅθεν οἶμαι καὶ θεοῦ τι συλλαβάνοντος ἐσαφήνισεν ἡ πεῖρα τὴν κρίσιν ἐκείνην, ὅτι τὸ ἵλεων τοῦτο, καὶ πρᾶον, καὶ φιλάνθρωπον, οὐδενὶ τῶν συνόντων εὐμενές ἐστιν οὕτω, καὶ φίλον, καὶ ἄλυπον, ὡς αὐτοῖς τοῖς ἔχουσι. Sic quoque in eo, quem inſcripſit, De fortuna Romanorum, quemadmodum Plato, ex igne, & aqua, velut ad mundi conſtitutionem neceſſariis ac primis, vt poſſet videri ac tangi, opus fuiſſe, ſic tempus poſt Romam conditam inſecutum: μετὰ θεοῦ, τύχην καὶ ἀρετὴν ἐκέρασαν, καὶ συνέζευξεν. Cum Deo, fortunam, & virtutem temperaſſe, & coniunxiſſe. Primis quoque ſæculis illis, vrbe creſcente vehementer, quòd nec fames, nec peſtilentia deſæuiſſet, non humanum conſilium, ſed fortunam diuinam fuiſſe, tempora illa gubernante: ὡς οὐκ ἀνθρωπίνης εὐβουλίας, ἀλλὰ θείας τύχης ἐπιτροπευούσης τῶν καιρῶν ἐκείνων. In his apparet omnigena Theologia, ſiue qua conditionis rerum maieſtas, ſiue qua imperium, adminiſtratioq́; pertinet, omnia ſummæ ſapientiæ conſona. Idem in eo, qui eſt de documentis Reipublicæ gubernandæ, ait Principem ad maxima, potiſſimaque debere reſpicere, ὡς τοῦ κόσμου βασιλεὺς, τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται θεὸς, τὰ

Matth.5.
Matth.11.
Humana virt' quæ.

Deum imitare.

Roma.13.
Iacob.1.

Principes imago Dei quō.

Principes, Dei cur dicti.

Deus, ad vindictam tardus.

Patientia, diuina virtus.

Fortunæ nihil permittendū, Deus omnia moderatur.

δὲ

1. Tim. 1. δὲ μικρὰ εἰς τύχην ἀφεὶς ἐᾷ: Quemadmodum Rex mundi. Deus enim magna, ingentiaque curat, parua Fortunæ relinquit. Hic regem mundi vocat, vt cernis, Deum. Quemadmodum noſter, Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria. Parua autem dicit ea, qua non ſunt vllius momenti. Quanquam & ea, cùm vult, reſpicit, vt idem ſuperius. In eo autem qui eſt De non fœnerando, oſtendit, nihil nobis deeſſe diuinitus: οὕτως ἡμῖν ὁ θεὸς δίδωσι ξυλίνην τράπεζαν, καὶ κεραμέαν λεκάνην, καὶ τραχὺ ἱμάτιον, ἐὰν ἐλεύθεροι ζῆν θέλωμεν. Sic, inquit, dat nobis Deus ligneam menſam, peluimque teſtaceam, rigidamque veſtem, ſi liberi viuere voluerimus. His oſtendit, nihil à Deo nobis defuturum, modo placeat libertas, nullis no malis dedere.

Affirmare Plutarchum omnia facienda in Republica, honoris diuini cauſa. Deum eſſe Patrem hominumque Deumque, creatorem autem mundi. Hunc priſcos fateri totius ordinis, harmoniæque autorem. Principium iuſtitiæ Viuens æternum, optimum. Dæmones malos eum nonfeciſſe: ex inordinatione ordinem feciſſe. Optimum artificem, plenum artificij, immortalem, beatum, beneficum, videntem vniuerſa. *Cap. VIII.*

SED ea quoque mira, peneque de noſtris cæleſtibus fontibus manantia, aut verius d fonte naturæ, qui & ipſe fluxit à cælo. Sint, inquit in eo quem De politicis documentis edidit, diſtributiones, largitioneſque primùm gratis. Ita enim deuinciunt detinentque accipientes. Tum ex occaſione, ciuilem, honeſtumque prætextum habente μετὰ τιμῆς θεοῦ πάντως ἀγούσης πρὸς εὐσέβειαν: Cum honore Dei, ducente prorſus ad pietatem.

Principes in Deum pii.

Ingeneratur enim ſimul multis validus affectus, & opinio, eſſe Diuinitatem magnam, venerabilem, cum quos ipſi honorant, magnoſque arbitrantur, ſic largiter, & promptè viderint περὶ τὸ θεῖον, , erga Deum profuſos, accenſos. Hæc Plutarchus, non Chriſtianus quidem, ſed rationem tantùm Natura ſuggerente, in Republica, in regno, quæ fiant, principio vertenda eſſe ad cultum, honoremque Dei.

Cult⁹ Dei primus eſſe debet.

Populos enim videntes Principem, pietatis colentem, liberalemque in omni religione, & cultu, arripere de maieſtate eius, ſanctitateque perſpectiorem ſententiam. Hoc religionis noſtræ fundamentum: hoc principes, qui ſunt paſtores populorum, iubentur: hic rerum humanarum vertitur cardo. Agnoſcit Plutarchus, fatetur, prædicat omnia munera, dignitates, honores, largitiones, pompas, apparatus priuatim, & public ad honorem Dei, quemadmodum fecit Dauid, Solomon, vertenda, vnde pietas in populo naſcatur. Videatur, conſtet, quicquid honoris, magnificentiæ impenditur in Republica, ad honorem Dei fieri à Principe, aut qui aſſidet gubernaculo.

Omnia ad honorem Dei facienda principibus.

Hic igitur & ſingularis Dei eſt nomen, & vult, quod noſtræ ſemper litteræ clamant, haberi certam, firmamque de maieſtate eius ac veneratione ſententiam: Omnem largitionem, referri ad honeſtationem eius, eamque celebrem, magnificam, cum magnifica, liberalique pietate. Has trahit è pectoribus hominum natura voces, S nulla etiam afforent oracula. In eo quoq;, quem De quæſtionibus Platonicis prætitulauit, quæri cur Plato vocet Deum πατέρα πάντων καὶ ποιητὴν, Patrem omnium ac creatorem, reſpóder Patrem eſſe θεῶν τῶν γεννητῶν, genitorum Deorum, atq; hominum, vt Homerus appellat: creatorem autem ratione, vitaq; carentium, & Pater mundi Deus, quia mundus animal, plenum vitæ, motus.

Deus, pater & creator oīum, cur appellatus.

Hic habes & Deos genitos, nempe creatos, non æternos, & Iouem apud Homerum ac Philoſophos eſſe verùm ſingularemq; Deum, Patrem hominum atque Deorum: Sic Deoru ſicut hominum: Hominum autem vti factor, opifex, non procreator. In eo quoq; quem De primo frigido compoſuit, moderatorem Vniuerſi Deum dicit, καὶ ὅσα διακοσμῶν καὶ βραβεύω θεὸς ἀρμονικὸς καλεῖται καὶ μουσικός. Quæcunq;, inquit, moderatur gubernatq; Deus, ob quæ vocatur Harmonicus, Muſicus.

Deus, harmoniæ autor.

Qui fuerint autem hi, qui Deum Muſicum, harmoniæque autore faterentur, declarat in eo quem incripſit de Muſica: τὴν γὰρ τῶν ὄντων φορὰν, καὶ τὴν τῶν ἀσ νησιν οἱ περὶ τὸν πυθαγόραν, καὶ ἀρχύταν, καὶ πλάτωνα, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀρχαίων φιλοσόφων, οὐκ ἄνευ μ σικῆς γίγνεσθαι, καὶ συνεστάναι ἔφασκον: πάντα γὰρ καθ' ἁρμονίαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ κατασκευάζεσθαι φα Quæ ſunt, Nam rerum omnes motus, ſiderumq; conuerſiones, Pythagoras, Archytas, Plato, reliquive priſcorum Philoſophorum, non citra muſicam fieri, ac conſtare dicere ſolebant, omnia p harmoniam, à Deo constructa contendentes. Agnoſcis voces vetuſtatis? Vides priſcam pietatem, naturalem de Deo Philoſophiam, celebrem ſemper, quo magis in priora ſæcula reſpicias Quem dixere condidiſſe, fabricaſſe mundum, tanta harmonia, tanto ordine, concentuq; rerum vt emerſerit opus indiſſolubile, nullis caſibus interiturum vnquam, niſi ſolus ipſe reſoluat, q ſolus vbi ſint vincula, quibus ligauit vniuerſum, cognoſcit. Hunc omnes omnipotentem, omnium bonorum fontem, ordinum, iuſtitiæ, veritatis, originem agnouerunt, vt mirabilis ſit, quomodo perſuaderi potuerit hominibus olim cultus hominum, beſtiarum. Nam Chryſippus co

1. Leg. autore Plutarcho (quod in Legibus imitatus eſt Marcus Tullius) οὐ γὰρ ἔστιν εὑρεῖν τῆς δικαιο ἄλλην ἀρχὴν, οὐδ' ἄλλην γένεσιν ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς, καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως: Neque enim eſt

uenire aliud iuſtitiæ principium, atque ortum, niſi a Ioue, & a communi natura. Hanc Chryſippi ſententiam Marcus ſic expreſſit. Orta autem ſimul eſt cum Mente diuina. Quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Iouem, vt vides, vocat Mentem diuinam, creatoremque, vt viſum ſuperius, omnium: Hunc ordinis, harmoniæque cuncta repleuiſſe, quia fons ipſe iuſtitiæ, & ęquitatis. Eum Antipater eximius Stoicorum, autore eodem Plutarcho eodem libro, quaſi ſecutus Ariſtotelem definiebat: θεὸν νοοῦμεν ζῶον μακάριον, καὶ ἄφθαρτον, καὶ εὐποιητικὸν ἀνθρώπων. Deum, inquit, ſentimus rem viuentem, beatam, & immortalem, hominumque beneficam. Ariſtoteles autem in Metaphyſicis: φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον, ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς, καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ, τοῦτο γὰρ θεός: Dicimus Deum animal ſempiternum, optimum. Quocirca vita, ęuum perenne, ac ſempiternum, ineſt Deo. Hunc ipſum cùm Chryſippus præfeciſſe dixiſſet Dæmones malos ad clades & calamitates, Plutarchus redarguens Chryſippum, bonum Regem, omnipotentemque, ſic prædicat: τὸ δὲ φαύλους δαίμονας ἐκ προνοίας ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστασίας καθίσαθαι πῶς οὐκ ἔστιν ἄγκλημαι τοῦ θεοῦ, καθάπερ βασυλέως κακοῖς καὶ ἐμπλήκτοις σατράπαις καὶ στρατηγοῖς, διοικήσεις ἐπιτροπεύοντος καὶ περιορῶντος, ὑπὸ τούτων ἀμελουμένους, καὶ παροινουμένους ἀρίστους: Eſſe autem ex prouidentia Dæmones malos, ad has prouincias delegatos, nonne crimen eſt Dei, ceu Regis, qui Satrapis improbis, vecordibuſque gubernacula permittat, ſinatque ab his optimos negligi, & in eos debacchari? Hoc loco Plutarchus primum non Stoicos modò, id eſt, Chryſippum, ſed etiam Platonem, ſeque ipſummet reprehendit, ſi quando Dæmones hominibus curandis præfectos a Deo dicunt. Secundò dicitur Deus moderator Vniuerſi, qui bonos, benignoſq; præfectos, non improbos adhibuerit. Tertiò dicitur Deus non permittere malos improborum Dæmonum poteſtati. In eoque reprehenditur Chryſippus, huius dogmatis aſſertor. In eo quoque carpitur Chryſippus ab eodem, prædicatur autem diuina maieſtas, quòd cùm Chryſippus diceret rebus neceſſitatem admiſtam: καὶ μὴν, εἰ πολὺ τὸ τῆς ἀνάγκης, μέμικται τοῖς πράγμασιν, οὔτε κρατεῖ πάντων ὁ θεὸς, οὔτε πάντα, κατὰ τὸν ἐκείνου λόγον διοικεῖται: Atqui, inquit, Si multum neceſſitatis, rebus eſt admiſtum, neque regnator omnium eſt Deus, neque cuncta ad rationem, nutumque eius gubernantur. Ex his admiranda multa, & contra nonnullorum Philoſophorum etiam ipſius Plutarchi ſententiam colliguntur, de materia prima, quam Plato, ſecutus Timæum Locrenſem, quoſdamque alios ſuperiores, Platonem ſecutus Plutarchus, arbitratus eſt ſempiternam ante creationem, eique motum quendam inordinatum affuiſſe. Stoici cauſam malorum, Deoque reſiſtentem dixerunt. Hæc cùm ratio doceat vaniſſima, puerileſque ſuſpiciones eſſe, tum verior autoritas eorum, meliora ſequentum, animoq; veriora cernentum deſtruit, & refellit. Quanta enim vanitas duo principia dicere, ſi Deus ſolus ęternus, ſolus omnipotens, cuius omnipotenti manu fieri cuncta poterant? Si datur huic ratione docente vniuerſale rerum gubernaculum, vniuerſalis poteſtas, etſi Deo parent cœlum, ac terræ, eiq; obediunt omnia, cunctis id vnanimiter fatentibus, cur etiam ſupra materiam primam non datur ei poteſtas, vt eam quocunque vellet, duceret? Cumq; docuerit eum ratio omnipotentẽ, vt cui pareant omnia, cur hæc ipſa rerum vniuerſalis obedientia, non docebit eum cuncta, quæ parent, creaſſe. Si paruit materia, paruit quia talis ab eo, quæ pareret, facta fuit. Si Deus materiam non feciſſet, ſequeretur, quod inducit Plutarchus, multũ neceſſitatis, violentiæque rebus ineſſe. Hinc Deum omnipotentem, magiſtrumque omnium, & dominum non eſſe. Verùm Plutarchus in libro de ψυχογονία, non ſuam, ſed Platonis referebat ſententiam. Hic Deum fatetur omnipotentem, nullam rebus ineſſe reſiſtentiã, violentiam, omnia ad nutũ eius fieri. Similia ſcribit in Sympoſio, Deũ magnum ex inordinata, confuſaq; rerum congerie, ordinem feciſſe, mundum edidiſſe, omnia ſuis locis diſpoſuiſſe, pulcherrimumq; mundũ, ex deformoſiſſimo reddidiſſe: καὶ τὸν μέγαν θεὸν ὑμεῖς φατὲ τὴν ἀκοσμίαν εὐταξίᾳ μεταβαλεῖν εἰς κόσμον: οὔτε ἀφελόντα τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε προσθέντα: τὸ δὲ ἕκαστον ἐστὶ τὴν προσήκουσαν χώραν καταστῆσαι, τὸ κάλλιστον ἐξ ἀμορφωτάτου σχῆμα περὶ τὴν φύσιν ἀπεργασάμενον. Hoc dogma, vt ſæpe monui, Moſaicum eſt, & Triſmegiſti: ſed cùm Græci cauſa diſcendi in Aegyptum profecti, non penitus intellexiſſent, quòd facilè fieri potuit, alieno ſenſu in Græcia ſparſerunt. Moſes ante pulcherrimum mundum, ante lucem, aerem, plantas, animalia, fuiſſe terram dicit inanem & vacuam. Hoc ergo ſic tempeſtate illa Græci cum multis, forteq; etiam Aegyptiis, non rectè quid valeret, intellexerunt, quemadmodum Chriſtianorũ tempore male fuit intellectum a Manichæis, crediderun tque, Terra erat inanis & vacua, tempus ęternum, quo terra ante mundum inanis & vacua, & chaos, formis, decore, cultoribus, vacua, in catione, ad mundanos ordines reuocata eſſet. Hoc igitur prauè intellectum eſt. Non enim Moſes dixit, in ęternum vacuam terram anteceſſiſſe, ſed anteceſſiſſe ratione certa, velut exordiũ, maſſam, congeriem, eodem artifice maſſæ, atque ordinum. Sed ſatis eſt eos vnum ſingularem Deum, magnum, præpotentem, creatorem mundi, omnis bonitatis, pulchritudinis inuentorem nobiſcũ agnouiſſe. Similia refert eiſdem libris: καὶ τὸν θεὸν ὁρᾷς ὃν ἀριστοτέχναν ἡμῶν ὁ Πίνδαρος προσεῖπεν, οὐ πανταχοῦ τὸ πῦρ, ἄνω τάττοντα, καὶ κάτω τὴν γῆν, ἀλλ᾽ ὡς ἂν αἱ χρεῖαι τῶν σωμάτων ἀπαιτοῦσι. Deum quoque vides, inquit, quem optimum artificem Pindarus noſter appellat, non vbique in ſuperna regione ignem poſuiſſe, infernaq; terram, ſed vt vſus corporum poſceret.

Antipater, de Deo.

Dæmones ad quid Facti, iuxta Chryſippum.

Si ponatur neceſsitas, tollit Deꝰ, quod impium eſt.

Duo ſtatuere principia, planè erroneum.

De ꝓcreatione animæ.

Geneſ. 1.

Terra inanis, & vacua, initio quomodo.

Sic nunc diſpoſitorem, ordinatoremq́; elementorum, Deum, quantum foret vſus, appellat. Hos ordines, quos cernimus in omni mũdo, eius vnius eſſe. Eundem in Sympoſijs ingeneratum, ſempiternumq́; Deum, artificem mundi, omniumq́; genitarum rerum appellat. Audio, inquit, Platonem, πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦτε κόσμου καὶ τῶν ἄλλων γεννητῶν, τὸ ἀγέννητον, καὶ ἀΐδιον θεὸν ὀνομάζοντος οὐ διὰ σπέρματος δήπου γινωμένον, ἀλλ' ἄλλῃ δὲ δυνάμει τοῦ θεοῦ, τῇ ὕλῃ γόνιμον ἀρχὴν, ὑφ' ἧς ἔπαθε, καὶ μετέβαλε, ἐντεκόντος. Patrem artificem mundi & omnium genitarum rerum, in generabilem, & ſempiternum Deum nominantem, non per ſemen quidem generantem, ſed alia virtute diuina (a quo patiebatur ipſa materia, mutabaturq́;) ipſi genitale principium inſerentem.

Deus, opifex rerum.

En Deus ſempiternus, rerum non ſempiternarum, ſed factarum opifex, & genitor. Genitor inquam non quemadmodum animalia, plantæque per ſemen prolificum, ſed alia virtute diuina, qua fecit omnia fœcunda, virginem, primordialemque terram illam fœtibus omnigenis grauidauit, fecitq́; virtute diuina ſua cuncta, quæ voluit. Hac de cauſa ferunt a Platone dictum, eodem autore γεωμετρεῖν θὸν θεὸν, ordinibus certis, menſuriſque ponderaſſe cuncta Deum.

Deũ, cuncta ponderibus, & menſuris feciſſe.

Quod declarans, & quo ſenſu concipi deceat, proſequitur: οὐ γὰρ τίπου καὶ θεὸς δεῖται μαθήματος, οἷον ὀργάνου στρέφοντος ἀπὸ τῶν γεννητῶν, καὶ περιάγοντος ἐπὶ τὰ ὄντα, τὴν διάνοιαν: ἐν αὐτῷ γὰρ ἐστιν ἐκείνῳ καὶ σὺν αὐτῷ, καὶ περὶ αὐτόν: Neque enim Deus mathematica indiget, velut organo, quod agat & conuertat mentem a genitis, factiſque, ad ea quæ ſunt. Eſt enim in illo ipſo, & cum ipſo, & circa ipſum: vel ſunt ipſa entia. Hoc magnum in Plutarcho ſacramentum, noſtrarum litterarum ſacerrimum myſterium, per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſſe omnia. Quia fœcundum omnium principium, &, vt ait Plato, & idem Plutarchus, πέλαγος τοῦ καλοῦ, pelagus bonitatis. De eodem ſapiẽter omnia moderante, in pondere, & menſura diſponente eodem loco: ταύτην ὁ θεὸς ἐπάγει τὴν ἀναλογίαν τοῖς πράγμασι δίκην καὶ νέμεσιν προσαγορευομένην καὶ διδάσκουσαν ἡμᾶς τὸ δίκαιον ἴσον, ἀλλὰ μὴ τὸ ἴσον δεῖν ποιεῖσθαι δίκαιον: Hanc Deus inſerit rebus analogiam, ſiue proportionem, quæ Iuſtitia, Nemeſiſque vocatur, docetque nos, oportere facere iuſtitiam æqualitatem, non æqualitatem iuſtitiam. Hoc eſt, quòd æquitas ſubiacet iuſtitiæ.

Iuſtitia, & Nemeſis.

Idem loco, quomodo creauerit Deus: οὔτι θεὸν ἑτέρῳ τινὶ τρόπῳ κοσμοποιεῖν, ἢ περατοῦντα τὴν ὕλην ἄπειρον οὖσαν οὐ μεγέθει καὶ πλήθει, διὰ δὲ ἀταξίαν, καὶ πλημμέλειαν αὐτῆς, τὸ ἄριστον, καὶ ἀπερώτατον ἄπειρον εἰωθότων καλεῖν, τῶν παλαιῶν: Neque Deum alio modo mundum creaſſe, quàm finientem terminantemque materiam infinitam, non magnitudine, & multitudine, ſed propter inordinationem & errorem eius, quod erat ei optimum, ſed interminatum, infinitum ſolitis priſcis nuncupare. Hæc ille. Sed docuimus, quomodo (neque enim veritatem prorſus agnouerunt) de materia ſentire deceat eis æterna, non creata.

Error ex libris Triſmegiſti de Materia.

Fuit error, ſi fuit in priſca Philoſophia, manans ex libris Triſmegiſti, dictiſque Moſis haud ſapienter intellectis, Terra erat inanis & vacua. Non erat in æternum. Quanquam duos habet ſenſus, vt liquet ex fonte. Inanis & vacua, aut penitus nihil, priuatio non formarum modò, ſed ipſius etiam materiæ, vanitas omnimoda in æternum. Nihil enim erat ante terram, primordium, fundamentumq́ue rerum. Quòd ſi nihil ante primordium, ne etiam ante ea, quæ ex primordio. Alter ſenſus, vt ſuperius, fuit prius ſeminarium confuſum, congeries ex terra & aqua: Verùm non in æternum, fuit vt fundamentum naturaliter antegrediens omnem ſubſecutam creationem. Sed hæc toties exagitata mittamus. Singularem quoque Deum Plutarchus nominat, & ab eo precari mortales bona dicit: καὶ ὅσα μὲν παρ' ἡμῖν ἐστιν, εὐχόμεθα τὸν θεὸν διδόναι δρόσους μαλακοὺς, καὶ εἱλήσεις ἐν πνεύματι μετρίως ὡς ἀεὶ τοῦ ἀπολείποντος ἀναπλήρωσιν ἡ φύσις ἔχει διατηροῦσα τὴν κρᾶσιν.. Quæcunquo, inquit, quæ non ſunt apud nos precamur Deum, vt largiatur molles rores moderatoſq́; turbines, vt ſemper reparet Natura, quod deficit, ſeruans temperiem.

Natura docuit vnum eſſe colendum Deũ. Plutarch. vnũ Deũ faſſus.

His conſtat mortalium vota, preceſq́ue olim, etſi colebant portẽta, ſimulachra, in vnum ſingularem Deum ſpectaſſe ſemper, Natura, quo nihil eſt rapacius, ſic ad id rapiente, quemadmodum nemine docente, ad cibos, Veneremq́ue accurrunt animantes. A Deo reparare fœtus Naturam, nouiſq; ſemper ſeminibus fœcundari. Idem in eo, quem De facie quæ viſitur in Luna, inſcripſit. τῷ θεῷ δὲ ἡ πάξις τῶν ὄντων προσίκει: Deo, inquit, rerum ordinatio, diſpoſitio conuenit. Hic enim, quamquam non erat Chriſtianus Plutarchus, & Deos Græcorum colebat, vnum tamen Deum appellat, & moderatorem rerum fatetur. Natura docente. De quo vult etiam Homerum vbique ſcribere: μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ Ὅμηρος, αἰτίας μὲν ἄνευ θεοῦ οὐδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν ὑποτιθέμενος παραινόμενον, οὐ μὴν πρὸς πάντα χρώμενον ποιῶν θεὸν, ἀλλ' ἑκάστῳ καθ' ἣν ἔχει τέχνην ἢ δύναμιν: Atteſtatur, ait, mihi etiam Homerus, nihil ſine cauſa Dei, vt ſic loquar, perfici demonſtrans. Sed non ad omnia faciens Deum vti, ſed vnoquoq; ſecundum quã habet artẽ, ac facultatem. Hæc ille.

Homerus, Iouis nomine Deũ intellexit.

Vult etiam Homerum nomine Iouis deſignare verum, naturalemq́; Deum, quãquam etiã Fortunam, & Fatum: quæ tamen & ipſa ſunt diuinitas. In eo, Qūo debeat adoleſcens audire poemata: πολλῶν οὖν οὕτω λεγομένων εἰδέναι δεῖ, καὶ μνημονεύειν, ὅτι καὶ τῷ τοῦ διὸς, καὶ ζηνὸς ὀνόματι, ποτὲ τὸν θεὸν ποτὲ δὲ τὴν τύχην, πολλάκις δὲ τὴν εἱμαρμένην προσαγορεύουσι: Sed cùm multa dicantur, inquit, ſcire operæ pretium eſt, & admoneri, quòd nomine Iouis, interdum Deum, nonnunquam Fortunam, ſæpe Fatum vocant.

Nomine Iouis quid Pagani intellexerint.

His conſtat Iouem non hominis primã appellationem fuiſſe, ſed cum priſcis eſſet nomen æterni Dei, prauis moribus inualeſcentibus, ad mortalẽ corruptibilemq́; hominẽ fuiſſe tralatũ. De quo ſæpe dictũ fuit.

Fatum

A Fatum quoque & Fortuna, quæ nomine Iouis arbitratur appellata,ſunt ipſe Deus,quoties operatur occultè, Fortuna: quoties rerum conſequentium neceſſitas aſpicitur, Fatum nuncupatus. Naturā quoque diuinam Plutarchus,iudicio naturali cernens,quod oraculis patuit cęleſtibus definit in libro contra Stoicos: οὐ γὰρ ἀθάνατον καὶ μακάριον, ἀλλὰ καὶ φιλάνθρωπον, καὶ κηδεμονικὸν, καὶ ὠφέλιμον προλαμβάνεσθαι, καὶ νοεῖσθαι τὸν θεόν. Quod etiam apud alios: Neque enim,inquit, duntaxat immortalis, ac beatus Deus credendus ſentienduſque eſt,verumetiam humanus, procurator,vtilis. Hæc omnia,quę Natura ſuis vocibus homines erudiuit,ſi aſpexeris,ſunt ea quę toties reſonarunt vocibus ętheriis. Senties in ſacris litteris prædicari, Miſericordia Dñi plena eſt terra. Nemo bonus,niſi ſolus Deus. Quantũ diſtat ortus ab occidente,longè fecit a nobis iniquitates noſtras. Pupillum & viduam reſpicit,& alta a longe cognoſcit. Nonne hoc eſt id, quod ex Platone & Ariſtotele,aliiſq; Philoſophis producit idem Plutarchus contra Epicurum? ἐστὶ δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὸ πᾶν ὁρᾷ: πέλας γὰρ ἑστὼς ὁ θεὸς ἐγγύθεν βλέπει: Eſt, ait, acer oculus iuſtitiæ, qui cuncta contēplatur. Haud procul Deus conſiſtens,proximè reſpicit. Vides eandē Philoſophiam, & quā Natura docuit,& quā noua lux irradians terris reuelauit. De ſummo quoque Deo,illoq; ſuperno Ioue,Plutarchus idē contra Stoicos: ὁ δὲ πατρῷος καὶ ὕπατος καὶ θεμίστιος ζεὺς καὶ ἀριστοτέχνας κατὰ πίνδαρον οὐ δρᾶμα δήπου μέγα καὶ ποικίλον καὶ πολυμαθὲς δημιουργῶν τὸν κόσμον, ἀλλὰ θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἄστυ κοινὸν συννομησομένων μετὰ δίκης καὶ ἀρετῆς ὁμολογουμένως καὶ μακαρίως: At patrius,inquit,& ſupremus,iuſtiſſimuſq; Iupiter,&,vt ait Pindarus,optimus artifex,nō modò fecit hunc mundũ,opus ingens,varium,artificioſum,ſed etiam velut vrbem communem hominũ B atque Deorum,qui iuſtè, beatè, cum virtute,conſenſuq; in eo habitarent. Quanta quæſo, quàm multiplex his Plutarchi dictis Theologia ſubeſt? Deus ſupremus,patrius,quia nos vt pater tuetur, optimus opifex,cōditor mundi,Deorũ,hominumq; genitor,qui tanquā ex vna ſtirpe nati, in hac ingenti,decora,præclara ſocialiter vrbe,degerent. Factus igitur a Deo mundus,non ſibi,ſed Diis, & hominibus: Cęlum,cęli Dño,terrā autem dedit filiis hominũ. Diis,id eſt,Angelis, datũ cęlum, hominibus terra. Sed Dij diligunt homines, ſæpeq; ventitant ad eos: homines eos venerantur. Sic vna vrbs omniũ,conſenſus vnus,& pater idem. De quo perhibet ſentire Stoicos: αὐτοὶ δὲ τὸν καλῶν ἀρχὴν ἀγαθὸν ὄντα τὸν θεὸν ποιοῦσι: Ipſi,inquit,Principium bonorum, Deum bonũ faciunt. Et contra eoſdem, qui cenſerent pleraque Deum volentem, prudentemq; mala feciſſe: πρῶτον μὲν τὴν κακίαν γεγονέναι κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ πρόνοιαν, ὥσπερ τὸ φαῦλον ἐπίγραμμα γέγονε κατὰ τὴν τοῦ ποιητοῦ βούλησιν, πᾶσαν ἐπίνοιαν ἀτοπίας ὑπερβάλλει. Principio, inquit, extitiſſe ex diuina prouidentia,malum,malitiam,nequitiam: ceu ſi malũ epigramma,poeta volente,extitiſſet: nihil abſurdius poteſt cogitari. O Plutarche diuine, duæ monitiones, caſtigationeſq;, in te,Philoſophoſq;, ex his dictis tuis colliguntur de Dæmonibus, de materia prima: cùm in confeſſo ſit,Dęmones eſſe malos, autoreſq; malorum, non fuiſſe, cùm crearentur, naturæ huius, quia ſuperat te teſte cunctas abſurditates, mali alicuius fateri Deum autorem. Secunda,non eſſe malam, ſiue maliſicam materiam primam. Siue enim Deus eam creaſſet,non malam creaſſet: ſiue nō creaſſet, quod abſurdũ eſt,tanta tamen bonitas eius fuiſſet,vt euincere malitiam eius,& abolere potuerit.

Pſalm. 32.
Luc. 18.
Pſal. 145.
Oculus iuſtitiæ omnia videt.

Mundus, communis vrbs hominũ & Deorum.

Deus quorum gratia factus.
Pſalm. 113.

Error Plutarchi.

Dæmones mali.

Deum feciſſe hominem animal placidum, ſociabile. Amore patrio eum hominum res attendere. Omnia circum mare & terras proſpicientem, omnibus conſulentem. Voluntate eius, pulcherrima quæque fieri. Animam eſſe inſtrumentum eius. In eo ſempiternam eſſe præſentiam. Hominem ad cognoſcendum feciſſe. C *Cap. IX.*

SVNT alia multa, quæ neque religio, quippe qui coleret Deos Græcorum, nec reuelatio, ſed Natura duntaxat ſuggeſſit, de ſingulari, naturalique Deo dicta Plutarcho, è quibus eſt in eo, quem De diſcernendo adulatore inſcripſit, de ſuauitate amicitiæ loquens,ſicut ſit iucunda lux, οὕτω τῷ βίῳ μίξας τὴν φιλίαν ὁ θεὸς, ἅπαντα φαιδρὰ, καὶ γλυκέα, καὶ προσφιλῆ ταύτης παρούσης, καὶ συναπολαυούσης ἐποίησε: Sic admiſta Deus humanæ vitæ, charitate, & amicitia, cuncta læta, dulcia, chara, præſente ea, verſanteque nobiſcum, reddidit. Hic Plutarchus, cur homo ſit animal placidum, amicabile, ſocietatis amans: cur amicitia, charitaſque vigeat, agnoſcit Deum autorem. Taciteque illam Moſaicæ Theologię partem confitetur, qua retulit hominem ad imaginem ſuam, Deum feciſſe. Ea enim imago Dei cum primis fuit, quòd quemadmodum Deus eſt placidus,mitis, bonus, amoris,beneuolentiæq; cupidus,tenax,amator,amans,& amari cupiens, ſic animal creare ſui ſimile, decreuit. A ratione verò, ſenſu, cognitione naſcitur amor. Feritas enim eſt non cognoſcentium. Ergo fecit animal prouidum, ſentiens, qui ſacere beneuolum, ſociabile, mire decreuerat. Is autore non Moſe ſolum, ſed his etiam, qui nec Moſen legerunt, nec vllam Numinis præſentiam cęlitus habuerunt, ſed vnam Naturam ducentem ſequebatur, Deus fuit: Qui charitate beneuolentiaque, pectoribus humanis inſpirata, ingeniiſque placidis, ſimilibuſque ſui nobis conceſſis, humanam vitam alacritate, iucunditateque repleuit. Eundem ſingularē Deum nominat, eiq; prouidētiam humanarum rerũ attribuit, qui patrio genus humanũ gubernet amore, in eo, quo conſolatus eſt Apollonium:

Cur amicitia omnia lęta faciat.

Vnde amor naſcatur.

τίς γὰρ οἶδεν εἰ ὁ θεὸς πατρικῶς προειδὼς καὶ μηδόμενος τοῦ ἀνθρωπείου γένους, προορώμενος τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι προεξάγει τινὰς ἐκ τοῦ ζῆν ἀώρους: Quis inquit, nouit, an Deus paternè proſpiciens & conſulens humano generi, & procul aſpectans quæ poſſint accidere, ſubducit immaturos aliquos è vita? Hic & prouidentiam, paternamque charitatem erga genus humanum, & gubernaculum, rerum item futurarum proſpectio Deo vendicat. Optimam quoque rationem conſolandi proponit relatis omnibus ad prouidentiam diuinam, cuiuſmodi celebris eſt in ſacris litteris. Ibidem quoque Deum ſingularem nominat, de quo ſæpe mortales iniuſtè querantur:

Homo ſibi, nõ Deus malum creat.

Qui, inquit, fortunam lamentantur, poſſet in eos dici, θεὸς δέ σοι πῆμ᾽ οὐδὲν, ἀλλ᾽ αὐτὸς σύ σοι: Deum iacturam tibi nullã, ſed ipſemet attuliſti tibi, per ſocordiam & imprudentiam, quia ferre neſcis aduerſa. In Sympoſio quoque referens Orionem vectum ſuper Delphinibus incolumem, quẽ iniuſtè nautæ in mare demerſiſſent, Cœlum ſtellis ſerenum ſuſpicientem eum, conſideraſſe ſecum, ὡς οὐκ ἔστιν εἷς ὁ τῆς δίκης ὀφθαλμὸς, ἀλλὰ πᾶσι τούτοις ἐπισκοπεῖ κύκλῳ ὁ θεὸς τὰ πραττόμενα περὶ γῆν τε καὶ θάλατταν: Quòd non vnus duntaxat ſit oculus iuſtitiæ, ſed omnibus his pręſidet Deus proſpectans circum, quæ terra & mari gerantur.

Deus ſcelera videt.

Ioan. 2.

Aduectumq; incolumem, αἰσθέσθαι θεοῦ κυβερνήσει γεγονέναι τὴν κομιδήν, Senſiſſe, Dei conſilio, vectionem illam Delphinum fuiſſe. Is Deus Plutarchi, eſt Deus, cuius conſilio Iona Propheta pręceps actus a nautis in mare, exceptusq; ventre Ceti, tertia die in littus eiectus eſt incolumis. Prædicatur Deus, omnium quæ toto in mundo, mari, terriſque gerantur, proſpector, cuſtos, cuius non vnus ſit oculus. Sic nullis mortalibus fuit vnquam obſcurum, quin vnus eſſet ſingularis Deus, humanorum operum contemplator, quem nihil, quocunque loco fiat in mundo, lateat, tam cernentem maria, quàm terras.

Deus, vtiliſſimum omnium, & res antiquiſſima.

Rex item Aethiopum eodem libro dicit, ὠφελιμώτατον θεός, Vtiliſſimum omnium Deus. Cui reſpondit Thales, πρεσβύτατον θεός, ἀγέννητον γάρ, Antiquiſſimam rem eſſe Deum: Ingeneratum enim. In his apparet confeſſio ſingularis Diuinitatis. Suæ Deo veræ dotes tribuuntur. Dotes maximæ bonitatis, & incommunicabilis ęternitatis. Deus antiquiſſimus dicitur, quia ſolus ęternus, pręterea nihil. Solus ille ingeneratus: cætera genita, vel facta.

Error philoſophorum.

Damnatur eorum imperitia, qui vel materiam ſempiternam, antiquiſſimam, vel mundum quoque antiquiſſimum, id eſt, ęternum dixerunt, pluſquam vnum antiquiſſimũ inducentes. Specioſa deceptio patet eorum Philoſophorũ, qui vnum quidem antiquiſſimum, ſed mundum, cui dant ęternitatẽ, idcirco non antiquiſſimum dicunt, quia in ęternum pependit a Deo. Formoſus impoſturę color. Senſus clarus Antiquiſſimi nunc eſt, non ꝙ antecedat natura, graduq; vniuerſa, ſed ꝙ tempore, ęternitate. Id enim ſonat Antiquiſſimus, & eo ſenſu protulit Thales priſcus Theologus.

Pulcherrima quæq; a Deo perfecta.

Eodem libro dicitur, Haud mirum eſſe, εἰ τὰ κάλλιστα περαίνεται θεοῦ γνώμῃ: Si pulcherrima quęque ex Dei ſententia perficiantur. Eſſe enim inſtrumentum animæ, corpus: θεοῦ δὲ ἡ ψυχή, Animam inſtrumentũ Dei. Et quemadmodũ corpus, multos a ſeipſo motus habeat, plurimos ac pulcherrimos ab anima, ſic rurſum animã a ſeipſa motã, plurima operari: τὰ δὲ τῷ θεῷ παρέχει χρωμένῳ κατευθύνειν καὶ τρέπει ἑαυτὴν ᾗ βούλοιτο: Multa Deo cedere vtenti, vt dirigat, flectatq; quòcunque velit, quæ ſit omniũ inſtrumentorum ſibi aptiſſimum. Neque enim ęquum eſſe, ſi ignis quidem & ventus, aqua & nubes, & imbres inſtrumentum ſint, δι᾽ ὧν πολλὰ σῴζει τε καὶ τρέφει πολλὰ δὲ ἀπόλλυσι, καὶ ἀναιρεῖ, ζώοις δὲ χρῆται πρὸς οὐδὲν ἁπλῶς οὐδέπω τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γινομένων ἀλλὰ μᾶλλον ἐξηρτημένων τῆς τοῦ θεοῦ κινήσεσι, ἢ Σκύθαις τόξα λύραι δὲ Ἕλλησι καὶ αὐλοὶ συμπαθοῦσι: Quibus multa conſeruet, & alia multa quoque perdat, & interimat, animalibus ad nullam omnino rẽ vtatur, quaſi quæ non fiant ab eo, ſed ea magis ex poteſtate diuina pendẽtia, ſeruire & conſentire motibus Dei, quemadmodum Scythis arcus, lyræ tibiæq; Græcis obſecundent. Hæc è penetralibus Theologiæ veræ, intimiſq; Philoſophiæ theſauris, in poteſtate Dei motus animorum eſſe.

1. Para 28.
Pſal. 7.
Ierem. 17.
Roman. 8.
Apoc. 2.
Pſal. 138.
2. Corin. 6.

In ſacris litteris, Scrutatur renes & corda: Intellexiſti cogitationes meas de longe. Quocirca Thales priſcus Theologus rogatus, εἰ λήθοι θεοὺς ἄνθρωπος ἀδικῶν, ἀλλ᾽ οὐδὲ διανοούμενος ἔφη: An lateat Deos quis peccans: Sed ne cogitans quidem, inquit. Hæc etiam ſunt quæ noſtri, Templum Dei eſtis vos. Habitat in vobis Deus. Quid illi minus, pandente Natura viã, ſenſerunt? Idẽ in eo, quem inſcripſit, Ignisne, an aqua ſit vtilior: διότι τέτταρα μὲν στοιχεῖα, θεῷ καθάπερ τεχνίτῃ πρὸς τὴν τῶν ὅλων ἐργασία ὑποκείμενα: Quocirca, inquit, quatuor elementa, Deo velut opifici ſubiacent ad operandũ. Nullas igitur vel abſente lege Moſaica, vel ante diuinum Euangelij iubar, natura voces nõ dabat, inuitans oẽs ad cognitionẽ, ſcientiamq; creatoris ſui.

Deus tandẽ abſtruſa ſoluit myſteria.

TV ES, delphis inſcriptum.

Quas cùm clarius nonnulli, cæteri obſcurius audiſſent, demum venit creator Naturæ verus, omniumq; ambagum, apertis myſteriorum abſtruſiſſimis theſauris, reſolutor. Quo veniente, vulgata ſunt omnia bona, corroborata verarum rerum ſcientia. Plutarchus item in eo, quem inſcripſit de eo, quod erat Delphis, TV ES, De Natura diuina altiſſimè philoſophatur, Nefas eſſe, vt de eo qui eſt, dicatur fuit, vel erat, quæ mutationes quædam, declinationesq; eius ſint, qui in eſſendo nequeat conſiſtere: ἀλλ᾽ ἐστὶ θεός χρὴ φάναι, καὶ ἐστὶ κατ᾽ οὐδένα χρόνον, ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον καὶ ἄχρονον, καὶ ἀνέγκλιτ καὶ οὗ πρότερον οὐδέν ἐστι, οὐδ᾽ ὕστερον, οὐδὲ νεώτερον: ἀλλ᾽ εἷς ὢν ἑνὶ τῷ νῦν, τὸ ἀεὶ πεπλήρωκε: καὶ μόνον ἐστὶ τὸ τοῦτο ὄντως ὂν οὐ γεγονὸς οὐδ᾽ ἐσόμενον, οὐδὲ ἀρξάμενον οὐδὲ παυσόμενον: Sed eſt Deus oportet dicere: & eſt, non ſecundum tempus, ſed ſecundum immobilem, intemporalem, & indeclinabilem ęternitatem: Cuius neque prius ſit, neque poſterius quicquam, neque recentius

ſed vnus

A ſed vnus exiſtens, vna præſentia, ſempiternitatem repleuit: & ſolum eſt, quòd verè exiſtit, non præteritum, aut futurum, neque quod cœpit, aut deſinet. Hæc apud Plutarchum philoſophia, myſterij totius Moſaici declaratio, quo dixit Deus de ſe: Ego ſum qui ſum. Nec poſſit hoc myſterium apertius explicari. Declarat enim Plutarchus præſens illud in Moſe deſignare totius æternitatis præſentiam, cui neque futurum, neque præteritum ſit admiſtum. Eſt enim præteritum tempus earum rerum, quæ præterierunt: futurum earum, quæ non ſunt, aut quæ non habent vel ętatis, vel alterius rei, quod habitura ſunt. At Deus habet, quod ſemper eſt habiturus. Habuit etiam ſemper, idque immobile, indeclinabile. Quocirca cùm regnum eius, cùm diuinitatem, & beatitudinem, cum aliquo ętatis fluxu cogitamus, innoteſcat nobis, nos metiri diuina cogitationibus rerum fluentium, miſcere non miſcenda, falli quemadmodum febricitantes, quibus amaror linguæ cuncta reddit amara. Illud quoque præclarum de Natura diuina teſtimonium, velut è theſauris Philoſophiæ cęleſtis depromptum; quo maximè probatur, nunquam nõ claram lucem mortalibus obtuliſſe Naturam ad cognitionem veri Dei. Idololatriã autem fuiſſe vulgi ſuperſtitionem. Contra Epicurum Plutarchus probans quam viam ad voluptates, iucundámque vitam putaret ſe aperuiſſe, auertiſſe potius a magnis gaudiis: Eſſe autem magnam iucunditatem in cognitione, certáque ſcientia veri Dei, qua piiſſimi quique fruantur. Quantis, inquit, quámque ſynceris voluptatibus fruitur genus hominum meliorum, ac piiſſimorum ſuper conſideratione Dei? vt ſit omnium bonorum Princeps, Pater omnium honeſtorum, omnis pulchritudinis: Qui nihil improbum poſſit facere, aut pati. Bonus enim eſt. Bono autem nulla de re incidit inuidia, aut metus, aut ira, vel odium. Neque enim calidi eſt frigefacere, ſed calefacere. Sic neque boni nocere. Ira quoque a benignitate, iracundia a manſuetudine, ab humanitate & clementia perturbatio, & truculentia, longiſſimè naturæ lege diſtat. Hæc enim vt virtutis ſunt ac roboris, ſic ea imbecillitatis & impotentiæ. Itaque Diuinitas, neque iracundiæ, neque gratificationibus ſubiecta eſt. Sed quod benefaciendi, auxiliandique naturam habet, iraſci, maloque afficere minimè poteſt. Magnus autem in cęlo Iuppiter, inambulat per terras componens, curanſque omnia. Cæterorum autem Deorum alius eſt Largitor: alius Milichius, benignus: alius Alexicacus, malorum depulſor: omniaque Deorum ſunt, iuxta Diogenem, amicorumque omnia communia. Amici autem Diis ſunt boni. Itaque amicum Dei, vel non eſſe fortunatum, vel modeſtum & iuſtum, impoſſibile eſt. Hæc Plutarchus. Quibus intelligimus, paucis demptis, eandem eſſe ſcientiam Dei, quam capacem veritatis hominem propter ſimilitudinem Dei natura docuiſſet, atque eam quam ſuis Deus oraculis demonſtraſſet. Eundem ſingularem Deum autorem, vt homines naſcerentur, & ad cognoſcendum naſcerentur, fatetur in eo, qui eſt, an rectè dictum ſit Viuens latita: δοκῶ δὲ ἐγὼ καὶ τὸ ζῆν αὐτὸ, καὶ ὅλως τὸ φῦναι, καὶ μετασχεῖν ἄνθρωπον γενέσεως εἰς γνῶσιν ὑπὸ θεοῦ δοθῆναι: Videor, inquit, etiam ipſam vitam, omninoque ipſum naſci, & quòd generationis homo particeps factus ſit ad cognoſcendum, a Deo fuiſſe datum. Fatetur a Deo lucem, vitam, natales homini datos, datos autem ad noſcendum: omnium autem notionum, Dei nobiliſſima. Hæc potior, igitur ad hanc conditus homo.

Exod. 3.

Deus, ſemper habet, quod eſt habiturus.

Magna iucũditas in cognitione Dei.

Non eſt boni nocere.

Ex alio Philoſopho, qui dicitur Epictetus, Stoicus autem fuit, non Chriſtianus, de Natura diuina, de qua deprædicet, quæ ſacræ litteræ concelebrant. Eandem eſſe naturam bonitatis ac Dei. Subſtantiam diuinam eſſe Sapientiam, perfectámque rationem. Deum cunctis proſpicere, mundum gubernare. Hominem eſſe opificium eius. Ad vnum Deum reſpiciendum eſſe. Ei pro beneficijs gratias haberi oportere. Cap. X.

SED dimiſſo Plutarcho, diuinus eiuſdem tempeſtatis alius Philoſophus audiendus Epictetus, non ille quidem Chriſtianus, ſed Philoſophus, tamen & vir bonus, qualis Plutarchus. Bonus autem Philoſophus, & qui oblatam veritatis a Natura lucem, intueatur, eamque ſequatur, adeò congruet cum hodierna Theologia, quia non commentitia, ſed plena rationis eſt, vt id putem, quemadmodum mihi fuit, pleriſque mirum. Is igitur Arriano autore, velut oraculum, velut Propheta ſic diuino pectore fatur: ὁ θεὸς ὠφέλιμος, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀγαθὸν ὠφέλιμον: εἰκὸς οὖν ὅπου ἡ οὐσία τοῦ θεοῦ, ἐκεῖ εἶναι καὶ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ: τίς οὖν οὐσία θεοῦ: σάρξ: μὴ γένοιτο. ἀγρός: μὴ γένοιτο: φήμη: μὴ γένοιτο: νοῦς, ἐπιστήμη, λόγος ὀρθός: ἐνταῦθα τοίνυν ἁπλῶς ζήτει τὴν οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ. Deus eſt vtilis. Sed & bonum eſt vtile. Veri igitur ſimile, vbi ſit ſubſtantia Dei, illic eſſe & ſubſtantiam bonitatis. Quæ igitur eſt ſubſtantia Dei? Caro? Abſit. Ager? Abſit. Fama? Abſit. Mens, Scientia, Recta ratio. Hic igitur ſimpliciter quære ſubſtantiam Boni. Hæc quidem ille dixit, quem fortè iam toto orbe coruſcans Euangeliũ ad hanc tam ſublimem, præſtantemque pietatem prædicandam adiuuerat. Sed etiam potuit a Platone; multiſque aliis Philoſophis Naturam hanc diuinam didiciſſe. Vides igitur quid ei, qui non Chriſtianus eſſet, veritas obtulerit. Primum Naturam diuinam eſſe naturam, ſubſtantiámque Bonitatis. Id enim etiam docuit Chriſtus: Nemo bonus, niſi Deus. Eadem ſuperius philoſophatus eſt Plutarchus. Sed ante omnes antiquiſſimus Triſmegiſtus.

Epictetus, vir bonus, Natura duce, veritatẽ intuitus.

Deus quid, Epicteto.

Diuinæ naturæ, ſubſtantia Bonitatis.

Marc. 10.

Philip. 2.

Philoſophi, hoſtes veritatis.

Quid pro ſummo bono habitũ apud omnes.

Homo, ſimulachrũ, & imago Dei.

Hodierna ſapientia de Deo, qualis æſtimanda.

Ad hæc, non carnem, non corpus, nihil eiuſmodi eſſe Diuinitatem, ſed mentem, ſapientiam, ſcientiam, rectam rationem. Magnitudinem, maieſtatem, regnum, opeſque eius eſſe ſapiendo, noſcendo, recta volendo. Has eius diuitias, nobilitatem, robur eſſe, quòd tam incomprehenſibiliter eſt ſapiens, quàm inæſtimabiliter bonus. Eoque eſt inuiſibilis, perinde vt noſtra ratio, magnæ illius veluti ſcintilla. Tanta igitur Theologia dictis eſſe ſubeſt, vt ſtupor ſit ab eo religionem veram tantopere cognitam, qui fortè eam, vel neſciebat (Niſi quòd Galilæorum ſemel meminit) vel lucem eius procul velut albeſcente Aurora aſpexerat. Omnis ergo lingua confitetur Dñm. Addit idẽ, Monſtrant ait philoſophi, ὅτι μαθεῖν δεῖ πρῶτον τοῦτο, ὅτι ἐστὶ θεὸς, καὶ προνοεῖ τῶν ὅλων, καὶ οὐκ ἐστὶ λαθεῖν αὐτὸν, οὐ μόνον ποιοῦντα, ἀλλὰ οὐδὲ διανοούμενον, ἢ ἐνθυμούμενον, Hoc primum diſcere oportere, quòd Deus ſit, & proſpiciat vniuerſis, & non eſt qui latere poſſit eum, non modo operans, ſed ne cogitans quidem ac mente reuoluens. Hæc ille dixit, quem Philoſophi veritatis hoſtes, dico Proclus, Simplicius, Lucianus venerabantur, dicta eius velut oracula ſuſpiciebant, cœleſtem Prophetam putabant locutum. Eſt enim grata, dulciſque veritas animis, niſi priuatus affectus, vt ſæpe fit, guſtum deprauet, oculorumque aciem hebetet. Si dicunt igitur, Epicteto teſte, præcipiuntque ea Philoſophi, quis reſiduus eſt veritatis inimicus? Quia dicebantur a ſuo, gaudebant, mirabantur: ſi dicerentur a noſtris, fortaſſe non ęquè. Probat igitur ratio, niſi quid priuatum prohibuiſſet, futuros omnes tales ea tempeſtate, quales nunc omnes fermè gentes. Sed proſequar alia cateruatim ex Epicteto, quibus ad vnam pietatem ſemper animos ſapientum inclinaſſe, hoc vnũ pro ſumma ſapientia, ſummoq; Bono habuiſſe, voces hic eorum demum cõquieuiſſe, noſcas. Nec Gręcis vbiq;, ne ſim inuiſus, vtar: τί ποτ' οὖν ἐστιν ὁ κόσμος, τίς αὐτὸν διοικεῖ, &c. Quid, inquit, eſt mundus, quis eum gubernat? Nemo. At quomodo vrbs, vel domus permanere, ne ad exiguum quidem tempus poſſunt ſine gubernatore & præſide: fabrica verò tam ingens, & tam pulchra, temere & vt caſus tulerit, inordinatè gubernari? Eſt moderator, aliquis, & certa ratione gubernat, nos autem quidã ſumus ὑπ' αὐτοῦ γεγονότες, ab ipſo facti ad aliquod opus. Habemuſque coniunctionem & habitum cum eo. Hæc ille, appellans vbique ſingularem, &, vt vera religio, creatorem mundi, moderatoremque creati. Habere nos cum illo ſocietatem, affinitatem, velut origine noſtra ex eo pendentes. Eoque iubet nos in eũ reſpicere, cùm angimur, omniumq; bonorum agnoſcit autorem: κύριε ὁ θεός, Domine Deus, quomodo vexor. Stulte nonne manus habes? nonne tibi fecit eas Deus? Nonne dedit tibi fortitudinem, nonne magnanimitatem, nonne virtutẽ? tot manus habens, quæris etiam qui te emungat? Aude reſpectans πρὸς τὸν θεὸν, ad Deum, dicens: Vtere me ad quæcunque velis, tecum ſentio, ęquanimus ſum. Nihil eorum detrecto, quæ tibi videantur. Quocunque velis age. Si vis, adde veſtem. Vis me imperare, in priuata vita degere, exulare, pauperem eſſe, diuitem? Ego tibi pro omnibus his apud homines aſſentiar. Totidem verbis ab eo Græcè dicuntur. Quod etiam ſit homo ſimulachrum; Similitudo Dei, iuxta Theologiã Moſaicam, delibatio, hauſtus, his confitetur: σὺ ἀπόσπασμα εἶ θεοῦ, ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου· τί οὖν ἀγνοεῖς σοῦ τὴν συγγένειαν: Tu, inquit, es abſciſſio, delibatio Dei. Habes aliquam in te ipſo partem eius. Cur igitur ignoras affinitatem tuam? Cur neſcis vnde veniſti? Non vis meminiſſe cùm comedis, quis ſis qui comedis, & quem nutris: cùm in congreſſu es, quis ſis, qui vtaris. Cùm in colloquio, in exercitatione, cùm diſſeris, neſcis ꝙ Deum nutris, Deum exerces, Deum circumfers. Miſer & ignoras. Videris me dicere argenteum quendam, vel aureum extrinſecus. In te ipſo fers ipſum, coinquinans non ſentis, impuris quidem cogitationibus, fœdis autem operationibus. Et imagine quidem Dei præſente, non audeas horum quicquam facere: ipſo autem præſente Deo exterius, & aſpiciente cuncta exaudienteque, non erubeſcis hæc cogitare? Hæc ad verbum ille. Cùm partem diuinam hominem appellat, deſignat afflatum, ſimilitudinem, & ex ęterna luce ſcintillam. Eſt autem homo Deus factus a magno, vero Deo, paruus ipſe. ſimulachrumque veri. Quemlibet pudere debeat fœdis aut factis, aut cogitationibus inquinare ſacrum illud exemplum, partemque diuinam. Manifeſta igitur in his Moſaicæ Theologiæ confirmatio, tum de nata, diuinituſque nobis donata mente, tum cum creatore ſimilitudine. Repetit eandem creati hominis a Deo prædicationem, reor ex ſapientia Moſis, cuius vbertate Philoſophorum omnium aucta eſt doctrina: τούτου τοῦ δημιουργοῦ κατασκεύασμα ὤν, καταισχύνεις αὐτόν. Huius opificis opus cùm ſis, dedecoras ipſum. Quid quòd non modò te fecit, ſed & tibi ſolum te credidit, & commiſit. Neque id modò non recordaris, verum etiam dehoneſtas mandatum. Si autem Deus orphanum quem tibi commiſiſſet, ſic ſanè negligens eius eſſes, tradidit te ipſum tibi, neque poſſim dicere fidelius teipſo. Hunc mihi aſſerua πέφυκε, qualis natus eſt, modeſtum, fidelem, excelſum, ſine ſtupore, ſine morbis, ſine perturbationibus. Hæc de conditione ſenſit, prædicauitque hominum, Philoſophus bonus, vt ſi quis ęquus, iuſtuſque arbiter eſſe velit, videat omnes ſapientes veræ Theologiæ reuerenter aſſurgentes: Hodiernam Sapientiam, non priuatam quandam, ſed vniuerſalem, humanam ipſam, a Naturaque in pectoribus hominum inſitam, atque inuſtam Sapientiam. Audi de pietate, de virtutum origine, quàm ſentiat nobiſcum, & fugandorum penituſque extirpandorum vitiorum quis ſit modus: Peſtes, inquit, has ταῦτα δ' οὐκ ἔστιν ἄλλως ἐκβαλεῖν, εἰ μὴ πρὸς μόνον τὸν θεὸν ἀποβλέποντα, Non eſt aliter eiicere, niſi ad vnum Deum reſpiciendo, vni illi cohærendo, rebus ſanctiſ-

A ſanctificatum. Si, inquit, aliud volueris, lugēs & gemens, ſequeris fortiorē, extra requirēs ſemper felicitatem, καὶ μηδέποθ' εὑρεῖν δυνάμενος: ἐκεῖ γὰρ ζητεῖς αὐτὴν, οὗ μὴ ἐστὶν ἀφεὶς ἐκεῖ ζητεῖν ὅπου ἐστί. Et nunquam inuenire potens. Illic enim quæris eam, vbi non eſt, omiſſo inquirere, vbi eſſet. Quid hac voce præclarius, magnificentius, qua vel inuiti, quanquam non inuiti, confirmant, collaudant, in cęlum ferunt Philoſophi Sapientiam hodiernam, cuius eſt omnis cura, ad veros fœlicitatis fontes, hos ipſos, quos Epictetus vidit, homines adducere? Hinc ſimilis Theologi noſtri exclamatio: Irrequietum eſt cor meum Domine, donec requieſcat in te. Proſequitur idem de hoc ipſo fine: Nulla, inquit, cauſa eſt, cur fortunæ deploremus vnquam iniquitatem, ſed beati potius haberi debemus omnibus de cauſis: μάλιστα δὲ διὰ τὸν θεὸν, τὸν ἐπὶ τοῦτο ἡμᾶς κατασκευάσαντα: Cùm primis autem propter Deum, qui nos ad hoc creauit. O diuinam atteſtationem, quam nunquam reor effudiſſet, (quanquam ſimilia Plato ſæpe locutus eſt) niſi lux illa noua, tenebris ſuperiorum ſæculorum fugatis, in mentes omnium clara illuxiſſet. Sed ingrati Philoſophorum nonnulli, & Ariſtotelis decretis corrupti, quod non ita contigit Epicteto, agnoſcere noluerunt. Repetit idem aduentum noſtrorum animorum a Deo, cunctorumque cum ipſis bonorum comitatum: Quapropter, inquit, optimus quiſque memor, & quiſnam ſit, & vnde venit, & a quo factus eſt: in id vnum duntaxat incumbet, vt locum ſuū modeſtè καὶ εὐπειθῶς τῷ θεῷ, Deoque parendo tueatur. Vis me eſſe vt liberum, vt ingenuum, ſicut tibi placitum eſt. Tu enim me ſine impedimento creaſti. Sed amplius vſum mei non habes. Tibi obſequens manſi, eidem parens decedo. Hæc & id genus ille referens, omnia iuxta Theologiam veram, in voluntatem diuinam. Ideo proſequitur; In carcerem trudit, non odio te habens. Abſit. Quis enim optimum inuiſum habet famulum? Neque negligens, ὃς οὐδὲ τῶν μικροτάτων τινὸς ἀμελεῖ, Qui ne minima quidem negligit, ſed exercens, & teſte te apud alios vtens. Nonne ego totus ad Deum, καὶ τὰς ἐκείνου ἐντολὰς, καὶ προστάγματα ταῦτα ἔχων ἐν χερσὶν ἀεὶ, καὶ τρίβων, Et mandata eius ac præcepta hæc habens in manibus, & terens ſemper intentus ſum? Audis Philoſophorum voces, veritati, quam colit omnis mundus, acclamantes? omnes ei mortales deferre cogentes, dum nullas omittunt, quas ei laudes non decantent, dum rerum finem eundem, vitæque ordinem eundem agnoſcunt, ſuſpiciunt, ſummiſſis animis adorant, Natura monſtrante viam, ſcopumque hunc tantum non oſtendente manu: propterea ſubdit Epictetus: ὁ θεὸς ἀμελεῖ τῶν ἑαυτοῦ ἐπιτευγμάτων, τῶν διακόνων, τῶν μαρτύρων οἷς μόνοις χρῆται παραδείγμασι, πρὸς τοὺς ἀπαιδεύτους ὅτι καὶ ἐστί: Deuſne, inquit, negligit opera ſua, miniſtros, teſtes, ſiue vt Græcè dicuntur, diaconos, martyres, quibus ſolis vtitur exemplis apud imperitos, quòd ſit, & quòd bene cuncta moderetur, qui res humanas non ſpernit? Ex his videre eſt, Epictetum lucem Euangelij iam toto orbe radiantem, non vt Chriſtianus. (Fuit enim Philoſophus Stoicus) ſed vt is, cui veritas non inuiſa, ſed grata eſſet, & cui certum eſſet, nullius hominis autoritatem tantopere venerari, vt iudicium veri obtunderet: adoraſſe eos, quibus inaudiata tormenta a crudelibus infligebantur, ceu diuinitatis teſtes credidiſſe. Commendans igitur & comprobans, quod eos tempeſtate ſua facere audiebat, ſic clamat: τοῦτο τὸ ἔργον ἦν, ὑμνεῖν τὸν θεὸν: Hoc erat operæpretium, inquit, laudare Deum, & ipſum in meipſo, & apud vnum, & plurimos. Non multa mihi largitur, non copioſa, non vult me luxuriari. Atque ita εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ, ἐφ' οἷς δεῖ εὐχαριστεῖν: Gratias agimus Deo, ob quæ decet habere gratias. Liberatus ſum a Deo, cognoui mandata eius. Melius enim cenſeo, quod Deus vult, quàm quòd ego. Adhærebo ei miniſter & aſſecla: κρεῖττον γὰρ ἡγοῦμαι ὃ ὁ θεὸς θέλει ἢ ἐγώ, προσκείσομαι διάκονος καὶ ἀκόλουθος ἐκείνῳ. Proſequitur ibidem diuiniora: Mihi, inquit, ſatis eſt, ſi poſſim ad Deum tendere manus, dicens quòd quas abs te occaſiones accepi, vt moderamen tuum agnoſcerem & ſequerer, has non contempſi. Egoque habeo, cui me placere oporteat, cui me ſubiicere, cui obtemperare. Nempe Deo, & his qui poſt eum. Ille me mihi ipſi commendauit, ſubiecit electionem mihi vni, traditis regulis ad vſum rectum. Addit etiam, Pugna tecū pro libertate: τοῦ θεοῦ μέμνησο, ἐκεῖνον ἐπικαλοῦ βοηθὸν: Memento Dei, illum implora adiutorem, & aſſidentē, quemadmodum Dioſcuros, in tempeſtate: Beatos etiam appellat, εἰς τὸν θεὸν ἀφορῶντας ἐν παντὶ, καὶ μικρῷ, καὶ μεγάλῳ: Qui Deum attendunt in omni re, parua & magna. Quàm præterea clara totius creationis, prouidentiæque confeſſio, cùm ait: Fruſtra igitur tibi Deus oculos dedit, incaſſum ſpiritum eis tam acrem, artificioſum, vt procul expatians, rerum viſarum formas apprehenderet, adiecit? Quis nuncius adeò velox, & diligens? Incaſſumne aerem in medio tam clarum, & pellucidum dedit, tanquam artificioſum, vt per ipſum traiiceret viſio? Fruſtra lucem creauit, qua non præſente, nullas erat cæterarum rerum futurus vſus. O homo neque ingratus eſto, neque immemor ſupremæ poteſtatis. Sed pro viſu, & auditu, & quidem medius fidius pro ipſa vita, & quibus ea ipſa ſuſtinetur, pro fructibus maturis, pro vino, & oleo εὐχαρίστει τῷ θεῷ, gratias agas Deo. Memineriſque, quòd aliud excellentius, quàm hæc omnia tradidit tibi, nimirum quòd his ipſis vteretur, probaret quantum quidque valeret. Hæc Epictetus. O ſapientiam, cum vera germanaque eſt hominum ſapiētia, vbique ſui ſimilem, radiis ſuis omnium paſſim mentes colluſtrantem. Quid aliud ſonat Theologia Moſaica, & hodierna, cultum, memoriamque Dei, ſemper inculcantes? Ecce vox Naturæ, vox cęleſtis. Quæ dixit oraculum ore Prophetarum, dixit etiam Natura ore Philoſophorum. Denique ſubiicit:

Ingrati philoſophi, Deum non agnoſcentes.

Pia Stoici verba.

Oraculum ore Prophetarum, vt natura ore philoſophorum.

Coruus crocitans tibi quid portendit. Non coruus eſt, qui portendit, ſed Deus. Quòd ſi quid ſigni datur humana voce, nonne fecit idem Deus loqui, quo ſcires poteſtatem diuinam aliis ſic, aliis alio modo ſignificare? περὶ δὲ τῶν μεγίστων, καὶ κυριωτάτων διὰ καλλίστου ἀγγέλου σημαίνει: De maximis autem, ac potiſſimis per pulcherrimum Angelum ſignificat. Hæc ad verbum ille. Ad poſtremum ait, Digreſſus hinc tecum dicito, Hæc mihi non Epictetus dixit. Vnde enim ei? Sed Deus quis propitius, per illum. Neque enim ſuccurriſſet Epicteto, hæc effari non ſolito. Age igitur τῷ θεῷ πειθώμεθα, ἵνα μὴ θεοχόλωτοι ὦμεν, Deo pareamus, ne diuinæ iræ ſubiecti ſimus. His omnibus non modò ſingularis, vniusque Dei confeſſio, hominis quem Natura duceret, ore prædicatur, ſed cuncta fermè Theologia confirmatur. D

Eadem de ſummo ac ſingulari Deo ſenſiſſe ſubſecutos Philoſophos. Iamblichum affirmare, Deum principium, medium, finem, in eo reſpiciendo, & ſequendo felicitatem eſſe. Eum eſſe Dominum omnium bonorum, principium beatitudinis, finemq; omnis Philoſophiæ. Felicitatem eſſe, ſequi mandata eius. Cap. XI.

Philoſophi fabulis, vel hominum autoritatibus nimiũ addicti.

EADEM fuit Philoſophorum, qui ſucceſſerunt, Theologia, idem ſermo, niſi cùm vel per allegorias fabularum, incerti vagarentur, & commentis aures adhibentes, a Naturæ documentis audiendis auerterentur, vel hominis vnius, ei quaſi addicti & conſecrati, decreta pertinaciter tuentes, tam non æquo iudicio mortalem illum, quàm fabulas poetarum illi admirarentur. Sed ſi quando ſeſe a coactis impoſturis exemiſſent, & ad veram Philoſophiæ viam reuerſi Naturam, cœlumque omne conſpexiſſent, tum verò ſenties mirabiles eis voces excidiſſe, tacitamque veritatem in eis vires exercuiſſe ſuas. E Videbis eos alios, quàm prius cùm in cogitationibus ſuis euanuiſſent, & quales ſpiritus mendaces, qui falſis oraculis editis, ſæpius etiam miranda cecinerunt, veramque Theologiam aperuerunt, animos, quos ſuperſtitiones raperent, ad ſe veritate reuocante. Ex his Iamblichus ſæpe Platonicorum more multos Deos nominare ſolitus, poeticis item fabulis, Aegyptiorumque ſuperſtitionibus interdum implicitus, euigilans, oculosque ad ſidera tollens, & quaſi ſupra regione terreſtri leuatus, ex antiquioribus Philoſophis ceu flores decerpens, velutque e Prophetis veris vnus, ſuper vno ſingularique Deo, ſuper omni cœleſti Theologia voces admirandas edidit. De ſecta Pythagoreorum hoc primum: θεία αἰτία ἀρχὴ, τέλος μέσον ἧς δεῖ ἀντέχεσθαι τοὺς μέλλοντας εὐδαιμονήσειν: Diuina cauſa, eſt principium, finis, medium, cui adhæreant neceſſe eſt, qui volunt eſſe beati. O vocem magnam, cœleſtem, Angelicam, non hominis, ſed Naturæ vocem. Hoc prior Orpheus dixerat, confirmatum dein a Pythagoreis, maximè verò Archyta, & Philolao, tum Platone & Ariſtotele. Proſequitur: ἐπειδὴ γὰρ ἐστὶ θεὸς, καὶ οὗτος πάντων κύριος δεῖν ὁμολογεῖται παρὰ τοῦ κυρίου τὸ ἀγαθὸν αἰτεῖν: πάντες γὰρ οὓς ἂν φιλῶσιν, καὶ οἷς ἂν χαίρωσιν τούτοις διδόασι τὰ ἀγαθὰ, πρὸς οὓς δὲ ἐναντίως ἔχουσι, τὰ ἐναντία: Nam cùm ſit Deus, & is ſit omnium Dominus, inconfeſſo eſt, oportere a Domino bona petere. Nam quos quidem diligimus, quiq; iucundi nobis ſunt, eis beneficia præſtamus: contrà ſolemus in eos affici, qui non diligunt. Hæc ille. Quid igitur ſupereſt, quo minus ſit, fueritque ſemper vna pietas, religio, ſcientiaq; Dei, vnaque ad eum ſemper animorum propenſio? Cernis a vera via ſeductos exoptatam demum lucem reſpexiſſe: quibus autem veritatis oppugnatio placuiſſet, tenebris obortis bellum ſuis dictis intuliſſe: Spes ſuas in vna demum, quæ lucet hodie, veritate quenque poſuiſſe. Dum finis, qui nunc oſtenditur, eſt is quem cuncti concorditer prædicauerunt, reſpexerunt. F Infert enim Iamblichus eodem libro: πάσης ἀληθείας καὶ εὐδαιμονίας, οὐσίας τε καὶ τῶν ἀρχῶν, ὁ θεὸς ἐξηγεῖται: Omnis veritatis & felicitatis, ſubſtantiæ, & principiorum, Deus eſt princeps. Vnde ſplendor iſte mentes eorum ſubiit, qui veræ religionis exortes fuerunt? A Natura certè, a qua, ſi deſit oraculum, veritas hauriatur. Qua duce, hæc quoque mirabiliter fudit Iamblichus idem: τέλος πάσης θεωρίας τοῦ ἑνὸς θεωρητικὸν ἀνάγειν ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ πλήθους εἰς τὸ ἕν: Finis omnis contemplationis, eſt contemplatio Vnitatis, attollere ſeipſum a multitudine ad Vnitatem. Sæpe declaratum eſt, Vnitatem antiquiſſimis Philoſophis fuiſſe nomen ſummi ac ſimpliciſſimi Dei. Multitudinem dixerunt res omnes propagatas ab ipſa. Ecce igitur beatitudo vera noſtræ religionis, aſpirare contemplando ad rerum fontem, videre illum ſicuti eſt. Hic terminus hæret omnis felicitatis, totius Philoſophiæ, quemadmodum ſacris oraculis reuelatus, ſic a Philoſophis, à natura teſtimonia petentibus agnitus: propterea propius hæc explicans, & confitens Iamblichus: ἡ μὲν γὰρ ἀμείνων ψυχὴ, μετὰ θεοῦ οἰκεῖ, καίπερ πορεύεται κατ᾽ οὐρανὸν, Anima, inquit, melior, habitat cum Deo, & per cęlum cum eo deſpatiatur. Teſtatur idem, Pythagoreos omnem vitæ degendæ rationem direxiſſe ad confeſſionem, τοῦ θείου, Diuinitatis: καὶ ἀρχὴ αὕτη ἐστὶ, καὶ βίος ἅπας συντέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ θεῷ: Et hoc eſſe principium, omnemq; vitam coordinatam eſſe ad ſequendum Deum. Sentis philoſophorum voces cum ſacris litteris conſonantes, eas reuerenter affirmantes? Quid eſt, quod ſeparet eorum Philoſophia a Chriſtiana ſapientia, quam quidem coluerunt, ſed aliis nominibus deprædicantes, animis eiſdem reſpexerunt, cùm lumen

Iamblici error, & confeſſio veritatis.

Vna religio, vnaq; ſcientia de Deo.

Contemplatio Vnitatis: eſt finis contemplationis.

Philoſophia non eſt aliena a Chriſtianorum doctrina.

pietatis

A pietatis noſtræ terras intrauit. Tunc enim Philoſophi os aperire cœperunt, audaciuſque aſſerere, quæ prius magnis ambagibus occultabantur. Quocirca ſubiicit Iamblichus: Certum eſt, inquit, ea ſolum agenda eſſe, οἷς τυγχάνει ὁ θεὸς χαίρων, ταῦτα δὲ οὐ ῥᾴδιον εἰδέναι, εἰ μήτις ἢ θεοῦ ἀκηκοὼς ἢ θεοῦ ἀκούσῃ, ἢ διὰ τέχνης θείας πορίζηται, Quibus delectatur Deus. Hæc autem non eſt facilè noſſe, niſi quis aut Deum audierit, aut arte diuina comparet ipſe ſibi. Hæc cùm dixerit Iamblichus, nonne pro philoſophis omnibus teſtis erit, eam denique religionem, ſolam vitæ magiſtram, artemque viuendi veram, mortalibus apparuiſſe, quæ Deum audiuit, cognouitq́; ex ore eius, quæ grata forent illi? Philoſophi proteſtantur neminem, quæ placita Deo ſint, facilè cogniturum, in quo totius Philoſophiæ vertitur cardo, niſi Deum audierit. Quis autem Philoſophorum Deum audiuit, qui partim oracula, partim indicia Naturæ ſecuti, loquebantur? Quo fit, vt illic ſolum vigeat perfecta cognitio bonorum, vbi diuinæ voces auditæ ſunt, cognitaque Deo placentia. Ea fuit Philoſophia Chriſtiana ſolùm, etiam verò Hebraica, ſed ea magis, quoniam quæ præſentia ſua corporaliter Deus in ea geſſit, in Hebraica per internuncios, ac legatos ſuos. His & aliis conſtat Iamblichum cum cæteris Philoſophis, ſingularem Diuinitatem, Principem mundi, Reginam rerum, Principium cauſarum cognouiſſe, ſuſpexiſſeque, creationis autorem, & a quo totius felicitatis, beatitudinis ducatur exordium, prædicaſſe.

Quæ religio vera.

B

Porphyrium, ſingularem, vnicumq́; Deum commemorare, cui rationabili ſacrificio, caſtiſque cogitationibus ſit litandum. Eum eſſe omnipotentem, omnis virtutis autorem. Cap. XII.

HAud ſecus cæteri Philoſophi, Porphyrius, Damaſcius, Proclus, Simplicius, Olympiodorus, de quibus minus fortaſſe mirum, quòd Euangelio coruſcante, cuius ad eos nitor veniebat, licet ingratos, floruerunt. Omnium quidem horum Philoſophia ſuperſtitionibus eius temporis eſt contaminata, ſed veritas tamen fulgore ſuo ſuperior emerſit. Principio Porphyrius in vita Plotini teſtatur oraculum ab Apolline non de ſe, ſed vero Deo, ſic editum:

Ingrati Philoſophi, qui etiam euãgelij luce illuceſcente, caligarunt.

Oraculum Apollinis.

Οἶδα δ᾽ ἐγὼ, ψάμμου τ᾽ ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,
Καὶ κωφοῦ ξυνίημι, καὶ οὐ λαλέοντος ἀκούω,
Eſt mihi perceptus cumulus numeroſus harenæ.
Audio quid mutus loquitur, & verba ſilentum.

Hoc oraculum ſimile Propheticis oraculis, Dæmones enim credunt & contremiſcunt. Si tanta eſt igitur diuina ſapientia, vt poſſit harenæ numerum cogitatione complecti, quæ fuit dementia, ne dicam impietas eorum, qui prouidentiam eius intra certos limites incluſerunt? Et ſi longè & incommemorabiliter maior eſt harenarum numerus numero hominum, habet autem capillos illos omnes, licet perexiguos, in numerato, non longè facilius noſcet ſingulum quenque hominum? Igitur vel tacentes, vel arcanum animi exaudit ſilentium. Idem Porphyrius de ſummo ac ſingulari Deo, in ſecundo de Abſtinentia, oſtendens quo ſacrificio ſit colendus: Sacrificemus, inquit, etiam nos, ſed ſacrificemus vt decet, θεῷ μὲν τῷ ἐπὶ πᾶσι ὡς ἀνὴρ σοφὸς ἔφη, C μηδὲν, μήτε θυμιῶντες, μήτε ἐπονομάζοντες, οὐδὲν γὰρ ἐστὶν ἔνυλον, ὃ μὴ τῷ ἀνωτάτῳ εὐθὺς ἀκάθαρτον: διὸ οὐδὲ ὁ λόγος τούτῳ ὁ κατὰ φωνὴν οἰκεῖος, οὔτε ὁ ἔνδον, ὅταν πάθει ψυχῆ; ᾖ μεμιασμένος: διὰ δὲ σιγῆς καθαρᾶς, καὶ τῶν περὶ αὐτοῦ καθαρῶν ἐννοιῶν, θρησκεύωμεν αὐτὸν: Deo quidem, qui eſt ſuper omnia, quemadmodum inquit vir ſapiens, nihil neque euaporantes, neque acclamantes. Nihil eſt enim materiale, quod non mox ſupremo Deo ſit pollutum & immundum. Quocirca neque oratio exterior, neque interior, cum fuerit affectu animi polluta: Sed puro ſilentio, caſtiſque de eo cogitationibus colamus ipſum. Porphyrius virum ſapientem reor appellat Paulum, cuius eſt celebre dictum, Deus qui eſt ſuper omnia. Deum ſupremum, altiſſimum nominat, ſentit ſolis puris cogitationibus ei ſacrificandum, quas habet, vt oraculum dixit, exploratas, cæteris ſacrificiis ſuperſedendum, maieſtati ſummæ eius non congruentibus. Diceremus quidem ipſi, primum, præſtans, verumque ſacrificium, quo Deus, qui Mens eſt, pura mente colitur, ſi quid exterius offeratur, eſſe puræ mentis illius indicium. Quid igitur ô Platonici ſupererat, qui Deum ſupremum nominabatis, venerabamini, piè celebrabatis, quàm vt eam veram religionem declararetis, quæ ſuperſtitionibus, numinibuſque falſis damnatis, coleret tantùm Deum ſupremum, eique ſola pietate, ſapientia, caſtiſſima veritate litaret. Tum ſi ſupremus, eminentiſſimuſque a vobis inducebatur, cur non hunc vnum, inepta poeticorum Deorum turba irriſa, non approbata, toto Philoſophiæ regno exturbata celebratis, non colentes amplectebamini, non hos vnos ſapere cenſebatis? Solus ille ſupremus rationi notus erat, ſeque exorari volebat & ſinebat, cæteri non poterant, quos ratio, & natura negabat. Sunt alia generis eiuſdem apud Porphyrium: ſed mihi ſatis eſt, è Philoſophis ceu flores decerpens, quos mentes ſuperſtitionibus liberatæ, ſolamque ad veritatem intentæ non rapido errorum æſtu longius abſtractæ ſparſerunt, docere

Iacob. 2.

Silentio, puriſque cogitationib⁹ colendus Deus

Simplicius de Deo.

docere ſemper decus hodiernæ viguiſſe veritatis, cunctis philoſophorum ſuffragiis comprobatum. Simplicius igitur, qui ſe Philoſophorum in numerum, profeſſionem Chriſtianæ pietatis refugiens, ponebat, incredibili miraculo ea de ſummo ſentit & docet Deo, quæ ſacræ litteræ, quarum ille maieſtatem diſſimulabat agnoſcere, perpetes concelebrant. E quibus eſt, quòd omnem refert hominum, rerumque mundanarum conſtitutionem in illum vnum, quem ſingulariter appellat vbique Deum: vt quòd ſi peccet animus, minimè ſit accuſandus Deus, qui liberum, ſuique iuris eum creauerit. Et quòd libertas electionis & arbitrij ad vtilitatem, ὑπὸ θεοῦ γίνεται, fit a Deo. Et mirabilem fuiſſe Dei molitionem, animam inter ęterna caducaque feciſſe, quæ ſe quocunque vellet ſiue ſurſum, ſiue deorſum flecteret, & quodcunque vellet, eligeret. Et quòd ipſe fecerit eiuſmodi virtutem, vt maneret immotus animus, quoad ipſe vellet. Eamque eſſe propriè cum Deo ſimilitudinem, qua nihil hominibus, beatiſque animis ſit melius. Quippe Deus habet robuſtiſſimam potentiam, omnis poteſtatis autor, itemque optimam voluntatem: ὁ γὰρ θεὸς δύναμιν ἔχει τὴν ἰσχυροτάτην πάσης δυνάμεος αἴτιος ὑπάρχων, καὶ βούλησιν τὴν ἀγαθωτάτην: ἀγαθὰ μὲν πάντα, φαῦλον δὲ μηδὲν εἶναι βουληθείς: Qui bona cuncta voluerit, prauũ autem nihil, quoad fieri poſſit. Aequata voluntate ac potentia, omnia bene efficiat, quatenus cuique fas ſit, participem eſſe bonitatis eius. Et quòd animus humanus, cui non ſit ſuperna poteſtas, quia tamen, βούλησιν δὲ ἔχειν ἀπὸ θεοῦ αὐτεξούσιον, voluntatem habuit a Deo liberam, qua poſſet cuncta bona velle, cum certum id ei fuerit, iure hac parte, Deo maximè aſſimilatur, cùm voluntatis vtitur omni iure ſuæ.

Item ex Simplicio profunda Theologia, de vno bonitatis fonte, vnico rerum, ſingularique principio, a quo cauſæ cunctæ, cunctaque principia dependeant. Et quòd ſeſe ad ferendam miſeris opem inclinet. Cap. XIII.

Zoroaſtris error, de duob⁹ principiis.

ILLA verò è profundis hauſta Philoſophiæ myſteriis, quæ contra veſaniam eorum, qui duo principia, Bonum & Malum, è Zoroaſtris impietatibus conſtituebant, Simplicius diſſeruit: Vnitas, inquit, neceſſariò præcedit multitudinem, cunctaque ex participatione Vnitatis extiterunt: ἀπὸ γὰρ τοῦ θείου, καὶ ἀρχικοῦ καλοῦ, πάντα τὰ καλὰ πρόεισι, καὶ ἀπὸ τῆς πρώτης τῆς θείας ἀληθείας, πᾶσα ἀλήθεια ἀνάγκη καὶ τὰς πολλὰς ἀρχὰς, εἰς μίαν ἀρχὴν ἀνατείνεσθαι: οὔτινα μερικὴν ἀρχὴν οὖσαν ἐκείνην, ὥσπερ τῶν ἄλλων ἑκάστην, ἀλλ' ἀρχῶν ὑπερέχουσαν πασῶν, καὶ ἐξῃρημένην, καὶ πάσας εἰς ἑαυτὴν συναγοῦσαν: A diuina enim, & principali pulchritudine, cuncta pulchra proueniunt. Et a prima diuina veritate, veritas omnis. Neceſſarióque omnia principia, ad vnum principium rediguntur, quod quidem non ſit aliquod particulare principium, quemadmodum reliqua omnia, ſed principium cuncta principia ſupergrediens, ſeſeque ſuperattollens, & omnia principia ad ſe colligens. Omnibuſque principiis præbens a ſe ipſo principalem dignitatem, vt cuiuſque naturæ congruit. Hinc igitur abſurdum eſt, duo vel plura omnino quàm Vnum, prima principia dicere. Coguntúrque duo principia Vniuerſitatis aſſerentes Bonum & Malum, & Bonum qui dicitur ab eis Deus, non amplius omnium autorem dicere, neque verò omnipotentem, iure laudare: neque ſupremam ei poteſtatem vendicare, ſed totius autoritatis dimidium: Quod ſi verum ſit, neque omnia beneficio afficere, illuminareque, πηγὴν λεγόμενον ἀγαθότητος, καὶ φωτὸς, Qui dicitur fons bonitatis & lucis. Hæc ille præclara ſuper Epictetum. In principio verò operis, longè quàm ferè cuncti Philoſophi diuinius, decerpens ex illis, & lumen Chriſtianæ religionis, quod iam toto terrarum orbe relucebat, ob oculos habens, ſic ſcribit, Omnium rerum, fons & principium eſt τὸ ἀγαθὸν, ipſum Bonum. Nam quod omnia concupiſcunt, id omnium eſt principium, & finis. A ſeipſo quoque Bonum cuncta producit, prima, media. & extrema. Sed prima & ſibi proxima, quæ ſola ſeipſo producit. Vna Bonitas multas bonitates, Vna ſimplicitas, & Vnitas, quæ ſuper omnes multas vnitates, & vnum principium, multa principia. Idem eſt Vnitas & Principium, & Bonum, & Deus: καὶ γὰρ θεὸς μὲν τὸ πρῶτον, καὶ πάντων αἴτιον: Etenim Deus quidem eſt ipſa prima, & omnium cauſa. Neceſſe verò eſt primum, ſimpliciſſimum item eſſe, quoniam quod compoſitionẽ habet vllam, & multitudinem, iam non vnum, ſed Vnitate poſterius eſt. Omnis autem multitudo, & omne quod non eſt bonum, Bonum deſiderat, vt quod ipſa ſuperemineat. Et quod non eſt principium, a principio ſit oportet. Neceſſe quoque ſupremum, omnemque habere poteſtatem, quod omnia producit. Quocirca Vnum principiũ, multa principia, multaſque bonitates, ſimplicitateſque proximè ex ſe producit, inter ſe diſtantes, ad vnum cuique proprium principium reuocatas. Vtque omnia pulchra in mentibus, animis, & corporibus, ad vnum fontem pulchritudinis rediguntur: ſic recta, vereque omnia principia & fontes, ad vnum fontem & principium: πᾶσαι ἓν αἱ μερικαὶ ἀρχαὶ ἐνίδρυνται τῇ ὅλῃ: omnia igitur principia, in vno vniuerſali ſunt defixa. In Vnitate numerus, in vna Bonitate, multas bonitates. Illudque Principium non particulare eſt, ſed principiorum Principium. Hæc Simplicius, non Chriſtianus, ſed merè Philoſophus, quod ad alia vel inde conſtat, quòd

Bonũ, principium, rerum.

Vnitas, Principiũ. Bonum, idem.

Principiũ principiorum.

Philoſo-

A Philoſophorum more, & quo diſcrimine diſtat Philoſophia cęleſtis a terrena, admiſcuit quædam non vera, quaſdam per ſe bonitates αὐταγαθότητας, numero multo cõſtituens, quę per ſe beatæ ſemper, non indigeant fontali Bono. Sentit autem Ideas ęternas, ad quarum ſingulas vti fontales & ſupremas, rerum ſeries redigantur. Ad fontalem pulchritudinem, omnis pulchritudo. Ad concinnitatem ſupremam, quæ dicitur ab eis συμμετρία, concinnitas omnis. Verùm vna eſt Idea, fonsque ſupremus omnium, vna per ſe Bonitas, cui ſubiacent bonitates omnes. Bonitates autem dico, non Ideas illas fontales, ſed omnia tam in animis, mundoque intelligibili, quàm corporibus bona. Fuit autem ea Procli, quem ſecutus is eſt, de Ideis, vti rerum genitricibus, ſentẽtia. Nos autem meliora ſecuti, probamus eis veritatem, confeſſionemque ſingularis Dei, licet ſuperſtitioſis, commentitiorumque Deorum cultoribus, placuiſſe, ſi quid eſſent aduerſus ſententiam cœleſtis ſapientiæ prolocuti, reſipuiſſe, pectoribus eorum inſinuantem ſeſe mentem meliorem, veros ſenſus neſciis, cùm venit vſus, ſuggeſſiſſe. Quorum aliquando latratibus decus veritatis eſſet imminutum, retrorſum reflexis vocibus, demum ad ſidera prouectum. Progreſſus autem Simplicius hæc quoque ſuperaddit: Quos, ait, honores offeremus, Deus hominibus declarauit, quemadmodum hiſtoriæ teſtantur, vt & nos per ipſos cum eo familiaritatẽ aſſequamur. Suntq; nobis, quæ ſunt extrinſecus vberrima, vtiliaque, diuina irradiatione fluentia. Quemadmodum enim animam, cuius autor ipſe eſt, offerimus ei, & conſecramus, expiantes eã diuinis de eo conſiderationibus, & cùm naturaliter viuimus: ſic opus eſt etiam corpus ab ipſo datum, offerre purgantes. Hæc Simplicius, agens de ſacrificio, quo primum animum, & corpus expiatum, puraq; in veſte ſacrificamus, & cùm primitias eorum, quæ Deus elargitus eſt, damus, Sanctum eſſe, iuſtumq; his, qui dediſſent offerre: Non quòd his indigeat Deus, ſed ob gratificationem, gratiarumq; actionem. Quid quòd ait eſſendi patrem fuiſſe cauſam, μετὰ θεὸν, poſt Deum, & eſſendi, beneq; eſſendi, quemadmodum Deum, parentes autores fuiſſe, referens ſcilicet in Deum diuinarum litterarum more cuncta? Et cùm dicit eum præſidijs humanis deſtitutos proſpicientem miſereri magis, ac defendere ἔρημον γὰρ ὄντα ἐπικουρίας ἀνθρωπίνης, ὁ τοὺς ξένους ἐφορῶν θεός, ἐλεεῖ μᾶλλον. καὶ μᾶλλον ἐκδικεῖ. Et cùm ait Deum vbique eſſe, cum diuinis ſuis omnibus virtutibus: ὁ γὰρ θεὸς ἅμα πανταχοῦ πάρεστι μετὰ πασῶν αὐτοῦ δυνάμεων. Et quòd cùm multa ſunt à Deo producta, etiamq; humana ſpecies. Et omnia, lapides, arbores, ſecundum virtutem cuiuſq; ἐπέστραπται πρὸς τὸν θεὸν, vertuntur ad Deum. Quin etiam ſeparationem ſpecierum futuram nunquam fuiſſe, niſi ὁ τοῦ κόσμου δημιουργὸς ὁ θεὸς, opifex mundi Deus, ſecundum ſeparatas in ſe cauſas, eas produxiſſet. Et quòd cuiuſque formæ eſt priuata cauſa, vſque ad extrema, αἱ δὲ πολλαὶ ἀρχαὶ πάντως ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἔχουσι τὸ τῆς ἀρχῆς ἀξίωμα: οὕτω δὲ αἴτιον αἰτίαν καὶ θεὸς θεῶν καὶ ἀγαθότης ἀγαθοτήτων: Multa porrò principia, prorſus ab vno Principio, principij dignitatem habuerunt. Sicq; Cauſa cauſarum, Deus Deorum, & Bonitas bonitatum eſt ipſe Deus. Quòdq; magnum miraculum eſt, quemadmodum Moſi dixit Deus, Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? Et Triſmegiſtus cum Sibyllis aſſeruit nullum poſſe ſummo Deo nomen coaptari. Sic Simplicius: ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπιστῆσαι χρὴ, ὅτι τοῦ πάντων αἰτίου ὑπὲρ πάντα ὄντος τὰ ὄντα, οὐδέν ἐστιν οἰκεῖον ὄνομα. Adhuc, ait, conſiderare decet, quòd cauſæ, quæ cuncta ſupereminet, nullum eſt proprium nomen. Nam Deus, autore Platone, priſcis fuit aſtrorum à curſu rotationeq; cœleſti nomen, exin ad intelligibiles ſubſtantias, ſed apprimè priorem tralatum. Cætera quoque nomina, quibus Diuinitatem deſignamus, ſunt ex his, quas notas habemus, rebus aſſumpta. Hæc ait Simplicius.

Reſipuerunt Philoſophi, vel inſcij.

Animus, vt expietur.

Nullum Deo nomen coaptari.

Ex eodem Simplicio, Deum eſſe abſoluti boni noſtrorum animorum principium, finemque, in quem vnum ſit reſpiciendum, cui quandiu cohæſerit animus, ſua radice hæreat, diuulſus marceſcat. Quòd mundum Deus creauerit. Cap. XIIII.

QVAM illa quoque admiranda, ſuſpiciendaq;, quibus apparet ex quo lux magna ſuperis conceſſit ab oris, eam Philoſophos aſpicientes obſtupuiſſe, lætoſq; in laudes eius os aperuiſſe, confirmaſſe, non vt Chriſtianos, quod eis nomen propter inſcitiã inuiſum fuit, ſed vt Philoſophos. Dicit enim διότι πάσης εὐζωΐας, καὶ τελειώσεως ψυχικῆς ἀρχὴ καὶ τέλος ἐστὶν ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἀνάτασις: διά τε τῶν ὀρθῶν περὶ αὐτοῦ προλήψεων, ὅτι ἐστὶ, καὶ προνοεῖ καλῶς, καὶ δικαίως τὰ πάντα κατευθύνει: Omnis beatæ & perfectæ vitæ, inquit, in animo principium & finis, eſt ſuſpectus ad Deum, & amplexus, & inclinatio, tum rectis de eo ſenſibus, quòd ſit, & proſpiciat rectè, tum quòd iuſtè cuncta gubernet: Tum obſequendo, obtemperandoq; libenter his, quæ fiunt ab eo, vt ab optima ſententia proficiſcentibus. Nam tametſi ſui iuris ſit, motuſq; anima ſuos in poteſtate, principiaq; habeat bonorum & malorum, at Deo talis creata fuit, quæ ſeipſam moueret: διὸ ἕως μὲν ἐρρίζωται τῷ ἑαυτῆς αἰτίῳ, καὶ σώζεται, καὶ τὴν ἑαυτῆς ἔχει τελειότητα, μεθ' ἧς αὐτὴν ὑπέστησεν ὁ θεὸς: ἀποσπάσασα δὲ ἑαυτὴν, καὶ ὅσον ἐφ' ἑαυτῇ ἀπορριζώσασα ἐκεῖθεν, μαραίνεται καὶ φθίνει, αἰσχρὰ καὶ ἀσθενὴς γενομένη: ἕως ἂν πάλιν ἐπιστραφῇ, καὶ ἑνωθῇ πρὸς τὴν αἰτίαν, καὶ οὕτως ἀπολάβῃ τὴν ἑαυτῆς τελειότητα, Quocirca dum ſe

Chriſtianorum nomen inuiſum philoſophis.

Omnis a Deo perfectio.

radicibus altis cum autore ſuo tenuerit, conſeruabitur, ſuamque perfectionem obtinebit, cum qua creauit eam Deus. Simul verò, vt ſe diuulſerit, totamque illinc ſeſe abſciderit, marceſcet, & diffluet turpis, ac debilis effecta. Vſque dum rurſum conuerſa fuerit, ſeque cum cauſa coniunxerit, ſicque perfectionem ſuam receperit. O verba cœleſtia, miraculum Philoſophos in pectore ſenſus hos habuiſſe, tam pias voces profudiſſe, cunctos in hodiernam ſapientiam conſenſiſſe, quæ Philoſophis, quantum velint diſſimulent, aditum ad hanc veram ſapientiam, ad hos profundos, diuinosque ſermones apperuit. Addit idem Simplicius, ὅτι πᾶσα τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς τελειότης εἰς τὴν πρὸς θεὸν ἐπιστροφὴν, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν σύνταξιν ἀποκορυφοῦται, Omnis animi humani perfectio eſt, vt ſeſe ad Deum conuertat, ſeque ad eum ſupremo coordinet. Refert item cuncta in hunc ſingularem ac ſupremum: Vt quòd non diuturnam voluptatem, quoniam exitialis ſit, Deus fecerit, Et iudicium πάντα εἰδότος θεοῦ, cuncta ſcientis Dei. Et quòd hunc finem pœnitentiæ reſpicit, vt animus omni prorſus cogitatione ab antea factis abhorreat: δῆλον καὶ ἐκ τοῦ, καὶ τὸν θεὸν εἰς τοῦτο τέλος ὁρᾶν τῆς καθάρσεως. Et quòd a piis munera Deus accipiat: ἀπὸ μὲν γὰρ τῶν εὐσεβούντων δῶρα πολλάκις ὁ θεὸς ὑποδέχεται.

Liberum agēdi principium.

Et quòd quales voluerimus eſſe, in noſtra ſit a Deo poteſtate, qui cauſam voluntatibus noſtris reliquerit, facultates eligendi permiſerit: ad minimas operationes vſque. Et quod mirabilius, καὶ οὐχ ἅπαξ ταῦτα μηχανησάμενος ἐν ἀρχῇ τινι χρόνου ἀπέστη τοῦ προνοεῖν, Nunquam deſtitit proſpicere Deus his, quæ machinatus eſſet in aliquo temporis exordio, & in eo cunctarum rerum creationem. Clariſſima enim nunc fatetur voce temporis exordium, & in eo cunctarum rerum creationem, quam in commentationibus Philoſophiæ ſiluiſſet. Neque enim, inquit, principium temporis habet Bonitas Diuina, a quo bene cuncta fiunt. Neque Deus aliquando adeſt, aliquando abeſt. Hęc enim corporea ſunt.

Deus, ſemper adeſt omnibus, ab omnibus ſegregatus.

Sed ipſe ſemper adeſt omnibus, ab omnibus ſegregatus. Et prouidentia eius, quia ſemper ipſe & vbique eſt, & bonus eſt, omnibus rebus infunditur, vt quodque meritum eſt. Et quemadmodum a lumine Solis omnia irradiantur: aliaque vident, alia videntur, alia germinant, alia proſeminantur: aliaque albeſcunt, alia nigreſcunt: alia denſantur, alia diſſoluuntur, vnumquodque vt aptum eſt, vnius ac magnæ bonitatis ſuæ, ſine labore cunctis dante portionem, neque horum ad aliquod laborante ſole, & de ſua beatitudine detrahente: Sic multo magis, bonitatis diuinæ, quæ & τῷ κόσμῳ τὸν ἥλιον δωρησαμένη, Solem mundo donauit, omnia participant ſine labore, benefiuntque ſecundum menſuram bonitatis eorum, nihil in eo laborante Deo, & ſeſe diſtrahente. Neque enim, quemadmodum res naturales recipit offenſam. Neque aduentitiam, peregrinamque habet bonitatem, ne fortè abſumpta fatiſcat. Neque aliud eſt è natura eius operari, vt ad multa noſter animus, ſic is ad prouidentiam mundi fatigetur, aut ad illam boni contentionem, quod excedit omnem mundum, debilitetur. Nam ſi perfectus animus humanus, & εἰς θεὸν ἀναχθεῖσα, ad Deum contentus, dicitur in ſublime ferri ac vagari, omnique mundo deſpatiari, quanto magis ὁ τῆς ψυχῆς ὑποστάτης θεός, animi conditor Deus, ſine defatigatione rebus ab ſe creatis proſpiciet? Hæc Simplicius de Natura diuina, de prouidentia, de animi creatione. Repetensque rationem prouidentiæ: Haud, inquit, peior hominibus ſit Deus, qui vna eademque arte partes curant, & vniuerſum, & partes quidem propter ipſum totum.

Deus, hominem nō negligit.

Neque verò, inquit, vile peculium Dei eſt homo, vt eum Deus negligere debeat: οὐδ' εὐτελές ἐστι τοῦ θεοῦ κτῆμα ὁ ἄνθρωπος. Naturam quoque diuinam in eos, qui de prouidentia eius dubitant, definit.

Dei attributa.

Nam cùm τὸ θεῖον, Diuinitas, inquit, ea natura ſit, habens abſolutiſſimam ſcientiam, fortiſſimam poteſtatem, optimam voluntatem, omniaque a ſe ipſo producens, profectò neque ſuarum rerum curam neſcit, quod nec tardiſſimis planeque bardis, & ſtupidis animantibus accidit, quæ prolem ſuam diligunt. Neque verò propter imbecillitatem tanquam vires ſuas rebus excedentibus abſiſtit.

Res nulla creata, maior creatore.

Qui enim fieri poteſt, vt τὸ παραχθὲν τοῦ παράγοντος, res creata, ſit creatore maior? Tum concludit, Quocirca omnibus modis eſt impoſſibile, quin a Deo cuncta proſpiciantur. Hæc & id genus plurima Simplicius, quem quidem arbitror apertius, & copioſius ſermones religionis noſtræ prolocutū, quòd iam terrarum orbem rerū diuinarū lux, quam Dei Filius è cœlo miſerat penetraſſet: quo claret eos veritatem quidem ſuſpexiſſe, eique penitus aſſenſiſſe, ſed veros cultores eius, propter inſcitiam, ac ſuperbiam, vt eam ſibi duntaxat vindicarent, eiusq; inuentores ſe ſuosque primos gloriarentur, contempſiſſe.

Ingrati Philoſophi, & primæ ſapientiæ fures.

Quemadmodum videlicet maiores eorum, qui furati a Barbaris ſapientiam, cuius ſe repertores, primosque autores oſtentare cupiebant, a quibus didiciſſent, ſiluerunt. Itaque ſic a Barbaris, litteris nempe ſacris, didicit Theologus eſſe, diuiniusque, quàm par erat profanum loqui, Simplicius, quemadmodum Plato ſuſcepit ab Aegyptiis myſteria de tribus Regibus, de creatione, de Dæmonibus, quæ viribus humanis comprehendi non potuiſſent. Omnis item hæc Theologia Simplicij, ſi bene cuncta reuoluas, non ſtat cum ęternitate mundi, pro qua contra Ioannem Grammaticum Chriſtianum fortiter dimicauit. Hocque argumento eſt, quos Ariſtotelis dogmata corrupiſſent, veritatem, rerumque omnium profundiorem conſiderationem, lucemque ſacrarum litterarum, meliora docuiſſe, eosque ſecutos eſſe libenter, & aſſenſiſſe.

A *Ex Proclo, de ſingulari Deo, quòd ſit Vnus, quòd Bonum, quòd prima cauſa, bonorum cunctorum Autor, Deorum etiam Creator. Quòd ineffabilis, incogitabilis, Virtutis infinitæ, Naturæ indeficientis. Cap. XV.*

IN Proclo verò (Neque enim moror ordinem, quòd ante Simplicium floruerit) quantum veritas exercuit vires ſuas, eruens ex inuito pectore velut è ſilice lucem? Dico pectus inuitum, quoniam inter confertiſſimam ſuperſtitionum turbam, quæ comes ibat ei cæteris in libris, non alio quàm veritatis æſtu ad ſermones demum rediit meliores. Vnius certè vis, & impetus eius fuit, hominem, cui domicilium, certaque ſedes eius adeò diſplicuiſſet, vt inſectatus eſſet, poſtremò velut pœnitentem, velut alium, nouumque, priſtina mente penitus exuta, voces inclytas, voces Angelorum edidiſſe. In libro, quo format ex Platone Theologiam, quanquam de ſummo Patre, quem vt ſæpe claruit, Platonici vocant τὸ ἓν, τὸ ἀγαθὸν, ipſam Vnitatem, ipſum Bonum, præclara, profundaque diſſeruit, ego flores quoſdam, paucis contentus legam. Quis igitur, inquit, ſit Rex omnium, vel ὁ ἑνιαῖος θεὸς, Vnificus Deus, ab omnibus ſegregatus, & omnia producens à ſeipſo, & per vnam cauſam præcedens vniuerſos ordines. Quis item, qui fines omnes conuertit ad ſeipſum, & circa ſe ipſum creauit. οὗ γὰρ ἕνεκα τὰ πάντα, τοῦτον ἁπάντων τελῶν τέλος καὶ πρωτουργὸν αἰτίαν: Nam cuius cauſa ſunt cuncta, hunc omnium finium finem, metam metarum, primam operandi cauſam vocans, non errabis à vero. Quis item omnium pulchrorum, bonorumque autor in omnia irradians τῷ θείῳ φωτὶ, lumine diuino, & turpe immenſuratumque ad extremum vſque, omniumque obſcuriſſimum includens? Si verba Platonis attendas, eſt id quod neque ſermonem admittit, neque notionem: οὔτε γὰρ νοῆσαι ταύτην ὡς ἄγνωσιν, οὔτε ἀφερμηνεῦσαι δυνατὸν, ὡς ἀπερίγραφον: Neque enim cogitare licet hunc, vt ignotum neque effari, fandoque declarare, vt incircunſcriptum: Sed quidquid dixeris, de illo quidem dixeris, ipſum autem non dixeris. Nam quorum ſit cauſa, poterit quidem aſſignari: ſed quidnam ſit, dicere aut cogitare non poterimus. Detrahit enim ſemper cogitatio nos ad noſtra: poſtremò concludit, Vna igitur de primo principio veritas eſto, quæ cum primis eam laudat, appellans ἄρρητον, ἁπλοῦν, τῶν πάντων ἐκβεβηκώς, Ineffabilem, ſimplicem, egredientem extra omnia. Cum igitur adoraueris eum, vocans ineffabilem, ſecundus honos erit, omnium deſiderium ipſum eſſe. Tertius, principium omnium, quo ſe facit omnium bonorum creatorem. Itaque prima ſimplicitas, Rex omnium, principatus, exceſſus, incomprenſibilis, cum nullis coordinabilis. Primus Deus, Vniformis, ſupereminens omnes cauſas. Omnium Rex, primus Deus a Platone declaratus, cuius cauſa cuncta, autor omnium bonorũ, καὶ τὴν ἀγαθοειδῆ τῶν θεῶν οὐσίαν ὑφίστησι, Creans boniformem Deorum ſubſtantiam, omnia poſt ipſum adhærentia, producens, perficienſque omnia intelligibilia, vt Sol ſenſibilia. Duos item ait eſſe Platoni modos demonſtrandæ Vnitatis. Duplex enim, inquit, tradit Plato nobis nomen τῆς ἀρρήτου ταύτης αἰτίας, ineffabilis cauſæ huius. In Republica, inquit, vocat, ipſum Bonum, fontemque veritatis, Mentem, & intellectualia vnientis. In Parmenide nominat ἓν, θείων ἑνάδων ὑποστατικὸν, Vnitatem, diuinarum vnitatum creatricem. Horumque nominum aliud eſt creationis, ac productionis, alterum conuerſionis. Procedunt enim, inquit, ſubſiſtuntque omnia à Primo: Vnitatem ad ipſum tenentes, quæ cauſa eſt omnis multitudinis. Appellamus autem ipſum Bonum, quoniam ab omnibus deſideratur: ὅτι πάντ᾽ ἀπ᾽ αὐτοῦ προελήλυθεν: ἀρχὴ γὰρ ἐστὶ τῶν πάντων, καὶ τῶν ὄντων, καὶ τῶν μὴ ὄντων: quoniã omnia ab ipſo proceſſerũt. Eſt. n. principiũ eorũ, quæ ſunt, & quæ nõ ſunt. Videlicet quod prior Empedocles,

Proclus ante Simpliciũ vixit.

Proclus reſipuit.

Deus, cauſa, finis, meta rerũ omnium.

De Deo quãquam aliquid dixeris, non tamẽ eum dixeris, quem perfectè cogitare non potes.

Vnitas diuinarum vnitatum creatrix.

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ pòſt ventura ſequentur.

Ea ſunt enim τὰ μὴ ὄντα, quæ nondum conſpicua ſunt. Eſt principium eorum quæ ſunt, & eorum quæ fieri ab eo poſſunt, non exiſtentia. Denique in eiſdem libris hæc in vniuerſum diſſerit Proclus (ne multus in eis referendis, quæ poſſunt apud autores legi, ſtomachum moueam) primum oſtendit viam, qua peruenitur ad ὑπερούσιον τῶν πάντων ἀρχὴν, Superſtantiale cunctorum principium, ſub ratione, & allegoria Vnitatis & multitudinis, quorum primum eſt creator, ſecundum res creatæ. Tum probat eſſentiam Vnitatis ab omnibus corporeis ſubſtantiis eſſe ſeparatam. Ad hæc oſtendit nomina, quibus, vt docuimus, appellatur ineffabilis Vnitas illa a Platone. Explicat item collationem primi Principij cum Sole apud Platonem. Probat item Platonem in Epiſtola ad Dionyſium de προτίστου θεοῦ, maximo, ſupremo, principali Deo, quem primum Regem appellat, fuiſſe locutum, & quomodo circa eum omnia, & eius cauſa cuncta, & vt omnium cauſa ſit bonorum. Et quod de ſuprema hac & ineffabili Vnitate Plato diſſerit in Parmenide. Audi etiam diuinas quaſdam de Natura diuina eiuſdem voces, agnoſce mirabilem, cæleſtemque apud homines Theologiam, partim a ſacris oraculis, partim ab altioribus exordiis, poſtremo ab ipſa Natura venientem: διὸ οὐκ ἐν χρόνῳ, ἀλλὰ παντὸς χρόνου ἔξω: τοῦ μὲν γὰρ χρόνου σκιδναμένου ἀεὶ πρὸς διάστασιν τοῦ δὲ αἰῶνος ἐν τῷ αὐτῷ μένοντος, καὶ κρατοῦντος, καὶ πλείονος ὄντος δυνάμει ἀϊδίῳ, τοῦ ἐστὶ πολλὰ δοκοῦντος ἰσχύειν χρόνου: ἐστὶ δὲ ἐκείνη φύσις, οὐ μόνον τῷ ἀεὶ ἄπειρος, ἀλλὰ καὶ τῇ δυνάμει: χρὴ καὶ πρὸς ταύτην ἀπειρίαν τῆς δυνάμεως ἀντιπαραθεῖσαν ἀποδοῦναι φύσιν ἀνταιωρουμένην, καὶ ἐξηρτημένην ἐκείνης: πάρεστιν ὡς ζωὴ μία, οὐ γὰρ μέχρι τινὸς ἐν ζωῇ, ἡ ζωὴ ἀεὶ

Vnitas & multitudo.

ἔχει δύναμιν τὴν αὐτὴν βυσσόγοθεν: ἐὰν ἓν λάβῃς, ἀέναον ἐν αὐτῇ ἀπειρίαν φύσιν, καὶ ἀκάματον, καὶ ἄτρυτον, καὶ ἐδαμῇ ἐλλείπουσαν ἐν αὐτῇ, οἷον ὑπερζέουσαν ζωήν. Poſt pauca, εἰς ἐκεῖνον δὲ αἱ πόλεις ἐπιστρέφονται, καὶ πᾶσα γῆ, καὶ πᾶς οὐρανὸς πανταχοῦ ἐπ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ μένοντα, καὶ ἔχοντα ἐξ αὐτοῦ τὸ ὄν, καὶ τὸ ἀληθῶς ὄντα μέχρι ψυχῆς καὶ ζωῆς ἐξηρτημένα, καὶ εἰς ἓν ἄπειρον ἰόντα ἀμεγέθει τῷ ἀπείρῳ:

Deus extra tempus.

Quocirca non in tempore eſt, ſed extra omne tempus. Cum tempus ſemper diſcindatur, diſſipeturque ad ſpatium, quod interiacet, ęternitas in eodem ſtatu permanet, & durat, pluſque eſt æterna virtute, quàm tempus, quod in multa videtur tendere. Eſt autem illa Natura non modo infinita, quia ſemper, ſed virtute. Oportetq; ad hanc infinitatem virtutis æqualem & correſpondentem ex ea pendentem ſtatuere Naturam. Adeſt igitur, vt vna vita. Neque enim vſque ad præſcriptum, & certum in vita. Hæc vita ſemper habet virtutem eandem, infinitam, intimè in penetralibus naturæ ſuæ, ſi acceperis perennem in ea infinitatem, naturam inconſumptibilem, & indefatigabilem, nuſquam deficientem, ceu vitam ſuperferueſcentem. In illum autem vrbes reſpiciunt, & omnis terra, & omne cęlum, vbique in ipſo manentia, & habentia ex ſeipſo eſſentiam, & ea, quæ verè ſubſiſtunt vſque ad animam, & vitam inhærentia, & in Vnitatem infinitam euntia, infinitate ſine magnitudine. Hæc grandia myſteria, quibus non poteſt mens humana cogitare maiora, Deoque digniora. Hic primum cernimus Philoſophos virtutem Dei infinitam, indefatigabilem fateri, virtutem æternam, perennem, nuſquam deficientem.

Deuter. 7. Rom. 9. & 13.

Deus, inquiunt noſtræ litteræ, cuius poteſtati nihil reſiſtit: cuius inuentio infinita, inexhauſta creatio, manatio virtutis æterna: Non ſolum æterna vita, ſed immenſa poteſtas æternitati reſpondens.

Deus omnipotens.

Quæ ſi nullo vnquam tempore defecit, nec defuit ipſa ſibi, ſemper habuit quo viueret, & eſſe poſſet æterna. Ab hac omnia nata pendent, quibus eſſe fuit ab illa. Immenſitas eius non corporea, ſed ſimplex, Vnitas infinita, Immenſitas incorporea, Poteſtas incognita, ſed immenſa, ſine magnitudine.

Dei deſcriptio.

Omnis terra, cælum, mare flectitur in illam, pendet ab illa. Idem hæc quoque ſcribit: ἡ τῶν ἀγαθῶν πρωτίστη καὶ ἀρχιγικωτάτη, καὶ ἑνοειδὴς ὕπαρξις, Et quæ ſequuntur, Bonorum prima, & principaliſſima, & Vniformis exiſtentia, omnium ſimul bonorum cauſas, & continentias in ſeipſas, & circa ſeipſas firmauit.

A Deo bona omnia.

Nec vſquam eſt boni quicquam, quod non ipſa poſſideat eiuſmodi virtutem. Neque beneficium, quod non ad ipſa conuertat participationem eiuſce cauſæ. Omnia enim illinc & producuntur, & perficiuntur, & ſeruantur bona, & vna omnium bonorum concatenatio, & ordo in illum vt fontem. Hic appellat, vt cernis, Naturam diuinam, ſupremam, eminentiſſimam, fontalem omnium bonorum exiſtentiam, fontem omnium quot in omni natura ſunt bonorum, principium primum, originem. Quod habet beneficium, quod naturam virtutemque Bonitatis, ab illa habet. Illic omnium aggregatio bonorum: Si quid in orbe boni, dimittitur inde: palatium, aula, vbi naſcuntur: theſaurus, vbi celantur cuncta bona: inde ad nos vſque promuntur Vitæ, animæ, corpora, mentes. Ex his, & id genus omnibus, quæ de ſummo Deo, Philoſophorum celebrantur ore, quorum verus, & limpidiſſimus, vberrimuſque fons manat in ſacris litteris, docemur omnes, vnum, eundemque Deum cunctarum gentium toto terrarum orbe diffuſarum eſſe, hunc omnibus ſæculis, hominibus apprimè ſapientibus innotuiſſe: cumque ſit omnium ore celebratus, meritis, ſingulariterque ſuis laudibus

Vna veritas, vt creator vnus.

ab omnibus prædicatus, probatur certè reuera ſapientiam cęleſtem diuinitus allatam, & veram generis humani doctrinam apparuiſſe, quæ clarum, perſpicuumque eum oſtendit, celebrauitque ſemper, quem Philoſophi adorauerunt, laudeſque eius partim a maioribus acceptas, partim ab hac ipſa Sapientia, pleno ore decantarunt, ob quas à ſuis diuini dicebantur. Sicque vna veritas eſt, ſicut Creator vnus, & hominum Natura vna.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER SEPTIMVS.

In quo agitur de creatione mundi.

Omnem nationem à vetuſtiſſimis ſæculis traditione per omnes ætates deſcendente, fateri mundum creatum. Vidiſſe quædam Creati mundi priſcos ſigna. Fuiſſe famam apud priſcos Creati mundi creberrimam. Rationes, quibus nonnulli noluerunt creatum mundum. Cap. I.

POST res æternas explicatas, de Creatione mundi diſſerendum, locus huic operi longè aptiſſimus, cuius inſtitutum eſt, docere, quod quidem non magni laboris fuit, cum ea ratione, quæ viget in omnibus, quaq́; ſapimus, loquimurq́; omnes, rerum naturas ponderamus, tum communi quodam omnium gentium conſenſu, quem inuicem ſibi per omnia ſęcula nationes tradiderunt, quemq́; ab exordio generis humani manaſſe conſtat, cunctis ritè recteque libratis, ſolam eam ſupereſſe veritatem, in quam omnium cogitationes, ſermonesq́; tandem reſoluuntur, quamq́; audiuimus cęlitus poſtea reuelatam. Ac de Creatione mundi, quemadmodum de Deo, mirabilis fuit omnium mortalium, ſignorum quoq; coniecturarumq́; conſenſus, vt quo anterius procedas, eo reperias conſtantius exordium cęli ac terræ prædicari, vt de mundi creatione videatur eueniſſe, quod de clariſſimis, vetuſtiſſimisq́; quibuſq; monimẽtis, de bello Troiano, poſt multa ſæcula, Romanorum triumphis, ac potentia, quorum illud quo fuerunt homines ei propiores, eo magis prædicabatur, diſtinctiusque apud omnes reſonabat. Circunuolutis autem ſæculis, famaque paulatim obſoleſcente, obſcurari cępit, vt vix tenuis quædam notio ſuperauerit. Sic plurima nouerunt iactaruntq́; ſuperiora ſęcula de Romanis, quorum nũc maxima pars obſcurata, ex humanaq́; opinione obliterata, pars in libris, rariſq́; quibuſdã veſtigiis vix credibilis remãſit. Humana autem imbecillitas eſt, vt tum facile obliuione capiamur, tum vix etiam pręſentia clarè intrepidaq́; fide credamus. Sic euenit de Creatione, quam cum vetuſtiora ſæcula conſtãtiſſimè prædicarent, ſignis etiam quibuſdam claris adhuc ſuperſtitibus, poſterioribus, quos diuerſæ, incertæq́; opiniones conflictarent, & in varias ſententias circunflecterent, probabilius, veriq́; ſimilius viſum eſt, nullum habuiſſe mundum principium, ſed his omnino perpaucis. Attuleruntque illi rationes, quibus maximè & credebant ipſi, nullum vnquam rerum fuiſſe primordium, & cęteris perſuadere conabantur. Itaque fit, vt de conditione mundi ſermo duabus neceſſariò partibus integretur: vna quæ reſpondeat ad eorum oppoſitiones, easq́; diſſoluat, demonſtretq́;, ſi fieri poſſit, probabilius eſſe, Naturæque conformius & aptius, res habuiſſe principium, quàm fuiſſe ſempiternas: Altera qua vetuſtatis, gentiumq́ue omnium, ac religionum proponatur conſenſus. Qui per omnes ætates ſuperiores ſenſim reſolutus, ad aliquod rerum initium denique reducatur.

Solam veritatem & ſapientiam ſuperſtitẽ.

De creatione mundi, omniũ cõſenſus.

Vetuſtiores, veriores poſteriorum verò ratio fuit obſcurata.

Humana imbecillitas facile obliuione capitur.

Conſentaneum magis naturę eſt, aliqđ fuiſſe rerũ principiũ.

Quibus rationibꝰ vſi, qui mūdū fuiſſe ab æterno ſtatuant.

Habuit igitur mundus aliquod primordium,idque Græci, Aegyptij, Phęnices, Chaldæi, totus Oriens,omnes litteræ religioneſque omnes aſſeruerunt. Cui conſenſui,quoniam naturalis eſt, veritas ipſa,rectuſque prouidentiæ,pietatis, & veritatis ordo mirabiliter aſſentitur, nunquam vtique futurus,niſi in conditione,& initio certo mundi. Ac quoniam quibus viſus eſt æternus mundus,tribus cum primis rationibus ſunt permoti: è quibus eſt, quòd ſcelus ſit inferre potius ſempiternam priuationem,rerumque carentiam,quàm ſempiternum eſſe: Altera quòd non ſit rationi conſentaneum,nec videat prudentia, cur tot ſæculorum millibus ceſſator ille Deus, quaſi de ſomno euigilans,repentè ad creandum, quod prius non faceret,ſe dederit: Tertia, quòd non ſit veriſimile,nec appareat,cur non creauerit ante hæc tempora, ſempiternis retro ſæculis ocioſus. Quoniamque his rationibus omnis ferme de conditione mundi ſermo continetur, ingrediemur ſuper his diſſerendo,paulatim, quas primus Ariſtoteles, deinde ex aliorum perſona Plutarchus, tum Proclus, cæterique de Aeternitate mundi attulerunt: quibus in dubitationem plures venire poſſe non reor, rationibus explicatis. Ac Plutarchus, grauis ſanè autor,teſtis eſt,multos ſua tempeſtate Philoſophos nihil non conatos, ſuſque deque detorquere, violentare omnia aggreſſos,vt abſconderetur, negaretur Creatio mundi, ceu graue flagitium, nefandumque piaculum adirent,qui tollerent eius æternitatem. Quibus ille ex dogmatis Platonis, quæ conabantur peruertere,& in ſuas ſententias trahere, reſpondit, de quo poſtea diſſeretur. Nunc ea quæ ex fontibus ſuis ſuggeret Natura,perſequamur.

Reſoluuntur rationes de Aeternitate mundi. Nulli Aeternitatem prodeſſe, ſed vehementer obeſſe. Hunc eſſe mortalibus omnis impietatis, omnis infelicitatis fontē,rerum humanarum confuſionem. Nullam reddi poſſe prouidentiæ rationem, rebus æternis. Non poſſe animos immortales eſſe rebus æternis: aut eos non aſcendere in cœlum: nullaque eſſe poſt vitam præmia virtutum. Stultos eſſe,qui deteriora velint æterna, quæ ſint melioribus impedimento. Non eſſe malum deſtruere mundum cauſa maiorum bonorum. Cap. II.

Aeternitas mundi,ſcelus inexpiabile.

NON enim inexpiabile ſcelus eſt,Creatio mundi, ſed Aeternitas potius, non modò ſcelus,ſi quis altius ſpectabit,ſed omnium ſcelerum,omnium religionum, virtutum, iuſtitiæ, probitatis omnis eſt interitus, vt ex omnibus flagitiis,quæ deteſtatur Natura,quoniam veritatem,lucem,ſubſtantiamque labefactant,hoc ſit principium,hoc caput,hoc profunda, vaſta,lachrymabiliſque confuſio,in qua nullus ordo, nulla veritas, ſed ſempiternus horror inhabitet. Sublata enim Creatione mundi, nemo eſt, quin noſcat ac fateatur, nec mortalitatem animorum,nec prouidentię rationem defendi poſſe,nec res humanas ceu mare fluctuantes,vllam habere ſedem,ſolumque,quo ſtabiliantur: Vt eueniat ex hac horribili confuſione, ceu cum ſublimis arbor radicitus conuulſa, aut excelſæ moli fundamentis ablatis, omnium virtutum, & cum virtutibus labentibus,hominum, rerumque humanarum confragoſa ruina, & hoc ipſo neceſſe ſit eas in nihilum redigi,ex quo illi plurimum eas ſtabilire, decorareque ſe putabant. Quis eſt enim,qui ſi ſibi proponens(quemadmodum ſæpe exemplorum cauſa proponimus ante animum quæ neque ſint,neque poſſint eſſe) nullum mundi fuiſſe principium ,extendat animum per omnia,quæ cogitanda,in Aeternitate eſſent, qui non videat cuncta ex contrario inuehi,quæ Creatio cunctis hominibus attuliſſet? Ex Creatione rerum nata eſt pietas, natum eſt,vt eum admiremur, & colamus, potentiam,clementiam,bonitatemque eius ſuſpiciamus qui dedit nobis quod ipſe eſſet. Tunc primum poteſtatem eius admirantes, quòd potuerit è nihilo tam pulchras, tamque varias, tam multas ſpecies producere, veneramur, incendimur amore in illum,collaudamus benignitatem, ac bonitatem, gratias referre geſtimus, talem ac tantum nobis parentem gratulamur. Quis enim eſt, qui cum ſe circunſpexerit, omnemque corporis ſui fabricam contemplatus fuerit, in interiores animi ſedes penetrauerit, eaque ſibi quondam à ſupremo Deo cognouerit donata, quod ſine temporis exordio fieri non potuit, quin rapiatur in cognitionem & admirationem, cultumque creatoris ſui? Hincque coniectet, ſe charum, acceptumque illi eſſe, vtpote qui prouidentiam, curam, charitatem, ſapientiſſimæ mentis in eo artificio adhibuerit: Qui cum poſſet bonis ſuis ſempiternis frui, quorum ante mundum copia circunflueret, pluſque vnus ſibi ſufficeret, quàm ſi totius mundi ad eum fieret acceſſio, maluerit tamen largiri & effundere Bonitatem. Id verò intuens animus, penitus amore incenditur & flagrat, amplectitur Parentem optimum, veneratur, adorat. Neque enim ſi dependentiam attuleris, per quam à Deo conſerueris, ac ſuſtinearis, tantopere ad pietatem acceſſeris, tam te Deo debere credideris, quàm ſi te conditum cum nihil eſſes, regi in omne tempus ab eo, & ſuſtineri perſuaſeris. A quo cum creatus es, perinde quaſi genitus, & conceptus, editusq; in lucem fuiſti, vt cum genitrices filios, quibus antea carerent,enituntur,efficiturque incredibilis genitricis, & prolis amor. Mirabiliſque eſt alacritas noſtra,cum nos ſcimus a Deo creatos, Parentem noſtrum illum audimus: ſicut incredibilis mœror, & quaſi luctus, cum tantus honos eripitur

Vt ſunt ſuppoſitiones philoſophorum

Quæ nata bona ſint ex creatione.

E conſideratione hominis, admiratio cultuſque creatoris.

Creationis cognitio quid p̄ſtat.

& per infinitatem temporum,ceu per profundiſſimas tenebras,inexplicabileſque ambages,quibus ne caput ſit,nec locus vbi conſiſtas, cogitando vagamur. Nullumque apparet in omni rerum deſperatione, & quibus refertam conſtat humanam vitam difficultatibus, cladibuſque, perfugium niſi ad eum,qui tui,totiuſque mundi autor fuerit,qui te tanquam amantiſſimus procreauerit,creatum amet,foueat,amplectatur. Quod totum prorſus conuellitur, cum primæua origo denegatur. Nec aliud ſuccurrit cogitandum, rebus æternis conſtitutis, quàm quòd condere Deus eas non potuerit: Tum quòd exiguum maieſtas eius præcellat,nihilque habeat ferme ſingulare, ſi totus mundus æternus cum eo fuit,ſi Sol,& Luna tam indefatigabili, diuinaque vi extiterunt, vt lucere in ſempiternum,moueri in ſempiternum potuerint. Ex omnibus enim dotibus,ac quaſi priuilegiis,quibus Diuinitas ſupra omnia ſublimatur, vel maximè eſt æternitas,quæ ſi ſingularis in Deo non eſt,efficitur,ingeneraturque ſuſpicio, vt ſupra mundum præcipuè cælo, luminibuſque cæleſtibus non multum maieſtas eius emineat.

Diuinitas ſola, ęterna.

Nec valet hic illa reſponſio,Regitur, conſeruatur,generatur ſemper. Verba prorſus inania,caſſaque oratio. Aut enim ſi dari poteſt ſempiterna generatio,potuit aliquando generare ac creare Deus : Et quod perenniter facit, potuit ſemel feciſſe: at ſi ita regit,vt tamen creare efficereque non poſſit,ne poteſt quidem regere,& generare. Vt quod non poſſit creare,non poſſit regere. Si poteſt ſemper, potuit etiam aliquando. Neque enim perfectè regeret,niſi in poteſtate totam Naturam,conditionemque haberet. Aut etiam conſtituuntur res æternæ, quia Deus eas creare non potuit: aut quia potuit quidem, ſed Aeternitas melior fuit. Si creare non potuit, non poterit etiam in præſentia : priuaturque maxima parte Diuinitatis Deus, quia nec creat in præſens: nec ſi deeſt facultas creandi, aderit perfecta regendi. Aeternitatem autem non eſſe meliorem,ſuperiores,aliæque multæ rationes coarguerent. Nam neque hominibus,neque animalibus brutis,nullis denique ſub cęlo rebus prodeſt Aeternitas magis quàm creatio. Similiter enim in Aeternitate cuncta, atque in Creatione corrumpuntur.

Aeternitas rerum, nõ eſt melior creatione rerum.

Nec profuit cuiquam mundum fuiſſe ſempiternum,qui tametſi ſpecies habuiſſet ſempiternas, dulcedo vitæ tamen,& vtilitas,ſenſuſque eſt particularium : particulares autem homines, tantundem in omni æternitate cecidiſſent,ac ſi mundus non fuiſſet æternus. Cuius enim æterna fuit iſta dulcedo,cum res particulares corrumpãtur,ſentire autem bonitatem,ſit particularis vnius? Hoc vel maximè de hominibus verum,quorum nihil interfuit an æternus,an creatus mundus: quia vel in Aeternitate nemo fuit æternus. Quid Platoni profuit mundus æternus, quid Ariſtoteli,ſi ſimiliter ceciderunt, ac ſi creatus eſſet? Recenſe cæteros,menteque euolue per omnes. Ne ipſi quidem mundo profuit æternitas iſta,cum omnia indiuidua ſint corrupta Itaque in particulari nullæ res capere ex Aeternitate mundi fructum potuerunt: vniuerſale autem non ſentit,nec vtile eſt particularibus,dum ea ipſa intereunt,eorum ſpecies eſſe ſempiternas. Quinetiam dum profuit ſpeciebus,obfuit particularibus,quia non habuerunt,quò referrentur capite carentia: Homineſque in miſerrimam impietatem delabebantur. Quod autem vni,& alteri nocet,nocet etiam vniuerſo. Ecce quod ad vtilitatem æternarum ſpecierum aſciſcitur,ad ruinam, calamitatemque indiuiduorum aſcitum,non cognoſcitur. Sic ad interitum quoque, & dedecus ſpecierum aſſumptum non cernitur,dum vniuerſale,quod eſt aggregatio particularium,tantundem affirmatur,quantum particularia deprimuntur. Itaque quot damna dat Aeternitas mundi particularibus,totidem vniuerſalibus det neceſſe eſt.

Quæ ad vtilitatẽ veniunt ſpecierum,ea cadunt ad interitum indiuiduorũ ſi omnia ſint ab æterno.

Virtutes autem & pietatem,prouidentiam, & quod euidens eſt, immortalitatem aufert Aeternitas mundi,confuſionem animis,perturbationemque offundit, id eſt,vniuerſis agmen afferet malorum,vt non ſit aliud Aeternitas mundi, quàm impietas æterna,æternaque animorum confuſio, męror ſempiternus, & ſempiternus interitus animorum. Sic vaſtitas ingens particularium & vniuerſalium. Itaque & hanc rationem diſcutiamus, quos Aeternitas mundi delectet, ſi bene deſiderium iſtud ſuum euoluant, nihil agnituros eos aliud ſeu cupere, quàm mortalitatis, corruptionis, flagitiorum, miſeriarum, luctuum, calamitatum, homicidiorum æternitatem.

Quid eſt vita, ſi ſit æternus mũdus.

Quid enim aliud eſt humana vita, quàm nefariorum ſcelerum ſpectaculum,fortunæ ſæuæ,niſi ſit alia ratio,ludibrium,viuorum acerba colluctatio,vexatioque perennis, iuſtitiæ & pietatis violatio? Quid aliud fit viuendo, quàm quòd regnant, vigentque rapinæ, odia, ueneficia, homicidia,adulteria, proditiones,violentiæ,direptiones, luctus vbique, dolorque, & plurima mortis imago,laſciuiæ pręterea, & corporis ad ſenectam vſque ludibria, ſexus, vſuſque naturę verę deprauatio, peſſimarum artium exercitatio, errores omnigeni,prauus ſemper rationis vſus? Denique nuſquam certa quies, dulcis animorum tranquillitas, optata mentis ac placida ſecuritas. Hæc tu vis fuiſſe ſempiterna. Ex hac miſeria effectum eſt, vt plerique pronuntiarint, meliorem eſſe ſortem, conditionemque mortuorum, quàm viuentium,& bene agi cum eo, qui ſimul natus occumberet, aut certè quàm ocyſſimè. Socrates, & eum grauis orator ſecutus, vitam hanc, quam volunt hi ſempiternam, mortem dicere non dubitarunt, quam lamentatus eſt idem, defleuitque multis lacrymis, vt qui legeret quæ ſuper eo ſcripſit, nihil mallet, quam res has relinquere. Hegeſias ſic copioſe de fuga vitæ huius diſputauit, vt a Rege Ptolemæo prohibitus eſſe dicatur, quòd multi his auditis mortem ſibi ipſis conſciſcerent. Docuit Silenus Midam Regem, non naſci, homini longè optimum eſſe: proximum autem,quam primum mori. Euripides,lugendum eſſe qui naſcitur,lætandum ſuper eo qui moritur.

Optimum non naſci prouerb.

Hegeſiæ ſermo, de vitæ miſeria, quid attulerit.

Salomon ſapiens ille, cunctis miſerijs, ſpiritusque afflictionibus & erroribus humanis conſideratis,intrepidè laudauit magis mortuos quàm viuos,præ his eos, qui nunquam ad hæc mala veniſſent.Non modò igitur ſempiterna mundi, hominumque progreſſio ei non eſt viſa vtilis, ſed eò vſque prouectus eſt,vt hoc qualecunque viuitur,cenſuerit abolendum,exorteſque lucis, prætulerit viuis, priuatioque omnis vitæ,viſa ſit ei,tota vita melior. Sic profecto priuationem mundi, non ſolum ſempiterno mundi ſtatui,ſed etiam temporario,reor, anteponere potuiſſet,niſi maior ratio fortaſſe, quæ pendet omnis ex creatione mundi, obſtetiſſet, forteque iudicaſſet, aut non intereſſe,fieret mundus necne,aut melius futurum,ſi nunquam apparuiſſet. Nam tranquilla quies meliorque ſeſe oſtentaret,niſi ſpes maior affulgeret,niſi portum, quo tranquille, quaſſata mundi fluctibus nauicula,conquieſceret,animus cerneret, & lacrymis redundare, luctibus reſonare neceſſe eſſet,& diem illam omnibus diris inſectari,quæ nos in hanc vitam extuliſſet. Longè autem paucis exceptis,quod miſerrimo illi contingeret,qui diem natalem,noctemque conceptus execratus, nullum inter annos,omnemque temporis tractum, locum eis fuiſſe deſideraſſet, maledictis proſecutus,quæcunque in vitæ ſuæ primordio accidiſſent. Iam verò quoniam quæ carent ex decretis Philoſophorum initio,fine quoque nullo terminantur, ſi mundo nullum fuit exordium,minus item exitus erit. Efficit autem hæc ratio,vt nunquam ſit futurum,quod futurum maximeque rebus humanis neceſſarium, ſapientia cæleſtis docuiſſet. Nam cum innumerabilia ſcelera in hac vita impune perpetrentur,cum multos videas innocentes miſerabiliter patrimonio,aut imperio, vitaque priuari: cum ratio vitæ, qua degunt homines, non multum ab ea, quam piſces in mari, procul ſit,quòd illi dentibus agunt,hi & armis, & omni fraudum genere, quas ratio mala miniſtrat,perpetrantibus,cum ſæpe iudicium, vindictamque Dei, vexati violenter,imploremus:denique cum maxima perturbatio in ſenſibus humanis inſidat,quòd tam malè,tam ſceleratè,tam iniquè viuentes,nemo ſit,qui iudicet,& vlciſcatur,qui bonos a malis defendat, aut diſtinguat, dum non modò bonorum & malorum æqualis,vt etiam longè deterior bonorum ſit conditio, & ſicut non prodeſt bonis bonitas,ſic malis malitia non noceat. Hæc inquam cum per omnem humanam vitam obambulent,quæ & Philoſophi viderunt,& ſuper his obſtupuerunt,ignoranteſque verum portum turbati ſunt, vt mouit multos Dionyſius,qui templis Deorum expoliatis,feliciter nauigauit, vltus eos,quos amor patriæ ad eam liberandam inſtigaſſet. Et Pœnorum crudelitati Reguli corpus eſt permiſſum. Aphricanum domeſtici parietes non texerunt, infinitaq; noſtrorum exemplorum eſt copia. Hæc cum ita ſint,cum tam multa nunc impune perpetrentur, quæ niſi animaduertantur,niſi perſuaſum ſit, meliorem aliquando ſortem futuram bonorum, maior eſſet rerum humanarum confuſio, quàm cum ſuſque deque commiſtis elementis, Chaos inhorruit, ſtatuit Deus diem rerum ſupremam, cum miſerabili hac, & cæca vita concluſa, ius ab vnoquoque in theatro totius mundi repoſcet, Satisfietque omnibus ſuper ratione prouidentiæ, & malis male, bonis bone,cunctis ſpectantibus dabitur. Quod cum in omnium oculis, totoque humano genere præſente fieri debeat,expectatur dies ſuprema, qua, facto omnium mortalium concurſu, à iudice Deo,cuncta iudicentur. Tollitur igitur hæc rebus humanis neceſſaria præſcriptio,dum philoſophis haber Aeternitatem in poſterum,cuius ante nullum apparuit principium. Et hæc ſi rectè cernas,eſt rerum humanarum terribilis illa, vaſtaque confuſio,cæcaque inuolutio,in qua iuſtitia cum iniquitate,vitium cum virtute,prudentia cum ſtultitia, probitas cum improbitate miſcetur.Nihil eſt in quo a malis boni ſeparantur,dedecus aſcendit, decor deſcendit:ſcelus ſublimatur, probitas deprimitur. Aut in eadem ſtrage iacent bona cum malis.Eſt tamen omnium Philoſophorum, quos aliqua ratio tenuiſſet, quorum ingenium a veritate non prorſus abhorruiſſet, firma, congruenſque ſententia immortali Deo curæ eſſe res humanas. De immortalitate quoque animorum,& præmiis, ob vitam honeſtè aut turpiter actam,plures locuti ſunt, etiam illi ipſi,quibus Aeternitas placuiſſet. Quorum oratio nec caput habebit,nec exitum,intricata pugnanſque ſecum conſequetur,niſi rerum origine conſtituta. Vt cum te ratio, pudorq; deducant ad confeſſionem prouidentiæ,alios autem veritatis impetus admoneat,fore malis & bonis perinde ac meriti ſunt, digna præmia,reuolui neceſſe ſit eos,ſi tueri hoc voluerint,ad creationem mundi,cuius Aeternitas facit, vt nec tota prouidentia conſiſtat, nec ea maximè pars prouidentiæ, quæ in remuneratione bonorum ac malorum eſt poſita. Ac quoniam non ſuperiores modo, melioreſque Philoſophi,ſed vel ipſe quoque Ariſtoteles aſſeruit, Deum remunerari bonos, fortunæ autem quæ dicuntur bona,cenſuit idem,quippe quæ bonis & malis ex ęquo dentur,indigna quæ recta diuinitus donari prędicentur.Hęc duplex atteſtatio efficit,vt hęc,quam dixit,bonorum remuneratio,in hac vita fieri non poſſit. Remuneratur.n. Deus pios,bona autem fortunæ ſunt temeraria. Nam ſi, inquit,diuinitus darentur,ſolis bonis darentur. Nefas.n. eſt Deum erga malos,& immeritos eſſe beneficũ.Igitur ſi non ſunt bona fortunę diuinitus,nec peculiaris eſſet hęc remuneratio, qua promiſcuè fruantur boni vt mali: Donari autẽ peculiare,priuatumq; aliquid amicis ſuis à Deo neceſſe eſt,idq; in hac vita,in qua mali ſunt ferè beatiores, non inuenitur, reuoluitur neceſſariò ratio ad alia pręmia futura poſt hanc vitam. Quorum perfecta diſtinctio,rectumque examen, omniumq; oculis ſatisfactio, atque adeò mentis perturbatæ ſedatio, alia nulla ratione, cunctis ritè conſideratis, erit, niſi vt conueniat totus ad iudicium mundus. Quoniam igitur Philoſophi confeſſi ſunt

prouiden-

Spes neceſſatia virtutibus.

Sequitur rerum omniũ inaudita ꝑturbatio, ſi mũdus æternus ſtatuatur.

Deus, ſcelerum vindex.

Diei ſupremæ ſpes, quid conferat.

Inducitur vitiorum agmẽ, tollitur virt⁹, ſi mundus æternus.

Ratio, pudor, veritatis impetus, homines adigũt ad confeſſionem ꝓuidentiæ, Dei.

Bonorum remuneratio hac in vita nõ fit omnibus.

prouidentiam, remunerationemque bonorum, hæc autem in hac mortali vita, in qua fluctuant omnia, nec ſolum eiſdem ſubiacent caſibus boni ac mali, ſed ſæpe deterior eſt conditio bonorum, non cernitur, certè nemo erit quin fateatur, ad aliam vitam ea oportere referri. Nullus autem ſermo de præmiis illis, vitaque futura fieri poteſt, ſi mundus ſit æternus, omniumq; eorum neceſſariò ſequitur euerſio, quæ de virtutibus Philoſophi diſputauerunt. Effectumque primò hac neceſſitate eſt, vt quibus Aeternitas placuiſſet, alij certum incorruptorum fine, principioque carentium animorum, numerum fuiſſe ſemper dicerent, alij vnicam cunctis animam attribuerent, alij corrumpi, euaneſcereque eos aſſererent. Et hæc omnia dedit Aeternitas mundi. Iidem tamen, quibus horum alterum viſum eſſet, multa rurſum de probitate, & improbitate diſſeruerunt, de prouidentia rerum humanarum, quibus à Deo proſpiciatur, non pauca. Nam Alexander, qui tertiam ſententiam putatur ſecutus, de prouidentia diuina multa locutus, vidimusque ſuperius eam rationem conficientem, aut non poſſe Deum, aut nolle res humanas attendere, cumque alterutrum, & abſurdum, & indignum Deo palam ſit, confiteri vt attendat. Nulla verò, ſi cęteros Philoſophos audias, res humanas reſpicias, cernitur nunc eiuſmodi prouidentia, quæ maximè in eo laborare deberet, vt boni beatè viuerent, mali à iucundiſſimæ lucis aſpectu ſubmouerentur. Quod contraria ratione tranſigitur. Sic Simplicius, qui modò primam, modò ſecundam ſententiam videtur approbaſſe, non de prouidentia ſolum diſſeruit, ſed eò vſque progreſſus eſt, vt quos oratio Epicteti, in quo libro grauiſſimè, & pulcherrimè dixit, non permoueret, ſolum ſupereſſe diceret, vt à iudicibus ſubterraneis expectare ſupplicia poſſent. Denique ipſe Ariſtoteles, qui vnam ex his ſententiis eſt ſecutus, remunerationem non tacuit. Omnem demum Philoſophum neceſſe eſt, vbi multa de natura, de cœlo, terra diſputaſſet, venire ad mores, quæ prima, præcipuaque eſt pars Philoſophiæ. De moribus autem loquentem, niſi ſubdolus ſimulator; ſæuus impoſtor ſit, aliquod caput, aliquem finem, ad quem, & à quo tota diſputatio fluat, & deſinat, ſtatuat oportet, idq; ſerio, non populariter, ex Philoſophia. Hinc effectum eſt, vt qui prius in contemplatione rerum occupati, plurima, quæ non caperent, explicareque non poſſent, aut tacere, aut contra, quàm Natura decernat, ſtatuere coacti eſſent, cùm ad mores ventum eſt, mutare ſermonem, os aperire, loqui quod Natura volebat, compulſi ſunt. Id apud Ariſtotelem, Alexandrum, Simplicium, multoſque alios reperias. Caput igitur illud, & finis quis ſit, alij tacitè innuerunt, alij apertè prædicauerunt. Apertè Plato, ſuperioresq; omnes, tacitè Ariſtoteles, apertius alij poſt eum in Philoſophia eius clari multi. Eſt autem finis, vt res humanæ ad aliam, quàm præſentem conditionem referantur, ſine qua tota claudicat diſputatio de prouidentia. Caput, vt à Deo habuerint initium. Si ſtatuis mundum æternum, ſtatuis aut vnam in omnibus animam, aut certum numerum ſempiternorum animorum, aut eos euaneſcere ac reſolui. Quodcunq: ſtatueris, tota collabitur ratio prouidentiæ. De moribus item, & fine rerum humanarum, ratione remunerationum ſermo vaniſſimus eſt, & commentitius, præſtigioſus, ac ſimulatus. Simulata, ficta ſunt ea, quæ dicis, Deum remunerari pios, ò Ariſto. decimo de moribus. Non minus ſubdola, & vana quæ de iudicibus ſubterraneis loqueris ò Simplici. Nam vnica anima nullas pęnas admittet: ſi reſoluuntur, minus. Si certus æternorum numerus animorum, æternus etiam ad corpora & a corporibus reditus, & diſceſſus. Quod ſi de moribus, & prouidentia, remuneratione, & præmiis ſimulatè locuti eſtis, & quaſi populo ſatis faciẽtes, valete Philoſophi, cum veſtra Philoſophia ſimulata, impoſtrice. Sublatis igitur & conuulſis radicibus, quibus virtus effloreſcit, vani ſunt omnes de virtutibus Philoſophorum libri, vana tota ipſa Philoſophia: cuius finis eſt docere, non obtundere: augere, non minuere: condere, non deſtruere: vtilitatem, non detrimentum afferre. Prima præſtantiſſimaque virtus eſt Pietas. Hanc velut reginam cunctæ virtutes facta corona circunſtant, ducemque ſequuntur. Sublato duce, diſpergitur agmen, palantes incertiq; vagantur. Pietas non poteſt, ſi rectè conſideres, conſiſtere, niſi ſtantibus his, quæ Moſaica, & Chriſtiana Philoſophia, Philoſophi quoque meliores, tradiderunt, quòd creauerit hominem Deus, propter hominem mundum, quòd gubernet, quòd magna præmia virtuti dabit in theatro totius mundi. Sic ſtat dux Pietas. Ablato duce diſſipatur agmen: agmine virtutum diſſipato, hominum vita, non magis hominum, quàm beſtiarum vita, deterior etiam, quòd hæ ratione carentes, ea neque ad bona, neque mala abutuntur. Exuta ratio virtute, peſſima eſt, noxia eſt. Exuitur, ſi pietas detrahitur, cum qua fugiente, terga vertit omnis virtus. Aeternitas mundi dat tres de Anima opiniones, à quibus ſic manat pietatis, & virtutis omnis interitus, ſicut aduerſa, quòd à Deo habuerint initium. Virtus omnis cum principe pietate. Vides quanta ſtrages, quis ſonitus, quis fragor omnium bonorum, quibus præclarum eſt humanum genus, Diiſq; immortalibus æquatur, ruentium? Deducimur hac opinione, ad naturam beſtiarum: humanitate, iuſtitia, pietate exuti in naturam belluarum transformamur. Illa igitur de fontibus Naturæ vberrima ratio, ſceleratam, exitialem, magnorum bonorum interemptricem eſſe iſtam Aeternitatem. Tollit enim renouationem ad meliorem conditionem, quaſique deificationem omnium rerum, quam præſenti mundo omni eius miſerrima Aeternitate, longe eſſe meliorem nemo eſt, qui neſciat. Si ſit mundus æternus, fit vt nunquam deſinat, qualis ad omne tempus fuit: nec recipiet, quam & ſancta oracula promittunt, & ſummis votis efflagitat Natura, vt penè Deum accuſet, quòd tam corruptibilem

Nulla p̃mia ſtatuũtur bonis ſi mundus æternus ẽ.

Alexandri Aphrodiſei error.

Præcipua philoſophiæ pars de moribus.

Finis diſputationum omnium.

Abſurditas, quæ conſequitur æternitatem mũdi.

Sublatis virtutis radicib. tota philoſophia perit.

Præſtãtiſſima oĩum virt⁹, Pietas.

Sublata Pietate pereũt, & cæteræ virtutes.

Deducimur ad naturam beſtiarum, ſi mundi ſtatuatur ęternitas.

bilem ſe eſſe voluerit, renouationem. Promittitur, decantatur, celebratur, clamitat, efflagitat, Natura, ac Ratio, humani primum generis reparationem. Sed dicatur renouatio deinceps omnium corruptibilium, mortaliumque rerum. Hæc omni mundi æternitate melior, deſiderabilior, optatior, qua ſine nihil hominibus miſerabilius eſſe potuiſſet. Volunt autem Aeternitatis amatores, nos in æternum miſerrimos fuiſſe, æternæ corruptioni, morti ſempiternæ ſubiacuiſſe. Miſera, lachrymabilis eſt, niſi ſit melior, humani generis conditio. Hanc omnes deplorarunt, ingemuerunt, huic multi æternam priuationem antepoſuerunt. Deus, quæ ſua eſt clementia, omnium ſtatuit renouationem, & in meliorem ſtatum, commutationem, qua diſcedent lachrymæ, luctus, abradetur corruptio, deformitas. Quidquid nunc turpitudinis inſedit, expurgabitur. Multaque bona conſequentur, quæ fando nemo audiuit, aut poſſit exprimere. Hæc adeò naturalis eſt, vt niſi futura eſſet, humana natura penè monſtrum extiterit, cuius omnis culpa in commutatione relinquitur, corrigenda. Denique ruina euerſioque eſt beatæ vitæ, mundi futuri (ſi mentem latius extendas) Aeternitas præſentis. Nec ſtat quicquam eorum, quæ de futura beatitudine, quaſi Philoſophi ſomniauerunt. Quæ quidem omnis eſt in abolitione, & commutatione præſentis mundi. Quo ſunt autem res meliores, ſunt Naturæ propiores, optabiliores, magis eas à Natura deſiderari par eſt. Naturalior beatitudo, quàm mortalitas, & corruptio. Sic naturalior mundus ille beatus, quàm corruptibilis lacriymoſus iſte. Solus debet eſſe ſempiternus in poſterum, non mundus is, per quem regnat latè corruptio, mors, cui ſi propter hominum flagitia, quibus fuerat creatus, paratus eſt interitus, neceſſariò debuit inchoari. Tam autẽ propter corruptionem turpitudinemque non dico rerum, ſed hominum, non debuit olim eſſe ſempiternus, quàm propter eadem reſcindetur in poſterum. Tam debet corruptibilis, flagitiorumque, dedecoris, lacrymarumque plenus mundus cadere, aut mutari, quàm beatus ille ſempiternus eſſe. Tamque naturale eſt, vt iſte non diu ſit, eò nec ſemper fuerit, quàm vt beatus ille ſit perennis. Sola igitur a Natura, & a Deo Naturæ principe, merentur æternitatem, in quo mirabiliter ratio conquieſcit: in quibus eſt perfecta beatitudo: imperfecta verò, & triſtia, inſuauia, & in quibus dedecus eſt, & turpitudo, non modò non debent eſſe ſempiterna, ſed aboleri cito debent a Natura, & a Deo. Et ſi ex duobus bonis, alterum altero ſit melius, impediat autem ſtatus deterioris, ſtatum melioris? profectò natura Deus, & homo deſtruent deterius, vt melius exiſtat. Illud ergo conſiderabitur, cognoſcetur a prudentiſſimis, multiq; cognouere, & confeſſi ſunt, nihil prodeſſe ipſum eſſe abſque bene eſſe. Nec tam, dulce eſſe iſtud eſſe, vt ipſum mox admireris, & collaudes. Ecce tot teſtimonia, tot exempla. Pluris, ait ſapiens ille, fit vnus homo iuſtus a Deo, quàm mille impij. Si decem iuſtos in flagitioſa vrbe reperiſſet, pluris eos, quàm omnem ciuitatem feciſſet. Deleuit igitur omnes, quòd turpiſſimos melius erat non eſſe, quàm eſſe. Nec curauit extingui, aboleri, vaneſcere tantam hominum multitudinem pręferens non eſſe, ipſi eſſe, quia non aderat bene eſſe. Sic cùm tota mundi ciuitas plena flagitiorum ſit, futuraque ſit magis, non eſt curraptus in admirationem ipſius eſſe, mundi Aeternitatem probabilem, & piam iudices. Tam non debes dare Aeternitatem mundo, quàm Deus vrbem flagitioſam maluit non eſſe. Si diuinus, ſi immortalis, ſi ſanctus fuiſſet mundus, fortaſse præbendæ aures eſsent de Aeternitate eius diſſerenti: nunc autem Natura potius ſuadet, vt cupiatur, credatur, neque fuiſse, neque eſſe debuiſſe ſempiternus. An ſcilicet vt æterna bella, ſempiternas miſerorum mortalium ſtrages, tot nefanda flagitia, Sol deſuper aſpiceret, & ſempiternum eſſet, quod eſt apud Homerum?

Quid velint aſſertores æternitatis.

Aeternitas mũdi, ruina vitę beatę.

Non merẽtur æternitatẽ imperfecta, triſtia, & in quib. dedecus eſt.

Non homine eſt animal certè infelicius vllum,
Quod tellure ſuper ſpiret, & inambulet ipſa. Noſtrum quoque.
-Subeunt morbi, triſtiſque, ſenectus,
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

Illud igitur examinetur, ſi duo ſint bona, alterum longè, & incomparabiliter melius altero, ſed ſtatus deterioris impediat ſtatum melioris, nonne ſtultiſſimi fuerit, potius deteriori, quàm incomparabiliter meliori velle locum eſse? Vt ſi manu capiendum ſit, quantum capere manus poſſit, aut ferrum aut aurum, acceptoq; ferro, non ſit locus auro, non dementis erit ferrum potius ſumpſiſſe, quam aurum? Sic cùm ſint, vt dem iſtud, duo bona, quorum alterum ſit altero incomparabiliter melius, beatitudo, glorificatio, deificatio animorum, & corporum, Aeternitaſque beatæ vitæ, alterum Aeternitas præſentis mundi, prior conſiſtere non poſſit, niſi renouato, vel abolito præſenti mundo (abolitio autem vel renouatio infert, vt non fuerit ſemper, quia, quæ fine terminantur, etiam principio clauduntur) certè dementiſſimi, naturæque parum gnari erit, potius iſtius mundi vanam, & inutilem Aeternitatem, quàm Beatitudinem animorum, ac Deificationem voluiſſe, cùm ex Aeternitate iſtius mundi nihil boni, nec ad eum qui faueat ei, nec ad alios redundet: Longè autem ſit optatior, ac melior vna illius beatę vitę hora, quàm omnis vita in hoc mundo. Hac ſtultitia, & ignoratione veri implicati ſunt omnes Philoſophi, quibus ſapientiæ ſummæ viſum eſt dare rebus corruptibilibus Aeternitatem, non videntes hanc cum omni agmine ſcelerum, inſuper beatę vitę, de qua vel profani multa diſſeruerunt, ferre ſecum perni-

Renouatio q̃d ſupponat.

Ex æternitate mũdi, nihil, boni.

Rebus corruptibilib. æternitatẽ date quid conferat.

ciem. Nos igitur potius Naturam, quàm eos audientes, delectumq; in bonis, & malis, aut bonis, & optimis habentes, dicemus incomparabiliter meliorem beatitudinem illam, ac renouationem, qua cunctas miſerias animorum, & corporum exuti, deiformes erimus, quæ & commutationem rerum, commutatio, vt non ſit æterna, inducit, quàm æternitatem corruptibilis, tumultuoſique iſtius mundi: eosq; in ſuis delyriis cæcæq; vanitatis volutabro verſari ſinemus. Quòd autem cauſa meliorum deſtruamus ſæpe deteriora: & quòd non omne eſſe, ſit eligendum, claris apparet exēplis. Sæpe domum præſentem, meliorem, elegantioremq; refecturi deſtruimus. Agricolæ, vinitores, ramos, & pampinos etiam late florentes, quanquam pulchrum voluptuoſumq; erat frondes videre virentes, amputant. Si decem catulos canis, aut feles ſuſtuliſſet, ſæpe maiorem numerum ſuffocamus. Ciuitas apud Ariſto. exiguo, certoq; hominum numero conficitur, reiicitur, vt inutilis immanis multitudo. Nuſquam Natura viſa eſt infinitatem affectaſſe, moderatis, & paucis vbique contenta. Nec placet ei qualiſcunq; multitudo. Magis autem optimis, & paucis delectatur, quàm infinitis quidem, ſed inutilibus, impenditis, incompoſitis, ſeſe inuicem euertentibus. Sic rerum corruptibilium Aeternitatem diſplicere ei par eſt, quippe, quæ omnia bona, egregias primum virtutes, rerum ad vnum caput coniunctionem, beatitudinem ſempiternam deſtruat, & tollat. Nam eos quos tantopere mundi delectauit Aeternitas, dicendum eſt animi imbecillitate, vilium, imperfectorum ſempiternam durationem affectaſſe, maiorem beatitudinem non vidiſſe (vt qui Deos bibere vinum, inter fœmineos amplexus reſolui, maiores melioresque voluptates neſcientes arbitrantur.) Quam ſi vidiſſent, nunquam rerum imperfectarum Aeternitas eis probari potuiſſet. Itaq; conſtat eadem vanitate, miſerabilique hallucinatione iſtius mundi Aeternitatem eos affectaſſe, qua deificarunt flumina, fontes, aſtra, terram, oceanum, & adorarunt elemēta iſtius mundi, ipſumq; omnem mundum, quem ſicut Deum nuncupaſſent, vt eſt apud Platonem, Ariſtot. quoq;, Marco Tullio teſte, ſic æternum voluerunt. Eſt enim Aeternitas quædam quaſi Deificatio. Diuinitatem veram beatioremq; vitam, ſtatumq; rerum humanarum meliorem neſcientes, in gremio iſtius mundi nati, curas omnes, & ſtudia, in ſpeculatione rerum viſibilium poſuerunt, quarum vt ſtudium eſſet venerabilius, & præſtantius, eas æternas, non corruptibiles voluerunt. Ne de rebus Aeternitate carentibus, ſed ſempiternis libros ſcripſiſſe viderentur. Viſum quoque eſt eis quaſi Heroicum, diſcedere à vulgari perſuaſione, nouamque Philoſophiam, quam cæteri non adeò perſpexiſſent, condere. Sed fons totius mali verus, vt dixi, fuit Glorificatio, Deificatioque luminū cæleſtium, quæ quidem incorruptibilia diuinaq; declarata, nefas ſit non fuiſſe ſempiterna. Neſcientes, nec animum ad cogitandum inſtituere valentes, cæleſtia lumina Deum incorrupta feciſſe, vt inferiora alerent, illuminarent. Id autem fieret non ſemper, quoniam non ſemper optimum eſt, ſed quoad vtile eſſet. Nec illud quoque viderunt quod euidentiſſimum, & in Philoſophia Moſis eſt, & in Natura clarum, nō homines propter cęlum, ſed cęlum propter homines effectum. Nec adeò cælum mereri Diuinitatem, & Aeternitatem, quòd ordinatè moueatur, quòd & res corporea ſit, & ſimilis in motu conſtantia etiam in cordibus, & humoribus animalium inueniatur, cæli verò ſplendor, & claritas permanensque Natura ab optimo artifice compacta ſit, quem Natura interdum imitata, ſimilia quædam, terra, & aere pariat. Sed his ſatis ſit oſtendiſſe, Aeternitatem mundi primum nemini profuiſſe, tum exitialem, pernicioſamque eſſe, quę nec Deo decus, nec homini vtilitatem conciliet, tollat autem ea quibus homo nobilis ſit, à naturaq; beſtiarum remotus, Immortalitatem animorum, virtutes, beatitudinem. Quod ſi nec Deo decus, homini autem dedecus, & detrimentum afferat, quid ſupereſt in natura, cui prodeſſe potuerit Aeternitas? Neque enim debes, dum quæris gloriam, Deificationemque luminum cœleſtium, res humanas luminibus illis longè meliores euertere: Dum Solis, & Lunæ captus amore, effundis in eos omnem Diuinitatem, homines bonis ſuis exuere: Cumque luminum cęleſtium, & mundi Aeternitas, ac Deificatio, cum Beatitudine, Deificationeque humana pugnet, malim ego Solem, & Lunam conflagrare, totum mundum ruere, nullam eius ante paucos annos, vel ſcintillam extitiſſe, quàm me beatitudine, munere, liberalitateque diuina digna, ſpoliari. Quæ ſi vel paucorum ſit, melior eſt, quàm omnis, triſtis, infelixque Aeternitas mundi, hominumq; retro mortuorum ſempiternus interitus.

Cauſa meliorum, deſtruimꝰ deteriora.

Natura nō affectat infinitatem.

Opinio de mūdi æternitate, elementa, & mundi partes Deos fecit.

Aeternitas eſt deificatio quędā.

Fons erroris omnis.

Cœlū, propter homines factū.

Repetitio breuis ſuperiorum.

Diſſoluitur ſecunda ratio, In creando mundo non eſſe prius, & poſterius tempore. Quandocunque creatus fuiſſet mundus, quæri potuiſſe, cur non prius creatus. In æternitate non eſſe prius, & poſterius. In multis hallucinari mentes humanas perinde atque ſenſus. Omnem infinitatem abſurdam eſſe, & indecoram, præter diuinam. Vnius tantum eſſe naturaliter Aeternitatem. Quòd ſuperſedens Deus creatione mundi, neque tardauit, neque ceſſator fuit. Neque dici poteſt ſuperſediſſe, ac diſtuliſſe. *Cap. III.*

SECVNDAM rationem diſcutiamus, cum qua ſequitur etiam tertia, vt vtraq; ſit clara, alterutra examinata. Non eſſe veriſimile, nec cadere in animum poſſe, vt tanta, quę mundum anteceſſit, æternitate, creationem Deus diſtulerit. Et quomodo tandem in eum cogitatio faciendi inciderit, quod in omni æternitate non feciſſet. Et ſi creare viſum eſt ei, cur tot annorum

Refellitur alterum de mundi æternitate argumentum.

norum millibus antè non condiderit. Primum igitur conſiderare, & animaduertere, rationeque perpendere operæpretium eſt, noſtrorum animorum imbecillitatem, ac ludificationem, quibus euenit ſæpe, quod oculis corporeis, cùm baculum in aquam intuentes, fractum referunt animo: maiorem matutino, & veſpertino tempore Solem dicunt, quàm meridie.

Vt ſenſus fallaces ſunt, ſic animus ſæpe.

Eundem nuntiant maiorem non eſſe menſura bipedali. Nec ſolum in ſenſibus qui tamen iudices habentur incorrupti, eſt deceptio, ſed in animo multiplex, ac varia, vt mirabilis ſit rerum, quæ placent & diſplicent, bona vel mala putantur, varietas iudiciorum.

Ratio ac mens caſtigat errorē.

Ac ſunt multa, quæ cùm nobis videantur, accurrens ratio, ac mens, & in ſeipſam conuerſa, caſtiget errorem, ſicut cùm veniam noſtrorum ſcelerum imploramus, aut errores noſtros, quod fecit Hippocrates, & Auguſtinus, confitemur, refellentes ſcilicet priorem ſententiam, in qua nos hallucinatos eſſe deprehendimus. Sic ſæpe fit, vt incidat in animum abſurda cogitatio, ſubitoque accurrens ratio corrigat errorem, dicat rem ſic habere non poſſe, ſecus ſentiendum eſſe, propter maiorem validioremque rationem. Ecce occurrit animo, difficileque eſt non aſſentire, extra cœlum ſemper aliquid eſſe, ſuccedereque res ſibi inuicem, in infinitum, quia non capit animus illud nihilum, cui extremitatem oportet eſſe adiunctam. Is error ea ratione corrigitur, quòd impoſſibilis ſit, & abſurda infinitas rerum.

Abſurda ē rerum infinitas.

Similis error accidit infinitate durationis mundi. Percipienda igitur primum, diligenterq; attendenda, rerum vniuerſalis infinitas, & omnis qui in ea verſatur error aperiendus. Nam cùm ſpecioſa prima fronte videatur, quòd quo maior ſit numerus bonorum, hoc probabilior & optatior, naturæque adhærentior iudicetur, fit hac ſpecioſa perſuaſione, vt infinitas temporum ac ſeculorum, rerumque ſub ſæculis infinitis natarum, bona, & naturalis videatur.

Error occultus errore manifeſto detegitur.

Vt autem errorem occultum, errore manifeſto ſæpe detegimus, oſtendentes abſurdum, ac impoſſibile quod fieri poſſe ac naturale videretur, ex eo quod non tam occultum, & ab oculis remotum eſt, cuiusve abſurditas eſt clarior, ſic qui vellet iſtam irrationabilem, abſurdam, & aduerſam naturæ rerum ſempiternarum æternitatem cernere, animoque ſuo declarare rerum ſempiternarum cupiditatem, & apparentiam eſſe præter naturam, clarioribus exemplis vſus, eam fortaſſe coarguat. Opinantur probabiliorem, magiſque naturalem eſſe infinitatem ſæculorum, quàm principium ac terminum, aut numerum certum, eoque putant naturalius ſemper mundum fuiſſe, quàm aliquando cœpiſſe. Oportet igitur animorum, ac temporum infinitatem abſurdam agnoſcere, ex omni alia abſurda infinitate vt mundorum, vt infinitate extra mundum. Si placet enim infinitas, eamque arguis meliorem, quia infinita eſt, arguas etiam licet melius non modò plures mundos, ſed innumerabiles eſſe, quàm vnum, quia quo plures res ſunt, hoc melius eſt. Aut ſi vnum mundum concedam, melius mundum millies plures homines quàm præſentem eorum paucitatem habuiſſe. Melius, ſi cęlum non potuit in immenſum extendi, ſaltem effici centies latius aut ducenties. Melius infinitam vim hominum ſapientum, innumerabiles item ſtellas exiſtere. Sic melius vnumquenque hominem, ſi placet multitudo, centum manus habuiſſe, cęlum vertice tetigiſſe, proceriorisque ſtaturæ eſſe.

Vagetur animus ꝑ abſurdas īfinitates, vt finitum rerum ſtatum tandē agnoſcat.

Montes item aureos, aurea flumina extitiſſe. Vagarique poteſt animus per omnes abſurdas infinitates & rapi cogitandi ludibrio, velut à ventis, ad omnia, nuſquam ſiſtens. Simile prorſus ludibrium, errantis, & captantis ſæculorum ceu meliorem Aeternitatem. Agnoſcas igitur abſurdam ex reliquis infinitatibus. Non inuenit vllum extra cęlum finem cogitatio, nec adduci poteſt, quin opinetur vbi deſinit ſupremus orbis, ſubſequatur hæreatq; aut corpus aut quiduis aliud. Putes plures eſſe mundos, nunquam tam exiguum hunc fieri debuiſſe, decuiſſe maiorem numerum hominū exiſtere, ſtellarum copiam numeroſiorem, latius mare, latiorem terram.

Impoſſibilitas exiſtēdi profecta ex abſurditate. Quid ſit īfinitas.

Perſpicuum igitur ſit inimicas eſſe naturæ, & ad conditionem eius minimè aptas, omnes infinitates, vt quæ nec fieri poſſunt, & impoſſibilitas exiſtendi profecta ſit ex abſurditate, quòd omnis infinitas, ſine capite, ſine ordine ſit, confuſionis plena. Nec aliud eſt infinitas, quàm inane animi commentum, vanumque cogitationis ludibrium, quæ poſſit non modò per omnes Naturæ conditiones tendere, ſed extra naturam lapſa per ea quæ neque ſint, neque fieri poſſint quaſi naturæ, fingens ſibi omnia, temere in ea incurrentia, ipſorum quoque Philoſophorum ſuffragiis condemnata. Vera enim ſunt, quæ Proclus refert: ἡ μὲν ἐν ἀπειρίᾳ, παντάπασιν ἄγνωμων, καὶ ἄλογος, καὶ μηδεμὴν προσιεμένη θεόν, ἀλλὰ χρωμένη πρὸς πάντα τῷ κατὰ τύχην, καὶ αὐτομάτῳ: ἡ δ᾽ ἐν ὡρισμένῳ πλήθει, καὶ ἀριθμῷ κόσμων, ἐπιμέλεια καὶ πρόνοια: Eſt, inquit, infinitas irrationabillis, incognoſcibilis, nuſquam recipiens Deum, ſed vbique temeraria, & fortuita, procuratio autem & prouidentia in multitudine certa & numero mundorum.

Infinitas qd ex Proclo.

O Procle, cur non vides etiam in infinitate temporum, quod opinaris in infinitate mundorum? Et quod item ait Plinius de infinitate mundi, transferatur ad infinitatem temporis: Quaſi, inquit, non eadem quæſtione, ſemper in termino cogitationis occurſura, deſiderio finis alicuius. Ac quanquam Philoſophi diſtinguant infinitum in actu, & in potentia, primum negantes, ſecundum concedentes, dicendum eſt, quod prohibet ne ſit ſecundum, idem prohibere ne fuerit primum.

Infinitum duplex philoſophis.

Nam cùm tempus reſpiciat non futurum modò, ſed etiam præteritum, vt illud ſit verum tempus quod præteriit, totque millibus annorum confectum ſit, extiterit iam hoc infinitum, ſuamque ſubſtantiam, qualis qualis eſt, habuerit, & nunc eſſe ac dici poſſet infinitum. Et potuerit fieri in præteritum, quod nunquam in poſterum fieri poſſe dicas. Nunquam enim fore infinitum tempus in actu dices. Sed friuolas has vanasque ſubtilitates relinquamus illi: quæ ſuis Natura docet vocibus, execrabilem eſse Aeternitatem, innoteſcant. Perinde enim ſuam fert ſecum confuſionem, ſicut illa mundorum, ac rerum infinitas ſuam. Meritoque quibus infinitas iſta placuiſſet, abſurdiora confiteri compulſi, & ab illo cogitationum ludibrio, tanquã phreneſi ad inuſitata, inaudita ſunt raptati. Nuſquam igitur Natura patitur infinita, quæ cernitur vbique moderatis delectata. Non eſt pulchritudo aut vtilitas in infinitate, ſed temperamento, moderatione, numero certo. Iã aufertur & interpellatur decor, non modò ſi infinita, ſed ſi plura addideris, quàm ſi pauciora. Vbiq; ſunt certæ leges, limites præſcripti, & intra ſuas metas habitat venuſtas, quam ſi vel ad plura vel pauciora redegeris, labefactaris, ſuſtuleris, venuſtatis re & nomine, priuaueris. Certis regionibus circumſcriptum eſt cælum, definita terra, cæleſtes orbes, & lumina, generis humani multitudo, numerus ſtellarum. Nec plura facta ſunt vbique, aut pauciora, quàm quæ venuſtas, & vtilitas poſtulaſſet. Nuſquam temeraria rerum immenſitas, & infinitas aſpicitur. Vbi plura ſunt, quàm deceat, confuſio eſt, turpido eſt. In illa ſæculorum ac rerum infinitate, aut æternitate, turpiſſima quæque ſordeſcit confuſio. Quàm pulcherrimum fuit, vt aliquo principio, & capite res includerentur, ab aliquo initio manarent, tam fuit turpiſſimum eſſe eas, ἀκίφαλας, ſine capite, ſine initio, eoque ſine ordine. Quod cogitans ſapiens animus, triſtatur, mœret, nec habet vbi ſiſtat. Sicut autem modicis delectatur Natura, ſic ars imitata Naturam, concluſit cuncta artificioſis præſcriptis. Ipſi quoque non delectamur, vel audiendo, vel videndo, niſi modicis, vt quod ait ille, ſi cui ſit infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. Sic perpetuare mundum non patitur ratio, ea perpetuatione, quæ nunc vſque ducta in æternum fuerit. Nam quod futurum eſt in poſterum, habuerit initium, cui nitatur, nec vnquam erit infinitum, quod aliquando habuit principium. Clarum igitur eſt, niſi Deum, cuius nullum debet eſſe principium, ipſe omnium principium, æternum nihil eſſe debuiſſe. Neceſſe enim eſt, Deum fuiſſe ſempiternum, quòd ante eum nulla ſit maieſtas, nec aliud initium. Qui niſi fuiſſet æternus, nec ipſe naſci ex nihilo, nec res ex illo potuiſſent. Solus igitur ipſe debet eſſe ſempiternus, res autem, & mundus non debent, tum quia habuerunt vnde naſcerentur, tum quòd nefas ſit æquari Diuinitati ac maieſtati eius quicquam. Aequaretur autem, ſi pariter ſempiternum eſſet. Peculiaris enim eſt naturæ diuinæ dos, Aeternitas, qua demonſtratur ipſum ſibi principium, ortuſque ſempiternus eſſe, nec à quo procederet, indiguiſſe. Quem gradum ſi res attingerent, non ſingulare decus id ac neceſſitas Diuinitatis eſſet. Nec valet, ſi detur æterna manatio, aut dependentia. Ad Aeternitatem quouis modo res attingentes, vel in æternum à Deo naſcentes, per Aeternitatem coæquarentur. Melius igitur mundo, & ad conditionem naturæ eius aptius eſt, habuiſſe principium, quàm ſemper fuiſſe, vt ſeruetur maneatque Deo ſoli dignitas Aeternitatis. Qui niſi ſempiternus eſſet, non ſolùm illi, ſed etiam nobis origine & cauſa carentibus nocuiſſet. Prodeſt autem nobis, vt ille ſolus ſit ſempiternus, quoniam Aeternitas eius fuit cauſa natalis noſtri. Et prodeſt illud caput eſſe præſtantiſſimum, omnique dignitate, & æternitate præcellens. Tamque pulchrum eſt & vtile nobis, habuiſſe principium, quam decorum & vtile vniuerſo, vnum illum eſſe ſempiternum. Cuius decus, & excellentia redundat in honorem noſtrum, dum habemus caput nobiliſſimum, originem infinitam, principem æternum. Nec nocuit, nec dedecus fuit nobis, ſemper non fuiſſe, qui nec ſentiremus ipſum eſſe, & natis poſtea melius fuerit habuiſſe caput ſempiternum, qui illa Aeternitate excepta, quod nefas, & impoſſibile eſſet, omnibus præterea bonis, vel ipſa Diuinitate nos donaturus eſſet: Quæ donari non potuiſſet, mundo iſto corruptibilli ſempiterno, in quo eodem ſemper manente nulla beneuolentiæ diuinę erga genus humanum probatio fieri potuiſſet, Semperque quæſitum fuiſſet, cur id prius non feciſſet: Cur quandocunque beneficium contuliſset, in æternum retro non contuliſſet. Nec verò ſolum non malum eſt aliud æternum eſſe, aliud creatum, aliud ſupremum, aliud infimum, ſed etiam optimum ac neceſſarium. Sic in homine eſt nobiliſſima pars ratio, eſt venter & pedes indigniores. Sunt item genitores antecedentes prolem. Idem in omni Natura, quæ mirabili varietate decora eſt, vbique viuit. Ita fuit & in omni mundo venuſtiſſimum, vt ipſum principium eſſet ſempiternum, res autem haberent initium, creatore cùm omni alia dignitate res creatas præcellente, tum verò Aeternitatis honore. Cognita igitur & animaduerſa abſurda infinitate temporum, informique æternitate rerum, ex aliis abſurdis infinitatibus, & viſo pietatis veræ, ac naturalis eſſe, vnius tantum fateri, & agnoſcere Aeternitatem, iuſtitia poſtulante, vt cuius ſupra omnes præſtat ineffabiliter maieſtas, ſolus eſse ſempiternus, ſolus his debitis honoribus, à nobis adorari debeat, facilis erit reſponſio ad ea quæ obiiciebantur. Nunquam enim ceſſator fuit Deus, nec vita ſempiterna eius vocari debet ceſſatio, ſed neceſſaria, naturaliſque Aeternitas, quam nullæ res neque potuerint, neque debuerint attingere: quæ quandocunque creatæ fuiſsent, ſemper æternus ille, ipſæ creatæ, & inchoatæ dicendæ fuiſsent. Vt eadem conditio futura fuerit, ſi vel ſexcentis millibus annorum antea mundus creatus fuiſset. Tantundem enim Deus æternus, tantundem mundus non æternus erat futurus, eadem in omni Aeternitate menſura manente. Quare mentis error corrigendus, per abſurdas has infinitates vagantis. Nunquam enim locum, finemque inueniet, qui quæret, cur non antè creatus mundus: cur tandiu Deus ceſſauerit. Quidquid tibi finxeris,

Æternitas mundi perinde execrabilis, vt mundorum infinitas.

Modicis natura delectata.

Nõ eſt infinitum, quod aliquãdo habuit principium.

Solus Deus ſempiternus, & cur.

Peculiaris Deo æternitas.

Melius eſt & aptius, vt mũdus, principiũ habuerit, & cur.

Beneuolẽtia diuina ex creatione mundi agnita.

Quib. modis principium ſempiternũ, & præcellẽs intelligit. Dei naturalis æternitas.

Antipodas eſſe certiſſimũ eſt, quanquam id negarint. Lactan. li. 3. cap. 24. & D. Aug. de ciuitate Dei 16. c. 9.

Aeternitatem aſtruere iis, qui diſcernũt de iis tantum, quæ fiant in tẽpore, abſurdiſſ. & planè difficile.

Deum nõ debere ea eſſe conditione, & ſorte, vt nos.

xeris, ſemper idem erit, remanente ſemper eadem Aeternitate. Animi ludibrium eſt, cæcaque hallucinatio, vt qui non poſſunt adduci credere Antipodas, cogitatione fingente ſibi, ſi qui eiuſmodi eſſent, ruere eos in inferius cælum. Sic ipſum cœlum ſub pedibus neceſſariò fore, mare quoque, & omnis aqua ſuperna videtur eis fluere in cælum. Qui quidem error ratione caſtigatur & exemplo. Adhibe ſimilem caſtigationem in hac vana cogitatione, ſtultaque animi vanitate. Neque enim erat adhuc ante, vel poſt, prius, & poſterius, nec tandiu. Indiuiſibili quadam, & incomprehenſibili ratione coniuncta fuit creatio cum Aeternitate. Ipſaque Aeternitas non habet prius, & poſterius, neque in illa Aeternitate fuit, quod antegrederetur, quod ſubſequeretur, quod fit in tempore. Difficileque nobis, qui ſolum tempus habemus exploratum, nunquam in Aeternitate fuimus, erit percipere, inque animum inducere, vnicum Sempiternitatis ac ſimplicem actum. At agnouere, & confeſſi ſunt Philoſophi, præcipuè Plato. Quare quærens cur ante tot annorum millibus Deus ceſſauerit, falleris, pueriliter laberis, non vides te tempora fingere, vbi nulla eſſent tempora. Fingis in illa Aeternitate fuiſſe quod ante, quod in medio, quod poſt ſequeretur, fuiſſe diuturnitatem, breuitatem, temporis conditiones, & fluentium, inſtarq; aquæ prætereuntium rerum, quæ nunc natæ, poſt creſcunt, ac dilabuntur: ſuccedunt aliæ, fitq; idem circuitus, totaque ratio vnum quondam temporis exordium reſpicit. Illic nil tale. Vbi nullum fuit exordium, ne fuit etiam prius & poſterius, quæ maximè principium quoddam reſpiciunt. Sic bellum Troianum anteceſſit Perſicum: & Moſes omnium ſcriptorum eſt antiquiſſimus, quoniam & principium fuit cui tota temporis niteretur ratio, & anteceſſio. Et res, collapſis prioribus, ſucceſſerunt, quæ prius non eſſent. Illic quoniam eadem res ſemper eſt, nec aliud antè corrumpitur, aliud ſurgit, ac ſuccedit, ſed idem ſemper ſtatus permanet, non poteſt niſi per errorem & inſolentiam aſciri prius & poſterius, quibus tempus integratur. Fluuius eſt tempus, res quoque fluunt, Diuinitas eadem eſt. Quare qui fingat ibi prius & poſterius, accidit ei, quod his, qui putant Antipodes labi in inferius cęlum: Ac ſi poſſet intelligi, quanquam periculum eſt ne non intelligatur: adeò varia eſt à tempore, & eo, quod nunc viuimus, Aeternitatis ratio, vt dicendum ſit, coniunctam fuiſſe indiuiſibiliter, nullo ſpatio intercedente, Creationem cum Aeternitate. Nulla fuit igitur vacatio, nec ociabatur Deus, quem etiam (tanta animi noſtri obtuſio eſt) vt non capiamus vbi potuerit eſſe antequam mundus fieret, exiſtimantes eum perinde ac nos & noſtra, aliquo mundi loco neceſſario contineri & intercipi. Atqui nemo fuit, quin fateretur, omni mundo Deum eſſe maiorem. Quid igitur aliud, niſi ſtupor, obtuſaque acies, te cogit addubitare, ac quærere, Deus vbi eſſet ante conditum mundum, ſi mundo maior eſt, res autem continens eſt maior contenta, Deus toto mundo maior, vt mundo nequeat intercipi? Sic non egebat hoc mundo, quo contineretur, qui nec capere quidem eum poſſit. Sunt alia, vt principio dixi, abſurda noſtrorum imbecillium animorum ſimulachra, figmentaque, quibus rationis, prudentiæque auxilio diſſipatis, docemus nos ipſos, aliunde petitis exemplis, ſæpeque ab errore reuocamus.

Examinantur Philoſophorum, primum Ariſtotelis de Aeternitate rationes. Ariſtotelem non impugnare ſimpliciter Creationem, ſed qualem nonnulli ante eum deprædicaſſent, qui Chaos æternum, Creationem in tempore fuiſſe aſſerebant. Priſcos non quemadmodum calumniatur Ariſtoteles, tempus æternum credidiſſe. Priſcos aſſeruiſſe tempus, & cælum creatum, creatum cœlum ex liquida aquæ ſubſtantia.

Cap. IIII.

Qui ſtatuerint ęternitatem mũdi.

Iob. 8. de natura.

Tria inſeparabilia, tẽpus, motus, cœlũ.

HAec fuit prima ſermonis ratio, de mundi, vel Aeternitate, vel creatione. Secundo eſt, vt preſſius, ac nominatim eorum rationes apponantur, quibus viſa eſt Aeternitas probabilior. Ex his fuere præcipuè tres, Ariſtoteles quidem primus, poſt quidam Platonici, exinde Proclus & Simplicius, qui creationem euertere non ſolum à natura, ſed etiam autoritate Platonis conati. Quorum priori reſpondit quidem ſolerter Ioannes Grammaticus, nos autem quoad huic operi congruit, partim eadem, partim diuerſa ratione reſpondebimus. Paucas igitur quaſdam rationes attulit ſuper Aeternitate Ariſtot. è quibus eſt in octauo de Auditione naturali, & in libris de Cęlo, ea, quòd mutuo ſe conſequantur tempus & motus, & res quæ mouetur. Omnes autem præter vnum Platonem, confeſſos tempus æternum, quod neceſſariò ſequatur æternus motus. Nam ſine motu cæli, non eſſe tempus: Sic non eſſe motum ſine re mota. Itaq; tria hæc ab inuicem eſſe inſeparabilia, Tempus, Motum, Cœlum. Vt qui dixerunt tempus æternum, neceſſariò motum, & cælum rem motam, æternam dixerint. Sic totum mundum æternum. Argumentumque eſt à conſenſu maiorum validum certè, ſi ſit quod ait: ſed prorſus in contrarium oſtendam. Neminem priſcorum, tempus aut cęlum æternum dixiſſe. Altera ratio à Natura ducitur: Nullum tempus ſine præſenti, & nunc, eſſe aut cogitari poſſe. Ipſum autem nunc, ſeu præſens, medium eſſe quoddam inter principium, & finem, principium futuri, finem præteriti: Sic neceſse eſse ſemper eſse tempus. Extremum enim poſtremi accepti temporis, in aliquo nunc præſenti eſse. Nihil enim in tempore accipi poſſe, præter

ter præſens. Quocirca, qm̄ ſemper eſt principium & finis, ipſum nunc ſeu præſens, neceſſariò ſemper ad vtramq; partem eius eſſe tempus. Tp̄s autem ſempiternū, motū inducit ſempiternum. Hæc rō (pace tanti viri dixerim) non modò naturalis non eſt, ſed penè ſophiſtica. Alias rōnes propoſuit aliis in libris. De Cælo, quòd corpus illud ſit diuinum, incorruptibile, cuius nunquam fuerit, nec maiorum memoria dicatur fuiſſe, labefactio: Quod ſit Deorum domicilium ex maiorum autoritate, vt æternorum æternum. Quòd ſit præter quatuor elementa quintum diuinum corpus: Quòd dictum ſit æther, ab æterno motu: quòd ſi ſit incorruptibile, non ſit creatum: Incorruptibile à Platone dictum: Ex ordine item rerum conſtanti: Ex ipſo corpore. In libris autem poſt res naturales, quòd à diuinis Intelligentiis regatur, quòd æterno motu moueatur à Deo primus orbis, ſic omnes deinceps: A ſubſtantiis æternis animatum. Hæ ferè ſunt Ariſtotelis rationes. Illud autem primum in his ſciendum, attenteque animaduertendum, non vſquequaque rationes eius contra dogma noſtrum, & creationem mundi, qualem tradimus ipſi, tendere, ſed potius aduerſus ante eum de Creatione locutos. Tres enim abſurdas de Creatione mundi producit idem maiorum opiniones: Alios tempus æternum, ſine cælo, & mundo ſtatuiſſe: alios creatum mundum, ſed in poſterum incorruptibilem: Partim modò naſci, modò corrumpi, idq; in omni Aeternitate: omnesq; rationes eius id laborant, vt hæc doceant abſurda, præſtareque mundum ſemper fuiſſe, quàm quoduis horum trium oſtendentes. Nos autem qui è tribus illis nihil aſſerimus, qui & tempus cum cęlo, & mundo ſimul natum dicimus, mundum autem aliquando creatum, non incorruptibilem, ſed corruptibilem, quanquā alia ſublimiore rōne, quàm Philoſophorū illa, quòd oīa orta occidant, nec tertium, ꝙ mundus modò cadat, ac ſeneſcat, modò reficiatur, ſtatuimus, certè liquet, rōnes oēs eas contra Moſem non dirigi. Optimum verò eſt, abſurda, & à Natura diſſidentia deſtruere, veritate tamen integra, quā ſæpe dum defendimus, labefactamus. Prima igitur ratio, & atteſtatio non modò non aduerſatur nobis, ſed ipſius etiam Ariſtote. teſtimonio prorſus eſt falſa, vt non mea, ſed eius autoritate arguatur, priſcos æternum tempus, poſtea cœlum natum non crediſſe. Conferamus igitur inter ſe loca. Octauo de Auditu Naturæ libro, præter vnum Platonem, tempus æternum cunctos ſtatuiſſe refert. At verò in libris de Cęlo, omnes Græcos, & Barbaros attribuere Diis cęlum vti immortalibus, & ingenitis, immortale, & ingenitum. In libris poſt res naturales, pręclarè maiores ſtatuiſſe Deos cęleſtes, primas, æternasq; eſſe ſubſtantias. Poſſe item multis rationibus probare, fermè neminem è priſcis, niſi fortè vnum Democritum, tempus æternum, cęlum creatum dixiſſe. Nam Timæus Locrenſis imaginem Aeternitatis dicens Tempus, id tunc extitiſſe dixit, cùm cęlum factum eſt. In qua ſententia veriſimile eſt etiam Pythagoram Pythagoreosq; omnes fuiſſe, fuit apertè Triſmegiſtus, & Orpheus. Sed relinquamus hanc nihil contra nos, vt dixi, pugnantem rationem, & deſtrui patiamur ab illis, quæ fuiſſent à nobis euertenda. Secunda ratio, quòd tempus ſemper habuerit præteritum quomodo vera erit ei, qui cælum nullo adhuc tempore ſentit creatū? & cum cælo, tempus creatum contendit? Vbi fuit præteritum illud, cùm cælum creatum eſt, ſi non Sol, non motus vllus adhuc cæleſtis eſſet? Quid cogitauit Plato, qui Ariſtotele autore creat tempus, cum tempus poſt natum cœlum, aut cum cœlo dicit extitiſſe? Non vidit opificem mundi, ſine tempore operatum, maſſamq; cęleſtem volubilem, rapidam, ſubitò à ſe creatam moueri iuſſiſſe? Quid Mercurius, & Phœnices, qui cenſent ex liquabili aquæ ſubſtantia, cœleſtes ſubſtantias coalitas. Puerilis propè argumentatio, Tempus ſemper iunctum eſt præterito, nullum igitur habet initium. Verum eſt de omni ſubſecuto, & iam nato tempore, quod ex illo dependet exordio. De naſcente tempore non eſt verum: quod naſcens poſt cœlum, aut pariter cum cęlo, vt ait Philo, neceſſariò cum cęlo non erat, ſicut non erat cęlum pater eius. Quòd ſi fuit ſpatium vllum ante cęlum, iam illud veſtra autoritate non eſt tempus, qui tempus non quodcunque ſpatium, ſed motus cęleſtis duntaxat aſſeritis. Sic illud ſpatium, in quo creatum eſt cęlum, & cui ſubito tempus, cęleſtisque motus coniunctus eſt, non fuit tempus, ſed vel Aeternitas, vel quiduis aliud. Quod ad me igitur attinet, nihil non modò video in hac ratiocinatione neceſſarium, ſed penè vitioſam video, peccantemque a tempore naſcente, ad tempus natum. Vt ſi quis nullum habere Tybrim ortum, principiumque contenderet, quia ſemper aqua, quæ ſit ante oculos, cum præterlapſa, & ſuperius aduentante ſit iuncta, quo fiat vt ſemper ſit eadem ſuperioris, inferiusque fluentis aquæ ratio, perpetuaque manatio. Quod quidem arguerent, qui fontem ortumque fluminis ſcrutari nollent. Sic cui non placeret explorare tempus vbi ortum habuiſſet, omne tempus cum præterito, & futuro coniunctum contenderet. Vt igitur omnes operationes aliquo initio particulari inchoantur, aliqua fine clauduntur, ſic neceſſariò tempus earum inchoatur, & deſinit, & a particularibus, priuatisque operationibus, eſt ad magnam illam cęli, terræque operationem peruenire, cuius inchoatio, temporis ortum inchoauit, cum neque tempus, neque res ipſa prius exiſteret. Quod autem de corporis cęleſtis Diuinitate diſputat, cui memoria maiorum nulla facta ſit vnquam diminutio, & quòd ſit eorum aſſenſu, Deorum domicilium, vt æternorum æternum, & quòd inditum ſit nomen ab æterno curſu. Hæcque omnia ferme ex maiorum autoritate trahuntur, cuncta potius in eum reuoluuntur. Si placet enim aliquo in loco maiorum autoritatem eſſe, clarum eſt maiores, nemine diſcrepante, præcipuè ſi vetuſtiſſimas gentes animo adieris, mirabili conſenſu, Tempus, & Cęlum

De tpe, tātum habemus τὸ νῦν Ariſtoteli. Sophiſtica ratio Ariſt.

Aliæ opiniones abſurdæ de mūdi creatione.

Tp̄s cū cęlo, & mundo natum.

Ariſtot. ex Ariſtot. refutatur.

Imago æternitatis, tēpus, Timæo Locrenſi.

Non fuit tp̄s ante cęlum.

Cęlum, æther ab æterno curſu nomen habet, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ καὶ τὸ θεῖν.

creatum tradidiſſe. Hebræi, Aegyptij, a quibus didicere omnia Græci, Phęnices, Chaldæi, Poetę, Theologique & ſuperiores Græciæ ſapientes, omnes vnanimiter mundum condiderunt. Famaque per omnes ætates manabat, quàm magis initiis mundi hominibus propioribus, tam clara magis, & conſtans. Quod paucis teſtimoniis poſtea demonſtrabo. Maiores igitur non quidem imminutum Solis vnquam, aut Lunæ iubar, obtuſamque aſtrorum aciem, aut de cęli ſubſtantia defeciſſe quid, tradiderunt, ſed illud verè ac conſtanter tradiderunt, cęlum cum antea non eſſet, fuiſſe creatum.

Vetuſti quique cęlum creatū ſtatuerunt.

Hoc Moſes, totaque Hebræorum claſſis. Hoc Triſmegiſtus, quem & Aegyptii, & Phenices ac Græci, vti Philoſophiæ Deum adorauerunt. Hoc Orpheus, Heſiodus, Homerus, aliique ſubſecuti. Maiores item indiderunt cęlo nomen æther, non ab æterno curſu, licet & id Plato aſſerat in Cratylo, ſed a nitore, ardore, lumine. Cuius ſubſtantia luminoſa, puraque eſt, & nitens inardeſcit, vitalemq; terris infundit calorem, omne nomine ætheris deſignatum.

Aether, vnde nomen habet.

Solis equi.

Hinc vnus è ſeptem erronibus, Mars ardens, dicitur ab eis Aethon, & Solis equi cum ſint quatuor, inditum eſt, vno excepto, cæteris nomen ab ardore, Pyrois, Phlegon, id eſt, igneus, & ardens: ratioque nominis quòd ardeat, deſignat eum eſſe cæleſtem ignem, ex elementorum puritate generatum.

Vnde factꝰ æther & Sol, Triſmegiſto.

Tradit enim vetuſtiſſimus Triſmegiſtus, quod apud alios quoque maiores vides, & in quo Plutarchus multos Græciæ Philoſophos conſentire ſcribit, ex liquidiſſima puriſſimaque aquæ ſubſtantia factum æthera, & Solis orbem, ſicut fiunt puriſſimæ nubes, faceſque & flammæ ſublimes, & nubes aquoſæ, colliſæ, flammatæque longum aeris illuminant tractum. Hæc illi dixere, vt oſtendam, eſtque vehementer rationi conſentaneum, cum videamus eiuſdem vis & ſubſtantiæ multa luminoſa ex aqua, quæ variatur incredibiliter in pulcherrimas quaſque admirandaſque ſpecies, fieri, vt aurum, cryſtallus, aer, nubes, ignes, colorum varietates, nubes luminoſæ, vel in media nocte. Sic potuit a ſapientiſſimo Opifice liquidiſſima cæli ſubſtantia ex aquis ſecerni, ac ſeligi.

De cœli materia, opinio Empedoclis.

Aliorum de cœlo, ſententia.

Plutarchus igitur autor eſt, Empedoclem ex aere, ab igne inſtar cryſtalli denſato, in quo igneum, & aerium inſit, cælum credidiſſe. Ariſtotelem, ex quinto corpore, igne, vel ex calida & frigida contemperatione: Anaximandrum, plenum ignis eſſe Solem: Xenophanem, ex igniculis collectis: Stoicos, accenſionem intelligentem ex mari: Platonem, ex igne plurimo: Anaxagoram, petram igneam: Philolaum, vitreum ex igne mundano ſumentem. Quibus apparet, veteres æthere non a curſu perenni, ſed ab ardore & igne nuncupaſſe. Apparet etiam eis non fuiſſe cęlum adeò diuinum, quantum Ariſtoteles poſtea deificauit, quippe quod ex elementis natum, pureque ſelectum cuncti aſſeruerunt: natura quidem elementare, ſed puriſſimè ſegregatum, & compactum. Triaque clarent ex autoritate maiorum, contrà, quàm Ariſtoteles poſtea innouaſſet, cęlum ex igne, & aqua eſſe, aut puriſſimam ex aqua ſubſtantiam, quemadmodum ex aqua fit aer, & ex aere, æther, ætheriæ verò ſunt ſubſtantiæ cæleſtes. Sicque claret eos ex eadem elementorum maſſa, cęlum ædificaſſe. Ex eo claret ſecundum eos, corpora cæleſtia non deificaſſe, nec diuinum corpus, niſi quo puriſſimum eſt & incorruptibile, appellaſſe. Tertium, non quintam quandam ſubſtantiam orbibus & ſtellis adiudicaſſe, ſed ex eadem atque noſtra hæc terreſtria, quibus dominatur corruptio, feciſſe, puriorem tamen earum compagem, ſicut ex cibo fit ſanguis: demumque ex craſſis, & feculentis naſcitur puriſſimus ſpiritus, quo non modò viuunt, ſed etiam ſentiunt animantes. Qui ſi in loco eſſet, vbi nihil labefactaret, & niſi animal deficeret, nunquam & ipſe deficeret, vt cęlum, quod in altiſſimis regionibus nulla aduerſa re labefactatur.

Maiorum fuit maximus de creatione cæli conſenſus.

Mirabilis igitur eſt maiorum conſenſus, cęlum fuiſſe creatum, & ex igne, aut aqua pnriſſimè ſelectum. In qua ſententia cum primus fuiſſet Mercurius Triſmegiſtus, cuius ſuper hac re diuinum eſt teſtimonium, fuit deinceps omnis qui ante Ariſtotelem, & Platonem floruerunt, Philoſophorum caterua. In eandem grauis autor Plutarchus aſſerit ipſum Ariſtotelem iuiſſe, his verbis, ne putes meum eſſe commentum: de placitis Philoſophorum ſcribens, Anaximenes, inquit, vltimam circunferentiam terreſtrem eſſe. Empedocles, ſolidum eſſe cęlum, ex aere compacto ab igne, inſtar cryſtalli, igneam, aeriamque naturam in vtroque hemiſphærio complectens. Ἀριστοτέλης : ἐκ πέμπτου σώματος, πυρὸς, ἢ ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος: Ariſtoteles, ex quinto corpore, igne, vel frigida, & calida contemperatione. Hæc tametſi Ariſtoteles non dixit in his, qui nunc paſſim habentur libris, credendum eſt tamen in aliis, qui ad nos non peruenerunt (Siquidem & Tullius profert, & alij, quæ his in libris nunc non extant) Plutarchum legiſſe. Triſmegiſtus autem vetuſtiſſimus, è cuius fontibus bibit vniuerſa Gręcia, apud quem omnem propè Moſaicam reperies Creationem, hæc aurea verba, vt ſemper mihi viſum eſt, ſcripſit de Creatione Solis, primo libro διεξοδικῶν, ad Tat filium: ὁ δὲ πάντων κύριος εὐθέως ἐφώνησε: τῷ ἑαυτοῦ ἁγίῳ, καὶ νοητῷ, καὶ δημιουργικῷ λόγῳ, ἔστω ἥλιος, καὶ ἅμα τῷ φάναι, τὸ πῦρ τὸ φύσεως ἀνωφεροῦς ἐχόμενον, λέγω δὴ τὸ ἄκρατον, καὶ φωτεινότατον, καὶ δραστικώτερον, καὶ γονιμώτερον ἐπεσπάσατο ἡ φύσις, τῷ ἑαυτῆς πνεύματι, καὶ ἤγειρεν εἰς ὕψος. Hoc eſt, Dominus autem Verbo ſuo ſancto, intellectuali, & opifico, inclamauit, Eſto Sol, ſimulque dicto, ignis, qui naturæ ſublimi cohærebat, dico ſcilicet purum, ſyncerumque illud, & luminoſum, efficacius & fęcundius, natura ſuo ipſius ſpiritu, attraxit, & in altum, ex aqua ſublimauit. Hęc Triſmegiſtus. rogatus autem ſuperius fuerat, ἡλίου γένναν βούλει ἡμᾶς καταλέξαι, πόθεν ἐφάνη: Viſne generationem ſolis aperire nobis, vnde extiterit,

De ortu Solis, Triſmegiſti ſententia.

Quid

A Quid hoc teſtimonio diuinius,naturalius,de ortu Solis,diuinis imperiis, ex aqua, quicquid eſſet purius,luculentius,fęcundius,ſyncerius extractum, ſubductumque in altum, idque Solem fuiſſe, accedente opere diuino.Fiunt enim etiam nunc candidiſſimæ, quæ ſurgunt altiſſimæ, nubes, ex aqua. Hæ ſæpe inflammatæ,etiam non à Sole, ſed ſuapte vi (Eſt enim etiam in aqua naturalis calor)illuminant ſubiectas terras. Hanc etiam famam, cum apud Græcos legiſſet, ad Græcos manauit a Phęnicibus,& Aegyptiis: Poeta Latinus,verſibus eam Latinis decantauit, ſeparatum dicens ex infima congerie, liquidum cęlum.

Ouid. 1. Metamorph.

Ignea conuexi vis, & ſine pondere cœli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Quod ne fortuitu & temere,vt Lucretius diceret,factum fuiſſe,ſed diuino conſilio,& voluntate, quemadmodum docuit Moſes,& Triſmegiſtus,ſuſpiceris,audi:

Hæc ſuper impoſuit liquidum, & grauitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenæ fecis habentem.

Deus igitur impoſuit,qui diremit litem,defęcatamque Solis, atque ætheris ex aqua ſubſtantiam, ſuſtulit in altum,& deſcriptione cęleſti cuncta concluſit.Quibus ſi fidem adhibere velis,claret cęlum non eſſe quintam a quatuor elementis naturam, niſi putes hoc nomine nuncupari, quòd ſit puriſſimum,liquidiſſimum,incorruptibile. Quintum autem non erit,quaſi non quod cætera quatuor,aut non ex his, vt omnia terreſtia. Hiſque oſtenditur nullam Philoſophiam, nec Græcam, nec vetuſtiores,cęlo vel Diuinitatem, vel ſeparatam quandam naturam dediſſe, quod confeſſæ ſunt a Deo creatum.Sequitur etiam,non veterum illorum modò, ſed ipſiuſmet Ariſtotelis teſtimonio,iſtud cęlum velut æternum ęternis Diis habitandum a maioribus non datum.Nam neque illi,neque ipſe Ariſtoteles Deos habitare cenſent in orbe Solis, aut Lunæ, aut ſtellarum,& omnino in diſſoluendo iſto,& quod nobis ſuſpicitur, creato ex aqua, cęlo, ſed vltra flammantia męnia mundi,vbi neque locus,neque tempus ſit: Extra,anni,Solisque vias,Lunæque labores. Quod cęlum, ſi quidem ſit diuina,luminoſiſſima claritas,ſempiternum & increatum eſt, Eſſentiæ diuinę fulgor ſempiternus.Non eſt cælum illud, quo ſubiectæ terræ irradiantur, & cuius Aeternitas reddat mundum corruptibilem, æternum.Quod an corruptibile ſit,vel incorruptibile, quod perhibet ipſe Ariſtoteles ſenſiſſe Platonem,& arguit contra leges Naturæ, Platonem rei, quæ principium habuiſſet,dare perpetuitatem,argumentaturque multis,quod principium habuiſſet, habiturum quoq; finem,dicendum,Platonem(eaque reſponſio vera eſt quod non ſyncerè, & candidè ipſe reticuit,& ſuppreſſit)prudenter locutum,hoc cęlum ſuapte quidem natura, quoniam inchoatum aliquando,incorruptibile non eſſe. Maiorem autem neceſſitatem, quam naturæ accerſiuit, quæ cęlum efficiat incorruptibile,ſuæ naturæ relictum neceſſario corruptibile. Porrò autem poſſe diuinam poteſtatem,quod corruptibile natura eſt, reddere incorruptibile, perneget Ariſtoteles quantum velit,ſufficit mihi ratio, & vnus Plato. Ariſtoteles igitur ſeipſum redarguat, Cęlum quod Diis tribuitur a maioribus habitandum,non eſſe viſibile iſtud,quippe qui vt ſuperius vidimus,ait habitare Deos remotiſſimè a vertigine cæleſti: & hoc dicit,vbi de cęlo diſſerebat.Hæc ratio& atteſtatio deſtruit item ab Intelligentiis cęleſtibus cęlum moueri. Locat enim cęleſtes Intelligentias,aut Deos ἄνω τὸ θεῖον, totam Diuinitatem Ariſtoteles,extra cęlum. Et vidimus Barbaricam fuiſſe ſuperſtitionem,deificare cęlum: Cui ne illi ipſi quidem,qui ipſum adorabant, Intelligentias diuinas præfecerunt, ſed ipſum merum corpus adorarunt Chaldæi, ſicut item ignem adorabant,rem inanimem. An autem tantus ordo cęli duci poſſit ſine aſſiſtente,& mouente Intelligentia:ſit ſanè non poſſe ſine ratione,& Intelligentia duci: illud certè ex omni vetuſtate cōſtat, eam Intelligentiam mouere,non quòd ſit anima in corpore,ſed velut vniuerſalis potētia Dei, ad cuius imperium, & nutum, per cęlum,& terras commeantis, cuncta moueantur, primo machina cęleſtis,deinceps omnia terreſtria.Hoc etiam dixit Ariſtoteles, vt videre eſt in libro de Mundo: Hoc Pythagoras,hoc omnis priſcorum Theologia. Mouetur igitur omne cęlum a Deo,cuius voluntas non ſolum mouet,ſed creauit etiam omnia.Mouetur autem non tāquam anima,& ratione eius,ſed extra,& intra mundum exiſtente:ſuperuacaneæq; ſunt cæteræ Intelligentię.Mouetur autem ceu res corruptibilis,& ſicut naſci facit indiuidua & particularia, ſicut item mortalia regna commutat,nō mouetur autē,tanquā ea ſit naturalis actio eius:ſic indigniſſimum eſt, Deum cuius eſt æterna,& infinita ſapientia,hanc cęli corpoream actionem habere naturalem,& inſeparabilē, vt quam efficiat ſolo nutu,non quadam animatione. Quod apparet maiores ſenſiſſe, omnes vnanimiter cęlum,ex aqua corruptibili,creantes. Atque vt Marcus noſter,non modò mentis ſuæ bonitate,naturalique inſtinctu,ſed etiam quia ſimilia vidit apud ſuperiores, Quod, inquit, dico legem,a me dici nihil aliud intelligi volo,quàm imperium,ſine quo nec domus vlla,nec ciuitas,nec hominum vniuerſum genus ſtare,nec rerum Natura omnis,nec ipſe mundus,poteſt. Nam & hic Deo paret,& huic obediunt maria,terræq;,& hominū vita iuſſis ſupremæ legis obtēperat. Ea dicens Marcus profectò ſentit vim,poteſtatemq; diuinā cęlo ac terrę,mariq; præſidentem,mouere, gubernare cunctas non naturæ ſolum,ſed etiam humani generis res,& actiones,idq; non tanquā

cælum,nō eſt quinta illa natura de qua Ariſtot.

Dare perpetuitatē cælo, q̄d habuit prīcipium, Ariſtot. conatur,Plato minimè.

Deificatio cœli, barbara ſuperſtitio.

Mouetur cœlum a Deo,cuius nutu creata omnia.

1. d̄ Legib.

Duplex Ariſtotelis error.

Sẽſus brutorum melior & diuinior, q̃ corpus ſit ſenſus expers.

animum mundano corpori infuſum, à quo diſcedere, abſoluique non poſſit, ſed tanquam imperatorem, ſtantem celſa in puppi, velut nauclerum, dictatoremque ſupernum. Quod Deo longè dignius eſt, quàm vt animet orbem cęleſtem. Duoque ſunt ab Ariſtotele, vt male poſita, corrigenda, quod fecit in Compendio, vt Deus non ſit anima cœli, ita mouens ipſum, vt ab anima mouentur animalia: ſed nutu imperiiſq;, quibus obediunt inuiſibiliter omnia, excluſa prorſus illa indecora mundani corporis animatione. Secundum quòd cum ſit eius vnius tanta poteſtas, imperiumque, per omne cęlum & terras, & maria pertinens, ſuperuacaneum eſt, plures adhibere Intelligentias. Quod ex maioribus neminem inuenies feciſſe. Sed res luce clariores inculcare, vitium fortaſſe ſit. Satis igitur conſtat, nec corpus illud tantopere diuinum eſſe, vt Diuinitatem mereatur, cum ſit eo melior ſenſus brutorum animalium. Et vilis muſca, vermiſque, vt ait Auguſtinus, Sole ſit melior, quòd hic vita, illic nulla vita, nec autoritate maiorum, orbes hoſce cæleſtes, qui portant lumina, diuorum eſſe domicilia. Nam Deum præter corpora, genuſque hominum, Deos quoque creaſſe, fuit perſpicuum. Nec æthera ab ęterno curſu appellatum, nec a diuinis Intelligentiis, ſed vniuerſali Dei poteſtate cieri: quæ quidem non ſit eius naturalis actio, ſed nutus, voluntaſq; omnia concitandi potens. Et hæc omnia non ratione ſolum conſtant, ſed maiorum cum primis autoritate, perennique ſæculorum ſucceſſione, cui videbatur Ariſtoteles deferre.

Diſſoluuntur rationes Procli partim è natura, partim ex opinione Platonis ductas. Tempus in quo conditus eſt mundus, non eſſe cæleſte tempus. Plura eſſe poſſe tempora, quàm cæleſte. Redundare, ſuperuacaneamq; eſſe animam cœli, aut eam eſſe Deum ſummum. Maioris honoris eſſe Deo, æternitatem ſuam, quàm perennem rerum factionem. Aeternitatem mundi, impiarum opinionum eſſe fontem. Non ſequi poteſtatem æternam Dei, æternam mundi conditionem. Deum non eſſe mutatum cum creauit. Naturalem fuiſſe Dei æternitatem, mundi principium. Platonẽ non æternum, ſed in tẽpore factum mundũ ſcripſiſſe. Cap. V.

Proclus, veritatis dprauator quãquam doctus.

Ioan. Grãmaticus arguit imperitiæ Proclum.

Quid ſequatur, ſi nõ ſit principium tẽporis.

RELICTO igitur Ariſtotele, ad rationes Procli veniendum eſt, quas & ipſas non abſurdas modò, & ineptas, ſed deprauatrices etiam veritatis & dogmatum eorum, quos ſibi propoſuit imitandos, reperies. Fuit autem Proclus eruditus quidem, & vbi maiores ſequeretur, autor valde bonus, vbi autem ſeipſo contentus natare cœpit ſine cortice (cunctis enim ferme poſterior floruit) mirificis commentitiarum allegoriarum figmentis libros occupauit. Quem Ioannes Grammaticus, autore Suida, etiam in quibus ſibi plurimum arrogaret, Platonicorum profanorumque dogmatum arguit imperitum. Cumque ſuperſtitiones mallet incolumes eſſe, quàm religionem Chriſtianam, quam putaret cum cæteris ineptam ſuperſtitionem, reuolutus eſt ad poeticos ſuperſtitioniſque Deos, elementa iſtius mundi, cœlum, aerem, terram, Venerem, amorem vniuerſalem, Vulcanum, ignem ætherium, & cæleſtem deificans. Quorum vt eſſet Diuinitas venerabilior, eos cum omni mundo declarauit ſempiternos, Deorumque arbitrariis genealogiis incredibiliter eſt delectatus, ſed vbi ſuperſtitionibus, fabuliſque relictis, ſe Philoſophiæ commiſit, melior eſt. Huius igitur præter eas quas attulit Ioannes Grammaticus, partim eò ſpectant rationes, vt Plato, non quemadmodum multorum ſit ſententia, creauerit mundum, ſed aſſeruerit ſempiternum. Partim, vt hoc ipſum è Natura comprobet. E quibus è Natura ſunt, Quia ſi tempus non habuiſſet temporale principium, quod omnium ſit impoſſibiliſſimum, vt eius vtar verbo, etiam cęlum fuiſſet ſempiternum. Semper item animam cœli fuiſſe, igitur & corpus. Opificem item mundi oportere non temporariorum, ſed ſempiternorum eſſe opificem. Ad hæc eum non eſſe mutabilem. Si ſemper eſt opifex, ſemper rem fuiſſe quæ fit. Ad hæc cur infinito tempore fuiſſet otioſus, num ignarus creationem eſſe meliorem? quod abſurdum. Si non ignarus, cur non prius ſit operatus? Si item mundus genitus, quod minus pulchrum ſit, Deum ſequi: Peccare quoque in opificem qui aliquando mundum non fuiſſe contendant, quia ſi quando mundus non fuiſſet, ille non creaſſet. Si non creabat, erat poteſtate operans, quod arguit imperfectionem. Si autem in Deo prius & poſterius ſtatuas, eum non fore ex his, quæ in æternum agant? Tum ſi ſecundum tempus operaretur, ad faciendum eum mutari. Deinde creationis aſſertores peccare in poteſtatem prolificam, & voluntatem ἀγαθοειδῆ boniformem, quæ concurrens generet mundum, in ſempiternum. Denique nititur in hanc quoque ſententiam vocare Platonem. Priorque ratio, quòd in Timæo, de mundo locuturus quærit, an ad imaginem alicuius æterni vel creati ſit creatus, quod non quæſiſſet, ſi genitum mundum ſtatuiſſet quòd ante genituram mundi, nihil eſſet. Tum non ſuſtuliſſe Aeternitatem Platonem, vt quidam in Ariſtotelis teſtimonium conſentientes, opinentur. Nam quoniam tempus ſit à cęlo: tempus autem ſempiternum (neque enim, vt expoſui, dari poſſe tempus, in quo tempus ſit natum, ne tempus in tempore ſit factum) confieri, vt cęlum ſit æternum. Iam in Republica pronunciaſſe, omne ortum occidere, in Timæo mundum fore incorruptibilem, ergo etiam ſine principio.

Platonis autoritas de creato mundo.

Nõ poteſt dari tẽpus in quo tp̃s incęperit.

Ad hæc in Legibus, docere Platonem, infinitum eſſe tempus præteritum, quia dicat infinities artes, & ſcientias, ac res publicas natas & extinctas. Præterea, quòd in Timæo affirmaret, ſemper hominum genus fuiſſe, vbi vel exuſtiones, aut cataclyſmi immanes non accidiſſent. Poſtremo Proclus refert Porphyrium, Iamblichum, Plotinum, Crantorem, qui primus in Platonem commentarios ediderit, aſſeruiſſe eſſe mundum ſempiternum Platoni: genitum autem non velut in aliquo temporis exordio, ſed vti ſemper naſcens à cauſa ſuperiore. Hæc & id genus quædam oppoſuit gignentibus mundum Proclus. Primum igitur rationes è Natura perpendantur, ſi quæ ſuperſunt è tribus illis non examinatæ, aut ſtrictim ſuperiores reſponſiones retexantur. Ac primum docuimus argumentum eſſe præſtigioſum, puerilemque technam & argutiam: Tempus non potuit in tempore creari, ergo ſempiternum. Si tempus ſempiternum, etiam cęlum, a quo naſcitur tempus. Incredibilis profectò hallucinatio. Non vides multos credidiſſe tempus eſſe potuiſſe nondum cęlo creato? Nonne fuere multi, vt Ariſtoteles perhibet, etiam illi ipſi qui creant cęlum, æternum quoddam tempus ante cęlum ſuſpicantes? Ipſe quoque Ariſtoteles ſupra Solem & Lunam, temporis veros parentes, locat gentem diuinam, viuentem omne æuum beatè. Deus etiam ſupremus, quem locant ſupra motus cæleſtes, viuit, & viuit non in tempore. Rogo te quoque Procle, An Deus, qui poteſt torquere lumina cæleſtia, poſſit ſiſtere vnam diem, aut horam (quod noſtræ litteræ prædicant, à meque creditur conſtantiſſimè) Solem, & a te credo non negabitur, ſi non his litteris credente, ſaltem fieri poſſe, vt qui moueat, poteſtate quoque ſiſtendi, ſi voluerit, ſit præditus. Sole igitur deſidente, quod tempus erat vel eſſet? Tempus enim colligitur ex motu Solis, cuius diurnus ac nocturnus acceſſus & diſceſſus diem efficit: è diebus fiunt menſes: è menſibus annus: Anni conficiunt vniuerſale tempus: Vt tempus, quod apud Philoſophos eſt celebre, ſolo ex motu Solis colligatur. Nam Lunæ varietas à Sole quoque eſt. Sole igitur rapidos curſus ſiſtente, quod fuit, vel eſſe poſſit tempus? Quod tempus item his, qui ſub altiſſimis cauernis degentes, vel ipſis, quos in Republica teterrimo in carcere, a die natali locat Plato, qui nunquam cœlum vidiſſent, ſed illic habitantes, & aliquid neceſſariò agentes, ſuaſque actiones, ſine motu Solis, quem nunquam ſuſpexiſſent, fortè ad clepſydram, ad motum aquæ, ad motum pulueris, non Solis, metientes, quod inquam his tempus eſſet, Solem Soliſque viciſſitudines, hominumque negotia ignorantibus, quique Natura poſtulante, modò dormirent, modò vigilarent? Horrida quidem & crudelis vita, a luce iucundiſſima ſegregata, ſed quæ poſſit eſſe & cogitari. Vt igitur, qui a particulari vniuerſale, aut a paucis multa colligeret, Vidi Germanum ferum, omnes ergo ſunt feri: Vidi Gallum tumultuantem, omnes ergo tumultuant: Græcum leuem, omnes ergo leues: vitioſè colligeret: ſic qui argumentaretur, Tempus cęleſte, aut Sol non potuit ſine tempore fieri, ergo ſine cæleſti tempore non potuit fieri. Non cernis vitium? Do tibi tempus cæleſte, aut Solem temporis cęleſtis patrem, ſine tempore, aut aliquo ſpatio, vel actione, fieri non potuiſſe, ſed non protinus do, ſpatium illud, aut actionem fuiſſe cæleſte tempus. Atque apud me ſunt plures ſpecies eius quod dicitur tempus. Eſt ipſa primum Aeternitas, quam Philoſophi inſigniter omnes a tempore diſtinguunt. Eſt actio illius beatæ vitæ, quæ viuitur vltra tempus cæleſte. Eſt item tempus, quod ex aquæ aut pulueris deſcenſu colligitur. Nam ſi fuero in thalamo vndique clauſo, ad quem nulla lucis aſpiret ſcintilla, ſed partiendum mihi ſit negotium, vt modò hoc, modò illud agam, metiar mihi, & colligam tempus ex deſcenſu pulueris, vel aquæ, in quo cum motu ſolis, nulla ſit affinitas. Sic, quemadmodum dixi, ad cogitandum facillimum eſt, quibus perſuaſum ſit potentiam diuinam, vniuerſalem eſſe, poſſe Solem, qui Deo volente, tribus, aut quatuor horis requieuit, menſem, vel annum, in medio cęlo conſiſtere. Quæſo hic, quod tempus eſſet, Sole quieſcente? Decurriſſet tempus, non decurriſſet Sol: ſtante cælo non ſtetiſſet tempus. Nam & interior digeſtio, ſuis ſpatiis conficeretur, & homines agere non deſiſterent, quamdiu viuerent. Qui autem lapſura cuncta, ſi vel horam Sol conſiſteret, contendunt, pueriliter ipſi labuntur, obſtinataque eſt ad deificationem cęli voluntas. Tempus igitur, aut non eſt ſolum cæleſte, aut ſi ſolum cæleſte meretur dici tempus, dico ipſum creatum non in tempore, ſed actione diuina, aut ſubita, aut quoad rerum creatarum poſtularet natura, in quibus neceſſariò ſit aliud prius, aliud poſterius. Hæc autem actio non ſolum non cogitur fuiſſe, & poteſt facilè cogitari non fuiſſe in tempore, vt apud homines etiam actiones inueniantur, quæ ſine iſto cæleſti tempore poſſint tranſigi. Fuit igitur ante cæleſte tempus Aeternitas, aut ſpatium aliud, etiam ipſorum Philoſophorum teſtimoniis. In hac Aeternitate, vel dimenſione, vel quiduis appelles, creatus eſt mundus. Ac quoniam vetuſtiſſimi Theologi Moſes, & Mercurius, quem Platonici reuerenter adorant, & colunt, libroſque ſuos Philoſophia eius decorauerunt, docent Solem temporis genitorem, è puriſſima, liquidiſſimaque aquæ defecatione creatum, neceſſariò ante Solem fuit aqua, aqua ſine terra eſſe non potuit. Igitur ante Solem, & tempus, fuit aqua cum terra. Certè igitur non in tempore. Nec erant igitur in tempore, nec creatæ ſunt in tempore. Et hoc dicit Mercurius Triſmegiſtus, pater & autor Platonicæ Theologiæ, Cuius ſi teſtimonium non recipiunt, infirmatur orum Philoſophia. Egoque facilius aſſentiar & adhærebo principi, & fonti, quàm famulis, riuulis. Et hæc de prima ſatis. Non minus ineptit, plenaque vitiorum eſt ſecunda, de Anima cæli. Duoque hic ſunt reſponſa, vnum ex Natura, alterum ex Philoſophia Platonis.

Omnia orta, peritura.

Repetitio trium ſuperiorum, de æternitate argumentorum.

Tempus eſſe potuiſſe, nondum creato cęlo, falſum.

Deus viuit non in tēpore.

Vnde colligitur tempus.

A ſpeciali ad vniuerſale nō valet ita conſecutio.

Nullū eſſe tempus poteſt Sole quieſcente.

In rebus ſolū creatis eſt prius & poſterius.

Abſurditas ex opinione de mundi æternitate.

Deus, non eſt anima cœli.

Primum eſt, quòd aut anima illa cęli eſt Deus ille ſummus, aut alia quædam anima. Si Deus ſummus, quæ tandem dementia, eum dicere animam cęli, cum Deus, omnium Philoſophorum, vetuſtatis omnis autoritate, ſit à cœleſti, & mundana compage abſolutus, & maior omni mundo? Si non eſt Deus ſummus, redundat hæc anima in corpore cœleſti: Satis eſt, & eſſe docuit in libro de Mundo Ariſtoteles, diuina, quæ per omnem mundum diffuſa ſit potentia, mouens, & viuificans indefatigabiliter omnia. Sed hæc ratio quoniam magis eſt ex Philoſophia Platonis, audiant impudentes, & quæ luce clariora ſunt, perfricta fronte negantes, Platonem apertè fatentem creatam à ſummo Deo hanc animam. Quod Marcus Tullius interpretans, Deus, inquit, ortu, & virtute, antiquiorem genuit animum, eumque, vt dominum, atque imperantem obedienti præfecit corpori. Paulòque inferius, Animum igitur cum ille procreator mundi Deus, ex ſua mente, & Diuinitate genuiſſet. Hæc Plato, à ſolis impudentibus, à prudentibus nunquam neganda. Retorqueboque in eos: Plato claris, minimeque dubiis verbis creat mundanum corpus, ergo & animam. Sed vera reſponſio eſt, nullam cœlo ineſſe animam, & Platonem non clarè percepiſſe, quæ Triſmegiſtus de hac anima docuiſſet: quam dixit non cœli eſſe, ſed vniuerſalem animationem:

Virgil. 6. Aeneid.

Vndę hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Cæcitas ea eſt humana, vt quod putat honore afficere, contaminet.

Deus, ſingulariter æternus, non indiguit creatione rerũ. Deus non creat perẽniter.

Proclus in Deo creationem æternã perpetuam dũ ſtatuit, deũ neceſſitati, & impotẽtiæ alligauit.

Singularis Dei bonitas à rebus in infinitũ diſiuncta. Aeternitatem mũdi ſequitur omniũ virtutum euerſio.

Quæ ſuperius melius claruerunt. Sed veniamus ad tertiam rationem, Deum oportere ſempiternorum eſſe, non temporariorum opificem. Hæc quoque ex parum perſpecta, animaduerſaque rerum Natura. Fit autem ſæpe quadam humanæ mentis imbecillitate, vt quos cupimus, & credimus honorare, his ipſis, quibus decus afferre putaſſemus, dehoneſtemus, & contaminemus. Quotidianaque ſunt exempla. Sic Proclus dum vult, & putat pietatem, Deum ſempiternum rerum corporearum opificem, detrahit totum decus ei Diuinitatis ſuæ. Decus eſt, vt ſolus ipſe ſit æternus, ſola ac peculiaris dos præcellentiaque Diuinitatis, vt ſicut ſingularis eſt, ſolusque Deus, ſic ſingulariter ſit æternus, nullaque res æquare poſſit eius Aeternitatem, & Maieſtatem. Nec indigeat ad maieſtatem ſuam, eximium, & ineſtimabile decus ſuæ Diuinitatis, creatione iſtarum rerum. Quanto igitur eſt Deo dignius, & dignius eſſe ſapiens adnimaduertet, vt Deus creatione & perenni factione ad honorem ſuum non indigeat? Quaſi non idem Deus futurus, non eadem Diuinitas, ſi creando ſuperſederet. Quaſi cogatur creare, ne maieſtas eius ſit diminuta. Si creſcit decus eius ex creatione corporearum rerum, cur non plures fecit mundos? aut ſi cuncta potuit vno complecti, cur non fecit, vt is eſſet latior, capaciorque, & hominum numerus eſſet maior? Cur non plagam Solis iniquam fecit temperantiorem, homines vbi degerent? aut frigidam vtranque, aliquo calore temperauit, ne tanta terrarum vaſtitas cultore careret? Iam ſi ſempiternus iſtius mundi Deus operator fuiſſet, quarum quæſo rerum operator ſempiternus? Videlicet blaſphemorum, impiorum, qui & illum, & opera eius nunquam non execrarentur, maledictis inceſſerent. Cuius cùm nos habeamus optimam ſolutionem ex abolitione iſtius mundi, quibus placet Aeternitas, ea carentes, neceſſariò turbabuntur, ambagibus inextricabilibus irretiti. Ecce Proclo euenit, quod in prouerbio eſt, Deuitans ignem, incidit in fumum. Dum Pietatem putat, Deum æternum rerum corporearum declarare opificem, delapſus eſt in eam execrabilem impiamque ſententiam, quòd Maieſtas diuina indigeat creatione rerum. Quaſi ſi mundum aboleret, non poſſit Diuinitas eius conſiſtere. Quaſi cogendus ſit, etiam ſi plenus ſit habitatorum impiorum mundus, eos non delere, ne careat maieſtate ſua. Cur enim non vidit, nec conſiderauit, maiorem hominum partem impiam eſſe, ex quorum vita nec decus nec voluptas Deo poſſit accedere? Quòd ſi dicas propter bonos eum mundum feciſſe, & his ſolis eum à quibus honoretur delectari, vtinam verò dicas: neceſſariò enim te deducam, vt non ſit æternus is mundus in poſterum, ideo neque in præteritum, vt dentur bonis opulentiora bona. Quibus in hoc mundo nihil, quàm malis ſit melius, ſæpe etiam deterius. Sicque propter eos is mundus in ſempiternum duraſſe non debuit, cuius bonis neque fruantur, nec ſi fruerentur ſyncera, ac ſine temperatione multorum dolorum conſtent, nec ſyncera, nec diuturna, ſed omnium euerſio breuiſſimè futura. Quare cùm nihil ad dignitatem, decuſque diuinæ ſubſtantiæ faciat iſte mundus, cuius inuentio, cunctorum conſenſu non propter Deum, ſed homines, & Deos fuiſſe dicitur, vtique nec minuitur bonitas non feciſſe, nec decus creſcit feciſſe. Quis eſt enim, qui non videat ſingularem Dei bonitatem, à rebus in infinitum diſiunctam? Illud item non vidit Proclus, quod vidiſſet niſi pertinax Aeternitatis obſtinataq; perſuaſio, à vero perſpiciendo eum retorſiſſet, longè decus Dei in eo pręcellere, ſi ſolus ſit æternus, quàm ſi corruptibilium rerum Aeternitate ſociatus? Adde quòd ideo non modò decus maieſtaſq; ei ex eo non accreſcit, ſed vehementer decreſcit, quòd cum Aeternitate mundi ſequitur cultus ſui, pietatiſq; euerſio, interitus omnium virtutum. Ecce autem tota ratio in eum relabitur, quòd non ſolum ex Aeternitate decus augetur Deo, ſed ex hoc ipſo penitus minuitur, cùm ex Aeternitate, Philone Iudęo cum ratione teſte, naſcatur perſuaſio contra prouidentiam, contra immortalitatem animorum, contra futurę beatitudinis ſuppliciorumque expectationem, contra religionem, cuius fundamentum eſt Creatio mundi. Quibus

bus euerſis, quod fit ab Aeternitate mundi, fit pietatis euerſio, tollitur, eiicitur, fugatur ex hominum genere Deus, non eſt eius iſte mundus. Quocirca cùm ſit gloria Dei maior, ſi pios remuneretur præmiis æternis, impios æternis deputet ſuppliciis, ſi princeps humani generis, & autor & fons credatur, credendo colatur, quàm vt fecerit res corruptibiles mœſtasq́;, ſempiternas ſempiternaque iſta, ac perpetua labentium rerum nece ſit delectatus, certè nihil conficit, ſed inficit, ſicut ſuperiores, hæc ratio Procli: & ex qua putabat gloriam opificis Dei prouehere, ea demum quicquid dedecoris eſſet, ei conciliauit. Ex his claret quartę rationis præſtigium, Si ſemper opifex, ſemper opificium. Ratio prorſus à dialectices arte aliena. Arguat igitur Proclus, ſi tam pulchra ratiocinatione delectatur. Sēper eſt ædificator, ſemper ergo ædificat. Semper belligerator, ſemper ergo belligeratur. Quamdiu quis eſt medicus, aut Philoſophus, ſemper aut medetur aut philoſophatur. Sic Deus opifex ſemper fuit, ſemper igitur operatus eſt. Si ſtat hæc argumentádi atio, dicā de te, & quid in te ſequatur, vide. Quamdiu Proclus potuit ſcribere, ac dictare, ſemper ſcripſit ac dictauit. Itaque nunquam hoc officium intermiſit, nec dormiuit, nec comedit, nec alijs actionibus functus eſt. Quod ſi abſurdum eſt, & aliud agendum eſt melius, magisq́ue naturæ ſuæ neceſſarium, quàm dictare ac ſcribere cùm opus fuit, & tamen cùm voluit, & debuit, ſcripſit, & dictauit, cur item Deum, cuius natura longè quàm corporearum rerum perenni factione, melioribus bonis, ſua Diuinitate contenta, ipſa ſuis pollens opibus, ſemperq́ue beata, & opis nil indiga noſtræ, fruitur, non putet, vt eſt, ſic fuiſſe ſemper hac ratione beatam, habentem alia meliora bona (quod omnes Philoſophi confeſſi ſunt,) quæ debuit in omni Aeternitate retinuiſſe, hicq́ue inſtitiſſe? Vt quemadmodum nunc iſto mundo nihil indiget, ſic in omni Aeternitate nihil indiguerit. Vt ergo ſuperius vitioſè colligebat, argumentabaturq́ue à particulari ad vniuerſale, eodem hic vitio, arguit ab eo, quod eſt in potentia, ad id quod in actu: ab eo quod cum fieri poſſet, omnino factum ſit. Vt quamdiu potuit Deus operari, tamdiu operatus ſit. Et abſurditatem domeſticam, non transfert ad diuinam illam. Nec cognouit, præter hanc mundi molitionem, longè inæſtimabiliora bona poſſidere Deum, quibus potuerit in omni æternitate frui. Quo quidem fit, vt prorſus aduerſa colligantur his, quæ colligere decreuiſſet, dum commentitia tantopere eum iuuat Aeternitas, eamq́ue Deo magis congruere, hancq́ue fuiſſe perennem dignitatem eius putat, detraxit ei maximam Diuinitatis partem eripiens tam maiora bona, quàm corruptibilium molitionem, tam omnipotentiam creandi è nihilo, quàm ſeparatam, immcomunicabilemq́ue Aeternitatem Diuinitatis ſuæ. Quod quoniam fieri non poteſt, merito falſas, non veras argumentationes accerſiuit. Nam & prorſus contrà eſt quàm veritas poſtulet, quod mox ſubdit, ex hac creatione, ſequi in Deo mutationem. Eadem atque ſuperius argumenti ineptia. Scilicet, & hic præſtigioſè, & per æquiuoca, & à particulari, vniuerſale colligitur. Vt ſi quis ratiocinetur, Mutatio à ſanitate ad ægritudinem, eſt mala, omnis ergo mutatio eſt mala, etiam ſi nunc ſedens, paulò pòſt proficiſcar: Si ſedatus, merito iraſcar. Vt liceat arguere, Nunc cùm placidus eſſes, poſt flagitium conſpicatus, iratus es: omnis autem mutatio eſt mala: mutatus igitur es, mutatus peccaſti, aut imbecillitatem indicaſti. Ne igitur hæc imbecillitas, & mutatio ſequatur, his autoribus oportet aut ſemper ſedere, aut ſemper proficiſci: ſemper aut comedere, aut non comedere: ſemper aut iraſci, aut non iraſci: manendumq́ue ſemper in eadem conditione, ne ſi qua fiat mutatio, noſtra declaretur debilitatio. Nec vident, nec norunt, alias malas, & accuſandas mutationes, alias bonas, & neceſſarias, quæ non aliud quàm ipſa vita ſunt. Nec aliud eſt viuere, quàm modò ſedere, modò ſtare, modò inambulare, modò dormire, modò vigilare. Non aliud iuſtitia, quàm modò iraſci, modò nihil iraſci. Hic mitem eſſe, illic ſeuerum: alios præmiis afficere, alios ſupplicio: erga hos clementi animo eſſe, aduerſus illos aſpero. Hæc ratio prouidentiæ poſtulat, ea vis, & natura eis, vt modò flagelles, modò placatus, ſedatusq́; ſerenes frontem, modò laxes vbertatem, modò cohibeas. Omnis hæc, optima, iuſtiſſimaq́ue, & naturalis mutatio, ſi nobis eſt neceſſaria, eaq́ue eſt natura, ea vita noſtra, cur deteſtemur in Deo, præcipuè quod ad res humanas attinet? Nam ſicut Deus his mutationibus non indiget, ſic indigent res humanæ. Tantumq́ue abeſt, vt ſint malæ, & vituperabiles, vt ſint neceſſariæ, ea ſit vita noſtra, Id demum viuere. Quoniamq́ue in Deo prouidentia eſt, & eſſe probatiſſimi quique Philoſophorum aſſeruere, prouidentia mutationibus, & varietatibus conſtat, certè in Deo ſunt varietates, & mutationes. Vt autem Stoicos irriſere omnes, quos vnum exemplum deprauauit, quòd iraſci aliquando malum ſit, concluſeruntq́ue ſemper malum eſſe iraſci, abſurdiusq́ue prouecti, omnem in animo commotionem etiam miſericordem, & bonam, decreuere malam: ſic irridere Philoſophos hos neceſſe eſt, quibus vna mala, imbecillisq́ue mutatio perſuaſit omnem mutationem malam. Dederuntq́ue nobis quaſi quendam Stoicum Deum, immutabilem, inexorabilem, qui nec poſſit iraſci, nec ad miſericordiam commoueri. Cui ſi fuit turpe à neceſſaria Aeternitate Diuinitatis ſuæ, ad creationem mutatio: eadem eſſet etiam turpitudo, cùm quotidie, vt ſacræ docent litteræ, mutat regna, & pectora Regum, modò viuificat, attollit, modò deprimit: Et ad vindictam ſui tarde procedens, demum ſupplicium, quod diſtuliſſet, magnitudine compenſat. Id, ſi Stoicos audieris, in Deo nequaquam eſt, ſicut nec in homine ſapiente. Sapientem enim non iraſci, nunquam gratia moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe,

Si ſemper opifex, ſēper fuit artificiū, captioſum & falſum argumentū.

Deus, ſe contentus, nihil indiget mūdo.

Ex creatione, minimè ſequitur ī Deo mutatio.

Multiplex mutatio ē.

Res humanæ mutabiles, Deus minimè.

Non omnis mutatio mala.

Val. Max. lib. 1.

Sapiens Stoicorū.

eſſe,niſi ſtultum,& leuem : viri non eſſe neque exorari, neque placari. Sapientem nihil opinari, nullius rei pęnitere,ſententiam mutare nunquam. Petunt aliquid homines, caue quicquam momenti habeat gratia. Supplices aliqui veniunt miſeri & calamitoſi,ſceleratus & nepharius,ſi quicquam miſericordia adductus feceris.Fatetur aliquis ſe peccaſſe,& eius delicti veniam petit, nefarium eſt facinus ignoſcere. Hæc & id genus, quæ grauis orator,Stoicorum verius delyria, quam decreta recenſet,a Stoicis noſtris,vt Proclo,quæ propter vicinitatem, & experientiam in hominibus indecora,ſtultaque habentur,in Deo noſtris ab oculis remoto impune ſtatuuntur,arguentes maieſtati eius nos detrahere,ſi faciamus eum iraſcentem,pęnitentem,ignoſcẽtem: dicẽtes has eſſe mutationes, omnem autem mutationem malam. Nec videt eadem ineptia ac leuitate, hanc mutationum varietatem nos a Deo ſummouere,qua ſubmouetur a ſapiente, quem ſolum Dei ſimilem in terris cenſuit Plato. Vt igitur contemnimus,irridemus, humanæ vitæ noxios & inutiles iudicamus Stoicos, quorum eſt error exibilatus,exploſuſque vndique,ſic contemnendus Proclus qui omnem hanc iniuriam Deo faciat, vt nec eum pęnitere, nec ignoſcere, nec exorabilem eſſe, nec gratia duci contendat.Hoc autem facit,dum putat eum,cum mundum bonitate,vt ait Plato, gratia,benignitate ductus,creare decreuiſſet,quaſi imbecilliter mutatum,qui cum eſſet in Aeternitate neceſſaria,ſolaque poſſibili Diuinitati ſuæ, ſic dedit ſe ad creandum, ſicut contulit alicui gratiam,beneficium,quibus ille quondam careret:aut quemadmodum ignouit, exoratuſque eſt delinquenti. Valeat igitur ſpecioſa diuinæ ſtabilitatis prædicatio:ſi in homine ſapiente turpis,noxia, indecoraque, multo magis indigna Deo. Laterque ſub ſpecioſo nomine immutabilitatis, vt ſæpe fit, impoſtura mirifica. Meritoque ea & dedecus diuinæ maieſtatis, & humanarum rerum continetur euerſio. Quas ſi Deus inexorabilis, & immutabilis, ſi nunquam gratia aut miſericordia ductus negligeret, in peſſum ire, ceuque nauem ſine nauclero iactari cerneres. Hæc omnia darentur nobis ex illa mirabili, diuinaq; Aeternitate mundi, Aeternitate Solis, Lunæ, non mea, aut tua, quorum etiam in Aeternitate, eſt miſeranda corruptio. Quod igitur arguis, Deum mutari ab Aeternitate ad Creationem, idque indecorum eſſe, duplex reſponſio, Nec omnem mutationem eſſe malam, imò neceſſariam, ac naturalem, Nec hanc propriè dicendam mutationem. Non enim ſi optimum eſt, maximeque naturale, Deum duntaxat æternum eſſe, creauit autem poſtea, protinus mala, & vituperoſa hæc mutatio fuit. Fuit neceſſaria, & naturalis. Vt fieri non poteſt, quin Deus ſit æternus ſolus : ſic fieri non poteſt, vt mundus ſit æternus. Nec debes, dum tollis quod tibi videtur abſurdum,aliud abſurdius inducere. Videtur abſurdum, Deum ab Aeternitate ad creationem quaſi mutatum tranſiſſe, at abſurdius eſt,vnum eum æternum non eſſe creatorem, & creata paris Aeternitatis eſſe. Iam, vt dixi, hæc idcirco nec eſt, nec appellari debet mutatio, quoniam omnis mutatio fit in tempore : ante mundum creatum non fuit tempus : non potuit ergo fieri, nondum creato tempore, mutatio. Dico, ſcilicet, nullum quale noſtris debilibus animis cogitamus, ſpatium ante mundum fuiſſe, in quo cùm diuinum conſilium antea fuiſſet immutabile, poſtea in Creatione mutatum fuerit. Somnia ſunt noſtra : ſicut putamus extra cęlum neceſſariò aliquid eſſe, extremamque ſphæram in loco non eſſe non poſſumus cogitare. Sic ſpatium in Aeternitate opinamur ex errore, & vitio quo ſolas res humanas opinamur. Quin nec ipſam probè nouimus Aeternitatem. Cum ergo omne ſpatium cum corporibus, & mundo, temporeque intelligatur : mutatio autem exigat aliquod temporis ſpatium, vt locus ſit inter duo conſilia, certè non fuit ante mundum, aut eſſe potuit mutatio, à cuius creatione ad antecedentem, qualis qualis fuerit, conditionem, nihil interfuit, quia nihil fuit, quod ſpatium, quod relatio eſt duorum terminorum, poſſet recipere. Indiuiſibilem enim, ſemperque præſentem Aeternitatem cuncti fatentur. Spatium autem, ſi temporis eſt, neceſſariò eſt inter præteritum, ac præſens, ſiue futurum : ſi loci, inter duos terminos. Submoto loco & tempore, deſigna tu quid ſit, digitoque oſtende. Vt autem ſpiritus per corpora penetrant, vt intellectio non indiget luce, vt non poteſt à corporibus mens capi, nec indiget lumine ad intelligendum corporeo: ſic diuerſum quiddam eſt illud, quod mundum anteceſſit, ab omni ſpatio, quod animis noſtris confingitur. Sic quidem Platonici diuinæ maieſtatis ab omni re, quæ cogitari poſſit, diſcrimen oſtendentes, appellant eam Non ens, & apud Dionyſium eſt negatoria Theologia, quòd Deus ſit non Deus, non ſubſtantia, Theologia in hoc ſpatio declarando neceſſaria, Vt appelletur non ſpatium, non mutatio. Ex hiſque apparet ineptia eius, quod infertur, Deum fuiſſe otioſum. Quaſi Deo non ſit beatior longè, meliorque actio, ſuæ Diuinitatis contemplatio, gaudiumque ex ſe ipſo, quàm creatio iſtius mundi. Qui potuit igitur otioſus eſſe, qui beatitudine ſua, nihil iſto mundo indigens, fruebatur? Itaque miſerabilis eorum error inclareſcit, adeò mundum hunc deificantium, vt ſine eo Deum nec eſſe, nec viuere potuiſſe, ſibi perſuaſiſſe videantur. Sic & mundum, Deum appellarunt, ac declararunt æternum, nihil melius habente Deo, quàm eius perpetuam conſeruationem, qui perpetuò in voluendis orbibus cœleſtibus, in creandis bobus, aſinis, equis, vermibus, ſit defixus, qua nullam habeat maiorem voluptatem, eaque nunquam carere potuerit. Quid quòd omnes litteræ, omnis Philoſophia nouit, prædicauit, hac corporea vita, aliam meliorem oſtendentes, vitam iſtius mundi, non eam eſſe, qua nihil melius dari poſſit? Immenſa igitur eſt beatitudo diuina, immenſa gloria, a fa-

Cicero ꝑ Murena.

Procli abſurditates.

Ex abſurdo abſurdius.

Spatium omne quomodo intelligam⁹.

Deus, minimè ocioſus.

Alia vita melior eſt, quam hæc corporea ſit.

ctione iſtius mundi longè diſiunctiſſima. Ea Deus fruebatur,id agebat ante mundum. Eſt enim, vt ait Ariſtoteles, felicitas, actio, non ocium. Hęc actio,hæc vita Dei perennis: ipſa ſuis pollens opibus, ſemperque beata, & opis nihil indiga noſtræ: vt me pudeat, Epicureum, melius, quàm Platonicum hæc vidiſſe. Etenim, Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna locutus. Peccat igitur argumentatio Procli, eodem quo ſuperiores vitio, ab æquiuocis,vel a particulari ad vniuerſale: Qui vacat à creatione mundi, ociatur vſquequaque. Et quaſi in hunc modum: Omnis actio diuina, eſt mundi factio. Hac ergo intermiſſa, Deus ociatur. Et quaſi ſic: Qui non ſcribit, nihil ſupereſt, quod agat:ociatur igitur. Sic abſurdum eſt, quod infert: Aut neſciebat creare mundum, melius fore:aut ſciebat. Dico eum ſciuiſſe. Sed videris tibi fingere tempus, & ſpatium à creatione ad infinitatem. Sciebat, nonne tempus præteritum eſt imperfectum? Fingis igitur tempus interiectum a factione mundi,ad neſcio quem alium terminum,Et quaſi ſic cogitas, vt ſi homo qui ſub tempore, ac motu cęleſti eſt, cuiusve actiones, vitæ humanæ ſpatio decurrunt, prius aliquid non agens, agere inde cœperit. Id vero ſi in Deo cogitas, ſcito te falli, miſcere ſacra profanis, humana transferre ad diuina, rerum corporearum ſimilitudine te ludificari. Scis tamen Platonem dixiſſe, in Deo non eſſe, erat, vel fuit, erit, ſed has eſſe noſtrarum rerum menſuras? ſemper autem in Deo præſentem eſſe Aeternitatem. Eſt & ea vera reſponſio, Si naturalis fuit, vt expoſuimus, neceſſariaque Dei ſolius Aeternitas,qui ſolus mereatur, debeatque eſſe ſempiternus,neceſſarioq; mundus non fuit æternus,neceſſariò quoq; Deus in æternum anteceſſit,mundus in aliquo Aeternitatis puncto creatus eſt. Vanaq; prorſus,& inepta quæſtio,aut illatio, An creare mundũ neſciebat melius aut ſciebat.Et infers ex poſtremo abſurdo alteram partem velut neceſſariam. Dico neutrum in Deo fuiſſe,nec ſciebat,nec neſciebat.Quod hoc ſenſu volo intelligi, non habere, vel habuiſſe locum illic, Sciuit, vel Neſciuit: Aeternitatem naturæ diuinæ, neceſſariam durationem, & antecedentiam habuiſſe ad creationem mundi: Et neceſſariò mundum tanquam vmbram aut ludum, præ maieſtate diuina, ſubſecutum eſſe. Quod erat maximum, ac infinitum, diuina claritas, naturaliter ac neceſſariò in æternum durauit,& res infinita, & immenſa, immenſam vixit ætatem, quod finitum, & minimum præ ea neceſſario, & naturaliter non fuit æternum. Si quis enim cogitet quid interſit inter hunc mundum, atque creatorem eius, profectò videbit infinitam diſtantiam,vt non ſit mirum, mundum cœpiſſe, illum vnum ſempiternum eſſe,& eſſe potuiſſe.Quare nec ſciebat, nec neſciebat, ſed gloria, & claritate Diuinitatis ſuæ, omni mundo inæſtimabiliter maiore ,naturaliter ac neceſſariò mundum æternaliter antecedens,fruebatur. Nec ſi Deus ſciuiſſet, melius eſſe creare mundum, mundus æternus eſſe potuiſſet: ſed quidquid Deus ſuper eo cogitaſſet, ipſe Deus ſemper æternus, mundus ſemper aliquando genitus fuiſſet. Quemcunque capias Aeternitatis locum, in quo mundi ponas creationem,ſemper eadem ratio, eadem cogitatio. Eſt tanquam orbis, cui non eſt principium,Aeternitas, vbicunq; punctum defixeris, eadem ratio: quia neque principium,neque finis, neque prius, neq; poſterius in eo. Vbicunque punctum in orbe defixeris, prius, aut poſterius dicere non poteris, Tantundemque erit, ſi alibi defixeris. Eſt quoque im promptu, & ex ſuperioribus facilis, naturaliſque reſponſio, cum ait Deum, ſi mundus ſit cum principio, non feciſſe melius, ſed ſecutum eſſe deterius. Non cernis errorem. Mundus non ex deteriore conditione, ſed naturali, neceſſariaque, creatus eſt. Omne autem naturale,bonum eſt, optimumque eſt cuique, vt ait Ariſtoteles, quod ei è natura eſt.Sicut naturalis eſt Aeternitas Deo, ſic non Aeternitas mundo. Transferre mutareque Naturę limites, ſceleratum eſt,quantumuis ſpecioſum. Qui regiam ad ſe, qua iure careat, rapit autoritatem, capitali ſententia damnatur. Qui vult aduerſantia Naturæ, ineptus eſt. Sic cum naturaliter ſolus Deus ſit æternus, mundus naturaliter non æternus, qui putat generationem eius, Natura deteriorem, quia non vult Naturam ſuis in ſedibus eſſe, ineptus eſt. Eamus igitur, & homines deificemus, ignem, terram, aquam vti Deos veneremur, cupiamus aureos montes, flumina decurrere Nectare,& Ambroſia,quòd ijs carere miſerum ſit. Et quia Deus hæc ad hunc modum fecerit, accuſetur, quaſi inferiora ſecutus. Specioſa igitur, ſed non naturalis, Aeternitas mundi. Et quia non naturalis deterior, ſpecie modò formoſior, in receſſu turpior. Dictum quoque, reſponſumque eſt, molitionem mundi non eſſe præcipuam, hærentemque inſeparabiliter diuinitati operationem, vt ea carens Deus, caruerit maieſtate ſua, qui longè maioribus bonis perfruatur. Nec peccatum eſt,negare eum ſemper mundum feciſſe, ſcelus potius, & maieſtatis eius dehoneſtatio, non vnum eum declarare ſempiternum, non exiſtimare Diuinitatem ius à mundo diſiunctam, ſine mundo eum beatum eſse non poſse, magnitudine ſua contentum, ſemper perenniterque lætum, id demum ſcelus turpiſſimum. Sic non eſt imperfectio, uod non actu, ſed potentia eſſet in omni Aeternitate. Dico in Aeternitate nullum ſpatium, in uo potentia ociaretur fuiſe, metienda diuina cogitationibus rerum humanarum dico non ſe. Nego potentiam illam, quia neceſsariò Deus æternus,mundus non æternus fuit. Ad hæc, lia poſſedit meliora in actu, gloriam, decus, voluptatemque æternam ſuam, quam generationem iſtius mundi in potentia. Deciperis item humana cogitatione. In Aeternitate non eſt prius, poſterius.Orbis ſi quis ſtet ante oculos (vt ab exemplo pulchro ne diſcedam)& in eo quid deſignes, hic nec ſpati um diſtantiamque complecti poſſis, quia non eſt principium, nec dicere appropinquare

Felicitas in actio.

Rerũ corporearum ſimilitudine ludificatus Procl⁹.

Dei ęternitas, mũdi creatio.

Æternitas, comparata orbi cui nõ eſt principium.

Naturaliter Deus ætern⁹ mũdus verò creatus.

Specioſa quidem, ſed nõ naturalis mũdi æternitas.

Diuina nõ ſunt metienda humanis cogitationib.

Creatio mundi a Deo, quæ & quõ.

Creatio mundi à Deo, quæ & quõ.

Cur non plures mũdi, ſed vnꝰ mundus.

Philoſophi nullos alios ꝑter aſtra, Deos putarunt.

Plato, confeſſus mũdi creationem.

Triſmegiſtus Moſē ſequutus.

Diſiunctarum propoſitionũ partes omnes, non ſemper veræ.

propinquare, vel abeſse quod deſignaſti, propius eſse, vel remotius, Sic quocunque in Aeternitatis loco, quæ velut orbis eſt ſine principio & fine, creationem ſtatueris, non potes prius au poſterius, propinquius aut remotius dicere, nec potentiam, quæ ſpatio actionem antecedente nititur, fingere. Sic in Deo non eſt prius & poſterius. De mutatione quoq; dictum eſt. Non enim Deus in ſua Diuinitate, Aeternitateque eſt mundus mutatus, ſed creare voluit mundum æternus ipſe naturaliter, non æternum ipſum naturaliter. Si fuit mutatio, fuit in mundo, non in Deo, quem neceſſe fuit eſſe ſempiternum. Eadem eſt ſolutio, quòd non peccatur in poteſtatem prolificam, ac bonam voluntatem. Nam potius voluntas tunc verè cognita eſt, cùm creauit, potens deſiſtere, haud ęquè cognoſcenda, mundo ſempiterno. Putatumque fuiſſet naturalem mundo Aeternitatem eſſe, non à Deo. Prolificam verò virtutem in infinitum non ire, ſed iuſtis finibus includi debere: meliusque eſſe, rem etiam bonam habere principium, & aliquem terminum, ſatis ſuperque ſuperius claruit. Hac ratione Deus non fecit plures mundos, non plures Soles, non Lunas, non terras decies maiores, maioriſque multitudinis capaciores. Sic non infinitate Deus aut natura delectatur, ſed modicis, moderatis, paucis & bonis. Claruit etiam, quàm maiora, pluraque bona ex creatione mundi prouenerint, quàm æternitate: vt merito mundum potius creare Deus debuerit, quàm (ſi detur id eum potuiſſe) dimittere ſempiternum. Mihi tamen inuictus Naturæ ordo vi detur, vt Deus æternus, mundus non æternus ſit. His reſolutis, ſupereſt, v pro Platone, quem eadem vanitate nititur in ſuos errores protrahere, præſtigioſis certè rationibus, vt non minus hic quoque mira ſit hominis leuitas, quàm his rationibus, quæ de Natura ducuntur, depugnemus. Ac cùm Ariſtoteles, quem ferunt viginti duos annos Platonem præceptorem audiſſe, vt eum ſenſa præceptoris calluiſse, ſit veriſimile, apertè fateatur, Platonem mundum & tempus creaſse, idque affirmet etiam Plutarchus, & Philo, oſtendentes inſuper opinionis Platonicæ principium, quòd ſecutus ſit Heſiodum, cui Chaos primum, exinde tellus exiſtit: non defuere tamen, qui veteris Theologiæ ordinem peruertentes, delectati elementorum huius mundi Diuinitate, Solis, & Lunæ, ſtellarum, inepta, ſceleratæque Deificatione, nullum aliud hominibus bonum, quàm quæ videntur in hoc mundo, relinquerent, aut eſſe vellent, idque ob gloriam luminum cœleſtium, quorum ſemper admirantur oculis obtuſis claritatem. Quæ dum fuiſſe ſemper qualia ſunt, contendunt, hominis interea beatitudinem, & longè, quàm corum luminum, maiorem claritatem labefactare ſe non viderunt. Nec viderunt nihil homine melius in hoc mundo, vel illis ipſis ſideribus eſse, quæ facta in miniſterium, adiumentumque cunctis gentibus, non teſtimonium modò diuinæ ſapientiæ, ſed etiam quotidianus vſus oſtendit. Hunc vitæ corruptibilis ordinem, qui pendet omnis à cœlo, non debere ſempiternum eſſe, quòd imperfectus ſit, in quo plus malorum inſit, quam bonorum, Deo autem, ac Naturæ placere meliora, etiam ipſi ſint confeſſi. Quo fiat, vt quæ noſtra religio prodidit, Philoſophię ſint magis conſentanea, quæ commutata præſenti vanitate in ſtatum longe diuiniorem, promittat inæſtimabilem cunctis, qui rectè vixerint, felicitatem. Quo quidem ordine reſpondeant ipſi, an quicquam melius, rationabiliusque eſſe poſſit. Plato igitur, cuius fermè fluxit omnis ex fontibus Mercurij Theologia, qui priſcæ Philoſophiæ ſtudioſiſſimus fuit, Pythagorę, Philolai dogmatum apprimè gnarus, Socratis auditor aſſiduus, non vt inepti ipſi, ſempiternam mundi factionem, ſed iuxta priſcos omnes, temporariam, paucis ab hinc annis cœptam eſt confeſſus. Cuius rei prudentibus erit perſpicua ratio, ſi ſęculorum quaſi veſtigia ſequentes, ad primos vſque fontes, vnde Platonis fluxit ſententia, peruenerint. Neque enim Plato ex ſua quaſi diuinitate, mundum creatum ſenſit, & ſcripſit, ſed tum publica fuit celeberrimaq; omnium gentium confeſſio: tum præcipuè ſapientes earum nationum, ad quas diſcendi cauſa, adiere Græci, ea prodiderant. Adeoque clarè Triſmegiſtus de creatione ſcripſit, vt quod a nonnullis Græcis eſt obſeruatum, etiam ſimplices Moſis dictiones Hebraicas Gręcè ſcriptas, cuius linguę, quippe quę materna eſset, non fuit ignarus, vſurpauit. Hunc præcipuè Plato ſecutus eſt, vt paulò pòſt oſtendam: interim ſingulam quamque rationem ſeorſum perpendamus. Quęſiuit inquit Plato ad cuius imaginem factus eſſet mundus, an ad id, quod nullum vnquam habuerit principium, aut quod ſit genitum. Qua quæſtione vult Platonem innuiſse, ſiue ad æternam rem, ſiue creatam factus ſit mundus neceſſariò ante mundum aliquid fuiſse, ad cuius ſimilitudinem mundus fieret. Hanc rationem præſtigioſam, cauilloſamque planè eſse, declarabunt ſimilia exempla. Neque enim cùm primum quęrentes qua de re, duas partes proponimus, protinus harum aut vtranque, aut alterutram veram eſse volumus, ſed ſæpe ex duabus propoſitis rebus, quas per diſiunctionem quęrimus, altera poſſibilis, & vera eſt, altera nec vera nec poſſibilis. Quęro an Deus ſit, an non ſit. Alterum verum, & neceſsarium, alterum falſum, & impoſſibile. An plures mundi, an vnus. An Deus naturam ſibi aſsociare poſſit humanam, necne. In hunc modum quærentes, non protinus quærimus, quaſi fieri poſſit vtrunque ſeorſum: ſed alterum poſſibile ſæpe eſt, alterum falſum, & impoſſibile. Sic quęrens Plato an mundus ad imaginem rei æternæ an creatæ eſset factus, propoſuit alterum quod eſset, alterum quod nec eſset, nec fieri poſset. Quomodo enim potuit eſse quid genitum ante mundum, ad cuius ſimilitudinem fieret mundus, ſi res omnis genita eſt ipſe mundus? Perinde igitur quęſiuit, an ad rei factę ſimilitudinem mundus conditus eſset, ac ſi quęras, an Deus eſſe non poſſit. Quæris ſcilicet impoſſibile, vt inducas poſſibile, & verum. Plato quęſiuit, vllane res antemundum eſset genita corporea, ad quam factus ſit mundus. Propoſuit quod nulla ratione fieri poſſit, tanquam partem inanem, & impoſſibilem, vt induceret veram, & poſſibilem. Sic quęrere poſſum, an cęcus videat, necne, ſurdus audiat, necne, mundus aboleri poſſit in nihilum, necne. Poſſunt igitur in quęſtionibus partes impoſſibiles verſari. Hoc Proclus non vidit, nec puduit eum ex tam friuolis argumentis, extorquere Platoni exordium mundi. Quin ipſa hęc argumentatio prorſus in eum reflectitur, quòd Plato quęrens ad cuius ſimilitudinem factus ſit mundus, inducensq; ad ſimilitudinem ſempiternam factum, prorſus quid ſenſerit, expreſſit. Proteruis tantum, & quos nulla ratio ab irroborata opinione flecteret, hæc non videbuntur. Secunda ratio diluta eſt, oſtenſaq;, & patefacta ſubiecta fraus, aut in tempore tempus non eſſe creatum, aut creatum quidem, ſed non eo tempore, quod generatur è cælo, diuerſo ſpatio, vel æternitate, vel quod vis appelles. Quod autem ait Platonem in Republica pronuntiaſſe, Omne ortum occidere. In Timæo verò mundum incorruptibilem, vt duabus rationibus inter ſe ſociatis, Quod ortum eſt occidit, Quod occidit ortum eſt. Ergo ex aduerſo, quod non occidit, deleturque, non habuit ortum. Plato autem in Timæo cenſet mundum non occidere, ergo nec habuiſſe principium. Facilis, & expedita reſponſio. Non enim vſquequaque Plato mundum incorruptibilem pronunciat, imò verò ſuapte natura corruptibilem, ſed cùm videret, quàm longè, lateq; pateat diuina poteſtas, hãc cenſuit efficere poſſe, vt qui ſuapte natura mundus ſit occiduus, ac corruptibilis, fiat incorruptibilis, diuina maieſtate eum ab interitu ſeruante. Hoc Plato claris, & apertis verbis expreſſit. Marcusq; Tullius interpretãs Latinè, ſic pro Platone loquitur, Opificem mundi, Deos creatos, Dæmones, & ſidera inducens affantem: Qñ igitur omnes, & qui mouentur, palamq; oſtenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipſi volunt, creati ſunt, tum ad eos, is Deus, qui omnia genuit, fatur, Hæc vos, qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite: Quorum operum ego parens, effectorque ſum, quæ per me facta, non ſunt diſſoluta omnino, quanquam omne ligatum ſolui poteſt. Sed haud quaquam boni, ratione vinctum velle diſſoluere. Sed quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis, neutiquam tamen diſſoluemini, nec vos vlla mortis facta periment, nec fraus valentior, quàm conſilium meum, quod maius eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, illa, quibus eſtis tum, cùm gignebamini, colligati. Hæc Plato diuinitus, non procul à ſancta, cœlituſque reuelata Theologia, quæ tradit multa hominum corpora ſuapte natura, longo temporis ſpatio alimentis carentia, morti debita, fuiſſe diuino conſilio, ab interitu defenſa. Sic in deſerto, quadraginta annis non ſunt attritæ veſtes, & calcei. Hoc conſilium, hanc poteſtatem dicit Plato vigere in cęlo, cùm debeat ortum, occidere, labefactari, obſoleſcere paulatim, ſeruari tamen ab omni fraude. Hæcque perſpicua ſunt, & manifeſta. Hanc ſuam ſententiam iterat in Politico, in Republica. In Politico vſus verbo euidentiſſimo, de cęlo loquens: λαμβάνοντα ἀθανασίαν ἐπισκευαστὴν, παρὰ τοῦ δημιουργοῦ: Accipere cœlum immortalitatem fabricatam, extructam ab Opifice. In Republica verò, vocat cœlum θεῖον γεννητὸν, rem diuinam factam, genitam. Claraque ſunt omnia, à Proclo in argumentando diſſimulanter præterita. Immortalitas cœli, ſi qua eſt, inquit Plato, non naturalis eſt, omnia enim, quæ principium habuerunt, denique diſſoluuntur. Hoc fatur Plato clara voce. Eſt vis, inquit, cunctis naturis imperitans, cui ſunt omnia facilia, cęlum reddens inſeneſcibile. Quin ipſe Ariſtoteles ea potiſſimum ratione pugnat contra Platonem, quòd dixerit incorruptibilem rem, cui principium dediſſet. Epicureus item apud Ciceronem hæc de Platone loquitur, eum irridens: Sed illa palmaris quidem, quòd qui non modò natum mundum introduxerit, ſed etiam manu penè factum, is eum dixerit fore ſempiternum. Hunc cenſes primis, vt dicitur, labris guſtaſſe Phyſiologiam, id eſt, Naturæ rationem, qui quicquam quod ortum ſit, putet æternum eſſe poſſe. Quæ eſt enim coagmentatio non diſſolubilis? aut quid eſt, cuius principium aliquod ſit, nihil ſit extremum? Hæc Epicureus, aut Marcus pro eo. Philo autem Iudæus inter Platonicos eximius, eadem in libro de Mundo perhibet. Eadem & Plutarchus, digni omnes quibus maiorem, quàm iuuenibus recentioribuſque hiſce, fidem habeas. Conuenit igitur inter omnes, mundum à Platone creari, ſed non diſſolui. Poteſtne igitur tam perfrictam habuiſſe frontem Proclus, vt quæ tot teſtimoniis confirmarentur, denegaret? Quod autem ex Legibus arguit, Platonem dixiſſe infinities artes natas, & abolitas, hoc item conſideratione digniſſimum, pugnandumque pro veritate, & Platone. Oſtendam igitur ex aliis locis, luceque clarius probabo, ſermonem quo Plato fert artes infinitis temporibus extinctas ac renatas, non deſignare Aeternitatem, ſed plurimum quendam temporum tractum. Accipiam igitur alia loca ex Timæo, ex Politico, quibus expreſsè fatetur mundum creatum, rurſum hunc longum annorum curſum commemorat. In Timæo igitur, vt cognoſcas, quòd in Legibus ſcripſit, artes infinities aboleri, ac renaſci, non tollere creationem mundi, cum ſcribat clarè, vt Ariſtoteles quoque, & Marcus, & Philo, alijq; plures fatentur, de creatione mundi: principio autem tradit ſimilia, atque in Legibus, vel eluuionibus, aut conflagrationibus immanibus, hominum interitum euenire, profectò conſtat eum, qui diluuiis aſſerat homines ſępe aut conflagrationibus extinctos, non protinus putare mundum ſempiternum. Nam Timæus pariter, & creationem memorat, & huiuſmodi diluuia,

Et ſuppoſitione rei falſæ verũ collegit Plato.

Plato facit corruptioni obnoxiũ mundum.

Ioſ. 5.

Cœlum fabricatum.

In quo pugnet aduerſus Platonem Ariſt.

Infinities artes natas, & abolitas, Platoni, quõ intelligatur.

Incomprehenſibile tempus anteactum, Platoni.

luuia, & exuſtiones. Eundem igitur arbitrandum eſſe ſenſum in Legibus. Conferamus verò lo-
ca. In tertio de Legibus hæc habentur: Arbitror, inquit Athenienſis, à temporum longitudine, &
infinitate mutationibusq; crebris natas & creuiſſe res publicas. An verò, inquit, ex quo ciuitates
ſunt, & homines Rempublicam tenuerunt, arbitraris te poſſe comprehendere quantum tempo-
ris abierit? Nequaquam inquit. Id ergo, Athenienſis ait, infinitum quoddam, & incomprehen-
ſibile ſit. Omnino ſic eſt, inquit ille. An igitur non innumerabiles inuicem ſibi ſuccedentes fuere
Reſpublicæ hoc tanto temporis ſpatio, eademq; ratione non pauciores extinctæ? Poſt pauca, An
videntur vobis vera, quæ priſcorum nobis ſermo prodidit, diluuiis, & peſtilentiis, multiſq; aliis

Multis variiſq; caſibus res ſępe mutatę. Gen. 9.

caſibus ſæpe homines interiiſſe, exiguamq; partem remanſiſſe? Hæc ibi, addens eos, qui ad mare
habitaſſent, eluuionibus facilius periiſſe, his qui montana tenerent, ſuperſtitibus, velut quadam
humani generis ſcintilla, referens ſcilicet, quod ab Aegyptiis audierat, ſed obſcurè, ſeruatam in
montibus Ararat arcam, qua vehebatur Noe. Hunc igitur Platonis ſermonem, tametſi tempus
infinitum, variaſq; generis humani clades referat, non deſignare tamen Aeternitatem, licet agno-

Plato Alcibiade. 1.

ſcere ratione ex Timęo, & Politico. Refert aũt in Timæo eadem prorſus, vbi Sacerdos Aegyptius
ſic cum Solone loquitur: Iuuenes eſtis animo vos Græci, in quo nihil habetis vetuſtum nihi
tempore diuturnum. Cuius cauſa eſt, quòd ſæpe genus humanum variis caſibus periit, & peri-
bit, aut exuſtione, aut eluuione, aliiſque ſeorſum innumerabilibus malis. Tunc igitur qui mon-
tes, excelſaque loca, & arida tenuiſſent, facilius ſunt, quàm qui ad mare, & flumina habitaſſent
cõcremati. Quo caſu nobis Nilus adiumento fuit, eius beneficio hac calamitate liberatis. Rurſum
cum terram aquis Deus alluerit, montes incolentes, vt paſtores, bubulci, ſeruati, veſtræ autem
vrbes, quæ mari adiacerent, fluminum impetu in mare portatæ ſunt. Hæc in Timæo Pla-
to. Cum ergo in Timæo, & viciſſitudinem diluuiorum incendiorumq; memoret, rurſum clariſ-

Plato ſtatuit ſæculorum diuturnitatẽ, non æternitatem.

ſimis verbis ſcribat de creatione mundi, Ariſtot. cum multis id confitente, profectò liquet ex e
in Legibus ſermone, Platonem de Aeternitate mundi non cogitaſſe, ſed potius de numero quo-
dam diuturno ſæculorum, quia diluuia, incendiaq; audiſſet, & tempus à condito mundo ignora-
ret. Sciebat tamen, audieratque ex libris Mercurij, maiorumq; ſuorum, mundum fuiſſe creatum
Hoc conſtat item ex his, quæ ſcribit eiuſdem generis in Politico. Ibi primum teſtatur Deum
creaſſe cęlum, ac terram, Deoſq; minores gubernaculis præfeciſſe, per omnes mundi partes diſtri
butos, eodem tamen libro hæc ſcribit: Interitus igitur, & clades maximę animalibus acciderun
exiguaque hominum pars eſt ſeruata. Quibus & aliæ calamitates admirandæ, & inauditæ exti-
terunt. Hæc ibi, & alia plura Plato, quę mihi non eſt cura referre. Tantum conſtet, ſermonem d
cataclyſmis, & incendiis, & cladibus hominumque, & artium, non deſignare Platoni mundi Ae-
ternitatem, ſed potius diuturnitatem quandam, hominibus incognitam, quibus ortus mundi no

Infinitum, ſæpe numeroſum, & incomprehenſibile homini ſignificat.

eſſet notus. Neque verò ſemper infinitum, teſte Ariſtotele, deſignat, cui nullum ſit principiu
ſed numeroſum ſępe, & copioſum, humanaque mente, non natura, incomprehenſibile. Neſcie-
bat Plato, quod nobis Ieſu Chriſti in terris aduentus attulit, per quem factum eſt, vt creati
mundi & tempus à creatione ſit per totum orbem terrarum inuulgatum: neſciebat inquam qu
tum ad ſua vſque tempora, ab hominum ſatu proceſſiſſet. Idcirco multa ſęcula ſuſpicabatur,

Annorum infinita millia philoſophi temere poſuerunt.

longè pauciora erant, quàm ſuſpicaretur, quamq; eum Aegyptij docuiſſent, apud quos noue
annorum millia (ſed annorum lunarium Plutarchus, & alij tradunt) deprehendiſſet. Eſt igit
clara, & perſpicua argumenti dilutio, ipſo ſibi Platone ſuppetias afferente. Quæ porrò vis arg
mentationis, ingeniiq; elegantia, ſi locus vnus duntaxat porrigat aliquam de Aeternitate mun
ſuſpicionem, longè plures de creatione teſtantes, conniuenter prætermittere? Plenus eſt Pla
ſermonis de mundo condito. Quid poterit igitur vnus ille in Legibus locus? Sic claret quo ſe
ſit accipiendum, quod de cataclyſmis, ac diluuiis, quibus ſemper hominum pars perierit, ſcri-
pſit. Quod tam clarum eſt, vt nugax ſit qui prolixius refellat. Diſſoluet autem Proclus poſte
ſi ex diluuiis, aut exuſtionibus Aeternitatem aucupatur, quę mihi quoque ex his ipſis fort

Neceſſe eſt incẽdia, & fuiſſe, aut vniuerſalia aut particularia.

veriora occurrunt: Aut hęc incendia & diluuia fuiſſe vniuerſalia, aut particularia, ſi primum, de
letis omnibus, nemo nunc eſſet ſuperſtes. Si particularia, cur nullis litteris comprehenſa ſunt, p
ra annorum millia, ſed totus orbis conuenit, paucis abhinc annis mundum cœpiſſe, vt ſi pe
rint ſcriptorum maxima pars, omnia perire, quæ ſunt in omni Aeternitate ſcripta, non deb
rint? Ad hæc, ratio Naturæ eſt, diluuia, totam aliquam obruentia prouinciam, exiſtere non p
ſe, vt poſſunt his aliquę maritimæ vrbes, & caſtella, aut pars inſulæ mergi. Non poteſt, verbi c
ſa, tanta inundare vis aquarum, vt omnem obruat, vel Italiam, vel Galliam, aut Germaniam
Hiſpaniam. Quicunq; Naturæ vires, certaſque rerum, & incommutabiles viciſſitudines elem
mentorum, & reciprocationes ponderauerit, videbit id fieri natura non poſſe. Tantundem
in elementis, & rerum compage, caloris, quantum humoris: huiuſce quoque tantum illius. E
dem eſt caloris, & aquę proportio, altero ex altero naſcente, vt inuicem ſeſe delere, quon
pernicies vnius interitus eſſet alterius, non poſſint. Vt ſępe ſqualores, vt aquæ rapidæ inund
nes extiterint, tanta tamen fuerunt, quo ad Natura progredi potuiſſet. Nunquam tandiu pl
vt ſapientibus, cauſarumque peritis admirationem afferret. Nunquam eo vſque ſqualuit, vt
potuerit Naturæ limites ſqualorem tranſcendiſſe. Neque verò fuit unquam talis, tanta

conſta-

Non fuere tantæ conflagrationes, vt iactabãt Aegyptij.

Diluuium Deucalionis fuit diluuium Noe.

conflagratio (quoniam eſſe non poteſt) qualem apud Solonem iactabant Aegyptij, vt vrbes, & gentes fuerint concrematæ. Quanquam de Paleſtinæ conflagratione, diuinitus facta, quòd illi fortè neſcierunt, famam audierant, non erat in vniuerſum tranferenda. Nec legitur vſquam tantam cælitus conflagrationem extitiſſe, vt integram prouinciam incenderit. Diluuia verò prouinciarum nulla legimus, quibus vna prouincia, genusque ſit ſubmerſum. Nam diluuium Deucalionis, teſte Plutarcho, fuit diluuium Noe, referente ſcilicet Deucalionem ex arca columbam, & coruum emiſiſſe. Diluuium autem Ogygis, vix particulam Græciæ alluit. Noſtra quoque tempeſtate Hollandia in medio Rheno, qua mare Oceanum inuehitur, immanibus nimbis, quibus fluuius excreuerat, penè obruta eſt: ſed tametſi parte aliqua demerſa, non oppreſſa tota. Quid quòd ipſemet ſtat pro veritate Plato, dicens eiſdem in locis, quos alluuio preſſiſſet, ſeruari homines in locis editioribus? Semper ergo, vbi fuit diluuium, aliqua pars hominum fuit ſuperſtes, pęnes quam artes, & litteræ, & monimenta remanere potuerunt. Quid quòd hæc diluuia maritimis tantum vrbibus accidere Plato teſtatur? vt ſi detur vrbes Italiæ mari ſupero, vel infero adiacentes mergi potuiſſe, montana tamen omnis mediterraneæque regiones calamitatem euaſerint. His igitur claret, ſiue Platonis autoritatem, ſiue rationem ſequaris, nec fuiſſe, neque vnquam eſſe potuiſſe diluuium, quod totam aliquam prouinciam oppreſſerit, vt totum genus, verbi cauſa, aut Italicum, aut Gallicum, aut Hiſpanum, aquis perierit, quòd vbique montes ſunt, plusque eſt ferme quauis orbis terrarum regione montium, quàm terræ campeſtris. Hoc autem omne efficit vt ſi non fuit vnquam, nec potuit eſſe diluuium, quo genus vllum, aut prouincia funditus rapta, mergeretur, homines maiore ex parte ſuperſtites, artes & diſciplinas, litteras, & libros, memoriasque retinere debuiſſe. Quid igitur eſt, quòd hæc monumenta nuſquam ſunt? Nuſquam inuenies memorias decem aut viginti annorum millium? Nam vt ait Lucretius (ſæpe enim homines mali loquuntur bene)

Omnes homines, vel maximo diluuio non fuerunt immerſi vndis.

Si mundus fuiſſet ab æterno, lõgè plura veterum ſcripta haberemus.

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo,
Terrarum, & cæli, ſemperque æterna fuere,
Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Troiæ.
Non alias alij quoque res cecinere Poetæ?
Quo tot facta virum toties cecidere, nec vſquam
Aeternis famæ monumentis inclyta florent?

Nihil enim veriſimile eſt in omni Aeternitate, quod ipſi fatentur, nouum eſſe, impreſſuram, vel Grammaticam, aut vllam denique diſciplinam in omni Aeternitate defuiſſe. Putandum eſt, ſi mundus eſt æternus, litteras quoque, & ſcriptores, hiſtoricos, & Poetas innumerabiles ſemper xtitiſſe; vt ſi ſcriptorum pars perierit, plura tamen cum hominibus remanſerint. Quoniam igitur diluuia aut conflagrationes, nec vniuerſum genus hominum, nec aliquam prouinciam exinguere potuerunt, ſed ſi quid id genus calamitatum accidit, vix exiguam prouincię particulam apuit, & in omni Aeternitate, ſi mundus eſt æternus, innumerabiles ſcriptores florere debueunt, quorum aliqua monumenta, de ſæculis æternis, rebus inæternum geſtis memorarent, id utem nuſquam apparet, certè ratio de cataclyſmis, & exuſtionibus, non modò nulla eſt, ſed otius confirmat mundum paucis abhinc annis exortum, perindeque homines, & diſciplinas atas, paulatim adoleuiſſe, ad ſummumque perueniſſe, ſicut homines ſenſim omnes terras releuerunt. Quod autem de Inſula Atlantide ab Aegyptiis Plato auditum ſcripſit, ingentibus imbis fuiſſe demerſam, ſcitu digniſſimum eſt, famæ cauſa. Audierat illud Noe diluuium, vt ob umana flagitia non Natura, nec ad Naturæ leges, ſed ſummi Dei conſilio, non modò pluuiis, d ſubterraneis portentoſis ſcatebris, omnes terras inundaſſet. Cumque de loco ei non adeò queret, gratificarique Republicæ ſuæ vellet, cui genus ab ea gente deduceret, cętera quidem irificè cum ſacris litteris conſenſit, locum duntaxat mutauit, quemadmodum ſolitus eſt Hoerus, ex Meſopotamia, aut Armenia, in inſulam Atlantidem. Quòd autem terribile illud diluium, non naturaliter, ſed Dei voluntate, delere ſceleratos decernentis, Plato accidiſſe voluerit, quòd adamuſſim repręſentet tempeſtatem Noe, apparet ex his, quæ ſcribit in eo, qui inſcritur Critias. Vt enim ante diluuium, ſanctum genus creatum à Deo in terra, moribus paulatim iquis deprauari cœpit, donec ſummus Deus de abolitione decerneret: & vidiſſe dicitur, omm terram ſcelere repletam: ſic refert id genus quædã Plato in Critia, Donec progenies illa dina Atlantica, his in locis à Deo collocata, legibus inſtituta ſuis, ſanctã affinitatem retinuiſſet, ri, & Deo, cui ſimilis eſſet, beneuolè, & piè paruiſset, in multa ſęcula duraſse, fuiſseq; pruden&, manſuetudine inſignẽ, contemnentes aurum, omniaq; inferiora virtute ducentes, nullis im oderatis voluptatibus à vero vnquam aberraſse. At vbi ſatus ille diuinus, ſimilitudoq; eos ſen n defeciſset, humaniq; mores præualuiſsent, tũ verò nihil non turpitudinis apud eos, viguiſse, uſtitiam, violẽtiam. Itaq; Deũ Deorũ Iouẽ genus diuinitus natum, tã miſere affectum cõſpica pęnas eis importare, vt meliores redderentur, ſtatuiſse, deiſq; oĩbus in pulcherrimo cęli loco,

Atlantis inſula demerſa nimbis ingentibus, Platoni, quod intelligendũ de diluuio quod fuit Noei tempore.

Ante diluuium ſancti homines.

qua media cęli regio eſt, vnde deſpicit omnia, congregatis, in hunc modum verba feciſſe. Omnis D igitur hæc hiſtoria, quam obſcurè audierat Plato, & quaſi poetico more locum tranſtulerat, videtur referre genus, moresque eorum, qui ante diluuium floruerunt. Sed ſit quidquid libet, mihi ſatis eſt oſtendere, nihil ibi naturaliter, ſed diuina potentia factum docuiſſe Platonem.

Platonicos priſcos, non quemadmodum affirmat Proclus, mundum æternum dixiſſe, ſed factum. Diluuntur rationes Plutarchi ſub aliorum perſona. Deum creantem mundum, humanisque rebus conſulentem non laboraſſe, Deum creaſſe hunc mundum non cauſa voluptatis ſuæ, ſed propter homines, quod Stoici etiam fatentur. Vexationes bonorum, improborum ſecundas res non prohibere, quo minus mundus ſit creatus. Cap. VI.

SVPEREST magnorum Platonicorum autoritas, quam oppoſuit velut aliquid ponderis habentem in aſſerenda Aeternitate mundi Proclus. In quo ſic mendacem eum oſtendam, ſicut in his rationibus, quæ vel ex Platone, vel Natura deducebantur. Oſtendam, inquam, Plotinum apertè creationem temporis & mundi prædicantem, Porphyrium autem, & Iamblichum, Simplicium item oblitos erroris ſui, ſi vera dicit Proclus, non ſemper in ea ſententia permanſiſſe. Quæ quoniam in vltimum locum differuntur, nunc rationes allatas a Plutarcho ſuper Aeternitate mundi, non ſuam, ſed aliorum ſententiam recenſente, in medium afferam: tum ea quæ idem obiecit his, qui trahunt Platonem in Aeternitatem mundi, proponam: quæ & ipſæ, ſicut Ariſtotelis illæ, cum maximè pugnent ad- E uerſus eos, qui mundum anteceſſiſſe Chaos, & confuſionem contendunt, non omnino nobis aduerſantur. Communiter, inquit, vterque peccat, Anaxagoras ſcilicet & Plato, quòd Deum faciunt rerum humanarum curantem, huiusque rei gratia mundum molientem. At, inquit, animal beatum, & incorruptibile, omnibusque bonis opulentum, expersque omnis mali, in amplexu felicitatis, & immortalitatis totum, curam humanarum rerum ſuſcipere non debet. Miſer porrò eſſet, ſi velut quidam faber ſtatuarius, aut lignarius, ſolicitudine, curaque torqueretur ad molitionem mundi. Iam Deus, quem dicunt creaſſe, aut in anteriore æternitate non fuit, cum corpora vel immota erant, vel incompoſitè iactabantur, aut dormiebat, aut vigilabat, vel horum neutrum. Primumque eſt abſurdum. Eſt enim Deus ſempiternus. Secundum quoque nulla ratione ſtat, quòd æternus ſomnus, æterna mors, nec ſomnus cadit in Deum, plurimumque diſſita ſunt immortalitas Dei, & in mortem inclinatio. Quòd ſi Deus vigilabat, aut beatitudo deficiebat eum, aut omni beatitudine fruebatur. Primum efficit, Deus vt beatus non eſſet: cui enim perfecta beatitudo non ſuppetit, beatus dici non poteſt. Quòd ſi beatus erat, & pulchrè degeret æuum, rerum nouarum molitione delectari non debuit. Quomodò verò, ſi Deus eſt, & eius cura, res hominum gubernantur, vitia, ſceleraque locum nobiliorem ferè obtinent, indigniorem virtutes? Agamemnonque & bonus Rex, & fortis Imperator, ab adultero, & adultera dolo cæſus occubuit. Hercules ei conſanguineus, qui monſtris hominum vitam expiaſſet, a Deianira doloſè venenata veſte ſublatus. Hæc Plutarchus, ſiue ſua, ſiue aliorum ſententia. Si ſua, poſſem ſuis eum teſtimoniis vbique refellere, cum de virtute, & pietate ſit ei multus vbique ſermo. Tanquam transfugam, & impoſtorem coarguam. omnis enim hæc oratio, prouidentiæ eſt deſtructio. Et tamen ipſe de his, qui ſero a Deo puniantur, optimis allatis, & quales a vera Theologia afferuntur, ſuper eo, rationibus ſcripſit. Vidit & aſſeruit a Deo caſtigari delinquentes, rationemque cur ſero caſtigentur, vidit & expoſuit. Satis igitur mihi eſt Plutarcho contra Plutarchum. Sed pauca quædam è Naturæ, Philoſophiæque gremio, vera ad ea quæ poſuit, petamus. Dico Deum curare res humanas, idque Philoſophos omnes, vno aut altero delyris exceptis, prædicaſſe. Vt mittam Platonem, Ariſtotelem, Alexandrum Aphrodiſeum, quorum toto hoc opere viſa ſunt teſtimonia. Ac ratio, quæ mouit eos, perſpicua eſt. Quid eſt enim melius, ac dignius, quàm Deum gubernare mundum? Eadem autem ratio, quæ perſuaſit omnibus hominibus Deum curare res humanas, eadem ante creationem eum Diis & hominibus proſpexiſſe, bonitatem, felicitatemque communicare ſuam voluiſſe, perſuadebit. Quòd verò dicis, Deum animal beatum, laborare in attendendis rebus humanis non debere: aut videlicet quia non poteſt, curaque velut mortalis, qui vndique beatus eſt, angi nec debet, nec poteſt, eamque ob cauſam quaſi ferens ei ſuppetias, ab hac ſolicitudine eum eripis: aut quia vel res mortales non indigent, vel indignum Deo eſt hoc officium. Primum certum eſt, animali beato nihil quod agat, laborioſum eſſe. Neque enim beatum eſſet, niſi perfectum eſſet. Perfectum autem quidquid agat, in eo ſuſtinere laborem, ſolicitudineque torqueri non poteſt. Quiduis agat Deus, quantum velit cogitet, nihil poteſt ei laborioſum eſſe. Id enim eſt beatum. Quare neque mundo creando, neque prouidendo Deus laborare poteſt. Indigentibus autem rebus humanis aliquo præſide, nonne Deus ſolus, omni mundo maior, poteſt & debet curam ſuſcipere, qui & cæteris prodeſſet, & id ei laudi eſſet?

Philoſophi veritati aduerſātes, verum faſſi.

Nugamentũ nõ philoſophi, ſed argutãtis ea de re quã ignorabat.

Plutarchꝰ ſibi ipſi cõtrarius.

Prouidentia, mundique gubernatio rectiſſimè Deo tribuitur.

Labor in Deum nõ cadit.

Optimi

A Optimi enim eſt proſpicere, ſi poteſt, regere, moderari (Nihil eſt enim melius, aut præſtantius bonitate, & beneficentia) Deus autem poteſt, & eſt optimus. Ecce igitur aceruus, Deus poteſt prouidere, prouidendo, neq; laborat, neq; interpellatur beatitudo eius: contra autem, nobile eſt & glorioſum ſuaque maieſtate digniſſimum proſpicere, regioque hoc munere fungi: poſtulant autem, efflagitantque humanæ res hanc prouidentiam: prouidet ergo & attendit. Ad hæc Plato, & Mercurius Triſmegiſtus docuerunt, Deum quòd bonus eſſet, molitum hoc omne: fuitque bonitas maxima & incommemorabilis, cui ex creatione rerum fieri nulla poſſet ad felicitatem acceſſio, quęſiſſe eadem in homines effundere, quæ poſſideret ipſe, bona. Cuncta enim in hoc mundo tandem ad homines reuocantur. Hominũ autem felicitas vera atq; perfecta, ob quam fuerint a Deo creati (Neq; enim ei mortalibus hunc mundum condere, admodum profuiſſet, bonaq́; ſua verè communicaſſet) eſt, regiones feliciſſimas ſubire, fortunatis, ciuibus, & his qui pulcherrimum vultum eius intuentur, adſcribi. Hoc Deus ſciens, & videns, perſpectumq́; habens, quãta in domo ſua ſint gaudia, eſſe humaniſſimi, & qualis ipſe natura eſt, iudicauit, cõdere quos in hoc iucundiſſimo proſpectu collocaret. Duosq́; gradus bonitatis, quaſi fontes duos, produxit: alterum iſtius mundi, lucem corpoream, qua viderentur, ſentirentur res corporeæ, hacq́; vita, res minores fruerentur, infimos rerum gradus hoc orbe comprehendens: alterum, quo diuina tantum, beata, læta, ſyncera, ſempiterna, incorrupta, perfecta, cupiditatem, animumque explentia continerentur. Vides quanta bonitas, quanta gloria, quantum decus eius (Et nihil laboris admittebat, nihil interpellabat ſua gaudia) ex prouidentia inclaruerint. Vtile fuit nobis declarari eius bonitatem, quanquam hoc ei non fuit nouum gaudium, cumulusque felicitatis ſuæ. Tantum fuit, quoad ipſe vellet. Lætaturq́; B quotidie, aut quod in ſacris litteris dicitur, triſtatur, vſq; quo placitum eſt ei. Aeternus tamen ipſe, res autem creatæ, ne minor gradus, vitaque infima, maioris ac perfectæ ſit euerſio. Nec poteſt vterq; mundus ſempiternus eſſe. Debet autem melior tantum permanere in ſempiternum. Si das meliorem æternum, das inferiorem deſiturum habuiſſe principium. Conſtat igitur magis decere Deum res hominum attendere, quàm ſpernere: falſaque eſt argumentatio, Deum ſi res humanas curet, ſuam beatitudinem labefactare, quaſiq; lętitiæ ſuæ męrorem offundere. Cogitatio, ex humana imbecillitate diuinam naturam iudicans. Quis tibi conceſſerit? Homo prouidendo vexatur, angitur, vritur curis, ſimiliter Deus. Neque verò Theologia vera, inducit Deum, tanquam Ideam mentis ſuæ intuentem, conſultantemque de creatione mundi, magniſque quaſi curis æſtuantem: ſed vnico verbo, ſolaq; cogitatione, quod & a Platonicis traditur, feciſſe: Dixit, & facta ſunt: Mandauit, & creata ſunt. Ideam illam Platonis archetypam, dicemus ipſam Dei ſapientiam, non exemplar, in quod velut lignarius, aut ſtatuarius inſpiceret. Plato quidquid dixerit, non attendam: ſi voluero, tuebor dictis Platonicorum, Ideam mundi, diuinam eſſe Sapientiam, Verbumque fęcundum, Mercurio, Philone autore. Vt autem aliam rationem diſſoluam, non conſequitur, Fuit Deus ante mundum, non dormiebat, vigilabat in actione felicitatis ſuæ, beatiſſimus: Ergo ad rerum nouarum molitionem non potuit aggredi. Falleris, putas creaſſe, vt aſtris tanquam ſignis, aut æde picta delectaretur, vt adderet quod ad perfectam beatitudinem deeſſet. Quaſi domo, aut familia ante molitionem mundi carentem, domos, homines ædificaſſe. Hæc ſuſpicio, nobis, qui nihil cauſa ſua, ſed noſtra, quod placuit etiam Stoicis, Deum feciſſe cenſemus, non obſtrepit, iudicamuſque eam puerilem & ineptam. Soluta eſt igitur ratio, nihil diuinam bonitatem, opulentiſſimam, C feliciſſimam, ſui cauſa, ſed noſtra feciſſe: quæ ſi ſua feciſſe dicitur, eodem pertinet, vt ad ſe ſcilicet cuncta reuocaret, quoniam ipſe finis omnium. Hoc autem adeò naturale, & clarum eſt, vt etiam Stoici quemadmodum dixi, id agnouerint. Epicureusq; contra Stoicum apud Marcum Tull. An hæc, inquit, vt ferè dicitis hominum cauſa a Deo conſtituta ſunt? Sapientumne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio. Hoc igitur omittamus. Supereſt, vt poſtremum diluamus, quod omnes ferme mortales, pietatem veram, & non veram profitentes, torſit: mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabantur. Sic queritur propheta, Vſquequò Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Similiter Claudianus:

Creationis mũdi cauſa, Dei bonitas.

Duo gradus bonitatis diuinæ.

Magis eſt conſentaneũ, Deũ rebus adeſſe moderatorẽ, quã eas non curare.

Pſal. 148.

1. De Natu. Deor.

Pſal. 72.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios.

De laudib⁹ Stiliconis in Rufinum, in ipſo principio.

Communis igitur omnium mortalium dubitatio, nec aliud eſt totus liber Iob, cuius ex parte ſolutionem illi agnouerunt, perfectè autem agnoſcere non potuerunt. Quippe niſi ad aliam vitam, Breuitas huius vitę beatitudine vel ſuppliciis minimè penſitanda.

Bona, quæ putantur, ſępe dprauant. & cōtrà, mala, vt calamitates, reddunt hominē meliorem.

Præmia bonis propoſita, pœnæ improbis.

De ſera vindicta numinis.

Claudian.

Non eſt malum puniri malos

cuius etſi ſcientiam Philoſophi tenuerunt, perfectam tamen eius rationem non viderunt, hæc referantur, nulla ſolutio eſt. Viderunt autem nonnulli Philoſophi, Pythagorei, Plato, perinde vt iuſtis, ac piis præmia cæleſtia tribuenda eſſent, ſic danda pro meritis æterna ſupplicia ſceleratis. Nō igitur huius ſæculi breuitatem vel in beatitudine vel ſuppliciis oportet attendere, quia ſicut non ſunt digna Deo præmia temporaria, ſic ſupplicia debent eſſe ſempiterna. Cumque opinatus ſit cum multis Plato, pios in concilio Deorum collocandos, impios in profundum tartarum deturbandos, aut certè hoc denegas, aut concedis. Si denegas, primum quæram cur neges, & cur te tantorum virorum autoritas non flectat. Si concedis, iam intelligis, nihil in hac vita decerni poſſe, ſatiſque ſuppliciorum homicidis, rapacibus, violentiſque futurum, cum ad ignes æternos, quod & Poeta noſter cecinit, adigentur. Sic ſatis præmiorum futurum iuſtis, cum regnis cæleſtibus, vbi gaudiorum, beatitudiniſque omne genus, aſcribentur. Bona verò temporaria non ſolum ceu probitatis eorum præmium, iuſtis non ſunt augenda, vt etiam non concedenda videantur, quòd tum diuina liberalitate, ac beneficentia indigna noſcantur, tum ſæpe deprauant, & à virtute deducunt ad vitia. Paupertas autem, aut calamitas ſæpe deſides animos excitatos reddidit meliores, & contēpta terreſtri, fluxaque felicitate, fecit maioris illius cupidiores. Clariorque virtus ac perfectior elucet in aduerſis huius mundi, quàm rerum ſecundarum perenni ſucceſſu. Illeque ipſe Hercules, tunc toto terrarum orbe, clariſſimus effectus eſt, cum tyranni crudelitas eum egit exulem. Ac vt rationem reddam, cur ſit Agamemnon interfectus, plures poſſunt eſſe. Primum vt fatali decreto ab adulteris per dolum ſit interemptus, qui filiam Sacerdotis, Numen non veritus, captiuam conſtuprandamque abduxiſſet, gementique patri reddere noluiſſet. Sic iniuſtè ſæpe turbamur, & qui cæcos conſiliorum receſſus, obſcuraque pectora non perſpicimus, ſola ſuperna ſpecie capti, æquè bona non meritis effundi, ſicut immeritis ſupplicia, calamitatemque infligi, temerè iudicamus. Vniuerſale humani iudicii malum. Altera ratio, quam dixi, quòd (vt Philoſophi ingenuè confeſſi ſunt, creditumque eſt ab omni vetuſtate, ac prædicatum) præmiis iuſtorum, vel iniuſtorum æternis conſtitutis, oportet ad meliorem, & ſempiternum ſtatum hæc referri, vbi ſicut verus carcer erit ſceleſtorum, ſic vera præmia bonorum. Tertia ratio eſt, quam vel ipſe Plutarchus attulit, dignius eſſe, atque honorificentius Deo, grauiter, moderateque procedere, expectare pęnitentes, quàm ſimul, perpetrato crimine, fulmen corripere. Quippe cum nemo ſit qui non peccet, plenaque vita ſit omnis delinquentium, ſi quoties peccatur, ſæuiret, breui totum humanum genus perderet Deus. Clementiæque ſuæ eſt expectare pœnitentes, ad illatas iniurias conniuere, Nec ſunt tamen diu felices, quos luce, tot ſceleribus perpetratis, putas indignos. Iidemque illi ſibi ſatisfecerunt. Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant: paucoſque videas euaſiſſe limina ad vſque ſenectæ beatos, quorum in vita, vagata late crudelitas, impietaſque fuiſſet. Eſſe autem vexationes, aduerſamque fortunam virtutis quaſi ſopitæ ſtimulum, occaſionemque ad meliora, non noſtri ſolum, ſed ſui quoque Plato, Epictetus, Simplicius aſſeruerunt. Nec malum eſt Platoni, in Gorgia, malos puniri, quibus cum omni mundo proſit ſcelus expiari. Simplicio autem Epitectum interpretanti, ea de exercitatione in hac humana vita diſſeruntur, vt qui ſe putat immeritum, & quæ non demeruiſſet, perpeſſum, facili poſſit eius oratione mitigari. Sacras enim litteras prætereo, nihil in aures noſtras aliud tam magis intonantes. Quarum autoritas eò grauior, potentiorque eſt, quòd non modò ſunt a Deo reuelatæ, ſed etiam validiſſimas ſecum apportant rationes breuiſſimæ vitę, bene aut male facta, ad futurum iudicium referentes. Aut igitur is, qui Agamemnonem interfecit, debuit ſubitò rapi ad ſupplicium, aut prohibenda ſcelerata voluntas fuit. Primum credo non deſideres, ne tibi, innumerabilibuſque aliis idem contingat, vt vel homicidio, vel adulterio, vel alio admiſſo facinore, ſubitò traharis ad pęnas, breuique omnis terra deſerta cultoribus ſqualeſcat. Minus etiam qui ſapiens eſt, poſtulet ſecundum, quia quæ ratio prohibendi alterum, vel alterum conſilium fuiſſet, eadem in vniuerſum toto humano arbitrio ſublato valuiſſet. Fortaſſe ſi Deus meliorem ſententiam obtuliſſet, ille ſcelere victus, non ſe cohibuiſſet. Pleroſque enim nec leges, nec pęnarum metus, nec amicorum conſilia frænare potuerunt, plus cupiditati, ac libidini, quàm rationi obſequentes. Si cogites cohiberi, occultoque quaſi motu retrahi debuiſſe, vide quid cogites. Omnes enim actiones malas, & omnes conſiliorum malorum exitus, quorum infinita mentes humanas inſidet multitudo, prohibere oportebit, vt longè paucis exceptis, cętera non noſtro, ſed alterius arbitrio tranſigantur, ſublata laudis, aut vitii materia vera. Melius igitur eſt, ſinere quenque voluntate ſua duci, legibus interea, monitis, exemplis, & probitatis, atque improbitatis pręmiis propoſitis, vt qui bene, recteque viuere, cum viuere perverſè potuiſſet, maluerit, perinde ac meritus eſt, coronetur: ſic a beatorum choro excludatur, qui ſe factis impiis coinquinauit. Hoc iuſtiſſimum, hoc optimum, quo non liceat cogitare melius: perIndeque decorum, atque pulchrum eſt dare pęnas delinquentes, ſicut coronare merentes. Hę ſunt verę rationes, quas nec Philoſophi ignorauerunt. Satiſque mihi videor Plutarcho reſpondiſſe.

Diluuntur rationes Epicurei, & Cottæ apud Tullium. Earum ſolutionem eſſe, quod vbi Marcus ipſe loquitur, ſecus ſentit. Et ea eſt Academicorum libertas. Platonem non ſuis primum oculis creationem vidiſſe, ſed apud priſcos legiſſe. Platonem dicere mundum corruptibilem in poſterum, ſed poteſtate opificis non interiturum. Non ociatum eſſe Deum, fruentem ante mundum Diuinitate ſua. Non ſuperſediſſe creatione mundi. Sapientibus, & Stultis creando mundo prodeſſe voluiſſe. Aſſecutumque eſſe, quòd bonitatem ſuam fecit clariorem. Omnes particulares motus in primum motorem referri. Cap. VII.

AD EPICVREVM, & Cottã, qui contra creationem mundi, non quòd mundus non ſit creatus, ſed non à Deo creatus, apud Ciceronem pugnant, veniamus. Quærit Velleius primùm quibus oculis intueri potuerit Plato fabricam illam tanti operis, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris. Quemadmodum obedire voluntati architecti elementa potuerint. Vnde natæ quinque formæ, quas in Timæo nominat. Quòd mundum factum, aſſerit non interiturum. Prouidentia cur mortalem fecerit mundum, iuxta Stoicos, non quemadmodum Platonicus Deus, ſempiternum. Cur mundi fabricator repentè extiterit, innumerabilibus antè ſęculis & in omni Aeternitate ceſſator. Laborem non fuiſſe, qui Deum non attingat. Cur Deus delectari quaſi ſignis, ſideribus, & cælo voluerit. Si vt melius habitaret, peius ergo habitaſſe in Aeternitate, opuſque ei fuiſſe iſto mundo, ſed nequaquam carere voluptate hac eum tamdiu potuiſſe. Si propter homines, an ſapientes, vel ſtultos: ſapientes eſſe paucos, propter paucos ergo tantam rerum factam molitionem. Stultos autem hoc beneficio affici non debuiſſe. Deinde nihil eum eſſe aſſecutum, quod ſtulti ſunt ſemper miſeri, vt naſci nihil eis profuerit. Cottæ verò rationes ſunt, Si Deus creaſſet, ac prouideret, bene bonis, malis male eſſet. Cùm ratione peruerſè & ad malum ſemper homines abutantur, vel à Deo dari non debuiſſe, vel non datam prorſus. Quod ea quæ diuina prouidentia facta videantur, per errorem rationi, & menti aſcribantur, cùm Naturæ quædam ſit vniuerſalis neceſſitas, omnes res motibus ſuis cientis. Sicut reditus tertianæ, aut quartanæ febris, marinorumque æſtuum, quorum motus etiam certi, & conſtantes, nulla ratione gubernentur, eadem neceſſitate, & ordine, caro diuulſa renaſcitur, arbor cæſa reuireſcit, multa naſcuntur in terra prodigioſa. Quòd contemptoribus, cauillatoribuſque Diuinitatis proſperiores res ſucceſſerint, quàm melioribus. Hæc, & id genus multa oppoſuit ille. Quorum præcipua veraque ſolutio eſt, quòd more diſputantium, ingeniumque oſtentantium, & quamcunque contradictionem arripientium, egit, & quorum ſit certa profeſſio, omnia infirmare, ac refellere, vt ſi vel Solem dicas lucere, profeſſionis ſuæ iura tuentes, parati ſunt contradicere. Quòd autem potius ea ſit arrogans libertas, quæ cuncta ſubuertere ſibi licere putet, apparet, vel inde, quòd contradicendi libidine relicta, eadem illa ſæpiſſimè confirmauit, quæ fecit Cottam ſubuertere. Satiſque vno erit teſtimonio, quo veritatis omnis hæc oppugnatio redarguitur. In Legibus hæc dixit: Nihil porrò tam aptum eſt ad ius, conditionemque Naturæ, quòd cùm dico Legem, à me dici nihil aliud intelligi volo, quàm imperium, ſine quo nec domus, vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum Natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræque, & hominum vita iuſſis ſupremæ legis obtemperant. Hæc ille. Idemque, Orta autem ſimul eſt cum mente diuina. Quamobrem lex vera, atque princeps apta ad iubendum, & vetandum, ratio eſt recta, ſummi Iouis. Et, Ergo eſt lex iuſtorum, iniuſtorumque diſtinctio, ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa Naturam, ad quam leges hominum diriguntur. Hæc dixit qui Cottam induxit, quaſi libidine, vel quæ pulchre, & verè Balbus diſputaſſet, euertendi prouectum dum, & Carneadis petulantiam imitatur, bellum inferre veritati igitur ingenij fuit oſtentatio, ne videretur aſſerere & aſſentiri his, quæ Balbus diſputaſſet. Nam hæc ipſa cum ab illomet dicuntur, tum verò pleno ore laudantur. Et in ſecundo de Diuinatione, vbi ſimili modo quæ frater aſſeruiſſet, deſtruxerat. Nec verò, inquit (id enim diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda, religio tollitur. Nam & maiorum inſtituta tueri, ſacris, ceremoniiſque retinendis, ſapientis eſt. Et eſſe præſtantem aliquam, æternamque Naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœleſtium cogit confiteri. Quibus apertè mentem ſuam declarauit, tollendam quidem vbique ſuperſtitionem, veritatem retinendam, veritatem autem eſſe, quam pulchritudo mundi ordoque rerum cęleſtium cogat confiteri, eſſe præſtantem aliquam, æternamque Naturam, quam homines adorare, venerarique deceat, cuius imperio maria, & terræ, omnis denique mundus obtemperet. Cottæ igitur rationes ipſe reſoluit. Nam in Legibus quoque, contra petulantiam Academicorum, & quòd ei non ſemper placuiſſet hæc in cunctis, veritatis oppugnatio, ſic docuit: Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arceſila, & Carneade recentem exoremus, vt ſileat. Nam ſi inuaſerit in hæc, quæ ſatis ſcitè nobis inſtructa, & compoſita videntur, nimias edet ruinas.

Vide quæ diſputat Auguſt. de Ciuit. Dei. 11. cap. 4. 5. 6. 7. & Euſeb. Pamphy. præpar. euãg. 8. cap. 5.

1. de Natu. Deor.

Argumẽta Epicureorum ad tollendã Dei prouidentiam.

Philoſophi ingeniorũ oſtẽtatores.

1. De Legi.

Lex quid.

Epicurei, bellum veritati intulerunt.

Quidnam coegit paganos confiteri, Deũ eſſe.

Balbus nẽpe Stoicus 2. de Nat. Deor.

1. De Legi.

Sed maximè. 2. de finib. 1. & 5. de Natura Deor. 2. de diuinat. & Tuſc. ſæpe.

Qui aſtrüxerint mūdi creationem.

Epicureorum imperitia.

Duplices oculi.

1 de Natu. Deor.

Deus nunquā otioſus, in æterna nempe contemplatione ſui, quæ eſt actio perfectiſſima.

Non mūdi molitione, ſed contemplatione ſui Deū beatum.

Deo naturale eſt æternū eſſe, vt Mundo principiū habuiſſe.

Quorum gratia creatus mundus.

Epicurei rationes, vel id abunde perimit, & euertit, quòd Epicureus erat, contra quam gentem, eiuſq; delyramenta, totis ipſe ſuis libris bellum implacabile geſſit, proſcidit, vexauit, etiam inſcitię, & ignorationis omnium rerum, arrogantiæ præterea, ſemper eos arguens. Sed pauca quædam cum eo, & quaſi præteruolantes, loquamur. Quibus oculis Plato machinam mundi intueri potuerit. Duo reſponſa: non ſuis primum oculis Platonem machinam mundi, ſed apud vetuſtiſſimos, cum primis Aegyptios, aliosque Græciæ veteres Theologos, vidiſſe Pythagoreos, Empedoclem, Philolaum, Pherecydem, Poetas antiquiſſimos, Orpheum, Heſiodum, ſed præcipuè Triſmegiſtum, cuius non dogmata modò, ſed meras etiam dictiones vſurpauit, omniū gentium litteris, & teſtimoniis, claris præterea coniecturis in vnum congruentibus mundum habuiſſe principium. His tot teſtibus, tanto hominum conſenſui putauit aſſentiendum modeſtiſſimus Plato, non vt temerarius Epicureus, quæ natio in omnem Philoſophiam, veritatemq; fecit impetum, ac ceu cęteris Philoſophis vrbanis, & ciuilibus, ipſi agreſtes, ruſtici, impoliti, rudes conſurrexerunt. Quare non multum eſt ponderis in eorum autoritate. Ad hæc, duplices ſunt oculi, animi, & corporis: corporeis ſolis velut homines, Epicurei, ſapientiores autem magis animi, quàm corporis vtebantur. His oculis Plato vidit fabricam mundi: videre Epicureus non potuit, quia non habuit. Itaque miratus eſt alium vidiſſe, quod cæcitas eum ſua videre non ſiuit. Eiuſdem ſtuporis cętera, Qui vectes, quæ ferramenta, qui miniſtri. Si ſciſſet, aut tenere voluiſſet, quę maiores de maieſtate diuina tradidiſſent, nec ſolita temeritate prouectus, vltro deſipere voluiſſet, vidiſſet ſanè, nullis hic ferramentis opus fuiſſe, ſed quod Marcus ipſe paulò antè, mundum, maria, & terras, ei obtemperantia, ſine inſtrumentis fieri potuiſſe. Quo modo autem Plato dicat mundum non interiturum, ſuperius expoſitum eſt. Congruit autem Stoicorum, & Platonis de mundo corruptibili ſententia, quorum autoritati multo magis, quàm Epicureo ſubiiciendum eſt iudicium. Formas autem illas in Timæo, etſi rectè poſſint intelligi, ac declarari, nos quidem non laborabimus quales ſint, oſtendere, non Platonem, ſed ipſam veritatem defendentes. Oſtenſum quoq;, fabricatorem mundi non repentè, & quaſi ex infinito ſomno ſurgentem, aut qui laborem in æternum refugiſſet, extitiſſe, arreptumq; fabricandi cupiditate, quod antea non faceret, operi manus admouiſſe. Delyrantis animi, & humana tantum capientis, nihil ſe ſupra corpus attollentis figmenta, ad puriores cogitationes non aſpirantis. Aliter Deum in æternum ante, & ſupra mundum extitiſſe, & exiſtere, aliter homines viuere. Nō otiari potuiſſe, cuius eſſet actio beatiſſima, perennibus gaudiis exuberans, vacantemq; à creatione mundi, non ab eo vacaſſe, quod eſſet beatitudo eius, ſed eo quo carere ſine detrimento poſſet, & quod vbi effectum eſſet, ad beatitudinem eius nihil addiderit. Vt ſi rex duabus actionibus, altera naturali, digniſſima, grauiſſima, altera nihil ad ſe pertinente, propoſita, hacq; omiſſa, grauiorem, propriamque ſibi exerceret, eum quaſi otioſum damnes. Non potuit igitur otioſus eſſe, cuius fuit æterna ex maieſtatis ſuæ contemplatione, beatitudo. Eſt enim cognitio, & contemplatio, actio perfectiſſima. Hoc autem cùm ſit felicitas diuina, facilè potuit, ac debuit æterna mundi molitione ſuperſedere. Tunc otioſus fuiſſet, ſi nihil aliud, quod ageret, habuiſſet, & niſi mundana factio, ſola fuiſſet eius, ac naturalis, inſeparabilisq; ſubſtantiæ ſuæ operatio, qualis igni calor, aut aſcenſus ad altum, ſine quibus ignis eſſe non poteſt. Ariſtoteles autem fatetur Deum ex comtemplatione ſui, non mundi molitione eſſe beatum. Quoniam igitur vna ea potuit beatitudine feliciſſimus, & cōtentus eſſe, vt quidquid additum ſit, nullam ad ſuam felicitatem acceſſionem fecerit, liquet eum, qui ſine mundi operatione putet Deum otioſum fuiſſe, ipſum potius a ſapiendo, & intelligendo, ſemper otiari. Creatione autem mundi naturaliter Deus in omni æternitate non ſuperſedit, aut diſtulit ad illud vſque tempus condere, quòd tum omnis Aeternitas eſt æqualis, nec poteſt in ea fieri dilatio, aut acceleratio, prius aut poſterius, tum naturale fuit ei ſic viuere, ſic eſſe, quemadmodum mundo, habere principium. Quare nec vnica fuit eius voluptas, iſte mundus, qui meliore, & præſtantiore frueretur, & ea potuit facile carere, nec quaſi ad habitandum factus eſt ei mundus. Ariſtot. enim affirmat, Deum ſic extra mundum eſſe, ſicut intra mundum. Supereſt quod maioris eſt ponderis argumentum, Quibus ab eo ſit creatus, ſapientibusne, an ſtultis. Reſpondeo, ſapientibus & inſipientibus. Tum ſi ſolis ſapientibus, nihil mali, nihil abſurdi. Vtrunque probabiliter, optimeq; defendi poſſe: principalius autem, ſolis ſapientibus. Creatus eſt igitur mundus à Deo ſolis ſapientibus. Sapientes autem intelligo, non quales fortaſſe ſentit ipſe Philoſophos, Epicureos, Stoicos, Peripateticos, Platonicos, quorum ſub titulo ſapientiæ, plures ſtultiſſimi ſunt, & fuerunt ſemper: ſed bonos, innocentes, integros, quorum fuit ſemper magna in omni ætate multitudo. Si nemo ſit qui non peccet, omnis autem qui peccat, ſtultus eſt, maximam tamen peccantium multitudinem pœnitet peccati, hoc ipſo ſapientem, quòd errores ſuos agnoſcit. Numerus autem exiguus ille Philoſophorum, tantum abeſt, vt abducat in hanc de mundo ſuſpicionem, vt hos ipſos, ſi pauciores fuiſſent, melius propemodum futurum fuiſſe, contendam. Nam contra hos, omne pro veritate certamen, plebe, quam naturalis duceret inſtinctus, ſæpe meliora ſentiente. Soli igitur boni ſunt ſapientes: Hi plures ſunt: pauci autem prodigioſè mali. Longè pauciſſimi, qui ſi vel deprauatiſſimè viuant, ſæpeq; cupiditatibus victi, ſcelerata perpetrent, non denique ſummum Deum quoquo tempore agnoſcant, & fateantur. Sed demus ſolis bonis factum hunc mundum.

dum, pluris fit, ait Sapiens, vnus bonus à Deo, quam mille impij. Vt ille, vno Platone ſatis eſſe ſibi, dixit, plebe ab auditorio eius defluente: ſic ſatis erit opifici, ſi vel pauci bonitatem eius agnoſcant & fruantur. Vt agricola plures conſerit arbores, nec ſperat omnes feliciter pullulantes: vt qui ſeminat, ſcit quòd infelix lolium, & ſteriles dominabuntur auenæ: dulcius tamen ei eſt, triticum quantum quantum eſt, legere, quàm triſte, auenas comburere: ſic tametſi Deus cunctos beatos eſſe, & ſapientes voluiſſet, omnibusque his mundum condidiſſet, ſolos tamen ante oculos habuit, quibus cælum, & terras conderet, ſapientes. Quæ eſt etiam ars, quod elementum, quę diſciplina, quæ inſtrumenta ad vſum & commodum reperta, ſed abutentium prauitate nonnunquam pernicioſa, quæ ſoleant magis accuſari, quàm ipſi abutentes, & in ea ipſa potius, quàm peccantes, crimen omne conferri? Quis eloquentiam inceſſuit, in ignem, & ferrum, aquamque quis criminibus inuectus eſt, & inuolauit, quod afferant nonnunquam perniciem? Sic planè, etſi non omnes nati ſunt in mundo ſapientes, nec mundus accuſandus, nec autoris bonitas non admiranda, ſuſpiciendaque nobis, cuius & ſi fuit conſilium ſolertiſſimum, & res ſapientiæ ſuæ magnitudine repertas voluit optimas eſſe, deſiderauitque omnes naſci ſapientes, nec futuros tamen ſapientes omnes animaduertit, omittere quin crearet, nec voluit, nec debuit, ſed eo vel maximè bonitas eius incredibilis apparuit, quòd immeritis etiam, & quos proſpiceret ingratos ſibi, beneficiique immemores futuros, creauit, promiſcueque cùm bonis, & ſapientibus, luce & aſpectu iſtius mundi eos frui permiſit. Quod quicunque apud nos faceret, humaniſſimus haberetur, ſimillimus Deo prædicaretur. Si, vt inquit, orator grauis, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium amplificare, hæc qui faciat, vſque adeò laudatur, vt Deo ſimillimus iudicetur, cur non ea ipſa efficiens Deus maximè ſui ſimilis habeatur, quod factum ab homine, facit eum ſimilē eius? Imitamini, inquit ipſe, Patrem veſtrum, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Ecce igitur incommemorabilis bonitas, non modo profuiſſe, ac prodeſſe gratis, & ſapientibus, ſed ingratis etiam, inſipientibusque. Sapientibus enim, & inſipientibus, dixit alius eius aſſecla, debitor ſum. Cum itaque diuina virtus habeatur, vel malis prodeſſe, ignoſcere peccantibus, ingratisque beneficia præſtare, cum Natura inſtinctu id collaudet ſuo, extollatque in hominibus, certè & in Deo erit ſupremè, a quo ſupremè virtus omnis poſſidetur. laudatur autem, admirationiq; habetur ea virtus, non ſine ratione. Fructuoſior enim eſt humanitas, & bonitas, clementia, benignitas, quàm ſeueritas, durities. Nec fas eſt propter malos nocere bonis: cum beneficio bonorum mali naſci potius, ac vita frui debeant, quàm propter malos vita carere boni. Nec ſi Deus proſpexit fore maiorem numerum ſtultorum, quàm ſapientum, hanc ſapientibus, & bonis iniuriam facere eum decuit, vt propter multos illos ſtultos abſtineret a creatione bonorum: ſed quæ ſua ſemper fuit probitas hunc honorem bonis deferre debuit, vt tum hi, quantumuis malorum agmen conſequeretur, conderentur, nec quidquam eorum creationem impediret, tum hoc adderet, vt in eorum gratiam, etiam malis prodeſſet: quemadmodum ſæpe, chariſſimis deprecantibus, ignoſcimus his, qui in nos peccaſſent: ſic cum ſciret Iudæorum pectora dura, pronoſque animos in nequitiam magis, quàm æquitatem, non omiſit, quin legem per Moſen præſens promulgaret, paucos illos bonos, multaque alia digniſſima, ſpretis & contemptis tot ſtultis, magis attendens. Reſponſio igitur eſt, (vt ſumma quæq; complectar) tanquam de bobus, & aſinis, muſcis, cęterisq; beſtiis, Deū de malis, & ſtultis illis innumerabilibus nihil curaſſe, attendiſse, cogitaſse, tum magis eum decuiſse vſquequaq; beneficū eſse etiā erga malos, & ingratos, cuius vberrima, latiſſimaq; bonitas non modò non ſoleat ꝑꝑ ſtultos, & malos impediri, ſed etiā propter bonos prodeſſe malis. Bonus agricola, non propter lolium in ſegetibus cooriturum, ſegetū ſatum, frugibus velut ob ſtirpē malā iratus, dimittit, ſed propter ſegetes bonas ſinit cooriri loliū. Hoc apud mortales ſapiētiſſimus quiſq; facit. Quod autē rogas, quid tandē ſit aſſecutus ſtultis & ſapientibus promiſcuè, mundo ædificato, ꝙ omnes ſtulti ſine dubio ſint miſerrimi, vel hoc ipſo, quòd ſtulti ſunt dico quòd quanquam hi, qui ſine dubio miſerrimi ſunt, & ſtulti, non principaliter conſilio eius, cum conderet mundum, propoſiti erant, intuebaturque magis alia innumerabilia bona, tamen etiam ſtultis vita, & omnis mundi habitatione conceſſa, aſſecutus eſt hoc, quo nihil eſt cogitare melius, quòd bonitatem ſuam fecit clariorem, quæ latuiſſet, ſi ſapientibus duntaxat, gratis, & beneuolis profuiſſet. Ad hæc quærentem, ſi poſſem, qui ſint miſerrimi. Nam fieri poteſt, vt miſeros, & ſtultos habeas, quos cæteri non habeant. Egoque o Epicuree, qui te fortaſſe vnum è paucis illis ſapientibus exiſtimabas, miſerrimum vel hoc ipſo arbitror, quòd hæc flagitia animo concepiſti. Ita fere factum eſt, vt eodem iudicio de ſtultis, & miſerrimis, atque tua ſapientia, & Philoſophia, ſenſeris. Non protinus igitur omnes ſtulti ſunt miſerrimi; neque ſi ſunt, forte eo genere ſunt, vt nec vnquam naſci debuerint, eisque vitam datam eſſe, fuerit reprehenſibile. Vidi enim pleroſq; ſtultos, poſtea ſapientes. Itaque non erant illi miſerrimi propter ſtultitiam, vt nunquam naſci debuerint, futuri aliquando ſapientes. Plenaque ſic eſt vita pœnitentium, ac reſipiſcentium, ſicut delinquentium. Quòd ſi ſapientiam, vel ſtultitiam ad hanc vitam referas, vt ſtulti ſint, quos cruciant cupiditates, & ægritudines, ſapientes quos non crucient, fingis quæ natura fieri nequeunt, eſse ſapientes, qui careant ægritudine, & cupiditate. Deinde in hoc ipſo probatur ſapientia, cui neceſse eſt coniunctam eſse ſtultitiam, vt appareat

Ex 1. Geo. Virgil.

Crimē ſæpe conſertur in inſtrumenta, non in eos qui iiſdem abutuntur.

Conſilium Dei in rerum molitione.

Orõne pro Marcello. Matth. 5.

Deus non bonorum, ſed & malorum hominū cauſa mundū creauit, & cur.

Bonitatem ſuam clarorē Deus fecit in malorū & improborum promiſcua cum bonis creatione.

pareat ſapientia , vbi ſtultitia eſſe potuiſſet . Falleris item mortalia tantum attendens , de quibus nemo perfectè iudicabit vnquam , niſi poſt vitam conſecutura reſpiciens : quæ vos Epicurei neſcientes, aut à veſtris maioribus tradita, temere reiicientes,non mirum,ſi ferè ſemper hallucinamini,, vt planè ſtultus ſit, cui curæ ſit veſtram ſtultitiam coarguere. Sed liberaliter agamus. Quę verò Cotta oppoſuit de rebus aduerſis bonorum, ſecundis malorum, quoniam à Plutarcho obiecta, reſoluta ſunt : & Marcus ipſe, ſuo ſenſu loquens, malorum grauiora ſupplicia demonſtrauit, vt ſi malus, & ſceleratus ſis, id vnum ſufficiat ad miſeriam, & docuit , illuſtribus animis pro patria vulnera paſſis, in cœlo patere locum, ſatis ipſe ſibi reſpondet. Nam in Piſonem dixit , non in eo cui facta eſt iniuria, ſed in iis qui fecerunt, ſceleris ac conſcientiæ pœnam remanere . Et in Philippicis, Alia ò perditiſſimi homines, & amentiſſimi , ſunt multo miſeriora . Nam quo maior vis eſt animi, quàm illa, quæ corporis, hoc ſunt grauiora ea, quæ concipiuntur animo,quàm illa quæ corpore . Miſerior igitur, qui ſuſcipit in ſe ſcelus , quàm is qui alterius facinus ſubire cogitur. Hæc igitur cum ſentiat Marcus ipſe, oſtendens miſeriores ſemper eſſe malos , quàm bonos etiam in hac vita, non opus eſt noſtro hic alio reſponſo. Non enim ſunt beatiores ſcelerati etiam ditiores, & opulentiores. Ad hęc ſi cęlum recipit inclytos,& qui pro charitate patriæ nullum laborem recuſarunt, certè ex aduerſo excluſi delinquentes, neceſſariò locum ſceleribus tenent congruentem. Sicque refert Marcus ad aliud, bene & male facta humanæ, quam vitæ huius iudicium , vt nemo debeat in hoc mundo turbari ſuper felicitate malorum , vexatione bonorum. Quod autem arguit, de rationis abuſu, qua pauci rectè ſapienterque vtantur, reſponſum,nullam hanc culpam autoris fuiſſe, cuius ſalutare fuerit vbique , benignumq; conſilium . Claruit etiam exemplis, nec mortales ipſos,nec Naturam, nec artem propter intermiſta vitia, omittere virtutes, ſupprimere bona propter mala, ſed contentari vel paucis bonis,quę cum malorum multitudine compenſet. Exempla quoque ex Tragœdia, rara ſunt, vt plures ſint qui ea non perpetrent, quàm qui dicantur feciſſe. Quod autem refertur in Naturam, quod mente,& intelligentia prædicetur factum,ipſe citra contradictionem,ſuam proponens ſententiam,diſſoluit,ſæpeq; vt vidimus,dixit cælum, & terras,& maria, iuſſis ſupremæ legis obtemperare,& eſſe præſtantem quandam, admirandamque humano generi, ſuſpiciendamque Naturam, pulchritudinem mundi, rerumq; cęleſtiũ ordinem declarare . Pro Milone verò id ex intimis Philoſophię templis deprompſit argumentum: Si in his corporibus,atque in hac imbecillitate noſtra inſit quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non inerit in hoc tanto Naturæ tam præclaro motu, Niſi fortè idcirco non putemus, quia non appareat,nec cernatur, perinde quaſi noſtram ipſam mentem,qua ſapimus,qua prouidemus, qua hæc ipſa agimus, ac dicimus , videre, aut planè qualis, aut vbi ſit,ſentire poſſimus. Hæc cum Marcus ipſe pro ſe dicat, & ſentiat , non eſt quod nos in argumentatione Cottæ diluenda laboremus , Philoſophorum omnium accedente conſenſu , vigere in hoc mundo vim quandam, vt animum noſtrum, inuiſibilem, cuius motus ſit is omnis,quem primum videmus in cœlo, ortu, obituque ſignorum, tum omnium viciſſitudinibus,& ordinibus rerum. Quæ vis etſi non videatur a nobis , ex ipſo toto Naturæ motu,ordinibusque ſtatis, & certis coniectanda eſt, nec idcirco non putanda, quòd oculis corporeis non ſubiaceat,cum ſeſe rationi affatim offerat. Cęteri Philoſophi docuerunt,aut hanc, quæ dicitur Natura, eſſe vim illam diuinam inuiſibilem: aut probauerunt, nunquam motus hos tam conſtantes & certos, totamque rerum pulchritudinem conſtare potuiſſe,niſi ingenti aliqua Mente pręſide : vt qui dicat Naturam,excluſa Mente, & Intelligentia, nomen inane dicat. Ac quanquam ſint nonnulli motus,quos citra opem & conſilium Mentis videamus perfici, vt æſtus maritimos, vt tertianas, quartanaſque febres, & diſcedentium cicatricum coitus, repullulationemque arborum, ſcire opus eſt,omnes motus particularium rerum a primo, ac maximo motu gubernari,perinde vt qui machina impulſa, varios motus ſubito pręſtat. Quam rem Ariſtoteles in libro de Mundo multis declarauit exemplis, Vt qui diuerſi generis aues ſinu contineat, dato volatu, cunctæ varias regiones petant: Aut ab eo, qui dicitur in choro, cantantium coryphæus,ſigno dato,ſubito varias voces, harmoniamque exaudias : Aut claſſico canente , milites arma capiant , alius loricam induat , alius galeam aptet , alius fręna equo immittat, alius ad ſignum concurrat : Simile quid fieri a magna,ac præpotenti Mente, ad cuius nutum, ac ſignum cunctas ſuis motibus , ordinibuſque cieantur. Accidit autem vt res a primo ſpiritu nactæ vitam, & motum quoſdam & ipſę priuatos motus edant , omnis enim vita motus eſt. In eumque motus omnes referre neceſſe eſt, qui primos,maioreſque motus dedit . Qui igitur corpus humanum formauit, humoribus,& ſanguine contemperauit,in eum proculdubio motus omnes, aut principales, aut accidentes, referre neceſſe eſt. Siue oculi exterius, ſiue mens interius agitetur,ſiue manus, ſiue pedes moueantur, pulſentur venæ, cordis item agitatio,furor,cupiditates, cuncta in primum illum formatorem tandem rediguntur,omnem aquę, omnem ignis motum, quis neget in Creatorem aquæ,& ignis,eſſe referendos,qui res ſuis rationibus mobiles creauit ? Sunt autem, vt dictum eſt , quidam principales motus , ſunt ex ipſis alij pręter intentionem, at ex Natura rerum, accidentes. Formatum eſt humanum corpus ab Opifice Deo, ſanguis additus, & venæ, & humores, hæc principalia. Natura humorum, & rebus exterius aduentantibus , motus exiſtit tertianæ, & quartanę febris , in quibus etſi ordo eſt, eſt ex

ipſa re

Sapientiæ cõiunctam eſſe ſtultitiã eſt neceſſe.

Improbitas ad miſeriam ſatis eſt.

Nõ in quẽ cadit iniuria, ſed qui facit miſer eſt.

Beatiores non ſunt improbi, quãquam diuites.

Mala ſunt coniuncta bonis.

Non ſequitur, rem q̃ non appareat non eſſe.

Natura, quid Philoſophis.

Natura vna vniuerſi, variæ, & quidẽ infinitæ functiones.

Motus oẽs ad vnam mentẽ referendi.

ipſa re principali, cui motus, & ordo datus fuit ab opifice. Sic calore, & frigore euntibus, & redeuntibus, ſeque inuicem inſequentibus fiunt febres. Aeſtus autem maritimi à littoribus, ad littora cientur, aqua Natura non conquieſcente, ſed inſtabiliter ſemper decurrente, quòd certo temporis ſpatio fieri neceſſe eſt. Hoc ſiue natura aquæ fiat, ſiue Luna coadiuuet, totum demum referendum in eum, qui naturas has reperit, nulla ratione dubium eſt. Itaque cunctis motibus particularibus ad ſuas cauſas relatis, venire tandem neceſſe erit ad vnum principium, omnium fontem, inuentoremque motionum, ad quem, per concatenationem cuncti motus proximi ac diſtantes, naturales ſiue ad tempus accidentes, & extraordinarij, coaptantur. Quare qui quemadmodum maritimos æſtus, febreſque, ſic item omnes mundi motus putet ſponte ſua fieri, non putabit bene, planeque tora re diſcuſſa cernenſque motus illos ratione carentes, ex alijs motibus habere principium, qui ſine intelligentia fieri nulla ratione potuiſſent. Nec ſi tertiana febris ſine mente conſtanter reuertitur, protinus ad humanum, aut cœleſte opificium aſcendendum, in quibus ordo melior, mirabilis, ſtructura diuina cernitur, ſtata, certa, ſempiterna. Cui niſi Mens præfuiſſet, nunquam tantam pulchritudinem, tantam venuſtatem, ordinemque habuiſſet. Quod vt clarum, & omnibus confeſſum prætereo. Alia complura obiecit Cotta, quæ cùm ſuperius ſint reſoluta, cum contineantur aliis ſuperius reſponſis, & potius in diſputationem de diuina Prouidentia, conueniant, vt quod non auertat, nec prohibeat mala, cùm poſſit, de quo dictum eſt, mittam plura proſequi cum eo.

Vnũ principiũ motuum omnium.

Diluuntur rationes Simplicij de Aeternitate mundi. Simplicium ægrè tuliſſe Ioannem Philoponum rationes Ariſtotelis de Aeternitate motus refutaſſe. Eundem Theologiam Moſaicam contemnentem, non intellexiſſe, quæ de luce, & Sole creato idem ſcripſit. Non accepiſſe Moſen ab Aegyptijs Theologiam, ſed contrà, Aegyptios ab eo. Græcos ab Aegyptijs didiciſſe, vt ſi ſit Aegyptiorum fabuloſa Theologia, ſit etiam Græcorum. Quomodo oporteat intelligi, lucem primum creatam, quarta autem die creatum Solem. Reſoluuntur rationes, quibus Simplicius ex Platone probat æternum mundum. Cap. VIII.

ADEST Simplicius Aeternitatis acerrimus defenſor, contra Ioannem Grammaticum, pro Proclo credo, in factione mundi, ſuſtinens dogma Ariſtotelis. Cum quo breuibus agam, ſimili atque alij Philoſophi, dementia laborante, & quæ neſciebat, inceſſente: nec cum maioribus ſolum, ſed etiam mirabiliter ſecum pugnante. Stupenda veſania, cuius fuit ſtudium, humanam vitam, confuſione, impietateque replere, veram religionem aut funditus tollere, aut ſuperſtitioſam, poeticamq; allegoriis quaſi conditam, & fucatam, mundo colendam exhibere. Quid autem de moribus, de religione prodeſt diſſerere, quod diligenter accurateque fecit Simplicius ſuper Epictetum, ſi vel neſciebant religionem, in qua ea præcepta perfectè continentur, aut à qua didicerent, eam inſectabantur, aut, quæ de virtute locuti eſſent, euertebant omnia, ex Aeternitate mundi, alijſque dogmatis impijs? Ex quo apparet eos partim impoſtores, ſimulatoreſque probitatis, partim inconſtantes, & leues fuiſſe, modoque hoc, modò aliud ſtatuentes, aut non videntes ſummam in dictis ſuis confuſionem, & pugnam. Gratias agamus diuinæ clementiæ, quę mundo ab impoſturis eorum liberato, fecit id toto terrarum orbe, etiam recentioribus his Philoſophis ſeſe opponentibus, vigere, quod eſſet melius ac verius, vicitque potentiſſima veritas. Simplicius igitur ſuper libris naturalis Philoſophiæ Ariſtotelis, Ioannem Grammaticum Procli leuitatem, & ineptiam, inſcitiamque ſuper Aeternitate mundi, optimis rationibus refutaſſe, indignè ferens, tumido Philoſophorum ſublato ſupercilio, ſolitaq; inflatus arrogantia, qua ſe veritatis Deos, vniſque ſibi datum ſapere putant, criminatus eſt primum doctiorem, ac meliorem ſe virum, tum rationes contra molitionem mundi, pręcipuè, quàm tradidit Moſes, vibrauit, cuius librum cum non intelligeret, quod aliis pleriſque Philoſophis euenit, irriſit quæcunque de rerum creatione ille prodidiſſet. Ac cum maxima pars ſuarum rationum in id ſit intenta, vt Ariſtotelem contra Ioannem Grammaticum, qui rationes eius ſuper Aeternitate motus coarguerat, defendat (octauus autem liber commentationum Philoponi ſuper naturali Philoſophia Ariſtotelis, ad meas manus nondum peruenit: audire autem aduerſarium, rationes & argumenta inimici referentem, non adeò fidele eſt, nec certum habet locum, vbi ſiſtat diſputatio) non ſum cum Simplicio pedem collaturus, quoad ipſum Philoponum loquentem audiam: Tantum pauca quædam afferam. Apparet enim Simplicium ineptè ſuperſtitioſum, ſimilique morbo atque Proclum, & Porphyrium laborantem, quo Philoſophiam, profanamque religionem, iam Chriſtiana toto terrarum orbe coruſcante, defendere, proque ea ſtare inuictis animis conabantur, contra Philoponum, verbis contumelioſis inuectum. Apertè quidem fatebor, quod vidi, & probaui, hoc deteriores Philoſophos fuiſſe, quò poſteriores, ac recentiores. Id quod in Peripateticis, ac Platonicis facilè noſcas, quorum qui vetuſtiores ſunt, meliores, religioſiuſque de Deo, de Prouidentia inuenies loquentes. Iuniores autem cum Aeternitatem

Simplicii errores de æternitate.

De religione minimè alquid ſtatuere poterant, qui religionis fundamentum euertebant.

Moſis doctrinã irriſit impius Simpliciꝰ.

Simplicius vna cũ Proclo, & Porphyrio paganiſmum tueri ſtatuebat.

nitatem defenderent, vetuſtiſſimam Theologiam, maiorumque pietatem peruerterunt, aut fabuloſam iudicauerunt. Cuius nunc exemplum ex ipſo Simplicio proponam. Is cùm tueretur Aeternitatem motus, apud Ariſto. ſine delectu, & ratione ſequens eum, cuius, quia non Deus, ſed homo eſſet, non debuerat autoritas iudicium, & examen veritatis tollere, contra Philoponum, qui creationem temporis, & motus apud Moſem repertam, ratione roborabat: præcipuè, quòd rationes Ariſtotelis debiles, & præſtigioſæ nihil cõficerent, irriſit Theologiam Moſaicam, eamque commentitiam appellauit, & cum non intelligeret, quòd quarta die Sol dicatur creatus, prima autem die lux creatrix diei, cenſuit eam Theologiam fabuloſam. Eius hæc verba ſunt. Si autem Iudęorum legiſlatorem oſtendit dicentem, In principio creauit Deus cœlum, & terram: Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita, & tenebræ ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Deinde cum idem creaſſet lucem, diremiſſetq; lucem à tenebris, intulit, & vocauit Deus lucem diem, tenebras noctem. Et facta eſt veſpera, & mane dies vna, εἰ οὖν ταύτην τοῦ χρόνου νομίζει γένεσιν, τὴν ἀπὸ χρόνου, ἐννοείτω ὅτι μυθική τις ἐστὶν ἡ παράδοσις, καὶ ἀπὸ μύθων αἰγυπτίων εἱλκυσμένη: ἐπεὶ πῶς εἶχε λόγον, τον ἥλιον, τον τῆς ἡμέρας αἴτιον, ὡς καὶ αὐτὸς μωσῆς φησί, τῇ τετάρτῃ τῶν ἡμερῶν γεγονέναι: Quæ ſunt, Si igitur hanc creationem temporis ab exordio temporis exiſtimat, norit quòd fabuloſa quædam ſit ea traditio, ex fabulis Aegyptiorum tracta. Qua enim ratione ſtat, Solem diei autorem, ſicut & ipſe Moſes perhibet, quarta die extitiſſe? Hæc ille ex irroborata, contentaq; animi obſtinatione vnius alicuius ſcriptoris decreta tuendi: ſcilicet quidquid aduerſatur, ſiue verum eſt, ſiue falſum, ſiue cælitus reuelatum, ſiue vetuſtiſſima ſucceſſione proditum, cæca temeritate tollitur, negatur, commentitium iudicatur. Et hic ille Simplicius eſt, cui Ioannes Philoponus viſus eſt audaciſſimus, quòd inclyti Ariſtotelis verba non oſcitanter, quale fit ab ipſis, admiſit, ſed cenſuit examinanda, diligenterq; perpendenda, nec ſe paſſus eſt autoritate ludificari, impedirique ad notionem veritatis. Cuius igitur fuit maior audacia eiusne, qui Ariſt. allatis, quæ ſibi viderentur rationibus, non fuerit ſecutus, aut eius, qui nulla rõne, vetuſtiſſimam Theologiã, quam Plato veneratus eſt (nam extat dictum Numenij, nihil aliud eſſe Platonẽ, quàm Moſem Attica lingua loquentẽ) inſolenter fabuloſam vocarit? Sed his omiſſis, rõnibus agamus. Dicis fabuloſam traditionem, nec tñ cur fabuloſa ſit, demonſtraſti. Sed perſuadeamus nobis duas eum rõnes poſuiſſe. Vnam, quod hæc de creatione mundi traditio, ducta ſit ex fabulis Aegyptiorum: altera quòd in ea ſit contradictio, autorem diei lumen primum eſſe creatum: quarta autem die referre Moſen creatum Solem. Oportebat igitur hominem acutum, prius probare, & hanc traditionem Aegyptiam eſſe. Deinde ſi vel Aegyptia eſſet, cur fabuloſa eſſet. Furore igitur, & libidine contradicendi cœcus, duo poſuit falſiſſima, aut certè parum conſiderata. Falſum enim eſt hanc traditionem ab Aegyptiis narrationibus deſumptam. Omnium enim ſcriptorum iudicio, & omnibus rationibus, Moſes eſt omnium, qui ſcripſerunt, antiquiſſimus. Neque Chaldæorum, aut Aegyptiorum, vel Græcorum, & Phœnicum, quæ ſunt vetuſtiores nationes, habetur ſcriptor vllus, aut traditur fuiſſe Moſe vetuſtior. Quin ille Mercurius ter Maximus, Aegyptiæ Theologiæ pater, poſt Moſem temporibus enumeratis inuenitur floruiſſe. Obſeruatumque à Græcis Theologis, eum etiam meras dictiones Moſaicas, vbi & ipſe de creatione ſcripſit, vſurpaſſe. Duo ſunt qui vetuſtiſſimi omnium, quos veteres Græciæ Philoſophi ſecuti ſunt, narrantur, ceu Theologiæ principes, Zoroaſter apud Perſas, Triſmegiſtus apud Aegyptios. Nam Linus, & Orpheus, cæterique horum æquales in Græcia, longè poſt eos floruerunt. His autem duobus, ſi quis ætates enumeret, multos annos Moſem inueniet antiquiorem. Ac qui putet, quæ ſcripſit Moſes, ex Aegyptijs monumentis deſumpta, non poteſt ex alio Aegyptio ſcriptore deſumpta putare, quàm Triſmegiſto. Neque enim extat antiquior quiſquam, qui de creatione mundi ſcripſerit, & qui peruenerit ad manus Simplicij, non peruenerit ad Platonis, Platonicorum, ſuperiorumque manus. Sed cum probet vera ſæculorum ſupputatio, Triſmegiſtum multo poſt Moſen floruiſſe, nonne fuit is impudentiſſimus, inconſiderataeque vanitatis, qui contendat, quę ſcripſit Moſes, ſumpta ex Aegyptiis, cum Aegyptij ſumpſerint ex Moſe? Hæc igitur erit prima ratio falſitatis, quòd in contrarium, Geneſin Moſis dicat ab Aegyptiis acceptam, cum contrà ſumpſerint ex Moſe potius Aegyptij. Quòd clarum fit, tum temporibus conſideratis, tum ſcriptis vtriuſque Theologis diligenter perſpectis. Secunda ratio coarguit hominem, qui de Moſe, quem non noſtri modò, ſed profani ſemper admirati ſunt, ſummiſque laudibus extulerunt quem facit venerabilem, veridicumque ipſa vetuſtas, tam impudenter contumelioſeque ſit locutus, inſolentem, & temerarium, nec aliud præter Philoſophorum arrogans ſupercilium, tenentem: qui falſa, & fabuloſa ferat eum ſcripſiſſe, quem non modò ſcripta eius, ſed omnes etiam mortales agnoſcunt, & fatentur ſapientiſſimum, & optimum, qui primus Hebræos ex impiis erroribus Aegyptiorum auxilio cœleſti liberatos, ſummi ac ſingularis Dei ſcientia initiauit. Ac vt taceam alios, fidelem vnum teſtem proferam Strabonem, qui curioſiſſimè gentes, locaque omnia luſtrauit, ritus moresque omnium diligenter exquiſiuit. Is cum non eſſet Chriſtianus, ſed tamen cui certum eſſet vera ſcribere, non Philoſophorum more, qui dum ſtare Ariſtotelis dogmata volunt, omnem veritatem nituntur euertere, de Moſe ſcripſit, primum referens famam eſſe, quod multos forte fefellit, genitores gentis Iudaicæ Aegyptios eſſe. Moſes enim, inquit,

quidam

Vetuſtiores Philoſophi meliores, poſteriores autem deteriores.

Gen. 1.

Philopon' rectè cenſuit Ariſto. explorãda eſſe verba.

Plato, fuit Moſes Attica lingua loquens.

Libidine contradicendi cæcutit Simplicius.

Moſes omnium ſcriptorum antiquiſſim'.

Zoroaſter, & Mercurius vetuſt.

Geneſis Moſis non fuit ab Aegyptiis accepta.

Moſes admirabilis apud omnes lege Aug. ciuit. Dei 16. ca. 43. ſed maximè libr. 18. c. 37. & Euſe. prępar. Euãg. 2. ca. 1. Idem 10. cap. 3.

Loc' Strabonis de Moſe, l. 16. Geographiæ.

A quidam ſacerdos Aegyptius, cùm partem Aegypti obtineret, deſtomachatus Aegyptiorum mores, inde in Iudæam demigrauit. Secutique eum ſunt plures τιμῶντες τὸ θεῖον, quibus Dei cultus charus eſſet. Dicebat enim ille, & docebat, quòd non rectè ſentirent Aegyptij, iumentis, & reptilibus diuinitatem aſſimilantes. Minus Libes, & Græci, qui Deum humana forma fingerent. Eſſe enim Deum id ſolum, quod nos omnes, & maria, & terras (quod omne cœlum, & mundum, rerumque naturam vocamus) ſuſtinet, & continet. Huic igitur vllam ex his, quæ ſunt apud nos, figuram quis ſanæ mentis audeat aptare? Sed oportere omnia ſimulacra relinquere dicebat, poſitoque ſatis pro dignitate templo, ſine figura hic Deum colere: indormireque, & incubare, pro ſe, & alijs, bona ſomnia, ac munus ſemper aliquod ac ſignum à Deo expectantes, qui ſobriè, & iuſtè viuant: cæteros autem minimè expectare oportere, Ille, inquit, talia dicens, perſuaſit bonis, & ſanis, deduxitque in hunc locum, qui ſe non armis, ſed ſacris, & ipſo Deo tuerentur. Aliaque multa Strabo addens nouiſſimè Moſem vnum fuiſſe, qui diuinis alloquiis, & oraculis aſſueti, referrent ad homines a Deo præcepta, propemodum oſtendens, quod clarum eſt etiam, & confeſſum apud nos, quæ ſcripſerit, ex ore diuino, cœleſtique oraculo Moſen excepiſſe. Cùm igitur Moſes fuerit optimus, ac pius, doctorque pietatis, quique Aegyptiorum impietates execratus, cuius gentis inquilinus, non oriundus fuit, docuerit Hebræos aliam vitæ rationem: & cùm hi, qui Deum colunt, alioſque ad id cohortantur, veritatis, non mendacij ſint ſtudioſi, & cùm alios ab errore, & impietate declinare Moſes docuiſſet, nonne par eſt, eum maximè veridicum fuiſſe, præcipuè ſcribentem, quo nihil eſſe, ac melius poteſt, Deum autorem eſſe cœli, & terræ, eumque vnum, inuiſibilem, infiguratum oportere colerę? Quis arguet B mendacij, niſi mendaciſſimus, eum, cuius optimus animus vbique cernitur, ſcriptaque eius teſtantur, eum nec gloriæ, nec imperij, aut pecuniarum, ſed ſolius virtutis, ac pietatis cupidum, meliorem vitam homines docuiſſe, quæ in eo potiſſimum verſatur, vt veram Dei teneas ſcientiam, pro comperto habens, eum cunctarum rerum autorem eſſe? Cum igitur teſtimonia (alios enim prætereo paria atque Strabonem referentes) doceant Moſen iuſtiſſimum, ac veridicum, ſcriptaque eius teſtentur, ſingularis eum probitatis, ſapientiæque fuiſſe, hæcque ratio abunde refellat, qui dicat eum fabuloſa, commentitiaque de rerum conditione ſcripſiſſe, eſt alia quoque ratio, quòd in ea hiſtoria nihil eſt implicatum, nihil excogitatum, optatum, ſed adeò primum ſimplex eſt, vt appareat ſcriptorem eo modo res retuliſſe, quo factæ fuiſſent, nihil addentem, nihil polientem, nuſquam elegantiam captantem. Ad hæc temporum, perſonarum continuatio, ac quaſi concatenatio, ſæculorum ad amuſſim relatus ordo, nomina gentium, ac prouinciarum, quæ nunc vſque perſeuerant, regnorum exordia, deſcriptioneſq; rerum geſtarum, quarum nunc etiam extant indicia, vt deflagrationis in Paleſtina, hæc omnia docent abunde eius hiſtoriæ autorem fuiſſe veracem, non fabulas, ſed veriſſima ſcripſiſſe. Huc adde, quòd facile poſſis, ſi velis, vnicuique narratæ rei à Moſe, petere ex ſcriptoribus profanis duo & tria, pluraque teſtimonia: vt ſi velis de creato homine a Deo vera eum ſcripſiſſe docere, poſſis ex teſtimoniis profanorum ſcriptorum etiam roborare. Sic de creationis ordine, poſtea de diluuio, de Gigantibus, quod factum eſt hoc opere, & aliis ſcriptis, fecerunt eruditiſſimi apud Græcos. Et Ioſephus contra Appionem Grammaticum, multorum ſcriptorum teſtimoniis antiquitatem, primatumque ſuæ gentis ſatis oſtendit. Philoque Iudæus Philoſophis admirandus, docuit Chaldæos fuiſſe genitores Hebraicæ gentis, vt tametſi natus in Aegypto Moſes eſt, pietas tamen, & doctrina, ac ſapientia, cognitioque creationis mundi venerit à maioribus ſuis, qui norant perpetuis maiorum ſuorum relationibus, non infinitis quidem illis, ſed infra breue tempus conſtrictis, mundum fuiſſe creatum. Nam Abraham, ad cuius tempora peruenerunt anni Noe, potuit ab eo non ſolum de diluuio, ſed etiam de creatione mundi audiſſe. Quippe Noe vidit, & cognouit Matuſalem: is vidit, & cognouit primum hominem, à Deo creatum. Potuitque Abraham audiſſe eum, qui referret vidiſſe ſe eum, qui creatum à Deo vidiſſet. Hæc igitur temporum propinquitas, relationem creati mundi facilem, memorabilemque continet. Non erat cur Moſes hanc ſcientiam ab Aegyptiis * mutuaret, cum maiores ſui, Aegyptiis vetuſtiores, eam optimè tenerent, in primis Abraham, Iſaac, & Iacob, qui cum ſcirent perſpectiſſimeque noſſent, Deum paucis ante annis, hominem mundumque creaſſe, venerabantur eum, & colebant, Creatoremque mundi, & humani generis appellabant. Abrahamque dixit, Leuo manum meam, ad Dominum meum, poſſeſſorem cœli, & terræ. Melkizedek verò ibidem dicens, Benedictus, inquit, Abraham, Deo excelſo, qui creauit cœlum, & terram. Ecce vterque non Aegyptius, norant, & fatebantur Deum creaſſe cœlum, & terram. Quare non fuit opus Moſi ab Aegyptiis hanc ſcientiam petere, quam longè melius, & incorruptius maiores ſui tenuiſſent. Apparuit enim ſępiſſimè Deus patribus, ac maioribus ipſius Moſis, quibus oſtendebat ſe Creatorem cęli, & terræ, & prædicabat omnipotentem, id quod ſemper ab anteceſſoribus ſuis audierant. His ergo rationibus non coactus vti præceptoribus Aegyptiis, didicit creationem mundi Moſes, tribus ſcilicet: Vna, quòd maiores ſui, quibus apparuit Deus, docens ſe Creatorem, reliquerunt poſteris eam ſcientiam: Secunda quòd iidem maiores, ac progenitores, ab anteceſſoribus ſuis perpetua ſucceſſione in domo Hebræorum remanente, audierant, feruebatque de Creatione mundi

Moſes execratus impietates Ægyptiorum.

Moſes veraciſſimus quibus ſignis colligitus.

Etiam profanorũ autorum teſtimoniis vera Moſis doctrina colligitur.

* Mutuaretur. Moſes nõ fuit edoctꝰ ab Ægyptiis. Gen. 14.

Creatio mundi triplici firmata ratione.

apud

Quãquam Moſis doctrina ab Aegyptiis manaſſet fabuloſa tamen dicenda proinde non fuit.

Ab Aegyptiis p̄ceptoribus Græca philoſophia profecta ē.

Venerãda Theologia Aegyptiorum.

Pythagorę ſymbola.

Quarta die, lucem creatam, quõ intelligitur.

Locus Geneſeos obſcurus quidem, ſed non falſus tamen.

Terra, & aqua primò creata, & cur.

apud omnes ſermo: Tertia, quòd Deus etiam ipſi Moſi apparuit, ſeque omnipotentem ei, creatoremque monſtrauit, & prędicauit, ſæpius id Moſes audiuit. Sed reuertor ad tertiam rationem, qua temeritas, ſummaq; cæcitas Simplicij comprobetur. Nam ſi vel concedam doctrinam Moſaicam ab Aegyptiis manaſſe, non modò non habendam ob hanc cauſam fabuloſam, ſed venerabilem, amplexandamque probabo. Luce clarius oſtendam omnem Græcorum Theologiam, quicunque eam tractauerint, ſiue recentiores, ſiue vetuſtiores, (vetuſtiores dico, vt Orpheus, Muſeus, Linus: recentiores, Pythagoras, Anaxagoras, Empedocles, & Plato) non modò, qui conferat, agniturum eam Aegyptiam, ſed ipſorum etiam hanc eſſe confeſſionem, quicquid Gręci de Deo, diuiniſque rebus eſſent locuti, à Barbaris, cum primis Aegyptiis, qui ſunt Græcis viciniores, allatum. Hoc Plato confeſſus eſt apertè in Cratylo, & in Timæo. In Sympoſio, & Phędro eſt honorifica mentio de Mercurio Triſmegiſto. Hoc Plutachus, & Strabo, Iamblichus, & Proclus, qui paribus teſtimoniis perhibent, Philoſophos Græcorũ, ad Aegyptios vti præceptores adiiſſe. Tota ferme Platonis de generatione mundi Theologia, nominibus ſermoniſque tenore conſiderato, quam prior Timæus didicerat, Triſmegiſti eſt. Quòd autem ſapientiſſimi Græcorum, Aegyptiorum ſibi myſteria indaganda, noſcendaque cenſuerint, ſit nunc, multis aliis poſthabitis, Plutarchus teſtis. In eo, qui inſcribitur de Iſide, & Oſiride, Teſtantur inquit, quàm veneranda ſit Aegyptia Theologia, Græcorum ſapientiſſimi, Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & vt alij ferunt, etiam Lycurgus, qui in Aegyptum venerunt, vſique ſunt commercio Sacerdotum. Ferturque Eudoxus audiſſe Chunepheum, Solon Sonechitum Saitam, Pythagoras Aenopheum Heliopolitam]. Pręcipueque Pythagoras admiratus eos, imitatus, eſt rationem ſymbolorum ac myſteriorum, ænigmatis ea inuoluens. Nam ab his, quæ dicuntur litteræ Hieroglyphicæ, nihil propè diſcrepant præcepta Pythagorica. Vt eſt, Super ſede ne comedas: Super chœnice ne ſedeas: Ne plantes palmam: Ignem gladio ne diuerberes. Huc vſque Plutarchus. Ex his igitur conſtat, Simplicium dum mordicus Philoponum inſectatur, dum magis, quàm deceat, Ariſtotelem admiratur, putat irrefragabiliter locutum homini non humanam, ſed diuinam tribuens autoritatem, non modò vetuſtiſſimam Hebræorum Theologiam, omnibus hominibus, & ſæculis venerabilem, contempſiſſe, ſed maiores ſuos, ſuperioreſque Philoſophos Aegyptiam Theologiam admiratos, & amplexos, præcipuè Platonem, inſigni contumelia affeciſſe. Si enim fabuloſa eſt Hebraica, & Aegyptia Theologia, ſecuti ſunt fabulas, qui ad Hebræos, & Aegyptios cauſa diſcendi ſe contulerunt. Pluſque vidit vnus Simplicius, quàm omnis Græcia. Sed ad id veniamus, quod eum maximè fefellit, ac ludificauit, videntem in libro Moſis, lucem cauſam Diei, quarta die creari. Quo loco, primum dicendum eſt, non hoc ſolum, quo fabuloſam eam narrationem oſtenderet, ſed totam hiſtoriam fuiſſe conſiderandam. Neque ſi quo in loco obſcuritas eſſet, aut implicatio, debuit omnem hiſtoriæ fidem ſubuertere. Erant alia perſpicienda, quæ ſi vera, ſi cohærentia, ſi ſapienter dicta viderentur, horum bonitas, debuit obſcuritatem vnius loci defendere, non ex obſcuro loco cæterorum claritas denigrari. Cùm ergo reliqua hiſtoria ſit mirabilis, ſit diuina, credendum erat locum illum obſcurum quidem, & ignotum ſibi, non falſum eſſe. Sed quid his faciat, quibus certum eſt, vno mortali nec ſatis probo homine, ſuis rationibus motum æternum colligente, cæteris quidquid dixerint, nihil credere, nihil attendere? Qui morbus non modò in hoc, ſed aliis longè clariſſimis rebus toto humano generi graſſatur, dum ſæpe male affecti, plus credimus falſa loquenti: quàm vera. Quod ergo reddidit eum dubium, fabuloſumque ea de cauſa putauit: mihi etſi dubium eſt, & obſcurum, non eſt protinus fabuloſum. Quis eſt enim alicuius ingenij, qui ad iſtum modum, in ſcriptis omnium Philoſophorum, ab vna re obſcura, colligeret vniuerſum autorem mendacem? Declaro igitur locum, ac declaraui in mea Coſmopœia, quòd tametſi multi ſint myſticè interpretati, primam lucem fuiſſe naturam Angelicam, quorum mihi expoſitio, quoniam hanc lucem narrat Moſes diem feciſſe, nulla ratione probatur: verius eſſe, ac melius lucem illam, vt docuit Moſes, fuiſſe Solem, quòd tum in ſacris litteris nomen lucis creberrimè ſit nomen Solis, tum nihil fuerit naturalius, qui ſit omnium corporearum formarum, omnis mundanæ vitæ autor, præſes, ac principium cunctarum apparentium rerum, primum poſt informia primordia eſſe creatum. Ac Moſes naturaliſſimè, & vt venire in mentem melius non poſſit, primum recenſuit creata duo rerum inter ſe commiſta principia, tanquam mundi fundamentum, tanquam Embryonem, terram, & aquam: Mox autem ceu tertium atque agens principium, quod adiunctum terræ, & aquæ, omne genus formas produceret, effectam lucem. Omnium enim rerum terreſtrium, cauſa ſunt terra, & aqua, & Sol. Prima duo velut accipientia, rationemque fœminæ habentia, tertium velut maſculum, imprimens in ea calorem, & lucem genitalem. Decuit autem terram, & aquam priores fieri, ob multas cauſas: præcipuam verò, quòd ex aqua omnium veterum Philoſophorum conſenſu ſelecta, puriſſimeq; abſtracta fuit ætheria ſubſtantia, ex ea Sol factus, & omnia lumina cęleſtia. Non enim moror hic Ariſto. autoritatem, ſed ſequor non modò vetuſtiſſimæ Theologiæ ſententiam, verumetiam rationem, & exempla, cùm videas nubes aquoſas, colliſas, horrenda in nocte largam exhibere lucem: ſic Lumina per aerem volantia, ſtellaſq; cadentes videmus, & ſcimus ex humoribus, & vaporibus generari, eiuſmodi quandam natura cogitantes eſſe lucem cæleſtem, artificioſius ab autore ſapientiſſimo compactã, ac denſatam. Sed quoniã poteſt facile perſuaderi, lucem illam primogenitã fuiſſe Solem, obſcuritas aũt oĩs inde eſt, quòd quarta die dicitur effectus: quod nulla ratione cohærere poſſit, cum lux cauſa diei ſit effecta prior: vt non ſolum non potuerit creari quarta Die Sol, ſed ne prima quidem: quoniam nulla fuit Dies ante Solem creatum: Dicendum igitur, duoque ab his qui hæc legent, obſeruari poſtulanda: Vnum vt attentè conſiderent, agnoſcantque falſo dici, vulgoque iactari, & ſcribi, hanc vel illam rem factam prima, vel ſecunda, vel tertia die. Vt prima die ſit facta lux, ſecunda cęlum, tertia patefacta terra, quarta creatus Sol. Dico hoc & falſum eſſe, & impoſſibile, nec a Moſe ſcriptum, ſed hiſtoriam eius hoc habere. Primò res ipſas fuiſſe creatas, pòſt dies fuiſſe ſecutas, & circumuolutas. Nec deputaſſe Moſen Opifici ſummo dies, quibus, vt ſolent homines, operaretur, nocte ab opere quieturus, ac quaſi dormiturus diſcederet. Dico, & obſeruandum ab omnibus prædico, non eſſe facta opera illa, in hoc, & illo die, vt manè exorto Sole, ad opus quaſi ſurgens è ſtratis Opifex accederet: ſed eum dico ſine diebus operatum: operante autem eo, exactos fuiſſe ſex dies. Nam quando Deus eſt opus mundanum aggreſſus, nulla dies fuit: primumq; opus ab eo non fuit factum in die, ſed facto opere, Dies ſecuta eſt. Aſpice & conſule Moſen, videbis eum apertè fatentem, cum crearetur lux, nullam diem fuiſſe, ſed luce creata, diem apparuiſſe: creata autem luce, ordine naturali ſecuta ſunt cætera opera: effectus eſt aer, quo effecto, ſecunda dies expleta eſt. Vt primum aer eſt à luce flagranti ſelectus ex aquis, eodem tempore terra nuda remanſit, quæ humida ob recentes aquas, inflammataque a Sole, non ſtirpes modò, ſed etiam terreſtria, aquaticaque animalia produxit, vt Nilo in alueum redeunte, totamque Aegyptum humidã relinquente, naſcuntur monſtra, verſiſque animalia glebis aratores inueniunt. Hæc igitur omnia, non fiebant in die, ſed his rebus effectis, trium dierum interuallum abſolutum fuit. Veriſimile .n. eſt, cum primum lux eſt creata, ſubitò vagari cæpiſſe, aquaſque inflammantem eas in aerem extenuaſſe, illo videlicet primo die. Attamen aer fertur ſecunda die creatus. Hoc interuallo ſcias, beneque perpendas, non modò terreſtria, ſed etiam cęleſtia fuiſſe abſoluta. Perfectum eſt enim cęleſte, & terreſtre opus hoc ſpatio, narrante diuina hiſtoria, primum terreſtria facta, quæ ab illa primogenita luce dependebant, intermiſſiſque rebus terreſtribus, quibus naturale trium dierum ſpatium attribuerat, ſubitò reuertitur ad opus cæleſte, quia narrata prima re, & ab ea paulum digreſſa, venerat ad terreſtria. Vides igitur, quòd non dicit creata quarto die ſydera, Solem, Lunam, ſtellas: ſed ideo videntur dici ab ea quarta die, creata, quia omiſſa fuerat narratio rerum cæleſtium, vt breui facta digreſſione, mox repeteretur. Ea repetita, non fuit quarta dies ipſarum rerũ creandarum: ſed ideo fuit, quia tres dies opere terreſtri fuerant exacti, & narrati: reuocato opere cęleſti, oportuit addere, & dicere diem quartum: non quòd præciſè factũ in ea die fuerit opus ſed facto, & abſoluto, ac narrato terreſtri, ac cęleſti opere, circumuolutum eſt ſpatiũ quatuor dierum. Audi, & attende, quòd non eſt deputata vnicuique rei dies vna. Qui enim fieri poteſt, cum prima lux, dum crearetur, nullam habuerit diem? Si non prima res, ne ſecunda quidem, nec tertia, nec quarta eodem ordine. Idcirco autem non eſt certa dies primis illis rebus deputata, quòd die, & noctu fierent, & tum lux facta eſt non in die, tum nonnullæ res, quæ videntur dici certa die creatæ, tribus, aut quatuor diebus ſunt factæ. Credendum eſt enim, vt dixi, vbi lux apparuiſſet, aerem ex aqua flammis ſuis feciſſe, prima ſcilicet die & ſecunda, credendum quoque eadem die, terras nudari cępiſſe, nudatas eodem tempore & herbas, plantaſque produxiſſe, & animalium corpora informaſſe, ſic dum hæc in terris fierent, ſydera cęperunt toto efferueſcere cęlo. Datur igitur dies non quidem vniuerſo operi, ſed perfectioni, abſolutioni. Sic vbi abſolutum fuit omne opus cæleſte, dicitur veſpere quartæ diei affuiſſe, cum creato Sole non in die, conſecuta eſt creatio omnium ſtellarum, ſed ipſis expletis, abſolutæ ſunt quatuor dies. Hoc igitur obſeruato, quod quidem omnibus ſcriptoribus eſt vſitatiſſimum, qui prius principium alicuius rei attingentes, eamque intermittentes narrando, quæ non intermitteretur operando, mox redeunt ad primam rem, quam breuiter attigiſſent, narrantque tempus exactum his rebus fiendis, quod ad prima, & ſecunda ſpectat. Conſtat etiam Moſen non retuliſſe quarta die creatum Solem, neque hunc diem operi cæleſti deputaſſe, ſed cum principium operis cęleſtis breuiter narraſſet, ſolam ſcilicet lucem, aut Solem, moxq; ad terreſtria deſcendiſſet, iterum rediiſſe ad id quod narraſſe cępiſſet. Ac dico eodem tempore, eodemque ſpatio, creatum fuiſſe Solem, Lunam, Sidera, omnemq; ſubſtantiam cęleſtem, ſed cum narratio veniſſet ad terreſtria, pauloq; pòſt reuerſa eſſet ad cęleſtia, repetitum eſſe totum cæleſte opus, cum ea re, quæ prius fuiſſet expoſita. Propoſitum fuit exemplum in Coſmopęia, quia naturale eſt, ex ſcriptoribus profanis. Ouidius, qui Geneſim mundi, pariter atque Moſes decantabat, cum prius dixiſset magnum illum Opificem, certos rebus, & ventis ſitus dediſse, retulit interim ſidera nata. At quomodo id factum eſt, ſi venti, omniaque terreſtria, quæ fiunt a ſideribus, ſequi poſt ſidera debuerant?

Quomodo ſanè intelligendũ prima, ſecunda, &c. die creatas eſſe a deo res omnes

1. Metamorph. Ouid.

Scriptorũ mos ĩ narrando.

Metamorph. 1.

Vix ita limitibus diſcreuerat omnia certis,
Cum quæ preſſa diu, maſſa latuere ſub ipſa,
Sidera cœperunt toto efferueſcere cælo.

Præteritũ pro pluſq̃ perfecto vſurpatum.

Semel a Deo ſol factus, bis a Moſe deſcriptus.

Ecce ſcribit eodem ferme modo atque Moſes. Vt Moſes narrata luce, & die, perſequitur res terreſtres, mox reuertitur ad ſidera: cum ſideribus autem Solem ſidus maximum neceſſe fuit comprehendere: ſic ille cum ventos, cum tractus aerios, cum ſitus elementorum deſcripſiſſet, ante quę neceſſe fuit eſſe ſidera, tamen quoniam cuncta narrare ſtatuerat, ait, ſidera, quæ ſub maſſa, ſubſtantiaque ætheria latuiſſent, efferueſcere interim cępiſſe. Tale quiddam memorat Moſes, dum fieret aer, dum plantæ, & animalia in terris coorirentur. Ecce, inquit, ab eodem Deo ſidera quoque ſub illa ætheria maſſa deliteſcebant, creabantur, rutilabant per omne cœlum. Ac quaſi præteritum perfectum Moſis, Dixit quoque Deus, fiant luminaria in firmamento cœli: intelligi debet ceu præteritum pluſquamperfectum, vt loquatur ad hunc modum, Dixerat quoque Deus, vt fierent luminaria in firmamento cæli. Hæc autem luminaria erant non modo Sol, de quo principio dixi, ſed etiam Luna & ſtellæ, quæ prius omiſeram. Maiora autem ſidera, quod antea ibi non indicaueram, Iuſſit eſſe in ſigna, dies, & annos, vt lucerent, vt deſignarent omnia. Hoc autem omni opere abſoluto, fuit veſpera quartæ diei, & mane ſequentis. Sic Moſes. Vides igitur quàm ea narratio ſit naturalis, neceſſaria? Quamque vitare non poſſimus, quin aliquid prius exorſi, paulum digredientes alia complectamur, rurſum quod fuerat inchoatum, & omiſſum, repetamus. Dico igitur ſapientiſſimè, naturaliterque ſcripſiſſe Moſen, factum eſſe Solum primum. Semel quidem factus eſt Sol a Deo, bis a Moſe deſcriptus, propter narrationis ordinem, vt aduocaret ſidera efferueſcentia, ſuperius omiſſa. Quartus autem dies non eſt huic operi, ſicut nec primus primo deputatus, ſed opere toto abſoluto a Deo, narrato a Moſe, exactum eſt ſpatium quatuor dierum. Adi ipſum Poetam, vbi cuncta cęleſtia, ac terreſtria poſuiſſet, vt ordo clarior eſſet, & aptior, iterum dixit:

Ouid. ibidem.

Hæc ſuper impoſuit liquidum, & leuitate carentem,
Aethera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.

οὐρανὸς vnde dicitur.

Philoſophorũ deliria in iis ſtatuendis quę non intelligũt.

Operationes & narrationes vt differant.

At hoc antecedere debuerat ea, quæ prius deſcripſiſti, motum oceani, ventos, ortus, obituſque ſignorum. Repetiſti igitur, ſicut Moſes reducit Solem, cum omni ætheria claſſe. Reuocaſti ſuper impoſitum rebus terreſtribus, velut clauſtrum, & ſeptum (vnde Græcè dictus Vranos, ſuprema deſcriptio) ambitum cęleſtem, ſublatamque ab Opifice Deo in altiſſimas mundi regiones, leuiſſimam ætheriam ſubſtantiam. Atqui id non eſt eo loco, quem hic oſtendis, id eſt, nouiſſimè, poſt res alias, quas memoraſti: ſed primo, cum ſapiens Opifex ille, Chaos aggreſſus, omnipotentique manu, ſeparata liquidiſſima, leuiſſimaque ætheria ſubſtantia, ex ea luces cæleſtes, ante omnes, Solem creauit, circumque terras latos duxit orbes: Quod quidem fuit primum infinitæ, inexhauſtæque ſapientiæ ſuæ opus: cætera ſubſecuta ſunt, quæ tamen prius memoraſti. Cum hoc igitur exemplo, cuiuſmodi apud omnes ſcriptores magna copia eſt, Moſaicæ narrationis ordo verus ac naturalis appareat, reſoluta, deiectaque eſt Philoſophorum importuna calumnia, qui ſpernentes quæ non intelligunt, in apertiſſimos errores dilabuntur. Reſponſio igitur eſt (vt per epilogum fiat clarior) ante formas omnes viſibiles, Sapientiam diuinam creaſſe Solem, Lunam, omniaque ſidera, totumque hoc opus ad quartum diem perueniſſe. Secundo, quartam diem operi cæleſti vti certam non deputari, ſicut nec reliquis operibus, ſed ſupremam manum deſignari, & quaſi perfectum re & hiſtoria opus. Vt quod dicatur, quarta die facta lumina cęleſtia, intelligendum ſit, ſpatium vſque ad quartam diem exactum, cæleſti & terreſtri operi explendo: & quod dicitur ea die factum, intelligatur non tunc inchoatum, ſed a principio inchoatum, ibi completum, & abſolutum. Vt cùm de ſyderibus & aſtris creatis loquitur quarta die Moſes, Vt fierent luminaria in firmamento cęli, & diuiderent diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram, & cum ſubiicit, Et factum eſt ita, &, Vidit Deus quòd eſſet bonum, & factum eſt veſpere & mane dies quartus, is ſit ſenſus, non quòd a mane vſque ad veſperam illius diei ea facta ſint: dico Moſen nil tale dixiſſe, ſed omni opere cæleſti cum terræ nudatione & plantis, & herbis expleto, quartam diem circumuolutam. Tertio ſciendum, operationes & narrationes hoc differre, quòd ea narratio, cui ſint plura complectenda, non poteſt niſi vnam rem ſeorſum eodem loco referre: operationes autem variæ fieri eodem tempore, diuerſis locis poſſunt. Sic dico quòd cùm Moſaicæ hiſtoriæ eſſet deſcribenda creatio cęleſtium, & terreſtrium, neceſſe fuit, vt vnum, deinceps alterum referret. Operationes autem hoc impedimentum non habuerunt, nec erat quod prohiberet, dum fierent terreſtria, quo minus etiam cæleſtia complerentur, aut dum fieret vnum opus terreſtre, non fieret alterum, vt dum extenuaretur aqua in aerem, non detegeretur terra. Igitur tametſi Moſes poſt lucem narrat in terris factum aerem, factam nudationem terræ, natas arbores, & herbas, non propterea cæleſte fuit opus intermiſſum, etſi fuit intermiſſa narratio. Dum fierent terreſtria, etiam cęleſtibus ſuprema manus imponebatur. Circumacta autem quarta die, ecce tibi abſoluta erant lumina cæleſtia, & tria opera terrena, aer, nudatio terræ, ſatus plantarum, cum quibus etiam animalia naſci cœperunt. Neque hæc ego dicens, non ſentio poteſtatem diuinam ſubitò cuncta facere potuiſſe, ſed ordinem naturæ quendam declaro, quem poſuiſſe Deus, deſcripſiſſe Moſes videtur. Quarto dicitur

citur vſitatiſſimum ſcriptoribus eſſe, ob iuſtam aliquam cauſam reuocare, reducere, quod prius retuliſſent,& addere quod omiſiſſent,vt ſit concinnus ordo: Sic Moſen,etſi Solem prius in cœlo poſuiſſet,reuocaſſe poſtea,vt adderet quod omiſiſſet,Lunam,ſtellas,ſigna,tempora. Nec tamen eſt adeò quiſquam hebes,vt putet ſcriptorem bis eam ipſam rem creaſſe,etſi bis deſcripſerit. Hanc repetendi conſuetudinem ipſi Moſi frequentem eſſe,exempla in rebus clarioribus,in Coſmopœia docuerunt. His ita reſolutis,quibus apparet Simplicium tam ſapuiſſe in hiſtoria Moſaica,quàm in propria ſuæ Philoſophiæ profeſſione,& in refellendis argumẽtis Philoponi,reliquas eius,vt dixi,rationes,quibus impugnat iudicium Philoponi ſuper decretis Ariſtotelis, de Aeternitate motus,non perpendam,donec audiam diligentius ipſum ſua verba loquentem Philoponũ. Tantum nunc admirabor,quod regnat in eadem atque Proclus inſania,vt expreſsè & apertè Ariſtotele aſſerente,Platonem tempus,& cælum creaſſe,probare conetur(vide quę ſæpe detinet homines inſania) vim verbis allatis,non diſſonare mentes duorum Philoſophorum,ac non ad Platonem Ariſtotelem,ſed ad Ariſtotelem trahit Platonem. Quid igitur ad hunc philoſophari modum,aliud eſt,quàm dare operam;vt cum ratione inſanias,ſciens,& prudens deſipias, profeſſionem facias,vt te,& omnes homines ſemper decipias? Hiſtoria Moſis de Generatione mundi dicitur fabuloſa: Plato quæ de creato cęlo, & tempore diſputat, alium habere ſenſum prædicantur: ſiquis aliud, quàm quod attulit Ariſtote. oppoſuit, ἐσκοτωμένος, obtenebratus appellatur. Quo planè conſtat,eorum eiuſmodi Philoſophiam, non aliud eſſe quàm lucis omnis, & veritatis obtenebrationem. Satis igitur eſſet magnorum, ac priſcorum hominum teſtimonio, Ariſtotelis, Tullij noſtri,qui toties prædicat Platonem mundum creaſſe, Philonis Iudæi, Plutarchi, Alexandri Aphrodiſei, quorum autoritatem Proclo, Simplicio, aut ſiquis ex iunioribus pariter deſipiat, præponderare, vti maiorum meliorumque Philoſophorum, clarum eſt. Sed ipſa ratio, qua Platonem æternum declarare mundum aſſeuerant, ſatis oſtendit, nihil ibi niſi violentum eſſe: Ac ſimilia his, quæ Proclus refert, quoſdam Platonicos ſenſiſſe, tota ratione deſumpta ex eo, quod Græcè dicitur, γινόμενον, genitum, quod fit, alterum, τὸ ὄν, vere exiſtens. Quorum cùm primum Plato pro rebus creatis, & corporeis vſurparit, ſecundum pro nunquam factis, ſed ſemper eodem in ſtatu permanentibus, deſignans Ideas, à quibus ceu fontibus æternis, natæ ſint res ſenſibiles in tempore: hæc duo ex aduerſo velut irruentes, ſic iſti corripuere, & in ſuas ſententias violenter abſtraxere, vt primum non ſonet id, quod in tempore habuerit principium, vnaque cum tempore partum, ſed quod naſcatur, pendeat,oriaturque ab alio, etiam in æternitatem: Secundum, quod in contrarium, à nullo dependeat,ſeipſo ſtans,ſibi principium. Has Ideas eſſe,illa quæ ex Ideis oriantur ſemper, infinito tempore naſcentia. Eoque hoc ſecundum vocari γεννητὸν, generabile,factibile,quod ſemper fiat. ſic Ariſtotelem, cùm Platonem aſſerit generaſſe tempus, ſenſiſſe generationem continuam,perennemque tranſitum: vt non ſit duorum Philoſophorum diſcrepans ſuper tempore ſententia:altero dicente motum,& tempus ἀΐδιον, ſempiternum:altero generabile, qui ſenſerit,perpetuam ex altero generationem. Hanc igitur violentam, coactamque interpretationem, ratio, magnorumque Philoſophorum, quibus hęc ante Proclum, & Simplicium non fuerunt obſcura, autoritas coarguet. Reſpondeant igitur autoritate ſua,& ratione,ipſi vetuſtiores,ac venerabiliores recentibus hiſce,nouitijsque Philoſophis. Plutarchus in eo qui inſcribitur de Placitis Philoſophorum: Pythagoras,inquit,& Plato, γεννητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον, καὶ φθαρτὸν μὲν ὅσον ἐπὶ τῇ φύσει, αἰσθητὸν γὰρ εἶναι, διὰ τὸ σωματικόν, οὐ μὴν φθαρησόμενόν γε προνοίᾳ, καὶ συνοχῇ θεοῦ. Quod eſt,Mundum factum ſeu genitũ a Deo,& corruptibilem ſuapte natura,quod & corporeus ſit,& ſenſibilis,non corrumpendum autem diuina prouidentia,& ſuſtentatione. In hunc modum Plutarchus, & ad verum ſenſum interpretatur id quod vocatur genitum, ſeu factum, afferens in medium rationem Platonis, quòd omne ſenſibile &, corporeum corrumpatur,quoniam habuit exordium. Hæc fuit ratio Platonis, clara, aperta, vera. Eadem affirmat Laertius qui Philoſophorum viras, & dogmata diligenter deſcripſit: κόσμον τε εἶναι ἕνα γεννητόν, ἐπειδὴ καὶ αἰσθητός ἐστιν ὑπὸ θεοῦ κατεσκευασμένον: Vnicum mundum & quia ſenſibilis ſit, genitum, & factum à Deo, ſenſiſſe Platonem. Sic Laertius quoque conſtat quo ſenſu interpretetur genitum, factum ſcilicet in tempore, afferens, & ipſe rationem Platonis. Idem Plutarchus diſſerens de ſatu animæ, quæ eſt in Timæo, de hoc hominum genere, qui Platoni detrahunt creationem mundi: ſunt, ait, plurimi operam dantes Platoni, qui timentes, & anxij, omnem mouent lapidem, omnia conantur, torquent, vim adhibent, ceu nefariam, ac nefandam, occultare, negare, mundi, & animæ molitionem, & conſtitutionem, velut, quæ fuerit ab æterno,tempusq; permanſerit infinitum. Quibus reſponſum eſt, & nunc id ſufficiat, quòd certamen, & orationem de Diis, quo Plato fatetur ſumma contentione, & præter ætatem ſe aduerſus impios decertaſſe, confundunt, imò verò tollunt in totum. Si enim ingenitus, aut non factus eſt mundus, elabitur Platoni, animam, quæ corpore prior, & antiquior ſit, mutationis, ac motus omnis principem, & cauſam eſſe, ſicut ipſe dixit. Quæ autem ſit anima, & quo corpore, prior, & vetuſtior progrediens oratio demonſtrabit. Quod ignoratum videtur magnam dubitationem veræ ſententiæ inieciſſe. Exponam igitur primum, quæ mihi videantur probabilia ſecutus, eoque me

Repetũtur quædam a ſcriptorib⁹ ad cõcinũ ordinem.

Error intolerabilis Simplicij.

Philoſophia Simplicij, veritatis ẽ obtenebratio.

Quo ſenſu accipiendũ ſit Platonis illud, mũdi creationẽ æternam.

Opinio Pythagorę & Platonis de mundo.

Plutarchi locus, de creatione, & principio mũdi.

ipſum conſolans, quod ſit veritas aliqua, etiam ab aliorum opinione ſecluſa, tum interpretationem, demonſtrationemque inducam. Sic enim res, vt ipſe quidem arbitror, habent. Hunc mundum, inquit Heraclitus, neque Deorum quiſpiam, neque hominum fecit. Quaſi vereretur, ne Deo excluſo, hominum alicui creationem mundi traderemus. Melius igitur eſt Platoni credentes, Mundum quidem a Deo factum dicere, & decantare, cum & mundus rerum factarum pulcherrimus, Deus optima cauſarum ſit. Poſt multa Plutarchus: Quid opus eſt afferre, quæ dicuntur in Timæo? inquit. Totus enim liber eſt de creatione mundi. Et in Critia, ſiue Atlantico Timęus eum dicit τὸν πάλαι γεγονότα, qui olim factus à Deo eſſet, nunc eorum oratione fieret. In politico hoſpes Parmenidis, Mundum a Deo conſtitutum, multa bona habuiſſe: ſi quid difficile cernas, ex priſtino confuſionis, & inordinationis habitu remanſiſſe. In Republica θεῖον γεννητόν, Diuinitatem factam, aut rem diuinam effectam, mundum appellat Socrates. Hæc & alia pleraque Plutarchus, quæ cum ſententiam Platonis claram exponant, noſtra declaratione non ſunt adiuuanda.

Philo Iudæus de mūdi creatione.

Philo autem Iudæus inſignis Platonicus, cum de mundo loqueretur, Philoſophorumque ſuper eo ſententias afferret, neque ſua tempeſtate deeſſent, qui quemadmodum Simplicius, & Proclus, Platonem ad Aeternitatem mundi nolentem traherent, perennem ei generationem aſſerentes dediſſe, loquitur ad hunc modum: Genitum autem, & incorruptibilem aiunt mundum a Platone in Timæo declarari. Nonnulli verò, qui ſapientiam iactant, eamque ſibi arrogant, aut ſophiſticè agunt, arbitrantur a Platone mundum generabilem dici, non quòd generationis acceperit principium, ſed quia ſi factus fuiſſet, non alia ratione, quàm quæ ab eo poſita eſt, conſtare potuiſſet: aut quia ſemper partes eius in generatione, & mutatione cernantur: βέλτιον δὲ καὶ ἀληθέστερον ὑπονοεῖν τὸ πρότερον: Sed melius eſt, & verius opinari primum, non ſolum quia in omni opere Patrem, & Genitorem, & Opificem Deum illum, Architectum appellat, opificium autem venuſtum, ac quaſi partum, ac prolem hunc mundum, ab exemplari intelligibili, ſimulachrum ſenſibile, omnia quæ ille intelligibiliter, ſenſibiliter in ſe continentem, perfectiſſimum apud Mentis perfectionem, exemplum ſenſibile: verum etiam quia teſtatur id Ariſtoteles de Platone, quem ob Philoſophiam mentiri ſanè puduiſſet. Huius autem Platonici dogmatis autorem nonnulli Poetam Heſiodum arbitrantur, qui genitum, & incorruptibilem cecinerit mundum: Genitum, cùm ait:

In Theogonia.

Extitit antè chaos, exin latiſſima tellus,
Cui ſuper innixum pondus rerum incubat omne.

Incorruptibilem verò, quia nullo in loco de eius interitu meminerit. Clariſſimè igitur extat apud Heſiodum, mundum genitum. Hęc Philo.

Tuſc. 1.

Quoties item Marcus noſter de Platone ſenſit idem, & prædicauit? qui in Tuſculanis, Poſſumuſne, inquit, dubitare, quin his præſit aliquis conditor, vel effector, ſi hæc nata ſunt, vt Platoni videtur, vel ſi ſemper fuerunt, vt Ariſtoteli placet? Simplicius item ipſe in octauo, ὁ μέντοι ἀλέξανδρος, καὶ τὸν πλάτωνα φησὶν ἀπ᾽ ἀρχῆς χρόνου, τὸν κόσμον ὑφιστᾶναι: Alexander tamen, inquit, fatetur, & ipſe Platonem ab exordio temporis creaſſe mundum. Aſſertque idem in libris de Cęlo verba Alexandri, quibus oſtendit, Platoni mundum creatum in tempore.

Autoritas tot veterū philoſophorū frāgere debet ineptias iuniorum, & recētium.

Tantorum igitur adeoque antiquorum Philoſophorum, non refutabit iuniorum leuitatem, & ineptiam, autoritas? Qui non ſolum æternum à Platone mundum dici, ſed etiam vbi ſuper hoc carpitur ab Ariſtotele, defendere, conciliare duos quaſi Philoſophiæ anteſignanos ſatagunt. Egregia verò pax, ad quam vocant, omnibus modis repugnantes. Ea demum eſt eorum Philoſophia, certum, conſtitutumque eſt eis, modò regnet quod ipſi opinentur, miſcere omnia, nihil non peruertere, pudore, quo carent funditus, à nullo flagitio eos retrahente, temeritate, & inſolentia duce, quæ pars eſt myſteriorum Ariſtotelicæ hodiernæ Philoſophiæ, nihil non audentes. Multæ ſunt item aliæ rationes, quibus à Simplicio defenditur Aeternitas apud Platonem.

Quod tangitur, & cernitur principiū habet, Platoni.

Veluti quòd rogans an factus ſit mundus nècne, reſpondet, factus quia viſibilis & tangibilis: non reſpondet, quia cùm prius non eſſet, extitit deinceps. Quaſi non ſit eadem ratio, factum cùm prius non eſſet, aut tangibilem, & viſibilem factum dixiſse. Cùm Plato velit omne quod tangitur, & cernitur, habere principium: Eoque etiam diſſolubile, niſi diuina poteſtas obſtiterit, eſſe.

Tēpus, & æuum, nō idem.

Peruertitur quoq; ac deprauatur, quod Aeternitatis imaginem dicente tempus Platone, quo declarat iuxta Timæi Locrenſis ſententiam, æuum ſemper fuiſse, tempus non ſemper, velut rem factam ad illud exemplar ęternum, peruertit inquam Simplicius, in eo temporis exemplum Aternitatem aſſerens, quod ea maneat in æternum, tempus in æternum fluat. Sed quomodo foret Aeternitatis imago tempus, ſi par vtrique duratio, perennitaſque eſſet? Qua cauſa aſcita fuit à Timæo, & Platone hæc collatio perennitatis & temporis, vt primum foret exemplar, ſecundum ſimulachrum, niſi quia ad ſimilitudinem eius, quod fuit ſemper extra mundum ſine mundo, factum tempus cum mundo dixerunt?

Intelligibilis mūdus cauſa exēplaris creati mundi.

Alioqui non opus erat hoc exemplo, ſi in vtroque perennitas eſset. Nam exemplariorum ac ſimulachrorum ratio aſumpta eſt a Platone, vt redderet cauſam, & inueniret principium, & fontem creati mundi, & temporis, quaſi ſimulachrorum mundi intelligibilis, & Aeternitatis. Dixitque cauſam exemplarem facti mundi, intelligibilem mundum, qui fuiſſet æternus, cauſam exemplarem facti mundi ipſum æuum.

Hoc

A Hoc omne indicat factionem & exordium, ponuntque diſtinctè ea quæ ſemper fuerunt, & quæ non ſemper. Semper exemplaria, non ſemper ſimulachra. Nec verum eſt quod Simplicius ait, ſi ſimile ſit tempus Aeternitatis,neceſſariò infinitum,immenſumque & ipſum eſſe. Dico ſimilitudinem temporis,& Aeternitatis eſſe,quam aſpexit Plato,quòd Aeternitas ſemper fuit, tempus autem quaſi factum eſt eius particeps, ſicut cum ſimulachra fiunt ad eorum , quæ prius extabant, exemplaria. Dicoque Platonem idcirco exemplarem cauſam, & res ad hanc factas induxiſſe , vt oſtenderet,quid inter æternum,atque creatum intereſſet,& vnde venire res creatæ potuerint: arbitratus ſic rationem mundi facti habuiſſe, ſicut cum ædificatores, longe prius quàm ædificent, exiſtentes, continent animo ſpeciem futuri ædificii : Sic Deum ſemper habuiſſe formam mundi, animo inhærentem,mundum autem in lucem exiſſe ad eam ſpeciem,quæ ſemper in animo diuino extitiſſet. Itaque non erat cur has ſimilitudines aſſumeret Plato , ſi fuiſſent ſemper cauſæ & cauſata. Nec eſt in eo ſimile tempus Aeternitati,quòd ſit ſemper ſicut Aeternitas: ſed in eo,quòd habuit quãdam ſimilem naturam,ipſi Aeternitati ſua perennitate remanente,tempore,cum prius non eſſet,creato,in quo fuit ei ſimilitudo cum Aeternitate : Quia cum factum eſt, ad ſimilitudinem eius quod prius foret,factum eſt,ſicut ad ſimilitudinem Patris dicitur Filius procreatus,qui prius non eſſet, exiſtente Patre. Sic exiſtente ſemper Aeternitate, quaſi filius eius natum eſt tempus,& quaſi filius mundi intelligibilis, qui ſemper fuiſſet, conceptus, editusque in lucem eſt mundus ſenſibilis. Res igitur clara. Quod autem, dicente Ioanne Philopono,Deum operari ſine tempore: opponit ſeſe Simplicius, & arte ſophiſtica armatus occurrit, Si ſine tempore,ergo in Aeternitate,nunquam igitur operari deſtitiſſe, Aperta cauillatio. Non protinus ſi ſine tempore B operatur,ſemper operatur,falſa inductio. Sine tempore operari tria deſignat,aut ſemper operari, aut momento inuiſibili,aut actione,non ſub ſole.Deus Sol extra mundum,& tempus,omnia operatur,& operari poteſt,ſine iſto mundano tempore. Nec Deus tantum,ſed omnes qui ſunt extra Solem,quidquid agunt,ſine tempore mundano agunt. Hoc modo Deus exiſtens extra mundum, maior omni mundo,quicquid fecit,ſine tempore fecit.Non opus ei fuit Sole, & die, qui Solis & diei fuit autor. Sex autem illi dies apud Moſen, ſunt rerum ipſarum abſolutiones,non ſpatia,quibus operatus ſit Deus,qui prius ſine die creauit terram & aquam,& ipſum cęlum,orbemque Solis.Philoponus autem ſentit veriſſimè Deum immediatè operari,hoc eſt,quòd ſi velit facere,nullum eſt impedimentum: ſubito fit quod vult,actione inuiſibili , in ictu oculi , immenſurabili momento,cui nihil reſiſtat. Hoc ille dixit : Simplicius peruerſè & inſcitè intellexit , peruerſius interpretatur. Qui quod dicitur ἀμέσως, ἀχρόνος, cum putet ſonare Aeternitatem,cum ſonet actionem momentaneam,profectò ſuam inſcitiam declarat,qui nec vocum pondera ſentiat. Quod autem inducit Simplicius tanquam abſurdum, ſi Deus non ſemper operetur , ineſſe in actionibus eius prius,& poſterius, & quaſi gradationem , nec fieri poſſe vt cuncta ſimul fecerit ſex diebus, quatuor anni tempora, ver,æſtatem : primum nego abſurdum in actionibus eius eſſe prius & poſterius,ſecundum dico non ineſſe. Neque enim fas eſt, ſi quis mortalium plectendus eſſet a Deo, qui non plecteretur antea,poſtea plecti : Etſi Iupiter decreuiſſet aliquam perdere gentem , quod quondam non faceret,aut turpe fuit ei feciſſe , aut coactus eſt ſemper perdere , ne in actionibus eius ſit prius, & poſterius. Ineſt igitur gradatio in operationibus Dei,non quòd ei ſit impoſſibile, cuncta momentis inuiſibilibus operari , qui poſſet omnia actione immenſurabili, & intemporea, C quæcunque ſex millibus annis fecit, feciſſe : ſed ordo rerum , ac Natura poſtulat ineſſe prius & poſterius eis,temporumque gradationem,ad confuſionem euitandam. Nec oportet ad naturam Dei transferre quod rebus corporeis,& creatis eſt neceſſarium,quas neceſſe eſt ſæculis,ętatibusque ſuis paulatim explicari.Eaque bonitas eius,& prouidentiæ inuariabilis ordo.Quod autem negas eum,ſi creaſſet,ſex diebus omnia tempora ſimul potuiſſe complecti, hallucinaris. Quis eſt .n. vel mediocriter eruditus , qui non ſentiat , eum ſimul omnia tempora feciſſe , ver , autumnum, æſtatem,hyememque,eodem tempore, qui Solem harum viciſſitudinum cauſam creauit? Qui dixit,Fiat lux: ideſt Sol,qui dicitur lux,lucique dedit mirabiles ordines,& motus , ſimul cum luce quatuor anni tempora, quorum eſt cauſa lux,propterea certos eundi,redeundique,accedendi, & abſcedendi nacta ordines,vt fieret,quod factum vidimus, creauit.Nam idem adiecit,Et ſint in ſigna,& tempora,& dies,& annos.Ergo cum luce totum fecit annum. Ipſeque conſilium ab ſe creatæ lucis declarauit.Inſtruxit,aptauit cauſam omnium temporum & cum mirabiles Soli dediſſet ordines , quibus ſeſe inter vtrunque Tropicum flecteret,profectò repertor ipſe veris, æſtatis,autumni,& hyemis fuit. Res igitur clara. Cui enim non conſtat, inuentores primarum cauſarum,omnium conſequentium effectuum haberi, & dici merito autores ? Sunt aliæ rationes apud Simplicium , quas , vt dixi, ſi dabitur vnquam , vt quid Philoponus ſit locutus, poſſim diligenter explorare , diſſoluam.

Cur īducta exēplaris cauſa a Platone.

Deus operatur ſine tempore.

Deus, omni mundo maior.

Deus immediate operatur.

Natura poſtulat vt ſit prius & poſterius.

Deus , ſimul omnia fecit.

Gene. 1.

Oſtenditur Creationem mundi ab antiquiſſimis omnium nationum fuiſſe confeſſam. Cunctos ferme Philoſophos vetuſtæ famæ, patrumque traditioni ſubſcripſiſſe. Explicatur in primis Theologia Triſmegiſti de creatione mundi. Triſmegiſtum cum Moſe congruere in deſcribenda Creatione. De creatione lucis, ſiue Solis, ſiderumque aliorum, & aeris ex aquæ puriſſima deſecatione. Ante omnia de creatione terræ & aquæ, quæ cæteris fuere principia, dictum chaos ab illis, aut hyle. De nudatione terræ, creatione animalium, & hominis ad imaginem Dei creati. Hanc Theologiam vidiſſe Ouidium apud Græcos, Latineque expreſſiſſe. Deos eorum eſſe ſidera, factos ex aqua. Secutos eſſe priſcos Græcos hanc Theologiam, exempla ex Platone. Cap. IX.

SVPEREST vt ipſam mundi Creationem omnes gentes,& Philoſophos,vno aut altero excepto,omnem vetuſtatem,fuiſſe confeſſam,exemplis comprobemus. Nō fuit certè niſi mirabile veritatis argumentum, tot fuiſſe voces in hac re ſcriptorum gentiumque cunctarum,omnibus in libris pariter conſonantes. Quin etiam eos ipſos,qui defendendam ſibi Aeternitatem ſuſcepiſſent,ſæpe dixiſſe reperies, quæ recurrente ad veritatem animo, violentamque perſuaſionem deſerente, ſuper rerum molitione, & temporis exordio eis exciderunt. Pleraque etiam ſtatuerunt, quæ cum neceſſario rerum principio (ſi quis reſoluendo per omnia pergat,perueniatque ad aliquod ſupremum) nitãtur, cernentur ſine dubio ſecum creationem mundi trahere. Itaq; mirabilem in eorum ſcriptis pugnam, ſummamq; dogmatum confuſionem cernunt legentes, occultoque męrore circum præcordia,ea legendo occupantur,nihil certum,nihil niſi acephalon,male poſitum,male conſtans,& prodigioſum,quaſi plenum lacrymis & horrore humanarum rerum chaos,offendentes: dum miſera,męſtaq; hac vita,quam luctus,& labor,omneſq; calamitates comitantur,nihil fore nobis melius pollicentur, & cęlum,elementaque iſtius mundi venerati,eripuerunt hominibus,dederunt illis Aeternitatem. Cum hæc igitur ſit in dogmatis eorum confuſio,qui perſuaſionem hanc obtinentes,ne mutire quidem de moribus, de prouidentia,de noſtris animis,de virtute poſſint, de quibus quantumuis loquantur,quia ſubneruarunt,fundamentaq; ſubduxerunt,vanus ſermo eſt,iure qui legit eorum dogmata, nullum fructum,ſed męrorem,triſtitiā,cōfuſionemq; animo reportat. Parte alia,quia non oēs cęcitas oppreſſit,& quia violenta,tempore,aut ratione tandē diſſoluuntur: ſic rationis auxilio violenta illa dogmata,ipſa ſemet paulatim diſſoluunt,deſtruunt. Omnes igitur gentes a maioribus auditā,frequentemq; priſcis ſæculis,conditionem mundi decantauerunt,& qualis apud Moſen eſt,celebrauerūt. Ac vt oſtenſum eſt,& confeſſus eſt Plato,cum Barbari ſint Græcis longè vetuſtiores,& traditum monimentis ſit,ob hanc cauſam,Græcos ad Barbaros diſciplinarū cauſa adijſſe,certum eſt,vti pręceptorum,quæ Barbari ſenſiſſent,a Græcis quoque ſentiri,& agnoſci,& recipi fas eſſe. Quod etiā fecerunt. A Barbaris autē poſt aliquod tēpus venit ad Græcos,vt alia dogmata,ſic de Creatione mundi ſermo,quem tamen etiā Gręci ab antiquiſſimis progenitoribus acceptum, paulatim poſteris reliquerunt,& per ſucceſſionē tradiderunt. Eoq; apud vetuſtiſſimos quoſq; Poetas Græcorū,inuenitur de Creatione & principio rerū celeberrima fama. Quo magis in antiquitatem te inſinuaris,tam magis deprehendas famigeratā,celebrem. Mercurius igitur Aegyptius,quem conſtat vnū propè fuiſſe,quem Plato cū primis & Pythagorei fuerint ſecuti,de Creatione locupleter ſcripſit. Item Chaldæi,Phęnices,Hebræi,quibus nulla natio vetuſtior,ac memorabilor. Nam ab his natæ ſunt aliæ,& ſparſæ circum orbem terrarum gentes. Ipſe igitur Mercurius omnibus Aegyptiis, ac Græcis præceptor,totā adamuſſim creationē,in vniuerſum,& per partes deſcripſit, cū cęlū ac terras oſtendens a Deo ſumpſiſſe primordiū,tū verò claras & apertas rationes expediens,quibus ea, quæ fuerunt minorum poſtea rerum generalia principia,& ex quibus omnia nata feruntur,a Deo fuerint compoſita,& excogitata. Quomodo Sol conditus: tellus quod principium proferendarum plantarum,frugum,florum, quibus quaſi circumueſtita ſit,habuerit. Quid rerum poſtea natarum varietatem, vt neceſſarium fundamentū anteceſſerit. Hæc ille docuit, & docuiſſe,verbaq; eius eſſe quæ de Creatione vir antiquiſſimus ſcripſit,non ea ſolū,quæ paſſim de hoc homine ſummo conſenſu a profanis,& ſacris ſcriptoribus feruntur,teſtantur,ſed etiā quæ cernimus apud Platonem,Platonicoſq; oēs,& Pythagoreos vetuſtiores,vt Numenium,Philonē,Archetypā, Anaxagorā,ac pleroſq; alios;de quibus dicere pergemus,vbi res,locuſq; poſtulabūt. Nūc autē Mercurij Geneſim explicans,dico eū confeſſum,& Creationē mundi aliquando extitiſſe, & inueniendarū rerum modum,quo ad humano ingenio fas eſt,aperuiſſe. In libro,qui dicitur Pęmander,i. Paſtor hominū,nomen prouidentis Dei,quale etiā Prometheus,quem librum hoc titulo præſcripſit, ꝙ in eo loquatur is ille,qui item apud Moſen, appellans ſeipſum Iehouah, ingreſſus de Creatione ſcribere,eū ipſum Pęmandrū qui apparuiſſet,inducit docentē,& explicantem. Omniū.n. maximarum abſtruſarumq; rerum priſci,Deum,aut Angelos eius habuere præceptores. Quo fit,vt quę dixerunt, lōgè maiorē fidē,quàm quæ poſteri Philoſophi,qui ipſi ſibi fuere magiſtri promereantur.

Mercuriū Triſmegiſtū Plato & Pythagorai ī primus ſequuti.

Pœmāder apud Triſmegiſtum quis, & theologia eiuſdē quā cōſentiens cum Moſaica.

A Vbi igitur ei Pœmander apparuiſſet, vt ſoliti erant priſci patres, cùm Angelum, aut Deum vidiſſent, rogauit quis eſſet. Ego, inquit, ſum Pęmander, Mens autoritatis. Et ſcio quid velis. Hæc vbi dicta dedit, mirabile ſpectaculum ſe vidiſſe teſtatur, in quo Creatio mundi, & qualia fuerint noua illa partaq; è nihilo primordia continentur. Primum vidit diuinam claritatem, quæ fuit ante mundum, regnum Dei glorioſiſſimum, totius mundi principiũ. Parte alia vidit tenebras quaſdam horribiles, longè infra diuinam illam gloriam ſubiacentes. His ſubiacere Naturam quandã humentem, inexplicabiliter turbatam, fumumq; velut ex igne exhalantem, tum ſonitum fragoremq; inenarrabilem ex ea prodeuntem. Tum verò etiam vocem velut ex igne emiſſam, ἐκ δὲ τοῦ πυρός, &c. Ex igne autem, Verbum ſanctum, Naturæ inſediſſe, ignemq; puriſſimum emicuiſſe ex humida Natura in altum, leuemque fuiſſe, & acutum, ſimulq; efficax. Aeremq; leuiſſimum fuiſſe conſecutum ſpiritum, aſcendentem vſque ad ignem è terra, & aqua, vt videbatur: eumque ex ipſo pependiſſe. Terram autem, & aquam fuiſſe inter ſe commiſta, vt præ aquis terra videri non poſſet, ſed commota fuiſſe propter ſpirituale Verbum, quod ſuper ferebatur. Deinde explicat is qui apparuiſſet ſpectaculum, docens ſe lumen illud eſſe, quod fuiſſet ante humidam Naturam, quæ è tenebris apparuiſſet. Verbum autem radioſum, luminoſum qui ex Mente ſit, Filium Dei eſſe. Mentem autem Deum Patrem. Neque enim ſeparati, inquit, ſunt ab inuicem, quorum ſit vnio, ipſa vita. Hæc vbi dixiſſet, in ipſum defixiſſe oculos, ut contremiſceret ad eius Ideam, Triſmegiſtus ait: cumque nutu eum ſubleuaſset, Ecce, inquit, video animo, lucem illam innumerabilibus virtutibus radiantem, video mundum in circum ſcriptibilẽ, & continere ignẽ, & ſtationem habuiſse, contentum maxima virtute. Ac cum in ſtupore eſsem, cogitans, quæ mihi B à Pęmandro aperirentur, rurſum mihi dixit, vt intuerer animo ſpeciem Archetypam, quæ principium infinitum antecedit. Hæc Pœmandrum dixiſse. Elementa verò, inquit, Naturæ, vndenam extiterunt? Iterum ille, Ex voluntate Dei, inquit, quæ verbum nacta, intuitaq; pulchrum mundum imitata eſt, creans mundum per ſua ipſius elementa, & genituras animarum. At Mens Deus, cum ſit mas, & fęmina, peperit Verbum, alteram Mentem. Huc vſq; progreſſi, Mercurij verba explicemus: deinceps alia proferentur, in quibus reliqua de mundi Creatione hiſtoria continetur. Eſt autem diuina hiſtoria. Duoq; de ea noſcenda ſunt: primum, eam ſimilem eſse Moſaicæ: deinde, hanc eſse Platonem ſecutum, multoſque ante eum Græcorum, Orpheum, Anaxagoram, Heſiodum, vt appareat vetuſtiſſimi illius Triſmegiſti librum eſse, non modò quia multi eius meminerunt, verum etiam quia claret, Pythagoreos, ſuperioreſq; hæc imitatos, de Creatione mundi ſcripſiſſe. Nam quæ Timæus Locrenſis, & Plato, vocant mundum νοητὸν ἰνδανικὸν, exemplarem, mentalem, ad cuius imitationem Deus fecerit mundum ſenſibilem, hancque potiſſimum cauſam celebrauerunt, & de ea copioſè ſcripſerunt, ecce Mercurius prior prodiderat, qui & Ideam archetypam memorauerat, & ad hanc, quam Principium infinitum ante oculos haberet, ait factũ ſenſibilem mundum. Hocque fuiſse principium elementorum, hinc origines illas, quatuorq; membra, quibus conſtat mundus, apparuiſse. Ac primò ſciendum, duas hic eſse, & nominari luces: Alteram, incorpoream, infinitam, incircunſcriptam, creatricem, immenſum quendam mundum: Alteram, corpoream, creatam. Igitur Moſes ſcripſit, In principio creauit Deus cęlum, & terram. Tum creationem aggreſsus, Terra, inquit, erat inanis & vacua, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Triſmegiſtus autem non ex animo ſuo, ſed ex reuelatione, Antequam crearetur mun- C dus, fuiſse lucem, vt ipſe inquit, hilarem, flagrantem, glorioſam claritatem, qua fuit glorioſus antequam mundus fieret, creator ipſe. Et quem Moſes vocat Deum, & Spiritum, dicens eum primò creaſse cęlum, & terram deinde creatæ iam terræ, & aquæ ſuperincubuiſse, eum Mercurius Lucem appellat, immenſamq; claritatem, & maieſtatem, ad quam ipſe contremiſceret, ei per ſpeciem oblatam. Hæc claritas inenarrabiliſq; lux videbatur ſupernè, & quaſi extra mundum, ſine mundo rutilare. Huic longè ſubiacebant tenebræ illæ immenſæ, quæ dicuntur apud Moſen, ſuper abyſſum incubuiſſe. Iam Deus creauerat terram, & aquam. Sed humidæ Naturæ, id eſt, terrę, & aquæ, ſuperextabant tenebræ, nondum ab illa æterna, ſupernaq; claritate, luce corporea producta. Vides igitur omnia ſimilia inter Moſen, & Triſmegiſtum. Apud Moſen eſt Deus Principium, Creator, apud Mercurium Lux immenſa, & Mens, vt ipſe docuit paulo pòſt. Apud Moſen verus, ac naturalis Creationis ordo, quo non poſſit naturalior cogitari eſt, quòd principio Deus creauit terram, & aquam, deinde lucem cæleſtem. Quomodo eam creauerit, non adeo declarauit, ſed obtulit tantum cognitionis ſcintillam, vt intelligeremus. Nam cur Spiritus Domini ferretur ſuper aquas, curve mox Dominus dixerit, Fiat lux, Mercurius ipſe declarauit. Sæpe enim cum fuiſsent duo, aut tres idem ſcribentes, quod ab vno prætermiſsum eſset, aut breuiter poſitum, refertur copioſius ab altero. Sic Ioannes multa retulit à cæteris Euangeliſtis prætermiſsa. Deſignauit igitur tantum, quaſiq; innuit Moſes, quomodo cęleſtis orbis, aut lux corporea poſt terram, & aquam creata ſit, aut cur ſuper aquis Spiritus ille ierit, quidve illic fecerit. Cauſa igitur fuit, veraq; ratio, quam Triſmegiſtus expreſſit. Qui vbi Deum opificem claritatemq; eius induxiſſet: Exinde tenebras horribiles, quibus ſubiacebat humida Natura, id eſt, quod dicitur Chaos, aut Hyle, terra videlicet, & aqua obuolutæ: deinde, Verbo ſancto; Spiritu ſcilicet illo Moſaico, incumbente, & turbante, ac commouente aquas quod Moſes dicit merachephet, quaſique ſo-

Mundus exẽplaris, mentalis.

Lux duplex. Gen. 1.

Cõſenſus Theologiæ Moſis & Triſmegiſti.

Tenebræ, chaos, hyle.

Creata lux.

Creatus aer.

Terra, & aqua, creatæ.

nitu ingenti, ex aquarum colliſione, edito, refert exhalaſſe velut fumum, ætheriam ſubſtantiam, D ignemq; vt ipſe vocat, ἄκρατον, purum, impermiſtum. Is igitur erat fragor aquarum, hęc abyſſus tumultuans, vt Hebraicè ſonat Thehom, ſcindebatur ab Opifice Deo, quatiebatur, turbabatur, ætheria ſubſtantia, puriſſimusque ignis ex ea eliciebatur, quemadmodum colliſis nubibus aquoſis, naſcitur purus ignis, terras horrenda in nocte latè colluſtrans. Tale faciebat Verbum ſanctum, gloriaq; diuina apud Mercurium, apud Moſen Spiritus Domini. Et quod Moſes dixit, merachephet, agitabat, quatiebat, mouebatur, operabatur vt opifex, hoc Triſmegiſtus Aegyptiè, eodem fortaſſe verbo, aut Gręcè, cuius linguæ non fuit ignarus, dixit ἐπέβη, ſuperibat, ſuperambulabat. Cur ſuperambulabat? quia videlicet ignem purum, qui de humida natura ſe ſuſtulit in altum, eliciebat, fabricabatur Spiritus ille, eliciens ex aqua puram ſubſtantiam, Solem, lucemque corpoream. Ideo ſubitò adiecit Moſes, factam lucem: Mercurius autem, ignem ἄκρατον, puriſſimum, in altum ſe ſuſtuliſſe. Habes igitur apud vtrunque mirabilem, & conſonum creationis ordinem, quòd ante omnia fuit ſempiternus Deus, lumen æternum, claritas ſempiterna. Poſt ab eo creata eſt terra, ſimul & aqua. Abſente autem luce, tenebrę terrificæ ſuper aquis illis creatis incubabant. Oportebat ergo creare lucem, & cęlum, cęleſteſque lucernas, quibus ſubiectæ terræ illuminantur, & aluntur. Ecce igitur Verbum ſanctum, & Spiritus ille magnus, infinitus, poteſtatis immenſę, mirabilem, inauditumque fragorem ſuper aquis, ac veluti tonitru efficiens extraxit ex eis puriſſimam ęthercam ſubſtantiam: extracta in altum ſublata, & artificioſè compacta, rutilare cępit. Ac ſicut apud Moſen mox poſt lucem, efficitur shamaim, id eſt, aer, extenuatioque illa, quam ipſe vocat ſua lingua Rakia: ſic Triſmegiſtus ait cum illo cęleſti, puro, acuto, efficacique igne, ſecutum eſſe aerem raptatum, extenuatum attractum, ab ipſo igne cœleſti, id eſt, Sole, qui ei contiguus adhæreat. Fuiſſe autem quaſi repetens, anteaquàm hęc fierent, docet terram ſimul, & aquam, commiſtas, confuſas, pòſt ſeparationem eſſe factam. Cernimus hucuſque diuinam, mirabilemque Triſmegiſti Philoſophiam, Creationem cernimus, & modum, atque ordinem mirabiliter Moſi conſentaneè relatum, clariora etiam nonnulla, quàm apud Moſen. Nihil naturalius, verius. Ecce terra, & aqua priores creatę, vt vna mundi conglobatio, vna maſſa, ex aqua facta ſunt omnia cęleſtia, & terreſtria. Cęleſtia mirum in modum conſentientes, nunc vterque ex aqua, videlicet puriſſimum ignem, puriſſimam lucem, defecatioremque ſubſtantiam, vt nubium albentium, & candentium, vt facum, & cometarum per aera volantium. Item aerem ex aqua, cum igne, cœleſtique illa ſubſtantia, ſubſecutum. Creatio duorum principiorum, terrę, & aquę, creatio duarum rerum cęleſtium, ex aqua, ignis ętherij, lucis cœleſtis, Solis, & aeris contigui. Hoc vterque Theologus docuit mirabiliter conformis. Sic Poeta quoque noſter his apud Gręcos antiquos Theologos repertis, cecinit,

Et liquido ſpiſſum ſecreuit ab aere cœlum.

Metam. I. Superius autem dixerat,

Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas. Et,
Ignea conuexi vis, & ſine pondere cœli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Erant enim in eadem creationis maſſa. Moſes primò Spiritum Domini ſuper aquis agitaſſe, ſtatimque lucem accendiſſe, diurnamque feciſſe, extemploque, & ſecunda die aerem. Triſmegiſtus autem ait aerem συνεκολούθησεν, ignem illum efficacem, rapidum, Solarem, aſſecutum. Neque enim aliud ſentit Moſes, nec ſeparat à luce primogenita aerem, quę ſimul creata, ſimul rapuit aerem ex aquis. Quod autem Mercurius Triſmegiſtus, per quem collatum nobis à Deo beneficiũ, ſatis admirari, & collaudare non poſſum, vt quæ tradit obſcurius Moſes ipſe fecerit perſpicua, & nos adiuuerit ad intelligendam Theologiam Moſaicam, hunc ordinem Creationis tradiderit, diuinam, immenſamque poteſtatem creaſſe primum, terram, & aquam, ex aqua luces cęleſtes accendiſſe, atque hoc eſſe quamobrem, & tenebrę eſſent ſuper aquis creatis, non dum reperta luce, & cur Spiritus diuinus ſuper abyſſum mouerit, operatuſq; fuerit, & hanc ſuper abyſſum commotionem, fuiſſe creationem Solis, aut lucis, omniſque ætheriæ ſubſtantiæ: quod Moſes prodidit quidem, ſed obſcurius, cùm ea declarant, quæ eo libro ſcripſit, tũ verò nobiliſſimus ille locus, quem ſuperius adduxi, hic repetam re poſtulante. In libro διεξοδικῶν, ad Tat filium, quem locum citat etiam diuus Cyrillus contra Iulianum Imperatorem, rogatus Triſmegiſtus, vt cauſam

Cur Sol creatus.

doceret modumq;, quo Sol eſſet creatus, & vnde apparuerit, ſic diuinitus reſpondit: ὁ δὲ πάντω κύριος εὐθέως ἐφώνησε, τῷ ἑαυτοῦ ἁγίῳ καὶ νοητῷ, καὶ δημιουργικῷ λόγῳ: ἔστω ἥλιος, καὶ ἅμα τ φάναι, τὸ πῦρ τῆς φύσεως ἀνωφεροῦς ἐχόμενον, λέγω δὴ τὸ ἄκρατον, καὶ φωτεινὸν, καὶ δραστικώτ ρον, καὶ γονιμώτερον ἐπεσπάσατο ἡ φύσις τῷ ἑαυτῆς πνεύματι, καὶ ἤγειρεν εἰς ὕψος ἀπὸ ὕδατος. Quod eſt, Dominator omnium, inquit, ex templo ſancto ſuo mentali, opificoque Verbo incla mauit, Exiſtat Sol, ac ſimul dicto, ignem qui naturę ſublimis, ac leuis eſſet (dico ſcilicet puriſſi mum, ac luminoſiſſimum atq; efficacius, & genitalius) corripuit ſpiritu ſuo Natura, & extulit i altum ex aqua. Hęc ille. Agnoſcis Theologiam Moſaicam? Moſes, Et dixit Deus, Fiat lux. Mer

curius,

A curius, Voce ſua ſancta inclamauit, Sit Sol. Ecce lux illa Moſis, non alia atque ſol. En cauſa quamobrem Spiritus Domini ferebatur, mouebatur ſuper aquas: creabat videlicet Solem, orbemque cæleſtem, & creabat ex aquis. Quidquid puriſſimum, vitaliſſimum, maximeque efficax eſſet, Natura imperiis impulſa Dei, corripuit in altum. En Sol, en orbis cæleſtis. Hoc ſpiritus agebat, hoc moliebatur ſuper aqua, cui ſuperferebatur, Simul enim ſuperferebatur, Simul locutus eſt mẽaliter, vt fieret Sol, eadem molitio, & locutio, Ferebatur, & Loquebatur: Locutus eſt, & Loquendo operatus. Si ſimul dicere Moſes potuiſſet, Ferebatur, Locutus eſt, dixiſſet. Non potuit, eoq; primum ait eum affuiſſe, tum præſentem locutum eſſe. Opera igitur diuina in primordio apud Moſen, & Triſmegiſtum ſunt terra, & aqua, tum lux, id eſt, Sol, puriſſimusq; ſubſtantiarum ætheriarum globus ex aqua. Sequitur apud Moſen eadem opera, eodem tempore à luce cœleſti, aerem, quem ſua lingua vocat, shamaim, effectum, conſecutumq; flammas illas cęleſtes, & purum ignem. Idem relatum eſt à Triſmegiſto. Hoc autem ipſo tempore creata lampade cęleſti, ſolariq; ardore, ſublimiusq; aſſurgente ex aquis aere, neceſſariò terra nudata eſt, ſublatis aquis, inq; aerem extenuatis, quibus premeretur, ſimul ſcilicet factus eſt aer, ſimul aperta terra, & aquæ remanentes in loca caua profundaq; deſcenderunt. Hoc docens Moſes, Et dixit Deus, Congregentur aquę in vnum locum, & appareat arida. Mercurius autem, ſuper quo obſtupeſco, ad Aſclepium, quem fecit Latinum Apuleius, quem locum profert diuus Cyrillus cõtra Iulianum Imperatorẽ: καὶ εἶπε, φησὶν ὁ ὄσιρις, εἶτα ὦ μέγιστε ἀγαθὲ δαίμων, πῶς ὅλη ἡ γῆ ἐφάνη: καὶ εἶπεν ὁ μέγας ἀγαθὸς δαίμων, κατὰ τάξιν καὶ ἀναζήρανσιν, ὡς εἶπον, καὶ τῶν πολλῶν ὑδάτων κελευσθέντων ἀπὸ τοῦ νοῦ εἰς ἑαυτὰ ἀναχωρῆσαι, ἐφάνη ὅλη ἡ γῆ ἔμπηλος, καὶ τρέμουσα, ἡλίου λοιπὸν ἀναλάμψαντος, καὶ ἀδιαλείπτως

B ἀνακάοντος, καὶ ξηραίνοντος, ἡ γῆ ἐστηρίζετο ἐν τοῖς ὕδασιν ἐμπεριεχομένη ὑπὸ τοῦ ὕδατος. Hoc eſt, Et dixit, inquit Oſiris, deinceps ò maxime bone Dæmon, quomodo terra omnis apparuit? & dixit magnus bonus Dæmon, Iuxta ordinem, inquit, & arefactionem, vt dixi. Et quia multitudo aquæ iuſſa eſt à Mente, vt in ſeipſam concederet: Apparuitque tota terra cœnoſa, tremens. Deinceps Sole radiante, & irrequiete comburente, & exiccante, terra ſolidata eſt, in aquis, quam aqua circumplectitur. Hæc ille. Quid diuinius? Quę Moſes neruoſè, paucis, is pluribus verbis, luculenter, apertè, naturaliter, diuinè, vt aliud dici non poſſit, quòd apparuerit terra per ſiccationem Solis, quòd iuſſerit Mens, Sapientia diuina, Opifex Filius Dei congregatas aquas, abire in profundiores terræ partes. Iuſſit, quia exhauſit aquas per Solem, quæ ſuperiores terræ partes premerent, mare profundiores appetiuit. Hoc Dei, hoc Sapientiæ æternę & Mentis opus, Mentis, quæ placuit Anaxagoræ, Platoni, Ariſtoteli, ſapientiſſimis quibuſque. Huc vſque igitur omnia inter Moſen, & Triſmegiſtum conſona. Poſt apertam terram cœnoſam, madidam, trementem, virginem, tenellam, vt teneri infantes, palpitantem, ex hac ipſa à Sole tepefacta, nata docuit animalia Moſes, & diuina benedictione aucta, Triſmegiſtus autem, ὁ δὲ θεὸς εὐθὺς εἶπεν ἁγίῳ λόγῳ, αὐξάνεσθαι ἐν αὐξήσει, καὶ πληθύνεσθαι ἐν πλήθει πάντα τὰ κτίσματα καὶ δημιουργήματα: At Deus, inquit, continuò locutione ſancta, dixit, Augeamini incremento, & multiplicamini in multitudine omnes creaturæ & opera. Sic Mercurius. Sed antè docuerat veram animalium creandorum, naturalemque cauſam, dignam quam cuncti vehementer attendant. Nanque Sol, per quem, non vnum, aut alterum, ſed longè plurima bona Deus efficere ſtatuerat, cuius prudentiſſimum conſilium norat facienda, & quo modo fieri poſſent, habebat exploratum, non ſolum aperuit terras, maximeque ad omnia neceſſarium aerem ſuſtulit, quo ſpatium inter cælum, & terram repleretur: ſed etiam duo fecit alia non minus miranda opera. Firmauit ardoribus ſuis terram, & ex ea adhuc madida, cęnoſa, tremente, tenera, virgine, creauit animantes omne genus. Hoc Moſes quidem dixit, ſed principalem tantum cauſam propoſuit: Mercurius tres cauſas, diuinam voluntatem, ardorem Solis, & aſtrorum, & terram ipſam humentem: Moſes diuinum duntaxat imperium, & terram madidam, pręterito Solis tepore, calore. Triſmegiſtus igitur, ἡ δὲ τούτων περιφορὰ καθὼς θέλει ὁ νοῦς ἐκ τῶν κατωφερῶν στοιχείων ζῶα ἤνεγκε ἄλογα, ἀὴρ δὲ πετεινὰ ἤνεγκε, καὶ τὸ ὕδωρ νηκτά: Horum, inquit, ſeptem aſtrorum conuerſio, vt voluit Mens, ex infimis elementis, animalia produxit. Aer autem protulit volucres, & aqua aquatica. Sic Triſmegiſtus. Euidenter autem Ouidius, vt noſcas hęc non ab vllo noſtrorum conficta, ſed eſſe, vt ſunt, & feruntur, longe vetuſtiſſima, vidit in litteris Græcorum, & vſurpauit, Latiniſque verſibus donauit. Audiſti Mercurium. Ille autem:

Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
Ceſſerunt liquidis habitandæ piſcibus vndæ.

Cum autem fuerint tres cauſę, quę ad animalium primordialem procreationem conuenerint, diuinum Imperium, Sapientiæque voluntas, Solis ardor, madida, ac tenera terra: quartam, quę comitata eſt, & ſine aqua fieri quod factum fuit, non potuiſſet, quæ non cauſa fuit efficiens, ſed finalis, Moſes & Triſmegiſtus pariter inducunt: ſed occultè Moſes, oblata tantum ſapientibus occaſione, vt ſuper eo Philoſopharentur. Triſmegiſtus apertè. Vide igitur quanta fuerit eius, qui cuncta creauit, ſapientia. Molitus eſt terram, altiſſimaſque aquas ei ſuperiniecit. Quo autem conſilio tantam aquarum vaſtitatem condiderit, declarauerunt ſequentia. Nam ſi terra ſine aqua fuiſſet,

Cur ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Loc⁹ Mercurij expreſſiſſimus de creatione mundi.

Nata animalia poſt creatã terram.

Solis bona.

Compara huc Lactãtiana è 2. ca. 5. & 6. & de ira Dei c. 13.

Ouid. 1. Metam.

nitu ingenti, ex aquarum colliſione, edito, refert exhalaſſe velut fumum, ætheriam ſubſtantiam, ignemq́; vt ipſe vocat, ἄκρατον, purum, impermiſtum. Is igitur erat fragor aquarum, hęc abyſſus tumultuans, vt Hebraicè ſonat Thehom, ſcindebatur ab Opifice Deo, quatiebatur, turbabatur, ætheria ſubſtãntia, puriſſimusq́ue ignis ex ea eliciebatur, quemadmodum colliſis nubibus aquoſis, naſcitur purus ignis, terras horrenda in nocte latè colluſtrans. Tale faciebat Verbum ſanctum, gloriaq́; diuina apud Mercurium, apud Moſen Spiritus Domini. Et quod Moſes dixit, merachephet, agitabat, quatiebat, mouebatur, operabatur vt opifex, hoc Triſmegiſtus Aegyptiè, eodem fortaſſe verbo, aut Gręcè, cuius linguæ non fuit ignarus, dixit ἐπίβη, ſuperibat, ſuperambulabat. Cur ſuperambulabat? quia videlicet ignem purum, qui de humida natura ſe ſuſtulit in altum, eliciebat, fabricabatur Spiritus ille, eliciens ex aqua puram ſubſtantiam, Solem, lucemq́ue corpoream. Ideo ſubitò adiecit Moſes, factam lucem: Mercurius autem, ignem ἄκρατον, puriſſimum, in altum ſe ſuſtuliſſe. Habes igitur apud vtrunque mirabilem, & conſonum creationis ordinem, quòd ante omnia fuit ſempiternus Deus, lumen æternum, claritas ſempiterna. Poſt ab eo creata eſt terra, ſimul & aqua. Abſente autem luce, tenebrę terrificæ ſuper aquis illis creatis incubabant. Oportebat ergo creare lucem, & cęlum, cęleſteſq́ue lucernas, quibus ſubiectæ terræ illuminantur, & aluntur. Ecce igitur Verbum ſanctum, & Spiritus ille magnus, infinitus, poteſtatis immenſę, mirabilem, inauditumq́ue fragorem ſuper aquis, ac veluti tonitru efficiens extraxit ex eis puriſſimam ęthercam ſubſtantiam: extracta in altum ſublata, & artificioſè compacta, rutilare cępit. Ac ſicut apud Moſen mox poſt lucem, efficitur shamaim, id eſt, aer, extenuatioq́ue illa, quam ipſe vocat ſua lingua Rakia: ſic Triſmegiſtus ait cum illo cęleſti, puro, acuto, efficacique igne, ſecutum eſſe aerem raptatum, extenuatum attractum, ab ipſo igne cœleſti, id eſt, Sole, qui ei contiguus adhæreat. Fuiſſe autem quaſi repetens, anteaquàm hęc fierent, docet terram ſimul, & aquam, commiſtas, confuſas, pòſt ſeparationem eſſe factam. Cernimus hucuſque diuinam, mirabilemq́ue Triſmegiſti Philoſophiam, Creationem cernimus, & modum, atque ordinem mirabiliter Moſi conſentaneè relatum, clariora etiam nonnulla, quàm apud Moſen. Nihil naturalius, verius. Ecce terra, & aqua priores creatę, vt vna mundi conglobatio, vna maſſa, ex aqua facta ſunt omnia cęleſtia, & terreſtria. Cęleſtia mirum in modum conſentientes, nunc vterque ex aqua, videlicet puriſſimum ignem, puriſſimam lucem, defecatioremq́ue ſubſtantiam, vt nubium albentium, & candentium, vt facum, & cometarum per aera volantium. Item aerem ex aqua, cum igne, cœleſtiq́ue illa ſubſtantia, ſubſecutum. Creatio duorum principiorum, terrę, & aquę, creatio duarum rerum cęleſtium, ex aqua, ignis ętherij, lucis cœleſtis, Solis, & aeris contigui. Hoc vterque Theologus docuit mirabiliter conformis. Sic Poeta quoque noſter his apud Gręcos antiquos Theologos repertis, cecinit,

Creata lux.

Creatus aer.

Terra, & aqua, creatæ.

Et liquido ſpiſſum ſecreuit ab aere cœlum.

Metam. 1. Superius autem dixerat,

Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas. Et,

Ignea conuexi vis, & ſine pondere cœli
Emicuit, ſummaq́ue locum ſibi legit in arce.

Erant enim in eadem creationis maſſa. Moſes primò Spiritum Domini ſuper aquis agitaſſe, ſtatimq́ue lucem accendiſſe, diurnamque feciſſe, extemploq́ue, & ſecunda die aerem. Triſmegiſtus autem ait aerem συνεκολλήθησεν, ignem illum efficacem, rapidum, Solarem, aſſecutum. Neque enim aliud ſentit Moſes, nec ſeparat à luce primogenita aerem, quę ſimul creata, ſimul rapuit aerem ex aquis. Quod autem Mercurius Triſmegiſtus, per quem collatum nobis à Deo beneficiũ, ſatis admirari, & collaudare non poſſum, vt quæ tradit obſcurius Moſes ipſe fecerit perſpicua, & nos adiuuerit ad intelligendam Theologiam Moſaicam, hunc ordinem Creationis tradiderit, diuinam, immenſamq́ue poteſtatem creaſſe primum, terram, & aquam, ex aqua luces cęleſtes accendiſſe, atque hoc eſſe quamobrem, & tenebrę eſſent ſuper aquis creatis, non dum reperta luce, & cur Spiritus diuinus ſuper abyſſum mouerit, operatusq́; fuerit, & hanc ſuper abyſſum commotionem, fuiſſe creationem Solis, aut lucis, omniſq́ue ætheriæ ſubſtantiæ: quod Moſes prodidit quidem, ſed obſcurius, cùm ea declarant, quæ eo libro ſcripſit, tũ verò nobiliſſimus ille locus, quem ſuperius adduxi, hic repetam re poſtulante. In libro διεξοδικῶν, ad Tat filium, quem locum citat etiam diuus Cyrillus contra Iulianum Imperatorem, rogatus Triſmegiſtus, vt cauſam doceret modumq́;, quo Sol eſſet creatus, & vnde apparuerit, ſic diuinitus reſpondit: ὁ δὲ πάντων κύριως εὐθέως ἐφώνησε, τῷ ἑαυτοῦ ἁγίῳ καὶ νοητῷ, καὶ δημιουργικῷ λόγῳ: ἔστω ἥλιος, καὶ ἅμα τῷ φάναι, τὸ πῦρ τῆς φύσεως ἀνωφεροῦς ἐχόμενον, λέγω δὴ τὸ ἄκρατον, καὶ φωτεινὸν, καὶ δραστικώτερον, καὶ γονιμώτερον ἐπεσπάσατο ἡ φύσις τῷ ἑαυτῆς πνεύματι, καὶ ἤγειρεν εἰς ὕψος ἀπὸ ὕδατος. Quod eſt, Dominator omnium, inquit, ex templo ſancto ſuo mentali, opificoque Verbo inclamauit, Exiſtat Sol, ac ſimul dicto, ignem qui naturę ſublimis, ac leuis eſſet (dico ſcilicet puriſſimum, ac luminoſiſſimum atq; efficacius, & genitalius) corripuit ſpiritu ſuo Natura, & extulit in altum ex aqua. Hęc ille. Agnoſcis Theologiam Moſaicam? Moſes, Et dixit Deus, Fiat lux. Mercurius,

Cur Sol creatus.

curius, Voce ſua ſancta inclamauit, Sit Sol. Ecce lux illa Moſis,non alia atque ſol. En cauſa quamobrem Spiritus Domini ferebatur, mouebatur ſuper aquas: creabat videlicet Solem, orbemq́ue cæleſtem, & creabat ex aquis. Quidquid puriſſimum, vitaliſſimum, maximeq́ue efficax eſſet, Natura imperiis impulſa Dei, corripuit in altum. En Sol, en orbis cæleſtis. Hoc ſpiritus agebat, hoc moliebatur ſuper aqua,cui ſuperferebatur,Simul enim ſuperferebatur,Simul locutus eſt mẽtaliter, vt fieret Sol,eadem molitio, & locutio, Ferebatur, & Loquebatur: Locutus eſt, & Loquendo operatus. Si ſimul dicere Moſes potuiſſet, Ferebatur, Locutus eſt, dixiſſet. Non potuit, eoq́; primum ait eum affuiſſe, tum præſentem locutum eſſe. Opera igitur diuina in primordio apud Moſen, & Triſmegiſtum ſunt terra,& aqua,tum lux,id eſt,Sol,puriſſimusq́; ſubſtantiarum ætheriarum globus ex aqua. Sequitur apud Moſen eadem opera,eodem tempore à luce cœleſti, aerem,quem ſua lingua vocat, shamaim,effectum,conſecutumq́; flammas illas cęleſtes,& purum ignem. Idem relatum eſt à Triſmegiſto. Hoc autem ipſo tempore creata lampade cęleſti,ſolariq́; ardore,ſublimiusq́; aſſurgente ex aquis aere, neceſſariò terra nudata eſt, ſublatis aquis, inq́; aerem extenuatis,quibus premeretur, ſimul ſcilicet factus eſt aer,ſimul aperta terra,& aquæ remanentes in loca caua profundaq́; deſcenderunt. Hoc docens Moſes, Et dixit Deus, Congregentur æquę in vnum locum,& appareat arida. Mercurius autem, ſuper quo obſtupeſco, ad Aſclepium, quem fecit Latinum Apuleius, quem locum profert diuus Cyrillus cõtra Iulianum Imperatorẽ: καὶ εἶπε, φησὶν ὁ ὄσιρις, εἶτα ὦ μέγιστε ἀγαθὲ δαίμων, πῶς ὅλη ἡ γῆ ἐφάνη: καὶ εἶπεν ὁ μέγας ἀγαθὸς δαίμων, κατὰ τάξιν καὶ ἀναζήρανσιν, ὡς εἶπον, καὶ τῶν πολλῶν ὑδάτων κελευσθέντων ἀπὸ τοῦ νοῦ εἰς ἑαυτὰ ἀναχωρῆσαι, ἐφάνη ὅλη ἡ γῆ ἔμπηλος, καὶ τρέμουσα, ἡλίου λοιπὸν ἀναλάμψαντος, καὶ ἀδιαλείπτως ἀνακαίοντος, καὶ ξηραίνοντος, ἡ γῆ ἐστηρίζετο ἐν τοῖς ὕδασι ἐμπεριεχομένη ὑπὸ τοῦ ὕδατος. Hoc eſt, Et dixit, inquit Oſiris, deinceps ò maxime bone Dæmon, quomodo terra omnis apparuit? & dixit magnus bonus Dæmon, Iuxta ordinem, inquit, & arefactionem, vt dixi. Et quia multitudo aquæ iuſſa eſt à Mente, vt in ſeipſam concederet: Apparuitq́ue tota terra cœnoſa,tremens. Deinceps Sole radiante, & irrequiete comburente, & exiccante, terra ſolidata eſt, in aquis, quam aqua circumplectitur. Hæc ille. Quid diuinius? Quę Moſes neruoſè, paucis, is pluribus verbis, luculenter, apertè, naturaliter, diuinè, vt aliud dici non poſſit, quòd apparuerit terra per ſiccationem Solis, quòd iuſſerit Mens, Sapientia diuina, Opifex Filius Dei congregatas aquas, abire in profundiores terræ partes. Iuſſit, quia exhauſit aquas per Solem,quæ ſuperiores terræ partes premerent, mare profundiores appetiuit. Hoc Dei, hoc Sapientiæ æternę & Mentis opus,Mentis, quæ placuit Anaxagoræ, Platoni, Ariſtoteli,ſapientiſſimis quibuſque. Huc vſque igitur omnia inter Moſen,& Triſmegiſtum conſona. Poſt apertam terram cœnoſam, madidam, trementem, virginem, tenellam, vt teneri infantes, palpitantem, ex hac ipſa à Sole tepefacta, nata docuit animalia Moſes, & diuina benedictione aucta, Triſmegiſtus autem, ὁ δὲ θεὸς εὐθὺς εἶπεν ἁγίῳ λόγῳ, αὐξάνεσθαι ἐν αὐξήσει, καὶ πληθύνεσθαι ἐν πλήθει πάντα τὰ κτίσματα καὶ δημιουργήματα: At Deus, inquit, continuò locutione ſancta, dixit, Augeamini incremento, & multiplicamini in multitudine omnes creaturæ & opera. Sic Mercurius. Sed antè docuerat veram animalium creandorum, naturalemq́ue cauſam, dignam quam cuncti vehementer attendant. Nanque Sol, per quem, non vnum, aut alterum, ſed longè plurima bona Deus efficere ſtatuerat,cuius prudentiſſimum conſilium norat facienda, & quo modo fieri poſſent,habebat exploratum, non ſolum aperuit terras, maximeq́ue ad omnia neceſſarium aerem ſuſtulit, quo ſpatium inter cælum, & terram repleretur: ſed etiam duo fecit alia non minus miranda opera. Firmauit ardoribus ſuis terram, & ex ea adhuc madida, cęnoſa, tremente, tenera, virgine, creauit animantes omne genus. Hoc Moſes quidem dixit, ſed principalem tantum cauſam propoſuit: Mercurius tres cauſas, diuinam voluntatem, ardorem Solis, & aſtrorum, & terram ipſam humentem: Moſes diuinum duntaxat imperium, & terram madidam, pręterito Solis tepore, calore. Triſmegiſtus igitur, ἡ δὲ τούτων περιφορὰ καθὼς θέλει ὁ νοῦς ἐκ τῶν κατωφερῶν στοιχείων ζῷα ἤνεγκε ἄλογα, ἀὴρ δὲ πετεινὰ ἤνεγκε, καὶ τὸ ὕδωρ νηκτά: Horum, inquit, ſeptem aſtrorum conuerſio, vt voluit Mens, ex infimis elementis, animalia produxit. Aer autem protulit volucres, & aqua aquatica. Sic Triſmegiſtus. Euidenter autem Ouidius, vt noſcas hęc non ab vllo noſtrorum conficta, ſed eſſe, vt ſunt, & feruntur, longe vetuſtiſſima, vidit in litteris Græcorum, & vſurpauit, Latiniſque verſibus donauit. Audiſti Mercurium. Ille autem:

Cur ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Loc⁹ Mercurij expreſſiſſimus de creatione mundi.

Nata animalia poſt creatã terram.

Solis bona. Compara huc Lactãtianã è 2. ca. 5. & 6. & de ira Dei c. 13.

Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
Ceſſerunt liquidis habitandæ piſcibus vndæ.

Ouid. 1. Metam.

Cùm autem fuerint tres cauſę, quę ad animalium primordialem procreationem conuenerint, diuinum Imperium, Sapientiæq́ue voluntas, Solis ardor, madida, ac tenera terra: quartam, quę comitata eſt,& ſine aqua fieri quod factum fuit,non potuiſſet,quæ non cauſa fuit efficiens,ſed finalis,Moſes & Triſmegiſtus pariter inducunt: ſed occultè Moſes,oblata tantum ſapientibus occaſione, vt ſuper eo Philoſopharentur. Triſmegiſtus apertè. Vide igitur quanta fuerit eius, qui cuncta creauit, ſapientia. Molitus eſt terram, altiſſimaſq́ue aquas ei ſuperiniecit. Quo autem conſilio tantam aquarum vaſtitatem condiderit,declarauerunt ſequentia. Nam ſi terra ſine aqua

fuiſſet,

D

fuiſſet, quod fieri quoque non poterat, multa incommoda ſecuta fuiſſent: Ea maximè omnia, quæ ſunt in mari ſabuloſo, vbi nihil aquę eſt. Fuiſſet igitur primum inhabitabilis omnis terra. Sed cętera non proſequor. Ex his igitur aquis, quibus altiſſimè terras Deus operuiſſet, hæc bona ſecuta ſunt, quæ quidem docuere, ſine his Creationē conſtare non potuiſſe, ſapientiamq́; eius clamitant„ qui tantas eas cum terra exoriri feciſſet. Principio ex his facta eſt ætheria ſubſtantia, ſimiliter atque aer, ac nubes, ex aqua accepta, puriſſimeque genita, exinde diffuſus aer: tertio remanſit tellus humida, madida, apta ad generandas fruges, herbas, flores, arbores, & animantes. Agnoſcis quot ex aquis illis bona?

Ratio ſeparationis aquę à terra.

Tres igitur habuit cauſas ingens ille cumulus aquarum, vt fieret ætheria ſubſtantia, vt fieret aer, vt terra madeſceret. Non erant in terra permanſuræ ſemper ingentes aquæ, ne forent eadem incommoda, atque his non creatis. Eleuata igitur ſublimi ſubſtantia, quæ diuiditur in æthera, & aerem, terra madida remanſit ad gignendos animantes, & aperta, vt eſſet habitabilis. Docent igitur Moſes & Mercurius ſeparationem hanc terrę, & aquę fuiſſe, quæ cùm duas cauſas finales habuerit, Moſes nullam quidem aſſignat, ſed vnius oſtendens effectum, docet cur arida diuinis imperiis apparuerit. Triſmegiſtus autem aſſignat cauſam & effectum: Is fuit animalium ortus, declaratque cur aperta ſit terra. Quod tacitè Moſes innuit. Moſes, congregentur aquę in vnum locum, & appareat arida, poſterius autem deſcribit ortum animalium. Triſmegiſtus verò: διεχώρισαι δὲ ἀπ' ἀλλήλων ἥτε γῆ, καὶ τὸ ὕδωρ, καθὼς ἠθέλησεν ὁ νοῦς, καὶ ἐξήνεγκει ἀπ' αὐτῆς, ἃ εἶχε τετράποδα, ἑρπετὰ, θηρία, ἄγρια, καὶ ἥμερα: Separata eſt abinuicem terra & aqua, quemadmodum voluit Mens. Et protulit ex ſeipſa quæ continebat vtero ſuo, quadrupedia, reptilia, feras agreſtes, & cicures. Sic ille.

Hō, creatus vltim⁹. Lact. lib.2. ca.9.

Vltima demum totius operis manus, fuit hominis ſatus, naturaliter & diuinè poſt omnia ſecutus. E De quo eadem ferme locutus eſt Triſmegiſtus atque Moſes, Quòd eum ſimilem ſui condiderit, quòd vti propriam prolem dilexerit, quòd dominatum ſuper omnes animantes ei tradiderit. His verbis: ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ, καὶ φύσις, ἀπεκύησε τὸν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσιν, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου, περικαλλὴς γὰρ ἦν, τὴν τοῦ πατρὸς εἰκόνα ἔχων: ὄντως γὰρ καὶ ὁ θεὸς ἠράσθη τῆς ἰδίας μορφῆς, καὶ αὐτῇ παρέδωκε τὰ ἑαυτοῦ πάντα δημιουργήματα. Quæ ſunt, Omnium autem pater Mens, quòd vita eſſet, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem dilexit vti propriam prolem. Formoſus enim erat, quippe qui patris gereret imaginem. Verè enim Deus propriam formam dilexit, eique ſuas omnes creaturas tradidit. Sic Triſmegiſtus. Moſes autem: Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſęq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra. Sic Moſes. Nec hoc loco ſolum Mercurius, ſed omni etiam opere ſuo, copioſè de mundi, & hominis creatione ſcripſit. Eſt autem liber is, ex quo hæc produximus, qui inſcribitur ab eo, Pęmander, velut Geneſis Moſis, & Timæus Platonis.

Quædam ſunt in Pęmandro Mercurij cū iudicio legenda.

Inque eo ſunt quædam quæ poſſint animum offendere, ſimilia videlicet his, quæ ſcripſit Plato, aliique profani ſcriptores, quos cum delectu, & iudicio legere neceſſe eſt, ſolis ſacris litteris hoc priuilegio pollentibus, quòd vſquequaque ſunt incorruptæ, ſyncerè, purèque veritatem edocent. Hocque argumento cum multis aliis, apparet eſſe hunc Triſmegiſtum, antiquiſſimum illum Aegyptiæ Sapientiæ principem, De quo & Moſe, quidam apud Græcos vehementer eruditus, qui quædam ex Pœmandro interpretatus eſt, arbitratus Triſmegiſtum à Moſe accepiſſe: Claret, inquit, Theologiam Hebræorum toto orbe fuiſſe celeberrimam, ἡ νομοθεσία αὐτῶν ἀρχαιοτέρα ἦν, καὶ ἑρμοῦ τούτου, καὶ εἴτις ἄλλος παρ' ἕλλησι, σοφὸς, πολλοῖς ἀποδέδεικται. Hoc eſt, Legemq; eorum, quòd vetuſtior eſſet, & Mercurio iſto, & omni alio, quiſquis fuit apud Græcos ſapiens, multis eſt probatum, & oſtenſum. Hoc ille ſcribit. Illud eſt clariſſimum argumentum, hunc ante omnes Græciæ Philoſophos floruiſſe, quòd Anaxagoras, Plato, multiq; priſcorum Philoſophorum nomina Philoſophiæ, & res ab eo didicerunt.

Mens, creatrix mūdi.

Nam Mens apud eos celeberrima, creatrix mundi, principium formarum, à Mercurio priore nominata, inductaque fuit: Quam credo eum lingua Aegyptia, Hebraicę finitima vocaſſe Rochma, Sapientiam, in qua, & per quam cuncta creata prædicat Salomon. Ad hæc Chaos, ſiue Hyle, alterum mundi principium, patiens, recipiens, Græcis vſitatum, Mercurij eſt, vt apparet in Aſclepio, & in ſermone ſacro. Idea quoque mundi, Platonis, & Pythagoreorum, Timæi Locrenſis, & multorum, à Mercurio venit: quibus & aliis claret, ſuperiora priſcum illum Triſmegiſtum ſcripſiſſe. Nam totus ferme Timæus Platonis ab eo fluxit,

An verum ſit, Gręcos feciſſe meliora, quæ ab aliis acceperunt.

Fuit autem inanis oſtentatio Græcorum, quę eſt apud Platonem, quòd à Barbaris accepta, Græci fecerunt meliora. Dilatarunt quidem Gręci, eloquentiuſque reſcripſerunt ea, ſed pleriſque prauè intellectis, non pauca ſuperſtitionibus ſuis contaminarunt, vt potius à Barbaris accepta, quia ſanus ſenſus deeſſet, fecerint peiora. Sed venio ad alia, quæ de Creatione ſcripſit Triſmegiſtus. Duoque ſunt diuiniſſima in eodem Pœmandro de Creatione, quemadmodum in Geneſi Moſis teſtimonia: vnum quòd quemadmodum Moſes ſolis verbis, & locutionibus inducit Deum operatum, ſic Mercurius, vbi in calce libri, admiratus opera diuina, in laudes Creatoris os aperuiſſet, eumque ex varijs operibus eius collaudaret, dixit: ἅγιος εἶ, ὁ λόγῳ συστησάμενος τὰ ὄντα: Benedictus es, qui ſolo Verbo cuncta feciſti. Sic Moſes item ad vnamquanque rem teſtatur Deum dixiſſe, vt fieret lux, fieret firmamentum in medio aquarum, terra produceret, fierent luminaria in firmamento cæli. Et noſter diuinus Vates, Verbo Domini cęli firmati

ſunt,

A ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum. Agnoſcis eandem locutionem apud Mercurium. Idem Triſmegiſtus docet, fuiſſe verbum illud mentale, intellectuale, non exterius reſonans, ore, dentibus, lingua formatum. Secundum quod mirabile, &, vt dixi, ab omnibus Philoſophis præcipuè Platonicis vſurpatum, & quo vera mundi declaratur origo, eſt apud eum, quòd omnis rerum inuentio, & omne eſſe, in Deo fuit antè per originem, & formam originaliter, & formaliter, non ipſa rerum corpulentia, ſed efficacia, plenitudine, Idealiter, Diuinitus, Idem ferme, ac ſi dixeris, ignem in ſilice eſſe, per modum ſilicis, non per modum ignis, antequam ſit excuſſus. Et in ſeminibus animalium, per modum ſeminis eſſe animalia, non per modum animalium. In illa igitur infinita ſapientia, originaliter, ac diuinitus, velutque in ſuo fonte, & origine cuncta continebantur. Eoque non eſt factus mundus è nihilo, ſed habuit originem veriſſimam, ortumq; antecedentem, & virtutem, in qua cuncta virtualiter, vt ſic loquar, eſſent congregata. Hocque eſt, Quòd per ipſum omnia facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Aut, quod factum eſt in ipſo vitam fuiſſe. Hoc priſci Philoſophi declarantes, induxerunt mundum archetypum, imaginem mundi ſenſibilis, dicentes hunc mundum ſimulachrum illius æterni perinde ac ad originem, formamque ſuam eum referrent: omnemq; naturam, ſimilitudinem, & quaſi Diuinitatis partum, & prolem aſſeruerunt. Modus autem quo cuncta in illa diuina vbertate tenerentur, non eſt omnino comprehenſibilis, ſed intelligi tantum terrenis exemplis; poſſet. Hoc igitur omne indicans Mercurius, & in principio Pœmandri, induxit ſpeciem illam mundi ἀρχέτυπον προϋπάρχον, quę preeſſet in Aeternitate, ipſaque Diuinitate: & in calce, cum eum benediceret: ἅγιος εἶ, οὗ πᾶσα φύσις εἰκὼν ἐστί: Benedictus es, cuius omnis natura fuit imago. Sicut B autem Moſes in primo capite Geneſeos totam creationem complexus, repetit in ſecundo, nonnullis, quę prius omiſerat, adiectis, ſic Triſmegiſtus, cum in Pœmandro latè de tota generatione rerum inſcripſiſſet, iterum eam repetit in tertio ſermone, quem incripſit, ἱερὸς λόγος. Quo libro mira, prodigioſa, & quę poſſint teſtari eandem ſemper Philoſophiam, notionemque Dei floruiſſe. Hic recognoſces dogmata nominaque Philoſophię Gręcę. Videbis vnde manarit ad Gręcos, νοῦς, Intelligentia creatrix, & Chaos illis celebre. Recognoſces totius Platonicæ Philoſophiæ fontem, de rerum principiis. Iterumque maximi hominis aſſertionem videbis, cœleſte corpus diuinum quidem eſſe, ſed factum tamen ſegregatumque ex aquis, non quintam quandam ſubſtantiam, vt Philoſophis viſum, qui ſubſtantię cœleſtis originem inuenire non potuerunt. Sic verò ſcribit: δόξα πάντων ὁ θεὸς, καὶ θεῖον, καὶ φύσις θεῖα, ἀρχὴ τῶν ὄντων, ὁ θεὸς καὶ νοῦς, καὶ φύσις, καὶ ὕλη, σοφία εἰς δεῖξιν ἁπάντων ὤν: ἀρχὴ τὸ θεῖον καὶ φύσις, καὶ ἐνέργεια, καὶ ἀνάγκη, καὶ τέλος, καὶ ἀνανέωσις: ἦν γὰρ σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ, καὶ ὕδωρ, καὶ πνεῦμα λεπτὸν, νοερὸν, δυνάμει ὄντα ἐν χάει: ἀνείθη δὴ φῶς ἅγιον, καὶ ἐπάγη ὑφ' ἄμμῳ ἐξ ὑγρᾶς οὐσίας στοιχεῖα, καὶ θεοὶ πάντες κατα δικρῶσι φύσεως ἐν σπόρου: ἀδιορίστων δὲ ὄντων ἁπάντων, καὶ ἀκατασκευάστων ἀποδιωρίσθη τὰ ἐλαφρὰ εἰς ὕψος, καὶ τὰ βαρέα ἐθεμελιώθη ἐφ' ὑγρᾷ ἄμμῳ, πυρὶ τῶν ὅλων διορισθέντον, καὶ ἀνακρεμασθέντων πνεύματι ὀχεῖσθαι, καὶ ὤφθη ὁ οὐρανὸς ἐν κύκλοις ἑπτὰ, καὶ θεοὶ, ταῖς ἐν ἄστρων ἰδέαις ὀπτανόμενοι σὺν τοῖς αὐτῶν σημείοις ἅπασι, καὶ διωθρώθη σὺν τοῖς ἐν αὐτῇ θεοῖς, καὶ περιελήγη τὸ περικύκλιον, ἀέρι κυκλίῳ δρόμητι πνεύματι θείῳ ὀχούμενον: ἀνῆκε δὲ ἕκαστος θεὸς διὰ τῆς ἰδίας δυνάμεως τὸ προσαχθὲν αὐτῷ, καὶ ἐγένετο θηρία τετράποδα, καὶ ἑρπετὰ, καὶ ἔνυγρα, καὶ πτηνὰ, καὶ πᾶσα σπορὰ ἔνσπορος, καὶ χόρτος καὶ ἄνθη παντὸς χλόη, τὰ σπέρματα τῆς παλιγγενεσίας ἐν αὐτοῖς ἐσπερμολόγουν τάς τε γενέσεις τῶν ἀνθρώπων εἰς ἔργων θείων γνῶσιν. Quę ſunt, Gloria omnium Deus, & Diuinitas, & Mens Natura. Diuinum principium rerum Deus & Mens, & Natura, materia, Sapientia ad declarationem omnium exiſtens, principium Diuinitas, Natura, & efficacia, ſiue operatio, & neceſſitas, & finis, & renouatio. Erāt enim tenebræ infinitę in abyſſo, & aqua, & ſpiritus tenuis, intelligibilis, diuina virtute exiſtentia in Chao. Sublata igitur eſt ſancta lux, & congelata ſunt, ac firmata elementa inferius, ex humida ſubſtantia. Et Dij omnes amplectūtur, adamantq; Naturam ſeminalē. Cumq; omnia eſſent indirempta, & incompoſita, ſeparata ſunt leuia in altum, grauia in imum, in arena humida, diuiſis omnibus per ignem, & appenſis ſpiritu, vt vehantur. Et apparuit cęlum in circulis ſeptem, & Dij aſpectibus aſtrorum apparentes, cum ſuis omnibus ſignis. Et diſtinctus eſt cum Diis, qui in ipſa ſunt, & circumſcriptus eſt ambitus, aere circulari vago, ſpiritu diuino vectus. Protulitque vnuſquiſque Deus, per propriam virtutem, quod imperatum fuit ei, nataque animalia quadrupedia, reptilia, aquatica, volucria. Omniſque ſatus ſeminalis. Et fęnum, & flores, omniſq; herba, ſemina regenerationis in ſeipſis continuerunt, & generationes hominum ad cognitionem operum diuinorum. Hęc & id genus alia Triſmegiſtus, in quibus clara eſt creatio, totiuſq; mundanę generationis ordo. Primumq; ipſa principia memorat, quod Plato in Timæo, Moſes noſter compendioſè, principium nobiliſſimum, glorioſiſſimum, immenſa gloria, qua glorificatus ipſe fuit antequam mundus fieret. Idem gloria rerum omnium Deus, & Diuinitas diuinum principium, Deus & Mens, Sapientia, efficacia, vel energia, operatio ſcilicet diuina. Parte alia idem Natura, materia, neceſſitas, finis, renouatio, adde in his ipſam, ſi vis, energiam. Vides igitur hic principium mundi, quod Theologia noſtra clarius expoſuit, Mentem, Sapientiam. Hæc illa Intelligentia, hæc Sapientia, per quam facta ſunt omnia, per quam Dominus fundauit terram, cœlos ſtabiliuit.

Hæc

Pſal. 32.

Ignis in ſilice, & animalia in ſeminibus quomodo.

Ioan: 1.

Mundus archetyp*, imago ſenſibilis mūdi.

Vnde νοῦς, & Chaos.

Creatio, & ordo rerū

Dei nomina varia.

Chaos, & Hyle, mũdus informis.

Gen. 1.

Initio Metamorph.

Hæc item energia, ob quam Plato de Generatione ſcribens, induxit δημιουργόν, Opificem qui eã operationem efficeret. Renouatio autem, & finis fuit, quòd ex incompoſito principio facta ſunt omnia, formiſq; diſtincta, munduſq; melior inductus. Quod quomodo factum fuerit, declarat, ſicut declarauit & Moſes. Creatio autem ſpectat mundum inchoantem, informem, incompoſitum, exinde mundum meliorem, qualis nunc eſt, mundum verum. Vtrunq; mundum Deus creauit. Prior vocatur Chaos, Hyle: ipſe autem verus mundus, renouatio, Natura. Primus fuit ceu rude principium, vilis maſſa ſecundi, perinde ac creta, venuſtiſſimi paulo poſt futuri vaſis. Vtrũque Moſes, In principio creauit Deus cęlum, & terram. Triſmegiſtus docuit eum Verbo cuncta feciſſe. Creatio ſecundi mundi incipit apud Moſen quidem, vbi ait, Et tenebrę erant ſuper faciẽ abyſſi, & Spiritus Dñi ferebatur ſuper aquas. Nam quod dixit antea, Terra erat inanis, & vacua, vt in Coſmopęia fuit expoſitum, declarat, Terram fuiſſe nihil, fuiſſe inane, vacuũ, factam è nihilo. Vbi verò inducit, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: Iam innuit terrã & aquas creatas. Igitur etiam apud Triſmegiſtum præuertitur, terrã & aquam creatam, cùm ait, Erant enim tenebræ in ipſa abyſſo. Hic itaq; incipit ei ſecundus mũdus. Igitur & Ouidius quę legerat apud Græcos, canens poeticè, duplicem hunc mundũ celebrauit, exordiens à fundamento, & materia ſecundi:

> *Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cælum,*
> *Vnus erat toto Naturæ vultus in orbe,*
> *Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtaque moles,*
> *Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem,*
> *Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.*

Tenebræ ſuper faciẽ abyſſi, q.d.

Chaos q.d.

Chaos, nõ erat elemẽtorũ oĩum confuſio.

Hucuſq; primus mundus, informis, indigeſtus, incompoſitus, vt dixere Septuaginta apud Grę cos, ſacrarum litterarum interpretes, & Triſmegiſtus hoc loco: Creatus eſt igitur primus & ſecũdus à Deo, euidentiſſimeq; Moſes, & Triſmegiſtus id ſcripſerunt. Hic philoſophi, qui materiam putarunt æternam, & à veritate longius abierunt, & veteris Thologię mentem praua interpretatione obfuſcarunt. Aſpicis igitur, vt Moſe dicente, Et tenebrę erant ſuper faciem abyſſi, quod Hebraicè hoc ſibi vult, horrorem teterrimum, lucis abſentiam, iam aquis, cum terra (quia terra ſolum aquarum) creatis incubuiſſe latè? Etiam ſuper faciem terrę tenebrę erant, quia terris incũbebant aquę, & ab aquis operiebatur terra. Mercurius etiam ait: σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ: Tenebræ immenſurabiles, infinitę in abyſſo. Vtq; duo ſunt aquarum nomina apud Moſen: primum cùm ait, Et tenebrę erant ſuper faciem abyſſi: ſecundum ipſum aquarum nomen, Et Spiritus Dñi ferebatur ſuper aquas: Sic apud Triſmegiſtum, primum nominatur abyſſus, exinde ὕδωρ, aqua, quę dicitur in abyſſo, ipſaq; abyſſus fuiſſe. Quemadmodum item Moſes poſt abyſſum, nominat Spiritum, qui non poteſt iuxta quorundam Hebræorum ineptiam eſſe ventus, ſed verus Dei Spiritus, id eſt, quam alijs nominibus vocat Mercurius νοῦν, σοφίαν, λόγον, Mentem, Sapientiam, Verbum: Sic idem Triſmegiſtus πνεῦμα λεπτὸν, νοερὸν, Spiritus tenuis, intelligibilis, videlicet νοῦς νοερὸν. Vt Moſes item ait animum hunc ingentem, omnipotentem, ſolertiſſimumq; ſpiritum, fuiſſe ſuper aquis: paulò autem prius tradiderat, quòd etiam tenebrę erant ſuper abyſſo: Sed tenebrę erant, ſpiritus merachephet, id eſt, mouebat, agitabat, motum Opificis agebat: Hebræiq; exponũt merachephet, alio illuſtriore verbo, יתנועע ithnonegag, mouebatur, à Græcis antiquiſſimis, motus is creditus eſt & dictus διάκρισις, diuiſio, diremptio, ſic Mercurius dicit hęc in Chao fuiſſe, videlicet aquam tenebras, ſpiritum: Sed tenebræ velut priuatio lucis, ſpiritus velut opifex, aqua vt ipſa abyſſus. Hęc ait in Chao fuiſſe, appellans Chaos, ipſam terrę, & aquæ indigeſtam, incompoſitamque congeriem, cui & aquæ inerant & tenebræ: Spiritus autem, vt Sapiens Opifex ſuperextabat moliens orbes. Hucuſq; Hebraica, Aegyptia, Latinaq; Theologia, diuinè congruunt. Nam Ouidius, à qua pręclari operis ſui auſpicatus eſt initium, Theologiam ſine dubio ab hiſce Mercurij libris, quippe qui tempore quoque Platonis iam ad Græcos perueuiſſent, edidicit. Habuitq; à Mercurio totam illam creati mundi deſcriptionem. Quod clariſſimum cum alijs multis eſt vetuſtatis horum librorum argumentum. Chaos igitur non erat omnium elementorum confuſio, nec pugnabant illic elementa: ſed duo tantum miſta erant elementa, terra, & aqua, ſic ab Opifice creata, paulò pòſt dirimenda, omnium rerum terreſtrium ac cęleſtium primordia: Terreſtrium terra, humore temperata, mollefacta: Cęleſtium aqua, puriſſimè, & quadam diuina operatione, in ætheriam, aeriamq; ſubſtantiam extenuata. Sicq; erant illic non pugnantia, non nata, ſed in ſua origine reliqua duo elementa ignis, & aer, Ignis inquam ætherius. Nam ignis terreſtri naturaliter ineſt omni corpori, nec ſolitarium eſt elementum. Ineſt, etiam aquæ, quæ ſuis ſæp motibus incaleſcũt. Vt igitur inerat aquis illis primordialibus virtute & facultate ætherius ignis, ſic ineſt aquis, & terræ, omnibuſque corporibus, ſuus. Erant igitur duo elementa. Sed his ita ad miſta, congenita & conglobata, vt ſunt nunc ſemper, altera duo, ignis & aer. Satis igitur ſuperque erat duo creare, è quibus altera duo ſeligerentur, atq; elicerentur viciſſim, diuino ordine. N aqua fuit cęleſtis ignis origo, ſic ignis cęleſtis, pater, ac genitor aerię tenuitatis, atque exilitatis. Sicq; aquę creatio, duo ſecum elementa traxit, cęleſtem ignem, & aerem. Reliquus, qui in corporibus

ribus eſt, non verus ignis, ſed miſtus; magiſque corpus igneum, quàm ignis: in corporibus ceu pars eorum remanſit, puriſſimus in altum ſublatus eſt. Triplex igitur fuit, & triplex a Moſe, & Triſmegiſto, ex ſacra reuelatione deſcribitur ortus. Primus eſt è nihilo, terræ, & aquæ. Secundus duorum aliorum ex his elementorum, ignis cęleſtis, & aeris. Tertius rerum ex his omnibus: ex terra & aqua vt ſubſtantia: ex igni cœleſti, & aere, altero vt patre gignente, altero vt matre nutriente, alente, multaque alia bona præſtante. Hæcque omnia bona vt ordine diuino creata, ſic mirabili deſcripta, alteris ex alteris mirabiliter naſcentibus. Cum aqua igitur tria ſunt elementa creata, ipſa aqua, puriſſimus ętherius ignis, & aer, qui latebat in aqua. Hæc docuere diuinitus Moſes & Mercurius. Prior quòd vbi dixiſſet Spiritum Domini ſeſe agitaſſe ſuper aquis: quis agitatus, quæ molitio ſpiritus eſſet ſuper aquis, ex aquis, docuit ſtatim, cùm Deus dicit, Fiat lux: Aetheria ſcilicet, ſolaris, pura, nitida. Mercurius autem ἀνείθη δὴ φῶς ἅγιον, Sublata eſt, eleuata, aſcendit lux ſancta. Ea igitur fuit eleuatio, quòd ex aquis purus, albeſcens aſcendit diuino impetu ad regiones ſupernas ignis. Lucem autem ſanctam vocat, vt videre eſt toto opere, cęleſtem & ſanctam: quòd, vt apparet vbique, & quod Plato, Ariſtotelesque, omnesq; item Platonici ſecuti ſunt, cęleſtia lumina Deos, Deosque ſeptem eodem libro ſeptem Planetas appellat. Hæc igitur lux ſancta ſupernas regiones pura, nitens, appetiuit, ſelecta mirabiliter ex aquis a Deo. Hoc clarius explicans adiecit: ἀδιορίστων δὲ ὄντων ἁπάντων, καὶ ἀκατασκευάστων ἀποδιωρίσθη τὰ ἐλαφρὰ εἰς ὕψος. Quod eſt: Cùm omnia eſſent indiſtincta, indiſiuncta, & incompoſita, ſegregata ſunt leuia in altum. Hoc Moſes non tam multis verbis explicuit, ſed breuitatis ſtudioſus, ipſam duntaxat rem factam indicans, quomodo facta ſit, vno tantum nutu demonſtrauit, ꝙ Spiritus Domini mouebat, operabaturque ſuper aquis. Et Salomon cum Iob, teſtantur eum ſuper aquis cęleſtem orbem extendiſſe. Cernis etiam, vt loquitur, quemadmodum Græcè eſt in Geneſi, Terra erat inanis, & vacua, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, inuiſibilis, incompoſita: omnia enim incompoſita, nondum elementis ſeparatis. Deus autem ſeparauit ętheriam ſubſtantiam, præcipuè Solem, is ſeparauit aerem. Elementa igitur denſiora, grandia docet remanſiſſe, terram & aquam lutulentam. Hæc omnia cùm legiſſet Ouidius apud Græcos, ad verbum expreſſit:

Ignis elementaris & mixtus

Lux ſancta & cęleſtis.

Oui. ibid.

Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cœlum.
Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæque Deorum.

Triſmegiſtus enim prior, hos Deos dixerat: καὶ θεοὶ πάντες καταδιερῶσι φύσεως ἐν σπόρᾳ: & omnes Dij amant naturam ſeminalem. Paulò inferius: καὶ ὤφθη ὁ οὐρανὸς ἐν κύκλοις ἑπτὰ, καὶ θεοὶ ταῖς ἐν ἄστρων ἰδέαις ὀπτανόμενοι. Quod eſt, Et cęlum, inquit, apparuit in circulis ſeptem, & Dij in formis aſtrorum conſpecti. Vides formas Deorum apud vtrunque? Vt autem Ouidius canit de terra ponderibus librata ſuis, Et preſſa eſt grauitate ſui: Sic Triſmegiſtus, καὶ τὰ βαρέα ἐθεμελιώθη ἐφ' ὑγρᾷ ἄμμῳ πυρὶ τῶν ὅλων διωρισθέντων. Hoc eſt, Et grauia fundata ſunt ſuper humidam àrenam, igni cunctis ſeparatis. Quæſo igitur, inſpice & obſerua, vnde nati ſunt Dij quorundam philoſophorum, ſydera: ex aqua videlicet. Quanquam ergo Mercurius Deos eos dixerit, factos tamen & ortos in tempore aſſeruit: ortos autem ex aqua. Habeſque quo in loco habuerint aſtra. Vt autem Moſes ſecunda die creat aerem, innuitur autem per lucis ardorem effectum: ſic Triſmegiſtus, illo igni cęleſti, flammiſque ſupernis, aſſerit factam ſuperioris, ac inferioris aquæ diuiſionem: & ſublato ſupra mare & terras aere, alteram diuiſionem, ac quaſi ſelectionem effectam. Docet igitur leuia ſuperiores locos appetiſſe, grauia in terra, vt in fundamento remanſiſſe: πυρὶ τῶν ὅλων διωρισθέντων, καὶ ἀνακρεμασθέντων πνεύματι ὀχεῖσθαι: Igni, cunctis ſegregatis, & ſuſpenſis, vt vento ferrentur. Poſt lucem creatam, vitales eius flammas, aquis & terris inuectas, aquas quidem in aera reſoluiſſe, poſt eas abactas, ac diſſolutas, eodem ardore grauidaſſe, ac tum effeciſſe terram, & ex eius vtero plantas, animaliaque extraxiſſe, tacitè perhibuit Moſes, proponens ſuum rerum creatarum ordinem, & effectas res memorans, prius cauſis memoratis, vt hoc quod diximus, facilè intelligeremus. Triſmegiſtus autem planè, & clarè declarat ſydera cęleſtia, quæ Deos vocat, ad imperium ſibi datum, protuliſſe feras, quadrupedia, ſerpentes, aquaticos, & volucria, & quod anteceſſerat, fœnum, herbam, fruges: ἀνῆκε δὲ ἕκαστος θεὸς διὰ τῆς ἰδίας δυνάμεως τὸ προσταχθὲν αὐτῷ· καὶ ἐγένετο θηρία τετράποδα, καὶ ἑρπετὰ, καὶ ἔνυδρα, καὶ πτηνὰ, καὶ πᾶσα σπορὰ ἔνσπορος, καὶ χόρτος, καὶ ἄνθη πάσης χλόης. Ex quibus apparet ſtellas fuiſſe antequam herbiferæ coorirentur vbertates. Quemadmodum item Moſes docuit imperatum a Deo, vt terra non modò virores omnes produceret, verum etiam eos produceret, vt ſemen continerent, ad ſimilem ſui propagationem, ſtirpiſque perennitatem: ſic Triſmegiſtus, τὰ σπέρματα τῆς παλιγγενεσίας ἐν αὐτοῖς ἐσπερμολόγουν: Semina regenerationis in ipſis ſeminarunt. Moſes autẽ, Lignumq; faciens ſemen iuxta genus ſuum. Quibus omnibus apparet denuo Creationis repetitus ordo eadem ratione, atque tenore, quo ſcripſit Moſes, & quo nullũ in omni natura videre poteſt animus meliorem, congruentiorem. Apparet item quoniam Latini, & Græci ſcripta Triſmegiſti hæc ſecuti ſunt (Nam tota generatio mundi apud Ouidium ex hiſce libris ſumpta eſt) apud Græcos item & Heſiodus, & Orpheus, vt docebo, exinde Philoſophi fermè omnes ante Ariſtotelem,

Aer vnde.

Stellę ante herbas.

Vnde principiũ ſumptum ſit, Metamor. Ouid ij.

verba & res iſtius libri decerpta, libris ſuis inſeruerunt, hunc autorẽ & antiquiſſimum eſſe, & ſummæ apud omnes mortales autoritatis, cuius Theologiam amplexi ſint, & comprobauerint omnes Græci, vt hinc facilè poſſit intelligi, quantus error, quàm inaudita fuerit temeritas Simplicij, qui Theologiam Aegyptiorum, quã maiores ſui ſumma veneratione coluiſſent, tã turpiter appellarit fabuloſam. Sed alia proſequamur ex Triſmegiſto, de Creatione, vt fiat iuniorũ Philoſophorum clarior inſolentia, qui ſibi ſapientiæ laudem ex inuentione nouarũ rerum optantes, quæ maiores ſui, a quibus genus, mores, ſermonem, vrbes, domos, omniaq; bona ipſi habuiſſent, ſtulta temeritate, grauiſſimã eorũ autoritatẽ in aſſertione creati mundi, reiicientes, ſequi noluerunt, ſed pauci omnino. In libro, qui dicitur κρατὴρ: quod nomẽ videtur in Timęo ſuo Plato ſecutus: Nã quemadmodũ & Plato de illo ſuo Cratere, ſic is loquitur: κρατῆρα μὲν γὰρ πληρώσας τούτου, κατέπεμψε δοὺς κήρυκα: Quod arbitrij Gratera repletũ demiſerit adhibito pręcone. Mirabiliter fatetur omnia Deũ nõ manibus, ſed verbo ſolo feciſſe, qualis eſt Theologia Moſaica, ſic librũ exordiens: ἐπειδὴ τὸν πάντα κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιουργὸς οὐ χερσὶν, ἀλλὰ λόγῳ. Id eſt, Poſteaquã mundum oẽm creauit Deus Opifex, non manibus, ſed verbo. Progreſſus inde proſequitur, euidẽtiſſima pectoris ſui, ſuæq; ętatis, ſuperiorumq; ſæculorũ vſque ad diluuium, primoſq; Aegyptię gentis progenitores ſenſa. Atque quaſi proſpiciens recentiorũ Philoſophorum impietatẽ, hortatus eſt filium Tat, vbi de homine creato diſſeruiſſet, in hũc modũ: μὴ δήποτε ὦ τέκνον Τὰτ ἀποστερήσῃς τοῦ δημιουργοῦ τὰ δημιουργήματα. Videlicet, Nunquã ò fili Tat, priues opificia ſuo opifice. Illi igitur planè ſeparãt creaturas a creatore, qui mundum nunquam a Deo creatum contendunt, priuantes opifice opificia, ſeiungenteſq; alterũ ab altero. Illud verò præclarum eſt quoque teſtimonium, ſimillimumq; dictis Prophetarũ, quorũ indefeſſè voces canũt, terminos eũ mari poſuiſſe, terram ſuis columnis, ſtabiliq; mole, vt in ęternũ moueri nequeat, firmaſſe. Quis, inquit, qui ὁ τῆς θαλάσσης τοὺς ὅρους περιβαλών: τίς ὁ τὴν γῆν ἑδράσας: ἔστι γάρ τις ὦ Τὰτ, τούτων πάντων ποιητὴς καὶ δεσπότης: Terminis, ac definitionibus mare circunſcripſerit? Quis terrã firmauerit, ac ſtabilierit? Eſt enim aliquis ò Tat, horum omnium Creator & Dñs. In his confirmatur Creatio mundi, & Prouidentia, vt nihil ſit in omni mundo, quod non habeat ęternæ Prouidentiæ rationem. Sic & Dauid cecinit de mari: Terminum poſuiſti eis, quem non tranſgredientur, nec conuertentur operire terram. Et Iob, vt ab eo penè Mercurius videatur accepiſſe: Indica mihi, Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi; Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Mercurius item in eo qui inſcribitur. Quod Deus inuiſibilis, fit ex operibus manifeſtus, inquit, ἀρχὴ δὲ καὶ περιοχὴ καὶ σύστασις ἁπάντων ὁ θεός: Principiũ, complexus, cõſiſtentia omnium rerũ, Deus. Sic quoque in eo, quem de Bono inſcripſit, materiam mundi, quæ in illa defecatione, ſelectioneq; rerum, ſubſediſſet, ab opifice Deo dicit corpulentam effectam, conſolidatamque in orbicularem formam. Quale Ouidius de eodem Opifice:

Iuniorum Philoſophorum inſolentia.

Deus, verbo, nõ manibus mũdum creauit.

Iob 38.

Deus inuiſibilis, ex operibus manifeſt⁹.

Ouid. ibi.

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbem.

Triſmegiſtus autem: καὶ ὅσον ἦν τῆς ὕλης ὑποκείμενον τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ τὸ πᾶν ὁ πατὴρ σωματοποιήσας, καὶ ὀγκώσας ἐποίησε σφαιροειδές: Et quantum, inquit, materiæ ſubſidens eſſet, id omne verbo ſuo corpulentum efficiens, & in tumorem ducens, orbiculare fecit. Quis non videat Ouidium, vt reliqua omnia, de mundi ortu, ſic item de ſpecie terræ, hinc didiciſſe? Illo etiam elogio Mercurius mundum prodidit creatum, quòd ſolitus eſt multis in locis Patrem vocare Deum, ipſum mundanum opificium, partum eius. Quid quòd in eo libro, quem inſcribit Mens ad Mercurium, contra eum qui contendat Deum inuiſibilem, immo verò maximè viſibilem aſſerit, ex operibus, quibus creandis idcirco incubuerit, vt maieſtas eius clara fieret? ἀόρατος ὁ θεός, εὐφήμησον: καὶ τίς αὐτοῦ φανερώτερος: διὰ τοῦτο πάντα ἐποίησε, ἵνα διὰ πάντων, αὐτὸν βλέπῃς. Inuiſibilis, inquit, eſt Deus? Bona verba quæſo. Et quis eſt eo illuſtrior? Ob hanc vnam cauſam, cuncta creauit, vt in omnibus rebus eum cerneres. Hæc Bonitas Dei, hæc eius virtus, videri, apparereq; eũ per omnia. Sic ille. In eo quoque qui dicitur Hymnodia, cùm precaretur omnia, vt ſilentium agerent, ſic dixit: μέλλω γὰρ ὑμνεῖν τὸν κτίσαντα τὰ πάντα τὸν πήξαντα τὴν γῆν, καὶ οὐρανὸν κρεμάσαντα καὶ ἐπιτάξαντα ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ τὸ γλυκὺ ὕδωρ εἰς τὴν καὶ οἰκουμένην, ἀοίκητον ὑπάρχειν εἰς τὴν διατροφὴν τὸν ἐπιτάξαντα πῦρ φανῆναι εἰς πᾶσαν πρᾶξιν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις. Quæ ſunt, Laudaturus enim ſum qui creauit omnia, qui terram firmauit, ac fixit: Qui iuſſit aquam dulcem ex Oceano in vniuerſum terrarũ orbẽ, ſiue qui habitatur, ſiue qui non habitatur exiſtere, ad alimentũ: Qui iuſſit ignẽ apparere ad oẽs operationes, Diis & hominibus. Hucuſque ille. Oſtenſum quoq; ſuperius, locũ illum nobilẽ in Republica Platonis, quo quaſi pictor naturalis dicitur Deus, potens oĩa facere, quàm pictor effingere, ſumptũ eſſe ex Mercurio, qui ad Aſclepiũ ſcribẽs: εἶτα τῷ μὲν αὐτῷ ζωγράφῳ ἔξεστι καὶ οὐρανὸν ποιῆσαι καὶ θεοὺς καὶ γῆν καὶ θάλασσαν καὶ ἀνθρώπους καὶ τὰ ἄλογα καὶ τὰ ἄψυχα: τῷ δὲ θεῷ ἀδύνατον ταῦτα ποιεῖν: ὢ τῆς πολλῆς ἀγνοίας καὶ ἀγνωσίας τῆς περὶ τὸν θεόν. Quę ſunt. At pictori, inquit, licebit & cœlum facere, & Deos, & terram, & mare, & homines, brutaq;, & exanima: Deo autem impoſſibile erit hæc facere? ò ſingularem inſcitiam, & imperitiam erga Deum.

De⁹, quomodo viſibilis.

Hęc & alia multa ſcripſit de Creatione vetuſtiſſimus Theologus Triſmegiſtus, cuius, vt dixi, Theologia fuit maximè in cauſa, vt vetuſtiores Gręci, de rerum primordio loquerentur. Cuius libros hoſce cum primis legiſſe Platonem, dogmata eius in Timæo ex his deſumpta, teſtantur. Quorum quædam ad exemplum nunc recognoſcam. Principio quam creandi mũdi cauſam Plato poſuit, amplexusq́; maximè eſt, ꝙ diuina Bonitas, in quam non modò inuidia cadere non poſſit, ſed quæ cupidiſſima ſit benefaciendi, Mercurij fuit prioris, cuius extat liber de Bonitate Dei, hocq́; vnum verum eſſe eius ſoliq; ei congruens, cæteris incommunicabile nomen teſtatur. Totumq́; de Bonitate apud Platonicos dogma, Triſmegiſti fuit. Verba Platonis ſunt, Dicamus, inquit, ob quam cauſam conſtitutus eſt iſte mundus, ab eo, qui eum conſtituit: ἀγαθος ἦν. Bonus erat videlicet. Mercurius autem in Cratere: ἀγαθὸς ὢν μόνῳ γὰρ τούτω ἀνατέθεικεν, ἠθέλησε καὶ τὴν γῆν κοσμῆσαι. Quod eſt, Cùm eſſet bonus, hoc enim vnũ in eo excellit, voluit terram ornare. Secundũ dogma de Cratere, vt ſuperius monſtratum eſt in Timæo Platonis, quem mundanus opifex impleuit animorũ, & de quo Plato: ἐν ᾧ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμισγε: In quo miſcens animã vniuerſalẽ, temperabat: fuit etiam Triſmegiſti, cuius eſt liber inſcriptus Crater, quaſi temperatio, in quo ſic loquitur: ἠθέλησεν ὦ τέκνον τοῦτον ἐν μέσῳ ταῖς ψυχαῖς ὥσπερ ἆθλον ἱδρῦσθαι καὶ αὐτὸν ἱδρύσατο: κρατῆρα μὲν γὰρ πληρώσας τοῦτον κατέπεμψε δοὺς κήρυκα: καὶ ἐκέλευσεν αὐτῷ, ταῖς τῶν ἀνθρώπων καρδίαις τάδε βάπτισον σεαυτὴν ἡ δυναμένη, εἰς τοῦτον τὸν κρατῆρα ἡ πιστεύουσα ὅτι ἀνελεύσι πρὸς τὸν καταπέμψαντα τὸν κρατῆρα. Quæ ſunt, Voluit ô fili, hoc in mediũ quaſi certamẽ animis ponere. Ipſumq́; cratera ſtatuit plenum, demiſitq́; adhibito præcone, iuſſitq́; ex eo cordibus humanis talia: Tinge, immerge te ipſum, qui potes, in hunc Cratera, qui credis, ꝙ reuerteris ad eum qui demiſit cratera. Sic ille. Acceptus eſt igitur hinc Crater ille Platonicus, plenus & ipſe animarum, ſicut iſte Mercurij plenus mentis, ſapientiæ, ad quem per præconem opifex Deus omnes animas inuitarit, vt quę ſe immerſerit, accepta ſapientia, reuolet ad ſuperos. Similia dicuntur in Timæo, vt videre potes. Quin etiã illa ipſa anima Vniuerſi, quam in illo cratere miſcet Plato, a Mercurio ſumpta ad verbum eſt, cuius ad Aſclepium hæc verba ſunt: οὐκ ἤκουσας ἐν τοῖς γένεσιν, ὅτι ἀπὸ μιᾶς ψυχῆς, τῆς τοῦ παντὸς πᾶσαι αἱ ψυχαὶ εἰσὶ: Nõne audiſti in generibus, ꝙ ab vna anima Vniuerſi, oẽs animæ exiſtunt? Hæc ille. Dogma quoque de mundano Opifice, & hoc ipſum nomen δημιουργὸς, quod eſt in Timeo Platonis creberrimum, venit a Mercurio, quod vt clarum relinquo. Præterea quæ Plato in principio Timæi de vehiculis animæ diſſeruit, manarunt a Triſmegiſto. Verba Platonis ſunt, νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐν σώματι συνιστὰς, τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο: Mentẽ verò adeſſe cuiquam ſine anima, non licet. Quam ob cauſam, mente quidẽ in anima, anima in corpore incluſa, vniuerſum cõpaginauit. Hæc Plato. Triſmegiſtus autẽ in eo qui inſcribitur κλεὶς Clauis: ψυχὴ δὲ ἀνθρώπου ὀχεῖται τὸν τρόπον τοῦτον, ὁ νοῦς ἐν τῷ λόγῳ, ὁ λόγος ἐν τῇ ψυχῇ ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι τὸ πνεῦμα διήκει διὰ φεβλῶν καὶ ἀρτηριῶν, καὶ αἵματος καὶ κινεῖ τὸ ζῶον καὶ ὥσπερ τρόπον τινὰ βαστάζει. Quæ ſunt, Anima autem hominis vehitur hoc modo, Mens in ratione, ratio in anima, anima in corpore: Spiritus autem tranſit per venas, & arterias, & ſanguinem, & mouet animal, & quaſi portat. Eſt itẽ apud Plotinum, cæteroſq́; Platonicos, aliud vehiculum igneum, quo animus indutus, circumambulet mundum & cęlum. Eſt autem hoc vehiculũ, veſtis illa nectarea corporum glorificatorum, Quando fulgebunt iuſti ſicut Sol in cõſpectu Dei. De eo ſcripſit eodem libro Triſmegiſtus: ὁ δὲ νοῦς καθαρὸς γενόμενος τῶν ἐνδυμάτων θεῖος ὢν φύσει σώματος πυρίνου λαβόμενος περιπολεῖ πάντα τόπον. Quorum eſt Latinè ſenſus: Mens effecta pura, ex indumentis diuina exiſtens natura, igneo corpore aſſumpto ambulat omnem locum. Locutus etiam Triſmegiſtus prior, ad eum modum, quo Plato, ꝙ impoſſibile ſit mentem ſine anima exiſtere in corpore, Eodem libro: ἀδύνατον γὰρ τὸν νοῦν ἐν γηΐνῳ σώματι γυμνὸν, αὐτὸν καθ' αὑτὸν ἑδρᾶσαι: Impoſſibile eſt mentem in humano corpore, nudam ipſam per ſe firmare. Illud quoque dogma, quod multis in locis de tranſitu animorum, præcipueque in Timæo extat apud Platonem, palam Mercurij eſt. Inde primum fluxit, inde Pythagoræ Platonique deſumptum, fortaſſe non quæ ipſi probaſſent, ſed quæ apud vetuſtiores vidiſſent affirmantibus. Ac Plato cenſuit, quemadmodum a Mercurio didicerat, puras animas, ſeu mentes reuolare ad aſtra, impuras in ſecunda vita reuerti ad corpora, primumque eas fieri fęminas, ſin impuræ perſeuerauerint in tertio reditu, tranſire in corpora brutorum, donec earum peccata expientur. Mercurius verò bonas, ac puras mentes fieri Deos cęleſtes. de malis hæc loquitur ad Aſclepium, Nonne audiſti, inquit, ab vna Vniuerſi anima, cunctas alias naſci? τούτων τοίνυν τῶν ψυχῶν πολλαὶ μεταβολαί: τῶν μὲν γὰρ ἐπὶ τὸ εὐτυχέστερον τῶν δὲ ἐπὶ τὸ ἐναντίον: αἱ μὲν ἑρπετώδεις οὖσαι εἰς ἔνυδρα εἰς χερσαῖα αἱ δὲ χερσαῖαι εἰς πτηνά αἱ δὲ ἀέριαι εἰς ἀνθρώπους αἱ δὲ ἀνθρώπιαι τῆς ἀθανασίας ἔχουσαι, εἰς δαίμονας μεταβάλλονται: εἶτα οὕτως εἰς τὸν θεῶν χορὸν χορεύουσι: Harum igitur animarum multæ ſunt mutationes, quòd aliæ in ſortem beatiorem, aliæ in peiorem ſtatum recidunt. Humi repetens abeunt in aquaticas, aquaticæ in terreſtres, terreſtres in volucres, aeriæ in homines. Humanæ factæ immortales, in Dæmonas mutantur, tum in Deorum choros abeunt. Sunt autem Dij ſtellæ. Hoc dogma quanquam veritati, & dictis ipſiuſmet Mercurij eſt contrarium, nunc tamen mihi ſatis eſt, oſtendere Platonis Theologiam omnem a Triſmegiſto fluere, vt appareat huius ſcriptoris antiquitas.

Græci de creatione rerum non loquuti, niſi poſt Triſmegiſtum.

Crater, liber Triſmegiſti.

Animę vehiculum.

De tranſitu animorum.

D *Orpheum adoraſſe, ſecutumque eſſe Theologiam Triſmegiſti de conſtitutione mundi. Minores affirmaſſe, quæ prior Orpheus prodidiſſet. Primam Theologiæ partem apud Orpheum, eſſe laudes Creatoris æterni, ſapientiſſimi, fœcundiſſimi. Omnia nata eſſe ex fœcunda ſapientia Verbi diuini ſecundnm Orpheum. Secundam Theologiæ partem eſſe de Chao, nempe terræ, & aquæ creatione, poſt quas ex eis creatæ ſint formæ rerum. Similem eſſe Moſi Orpheum in hac creationis aſſignatione. Phaneta eſſe Solem, apud Orpheum, Amorem ipſam diuinam ſapientiam creandi cupidam. Ex Chao & Oceano natos eſſe Deos, nempe ſydera cæleſtia.* *Cap. X.*

Propagatio philoſophiæ.

Orpheus, nõ tam purus, quàm Triſmegiſtus: Duplex Orphei Theologia.

Theſauri Iouis apud Orpheum, ſunt Ideæ Platonicæ, & ſapientia verbũq; Chriſtianæ doctrinæ.

POST Mercurium Triſmegiſtum ſupereſt, vt alios veteres Græciæ Theologos cum Theologia Moſis conſentire, & eadem atque Triſmegiſtum de generatione mundi ſenſiſſe, ac ſcripſiſſe monſtremus. Eſt autem primus ferme ſicut Triſmegiſtus Aegyptiorum, ſic Orpheus Græcorum Theologorum, in quem ſubſequentes Philoſophos omnes præcipuè Pythagorā reſpexiſſe, ipſi vna Græci voce teſtantur, vt ordo Theologiæ, talis per omnes ętates extiterit: quod Triſmegiſtus primus, qui maiorum Theologiam audiſſet, vt vetuſtior, Aegyptios docuit: ab eo fluxit ad Phęnices, & Græcos. Reuocatur a Gręcis ad Aegyptios, ab Aegyptiis ad maiores quoſdam, famamque celebrem, certamq; in toto terrarũ E orbe ſcientiam, quæ cũ ſæculis paulatim ſuccedentibus obſoleuiſſet, in libris remanſerit. Quocirca, eadem omnia ſunt apud Orpheum de creatione mũdi, atque Triſmegiſtum: niſi ꝙ & ſuperſtitionibus, magicisq; vanitatibus ſe dedidit, & carminibus deſcripſit obſcurius, inuoluens quibuſdam ambagibus, quæ clarius Triſmegiſtus docuiſſet. Eſtque duplex apud eum Theologia: vana quædam, & ſuperſtitioſa: altera diuina, ſuſpicienda, de fontibus Aegyptiorum (ad quos ſe veniſſe, ſacerdoteſque eorum adiiſſe, teſtatur in Argonautica) profluens. Vt igitur Mercurius dicturus de ortu mundi, opificem eius, ſapientiam, gloriamque infinitam prius memorat, a vera mundi, præpotentique cauſa feliciter auſpicatus (quod item & Moſes antea, poſtea Plato, qui & Bonitatem Dei, & Ideam mundi, ipſam ſcilicet diuinam Sapientiam cauſas aſciſcit) ſic Orpheus quędam diuiniſſima carmina de magnis illis ante cõditum mundum in pectore diuino, & in palatio Iouis theſauris, cecinit, Theſauros abditos, & arcanos, palatiumq; Iouis, in quo cuncta bona continerentur appellans, quas Ideas Platonici, noſtri Sapientiam, & Verbũ, ſicut item Triſmegiſtus, in quibus vera mundi latitaret origo. Hæcq; carmina etiam ab ipſis Platonicis proferuntur.

Οὕνεκα σὺν τῷ παντὶ Διὸς πάλιν ἐντὸς ἐτύχθη
Αἰθέριος εὐρείης, ἠδ᾽ οὐρανοῦ ἀγλαὸν ὕψος.
Πόντου τ᾽ ἀτρυγέτου, γαίης τε ἐρικυδέος εὐρη.
Ὠκεανός τε μέγας, καὶ νήετα τάρταρα γαίης.
Καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείρατος, ἄλλα τε πάντα.
Πάντες τ᾽ ἀθάνατοι μάκαρες θεοὶ, ἠδὲ θέαιναι,
Ὅσσά τε ἔην γεγαῶτα, καὶ ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν.
Γίγνεσθαι, ζηνὸς δ᾽ ἐνὶ γαστέρι σειρὰ πεφύκει.
Ζεὺς πρῶτος γένετο, ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος. F
Ζεὺς κεφαλὴ, ζεὺς μέσσα, Διός τε πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς βασιλεὺς, ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.
Ἓν κράτος, εἷς δαίμων γένετο, μέγας ἄρχος ἁπάντων
Ἓν δὲ δέμας βασίλειον ἐν ᾧ τάδε πάντα κυκλεῖται.
Πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ.
Πάντα γὰρ ἐν ζηνὸς μεγάλου τάδε δώματι κεῖται.

Quæ quidem oratione ſoluta reddam, vt ſint clariora.

Fuerunt, inquit, *intra Iouẽ: cũ vniuerſo, ætheria vaſtitas, & cœli præclara ſublimitas.*
Immenſique maris, & telluris inclitæ latitudo,
Oceanuſque ingens, depreſſaque tartara terræ,
Fluminaque & pontus, ſine fine, & cætera cuncta,
Immortales omnes, beati Dijque, Deæque,
Quæ fuerint exorta, & quæ ventura ſequuntur,
Hæc in ventre Iouis rerum compago manebat,
Iuppiter ipſe eſt primus, Iuppiter vltimus idem.
Iuppiter & caput, mediumque, & cuncta Iouis ſunt.

Iuppiter

A *Iuppiter eſt terræ fundamentum, cœliq́ue micantis.*
Iuppiter idem rex cunctorum, principiumq́ue,
Vna poteſtas, & Deus vnus, magnus & autor.
Vnum eſt regale corpus, in quo hæc cuncta tenentur.
Omnia nanque hæc in domibus Iouis magni iacent.

Diuinitas, Iuppiter.

En Orpheus appellat, vt multis ſæpe rationibus oſtenſum, Diuinitatem vetuſtiſſimo nomine Iouem. Eſt enim Iupiter, Philoſophis & noſtris congruentibus, per quem viuunt omnia. Id, inualeſcente idololatria, antiquaq́ue religione obſoleſcente, nomen hominibus attributum. Audi igitur diuinam, pulcherrimamq́ue Theologiam, quantusq́; ſit priſcorum inter ſe Theologorum conſenſus reſpice: Omnia in viſceribus Iouis, id eſt, Sapientiæ theſauris, mente capaciſſima, ac ſcientia cuncta extitiſſe: In theſauris illis ęternis, antequam crearentur, cuncta latitaſſe. Eoque res antequam crearentur, erant in altero mundo, qui appellatur Iupiter, ab aliis Verbum Dei, prolificum, ſeminale, vocatur Sapientia, originibus rerum fœcundiſſima. Nec res (ne fortè decipiaris) creatæ ſunt è nihilo, id eſt, nullo èarum primordio antecedente, ſed anteceſſit mundus ille, formarum, inuentionum, rationum locupletiſſimus, ſapientia, ratio vberrima, ditiſſima rerum aula, vnde & potuerint quondam, & poſſint, cùm libuerit, omnia depromi. Hoc receptaculum, ſedemq́; cunctarum rerum, nomine mortali vocat vterum, vt etiam in noſtris litteris, venter aut B vterus Deo tribuitur: Ex vtero ante luciferum genui te. Appellat item regiam aulam, palatium: In palatio Iouis cuncta, ętheriam vaſtitatem, cœlum ſublime candens, pontum, terram, tartara, flumina: Denique & ipſos beatos Deos, antequam crearentur, vt in ſua origine, fuiſſe: Perindeq́; illic iacuiſſe, aliquando in lucem prodituros, ſicut in origine ſua ſunt omnia. Idcirco Deus omnia eſt, vt a quo nata, & ex theſauris ſuis deprompta cuncta. Qui producit, inquit noſter, ventos de theſauris ſuis. In illa diuina regione fontes ſunt omniũ rerum, nihil factum eſt, quod non fuerit in illa latiſſima Sapientiæ aula, nobiliſſimarum formarum, rationumq́; pleniſſima, opulentiſſimo regno: vnde rebus origo, etiam Diis beatis fuit. Ecce igitur ea, quæ Diuus Paulus de filio Dei, diuina Sapientia (libet enim ſæpius commemorare, ipſa ratione cogente, vt priſcæ Theologię maieſtas, quam maiores ab origine mundi, continuatisq́; ſucceſſionibus accepiſſent, ſit clara.) Vt conformentur, inquit, in agnitione myſterij Dei, & Patris & Chriſti, ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας, καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι: In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & intelligentiæ abſconditi, latitantes. Agnoſcis conſenſus? Siquidem totus ille rerum numerus in vtero, aut palatio Iouis apud Orpheum, ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, arcani. Et qui apud noſtrum eſt Chriſtus, apud Orpheum Iupiter, vt ſæpe probatum, probabiturq́; magis. Idemq́; noſter Theologus de eodē Ioue, (ſic enim etiam Hebraicè vocatur Iehouah) ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται: καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, καὶ αὐτός ἐστι κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας: Qui eſt, inquit, imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt omnia, quæ in cœlis, & quę in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Po- C teſtates, omnia per ipſum, & in ipſum ſunt creata. Et ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt, & ipſe eſt caput Eccleſiæ. Hæc noſter Theologus, reſpondente ſibi apud omnes veritate, ſed aperta magis, nouiſſimis ſæculis. Vt ergo dixit Orpheus, Iouem eſſe Primum: ſic noſter, fuiſſe & eſſe eum ante omnia, & primogenitum. Vt ille prædicat omnia intra Iouis arcana latitaſſe, quæ poſtea proruperunt in lucem, numerans viſibilia & inuiſibilia, terreſtria & cœleſtia, multusq́ue eſt in catalogo rerum terreſtrium, quantus noſter vt perfectior, ſapientiaq́ue inſtructior, in catalogo cœleſtium, & inuiſibilium: ſic ipſe noſter per eum cuncta fuiſſe creata, contentus res terreſtres, vt notiores, vno nomine ſignificaſſe: res autem cęleſtes occultiores aperiens, inſtansq́ue declarando nominibus eorum prolatis. Quosq́ue noſter nominatim vocat Thronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates, hos vno nomine Orpheus, Deos beatos, poeticeq́ue addit, Deasq́ue. Neuter enim ſexus eſt apud Deos, vt vtroque poſſint appellari. Sed dignius noſtra ſemper Theologia, ſexu maſculo. Quod ergo Paulus: In ipſo & per ipſum condita ſunt omnia: Et, quia complacuit in ipſo habitare omnem plenitudinem: eſt quod magis poeticè Orpheus, quòd in eo antequam crearentur, erant cœleſtia, & terreſtria, perinde vt in arcana ſapientia, theſauri, fonteſq́ue rerum: Vt in vtero aut palatio, ditiſſimaq́ue aula. Quodq́; noſter alibi, Vnus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Orpheus, Vna Poteſtas, vnum Numen, vnus omnium Princeps, Vnum corpus regium, in quo omnia. Quo vel totũ mundũ poſſis ſentire, qui ſit quaſi corpus, cuius animatio visq́ue ſit ipſe Deus, vel perſtat in eo quod cecinit, omnia in vtero Iouis fuiſſe. Quare redditur omnium rerum ratio, quas conditas a Deo memorat Moſes, cùm refert eum ignem, aquam, terram, maria, cœlum, noctē, diem, fontes, flumina, plantas, animalia creaſſe, quia ſcilicet in theſauris ſuis, vnde facilè depromi poſſent, latitabant.

Res corporeæ tribuũtur Deo, docendi cauſa. Pſal. 109.

Epheſ. 4.

Epheſ. 1. & 5. Coloſſ. 1. Iupiter ante omnia.

Coloſſ. 1.

Epheſ. 3.

Omnia in Deo latitabant, antequam creata eſſent.

Erat adeò ſapiens, & ſolers, plenuſque rerum, fœcunduſque conditor ille, vt quidquid cuperet, D feceri t,eoque doctiſſimè, & diuinè ſubiecit Orpheus:

Πάντα τὰ δὲ κρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πολυθέσκελα ῥέζων.

Cuncta hæc abſconſa lætas eduxit ad auras,
Pectore mira ſuo proferens, & facta ſuperba.

Eſt item hæc omnis Orphei Theologia, ea quæ tam varia, multiplexque eſt de Ideis apud Platonicos; quibus ſi verum ſenſum adhibueris, erunt veræ, & dignæ quæ recipientur. Siquidem & Mercurius adhibuit mundano opifici, εἶδος ἀρχέτυπον. Hæ ſunt apud Platonem ζῶον νοητὸν, Animal intelligibile, omnium ſcilicet rerum origo. Apud Timæum Locrenſem κόσμος ἰνδαλικός. Nimirum, mundus ſapientiæ diuinę anteaquam res crearentur: θησαυροὶ ἀπόκρυφοι. Neque poſſis rectius de Ideis ſentire, quàm ſi eas appelles, iuxta diuinum Paulum: Theſauros ſapientiæ abſconditos. Dionyſius θελήματα, καὶ προορισμοὺς τοῦ θεοῦ. Rectè, nam ſola voluntate Deus creat: Ergo voluntates, ſunt antecedentes creationes. Hanc item Theologiam Orphei poſtea ſecutus eſt Empedocles. Vt enim cuncta ab Ioue producit Orpheus, etiam Deos beatos: & vt diuus Paulus, ab imagine Dei, viſibilia, & inuiſibilia: Sic Empedocles ab Vno, vel Vnitate, res omnes terreſtres, volucres, piſces, mares, & fœminas, arbores, denique etiam Deos longæuos. Et in ea enumeratione eſt idem loquendi modus apud vtrunque:

Deus, ζῶον νοητόν.

Coloſſ. 2.

Coloſſ. 1.
Hebr. 11.

Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ poſt ventura ſequentur. Orpheus, E
Ὅσσά τ' ἔην γεγαῶτα, καὶ ὕστερον αὖθις ἔμελλεν,
Γίγνεσθαι. Empedocles,
Πάνθ' ὅσσα τ' ἦν, ὅσσα τ' ἐστὶ, ὅσσα τ' ἔσται ὀπίσω.

Quam ob rem, conſtat Empedoclem, ab Orpheo ea didiciſſe, appellaſſeque Vnitatem, quod prior Orpheus, Iouem. Eſt igitur nunc apud tres Theologos, quædam Geneſis, quædam Coſmopœia, Orpheum, Empedoclem, & Paulum: Omnes vnanimiter fatentes, terreſtria & cœleſtia, viſibilia & inuiſibilia a ſummo Deo creata. Enumerantq; in particulari, duo Græci Theologi res terreſtres, vtpote ſuperiora minus callentes: noſter autem appellat nominatim omnes ordines Deorum, ſatos ab illo magno Deo, quatuor eorum choris nominatis. Illud quidem Orpheus ſapientiſſimè, & quaſi ex fontibus noſtræ Theologiæ, quòd agnoſcens theſauros Sapientiæ diuinæ, eos appellat δῶμα, palatium, aulam Iouis, eos in vtero, & pectore, ſeu corde eius latitare, diuinamque Sapientiam palatium rerum, aulam, pectus fęcundiſſimum, omniaque bona in palatio, & domo Iouis affluere prædicans. Poſt commemoratum diuinum illud & ineffabile, omnipotenſque mundi principium, veram fœcundamque originem, deſcendit ad creationem, & ad ipſas iam res apparentes Orpheus, eſtque omnis ei de Chao, rerumque ex eo creatione Theologia, quæ viſa eſt in Triſmegiſto. Duo ſunt rerum principia: alterum ſempiternum, Deus, inæſtimabilis ſapientia: alterum creatum Chaos, origo, maſſa totius mundi, mundanarumque rerum materia. Globus informis, præcedens omnia non tempore, nullo adhuc tempore, ſed natura. Fecit enim primò Deus vnam rem, ex qua cuncta depromeret, inde Sol, & omnis candida, puriorque educta eſt ſubſtantia, exinde cuncta coorta, & formata terreſtria. Hoc igitur proſecutus eſt carminibus Orpheus, quæ fuit in Argonautica, quibus totum mundi exordium, rerumque ex Chao explicationem, qualem cecinit Ouidius, refert ſe ceciniſſe:

Vnitas, Iupiter.

Coloſſ. 1.

Duo rerũ principia, ex Orphei doctrina.

Πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μελανήφατον ὕμνον:
Ὡς ἐπάμειψε φύσεις, ὥς τ' οὐρανὸς ἐς πέρας ἦλθεν.
Γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν, πυθμένα θαλάσσης.
Πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν ἔρωτα.
Ὅσσά τ' ἔφυσεν ἅπαντα, διέκριθεν τ' ἄλλο ἀπ' ἄλλου.
Καὶ κρόνον αἰνολέτην. Quæ vt poterunt, Latina fient.

Principioque vetus Chaos, atro concinit hymno,
Vt naturas mutauit, fuit vtque per actum
Cælum tum latæ terræ ortum, tum maris imum,
Aeternum canit ex ſe perfectum, ſapientem,
Vt quæcunque creauit amor, tum cuncta diremit.
Saturnumque voracem.

Hæc Orphæus. Ecce Chaos antiquum, quam nuncupationem a Triſmegiſto didicerat. Antiquumque Chaos deſignat illud mundi naſcentis initium. Rectè vocatum antiquum, quòd ante omnia extiterit. Et Græcè Archęum, quod in principio mundi fuerit. Hoc apud Moſen eſt, terra & aqua, quarum duarũ rerũ conglobatio dicitur Aphar, cui reſpondet Græcè ἰλὺς, quod nomen, vt docebo, Orpheus etiam vſurpauit. Poſt Chaos tametſi eius creationẽ, ſicut nec Triſmegiſtus, non ex-

Chaos, mũdi naſcentis initiũ.

A non expreſſit, naturaliter ſecutum eſt, a maioribus auditum & celebratum, vt naturas Chaos mutarit. Hæc fuit ſecunda mundi creatio, ſecundus mundus, ſcilicet ex informi, rudiq́; principio, formarum pulcherrimarum productio, ex deformibus formoſiſſimis effectis. Iureque dixit naturas mutaſſe Chaos, quippe quæ ex ipſo, velut rudi, incompoſtaq́; origine, eductæ ſunt, & pro deformi rudimento, ſucceſſit multitudo formoſarum naturarum. Naturas vocat ipſas res natas, vniuerſales, ex quibus omnia naſcuntur, cęlum, Solem, terram, mare, aerem. Has docet ex Chao depromptas, non explicans ad amuſſim ſicut Triſmegiſtus, qua quidque ratione productum ſit, ſed eum tamen ordinem retinens, quem in præceptore animaduertiſſet. Nam in illa explicatione, principium naſcendi habuit cęlum, cùm diremit, aquis inoperans, diuina Sapientia, ſelegitq́; ex eis ętheriam ſubſtantiam. Quocirca docet in hac explicatione, cęlum ad finem, perfectionemque veniſſe. Ac cùm dicat Orpheus ſe ceciniſſe, quomodo nata ſint omnia ex Chao, primumque cęlum abſolutum, neceſſe eſt eum animo ſuo vidiſſe, notamque habuiſſe hanc abſolutionem, eamque ſpectaſſe, quæ litteris Triſmegiſti contineretur, de creatione Solis, ſiue lucis, de creatione puriſſimi ignis ętherij, quod Triſmegiſtus latè & verè enarrauit. Igitur ex Chao primum factum ſegregatumque eſt οὐρανὸς, cęlum, cęleſtis ſubſtātia, in primiſque Sol. Et Moſes cōmemorato Chao, ſubitò perhibet extitiſſe lucem, Quod idem Orpheum quoque retuliſſe paulò poſt conſtabit. Præceſſit igitur Chaos, ſecuta eſt naturarum mutatio. Id, vt factū ſit, explicat. Primum, ait, facta eſt abſolutaque ętheria ſubſtantia. Exinde tellus lata ſinus aperuit, cœpitque eſſe & dici, viderique terra, cùm Sole deſuper ardente, & inflammante, exhaurienteque aquas, vt B docuit Triſmegiſtus, latiſſimos ſinus aperuit. Tunc verè nata eſt: etſi foret antea cum aqua: ſed erat in maſſa, verè terra dici non poterat. Ea fuit terræ φύσις, ortus, exiccatio videlicet eius, & conſolidatio, ac firmatio. Eadē autem opera, qua terra pateſiebat, mare dirimebatur, ſitus, locoſq́; profundos ſuos ſortiebatur. Eoque præcipuè, non creationem maris, ſicut terræ, ſed profunditatem & concauitatem ſicut Moſes item, memorauit Orpheus. Nam aquarum antea creatarum, in vaſtas terræ voragines congregatio, mare vocitatum eſt. Moſes igitur dixit: Congregētur aquæ in vnum locum, & appareat arida. Orpheus autem expreſſit hunc locum, in quem diuino Imperio coiere aquæ, πυθμένα θαλάσσης, profundū maris, ſedem maris profundiſſimam. Huc vſque mundi creatio. Satiſque nunc erat Orpheo, vniuerſalia dixiſſe: Primum Chaos, exinde cęleſtem ſubſtantiam, tum terræ apparentiam, demum ſeceſſum aquarum in profundum mundi. Sed ne putes eum ſolis rebus creatis memoratis, contra quam maiores tradidiſſent, creatorem ſiluiſſe, & caſui, temeritatiq́; ordines pulcherrimos adiudicaſſe, ecce non minus piè, quam Moſes & Triſmegiſtus, quis fuerit autor tantarum rerum, eum ſuis veris nominibus appellans, inducit. Nam quem vocat Moſes ſua lingua, Spiritū, videlicet Sapientiam, Mercurius autem νοῦν, Mentem, Intelligentiam, Orpheus vocat ἔρωτα, Amorem, tribus nominibus maieſtatem eius deſignans: Antiquiſſimi, nimirum ante mundum, ante Chaos illud (dicunt enim Gręci & Latini, Antiquiſſima, ſempiterna) tum αὐτοτελῆ, per ſe perfectum, ſibiipſi ſubſtantiam, complementum, originem ſui: poſtremò πολυμῆτιν, quod Sapientiæ diuinæ, in qua ſunt omnia conſilia, ſcientiaque omnis, eſt nomen. Amoris autem ratio ea eſt, vt claret, ꝙ deſignatur amor, cupiditas, voluntas creandi, & creatoris bonitas, quem cupiditas impulerit, vt cōmunicaret bona. Ideoque ſunt apud Hebręos, qui Spiritum illum Moſis, interpretentur voluntatem. Et Ariſtoteles in primo maioris Philoſophiæ, amorem iſtum, rerum principium apud Theologos, cupiditatem interpretatur, dicens Par-C menidem amorem, ſeu cupiditatem principium ſtatuiſſe: κἂν εἴ τις ἄλλος ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἔθηκεν ὡς ἀρχὴν, οἷον καὶ παρμενίδης. Cornutus quoque veterem Theologiā explicans, dicit: ὁ δὲ ἔρως σὺν αὐτοῖς ἐρρήθη γεγονέναι ἡ ὁρμὴ ἐπὶ τὸ γεννᾶν: Amor autem cū eis dicitur fuiſſe cupiditas ad generandum. Hoc quidem teſtimonio nihil diuinius, vt ſcias quid ſit Amor antiquiſſimus, ſapientiſſimus, per ſe perfectus, apud Orpheum. Illud item mirabile eſt, quod ego cùm reperi, miris gaudiis inceſſi, quod Proclus ſuper Timæum, teſtatur Phærecydem priſcum illum Pythagoræ præceptorem, dixiſſe, Iouē cùm crare vellet, in Amorem ſe transformaſſe: εἰς ἔρωτα μεταβεβλῆσθαι τὸν δία, μέλλοντα δημιουργεῖν. Hunc Amorem teſtatur Orpheus cuncta produxiſſe, ſeorſum diremiſſe, quod fuit creatio, diteptione, ac diuiſione facta omnium rerum, quę globatæ in ſua maſſa, origineque latitarunt. Porro Saturnū, vt videre eſt alibi, vocat tempus vorax, vnà cum ęthere natum. Atque hucuſque eſt conſona cum Moſaica, & Aegyptia ſapientia Orphica Theologia admiranda, naturalis, ſuſpicienda. Rurſum in Argonautica eadem de Chao, rerumque explicatione deſcribit Orpheus. Quæ carmina conabor pro viribus enodare:

Præceſſit Chaos, ſequuta eſt naturarum mutatio.

Terræ ortus.

Amor, ἔρως, Dei nomen.

Amor ante Chaos.

Amor, creatoris bonitas.

Pherecydis ſententia de Deo ſe in amorem transformante, cùm mundum creare vellet.

Saturnus quid.

Ἀρχαίου μὲν πρῶτα χάους ἀμέγαρτον ἀνάγκην,
Καὶ χρόνον, ὃς ἐλόχευσεν ἀπειρισίοις ὑπὸ κόλποις
Αἰθέρα, καὶ διφυῆ περιωπέα κυδρὸν ἔρωτα.
Νυκτὸς ἀειγενέτης πατέρα κλυτὸν, ὅν ῥα φάνητα.
Ὁπλότεροι κικλήσκουσι βροτοὶ, πρῶτος γὰρ ἐφάνθη.
Antiquum, primumque Chaos, magnumque neceſſe,
Saturnumque, ſinu immenſo, qui clauſerat ipſum

Aethera, tum geminum, vigilem, venerandum & Amorem,
Aeternæ & noctis patrem dixere Phaneta, D
Quem poſt nati, nam cunctis prior iſte refulſit.

Chaos, materia rerũ.

Principio neceſſitatem aſcribit Chao, in quo rerum cunctarum neceſſaria materia contineretur. Ingens exordium, magna moles ac globus (vocant etiam Philoſophi materiam, neceſſitatem.) Poſt hoc principium & rude Chaos, mox extitit ętheria ſubſtantia, quæ certis molibus, atque orbibus diſtributa, tempus expreſſit: commemoraturque primum Chaos: deinde ęther natus ex aqua. Huic adiunctus eſt Saturnus, id eſt, tempus. Memorat item Amorem illum diuinum, de quo eſt apud Philoſophos carmen ex eodem Orpheo:

Καὶ μῆτις πρῶτος γενέτωρ, καὶ ἔρος πολυτέρπης.

Prima fuit genitrix Sapientia, dulcis Amorque.

Sapientia & Amor, idem.

Hoc carmine, quo nullum diuinius, claret quid Amor priſcis Philoſophis celebris, & ad mundi creationem aſcitus ſit, quam vim habeat. Ecce ſunt idem μῆτις, Sapientia, atque Amor. Sapientia dicitur prima fuiſſe genitrix, dicitur etiam Amor. Quem Orpheus ſuperius vetuſtiſſimum, id eſt, ſempiternum, per ſe genitum, aut perfectum, ſapientiſſimumque appellat, eum nunc vocat πολυώπια, oculatum, omnia circunſpicientem, ſapientem ſcilicet, deinde venerandum, cultu dignum. Poſt Amorem creatorem, ſapientem, ſicut Moſes, ante res omnes viſibiles clamat eductam ex Chao lucem: & Triſmegiſtus puriſſimum ignem diremptum, in altumque ſublatum ex aqua: & Ouidius huius interpres Theologiæ, E

Ouid. ibid.

Ignea conuexi vis, & ſine pondere, cœli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Sic Orpheus prodit, ante omnia Phaneta, hoc eſt, Solem, lucem apparuiſſe, eo nomine nuncupatum, quoniam prior apparuit, viſus & ipſe primus, & vt omnia viderentur, primus autor, deſignatus Orpheo, quod Latinis, ex eo & Triſmegiſto acceptum, indicauit Ouidius:

Nullus adhuc terris præbebut lumina Titan.

Phanes, Sol a φαίνεσθαι.

Moſes autem, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Triſmegiſtus, ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ: Erant tenebræ infinitæ in abyſſo. Quoniam igitur horrorem teterrimum primum apparens mundo Phanes, diſcuſſit, merito ſuo nomine celebris apud omnes mortales fuit. Atque agnoſce, quòd quem Moſes vocat Hebraicè or, a quo Græcè factum orao, video, vertitur autem ea vox a Græcis interpretibus, φῶς, hunc Orpheus appellat φάνης, Phanes. Vtrunque nomen ab eadem origine, & eiuſdem ſignificationis. Phos apud Moſen lux, lumen primogenitum, apud Orpheum Phanes, opus diuinæ potentiæ, mirabile argumentum, nihil in rebus corporeis melius. Apparuit prior omnibus lux, prior cùm ſe viſibilem præbuit, tum vt cætera viderentur, fecit. Hæc Græcè vocatur φῶς, phos, & φανὴς, phanes, Is apud Orpheum Genitor noctis, quoniam creata luce, diuiſit Deus inter lucem, & tenebras. Eodemque tempore, eademque opera, Sol diem fecit, & noctem. Inhorruerat autem nox ęterna, quoniam fuit in ęternum id, quòd lucem anteceſſit. Anteceſſit autem priuatio, interciſa, & terminata, cùm lux inuecta eſt. Eſt igitur in Theologia Orphei maieſtas ſempiterna ante mundum, creatrix mundi, ineffabilis, inſuperabilis Sapientia, exinde creatum Chaos, rude & iners pondus, origo informis, deinceps diuiſio, euolutio rerum, primum ętheriæ leuitatis, Soliſque vel lucis, & cum luce diei, ac noctis. Primum egregium, mirandumque opus Sapientiæ diuinæ. Cum Sole creatum eſt tempus, latens ſub ſinibus & reuolutionibus ętheris. Inuentor omnium fuit Amor. Quòd autem ſenſerit Orpheus creationem rerum inchoaſſe a rudi, inertique congerie, & quòd Chaos fuerit vetuſtiſſimus ille limus ex terra, & aqua, & quòd omnes res ex illo aceruo ſint eductę, declarat Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, interpretans ea quæ prodidit Orpheus, cuius hæc ſunt verba:

Quid per Chaos, intelligendũ.

καὶ τοῦτο πᾶσιν αὐτοῖς συμφωνεῖ: ὁμήρου μὲν γὰρ λέγοντος,

Ὠκεανόντε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν.

Ὀρφέως δὲ, ὃς καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν πρῶτος ἐξεῦρε, καὶ τὰς γενέσεις διεξῆλθε, καὶ ὅσα αὐτοῖς πέπρακται, εἴτε, καὶ πεπίστευτε παρ' αὐτοῖς ἀληθέστερον θεολογεῖν, ᾧ καὶ ὅμηρος τὰ πολλὰ, καὶ περὶ θεῶν μάλιστα ἕπεται, καὶ αὐτοῦ τὴν πρώτην γένεσιν, αὐτῶν ἐξ ὕδατος συνιστάντος: ὠκέανος ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτακται: ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν τοῖς ὅλοις: ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος, ἰλὺς κατέστη.

Hoc, ait, inter eos omnes conuenit, natos ſcilicet, & factos Deos. Nam Homerus canit

Oceanus pater.

Oceanumque Deum patrem, Tethynque parentem.

Aqua, principium rerum.

Orpheus autem, qui & ipſorum nomina primus excogitauit, & ortus eorum, & quæcunque eis geſta eſſent, enarrauit, fideliuſque putatur de Theologia ſcripſiſſe, quem & Homerus, maximè in opinione Deorum eſt ſecutus, etiam ipſe primum Deorum originem, ex aqua fuiſſe dixit. Fuit enim ſecundum hunc, aqua omnium rerum principium: ex aqua verò hylen, ſiue limum dicit extitiſſe. Hæc ille. Claret igitur, Orpheum Theologiam Aegyptiorum expreſſiſſe. Deos enim, vt ſuperius Mercurius, vocabat ſydera cœleſtia, è quibus ſeptem planetas, ſeptem

Deos

A Deos nominat Mercurius, formas Deorum Ouidius. Hos Orpheus, vt prior Triſmegiſtus, natos ex oceano docuit, omnem videlicet ſubſtantiam cœleſtem. Nam

Ignea conuexi vis & ſine pondere, cœli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce. Ouid.ibid.

Hi ſunt Dij nati Orpheo ex aqua, quibus ſegregatis, ac ſelectis, terra remanſit hyle, limus, ex quo nata ſunt omnia terreſtria. Quam ob cauſam iure dicitur oceanus origo cunctorum, præcipuè Deorum, id eſt, ſyderum cęleſtium, quos ſolos a motu, vt teſtatur Plato, dixere priſci Deos. Nec ſunt nunc Dij, Iuppiter, Saturnus, Iuno. Nam etiam Triſmegiſtus, Deos nuncupauit, quorum propria eſt nomenclatio θεος, ab incitatione & curſu. Hoc deſignat aliud Orphei carmen:

Ὠκέανος πρῶτος καλλιρόου ἦρξε γάμοιο.

Oceanus primus cœpit connubia pulchra.

Aqua igitur illa primordialis, genuit Deos cœleſtes. Item terreſtria, quæ etiam Moſes quoque perhibet, nata ex ea, quæ dicitur Hebraicè Aphar, hoc eſt, limus. Nam animalibus quoque brutis ea dedit principium. Mirus igitur priſcæ Theologiæ conſenſus, cunctis aſſerentibus cęleſtem liquiditatem, ac perſpicuitatem, ab aquis puriſſimè ſegregatam. Tum ſuper antiquiſſima materia, ſeu limo, quorum poſtremum a Græco eſt Ilys, primum, dicta eſt materia, quaſi mater omnium rerum, eadem canentibus. Ex his liquet (nam multa alioquin prętereo) Orpheum principem Græcæ Theologiæ, & creatum mundum aſſeruiſſe, & docuiſſe qua ratione B ſit creatus, mirabiliter cum Moſe congruentem. Repertus etiam fons Theologiæ eius, quòd omnis fluxit a Triſmegiſto. Et quod memorabile eſt, cum ſuperioribus, Orpheo cęleſtia lumina ex oceano ſunt nata. Vidimus qua ratione oporteat intelligere carmen Homeri, tranſlatum a Poeta Latino,

Oceanum rerum patrem, Tethynque parentem.

Homerus autem cecinerat,

Oceanumque Deum patrem.

Deos cum Orpheo dicens, Solem, Lunam, ſeptemque planetas, quos lumen ſanctum vocat Triſmegiſtus, ex oceano in primordio mundi natos. Ouidiuſque de eis, ex eadem Theologia,

Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque Deorum.

Prius autem docuerat hanc ſubſtantiam ex aqua natam,

Ignea conuexi vis, & ſine pondere, cœli,
Emicuit.

Vidimus hylen, ſeu materiam antiquiſſimam. Vidimus quid eſſet Chaos. Apparuit antiquiſſimum Theologum, creationem apertè fateri: vt ſit ſtupenda recentium Philoſophorum impudentia, ſuper ęterni mundi aſſertione, creatione, & a vetuſtiſſimis eorum prodita, & maximis Philoſophis priſcæ Theologiæ placita reuerenter confirmantibus. Scripſit etiam Orpheus peculiares hymnos, vt ipſe de ſeipſo teſtatur in Argonautica, de Coſmogonia, de Generatione mundi. Autor quoque eſt Proclus, Orpheum ab vno ſingulari Deo cuncta producere, etiam Deos, ſuper Timæum ſcribens: ἀπὸ τοῦ κρυφίος ὄντος θεοῦ τὰ πάντα, καὶ ἀπὸ τούτου πάσας ὑφίστησι τὰς δευτέρας τάξεις τῶν θεῶν: A ſecreto, & in arcanis habitante Deo, vniuerſa, & ab eo reliquos ordines ſecundos Deorum, producit.

Homerum atque Heſiodum veneratos hanc Theologiam, ſimiliter atque priores de mundi origine, & eius principijs ceciniſſe. Terram & aquam Homerum primas res creatas dixiſſe. Heſiodum primum fuiſſe Chaos, id eſt, terram & aquam, totamque creationem affirmaſſe, ac decantaſſe. Cap. XI.

SECVTI ſunt poſt maiores hoſce, diuinoſque Theologos, Homerus, & Heſiodus, idem ſacroſanctæ Theologiæ vnanimiter acclamantes, eumque mundanæ creationis ordinem, quem apud Triſmegiſtum, & Orpheum vidiſſent, piiſſimè ſeruantes. Siquidem & opifici, autorique mundano, meritos creationis honores detulerunt: deinde verò Chaos illud, rudemq; ex aqua, & terra materiam, ex qua ſit informatus, decoratusq; mundus, nominauerunt. Nam quòd cum maioribus ſenſerit Homerus, principium rerum fuiſſe terram, & aquam, nimirum Chaos, ad alios Iuſtinus Philoſophus teſtis, ipſaque Homeri carmina demonſtrant, cùm inducit imprecantes, vt hoſtes in terram & aquam reuertantur: Homerus, de rerum principio.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ, καὶ γαῖα γένοισθε Iliad.η.

Sed vos in terram cuncti redeatis, & vndam.

Subiicit Iuſtinus: δι' ὑπερβάλλουσαν ὀργὴν εἰς ἀρχαίαν φύσιν αὐτοὺς ἐκ γῆς ἀναλύων: Per vehementem iram, eos in antiquam originem ex terra reſolués. Additq; cum hæc ab Aegyptiis didiciſſe.

Mũdus antiquiſs. Peleus, & Thetys.

Deinceps Heſiodus. Hinc interpretantur Græci, quæ Poetæ canunt, mundum antiquum fuiſſe πηλέα, καὶ θήτυν, nempe limum & mare, miſtionem terræ, & aquæ. Hocq; Orpheus reſpectans:

Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ, πρέσβυστον ἁπάντων.

Nereaque ante alios omnes appello vetuſtum.

Heſiodus verò in Theogonia, ad verbum prodidit ea quæ prior Orpheus. Atque cùm in libro, qui inſcribitur Opera & dies, omnique ſua poeſi, det ſummo Ioui principatum, autoritatemque omnium rerum, tum ſuper omnes Deos & homines imperium, in cuius poteſtate ſint cœlum & terræ, certè conuenit cum Triſmegiſto & Orpheo, ſuper hoc ęterno principio, vt prima eius Theologia ęquè atque ſuperiorum, ſit de conditore, de maieſtate, ſingularique poteſtate, prouidentiaque eius: ſecunda de Chao, origineque rerum, deque ipſa iam mundi conſtitutione. Eius igitur carmina ex Orphei fontibus hauſta ſunt:

Heſiod. Theogonia.

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετο, αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖα εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
Ἡ δ' ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισι.

Extitit ante Chaos, poſt hæc latiſſima tellus,
Qua ſuper innixum pondus rerum incubat omne,
Atque Amor, inter qui diuos ſacer enitet omnes.

Ecce Chaos ante omnia, terra ſcilicet & aqua, ſicut in Moſe. Initium mundi, rudis origo, inchoamentum, materia poſtea natarum formarum mater, informe cœli & terræ ſemen. Naturaliter ante omnia, factum ab eodem opifice, qui difficiliora, nempe mundum qui ſucceſſit, feciſſet. Quique ea de cauſa rude rerum inchoamentum iecisſet, & inueniſſet, vt faceret, quod fecit. Qui niſi verus autor materiæ fuiſſet, nunquam ex ea formas depromere potuiſſet, ſed ideo facilè deprompſit, quia qualis ſibi viſa eſt apta & fœcunda ad generandum mundum, materiam præparauit. Igitur poſt Chaos, ac vile initium, exinde iuxta Theologiam Triſmegiſti, & Moſis, apparuit terra tremens, madida, lutulenta, quæ ſolis fœcunda calore, peperit arbores, animalia. Non memorat Heſiodus pulcherrimum illum, qui primus viſus eſt in mundo, & fecit vt viderentur omnia, Phaneta, ſed tria tantum contentus eſt principia poſuiſſe. Fortè Orphicam, Hermaicamq; Theologiam, non vſquequaque clarè intellexit. Nam Triſmegiſtus, & Orpheus, non poſtpoſuerunt Amorem Chao, & terræ: ſed Triſmegiſtus prodiderat Mentem cuncta feciſſe, exornaſſe, Orpheus Amorem omnia ἔφυσε, produxiſſe. Quare non fuit Amor poſt terram, aut cum terra, ſed creator, & autor, cupidus & ſapiens inueniendi, fuit ante res inuentas. Tria igitur, iuxta Heſiodum, fuerunt in principio, quorum poſtremum eſt primum Chaos, Terra, Amor. Fac, vt dixi, & vt Theologia priorum, vnde nata eſt Heſiodica, priorem, ipſum Amorem. Inuocarat autem Muſas Heſiodus, hoc carmine:

Verus amor, autor materiæ vniuerſi.

Amor, Chaos, terra.

Heſiod. ibidem.

Εἴπετε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ, καὶ γαῖα γένοντο,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ πόντος ἀπείριτος, οἴδματα θύων.
Ἄστρά τε λαμπετόωντα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν.

Dicite vos, vt primum Dij, tellusque creata,
Fluminaque & pontus vaſtus, qui tollitur vndis,
Aſtraque clara, Poluſque immenſus, in alto.

Conſtat etiam nunc Heſiodum confiteri mundum, Deoſque ſatos, Deos ſentientem, vt par eſt, eoſdem atque Triſmegiſtus, & Orpheus, & de quibus Ouidius,

1. Metam.

Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæque Deorum.

Hos ergo Deos canit cum cæteris mundanis rebus, cum terra, mari, fluminibus, ſatos: Deos inquam, quos Ariſtoteles a maiorum ſuorũ ſententia vehementer alienè, & ſempiternos cenſuit, & ſubſtantias quaſdam diuinas iudicauit. En cuncta vetuſtas, producit cęlum & ſydera ex aqua, & oceano, quo & eorum inchoata progenies declaratur, & ex eiſdem rebus conſtare, eiuſdemque eſſe ſubſtantiæ, atque omnia mundana, cęlum monſtratur. Scilicet non eſſe quintam vllam eſſentiam. Hanc eandem ſententiam, eodem opere, carmine mirabili, Heſiodus declarauit:

In Theogon.

Γαῖα δὲ τοι πρῶτα μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόεντα, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτῃ
Ὄφρα εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

Principioque ſibi peperit ſimile vndique tellus,
Stellatum cœlum, quo circum clauderet ipſam,
Vtque foret diuis ſedes ſecura beatis.

Hoc carmine non ſolùm dicitur natum cœlum, & factum, cùm non eſſet, verum etiam genitum ex terra, his ſcilicet aquis, quæ in regione terreſtri immorabantur: Aequalem autem terræ, videlicet ſphæricum, rotundum, orbicularis formæ: Genitum a terra, cuius a ſedibus, aquarum plenis, rum plenis, diuino imperio, ſtupendoque artificio, ſublata puriſſima ſubſtantia, clariſſimas illas luces accendit. Nec poteſt venire in animum de cęleſti ſubſtantia veriſimilius. Super quo mirus eſt omnium priſcorum conſenſus. Philoſophia Moſaica, omni ſapientia vetuſtior, id priore innuente, a noſtris deinceps Theologis aſſertum. Quippe Diuus Petrus in Epiſtola docet cęlum aqueam eſſe compagem: ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἐκ πάλαι καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δὶ ὕδατος συνεστῶτα τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ: Quoniam cęli dudum facti ſunt, & terra, ex aqua, & per aquã diuino imperio conſtipata. Habẽs terrã, & aquam cõmiſtas ab exordio, ex aquis tellurem emerſiſſe, ex eiſdem cœlum, qui dicitur ob eam cauſam ęther, enituiſſe & exarſiſſe aquis, inaudito, & inſcrutabili artificio, a ſapientiſſimo ingenio, in eam liquiditatem extenuatis. Huiuſmodi eſt de creatione mundi Heſiodi Theologia. Neque enim laboro nunc vniuerſam eius Theologiam interpretari, his teſtimoniis contentus, quibus cœli, & mundi continetur origo, & quòd ſit aqueum. Quid autem Chaos, quidve Amor apud priſcos Theologos eſſet, præter ea, quæ diximus, etiam Cornutus oſtendit, explicans priſcam Theologiam: ἔστι δὲ χάος μὲν τὸ πρὸ τῆς διακοσμήσεως γενόμενον ὑγρὸν, ἀπὸ τῆς χύσεως οὕτως ὠνομασμένον, ἢ τὸ πῦρ, ὅ ἐστι ἡ ἰονεὶ χάος, καὶ αὐτὸ δὲ κέχυται διὰ τὴν λεπτομέρειαν: ὁ δὲ ἔρος σὺν αὐτοῖς ἐῤῥήθη, γεγονέναι ἡ ὁρμὴ ἐπὶ τὸ γεννᾷν: ἅμα γὰρ τι ἔκτινος γίνεται, καὶ παρεῖναι τῇ γενέσει νομιστέον ταύτην τὴν δύναμιν καλλίστην, καὶ ἀξιοθέατον οὖσαν: ἐγέννησε δὲ τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν ἀναθυμιάσεων, οὐρανοῦ νῦν κοινότερον λεγομένου παντὸς τοῦ περὶ αὐτὴν λεπτομεροῦς. De Heſiodo verò, τὰ μέν τινα ὡς οἶμαι, παρὰ τῶν ἀρχαιοτέρον αὐτοῦ παρειληφότος, τὰ δὲ μυθικώτερα, αὐτοῦ προσθέντος ᾧ τρόπῳ, καὶ πλεῖστα τῆς παλαιᾶς θεολογίας διεφθάρη. Eſt, ait, Chaos, ea humiditas, is humor, qui creationẽ anteceſſit, hoc nomine dictum a Chyſeos fuſione, vel ignis, quaſi Chaos a comburendo, fuſilis & ipſe ob tenuitatem. Amor autem cum eis dicitur fuiſſe cupiditas ad generandum. Simul enim ac fit aliud ex alio, adeſſe pulcherrimam hanc, dignamq; admiratione vim cenſendũ eſt. Genuitq; cęlum ex euaporationibus. Dicitur autem nunc communius cęlum, omnis exilior circum terras ſubſtantia. Atque Heſiodus, inquit, quædã, vt arbitror, ab antiquioribus accepit, quædam addidit ipſe fabuloſius. Qua ratione, maxima ex parte vetuſta Theologia vitiata fuit. Hæc quidem Cornutus. Ecce igitur Chaos, non aliud, quàm limus ille priſcus, abyſſus illa Moſaica, terris incumbens humiditas, quæ dicitur a Moſe Hebraicè Aphar, Grecè Hyle, ſiue limus. Ecce cupiditas, diuina ſcilicet ſapientia, cupidiſſima, volentiſſima, plena impetus, & cupiditatis, vt communicaret ſua bona. Sic item cognoſcit, & fatetur Cornutus priſcam Theologiam fuiſſe meliorem, a ſubſecutis poetis alicubi fabulis vitiatam. Ecce quoque cęlum natum ex aquis euaporatis, aut extenuatis in liquidiſſimam, qualis cryſtalli, ſubſtantiam.

Philoſophia Moſaica, omni ſapiẽtia vetuſtior.

Cornutus, ſeu Phornutus de Chao, & Amore.

Chaos q. l. Vide Lactant. li. 1. cap. 5. & lib. 2. ca. 9.

Parmenidem, Thaletemq; creationem eſſe confeſſos. Amorem eſſe Deum ſempiternum apud eos. Solum Deum æternum dixiſſe Thaletem. Mundum opificium diuinum appellaſſe. Noctem anteceſſiſſe diem, dixiſſe Thaletem, vt Moſes tenebras ante lucem. Aquas illas primordiales Moſaicas eum principium dixiſſe, Mentem autem creatricem. Cap. XII.

TESTATVR quoque Plutarchus, Parmenidem & Heſiodum, de creatione ſcribentes, Amorem vetuſtiſſimum retuliſſe: διὸ παρμενίδης μὲν ἀποφαίνει τὸν ἔρωτα, τῶν ἀφροδισίων ἔργων πρεσβύτατον ἐν τῇ κοσμογονίᾳ γράφων.

Πρώτιστον μὲν ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

Ἡσίοδος δὲ φυσικώτερον ἐμοὶ δοκεῖ ποιεῖν ἔρωτα, πάντων πρεσβύτατον, ἵνα πάντα διὰ ἐκεῖνον μετάσχῃ γενέσεως. Quocirca, inquit, Parmenides pronunciat Venereorum operum amorem antiquiſſimum, ſcribens in creatione mundi:

Cunctorumque Deum, primum molitur Amorem.

Verum Heſiodus naturalius mihi videtur, antiquiſſimũ omnium Amorẽ feciſſe, vt omnia per ipſum naſcerentur. Verè, & ſapienter ſentis ò Plutarche. Nã Amor ſapiens, Amor inquã diuinus, diuina cupiditas, non res creata, ſed creator fuit: per ipſum nata ſunt omnia. Ecce igitur poſt Orpheum, & Heſiodũ, Homerumq; qui ſecuti ſunt primores Philoſophi, ijdem & Theologi, ac Poetæ creationem mundi conſtanter aſſeruerunt. Nam Parmenides, quemadmodum & Orpheus, carminibus Coſmogoniam, creationem mundi celebrauit. Itemq; Empedoclem vidimus ſuperius aſſerentẽ ab vno cuncta fuiſſe profecta, etiam Deos longæuos: credoq; eum, quemadmodũ ſuperiores omnes, Deos appellaſſe ſydera cęleſtia. Exinde Thales Mileſius, qui iuxta Theologiã Orphei, atque Aegyptiorum, omnium rerum principium aquam pronunciauit, non ad eum videlicet ſenſum, quo creditur paſſim, quòd omnia antequam oriantur, ſint aquea, vt animalium genituram, ſed vetuſtiſſimam, primordialemq; aquam reſpexit, è qua primum, autore Triſmegiſto, nati ſunt Dij, Sol, Luna, natus item aer, natæ plantæ, camporum, montiumq; virores. Inde metalla quotidie, inde carnes animalium principio coaluerunt. Diogenes item Laertius, & Plutarchus in Sympoſio teſtantur Thaletem dixiſſe, πρεσβύτατον τῶν ὄντων θεὸν, ἀγέννητον γάρ:

In Amatorio.

Amor ſapiẽs & verus qui.

Quomodo intelligẽdũ Thaletis placitũ, de aqua principio rerum omniũ. Vide Aug. de ciuit. Dei. 8. ca. 2. & Euſeb. præpa. Euan. c. 1. 5. & 13. c. 5.

Deum

Deus, omnium rerũ antiquiſſimus.

Res omnium pulcherrima, mundus.

Deum cunctarum rerum antiquiſſimum: Ingeneratus enim. Si mundum igitur credidiſſet ęternum, non Deum ſolum antiquiſſimum retuliſſet. Nam etiam mundus, & homo, Sol, Luna, ſydera fuiſſent pariter antiquiſſima, quia pariter ęterna. Soli igitur Deo dedit ſummam antiquitatem & ęternitatem, non mundo, non materiæ. Quæ ſi etiam manaſſet perenniter a Deo, certè non vnus fuiſſet antiquiſſimus. Quid enim aliud deſignat antiquiſſimum, quàm quod omnia ęternaliter anteceſſit? Secus qui contendat, aut peruertit, aut non percipit vocum ſignificatus. Eodem pertinet, quod eodem autore Laertio pronunciauit idem Thales: κάλλιστον κόσμος, ποίημα γὰρ θεοῦ: Pulcherrima omnium rerum, mundus. Fabrica enim & opus Dei. Sentis eum ſubſcribentem Theologiæ Moſaicæ? Moſes, In principio creauit Deus: Græcè, ἐποίησε, fecit: Thales per nomen affirmat, Eſt opus Dei, mundus: deſignans quod Moſes per verbum ἐποίησε. Rogatus etiam, τί πρότερον γέγονε νὺξ ἢ ἡμέρα: ἡ νὺξ ἔφη μιᾷ ἡμέρᾳ πρότερον: Quid prius extiterit, noxne, an dies? Nox, inquit, vna die prior. Ne putes eum aliud ſenſiſſe, quàm quod Moſes prior tradidiſſet, & quod Poeta Latinus ab iiſdem Græcis audiſſet: Thales autem, qui autore Laertio ad Aegyptios ſacerdotes erudiendus profectus eſt, ab eiſdem audierat. D

Oui. 1. Metamorph.

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Diuinitas quid.

Bonum & pulchrum, idem.

Si nondum erat luciferum aſtrum, certè nox erat, de qua Moſes, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Orpheus quoque de Phaneta, id eſt, luce, Sole, πρῶτος ἐφάνθη: Primus apparuit. Hunc igitur anteceſſit nox. Vna autem die anteceſſit, quia primum creata terra, & aqua, quibus horrenda nox incubabat, ſubitò lux producta eſt. Non diu, non ęternaliter, terra, & aqua cum tenebris anteceſſerunt, ſed paulum, & quaſi vna die: ſubitò lux extulit os ſacrum. Qualis igitur Moſis, Triſmegiſti, Orphei Theologia, talis Thaletis. Sicut hi omnes de mundi creatione locuturi, ęternum & ingeneratum principium prius memorarunt, eum ſuis laudibus, præſertim ęternitatis, & ingenerabilitatis decorantes: Sic Thales prius pronunciauit, Deum vnum antiquiſſimum, ingenerabilemque eſſe. Rogatusque quid eſſet τὸ θεῖον, Diuinitas, reſpondit, τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον, μήτε τελευτήν: Quod neque principium habet, neque finem. Exinde de creatione mundi, tria perhibuit teſtimonia, Quòd mundus eſt pulcherrimus, quia diuinum opificium, referens id quod Moſes, ad vnamquanque mundi partem creatam, dicit Deum affirmaſſe, quòd eſſet bonum, pulchrum: primum. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Bonum enim Hebraicè Pulchrum. Sic quòd firmamentum, quòd mare, quòd herbas, & plantas, & animalia produxiſſet, pulchrum. Sic opus pulcherrimum mundus. Secundum quòd dixit aquam fuiſſe primordium. Laertius de eo: ἀρχὴν δὲ πάντων, τὸ ὕδωρ ὑπεστήσατο. Quia ex aqua natus Sol, ſydera, nati Dij, quorum luminibus nata, vt naſcuntur, omnia terreſtria. Poſtremò quòd nox anteceſſit diem, nondum creata luce, & tenebris ſuper aqua, quæ fuit primordium, vnde lux nata, incumbentibus. Refert etiam Marcus Tullius: Thales, ait, Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſiuit, aquam dixit initium rerum, Deum autem eam Mentem, quæ ex aquis cuncta fingeret. Quibus probatur eadem eum ſenſiſſe, atque Triſmegiſtum, Anaxagoram, Platonem, qui Mentem reginam mundi, Creatricem appellauerunt. E

Phyſicos autore Plutarcho confeſſos creationem mundi, cuius initium fuerit a terra: Ab aquis ſegregatam ætheriam ſubſtantiam primam. Cap. XIII.

Phyſici creationẽ mundi cõfeſſi ſunt.

POST Thaletem cęteri quoque, qui propter inueſtigationem Naturę, dicti ſunt Phyſici, non ſolùm creationem mundi ſunt confeſſi, ſed eum etiam creationis ordinem poſteritati ſcriptum reliquerunt, quem apud Moſen traditum cernimus. Mundana creatio, ſi Moſen conſulas, ipſaq; cogit fateri ratio, a creatione terræ inchoata eſt. Terra enim erat inanis, & vacua. Ea fuit exordium mundi, fundamentum magnæ molis. Nec verò ſine aqua, terra intelligi poteſt. Hæc itaque duo tanquam origo informis, ſubiecta ſunt, ab his ſurrexit ingens machina mundi. Dicta ſunt autem ea duo, Chaos, ob confuſionem ipſarum, miſtionemque. Ex his, vt demonſtratum eſt ſuperius, ęther primum ſegregatus eſt. Hoc igitur referẽs Plutarchus, οἱ φυσικοὶ ἀπὸ γῆς ἄρξασθαι φασὶ τὴν γένεσιν τοῦ κόσμου, καθάπερ ἀπὸ κέντρου· ἀρχὴ δὲ σφαίρας, τὸ κέντρον. Phyſici, inquit, a terra, velut a cẽtro dicunt inchoatam creationem mundi. Principiũ autem ſphæræ centrum. Quod ait Plutarchus, eos phyſica ratione terrã ſubieciſſe, nos quidẽ non modò ob hãc rationem, exordiũ fuiſſe fatemur a terra, ſed etiam qm̃ ea eſt Theologia Moſaica. Poſt terrã cum qua, vt dixi, neceſſariò conſequitur aqua, quemadmodum Moſes, refert exortã lucem. Extẽplo enim memorata terra & aqua, creat puriſſimã lucem: ſic pro cæteris phyſicis Empedocles dixit iuxta ſuperiores, ex illa terræ, & aquæ maſſa, primum ſeparatã ętheriam ſubſtantiã, eodẽ autore Plutarcho, Ἐμπεδοκλῆς τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι. Vides igitur eundẽ vbique dictorũ ordinem, eandem vbique ſcientiam, & confeſſionem. Hunc ordinẽ Theologiæ & confeſſionem creati mundi, Poetæ & Philoſophi, qui poſt primos Philoſophos ſecuti ſunt, aſſeruerunt. Siquidem Euripides, & Sophocles, Phocylidesq; prior modum illum creationis (dicitur enim Anaxagoræ diſcipulus fuiſſe) retulit: poſteriores autem, quemadmodũ Prophetę, F

A creatorem mundi Deum cecinerunt. Vt igitur Mercurius, Orpheus, Phœnices, Empedocles, Anaxagoras, quos reſpexit Ouidius,

Ouid. ibidem.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum:

Chaos,

retulerunt fuiſſe Chaos, molem rudem, atque indigeſtam, duntaxat rerum pondus iners, quod Theologiæ Moſaicæ dogma, ſi rectè quis interpretetur, eſt, qua dicitur, Terra erat inanis, & vacua: ſic ſcripſit Euripides:

Ὡς οὐρανός τε, γαῖά τε ἦν μορφὴ μία
Ἐπειδὴ δὲ ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα
Τίκτουσι πάντα, κἂν ἔδωκεν εἰς φάος
Δένδρα, πτηνά, θῆρες, οὕς τε ἅλμη τρέφει.
Γένος τε θνητῶν.

Cœlumque terraque vnius formæ fuit,
Sed cùm fuiſſent abiuncta amplexu mutuo,
Emerſit omnis in lucem res progenita,
Arbores, aues, feræ, quaſque affert mare,
Genusque mortalium.

Hæc igitur eſt eadem rerum conditarum diſpoſitio, atque à ſuperioribus Philoſophis aſſignata, Vnam fuiſſe rerum nondum explicatarum confuſam, ignobilemque formam: facta autem diſiun-
B ctione primum ſegregatum eſſe æthera, deinceps cuncta terreſtria. Sed nolo toties inculcare, quæ ſæpe coegit dixiſſe neceſſitas. Sophocles autem, reprehendens multorum Deorum cultum, ſingularem Deum prædicat adorandum:

Sophocles de Deo.

Ὃς οὐρανὸν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακράν.
Πόντου τε χάροπον οἶδμα, καὶ ἀνέμων βίας.

Qui fecit axem, terramque latè patentem,
Aequorisque pulchros fluctus, ventorumque impetus.

Hæc, vt cernis, alio, atque Prophetarum ſenſu, intelligi non poſſunt. Vt dicitur a Moſe, creauit, ſegregauit aquam, iuſſit eſſe lucem: Phocylides ad alia pulchra, quæ teſtantur originem, canit, ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεός: Dediſſe Deum cunctis propria animantibus arma.

Aratum fateri Deum ſummum poſuiſſe ſtellas in firmamento cœli, quemadmodum Moſes. Idem cantaſſe Ouidium. Cap. XIIII.

Aratus antiquiſſ.

MIRABILE mihi viſum eſt, vt Aratus è priſcis illis ante Platonem Poetis, non modò cum ſuperioribus omnibus, verum etiam cum ipſo Moſe, tantopere ſuper creatione cœli, ac ſtellarum conſonet. Quemadmodum enim Moſes declarans quam ob cauſam, & ad quem vſum, Deus in cęlo lumina poſuiſſet, dicit, Dixit autem Deus, Fiant
C luminaria in firmamento cęli & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cęli, & illuminent terram, ſic Aratus eximia quadam pietate, Iouem, quem ſingularem Deum eſſe apud eum, declarat teſtimonium diui Pauli, confitetur in cęlo ſtellas ſtatuiſſe, vt hominum quaſi anteſignani operumque duces eſſent, ſignaque rerum gerendarum offerrent. His carminibus:

Geneſ. 1.

Αὐτὸς γὰρ τάγε σήματα ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διακρίνας, ἐσκέψατο δὲ εἰς ἐνιαυτόν.
Ἀστέρας, οἵκε μάλιστα τετυγμένα σημαίνειεν,
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύονται.
Τῷ μὲν ἀεὶ πρῶτόν γε, καὶ ὕστατον ἱλάσκονται.

Ille quidem cœlo defixit ſigna ſuperno,
Partitis aſtris, ſtellasque prouidit in annum,
Quæ tempeſtates homines, & ſigna docerent,
Ut firma in terris eſſent certo ordine cuncta.
Hinc primos illi, extremosque adhibemus honores.

Docuit & cęlum variis luminibus diſtinctum à Deo, defixaſque paſſim ſtellas radiantes, tum diuerſum omnibus ortum, obitumque attributum. Primumque verbum, ἐστήριξεν, eſt quod apud Moſen, Poſuit in firmamẽto: Aratus autem fixit, ſtabiliuit, alligauit. Quod autem dixit, ἐστήριξεν, ſpectat eò, quòd data ſint, & diſtributa ſydera cunctis gentibus, totuſque annus ortu, & occulatione ſyderum variatur. Et quod Plautus ſimili modo dixit,

Qui eſt Imperator diuum atque hominum Iuppiter, D
Is nos per gentes, alium in alia diſparat.
Ex quo tempeſtates, rerumque gerendarum opportunitates dignoſcuntur.

Philoſophia vet⁹, ſanior.

Cui igitur rerum iſtarum tribuitur inuentio, eſt eodem autore, is cuius genus ſumus, quum non cælum modò, ſed humanum quoque genus natum ab eo declarat. Sic Philoſophia maiorum, quæ mundo ſuæ origini propinquo, per omnes populos ſui ſimilis circumſonabat, piiſſima, longè quàm quorundam è iunioribus ſanior fuit. Fatentur enim omnes cælum, & à præpotenti, ac ſupremo Deo repertum ac poſitum, & cęleſtes ordines inuentum fuiſſe illius, tum vero ex ſubſtantia ſenſibili, nota, non extranea, & noua, originem habuiſſe: vt ſi quam cęlum habeat Diuinitatem, ea tum corporea ſit, qualem dicimus formam diuinam alicuius: tum tribuunt ortum eius ſummo Deo. Ouidius etiam, vt profert Lactantius, eorum aſſertor fuit, quæ Moſes vetuſtiſſimus, & quæ poſt Aratus ſcripſerant, affirmans Deum lumina cęleſtia creaſſe, & in cęlo poſuiſſe.

Lib. 2. cap. 5.

Tot numero, talique Deus ſimulachra figura,
Impoſuit cælo, perque atras ſparſa tenebras,
Clara pruinoſæ iuſſit dare lumina nocti.

Ariſtotelem, rationem fateri coegiſſe creationem mundi. In æternitate, vel animos eſſe mortales, vel aſcendere in cælum non poſſe, corpora ſemper animantes. Sequi ex his in Philoſophia grauiſſimos errores. Ariſtotelem à maioribus in creatione mundi diſſentire non debuiſſe: Verba Ariſtotelis, quæ diuerſis locis poſita probant eum creationem prudentem, vel imprudentem eſſe confeſſum. E

Cap. XV.

Ariſt. æternitatis mũdi primus aſſertor.

SED his omiſſis, quæ priſcorum ſæculorum cunctarumque gentium conſtantiſſimam famam de creatione mundi, conſenſumque omnium nationum, qui naturæ vox eſſe putatur, demonſtrant, ad eas rationes nunc ordo vocat, quibus ex ore ipſorum Philoſophorum raptis, probare, luceq; clarius oſtendere conabor, eos ipſos, quos Proclus, & Simplicius Aeternitatem mundi ſenſiſſe aſſeuerant, & id eſt, Cratorem, Plotinum, Iamblichum, Porphyrium, prorſus alia crediſiſſe. Ipſos quin etiam Aeternitatis aſſertores, ſibi ipſis apertè contradixiſſe. Verum anteaquam huc deueniam, cum Ariſto. qui primus omnium Philoſophorum, Aeternitatem inuexit, dictis eius nonnullis obſeruatis, loquar, precaborq; omnes, vt quæ ſequantur, animaduertant. Ac ſit prima ratio, quam breuiter ſuperius explicuimus, eum qui primus, ſcientia omnium ante eum ſæculorum, firmaque in pectore mortalium perſuaſione, in ore omnium conſtante prædicatione de rerum ortu, repudiata, nefariam de Aeternitate mundi ſententiam effudit in mundum, magnę audacię hominem fuiſſe, vt quem nec religio ſuæ gentis, vel Barbarorum, nec tantorum hominum, qui ante eum in Philoſophia floruerunt, ſapientia, ab hac perſuaſione concipienda reuocarint, nec ſuccedentem per omnes ætates famam attenderit. Parte alia, mirari hominis ſapientiam neceſſe erit, qui corporum cęleſtium, mundique huius magis omni genere calamitatum redundantis, quàm cuiquam beatitudinem veram largientis, ęternitatem deſiderans, humanarum rerum, cunctis mundanis rebus meliorum euerſionem, ingentemque ſtragem attuliſſe ſe non perſpexerit. Hęc vero admiranda eius ſapientia fuit.

Ariſto. falſus animorũ immortalitatem.

Erit & illa in promptu ratio, ſi quis eam perſpicere, recteque ponderare voluerit, quòd cum plerique doctiſſimi viri opinentur eum ſenſiſſe, & clare prę ſe ferat ipſe Ariſtoteles, animos immortales, vt quorum nulla in terris ſit origo, omnis hæc eius oratio vana, ficta, & ignara ſui, plenaque contradictionis inuenietur, mundo nullum habente principium, cum quo ſequitur vel interitus animorum, vel ęternus eorum à corporibus diſceſſus, ac reditus. Cumque & ipſe quędam quaſi ſomnians de beatitudine, quam in perfecta contemplatione, animiq; beata actione ſtatuerit, locutus ſit, vetus item ante eum cuncta priſcorum corona, hanc ipſam beatitudinem, quę quidem in terris reperiri non poſſit, extulerit laudibus, celebrauerit, miraque rapti dulcedine & quaſi collacrymantes prouexerint, hunc portum, hanc ſedem certam, miſeriarumq; finem prædicantes, falſus, & inanis omnis is erit ſermo, quod in Aeternitate neceſſe ſit vel, animos euaneſcere, vel modò abire a corporibus, modò ea repetere, non aliud in omni Aeternitate munus gerentes.

Si animi ſũt immortales, non poteſt eſſe mũdus æternus.

Neque enim reſtat aliud, quod poſſit de animis ſentiri, mundo ſempiterno. Primum ſi ſunt immortales, erit eorum numerus infinitus, & incomprehenſibilis, Naturę contrarium. Si quotidie naſci, qui prius non eſſent, cenſueris, aut à corporibus originem trahentes euanuerunt, vel aliunde ortum habuerunt. Quòd ſi non à corporibus, ſed exterius venerunt, quid tandẽ iſtud erit exterius, aut Deus ſcilicet, aut aliquis Deorum? Quid enim poſt viſibilia corpora ſupereſt? Igitur ſi ortum a Deo habuerunt, aut eius è ſubſtantia abſciſſi, ac quaſi diuulſi, aut e nihilo creati. Quorum cùm primum fieri nulla ratione poſſit, nec priſcorum ea fuerit ſententia, ſupereſt tantum

tum

A tum eos à Deo è nihilo procreari. Dabitur igitur nobis, & concedetur ab ipſis Philoſophis, res altiſſimas, res optimas, multo quàm corpora meliores, è nihilo poſſe fieri. Et ſi naſcuntur animi ex nihilo, cur non etiam mundus? Sed redeo ad primam rationem. Quis poteſt de animorum beatitudine loqui, qui mundum dicat æternum? Nam in Aeternitate vel corrumpuntur animi, vel immortales non habent alium mundum, aliam regionem, ſed has ſedes mortales obtinentes, ſemper abeunt, redeuntque ad corpora. At Ariſtoteles in moralibus, multa de animi beatitudine diſſeruit, eam in actione mentis, quæ verus homo eſt, exiſtere confeſſus. Hæc autem actio mentis, & contemplatio, & ſpeculatio, in hoc mundo, in quo nihil eſt beatum, ac certum, nec inueniri poteſt, nec inuenta eſt, neque inuenietur vnquam. Vbi igitur, & quo alio modo erit, niſi quo traditum eſt a vetuſtate, ſapientiſſimaque religione, traditum etiam ab ipſo Ariſtotele, Quòd Deus ſit beatus, contemplans ſe ipſum? qui ſi ſibi tanto, ac tali exuberat, viſus, & agnitus felicitate, facilius minoribus animis exuberabit. Sic quoque Deos dixit beatos contemplando, & cognoſcendo, certè maximum illum, vberrimumque voluptatis fontem. Hic igitur beatitudo minorum animorum erit, quam Ariſtoteles tantum non agnouit, & confeſſus eſt. Ad hanc igitur nunquam attingent animi, hoc mortali mundo ſempiterno, in quo neceſſe eſt, vel interire eos, & vaneſcere, vel permanentes, ire redireque ad corpora. Sic ſermo ille de beatitudine vanus, & autori contradicens comprobatur, ſi ſtat mundus æternus. Vanum eſt etiam, ac ſimulatum, falſumque ſi quid vnquam de pietate, quod videtur in Politicis, & moralibus, eſt Ariſtoteles locutus, Si vera ſunt, quæ magni Philoſophi prodiderunt, Aeternitatem mundi tollere rationem pietatis, ac prouidentiæ. Sed examinemus exquiſitius ſententias de Anima: Si mundus eſt æternus, & B animi ſunt immortales, quod Ariſtoteli placuiſſe, dicta eius, virorumque magnorum autoritas teſtatur: duo ſequuntur, quòd aut in dies procreantur: & ſi ſunt immortales, non ex vllo corpore, elementove oriuntur, ſed diuinitus dantur. Diuinitus autem dicens, ſentio quòd abſcindi ac quaſi diuelli ex ſubſtantia diuina nequeunt, quia nec error nec prauitas in eos caderet, reſtabitque diuinitus eos è nihilo creari. Hinc igitur primum duo dogmata contra mundi Aeternitatem ſequentur, quòd animæ, quarum eſt maior pretioſiorque quàm corporum ſubſtantia, è nihilo generantur. Tum datur immortale, & incorruptibile, quod habuit principium. In Aeternitate mundi animi fuere ſemper immortales, naſcebantur quotidie, non a corporibus, ſed a Deo: a Deo autem, non ex Dei ſubſtantia: è nihilo igitur. Ergo tum ſunt incorruptibiles in poſterum, qui principium habuiſſent, tum fuerunt è nihilo. Quòd ſi non concedit eos immortales hac ratione, quòd quotidie naſcantur, ſed ea quæ ſupereſt, & quæ placuit pleriſque, quòd ſemper fuerunt immortales, & ſine principio, eoque ſemper incorruptibiles, aut igitur in omni Aeternitate numerus eorum infinitus, aut certus, ac definitus. Si certus ac definitus, neceſſariò aut ille numerus meauit, remeauitque a corporibus ad corpora, quæ in omni Aeternitate proſeminabantur. Sicq; non aliud geſſerunt, quàm quòd animus Socratis in Aeternitate infinita corpora peragrauit, deſertoque corpore Socratis, conceſſit ad alterum, ſimiliterque omnes animi: aut ſi certus erat numerus, & animato vno corpore, poſt diſceſſum, non aliud appetierunt, efficitur vt in Aeternitate, paucis illis corporibus animatis, relictiſque, reliqua corpora, quæ fuerunt in Aeternitate, infinita, exanima extiterint. Sicque homines ſine animis vixerunt, locuti ſunt, cogitauerunt, ſenſerunt. Quòd ſi fuit numerus eorum ſemper infinitus, quæ ratio fuit, vt qui antea in æternum ſeparati C eſſent a corporibus, traditi ſint, ac dimſſi in corpora? Anima Platonis, cùm eſſet ingenerabilis, & incorruptibilis, anteaquam veniſſet in corpus Platonis, tota illa Aeternitate abfuerat ab illo corpore, pariterque omnes illius tempeſtatis homines. Quæ fuit ratio eos in corpora demitti, cum Philoſophi teſtentur melius animos manere ſeparatos à corporibus, quàm cùm eis alligari? Deinde vbi in omni Aeternitate habitarunt? Si enim in cœlo, quomodo deſcendere in terras, & corporibus alligari voluerunt? Et ſi non ſponte ſua, ſed à Deo coacti venerunt, cur fecit Deus quod eſſet peius? Iam verò ſi numerus infinitus animorum fuit, ſuſpicio poſſit eſſe æquaſſe eos ipſam Diuinitatem. Nam ſi vel granum ſinapis vnus animus valuiſſet, congregata in vnum infinitorum animorum virtus, infinita virtus extitiſſet. Ad hæc quæ fuit ratio, cur cùm infiniti animi eſſent, magis is vel ille, puta animus Platonis, vel Socratis, demitterentur in corpora, cæteri extra corpora remanerent? Cur data hæc illis pœna, cæteris non data? Quæ porrò ratio, quis ordo in infinitate animorum, quæ cognatio, quis ſenſus inter eos, quæ diſcretio, quæ amicitia, cùm infinitas non poſſit cognoſci, ac percipi, gubernarique? Plena confuſionis infinitas: ſicut ordo eſt vbi res certæ, moderatæ. Quis genius, vt vult Plato, infinitos illos animos rexiſſet, in vitam egiſſet? Qui ſcire potuiſſet, quinam ex infinito numero animorum ad corpora duci debuiſſent? Infinitas enim, vt dixi, ſub cognitionem non cadit, quod ipſe docuit Ariſtoteles. Quòd ſi ob multas cauſas infinitus numerus animorum eſſe non poteſt, certus autem ac definitus, nunquam aſcendet in cęlum, bibetque Nectar, nec contemplabitur vnquam, quam veram eſſe beatitudinem ſenſit & confeſſus eſt Ariſtoteles cum multis, quia tam paucos neceſſe eſt in omni Aeternitate, infinita corpora animare, modò hoc modò illud animantes. Et propter hæc incommoda refugis ad aliam partem, eos morte multans: id verò ſi feceris Ariſtoteles, tum te, omneſque ſequaces tuos, mendacii ratio coarguet.

Animi a Deo creati e nihilo.

Beatiudo ſita in mētus actione

Dij beati, quomodo.

Aeternitate mundi poſita, tollitur pietas

Statuendū aĩas fuiſſe vel numero infinito vel finito.

Actio animi ſegregata a corpore, & quid beatitudo Ariſtoteli.

Elabitur enim tibi, quidquid aſſeruiſti in Moralibus de parte hominis diuina, quam verum hominem, partemque diuinam, actionemque eius, & facultatem a corporibus ſegregatam dixiſti. Nec aliam hominis beatitudinem ſtatuiſti, quàm viuere per intellectum, qui verus homo ſit, cuius actio non habeat cum corporibus affinitatem & dependentiam. Eamque partem, ibi Deo ſimillimam, in libris de Generatione animalium, ſolam diuinam prædicaſti. Speculationem autem Dei, veram beatitudinem eſſe cenſuiſti. Sic neceſſariò etiam animis ſi ſpeculandum eſt, & ſpeculando ſunt beati, non eſt alia ſpeculatio, quæ faciat eos beatos, niſi Dei, non cęli, non terræ, non aſtrorum non animalium. Hæc ratio, quam tu propoſuiſti, elabitur tibi, ſi ſit animus mortalis.

Mens exterius aduenit, & ſola diuina.

Elabitur quoque quod in libro de Ortu animalium tradidiſti, Solam quæ dicitur mens, νῦς, exterius aduẽtare, ſolamq; diuinam eſſe, cæteris animæ partibus ortum a corpore ipſoq; ſemine habentibus, & a natura corporibus inſeparabilibus. In libris quoq; de Anima ſemper de intellectu ſeu mente loquẽs, aliam eſſe rationem dicis. Ibiq; apertè prædicas, intellectum ſeu mentem, à ſenſu ſeparari, quemadmodum corruptibile, ab incorruptibili. Sed quoniam apud doctiſſimos, melioreſque Philoſophos conſtantiſſima ſententia eſt, Ariſtoteli mentem & diuinam eſſe, & alterius quàm corpora ſubſtantiæ, tum habere cum natura Deorum ſimilitudinem, quod quatuor ſummum rationibus conſtat, quòd eam appellat in libris de Satu & ortu animalium, θεῖον μόνον, ſolam diuinam: Ibidem ſeparatam à corporibus, ſolamque θύραθεν, exterius aduenientem: In moribus θεοῖς συγγενέστατον, Diis ſimillimam, maximeque finitimam: Ibique vitam beatam mentis, contemplari, & noſſe decernit: pro comperto & confeſſo ſit, eum hoc vnum tenuiſſe. Sint igitur Ariſtoteli immortales animi, mundus item æternus. Sic neceſſariò eò res reuoluitur, vt vel infinitus numerus eorum, vel certus ac definitus: quarum vtranque partem cùm fœda in Philoſophia flagitia conſequãtur, certè nulla ratione ſtabit cum immortalitate animorum, æternitas mundi.

Maxima ſeqtur contradictio ĩ Ariſtotelis doctrina, ex mundi æternitate

Eritque in Philoſophia Ariſtotelis, maxima pugna, & irreſolubilis contradictio, conſiderato diligenter, funditusque penſitato, quod fortaſſe pauci faciunt, toto negotio, rebusque cunctis, quod prudentiæ eſt, inter ſe collatis. Decet enim Philoſophos, qui ſe ſolos veritatis ponderandæ tenere rationes arbitrantur, videre quid quodque dogma, cuius primum molitionem aggrediuntur, conſequatur. Sed ſunt interdum adeò obtuſi, & hebetes, arroganterque inepti, vt peius de vnaquaque re, quàm vulgares iudicare cernantur. Nunquam enim ad illam oratoris grauiſſimi monitionem oculos attollunt, in omnibus ſtudiis à multis commodiſſimum quodque potius eligentes, quàm ſeſe vni alicui certo addicentes, minus in arrogantiam offendere, non tantopere in vitiis perſeuerare, aliquanto ex inſcitia leuius laborare. Hoc igitur eos cauere ferè nunquam videas, quorum ſunt in dogmatis vnius Ariſtotelis peruersè tuendis ingenia efferata. Si quis igitur ſit, quem veritatis amor, non certa vnius mortalis autoritas veluti pecudem trahat, agnoſcet cum Aeternitate mundi, tum fędiſſimas de animis humanis, quos eſſe reges huius mundi, nec in terra omnique hoc corporeo rerum ambitu eis melius eſſe, inter omnes conſtat, ſententias, obſcęnaſque opiniones conſequi, tum inexplicabiles ambages, quas nec viderunt, nec videre fortaſſe Philoſophi potuerunt.

Quæ abſurda conſequantur æternitatẽ mundi.

Nec ſolum in omni Natura ſequi abominandam confuſionem, ſed in ipſa eorum, qui hæc ſtatuerunt, doctrina, locorum, ſententiarum, dogmatum inter ſe fatalem diſcordiam, ſe inuicem mirificè perimentium, vnoque ſtante, altero vel cadente, vel turpiter conſiſtente. Stante enim Aeternitate mundi, non ſtat vel Aeternitas, vel Felicitas animorum. Non aſcenditur ab hoc ſtatu vitæ, in cęlum. Non contemplabitur animus vnquam. Quia perfecta, quæ poſſit reddere beatum, contemplatio, non maris aut terræ, animalium, plantarum, ſyderum eſt, quibus rebus animus ipſe longè ſupereminet, ſed Dei, ad cuius conſpectum venire nunquam animi poterunt, aut potuerunt, ſi fuit mundus æternus. Neque enim is aſcendentium animorum ordo conſiſteret, æterno mundo.

Animi ſũt mũdo meliores.

Cum autem animi, vt dixi, ſint omnibus mundanis rebus meliores, qui mundum ipſum, ſoli ſpeculentur, noſcant, loquantur, rogant, quis eſt tam ſtultus, ac demens, qui cenſeat, mundi nec ſentientis, nec intelligẽtis, ſed muti, ignari, neſcii, meliorem ſtatum, quàm animorum, quos incorporeos & diuinos eſſe, & ipſimet teſtantur, & probat ratio? Cùm ergo Aeternitas mundi, tollat aut Aeternitatem, aut Felicitatem animorum: & cum vnus animus ſit Sole, Luna, totoque cælo, & mundo melior, pretioſior: aut ſtultitia fuit rei deterioris cum exitio, damnoque melioris, Aeternitatem credidiſſe: aut imprudentia, in vnius Aeternitate, alterius interitum non vidiſſe: aut execrabilis inſania, mundi ſtatum ſempiternum, quàm Animorũ Aeternitatem, ac Felicitatem maluiſſe.

Deus & Natura meliora faciunt.

Et cùm ipſi iactent, Deum, ac Naturam ſemper facere meliora, videant vtrum naturalius, ac melius ſit, reges mundi animos, propter quos omnia eſſe, quibus omnia velut dominis parere, clarum eſt, & confeſſum, peruenire ad veram beatitudinem, quàm corporeum mundum in æternum permanſiſſe. Melius eſt, Naturæque & diuinæ voluntati congruentius, vt vel vnus animus, qui noſcit, ſentit, videt, ſit beatus, attingens ad beatam Diuinitatis contemplationem, quàm vt Sol, Luna, ſtellæ, maria, terræ, quæ muta ſunt omnia, ſenſuque carentia, permanſerint in æternum. Prædictum quoque fuit, eius errorem fuiſſe, dum cęli motus conſtantes, corporiſque cæleſtis claritatem, incorruptionemque admiratur, dignos Aeternitate cenſuit, excidiſſe illi meliorem conſiderationem. Neque enim fingenda mens erat, quanquam altius fortaſſe conſcendere non poterant, in ſola ſtellarum, Diuinitate. Diximus & a Barbaris profectam ſtellarum adorandarum ſuperſtitionem.

Illud

A Illud porrò poſſet ex Ariſtotele quæri, qui vidit prædicauitq́; de ea vita, quæ degitur extra motus cęleſtes præclara, vbi nec locus, nec tempus, nec corpus ſit, ſed animi beati degentes optimã vberrimamq́ue vitam, quis roget, Quid malis Ariſt. quidve Deo, Naturæq́;, quos dicis ſemper affectare meliora, aptius cenſeas, vitamne beatam illam eſſe, ac vigere in ſempiternum, an mortalem hanc, quam tot incommoda circunſtant? Quis dubitet, poſtremam hanc, niſi deſipiat, eum reſponſurum? Quid igitur, ſi quęrenda hęc beata, omnibusq́ue conatibus ad eam aſpirandum, oportuit deificare hunc mundum, eiq́; Aeternitatem munerari, cuius Aeternitas, detinuit in hoc corruptibili ſtatu animos in æternum, nec paſſa eſt eos ad felicitatem illam aſpirare? Et ſi meliora quęruntur, cur iſte tanquam optimus perfectiſſimusq́; rerum ſtatus, fuit ſempiternus? Quaſi nihil eſſet melius, cùm melius eſſe rectis animis repoſtum, quaſi ſit ipſe confeſſus. Prętereo, quòd Socrates, & Plato, & Marcus Tullius, omnesq́; ferme pręclaro ingenio viri (quod & Ariſt. fuiſſet confitendum) dixerunt, vitam hanc potius mortem eſſe: quam ſi voluit ſempiternam Ariſtote. non modò non optauit ſempiternam vitam, vt potius mortem ſempiternã expetiuerit. Diximus item rationes eius, quibus pro Aeternitate pugnat, in eos tendere, qui vel tempus ſine cęlo putaſſent, ex Chao ſempiterno poſtea mundum creantes, vel natum mundum poſtea non interiturum, vel nunc ſtare, nunc deficere, certis temporum periodis. Quorum nihil opinamur ipſi. Sed rationes ob quas Aeternitas mundi infamat, deſipereq́; probat Ariſtot. ſub Epilogo colligamus. Primum, quod vel audacia fuit, & a vetuſtiſſimis gentibus, maioribusq́; ſuis de rerum molitione tradita contempſiſſe: vel admiranda inſcitia, neſciuiſſe, vel ſocordia, execrabilisq́; caligo, tantam humani generis ſuęq́; philoſophię labem, ex Aeternitate cęli allatam non vidiſſe. Tollit enim Ae- B ternitatem, aut tollit, impeditq́; beatitudinem animorum. E duobus bonis deſideratur deterius, crediturq́ue Deus & Natura peius feciſſe. Nullum autem negotium in Philoſophia maius, nulla maioris ponderis in terris, quàm de animis contemplatio: de quibus niſi bene conſtitutum ac definitum fuerit, in omni vita ſumma perturbatio conſequatur neceſſe eſt. Vanum eſt philoſophari. Super quibus cum bene Ariſt. ſtatuiſſet, in libris de Anima, quòd mens, id eſt, animus, eſt incorruptibilis: in libris de Ortu animalium, quòd aduentat, ingrediturq́ue corpus extrinſecus, ſolusq́ue diuinus eſt: in libris de Moribus, quod eſt Diis ſimillimus, συγγενέστατος, ex eodẽq́ue maximè genere: ibidem, quòd pars melior mens, ſiue animus, eſt verus homo, cuius operatio non ſit corporea, cuius vita vera, veraq́ue beatitudo, ſit intelligere: in libris de Cęlo, hanc beatudinem bene noſſet, collocaſſetq́ue extra vertiginem cęli remotiſſimè, vbi non ſit tempus, locus, corpus, ſed vita beatiſſima in ęternum, Deosq́ue beatos eſſe, quę eſt etiam animorum beatitudo, contemplando aſſeruiſſet: hæc inquam cum optimè, cùm ſapientiſſimè ipſam Naturam, rationemq́ue magiſtram, præceptorisq́ue Platonis philoſophiam ſecutus, ſtatuiſſet, ſuſtulit omnia, confudit, euertit, aſtrorum motusq́ue cęleſtis corporeęq́ue vitę, quę mors à Socrate, & ab omni ſapiente dicta eſt, illata Aeternitate. His autem omiſſis, quoniam plura quoque ſuperius poſita ſunt, ea duntaxat verba adhibebo, quę ſuper rerum molitione (cogit enim ſuadetq́ue ſic loqui Natura) imprudenti exciderunt. Vno in loco fatetur ordinem rerum, perennemq́ue indiuiduorum inuicem ſibi ſucceſſionem, quemadmodum, & Moſes, inuentionem Dei fuiſſe. Moſes ergo dixit, Et ait Deus, Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terra. De be- C ſtiis autem, Benedixitq́ue eis dicens, Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesq́ue multiplicentur ſuper terra. Eaque Moſes refert facta in principio, in exordio rerum, non in æternum. Ad eandem proſus rationẽ locutus eſt Ariſtoteles, quòd cum cuiuſque rei indiuiduum ſemper permanere non poſſet, propterea, quòd nimium ab incorrupto æternoq́; principio Deo diſtent: διὰ τὸ πόρρω τῆς ἀρχῆς ἀφίστασθαι, τῷ λειπομένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσεν τὸ ὅλον ὁ θεὸς, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Quo ſuperat modo, Deus vniuerſum compleuit, facta generatione perenni. Hic enim duo ſunt, exordium mundi, rerumq́ue hodiernarum ordinem apertè teſtantia, quod Deus repleuit defectum eius rei, quaſiq́ue opem tulit, quæ permanere non poſſet. Fieri non poterat, vt ea indiuidua in illo primordio creata, longo tempore ſubſiſterent, illæ arbores, illæ beſtię primęuę, illę volucres, illi duo homines, vt breui tota rerum compago recens inuenta, diſſoluenda eſſet. Hoc ſagaciſſimus Deus videns, & animaduertens, niſi noua remedia adhiberentur, quædamq́ue arctiora vincula rerum pararentur, vanam futuram ipſam creationem, nihil profuiſſe res è nihilo extuliſſe: Quocirca, reperit alium ordinem, quo rerum cunctarum indiuidua, licet natura cadentia, ita tamen ſeſe inuicem repararent, inſtaurarentq́ue, vt ad omne tempus quaſi catenatim ſe continerent, quaſi manum inuicem ſibi porrigentia. Nam indiuidua, non ſterilia, non infœcunda, non ſine ſemine creauit, ſed fœcunda, ſtirpisq́; ſuæ ſeminibus ſcatentia. Et quod inauditæ, inexplicabilisq́ue ſapientiæ fuit, fecit vt in ſeminibus, exigua quædam animalia exiguæq́ue & inuiſibiles arbores latitarent, quæ poſtea in lucem erumpentia grandeſcerent. Hoc inuentum Dei fuiſſe, ingenuè fatetur Ariſtoteles, nihil cum Moſe diſcrepans. Suntq́ue præteriti temporis verba συνεπλήρωσεν, ποιήσας. Prouiſio quoque, & quaſi opitulatio rei deficienti, vel defecturæ, deſignat interuallum, quo primum res non exiſtentes, paulò pòſt extiterint, ita moderatæ, & poſitæ, vt defecturæ breui, non defecerint.

Nefas fuit mũdũ deificari.

Audacia Ariſto. qui cõtempſerit doctrinã veterũ.

Nullũ negociũ maius in Philoſophia, quam contemplatio.

Ariſto. placitũ de rerũ ordine.

Gen. 1.

Gen. 2.

Inauditæ ſapientiæ fuit, quod ex ſeminibus cuncta producantur.

Secundus locus huic ſimillimus eſt in Politicis, quod in libris de Generatione, & interitu, generatim tradiderat, preſſius ad humanam propagationem referens. Vt enim diuinam inuentionem, perennem hunc rerum ex præcedentibus ortum fuiſſe retulit, ſic in libris de Republica, non diſſimulauit quæ veritas eſſet, ſuper humana creatione. Vt ſi quis benignè ſapienterque duos hos conſideret locos, agnoſcat eandem de vniuerſali creatione, eſſe Moſis, atque Ariſtotelis Philoſophiam. Nam tametſi Ariſtoteles creationem ipſam, ore pleno non memoret, referens tamen ordinem illum, in quo tota poſteriorum rerum creatio continetur, in Deum, dicensque ab eo factam indiuiduorum perennitatem, haud dubiè Deum omnia condidiſſe, quemadmodum & Moſes, confitetur. Quæ igitur Moſes de plantarum, brutorumque animalium propagatione, nouiſſimè de fecunditate, & reſtauratione prolis humanæ ſcripſit, his ſimilia prorſus ſcripſit Ariſtoteles. Moſes, Maſculum & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ariſtoteles autem, ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ, τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ᾽ ἄριθμον οὐ δύναται, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ εἶδος, οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις, τοῦ τε ἀνδρὸς, καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Simul, inquit, natura ſempiternum eſſe complet, hac indiuiduorum reparatione. Propterea quòd per ſpeciem tantum durare res poterant, non per numerum. Sic prouiſa fuit ab ipſa Diuinitate, aut Numine diuino natura vtriuſq; maſculi & fœminæ, vt inuicem copularentur. Quid hic diſſimile inter Moſen & Ariſtotelem? Quo diſcrepat vtraque Philoſophia? Et non eſt hoc, quod ipſe Deus dixit, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet? Ieſus eam vocauit coniunctionem, Ariſtoteles κοινωνίαν. Factum a Deo, Ieſus: Ariſtoteles, ὑπὸ τοῦ θείου. Sicut autem Moſes, hunc ordinem factum a Deo, in exordio temporis, non in æternum fatetur: Sic cum ſit eadem prorſus ſermonis ratio in Ariſtotele, nulla ratione poſſumus aliud ſuſpicari, quàm eum a principio factum, ac conſtitutum ſenſiſſe. Quod prudentibus cogitandum relinquo. Duoque hic adhibet Ariſtoteles, Naturam ac Deum. Ex quo declarat, aut idem eſſe Naturam, atque Deum: aut, quod verius eſt, hunc ordinem, qui Natura eſt, eſſe inuentum Dei. Tertius locus eſt in libris, de ſuprema Philoſophia, vbi in maiorum opinionibus, de rerum principiis recenſendis, occupatus, multorumque placitis reiectis, eorum vero collaudauit ſententiam, qui Mentem omnium rerum inuentricem ſtatuiſſent: eos ita efferens, vt cæteris præ his dormitaſſe, hos verò ſapuiſſe, vigilaſſe, acri iudicio fuiſſe, aſſereret, his verbis: νοῦν δέ τις εἰπὼν εἶναι καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις, καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον, καὶ τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρ᾽ εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον· οἱ μὲν οὖν οὕτως ὑπολαμβάνοντες ἅμα τοῦ καλῶς τὴν αἰτίαν ἀρχὴν, εἶναι τῶν ὄντων ἔθεσαν, καὶ τὴν τοιαύτην ὅθεν ἡ κίνησις ὑπάρχειν τοῖς οὖσι. Qui verò mentem, inquit neſcio quis, dixit quemadmodum animalium, & Naturæ cauſam, & mundi, & omnis ordinis, is præ cæteris, qui antea temere locuti eſſent, euigilaſſe videtur. Qui hæc igitur ſuſpicantur, ſimul & ipſam cauſam principium rerum bene ſtatuerunt, & talem cauſam, vnde motus rebus extiterit. Hanc Ariſtotelis ſententiam, ſi quis altius ponderet, excutiat, euoluat, in ea clarè contineri confeſſionem creati mundi, ſiue prudens, ſiue imprudens, eumque rapiente natura locutus ſit, facilè dignoſcet. Atque adeò clara res eſt, vt mirabile ſit, quo ſæpe veritatis æſtus rapiat imprudentes. Repetamus igitur omnes, qui Mentem, mundi creatricem declarauerunt. In his præcipue fuerunt Triſmegiſtus, Orpheus, Pythagoras, cùm primis verò Anaxagoras, tum Socrates, & Plato: omneſque hi cum aliis multis aſſeruerunt, Mentem generaſſe hunc mundum, in cęlo lucem accendiſſe, cęlum & tempus condidiſſe, animalia, plantaſque ex humo cooriri feciſſe. Quorum declarans Latinè Ouidius Theologiam, canit,

Indiuiduorum perennitas.

Specie perdurāt animalia, nō numero.

Matth. 14

Natura, inuentum Dei.

Veritatis æſtus rapit interdum imprudentes.

Ouid. ibidem.

Nam cælo terras, & terris abſcidit vndas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere cælum,
Diſſociata locis concordi pace diremit.
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis:
Tum freta diffudit, rapidiſque tumeſcere ventis
Juſſit, & ambitæ circundare littora terræ.

Aliaque multa, de Sapientia parente, reginaque huius mundi, cuius aſſerit eam originem. Quicquid igitur ex antiquorum Theologia cecinit Ouidius, aſſeueratur, prædicatur, effertur miris laudibus ab Ariſtotele. Affirmat eos bene, prudenter, ſapienterque locutos, qui dixerunt νοῦν, id eſt, Sapientiam, Intelligentiam, Mentem, omnis ordinis, Naturæ, animalium, totiuſque mundi cauſam, & autorem. Et bene ſapienterque eos ſtatuiſſe dicit hanc, quæ dicitur excellenter Cauſa, rerum principium, & tale principium: a quo motus, vitaque cunctis rebus extiterit. Hoc ſuo ſuffragio totam collaudat, & comprobat Moſaicam Theologiam Ariſtoteles. Primus enim Moſes, ex his qui vetuſtam Theologiam litterarum monimentis tradiderunt, ſcripſit, Spiritum ſiue Sapientiam Domini, quem ſua lingua Græci vocarunt νοῦν, ornaſſe cælos, feciſſe vt oriretur lumen in cęlo: Hanc veram mundi originem fuiſſe, cùm terram, & aquas, quod Chaos, à confuſione

Moſes, ſcriptor primus.

à confuſione duplicium harum rerum, vocarunt Græci, primum e nihilo, tantùm ex Ideis ſuis æternis, quæ ſunt ipſamet, extuliſſet. Quippe, quæ cuncta ſinu, & pelago ſuæ Sapientiæ contineret. Hanc clariſſima luce cælum & terras compleuiſſe, diem noctemq; ab inuicem diiunxiſſe, aerem in vaſtas, ſublimes regiones, à terris in cælum vſq; diffudiſſe, maria in profundos ſinus, concauaſq; mundi planicies conſidere iuſſiſſe, è terra plantas, animaliaq;, ex aquis item alia pullulare iuſſiſſe. Nouiſſimè tanquam regem iam genitarum rerum in mundum ceu pulcherrimam aulam, hominem induxiſſe. Hæc prior vbique motum vitamq́; dedit: prior ipſa mota ſuper aquis, vnde cieri omnia, agitari, fieriq́ue cęperunt. Ex illo motu. Solis iubar emicuit, rapida vertigine concitatum eſt cælum, terræ quoque, & aquæ primum moueri cęperunt. Sic Mens inuenit omnem ordinem, cunctamq́; Naturam, fuit autor mundi, autor animalium. hoc admiratur Ariſto. effert præconiis egregiis, tribus verbis declarans, & quàm ſibi huiuſmodi Theologia placeret, & quàm diuinè ſenſerint, qui nobis hanc ſapientiam reliquerunt. Primum quòd fuerunt νήφοντες, prudentes ſapientes. Quòd omnes alij ſecus ſuſpicantes, temere & imprudenter locuti ſunt. Poſtremò, quòd καλῶς, bene, pulchre, hi principium rerum appellarunt eam, quæ vocatur ab eis, αἴτιος, autor, cauſa: quæ eſt eadem Mens, vt aſſerit Laertius ſenſiſſe Platonem. Siue igitur prudens, ſiue neſcius, ſed ſolo ſecreto Naturæ ac veritatis æſtu aſſeruit, plenoq; ore laudauit mundanam creationem Ariſto. admiratus eſt huius Philoſophiæ præcones, quàm velit alibi deſipuerit. Sufficit mihi ex inuito (quanquam forte non inuito) pectore, teſtimonium veritatis excidiſſe. Quæ igitur deduxi, & quæ ſum hactenus locutus, videbunt vera eſſe, qui norint, quam de Sapientia ſeu Mente diuina, Theologiam maiores, & qui ante Ariſtot. floruerunt Philoſophi reliquiſſent. Quæ tota eſt, vt dixi, quòd ea creauit mundum, pręcipueq́; Chaos in ordinem redegit, & rerum formas cæco deprompſit aceruo: deniq;, vt Ariſt. ait, quòd fuit autor mundi, Naturæ totius, ordiniſq; repertor. Quod cùm bene ſapienter, præclareq; prædicatum aſſeueret Ariſto. nemini dubium poterit eſſe, quin creationis, qualis à Moſe & ab Aegyptiis, vetuſtiſſimiſq; Gręcis fuerat decantata, aſſertor fuerit. Aliud teſtimonium, quod de creatione, rerumque noua inuentione, prudenti vel imprudenti excidit, quod ſanè prudentiſſimus quiſque conſiderabit, eſt, quòd quemadmodum Marcus Tullius, pluresq; alii, quendam hominem ſapientiſſimum fuiſſe dicunt, qui diſperſos homines congregauit, in quo neceſſario, aliquod rerum initium continetur, quo rudes, nuperq; nati homines, ſocietatis expertes eſſent: ſic ab Ariſt. ſimilia dicta velit nolit, cũ origine mundi ſequuntur: ὁ δὲ πρῶτος συστήσας μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος: Qui primus, inquit, diſperſos homines congregauit, maximorum bonorum autor fuit. Videat igitur, quicunque vult, an in Aeternitate non ſemper homines congregati fuerint. Nihil enim eſt nouum in Aeternitate. Nam ſiquando congregati homines, prius diſperſi erant, in æternum certè diſperſi fuerunt.

Homo, poſtremò a Deo creatus.

Deus, mũdi, & ordinis autor.

1. de Inuẽtione, & 1. de Oratore.

Ex dictis oratorum, & poetarum, artium, ſermonis, & humani generis probatur exordium. Cap. XVI.

EADEM ratio colligitur ex Tullio contra Philoſophos: Aut qui primus, inquit (quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ viſum eſt) omnibus rebus impoſuit nomina. Si primus enim quis impoſuit nomina, certè antequam impoſuiſſet, non erant nomina. Arguitur ergo humani generis initium: quoniam ſi fuiſſet Aeternitas, ſemper homines locuti fuiſſent, ſemper ſermo viguiſſet. Nec primus quiſquam nomenclaturas indere potuiſſet. Si fuit principium locutionis, & ſermonis, fuit etiam vitæ. Sic quod ſequitur, aut qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminauit, aut qui errantium ſtellarum curſus, progreſſiones, inſtitutioneſq; notauit. Hæc omnia comprobant exordia iſtarum artium. Ergo, nec ſemper artes fuiſſe, nec homines eis vſos eſſe. Similiter, quod ſubiicit, Etiam ſuperiores, inquit, qui fruges, qui veſtitum, qui tecta, qui cultum vitæ, qui præſidia contra feras inuenerunt. Hæc docent apertè, omnium fuiſſe aliquod primordium, ſi diluuia attuleris, deſtructum eſt, & euerſum, Nullam vnquam potuiſſe tam immanem eluuionem eſſe, quę totam humanam gentem abſtulerit. Quæ ſi cunctos abſtuliſſet, nemo nunc eſſet ſuperſtes. Quòd ſi fuerunt homines ſemper, ſemper etiam & ſermo. Itaque non fuit quidam, qui primus nomina rebus impoſuerit. Si fuit, non ſemper homo, linguaque, ſed fuit exordium. Eadem ratio colligitur ex Platone, & eodem Marco. In Cratylo Plato perhibet priſcos fuiſſe meliores, quia Diis propiores. Marcus veriora eſſe à priſcis tradita, quòd minus aberant à progenie diuina. Si mundus igitur eſt æternus, vbi priſci, vbi Diis propiores. In Aeternitate nil prius, nil poſterius, nil propinquius, nil remotius. Fuiſſe quoque Deo propiores aliquos, arguit initium, cùm ſcilicet Deus creans, & aſtans cernebatur à priſcis illis, quos priores crearat, quos Marcus progeniem diuinam appellat. Plato, θεῶν παῖδας, θεῶν ἀγχισπόροι, Filios Deorum, Diis proximos, propinquos Iouis. Eadem ratio colligitur ex eodem Marco, eum quaſi ab omni alia dubia opinione, huc tandem ſiſtente, & appellente Natura. Non enim, inquit, temere, nec fortuitò ſati, & creati ſumus, ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quod cum exantlaſſ

Ex eo, qui noīa primus impoſuit, arguitur initiũ mundi.

Litterarũ inuẽtio, & artium plurimarum.

Priſci eur meliores.

omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum. Si ergo ò Marce ſati & creati ſumus, & ſi fuit quædam vis conſulens humano generi, certè fuit exordium quoddam, cum nondum creatis nobis, aut dũ crearemur, ab ea vi nobis conſulebatur. Similis probatio colligitur ex poetis, vt appareat, vndique pro veritate contra mendacium auxilia concurrere. Vergilius canit iuxta priſcos vates, ſponte ſua quondam fruges terram hominibus dediſſe, lætis, ociantibusq́; cum non cogerentur, ad ſuſtentationem vitæ, varias artes excogitare:

Geor. 1.

-Primusque per artes,
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno.

Ergo non fuerunt ſemper artes, non ſemper agricultura. Quomodo igitur mundus Aeternus, & homines æterni, ſine artibus? Et ſi non ſine artibus vnquam, quomodo primus quidam, ſiue Deus, ſiue homo, reperit eas, cum prius non eſſent? Reperta agricultura, nauigatio, aſtronomia, venatio.

Virg. ibid.

Tunc alnos primum fluuij ſenſere rapaces,
Nauita tum ſtellis numeros, & nomina fecit.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inuentum, & magnos canibus circundare ſaltus.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ,
Tum variæ venere artes.-

Artes igitur, quæ deerant, docent homines natos, non æternos.

Plotinum apertè fateri, contrà, quàm Proclus contendat, tempus creatum, cum cuius conditione conſequitur etiam cœli, mundiq́ue creatio. *Cap. XVII.*

Indicandũ audita parte vtraq;.

QVONIAM verò proclus aſſerit in his, qui mundum ſempiternum credidiſſent, ad alios fuiſſe Plotinum, ecce veritas ipſa ſibi ſuppetias aſſerens, cui cum mendacio bella perpetua, quæ ſæpe mentes in mendacium prolapſas, deluctata diu, tandem, ſubrigit ad lucem, & verum, contrà, quàm ille pronunciet, oſtendet. Neque verò boni iudicis eſt, in alteram partem inclinantem, audire rationes eius cui faueas, ad eius quem odio habeas, aures obdere. Sic ſi bene hic, ſicut aliis Philoſophiæ locis, rem Proclus ponderaſſet, fortaſſe iudex æquior fuiſſet. Nemo vnquam me continebit, quin in ea ſemper ſententia perſiſtam, omnes ferme philoſophos ſuper eadem re (quoniam homines quales nos omnes, fuerunt, qui noſtra placita tota vita variamus) opinione alternante, diuerſa protuliſſe. Peſſima verò, ſed apud imperitos tantùm, regnat conſuetudo, vt vnius alicuius autoris, cui ſe conſecrarunt, dicta perinde ac irrefragabilia, inuiolataque, aut qui ſibi contradicere non potuerit, omnibus conatibus defendere certant. Sed his omiſſis luce clarius oſtenditur, Plotinum, aut volentem, aut eorum oblitum, quæ dixiſſet alibi, factum tempus, ac mundum aſſeruiſſe, factum inquam, non quòd fiat, aut generetur, ſed quòd fuerit poſtea, cum non eſſet. In libro de Aeuo, & tempore hæc ſcribit: δεῖ δὴ ἀναγαγεῖν ἡμᾶς αὐτοὺς πάλιν εἰς ἐκείνην τὴν διάθεσιν, ἣν ἐπὶ τοῦ αἰῶνος ἐλέγομεν εἶναι τὴν ἀτρεμῆ, ἐκείνην, καὶ ὁμοῦ πᾶσαν, καὶ ἄπειρον ἤδη ζωήν. καὶ ἀκλινῆ πάντη, καὶ ἐν ἑνὶ, καὶ πρὸς ἓν ἑστῶσαν: χρόνος δὲ οὔπω ἦν, ἢ ἐκείνοις γε οὐκ ἦν: γεννήσομεν δὲ χρόνον λόγῳ, καὶ φύσει τοῦ ὑστέρου: τούτων δὴ ἡσυχίαν ἀγόντων ἐν αὐτοῖς, ὅπως δὴ πρῶτον ἐξέπεσε χρόνος, τὰς μὲν μούσας οὔπω τότε οὔσας, οὐκ ἄν τις ἴσως καλοῖ εἰπεῖν τοῦτο: ἀλλ' ἴσως ὅπερ ἦσαν, καὶ αἱ μοῦσαι τότε: αὐτὸν δὲ ἄν τις τάχα τὸν γενόμενον χρόνον ὅπως ἐστὶν ἐκφανὴς, καὶ γενόμενος, λέγοι ἂν περὶ αὐτοῦ ὧδέ πως: ὡς πρότερον πρὶν τὸ πρότερον δὴ τοῦτο γεννῆσαι, καὶ τοῦ ὑστέρου δεηθῆναι σὺν αὐτῷ, ἐν τῷ ὄντι ἀνεπαύετο χρόνος οὐκ ὤν: ἀλλ' ἐν ἐκείνῳ καὶ αὐτὸς ἡσυχίαν ἦγει: φύσεως δὲ πολυπράγμονος, καὶ ἄρχειν αὐτῆς βουλομένης, καὶ εἶναι αὐτῆς, καὶ τὸ πλέον τοῦ παρόντος ζητεῖν ἑλομένης, ἐκινήθη μὲν αὐτὴ, ἐκινήθη δὲ καὶ αὐτὸς, καὶ εἰς τὰ ἔπειτα καὶ ἀεὶ, καὶ τὸ ὕστερ

Vt qui nimiũ præfractè iurant in verba magiſtri.

Aeternitas, & tp̃s non idem, apud Plotinum.

Oportet, inquit, attollere nos ipſos ad illam diſpoſitionem, quam in Aeternitate dicebamus eſſe, quietam illam, & ſimul totam, & infinitam iam vitam, omninoq́; indeclinabilem, & in vnitate, & ad vnitatem ſtantem. Tempus autem nondum erat, vel illis certè non erat. Generabimus autem tempus definitione, & natura poſterioris. His igitur quietem agentibus in ſe ipſis, quonam primum ratione exciderit tempus, Muſas quidem quæ nondum eſſent, aut quiſquam fortaſſe inuocet, quæ hoc canant, ſed forte erant, & Muſæ tunc: ipſum verò creatum tempus, forte quiſpiam, quomodo apparuerit, & factum fuerit, dicat de eo in hunc modum: Quòd antequam primum hoc gigneret, & poſteriore cum ipſo indigeret, in ente requieſcebat tempus, cum non eſſet. Sed in illo & ipſum quietem agebat. Natura autem ſolicita & curioſa, & imperare, vel incipere ipſa volens, & eſſe ipſa, pluſque habere, quàm quod præſens eſſet, quærere eligens. mora eſt quidem ipſa, motum eſt, & ipſum tempus, & in poſterum, & ſemper. Talia loquutus Plotinus, in qui-

A in quibus euidens & luculenta eſt temporis creatio. Nos ergo Plotinum explicantes dicamus. Primum vt quid Aeternitas cum tempore diſcrepet, noſcas, iubet te attollere mentem ad illam, quæ rectè vocetur diſpoſitio, cum nihil horum, quæ cernimus & ſentimus, extaret, non Natura, non cœlum, non terra, ne tempus quidem, cum quieſcerent omnia vita carentia, ſolaque eſſet Aeternitas, vita Dei infinita, vt dixit eodem libro. Eſt enim Aeternitas, Deus ipſe, ipſa vnitas, vita ſimplex, ſecum coniuncta, indeclinabilis, immobilis, infinita. Nondum erat tempus, nec rebus illis tempus erat. Dico res eas, ipſum Deum, Ideaſque rerum, tempore carentes. Vt autem tempus deſcribas, aſſumenda eſt natura poſterioris, ſcilicet quod poſterius eſt, in cuius eſſentia intelligitur tempus. Cunctis igitur rebus quieſcentibus, quia nihil dum eſſet exortum, quomodo tempus apparuerit, quis explicet? inquit. An Muſas Poetarum more, nondum & ipſas natas inuocabimus? vt quod ait Homerus,

Aeternitas Deus.

Iram pande mihi Pelidæ diua ſuperbi:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληιάδεω. Αχιλῆος. Iliad. α.

Sic nos dicamus.

Vos Muſæ nobis exponite temporis ortum.

Atqui forte etiam erant tum Muſæ, Deæ videlicet. At tempus vt fuerit creatum, vt emerſerit, Muſis dimiſſis, dicas licet in hunc modum, quòd antea quàm iungeretur prius & poſterius, è quibus Ariſtotele autore, conficitur tempus: quieſcebat, & quaſi dormiebat, cùm non eſſet, fieri quidem potens, ſed nullamdum vitam nactum, tempus. Quieſcebat autem in vaſta totius vniuerſitatis origine Deo. Natura verò ſolicita, exeundique cupida, lucemque appetens, nec pręſenti conditione contenta, continuò erupit: ſimili quoque erupit tempus impetu. Nihil igitur clarius & apertius, ipſo vel Sole luculentius, de creatione temporis. Hic enim nullæ latitant ambages, tota in propatulo oratio. Non eſt dependentiæ, fluxuſque perennis, vllum profugium. Ne Moſes quidem tam clarè locutus eſt. Creationem autem temporis nemini non perſpicuum, trahere ſecum cunctam mundanam creationem. Neque enim ſine cœlo poteſt eſſe tempus natis cum tempore, Sole, omnibuſque cęleſtibus machinis his, quibus motis efficitur tempus.. Sic qui dicit creatum tempus, dicit cœlum, Solem, Lunam, aſtra, totum denique mundum creatum. Tum Plotinus ipſe refert Naturam quieſcentem, nondum exiſtentem, lucem, aſpectumque optaſſe. Atque alibi quoque, vt primo libro claruit, confeſſus eſt, omnem mundum creatum, cùm mundum ſic introducit loquentem, Fecit me Deus, & inde ego extiti. Et alia, quæ viſa ſunt illic, quòd terra ſit plantis ornata, quod Mens ſit omnia fabricata, ſtabilis ipſa, & quieſcens. Et quòd Prouidentia Dei, ſit quidam proſpectus, & antecedens conſideratio, vt mundus fieret pulcherrimus, bonis & pulchris locupletiſſimus. Et quod de animis ſcribens, ἀΐδιοι γὰρ αἱ ψυχαὶ, καὶ ὁ χρόνος ὕστερος: Animas eſſe ſempiternas, tempus autem poſterius. Nonne cuncta conſentiunt? In libris quoque de Tribus imperatricibus ſubſiſtentiis, de tertio principio diſſerens, quod illi Animum mundi, nos Spiritum diuinum dicimus, apertè ſuper hac re locutus eſt, Hæc, inquit, ἐποίησε, cuncta creauit animalia, eis inſpirata vita, quæque terra nutrit, quæve mare, quæ feruntur per aera, quin aſtra quoque diuina in cœlo. Hæc Solem, hæc magnum hoc cœlum, ἐκόσμησεν, ornauit. Sic loquens Plotinus, nonne mentis ſuæ perſpicuè declarat ſenſus? Eodem quoque libro, Anima, inquit, ingreſſa cœleſte corpus, ἔδωκε, dedit immortalitatem, ἤγειρε δὲ κείμενον, excitauit cœleſtem illam molem iacentem. Ea circunrotata motum ſempiternum, ab animo ſapienter agente, animal beatum ἐγένετο, factum eſt, cœlumque habuit decorem, anima introducta, ὢν πρὸ ψυχῆς σῶμα νεκρὸν, γῆ καὶ ὕδωρ, μᾶλλον δὲ σκότος ὕλης καὶ μὴ ὄν, καὶ ὃ στυγέουσι θεοὶ, φησί τις:, Cùm eſſet ante animam, mortuum cadauer, terra, & aqua, imò verò tenebræ materiæ, & non exiſtens, & quòd, vt quidam ait, abominantur Dij. Hæc ad verbum Plotinus, quibus nihil diuinius. Aperteq; ponitur duplex cœli ſtatus, anteaquam eſſet, poſteaquam fuit. Nullæ his ambages, vt dixi. Quantumuis verba diſtorquere coneris, non poſſis ea, vt in Platone ſoliti ſunt quidam Platonici, dimouere loco: neque enim ſi Plotinus ſenſiſſet ſemper tempus & mundum in hoc honore fuiſſe, quo nunc eſt, vſus hac, & ſuperiore oratione fuiſſet. Hic quoque eſt ſtatus ille rerum ante mundum, qui eſt apud Moſen, Terra, & aqua, & tenebræ ſuper faciem Abyſſi, ſuper Hyle, ſuper Chao, ſuper materia, nondum luce creata, quam ſequitur motu eius generatum tempus. Nec poſſum admirando ſatiari, cernens apud Philoſophos, confeſſionem Theologiæ Moſaicæ, & apud omnes gentes tanto in pretio veritatem, cuius conſonè mirantur omnes maieſtatem. Dicitur enim à Plotino, quod à noſtro Poeta:

Naturam & tempus a Deo proficiſci.

Sine cœlo non poteſt eſſe tẽpus.

Animus mundi, diuinus Spiritus.

Duplex cęli ſtatus.

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Dixerat prius fuiſſe Chaos & Moſes, Terra erat inanis, & vacua. Aqua videlicet, & terra. Hic quoque Plotinus innuit in aceruo, & congerie informi illa rerum, corpus cæleſte vt in ſua homœomeria iacuiſſe, & ex eadem maſſa, atq; cætera omnia, emerſiſſe natum, ac factum ex aquis, ubi tanquam cadauer iaceret. Hoc teſtimonium non poteſt inuito Plotino excidiſse, ſed ſuopte arbitrio loquente, & eo modo loqui volente, pronuntiatum, neceſſe eſt.

Ante creationẽ nullus ſol erat.

Apertè perſpicueq; Porphyrium de temporis exordio ſcripſiſſe. Iamblichum multis rationibus omnia nata eſſe, confiteri: Qui conſentanee cum Moſe prædicet hominem diuinitus factum. Itemque ordines cæleſtes à diuiniſſimo Verbo repertos. Et quòd condemnat hunc mundum, aßerens ab eo fugiendum eſſe. Cap. XVIII.

Porphyriꝰ & Iamblichus etiam nolētes vera dixerūt.

PORPHYRIVM, & Iamblichum, quin ipſos etiam creationis inimicos, Proclum, & Simplicium, probabo vel falſitatis oblitos, vel aliquo veritatis impetu, creationem temporis aſſeruiſſe. Quorum dicta, qui diligentius, accuratiusq; penſitet, totamque eorum rationem euoluat, & quid ex ea neceſſariò ſequatur, altè ſpectet, eos deuolui cernet ad creationem, ſine qua ſtare quæ loquuntur (licet ipſi id forſan non animaduerterint) nulla ratione poſſint. Sed teſtimonium Porphyrij eſt omni luce radiantius, admiratione certè dignum, allatum ſuperius. Is loquens de ea quæ dicitur à Philoſophis Mens, & Principium, & Origo mundi, conſideransque ſtatum eius quo vixiſſet ante mundum, tribuensque ei eas Diuinitatis laudes, quibus cùm tempore nulla ſit ei communicatio, aperteque, & luculenter eam à ſummo bono æternaliter natam aſſerens, dixit quòd hæc natiuitas non modò fuit æterna, ſed etiam ante omnem Aeternitatem.

Mens mūdi nata æternaliter, & ante oīa tempora.

Natam autem fuiſſe, vt dixi, ęternaliter dicit, non in tempore, non modò quia ſempiterna fuit ea natiuitas, ſed etiam quia nondum tempus eſſet. Hęc enim ſunt expreſſa verba eius: προελθόντος δὲ οὐκ ἀπ' ἀρχῆς τινὸς χρονικῆς. οὔπω γὰρ χρόνος ἦν, ἀλλ' οὐδὲ χρόνου γενομένου, πρὸς αὐτὸν ἐστί τι ὁ χρόνος: Proceſſiſſe verò non ab aliquo temporali principio. Neq; enim adhuc tempus erat. Sed nec facto quidem, & creato tempore, tempus præ ea quidquam eſt. Hæc pauca ex multis apud Porphyrium verbis. Quid mirabilius? Non potes hic aduocare ſolitum refugium, Tempus factum quidem, ſed æternaliter factum, ſicut de mundo. Ecce duo ſtatus proponuntur, æternæ Mentis, æternaliter manantis, atq; temporalis principij.

Duo ſtatus æternæ mētis.

Nominatur principium temporis, & dicitur hoc principium aliquando non fuiſſe, cùm ſcilicet naſcebatur, vel nata eſt æternaliter Mens à ſummo bono, nondum erat quod poſtea fuit. Mens non eſt nata in tempore, quia tempus nondum erat. Etiam verò poſt factum tempus, nihil habet cum Mente tempus affinitatis, vt res creata cum æterna. Audis hic, cernisque γενόμενον χρόνον, tempus creatum. Cernisque ἀρχὴν χρονικὴν, temporale principium. Vides, οὔπω χρόνος ἦν, Nondum tempus erat. Ibidemque dicit Porphyrius, κἂν ἀπ' αὐτοῦ γεγένηται τὰ πάντα: Etiam ſi ab ipſa Mente facta ſint omnia. Hæc igitur cum clara ſint, qui ſecus intellingenda contendat, impudentem: Porphyrium autem, aut inconſtantem, ſi ſecus alibi ſtatuiſſe deprehendatur: aut quod fieri ſolet, veritatem ſecretis ad ſe machinis eum traxiſſe, dicendum erit.

Iāblichus, diuinꝰ Platonicus appellatus.

Quomodo autem Iamblichum, quem diuinum non ceſſant vocare Platonici, confeſſus ſit, mundum, & genus humanum certo temporis initio, à Deo habuiſſe principium, ac ratione probatur. In libro de ſecta Pythagoreorum, oſtendens Pythagoreos in omni genere virtutum claruiſſe, ſapientiamq; eorum, veram illam germanamq; fuiſſe, in notione rerum diuinarum omnem exiſtentem, quippe qui cenſerent, perſuaderentq; ſibi, ad hoc ipſum factum hominem à Deo, magnis in animo, & corpore dotibus adhibitis, vt omnis ſcientiæ capax eſſet, quo loco prorſus cum Moſaica Theologia conſonante, reperto, mira ſum affectus lætitia, ſumq; exoſculatus mirum in modum. Eorum verba videlicet Archytæ ſic profert: τοῦτο δοκεῖ μοι ἦμεν ποθ' ἅπερ καὶ γέγονε, καὶ συνέστα ὁ ἄνθρωπος καὶ ὄργανα δὲ, καὶ δυνάμεις εἴληφεν παρὰ τῶ θεῶ: Hoc, ait, mihi videtur fuiſſe quod certè fuit, Factum hominem, organa quoque, facultatesq; a Deo accepiſſe.

Factus hō à Deo.

Hoc igitur omne Iamblichus approbans, & interpretans, & ad comprobationem ſuorum dictorum adducens, primum quid illi ſenſerint, oſtendit: tum aſcenſum ſuum declarat. Itaq; aſſentitur, probatque Pythagoram, Archytamq; bene locutos, cùm hominem factum à Deo confitentur, καλῶς ἄρα κατά γε τοῦτον τὸν λόγον, Πυθαγόρας εἴρηκεν ὡς ἐπὶ τὸ γνῶναί τε, καὶ θεωρῆσαι, πᾶς ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ θεοῦ συνέστηκεν: Pulchrè igitur & congruè hac ratione locutus eſt Pythagoras, ad cognoſcendum, ſpeculandumq; factum omnem hominem à Deo. Nemini igitur dubium, vt ipſe nunc loquar, quin ſi genus humanum eſt creatum, cætera quoque eo inferiora, & vſibus eius cuncta ſeruientia, ſint aliquando creata.

Humana creatio trahit etiam vna ſecum creationē cęterorū.

Trahit enim humana creatio, cęterorum ſecum creationem, Hoc Pythagoras, & Architas cenſuerunt: Iamblichus multis verbis explicat Atticè, quod Doricè illi protuliſſent, additque: καὶ πρὸς τοῦτο γέγονε, καὶ ὄργανα, καὶ δυνάμεις εἴληφε παρὰ τοῦ θεοῦ: Et ad hoc factus eſt homo & organa, facultatesq; accepit à Deo. Hæc & id genus multa Iamblichus, in quibus cum creatione hominis, clarè, & perſpicuè, totius mundanæ machinæ molitionem, ſiue palàm, ſiue abſconditè fatetur, quod qui non tardus, aut proteruus ſit omnino, facile noſcat. Totum enim illum locum accuratè, diligenterque interpretans, ex eoq; ad Philoſophandum omnes cohortans, repetit, inculcatque quaſi quandam de humana creatione hiſtoriam texens, Deum, mentem, & corpus ſic feciſſe, vt ex omni mundo, notionem capientes, philoſophari homines poſſent, cuius finis ſit ſcientia, cultusq; Dei:

Finis phiſophię, cultus Dei.

Altera ratio, qua perſuaderi poſſit, aut expeditè volentem, aut ratione ex dictis ſuis manante, Iamblichum rerum corporearum principium crediſiſſe, ea prudentibus erit, quoniam vna è præcipuis rationibus, quibus pro Aeternitate mundi pugnatur à nonnullis, eſt quòd nihil hoc mundo melius, iucundiuſque exiſtimantes, totamque corpoream vitam admirantes, nefas eſſe putant, eam, non ſemper fuiſſe, ſemperque futuram eſſe, nunquam tam diuino ordine vitæ clariſſimiſque illis cœleſtibus luminibus defecturis. Huic igitur rationi, quæ ferme præcipua eſt, aduerſatur, totamque hanc deſtruit perſuaſionem, quòd non Plato modò, ſed & ipſe Iamblichus, ſublimi quadam, admirandaq; ſapientia retulerunt, Qui velit verè ſapiens, & beatus eſſe, fugiendum ei celerrimè ex hac vita, odioq; eam habendam: Nos inter magna diſcrimina verſari, corpus, quod mille nobis afferat incommoda, & ad notionem veritatis impedimenta, deſerendum eſſe omnino, nunquam nobis veritatem adepturis, niſi relicta odioque habita præſenti vita, quæ veris bonis ignoratis, nos cupiditatibus, vaniſſimiſque detineat amoribus. In primiſque ait, τὸ μέγιςον ἡμῖν ἡ φιλοσοφία παρέχουσα, τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ γενέσει δεσμῶν: Maximum bonum afferre nobis Philoſophiam, quòd liberat, & diſiungit nos à vinculis, quæ & in animo ſunt, & in hoc præſenti mundo corruptibili, qui dicitur à Philoſophis Geneſis, factio, generatio, inſtabilitas rerum. De corpore quoque, μηδὲ ἀναπιμπλώμεθα τῆς τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύωμεν ἀπ' αὐτοῦ, ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς: Neque verò repleamur natura huius, ſed quàm maximè puri ſimus ab eo, donec Deus ipſe nos ab eo diſſoluat. Dicit etiam de anima, huic miſero mundo implicata: καὶ ἐκ τούτων ἄμοιρος εἶναι τῆς τοῦ θείου τε καὶ καθαροῦ, καὶ μονοειδοῦς συνουσίας: Ne cupiditatibus, & huic mundo connexa, conſortij diuini, puriſſimæque, & vniformis illius ſocietatis ſit expers. De eadem liberata, καὶ ἐπειδὰν τελευτήσῃ εἰς τὸ ξυγγενὲς, καὶ εἰς τὸ τοιοῦτον ἀφικομένη ἀπηλλάχθαι τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν: Et cùm abierit ex hac vita, & ad conſanguineam gentem peruenerit, liberetur ab humanis malis. Hæc & multa alia præclara philoſophatur Iamblichus de contemptu, & fuga iſtius mundi, beatiorem dicens, qui eo minus vtatur. Ex his, cui prudentia, iudiciumque inerit, videbit neceſſariò deduci, non eſſe tanti mundum hunc, vt æternus eſſe debuerit, qui ſit animis potius cauſa mali, quàm boni, & in quo magno cum diſcrimine verſentur animi. Apparetque ipſum mundum, cùm potius malus ſit, quàm bonus, voluptateſque eius ſpernendæ, fugiendæque à ſapientibus cenſeantur, nec melius fuiſſe ſemper eſſe, nec ſemper eſſe debuiſſe, eumque nec diuinum eſſe, nec deificandum, adeo, vt maiorum bonorum amittendorum ſit cauſa: & à quo diſcedentes, à malis potius, quàm bonis, vt ait Cicero, abducamur. Huic annexa eſt ea ratio, qua ſumus vſi ſuperius, euidentiſſima ſanè, & perſpectiſſima. Cùm in confeſſo ſit apud ſapientes, Aeternitatem mundi, tollere pietatem: Secundò, cùm vitæ futuræ Sempiternitas, impediatur ab Aeternitate præſentis: quia ſi vita præſens eſt æterna, non poteſt eſſe futura, nec poſſumus quicquam de futura loqui, quia nunquam perfecta cæleſtis apparebit, niſi deleta terreſtri, vt propter cæleſtem, neceſſariò remouenda ſit terreſtris: vbi autem finis eſt, fuit principium: efficitur vt hæc vita, tanquam corruptibilis, fugax, inferior, debilis, fragilis, quo ſuccedat melior, ſit interitura: nec æternum debere fuiſſe, à quo fugiendum Philoſophi, abſtinendumque crediderunt: nec æternum eſſe, vel eſſe debuiſſe, cuius Aeternitas ſit melioribus bonis impedimento. Huic adiuncta ea ratio eſt, qua poſſit intelligi, mundum nec fuiſſe perennem, nec eſſe debuiſſe, nec futurum eſſe, ex Iamblicho, qua diximus, Melius non eſſe prorſus, quàm malè eſſe. Cùm autem mundus potius in ſtatu calamitoſo, lugubriq; ſit, malis, quàm bonis affluentior, nulli non modò perfectam lætitiam, ſed mœrorem afferens, idq; ſemper, quandiu mundus fuit: Iamblichus autem aſſerit homini prauo, vtiliorem eſſe mortem, quàm vitam, his verbis, τῷ μοχθηρῷ βέλτιον τὸ τεθνᾶναι, τοῦ ζῆν: videtur certè aliqua ratione poſſe deduci, ſi quis totam hanc conſiderationem explicet, eum iudicare potuiſſe, mundum, qui refertus miſeriis ſit, & potius in malo, ac triſti ſtatu, quàm bono, ac delectabili (vt in quo non ſolum leuium gaudiorum, ſi qua ſunt, per mortem ſit abolitio, verùm nemo ſit mortalium, quem non potius vexatio, quàm lætitia, in omni vita tenuerit) huiuſcemodi mundum, nec natura ſemper eſse debuiſse, nec prudentis eſſe, Aeternitatem eius aut optaſſe, aut credidiſse, cum melius ſit, iniucunda, laborioſa, non eſſe, quàm eſſe. Hęc ratio poteſt ex Iamblicho duci. Ea verò euidentiſſima eſt, qua non ambiguè, non inuolutè, ſed clarè, aperteque dixit, à diuiniſſimo Verbo, iuxta Platonem, viſibilem mundum repertum, & inſtructum, ἕως ἂν ἐξεύρωμεν τὸν ὅλον κόσμον ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος, ὁρατὸν: Philoſophandum, inquit, donec vniuerſum mundum, aut ornatum reperiamus, quem omnium diuiniſſimum Verbum poſuit viſibilem. Qua potuit clariore voce creatio deſignari, decantari, prædicari? Quid aliud vetuſtiſſimus Iob? Spiritus eius, inquit, ornauit cœlos. Quod λόγος, Iamblicho, & Platoni, hoc Ratio, Spiritus, Ingenium, Sapientia, ipſi Iob. Ea quoque clariſſima ratio eſt, quòd humanam creationem totam attribuit Deo ſummo, in pręteritum tempus prædicans eum, non facultatem modò ſeſe ſupra mundum, ad aſpectum rerum diuinarum attollendi homini dediſſe, qui ſit finis rerum humanarum, verum etiam duces, cuſtodeſque, à quibus arcanis documentis agamur ad recta, adhibuiſse, primum ſic perhibet: τὴν γὰρ πάντων καλλίστην, καὶ θειοτάτην φύσιν ὅσην ἀνθρώποις θεὸς δέδωκε κατιδεῖν: Pulcherrimam omnium ac diuiniſſimam Naturam, viuendo, & contemplando, philoſophandoque aſſequamur, quantam dederit hominibus Deus aſpicere. Ecce datum hominibus à ſummo Deo, tum cum eos creauit, ſpiritum Diuinitatis ſuæ ſimilem infudit, mente, intelligentia decorauit, vt crea-

Sapientib. hęc vita fugienda.

Maxima vtilitas è philoſophia petit.

Non eſt tāti mūdus, vt æternus eſſe debuerit.

Vitæ huiꝰ ſempiternitas impeditur præſentis Aeternitate.

Melius nō eſſe prorſus quā malè eſſe.

Viſibilis mūdus inſtructus à diuiniſſimo verbo.

Mens hoſ-bus a Deo conceſſa eur.

Sublimiores ſpiritus comites hominibus dati.

vt creatorem ſuum, cuius eſt pulcherrima natura, noſcerent, ad ſcientiam eius aſſurgerent, vt venuſtiſſimam naturam aſſecuti, in vero beatitudinis regno collocarentur. Hoc fuit a principio, cum Deus hominem tam inclytum, nobilemque fecit, & ſuper omnes animantes ſubleuauit, eumque paulominus, quàm Deum nobilitauit. Fuit hoc in exordio, fuit cum legibus cuncta ſuis diſponerentur. De cuſtodibus autem datis, Oportet, inquit, ad omnia, aciem mentis inflectere: διαφερόντως δὲ δὴ τὸ κυριώτατον τῆς ψυχῆς εἶδος, ὅπερ δαίμονα ὁ θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε, καὶ ὅπερ ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρει πρὸς τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν. Quod eſt, Cum primis autem, præſtantiſſimum animorum genus, quòd Dæmonem Deus vnicuique dedit, idque eſt, quod nos è terra tollit ad cæleſtē cognationem. Sentit Iamblichus Deum non hac modò parte hominem nobilitaſſe, quòd ei ſimilitudinem ſpiritus ac Diuinitatis ſuæ dedit, extulitque adhibita ratione & ſapientia ſuper omnes animantes, ſed etiam ſublimiores ſpiritus, ſocios & comites adiecit, a quibus vt ducibus præſidibusque gubernaretur. Hocq; quando factum ſit, Plato docebit in Timæo, cum ſator hominum, atque Deorum, creato mundo, allocutus eſt Dæmones, ſiue Angelos, paulò antè cum mundo ſatos, vt alerent, fouerentque homines, & cuſtodirent. Sunt alia plurima, quibus poſſim, ſi velim, docere, claras edidiſſe voces Iamblichum ſuper creatione rerum factarum & inuentarum, cum prius non exiſterent, ſiue natura ſecreta, ſiue voluntate, certaque perſuaſione huc eum vocante.

Crantorem Platonicum, vitam præſentem condemnaſſe, eique non eſſe & mortem antepoſuiſſe. Quo ſequitur improbatio Aeternitatis mundi. Idem ex Ariſtotele infertur. Cap. XIX.

Vita hominibus ad ſuppliciũ data.

Aeternę calamitates, ſi mundus ęternus.

Optimum non naſci.

Melius cũ mortuis, q̃ cum viuis agi.

Similis probatio poſſet, ſi verum eſt, quod Proclus refert, Crantorem Platonicum, Aeternitatem mundi voluiſſe, ſeq; dictis Platonis violenter ad hanc ſententiam adiuuiſſe. Quicunque enim volunt fuiſſe ſemper mundum, volunt quia videtur eis melius ſemper aliquid quàm nihil fuiſſe. Dictis igitur Crantoris probabo, non fuiſſe cur ob hanc cauſam deſideraret mundum æternum, quem dicit eſſe miſerorum mortalium habitaculum, vitamque datam non ad voluptatem, ſed ſupplicium. Plutarchus in conſolatione Apollonij, hæc de eo perhibet: πολλοῖς γὰρ καὶ σοφοῖς ἀνδράσιν ὥς φησι Κράντωρ, οὐ νῦν, ἀλλὰ πάλαι κέκλαυσται τ' ἀνθρώπινα, τιμωρίαν ἡγουμένοις εἶναι τὸν βίον, καὶ ἀρχὴν τὸ γενέσθαι ἄνθρωπον συμφορὰν τὴν μεγίστην: Multis, inquit, & doctis viris, vt inquit Crantor, non nunc, ſed olim deploratæ ſunt res humanæ, arbitrantibus vitam eſſe ſupplicium, initiumq; naſcendi hominem, maximam calamitatem. Plutarchus hæc quidem. Si Calamitas igitur eſt naſci, ſi vita ſupplicium, certè non aliud deſiderant, qui mundum retro ſempiternum deſiderant, quàm ſempiternas hominum calamitates, ſempiterna ſupplicia. Sunt enim cum æterno mundo, etiam æternæ vitæ, calamitates æternæ. Aeternaſque hominum calamitates, æterna ſupplicia cupiunt, qui cupiunt mundum æternum. Nec ſolum non meliora ferunt nobis, ſed deteriora. Melius eſt enim aut minus malum, paucis annis, quàm innumerabilibus fuiſſe miſerum. Non ſolum igitur horum iudicio, non debuit æternus, ſed etiam nunquam eſſe mundus. Vera certè ſententia, niſi ſpes melioris vitæ iunctæ cum abolitione præſentis nos ſolaretur. Nam vitam fugacem veluti vmbram, & quod grauius eſt, miſeriis, & incommodis refertam, melius erat nunquam hominibus contigiſſe. Hoc incommodum non accidit his qui creant mundum, quia & finis fuit malorum aliquando, & erit, cùm nullus malorum finis adſit illis. Eandem rationem ducet ex Ariſt. qui volet quem autor eſt idem Plutarchus, ſimilia fermè de repudianda, nulliq; ſapienti magnopere expetenda vita prodidiſſe, eodem libro ſcribens: Hoc Ariſtoteles teſtatur etiam Silenum Midam docuiſſe. Sed melius, inquit, eſt ipſa Philoſophi verba ſubiicere. Dicit hæc in eo qui inſcribitur Eudemus, vel de Anima: Quocirca ò optime omnium, & beatiſſime, præter quàm quòd beatos, & fortunatos eſſe defunctos arbitramur, etiam mentiri, aut inſultare maledictis in eos, pium, ac ſanctum, vt pote contra eos, qui meliores effecti ſunt, non ducimus. Hæcque adeo priſca vetuſtaque decreta apud nos perſeuerant, vt nemo neque temporis initium, neque qui primus poſuerit, recordetur, ſed infinitum æuum ſemper vti lex inualuerunt. Ad hæc autem cernis per ora hominum iam multis pridem annis circunferri. Quid hoc? inquit. Et ille ſubiiciens, Quòd videlicet non naſci optimum quidem omnium, & melius eſt mori, quàm viuere. Quod multis quidem a Deo teſtimoniis comprobatum fuit. Hoc quidem illi Midæ dixiſſe Silenum dicunt, poſtquam ipſum in venatione cepiſſet. Roganti autem, ac ſciſcitanti, Quidnam ſit hominibus melius, omniumque maximè eligendum: primum quidem nihil dicere voluiſſe, ſed tacuiſſe, cùm verò tandem omni conatu reſponſum extorſiſſet, tum denique coactum reſpondiſſe, Fortunæ ærumnoſæ, & aſperæ diurna progenies, quid me cogitis dicere, quæ præſtaret vos ignorare? Iucunda enim vita eſt, ſuis cuique malis ignoratis. Optimum primum hominibus non naſci, natos autem, quam primum mori. His dictis ſubdidit Plutarchus: δῆλον οὖν ὡς οὔσης κρείττονος τῆς ἐν τῷ τεθνᾶναι διαγωγῆς, ἢ τῆς ἐν τῷ ζῆν, οὕτως ἀπεφήνατο: Claret igitur eum pronuntiaſſe, melius agere cum mortuis, quàm viuis. Hæc igitur cùm Ariſtoteles ipſe

proferat,

A proferat, videtur certè in eadem ſententia fuiſſe, hominibus aut nihil prodeſſe vitam, aut melius fuiſſe non naſci. Cum quibus ſequitur execratio, deteſtatioque Aeternitatis mundi. Eorumque iudicium ſanius, & melior cupiditas probatur, qui iudicant mundum nec ſemper fuiſſe, nec eſſe debuiſſe. Euripides item eadem cenſuit, cuius carmen ſic vertitur a Cicerone:

Tuſcul. 1.

Nam nos docebat cœtus celebrantes domum
Lugere, vbi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finiſſet graueis,
Omnes amicos laude, & lætitia exequi.

Iudicant igitur omnes meliorem mortem, quàm vitam. Sic Solomon laudauit magis mortuos quàm viuos. Eiuſmodi igitur vita, cui mors anteponitur, non debuit eſſe ſempiterna. Qui cupiũt æternam, deteriora cupiunt: cupiunt calamitates, ob quas vitæ mors præfertur, ſempiternas. Similia grauiſſimum autorem Senecam ſenſiſſe videbis in libro de Conſolatione, vt veritas huius rei facile comprobetur, cui ſapientes adeo concordes aſſenſerunt: Nihil, ait, eſt tam fallax, quàm vita humana, nihil tam inuidioſum. Non mehercule quiſquam illam accepiſſet, niſi daretur inſciis. Itaque feliciſſimum eſt non naſci, proximè puto, breuitate vitæ defunctos cito in integrum reſtitui. Hæc ille. Si feliciſſimum igitur eſt non naſci, non naſci autem eſt non eſſe: felicius ergo fuit, mundum paucioribus annis fuiſſe, quàm ſempiternis. Ac certè minus malum fuit, ſi vita miſerabilis eſt (quia non eſſe, & feliciſſimum) vitam pauciorum annorum, quàm æternam fuiſſe.

Feliciſſimum non naſci, aut breuẽ eſſe vitam.

B

Epitectum & Arrianum homines à Deo creatos, inque mundum, operum diuinorum ſpectatores introductos fateri. Cap. XX.

EADEM ex cæteris Philoſophis aſſumi poterit probatio, ſi dictis eorum quis prudenter inſtiterit. Arrianus è Philoſophis, aut Epictetus, confeſſus eſt ad bene, beateque viuendum, homines à Deo creatos: ὁ θεὸς πάντας ἀνθρώπους ἐπὶ τὸ εὐδαιμονεῖν, ἐπὶ τὸ εὐστατεῖν ἐποίησε: πρὸς τοῦτο ἀφορμὴν ἔδωκε, τὰ μὲν ἴδια δοὺς ἑκάστῳ, τὰ δὲ ἀλλότρια: τὰ μὲν ἀκώλυτα, καὶ ἀνάγκαστα, καὶ ἀφαίρετα οὐκ ἴδια. Quæ ſunt, Deus omnes homines ad felicem, optimumque ſtatum creauit, ad hoc occaſionem dedit, alia propria largitus vnicuiq;, alia non propria. Sed quæ non ſunt libera, coacta, & quæ auferri poſſent, non propria. In his quis eſt, qui non cernat, apertam mundi creati confeſſionem? quia generis humani prædicatur primordium, quum creator & ſapiens, optimuſque ille Deus dicitur homines ad felicitatem, optimamque conditionem creaſſe? Quæ quidem, ſi Moſen percuncteris, eſt, cum creauit eos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, dominatum ſuper omnes animantes dedit. Dedit ſapientiam, qua ſe contra malas cupiditates tuerentur, & in optima ſeſe conditione, beateque vitæ actione continerent. Hæc omnia reſpiciunt primordium, non perennem dependentiam: nec ſine principio, ſi ſpectes altè, poteſt intelligi, vt Deus creauerit, ad felicitatem occaſionem dederit. Semper enim fuit hæc occaſio, ſi fuit mundus æternus. Qui ſi æternus fuit, nulla fuit ad felicitatem, & εὐστατεῖν, compoſitamque vitam occaſio, ſed fuit potius ad infelicitatem, ad confuſionem. Idem Epictetus, & Arrianus (pauca enim è multis) τὸν δὲ ἄνθρωπον, θεατὴν εἰσήγαγεν, αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν: Hominem vero ſpectatorem ſui, & operum ſuorum introduxit, nec ſpectatorem modò, verum etiam interpretem. Quæſo Philoſophi, quando ſpectator in mundum introductus eſt homo, ſi fuit æternus mundus? Nullum enim fuit vnquam tempus, in quo non homines ſpectatores Dei affuiſſent. Introducuntur enim prius abſentia: æterno mundo, humanum quoque genus ęternum. Quomodo igitur introductus homo, quaſi prius non adeſſet? Nec defendes vnquam per introductionem ſempiternam. Nam tametſi poſſet æterna creatio, æterna prouidentia dici, abſurdè tamen diceretur inductio ſempiterna, cum inductioni ſit abſentia neceſſaria. Repetit eadem Epictetus: πῶς δὲ γίνεται ὡς διέταξεν αὐτὰ ὁ διατάσων, διέταξε δὲ θέρος εἶναι, καὶ χειμῶνα, καὶ φορὰν, καὶ ἀφορίαν, καὶ ἀρετὴν, καὶ κακίαν, καὶ πάσας τὰς τοιαύτας ἐναντιότητας ὑπὲρ συμφωνίας τῶν ὅλων: ἡμῶν δὲ ἑκάστῳ σῶμα καὶ μέρη τοῦ σώματος, καὶ κτῆσιν, καὶ κοινωνοὺς ἔδωκε. Quæ ſunt, Quomodo fiunt hæc omnia? Quemadmodum inquam moderator ea moderatus eſt? Aeſtatem iuſſit eſſe, hyemem ſuccedere, ſtatuit abundantiam & charitatem, terræ virtutem dedit, dedit & vitium, omnes id genus contrarietates pro concordia rerum. Vnicuique verò noſtrum dedit corpus & membra corporis, poſſeſſionem & participes. Hæc Epictetus, quibus omnibus, rerum diſpoſitarum non æternus, ſed inchoatus quidam continetur ordo, eruente Natura voces has, è pectoribus hominum. Seneca quoque grauiſſimus Romanæ Philoſophię ſcriptor, exordium mundi ſæpe fatetur, cum nominat fundatorem eius, cum docet, qua ratione cuncta diſpoſuerit. Denique ait in Epiſtolis: A primo mundi ortu, vſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis, ſordidiſque alterna dies.

Ad quid homines nati.

Cur homini data ſapientia.

C

Homo ſpectator & interpres Dei.

Ordo quidem rerũ, ſed inchoatus.

Ex ſententijs Plutarchi de mundo, Principijſque eius. Ea in quibus nonnulli peccauerunt, de materia prima, de anima malefica, Reſponſionis contra calumnias Lucretij, quas contra prouidentiam, temeritatem, & caſum defendens, effudit. Cap. XXI.

Plutarch⁹ excuſatur, Lucretius arguitur ĩpietatis.

SVPEREST, vt quoſdam de mundo Philoſophorum non ferendos errores coarguam, Plutarchi ſcilicet & Lucretij. Nam quæ vel Ariſtoteles, vel Platonici quidam in diſputatione de mundo peccauerunt, ſuperius declarata ſunt. Quanquam protinus ipſo ſermonis limine vera ſeſe offert reſponſio, quòd Plutarchus non ex ſua ſententia, ſed Platonis & aliorum quorundam loquitur. Lucretio verò ſi leporem poeticum detraxeris, nihil ferè boni reliqueris. Quippe qui eam ſectam ſit profeſſus, cui certum eſſet, nihil quod à ſuperioribus ingenio præclaris philoſophis dictum eſſet, aſſerere: & quaſi ruſtica coacta manu, in Philoſophiæ campos lutulentis pedibus inuaſerunt: ſed celeriter reiecti, latrare tamen non deſtiterunt. Videas homines loqui velut furentes mirificas animorum phantaſias, monſtraque terrifica, quales quibus elleboro ſit opus: vt pariter cum illis deſipiat, qui ſeſe maleſanorum delyrijs opponat. Plutarchus igitur in eo quem de Satu animi in Timæo Platonis inſcripſit, principio ſic ſcribit: κόσμον τὸν δέ φησιν ἡράκλειτος, οὔτε θεῶν τις, οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησε: Hunc mundum Heraclitum dicere, neque Deorum quenquam, neque hominum feciſſe. Quaſi, inquit, timeret, ne Deo excluſo, aliquem hominem ſuſpicaremur creaſſe mundum. Non ita o Plutarche, ſed ſentiebat nec hominem vllum, nec Deum ex illis, quos colebant illa ſæcula, Mineruam, Apollinem, Dianam, feciſſe mundum. Dein Plutarchus proponit aduerſus Chryſipum rationes de materia prima, in quam cuncta mala, quæ ſuſpicabantur in creatione remanſiſſe, ſolebant reiicere, eſſe materiam, ἀπειρίαν, αἰσχρὰν, καὶ κακοποιὸν, αὖθις δὲ ἀνάγκην πολλὰ τῷ θεῷ δυσμαχοῦσαν, καὶ ἀφηνιάζουσαν: Infinitam, turpem, maleficam, neceſſitatem quoque Deo repugnantem, & rebellem.

De materia prima.

Hæc quidem Plutarchus optimè primum refellit, mihiq; mirificè probantur. Niſi Deus cuncta feciſſet, ſi neceſſitas in rebus ineſſet, non omnium dominus eſſet. Hoc impium, & vſquequaq; rationi diſſonum. Hic igitur laudo Plutarchum, ingenium plenis laudibus honoro. Cùm verò Platonem, vel Chaldęos, Zoroaſtremq́ue ſecutus, animam quandam maleficam deſcribit, quę teneret ante mundum Chaos, elementaq; in confuſione, turbans inordinatè, rebellis Deo, repugnanſq; creandi, hic ego clamores continere non poſſum. Falleris ò Plutarche, & te quoque defendentem Platonem, contra Stoicos, & Epicureos, eadem incommoda ſequuntur. Arguebas Stoicos de neceſſitate, de repugnante materia: at idem & deterius flagitium, de anima malifica, ἀντιπάλῳ, aduerſante ſummo Deo.

Plutarch. reprehẽditur, de anima malefica.

Quid eſt enim quod poſſit Deo ſupremo reſiſtere? Iam non erat ille motus animę, ſi fuiſſet, ſed elementorum confuſorum, inanimatorum velut ignis, & aquæ, ſic quoque non omnium Dominus, cui tu ſæpe ſubmittis omnia, ſceptrum rerum cunctarum dediſti, eſſet Deus. Qui quidẽ ſi eſſet, nullus ei in creatione obſiſtere potuiſſet, deuictus, & expugnatus, in cineres redactus ab illo. Quis æternæ inexhauſtæ bonitati Dei obſtare potuiſſet? Veritas igitur eſt, quòd ante mundum non fuit Chaos, vt veriſſimis rationibus Ariſt. euincit. Neq; fuit Chaos, neq; Anima.

Neq; fuit Chaos neque aĩa ante mundũ.

Si Chaos fuit, vt veritas eſt, antiquiſſimis ſæculis deſcendens, fuit initium rude mũdi, non æternis ſæculis ante mundum, ſed ipſum mundi rude exordium, maſſa mundi primum fundamentum, cui iacto poſitoq;, reliqua mundi, fabrica ſuperextructa fuit, ab eodem architecto fundamenti atque totius ædificij. Nullum interuallum nullum otium a fundamento ad ædificium.

Nullũ interuallũ a fundamento ad ædificium.

Turbatio quidem elementorum, quę dicitur etiam a Moſe nomine Hebraico rachaph, vnde Gręcum addita ſyllaba ταραχὴ, Tarachi, vera fuit, ſed fuit non ab aduerſanti anima, ſed ipſo eodem Deo, turbante nempe, fabricante, moliente, terribiliter ex aquis & abyſſo cęleſtes orbes elementaq; diſiungente. Iam Plutarchus peccat, quòd Platonis in Timęo Phędroque animam, non verè, nec iuxta mentem pręceptoris interpretatur. Anima cuius origo contextuſque deſcribitur in Timęo, non eſt omnis anima, ſed anima cęli. Eodem quoque libro deſcribitur origo particularium animarum, In Phędro quoque ſcribitur de anima humana: ſed in Timęo generatur, in Phędro ſempiterna declaratur.

Anima cæli.

Plato incõſtans, qui ortum ſempiternũ ſtatuat.

Quod à Plutarcho non eſt explicatum, ambagem hanc contradictionemq; refugiente. Veritas igitur eſt primum, quod Plato (quis enim non pręferat hominibus veritatem?) inconſtans fuit, quòd generatum, & ortum in Timęo, ſempiternum in Phędro conſtituat. Deinde nuſquam eſt apud eum anima malifica rebelliſq; Deo. Sceleratum Magorum dogma. Si Platoni Chaos placuit, ſecutus eſt maiores. Non rectè. Delectus enim in dogmatis humanis haberi debet. Aut ſi rectè, ſenſit Chaos nulla comitatum anima, ſed rudem elementorum confuſamq́ue congeriem, turbatam non ab anima, ſed quia frigida pugnabant calidis.

Chaos apud Platonem.

Excuſatur Plutarch⁹.

Ad poſtremum verè defenditur Plutarchus, veris auxiliis à dedecore redimitur. Non ex vbertate pectoris ſui ſanaque Philoſophia, qua florentiſſimum eius ingenium exuberauit, talia ſcripſiſſe, ſed ex Platone, Platonem autem ex maioribus nonnullis, quorum dogmata pluſquam lyncęis oculis euoluenda, ſub eadem maſſa bonis & malis iacentibus.

A *Diſſoluuntur vanæ Lucretij contra mundi creationem, rerumque ordinem, calumniæ. Coarguitur neceſſariò ſenſiſſe prouidentiam rebus ineſſe, Omnia cauſa noſtri feciſſe Deum: quæ putaſſet Epicurus noxia, vel ſuperuacanea, ſummam prouidentiam habuiſſe. Cap. XXII.*

Impiꝰ Lucretius.

LVCRETIO verò propter ſermonis inſolentiam quis reſpondeat? Meras enim, velut emota mente, crepat vanitates: ſed non poteſt ſic veritas aboleri, quin illam mens humana nonnunquam profundat. Principio igitur nominat naturam;

Lib. 1.

Confringere vt arcta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.

Videtur item eam deteſtari religionem, quæ peperit ſcelerata & impia facta:

Ibidem.

Quin contra ſæpius olim
Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta.

Natura eſt ordo rerũ.

Procedamus igitur per ſingula. Coegit enim inuitum, vel incautum Natura fateri, quod omni eo libro fugiebat. Si natura eſt, ordo quoque eſt. Quid enim eſt aliud Natura, quam rerum naſcentium, creſcentium certus ordo, concentus, recta ratio? Si recta ratio & certus ordo rebus ineſt, qui Natura dicitur, vbi caſus, vbi temeritas, quam totis illis libris obnixè tuetur? Vbi temeritas atomorum? Vbi mundi conſtitutio ex concurſu temere cadentium atomorum? Vbi lapſus & interitus B eiuſdem, nullo præſide? Si vult ratione & natura diſcutiendos eſſe terrores, vult agi ratione cuncta, Quæ maior ratio, quàm Deum eſſe, reſque humanas eum ſcire & attendere? Quæ maior ratio, hominumque conſenſus, quàm mundum conſiliis vnius maxime ſapientię gubernari? Quę natio tam effera, id non confeſſa eſt? Quis animus non animaduertit? Quot argumentis confirmatur? rerum ipſarum teſtimoniis prædicatur? Vult autem ratione nos vti Lucretius, & eius auxilio terrores vanos, falſaſq; opiniones diſcutere. Ipſa igitur hæc ratio, docet eſſe falſiſſima, quæ libris illis ſcripſit. Præterea quid ſibi vult quod proſequitur?

Ibidem.

Quippe vbi non eſſent genitalia corpora certa,
Qui poſſet mater rebus conſiſtere certa?
At nunc ſeminibus quia certis quæque creantur,
Inde enaſcitur, atque oras in luminis exit
Materies vbi ineſt cuiuſque, & corpora prima.
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quòd certis in rebus ineſt ſecreta facultas.

Certus ordo ſeminũ quid.
Geneſ. 1.

Audis vt ſeminum certos ac præſcriptos ordines fateatur? Vt rerum formas inuariabiles, conſtantes, æternoſque reditus rerum naſcentium? Hæc conſtantia & certus ordo ſeminum, quid eſt aliud, quàm conſilium Dei, quod Moſes explicuit datum, cum cuncta producerentur? Dixitque Dominus, Producat vnumquodque iuxta genus ſuum, habens ſemen in ſemetipſo. Vides ordinẽ, C ſecretamque facultatem, quam Lucretius agnoſcit & fatetur fuiſſe imperium Dei. Secreta rerum & certa facultas arguit quandam ſapientiam inuentricem & præſidem. Certa quoque genitalia corpora, quod Ariſtoteles & priſci plenis vocibus prædicauerunt, temeritatem tota Natura exulare cogunt. Proteſtantur artificis mirabilem, quæ dedit ordinibus perennitatem, ſapientiam. Situs ille genitalium membrorum probat aliquem conſilio, ſolertiaque potentem: Non caſu, fortuitoque veniſſe tale, tantumque artificium, quod perennem ſuppeditaret originem. Nam qua temeritate veniſſet, eadem breui concidiſſet. Cito enim cadunt, quæ temeritas inueniſſet. Per tot annos ordo naſcendi ductus eſt, idem ſemper & ſimilis ſui. Quòd igitur creantur quæque ſeminibus certis, arguitur ratio magna, mundi præſes, ingentium operum opifex, Naturæ rector, arguitur ſpiritus intus alens. Quòd verò deteſtatur eam religionem, quæ peperit ſcelerata & impia facta: Ergo laudabilis & ſancta, quæ ſanguinem humanum fundi prohibuit, ſcelerata ſacrificia ſuſtulit, iter hominibus ad innocentiam aperuit: eos ſumma charitate, modo ſequantur, deuinxit: cuncta flagitia ſummouit. Quòd ſi mala, nefariaque

Conſilio non caſu membra humana facta.

Maleficæ religionis & verę ſanctęque effecta.

Tantum relligio potuit ſuadere malorum,

Certè quæ tot bona quotidie ſuadet, exoſculanda, ſummis laudibus efferenda. Vera generis humani magiſtra iudicanda. Hæc ad alia fatetur, ſuadet, mundum non temere, ſed conſiliis æterni Dei fuiſſe creatum. Alias autem rationes, quas Epicurus, non contra creationem, ſed contra quale retulit Moſes, inuexit, ſuperius diſcuſſas non repetam: quòd Deo nullum emolumentum gratia noſtra præſtare poteſt, vt cauſa noſtra mundum moliri voluerit: Quòd tanto antè tempore quietum nihil illicere debuit, vt cuperet vitam mutare priorem. Fas enim eſſe, rebus nouis ſtudere eum, cui veteres obſint: ſed cui nulla omni anteacto tempore ægritudo accidiſſet, cum pulchrè

D

Maior Dei bonitas q̃ hominum.

Vera Dei bonitas in creatione.

degeret æuum,non potuiſſe amore nouitatis accendi. Nobis quoque non naſci nihil mali fuiſſe. Reſponſum enim ſuperius,Maiorem eſſe bonitatem,charitatemque diuinam, quàm cuiuſuis hominum. Nec ſi homines remunerantur,qui beneficium dediſſet,eadem ratione Deum eos remunerari, a quibus beneficium accepiſſet: ſed cuius omnes virtutes ſunt virtutibus humanis in immenſum maiores: ſic benignitatem & clementiam tãto noſtra eſſe debere maiorem, quòd noſtra remuneratur a quibus accepiſſet,illa gratificatur a quibus nihil accepiſſet. Improbatur etiam & criminibus inceſſitur à mortalibus amicitia, quæ remunerationes expectat, mercatura dicitur, non amicſtia. Contra,ſummis laudibus tollitur,vera charitas iudicatur, cum gratificatur amicus amico,nullius remunerationis cauſa,ſed ſola bonitate ſua. Deo quoque ſimillimi iudicantur, qui beneficium inimico contuliſſent, qui peperciſſent. Vera igitur bonitas Dei fuit beneficium dare creandi mundi,a quibus nihil accepiſſet. Sic enim magnitudo bonitatis ſuæ cognita fuit. Quòd autem Deum creando mundo,vitam mutaſſe priorem,& quaſi tædio prioris ætatis accuſas ad creationem veniſſe,magna cæcitas,inexpiabilis error. Si Deus cauſa noſtri,non ſua,creauit,cur putas eum vitam mutaſſe priorem? Mutaſſet,ſi propter ſe mundum feciſſet, ſi quale male prius habitãs mutare ſedes,reficere domum ſtatuiſſet. Hoc ſtulti dicant: ſapientes autem, Deo ſemper vbertate felicitatis ſuæ circunfuſo, nunquam ſempiterna gaudia ſua defuiſſe. Quibus cum bonitas quoq; par adeſſet,alios eius efficere participes voluiſſe: Id autem in Aeternitate fieri non potuiſſe. Solus enim ipſe potuit æternus & lætus eſſe lætitia ſempiterna. Homines igitur & Deos feciſſe, terras hominibus,Diis cęlum,vtriſque cęlum & terras,vt maieſtatem ſuam noſcerent,colerent, pariterque ſecum beati eſſent. Quod in tempore duntaxat,in Aeternitate minimè fieri potuiſſet. Solius enim eius æternum æuum. Sed his facilè reſolutis,quæ mouere forſan aliquem poſſent, quæ poſuit Epicureus idem probaturus temere & fortuito,non a Deo creatum mundum, quòd tantis culpis ſubiectus ſit,quòd magna vbique temeritas & inordinatio,& confuſio,refellantur.

E

Ibidem.

Principio quantum cœli tegit impetus ingens,
Inde auidam partem montes, ſyluæque ferarum
Poſſedere, tenent rupes, vaſtæque paludes,
Et mare quod latè terrarum diſtinet oras.

Plagę mundi calorib. & frigoribus inhabitatæ.

Incõmoda vitæ q̃ta.

Ea tantum inſectatur improbus quæ mala putãtur, bona verò ſilentio trãſigit.

*** 3. de Legibus.**

F

Nihil tam commodũ quin incõmodum videri poſſit.

Lucretius calumniator rerũ diuinarum.

Ordo admirabilis & pulchritudo partiũ vniuerſi. Montes.

Hæc Lucretius. Ad hæc,quòd duæ maximæ mundi partes,aliæ feruoribus,aliæ gelu aſſiduo mortalibus ſint ablatæ: quidquid autem arui reſtet,ni vis humana reſiſtat, breui ſentibus obducatur. Et cum iam latè virere, florereque fruges cępiſſent, partim nimis feruoribus Solis,partim imbribus gelidiſque auferri: Vexari violentis flatibus ventorum. Ad hæc cur feras horriferas, hominibus infeſtas alant mare & terrę. Cur anni tempora morbos apportent. Quare mors immatura vagatur. Cur infans humi proiectus,contra quàm bruta,indigus opis,implet locum vagitu. Nec pecudibus quemadmodum nobis,opus eſt męnibus altis,quibus ſe tueantur. Quibus omnibus Epicureus nitatur probare,mundum non Dei conſiliis,ſed temeritate & caſu emerſiſſe, cuncta Fortuna gubernante. Ad quæ è veriſſimis Naturæ theſauris rationes depromptas,poterit,qui voluerit,obiicere. Principio vt in omni cauſa,atque opere,qui bonis ſilentio præteritis, mala & accuſationi obnoxia perſequeretur,improbus haberetur,ſic improbus habendus,qui tam mirabilibus rebus,quibus conficitur ornatus mundi,tacitis,ea tantum inſectetur,quæ calumniandi locum præbere poſſent. Verè enim dixit grauis orator*,Sed eſt iniqua in omni re accusãda,prætermiſſis bonis, malorum enumeratio,vitiorumque ſelectio. Innumerabilia ſunt in mundo,quæ nõ admirari modò ſapientes,ſed obſtupeſcere coegerunt. Nec ſatiare ſeſe conſiderando illi potuerunt. Improbantur,ſtultique dicuntur, qui vel ignem,vel aquam, vel ferrum conuitiis inſectentur,quòd aliquas clades ab his importatas audiamus. Deniq; nulla res, cunctorum iudicio, vtilis, neceſſariaq; iudicata,quæ non ob aliqua adiuncta incommoda vituperari poſſit. Conſideranda ſunt igitur longè plura ac meliora,quàm pauciſſima,ac minima mala. Quemadmodum qui eloquentia quàm diuina virtus ſit,vult noſcere,non vrbes euerſas malorum loquacitate, ſed innumera bona bonorum eloquentia parta conſideret. Vt igitur dem,in tanto bonorum numero,quædam mala interueniſſe,non protinus aſſequeris,vt calumniari mundum, mentemque magnam, qua gubernatur, tollere poſſis. Sed præter hoc reſponſum, mihi non modò calumniæ patere non videntur, quæ Lucretius obiecit,vt non minus in his ipſis prouidentia vigilaſſe, ingeniumque ſuum exercuiſſe videatur,quàm his,quæ claram prouidentiam proteſtantur. Montes, Syluæ, vaſtæq; paludes, & mare latiſſimum Lucretio viſa ſunt, quæ prohibeant ne fateamur mundum diuinitus creatum. Audiat igitur principio. Montes nihil habent in terris,quod non maximorum commodorum,incredibiliſque venuſtatis cauſa factum videatur: vt ſi montes in terris non adeſſent, multa mala cum dedecore conſecutura fuiſſent. Cernentur autem mala montibus abſentibus, ſi commoda venuſtaſque his præſentibus conſiderentur. Iamprimum coercetur montibus rupibuſque celſis mare, ne proſiliat in terras: in eos duriſſimos, & inexpugnabiles carceres illidit fluctus inſanos. Hic rabies efferata quieſcit. In montibus cęlum ſaluberrimum, defecatus aer, corporibus firmandis aptus. Et cum graue cęlum infeſtat æſtate habitantes in plano, qui tenent montes, locorum celſitudine, cęliq; bonitate à morbis defenduntur. Hic amęniſſimi

A ſeceſſus, hic ſaltus opaci, virides ſyluæ, ad voluptatem, vitamque quietiorem iucundiſſimę. Secedit in montes innumerabilis hominum multitudo, ſeceſſus illos ſacros, ſyluaſque viridantes, & propiora cęlo loca adamantes. In campis nulla grata oculis varietas, eadem ſemper terrarum facies. Montes autem mirabili varietate diſtinguuntur. Hic valles vmbroſæ. Hic latè proſpectus oculorum. Nunc tumulus ſurgit, nunc caua vallis hiat. Nunc pendet rupis, nunc occurrit nemus vmbriferum. Nihil in montibus ociatur. Nam ſyluæ tum gratiſſimę ſunt, tum præbent nobis omne genus materiam ad humanos vſus maximè neceſſariam. Tum feras, animaliaq; manſueta nutriunt, quæ cauſa hominum eſſe facta, declarat, quòd his ſoli homines vtuntur. Qui feras item perſequentes, tum earum venatu victitant, tum exercentur: firmant vires corporum: Incredibilis eſt lætitia perſequendis eis. Ad poſtremum, magna montium neceſſitas. Sine his nec hominum vita ſuſtineri, nec vlla in terris venuſtas inueniri poſſet. Quis enim, qui neſciat, ſi non eſſent fontes, & flumina, maximis incommodis humanam vitam fuiſſe vexandam, imò verò defecturam breui? Montes igitur gignunt nobis fontes, & flumina. In cauernis montium cogitur frigidus aer: hic deſtillat, defluitq; in fontes. Fontes aggregati flumina conficiunt. Hæc ad vrbes in plano ſitas deſcendentia, deferunt ſecum, quę nullius ore numerari poſſunt bona. E montibus Aethiopiæ oritur, labiturq; per varias terras, Nilus. Heluetiorum montes quatuor inclyta flumina mittunt in varias terras, Danubium in mare Euxinum, Padum in Italiam, Renum per Germaniam in mare Oceanum, Rhodanum in Galliam. Sic è monte Tauro, Tigris, & Euphrates. Denique cuncti fontes, è cauernis illis, latiſſimiſque ſpecubus oriuntur. Quid eſſet autem humana vita ſine fontibus, & fluminibus? Qui igitur accuſauit montes, eoſque temere terras occupaſſe B putauit, nec eorum vidit commoda, & neceſſitatem, diuinamq; creandis eis prouidentiam non perſpexit, is ſine dubio dementiſſimus fuit. Quorum accuſatione expiata, purgata eſt etiam culpa ſyluarum, quę tametſi tenentur a feris, tamen feræ ipſæ, ad vtilitatem, voluptatemque noſtram deſeruiunt: vt, ſi non feciſſet Deus, facienda fuerint ab hominibus earum luſtra: tum maiores capiunt homines è ſyluis fructus, quàm feræ, vt propter homines factæ, non propter feras apertè noſcantur. Venio ad paludes, & lacus, & marę, quorum non minor neceſſitas & vſus, quàm montium, ac ſyluarum. Hincque primum aggredior. Quanto melior Lucretio & Poeta, & Philoſophus fuit, qui colluſtrans oculis opera mundana, inque his lacus, & paludes contemplans, ea non temeritatis, ſed ſummæ prouidentiæ, diuinæque bonitatis munera iudicauit, & inter præcipuas Italię laude aſcripſit?

Syluæ.

Campi.

Feræ.

Animalia mitia.

Fontes.

Flumina.

Cauernæ.

Nilus.

Flumina quatuor è mōtib. Heluetiorū.

Fontiū cōmoditas.

Feræ ad quid creatæ.

Paludes, lacus mare.

An mare quod ſuprà, memorem, quodque alluit infra?
An ne lacus tantos? te lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino?

Laudauit igitur mare, lacus, ad pulchritudinem Italiæ data, non ad infamiam prouidentiæ putauit. Marcus igitur Tullius omnibus laudibus Lucretio ſuperior, quantus eſt in explicanda diuina prouidentia? quæ perſpicitur in his, quæ mari, lacubus & paludibus naſcuntur. Duos igitur vni Romanos oppono, quanquam nulla ratione conferendos, Lucretio, ſiue patrij ſermonis elegantiam, ſiue mentis diuinitatem compares. Lacus igitur in Terris etſi prohibent habitationes humanas, non tamen tollunt commoda, decorem, neceſſitatem: Neq; enim erant omnia C caſis, domibus, palatiis replenda. Pars terrarum ad vrbium ædificia, pars ad agros, vnde victitarent homines, parabatur. Vt hominibus replere terras venuſtiſſimum fuit, ſic replere piſcibus maria, lacus, paludes. Non decor is tantum, quòd diuerſi generis animalia nata ſunt, terreſtria & aquatica, verum etiam & is, quòd cibus ex omni loco datus hominibus fuit, perſpectus eſt. Ad poſtremum doceo, ſummo conſilio, magna neceſſitate, mare factum eſſe latiſſimum, ipſiſque terris longè magnitudine, vaſtitateque amplius. Nec ſecus fieri potuiſſe, nec debuiſſe. Omnium rerum, quibus animantium vita ſuſtinetur, nemo eſt qui neſciat, aerem maximè neceſſarium. Eo viuunt, ſpirantque animantes, eodem olfaciunt, eodem vident. Nubes item & vapores, atque imbres, ad vbertatem, fęcunditatemque terrarum neceſſarios eſſe quis neſciat? Hoc igitur tam ſalutare, & omnibus terris vniuerſale beneficium, qui rectè conſideret, nobis mare miniſtrat. Nunquam citra mare contigiſſet. Tantundem eſt ad id in terris mare neceſſarium, quàm Sol ſupernus. Sol igitur ſuper immenſas aquas, quæ per vniuerſum terrarum orbem circunquaque diffuſæ ſunt, flammas euomens. eaſque irrequietis ignibus excoquens, & reſoluens, elicit reparatque aerem, quo tota inter cęlum ac terras regio repleta, ſuggerit animantibus ſpiracula, recreat hauſtus, frigiditate ſua, cordis æſtuantes calores. Is, vt dixi, reficitur, reparatur, renouaturque ſemper extractus è mari, rapidi potentia Solis. Qui quanquam elicitur etiam è terris, at is perexiguus eſt, vt niſi magnitudo maris, aquarumque numerus tantus adeſſet, nulla ratione tantus aer fuerit reparandus, exhauriendusque, quantus ad omnem mundum ſatis eſſet. E mari quoque trahitur alia euaporatio, quæ coacta, denſataque in nubes, preſſaque vt ſpongia, protinus imbrem ingentem demittit in terras. Is gremio telluris exceptus, magnus alit, magno permiſtus corpore fœtus. Niſi igitur tantus, quantus eſt numerus aquarum, fuiſset creatus, niſi ſeſe per omnes terras mare diffudiſset, nec aer reparari potuiſset, nec nubes è mari ſublatæ, terras imbribus fęcundaſsent.

Præcipuè 2. de natu. Deor.

Lacuū cōmoditas.

Animaliū vſus.

Mare ad quid creatum.

Aeris, vſus.

Solis commoditas.

Maris cōmoditas.

D

Vtilius igitur fuit animalibus,& ad eorum vitam magis neceſſarium,vt fieret latiſſimus aquarum cumulus,quàm vt ubi nunc mare decumbit, eſſet habitabilis terra:quæ nec ipſa, nec alia pars terrarum,quæ nunc habitatur,teneri ab hominibus propter ſterilitatem potuiſſent: ipſique animantes nec nati fuiſſent,& ſi nati,reſpirare poſtea non potuiſſent.

Lucretij cæcitas & imperitia.

Hanc calamitatem,quia contra Naturam arma ſuſceperat,& in eam ſcripturus venerat,videre Lucretius non potuit: cui viſum eſt, caruiſſe conſilio & prouidentia,quòd mare tantum terrarum occuparit. Mitto enim nunc alia,nullius ore enumeranda commoda, quæ percipiuntur è mari:mitto nauigationes,piſceſque omnigenos, quibus maxima pars humanæ vitæ ſuſtinetur.

Feruores & frigora terræ ad quid.

Venio ad perpurgandas alias accuſationes, quòd aliæ terræ propter feruores,alię gelu aſſiduo ſint mortalibus ablatę. Eadem atque ſuperius, Naturæ calumniandæ dira cupido. Principio deprehenſum eſt, nullas eſſe terras uel ob frigora, vel calores,non habitabiles. Deprehenſum eſt, eos falli,qui vel Zonam torridam, vel duas frigidas inhabitabiles exiſtimaſſent. Inuentumque eſt,nec tam ſęua frigora,nec tantos eſſe feruores in mundo,qui prohibeant,quo minus omnis terra colatur,quiſque locus hominum cultu teneatur. Omnis enim regio,quæ Solis rectis radiis ſubiacet,a Tropico Cancri,ad Capricorni,innumerabiles ſuſtinet habitatores. Mitius quidem cœlum noſtrum, ac temperatius,at & illis ſunt ſua bona, quæ nos in terris produci noſtris cuperemus. Illique ad æſtus aſſueti tam iucundè ac beatè viuunt in ſua,quàm nos in noſtra regione.

Natura omnibus gratificata Zonæ.

Cunctis Natura proprium quid gratificata eſt. Si quid aduerſi dedit,remedia quoque,quibus incommoda locorum leuarent,non denegauit. Eas quoque Zonas, quæ polis rectè ſubiacent, vbi neceſſario ſunt dies ac noctes temporibus variis bimeſtres ac trimeſtres, vidi qui ferrent non modo facilè ab hominibus habitari, ſed vſque eò cęlum illud temperatum eſſe, vt binas ac ternas fruges ſingulis annis legant. Cui ratio quoque aſtipulatur.

E

Quo tempore Sol aſſiduus ſuper terris immoratur,fruges maturari,produci de terra cuncta bona. Denſiores autem tenebræ,menſem duntaxat ingraueſcunt. Hæc vidi qui vidiſſent, fideliſſimèque referrent. Non illic mare glaciale eſt. Tum ſi glaciale,habitabile quidem, & veſtigia patiens, ſuper aſtricta glacie caſas figunt dum gelu durata ſolidæ terræ modum præbet. Illic negociantur. Vbi reſolutio propinquat, tollunt vrbem, redeunt in terras. Vbique igitur fuit diuinitus conſultum.

Temporũ anni viciſſitudines.

Cur porrò tacuit Lucretius,qui queritur æſtus & frigora,quæ ſolis facit acceſſus, ac diſceſſus,diuinum,quo Sol it,reditque ſingulis annis,ordinem,nunc hyemes,nunc æſtates efficiẽs? Quo quid diuinius? Dum nobis hyems neceſſaria, frigoraque grauidant terram,& in viſcera naturalem calorem reiiciunt, imbreſque omnia fęcundant, interea dat illis Sol acceſſu feruores, quibus maturatas fruges ad horrea portant. Quòd autem queritur accuſatque Naturam Lucretius,quodcũque reſtet agri boni,ni vis humana reſiſtat,ſentibus obduci,partimque feruoribus,partim caſibus aliis auferri:primum monebo eum,ſi voluerit,aut potuerit ſuſpicere, quod longè meliores Philoſophi docuerunt, exemplorumque abunde eſt,cum felicitas, rerumque ſecundarum ſucceſſus &

Rerum copia inſolentiam parit.

copia mortales reddat inſolentes ac peiores,cùm ſint deteriores, quo ditiores, cum corrumpunt animos & corpora,haud citra diuinum conſilium eueniſſe vt victus ſudore conſtaret, vt excuſſa corporibus atque animo torpedine,& fortiores fierent homines,& alacriores,ad do etiam meliores. Nemo enim eſt qui neſcit,laborando non modò corpora,verum etiam animos effici meliores, quòd ocium tam corporibus tabem ingenerat,quàm animis rubiginem. Cernere eſt equos longè deteriores,quos ocium & ſagina corrupiſſet. Certiſſimum igitur ſit,niſi victu quærendo labores hominibus dati fuiſſent,multa mala conſecutura fuiſſe.

F

Cur homini labor propoſitus

Nec vlla deſignari poterit honeſta cauſa, cur Deus auferre labores hominibus debuiſſet,quibus ablatis remanent ocioſi,ventri,libidinibuſque fędis,quales hodie,quibus res affatim ſuppetunt,ſeruientes. Tales eſſent omnes in ocio & ignauia,quales Campani, quos agri bonitatem grauis orator dicit ſuperbos & crudeles reddidiſſe. Itaque maximè fallitur Lucretius, quod optimum fuit,hominibuſque vtiliſſimum,diuinæque ſapientiæ teſtimonium, ſuſpicatus fuiſſe temeritatis. Similis eſt reſponſio, de pruinis & imbribus.

Ignis non accuſand° qđ adurat.

Neque enim ſi quando calamitas ab igne contigit, vt domus incenderetur, infans in ignem lapſus arderet, protinus accuſabimus ignem, & temere non ad vtilitatem ex ſumma prouidentia datum arbitrabimur: Sic cùm ſint imbres optimi, neceſſarij, ſine quibus vniuerſa terra ſqualuiſſet, qualis ea regio, vbi mare ſabuloſum eſt: ſiquando cadant vberius,non eſt protinus temeritati tantum, tanquam diuinum munus tribuendum. Sunt autem regiones, quibus pruinæ roſque cęleſtis, quibus cadit copioſiſſimus, eſt pro pluuia. Eadem de ventis dicenda.

Ventorũ commoda

Nemo poteſt enumerare commoda, quæ venti largiuntur. Hi differunt nubes, & grauidas imbre per omnes terras diffundunt. Per omne mare curſus dirigunt: magnos afferunt hominibus vſus,vt ex omni regione vectigalia,merces,vnum in locum comportent: efficiunt vt mores, habituſque peregrinos,quæ ſemper fuiſſent incognita,noſcamus. Sed hæc quidem oblectationis,illa neceſſitatis, quòd ab his vapores è mari Solis ardoribus educti congregantur in nubes & conſtipantur. Ab eiſdem velut manu ſpongiæ nubila compreſſa in pluuias laxantur: quod ſine ventis nulla ratione fieri potuiſſet, Venti præterea purgant aera, tetros odores, malaſque exhalationes ex omni mundo ſurgentes amoliuntur. Iidem ſerenitatem, iidem nubila, velut aeris moderatores ac domini, apportant. Sine ventis non minus homines viuere, quàm ſine Sole non potuiſſent. Nunquam enim his abſentibus pluiſſet. Nunquam ſerenitas cęleſtis affulſiſſet.

A Vbique caliginoſus aer inhorruiſſet. Numerare igitur ventorum commoda Lucretius, non incommoda debuerat. Sic commoda, quæ nimij feruores apportant, quos vehementes fieri ad torrendas fruges conueniebat. Neq; verò bonus apud mortales haberetur, qui cuiuſquam leuioribus vitiis notatis, maximas, inſignioresq; virtutes omitteret. Siquid igitur nimij feruores frugibus natis nocuerunt, at reſpicę, vt ab eiſdem è terræ viſceribus promuntur, aluntur ad incrementum & maturitatem, deniq; maturatæ caloribus, domum ad hominibus deportantur. Sine feruoribus nec naſci, nec creſcere, nec maturari potuiſſent. Ac verè dixit ille, longa eſt oratio, multæque rationes, quibus doceri poſſit, omnia quæ terra concipiat ſemina, quæq; ipſa ex ſe generata ſtirpibus infixa contineat, ea temperatione caloris, & oriri, & augeſcere. Solus autem Deus vndequaque bonus ac beatus. Noſtra, bona quidem, ſed quoniam à Deo longè diſſita, non eadem perfecta, ſyncera, inuiolata bonitate, vt ſemper proſint, nunquam noceant. Quemadmodum nihil eſt luce melius, ac delectabilius: at Sol ſæpe corpora hominum inflammauit. Quod autem de feris horriferis, quæ nobis infeſtas alant maria & terræ, obiecit Lucretius, ſimilis reſponſio. Pauciſſimæ enim ſunt ferræ hominibus infeſtæ, at innumerabiles ad omnes vſus aptæ. Ex eiſdem quoque remedia, vel ad earum, vel aliarum ferarum nocumenta ſumuntur. In omni igitur Europa, ſiue Italiam, ſiue Germaniam, & Galliam aut Hiſpaniam peragraueris, has hominibus infeſtas, niſi fuerint priores irritatæ, feras pauciſſimas enumerabis. Nam regiones calidiores, neceſſariò multa monſtra, propter feruores, aluerunt: ſed & ea prodigioſa, magnæ voluptatis cùm viſuntur, magna Naturæ potentis indicia, non vnam aut alteram faciem, ſed longè varias ac diſſimiles nobis offerentis, & quaſi ludentis. Quid Elephantis, Rhinocerotibus B mirabilius? Quis Cetum conſpicatus, non obſtupuit, miratusque vocem, & mentem ad artificem ſuſtulit? Quod Naturam accuſans, caſum, temeritatemque defendis, quòd lupos, voracesque beſtias crearit, cur non laudas, & admiraris, quòd boues, & equos, ad humanam vitam neceſſarios, quòd tot ferarum genera ad cibos, omnesque alios vſus eduxit? Cur oculis iniquis munera eius, tamq; mirabiles diuitias cernis, nec te, vel odium, vel hebetudo laudare ſinunt, quæ meliores non modo laudarunt, ſed etiam obſtupuerunt? Factæ ſunt igitur quot fieri formæ potuiſſent. Mirabilius eſt, & ad diuinam prouidentiam illuſtrius, tot tantasque animalium formas apparuiſſe, tam varij generis arma, quibus ſe tuerentur, accepiſſe, quàm queſtu dignum, quòd his arma dediſſet. Quæ neque data ſunt, vt hominibus nocerent: ſed ſicut non fuit datum ferrum ad exitium ſed ad vſum, ſic vt his illa ſe tuerentur. Vt igitur cornua tauris, apibus aculeos, ceruis velocitatem, equis calces dedit, ſic venena ſerpentibus, morſus feris tetrioribus: quibus vt dixi, non nocerent, ſed ſe defenderent. Hoc fuit naturæ mirabile conſilium. Quòd autem morbos, mortemque immaturam deplorat Lucretius, hincque prouidentiam, quæ rebus humanis conſuluiſſet, tollere feſtinat, in mediumque protrahit infantes, humi proiectos & flentes, & opis indigos, vna eademque reſponſio. Nam quæ morbos apportant, parte alia ſunt optima, ſalutaria, vitalia. Sol magnis feruoribus febres accendit: at eodem tempore fruges torret: fructus matureſcere cogit: efficit, vt vuæ dulceſcant: lectæque, & preſſæ dulcia vina profundant. Hisque intelligimus, non idcirco totius orbis dominum, nobis lampada Solis inflammaſſe, quò corpora morbis conflictarentur, ſed quò frumenta, frugesque omnes maturatæ carperentur, & vuarum liquores, acerbitate mitigata, ſuaues effecti, non multò pòſt ab hominibus C biberentur. Quod ſi eodem tempore febres inflammant, tum id perrarum eſt, tum nulla ratione cum bono, & vtilitate, quam feruor ille largitur, conferendum. Sed noſtræ prudentiæ extiterit, quemadmodum ignem ne lędat, declinamus, duntaxat autem ad vtilitatem, quæ tam varia, mirabilisque eſt, vtimur: ſic domibus, & tectoriis, quorum faciendorum Deus idem ingenium dedit, feruores Solis declinantes, eos ſinere flammas iactare per arua, & maturandarum frugum munus abſoluere. Quoties agricolas ipſe vidi, ſummis votis æſtus ingentes efflagitantes, quibus excutiendis frugibus incredibiliter iuuantur? Vidi nautas mare, quod nauigantes, tam varia bona domum aduertunt, dicere mare benedictum, mare diuinum, ac ſanctum: Sic feruores Solis agricolæ ſciunt ac fatentur ſanctos, diuinosque, propter incredibiles vſus. Mors igitur immatura non fuit Naturæ conſilium, quę cuncta mirabilibus modis ad omnium conſeruationem ſtuduiſſet. Raro hæc culpa eius, ſed noſtra, qui cupiditatibus effrænatis ſeruientes, exitium nobis acceleramus, & aut inimicitiis, ferroque ante diem cadimus, aut morbis, quos voluptates ac libidines attuliſſent, conflictamur. In vniuerſum reperies, viros meliores ac modeſtiores diutius vixiſſe, Natura longos eis vitæ curſus aperiente. Sunt aliæ cauſæ, quas Lucretius videre non potuit: eas ego contentus his, quæ ſunt in oculis, ſenſuque pateſcunt, ſciens, & prudens relinquo. Nam cur infans, contra quam aliæ animantes, omnem locum vagitu compleat, proiectus humi, Philoſophi veriſſimas, optimasque cauſas, quibus aſſignatis, omnis ſuſpicio conticeſcat, adducent. Primum docentes, vagitus infantium, non magis humani generis infelicitatem, quàm nobilitatem ſupra cæteros oſtendere. Nam cùm reliquas animantes natura villis & cortice, pelleque ſepiuiſſet, quo frigora depellerent, animal nobiliſſimum leuiſſima cute, quo minimum ponderis Spiritus haberet ex carne, circundediſſe: Infantes ex calidis matrum viſceribus egreſſos, frigus externum ſentientes, naturaliter vagire, quos durities cutis, villisque obtecta, non defendat.

Inſignes virtutes nō omittendę ī vitiis notandis.

Bona noſtra nō eadē ſemper: Dei bona permanētia.

Ex feris plura commoda, q̃ incommoda.

Monſtra in locis calidioribus.

Ferrū datū ad vſum, nō exitiū.

Morb⁹, & mors temerè deploratur a Lucretio.

Domorum & ędificiorum vſus.

In mortē nulla culpa conferēda, ſed in noſtras cupiditates, qui eā acceleramus.

Vagitus īfantium.

Differētiæ corporis humani, & mutorum animaliū.

Hō, animal ad ſocietatē natum.

Charitas parentum. Ariſtoteli.

Homines cur mœnibus indiguerunt.

Nobilior habitatio ſubtectis.

Ad huius capitis illuſtrationē confer Lactātiana e cap. 10. de ira Dei.

dat. Craſſa igitur animalia, villis & pellibus armauit, nobile, factumque magis, ad rationem, & cogitandum, quàm ad corporea, tenuiſſima cute contenta eſt protexiſſe: Cui ratio, non cornua, vel aculei, aut plumæ, & roſtrum ad præſidium dabantur. Quòd ſi leones aut equi, propter cutis tenuitatem, dolorem quemadmodum infantes acciperent, haud dubiè, dolentes aliquam vocem, quemadmodum cùm verberantur canes, & feles, emitterent. Ecce igitur vagitus infantium, non calamitatem, miſeriamque teſtatur, ſed corporis delicati contextum, immortalis ſpiritus artificioſam, ac leuem, minimumque ponderis habentem ſedem. Simili modo cæleſte ſacramentum docebunt Philoſophi fuiſſe, quòd opis indigus infans naſceretur: vt animal ſociabile, vinculum charitatis, ex alterius auxilio retineret: parentes qui non modo genuiſſent, ſed etiam aluiſſeut, diligeret, & coleret, & beneficium, quod ab eis infans accepiſſet, ſenibus redderet. Hoc diuiſſimum, hoc facit, vt contra, quàm bruti, & ratione carentes animantes, parentes diligamus, & colamus, veneremur, pro eis in ferrum, flammaſque ruamus. Genuerunt, difficillimam educationem præbuerunt. Quo tempore, ipſi quoque parentes optimum beneficumque Deum, natis educandis, imitantur. Fitq; amoris maxima coniunctio Animantes rationis expertes niſi ſubitò nati, in pedes ſtetiſſent, educationis indigentes, quòd rationis expertes eſſent, è veſtigio periiſſent. Charitas igitur ratioq; parentum, plus eſt ad educandum, quam brutis naſci non opis indiga. Eadem quoque de mœnibus altis, quibus nos defendimus, pecudes defendi non indigent, dicenda. Multo enim melius fuit mœnibus altis indiguiſſe, quæ cùm vellent homines, ędificarent, quàm non indiguiſſe. Hæc enim ædificiorum egeſtas arguebat animal nobiliſſimum, quod ad habitandum parare ſibi domicilium, tuerique ſe ab iniuriis externis deberet, & poſſet. Pecudes autem ſi męnibus indigentes inſuper ingenio condendorum caruiſſent, ſine dubio non vixiſſent. Homines ergo mœnibus altis indiguerunt: ſed huic egeſtati ratio pulcherrimum remedium, quæ ſolis hominibus dabatur, erat adhibitura. Ad hæc, poſſent homines, vt tempore priſco, pecudes imitati, ſine mœnibus habitare, ſedmelior, nobiliorque eſt habitatio ſub tectis, præclaraſque vrbes apparuiſſe. Quapropter hæc egeſtas peperit hanc toto orbe pulchritudinem, quòd vrbes aſpeximus hominum ſolertia conſtructas. Quis neſciat, ſi poſſent pecudes, quemadmodum homines, vrbes ſtatuere, potius in his ipſis, quàm teterrimis, horridiſque ſpeluncis, aut caulis habitaturas? Quocirca quod optimum, & humanæ nobilitatis teſtimonium fuit, id Lucretius, qui neſcio qua beneuolentia pecudibus homines ſimiles volebat, dedecus infamiamque prouidentiæ, temeritatis argumentum putauit, eadem cæcitate magis temeritatem, quàm prouidentiam defendens, qua ſimiles brutis homines habitationes non habuiſſe queſtus eſt.

* * *

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI.

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER OCTAVVS.

De Angelis, & ea natura, quæ inter Deum ſupremum, atque homines intercedit, & quòd de his etiam priſci Philoſophi ſunt locuti: Et de veris Diis, fabuloſis excluſis. Cap. I.

B NVNC DE DIIS, & omni ea gente, quæ maior homine, minor principe, ac ſummo Deo, media inter nos, & illum creditur, de qua varius ſermo priſcis & iunioribus Philoſophis habitus, agendum, hinc inde mendaciis, & fabulis à veritate ſegregatis: & quod nominibus confuſum, confuſas quoque res exhibet, moraturque mentem ab aſpectu veritatis, ſeiungendum, & in ſeparata genera partiendum: vt quæ bona, & vera ſunt, iucundè ſuſcipiantur, in ſuos ſitus, & ſacrum domicilium reuocata veritate notam ſemper hominibus, & cæleſti beneficio ſemper in terris radiantem, luculentiſſimam autem magni Dei in terras aduentu, ob quæ venerari Theologiam veram neceſſe ſit. Ac iuniores Platonici omnia ferme Deorum genera, quæ noſtris in litteris vidiſſent, furtimque vſurpaſſent, celebrauerunt: apud ſuperiores, vetuſtioreſque Philoſophos varia ratio, nunc qui moneant lumina cęleſtia Deos, nunc alia quædam numina vaga, nulli corpori alligata, cęlum, & terras inambulantia, celebrantes. Sed quoniam ad vnum veritatis filum cuncta reuocanda ſunt, reiectis his, quæ minus rectè ſenſerunt, eorumq; teſtimonio declaratis, reſtabit nuda, exutaque mendaciis veritas ſola. Omnes quidem propè vetuſtiſſimæ gentes, cùm iam veritas, priorumque ſæculorum bonitas obſoleſceret, poſt primum, ac C ſupremum Deum, ſtellas deinde vt Deos coluerunt. Veriſſimumque eſt quod ſuſpicatur in Cratylo Plato: Videntur mihi, ait, priores homines Græciæ, hos ſolos Deos putaſſe, quos nunc plerique Barbarorum, Solem, Lunam, terram, & aſtra, cælumque. Quæ concita perenni curſu intuentes, ab hac currendi natura Theus eos vocarint. Deinde, inquit, deprehendentes alios, iam omnes ipſo iſto nomine nuncuparunt. Eadem in libris primæ Philoſophiæ affirmat Ariſtoteles, Veteres primas ſubſtantias Deos putaſſe. Verùm quod arbitratur, corpora ſolum, Intelligentiaſq; cæleſtes, Deos dixiſſe, non eſt verum omnino. Docebo enim tam ex Chaldæorum, quàm Aegyptiorum, Hebræorum, denique veterum Græcorum Theologia, non Deos iſtos modò, id eſt cæleſtes Intelligentias, priſcos, ſed alia quoq; Deorum genera putaſſe. Alterum quod peccat idem Philoſophus, nec rectè ſententias antiquorum interpretatur, eſt in ſecundo de Cælo, Antiquos ſuperiorem locum Diis attribuiſſe, veluti ſolum immortalem: Inde conſieri, vt nec genitus vnquam. Nam omnis vetuſtas, & cuiuſuis gentis Philoſophia credidit, confeſſaque eſt cælum quanquam diuinum, & incorruptibile, at creatum, cuius vel ipſe Ariſtoteles arguit Platonem. Duoque male de priſcis interpretatur, quòd primas ſubſtantias, & Deos, ſola ſydera, Intelligentiaſque cæleſtes crediderint, quòd tribuerint eis cælum vti ſempiternum. Quorum falſitas colligi

Angeli, media inter Deum, & hoîes natura.

Varii Dii.

Poſt Deũ, aſtra pro Diis habita veteribus.

Primę ſubſtãtiæ, Dii Ariſtoteli.

Errores Ariſtotelis.

Tria Deorum genera in vetere philoſophia.

Dij Poetici.

Vet⁹ Theologia Hebræorum, Chaldæorum, & Aegyptiorum nunquam cęlũ, & aſtra pro Diis habuit. Vnde manarit error Ariſtote.

Cæli diuinitas, eſt barbarorũ ſuperſtitio.

Propoſitio diſputationis de veris Diis.

ligi poterit, tot ſuperius prolatis teſtimoniis. Vt igitur omnia ſegregata, ſepoſitaque melius inſpiciantur, dicendum eſt, tria fuiſſe, & eſſe in Philoſophia, veteriq; Theologia genera Deorum. Ac ſicut ſeparauimus Dæmonas fabuloſos à veris, ſic veris Deis à fabuloſis, & poeticis ſegregatis, Primum genus dicendum, Solis, Lunæ, ſtellarum: ſecundum eorum Deorum, qui à motu cęli abſoluti, per terras vagari, è cœlo terras petere, in cœlo beatè viuere, res humanas gubernare, dixerunt: Tertium eſt genus eorum, quos ex hominibus in Deorum concilio collocarunt poetæ. Ex his generibus, ſolum medium, ſi quis altè ſpectet, & non Naturam modò, ſed omnem veterum, maiorumque Theologiam conſulat, inueniet veros Deos, primum, & tertium fictitium, & fabuloſum: ſed poſtremum à poetis: primum ab his, quibus apud Barbaros, viſum eſt cælum habere Diuinitatem, fictum. Vt quo errore terram, quod Plato perhibuit in Cratylo, aſſeruit in Timæo, oceanum & flumina, omnemque mundum deificarunt, eodem tribuerint, & cælo Diuinitatem. Vtque fictitia fuit Diuinitas Herculis, Martis, Palladis, totque poeticorum Deorum, ſi modò homines eos conſtet fuiſſe: ſic Diuinitas cęli fuit ex errore poſt antiquam, ac ſacroſanctam Religionem, vniuerſalemque Dei cultum extinctum, aſcita. Nam vetuſtiſſima Hebræorum Philoſophia, longè & Chaldæorum, & Aegyptiorum Theologia ſuperior, nunquam dedit cælo, ſicut nec cæteris rebus Diuinitatem. Quæ Religio & Philoſophia quoniam antiquiſſima eſt, illud priſcis illis ſæculis, anteaquam pro veritate ſuccederet mendacium, placuiſſe, creditumq; fuiſſe ſentiendum, quod traditur in ea. Ac Plato quoque teſtis eſt in Cratylo, & in Legibus, à Barbaris allatam ad Græcos aſtrorum Diuinitatem. Sed vbi inueneris non vetuſtiores, ſapientioreſq; Barbaros id feciſſe, nec ſemper apud Barbaros hunc errorem viguiſſe, pronunciandum erit, Græcos in eo non veram Barbarorum Theologiam, ſed eorum vanitatem, erroreſque ſecutos, cùm cælo dederunt Diuinitatem. Nec Ariſtote. fecit aliud, cùm Diuinitatem ſyderum adeò ſuſpexit, hucq; mentem omnem defixit, quàm quòd Barbaros ſecutus eſt in eo, in quo poſt multa ſæcula ab ortu generis humani illi errauerunt. Atque Ariſtoteles quoniam hanc cæli, ſyderumq; Diuinitatem à præceptore Platone, Triſmegiſto, Chaldæis, accepit, certè fatendum eſt ei, quod priores illi prodiderunt, Deos quidem eſſe planetas, ſed creatos à ſummo Deo, quod Plato toties, vt vidimus, confitetur, & Triſmegiſtus. Igitur autore Platone nil aliud eſt cæli Diuinitas, quàm Barbarorum ſuperſtitio, qualis fuit Diuinitas terræ. Siquidem eodem tempore, eadem religione terrę, ac cæli Diuinitatem ſuſcepere. Sed facilius de terra, quoniam præſens eſt, negari poteſt quòd ſit Dea, quàm de cælo ab oculis remotiſſimo, & incorruptibili, tum ordinum ſempiternorum pleno. Triaq; de cæli, & ſyderum, planetarumq; Diuinitate ſtatuenda. Eam ſuperſtitionem eſſe Barbarorum, tum eodem honore, eadem opinione cælum, atque terram ab eis deificatam: vt tam deſipuerunt in Diuinitate cæli, quàm terræ & oceani. Poſtremò, quòd tametſi Deos vocent Solem, Lunam, ſtellas, ab ſupremo tamen, & magno opifice Deo facta confitentur. Hoc Mercurius, hoc Timæus Locrenſis, hoc Plato. Excluſa igitur veluti fabuloſa, fermeque poetica, cæleſti Diuinitate, cuius in Theologia Moſis, omnium vetuſtiſſima, nulla fit mentio, imò quæ ſit infamis apud Prophetas, & quæ, ſi quidem vlla ſit, creata ſit à ſummo Opifice, & quæ nil aliud niſi motus cæleſtes operetur, quo ſola corporea vita adminiſtratur, ad animos nihil attingat, de veris Dijs loquendum eſt, ex Philoſophia. De quibus quoniam multa vera, admirationeq; digna, rurſum fabuloſa & fictitia multa diſputantur à Platonicis, conandum eſt pro viribus, aurum quaſi ex ſcoria deligere.

In ſermone Platonis, Ariſtotelisq;, apparere Deos alios, quàm qui moueant orbes cæleſtes. Nec alios eſſe poſſe, quàm Angelos ſupercæleſtes. *Cap.* II.

Ad hoc caput conferque diſputat D. Aug. lib. 9. cap. 19 20. 21. 22. 23.

Dij, i. Angeli.

EX OMNI veterum Philoſophorum, Theologorumq; ſermone ratio quædam de Diis colligitur, id quod poſtea beneficio Chriſtianæ religionis, melius & explicatius Platonici tradiderunt, apud quos nomina Deorum, ſiue Angelorum diſtincta, officia quoque, quæ tribuit eis ſacra Theologia, Theologorumq; Corypheus Dionyſius, quem clam præcipuè Proclum, Platonicos ſecutos Græci teſtantur, inueniuntur. Quos autem veteres omnes promiſcuè Deos vocarunt, & quæ in mundo munera eis attribuerunt, deprehenſa ſunt eſſe, quæ dilucide, & clarè, ex vetuſtiſſima Hebręorum Theologia, expoſuere noſtri. Permanauit quidem ex Hebraica Theologia quædam in omnes gentes fama de diuino illo genere, quod inter homines & Deos intercedens generatim ſit appellatum Deorum, ſeparatim autem apud Platonem, pluresque alios, Dæmones. Ac quoniam apud quos eſt mentio iſtorum Deorum, quibus munera quædam diuina, præcipuè gubernacula humani generis aſſignent, & beatos eſſe eos, cœlumque colentes prædicent, eſt etiam ſummi ac ſingularis Dei mentio, deducendum eſt, eos aſſeruiſſe genus illud, quod aſſeritur à noſtris poſt Deum altiſſimum, omnemque de eis Theologiam eam propoſuiſſe, quæ vetuſtiſſima docuit ſapientia noſtra. Dico videlicet quòd cum apud Platonem, Ariſtotelem, omnes denique Philoſophos, & Poetas ſint, ac nominentur ſæpe Dij, rurſum celebretur ſingularis ille, ſempiternus, & omnipotens Deus, neceſſariò coguntur de Diis illis minoribus ſentire, & definire, quæ vetuſtiſſima docuit ſapientia noſtra. Rurſum cùm Ariſto. & Plato quædam de Diis illis prędicent. quæ quidem facere non poſſent, ſi ad cæleſtes orbes adhæreſcentes, inde moueri non poſſent, quoniam dicunt eos intereſſe rebus humanis, multaq; alia gerere, quæ non poſſent, ſi cęleſtes orbes animantes ab illo ſuo corpore diſcedere non poſſent, deducendum ex his, aut per errorem eos cœlo Deos affixiſſe, aut Deorum genus tradidiſſe, à cœli motu vagum, ac liberum. Nam ſi Ariſtoteles affirmat probabile, & veriſimile, Deos, curare res humanas, & gratos eis eſſe, & acceptos pios, eosque pręmiis afficere, certum eſt hoc eos facere non poſſe, ſi cœlum velut corpus ſuum animantes, ſeparari ab eo, venire in terras, & prouidere, & conſulere bonis, & eis pro pietate reddere præmia nequirent. Rurſum cùm Ariſtote. multa ſæpe de ſingulari, ac ſupremo Deo prædicet, neceſſe eſt Deos iſtos, quos alibi memorauit, longè illo minores eſſe. Vt quoniam ille ſupremus, hi minores, neceſſariò tanquam vniuerſali Imperatori obſequentes introducantur. Eadem ratio valebit apud Platonem, Tullium, Poetas, & omnes, qui de Deo, & Diis loquuntur. Quod quidem alij clarè, & apertè prędicauerunt ſubiicientes Deos minores vni maximo: alij ſi non apertè, hac tamen, quam dixi, ratione aſſerere coguntur. Ac primum hac agendum ratione cum Platone. Prædicat in Timæo duo genera Deorum, quod etiam in Legibus, & in Epinomide, aſtra ſcilicet, & Dæmones: primi noti, clari: ſecundi obſcuri, inuiſibiles: vtroſque ab opifice mundi ſatos aſſerens. In cęteris autem libris vbique & ſingularis Dei eſt mentio, & Deorum, qui rebus humanis interſint, ſpeculentur, quę fiant in terris. Ad hęc in Phędro, in Gorgia, in Phædone, aliiſq; libris, prædicat ſupra cæli vertice, vbi nec Sol, nec Luna ſit, nec aſtra, Deos beatos, & felices viuere, quibuſcum, animi hominum puri, ac ſancti pariter triumphent. Et illi igitur, qui res humanas præſentes videant, & illi, qui ſupra cęlo viuunt beatiſſimè, quinam ſint, quoniam nec ſunt animi ſyderum, & aſtrorũ, quippe, quæ nequeant à corporibus ſuis ſeparari, nec ſunt Dæmones, quibus locos ſublunares attribuunt, diligenter ſunt inquirendi. Eadem quærerem ex Ariſtotele, qui preſſius, & cautius loqui viſus eſt. Aſſerit in libris de Cęlo extra cęli vertiginem, viuere Deos, omne æuum beatos. In libris de Moribus, Deos proſpicere rebus humanis, præmia reddere bonis, & iuſtis. Quid igitur ſequitur aliud, quàm fabuloſam eſſe aſtrorum illam Diuinitatem? Quomodo enim ſupra, vel extra cęlum ſunt Dij, ſi cęleſti corpori ſuo inſeparabiliter inhęreſcunt? Quomodo etiam prouident hominibus, dant præmia iuſtis, ſi cęlum relinquere, ne quieſcat aliquando, mundique accidat euerſio, diſcedere à clauo, & reuolutione non poſſunt?

Dij minores, alij quàm qui dicuntur orbib' cęleſtibus affixi eſſe.

Prouidentiam diuinam veriſimilem eſſe ponit Ariſto.

Duo genera Deorũ apud Platonem.

Fabuloſa diuinitas aſtrorum.

Quòd Plato de Dijs ſiue Angelis vera ſenſit, & ſcripſit. Et quòd eorum ſedes in cœlo conſtituit, quibus Deus gubernationem humani generis tradiderit: & de eorum natura. *Cap. III.*

CVM igitur apud Platonem ſit vnus maximus, ac princeps Deus, ſæpe autem nominetur multitudo Deorum, aut eum multitudinis ritu loqui, non ad Philoſophiæ pręſcriptum, aut naturam illam, genuſq; Deorum, quos intercedere quaſi legatos, & internuntios inter hominem, & Deum dixit in Sympoſio, ſpectaſſe, fatendum eſt. Ac Laertio de Platone dicente, οἴεται δὲ καὶ θεοὺς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ δαίμονας εἶναι: Exiſtimat Deos aſpicere res humanas, & Dæmonas eſſe, & cùm ipſo Laertio teſte creatorem mundi Deum collaudet, & ſuſpiciat, toto autem opere nominet plures Deos, qui verſentur in terris: ad hęc autor ſit Philo Dæmones eſſe apud Philoſophos, quos apertè Moſes, & appoſitè vocarit Angelos: conſtat quidquid de multis illis Diis locutus ſit Plato, etſi non habuit nomen Angelorum notum, ſcripſiſſe, & ſenſiſſe de Angelis, qui etiam apud Prophetas, & in Theologia Moſis, & apud Sibyllas, Dij vocantur. Nam Elohim, quod eſt ſingularis Dei nomen, ſæpe numero Angelis adiudicatur: In conſpectu Angelorum ſpallam tibi. Hebraicè, In conſpectu Elohim Deorum. Et minuiſti eum paulo minus ab Angelis, Hebraicè, ab Elohim, a Diis. Sibylla quoque ſuperius, vt viſum eſt, Patrem conſtituiſſe Prolem ſuam dicebat ἡγητῆρα θεῶν, Ducem, Principem Deorum. Quos item choros, & Hierarchias Angelorum deſcribit Dionyſius, Platonici acies, & ordines Deorum ſolent appellare. Ex his igitur fit clarum quidquid de multis illis Diis omnes, ſed Philoſophi præcipuè loquuntur, aut volentes, aut rationis neceſſitate ſenſiſſe de Angelis. Ac primum quod ait in Eutyphrone Plato, quòd ſanctitas φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν, diligitur, charaq; habetur a Diis, iuxta ſuperiorem rationem, cùm ſingularem Deum alibi introducat, cùm Philoſophi ſit vnum caput, vnam originem ſtatuere, cùm Platonici contenta voce fateantur apud Platonem iuxta Pythagoram, priſcoſque Theologos Deum vocari, τὸ ἕν, Vnitatem, & cùm Dij illi cęlum vertentes, quos alibi nominauit, non poſſint res hominum præſentes cernere, quòd curam vertendi cæli, & illuminandi terras deſerere non poſſunt, neceſſariò hi, quos in definitione ſanctitatis aſciſcit, definiens ſanctitatem, quæ Diis placeat, ſunt quos Moſes vocat puros, ac ſanctos Angelos. Sic quod ſcripſit in Phędone, εὐλέγεσθαι, τὸ θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελουμένους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων, τοῖς θεοῖς εἶναι: Rectè ſolere dici Deos curatores eſſe noſtros,

Vnus Deus apud Platonem.

Dæmones, Angeli.

Pal. 137.
Pſal. 8.

De' τὸ ἕν, vnitas.

Dij, curatores qui.

ſtros, & nos eſſe quaſi poſſeſſionem, aut peculium Deorum, claré de Angelis locutus eſt. Laertius enim perhibet Platonem confeſſum, Deos res humanas reſpicere, Eosque Dæmones eſſe. Dęmonas autem Philo eſſe, qui apud Moſen vocentur Angeli, teſtis eſt. Et Plato refert in Phędone, quod in Politico, & Legibus, in quibus libris fatetur ſupremum Deum quoſdam hominibus diuinos, non humanos adhibuiſſe veluti gregi cuſtodes, vtens eiſdem illic, atque in Phędone nominibus, videlicet κτήματος, gregis, ouilis, & ἐπιμελεῖσθαι, cuſtodire, gubernare. Quare tota ratione conſentiente, illi in Phædone, & Euthyphrone Dij ſunt Angeli, rebus humanis à Deo præfecti. Propterea ſanctitas, quoniam ſunt ipſi ſanctiſſimi puritateque delectantur, definitur eſſe, quæ placeat eis. Illud quoque quòd item in Phędone eſt, ratio ipſa demonſtrat, nec ſtellas eſſe Deos illos, quibus Deorum nomina data ſunt, nec aliud Deos eſſe poſſe, quàm Angelos.

Alij Dij non ſunt, quam Angeli.

Viros ſanctos, & probos poſt mortem proficiſci: πρῶτον μὲν παρὰ θεοὺς ἄλλους, σοφούς τε καὶ ἀγαθοὺς ἔπειτα καὶ παρ' ἀνθρώπους τετελευτηκότας, ἀμείνους τῶν ἐνθάδε: Ad Deos quidem alios ſapientes, & bonos, tum homines iam vita functos, longè his, qui apud nos ſunt, meliores. Nonne, & noſtre litterę diuinitus ſcriptæ vociferantur ſemper, exertaq; voce promittunt rectè viuentibus, Deorum, Angelorum conſortium, & quòd erimus æquales Angelis Dei? quòd filij Dei?

Angeli, filij Dei vocantur.

Nam, & Angeli nonnunquam filij Dei vocantur. Nec aliud egit noſtrę felicitatis autor è cœlo profectus in terras, quàm quòd nos Deos effectos, in Deorum regionibus, & regnis collocaturus venerat. Item quod ait eo loco Plato, Deos eſſe omnium optimos, ἐπιστάτας, præfectos, quid aliud rõne fateri cogetur, niſi Deos iſtos eſſe præfectos Angelos à Deo? Et Philo inſignis Platonicus, ſcribens de Angelis, Platonis hoc vtitur noīe ἐπιστάται: Deus ſummus præfecit eos à quibus regimur, vt rectè viuentes, in cęlum ab eis abducamur. Clarius item, quod antè propoſuerat, repetens in Phędone, quòd immundus iacebit iuxta Orpheum, in cęno, illo turpi inferorum, purgatus autem, & expiatus illuc appellens, μετὰ θεῶν οἰκήσει, habitabit cum Diis, Angelorum innuit commercium, & celeberrimam in ſacris litteris ἀποθέωσιν. Hanc Plato ab omnibus retro ſæculis auditam, celebratam, Socratem fecit moriturum decantare, Quicunq; iuſtè vixiſſet, lętus iam cum Diis futurus moriatur. Eodem libro iterat, ei qui non fuerit rectè pureq; philoſophatus, id eſt, qui curam carnis non abiecerit, ſordes voluptatum non eluerit, in genus Deorum aſpirare nefas: εἰς δέ γε θεῶν γένος μὴ φιλοσοφήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῷ ἀπιόντι, οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι. Quanta quoque maieſtas eſt, & eorum, quæ deniq; eodem libro concludit, quæ de fontibus his, a quibus fluxit Theologia noſtra, per omnem mundum iam inde ab ortu hominum manantibus, habuere originem? Quòd in cęlo ſint diuina ſpectacula, beati ſpectatores, καὶ δὴ καὶ θεῶν ἄλση τε καὶ ἱερὰ αὐτοῖς εἶναι: Etiam verò lucos, & templa Deorum eſſe, ἐν οἷς τῷ ὄντι οἰκητὰς θεοὺς εἶναι: In quibus veri habitatores Dij incolant.

Dij cælicolę verè beati.

Quodq́: euidentius probat planetarum Diuinitatem eſſe ſuperuacaneam, veros autem Deos eſſe cęlicolas illos beatos, ecce manifeſtè, fatetur Plato ab illis Diis cæleſtibus, Solem, Lunam, & aſtra, qualia ſint, cuiusve naturæ, videri, reliquamq́ue omnem comitari eos felicitatem, καὶ τόν δὲ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι ὑπ' αὐτῶν, οἷα τυγχάνει ὄντα, καὶ τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι. Qui ſunt igitur iſti Dii, qui ſub pedibus labentia ſydera cernunt, cernũt, quę ſubſtãtia Sol, & aſtra, in cęleſtibus tẽplis habitantes, cũ quibus iuſti triumphant, Vident ordines, motusq́; cęleſtes: Videlicet illi in noſtra Philoſophia, nuſquam non obuiam Angeli cęlicolæ: Quorum multitudinem adorare virum in excelſo throno ſedentem, & pſallere vnà vidit Propheta: quorum eſſe templa in cęlo, & Plato dicit, & feliciſſima, iucundiſſimaq́; ſpectacula cerni. Et in Cratylo cùm dubitat de Diis loqui, quid aliud ſuſpicandum, quàm ſubſtantias illas inuiſibiles eum ſenſiſſe? Hi quoque ſunt Dii, quorum neminem inimicum homini eſſe dixit in Theæteto: οὐδεὶς θεὸς δύσνους ἀνθρώποις. Quo quidem liquet ſolos qui dicuntur à noſtris Angelos, tales eſſe, qui cuſtodes vbique & fauentes hominum aſſeruntur, & qui gaudent in cęlo ſuper vno peccatore pęnitentiam agente, ob incredibilem erga genus humanum beneuolentiam.

Dij, cuſtodes hominũ, angeli.
Dij Homerici, noxii ſæpe.

Neq; enim hi, vel Homerici Dij poſſunt eſſe, qui ſæpe mortalibus nocuere, neque Dii, qui Ariſt. concitant orbes cæleſtes, quod naturaliter agentes, homines neque odiſſe, neq; amare poſſunt. Quod autem dicit ibidem, peritura omnia, vel apud Deos vel homines, ſi rapidus cœli curſus ſemel conſiſteret, oſtenditur hos Deos eſſe cælicolas illos, quorum ſint cęleſtia domicilia, cum Solis orbe adiuncta.

Mala nulla apud ſuperos.
Deus hoſpitalis.
Gene. 19.

Sic neceſſe eſt Angelos ſentire eum, cum ait eodem libro, mala nullum apud ſuperos habere locum. Eoque conandum, vt illuc, quàm ocyſſimè conuolemus, οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι. Deus quoque hoſpitalis, quem memorat in Sophiſta, qui nos comitetur, bene, ac male facta intuens, eſt primum quidem ipſe ſummus Deus, tum verò Angeli, qui venerunt Sodomam, ſceleratorum facinora cognituri, vt animaduerterent. Veneruntq́, peregrinorum habitu. καὶ δὴ καὶ τὸν ξένιον οὐχ ἥκιστα θεὸν συνοπαδὸν γιγνόμενον, ὕβρεις τε καὶ εὐνομίας τῶν ἀνθρώπων καθορᾶν. Nec aliud ferme eſt Angelorũ munus, quam quod ibi ex opinione maiorum Plato pronunciat, eos peregrinorum habitu verſari per vrbes.

Dij principes.

De quibus etiam diuinè iuxta Theologiam noſtram in Politico, quòd omnes mũdi partes diſtribuerint inter ſe principes Dij: ὥς τῶν κατὰ τόπους ταὐτὸν τοῦτο ὑπὸ θεῶν ἀρχόντων πάντῃ τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα. Qui ſunt enim hi Dij principes, niſi qui à noſtris item priſcis Theologis principes prouinciarum, nationumq́; declarantur? Et Deus conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Dei. Hi ſunt, quos beatos omnes dixit in Sympoſio, & in Phædro, quos item ſenſiſſe Deos par eſt, niſi Angelos, cum ait eruditione nihil apud Deos, & homines eſſe honorabilius: τῆς ψυχῆς παίδευσιν, ἧς οὔτε ἀνθρώποις οὔτε θεοῖς, τῇ ἀληθείᾳ τιμιώτερον. Et cum memorat eodem libro, equos Deorum, & aurigas, & dicit in cęlo habitare τὸ τῶν θεῶν γένος, Deorum genus: Et quod omnium euidentiſſimum, magnum in cęlo principem Iouem currum agitantem volucrium equorum, ire per cælum ornantem omnia, & diſponentem, hunc autem ſequi totum exercitum Deorum, ac Dæmonum. Hi Dii neque poetici illi, neque ſyderum, qui nequeunt à corporibus luminibuſque ſuis diuelli. Et ipſe Plato dicit hæc fieri ἐντὸς οὐρανοῦ, intra cælum ſupra ſyderibus. Idque etiam Ariſtoteles ſuſcepit, vt poſtea monſtrabitur. Et quòd ibi ſit vita Deorum, Ambroſia, Nectarque, & quòd locum illum nemo pro dignitate decantauerit. Nonne hæc excludunt hinc Deos Poeticos, illinc cæleſtes Intelligentias inſeparabiles, vt toties dixi, ab orbibus ſuis? & qui infra Deos illos beatos, Iouiſque aſſeclas habitent? In Alcibiade, qui dent hominibus bona largientes, & qui non exaudiant iniuſta precantes, & quòd muneribus non capiantur. Et quod in Protagora, qui a Diis diligantur ſint optimi. Et in Gorgia, minus miſerum eſſe, qui det pęnas ὑπὸ θεῶν καὶ ἀνθρώπων: a Diis, & hominibus. Ab illis nimirum qui per omnem mundum inuiſibiliter commeantes, caſtigant ſæpe delinquentes. Eodemque libro, ſententiam ſapientum eſſe, Deos, hominesque habere τὴν κοινωνίαν, ſocietatem. Et quòd ſit lex apud Deos, ſanctè qui vixiſſet, tendere ad inſulas beatas. Denique non manifeſtos illos, & claros aſtrorum Deos, Platonem, ſed quoſdam alios diuinos animos, ignotos autem nobis, ſenſiſſe, apparet quòd in Cratylo veretur de eis loqui: ἐκ μὲν τῶν θεῶν, περὶ θεῶν ἀπαλλαγῶμεν, ὡς ἐγὼ δέδοικα περὶ αὐτῶν διαλέγεσθαι. Deorum, inquit, ſermoni, per ipſos Deos ſuperſedeamus, nam de eis vereor loqui. Sunt alia multa toto opere exempla, ex quibus hæc neceſſariò conſequuntur. Primum, Deos hoſce neque Intelligentias cæleſtes eſſe, neque Deos Poetarum, ex hominibus in Deos relatos. Secundum quòd cum ſeparatim nominet multis in locis, Deum eminentiſſimum, in Timæo, vt alia taceam, cunctarum rerum opificem, in Epiſtolis, principium, medium, finem, omniumque regem, neceſſariò quos alibi dixit, ac celebrauit Deos, eſſe genus illud, quod antiquiſſima Moſis Theologia vocauit Angelos. Cumque ferat in Timæo cuncta ab illo ſupremo ſatore creata, etiam Deos, hi & inferiores erunt ſummo illo, & erunt creati, omniſque eorum natura talis erit, & munera, quæ vera Theologia tribuit Angelis.

Iouis currus, & Deorum exercitus.

Ambroſia, Nectarque

Dii caſtigatores ſcelerum.

Ex Ariſtotele de Dÿs ſiue Angelis, quos ſimiliter ac Plato in cælo ſupra motus ætherios locauit, & beatos eos, rerumque humanarum cuſtodes dixit. Cap. IIII.

EADEM ratio valet apud Ariſtotelem, & quidem vel inuitis, ſi qui forſan obtuſiores, efferacioreſque ſunt, Peripateticis. Ariſtoteles in libris vniuerſalis Philoſophię, in cæteris item libris, vnius primi motoris celebrat maieſtatem, ei ſolam hanc tribuens mirabilem, ſtupendamque potentiam, quòd indefatigabiliter cæleſtes orbes intorqueat, prætermiſſis indignè multis longè melioribus, quibus altiſſimi Dei maieſtas præcellit, ſenſibilibus modò conſideratis, inuiſibilibus, quæ religioſè tota vetuſtas concelebrauit, ſilentio poſthabitis. Quo flagitio etiam peccauit, cum eſſet alia Diuinitas audita ſibi, traditaque a patribus, quorum diuinam cenſet ſapientiam, præterquam illam cæleſtium ſphærarum motricem, eam tamen diſſimulanter vbi diſſerendi locus erat reticuit. Verum quoniam quod bene interdum diſſimulamus, langueſcente vigilia elabitur incautis, ſic eximius vir tandem a barbarica illa coactaque ſuperſtitione reuocatus, aliam confeſſus eſt, & ſummi illius Dei, & diuinorum animorum Diuinitatem. In libris de cælo, ſi quis originem ſermonis recognoſcat, ſcripſit, quæ præceptor antea Plato in Phædone, & Phædro de Diis ſupercæleſtibus, ſemperque beatis, quibus & templa in cęlo dedit, & lucos, aureaſque domos; itemque ſpectacula diuina, diuinas voluptates, Nectar, Ambroſiam. Hoc igitur ſentiens, & reſpiciens Ariſtoteles, in primo de Cælo, primam è tribus nuncupationem vocari cælum aſſeruit, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν: In quo totam dicimus habitare Diuinitatem. Hanc autem Diuinitatem, ne ſtellarum arbitreris, ecce primum, hoc ſignificatu refert cælum appellari, extremam totius mundi circunferentiam, quidquid extra Solem, Lunam, omneſque cæleſtes orbes putatur eſſe. Siquidem ſtatim ſubiicit ſecundum & tertium ſignificatum. Secundum, cęlum eſſe quod his extremi mundi regionibus ſubiaceat, in quo luceat Sol, Luna, multaque alia aſtra. Tertium ſignificatum eſſe, totum vniuerſum, quod ab vltimis mundi regionibus clauditur. Apparet igitur primum cęlum, & Deos eius, neque Solis, Lunæ, ſtellarumque orbem eſſe, neque Deos illos eſſe Intelligentias, orbis quamque ſui motricem. Intelligitur eum prædicaſſe quod in noſtra Theologia, Chaldæorum, Aegyptiorum, veterum Græcorum habetur, & ſæpe dulci amore raptus Plato prædicauit, fecitque Socratem decantare moriturum, quò ſit acceſſus iuſtis, ac bonis. Ac ne putes Ariſtotelem iuxta conſuetudinem, quotidianumque ſermonem fuiſſe de hoc cœlo locutum, ecce melius, & clarius,

Prim' motor, celebratur ab Ariſtotele.

Flagitium Ariſtotelis qui ſphæris cæleſtibus diuinitatem tribuerit.

Cælum qd apud Ariſ.

Extra cœlum, nullũ corpus, & quæ celeſtis beatitudo.

D

Mors cur Socrati nõ diſplicuerit.

Templa Deorũ, cœleſtes ſedes.

Angelus, officij nomen, non naturæ.

E

& ex intimis Philoſophiæ myſteriis repetit, extra cœlum oſtenſum, ac probatum ſibi nullum eſſe, neque eſſe poſſe corpus. Itaque perſpicuum eſſe, neque locum, neque vacuum, neque tempus eſſe extra mundum. Quocirca neque in loco quæ ibi ſunt, eſſe, neque facere tempus ea ſeneſcere: neque vlli mutationi ſubiacere, quæ longiſſimè ſita ſunt ſupra cæleſti concitatione: Sed immutabilia, & impaſſibilia, optimamque vitam, & opulentiſſimam perenniter, omnique æternitate degere. Hanc Ariſtotelis rerum beatarum deſcriptionem, omnem ſermonem, ſcito eſſe, quẽ Socratem moriturum, cui mors ob hanc fidem non modò nõ diſplicere, ſed propemodum placere videbatur, inducit Plato prædicantem, in quo miris laudibus patriam cęleſtem commendauit, eam eſſe è lapidibus pretioſis, omnem viſibilem pulchritudinem ſuperantibus, Sardis, Iaſpidibus, Smaragdis: Hic auream eſſe terram, diuina ſpectacula, beatos ſpectatores, multaq; alia egregia, vt ſuo loco narrabitur. Antea verò dixerat, ὅτι ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς οὐρανὸς, καὶ τὸ ἀληθινὸν φῶς, καὶ ἡ ὡς ἀληθῶς γῆ: Quòd illud ſit verum cœlum, & verum lumen, & vera terra. Poſtremò templa Deorum ibi, Deoſque veros eſſe habitatores: Non ſcilicet poeticos illos, aut ſtellas, ſic cęlum aliud eſſe longè quàm iſtud, ſicut Ariſtoteles de primo cęli ſignificatu locutus eſt, eoque præmiſit tanquam dignius omnibus cęlum illud. Et res quas dixit illic incorruptibiles, beatas, ſunt quas antè vocauit πᾶν τὸ θεῖον, totam Diuinitatem. Omnis igitur hæc duorum magnorum Philoſophorum deſcriptio, & omnis de beatitudine ſermo eſt de Angelis, qui etiam a nobis dicuntur Dii, quia quos deſcribit, neque ſunt poetici illi, neque motores orbiũ. Nam docuit eos eſſe longiſſimè ſupra & extra motus cęli, non in loco, non in tempore. Hæc autem Theologia vera. Cum igitur Ariſtoteles, & principem quendam Deum, & item Deos extra Solem, & Lunam beatiſſimè, ſempiternumque viuentes prædicet, certè non poſſunt hi eſſe, niſi Angeli apud Moſen, quod nomen officij eſt non Naturæ. Nam ad Naturam debent appellari aut Dii, aut animi beati, aut mentes, vt a noſtris, & a Platonicis vocantur. Etiam verò interpretes Ariſtotelis, videlicet Simplicius, pluresque alii, ſentiunt eum illic in libris de Cęlo de ſeparatis Intelligentiis locutum, ſed orbium motoribus: Cæteri, inquit, interpretes omnia, de ἀκινήτων αἰτιῶν, immotis cauſis, cæleſtia mouentibus, dicta volunt intelligi, probatque Simplicius contra quàm ſentiret Alexander, de corporibus diuinis Ariſtotelem hæc dicere non potuiſſe. Nam cum dicat extra cęlum degere beata illa, quomodò cęlum extra cælum eſſe poteſt? Et cùm dicat nullius eorum eſſe mutationem, cum cælum ſemper moueatur. Sed neque ea quæ ſunt remotiſſima a motu cæleſti dixiſſet, Tum concludit: περὶ τῶν οὐρανίων καὶ τῶν ἀκινήτων ἀρχῶν ἔοικε λέγειν, τῶν τὰς οὐρανίας κινούντων σφαίρας: καὶ τὰ προηγούμενα πάντα χωρὶς βίας οἷόν τε ἐπὶ τὰς νοητὰς, καὶ ἀκινήτους, καὶ ἔξω τοῦ κόσμου εἰρημένας, ὡς ὑπερκοσμίους ἀνάγειν: De cæleſtibus & immotis principiis videtur dicere, ſphæras cæleſtes mouentibus. Sed omnia, quæ præcedunt, fieri poteſt, vt minime violenter ad intellectuales, & immobiles cauſas, & quæ dicuntur extra mundum eſſe, vt ſupermundanæ, poſſint applicari. Cernis ſubſtantias ſupermundanas. Sed interpretes addiderunt motum, quem nec Ariſtoteles memorauit nec rationi eſt conſentaneum, vt ſubſtantias extra cœlum remotiſſimas, dixerit mouere cœlum. Ergo ſunt Angeli, ſiue Dij, & eorum munera reſpexit quemadmodum Philo Iudæus, quæ Plato & Ariſtoteles tacitè ſenſerunt: ἄγγελοι πρὸς ἀνθρώπους ἱεραὶ καὶ θεῖαι φύσεις, ὑποδιάκονι, καὶ ὕπαρχοι τοῦ πρώτου θεοῦ, δι᾽ ὧν οἷα πρεσβευτῶν, ὅσα ἂν ἐθελήσῃ τῷ γένει ἡμῶν προθεσπίσας ἀγγέλλει.

F

Ex cæteris locis probatio, Deos Angeloſque Ariſtotelem ſenſiſſe ſupra ſydera motuſque cæleſtes, eumque de beatitudine eorum vera ſcripſiſſe, Cap. V.

Dij beati q, & quo loco.

Animi ſupercœleſtes, & qd eorum munus.

EADEM ratio apparet, & colligitur ex his, quæ cæteris in locis eſt ſæpenumero locutus, quæ declarantur in libris de Cęlo teſtimoniis. Nam referens oculos ad eam beatitudinem, qua in libris de Cęlo, Deos, beatoſque animos illos extra motus machinamque cęleſtem, & extra flammantia mœnia mundi frui dixit, in libris de moribus addit, τοῖς γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος: Diis enim omnis vita beata eſt. Repetamus igitur rationem: cum vnum ſingularemque ſæpe Deum nominet, cùm ſit Philoſophi principem, ſingularem, ſummum, vnumque fateri, qui tandem erunt hi Dij beati? non videlicet ex hominibus arbitrio poetarum deificati: Deos autem illos oportet ab hominibus differre, neque animi ſyderum, ſed illi quos extra cęlum ſupra mundum viuere felices prædicauit. Supereſt igitur in quo Platonem eſt ſecutus vt ſint animi, menteſue, quas noſtri ad hunc Ariſtotelis ſenſum, vocant ὑπερουρανίους, ſuper cæleſtes, quorum incredibilis fertur beatitudo, & agere dicuntur, quòd Deorum proprium cenſuit Ariſtote. intueri, intelligere, noſcere, cùm omnia, tum vero pulcherrimum, formoſiſſimum Deum. Dicit enim ibi Ariſto. ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία ὅτι θεωρητική τίς ἐστιν ἐνέργεια, καὶ ἐντεῦθεν ἂν φανείη, τοὺς θεοὺς γὰρ μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι: Quod perfecta beatitudo, contemplandi ſit actio quędam, vel inde claret, quòd Deos maximè beatos,& fortunatos arbitramur: Deinde durationem nullam eſſe actionem, quam Diis illis dignam adiudicemus,quàm contemplationem.Ex hoc igitur apparet eos eſſe Angelos,quorum vnus videlicet Raphael,vnus inquam ex ſeptem dixit ſe veſci cibo inuiſibili,qui ab hominibus videri non poſſit,& quod aſtaret conſpectui diuino. Hæc contemplatio,quam Ariſtoteles,ſiue ex ſuperiore Theologia,ſiue ingenij bonitate ſenſit,iudicauitque ſolam dignam,quæ vita,& actio diceretur Deorum. Aſtare ſe præſentiæ diuinæ fatentur illi, Ariſtoteles eos contemplari,intueri,ſpeculari.Quid aliud à cæleſtibus Theologis expectes? Eoſdem Deos, & hanc rerũ felicitatem eum neceſſe eſt innuere,cum in eiſdem libris de Nectare Deorum loquens,quod vulgares arbitrentur vinum,quoniam nihil vino dulcius opinentur, Id ait eis accidere ex inſolentia, quaſi decernens Nectar illud Deorum,non quidem vinum eſſe,ſed omni vino ſuauius, longeque iucundius.Cumque ſuperius nihil aliud agere Deos, quàm contemplari ex ratione reperiſſet,bibunt autem Nectar,claret certè Nectar eſſe contemplationem.Sicq; eò deuoluitur ratio,vt etiam hi Dii contemplantes ſint,qui ſe cibo inuiſibili,iſto nempe Nectare veſci prædicabant.Veriſimileque ſit Ariſtotelem ſenſiſſe,de beatitudine Deorum,ſcribentem quæ priſcus vates Homerus*cecinerat, θεοὶ ῥεῖα ζώοντες: Dii beatè,& facilè,ſine labore viuentes.Et de Olympo:

Contēplatio, ſola digna Deorum vita.

Nectar Deorum quid.

*Odyſſ. δ.

Τῷ ἐνὶ τέρπονται μάκαρες θεοὶ, ἤματα πάντα.
In quo Dij gaudent,exultant tempus & omne.

In Iliad. alicubi.

Et quòd ſunt ἀκήδεες, citra dolorem,& curam. Quam ſolam veram eſſe de Diis ſententiam Plutarchus exiſtimat. Vt item Plato ex antiquiſſima Theologia docuit Deum ſupremum diuinos principes quoſdam, qui regerent homines, præfeciſſe, qui ſcirent, cernerentque pia & impia facta,ſic tales etiam Ariſtotelem ſpectaſſe neceſſe eſt,in decimo de Moribus, vſus Platonis nomine: εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον: Si qua enim rerum humanarum eſt apud Deos prouidentia, vt videtur etiam rationi conſentaneum, delectari eos re optima,& ſui ſimillima. Quæ quidem eſt mens. Et eos qui partem hanc honorent,excolant,redamare,remunerari,ceu qui rem ſibi amicam & conſanguineam curent,laudabiliter item,& honeſtè viuant.Talia fatur Ariſtoteles de Diis curantibus res humanas, quibus mens,quam ſolam in libris de Generatione animalium diuinam, ſolamque exterius venire in libris de moribus,differre,& ſeparabilem eſſe a compoſito, dixit, ſit συγγενέστατος maximè conſanguinea,coniunctiſſima,ſimillima,gentiliſſima,vt ſic nunc loquar. Hanc docet amari a Diis,vti rem eorum ſimilem, vt ille dixit, Conſeruus enim tuus ſum, & fratrum timentium Ieſum. Hanc Deorum in terris eſſe prouidentiam, quòd gubernent in vniuerſum quidem res humanas: in particulari autem eos, qui excolant animum purum, integrumque habeant, amicam Deorum & conſanguineam mentem non ſinant impurari, violari,contaminari, hos redamare, hos remunerari Deos. Qui ſunt igitur hi Dii, ab illo ſummo, quem ſingulariter toties celebrat, nomine multorum diſtincti, qui veniunt, videntque res terreſtres, non ſcilicet corpoream vitam ſuppeditantes,ſed etiam ſubtiliora cernentes,videntes qui bene,qui male agant: Qui ſunt inquã qui amore afficiuntur erga bonos, erga ſapientes, redamantes eos vti fratres ſuos. Quid enim aliud eſt συγγενής, ab eadem ſtirpe,ex eiſdem fontibus ortus, ex eadem Diuinitate delibatus? Ecce quanta ſit de Diis,aut Angelis apud Ariſtotelem Theologia. In libris de Cœlo explicat eorum beatitudinem, deſcribens locum, quòd ſint vltra Solem, & Lunam, vltra definitionem hanc, qua cuncta clauduntur, cœleſtem, in alio meliore mundo: Hic eos agere beatos omne æuum, nec tempori ſubiectos, nec locis interceptos. In libris autem de Moribus, particularius, & clarius beatitudinem,præſtantiſſimaſque voluptates eorum eſſe,quòd contemplantur,quòd ſunt ſapientiſſimi. Et dicit eos ſuauioribus intereſſe menſis, quàm ſint vina mortalium, reſpiciens illam contemplationem, panemque Angelorum. Rationem igitur attende. In libris de vniuerſali Philoſophia,inquirit de beatitudine eius,quæ dicitur Mens: denique multis examinatis,eò tota ratio recidit,quòd Mens eſt beata contemplando,ſed non contemplando aliud quàm ſeipſam. Hanc autem Mentem requirens eadem, de ea in libris de Moribus, Deum illum ſummum appellat. Quid igitur ſequitur? Deus ſummus qui dictus eſt à priſca Philoſophia Mens, contemplatur, & contemplando eſt beatus, non contemplatur autem niſi ſeipſum,quia ſiquid aliud contemplaretur,quod contemplando felicitaretur, omnino excellentius eſſet, a quo Deus eſſet beatus. Sed non eſt Deo melius, ergo ſeipſum contemplatur, ex ſeipſo ſit beatus. Item Dij contemplantur, ex eo beati: ſed non niſi vnus eſt qui dicitur propriè Deus,cui nihil anteſtat,& præſidet,qui ex ſui contemplatione fiat beatus, ergo Dii,quos in libris de Cœlo, & de moribus, ſerio, & aſſeueranter beatos dixit, & beatos ex contemplatione, non ſunt beati contemplantes ſeipſos,cum ſit vnius eminentiſſimi,quo nihil excellentius,ſuimet contemplatio.Ergo cum Dii illi ſint beati,beatitudo ſit contemplatio,non ex ſeipſis ſunt beati,quòd ratio quæ facit primum contemplari ſeipſum,quia non eſt ſuperius,eadem facit eos contemplari maximum illum,ſupereminentem. Efficiturque vt iſti Dii ſint beati ex contemplatione illius maximi,cuius contemplatio & ipſummet,& minores Deos reddat beatos. Hæc omnis ratio fluit ex Ariſtotele,Sicq; deſcripſit locum,deſcripſit beatitudinem. Definiuit eam, luculenterq; expreſſit,

Dij delectantur rebus optimis & ſui ſimillimis.

Mens cognata Diis Apocal. 19 & 22.

Deorũ prouidētia vniuerſa & particularis.

Dij ab eodem fonte & genere orti.

Deorum æuum qd.

Mens beata contemplando.

Dei contēplatio quæ

Deus vnus propriè.

Dij quomodo btī.

quòd ſit contemplatio: ex dictis autem ratio deſcendit, hanc contemplationem eſſe Dei illius ſuperni. Ad hæc Ariſtoteles, de Diis his, naturæ bonitate, nouit hanc Theologiam, eos gubernare res humanas: in particulari autem, bonos, rectè, iuſteque viuentes, ſapienteſque nec diligere modò, ſed ex amore, & beneuolentia remunerari eos. Sicque colligitur tota, quę noſtris in litteris Spiritus ſancti inſtinctu ſcriptis, de Diis, vel Angelis extat, apud Philoſophos Theologia. Ducit enim vocatque nos Natura ad has conſiderationes, & confeſſiones. Et ſicut litteræ noſtræ nos docuerunt beatitudinem eſſe, videre illum facie ad faciem, & ſicuti eſt: ſic docuit eos Natura, non aliud eſſe beatitudinem, perfectiſſimam, locupletemque omnium magnarum voluptatum, quàm contemplari Deum, quem dixerunt contemplari ſeipſum, ex eo beatum. Deus autem ſi ſit ex ſeipſo beatus contemplando, certè & minores omnes mentes reddit viſus beatas. Sicque ex contemplatione Dei naſcitur omnis generatim beatitudo, & omnium Platonicorum eſt confeſſio, nos redire oportere ad vnitatem, a qua proceſſimus, quod ſola perfectè docuit horum temporum Theologia. Hæc erit illa, quam Ariſtoteles dixit a Diis remuneratio bonorum, quod ad has inauditas ducent eos voluptates. Nihil enim licet aliud cogitare remuneratione Deorum dignum, cum terrena bona ſint corruptibilia, non ipſa modò euaneſcentia, diffluentia, ſed corrumpentia etiam poſſeſſores. Quæ nemo ſapiens vnquam concupiuit, nec Deus ipſe nobis ea largiri, nec polliceri voluit. Et hoc item eſt, quod diuinitus omnis confeſſa eſt vetuſtas, & approbauit idem Ariſtoteles, in Eudemiis moralibus ſeptimo: ὥστε εἰ καθάπερ φασὶν ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοὶ, δι᾽ ἀρετῆς ὑπερβολὴν: Si ita eſt, inquit, vt dicitur, homines fieri Deos, ob virtutis excellentiam, hanc virtutem eſſe heroicam, quam ipſe ſcribit eſſe ſupra nos. Hoc præmium Deorum collatum ſui ſimillimis, quod quaſi in hoc mundo excellenti virtute deificatos, efficit ex hominibus Deos: fiunt æquales Angelis Dei, fiunt filii Dei, cohæredes Chriſti. Hæc tota vetuſtas clamabat, ſentiebat, erant voces quædam per omnem mundum, de præmiis cæleſtibus, quòd iuſtiſſimi, ſapientiſſimi, patriæ, ſuorum, Dei cum primis & virtutis amantiſſimi, ex hominibus fiunt Dii: æquales ſcilicet ſupernis illis. Et nos fatemur eos diuos, qui virtutibus his heroicis inclaruerunt, quos nulla fraus corripit, excellens virtus, ſtabilis beneuolentia, & charitas, inſigniſq; iuſtitia decorauit, pepercerunt inimicis, quos multo quidem dignius, & magis ex Philoſophia retulimus in diuos, quàm illi Herculem, multoſque alios mortales, in quibus virtutes heroicæ illæ perfectæ non fuerunt. Poſſem alia multa deducere ex Ariſtotele ſuper confeſſione Deorum, quos ipſa ratio & ſermo & Philoſophia ſeparat ab illo primo, & ſermo de his neceſſariò cadit in eos, quos Angelos Moſes, omnium ſcriptorum vetuſtiſſimus appellauit.

Beatitudo quid.

Remuneratio bonorum.

Diui qui apud Chriſtianos.

Quòd vitam, naturamque Angelorum, & felicitatem Poetæ ſicut & Theologi deſcripſerunt. *Cap. VI.*

DEos etiam ſiue Angelos innuunt Poetæ, beatitudinemque eorum habent exploratam à ſacris litteris non diſſentientes, cùm de eis multa diſſerunt: Vt quæ canit optimus Poeta Callimachus:

Non extat Callimachi liber vnde id ſumptũ eſt

Κεῖνοι γάρ τ᾽ ἄνοσοι καὶ ἀγήραοι πόνον δ᾽ ἄπειροι
Βαρυβόαν πόρθμον πεφευγόντες ἀχόροντος.
Hi morbis, ſenioque carent, neſciuntque labores.
Traiectum reſonum qui effugerunt Acherontis.

Et quod Homerus præter ſupradicta, qui regionem eorum, locum, vitam, eſcamque ſæpe pulchrè deſcripſit:

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσιν, οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον
Οὕνεκα ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.
Non pane veſcuntur, non guſtant cærula vina,
Sanguinis expertes hinc ſunt, immortaleſque.

In noſtris litteris fatentur ſe cibo veſci, qui ab hominibus videri non poſſit. Paniſque Angelorum notus, non quo veſcimur ipſi. Hi ſunt etiam, quorum ſe naturam nominaque neſcire fatentur. In Cratylo Plato: ὅτι περὶ θεῶν οὐδὲν ἴσμεν, οὔτε περὶ αὐτῶν, οὔτε περὶ τῶν ὀνομάτων: De Diis, inquit, nihil ſcimus, neque eorum nomina ſunt nobis nota. Eorum cibum, veramque beatitudinem audiuit, nouitque vetuſtus Pherecydes, Pythagoræ præceptor, de quo Plutarchus in eo quem de facie quæ viſitur in Luna: ὡς Φερεκύδης ὁ παλαιὸς οἴεται σιτεῖσθαι αὐτοὺς θεοὺς ἀμβροσίᾳ, καὶ νέκταρι: Quemadmodum ſentit priſcus Pherecydes, eos ipſos veſci Nectare & Ambroſia. Agnoſcunt omnes igitur, Deorum cibum non mortalem, vt noſtrum.

Deorum nomina nobis ignota.

A

Conſiderationes ex Marco Tullio, apud quem eſt Deus ſupremus, & item alij Dij nominantur, qui præterquam Angeli eſſe non poſſunt. *Cap. VII.*

EADEM ſi quis velit,ex Marco Tullio,quem ego Romanæ non modo facundiæ,ſed
etiam cum Varrone Philoſophiæ principem libenter prędicauerim,præcipuè, quod
ferme, quæ apud Philoſophos Græce ſcripta reperiſſet, cum delectu,& iudicio ſuo,
Romana lingua expreſſit, deducet. Eſt apud eum ſupremi Dei ſæpenumero confeſſio,
quem modo vocat, vt dixi, ſupremum : Animum , inquit in Legibus, generatum
eſſe à ſupremo Deo. Nunc appellat Mentem diuinam, nunc ſummum Iouem. Orta,inquit,
ſimul eſt lex cum Mente diuina. Quamobrem lex vera, atq; princeps ad iubendum, & ad vetandum,
ratio eſt recta ſummi Iouis. Ortam dicit cum Mente diuina, id eſt, æternam, comitem ęterni
Dei Sapientiam : Modò Platonem ſecutus in Timæo , mundi procreatorem , qui animum ex
ſua mente,& Diuinitate genuiſſet : Modò creatorem Solis,qui eum in ſecũdo ambitu,ſeu ſphęra
ſupra terram accenderit : Et in Somnio,Animus datus a Deo: Et,ab eo munus humanum aſſignatum,
& quòd princeps ille Deus mouet , moderatur hunc mundum . Hæcque declarant vnius
magni, ac ſempiterni Dei excellentiam. Supremus,ſummus,creator mundi,& lucis,creator animi,
princeps Deus, motor mundi. Cùm igitur hęc eminentiſſimum, ſingularem, vnumque deſignent,
quò pertinebit cùm Deos multos nominat, præcipuè poeticis illis excluſis, quos nec ipſe,
mea quidem ſententia admitteret in Philoſophia? Ergo cùm quęrit de Naturã Deorum, * Quid
hæc nominatio deſignabit? Omnem fortaſſe naturam, quæ diuina putatur . Quid illud in ſecundo?
B Itaq; ſit credibile Deorum, & hominum cauſa factum eſſe mundum,quæq; in eo ſunt omnia.
Si factus eſt cauſa Deorum mundus, certè fuit tempus, cùm non eſſent Dij,quibus factus eſt mũdus,
ſicut item non erant homines, quibus item factus eſt.Sed mouet admirationem,quod addit:
Faciliusq; intelligitur à Diis immortalibus hominibus eſſe prouiſum , ſi erit tota hominis fabricatio
perſpecta, omniſq; humanæ naturę figura, atque perfectio. Quantus error ? quàm non digna
tanto viro inconſtantia? Paulò antè, Diis creatus eſt, & hominibus mundus , vt vna probetur
generis vtriuſq; conditio. Si creatus igitur, an à ſupremo,ac præpotenti Deo,an ab his,quos
poſtea dicis hominibus prouidiſſe?Si a præpotenti Deo,non à Diis eſt hominibus prouiſum,ſed
ab iſto ipſo principe Deo. Si ab illis,non eſt ergo eorum cauſa factus mundus,quippe quo tandiu
carere non potuiſſet. Hoc item conſequitur,ſi Diis hominibus eſt prouiſum, Dii non ſunt homines
in Deos relati, quia res creabantur,prouidebaturq; hominibus à Diis,nondum poeticis Diis
illis exortis : ſic neque ſunt, aut eſſe poſſunt Dij ſyderum , ac aſtrorum , qui præter motus illos
perpetuos,nihil largiri poſſunt hominibus, ſolam lucem, & calorem terris infundentes : cum autem
prouidentia, quam prædicat,ſit multiplex,ac varia,præcipuè quòd eam,quæ ad figuram humanæ
naturæ, & totam hominis fabricationem pertinet, narrauit,ſi rectè cenſeas a Diis illis motoribus
, quos ſola verſandorum perenniter cæleſtium orbium cura ſolicitat , profectò exerceri
non potuit,qui relictis motibus cęleſtibus,in terras ad humanam tam ſolertem fabricationem deſcẽderent.
Huc adde,quòd nec iſti erant anteaquam prouiſum eſſet à Diis.Supereſt igitur corrigendum,
quod ſecundo loco dixit,& teſtimoniis eius deſtruendum, cùm dicit Deum ſupremum
præclara quadam conditione hominem genuiſſe,viuendi munus hominibus aſſignaſſe, animum
C in corpus induxiſſe , à quo iniuſſu eius diſcedere non liceat. In Timæo fatetur eum cùm Platone
mundi parentem, ac procreatorem.Illud igitur verius,hominum, & Deorum cauſa, a principe,
ac ſupremo Deo factum eſſe mundum : Deos autem animos eſſe maiores hominibus,minores
ipſo principe, non Deos autem ſtellarum, aut poeticos illos in catalogo hominum, non Deorum
referendos. Non Dij ſtellarum faciunt quod ſupremus Deus decreuiſſet,vt hominum cauſa
Deus eos feciſſe videatur, nempe, vt lucem, caloremq; in terras mitterent. Eorum autem cauſa
factum,nihil videtur, qui ſeruiunt conſilijs eius,qui cuncta hominum cauſa facere decreuiſſet.
Tuque in libris illis repetens rationem,iterum fateris mundum Deorum hominumque cauſa factum,
quæque in eo ſunt omnia, ea parata ad fructum hominum,& inuenta. Eſſe enim mundum
quaſi communem Deorum,hominumque domum,aut vrbem vtrorumq; Denique ſubijcis, Hęc
ſi hominibus ſolis nota ſunt (loquens de ſtellis,& effectibus) hominum cauſa facta eſſe iudicanda.
Sic dicis ab hominibus ſolis notata eſſe tempora, cognitos ortus, obituſq; ſyderum,vt appareat
te iudice, ea facta propter homines, vt Moſes docuit, à ſupremo Deo. Ex his igitur teſtimonijs
claret eum contra naturam , Dijs toto illo opere demandaſſe rerum prouidentiam , ac creationem.
Quoniam poeticis Diis,qui creare mundum,attendere ad omnia nondum nati non poterant,
& Diis aſtrorum excluſis,qui nec ipſi adhuc extabant, facti poſtea cum toto mundo,nihil
apparet,nec cadere in animum poteſt,quod nomine multorum Deorum ſit ſentiendum,quibus
nec nomina ſunt, nec capit mens, vt Deorum multitudo concurrere ad creandos homines, omnemq;
mundum potuerint. Tum teſtimoniis eius tota res deſtruitur,nũc principem,ſupremumq;
Deum,nunc ſummum Iouem,nunc ſingulari nominatione parentem mundi nominantis. Videat
igitur ipſe,quid tandem ſit,quod ait, Vt vero perpetuus mundi eſſet ornatus,magna adhibita cura
eſt à prouidentia Deorum,vt ſemper eſſent, & beſtiarum genera & arborum,omniumq; rerũ.

Cicero, & eloquẽtiæ, & philoſophię princeps.

De Leg. 1.

Lex orta cum mẽte diuina.

Deus princeps, animi creator.

* Lib. 1.

2. de natura Deor.

1. de Leg. 1. Tuſcul. & in 6. de Republ.

Omnia hominis cauſa creata.

Neq; Dii poetici, neque Dii aſtrorũ, pro Diis prouidẽtibus habendi.

Prouidentiæ teſtimonia innumerabilia.

Quæ tanta inconſtantia, nunc vnum ſingularem rerum creatorem, nunc multos, declarantis? Niſi forte Platonem eſt ſecutus, qui generationi animalium non eundem illum maximum, quem mundo naſcenti præfecit, ſed Deos inferiores. Quod item apud eum inconſtanter dicitur. Eo autem vel maximè declaratur, Tullium incertæ mentis fuiſſe, quòd earundem rerum nunc naturam facit inuentricem, nunc Deum ſingularem, nunc Deos plurimos. Nam quod dixerat magnam prouidentiam adhibuiſſe Deos, vt ſemper eſſent genera beſtiarum, de his ipſis loquens, Nam primum, inquit aliæ mares, aliæ fœminæ ſunt, quod perpetuitatis cauſa machinata Natura eſt. At non vides admiſſa Natura, quàm pateat Epicureis, & Cottæ contradicenti inſultandi locus, qui quadam Naturæ neceſſitate, nullius Dei conſilijs, fieri cuncta contendunt. At Ariſtoteles, quod quidem arbitror etiam Marcum ſentire, ferè ſemper Naturam cum Deo conuocat, Deum & Naturam nihil temere facere prædicans, Deos autem multos in creatione rerum, nunquam admiſit. Et hoc ipſum quod nunc eſt a Marco dictum, duobus locis memorans, in libro de Generatione & interitu, de Republica, Deo ſingulari vtrobique adiudicauit. Ipſeque repetit hæc opera fuiſſe prouidæ, ſolertiſque Naturæ. Deinde exclamans, Sed illa quanta benignitas Naturæ? Cùm igitur hanc Naturam, ſolertem, prouidamque prædicet, quis erit niſi Deus, qui ſit Natura prouidentiſſima, ſolertiſſimaque? Siquidem infert nouiſſimè, Sic vndique omni ratione concluditur, mente, conſilioque diuino, omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium, conſeruationemque mirabiliter adminiſtrari. Quibus intelligimus, nunc Natura nominata, nunc Diis illis, reuolui tandem eum ac referri quaſi Naturæ æſtu, ad confeſſionem magnæ, ſingularisque Diuinitatis, quæ fuerit rebus origo: Qui fecerit mundum earum animãtium cauſa, quæ ratione vtantur: hos autem eſſe Deos, & homines, Naturamque ſolertem, & prouidam, ſolum Deum eſſe. Hæc igitur veritas erat, vt hi Dii, nec autores mundi, rerumque fuerint, & quorum, & hominum cauſa facta cuncta dixit, non poeticos, & ſuperſtitionis Deos, ſed naturales ſentiret, nec Deos aſtrorum. Nam Cotta contradicens graſſatus eſt, & deſæuit pro libidine contra Deos, videlicet poeticos & ſuperſtitioſos. Facileque fuit tollere, qui non eſſent, his auferre mundi, rerumque molitionem, qui quoniam homines fuiſſent, nullum Diuinitatis ſuæ ſignum dediſſent. Perſpicuum igitur, niſi Deos, quos ſæpenumero creatores, prouidentes vocat, animos illos diuinos ſentiat, nomen inane eſſe Deos, quibus nihil ſubſit, qui nec poetici, Diique illi, quos ex hominibus in Deos relatos fatebantur, poſſint eſſe, nec motores orbium cęleſtium. Et ſæpe ſingularem nominauit. Illis autem Diis, & animis diuinis creationem rerum ac prouidentiam etiam ipſius teſtimoniis, & rationibus, eam ob cauſam detrahemus, quòd cùm iuxta Platonem fateatur vnum totius mũdi creatorem, cum mundo neceſſe eſt omnes animos creatos: Sicque creare mundum, qui non erant, non potuerunt. Minus item ſuapte natura prouidere, niſi magnus ille poſtea præfeciſſet. Hique erunt, quorum & hominum cauſa effectum mundum prædicauit. Nam Deus ſummus, qui mundo, ſua Diuinitate, omni mundo meliore contentus, nunquam eguiſſet, ſui ipſius cauſa mundum non effecit. Noſtra igitur, & illorum cauſa fecit omnia. Illis cęlum, nobis terram dedit, daturus etiam nobis cęlum: quod Marcus Tullius ipſe etiam aſſeruit. Hos igitur quos ſemper habet in ore ex ſuperſtitione potius quàm phyſica, conſtantique ratione, & quos contra naturam interdum præfecit creationi Deos, non eſſe Deos veros, ſed a ſummo Deo creatos conſtat: quo redarguitur eos laborare creando non potuiſſe, totumque penè fictitium eſſe, quem de eis ſæpe fudit ſermonem, apparet ex eo quòd Cotta euertens de Diis habitam orationem, de Mente diuina ſic loquitur: Audit igitur Mens diuina etiam de ſingulis. Videtis ergo eam non eſſe tam occupatam, quàm putatis, Fac eſſe diſtentam, cęlum verſantem, terram tuentem, maria moderantem, cur tam multos Deos nihil agere, & ceſſare patitur? cur non rebus humanis aliquos ocioſos Deos præfecit, qui a te Balbe innumerabiles explicati ſunt? Hæc ille dicens, profectò ſentiebat aliam eſſe Mentem illam diuinam omnipotentem, cęlo, & terra præſentem, omnia gubernantem, alios Deos ab eo præfectos, aut qui præfici debuiſſent. Et Dii a Balbo explicati ſunt, quos diuina Mens præficere debuiſſet: Eoque merito concluſit, Itaque aliunde mihi quærendum eſt, vt & eſſe Deos, & quales ſint, diſcere poſſim, quàm quales tu eſſe velis. Quare hoc primum reprehendendum in eo, niſi quòd more ſuorum temporum locutus eſt, quòd de Natura diuina, a qua cęlum, ac terra regatur locuturus, præmiſit in titulo, de Natura Deorum. Quòd ſi de Diis veris, fabuloſis, & non naturalibus amandatis, ad quorum explicationem cùm delata fuerit oratio, non habet vt in re commentitia quid proferat, deficitque omnis ratio, & ad Poetas accurrendum eſt, venerat quæſiturus, non de Natura Deorum debuit inſcribere, ſed vi, menteque diuina, aut Diuinitate. Sed dicamus propoſuiſſe eum quandam Deorum farraginem, vt in ſermone & vera, & omnis ea, quam vulgus coleret, Diuinitas quæreretur, ratio autem naturaliſque inquiſitio ſepararet a falſis vera. Sic certè effectum eſt. Nam is, de cuius prouidentia ac ſolertia, locupletiſſimaque omnium bonarum rerum inuentione, pulcherrimè & fęcundiſſimè diſſeruit, eſt verus, ac naturalis, ſingularisque Deus,

Cicero inconſtans.

Ariſt. 1. de cęlo cap. 4.

Natura, Deus.

2. & 3. de nat. Deor.

Facile fuit refellere Deos qui non eſſent

Deus ſui cauſa mũdum non fecit.

3. de natu. Deor.

Ex alijs autoribus de Angelis ſiue Dijs, poſt ſummum Deum. Cap. VIII.

OMNES igitur mortales, poſt vnum principem, ac caput, fontemq́; omnium, genus minorum animorum, quod ab omnibus retro ſæculis audierant, conſtituerunt. Nec fabula fuit, quòd Homerus, Deum hominumque Deumque patrem toties appellat, ſed rem naturalem, & veram poeticè decantauit. Nec aliud eſt, vt ſæpenumero dictum, quod vetuſtas vſurpare ſolebat, à veteribus poetis decantatum, cuius meminit in Republica Plato, quòd

Deus, hominũ Deũque pater Homero appellatꝰ.

Θεοὶ ξείνοισι ἐοικότες ἀλλωδαποῖσι
Παντοῖοι τελεσόντες ἐπισροφῶσι πολῆας

Hoſpitibus ſimiles, variaque in veſte, figuraque
Ipſi adeunt vrbes ſuperi, ac verſantur vbique.

Quàm quod ſæpe litteræ ſacræ referunt ad viros innocentes, & integros veniſſe Deos, ipſos ſcilicet Angelos, quos illi primum peregrinos arbitrati, ob eximiam, quæ tempore eo vigebat, hoſpitalitatem, mutuamque charitatem, accurrebant, prenſaque manu, ad hoſpitium deducebant, inſtruebant conuiuium, pedes lauabant, vt eſt etiam apud Homerum tam crebrum. Hoc memorans item Philo, παλαιὸς λόγος ὅτι τὸ θεῖον ἀνθρώποις εἰκαζόμενον ἄλλατε ἄλλοις περίεισι τὰς πόλεις ἐν κύκλῳ, τάς τε εὐδικίας καὶ παρανομίας ἐξετάζων: Priſca fama Diuinitatem in humana ſimilitudine nunc hoc, nunc illo habitu obambulare vrbes, æquitatem, & iniquitatem contemplantem. Quod Philo, Plato prior ex poetis antiquis retulerunt, factum fuit eo tempore, quo duo Angeli Sodomam venerunt, ſcelerati populi facinora diligentius conſideraturi. Eoque dixerat Deus, Clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam, conueneruntque inde Sodomam, & abierunt. Ecce Deus quidem effatus eſt. Tacetur autem quod illi poſtea docuerunt, dicentes viro iuſto Loth, Delebimus enim locum iſtum, eò quòd creuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos vt perdamus illos. Miſſi ergo fuerant à Domino, eoque Angeli, & miſſi, etiam Hebraice. Tales Deos audierat, & norat vetuſtas adire vrbes. Atque ea pauca, & potiora referuntur in ſacris litteris, credendum eſt, non apud ſanctos viros illos modò, ſed etiam gentes alias accidiſſe, vt Dij præſentes aut ad beneficia bonorum, aut ſupplicium malorum, aut alia in terris neceſſaria venerint, vnde apud omnes conſtans ea fama generatim increbuerit. Catullus igitur potius ex antiquis, quàm nouitiis poetis, quæ quidem audierat:

Angeli, peregrinorũ forma diuerſati apud pios, & innocẽtes viros. Gen. 19. Huc refer, quę diſputat Auguſ. lib. 16. ca. 29. ci. Dei. Gene. ibid.

Dij humana conſpecti forma.

Catul. Argonauticis.

Præſentes nanque antè domos inuiſere caſtas
Cælicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Iuſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primæui funera nati,
Liber vt innuptæ potiretur flore nouercæ.
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt, diuos ſcelerare penates.
Omnia fanda, nefanda, malo permiſta furori,
Iuſtificam nobis mentem auertere Deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cætus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Tales igitur cęlicolæ adiere caſtas domos ſanctorum integrorumq́; virorum Abraham, Loth, Iacob. Inde increbuit fama, Deos obambulare vrbes, humanos inuiſere cętus, & Plato eodem loco ex poetis famam eſſe, ὡς ἄρα θεοί τινες περιέρχονται νύκτωρ, πολλοῖς ξένοις, καὶ παντοδαποῖς ἰνδαλλόμενοι: Circunuagari Deos quoſdam noctu, variis peregrinis ſimiles. Noctu videlicet per inſomnia, vt Iacob vidit per Somnium ſcalam ſuper terram cacumine tangentem cęlum, & deſcendentes, & aſcendentes Angelos, & Dominum innixum ſcalæ. Quam ſcalam videtur penè Homerus audiſſe, appellans eam auream cathenam Iouis, qua cęlum, ac terræ ſint deuinctæ. Et mirum in modum placuit Philoſophis. Illud adeò mirabere in Philoſophis, & ſacris litteris, quòd promiſcuè nunc Deum vnum principium, & autorem omnium gerendarum rerum, nunc Angelos eius inducunt: ſimile quid extat apud Philoſophos. Vides enim Platonem, Tullium, multosque alios, in eadem re, nunc Deos nominantes, nunc Deũ ſingularem. In ſacris litteris item quod

Deos obãbulare vrbes.

Iacob ſomnium. Gen. 28.

Dei & angelorũ mẽtio in ſacris, & profanis litteris.

Deus

Gene.19. Deus ipſe dixit, Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerit, an non eſt ita. Poſtea non ipſe refertur veniſſe, ac deleuiſſe, quod ibi toties minatur ſe facturum, ſed duos Angelos, qui & venerunt, & deleuerunt vrbem. Et cum ſubuerterent vrbem, dicitur Dominus pluiſſe ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphur & ignem a Domino de cœlo. Additur inde: cum enim ſubuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus Abraham, & liberauit Loth de ſubuerſione vrbium, in quibus habitauerat. Atqui duo Angeli liberauerunt Loth. Sic in libris Iudicum, cum Angelus apparuiſſet, allocutusque fuiſſet Manue patrem Sampſon, deniq; eo recedente, & intelligentes illi, Angelum eſſe, dixerunt, Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Sunt alia quædam exempla, quæ nunc libens prætereo. Similis igitur eſt loquendi quædam Philoſophis conſuetudo, vt quoniam quidquid minores Dij faciunt, maximi illius imperio faciunt, narrent modò Deum feciſſe, modò Deos. Vergilius:

Iudic.13.

Attonitus monitu tanto, imperioque Deorum.

Ac Iupiter miſerat.

Aeneid. 6.

Sed hoc habent ſacræ litteræ melius', quòd in rebus maximis, vt in creatione mundi, nunquam memorant Deos illos, clariusque eſt in eis ſingularis illius, æterni, diſcrimen ab iſtis. Illud tamen obſeruabit prudentiſſimus quiſq;, quò ſcriptores ſint vetuſtiores, eò ſanctius, & diſtinctius de ſingulari Deo loqui, vt quod aſſeruit Cyrillus, cum ab origine mundi ad eluuionem vſq; noſcerent omnes, faterenturq; ſingularem Deum, tum propinquiora ſecula temporibus Noe, ſimiliter vnum eſſent confeſſa, tandem emerſerint malorum examina, & fabulæ de Diis, ac principe Deo.

Quo vetuſtiores, eò melius de vno Deo loquuti.

Ex oraculis Chaldaicis de poteſtatibus, ſiue mentibus ſummis: & quòd has rectores mundi Chaldæi dixerint. Cap. XI.

POTESTATES igitur poſt altiſſimum Deum, cùm ea apud Homerum aliosque ratione, tum magis clara, & Phyſica, & aperta agnouerant Philoſophi, ſimilia de his loquentes, atque noſtri. Ac Magi Chaldęorum, à quibus multa delibarunt Platonici, delibaſſe Platonem, & Ariſtotelem autor eſt Pſellus, & Pletho, propoſuerunt, & deſcripſerunt eas, πῶς ἔχει κόσμος νοεροὺς ἀνοχῆας ἀκάμπεις: Vt mundus habet intelligibiles ſuſtentatores, inflexibiles. Hæc nomina ſunt Angelicarum poteſtatum, quę vocantur etiam in noſtris litteris Autoritates, Virtutes, Dominatores. Nomen quidem νοεροὶ, eſt eorum ſubſtantiæ, quòd mentes, quòd intellectus ſunt omnium Angelorum ſubſtantia, à noſtris, ab illis dicitur, νοερα`. At verò ἀνοχῆες, ſonat, quod appellantur à noſtris Dominationes. Quemadmodum enim Dominatores, regunt, aguntque ac ſuſtinent ea, quibus imperant: ſic qui ſuſtinent, dominantur & pręſunt. Eſt autem in hoc veluti carmine, ἀνοχεὺς, ſuſtentator: quod clarioribus apud Platonem nominibus de eiſdem loquentem deſignatur, ἐπιμελῆται, ἐπιστάται, curantes, pręfecti: paſtores item, & gubernatores, nomina diuinarum harum poteſtatum. Hoc igitur, & id genus multa carmina veriſimile ad Platonem perueniſſe, ſuſceptis hinc, quę de pręfectis à principe Deo ſuper omnes mundi partes locutus, audiens mundum quoſdam habere rectores, ac ſuſtinentes, eoque inflexibiles, incorruptos, immotos, ſtabilis, ſolidę, fortisque naturę. Hoc igitur carmen explanans Pſellus ſcribit: δυνάμεις οἱ χαλδαῖοι ἐν τῷ κόσμῳ τίθενται, καὶ ὠνόμασαν αὐτὰς κρσμαγοὺς, ὡς τὸν κόσμον ἀγούσας προνοητικαῖς κινήσεσι: ταύτας οὖν νῦν ἀνοχέας καλεῖ, ὡς τὸν πάντα ἀνοχέως ἀνέχοντας: τῷ μὲν ἀκαμπεῖ τῆς σθατηρᾶ, δηλουμένης δυνάμεως, τῷ δὲ ἀνοχικῷ τῆς φρουρητικῆς: ταύτας δὲ τὰς δυνάμεις διαμονῆς τοῦ κόσμου αἰτίας, καὶ ἀκλινοῦς ὁρίζονται τάξεως: εἰσὶ δέ καὶ ἕτεραι δυνάμεις λεγόμεναι παρ' αὐτοῖς ἀμείλικτοι, οἷον ἔντονοι, καὶ ἀνεπίστροφοι πρὸς τὰ τῇδε: καὶ τὰς ψυχὰς ποιοῦσαι τοῖς θελητηρίοις μὴ μειλίσσεσθαι πάθεσι, Poteſtates ſtatuunt in mundo Chaldęi, easque appellarunt mundi ductores ceu, quę mundum agant, motibus prouidentæ. Has igitur nunc vocat ſuſtentatores, videlicet mundum ſuffulciendo tenentes. Ac quòd eas vocat inflexas, deſignat ſtabilem, firmamque eorum poteſtatem, quòd ſuſtentatores, indicat cuſtodiam. Has autem poteſtates definiunt permanentiæ, perennitatisque mundi, & ordinis immoti cauſas. Sunt autem, & alię poteſtates, quæ dicuntur ab eis amilicti, quod eſt, intenſi, inuertibiles, ad ea quę ſunt hic, & facientes animas illecebris, & affectibus non demulceri. Hęc Pſellus. Ecce igitur claro in lumine omnis omnium gentium conſonat Theologia. In vetuſtiſſimis Hebręorum litteris, principes prouinciarum, populorum, & in bello duces, protectoresque, contemplatores humanorum factorum declarantur, à Platone Gręcaque Theologia ſimiliter principes, legati interpretes a Chaldæis, nunc ſuſtentatores, cuſtodes', conſeruatores mundi, nunc humanum genus tuentes, agentes, moderantes proſpectores.

Nomina Angelicarum poteſtatum.

Angeli, poteſtates, mundi ductores ſuſtētatores.

De triplici

De triplici ordine Deorum, ſiue Angelorum ex Platonicis, præcipuè Proclo, in quo videtur noſtros ſecutus, vbi à veritate diſſentiat, & de primo Deorum ordine. Cap. X.

GENERATIM igitur à priſcis illis cognitæ, & prædicatæ ſunt diuinæ poteſtates, particularius a ſubſecutis Platonicis eorum genera, nationeſque, & actio vitæ deſcriptæ, maxima ex parte noſtris libris, licet hoc ab eis diſſimuletur, accepta. Primus omnium Platonicorum Proclus (Nam neque apud Plotinum, neque Iamblichum, neque Amelium, nec ſuperiores ea myſteria reperio) auſes eſt locupletius de his in ſua genera diſtributis loqui. Quæ cùm ſuperiores Platonici, quos in cæteris ferè ſemper imitatur, nõ prodidiſſent, nouimus apertè, vt Græci quoq; teſtantur, eũ ex Dionyſio Areopagita ſurripuiſſe, ſed multis adiectis contaminaſſe. Dico ſcilicet hæc tria genera Deorum, ſiue Angelorum, qui dñr νοητοὶ, νοητοὶ καὶ νοεροὶ, νοεροὶ μόνον : id eſt, intellecti, intellecti & intelligentes intelligẽtes ſolum, quæ ſunt tres Angelorum à Dionyſio conſtructæ Hierarchiæ. Proclum ſecutus eſt Hermias, & Damaſcius, aliique nonnulli. Cùm igitur primus Dionyſius Deos illos intellectos, & intelligentes, nominaſſet, omnemque de eis Theologiam ex ſacris litteris accepiſſet, Proclus uiolenter, & contaminatè colligens ex fabulis Poetarum & Platone, cum primis Parmenide, veram ſuper his Theologiam infecit. Reſtituentes igitur omnia in ſua loca, Proclumque partim declarantes, partim cum Dionyſio collatum, paucis (Nam alioqui numeroſè de his ille ſcripſit) emendantes, Theologiæ conſenſum demonſtramus. Is igitur in eo, quem inſcripſit de Theologia Platonis, poſt ſingularem, atque ineffabilem ſummi Dei Vnitatem, neceſſariò de generibus Deorum ſermonem habendum eſſe dicit. Ac primum cenſet, in quo ſecutus eum Simplicius eſt, Quemadmodum Natura naturaliter, Mens mentaliter, Anima quoque per modum animæ operetur, & gignat, ſic ſupremam Vnitatem quoniam vnificè, & per modum Vnitatis ſuę oporteat eam gignere, ante omnia producere diuinas quaſdam ἑνάδας, vnitates, ipſi principi Vnitati ſimillimas. Nam optimum, vt Timæus ait, niſi optima facere nefas eſſe. Hæc ab eis etiam vocatur ἑνιαῖον πλῆθος, vnifica multitudo. Dicitur fons bonorum Deus, multas producere bonitates, Vnum eſſe Deum & multos Deos, vnam Vnitatem, & multas ante omnes res vnitates. Vnam bonitatem, & multas poſt vnam. Non eſſe autem diuinas has vnitates imparticipabiles, & omnino ab omnibus rebus ſeparatas, quemadmodum excellentiſſima illa Vnitas. Quid enim ab ea differrent? Sed eſſe veluti florem, aut ſummitates, & ſummum in vnaquaque re: Eaſq; eſſe medias, quibus omnia vniantur, ad ſupremam Vnitatem. Vnitates igitur Deos eſſe participatas, quæ coniungant omnia, & vniant, quæ poſt ſe ſunt, ob illam Vnitatem, que tranſit in eos omnes. Quoniam igitur quilibet Deorum Vnitas eſt, & ab aliquo rerum ordine participatur, ob hanc cauſam eſſe participationem, cum ordine, quod prima à primis, ſecunda a ſecundis participantur: Sicque propinquiores ſummæ Vnitati vnitates à primis, & ſimpliciſſimis ſubſtantiis participari, longinquiores ab his, quæ magis ſunt compoſita: concluditque de his omnibus Proclus: εἴπωμεν ὅτι μετὰ τὴν μίαν τῶν ὅλων ἀρχὴν, μονάδες ἡμῖν αὐτοτελεῖς ἐφάνησαν οἱ θεοὶ, μετεχόμενοι μὲν ὑπὸ τῶν ὄντων οὐσίαν, οἱ δὲ κατὰ τὴν συντεθωτέραν τὴν εἰς αὐτὰ ποιηθάμενοι πρόοδον. Quæ ſunt, Dicamus quòd poſt vnum rerum principium, vnitates nobis Dij apparuerunt, per ſe perfectæ. Qui ſubſtantialiter à rebus participenturl: alij verò ſecundum compoſitionem, ſubſtantiam facientes in cuncta proceſſum. Hæc à Proclo dicuntur, examinanda poſtmodum, & quid veritatis habeant diiudicanda. Item Proclus ait, vt ex his ea, quæ ſequentur, melius innoteſcant, ἁπάντων δὴ τῶν ὄντων, καὶ αὐτῶν τῶν τὰ ὄντα παραγόντον θεῶν μία, καὶ ἐξῃρημένη, καὶ ἀμέθεκτος αἰτία προϋφέστηκεν, ἄῤῥητος μὲν παντὶ λόγῳ, καὶ ἄφρασος ἄγνωστος δὲ πάσῃ γνώσει, καὶ ἄληπτος. πάντα μὲν ἀφ᾽ ἑαυτῆς ἐκφαίνουσα, πάντων δὲ ἀῤῥήτως προϋπάρχουσα, καὶ πάντα πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέφουσα, τέλος δὲ οὖσα τὸ πάντων ἄριστον: ταύτην δὴ οὖν τὴν ὄντως ἐκβεβηκυῖαν χωριστῶς ἀπὸ πασῶν, καὶ πάσας μὲν τὰς ἑνάδας τῶν θείων: πάντα δὲ τὰ γένη τῶν ὄντων: καὶ τὰς προόδους ἑνιαίος ὑφιστάνουσα, πάσης θεότητος αἰτία: τὸ γὰρ εἶναι θεὸν, πάντες οἱ θεοὶ διὰ τὸν πρῶτον ἔχουσι θεόν: Oĩbus igitur rebus, etiam ipſis Diis, qui res producunt, vna ſeparata ſegregataq;, & imparticipabilis cauſa præexiſtit: Inæſtimabilis quidem omni ſermone, & indicibilis: oĩ autem cogitationi incomprehenſibilis, & ignorabilis, omniaq; ex ſe producens, & ante omnia ineffabiliter præexiſtens, cuncta ad ſe reflectit. Finis optimus omnium rerum. Hanc igitur ſeparabiliter, & verè ab omnibus ſegregatam, & omnes Deorum vnitates, generaq; rerum, & proceſſus vnificè creans vocat Plato Solem, vocat regem circa quem omnia. Hæc omnis Diuinitatis cauſa. Nam, vt eſſent Dii, cuncti Dii a primo Deo habent. Ad hunc modum Proclus diuinè, ſi perſeueraret, inſiſteretque ſemel inuentæ, & prædicatæ veritati. De Diis autem primis, quorum eſt poſt excellentiſſimam Vnitatem primus ordo, præter ſuperiora ſubiicit: ἑνάδες γὰρ ἐφάνησαν ἡμῖν ἀπὸ τῶν σωμάτων ἀνιοῦσιν οἱ θεοί: ἑνάδες ὑπερούσιοι γεννητικαὶ τῶν οὐσιῶν καὶ τελειωτικαὶ, καὶ πάσας οὐσίας τὰς πρωτίστας εἰς ἑαυτὰς ἀναδησάμενοι: Vnitates, inquit, apparuerunt nobis Dii a corporibus aſcendentibus. Vnitates ſuperſubſtantiales, genitrices

Procli furtum.

Tres hierarchię Angelorum.

Suprema vnitas ante oĩa producit diuinas, ἑνάδας.

Dij a Deo vno, & primo ſummoque.

Vnitates, angeli.

Vnᵘ ſuperſubſtantialis.

Procli error.

Deus creator omniũ, & quidem Deorum.i. angelorũ.

nitrices ſubſtantiarum, & perfectrices, & omnes ſubſtantias proximas ad ſe ipſas colligantes. In hoc Procli dogmate hoc iudicium adhibendum eſt, vt eum, qui bene, recteque Deos poſt altiſſimam Vnitatem locauit, errare conſtanter aſſeramus, & quæ apud maiores, ipſumque Platonem nuſquam extent, confingere, cum Deos illos primos dicit superſubſtantiales. Aſſerunt enim Damaſcius, & Iamblichus, ſed prior Dionyſius, Vnum duntaxat eſſe ſuperſubſtantialem, Vnum illum ſingularem, eminentiſſimumque Deum iure vocari ſupra ſubſtantiam, vt qui fuit, eſtque autor ſubſtantiæ. Qui cum fuerit, ipſis etiam teſtibus, autor Deorum, quos creauit, planè ſupra Deos ineffabiliter extat, & hæc ineffabilis excellentia dicitur ſuperſubſtantialis quæ ſoli illi congruat, cui ſoli congruit nomen Vnitatis. Quare idololatria eſt hæc Procli, & crimen læſæ maieſtatis, incommunicabile Decus, honoresque ſingulares, & ſoli Deo inhærentes, creaturis vindicaſſe. Itaque eiuſdem impietatis eſt, hos Deos ſubſtantiarum prædicare genitores, nimirum creandi ſingularem Dei, & imparticipabilem poteſtatem transferre ad minores Deos. Et quod Plato, cæterique omnes de cuſtodia generis humani, quam ſummo conſenſu Diis adiudicarunt, ad generalem ſubſtantiarum creationem deducere. Nonne Platoni mundanus opifex, quem Mentem, & cauſam, & Deum vocat, autore Laertio, creat omnia corporea, & incorporea, ipſos etiam Deos? Vbi ſunt apud eum Dij ſubſtantiarum genitores? Similiter errat aſſertio Deos alligare ad ſe cuncta. Nã Philo, Iudæus optimus è Platonicis verbum Dei ſolum dicit eſſe, quo cuncta ligantur, ſuſtinentur, vinciuntur. Et Triſmegiſtus, in eo, quem inſcribit, Quod in ſolo Deo ſit bonum & pulchrum: πάντα γὰρ ὅσα ἐστὶν ὦ Ἀσκληπιὲ, ταῦτα ἐν τῷ θεῷ ἐστὶ, καὶ ὑπὸ τοῦ θεοῦ γινόμενα, καὶ ἐκεῖθεν ἠρτημένα. Quæ ſunt, Omnia quæ ſunt, inquit, ò Aſclepie, ſunt in Deo, & à Deo fiunt, & illic dependent, & ſuſtinentur. Paulò verò ſuperius: ἀρχὴ δὲ καὶ περιοχή, καὶ σύστασις πάντων ὁ θεός. Hoc eſt, Principium, complexus, continentia rerum omnium Deus. Quare Proclus finxit nouam nunc Theologiam, à qua maiores ſui prorſus abhorruiſſent. Nam item allegationem, & reductionem non ad ſeipſos dixerat Dionyſius, quem Proclus imitari conatur, non imitatur bene, ſed αἱ πανεροὶ δυνάμεις ἀναγωγικαὶ πρὸς τὸ θεῖον: ſacræ poteſtates ſunt reductrices ad Diuinitatem. Reducunt ergo non ad ſe, ſed Deum. Sed nos delectum habentes in illis, quoniam ſolis ſacris litteris data eſt incorrupta, & inuiolabilis ſapientia, probamus eos in admiratione & aſſertione diuinarum rerum pariter contendere nobiſcum.

Sola litterarũ ſacrarũ incorrupta ſapientia.

Generatim de Dijs, & eorum prima acie, quidve Proclus commentitium affinxerit. *Cap. XI.*

Verba Dionyſij detorſit ad friuola, & cõmentitia Proclus.

Exinde is idem cum diuum Dionyſium tres Hierarchias Deorum ſiue Angelorum vidiſſet, refugeret autem verum veritatis ac religionis fateri fontem, diſſimulata horum trium diuinorum ordinum doctrinę origine, ſuęque ſuperſtitioni colorem adhibens, conatur ex Platone deducere, pręcipuè ex Philebo, vbi ſunt terminus Deus, & indeterminatio, in medio, id quod dicitur miſtum. Quo libro ſit etiam hęc trinitas, κάλλος, ἀλήθεια, συμμετρία, pulchritudo, veritas, commenſurabilitas. Hęcque eſſe tria illa genera & tres ordines Deorum, Ac de ſuperioribus ſic ſtatuit: ὧν τὸ μὲν πέρας ἐστὶ θεὸς, ἐπ᾽ ἄκρῳ τῶν νοητῶν, προελθὼν ἀπὸ τοῦ ἀμεθέκτου, καὶ πρωτίστου θεοῦ πάντα μετρῶν, καὶ ἀφορίζων, καὶ πᾶν τὸ πατρικὸν, καὶ συνεκτικὸν, καὶ ἄχραντον τῶν θεῶν γένος ὑφιστάς: τὸ δὲ ἄπειρον δύναμις ἀνέκλειπτος τοῦ θεοῦ τούτου: πάσας τὰς γεννητικὰς διακοσμήσεις ἐκφάνουσα, καὶ πᾶσαν τὴν ἀπειρίαν, τήν τε προούσιον καὶ τὴν οὐσιώδη, καὶ μέχρι τῆς ἐσχάτης ὕλης: τὸ δὲ μικτὸν ὁ πρώτιστος, καὶ ὑψηλότατος διάκοσμος τῶν θεῶν, καὶ κρυφίως τὰ πάντα συνειληφὼς κατὰ τριάδα: μὲν νοητὴν συνεκτικὴν συμπληρούμενος, παντὸς δὲ τοῦ ὄντος τὴν αἰτίαν, ἑνιαίως περιέχων, καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς τοῖς πρωτίστοις ἀκρότητα, καὶ τῶν ὅλων ἐξῃρημένην ἱδρυσάμενος. Quæ ſunt, E quibus, inquit, terminus eſt Deus in ſummo intelligibili progrediens ab imparticipabili, & primo Deo, omnia commenſurans, & determinans, & totum paternum, & contentiuum, purumque Deorum genus creans. At infinitum virtus eſt indeficiens iſtius Dei, omnes generat ordines, efferens, & omnem infinitatem, & ante ſubſtantialem, & ſubſtantialem, & vſque ad extremam materiam. At verò miſtum primus, & altiſſimus Deus, ordo Deorum, ſecreto cuncta complexus, per trinitatem intellectualem, contentiuam, repletus, omnis rei cauſam vnifice complectens, & intellectualibus primis, ſummitatem, & ab omnibus ſeparatam ſtatuens. Hæc Proclus, nimium certè allegorica, imò verò friuola, & commentitia, ex fonte vero, locoque detorta, in ſomniis humanis, chimeriſque contaminata. Adhibenda igitur correctio, errorque omnis, bonis ſelectis à malis, aperiendus. Prima igitur emendatio, idque ex doctrina Dionyſij, vnde manarunt iſta Procli, erit, quòd ille Deorum ordo non ſunt vnitates illæ fontales, nec quicquam eſt, cur hoc nomine vocentur, nec ſubiacet nomini quod ſuſpicatur, & aſſeuerat Proclus. Quod vt clarius intelligatur, intelligenda eſt, & conferenda ſententia Procli, & Dionyſij. Primum conueniunt vterque, quòd ineffabilis, ac ſupereminens Vnitas, ſit cauſa omnium Deorum. Quod in ſuperiore teſtimonio, Proclus dixit, Dionyſius autem de cœleſti Hierarchia, de Ieſu: ἡ τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν ὑπερούσιος αἰτία: Supercœleſtium ſubſtantiarum, ſuper-

Vnitas ſupereminẽs omnium Deorũ, id eſt angelorum cauſa. Error Procli.

A ſuperſubſtantialis cauſa. Non conueniunt autem, errorque Procli eſt, quòd non dicit genitos, aut factos aliquando ab eminenti Deo, Deorum hos ordines, ſed generari, fieriq; ſemper, & quaſi ſemper niteſcere, innuens quendam ſempiternum ordinem naſcentium Deorum à ſupremo. Vera autem doctrina eſt, quòd Deus eſt æternus, ſubſtantiæ ſupercæleſtes, & ſi maximę ſunt, maximeque diuinæ, creatæ tamen ſunt. Et id deſignat Dionyſius, cùm Ieſum vocat cauſam ſupercæleſtium ſubſtantiarum. Generatio autem illa cùm ſit impoſſibilis, & non naturalis (quia, qui naſcerentur, manarentque à Deo, eodem genere Diuinitatis, atque ſupremus, Dij eſſent, habentes fluentem in ſe ſubſtantiam, Diuinitatem, & dicunt tamen ipſi nobiſcum, ineffabilem illam Vnitatem ab omnibus eſſe ſeparatam) certè verius eſt, & naturalius, vt ſupercæleſtes ordines ſint creati, illaque perpetua dependētia, natioq; quaſi radiorum à Sole, ſic a ſupremo Deo, ipſorum Deorum eſſe non poſſit. Secundum emendandum eſt, quòd Proclus idcirco vocat primos illos Deos, & quaſi primam Hierarchiam, θείας ἑνάδας, diuinas vnitates, quia deprauans veram, quam ſuper hoc apud Dionyſium deprehendiſſet Philoſophiam, cenſet ad eos, quaſi fontes omnium rerum, &, vt ipſe vocat, ἀκρότητας, ſummitates, cuncta reuocari, atque vniri, totum hoc ad creationem, generationemque rerum vniuerſalem referens, quæ à ſupremis hiſce Diis adminiſtretur. Creditque Deos hos ſupernos, eſſe Ideas illas ſummas, & quaſi vniuerſalia rerum cunctarum, quod & impoſſibile eſt, & Naturæ contrarium, Ideis neque per ſe ſubſiſtentibus, neque modum, & rationem inueniente animo huiuſmodi commenti. Vera igitur doctrina eſt, & id prodit Dionyſius, quòd Angeli, ſeu Dij, ſunt vnifici, quia per eos, genus humanum edocetur, & ad autorem ſuum reuocatur, ſicut ipſe multis exemplis ex ſcripturis declarat Dionyſius, dicens alios initiare, alios initiari: alios illuminare, alios illuminari: παντὸς τοῦ ἱεροῦ τὸ ὑπερέχον, ἐξηρημένων, αἱ γοῦν ἁγίαι τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν διακοσμήσεις. Ita non attingit creationem, neque deſignat, neque vniuerſalis eſt iſta vnio, ſed particularis adminiſtratio humani generis, quo & à Platone, & à Dionyſio dicuntur πορθμεύοντες, tranſportantes, & inter homines, ac Deum intercedentes. Hæc vnio eſt. Hoc vocati vnifici, coniunctores, ductores: creatio autem non eſt eorum. Itaque emendandum quoque, diligenterque diſcutiendum quod ſuper eorum actione vitæ traditur à Proclo. Neque enim agunt Dionyſio, & ſacris litteris Dij, quod illi ex inepta ſuperſtitione voluerunt. Vera enim & naturalis doctrina Dionyſij, Platonis, & Ariſtotelis eſt, quòd eorum vita eſt contemplatio Dei, amorque inauditus, & inebriatio, æternaque dulcedo, & nectar ex intuitu diuinæ præſentiæ, ſecreta colloquia, gaudiaque omnibus mortalibus incognita, προσεχεῖς μὲν μεμύσαι, καὶ ἀεὶ περὶ τὸ ἄναντες ὡς θέμιτον, ἐν συντονίᾳ τοῦ θείου καὶ ἀκλινοῦς ἔρωτος, ἀνατεινόμεναι καὶ τὰς ἀρχικὰς ἐλλάμψεις ἀΰλως καὶ ἀμιγῶς δεχόμεναι. Vt ait Dionyſius, proximi aſſiſtunt, defixique intuentur, quantum eis datur, in Deum, amore diuino nunquam deficiente, accenſi. Regioſque illos radios immaterialiter, & impermiſte accipiunt. Deinde generis humani adminiſtratio, procuratioq;, vt ad eadem gaudia homines perueniant. Hæc agunt Angeli, id eſt, Dij. Proclus autem dimiſſa nobiliſſima hac actione vitæ, & à digniſſimis rebus ad inferiorem mundum eos auocans, ſicut humani generis immortalitate, deificationeq; vera contempta, ineptiſſimè deificarunt hunc mundum, facit eos occupari in procreatione, & genituris omnium corporum. Itaque nec vnitates ſunt hac ratione: nec eſt rerum inferiorum cum eis participatio. Non enim participant res terreſtres ipſos Angelos. Solius Dei rectè dici poteſt vniuerſalis participatio: quia ſolus ab omnibus, præcipuè Angelis participetur: deſignante participatione, vniuerſalem, diffuſamque per omnem naturam prouidentiam, tutelam, quod ſolius Dei eſt, & eſſe poteſt. Nec res ſubſtantialiter participant illos ordines Deorum, in quibus non ſit vniuerſitas Naturę. Et participationem ſcribit: αἱ μὲν ὑπερβεβηκυῖαι τάξεις, ἔχουσι καὶ τὰς τῶν ὑφειμένων διακοσμήσεων ἐλλάμψεις καὶ δυνάμεις: ἀμέθεκται δὲ τῶν αὐτὰς ὑπερκειμένων εἰσὶν αἱ τελευταῖαι: Ordines ſupereminentes, habent radios & vires ordinum inferiorum, imparticipabiles autem ſunt, id eſt, non participantes nouiſſimi ſupereminentium eos. Poſtremo velut totum commentitium, ac fabuloſum & minime naturale reiiciendum, quod tradit de Deo Termino, & de Apiria, deque Miſto. Primum, quòd ea Platonis mens non fuit in Philebo, ad hæc non eſt Naturæ, & rationi conſentaneum, vt Terminus ſit Deus, creans ordines inferiorum Deorum, cùm omnis creatio ſit ſolius Dei. Et quòd Apiria ſit infinita Dei iſtius potentia. Nam nulla niſi ſupremi, eminentiſſimique Dei eſt immenſa poteſtas. Ad hęc nulla eſt Apiria, id eſt, immenſitas, niſi Dei. Nulli quoque ſunt ordines Deorum, γεννητικοὶ, generatores, vno creatore ſufficiente. Prẹterea προούσιος, & ὑπερούσιος, ſunt nomina ſolius Dei, non vllius ordinis Angelorum. Solus enim Deus quod ſuperioribus libris ipſimet fatentur, eſt ſupra ſubſtantiam. Ea quoque quæ de Miſto loquitur, friuola ſunt omnia, vitiatis bonis ſuorum commercio commentorum. Quod autem ſint maximè violenta, & coacta, quæ de Infinito, Termino, & Miſto comminiſcitur, apparet ex ipſo Philebo, quo libro Plato diſſerit de tribus rebus, quibus omnis res corporea ſubſiſtat, indicans iuxta Pythagoreos omnia conſtare ex materia, quę ab eis dicebatur Infinitum, & ex forma, quam Terminum appellabant, qua definiatur infinitas materiæ, compoſitum autem ex materia, & forma, vocabant Miſtum. Hęc eſt ſententia Platonis: Factum eſt autem, vt quoniam arbitrariè interpretatus eſt hęc Proclus, quibus nullum ſubeſt fundum, merito fabuloſa, vaniſſima ex

Subſtantiæ ſupercæleſtes, creatæ.

Ali⁹ error Procli.

Angelorũ officium.

Angeli vnifici, coniũctores, ductores.

Vita angelorũ quæ.

Procli error angelos ad corporum genituram a Dei cõtẽplatione auocantis.

Vniuerſalis participatio eſt ſolius Dei.

Procli cõmenta de Deo termino, de Apiria, deque mixto.

ma ex his ſint nata. Inſatiabiliterque nugatur ſuper re commentitia, longam fabularum, commentorumque animi ſui contextam ſeriem ducens, in quibus neque ordo eſt vllus, neque ratio. nobis ſatis eſt docere, vt veritas eis etiam hoſtibus placuerit, & ſuis ſuperſtitionibus acommodare conati ſint.

De Triplici Hierarchia Deorum, & quid veri, aut à vero diſſentiens de ea ſcripſerit Proclus. Cap. XII.

RVRSVS Proclus miſcens bona malis, hæc de Hierarchiis vera, noſtriſque litteris conſona loquitur: καὶ γὰρ αἱ τρεῖς αὗται τριάδες μυστικῶς ἐπαγγέλλουσι τὴν πρώτου θεοῦ καὶ ἀμεθέκτου παντελῶς ἄγνωστον αἰτίαν: ἡ μὲν τὴν ἄρρητον αὐτῆς ἕνωσιν, ἡ δὲ τὴν πασῶν δυνάμεων ὑπεροχὴν, ἡ δὲ τὴν παντελῆ τῶν ὄντων ἀπογέννησιν. Etenim, ait, hæ tres trinitates myſticè enuntiant primi, & imparticipabilis Dei, omnimodo ignotam cauſam. Alia ſecreta eius Vnitatem, alia omnium virtutum eminentiam, alia omnimodam rerum generationem. Hæc de Natura, ſuper qua longè falſiſſima narrat, ſed officio congruentia noſtris è litteris ſumpſit Proclus. Nam vt hoc nuntiandi munus, myſteriorumque notionem amplectimur, ratione docente, & ſummo Theologorum Dionyſio eadem tradente, ſic reiicimus fabuloſaque iudicamus, quæ de primo genere Deorum eloquitur: καθάπερ ἑνάδες εἰσὶν οἱ νοητοὶ θεοὶ πρώτως καὶ πατέρες εἰσὶ πρώτως: αἱ γὰρ ἑνάδες αἱ θεῖαι κατὰ βραχὺ προϊοῦσαι, πάντων τῶν ἐγκοσμίων τὸ πλῆθος ἀπεγέννησαν: ἐστὶν οὖν ἡ τριὰς αὕτη πηγὴ, καὶ αἰτία πάντων καὶ ἀπ' αὐτῆς πᾶσα ζωὴ, καὶ πᾶσα πρόοδος ὑπέστη, θεῶν τε καὶ τῶν κρειττόνων, ἡμῶν γενῶν, καὶ τῶν θνητῶν ζώων: Quemadmodum vnitates ſunt intellectuales Dij primo, etiam patres ſunt primo. Nanq; vnitates diuinæ, paulatim emanantes, omnium mundanarum rerum multitudinem progenuerunt. Eſt igitur trinitas iſta fons, & cauſa omnium, & ab ea, vita omnis, & proceſſus ſubſiſtit, videlicet Deorum meliorumq; generum Deorum, & mortalium animalium. Hæc à Proclo inconſideratè, ne dicam impiè dicuntur: primum quòd ipſe ſibi pueriliter contradicit, vt qui multis in locis tria rerum principia ex Theologia Platonis erigens, à quibus corporea, & incorporea naſcantur, videlicet ſummo Bono, Mente, quibus ſuperius cunctas res genitas referebat, nunc adeò deformat, lacerat, prædaturque eorum imperium, maieſtatemq; lædit, vt putet, & eò adducatur, vt credat poſſe alios eſſe Deos, à quibus omnia cæleſtia, & terreſtria ſint progenita. Nec videt indignã Philoſophia, & rebus, quas extulit, inconſtantiam, friuolaſque ineptias, & contra Naturæ leges impietatem. Si Deus vnus eſt autor hominum, atque Deorum, vt Plato, vt Ariſtoteles, vt ipſi fatentur, vt Natura fateri cogit, quid opus erat, Diis his genitoribus aliorum Deorum, mortalium, quàm animalium? Cauſa mali fuit, quod Deos iſtos, Ideas illas Platonicas primus credidit, per quas omnia nata prodierint in lucem, ſeparans Ideas à Mente diuina, quod nec Plato, nec boni Platonici fecerunt, eaſq; quaſi quendam potentiſſimarum Dearum chorum, primoſq; fontes ſtatuens. Et tamen priſca Philoſophia, vt tot ſuperius exemplis eſt probatum, Ideas Mentem diuinam dixerunt, ipſam maximam Ideam, ac formam vniuerſalem, fontemque genitorem omnium rerum. Qui autem Ideas à diuina ſapientia ſeparatas diuinam eſſe gentem contendat, non ſecus deliret, atque is cui flumina, fontes, arbores, Dij prædicantur, & quaſi poeta Idearum eſt, præterquàm igitur, quòd ſunt falſa, & impia, etiam verò non naturalia, quæ dicit, ratione ſentiente, ipſis item docentibus, vnum duntaxat ſingularem fontem, & autorem eſſe hominumque Deumque, idque nullo Idearum interueniente patrocinio. Quæ ſi ſunt Deus ipſe, ſunt diuina Mens, incomprehenſibilis, ineffabilis, inexhauſta ſapientia. Quare abiiciantur tanquam ſcelerata, & ſacrilega, impiaque figmenta hæc Procli, quòd nec Plato diuinus, nec cæteri Platonici ea tradiderint. Tum vera Philoſophia Dionyſij ab his Procli deliramentis inuiolata nobis remaneat, quam cum imitaretur, & è Platonis libris non inuentam violenter deduceret, quibuſcunq; caſus tuliſſet, nugis adhæſit. Præclara quidem de ſummo Deo Plato locutus eſt, itemq; de Diis, qui inter ſupremum Deum, & homines intercedant: locutus autem eſt, quòd medij ſint, & internuntij, quaſique legati, quod preces, & benefacta humana ad Deum perferant, ad homines diuina Beneficia. Sed quòd ſint poſt ſingularem Deum, ceu fontes aliorum Deorum, mundanarumque rerum, multaq; alia prodigia longis ſermonibus a Proclo contexta, hoc verò nuſquam nec ſenſit, nec dixit Plato. Itaq; his annotatis reliquam nugarum ſeriem, quam mihi curæ non fuit euoluere, dignoſcent, qui in libros Procli inciderint. Quem enim habent in veritate locum, quæ addit, quòd hoc genus Deorum, νοητὸν, ab omnibus diuinis ordinibus vnificè ſeparatur, & quòd ante omnia quæ intelliguntur, ſubſiſtat, quia imparticipabile ſit, & diuinum, intelligibile. Violenta ſunt ſedibuſque ſuis tranſpoſita, Dei ſunt, non Angelorum, ſiue Deorum. Illa quidem vera etiam à Dionyſio tradita, quòd hoc genus πληροῖ ἄνωθεν τοὺς θείους καὶ νοεροὺς διακόσμους, Replet ſupernè diuinos, & intelligentes ordines: videlicet irradiat, vt ait ſummus ille theologus, Angelorum primus ordo, ſecundo, & tertio veritatem, lucem, myſteria, communicatq;, & quaſi initiat. Vera quoque ſunt & illa, & eiuſdem generis, εἰκότως λέγομεν νοητοὺς θεοὺς τὴν ἄρρητον ἔμφασιν

Trinitas, cauſa omnium.

Error Procli, ſtatuentis tria rerum principia.

Dii nō ſūt Ideę.

Idea quid apud priſcos.

Vanitas Idearum Procli.

Idea verè accepta q.d deſignet.

Platonis doctrina de Deo ſūmo, & Diis præclara.

Deus irradiat oēs angelorū ordines.

A ἐκφάνειν τὴν πάντων ἀρχὴν, καὶ τὴν θαυμαστὴν ἐκείνης ὑπεροχὴν, καὶ τὴν ἕνωσιν. Quod eſt, Iure dicimus Deos, ſiue Angelos intellectuales ſecretam efferre omnium originem, & admirabilem eius excellẽtiam, & vnitatem. Hæc enim ſunt arcana illa myſteria, quæ primo ab altiſſimis illis, Deoq; proximis Angelis noſcuntur, de quibus tertio & quarto capite, in cœleſti Hierarchia loquitur Dionyſius. Ea verò partim vera, partim falſa. Quòd ſunt reges omnium cum cæteris Diis incoordinabiles: Et ꝙ ſummum Bonum intellectuali luce afflauit omnia: & Deos ἀνέφηνε, declarauit, patres omnium: & ꝙ primum Deorum genus propter propinquitatem, & ſimilitudinem, cũ ſummo Deo ſubſtantiam dat ſecundis Diis. Si igitur adimas creationem rerum, quam Diis hiſce ſupremis iniuſtè conceſſit, cætera fermè vera ſint, & ex fontibus Dionyſij ſyncerè fluentia.

De ſecundo Deorum, ſiue Angelorum ordine, quem ex Dionyſio deducat Proclus. *Cap. XIII.*

PROSEQVITVR poſt hos Proclus ſecundum Deorum genus, quos appellat νοητοὺς καὶ νοεροὺς, intellectos ſiue mentales, & intelligentes: προέρχονται τοίνυν ἐκ τῶν νοητῶν οἱ πρῶτοι νοεροὶ: κατὰ πάσας ἄρα τὰς νοητὰς αἰτίας ἀπεγεννήθησαν αἱ νοηταὶ καὶ νοεραὶ διακοσμήσεις τῶν θεῶν: τῶν γοῦν νοητῶν ἐν τῇ τριαδικῇ προόδῳ τῆς ἑνιαίας ὑπάρξεως, οὐκ ἀποστάντων, οἱ νοητοὶ, καὶ νοεροὶ θεοὶ τριαδικῶς ὑποστήσονται: B Procedunt igitur ab intellectis, intelligibiles, ac mortales Dij. Itaque ſecundum omnes intellectuales cauſas, geniti ſunt ordines intellecti, & intelligentes Deorum: intellectis Diis in triplici proceſſu, non diſcedentibus ab vnifica ſua eſſentia: intellecti, & intelligentes Dij tripliciter ſubſiſtunt. Hæ tres propoſitiones de hoc ſecundo genere, apud Proclum. Declarans autem quare intellecti, & intelligentes dicantur, dicit: νοοῦντες μὲν τοὺς πρὸ αὐτῶν, νοούμενοι δὲ ὑπὸ τῶν μετ' αὐτοὺς θεῶν: Quia intelligant eos, qui ante ſe ſunt, intelligentur autem ab his qui ſubſequuntur. Tum id ipſum a principio commonſtrans, & poſt Deos intellectos ſuccedere intelligentes dicens in duo genera diſtributos. De his, inquit, τὰ μὲν ἐστὶ νοητὰ καὶ νοερὰ, ὅσα νοοῦντα νοεῖται, κατὰ τὸ λόγιον, τὰ δὲ νοερὰ μόνον: Alia quidem ſunt intellecta, & intelligentia, quæcunque videlicet intelligentia intelliguntur, vt ait oraculum: alia intelligentia ſolum. Hæc Procli dogmata, quoniam a vera Theologia, quam in Dionyſio viderat, naſcebantur, ſpeciem habent veritatis: rurſum ſordent falſitate, humanis cõmentis violata. Ac quemadmodum hi Dij, partim intellecti ſunt, quòd ab inferioribus intelliguntur: partim intelligentes, quòd ſupernos intelligunt: ſic dogmata, & dicta Procli, partim vera ſunt, quia de fonte bono prodierunt, partim falſa, quia vera Philoſophia violentis inſomniis eſt contaminata. Verum igitur eſt, poſt primam Hierarchiam ſummorum, excellentiſſimorum Angelorum, ſequi ſecundam: & verum eſt, a Dionyſioque item traditum, quòd primi dicuntur intellecti ſolum, quòd ab inferioribus tanquam diſcipulis, ipſi eorum magiſtri, doctoreſq; aſpiciuntur, conſiderantur. Vtitur enim ea voce Dionyſius, quòd inferiores μαθητιῶσι, cupiunt ab eis noſcere, ſeque eis vti diſcipulos offerunt, a quibus arcana myſteria, quæ Deo proximi noſcunt, accipiant, eoque Dionyſius vtitur frequenter nomine irradiationis, ἐλλάμπεσθαι, irradiari, illuminari: & veritas, ac ſapientia, quæ traditur, & qua inferiores initiantur, dicitur irradiatio. C Atque ad alia ſuper hac re, ait, τοῦτο γὰρ σαφῶς οἱ θεολόγοι δηλοῦσι τὸ, τὰς ὑφειμένας μὲν οὐρανίων οὐσιῶν διακοσμήσεις πρὸς τῶν ὑπερβεβηκυιῶν εὐκόσμως ἐκδιδάσκεσθαι τὰς θεουργικὰς ἐπιστήμας, τὰς δὲ πασῶν ὑψηλοτέρας ὑπ' αὐτῆς θεαρχίας, ὡς θεμιτὸν τὰς μυήσεις ἐλλάμπεσθαι: Hoc enim clarè Theologi ſignificant, inferiores ordines cęleſtium ſubſtantiarum a ſupernis per ordinem ſciẽtias diuinas edoceri: Ipſas autem omnibus ſuperiores ab ipſa ſumma Diuinitate, vt fas eſt, initiationes irradiari. Vides fontem Theologiæ Procli, vnde loqui de diuinis ordinibus (Nam in Platone, vt ego quidem ſentio, ordines hi non ſunt) animatus. Adducit Proclus tamen Chaldaicum oraculum, Quæcunque intelligunt, & intelliguntur, medio in ordine eſſe. Nam multa admiratione digna, maximèque diuina apud Chaldęos illos deprehendas. Quàm ſint autem concordes in eo, Dionyſius, & Proclus, & quòd ſecutus ſit Proclus Dionyſium, declarant, quæ ſimili modo de irradiatione loquitur Proclus, dicens de ſapientia, quam vult eſſe ordinẽ Deorum: καὶ ὥσπερ οὐσίας ἐκείνη πᾶσιν ἐκδίδωσι, οὕτως αὕτη τὰς γνώσεις ἐπιλάμπω τοῖς θεοῖς, οὐκ οὖν ὁ μὲν ἡνίοχος τρεφόμενος τοῖς νοητοῖς ἑνιαίως μετέχει τῆς τελειότητος τῆς ἐκ τῶν θεῶν ἐλλαμπομένης: Et quemadmodum illa dat omnibus ſubſtantiam, ſic iſta cognitiones irradiat Diis. Igitur auriga quidem nutritus intelligibilibus vnificè participat perfectionem a Diis radiantem. Sunt igitur hæc omnia vera, nota, non ſolum noſtris, ſed etiam Chaldæis, qui ſubſtantias has appellant, vt ſuperius viſum, κοσμαγοὺς, mundi ductores, & propter ſummam ſanctitatem ἀχράντους, intactos, intemeratos, & ἀμειλίκτους, incorruptos, indemulcibiles. Illa verò nec apud Chaldæos ſunt, nec vſquam in ſacris litteris. Naturę quoque & dictis eorum ſunt cõtraria, quòd quàm bene de doctrina, & initiatione, & irradiatione dicuntur, quæ a maioribus detur inferioribus, tam male de generatione, & ortu, quòd minores a maioribus naſcantur, ac ſubſiſtant, hoc ab ipſomet Proclo additum eſt: omnia enim a primo principio immediatè profecta, & creata etiam ipſi fatentur.

Intellecti, & intelligentes cur angeli appellati.

Doctrina vera Dionyſij corrupta Procli commentis.

Prima, & ſecũda hierarchia angelorum.

Irradiari, & irradiatio.

Oraculum Chaldaicũ: Quæcunque intelligunt, & intelliguntur, eſſe in ordine medio.

Error Procli: minores a maioribus angelis naſci.

Proclus allegoriarũ ſtudioſus.

Nomina Trinitatis apud Proclum.

Quare falſum eſt medios a primis oriri, & ſubſiſtere. Reliqua doctrina, cùm tota fermè fabuloſa D ſit & fictitia, vt quæ non ex apertis teſtimoniis ſit, ſed violentis allegoriis collecta, quas inexplicabiliter adamauit Proclus, vt, ſi meieret Socrates, allegoricè meierit, non eſt nec excutienda, nec admiranda. Illud item conſiderare operæpretium, vt ſcias Proclũ, hæc ab alio fonte accepta quibuſdam vanis ſuis inſomniis coloraſſe, in hoc ordine Deorum intellectorum, & intelligentium dicit eſſe hanc Trinitatem, τὴν ἐκφαντορικὴν, τὴν συναγωγὸν, τὴν φρουρητικὴν, Annũciatricem, colligentem, cuſtodientem. Hæc nomina ſi videris Dionyſiũ, videbis ab eo prius inuenta, & formata. Additq; Proclus: διόπερ ἡ μὲν ἐστὶ συναγωγὸς τριάς, ἡ δὲ συνεκτικὴ τοῦ πλήθους, ἡ δὲ τελεσιουργός: Vt alia Trinitas ſit colligens, alia continens multitudinis, alia perficiens totũ hoc genus. Et hæc trinitas, nominaq; ſumpta ſunt ex Dionyſio, cuius peculiare nomen eſt ἐκφαντορία, neque a Platone, neque Orpheo, nec vllo ferè ex Platonicis vſurpato. Illud quoque Dionyſij eſt, ꝙ Proclus ait de Diis, ſiue Angelis, qui dicuntur τελεσιουργοὶ: οὐκ οὖν τελούμεθα μὲν ἀνιόντες ὑπὸ τοῖς τελεσιουργοῖς θεοῖς, μυούμεθα δὲ τὰ ὁλόκληρα καὶ ἀτρεμῆ φάσματα ὑπὸ τοῖς συνεκτικοῖς. Quæ ſunt, Ergo, ait, perficimur aſcendentes ſub perficiẽtibus Diis, initiamur autem viſiones perfectas & ſtabiles, ſub contentiuis. Hæc inquam Dionyſij ſunt omnia, nõ res modo, ſed etiam nomina. Illud quoque Dionyſij eſt, quod ait, εἰς ἣν δὴ καὶ ἡμᾶς οἱ τῶν ὅλων ἀγαθῶν ἡγεμόνες τελετάρχαι καταστήσειαν, οὐ λόγοις, ἀλλὰ ἔργοις φωτίσαντες: Ad quã teletam & nos omnium bonorũ principes Teletarchæ deducunt, non verbis, ſed rebus illuminantes. Hoc totum Dionyſij eſt, cuius ſermo plurimus eſt, ꝙ ab Angelis irradiatur, illuſtratur, perficitur animus. Nomen quoque Teletarches ipſius E eſt, quo primum, ipſum initiationis principem Chriſtum, exinde Angelos appellat. Totaq; res de illuminatione ſpirituali, quæ etiam initiatio ab eo vocatur, Dionyſij eſt. Neque Proclus de his loqui quicquã potuiſſet, niſi libros eius legiſſet, ſed diſſimulato præceptore vero, ex Platone miris artificiis, ordines hos Angelorum deducit. Quo ſit, vt eius doctrina ſit plena confuſionis, mirificarumque fabularum, quas pro veris traditionibus, vt veritati, & his quæ erant alterius, germanum nitorem detraheret, ſuppoſuiſſet. Adeoque in hoc eſt impudẽs, vt meras deliberationes, arbitria, ac decreta, de Diis, eorumque vita, genere, moribus, differentiis ſtatuere non erubeſcat, quaſi qui ſemper eorum fuiſſet a ſecretis, & a cubiculis, cùm eis omne ęuum exegerit, vt non exteriores actiones modò, & quas in omni mundo gerant prouincias viderit, ſed cogitationes etiã, arcanaque pectoris abdita penetrauerit. Quæ breuiter ego admonuiſſe contentus, nec arbitrans ad ſingula quæque operæpretium inſiſtere, ſelectis bonis, & oſtenſo, eos ſuper Angelis, ordinibuſque eorum conuenire nobiſcum. Nam congruente Proclo facilè cæteros aſſenſuros, docet conſecutio, aſſenſuſque eſt Damaſcius, & Hermias. Venio ad tertiam Hierarchiam.

Teletarches quid.

Procli doctrina fabuloſa.

De tertia Hierarchia, vel ordine Deorum, ex Proclo, & quòd in eo ſecutus eſt Areopagitam. Cap. XIIII.

HANC Proclus, vt a principio dixi, vocat νοεροὺς μόνον, Intelligentes tantum, quia cùm intelligant, aſpiciantque ſuperiores, a quibus, vt ait Dionyſius, veritatem, ac ſapientiam irradientur, ipſi in vltimo ordine, nullos alios illuminantes, dicti ſunt Intelligentes tantum. De his Proclus in hunc modum diſputat: τὸ δὴ μετὰ τοῦτο, τρίτην ἄλλην διακόσμησιν θεῶν. τὴν νοερὰν ἀποκαλουμένην θεωρήσωμεν, συνεχῆ μὲν τῇ πρὸ αὐτῆς, συμπεραίνουσαν δὲ τὰς ὅλας προόδους τῶν θείων καὶ ἐπιστρέφουσαν εἰς τὴν ἀρχὴν καὶ κύκλον ἕνα τῶν πρωτουργῶν καὶ παντελῶν διακόσμων ἀποτελοῦσαν: Poſt hæc, ait, tertium, alium exercitum, vel ordinem Deorum, qui vocatur intelligibilis, conſideremus, continuum quidem ei, qui ante ſe eſt, abſoluentem autem omnes proceſſus diuinorum, & reflectentem ad principium, circulumq; vnum omnium ordinum, qui primi opifices ſunt, abſoluentem. Hęc Proclus. Tertius igitur ordo Deorum, eſt continuus ſecundo, deinde in eo abſoluentur omnes diuini ordines, & quaſi facto circulo, ad caput reflectuntur. Hæc vera ſunt, & a Dionyſio priore prodita, quibuſdam autẽ adiectis, & variata verborum ſerie, a Proclo diſſimulata. Sed vniuerſale ſcelus Procli, Dionyſius igitur: λοιπὸν ἡμῖν εἰς θεωρίαν ἱερὰν διάκοσμος ὁ τὰς ἀγγελικὰς συγκλείων ἱεραρχίας, ὁ πρὸς τῶν θεοειδῶν ἀρχῶν ἀρχαγγέλων τε, καὶ ἀγγέλων διακοσμούμενος: Reliquus nobis ad ſpeculationẽ ſacram ordo, qui Angelicas cõcludit Hierarchias, quiq; a diuinis poteſtatibus Archangelis, & Angelis ornatur. Hæc Dionyſius. Flagitiũ igitur Procli, Deos hos a ſuperioribus producentis, ſuppoſititium, non germanũ dogma. Nã quod ait αὕτη τοίνυν ἡ νοερὰ τῶν θεῶν ὑπόστασις ἤρτηται μὲν ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων αἰτίων καὶ πληροῦται παρ' αὐτῶν τῆς ὅλης ἀγαθότητος, καὶ αὐταρκείας. Nempe, Hæc igitur intelligibilis Deorũ ſubſiſtentia, pendet quidẽ ab antiquioribus cauſis, repleturq; ab eis vniuerſa bonitate, & vbertate. Hæc ex Dionyſio deſumpta, id habent verum ex fonte ſuo, ꝙ replentur inferiores hi a ſuperioribus, irradiantur, docentur, afflantur, initiantur: ſed ꝙ pendeant velut a cauſis, & autoribus ſuis, ſuppoſitũ, & adulterinũ. Melius igitur Dionyſius, quẽ locum totũ vſurpauit, donauitq; libro ſuo Proclus: Archãgelorum, inquit, diuinus ordo attingit cõmuniter ſupremam per medietatem Hierarchiam. Nam & ſanctiſſimis principatibus communicat, & ſanctis Angelis: Illis qui-

F

Tertius angelorum ordo.

Non pendent angeli inferiores a ſuperioribus tanquam cauſis, & autoribus.

A Illis quidem, quoniam ad superſubſtantiale principium principaliter conuertitur, & ad ipſum, vt fas eſt formatur, & Angelos ἑνοπιοῦ, viuificat ſecum, inuiſibiles, coordinatosq́; eius principatus: τοῖς δὲ, ὅτι καὶ τῆς ὑποφητικῆς ἐστὶ τάξεως, τὰς θεαρχικὰς ἐλλάμψεις ἱεραρχικῶς διὰ τῶν πρώτων δυνάμεων ὑποδεχομένη, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτὰς ἀγαθοειδῶς ἀγγέλλουσα, καὶ δι᾽ ἀγγέλων ἡμῖν ἀναφαίνουσα: His autem, quoniam eſt ex ordine interpretum, thearchicas irradiationes Hierarchicè per primas poteſtates excipiens, & Angelis eas boniformiter annuncians, & per Angelos nobis oſtendens. Vides totum locum a furaciſſimo Proclo, ſed callidè, & artificioſè latrocinia ſua occultante, ſublatum. Vides quid minores a maioribus accipiant, irradiationes ſcilicet, & ſcientias, ſapientiam, myſteria, ſacramenta, non ſubſtantiam, non eſſentiam. Non dependet hypoſtaſis eorum a ſuperioribus, ſed a ſolo, atque vnico Deo. Replentur autem bonitate, ſi bonitatem interpreteris ſapientiam, cognitionem, non ſubſtantiam, & eſſentiam. Sed vt agnoſcas, quàm approbauerit Proclus noſtra, licet hoſtis, & quid de eo ſit iudicandum, addit Dionyſius: οἱ γὰρ ἄγγελοι καθὼς ἤδη προειρήκαμεν συμπληρωτικῶς ἀποπερατοῦσι τὰς ὅλας τῶν οὐρανίων νοῶν διακοσμήσεις, κατὰ τὸ τελευταῖον. Angeli, inquit, quemadmodum diximus, completiuè abſoluunt, & terminant omnes ordines cęleſtium mentium. Proclus autem paulò antè, συμπεραίνουσαν τὰς ὅλας προόδους τῶν θείων: Complentem totos ordines diuinorum. Apud vtrunque igitur abſoluit, terminat omnes ordines Deorum, hæc ſuprema acies Deorum, aut Angelorum. Totus itaque ſumptus eſt è libris Dionyſij, horum Deorum ordo, quem nulla ratione ex Parmenide Platonis, vt fingit Proclus, ne Minerua quidem magiſtra informare, & quaſi in catalogum aſcribere B potuiſſet. Proſequitur eadem illa ſuo de pectore: προέρχονται δὲ ἀπὸ πάντων τῶν πρὸ αὐτῶν οἱ νοεροὶ θεοί: Procedunt, naſcuntur ab omnibus, qui eos antecedunt intelligibiles Dij. Hoc iam dixi fieri non poſſe, ſummo Deo, cunctarum rerum primo, ac vniuerſali fonte. Sed maiores ineptias, ne dicam impietates adiecit, quas quomodo vel animus ſuus ſomniare, vel cuiquam probabiles fore credere potuerit, ſatis admirari non poſſum: Vnitates, aut vnitiones inquit, accipiunt ab vnitate, quæ eſt ante intelligibilia: τὰς δὲ οὐσίας ἀπὸ τῶν νοητῶν, τὰς δὲ ζωὰς τὰς παντελεῖς, καὶ συνεκτικὰς, καὶ γεννητικὰς τῶν θείων, ἀπὸ τῶν νοητῶν καὶ νοερῶν: τὴν δὲ νοερὰν ἰδιότητα παρ᾽ ἑαυτῶν λαχόντες: Subſtantias autem ab intellectis. At vitas vniuerſales & contentiuas & generatiuas diuinorum ab intellectis & intelligentibus. Verùm intelligibilem proprietatem a ſe ipſis. Quæ eſt hæc diſtributio, ac quaſi dilapidatio, aut verius fabrica, vt tanquam ad ędificium palatij, ſicut alius calcem, alius lapides, alius ligna confert, ſic ad compoſitionem iſtorum Deorum, Deus vnitatem, prima Hierarchia ſubſtantiam, vitam autem apportet ſecunda? cur qui dedit vnitatem, non etiam dedit vitam? Nouis igitur quibuſdam Diis, veris, ac naturalibus expulſis, cœlum ac mundum complere, nouamque quaſi eorum Rempublicam conſcribere ſatagit. Sed ego cupidior bonorum, ac verorum, quàm malorum fictorumque eſſe narrator, productis quæ bona, noſtræque Theologiæ conformia viderentur, cætera ipſi Proclo de fęce ſuarum fabularum hauſta relinquam.

Furtum Procli.

Quid accipiant minores angeli a maioribus.

Non a Platone mutuatus eſt angelorũ ordinem Proclus, ſed a Dionyſio.

Quòd Hermias item, quemadmodum & Proclus, ſecutus eſt Dionyſium in definiendis Hierarchijs cæleſtibus, & quid non veri addiderit. Cap. XV.

C DIONYSIVM quoque & Proclum ſecutus eſt Hermias, ea nomina Deorum, & res afferens, quæ clarè ſunt apud diuinum, ſupremumq́ue omnium Theologorum. Vtitur etiam irradiationibus illis Dionyſiacis. quibus minores ab altioribus, Deoq́ue propioribus Angelis afflantur. E quibus ad alia ſuper Phædrum Platonis ait: τὰ γὰρ ὑπέρτερα τοῖς κοιλοτέροις, ἀληθείας φῶς ἐλλάμπει: Superiora, inquit, lumen veritatis inferioribus irradiant. Hoc quàm ſit Dionyſij, videre eſt, in omni propè opere de cęleſti Hierarchia, viſumq́ue abunde ſuperius. Proſequens autem Hermias, resq́ue acceptas a Dionyſio, nominibus ſuarum fabellarum appellans, addit: νοήσωμεν τοίνυν τέσσαρα: ταῦτα, τὸ ἓν τὴν πρώτην ἀρχὴν, τὸν φάνητα, ὥσπερ ἐστὶ πέρας τῶν νοητῶν θεῶν, ἀρχὴ δὲ τῶν νοερῶν ἐξῃρημένην. Quæ ſunt, Quatuor, ait, hæc conſideremus, Vnitatem, primumq́ue principium, Phaneta, qui eſt terminus, finisq́ue intellectorum Deorum, principium autem ab intelligentibus ſeparatum. Reuocando igitur cuncta in ſuum locum, & noſtra a fabulis eorum ſegregando, dicatur veriſſimum eſſe, quod de primo principio, quæ concorditer ab illis, priſcaque omni Philoſophia vocatur Vnitas, aſſeuerat. Quòd autem ait Phaneta finem, abſolutionemq́ue Deorum intellectorum, principium intelligentium, ſentitq́ue Deos intellectos, vt ſæpenumero docui, primos illos, celſiſſimosque Angelos, quos inferiores aſpiciunt, intuenturque velut doctores ſuos, intelligentes autem hos ipſos, quorum in ſublimes, ſupremosque illos acies eſt defixa, dicendum Orphicum illum Phaneta, non eſſe cum Diis cœleſtibus, intellectiſque adnumerandum. Phaneta enim Solem appellabat Orpheus, cuius reddidit ipſe rationem, quòd primus fecit, vt omnia viderentur in mundo, viſus ipſe primus, omnibus antea cœcis, teterrimaque in nocte ſepultis. Nam

Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.

Quatuor apud Hermiam: Vnitas, principium, Phanes, terminus.

Phanes, Sol.

Ouid. Metamor. I.

D

Dictus eſt Phanes ipſe Titan. Cùm igitur Phanes ſit corporeus Sol, & cùm ſenſibilia, & intelligibilia ſuos tueri locos, quos Natura præſcripſit, debeant, vtique non erat inter choros Deorum ſiſtendus: Sola fortè poterat allegoria, vt ſit allegoricè Phanes Deus inter Deos intellectus, ſicut Sol iuſtitiæ eſt Deus. Sed ſi Phanes eſt Deus, vtique Deus ille, non qui claudat Deos ſupremos, vt finis primæ Hierarchiæ, principium ſecundæ, ſed ſupremus Deus, Sol omnium cęleſtium Intelligentiarum. Id enim locutus eſt Plato, aptans exemplum Solis ad intelligibilia, quemadmodũ Sol eſt cauſa, vt omnia ſenſibilia ſint & videantur, ſic ſummum Bonum ceu infinitam lucẽ, vt ſit, & intelligat omnis ordo cęleſtis. Addit quoque Hermias: ζεὺς ὑπερκοσμίων βασιλεὺς πέρας ἰδίων νοερῶν θεῶν· ἕκαστος δὴ τούτων τοῖς ὑπ' αὐτῷ φῶς ἐλλάμπει, τοῦτ' ἔστιν ἀλήθειαν, ἣν ἔχει ἀπὸ τῆς ὑπερκειμένης τάξεως, οἷον ὁ ἥλιος φῶς ἐπιπέμπει τοῖς αἰσθητοῖς ὑπερκόσμιον· διὸ καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ λέγεται ἀπὸ τῶν ὑπερκοσμίων εἶναι· πάλιν ὁ ζεὺς φῶς ἐλλάμπει τοῖς ὑπερκοσμίοις νοερόν· πάλιν ὁ φανὴς φῶς ἐπιλάμπει τοῖς νοεροῖς θεοῖς νοητόν· ἡ δὲ πάντων ἀρχὴ, καὶ τοὺς νοητοὺς θεοὺς καὶ πάντα, τοῦ ἀπ' αὐτοῦ θείου πληροῖ φωτός, Quod eſt, Iupiter ſupermundanarum rerum, finis propriorum intelligibilium Deorum. Vnuſquiſque igitur horum, ſibi ſubiectis lucẽ irradiat, hoc eſt, veritatem quam habet a ſupremo ordine, vt Sol lucem immittit ſenſibilibus ſupermundanam. Quocirca, & ſubſtantia eius dicitur a ſupermundanis eſſe. Item Iupiter lucem irradiat intelligibilem. Iterumq; Phanes irradiat lumen intelligentibus Diis intellectuale: Principium autem vniuerſale, & Deos intellectos, & omnia diuina luce ſua complet. Hæc Hermias. Primum quæ de irradiationibus diſputat, vera ſunt & noſtra. Sed quoniam verus ordo Theologiæ peruertitur, paulũ emendare operæpretium eſt. Quomodo enim Iupiter rerum intelligentium infundere lucem eis ab ordine ſuperno acceptam dicitur, ſi generatim apud priſcos, Iupiter eſt pater hominum, atque Deorum, eſt ſator cœli, & terræ? Non ſuperare Diuinitate debet omnes cęleſtes ordines, qui creauit omnia, quem vti ſummum Deorum ſuſpexere omnes? Quæ nouitas iſta Procli? Nam hunc ſecutus Hermias in Deorum choris deſcribendis. Quæ audacia, Iouem è culmine Diuinitatis ſuæ deiectum, redigere in ordinem Deorum inferiorum, qui lucem accipiant a ſuperno ordine? Quaſi non ſit ipſe lucis omnis, veritatiſq; fons, & principium, nullius luminis indigus. Verum igitur eſt lucem veritatis irradiare Iouem, ſed a nemine acceptam, vt qui ſupremus ſit omnium Deorum, dicendumque, & prædicandum de Ioue, quod nouiſſimè prædicat de principio vniuerſali. Eſt enim hoc principiũ ipſe Iupiter. Et quod ait de hoc principio, a quo tota curia cęleſtis, omneſq; ordines Deorum, larga luce Diuinitatis compleantur, lux autem veritas eſt, & initiatio, & ſapientia. Acceptumque ex vberrima illa, quæ loquendi de rebus hiſce audaciam dedit Platonicis, Theologia Dionyſij, quæ ad alia hoc habet: συνῆκται τοίνυν ἡμῖν, ὡς ἡ μὲν πρεσβυτάτη τῶν περὶ θεὸν, νοῶν διακόσμησις ὑπὸ τῆς τελεταρχικῆς ἐλλάμψεως ἱεραρχουμένη τῷ ἐπ' αὐτὴν ἀμέσως ἀνατείνεσθαι κρυφιωτέρα, καὶ φανωτέρα τῆς θεαρχίας φωτοδοσία, καθαίρεται καὶ φωτίζεται, καὶ τελεσιουργεῖται, κρυφιωτέρα μὲν, ὡς νοητοτέρα, καὶ μᾶλλον ἁπλωτικὴ, καὶ ἑνοποιῷ, φανωτέρα δὲ ὡς πρωτοδότῳ, καὶ πρωτοφανεῖ, καὶ ὁλικωτέρα. Quæ ſunt, Collegimus igitur, & concluſimus, quòd nobiliſſimus, ſupernuſque mentium, quæ circunſtant Deum, ordo, a Teletarchica, id eſt, initiatrice, irradiatione, ſacris modis recta, quòd in eam immediatè intendat, occultiore, & clariore illuminatione a ſummo Deo manante purgatur, illuminatur, & perficitur. Occultiore quidem, vt intellectiore, magiſque ſimplici, & vnifico, clariore autem, vt quæ prima datur, primoque apparet & vniuerſaliore. Hæc ille, omnique opere diſſeritur de lumine veritatis, a fonte diuino in ſuperiorem, inferioremque mundum manante. Inde diuini operis principium auſpicatus dixit, πᾶσα πατροκινήτου φωτοφανείας πρόοδος εἰς ἡμᾶς ἀγαθοδότως φοιτῶσα. Omnis, ait, luminis, & claritatis a Patre ſcatentis in nos, benefica manatio. Quare hinc accepere minores Platonici, quorum certè nemo erit, qui non miretur, (vt loquar grauiſſimè) prauitatem, eam religionem infenſam eos habuiſſe, cuius myſteriis ſuam Philoſophiam nobilitare ſtuduerunt, ſine quibus fabularum ineptias colorare nequiuiſſent. Nam nobiliſſima materia, diuiniſque nominibus, totoque ſermonis ordine a Dionyſio ſuſcepta, fabularum ſordes, vt ſectionem Saturni ac Cęli expulſionem, dilacerationemque Dionyſij, cæteraque id genus affixerunt, & tanquam nobilem veſtem centonibus aſſutis, dehoneſtarunt. Sed boni eſt, nec bona ſpernere, necnon acri iudicio veritatem a mendacio perpurgare.

Deus cum Sole comparatus.

Error Hermiæ detegitur, Iouẽ cum Diis inferioribus ſtatuẽtis.

E

Lux veritatis Dei a ſeipſo.

F

De aliis generibus, & nominibus Deorum apud Proclum ex Dionyſio, & quid in his diſſentiat a vero. *Cap. XVI.*

SVNT item apud Proclum, etiam a Dionyſio deſumpta alia genera Deorum, ſiue Angelorum, quorum vnũ vocatur ἀπόλυτοι, abſoluti, exempti a mundanis gubernaculis, & quaſi ſemper cęleſtes, alij his oppoſiti, ἐγκόσμιοι, mundani: de quibus Proclus: λοιπὸν δὲ οἱ ἐγκόσμιοι πάντων ὑποδέχονται τὰς ἐλλάμψεις τῶν πρὸ αὐτῶν, διὸ καὶ ἐξουσιάζουσι τῷ παντὶ μιμούμενοι τοὺς ἀπολύτους, καὶ τοῖς εἴδεσι διακοσμοῦσι τὰ τῇδε. Deinceps, inquit, mundani, omniũ qui ante ſe ſunt, irradiationes accipiunt. Quocirca dominãtur vniuerſo,

Angeli abſoluti, & mundani qui.

imitantes

A imitantes exemptos, & ſpeciebus informant res has noſtras. Sic ille. In quibus, vt moris eſt, ſunt falſa & vera. Quod enim de adminiſtratione generis humani dixerat Dionyſius, quòd Angeli mundani rebus humanis præſidentes, verſantur in hoc mundo, vnde & venti, & fulgura vocari, quòd iuſſa Dei in hac prouincia celeriter exequuntur, longè a veritate eſt, hoc a Proclo deſignatum eſt munus, quòd creationem, formarumque productionem moderentur: ſolita ſcilicet temeritate plus res naturales, quàm humanas, & hunc corruptibilium rerum ordinem, quàm felicitatem hominum attendentes. Eadem de verorum dogmatum deprauatione: εἰκότως ἄρα καὶ οἱ τὰ θεῖα σοφοὶ τὴν τε ἐσχάτην τριάδα τῶν νοητῶν αἰτίαν ἔλεγον, τῶν τε πηγαίων, καὶ τῶν ἀρχικῶν θεῶν. Iure, inquit, diuinarum rerum prudentes, extremam trinitatem Deorum intellectorum cauſam dixerunt fontalium, & principalium Deorum. Ego verò, Procle, neminem inueni, qui Deos aliorum Deorum cauſam, autoreſque aſſereret, vni ſupremo Deo, rerum cunctarum, viſibilium, & inuiſibilium imperium, cunctis, ipſo vel Platone, & Empedocle adiudicantibus. Deos autem fontales vbi reperies, niſi in dogmatis Chaldæorum? in quibus delectum habere oportere boni Philoſophi iudicarunt. Vnus modò fontalis, cuius fuit, eſtque cuncta creatio. Principales autem Dij, noſtri ſunt, vocati a ſummis Theologis, ἀρχαὶ, principatus, non ἀρχικοί. Illud porrò examinandum: ἅπαντες γὰρ ἡγεμόνες εἰσὶ καὶ ἄρχοντες ἐν τῷ παντὶ, καὶ πολλὰς μὲν ἀγγέλων τάξεις περιχορεύουσιν αὐτοῖς πολλοὶ δὲ δαιμόνων ἀριθμοὶ πολλαὶ δὲ ἡρώων ἀγέλαι: Omnes enim ſunt duces & principes in vniuerſo, & multi ordines Angelorum circunſtant eos, multæ Dæmonum copiæ, multi greges Heroum. Dicendum vbi nomen Angelorum Proclus inueniſſet, ibi reperire potuiſſe omnes ſuper nos animos vocatos Angelos. Et quanquam verum eſt infimam Hierarchiam, quæ ex Angelis apud Dionyſium conficitur, ſubiectam eſſe ſuperioribus, qui poteſtates, & principatus vocantur: at quòd circunſtent illos vndique Angeli, fortaſſe non eſt verum, ne maieſtatis vnius, ac ſingularis honores ad alios transferantur. Adhæc vanum eſt Dæmones ab Angelis ſeparare, quos quidem ſeparat, dum cum Angelis, vt & ipſos bonos ſupremos illos, vult circundare. Nam boni Dæmones, ſunt Angeli, autore Philone. Commentitium quoque Heroas ab animis hominum ſeparare, quod eo ipſo loco, cum multis aliis Platonicis facit. Quid enim aliud Heroes ſunt, quàm iuſtorum, bonorumque hominum animi? Sed ſatis eſt eos ex parte veritatem vidiſſe, & agnouiſſe, gratamque habuiſſe.

Error Procli de angelis mundanis, vt appellantur.

Dij fontales apud Chaldæos.

B

Boni dæmones, angeli.

De eſca Deorum, vel Ambroſia, & Nectare: quæ cùm verè a Platone, & Ariſtotele fuerit aſſignata, Proclus parumper infecerit. Cap. XVII.

EXAMINANDA quoque ſunt, & conferenda, quæ de eſca Deorum locuti ſunt noſtri, & Philoſophi. Vidimus ſuperius præclaram Ariſtotelis ſententiam, Deorum felicitatem, indeficientemque beatitudinem eſſe cognitionem, ſcientiamq; perennem. Deducebat autem ex dictis Ariſtotelis ratio, qui cenſuit ſupremam, diuiniſſimamque Mentē, beatam eſſe contemplando ſeipſam, ex maieſtate ſua diuina gaudia decerpentem, inferiores mentes eadem ex cauſa beatas eſſe, & ſupremum illum intuentes. Qui cùm ſibi ipſi ſit infinitæ voluptatis cauſa, multo facilius felicitet inferiores mentes. Cur autem non aliunde, quàm ex ſe ipſo beatus ſit Deus, cauſa dicebatur, quòd non habeat maiorem, ex cuius contemplatione, & notione fiat beatus. Quę ratio efficiebat, vt quoniā minoribus mentibus vnus eminentiſſimus ante ſtat Deus, hunc vnum neceſſariò reſpectent demerſæ in pelagus infinitarum voluptatum. Hoc Plato prior dixerat, ſecutus eſt Ariſtoteles, cæterique Platonici, Dionyſius autem noſter omni opere ſuper hac Angelorum felicitate diſſeruit. Hæc igitur omnia partim Proclus de eſca horum Deorū loquens ſecutus eſt, partim adiecit ex ſuo pectore, perpendenda nobis an vera ſint. Secus autem quàm deceat, mea quidem ſententia, Platonem interpretatur, qui cū prata in cęlo ad exprimendā cęleſtē fęlicitatē ſtatueret, nil aliud hac in re quam beatitudinem Deorum, qui ſemper ſunt beati reſpiciens, per commentitias allegorias a Proclo contaminantur, eam eſſe vim feracem omnis vitæ formarumq; omnium. Eſſe porrò Deorum eſcam vnitionem quandam intellectualem, Ambroſiamque & Nectar, notionem, & prouidentiam eſſe inferiorum, ἐπειδὴ καὶ τὴν ἀμβροσίαν, στεριὰν τροφὴν εἶναι φασὶ, τὸ δὲ νέκταρ, ὑγρὰν: Quādoquidē Ambroſiam robuſtum pabulum eſſe ferunt, humidum Nectar. Hanc ob cauſam, ſolutam perq; omnia tendentem prouidentiam Nectar eſſe, robur autem, firmamque aſſiſtentiam, in ſuperioribus eſſe Ambroſiam. Concludenſque Proclus, νέκταρ οὖν καὶ ἀμβροσία, θεῶν τελειότητες, ᾗ θεοί: Nectar igitur, & Ambroſia Deorum perfectiones, quatenus Dij. Hæc de eſca, ab eorum, opinor, qui melius hæc ante eum norant ſententiis, aliena, cùm nec Plato, nec Ariſtoteles, Dionyſiuſque ac poetæ aliam Deorum Ambroſiam, ac Nectar celebrauerint, quàm ineffabiles eorum voluptates, quòd iuuenes ſemper procul ab omni clade, & vexatione, futuri ſemper tales, quòd aſſiſtant vultui diuino, in quo contemplando, inæſtimabiles voluptates nullis niſi his, qui fruuntur, cognitæ. Eſt quidem, & eſſe putandum eſt beatitudinis partem eorum, lucis illam myſteriorumq; mutuam communicationem, qua minores a maioribus irradiantur, dum tam ſublime,

Felicitas Deorum in ſcientia perenni, & contemplatione.

C

Deus beat. ex ſeipſo.

Platonis doctrina de cœleſti felicitate per allegoriam expreſſa.

Eſca Deorum quæ.

3. Metaph. cap 4.

diuinumque inter eos tranſigitur munus, ſed perfecta beatitudo eſt intuitus glorioſiſſimæ Diuinitatis, largos maieſtatis ſuæ, quemadmodum Sol in mundo ſenſibili, in regione ſuperna radios effundentis, implentisque circunſtantes beatitudine.

Virg. 6. Aeneid.

Circunſtant animæ, dextra, læuaque frequentes:
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari.

Dei vocabulũ multis dici modis.

Hoc nectar Deorum, & Ambroſia, quod Raphael confeſſus eſt. Ea denique exibilanda, quoniam Naturæ contraria tendunt, quæ de Diis omnibus in vniuerſum eſt locutus. Alium eſſe Deũ ſimpliciter, alium per vnitionem, alium per participationem, alium per συναφὴν, connexionem, aliũ per ſimilitudinem. Et quòd vnuſquiſque τῶν ὑπερουσίων, ſuperſubſtantialium, πρώτως θεος ſit primo, principaliterque Deus. Quilibet ex intelligentibus per vnitionem, Dæmones diuini per copulationem cum illis, Animæ hominum per ſimilitudinem. Quoniam igitur vnus eſt, duntaxat ſuperſubſtantialis, & principaliter Deus, cęleſtes autem omnes & terreſtres Dij ſunt per ſimilitudinem, redundat vnitio & copulatio, & cum poeticis fabulis connumerabitur.

Ex Theologia Damaſcij de Dijs, ſiue Angelis, & vno ſuperſubſtantiali Deo, & quòd is etiam imitatus eſt Dionyſium. Cap. XVIII.

DAMASCIVS quoque ſimilis eſt cęteris Platonicis in deſcribendis mentibus cęleſtibus, Dionyſium & ipſe imitatus, qui præbuit Platonicis loquẽdi de choris cęleſtibus exemplum. Ex fontibus igitur eius, non modò rebus, ſed nudis etiam, ſimplicibusq; vocibus vſurpatis, hæc ſcribit: ὡσαύτος δὲ φαίη τις ἂν καὶ τὰς πολλὰς εἶναι δοκούσας ζωὰς· ἐλλάμψεις εἶναι ζωτικὰς ἀπὸ τῆς μίας ζωῆς ὑφεστώσας, ἀναῤῥεούσας εἰς πάντα τὰ ζῶντα, καὶ τὰς πολλὰς πάλιν ἐνδόσεις εἶναι κατὰ ἔλλαμψιν ἀπὸ τῆς μίας οὐσίας προιούσας εἰς τὰ πάντα τὰ ὄντα· τί δὲ δεῖ πολλὰ λέγειν· ὅτε καὶ τοὺς θεοὺς οὕτως ὑποτίθενται πολλοὺς οἱ πρὸ ἰαμβλίχου σχεδόν τι πάντες φιλόσοφοι, ἕνα μὲν τὸν ὑπερούσιον θεὸν λέγοντες, τοὺς δὲ ἄλλους οὐσιώδεις εἶναι ταῖς ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἐλλάμψεσιν ἀποθεουμένους, καὶ εἶναι τὸ τῶν ὑπερουσίων πλῆθος ἑνάδων, οὐκ αὐτοτελῶν ὑποστάσεων, ἀλλὰ τῶν ἐλλαμπομένων ἀπὸ τοῦ μόνου θεοῦ, καὶ ταῖς οὐσίαις ἐνδιδομένων θεῶν: Similiter item dicat quiſpiam & multas, quæ videntur eſſe, vitas irradiationes eſſe vitales, ab vna vita ſubſiſtentes, promanantes in omnia viuentia. Multasq; item miſſiones ſecundum radiationem ab vna ſubſtantia, procedentes in omnia quæ ſunt. Quid multis? quando & Deos multos hi omnes ferè, qui ante Iamblichum floruerunt Philoſophi ſic ſtatuunt, vnum quidem ſuperſubſtantialem Deum dicentes, alios ſubſtantiales eſſe, radiationibus ab vno deificatos: & eſſe ſuperſubſtantialium vnitatum multitudinem, non per ſe perfectarum ſubſiſtentiarum, ſed radiantium ab vno Deo, & ſubſtantiis manantium Deorum. Hæc a Damaſcio dicta eo iudicio perpendenda ſunt, quo multa Philoſophorum dogmata cęleſtibus litteris non irradiata, digna fuerunt, quæ paulum lucis acciperent. Principio verum eſt, & exempli vice ſeruiens ad agnoſcendum rerum, præcipuèque animorum creationem, lucis manantis, ac radiantis exemplum: ſic omnibus rebus, omnique vita animis natis, & profectis a Deo, quemadmodnm radij funduntur a luce. Eoq; Philo vocat animos ἀπαυγάσματα, radiationes. Radiationes inquam vitales ab vna maxima lucidaq; vita profectas. Sed ꝙ hæc quaſi radiorum, Deorum multitudo perenniter lucens fluat a Deo, nunquam radiis a Sole ſuo non manantibus (quod eius, aliorumq; Platonicorum videtur dogma) multis de cauſis verum eſſe non poteſt. Eſſet primum Deorum ac ſummi ſingularisque Dei ſempiterna coniunctio, ſemper Sole ſuas fundente luces. Eſſent ęterni Dij minores, ſicut maximus ęternus. Subſtãtiam ſummæ Diuinitatis fluentem in eos, vel ipſi fluens ipſa Dei ſubſtantia forent: ſicq; non vnus ſolus ęternus, ſolus verus, ſubſtantialisq; Deus, ſed in tot partes ſciſſa Diuinitas, quot a Deo manarent luces. Quocirca neque fieri etiam poteſt, quod Iamblichũ, multosq; ante eum Philoſophos opinatur ſenſiſſe, eſſe multos οὐσιώδεις, ſubſtantiales Deos, radiis diuinis deificatos, id eſt, quorũ Diuinitas radiet cum primo ac ſingulari Deo. Nam is qui eſt ſuperſubſtantialis Deus, verã ſolus obtinet ſubſtantiam Diuinitatis. Reliquorum ſimilis ſubſtantiæ diuinæ, non ſubſtantia diuina: quemadmodum ſolus habet ſubſtantiam humanitatis, quicunque eſt ſubſtantialiter homo: qui autem non eſt naturaliter, ſubſtantialiterq; homo, nunquam ſubſtantiam humanitatis poſſidebit. Eſt autem ſubſtãtia natura cuiuſque. Quare cuicunque ſubſtantia Diuinitatis adeſſet, vera ſupremaq; diuinitas etiam adeſſet. Vt igitur Philo mentis humanæ creationem, pulchro declaraturus exemplo, eam vocauit ἀπαύγασμα, radium, ſcintillam a Deo, ſenſit autem non ęternam ſcintillationem, ſplendoremq; perenniter lucentem, ſed ſemel quiddam ſplendoris ex ęterna luce diuina demiſſum: ſic ſi Damaſcium ſenſiſſe putemus, ſanum erit dogma, & Deorum quos ait radiationibus a Deo ἀποθεουμένους, fieri Deos, quos etiam Dionyſius teſtatur in Theologia Deos vocari, dicemus creationẽ fuiſſe, cùm diuinitus a poteſtate prolifica ſua Deus ſplendores quoſdam vitales, qui dij nempe mentes angelicæ fuerunt, demiſit, non ex ſua Diuinitate, ſed fęcunda poteſtate luces illas ſui ſimiles accendens, quemadmodum ex ditiſſimis poteſtatis ſuæ theſauris lucem cor-

Vnus ſuperſubſtantialis Deus, alij ſubſtãtiales.

Animi radiationes.

Subſtantia quid. Mens, radius a Deo, & quaſi ſcintilla.

A cem corpoream, quæ nuſquam prius eſſet, inflammauit. Obſeruandum igitur Dionyſium non vſum eſſe nomine creberrimo ipſi, & Platonicis ἔλλαμψις ſuper eorum a Deo radiante ſubſtantia, ſed ſuper ſapientia, doctrina, ſcientia, myſteriis, quæ tanquam lumen a Deo ſupremo Angelis ſuis infundatur. De quo in cœleſti Hierarchia: Inferiorum, inquit, ſubſtantiarum ordines, igneæ, ſapientis, intellectualis, diuinæ virtutis, ſunt participes, inferius, & ad ipſas priores reſpicientes. Ipſæ enim prius Deum cognoſcentes, & diuinam virtutem excellenter cupientes, etiam priores merentur, quoad eis fas eſt, diuinam poteſtatem ęmulari. Tum eas, quæ poſt ſe ſunt, ſubſtantias omni poteſtate inflammant, dantes eis copioſè ſplendorem, qui in eas deſcendit. Similiter & hæ inferioribus, per ordinem quælibet prima ſubſequenti. Tranſitque in omnes, ex proportione, πρόνοια διαφοιτῶντος θείου φωτός. Diſpenſatio per omnes commeantis diuini luminis. Eſt igitur omnibus illuminatis principium illuminandi, Deus quidem natura, & verè, propriéq; vt luminis ſubſtantia, & ipſius eſſe, ac videndi autor; verum & omnibus mentalibus, ex proportione ἐπιφαίνεται, apparet, luceſcit, propriam illuminationem præbẽs proximis, ac digniſſimis. Hæc ad verbum Dionyſius, in quibus apparet, quam non ſyncerè Platonici, quemadmodum multa, ſic nec dogma de illuminatione & irradiatione intellexerunt. Eſt igitur illuminatio Nectar illud, & Ambroſia diuina, cognitio, ſapientia, quam ſupremam animorum voluptatem ſenſit Ariſtoteles. Hæc incipiens a ſupremo Deo, qui primus dat ſapientię ſuæ lucem, tranſit per omnes ordines diuinos ex proportione, & ordine, prius primis, exin poſtremis. Hæc illa
B θεωρία eſca Deorum ineffabilis voluptatis, ſpectaculum implens animos vbertima lætitia, iure lux appellata, vt quæ non ſit niſi cognitio, contemplatio diuinorum myſteriorum. Quare quod Iamblichus dicit, referturq; etiam a Damaſcio, ἕνα ὑπερούσιον θεὸν, τοὺς ἄλλους ἐλλάμψεις ἀπ' αὐτοῦ θεότητος. Quod eſt, Vnum eſſe superſubſtantialem Deum, cæteros radios ex Diuinitate eius. Errabit, quicunque non rectè interpretatus fuerit, vt radius Dei ſit Angelus, quemadmodum eſt mens humana. Creata ſcilicet a Deo, & tanquam lux accenſa creando. Vnus eſt enim Deus ſuperſubſtantialis, de cuius prolifica poteſtate cuncta manarunt.

Angeli participes diuinæ virtutis quomodo.

Platonici non intellexerunt irradiationẽ.

Eſca Deorum & lux quid.

Radius Dei Angelus, vt humana mens.

DE DAEMONIBVS.

Priſcis Dæmonum naturam innotuiſſe. Profanas littetas ſimilia ſacris de Dæmonibus perhibere. Nomen Dæmonum, Græcum, Hebraicumque eſſe poſſe. Eſſe hoc nomen commune bonorum, ac malorum. *Cap. XIX.*

NVnc erit ſermo de Dæmonibus: propoſitisque ex priſca Philoſophia, cui natura, visque eorum non fuit incognita, ſententiis, in ſacrarium veritatis bona reuocabuntur, fabulis, & ſæculorum diuturnitate è ſedibus ſuis tranſpoſita. Omnia quidem propemodum apud exteros, ſuper natura, caſu, genere Dæmonum deprehẽduntur, atque in Theologia vera, ſi veritatis origine reperta, & quoniam inter veritatem, ac falſitatem ſæpe magnum eſt commercium, prudenti ab inuicem iudicio ſeparentur. Vt autẽ prępotens Diuinitas, Diuinitatisq; myſterium, creatio mundi, principium generis humani, immortalitas animorum cognita fuit cunctis, & prædicata: ſic quandã fuiſſe ſemper de Dæmonibus
C ſcientiam apparet, quam noſtræ litteræ poſtea melius explicuerunt. Ac primũ nomen ipſum veſtigandum, & in quos pertineat, apud Philoſophos, ac Theologos dirimendum, vt locis cuique ſuis datis, veritas eluceſcat. Tres ſunt huiuſce appellationis rationes, duæ Græcæ, vna Hebraica. Plato primus autor fuit in Cratylo, quo tamen libro, cùm de re difficillima, atque ab animo longinqua quæreret, dubius vbique, & incertus, velutiq; palpitans ingreditur, cenſet Dæmonas ex ſententia Heſiodi vocatos, quaſi δαήμονας, prudentes, ſcientes, in vetuſta lingua Græcorum eo nomine nuncupatos. Atque ait eſſe non modò Heſiodi, ſed multorum aliorũ è poetis ſententiam, viros probos magnis honoribus affectos poſt mortem, Dæmones, iuxta hoc prudentiæ, ſapientiæque nomen, fieri. Eique ſententiæ ſe quoque libenter aſſentiri, vt optimus quiſque, ſiue viuens, ſeu defunctus ſit, rectè quàm vocetur Dæmon. Hoc de eorum nomine ſenſit Plato. Quæ autem de re dicit, paulò poſt diſquirentur. Cæteri Græci, præcipuè Euſebius, Dæmonas putat dictos ab eo, quod eſt δαιμαίνω, exterreo, pauefacio, quod ſpectrorum, Dęmonumq; ſit propriũ. Tertia deductio, vera (ni fallor) eſt. Sæpe enim ſum arbitratus, quemadmodum magna nominum vis ex Hebraica lingua fluxiſſet ad Græcos, quoniam nati ſunt Græci a vetuſtiſſimis cognatis eorum, qui Hebreorum, Aegyptiorumque gentem progenuiſſent: ſic hoc nomen antiquum a vetuſta Hebraica lingua: quam videtur ſomniaſſe in Cratylo Plato, aſſerens quandã barbaram linguam dediſſe cæteris linguis nomina, ad eos veniſſe. Hebraicè Shadai dicitur Deus & Dæmon. Scriturque in ea lingua, quæ ſolas conſonantes, raro vocales ſcribit, prior littera shin coniuncta cum daleth. Videntur itaque Græci illi vetuſtiores reiecta priore littera, aut iuncta cum ſequenti vocaſſe Daimones, qui dicuntur Hebraicè Sdaim, vt ſi reiicias priorem conſonantem, fiat Dai, in numero multo Daim. Quod ne cuiquam mirum videatur, norit pleraque nomina Hebraica,

Cõfer huc Aug. de Ciuit. Dei 9. a cap. 6. ad cap. 14.

Veritatis imaginem falſa ſæpe induunt.

Plato dubius.

Dæmones vnde dicti, & qui dæmones habiti.

Dæmones, vocabuli deductio è lingua Hebraica.

braica, in lingua Græca, vel detractis ſyllabis, vel auctis inueniri. Hebraicè dicitur Rapha, mederi, Græci addiderunt vnam ſyllabam Therapha. Hebraicè dicitur Banum, intelligere, Græci vnam ſyllabam detraxere νοῦν, Num. Hebraicè eſt Ba, ambulare, Græci, & Latini addidere: Latini unam, Græci duas ſyllabas: illi Vado, hi Badiſſo. Itaque minimè mirum, cùm ſint alia complura exempla, ab Hebraico Sdaim, factum Græcum Daimon: nam diphthongos veteres Latini & Græci proferebãt. Cognita igitur etymologia nominis Hebraici, vnde Græcum defluxit, tum de natura Dæmonum melius diſſeremus. Eſt Hebraicè nomen Sdai, Dei omnipotentis, fortis. In numero multo Sdaim, ſemper Dæmones malos deſignat. Dicitur autem nomen a verbo Hebraico, Sadad, euertere, vaſtare, inde nomen fortis, & omnipotentis. Vt igitur in cæteris diuinis nominibus Hebraicis, Græcis, & Latinis, communicatio fuit cum hominibus, ſuperioribusq; ſubſtantiis (Etenim Elohim, quod Dei nomen eſt, etiam Angelis & iuſtis hominibus eſt attributum. Erant item Dij gentium, hoc nomine dicti: Græci autem θεὸν, non illum modò, verum, ſingularem, vnicumque Deum, ſed multos alios appellarunt, item & Latini) ſic videtur nominis diuini Sdai, facta Dæmonibus, ſpiritibusque malis communicatio. Niſi malis opinari vocatos Sadaim, quaſi euerſores, deſtructores: ſed, vt dixi, id etiam eſt in ſacris litteris nomen omnipotentis Dei. Videtur igitur rectius, arbitrari id nomen datum eis ex communicatione, & ſimilitudine, quòd ſint poteſtates ſuperiores, Angelis ſimiles. Proinde ſimile nomen obtinuerunt. Illud quidem mirabere in ſacris litteris, quòd promiſcua ſunt nomina bonis, & malis poteſtatibus. Quippe cùm ſit vnus Rex omnipotens mundi, hoc tamen diuus Paulus etiam vocauit κοσμοκράτορας, mundanos principes. Ergo veriſſimum eſt, & ad intelligendum quicquid de Dæmonibus, a Philoſophis diſputatur, maximè opportunum, quod Philo Iudæus admonuit in libro de mundo, his verbis: Animas, inquit, & Dæmonas, & Angelos nomine quidem differre: vnam autem atque eandem eſſe rem, tibi perſuadens, moleſtiſſimam ſuperſtitionis ſarcinam abiicies. Vt enim bonos Dæmonas & malos plerique dicunt, ſimiliter animas: ſic & Angelos, alios quidem, qui futura prædicerent, legatos quoſdam hominum ad Deum, ſacros, & incorruptos cuſtodes propter præclaram hanc, & inculpatam adminiſtrationem: contra alios impuros & indignos, qui prædicerent, ipſe arbitratus, haudquaquam errabis. Hæc Philo. Eſtque, vt dixi, optima, neceſſariaque in omnibus Philoſophorum libris admonitio. Monet autem tum eandem eſſe naturam animarum, Dæmonum, Angelorum, & ſæpe alterum eſſe pro altero, tum hæc omnia, bona eſſe, & mala, bonas animas, & malas, bonos Dæmones, & malos, bonos Angelos, & malos. His cognitis, fieri, vt grauiſſimum ſuperſtitionis onus non feras animo. Neque enim decipieris, impieque peccabis, Dæmonas malos, arbitratus bonos, quod peccauit Plato, interdumque Porphyrius, multique alij Platonicorum. Rurſum non errabis, audiens apud Philoſophos Dæmonas cuſtodes generis humani, interpretaberisque eos Angelos illos bonos. Sic noſſe prædictionem rerum futurarum, legationemque Dei ad homines, bonorum eſſe Dæmonum: bonos autem Dæmonas, intelliges Angelos. Quoniam igitur hæc omnia ſunt in libris Philoſophorum, obſeruanda ſunt diligenter, ne altera, pro alteris accipiantur.

θεῶν nomē quibus tributum.

Cur ſimile nomen angelorum, & dæmonum.

Dæmones, & Angeli nomine nō differunt. Sed lege D. Aug. de Ciuit. Dei, c. 19. lib. 9.

Dæmones, cuſtodes hominum.

Exempla quibus monſtratur hoc nomen, diuinam potentiam, numenque deſignare, & vſurpari pro Deo, Diiſque a Poetis, & Philoſophis. Demum quòd malorum poteſtatum ſit proprium nomen. Eſſeque apud eos bonos & malos Dæmones. Cap. XX.

AD intelligendum igitur ea, quæ a noſtris, & a Philoſophis, de Dæmonibus, poſt nominis etymologiam, quam Hebraicam illam veriorem credimus, a qua totius rei ſermo dependet, oportet ex illo præcepto Philonis noſſe, varium ac multiplex eſſe Dęmonis nomen apud Poetas & Philoſophos, ſicut ipſum Hebraicum Sadai eſt omnipotentis, & fortis Dei, Dæmonium item malorum. Etenim Orpheus cùm de ſingulari Deo, quem Iouem nuncupat, loqueretur, vt videmus, dixit:

Ἓν κράτος, εἷς δαίμων γένετο, μέγας ἄρχος ἁπάντων.
Imperium, Dæmonque vnus, mundique ingens Rex.

Homerus item promiſcuè pro eodem nomine Dei, ac Dæmonis abutitur, ijdemque ſunt apud eum Dij, ac Dæmones, quod & apud priſcos omnes plurimum inoleuiſſe videtur. E quibus eſt, quòd vim diuinam, vniuerſalem, cuius nutu cuncta gubernantur, ſolitus eſt, vt Orpheus, appellare Dæmona, veluti cùm Vlyſſes fluctibus oppreſſus, tempeſtatumq; procellis iactatus, & naufragus timebat, ne Dæmon immitteret aliquem immanem cetum:

Ἤ ἔτι μοι καὶ κῆτος ἐπισσεύῃ μέγα δαίμων
Ἐξ ἁλὸς, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς ἀμφιτρύτης.
Aut mihi cetum immanem Dæmon mittat ab vndis,
Qualia pontus habet ſub aquis, & plurima paſcit.

Variè dæmonis vſurpatum nomen a poetis & philoſophis.

Orpheus de Deo.

Dij ac dæmones pro iiſdem accepti.

Odyſſ. ε.

Et alio loco, de reddita diuinitus tranquillitate:

-Ἡ δὲ γαλήνη

Ἔπλετο νηνεμίη, κοίμισε δὲ κύματα δαίμων.

Tum venti poſuerunt, ſtrauitque æquora Dæmon.

Odyſſ. ε.

Hic Dæmonem appellauit vim vniuerſalem, diuinam, vt ſi Deum ipſum nominaſſet, vt ante eum Orpheus, Vnus Dæmon, vna Poteſtas. Similiter locutus eſt Ariſtophanes, quòd Dæmon efficiat alios dominos, alios ſeruos, & parentes. Is ènim Deus vniuerſalis eſt. Homerus item cùm Deum ipſum vniuerſalem, Dæmonem, tum generatim quos Deos, eoſdem etiam Dæmonas dicit. Vt quòd Neptunus profectus eſſet ad Aethiopas, -μετὰ δαίμονας ἄλλους, ad cæteros Deos. Et cùm, in hymno Apollinis apud Iouem, -Ἔπειτα δαίμονες ἄλλοι Ἔνθα καθίζουσι, Dehinc alij Dæmones conſedere. Hi enim Dæmones ſunt, quos ſemper Deos appellat. Denique teſtatus eſt etiam Plutarchus, Homerum videri vti vtroque nomine promiſcuè, eſſeque quando Deos vocet Dæmonas. Primum autem Heſiodum ſeorſum rationalia genera in quatuor diuiſiſſe partes, Deos, Dæmonas malos & bonos, Heroas, & homines. Verùm vt poſtea monſtrabitur, illi apud Heſiodum Dæmones, non ſunt veri, naturaleſque Dæmones. Thales Mileſius, vt refert Athenagoras, primus partitus eſt naturam diuinam in Deos, & homines. Hac ratione locutus eſt Ariſtoteles exordiens librum de Mundo, Semper ei Philoſophiam viſam fuiſſe θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον χρῆμα, diuinam quandam, & dæmoniam rem: Pro eodem dicens diuinam, & dæmoniam, alterum alteri ſimile. Idemque ait de inſomniis, an fieri poſſit, vt per inſomnia, futura cernantur: & ſi cernantur, an ea, quorum homo cauſa, ἢ ὧν τὸ δαιμόνιον ἔχει τὴν αἰτίαν, vel quorum cauſa eſt Dæmonium, Hic Dæmonium eſt Deus. Nam de hac ipſa re loquens de diuinatione per inſomnia, etiam ſapientibus futuram ait hanc inſomniorum diuinationem, εἰ θεὸς ἦν ὁ πέμπων, ſi a Deo darentur. Et Plutarchus, quem alij diuinum Platonem, Dæmonium in libro de Educatione. Et quod ait ſolitum ſuo tempore mores & verba & viros vocari dæmonios & diuinos. Item de his, qui ſero ą Deo puniuntur, cunctationem Dei, ac tarditatem vocat βραδυτῆτα τοῦ δαιμονίου, Dæmonij, quem toto opere Deum dicit. In Galba, qui adoptaret Piſonem, Cæſaremque declararet, tempeſtates, imbres, tonitrua, tenebras fuiſſe, quaſi Dæmonium declararet, adoptionem boni cauſa minimè factam non approbare, ὡς καταδῆλον εἶναι, μὴ προσιέμενον, μηδ᾽ ἐπαινοῦν τὸ δαιμόνιον, γινομένην οὐκ ἐπ᾽ ἀγαθῷ, τὴν εἰσποίησιν. Et in de diſcernendo ab adulatore amicum verum, adducit Euripidem dicentem ὅταν δ᾽ ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων: Cum Dæmon bene dederit, quid amicis opus eſt? Hic enim Dæmon eſt Deus, Fortuna. Sic Ariſtophanes dixit Dæmonem facere ſeruos. Sic & ad Apollonium tribus rebus proſperis nunciatis Philippo, manus eum in cœlum tetendiſſe dicentem, ὦ δαίμων μέτριόν τι τούτοις ἀντίθες ἐλάττωμα, O Dæmon, moderatam his iacturam recompenſa. Sic Græcus vetus ſermo beatos vocauit, εὐδαίμονας, quibus eſſet Deus propitius. Eandemque Fortunam, & Dæmonem dixerunt; Eſt enim Deus ipſe. operans occultè, Fortuna vocatus. Sic fortaſſe locuti ſunt Epicurei & Stoici, diuo Paulo Ieſum Chriſtum Athenis prædicante, ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι: Quòd videretur peregrinorum Dæmoniorum nunciator. Dæmonia enim Deos promiſcuè vocabant, diuo Paulo nouum eis, & ante hac inauditum Deum prædicante. Plutarchus item referens, quæ apud Tragicum Siſyphus ait fuiſſe ſapientem quendam, qui diceret oportere ſibi perſuadere homines, ὡς ἐστὶ δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ, ὃς ταῦτ᾽ ἀκούει καὶ βλέπει φρονεῖ δ᾽ ἄγαν: Quòd ſit Dæmon, immortali ęuo beatus, qui hæc audiat, ſentiatque mirum in modum. Hic enim Dæmon eſt, ſicut apud ſuperiores, Deus vniuerſalis. Ibidemque profertur, quod dixerat Callimachus, εἰ θεὸν οἶσθα, ἴσθι ὅτι καὶ δαίμονι ῥέζειν πᾶν δυνατόν: οἱ δὲ γὰρ ὁ θεὸς δύναται πᾶν ποιεῖν. Si Deum noſti, ſcito quòd & Dæmoni faciendi cuncta poteſtas eſt. Siſyphus autem impius reſpondet, Deum omnia facere non poſſe. Hic apparet pro eodem vniuerſali, magnoque Deo, Dæmonem eſſe, ſicut apud Orpheum. In Politico Platonis eſt maximus Dæmon, & cæteri cum eo principes. Et in Eutyphrone dicit ſe accuſari Socrates, ὡς καινοτομοῦντα περὶ τὰ θεῖα, καὶ ποιητὴν τῶν θεῶν: Veluti nouos Deos introducentem fictoremque Deorum. Sentiebat autem de ſuo Dæmonio, & Deum vocat Apollinem, quem fatentur omnes Dęmonem fuiſſe, vt & Plutarchus. Sunt alia per omnes ſcriptores exempla, ex quibus facilè cernas, ſicut nomen Hebraicum Sadai, eſt omnipotentis, fortiſſimiq; Dei, in numero multo Sdaim, ſunt Dæmones mali: ſic priſcis Græcis ipſum Dæmonis nomen deſignaſſe Deum omnipotentem. Secunda igitur Dæmonum ſignificatio inoleuit apud poſteros, vt dicerentur genera Deorum a primo illo maximo, ac præpotenti Deo conditorum. Hoc autem ſignificatu idem ſunt Philone teſte Dæmones, atque Angeli, vt quos Angelos litteræ ſacræ vocant, hos Philoſophi Dæmones, Angelos eos nunquam propemodum appellantes, ſicut Dæmones nunquam ſacræ litteræ. Eiſque omnia, quæ noſtra Philoſophia Angelis, dederunt. Nomen quidem Angeli in Philoſophia cęleſti, promiſcuum eſt pro cęleſtibus Angelis, & pro eo, quicunque mitteretur, ſiue a Deo, ſiue ab hominibus, etiam verò pro poteſtatibus malis. Tertius Dæmonum ſignificatus eſt, ſicut in ſacris litteris Sadaim malorum, ſic ſemper malorum apud profanos.

Dæmon, vis vniuerſalis.

Heſiodi partitio.

Philoſophia dæmonum, id eſt diuina.

Deus, dæmonum.

Mores, verba, viri dęmonij.

Fortuna Dæmon.

εὐδαίμονες qui.

Fortuna, Deus occultè operans.

Deorũ peregrinorũ nunciator appellatus D. Paulus Acto. 17.

Dæmonis nomine, Deus vniuerſalis intellectus.

Dæmon Socratis.

Dij a ſupremo conditi Deo.

Angeli ſacris litteris dicti, qui Dæmones paganis.

Angeli, nuncij.

Dæmones boni & mali, Philoſophis agniti.

Varia de dæmonibus doctrina.

profanos. His ita ſeparatis facilius de natura eorum, ex priſca Philoſophia diſſeremus. Sunt autem ex Philoſophis, qui Dæmones bonos & malos agnoſcant. Quo perſpicuum eſt, ſentire Dæmones eos, quos noſtri Angelos: qui autem ſemper malos eos putauerunt, eo in loco habuerunt, quo ſunt apud noſtros. Semper enim pro malis ſunt in noſtra Philoſophia. Ac vt ait Pſellus de Chaldæis: καὶ ὁ μὲν χαλδαῖός τινας μὲν τῶν δαιμόνων ἀγαθοὺς, τινὰς δὲ κακοὺς τίθεται, ὁ δὲ ἡμέτερος εὐσεβὴς λόγος πάντας κακοὺς ὁρίζεται ἐκ προαιρετικῶν ἀποπτωμάτων, τὴν κακίαν ἀνταλλαξαμένους τῆς ἀγαθότητος: Chaldæus, inquit, alios bonos, alios malos Dæmonas agnoſcit: ſacra vera, piaque Theologia noſtra omnes definit malos, quoniam voluntariè peccauerunt, bonitate in ſcelus commutata. Hoc inquam, quod Chaldæus habet, eſt etiam apud multos poſteriores Philoſophos, quibus ſunt Dæmones boni & mali. Ac variant ſcriptores fermè omnes, alij tantum bonos agnoſcentes, alij bonos & malos, cæteri promiſcuè, ſicut Chaldæus: Platoni nunquam mali: Mercurio Triſmegiſto nuſquam boni: Chaldæo potius mali, quàm boni: nonnullis, vt Porphyrio, vtrunque. Quoniam autem, ſicut in omni Philoſophię quęſtione, vetuſtiora cum primis rimanda, ſic potiſſimum in inueſtiganda Dęmonum natura facere conuenit: cùm primis autem Philonis præceptum oculis intentis obſeruandum, moleſtiſſimum ſuperſtitionis pondus abiecturi, vt quæ de Dæmonibus bona dicuntur apud veteres, ne malis tribuantur: ſed ita de his eos locutos putes, vt ſi de Angelis ſermo eis fuiſſet.

De vario genere Dæmonum apud Philoſophos: & quòd non ſemper Phyſicè nomen hoc vſurpent, transferentes nomen, naturamque Dæmonum ad alios. De Dæmonibus veris, & fabuloſis ex Platone, & Poetis. Et quòd veri Dæmones ſint aerij. Correctio eius, quòd ſitum aerium dicunt naturaliter Dæmonibus attributum. Cap. XXI.

Plato de dæmonibus fabuloſa quædam tradidit.

INCIPIENS igitur a Platone, non vnam, eandemque apud eum, nec phyſicam ſemper de Dæmonibus, ſed fabuloſam nonnunquam deprehendes rationem. Phyſica ratio, vereque Dæmonibus congruens eſt, cùm eos in Epinomide, iuxta ſenſum omnium ante, & poſt eum Philoſophorum, definit genus aerium. Nam de prioribus Diis, aſtris ſcilicet, quorum præclaram naturam pretioſiſſimamque docuiſſet, locutus, addidit: μετὰ δὲ τούτους, καὶ ὑπὸ τούτοις ἑξῆς, δαίμονας, ἀέριον δὲ γένος ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἑρμηνείας αἴτιον, εὐχαῖς τιμᾶν χρεὼν χάριν τῆς εὐφήμου διαπορείας: Poſt hos, ait, & ſub his deinceps cenſendi Dæmones. Eſt autem genus aerium, habens tertium, ac medium locum interpretationum, legationumque autor: eoſque honorare votis valde operæpretium eſt, vt fauſta ſit eorum pro nobis legatio. Hæc Plato locutus ſubiicit: Horum duorum generum animalium, alterum ex ęthere, alterum ex aere, prorſus vtrunque non cerni, adeſſe nobis tamen, etiam non perſpicuum, perſuadere debemus: Eſſeque mirabili ſapientia præditum, vtpote genus docile, ac memor, cognoſcens omnem noſtram cogitationem, mirabiliterque amplectens, qui ex nobis boni, probique ſint, odio habens incredibiliter malos, ceu qui mœroris ſint capaces: Deum enim ſupremam dignitatis arcem obtinentem, extra dolorem, & voluptatem eſſe, ſolum ſapere & noſſe dicendum. Cumque mundus animantium ſit plenus, eos ad inuicem, & ſupremos Deos omnes, omnia perferre, eo quòd animalia interiaceant, quæ mira celeritate in cœlum, ac terras, omnemque mundum ferantur. Hæc Plato, recto, ſanoque iudicio perpendenda: quoniam plurima vera multis fabuloſis temperauit. Adiecit enim, quaſi ſuum quendam ordinem ſecutus, genus aqueum, ſemideum, Tritones, Leucotheam, Matutam, Inous Melicertem, cæteroſque id genus Poetarum, non Naturæ Dæmones, a Poetis, non a Deo factos. Vt autem in Timæo, & in Epinomide, in Dęmones recenſet Iouem, Iunonem, quos homines fuiſſe conſtat, idque Poetarum teſtatur deſcriptio, hi quoque dicendi ſunt, in natura, & in hac Platonica ſuperius definitione nullum habere locum. Cauendumque ne fabulis veræ Naturæ inquiſitio deprauetur. Dæmonas igitur illos aqueos conſtat eſſe fabuloſos, & poeticos, ab ipſiſmet Poetis, non a Deo repertos, qua licentia deificant flumina, fontes, arbores, antra. Itaque etiam Dæmonas illos Iouem, Iunonem non eſſe naturales, de quibus quærimus, Dæmonas, teſtantur hi, a quibus accepti ſunt. Vbique enim Poetæ demonſtrant eos partim Deos, partim homines fuiſſe, non agnoſcentes cum fabuloſè loquuntur alios Deos. Quare etiam Apuleius, qui Platonem imitatus in his Dæmonibus cenſet Palladam, quæ Græcis ferret opem, palam eſt à vera Philoſophia ad fabulas delapſum. Quomodo enim perſuadere ſibi poterat Pallada Dæmonem eſſe, ſi cum cęteris, qui Deorum apud Poetas implent numerum, ex hominibus eſt in Deos relata? An igitur ante Deos, Dæmones non fuerunt? At Plato in Timæo cenſet Dæmones in principio rerum, imperio Dei homines creaſſe. Huc quoque pertinet, vnde ſententiam hanc hauſiſſe Platonem palàm eſt, quod idem ait in Cratylo, ſecutus Heſiodum, Dæmonas eſſe probos homines, quibus poſt mortem id præmij ſit datum

Genus aqueum ſemideum.

Cauendum ne fabulis vera, & naturalis inquiſitio deprauetur.

Dæmones, probos homines poſt mortem, dici non propriè.

A vt Dæmones effecti cuſtodes eſſent generis humani. Verum enimuero etiam hæc non naturalia, ſed poetica. Quærimus ipſi Dæmonas eos, quos genus, & natura ſeparet ab hominibus, & quos oportuerit cum toto mundo fuiſſe creatos. Nam ſi ex hominibus aſſumpti, & tralati in Dæmonas fuerunt, nulli antequam hi excederent è vita, Dæmones fuiſſent. Nos autem quærimus naturales Dæmones, excluſa vanitate, ac ſuperſtitione. Nam hæc Platonis in Cratylo, & Timæo ſententia, etiam ipſius autoritate refellitur: quoniam & in Phædro, & in Republica cenſet eos dari cuſtodes & duces, ſimul ac nati ſint homines, Ergo multi homines antequam homines in Dæmones referrentur, ſine ducibus fuiſſent. Teſtatur item in Legibus Deum adhibuiſſe humano generi cuſtodes, non adhibuiſſe autem eiuſdem generis: ſicut nec nos mortales paſtores pecorum, aliquam pecudem, vel capram, ſed hominem adhibeamus: vt tantum inter duces illos intereſſe, atque nos ſtatuat, quantum inter homines, & pecudes. Ad hæc, cùm in Epinomide de naturali rerum ordine, mundaniſque regionibus, & incolis loquatur, tribuens ſupremam, ętheriamque Diis cœleſtibus, aeriam Dæmonibus, videtur illi naturale eſſe, vt cùm Deus crearet mundum, replens eum animalibus, ſimul impleuerit cœlum, ſimul aera, ſimul aquas, ſimul terras. Quòd ſi vera eſſent, quæ ex ſententia Heſiodi diſputat, aer in creatione ſuis animalibus caruiſſet, neceſſeque fuiſſet expectare, dum probi homines vita functi, Dæmoneſque effecti, aeriam regionem complerent. Quoniam igitur Plato, & Apuleius cum Natura Poeſin contaminarunt, pugnantia ſcilicet inuicem, effectum eſt, vt B nihil rectè, & ex Philoſophia eis ſucceſſerit. Aut enim ſequenda ſeorſum Poeſis eſt, aut Natura. Si temperes, coinquines, nihil efficias clarum & certum. Examinanda igitur Platonis illa deſcriptio, amandata procul interim Poetice: quoniam ipſe quoque proponit quendam ordinem naturæ. Plato igitur ſentit Dæmonas aerios, etiam in eo fortaſſe Heſiodum ſecutus, qui ex hominibus in Dæmones commutatos ait.

Error Platonis de dæmonibus.

Regio ętheria Diis cęleſtibus aeria dæmonibus plena, Platoni.

Ἀέραθ' ἑσσαμένοι πάντη φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν.
Aeraque induti tota tellure vagantur.

Tribuit ſcilicet aerium corpus Dæmonibus, vt etiam Apuleius ex ſententia Platonicorum. Sed Plato & Apuleius etiam aerem eis tribuunt, non modò ex quo corpora eorum ſint formata, exigua, tenuia, ſed etiam quem habeant pro regione, & regno, exiſtimantes nullam fuiſſe mundi partem, quam Deus animalibus non repleuerit. Sicut autem cœlum plenum eſt ſyderibus, diuinis ſcilicet animalibus, vt ipſi cenſent: ſic aerem fuiſſe animalibus natura, & Diuinitate, genere cœleſti inferioribus repletum. Excluſis igitur fabuloſis illis, poeticiſque Dæmonibus, naturales Dæmones priſcorum omnium ac Philoſophorum eſt ſententia aerios eſſe, duabus de cauſis: quòd & in regione ſint aeria proximè poſt Lunam, orbemque cœleſtem: & quòd ſint corporibus aeriis, ſed propter tenuitatem, quales ſunt ſoni & voces, & id genus ſpiritualia, inuiſibilibus, quibus induti per omnem mundum inambulant. Hæc autem definitio erit omnium generatim Dæmonum tam bonorum, quàm malorum. Quod autem Plato de interpretatione, legationeque dicit, ſanabitur illo documento Philonis, hoc munus Angelorum, non Dæmonum eſſe, quod eorum nomine ſignificatur, quo in Hebraica lingua, & ab antiquiſſimo Moſe, & ab anteceſſoribus eius ſunt ab eo munere appellati: ab Aegyptiis, C ſuperioribuſque Theologis, Platoni auditum, ſed nomen immutatum: Aut dicemus eum ſecus, quàm maiores prodidiſſent, fuiſſe locutum, aſcribentem Dæmonibus, quod erat apud priſcos, meliorum poteſtatum, quos fama, certaque ſcientia erat, creditis eis a Deo rebus humanis, a cœlo in terras nuncios mitti. Hoc non Dæmonibus decuit aſcribi, ſed vt apud maiores fama increbuiſſet, Diis ipſis cœleſtibus, & Angelis, quos ſuper ſcala, quæ ſolo fixa cœli cacumen tangeret, vidit aſcendentes, & deſcendentes Iacob. Id officium in ſacris litteris dicitur ἀγγέλλειν, nunciare, apud Philoſophos ἑρμηνεύειν, interpretari. Inde Hermes, diuum interpres. Dicitur etiam πορθμεύειν, intercedere, perferre, tranſmittere. Definitionem igitur Platonis, quòd Dæmones ſit gens aeria, non modo aeriis, inuiſibilibuſque corporibus, ſed etiam regione, vt ſint quaſi mundani Dij, proxima cœlo loca obtinentes, quoniam is eſt omnium fermè Philoſophorum conſenſus, approbabimus. Sed officium, quod tribuit eis, dicemus iuxta Philonem, non ipſorum eſſe, ſed Angelorum, quibus veritas cęleſtis, non aerem tribuat, ſed ipſum cœlum habitandum: diuinaque præſentia ſemper frui, exceptaque mandata proferre in terras, affirmat. Quod cùm ſit ipſorum proprium, Dæmones à tam præclaro, vt ait Philo, munere excludemus, ne mala pro bonis accipientes, deceptique rerum ſimilitudine, ſuperſtitionis pondus noſtris ceruicibus imponamus. At dicemus vnam quidem gentem, vnum genus eſſe Dæmonas & Angelos, ſed non omnes Dæmonas, duntaxat autem bonos legationibus fungi. Definitio igitur Dæmonum erit, quòd aeriis corporibus regiones aerias incolant: legationes autem erunt Deorum ętheriorum, non Dæmonum, quibus morum prauitas dignitatem, decuſque hoc eripuit. Veritatemque a fabulis, & mendaciis, attentis oculis, ſic apud Platonem, vt apud cæteros Philoſophos ſecernentes, duabus correctionibus vtemur in explicatione Platonica de Dæmonibus: primum reiicientes poeticos illos Dæmones, qui cùm homines fuiſſent, ſeparatum

Corpora dæmonibus tributa Platonicis.

Legati dæmones angeli boni.

ἀγγέλλειν in ſacris, idem quod ἑρμηνεύειν Philoſophis.

Legatio Angelorũ eſt, non Dęmonum officium.

Dæmones praui a ſua dignitate deiecti.

a Dæmonibus genus habuerunt, nominaque ipſa fuerunt hominum nuncupationes: ſecundum, vt legationem, cuſtodiam generis humani, non Dæmonum eſſe, ſed eorum, quos Deos appellant, dicamus. Aut ſi demus bonos, & malos Dæmones eſſe, bonos, Angelos appellabimus, quorum ſint legationes, & interpretationes. Sed definitio, quòd ſint aerij regione, quoniam Angeli, ac Dij in ſacris litteris (nam nomen Dei Elohim, etiam Angelorum, ſic etiam in profanis) legationibus fungantur, humano generi dati a Deo præſides, & ſunt cęleſtes, non aerij, niſi fortè corpore, non congruent, nec erit eorum cum Dæmonibus miſcenda natura. Separato igitur munere legationis, & interpretationis, reliquam definitionis partem accipiemus, eſſe eos aerios, a cœleſtibus aulis, commercioque Deorum excluſos, & in terram, aeremque tenebroſum deiectos. Illud item videtur in Platone, Apuleio, forteque etiam Philone corrigendum, ſitum aerium datum Dæmonibus non naturaliter, ac quaſi ſuccedentibus inuicem ſibi mundanis regionibus, quæ fuerint in creatione repletæ, cunctis elementis habentibus ſua animalia. Nam ſi natura ſitus is Dæmonibus eſſet, nunquam mali, ſed boni ſemper fuiſſent: quoniam tum autor omnia bona fecit, tum nihil eſt a Natura factum deprauatum. Nec Deus malis habitatoribus mundum ſuum repleuiſſet. Ille igitur aeris ſitus accidentalis fuit: non natura, nec fuit diuina diſpoſitio, vt cœlo diuinis animis repleto, compleretur, aer item ſuis incolis. Quod ſi Deus feciſſet, bene feciſſet, nec mali Dæmones eſſent, nec aerem, ſed cœlum incolerent. Relinquitur igitur has ſedes datas vti malis, vel vt quibus non licuerit ad cœleſtia templa propter ſcelus aſpirare. Quocirca, quod Philo perhibet in libro de Mundo ſecutus Platonem, ἀέρι μὲν τὰ πτηνὰ, καὶ δυνάμεις ἄλλας, αἰσθήσει οὐδαμῇ οὐδαμῶς καταλαμβανομένας, ψυχῶν ὁ θίασος οὗτος ἀσωμάτων ἐστὶ, διακεκοσμημέναις οὔσαις αὐταῖς ἐντάξεσιν: Aeri, inquit, attribuit volucres, & poteſtates alias, quæ ſenſu non poſſint percipi. Eſt autem is chorus animarum incorporearum, per acies & ordines diſtinctus ſuos. Deinde infert, Quorum alias ratio probat corpora mortalia ingredi, certiſque temporibus rurſum migrare, diuiniorem compagem ſortitas, omnis terrenæ habitationis expertes eſſe, ſed ſupernè ad ipſum ęthera puriſſimas eſſe. Quas Græcorum Philoſophi Heroas, & Dæmonas vocant, Moſes recto nomine Angelos, legationibus fungentes, & nunciantes a Principe bona ſubditis, & ipſi Regi ea, quibus indigent ſubiecti. Et in libro, quò inſomnia ſint a Deo, ἀὴρ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος: Aer incorporeorum animorum domicilium. Quandoquidem omnes mundi partes replendas eſſe, pulchrum iudicauit opifex. Quocirca terram terreſtribus, mari & fluminibus aquatica, cęlo ſtellas attribuit. Quarum ſingula non modò animal eſt, ſed etiam puriſſima mens. Quare etiam in alia regione vniuerſi, aere: ζῶα γέγονεν: εἰ δὲ αἰσθήσει μὴ καταληπτὰ, τί τοῦτο, καὶ ψυχὴ γὰρ ἀόρατον, καὶ μὲν εἰκός γε ἀέρα, γῆς μᾶλλον καὶ ὕδατος ζωοτροφεῖν: Animalia creata ſunt. Quòd ſi ſenſu non percipiuntur, quid mirum? Siquidem & anima inuiſibilis. Atqui veri ſit ſimile, aerem multo magis, quàm terram animalia nutrire. Hoc igitur Philonis dogma, dicerent Theologi non eſſe planè Moſaicum, negantes eſſe in aere animas, anteaquam in corpus deſcendant, aeremq; puriſſimos animos habitare non concedentes, qui locus datus ſit eis a Deo, tanquam naturalis, vt legationibus fungantur. Si enim accedunt ad Regem, certè cęleſtes ſunt, non aerij. Et ipſi angeli confeſſi ſunt ſe ſemper aſtare conſpectui diuino. Si ſunt cęleſtes, vt clara ratio eſt, quoniam ſunt Angeli, qui Dij dicuntur a Philoſophis, etiamque in Theologia, ſupereſt eos etiam cęlum habere pro regione, eosque ſolos legationibus fungi. Eos autem qui tenent aera, non modò non eſſe puriſſimos, ſed aliorum Theologorum teſtimonio inquinatiſſimos, vtpote vetitos propter impuritatem cęleſtes penetrare domos. Quare ſecutus in eo Platonem Philo, dogma propoſuit non vſquequaque Moſaicum. Probarem enim teſtimonio Moſis, tum Angelos cęleſtes eſſe, ſemper in aula Regis ſui commorantes: tum aerem non alia animalia, quàm volucres habere: nec aliud animantis genus aeri neceſſarium fuiſſe, quo repleretur, niſi volucres & volatilia: ſicut nec aquæ ſunt alia animalia, nec terræ niſi corporea, & viſibilia. Dæmones autem, quoniam tantus eſt Philoſophorum conſenſus aerios eſſe, dicerem non conſilio creatoris, & natura ſitum hunc habuiſſe, ſed caſu & vitio ſuo, quibus cœlum, quemadmodum cęteris animis, eſſet paratum. Eadem correctione vterer in Apuleio, ſelectis bonis multis, quæ de Dæmonibus ſentit.

Dæmones aerij regione.

Non eſſe credendũ aerem Dæmonibus aſſignatũ natura a Deo.

Aerem plenum animis incorporeis, Philonis dogma a Moſis alienũ doctrina.

Angeli nõ ſunt aerij, ſed cœleſtes.

Aer non habet alia animalia, quàm volucres. Cur dęmones putandi ſunt aerij.

Declaratur ſententia Platonis de Dæmonibus, quæ tribuit eis legationes, interceſſionemque inter hominem, atque Deum. Et quòd hi ſunt Angeli cœleſtes. Cap. XXII.

DECLARATVM eſt igitur, quod Plato prodidit in Epinomide. Cùm ergo legationes, & interpretationes, non Dæmonum aeriorum, ſed cęleſtium Deorum eſſe deprehenderimus, recognoſcere, & in ſedes ſuas reſtituere neceſſe erit, quod item Plato dixit in Sympoſio de Dæmonibus: Etenim, inquit, omne Dæmoniorum genus interiacet inter Deum, & mortales, referens Diis res humanas, hominibus diuinas: Hominum quidem preces, & ſacrificia: Deorum imperia, & præmia ſacrificiorum.

Dæmones inter Deũ, & homines medij.

A Cùmque ſit in medio amborum, efficit vt vniuerſum ſit inter ſe deuinctum. Per hos tendunt omnia vaticinia, arſque ſacerdotum, eorumque omnium, qui ſacrificiis & initiationibus, incantationibuſque & veneficiis inſiſtunt. Deus autem non habet cum hominibus commercium, ſed per hos omnis fit legatio, & allocutio Diis ad homines. Vigilantibus item & dormientibus. Atque qui in his doctus eſt, vir dæmonius dicitur. Igitur hi Dęmones multiplices ſunt & varij. Hæc Plato. Quæ quidem eodem atque ſuperiore calculo examinanda eſſe, ne vel in ſuſpicionem, vel indignam Philoſophia hallucinationem cadamus, certum eſt. Tanta eſt enim propter ſeparationem à corpore inter Dæmones bonos & malos, aut Angelos, & Dæmones ſimilitudo, & quia mali ſæpe transformant ſeſe in Angelos lucis, vt eadem eiſdem apud Philoſophos tribuantur, deceptos eorum nonnullos, vt ait Porphyrius, ea ſimilitudine. Quoniamque credendum eſt Platonem, ſicut omnem aliam Philoſophiam, ſic de Dæmonibus hanc ab Aegyptiis, cæteriſque Barbaris, etiam iudice Plutarcho hauſiſſe, veriſimile fit quæ de vtroque genere audiſſet, huc eum in commune attuliſſe. Dico igitur in hac Platonis relatione, etiam Platonicorum teſtimonio, cum miſta ſit duplex natura, non congruere Dæmonibus omnia, ſeparandaque eſſe recto ſanoque iudicio: quoniam nihil eſt aliud miſcere ſuperſtitionem cum religione, quàm indigna Deo indigna malis, prædicare, vt ſiue bonis mala, ſiue mala bonis aſſignes, par vtrinque periculum adeas. Functio igitur illa, legationes, & interpretationes, & inter Deum, hominemque interceſſio, delatio mandatorum Dei ad homines, precum, & benefactorum ab hominibus ad Deum portatio, non eſt eorum, quòd ibidem incantationibus, & ei quę dicitur γοήτεια, maleficium, initiationibus item, quæ ſæpe fuerunt execrabiles, præfectos dicit, & quibus totam attribuit Magicem: B ſed eſt cœleſtium Deorum, & eorum, qui ſemper aſſiſtunt diuino conſpectui, quos Ariſtoteles & Plato beatos in cœlo prædicant ob hanc cauſam viuere. Quod longe quàm Aegyptiorum, & Gręcorum Theologia Moſis vetuſtior, in qua Dii cęleſtes a ſummo & Principe, ac Rege ſuo Deo monſtrantur ad homines miſſi, rurſum ab hominibus preces, & benefacta attuliſſe, probat. Ac vt taceam Moſen, de precibus clarum. Apud Tobiam inquit Angelus, Quando orabas cum lacrymis & ſepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Deo. Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te: nunc miſit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filii tui dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Hæc ipſe Angelus, addens ſe veſci cibo immortali, inuiſibili, qui ab hominibus cerni non poſſit. De ſacrificiis autem in Apocalypſi: aſcendit fumus Aromatum ante conſpectum Dei de manu Angeli. Ergo non a dæmonibus, ſed ab ipſiſmet Diis functio hæc celebratur. Triaque ſunt in hac Platonis aſſignatione corrigenda, vt Theologiæ tranſpoſitus ordo in ſuas regiones reuocetur: Quòd ait dæmonas intercedere inter Deos & homines. Nam qui inter Deum, hominesque intercedunt, quaſique mediatores, & πρόξενοι exiſtunt, non ſunt dæmones, ſed ipſimet Dij: nec eſt cum Diis illis multis, quos & ipſos confeſſus eſt Plato ab Opifice mundi creatos, interceſſio: nec ad eos fit relatio, ſed Deum ſupernum, nec habent miniſtros, internuntios, & legatos. Qui enim ſunt Dii illi, inter quos, & homines, medii, & internuntii dæmones intercedant? Tranſpoſitus igitur eſt ordo corrigendus & reſtituendus a nobis, vt quos dixit Deos, & quos Ariſtoteles prædicauit extra cęli vertiginem viuere beatos, quod etiam Plato vbique, C deſcendant è cęlo inter homines Deumque altiſſimum intercedentes, digni qui vocentur, ſicut in ſacris litteris vocantur, Dii: Quos omnis vetuſtas etiam cognouit, & ſenſit, & audiuit, expertaq́, eſt ad homines venire. Namque Catullus, Qui cœtus humanos inuiſant: & quod Plato in Epinomide, bonos & pios amplectuntur: non aerios illos dæmones, ſed Deos cœlicolas dixit, qui quondam ſumptis pulcherrimis, viſibilibuſque corporibus, darent ſeſe in conſpectum piis, ac iuſtis, vt Abrahæ, vt Moſi, vt Iacob, pleriſque probatiſſimis viris poſt & ante eos. Scelera autem noſtra auertiſſe, iuſtitiæ, probitatiſque amatricem eorum mentem à nobis. Hi ſunt legati, interpretes, relatores, vltro citroque a cęlo in terras, a terris in cęlum, legatorum more reuolantes. Secundum corrigendum eſt, vt quemadmodum non eſt inter Deos, homineſque interceſſio, ſed inter Deum principem, quem & ipſe agnoſcit, veneraturque Plato, nec ponere fas eſt alium ordinem inter homines, & Deos: ſic prædictio futurorum, legatio, & allocutio, dæmonibus & aeriis illis poteſtatibus erepta, tradatur Diis melioribus, non nuntiis ex poteſtatibus, ſed ipſis nuntiorum munere fungentibus. Tertium, quòd quemadmodum munus iſtud præclarum traditum dæmonibus, reſtituitur veris poſſeſſoribus Diis: ſic officium execrabile, veneficiorum, incantationum, teletarum, quæ ſæpe turpiſſimæ, abominandæque fuerunt, non bonis illis, & potentibus Diis, quibus mens eſt, vt Catullus ait, iuſtifica, tradatur, ſed relinquatur aeriis iſtis dęmoniis. Hoc igitur pacto fiet, vt datis ſuis cuique locis, ordo Theologiæ verus appareat. Habemus interim a Platone, Dæmones eſſe genere aerios, magicæ, veneficiis, incantationibus, oraculis pręfectos. Legationes autem, vt ipſa ratio docuit, reſtituimus Diis. Docet enim ratio, non inter Deos, ſed maximum prępotentemque Deum intercedere legatos. Ergo ſi ſunt Dii cęlicolę, vt fatetur Plato, hi maximè parentes principi Deo legationibus

Similitudine decepti homines, bonos & malos angeloseoſdē eſſe ſtatuerunt.

Periculoſū miſcere ſuperſtitionē cū religione.

Bonorū angelorū officiū ē offerre p̄ces hominū Deo

Tob. 12.

Apocal. 8.

Dæmones non intercedūt inter Deū & homines, ſed angeli.

Angeli aliquādo viſibiles.

Angeli internuncij & interpretes.

Veneficia & incantationes ſūt malorū dęmonum.

Dæmones non ſunt btĩ & cur.

Dij cũ hominib. ſocietatẽ habent.

funguntur. Sequitur item ex dictis Platonis, neceſſaria, naturalique deductione, Dæmones non eſſe bonos, idque duabus rationibus. Sunt aerii, non admittuntur in cœlum, non fruuntur diuina præſentia. Sunt item ſceleratis maleficiſque artibus, teletis execrabilibus præfecti. Quo arguitur eos impuros eſſe, & inquinatæ mentis, nec eos delectari, quod in Epinomide dixit, bonos odiſſe malos, quod eſt ipſorum Deorum cœlicolarum, vt Catullus oſtendit. Emendandum item aut declarandum, quod ait Deum vel Deos cum hominibus non habere commercium. In Gorgia ſentit contrarium: φασὶ δὲ οἱ σοφοὶ καὶ οὐρανὸν, καὶ γῆν, καὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους τὴν κοινωνίαν συνέχειν, καὶ τὴν φιλίαν, καὶ κοσμιότητα: Aiunt ſapientes cœlum & terram, & Deos, & homines habere ſocietatem, & amicitiam & inter ſe ordinem. Hucuſque poſſent ſic Dęmones definiri ſecundum Platonem: Dæmones genere ſunt aerij, id eſt, loco, & corpore: ſunt malis affectibus, quia delectantur impuris veneficiis: præſunt incantationibus, quę ſine impuritate, & flagitiis non fiunt. Habemus etiam ex Platone, & Catullo definitionem Angelorum, ſiue Deorum, quòd ſunt cęleſtes, pręfecti legationibus, inter nos & Deum intercedentes, imperia Dei nobis, noſtras Deo preces perferentes. Delectantur mirum in modum bonis, adeunt domos caſtas, execrantur malos, auertunt ſeſe ab eis.

D

Separantur ea, quæ promiſcuè de Dæmonibus aerijs & Angelis cæleſtibus locutus eſt Plato. Et, quod mirè cum ſacris litteris conſentit, de principibus humano generi datis. Cap. XXIII.

E

Dæmonas præfici hominib⁹ ex Platone.

Corrigitur Plato.

Dij minores, genij.

VT PLATO in Epinomide, & in Sympoſio confudit naturam bonorum, ac malorum, tranſtulitque Deos in Dæmonas: nos autem ſeparatis à veritate mendaciis, ſua quibuſque reſtituimus: ſic faciendum eſt cæteris locis, in quibus de Dęmonibus eſt locutus. Quarto de Legibus hæc ſcribit, Cognoſcens Saturnus, quemadmodum narrauimus, humana natura, cuius imperio ſubiecta cuncta eſſent, fieri non poſſe, quin iniuſtitia, & iniquitate in gubernando vteretur, ἐφίςη βασιλέας γε καὶ ἄρχοντας ταῖς πόλεσιν ἡμῶν, οὐκ ἀνθρώπους, ἀλλὰ γένους θειοτέρου τε καὶ ἀμείνονος δαίμονας: Præfecit Reges, & Principes vrbibus noſtris, non homines, ſed alterius generis diuinioris Dæmonas. Tum ſubiicit: ſicut nos facimus pecori & omni domeſticorum, manſuetorumque animalium gregi, non boues boum, neque capras caprarum principes, ac duces damus, ſed nos dominamur genus, quàm ipſa præcellentius. Sic videlicet clemens Deus genus excellentius Dæmonum præfecit nobis. Quod ſumma pace, & clementia, ſummaque erga nos prudentia, libertatem, abundantiam, modeſtiam affatim afferebat, efficiebatque vt ſine tumultu, beatères humanæ agerent. Ac vera hæc fama addit quoque, quibus vrbibus mortalis quis, non Deus imperet, nec malorum, nec miſeriarum fore finem. Hæc & alia Plato. Hic quoque duplex neceſſaria, vel correctio, vel declaratio, ipſo etiam Platone nobis eam oſtendente, quòd hoc non fecit Saturnus, ſed Deus, vt idem poſtremo profatus eſt, & docuit in Timæo, & in Politico. In Timæo mundanus opifex, ſummuſque Deus iubet Deos minores, quos Dæmones Græci, Latinè Genios dictos putat Marcus Tullius, in corpus humanum, quod imperio eius collectis ex omni elemento puriſſimis quibuſque partibus effinxiſſent, anima, quam ipſe creaſſet, incluſa, omnem dein generis humani curam eos ſuſcipere, regentes ante vitam, in vita, poſt vitam. Quare non fuit is Saturnus, ſed Deus Sempiternus, omnipotens. In Politico quoque dicit ad verbum: Sicuti nunc per loca idem fit a Diis principibus. Nam omnes mundi partes interceptas, & quidem etiam animalia, generatim, & greges, veluti paſtores diuini, partiti ſunt inter ſe Dæmones, quorum quiſque ſufficit ſuæ gubernandæ prouinciæ, quam Deus eis credidit. Paulò poſt: Deus ipſos diſtribuit, præficiens ipſe ſicuti nunc homo animal diuinius, cætera inferiora genera paſcit. Ecce refert eadem hoc libro Plato, atque libris de Legibus, nominans apertè Deum, quem Saturnum in Legibus. Ipſe igitur, vel corrigit, vel declarat ſeipſum. Secundo loco emendandum, vel declarandum, quæ poſſit etiam ex Platone colligi correptio. Hoc munus mundi gubernandi, ac regendi, non fuiſſe a principe Deo Dæmonibus delegatum, ſed Diis illis cæleſtibus, vt ſuperius Catullus cum Platone prædicabat, poſſetque, quod ipſe fortaſſe non grauatè acciperet, autoritate vetuſtiſſimi Moſis corrigi Plato, qui in ſuo diuino carmine longè ante natum Platonem cecinit, Conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Dei, quanquam Hebraica lectio eſt filiorum Iſrael. Item Daniel genere Barbarus (à Barbaris autem fluxit ad Græcos Theologia) multos natus annos ante Platonem, inducit quendam è cœlitibus, nimirum Angelum Gabrielem, cui populus Hebræus creditus eſſet, dicentem reſtitiſſe ſibi principem Perſarum, veniſſe autem Michaelem vnum de Principibus primis in adiutorium ſuum. Ibidem eſt princeps Græcorum, & Michael item princepes Hebræorum. Hi ſunt igitur quos Plato ſimiliter dixit, ἄρχοντας, Principes, mundi rectores, Præſides generis humani. Nec alia ſentiebat ipſe, quàm a Barbaris audita,

Angelo Gabrieli popul⁹ Iſrael creditus. Dan. 10. Michael, princeps Hebręorũ.

nomine tantum diſſenſit, nec quæ Barbari docuiſſent, quoad decuiſſet, percepit. Poſſemque ex ipſo declarare, vel corrigere Platonem, qui cæteris libris non a Dæmonibus, ſed Diis aſſerit curari genus humanum. In Phædone, vt alia loca taceam, Bene, inquit, illud celebrari, crebro quæ iactari, mihi videtur, θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελουμένους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι: Deos eſſe gubernatores, cuſtodesque noſtros, & nos eſſe Diis, quaſi peculium. In Apologia quoque dicit non negligi res viri pii, ac iuſti a Diis. Ergo correxit Platonem Plato, tulitque etiam pro veritate ſuffragium. Vt ergo fabuloſè propè fuerat pro vero Deo Saturnus, ſic pro veris Diis, aut Angelis, nominati ſunt Dæmones. Sed corrigitur & autoritate Prophetarum, quorum vetuſtior eſt, quàm Platonis Theologia, & ipſiuſmet teſtimoniis Plato. Habes igitur præter ſupradicta nihil aliud quidem de Dæmonibus: de Diis autem, quod concorditer cum vera Theologia, diſtributas partes omnes mundi à principibus ſuis Diis aſſerit Plato. Sicque potuerunt Dii definiri. Dii cæleſtes, quos Angelos & nuntios cæteri vocant, incolunt cælum, ſunt legati Dei, inter Deum, & homines intercedentes: ſunt item principes prouinciarum, vrbium, locorum rectores, ac paſtores diuini quidam, a quibus tanquam ducibus & principibus gubernantur res humanæ. Hosque diſtribuit præpotens ille Deus. Quare non ſunt Dæmones illi aerii principes, quos dixit Plato, cum dæmones magnis illis principibus longè ſint inferiores & imbecilliores. In Tobia vidimus ab Angelo fugatum dæmonem vtpote immundum, impurum, imbecillum, a ſancto, puro, præpotenti. Hi ſunt igitur veri principes, & hos veriſimile fit ex Theologia Barbarorum audiſſe, & ſcriptis ſuis celebraſſe Platonem. Et nos in ſuum locum Theologiam reſtituimus, etiam non reclamante Platone: qui & in Politico hæc ipſa diſſerens, πάντες οὖν οἱ κατὰ τόπους συνάρχοντες τῷ μεγίστῳ δαίμονι θεοὶ, γνόντες τὸ γιγνόμενον ἀφίεσαν αὖ τὰ μέρη τοῦ κόσμου τῆς αὐτῶν ἐπιμελείας: Omnes, ait, qui cum magno Deo per loca imperabant Dii, cognoſcentes iam quod fieret, partes mundi ſuis gubernaculis deſtituerunt. Sic Deos appellat, quod alibi dęmones. Mirabile, diuinumque propè oraculum apud Platonem, principibus diuinis creditas res humanas, eos & Principes appellantem ſicut litteræ ſacræ, & eam gerendam prouinciam demandantem, quam item litteræ ſacræ, per omnia ſanctæ Theologiæ conformis. Et Philone dicente, apud Philoſophos dæmonas eſſe, qui in ſacris litteris Angeli, noſcimus principes dæmonas eſſe principes Angelos.

Plato a Platone correctus.

Definitio Deorum, ſeu angelorum.

Dii, dęmones, angeli

De Dæmonibus eligendis, eorumque præſidio, cuſtodiaque hominum in vita, & poſt, à Platone tradita, in Deos, vel Angelos congruere. Quis ſenſus, cùm aiunt iuſtos poſt mortem fieri Dæmones.

Cap. XXIIII.

ILLVD item obſeruandum ſuſpiciendumque eſt, &, vt fecimus etiam, declarandum, quòd alijs multis in locis de dæmonibus tradit Plato, Quos vt docui tribus vitæ conditionibus, ſortitos res humanas, eas adminiſtrare, ante vitam, in vita, poſt vitam aſſerit. Quæ dicta ſunt, ſpectant ad conditionem, qua viuimus: quæ autem in Phædro, decimo de Republica, ante vitam & poſt. In Timæo quoq; cum iubentur humano corpore formato animas diuinitus creatas inſerere, & regere, atque alere, & conſumptos ſinu recipere, tradit ea, quæ cæteris libris. Et quod progreſſus in Timęo: τῶν δὲ θνητῶν τὴν γένεσιν, τοῖς ἑαυτοῦ γεννήμασι δημιουργεῖν προσέταξε, οἱ δὲ μιμούμενοι παραλαβόντες ἀρχὴν ψυχῆς ἀθάνατον, τὸ μετὰ τοῦτο θνητὸν σῶμα αὐτοὶ περιετόρνευσαν: Mortalium autem ſatum, & opificium ſuis filiis aut progeniei demandauit: Qui quidem eum imitantes, acceptoque animæ immortali principio, deinceps ipſi corpus effinxerunt, & adornarunt. Iuxta igitur hoc ſuum dogma in creatione hominis, quod autoritate eius, aut corrigitur, aut declaratur, Plato multa aliis locis diſſeruit. In decimo de Republica docet electionem dæmonum, quos ipſi vitam ineuntes eligimus, vel ipſi nos eligant, noſtram eſſe. Referendumque, vt dixi, ad Angelos & Deos cæleſtes, quos dari ſimul ac nati ſumus, cuſtodes nobis, omnes propè ſacri ſcriptores conſentiunt. Eliguntur autem à nobis, quòd quancunque viam, electionemque vitæ ſuſcipere velimus, noſtrę ſit libertatis: vita verò ſuſcepta, ſuſcipitur, eligiturque Genius ſiue Angelus, qui diligunt, amplectunturque bonos, execrantur, auertuntque ſeſe a malis. Cui iuſtitia, pietas, probitasque placuerit, Angelum ſibi cuſtodem, præſidemque elegit. Nam Plato & Ariſtoteles, ipſa quoque ſacra doctrina bonos cum primis à Deo curari, diligi, foueri conteſtantur. Viroq; iuſto nec viuo, nec defuncto nocere quicquam ob illam cuſtodiam poſſe aſſeruit Plato. Noſtra igitur eſt electio, noſtrum eſt decernere, vtrum piis caſtiſq; factis puros illos, ſanctos, & cæleſtes animos velimus aduocare & conciliare nobis, an ſceleratis, impuriſque auertere. Quod vbique in noſtris litteris decantatur. Reuocabitur igitur & iſtud, quod ad ſtatum ante vitam pertinet, in ſuum Theologiæ locum, aut mentem Platonis fuiſſe dicemus, quod aperte & in Phædone, & Politico, aliiſq; locis demonſtra-

Dæmones qpa conditione ſortiti res humanas.

Angeli nobis dati cuſtodes.

Genius ſiue Angel' bonorum.

uit. Dæmones eſſe Deos illos cæleſtes humani generis præſides à Deo datos. In Phædone quoque vbi loquitur de ſtatu animorum poſt vitam, hæc ad alia habentur, referente ipſo famam quandam priſcam, Animam indigere cuſtode, ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἑκάστου δαίμων ὥσπερ ζῶντα εἰλήχει, οὗτος ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δή τινα τόπον, οἱ δεῖ τοὺς ξυλλεγέντες διαδικασομένους εἰς ᾅδου πορεύεσθαι: Scilicet, vnum quenque vita functum vniuſcuiuſque Dæmonem ſicut viuentem ſortitus fuiſſet, ſic conari agere ad quendam locum: Quo collectos, oporteat ad inferos tendere iudicandos. Hæc Plato, addens quòd animas, quæ vel homicidiis aut iniuriis, vel alio ſcelere ſe commaculaſſent, earum duces execrati, & peroſi, neque proficiſci cum eis, neque duces eſſe velint. Ipſas ire vagas, & palabundas, donec certa temporis reuolutione peracta, à neceſſitate ad dignum ſceleribus ſuis locum rapiantur. Quæ autem purè, ac ſanctè, moderateque vixiſſent, nactas duces & comites Deos, in locum congruum deduci: ξυνεμπόρων, καὶ ἡγεμόνων θεῶν τυχοῦσα ᾤκησε τὸν αὐτῇ ἑκάστη τόπον προσήκοντα. Ipſo igitur etiam atteſtante Platone, videmus duces illos, & comites animarum eſſe Deos. Apparetque venerabilis, primæua, per omnes ætates deſcendens, habens ortum a cęlo Philoſophia de Diis, ſiue Angelis cęleſtibus: Eos a Deo rebus humanis præfectos, quàm natura hominum, ſuperioris conditionis, iuſſos & anteaquam vitam ineant animi, & cum in vita degunt, & cum exceſſerint, ſequi, comitari, amplecti, regere veluti gregem. Traduntur eadem in Theologia, Quòd Michael princeps iuſtarum animarum: Et in Petro pulſante hoſtium ſuſpicio, quòd Angelus eius eſſet. Et quòd ab his in terra vita noſtra munitur. Et quòd aſcendit fumus aromatum de manu Angeli in conſpectu Domini: Et quòd Angelus eius nobiſcum eſt: Et quòd Angelus meus præcedet te: Et in Tobia, Angelus Domini comitetur vobiſcum: & quòd tradit Deus Michaeli animas ſanctorum. In quibus apparent non res modò, ſed nomina ſimilia, duces, principes, comites, munientes, ferentes ſacrificia, preceſque. Apud Platonem ξυνέμποροι ἡγεμόνες, ἑρμηνευταί, πορθμεύοντες, Hæc apud Platonem Theologia, eſt illa ſæculorum omnium, eſt ingẽs, quod ſemper cælo cum terra fuit commercium: quo, ſicut cęlites, & princeps ipſe Deus, exploratas habuere ſemper res noſtras, & claras, defixeque eas intuebantur: ſic terræ propter id ipſum commercium, cum crebrò ante domos caſtas ventitarent, nouerunt, viderunt eos in omni ſæculo, ſicut apud Hebræos, & noſtros, ſic item exteras gentes. Omnes enim ſumus filij Dei. Et prioribus illis ſæculis nondum terra violata idololatria, ſæpe Angeli in terris viſebantur. Dogma verò, quod iidem ducant, animas corporibus exutas, mirabile eſt, vt illis etiam perſpectum fuerit. Sic vndique omni ratione concluditur eandem ſemper fuiſſe pietatem, religionem, Philoſophiam, ſed nominibus mutatis, & ordine Theologiæ tranſpoſito, aut ab aliquibus ineptis, & male ſanis temerato, primorum ſæculorum ſanctitatem caligaſſe: donec magna Mens, creatrix hominum, cæleſtibus aulis digreſſa in terras, eas larga bonitatis ſuæ luce repleuit, fecitque ſapientiæ ſuæ fontibus exuberare omnia. Hactenus habemus ſeorſum ex Platone, nempe ex priſca Philoſophia, eoque veriore. Nam & Plutarchus perhibet hæc a Chaldæis, Aegyptiiſque manaſſe, quæ de mediis inter Deum & homines Dæmonibus poſuit Plato, natura Angelorum, ſiue Dęmonum bonorum, ſicut ſuperius aerios illos a cęleſtibus ſeparauimus, ſemouimus etiam fabuloſos, & non naturales dęmones, poeticos ſcilicet a veris. Poetici dęmones ſunt homines, ex hominibus in dęmones relati, Pallas, Minerua. Iuno. Qui cum non ſint naturales, mirum eſt Apuleio, ſed antea Platoni fuiſſe inductos. Quod poterit tamen rectè interpretari. Vt enim in noſtris litteris homines pij fieri ſicut Angeli Dei dicuntur, & vt oſtenditur finis totius beatitudinis eſſe ἀποθέωσις, deificatio, vt efficiamur Dii, conſortes imaginis filii Dei, & cohæredes eius: ſic tale quid innuebant illi, poſt mortem fieri bonos, ac iuſtos vti Deos, ac Dæmones. Sic etiam Plotinus credidit malos animos fieri Dæmones malos. Sed Theologiæ, rerumq; vitanda confuſio. Quod & Tatianus Philoſophus admonuit: δαίμονες δὲ οἱ τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτάττοντες, οὐκ εἰσὶν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί, πῶς γὰρ ἂν γένοιτο δραστικὴ, καὶ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν, χωρὶς εἰ μὴ ζῇ μᾶλλον ὁ ἄνθρωπος: Dęmones, ait, qui hominibus imperant, non ſunt hominum animæ. Quomodo enim eſſent operantes, poſt mortem niſi viuat homo? Hæc ille. Sed non placet autoritas eius, quantum Chryſoſtomi, & aliorum.

Angeli boni auerſantur ſceleratos hoies.

Primæua à Diis philoſophia.
Dan. 10.
Act. 12.

Act. 19.
Baruc. 6.
Tob. 3.
Dan. 20. 12

Attributa nomina angelis.

Quãdo angeli in terris viſi.

Is eſt ſeruator noſter Ieſus Chriſtus.

Dæmones poetici q. Homines fieri angelos, quid.

E

F

Separantur veri Dæmones à fabuloſis, quos celebrant poetæ. Veros Dæmonas aerios illos eſſe.

Cap. XXV.

TRIA igitur, vt ſeorſum, ſeparatimque cuncta tradantur, ſunt apud Platonem Dęmonum genera, è quibus vna tantum natio ſunt veri, naturaleſque Dęmones, reliqui non naturales. Naturales & veri ſunt aerii illi, iſque eſt omnium Philoſophorum, totiuſque Philoſophię conſenſus, eſſe naturales, quos Plato veneficiis, incantationibus, Magicę, γοητείᾳ, ſacerdotumque artibus oraculiſque pręficit. A quibus ex vna parte ſeparandi ſunt Dæmones fictitii, & poetici, vt Matuta, Oceanus, Galacia, Phorcis, Saturnus, Opis, Iupiter, Iuno, quos memorat in Timęo Plato, in libro de Vniuerſitate Marcus.

Tria genera dęmonum apud Platonem. Naturales dæmones qui.

A Ex altera parte cæleſtes illi Dii,quibus aerij Dæmones ſubiecti,reformidant, tremuntque ad potentiam eorum,poſſuntque variis cruciatibus ab eis torqueri: Et quos nonnulli Philoſophorum miniſtros Angelorum,id eſt Deorum,dixere. Hac ſeparatione facta,facilius omnia,quę traduntur a Philoſophis,& a Theologia vera cognoſcemus. Tam verò ſunt in Theologia ſeorſum Dæmones a ſuperioribus,& ab hominibus diſiuncti,quàm apud nonnullos Philoſophos confuſi. Conſuſum eſt igitur,primum quod Laertius ait Platonem exiſtimaſſe θεὺς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ δαίμονας εἶναι: Deos intueri,& regere res humanas,& Dæmonas eſſe. Dico Dęmones hic, non eſſe veros illos,aerioſque Dęmones, ſed vt a principio demonſtraui, ex communicatione nominis Dęmonis,quod apud priſcos erat etiam nomen Dei,vt exempla probabant,Deos,id eſt Angelos, Dęmonas dictos. Dęmonium autem Socratis, cuius meminit tot locis Plato,cum Socrates eſſet vir bonus,hortareturque ad virtutem omnes homines, & ab ipſo Dæmonio ad bonum ſemper vocaretur, fortaſſe non mali eſſet, ſentire fuiſſe Angelum ipſius, qui & Balaam hariolo, & Mago apparuit,a ſcelereque auertit. Quod autem dicit in Apologia Dæmonas, aut Deos eſſe, aut filios Deorum nothos ex Nymphis,dicendum eſt hos poeticos,& fictitios, fabuloſoſque Dęmones eſſe,non veros illos,ac naturales,& quos in Epinomide genere aerios definiuit. Et nec filios Deorum Dęmonas, nec Deos eſſe poſſe. Pręter naturam, ſolumque poeticum eſſe, vt Deus miſceatur cum muliere,indeque naſcatur Dęmon. De quo poſtea. Sic quos dixit in Cratylo ex ſententia Heſiodi Dęmones,homines ſcilicet iuſtos vita functos,non minus erunt fabuloſi,atq; poetici illi:habebit autem res veri quandam ſimilitudinem, ſi Dęmonas velut Angelos interpreteris, quibus poſt hanc vitam ſimiles fiant homines, iuſti, ac pij. Ad eandem rationem attinebit vocatus B Triſmegiſtus Dęmon, quaſi Deus quidam, non Dæmon verus. Et quod Plutarchus ait, vti nonnullos mutationibus, vt quemadmodum è terra aqua, ex aqua aer,ex aere ignis fit,ſic ex hominibus Heroes, ex Heroibus Dęmones, è Dæmonibus pauci in Deos abeant. Hęc ratio vera non eſt, Naturę modos non ſeruat, datos,ac præfixos à Deo. De quo poſthac. Ex genere quoq; fabuloſorum, poeticorumque Dæmonum erunt, quos ex ſententia Heſiodi refert Plutarchus, proferens quędam ex eo carmina:

Cœleſtes Dij qui.

Dii angeli.

Dęmoniū Socratis.

Num. 22.

Filii Deorum.

Dii nō miſcērur mulierib.

Dæmones iuſti hoīes poſt mortem,an verum.

Ex hominib. heroes ex heroib⁹ dæmones.

Commentario,de oraculorum defectu.

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβόντων, ἔλαφος δὲ τέτετρα κόρωνος
Τρεῖς δ᾽ ἐλάφους ὁ κόραξ ληράσκεται, αὐτὰρ
Ἐννέα τοὺς κόρακας, δέκα δὲ ὑμεῖς τοὺς φίνικας ὁ φοῖνιξ
Νύμφαι εὐπλόκαμοι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Quę non curabo reddere carmine. Nouem, inquit, ſecula viuit arguta cornix virorum adoleſcentium. Ceruus autem quatuor cornices. At tres Ceruos Coruus ſeneſcit. Verum Phœnix nouem Coruos. Decem autem Phœnices viuitis vos Nymphę crinitę, filię Iouis Aegiochi. Arbitratur enim Plutarchus has Nymphas ex ſententia Heſiodi Dæmones eſſe. Dicendum igitur hos minimè veros, ſed fictitios, & fabuloſos Dęmones, & à poetis introductos, ſicut fontes, quercuſque Deos, reliquamque fictitiam Diuinitatem. Item erit falſa commentitiaque prorſus perſuaſio,vt ſuperius,bonos viros in Dæmonas bonos migrare dicebant, ſic quod à ſanctiſſimis, & grauiſſimis Theologis noſtris repudiatur, homines malos poſt mortem Dæmones redditos, C nonnunquam corpus humanum vexare. Eo enim non eſſe credendum Chryſoſtomus, inquit, quoniam Dęmones ipſi deceptores ſemperque mendaces id fateantur. In hac perſuaſione fertur fuiſſe Plotinus. Quod niſi ſimilitudinem interpreteris, vt ſicut bonis detur habitatio, quædamque ſimilis Angelorum natura, animo, & corpore beatis effectis, ſic mali ſint Dæmonibus corruptis, & infelicibus pares, loco & ſorte, aliàs violandus, & tranſponendus ordo Naturę non eſſet. Similiter quos ipſe in tertio de Republica reiicit Dæmonas, Heroaſque fictos ab Homero, pariter reiiciemus.

Nymphę, dæmones.

Dæmones mendaces.

Veri Dæmones oſtenduntur eſſe aerij, natura malefici, ingenio praui, boni nunquam ipſiſmet Philoſophis autoribus. Et quòd etiam Ariſtoteles de Dæmonibus eſt locutus. *Cap. XXVI.*

SELECTIS igitur, & accuratè cunctis ſepoſitis, veri Dęmones, omnis Philoſophiæ conſenſu, dicendi ſunt aerij, malefici. De quibus Platonis etiam teſtimonio, hæc pronuntianda ſunt, primum eos aerios eſſe habitatione & corpore, tum ſcelere, turpitudine delectari. Quod propoſitionibus ex ipſo Platone prolatis probabitur, altera ex altera naſcentibus. Prima propoſitio eſt, quòd ait Dæmones præfectos ei, quæ dicitur à Gręcis γοήτεια, hoc autem eſt deceptio, qui decipiunt ſunt mali, Dęmones ergo mali. In tertio de Republica: ἔοικε γοητεύειν πάντα ὅσα ἀπατᾶ: Videntur,inquit, Plato, facere pręſtigium quęcunque decipiunt, ergo ex Platone nihil eſt aliud γοήτεια, pręſtigium, quàm deceptio, cui pręfectos dixit Dęmones. Secunda propoſitio eſt ex ſecundo de Legibus, vbi nititur omni conatu probare Deum eſſe bonum. Bonum autem non fallere, neque eſſe γόητα, pręſtigiatorem.

Veri dęmones.i.mali angeli,qui & quales.

Dæmones incantatores, & deceptores.

Bonus minimè fallax neque pſtigiator.

Omnis incantator, malus.

Incãtationes exitioſæ.

Dæmones ſceleſtiſſimi.

Ergo ſi Deus, quia bonus, non eſt γοής, vt loquitur ibi Plato, neceſſariò quicunque eſt γοής, eſt malus. Longè autem peior, qui præeſt veneficiis, vel præſtigiis. Dæmones igitur maximi deceptores, & implanatores, nec mali modò, ſed etiam peſſimi. Tertia propoſitio ex decimo de Legibus, vbi prohibetur ea, quæ dicitur γοήτεια, & quæ ἐπῳδαί, incantationes, vt quæ funditus vrbes euertãt, ſuppliciaq; ibi exercentibus adhibentur. ὡς θυσίαις τε καὶ εὐχαῖς καὶ ἐπῳδαῖς γοητεύοντες, ἰδιώτας τε καὶ ὅλας οἰκίας, καὶ πόλεις χρημάτων χάριν ἐπιχειρῶσιν κατάκρας ἐξαιρεῖν: Quaſi ſacrificis & votis & incantationibus præſtigiantes, priuatos item & domos integras, atque vrbes pecuniæ cauſa conantur funditus euertere. Ecce docet Plato euentum, ſtudiumq; incantationum, ac pręſtigiarum, euerſionẽ nempe priuatorum, familiarũ, & vrbium, idq; ob pecuniã. Quicũq; igitur hęc exercent, mali, execrabiles, quicunq; præſunt, ſceleſtiſſimi, nocẽtiſſimi. Itaq; Dæmones ore ipſius Platonis, Platonicorumq; ſunt, quales teſtantur noſtræ litterę, inquinatiſſimi, ſceleſtiſſimi. Deniq; quæ nos ex cõiecturis colligimus, Porphyrius aperta voce confeſſus eſt in ſecundo de abſtinẽtia: διὰ μέντοι τῶν ἐναντίων ἡ πᾶσα γοήτεια ἐκτελεῖται: τούτους γὰρ δὴ μάλιστα, καὶ τὸν προεστῶτα αὐτῶν ἐκτιμῶσιν: οἱ τὰ κακὰ διὰ γοητειῶν πάσης φαντασίας: οὗτοι καὶ ἀπατῆσαι ἱκανοὶ οἱ διὰ τῆς τερατουργίας: δι' αὐτῶν φίλτρα, καὶ ἐρωτικὰ κατασκευάζουσιν οἱ κακοδαίμονες: πᾶσα γὰρ ἀκολασία, καὶ πλούτων ἐλπὶς καὶ δόξης, διὰ τούτων, καὶ μάλιστα, ἡ ἀπάτη τὸ γὰρ ψεῦδος τούτοις οἰκεῖον: βούλονται γὰρ εἶναι θεοὶ, καὶ ἡ προεστῶσα δύναμις δοκεῖ θεὸς εἶναι: Per contrarios, ait, Dæmones, omne maleficium peragitur. His enim maximè eorum principem colunt, qui mala in maleficijs, aut præſtigiis omnigenę apparentię aucupantur. Hi & decipiendi artifices per oblata oculis portenta. Per hos amatorias illecebras componunt miſeri homines. Omnis enim intemperantia, diuitiarum, honoriſque ſpes, per hos eſt, maximeque deceptio. Mendacium eſt his proprium. Volunt enim eſſe Dij, & præſidens eis poteſtas videtur Deus. Ecce eos præſtigiis præfectos, & per eos exerceri Porphyrius teſtis. Sic omnis deceptio, infandaque cupiditas, Veneris, pecuniæ, dignitatis, quæ Plato in Legibus, per eos fit. Mendacium eſſe eis familiare, idque in portentis, falſiſque miraculis: & quòd volunt videri Dii, & princeps eorum Satanas eſt Deus huius ſeculi. Quare in contrarium & ſibi contradicens quod in eiſdem libris Plato: ξύμμαχοι δὲ ἡμῖν θεοί τε ἅμα καὶ δαίμονες ἡμεῖς δ' αὖ κτήματα θεῶν καὶ δαιμόνων: Coadiutores nobis Dii ſimul, & Dæmones. Nos rurſum poſſeſſiones Deorum, & Dęmonum. Clarum eſt hæc in contrarium tendere Platoni. Nam præſtigiatores confeſſus eſt vrbes euertere, multo magis qui præſunt diris his artibus. Non ergo auxiliatores Dęmones, ſed euerſores, hoſtes, inimici. Quarta propoſitio ex ipſo Platone: οὐδεὶς θεὸς δύσνους ἀνθρώπῳ: Nullus Deorum hoſtis homini. Ergo neque Dii ſunt Dæmones, neque non inimici. Si enim præſunt maleficiis, & præſtigiis, & incantationibus, odere homines: ex quo naſcitur, vt non ſint Dii. Ex primo naſcitur odium, ex hoc ſecundo, quòd non ſunt Dii. Quinta propoſitio ex Homero:

Miniſterio dæmonũ genus omne maleficij fieri

Mendaciũ & falſa miracula, familiaria dęmonib.

Null' deorũ hoſtis homini.

Odyſ. ξ.

> Οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.
> Ἀλλὰ δίκην τίμουσι, καὶ αἴσιμα ἔργα ἀνθρώπων.
> *Dij ſcelerata adamant haud quaquam facta, beati.*
> *Iuſtitiam ſed amant, rebus lætantur & æquis.*

Poetici Dij noxij.

Dij, omnium conſẽſu mali.

Qui homines meliores & diuiniores.

Ex quibus exiſtit euerſio ſuorum poeticorum Deorum, qui noxii fuerunt omnes, vt Diana interficiens Actheonem, & alii, vt Mars: ſequitur item Dæmones non eſſe Deos, neque etiam bonos, quia diligunt præſtigias, & incantationes, & ſacrificia, quæ præ ſe ferunt odium, & mentem inquinatam. Quinta propoſitio, ex Euripide: εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί: Si quid turpe faciant Dii, non ſunt Dii. Cum Dæmones operentur vbique omnium conſenſu turpia, nefanda, certè nec boni ſunt, nec Dii. Hæc item probantur ex his quæ multipliciter attulit, & in multa abeuntia, Plutarchus. Ex cuius dictis, bene animaduerſis, nulla ſupererit dubitatio, quin Dæmones ſint, quales induxit Plato, præfectos maleficiis: tales autem exiſtentes, quin neceſſariò ſint mali, & impuri. Quæ & ipſa in ſuas propoſitiones diſtinguam. Primum quod ait de defectu oraculorum, ſtultum eſſe & puerile, ego impium dixerim putare Deum ſubeuntem viſcera ventriloquarum, quæ Græcè ἐγγαστρίμυθοι, ex eorum ore loqui. Huic addit Chryſoſtomus, eum qui partes impudicas mulierum, è quibus loqueretur, ſubiret, claram fateri ſolitum ſuam impuritatem. Ex his igitur efficitur, ſicut ex illo Platonis teſtimonio, vt Dæmones ſint omnium conſenſu mali, & inceſti. Proſequitur aliam propoſitionem Plutarchus, Magnis difficultatibus Philoſophos liberaſſe, qui Dæmonum genus in medio Deorum, nempe Angelorum, atque hominum ſtatuiſſent, qui quidem Dæmones πάθη θνητὰ, καὶ μεταβολὰς ἀναγκαίας, affectus mortales, neceſſariasque mutationes reciperent. Ex his enim efficitur, vt affectus mortales excipientes indigni ſunt, qui vel Dii vel boni habeantur. Nam illi homines, etiam Philoſophorum conſenſu meliores, diuinioreſque habentur, qui diligenter, prudenterque affectus hos humanos, ac mortales ſopierunt. Deinde quòd interiecti ſint inter Deos & homines, ea cauſa fuit, quòd cùm multa fieri vidiſſent a ſuperiore, quàm humana poteſtate, ſed ea mala, ac ſcelerata, Deoque indigna, mediam poſuerunt poteſtatem, cui malas affectiones has affigerent. Nefas enim putat Plutarchus, & qui cum eo ſuper hac re philoſophantur, humanis affectibus, malis ſcilicet, non bonis, admiſcere Deum.

A Ergo qui præſunt his, & per eos exercentur indigni, & Diuinitate, & nomine bonorum. Ac fatetur Plutarchus, ſicut in hominibus, ſic in eis ineſſe differentias virtutis, id eſt poteſtatis, καὶ τοῦ παθητικοῦ, καὶ ἀλόγου, affectionum & irrationabilitatis. Ergo vbi, & affectus ſunt, & pars bruta, & feritas, certè neque Diuinitas eſt, neque Bonitas. Rurſum apertè Plutarchus aſſerit, Orgia quædam & humana ſacrificia, multaque alia nefanda. θεῶν οὐδενὶ, δαιμόνων δὲ φαύλων ἀποτροπῆς ἕνεκα, Nulli Deorum fieri, ſed cauſa auertendi Dæmones malos: Et quod violenti Dæmones quidam expetant animam humanam, corpore circundatam, cum qua per corpus miſceri non valentes, tempeſtates, bella, ſeditioneſque ciere ſoleant, donec potiantur. Ex quibus, & illi cognouere Dęmones eſſe peſſimos, interitus humani cupidos, animarum expetentes. Plutarchus item prædas, erroresq; Deorum, fugas, occultationes, non Deorum, ſed Dęmonum affectiones habendas ait. Deniq; concludit Cleombrotus apud eum, diſcrimen quo differant à Diis Dęmones, non poſſe monſtrari, ſi & ſine affectibus, & peccatis ſint, & non ſubſtantia, virtute, incorruptioneq; differant a Diis. Hęc Plutarchi prępoſitio veriſſima. Omnis enim differentia, quæ conſtituit duo genera, alterum Deorum cęleſtium, alterum Dęmonum ſubcęleſtium, qua ſeparatim cognita ſunt a mortalibus, & hæc duo genera, fuit probitatis, & improbitatis. Et quòd cęleſtes illi ſemper boni, eoque humanæ ſalutis amantes, hi ſemper mali, inceſti, debiles, polluti, deceptores, affectibus malis obnoxij: Hoc fecit, vt in omni ſæculo dignoſcerentur, ſeparatimq; prędicarentur. Deniq; Plutarchus ait Dæmones malos, non Empedoclem ſolum ſcriptum reliquiſſe, ſed etiam Platonem, Xenocratem, Chryſippum, quin etiam Democritum, qui cùm precaretur bona ſpectra, mala quædam ex aduerſo noſſet. Ad hęc proponit dignam, quæ debeat attendi, propoſitionem, ſoluens ea, quæ obiicerentur Empedocli de Dæmonibus malis, non poſſe ſempiternos, & immortales eſſe malos. Affert exemplum in contrarium, Multos malos diutius vixiſſe, quàm bonos. Hæc propoſitio neceſſaria, ne putes ideo bonos, Dæmones, quia incorruptibiles. Ex his igitur omnibus, ſenſim illatis, & inuicem ſe conſequentibus, ſolum reſtat, Dæmonas eſſe malos, idq; cognitum, & prædicatum non a noſtris ſolum, ſed etiam ab omnibus gentibus, præcipueque vetuſtiſſimis Philoſophis: confeſſos eſſe Empedoclem, Platonem, Xenocratem, Chryſippum, etiam Mercurium Triſmegiſtum, Chaldæos, Pherecydem, Syrum, omnes deniq; mortales, omnia ſæcula, vt duo dicta, & prodita fuerint à cunctis, quæ quidem, nec Ariſtoteles omnino negare poſſit, Dæmones eſſe cunctis ætatibus, omni religione conſentiente, tum eos eſſe malos: Fuerat igitur Platonis ſuperiorumque omnium ſententia, Dęmones eſſe animalia aeria, ex aerio corpore conſtantia, quemadmodum terreſtria ex terreſtri. Nam Plato in cæteris locis, tum verò in Timæo ea maximè ratione Dæmonas eſſe corporeos innuit, quòd opifex mundanus iubens nouitiis Diis, qui ſunt omnium conſenſu Dæmones, genij Romanis appellati, vt ibi Marcus interpretatur, vt corpus humanum, animaliaq; terreſtria effingerent, partibus ex omni mundo, quibus corpora ſtiparentur, acceptis, adiecit, οὐ τοῖς ἀλύτοις, οἷς αὐτοὶ ξυνείχοντο δεσμοῖς: Non eiſdem, ſcilicet, vinclis, atque eadem indiſſolubili compage, qua ipſi ligati eſſent, aſtringerent. Quibus Plato demonſtat corpora Dæmonum conſtare quidem ex elementis, ſed ea compage, eaque temperie reuinctis, atque ſtipatis, vt ſint indiſſolubilia. Eoque mundanus opifex alloquens hos ipſos nouitios Deos, eos, quoniam creati ſunt, & ex elementorum temperie compacti, pronuntiat eſſe non omnino indiſſolubiles. Hinc Apuleius definiens Dęmonas, ait eos eſſe genere animalia, corpore aeria. Hanc igitur Ariſtoteles priſcorum ſuperiorumq; Theologorum ſententiam declarans, & ſentiens idem, atque illi, de Dæmonibus in quarto Metaphyſi. ſcribit: Subſtantia, inquit, dicuntur ſimplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & id genus, omninoque corpora, & ea, quæ ex his conſtant, ζῶά τε καὶ δαιμόνια, καὶ τὰ μόρια τούτων, Animalia, & Dæmonia, & partes horum. Ecce igitur aſſerit Dæmonia conſtare ex elementis, quemadmodum, & animalia. Quo autem elemento, quove corpore conſtent, eorum quis locus, aut regio, quæ gens item Dæmones, in primo de anima cum ſuperioribus conſentiens, ἐπιζητήσειε γὰρ ἄν τις καὶ διὰ τίνα αἰτίαν, ἡ ἐν τῷ ἀέρι ψυχή, τῆς ἐν τοῖς ζώοις βελτίων ἐστὶ, καὶ ἀθανατωτέρα: Quærat quiſpiam, quam ob cauſam anima, quæ eſt in aere, ſit potior & magis immortalis ea, quæ eſt in animalibus. Hæc Ariſtote. quorum quanta cum noſtris concordia, vel inde clarum, quòd dicta diui Pauli Græci exponentes aiunt, σαφῶς ἡμᾶς ἐδίδαξεν ὡς πάλαι ὁ μὲν διάβολος τὴν ἀέρος ἐπιστεύθη τὴν ἐξουσίαν: φύσει γὰρ τοῖς πνεύμασιν ἡ ἐναέριος διατριβή: Aperte nos docuit quòd olim Diabolo data eſt aeria poteſtas. Eſt enim natura ſpiritibus, aeria, regio, regnumque. Hæc igitur animalia aeria ſenſit Ariſtoteles, Simpliciuſque eius interpres: ἀλλὰ ὁ μέγας Ἰάμβλιχος πολλὰ τὰ ἀφανῆ ἡμῖν οἴεται εἶναι ζῶα, δαιμόνιά τε καὶ κρείττω. Hæc Ariſtoteles, qui tametſi improbet eorum ſententiam, qui putabant animam ineſſe omnibus mundi partibus. Improbat autem, quoniam ſi anima in omni parte mundi neceſſariò exiſtit, anima in igne erit ignea, in aere c erit aeria, quia pars eſt ſimilis toti. Volebant autem illi animam eſſe partem eorum, è quibus deſumeretur. Improbat igitur Ariſtoteles, ſi dicatur anima pars elementorum, quæ inhabitat. Ergo autem pro priſcis dico, eos non dixiſſe Dæmonas eſſe animas, quibus ineſſet vis aeria, ſed quorum corpora ex aere conſtantia ab animis excellentioribus inhabitarentur. Propter corpus igitur aerii Dæmones dicebantur. Tertius locus eſt item in libris de Anima. Aliis, inquit, cogi-

Sacrificia fieri ſolita ad auertédos dæmonas.

Dij a dæmonibus differétes.

Non boni dęmones, quia incorruptibiles.

Dæmones mali, oium conſenſu.

Corpora Dęmonũ.

Dæmonũ definitio ex Apuleio & Ariſ.

An anima in oĩ mundi parte neceſſario.

tatiua ineſt, atque item mens, vt hominibus, & ſi quid aliud excellentius. Quem locum Simplicius explicans, τιμιώτερον δεῖ καὶ δαιμόνιον ὑποτιθέμ γένος, ποτὲ, καὶ αὐτὸ εἰς παθητὸν προϊὸν σῶμα: Pretioſius, inquit, ſi genus Dæmonium ſtatuat vnquam progrediens & ipſum ad paſſibile corpus.

Dæmones eſſe gentem aeriam. Hoc ſacram, & profanam ſentire Theologiam. Idem Platonem, Pythagoram, Ariſtotelem prodidiſſe. Teſtimonium etiam diui Pauli. Cap. XXVII.

Dæmones eſſe,& quales.

HAec igitur vltima de Dæmonibus fuerit reſoluta explicataque ſententia, primum cunctis Theologis, & Poetis vetuſtiſſimis teſtibus eſſe Dæmonas, eſſe item aerios, animi autem conditione malos, & improbos. Itaque quod ad genus eorum definitionemque attinet, credendum eſt Ariſtotelem, apud quem de Dæmonibus mirum ſilentium, innuere voluiſſe, quæ prior Plato, totaq; priſcorum ſchola prodiderat, vt ſuperius viſum. Subſtantia, inquit, dicuntur tum corpora ſimplicia, vt terra, ignis, aqua, cæteraq; id genus, omninoq; corpora, tum ea quæ ex his conſtant animalia, & Dæmonia. Credendum eſt inquam Ariſtot. nunc ſpectaſſe publicam quandam communemque inter omnes gentes de Dæmoniis ſententiam, ea eſſe ex elementis compoſita, ſicut animalia, quorum quo plus terræ corpora poſſideant, eoq; viſibilia, & tangibilia, tanto minus corpora Dæmoniorum ſolum aeria. Conſtant igitur ex elementis animalia & Dæmonia, ſed animalia magis ex terra, Dæmonia, magis ex aere. Illa propter terram viſibilia, hæc propter aerem inuiſibilia. Illa corruptibilia, quoniam magis compoſita: hæc incorruptibilia, vt ſimpliciora. Conueniunt igitur Plato, & Ariſtoteles in definitione Dæmonum, eos eſſe genere aerios: genere autem dico corpore, & ſede, habitatione. Plato ſedem expreſſit, Ariſtoteles craſim, compoſitionem. Heſiodus item craſim:

Cōis omnium gentium ſententia de dæmonib⁹.

ἔργων, καὶ ἡμέρ.

Ἠέρα θ᾽ ἑσσαμένοι πάντη φοιτῶσιν ἐπ᾽ αἶαν.
Aeraque induti, tellure vagantur.

Noſtrorum quoque vnus, idemque conſenſus, ſemper aeris poteſtates, Dæmones vocantium, ſiue, quòd in aere morentur, ſiue quòd corporibus ſint aeriis. Sed qui ſtatuat alterum, alterutrum ſtatuat neceſſe eſt: vt ſi des Dęmonibus aerem habitandum, neceſſariò des propter corpus volucre, ſicut corpora terrena, tenent terram: ſiue des aerium corpus, neceſſariò des corpori volucri conuenientem habitationem. Ariſtoteles igitur, & Plato definiunt Dæmones aerios. Hac de cauſa putatur a Theologis ab Apoſtolo dictum, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, Contra mundanos principes, tenebrarum harum, aduerſus aerios, & ſpiritualia ſceleris in cœleſtibus. Tria ſunt nomina, vim, naturam Dæmonum declarantia, quòd ſunt principes tenebrarum. Tenebraſque aerem circum terras omnem caligino ſum dicit, quidquid intra Lunam, & terras interiacet. Hunc ipſum etiam vocat ἐπουράνια, cæleſtia: cælum enim aer eſt Latinis, Græcis, Hebræis, in cæleſtia dicuntur, quæ in cœlo hoc tenebroſo. Sunt iſtæ poteſtates in caligine, ſunt in aere, vocatę ob id ἐπουράνια, quaſi aeriæ. Tertium nomen πνευματικὰ, ſpiritualia, ventoſa, aeria, ex aere, ex vento, qui dicitur πνεῦμα, non ſpiritualia, vt cœleſtes Angeli, ex ætheris ſerenitate, vt ait Calcidius, corpora tenentes, ſed vt corpore veſtita aerio, aut habitatione aeria, circa caliginem hanc terris incumbentem habitantes, excluſi à conſortio diuorum. Natura igitur, Dæmones iuxta ſublimem Theologum, ſunt aerij, loco, & corpore, ſunt mali, ſcelerati. Sicque conueniunt ſacra, & profana, Dæmones eſſe aerias poteſtates, malas, ſceleratas, vt Plato, vt Plutarchus, Chryſippus, Empedocles, & Philo ſuperiores Theologos ſecutus, Platonem, Ariſtotelem, ſed priores Aegyptios, Chaldęos, Empedoclem. In libro de gigantibus ipſe Philo: οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν, ψυχαὶ εἰσὶν κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι: Quos, inquit, alij Philoſophi Dæmones, Moſes Angelos ſolitus eſt appellare. Sunt autem animæ per aera volantes. Sed aduerte ò Philo, quòd iſti per aera volantes Angeli, non ſunt illi boni, ac cęleſtes, qui propriè dicuntur Angeli, nuntij Patris ſummi, ſed quos ſuperiores Philoſophi dixere malos, incantationibus, veneficiiſque prefectos, cum quibus nobis colluctatio. Eadem Euſebius, ſecutus Theologos, & Philoſophos omnes, exiguam ex tanta bonorum Angelorum gente cecidiſſent partem, datam exercitationis cauſam circum aera, & terras habitantem, ὧν βραχύ τι καὶ μικρὸν ἀπόσπασμα γυμνασίου χάριν τῆς εὐσεβείας ἀλ τὴν ἀμφίγειον, καὶ τὸν ὑπὸ σελήνην ἀέρα, καταλειφθέν. Auguſtinus item ſuper Geneſim Dæmones dicit aeria animalia. Similia in oratione regia Euſebius, αὗται γὰρ αἱ δυνάμεις αἱ τὸν ἀέ χῶρον διακατέχουσαι δυνάμεις οὐρανῶν εἴρηνται: Hę poteſtates aerię, vel cęleſtes dictę, quòd a riam regionem obtineant. Cęlum enim aer eſt in Theologia. Iterum Philo in eo, quòd inſom ſint a Deo, ἀὴρ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος: Aer, ait, incorporearum animarum domicilium. Ho ſuum dogma ea, vt ſuperius dictum, ratione probant, quoniam cùm omnes mundi partes co plendas viſum fuiſſet Opifici, terris animalia, mare piſcibus, cęlo ſydera, quæ non modò animalia ſunt,

Ephes.6.

Tria nomina vim, & naturā dęmonū declarantia.

Dęmones, animæ per aera volantes.

Dęmones, aeria animalia.

D.Auguſt.

Cęlū, pro aere.

A lia ſint, ſed etiam mentes vniuerſales puriſſimę, dediſſe. Quocirca etiam in reliqua vniuerſi parte animalia facta eſſe. Quę etſi ſenſu non capiantur, quid mirum? Siquidem & anima inuiſibilis. At qui veriſimile, eſt aerem magis, quàm terra & aqua, animalia nutrire. Sic ille. Sed ſciat Philo hunc non naturam diſponentis, ſitumq; rebus dantis Dei ordinem fuiſſe, vtquemadmodum omnia elementa ſunt animalibus, ſic ſuis, & aer re pleretur. Fuit alia recondita magis, & non cuiuis perſpicua ratio, cur aer datus ſit illis pro domicilio. Sed nunc conſtet eſſe Dæmones aerios. Idem perhibet incorruptibiles, æternaſque animas habere aerem. Ad hanc rationem videtur Pythagoras locutus, cùm præcepit, venti flantis ſonitum venerari. Quod explicans Iamblichus, αἰνίττεται γὰρ ὡς δεῖ τῆς θείων οὐσιῶν καὶ δυνάμεων τὴν ὁμοιότητα ἀγαπᾶν: Innuit, inquit, oportere diuinarum ſubſtantiarum, & poteſtatum ſimilitudinem amare. Diuinas ergo ſubſtantias, quibus aerem ſimilem dixit, fortaſſe Dæmonas ſentit, quanquam id patet latius etiam in ſupercæleſtes. Eãdem ferme adhibuit definitionem Fatianus Dæmones, inquit, πάντως σάρκιον οὐ κέκτηνται, πνευματικὴ δὲ ἐστὶν αὐτῆς ἡ σύμπηξις ὡς πυρὸς ὡς ἀέρος μόνοις δὲ τοῖς πνεύματι θεοῦ φρουρουμένοις εὐσύνοπτα καὶ τῆς δαιμόνων ἐστὶ σώματα τοῖς δὲ λοιποῖς, οὐδαμῶς. Quæ ſunt, omnino carnem non poſſident, ſed eorum compoſitio ſpiritualis eſt, vt ignis, vti aeris. Solis autem his, qui ſpiritu Dei cuſtodiuntur, conſpicua ſunt eorum corpora: cæteris haud ita. Eadem ferme Plotinus: καθόσον δαίμων μετά τινος σώματος, ἢ ἀέρος, ἢ πυρὸς εἶναι: Vt Dæmon, ait, eſt cum aliquo corpore, ſiue aerio, ſiue igneo.

Cur aer, ſedes dæmonum non liquet.

Dæmones puri ſpiritus, ſed corporei aliquantum.

B *Ex priſca Magorum Theologia, naturæ Dæmonum clara definitio. Eos eſſe maleficos incantationibus præſidentes, quod Plato aſſeruit: eſſe feras agreſtes, Stygios canes, Vltores, carnifices malorum: affectibus malis delectari, domicilijſque impiorum: Transferre ſeſe in Angelos lucis.* Cap. XXVIII.

ETsi Dæmonum propria ſedes aer, quoniam ſunt aeriis, volucribuſque corporibus, dicitur apud antiquiſſimos, tamẽ datæ ſunt eis, præcipuè inquinatiſſimis, ſubterraneæ partes, conſentiuntque ſuper eorum impro bitate. Apud Mercurium igitur Triſmegiſtum audies Dæmonas eſſe, & eſſe malos, ſceleratorum carnifices, quibus Deus dignam ſua natura demandarit prouinciam. Sic & Chaldæi, & Magi à Zoroaſtre fatentur Dæmonas impuros, inquinatos, vltores hominum malorum. Ac primum extant apud eos, quæ Plato ab eis accepit, eos incantationibus veneficiiſque pręfectos eſſe. Sententia Chaldaica ἡνίκα δ' ἐρχόμενον δαίμονα πρόσγειον ἀθρήσεις, θῦε λίθον μνούζιριν ἐπαυδῶν: Cùm videris venientem Dæmonem terreſtrem, ſacrifica lapidem Mnuzirim, excantans. Hoc dogma Chaldaicum probat Dęmonas præfectos incantationibus, ideo malos. Sed Pſellus explanans, Mendaces, inquit, natura ſunt Dæmones terreſtres, vt qui procul à diuina cognitione ſummoti, & tenebricoſæ materię impliciti. Quòd ſi vis ab eis verum capere ſermonem, prępara ſacrificium, & offer lapidem Mnuzirin. Lapis autem is vim habet euocandi alterius Dęmonis maioris: qui obſcurè accedens ad materialem Dęmonem elicit veritatem eorum, quę poſcuntur, quam ille reſpondebit ſciſcitanti, Dic etiam, & nomen euocatiuum, cum ſacrificio lapidis. Atq; Chaldęus alios Dęmonas bonos, alios malos ſtatuit: noſtra autem pia Theologia, in vniuerſum decernit malos. Hęc ille. Sed ſciat Pſellus, nulla ratione Chaldęum decernere Dęmonas vllos bonos, ſed generatim omnes malos; & inquinatos. Et hęc ipſa excantatio, aduentuſque Dęmonis, probant eos eſſe ſceleſtos, non probant eſſe bonos, quoniam pręſtò adſint. Ex his Chaldaicis verbis apparet Platonem, qui hęc ipſa, teſte Pſello, legit, præfeciſſe Dæmonas ſacrificiis, præſtigiis, incantationibus, ex quo nequitia eorum, & quam dant eis noſtræ litteræ fallacia ſceluſque probatur. Nihil enim aliud innuebat in Sympoſio, cùm Dęmones incantationibus præfecit Plato, quàm quod traditum fuiſſet ab his Chaldæis. Audiſti quoq; Dæmonem materialem, terreſtrem, fęculentum, ſordidum, humoribus fędis gaudentem, qui ambulans per loca arida, & inaquoſa, nec inueniens, humorem, reuertitur in locum priſtinum. Sunt quidem Dæmones omnes generatim aerij, quia corporibus aeriis, inuiſibilibuſque, & per aera volant: ſed nonnulli, quoniam magis petunt terram, humoreſque terreſtres, terrenni, inquinatioreſque dicuntur. Ex Chaldæo igitur habemus Dæmones ſceleſtos, & malos, duabus de cauſis, tum quia præſunt incantationibus, ſceleſtiſque præſtigiis, tum quia terreſtres dicuntur. Confirmaturque magis improbitas eorum, quàm eis antiquiſſimi Philoſophi tribuerunt, vt ſuperius oſtenſum. Hoc item melius, & apertius duabus aliis ſententiis Chaldæus declarauit: ex quibus prior prædicat Dæmonas inſidere corpus humanum, impurum, affectibus malis mancipatum: altera, quòd veluti carnificibus hiſce traduntur mali homines: prior, σὸν ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι: Tuum vas feræ terreſtres inhabitabunt. Quod explicans Pſellus, Vas, inquit, eſt compoſita vitę noſtrę conſtitutio. Ferę terreſtres, qui circum terras vagantur Dæmones. Igitur noſtram vitam ſcatentem malis affectibus, eæ feræ inhabitabunt. Siquidem hæc genera cum ipſis affectibus coaleſcunt, fiuntque eadem ſubſtantia, & eadem habent, & ordinem materialem. Quocirca cùm & ipſi affectionum ſint pleni, ad corpore

Dæmonũ officia.

Dæmones terreſtres, natura mẽdaces.

Lapis euocans dæmonas.

Matt. 12.

Dæmones aerii, & terrei.

Dæmones occupare corpus humanũ affectibus malis mancipatum.

rea, &

Dæmonas vim habere mouendarum affectionū.

rea, & incorporeas affectiones, adiunguntur, & connectuntur, ſimile ſimili attrahentes, cùm habeant vim mouendarum affectionum. Sic Pſellus. D Feras ergo terræ, vetuſtiſſima Chaldæorum Theologia vocat Dæmonas, in quibus feritas eſt, & crudelitas. Et ſimiliter in noſtra Theologia vocatur, Leo rugiens, Draco inſidians, Echidna, Serpens. Hi circum terram volutantur, ſedibus ætheriis excluſi, ſed cùm ſint inuiſibiles, & volucres, feruntur per aera inuiſibiliter. Affirmauit autem Chaldæus, & tradidit, hoc dicto, quod toties habetur in noſtris litteris, & quod ipſe Deus dixit,

Matth. 12.

Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, & inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit. Ecce enim, & Chaldæus docet inhabitare Dæmones humani corporis domicilium, verùm non cuiuſuis corporis, ſed malis affectibus ſcatentis. Quod & ipſe ſeruator dixit, quòd inuenit domum ſcopis mundatam: videlicet quaſi per ironiam, aptam habitationi Dæmonis, plenam malarum affectionum, quas Dæmones conſectantur, vt qui ſunt etiam ipſi affectibus hiſce detenti, pleni. ſunt autem affectus vel paſſiones, mediæ inter animam & corpus, non ſunt prorſus corpora, nec prorſus incorporei, Dæmones, & ipſi huiuſmodi quadam præditi natura, qui nec corpora craſſa ſint, nec penitus incorporei, magnam habent cum affectionibus affinitatem.

Affectiones quid.

Affectiones ſunt motus impotens animi, iræ, cupiditates, vehemens in terram inclinatio. Hi motus cùm vigeant cum primis in illis, quibus in omnia ſcelera rapiuntur, feruentque mentis æſtu, ardentes cupiditate nocendi, ſi quem eius generis hominem nacti fuerint, propter ſimilitudinem aſſociantur illi, quorum eſt in humoribus, & omni mala materia, a qua affectus ſæpe excitantur, ſedes. Ad hos humores libenter inhæreſcunt, vniuntur, aſſident, alligãtur ſæpe. Ex his igitur etiam elucet magis natura Dæmoniorum, conſentientibus omnibus. eos circum terras, per aera vagari, delatos vbiq; corporibus inuiſibilibus, corpora malarum affectionum redundantia inſidentes. E

Spiritus in mundi. Mat. ibid.

Quo & improbitas eorum noſcitur, & quod ipſe Deus aperte pronuntiauit, Spiritus immundus cùm exierit, &c. Sunt enim immundi, immundis, & inquinatis domiciliis, terraque gaudentes, materiales ob hanc cauſam vocati: & confitentur Philoſophi nidoribus eos ſacrificiorum delectari: incantationibus item, quæ plerunque ſanguine fuſo, ſuffumigationibus adhibitis celebrabantur, præfuiſſe. Vbi etiam intentio nocendi. Apparetque omnium conſenſu Dæmonas eſſe malos, & immundos, quod ſtudium, & delectatio declarat, aerios eſſe, quia corporibus aeris πάντη φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν, tota tellure vagantur, vt ait Heſiodus. Poſtremo ἐυπαθεῖς, affectos eſſe, affici ſemper. Et quod Plutarchus ſuperius, plenos ἀλόγου, irrationalitatis. Sed multo magis eorum improbitatem, naturamq; mentiendi confeſſus eſt alia ſententia Chaldæus, affirmans ea, quæ noſtra Theologia: ἐκ δ' ἄρα κόλπων γαίης θρώσκουσι χθόνιοι κύνες, οὔποτ' ἀληθὲς σῶμα βροτῷ δεικνύντες: Ex finibus terræ exiliunt canes terreſtres, nunquam verum ſignum mortalibus oſtendentes.

Canes, terreſtres, dæmones.

Quod explanans Pſellus, De Dæmonibus, inquit, materialibus eſt ſermo. Et canes quidem eos appellat, velut animarum vltores: terreſtres autem, vt è cœlo lapſos, circumque terras vagos. Igitur iſti, inquit, longè à vita beata ſemoti, intellectualique contemplatione deſtituti, prædicere futura non poſſunt.

Fallaces dæmones veri nihil oſtēdunt.

Quocirca quicquid dixerint, & oſtenderint, falſum eſt, & arbitrarium. Vident enim per fantaſias præſentia, ad futura verò coniecturis incertis, & non clarè expreſſis, ſed confuſis notionibus vtuntur. Sic Pſellus. Superius Feras, nunc Canes appellat vetuſtiſſima Chaldæorum Theologia Dæmones: quæ cum præcipuè coluerit artem Magicen, quod ipſum Chaldaicum nomen indicat, cùm prima dicatur incantationibus malorumque Dæmonum euocationibus vſa, fatetur tamen ingenuè, veniſſe quidem eos vocatos è terra, ſed veri nihil vnquam oſtendiſſe, quidquid prædixiſſent, oſtendiſſentque, falſum fuiſſe ſemper & ſimulatum. Sicq; conuenit cum Theologia noſtra, quam Deus ipſe reuelauit, quòd Diabolus eſt mendacium, & pater, inuentorq; ipſius mendacij.

1. Ioan. 3. Cerberus qui nã dæmon.

Etiam Cerberus ille apud veteres Poetas, qui latratu trifauci terret exangues animas. Vt conueniunt cum noſtra vetuſtiſſima Sapientia cuncta, quòd feras crudeles, quod canes eos appellat, viperas, ſerpentes, leones, dracones?

Terreſtres cur dicti dæmones.

Terreſtres autem, tametſi proprij ſint aerij, quia corporibus aeriis circum terras vagantur, tamen ſceleſtiores eorum in altiſſimis cauernis immorari par eſt, fatenturque multi. Ideo dixit eos emicare, emergere è terra vocatos. Sed an ſit in eis differentia, qud Plutarchus dixit, poſtea diſquiretur.

Stygii canes.

Alia ſententia Chaldæus expreſſit, qui ſint Canes, & feræ, ἀὰ τὺς δὲ χθὼν κατωρύχλαι ἐς τέκνα μέχρις. Hoc eſt, Terra mugit, vociferatur a a, contra hos, ad filios vſque. Deſignatur hoc oraculo latratus Stygiorum canum contra ſceleratos. Ideo terra mugit in eos, in ſubterraneis cauernis: Idq; vſque ad filios, quando filij paternas impietates perſequentes, permittuntur vltoribus Dæmoniis. Hanc ſententiam declarans Pſellus, De impiis loquitur, inquit, quòd vſq; ad poſteros extendit eis ſupplicia Deus. Nam ſubterraneas pęnas oſtendens oraculum, dicit in eos mugire ſolum, hoc eſt, locum ſubterraneum in eos vociferari, & quaſi leonis quendam rugitum edere. Quoniam, vt Proclus ait, eadem eſt animarum ex eadem proſapia conditio. Et quæ non vinculis Naturę ſunt abſolutę, in conſanguineorum ſuorum affectibus detinentur. Neceſſe igitur eſt, & has totius iudicij partem capere, & plenas propter naturalem affinitatem piaculorum, expurgari iterum ab eis. Hęc ille.

Supplicia ſubterranea.

2. Cor. 11.

Supplicia igitur, & pœnas ſubterraneas Chaldæus memorauit, quod traditur paſſim a noſtra Theologia, vt vndequaque pateat improbitas Dæmoniorum: Eſſe iterum malos, impur roſque eos,, ſed ſeipſos in Angelos lucis transformantes, videri quales non ſint, mirabiliter cum noſtra Theologia concordes, iidem antiquiſſimi Magi pronuntiarunt, hoc oraculo:

Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνούς.
Καὶ τὰ κακῆς ὕλης, βλαστήματα καλὰ καὶ ἐσθλά.

Natura ſuadet, vt credas eſſe Dæmonas puros, & malæ materiæ germina pulchra, & bona. Hoc oraculo deſignatur, naturam Dęmonum pręſtigiis, humanis oculis illudentem, falſaque pro veris offerentem, adniti vt credas Dæmonas eſſe puros, & bonos, quales cęleſtes animi, cum quibus ex parte ſimilitudinem Dęmones gerentes ſępe mortales multos deceperunt, vt Platonem vidimus ſuperius aſſerentem, niſi iuxta Philonem interpretemur. Perſuadetq; malæ materię, inquinatęq; ſubſtantiæ genus ſe eſſe bonum, & honeſtum. Eos inquam, qui cum turpi & immunda cohęreſcũt materia, habere nitorem, puritatẽ. Quod ſecus eſt longè. Influit, inquit Pſellus, in inuocationibus, multus Dæmonum chorus, & multiformes Dæmonum ſpecies excitantur. Abſcedentibus autem partibus mundi lunaris, & compoſitę, ac partitę, & iucundę, & gratę ſæpe oſtenduntur, imaginem alicuius bonitatis ei, qui initiatur, ſimulantes. Ex his igitur vetuſtiſſimis Chaldæorum ſententiis, quas autore Pſello, & ipſa ratione docente legit Plato, & Ariſto. (Platonici autem indefeſſè his abutuntur, quod vel maximè in libris Simplicij, & Procli, Porphyrijq; videre licet) apparet quid de Dæmonum natura ſit ſentiendum, & ſenſerit antiquitas, vt ſi quid à poſteris fuerit confictum, neceſſariò ſit ad veritatem ponderandam, ad maiores recurrendum. Similia enim ſenſit, & tradidit Mercurius Triſmegiſtus: vt omnis Theologia Aegyptiorum, Chaldæorum, Hebræorum, id eſt, quam colimus ipſi, à Moſe primum, tũ Chriſto, & Apoſtolis traditam, conueniat ſuper declaratione Dæmonũ, primum eos eſſe, tũ malos, impuros, coinquinatos, immundos eſſe.

Dęmones illuſores.

Si quid ſictũ de dæmonib. id ponderandũ ad maiorum veritatem.

Ex Theologia Aegyptiorum vetuſtiſsima apud Triſmegiſtum Dæmonas eſſe, & eſſe malos, malorum inſpirationum autores. His eſſe omnia plena. Vltores impiorum eſſe. Eos eſſe ex alijs aerios, vagos, per phantaſias, & illuſiones decipientes. In quibus cum noſtra Theologia concordia. Cap. XXIX.

MERCVRIVS igitur in eo qui inſcribitur, quòd in ſolo Deo ſit bonitas, de Dæmonibus eiuſdem generis atque ea, quæ tradit noſtra Theologia, ſcribit, eos eſſe humanorum ſcelerum autores, cogitationes improbas, malorumque operum principia afflantes. Mens, inquit, humana cum bonarum cogitationum acceperit à Deo, recta parit: ἐναντία δὲ ὅταν ὑπό τινος τῶν δαιμονίων, μηδενὸς μέρους τοῦ κόσμου κενοῦ ὄντος, δαίμονος τῷ ὑπὸ θεοῦ πεφωτισμένῳ δαίμονι: ὅστις ὑπεξελθὼν ἔσπειρε τῆς ἰδίας ἐνεργείας τὸ σπέρμα, καὶ ἐκύησεν ὁ νοῦς τὸ σπαρὲν, μοιχείας, φόνους, πατροτυπτίας, ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, ἀγχόνας, κατὰ κρημνῶν καταφορὰς, καὶ ἄλλα πάντα ὅσα δαιμονον ἔργα: Contraria verò, cum ab aliquo Dæmoniorum. Cùm nulla mundi pars vacua ſit Dæmone. Qui ſubiens tacitè mentem, propriæ operationis inſeruit ſemen, & peperit ipſa mens, quod ſatum fuerit, videlicet adulteria, cædes, parentum verberationes, ſacrilegia, impietates, ſtrangulationes, per præcipitia impulſiones, & alia omnia, quæ ſunt Dæmonum opera. Ecce Mercurius nouit, confeſſus eſt, vim, ingenium, ſtudia, conatus Dęmoniorum, quòd tacitè ſubeant pectoris arcana, ſicut in noſtris extat litteris, cùm Diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas, omniumq; noſtrorum eſt confeſſio, eos irritare cupiditates, conturbare ſtimulos naturæ, ſuggerere ſemper mala. Ac Tertullianus, ex quo pauca quædam in declarationem iſtius loci delibabo: Operatio eorum, inquit, eſt hominis euerſio, ſic malitia ſpiritualis à primordio auſpicata eſt in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos caſus acerbos: Mentis quoq; corruptelas agit furoribus, & amentiis fędis, ac obſcęnis libidinibus cum erroribus variis. Lactantius quoq; in eandem ſententiam pendet: Illicita, inquit, deſideria immittit, vt aliena contaminent, quibus habere propria ſine delicto licet. Obiicit quippe oculis irritabiles formas, ſuggeritq; fomenta, & vitiis pabulum ſubminiſtrat, tum intimis viſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commouet, & naturalem illum incitat, atq; inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumq; decipiat. Eadem ſenſit, & prodidit Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, ὅταν ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνῃ κακὰ, τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον: Cùm Dæmon cuipiam ſuggerit malam mentem, labefactat prius. Euſebius item Cęſareenſis, in Panegyrico: Et communis quidem omnium ſeruator, rebelles poteſtates, quæ circum hunc, qui terris imminet, aerem peruolantes humanis animis inſinuabant ſeſe, inuiſibili, ac diuina poteſtate, velut feras agreſtes, ſuarum ouium ceu paſtor bonus, procul fugauit. Hic audis apud Euſebium inſinuare ſe poteſtates illas inuiſibiles in animos hominum. Tatianus etiam ſimile quid ſcriptum reliquit ad gẽtes in Apologetico: δαίμονες εἰς πολλὴν κακίαν ἐξοκείλαντες τὰς μεμυημένων παρ᾽ ὑμῖν ψυχὰς διὰ ἀγνοιῶν, καὶ φαντασιῶν ἐξηπατήκασι: Dæmones, ait, in multum ſcelus prolapſi, animas apud nos initiatorum per inſcitias, & apparentias deceperunt. Sic ille. Talia ſuperius Plato. Vt igitur alia complura taceam, apparet mirabilis conſenſus veterum Philoſophorum, cùm cœlitus reuelata ſapientia, de prauitate Dæmonum, de poteſtate penetrandi in animas, & cõmo-

Effecta bonę mentis.

Dæmonũ opera. Ioan.23. De teſtimonio animæ.

Li.2.c.15.

Poteſtates inuiſibiles inſinuãt ſe humanis animis.

uendi

Scelerati manus ſibi violẽtas afferunt.

Dęmõ, ſcelerũ princeps.

uendi humores interiores, ſpiritales inſpirandi cogitationes. Et quod accidit inſtinctu dęmoniaco Iudæ, vt ſtrangulent ſeſe mali, aut dent præcipites, vt agant & quatiant furoribus mentes, vt adulteria, homicidia ſuggerant. Audiſti etiam, vt Euſebius ſimiliter atque Chaldęus, eos appellauerit feras agreſtes. Quæ Triſmegiſtus igitur dixit, ſunt quę Plato, Pherecides, Chryſippus, Xenocrates, de prauitate Dæmonum ſenſerunt. Sic apud nos, quoniam omnium ſcelerum princeps, & inuentor eſt, per excellentiam vocatur ὁ πονηρός. Et Deus ipſe docuit nos precari, Libera nos à malo. Quod Græcè, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ: A maligno, ab eo qui prauus, & malignus eſt. Et in Sympoſio ſeptem Sapientũ dictus eſt δαίμων βλαβερώτατον, nocentiſſimus. Conſentiunt igitur Chaldaica, Aegyptiaca, Hebraicaq; Theologia ſuper Dæmonum improbitate, & quòd ſint Dęmones. Quam quidem concordiam, priſcorumque tantam Theologogiam, Ariſtot. niſi ſit impudens, negare non poſſit. Meminit etiam Dæmonum Mercurius in Pęmandro, declaratque ſummo cum cęteris conſenſu, vim eorum: A ſtultis, inquit, ergo Deus, prauis improbiſque, inuidis, & auaris, & homicidis, & impiis procul faceſſo: τῷ τι μαρῷ ἐκχωρήσας δαίμονι, ὅστις τὴν ὀξύτητα τοῦ πυρὸς προβάλλων, θρώσκει αὐτὸν αἰσθητικῶς, καὶ, μᾶλλον ἐπὶ τὰς ἀνομίας, αὐτὸν ὁπλίζει: ἵνα τύχῃ μείζονος τιμωρίας, καὶ οὐ παύεται, ἐπ' ὀρέξεις, ἀπλάτους τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων ἀκορέστως σκοτομαχῶν καὶ τοῦτον βασανίζει καὶ ἐπ' αὐτὸν, πῦρ ἐπὶ τὸ πλεῖον αὐξάνων, Vltori cedens Dæmoni, qui acumen ignis accipiens impellit, feritque eum ſenſibiliter, & magis ad impietates ipſum armat, vt aſſequatur maius ſupplicium, & non ceſſat in cupiditates infandas cupiditatem habens inſatiabiliter, in tenebris pugnans, & hunc cruciat, & in ipſum ignem plus auget.

Dæmones nidoribus oblectari, ob id materiales appellari. Cap. XXX.

Dæmonas nidore ſacrificiorũ delectari.

Demones immũdi.

IN alio quoque conſentiunt noſtri, & illi, ſcituq; digniſſimum eſt, de Dęmonibus, Eos nidoribus ſacrificiorum, libaminibusq; oblectari: Quod ex noſtris cum primis aſſeruerit Tatianus, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, ex illis Porphyrius, forteq; etiam Plato. Nam cùm eos ſacrificijs præfecerit, & ſub eorum gratiam fieri, quas teletas dicunt, aſſeruerit, ea de cauſa veriſimile ſit, id ſtatuiſſe, quod poſtea noſtri, nonnulliq; Philoſophorum melius explicuerunt, quia nidoribus illis inquinatis delectentur. Eandem rationem fuiſſe putauerim, cur à multis noſtrorum, & eorum exiſtimati fuerint circa materiam verſari, vt eos materiales vocarent, & eorum principem, materiæ primum inuoluerint. Hęc materia, etſi poſſit omnis mundus, quatuorq; elementa, quibus præſint Dæmones, intelligi, videtur tamen nidor ille ſanguinis, & ſacrificiorum præcipuè ſentiendus. Quo crediti etiam, & vocati fuerint immundi, non modò videlicet ob peccatum, mentisq; turpitudinem, flagitioſaſque cogitationes (omne enim peccatum macula, eſt & turpitudo) ſed etiam ob nidores hos, & immundiciem, qua dicuntur oblectari. In hoc igitur conueniunt ferme omnes. E quibus Athenagoras, δαίμονες περὶ τὰ ἱερεῖα οἱ προσεθηκότες τῷ ἀπὸ ἱερέων αἵματι, καὶ ταῦτα περιλιχνώμενοι: Dęmones ad hoſtias aſſident, earũ ſanguine illecti, quę auidiſſimè captãt. Pauloq; inferius, οἱ περὶ τὴν ὕλην δαίμονες λιχνοὶ περὶ τὰς κνίσας, καὶ τὸ τῶν ἱερείων αἷμα: Materiales Dæmones guloſi circa nidores, ſanguineq; hoſtiarũ. Ecce materiales Dęmones nidoribus hoſtiarum illecti. Similia Porphyrius, addens, quòd eo nidore eorum aeria, odoribusq; ſimilia corpuſcula pingueſcunt, in ſecundo de abſtinentia, οὗτοι οἱ χαίροντες λοιβῇ τε κνίσσῃ τε, δι' ὧν αὐτῶν τὸ σωματικὸν καὶ πνευματικὸν πιαίνεται: ζῇ γὰρ τοῦτο ἀτμοῖς, καὶ ἀνατίμιασεσι καὶ ποικίλως διὰ ποικίλων καὶ δυναμοῦται: Hi mali Dęmones, ſunt qui gaudent libamine, & nidore, quibus eorum corpuſculũ, & aeriũ illud pingueſcit. Viuit enim id vaporibus, & fumigationibus, varieque id, vt varia ſunt ea, roboraturq; nidoribus. Et alia, quę ſequuntur. Quę forte vera ſunt, vt proinde locis humidioribus inhęreant. Sed mihi cum primis veſtigantur, quę multorum mortalium teſtimonijs confirmata, ob id veriora noſcantur. Sic ambulantes per loca arida, & ſine humoribus, & aqua, non habent vbi conquieſcant. Tertullianus quoq; omnem paucis verbis hanc rationem aperuit: Renuntiant, inquit, ſe immundos eſſe, quod vel ex pabulis eorum, ſanguine, & fumo, & putidis rogis pecorum & impuratiſſimis linguis ipſorum vatum intelligi debuit. eſt igitur ex his ratio clara, cur & materiales vocentur, & immundi. Nam quòd melioribus eorum data ſit inferioris mundi cuſtodia, ob quam cauſam ſint appellati materiales, non adeò ſicut ſuperiori rationi, aſſentior, nec arbitror Chriſtianæ Theologiæ congruere.

Matth. 12.

Quæ Dæmonibus nonnulli Philoſophi attribuerunt, eos omni mundo præficientes, Angelis congruere, idque ab eis deprædicari. Cap. XXXI.

SED cùm Plato Dęmonas tradidiſſet bonos, ſed ex dictis eius prauitas eorum eliciatur, ſecuti ſunt deinceps cęteri Platonici dicta eius, ea non examinantes, quemadmodum decuiſſet, pręceptoris autoritatem venerati, è quibus fuit Philo, & Iamblichus. Poſterior de ſecta Pythagoreorum, explicans ea, quę de Dęmonis electione Plato tradiderat, ait, αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἐσμὲν ἐν τύχης καὶ δαίμονος τάξει, καὶ ἡμεῖς τὸν δαίμονα αἱρούμεθα καὶ εὐδαίμονας αὐτοὶ ἑαυτοὺς παρασκευάζομεν. Ipſi nobis ipſis ſumus Fortunę, & Dęmonis loco, & nos Dęmonem eligimus, & Eudęmonas, id eſt, Genij, aut Fortunę bonę nempe beatos ipſi nos efficimus.

cimus. Hoc loco ſcito dæmonas ex ſententia Platonis appellatos Angelos,qui nos ſortiuntur,aut quos ſortiamur ipſi: quia ſi bene ſtatuimus viuere,comitantur boni nobiſcum:ſi male,continuò ſontes aſſiſtunt.

Angeli boni & mali.

Hocque explicans fuſius Iamblichus ex Pythagora: δευτέρα δὲ ἡ τοῦ παραδοθέντος, καὶ συγκληρωθέντος ἡμῖν ἀπὸ θεῶν δαίμονος δεῖξις ἐμφανής, καὶ δι' αὐτοῦ πάλιν πρὸς τοὺς θεοὺς πάλιν ἀναγωγή: οὐδὲ γὰρ ἄλλως τις δυνηθείη πρὸς τὸ θειότατον αὐτοῦ, καὶ κυριώτατον τῆς οὐσίας ἀναδραμεῖν, εἰ μὴ τῷ τοιούτῳ δαίμονι ἡγεμόνι χρήσαιτο: ὃν δεῖ πάντα τὸν ἐραστὴν τῶν θεῶν γνησίως ἀποκαθαίρειν, ἀφ' οὗ δὴ πρώτη μὲν ἔσται κακῶν παῦλα, τῶν συμπεφυκότω, ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως, ἔπειτα γνῶσις ἡμῶν ἀληθινὴ παρέσται τῆς εὐδαιμονίας, καὶ μακαρίας ζωῆς, ὅστις, καὶ ὁποῖα, μεθ' ἧς ἀνιόντες τὸ ἀρχηγὸν γένος τῶν ἀνθρώπων κατοψόμεθα, καὶ εἰς αὐτὸ ἐνιδρυθέντες τέλος ἕξομεν τοῦ προθέντος ἀπὸ τῶν θεῶν, τοῖς ἀνθρώποις μακαριωτάτου βίου: Secunda,inquit,via rectè viuendi eſt,traditi,& ſortiti nos a Diis,dæmonis manifeſta demonſtratio,& per eum rurſum ad Deos reductio. Neq; .n. ſecus quis poſſit ad diuiniſſimam, maximeq; propriã ſubſtantiã redire,niſi tali dęmone duce vtatur.

Dæmon, ſiue angelus dux hoĩs.

Quẽ omnẽ Deorum amatorem oportet legitimè expiare,à quo prima erit malorum depulſio, quæ nobiſcum ab exordio cohæſere. Tum perfecta noſtri,& felicitatis, beatæque vitæ,quanta,& qualis eſſe poſſit notio. Cum qua aſcendentes præcipuum genus hominum intuebimur,in quo defixi,finem aſſequemur propoſitæ a Diis homini,beatæ vitæ. Hæc ille.

Error Iamblichi.

In quibus is error, quòd dæmonas ipſi ſortiamur, & quòd hi ſint humanæ vitæ duces,non erit omnino,intollerabilis: quia dęmonas, Angelos ſentimus. Illud prorſus Philoſopho tanto indignum,quòd ait hanc dęmonis ſortem datã hominibus a Diis,cùm ipſe Plato apertè fateatur Deũ patrẽ,ſummumq; parentẽ,dediſſe,præfeciſſe certos hominibus cuſtodes,duces,moderatores,non Deos id feciſſe. Eſtq; obſcęna in Philoſophia idololatria,cùm ſit Iamblichus vbiq; confeſſus Deum caput,principẽ rerũ humanarum. Quod tot exemplis poterit probari.

Cuſtodia hominum non eſt a Diis data, ſed a Deo.

Sed ſufficit nunc,quòd contra quàm locutus eſſet Plato,cuſtodiã hanc, & gubernacula à Diis data dixerit,quod ille factum a ſuperno Deo confitetur,vt vidiſti. Itaq; longè ſapientius Philo non ſolum in dicta Platonis intuens,ſed etiã a Moſaica ſapientia adiutus: Aer,inquit,eſt animarum incorporearum domicilium. Quoniã omnes mũdi partes replere dignum cenſuit opifex. Ob quam cauſam terræ dedit terreſtria,fluminibus & mari aquatica,cęlo ſydera, quæ non ſolum animalia, ſed etiã puriſſimæ in totum mentes eſſe dicuntur. Quocirca & in alia parte vniuerſi aere,animalia facta ſunt. Quæ tametſi oculis non vſurpantur,nil mirum. Nam & anima eſt incomprehenſibilis. Atqui veriſimile eſt,quàm terram,& aquam magis aerem,animalia nutrire.

Animalia aeria inuiſibilia, dæmones putãtur a Philone.

Tum proſequitur, Sunt aliæ animæ,puriſſimæ & optimæ,maioris diuiniorisq; mentis,quas nulla terrenarum rerum attingit libido: ſunt autem magiſtratus mundani,vniuerſaliſq; principis veluti maximi regis aures & oculi,intuentes omnia,& exaudiẽtes. Has cæteri Philoſophi dęmonas, Moſes conſentanea nuncupatione vocat Angelos. Siquidẽ iuſſa,& mandata patris ad filios,filiorum neceſſitates ad ipſum parentem perferunt. Hæc Philo. Longe quidem ſapientius,& magis ex Platone,quàm cæteri Platonici,quos vana ſuperſtitio in Deorum traxit appellationem. Duoq; rectius Philo, quàm illi, quòd datos hos cuſtodes,& magiſtratus, & nuntios à Deo, qui inter nos, Deumq; intercedant,ob quam cauſam non miniſtri Deorum,ſed Dei ſunt: quòd dęmonas Philoſophorum, Angelos Moſis interpretatur.

Miniſtri Dei, non Dei appellãdi genii.

Et quoniã Angeli & litteris ſacris, & profanis ſunt Dii, hi certè erunt,qui imperio Dei res humanas adminiſtrent. Nec erunt duo genera Dii,ac dæmones illi boni,puriſſimæq; mentes apud Philoſophos. Quippe boni dęmones,& nuntii,ſunt Angeli, Angelii ſunt Dii cęleſtes. Quare genus,quod poſt dęmonas bonos ſequeretur,erunt dęmones mali: Vt boni illi dęmones ſuperius quidem habeant maximum imperatorẽ,regemq; vniuerſi,Deum, inferius dęmonas malos, veluti mancipia, viliaq; animalia. Eadem ratione ſunt vel emendanda, vel declaranda quæ Iamblichus idem eodem libro,Pythagoram priorem tradidiſſe, quod poſtea Plato tot locis aſſeruit: ὅτι οὐρανόθεν ἡ διάβασις, εἴς τε ἀέρια, καὶ τὰ ἐπίγεια φέρεσθαι πέφυκεν, καὶ ἔτι περὶ τῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀκολουθίας πάντων, διεξῆλθε γνωριμώτατα πᾶσι: Eſſe cęlitus in aeria, & terreſtria,traiectionem,ac tranſitum,rurſum quòd omnia in cęlum reflecterentur, cunctis perſpectiſſimum docebat. Loquitur enim Iamblichus de his quę Plato,& Philo paulò antè tradiderant. Eſſe nuntios inter homines,ac Deum,eſſe tranſitum : vltro citroq; commeare inter cęlum,& terram Angelos,vt ſit ſocietas,& communio inter Deum,& homines. Sic Iacob vidit ſcalã,cęlũ quę vertice tangeret,& Angelos Dei deſcendentes,& aſcendentes.

Societas inter Deum & homines per angelos.

Tranſitus igitur is fit a Diis cęleſtibus non dęmoniis,& illi ferunt cęlitus auxilia,non dęmonia,quod ipſe per errorem paulò antè dixit. Bellis ſępe ſęuis,aut peſtilentia graſſante, aut fame,ſeu ſterilitate, παραγενομένων δαιμονίων τινῶν, καὶ θείων ἐνεργετημάτων, ἐπειρᾶτο συμπείθειν ὡς ἐστὶ θεία πρόνοια πᾶσαν ἐλπίδα ἀνθρωπίνην, καὶ δύναμιν ὑπεραίρουσα: Quoniam acceſſiſſent præſentia quædam dæmonia,diuinaque beneficia, conabatur perſuadere Pythagoras,eſſe diuinam prouidentiam omnem humanã ſpem,& vim,ſuperantem. Pręclarè locutus es Iambliche,ſed vnum duntaxat corrigendum.

Error Iamblichi.

Nam qui peſtilentiam, bellaq; depulerunt,nõ fuerunt dęmonia,ſed Angeli,Dij.ſ.illi cęleſtes,ætherij,vt apud Ioſue antiquiſſimũ ducẽ legitur: Cũ autem,inquit,eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho,leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe,euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait, Noſter es,an aduerſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam. Sed ſum princeps exercitus Domini,& nunc venio.

Ioſue 5.

Viſi angeli in acie pro ſuis dimicantes. 1.Mach.7. 2.Macc.11. & 15.

Præfecti angeli hominib. cur. Angeli, & Archãgeli.

Officia angelorũ, & dæmonum ſupplicia a Deo aſſignata.

Immiſſiones per angelos malos.

Hæc autoritas cum ſit vetuſtiſſima, quam Pythagoras forte didicit ab Hebræis, ad montem Carmelum longo tempore, eodem Iamblicho teſte, Philoſophatus, adoranda quoque Platonicis eſt, qui iuuenes ſemper, Theologiam à Barbaris didicerunt. In Machabæis quoq; viſi ſunt Angeli in acie pro ſuis dimicantes. Eadem ſunt exempla de peſtilentia. Quod ſi quid à dæmonibus illis factum eſt quod prodeſſe videretur, magna quoque detrimenta erant adiuncta, aut humana ſacrificia, aut obſceni ludi, vt facilè naturam ſuam qui apparuiſſent, indicarent. Longè igitur noſtri Philoſophi melius hæc declarauerunt. Nam & Euſebius in libro de Euangelica ἀποδείξει, demonſtratione, proponens ex ſacra Theologia, quæ Pythagoras & Plato ab Aegyptiis, & Hebręis audita vehementer approbauerant, vulgarantque per omnem Græciam, ſcribit iuxta Philonem: Optimus, inquit, ille Rexque omnium altiſſimus vniuerſaliſque Deus, ne beſtiarum ritu homines ſine principibus, & præfectis in terris agerent, præfectos eis & gubernatores, ceu paſtores, gregumque ductores, diuinos Angelos, adhibuit, quibus omnibus præfecit vnicum, ac primogenitum ſuum Verbum. Huic ſubiecit Angelos & Archangelos, diuinaſque poteſtates, omnes immateriales, ſupercæleſteſque ſpiritus, velut vnum exercitum, partemque eius præcipuam. Et quidem etiam animas pias eorum qui agunt in cœlo, qui quondam terras tenuiſſent. Hoc maximum myſterium, primus Theologorum Moſes olim inter arcana docuit Hebręos, dicens, Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi, Quando diuidebat altiſſimus gentes, cùm separaret filios Adam conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei. Hæc ille, licet Hebraicè non ſit, iuxta numerum Angelorum Dei, ſed filiorum Iſrael. Hic igitur apparet, quàm rectius, quamque magis conſentaneè Philoſophiæ, a ſummo, ac principe Deo conſtitutam hanc prouidentiam tradiderint, non a Diis, cùm Dij ſint ipſi conſtituti, & nefas ſit, alium vllum rem tam præclaram atque illum qui mundum creauit, feciſſe. Vt qui ſitum locumque dederit elementis, multo magis ſuperas Intelligentias ad gubernacula generis humani adhibuerit. Miniſtros autem malos, pęnis exercendis addictos, eſſe maioribus illis Angelis cęleſtibus ſubiectos, Aſclepius in definitionibus aſſeruit ad Ammonem regem. Eſſe primum multos Dæmonum Choros circum radios ſolares, variis exercitibus ſimiles, non procul a ſuperis. Inde ſortiti regiones has res hominum attendere, τὰ δὲ ὑπὸ τῶν θεῶν ἐπιταττόμενα ἐνεργοῦσι θυέλλαις καὶ καταίγισι, καὶ πρηστῆρσι, καὶ μεταβολαῖς πυρὸς, καὶ σεισμοῖς, ἔτι δὲ λοιμοῖς, καὶ πολέμοις ἀμεινόμενοι τὴν ἀσέβειαν, A Diis imperata facientes, procellis, tempeſtatibus, conflagrationibus, terræmotibus, peſtilentia, fameque, impietatem caſtigantes. Sic ille, concordans cum litteris ſacris, immiſſiones per Angelos malos memoratus. Qui pœnas igitur exercent, in numero malorum ſunt habendi, quos alij nomine Erinnyas dixerunt. De quibus ſcribit Iamblichus, ὁ ἐπιμενίδης ὁ πυθαγόρου μαθητὴς μέλλων ὑπὸ τινῶν ἀναιρεῖσθαι, ἐπειδὴ τὰς ἐρίννυας ἐπεκαλεύσατο καὶ τοὺς τιμωροὺς θεοὺς ἐποίησε τοὺς ἐπιβουλεύοντας πάντας ἀναιρεῖσθαι ἑαυτούς. Epimenides diſcipulus Pythagoræ, cùm a quibuſdam eſſet interficiendus inuocatis Erinnybus, & Diis vltoribus, fecit vt omnes interficerent ſeſe.

De Dæmonibus qui dicuntur ſe mulierum commercio contaminaſſe, alioſque Dæmones genuiſſe: Hos eſſe Dæmonas fabuloſos, & quaſi poeticos, non veros: & quòd is fuit multorum error. Cap. XXXII.

Quibuſdã veteribus male intellectus loc' ex 6. Geneſeos. Vide Auguſt 15. de ciu. Dei c. 23. Lactãt. 2. cap. 15. Euſeb. 5.

Angeli appellati homines, Angelorũ vitã æmulãtes. Dæmones hoib. præcellentiores.

HIs ita declaratis, illud quoque reiiciendum, ſeparandumque a natura Dæmonum vera, & penè inter fabuloſos Dæmones cenſendum, quod non modò è noſtris quidam, ſed etiam profanæ Philoſophiæ profeſſores plerique ſibi perſuaſerunt, de filijs illis Dei, qui dicuntur apud Moſen filias hominum vidiſſe, accenſoſque in earum cupiditate, ex eis filios genuiſſe: qui cùm dicantur Hebraicè Nephelim, ab Hebræis neſcio quibus, & noſtris, vt dixi, quinetiam externè Philoſophis, Dæmones crediti ſunt, qui partem diuinam, atque humanam miſtam habuerint. Fueruntq; multi, filios illos Dei, Angelos ſuſpicati, è quibus cum multis Hebræis, Ioſephus, in ſua de Antiquitatibus Iudaicis hiſtoria: πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ, γυναιξὶν συμμιγέντες ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν. Quod eſt, Multi enim Angeli Dei mulieribus miſti, contumelioſos filios genuerunt, ob virium fiduciam. Quanquam Zonatas hiſtoricus excuſat Ioſephum: ὁ δὲ ἰώσηπος ἀγγέλους λέγει τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων λαβεῖν οὕτω καλέσας οἶμαι αὐτοὺς υἱοὺς Σὴθ, ὡς εὐαρεστῶντας θεῷ, καὶ τὴν ἐκείνων πολιτείαν ἐπιτηδεύεσθαι: Ioſephus autem Angelos dicit filias hominum accepiſſe, ſic arbitror appellans filios Seth, vt Deo placentes, & Angelorum vitam æmulantes. Sic ille. Sed quidquid velit, ſenſerit Ioſephus, certè alij fuere in ea ſuſpicione, vt Lactantius. Videturq; antiquiſſimus error, è libris Moſis, non rectè intellectis, hauſtus. Si quidem perhibet Plutarchus Pythagoram, Xenocratem, Platonem, Chryſippum, ſuperiores Theologos ſequentes, crediſiſſe, Dæmones fuiſſe hominibus quidem robuſtiores, viribuſq; longè præcellentes. τὸ δὲ θεῖον οὐκ ἀμιγὶς οὐδὲ ἄκρατον ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ ψυχῆς φύσει καὶ σώματος αἰσθήσει συνειληχὸς, ἡδονὴν δεχομένην καὶ πόνον: Diuinitatem, inquit, habentes neq; ſyncęram, neq; puram, ſed cū animæ natura, & ſenſu corporeo coniunctam, voluptatis & laboris capacem. Hoc etiam credidit A Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, Iuſtinus item, idem Philoſophus, & Tertullianus, omnes ambiguitate vocabuli ducti, arbitratique filios Dei, Angelos, puroſque Deos, genitos ex eis, alij dæmonas, alii Heroas, vocantes eos ἀπὸ τοῦ ἔρωτος amore illo, quo illi filii Dei in fęminas exarſiſſent, filioſque eximiæ virtutis, & audaciæ genuiſſent, quod in Cratylo retulit etiam Plato, & Athenagoras in legatione ſcribit: καὶ τὸ κατὰ τοὺς ἀγγέλους ἐν ὁμοίῳ καθέστηκεν: οἱ μὲν ἄλλοι αὐθαίρετοι δὴ γεγόνασιν οἷοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἔμειναν, ἐφ' οἷς αὐτοὺς ἐποίησε, καὶ διέταξεν ὁ θεος: οἱ δὲ ἐνύβρισαν καὶ τῇ τῆς οὐσίας ὑποστάσει καὶ τῇ ἀρχῇ. Et quæ ſequuntur. Quæ ſunt, Similis quoque conditio fuit Angelorum. Etenim cum eſſent omnes liberæ voluntatis, alii in ea, qua creati à Deo fuiſſent, conditione permanſerunt, alii & naturam ſuam, & conditionem violauerunt. Is ergo Dæmon materiæ, & formarum, quæ ſunt in ea imperator extitit, & cæteri, qui ex his circa primum æthera verſantur. Scitis autem nihil abſq; teſtimonio nos prædicare, cum nitamur dictis Prophetarum. Illi igitur a carne victi, & in concupiſcentiam prolapſi: is autem neglector, & prauus circa rerum ſibi creditarum curam, eſt inuentus. Ex his autem qui in virgines exarſerunt, nati ſunt hi qui gigantes ſunt appellati. Itaque Angeli lapſi de cęlo, circa aerem, & terram, prohibiti deinceps cœlum repetere, verſantur. Animi quoque Gigantum circa mundum. Hæc ille. Tertullianus quoque eadem ſenſit. Sed quomodo, inquit, de Angelis quibuſdam ſua ſponte corruptis, corruptior gens dæmonum euaſerit, damnati a Deo, cum generis autoribus, & cum eo, quem diximus principe, apud litteras ſanctas ordine cognoſcitur. Hæc illi ſenſerunt. Quæ quidem meliores doctioreſque Theologi, quibus filiorum Dei notior fuit appellatio, nunquam dixiſſent, non Hieronymus, non Auguſtinus, non Gregorius Nazanzenus, non prudentiſſimus Chryſoſtomus. Nec difficile eſt erroris fontem agnoſcere, nec durum probare ſolitas ſacras litteras, filios Dei nuncupare dilectos illi, illumq; colentes. Vt de Iſrael, Ex Aegypto vocaui filium meum. Et in Exodo, Filius meus Iſrael. In Pſalmo quoque clara differentia, cum homines ſunt filii Dei, & cum non ſunt: Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes: vos autem ſicut homines moriemini. Ecce eoſdem filios Dei, & homines appellat: ſed filios Dei, quia creati ab illo, factique velut Dii, futurique ſi Deum coluerint, homines autem in terrenam fragilitatem delapſi, regis cæleſtis imagine denigrata. Tales erant illi eluuionis tempore filij Dei, bona progenies ex Seth, quæ commiſta cum filiabus hominum, ſcilicet corruptiſſimis fœminis, quæ, ſicut vxor Adam, deincepſque fermè omnes, ſic maritos ſuos corruperũt, vnde corruptiores filii nati, origo mali, ſanguinis pij cum impio commiſtio, propterea nati, bellicoſi, ſuperbi, contumelioſi. Hæc ſunt veriora, a natura non abhorrentia, cum illa non abſint a fabulis Poetarum. Nec natura fieri poteſt, nec aſſentitur Philoſophia ſpiritus corpore nudatos, amore fœminarum capi, aut ex eis generare potuiſſe. Habet enim fontem ſuum & inferiores, ortus, cupiditates, ſi deſit cauſa, deſit effectus. Vbi non ſunt membra genitalia, non eſt amor coeundi. Vbi non eſt cibus, & potus, non eſt ſperma. Vbi non fuit quærenda ſucceſſio, & propagatio, non adhibuit natura cupiditatem generandi. Sicut ſpiritus nudi ſitire, eſurire non poſſunt, ſic Veneris libidine nequeunt inflammari. Abſurdum quoque eſſe duo genera dæmonum, tum ipſos Angelos lapſos in concupiſcentiam, tum animas gigantum. Fuerunt enim gigantes homines: nec ex hominibus faciendi ſunt dæmones: Nec caſus eorum fuit, quòd exarſerint in amorem. Erunt igitur fabuloſi dæmones, tam quos libido rapuiſſet, quàm generati ex eis. Tales erunt, quales Hector, Achilles, Aeneas, Hercules, ex hominibus, & Deis nati, apud poetas.

Angeli omnes creati liberæ voluntatis.

Angeli, quomodo facti dęmones.

Ex angelis de cęlo lapſis natos gigantes, nonnulli nimiũ audẽter aſſeruerunt.

Filij Dei, q appellati.

Spũs corpore nudati non poſsũt mulierib. commiſceri, & cur.

Fabuloſi dęmones.

Apud Orpheum cùm ſint Dæmones boni & mali, hoc nomen denique malorum potius eſſe, quàm bonorum, ſicut in ſacris litteris. Cap. XXXIII.

CVM Plato dæmonas ſolum bonos, cęteri ferme omnes, qui poſt eum promiſcuè bonos & malos tradiderunt, videntur Orpheum, & Chaldæos ſecuti. Is enim tum bonos & malos eos induxit, tum varia eorum genera perhibuit, aeria, terreſtria. Verum cum dęmonas bonos appellat, vt principio docui, ſentit quaſi Deos quoſdam, quemadmodum vocat Homerus Deos, dæmonas, μετὰ δαίμονας ἄλλους: ſed præcipuè malos ſub hoc nomine concluſit. Teſtatur ergo etiam Plutarchus, apud Homerum, & Heſiodum eſſe dęmonas bonos & malos, mala & bona volentes, impulſores ad bona & mala. Heſiodum verò, cuſtodes, diuitiarum largitores. In primo tantum nominis ſocietas, ſecundum tralatum, non verum. Inuocat igitur in hymnis Orpheus:

Δαίμονα τ' ἠγάθεον, καὶ δαίμονα πήμονα τνητῶν,
Δαίμονας οὐρανίους, καὶ ἠερίους, καὶ ἐνύδρους
Καὶ χθονίους, καὶ ὑποχθονίους, ἰδὲ περιφοίτους.
Dæmonaque imploro ſanctum, pariterque malignum,
Aerios, aqueos, cæli & conuexa tenentes,
Terreſtres, infernoſque, circum omnia euntes.

Dæmonũ noĩe malos intelligi.

Dæmones boni & mali.

Dii & Angeli iidem Homero.

Hæc Orphei partitio id habet veri, quod ex priſcorum conſtitit Theologia, vt Dæmones boni non ſint in eodem genere: Vt in hominum genere, quemadmodum ſunt boni, & mali, ſic in genere dæmonum, boni, & mali inueniantur. Sed dæmones apud Homerum ſunt Dii, iidemque Angeli, quod ſuprà monſtratum eſt. Vtque tyrannus commune fuit omnium imperatorum, regumque bonorum, ac malorum nomen, poſtea ad malos ſolos recidit, ſic dæmon commune cæleſtibus, excluſiſq; è cęlo nomen, recidit ad excluſos tãtum, ac ſceleratos. Dæmon igitur ſanctus, & dæmones cęleſtes ſunt Dij. Dęmonas autem aerios, & aqueos, terreſtres, ac ſubterraneos nullo genere, ſed loco duntaxat differentes, agnoſcunt etiam noſtri, ratioq; oſtendit, qui ſunt aerij, qui per aera ferantur, poſſe terras petere, totoq; in mundo verſari, quod ab eis appellatur ἀειφοιτῶν. Sceleratiores autem corruptioreſque fuiſſe in dęmonibus quoſdam, ſicut in hominibus malis, ſunt aliis alii nequiores, hiſque datas pro meritis infernas ſedes, etiã noſtra Theologia, ratioque agnoſcit, Tenebras exteriores, earumque habitatores dęmonas appellans. Rurſum non refugiens, imò docens eſſe dęmonas etiam aerios, & in cęleſtibus, quod eſt in aeriis. Hæc igitur partitio vera eſt, ſi modò ſanè, recteque intelligatur. Illud adeo mirum in Orpheo, quòd totus denique inclinat in ſententiam, dæmonas eſſe malos, eoſque flagellis Deorum caſtigari. Nam in hymno ad Titanes:

Dæmones loco differentes.

Dæmones alii nequiores aliis.

Dæmones mali, flagellis Deorũ puniuntur.

Δειμαίνουσι δὲ σοῦ ὀθοῦς μάγιστος ἀπειλὴν,
Δαίμονες, ἀνθρώπων δηλήμονες ἀγριόθυμοι.
Πσυχαῖς ἡμετέραις δικραῖς κακὰ πορσύνοντες.
Ὄφρ' αἰεὶ κατὰ λαῖτμα βαρυσμαράγου βιότοιο
Σώματος ὁ τλένουσιν ὑπὸ ζυγόδεσμα παθοῦσαι
Ὑψετενοῦς δὲ κάθοντο πατρὸς πολυφέγγεος αὐλῆς
Ἀλλὰ σὺ ψυχῶν ἀνωγεὺ
Κέκλυθι δὴ καί με κάθηρον ἁμαρτάδος αἰὲν ἁπάσης,
Δέχνυσο δ' ἱκεσίην πολυδάκρυον, ἐκ δὲ μελυγρῶν
Ῥύεο κηλίδων.

Exhorrentque tuum rapidum, durumque flagellum,
Dæmones humani hoſtes, atque feri, atque maligni,
Qui noſtris animis vacuis infanda miniſtrant,
Vt ſemper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes, ſemper vincliſque retenti,
Excidat vt nobis ſummi fulgor patris aulæ,
Sed tu dux animorum.

Vides eum dæmones humani generis hoſtes dicere mala, nequitias ſuggerentes, voluptatibus, illecebris mundi, animos irretientes, vt obliuiſcantur curiæ cæleſtis, quam vocat πολυφεγγῆ, luminoſam, radioſam: oratque vt ei ab eorum inſidiis liceat viuere ſecuro.

Dæmonas ab antiquis Philoſophis proditum, dare pœnas toto mundo perſecutionem patientes. Nullum eos elementum admittere cælo cadentes, ab Empedocle dictos. Pherecydem de eis ſcripſiſſe. Zoroaſtrem principem malorum quendam prodidiſſe. Nomen Dæmonis eis proprie malorum eſſe. Cap. XXXIIII.

Dæmones ſcelerum dãt pœnas, iuxta Empedoclem.

ESSE verum & conſtans priſcos potius malos, quàm bonos dæmones credidiſſe, etſi, vt Plutarchus quoque teſtatur, Homerus eo nomine vtatur promiſcuè, ἐπί τε χρηστῶν καὶ φαύλων, ſuper bonis, & malis, apparet vel inde (eſtque mirabile, vt cum litteris ſacris congruat) quod Empedocles priſcus Theologus autore Plutarcho dæmones vti nequam & malos, ſcelerum dare pœnas eorum quæ peccauerint, totoque mundo exagitari, vndique repelli, nuſquam admitti, ſcriptum reliquit: Ἐμπεδοκλῆς δὲ καὶ δίκας φησὶ διδόναι τοὺς δαίμονας, ἂν ἐξαμάρτωσι καὶ πλημμελήσωσι. Idque Empedocles cecinit his carminibus:

Αἰθέριον γὰρ σφε μένος, πόντον δὲ διώκει
Πόντος δ' ἐς χθονὸς οὖδας ἀπέπτυσε, γαῖα δ' ἐς αὖθις.
Ἠελίου ἀκάμαντος, ὁ δ' αἰθέρος ἔμβαλε δίναις,
Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, συγέουσι δὲ πάντες.
Aetherius motus in pontum deijcit illos.
Pontus at in terram pellit, ſed terra remittit
Ad Solem rapidum, is vbi fit conuerſio cæli:
Ex alioque alius fugat, execrantur & omnes.

A Nihil his carminibus Empedoclis diuinius. Ecce enim quod noſtræ ſalutis autor: Videbam Satanam ſicut fulgur deſcendentẽ de cęlo. Et, Non eſt amplius inuentus locus eius in cœlo. Quæ declarat ipſe melius Plutarchus, comparans in libro de non fœnerando, eum qui fœneratur, Dæmonibus hiſce vagis: ἀλλὰ πλάζονται καθάπερ οἱ θεήλατοι καὶ οὐρανοπετεῖς ἐκεῖνοι τοῦ ἐμπεδοκλέους δαίμονες αἰθέριον γάρ σφε: Quemadmodum illi labentes è cęlo, diuinitusque exagitati dæmones Empedoclis, vagantur debitores fugientes conſpectum eorum, quibus debent. Vides eum dicere dæmones vagos, cęloque labentes. Addidit autem ex ſe Plutarchus (Neque enim par eſt Empedoclem retuliſſe) hanc perſecutionem dæmones, & fugam pati, donec caſtigati, & expiati, iterum locum naturalem, & ordinem recipiant. Credendum eſt, hoc eos perenniter pati, Niſi quod veriſſimum eſt, cùm ſcelus perpetrarunt, cùm homicidii, belli, mali alicuius autores fuerunt, diuina ſapientia tantas imponit pęnas ad ſupplicium, quanta fuit ſceleris magnitudo, nec minus luunt pęnas flagitiorum quotidie, quàm parata ſunt impiis, pro nequitiis, pondera pęnarum. Hic admirabilis eſt priſca Theologia. Ex hac igitur fertur & Pherecydes de caſu eorum ſcripſiſſe. Ex eadem antiquiſſima Theologia, multa de dæmonibus conſtant myſteria. Conſtat eos duntaxat malos agnouiſſe. Vt noſtræ litteræ docuerunt eſſe cęli & terræ totiusque Naturæ, omniumque bonorum, omnium rerum exiſtentium autorem Deum, ex aduerſo Satanam non quidem creatorem, aut opificem, & autorem alicuius rei, ſed ſcelerum tantum, malarum ſuggeſtionum, qua ex re vocatur in noſtris litteris κοσμοκράτωρ, princeps mundi, non ſcilicet cęli, terræ, Naturæ, ſed malarum opinionum, errorum, ſcelerum, flagitiorum. Simile quid traditum eſt in Theologia vetuſta Chaldæorum, ac Magorum, cuius meminit Plutarchus, ſed malè poſtea à nonnullis intellectum eſt: Duos, inquit, Deos inuicem aduerſarios, alterum bonorum, alterũ B malorum autorem arbitrantur. Aliiq; vocant hunc bonorum autorem ἀμείνονα θεὸν τὸν δὲ ἕτερον δαίμονα ὥσπερ ζωροάστρις μάγος: Meliorem Deum, alterum autem Dęmonem, quemadmodum Zoroaſtres Magus, quem quinq; millibus annis ferunt bellum Troianum anteceſſiſſe. Hæc igitur docent, Dęmones eſſe tantum malos, quorum principes ab antiquiſſima Theologia, ſuomet nomine vocatus eſt Dęmon. Ex deſcriptione quoq; noſcitur, Dęmon ipſe malus, ſcelerũ autor, qua deſcripſit eum Zoroaſtris, vt appareat priſcos de Dęmonibus, omnia fermè tenuiſſe atq; poſteriores. Deſcribit enim autore Plutarcho Zoroaſtris eũ, quòd primum illum ſummum Dęũ, rerum creatorem dicebant lucem, ardorem: aduerſarium autem ſimilem eſſe, σκότει καὶ ἀγνοίᾳ, tenebris, & inſcitiæ. Sed ſuperſtitioſè iuſſit Zoroaſtres, & velut Magus propitia ſacra facit priori, & in quibus haberentur gratiæ: poſteriori autem hoſtias triſtes, malorumq; depulſorias. Et in ſacrificio dicit Plutarchus eos inuocaſſe ᾅδην, inferum, & tenebras, cum ſanguine lupi, in loco tenebroſo. Eoq; ſecundum apparet Satanam eis fuiſſe, quod pugnante bono, & malo, tandem ſuperari a bono malum, & ſuccumbere dicebant. Cætera, quę non ſanè intellecta Perſæ, & Manichæi ſuper hac re cõfinxerunt, relinquantur illis. Nos veritatem a ſuperſtitione, & mendacio dũtaxat ſeparare conamur. Perhibet etiam Plutarchus, Pythagoricos Typhonem vim Dæmoniacã crediſiſſe. Verè & rectè. Eſt enim Typhon ventus turbulentus, tempeſtuoſus, euerſor, ſtrages edens. Talis eſt Dęmon peſſimus. Proinde dictus Hebraicè ſhadaim, euerſor, deſtructor. Ex his igitur luce clarius conſtat, ritè cunctis examinatis, nomen Dæmonis eſſe potius malarum poteſtatum. Conſtat etiam priſcam Theologiam audiſſe tradidiſſeq; eos malos, ſcelerum autores & in-C uentores, odio haberi ab omni mundo, vndique velut immundos, nequiſſimos repelli, nuſquam eis locum eſſe, quo conſiſtant. Eoq; ſimili modo Seruator dixit, eos ambulare per loca arida, & inaquoſa, requiem quærentes & non inuenientes. Conſtat igitur, Dæmonas etiam priſcis potius malos quàm bonos fuiſſe. Communicationem nominis ſi quando bonę poteſtates dicantur Dęmones, non eſſe communicationem, ſocietatemque naturę. Nec in eodem genere Dæmonum, bonos eſſe ac malos, vel eoſdem, modò bona, modò mala volentes. Tantum nomen cõmune Naturę ſeorſum varię. Eorum prauitatem experti ſunt homines ſępe. Eoq; Xenocrates autore Plutarcho cenſuit, turpia ſacrificia, neque Diis, neque Dęmonibus bonis congruere, ſed eſſe quaſdã in vniuerſo naturas magnas, & fortes, δυστρόπους καὶ σκυθρωπάς, peruerſas, & truculentas, quæ delectẽtur iſtiuſmodi ſacrificiis, quę cõſecutę, nihil pręterea mali faciant. Ex hac deſcriptione noſcuntur Dęmones mali, vocati ſimili modo κοσμοκράτορες, a noſtris, Principes mundi, tenebrarũ harũ. Et apud diuum Paulũ, Deus huius ſęculi. Hę ſunt Naturę magnæ, & fortes, peruerſę, truculẽtæ. Quicunque igitur eos bonos putauerunt, partim ab ipſis de quibus ſermo eſt, decepti ſunt, partim nomine Dæmonum Deos ipſos appellarunt, velut non propriè homines vocantur Dii.

Dæmones vagi, cęloque labentes.

Deus, autor omnium.

Satan, cur princeps mundi appellatus.

Dæmon autor ſcelerũ.

Deus, lux, ardor.

Dæmon tenebrarũ, & inſcitiæ nomine nuncupatus.

Typhon, vis dæmoniaca.

Marc. 12.

Alij boni, alij mali dæmones, ſed poſtremi hoc dęmonũ nomine rectiꝰ appellantur.

Dæmones ſacrificiis delectant.

Epheſ. 6.

Dæmonis nomen apud priſcos malorum eſſe. Vera eorum deſcriptio apud Philoſophos veraque cognitio: eos eſſe aerios, vagari per omnem mundum, Deo perſequente dare pœnas. Cap. XXXV.

Claræ quoq; coniecturæ ex Philoſophis occurrunt, nomen Dæmonis eorum eſſe, quos ſcelerum vltores, truces, impiorumq; carnifices inſtituit Deus. Idem enim Plutarchus in eo, qui inſcribitur de his, qui ſero à Deo puniuntur, ait impios, & malos: τούτους δίκην μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, Iuſtitię, ſiue pęnis Dęmonem tradere, poſt mortem.

Dæmones, impiorum carnifices.

Et quòd in Galba facit eos ſcelerum autores, cum Centurionem milites obiurgantem inducit, qui toties ad proditionem imperatoris mutarentur, nulla ratione, boniq; delectu, ſed modo dæmonis alicuius impulſu: κατ᾽ οὐδένα λογισμὸν, οὐδ᾽ αἵρεσιν ἀμεινόνων, ἀλλὰ δαίμονός τινος, αὐτοὺς ἐκ προδοσίας εἰς προδοσίαν ἐλαύνοντος. Et cum ait de generatione animæ in Timæo Platonis proponens ſententias Philoſophorum de principiis: Zoroaſtres, inquit, ponit θεὸν καὶ δαίμονα. Hic apparet dæmonem ex aduerſo opponi Deo, nomenque hoc eſſe malorum. Et cum ait de Mileſijs mulieribus, quibus inſolitum malum accidiſſet, vt ſeipſas interficerent, καὶ τὸ κακὸν ἐδόκει δαιμόνιον εἶναι, καὶ κρεῖττον ἀνθρωπίνης βοηθείας: Dæmoniacam fuiſſe calamitatem & pluſquam humanam. Et quod ait hominem per viſionem, in regione pęnarum vidiſſe τρεῖς δαίμονας ὁμοῦ καθημένους ἐν σχήματι τριγώνου πρὸς ἀλλήλους τὰ ῥεύματα μέτροις τισὶν ἀνακεραννῦντας, Tres dæmones ſimul ſedentes in figura triangulari, inuicem ſtagna illa, quibus animæ verſantur, miſcere, quibuſdam menſuris. Et quod dæmonas neſcio quos præfectos ſuppliciis, in ſtagna illa mergere & attrahere dicit animas, καὶ τινας ἐφεστάναι δαίμονας. Et quod ait in libro de non iraſcendo, τὸ δὲ κολαστικὸν, ἐριννυῶδές καὶ δαιμονικὸν οὐ θεῖον οὐδὲ ὀλύμπιον: Caſtigare, torquere, Erinnyum, & dæmonum eſſe, non eorum, qui diuini ſunt, cælumque tenent. Hoc conſtat, eſſe dæmonem atque Erinnym eundem, & qui torquent, vexantque, non Deos cæleſtes eſſe: tormenta, non eſſe bonorum. Ex his igitur claret, vexatores illos, ac tortores, carnifices, nec Deos eſſe, nec bonos, nec datam eis hanc prouinciam vti bonis, ſed vt impuris, prauis, miniſtris immundis, quippe quos tormenta delectant. Eoque coarguitur falſum, quod idem Plutarchus in libro de defectu oraculorum: γίνεται γὰρ ὡς ἐν ἀνθρώποις καὶ δαίμοσιν, ἀρετῆς διαφοραὶ καὶ κακίας: Sunt enim ſicut in hominibus, ſic in dęmonibus diſcrimina virtutis, & vitii. Dico ex tua ſententia o Plutarche, non eſſe verum. Facis enim dæmones eoſdem atq; Erinnyas, ſuppliciaq; exercere dicis eorum eſſe, qui cęlum non habitent. Ergo non ſunt hæ, neque poſſunt eſſe differentiæ, malis, fędisq; miniſteriis fungentibus. Ex hoc etiam apparet vera eorum declaratio, & confutatio, quæ dicit in libro de defectu oraculorum. Primum cùm ait dæmones eſſe mediam naturam inter Deum, hominemq; habentes affectus humanos, & potentiam Dei: ἡ δαιμόνων φύσις ἔχουσα καὶ πάθος θνητοῦ, καὶ θεοῦ δύναμιν. Quomodo virtutem Dei, ſi tantum mali, improbi, nequiſſimi tortores, carnifices, vt ſuperius dicebas, cùm hoc fędum miniſterium negares eſſe Deorum? Nihil igitur te teſte commune Deo, & dæmoni. Dæmon tortor, Deus ſemper beneuolus, placidus. Sic falſum, quod eodem libro, tanquã in medio Deorum, & hominum, excipiẽtes affectiones mortales, neceſſariasq; mutationes, quos dęmonas arbitrantes, & nominantes, bene habent ſecundum morem patrum colere. O Plutarche, quo te rapit oratio, tibi ipſi te aduerſari non cernis? Non ſunt, neceſſariæ mutationes in dæmonibus. Neq; enim tales creati fuerunt, ſed ſe tales ipſi reddiderunt, deprauãtes naturam ſuam. Quid enim neceſſitatis habet in mundo natura hæc immunda? Ad quid ea opus eſt, ſi velut tortoribus impiorum, carnificibusq; fuit eis opus? Iam hæc nõ eſt bona natura, nec ei cum Deo ſocietas. Nec prouincia plectendi, animaduertendi, commune quid facit: quandoquidem tu ipſe pronunciaſti, nulla ratione diuinum eſſe τὸ κολαστικὸν, quod cruciat, vexat, torquet. Longè a Diis diſiunctiſſimum, cęleſtia templa tenentibus. Norant igitur audierantq; dæmonas eſſe poteſtates improbas, malis inhiantes, ſed cauſam cur tales eſſent, neſciebant, putantes eorum prauitatem, naturalem, non fortuitam, & ex deprauatione. Errorque eſt manifeſtus. Non enim Deus opera ſua tam triſtia, tam dira, nefandaq; feciſſet, qualia norunt illi, confeſſique ſunt eſſe dæmones. Eſt ne probabile, Deum creaſſe monſtrum illud, cuius a doctiſſimo vate natura deſcribitur?

Dæmon ex aduerſo opponi Deo.

Dęmon & Erinnys.

Error Plutarchi.

Nihil commune Deo & dęmoni

Dæmones ſuam ipſi naturã deprauarunt alij à Deo creati.

Dęmonũ prauitas eſt fortuita, non naturalis.

Aeneid. 7

Tu potes vnanimes armare in prælia, fratres,
Atque odijs verſare domos, tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, fœcundum concute pectus,
Deſiice compoſitam pacem, ſere crimina belli.

Superius autem,

Luctificam Alecto, dirarum ab ſede ſororum,
Infernisque ciet tenebris, cui triſtia bella,
Iræque inſidiæque & crimina noxia cordi.
Odit & ipſe Pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum, tot ſeſe vertit in ora,
Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Deus non eſt autor mali.

Veritas igitur eſt, eiuſmodi naturam Deum minimè feciſſe, ſed eam ſe talem reddidiſſe. Neq; n. Deus creauit homines rapaces, homicidas, violentos, improbos, ſed cum boni, & ſine crimine ancipitesque creati eſſent, & electionis liberæ, maluerunt eſſe tales, quàm boni. Veriora ſunt igitur quę eodem libro, ab eodem dicuntur, has improbitates nulla ratione diuinum quidquam habere, A Et quod ἰσχυροὶ καὶ βίαιοι δαίμονες ἐξαιτούμενοι ψυχὴν ἀνθρωπίνην περιεχομένην σώματι, καὶ διὰ σωμάτων ὁμιλεῖν οὐ δυνάμενοι ταύτῃ, λοιμοὺς τε πόλεσι, καὶ γῆς ἀφορίας ἀπάγουσι, καὶ πολέμους, καὶ στάσεις, παράττουσιν, ἄχρις οὗ λάβωσι, καὶ τύχωσιν οὗ ἐρῶσι. Quæ ſunt, Fortes, & violenti Dæmones, expetentes animam humanam corpore circundatam, & per corpora ei miſceri non valentes, peſtilentias vrbibus, annonæq; charitatẽ adducunt, bella, ſeditiones turbant, donec quam amant, potiantur. Hæc ſunt veriora. Quo fit clarum nihil Dæmones habere diuinum, ſolumque hoc eſſe nomen malorum, improborum, noxiorum. Omniaque, hæc conueniunt cum noſtris, eo excepto, quòd non expetunt animam Dæmones, vt amatores, ſed vt odio habentes, vt crucient, obſideant. Quod etſi Plutarchus hic non fatetur, aliis tamen fatetur locis, cæteriq; congruunt, Chaldæi, Triſmegiſtus, Orpheus. Vera ſunt, & illa, fugas, raptus, ſeruitia, non Deorum, ſed Dæmonum eſſe. Malim tamen hæc neque Deorum eſſe, neque Dæmonum, ſed fabuloſa. Ea veriora, Dæmones oraculis præfectos, τοῖς περὶ τὰ μαντεῖα, καὶ χρηστήρια τεταγμένοις δαιμονίοις. Et illa maximè vera, ἀλλὰ δαίμονας ὑπηρέτας θεῶν, quod Dæmones ſint miniſtri Deorum. Hoc maximè verum, Sunt miniſtri, carnifices Dei, nihil cum Deo commune, ſed tantum miniſtri, mancipia, iuſſi faciunt, permittunturque facere mala. Sed quod diſplicet Plutarcho, mihi placet, nonnullos ſenſiſſe iuxta ſuperiorem Empedoclis ſententiam, Dęmonibus ineſſe ἁμαρτίας καὶ ἄτας, καὶ πλάνας θεηλάτους, peccata, & noxia mala, perſecutionesq; diuinas. Ideo autem placet, quia ratio docet eſſe verum. Et idem Plutarchus in eo, qui inſcribitur de Iſide, & Oſiride, oſtendit hanc ſibi placere ſententiam. Peccant igitur Dæmones, nocent, diuina poteſtas eos inſectatur. Quod ipſe Dæmon confeſſus eſt: adducitur a Lactantio,

Cur Dęmones animam expetant.

Dęmones, miniſtri, & carnifices a Deo conſtituti.

B

Lib. 1. c. 17.

Δαίμονες οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα, καὶ περὶ πόντον,
Ἀκάματοι, δάμνανται ὑπὸ μάστιγι θεοῖο.

Dæmones errantes per terras, & mare ſemper,
Aeternas pendunt diuino verbere pœnas.

Hoc, vt vidiſti, ſuperius cecinerat etiam Empedocles: Vagantur per omnia dæmones. Quod noſter expreſſit magis, vt ſit mirus conſenſus: Aduerſarius veſter Diabolus circuit quærens quem deuoret. Et Satanas in Iob: Circumiui terras, & perambulaui eas. Illud admirabile, quòd externi Philoſophi, ipſique etiam Dæmones confeſſi ſunt ſe flagellis Dei, verberibusque torqueri, vt ſceleſtos ſcilicet, & peccantes, nocentesque. Neque enim impune nocent mortalibus. Eodem libro Plutarchus dicit non ſolum Empedoclem, ſed & Platonem, & Xenocratem, Chryſippum, & Democritum Dæmones malos crediciſſe, qui cùm ſimulachra bona precaretur, indicaſſe, alia praua eſſe, καὶ μοχθηρὰ, ἔχοντα προαιρέσεις τινὰς καὶ ὁρμὰς, Et ſceleſta habentia electiones quaſdam, & cupiditates, Vera quoque, & illa, vt ſtupeam Titanica, & Typhonica, quæ circunferantur, fuiſſe pugnas Dæmonum, contra Dæmones, fugasque ſuperatorum, ἢ δικαιώσεις ὑπὸ θεοῦ ἐξαμαρτόντων, aut iudicia Dei, contra eos, qui peccauerunt. Hæc inquam vera. Vt congruunt cum noſtris dicentes flagellis, iudiciisque Dei Dæmones exagitari? Quocirca ſuperius vocabat eos θεηλάτους οὐρανοπετεῖς. Et illa vera, vt ſuperius, ἀφισταμένων καὶ ἀπολιπόντων τὰ χρηστήρια δαιμόνων, Abſceſſiſſe, deſeruiſſe Dæmones, oracula, ecce Dæmonum oracula erant. Hinc ſe præcipitem dedit, eodem autore, aliquando Pythia, dæmoniaco furore correpta. Idemq; in eo, qui eſt de deuoratione carnium, declarat nomen Dæmonis malorum eſſe cum ait: τὸ γὰρ ἐν ἡμῖν ἄλογον καὶ ἄτακτον, καὶ βίαιον οὐ θεῖον ἀλλὰ δαιμονικὸν, οἱ παλαιοὶ τιτᾶνας ὠνόμισαν, καὶ τοῦτο ἐστὶ κολαζόμενον, καὶ δίκην διδόντος. Nam quòd in nobis eſt irrationale, citra ordinem, violentumq;, non diuinum, ſed dæmoniacum, veteres Titanas appellarunt, Et hoc eſt eius qui plectitur, datque pęnas. Vides Dęmonem, violentum, irrationalem, inordinatum. Hæc eorum natura, Hæc naturæ deſcriptio. Vt poſſis eam ſic ex Plutarcho deſcribere, Dæmones natura ſunt irrationalis, inordinata, temeraria, violenta, quæ dat pęnas ſemper, & caſtigatur. Id quoque euidentiſſimum argumentum, nomen Dæmonis, malorum potius fuiſſe priſcis, non bonorum, naturamque prauam eorum cognitam eos habuiſſe, quod in Sympoſio ſeptem ſapientum idem Plutarchus dictum refert in conuiuio, optimam, vtiliſſimamq; rem Deum, βλαβερώτατον δαιμόνων, nocentiſſimam Dęmonem. Chryſippusq; eodem autore de rebus Romanorum, φαῦλα δαιμόνα περινοστεῖν, Errare circum, mala Dæmonia: quibus vti carnificibus, malorumq; vltoribus vtatur Deus. Ex priſcorum igitur Philoſophia, hæc de Dæmonum natura ſcitu digna conſtant: Eos eſſe aerios, vagari, rapi, turbari per omnem mundum, perſequente Deo fugere, peccaſſe, & peccare, ſcelerum luere pœnas, Dei flagellis verberatos, Exitiales, nocentiſſimos eſſe. Ex his item poſſet corrigi ipſe idem Plutarchus, qui non animaduerterit, quæ totis libris ſuis variè tradiderit. Nã in libro de fato, triplex eſſe fati genus dicens, de tertio ſcribit: Tertium inquit, fatum iure dicatur, prouidentia, curaq; Dæmonum, qui circum terras præfecti ſunt cuſtodes, & proſpectores rerum humanarum. Hoc igitur multipliciter eiuſmet autoritate coarguitur. Tum, quòd vbiq; cernitur ire in eam ſententiam, Dæmones eſſe malos, hocque nomen ferè malorum eſſe, & improborum, vt exempla ſuperius docuerunt: Tum ipſa eius clara verba ſunt, quibus hæc refellas. Hos enim Dæmones, quos dicit cuſtodes, cùm ferat circum terras

Dęmones vagãtur p omnia. Matth. 11. 1. Pet. 5.

Titanes, & Titanium nome Dęmoniacũ. Qualis natura dęmonum.

Mali dæmones nõ ſunt hominum cuſtodes.

verſari, conſtat eſſe Dæmones illos vagos, cęloq; cadentes, Deo perſequente terga dantes vbiq; D apud Empedoclem. Eoq; dicuntur in terra verſari. Boni tum in terris verſantur, tum redeunt ad ſuperos, ſuntq; cęleſtes. Iam verò Dæmones hi ſunt, quos ipſe contra Chryſippum negat, vt improbos rerum humanarum datos cuſtodes, hęc dicens τὸ δὲ φαύλους δαίμονας ἐκ προνοίας ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστασίας καθίστασθαι πῶς οὐκ ἐστὶν ἔγκλημα τοῦ θεοῦ. Et quæ ſequuntur. Adhibitos inquit eſſe Dæmones improbos ad eiuſmodi gubernacula, quomodo non eſt Dei calumnia, velut regis, malis, vecordibusq; ſatrapis, & prętoribus credentis prouincias, eosq; permittentis, in optimos neglectos debacchari? Benedictus ſis Plutarche, aurea verba fudiſti. Cùm Dęmones omniũ ferè conſenſu Philoſophorum ſint improbi, rabidi, violenti, irrationabiles, vagi, calumniam Deo facit, qui cenſet eum rebus humanis eos præfeciſſe, in quibus neq; ratio ſit, neq; prouidentia, ſed furor tantum, truculentia, ſitisq; nocendi, vt leonibus, viperis. Vera igitur duntaxat quæ Chryſippus ſenſit eodem autore de rebus Romanorum: ἢ μᾶλλον ὃ λέγουσιν ἔνιοι ῥωμαίων ἀληθές ἐστι, καὶ καθάπερ οἱ περὶ χρύσιππον οἴονται φιλόσοφοι, Et quæ ſequuntur. An potius, inquit, verum eſt, quod quidam Romani ſentiunt, & Chryſippus Philoſophus prodidit, praua Dęmonia circũire, quibus Dij vt publicis carnificibus, aduerſus improbos, impiosq; homines vtantur? Sic lemures, & lares Erinnyci quidam ſint infeſtiq; Dęmones domuum, rerumque geſtarum exploratores. Hæc vera ſentiebat Chryſippus ab anterioribus Philoſophis manantia. Errantes igitur, circumq; euntes illi Dęmones, ſunt illi mali, improbiq; carnifices hominum, noſtris calumniis inuigilãtes, „merito vocati diaboli, ſitientes necem, cladesq;, „tanquam publicorum facinorum vltores. Huiuſmodi traduntur in ſacris litteris, & hæc eorum munera feruntur accuſandorum criminũ, plectendorum malorum, in hoc quidem mundo, multo validius in futuro. Vides quanta Philoſophiæ cũ E litteris ſacris concordia? Nam Chryſippus multis ante Euangelium floruit annis. Tradidit autem Seruator, prodiderunt Apoſtoli toto orbe, perſpicuumq; fecerunt, quod à Philoſophis quidem, à ſæculis ſuperioribus veniens dicebatur, ſed obſcurè, dubiè. Nam ſuper eo dubitat Plutarchus.

Calumniã Deo facit, qui Dęmonas præfectos hominibus eſſe dicit.

Diuinationem, vaticiniaque, & oracula ab halitu terreſtri fieri non potuiſſe. Ariſtotelem, Plutarchum, Ciceronem iſta ſuſpicatos, ſe ipſos declarare, contrarias rationes opponentes. Cap. XXXVI.

ILLVD inſuper quod ab Ariſtotele, Plutarcho, noſtro Cicerone affirmatur, diſquirendum eſt, an diuinatio, quam Dæmones enuntiauerunt, quęq; fuiſſe fertur in Dæmonibus, ex halitu terræ potuerit fieri. Nam Ariſtoteles refugiens fortaſſe Dæmones ſubſtantias ſeparatas confiteri, redditurusque oraculi Apollinis rationem in libro de mundo, perhibet, exhalationes terreſtres, varias efficere affectiones: ὧν τὰ μὲν ἐνθουσιᾶν ποιεῖ τοὺς ἐμπελάζοντας, τὰ δὲ ἀτροφεῖν, τὰ δὲ χρησμῳδεῖν, ὥσπερ τὰ ἐν δελφοῖς καὶ τὰ ἐν λεβαδίᾳ: Quarum aliæ diuinos furores iniiciunt appropinquantibus, aliæ cibi odium, aliæ faciunt vaticinari, vt oraculum Delphicum, & id quod eſt in Lebadia. Hanc Ariſtotelis autoritatem Marcus noſter in Diuinatione ſecutus, Nam terræ vis, inquit, Pythiam Delphis incitabat, paulò antè, Poteſt autem, inquit, vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuiſſe vetuſtate, vt quoſdam exaruiſſe amnes, vt in aliũ curſum contortos, & deflexos videmus. Sed vt vis acciderit, Magna enim quæſtio eſt. Talia Marcus, Plutarchus, cuius tempore, quòd oracula iam toto orbe ſiluiſſent, auditumque ſub Tiberio Cæſare, magnum Pana, quem Dæmonem arbitratur, defunctum, voluit eam afferre rationem, quòd halitus ille terræ, quemadmodum omnia terreſtria, vt fontes, vt metallorum venæ, potuerit deficere, & diuinatio, oraculorumque, præcipuè Delphici, tanta celebritas interpolari: ἡ δὲ γῆ πολλῶν μὲν δυνάμεων πηγὰς ἀνίησιν ἀνθρώποις, τὰς μὲν ἐκστατικὰς, καὶ νοσώδεις, καὶ θανατηφόρους, τὰς δὲ χρηστὰς, καὶ προσηνεῖς, καὶ ὠφελίμους, ὡς δῆλα γίγνονται πεῖρα προσυγχάνουσι, τὸ δὲ μαντικὸν ῥεῦμα, καὶ πνεῦμα, θειότατόν ἐστι, καὶ ὁσιώτατον: Terra, inquit, plurimarum aliarum facultatum fontes hominibus edit. Quarum ſunt aliæ arripientes in exceſſum, aliæ morboſæ, & mortiferæ, aliæ vtiles, & clementes, & iuuantes, vt his qui periculum fecerunt, claret. Fluxus autem diuinatorius, & halitus, ſeu ſpiritus, diuiniſſimus eſt, & ſanctiſſimus. Tum Plutarchus proſequitur: Diuiniſſimus eſt, ait, is ſpiritus, ſiue per aera, ſiue cum humida ſcaturigine feratur. Cõmiſtus enim cum corpore, efficit animis temperiem quandam inſolitam, & inuſitatam, de cuius proprietate clarè pronunciare, perdifficile, coniectari tantum ratio poſſit. Quippe caliditate, & diffuſione poros aperit quoſdam, rerum futurarum imaginatorios: Sicut cùm vinum incaluiſſet, multas alias commotiones facere ſolet, reuelareq; arcana quędam, & latentia. Nam debacchatio, & inſania, plurimum ex diuinatione habet, iuxta Euripidem. Cum animus concalefactus, & igneus abiicit pudorem, quem mortalis prudentia inducens, ſæpenumero auertit, & extinguit diuinationẽ, furoremq; diuinum. Deniq; concludit Plutarchus, haud mirum videri debere, multis è terra exhalationibus ſurgentibus, has ſolas in Delphis animas ad diuinandum diſponere, & ad concipiẽda futura. Atteſtari enim huic rationi, etiam quæ de eo oraculo fama publica ſit. Eam enim vim

Lib. I. Magnũ Pana mortuum Tiberij tẽpore, Plutarc. tradit, ſed quàm verè & Philoſophicè noſtri videãt.

manifeſtam

A manifeſtam cuidam paſtori, qui caſu eò deueniſſet, fuiſſe, deinde vocibus quibuſdam diuinis editis contempſiſſe, qui acceſſiſſent, poſtea euentu probatis, quę is dixiſſet, admirari cœpiſſe. Hæc & id genus multa propoſuit Plutarchus, ſed tam dubius, & varius, quàm varij, qui hęc apud eum diſſerunt. Quorum non alia nobis petenda ex ratione confutatio, quòd apud eum ab alio in contrarium diſſerente, diſſoluuntur. Si vis terreſtris, & exhalatio incitaret, cur non omnes, accedentes, aut ſi non omnes, ſaltem è tot millibus, aliquot, cur ſola virgo Pythia incitabatur? Quam tandem ob cauſam, in omni vita caſtam, & incorruptam eam ſeruarent? Cur non homines robuſtioris, melioriſque ingenij, ea vis arriperet? Et paſtor ille dictus Coretas, non erat cęteris multis paſtoribus, & caprariis diſſimilis, ſi modo id non ſit inane commentum, & fabula, vt ipſe arbitratur. Eam quoq; rationem idem proponit, quòd cùm tot bonorum autor fuerit illud oraculum bello, & vrbibus condendis Græciæ, indignum ſit referre temeritati hanc rationem. Hæc igitur eſt vera, ſicut & ſuperior, & valida ratio. Sicut enim mentem, & intelligentiam ſapientiſſimi quique immortalem dixerunt, quòd a nullo elementorum haberet originem, & quòd operationes eius longe diſtent ab operationibus terreſtribus, & Ariſto. in libris de Generatione animalium, & in libris de Moribus, mentem exterius venire, quoniam non a ſemine naſceretur, & quòd ex operationibus manifeſtis, facultates, & fontes occultos diiudicamus, pronuntiauit, eaſque operationes alterius generis, quàm ipſius compoſiti oſtendit, ſic ex oraculorum operationibus apparet terram tales halitus edere non poſſe. Spiritualis enim eſt omnis diuinatio, & mentalis: halitus autem etſi diſponere animum, & in furorem agere, quemadmodum vinum poſſit, puritatem tamen illam vaticiniorum efficere nūquam. Furor ac dementia, & a ſen-
B ſibus abſtractio fiat ab halitu, & à vino prædictio, quæ non ſolum mens eſt, ſed & humana mente melius, a terreſtri principio excitari, quis ſibi perſuadeat? Rationem igitur ex Ariſtot. ipſo, & Plutarcho claram deduces, ſi volueris Ariſt. refellere. Dicis o Ariſt. in libris illis mentē ſolā diuinā eſſe, ſolā exterius ingredi, ſolā ſeparari, cæteras animas non ſeparari, ſed a ſemine, & ſpiritu terreſtri, qui eſt in ſemine, naſci. Id autem dicis ex operationibus mentis, quas diuinas, alteriuſque omnino generis, quàm aliarum animarum, ſenſitiuæ, vegetatiuæ, cognoſcis, & ſimiles operationibus, quæ fiunt a diuinis, cœleſtibusq; animis, pręcipuè ipſo Deo, quæ dicuntur, ratio, conſilium, ſolertia, multiplex cogitatio. Diuinatio autem non ſolum hæc ipſa eſt, ſed etiam diuinius, & excellentius. A terreſtri igitur vapore non dependet. Neq; enim etſi phrenetici, & melancholici, aut ebrij, & dementes aliquid vnquam inuſitatum dixerunt, protinus aut diuinarunt, videruntq; futura, vt quod minimum eſt, & fortuitum, referas in rationem certam, ac ſtabilem, aut tales etſi ſimiles aliquo modo diuinantes erunt. Nam & Prophetæ a ſenſibus in aduentu numinis abſtrahebantur, cadebantq; penè mortui, tuncq; prophetabant. Et Marcus ipſe Tullius, refert eodem loco vim Naturæ Sibyllam, ſicut vis terræ Pythiam, incitaſſe. Quæ eſt enim hęc vis Naturę? Quæ differentia inter Pythiam, & Sibyllam? Etſi Naturę vis Sibyllam, cur non item Pythiam concitabat? Quid hoc ab illo ſegregat? Igitur ſatis his rationibus erit ad refellendam illā Ariſto. ſententiam, vt Ariſtoteles Ariſtotelem oppugnet, & ex verbis eius eliciatur redargutio. Sic etiam eſt ratio apud Plutarchum in contrarium, apud Ciceronem quoque ita loquentem: Quod tam diuinum, quàm afflatus ex terra mentem ita mouens, vt eam prouidam rerum futurarum efficiat, vt non modò cernat multo antè, ſed etiam numero, verſuque pronuntiet? Eadem ergo
C vaticinij Delphici, ac Sibyllini ratio, vt quam des vni, neceſſariò des, & alteri.

Commentū id certè fuit, & illuſio cacodæmonis.

Indignum fuit referre temeritati oraculum.

De gener. ani. 2. c. 3.

Spiritualis & mētalis eſt diuinatio omnis, nō e terra.

Nō pēdet a terreſtri vapore diuinatio.

Prophetāntes a ſenſibus abſtrahebantur.

1. de Diuinatione.

An oraculum Apollinis à bono, vel malo Dæmone funderetur. Quod à malo, ſignaque eius. Quod ſæpe Deus ſpiritibus, hominibuſque improbis vſus eſt ad prædictionem futurorum.

Cap. XXXVII.

ET quoniam huc deuenimus, de oraculo Apollinis veſtigandum. Nam multa bona bello, paceque autore Plutarcho Græcis attulit: rurſum multa obſtant, quo minus in numero bonorum, ſpiritum illum referas. Leguntur quidem nonnulla, quibus beneuolentiam, æquanimitatem, prouidentiam eius agnoſcas: in contrarium multa deprehendas, partim impoſturam oraculi, partim autorem eius non fuiſſe ſpiritum bonum, teſtantia. Prima igitur ratio, ſpiritum illum in numero bonorum non habendum, ab ipſis Philoſophis exhibetur. Nam cum pudenda, ventremque muliercularum, aut Deum, aut animos diuinos ſubiiſſe, ſentire nefas aſſeuerent, oraculum autem Apollinis ex ventre mulierculæ funderetur, Philoſophorum certe ratione, non erat ſpiritus ille è numero bonorum. Plutarchus igitur: εὐηθὲς γάρ ἐςι, καὶ παιδικὸν κομιδῆ, τὸ οἴεσθαι τὸν θεὸν αὐτὸν, ὥσπερ τοὺς ἐγγαςριμύθους εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ δὲ πύθωνας προσαγορευομένους ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῆς προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι τοῖς ἐκείνων σόμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις καταμιγνὺς ἀνθρωπίναις χρείαις, οὐ φείδεται τῆς σεμνότητος οὐδὲ τηρεῖ τὸ ἀξίωμα, καὶ τὸ μέγεθος αὐτὸ τῆς ἀρετῆς: Stultum enim, inquit, & puerile admodum, putare Deū ipſum, ſicut ventriloqui ſpiritus, qui Euriclei quondā, nunc autem Pythones appellantur, ſubeuntem in corpora Prophetarum, ore ipſorum, & vocibus vt organis vtentem reſpondere. Qui ſi ſeſe miſceret vſibus humanis, non parceret grauitati, neq; ſeruarȩt dignitatem, & magnitudinem

Ab Apollinis oraculo multa bona, & impoſturę nullæ.

Apollo, cacodæmon fuit.

gnitudinem virtutis ſuæ. Hæc verò ex intima Philoſophia locutus eſt Plutarchus. Chryſoſtomus autem de Pythia, vel Apollinis oraculo ſic perhibet, λέγεται τοίνυν αὕτη ἡ πυθία, γυνή τις οὖσα ἐπικαθῆσθαι τῷ τρίποδι, διαιροῦσα τε, εἶθ᾽ οὕτω πνεῦμα πονηρὸν κάτωθεν ἀναδιδόμενον, καὶ διὰ τῶν γεννητικῶν αὐτῆς διαδυόμενον μορίων πληροῦν τὴν γυναῖκα, τῆς μανίας, καὶ ταύτην τὰς τρίχας λύουσαν, λοιπὸν ἐκβακχεύεσθαι τε καὶ ἀφρὸν ἐκ τοῦ στόματος ἀφιέναι, καὶ οὕτως ἐν παροινίᾳ γενομένην τῆς μανίας φθέγγεσθαι ῥήματα. Dicitur, inquit, hæc Pythia fuiſſe fęmina, quæ ſuper Tripode cruribus diuaricatis, malignum ſpiritum inferius emiſſum, parteſq; genitales ſubeuntem, excipiens, furore repleretur, & crinibus paſſis, ſpumanſque ore debaccharetur, funderetq; inſana oracula. Duobus his igitur teſtimoniis collatis, conſtat oraculum Apollinis, quoniam ſpiritus ille fęminę pudenda ventremq; ſubiret, a puro, ſanctoq; ſpiritu, Deo, vel ſpiritibus cęleſtibus non fuiſſe. Eritq; verum, quod idē Plutarchus adiecit, magnis difficultatibus homines liberaſſe, qui Dęmones inter Deum, & homines medios ſtatuiſſent, in quos referrentur ea, quæ neque vires humanas efficere poſſe conſtat, & quę cùm in maiorem quam humanam poteſtatem redigere neceſſe ſit, ſed alia ratio prohibeat, ne referantur in optimum Deum, ſimileſq; eius ſpiritus alios bonos, in eam poteſtatem redigantur, quæ tametſi ſuperet humanam facultatem, res editæ tamen teſtentur eam neq; Deum eſſe, neque mentem puram, diuinamque autoritatem. Signa maioris quàm humanæ poteſtatis, cùm plura cum noſtris illi collegerunt: in primis ipſa fuit diuinatio, præterea faſcinationes, vexationes corporum, ægritudines iniectæ, pluraque alia nemini non nota. Sed ſigna poteſtatis improbæ, quòd cum raro beneficio homines affecerunt, tum verò modus ipſe, ratioq; prophetandi, naturam inquinatam declarauit. Magnis igitur difficultatibus, ait Plutarchus, homines liberarunt, qui medios hominum, atque Deorum, Dæmonum genus interiecerunt, ſiue à Zoroaſtre, Magiſq; fama hæc deſcendat, ſiue ab Orpheo Thrace, vel Aegyptiis, Phrygibuſve, vt licet ex Teletis, & Orgijs, quæ cum lamentis, debacchationibuſq; celebrantur, conijcere. A Philoſophis igitur data ratio, oraculum Apollinis, Dæmonis oraculum fuiſſe, Dæmonis inquam, non Dei, vel ſpiritus, alicuius puri, melioris. Sed quoniam ſparſa per libros Philoſophorum oracula, quibus velut diuinis documentis ſunt eruditi homines, teſtantur ſpiritus eius bonitatem, vt quod eſt in Xenophonte, qui ad bellum cum Cyro, contra Xerxem profecturus, ſciſcitatus eſt oraculum, iretne reuerſurus, reſpondit vtrunque. Et quòd Socratem ſapientiſſimum Gręcorum iudicauit. Et Plutarchus de virtutibus mulierum refert, Chijs, actis prodigijs cæleſtibus, oraculum reſpondiſſe, vt interficerent, qui interfeciſſent Regem Hippoclum: cumq; illi dixiſſent, totam vrbem eum interfeciſſe: Omnes iuſſiſſe oraculum relinquere vrbem, ſi ſceleris cuncti participes fuiſſent, ſicq; non paucos eiectos ex vrbe: Quo quidem apparet ſpiritum docuiſſe expiandi modum, quaſi cędem execratum. Alium autem, qui matrem interfeciſſet, ageretur; pęnis, Hermias autor, oraculum iuſſiſſe, vt aliam terram quęreret: Illum inſulam à flumine emerſam ſibi dari percepiſſe, ibique habitantem pęnis cruciari deſijſſe. Pluraq; ſunt alia, beneficium oraculi præ ſe ferentia. Horum igitur omnium, ſicut à Philoſophis exhibetur oraculi Apollinis demonſtratio, ſic à ſacris literis vera ſolutio. Eſt igitur ſolutio vera, quòd Deus vti bonus, & humanus, cùm homines falſa vaticinia relicto Deo vero, ſuſcitaſſent, ne per ſpiritus quidem aut homines malos dedignatus eſt reſpondere, vſus ad beneficium improbitate malorum. Huius aſſertionis vera ſunt in ſacris literis teſtimonia. Balaam ariolo vno è Magis illis Perſarum à Zoroaſtre (fuit enim Babylonius) qui fœdus cum Dæmonibus malis pacti, eorum auxilio multa facerent, cæteris hominibus prodigioſi, quo vel opes, quemadmodum ipſe Balaam, vel opinionem Diuinitatis ſibi compararent, vſus eſt Deus ad prædictionem bonorum, verorumq; oraculorum. Is enim prædixit, Orietur ſtella ex Iacob. Hunc autem, iubente Moſe, in bello cum cæteris Iſraelitæ interfecerunt, quia nefarius improbuſq; monuerat fornicari Moabitidas cum Iſraelitis, vt læſo numine, caderent in bello. Eſt item teſtimonium in libris Regum, quod ad Pythonem profecto Sauli dicitur Dominus reſpondiſſe per Pythonem, quemadmodum oraculum Apollinis Python erat. Eſt autem Apollo Pythius dictus ab interfecto dracone Pythone. Inde omne per os vaticinium, dictum Python, quaſi Apollineum. Dedit igitur pęnas Saul, cùm ob alia ſcelera, tum quia conſuluerat oraculum, quod ipſe iam dudum Zelo religionis ſuſtulerat vt impium è terra. Et tamen reſpondit ei Dominus per Pythonem, miſſo Angelo ſub perſona Samuelis. Item eſt teſtimonium in Ezechiele dicente Deo, Si adieris ad falſos Prophetas, ego tibi reſpondebo per illos. Dicendum igitur prædictionem futurorum, non per bonos duntaxat extitiſſe, quemadmodum nec miracula. Nec contra rationem eſſe, vt vſus homine, vel Dæmone malo Deus, agat vel loquatur bona. Nā Chaiphas, qui in necem Domini conſenſiſſet, prophetauit: pluresq; homines mali prophetauerunt etiam bona, vtilia. Autor inſuper Plutarchus cum alijs, Erythræam Sibyllam oraculo Apollinis præfuiſſe. Ea tamen vſus eſt Deus ad prædictionem rerum futurarum, non earum modò, quæ a Romanis toto terrarum orbe gerendæ eſſent, ſed etiam, quæ Chriſtus facturus, ſuprema quoq; ſæcula oraculis complexa. Et ipſe Seruator teſtatus eſt, non admiſſurum ſe eos in regnum cęlorum, qui dicant, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, Dæmonia eiecimus? Quid? quòd exibant Dæmonia clamantia, Tu es filius Dei. Veritatem ſcilicet clamantia. Vt autem Balaam qui aliquando bona prædixiſſet, ſceleſtus fuit aliàs, & improbus, ſic oraculum Apollinis, etſi ſę

pe bona

D

Apollinis Pythia.

Modus vaticinandi Apollinis Pythię, naturā inquinatam declarauit.

E

Oraculum Xenophōti redditum.

Aliud oraculū Chijs redditum.

Oraculum aliud Hermiæ redditum.

Deus, cur per malos ſpirit⁹ oracula edi p̄miſerit.

Balaam vaticinatus.

Nume. 24.

Pytho, Saulis.

Apollo Pythius.

1. Reg. 28.

Ezech. 13.

Vaticinia non per bonos tantū, ſed, & malos edita.

Ioan. 18.

Sibyllę Erythrææ prædictiones.

Matt. 7.

Balaam bona p̄dixit, & tā ſceleſtus.

Ape bona conſuluit, multas tamen vbique fraudes, ambages item, & indignas ſpiritibus bonis voces apud ſcriptores deprehendas, quas vt notas prætereo.

Dæmones nunquam in conſortio beatorum fuiſſe, non ex cæleſtibus gaudijs, quæ poſſiderent, ſed poſſeſſuri eſſent, ſi rectè operarent, cecidiſſe. Peccatum eorum fuiſſe ſuperbiam, inuidiamque. Cap. XXXVIII.

ET ſi libris hiſce profanam Philoſophiam pertractamus, comprobantes, vbi fieri poſſit, eam Philoſophiæ cœleſti conformem, tamen, vt ſit perfecta de Dæmonibus inquiſitio, duæ ſuperſunt examinatæ ſententiæ: Prior, an aliquando fuerint in cœlo, beato ac ſacroſancto diuinorum ſpirituum regno, glorioſi, felices, vnde propter ſcelus immane deturbati. Tum quod ſcelus tantum, flagitiumque eorum extiterit, vt hoc decus amittere, damnari pœnis æternis meruerint. Nam ſuper vtroque variare ſententias apud Theologos inuenies. Fuerunt igitur probatiſſimi Theologi, in quibus & Auguſtinus eſſe videtur, qui cenſerent nunquam Dæmonas in cœlo fuiſſe, nunquam gloriam Dei vidiſſe, ſed ancipites, ſuæque poteſtatis quales homines iam creatos, non amiſiſſe, quod iam poſſiderent. Quemadmodum non amittunt homines pręmia cęleſtia, iam adepti, ſed quæ adepturi erant, ſi piè iuſteq; vixiſſent. Atq; Dæmones nō in cęlo, regione beata, fuiſſe creatos. Nam ſi ibi fuiſſent, aliquando, tum illuc ob aliqua merita perueniſſent, tum nunquam inde repulſi fuiſſent, quia nec in loco perfectionis, perfectæq; beatitudinis peccare potuiſſent, nec fuiſſent illic, quorum mens aliquando mutari contra autorem ſuum potuiſſet, quiq; nondum mundi, perfecti, ſapientesque haberi potuiſſent, tantisq; præmiis digni propter futura peccata debuiſſent. Hanc igitur ſententiam qui ſecuti fuerint, magnis incommodis liberabuntur, non aſſentiente ratione (& qui id cogitat turbatur) peccaſſe, qui viſione Dei in cœlo, quæ ſapientiſſimos eos redderet, fruerentur: Peccaſſe tam turpiter, nefarieq; eos, quos illa viſio diuina omni ſapientia, beatitudine perenniter imbutos, immutabiliter in ſe raperet, nequid aliud deſiderare poſſent. Eſt igitur ſententia vera, nunquam dulcedinem viſionis diuinæ Dęmones guſtaſſe, ſed creatos infra cęlum, & in hoc mundo, videlicet aere, & ſui arbitrij libertate abuſos, peccaſſe. Quid autem peccauerint cùm adhuc ancipites eſſent, & ad bona, & ad mala poſſent, quemadmodum ſpiritus humani, declinare, inferius declarabitur. Nunc ea ſententia verior habeatur, qua dicuntur in concilio, cętuque beatorum nunquam fuiſſe, ſed in hoc mundo creatos, ſicut homines, liberum arbitrium peccandi, & non peccandi habuiſſe, indignos adhuc commercio beatorum. In qua ſententia cùm Auguſtinus referat fuiſſe Theologos quoſdam ſuperiores, eandem videtur ipſe comprobare. Aitq; ſuper Geneſim: Quidam enim noſtri non putant eos cæleſtes, aut ſupercęleſtes Angelos fuiſſe. Non mirum, ſi poſt peccatum in hac caligine retruſi ſunt. Rurſum: Quidam enim ſenſerunt non fuiſſe Diabolum in illa ſublimi natura Angelorum, quæ ſupercęleſtis eſt, ſed eorum qui inferius in mundo facti ſunt. Hæc Auguſtinus. Qui tametſi inferius videatur aſſerere, non poſſe ex ſcripturis demonſtrari duo Angelorum genera, alterum ſupercęleſte, alterum mundanum, tamen nec ipſi diceremus duo genera, ſed etiam ſupernos Angelos aliquando fuiſſe probatos, & admiſſos in cęlum, quos aliqua pietas eò ſublimaſſet. Cæteri quoq; Theologi conſentiunt ipſum Auguſtinum in ea ſententia permanſiſſe, nunquam Dæmones gaudiis cæleſtibus interfuiſſe. E quibus Theodorus Theologus Latinus vnus antiquorum, poſt Auguſtinum, Theologorum, ingenio, & eloquentia mirus, ambages has, & quæſtionum ſinus exoluens, dignus quem non oſcitanter omnes audiant, ſcribit. Quis enim, inquit, credidit Diabolum in beatitudine Paradiſi fuiſſe? qui mox vt conditus, lapſus eſt, dicente Domino in Euangelio, Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Auguſtino quippe aſſerente, nunquam Diabolus in veritate ſtetit, nunquā cum Angelis beatam vitam duxit, ſed ab ipſo ſuæ conditionis initio cedit. Factus enim, continuò ſe à luce veritatis auertit, ſuperbia tumidus, & propriæ poſtetatis delectatione corruptus: Vnde beatę, neque Angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit, quia non vtiq; acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit. Proinde nec ſui caſus præſcius eſſe potuit: quoniam ſapientia pietatis eſt fructus. Ille autem continuò impius, conſequenter & mente cæcus, non ex eo quod acceperat, cecidit, ſed ex eo quod acciperet, ſi ſubdi Deo voluiſſet. Quod profectò, quia noluit, & ab eo, quod accepturus erat, cecidit, & poteſtatem illius, ſub quo eſſe noluit, non euaſit, factusque eſt in illo pondere meritorum, vt nec iuſtitiæ poſſit lumine delectari, nec ab eius ſententia liberari. Hæc ſcribit Theodorus. Duæ ſunt igitur rationes eius, cur Dæmones non amiſerint, quod haberent, nec ex beatitudine ceciderint, quam nondum fuiſſent aſſecuti, quòd ſapientia, aut dulcedo vitæ cæleſtis, pietatis eſt fructus, eſt præmium probatorum, præmium ſempiternum, pręmium quod nunquam amitti poteſt: non eorum, qui peccare poſſint: non quorum mens adhuc in ſcelus anceps, ſed firmiſſimorum, ſtabilium, quos virtus probatos confirmaſſet. Omnes igitur Angelos Deus arbitrio ſuo creatos, quemadmodum primos homines, reliquit, qui ſubdi Deo voluiſſent, qui cœleſtia præmia propoſita magni æſtimaſſent, in numerum ſuorum collocauit, qui ſecus, excluſit, in aerem detruſit. Secunda ratio, quòd Dæmon conti-

An dęmones aliqñ beati fuerint, & qđ tantum flagitiũ admiſerĩt, vt dãnari meruerint.

Cęleſtia p̃mia non amittunt iã adepti.

Dæmonas nunquã guſtaſſe dulcedinẽ viſionis diuinæ.

Ioan.8.

Diabolus initio cecidit, & nunquam beatam vitam cum angelis duxit.

Sapientia, pietatis fructus.

nuo

Non ſpatium fuit a creatione dęmonis ad peccatum.

Ioan. 8.

Tres ſentētię cur dęmones peccarint.

Dæmones creatori rebelles.

Eſaiæ 14.

Regis Aſſyriorū ſuperbia.

Dæmō inuidit homini.

Inuidia quid.

Dæmō homicida ab initio.

Vnus ſerpens tentauit primos parentes.

Dæmones cur dānati & quō.

* Virgil. 2. Aeneid. de Sinone loquens.

Opinio erronea de Angelis amore mulierum captis.

nuo creatus, ſicut homo, peccauit, nec ſpatium fuit à creatione ad peccatum, vt aliquandiu triūphis cęleſtibus, quæ paulò pòſt amitteret interfuerit. Probant igitur iidem Theologi ex Euangelio, Diabolum ab initio creationis ſuæ homicidam fuiſſe, nimirum contra hominem peccaſſe. Continuò igitur creatus, peccauit. Quid autem Dęmones peccauerint, tres ſunt ſententiæ, non quidem inuicem ſibi contradicentes, ſed quæ ferme poſſint omnes eſſe veræ. Quòd Deo ſubdi noluerint, rebelleſque extiterint. Quòd homini creato, quem regere debuiſſent, inuiderint. Quòd vti minores Dij, & mundo regendo præfecti, in concupiſcentiam fęminarum exarſerint. Communis quidem multorum Theologorum ſententia, rebelles eos creatori fuiſſe, ſiue, quòd maieſtatem eius affectauerint, ſiue quòd non eum vti meritus eſt, coluerint, mandatiſque eius obſecuti fuerint. Hanc ſententiam maximè comprobantes ex dictis Eſaiæ, Ponam ſedem meam in Aquilone, & ero ſimilis altiſſimo, Lucifer qui mane oriebaris. Qui quidem locus apertè non eſt de Dæmone, ſed rege Aſſyriorum, qui habitat ad Aquilonem, qui ſe ſimilem altiſſimo, & ſyderi matutino gloriabatur. Sed ego quidem à ſummis Theologis non diſſentio, cum quibus eſt Gregorius Nazanzenus, Auguſtinus, aliaq; numina. Secundam ſententiam, quòd homini inuiderint, & hoc eorum fuiſſe peccatum, Græci complures ſecuti ſunt, Athenagoras, Petrus Alexandræus, Auguſtinus quoque noſter, qui ſuper Geneſim perhibet: Dicitur enim cecidiſſe, quia inuidit homini facto ad imaginem Dei: Sed inuidia ſequitur ſuperbiam. Inuidentia enim cauſa eſt ſuperbiæ, qui eſt amor propriæ excellentiæ. Inuidia enim eſt odium felicitatis alienæ. Qui enim amat excellentiam, vel paribus inuidet, qui æquantur, vel ſuperioribus quibus non æquatur, vel inferioribus, ne æquentur. Hæc Auguſtinus. Superius quoque dicebat Theodorus ex Euangelio, Dæmonem ſimul creatum peccaſſe, quoniam fuit ab initio ſuæ creationis homicida. Plures Theologorum hoc ipſum aſſeruerunt. Hanc ſententiam ſequitur hoc incommodum, quòd maxima quædam Dæmonum multitudo dicitur peccaſſe, & cecidiſse, at hominem duntaxat vnus appetiuit, decepit, impulit in fraudem. Si nihil igitur aliud Dæmones peccaſſent, quàm quòd primos parentes decepiſsent, vnus duntaxat damnatus, non quanta fertur multitudo fuiſset. Vnus, vt par eſt, tentauit, & fefellit. Solus igitur is cecidit, ſolus in aulam Dei non peruenit. Neque enim perhibet ſcriptura, velut quendam exercitum, atque agmine facto, Dæmones aggreſsos primos parentes. Vnus enim vni ſufficere potuiſset. Et vnus ſerpens dicitur tentaſſe. Quare priuſquam Dæmon hominem tentaſſet, videtur aliquod per totam eorum gentem, qui damnati fuerunt, flagitium perambulaſse, quo quidem admiſſo, cùm meliores, qui conſentire noluiſſent, iam prouecti fuiſſent, qui Cherubini dicuntur in ipſo Geneſis exordio, nequiores in aere caliginoſo cum ſui ſceleris macula, & amiſſæ felicitatis dolore remanſiſſe, & eo percitos dolore ne primus homo, quem glorificandum ſentiebant, felicitatis, & immortalitatis culmen aſcenderet, in eādem damnationem protraxiſſe, miſſo è ſuis vno, quo non præſtantior alter, * ſeu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti. Sed hæc cùm ſint obſcura, nec ſcriptura commemorauerit, longa diligentia inquiri non debent. Hoc tantum ſcimus, Dæmones fuiſse damnatos, quia mali. ſcimus primis eos parentibus inuidiſſe. Num ſcelus aliud antea, puta ſuperbiæ, vel aliud hoībus incognitum flagitiū patraſsent, ſcripturarū certè teſtimonio non eſt clarum, rōne duntaxat ſit manifeſtum, nec Deum creaturas ſuas malas, prauaſq; feciſſe, nec qui damnati fuerunt, iniuſtè damnari potuiſse. Videtur autem probabile, quoniam regnum cęlorum, viſioq; diuinæ claritatis eſt inenarrabile præmiū, ad quod ſine virtutis, & perfectę pietatis probatione nefas ſit attingere: ſic Angelos omnes ſubitò creatos, fuiſſe probatos a Deo, ſicut mox homo creatus fuit probatus. Et ſicut homo probatus, & conſtans, diuiniſque mandatis obſequens, immortalitatis honore decoratus fuiſſet, ad ęternos triumphos admiſſus, & cōfirmatus, qui prius anceps eſſet ad vitam & mortem, ſic Angelos, qui prius eſſent ancipites, nec adhuc diuinis honoribus glorificati, nec ignominia damnationis affecti, aliqua nobis incognita ratione fuiſſe probatos, aliquid præcipiente Deo, quo probare pietatem, beneuolentiamq; eorum voluiſſet, oſtenſo pietatis fructu, quem daturus eſset, ſuis præceptis obſecutis. Qui igitur, vt Auguſtinus ait, præmia illa faſtidiſſent, contempſiſsent, quemadmodum contemnunt homines hodie, regnum cęlorum, diuinis illis præceptis parere negligentes, arrogantes, ſuperbi, diuinorum mandatorum, & vitæ beatæ, quam promiſiſſet Deus, contemptores, meritò non peruenerunt in cælum, & diuino fauore deſtituti, peiores quàm fuiſſent deinceps extiterunt. Hoc igitur etiam dicebat ſuperius Theodorus. Vitæ dulcedinem non guſtauit, quia non vtique acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit. Nihil quidem Auguſtinus de hac vniuerſali cunctorum probatione meminit, ſed minores illos Angelos, nempe Dæmones ait arbitrium bene, & male agendi habere potuiſſe. Tales enim, inquit, poſset aliquid illicitum delectare, quam delectationem, ſi peccare noluiſſent, libero arbitrio cohibuiſſent: Hoc Auguſtinus dicens, videtur eorum proponere ſententiam, quæ tertia eſt, qui putant Dæmones gubernaculis hominum datos, in fęminas exarſiſſe, quam nec ipſe, nec quiſquam bonorum Theologorum probauerit. Si quis igitur eſt, cui non placeat, fuiſſe cunctos Angelos probatos, nec ego cogam eos aſſentiri, nec aſſentiar ipſe pertinaciter, vbique probabiliora ſecutus. Sicut autem Moſes nihil de creatione ſcripſit Angelorum, ſic nec de probatione, glorificatione bonorum, damnatione malorum, quòd propoſuiſſet

mundo

A mundo noſtro,& homine creato,probato,coronãdo,ſi fortiter egiſſet, ſcribere. Tertia igitur fuit ſententia de caſu Angelorum,ꝙ fęminas appetiuiſſent,de qua dictum ſuperius. Oſtenſumq́; filios Dei non ſemper eſſe in ſacris litteris Angelos,ſed ſæpe probos,pios: meros autẽ homines appellari,quibus humana tantum,fragilia, tranſeuntia placeant, quæ ob immoderatos amores diuinis pręferunt. Tales illo ſæculo. Sentit autẽ Auguſtinus cum cęteris ſacris,& profanis ſcriptoribus, Dæmones eſſe genus aerium,tum propter aerium corpus, quo veſtiuntur,dolorum, vulnerumq́; capace,tum propter aerias,quas incolunt,vt conſtanter affirmabant ſuperius omnes,ſedes.

Nomine filiorum Dei, pios homines intelligi. Cur dæmones genus aerium.

De Dæmonibus è cœlo ruentibus, priſcos quædam cognouiſſe, & prodidiſſe, Pherecidem, Empedoclem, Homerum, Plutarchum ruinam hanc deſignaſſe. Cap. XXXIX.

DVO quoque memorabilia ſunt apud priſcos gentium Poetas de Dęmonilus: vt mirum ſit, vnde ad eos hæc fama manauerit: De ſuperis illato ab eis bello, quo fertur a noſtris Michael eos ſuperaſſe: tum eorum è cœlo ruina. Nam caſus è cœlo, ſiue quòd ſummo Deo rebelles extiterint, ſiue quòd aliud ſcelus patrarint, puta inuidiæ, cùm primum hominem in fraudem impuliſſet, mirantur ab illis. Pherecideſque fertur de hac ruina ſcripſiſſe. Vetuſtiſſimus autem Empedocles vocat eos οὐρανοπετεῖς, cœlo ruentes. Homerus autem quæ de Ate, quæ Satanas eſt, a Ioue deturbata è cœlo, cecinit, creditur a Theologis B ex priſca fama Dæmonum caſum in his myſticè ſenſiſſe:

Αὐτίκα δ᾽ εἷλεν ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλακάμοιο
Χωόμενος φρεσὶν ᾗσιν, καὶ ὤμμοσε καρτερὸν ὅρκον
Μήποτ᾽ ἐς Οὔλυμπόν τε, καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα.
Αὖτις ἐλεύσεσθαι ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται,

Quæ durè quanquam, ſic Latinè ſonant:

Extemplo apprehendit Aten, de crine comanti,
Atque animis iratus, formidabile iurat
Sidereum cœlum, ſummiq́ue cacumen olympi,
Admittetur Ate non vltrà, noxia cunctis.

Sentiunt igitur noſtri, de Satana deiecto cęlitus Homerum ſcripſiſſe. Bella quoque, quæ feruntur a noſtris inter eos & Angelos geſta, videntur ab eis audita, cùm Plutarchus alijq́ue ſcribant, Typhonem, Giganteſque Dæmones eſſe malos, qui bellum ſuperis intuliſſent.

De caſu dæmonũ, paganorum ſententia. Ate Homerica, eſt Satanas. Homerus.

Typhones & Gigantes, mali dæmones.

De Genijs, ſiue Angelis, ſingulo cuique cuſtodibus datis, inter eos & noſtros miros conſenſus. Teſtes horum Menander, Empedocles, Plutarchus, Arianus. Cap. XL.

FVIT item de Dæmonibus, ſiue Geniis fama priſca quædam cum ſacris litteris ex parte non abhorrens, Vnumquenque vitam ingreſſum, continuò Genios, alterum propitium, alterum aduerſum comitari. Vetuſtiſſima, vt dixi, opinio, Plutarchuſq́; C refert Menandrium dixiſſe. ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ εὐθὺς γενομένῳ μυστάγωγος τοῦ βίου ἀγαθός: Omni homini Dæmon, ſiue Genius ſtatim aſſiſtit nato, ductor vitæ bonus. Empedocles quoque eodem autore, διτταί τινες ἡμῶν ἕκαστον παραλαμβάνουσι καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες ἐνθεία, χθονίητε: Duplices quæcunque natũ excipiunt, ducuntq́; ſortes,& Dęmones,diuina,terreſtriſque. Et quod ait idem Plutarchus, Dęmonem,ſiue Genium Antonij timere ſolitum Genium Auguſti. Arianus quoque ſuper Epictetum καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάττειν αὐτὸν αὐτῷ καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαράγωγον: Et cuſtodem adhibuit vnicuique proprium Dæmonem,& tradidit ei cuſtodiẽdum, cuſtodem peruigilem & incorruptum. Noſtri quoque magno hæc aſſenſu comprobantes, quos Philoſophi Dęmonas Angelos ipſi vocantes. E quibus Baſilius contra Eunomium: Angeli,inquit,ſinguli,quemadmodum eandem nuncupationem, ſic eandem naturam ſortiti ſunt. Veruntamẽ eorum alij nationibus præſunt: οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν, Alij ſingulo cuique piorum. Et quanto eſt vniuerſitas ipſa mundi,vno particulari homine præſtantior, tanto neceſſe eſt ſit dignitas maior eius Angeli,qui nationi præeſt, quàm eius cui ſingulus quiſque eſt creditus. Chryſoſtomus quoque ſimilia ſentit, τὸ δὲ συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, Adeſſe verò, inquit, vnicuique fidelium Angelum, ceu pedagogum quendam, & paſtorem, qui regat vitam, Nemo contradicet, reſpiciens ea quæ ſeruator dixit: Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Ex his igitur conſtat,quòd Plato quoque perhibuit,famam hanc Angelorum, ſiue Dæmonum datorum ad cuſtodiam, vetuſtiſſimam eſſe. Tantùm diſſentiunt noſtri, & illi, quòd Angelos dicent,quos illi Dæmones: diſcrimen leuis momenti, ſi quis documenta Philonis meminerit, Dęmonas Philoſophorum Angelos eſſe Moſis, Prophetarumq́ue. In illo verò, apertè diſſentient, quòd non, quemadmodum ſit datus vnicuique paſtor,pedagoguſque,ſic datus ſit aduerſarius,deprauator.

Duo Genij cuique hominũ dati.

Genius Augusti, alacrior Antonij genio. Genius, cuſtos hominis.

Angelus nationi ꝑfectus.

Matth. 18. Vetuſtiſſima fama de cuſtodibus hominum Angelis.

Tentant quidem Dæmones, & vnuſquiſque tentatur: ſed non eſt ordo dati cuique aduerſarij, D quemadmodum adhibiti paſtoris. Dicendum igitur datum ſingulo cuique paſtorem, ducem, non datum maleficum pari ſorte. Hoſtis eſt hominibus generatim malus ille. Seruius ergo Virgilij interpres ſuper eo carmine,

Aeneid. 9. *Niſus ait, Dij ne hunc ardorem mentibus addunt*
Euriale, an ſua cuique Deus fit dira cupido?

ſcribit, Apud Plotinum Philoſophum, & alios quæritur, vtrum mentis noſtræ acies per ſe ad cupiditates & conſilia moueatur, an impulſu alicuius numinis. An impulſu alicuius numinis moueamur. Et primo dixerunt mentes humanas moueri ſua ſponte. Deprehenderunt tamen ad omnia honeſta impelli nos Genio, & Numine quodam familiari, quod nobis naſcentibus datur, praua verò mente nos noſtra, cupere & deſiderare. Neque enim fieri poteſt, vt praua, numinum voluptate capiamus. Quibus nihil malum, conſtat placere. Ex his & aliis multis perſpicuum fit tum ſententiam de Geniis, vel Angelis datis veram eſſe, & priſcam, tum non omnes ex illis pari ſorte, ſimilique ordine datos malos ęquè vt bonos aſſeruiſſe, vt vndequaque cum litteris cœleſtibus conueniant.

Calcidij de Dæmonibus ſententiæ, Dæmones ætherios, quibus ſerena, puraue corpora tribuat idem, potius Angelos appellandos. Definitio Dæmonis iuxta eundem. *Cap.* XLI. E

QVAE verò Calcidius de Dæmonibus, ſuper Timæo Platonis ſcripſit, non prius mihi probanda quam calculis ponderata, riteque diſcuſſa videntur. Primum multa Dæmonum genera quoſdam Platonicos ſecutus proponit, ętherium, aerium, terreſtre: Generis ętherij compagem (nam cunctis quædã corpuſcula concedit) ex ętheris & aeris ſerenitate conſtituens, hac definitione concludit. Dæmon quid Calcidio. Dæmon eſt animal rationale, immortale, patibile, ętherium, diligentiam hominibus impertiens. Hac aſſignata definitione, non abſcondit, quam ob cauſam dixerit eos ętherios: nimirum ex loco, & qualitate corporis, in definitione ſuppreſſum, num ex loco, an corpore nomen eis ętheriorum dediſſet. Declarat autem corporis compagem non diſſoluendam propter ętheris, aeriſque tenuiſſimum, defęcatiſſimumque liquorem: Tum non conſpicuum, neque tactui renitentem, quoniam non adſit tantum ignis, neque tantum terræ. Dæmones aerij & terreſtres. Hæc igitur omnia dixit de Dæmonibus ętheriis, eadem de aeriis, niſi quòd hi maneant in aere. Terreſtres autem viles vltores, & carnifices fatetur. Hęc igitur id habent veri, quòd quos dixit ętherios, non ſunt Dæmones, ſed Angeli, rectiuſque mea ſententia Calcidius, cui fuit notum nomen Angelorum (videtur enim fuiſſe Chriſtianus) has nomenclationes non confudiſſet. Excluſis igitor Angelis, nulli ſunt Dæmones ętherij. Si placet ętherios Angelos eſſe, tum definitio vera fortaſſe fuerit, eos habere corpora puriſſima, ętheria, leuiſſima, volucria, plagis non obnoxia, non mortalia, non caduca, procurationis humanæ ſtudioſos, peruigiles cuſtodes, corporibus cœleſtibus veſtitos. Dabiturque eis ętheriorum nomen, quòd & corporibus ętheriis veſtiantur, & quòd ſedes ętherias obtineant: veritas autem Veri dæmones qui. dilucida, claraque erit, euitabiturque omnis confuſio, ſi Dæmones vero nomine, ſoliſque ipſis congruente dicentur aerij, quibus omnis antiquitas, & corpora, & ſitus aerios conceſſit. Soli F quoque Dæmones, iuxta definitionem Platonis, ętherios, non Dæmones, ſed Deos vocitantis, Dæmones inuidi, & truces. aerium genus Dæmonas expreſsè vocantis. Tunc etiam definitio non diſſonabit, eos eſſe animantia patibilia, rationalia, immortalia, aeria, non prouidentes, ſed inuidentes hominibus, truces hoſtes: congruetque item ſimilis definitio terreſtribus & vltoribus eiuſdem cum aeriis generis, & conditionis. Quapropter mihi quidem placent ętheriæ veſtes, leuiſſima, tenuia, puriſſima corpora, quæ nobis oſtendit Calcidius, Angelorum. Placebit item ſimiles, ſed non tam diuinas, & ſacras, aerios Dæmonas habere veſtes, corpora ſub oculis non cadentia. Miſtio verò nominum, cùm clarè Philoſophi poſteriores, Dæmones ab Angelis ſeiunxerint, præcipuè qui malos a bonis ſegregauerint, non placebit, cùm verum, germanum, legitimumque ętheriorum nomen, ſit Angelorum: Dęmonum autem, quibus ſub ęthere: nec ſitus tam ſanctos, puroſque, nec glorioſa, diuinaque corpora datum eſt poſſidere.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sanctì Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER NONVS.

De Creatione hominis, & immortalitate animorum.

Quòd omnes conſenſerunt hominem a Deo creatum: animos venire diuinitus: & quomodo fuit hæc fama manans a priſcis, temporum longinquitate apud nonnullos denigrata. Cap. I.

B DISSERENDVM hoc libro de Creatione hominis, & animorum Immortalitate, cuius cùm varias Philoſophi rationes attuliſſent, illæ certè potiores, verioresq; ſemper fuerunt, quæ ab antiquiſſimis ſæculis vſque ab exordio generis humani deſcendentes, apud Platonem clariores, Ariſtotelem autem, cæteroſq́; Philoſophos, occultiores extiterũt. Has qui viderit ſapientiæ cęleſti tantopere concordes, cognoſcet a magno quodam, diuinoq́; principio profectas, eademq́, ratione perueniſſe ad homines famam immortalitatis animorum, qua creati mundi, & vnius ſempiternæ Diuinitatis ſcientiam. Eas ego ſæpenumero mecum cum Theologia vera tantopere congruere admiratus, perſuaſi mihi, nulla vnquã ſæcula, præcipuè vetuſtiora, caruiſſe ea, quę nouiſſimis ſæculis in omni mundo claruit, ſapientia. Adueniſſeq́; de cęlo prolẽ diuinam, vt quæ foret occultior, fędata mendaciis, & temporum denigrata caligine, ſapientia, clareſceret, qua nobis initiatis, deletaq́; ſuo ſanguine iniquitate noſtra, nos, quod omnes ſperarunt olim, in cęlũ reuocaret. Nec fieri potuit, quin reuelatũ aut diuinitus eſſet, aut a primis C hominibus per ſucceſſionem traderetur, quod tam conſtanter ab omnibus Philoſophis eſt creditũ, & aſſertum, datos nobis animos a Deo, ex eius Diuinitate decerptos, habere nos cum eo ſimilitudinem, inde fieri vt immortales ſimus, longe quàm res corporeæ, ratione creati. Illa quoque vetuſtiſſima fama, ꝙ ſint virtuti, & ſceleri præmia poſt mortem, cùm mirificè reſpondeat reuelatæ cęlitus ſapientiæ, ſimilem quandã originem, fontemq́; ex quo fluxerit, autorem a quo manarit, habuiſſe neceſſe eſt. Ac quoniam in ſeipſa tota implicata, comprehenſaq́; Theologia reuoluitur, vt ſit narrationis perfectus ordo, repetentur nonnunquam, quæ ſuperioribus libris dicebantur. Primum igitur quod de animis traditum, celebreq́; apud omnes gentes, Chaldæos, Aegyptios, Hebræos, Græcoſq́; ſemper fuit, erat eos eſſe diuinos, id eſt, ſocietatem, communicationemq́ue habere cũ Deo, a ſedibus ęthereis lapſos, ab ipſo Deo creatos, veniſſe in corpora. Nam cùm eorũ ortũ in terra reperiri poſſe negarent, nec a quibus terrenis, corporeiſq́; regionibus accederent in corpora, poſſet intelligi, neceſſariò diuinis a ſedibus non lapſum, ac ruinã, vt plerique poſtea perperam ſuſpicati ſunt, ſed ortum, ac originem innuentes, venire prædicauerunt. Cùm autem mortales omnes, Ariſtotele autore, ſedem ſummi Dei cęlum arbitrarentur, animos quos a Deo creari, & in corpora demitti dixerunt, ſenſerunt diuinam ac cęleſtem, nõ terreſtrem originem habuiſſe.

Fama immortalitatis animorum.

Chriſtus ſeruator ſapientiam, ſuperiorũ temporum caligine obſcuratam, peneq; omnino deletam reſtituit.

Animi humani a Deo creati, & cur eos de cœlo lapſus in corpora creditum eſt.

D

Sed qui Paradiſum illum Moſaicum, quem Chaldæi, Aegyptij, totusq; Oriens, tum in libris Moſis legerunt, tum per ſucceſſionem naſcentis ab origine mundi doctrinæ, audierunt, ſuſpicati ſunt fuiſſe cęlum, ſedemq; diuinam: Adam, quem inde fugatum audiſſent, animam è cœlo in terram proiectam, corporique incluſam crediderunt, ad pendendas quorundam ſcelerum pœnas. Eoque ferebāt corpus dictum σῶμα σῆμα, id eſt, ſepulchrum animi: & fama antiqua peruenerat ad eos, ob magna quædam peccata, viuere homines in corpore, cuius meminit etiam Plato. Ecce idem prauus ſenſus ex libris Moſis, qui omnium antiquiſſimus, lectus ab omnibus fermè, inoleuit apud eos de terra inani, & vacua, quæ cùm cęlum, formaſque rerum, omnemque ab infinito tempore creationem anteceſſiſſet, Deus acceptam, in ordinem ſpecieſque rerum prius incompoſitam redegerit. Sunt alia multa, quæ ſi prudens paulum deuiantia in ſuum locum reſtituerit, verumque & vetuſtiſſimum ſenſum aſſignarit videbit noſtra eſſe, deterſaque ſcabie, quam vel vetuſtas, vel prauus ſenſus intuliſſet, ab integris germaniſque fluxiſſe noſſet. Nam cùm omnis antiquitas cōfeſſa ſit a Deo genus humanum habuiſſe principium, qui corpus, & animum, totiuſque corporis opificium crearit, profectò declaratur eo, & Theologia Moſis, ſimilem quandam a priſcis ſæculis deſcendentem, ſparſamque per omnes terras ſapientiam, celebrem ſemper fuiſſe, firmaſque in ſenſibus humanis radices egiſſe, cunctis originem, ortumque ſuum Deo acceptum referentibus, quo & creatio mundi, omnium confeſſione demonſtratur, & prouidentia.

Adam de cœlo fugatus.

σῶμα quaſi σῆμα.

Vetuſtiſſimus ſcripturarum ſenſus verior.

E

Vt Pythagoras, & Archytas conſentiant hominem a Deo creatum, eique ſuper omnes animantes imperium datum. Et quòd hæc fuit etiam totius ſcholæ ſententia. Cap. II.

HOMINEM igitur a Deo magnis dotibus inſignem, omnium animalium principem conditum, quod prodidit Moſes, Archytas Tarentinus, qui præcipuus è Pythagoreis fuit, pro tota familia Pythagoreorū, diuinis verbis teſtatur: quæ etſi prolixiora ſunt, vt tamen, & mirabilem conſenſum, & vnam ſemper fuiſſe religionem intelligamus, proponam: Iamblicho autore, de ſecta Pythagoreorum: ἄνθρωπος πάντων ζώων, ἐςὶ πολλὺ γέγονε σοφώτατος, θεωρῆσαί τε γὰρ δυνατός ἐςι, τὰ ἐόντα. καὶ ἐπιςάμαν, καὶ φρόνασιν, λάβεν ἐκ τῶν ἁπάντων, παρὸ καὶ ἐνεχάραξε, καὶ ἐπεσημήνατο τὸ θεῖον αὐτῷ, τὸ τῶ παντὸς λόγω σύςημα ἐν ᾧ τά τε εἴδεα πάντα τῶ ἐόντος ἐνδέδεσαι, καὶ ταῖς σημασίαις τε τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων, τοῖς μὲν γὰρ φθόγγοις τὰς φωνὰς τόπος ἀφώρισαι φάρυγξ καὶ ςόμοι, καὶ ῥῖνες, ὥσπερ δὲ τῶν φθόγγων, δι' ὧν, τὰ ὀνόματά τε, καὶ ῥήματα, τυπούμενα σημαίνεται γέγονεν ἄνθρωπος ὄργανον, οὕτω δὲ καὶ τῶν νοημάτων, ἐν τοῖς ἐόντεσσι ὀπτιζομένοις ἔργον σοφίας: τοῦτο δοκεῖ μοι ἦμεν πόθ' ἅπερ καὶ γέγονε, καὶ συνέςα ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὄργανα δὲ καὶ δυνάμεις εἴληφεν παρὰ τῶ θεῶ. Quæ ſunt, Homo omniū animalium ſapientiſſimus eſt creatus, potens res conſiderare, & ſcientiam, ac prudentiam capere ex omnibus. Quoniā impreſſit, & indidit ei Deus omnium rationū plenitudinem, in quibus vniuerſæ rerum ſpecies continentur, & omnium nominum, ac verborū ſignificationes. Nam ſonis locus vocis decretum eſt guttur, & os, & naſus: ſicut autem vocum, quibus nomina, & verba formata ſignificantur, factus eſt homo organum, ſic item intellectionum, ſeu cogitationum in rebus viſis eſt opus ſapientiæ. Hoc mihi videtur fuiſſe aliquando ſicut fuit, ꝙ creatus ſit homo, & organa, facultateſque accepit a Deo. Hęc Archytas, in qua ſententia credendum eſt, omnes Pythagoreos, ipſumque principem Pythagoram fuiſſe. Quod & ipſe Iamblichus apertè eſt confeſſus, dicens, καλῶς ἄρα κατά γε τοῦτον τὸν λόγον πυθαγόρας εἴρηκεν, ὡς ἐπὶ τὸ γνῶναί τε καὶ θεωρῆσαι τὼς ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ θεοῦ συνέςηκεν. Bene, inquit, ſecundum hanc rationem loquutus eſt Pythagoras, ꝙ ad cognoſcendum, & intelligendum omnis homo factus eſt a Deo. Hęc igitur eſt illa Theologia, quę & ex ſucceſſione per omnes ętates deſcendit, & ratione, iudicioque docente fuit comparata, mirabilē membrorum & ad loquendum, corporeaſque actiones exprimendum, & ad cogitandū fabricam, opus eſſe cuiuſdam longè maioris, quàm humanæ ſapientiæ. Tradiderat autē prior Pythagoras, omnes corporis actus, omnem poſitum, formamque membrorum ſpectare quidem in diuerſos, quibus vita ſuſtinetur, & agitatur, vſus, ſed rurſus omnia eodē reuolui, vt viuentes cogitemus, & intelligamus. Eo autem omnem cogitatum tandem reſoluendum ac finiendum, vt eum cogitemus, qui nos omniaque nobiſcum condidit, quod tanta ſapientia factum fuit, vt nihil prætermiſſum ab eo ſit, quod ſapientis animalis, & intelligentis ędificium poſtularet; Qui potuerit effingere, formare, aperireq; locos, quibus, & voces formarentur interius, ex earum ſignificationibus acceptis, diuerſæ quas cernimus actiones exiſterent. Hoc quicunque caſu, & abſente ſapientia factum exiſtimet, næ ille longè ab omni ſapientia abſens eſt. Eo igitur omnis humana denique ſpectat confeſſio, ab omnibus ſæculis auditum, & rationis inſtinctu perceptum, vnum ſingularem eſſe Deum, autorem, patremque generis noſtri, a quo tota humana propago ſumpſit exordium, qui debeat coli, adorari, cognoſcique a creaturis ſuis, gratias immortales omnes illi perſoluere, qui nos vitæ, luciſque participes, longeque omnium animalium fecerit ſapientiſſimos, eoſque dominos eorum.

Hominis ortus, ex Architę Tarentini ſententia.

F

Iamblichꝰ de hominis ortu,

Proprium hominis cogitare, & intelligere.

A Ecce enim, quod traditum eſt a Moſe: Datum a Deo ſuper omnibus animantibus ſuper omni terra, dominatum homini. Qui, ſi rectè perſpicias, eſt is, quem dixit Archytas σόφωτατος, ſapientiſſimus omnium, quòd poteſt ſapientiam, & prudentiam capere, quòd aptus formatus eſt ad cogitandum, ad intelligendum. Hæc illa magna ſuper omnibus animantibus excellentia, is dominatus. Nam cùm & viribus corporis, & ſenſuum ſagacitate illæ longè nos antecellant, ſola ratione omnium principe, & domina a nobis ſuperantur. In qua cum Deus maximè regnet, domineturque, ſapientiæ, prudentiæque princeps, cui dedit rationem, ac ſapientiam, dedit ei ſimilitudinem, & partem eius quod ipſe eſt. Sicque eſt apud Archytam, & Pythagoram, quod apud Moſem: Ad imaginem ſuam fecit eum. Appellat autem Deum Archytas primo τὸ θεῖον, ſecundo τὸν θεόν. Itaque & Ariſtotelem vidimus, videbimuſque illud ipſum τὸ θεῖον, creatorem hominis ab Archyta prædictum, declaraſſe: & quod Archytas de facultate loquendi, & intelligendi pronunciauit, ab Ariſtotele de ſitu membrorum, genitalique ſocietate, quod & ipſum fuit ſummæ ſapientiæ, pronunciatum.

Sola ratione ſuperat homo belluas. Cõfer huc Lactantiana è 7. c. 5. & de Opif. Dei, cap. 2. & ſequen.

Quòd hæc Pythagoreorum, de homine diuinitus creato Theologia ducitur ab Aegyptijs: Et quòd Mercurius Triſmegiſtus eam latius expreſſit. Cap. III.

B HANC Pythagoreorum de homine a Deo creato Theologiam, alios fontes, aliam originem habuiſſe, ab altioribus ſæculis fluxiſſe, ad eos autem tanquam minores, Barbariſque poſteriores, velut hæreditariam deſcendiſſe, declarat Mercurius Triſmegiſtus, a quo fortè Pythagoras, quem viginti duos annos in Aegypto peregrinatum refert Iamblichus, edidicit. Triſmegiſtus igitur latius in hanc Theologiam, velut loquendi dulcedine raptus, inundauit, veluti dilatans ea, quæ Moſes compendioſè, vt integerrimus hiſtoricus, ſcripſit. In eo qui inſcribitur, quòd Deus inuiſibilis, ſit ex operibus manifeſtus: νόησον ὦ τέκνον δημιουργούμενον ἐν τῇ γαστρὶ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τοῦ δημιουργήματος ἀκριβῶς τὴν τέχνην ἐξέτασον, καὶ μάθε τίς ὁ δημιουργῶν τὴν καλὴν ταύτην καὶ θείαν ἀνθρώπου εἰκόνα: τίς ὁ τοὺς ὀφθαλμοὺς περιγράψας: τίς ὁ τὰς ῥῖνας, καὶ τὰ ὦτα τρυπήσας, τίς ὁ τὸ στόμα διανοίξας, τίς ὁ τὰ νεῦρα ἐκτείνας, καὶ δεσμεύσας, τίς ὁ ὀχετεύσας τὰς βλέφας, τίς ὁ τὰ ὀστέα στερροποιήσας, τίς ὁ δέρμα τῇ σαρκὶ περιβαλὼν, τίς ὁ τοὺς δακτύλους διελὼν, τίς ὁ τοῖς ποσὶν βάσιν πλατόνας, τίς ὁ διορύξας τοὺς πόρους, τίς ὁ τὸν σπλῆνα ἐκτείνας, τίς ὁ τὴν καρδίαν πυραμοειδῆ ποιήσας, τίς ὁ τὰ νεῦρα συνθεὶς, τίς ὁ τὸ ἧπαρ πλατόνας: τίς ὁ τὸν πνεύμονα συραγγώσας, τίς ὁ τὴν κοιλίαν εὐρύχωρον ποιήσας, τίς ὁ τὰ τιμιώμενα εἰς τὸ φανερὸν ἐκτυπόσας, καὶ τὰ αἰσχρὰ κρύψας: ἴδε πόση τέχνη μιᾶς ὕλης, καὶ πόσα ἔργα, μιᾷ περιγραφῇ, καὶ πάντα περικαλῆ, καὶ πάντα μεμετρημένα, πάντα δὲ ἐν διαφορᾷ, τίς πάντα ταῦτα ἐποίησε: ποία μήτηρ, ποῖος πατὴρ: εἰ μὴ ὁ ἀφανὴς θεὸς, τῷ ἑαυτοῦ θελήματι πάντα δημιουργήσας, καὶ ἀνδριάντα μὲν, ἢ εἰκόνα, χωρὶς ἀνδριαντοποιοῦ, ἢ ζωγράφου οὐδεὶς φυσὶ γεγονέναι, τοῦτο δὲ δημιούργημα χωρὶς δημιουργοῦ γέγονεν: ὢ τῆς πολλῆς τυφλότητος, ὢ τῆς πολλῆς ἀσεβείας, εἶ τῆς πολλῆς ἀγνωμοσύνης: Quæ ſunt, Cogita ô fili hominem in vtero materno compoſitum, totamque opificij artem diligenter perpende, & diſce quis ſit opifex, qui hanc hominis pulchram, diuinamque imaginem C fecerit, quis oculos formauerit, quis nares & aures terebrauerit, quis os aperuerit, quis neruos tetenderit, & ligauerit, quis venas irrigauerit, quis oſſa ſolidauerit, quis pellem carni circunderit, quis digitos diſtribuerit, quis pedibus ingreſſum, vel plantam dilatauerit, quis poros aperuerit, quis lienem tetenderit, quis cor figuram pyramidis habere fecerit, quis neruos compoſuerit, quis pulmones cauernoſos fecerit, quis ventrem dilatauerit, quis honeſtiores partes in propatulo poſuerit, obſcœnas abſconderit. Aſpice quot artes vnius materiæ, quot opera vna circumſcriptione, cunctaque pulchra, cuncta cum menſura, cuncta ſeorſum. Quis hæc omnia fecit, quæ mater, quis pater, niſi inuiſibilis Deus, qui ſua voluntate cuncta operatus eſt? At ſtatuam, vel imaginem, ſine artifice, aut pictore, nemo dicet extitiſſe. Hoc ergo opificium fuit ſine opifice? O cæcitatem incredibilem, ô magnam impietatem, ô incredibilem ingratitudinem. Hæc & alia pleraque Triſmegiſtus, quæ vidiſſe, imitatumque Pythagoram, Pythagoreoſque, veriſimile eſt, ſicut vidit, & ſecutus eſt magna ex parte Plato. Similiter Triſmegiſtus, quod in primo libro poſitum fuit, diuinam hanc edidit vocem: ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ καὶ φύσις ἀπεκύησε τὸν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου: Omnium, inquit, pater, genitrixque Mens, cùm ſit vita, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem tanquam propriam prolem dilexit. Aegyptia igitur, Græcaque Theologia, conſpirant cum Hebraica, de homine creato a Deo. Veriſimile autem eſt eam ſcientiam ab ipſo generis humani principe ad omnem poſteritatem propagatam, tradentibus inuicem eam ſibi priſcis, plenamque eius omnium aures fuiſſe, nulli non perſpicuam, non celebrem, nulli nationi, ab vno cunctis natis, non perceptam extitiſſe,

Pythagoras in Aegypto peregrinatus duos & viginti annos.

Dei maximum opificiũ, homo: & quæ qualiſque corporis humani ſtructura.

Mens creauit hominem ſibi ſimilem.

Poetas antiquos, quos ſecutus eſt Ouidius, Moſaicam de homine diuinitus creato, ſententiam confirmaſſe, idque etiam Cornutum aſſerere. Cap. IIII.

Vera, & perennis de homine creato fama, fabula apud Græcos Promethe⁹ quid.

HANC famam item a Moſe primo manantem, apud omnes autem tum ex eo libro nobilem, tum ex illo primogenito, tot quibus vixit ſæculis vociferante ſe manibus diuinis compoſitum, corpus ex illo primæuo limo ſumptum, animum autem diuinitus inſpiratum, declarat ea, quæ tanquam fabula habita eſt apud Græcos: ſed ſi quis & nomen artificis, & rationem totius rei, tum ſapientum teſtimonia noſcat, nõ fabula, ſed a primordio rerũ fama vera, a primis genitoribus in omnes ab eis ſatas nationes ſparſam, de Prometheo, qui corpus humanum ex limo, iuxta Theologiam Moſis informarit. Hunc igitur fuiſſe verum Deum, Deum inquam illum Moſaicum, & Platonicum, vniuerſitatis artificem, cuius ſuprema in tota creatione manus fuerit humana creatio, declarat & ipſum pulcherrimum, mirabileq; nomen. Siquidem Græcè Prometheus, eſt ſapiens, prouidus, vnde προμήθεια, inſignitus a priſcis hoc nomine, ob mirabilem illam, quam Triſmegiſtus expreſſit ſapientiam, tum ipſa ſermonis ratio. Nam in hunc modum loquitur veteris huius famæ interpres Ouidius:

1. Metamoeph.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Siue recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat ſemina cœli,
Quam ſatus Iapeto, mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem dominantum cuncta Deorum.

Mundus melior.

Duas de creatione hominis proponit ſententias. Prior eſt, vt ab eo ipſo, qui fuit mundi melioris, id eſt, eius mundi, qui poſt Chaos ſucceſſit, origo, diuino ſemine fuerit ſatus. Semen autem diuinum, cęleſte, ętherium, non terreſtre intelligas: Altera, vt è terra recenti, quę paulo ante a cęleſti materie dirempta, retineret adhuc calorem, cęleſtemque bonitatem. Nec in hac duplici ſententia diuerſitas eſt opificis, ſed materiæ, ex qua creari potuerit homo. Illum igitur, quem melioris mundi dixerat originem, aſſerit humanum corpus, non ex diuino ſemine, ſed terreſtri materie creaſſe, appellans poſtea Prometheum, quem paulò ante mundi melioris originem. Nam ſi fuit mundi melioris origo, maxima autem melioris mundi pars eſt humanum genus: etſi certos ventis, & mari terminos ad hominum vtilitatem, & vt terra compleri poſſet, dedit, certè is quoque fuit humanæ naturæ repertor. Etſi item, eodem Poeta autore, is prouidit,

Corpus, è terreſtri materia.

Ouid. ibidem.

Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque Deorum,
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus vndæ,
Terra feras cepit, volucres habitabilis aer.

Quibus oſtenditur, eum omnes mundi partes animalibus repleuiſſe, piſcibus aquas, feris terras, cęlum ſyderibus, aera volucribus, Cur non etiam humanam ſtirpem, qua paſſim terrarum omnia loca latè replerentur, ſine qua deſerta omnia, plena feris, dumiſq; inculti quoque agri erant futuri, condidit? Cui tribuis igitur creationem, quam clamas mundi melioris originem, & quem facis autorem cæterarum rerum, eundem ſtirpis humanæ principatum in cunctis obtinentis, facias neceſſe eſt. Qui fecit vniuerſalia, qui formas rerum maiorum, qui terminos, ſituſq; omnium rerum præſcripſit, oportet & particularia feciſſe. Cogeris etiam, niſi aberrare, falli velis, illius ordinem ſequi Theologiæ, a qua cætera quoque didiciſti. Didiciſti autem hæc ab Aegyptiis, & Phœnicibus, hi ab Hebræis, & Chaldæis, a Moſe, Abraham, Noe, multarum gentium progenitoribus. Hi tradiderant ab eodem mundano opifice totam rerum gentem, nouiſſimè autem, tanquam Regem in palatium, exædificatum, aulæis, rerumque varietate decorum, hominem, quem creaſſet, introductum. Sed hæc notiſſima. Et Græci priſcorum Theologiam, in qua ſub ſcyrpis, & ęnigmatis ſublimia, grandiaque latitant, enodantes, reſtãtur Prometheum eſſe diuinam prouidẽtiã. E quibus Cornutus: παραδιδομένου τοίνυν ἔνθεν ὅτι ὁ προμηθεὺς ἔπλασεν ἐκ τῆς γῆς τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὑπονοητέα προμηθέα εἰρῆσθαι προμήθειαν τῆς ἐν τοῖς ὅλοις ψυχῆς: ἣν ἐκάλεσαν οἱ νεώτεροι πρόνοιαν κατὰ γὰρ ταύτην, τά τε ἄλλα ἐγένοντο, καὶ ἐκ τῆς γῆς ἔφυσαν οἱ ἄνθρωποι ἐπιτηδείως πρὸς τοῦτο ἐχούσης κατ' ἀρχὰς, τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως: Quod autem traditur Prometheum finxiſſe è terra, omne hominum genus, intelligendum, Prometheum appellatam prouidentiã animæ vniuerſalis, quã iuniores vocarunt Prouidentiam. Secundum enim hãc homines è terra ſunt nati, aptè ſeſe in mundi exordio habente. Hæc ille. Sed non prorſus omnia verè. Nam nec Ouidius, neque Græci, neque Phęnices, aut Aegyptij tradiderant homines è terra natos, ſed Prometheum

Poſt rerũ omnium informationem, nouiſſimè hominẽ creatum.
Idem Lactan. lib. 2. ad finem, cap. 9.
Promethe⁹ quid.

theum acceptum limum finxiſſe ad imaginem Elohim,id eſt,dominatoris,Dei omnipotentis, illius ſcilicet,qui potẽter omnia crearat. Illud verò mirabile eſt,vt Mercurius Triſmegiſtus,Archytas,Pythagoras, Poeta vno conſenſu pronuncient. Nã quod ait Poeta pręcipuè illũ hominis formatorẽ cogitaſſe,vt eſſet ei os ſublime,cęlumq́; contra quam aliæ animantes ſuſpiceret, eſt quod Archytas paulo antè,hominem omnis ſcientiæ,& intelligentiæ capacem factum a Deo,& Pythagoras a Deo creatum ad contemplandum: preſſiusq́; idem admonens iubebat Iamblicho autore φιλοσόφει τὸν οὐρανὸν ὁρῶν, philoſophare cęlum ſuſpectans. Quod fecit vates diuinus,erumpens in hanc vocem, Cęli enarrant gloriã Dei. Mercurius autẽ docens,ꝙ Deus inuiſibilis fit ex operibus manifeſtus: εἰ θέλεις αὐτὸν ἰδεῖν, νόησον τὸν ἥλιον, νόησον τὴν τῆς σελήνης δρόμον, νόησον τῶν ἀστέρων τὴν τάξιν: Si velis eũ videre,aſpice Solem,ſuſpice Lunæ curſum,conſidera aſtrorũ ordinem. Hoc igitur eſt,cur Opifex os homini ſublime dederit,& erectos ad ſydera vultus,vt artificem cęli,tantorumq́; luminum,tantæ rationis,& moderaminis inuentorem,in ipſo mirabili opere,qui natura ſit inuiſibilis,nec tangi potens, agnoſceret,repeteretq́; artificem ſuum. Et Plato,maximam vtilitatem oculorum a Deo datam. Rerum, inquit, optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam hæc,quę eſt habita de vniuerſitate ratio,a nobis haudquaquam eſſet inuenta,ſi neque ſydera,neque ſol,neque cœlum,ſub oculorum aſpectum cadere potuiſſent. Nunc verò dies, noctesq́; oculis cognitæ,tum mẽſium, annorumq́; conuerſiones,ad numerum machinatæ ſunt,& ſpacium temporis dimenſæ ſunt,& ad quæſtionem totius Naturæ impulerunt. Eadem Tullius: Qui primum eos humo excitatos,celſos,& erectos conſtituit, vt Deorũ cognitionem,cęlum intuentes, capere poſſent. Sunt enim è terra homines,non incolæ,atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum,atque cęleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animãtium pertinet. Sic Græcè dictus ἄνθρωπος, aſpectus in altum,ſublimis aſpectans. Quoniam igitur datur a Poeta Deo mundanum opificium,datur litis,ac diſcordiæ,qua pugnabãt inter ſe,turbabanturq́; elementa,concordiam. Hanc Deus & melior litem Natura diremit. Dicitur item eius cura,& prouidentia, in varias cœlum, ac terras diſtinctas plagas: diſtinctas autem ad habitandum,quoniam dedit temperiem duabus, calore & frigore adhibito; certè idem feciſſe hominem neceſſe eſt, cui fecerit, parauerítque antea commodum ad habitationem locum. Propterea nouiſſimè ſatus eſt homo, qui dominari inter cætera poſſet. Si autem Deo tribuit ignobiliora, locum, ſedémque mundi eum poſuiſſe, animalia bruta creaſſe, cur detrahis hominum creationem? Sed neceſſe eſt eum, cuius cogitatio in eo potiſſimum inſtiterat, vt alicuius cauſa poneret, & diſtingueret orbem, compoſitiſque rebus, locisque cuique ſuis deſignatis, eſſet pulcherrimus, & habitabilis mundus, ipſe idem manum imponeret cogitationi, quæ fuit vt propter habitatorem, qui creatorem item ipſum ſuſpiceret, pararet, vt ſic dixerim palatia, domosque mundi. Ecce igitur mirabilis cum vera Theologia, quæ mater fuit Græcis, iunioribuſque Latinis ſapientiæ, conſenſus. Scribit Moſes, Et homo non erat, qui operaretur terram: Poeta verò:

Creatus homo ad contemplandum.

Pſalm. 18.

Deus ex operibus manifeſt⁹.

1. Regum.

ἄνθρωπος homo dictus, quaſi ἄνω ῥέπων ſurſum erectus, vel ἀναθρῶν, ἃ ὄπωπε, contẽplans quæ vidit.

Homo, poſtremus creatus.

Ouid.ibid.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.

Apud Moſen, Non erat: Apud Poetam, Deerat adhuc. Operari autem terram,quod colere,qui poſſidere, inhabitareque, vt dominũ deſignat, eſt quod Poeta, Quod dominari in cætera poſſet. Idcirco & apud Moſen, Replete terram,ſubiicite eam,dominamini piſcibus maris,& volatilibus cęli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur in terra. Quid clarius, & conformius? Sanctum autem animal, quia mentis capacius altæ, quod caperet illam altiſſimam, ęternamq́ue Mentem, quæ mundi fuit origo. Mentis item altæ capacius, alterius ingenij, maioris animi, ratione plenum animal: vt Marcus, vt Plato in Timæo, ζῶον τὸ θεοσεβέστατον, animal piiſſimum, Dei colentiſſimum, imago Dei. Proinde is finis, ea ſuprema cogitatio, vt naſceretur qui coleret Opificem, admiraretur, ſydera ſuſpiceret,Solem,Lunamq́ue intueretur,non vt Deos quidem, ſed vt a Deo ſapientiſſimo creata, vt retro omnes, vt ex viſibilibus inuiſibilem noſceret. Et,vt ait Philo, τῶν μὲν ἄλλων τὰς ὄψεις περιήγαγε κάτω κύψας διὸ νένευκε πρὸς χέρσον, ἀνθρώπου δὲ ἔμπαλιν ἀνώρθωσεν ἵνα τὸν οὐρανὸν καταθεᾶται. Cæterorum, inquit, oculos interius depreſſit, eoque nutante in terram: contrà, vultum humanum eleuauit, vt cœlum aſpiceret.

Sanctum animal homo.

Homo, animal piiſſimum.

Quòd etiam Chaldaica Theologia confirmat hominem a Deo creatum, animamq́ue exterius infuſam in corpus. Et quòd idem aſſerunt Aegyptij Philoſophi, & item oraculum Apollinis.

Cap. V.

ORACVLA Chaldæorum, Sibyllarumq́; non aliud vociferantur, quàm hominem a Deo creatum. E quibus eſt illud, quod a Platonicis item profertur: ταῦτα πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δ᾽ οἱ ἐψύχωτο: Hæc pater cogitauit, mortalis autem eſt ei animatus. Eſt antem ſicut apud noſtros, ſic item Platonicos & priſcos omnes, ipſum quoque Ariſtotelem, cogitatio, ſiue intellectio, diuina operatio. Omnis enim operationis initium a cogitatione ſumitur. Hac mouente manus, manibus organa, operationes noſtræ peraguntur.

Operationis initiũ a cogitatione.

Dei cogitatio, quàm efficax.

peraguntur. Sed Deus, qui tum manibus non indiget, tum immenſæ poteſtatis eſt, cogitat quidem & ipſe, & vult, tranſit autem ſic in omnem naturam corpoream, per quam omnem diffuſus eſt, eius cogitatio, ſicut ſubita noſtra cogitatio, ac voluntas peruenit ad manus, & pedes: perinde autem res omnes ſubiectæ ſunt, parentque Deo, terreſtres, & cœleſtes naturæ, ſicut corpus cuilibet ſuum, cuius mouendi initium eſt voluntas. Sic autem licebit illa diuina percipere, ſi voluntatem, cogitationemque humanam, minimam & imbecillam, conferas cum vaſta illa, immenſaque Dei, ad cuius motum poſſint omnia concitari: Etſi item cernas multorum hominum voluntatibus ex conſenſu vna effectis, tot corpora vt vnum mouentẽ fieri ſubitò ingens aliquod opus: Sic voluntas, cogitatioque diuina, longè quàm multorum mortalium coniurata voluntas excellentior, ad cuius motum multo plura, ac maiora corpora cieri poſſint, operatur ingentia, incredibilia, admiranda. Hoc ait oraculum, Patrem, opificemque mundi hæc omnia, quæ cernimus, in quibus eſt humana progenies, cogitaſſe, voluiſſe, ſubitoque creata apparuiſſe. Subito mortalem animatum, extemplo creatum Adam, diuina voluntas eum protulit in lucem, inſpirauit in faciem eius, & factus eſt in animam viuentem, quod Chaldæus ἐψύχωτο, animatus eſt. Inſpirationem Chaldæus intimè in Philoſophiam, & initia rerum penetrans, interpretatur voluntatem illam, cogitationemque diuinam. Hoc igitur teſtimonio, duo, quæ docuit Theologia Moſaica, noſcuntur, corpus ſeorſum, & animam ab vno, eodemque Deo, mundanoque opifice creata. Corpus a Poetis, ſicut ab oraculo dicitur Græcè βροτὸς, mortalis, deuorabilis, tempori ſubiectus edaci. Illud videlicet, quod ſumptum eſt ex limo terræ, & quod in cinerem reuertitur. Hoc, inquit, animatum fuit a Patre, ſicut dicitur in Moſe, & Pater mundi, fuit item hominum, qui corpus eorum, & animum procreauit. Hæc item fuit priſcis vulgata Theologia. Eoque Aſclepius Theologus in ea, quæ appellatur Hymnodia, ad Ammonem Regem, inquit: θεῷ μὲν πανακράτῳ καὶ πατρὶ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, πρὸς μυρίων στομάτων καὶ φωνῶν, τὴν εὐφημίαν ἀναφέρεσθαι πρέπει. Deo, inquit, vndequaque incorruptibili, & patri noſtrorum animorum ab omni lingua, & voce, gratiarum actionem referri conuenit. Ecce patrem animarũ vocat, & creatorem. Videlicet quod Chaldęus animatorem, viuificatorem, fontem noſtrorum animorum. Iuſtinus item teſtatur oraculum, ὅτι τὸ παρ' ὑμῖν χρηστήριον ἀξίωθεν ὑπό τινος, ὑμνὸς παντοκράτορος ἐνδοῦναι θεοῦ, οὕτως ἐν μέσῳ τοῦ ὕμνου ἔφη: ὅτι πρῶτος πλάσας μερόπων ἀδὰμ δὲ καλέσας, καὶ τοῦτο σώζεσθαι τὸν ὕμνον παρὰ πολλοῖς, οἷς ἴσμεν, συμβαίνει: Quod apud vos oraculum rogatũ a quodam, vt hymnum Dei omnipotentis concineret, ſic in medio hymni dixit; Quòd primus hominum formator Adam vocauit. Et hunc ſeruari hymnum, apud multos quos ſcimus, contingit.

Adã quomodo creatus.

Corp' mortale.

Sententia Platonis de homine diuinitus creato, & quòd in Timæo formationem corporis attribuens minoribus Diis, poeticè potius dixit, in alijs locis tribuens totum opificium ſummo Deo. Cap. VI.

Fama antiquiſſima incerto autore, adulterata fabulis.

SAEPE ſubit admirari, vt multarum in ſacris litteris traditarũ rerum fama in omnes gentes progreſſa, quoniam & a longinquis temporibus deſcenderet, & autorẽ apud eos certum non haberet, adulterata fuerit, præcipuum Græcorum vitium, qui Barbarorum vti maiorum Theologiam ęmulati, malè perceptam, temporũ diuturnitate iam obſoletam, fabulis ſæpe peruerterunt. Veluti quod paulò ante de Prometheo, & Gigantibus, quod turris ędificium fuit, congeſtos montibus montes fuiſſe diuulgarunt. Et columbã ex arca a Deucalione, quod Plutarchus retulit, emiſſam. Et lapſum animorũ in hunc mundum è Paradiſo in corporis carcerẽ, ad pęnam ſceleris incluſorum. Igitur & Plato, cùm ex ſacris litteris audiſſet, Deum creaturum hominem, quaſi circunſtantibus quibuſdam dixiſſe; Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram: ipſe qui totam Theologiã ſuã a Pythagoreis, & Aegyptiis, certiſq; per omnes ſermonibus obambulantibus deducebat, introducit mundanum illũ Opificem cũ Diis iunioribus, quos ipſe paulò ante procreaſſet, loquentem ſuper hominis creatione, iubentemq; eis accepta ab ſe immortali anima, in corpus, quod ipſis effingere mandaſſet, inſerere, humanæ creationi ferme duos adhibens opifices, ſupremum Deum animi creatorem, & Deos iuniores, quibus idem iubeat corpus informare. Hæc eleganter, vt omnia, Marcus Tullius, qui Timæum Platonis fecit Latinũ, è quibus pauca delibabo: Tũ ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur. Hæc vos, qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite, vt mortali generentur conditione, vos ſuſcipite, quorum vobis initiũ, ſtatuſq; traditur a me. Vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortale. Paulò poſt, Poſt autem eam ſationem Diis, vt ita dicam, iunioribus permiſit, vt corpora mortalia effingerent, quantumq; eſſet reliquũ ex humano animo, quod deberet accedere, id omne & quæ ſequentia eſſent, perpolirent, & abſoluerent. Itaque cùm accepiſſent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem, & effectorem ſui, particulas ignis, & terræ, & aquæ, & aeris a mundo, quas rurſus redderent, mutuabantur, eaſq; inter ſe copulabant, haud iiſdẽ vinculis, quibus ipſi erant ligati, ſed talibus, quæ cerni non poſſent, propter paruitatem. Aliaq; multa proſequitur Plato. Totuſq; locus ſumptus eſt ex libro Moſis; Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem

Geneſ. 1. Plato ex ſacris litteris accepit hominis formationem.

Liber eſt, de Vniuerſitate.

Geneſ. 1.

litudinem noſtram. Siquidem etiam nonnulli Hebræi ferunt eum cum Angelis, quos paulò antę creaſſet, tunc locutũ. Et Philo Iudæus, quos Philoſophi Dęmones vocent, Angelos dicit in ſacris litteris appellari. Imaginem autem, & ſimilitudinem, imitationẽ illam credidit Plato. Hãc igitur eius ſententiam, qua ſeparatur creatio, vt aliud fecerit Deus maximus, aliud Dij minores, manifeſtæ rationes coarguent. E quibus erat prior, ꝙ ipſe ſibimet contradicit: ſecunda, ꝙ præter Theologiam maiorum, a quibus edidicit, hanc fabulam confinxit. Demum ꝙ ratio his, quę dicit apertè refragatur. Coarguat igitur Platonẽ Plato, cui refellendo ſufficeret, ꝙ quę Barbari docuiſſent, non clarè percepit, ſuſpitione ad alia longè declinante, quàm fons ipſe, cuius riuulus fluxit Theologia Græcorum, ſapuiſſet. Quippe ſi vel concedam illum apud Moſem parentem mundi, cũ iunioribus Diis fuiſſe locutum, non protinus eos aſciuiſſe adiutores ad creandum, opemq; quaſi eorum imploraſſe contendam: Aut eum dedignatum corpus attrectare, collectisq; ex quatuor elementis particulis, fabricari, eam miniſtris ſuis prouinciam delegaſſe. Probarem enim optimis, naturæq; maximè conſentaneis rationibus, nihil eſſe in toto mũdo homine nobilius, vt qui crearit indignioris, minorisq; ponderis res, multo facilius admouerit nobiliſſimę cõditioni manus. Omnibus enim elementis melior eſt homo: corpora verò cęleſtia cũ manifeſto deſeruiunt humanis commodis, quia facta ſunt etiam autore Platone, vt lucerent ſuper terram, ac motibus eorũ perceptis, temporibusq; diſtinctis, hominum negotia in terris regerentur, eſſetq; rebus humanis certus ordo, profectò videtur id melius, ac nobilius eſſe, cuius vtilitas impulit autorem ad creationẽ cęli. Qui ſi cęlum creauit, multasq; corporeas formas exemit ex illa congerie, certè fecit etiam, quod eſſet animal nobiliſſimum, ac ſanctiſſimum, vt idem aſſeruit. Ad hæc non videtur vnius eiuſdemq; rei ſeparanda, duobusq; quaſi opificibus tradenda creatio. Nam com nulla cauſa veriſimilis afferri poſſit, cur ſapiens ille Deus refugerit humanam conditionem, niſi videlicet ꝙ corpus humanum corruptibile ſit (indecorum ſit autem ſummum opificem rei corruptibilis autorem fuiſſe: quod quidem nihil ad dedecus Opificis ſpectat) ſanè veritati plurimum conſentit, vt ſit animi, ac corporis, quorum eſt admirabilis cõiunctio, idem artifex. Eſt autem diuinum corporis opificium, fuitq; ſapientibus ſemper ſtupori, & admirationi. Ac niſi ꝙ incorruptibilis naturæ eſt cęlum, ad ſapientiam certè artificis, nihil illic eſt humano artificio excellentius: Nemoq; fuit, vel ante, vel poſt Platonem, cui fabula hæc in exponenda hominis creatione arriſerit, nec a ſummo Deo pręclara conditione creatum ſenſerit hominem, cuius corpus, etſi mortale eſt, prouiſum tamen mirabili ſapientia fuit, quod etiam eſt Ariſtoteles cõfeſſus, vt in re corruptibili, ſempiterna quædam eſſet ſucceſſio, dum ſemen inuicem ſibi corporibus tradẽtibus, exiſtit hominum perennis progenies. Quod ęquè diuinum eſt, ac ſi in vno, eodemq; corpore ęternitas fuiſſet. Sed non eſt mihi contra Platonem ſuper hac re diſſerendum, quem quaſi poeticè potius, &, vt pleraque, ſub fabulis ſcripſit, quàm phyſica, conſtantiq; ratione apparet locutum. Nam neque ſermo ille Opificis mundani cum minoribus Diis, verus eſt, neque materiæ cęleſtis, ad eum, quem tradidit modum, ſectionem fas eſt intelligi. Dij quoque minores nuſquam ſunt: quia, vt docuit antea, non Dæmones illi, ſed homines fuerunt. Ipſum duntaxat aliter & in Timæo, & aliis locis loquentem, & Deũ autorem hominis confitentem, iuxta ſuperiores, quibus operam dedit, Philoſophos, rationibus omiſſis, audire ſatis erit. Licet igitur Plato tradat Deos minores a Deo paulò antè ſatos ipſius imperio, corpus humanum finxiſſe, vbique tamen quaſi veritate eum a ſuperſtitione reuocante, tribuit hoc mirabile opificium ſummo Deo. E quibus eſt in eodem Timæo, ꝙ Deus fecit iecur aptum ad excipiendas rerum futurarum imagines: τούτῳ δὴ θεὸς ἐπιβουλεύσας, αὐτοῦ τὴν τοῦ ἥπατος ἰδέαν ξυνίστησι: & quæ ſequuntur. Videlicet, Hoc igitur Deus conſiderato, ipſius iecoris formam fabricatus eſt, & poſuit in eius conſtitutione denſitatem ac læuorem, & perſpicuitatem, dulcedinemq; & aſperitatem. Paulo etiam poſt, hunc ipſum ſummum Deum refert medullam, in qua animæ eſſent, ex elementis collectam, compoſuiſſe. Hæc, inquit, elemẽta Deus ſingula a ſuis generibus ſecernens, miſcensq; ad proportionem inuicem, ſatum vniuerſalem omnis mortalis generis excogitans, medullam ex eis operatus eſt, & deinde ei genera animarum demiſit inſerta. Hic audis totam materiam, Deum componentem, & optimam quamque elementorum partem in medullam, quæ animarum fundamentum eſſet, vbi ſpuma genitalis, miſcentẽ, ac temperantem. Paulò poſt exponit quomodo noſter κηροπλαστὴς, formator, fictor, compoſuerit carnem, & oſſa & neruos, ex quibusve elementis, quantaq; proportione. Vnde factum, vt fluxiorem, ſed quæ magis contendi poſſet, quàm carnis, molliorem autem, quàm oſſium, vim nerui habuerint. Quibus, inquit, oſſa circunducens & medullam alligans ad inuicem neruis, demum carnibus ea operuit deſuper. Deinde ipſum eundem dicit neruos ad extremum capitis adligaſſe: διὰ ταῦτα, καὶ οὕτως ὁ θεὸς, ἐπὶ ἐσχάτην κεφαλὴν περιστήσας: & quæ ſequuntur. Neruos ob hæc, & hac ratione, Deus ad extremum caput circumactos, circa collum ſimili modo deuinxit. Et extremas mandibulas eis alligauit ſub faciem, reliquos in omnia membra diſtribuit, alligans articulum articulo. Demum Plato dicit, Deum, quò traiiceret humor ex ventre ad venas, abuſum aere, & igne. Totamque interiorem illam membrorum rationem diuinitus explicat, referens in Deum. In quibus euidentiſſimè vniuerſam illam ſuperius poſitam a Mercurio Triſmegiſto hominis creationem declarauit, ſecutusque eſt ad amuſſim, explicans, aperiensque, quæ breuiter

Mercurius

Dij, non fuerunt adiutores in creatione.

Homo, animal nobiliſſ. & ſanctiſſ.

Diuinum corporis opificium.

Plato, interdum fabulator.

Iecoris formatio.

Carnis, oſſium, neruorum fabrica.

Mãdibula.

Anima a Deo creata, & Deo ſimilis.

Homo, res iocularis a Deo fact⁹. παῖδες dicti a παίζειν.

Mercurius pronunciaſſet, ex hiſq; in admirationem Opificis, omnes incitaſſet. Quocirca cùm & in Timæo, & vbique fateatur animam a Deo creatam, & habere cum eo ſimilitudinem,& affinitatem, quod etiam affirmat Ariſtoteles, videtur planè rationi conſentaneum, vt qui fecit meliorem partem, etiam ipſum mirabile, ſapientiſſimæque intelligentiæ opificium conſtruxerit. Hoc veritate cogente non modò in Timæo, ſed aliis locis confeſſus eſt, vt quod in ſecundo de Republica tradidit a Deo nata,& facta omnia, cęleſtia & terreſtria, Deos,& homines. Et in ſeptimo de Legibus diuinitus ſic eſt de Deo, & homine, & quod intereſſet, locutus: Natura Deum quidem eſſe omni beato ſtudio dignum, hominem verò ludum quendam eſſe Dei, vereque id optimum eius fuiſſe. Hæc Plato. Cuius videtur eſſe ſenſus, in Deum, reſque diuinas, omne ſtudiũ eſſe conferẽdum. Dignum enim eum eſſe, in quo colendo omnibus conatibus,& ſtudiis vtamur. Hominem autem eſſe longè Deo inferiorem, quippe qui ſit res ab eo veluti iocularis effecta, vt quaſi luderet, cùm machinatus eum eſt, veluti ſi pictor, aut ſtatuarius aliquod opus effingeret. Græcè enim παίζειν, ludere, videtur eſſe etiam creare, gignere, vnde παῖδες, filij, proles, dicti pignora Latinis. Sic fuit homo, quaſi filius, & proles Dei, ſed μεμαχημένος, machinatus, fabricatus, factus. Idq; ait Plato fuiſſe omnium, quæ Deus facere poſſet, optimum, ac pręcipuum. In tertio quoque de Republica, non Dæmones, ſed Deum ſupernum innuit hominem creaſſe, cũ ait, ꝙ Deus formans homines, aliis aurum, id eſt, mentem, admiſcuit plurimum, aliis argentum: ἀλλ' ὁ θεὸς πλάττων ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμειξεν αὐτοῖς: διὸ τιμιώτατοι εἰσίν: ὅσοι δὲ ἐπίσκουρι, ἄργυρον, σίδηρον δὲ καὶ χαλκὸν, τοῖς τε γεωργοῖς καὶ τοῖς δημιουργοῖς: Deus, ait, fingens qui ad imperandum creabantur, aurum in eorum ſtatu admiſcuit, eoq; ſunt pretioſiſſimi, qui cuſtodes & adiutores argentum, ferrum, porrò & ęs agricolis & cęteris opificibus. In ſexto quoque, non Dæmones aſciuit, ſed vt Moſes,& Triſmegiſtus priores, verum Deum hominis opificem. Hunc ait ſenſum videndi feciſſe copioſiſſimum, multarumq; rerum capaciſſimũ, videlicet quod omnes, os ſublime dedit, vt caperent notionem Dei. Nunquid, ait, ἐννενόηκας τὸν τῶν αἰσθήσεων δημιουργὸν ὅσῳ πολυτελεστάτην τὴν τοῦ ὁρᾶν τε καὶ ὁρᾶσθαι δύναμιν ἐδημιούργησεν: Quod eſt, Conſideraſti ſenſuum artificem, quàm locupletem fecerit videndi facultatem? Senſit igitur cum ſuperioribus Theologis, totaque ante eum hominum Philoſophia.

Quòd Ariſtoteles mirificè conſentit cum Theologia Moſaica, hominem a Deo conditum, formatumque corpus, datamque ſexus varietatem, animam autem exterius inſpiratam. Cap. VII.

In Peripateticis quibuſdã quo plus inſcitiæ eò plus arrogãtiæ.

SENSIT etiam quæ ſuperiores omnes, ſi quis prudenter dicta eius perpendat, non pertinacium tempeſtatis huius Peripateticorum more, in quibus quo plus eſt inſcitiæ, plus etiã temeritatis, & arrogantiæ, mordicus dogmata certa eius defendat, aut verius deprauet Ariſtoteles. Triaque ſunt præclara, euidentia, manifeſtaq; de creatione hominis a Deo, ſiue animi, ſiue corporis, apud eum teſtimonia. Vnum vniuerſale, duo particularia: Ex his duobus alterum ad animum ſpectans, alterum ad corpus. Quę etſi produximus ſuperius, poſcit tamen ordo, vt huc reuocentur. Dicebat in libris de Generatione, & interitu, ꝙ cùm res terreſtres & corruptibiles plurimum diſtarent a principe Deo immortali, & incorruptibili, nec capere res terreſtres in indiuiduis immortalitate poſſent, Futurum fuiſſe, vt res creatæ breui circumacto temporis interuallo, migrarent è vita. Huic malo ſapientiſſimum Deum ſic prouidiſſe, vt inchoato a primis illis indiuiduis ordine, deinceps altera gignerẽt altera, eſſetq; in vnoquoque ſemen, in quo, Platone docente, inuiſibilia quædam animalia continerentur, quæ in vteris animantium confota coaleſcerent. Sicut in vtero terræ ſemina plantarũ. Quo conſilio nunquam perpetuæ creationis deficeret ordo, ἐπεὶ γὰρ ἐν ἅπασιν ἀεὶ, τοῦ βελτίονος ὀρέγεσθαι φαμὲν τὴν φύσιν βέλτιον δὲ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, τοῦτο δ' ἐν ἅπασιν ἀδύνατον ὑπάρχειν διὰ τὸ πόρρω τῆς ἀρχῆς ἀφίστασθαι τῷ λειπομένῳ τρόπῳ, συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεός, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Quod eſt: Nam cùm in omnibus ſemper deſiderare melius naturam dicamus, melius eſt autem eſſe, quàm non eſſe, hoc autem in cunctis erat impoſſibile, quoniam a principio plurimum diſtarent, qui ſupererat modò, compleuit vniuerſum Deus, perennem faciens generationẽ. Hæc, vt ſæpe admonui, in præteriti temporis verbis pronunciat Ariſtoteles, fecit, compleuit, vt non innuat continuam dependentiam, ſed vt magiſter Plato, omniſque vetuſtas, principiũ quoddam. Proponuntur enim duo inter ſe contraria, è quibus cùm alterum ſequi Deus poſſet, elegit potius alterum, vt eſſet perennis ordo. Quòd ſi contendas, & proteruus inſiſtas, ne ſibi contradicat Ariſtoteles, eum temporis initium non ſpectaſſe, ego ex aduerſo dicam imprudenti, & ad mendacium, fictumque alibi dogma minimè attendenti confeſſionem veritatis excidiſſe, cuius non imperitos, efferatoſque in dogmatis eius Peripateticos, ſed prudentiſſimos quoſque velim conſideratores. Hoc igitur mirabili, venerandoque Ariſtotelis (ſic enim appellare libet) oraculo declaratur, & continetur, quod præcones Theologiæ noſtræ totius vociferantur: Manus tuæ fecerunt me, &, Ante & retro formaſti me. Imperfectum meum viderunt oculi tui.

Seminis vis in animalibus.

Melius eſt eſſe, quàm non eſſe.

Iob 10.

Quomodo enim fecerunt, aut creauerunt nos manus eius, qui tantũ diſtamus a primo illo, quem diuinæ præſentes fecere manus? Videlicet quod ipſi nos Philoſophi, ſæpe Theologiæ cęleſtis interpretes, docuerunt. Permanauit ad nos vſque a primo perennis generationis a Deo excogitatus ordo, qui non ſolùm creauit primos illos, erexitq; è nihilo in pedes, ſed vaſa quoque, membraq; molitus eſt in eis, in quibus genitale ſemen contineretur, ſemini autem eam indidit vim, vt quod ait Plato, exigua quædam & propter breuitatem inuiſibilia animalia ei ineſſent. Aptauit quoque membra, vt fieri poſſet generatio. Et quod mirabile, ſuſpiciendumq; maximè eſt, vt eſſet copioſiſſima ſatio, mutuæ coniunctionis magnum excogitauit ardorem. Et quod admiratus explicuit, deducens totam rem a Deo Plato: Deſcendere, inquit, fecit per collum a capite ſemen. Quod veluti animal, accepta reſpiratione vbicunque reſpirando fluxit, vitali cupiditate animali ingenerata, gignendi amorem abſoluit. Quocirca genitale virorum membrum, vtpote ſui iuris, rationiſq; impatiens omnibus effrænata cupiditate conatur potiri: Similiter quę vulua in mulieribus dicitur, cùm ſit animal ob hæc ipſa, procreandorum filiorum auidum. Et reliqua, quæ perſequitur Plato, deducens, vt dixi, mirabilem han, arcanamq; naſcendi ſapientiam omnem a Deo. In his igitur continetur quam Ariſtoteles dixit, ἐντελεχὴς γένεσις. Perpetua, continuataq; ſucceſſio. Quam ſi voluiſſet explicare, dicenda ei fuiſſent, quæ prior Plato: quæ cùm magiſter ipſe ingenuè tribuat Deo, certè & Ariſtoteli, vt tribuit, tribuenda fuiſſent, confitendumq; fuiſſet, Deum autorem tanti operis. Ille igitur idem poſteros nos creauit, qui priorem illum, creans nos in illo, faciens perpetuum ſucceſſionis ordinem, dans apta membra ad generationem, & vtrique ſexui mutuam appetentiã. Et hoc eſt, quod apud Moſen dicit; Creſcite, & multiplicamini: &, Producat vnumquodque, iuxta genus ſuum, habens ſemen in ſemetipſo. In Politicis item loquens de mutua viri, & mulieris coniunctione: ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ᾽ ἀριθμὸν οὐ δύναται ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ εἶδος, οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις τουτὶ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς κοινωνίαν. Quę ſunt, Simul autem & natura, inquit, ſupplet hoc circuitu, perenniter eſſe: quandoquidem non ſecundum numerum, ſed ſecundum ſpeciem id fieri poterat. Sic prouiſa fuit a Diuinitate vtriuſque natura, viri, & mulieris, ad ſocietatem. Cernis vt ſibi conſentiat, Confitens a Diuinitate prouiſum fuiſſe, non ſolùm nunc prouideri, immo ideo prouideri, quia prouiſus fuit ſexus viri, & fęminæ. Nonne hæc eſt Theologia Moſaica? Maſculũ, & feminã creauit eos, & dixit; Creſcite, & multiplicamini. Ea eſt periodus, & ἐντελεχὴς γένεσις. Factũ a Deo, Moſes: Factum, & Ariſtoteles. Factum aliquo temporis initio, Moſes: idem & Ariſtoteles: apud vtrunque Fecit, Creauit, Repleuit Deus. Neceſſe igitur eſt Ariſtotelem hic ſenſiſſe, quæ maiores, Plato, Pythagoras, omniſq; Gręcia prodiderant, cùm & ſermo id declaret, & habuerit antea quos ſequeretur. Tertium teſtimonium de creatione animi eſt, cùm in quarto libro de Generatione animalium, omnem aliam animam interire, quia coniuncta ſit cum elementis, a quibus etiam oriatur, & ab eis ſeparari non poſſit, quia non ſit aliud, quàm ipſa, fatetur. Solam autem mentem, aut intellectum, exterius accedere, quia ſeparabilis ſit, & alterius generis, vt in libris etiam de Anima, diſſerit: ὥστε καὶ θύραθεν εἰσιέναι ἀδύνατον· οὔτε γὰρ αὐτὰς καθ᾽ ἑαυτὰς εἰσιέναι οἷόν τε ἀχωρίστους οὔσας, οὔτ᾽ ἐν σώματι εἰσιέναι· τὸ γὰρ σπέρμα περίττωμα μεταλαβούσης γαστρός ἐστὶ. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια: Quocirca, inquit, impoſſibile eſt, vt exterius ingrediatur anima ſenſibilis. Neque enim ipſas per ſeipſas ingredi, ceu inſeparabiles datur. Eſt enim ſemen excrementum corporis, a quo continetur. Supereſt autem ſolam mentem exterius ingredi, & ſolam diuinam eſſe, cuius operatio non communicat cum actione corporea. Hæc Ariſtotelis dicta, qui ęqua lance, ſynceroque iudicio ponderet, colliget hominem, quæ vetuſtiſſima noſtra Philoſophia, ſenſiſſe, quodque ex ſucceſſione, reuelationeque ſenſit noſtra, hoc Ariſtotelem ratione & iudicio prodidiſſe, ratione cum veritate cœleſti conſonante. Priora exempla ſatis ſuperque declarabant creationem, artificiumque humani corporis, opus fuiſſe diuinæ ſapientiæ: hoc poſtremum validiſſimè clamat ab origine diuina, ſatum noſtrorum animorum. Si enim mens ſola ſeparabilis, ſola a natura corporis abſoluta, neceſſariò eſt origo eius a Deo, quoniam a nullo corpore: ſupra corpus enim eſt natura diuina. A ſolo igitur Deo. Quod ipſe etiam confiteri non erubuit. Supereſt, inquit, ſolam hanc eſſe diuinam. Diuina ſunt, quibus vel ortus a Deo, vel ſimilitudo cum Deo. En totum hominem ab vno, eodemque Deo dixit Ariſtoteles creatum, conſentiens cum priſca Philoſophia, cum Aegyptiis, Chaldæis, Pythagoreis. In cuius dictis, ſi penitus euoluas, rei caput attingas, rerum creatio, quantum velint, torqueant hic ſeſe Peripatetici, continetur.

Membrorum ſitus, & ratio.

Continua ſucceſsio.

Geneſ.1.

Non ſecundũ numerum, ſed ſpeciẽ animalia perpetua.

Anima beſtiarũ mortalis.

Semen quid.

Diuina quæ.

Quòd Ariſtoteles de animi immortalitate, ac diuinitate ſenſit, ac dixit, quæ ſuperiores, Chaldæi, Pythagoras, Aratus, Mercurius Triſmegiſtus, exinde Philo, & Marcus Tullius. Cap. VIII.

VERISIMILE eſt, vt dixi, maiores Theologos Græcos, & Barbaros, ratione quoque, iudicioq; accedente, in hac præclara, de aduẽtu exterius animi noſtri aſſertione Ariſtotelẽ fuiſſe ſecutum. Quæ ſi hodierni Peripatetici tenerẽt, fortaſſe melius & hoc loco, & omni Philoſophia eius Ariſtotelē interpretarentur. Veri inquā ſimile eſt, nunc Philoſophũ dixiſſe, quæ cùm cæteri, tum Chaldaicum oraculum, quod ſolet etiam Platonicis proferri, prius ediderat:

Κρὴ σε σπεύδειν πρὸς τὸ φῶς, καὶ πατρὸς αὐγάς,
Ἔνθα ἐπέμφθη σοι ψυχὴ πολὺν ἑσσαμένη νοῦν. Quæ ſunt,
Accelerare opus eſt te ad lucem, & patris ſplendorem,
Vnde tibi eſt animus miſſus, multa indutus mente.

Non a ſemine eſt animę ſubſtantia.

Deſcenſus animorũ.

Anima a cœlo demiſſa.

Anima extrinſecus adueniens.

Hoc oraculum explicans Pſellus Philoſophus, ἐπειδὴ οὐκ ἀπὸ σπερμάτων ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν ἔλαβεν, οὐδ᾽ ἐν σωματικαῖς ὑφεστήκει κράσεσι, ἀλλὰ ἄνοθεν ἀπὸ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει πρὸς ἐκεῖνον καὶ ἐπιστρέφθω: & quæ ſequuntur. Poſteaquam, inquit, non ex ſeminibus accepit ſubſtantiam anima, neque corporeis ſubſiſtit temperamentis, ſed a Deo ſupernè habuit eſſe, ad illum etiam conuertatur oportet, & ad lumen diuinum faciat aſcenſum. Magna enim veſtita intelligentia huc deſcendit, hoc eſt, induta eſt a creatore, & patre, reminiſcentias diuinorum conditionum, quando huc accepit deſcenſum. Hinc per eaſdem illas reminiſcentias iterum illuc reuertitur. In his Pſellus, etſi nimium Platonicè de animorum deſcenſu locutus eſt, verus tamen ſenſus eſt, animos eſſe diuinos, his a ſedibus deſcendẽtes, vbi conſenſus omnium mortalium prædicat eſſe aulam Dei, qui tametſi per omnem mundum intentus cœlum, ac terras implens, vt noſter ait Propheta, proprius tamen vbi magis colluceat maieſtas eius locus, dicitur Cęlum. Ab illa aula, quoniam nec à mundo corporeo, nec ab vllis elementis veniunt, dixere noſtras animas deſcendere, formatus ab ipſo Deo, ſimiles autem ſibi formatas, nullo ex corpore depromptas, ſolo Deo earum origine, & fonte. Propterea Philo pro omnibus Philoſophis, animum eſſe ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα, Abſciſſionem aut radium a Deo. Salomon, ἰδιότητα, proprietatem. Oraculum Apollinis, μερίδα, particulam. Moſes, afflatum. Tullius, decerptos ex mente Diuina. His modis eſt anima demiſſa cœlo, diuinitus data, diuinitus decerpta, mirabili modo formata. Quas autem dixit Pſellus reminiſcentias, non illas ſcilicet Platonicas dixit, niſi rectè ſentias, ſed naturalem ad cœlum ſuſpectum, & conuerſionem, vnde fuit origo, ſimilitudinem cum Diuinitate, & quòd animus decerptus, aut afflatus eſt ex mente diuina, naturali cupiditate deſiderans fontem genitorem ſuum: non quòd antea, quàm in corpus intraſſent, in cęlo fuerint animi, ſed vno momento creati, diuinituſque dati, coguntur conditoris ſui reminiſci, ſemper ad propriam regionem ſuam, animorumq; loca, vbi Deus inuiſibilis, regnumque eius florentiſſimum, ſuſpirant, cùm nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis poſſit animis placere, quippe qui nec è terra, nec aqua, nec aere, nec igne, ſed a regno Deorum, a locis immortalibus, inuiſibilibus, incorruptibilibus venere. Huius regni recordantur animi, lumen ſempiternum ſentiunt inſtinctu naturali fulgentiſſimum, mirabile, iucundiſſimum, alacritatis ineffabilis, incognita mortalibus, ſolis his, qui adſunt, nota gaudia. Hæ ſortes, aut conditiones meliores, de quibus ſæpiſſimè Plato, & noſtræ litteræ. Magnam autem mentem etſi Pſellus illas reminiſcentias interpretatur, mihi tamen videtur oraculum ſimilitudinem Dei, & id ipſum, quo diuina eſt anima, ſenſiſſe, illamque Diuinitatem deſignaſſe, quam ſedibus ętheriis deſcendens tulit anima ſecum. Hæc magna, hæc multa mens, plena diuinæ naturæ, inſtinctuſq; beati, notioniſque cęleſtis. Hoc quis neget Ariſtotelem ſenſiſſe, aſſeruiſſe, cùm nulla ſit in hoc mundo regio, nec locus, nec corpus, a quo aduentare animus potuerit? Et tamen exterius eum ingredi dixit. Vidiſti quoque, vt Pſellus propoſuerit, peneque declarauerit locum ſuperius adductum ex Ariſtotele: Non ſubſiſtit anima corporeis temperamentis, vt quidam in Phædone ſuſpicantur: nec ſemini, ſpumæque illi, ſubſtantiem debet ſuam: non eodem, atque corpus ſatu ſeminatur: ſed habuit diuinitus, & ſupernè ſubſtantiam. Id igitur Ariſtoteles dicebat, ex ſemine, quod excrementum, vel ſpuma corporis ſit, ſenſitiuam, corporeamque animam creari: ſolam autem mentem alterius rationis eſſe, cuius omnis incorporea ſit operatio. Ob id eam eſſe diuinam, ſolamque exterius accidere. Quod quidem cæteri Philoſophi communibus ſuffragiis omnes decreuere. Vidimus enim apud Platonem, Opificem mundi, ſe principium, & fontem animorum confitentem, cuius, inquit, initium traditur vobis a me. Et quòd Dij minores acceptam, genitamque a Deo animam, incluſerint in formatum a ſe corpus. Aliaque plura, quæ poſt referentur. Igitur, & Pythagoras aperuit, propalauit, vociferatus eſt, quod Ariſtoteles occultè deſignauit: cuius dictum, animum exterius accidere, eſt quod Pythagoras omnibus prædicabat.

Θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσι.
Aude, nanque genus diuum mortalibus extat.

Genus humanum, diuinum eſſe.

1. de Legi.

Homo immortalis.

Genus diuinum eſſe nobis etiam mortalibus, propter corpus, vt Chaldæus ſuperius: animi autem origo, inquit Pythagoras, eſt a Deo. A quo genus ducimus, inde natus animus, propterea cognatus, & quod ait Ariſtoteles, συγγενέστατος, affinis, gentilis, vt Marcus. Tenemur agnatione diuina. Genus noſtrum, id eſt, eius, qui verè homo eſt, nempe animus, non eſt a corporeo, corruptibiliq; mundo, ſed a Deo. Propterea diuinum genus eſt nobis, vt haudquaquam timere, quaſi morituri, debeamus. Immo fidendũ eſt maximè, magnaq; cum alacritate viuendũ, quibus non ſit cũ his quæ moriuntur, & intereunt, agnatio, ſed cum Deo immortali. Cernis autem Pythagoram

eodem

A eodem nomine, atque Ariſtoteles vti? Relinquitur, inquit Philoſophus, mentem ſolam extrinſecus aduentare, ſolamq; eſſe θεῖον, diuinam: Pythagoras autem, diuinum genus, ſatus diuinus, diuina cognatio, natura, origo, ortusque diuinus nobis, propterea non mortalis. Eadem deprecantem, & quid ſenſerit Ariſtoteles declarantem noſtræ Theologiæ antiſtitem, etiam Arati teſtimonio, qui ſimiliter atque Ariſtoteles, & Pythagoras, licet Ariſtotele prior, fuerat locutus, allato, conſidera: Ipſe, inquit diuus Paulus, Deus cum ſit Dominus cœli & terræ, non in manufactis templis habitat, neque manibus humanis colitur, alicuius indigens. Ipſe dans omnibus vitam & ſpiritum in omnibus, creauitq; ex vno ſanguine omnem humanam gentem. In ipſo, inquit paulò pòſt, viuimus, & mouemur, & ſumus, ſicut quidam è Poetis veſtris dixerunt, Huius enim genus ſumus. Genus igitur cum ſimus Dei, & quæ ſequuntur. Viſum quid ſentiat Ariſtoteles & Pythagoras. Diuinè quoq; & ſimiliter atq; hi omnes, animi ſubſtantiam, & fontem declarauit Triſmegiſtus ad Aſclepium: ὁ νοῦς οὖν οὐκ ἐςὶν ἀποτετμημένος οὐσιότητος τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἡπλωμένος καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς: Mens, inquit, non eſt abſciſſa ex Dei ſubſtantia, ſed quaſi explicata, ſicut Solis lumen. Quis eſt igitur tam infelici iudicio, tanta impudentia, quanquã habent os hodierni Peripatetici, & frontem perfricuere, non omnes dico, qui non videat Mercurium, Pythagoram, Aratum, Paulum, Chaldæum aperientes, quod obſcurè protulit Ariſtoteles, exterius animum ingredi? videlicet ortus illi diuinus eſt, genus, generatio, natales diuini, nõ mundani, non corporei, corruptibiles, diuina ſtirps. Hoc item clarius expoſuit Marcus, vt qui ſententiam Ariſtotelis ſuper eo verbo θύραθεν, a foribus, vel non intelligant, vel deprauent, id de intellectu vel Dei, vel vniuerſali quodam exponentes, aut de intellectu, ſiue intellectione, & doctrina, quæ paulatim exterius B aduentet, ſit locutus, merito cæteros magnos viros audientes, a pertinaci, ſtultaq; hac ſua perſuaſione dimoueantur. Quid enim veriſimile ſit aliud Ariſtotelẽ ſenſiſſe, quàm quod eſt apud Marcum in Tuſculanis, & in conſolatione? Animorum, inquit, in terris nulla origo inueniri poteſt. Nihil eſt enim, inquit, in animis miſtum, atque concretum, quod ex terra natum, atque factum eſſe videatur. Nihilque humidum, aut flabile, aut igneum. His enim innatum nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quo & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt. Hæc ratio Marci noſtri de immortalitate animi latior, verbiſq; Latinis declarata eſt, quam ſępe Græcè, & ad morem Philoſophorum poſuit Ariſtoteles in ſecundo de Generatione animalium. Nam cùm diuiſiſſet, omnes animæ ſpecies, aut ſeparatas eſſe, aut non ſeparatas, aut quaſdam ſeparatas, quaſdam non vel naſci, & eſſe in ſemine maris, non exterius ingredientes aut in ſemen maris ingreſſas: aut exterius accedere omnes, vel non: quòd non omnes prius fuerint, quàm ingrederentur, clarum eſſe hac ratione: Quæcunque enim principia habeant operationes corporeas, ea ſine corpore eſſe non poſſe, vt incedere ſine pedibus, vt id nõ poſſit exterius accedere. Neq; enim ea principia ipſa per ſe introire poſſe, vt inſeparabilia, neque corpus introire. Semen enim excrementum ventris eſſe. Solam igitur mentem ingredi exterius, ſolamque diuinam eſſe. Neque enim cum operatione eius vlla ratione communicare operationem corpoream. Hæc ratio eſt, quam Marcus attulit, memoriæ, cogitationis, prouidentiæ. Hæ.n. ſunt operationes incorporeæ, ab incorporeo principio naſcentes.

Act.17.

Mens non abſciſſa ex Dei ſubſtãtia, ſed quaſi explicata

1. Tuſcul.

Animarũ diſtributio

C *Quòd confirmauit Ariſtoteles eandem ſententiam alijs locis, quibus ſenſit aperteque pronuntiauit animum à corpore ſegregatum, idemque teſtantur Peripatetici eum ſenſiſſe. Cap. IX.*

HANC item Ariſtotelis verè ſententiam fuiſſe, non is modò, & omnis qui in libris de Anima eſt locus, ſed & ille in Moralibus, ab aliis etiam animaduerſus, cui mille tenebræ ab inimicis veritatis offundi poſſint, abunde teſtatur. Eſt autem in decimo. Illic perſpicuè duas oſtendit confiteturque hominum vitas: alteram, qua viuitur ſecundum compoſitum: alteram, qua ſecundum mentem, ac intelligentiam. Virtutes item, & operationes eſſe duplices, alteras ſecundum compoſitum, quæ propriè vocentur ἀνθρωπικαὶ, humanæ, quaſi corporeæ, & in hac vita: alteras ſeparatas, mentis & intelligentiæ: αἱ δὲ τοῦ συνθέτου ἀρεταὶ, ἀνθρωπικαὶ καὶ ὁ βίος δὲ ὁ κατ' αὐτὰς, καὶ ἡ εὐδαιμονία, ἡ δὲ τοῦ νοῦ κεχωρισμένη. Quæ ſunt, Virtutes, inquit, compoſiti humanæ, vita quoque quæ ſecundum eas agitur. Sic item felicitas. At verò virtus, & felicitas mentis, eſt ſeparata. Hæc Ariſtoteles. Superius autem veram perfectamque felicitatem, declarauerat mentis actionem, ac contemplationem: ſed eiuſmodi maiorem eſſe, quàm ſecundum hominem. Neque enim quatenus homo ſit, ſed quatenus diuinum quiddam in ſe habens, eam vitam ab eo agitandam. Quanto autem differat hoc a compoſito, tantopere differre operationem eius, ab operationibus, quæ fiant ſecundum alias virtutes. Quòd ſi mens ſit reſpectu hominis diuinum quiddam, etiam vita, quæ ſecundum hanc tranſigetur, diuinam reſpectu humanæ vitæ fore. Neque verò audiendos eſſe, qui nos hortentur, vt qui homo eſt, humana curet, & ſentiat mortalis mortalia: ſed pro viribus conandum immortalem effici, omniaque facere, vt viuas ſecundum id quod optimum eſt. Denique concludit, vitam

Duplex hominis vita.

Perfecta felicitas in quo ſita maximè.

Vita vera ſecundum mentem.

ſecundum mentem eſſe veram vitam ac felicitatem, quandoquidem is homo maximè ſit. His Ariſtotelis verbis omnia continentur, quæ cæteri de immortalitate planè, & apertè attulerunt, Hominem eſſe plenum rationis animal, memoriæ, cogitationis, prouidentiæ. Quòd animorum nulla in terris origo inueniri poſſit, quòd ſint ſeparati, vt loquitur Ariſtoteles: ſeparatos autem eſſe, operationes incorporeas, & ſeparatas, & a corporeis operationibus omnino differentes, atteſtari. Tullius autem, quòd in his nihil ſit miſtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque factum eſſe videatur. Nihil humidum, aut flabile, aut igneum, nihil ex quatuor elementis. Quia in elementis, & corporibus nihil inſit quod memoriam, recordationemque præteritorum, futurorũ prouidentiam contineat.

Operationes animorum quæ.

Hæc Latinè ſunt, quæ apud Ariſtotelem, quòd ſint animi ſeparati, quòd operationes eorum, quæ ſunt recordatio, memoria, cogitatio, ſpeculatio, prouidentia, ſint ſeparabiles, videlicet à corporibus elementiſque diſiunctæ, non habentes ab elementis principium, ac dependentiam, ſed alterius generis diuinioris, quod non inueniatur in terris. Hoc Ariſtoteles appellat ſeparabiles. Atque cernis eum, eadem loquentem in moribus, atque in libro de Generatione animalium. Illic quòd animus ſolus, ſiue mens, quem cæteri dicunt intellectum, eſt diuina, ſola ingreditur extrinſecus, ſola ſeparabilis eſt a corpore, nullum cum corpore coniugium habens: non naſcens è ſpuma prolifica. Idque rationibus, quæ ſint facultatum, ipſarumque ſubſtantiarum indicia, colligebat. Hic variis modis ſeparat animum a corpore, quòd verus homo ſit animus, quod felicitas humana vera ſit non ſecundum corpus, aut ſecundum compoſitum ex animo, & corpore, ſed ſecundum animum ſeu mentem ſolam, qui verus homo ſit, cuius virtus, felicitas, & beatitudo ſit ſeparabilis. Quòd hæc beatitudo ſit maior, melior, quàm humana, videlicet terrena. Quibus verbis prudentiſſimus quiſque noſcet, Ariſtotelem hæc loquentem ſpectaſſe, mentemque fixam habuiſſe ad eam beatitudinem, quam in primo de Cœlo, de his qui degant extra cœlum beatè, prædicauit: quanquam in eiſdem Moralibus, iuxta conſenſum mortalium, Diis immortalibus attribuit, qui dicantur viuere beatè.

Dii beatè viuunt.

Cùm autem beatitudo non ſit ſomnus, & dormitio, ſed actio maxima, ac beatiſſima, Deos autem a corpore ſeparatos nihil agere corporeum, neceſſe ſit, relinqui duntaxat eos contemplari. Quid autem contemplentur, idem Ariſtoteles propemodum cognouit, & faſſus eſt. Hanc igitur animorum vidit, & ſpectauit in Moralibus felicitatem, ſimilem videlicet ei, qua Dii fruuntur, a coniugio corporis ſegregati. Eiuſmodi enim animos eſſe noſtros, quales Deorum innuebat, etiam in corporibus ſeparabiles a corpore. Nam quòd hanc vitam beatam ſenſerit Ariſtoteles, liquidò verba eius oſtendunt.

Beatitudo non eſt cō poſiti.

Si enim, quam proponit, beatitudo, felicitaſque non eſt compoſiti, dum autem ſumus in corpore, ſumus in compoſito, certè ſpectabat eam felicitatem, quæ quidem in corpore nemini contingere poſſit, niſi munere diuino, in ecſtaſim raptus, ſopitiſque ſenſibus, videat arcana Dei. Huc adde quòd nulla in corpore fruimur clara, lucidaq; ſpeculatione, qua poſſimus eſſe beati. Nec poteſt animus occurrere nobis ſeque aſpectabilem illis exhibere, quod eos ſatiet perfecto ſolidoque gaudio. Non cœlum, terræ, maria, terreſtria, cœleſtia. Tum in loco ſumus, vbi nulla vnquam eiuſmodi contigit contemplatio, quæ redderet quenque perfectè beatum.

Contemplationes nr̃æ plerũq; fallaces.

Quid quòd noſtræ ſpeculationes plerunque falſæ, fallaceſque, vel ipſius Ariſtotelis teſtimonio, qui ſæpe priſcos illos carpit Philoſophos, arguitque erroris? Quid quòd ſpeculationes, vel a nobis ipſis oriuntur, generantur, vel a libris, monimentiſque aliorum? Sed ſibi quiſque peſſimus magiſter: libri ferme cuncti ſcatent erroribus, & fabulis. An Ariſtotelis libros legens, & ſciens quę tradit, ero beatus, non potius ęrumnoſus? Quæ quidem beatitudo ei priori, qui iſta tradit, contigiſſet, quem nunquam ego puto fuiſſe beatum. Cùm igitur omnis humana, & in corpore ſpeculatio cuiuſcunq; modi neminem poſſit beare:

Beatitudo perfecta in animo cognoſcente.

Perfectam autem beatitudinem Ariſtoteles ſtatuit in animo cognoſcente: certè nō potuit aliam ſpectare beatitudinem, niſi diuinam, de qua locutus eſt vberrimè Plato in Phædro, ipſeque Ariſtoteles vidit eam in libris de Cęlo, aſſerēs eos, qui ſunt extra mundum, nec tempori nec caſibus ſubiacentes, nec locis incluſos, viuere perenniter beatos. Aliis autem locis hos ipſos aſſerit nulla corporea voluptate, ſed intellectuali, ſemper beatos. Alàis definiuit Deum ſupremum cognoſcendo ſeipſum beatum. Hæc igitur eſt omnium animorum beatitudo, ſicut Dei, ſic cæterarum mentium: contemplantur primum illum, ibi philoſophantur, ſpeculantur, illinc omnem voluptatem decerpunt. Hanc Ariſtoteles neceſſariò, non aliam beatitudinem vidit, ſiquidem in terris non inuenitur. Beatitudinem enim nō eſſe rem vanam, & quæ nuſquam ſit, neceſſe eſt. Ex hoc igitur loco cognoſcitur, iterum Ariſtoteles ſeparatos animos, ac diuinos dixiſſe. Idq; agnouerunt eruditi. E quibus Michael Epheſius eo ipſo loco: βέλτιον μόριον, καὶ ἄνθρωπον λέγει τὸν νοῦν ἡμῶν· τὸν γὰρ ὄντως καὶ μάλιστα ἄνθρωπον ἐν λογικῇ ζωῇ τίθεται, καὶ διττὸν αὐτὸν διὰ τούτων ἀποφαίνεται· ἕνα μὲν τὸν ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος, ᾧ καὶ τὸ εὖ ζῆν, καὶ τὸ εὐδαιμονεῖν, ἐν τῷ κατὰ τὰς ἀρετὰς εἶπε ζῆν εἶναι ἐν τοῖς μεγάλοις ἠθικοῖς: καὶ ἐν τῷ πρώτῳ τῶνδε βιβλίων: ἄλλον δὲ τὸν πρώτως καὶ ὄντως ἄνθρωπον τὸν ἐν ἡμῖν νοῦν: ὑπὲρ οὗ προϊὼν ἐρεῖ χωρισθεὶς δὲ τοῦ σώματος ἐστὶν αὐτὸ τοῦτο ὅπερ ἐστὶν, καὶ δῆλον καὶ ἐκ τούτων, ὡς οἱ λέγοντες τὸν ἀριστοτέλη, θνητὴν δοξάζειν τὴν ψυχὴν, οὐδέν τι λέγουσιν ἀληθές: Particulā, inquit, meliorem, & hominem dicit mentem noſtram.

Bonum maximum in vita rationali.

Siquidem verum maximeq; hominem in rationali vita conſtituit. Eumque duplicem in his oſtendit: Alterum ex animo & corpore, cuius beatitudinem definiuit in magnis Moralibus, & in primo huius operis libro, viuere ſecūdum virtutes

A Alterum autem qui primo,ac verè homo ſit,mens noſtra,de qua proſequens diſſeret. Quidquid autem hoc eſt,a corpore ſegregatum eſt. Ex his item fit perſpicuum, eos qui dicunt Ariſtotelem opinari animam mortalem,nihil verè loqui. Hæc ille.

Ex his quæ ſcripſit in libris de Anima & de partibus animalium ſimilis probatio : & quòd hoc ipſum interpretes Græci contendunt Ariſtotelem ſenſiſſe. Cap. X.

ψυχὴ & νοῦς : aĩa & mẽs differunt.

Mens immortalis.

Verus homo, pars diuina.

Intelligentia.

Mens duplex.

Tuſc. 1.

EADEM apparent ex libris de Anima. Quo loco operæpretium eſt noſſe quæ etiam magnorum virorum eſt ſententia,aliud eſſe apud Ariſtotelem ψυχὴν,animam,aliud quæ dicitur νοῦς, mens,intelligentia. Priorem,quia corporis perfectio & actus eſt,corporis inquam organici,naturalis, cum corpore cenſet interire. Quaſi corporis harmonia,quemadmodum in Phædone Platonis quidam diſputant, ceſſans cum corpore,ſicut cum cithara perit harmonia. At eam quæ dicitur mens, etſi in anima inſedeat tanquam vehiculo,& ſeparabilem a corpore vbique dixit,& alterius omnino generis,cuius actiones,& operationes nulla cum actionibus compoſiti,aut corporis,& harmoniæ communicatione ſocientur. Separatum prorſus,aliudque omnino rerum genus, vt ætherium corpus ab aliis corporibus longè diſtat. Hanc igitur mentem vbiq; prędicat immortalem,diuinam,ſimilemque naturę Deorum. In libris de Generatione animalium,ab elementis non naſci,ſegregarique,exterius aduentare. In Moralibus ſeparari,ſeiungique a corpore,& a compoſito, vt quæ ab eo nihil gerat, aliunde nata. Verus homo, pars diuina. Cuius duntaxat ſit felicitas vera. In libris de Anima multus eſt in B ſeparando alteram ab altera. Atque de mente clariſſimè pronuntiat : καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργίᾳ. Atque, inquit, hoc modo mens eſt in ſeparabilis, & impermiſta, & impaſſibilis, ſubſtantia exiſtens actu ſemper, & operans. Paulò autem pòſt clarius, & apertius, vt nulla ſuperſit dubitatio, χωριστεὶς δὲ ἐστὶν μόνον τοῦτο ὅπερ ἐστὶ, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον. Separatus, inquit, & ſegregatus eſt animus, quidquid eſt. Et hoc ſolum eſt immortale, & ſempiternum. Quid apertius? Rurſus eodem libro : Quæ igitur, inquit, vocatur intelligentia, ſiue mens in anima (dico autem intelligentiam, qua intelligit, opinaturque anima) nihil eſt actu omnium antequam intelligat. Quocirca veriſimile fit, eam cum corpore non eſſe permiſtam. Cum non ſit è corpories. Hæc Philoſophus. Sciendum verò apud Græcos duplicem eſſe mentem, ſiue intelligentiam, alteram, quæ intelligit : alteram, quæ intelligitur, vocitantes mentem ipſam rem intellectam. Hæc propriè dicitur, διάνοια, diſcurſus, cogitatio. Hanc poſtremam dicit corruptibilem, ipſas ſcilicet intellectiones, animo nunc inhærentes, nunc abſcedentes, & euaneſcentes. Priorem, quæ eſt ipſa potentia, ſubſtantiaque mentis,incorruptibilem. Clarè quoque, & apertè dixit in ſecundo, περὶ δὲ τοῦ νοῦ, ὅτι οὐκ καὶ τῆς θεωριτικῆς δυνάμεως οὐδὲ ποφανερόν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι : καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ μόρια τῆς ψυχῆς, φανερὸν ἐκ τούτων ἐστὶ χωριστά. De mente, inquit,& facultate ſpeculatiua nondum perſpicuum eſt. Sed videtur aliud animæ genus. Et hoc ipſum ſolum poteſt ſeparari,tanquā ſempiternum a corruptibili. Cęteras animæ partes,ex his manifeſtum eſt,non eſſe ſeparabiles. Hic clarè,& apertè,vt cogar admirari,qui contra-C ria ſentiunt, Ariſto. quid inter mentem,& reliquas partes animę interſit,edocet. Declarat etiam quid ſit ſeparabile,nempe ſempiternum,incorporeum,incorruptibile. Talis eſt, inquit, mens, & ea,quæ dicitur vis ſpeculatrix. Separatur a corpore, perinde ac res incorruptibilis,& ſempiterna à corruptibili. Ipſa incorruptibilis,reliquæ partes corruptibiles,poſt corpus non remanentes, ſola illa remanente. Agnoſcis igitur ea,quę Tullius noſter ex his,& aliis Gręcorum fontibus. Animorum,inquit,in terris nulla origo inueniri poteſt. Nihil eſt enim in animis miſtum,atq; concretū,aut quod ex terra natum,atq; factum eſſe videatur,aut quod humidum,aut flabile, aut igneū. Vbi eſt igitur quorundam male ſanorum,qui ſibi impiè philoſophando, ſupercilium, ſapientiãq; arrogant,doctrina,non religionis modò,ſed Philoſophię bonæ deprauatio? Luce clarius eſt quid ſentiat Ariſt. cęteris Philoſophis apertius,quod occultius ille,diſſerentibus. Probant item Gręci Ariſt. ſeparabilem a corpore diuinamq; eſſe, & immortalem mentē, ex illo in vltimo de partibus animaliū loco. Vbi dicit πότερον φησὶ περὶ πάσης ψυχῆς τοῦ φυσικοῦ ἐστὶ διαλεχθῆναι, ἢ οὐ περὶ πάσης, ἀλλ' ὅση μὴ ἄνευ τῆς ὕλης ὥστε οὐδὲ ψυχὴν χωρὶς τὴν τῆς ὕλης : Vtrum,inquit, de omni anima,Phyſici eſt diſſerere,an non de oī,ſed ſolum de ea,quę ſine materia eſt. Ex quo, inquiunt Græci, animam ſeparabilem à materia ſenſit. Simplicius quoq; afferens Ariſt. teſtimoniū ſuper hoc, Quod enim Deus eſt ſemper, inquit,ipſe Ariſt. in vndecimo Metaphyſicę, τοῦτο ἡμεῖς ποτὲ κατὰ δύναμιν δηλαδὴ ἡμετέραν : χωριστὸς δὲ ὁ θεὸς ἀεί, καὶ ἡμεῖς οὖν, εἰ καὶ ποτε. Hoc ſumus nos aliqñ, videlicet pro viribus noſtris Segregatus autē eſt Deus ſemper,etiam nos igitur, tametſi aliqñ,hoc eſt, aĩa a corpore diſiuncta. Sic ait Simplicius in libris de Aĩa: vt vndiq; fiat perſpicuū ſeparatę naturę mētem Ariſt. ſenſiſſe. Super his itē verbis,quę paulo ante produximus, Et hoc ſolum immortale, & ſempiternum, Simplicius, ἐπιστῆσαι ἄξιον τῷ παντὶ λόγῳ, θαῤῥῶν τὸν οὐσιώδη τῆς ψυχῆς νοῦν, ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον ἀποφαίνεται ἵνα καὶ ταύτη, τὴν πρὸς πλάτωνα αὐτοῦ συμφωνίαν ἅμα θαυμάσωμεν :

Animaduertere hoc verbum operæpretium eſt, audacter ſubſtantialem animæ mentem immortalem, & ſempiternam pronuntiat, vt & hac ratione, concordiam eius cum Platone ſimul agnoſcamus. Hæc Simplicius. Super eo item, vbi Ariſtoteles dicit in libris de Anima: οὐ μνημονεύομεν δὲ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθὲς ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός· καὶ ἄνευ τούτου οὐδὲν νοεῖ: Non recordamur, inquit, quoniam hoc quidem impaſſibile eſt, mens autem paſſibilis, corruptibilis eſt, & ſine hoc, nihil ſentit. Hæc declarans Simplicius, non recordamur inquit, τῶν πρὸ τῆς γενήσεως, eorum, quæ ante natiuitatem, vel antequam nati eſſemus: quia deſcendens animus in corpus, erat ſine phantaſia. Nihil intelligit autem non ſimpliciter, nam animus ſubſtantia eſt, ἐνέργεια, operatio, ſed in corpore ſine phantaſia. Hæc ille. Quibus probatur Ariſtotelem mentem ſentire a corpore ſegregatam, vt quæ eſſet, anteaquam in corpus intraſſet, eiuſdem futura naturæ poſt diſceſſum. Quæ ſeparata ſentiebat ſine phantaſmate, pura, in corpore autem ſine phantaſmate cognoſcere non poteſt, ideo non recordatur eorum, quæ vidit anteaquam veniſſet in corpus. Quanquam alius codex habet non recordatur eorum, quæ poſt mortem. Quod quidem eſſet clarius. Ex quo probatur, eandem eius atque Platonis ſuper animi ſeparatione ſententiam. Probatur eum ſentire, quæ ſuperius Chaldæus, Miſſa eſt nobis anima magna induta mente, & quod Poeta: D

Mens fuit ante corpus.

Sedibus ætherijs ſpiritus ille venit.

Ouid. 3. de arte.

Tuſcul. 1.

Et quod Tullius, Animorum in terris nulla origo inueniri poteſt. Simplicius item in hanc ſententiam de immortalitate ſic apparet propenſus, vt dicat optimos Philoſophos, qui hoc ſenſerint. Videtur, ait ſuper libris de animis, loquens de Alcmæone, optimè Philoſophatus, vt licet ex his quæ Ariſtoteles adducit cognoſcere: ἀθάνατον γὰρ λέγει τὴν ψυχὴν, ὡς ἐοικυῖαν τοῖς ἀθανάτοις: Immortalem enim dicit animam, vt quæ ſimilis ſit immortalibus. Et apud Platonem, inquit, dicitur immortalibus ὁμώνυμος. Super primo quoq; Phyſicorum idem ſic perhibet de intellectu: quorum alter dicatur intellectus, potentia, alter intellectus actu: prior coniunctus cum irrationalitate, alter ſegregatus, τὸ δὲ χωριστὸν, οἷος ὁ ἐνεργείᾳ λεγόμενος νοῦς, Velut animus, ſiue mēs actu. Eſt autem, ſi quis recte conſideret, verborum Ariſtotelis, quibus dixit, ſolam, quæ dicitur mens, ingredi exterius, ſolamque diuinam eſſe, ſenſus, & interpretatio, qua Marcus Tullius pro Rabirio dixit, Itaque cum multis aliis de cauſis virorum bonorum mentes diuinæ mihi, atque æternæ videntur eſſe. Agnoſcis duo Ariſtotelis verba, quorum alterum, Mentes diuinæ, & quia diuinæ, æternæ. Quod ab Ariſtotele dicitur θεῖον χωριστὸν, in libris de Anima ἀΐδιον, diciturq́; de cunctis mentibus humanis, non vna, exterius aſſidente, quod ne fieri quidem poteſt. E

Intellectus duplici modo accipitur.

Quòd Marcus Tullius pro cunctis Romanis animum & corpus affirmat à Deo ſupremo creatum, ipſumq́ue animum eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: *& quòd cum Moſe mire conſentit. Cap.* XI.

Repetitio eorũ quæ de aīa diſputata sũt hactenus.

IGITVR priores conſiderationes fuerunt, hominem totum, ſiue animum, ſiue corpus a Deo creatum, veluti lucem immortalem in creatione, quod Triſmegiſtus, Philo, Pythagoras diſſerebãt, radiaſſe. Poſtremò quod cum eiuſmodi naturæ ſit, nihil habet corporeum, ſed a corporibus ſeiunctam, ſegregabilemq́ue naturam. Hæc autem cunctorum conſenſu comprobantur. C Probatum eſt Ariſtotelem, corpus, opificiumq́ue humanum, quęcunque eum cogitatio tenuerit, opus Dei iuxta Theologiam Moſaicam confeſſum. Item quoniā confeſſus eſt, animum, ſeu mentem exterius ingredi, potuit probari, ipſam quoque mentem diuinitus afflari eum dixiſſe, niſi velit eam, quod tamen magna incommoda ſequentur, ingenerabilem, & incorruptibilem. Tum quoque monſtratum, ſeparatam, æternamq́ue ſubſtantiam, & immortalem animi naturam eum aſſeruiſſe. Quæ ſunt omnia in Theologia Moſaica. Denique quod apud omnes declarat animos immortales, eſt quòd, vt Moſes ſcripſit, ſunt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: Et quod Aratus dicebat aſſertum a diuo Paulo, Genus eius ſumus. Id ēt Ariſtoteles cōfeſſus, vt totam animorum Theologiam veram appareat eum comprobaſſe. In decimo de Moribus mentem, ſiue animum vocat ἄριστον, συγγενέστατον θεοῖς, optimam, Diis quoque maximè finitimam, & conſanguineam, eiuſdem maximè generis, ſimilis naturæ. Et hac ſimilitudine retenta, & exculta, vocat ſapiētem, qui excolat, & ornet animum, θεοφιλέστατον, Deo chariſſimum. Vides igitur eum aſſerere, vnum genus hominis eſſe atq; Dei. Moſes diceret, vnam imaginem, vnam ſimilitudinē. Hæc ſimilitudo immortalitatem declarat. Deſignatur enim animorum naturam nullam cum corporibus, elementisve, omniq́; viſibili mundo, ſocietatem, ſimilitudinemq́; gerere, ſed cum natura diuina modo. Eoq́; ſeparabiles eos dixit, & ſempiternos, eorumq́; eandem atq; Deorũ ſupremam felicitatem cenſuit. Nam felicitatem Dei pronuntiat eſſe, ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη: Speculationem beatitudine mirabili. Huiuſcemodi quoq; tribuit animis humanis beatitudinem. Proſequor igitur cæteros etiam, & ſatos a Deo animos noſtros, & ſimili natura imagineq́ue inſignitos prodidiſſe. Nam Tullius pro cunctis Romanis, quorum in Philoſophia, rerumq́ue magnarum cognitione facile princeps, antequam illuceſceret

Aīa dijs finitima.

veritas

A veritas hodierna mundo, diuino naturæ inſtinctu, & hac ipſa, de qua loquimur, quam dedit nobis Deus Diuinitatem, Eſt igitur, inquit, quoniam nihil eſt ratione melius, eaque & in homine, & in Deo. Prima hominis cum Deo, rationis ſocietas. Deinde, vt homines agnatione, & gente teneātur. Ad hæc, quòd aliquibus cohæreant homines, hoc eſt, ſocietatem habeant cum hoc mundo, è mortali genere ſumpſiſſe, animum eſſe ingeneratum a Deo. Ex quo verè vel agnatio nobis cum cęleſtibus, vel genus, vel ſtirps, appellari poteſt. Eiſdem libris, Nunc quoniam hominem, quod principium rerum reliquarum eſſe voluit, generauit, & ornauit Deus. Ecce Marcus omnem primum Moſaicam, exinde Peripateticam Philoſophiam Latinis verbis luculentius aperuit. Agnoſcis illud Ariſtotelis θύραθεν, extrinſecus animum ingredientem. Scilicet generatus eſt a Deo. Nam fragilia quæ ſunt in homine, vt Moſes quoque perhibuit, è terra ſumpta ſunt, animus ſolus generatus a Deo. Moſes diceret, afflatus. Princeps Peripateticorum, exterius ingrediens. Vnde ingrediens, niſi generatus a Deo? Agnoſcis item declarationem nominis Græci apud Ariſtotelem συγγενέστατος, ſcilicet Latinè vel agnatio, vel ſtirps, vel genus cum cęleſtibus. Et diuus Paulus ſuperius ex Arato, Genus, inquit, cum ſimus Dei. Et Pythagoras, θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσι. Vidès tot declaratores Hebraicæ Theologiæ, & nouiſſimorum temporum veritatis, anteaquam nuntius cæleſtis eam diſſeruiſſet, humanis animis impreſſæ. Deniq, Marcus idem concludens, & ea quæ Moſes ſuper a Deo conceſsa homini ſimilitudine ſua prodidit, mirabili conſenſu pronuntians dicit, Iam verò virtus eadem in homine, ac Deo eſt, neque vllo alio ingenio præterea. Eſt autem virtus nihil aliud, quàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Nonne vides eandem Theologiam naturæ, atq; Moſis, omniumque gentium, quam B Deus reuelauit? Alteram prodidit, attulitque de cęlo Deus, alteram docuit Natura. Sed eadem vtraque eſt. Natura docuit hominem è Romanis ſapientiſſimum, quod veriſſimum fuit, eoque naturale declaratum a Moſe, hominem factum ad imaginem Dei. Moſes ex notione, ſcientiaq; diuina, vti priore, cęteri ſignis, & coniecturis, vt poſterioribus acceperunt. Ex his igitur conſtat, vt Ariſtoteli fuit extorta prædicatio, locis inter ſe collectis, Deum corporis & animi humani autorem fuiſſe, animumque ipſum profectum exterius in corpus, eumque eſſe ſeparatum a corporibus, ac immortalem: ſic Tullium eandem ſcientiam de animo, & corpore docuiſſe. Siquidem non ſolum animum, vt tam multis exemplis, ſed etiam corpus, omneq; corporis opificium probatur eum autorem Deum clara voce prædicaſſe. Nam, vt etiam in creatione animi inſiſtam, quod Moſes ſimplici verbo prodidit, Deum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuā hominem creaſſe: Marcus Tullius perinde ac ſi Moſen interpretari Latinis decreuiſſet, dixit in primo de Legibus, Non faciam longius, huc enim pertinet animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe a ſupremo Deo. Ecce homo generatus a ſupremo Deo. Generari autem Latinis, non ſolum procreare eſt, ſed etiam facere. Non eſt ab alio generatus, & creatus, homo, niſi a ſupremo Deo, non a Sole, vt impius, dementiſſimusque Iulianus, non à minoribus Diis, vt ſecum diſſentiens videtur in Timæo aſſeruiſſe Plato: ſed a ſupremo Deo, quàm ob cauſam, antiquiſſimus Poetarum, patrem hominum, atque Deorum ſemper clamat. Ab illo ſupremo Deo eſt generatus, qui propter ſupremam virtutem, ac potentiam, cælum creauit, & terras. Et quòd eum ad ſimilitudinem ſuam creaſſet, factus eſt animal prouidum, ſagax, multiplex, acuC tum, memor, plenum rationis, & conſilij. Hæc enim eſt ſimilititudo, imagoq; illa diuina. Quod autem corporis quoq; Deum, quemadmodum & Moſes, prædicauerit autorem, ei tribuens omnem membrorum, iuxta ſuperiores, præcipuè Triſmegiſtum, Archytam Tarentinum fabricam, adeo pulcherrimum eſt noſſe, vt explicatiorem ferme ſuper eo Theologiam tradiderit, quàm ipſe Moſes, qui compendiosè, ſuccincteque ſcripſit. Loquens igitur de quibuſque pulcherrimè conſtructis à Deo membris, deque venis & arteriis, per quas ſanguis & ſpiritus per omne corpus diffunditur: Vtræque autem, inquit, crebræ, multæque toto corpore intextæ, vim quandam incredibilem artificioſi operis, diuinique teſtantur. En opus artificioſum, opus item diuinum, quemadmodum, & Lactantius, dicit corpus humanum, venas, & arterias per omne corpus frequentes eſſe, non niſi diuini operis exemplum. Tale quid innuebat breuiter ſuccinceq; Moſes, cùm dixit, Deum tuliſſe limum terræ, inque humanam effigiem eum finxiſſe, venas, & arterias adhibuiſſe. Totum retulit paucis Moſes: Tullius cum cæteris, partes omnes. Nam proſequitur, Ad hanc prouidentiam Naturæ tam diligentem, tamque ſolertem adiungi multa poſſunt, è quibus intelligatur, quantæ res hominibus à Deo, quamq; eximiæ tributæ ſint, qui primum eos humo excitatos, celſos, & erectos conſtituit, vt Deorum, hoc eſt, ſtellarum cognitionem, cælum intuentes capere poſſint. Ecce Marcus, quod alius ex illis:

De natura Deor. 2.

Virtus q d.

Hominis pulchra ex Cicerone deſcriptio.

Hō, imago Dei.

Humani corporis fabrica.
Vide Lact. ca. 9. lib. 2.

Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Nònne ſubſcribunt omnes ad vnum Hebraicæ Theologiæ, cùm tot res datas hominibus a Deo fatentur, data interius, & exterius cuncta commoda, vt nuſquam prouidentiam dormitaſſe, ſed cuncta beneuolentiſſimè prouidiſſe iure dicendum ſit? Atque vt membrorum apparatum omnem iam præteream, ipſam corporis ſtaturam, quòd erecta, & excelſa, ab humoque excitata ſit, contemplans,eò pertinere docentibus eis intelliges,quòd homines decreuit, contra quàm cæteros D animantes,cœlum ſuſcipere. Hoc Deus inuenit,fecit,cogitauit. Hæcq; non modò in ſecundo de Natura Deorum,tam ſapienter,mirabiliterq; confeſſus eſt Marcus, ſed repetit etiam in primo de Legibus,Figuramque corporis,inquit,habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cum cęteras animantes abieciſſet ad paſtum,ſolum hominem erexit ad cœli cognationem,domicilijque priſtini conſpectum excitauit. Hæc tametſi Naturam, ſuperius autem Deum feciſſe confitetur, agnoſcis tamen eodem in loco eum habere Naturam,atque Deum,cum tribuit eadem opera vtrique,ſicut Ariſtoteles,Deum atq; Naturam ſemper in Philoſophia ſociat. Et Natura ſine ratione, ac mente temeritas,& caſus eſt,ratione autem prædita,quod ipſe docet, operanſque cum ſapientia,ſolus Deus. His igitur facile cernitur,eandem eſſe ſuper humana creatione, omnium gẽtium, atque ipſorum etiam Romanorum(Nã Marcus cunctis eis ferme doctior,& eloquentior pro cunctis perhibet)atq; Moſaicã,Hebręorum,ac noſtram Theologiam. Omnis enim is de creatione hominis,de pulchritudine totius opificii,de membrorum venuſtate, multiplex apud eos ſermo eſt, eorum explicatio,quæ paucis, & ad morem Hebraicæ linguæ prodita ſunt a Moſe de imagine, & ſimilitudine diuina, de dominatu ſuper omnes animantes,& omni terra: Cum primis,quòd ipſe creaturus Deus acceſſit,manus ſuas admouit: quæ diuinitus illi quoque prodiderunt.

Natura, Deus idẽ apud Philoſophos.

Variæ, multiplicesque Senecæ ſententiæ de immortalitate,origineque animorum. Fateri eum delibatos, aut fuſos eos à ſpiritu diuino. Futuros in æterna requie inter beatorum choros poſt à corpore diſceſſum. De eorum cum Dijs cognatione, de ſempiterna luce, fortunatorum ſedibus. Cap. XII. E

MIRABILIS igitur eſt Romanæ, quemadmodum Græcæ Theologiæ cum Hebraica, de conditione animorum concordia,ſiue ſit eorum deſignandus ortus, atque origo,ſiue natura, proprietaſque,ſiue futurus eorum poſt a corpore diſceſſum, ſtatus. Huius Theologiæ Romanæ diuinus alius interpres Seneca, omnia ferme ſcripſit,de animis,quæ ſacræ litteræ, vateſque cæleſtes philoſophari ſolent, clarus aſſertor, explicatorque eorum,quæ Plato ante eum Ariſtoteleſque ſcripſerant de natura animorum. Si quis enim ſcire velit,quid Ariſtoteles ſenſerit,cum dixit ſolam mentem,quæ Gręcè dicitur νοῦς, Latinè vel intellectus,vel animus,vel mens,venire exterius, ab alia origine ad corpus, Seneca tibi plenè declarabit. Siue quæ Plato de beatitudine animorum,vbi corpus deſeruiſſent. Primumq; cùm dubitationem de anima in Epiſtolis inieciſſet, quemadmodum Ariſtoteles, & Plato ſoliti ſunt,demum totum ſe dedit in aſſertionem immortalitatis,magniſq; verbis æternitatem eorum,puritatem,beatitudinem declarauit. Quod ergo dubitat in Epiſtolis dicens, Itaque de illo quærendum eſt,num poſſit immortalis eſſe: Hoc quidem certum habe,ſi ſuperſtes eſt corpori, propter hoc illum nullo genere poſſe perire. Propter quod non perit, quoniam nulla immortalitas cum exceptione eſt,nec quicquam noxium æterno eſt. Quod ergo Seneca dicit nunc dubitanter,quanquã dicat animum non perire,deinceps omni dubitatione depulſa,totis libris ſuis conſtanter affirmat animos æternos,primum ad Gallionem: An illud verum ſit,& a me probatur maxime, homines F diuini ſpiritus eſſe partem,ac veluti ſcintillas quaſdam ſacrorum in terra reluxiſſe, atque ex alieno loco exiſſe. Audis verbum Ariſtotelis, quo dixit animos ingredi in corpus θύραθεν, exterius. Declarabit tibi dicerque Seneca,ex alieno loco,deinde a ſpiritu diuino, vt clarius intelligas. Et Marcus,Nec inuenietur vnquam vnde veniant,niſi a Deo. Dicet etiam animi creationem,fuiſſe radiationem,ſcintillam,quemadmodum Moſes appellat inſufflationem,afflatum. Et hanc Moſes a Deo,Seneca a ſpiritu diuino. Dicet autem Seneca animum eſt partem ſpiritus diuini,nõ ſcilicet ſubſtantiæ diuinæ partem,ſed quod poſtea expreſſit,particulam,radium quendã,ſcintillam proiectam a luce ſua: Sicut Moſes flatum: Altero lucis exemplo, altero ſufflationis vtente. Vtitur .n. etiam Philo Theologus Hebræus fulgoris exemplo, dicens animum eſſe ἀπαυγάσματι quandã ſcintillationem. Quo declaratur ſpiritualis animorum creatio. Oſtendens etiam Seneca diuinam, non terreſtrem, fragilem, corruptibilemque animorum originem, & quod Marcus ait, Animorum in terris nulla origo inueniri poteſt: ſic dicit ad Lucillum, Animum, inquit, excellentem, moderatum,omnia tanquam minora tranſeuntem,quidquid timemus,optamuſque ridentem,cęleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare. Itaque maiore ſui parte illic eſt vnde deſcendit: quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vnde mittuntur: ſic animus magnus, ac ſacer, & in hoc dimiſſus, vt propius quidem diuina noſcamus,conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet,illuc nititur, ac ſpectat,noſtris tanquã melior intereſt. Audis & hic quoque, Vnde deſcendit? Demiſſus in hunc mundum,in hoc corpus. Audis origini ſuæ inhæret? Eoq; Deus eſt finis noſter,& deſiderium. Semper illum naturaliter reſpicit animus,recognoſcens originẽ ſuã. Repetit, inculcatque tertiò eandem ſententiam Seneca,non in terris eſſe quemadmodum Marcus ait, ſed alibi originem animorum.

Ariſtot. de generatione animal. lib. 2. c. 3.

Seneca, de animo.

Homines, diuini pars ſpiritus.

Mens, radiatio Dei.

Animi origo cęleſtis.

A In Conſolatione, Facilius, inquit, ad ſuperos iter eſt animis ab hac conuerſatione dimiſſis. Minus enim fœcis ponderiſque traxerunt, antequam obducerentur, & altius terrena conciperent. Liberati leuiores ad originem ſuam reuolant, & facilius quidquid eſt illud abſoluti transfluunt. Nec vnquam magnis ingeniis chara in corpore mora eſt. Sentis, & in his item ad originem ſuam reuolantes animos? Audis iter animorum ad ſuperos? Vides eos aſſerere cum Moſe, non eſſe de terra, aut aqua quemadmodum aliorum animantium, quos iuſſit Deus terram, aut aquas producere, animorum originem, ſed ipſum Deum qui creaturus animum alio creationis genere, venit ipſe daturus de ſpiritu flatuque ſuo? Hæc origo fuit animorum. Dicitur a Moſe diuinitus edocto, dicitur & ab his, quos ipſa ratio prudens, & natura docebat. Inculcat de filio Martię, Ipſe quidem æternus, meliorisq; nunc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus. Hæc quæ vides oſſa circum nobis, neruos, & obductam cutem, vultumque, & miniſtras manus, & cętera, quibus inuoluti ſumus, vincula animorum tenebræque ſunt. Obruitur his animus, fugatur, arcetur aduerſis, omne illi cum hac carne graue certamen eſt. Ne abſtrahatur, & fundatur, nititur illo, vnde dimiſſus eſt. Ibi illum æterna requies manet. Hæc mirabilis Philoſophus. In quibus ſentis inſtinctum, qui fuit à Deo, cunctos homines docuiſſe, quæ docuit Philoſophia cæleſtis, Quòd hoc corpus ergaſtulum, & carcer eſt animi. Ob quam cauſam magnus ille Theologus clamat, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Audis etiam Philoſophum profanum, nempe non Chriſtianum, Aeternam requiem animorum decantantem, cùm ſolutis vinculis liberiores erimus. Audis etiã, Vnde demiſſus eſt, Moſes, quemadmodum multi Philoſophi, diceret A Deo dimiſſus. Audis quod ait ſapiens, Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Addit eodem loco, B Iacent, inquit, oſſa, cineresq;, non magis illius partes, quàm veſtes, aliaq; tegumenta corporum. Integer ille animus paulùm ſupra nos commoratur, dum expurgant inhęrentia vitia, ſitumq; omnis mortalis æui excutit. Deinde ad excelſa ſublatus inter felices currit animas, excipitque illum cętus ſacer, Scipiones, Catones. Hactenus Philoſophus ille diuinus. Certè nihil in his eſt, quod non penè videatur è theſauris ſapientiæ hodiernæ depromptum. Totius Philoſophiæ confirmatio. Eorumq; omnium aſſertio, quæ principes Philoſophorum Plato, & Ariſtoteles, & omnis ante eos cętus priſcorum de animis æternis, puritate eorum, limpidaque ſubſtantia, varijs modis cecinerant. Vides nullos egregios Philoſophos, quos ingenij ſublimitas ſeparat à vulgaribus, non conueniſſe ſuper animorum immortalitate. Ecce integer animus, nihil terris relinquens. Quare nihil relinquens? quia, vt ait alius eminentiſſimus Latij Philoſophus, Animorum in terris nulla origo inueniri poteſt. Ecce dicitur à Seneca, quod à noſtræ ſapientiæ, ſalutisq; principe: Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cælorum. Is eſt enim cętus iuſtorum, beatorum cęlicolarum, qui venientes è terris iuſtos triumphantes excipiunt. Ecce item philoſophatur, vt mirabile ſit, Seneca, de expurgatione, quæ ſentiuntur à noſtris, quòd ſordibus ex terrena habitatione contractis purgatur animus in locis, quos Deus ipſe nouit: purgatus admittitur ad ſuperos: purgatur autem non diutius, ſed paulum, ſitumq; mortalis æui excutitur. En felices animæ inter quas currunt animę iuſtorum ſociæ canentes vnà, triumphanteſque. Amplius dici de beatitudine, æternitateque animorum non poterat. Hæc verò ſenſerunt antea Plato & Ariſtoteles, ſed Plato clara voce, Ariſtoteles obſcurius. Addit item Seneca eodem libro, Erubeſce quicquam humile, & vulgare, & mutatos in melius tuos C flere. Aeterna rerum per vaſta, & libera ſpatia diuiſi, non illos interfuſa maria diſcludunt, nec altitudo montium, aut inuiæ valles, aut incerta vada ſirtium. Tramites plani, & ex facili mobiles, & expediti, & inuicem peruij ſunt, intermiſtique ſyderibus. Hæc ille. Vides & nunc animos mutatos in melius. Sentis deſcriptam libertatem animorum corpora egreſſorum, quos nec montes coerceant, nec maria diſcludant, quo minus inter ſe vltro, citroq; commeent, alloquentur, ſeq; inuicem fruantur. Aſſerens autem eandem ſententiam, quòd animi ſacri mutentur in melius, beatique omnes æternis voluptatibus, ſocij ſe videntes, noſcenteſq; fruantur, dicit, cur in domo noſtra diutiſſimè lugetur, qui feliciſſimè moritur? Coimus in vnum omnes, videmusq; non alta nocte circundati. Sic ille. Idem de animo noſtro, quem Ariſto. vocat νοῦν, eodem libro, Animus, ait, contemplator, admiratorq; mundi, pars eius magnificentiſſima, propria nobis, & perpetua, tandiu nobiſcum manſura, quamdiu ipſi erimus. Cernis & hic perpetuam animorum naturam. Exprimens item apertiusq; omnia, quæ apud Ariſto. cęteroſque habentur, diſſerens, eodem libro, Ideoque nec exulare vnquam poteſt liber, & Dijs cognatus, & omni mundo, omnique æuo par. Nam cogitatio eius circa omne cęlum, & in omne præteritum, futurumque tempus immittitur. Corpuſculum hoc, cuſtodia, & vinculum animi, huc atque illuc iactatur. In hoc ſupplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipſe ſacer, & ęternus eſt & cui nõ poſſit iniici manus. Sic ille. Ecce ſunt hic omnia Platonis, Ariſtotelisq; de immortalitate animorum verba, ſententiæ. Ariſt. in moralibus vocat animum Diis συγγενέστατον. Seneca dicet Diis cognatum. Idem Ariſtoteles quarto de Generatione animalium, de aliis animę partibus locutus, ſubiicit, Relinquitur igitur, vt is, qui dicitur, νοῦς, Latinè animus, ſolus ſit diuinus, & exterius aduentans. In libris de Anima, Immortalis, æternus. Audis etiam Senecam aſſerentem quæ noſter Seruator: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Seneca dicit,

Animę ſeparatio à corporeis illecebris.

Corp', animi carcer.

Philip. 1.

Sap. 9.

Magni Philoſophi cõſentiunt inter ſe de animorũ immortalitate.

Animus, cõtemplator mundi.

Matt. 10.

Cui non poſſit iniici manus. Aſſerit etiam ore pleno, quæ Moſes de ſimilitudine animi cum Deo prodidit, dicens, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Seneca verò in eo, quòd in ſapientem non cadit iniuria, Sapiens autem vicinus, proximusque Diis conſiſtit, excepta morte, ſimilis Deo. Quòd autem de morte corporis ſentiat, apparet, cùm in eodem libro de conſolatione ſcribit. Tunc peragratis humilioribus, ad ſumma prorupit, & pulcherrimo diuinorum ſpectaculo fruitur, æternitatis ſuæ memor, in omne quod fuit, futurumque eſt, euadit omnibus ſæculis. Ecce memorat animorum æternitatem. Declarans autem hæc omnia plenius, nec vllam ambagem relinquens de beatitudine, æternitateque animorum, congruensque cum Theologia noſtra, ſic ſcribit, in libro de Breuitate vitæ; In hoc tam procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus, nullus portus niſi mortis eſt. Ne itaq; inuideris fratri tuo, quieſcit, tandem liber, tandem tutus, tandem æternus eſt. Fruitur nunc aperto, & libero cœlo, ex humili atque depreſſo in eum emicuit locum, quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas, beato recipit ſinu, & nunc liberè vagatur, omniaque rerum naturæ bona, cum ſumma voluptate recipit. Erras, non perdidit lucem frater tuus, ſed ſecuriorem ſortitus eſt. Omnibus illud nobis commune iter eſt. Quid fata deflemus? Non reliquit ille nos, ſed anteceſſit. Quid his mirabilius? quid aliud qui cęleſti ſpiritu fuiſſet afflatus, ceciniſſet? Ecce igitur animus æternus. Ecce locus ille beatus, quem ſentit, ſed appellare non audet. Eſt enim Deus eſt, regnum cælorum, eſt ſinus Abrahæ. Ecce lux æterna, longe noſtra melior. Ecce non relinquimur a noſtris, ſed illi nos antecedunt. Et hęc dixit non Chriſtianus, non Hebræus, ſed Romanus lingua ꝑ, quem litteræ cæleſtes non imbuiſſent, ſed ipſa ratio duceret. Mirabile certè hodiernæ veritati, & in declarationem totius Philoſophię teſtimonium. Sui quoq; ſimilis, & in eadem confeſſione perſiſtens, in Quæſtionibus naturalibus ait, Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur. Et ita ſi minimum ex corpore ſecum tulit, ſi ſordidum omne deterſit: Et expeditus, leuisque, ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum Diuinitatis ſuæ, quòd illum diuina delectant, nec vt aliena, ſed vt ſua. Illic demum vixit, quod diu quæſiuit. Illic incipit Deum noſſe. Hæc ille. Quæ quidem rationes, Ariſtoteli quoque priori placuerunt, cum dixit in moribus ſpeculationem animi, facultatemque intelligendi diuinam, alterius quàm omnes alias operationes generis eſſe. Dixit animum Diis proximũ, cognatum, dixit ſolum hunc eſſe diuinum, immortalem, ſempiternum, incorruptibilem. In argumentum Diuinitatis eius accepit ipſam ſpeculationem, quæ ſola diuina ſit, ſola beatitudo animi, qui eſt verus homo: qua etiam Deus, qui eſt purus animus, ſit beatus.

Sapiẽs, ſimilis Deo, excepta morte.

Portus tempeſtatũ huius vitæ, mors.

Conſolatio, pulcherrima, de morte fratris.

Speculatio animi, alia quàm omnes alię actiones.

De ſempiternis animis hauſtis ex originc diuina, ex eodem Seneca. De eorum diuina ſtirpe, atque natura. De natali die, quo peruolabunt ad ſuperos. De vita beata poſt mortem, eiusque diuina deſcriptio. *Cap. XII.*

DENIQVE non his omnibus, quæ pectore pleno, & velut copiæ cornu effudit contentus, in Quæſtionibus naturalibus, & originem diuinitus eis eſſe, & immortalitatem aſſeruit, ſic memorans: Animus verò diuina origine hauſtus, cui nec ſenectus vlla, nec mors oneroſi corporis obſtat, vinculis exolutus, ad ſedes ſuas, & cognata ſydera reuertitur. Sic ille. Si quis igitur noſſe vellet, quid Ariſtoteles ſentiret, cùm dixit, Animum qui Græcè dicitur νῦς, ingredi θύραθεν, extrinſecus, nonne ſentiet eum reſpexiſſe, quod apertius, & audacius is Philoſophus exclamat, diuina origine hauſtus Moſes ſua lingua, diuino afflatu? Id Ariſtoteles quoque dixit, cùm mentem vocauit συγγενέστατον, ex eodem maximè genere atque Dii, ex eodem fonte hauſti. Marcus Tullius, vt appareat omnium ſapientiſſimorum concordia, Animos ait decerptos delibatosque ex Diuinitate. In libro quoque de Conſolatione pulcherrima immortalitatis argumenta decantat. Mobilis enim, inquit, & inquieta mens homini data eſt. Nunquam ſe tenet: ſpargitur, & cogitationes ſuas, in omnia nota, atque ignota dimittit: vaga & quietis impatiens eſt, & nouiſſimarum rerum lætiſſima. Quod non miraberis, ſi propriam eius originem aſpexeris, non ex terreno, & graui concreta corpore, ex illo cęleſti ſpiritu deſcendit. Hæc argumenta, Ariſtoteli quoque mirificè placuerunt, ea omnibus libris ſuis vſurpanti. De Generatione animalium, quòd non ſit ex ſemine, & graui concreta corpore. In libris de Anima, & in Moribus, quòd animo ſit intelligendi diuina facultas, in omnia penetranti, æterna, ſpiritualia noſcenti. Quibus rationibus adductis pronuntiauit eum, & omnes eius operationes χωριστὰς, ſeparatas, ſegregatas a concretione mortali, non corporeas, non materiales, Solum animum, ſeu mentem diuinam eſſe, exterius ingredientem. Clariſſimè quoque ſui ſimilis ſemper, in Epiſtolis ad Lucillum pronuntiat animos non extingui, diſſiparique in morte. Videturque etiam de reſurrectione neſcio quid effari Epiſtola trigeſima ſexta, Et mors, ait, quam pertimeſcimus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies. Arbitror hic Senecam rerum reparationem, quam ab antiquiſſimis ſæculis, & oraculis Sibyllarum

Animi origo, & migratio.

Al actio.

Loc' Senecæ de reuoation e ſæculi, lib. 5. cepiſt byllarum audiſſent, innuere, quam & noſtræ litteræ proteſtantur, cęlum terramque nouam continentes. Ab illis, & noſtris vocata παλιγγενεσία, regeneratio, reparatio; ſed in meliorem ſtatum, quod illi fortaſſe non adeo cognouerunt. Refert igitur ad corpoream vitam, cùm ait, Mors intermittit, non eripit vitam. Cùm autem mos omnium ſummorum Philoſophorum fuerit, vt ſuper rebus abſtruſioribus aſſerendis, cautè (necdum enim lux veritatis omnis apparuerat) incederent, præcipuè in hac de animorum immortalitate, eam denique ſententiam, ſuper his eorum, conſtitit eſſe, quam pluribus locis apertioribusque verbis poſtea confirmarunt. Quod ergo dubitanter ait Epiſtola ſexageſima quarta, & fortaſſe, ſi modo vera fama eſt, recipitque nos locus aliquis, quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt. Et quod paulò procul inde, Adiice nunc, quod ſi modò corporibus ſolutæ animæ manent, felicioribus illis ſtatus reſtat, quàm eſt, dũ verſantur in corpore. Item, Magnus animus Deo pareat, & quicquid lex vniuerſi iubet, ſine cunctatione patiatur, aut in meliorem emittitur vitam, lucidius, tranquilliusq; inter diuina manſurus, aut certè ſine vllo futurus incommodo, naturæ ſuæ remiſcetur, & reuertetur in totum. Hæc inquam quæ cum dubitatione nunc proferuntur, multis aliis locis grandibus vocibus affirmantur, tota animi contentione, pulſis ambagibus, aſſeruntur. Exprimens enim animi diuinam, incorruptibilemque naturam, ait in eiſdem Epiſtolis, libro octauo, Ratio autem nihil aliud eſt, quàm in corpus humanum pars diuini ſpiritus merſa. Dicens rationem partem ſpiritus diuini, ſentit quaſi ſcintillam, afflatum, hauſtum, ſimilitudinem: creationem animi declarans eſſe, non qualem corporum ab elementis corruptibilibus, ſed ab origine diuina, iuxta Moſaicam philoſophiam, incorruptibilem, immortalem propter hanc ipſam originem. Audi autem aureos, ſacroque è pectore ſpirantes ſuper ęternitate ſermones, in eiſdẽ Epiſtolis: Tunc animus noſter habebit, quod gratuletur ſibi, cum emiſſus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu, clara proſpexerit, ſed totum diem admiſerit, & redditus cælo ſuo fuerit, cùm recepit locum quem occupauit ſorte naſcendi. Surſum vocant illum initia ſua. Erit autem illic etiam antequam hac cuſtodia exoluatur, cum vitia diſiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. En Seneca dicit initia animi ſurſum eſſe, quo reuocetur ſemper animus, quibus vel in corpore purè, iuſteque viuendo intereſſe poſſit, inchoans in terris Paradiſum. Eadem affirmat, omnibus modis ingerit, cùm ait in ipſis Epiſtolis, Si cui virtus, animusque in corpore præſens, hic Deos æquat, illò tendit, originis ſuæ memor. Nemo improbe eò conatur aſcendere, vnde deſcenderit. Quid eſt autem, cur non exiſtimes in eo diuini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? Totum hoc quo continemur, & vnum eſt, & Deus, & ſocij eius ſumus, & membra. Capax eſt noſter animus, perfertur illò, ſi vitia non deprimunt. Nam ſi aliena vi ad ſumma niteretur, magnus erat labor ire in cœlum. Hæc ille. Nunc etiam partem Dei dicens animum, eodem, quo ſuperius monſtrauimus ſenſu intelligendus eſt. Quòd autem dixit, totum quo continemur eſſe Deũ, viſum eſt ſuperius, cùm de Deo loqueremur, Non ſcilicet mundanum corpus, ſed omnem vitam per omnem mundum diffuſam, diuinam rationem, poteſtatem vbique præſentem, per quam omnes viuimus, a qua natus animus, natus autem non ex illa ſubſtantia diuina, ſed emiſſus, efflatus ineffabili modo. Eoque ait, ferri animum ad autorem ſuum, niſi vitia depreſſerint, graui pondere in terram detraxerint. Dicit item de eo, qui nunquam queſtus eſt, qui paret legibus Dei. Habebat perfectum animum ad ſummã ſui adductus, ſupra quam nihil eſt, niſi mens Dei, ex qua pars & in hoc pectus defluxit. Maximum inquam Lucilli argumentum animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur humilia iudicat, & anguſta, ſi exire non metuit. Scit enim quò exiturus ſit, qui vnde venerit meminit. Hic quoque eſt ea Philoſophia, à mente diuina fluxiſſe in hoc pectus particulam, nato & ſato corpore ex ſemine mortali, cælitus animo demiſſo, corporique deuincto, parte diuina immortali, cum terrena mortali copulata. Fluxiſſe autem ex mente diuina, ineffabili & incognito nobis modo, clamat item ab altiori veniſſe animum ſede. Hoc illud Ariſtotelis θύραθεν, exterius, extrinſecus, à porta, nempe ab altiori ſede. Idem non rationibus modo de fonte naturæ petitis probat, & animos oriri cælitus, ab immortali fonte, & poſt diſceſſum in immortalitatis regna reſtitui, ſed & hac ratione lætatur, qua Plato, & Marcus, Epiſtola centeſima octaua, cùm inquit, De animarum æternitate diſſerimus, non leue momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut Deos colentium. Sic ait. Hoc quidem argumentum, vt dixi, placuit etiam Platoni, Ciceroni. Denique Seneca totis effuſis habenis, omnibus diſiectis ambagibus, nuſquam amplius hæſitans, ſed plenis velis, immortalitatis portum ingreſſus, canit æternitatem, requiem animorum: quaſi de terris ſuſpiciens eos ſinu diuorum receptos, miratur, exultat, inuitat ad hos triumphos omnes: vt penè miraculum ſit, philoſophum profanum velut ex adytis cœleſtis ſapientiæ prodeuntem myſteria tanta pectoribus plenis effundere. Epiſtola centeſima ſecunda, Cùm venerit dies ille, qui miſtum hoc humani, diuinique ſecernat tempus, hic vbi inueni relinquam, ipſe me diei reddam: nec nunc ſine illis ſum, ſed graui terrenoque pondere detineor per has mortalis æui moras. Illi meliori vitæ, longiorique præluditur. Quemadmodum nouem menſibus nos tenet maternus vterus, & præparat non ſibi, ſed illi loco, in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium naturæ ſumimur paſtum, alia origo

Idem omnino ſentis vltimo ca. lib. de Conſolatione ad Martiã.

Philoſophi dubie de rebus grauibus affirmarunt.

Ratio, pars diuini ſpiritus merſa in corpus humanum.

Beatitudinis animorum deſcriptio.

Signũ magni animi, mortẽ non metuere.

Conſenſus hominum.

Senecę verba de animorũ beatitudine.

nos expectat, alius rerum ſtatus. Nondum cęlum niſi ex interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Tranſeundem eſt. Dies iſte, quem tanquam ſupremum reformidas, ęterni natalis eſt. Quid iſta ſic diligis quaſi tua? iſtis operatus es? Veniet qui te reuelet dies, & ex commercio fœdi, atque olidi ventris educat. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet. Nulla ſerenum vmbra turbabit, æqualiter ſplendebit omne cęli latus. Dies, & nox aeris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem, & totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris illam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum teſtes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & æternitatem proponere. Quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur turba, nullis ad timorem minis agitur. Huc vſque diuinus vates (ſic enim aueo dicere) velut vnus è noſtris, a naturæ ſecretis profectus, quem docuit prudentia, ratio, verus inſtinctus, imò ſpiritus ipſe ſanctus, qui ſæpe profanis dedit cæleſtia loqui. Quę noſtri vates, nuntii certiſſimi, vocibus ætheriis, per omnes generis humani ſedes inuulgarunt, perſpicua, notiſſima fecerunt, eadem ipſe canit. Audis hic nobiliſſimas, Apoſtolicas penè voces: Alia origo nos expectat. Dies vitæ ſupremus, æterni natalis eſt. Ad aliam natiuitatem præparamur. In alium naturæ ſumimur partum. Hora illa fatalis, non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Sentis, quàm conſonet cum diuino Paulo? Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Audis etiam lætitiam, felicitatem animorum, cùm lux æterna, lux diuina tota clarebit. Cum igitur dicant hęc illi, qui non fuere Chriſtiani, certè conſtat, ſolam illam eſſe, quæ ſupremo tempore cęlitus fulſit, veritatem, cui Philoſophorum, ſapientiſſimorumque omnium voces conſonarunt.

Nr̄a hæc vita, peregrinatio. 2. Cor. 5.

De ſimilitudine, & imagine animorum cum Deo, ex Platone, qui tota ſua Philoſophia hoc idem perhibuerit: Et quòd hanc cauſam immortalitatis eorum aſſeruit. *Cap. XII.*

AD immortalitatem animorum comprobandam prima, præcipuaq; ratio, ex cunctorum mortalium conſenſu propoſita fuit, quòd non ſunt ex mortali natura, elementorumque progenie: ſed cum & a Deo, & ad imaginem Dei creatos eos aſſerant cuncti, doceri poſſemus omnes gentes Theologiam Moſaicam aut ſecutas, & comprobaſſe, inde præclaras has de noſtrorum cum Deo ſimilitudine animorum, ſententias haurientes, aut ipſam rerum, quam Deus in primordio feciſſet, veritatem hominibus apparentem, ſe declaraſſe, & ad ſui confeſſionem ignaros eos fortaſſe Philoſophiæ Moſaicæ, vocaſſe. Nam omnes ſuperius mirabili conſenſu, de diuino genere animorum loquebantur, alij eos ſcintillas, quæ quaſi ex Deo fulſiſſent, aut abſciſſiones quaſdam ex eo: alij delibationes, & hauſtus, alij afflatus, alij genus eius, & ſtirpem eos appellantes. Et, vt Ariſtoteles eos vocauit maximè conſanguineos Deo, vt ſic loquar, ſiue ex eadem agnatione, & gente, ex quo cunctis hæc erat firma immortalitatis eorum ratio, ſic Plato Philoſophorum eximius, ſępe dixit idem, & vſus eſt hoc cum primis de immortalitate argumento. Moſes ergo (vt Platonem cum eo conferam) ſcripſit, Deum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, hominem feciſſe, eaque eſt ratio immortalitatis, in Phædone autem, hoc eſt, in libro de Anima, Plato, τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι, ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχή: Nonne, inquit, cenſes, animum eſſe ſimillimum ei, quod diuinum eſt, & immortale, & intelligibile, & vniforme, & indiſſolubile, & ſemper eodem modo ſimiliterque in ſe permanet? Ecce animus ſimillimus ei, quod eſt diuinum, immortale, cæteraque, quæ ſunt deſcriptio Diuinitatis, quam ſolet ſemper definire Plato, vt eſt in Timæo, & Politico, multiſque aliis locis, eodem modo ſemper habentem, vniformem, indiſſolubilem. Quia ſolus, vt inquit ille, habet, immortalitatem veram. Ad hæc νοητὸν, intelligibile, id eſt, quod ſola mente poſſit intelligi, conſiderari, non oculis, vt corpora, omniaque ſenſibus corporeis ſubiacentia. Dicitque in Politico, τὸ κατὰ ταυτὰ, καὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ, καὶ ταυτὸν εἶναι, τοῖς πάντων θειοτάτοις προσήκει μόνοις: Habere ſimiliter ſemper & eodem modo, idemque eſſe, ſolis diuiniſſimis congruit. Huic rei, ſimillimus eſt, ait, animus. Vides quanta cum Ariſtotele, & Platone, & horum cum Moſe concordia? Ariſtoteles mens ſiue animus eſt Diis συγγενέστατος, propinquiſſimus. Plato, ὁμοιότατος, ſimillimus. Moſes, Ad imaginem, & ſimilitudinem Dei fecit illum. Marcus Tullius, Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Idem multo mirabilius in Tuſculanis, Ergo animus, qui vt ego, diuinus, vt Euripides audet dicere, Deus eſt. Ex hac ratione Plato vult animos redire, vbi à corporibus emigrauerint, ad ſuam ſtirpem, genus, ad parentem, ad fontem ſuum, eodem loco, εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ θεῖον ἀπέρχεται τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον, καὶ φρόνιμον. Nempe, Ad diuinitatem, immortalem, ſapientem. Et πρὸς τὸν ἀγαθὸν, καὶ φρόνιμον θεὸν, Ad bonum, ſapientemq; Deum

Homo, ad imaginem Dei factus.

Deum. Ac ſi quis rectè iudicet, eadem de animi immortalitate eſt ſententia Platonis, atq; Ariſtot. Nam Ariſt. in libris de Anima, vt viſum eſt ſuperius, & tot aliis locis, animum dicit χωριστὸν, ſeparabilem, ſegregatum. In eo libro & in libro de generatione animalium vocat θεῖον: Ex quo, inquit, relinquitur, ſolum animum, ſiue mentem venire exterius, & hanc ſolam θεῖον εἶναι. diuinam eſſe. Immortalem deniq; & ſempiternam pronuntiat, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, Et ſolum immortale eſſe, & ſempiternum, inquit de Anima. Omnia igitur, vt vides, aperta, clara, nullaque ratione ambigua apud Platonem, vt ſimilius, & conformius loqui non potuerint, vt alter ex ore alterius excepiſſe videatur. Rurſus eodem libro expreſſius appellat animum θεοειδής, Deiformem. Eaque etiam Sibyllarum eſt nuncupatio. In Politico quoque eadem ſenſit, & pronuntiauit, cùm ait veritatem in animo, rerumque bonarum, ac malarum in eo notionem eſſe, θεῖον ἐν δαιμονίῳ γένει, Rem diuinam in genere dæmonio, hoc eſt, in genere diuino, appellans, genus diuinum, ſiue dæmonium, ipſam mentem. Quemadmodum in Phædone multis verbis, & vt Ariſtoteles ſæpiſſimè. Ibique partem animæ diuinam, videlicet ipſam mentem vocat ἀειγενὲς, generis ſempiterni, dicens, κατὰ τὸ ξυγγενὲς, τὸ ἀειγενὲς τῆς ψυχῆς αὐτοῦ μέρος. Vt in hac æterna animæ parte ſit res ei ſimilis, nempe notio, veritas. Ex quo probatur eandem eſſe de immortalitate mentis Philoſophiam Ariſtotelis, atq; Platonis. Sicut enim Ariſto. ſemper appellat mentem, ſeparans eam a reliquis partibus animæ, diuinam, immortalem, ſempiternam, Diis ſimillimam, ac propinquiſſimam, ſic Plato, τὸ ἀειγενὲς μέρος ψυχῆς, Sempiternam animi partem, ſimillimam rei diuiniſſimæ, perpetuæ. Vt idem ipſe Ariſtoteles, loquens de anima corporis, vitæque corporeæ informatrice, ſeparat ſemper mentem, quæ ſapit, intelligit, recordatur, ei tribuens omnia, quæ teſtentur eam immortalem, nunc diuinam dicens, nunc ſeparatam, nunc exterius venientem, nunc ex genere diuino, ſic quoque Plato, quem prorſus conſtat ſecutum Ariſtotelem, in Alcibiade clariſſimè fatetur: ἔχομεν οὖν εἰπεῖν τί ἐστι τῆς ψυχῆς θειότερον ἢ τοῦτο, περὶ ὃ εἰδέναι τε καὶ φρονεῖν οὐκ ἔχομεν: τῷ θείῳ ἄρα τοῦτο ἔοικεν αὐτῆς, καί τις εἰς τοῦτο βλέπων, καὶ πᾶν τὸ θεῖον γνοὺς, θεόν τε, καὶ φρόνησιν οὕτω καὶ ἑαυτὸν ἂν γνοίη μάλιστα. Poſſumusne igitur, inquit, dicere quid ſit in anima diuinius? an hoc, circa quod eſt ipſum noſſe, & ſapere? Nequaquam, inquit. Ergo diuinitati, hæc pars animæ ſimilis eſt, & qui in hanc reſpiciat, totamque Diuinitatem, Deumque, & ſapientiam, ſic & ſeipſum ſanè maximè noſcat. Hæc quoque non Ariſtotelis modo, ſed Moſis Theologia eſt, Ad imaginem Dei fecit illum. Nonne vides eadem clamantes, aſſeuerantesq; maximos Philoſophos, aliorum Philoſophorum anteſignanos, ac principes? Docebat enim eos hanc Natura Theologiam, quam Moſen inſtruxit priſcosque doctor ipſe Deus. Nec mirum, inueniri qui Ariſtotelis intimam hanc Philoſophiam profundè non percipiant. Non enim fontem Philoſophiæ huius agnouerunt, eoque nouis dogmatis repertis, dicta eius, quorum ſunt ferè parum capaces, deprauarunt. Eadem Plato, quę ſuperius, cum Moſe mirabiliter conſentiens retulit in Protagora de agnatione, generis propinquitate inter hominem, ac Deum, quæ pòſt Ariſtoteles, inde Marcus, atque alij vſurparunt. Refert eo libro Plato ea, quæ apud Moſen, & Aegyptios reperta vetuſtiſſimi Græcorum, paulo ſecus, quàm in fonte eſſet, tradiderunt, de homine ficto a Prometheo, ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας: πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν, ζώων μόνον θεοὺς ἐνόμισε: καὶ ἐπεχείρει, βωμοὺς τε ἱδρύεσθαι, καὶ ἀγάλματα θεῶν: Cùm autem homo, diuinæ particulæ particeps effectus eſſet, primum quidem propter conſanguinitatem, agnationemque Dei, ſolos Deos ex animantibus opinabatur. Aggreſſusq; aras erigere, & ſtatuas Deorum. Vides hic partem Dei, & propinquitatem, illud ipſum, quod Ariſtoteles vſurpauit nomen, θεοῖς συγγενέστατος. Oſtendit Philo Iudæus hanc eſſe Theologiam Moſaicam: πᾶς ἄνθρωπος, κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ᾠκείωται θείῳ λόγῳ, τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γεγονός: Omnis homo ſecundum mentem aſſimilatur, domeſticus eſt, Verbo diuino, naturæ beatæ imago, vel abſciſſio, aut radius factus. Et diuus Paulus Genus ergo cùm ſimus Dei. Ex quo animorum immortalitas comprobatur. Hanc ob cauſam perhibet idem in Gorgia priſcos Poetas, qui diuini eſſent, vnanimiter immortalem animam dixiſſe: φασὶ γὰρ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον. Ea fuit priſcorum ſapientia, cui quid recentiores poterunt obiicere? Similiter in nono de Republ. vt Ariſtoteles, ſolam mentem diuinam dixit, ſic ipſe; τὸ θεῖον ἐν αὐτῷ ἄρχον, Diuinitatem, vel partem diuinam in vnoquoque homine imperantem. Ibidem, τὸ θειότατον, diuiniſſimam vocauit rationem, prudentiam, ſicut cupiditatem feram agreſtem: Illam quia ex genere diuinorum, ex immortali genere. Vſque igitur ad rauim vociferatus eſt, prædicauit animum eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, totisq; ſuis libris, vbi locus is tractandus eſſet, aſſeruit, hoc in primis vtens ad immortalitatem argumento. Itaque in decimo de Republica repetit ea, quæ dixerat in Phœdone, cæterisque libris: Oportet, inquit, de anima cernere, εἰς τὴν φιλοσοφίαν αὐτῆς. καὶ ἐννοεῖν ὧν ἐφάπτεται, καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν, ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ καὶ ἀεὶ ὄντι: Quænam Philoſophia eius, & cogitare quæ contingat, & optet conſuetudines, & colloquia, vt quæ conſanguinea ſit, diuinæ, & immortali, ſemper exiſtenti rei. En igitur teſtatur animum eſſe propinquum, affinem, cognatum, connaturalem rei diuinæ, & immortali. Sumus enim genus eius, tanquam ab eo nati, procreati, ſati. Eoq; è terra creato corpore, ſpiritum dimiſit a ſeipſo. Ex hisq; denuo

Anim⁹, ſeparabilis, diuinus, deiformis, &c.

Mēs ſeparata a reliquis aīæ partibus.

Cōſanguinitas hominum cum Diis.

Sola mēs, diuina.

nos expectat, alius rerum ſtatus. Nondum cęlum niſi ex interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Transeundem eſt. Dies iſte, quem tanquam ſupremum reformidas, ęterni natalis eſt. Quid iſta ſic diligis quaſi tua? iſtis operatus es? Veniet qui te reuelet dies, & ex commercio fœdi, atque olidi ventris educat. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet. Nulla ſerenum vmbra turbabit, æqualiter ſplendebit omne cęli latus. Dies, & nox aeris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem, & totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris illam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum teſtes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & æternitatem proponere. Quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur turba, nullis ad timorem minis agitur. Huc vſque diuinus vates (ſic enim aueo dicere) velut vnus è noſtris, a naturæ ſecretis profectus, quem docuit prudentia, ratio, verus inſtinctus, imò ſpiritus ipſe ſanctus, qui ſæpe profanis dedit cæleſtia loqui. Quę noſtri vates, nuntii certiſſimi, vocibus ætheriis, per omnes generis humani ſedes inuulgarunt, perſpicua, notiſſima fecerunt, eadem ipſe canit. Audis hic nobiliſſimas, Apoſtolicas penè voces: Alia origo nos expectat. Dies vitæ ſupremus, æterni natalis eſt. Ad aliam natiuitatem præparamur. In alium naturæ ſumimur partum. Hora illa fatalis, non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Sentis, quàm conſonet cum diuino Paulo? Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Audis etiam lætitiam, felicitatem animorum, cùm lux æterna, lux diuina tota clarebit. Cum igitur dicant hęc illi, qui non fuere Chriſtiani, certè conſtat, ſolam illam eſſe, quæ ſupremo tempore cęlitus fulſit, veritatem, cui Philoſophorum, ſapientiſſimorumque omnium voces conſonarunt.

Nr̃a hæc vita, peregrinatio. 2. Cor. 5.

De ſimilitudine, & imagine animorum cum Deo, ex Platone, qui tota ſua Philoſophia hoc idem perhibuerit: Et quòd hanc cauſam immortalitatis eorum aſſeruit. Cap. XII.

AD immortalitatem animorum comprobandam prima, præcipuaq; ratio, ex cunctorum mortalium conſenſu propoſita fuit, quòd non ſunt ex mortali natura, elementorumque progenie: ſed cum & a Deo, & ad imaginem Dei creatos eos aſſerant cuncti, doceri poſſemus omnes gentes Theologiam Moſaicam aut ſecutas, & comprobaſſe, inde præclaras has de noſtrorum cum Deo ſimilitudine animorum, ſententias haurientes, aut ipſam rerum, quam Deus in primordio feciſſet, veritatem hominibus apparentem, ſe declaraſſe, & ad ſui confeſſionem ignaros eos fortaſſe Philoſophiæ Moſaicæ, vocaſſe. Nam omnes ſuperius mirabili conſenſu, de diuino genere animorum loquebantur, alij eos ſcintillas, quæ quaſi ex Deo fulſiſſent, aut abſciſſiones quaſdam ex eo: alij delibationes, & hauſtus, alij afflatus, alij genus eius, & ſtirpem eos appellantes. Et, vt Ariſtoteles eos vocauit maximè conſanguineos Deo, vt ſic loquar, ſiue ex eadem agnatione, & gente, ex quo cunctis hæc erat firma immortalitatis eorum ratio, ſic Plato Philoſophorum eximius, ſępe dixit idem, & vſus eſt hoc cum primis de immortalitate argumento. Moſes ergo (vt Platonem cum eo conferam) ſcripſit, Deum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, hominem feciſſe, eaque eſt ratio immortalitis, in Phædone autem, hoc eſt, in libro de Anima, Plato, τῷ μὲν θείω, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι, ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν: Nonne, inquit, cenſes, animum eſſe ſimillimum ei, quod diuinum eſt, & immortale, & intelligibile, & vniforme, & indiſſolubile, & ſemper eodem modo ſimiliterque in ſe permanet? Ecce animus ſimillimus ei, quod eſt diuinum, immortale, cæteraque, quæ ſunt deſcriptio Diuinitatis, quam ſolet ſemper definire Plato, vt eſt in Timæo, & Politico, multiſque aliis locis, eodem modo ſemper habentem, vniformem, indiſſolubilem. Quia ſolus, vt inquit ille, habet, immortalitatem veram. Ad hæc νοητὸν, intelligibile, id eſt, quod ſola mente poſſit intelligi, conſiderari, non oculis, vt corpora, omniaque ſenſibus corporeis ſubiacentia. Dicitque in Politico, τὸ κατὰ ταυτὰ, καὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ, καὶ ταυτὸν εἶναι, τοῖς πάντων θειοτάτοις προσήκει μόνοις: Habere ſimiliter ſemper & eodem modo, idemque eſſe, ſolis diuiniſſimis congruit. Huic rei, ſimillimus eſt, ait, animus. Vides quanta cum Ariſtotele, & Platone, & horum cum Moſe concordia? Ariſtoteles mens ſiue animus eſt Diis συγγενέστατος, propinquiſſimus. Plato, ὁμοιότατος, ſimillimus. Moſes, Ad imaginem, & ſimilitudinem Dei fecit illum. Marcus Tullius, Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Idem multo mirabilius in Tuſculanis, Ergo animus, qui vt ego, diuinus, vt Euripides audet dicere, Deus eſt. Ex hac ratione Plato vult animos redire, vbi à corporibus emigrauerint, ad ſuam ſtirpem, genus, ad parentem, ad fontem ſuum, eodem loco, εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ θεῖον ἀπέρχεται τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον, καὶ φρόνιμον. Nempe, Ad diuinitatem, immortalem, ſapientem. Et πρὸς τὸν ἀγαθὸν, καὶ φρόνιμον θεὸν, Ad bonum, ſapientemq; Deum

Homo, ad imaginem Dei factus.

A Deum. Ac ſi quis rectè iudicet, eadem de animi immortalitate eſt ſententia Platonis, atq; Ariſtot. Nam Ariſt. in libris de Anima, vt viſum eſt ſuperius, & tot aliis locis, animum dicit χωριστὸν, ſeparabilem, ſegregatum. In eo libro & in libro de generatione animalium vocat θεῖον: Ex quo, inquit, relinquitur, ſolum animum, ſiue mentem venire exterius, & hanc ſolam θεῖον εἶναι. diuinam eſſe. Immortalem deniq; & ſempiternam pronuntiat, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, Et ſolum immortale eſſe, & ſempiternum, inquit de Anima. Omnia igitur, vt vides, aperta, clara, nullaque ratione ambigua apud Platonem, vt ſimilius, & conformius loqui non potuerint, vt alter ex ore alterius excepiſſe videatur. Rurſus eodem libro expreſſius appellat animum θειώδης, Deiformem. Eaque etiam Sibyllarum eſt nuncupatio. In Politico quoque eadem ſenſit, & pronuntiauit, cùm ait veritatem in animo, rerumque bonarum, ac malarum in eo notionem eſſe, θεῖον ἐν δαιμονίῳ γένει, Rem diuinam in genere dæmonio, hoc eſt, in genere diuino, appellans, genus diuinum, ſiue dæmonium, ipſam mentem. Quemadmodum in Phædone multis verbis, & vt Ariſtoteles ſæpiſſimè. Ibique partem animæ diuinam, videlicet ipſam mentem vocat ἀειγενὲς, generis ſempiterni, dicens, κατὰ τὸ ξυγγενὲς, τὸ ἀειγενὲς τῆς ψυχῆς αὐτῆς μέρος. Vt in hac æterna animæ parte ſit res ei ſimilis, nempe notio, veritas. Ex quo probatur eandem eſſe de immortalitate mentis Philoſophiam Ariſtotelis, atq; Platonis. Sicut enim Ariſto. ſemper appellat mentem, ſeparans eam a reliquis partibus animæ, diuinam, immortalem, ſempiternam, Diis ſimillimam, ac propinquiſſimam, ſic Plato, τὸ ἀειγενὲς μέρος ψυχῆς, Sempiternam animi partem, ſimillimam rei diuiniſſimæ, perpetuæ. Vt idem ipſe Ariſtoteles, loquens de anima corporis, vitæque corporeæ informatrice, ſeparat ſemper B mentem, quæ ſapit, intelligit, recordatur, ei tribuens omnia, quæ teſtentur eam immortalem, nunc diuinam dicens, nunc ſeparatam, nunc exterius venientem, nunc ex genere diuino, ſic quoque Plato, quem prorſus conſtat ſecutum Ariſtotelem, in Alcibiade clariſſimè fatetur: ἔχομεν οὖν εἰπεῖν τί ἐστι τῆς ψυχῆς θειότερον ἢ τοῦτο, περὶ ὃ εἰδέναι τε καὶ φρονεῖν οὐκ ἔχομεν: τῷ θείῳ ἄρα τοῦτο ἔοικεν αὐτῆς, καί τις εἰς τοῦτο βλέπων, καὶ πᾶν τὸ θεῖον γνοὺς, θεόν τε, καὶ φρόνησιν οὕτω καὶ ἑαυτὸν ἂν γνοίη μάλιστα. Poſſumusne igitur, inquit, dicere quid ſit in anima diuinius? an hoc, circa quod eſt ipſum noſſe, & ſapere? Nequaquam, inquit. Ergo diuinitati, hæc pars animæ ſimilis eſt, & qui in hanc reſpiciat, totamque Diuinitatem, Deumque, & ſapientiam, ſic & ſeipſum ſanè maximè noſcat. Hæc quoque non Ariſtotelis modo, ſed Moſis Theologia eſt, Ad imaginem Dei fecit illum. Nonne vides eadem clamantes, aſſeuerantesq; maximos Philoſophos, aliorum Philoſophorum anteſignanos, ac principes? Docebat enim eos hanc Natura Theologiam, quam Moſen inſtruxit priſcosque doctor ipſe Deus. Nec mirum, inueniri qui Ariſtotelis intimam hanc Philoſophiam profundè non percipiant. Non enim fontem Philoſophiæ huius agnouerunt, eoque nouis dogmatis repertis, dicta eius, quorum ſunt ferè parum capaces, deprauarunt. Eadem Plato, quę ſuperius, cum Moſe mirabiliter conſentiens retulit in Protagora de agnatione, generis propinquitate inter hominem, ac Deum, quæ pòſt Ariſtoteles, inde Marcus, atque alij vſurparunt. Refert eo libro Plato ea, quæ apud Moſen, & Aegyptios reperta vetuſtiſſimi Græcorum, paulo ſecus, quàm in fonte eſſet, tradiderunt, de homine ficto a Prometheo, ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας: πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν, ζώων μόνον θεοὺς ἐνόμισε: καὶ ἐπεχείρει, βωμοὺς C τε ἱδρύεσθαι, καὶ ἀγάλματα θεῶν: Cùm autem homo, diuinæ particulæ particeps effectus eſſet, primum quidem propter conſanguinitatem, agnationemque Dei, ſolos Deos ex animantibus opinabatur. Aggreſſusq; aras erigere, & ſtatuas Deorum. Vides hic partem Dei, & propinquitatem, illud ipſum, quod Ariſtoteles vſurpauit nomen, θεοῖς συγγενέστατος. Oſtendit Philo Iudæus hanc eſſe Theologiam Moſaicam: πᾶς ἄνθρωπος, κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ᾠκείωται θείῳ λόγῳ, τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γεγονός: Omnis homo ſecundum mentem aſſimilatur, domeſticus eſt, Verbo diuino, naturæ beatæ imago, vel abſciſſio, aut radius factus. Et diuus Paulus Genus ergo cùm ſimus Dei. Ex quo animorum immortalitas comprobatur. Hanc ob cauſam perhibet idem in Gorgia priſcos Poetas, qui diuini eſſent, vnanimiter immortalem animam dixiſſe: φασὶ γὰρ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον. Ea fuit priſcorum ſapientia, cui quid recentiores poterunt obiicere? Similiter in nono de Republ. vt Ariſtoteles, ſolam mentem diuinam dixit, ſic ipſe; τὸ θεῖον ἐν αὐτῷ ἄρχον, Diuinitatem, vel partem diuinam in vnoquoque homine imperantem. Ibidem, τὸ θειότατον, diuiniſſimam vocauit rationem, prudentiam, ſicut cupiditatem feram agreſtem: Illam quia ex genere diuinorum, ex immortali genere. Vſque igitur ad rauim vociferatus eſt, prædicauit animum eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, totisq; ſuis libris, vbi locus is tractandus eſſet, aſſeruit, hoc in primis vtens ad immortalitatem argumento. Itaque in decimo de Republica repetit ea, quæ dixerat in Phœdone, cæterisque libris: Oportet, inquit, de anima cernere, εἰς τὴν φιλοσοφίαν αὐτῆς. καὶ ἐννοεῖν ὧν ἐφάπτεται, καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν, ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ καὶ ἀεὶ ὄντι: Quænam Philoſophia eius, & cogitare quæ contingat, & optet conſuetudines, & colloquia, vt quæ conſanguinea ſit, diuinæ, & immortali, ſemper exiſtenti rei. En igitur teſtatur animum eſſe propinquum, affinem, cognatum, connaturalem rei diuinæ, & immortali. Sumus enim genus eius, tanquam ab eo nati, procreati, ſati. Eoq; è terra creato corpore, ſpiritum dimiſit a ſeipſo. Ex hisq;

denuo

Anim', ſeparabilis, diuinus, deiformis, &c.

Mẽs ſeparata a reliquis aĩæ partibus.

Cõſanguinitas hominum cum Diis.

Sola mẽs, diuina.

Auerroes impius, aliíque nõnulli è Peripateticis, qui vnicũ intellectũ, & animã cuiusque mortalem impudẽter aſſeruerũt. Aristotelis doctrina è fontibus Platonicis ducta.

denuo conſtat, & conſtare conſtantiſſimè, fortiterq; quiſque poterit aſſerere, eandem Platonis, atque Ariſtotelis eſſe de animi immortalitate ſententiam, eiſdem nominibus, eodem ſermone ab vtroque deſcriptam, declaratam, definitam. Quibus rationibus, & fonte Peripateticæ Philoſophiæ reperto, quem Auerroes, aliíque Peripateticorum aut neſcierunt, aut non animaduerterunt, erroris eos ſui coarguemus, oſtendentes dogmata, quæ ad tollendam animorum immortalitatem excogitarunt, ex ſumma imperitia, & impudentia eos confinxiſſe, ſiue vnicum in cunctis intellectum, ſiue ſingulum cuiuſque, mortalem aſſerentes. Dicemuſque eos neſciiſſe, Ariſtotelis de animæ parte diuina doctrinam, Platonis fuiſſe prioris, qui talia dicens, de mente, vel animo, & ad immortalitatem eius probandam dixerit, & animo prodigioſam illam cunctorum animorum vnitatem non ſpectarit. Quæ nec Ariſtotelem oporteat conſideraſſe, attendiſſe, cuius omnis de mentis immortalitate, ac diuinitate ſermo fluxit ex fontibus Platonis. Siquidem in Timæo, quoque ad hanc rationem ſpectat, quòd dixerit animam φυτὸν οὐκ ἔγγειον, ἀλλὰ οὐράνιον, ἐκεῖθεν γὰρ, ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἔφυ: Plantam non terreſtrem, ſed cęleſtem, quòd inde primum animi exordium fuerit. Videlicet, quod Marcus Tullius: Animorum, inquit, in terris nulla origo inueniri poteſt. Et quod Ariſto. Corpus, ait, & anima ſenſitiua à ſpuma ventris naſcitur, animus autem ſolus eſt diuinus, & ſolus ſeparabiles, ſoluſq; ingreditur exterius. Quid exterius ſit, declarat Plato: ſed & Moſes prior, A Deo demiſſus in corpus. Inde natus, inde ſatus, & plantatus. Quis non intelligit, eandem trium ſummorum hominum eſſe Philoſophiam fluentem primum a Platone ad Ariſtotelem, ab his ad Tullium? Addit Plato, quod Ariſt. item, & Tullius ſecuti ſunt, ea quæ ſapiunt, neceſſariò immortalia eſſe, & diuina, φρονεῖν μὲν ἀθάνατα καὶ θεῖα, ἄνπερ ἀληθείας ἐφάπτηται, πᾶσα ἀνάγκη που. Hæc enim ratio ſemper eſt apud Ariſtote. Sunt immortales animi, non ad vnum vniuerſalem intellectum redeuntes. Nam ſummi viri nunquam vnum illum intellectum agnouerunt. Recentiorum Philoſophorum inuentum: quos operæpretium eſſet errorem ſuum agnoſcere, ſi pertinaces ſint, veluti furentes, maleque ſani ex omni Philoſophorum Republica exturbandi. Neque enim vel ratio, vel præceptoris autoritas eos ad hæc flagitia concipienda deduxit, ſed inepta perſuaſio, Ariſtotelem hominem mortalem, & qui vt cæteri homines falli poſſet, defendendum eſſe, ne ſibi contradixiſſe videatur. Contraria verò ſunt, dogma de æternitate mundi, & animorum æternitate. Malueruntque cadere, obſcurarique veritatem, quàm hominem mentiri, ac falli potuiſſe. Quod cùm ſit ſummæ dementiæ, eam ſuis profeſſoribus relinquemus, bonos, & ſanos ad hæc conſideranda inuitantes. Addit enim ſimilis vbique ſui Plato in quinto de Legibus, Omnium, quæ noſtra ſint, poſt Deum, ſiue, vt mos loquendi temporis eius fuit, poſt Deos, diuiniſſimam eſſe, ſimillimamque ipſis Diis animam noſtram: πάντων γὰρ τῶν αὐτοῦ κτημάτων μετὰ θεοὺς, ψυχὴ θειότατον, οἰκειότατον ὄν. Vides eum appellantem animam familiariſſimam, propinquiſſimam ipſi Deo, quod Ariſtoteles in Moribus, συγγενέστατον. Sic quoque in ſexto dicit hominem educatum ſapienterque innutritum, eſſe animal mitiſſimum, ac θειότατον, diuiniſſimum. Haud ſecus etiam de diuinitate animorum, & cum Deo propinquitate, perhibuit in decimo, loquens cum eo, qui Deos eſſe putaret: ὅτι μὲν ἡγῇ θεοὺς συγγένειά τις ἴσως σε θεία πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει, τιμᾶν καὶ νομίζειν: Quòd quidem Deos arbitraris, fortaſſe quædem agnatio, affinitaſque diuina te ducit ad ſimile colendum, & credendum. Idem ſermo, idem nomen atque apud Ariſto. in decimo de Moribus, vt conſtet eum hinc didiciſſe. Denique Plato, autore Plutarcho de Placitis Philoſophorum, vocaliſſimè pronuntiauit animam, & diuinitus natam, & immortalem. Plato inquit, τὸ μὲν λογικὸν ἄφθαρτον, καὶ γὰρ τὴν ψυχὴν, οὐ θεὸν ἀλλὰ ἔργον ἀϊδίου θεοῦ ὑπάρχειν: Partem rationalem eſſe immortalem. Etenim animam non Deum eſſe, ſed opus æterni Dei. Quanta cum Moſaica Theologia ſimilitudo?

Anima, nõ Deus, ſed opus æterni Dei.

De Phocylide vetuſtiſſimo Poeta, qui dixit animam immortalem, digreſſamque a corpore fieri Deum. Et quòd ſimilia confeſſa eſt antiquiſſima Theologia Magorum.

Cap. XV.

PHOCYLIDES è priſcis illis venerandis Græciæ, qui ante Philoſophos floruerunt, vatibus, mirabiliter omnem Moſaicam Chriſtianamque Philoſophiam de animi creatione, & immortalitate, & quòd ei ſit imago diuina confirmat, in ſuis de vita degenda præceptis: Corpus, inquit ſumptum è terra:

Animi immortales.

Ψυχὴ δ᾽ ἀθάνατος, καὶ ἀγήρος, ζῇ διὰ παντὸς,
Sed viuunt animi, ſemper ſine morte, ſenectaque.

Quid hac ſacroſancta priſca, cui merito poſteriores aſſurgant, Theologia venerabilius? Autor autem Suidas è carminibus Sibyllinis, hanc Theologiam Phocylidem, hauſiſſe. Addit item:

Λείψανα ἀποιχομένων, ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται,
Defunctis ſupereſt vita, & Dij deinde creantur.

A Aſpicis reliquias defunctorum, quorum tametſi intereant corpora, viuat tamen animus, & adeo viuat, vt Deus exiſtat. Erunt enim, vt ait Chriſtus, omnes æquales Angelis Dei. Et, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Addit quoque Phocylides,

Luc. 20.
Ioan. 1.

Πσυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι,

Incorrupta manet anima nam luce carentum.

Quid, quòd vel reſurrectura corpora prædixit a Sibyllis edoctus, vel ab his tenebris prædicauit, animos abituros ad lucem, hoc carmine?

Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν.

Atque breui è terra ſperamus ſcandere ad auras.

Eſſe autem animum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, iuxta Theologiam Moſaicam, ſic idem aſſerit,

Πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.

Spiritus eſt vſura Dei, mortalibus atque imago.

Hæc autem Phocylidis & Græcorum de immortalitate animorum ſententia, fuit etiam Chaldæorum, quos Græci ſequebantur. Nam Magi, quorum dogmata, paucis quibuſdã verſiculis comprehenſa circunferuntur, quæ Platonem, Platonicoſque legiſſe deſumpſiſſeque ex his multa, Philoſophi Græcorum teſtantur, quorum teſtimoniis vtuntur Proclus & Simplicius, ad alia hæc habent de immortalitate: ζήτησον παράδεισον τὸν ἀμφιφαῆ τῆς ψυχῆς χῶρον: Quære Paradiſum, clariſſimam animorum regionem. Ecce vocat, dicitq; animos eſſe cęleſtes, quorum regio ſit flagrantiſſima, diuorum patria. B Hoc declarans Pletho Gemiſto Platonicus, animam dicit, iuxta Platonem, & Pythagoram, indiuiduæ ſubſtantię, a materia prorſus ſegregatam, quemadmodum mentes supercæleſtes: οἷς καὶ συγγενῆ πως τὰ ἔργα ἀποδίδωσι τὴν αὐτὴν, ὧν περ καὶ ἐκεῖναι ἐφαπτομένην καὶ αὐτὴν τῆς τῶν ὄντων δὴ γνώσεως, καὶ θεωρίας ἄχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνωτάτω θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο ἀνώλεθρον: Quibus ſimiles operationes efficit attingens ad eadem atque ipſe, nempe rerum notiones, & contemplationes, vſque ad ipſum ſupremum Deum. Eoque incorruptibilis. Audis rationem Chaldæorum, eandem, & Platonis, atq; Ariſtotelis, qui cùm operationes mentis conſideraſſent cæleſtes eſſe, ac diuinas, cenſuerunt, quæ tales efficeret, immortalem, ac diuinam, corpore quidem veſtitam, latentemque ſub cortice mortali. Rurſus eædem Magicæ vetuſtiſſimæ ſententiæ, quas Pythagoras & Plato deflorarunt: ψυχὴ ἡ μερόπων θεὸν ἄγξει πως εἰς ἑαυτὴν, οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη θεόθεν μεμέθυσται· ἁρμονίαν αὐχεῖ γὰρ ὑφ' ᾗ πέλει σῶμα βροτεῖον: Anima hominum Deum ferè aſtringit ad ſe, nihil mortale habens. Tota diuinitus ebria facta eſt. Harmonia enim gloriatur, ſub qua eſt corpus mortale. Hæc declarans Pletho, Anima, inquit, humana, Deum ad ſe quaſi aduinciet, ſiue fortiter aſſimilabit, nihil habens per ſe mortale. Tota diuinitus inebriata eſt, ſiue repleta eſt, τῶν θείων καλῶν, diuinorum pulchrorum, vel diuinorum bonorum. Nam tametſi huic mortali corpori eſt deuincta, at & ſic harmoniam nempe vnitionem nobilitat, vel non deturpat, ſub qua mortale exiſtit corpus. Sed & ſentit aliquid in ſeipſa velut ipſa exiſtens, quæ talem toti adminiſtrationem adminiſtret: ὥστε τῶν θνητῶν τοῖς ἀθανάτοις, ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐνουμένων, οὕτω καὶ τὸ πᾶν ἐς μίαν τινὰ ἁρμονίαν συγκροτεῖσθαι: Quocirca vnitis in homine mortalibus, cum immortalibus, factum eſt totum vna velut harmonia. Sic Pletho. Clarus igitur ſenſus oraculi. Eadem Magica logia ſic iterum clamant: ὅτι ψυχὴ πῦρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸν, ἀθάνατος μένει, καὶ ζωῆς δεσποτίς ἐστι, καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων: Eſt anima ignis clarus ex virtute paterna. Incorrupta manens, & vitæ eſt regina ſuæq;. Atque ſinu retinet mundi loca plurima ſola. Hæc declarans ſupradictus interpres, Virtutem, inquit, & potentiam, & virtutem eius intelligibilem, & mentem paternam, eundem ſecundum Deum oracula hæc vocant vbique. Primum omnium aliorum, ex patre, & ſuperno Deo profectum. Dicitur igitur quòd ab hac paterna poteſtate facta eſt immediatè anima, exiſtens ignis lucidus, ſiue diuina quædam ſubſtantia, manetque immortalis, διὰ τὴν θειότητα τῆς οὐσίας, καὶ δεσποτίς ἐστι, Propter diuinitatem ſubſtantiæ, & domina eſt vitæ videlicet ſuæ, vtpote non habens vitam abiiciendam. Nam quæ habemus, quæ poſſunt abiici, ac dimitti, horum domini eſſe non poſſumus. Et continet anima videlicet, κατὰ τὴν ἑαυτῆς ἀϊδιότητα: Secundum ſuam æternitatem, multas plenitudines mundi ſinuum, ſiue variorum locorum ſuorum in mundo, quæ ad rationem eorum, quæ hic vixit, vbique aſſequitur. Sic illi, ferentes animam eſſe lucem æternam, puriſſimam. Quod teſtatur etiam Plutarchus Philoſophos ſenſiſſe, φῶς τῇ οὐσίᾳ νομίζουσιν: Putant animam nonnulli Philoſophi lucem eſſe natura. In eo quem inſcribit, an rectè dictum ſit, viuendo latita, tum aliis coniecturis, tum quia tenebras execratur, iucundiſſimam ſentit lucẽ. Rurſus Chaldęus alio prodidit oraculo: ἐκτείνας πυρινὸν νοῦν, ἔργον ἐπ' εὐσεβές, ῥευστὸν καὶ σῶμα σαώσεις: Extendens igneam mentem, ad pietatis opus, ſeruabis & fragile corpus. Igneam, luminoſam, vt vides, vocat mentem, corpus autem fluxum. Quicunque vixerit piè, reſurget cum corpore ob pietatem, quam coluiſſet, efficiens, vt etiam corpus, quod natura fragile, fluxumque eſt, maneat incolume. Eſt autem vaticinium de reſurrectione corporum. Ignis mentalis eſt mens, non corporeus. Ideo fallebantur, quos memorat Plutarchus contra Epicureum, quoſdam exiſtimaſſe animas nunc in cœlo, nunc in terra multis annorum

Paradiſus, animorũ ſedes.

Aĩa, ebria facta diuinitus.

Anima, vitę domina.

Creatio animæ, radiatio.

curriculis vagatas, demum reſolui in mundo cum Sole & Luna, εἰς πῦρ νοερὸν ἀναφθείσας, In ignem mentalem accenſas. Sed non poteſt mentalis ignis, in ignem corporeum reſolui. Tum ignis mentalis eſt indiſſolubilis. Generatio igitur, ſiue creatio animæ a Deo, dicitur quaſi radiatio, ſcintillatio, vt cùm ex igne excutitur nitor, aut ſcintilla. Simplicius primo Phyſicorum idem perhibet: καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ ὑπὸ θεοῦ ἐλλάμπεσθαι λέγεται: Dicitur enim anima a Deo radiare. Vera igitur ſunt, quæ totis hiſce commentationibus annitimur probare, meliorem, ſyncerioremq; eſſe quo magis vetuſta ſit Philoſophia. Multa ſunt autem priſcorum monumenta, quorum veſtigia quædam ab his, quibus temporum vicinitas ea videre dedit, quæ longinquitas nobis non permiſiſſet, exhibentur nobis. Ecce Clemens Alexandreus in Stromatis teſtatur ſimilia ſenſiſſe vetuſtiſſimum Poetam Epicharmum de immortalitate animorum, atque Phocylidem, prolatis his ex eo: εὐσεβὴς νόῳ πεφυκὼς οὐ πάθοις οὐδὲν κακὸν κατθανών, ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' οὐρανόν, ψυχαὶ δὲ ἀσεβῶν ὑπουράνιοι ἐπὶ γαίᾳ πετῶνται ἄλγεσι φονίοισι, ὑπὸ ζάγλαις ἀφύκτοις κακῶς: εὐσεβῶν δὲ ἐπουράνιοι νοῦσι κολποῖς μακάρων, μέγαν ἀείδουσιν ἐν ὕμνοις. Si pietatem animo coluiſti, defunctus mali nihil patieris. Surſum in cœlo permanet ſpiritus. At impiorum animæ ſub cœlo vagę, doloribus ſæuis, cruciatibusque æternis exagitantur. Animi piorum cęleſtes, ſinu beatorum recepti, iubilant hymnis. Hæc vt reperi produxi, meliora fortaſſe in ſuo fonte.

Lib. 4. Stromat.

Epictetum in Philoſophia cunctis admirabilem, creatum animum à Deo ad ſimilitudinem ſuam fuiſſe confeſſum: & quòd membra corporis idem diſpoſuerit, animo libertatem dederit. Cap. XVI.

SED dimiſſo Platone priſciſque vatibus, cæteros Philoſophos audiamus, omni propè ratione, de ſimilitudine, & propinquitate animorum cum Deo, eorumque ab ipſo creatione iuxta Theologiam Moſaicam nobiſcum congruentes, vt appareat vnam fuiſſe ſemper religionem, ac pietatem, quam ſi mali homines, & ignari veritatis, poſt multa ab eius ortu ſæcula corruperunt, ea cum non culpa fuerit eius, hominum bonorum diligentia repurgata, priſtino decori ſuo reddatur, principe, ac duce veritatis Deo cunctos inſtruente, & illuminante. Arianus igitur proponens ſententias Epicteti, quem ſuæ tempeſtatis homines plurimum admirati ſunt, multa ad hanc rationem pertinentia loquitur: εἴ τις τῷ δόγματι συμπαθῆσαι κατ' ἀξίαν δύναιτο, ὅτι γεγόναμεν ὑπὸ τοῦ θεοῦ πάντες προηγουμένως, καὶ ὁ θεὸς πατήρ ἐστι τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν θεῶν, οἶμαι ὅτι οὐδὲν ἀγενὲς οὐδὲ ταπεινὸν ἐνθυμηθήσεται περὶ ἑαυτοῦ: Si quis ad hoc dogma, & opinionem dignè affici poſſet, quod facti ſimus omnes a Deo, & Deus pater eſt hominum, atque Deorum, nihil arbitror de ſe ipſo infame ac degener, humileque ſentiet, & cogitabit. Ecce ſiue Arianus, ſiue Epictetus, cuius ſententias compilauit Arianus, neuter Chriſtianus, ſed Philoſophus duntaxat, agnouerunt, prædicarunt omnes homines factos a Deo, eumque eſſe patrem hominum atque Deorum, nempe Angelorum. Quemadmodum verus, ac legitimus filius eius docuit in mundo homines precari, Pater noſter. Et, Eſtote ſimiles patri veſtro, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Hoc vtique continetur rerum primæua, hominum cum primis, atque Angelorum creatio, & congruit cum Theologis veris Epictetus, hortantibus vt homo ſuæ dignitatem noſcat naturæ, & vt attendamus ad petram vnde exciſi ſumus. Hinc fore, vt nihil de nobis vile, atque humile ſentiamus, peruidentes nos eſſe ex genere diuino, habere patrem optimum, clementiſſimum. Rurſus omnem corporis, atque animi creationem, in ſummum Deum perinde atque Archytas, & Triſmegiſtus referentem cernere potes Epictetum, & Arianum. Vt enim Archytas ſuperius interiores corporis, atque animi partes, organaque ad rerum notiones capiendas neceſſaria diligenter explicans, a Deo formata, poſitaque memorabat: & vt Triſmegiſtus, omnes ad amuſſim humani corporis artus executus, ex his gloriam Dei, antiquumque hominis opificium diuinis manibus elaboratum prædicabat, excitans tardos & ſtultos ad conſiderationem artificis, explicanteſque vterque quam compendioſè Moſes prodidiſſet Theologiam, ad eandem rationem Arianus vel Epictetus perſequuntur, quæ tam artificioſè in mundo, & in humano corpore fabrefacta, niſi ſenſu & ratione caremus, clarè de ipſo poſſint artifice teſtari. Num, inquit, Deus colores fecit, facultatem autem, quibus colores viderentur, non fecit? Quæ igitur fuiſſet vtilitas? certè nulla. At rurſum, ſi facultatem videndi quidem feciſſet, res autem quæ caderent ſub oculos non feciſſet, quæ demum vtilitas? certè nulla. Quod ſi vtraque hæc feciſſet, lumen non feciſſet, ne ſic quidem vtilitas. Quis igitur aptauit illud ad iſtud, & iſtud ad illud? Quis aptauit gladium ad vaginam, vaginam ad gladium? An nullus? Atqui ex ipſis operibus ſoliti ſumus declarare, omnino alicuius artificis ea conſilio, nõ temere facta eſſe: ἆρ' οὖν τούτων μὲν ἕκαστον ἐμφαίνει τεχνίτην, τὰ δὲ ὁρατὰ, καὶ ὅρασις, καὶ φῶς οὐκ ἐμφαίνει: τὸ δὲ ἄρρεν καὶ θῆλυ, καὶ ἡ προθυμία πρὸς τὴν συνουσίαν ἑκατέρου οὐκ ἐμφαίνει, καὶ δύναμις ἡ χρηστικὴ τοῖς μορίοις τοῖς κατεσκευασμένοις οὐδὲ ταῦτα ἐμφαίνει τὸν τεχνίτην: Nunquid igitur hũc artificem, ſingulum quodque opus oſtendit, viſibilia verò, & viſiones, ipſaque lux non oſtendit? Maſculus item & fœmina, & vtriuſque ad coitum impetus non oſtendit? Tum facultas, quæ membris

Matth. 6.

Humani corporis fabrica ad admirationẽ diuinæ ſapientię nos excitat.

A membris his elaboratis vtitur, ne hæc quidem artificem oſtendunt? En Epictetus, cuius ſui temporis hominibus, vita, mores, doctrinaque fuit admirationi, quem Philoſophi ſuſpexerunt, vel ille creationis hoſtis Simplicius, maledicuſque Lucianus, qui fertur lucernam eius teſtaceam, multis millibus numorum emiſſe, clamat, bonus, & ſanctus, humani corporis harmoniam aliquem declarare opificem, ferre teſtimonium opificia de ſuis opificibus. Cùm ſtatuas, cùm pictas imagines intuemur, ſubitò mens accurrit ad artificem: cùm domos, palatia ſuſpicimus, extemplò de opifice cogitamus. Sic qui non ſit ſtultus omnino, cum tantum in humano corpore artificium, cum oculos, & ad eos colluſtrandos lucem exteriorem, ipſoſque illuminatos colores perſpexerit, nonne exclamabit ſuper artifice? Cùm vero quam propagandorum hominum & generis per ſæcula ſuccedentis artem repererit, cum membra in vtroque apta, eaque generandi cupiditate inflammata cogitauerit, quid aliud dicet, quàm ſapientiſſimum quendam talia molitum? Agnoſceque hoc loco, explicatam Theologiam Moſaicam Maſculum, & fœminam creauit eos, & benedixit eis, dicens, Creſcite, & multiplicamini. Quæ enim fuit alia benedictio, niſi membra, vaſaque genitalia prolificis ſeminibus repleta, & ad generandum rapida cupidine accenſa? Suſpice nunc & contemplare, reuocaque ad animum ſimilia quoque confeſſum duobus locis Ariſtotelem, qui præcipuè retulit ab ipſa Diuinitate, factũ vtrunq; ſexum ad cõmiſtionẽ, & propagationem, οὕτω προωκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου, ἑκατέρου ἡ φύσις τοῦ τε ἀνδρὸς, καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Et hæc, quicunque iudex æquus eſſe velit, clarè ad exordium in Theologia Moſaica, totamque illam operationem, quam ſimili modo vetuſtiſſimus Iob admiratus decantauit, ſpectant: Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Sicut lac mulſiſti me, genitura demiſſa (ſcilicet ex genitore) oſſibus, & neruis compegiſti me. Quę poteſt igitur eſſe maior Philoſophorum Theologiæ veræ concordia? Fatetur Ariſt. creationem corporis humani, fatetur, & ille, cui tantum Philoſophi tribuerunt, vt aſſererent, quem dicta eius non commouerent, duntaxat ſupereſſe, vt pęnas ſubterraneas expectet. Rurſus Epitectus, & Arianus, non modò corporis humani quondam Deum fatentur autorem, verùm etiam ipſius animi creatorem, quem iuris ſui liberum, ſolutum feciſſe ingenuè comprobat: Deus, inquit, non ſolum dedit nobis facultates has, quibus generoſè cũcta aduerſa perferamus: ἀλλὰ ὃ ἦν ἀγαθοῦ βασιλέως, καὶ ταῖς ἀληθείαις πατρὸς ἀκώλυτον τοῦτο ἔδωκε ἀνανάγκαστον, ἀπαραπόδιστον ὅλον αὐτὸ ἐφ' ἡμῖν ἐποίησε, οὐδὲ αὑτῷ τινὰ πρὸς τοῦτο ἰσχὺν ἀπολιπὼν, ὥστε ἢ ἐμποδίσαι: Sed quod erat regis boni, & verè patris, dedit hoc liberum, expeditum, non coactum, ipſumque omne inſeruit, & poſuit in nobis, nec vllam vim eſſe reliquam voluit, quæ poſſet ei impedimento eſſe. Hic & animi creatio eſt, & ea natura, in qua lucet diuinæ poteſtatis imago. Apparet enim in animi libertate, qua cupiditatibus, ſi volumus, imperamus, motuſque irrationales eouſque ſuperamus, & ſopimus, vt duo in vno homine ineſſe cernantur, alter rector, moderator, alter compreſſus, & fremat quantum licet, parere coactus. In hoc inquam eſt, quod omnes prædicant, ſimilitudo cum Deo, ſacra poteſtas, imperium frænandarum beſtiarum, quas gerimus nobiſcum, furoris, & cupiditatis. Hoc tribuit Epictetus animo, & datum a ſupremo Deo, ingenuè fatetur. Epictetum autem adeo ſuſpexere Philoſophi, vt dicta eius ferrent in cœlum, eximiis laudibus celebrarent, ea colligentes, & interpretationibus illuſtrantes. Quo Procli, Porphyrij, Simplicij, multorumque aliorum improbitas aut imperitia coarguuntur, qui religionem inſectabantur, eorum magiſtram veram, quæ reperta apud ſuos, ſuſpiciebant, venerabantur.

Humani corporis harmonia opificem Deum arguit.

Bñdictio i ſemine.

B Iob. 10.

Arbitrium liberum.

C

Alia ſuper eodem, Epicteti ſententiæ, quòd animus abſciſſus, ſiue radiauit à Deo: & quid abſciſſio aut radiatio animorum. Cap. XVII.

EPICTETVS ſiue Arianus non contenti ſemel ſuperiora de ſimilitudine, & affinitate Dei & hominis prædicaſſe, quoniam hoc erat totius doctrinæ fundamentum, ſine quo, nulla de recta, bonaque vita dari præcepta poterant, nulla vera religio conſtitui, inculcat eadem, hinc cæteras virtutes attolens, totamque beatam, quietamq; vitam inędificans, εἰ ταῦτα ἐστὶν ἀληθῆ τὰ περὶ τῆς συγγενείας τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων λεγόμενα ὑπὸ τῶν φιλοσόφων διὰ μὴ εἴπῃ τις, ἑαυτὸν κόσμιον, διὰ τί μὴ υἱὸν τοῦ θεοῦ: Si, inquit, hæc ſunt vera, quæ de affinitate Dei, & hominum dicuntur à Philoſophis, cur ſe magis Athenienſem, aut Corinthium quis vocet, non potius mundanum, non potius filium Dei? Subiicit τὸ δὲ, τὸν θεὸν ποιητὴν ἔχειν, καὶ πατέρα καὶ ἡγεμόνα, οὐκ ἔτι ἡμᾶς ἐξαιρήσεται λυπῶν καὶ φόβων: Habere, inquit, Deum creatorem, & patrem, ducemq; non nos id ab omni mœrore, timoremq; liberabit? Non ſolum ergo Epictetus, & Arianus, eſſe homini cum Deo ſimilitudinem, vel agnationem confitetur, ſed eam quoque aſſerunt aliorum Philoſophorum eſſe ſententiam. Vidimus ſuperius hos Philoſophos, præcipuè Platonem, Ariſto. ſed ante hos, Pythagoram, qui Dei genus homines dixit, Aratum, alioſque multos. Hos innuit, & ſequitur Epictetus, nulla ratione cum ſacris litteris diſcrepans. Ego dixi, inquit Pſalmus, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Et, Videntes filij Dei, filias hominum, &, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Nonne vna eademque eſt, Vna veraque religio polluta quidem hominum errore,ſed in ſapientū retenta aīs.

Omnis Stoicorū theologia aut noſtra aut è noſtris. Act. 17.

Error Philoſophorū qui ab Ariſtotele toti pendent.

Aſus,auulſio a Deo.

fuit ſemper a conſtitutione mundi religio,tempeſtate diluuii contaminata, pòſt hominum errore denuo polluta,reſidens tamen in animis ſapientium? Quoniam igitur eſt nobis cum Deo ſimilitudo,propinquitas,ex eo delibatis,& hauſtis,quid eſt, cur & non maximè lætemur, triumphemuſq;, nihil humile de nobis ipſis ſentientes,nihil vile,noſtroque fonte,& parente indignū agentes in vita,noſtræ naturæ dignitatem agnoſcentes? Cur non concurrimus omnes, qui ſententiis conſpiramus,non affines eſſe Deo,ad religionem eius? Imò cur Philoſophi,ſapientesque non concurrebant ad eam? Sed certè ſapientes, & qui tyrannis,impiiſq; imperatoribus non adularentur, eorumq; muneribus non inhiærent,veritatem fragilibus bonis præferentes,concurrerunt. Quòd ſi alii veritatem à ſuis prædicatam admirabantur, à noſtris autem ſimiliter prædicatam irridebāt, aut ſtulti,aut maleuoli inuidique fuerunt,aut ignari religionis huius ac maieſtatis eius velut Andabatæ pugnabant cæci. Omnis hæc Theologia Epicteti, Arianique noſtra eſt,aut è noſtris libris, ceu quæ probarent,deſumpta,aut certè ſuccedens illa per omnes ætates ad Philoſophos vſq; doctrina,nata ex eiſdem fontibus,atq; noſtra,ſi ad primos genitores, vnde fluxit Moſaica,reducatur, quæque fuit penes Abraham,Iſaac, Iacob, cęteroſque non nominatos ſapientiſſimos viros. Ex vno enim parente Deo nati ſunt omnes: Et,vt diuus Paulus apud Athenienſes, Fecitque ex vno ſanguine omnem humanam gentem, quæ habitaret ſuper vniuerſam terram. Rurſus Epictetus eandem ſimilitudinem,ſocietatemq; hominis,ac Dei,declarans,hincque omnem rectæ vitæ rationem deducens, ac ſtabiliens, καὶ συγγενεῖς τινες τοῦ θεοῦ ἐσμὲν κακεῖθεν ἐληλύθαμεν, ἄφες ἡμᾶς ἀπελθεῖν, ὅθεν ἐξεληλύθαμεν: Non pudet,inquit,vitam cum dedecore tranſigere, impotenterq; in aduerſis cedere? Et affinitas nobis cum Deo eſt. Illinc venimus. Mitte nos regredi,vnde venimus. Hoc Epicteti dicto,facile poteſt intelligi,quid Ariſtoteles ſenſerit,cum ait mentem ſolam diuinam eſſe,ſolamq; venire exterius. Venit ſcilicet,miſſa,infuſa,afflata diuinitus. Illinc ait Epictetus venimus,eo redire nos oportet,ad priſtinum domicilium. Quare quicunq; teſtimonium illud Ariſtotelis deprauant,ei ſenſum neſcio quem alium coaptantes, conſtat eos parum veritatis eſſe gnaros,priſcam Philoſophiam neſcientes,quæ ſi obſcura,clauſaq; interdum apud Ariſtotelem eſt, dictis certè aliorum Philoſophorū,qui clarius diſſeruerunt, enucleatur. Sed recentiorum Philoſophorum ea ferè calamitas,vt radios multos,quos varia de parte veritas effundit, non cernant, propterea quòd vni ſeſe Ariſtoteli non dediderunt modò,ſed adeò deuouerunt,vt ſi fuerit opus pro dogmatis eius tuendis,in ferrum flammamq; ruent,in cuius Philoſophia,ſic quaſdam opiniones prauas conceperunt,vt ipſum ſi ſurgeret,ea deſtomachaturum putem. Pergit etiam Epictetus,vt qui nunquam Chriſtianus fuit,fuiſſe ob doctrinæ bonitatem videatur: Omnia,inquit,connexa,atque apta inter ſe ſunt,auditoque quaſi imperio Dei,cuncta parent,cuncta cientur: ἀλλ αἱ ψυχαὶ μὲν οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι, καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι, καὶ ἀποσπάσματα, οὐ παντὸς δὲ αὐτου κινήματος, ἅτε οἰκείου καὶ συμφυοῦς ὁ θεὸς αἰσθάνεται: At animorum, inquit,qui eo vſque ſunt connexi,& copulati Deo,ceu ſint particulæ eius,& abſciſſiones,nonne motum ceu proprium,& coniunctum ſentiet Deus? Aduertere commodum eſt hoc loco,hanc copulationem non eſſe ſubſtantialem,quod ipſe quoque dixit Epictetus. Sunt enim animi, vt Philo quoque diſertiſſimus aiebat,vſus eodem nomine atque Epictetus, ἀποσπάσματα, abſciſſiones quædam,& auulſiones ex Deo. Dico autem abſciſſiones,non ſubſtantiales, ſed quales innuit Moſes, afflatus, aſpirationes,emiſſiones a ſe ipſo occultæ. Quod alio clariore nomine Philo declarat, ἀπαυγάσματα, ſcintillæ,radii,ex illa luce diuina miſſi,& abſciſſi,ſeparatique. Beneque,vt ſuperius viſum, nouit etiam Triſmegiſtus animos non eſſe de ſubſtantia Dei ad Aſclepium: ὁ νοῦς οὖν οὐκ ἐστὶν ἀποτετμημένος τῆς οὐσιότητος τοῦ θεοῦ ἀλλ᾽ ὥσπερ ἡπλωμένος, καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς: Mens, inquit,non eſt abſciſſa ex ſubſtantia Dei,ſed quaſi explicata, veluti Solis lux. Declarat igitur Mercurius quod eſt in Moſe. Ea enim explicatio vocatur a Moſe, Aſpiratio. Hoc innuit Philoſophus, ſunt abſciſſi,non à ſubſtantia,ſed quod ſecundum deſignat,ceu radii miſſi,ceu ſcintillæ,velut ſpirationes. Id Epictetum ſenſiſſe par eſt. Et diuus Paulus,nos genus eius dicit.

Quòd factus eſt homo, in mundumque introductus à Deo, vt contemplaretur, quòd membra corporis ad operationes diſpoſita: & quòd is eſt omnium conſenſus. Cap. XVIII.

Hominis creatio & in hanc vitam huncque mundum introductio.

DENIQVE omni Philoſophia ſua,quæ Platonicis,Peripateticiſque admirationi fuit, Epictetus clamat,iterum,iterumque monet,hominem iuxta Moſen a Deo creatum, nunc animum contemplans,nunc corporis opificium: ex hiſque in laudem creatoris, & opificis,homines excitans. Ac primum,vt Moſes retulit, Deum hominem poſuiſſe in Paradiſo, vt habitaret, & cuſtodiret ipſum, nouiſſimumque rerum creatarum hominem feciſſe, & ceu dominum, in palatium exædificatum induxiſſe, multaque tacitus Moſes, prudentibus conſideranda reliquit. Haud aliter Epictetus, & Arianus declarant & hominem in hunc mundum a Deo inductum, & quam ob cauſam ſit inductus: τὸν δὲ ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν, αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν: Hominum autem contemplatorem ſui & ſuorum operum introduxit: nec contemplatorem modò, ſed etiam

corum

eorum interpretem. Agnoſcis hic & humanam creationem,& ſupremum opificis admirabileque conſilium,vt ex ædificato,ac conſtituto mundo,ſuis in ſedibus, omnibus ritè,rectéque ſtabilitis, induceretur nouiſſimus ſpectator,ac contemplator, qui mirabilem hanc,pulcherrimam,vaſtamque admiratus domum,ſingularem agnoſceret,& fateretur,collaudaretque architecti ſapientiã. Sic noſtra quoque Theologia monſtrat,per ea quæ facta ſunt,conſpici intelligibilia. Et Ariſtoteles de mundo,Non aliis oculis,quibus inuiſibilem Diuinitatem videamus, opus eſſe,ſed his duntaxat,quibus cœlum , ac terras,maria, totoque in mundo vitam,motuſque perſpiciamus. Hinc vera depromenda, deducendaque,niſi quis ſe ſponte luce multare,vltroque inſanire velit , argumenta ſuper artifice. Pariter omnes conueniunt, profani,ſacri, maior,minorque Philoſophia,ex omni opere mundano quærendum,aſſerendumque opificem. Oſtenſum enim ſuperius, Platonẽ, Ariſtotelem, Marcum Tullium in eandem ſententiam paribus ſuffragiis conceſſiſſe . Quicunque igitur hominem contemplatorem ſui introduxit , is certè creator eius,vt ſe contemplaretur fuit. Eodem conſenſu Marcus Tullius ante Epictetum . Hominemque ipſum quaſi contemplatorem cęli,ac Deorum,ipſorumq; cultorem fecit. Sed Epictetus pergit etiã per ſingula,quod de contẽplatione,prędicationeq; diuinorũ operũ in vniuerſum dixerat,in partes explicãs. Eius nõ ab homine profeſſiones,ſed quaſi a Propheta,aut Apoſtolo prolata,verboq; Arianus affert:Si mentẽ,inquit, haberemus,an quicquã eſſet,quod nos facere deceret,niſi laudare Deũ,gratiasq; cunctas referre? ἔδει καὶ σκάπτοντας, καὶ ἀροῦντας, καὶ ἐσθίοντας ᾄδειν τὸν ὕμνον, τὸν εἰς τὸν θεόν, μέγας ὁ θεός, ὅτι ἡμῖν παρέσχεν ὄργανα ταῦτα, δι' ὧν τὴν γῆν ἐργασόμεθα, μέγας ὁ θεός, ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι κατάποσιν, ὅτι κοιλίαν, ὅτι αὔξεσθαι λεληθότως, ὅτι καθεύδοντας ἀναπνεῖν: ταῦτα ἐφ' ἑκάστῳ εὐφημεῖν ἔδει, καὶ τὸν μέγιστον, καὶ θειότατον ὕμνον ἐφυμνεῖν. Nonne,ait,deceret & fodientes,& arantes,& comedentes canere laudem in Deum? Magnus Deus quoniam nobis hæc inſtrumenta dedit,quibus terram colimus. Magnus Deus,quoniam manus dedit,quoniam hauſtum , quoniam ventrem,quoniam creſcere tacitè,& latenter,quoniam dormientes reſpirare. Hæc ad vnamquanq; rem concinere oporteret,ac maximum,diuiniſſimumque hymnum canere. Hęc ille dicit:quem,vt ſæpe docui(cogor n.identidem referre,atq; id Philoſophis recentioribus demonſtrare,vt hinc ſeipſos agnoſcant,cũ ſe ad ſcelerata,vel de mortalitate animi,vel æternitate mundi dogmata referunt) is inquã eſt Epictetus,quem ſuo tempore ſuſpexere omnes,Philoſophiam,mores,vitam,inſtitutum admirantes. Neq;.n. Chriſtianus fuit,ſed qualis Plato,Socrates,viri boni, veritatemque ab ipſa Natura,melioreque Philoſophia haurientes:ſi quid a vetuſtioribus gentibus ad Græcos aſpiraſſet, collaudantes,exoſculantes. Forteque vidit hæc in ſacris litteris Epictetus, ſed reor magis maiorum Philoſophiam,quæ pia fuit omnis , ac religioſa , & Naturæ voces perſpectas habens, ea dixiſſe . Quis enim eſt,cui non videatur,aliquem neceſſariò creationis humanæ , eundemque omnibus modis ſapientiſſimum autorem fuiſſe,cuius ſapiẽtiam,primumque conſilium, res conſecutæ declararũt. Vt igitur Moſes dixit de homine creato,Et poſuit eum in Paradiſo , vt operaretur , & cuſtodiret ipſum,& in terram miſit,fugatum è Paradiſo,quo,cultu agrorũ deſudans,inde victitaret:Sic Epictetus eundem ipſum confirmat manus ad fodiendum,arandumque dediſſe,reliqua corporis mẽbra ſic diſpoſuiſſe,vt niſi is membrorum ordo,& tum ſecretæ,tũ in propatulo operationes eſſent adhibitæ,nullum futurum fuerit genus humanum. Quid memorem arcanas illas,quæ latẽter peraguntur operationes augendi,reſpirandi,cùm dormimus? In quem ergo è noſtris alius exclamauit Theologus,Manus tuæ fecerunt me,& plaſmauerunt me: Alius autem, Ante,& retrò formaſti me: Et,Qui plantauit aurem non audiet: qui finxit oraculum,non conſiderabit:in eundem tollit laudem,exclamandumque iubet Epictetus . In cuius oratione, operumque diuinorum prædicatione profectò talis mundanæ creationis prædicatio continetur , qualem ante oculos habuere noſtri,qui ſimiliter eum ex operibus collaudabunt. Neque enim qui dixit, Manus tuæ fecerunt me: æternitatem , perennemque factionem reſpexit : ſed qualem Moſes deſcripſit : In principio creauit Deus cœlum & terram . Cum quo incluſa quoque eſt humana creatio . Proſequitur autem Epictetus , Quid igitur, ſi plerique obcæcati eſtis, non aliquem eſſe neceſſe eſt , qui locum hunc expleat, pro cunctis , efferens laudibus Deum ? Quid aliud poſſum ſenex , & claudus , niſi laudare Deum ? Si igitur eſſem luſcinia, facerem quæ luſcinia , Si cygnus , quæ cygni. Nunc cum rationalis ſim , Deum me laudare oportet . Hoc vnum opus perpetuo . Nunquam hunc ordinem , quoad datum fuerit, deſeram . Voſque ad hanc eandem cantilenam cohortor . O hominem verè diuinum,cuius exemplum debuit Porphyrium, Proclum, Simplicium , religionis hoſtes, potius ad eam venerandam , colendamque , quàm contemnendam adducere , cuius eſt firma ſtabiliſque ſapientia , Deum totius operis mundani , & humanæ gentis autorem ſemper collaudare,nihil noctesque dieſque aliud agere,Solaque ipſa faciens , quod illi faciendum cogente natura,fatebantur. Si probabant Epictetum,ſi ſapientiam mirabãtur,decebat eos admirari quoque,qui religione hac initiati , ſimiles eſſent , redditi tales ab hac vnica ſapientiſſimaque religione, tanquam vberrimo eorum fonte, quæ velut ex riuulo loquentem Epictetum , & ad eam doctrinam viuentem, ſtupebant, admirabantur . Sola igitur hæc verè laudat Deum , creatorem verũ fatetur,& agnoſcit. Quoniam igitur facti ſumus à Deo,& ad eum formati,iure mandat,hortaturq; Epictetus, διὰ τοῦτο ἔδει σώζειν τὰ σύμβολα τοῦ θεοῦ, Oportere nos ſeruare ſymbola Dei.

Cur homo creatus a Deo.

In paradiſo poſitus homo.

Iob. 10.
Pſal. 118.
Pſal. 93.

Ab homine Deum laudari par eſt.

Symbolū Dei quid.

Scimus quid ſymbolum ſit, ſocietas naturæ, coniunctio, confirmatio. Ac cerne vt Epictetus cum Chaldæo congruat, vt libro primo vidimus, σύμβολα πατρικὸς νοῦς ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς: Symbola, inquit oraculum Chaldaicum, paterna mens inſeruit animis. Ecce ſymbolum inter hominem, ac Deum. Vt enim Pſellus ait, Quemadmodum ad imaginem Dei liber Moſaicus creat hominem, ſic creatorem Chaldæus teſtatur animis ſymbola ſuæ proprietatis inſeruiſſe.

Quòd Philoſophi duplicem hominem aſſignauerint: ſed verum ipſum animum, hunc immortalem, & ſimilem Dei. Cap. XIX.

Homo duplex.

Dij minores angeli.

OMNES igitur mortales, quoſcunque ſiue cupiditas ad ſpeculandum, ſiue Natura ad veritatis agnitionem adduxiſſet, Græci, Chaldæi, Aegyptij, immortalitatem animorum vna cuncti ducti ratione perhibuerunt. Ea ratio variis nominibus, eundem ſenſum reſonantibus apud omnes deſignatur, nunc a corporeis ſegregatio, manifeſtumque a corporibus diſcrimen, & omnino rerum aliud genus. Nunc agnatio, familiaritas, nunc ſimilitudo Dei, nunc ſymbolum inter eum hominemque, nunc cognitio, ſapientia, ſcientia. Eaq; omnia clarè dicuntur ab eis de mente, ſiue animo, quem verum hominem eſſe, cum Plato, & Ariſtoteles poſt multa ſæcula noſſent, prodidiſſent, Triſmegiſtus ante eos plurimos annos natus, hominibus inuulgauit, vt appareat omnium eandem ſententiam, conſenſumq; admirandum fuiſſe. Igitur qui prius dixerat, Deum creaſſe hominem ſibi ſimilem, eamque vti propriam prolem dilexiſſe, deinde ſeparans, animum, & corpus, hominem alterum corpus ipſum mortale, alterum ipſam mentem immortalem, hancque eſſe ſubſtantialem, verumq; hominem, ἄνθρωπος διπλοῦς διὰ τὸ σῶμα θνητός, ἀθάνατος δὲ διὰ ψυχὴν, τὸν οὐσιώδη ἄνθρωπον: Homo, inquit, eſt duplex, propter corpus mortalis, immortalis propter animam ſubſtantialem hominem. Vt igitur Ariſtoteles in decimo de Moribus, mentem propriè appellat hominem, & βέλτιον μόριον, meliorem particulam, dicitque id optimum, iucundiſſimumque eſſe cuique, quod ei proprium natura ſit, καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος: Etiam homini, inquit, vita ſecundum mentem fore eiuſmodi, quandoquidem id maximè homo eſt. Ecce Mercurius Triſmegiſtus ipſam animam ſeu mentem vocat, οὐσιώδη ἄνθρωπον, nempe verum, ſubſtantialemq; hominem. Et quemadmodum hunc Ariſtoteles ſolum diuinum, exterius aduentatem dicit, ſic Mercurius, hunc immortalem, corpus autem corruptibile. Duo ſunt igitur æquali a cunctis prędicatione celebrata, nos & a Deo creatos, & generis affinitate cum eo ſociatos, qui nobis ſymbolum, proprietatemque naturæ ſuæ indiderit. Hoc illi ſenſerunt, locuti ſunt, quia per ſucceſſionem a primis hominibus, penes quos fuerunt ea peſpectiſſima, deſcederunt in poſteros, vt quo procedas anterius in retro actas ætates, liquidius, maioreque conſenſu deprehendas celebrata. Ferunt igitur Græci ſcriptores ſacri quod Thales, ἔλεγεν ἀδελφοὺς εἶναι ἡμᾶς, ὡς ἂν τοῦ ἑνὸς θεοῦ καὶ ἑνὸς διδασκάλου: Dicebant nos fratres eſſe ceu ſcilicet, qui ex vno Deo præceptore. Illud verò contemplatione digniſſimum eſt, vt Plato partim rationem, partim priſcæ Theologiæ deſcenſum ſecutus, cuius hæres quaſi legitimus fuit, pronuntiauit, eſſe animum verum hominem, ſolumq; diuinum, & immortalem, creatum a Deo longè alterius, quàm corpus, conditionis, vtq; hoc diſcrimen apud omnes Philoſophos extat. Quemadmodum igitur duplicem hominem dixit Mercurius, ſed veram, totamq; hominis ſubſtantiam, ipſam mentem, vel animam: Ariſtoteles autem hunc duplicem hominem in libro de Generatione animalium luculenter expreſſit, ac diſtinxit corpus, & omnem a corpore inſeparabilem animam naſci dicens ex elementis, ſpuma, ſpermate, ſemine, corporis excremento, mentem autem exterius aduentare, genus aliud diuinum, & incorporeum, ſic Plato in cuius ſententiam prorſus iuit Ariſt. eamq; aliis verbis declarauit, adeo diſtinguit animum, & corpus, velut duos homines, in Timæo, vt duos eorum ſtatuat creatores, creatorem animi Deum ſupremum, corporis dęmones, Deos nēpe minores Angelos. Atq; eſt mirabilis Theologiæ Moſaicæ interpretatio, vt ſit operæpretium cernere conformitatē ſuper creatione animi cum Moſe. Vt Moſes humum illam lutulentam, cęnoſam, madidam, imagine humana informatam, ſed ante pedes Dei mortuam, exanguemq; iacentem, afflatu Dei dicit animatam, dantis ex ſe ipſo, atq; inſpirantis vitalem ſubſtantiam, eratq; corpus, quando non erat animus præſens, corpus de humo terræ ſumptum, animus dimiſſus à Deo, ſic prorſus Plato creatorem animorum facit ſupremum illum opificem: Quorum, inquit, initium traditur vobis a me, Græcè, σπείρας καὶ ὑπαρξάμενος ἐγὼ: Quorū, ait, ſatus, & initiū traditur vobis à me. Quas ait ego ſeminaui, & inchoaui tradam vobis, loquens de animis. Et nos ad id quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Formaſſe ſcilicet corpus Angelos, animū ex ſeipſo immortalē, ſui ſimilem dediſſe. Ligatumq; fuiſſe mortale cum immortali, quod dicebat Triſmegiſtus duabus rebus, altera mortali corpore, ſumpto à terra, & elemētis, altero animo immortali diuinitus miſſo. Hicque eſt tum creatio animorū, & ſatus a Deo, tum eorum immortalitas. Similitudo quoq; diuina, vt in Moſe, quia vocat eos ibidem Plato, ἀθανάτοις ὁμώνυμον, vniuocum cum immortalibus, vt ſunt inter ſe animalia. Et δι᾽ ἐμοῦ ταῦτα γενόμενα, καὶ βίου μετασχόντα, θεοῖς ἰσάζοιτ᾽ ἄν.

Hæc, inquit, per me creata, ſcilicet animi, vitamque aſſecuta, Diis æquabantur. En admirandus cum Moſaica Theologia conſenſus, cunctis prædicantibus animos à corporibus ſeparatos. Moſes quia fuiſſet corpus, quando non aderat animus, quia miſſus animus à Deo, corpus è terra deſumptum. Plato, ſatus animus, & informatus à Deo immortalis, cum corpore mortali conſociatus. Marcus Tullius, Nec inuenietur vnquam, inquit, vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo, loquens de animis. Hæcque eſt, quod Ariſtoteles θύραθεν, exterius, Marcus dicit, à Deo.

Quòd ob hanc cauſam dixerunt animum è cælo cecidiſſe in corpus, in quo viuat in pœnam: & quòd hæc ſuſpicio non ſit vera, & quòd alio ſenſu intelligendum, quod priſci prodiderant: Et Plotini ſententia ſuper immortalitate animorum. Cap. XX.

Ex hac cauſa eſt, vt hanc immortalis rei, cum mortali conſociationem, commiſtionem, animorumque cum corporibus colligationem, ex quodam rumore non bene percepto, ad pœnam, & ſupplicium ipſorum, & ob quædam grauia ſcelera datam arbitrarentur, audientes ab antiquiſſimis progenitoribus, prius corpus fuiſſe, inde animum exterius infuſum, atque alligatum. Itaque Philolaus Pythagoreus: μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντεις ὡς διά τινας τιμωρίας· ἡ ψυχὴ τῷ σώματι συνέζευκται, καὶ καθάπερ ἐν σώματι τούτῳ τέθαπται: Teſtantur, inquit, priſci Theologi ac vates, quòd propter ſupplicia, anima cum corpore eſt alligata, & quaſi in eo ſepulta. Hæc igitur ſuſpicio, quę principium verum habuiſſet, non ſanè intellectum, ipſorum quoque teſtimonio deſtruitur. Nam Plato creationem animorum, & corporum deſcribens in Timæo, vbi amandare ſuperſtitiones oportebat, phyſicaque ratione agere, ſcripſit ſic naturaliter, & conſultò, diuinam prouidentiam animum corpori colligaſſe, ſicut naturaliter, & vtiliter creauit cœlum, & terram. Sed huius famæ vera cauſa fuit, quòd Paradiſum, quemadmodum Chaldæi myſticè interpretantes, etiam hominem è paradiſo fugatum, animam ſcilicet è cœlo deiectam, incluſamque in corpus, propter peccatum, quod & ipſum myſticè ſenſerunt, exponebant. Qui quidem error autorum ſuorum rationibus poſtea deſtruetur. Illud modò conſtet, diuinam animorum, ſeparatamque a corporibus naturam, atque ſocietatem cum Diis habere, omnes agnouiſſe, prodidiſſe. Plotinus etiam his reſpondit, qui mentem ſæpe, & memoriam, ſenſumq; impeditum, turbatumq; cernentes de immortalitate dubitarunt, ipſi cęci, cęnoſoq; iudicio, & caliganti, Anima, inquit, cum Diis habet commercium, immortalis: facileque id poſſet a nobis agnoſci, ſi puram, limpidamque eam, vt ait Plato, videremus. Nunc autem ſæpe labefactatam cernentes, neque diuinam, neq; immortalem arbitramur. Sed enim cùm naturam rerum ponderamus, puritatem earum inſpicere fas eſt. Quandoquidem quod adiectum eſt, ſemper eſſe ſolet impedimento ad eius perfectam notionem, cui facta acceſſio extrinſecus eſt. Itaque conſideret demptis, ac detractis alienis, ſe quiſq;, καὶ πιστώσει ἀθάνατος εἶναι, ὅταν ἑαυτὸν θεάσηται ἐν τῷ νοητῷ, καὶ ἐν καθαρῷ γεγενημένον· ὄψει γὰρ νοῦν ὁρῶντα, οὐκ αἰσθητόν τι, οὐδὲ τῶν θνητῶν τούτων, ἀλλ᾽ ἀϊδίῳ, τὸ ἀΐδιον κατανοοῦντα, πάντα τὰ ἐν τῷ νοητῷ, κόσμον καὶ αὐτὸν νοητὸν, καὶ φωτεινὸν γεγενημένον: Credetque ſe immortalem, cùm ſe ipſum viderit in natura intellectuali, ac pura. Videbit enim mentem aſpicere, & noſſe, nihil ſenſibile, neq; rem mortalem vllam, ſed cum re ſempiterna, ſempiternam rem intelligentem, omniaq; in natura intellectuali, mundumque ſeipſum intellectualem, & luminoſum eſſe. Sic Plotinus. Eius igitur ſententia eſt, vt cernis, animos immortales, & ſempiternos eſſe, quia ſolis his res æternæ, & immortales noſcantur, ſicut ſenſu mortali mortalia capiuntur. Eam facultatem, qua res ſempiternæ, & incorporeæ comprehenduntur (quæ eſt tota ratio Ariſtotelis) incorpoream ſempiternam eſſe. Sic colligit Ariſtote. animum eſſe ſempiternum, & incorporeum, quia ſolus ſentit res ſempiternas, & incorporeas. Animumq; eſſe intellectuale lumen, ſempiternum. Simili ratione vſus Plato, vt conſtitit ſuperius. Fieri quoq; poteſt hac admonitione quiſque cautior, ac firmior, cùm viderit animos imbecillos, vacillantes, affectos. Abſcinde, inquit Plotinus, tolle non ſua. Videbis diuinum, magnum, lumen longè, lateq; ſpiritualiter progrediens animum. Ea quæ ſapiunt, noſcunt, cogitant, ponderant, prouident (cui ſubſcribit Ariſtoteles) ſunt incorrupta, immortalia. Diuinum quoque eſſe animum, eumq; verum hominem, iuxta ſuperiores, datamq; ei præter cęteras animantes, particularem ſortem, luculenter ſuper Epictetum prædicauit Simplicius: ὁ δὲ ὄντως ἄνθρωπος εἶναι βουλόμενος, καὶ τὴν εὐγένειαν, τὴν ἑαυτοῦ προθυμούμενος ἀνακτήσασθαι, ἣν ὁ θεὸς παρὰ τὰ ἄλλα ἄλογα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἐχαρίσατο, οὗτος σπουδάζει τὴν ἑαυτοῦ λογικὴν ψυχὴν ὥσπερ ἔχει φύσεως, οὕτω ζῆν: Qui verè, inquit, homo eſſe vult, dignitatemq; generis ſui cupiat redimere, quam Deus præter animalia bruta hominibus largitus eſt, is ſtudet, vt animus ſuus rationalis ſic degat, vt natura habet. En verus homo, generoſus, inſignis ſupra cęteras animantes, quod Deus ipſe largitus eſt. Nihilque intereſt inter Simplicium, & Moſen hoc loco. Moſes, Et creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinē ſuam, vt præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cęli. Hęc gratia diuinitus data eſt, ſimilitudo, proprietaſque diuina, data ratio, qua dominamur brutis. Is verus homo.

Cur a̅ius corpori colligatus.

Anima immortalis quo argumento intelligitur.

Gene. 1.

Alexandrum

Alexandrum Aphrodiſeum, animum immortalem ſenſiſſe. Separare eum animam corpoream, ab anima diuiniore. Animi agentis dignitatem primum ſummo Deo, tum intellectui noſtro tribuere, vtrunque incorruptibilem affirmantem. Alexandri clara verba de intellectus humani incorruptibilitate. Cap. XXI.

Iurare in verba magiſtri non ſemper tutum. Oſcitantia in legendo qd afferat.

Rationes Alexaudri Aphrodiſei, quib. aīas īmortales probat.

Aīa actus corporis organici.

Aīa Deorũ, incorruptibilis.

Hominũ genus, diuinum.

SAEPE ſolet, & in ſcholis Philoſophorum, & in omni propemodum vitæ actione, error is accidere, vt adſint qui grauis alicuius viri ſententiam, aut vocem perperam excipientes (vt ſumus omnes in malum, quàm bonũ propenſiores) faciant vt fama inualeſcat, viros eos ſimile quid ſenſiſſe, quale ipſi interpretantur. Accedit item ignoratio, cùm libros eorum aut oſcitanter legimus, aut omnes legere non curamus, contenti pauca quędam vidiſſe, & ex his iudicium ſcriptorum feciſſe. Hoc cum primis euenit de Alexandro Aphrodiſeo, qui cùm putetur paſſim animi immortalitatem repudiaſſe, qui ſcripta eius omnia legerit, ponderauerit, perpenderit, inueniet vel eum ſecus ſenſiſſe, quàm fama eſt, aut ſi ſenſit, habebit vnde ex dictis ſuis eum abunde coarguat. Quatuor igitur rationes, ad omnem hanc probationem prę ſto ſunt, quarum priores indicium quoddam faciant, nõ ſenſiſſe Aphrodiſeum, animam mortalem, poſteriores dilucidè, perſpicuè, nullis obumbrantibus ambagibus hoc ipſum prædicabunt. Senſit igitur Alexander cum cęteris, eum qui dicitur animus aut mens, Græcè νοῦς, immortalem. Primaque ratio. Quia definitio, qua dicit, animam eſſe craſim & actum, formamque corporis, & vt eius vtar verbis, ἐκ τῆς ποιᾶς μίξεως καὶ κράσεως τῶν πρώτων, Ex quadam miſtione, & temperatione primorum elementorum, eſt definitio animæ corporeæ, corporeæq; vitæ, qua viuit animal hoc corporeum, terreſtre, corruptibile, mortale. Quod ipſe paulò pòſt his verbis declarat: γίνεται δὲ ἡμῖν ὡς προεῖπον ὁ λόγος περὶ ψυχῆς τῆς τῶν ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ: ταύτης γὰρ καὶ ὁ προειρημένος ὁρισμός: Fit, ait, nobis, quemadmodum prædiximus, ſermo de anima eorum, quæ ſunt in generatione, & corruptione. Hæc igitur eſt anima, quæ dicitur ab Ariſto. actus corpus organici. Secunda ratio, quòd animam diuiniorem, quę propriè dicitur mens, ſiue animus, quo ſapimus, res inuiſibiles, arcanas, æternas apprehendimus, non vult incluſam eſſe ſub hac definitione, quia dicit ibidem de anima Deorum, ἡ γὰρ θεῶν ψυχὴ, εἰ καὶ ταύτην δεῖ ψυχὴν καλεῖν, ὁμωνύμως ἂν ταύτη, ψυχὴ λέγοιτο: Nam animam Deorum, inquit, ſi modò ea vocitanda ſit anima, æquiuocè cum hac diceretur. Volens ferme dicere Alexander, animam Deorum incorruptibilem, immortalem, non eius generis eſſe, cuius ſunt, ea quæ cadunt, intereunt. Quòd autem animus noſter ſit ex hoc genere diuino, docet ipſe Peripateticorum princeps, appellans in Moralibus, mentem νοῦν θεοῖς συγγενέστατον, Diis cognatiſſimam, propinquiſſimam, ex eodem maximè genere. Vidimus item ſuperiores vnanimiter cunctos conſentientes eſſe homines diuinum genus. E quibus Pythagoras ad omnes clamabat.

Θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσι.
Eſto alacer, nam nobis eſt diuina origo. Et Aratus,
-Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

In homine optimũ, rō.

Aīal. quib. conſtat.

Mẽs actu, mens operans incorruptibilis.

Quòd cum diuo Paulo placuiſſet, excepit his verbis, Dei ergo cùm ſimus genus. Seneca quoq; vir magnus, In homine, inquit, quid optimum eſt? ratio. hac antecedit animalia, Deos ſequitur. Audis, Deos ſequitur? Duobus maximè locis affirmat Ariſt. conſtare ex hoc diuino genere mentem, ſiue animum noſtrum. In Moribus vocat συγγενέστατον. De generatione animalium, Relinquitur, inquit, ſolam eam, quæ dicitur mens, ingredi exterius, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, Et ſolam diuinam eſſe. Paulò infra, τὸ μὲν χωριστὸν ὂν σώματος, ὅσοις ἐμπεριλαμβάνεται τὸ θεῖον, τοιοῦτος δ' ἐστὶν ὁ καλούμενος νοῦς: Nam quod ſegregabile, ſeparabileque eſt a corpore, quibus diuina pars adiuncta eſt. Ea eſt autem quæ mens, ſiue animus dicitur. Vides Ariſtot. vocare mentem noſtram, θεῖον, diuinam partem, diuinum nempe genus, ſtirpem diuinam, ex eo genere, quo anima Deorum: Et hanc dicere ſegregatam à corpore. Cùm ergo dicat Alexander definitionem animę corporeæ, qua viuit animal hoc corruptibile, non conuenire animæ Deorum, mentem autem noſtram affirmat Ariſt. cum cæteris omnibus, eſſe ſicut animam Deorum diuinam ſegregatam à cõmercio corporis, cui corporis interitus nihil noceat, profecto velit, nolit, eadem ſentit, aſſerit Alexander. Nam qui prudenter diiudicet, idem ſermo eſt, & eſſe debet Alexandri, atque Ariſto. Cùm Ariſt. de anima ſenſibili, de ſemine principio animæ corporeæ, de ſpuma, excrementoque corporeo, ſuper quo fundatur totum animal, omniſq; anima corruptibilis, locutus. Deinde ſegregat ab hac corruptibilitate, corporeaque natura, partem diuinam exterius venientem, nihil ab illo ſpermate habentem. Tale quid ſentit Alexander, cùm primum diſſerit de anima, quæ ſit, vt idem ait, ex craſi, & miſtione elementorum. Dein veniens ad diuinum genus, non corporeum, non corruptibile, dicit animam Deorum æquiuocè cum hac anima appellari. Sic igitur etiã ęquiuocè dicetur & animus ſiue mens noſtra, quæ eſt diuina, cum illa corruptibili anima. Tertio ratio erit, quòd nulla dubitatione interpoſita, videtur Alexander clara voce fateri, eam quæ dicitur ab Ariſto. mens actu, mens operans, Græcè ὁ ἐνεργείᾳ νοῦς, ὁ ποιητικὸς νοῦς, immortalem, incorruptibilem,

corruptibilem alterius generis, quàm omnia corpora. Ac primum ait, τὸ ἄρα ἀΰλον εἶδος νοῦς ὁ κύριως τε καὶ κατ' ἐνέργειαν: Forma igitur immaterialis eſt ea, quæ propriè dicitur mens, & ſecũdum actum. Paulò poſt: καὶ ἐστὶν ὁ τοιοῦτος νοῦς χωριστός τε καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀμιγής: Et eſt huiuſmodi Intellectus, ſegregatus, impaſſibilis, impermiſtus alteri. Hæc Alexander. Verum attendendum eſt, quod hunc intellectum agentem, dicit ipſum Deum, & primam cauſam, appellatum ab Ariſtotele, in quo grauiter reprehenditur a Themiſtio, & ratio, quæ ducitur ex verbis Ariſtotelis (ſi ſentit ſimpliciter id Alexander) apertè reclamat. Perſpiciendum igitur hoc loco primum, quòd Alexander mentem agentem, mentem, ſiue animum indefatigabiliter noſcentem, ſemper in actione cognitionis exiſtentem, quæ dicitur ab Ariſtotele, intellectus actu, ſiue animus operans, ſentit, clamat, vociferatur, ſegregatum, impaſſibilem, incorruptibilem. Secundum, quòd huius intellectus, qui ſemper intelligit, fontaliter omni luce cognitionis impletur, principatum, primam dignitatem, tribuit intellectui diuino, qui dicitur prima cauſa, qui ſeipſum noſcit, intelligit, fruiturque, autore Ariſtotele, ſpeculatione maieſtatis ſuæ. Secundum gradum, & locum tribuit intellectui noſtro, dicens intellectum agentem primo, ac principaliter appellari debere primam cauſam, omnis animi originem, ſecundo minus principaliter, intellectum noſtrum, incorruptibilem, & ipſum. Si bene igitur cernas, ſi ſpectes altè, videbis Alexandrum non ſimpliciter prædicare, quod Deus ſolus ſit intellectus agens, ſed quòd ipſe primus fruatur hoc honore, ipſe mens infinita, inexhauſta ſapientia, lumen immenſum. Secundo loco, & quidem longè inferius, debiliſſimumque lumen præ illo, eſt intellectus noſter, immortalis, & ipſe ſimiliter, & intellectus agens, & ſimiliter incorruptibilis, immaterialis, impaſſibilis, incorporeus, quemadmodum magnus ille. Quod autem hoc ſentiat Alexander, ex verbis eius liquido conſtat: Talis, inquit, nempe immaterialis, incorruptibilis, oſtenditur ab Ariſtotele, πρῶτον αἴτιον, prima cauſa, qui & propriè mens, eoque pretioſor noſtra, & quæ cum corpore eſt. Dicet etiam Alexander, quòd mens, quæ intelligit ſempiterna, immortalia, immortalis & ipſa eſt. Hæc autem noſtra eſt. Demum Alexander in fine totius rationis, Intellectus is, inquit, ὁ θύραθεν καὶ ἡμῖν γενόμενος καὶ ἄφθαρτος. ἄφθαρτος δὲ ὅτι ἡ φύσις αὐτοῦ τοιαύτη, ὁ οὖν νοούμενος, ἄφθαρτος ἐν ἡμῖν νοῦς οὗτός ἐστι, ὅτι χωριστός τε ἐν ἡμῖν νοῦς, ὃν καὶ θύραθεν ἀριστοτέλης λέγει: νοῦς ὁ ἔξωθεν γινόμενος ἐν ἡμῖν. Quæ ſunt, Eſt exterius aduentans nobis, & exiſtens, & incorruptibilis. Incorruptibilis autem, quoniam ea eſt natura eius. Igitur intellectus, qui intelligitur incorruptibilis in nobis is eſt, quoniam eſt ſegregatus in nobis intellectus, quem & Ariſt. exterius venientem vocat, intellectus exterius exiſtens in nobis. Sic Alexander. Hęc igitur veritas eſt, cui nemo poſſit cõtradicere, quod Alexander intellectum, quem Ariſt. in libris de Anima vocat operantem, ſiue intellectum actu, in libris de Generatione animalium appellat θύραθεν, exterius aduentantem, ſentit, fatetur, conſtanter appellat immortalem, incorruptibilem, à natura corporis ſegregatum. Quod ſi quis putet intellectum illum exterius venientem, Alexandrum alium quàm noſtrum dixiſſe, ecce verba ipſius autoris ſunt in propatulo, quibus ait intellectum in nobis ſegregatum, incorruptibilem, venientem ad nos extrinſecus. Ipſeque Ariſtoteles cùm de tota anima humana loqueretur, omneſque corporeas facultates à corporeo principio naſcentes, inſeparabiles corpore, & cum eo corruptibiles pronuntiaſſet, demum concluſit, reliquum eſſe ſolum eum, qui dicitur mens in nobis diuinam eſſe, ſegregatam a corpore, ſolamque ab alia origine, quàm mortales illas facultates, venientem. Loquitur ergo de quodam intellectu noſtro, eum tribus nominibus ab omni culpa mortalitatis vendicans, quòd ſit ſeparabilis a corpore, inconcretus, quòd diuinus, quòd extrinſecus aduentans. Hunc autem Alexander cùm affirmet, fateatur incorruptibilem, certè animum humanum, qui dicitur intellectus agens, exteriuſque aduentans, fatetur incorruptibilem, ſegregatum a corpore.

Deus, non ſolus intellectus agẽs ſed prim⁹.

Quòd idem Alexander Aphrodiſeus animum immortalem aſſeruit, & dubitationem de mortalitate reſoluit. Et quòd Plato prior, & Ariſto. hoc ipſum docuerunt, oſtendentes organa labefactari poſſe, animo incorrupto, & inuiolato. Cap. XXII.

MAGNAE profectò ſunt his habendæ gratiæ, qui labore ſtudioque ſuo perfecerunt, ne diutius per ſcholas Philoſophorum, quos aliorum inſcitia inuexiſſet, debaccharentur errores. Ecce aliud Alexandri admirabile de animi immortalitate teſtimonium, quod non vidiſſe Peripateticos hodiernos, vt raró ſolent fontem veritatis adire, palam eſt. Secundo Problematum, oſtendens temperaturas, & craſes bonas, facere vires naturales, atque animæ, vt nonnulli ſentiunt, aut quod verius, organa ipſarum. Nam pro ædificio organi, operari facultatem. Sic enim chordis in cithara, aut foraminibus in tibia benè poſitis, artificem optimè operari, prauè autem habentibus, non operari bene, ipſum verò nihil pati, ſed habere in potentia τὴν τέχνην σωζομένην, καὶ οὐ κατὰ ἐνέργειαν, artem ſeruatam, & non ſecundum actũ. Sic ſi quis, verbi cauſa, cerebro deprauato ſit ob intemperiem, non operaturam quidem, ψυχὴ λογικὴ, καθ' ἑαυτὴν δὲ ἄτρεπτος διαμένει δυνάμει τυγχάνουσα κατὰ τὴν ἐνέργειαν,

Orhani ædificio, facultatẽ operari.

δια

διὰ τὸν ἀθάνατον, εὐπορήσασα δὲ πάλιν ὀργάνου εὐκράτου, τὴν δύναμιν εἰς ἐνέργειαν προβάλλει καλῶς: Animam rationalem, ſed per ſe tamen immutabilem permanere, facultate,& potentia, exiſtentem in actu, propter immortalitatem. Rurſumque nactam organum temperatum, potentiam in operationẽ proferre bene. Ecce ſui ſimilis Alexander. En explicatio, declaratio, cùm vel infantes & pueros cernis non ſapere, vel ætate prouecta viros inſanire, non mentis, inquit, animive ea cauſa eſt, ſed organi male affecti, virtute, & ipſa matre operationum potentia, immota, incorrupta, immortali. Cuius maximè indicium eſt, quòd iterum nacta organum boni, expurgataque feculentia, operatur vt ſolita erat. Si mens abiiſſet, cum operatione deſtructa, nunquam redire potuiſſet. Manet, inquit, anima immutabilis, propter immortalitatem, qualem, vt ait Simplicius, creauerat eam Deus, prudentem, ſapientem: ſed accidit dementia, vel nobis volentibus, ac prauè ratione vtentibus, vel organo deprauato, ipſa mente propter immortalitatem, incorrupta, immota. Hinc reſipiſcens, & pœnitens fit alia, aut redit in ſeipſam. Hæc Alexander ſentit etiam in libris de Anima. Coegit igitur veritas eum fateri quod erat. Sciendum autem, quòd hæc Alexandri ratio, eſt etiam Platonis in decimo de Republica; Nonne noſti, inquit, animam noſtram eſſe immortalem? Nam ſi corporis ęgritudo, prauaq; affectio non efficit animam prauam, & ægrotam, nunquam poterimus dicere ab vllo malo eam perire, ſine deprauatione, maloq; ſuo. Itaque neq; a febri, neq; ab alia ęgritudine, aut cęde, neq;, ſi quis toto corpore cæſus ſit fruſtillatim, ob hęc, animam interire dicet quiſquam, niſi prius comprobet, quod ob corporis hęc mala, ipſa vel iniuſtior fiat, vel ſceleratior, quæ ſunt animi mala. Sed cùm malum alienum affuerit in alio, non adſit autem proprium, ne animam quidem quid quam perdere dicemus. Nemo verò probabit animas intereuntium, ob mortem fieri deterius. Tum concludit: Bene igitur dicis. Nam ſi proprium animi malum, non poterit animum interficere (Siquidem iniuſti,& ſcelerati, non modò ipſi viuunt, vt auferre cęteris vitam ſoleant) vix erit malum, quod afferat animo perniciem. Ergo ſi neque a proprio domeſticove, neque alieno malo lęditur, δηλονότι ἀνάγκη αὐτὸ ἀεὶ ὂν εἶναι: εἰδ' ἀεὶ ὄν, ἀθάνατον, Liquet vtique neceſſariò eum ſemper eſſe. Quòd ſi ſemper, etiam immortalem. Hęc Plato. Deinde ſubiicit ea, quæ Plotinus de immortalitate, vt conſideretur animus, qualis natura eſt, non vt a corpore, communicationeq; corporis, & cæteris malis offenſus, impeditus, ſed purus, ſyncerus, qualis debet eſſe, & eſſe ſolet animus ſapientium, ſimilis animis cęleſtibus, quos immortales nemo dubitat, retinens nobilitatem diuinam, & talis exiſtens qualem creauit eum Deus. Nunc autem videmus eum veluti Glaucum illum marinum Deum, aut fractis corporis partibus, aut fluctibus attritis, aut multatis, hærentibus oſtreis, aut alga, lapilliſq; vt verius monſtro ſimilis ſit, quàm qualis natura eſſet, neq; quiſquam priorem figuram recognoſcat. Huiuſmodi cogitemus animum, inquit, infinita malorum copia circumobſeſſum. At eò reſpiciamus, quibus cogitationibus euehitur, quorum inſpector, contemplator eſſe ſoleat, quibuſcum ſimilitudinem gerat. Hæc igitur, & ab Ariſt. viſa ſunt, & comprobata, & a Peripateticis, qui poſt eum floruerunt, declarata, explicata præſertim Alexandro, cui multum tribuunt cęteri Peripatetici. Nam animus, qui purus, cæleſtis, ſimiliſq; naturæ diuinæ prius eſſet, exinde corpore aggrauante, ſenſumq; deprimente, maliſq; affectionibus obſidentibus, oppreſſaq; diuina ſimilitudine, bonitateq; immortali, non apparet. Sed Alexander è ratione Philoſophiæ docet eam culpam, & fraudem vel organi eſſe, vel alienarum ab anima rerum, ipſa incorrupta, inuiolata. Cuius ſi dignitatem, immortalitatemque noſſe velis, ad ea reſpicias, quæ monuit diuinus Plato. Seiunge, quæ non ſunt eius. Vide quantum ſapientiæ, prudentiæ. Tu, inquit Marcus Tullius, cùm ſiue Deus, ſiue mater, (vt ita dicam) rerum omnium Natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque Diuinius, ſic te ipſe abiicies, atque proſternes, vt nihil inter te, atque quadrupedem aliquid putes intereſſe. Et Animal, inquit, hoc ſagax, memor, plenum rationis, cæteraque bona, quæ videmus, ab optimis poſſideri, vt Dij, & filij Dei meruerint appellari. Hoc attende, hic inſiſte, Similitudinem, cùm optimus quiſque ſimilem ſe Deo reddit, agnoſce. Conſimilis ferè ratio eſt in Phædone. Vt enim ſuperius Triſmegiſtus, duplicem eſſe hominem aſſerebat, alterum mortalem, corruptibilem, alterum immortalem: Et, vt Ariſt. hos duos vidit,& oſtendit homines, alterum ſeparabilem, alterum inſeparabilem: Simplicius autem meliorem illum, nihil a dignitate ſua degenerantem induxit: Plotinus, & Plato obſeſſum meliorem corporeis peſtibus, ſed operationibus ſuis elucescere. Has autem operationes ſæpe, quemadmodum Ariſtoteles cum cæteris, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, memoriam dixit. In Phædone ea accepit, quibus tanquam duo in vno eodemq; homine cernantur, alteri iubens, & imperans, alteri obtemperans, affectiones corporis comprimens, frænansq; tanquam alteras a ſe libidines, & ſopiens. Quo non modò, affectiones corporis animam non eſſe,& quaſi contemperationem, harmoniamq; demonſtrat, ſed prorſus ſeiunctam ab eo, atq; diuulſam. An, inquit, eorum quæ ſunt in homine, quicquam aliud imperare dices, quàm ipſum animum, pręſertim ſapientem? Et ſi non aliud, an id imperium exercet, obſequens aut aduerſans affectionibus? Dico videlicet ſimile quid, vt ſi vrgente ſiti, æſtuq;, in contrarium tendat, recuſans bibere: Similiter fame premente, nolit manducare, cæteraque id genus innumera, in quibus conſtat animam corporeis cupiditatibus aduerſari. Quibus non corporis harmonia, & contemperatio aduerſatur. Nam harmonia

Anima nō fit ob mortem deterior.

1. Parado.

1. De Leg.

Duplex homo.

Pars iubēs, & pars obtemperās.

nia nunquam chordis, & citharę obſtat, ſed talis eſt cuiuſmodi corpus harmonicum, ſequens ipſum, non imperans ei. Conſtat igitur animum in contrarium vbique ferè aduerſari corpori, eiq; omnibus modis tota vita dominari. Aſperius nonnunquam, & cum dolore, vt in omni exercitatione, & in medicina: nonnunquam mitius. Interdumque minitans furori, & cupiditati, aut timori, interdum monens, & ſuadens, vt alius prorſus exiſtens cum altera perſona loqui videatur, vt Homerus facit in Odyſſea, vbi de Vlyſſe refert,

Animũ aduerſari corpori.

Tum ſecum, & cordi, percuſſo pectore, fatur.
Cor patere iſtud, nanque hoc, & grauiora tuliſti.

τέλαθι δή κραδίη, &c. Odyſſ. υ.

An, putes eum, inquit, hæc loquentem, credidiſſe animam eſſe harmoniam, & actum corporis organici phyſici, cui corporis affectiones dominentur, non potius, quæ agat, domineturq; multo quàm harmonia diuinius quiddam? Hęc Plato. Quę eſt eadem atque ſuperius ratio, vt quemadmodum ex ſapientia, memoriaq; animi, falſam perſuaſionem deſtruebas oblatam ex organis deprauatis, operationibusque ceſſantibus: Sic ex imperio, dominatuque ſuper omnes cupiditates, & contra ſe propè minaciter tendere: Vel cùm corpus ipſum vrgemus, & impellimus, neq; cupiditatum ſuggeſtionibus acquieſcimus, comprobes imperatorem animum eſſe, ſeiunctum à natura corporis, prorſus ei diſſimilem, tanquam dominum, cui nulla cum cupiditatibus, & actu corporis ſit ſocietas. Ratio Ariſto. cogens eum fateri, cùm cætera in homine non ſeparentur, ſolum hunc ſeparari, tanquam facultatem, ſubſtantiamque diuiniorem. Sapientia igitur, & prudentia, memoria, proſpectus, cogitatio, ſolertia, probant animum incorruptibilem, immortalem, diuinum. Probat etiam dominatus, imperium ſuper cupiditatibus, ſupra ſeipſum, reſiſtere, ſibi, ſeſe regere, impellere corpus, exercere ſi vel recuſet, ſitienti potum denegare, Venerem appetenti non acquieſcere, formidantem increpare, obiurgare, iraſcenti, & furenti fręnum imponere. Quæ quidem probant, aliud omnino eſſe qui imperat, aliud cui imperatur, & tanquam aſino calcar, vel frænum adhibetur. Denique ſuperior Platonis ſententia, quam Alexander explicuit, fuit etiam Ariſt. ſi quis prudenter inſpiciat. In primo de Anima, Mens autem videtur ineſſe ſubſtantia quędam exiſtens, & non interire. Maximè enim interiret ex imbecillitate ſenili. Nunc autem quemadmodum in ſenſibus contingit. Si enim ſumeret ſenex oculum iuuenis, videret quemadmodum iuuenis, Quocirca ſenectus non euenit propterea, quòd anima ſit aliquid perpeſſa, ſed id in quo ſit operatio. Quemadmodum in ebrietatibus, & morbis. Itaque & intelligere ipſum, & ſpeculari, labefactatur, alia re exterius labefactata. Ipſa verò potentia, eſt impaſſibilis. Cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt affectiones eius, qui habet illud, vel illud habet (videlicet animi) Quamobrem, & hoc pereunte, neque recordatur, neque diligit, neque enim illius erant, ſed communis, quod periit. Mens autem forte diuinius quiddam, & impaſſibilis eſt. Ex his vides eandem Platonis & Ariſtotelis, Plotini, & Alexandri eſſe de immortalitate ſententiam, qui ſoluunt etiam, nubemq; quaſi terram ob oculis depellunt dubitationem de organis deprauatis, cum quibus pariter anima deprauari, labefactarique videbatur.

Aĩus non eſt tm̃ corporis harmonia.

Qũo probatur animum non eſſe interitui obnoxium.

Rationes Plotini de immortalitate, & quòd idem iterum Ariſtoteles, & Plato ſunt confeſſi, animam eſſe incorpoream, quemadmodum Deum: Et epilogus eorum, in quibus mirè cuncti fermè Philoſophi conueniunt, ſuper immortalitate animorum. Cap. XXIII.

PLOTINVS item omnia, quę vel Triſmegiſtus, vel Plato, aut Archytas, ſed ante omnia, quæ Moſes, de diuina animorum ſimilitudine, eorumque immortalitate tradidiſſent, verbis penè diuinis explicuit, declarauit. Expiatæ, inquit, animæ, aſſident optima ſapientia, omniſque alia virtus ei domeſtica. Si igitur talis eſt anima, cùm ſe collegerit, & in ſeipſam redierit, πῶς οὐ φύσεως ἐκείνης, οἵαν φαμὲν τοῦ θείου καὶ ἀϊδίου παντὸς εἶναι: φρόνησις γὰρ καὶ ἀρετὴ ἀληθὴς θεῖα ὄντα, οὐκ ἂν ἐγγένοιτο φαύλῳ τινὶ καὶ θνητῷ πράγματι: ἀλλ᾽ ἀνάγκη, θεῖον τὸ τοιοῦτον εἶναι, ἅτε θείων μετὸν αὐτῷ διὰ συγγένειαν, καὶ τὸ ὁμοούσιον: Quomodo non naturæ illius erit, qualem eſſe rei diuinæ, ac ſempiternæ omnis dicimus? Nam ſapientia, & vera virtus, quæ ſunt diuina, haud quanquam rei vili, atque mortali inſint. Sed neceſſe eſt diuinum eſſe eiuſmodi, vt cui ſoli ſit cum diuinis ſocietas propter affinitatem generis, & ſubſtantiæ. Hæc ille. Cautè quidem, & rectè audio, quòd animam dicat Deo ὁμοιούσιον, conſubſtantialem, non ſcilicet eiuſdem, ſed ſimilis ſubſtantiæ, quaſi ὁμοούσιον, Et quale prodidit Moſes, ad imaginem, & ſimilitudinem. Ipſi enim ſe ipſos declarant, vt ſuperius Triſmegiſtus. Igitur hoc quod Plotinus effatus eſt, eſt quod Triſmegiſtus. νοῦς ἐν ἀνθρώποις, θεός, Mens in hominibus Deus. Quod veriſſimum eſſe, declarat omnium, qui hæc ſcrutari inſtitiſſent, conſenſus. Vt cum non didicerint, ſed inſtinctu quiſque ſuo pronuntiarit, didiciſſe tamen alter ab altero videatur. Similia enim eo ipſo de generatione animalium loco, inculcauit Ariſtote. τὸ μὲν χωριστὸν ὂν τοῦ σώματος, ὅσοις περιλαμβάνεται τὸ θεῖον, τοιοῦτον δ᾽ ἐστὶν ὁ καλούμενος νοῦς, τὸ δὲ ἀχώριστον, τοῦτο σπέρμα:

Sapientia, & virtus non cadũt in res viles & mortales.

Mẽs in homine, Deꝰ.

A corpore

Corpus mortale hominis, nō homo ipſe, id eſt mēs. In ſomnio Scip.

Anima nō eſt Deus, ſed opus Dei.

A corpore ſeparabile eſt, cui diuinitas ineſt. Talis autem eſt mens, inſeparabile autem eſt ipſum ſperma. Sentis quanta inter Platonem, Ariſtotelem, Platonicos, Peripateticos, de animorum diuinitate, ac immortalitate concordia? Nam Laertius prodit de Platone: δοκεῖ δὲ αὐτῷ, τὸν θεὸν ὡς καὶ τὴν ψυχὴν ἀσώματον εἶναι, οὕτε γὰρ μάλιστα φθορᾶς καὶ πάθους ἀνεπιδεκτον ὑπάρχειν: Videtur ei Deum quemadmodum & animam eſſe incorporeum. Sic enim maximè interitus, & affectionis incapacem eſſe. Eadem ergo & Marcus Tullius: Tu verò enitere, inquit, in ſomnio, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Deum igitur te eſſe ſcito. Siquidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui præuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum, princeps ille Deus. Et vt ipſe mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus ęternus: ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet. Quantus conſenſus? Aſpicis quid natura de pectore ſapientum, quamve conſonum, iugiter eruit? Hi loquuntur natura, rationeque magiſtra, quòd litteræ ſacræ oraculo: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Et Plutarchus de quæſtionibus Platonicis, ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός. Quomodo autem ſentiant animam noſtram, eſſe Deum, declarat idem de placitis Philoſophorum. Plato, inquit, τὸ μὲν λογικὸν ἄφθαρτον, καὶ γὰρ τὴν ψυχὴν οὐ θεόν, ἀλλὰ ἔργον τοῦ ἀϊδίου θεοῦ ὑπάρχειν: Rationem eſſe immortalem. Etenim animam, non Deum ſummum, ſed quaſi opus magni Dei. Et hæc Moſaica Theologia. En verus ille homo apud Ariſtotelem, vera diuina imago. His conſonè Chaldęus item ait, ἡ ψυχὴ ἀσώματον πῦρ, Anima incorporeus ignis. Duobus ferme millibus annorum ante Platonem tradiderat Moſes, animum ſimulachrum eſſe Dei, paulò ante Ariſtotelem Plato, ante Plotinum trecentis, & plus annis, ante Marcum Tullium fermè ducentis Ariſtoteles. Succeſſit per omnes ætates hæc Theologia, omnia tempora obambulauit, nullius ſapientis pectus non inſedit, mutuis ſententiis ſuffragiiſque roborata. Magna res eſt, & nemini non admiranda, tantus omnium ſęculorum, atque hominum ex omni genere, latè terras incolentium, linguis, moribus, ætatibuſque inter ſe diuiſorum, conſenſus, in eandem rationem, ducente natura, conſpirantium. Marcus igitur idem, iterum ſui, veterumq; Philoſophorum memor, Humanus, ait, animus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc eſt fas dictu, comparari poteſt. Quod dixit Decerptus, Philo, & Epictetus, vt ſæpe monui, ἀπόσπασμα, ἀπαύγασμα, Moſes, Afflatus. Sic quopue quod Moſes, Ad imaginem, & ſimilitudinem, Marcus idem. Si quidem, inquit, vel Dij ipſi, vel cum Diis futuri ſumus. Eãdem ſententiam, & ſententiæ cauſam propoſuit de animorum immortalitate in orationibus: Iraque, inquit, cum multis aliis de cauſis, virorum bonorum mentes diuinæ mihi atque æternæ videntur eſſe, tum maximè, quod optimi, & ſapientiſſimi cuiuſque animus ita præſentit in poſterum, vt nihil niſi ſempiternum ſpectare videatur. Hæc ratio Platonis, Ariſtotelis, Plotini, Alexandri, Aphrodiſæi, omniumq́ue fermè Philoſophorum. Quid illud quoque, quod ait in Tuſculanis de animo cælum cognoſcente? Quorum, inquit, aſtrorum conuerſiones, omniſq́ue motus, qui animus vidit, is docuit ſimilem animum ſuum eius eſſe, qui ea fabricatus eſt in cælo. Vides vt viderit, aſſenſuſq́ue fuerit, ex argumento vero, animum ſimilem eſſe Dei, ſimilem eius, qui ſydera fabricatus eſt in cœlo, quæ ſapiens artifex ſine diuino ingenio imitari non potuiſſet, ſicut ſine Deo moueri cœlum vna conuerſione diſſimillimis motibus nequiuiſſet. Idem in Tuſculanis, quod mirabile videbitur omnibus (cogor autem repetere) Nec inuenietur, inquit, vnquam, vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo, loquens de animis. Ecce non modò conformitas animorum cum Deo, ſed etiam conditio, miſſio eorum ab ipſo, duo videlicet Moſaica, Ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: Et inſufflauit in faciem eius, dato a ſe ipſo viuenti ſpiritu, quem animum, mentemve Latini, Græciq́ue dicunt. Eodem diuino conſenſu Plutarchus de virtutibus moralibus, rationem, quæ ſit diuina, & prudentiam perfectam ſummam rationis partem, fas eſſe imperare, dominari parti irrationali. Sapientiamq́ue eſſe circa puram, impaſſibilem mentem, cui inſit ſcientia diuiniſſima, ac beatiſſima, φύσει γὰρ προσίκει θεῖον ὄντα τὸν λογισμὸν ἡγεῖσθαι καὶ ἄρχειν τοῦ ἀλόγου, ἀλλ᾽ ἡ μὲν ἀπροσδεὴς τοῦ ἀλόγου, καὶ περὶ τὸν εἰλικρινῆ καὶ ἀπαθῆ νοῦν συνισταμένη σοφία αὐτοτελής τίν ἐστιν, ἀκρότης τοῦ ἀλόγου, καὶ δύναμις, ἣ τὸ θειότατον, καὶ μακαριώτατον.

Oratione pro Rabir. perd. reo.

1. Tuſcul.

Gene. 1.

Epilogus rationum, quibus viſus eſt ſapientibus animus immortalis. Cap. XXIIII.

Pherecydes primus animi docuit imortalitatem.

CONSENSVS igitur omnium, qui Naturæ vox putatur, præcipuè maiorum, declarat animos ſempiternos. Idq́ue etiam affert Marcus Tullius: Vt, inquit, Deos eſſe natura opinamur, qualeſq́ue ſint, ratione cognoſcimus, ſic permanere animos arbitramur conſenſu nationum omnium. Omnes itaque priſci, & omnes qui poſt eos ſecuti ſunt, animos æternos dixerunt, Moſes, Triſmegiſtus, Muſæus, Orpheus, Homerus, Pindarus, Phærecydeſq́ue Syrus Pythagoræ præceptor, qui primus, vt ait Marcus, dixit animos ſempiternos. eamq́ue opinionem diſcipulus eius Pythagoras maximè confirmauit, Ipſe Plato, qui vt Pythagorea diſceret, in Italiam nauigauit, primum de animorum immortalitate non

A ſenſit idem modò quod Pythagoras, ſed rationes etiam attulit. Hæ rationes teſte Marco, plures ſunt, vt qui legat librum eius, amplius quid cupiat, non habeat. Sed illa maior omnibus, & claritate mirabilior, ad quam rapti ſunt vniuerſi homines, vt quaſi Moſen cuncti legiſſe, diſcipulique eius eſſe voluiſſe videantur. Ea eſt, quòd ex ea natura, quæ Deo conſenſu omnium tribuitur, exiſtit animus. Ergo animus, inquit, nunquam ſatis laudatus, idem Latinus Plato, vt ego, diuinus, vt Euripides audet dicere, Deus eſt. Putat audaciam animum dicere Deum: diuinum autem appellari, hoc eſt, ſimilem naturæ diuinæ naturam gerentem, fas eſſe, caſtigatius, & rectius. Similitudinem autem, proprietatemque eſſe, quod vt illa natura cęleſtis terra vacat, & humore, ſic humanus animus eſt expers. Secundò, quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cęleſte, diuinumque eſſe: Ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt. Tertiò, quòd quemadmodum Deus non alio modo intelligitur a nobis, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno, hoc è genere, atq; eadem è natura, eſſe humanam mentem. Dico hoc è genere, vt paulò antè diuinitus emendarat Euripidem, non vt Deus, ſed vt diuinum genus. Sunt enim alia, quibus nullam habet homo cum Deo ſocietatem, Igitur conuenere omnes, omniſque vetus, ac noua Philoſophia ſacra, & profana, animos eſſe è genere diuino, diuina natura, & incorporea. Nihil eos habere corporeum, miſtum, diſſolubile, mortale, diſſipabile. Eſſe quàm hæc omnia, quæ cernuntur, alterius omnino naturæ. His igitur dictis, ad alia quædam progrediamur.

Quid diuinum ſit. Ex lib. de Cōſolatione, M. Tullij, Lactāt. lib. 1. cap. 5 & libr. 7. cap. 3.

B

Contra rationem, qua putarunt animos retrò ſempiternos: & quòd errarunt, omnipotentiam, maieſtatemque ſummi Dei, qui ſolus ſit præditus motu ſempiterno, imbecillis animis tribuentes: & quòd animi humani non ſunt per ſe principium omnis motus, ſed ſolus Deus. Cap. XXV.

HOc omni opere id cum primis egimus, & eò mens defixa fuit, vt tum totius philoſophiæ bonitatem, & cum cæleſti conformitatem oſtendentes, tum ſi bonorum illorum aſſertores, aliqua exinde ſuſpicione (nondum enim claritas cœleſtis exorta omnem caliginem ex animis diſpulerat) a vero exciderunt, ad bonitatem illam ſuis eos præſidiis reuocare, admonitos vt dicta ſua diligenter penſitantes, ſe vanis illis ſuſpicionibus inuolui non patiantur. Id in hac de anima Theologia, cum primis occurrit. Nam cum in Philoſophia ſempiternum, immobileque decretum poſitum ſit à Philoſophis, Quod immortale ſit, & incorruptibile, nullum vnquam habuiſſe principium, hoc ad animos transferentes, ſicut eos immortales, quia naturæ diuinæ participes, ſic ſine principio, nunquamve natos crediderunt. Sed cum mens fluctuaret, multaque non ambigua modo, ſed abſurda, eo poſito, occurrerent, ceu veritate labentibus porrigente manum, natos iterum eos à Deo intrepidè pronuntiarunt. Cumque ſi nati ſunt a Deo, retro non fuerint ſemper, ſed aliquo diuino, & nobis incognito oriantur modo, quoties eos ſine principio protulerint, repetemus eis dicta ſua, admonebimuſque in re ambigua, non tantum meliora ſequi, ſed ea etiam in quæ propenſiores ipſi fuiſſe videantur.

An verum illud, Qđ immortale ſit, nullum vnquā prīcipium habuiſſe: &, an animi æterni.

C Marcus igitur Tullius (vt hinc incipiam) cum Platonis illam rationem euolueret, quæ de principio motus proponitur, diciturque de animis, nullum motus ſui eos habere principum, quod a ſeipſis moueantur: Sempiternum autem eſſe, quod ipſum nunc per ſe moueatur: Quia quod ortum ſit, ab alio habeat motum. Ergo quod nunc per ſe, & à ſe mouetur, neceſſariò ſemper motum habuiſſe, quia nunquam ipſum ſibi defuiſſe. Et niſi ſemper motum fuiſſet, ne nunc quidem moueri poſſe. Et ſi moueretur, ab alio mouendum non a ſe ipſo. Quo deſinente moueri, ipſum quoq; deficeret. Sicq; non eſſet animus, quod Græcè dicitur, αὐτοκίνητον. Habere autem animos eiuſmodi naturam, vt a ſe ipſis moueantur, ſicq; ſemper tales exiſtentes nunquam natos. Concluditq; Marcus, Neque nata certè eſt & æterna eſt. Plato verò & in Phædone, & in decimo de Republica, hac ratione examinata concludit: οὔτε γὰρ ἄν που ἐλάττους γένοιντο· μηδεμιᾶς ἀπολλυμένης· οὔτε γὰρ πλείους: εἰ γὰρ πλείους· εἰ γὰρ ὁτιοῦν τῶν ἀθάνατον πλεῖον γίγνοιτο, οἶδ' ὅτι ἐκ τοῦ θνητοῦ ἂν γ γνοιτο, καὶ πάντα ἂν τελευτῶντα ἀθάνατα: Neq; pauciores inquit, vnquam erunt animi, nullo pereunte, neq; plures. Si quid enim immortale plus fieret, noſti quòd ex mortali fieret, omniaq; deficientia eſſent immortalia. Hæc igitur illi dicunt. Probabitur autem non modò in dictis eorum eſſe diſcordiam, vt ſuis verbis erroris admoneantur, ſed etiam ex his malis, & abſurdis, quæ ſequuntur, hanc eorum opinionem eſse veram non poſse. Etenim ſi ſunt animi ingenerabiles, euertitur tota Platonis Theologia, primum cum euidentiſſime creat omnem mundum in Timæo, non ſolum corpora, ſed etiam animos, & Deos: Quorum, inquit, initium traditur vobis à me, loquēs de animis. Græceque ſi bene meminiſti, σπείρας καὶ ὑπαρξάμενος ἐγὼ παραδώσω. Ego, inquit, initium, & ſatum animorum dabo. Eos ſatos demittam in corpus. Prædicat ergo Deus apud Platonem ſe ſatorem, ſeminatorem, informatoremque animorum. Quomodo ergo ſtat, animos eſse ſempiternos, nunquàmve natos, atque ſeminatos a Deo, & informatos, cùm in corpus immitterentur?

Tuſcul. 1. & in ſomnio Scipionis.

Si animi decerpti à Deo, ergo & creati.

Malè coniuncta à Philoſophis natura diuina & humana.

Quod ſemper mouetur, æternum: de Deo duntaxat intelligi.

Error Ciceronis idem qui Platonis.

Platonem igitur Plato corguat. Eadem diſcordia in Marco Tullio. Neque, inquit, certè nata eſt, & æterna eſt. At o Marce, non recordaris te paulò antè, animos decerptos ex mente diuina, alibi hauſtos dixiſſe? Si ſunt decerpti, nonne antequã decerperentur, aut delibarentur, nõ aderant nati poſtea? Quorum natiuitas dicitur delibatio, & hauſtus ex mente diuina. Ad hęc cùm in conſolatione quæreres originem animorum, dixiſti in terris eam inueniri non poſſe. Neq; inueniendum vnquã vnde ad hominem venire poſſint, niſi a Deo. Eos igitur a Deo venire dixiſti. Quid aliud venire, niſi naſci, oriri? Nam ſi fuiſſent ſempiterni, non venirent a Deo, nec eorum originem requiſiſſes. Venire igitur dixiſti, quod alibi, delibari, hauriri. Hæc igitur cùm apertè Marcus & Plato ſcripſerint, ſi nullis aliis rationibus vterer, his contentus eſſe poſſem. Similis error, & inconſtantia Simplicii nunc dicentis animum ingenerabilem, nunc à Deo creatum, & factum, vt viſum eſt ſuperius. Hoc igitur contentus eſſe poſſem, ſi vellem. Sed latius prouectus, doceo primum, rationem illam, quæ non conueniat naturæ animorum, ſed ſoli naturæ diuinæ, eos nõ rectè collocaſſe. Iam ſi ingenerabiles eſſent animi, tot conſequi mala, quorum nullam inueniat ſolutionem Philoſophia. Animos ingenerabiles, conſequitur quod ait Plato, nec plures eos vnquã fuiſſe, nec pauciores, hoc conſequitur miſeranda illa, vt dicam, quod verum eſt, exeuntium, redeuntiumq; ſemper calamitas ad corpora, & a corporibus animorum. Hoc igitur animi fecerunt in omni æternitate, ſemper è cęlo ceciderunt in terras ad animanda corpora. Vbi igitur, ò Plato, beatitudo animorum quam toties decantaſti? Vbi præmia iuſtitiæ, poſt hanc vitam? Si redeunt animi ſemper (redeunt autem, quia dixiſti eos nec pauciores eſſe nec plures vnquam) & ſi certus ille numerus diſceſſit a corporibus olim tot ſæculis, quomodo corpora, quæ ſubſecuta ſunt animata fuerunt, niſi redeuntibus eis, ſemperq; in hoc ludibrio verſantibus, & è cęlo labentibus? Si hoc, vbi beatitudo, vbi gloria bonorum, iuſtorumq; honores poſt mortem? Hæc opinio, nonne confuſio Naturę? Demonſtremus igitur fefelliſſe eos priorem rationem, vnde, quæ fieri nequirēt, animo conceperunt. Quanquam Marcus Latinus, de reditu animorum reuolutioneque illa dedecoroſa prudenter nihil ſcripſit, quòd ei credo nunquam placuiſſet. Si nõ placuit, tollatur genetrix eius prima ratio. Dico igitur malè coniunxiſſe eos naturam diuinam, ſupremamque Diuinitatem cum natura animorum, qui tametſi diuini ſint, diuinitus & nati, & ſimiles Dei, fragiles tamen, & errantes ſunt, hallucinantes, ignari multarum rerum, in errores propenſi. Non igitur habuerunt motus ſempiternã durationem, infinitamq; æternitatem. Habuit ſolus Deus, ſolus ipſe principiũ, ipſe a nullo motus, vitæ ſuæ ipſe ſibi origo, verus αὐτοκίνητος, per ſe viuens, per ſe motus. Animi autem per ſe non mouentur, quia tum tempus fuit, cum non eſſent, tum ad naſcendum moti ſunt ab alio, non a ſeipſis. Alioqui non modò ingenerabiles eſſent, ſed etiam Dei æquales, non ab illo, ſed a ſeipſis originem ſui trahentes, cætera quoque diuina poſſiderent, non peccarent, non hallucinarentur, non vacillarent, non afficerentur morbis, impaſſibiles, ſumma præditi Diuinitate. Nõ ſunt hæc inquam, non æquant ergo Deum: quem æquarent, ſi vitæ motusq; ſui ſibi forent principium: non æquantes, nec per ſe moti ſunt, nec ſibi origo vitę, & motus. Ab alio omnipotenti, quẽ nullæ res mouerũt, nihil dedit ei vitã, ipſe eſt ſibi vita, ſibi motus, verus αὐτοκίνητος, principiũ, fons omnium motionum, exorti, ad vitam incitati. Ab ipſo mouetur cęlum & terra, omniſque natura, ipſe fecit vt animi per ſe mouerentur facti ſimiles ſibi. Quapropter hoc nomen αὐτοκίνητος, non proprie, ſed ſimulatè conuenit animis. Eſt autem, αὐτοκίνητος, ſicut αὐτοφυὴς, αὐτοαγαθὸς, αὐτοτελὴς, αὐτοζωὴ: quæ nomina nullus vnquam Theologus ſoli Deo non conceſſit. Igitur illa rõ quam explicat Marcus ex Platone, quanquam in Tuſculanis, in Senectute, in Somnio vſurpauit, non congruit animis, qui non ſunt Deus, non principium, ſed moti ab illo omnipotenti fonte motionum, vitarumq; omnium, non ſolum cùm naſcerentur, ſed ei nunc ſubiecti, mouent omni tempore. De Deo igitur duntaxat hoc verum eſt, quod ait. Nam quod ſemper mouetur, æternũ eſt. Quod autem motum affert alicui, quod ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeſe mouet, quia nunquam ne moueri quidem deſinit. Quin etiam cęteris, quę mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. Principio autem nulla eſt oirgo. Nam ex principio oriuntur omnia. Ipſum autem nulla ex re fieri poteſt. Nec enim eſſet hoc principium, quod gigneretur aliunde. Quod ſi nunquam oritur, ne occidit quidẽ vnquam. Nam principium extinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit. Siquidem neceſſe eſt à principio omnia oriri. Ita fit vt motus principiũ ex eo ſit, quod ipſum a ſe mouetur. Id autem nec naſci poteſt nec mori. Vel concidat omne cęlum, omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, ne vim vllam nanciſcatur, quæ à primo impulſu moueatur. Cùm pateat igitur æternũ id eſſe, quod a ſe ipſo moueatur, quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimatum eſt id omne, quod impulſu agitatur externo. Quod autem animal eſt, id motu cietur interiore. Nam hęc eſt natura propria animæ atq; vis, quæ ſi eſt vna ex omnibus, quæ ſeſe moueat, neq; nata eſt certè, & æterna eſt. At ò Marce, qui ſapientiſſimus vbiq; probaris, quiq; in his, quę a Græcis ad Latinos transferebas, ſummo delectu nec Platonem ſępe, nec Homerum, quod & Virgilius, ſequi voluiſti, ſed bonis aſſumptis, quæ non probares eis reliquiſti, cur etiam hac in ratione errorem Platonis non animaduertiſti, qui ſupremam Diuinitatem, ingenerabilem, incorruptibilem, à nulla re mobilem, fontem motionum, ad animos fragiles, inſcios, tranſtuliſſes?

Quorſum enim ſpectat quod ais? Vel concidat omne cœlum, omniſque natura conſiſtat, neceſſe eſt. Num animi noſtri mouent cœlum, omnem naturam cient, quibus non mouentibus, cœlum ſit caſurum, ad quos rationem hanc applicaſti, & quæ Dei ſempiterni, omnipotentis erant, fragili, impotenti animo tribuiſti? Verba igitur eorum apertè clamant, diuinam hanc admirandamque rationem, non animis noſtris, ſed animo ſummo, præpotenti, aliorum animorum fonti congruere, neque enim cęlum Naturamque mouent animi noſtri, nec deficientibus nobis, concideret cœlum, omnis natura conſiſteret, ſed deficiente Deo. Tum verò nec Sol moueretur, moleſq; cęleſtes, natura quoque deficeret omnis. Hæc igitur eorum ratio neceſſariò concludit aliquem animum omnipotẽtẽ, ſine principio, ſine impulſu alieno, vniuerſalem, præſidem, omnis vitæ motorem. Efficitque ratio, naturaliterque demonſtrat, niſi eſſet principium æternum, a nullo dependens, a ſeipſo cuncta bona, totamq; potentiam agitandi, viuificandi, non aliunde ſumens, caſurum omne cęlũ, omnem Naturam interpollandam. Is ſolus nunquam deſeritur a ſe. Hic ſolus nunquam caruit motu, vitaq; ſua, omnis largitor vitæ. Et quia principium verum eſt, ei nulla fuit origo, natis omnibus ex eo, ipſo à nullo nato, quia principium. Is verè nunquam ortus, ſolus ob hanc cauſam, habẽs immortalitatem, vt inquit ille, & quia nunquam potuit naſci, nunquam poterit deficere. Hęc omnis de Deo neceſſaria, naturalis, admirandaque Philoſophia. Cùm verò infers, & concludis: Cùm pateat igitur id æternum eſſe, quod a ſeipſo moueatur, quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Ego is ſum, o Marce, qui nego tributam hanc animis naturã. Nihil enim inter nos, Deumque diſtaret, ſi cuncta, quæ diſſeruiſti, poſſideremus. Si ipſi nobis eſſemus cauſa vitæ, nullum aliunde motus noſtri habentes principium, ne Deo quidem ſubiecti eſſemus, nec ab eo quidquam habuiſſemus: quot facit Deus, totidem & nos faceremus: Vt ab illo mouetur cœlum naturaque omnis, moueretur etiam mouerique poſſet à nobis. Sed vbi motus ille noſter ſempiternus, vbi perennitas, qui tam fragiles ſumus, imbecilli, inconſtantes, cæci, vt fragilitas ſuſpicionem mortalitatis attulerit? ſed res clara eſt. Non mirum ſi ex falſa illatione, & concluſione, naſcebatur abſurdius, applicata animis diuina natura. Eſt autem animus, vt idem Marcus, ſapienter corrigens Euripidem, diuinus quidem, ſed non Deus: ſimilis illius, at æternitate, omnipotentia, principio motionum, bonitate, longè diſſimilis. Primus igitur error, genitor ſecundi, quem vtrumque deteſtatur natura, patefactus, diſſipat ſecundum, ineptamq; perſuaſionem vero fundamento non innitentem demonſtrat, animorum retro æternitatem. Qui vel eo quoque patefit, quia Plato in decimo de Legibus de anima cęli, non anima prorſus noſtra rationem hanc induxit: Ibi probans animam principium motus, nec ſine anima quicquam moueri potuiſſe, eamque omnium antiquiſſimam eſſe: cęlum ab anima gubernari. Nouiſſimè, ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα τὰ κατ᾽ οὐρανὸν, καὶ γῆν, καὶ θάλατταν, ταῖς αὐτῆς κινήσεσι, αἷς ὀνόματα ἐστὶ βούλεσθαι σκοπεῖσθαι ἐπιμελεῖσθαι βουλεύεσθαι, δοξάζειν ὀρθῶς: Agit, ait, anima omnia quę in cęlo, & in terra, & mari, ſuis motibus, quibus nomina ſunt conſulere, opinari rectè. Hæc igitur non conueniunt animis noſtris, ſed ſoli Deo. Hanc ſententiam teſtatur Ariſtoteles etiam Alcmænis fuiſſe: φησὶ γὰρ αὐτὴν, ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις, &c. Ait. n. immortalem eſſe animam, quia ſit ſimilis immortalibus: id autem eſſe, quia ſemper moueatur. Moueri autẽ ſemper diuina, Lunam, Solẽ, aſtra, totumq; cęlũ.

Animus diuinus, non Deus.

Quòd ratio, qua ſibi perſuaſerunt animos ingenerabiles, non eſt vera: & quòd errauit Panætius transferens ad animos, legem rerum corporearum. Et quòd etiam Philoſophi conſentiunt non omnia nata occidere, è quibus Plato cenſuit mundum factum non interiturum. Tum ex ratione, decretum hoc Philoſophorum neq; verum eſſe, neq; animis congruere. Reſoluunturque rationes Ariſtotelis, quibus probat omnia nata interire. Cap. XXVI.

DVAE ſunt rationes, quæ Platoni, multiſq; aliis perſuaſiſſe videntur, animos retro ſempiternos. Prima quòd habent naturam per ſe mobilem, ſine principio: Tum quòd ſi ſunt immortales, ſunt etiam ingenerabiles, cum ſit decretum Philoſophorum, omnia quæ naſcuntur, occidere, naſcentes animos corruptibiles eſſe. Non ſunt autẽ corruptibiles, ergo nũquam natos. Et Marcus huic rationi ſubſcribens, ait Panætio creditum animos corruptibiles, quia naſcuntur. Dicitq;, Vult. n. quod nemo negat quidquid natum ſit interire, naſci autẽ animos. Prima igitur ſic deſtructa fuit, vt apertũ ſit, falſò eos naturã ſummi Dei crediſiſſe naturã aiorum, ſimili errore, vt ſi quis inauratã ſtatuã cernens, nihil ab ea, quæ tota aurea eſſet, differre putaret. Eadem propè in ſecundo errore hallucinatio. Sed ex Platone primum probo Philoſophorũ decretũ illud, non adeò inuiolabile eſſe, quin aliquo modo reſcindi queat. Et quod Marcus ait, vult. n. quod nemo negat, quidquid natũ ſit interire. Inueniã q perneget, cuius magna eſt apud Philoſophos oẽs autoritas. Atq; Ariſtoteles id arguit in Platone, cui ſit mundus incorruptibilis, eidem principiũ dediſſe. Et Marcus ipſe inducens Epicureũ hoc irridentẽ, Sed illa palmaris quidem, inquit, q qui non modò natũ mundũ introduxerit, ſed etiam manu penè factum, is eum dixerit fore ſempiternum. Hunc cenſes primis, vt dicitur, labris guſtaſſe Phyſiologiam, id eſt, naturæ

Error Platonis, de animo ingenerabili.

Natura ſũmi Dei nõ eſt ut animorũ humanorum natura.

De nat. Deor. I.

rationem,qui quicquam,quod ortum ſit,puret æternum eſſe poſſe. Quæ eſt enim coagmentatio D non diſſolubilis?aut quid eſt,cuius principium aliquod ſit extremum?Ecce igitur inuentus eſt,qui neget quod ortum ſit,non interiturum.In libro quoque de Vniuerſitate referens Latinè,quæ ſcripſiſſet Græcè Plato, Hæc vos qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite, Quorum operum ego parens,effectorque ſum,quæ per me facta,non ſunt diſſoluta,me inuito, quanquam omne colligatum,ſolui poteſt.Sed haud quaquam boni eſt ratione vinctum,velle diſſoluere:ſed quoniam orti eſtis,immortales vos quidem eſſe,& indiſſolubiles non poteſtis, neutiquam tamen diſſoluemini,nec vlla vos mortis fata periment,nec fraus valentior,quàm conſilium meum, quod maius eſt vinculum, ad perpetuitatem veſtram, quàm illa quibus eſtis, tum cùm gignebamini, colligati.

Deus omnia poteſt.

Hæc a Platone aſſeruntur. Creditur a ſummo viro,fieri poſſe, vt vbi Natura defeciſſet, ſuppleat diuina voluntas. Vt ſi lumen ex cæcitate natura reuerti non poſſit, reuertatur volente naturæ rege Deo. Hoc credidit Plato: credidit mundum natura diſſolubilem, quia generatus, & factus, conſilio tamen diuino ſtare incolumem. Nullus Philoſophus reor negabit vnquam,quem faciunt omnipotentem,cœlum,& terras mouentem,formas animalibus,& vitas dantem, omnem machinam ſuſtinentem,non eundem illuminare poſſe cæcos, reddere ſurdis auditum, ſuſcitare defunctos.Maiora enim ſunt ſuperiora.Si mouet cœlum,ſi facit vt omnia viuant,permaneant,non poterit ſuſtinere,natura caſurum ne cadat: montem ruinam minantem,ne ruat,frænare:flumina vertere retro,multaque alia,quàm vſitatus naturæ pergit curſus. Poterit certè, quia potuit maiora, nec Philoſophi qui primum indefeſsè Deo contribuunt,eripient ſecundum. Vna igitur ratio decretum illud Philoſophorum facile reſcindi poſse,quod Plato credidit,inuentusq; eſt,qui neget, quod neminem negare Marcus dicit.Tum ratione probantur,quæ dicuntur a Platone, Maius eſſe, E & valentius conſilium, voluntatemque diuinam, maiores vires, quàm oēm naturæ fraudem, omnē imbecillitatem,Superare vires Dei,cunctas difficultates Naturæ.Quibus viribus, non ſolū aīos,ſi verū eſt,ſuapte natura corruptibiles,ſed ēt corpora,ſi vellet,incorrupta ſeruaret.Hoc Plato libēter fatetur. Ex his apparet aīos vel natos,ĩcorruptibiles eſse,ſi nō natura,certe volēte Deo.

Vires Dei ſuperāt omnes naturę difficultates.

An omnia orta occidant.

Secundam rationem perpendamus, an verum ſit omnia orta occidere, hinc animos natos etiā interituros.Sunt autem rationes Ariſtotelis, cur quod habuit principium,ſit finiendum. Principiò,quòd ea ſola ſint rationabiliter ponenda,quæ vel in multis,vel in omnibus videamus.Probari autem ſenſibus omnia quæ oriantur, interire. Ad hæc impoſſibile eſse ſecus fuiſse in præteritum, quod erit deinceps ſemper æternum, nec poſſe mutari. Accedet enim aliqua cauſa, quæ ſi prius affuiſset,poſſibile fuiſset aliter eſse, quod erat impoſſibile aliter eſse. Si autem prius ex aliter exiſtentibus factus eſt mundus, ſi ſemper ſic exiſtentibus, & quæ non poſsent aliter exiſtere, nunquam certè factus fuiſſet. Quòd ſi factus eſt,neceſſariò & illa poſſunt aliter eſse, & non ſemper ſic eſse. Quocirca & ipſa compoſita diſsoluentur, & diſsoluta prius coacta, & collecta ſunt. Hoc,quia in infinitum vel ſic extitiſset, vel fieri ſaltem potuiſset. Quod ſi ſit,non eſset incorruptibilis, neque ſi aliter habuiſset vnquam, neque ſi potuiſset aliter exiſtere. Denique ſimul erit ſemper potens eſse,& potens non ſemper eſse,quod oſtenſum eſt, impoſſibile.Hæ ſunt rationes eius.Quas etiam attingit ex parte Epicureus apud Marcum, nullam eſse coagmentationem, quæ non aliquando diſsoluatur:nihil eſse, cuius principium aliquod ſit, quin ſit aliquod extremum. Verba verò Ariſtotelis conciſè, & obſcurè, moreque ſuo prolata, in diſsoluendo clareſcent. Vt igitur omittam Deum,cuius Plato credidit maieſtatem efficere poſse,rem corruptibi- F lem ne corrumpatur, rationibus agens, euincam, non latius has eius argumentationes tendere, verioribus rationibus expugnatas. Audiat igitur Ariſtoteles primum. Si verba Platonis, vt par eſt,legit, diligenterque attendit,in quibus cum Philoſophis congruens,omne natum,diſſolubile ſentit: ſed valentius noſcit,aſſeritque diuinum conſilium, ac vllam quantumuis detrimentoſam labefactricemque fraudem. Hoc o Ariſtoteles, qui vidiſti, ſed tacuiſti, tantumque aſſumpſiſti,habentia principium, æterna eſse non poſse, meliorem rationis huius partem fraudulenter,inſyncerè præteriiſti,aut inquam credebas vires Dei cunctas ſuperare difficultates, imbecillia reddere fortia, labefactanda quo ad viſum ei fuerit etiam in æternum ſufficere, aut non credebas. Si credebas, tota ratio contra Platonem vaniſſima eſt. Neque enim ſimpliciter dixit Plato, mundum natum, nunquam abolendum,ſed robur diuinum plus ad perpetuitatem,quàm imbecillitatem mundi,ad ruinam eius valere: &,vt ait Philo, Verbum Dei per omnes mundi partes intentum cuncta deuincire, formas rebus quibuſque ſuas ſeruare perennes, concitare cęlum,naturam ſęcundis partibus reparare. Si non credebas, rationibus euincam, non naturalibus modò, ſed tuis, Si cœlum conſiſteret, ſi Sol deſideret, futurum interitum non modò cęli, quod tu incorruptibile arbitraris, ſed etiam totius mundi. Cùm ſit igitur verum, cęlo ceſſante moueri, interitum omnium rerum conſecuturum: Deus autem mouet Ariſtoteli cęlum, mouens & cælum, & vniuerſam terram, cunctamque naturam alit, ſuſtinet: qui autem mouet, poteſt etiam, ſi velit, niſi ligatus, & quaſi alterius legibus compeditus ſit, non mouere (Quis enim Philoſophorum non concedet, in quo ſit poteſtas mouendi,non eſse ſiſtendi, remorandi?) Efficiat ergo Deus cælum & omnis mundus interiturus, occaſurus, perdendus, ne perdatur, ne ruat, ne concidat. Suſtinet igitur & facit, quod ait Plato, mundus, qui ſi ſuapte natura

1. De nat. Deor.

In quo poteſtas ē mouēdi, in eodem eſt ſiſtendi.

colla-

A collaberetur,laxarentur ordines omnes, tota rerum artificioſa machina corrueret,ne collabatur. Si modò ſupremum orbem,cuius conuerſione omnes cœli diſſimillimi motus peraguntur,Deus ſiſteret , fœdam cunctarum rerum ſtragem cerneres . Ipſe igitur Ariſtoteles hæc omnia confeſſus eſt in libro de Mundo: Fama,inquit,priſca eſt,& patria omnibus hominibus , quòd à Deo cuncta exiſtunt,& per Deum,ab ipſo,& per ipſum.Nulla verò Natura, huius cōſeruatione deſtituta per ſeipſam ſufficiens eſt. Multaque ibi ad hoc pertinentia diſſerit. Vera eſt igitur Platonis ſententia, Ariſtotele ſuffragante, Nullam Naturam vel cæleſtem,vel terreſtrem, per ſe incolumem eſſe poſſe,niſi ſalutari Dei præſentia,quæ per omnia tendit, conſeruata. Poteſt igitur Deus corruptibilia, incorrupta ſeruare. Diſcutiamus modò rationes,an veræ ſint,& ſi veræ,an conueniant animis,an omnibus rebus.Primum quod ait,ea ponenda,& aſſerenda cum primis eſſe,quę vel in multis,vel omnibus appareant: admonebo eum ſolitos dicere ſapientes,remouendos eſſe oculos a conſuetudine,vt ſyncerum ſit vbique iudicium,ne contingat,cuius nonnullos incuſat Plato, ſola corporea,quæ viderent,præ manibus,oculis gererent,putaſſe,nihil incorporeum , quia non appareret, exiſtimaſſe,ſic qui ſequitur vſquequaque Ariſtotelis hoc decretum,verum in nonnullis,in cæteris non item , falli poſſet . Cuius ſi vera eſt ſententia,cur non etiam vera Platonis,omnia quæ videntur,tangi,quæ tanguntur eſſe corporea,compoſita,ergo diſſolubilia. Cœlum autem videri,ergo corporeum eſſe & diſſolubiie ? Oſtendat igitur Ariſtoteles hoc non eſſe verum in multis, aut omnibus.Nulla enim corporea res eſt,quæ quoniam oculis cernitur, non etiam ſoliditate roborata,multiplici rerum concurſu ſit effecta,ſicque reſoluenda in ea,è quibus coaluiſſet. Cur hanc legem non admtttit in cœlo,in Sole,quem & corporeum eſſe,& ſolidum declarant eclypſes, & ipſe B faſſus eſt in Meteoris?Colligit ergo ab exemplo rationem, Omnia quæ oriantur,apparere diſſolui, colligat etiam quod ait Plato, Omnia corpora eſſe compoſita, ſicque diſſolubilia , ergo cęlum diſſolubile, quia corporeum . Sed homo ſagax, & , vt inquit Atticus , loliginis inſtar ſe ſuis tenebris occultans, refugiet ad quintam eſſentiam. Quam tamen Plato cùm quintam, & ipſe dixiſſet, ei ſuapte natura immortalitatem denegauit. Intereunt igitur omnia, quæ principium habuerunt, ſcilicet hæc noſtratia, domeſtica , arbores , animalia, ædificia, vrbes, mœnia, montes, aqua, aer . Sed ſunt aliæ res nobis incognitæ , ſimplices ,nullam compagem , & ex corpulentis, craſſisq; admiſtionem recipientes , incorruptæ permanentes propter puritatem , leuitatem , nec quærit compoſitum redire ad ſuam gētem,nulla ſunt ibi vincula, quæ ſenio laſſata reſoluantur. Huius naturæ primum eſt cælum, eſt lux,ſunt mentes,quas nulla fecit diſſolubiles compago,puriſſimæ, qualis Deus hac parte, diſſimillimæ potentia, maieſtate . Quantus error à corporeis, ad incorporea , quod faciebat Panætius , & qui ei ſubſcripſit, aſcendere , perinde ſi quis argueret , Omnia quæ videmus, ſunt compoſita : ergo res omnes, cuiuſcunque generis , ſunt compoſitæ , & qui conditiones corporum ad animos transferret. Cùm ſit igitur longè diuerſa natura animorum,atq; corporum,lex autem, quòd omnia nata intereant,lata ſit corporibus,non animis (quia corpora non ſunt ſimplicia,ſed quorum conſumpta colligatione,diſſoluuntur) certè magnus error fuit eorum,qui ſubiacere legibus corporum animos voluerunt.Sicut igitur non omnis creatio,aut factio eſt rerum compoſitarum, ſic non omnis res nata diſſoluitur.Diſſoluetur ex pluribus conſtipata,coagmentata. Quemadmodum autem omnis res compoſita debet reſolui,ſic quę C quanquàm facta, non autem compoſita, non reſolui . Patet igitur neceſſitatem rerum natarum, ad priſtinum ſtatum rediturarum,non omnium eſſe natarum rerum,non puriſſimarum,non ſimplicium , tenuium , exilium , ſed compoſitarum, miſtarum, quia neceſſe eſt, partes inuitas à ſuis ſedibus tranſpoſitas, ad genera ſua reuerti, aquam ad aquam, terram ad terram.Sic præclara reſoluta domo, recidunt in terram omnia,quæ de terra violenter in altum fuerant ſublimata. Solitus igitur in Philoſophis error,ab ęquiuocis aut particulari vniuerſale inferre. Quemadmodum paulò antè à præclara omnipotentiq; Dei natura ad omnes generatim animos ducebatur ratio. His declaratis,facilè rationes Ariſt.euaneſcunt,aut fraudem inſidioſumq; æquiuocum abſcondere deprehenduntur : Quod erit in futurum perpetuum, neceſſariò ſemper tale fuiſſe in præteritum . Quia ſi mutaretur conditio , vt ſecus eſſet in poſterum, ſecus in præteritum, id fieret ex aliqua cauſa : quæ ſi prius affuiſſet,feciſſet vt quod erat corruptibile non corrumperetur,id autem impoſſibile. Reſpondeo igitur, vt totam rationem membratim reſoluam,primùm,quòd tota hæc Ariſto. ratio, eſt contra æternitatem chaos, quòd cùm ſtatuiſſent ante ſempiternum, dixerunt in creatione mutatum. Eoque dico , Ea quæ nata ſunt , & in poſterum non reſoluuntur, vnam tantum ſemper conditionem hábuerunt , vt ſubitò facta ęterna eſsent, nec vllam nouam conditionem à pręterito ad futurum eis acceſſit,quę faceret ſecus eſſe in poſterum,quàm fuiſset in pręteritum. De re nondum nata,nullum ſermonem haberi poſse,nullam eſse conditionem rerum non exiſtentium . Non poteſt de re nata ac facta dici ſecus habere in poſterum , quàm habuiſſet in præteritum. Et Ariſt.ratio de re facta, & creata æquiuocè cadit ſuper re ſempiterna in poſterum. Verùm equidem eſt in futurum non poſse,quòd in præteritum ſemper ſtetiſset,quia poſset oriri cauſa noua,quæ ſi prius,id eſt, in æternum affuiſset,feciſſet non fuiſſe perenne,quod perenne fuit.Quod nulla ratione fieri poteſt. Nunquam enim cauſa aut vis vlla erit efficiens, vt quod fuit perpetuum non perpetunm fuerit, aut quæ tollat æternitatem in poſterum ei , quod

Cūcta ſūt a Deo , & per eū , & ab ipſo, & per ipſum.

Non pendendū ab opinione vulgi .

Oīa corporea,diſſolubilia .

Conditiones corporum non ſunt ad animos transferendæ .

Nō omne natum diſſoluitur .

A particulari vniuerſale inferre , abſurdum .

Diſcutitur error Ariſ. ex axiomate illo, oīa nata diſſolui.

nunquam tulit in præteritum. Talis quoque cauſa in poſterum non erit vnquam. De præterita igitur re & retrò ſempiterna, verum eſt. De futura non verum: quia ponis præteritum & futurum, & ex vno infers alterum. Res tamen, quam dico nouiter creatam, non fuit in præteritum. Cur igitur dicis cauſam ſuperuenire? Cui ſuperueniet, cùm in præteritum non fuerit res paulò antè creata? Dicis ergo nouam cauſam immortalitatis, ſi prius affuiſſet, facturam fuiſſe rem ſemper immortalem, quam ego dico creatam, id eſt, quod nunc me facit immortalem, & incorruptibilem, feciſſet vt ſemper fuiſſem immortalis. Hoc igitur non ſtat. Nam cauſa futuræ immortalitatis non ſufficit ad immortalitatem præteritam. Non datur, vt retrò fueris ſempiternus. Magna æquiuocatio, magnum interuallum inter æternitatem futuram, & præteritam. Futura nũquam erit in actu, præterita fuit iam. Poſſis in præteritum millia millium ſæcula connumerare, nunquam numerando fatigari, in futuro ſemper terminus erit a creatione tua, ad id quodcunque numerabis. Non inducit igitur, nec trahit æternitas futura, æternitatem præteritam: æternitas futura potius temporaria eſt, quàm æternitas. Initium, res creata. Res retrò ſempiterna, nullum habuit initium. Non eſt ergo conſequens, vt ſi quod retrò fuit ſempiternum, non ſit habiturum in poſterũ, quod poſſit afferre perniciem. Sic quod erit in poſterum ſempiternum, nihil habuiſſe quod prohiberet, quin ſemper fuiſſet. Imo habuit, & verum eſt de illo, de hoc non verum. Abſtulit autem æternitatem in præteritum impoſſibilitas. In futurum impoſſibilitas non erit, quia poſſibile eſt rem creari ſemper manentem, ſicut cœlum. Excepto Deo, retrò ſempiternum nihil vult natura fuiſſe. Fatendum igitur, longè aliud eſſe rem creatam incorruptibilem quàm in præteritum ſempiternam. Verum quidem eſt, ſi res hæc immortalis retrò fuiſſet, nullam aliam cauſam ſempiternitatis ſuæ habituram fuiſſe, quàm hãc quæ faciet eam ſempiternam. Vt ſi fuiſſent ſemper animi, non per aliud fuiſſent, quàm per quod ſemper ſunt futuri. Sed eſſe ſemper in præteritum non potuerunt, propter alia impoſſibiliia magna. Fecit igitur ſimilitudo, & quaſi ludificauit futurę immortalitatis, vt crederent etiam in præteritum fuiſſe quod erit in futurum ſemper, non conſiderãtes alia multa. Vis igitur Deo eſt creandi naturas corruptibiles, & incorruptibiles: Et tamen non conſequitur ſemper rem incorruptibilem fuiſſe. Illud quidem verum eſt, eam naturam dare animis immortalitatem, quæ dediſſet eis æternitatem, ſi creatæ non fuiſſent. Nunc autem creatis data eſt natura æterna, quam in ſempiternum retrò impoſſibile fuit habuiſſe. Si ſolitam igitur naturam reſpicias, verum eſt eandem cauſam dare immortalitatem in præteritum, quæ dat in futurum. Sed abduc oculos a conſuetudine, videbis diuiniora. Videbis præſidem naturæ facere rem ſempiternam poſſe, quæ nunquam prius extitiſſet. Ad hæc cauillatio eſt, Si ea cauſa quæ facit ſempiternum in poſterum, factura fuiſſet ſempiternũ in præteritum, ergo quod futurum eſt ſempiternum, fuiſſe retro quoque ſempiternum. Perinde ſi quis argueret, Si concurrerent eę cauſę, quę Cęſarem Dictatorem fecerunt, me quoque facerent Dictatorem. Sum ergo ſicut Cęſar Dictator. Si mihi corpus eſſet ętherium, glorioſum, tranarem nubes vt Chriſtus. Nubes igitur trano quemadmodum ille. Fitque progreſſus a conditione ad aſſeuerationem, vitium maximum in ratiocinando. Similis igitur eſt argumentatio, Ea cauſa quæ facit animos immortales in poſterum, ſi prius affuiſſet, feciſſet immortales, & ſempiternos: ergo quia ſunt in poſterum æterni, in præteritum quoque ſempiterni fuerunt. Conditiones hæ ſunt, non affirmationes. Clarius autem vitium oſtendam, Ea cauſa quæ facit animos immortales in poſterum, ſi prius affuiſſet, feciſſet retro ſempiternos: ſed quoniam impoſſibilę erat animos retro fuiſſe ſempiternos: ergo nunquam affuiſſet ea cauſa. Sunt enim hic duæ cauſæ, vna conditionalis, altera quæ tollat, deſtruatque id quod ſub conditione latitabat. Latet ſub conditione, præterita æternitas, ſed conditionalis, non aſſerta, non vera, non aſſeritur, quia ſuperuenit cauſa maior efficiens, ne ſit verum, quod erat ſub conditione. Ea maxima cauſa eſt, quia fieri non poteſt, ſi rectè penſites, atque adeò altè ſpectes, Deo ſolo excepto, eſſe quidquam ſempiternum. Hæc cauſa facit, vt animi non fuerint pariter cum Deo ſempiterni: nulla autem prohibet cauſa ne ſint in poſterum: quia quantumcunque poſthac vixerint, nunquam erunt ſempiterni, id eſt, quales, ſi ab æterno fuiſſent, quę eſt ſola vnica diuinitatis poſſeſſio. Sicque tota Ariſtotelis ratio patefacta eſt. Huc adde quòd rationes eius, vt dixi, tendunt contra mundum, compoſitum, miſtum, non contra ſimplicem naturam animorum, contra Platonem probantes, ſi factus fuiſſet mundus, & ex aliis rebus coagmentatus, has res aut potuiſſe congregari, cogique ad creationem mundi, atque aliter habuiſſent ante mundum: ſi aliter habuiſſent, nouamque conditionem accepiſſent, poſſe etiam in futurum redire ad priſtinum ſtatum, ſicut ab illo ſtatu venerunt ad iſtum. Quòd ſi res illæ, è quibus factus eſt mundus, non poterant mutari, ad aliamque molem transferri, nunquam certè ex his factus mundus fuiſſet. Factus eſt autem mundus, ergo poterant illa mutari, & non permanere ſemper, ſicuti erant. Itaq; diſſoluentur ipſa compoſita in priſtinum. Sicq; non eſt incorruptibilis mundus. Vides totam rationem tendere contra mundum a Platone creatum, ſed incorruptibilem in poſterum declaratum. Ratioque eſt ex compoſitis, nullum habens in animis locum. Et nos dicimus, etſi non dixerit Plato, ante mundum nullas res fuiſſe, a quibus ad mundum facta fuerit mutatio. Chaos interpretamur informe exordium. Sed tacuit more ſuo cauillaturus Ariſtoteles optimam partem Platonicæ rationis, non ſuapte natura mundum, ſed diuina poteſtate non diſſoluendum.

Aeternitas præterita non trahit futuram.

Impoſſibilis æternitas ꝑterita

Rem ſempiternam creauit Deus, q̃ nunquã prius extitiſſet.

Impoſsibile, animos retrò fuiſſe ſempiternos.

Solus deꝰ æternus.

Chaos q.d.

Quòd lex illa in Philoſophia, omnia orta occidere, etiam a Philoſophis aliquando contemnitur, quòd eorum ſententia, non modò incorporea, & ſimplicia, ſed etiam corporea poſſint incorruptibilia fieri: Et quòd non eſt ſemper vſitatis exemplis inſiſtendum, & de duabus naturis.

Cap. XXVII.

SED placet, quando locus eſt, non ſolum pro Platone, ſed etiam veritate, & priſcis depugnare. Nam cùm Timæus Locrenſis, Philoq; Iudæus aſſeruerint Deum feciſſe hunc mundum, vt à nulla cauſa poſſit niſi ab ipſo præpotente diſſolui, ducti ſunt forte probabili ratione, non omnia nata ſubiacere morti: opinati non modò poſſe res inuiſibiles, ac tenues, ſimplicesque, quales animi, creari ſempiternæ, vt nunquam intereant, ſed etiam corporales. Eamque Philo putat Moſis eſſe ſententiam de mundo. Scrutemur igitur, anguſtijs illis in quas ſe ſolent conijcere Philoſophi, relictis, latiſſimos Naturæ campos, infinitasq; ſapientiæ diuinæ regiones. Videbimus multa vel eſſe, vel fieri poſſe, nulla cum noſtris Naturæ ſocietate coniuncta. Nemo inuentus eſt, neque forſan inuenietur vnquam, qui poſſit, qua tandem ſydera, Sol, Luna, materia, compage ſint, explicare: Cur Sol caloris fœcundiſſimus, motus indefatigabilis, nunquam nec calore abſumatur, nec ob impetum concitatiſſimum illum diſſoluatur. Nulla extitit, ex quo fuit, diminutio, ſenium, attritio ex omni illo vaſtó corpore, vt ſi non fuit vllum in præteritum detrimentum, nunquam etiam ſit futurum. Huic ſimilia multa credo fierent, ex omni fęculentia craſſaq; compage, ad puriſſimam naturam deducta, incorrupta manentia, ſi ſummo ſederet opifici. Quis eſt hic, qui ex vno aut altero terreſtri opere, omnipotentiam eius putet metiendam, quem cunctæ gentes, non apparentium modò autorem, ſed etiam quarundam, non ſemper, ſed raro, & cùm opus fuit exhibitarum rerum confeſſi ſunt artificem, dicentes plura eſſe factibilia quàm facta, duas ferme magnas naturas inducentes, alteram in qua viſa, vſitata, nota, altera inuſitata, inſueta, prodigioſa, miranda, raro contingentia, contineantur. In hac nota, perſpectaq; natura, ſunt leges hæ, quas quotidie decurrere cernimus, ex terra fieri aquam, ex aqua aerem, ex aere puros ignes: Iterumq; reuolui ſuperiora ad inferiora, ignes ad finitimum aerem, hunc ad aquam, aquam ad terram; Ex terra naſci montes, ſaxa lutulenta, quorum in imo medullis ſuccus terreſtris exceptus, grandeſcat in ſaxa atque dureſcat, vt in vaſto elephantis corpore, ex herba quam paſcit, aqua quam potat, ſuccus ad teneras medullas delatus, & excretus, ingentia oſſa conſtipat. Naſcuntur ſimili ratione è terra plantæ, ferrum, omneque æs, flumina, fontes, Similiq; cuncta qua fuiſſent orta ratione, ad matrem reuertuntur. Hæc reparat fœtus, & dum ſenio confecta recipit, nouos emittit partus ad auras, nunquam his legibus deficientibus: partimq; mũdus in continua reparatione, & interitu rerum eſt: partim manet incorruptus, è duabus quaſi gentibus factus, altera ſemper cadente, denuoq; ſurgente, altera eadem permanente, ne dũ terreſtres hos interitus, varietatesq; cerneres, nil aliud fieri potuiſſe a creatore crederes. Sublatis oculis in cęlũ, nouas leges videbis, & tantopere fieri quę nõ morerẽtur potuiſſe, quantopere facta ſunt, quæ ſemper interirent, nihil artifici ſummo difficile fuiſſe, modo à ſedibus rerum intereuntium puriſſimas ſublatas naturas, illæſas ad conſeruationem inferiorum ſtare, viſum eſſet. Hac igitur natura nota continentur leges, ordines rerum vſitatarum. Altera, vt primum eſt natura cæli, incorrupta, inuſitata, ſic quæ non ſacris modò libris plura comprehenſa, vt cùm flumen rapidum, ne curreret, repreſſum eſt, & aqua natura fluxa reddita non fluxa: nox Sole radiante terris inducta: Repreſſus idem, iuſſusq; rapidum curſum ſiſtere, ſciſſus oceanus hinc atq; hinc fortiſſima moles naturæ non memor fluxæ, ad tempus eſſe coactus, mortuis reuocata vita, venti tempore non ſuo exciti, aquæ maior quàm natura potuiſſet vis demiſſa terris. Non hæc ſacris inquam libris modò, quæ limites, & leges ſolitæ naturę pręuaricantur, continentur, ſed libris item Philoſophorum, & gentium vetuſtarum, quarum nulla propè eſt, quæ non inuſitata Dei quædam facinora, contra, quàm oculi quotidiane cernant, recenſeat. Mitto libros Platonis ingenio præſtanti viri, in quibus ad alia mortui reuixerunt, libros item Stoicorum, ſed & Ariſt. igneum flumen Aetnæ, quod natura rapidè ſuperfugientes inferret, ſciſſum cogente Deo, relictis in medio piis, prætereo, quòd exemplorum tam ingentem aceruum efficerent, vt ambitioſus eis recenſendis videri poſſem. Vnum illud cunctis fuit ſemper hominibus perſuaſum, ac perſpectum, non hæc, quę domeſticè noſcimus, ante animum perpetuò aſtare cernimus, ſola fieri poſſe, ſed item alia, quorum nulla nobis ratione reddita, attonitos, vnamque ſummi Dei omnipotentiam admirantes efficiant. Huius inexplicabilis, incomprehenſibilisque generis ex corporibus eſt, vt dixi, cęlum, cuius quæ moles ſit, uiſibilis tamen, & ſolida, quo è genere rerum deſumpta, an à terreſtri an extraneo. Et quoniam mundus ex quatuor tantum ſeminibus conſtat, vt quod ex his non ſit, cum mundo numerari, & in rerum mundanarum exercitu locari non poſſit, conſtans ex his, verbi cauſa, aqua, aut aere: qua tandem arte ad ſummam, incorruptamque puritatem redactum, non ſolum ſupernas regiones, vt candidiſſimę nubes, appetiuit, ſed ita compactum fuit, vt radiantiſſima, & indeficienti luce terras impleret. Hic ad portum, refugiumq; quò te condas, reſq; corruptibiles, ad incorruptam naturam redactas ne fateri cogaris, concurres,

Homines ꝑmulta neſciũt, & ijdem rerũ quas vident, minimè rõnem poſſũt reddere.

Leges naturæ admirabiles.

Naturæ cõtinua opera.

Ex ſacris litteris, & Philoſophorũ lib. præclara Dei opificia in admirationẽ rapiuntur.

Elementa.

concurres, portum ſcilicet nullum, quem tibi ne veritatem cerneres, paraſti. Veteres tum minu forte commentitiè, quàm naturaliter magis, quorum ille clarè retulit ſententiam,

Ouid. 1. Metam.

Ignea conuexi vis, & ſine pondere cæli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Crediderunt ex illa mundana cõgerie non minus ſubſtantiam cęli incorruptam, volẽte Deo, atq naturas corruptibiles effectas. Hanc admirandam, explicabilem potentiam, in qua ſunt innumerabiles formæ, quas nullus ſermo percurrere poſſit, ad animos creatos vetuſtiſſimi homines retulerunt, non ſe cogi putantes, quemadmodum in rerum conſideratione ludificati Philoſophi poſteriores, darent animis perennitatem in præteritum, ne nati morituri viderentur.

Quomodo ſibi ipſis contradixerunt, animos è cælo cadere dicentes, iterumque reuerti, & quæ fuerit erroris cauſa. Et quòd perperam intellexerunt, quæ de regeneratione fuerant vaticinatæ Sibyllæ. Cap. XXVIII.

His erroribus ipſorummet Philoſophorum voce confutatis, quòd animi ſunt ſempiterni, neque videlicet Diuinitate motus, neque quia ſunt immortales in poſterum, eiſdem quoque vocibus ipſorum, alius error declarandus eſt, animos antequam in hanc vitam deſcẽdant, in altera quadam vita viguiſſe. Cuius erroris ſimilis, atque ſuperiorum cauſa fuit, cùm vellent animos ſempiternos in poſterum, efficacem rationem crediderunt, ſi probarentur, antequàm veniſſent in corpus, extitiſſe. Id autem probarunt ex rerum ſuperioris vitæ reminiſcentia, perſuadentes ſibi (videturque ab Orpheo manaſſe) animos antea fuiſſe. Huius ſunt duæ cauſæ: vna, quòd priſci tradiderunt, animos antea fuiſſe, quàm in corpus, ob aliqua in anteacta vita facinora detruderentur, altera, quòd reminiſcentia palam monſtret rerum quarundam pręteritarum pręceptam ſcientiam. Vult enim, vt Marcus Tullius ait, Plato memoriam eſſe ſuperioris vitę recordationem. Multiſque in locis, pręcipuè in eo, qui inſcribitur Memnon, de hoc diſſeruit: Item in decimo de Republica, in Phœdone. Ac, vt arbitror, prima cauſa peperit ſecundam, vt cùm a maioribus audiſſent, animos anteaquam ad corpus acceſſiſſent, viguiſſe, permoti ſint ad inueſtigandas huius rei aliquas cauſas. Sumptaq; eſt reminiſcentia, quæ ſit anteactæ vitæ ſcientia. Quam non operis huius eſt refellere, tantùm, ex dictis eorum, & ex malis, quæ conſequantur, probabo vanam hanc, & hominum, nihil habentium certi quod ſtatuerent, opinionem fuiſſe. Huic ſententiæ etiam poſteriores Platonici ſubſcripſere. Principium eius, vt dixi, creditur ab Orpheo, & Pythagora extitiſſe. De quo Olympiodorus, παλαιὸς λόγος ὀρφικός τε καὶ πυθαγόρειος, ὁ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα, καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων, καὶ τοῦτο κύκλῳ πολλάκις: Vetus fama eſt, inquit, Orphica, & Pythagorica, quæ ducit animas in altera vita exiſtentes ad corpus, iterumque à corporibus educit, idq; ſæpe. Sic Olympiodorus, ſecutuſq; eſt totam hanc famam æquo ſuperſtitioſius Plato, deſtruitur autem paſſim profligaturque rationibus, quas à natura, in qua veritas eſt, mutuauit. Meminit huius item Iamblichus: οἷον προέλαβε βίον ἡ ψυχὴ πρὶν καὶ εἰς ἀνθρώπινον σῶμα εἰσκριθῆναι, καὶ οἷον εἶδος πρόχειρον ἐποιήσατο, τοιοῦτον καὶ ὀργανικὸν σῶμα ἔχει, πρὸς ἑαυτὴν συνηρτημένον, καὶ φύσιν παραπλησίαν, συνα κολουθοῦσαν: Qualem, inquit, prius exercuit anima vitam, quam in corpus humanum ſubiret, & qualem ſpeciem promptam feciſſet, tale, & organicum corpus habet ſibi ipſi connexum, ſimilemq; naturam aſſequentem. Similia reperies Iamblichi ſententiæ apud ſuperſtitioſos alios Platonicos, qui relicta inquiſitione Naturæ, temere ſe maiorum autoritati crediderunt. Hinc extat carmen de animis, apud eos.

Error Philoſophorũ de animis, quod antea fuerit, quam in hanc vitã deſcendãt.

Reminiſcẽtia.

Ἡ ἔνθεν ἀπεπλάχθησαν ὅτε εἰς γενεθλήϊαν ἀκτὴν
Κάππεσον, ὑλοτροφεῖσι περὶ κλήροισι μανεῖσαι.
Hinc errabundæ veniunt, cùm ad littora lapſæ
Naſcendi inſanæ ſedis mortalis amore.

Empedocles etiam dicebat:

Ὡς κἀγὼ εἶμι φυγὰς θεόθεν, καὶ ἀλήτης
Νίκεϊ μαινομένῳ πισυνός.
Sic ego deſcendo diuorum pulſus ab axe,
Inſanæ liti parens.

Satius fuit aĩmos mori (ſi antea vixerint,) quam in hanc venire vitam.

Huius igitur perſpicui, exploratique mendacij non alios volo teſtes, quàm ipſoſmet, vt dictis ſuis, quæ dedit Natura vera refellantur. Omnis enim animorum deſtruitur Philoſophia, quam & antiquiſſimi tradidiſent, & Natura docet, ſi vera hęc ſunt, vt melius animos fuerit mori, quàm illo ludibrio, continuoque lapſu de cœlo rotari. Nec prodiderit Platoni, vel terroribus tartareis homines a ſcelere abſtraxiſse, vel ad iuſtitiam præmiis cęleſtibus propoſitis inuitaſſe, ſi moratus animus aliquandiu in cęlo, detrudetur non multo pòſt in terras, aut non nocuerit improbis, dum cupiditates, & libidines expleant ſuas, aliquandiu in tartaro fuiſse, modo paulò pòſt

in vitam

Abſurditas opinionis Platonicæ.

in vitam reuertantur. Hanc ſortem, & has leges ſceleſtiſſimi quique magni æſtiment, optentque præfixiſſe Naturam, ſicut iuſti dedignentur, & execrari non ceſſent. Haud planè diſſimilis eſſet his dominis Deus, qui largiti ſeruis beneficia, inde mutata ſententia eriperent. Certiſſimum igitur ſit, ne mutire quidem de virtutibus, de pietate, de iuſtitia, quas tueri, & perſuadere conatur vbique, Platonem poſſe, ſtante hac ſententia. Quam ſuis Natura vocibus obiurgantiſſimè refellat. Gratias autem agamus diuinæ clementiæ, quòd aduenit lux illa, quæ ſola omnem caliginem diſpelleret: qua non veniente, in magnis erroribus, vel primos ipſos ſapientes cæterorumque facile principes verſari neceſſe fuiſſet. Redituri igitur ad hanc vitam, cum ſint aut boni, aut mali, autoritas eſt Platonis, malos in tartarum præcipites actos, inde nunquam emergere, vt non fuerint vnquam in ſuperiore vita, ſed cum primum in hac nati, viuere ſceleratè quàm piè maluiſſent, in æternæ męſtitiæ loca ſint detruſi. Qui, inquit in Phędone, propter magnitudinem ſcelerum, nullis piaculis expiari, vbi locus expiandi eſt, poſſe videntur, quòd vel ſacrilegiis ſe expleuerint, vel cædes iniuſtas, cæteraque id genus perpetrauerint, τούτους δ' ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν: Hos debita ſors proiicit in tartarum, vnde nunquã egrediuntur. Conſtat igitur, hac Platonis ſententia, pœnis æternis deputatos malos nunquam ex illis locis emergere. Quod etiam Poeta noſter eximius ſecutus, ſceleratos pęnis æternis canit cruciari.

-Sedet, æternumque ſedebit
Infelix Theſeus, Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per vmbras.

Virgil. 6. Aeneid.

Eadem eſt ſententia de bonis, de quibus dicit in Phędone Plato. Qui, inquit, cogniti fuerint piè maximè vixiſſe, hi ſunt qui ex his terreſtribus locis liberati, & velut ex carceribus vindicati, ſurſum εἰς καθαρὰν οἴκησιν, ad puram habitationem venientes, in illa beata terra collocantur. Et qui ſe Philoſophia expiaſſent, viuunt ſine corporibus, in omne deinceps tempus, & in domos adhuc his pulchriores perueniunt, quas non facile ſit explicare, ſed nec tempus in præſens ſufficit: Quam ob cauſam conandum totis viribus, vt virtutem, ac prudentiam ſequamur in vita: καλὸν ἆθλον, καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη: Pulchrum enim præmium, & ſpes magna. Hæ ſunt Platonis duplices ſententiæ. Quam primum igitur hinc egreſſi animi vel tendunt ad ſuperos beati, vel damnati ad inferos. Nulla reuolutio, nulla rotatio. Quare videat ſummam diſcordiam, pugnamque ſuorum decretorum Plato, cùm in eodem libro ait venire animas defunctorum ad loca quędam, vbi fluat Acheruſia palus, ibique certis temporibus aliàs diuturnius, aliàs breuius, πάλιν ἐκπέμπονται εἰς τὰς τῶν ζώων γενέσεις, Rurſus remitti ad vitas animantium. Quomodo mittuntur, ò Plato, animæ defuctorum, ſi iam dixiſti in Tartarum detruſos nunquam remeare ſceleſtos, iuſtos autem perenniter ad cęleſtia gaudia triumphaturos aſcendere? Quanquam mihi perſuadeo ſentire Platonem non omnes animas reuerti. Neque enim vel cęlo, donatas, vel ęternis ſuppliciis addictas, ſed eas tantum, quæ ad locum ſubterraneum, & quaſi in Purgatorium profectę iudicãtur, an dignæ ſint, quæ mittantur in cęlum, an in Tartarum contrudantur, an redeant in vitam, & cęli lumen, vt melius viuant, triplici ſorte conſtituta, beatorum, damnatorum, mediorum, quibus detur id edictũ, vt ad vitam reuerſę, æquius, ac iuſtius viuant, vt ibi oſtendit Plato. Ergo non eſt vera ratio de reminiſcentia, quę videbatur concludere de omnibus. Omnes enim pręditi ſunt reminiſcentia, cuncti igitur in ſuperiore vita vixiſſent, quia cuncti mortales reminiſcuntur. Quod de illo puſione in Memnone proponit Plato, valeret in omnes. Totaque illa in Phędro probatur plena diſſidij, ipſo ſecum autore diſſidente, ratio, qua ex non vero fundamento probata anima immortali, quia ſit in ea motus ęternus, proſequitur, vt fuerit in cęlo, ſequens alata currum Iouis. Ioue ſupercęleſtem locum, vbi ſit ineffabilis pulchritudo, aſcendente, anima autem aſſequi non valens, diffluentibus alis recidat in terram. Quę duabus alijs oppoſitis rationibus ex ipſo petitis euertuntur, primum, quod ſui quaſi oblitus, cum alibi ſtatuerit pręmia iuſtitię maxima, magnamq; ſpem propoſitam viuentibus piè dixerit, quę demum ſpes ea eſſet? Aut enim dabitur, vt ad illum ſupercęleſtem locum, vbi cernitur inęſtimabilis pulchritudo, perueniam, indeq; nunquã deturber, aut vt attingam ad locum ſupercęleſtem, vbi aliquãdo alis amiſſis, iterum in terras reuoluar. Si primum, Animis omnium qui ab ęterno fuerunt piorum, receptis in locum ſupercęleſtem, ſicut etiam in Phædone dixit, adeo imminutum eſſe numerum animorum terras incolentium oportebit, vt in terris relictos nullos ſimile ſit. Neceſſe enim eſt, in ęternitate ſemper aliquos bonos fuiſſe. Vt ſi vel vnus ſingulo quoque anno pius reuerſus ſit in locum ſupercæleſtem, omnis iam animorum numerus neceſſariò ſit conſumptus. Sic ſi vel vnus ſingulo quoque anno deiectus ſit in Tartarum. Quod ſi non in æternitate, ſed certo a creatione tempore, is ordo viguit, ergo non ſunt animi ingenerabiles, ſed vnà cum mundo nati, ſicut in Timæo confirmauit. Si verò datur pietati præmium, ſupercęleſtis locus, quod tandem pręmium eſt, ad eam curiam proficiſci, quò, cùm velut in Barbarorum aulam ad primos honores prouectus, peruenias, inde paulò poſt deturberis? Hæccine præmia Plato, quę iuſtis parata dixiſti? Huc adde, quòd eſt in libris eius ſuper hoc tanta inconſtantia, vt appareat nihil eum certi habuiſſe, quod ſtatueret. In Timæo vniuerſum mundum, cælum, ac terras, cęleſtia, ac terreſtria, viſibilia, & inuiſibilia creat a ſummo opifice.

Qui piè vixerint, ad cęleſtẽ ſedẽ ire poſt mortem.

Plato ſecũ diſſidet opinione de reminiſcẽtia.

Hinc abſurditas clare agnoſcitur, de animarum vita antequam veniãt in corpora.

opifice. In Phędro ex ratione, animis minimè congruente, concludit animos ingenerabiles. Et ex ratione incongrua deducit abſurdiora. Sed tum rationibus Naturæ, tum ipſius autoris verbis demonſtrato, hoc cadentium animorum è cœlo ludibrium eſſe non poſſe, cum quo ſequitur, animos ingenerabiles non eſſe, alia quoque obiicitur eis ratio, hoc dogma non rectè dilatatum, de paucis a ſuperioribus Theologis poſitum. Nam Pythagoras, cuius omnem ferè Theologiam ab Orpheo deſcendere Platonici teſtantur, retulit homines malos vbi è vita exceſſerint, id habere pro expiatione, vt in corpora brutorum tranſeuntes, ibi luant peccata. Ideo Timæus Locrenſis, diſcipulus Pythagoræ, dixit in Geneſi ſua, Neceſſariò, inquit, & quędam dira, & inſolita ſupplicia poſita, ſubeuntibus animis, timidis quidem, in muliebria corpora, ad contumeliam: homicidarum, in corpora ferarum, ad ſupplicium: guloſorum in formas porcorum, & aprorum: leuium autem in aues aerias, ſegnium, & ocioſorum, imperitorum, in formas aquatilium. Hæc illi dixerant. Illa quoque quam Plato vocat in Phędro παλιγγενεσίαν, regenerationem (ſicque vocatur a redemptore noſtro, cum Aegyptiorum, Chaldæorumq; oraculis, quæ ad Triſmegiſtum, & Platonis manus peruenerant, ſcilicet fore, vt aliquando omnes homines redirent in vitam, quod indefeſsè canunt Sibyllæ) fefellit eos, credentes ſingulis temporibus ſemper homines ad corpora reuerti, quod ſemel tantum ſupremo tempore futurum, oracula canebant. Nec mirum. Nam & lapſum Adæ, & fugam è Paradiſo crediderunt animorum lapſum de cęlo amiſſis alis. Et ad pęnam cuiuſdam facinoris, quod audierant, ſed ignorabant, aſſerebant animam incluſam in corpus. Et diluuium Noe vocarunt Deucalionis. Turrim ædificatam Nembrot gigante, cæteriſq; ſequacibus, vt vſque ad cęlum aſcenderent, iactarunt fuiſſe Gigantum conatum.

παλιγγενεσία improbatur.

Laps' Adami & fuga è paradiſo.

Virgil. 1. Georg.

Ter ſunt conati imponere Pelion Oſſæ.

Multaque alia peruerſè vitio locorum, temporumque diuturnorum, intellexerunt. Nam regeneratio Stoicis quoque nota fuit, cenſentibus omnibus ſæculis circumactis, reuerti homines ad corpora. Quod explicans Chryſippus τύτω δὲ ὕτως ἐχόντων δῆλον ὡς οὐδ᾽ ἀδύνατον καὶ ἡμᾶς, μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου ἐς ὃ νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα: Hęc, inquit, cùm hoc modo habeant, perſpicuum eſt, non eſſe impoſſibile, nos quoq; poſt mortem, certis temporum reuolutionibus peractis, in eum quo nunc ſumus ſtatum, reſtitutū iri. Hæc igitur illa, quam in libris Sibyllarum, & famæ celebritate per omnes gẽtes audierant, Palingeneſia.

Quòd Plato dicens in Timæo ſeri animos in aſtris, & inde demitti, non videtur id penitus exiſtimaſſe, & quòd alijs libris veriora ſcripſit, quibus hæc in Timæo refelluntur. Cap. XXIX.

Platonis erronea opinio de animarum ſatu.

SED ea quæ Plato de animis diſſerit in Timæo, ipſius teſtimonio, quia non ſunt vera, refelluntur. Ibi hęc loquitur de animis ſatis a Deo, Cum inquit, conſtituiſſet vniuerſum, diſtribuit animas aſtris æquales, ſingula vnicuique aſtro attributa. Eaſque cum quaſi vehiculum, in naturam vniuerſi impoſuiſſet, monſtrauit eis leges fatales, dicens, Primam generationem fore vnam cunctis æquè ordinatam, ne quis ab eo quęratur ſe indignè affectum Sed eas ſingulas ſparſas, vt cuiq; congruum eſſet in ſingula organa temporum, hoc eſt, ſydera, oportere producere animal piiſſimum, furore, & cupiditatibus cęteriſq; affectionibus temperatum. Quibus ſi imperent, fore vt iuſtè viuant, ſi vincantur, fore vt viuant iniuſtè. Atque eum, qui bene datum tempus exegiſſet, ad habitationem ſocialis aſtri profectum, vitam beatam habiturum. Qui autem ſe his ſuperari permiſiſſet, mutandum in ſecunda generatione, in naturam muliebrem. Milleſimo anno vtraſq; venientes ad ſortem, & electionem ſecundæ vitæ eligere quam velit vitam. Ibique in ferinam vitam, animam humanam demigrare. Quòd ſi nunquam abſiſtat, quibus ſe vitiis dediſſet pro morum quadam conformitate ſemper in ſimilem aliquam mutandum fore naturam, tamdiuq; in hac mutatione, & tranſitu futuram, dum abſterſerit, expiaueritq; ratione ſordes, quæ ex igne, aut aqua, aut aere, & terra poſtea contraxiſſet, atque ad conuerſionem, motumq; eiuſdem, & ſimilis naturę quam habet in ſeipſa reuerſa ad primam formam illius optimi & prioris habitus redierit. Quæ cum animis ſanxiſſet, ac definiſſet, vt ſi quid accideret poſtea mali, minime ipſe autor videretur, ſparſit alios in Solem, alios in Lunam, cæteros in alia temporis inſtrumenta. Hæc Plato. Quæ quidem cùm ſint violenta, arbitraria, commentitia, ſingula ſingulis aliis verbis eius, & Naturę teſtimoniis redarguuntur. Ex his enim refelluntur ea, quæ de reminiſcentia in Memnone, & Phædro ſuſpicatus fuerat. Similiter ea quæ in Phędro, & alibi de motu æterno animorum. Ecce enim hic traditur natiuitas animorum. Ecce quomodo, cùm nondum nati, nec moti, moti ſunt ab alio ad naſcendum. Moti, quòd omnes eis conditiones datæ, quibus viuunt animi. Docetur etiam motus illos animorum furoris, & cupiditatis, deinde meliores alios ſuperioreſq;, vt rationis imperium, datos a Deo. Non ſemper ergo motus hos animi tenuerunt. Ad hæc non motus illos etiam, quod eos ait ſparſos in ſingula ſydera. Hos omens motus habere habuiſſeq; principium, Sicq; non ſemper animos fuiſſe, palàm eſt. Non ſemper à ſe ipſis mouebantur. Non fuerunt origo ſibi, nec cunctarum motionum. Refellitur quoq; reminiſcentia. Nam cuius vitæ prioris, quod Iamblichus dicebat, reminiſci in hoc corpore

A corpore poſſunt animi, ſi nullam duxere prius vitam, ſed tantum in aſtris ſeminabantur, ſparſi per omnes ſtellas, ibiq; tanquam in origine latitantes? Tum volebant reminiſcentiam eſſe de rebus ęternis antè. Nulla hic perennitas, ſed exordium, inchoatio. Secunda contradictio, quòd ait animos bonos reuerti ad ſuam ſtellam, beatã vitam acturos. Animos ſolares ad Solem, Lunares ad Lunam. At, ò Plato, non recordaris dixiſſe te in Phædro, felices animos ire ad ſupercęleſtem curiam, ad loca, extra flammantia męnia mundi? Non recolis, ſæpe te gloriam, beatitudinemq; bonorum eximiis laudibus extuliſſe? Quæ beatitudo, viuere in Sole, Luna? An vno cum illis impetu rotari ſemper, & per omnem mundum deſpatiari? Nonne ſuperiores omnes tradiderunt, beatitudinem animorm eſſe? tu quoque in Phędone confirmaſti, cùm ad gentem diuinam proficiſci, æuum cum Diis agere, dixiſti. Et Marcus noſter te imitatus dixit, Si quidem aut Dij, aut cum Diis futuri ſumus. In Phædone dixiſti, non in Sole, Luna, habitare Deos & iuſtos cum illis, imò verò, καὶ τόνδε ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν, οἷα τυγχάνει ὄντα, καὶ τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι: Et Solem, & Lunam, & aſtra conſpici ab eis, quali natura ſint, & ſequi eos omnem aliam felicitatem. Quid rationis item habet, quæ cauſa Naturæ ſuaſit animos ſpargi per ſydera? Fortaſſe, quòd cum ſimul creatos omnes arbitrarentur, nec haberet locum vbi eos conſtitueret, ſydera viſa ſunt ei commoda habitatio. Ex vno abſurdo, vt verè dixit Ariſtoteles, plura ſequuntur. Cùm cenſuiſſent ſimul omnia viſibilia, & inuiſibilia facta, animos quoque pariter creatos arbitrati, non crediderunt eos interim dum abſunt à corporibus, in terris eſſe. In cœlo igitur collocarunt. Sed & hoc cum dubium, & obſcurum eſſet, variè, inconſtanterq; tradiderunt Hic in Timæo naturaliter, & neceſſariò mitti de cælo in corpora, in Phædro, & aliis nonnullis locis, ipſe & Platonici, ob neſcio quas priores culpas, è cælo in terras & quaſi amiſſis alis deturbari. Quorum falſitatem arguit inconſtantia, & malè ſtabilita ſententia, inſuper, & contradictio detegit vanitatem. Nam Marcus ille Tullius, cum originem quæreret animorum, eamq; in tertis inueniri poſſe negaret, loquens naturaliter, ſuperſtitione dimiſſa, ſeque iudicio ferri ſinens, dixit: Nec inuenietur vnquàm, vnde ad hominem venire poſſint, niſi a Deo. O ſententiam auream. Loquitur, vt vides, de venientibus animis in corpora, ſingulisque diebus proficiſcentibus a Deo. Neque enim dicit quemadmodum Plato, olim a Deo ſparſos, & ſatos, ſed reſpiciens quotidianam animorum natiuitatem, venire creatos a Deo, dimiſſosq; ſic alios, quemadmodum primum illum pronuntiat. Idem ſenſit, confeſſusque eſt Plutarchus, de his qui ſero a Deo puniuntur, ἅτε γὰρ εἰδὼς ὅσην μοῖραν ἀρετῆς, ἀϖ᾽ αὐτοῦ φερόμεναι πρὸς γένεσιν αἱ ψυχαὶ βαδίζουσι: Ignoſcit, inquit, differtque caſtigare Deus, ſciens quantum virtutis inſit animis venientibus ab eo in hunc mundum. Ad hæc, Si potuit Deus cũctos ſimul animos creaſſe, poterit etiam quotidie. Eſt autem rationalius quotidie creari, quàm ſimul omnes. Nam ſi fuiſſent in cælo, nunquam eos in terram venire fas fuiſſet. Eſt enim cælum locus beatitudinis, perfectionis. Quidquid ibi eſt, ſemper ſit neceſſe eſt. Nec debet illic eſſe quicquam ad malum anceps. Nec viuere, quod in Tartarum aliquando propter peccata ſit detrudendum. Eſt igitur cælum, ſedes perfectorum, beatorum, ſedes Deorum. Si animi antequam mittantur in terras, illic degerent, degeret in cælo, res in malum propenſa. Cum igitur æquè ſit poſſibile animos ſingulis diebus creari, atque a principio cunctos (ſed probabilius ſit ac melius ſingulis diebus creari, vitatur enim incommodum maximum, quod ante dixi) certè melius eſt, eos ſingulis diebus, quàm omnes dicere creatos a principio. Eſt certè abſurdum, temerarium, irrationabile, eandem ſortem, eundem locum eſſe animorum bonorum, & iam multis caſibus probatorum, atque animorũ in ancipiti ſorte exiſtentium, quiq; poſſint eſſe mali, ac boni. Si enim animi antequam in corpus intraſſent, poterant eſſe boni, & mali, necdum ſe, vel vitiis dedidiſſent, vel probitate, ac ratione peccatis imperaſſent, erant autem cum hac natura in cælo, priuſquam in corpora veniſſent, demiſſi in terras probantur an boni, an mali, mali migrant in ſecunda generatione in formas beſtiarum, ad aſtrum ſuum redeuntibus bonis, profectò redeunt eò, vbi aliquando ſcelerati illi, & in formas beſtiarum transformati, aut extremè nefandi in Tartarum præcipites acti, iam dudum vixerant. Sicque turbantur omnia iura, leges miſcentur, nec inter cælum, ac terras vlla diſcrimina ponuntur. Et tamen Plato dicit cęlum locum purum, ſacroſanctum ſolos puros καθαροὺς, accipere. Non ſunt puri nondum probati. Conſtat quidem hanc de cælo labentium animorum, famam potius fuiſſe de Adam è Paradiſo palſò, veſte pellicea, nempe corpore, in pęnam veſtito: Sed hoc in terra. Similiter caſus Dæmonum non fuit è cælo, loco ſancto, beato, quò nondum probati non aſpirauerant, ſed ex aere, vt placuit prudentibus, vbi creati. Eoque nonnullis illic remanentibus, cæteri peiores, inferius ceciderunt. Sed ignoſcendum Platoni. Periculoſa enim & obſcura de ſatu animorum, & aduentu in corpora ſententia. Quocirca poſitis clarioribus, riteq; iudicatis obſcuris ſuperſedendum. Quod vitatum eſt ab Ariſtotele. Probabilius igitur eſt, & naturæ conſonantius, animos ſiue in cęlo, ſiue in terra creatos, ſubito infundi in corpora & in corporibus probari, probatis dari regnum cęlorum, improbis contraria. Cælumque eſſe locum probatorum, perfectorum, glorioſorum, non ad vtranque vitam pendentium.

Reminiſcẽtia de reb' æternis ante.

Beatitudo nulla uerſari inter aſtta.

Ex uno abſurdo plura naſcuntur incommoda.

In Sõnio Scip. & 1. Tuſculan.

Quotidie creari animos quam ſimul oẽs, rationi magis congruum.

Vnde hæc opinio de lapſis aĩs.

Quomodo

Quomodo vera ſit ſententia, ad animum vniuerſi, particulares reuerti. Quòd hoc myſterium Philoſophi recentiores peruerſè intellexerint. Quòd ea ſit ſacrarum litterarum ſententia. Quòd Plato, & Pythagoras dicunt animos ad Deum reuerti. Et ſuper hoc errores Themiſtij. Cap. XXX.

Aîas particulares reuerti ad animã vniuerſi, dogma vetuſt philoſophorum.

Vnum eſſe oium animam, quõ intelligendum.

DE anima quoq; quæ circunfertur opinio, diciturque eſſe quorundam recentium Philoſophorum, ſed fuit antiqua, ſi quis eam rectè intellexerit, veram eſſe comperiet. Dicitur poſt diſceſſum è corpore reuerti ad vnicam vniuerſi animam, hancq; vitam eſſe totum orbem terrarum animantem, cuius quaſi ſint radij, ſcintillæq; particulares animę. Hęc igitur opinio priſca eſt, nõ noua, ſed a nouitiis Piloſophis peruerſè intellecta. Primum Pythagoras, qui dixit, autore Cicerone, & Plutarcho, Deum eſſe per omnes mundi partes intentum, & cõmeantem, ex quo noſtri animi carperentur, locutus eſt de aduentu noſtrorum a Deo animorum, eam de anima ſententiam proponens, qua recentes peruerſè dixerunt, vnam eſſe omnium animam. Ecce igitur non rectè perceperunt, aduentum creationemque animorum, non ntelligentes animos quidem infundi & inſpirari ab illa immenſa totius orbis anima, ſed non connecti, iungique cum ea, vt tanquam à Sole, inſeparabiles radij niteſcant. Ecce enim anima illa immenſa, priſcis fuit Deus ipſe, non alia anima. Quis enim totum poteſt animare, complectiq; mundum, niſi Deus? Si Deus igitur eſt hæc anima magna, animę autem particulares ſunt, tanquam ſubſtantiales luces ab ea radiantes, ad quam redeunt, poſt ſeparationem à corpore, certè Deus eſſent aiæ oẽs, immenſæ ſapientiæ, non imbecilles, non errantes, non hallucinantes. Quarum manifeſta fragilitas declarat animos diuinos quidem eſſe, Deos aũt, & ex diuina ſubſtãtia, minimè. De reditu igitur animorum ad hanc magnam animam Pythagoræ, Platoniſq;, quemadmodum item de aduentu fuit ſententia, autore Plutarcho de placitis Philoſophorum, πυθαγόρας, καὶ πλάτων, ἄφθαρτον εἶναι ψυχὴν, ἐξιοῦσαν γὰρ πρὸς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν, εἰς τὸ ὁμογενές. Pythagoras, & Plato incorruptibilem eſſe animam. Exeuntem enim reuerti ad animam vniuerſi, ad ſuum genus. Sic ille. Ex Cicerone autem eodemque Plutarcho habes, hanc animam eſſe Deum. Dicebat enim ſuperius idem Plutarchus, Pythagoram, & Platonem ſentire, animam opus æterni Dei. Veniunt igitur a Deo, redeuntque ad Deum animi. Quę eſt etiam ſacrarum litterarum ſententia, Et ſpiritus, inquit Salomon, reuertetur ad dominum, qui dedit illum. Dauid autem, Emitte Spiritum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Erat igitur apud priſcos firma conſtanſq; ſententia, quemadmodum docuit Moſes, à Deo, qui eſt anima mundi, omnium ſpirituum creator, & afflator, mitti noſtros animos, mitti autem non tanquam a ſua ſubſtantia. Iuxta quam priſcorum ſententiam Simplicius, primo Phyſicorum dixit, καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ ὑπὸ θεοῦ ἐλλάμπεσθαι λέγεται: Et enim, inquit, dicitur anima à Deo radiare. En igitur anima vniuerſi, à qua dicuntur animi noſtri relucere. Et Marcus, Animus humanus decerptus ex mente diuina. Sic item erat ſententia reuerti eas ad ſuum genitorem, ſed non ita reuerti, vt ad ſuam ſubſtantiam coniungendos, & quaſi auulſos, copulandos, quemadmodum dicuntur Auerroes, nonnullique alij ſenſiſſe: ſed vt ad creatorem regemque ſuum, à quo creationem, ſimilitudinemque ſuæ naturæ acceperint, & cuius non ſunt de ſubſtantia, poſſint ab eo procul eſſe, ad regna conſpectumque eius nunquam venire, ſi ſeſe malè factis coinquinauerint. Hoc ſenſit Plato, totaque antiquitas.

Animi à Deo veniũt, & ad Deum redeunt.

Eccleſ. 12.

Deus, aîa mundi.

Qũo animę ad Deũ reuertãtur.

Errores Themiſtij, aliam eſſe animam vniuerſalem aſſerentis, alium ipſum Deum ſummum. Si foret vnus illuminans omnes mentes, intellectus, Deum fore.

Rationes cur non ſit vnus. Cap. XXXI.

QVO CIRCA cogor aduerſari Themiſtio, haud è Peripateticis ignobili Philoſopſo, quem cùm dubitatio ſuſpenſum tenuiſſet, potius in id quod magis eſſet vitandum, quàm quod ratio probaret, propenſus fuit, nec antiquæ ſapientiæ veritatem attendit. In libris de anima, primum verè recteque affirmat animum, quem præceptor agentem, Græcè ὁ ἐνεργείᾳ νοῦς ποιητικὸς νοῦς, vocauit, eſſe eum qui nobis det eſſe, & ſubſtantiam. Nimirum hominem verũ eſſe ipſum intellectum, ſiue animum facientem, operantem, indefatigabiliter cognoſcentem, lumẽ inextinctum, ſemper luce notionis radiantem, cuius vita ſit ipſum intelligere, a quò nunquam relinquatur, quemadmodum nunquam relinquitur Sol a luce, & claritate ſua. Dixit ergo nos eſſe intellectum illum agentem, illum eſſe verum hominem. Cùm dicis hominem, animum ipſum viuentem ſemper & operantem, ſentiendum eſſe. Atque hanc ſententiam Ariſtot. aſſerens ait, ἡμᾶς μὲν ποιεῖ τὸν ποιητικὸν νοῦν· νῦν δὲ τοῦτο ἡμῖν βεβαιότερον, ὅτι ἡμᾶς οἴεται τὸν: ποιητικὸν νοῦν. Nos, inquit, facit intellectũ agentẽ. Nunc, ait, fortius, & verius probatu, nos Ariſt. appellare animum illum operantem. Quid autem ſit is intellectus ſemper operans, agens, declarat idẽ his verbis, ὅταν δὲ αὐτὸς καθ' αὑτὸν ᾖ, τοῦτ' ἐστὶ μόνος ὅπερ ἐστίν: ἐστὶ δ' ἐνεργείᾳ, ἄπαυστος καὶ ἀκάματος, καὶ ἀθάνατος, καὶ ἀΐδιος: Cum autem fuerit ipſe per ſe, hoc eſt, ſolus quod eſt. Eſt autem intellectus agens irrequietus, indefatigabilis, immortalis, ſempiternus. Hæc ille. Duas igitur ponit veras ac ſenſuq; dignas ſententias. Quod homo verus Ariſtot. eſt intellectus, ſecunda, quòd is intellectus eſt æternus, immortalis, incorruptibilis, Tertiam adiicit eandem cum priore, quòd eos irridet

Homo, animus viuẽs & operans.

Homo verus, intellectus.

(eſt

A eſt autem is Alexander) qui dicebant hunc intellectū operantē Ariſtotelem ipſum Deum exiſtimaſſe. Irridet autem oſtēdens ex dictis Philoſophi, de ſummo Deo nulla ratione eum ſentire potuiſſe. Ex his, inquit, Ariſtotelis dictis admirari eos operæpretium eſt, qui mentem agentem hāc πρῶτον θεὸν ὠήθυσαι εἶναι κ᾽ ἀριστοτέλη, Summum Deum putarunt eſſe ſecundum Ariſtotelem. Quarta ſententia, quæ ex his omnibus maximè reprehenditur, & cuius cæteros erroris refellit, ipſe maximè refellendus apparet. Quærit, animus, quē agentem, & immortalem eſſe, & Deū non eſſe docuiſſet, vtrumne ſit vnus, an plures. Videri autem vnum ſecundū Ariſtotelē, quia lumini eum compaſſet. Vnū aūt eſſe lumen vniuerſi. Imò verò & fontem luminis, a quo omnes animaliū oculi deducantur ex poteſtate ad actum. Et quemadmodum nihil faciat ad vnumquodq; animalium luminis incorruptibilitas, ſic non prodeſſe nobis intellectus agentis æternitatē. Quòd ſi plures eſſent, & eorum, quæ ſunt poteſtate, non vnus eſſet agens, quomodo differant inuicem? Nam in his, quæ ſunt eadem ſpecie, diuiſiones eſſe per materiam. Neceſſe autem eſt intellectus agentes eoſdem eſſe ſpecie, ſiquidē oēs eandē habent ſubſtantiā, actum, & eadem oēs cognoſcunt. Si enim non eandē, ſed diuerſam, quę erit ſeparatio? Vnde porrò mens poteſtate omnia cognoſcet, niſi primus intellectus cuncta noſcat, qui eam deducat in actū? An verò primū eſt vnus illuſtrans, illuſtrati autem, & lucentes plures? Nam Sol vnus eſt, lumen aūt videtur propemodū in viſiones omnes ſecari. Ob id.n.nō Solem, ſed lucē pro exemplo vſurpauit. Plato autē Solē, quē ſummo Bono cōparat. Quòd verò in vnū agentē intellectum nos omnes reuocamur, compoſiti quaſi ex agente, & poſſibili, & vnicuiq; noſtrum ab illo vno eſt eſſe, non eſt cur miremur. Vnde.n.communes conceptiones, B vnde ſimilis, & eadem omnium ſine præceptore primorum terminorum, primarumq; dignitatum. cognitio, nunquam certè mutua cuiuſq; noſtrum notio fuiſſet, niſi eſſet vna mēs, cuius omnes eſſemus participes. Et verum eſt, quod ait Plato, niſi aliquid eſſet hominibus, aliis quidem aliud quid, aliis aliud quid idem, ſed quis noſtrū priuatos affectus haberet, nō eſſet facile alteri oſtēdere affectionem ſuā. Similiter in ſcientiis qui docet, eadem ſentit cum eo qui diſcit. Vnde.n. & diſcere & docere poſſemus, niſi idē eſſet doctoris, diſcipuliq; ſenſus? Quòd ſi idem, vt neceſſe eſt, certè idem eſt intellectus docentis, ac diſcentis. Has & id genus ſuper intellectus vnitate protulit Themiſtius rationes. Quarū confutatio non profundioribus modò, ſed etiā cuiuis de medio facilis eſt, tum quòd peruerſe Ariſtotelis ſententiā interpretatur, tum quòd & rationi, & autoritati maiorum contradicit. Et ex verbis ipſis elicitur confutatio. Tres igitur rationes adſunt in contrarium. Primum, quòd negans illum intellectum, omnes illuſtrantem, & illuminātem, & quaſi lucē immenſam per omnes animos radiantem, eſſe Deum ſummum, apertè, & perſpicuè ſibi contradixit. Si.n.eſt omnium hoīum intellectus vnus, & is eſt immortalis, incorruptibilis, & non eſt Deus, diffuſus eſt autē per oēm generis humani gentē, efficitur vt is ſit Deus, & non ſit Deus. Ille.n.intellectus, illa mens, ille animus, qui dat lumen vniuerſis, qui ſpargitur per totū orbem terrarū, vbiq; præſens, fieri non poteſt quin ſit Deus magnus, quem dixit Pythagoras per omnes mundi partes intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. Eſt igitur ſolius ſummi, omnipotentiſque Dei, vniuerſalis præſentia, vniuerſalis omnium animorum illuminatio. Hoc Ariſtoteles dixit, hoc Plato, hoc omnis antiquitas, hoc ratio clamat, vociferatur, apertam & perſpicuam contradictionem hominis huius pandentes. Negat Deū eſſe, qui omnino eſt Deus. Si quis igitur eſt intellectus, qui det lumen omnibus in toto terrarū orbe hominibus, qui luceat vbique, qui veritatē C vbique miniſtret, hic fieri non poteſt quin ſit Deus. Themiſtius autem negat hunc eſſe Deum, expreſſa igitur cōtradictio. Et ſimile q̃d facit Themiſtius, ac ſi deſcripſiſſet prius, Eſt animal in terris bipes, erectæ ad cęlum ceruicis, intelligens, ſagax, ſolers, loquēs. Deinde hunc hominem eſſe negaret. Tale enim eſt dicere, Eſt quidam intellectus incredibilis magnitudinis, per omnem mundum diffuſus, illuminans omnes animos, a quo funditur micatque omnis ſcientia, & cognitio, ſed is nō eſt Deus. Cum igitur ratio coarguat hunc, immēſum, ingētem animum, Deum eſſe, ſi quis eſt, qui det omnibus animis, vt voluit iſte, lumen (ſed alia clarior ratio probat, ſi magnus is animus, qui eſt Deus, daret animis noſtris eſſe, i. ſi homo verus eſſet intellectus is, quem probat ratio eſſe Deū: hūc autem dixit Themiſtius homines ipſos eſſe) arguitur profectò, futuros homines ipſum Deū. Si enim magnus ille, & infinitus animus eſt Deus, vt probat ratio: & ſi iuxta Themiſtium, is intellectus eſt ſubſtantia noſtra, planè coarguitur noſtram ſubſtantiam eſſe ipſum Deum. Huc deuoluuntur, deſinuntque nouæ, & a vetuſta Philoſophia abhorrente, perſuaſiones. Mirari autem operæpretium eorum ineptias, quæ eos ad hæc prodigia cōfingēda perpulerunt: Quòd ſit communis eademque notio, quòd præceptor, & diſcipuli ſenſibus conueniunt. Quaſi vnam animam in decem lupis eſſe, dicendum ſit, quia ſimul ac vnus exulularit, omnes ſtatim concurrant, cognita ſine vllo præceptore voce, eos ad prædam inuitante. Sic vna erit in bobus, aſiniſque, & gallinis anima, quæ facile, nullo docente, voces mutuas intelligant. Sic oua erunt eadem, quia ſimilia. Vbi igitur fuit ſimilitudo, voluerunt eſſe vnitatem. Similitudinem animorum, qua ſimilia noſcunt, cogitant, propter ſimilitudinem naturæ, incurſant in eaſdem notiones, in eadem conſilia, putarunt eſſe vnitatem; Tale quid perpeſſi, ac ſi quis decem ſpecula, quia in cunctis eadem repræſentantur, diceret vnum ſpeculum. Quæ ratio cùm ſit apertiſſimè falſa, longius refelli non debet. Nam cur præceptor, ac diſcipulus conueniant, non vnitas facit, ſed ſimilitudo animorum.

Vnum lumen vniuerſi.

Vna mēs, cuius omnes ſumus participes.

Cum dicit Themiſtius aliam eſſe vniuerſi animā, aliū eſſe Deum ſibi contradicit.

Subſtantia noſtra nō eſt ipſe Deus.

Malè collegerūt vnitatem eſſe, vbi eſſet ſimilitudo.

Diſtinguū tur mentes ꝑ ſuas ſubſtantias.

Agens intellectus, & cauſa prima, Deus.

Animorū illuminator, ſolus Deus.

Separationem autē rerum indiuiduorumq; ſinguli cuiuſque, pertinacia, quàm par eſt, leges rerum corporearū, ad res corporeas transferre, dicunt à materia ſemper fieri: Vt ſeparatio indiuiduorū non exiſtat, vbi materia non eſt. Non eſt autem in animis, non ergo ſeparari poſſe. Hæc quoq; ineptius, quàm deceat Philoſophos tātos. Quid enim prohibet quominus ſpiritualia, inuiſibilia ſint plura, habeant ſuam multitudinem, diffundantur latè? Quid has leges inuexit? cur mittis in cœlū terreſtria? Corpora per materiam ſegregantur, multiplicantur, ergo vbi non eſt materia, non eſt ſegregatio, non multitudo. Quæ tanta ineptia in Philoſophia? Alia lex eſt animorum ſpiritualiumque rerum, alia corporum. Qui hoc nō videt, nō videt niſi terram, niſi corpora, altius nō aſſurgit. Hæret ſolitis, domiſticis. Separantur igitur per ſuas ſubſtantias mentes. Et ſicut vnus eſt animus, per ſuā ſubſtantiam, ſic alter eſſe poteſt per ſuam ſubſtātiā, ſegregatus, diſtinctus ſeiunctus ab illo. Quorum ſegregatio non erit a materia, ſed ab ipſorum ſubſtantia. Talis ac tanta ſegregatio, quāta ipſorum corporum. Nonne Deus ſegregatus eſt ab omnibus animis? Qua quæſo materia ſegregatus? Hæc igitur cum non minus quàm ſuperiora, puerilia ſint, indignaque Philoſophiæ grauitate, verba in eis refellendis vereor profundere. Hoc addo poſtremū, vt error tātus appareat. Ille vnus intellectus, quem incorruptibilem, immortalē aſſeruit, Deum eſſe negauit. Si perirent omnes homines è terra, quod fieri ratio non reclamat, ſi peſtilentia aut alia calamitate, aliquæ nationes interierunt, quemadmodum diluuium cunctos abſtulit, præter octo, ſic omnes extinguerentur, vbi remaneret, vbi ſubſiſteret, cunctis hominibus, quia mortales oēs, è terra ſublatis? Tolerabilior igitur error Alexandri, quem tacitè ſugillat Themiſtius, cenſentis agentem illum intellectum eſſe Deum, primam cauſam ab Ariſtotele vocatum. Sed & ipſe grauiſſimè peccat, clara dilucidaq; pręceptoris verba, vt oſtēdit Themiſtius, tam peruerſè interpretans, vt quod clariſſimè de intellectu noſtro dixit Ariſtoteles, vocans illum agentem, ipſe ad intellectum diuinum tranſtulerit. Eodem videlicet errore, quo ſuperius æternitatem, principiumque motus ab animo diuino ad humanū detorſerant. Nunc quod hoīum eſt, ad Deum traducentes. Maneant igitur cuncta ſuis locis. Quod Ariſtoteles de noſtris apertè locutus eſt, nulla ratione transferatur ad Deos: ſimiliter quæ diuinę potentiæ tribuit ratio, non fiant humana poſſeſſio. Vt igitur ſub epilogo rationes Themiſtiū coarguentes proponam: Si quis eſt animorum omnium illuminator, ſolus is eſſe Deus poteſt. Nō facit vnitatem animorum ſimilitudo, conſenſuſque cognitionis. Contra philoſophiā verumq; iudiciū eſt, in quibus eſt ſimilitudo, ponere vnitatem. Non eſſet immortalis, incorruptibilis vnus animus ille, qui requieſcat ſuper omnes homines innixus illis, & inſeparabilis, ſi cuncta hoīum natio periret. Deniq; luminis cōparatio quæ placuit Ariſtoteli non deſignat intellectus vnitatē, ſed illuminationem, irradiatione ſinguli cuiuſq; intellectus agentis ſuper vnumquenq; intellectum poſſibilem. Demum ſi nobis dat eſſe agens ille intellectus, & is eſt immmortalis, omnis vtiq; homo habet eſſe ſuum, ſuamq; ſubſtantiam immortalem. Quia homo eſt ille agens intellectus, incorruptibilis, immortalis. Veritas igitur ab antiquiſſimis prędicata poſteriſq; mandata erat, quòd intellectus ille magnus, vnus illuminator, eſt Deus magnus, magna mundi animatio, à quo dicuntur animi noſtri, quando creantur, quaſi radiare, ac ſcintillare: quemadmodum ſuperius omnes aſſenſerunt.

De immortalitate animorum famam vetuſtiſſimam eſſe. Nolle facinoroſos animam immortalem, ne terrore futurarum pœnarum peccatis ſuis impendentium torqueantur. Cap. XXXII.

Fama antiquiſſima de animorum immortalitate.

Impuri ac ſceleſti qui animā mortalē faciāt.

SVNT item hæc de animi immortalitate obſeruanda. Principio quod in vndecimo de Legibus ait diuinus Plato, Fidem quòd animi ſint immortales, ꝙ poſt diſceſſum è corpore ſentiant, viuant, vigeant, longè antiquiſſimā eſſe, vt ob vetuſtatē, quoniā vetuſtiora ſunt meliora, vt idem teſtis eſt, Diiſq; propiora, magis ſit hoībus excipienda: αἱ τῶν τελευτησάντων ψυχαὶ, δύναμιν τινὰ τελευτήσασαι, καὶ τῶν κατὰ ἀνθρώπους πραγμάτων ἐπιμελοῦνται, ταῦτα δὲ ἀληθεῖς, μὲν μακροὶ δὲ εἰσὶ περιέχοντες λόγοι, πιστεύειν τε ταῖς φήμαις χρεὼν περὶ τὰ τοιαῦτα οὕτω πολλαῖς, καὶ σφόδρα παλαιαῖς οὔσαις: Defunctorum animę, vim habent quandā defunctæ, & rerū humanarum procuratrices ſunt. Hęc autem veris, & antiquiſſimis ſermonibus circumferuntur. Fidemque adhibere neceſſe eſt omni alteri, quæ de hac re iactatur fama, cùm ſit tā multa & adeo priſca. Hęc Plato, & hoc Tullius teſtimonio in Tuſculanis de animorum immortalitate vtitur. Diuino igitur inſtinctu locuti ſunt, docentes famam de animis immortalibus eſſe vetuſtiſſimam, autoritate priſcorum ſæculorum confirmatam, a patribus per continuā ſucceſſionem quēadmodum notionem Dei, traditam. Vſque ab origine mundi, ab Adam, Noe, Abraham, aliiſq; antiquiſſimis, poſteritati pręedicatam. Hoc igitur maximè obſeruādum. Alterum quod ait Hierocles Pythagoreus, qui maximè velint animam mortalem, non prudentes, ac ſapientes, ſed impuros, ſceleſtos, quique libidinibus vitæque turpitudini, ſe dediderunt: οὐ βούλεται ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὑτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρούμενος καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαστὴν, θάνατον ἑαυτοῦ καταψηφισάμενος: Non vult, inquit, improbus, animā ſuam immortalem, ne ad conſpectum illius iudicis æqui pœnis torquendus adueniat. Itaque ſe ipſum potius morte condemnat.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

DE PERENNI PHILOSOPHIA LIBER DECIMVS.

In religionem veram cunctos Philoſophos conſenſiſſe, Pietatem, Philoſophiamque Chriſtianam, quæ ſola cunctas ambages reſoluit, omnes tacitè collaudaſſe, Rerum humanarum finem eſſe, Philoſophorum conſenſu, pietatem, Hanc autem eſſe ſolam Chriſtianam. Cap. I.

VLTIMA totius operis meta, vehementer his, quæ præceſſerunt, neceſſaria, & tanquam aptiſſimus colophon reſtat, probandum, cunctos naturali conſenſu, atq; adeo rationis eius, quæ ſeparat homines a brutis, inſtinctu, conueniſſe, ibiq; demum voces eorum, & teſtimonia deſiſſe, nihil eſſe mortalibus pietate, ac religione melius, collectiſque rationibus, cunctos eò tandem deueniſſe, vt hodiernam hanc orbis terrarum religionem, veram generis humani magiſtram, vel antequam exorta eſſet, ſola ratione duce prædicarint, vt omni natura diligenter humana, cunctiſque rebus, quæ cadere in animum poſſint, vniuerſaque Philoſophia euoluta, id tandem cuncti, concordes, quaſi ratione ſeipſam excitante, decreuerint eſſe verum bonum, quod promittit hæc religio, ſine quo, nec homine miſerius quidquam naſci, nec multæ ſedari animi perturbationes, deque rebus humanis dubitationes potuerint. Verè quidem vna hæc omnium perturbationum, ambiguitatumque, quæ torſerunt in omni ætate mortales, torſiſſentque, ſemper verum aſylum portuſque apparuit. Vna ſuperiorum ſæculorum tenebras, & caliginem nitore ſuo diſpulit. Hæc omnia quondam dubia diſſoluit, humanarum rerum finem ſola declarauit, degendæ vitæ rationem veram ſola docuit. Secuti ſunt autem videruntque eam penè cuncti Philoſophi, quoniam non tam diuina eſt, cœlituſque reuelata, verum etiam adeo naturalis, ac rationi conformis, vt rectè iuſteque nihil ſtatuere poſſis, niſi ad eam ſorte quadam delatus. Cernere igitur erit Philoſophiæ, & humanæ mentis, vbi minus deſiperet, cum ea concordia. Ac primum nemini dubium eſt, quin ſit in vnaquaq; re, optimum, ac pretioſiſſimum, & cuius gratia cætera inuenta, ac conſtituta videantur, quod in fine eſt, ſic res humanas, etſi multę ſunt, quæ ſub Philoſophiæ conſideratione cadant, quorum afferat animis admirationem contemplatio, id tamen præſtantiſſimum eſſe nemini dubium, cuius virtus reliqua facile præcellat. Eſſe autem finem rerum humanarum, apertè, & clarè religio cæleſtis docuit, vt vitā hanc tranſigentes, & ab omni ſcelere, ac fraude abſtinentes, ad meliora, quam quę in oculis habemus, perueniamus. Huc omnia demum rediguntur, qui quidem maximus, nobiliſſimusq; finis trahit oēm pietatem, religionemq; ſecum, vniuerſamq; Philoſophiam, particulares item rerum cęterarum fines, quibus tota ferme conſtat religio. Nam vbi finem benè, rectèq; viuendi conſtitueris, neceſſario ſceleratæ vitæ finis conſtitutus erit. Sic neceſſariò quoque erit eorum aperta ratio, quibus conſtat recta vita, Cunctaque eodem ſermone conſonare oportebit.

Nihil pietate ac religione melius.

Sine religione nihil eſt homine miſerius.

Laudatio religionis.

Finis rerum humanarum.

Finem hominis ſtatuerunt Plato & Ariſtot.

Primum igitur de fine loquendum. Nam Plato & Ariſtoteles, multique alii Philoſophorum adeo clarè hunc finem viderunt, vt penè miraculum ſit eos ratione vidiſſe, quòd poſt nuntius cæleſtis reuelauit. Quanquam, vt dixi, perennis hæc fuit vſque ab exordio generis humani Philoſophia: cùm mortales omnes, vt ſummi Theologorum perhibent, ante diluuium, concorditer vnicum, ſingularemque Deum noſcerent, eumq́ue ſolum adorarent, vanis poſtea religionibus, quemadmodum & flagitioſis aliis erroribus, repertis. Cum igitur omnes ſiue natura docente, ſiue priſtinæ pietatis, per omnia ſęcula veſtigiis extantibus, magnum præclarumque illum humanarum rerum finem perſpexerint, profectò nulla ſuper reliqua religione diſcordia remanebit. Vt aliquis oculatus, cunctos Philoſophos pariter conuocans, ſuasque eis ſententias oſtendens, probaturus ſit eis, nullam eos aliam religionem voluiſſe, quàm hodiernam. D

Philoſophos perhibere pietatem eſſe virtutum principem: probari hanc ſolam eſſe Chriſtianam. Finem à Philoſophis conſentaneè religioni Chriſtianæ conſtitui, vt Deum ſequamur. Huc omnem vitam dirigendam. Hoc illos dicentes, apertè religionem, quæ ſequitur Deum, reſpexiſſe, probaſſe. Philoſophis veram ſcientiam eſſe, Deum noſcere. Cap. II.

Primus religionis gradus.

Omnis probitatis origo, pietas.

Pietas omnium virtutũ princeps.

Dij falſa.

Vera pietas & religio vnde, & quàm vtilis.

Sola religio vera, Chriſtiana

Veriorem & meliorẽ eſſe nõ potuiſſe religionẽ q̃ ſit Chriſtiana

PRIMVS igitur religionis, ac pietatis, quo regitur beatè vita, gradus eſt, quòd agnoſcendus eſt, & colendus Deus, ex cuius amore & cultu, ac bene noſtris factis, perueniendum ſit ad meliorem quàm caducam hanc, corporeamque vitam. Hoc cum decantatum, celebreq́ue factum ſit, magno illo in terras adueniente Deo, omnes antea propter inſitam, donatamque rationem, & quòd vnanimes erant quondam in cultu eius, non ignorarunt. Hierocles igitur Pythagoreus, tametſi Chriſtianæ religionis hoſtis, omnis probitatis originem, ac principium dixit pietatem: πασῶν ἀρετῶν ἡγεμὼν ἡ εὐσέβεια πρὸς τὴν θείαν αἰτίαν ἀναφορὰν ἔχουσα: Omnium, inquit, virtutum princeps, & dux eſt pietas, cauſam diuinam reſpiciens, in eamq́ue relata. Hæc Theologia ea eſt, quæ noſtris in litteris prædicatur, Deum ante omnia venerari oportere, & quę conſtituit hanc toto orbe terrarum celebrem religionem. Cuius principium & caput, omnis denique cura, eſt ſummi Dei perfecta veneratio. Efficit autẽ ratio, vt ſi pietas eſt princeps omnium virtutum, eam pietatem hoc cumprimis honore præcellere, qua colitur Deus ſummus, ac primus. Deinde cum virtute nihil ſit melius, ſtabilius, fortius, magis ſubſtantia ſuffultum: virtutum autem magiſtra, ac regina ſit omnium rerum maxima: ei ſubiectum verum neceſſariò ſubiacere, non ex nihilo naſci, in eo verſari, quo non ſit melius, dignius, præſtantius. Ex his autem efficitur, vt hæc eorum de pietate atteſtatio, quam ex pectoribus eorum eruebat Natura, non cadat niſi in hodiernam religionem, ac pietatem. Neque enim ſi pietas eſt dux omnium virtutum, omnis probitatis generatrix, & lux, eorum poterit eſſe Deorum, quos aut Poetæ finxerunt, aut Philoſophi quidam recenter inuexerunt, quorum priores, homines fuerũt, vt Hercules, Pallas, Mercurius, poſteriores, ſint ſydera, Dæmones. Efficitur igitur, vt hæc pietas, quæ princeps reginaque virtutum dicitur, non alia tandem poſſit eſſe, niſi hodierna de ſummo, ac ſingulari, & præpotenti Deo. Quoniam hæc de pietate prędicatio naturalis eſt, nihil ei ſubeſt fabuloſum, commẽtitium, vanum: oritur ex intima rerum perfectaque conſideratione: & ſolum de vero, ac principe Deo poteſt eſſe vera, cuius cultus, & agnitio, omnibus generatim virtutibus, omni probitati præbeat lumen. Hinc enim duntaxat noſcitur modeſtia, temperantia, iuſtitia, rerum humanarum contemptus, in ſecundis conſtantia & moderatio, in aduerſis fortitudo, noſcitur integritas, innocẽtia. Quamobrem ſi quis prudenter diiudicet, hæc Hieroclis præ multis aliis, atteſtatio deſignat, veram religionem, non aliam eſſe poſſe, quàm hodiernam, in qua pietas vera, id eſt, Dei veri, ac ſingularis, de quo tam multa ſuperiores loquebantur, colitur, ac celebratur. Itaque Arianus alius è Philoſophis, cùm optimè viderit, diuineque locutus ſit, τέλος ἁπάντων τοῖς θεοῖς ἕπεσθαι, finem omnium rerum eſſe, Deos ſequi: in vno tantum errauit, quòd Deos nominauit. Nam quos hic ſentiã Deos non habeo. Neque finis eſt ſequi aut Deos illos Ariſtotelis, Intelligentiam Solis, Lunæ, aut Deos Poetarum, Herculem, Mineruam. Tum ipſi & compellente Natura, & voce clara ſæpe, vnum eſſe Principem, cæteros autem ab eo natos, ac dependere confeſſi ſunt. Hunc igitur tantum ſequi, non alios, verus finis eſt, & eſſe poteſt. Ratione igitur cum eorum teſtimonio coniuncta, prædicant, exclamant, non potuiſſe in mundo meliorem, veriorem ſurgere religionem, quàm hodiernam, cuius omnis finis eſt ſequi Deum verum, eius obtẽperare præceptis, cum vnum aſpicere, cætera pro vanis, aut minoribus, lõgeq; inferioribus habere. Audi igitur Philoſophos o Chriſtiane, finem omnium hominum, ſupremam naturæ curam, ſtudium primum, vt Deum ſequaris. Quod faciunt cultores Dei, præcipuum eſſe, nihil eos melius exercere poſſe. Hoc oĩum eſſe, quæ viuentes agimus, primum. Quidquid egeris aliud, non ad finem tuum egeris: tunc humanę naturę finem ſecutus fueris, cùm Deũ ſequeris. Sequuntur autem, qui ſtudia curaſq; oẽs in eũ collocarũt, ibique aciem mentis defixere, cętera facientes, velut homines, ſemper tamen ad finẽ ſuum, aciem retorquentes. Hocq́ue eſt, quod ipſe dixit, Primum quærite regnum Dei. Et cum vult nos ſui memores, in itinere, in menſa, in lecto, vbique. Is igitur Philoſophorum teſtimonio eſt hominum finis. Itaque eadem repetit Arianus, ſiue Epictetus conſentiens cum Hierocle, quòd non liceat bene quid fieri, niſi ad canonem, ſiue regulam diuinam referatur: πῶς γὰρ ἔϛαι τι καλὸν, ὃ μὴ πρὸς κανόνα τὸν θεῖον πράττεται: Quomodo, inquit, erit vlla res benè, ac decorè facta, niſi ad canonem diuinum referatur? ò vocem præclaram, & auream. Suffragium Philoſophorum, ac conſenſus, ſiue volentium, ſiue Natura cogente, hodiernam, & iam ab exordio mundi natam religionem, vnicam, ac ſingularem eſſe, quę regat vna genus hominum, referens omnia ad canonem diuinum, ducem eum ac præceptorem ſequens. Eadem de laudibus pietatis, cultusve diuini, & quòd is ſit fons omnium virtutum, omnis probitatis principium, vera hominum vita, locutus eſt Iamblicus, ob quæ creditus, & appellatus eſt à ſuis diuinus, ab aliis etiam diuiniſſimus. Quo nomine multo magis ſunt noſtri vocandi diuini, omniſque Philoſophia noſtra diuiniſſima dicenda, cùm ea doceat multo melius, frequentius, quorum tractatio peperit eis nomen diuinum. Is igitur in eo, qui eſt de ſecta Pythagoreorum: ἅπαντα μὲν τοι ὅσα περὶ τοῦ πράττειν ἢ μὴ πράττειν διορίζουσιν, ἐϛόχαϛαι πρὸς τὸ θεῖον, καὶ ἀρχὴ αὕτη ἐϛὶ καὶ ὁ βίος ἅπας συντέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ θεῷ: Omnia, inquit, quæ de agendo, vel non agendo definiunt Pythagorei, reſpiciunt ipſam Diuinitatem: hocque eſt principium, omniſque vita ad id coordinata eſt, vt Deum ſequaris. Nonne igitur vna eſt Philoſophorum Chriſtianorumque philoſophia, eadem ſententia, quòd ſequendus eſt Deus, intuendum eſt in creatorem noſtrum? Cùm hoc autem ſit corpus, vita, ſubſtantia religiones hodiernæ, nonne hæc illa eſt, quam Philoſophi veram, vnicamque crediderunt? Sola enim hæc perfectè ducit vitam ad imitationem Dei, reſpicit perfectè numen æternum. Duo ſunt ex Philoſophis documenta, quòd pietas eſt vita vera, cunctarum laudabilium actionum origo: tum ex dictis eorum neceſſariò ducitur, ſolam hodiernam pietatem eſſe magiſtram eorum, quæ tantis illi laudibus extulerunt. Audi etiam eundem non Chriſtianum, ſed merè Philoſophum. Eodem libro: καὶ τὸν θεὸν σεβώμεθα, κατὰ τρόπον, εἰ τὸν ἡμῖν νοῦν παρασκευάσαμεν πάσης κακίας, ὥσπερ τινὸς κηλῖδος καθαρόν: Deum quoque colamus, & veneremur congruè, ſi mentem noſtram ab omni ſcelere, quaſi nota, puram velimus efficere. En conſentiunt nobiſcum, nihil in omni vita ſupereſſe melius, quàm Deum timere, venerari, ſequi. Vna igitur omnium Philoſophia, vna mens. Idem eodem libro: ἡ μὲν γὰρ γνῶσις τῶν θεῶν ἀρετή τε ἐϛὶ, καὶ σοφία καὶ εὐδαιμονία τελέια, ποιεῖ τε ἡμᾶς θεοῖς ὁμοίους. Nam cognitio Deorum, virtus eſt, & ſapientia, perfectaque beatitudo, efficitq; nos Diis ſimiles. Cur dicis Deorum, ò Iambliche? quod Plato, & ratio, tu quoque prædicaſti de vnico Deo. Si Dei cognitio ſapientia eſt, multo magis ſupremi Dei. De hoc igitur ſolo dicenda hæc fuerant, vt dixit Plato, & tu ipſe. Nam eodem libro de fine totius veritatis, & ſapientiæ, ἐπειδὴ μάλιϛα ἀληθείας καὶ σοφίας ἐφιέμεθα προτρέπων ἐπὶ τὴν τοιαύτην ἐπιϛήμην, τοῦ τε ἑνὸς ὄντα θεωρητικὸν, ὅπερ τέλος πάσης θεωρίας, Quoniam maximè veritatem, ſapientiamque concupiſcimus, ad eiuſmodi hortatur Pythagoras ſcientiam, & vitam, contemplantem Vnitatem, qui eſt finis totius contemplationis. Sic ille. Vnitas, vt viſum eſt ſuperius, apud Philoſophos, eſt ſingularis ille, incommunicabiliſq; Deus. Finis omnis Philoſophiæ eſt notio huius, & vnitio. Sic aiunt Philoſophi, omnibus os apertè claudentes, qui putent cultu Dei, pietateq; in terris, quicquam melius. Marcus ergo Tullius eadem prædicauit, affirmans eã priſcę Philoſophię fuiſſe ſententiam: Quęque, inquit, ſunt vetera pręcepta ſapientium, qui iubent tempori parere, & ſequi Deum. Sic ille. Sentiebant enim prædicabantque priſci cuncta in arbitrium, prouidentiamque diuinam eſſe referenda, & cedendum tempori, velut omnibus diuinitus miſſis, faciendumque quod ille, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.

Non licet bene quid fieri, niſi ad regulã diuinam referatur.

Iamblich⁹ diuinus appellatus.

Deũ ſequi vera philoſophia.

Aĩam efficipurã, Dei cultu.

Supremi Dei cognitio, vera ſapientia.

Finis oĩs Philoſophiæ cognitio Dei.

Definiente Platone veram ſapientiam fugam ex hoc mundo, aſſimilationemque diuinam tum ſanctitatem, ac iuſtitiam, vnam duntaxat religionem Chriſtianam hac definitione concluſiſſe. Probari Platonis hoc teſtimonio, neceſſariò venturum in terras Deum fuiſſe, quem imitari genus humanum poſſet. Iamblicho apertè fatente diuinam ſimilitudinem comparari, Deique præcepta cognoſci non poſſe, niſi Deus ipſe audiatur, palàm hodiernam religionem neceſſariam mundo oſtendiſſe.

Cap. III.

QVOD ex minoribus Philoſophis deducitur, longè facilius ex priſcis, qui fuerunt diuinis propiores, liquebit. Vt enim ſuperius omnium gentium, eadem cum noſtra, quod ad religionem attinet, probatur Philoſophia, propterea quòd totius vitæ finem, ſtudiorum omnium, curarumque vltimam metam congruit inter nos, & eos eſſe, ſequi Deum, nihilque fieri rectè poſſe, quin ad regulam diuinam referatur, quo palam fit ſolam vitam veramque Philoſophiam eſſe, cuius fuit demonſtrator Deus, & conſtitutor, alioqui quomodo ad canonem diuinum potuiſſent omnia referri, niſi mortales eum, vel cęlitus ab eo miſſos audiſſent? ſed multo melius ſi eum audiſſent, ſic clarius, & apertius id prædicatum eſt a Platone. Atque ex eo primum teſtimonium ſumatur, quo vitam veram,

Idem finis conſtitutus a philoſophis, & Chriſtianis.

in eo qui inſcribitur Theætetus, diuinè concorditerq́; cum religione definiuit: διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι: Quocirca, inquit, omni celeritate conandum eſt, vt hinc eo aufugiamus. Fuga autem eſt aſſimilari Deo pro viribus: aſſimilari autem iuſtum, & ſanctum eſſe. Laertius item de fine à Platone conſtituto: τέλος μὲν εἶναι τὴν ἐξομοίωσιν θεῷ. Ex his apparet, ſi quis audire Platonẽ, eiusque autoritati ſtare voluerit, illam denique fuiſſe religionem vitamq́; hominum veram, vnicam, ſingularem, vnicamq́; Philoſophiam, cuius præcipuus finis, ac doctrina fuit, vt ab hoc mundo in cælum celeriter aufugiamus. Quidquid hic reſonat, regni cæleſtis eſt prædicatio, omnes ad cœlum inuitamur ab hac Philoſophia. Illeque eius clariſſimus præco, cupiebat diſſolui, & eſſe cũ Chriſto. Eſt item religionis huius finis, aſſimilari Deo: Quem vt imitari poſſemus, eiusque ſimiles fieri, fecit ſe nobis ipſe ſimilem, humano corpore, in quo actiones omnes vitæ ſacræ exprimerentur, aſſumpto. Itaq; ſemper inhortabatur, vt eum ſequeremur, manſuetudinem, clementiam, tolerantiam attenderemus. Deniq; non eſt aliud hæc religio, quàm vitæ diuinæ, exemplorumq́; eius imitatio. Ac ſi quis altius ſpectat, hoc Platonis teſtimonio primum continetur, vt homines verè, & clarè poſſent Deo, quoad fas eſſet, aſſimilari, quantumque natura pateretur humana ad imitationem eius attingere, fuiſſe mundo pręſentiam, conſpectumq́; diuinum neceſſarium, quem perfectè, & clare intuentes homines, mores ſuos, omnemque vitam ad imitationem eius effingerent, inflammarenturq́; magis, quam viam primus impreſſiſſet, contemplari. Alioqui nunquam potuiſſet eſſe imitatio perfecta, veraq́;, & quantum mortali naturæ fas erat aſſimilatio. Secundo continetur, eam deniq; veram perfectamq́; in mundo religionem apparuiſſe, quæ ſola potuit, vſq; quò mortales decuiſſet, docere, & inflammare, vt Deo ſimiles fierent. Ac ſi fieri ſimilis Deo, vera vita, vera Philoſophia definitur, certè ſola veræ Philoſophiæ nomen meretur, eaque debet omniũ mortalium conſenſu probari, cuius eſt Deus exemplum, ſcopusque verus, & clarus. Facilius autem fuit imitari præſentem, quàm abſentem. Eritque verior, perfectiorque religio, & qua non poſſit melior deſiderari, vbi perfectior fuit, & eſſe potuit aſſimilatio. Sola autem nouiſſimorum ſeculorum religio vidit, & audiuit Deum, ſolaque potuit perfectè cernere, & noſſe veros iuſtitiæ ac ſanctitatis fontes. Definit enim Plato, aſſimilari Deo, ſanctum, iuſtumque eſſe. Ac vt dem potuiſſe Platonem, cæterosque augurari, (Naturæ enim documentum eſt) quæ ſit hæc iuſtitia, ac ſanctitas quibus diuina ſimilitudo comparatur, non potuit tamen perfectè noſſe, nec quoad homini fas eſſet, per iuſtitiam, ſanctitatemque Deo conformari, quantopere qui aut viderunt, aut audierunt ipſum Deum loquentem, & agentem. Ex his efficitur Porphyrium, Proclum, aut quicunque religionem Chriſtianam contempſerunt, non modò cæcos fuiſſe, inſectantes quod neſcirent, ſed etiã contra naturam, iudiciumque præceptoris ſui peccaſſe. Nam Platonis hæc de fuga ex hoc mundo, & aſſimilatione diuina, ſanctitate, ac iuſtitia definitio, proinde vera eſt, quia naturalis, pura. Iudicium autem eius fuit, eſſe, aſſimilari Deo, Philoſophiam veram. Cùm autem religio Chriſtiana hanc maximè aſſimilationem profiteatur, cuius eſt præcipua cauſa, quòd potuit Deum vidiſſe, & audiſſe, totaque doctrina eius, ſit Dei imitatio, ex præceptis eius, & exemplis, & eorum qui eum vidiſſent, audiſſentque confecta, profectò contra ſe, & præceptorem inſanierunt, hanc irridentes, eique inſultantes. Quod autem vere dicatur hanc eſſe veriorem, quàm poſſit eſſe, aſſimilationem Dei & imitationem, ex ipſa iuſtitia, ſanctitateque probatur, quibus aſſimilatio definitur. Maior enim ſanctitas, iuſtitia, integritas religionis huius profeſſorum apparuit, quàm aliorum, quos anterioribus ſæculis habuit mundus. Hicque præcipuè viguit perfecta illa iuſtitia, quam Plato ſæpe prædicauit, non modò non amicis, ſed ne inimicis quidem obeſſe. Præceptor autem, & dux religionis huius, etiam inimicos diligi mandauit, exemplumque ipſe præbuit primus. Denique Iamblicus pro cunctis ſiue ſpiritu diuino concitatus, qui vel Dæmonibus extorſit ſæpe veritatem, ſiue quòd hic demum per multa vagata ſiſtit, & conquieſcit ratio, proteſtatus eſt alta voce, & quę vera ſit religio, & quòd ea mortalibus innoteſcere non poterat, niſi Deus auditus in terris eſſet: δῆλον ὅτι ταῦτα πρακτέον οἷς τυγχάνει ὁ θεὸς χαίρων: ταῦτα δὲ οὐ ῥᾴδιον εἰδέναι εἰ μή τις ἢ θεοῦ ἀκηκοὼς ἢ διὰ τέχνης θείας πορίζηται: Certum eſt, inquit, ea agenda eſſe, quibus gaudet Deus. Hęc autem non eſt facile noſſe, niſi qui Deum audierit, aut arte diuina comparet ſibi. Ecce Philoſophi confitentur, in eo vitam omnem traducendam, vt Dei mandatis obſequendis totus incumbas, quibus ille gaudeat, inſiſtas. Hæc autem difficilia cognitu iudicantes, concludunt, niſi Deus ab hominibus fuiſſet auditus, nunquam patere viam potuiſſe, quæ ferret ad Philoſophiæ veræ fontes, & Deus ſuę voluntatis conſiliorumque ſuorum, & eorum quibus delectatur, declarator veniret. Quo iudicio definitur ab eis, ſolam in omnibus præteritis, & futuris ſæculis hodiernam fuiſſe, foreque religionem, quæ vera Philoſophia, verus totius humanæ vitæ ſcopus, ſit habenda, quoniam declarata fuit a Deo, prædicans, amplectens, quæ Deum loquentem, voluntatesque ſuas explicantem, homines audierunt. Hocque iudicio fit, quoniam ſine voce diuina declarari mundo Philoſophia vera non poterat, vt Deus, cuius ſemper humanis rebus proſpexit cura, neceſſariò deſcenſurus eſſet, magnus dux, & declarator ſapientiæ.

Iuſtum & ſanctũ eſſe eſt aſſimilari Deo,

Vera religio, quid.

Vera Philoſophia q̃.

Qui religionẽ chriſtianã philoſophi cõtẽpſerũt cęci, et ignari peccarunt in ſua ipſorum dogmata.

Quomodo Chriſtiana religio verior.

Ea agenda quæ Deo grata,

D

E

F

ſBeato

Beatos Ariſtotele, & Platone prædicantibus, qui diuinam iuſtitiam ſequuntur, hodiernam religionem cunctis laudibus comprobaſſe, ſolam magiſtram veram diuinæ iuſtitiæ. Cap. IIII.

ASPICIES omnium ſententias, confirmantes hodiernam religionem vidiſſe indicaſſeque eos ante, & poſt eam conditam, naturalem Dei cultum, veramq; pietatem. Nam quæ fuit Platonis ex ſublimi quodam iudicio ſententia, eſſe veram Philoſophiam, actionemque humanæ vitæ perfectam, ſuſpiciendum, admirandumq; finem, aſſimilari Deo, per iuſtitiam, ac ſanctitatem, videns quaſi per ſomnium, & admirans hodiernam pietatem, eadem Ariſtotelis fuit. Is in libro de Mundo, quem eſſe eius, conſtans eſt ſententia, vbi iuxta Platonis ſententiam dixiſſet, eſſe priſcam famam; Deum principium, medium, finem omnium continere: Huicque ſemper ire comitem Iuſtitiam, ſcelerum vltricem, ſic intulit, ἧς ὁ εὐδαιμονήσειν μέλλων, μακάριος τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη: Cuius mox à principio ſit particeps, qui beatus, & felix eſt futurus. Ecce igitur duorum magnorum Philoſophorum ſententia, prioris, per iuſtitiam, ac ſanctitatem ſimilitudinem diuinam quærendam: hanc eſſe vitam hominis veram: poſterioris, beatum eſſe, felicemq;, qui ſimul natus cępit iuſtitiam, legesq; diuinas ſectari. Recordare igitur, & confer quæ dicunt noſtri: Beatus vir, qui timet Dominum. Beatus qui non abiit in conſilio impiorum. Quid aliud hæc religio, quàm quod tam præclarè, ac propè diuinitus Ariſtoteles ſtatuens beatitudinem ſupremamque felicitatem, diuinis legibus ſectandis. Beatum hunc Ariſtoteles prædicat, Prophetarum oracula beatum dicunt, qui in mandatis eius cupit nimis. Et ille ſapientiæ princeps, Beatos qui cupiant, ſitiantque iuſtitiam, quod ſua lingua dicit Ariſtoteles, μέτοχον εἶναι τῆς δίκης: Participem eſſe iuſtitiæ, eam capere, amplecti non ſerò, & iam obrepente ſenecta, ſed iam inde a principio, vt primum lucem aſpexiſti, ſapere, loqui didiciſti, in omni deinceps vita. Hæc religio diuinæ iuſtitiæ, præceptorumq; diuinorum perpetua commendatrix, indefatigabilis præco. Ad eam mortales ſemper inuitat. Hanc eſſe bonorum omnium, & præſentium, & futurorum feracem ſapientiam exclamat. Hanc Plato ſi noſſe potuiſſet, ſi tempora eius ad huius ætatem perueniſſent, vnicam, ſingularemque prædicaſſet, quæ facit, quod ipſe ſupremum bonum iudicaſſet. Nam in Apologia Socrates, ὅτι καὶ τυγχάνει μέγιστον ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ τοῦτο, ἑκάστης ἡμέρας περὶ ἀρετῆς λόγους ποιεῖσθαι: Eſſe homini hoc maximum bonum, ſingulo quoque die de virtute habere ſermonem. Hoc facit igitur religio noſtra, id ſupremum eius ſtudium, aſſidua cura. Primum loquitur ſemper de principe, reginaq; virtutum pietate, ſemper hic eſt, hic vertitur omnis. Exinde de charitate, iuſtitiaque erga homines, quos perinde ac te ipſum diligas, hortatur. His duabus ea ceu columnis fulcitur. Cùm igitur quod maximum bonum eſt, ſit humanæ vitæ finis, vnum ab animis expetitum, exoptatum, maximum autem bonum de virtute ſemper loqui, vt ad eam inflammeris, induariſque ea cenſeat Plato, reuera hæc iudicata eſt ab eo, & prænuntiata maximum bonum religio, veraque magiſtra, & ſola beatitudo animorum.

Philoſophorum veterum decretis cõfirmari Chriſtianam religionem.

Pſal. 1.

Beati qui. Pſal 111. Matt. 5.

Homini maximum bonũ qđ.

Platone præferente cunctis obedientiam diuinam, apertè aſſenſum eſſe hodiernæ religioni, vt homines ſcirent iuſſa ſuperna, in terras neceſſariò venturum fuiſſe Deum. Cap. V.

POSSET quoque ex Platone ea deduci demonſtrandæ religionis veræ ratio, ſi quis cernat ea, quæ de obedientia diuina pronuntiauit, inducens Socratem in Apologia dicentem, Parendum magis eſſe Deo, quàm hominibus, vel mortem intentantibus: nunquam in omni vita commitendum, quin philoſophemur ſemper, πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, καὶ ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω καὶ οἷός τε ὦ, οὐ μὴ παύσομαι φιλοσοφῶν: Magis, ait, obſequar Deo, quàm vobis ò iudices. Et dum ſpiritus hos reget artus, dumque dabitur, nunquam philoſophari deſiſtam, dixit nunc Socrates, quod ille noſter, Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus. Cùm igitur talia loquentem vt verè loquutus eſt, ſapientem hominem, quemque tota Græcia, omneſq; Philoſophorum ſcholæ admirabantur, induxerit, conſequitur certè, eorum iudicio, quicunque pareat Deo, nihil eum facere poſſe, quod in omni vita ſit magis faciendum: Iam eam eſſe religionem Philoſophiamque veram, vnicam, ſacroſanctam, quæ doceat ſemper, & inhortetur, parere Deo: Eos autem veros eſſe Philoſophos, vitam laudatiſſimam degentes, veramque Philoſophiam profitentes, quorum ſtudia eò ſpectant, vt Deo perpetuo obſequantur, dicta eius defixis oculis attendentes. Sequitur item clarè, & perſpicuè, quoniam parere Deo euſque commendauit, & extulit, vt id vel vitæ præferendum ſtatueret (Parere autem Deo, qui non videtur, nec venit ſub oculorum obtutum, difficile eſt, quanquam qui Naturæ paret, etiam Deo paret) naturale, non coactum, & contra Naturam fuiſſe, vt Deus aliquando in mundum delapſus de cœlo loqueretur, fundens ipſe oracula ſua, quibus homines

Magis parẽdũ Deo, quàm hominib.

Act. 5.

Veri Philoſophi qui.

auditis, vnanimiter obſequeretur: Illamque fuiſſe religionem veram, & omni, quæ ad ea vſque tempora extitiſſet, futuraque vnquam eſſet meliorem, quæ cùm Deum audiſſet, & vidiſſet, venerabilem quandam, atque admirandam conflauit ex dictis, & exemplis eius Philoſophiam. Hæc etiam ab alio ſummo Philoſopho declarantur, prædicantur: qui cùm dicat obedire Deo maria & terras, omnemque mundum, & hominum vitam iuſſis ſupremæ legis obtemperare, primum certum eſt, eum inuiſibilem quandam moderationem, quem cuncta ſuis legibus diuinitus repertis inſiſtentia, ſequantur, animaduertiſſe. Secundum, quoniam viſibilia, propioraque nobis, magis mouent, occultaque illa, ac naturalis rerum obtemperatio, cui ſubiacent omnia, cuiq; parere hominum vitam aſſeruit, melior eſſet, ac verior, certiorque ſi maiore lumine inclaruiſſet, optimum fuiſſe, Deus vt ſeſe oſtenderet, vt ſecretas illas leges, quas acumine Naturæ videre Philoſophi, redderet clariores, quibus humana vita regeretur, nemoque ſeſe excuſare poſſet, qui latentes Dei leges, videre, quibus obtemperaret, nequiuerit. Neque enim philoſophari poſſunt omnes, & ipſi Philoſophi obſcuro in lumine, quaſi qui primo menſe ſurgere Lunam aut vidit, aut vidiſſe putat, viderunt illas per omnem mundum latas leges. Naturale igitur fuit, ſummæq; veritatis ordo, vt illa ſupremæ legis iuſſa, quibus hominum vita obtemperare dicit, inclareſcerent, fierent ſpectata, certa. Hoc autem duabus rationibus fieri poterat, vel per internuntios, quibus è cœlo miſſis leges illas ſuas declararet Deus, vel vt ipſe pro ſua clementia viſibili præſentia circundatus: quod ipſi quoque fieri poſſe crediderunt, vt Iupiter apud Poetam,

Oĩa Deo parent.

Leges naturæ.

Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.

Ouid. Metam. 1.

Quas vbique leges, cùm primis humanæ vitæ tuliſſet, claras efficeret. Quomodo enim iuſſis ſupremæ legis hominum vita poterat obtemperare, quem eſſe finem ſentiunt, niſi cælitus aliquis veniſſet? Magna igitur vis veritatis. Ecce Marcus hanc quaſi ex cæleſti reuelatione ſententiam tulit. Nulla enim lex humani generis fuit, cui neceſſe ſit homines obtemperare, niſi præſentia diuina, & loquente Deo, lata. Vt quod ait Marcus, iuſſis ſupremæ legis obtemperare hominum vitam, reſpiciat verè, quod eſt in ſacris litteris, quòd prima homini naſcenti lata eſt à Deo, cùm ei præcepit, vt dominaretur in omni terra, creſcerent, multiplicarentur, ex omnibus fructibus veſcerentur: adhæreret vir vxori ſuæ, duoque eſſent in carne vna, Vt terram coleret, ex ſudore ſuo victitaret. Secunda quoque lex ex hominibus repullulantibus lata fuit a Deo, cum præcepit Noe, & filiis vt creſcerent, replerent terram, Terror eorum eſſet ſuper cuncta animalia terræ & volucres cœli, ceteraque, quibus quemadmodum etiam oleribus, & fructibus veſcerentur: Ne polluerent ſanguine dextras. Qui ſanguinem fudiſſet alienum, fundendus eſſet aliquando ſanguis eius. Tertia quoque lex diuinitus lata eſt, cùm Moſi latius edicta dedit ſuper homicidiis, adulterijs, cæteriſq; peccatis. Nouiſſimè venit ipſe totus ſuarum legum clarus præco. Hæc, non alia poſſunt eſſe iuſſa ſupremæ legis, quæ Marcus dixit. Cum igitur hominum vitam aſſerat obtemperare legi ſupernæ, certè illa eſt vera humana vita, vera religio, ad ſalutem generis humani cælitus data, quæ non vt quondam in obſcuro, ſed clara voce commonſtraret, quænam eſſent hęc iuſſa Dei. Illique verè viuunt, qui ſub hac religione viuunt, cognoſcentes ſuprema legis pręcepta, eiſque quoad licet obtemperantes. Itaque concorditer in his litteris dicitur, Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Cùm igitur hęc religio, & iuſſa ſuperna commonſtrauerit, & omnis in commendandis eis vox conſonet, profectò hæc vera illa Philoſophia, claraque ſapientia fuit, cuius diuinitatem quaſi ſpirantes odores procul, ſenſerunt, & ceu per tranſennam diuitias eius admirati manibus applauſerunt, acclamaueruntque, & vt præcones eius anteceſſerunt philoſophi. Quam qui ſequi nolit, planè ex his ſit habendus, quorum inſania animis euerſis, nec noſſe propinquos ſinit, amicos autem pro inimicis habere cogit, & homines execrati, cupiunt eſſe feræ.

1. Leg.

Gen. 2.

Diuinæ leges primæ homi. latæ.

Pſal. 111.

Definitionem ſapientiæ veræ, quæ aſſignatur à Iamblicho, vni Chriſtianæ congruere. Philoſophos in humana ſapientia nullam ſpem habendam aſſerentes, ſolam diuinam hodiernam, veram eſſe iudicaſſe. Ex his, quæ facere Philoſophiam contendunt, & quæ in humana Philoſophia reprehendunt, probari duntaxat Chriſtianam veram Philoſophiam eſſe. *Cap. VI.*

AVDIENDVS eſt quoque Iamblichus, in definitione veræ Philoſophiæ, videbis, non aliam hanc eſſe, quam tanti æſtimat, & admiratur, quàm hodiernam. De ſecta Pythagoreorum, αὐτὴ γὰρ διαμελετᾷ καρτερεῖν, καὶ τοῦ θανάτου καταφρονεῖν, ἐγκράτειαν ἐπιτηδεύει δι' ὅλου τοῦ βίου, καὶ πρὸς μὲν τοὺς πόνους ἐναθλεῖ γενναίως, τῶν δὲ ἡδονῶν ὑπερορᾷ παντάπασι: μόνης ἄρα ταύτης ἀντιλαμβάνεσθαι χρὴ τοὺς βουλομένους τῶν θείων, καὶ ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν παντων μεταλαγχάνειν: Hæc enim, inquit, exercet tolerantiam, mortem contemnit, continentiam retinet in omni vita, contra labores fortiter dimicat, Voluptates aſpernatur omnino. Hanc igitur vnam amplectantur oportet, qui volunt omnia humana, ac diuina bona conſequi. Hæc ò

Sapientiæ veræ effecta.

Iambliche

Iamblice Philoſophia, cùm nuſquam tempeſtate Philoſophorum apparuerit, cùm nullis in libris veſtrorum extet, vna certè fuit, quam demiſſam nouiſſimis ſæculis cælitus, vos animo diuino ſolam iudicaſtis, quam omnes homines felicitatis humanæ, diuinęque cupidi, ſequantur. Veſtro o Philoſophi ſuffragio aſſerta eſt hodierna Philoſophia, vera, vnicaque iudicata, quam omnes amplecti, ſub ea viuere, quibus eſt cupido felicitatis, oporteat. Nam primum hic tantum perfectæ voluptates contemnuntur, mortis metus nullus fuit, ſequacibus exercita tolerantia, quia beati prædicantur, qui patiuntur iniuriam. Hæc ſola, non alia largitur felicitatem in corpore, doloribus fortiter toleratis, voluptatibus fortiter contemptis, deinde felicitatem diuinam, vt præmia virtutum iſtarum ſubſequantur. Quæ eſt enim alia Philoſophia, quæ bona diuina polliceatur? Vbi prędicatur alibi regnum cęlorum, niſi obſcurè, in nocte, in incerto? Nemo igitur eſt, qui non ſentiat, hanc definitionem Philoſophię Iamblici, primum eſse magnę, verę Philoſophię definitionem, non Platonis, Ariſtotelis, aut Stoicę, Epicureę, ſed Philoſophię verę, naturalis, inclytę: deinde, nulli alteri Philoſophię definitionem hanc congruere, niſi Chriſtianę, Philoſophorumque iudicio, hęc ſola cenſetur verè totius beatitudinis humanæ, diuinęque finis. Humanę in hoc corpore, & quoad homini, vt homo eſt, poſſit contingere, diuinæ, vt aſſequaris felicitatem Deorum, maiora, quam humana bona, non probata hominibus vnquam, nec ratione quadam comprehenſibilia, de quibus eſt noſtri Theologi ſententia. Quòd neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Hæc illa bona diuina, ad quę perducit Philoſophia vera, voluptatibus calcatis, doloribus ſpretis, tolerantia, ſiue potentia, ſiue patientia, quæ tantopere noſtris in litteris prædicatur, aſſumpta, quibus velut gradibus vehimur ad diuina bona, quam ſapientiæ princeps & autor detulit è cęlo, duce magiſtraque Philoſophia. Hoc Philoſophi dicunt, ſentiunt, prædicant. Hic quoque conſiderandum ſuccurrit, nullam aliam ſapientiam eos iudicaſse veram, dignamque nomine ſapientiæ, niſi cęleſtem iſtam, totamque humanam ſapientiam cenſuiſse, fermè nihil eſse. Siquidem Socrates in Apologia, ὅτι ἡ ἀνθρωπίνη σοφία ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ καὶ οὐδενός: Humanam ſapientiam exigui aut nullius pretij eſse. Supereſt igitur, ſi nulla reperitur in terris vera ſapientia, ſi Philoſophorum libri, quoniam ab hominibus ſcripti ſunt, eis aſſerentibus, non ineſt, oculis eos animi, rationeque vidiſse meliorem quandam, maioremque, quàm humanam ſapientiam, quæ neceſſariò mortalibus aliquando innoteſceret, eamque, vt magiſtram veram in omni vita ſequerentur. Non igitur vel Plato, vel Ariſtoteles, aut quiuis alius magiſter ſapientię verus, quem fidenter ſequaris eſse poterat. Et ſi nemo potuit, certè fuit reliquum, vt veniret Deus, qui ſolus humanis erroribus expiatis, iter rectum ad felicitatem oſtenderet, cuius vnius, quam traderet terris Philoſophia, vera eſset. Hanc omnes mortales attenderent, hac Ambroſia ſe quantum vellent explerent. Propterea, quæ de Nectare, & Ambroſia, veraq; ſapientia eodem libro loquitur Iamblicus dicens, bibendam, hauriendamque pro viribus ſapientiam, quemadmodum Nectar, & Ambroſiam, τῆς κατὰ σοφίαν θεωρημάτων ἀπολαυστέον ἐφ' ὅσον, οἷόν τε καθάπερ ἀμβροσίας καὶ νέκταρος: nulla alia de ſapientia, Philoſophiaque dictum, quàm hodierna, cuius autor inuitans ad pocula eius cunctos, clamabat. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Flumina de ventre eius exibunt aquæ viuæ: Solus igitur ille Nectar, & Ambroſiam propinare potuit. Nec vſquam Nectaream illam inuenies ſapientiam, niſi quam fudit ipſe de fonte ſuo. Hic duntaxat eſt, quod idẽ admiratus eſt Iamblicus, finemque omnis ſpeculationis, totiusque Philoſophiæ declarauit, idque eſt bibere Nectar, & Ambroſiam, cùm ait, τὴν γὰρ πάντων καλλίστην, καὶ θειοτάτην φύσιν, ἣν ἀνθρώποις θεὸς ἔδωκε κατιδεῖν: Venire ad aſpectum pulcherrimæ diuiniſſimæq; naturæ, quoad datum eſt a Deo. Ecce a Deo data fuit, non alio, ſapientia, qua videamus diuiniſſimam, pulcherrimamq; naturam, ipſius nempe maieſtatem, gaudia ſempiterna, lætoſque triumphos in regno Patris ſui, cuius cauſa ſeſe detulit in terras, ignotorum bonorum, veræque ſapientiæ clarus præco, quam nemo mortalium tradere potuiſſet. Quapropter Iamblicus hæc iudicio illo, quod homini naſcenti infudit Deus, cernens, ſolamque eam cenſens vitam beatam, quæ tendit ad finem religionis huius, καὶ τὰ μὲν ἀνθρώπινα ἤθη ἐᾶν ὡς δημώδη, τὴν δὲ τῶν θεῶν θρησκείαν ὡς ὑπερέχουσαν τὴν δημώδη ζωὴν ἀνταλλάττεσθαι: Debemus, inquit, conſuetudines humanas, vt plebeias, abiicere, Deorũ autẽ cultũ, qui longè præſtat vulgari vitæ, ſectari. Declarat Iamblicus, quæ Ambroſia, quæ vera ſapientia, quam ſuperius extulerat: Eſt, ait, vt abnegantes impietates, & ſecularia deſideria ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo. Nam mirum in modum congruit ſententia Iamblici, cum ſummo Theologo noſtro. Quæ Paulus κοσμικὰς ἐπιθυμίας, ſæcularia deſideria, Iamblicus ἤθη δημώδη. Quod Paulus, Abnegantes: Iamblicus ἐᾶν, dimittentes, relinquentes. Quod diuus Paulus, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν, Sobriè, iuſtè, piè viuamus: ille, Religionem Deorum ſequamur. Sed ſermonis error, dicere Deorum, non Dei, cum vbique ſingularem Deum prępotentem, regem cęli & terrę, hominumq; Deumq; patrem nominet Iamblicus. Viderunt igitur etiam ipſi, obſcura nati in nocte, cunctiſq; ſuffragiis confirmarunt hodiernam ſapientiam. Eam Socrates ante aduentum eius plurimos annos, prędixit mundo neceſſariam, quòd in humana ſapientia nulla ſpes ponenda ſit. Veram autem illam ſapientiam, hodiernamq; Philoſophiam reſpexiſſe Iamblicum, ſapientiam inquã, quæ non ſcientia

Verã Philoſophiã, vt philoſophi aſſeruerunt.

Philoſophia vna ex omnib⁹ vera, Chriſtianorũ.

Eſa. 64.
1. Corin. 2.

Humana ſapientia, nullius p̄tii.

Cum null⁹ veterũ ſapientiã veram docuerit neceſſe fait eã doceri poſtremo a Deo vero Ieſu Chriſto.

Ioan. 1.

Sapiẽtia, a Deo data.

Tit. 2.

Socrates verę ſapiẽtię aſſertor.

tia rerum duntaxat, ſed iuſtitia, probitate conſtet, audi eum eodem libro ingenuè fatentem πᾶσά τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται: Omnem, inquit, ſcientiam à iuſtitia, cæteriſq; virtutibus diſiunctam, non ſapientiam, ſed malitiam vel imposturam eſſe conſtat. Quid verius, & ad agnoſcendam veram ſapientiam magis idoneũ? ne putes ſapientiam, aut Philoſophiam Platonis, aut Ariſtot. Aſtrologiam, Mathematicam, vel quancunq; humanam doctrinam. Quibus euenit ſæpe, vt quoniam ſunt à iuſtitia, pietate, cęteriſq; virtutibus ſeparatæ, non ſapientia, ſcientiaq; ſint, ſed aſtutiæ, malitiæ, cauillationes. Iuſtitia igitur facit ſapientiam. Vbi plus virtutum, plus ſapientiæ, plus hoc ipſum nomen, cætera vana ſunt omnia, vmbra, non habitus, ſimulatio, non poſſeſſio ſapientiæ. Commoda fallendis mortalibus deceptio, quibus falſæ ſapientiæ ſpecies imponit. Cōdemnarunt igitur ipſi ſuis ſuffragiis humanam ſapientiam, Socrates aſſerens eam nullius pretii, Iamblicus appellans imposturam, & eam ſolam innuentes, aperteq; prædicantes ſapientiam, quæ iuſtitia, pietateq; nititur, quibus abſentibus quod remanet, impoſtura iudicatur, ſimulachrumq; inane ſapientię. Cùm autem hodierna religio contemnat humana, reſpiciat diuina, perfectiſſima iuſtitiæ magiſtra, & quæ ſola iuſtitia, & cultu Dei glorietur, nihil vmbratile, vanum, pręſtigioſum præ ſe ferens, certè hæc illa vera fuit ſapientia, quam Philoſophi viderunt, oculoſq; ad eam defixos habuerunt, cùm in reliquis diſciplinis, magna iactantia, inanis oſtentatio, plurima deceptio, iuſtitiæ nihil, minus pietatis. Audi enim Marcum Tullium, ſic ſapientiam iſtius mundi condemnantem, & quia damnat humanæ ſapientiæ magiſtros, ſolum diuinam probantem. Secundo Tuſculanarum: Quotus enim, inquit, quiſque Philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, ac vita conſtitutus, vt ratio poſtulat, qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet, qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta leuitate, & iactatione, his vt fuerit non didiciſſe melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſeruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio.

Non eſt ſapientia, quæ a pietate aliiſq; virtutibus ſeparata eſt. Falſa ſapiētia.

Reprehēſa huius mūdi ſapiētia a Cicerone.

Philoſophos mundi voluptates improbantes, omnemque continentiam admirantes, collaudaſſe, comprobaſſe Christianam religionem, veram continentiæ magiſtram. Mirabile Plutarchi dictum ad virtutem, & probitatem, opem Dei eſſe neceſſariam. *Cap. VII.*

IN hodiernam religionem conſpiraſſe, eamq; vnam hominibus ſequendam veritatem Philoſophos iudicaſſe, eſt ratio ex eo contemptu, & voluptatum, & abiectione curæ carnis. Nam cùm hęc religio ſtudeat, omnes voces eius conclament, corporeas voluptates, vt noxias ſpernendas, quoniam non ſolum turbant hanc vitam, ſed quod caput eſt, à maioribus bonis auertunt, nec aliud hæc religio ſit, quàm fuga voluptatum, perpetua laus continentię: profecto toti perpenderunt in eam, amplexiq; ſunt Philoſophi, generis humani veram magiſtram, & veram ſapientiam ſtatuerunt, cũ & ipſi non conſenſerunt modò, ſed clamauerunt, vociferati ſunt fugiendas eſſe voluptates. Ac primum audiendus Plutarchus, qui non ſolum optimam cenſet continentiam, & frugalitatem admiratur, ſuſpicit, ſed etiam vult hunc cultum honoremq; Dei eſſe, perinde ſi ſacrifices, templumq; eius donariis adornes. In eo quem inſcripſit de non iraſcendo: ἐπὶ πᾶσι τοίνυν τὸ μὲν τοῦ ἐμπεδοκλέους μέγα καὶ θεῖον ἡγούμην, τὸ νηστεῦσαι κακότητος, &c. In omnibus, inquit, illud Empedoclis magni ponderis, diuinumq; cenſeam, ieiunare à vitiis. Laudarim, & eas vti non ingratas, nec a Philoſophia procul, in votis conſuetudines, à Venereis, & vino purè abſtinere, honorantes Deum, continentia, frugalitate, itemque certo tempore abſtinere a mendacio, obſeruantes nos ipſos vt veridici ſimus in iocis, cum omni ſtudio. Deinde his animum meum componere, ceu non minor pietas ſit ſacras dies primũ paucas ſine iracundia tranſigere, ſicut etiam ſinę ebrietate, & vino, perinde vt ſi frugale ſacrificium, melliſq; libationem celebrem. Deinde menſem aut duos paulatim meiipſius periculum faciens, ita ſenſim progrederer anterius ad innocentiam, obſeruans, & cuſtodiēs meipſum cum ſermone miti, placidum, purumq; à verbis improbis & factis turpibus, & commotione, quæ ob exiguam, ineptamq; voluptatem, turbas ingentes, turpiſſimamq; pęnitentiam afferat. Quocirca ſic ſtatuo, Deo coadiuuante, ipſa demum experientia comprobabit animi manſuetudinem, & humanitatem, nemini quibuſcum degas, æquè charam, atque iucundam fore, atq; ei ipſi, qui poſſideat. Hæc Plutarchus, in primis admiranda, quod cum Empedocle vetuſtiſſimo Philoſopho, magnum, diuinumq; ieiunium cenſet abſtinere a ſcelere. Vt ſuprema Theologia noſtra clamās in ieiunio, Scindite corda veſtra, non veſtimenta. Derelinquat impius uiā ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum. Et precamur, Quos ab eſcis carnalibus pręcepit abſtinere, a noxiis quoque vitiis ceſſare concedat. Viderunt illi, confeſſiq; ſunt pręcipuum, preſtanſque ieiuniũ eſſe a ſcelere. Miratur, collaudat Plutarchus, diuinum, magnumq; cenſet, quòd Empedocles poſt excellens hoc ieiunium, ſecundo loco ſtatuit, vt cùm in votis ſumus, cum ſacrificamus, cum Deũ colimus, a Venere, vinoque contineamus: Eſſe hoc honeſtum, gratum, ex Philoſophia, ſi te propter Deum à Venere contineas. Oſtendit autem viam Plutarchus ad habitum probitatis, & manſuetudinis,

Veræ religionis obiecta.

Sobrietas, & contināētia, eſt Dei cultus.

Magnũ ieiunium, abſtinere a ſcelere.

Eſa. 55.

ſuetudinis, ad habitum non iraſcendi, & totius continentiæ. Potiſſimum a pietate, ſi diebus ſacris, ad cultum, honoremq; Dei, te a vino, Venereque caſtum ſeruare ſtudeas, exinde paulatim inſueſcens, firmum, ſtabilemque habitum continentiæ corrobores. Sic certo tempore, ſacris diebus, quibus diuinitas colitur, a mendacio vel in iocis cauens ſummo ſtudio, & obſeruantia, mẽtiri refugiamus. Eadem via erit ad non iraſcendum. Tantundem pietatem cultumq; Dei exiſtimans diebus illis ſanctis non iraſci, atque nec ebrietati, nec luxuriæ, nec mendacio te dedere. Eſſeq; ſine iracundia, quaſi ſine vino & ebrietate, perinde ſi ieiunium frugale, quo nos a vino continemus, celebres. Sic menſem, aut duos in omni ęquanimitate, manſuetudineq; te cuſtodiens cõdocefacias animum paulatim non iraſci, non mentiri, non loqui nefanda, indecorè agere, te ab ea commotione, & vitio abſtrahere, quæ ob exiguam, ingratamq; voluptatem, fluctus ingentes, fędiſſimamq; pęnitentiam apportat. Hæc rapida eſt incontinentia, & luxuria, cuius finis eſt fęda penitentia, nonnunquam grauiſſimum famę, valetudinis, vitæq; diſpendium. Idque ob exiguam, nulliuſque ponderis voluptatem. Deinde Plutarchus (vide quàm congruat cum ſacris litteris, quidve Natura, veraq; ſapientia ſuggerat) auxilium Dei cenſet, ad deponenda vitia, virtutes acquirendas, neceſſarium, ad habitum illum non iraſcendi, ſi modò nos ipſos excitemus, & à volente velimus adiuuari. Si vel exiguus Dei fauor cũ aſſuetudine noſtra acceſſerit, inquit, videbimus, experiemur, veniet in lucem iudicium illud, non minorem nobis fructum fore ex habitu illo modeſtiæ, atque his, quorum conſuetudine quotidiana vtimur. Quid igitur aliud loquuntur noſtri? Audi Auguſtinum. Non ſolum martyres, ſed ipſum Dominum, cum ipſius adiutorio, ſi volumus, poſſumus imitari. Tota igitur hæc è fontibus Philoſophiæ deprompta ratio, eſt hodiernæ Theologię confirmatio: quòd ieiunium verum eſt à vitiis: quod a ieiunio corporeo, & ſecundo, peruenitur ad primum, accedente habitu virtutis, ex actu frequenti abſtinentiæ: quòd propter Deum ingredimur hanc viam virtutis, ingreſſi penetramus, ad ſummumq; verticem eo coadiuuante aſpiramus, quòd colitur Deus abſtinentia, frugalitate, à luxurie, ebrietateq; continentia. Cultuſque eius eſt, & expiatio, his minimè ſordere, præcipuè, quod hac aſſuetudine, confirmatio virtutis comparatur, habitus malus paulatim exuitur. Iamblicus autem de ſecta Pythagoreorum, οὐ γὰρ δὴ λυσιτελεῖ τὸ παντόδαπον θηρίον, ὥσπερ τὴν ἐπιθυμίαν ἐυεχῦντες ποιεῖν ἰσχυρὸν, οὐδὲ τὸν λέοντα ὥσπερ τὸν θυμον, & quæ ſequuntur. Non prodeſt, inquit, multiformem beſtiam cupiditatem optimè paſcentes, reddere fortem, nec leonem, nempe furorem, & iracundiã, & ea quæ circunſtat, nutrire fas eſt, & corroborare in nobis, hominem autem, ipſam nimirum rationem, fame enecare, aut debilitare. Quod audis Iamblichum prædicantem homini non prodeſſe, feras duas, furorem, & cupiditatem nobiſcum inſitas impinguare, fortioreſq; reddere, eſt quod prædicabat ſe facere magiſter hodiernæ ſapientiæ. Sed caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Eſt autem magis ex Philoſophia bene agere, quam bene loqui. Quod laudibus, verbiſque efferret Iamblicus, factis Paulus comprobauit. Veriores Philoſophi, bene operantes, quàm loquentes bene. Quod igitur prædicat hodiernæ Philoſophiæ nuntius, eſt quod etiam Platoni, & ipſi Iamblico, ſummis laudibus commendatur. Plato in Phædone, totuſque locus proponitur ab Iamblicho de corpore, μὴ ἀναπιμπλώμεθα τῆς τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύομεν ἀπ' αὐτοῦ ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς: Neque, inquit, natura huius repleamur, ſed puros nos ab eo conſeruemus, donec ipſe Deus nos diſſoluerit. Sic illi. Benè & mirificè ò Philoſophi, ſed addidit noſter, cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Corpore diſſolui non ſufficit, niſi meliora ſequantur. Quæ quidem etiam, ipſi licet obſcurius, viderunt, agnouerunt. Si, inquit Iamblichus ibidem, fieri non poteſt, vt in corpore quicquam purè noſcamus, è duobus alterum neceſſarium, aut nuſquam eſſe ſcientiam: ἢ τελευτήσασι: τότε γὰρ αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἔσται ἡ ψυχὴ χωρὶς τοῦ σώματος πρότερον δὲ οὔ: Aut defunctis tantùm. Tunc enim ipſa per ſe erit anima, ſine corpore, prius autem nunquam. Hoc igitur eſt, cur ille cuperet diſſolui, venire ad curiam cæleſtem, ad chari genitoris conſpectum, vbi latet omnis ſuauiſſima ſapientia. Philoſophi dixerunt hoc animam eſſe per ſe in alta ſapientia. Sed noſtri ſcientiam, & ſapientiam clariſſimè propalarunt, eſſe cum Chriſto. Neque enim alia eſt ſeparatorum animorum ſcientia, ſapientia. Affert item Iamblichus, confirmatq; ſuper fugiendis carnis oblectamentis dicta Platonis. Mille, inquit, incommoda, propter neceſſarium alimentum affert nobis corpus. Et ſi ſuperuenerit morbus, impeditur inueſtigatio veri, corpus item inflammat libidinibus, terroribus, & ſimulachris vanis implet, ὡς ἀληθῶς τῷ ὄντι ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίνεται: & quæ ſequantur. Vt verè ne ſapere quidem vnquam per ipſum nobis liceat, prudenterq; viuere. Siquidem bella ſeditiones, & pugnas, corpus duntaxat, & huius cupiditates nobis exuſcitant. Nam propter acquirenda neceſſaria, nulla non bella geruntur. Cùm hæc igitur Philoſophi fateantur, ſupereſt eos tacitis iudiciis hodiernam pietatem innuiſſe, ad eius confirmationem omnia eorum ſuffragia conſenſiſſe, quoniam vanos diſſuadet amores, a ſocietate corporis diuellit, curam carnis iubet abiicere, tranquillo in portu, mundano mari fluctibus inſanis fremẽte, continet. Et quod omnibus melius eſt, altius extollit, dux eius, quæ verè dicitur beata vita. Itaque etiam Simplicius, comprobans fugiendas vt exitiales voluptates, deſcendit præcipuè ad Veneream, quæ ſi diuturna eſſet, mortem fore contendit, eoque breue ad tempus factam à Deo.

Quõ ad virtutes aſſuefaciendus aĩus abſtinendo a vitiis.

Quod a ieiunio corporeo peruenitur ad verũ animi ieiuniſi, i. abſtinentiam a vitiis.

Belluę duę in nobis, furor, & cupiditas.

1. Cor. 9.

Magis ex philoſophia eſt, bene agere, quàm bene loqui.

Philip. 1.

Sapientia cum Chriſto.

Corp⁹ nos auocat a philoſophãdo.

Venerea voluptas, mortifera.

Aitque

1. Theſ. 4.

Aitque de ea ἡ δὲ ἐγκράτεια τῆς ἡδονῆς τῆς περὶ τὰς μίξεις, ὅσῳ πηλικωτέρα τῶν ἄλλων ἐστὶ, τοσούτῳ χρησιμωτέρα τε ἐστὶ τῇ ψυχῇ, καὶ τιμιωτέρα ἐκείνη: Abſtinentia, inquit a voluptate Venerea, quanto cæteris eſt maior ipſa voluptas, tanto vtilior animo, & pretioſior, pluriſque facienda. At diuus Paulus: Hæc voluntas Dei, vt abſtineatis vos a fornicatione.

Philoſophos eam laudantes Philoſopiam, qua viuitur purè, a corporeis illecebris ſegregamur, apertè religionem Chriſtianam ſpectaſſe. Eos, voluptates corporeas impedimento eſſe ad cæleſte iter aſſerentes, vnam nobiſcum religionem aſſeruiſſe.

Cap. VIII.

DE fugiendis igitur corporeis illecebris vndequaque nobiſcum Philoſophi congruentes, duaſq; cauſas pariter approbantes, iam a principio quòd vitæ præſentis ſtatum perturbant, leges humanas deprauant, iura profanant, eiſque ſequendis ritus humanæ vitæ ferinus efficitur, ſed cum primis quòd auerſos a vita ducunt ad mortem, a ſemita cæleſti ſeducentes, dum virtute, quæ nos euexiſſet ad aſtra, deſtituti, delabimur inferius, certè cõſenſus eſt omnis inter nos, & illos, ſuper ea religione, cuius & ad cõtemptum voluptatum omnes inſumuntur voces, & illum beatæ vitæ portum reſpicit omnis. Quis enim non ſentit eos apertè religionem Chriſtianam confeſſos, cùm Iamblicus, qui diuiniſſimus ab eis appellatur, de ſecta Pythagoreorum ſcribens, probanſque ea, quæ de fugiendis voluptatibus, & coinquinatione corporis Plato ſcripſiſſet, qui carmen Orphei probaſſet.

Quicunque ad Ditem inceſtus deſcenderit imum,
Infoſſus cœno perpes cruciabitur atro.

Vita pura, digna ſuperiorum ſocietate,

Expiatio animi perducit homines ad vitam beatam,

Philoſophia de bonis cœleſtibus quaſi per vmbrã docuit.

Homo mẽte priuatꝰ, cui ſimilis,

Peripateticorum cur non vera Philoſophia,

Plato autem, ſed purus, & Expiatus eò delatus, μετὰ θεῶν οἰκήσει, cum ſuperis habitabit. Iāblicus autem, Si enim, inquit, ad gentem diuinam ei qui non fuerit Philoſophatus, pureque vitam exegerit, nefas eſt adire, certè ſolis accuratis, ac ſtudioſis licebit. Quas ob cauſas, continent ſeſe ab omnibus corporeis cupiditatibus verè Philoſophi, ſeſe minimè dedentes eis, & mancipantes. Alligatur enim per voluptates, quoſdam veluti clauos, anima corpori, quibus fit, vt a diuino conſortio longius abducatur. Et cùm exceſſerit, abit ad id, cuius ſibi ſocietatem comparauit. Itaque ſola videtur eſſe Philoſophia, quæ malis illecebris ſolutos, ἐπὶ τὸ ὂν καὶ γνῶσιν τῆς ὄντως ἀληθείας, καὶ κάθαρσιν τῆς ψυχῆς: Ad veram eſſentiam, & cognitionem perfectæ veritatis, expiationemq; animi perducat. Quod ſi vera in eo felicitas eſt, in eam totis animis incumbendum eſt, ſi verè cupimus eſſe beati. Hæc omnis Philoſophorum ratio, ſi quis æquè iudicet, cadit in religionem hodiernam, perfectamque Philoſophiam, non Platonis, Ariſto. aut cuiuſquam. Subditq; Iamblichus, Simul vt eò ventum fuerit, melior quidem anima habitat cum Deo, circumq; ambulat cælum, meliorem ſortem aſſecuta, ſed quæ ſe factis impuris inquinaſſet, flagitiorum, & impietatis plena, ad ſubterranea iudicia profecta, meritis ſuppliciis addicitur. His igitur ſic habentibus, non opus eſt pecuniis aceruandis inhiare, neque gloriæ ambitionique ſeruire, ſed duntaxat prudentiæ, & veritati inuigilare, & vt anima ſit, quàm optima. Hæc ad verbum ille. Ob quæ diuinus, à ſuis appellatur. Subiicit autem, Deus, inquit, nuſquam eſt iniuſtus, nec eſt ei ſimilius quicquam, quàm qui fuerit e nobis iuſtiſſimus. Quanta, inquit, in pedibus celeritas, ἀκολασίαν φευκτέον, Fugienda eſt intemperantia. Hæc & ſimilia ſcribens, ingentique affectu proteſtans Iamblicus, aut volens, aut innuens hodiernam religionem, declarat veritatem illam eſſe, quam Deus hominibus, aliquando reuelare debuiſſet. Quæ ſapientes eos efficeret, ab impietate. flagitiiſque abduceret, ſimiles Deo, iuſtiſſimos redderet, ad ſpes cæleſtes erigeret, cuius vnius eſt clara, firmaque promiſſio, pios & iuſtos, & quibus libidines non imperaſſent, habituros cū Deo, triumphis beatis eius affuturos. Neque enim alia Philoſophia promiſit, & docuit hæc cæleſtia bona, niſi per vmbram. Velint igitur, nolint hac religionem veram ſolam prædicauerunt, omnibus eam ſuffragiis generis humani Philoſophiam declarauerunt. Ac cùm ſit omnibus in rebus ſummum, quo quidem vlterius nec re, nec cogitatione procedere liceat, ſic in omni ſapientia, hæc vna perfectio, hęc cunctis rectè conſideratis Sol omnis Philoſophiæ erit. Eius præcepta confirmans addit Iamblicus. Nulla, inquit, vtilitas diuitiarum, ſine prudentia, & ſapientia. Decus igitur animi duntaxat erit vita ſecundum rectam rationem, & animæ profectio ſecundum mentem. Vt aſſequamur finem beatæ vitæ hominibus a Diis propoſitum, & ſecundum præſentem ætatem, & in futura. Homo igitur ſenſu, & mente priuatus, planta ſimilis efficitur, ſed ſola mente multatus, efferaſcit. Irrationabilitate detracta manet in mente, aſſimilatur Deo. Itaque pro viribus feritatis affectus deponentes, animi puris operationibus, quæ & ſeipſum reſpiciant, & Deum, vtamur. Omnia enim ſunt ad intellectū, & Deum conferenda, τὰς πράξεις καὶ τὰ ἄλλα πάντα, πρὸς νοῦν, καὶ τὸν θεόν: Maximum itaq; bonum præbet nobis Philoſophia, quod diſiūgit a vinculis, quæ ſunt in anima, & generatione. Hæc igitur, vt loquar ipſe, Philoſophia, qui ſpectet altè, ſola Chriſtiana eſt. Neque enim Peripatetica, cuius ſequaces, paucis admodum melioribus exceptis, videas non modo non libidinibus liberos, ſed etiam longè grauius, quàm ſi Philoſophi

A loſophi non eſſent, mancipatos. Vna hæc animos a voluptatibus auocatos, efficit diuinos, inſignitè cæteros anteſtantes omni genere virtutum. Inſipienter itaque ab his factum, qui decus eius, aliis nominibus agnoſcentes, eam ſuo nomine agnoſcere noluerunt.

Philoſophiæ finem, cognitionem Dei, maieſtatiſque eius admirationem Philoſophos aſſerentes, religionem Chriſtianam, cuius finis eſt Dei notio, omnibus ſuffragijs confirmaſſe: Archytam, Plutarchum, Iamblichum, Simplicium hæc dicere. Cap. IX.

QVOD autem de fine totius Philoſophiæ nobiſcum congruant, quo quidem fit perſpicuum, vnam eorum, atque noſtram religionem eſſe debere, declarant pro cæteris omnibus Plutarchus, & Iamblichus, Architaſque Tarentinus, cuius ſententiã Iamblicus explicat. Ait igitur Plutarchus, in Sympoſiis de Geometria, quæ abſtrahit a ſenſibus, & conuertit: ἐπὶ τὴν νοητὴν, καὶ ἀΐδιον φύσιν, ἧς θεὰ, τέλος ἐστὶ φιλοσοφίας, οἷον ἐποπτεία τελετῆς: Ad intellectualem, ſempiternamq; naturam, cuius contemplatio eſt Philoſophiæ finis, quemadmodum epoptia, id eſt, ſpectatio, finis initiationis. In his apertè Plutarchus vocat naturam intellectualem, ac ſempiternam, Deum ſolum, cuius vnius eſt ęterna natura. Ac quanquam ſunt intelligibilia, ſiue intellectualia multorum generum, ſeparant tamen Philoſophi ſubſtantias ęternas, & intellectuales, ab his quæ quidem ſolo intellectu percipiuntur, ſed a corporibus ſeparari non poſſunt. Solus igitur Deus eſt intellectualis, ęternaq; Natura. Sunt quidem B alia intellectualia, vt Dij, ſed non ſempiterni, eodem aſſertore Plutarcho. Finis igitur totius Philoſophiæ, eſt ad ſempiternam aſpirare Naturam, cuius aſpectus quæritur vt ſupremum bonum ab omni Philoſophia. Eſt autem in Teletis, vel initiationibus, ea quæ dicitur epoptia, vltimus actus, quo myſteria panduntur initiato, totius initiationis finis. Sic omnis vitæ, philoſophiæq; finis eſt, vt videas Deum, ſiue nunc, ſiue in poſterum. Nunc in tota Philoſophia non eſt alius ſcopus, quàm Dei ſcientia, & quaſi contuitus: hunc omnis vel promittit, vel cupit oſtentare Philoſophia. Sed quoniam videri non poteſt, nec ſatiatur hac animus ambigua, nubilaq; contemplatione, tum quoniam finis is contemplandi Dei, eſt propter finem, vt cognito nunc ac ſpectato Deo, traducas in cultu eius omnem vitã, traducta, maiora præmia, quæ fermè nulla ſunt hic, conſequaris, hunc Philoſophi proponunt & ſentiunt, cùm dicunt eſſe finem philoſophandi, naturæ ſempiternæ contemplationem. Itaque poſt Plutarchum, confirmans eadem Iamblicus, de ſecta Pythagoreorum: Hortatur, ait, nos Pythagoras & Archytas ad ſapientiam, & ſcientiam, τοῦ ἑνὸς θεωρητικὸν, ὅπερ τέλος ἐστὶ πάσης θεωρίας, Vnitatis contemplatricem, qui finis eſt omnis contemplationis. Propoſuit, inquit, etiam aliud bonum maius Archytas, velut è ſublimi ſpecula Deum & cuncta coordinata illi, contueri. Si enim verè talis omnis felicitatis, ſubſtantiæ, cauſæque, καὶ τῶν ἀρχῶν ὁ θεὸς ἐξηγῆται, & omnium principiorum Deus eſt princeps, certè ſtudium omne conferendũ ad eam ſcientiam eſt, per quam ſpectare quis eum purũ queat, & per quam latos aditus ad eum reperiat, & per quam principiis extrema connectat: τελεοτάτη γὰρ ἡ τοιαύτη ζωὴ, καὶ εὐδαίμων: Eſt enim id vitæ genus perfectiſſimum, ac beatum. Quo contemplando, non ſeparãtur a primis extrema, ſed in vnum vtraque hæc complexus animus, principia, finem, mediumq; pariter connectit. Ea enim eſt diuina cauſa, quam amplectãtur oportet cupidi C felicitatis. Sicq; hæc cohortatio ad omnia, vel noſtra, vel quę ſunt in Natura, denique res omnes ſpectans, omnes vias complectitur, quibus ad Deum aſcendas, εἰς μίαν τὴν ἐπὶ τὸν θεὸν ἀνήκουσαν ἀναγωγήν. Hæc ad verbum Iamblicus. Claret igitur cùm ſit idem, teſtibus illis, noſtræ, atque eorum Philoſophię finis (vtraque enim cupit ad Deum mentes attollere) nullum eſſe nobis diſcrimen cum illis. Id etiam fit ex his perſpicuum, quoniam dicitur Philoſophiæ finis, Dei contemplatio, eam denique veram, perfectamq; probari Philoſophiam, quę ſupra cæteras omnes oſtendit Deum, clariuſq; principia, cauſaſq; omnes ad hunc ſuum reuocat fontem: Omnis enim alia Philoſophia, aliqua parte peccat, & ſeparat a fonte riuos, a creatore creata, nec dilucida contemplatione tendit ad rerum originem. Differtur, diſſultat a vero plurimum. Hæc igitur Plutarchi, Iamblicią; explicatio, qua ferunt eſſe finem totius Philoſophiæ contemplationem Dei: etſi non expeditè, & verbis apertis, neceſſariò tamen eſt interpretatio dictorum Ariſtotelis, & Platonis, Tullij, cenſentium, beatam, veramq; hominũ vitam contemplationem. Itaque etiam Simplicius affirmat eum eſſe finem philoſophiæ, & id Ariſtotelem voluiſſe: eumq; eſſe finem philoſophandi, vt ad ſciẽtiam Dei deducti, incendamur amore eius, eximiaq; pietate, vt creatorem noſtrum colamus, ac veneremur. Hoc dicit interpretaturus libros Ariſtotelis de rebus naturalibus: Maximum, ait, eſt ſcientiæ naturalis bonum, ꝙ ad notionem ſubſtantiæ animi, & ad contemplationem ſeparatarum formarum via eſt pulcherrima, vt & Plato monſtrat a Phyſicis motibus aſcendens ad inuentionem ſubſtantiæ, quæ per ſe mouetur, & intelligibilis, diuinæque hypoſtaſeos, id eſt, eſſentiæ: ἐστὶ δὲ πρὸς τὴν θείαν ὑπεροχὴν σέβας αὐτὴ μάλιστα διαθερμαίνει καλῶς ἐκ τῆς τῶν ὑπ' αὐτοῦ γινομένων ἀκριβοῦς κατανοήσεως εἰς θαῦμα, καὶ μεγαλειότητα τοῦ ποιήσαντος ἀναγείρουσα: τῷ δὲ θαύματι ἡ πρὸς τὸν θεὸν συμπάθεια, καὶ πίστις, καὶ ἐλπὶς ἀσφαλεῖς συνακολουθοῦσι.

Contemplatio, finis Philoſophiæ, & quomodo.

Finis philoſophiæ, vt videas Deum.

Contemplatio eſt propter finem, nempe Deum.

Nulla eſt philoſophia, quæ Deum ita doceat, & commonſtret, vt Chriſtiana.

Verus philoſophiæ veræ terminus.

Inſuper ad diuinam maieſtatem, cultumq; eius animos ipſa hæc incendit Philoſophia, ex his, quæ ſiunt ab ipſo, apprimè cognitis, & exploratis deducēs in admirationem, & maieſtatem conditoris. Huic admirationi adiuncta eſt coniunctio cum Deo & fides, & ſpes ſecuræ. Ob quæ maximè philoſophandum eſt. Hæc Simplicius. Quibus intelligimus ea gratia philoſophandū eſſe, & ob id philoſophos nobis deſudaſſe, librosq; ſcripſiſſe, vt rerum cauſis explicatis, diligenterq; cognitis ad ſupremum conditorem, earumq; inuentorem perueniamus: cognitamq; Diuinitatē, ac maieſtatem eius veneremur, ſuſpiciamus: & amore, pietateq; accenſi, ſpe & fide quoque repleamur, quibus ſecurè nobis perſuadeamus, fore vt magnis quibuſdam bonis aliquādo cum eo fruamur. Is philoſophandi finis. Pietas ſcilicet, amorq; diuinus. Hoc dicit Simplicius non Chriſtianus, Ariſtotelicæ Philoſophiæ interpres. Vultque hunc eſſe Philoſophiæ finem. Eiuſmodi noſtræ quoque Philoſophiæ finis. Si finis concordat, nulla nobis cum Philoſophis diſſenſio. Hæc vtinam hodierni Peripatetici, quorum inſcitiam nonnunquam miſereor, inſpicerent.

Philoſophos præſentem vitam contemnendam, & ad ſolum Deum vertendos animos, odioque habendum corpus affirmantes, hodiernam religionem comprobaſſe. Mercurij Triſmegiſti, Platonis, Ariſtotelis, Syriani ſuper eo teſtimonia. Cap. X.

QVOD autem Philoſophia omnis, cum hodierna religione mirificè conueniat, eumq; finem reſpiciat, qui tollitur, prædicatur in hodierna cælitus reuelata ſapientia, ex antiquiſſimis Philoſophis, quorum poſteriores autoritatem ſunt venerati, & ſecuti, poteſt intelligi, Mercurius Triſmegiſtus vetuſtiſſimus fons, vnde manauit Græcorū Theologia, prior ea ſcripſit, quæ poſtea ſumus in Platone, cæteriſq; admirati. Audi igitur eum: ὅσοι δὲ τῆς ἀπὸ θεοῦ δωρεᾶς μετέχον, οὗτοι ὦ Τὰτ κατὰ σύγκρισιν τῶν ἔργων, ἀθάνατοι ἀντὶ θνητῶν εἰσὶ πάντα ἐμπεριλαβόντες τῷ ἑαυτῶν νοῒ τὰ ἐπὶ γῆς τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ εἴτι ἐστὶν ὑπὲρ οὐρανόν. τοσοῦτον ἑαυτοὺς ὑψώσαντες εἶδον τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἰδόντες, συμφορὰν ἡγήσαντο τὴν ἐνθάδε διατριβὴν καταφρονήσαντες πάντων σωματικῶν καὶ ἀσωμάτων, ἐπὶ τὸ ἓν, καὶ μόνον σπεύδουσιν. Et ad ipſum Tat: ἐὰν μὴ πρῶτον τὸ σῶμα σοῦ μισήσῃς ὦ τέκνον, σεαυτὸν φιλῆσαι οὐ δύνασαι: Quicunque gratiam Dei aſſecuti ſunt, hi, ò Tat ſecundum operum comparationem, immortales pro mortalibus exiſtunt, omnia mente ſua, quæ vel in terra, vel in cœlo, & ſi quid eſt ſupra cœlum, comprehendentes. Ad eos ipſos ſubleuantes, viderunt bonum, & viſo, calamitatē exiſtimarunt hanc in terris vitæ actionem, omnibuſq; corporeis, & incorporeis contemptis, ad vnitatem duntaxat feſtinant. Niſi primum corpus tuum odio habueris, ò fili, teipſum amare non potes. Ecce igitur fons, vnde Philoſophorum ſapientia manauit, qui dicebant ſuperius, finem omnis Philoſophiæ Vnitatis intuitum. Syrianus autem, nos cauſa boni philoſophari: Triſmegiſtus, videndi boni gratia: quòd cùm aſpexerimus, omnia ſordere terreſtria. Ecce Triſmegiſtus cū ipſa diuina voce conſentit, quia dixit filius Dei; Qui odit animam ſuam, in vitam ęternam cuſtodit eam. Et qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Triſmegiſtus autem oportere nos ipſos odiſſe, ſi verè nos amare decernimus. Notus eſt igitur & perſpectus, ſacræ, profanæq; Philoſophiæ, veteris, ac nouæ finis, venire ad intuitum Vnitatis: Videre Bonū, quod excellenter ab omni Philoſophia Bonum appellatur. Propterea clarius hoc illi pandentes dicunt, ἄκρον καὶ τέλος καὶ ὅρος εὐδαιμονίας ὁ θεὸς: Summum & finis, terminuſq; felicitatis Deus eſt. Ob hanc cauſam in Epinomide Plato: μεῖζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς πότε πείθῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει: Maius eſſe humano generi virtute, quæ pietas dicitur, nemo nobis perſuaſerit. Eo enim, vt ipſe loquar, nihil eſt pietate apud mortales melius, quod adducat ad intuitum Vnitatis & Boni. Quamobrem quæ dicit Ariſtoteles in moribus, rogatū Anaxagoram, quinam eſſet beatiſſimus, reſpondiſſe, Nemo quém tu putes, ſed quidam, quem tu fortè non putas. Id autem dixiſſe, ꝙ ſciret rogātem beatos putare, qui vel pulchri, vel diuites eſſent: αὐτὸς δ' ἴσως ᾤετο τὸν ζῶντα ἀλύπως, & quæ ſequuntur. Ipſe verò, inquit, fortaſſe viuentem lætè & purè ad iuſtitiā, aut aliqua diuina contemplatione fruentem, vt hominem beatum vocandum putabat. Solum diuinæ contemplationis, in qua ſola cuncti beatitudinem ſtatuerunt, effectum reſpexiſſe potuit. Quæ cùm ſit in corpore nubila, dicentes, in ea beatitudinem eſſe, certè dixerunt in ea, quæ perfectè ſentietur in cęlo, regniſq; beatis: Itaque quod ait idem Ariſtoteles, τὸ γὰρ τῆς ἀρετῆς ἆθλον, καὶ τέλος ἄριστον φαίνεται, καὶ θεῖον, καὶ μακάριον: Præmium enim, finiſq; virtutis optimus videtur, & diuinum quiddam, atque beatum: Non poteſt quicunque rectè penſitet, niſi de præmio cęleſti, quod vndequaque beatum ſit, dictum eſſe. Neque enim fructus is, finiſque, beatitudoq; cernitur vſquā in terris. Neque fuit quiſquam, quē præmio beato virtus in terris affeciſſet. Verè quidem viuunt quietius, tranquilliuſq;, quos virtus vberrima paſcit, ſed tum pauci id genus ſunt, tum corporis, humanæq; conditionis fragilitas, tot obiicit incommoda ad triſtitiam, vt męror facilius præponderet lætitiæ turbatæ ſemper ab aduerſis. Itaque etiā Plato partim cogitur idē ſenſiſſe, partim ſenſit apertè, & clarè, cū ait in decimo de Republica, cū ſint tres voluptates, μίας μὲν γνησίας, δυοῖν δὲ νόθοιν: Vnam quidē eſſe veram, germanamq;, duas autē nothas, & adulterinas.

Finis omnis philoſophiæ, vnitatis intuitus.

Corpus odiſſe par eſt eū qui ſeverè amare volet.

Terminus felicitatis, Deus.

Quinā beatiſſ. reſponſum Anaxagoræ.

Nulla in terris felicitas.

A Senſit autem primam, quæ eſt in intuitu, contemplationeq; rerum. Sed cũ rerum ſpectatio non efficiat beatũ, ſolam certè diuinæ venuſtatis ſpeculationẽ neceſſariò ſenſerunt. Inde dicunt ipſi, Ariſtotelesq; beatiſſimum eſſe optimum quenque, ſceleſtum, infeliciſſimum. Atque idem Plato ne corporeas voluptates eos ſpectaſſe putes, ait, τὰ λεγόμενα ἀγαθὰ πάντα φθείρει καὶ ἀποσπᾷ κάλλος καὶ πλοῦτος, καὶ ἰσχὺς σώματος, καὶ ξυγγένεια ἐρρωμένη: Quæ dicuntur bona, corrumpunt omnia, atque abducunt a recto, forma, diuitiæ, robur corporis, cognatioque firma propinquorum.

Philoſophos affirmantes finem omnis philoſophiæ eſſe contemplationem, & felicitatem veram, ſolum intuitum Dei, & regnum cœlorum ſentire potuiſſe. In terris nullam eſſe beatos reddentem contemplationem. Ex his cum religione Chriſtiana palàm eos ſentire. Cap. XI.

IGITVR qui dicunt (ſunt autem tres hi Philoſophorũ principes) verã vitam, finemq; felicitatis eſſe, ſcientiã, ſapientiam notionẽ, duo neceſſariò dicere cogũtur: Vnũ quod ſuperius a Plutarcho, Iamblicoq; eſt declaratũ, non omnem in vniuerſum contemplationem eſſe felicitatẽ, finemq; philoſophiæ, ſed cognitionẽ Dei modò, ac ſcire, noſſeq; rerũ patrem, ad eum tanquam fontem oĩa reuocare, & exclamare; Te Deum laudamus, te Dñm confitemur: Te ęternũ Patrem omnis terra veneratur: Eum videre, ſentire creatorẽ cęli, & terrę: inde velut rerũ principio, ſapiẽtiæ quoque, & contemplationis origine incipere, & in eũ deſinere. Tum abſolutũ eſſe conſtabit philoſophię curſum, cũ ventum fuerit ad ſummũ rerum verticem. Tum qm̃ non eſt hic eiuſmodi perfecta contemplatio, quæ reddat animos perfectè beatos: non eſt autẽ vanus vllus, incaſſumq; a Natura præfixus finis. Philoſophis itẽ perfectã, dignaq; noſtris animis beatitudo, definitur contemplatio: certè concluditur hanc beatam contemplationẽ duntaxat, eſſe cõtemplationẽ Dei, quod Plutarchus, & Iamblicus apertè fatebantur, & hanc in terris, & in ergaſtulo corporis eſſe non poſſe. Iam primũ igitur, quod Ariſtot. ſcribit in lib. de Moribus: ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία, ὅτι θεωρητική τίς ἐστιν ἐνέργεια, καὶ ἐντεῦθεν ἂν φανείη: Quòd autẽ perfecta beatitudo, ſit contẽplandi quædã actio, vel hinc fit perſpicuũ: Deos enim maximè beatos, & fortunatos arbitramur. Sed quas eis actiones deſignemus, vtrũne iuſtitię, ceu mercatoribus, qui merces viciſſim inter ſe cõmutent, depoſitaq; iuſtè reddant, cęteraq; id genus? An fortes, liberales, caſtos, eos & his actionibus eſſe, quemadmodũ mortales, inſignes, & beatos dicemus? Sed cùm hęc non ſint apud eos, viuere porrò beatos illos arbitramur, non dormiunt autẽ, neque enim viuerẽt, nã ęternus ſomnus, ęterna mors: ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα θεωρητικὴ ἂν εἴη: Quocirca actio Dei, ſupremæ beatitudinis contemplatiua ſit. Hominum quoque, quæ ſimilis illi, maximè beata. Hæc Ariſtoteles, addẽs, hanc eſſe veram hominũ beatitudinem, vel exinde clareſcere, ꝙ nulli cæterorum animalium contingat. Qua cùm beati ſint Dij, eadem quoque homines, quoad eiuſmodi operationis adſit eis ſimilitudo, beatos eſſe. Reliquorũ autem animantiũ nullos eſſe beatos, quibus non ſit contemplationis participatio. Hæc Ariſtoteles, è cuius dictis, ſi quis prudenter, & accuratè perpendat, omnẽ quoque ſermonem conſideret, quo veram ſentit hominũ beatitudinẽ, qua Dij quoque ſunt beati, noſcet neceſſariò cõcludi, verã beatitudinẽ eſſe quidẽ contemplationem, ſed nõ omniũ rerum contemplationem, neque etiam in corpore. Sed quoniã comparat beatitudinem Deorũ cũ humana, ſimili beatos homines fore contemplatione, qua ſunt item Dij beati: Sed ratio probat, & Ariſtoteles mirabiliter ſuſpexit eã contemplationẽ, quæ facit ſupremum Deum beatũ, ſatiãs, explenſq; animũ eius, eandem facilius redditurã animos minores beatos. Deus autẽ contẽplans ſeipſum, fit eodẽ autore beatus: ſimilis ergo inauditæ voluptatis contẽplatio felicitabit Deos. Neque enim videt aliud, ꝙ dici poſſit, ratio. Sed cùm nemo fuerit vnquã in corpore beatus, neque ſit vſquã vlla contẽplatio beatos reddens animos, aut qua ſe tãta voluptate perfuſum quiſquã gloriari poſſet, qua nullã maiorẽ fateatur experiri ſe poſſe (quinetiã nubila eſt oĩs, inſynceraq; hominum contemplatio, affligens animos, & corpora: Nefas autẽ eſt, naturã finem poſuiſſe, ad quem nunquã veniri poſſet) ex his efficitur, vt ea contẽplatio, quę beatitudo vera definitur, ſit illud ſpectaculũ, quo nullũ ſit delectabilius, & quo ſunt in cęlo Dij beati. Quod homines in terris ſi cernerent, ſimiliter atque Dij beati eſſent. Ac cùm Deos efficiat contemplatio beatos, non ſit autem veriſimile, quemadmodũ nos mortales, eos philoſophari, plenos ambagibus, & ea conſiderare, quæ ſunt ſeipſis minora, Solem, Lunam, piſces, plantas, ex quibus ſiunt beati, alioqui non magis quã nos eſſent beati: ex his omnibus arguitur, Ariſtotelem Naturam fateri, ac definire coegiſſe, beatitudinem verã, atque perfectam eſſe ſpectaculum Dei, ſolum, non aliud, non cęli, non terræ, non alterius cuiuſquã rei, in quibus ſpectaculis nunquam erit beatitudo vera: Spectaculum Dei, voluptatis omnis fontem vberrimũ, gaudia inaudita. Et hoc erit, ꝙ dixerunt Plutarchus, & Iamblichus, eſſe finem philoſophiæ, Vnitatis, ęternæq; Naturæ intuitũ. Idq; non in hac graui corporis ſarcina, in qua nemo contẽplando potuit ſe gloriari fuiſſe perfectè beatum, duabus quidem de cauſis: quòd, vt ait Sapiens, aſſidua meditatio affligit animũ: & videmus ferè pallere ſemper philoſophantes, nõ ſuſtinentes longos animi digreſſus fragilitate carnis:

Nõ omnis contemplatio eſt felicitas, ſed tãtùm Dei cognitio.

Dij quomodo beati.

Hominum beatitudo quæ.

Animi beati contemplatione diuina.

Nubila, & impedita hominum contemplatio.

Cõtemplatio vera nõ uerſatur circa minora.

Cur nemo beatus contemplando hac in vita.

Non inferiorum, ſed diuinarum rerum contemplatio, hominem beatum facit.

Beatorum inſulæ.

Tuſc. 1. & in Catone.

Beati homines quãdo.

Cur Socrates nihili humanam ſapientiam fecerit.

Sapientia diuina.

Tum ſunt omnia craſſis occultata, & circũfuſa tenebris, quorſũ fatigat animos difficilis cognitio. Ad hæc, nulla res eſt, quæ viſa, ſpectataq́; impleat animũ ea, quã Ariſtoteles dixit, τελέα εὐδαιμονία, perfecta beatitudine. Nã eiuſdem eſt ratio, cuius reddat cognitio, ſpectatioq́; beatũ, eſſe maius eo, qui beatus efficitur. Cùm verò nihil in terris ſit animo melius, certè cognitio rerum inferiorum, non efficiet eum beatum. Sola igitur ſupereſt diuina, quæ repleat inſatiabilitatẽ animorum, contemplatio. Hęc nuſquam eſt in terris, vbi denſis tenebris occultantur omnia: nec inuiſibilis modò Dei, ſed eorum etiam, quæ ſunt ante pedes, eſt ambigua cognitio. Certè ſi contemplatio, eſt vera animorum beatitudo, cuius Ariſtoteles vulgaribus ignotam dicit ſuauitatem, cęleſtis quædam, non terreſtris ſit, oportet. Fitque veriſimile Ariſtotelem ſenſiſſe, quod Marcus Tullius apertius indicauit, toties referens, beatitudinem a Philoſophis definitã eſſe, ſcientiam. Et de Finibus dicens, Veteres Philoſophos in beatorum inſulis finxiſſe, qualis natura ſit vita ſapiẽtum: Quos cura omni liberatos, nullum neceſſarium vitæ cultum, aut paratum requirẽtes, nihil aliud eſſe acturos putant, niſi vt omne tempus in quærendo, ac diſcendo, in naturæ cognitione conſumant. Hæc ille, cùm verã beatitudinem ferè ſomniaſſet, demum retulit ad ſuperos, apud quos ſit felicitas vera, dicens in Tuſculanis, eſſe noſtrorum aciem oculorũ, etſi fuiſſet artificioſè fabricata natura, concretis, terreniſq́; corporibus interſeptam. Cùm autem nihil erit pręter animũ, nullam rem obiectam impedimẽto futurã, quominus percipiant quale quidque ſit. Quàm multa, quàm varia, inquit, ſpectacula, animus in locis cęleſtibus eſt habiturus? Et, Profectò beati erimus, cùm corporibus relictis, & cupiditatum, & ęmulationum erimus expertes. Quodq́; nunc facimus, cũ laxati curis ſumus, vt ſpectare aliquid velimus, & viſere, id multo tum faciemus liberius, totoſq́; nos in contemplandis rebus, percipiẽdiſq́; ponemus. Et Oræ ipſæ locorum illorum, quo peruenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum cęleſtium, eo maiorem cognoſcendi cupiditatem dabunt. Et quod tandem fore putamus, cùm totam terram contueri licebit, eiuſq́; ſitum, formam, conſcriptionem. Et, Atque ea profectò tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cũ quò natura fert, liber animus peruenerit. Poſtremò, Portum potius paratum nobis, & perfugiũ putemus, quò vtinam velis paſſis peruehi liceat. Hæc igitur omnia aut dixit, aut dixiſſe cogitur Ariſtoteles, quoniam, quæ rationes pepulerunt Marcum, vt in locis cęleſtibus beatitudinem ſtatueret, quia ſcilicet nihil hic dilucidum, purumq́; cernimus, & propter altiſſimas ambages, quibus interſepta ſunt omnia, non magis voluptas eſt, quàm faſtidium contemplatio: eædem Ariſtotelẽ commouere debuiſſent. Quid ꝙ Socrates contempſit, ſpreuit vt nauci, humanam ſapientiam? in Apologia: ὅτι ἡ ἀνθρωπίνη σοφία, ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ, καὶ οὐδενός. In hac igitur tam nihili, tam friuola ſapientia, quis vnquam perfectam felicitatem, niſi qui ipſe ſine ſapientia eſt, poſuiſſet? Vbi ſunt, aut fuerunt vnquã admirabiles illæ, quas in Moralibus largiri ſapiẽtiam voluptates aſſeruit Ariſtoteles? Non ſolum autem Socrates, ſed idẽ Ariſtoteles vilem, exiguamq́; iudicauit omnem humanam ſapientiam, ſeruam eſſe, humiq́; proiectam humanam naturam: ſententiam Simonidis veram eſſe, Solius Dei iure poſſeſſionem eſſe ſapientiam. Qui ſolus igitur poſſidet veram ſapiẽtiam, ſolus eſt verè beatus. Eſt autem, eodẽ autore, ſapientia diuina, vera maieſtatis ſuæ cognitio, eadem vera beatitudo: certè igitur eadem cognitio animorum erit beatitudo. Exclamat itẽ Plato, tum finem fore malorum, cùm corporibus relictis, erit animus in cœlo, cum gente Deorum. Et Iamblicus ſuperius aſſerebat, omnia nunc eſſe circunfuſa caligine, nec videndam vnquam veritatem, niſi è corpore, velut è carcere euolaueris. Ac profectò cogitur Ariſtoteles his aſſentiri, quę ſuper hac re pręceptor prior locutus eſſet in Epinomide: οὐ φημὶ εἶναι δυνατὸν ἀνθρώποις μακαρίοις τε καὶ εὐδαίμοσι γενέσθαι. Nego, inquit, fieri poſſe, vt homines beati ſint, ac fortunati pręter omnino paucos, dum vixerimus. Bona verò ſpes eſt, defunctis contingere, quorum cauſa dũ vita manabat, elaboraſſent, vt qui laudatiſſimè vixerit, etiam vitæ curſu expleto, præmiũ virtutis aſſequatur. Hæc Plato. Ego verò dico, non ſolum paucos, ſed nullos eſſe beatos in vita. Congruunt igitur ſiue palàm, ſiue tacitè, verã beatitudinem eſſe Diuinitatis intuitũ, idq́; in cęlo, non in terra.

Veram ſapientiam, & omnium quæ fieri poſſint, optimum, teſtibus Philoſophis, eſſe pietatem: hanc autem eſſe ſimilitudinem cum Deo, eamq́ue felicitatem veram. Hoc cùm a philoſophia fieri dicant, nullam aliam eos ſpectare potuiſſe philoſophiam, quàm hodiernam. Cap. XII.

Duobus cõſtat religio.

Omnium ſtudiorũ meta ſapientia.

CVM igitur duabus partibus vera religio conſtet, pietate, & charitate: quorum primum erga Deum, ſecundum erga homines eſt: primumq́; a noſtris, & illis vera ſapientia definitur, & finis omnis humanæ vitæ conſtituitur: ſecundum ſummis item laudibus tollitur: certè Philoſophorum ac noſtrorum, ſeculorumq́; omnium, vna eademq́ue noſcitur eſſe religio. Quoniam cuncti conclamant, cogitationum, ſtudiorum, laborumq́ue metam ſupremam, & calcem eſſe, ſapientiam: hanc autem eſſe, ſpectare, & colere Deum, ad illum cunctas actiones referre. Neque enim qualemcunque cognitionem, ſapientiam cenſuerunt, aut qualemcunque ſapientiam finem dixere ſupremum, ſed eam duntaxat,

quæ

A quæ cùm ad aſpectum Dei, ſcientiamque perueniſſet, colit eum & admiratur, hic omnes voluptates poſitas arbitratur. Hoc ergo pro Pythagoreis Iamblichus: ἀπὸ τῶν τιμιωτάτων ἀρχώμεθα πρῶτον, ὡς δεῖ θεοσέβειαν ἀσκεῖν αὔτη δὲ οὐκ ἂν παραγένοιτο εἰ μήτις ἀφομοιώσειε τῷ θεραπευομένῳ τὸ θεραπεῦον τὴν δ' ὁμοιότητα ταύτην ἡ φιλοσοφία παρέχει: Ab optimis, inquit, & pretioſiſſimis exordium faciamus, oportere pietatem colere. Hęc autem non adſit vnquam, niſi res colens rei cultæ fiat ſimilis, quam ſimilitudinem Philoſophia præſtat. En pretioſiſſimam, optimam appellat pietatem: illud nempe Salomonis, & patris; Initium ſapientiæ, timor Domini. Eſt enim θεοσέβεια, timor Domini. A Græco dicitur, τιμιώτατον, pretioſiſſima, optima, excellentiſſima: ab Hebræo, principium ſapientiæ. Quam diuinè quoque veram pietatem definiuit, vt fiat qui colit, ei qui colitur ſimilis, illud videlicet diuinarum litterarum, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Addit Iamblichus: ἡ μὲν γὰρ γνῶσις τῶν θεῶν ἀρετή τε ἐστὶ καὶ σοφία, καὶ εὐδαιμονία τελεία, ποιεῖ τε τοῖς θεοῖς ἡμᾶς ὁμοίους: Cognitio enim Deorum virtus eſt, & ſapientia, & felicitas perfecta, facitque Diis nos ſimiles. At cur Deos dixiſti Iamblice, qui toties ſupremum tot laudibus extuliſti, eius intuitum Philoſophiæ finem prædicaſti? Cùm igitur ſapientiam, & felicitatem perfectam dicat pietatem, profectò quidquid Ariſtoteles, & Plato de ſapientia, & felicitate prædicarunt, de pietate, & cognitione Dei, eſt prædicatum. Perfectaque illa beatitudo, quam finem dixit in Moralibus, ſapientia quoque quam in libris poſt res naturales, multiſq; locis admiratur, non eſt alia, quàm pietas, cognitioq; Dei, & cum eo ſimilitudo: quod idem cùm in Moribus eun-
B dem ſimillimum Deo, ac ſapientem, ac beatum definiſſet, profectò ſenſit. Dicit enim ſapientem, perpurgatam, ſegregatamq; ab omni contagione habere mentem, id autem eſſe ſimilitudinem Dei. Itaque concludit eundem eſſe σοφὸν θεοφιλέστατον, τὸν αὐτὸν δ' εἰκὸς καὶ εὐδαιμονέστατον: Sapientem Deo gratiſſimum, inde & beatiſſimum: vt apertè fateatur, beatum eſſe, cui cum Deo ſocietas, amicitia, atque ſimilitudo. Hoc idem ſenſit Plato, cùm in Euthydemo miris laudibus effert ſapiētiam: ἡ σοφία ἄρα πανταχοῦ εὐτυχεῖν ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους: Vbique reddit beatos homines ſapientia. Et ꝙ non ſit diuitiis opus, præſente ſapientia. Et ꝙ nihil vtile ſit ſine ſapiētia, & prudentia. Omnibusq; ſtudiis conandum eſſe cuique, vt quàm ſapientiſſimus exiſtat. Et ꝙ ſi vel lapides aureos efficere poſſemus, nihil prodeſſet ſine ſapientia. Omnibus enim veſtigatis, quæ tandem hæc ſapientia ſit, ſine qua nihil proſit, & qua præſente, cuncta bona ſequantur, eò tandem conſideratio deueniet, quod Iamblicus dixit, & Ariſtoteles obſcurius. Et quod admirati ſcriptores ſacri, cunctis cęlo, & terris rebus numeratis, in quibus ſit ſapientia, ac ſcientia, tandem clamãt eſſe timorem Domini. Et de quo ſimiliter Platoni Solomon, Et qui tenuerit eam, beatus. Hanc omnes Philoſophos, cùm tot laudibus tollant ſapientiam, cùm decus humani generis appellent, cùm omne bonum in eam conſtituant, innuiſſe, non ratio ſolum probat, (ꝙ nihil eſt, vnquã quidquid euoluas animo, tot tantiſq; laudibus dignum) ſed etiam clariſſima voce, eorum nonnulli proteſtati ſunt. Nam Simplicius, cùm beatitudinem vitæ, quam Ariſtoteles in contemplando, ſciendoque terminaſſet, proponeret, hæc effatus eſt: πάσης εὐζωΐας καὶ τελειώσεως ψυχικῆς ἀρχὴ καὶ τέλος ἐστὶν ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἀνάτασις, διά τε τῶν ὀρθῶν περὶ αὐτοῦ προλήψεων, ὅτι τε ἐστὶ, καὶ προνοεῖ καλῶς καὶ δικαίως τὰ πάντα κατευθύνει, καὶ διὰ τοῦ πείθεσθαι, καὶ εἴκειν ἑκόντα τοῖς ὑπ' αὐτοῦ γινομένοις: Omnis, ait, beatæ vitę, perfectioniſq; animi principium, & finis eſt ad Deum cõuerſio, inclinatio: Tum de eo cogitationibus, ſenſiſq; rectis, ꝙ ſit, & proſpiciat iuſtè, recteq; gubernet: Tum his vl-
C trò, libenterq, obſequendo, quę fiunt ab eo, vt ab optima ſententia proficiſcentibus. Eodem loco Simplicius idem, Quocirca, inquit, donec cum autore, cauſaque ſua firmis radicibus hæreat animus, manebit incolumis, perfectionemque retinebit ſuam, cum qua creauit eum Deus. Sed ſi ſe diuulſerit inde, atque abruperit, marceſcet, ac dilabetur, turpis, elanguiduſque effectus, donec iterum cõuertatur, vniaturque ad cauſam. Hæc Simplicius, aliàs Ariſtotelis, nunc interpres Epicteti, ſed nunc veritatis ſtimulis actus, dulcius, ac verius loquēs, quàm magis Ariſtotelis illic dogmata dilucidans, acerbior minuſque pietatis memor: ſed memor tamen in principio.

Pietas, pretioſiſſ.
Prouer. 1.
Pſal. 110.

Sapientia eſt pietas & cognitio Dei.

Beatus qui.

Nihil vtile ſine ſapientia.

Prouerb. 3.
Encomiũ ſapientiæ.

Perfectio animi quę.

Miris laudibus extuliſſe philoſophos charitatem non fictam: Eo Chriſtianam religionem, cuius fundamentum eſt charitas, comprobaſſe. De præcepto Pythagoreorum. Cap. XIII.

IN ADMIRATIONE quoque & laudibus charitatis, quę pars eſt religionis verę ſecunda, quamq; ſacræ litteræ poſt pietatem, præferunt omnibus, & commendant Philoſophi congruentes, declarant non aliam veram eos iudicaſſe animis, & complexu mentis præſumpſiſſe religionem, atque hodiernam, ſentientes, prædicanteſq; maximũ bonũ, cui totis animis inhærendũ ſit, charitatem non fictam. Principio Simplicius pro cęteris Philoſophis hæc ait: : ἡ καθαρὰ φιλία τὰς φίλας ψυχὰς εἰς ἕνωσιν συνάγουσα μελέτη καλλίστη γίνεται τοῖς πρὸς τὸν θεὸν ἑνώσεως τυχεῖν, καὶ καλῶς οἱ πυθαγόρειοι περισσῶς τῶν ἄλλων ἀρετῶν, τὴν φιλίαν ἐτίμων, καὶ σύνδεσμον αὐτὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν ἔλεγον:

Charitas non ficta, maximum bonum.

Sapientiæ Chriſtianæ robur, charitas.
1. Corin. 1.
Charitas quid.
Cõmunio bonorum ſub Apoſtolis.
Pythagoreorum reconciliatio.
Matth. 5. Vera pœnitentia.
Matth. 5.
Amici, vt Angeli colendi inimici, vt feræ, placandi.

Pura charitas, ſiue amicitia, amicas animas in vnitatem coniungens, eſt pulcherrima exercitatio, D & præparatio, ad coniunctionem diuinam. Atque præclarè Pythagorei præ cæteris virtutibus charitatem venerabantur, & complexum cunctarum virtutum eam dicebant. Vides conſenſum, agnoſcis ſapientiam Chriſtianam, cuius omne decus, omne robur, eſt charitas, amicitia; eſſe naturalem, rationique vndequaque conſentaneam ſapientiam, quam prius Deus quàm reuelaſſet, Natura, ratioque diuinitus nata, prudentioribus velut lucem procul oſtentabat: qua nihil rationabilius, nihil ęquitati congruentius. Nam, vt omittam tot laudes, quas diuus Paulus de charitate prædicauit, quibus collatis, vna Philoſophorum, atque noſtrorum ſuper ea conſenſio comprobatur: id abunde eſt, quòd cunctarum virtutum complexum dicẽtes eam, Pythagoreos, minores Philoſophi ſunt admirati. Charitas igitur teſtibus illis, eſt omnis virtus, eſt ſocietas omnis probitatis. Quid aliud ait Paulus? Charitas non ęmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, cæteraſq; laudes eius, quas vno verbo Pythagorei dixerunt, omnium virtutum ſocietatem. Ex hac charitate factum, vt in alio mirificè nobiſcum priſci Philoſophi congruerent, quod admirati minores, profectò ſunt hodiernam religionem admirati. Quemadmodum igitur ſub Apoſtolis dicitur vnam fuiſſe Chriſtianorum ſubſtantiam, Et nemo erat egens inter eos: ſic Iamblichus de Pythagoreis, τὴν μὲν πυθαγορείων κοινὴν τὴν οὐσίαν διέταξε καὶ τὴν συμβίωσιν ἅμα διὰ τοῦ παντὸς χρόνου διατελεῖν: Pythagoreorum communem ſubſtantiam eſſe præcepit, & conuictum ad omne tempus. In eo quoque mirificè conſenſerunt iidem Pythagorei, referturque velut diuinum a minoribus Philoſophis, quòd quemadmodum diuus Paulus nobis præcepit, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: Sic Pythagoreos tradit, admiraturque Plutarchus in eo quem inſcripſit de Philadelphia: Oportet, inquit, imitari Pythagoreos, qui genere nihil inuicem attinentes, ſed ſolius communis ſermonis participes, ſi quando ad conuitia ab iracũdia impulſi fuiſſent, prius quàm Sol occũberet, dextras amplexi, & exoſculati, reconciliabantur. Hoc Philoſophi mirantur, referunt vt diuinum, præcipiunt imitari. Itaque etiam Simplicius, veram, Deoque acceptiſſimam pœnitentiam definit, quam princeps & ſalutis, & ſapiẽtiæ noſtrę docuit, ingeſſitq;, & ſuis teſtimoniis, beatisq; verbis declarauit: Si offers, inquit, munus tuum ad altare, relinque, & vade prius reconciliari fratri tuo. At Simplicius: Vera, inquit, pœnitentia, non verbo, ſed opere fit, cùm offenſos a nobis, contumeliaq; affectos, vel vtcunque læſos, & multatos, θεραπεύσαι αὐτοὺς, ἢ προσγόνους αὐτῶν, colimus, placamusq;, aut parentes eorũ, execramurq; iniuſtitiam, auerſiq; rapaces, & iniuſtos, cum his, qui iuſtitiam colunt, conſueſcimus. Hæc omnia probant Philoſophos noſtrorum dogmatum, totiusq; pietatis, quam fortè neſcirent, voluntariè fuiſſe cultores, ad ſapientiã duce ratione delatos, & quaſi prudentię facibus adductos, quam detexit è cęlo, ſparſitq; per omnes terras Deus. Nam quod Deus iuſſit, vt amicos propter nos ipſos diligeremus, inimicos propter ſe, aſpice vt illi conſtanter aſſeruerint, referente Iamblicho, iuſſiſſe Pythagoram, τοὺς φίλους ὥσπερ θεοὺς σέβεσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους ὥσπερ θηρία χειροῦσθαι: Amicos vt Deos, ſiue Angelos colendos eſſe, cæteros vt feras demulcendos, placandos. E

In cultu Dei, & pietate Philoſophos, eximias voluptates ſtatuentes, affirmare, quæ ſemper concinunt ſacræ litteræ. Deſiderantes eoſdem perfectam, mirificamque pietatem, hodiernam deſideraſſe. Cap. XIIII.

Cultus Dei quid hac in vita præſtet.
Bonus nulla tangitur perturbatione.
Veram religionem abſentem philoſophi admirati.

IN EO quoque mirabiliter ad veram religionem Philoſophos Natura perduxit, cùm F non modò futuræ, ſed præſentis item bene, beateque traducendæ vitæ cauſam pietatem dicunt, aſſerentes nullis maiora, ſyncerioraque exuberare gaudia, veriores voluptates decerpi, quàm quibus eſt ſtabilis, certaque fides de diuina bonitate, omniq; natura Dei. Poſt eos, inquit Plutarchus, pro cæteris contra Epicurum, qui Deum propter ſuam nequitiam, & quibus ſe demerſere voluptates noxias reformidant, muneribusq; placant: ζῆτον ἤδη σκεψώμεθα τὸ βέλτιον ἀνθρώπων, καὶ θεοφιλέστατον γένος ἐν ἡλικίας ἡδοναῖς καθαραῖς περὶ θεοῦ δόξαις συνόντες, &c. Tertium conſideremus præſtantius hominum, priſtinumque genus, quot quantisque voluptatibus, puris de Deo cogitationibus & opinionibus aſſueti, perfruantur. Quòd ſit omnium bonorum princeps, pater omnium honeſtorum, cui prauum quid facerè minimè liceat quemadmodum neque perpeti. Bonus enim eſt, bono autem nulla de re adeſt inuidia, neque metus, neque ira, neque odium. Voluptates ineffabiles, quas Plutarchus ait piis, optimisque afferre pietatem, lætitiamque immenſam animorum, ſunt quas vbique noſtræ litteræ decantant, Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium, & exultationem obtinebunt. Iucunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper eum. Cùm igitur & illi ſentiant cultu Dei, veraque de eo ſapientia, ineffabiles contineri voluptates, profectò congruunt, hoc vnum elaborandum eſſe in omni vita: ad quod cùm noſtra religio deducat ad omnigenam animis inſpiratam ſcientiam Dei, miras voluptates afferens, profectò ſolam hanc Philoſophi viderunt, & admirati ſunt abſentem, conclamaueruntque vitæ beatæ ducem, quæ ſynceras, nullis vitiis, doloribusque inquinatas voluptates ſemper, affatimque largiatur, omnem metum ſubmouens latè, paſcens

A animos vberrima, perenniq́ue lætitia, quaſiq́ue theatrum bonorum pandens, quo ſpes iucundiſſimæ rerum optimarum continentur: neque ea modo, quæ Plutarchus docuit, oſtēdens, verum etiam alia longè plura, quibus animo perceptis, & perſuaſis, lætiſſimus efficitur obtinens triumphi ſimulachra futuri. Si quis igitur dicendo, diuinasq́ue litteras euoluendo dilatet, quod dixit Plutarchus, videbit eum totam veræ religionis bonitatē, contra Epicurum fuiſſe confeſſum: hocq́ue argumento eſſe, Philoſophos ſic Chriſtianam religionem procul vidiſſe, ac diuinaſſe, lætitiaque ob eam elatos fuiſſe, vt qui matutinam lucem montium iuga pandentem cernentes, de maxima luce ventura iudicant, atque lætantur. Deſtructio quin etiam, deſtomachatioq́ue ſordium Epicurearum, in quas boni omnes inuaſerunt, eſt hodiernæ religionis confirmatio, illecebrarum, ſordiumq; corporearum contemptricis. Itaque omnia ſuffragia Philoſophi detulerunt abſenti: neque enim ſciebat eam Plutarchus: decreueruntq́; ſolam veram generis humani magiſtram, ducem ad cęlum affectandæ viæ. Tanta igitur eſt Philoſophorum cum noſtris ſuper vera pietate concordia, vt miraculū ſit, multa cum ſacris litteris eos conformia locutos eſſe, niſi ſciremus ſua ſponte Naturam offerre verum. Vt igitur in noſtris litteris eſt, Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter: Sic illi pietatis colendæ tarditatem, ignauiamq́; execrati, Simplicius pro illis: ὁ δὲ περὶ τὴν τοῦ θεοῦ τιμὴν ἀμελὴς, καὶ ῥαθυμὸς φαινόμενος, περί τι ἂν τῶν ὄντων σπουδάσειεν: Qui autem circa Dei cultū, honoremq; negligens, ignauusq́; cernitur, quamnam neceſſariā rem ſedulo curabit? His pluſquā aureis dictis, quanta os humanū fundere poteſt, laudibus ea B religio tollitur, celebratur, illuſtris, claraq́; proponitur, cuius eſt ad pietatem, honoresq; diuinos inflammata voluntas, faces animis admouens, non contenta mediocri probitate, non ſegni, tardaq; iuſtitia, ſed abſoluta, in qua nihil ſit iniuſtitiæ reſiduum, inducens, ſollicitansq; animos ad veram, ſolidamq; probitatem. Si talis igitur a Philoſophis deſideratur, nimirum deſideratur hodierna.

Deſtructio Epicureæ ſectæ eſt veræ religionis confirmatio.

Ierem. 48.

Qualis, circa Dei cultum negligens.

Philoſophos diuitias contemnendas docentes, maliſque malas & pernitioſas aſſerentes, paupertatem admirantes, curam carnis abyciendam, ſtudiumq́ue ad pietatem, & cultum Dei transferendum contendentes, præſentem religionem vnicè comprobaſſe. Hanc vnam eos voluiſſe.

Cap. X V.

EO QVOQVE probatur, eos neſcio quibus arcanis, Naturæque in receſſu abſconditis modis, quibus excitatur recta ratio, præſentium ſæculorum collaudaſſe, quæ foret hominum ſuprema ſapientia, religionem, quòd diuitias, & ea, quę vulgus admiratur, vocatque bona, tum contemnenda ſummo nobiſcum conſenſu prædicauerunt, tum dixere pernitioſa malis, nullam hanc ſuapte natura fœlicitatem efficere prædicantes, pro quibus Iamblichus: Quæ, inquit, bona vulgo putantur, non ſunt bona, ſed potius mala. Primum bonum dicunt ſanum eſſe, tum pulchritudinem, tertium diuitias, multaque alia, acutè ſentire, facere quod cupis imperando. Hæcque omnia cum immortalitate poſſidere, beatitudinem eſſe: ὁ δὲ ἐμὸς λόγος τάδε λέγει, ὡς ταῦτα ἐστὶ ξύμπαντα, δικαίοις μὲν καὶ ὁσίοις ἀνδράσιν ἄριστα κτήματα, ἀδίκοις δὲ κάκιστα ξύμπαντα ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ὑγείας: Ego verò dico, quòd hæc quidem vniuerſa, iuſtis, & ſanctis optima, iniuſtis peſſima ſunt omnia, incipiens ab ipſa C incolumitate, vegetisque ſenſibus. Omninoque ipſa vita maximum quidem malum, immortaleque omni ęuo poſſidere omnia, quæ vocantur bona, ſine iuſtitia, omnigenaque virtute. Minus autem malum, ſi breui tempore huiuſmodi è viuis rapiantur. Clarè etenim contendo, quę dicuntur mala, iniuſtis eſſe bona, iuſtis autem mala. At verò bona, bonis quidem verè bona, malis autem mala. Atque is quidem qui iniuſtè, contumelioſeque vixerit, neceſſario turpiter viuit: ſi turpiter, etiam malè. Quocirca inſuauiter, miſerè, ſibique pernitioſè viuit. Dicimus enim, & quidem iuſtè Deos iucundiſſimam, & eandem optimam vitam agitare. His Philoſophi dictis, ea maximè religio, ea Philoſophia confirmatur, quæ cunctis ad contemnendas opes, omniaque præſentia bona hominibus inuitatis, ad prudentiam, ſapientiamque veram vitæ beatæ, etiam in corporibus clauſam, aperit viam. Nulla enim vnquam Philoſophia, nulla, quarumuis gentium, & a mundo condito doctrina, aut ſecta fuit, in qua ineſſet prudentia, ac ſapientia, quæ deſcribitur, & velut abſens deſideratur a Philoſophis. Nam nulla magis vanos diſſuaſit amores, nec facit vlla magis, vt quæ dicuntur bona, vtiliaque non pernitioſa eſſent poſſidentibus. Directus eſt huc omnis eius, & defixus ſcopus, vt bona præſentia, vel ſpernamus, in quibus beatitudinem ſtatuere non deceat, vel ea virtutis, vitæque adiumenta putantes, ex his non perniciem, ſed vtilitatem capiamus. Huc igitur pertinet, quod noſcas, hodiernam religionem Philoſophis probatam fuiſſe, quòd quemadmodum iudicium multitudinis in delectu bonorum, vitaque degenda, nō ſinit nos attendere præſens religio, idem ſenſerunt, cenſueruntque. Iamblichus enim dicit: τὸ γὰρ πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρέσκειν: Multis enim placuiſſe, eſt ſapientibus diſplicuiſſe. Longè igitur magis eſt diſplicuiſſe Deo, multis placuiſſe. Hinc ille noſter, Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus nō eſſem. Audis Philoſophos, aliorum anteſignanos, nobiſcum concordes, vnamque religionem profitentes? Sic quod noſtræ Philoſophiæ, & ſalutis autor, pro diuina

Bona, quę vulgò putantur.

Bona bonis, at eadem malis mala cenſenda.

Philoſophia humana quę.

Multis placuiſſe, eſt diſplicere ſapientibus.

pro diuina ſua ſapientia, qua ſciret vbi non modò futuræ cauſa, ſed præſentis etiã vitæ tranquillitas eſſet, inhortatus eſt ad paupertatem, vel capeſſendam, vel non odio habendam, quod probitatem facilius, difficilius improbitatem efficiat, idem illi prædicauerunt. Nam Plutarchus, cũ dixiſſet rationem, prudentiamq; ſic verum iudicium reſtituere, quemadmodum redditur medicamentis ſanitas, his qui a febri ſanantur, ſubiecit: καὶ αὐτάρκης ἔσῃ, ἐὰν μάθῃς τί τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐστὶ· ζυφήσεις ἐν πενίᾳ, &c. Et diues eris, ſi quæ ſit pulchritudo, bonitasq; didiceris. Triumphabis, regnabisque in paupertate, vitamque priuatam, a turbiſque remotam nihilo diliges, ampleceriſque minus, quàm ſi vel in imperio, & magiſtratu fores. Vides omnes eorum voces, eandem, atque hodiernam reſonare, deſiderare, ſuggerere mortalibus religionẽ? Illud quoque quod referunt, miranturque Porphyrius, & Iamblicus, quod a Pythagora, Pythagoreiſque pręcipiebatur, nonne noſtrum eſt, præcipuumque religionis hodiernæ robur: φυγαδευτέον πάσῃ μηχανῇ, καὶ ἐκκοπτέον πυρὶ, καὶ σιδήρῳ, καὶ μηχαναῖς παντοίαις ἀπὸ μὲν σώματος νόσον, ἀπὸ δὲ ψυχῆς ἀμαθίαν, κοιλίας δὲ πολυτέλειαν, πόλεως δὲ στάσιν, οἴκου δὲ διχοφροσύνην, ὁμοῦ δὲ πάντων ἀμετρίαν. Fugandam totis viribus, & abſcindendã igni, & ferro, cunctiſq; machinis, a corpore quidem ęgritudinem, ab animo inſcitiam, ab vrbe ſeditionem, a domo diſcordiam, ſimul ab omnibus intemperantiam. Et illud, quòd eundem Pythagoram ferunt, miranturque ventris, Veneriſque indulgentiam, eum ſolitum comparare Sirenis illis homicidis. Et quòd cupiditates, vitiaque non nata, & facta a natura, ſed a nobis ipſis inuenta dixit. Multas, ait, hominum cupiditates acquiſitas eſſe, repertasque ab ipſis hominibus: διὸ καὶ πλείστης ἐπιμελείας δεῖσθαι τὸ πάθος τοῦτο, καὶ φυλακῆς τε καὶ σωμασκίας οὐ τῆς τυχούσης: Quocirca magna huic morbo opus eſſe cura & cuſtodia, corporiſque exercitatione. Hoc eximius noſtræ Theologiæ præceptor, Caſtigo, ait, corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Itaque corpus exercendum ſiue caſtigandum, cupiditates, curamque carnis abiiciendam, & illi ſenſerunt, conſtanterque aſſeruerunt. Nam quod idem diuus Paulus præcepit, Et curam carnis ne feceritis: Audi vt Marcus Tullius conformiter probauerit, quo verborũ ſplendore monuerit in Legibus: Nam cùm animus, inquit, cognitis, perceptiſq; virtutibus, a corporis obſequio, indulgentiaque diſceſſerit, voluptatemque ſicut labem aliquam dedecoris oppreſſerit, omnemque mortis, doloriſque timorem effugerit, ſocietatemque carnis eiecerit, tum ſuis, omnibusque natura coniunctis ſuos duxerit, cultumque Deorũ, & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, ſic ingenij aciem, ad bona diligenda, & reiicienda contraria, quę virtus ex prouidendo eſt appellata Prudẽtia, quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? Hæc Philoſophus Latinus. Contemnunt igitur omnes, contemnendaque clamant, hęc mortalia: omnem autem ad res ęternas, veraſque, amorem, ſtudiumque transferendum. Nam & Epictetus: ὅσοι γὰρ περὶ κτῆσιν καὶ ἀγροὺς, καὶ οἰκέτας καὶ ἀρχάς τινας ἀναστρέφεσθε, ταῦτα οὐδὲν ἄλλο ἢ χόρτος ἐστί: Vos o quicunque agris, famulitio, magiſtratibus adipiſcendis ſtudetis, hæc eſſe noritis nõ aliud, quàm fęnum. Hæc quidem Epictetus. At Iamblicus ex Pythagora, qui præcepiſſet, vt publicas ſemitas vitares, multa diuinitus diſſeruit, eius ſententiæ declarator, qua diuus Paulus dixit; Nolite conformari huic ſæculo. Ille verò, Hoc, inquit, Pythagoræ ſymbolũ, popularem quidem, vulgaremque vitam deſerere, ſeparatã autem, diuinamque agitare monet, publiciſque opinionibus contemptis, ſecreta, ac priuata magni ęſtimare. Contemptis item humanis illecebris, τὴν δὲ τῆς θείας βουλήσεως ἐχομένην εὐπραγίαν, περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι: Felicitatem, quę ex diuina voluntate dependet, plurimi facere. Humanas præterea conſuetudines, ceu plebeias abiicere, cultu Deorum, qui longè præſtet vulgari vitæ, ſuſcepto, eoque optimo: θεῶν τε θεραπείᾳ χρῆσθαι τῇ ἀρίστῃ. Quis dubitet igitur, quin optimam religionem, cultumque Deorum, quanquam dicere non eſſet Philoſophia Deorum, Iamblicus puriſſimam, excellentiſſimamque ſenſerit? nimirum hodiernam, qua non inueniet animus cogitando, nec meliorem, nec puriorem, cui, quem colat, non homines, aut aſtra, aut Dæmones, ſed vnicus, ſingularis, præpotenſque Deus eſt propoſitus. Certè ea eſt optima religio, perfectiſſimuſque cultus, quæ ſupremum colit, & colit admirando, decantandoque eum, & opera miranda, ſuſpiciendaque eius.

Aurea pręcepta de vitãda omni intemperantia.

1.Corin.9.

Ad finem 1. Legum

Per publicam viam non cundũ, quid. Rom.12.

Philoſophos aſſerere religionem purè exercendam eſſe, quærendumque acceptiſſimum Deo cultum, cuncta humana contemnenda. His probari, ea, quæ habentur in religione Chriſtiana, auidiſſimis animis eos acceptaſſe. Cap. XVI.

AD HANC rationem pertinent item, quæ idem Iamblicus enarrans ſymbola Pythagoræ, diſſeruit, quibus quidem probatur, eos vbique religionem Chriſtianam demiratos, vnam hanc tacitè coluiſſe, prędicaſſe, ſuſpexiſſe, vnam veram generis humani Philoſophiam iudicaſſe. Nam quod Pythagoras monuit, vt accedens ad templum adores purè, μηδὲν ἄλλο μεταξὺ βιωτικὸν μήτε λέγειν, μήδε πράττειν: Nihil aliud ibi, vel agens, vel loquẽs: quod ad corpus ſpectet, eſt noſtræ religionis prædicatio. Quod explicans Iamblicus; Conſeruat, inquit, offertque Diuinitatem hoc ſymbolum, cuiuſmodi eſt, puram, incontaminatam, ab omni concretione mortali ſegregatam; vultque hoc præceptum efficere, vt

insueſcas

nſueſcas purum durè contingere, ne quid mortale, ac corporeum ad cultum diuinum apportes. ſunt enim quæcunque attuleris aliena, & contraria. Idem ad ſcientiam valet plurimum. Neque enim cùm ſcientia diuina miſcere cogitationem, opinionemq́; vulgarem, & humanam, curamq́; liquam, & ſtudiũ corporis oportet. Neque verò verba ſacra, actionesq́; diuinas, & puras inquinare, vagis hominibus, aut moribus communicatas. Hæc Iamblicus ad verbum. Qui quidem omnis ſermo, nemini dubiũ, quin ſit hodiernæ pietatis explicatio. Atque quod Seruator noſter præcepit, Primum quærite regnum Dei: Audi vt idem ex ſymbolo Pythagorico, quo dixit, non ingrediendum in templum ex caſu, & quaſi aliud agenti, diſſeruit: Non eſt, inquit, cur fores templi fortuitu oculis oblatis ingrediaris. Nam cùm ſimile ſimili gaudeat, ſanè cùm natura Deorum in vniuerſo ſit eminentiſſima, horum in primis cultus exercendus eſt. Quòd ſi hunc alterius negotij cauſa, quis poſtpoſuerit, claret, cultus, ac notionis ordinem eum peruerſurũ, reiecto quod erat primum, in ſecundum locum. Ad hæc, non decet bonis pretioſis vtilitates humanas anteponere, aut obiter facere, quæ erant meliora, noſtris ad finem certum directis. Hæc Iamblicus. Hoc alio ſymbolo, cũ Pythagoras monuiſſet, quo dixit; Nudis pedibus ſacrifica, & adora: Deſignat, inquit, modeſtè, compoſitè, minimeq́; ordine neglecto Deos colendos, capeſſendamq́; eorum cognitionem. Alterum oportere nõ impeditum, vinclisq́; ligatum, cultum, notionemq́; eorum ſuſcipere. Hæcq́; non de corpore ſolum, ſed item operationibus animi præcipit, vt neque ab affectibus eas impediri, neque a corporis imbecillitate, aut his, quę circunſtant exterius, ſinas, ſed expedita cuncta, & prompta ad eorum propinquitatem nanciſcendã habeas: εὔλυτα δὲ πάντα ἔχειν, καὶ ἕτοιμα πρὸς τὴν μετουσίαν τῶν θεῶν. Hæc quidem diuinus Philoſophus. Quem quidem, ꝙ omnibus præfert, antecellereq́; vult cultum Dei, religionem, pietatem, cunctas humanas curas, & cupiditates, ſatis laudare non poſſum: ꝙ autem Deos toties inculcat, poſſem eum ſuamet Theologia docere, atque illi probare, quoniam ſummum, ſingularemq́; Deum ſæpius agnoſcit, huic dũtaxat cultum, religionemq́; deberi, præterea nullis. Tẽdendum igitur animis in cęlum, maximeq́; huic itineri, regione terreſtri, & labe relicta inſiſtendum, vt ad puriſſimam, ſegregatamq́; omni labe vitam perueniamus, vtendumq́; optimo Deorum cultu, maximeq́; ſupremis Diis congruenti, aſſeruerũt: παραγγέλλει τῆς οὐρανίας πορείας ἀντέχεσθαι καὶ τοῖς νοεροῖς θεοῖς συνάπτεσθαι τῆς τε ἐνύλου χωρίζεσθαι καὶ περιάγεσθαι πρὸς τὴν ἄϋλον καὶ καθαρὰν ζωὴν, θεῶν τε θεραπείᾳ χρῆσθαι τῇ ἀρίςῃ, καὶ μάλιςα τοῖς πρωτίςοις θεοῖς προσηκούσῃ. Ex his conſtat, optimum illũ, ad quem inuitat Deorũ cultum, ſupremosq́; maximè decentem, non aliũ eum innuere, quàm hodiernum, qui, & optimus eſt, & ſupremo maximè Deo conueniens. Neque enim ſupremus eſt, niſi vnus, adorandus ſolus, eis faten tibus. Hæc fuerunt ea, ob quæ vocatus eſt Iamblicus a ſuis diuiniſſimus, approbantibus ſcilicet, quę de religione docuiſſet. Itaque etiam diuinè de rerum humanarũ contemptu, ſummo cum Theologia vera conſenſu diſſeruit: Optant, ait, omnes eſſe beati, ſed quã cupiunt in primis vitam, niſi cauſa maior felicitatis accedat, ſentiunt eã non ſufficere. Ergo ridiculũ eſt, non omni contentione, ſtudio, atque induſtria elaborare, quo ſapientiã cõſequamur, quę ſola poteſt efficere beatos. Inuenies enim, quæ magni ab hominibus ęſtimantur, cũcta eſſe σκιογραφίαν, inania ſimulachra, adumbratamq́; picturam: vt rectè dicatur, hominem μηδὲν εἶναι τὸν ἄνθρωπον, eſſe nihili, humanasq́; res inſtabiles eſſe. Siquidẽ robur, proceritas, forma, ridicula ſunt, nullius pretij: γέλως ἐςὶ καὶ οὐδενὸς ἄξια. Nam forma, præterquam quod nihil habet exquiſitum, ſi quis, quemadmodũ Lynceum ferunt, parietes, & arbores penetrare viſione poſſet, quãtam malorum turbam videret eam ſequentẽ? Honores porrò, gloriaq́; omnis, pro qua, ſumma contentione depugnatur, ἀδιηγήτου γέμει φλυαρίας, inenarrabili vanitate redundat. Nam qui ipſam ante oculos habet ęternitatem, ſtultitiam videbit his ardenter elaborare. Quid enim humani eſt diuturnum? Hęc Philoſophus. Nihil igitur abeſt, quo minus omnibus ſuffragiis, hodiernam religionem, veritatis ſedem, reginam probitatis, ſapientiæ ducem decernant, qua nihil ab immortali Deo melius hominibus dari potuiſſet. Vna enim perfectè rerum humanarum fragilitatem, inconſtantiamque detexit, ab earum amore melioribus propoſitis diſſociauit. Sola magiſtra vera fuit eorum, quæ Philoſophis Natura docente, videbantur. Conuocant igitur & ipſi mortales a terrenis, fragilibusque auocatos, ad ęterna, ad religionem puram, ad pietatem veram, ad cultum Dei, ad ſpes cœleſtes.

Purum purè contingere quid ſit.

Matth. 6.

Non aliud agens, Deo ſacra tibi facienda.

Modeſtè Deum colendum.

Non eſt ſupremus, niſi vnus.

Sola ſapientia, beatos facit.

Corporis & fortunæ bona quæ.

Philoſophos arbitrio libertatem tribuentes, ſed opem diuinam ad opera recta neceſſariam prædicantes, mirificè cum religione hodierna congruere. Mala ex nobis ipſis eſſe, autoribus eis. Cap. XVII.

ALIVD quoque mirabile, ſcituque dignum, quòd de libertate animi, ac libero arbitrio, eadem atque noſtros, apud eos habentur. Conſpirant enim ſapientia cœleſtis, atque Natura. Omnem inquam animis datam eſſe libertatem, nobis permitti, malimusne miſeri, an beati eſſe. Siquidem Iamblicus teſtis eſt, Pythagoram, ſumma aſſeueratione, apud omnes, περὶ τῆς ἐν τῇ ψυχῇ αὐτεξουσίου δυνάμεως ἀναμφισβητήτως ἀπέδειξε: De animi iure expeditaque poteſtate, ſine vlla ambiguitate diſſeruiſſe, demonſtrationes expreſſas præbuiſſe.

Homines, ſui iuris, & liberū habentes agēdi principium,

præbuiſſe. Duobusque adnominibus deſignabat, δυνάμει, facultate, poteſtate. Vbi eſt enim poteſtas, nullum eſt vinculum, nulla obligatio, eſt facilitas. Altero αὐτεξουσίᾳ, ſui iuris, ſuæ licentiæ, ſuæ libertatis. Sed diuinius, ac profundius hoc apud eum, & Platonem eſt demonſtratum. Siquidem Pythagoras affirmabat eodē Iamblico autore, ὅτι αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἐσμὲν ἐν τύχης, καὶ δαίμονος τάξει, καὶ ἡμεῖς τὸν δαίμονα αἱρούμεθα, καὶ εὐδαίμονας αὐτοὶ ἑαυτοὺς παρασκευάζομεν: Nos ipſos, nobis eſſe Fortunæ, & Genij loco, nos eligere Genium, noſmet facere vt ſimus fortunati. Quid diuinius, ad errores aperiendos humanos præſentius? Nuſquam eſt Fatum, non Fortuna, niſi quam tu volueris. Quem malueris, Genium habebis. Dabit ergo malis mala Deus, dans eis, quæ maluiſſent, dum bona, & mala velle potuiſſent. Hoc Pythagoras eo carmine deſignabat,

Non eſt fatum, non fortuna, niſi velis, Nemo peccat inuitus,

Γνώσῃ δὲ ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας.

Sponte ſua noſces homines ſibi quærere clades.

Liberum arbitrium quidem, ſed diuino egens auxilio,

Sed quoniam liberū quidem arbitrium eſt, verum niſi maioribus auxiliis in malum potius, quàm bonū propter humanam fragilitatem procliue ſuſtineatur, delabitur in deterius, verè ſanxit Theologia, liberum quidem arbitrium eſſe, ſed indigere auxilij diuini: Solus enim Deus, cuius eſt inexhauſta, indeficiensque bonitas, poteſt ſemper velle bona. Nos autem qui longè diſtamus ab illo, cadimus, ſed volentes, qui non cadere poteramus, ſi noluiſſemus. Auxilium igitur diuinum implorandum, vt electio potēs eſſe malorum, potius ſit bonorum, cum noſtris illi maximè ſenſerūt. Iamblicus: μία μὲν ἀρίστη παράκλησις εἰς τὴν θείαν εὐδαιμονίαν, ἡ μεμιγμένη ταῖς εὐχαῖς καὶ ἀνακλήσεσι τῶν θεῶν. καὶ μάλιστα τοῦ βασιλέως αὐτῶν διός: Optima, vnaque præſtans eſt conſolatio ad felicitatem diuinam, quæ miſta eſt precibus, & inuocationibus Deorum, maximè verò Regis eorum Iouis. Epictetus etiam eadem, atque Iamblichus ratione, niſi ſolidis radicibus autori noſtro penitus hæreamus, fore prædicat, vt nunquam veram beatitudinem, in multa ſcelera prolapſi conſequamur, vt ſuperius adductum eſt.

Hieroclem, Syrianum, eximios philoſophos, veram iudicare ſapientiam, virtutumque principem pietatem, & aſſimilationem cum Deo, & imitationem bonitatis, iuſtitiæq; eius. Eumque eſſe philoſophiæ finem. Hanc eſſe beatitudinem, quam Marcus Tullius dicit a philoſophia donari. Cap. XVIII.

Profana Theologia cęleſti Teologię aſſenſum pbuit.

1.Cor.13.

A pietate virtutes manāt omnes.

Pſal.110.

Prouerb,1,

AVDIENDVS item Hierocles, & Syrianus, ſummus vterque Philoſophus, de totius Philoſophiæ, cunctarumque contemplationum fine, vt omnes intelligant profanam Theologiam cœleſti ſe deuouiſſe, placitisque eius, pronis animis aſſenſam eſſe, nec aliam ſibi metam ſtudiorum præfixiſſe, quamquam doctrina cęleſtis oſtendit. Ait ergo Hierocles: τέλος ἁπασῶν ἀρετῶν ἡ φιλία, ἀρχὴ δὲ ἡ εὐσέβεια: Finis, inquit, virtutum charitas, principiumque pietas. Eſt autem ratio pietatis, bonorum nobis omnium origo, & ſeminarium. Cernis quæ Diuus Paulus; Fides, ſpes, charitas, maior horum charitas. Is finis omnium virtutum, charitas erga Deum, & homines. Audis a pietate, veluti fonte, cunctas manare virtutes? Eſt enim timor Domini principium omnis virtutis, & ſapientiæ Exercendam igitur, amplectendamque clamant pietatem, quemadmodum ſemper hodierna religio; quia lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam: Et qui tenuerit eam beatus. Si pietas igitur eſt origo virtutum, finemque virtutum nobis apportat: nihil autem eſt virtute melius profectò laudatur, ſupremis laudibus fertur a Philoſophis ea religio, quæ præter omnes, pietatem veram nouit, & exercuit. Eſt autem pietas ſuprema, veraque de ſupremo Deo. Cui colitur igitur, indefeſſeque laudatur ſupremus Deus, rerum principium & finis prædicatur ſemper, ea pietas vera, atque ſuprema. Quis è Philoſophis igitur, ſi vidiſſet hodiernam religionem omnem ad ęterni, & incommunicabilis Dei cultum inclinatam, ad eumque genus humanum vocantem, ſi veritatis amicus eſſe, priuatis affectibus omiſſis voluiſſet, non extemplo veram, ſingularemque, ſolam pietatis nomine dignam exclamaſſet? Idem Hierocles ait, finem vitæ eſſe, θεὸν ποιεῖν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, κατὰ τὸ δυνατόν: Deum facere ex homine, vſque quo fas eſt, hominem fieri Deum. Sentit Hierocles, quod apertè noſtri: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Et, Cohæredes Chriſti, conformes imagini Filij Dei. Huiuſmodi finem ſenſerunt, & illi ſentientes, hodiernam religionem magiſtram omnium bonorum, & matrem palàm innuerunt, quæ quomodo Dij, aut filij Dei fieri mortales poſſent, vnà docuit: & ad veritatis aulam iter patefecit. Addidit Hierocles Pythagoreus: Quoniam igitur vita ſecundum virtutem diuinam amplectens ſimilitudinem, verè diuina eſt: at quæ cum ſcelere, & flagitiis tranſigitur fera, impia: claret voluptatem probi diuinam lætitiam imitari, Deum, mentemque ſequentem. Verum improborum voluptas (ſit enim nunc commune nomen) efficitur motui fero, & ſtupido per ſimilis. His Hierocles oſtendit virtutem, ſimilitudinem, imitationemque eſſe diuinam, ſimiliter voluptatem, ex virtute naſcentem, ſimilem lætitiæ diuinæ, confirmans ea, quæ noſtris in litteris habentur: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia

Deum facere ex homine.

Ioan.1.

Roman.8.

Religio Chriſtiana, magiſtra bonorum omnium.

Virtus, ſimilitudo Dei.

Matth,11,

me, quia mitis ſum, & humilis corde. Imitamur igitur illum, cùm rectè viuimus. Non aliud eſt hodierna Philoſophia, quàm diuinæ probitatis, iuſtitiæ, bonitatis imitatio. Ecce vna omnium religio, mens omnibus vna, vnus Deus, vnus vitæ finis, vna eademq; Philoſophia, Deum imitari, voluptates ex hac imitatione naſcentes ſolas proſequendas, ſolas veras, ſynceras. Syrianus autem præceptor Simplicij in interpretatione librorum Ariſtotelis: τοῦ ἀγαθοῦ ἕνεκα, &c. Boni enim cauſa, & vt cum Deo ſimilemur, & cauſa ſalutis noſtræ, ſpeculari deſideramus. O plus quàm aurea verba. Magnus igitur Philoſophiæ, & præclarus finis, Deo ſimilari, bonitatem eius imitari. Hæc noſtra ſalus, hoc bonum. Id optat, ſibique proponit Philoſophia. Vna eademque noſtra, atque illorum: Illorum, docente Natura: noſtra, reuelante Deo. Non poteſtis igitur ò Philoſophi negare, quin omnibus, quæ cælitus hominibus donari potuiſſent, optatior, verior hodierna ſit Philoſophia. Marcus igitur Tullius eximius & ipſe, diuinæque mentis Philoſophus, de Finibus, Omnis, ait, autoritas Philoſophiæ, conſiſtit in beata vita comparanda. Beatè enim viuendi cupiditate incenſi omnes ſumus. Quæ igitur hæc, ò Marce, beatitudo, niſi quam Syrianus, cæterique dicunt, primum diuinam pulchritudinem imitari, tum ex eo conſequi beatam vitam in poſterum, quæ nulla in terris reperiri poteſt? Denique etiam vetuſtiſſimus Pythagoras vidit, & celebrauit hanc beatitudinem donandam ex optimè in vita geſtis:

Philoſophia Chriſtiana q̃d.

Beatitudo, diuinã pulchritudinẽ imitari.

Ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην
Ἢν δ᾽ ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ᾽ ἐλεύθερον ἔλθης
Ἔσσαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.
Optima mens, animi fac vt moderetur habenas,
Tum corpus linquens, tranabis ad æthera apertum,
Immortalis eris Deus, amplius haud mortalis.

En quod pater bonorum, hominibus in terra prædicauit: Erunt omnes ęquales Angelis Dei. Quod eius Apoſtoli confirmantes; Dedit, inquiunt, eis poteſtatem filios Dei fieri. Et, Conformes imagini filij Dei.

Luc. 20.
Ioann. 1.
Roman. 8.

Priſcos a maioribus audiſſe de præmijs æternis. Famam ſemper inter mortales crebuiſſe futuræ felicitatis poſt hanc vitam. Platonis, & Socratis, & Marci Tullij teſtimonia. Cap. XIX.

DENIQVE de futura vita, omnibusque his quæ pari, atque ſuperiora conſenſu cunctæ nationes, nullo non ſæculo crediderunt, aſſerueruntque, partim ratione, iudicioque vidente, partim ex antiquiſſimis ſæculis, atque vt ego quidem arbitror, ab exordio mundi per omnes ętates hæc Theologia manante, mirificè nobiſcum Philoſophi conueniunt. Quæ cùm & a paucis, & obſcurè, autoreque incerto quondam circumferrentur, nuncio cœleſti, a regiis ſedibus ſuis in terras deſcendente, velut intra adyta, repoſita, & condita lux, ruptis quibus antea clauſtris contineretur, torrenti ſimilis inundauit, clariſſimis facibus, toto terrarum orbe explicata. In duas autem finditur hæc futura vita vias: alteram ad ęterna præmia, alteram ad ęterna ſupplicia ferentem. In quibus cùm mirè Philoſophi nobiſcum congruant, fit omnium quæ ſuperioribus libris ſcripta ſunt, confirmatio. Confirmatur enim hinc immortalitas animorum, creatio mundi, cuius ęternitas non ſtat cum vita futura. Confirmatur item prouidentia, hominumque creatio. Mirabile verò eſt, vt ratio, Naturaque docuerat multos, quæ poſt Deus ipſe reuelauit. Habet enim veritas impetus ſuos, ſeſeque ſponte, propter diuinam ſimilitudinem animis offerens, eos ad confeſſionem ſui compellit. Sed enim ſemper lux aliqua refulſit, & ex antiqua ante diluuium, ab humanæ prolis initio, pietate, qua ſolus Deus vno ab omnibus animo colebatur, quædam per omnes gentes reliquiæ reſtiterunt. Conſtat igitur, fidem apud mortales ſemper olim fuiſſe celebrem, eſſe poſt hanc vitam aliud vitæ genus, diuinius, animis piis, iuſtiſque paratum, eamque famam conſtantem per omnes genſes, ſæculis omnibus increbuiſſe, nunquam ſpem hanc ex humanis pectoribus extinctam, mœſtos eos, ac triſtes deſtituiſſe. Plato igitur in Apologia, εἰ δ᾽ αὖ οἷον ἀποδημῆσαί ἐστιν ὁ θάνατος ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, &c. Sin autem mors eſt, quaſi hinc in alium demigrare locum: & vera ſunt quæ dicuntur, eſſe defunctos illic omnes: quid eò melius dari poſſit? Eſſe priſcam, publicamque famam de immortalitate animorum, de præmiis ęternis, de conſortio, ſocietateque bonorum, quam decantauit, extulitque miris laudibus ibidem Socrates, nihil melius contingere cuiquam poſſe, quàm cum ſapientiſſimis, iuſtiſſimiſque viris verſari, quos Græcorum optimos fuiſſe ſcirent omnes. Hanc celebrem, peneſque omnes fuiſſe famam Plato docet. Si vera, inquit, ſunt, quæ dicuntur; Sermo conſtans, vnanimiſque omnium teſtimonio corroboratus, quem fontem aliquem magnum, vnde flueret, autoritatemque

Priſcis philoſophis inſinuata doctrina de vita futura, a Chriſto declarata.

Duæ viæ.

Veritas habet ſuos impetus.

Mors q̃d.

Fama vetuſtiſſima, & ſermo conſtans de migratione animorum ad alteram vitã.

maiorem,

Martyrũ constantia vnde.

1. Tuſcul.

Priſci ſe progeniẽ Deorũ dicebant.

Grauiſſimum teſtimonium vetuſtatis.

Regnum cœlorum prædicatũ nouiſſimis temporibus.

Cur mortem minimè ſibi metuendam Socrates putarit.

maiorem, quàm humanam habuiſſe neceſſe eſt. Magnus igitur omni ſæculo crebuit rumor, homines ex hac vita in alium quaſi mundum proficiſci, bonoſque cum bonis congregatos, beatiſſimè viuere, quorum tanta ſit beatitudo, vt qui ſapiens ſit, non vnam modò, vt eo fruatur conſortio, ſed mille mortes libenter occumbat. Addit enim Socrates: ἐγὼ μὲν γὰρ πολλάκις ἐθέλω τεθνάναι, εἰ ταῦτα ἀληθῆ: Ego ſæpius optarim mori, ſi hæc vera ſunt. Hoc ante oculos habentes martyres noſtri, omne mortis genus præſentiſſimis animis ſubeuntes, ſe quaſi ad epulas, & triumphos tum vocari fatebantur. Hanc quoque famam, publicamq́ue, non Gręcorum modò, ſed item aliarum nationum perſuaſionem fuiſſe, inſignis teſtis alius, Marcus Tullius: Autoribus, inquit, ad iſtam ſententiam, quam vis obtineri, vti poſſumus, quod in omnibus cauſis & debet, & ſolet valere plurimum. Et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu, & diuina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat. Itaque vnum illud inſitum erat priſcis illis, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ, ſic deleri hominem, vt funditus interiret. Ecce Marcus inſitum ait fuiſſe priſcis illis, a quibus Græci, Latinique originem, & ſermonem, ritus, & ſcientias ſuſcepere (quos Socratem apud Platonem ſpectaſſe verum eſt) animos immortales curriculo vitæ præſentis exactos, ire in alia loca, frequenteſque bonos cum bonis lætari, triumphari in republica beata. Teſtimonium vetuſtatis orator grauis valere plurimum ſolere, & debere in omnibus cauſis, aſſeuerat. Quod Ariſtoteles quoque in Moralibus confeſſus eſt. Meretur autem fidem vetuſtas, ne fortè putes ſine ratione hæc eos ſenſiſſe, quòd ab ortu, progenieq́ue diuina non longè aberant, propiores erant diuino ſatui. Progeniem autem diuinam ſentit, procreationem diuinam, qua Deus procreauit, genuit, ſeu fecit hunc mundum, & hominem, qui vera diuina progenies fuit: Aut ſentit Deos, & Angelos, quos vnà cum hominibus progenitos, homines, vti præceptores audierunt. Fortè intendit eò Cicero, quod Plato in Timæo docuerat, Difficile eſſe non credere natis a Diis. Credendum, inquit, mirum in modum eſt priſcis, vt aiunt, viris, qui ſe progeniem Deorũ eſſe dicebant. Hæc igitur cauſa, quamobrem priſcis credendum ſit, a quibus, vt ſæpenumero dixi, quandam conſtat manaſſe Theologiam, profectam quidem a priſcis ad poſteros, ad priſcos autem a Deo, cuius ſe progeniem illi aſſerebant. Deus enim Hebraicè dicitur numero multo Dij. Natus homo a Deo, eruditus quoq; eſt, magna cognitione rerum diuinarum ex ſermone, & pręſentia eius dotatus. Hunc & filios eius, veteres audierunt, ſenſerunt eum aſſerentem ſe progeniem eſſe diuinam. Is & omnis poſt ętas, dicti ſunt priſci, nati, vt ipſi aſſerebant a Deo. Sed priſcos in Timæo natos a Diis, dixit, in Tuſculanis autem propiores ſtirpi diuinæ, vt alij ſint priſci, alij progenies diuina. Fuerunt igitur primi genitores, progenies diuina: Cæteri poſt eos nati, eoſq; contemplati, edoctiq; ab eis ex quotidianis ſermonibus, priſci. Grauiſſimum igitur hac de cauſa, & fideliſſimum teſtimonium vetuſtatis, quæ a parentibus ſuis, diuina progenie, animos immortales eſſe, & ab hac vita migrare ad conſortia beatorum, multaq́ue alia myſteria, quorum reliquiæ, & veſtigia quædam collecta ſunt his libris, audiuit. Itaque Marcus idem Tullius, non Platonis modo Theologiæ ſubſcribens, ſed firmam gentis ſuæ ſententiam proponens. Si quidem, inquit, aut Dij ipſi, aut cum Diis futuri ſumus. En illa ſacroſancta miſſa de cœlo in terras vltimis temporibus latiſſima, atque vberrima ſapientia; Erunt, inquit huius ſapientiæ fons, omnes æquales Angelis Dei. Quod prædicauit velatus humano corpore, nobiſcumq́ue verſatus in terris, iam antea primos parentes, priſcoſq́ue docuerat partim ſua præſentia, partim nunciis cœleſtibus. Prædicatum eſt regnum cœlorum, & diuulgatum nouiſſimis ſæculis reſonantius, clarius, dimiſſis vſquequaque per omnes terras præconibus, vt haberet autoritatem firmam, atque inconcuſſam, quod antè celebri quidem ſermone, ſed autore incerto vulgabatur. Scintillæq́ue illæ refulgentes, radiorumq́ue obſcuritas, ipſo toto corpore lucis apparente, cognitæ ſunt, & perfectę vnde micarent. Audi igitur, vt Plato audierit a priſcis, priſci a progenie diuina, diuina progenies, a parente ſuo Deo, iuſtis, & probis ęterna bona, commercium Deorum, quos Moſes nuncupat Angelos: nec verò commercium ſolum, verum etiam ęqualitas naturæ fuerit promiſſa, antequam lux illa magna flagraſſet in terra: Dura, inquit Socrates, mihi mors videretur, εἰ μὲν μὴ ᾤμην ἥξειν πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς θεοὺς, ἄλλους σοφούς τε καὶ ἀγαθοὺς ἔπειτα καὶ παρὰ ἀνθρώπους τετελευτηκότας ἀμείνους τῶν ἐνθάδε: Niſi putarem me profecturum, primum ad Deos alios ſapientes, ac bonos, tum ad homines, qui exceſſerunt è vita, longè his qui nunc in terra morantur, meliores. Vides, vt ſpes illis quoque ſæculis rutilaret ex hac vita ad ſocietatem Angelorum, ſanctorumq́ue virorum proficiſcendum? Angelorum, inquit noſter, choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ cõditoris aſſiſtere. Superiora ante aduentum lucis magnæ, poſteriora poſt dicta ſunt. Eadem reluxit ſemper Theologia, obſcurior prius, & quaſi in crepuſculo, demum flagrantiſſima. Quoniam igitur ad beatitudinem animos ire prædicabatur, hinc fama erat, cuius meminit cum aliis multis idem Plato, eſſe nos in hac vita, tanquam in carcere: Eſt, ait, in arcanis quædam fama: nos quaſi in cuſtodia eſſe, a qua nemini liceat ſponte decedere.

A *Plato & Socrates & Marcus Tullius teſtes, fidem antiquam eſſe de præmijs iuſtitiæ, ac probitatis. Eos cum noſtris prædicare, fugiendas corporeas illecebras, vitam cæleſtem in corporibus agitandam. Qui hoc egiſſent, in concilio Deorum futuros.* Cap. XX.

Hanc ipſam per omnes mortales a maioribus de futura beatitudine bonorum, malorum autem ſuppliciis, traditam famam, ac ſcientiam vbique repetit, inculcatque Plato. Nam ne credas malos pariter atque bonos, ea felicitate, beatitudineque donari, ſentiaſque iuxta Theologiam noſtram, id eſt, eorum, qui poſt cęleſtem effuſam per terras ſapientiam nati ſunt, eos quoque malos ab hac felicitate ſecluſiſſe, teſtis idem Plato: Optima, inquit, ſum ſpe, eſſe defunctis aliquid, &, vt dictum eſt antè longè melius bonis, quàm malis: εὔελπίς εἰμι εἶναί τι τοῖς τελευτηκόσι, καὶ ὥσπερ γε καὶ πάλαι λέγεται. Idem paulò pòſt præclaram de hac vita, ac diſcrimine bonorum, malorumque vocem extulit: Nefas eſt, inquit, ad gentem diuinam aſpirare cuiquam, qui philoſophatus non fuerit, puruſque ex hac vita prorſus non abierit. Ob quam cauſam veri Philoſophi ab omnibus cupiditatibus corporeis ſe continent, neque ſe ipſos eis dedunt vnquam. Sic Plato. Noſter autem, Apparuit, inquit, humanitas & benignitas Saluatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietates, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem. Hæc igitur Socrates vidit, & prædicauit moriturus. Eſt enim beata ſpes, quod Socrates dicebat, B ſubleuari ad gentem Deorum, Angelorum concilio aſcribi. Hoc non datur apud Socratem, niſi purè ac rectè philoſophanti, id eſt, vt ait diuus Paulus, ſobriè, & iuſtè, & piè viuenti, abnegantique impietates, & cupiditates mundanas, quaſi vulgares, quas homines impuri promiſcuè ſectantur, ſpectantes ad corpoream hanc, fragilemque vitam, & oblectamenta, voluptateſque mundi huius. Quibus impuratos, contaminatoſque, & Socrates prius, & poſterius Paulus, negant aditum habere ad ſuperos. Itaque Philoſophia de regno cęlorum, de conſortio Deorum, & quòd hominibus iuſtis via patet ad ſuperos, eſtque beatitudo parata, necnon quòd philoſophandum ſit, id eſt, ſapienter, iuſtè, pieque viuendum, quoniam ſunt magna præmia propoſita, nempe ſocietas Deorum, cum prius circunferretur, vltimo tempore celeberrimam reddidit legatus Dei in terras. Hinc Philoſophi, & qui ſapere ex rerum conſideratione non deſipere ſtatuerunt, agnoſcent hodiernam religionem ſemper aliquo modo fuiſſe, eamque ſapientiſſimos quoſque ſummis laudibus extuliſſe, prædicaſſe. Vt ſi Socrates hoc tempore fuiſſet quo tam eximia de patria cæleſti, vitaque beata illa, Deorumque commercio prædicantur, & prædicatur ſolos bonos ad eam ſublimandos, certè ſublatis ad cœlum manibus dicturum fuiſſe par ſit; hanc vnicam, ſingularemque ſapientiam, humani generis magiſtram apparuiſſe, veriſſimaque eſſe & adoranda, amplectandaque quæ ab ea dicantur. Nullamque, ſi quis rectè cenſeat, inter Philoſophos, & hanc religionem diſcordiam eſſe. Nam Socrates ſapientiſſimus Græcorum ab Apolline iudicatus, ſi dixit, & prædicauit, his qui ſapienter, recteque vixiſſent, futurum id præmii, quod ad diuinam gentem proficiſcentur, ad quam nefas ſit impuros aſpirare, profectò dixit, quod Chriſtus natus ad hoc ipſum, & corpore velatus humano, in mundo regia voce prædicauit, aperuitque explicans, & C clara faciens, & radiantia, quæ quadam obſcura ratione illi augurarentur. Marcus igitur iterum iuxta Platonis, & Socratis & ſuam, quòd ea mirificè probabat, ſententiam duas eſſe vias, duplicesque curſus animorum è corpore excedentium, dicit. Nam qui ſe humanis vitiis (quæ diuus Paulus appellat ſecularia deſideria) contaminaſſent, & ſe totos libidinibus dediſſent, (contrà videlicet, quàm Chriſtus, & legatus eius Paulus prædicarint) quibus cæcati velut domeſticis vitiis, atque flagitiis ſe inquinaſſent, vel in republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent, iis deuium quoddam iter eſſe, ſecluſum a conſilio Deorum. Qui autem ſe integros, caſtoſque ſeruauiſſent, quibuſque fuiſſet minima cum corporibus contagio (Quod diuus Paulus dixit, ſobriè & piè & iuſtè viuere, Et fugere fornicationes, immundiciam, libidineſque efferas) ſeſeque ab his ſemper ſeuocauiſsent, eſſentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum (quod noſtri dicunt in carne eſſe, & præter carnem viuere, agereque in terris vitam Angelorum) his ad illos, quibus eſſent profecti, reditum facilem patere. Pauloque inferius docet, vt conſueſcamus mori. Hoc, dum erimus in terris, erit illi cæleſti vitæ ſimile, quò cùm venerimus, tum denique viuemus. Hactenus Philoſophus Latinus, ex quibus intelligimus, eandem eſſe de ſupremis humanæ vitæ, malorumque & bonorum finibus, Philoſophorum, noſtræque religionis ſententiam: Quòd malis erit iter quoddam deuium, ſecluſum a conſortio Deorum, ferens in alia longè diuerſa, quàm cęleſtia loca, quæ poſtea ſeparatim explicabuntur: Quòd fugiendæ ſint in corpore, corporeæ voluptates, Angelorumque vita in terris agenda: Eſſe in corporibus humanis vitam imitandam Deorum. Hoc vera religio philoſophatur. Innumerabilis multitudo patriæ cæleſtis amore, vitam imitati Deorum, non modò ab inconceſſis voluptatibus, ſed etiam licitis ſe continent. Quis eſt, quin putet, ſi magni illi, anteſignanique Philoſophi cæterorum Philoſophorum principes religionem hanc vidiſſent,

Qui puri abeunt ex hac vita, beati.

Beata ſpes quæ.

Socratis doctrina de animorum præmijs.

Duæ viæ animorũ è corporibus exeuntiũ, etiã apud M. Tull.

Tit. 1.
Tit. 2.
1. Cor. 6.
Coll. 3.

Sãctorum hominum actiones.

Vera eſt a Deo philoſophia.

Pſal. 31.

non protinus dicturos fuiſſe, nihil ea melius dari hominibus a Deo potuiſſe, Principem, & caput, non hominem, ſed Deum habuiſſe, conditam non humanis, ſed diuinis præceptis? Nam quanquā hæc dixerat Socrates, hærebat tamen adhuc, nec tota luce ſua, veritas ei affulgebat, multaque remanebant dubia. Refulſit poſtea faces ſuas è cęlo apportante Deo, qui primus aduentu ſuo, celebre facit & clarum regnum cœlorum. Hanc eandem ſententiam, quæ viro ſapienti ſummè placeret, retulit Marcus Tullius in Somnio, Si quidem, inquit, benemeritis de patria, quaſi limes ad cęli aditum patet, nunc tanto præmio propoſito enitar multo vigilātius. O veritatem ſemper aliqua luce radiantem. Hoc agitur nunc paſſim, agendumque, is qui meritò dictus eſt humani generis Seruator, præcepit, hortatus eſt, oſtentans diuitias cęleſtes, omnes ad eas gratis capeſſendas inuitans. Homines autem ſapientes, tantis præmiis propoſitis, acriter enituntur, tum noxias a ſeſe voluptates abiicientes, tum charitate, iuſtitia, modeſtia, pietate vitam Deorum imitantes. Quę idem ille, ſumma concordia cum religione vera, ſic deſcripſit: Sunt, inquit, optimæ curæ de ſalute patriæ, quibus agitatus, & exercitatus animus, velocius in hanc ſedem, & domum ſuam peruolabit. Idque ocyus faciet, ſi iam tum, cùm erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erūt, contemplans, quàm maximè ſe a corpore abſtrahet. Nam eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earumque quaſi ſe miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum, & hominum iura violarunt, corporibus elapſi, circum terram ipſam voluntantur. Hæc ait ille. Nam quod ſubiicit, Nec in hunc locum, niſi multis exagitati ſęculis reuertuntur, poſthac examinabitur. Conſtat modò, eandem eſſe priſcam atque nouiſſimam de præmiis bonorum, ac malorum, de regno cęlorum ſapientiam. Ad quod vita caſta, innocenti, pura, iuſta peruenietur, inde longius excludendis qui ſe corporeis voluptatibus dedentes, & ingurgitantes, ſimiles porcis, & aſinis eſſe, quàm Diis, aut Angelis maluerunt: Nolite, inquit oraculum, fieri ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus. Ad Platonem tanquam legitimum hæredem, quaſique Atticum Moſen venit à priſcis hæc Theologia, ſicut de tribus numinibus, de diuina ſimilitudine animorum, venit ab Aegyptiis, Hebræis, Chaldæiſque, qui a progenie diuina audierant, Marcuſque ipſe, ſuæ gentis quoque firmam, inſitamque penitus ſententiam eam fuiſſe cum Seneca confirmat.

Probos poſt vitam Deos declarandos, quemadmodum ſacræ litteræ, prædicare Platonem: Improbos, iniuſtos, ſceleratos cum ſimilibus habitaturos, Tenebras appellare Platonem, pœnas malorum. Cap. XXI.

Probū hominē poſt exceſſum a vita, fieri dæmonē.

Luc. 20.

Sap. 3.

Chriſti ad nos aduētus.

HANC eandem ſententiam Plato non modò vt ſuam, quemadmodum Marcus Tullius, ſed vt maiorum ſuorum, qui diuini apud Græcos habiti ſunt, ſæpe memorat, famam tempeſtatis ſuæ, ſuperiorumq; ſæculorum, quibus a locis fragrantem, haud certum præclarè inquit, in Cratylo, Heſiodus, & alij multi ex Poetis dicunt: ὡς ἐπειδάν τις ἀγαθὸς ὢν τελευτήσῃ μεγάλην μοῖραν, καὶ τιμὴν ἔχει, &c. Quod poſteaquam quis probus exceſſerit è vita, magnam ſortem, honoremque aſſequitur. Fitque Dæmon, iuxta hanc ſapientiæ nuncupationem. Aſſentior igitur & ipſe, prudens, & ſciens quicunque ſit, Dæmonium eſse, vel viuentem, vel defunctum, recteque Dæmonem vocari. Ecce ab Heſiodo, vetuſtioribusq; Poetis, quos eoſdem Theologos dictabant, de præmiis, honoribuſque bonorum poſt vitam, magna prædicatio, Qui decernantur, declarenturq; Dii, Quàm bene congruit cū eo, quod Seruator noſter, Erunt ęquales Angelis Dei. Hæc illa beata ſpes, hæc illa deificatio, & conformatio imagini filij Dei, cùm tales erunt boni, qualis ille: Cùm fulgebunt iuſti, ſicut Sol, in cōſpectu Dei. Hanc veteres Poetæ, præclaram ſortem, ſummoſq; honores bonorum à priſcis audierunt. Audierunt deificationē, quę promittitur bonis poſt vitā, promittitur reddendos eos Deos, in numerum diuorum collocandos, appellandos Dæmones, hoc eſt Deos, ſiue Angelos, vt Philo declarauit. Hoc priſci Poetę, qui propius ab ortu mundi, ab hominibus, qui Deum viderāt, & audierant abfuiſsēt, tradiderunt, perq; omnes ætates ferebatur. Idcirco non magnorum modò virorum teſtimonio, ſed ipſa quoq; ratione fit perſpicuum, vetuſtiores & ſyncerius Deum verum coluiſse, & de Diuinitate eius, de mundo, Diis, hominibuſq; rectius quàm poſteriores ſenſiſſe. Venit autem ſummi Dei filius, vt reuocatos ab erroribus, quos impietas ſæculorum attuliſſet, homines, & ad vetuſtiorem religionem, primorumq; hominum pietatem remiſſos, noua quoq; maioreq; ſapientia conſecraret, ſceleribus illis deletis, quę & à principio contracta, & poſt multa ſęcula exorta fuerant. Eandē Theologiam palàm aſſeruit in Theæteto Plato, Mala nō eſse apud Deos, ſed mortalem naturam, & hunc noſtrum peruagari locum. Quocirca conandum totis viribus, vt ab his malorum ſedibus, ad Deos confugiamus. Fugam autem eſse fieri Deo pro virili ſimilē. Similitudinem autē contingere, ſi iuſtus ac ſanctus ſapienſq; ſis. Hoc igitur eſt, quòd in Phædone, totq; aliis locis tradiderat, & quod Marcus ex ipſo Platone: Atq;, inquit, in corporibus humanis, vitam fuerint imitati Deorum. Hac imitatione, & ſimilitudine, iter ad ſuperos, & a regno malorū fugam patere. Quę ſors autem ſit malorum, expoſuit pręclarè, & diuinè ibidem in Theæteto.

A Quicunque,inquit,dementiæ,ſtultitiæq; aſſueuerint, dabunt meritas pœnas, vitam ſtultam degentes. Quòd ſi dixerimus fore, vt nunquam eos pęniteat flagitiorum, vita quidem functos locus ille ſceleris,malorumque purus,non recipiet, ſed ſimilitudinem vitæ conſequentur, ſemper mali cum malis habitantes. Separat hic,vt vides,patriam,cōſortium, ciuitatem bonorum,ac malorum Plato. Bonos cum bonis, puriſque futuros,non futuros autem malos,reiiciente eos loco puro,& non admittente pollutos. Ergo cum malis, inquinatiſque ſpiritibus cohabitaturos meritis pœnis cruciandos. Sicut illi in collegio Deorum,ſic hi in conſortio impiorum, omniumque damnatorum. Has duas ſortes etiam in Phædro, planè, dilucideque demonſtrat,de his qui per amorem recipiunt amiſſas alas,præmium ingens aſſecuturis,venturis in patriam cęleſtem. Nefas enim eſſe,nec vllam legem permittere,vt ad tenebras ſubterraneas, hi proficiſcantur, qui ſemel iter cęleſte carpere cępiſſent: εἰς γὰρ σκότος καὶ τὴν ὑπὸ γῆς πορείαν, οὐ νόμος ἐστὶν ἔτι ἐλθεῖν τοῖς κατηργμένοις ἤδη τῆς ἐπουρανίας πορείας. Quo loco diſtinguitur apertè locus amborum, oſtenditur etiam infernus, Tenebræ ſcilicet,& iter ſub terram iuxta oraculum, In tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Theologia maiorum ſimilis hodiernæ cęlitus demiſſæ, quemadmodum & illa, à veteribus prodita,qui & meliores, & Diis aut Deo propiores ipſo Platone in Philebo teſte, οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες καὶ ἐγγυτέρω θεῶν. Quoniam ergo & meliores priſci & Deo propinquiores,ſicut Adam,qui vidit eum, & audiuit,filiique eius & nepotes,hanc diuinam de vtraque via ad cęlum & inferos tendente Theologiam prodiderunt.

Bonorum ſedes & Malorū diſtinctæ.

Infernus.

B

Ex Platone de bonorum, malorumque futura ſorte. Teſtimonium eius hanc Theologiam priſcam eſſe. Cap. XXII.

EADEM multo præclarius tradit in Gorgia, vbi primum ex ſententia Euripidis,dubitat an verum ſit eos,qui viuunt potius mortuos eſſe,qui moriantur viuere. Quòd ipſe a ſapiente quodam audiſſet, ὡς νῦν ἡμεῖς τέθναμεν: Quòd nos nunc mortui ſumus. Eſſe enim corpus ſepulchrum animi,animam iacere in corpore,in ſepulchro vti defunctam,victuram, cùm e corpore auolauerit. Fabulamque illam, quam quidam ex Italia ſit interpretatus,de his fœminis, quæ Belides ſunt appellatæ, quæ ferre in inferis dicantur aquam cribro,ſtultorum animas eſſe,quas nullæ cupiditates,ceu pertuſas,implere potuiſſent,aut obliuioſæ ſemper nihil retinuiſſent. Eſſe igitur cribrum ipſam animam pertuſam, in inferis,meritas pœnas ſtultitiæ,& inſatiabilitatis luentem. Sic longè diuiniorem de felicitate cęleſti,& pœnis proponit ſententiam. Legem fuiſſe ſub Saturno(Saturnum maximum Deum,vt ſæpe viſum fuit,appellat)eamque adhuc ſemper vigere apud Deos,vt qui iuſtè, ac ſanctè vitam tranſegiſſent,pòſt ad inſulas beatas profecti,beatè viuant,nullis malis obſtrepentibus. Qui verò ſcelerate,& impiè vixiſſent,ire ad pęnarum,ac vindictæ carcerem,quem vocent Tartarum: καὶ ἀεὶ καὶ νῦν ἔτι ἐστὶν ἐν θεοῖς τῶν ἀνθρώπων τὸν μὲν δικαίως τὸν βίον διελθόντα καὶ ὁσίως, ἐπειδὰν τελευτήσῃ εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν, τὸν δ᾽ ἀδίκως καὶ ἀθέως εἰς τὸ τῆς τίσεως τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι. Sic diuus Plato. Principio cernis, ſemper eum, Theologiam hanc nō ex ingenio ſuo,ſed omni vetuſtate,cui plurimum deferebat,& cur deC ferendum eſſet demonſtrauit,deducētem. Cernis item beatas inſulas hic eſſe,quem in Phędone, & Phædro vocauit locum cęleſtem. Neq;.n. habitatio Deorum eſt in terra:cum Diis autem habitaturos,ad ſocietatemq; ipſorum venturos iuſtos ſæpe ſæpius aſſeruit. Quemadmodum autē noſtri locum cęleſtem,regnumq; Deorum ſoliti ſunt vocare Paradiſum, nomen rei terreſtris, horti fluminibus irrigui,arboribus omnigenis,& plantis amęni,haud ſecus illi patriam cęleſtem, Fortunatas inſulas dixere: quaſi terras ſupernas, incognitas nobis,nominibus noſtris nuncupatas. Hic palam eſt diſcrimen pręmiorum, varietas locorum. Tartarus,carcer, vltionis & pœnarum ſedes, quibus iniuſti,vel quicunq; diuina violaſſent,omni ęuo cum ſimilibus pariterq; nefandis habitaturi dicuntur. Locus autem beatus & amęnus & purus,vt dixerat antè,puros, innocētes,ſanctos admittere. Quis non miretur hæc, celebrem ſemper hodiernam Philoſophiam extitiſſe? quam quidem credo vetuſtiſſimos,eoſdem & optimos plurimum tenuiſſe, diuinitus tūc reuelatam,ſed longo ſęculorum ingreſſu obſoletam. Quàm cùm Legatus ſummi Patris aperuiſſet,reddidit itē luminoſiſſimam nullis in cęlo myſteriis relictis,quæ nō in terras attuliſſet,omnes (modò velint) ſapientiſſimos redditurus. Vos ò Philoſophi omnes conuoco, Platonicos,& Peripateticos, videte hæc & dignoſcite a principibus ſapientiſſimiſq; Philoſophiæ veſtræ prędicata,deſcendentia tamen ab altioribus ſęculis. Conferte nouiſſimam hanc poſt Philoſophos omnes ortam,delatamq; in terras Philoſophiam. Suſpicite cōſenſum cum priſca illa,& cur conſentiant,agnoſcite. Amplectimini,exoſculamini ſapientiam horum myſteriorum perfectam,abſolutamq; magiſtram. Pręclarè quoq; dixit ibidem Plato, nulla quidem corporum, dignitatumq;, quas hic geſſiſſent, aut opū, illuc animas portare lineamenta, ſed ea tantū, quæ velut cicatrices animis inhæſiſſent,iniurias, fraudes,affectiones prauas,& id genus mala,ſuper quibus a iudicibus,quos Deus præfeciſſet, iudicentur. Ac quanquā iudices inducit fabuloſos,ex hominibus natos,& ab Homero ſic inductos,

Viuos homines mortuos eſſe.

Beatæ inſulæ quæ.

Paradiſi nomen.

Pœnæ dānatorum.

Iudices inferorum.

Torquetur animo qui bus inſtat fatalis dies

Sibi bene cõſcii mortem non horrent.

veros tamen hi repræſentant, habente hac Theologia veriora apud priſcos. Iudicari igitur animas, inquinataſq́; peccatis in Tartarũ præcipites agi, mitti bonas in inſulas beatas, iudicari nemine pro eis rogante, vel patrocinante, nullo amico, nullo propinquo. Ad hanc vitam meditari ſe dicit Socrates, hortaturq́; amicos, meditentur. Ea veriſſima ſe credere, vt quibus nihil melius, ac probabilius, tamq́; veritati conſentaneum, quamtumuis ſapientes, Philoſophorumq́; prudentiſſimos congregatos, nunquam meliora reperturos. Similia ſenſit, & ſcripſit in primo de Republica, cum quis inſtare diem fatalem ſenſerit, ei ſubire pauorem ac curam, ſuper his quæ nihil antè curaſſet. Nam quæ dicantur de his quæ ſunt apud inferos, qui quid in terris iniuſtè peccaſſet, illic eum pęnas dare, quæ ridere quondam ſoliti eſſent, tum verò torqueri animo, ne vera exiſtãt: ipſumq́ue ſiue quòd debilis cogat ſenecta, ſiue quòd vti propior ad ea trepidet, magis ea cernere, impleri ſuſpicionis & formidinis cogitãtem an quenquam violauerit. Qui igitur in vita fraudes admiſiſſent, veluti pueros crebro è ſomno excitatos trepidare, reliquumq́ue vitæ cum mala ſpe traducere. At qui nullius ſceleris ſibi conſcius ſit, ſpe blanda, ac dulci γηροτρόφον, ſenectutis alumna, vt ait Pindarus, nutriri. Pulchrè enim eum ceciniſſe:

Ὅς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διαγάγοι
Γλυκεῖα οἱ καρδιάν ἀγάλλοισα
Ἡ γηροτρόφος συναορεῖ ἐλπίς.
Ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾶ.
Quicunque iuſtè, ſancteq́ue vitam traduxiſſet,
Dulcis ei, cor nutriens & paſcens
Alumna ſenectæ, aſſiſtit ſpes.
Quæ maximè verſatiles animos mortalium gubernat.

Tuſc.1.

Magnus philoſophorũ conſenſus ſup hac animorum è corporibus exũtium ſorte.

Has duas ſortes, duplicem vitam, ciuitates duas, diſparia præmia, felicitatis ac pęnarum proponit. Hæc felicitas, cuius ſpes alit ſenectam, dicitur a diuo Paulo, μακαρία ἐλπὶς, beata ſpes. Eſt enim beata ſpes alumna ſenectæ, quòd ob anteactam vitam non modò ſupplicia non reformidamus, ſed etiam magna præmia ſperamus. Hanc igitur omnium ſæculorum manantem per omnes ætates ſiue natura partam, exhibitamq́ue opinionem, ſiue, vt ſæpius dictum eſt, diuinitus reuelatam, Latinus quoque Plato (ſic enim iure Ciceronem appellauerim) perhibet: Nunquam, inquit, maiores illi noſtri cerimonias ſepulchrorum tanta cura coluiſſent, nec violatas tam expiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem, commutationemq́ue vitæ, quæ in claris viris ac fęminis dux in cęlum ſoleret eſſe: in cæteris, humi retineretur, & permaneret tamen. Sic Latinæ Philoſophiæ princeps, viros meritis & pietate, iuſtitia & ſanctitate claros, vt ſæpius, aſſeruit in cęlum tolli. Contra qui vitam ſordidam, terreſtremq́ue egiſſent, humi retineri, ſed & ipſos immortales. Atque maiores ait tantum ſibi hac in re (nondum Philoſophia reperta) perſuaſiſſe, quantum Natura admonente cognouerant. Quod igitur docuerat eos prius Natura, deinceps a Philoſophis phyſica ratione penſitatum, aſſertumq́ue, quemadmodum Ariſtoteles, Plotinus, Alexander, Simplicius, aliiq́ue fatebantur. Ecce autem non Romanorum maiores modo, quos Marcus protulit, ſed vetuſtiſſimi Græcorum, Muſæus, & filius Orpheus, vt ait Plato, tot bona dant iuſtis, probiſque poſt vitam, vt eos ad locum beatum deducentes, & ad epulas τῶν ὁσίων, ſanctorum diſcumbere facientes coronatos, omne deinceps tempus ebrios viuere fateantur, arbitrati pulcherrimum virtutis præmium ebrietatem æternam: τὸν ἀπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας, ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν, μέθην αἰώνιον: At verò impios, inquit, & ſceleratos, in cęnum quoddam infodiunt in inferis, coguntque aquam ferre cribro, viuoſque triſtibus cogitationibus exagitant. Hæc Plato. Ex his conſtat veriſſima eſſe, quæ de Theologia maiorum prodita ſunt, multa myſteria propter ſęculorum bonitatem eos tenuiſſe, de Deo multa diuinitus locutos eſſe, animos immortales, bonos in bonis, malos in malis, pęniſque futuros agnouiſſe. Videmus enim Orpheum, Muſæum, Homerum, Heſiodum, Pindarum, alioſque ante natos Philoſophos, vno ore hæc omnia ceciniſſe. Itaque etiam Timæus Locrenſis in calce operis ſui de mundo, impiis, legumque contemptoribus, repoſita eſſe ad inferos ſupplicia: κόλασις ἅτε ἐκ τῶν νόμων καὶ ἃ ἐκ τῶν λόγων, συντόνα ἐπάγοισα δείματα τε ἐπουράνια, καὶ τὰ καθ᾽ ἅδεω, ὅτι κολάσιες ἀπαραίτητοι ἀπόκεινται δυσδαίμοσι νερτέροις: Adeſt vindicta, inquit, ex legibus, ex oraculis, quæ terrores inducat cæleſtes, & ſubterraneos. Quoniam ſupplicia inexorabilia parata ſunt impiis ad inferos. Hæc cum dixerit Timæus Pythagoreus, veriſimile fit, totam etiam ſcholam ſenſiſſe, cum primis præceptorem: Hunc autem a ſuperioribus didiciſſe, vt præceptore Pherecyde, qui & animos ſempiternos docuit, & de dęmonibus malis multa retulit. Nec te moueat quòd & ipſe in Republica Plato, & Marcus in Tuſculanis, volunt contemni, anileſque fabulas haberi, quæ de Cocyto, Tartaro, pęniſque grauibus Poetæ confinxerunt. Decernunt enim contemni oportere, vt Poetæ ea exaggerauerant, impia quędam affingentes, Platoni minimè grata. Supplicia verò ſceleſtorum celebrant, credunt, fatentur & ipſi.

Platonis de præmijs, & supplicijs post vitam, de regno Sacroſancto Beatorum, de teterrimo carcere malorum, de carnificibus infernis, ſententiæ. Quòd boni bonos, mali malos adeunt. Quòd hæc religio, Fideſque, non fuit niſi cælitus antiquis reuelata. Cap. XXIII.

VBERIVS eadem diſſeruit in decimo de Republica. Abſoluto enim iam ferme de iuſtitia, virtutibuſque Sermone, demum de præmio earum, quæ, & ab hominibus, & a Diis iuſtitiæ tribuantur, ſiue homine viuente, ſiue cùm exceſſerit, loquendum eſſe ait: ζῶντός τε ἔτι τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἐπειδὰν τελευτήσῃ. Et ſubiicit, Viro inſto, ſiue inopia, ſiue morbo, cæteriſque quæ mala putantur circumuento, omnia ceſſura in commodum, & bonum: ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι, viuenti, aut mortuo. Veriſimile eſſe, eiuſmodi hominem, qui ſe iuſtè viuendo, ſimilem Dei reddiderit, non negligi a ſimili ſuo Deo. Hoc etiam Ariſtoteles in Moralibus imitatus eſt. Plato ſic dicit in decimo de Repub. οὐ γὰρ δὴ ὑπόγε θεῶν ποτὲ ἀμελεῖται ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι, καὶ ἐπιτηδεύων ἀρετῇ, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ, ὁμοιοῦσθαι θεῷ· εἰκός γ' ἔφη τὸν, τοιοῦτον μὴ ἀμελεῖσθαι ὑπὸ τοῦ ὁμοίου: Neq; enim, inquit, a Diis vnquã negligitur, qui conetur iuſtus eſſe, virtutemque exercens, quatenus homini datum eſt, aſſimilari Deo. Verique ſimile eſt eiuſmodi non negligi a ſimili. Ariſtoteles autem in decimo, Qui verò, inquit, ſecundum mentem operatur, eamque excolit, optimè affectus, hunc Diis gratiſſimum eſſe par eſt. Nam ſi qua cura eſt rerum humanarum à Diis, vt videtur, vtique probabile ſit, eos delectari re optima ſibique maximè propinqua. Eſt autem id mens. Qui verò hanc ipſam mentem diligant, & ornent, remunerari, ceu qui curent quæ ſibi grata ſunt, & rectè, aut laudatè viuant. In his cum ſit apertè ſecutus Ariſtotel. Platonẽ, deducitur rectiſſimè ratio, præmia illa, quæ iuſtitiæ propoſita dicit, iuxta Platonem ſic ſtatuiſſe, ſicut ipſe conſtituit Plato. Præmia inquam non modò viuenti iuſto, ſed etiam defuncto. Totuſq; ille locus Platonis in decimo, Ariſtoteli neceſſariò eſt aſſerendus, quo agit de præmiis æternis. Exigua enim ſunt præmia iuſtis in hac vita, in qua ferè ſunt miſerabiliores qui iuſtè viuunt. Dicebat enim iuſtiſſimus, Si Chriſtus non ſurrexit, miſerabiliores ſumus cunctis hominibus, innuens, niſi præmia cæleſtia propoſita eſſent, niſi ſpes vitæ cæleſtis affulgeret, iuſtos in hoc mundo cunctis mortalibus eſſe miſerabiliores. Quomodo igitur probi, quod Ariſtoteles ait, & a Diis diligũtur, & præmiis afficiuntur, niſi vera ſint quæ & ipſe Diuus Paulus ex cæleſti ſapientia, & Plato tradiderunt, vt ſpectentur præmia poſt vitam. Atq; ipſe Plato cõnumeratis bonis, quæ poſſint iuſti conſequi in hac vita, demum ait, ταῦτα οὐδὲν ἐστὶ πλήθει, οὐδὲ μεγέθει πρὸς ἐκεῖνα ἃ τελευτήσαντα ἑκάτερον περιμένει: Hæc, inquit, nihil multitudine & magnitudine ſunt præ his, quæ manent pios cum exceſſerint. Hæc diuina ſententia, ea ferè eſt, quã Diuus Paulus protulit, Non ſunt condignæ paſſiones mundi huius ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Euidentiſſimè quoque Plato, de vtraq; ſorte, beatitudinis, & pęnarum poſt vitam, ibidem in decimo de Republica diſſeruit, locus pulcherrimus, mirabilis, obſeruãdus: Vt ſciamus quæ Deus noſter myſteria detulit in terras, aliquam famæ celebritatem ante aduentum eius habuiſſe. Ibi eadem atq; in Phædone, & Gorgia, de iudicibus nudas animas iudicantibus proponens, facit quendam ceu Prophetam, qui iam duodecimo die ab interitu (interfectus enim cũ plurimis fuerat in prælio) cùm iam ſepeliendus, rogo impoſitus eſſet, reuiuiſcentem retuliſſe, quę ibi vidiſſet. Hic, multis præteritis, vidiſſe iuſtos iudicatos, in dexteram, & ſupernum cœli locum ire, iniuſtos ad lęuam inferius: ὡς ἐπειδὰν διαδικάσιαν τοὺς μὲν δικαίους κελεύειν πορεύεσθαι τὴν εἰς δεξιάν τε καὶ ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ, &c. Hęc Plato. Deus autem Platonis, & noſter, Et oues, inquit, ſtatuet a dextris, hædos autem à ſiniſtris. Exinde cùm animas ille vidiſſet, vltro citroq; ab inferis, & a cęlo inter ſe commeantes, & ſua quaſque bona, vel mala referentes, alias quidẽ ſqualore, & ſitu obſitas, è terra emergentes, cum gemitu, & luctu memoraſſe, quot in ſubterraneo itinere mala vidiſſent, perpeſſæque eſſent. Alias autem è cœlo deſcendentes, amęnitates, ſpectaculaq; inauditæ pulchritudinis retuliſſe: τὰς μὲν ὀδυρομένας τε καὶ κλαιούσας, Quis hic non cernat, vnam, eandemq; omnium ſęculorum ſemper fuiſſe religionem? Refert enim conſtanter eadem Plato, nõ ſibi credita ac perſuaſa modò, ſed a ſuperioribus ſæculis, a vetuſtioribus nationibus manantia, ſed ab his, qui eò delati fuiſſent, audita. Illud adeò mirabile, quod ait, illum vidiſſe homines truces, atq; igneos, aſtantes, & aſpectantes quid os illud inferorum patefactum loqueretur. Atq; alios priuatim captos abduxiſſe. Verũ Ardiæum tyrãnum, homicidam, aliosque ligatis manibus & pedibus, capiteq; interius truſo, & excoriatos ſuper tribulis extra viam traxiſſe, eos dilaniantes, oſtendenteſq; prætereuntibus, quam ob cauſam ea perferrent, & quòd in Tartarum capiendi traherentur. Ea eſſe ſupplicia: Ex aduerſo autẽ ſimilia præmia parata: ἐνθαῦτα δὴ ἄνδρες ἔφη ἄγριοι καὶ διάπυροι ἰδεῖν παρεστῶτες, &c. Quis hic non videt, agreſtes illos, igneoſq; viros, nõ niſi dęmones eſſe, feros, horribiles, ſceleſtorum carnifices, eos excoriantes, & verberãtes, & quod veritas ſummo conſenſu clarius reuelauit, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores, hoc eſt, in Tartarum præcipitantes? Eadem igitur fuit illorum, atque noſtrorum ſæculorum, quemadmodum multis aliis de rebus, ſic de præmiis iuſtitiæ, & ſuppliciis iniuſtorum, ſententia.

Virum bonũ a Deo nõnegligi.

Exigua p̃mia iuſtis hac I vita.
1. Cor. 15.
Rom. 8.

Rom. 8.

Plato facit aliquem a mortuis excitatum, de vita ſecunda diſputãtem.

Dæmones horribiles, & carnifices.

De loco quoque congruit, de carnificibus item, miniſtriſque iuſtitiæ diuinæ, quos oraculum Chaldaicum, canes appellat ſubterraneos. En impij flagitioſique vinctis manibus ac pedibus, excoriati, verberati trahuntur in Tartarum. Quid amplius eſt in Theologia? Fuit igitur, eadem ſemper, præcipuè quo magis in prima ſæcula reſpicias, religio, ſemper creditum eſt bonos, ſanctoſque manere maiora, quàm mundi huius bona, vbi nullus ordo præmiorum, dum nec iniquis infligitur merita pœna, vt ſępe cæteris feliciores ambulent, nec bonis datur vera remuneratio. Eadem clarè, & apertè confeſſus eſt in decimo de Legibus: Cùm, inquit, anima ſe virtute quadam diuina exornauerit, etiam locum excellentem, ſanctum commutabit, delata in meliora regna. Sed cùm contraria vixerit, in contraria proficiſcetur: ὁπόταν μὲν ἀρετῇ θείᾳ προσμίξασα γίγνηται, &c. Hęc, ait, iuſtitia eſt Deorum cæleſtium, ò fili, ac adoleſcens, qui te putas Deorum prouidentiam ſubterfugere. Nam peiores effecti ad peiores, meliores ad meliores animas tendunt. Claret igitur poſt multa ſæcula miſſam diuinitus Theologiam, nil aliud fuiſſe, quàm priſcorum ſæculorum caligantis iam & obſcurę, quam animis hominum impreſſerat Deus, & voce ſua in creatione, pòſt in ſecuto tempore per nuntios tradiderat, ſcientiæ reuelationem. Neque enim fieri poteſt, quod poſtea cœlitus eſt apertum, quodq; perfectè declaraturus venit e cœlo in terras Deus, ante aduentum eius alia ratione celebre fuiſſe, quàm eadem ipſa, quòd diuinitus eſſet traditum. Fuit certè traditio diuina omnium mortalium conſenſu confirmata.

Noſtram Theologiam nihil aliud eſſe quàm priſcæ & caligantis ſciẽtiæ reuelationem.

Platonem fateri, reddituros quoſque de factis proprijs rationem, bonos cum fiducia, malos cum ſumma trepidatione. Non illic affore propinquorum cateruas, qui reos ante Tribunal iudicis defendant. Labores quos pij fortiter exantlaſſent in vita, meritis præmijs afficiendos. Deſcriptio patriæ cæleſtis, nominibus rerum ſenſibus expoſitarum. Cap. XXIIII.

LOCVPLETIVS itẽ perhibuit eadem in duodecimo (Huc venire neceſse eſt, ac reuolui legum latores) Suntque aurea verba. Quòd, inquit, verus eſt homo (eſt quilibet noſtrum illud ipſum, eſt, dicitur anima, idq; cùm ſit immortale, pergit ad Deos alios) redditurus rationem, quemadmodum patria lex dicit, Bonus quidem, & probus fidenter, formidoloſè verò improbus, Nullumque ei defuncto affore patrocinium. Oportuerat enim cùm viueret, omnes propinquos opitulari, vt ſanctiſſimè ac iuſtiſſimè vitę curſu exacto, defunctus nullas lueret pęnas, quę poſt vitam impendent, ob facinora admiſſa. Ob quã cauſam conandũ eſt ne domum corrũpas, coinquines, cogitans non hunc eſſe hominẽ, qui ſepelitur veri hominis imago, Sed illum qui exceſſit filius aut frater, aut quiuis alius, cuius nunc deſiderio teneris, qui ſortem ſuam expleuerit, τὸν ὄντα, ἡμῶν ἕκαστον ὄντως ἀθάνατον εἶναι, ψυχὴν ἐπονομαζόμενον παρὰ θεοὺς ἄλλους ἀπιέναι σώσοντα λόγον, &c. Eſſe inquit quemlibet noſtrum immortalem, vocatum animam, huncque ad Deos alios proficiſcentem, redditurum rationem, patria lex dicit, rationem inquam tremendam, horribilem, formidabilem ſcelerato, probo autem rationem placidam, cum fiducia, fidenter, intrepidè. Stabunt enim, vt ait oraculum, iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. De ſceleſtis autem; Videntes turbabuntur timore horribili, & prę anguſtia ſpiritus, gementes. Ecce igitur ſummo conſenſu prædictum fuerat a Platone (eſt enim naturæ vox, eſt impetus excitus è pectore, eſt per omnia tempora lex famigerata Dei) quod a noſtro diuino Theologo, reſurgent cum corporibus ſuis, reddituri quiq; de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam ęternam, qui verò mala, in ignem ęternum. Nonne audis ſimilia Platonem dicentem? Malos reddituros rationem formidabilem, tremendam, horribilem, bonos cum magna fiducia, θαρραλέον, conſtanter, intrepidè, nullo diuerberante ſcelere conſcientiam. Quocirca debent, inquit, propinqui, affineſque monere ſuos, vt rectè viuant, hocque eis nunc pręſtare patrocinium, quod nullum illic poterunt afferre. Nec ante tribunal aderit propinquorum, domeſticorumque caterua, qui te tueantur, iudicem exorantes, qui tibi ignoſcat. Hęc ipſa, pręcipuè de beatitudine eorum, qui iuſtè vixiſſent, confirmauit maxime in Epinomide, vbi dicit fieri quidẽ non poſse, vt homines, pręter omnino paucos, in vita ſint beati ac fortunati, καλὴ δὲ ἐλπὶς τυχεῖν ἁπάντων, &c. Bona verò ſpes eſt, defunctos conſequi ea omnia, quorum cauſa quis promptè pro virili ſe iuſtiſſimè in vita geſſit, & defunctum ſimilem finem indipiſci. Hæc vera præmia, hæc illa beata ſpes, ob hæc ſummis viribus conandum, vt rectè viuamus, omnibus hominibus vel ex oraculis, vel rationis bonitate perſuaſum ſemper fuit, eſſe magna bona repoſta bonis, magna malis mala, cunctas humanas actiones ad aliam quàm præſentem vitam referri oportere. Hic ſiue bonis male, ſiue malis bene videas, haud magnopere mirandum. Non is locus eſt, vbi virtus præmiis ſuis coronetur, aut pro merito ſcelus expietur. Hæc ipſa diſſeruit in eo, qui dicitur Axiochus, ſiue Platonis ſit, ſiuę alicuius eius tempeſtatis Philoſophi. Ibi primum illud mirabile, quòd cum probitatem, pietatem, tanta bona conſequantur, agnoſcit, fatetur, afflatum, gratiamque Dei eſſe rectè viuere, vt triumphes. Proficiſcuntur, ait, animæ in locum ferreis clauſtris, clauibuſque munitum. Hæc patefacta ferunt ſtatim ad flumen Acherontem. Exin tranandus eſt Cocytus. Huc animæ profectæ ad iudices aguntur.

Quõ boni & improbi rationẽ poſt mortẽ reddant.

Sap. 5.

1. Cor. 29. & Symbolum Athanaſii.

Beati poſt exceſſum, qui.

Iudices infernales in cam o veritatis.

aguntur. Vocaturq; is locus, Campus veritatis. Hic ſedentes, diſquirunt quam quiſque vitam vixerit, quo ſtudio, vel inſtituto, in corpore vſus fuerit. Mentiriq́ue non datur, ὅσοις μὲν οὖν ἐν τῷ ζῆν δαίμων ἀγαθὸς ἀπέπνευσεν, εἰς τὸν τῶν εὐσεβῶν χῶρον οἰκίζονται: Quibus igitur in vita Dęmon bonus aſpiraſſet, hi in terris piorum collocantur. Quaſi in regione viuorum, in terra, viuentium. Is enim eſt, χῶρος εὐσεβῶν. Vbi, inquit, affatim velut in Paradiſo nullum tempus anni non exuberat omnigenis fructibus. Hic liquidi fontes, hic florum varietate vernantia prata, congreſſus Philoſophorum, theatra poetarum, chori in incircunſtantes, & dulcè canentes, iucunda conuiuia, epulęque ſua ſe ſponte offerentes, ἀκήρατος ἀλυπία, indeficiens alacritas, vita ſuauis, quippe nec vehemens hyems, nec æſtus adeſt, ſed ſalubre temperatumq́ue cęlum ſpargitur, placidis Solis radiis illuſtre. Hic initiatis eſt certus honos, illic ſancta myſteria celebrantibus. Pluraque id genus perſequitur. Ex aduerſo autem, At qui, inquit, vitam egiſſent ſcelerate, aguntur ab Erynnibus, εἰς ἔρεβος, καὶ χάος διὰ ταρτάρου, per medium Tartarum; in Erebum, & Chaos. Vbi locus impiorum, inexplebiles vrnæ, ſitis Tantali, & viſcera Tityi, & Saxum Siſyphi, quod nunquam ſiſtitur in cacumine, finitusq́ue labor, denuo renouatur. Similia cecinerat ante Platonem Sibylla de campis cęleſtibus,

Piorũ chorus.

Locus impiorum, & pœnæ.

Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀέναοντες,
Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον.

Aeternum quicunque Deum, verumq́ue colebant,
Accipient vitam, læti ſine fine beato,
Viuent in Paradiſo, & lætis floribus horto,

A feris igitur improbos in inferis dilaniari, ignitisq́ue pœnarum facibus concremari, καὶ λαμπᾶσι δημίνως ποινῶν, omnibus flagellis verberari, ἀϊδίαις τιμωρίαις τρύχονται, pœnis ſempiternis cruciari. Hæc ibi. Videsq́ue totam Gehennę deſcriptionem. Vides ignem ęternum, pœnas ęternas, ſtridorem dentium, tenebras exteriores, ſulphŭr, & ignem, quę parata ſunt Diabolo, & Angelis eius. Vides Erynnias rapientes ad pęnas impios, illos ſcilicet miniſtros, quibus præcepit Deus, ligatis manibus, & pedibus proiicere malum, ſordidum, in tenebras exteriores, Tartarum, Chaos, Erebum. Hæc igitur par eſt, antiquos tum quadam ſęculorum continuata Philoſophia didiciſſe, tum diuinis illis oraculis, quæ creberrima quondam Sibyllæ fundebant. Nam de locis beatis, vt viſum, ſimilia prodiderat Sibylla.

Deſcriptio regionis beatæ, Platonis, diuiq́ue Ioannis. Vt pulchritudo venuſtasq́ue terreſtris, exprimit eius pulchritudinem cæleſtem. Cap. XXV.

MAGNAM mouet admirationem, vt in Phædone patriam cęleſtem, eiſdem nominibus, eodemq́ue ſermone, rerumq́ue tralatione deſcripſerit Plato, quibus deſcribitur in ſacris litteris. Vt appareat veritatem Theologiæ ſupremæ, eò mirandam eſſe, quòd olim priſci ſiue per oracula, ſiue indagatione Naturæ viſam & auditam ſuſpexerunt, mirificisq́ue laudibus vexerunt, ratione ac ſapientia duce ad id delati, quod poſtea refulſit è cęlo. Igitur diuus Ioannes deſcribens terram cæleſtem dixit, oſtenſam ſibi vrbem magnam, ſanctam. Ea de cęlo videbatur a Deo deſcendere diuina claritate inſignis. Similis lapidi pretioſiſſimo Iaſpidi, Cryſtalli puritatem referenti. Męnibus excelſis, & magnis, portis duodecim, Angelisq́ue his inſidentibus, Duodecim tribuum Iſrael nominibus inſcriptis. Tribus ab Ortu, totidem à Septentrione, & a Meridie, atque ab Occaſu. Duodecim fundamenta ſubſtrata męnibus, nominibus duodecim Apoſtolorum inſignia. Vrbem in quadra, æqua altitudine, atque latitudine, Longitudine duodecim millibus ſtadiorum. Mœnia centum quadraginta quatuor brachiis ſurgentia. Structura mœnium ex Iaſpide, tota vrbs ex auro puro, ceu vitro pellucenti. Ipſa mœnium fundamenta omni genere gemmarum exornata. Primum fundamentum ex Iaſpide, ſecundum Sapphiro, tertium Calcidone, quartum Smaragdo, quintum Sardonyce, ſextum Sardio, ſeptimum Chryſolito, octauum Beryllo, nonum Topazio, decimum Chryſopaſſo, vndecimum Hyacintho, duodecimum Amethyſto. Duodecim portas, ſingulas duodecim Margaritas eſſe, plateam vrbis aurum purum, ceu vitrum. In ea Deum omnipotentem ceu Solem, nullo Solis illic, aut Lunæ lumine radiante, immenſa claritate refulgere. Hac luce ſeruatas incedere gentes. Nunquam portas laudi. Noctem nunquam inhorreſcere. Exulare inde ſcelus omne. Arceri qui non ſint ſcripti in libro vitæ. Fluuium aquæ puræ decurrere, hinc atque hinc pro ripis, arbores vitæ floreſcere, ſingulis menſibus frugiferas. Hæc, & id genus plurima diuus Ioannes, amœnitate & claritate rerum terreſtrium, ad cæleſtes tralata. Similia igitur, neſcio qua diuinitate, quo conſenſu animorum, deſcripſit in Phædone Plato: Eſſe primum terram illam ſupernam, ſi quis eam ſuſpiciat, velut orbem arium coloribus, quorum terreſtres colores ſint quædam quaſi exempla. Omnem illam terram his eſſe. Purpuream alibi, & admirandæ venuſtatis, alibi χρυσοειδῆ, auream, vel candentem, gypſo,

Deſcriptio cęleſtiũ ſedium.

Platonis deſcriptio conciliat̃ p

partes cū D.Ioannis loco Apocalypſeos.

Templa Deorū, cæleſtis patria.

Matth. 13.

Dei facies vt Sol.

gypſo, niueque candidiorem. Alioſque illic affulgere colores, plures longe, venuſtioreſque quam noſtrates. Noſtrates enim aeris, & aquæ plenos, quandam coloris ſpeciem exhibere, in aliorum colorum varietate renidentes, Hic ſimilibus coloribus cuncta exiſtere: arbores, fructus, flores, monteſque, lapides præterea perſpicuitate, & colore, quàm noſtrates pulchriores. Quorum ſint quædam fruſtilla & particulæ hi lapilli, qui ſunt apud nos in pretio, Sardij, Iaſpides, Smaragdi, & id genus. Illic nihil eſſe, quod non ſit eiuſmodi, pluraque alia Plato. Demum illic templa Deorum eſſe, quorum ſint veri habitatores Dij, oracula quoque, alloquiaque Deorum, ſpectari ab eis Solem, Lunam, aſtraque, qua natura ſint, nullamque aliam deeſſe felicitatem. His Plato deſcribit patriam cæleſtem, tralatis, vt dixi, nominibus rerum mortalium ad pulchritudinem cœleſtium, quarum inæſtimabile, arcanumque decus, venuſtate rerum terreſtrium facilius intelligatur. Hac ratione ſæpe dicitur in noſtris litteris, Fulgebunt iuſti, ſicut Sol in conſpectu Dei. Florebunt ſicut lilium in ciuitate Domini. Sanctorum velut aquilæ iuuentus renouabitur. Illa incomprehenſibilia, & ſolis nota piis gaudia, corporearum rerum, oculiſque apparentium omnigena varietate, & pulchritudine, vt poſſunt, repræſentantur. Principio gemmæ pretioſæ, radiantes, colorumque varietate delectantes. Aurum quoque, & argentum puriſſimum, præterea Chryſtallus ſumitur. Ex his ſurgere muros, ſtrata eſſe pauimenta. Nihil non aureum, non pretioſum ea venuſtate, & varietate, quam quis vnquam vel in Iride, vel angulari Chryſtallo oculis obiecta conſpexit. Illic odores; florum varietas inſignis, prata virentia, perſpicui fontes, flumen hinc atque hinc arboribus incognitis nobis, vt cum ab oriente noua quædam genera ad occindetales opportantur, effloreſcens. Vt Ioannes appoſuit in deſcriptione flumen aquæ viuæ, Xenochus æquè fontes liquidos, Plato longius progreſſus, inſulas, mare, ſed omnia noſtris diſſimilia. Eſt crebrum in ſacris litteris aerem amęniſſimum, ac varium illic niteſcere, qualis, vt dixi, efficitur in Chryſtallo. Hunc ſæpe mira ſpectacula, aut numinis aduentum conſpicati Prophetæ, referunt ſe vidiſſe. Plato pro eo, lumen purpureum, ætherium per regionem beatam diffuſum a Cælicolis hauriri. Adiecit Ioannes, quod addere Plato non potuit, ſed quaſi tamen ſomniauit: Solem, Lunamque, & ſydera nulla illic eſſe, ſed hæc ipſa videri a diuis illis inferius vertentia. Nam ſub pedibus diui labentia ſydera cernunt. At pro Sole, Luna, luce, qua viuitur in terris, Ioannes retulit illic radiare longè meliorem, gratioremque lucem, inauditæ ineffabilis lætitiæ, Qualem ex parte ſeſe Deus oſtendit in monte, quando facies eius, vt Sol reſplenduit, veſtimenta, vt nix canduerunt, imò magis, quàm hæc ipſa (Neque enim habuit, quo claritatem illam incomprehenſibilem redderet notiorem.) Ea viſa, dixerunt, dulce illic eſſe. Cernitur hæc claritas in cælo, qualiſque videri Cęlicolis, & quanta ſolet. Is eſt eorum Sol, hoc viuitur aſtro, Solemque ſuum ſua ſydera norunt. Diui, & ipſi ſydera lucentia, ſemper Solem ſuum noſcunt, cernunt, contemplantur, inde beati, fortunati. Hæc eorum alacritas æterna. Hoc Plato non meminit. Neque enim eò vſque cogitando aſcendere potuit. Tam igitur ſuperius Axiochus, quàm nunc Plato, ante Chriſti aduentum, ex priſca Theologia, ex oraculis, famaque ſuccedente, nobiſcum de beatitudine ſempiterna, loco, ratione, mirabiliter congruit,

De pœnis ad inferos, ex Plutarcho. De Dæmonibus carnificibus. De præmijs æternis. Hanc Theologiam eſſe priſcam. Cap. XXVI.

EST QVOQVE admiratione dignum, & ſapientiſſimus quiſque cogetur admirari, quæ Plutarchus ſimiliter de pęnis malorum, ac ſceleſtorum, de gaudiis, fęlicitateque bonorum, poſt exactum vitæ curriculum ſcripſit, mirè cum noſtris congruentia, comprobatis ſcilicet his, quæ prior Plato ſcripſiſſet. Vt hinc ſit clarum, ſemper vnum Deum, vnamque eius ſcientiam apud ſapientiores fuiſſe. Hanc ipſam ſcilicet, quam nunc claram cuncti mortales venerantur, tunc obſcuram, incertam, apud antiquiſſimos quidem puriorem, poſtea temporum iniuria, tanquam marinum Glaucum, ſordibus, & fabulis obſeſſam, ſed ſuæ bonitati redditam, cùm lux cęleſtis nituit in terris. Ac primum Plutarchus ait, eandem eſſe de diuina prouidentia, atque immortalitate animorum ſententiam, nec alterum poſſe relinqui, altero ſublato, immortalitatem autem animorum conſequi præmia, & ſupplicia, vna ratione ſe inuicem tribus hiſce trahentibus. Eſt, ait, prouidentia, idque veris apparet exemplis. Hæc docet animos immortales. Hos poſt mortem remanentes manere vel coronas, vel ſuppllicia. Ea enim eſt ratio cur prouidentia inducat immortalitatem animorū, ne vel probitas contempta iaceat (contemnitur autem in hac vita) vel improbitas triumphet in punis, ἀλλὰ ὡς μὲν ἔχει καθ᾽ ἑαυτὴν ὅσα κομίζεται τῆς βεβιωμένης χάριτος, ἢ τίνας κολάσεις, οὐθὲν ἐστὶ πρὸς ἡμᾶς τοὺς ζῶντας· ἀλλ᾽ ἀπιστοῦνται, καὶ λανθάνουσι. Et quoniam non videntur, minuſque creduntur, non defuiſſe diuinam prouidentiam, quæ præſtaret nonnullis, non tam è noſtris, quàm ſuis, vt per ſpeciem oblata indicarent. Itaque Platonis exemplum ſecutus Plutarchus, vt ille quendam induxit, qui cæſus in bello, quatriduanus reuixiſſet,

Immortalitatem animorū conſequi præmia, & ſupplicia.

vixiſſet, referre, eo temporis interuallo viſa prodigia: ſic refert Plutarchus, fuiſſe quendam Theſpeſiũ, qui cùm primum vitæ ſuæ curſum omni libidine, intemperantiaque exegiſſet, amiſſo, breui, patrimonio, iam neceſſitate compellente, ſceleſte vixerit, auiditate ſumma proſequens, quas eum pęniteret amiſiſſe diuitias, ſimile quid intemperantibus paſſus, qui cum habeant vxores, non cuſtodiunt, his amiſſis alienas corrumpere nitantur. Itaque cùm a nullo dedecore, quod vel voluptatem, vel lucrum promitteret, abſtineret, facultatem quidem non multam, ſed opinionem improbitatis breue ad tempus magnam ſibi conciliaſſe, præcipueque eum infamem reddidiſſe oraculum editum ex Amphilocho. Nam cùm miſiſſet ſciſcitaturos an melius ſecum inſequenti tempore agendum eſſet, reſpondiſſe fertur, Tum cùm eo melius agendum, cùm mortuus. Itaque paulò pòſt, id neſcio quo pacto expletum eſſe. Nam è loco edito in collum delapſum, ex percuſſione tantùm, nullo vulnere accepto obiiſſe, Sed è ſepulchro tertianum reuixiſſe, καὶ τριταῖος ἤδη περὶ τὰς ταφὰς αὐτὰς ἀνήνεγκε. Vbi ſe celeriter corroboraſſet ac collegiſſet, incredibilem quandam vitæ mutationem feciſſe. Neque enim in commerciis quenquam iuſtiorem, neque ſanctiorem erga Deum, neque inimicis infeſtiorem, amicis conſtantiorem eius temporis quenquam Cilices nouiſſe. Itaque permouiſse multos, vt cauſam tantæ varietatis efflagitarent. Neque enim putabant, id quod verum, & vt ipſe retulit amicis, cum primis Protogeni, temere morum hanc varietatem accidiſſe. Itaque cum mens è corpore auolaſſet, quale ſi quis gubernator è naui in profundum lapſus, ſic eũ ſe ex mutatione habuiſſe. Exinde paulum eleuatum viſum ſibi reſpiraſſe totum, & circunſpexiſſe, velut ex vno aliquo corpore, patefacta anima. Principio nihil ſolitum vidiſse, ſed ſydera ingentia, plurimumque ab inuicem diſtantia, ſplendorem immenſum, & colorem mirabilem fundentia, ſolidum præterea, vt animam inuectam luce, tanquam in tranquillo paſſim, & celeriter differret. Multiſque ſpectaculis prætermiſſis narraſse animas defunctorum ab imo aſcendentes facere bullam lu minoſam. Sed aliis pleriſque ſilentio præteritis, eſt primum in hac omni deſcriptione, quòd Adaſtria filia Neceſſitatis, & Iouis ſuper omnibus ſceleribus vltrix altiſſimè conſtituta eſt. Et quòd nemo ſceleratus, ſiue magnus, ſiue paruus, fuit vnquam, qui vel clam, aut per vim aufugiſset. Varia autem ei ſeruire ſupplicia, quæ cuſtos è tribus eſt, & adminiſtra, Alios leniter pro culparum ratione ſubiiciens pęnis. Quorum autem ſceleri maiore medicina ſit opus, τούτους δίκη μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, Hos tradere Dæmonem pęnis poſt mortem. Qui autem ſint prorſus immedicabiles, a iuſtitia reiectos, tertiam Adaſtriæ ſeueriſſimam miniſtram Erinnyn accurrentem ad eos vagantes, paſſimque diffugientes, miſerabiliter, acerbeque omnes ἠφάνισε, καὶ κατέδυσε εἰς τὸ ἄρρητον, καὶ ἀόρατον, Sublatos è medio, in nefandum, inuiſibilemque locum intruſiſſe. Reliquæ inquit pęnæ in vita, ſimiles ſunt pęnis Barbarorum. Vt enim apud Perſas, veſtes eorum, qui plectuntur, & tiaras vellicant, & cædunt, hi verò cum lachrymis orant abſiſtant, ſic plagam, vel in corpore, vel facultatibus non eſse vehementem. Quicunque autem effrænatus, & impurus illuc peruenerit, hunc iuſtitia nudum mergere, & abſcondere, in theatro omnium, nihil illo abſcondente. Oſtenditurque bonis parentibus, ſi fuerint, execrabilis, & indignus. Quòd ſi ipſi quoq; ſceleſti fuiſſent, eos videns in tormentis, & viſus ipſe purgatur, detractis vitiis, ex diuturnis doloribus, & pęnis, qui tanto ſuperãt magnitudine, & acerbitate, dolores corporis, & in carne, quanto clariora ſunt, quę per vigiliã his, quę per inſomnium cernuntur. Parte alia deſcribit Plutarchus Paradiſum, vnde aura mollis aſpiret, & placida odorataq;. De ſuppliciis autem hoc ad alia congruit cum noſtris, illic eſſe ſtagna, καὶ τινὰς ἐφεστάναι δαίμονας, Dæmonas quoſdam aſtare, velut fabros ærarios, inſtrumentis, machiniſque attrahentes, immergenteſque animas, quas inſatiabilis auaritia, in ſcelera præcipites egiſſet. In his igitur omnibus, (neque enim cuncta referre laboro) etſi Plutarchus quædam fabuloſius, Poetarumque more retulerit, ſumma tamen hæc eſt, eſſe pietati, probitati, iuſtitię, ſimiliter improbitati ſua præmia. Nullum fore ſcelus in occulto, in theatro totius mundi latitantes hypocriſes aperiendas. Eſſe ſupplicia animorum corporeis incomparabiliter acerbiora. Videri incredibilia, vel quæ de pęnis, vel præmiis paſſim prædicentur, quòd abſconſa ſint, & oculorum obtutum fugientia. Dæmonas eſſe ſuppliciis præfectos, quos alio nomine Erinnyes, iuſtitiæ diuinæ miniſtras, irremediabiliter, malos cruciantes, in tenebris æternis è medio ſublatos, iure vocatas ἀόρατον, ἄρρητον, quòd,

Adaſtria, ſcelerũ vltrix.

Erynnis, miniſtra Adaſtriæ.

Inferorum deſcriptio.

Virgil. 6. Aeneid.

-Tantum, tenditque ſub auras,
Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus olympum.

Profundiſſimum, nefandum, teterrimumq; carcerem, miſerorum luctibus æternis reboantem. Inſtare Dæmones animis cruciandis. His conſtat, paucis demptis, eandem priſci temporis eſſe, atque noſtrorum ſæculorum Theologiam, vt tunc obſcuriorem, ſic poſtea in omnium pectoribus, allata de cęlo manifeſta luce, refulgentem, ſi quid erroris miſtum ferebatur, poſtea repurgato. Cætera, quæ de purgatione ſenſit prior Plato, & nunc Plutarchus, vt animi a vitiis contractis expientur, ad melioremque habitum purgati reuertantur, & de genere pęnarum, paucis demptis, congruunt cum noſtris.

Ex vetuſtiſſimis Poetis, de pœnis, & præmijs bonorum ac malorum. Philoſophorum ac Poetarum autore Plutarcho eſſe teſtimonium, manere bonos maxima præmia poſt vitæ curſum. Cap. XXVII.

SI QVIS vniuerſæ Philoſophiæ campos ingreſſus, in eam omnem oculos conuertat, facile noſcet, hac ratione ab exordio generis humani, ſæcula decurriſſe, quòd paucis ab hinc annis clarè, perſpecteq;, & celebriter creato mundo (cuius rei nemo priſcis illis ſæculis dubius eſſet, & creatorem eius vniuerſis agnoſcentibus ac fatentibus, multaq; de bonitate eius ac prouidentia, de præmijs item ex amore, & cultu eius, aut ſupplicijs ex contemptu conſequentibus, vnanimiter prædicantibus) omnem hanc prædicationem, per omnes ætates, hominibus ſe diffundentibus, deſcendiſſe, ſed paulatim exoletam, partim celebritatem illam, claritatemq; amiſiſſe, partim quæ remanſiſſet, commentis humanis contaminatam, non eandem apparuiſſe, ſemper tamen hoc meliorem, quo vetuſtiorem, & ab antiquitate minus diſiunctam. Haud igitur mirum, ſi tam multos ex priſcis illis de præmijs probitatis ac iuſtitiæ, vel ratione perſuaſos, vel ſucceſſione doctrinæ, crebriſq; Deorum vocibus & conſpectu admonitos, inuenias eccinisse. Ecce enim Pindarus longè ante Chriſti aduentum, quemadmodum ſuperiores, per tralationem rerum amœniſſimarum, quas & in noſtris litteris reperias, deſcribit præmia iuſtorum. Quale enim Ioannes dicit, ſe vidiſſe beatos, palmas gerentes, laureatos, triumphantes: ſimile Pindarus de his ipſis:

Pindari vers° ij de beatitudine bonorũ, non extãt in iis, quæ habemus, idem tamẽ loc° eſt Olymp. Oda. 2. Antiſtrop. 8.

Τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἠελίου
Τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω,
Φοινικοροδίαις τε λειμῶνες εἰσὶ προάστειον αὐτῶν,
Καὶ λιβάνῳ σκιερᾷ, καὶ χρυσοκάρποισι βέβριθε.
Καί τοι μὲν ἵπποις, γυμνασίοις, τοὶ δὲ πεσσοῖς,
Τοὶ δὲ φορμίγγεσι τέρψονται.
Παρὰ δὲ σφίσιν εὐανθὴς ἅπας τέθηλεν ὄλβος.
Ὀδμὰ δ᾽ ἐρατῶν κατὰ χῶρον κίδναται ἀεὶ
Θύμματα μιγνύντων πυρὶ τηλεφανεῖ
Παντοῖα, θεῶν ἐπὶ βωμοῖς.

His nitor ingens Solis, noctem diſſipat atram.
Eorum ſub vrbana prata ſunt virentia.
Fructibus aureis, & thure prægrauantur arbores
Partim equis, & palæſtra, partim ludunt calculis.
Partim oblectantur, & teſtudine.
Eis ſemper odorata vireſcit felicitas.
Odor gratus, & amatus, tota terra ſpargitur.
Super altaribus diuum redolet omnis ſuauitas.

Hæc Pindarus. Ego non reddidi numeros. His odoris, viroris, cantus, alacritatis, tripudiorum tralationibus, deſcribitur beatitudo cæleſtis. Sic & ipſe manifeſtus felicitatis autor, & præco. Amplius non bibam de genimine hoc vitis, niſi cùm bibam illud in regno Patris mei. En potus, & vinum. Similiter apud Ioannem in ripa fluminis Paradiſiaci arbor vitæ ferens fructus ſingulo menſe. Neque enim poſſumus ſenſus erudire noſtros, niſi rebus manifeſtis. Erat igitur conſtans priſcis illis, inſitaque fides de præmiis, iuſtitiæ paratis. Itaque Plutarchus hoc indicans: εἰ δὲ τῶν παλαιῶν τε ποιητῶν καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, οὕτω καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἐστί τις τιμὴ καὶ προεδρία καθάπερ λέγεται. καὶ χῶρος τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαί: Si vera ſunt, inquit, vt par eſt, quæ priſci Poetæ, & Philoſophi prodiderunt, pios qui deceſſiſſent honoribus affici, quemadmodum fertur, eſſeque eis locum repoſtum, in quo eorum animi morabuntur. Hæc ait Plutarchus, ſequens, vt vbique ſolet, ſuperiores Philoſophos. Ex aduerſo autem, de ſuppliciis ſimilia atque noſtri perhibet, in eo quem De facie quæ viſitur in Luna, ex anterioribus Philoſophis audita, πᾶσαν ψυχὴν, ἄνουν τε καὶ σὺν νῷ σώματος ἐκπεσοῦσαν, εἱμαρμένον ἐστὶν τῷ μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης χωρίῳ πλανηθῆναι, χρόνον οὐκ ἴσον: Omnem, inquit, animam, ſiue dementem, ſiue cum mente, vbi è corpore lapſa eſſet, fato decretum eſt, errare in loco, qui eſt inter Lunam ac terram, non æquali tempore: ſed iniuſtæ, immoderatæque ſcelerum pęnas perſoluunt, bonas autem oportet in amœniſſimo aeris eſſe loco, quem inferorum prata dicunt, certo tempore, quoad expiatæ corpore, quod omnis mali cauſa fuit, exin in patriam velut poſt liminio reportatæ gaudiis perfruantur. In his Plutarchus, vt vides, criminum expiationem, vbi diſceſſum eſt à corpore, fatetur. Variam perhibet expiationem, quòd impuræ pendunt pœnas infra cælum, procul à loco, patriaque beata. Puriores autem expiantur, Triplex animarum ſortitio, Purgatorii locus.

plantur, & ipſæ, ſed lenius, tranquillius, in aere, donec admiſſæ in patriam, æternis gaudijs perfruantur. Habes igitur apud eos omnia, quæ libris noſtris celebrantur, de triplici ſorte: aut eorum qui penitus adeunt regna beata, nuſquam remorati: aut qui ſubitò rapiuntur ad ſupplicia; vel quibus purgantur peccata, quibus expiatis, velut in patriam reuocentur. Purgatorium eſſe infra Lunam, & terram, quacunque nobis incognita ratione, modo ſummus iudex decreuerit, in loco quidem non ſancto, ſacro, beato, ſed medio. Quanquam non deſunt negantes mediam ſortem. Gaudium quoque vides apud eos, gaudium inquam arcanum, ineffabile, quod guſtant beati, expiati. Vides item patriam: vides hunc mundum exilium eſſe, & errorem. Errare, vagari animos, donec in cœlum reuocentur. Item Plutarchus de ſuppliciis improborum apertius ſcribit eodem libro, Extra, inquit, mare Caſpium, & eos, qui circa mare rubrum adhabitant, ſunt profunda Lunæ concaua. Quorum maximum vocant ſpeluncam Hecates, vbi pęnas dant animæ, eorum quæ iam, vel perpeſſæ eſſent, vel feciſſent. Hæc etſi fabuloſius de Lunæ concauitatibus à Plutarcho dicuntur, ſumma tamen eſt, in profundo receſſu animas pęnas male geſtarum rerum dare. Ex his autem, vel arguendus, vel certè declarandus Plutarchus cùm in eo quem inſcripſit, Quomodo deceat adoleſcentem audire poemata, vult de fluminibus inferorum, & pęnis, Poetas fabuloſius ceciniſſe. Vel igitur ſibi contradixit, vel ſenſit, vera quidem eſſe ſupplicia, ſed addidiſſe Poetas quædam fabuloſius, ob quæ eiecti ſint è republica Platonis. Teſtatur igitur Plutarchus, Homeram, Pindarum, Sophoclem, vates priſcos, de pęnis, fędaque inferorum habitatione ceciniſſe, ἔνθεν τὸν ἄπειρον, ἐρεύγονται σκότος, βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοὶ. Hinc eructant ſub immenſis tenebris horrendæ noctis rapida flumina. En Pindarus tenebras illas canit, quæ dicuntur a Deo, Tenebræ exteriores, in quas, manibus & pedibus ligatis, iubetur impurus, contaminatusque proiici. Sic Sophocles vates priſcus, Platone vetuſtior, & damnationem miſerorum, & vitam beatorum egregiè prædicauit, τρισόλβιοι ἐκεῖνοι βροτῶν, οἱ ταῦτα δερχθέντες, τέλη, μολῶσ᾽ ἐς ἄδου, τοῖς γὰρ μόνοις ἐκεῖ ζῆν ἐστι, τοῖς δ᾽ ἄλλοις πάντα ἐκεῖ κακὰ: Terque quaterque mortales illi beati, qui vitæ metas has, & fines contemplati tendunt ad inferos. His enim ſolis illic viuere datum. Aliis ſunt illic cuncta mala. Hæc Theologia vetuſta, Naturæ vox teſtimoniis cęleſtibus poſtea confirmata. Vides eum ter beatos, nimirum beatiſſimos prædicantem, qui vitę fines reſpexerunt, qui duplices vitę metas illas, viuentes ante oculos habuerunt, quarum altera ducit ad bona, altera ad ſumma mala. Beati, ſapientes prædicantur, qui viuentes ad hæc acres acies intenderunt, hic defixos oculos habuerunt, hic inenarrabiliter, innumeris vocibus prędicantur in ſacris litteris beati, qui timent Dominum, qui diligunt iuſtitiam, qui ſpernunt impias, & inconceſſas voluptates, qui finem vitę ſępius reſpectant, prędicantur enim propter magna pręmia, magnas illas & incomparabiles, ſempiternaſque delitias. Quia declaraberis Deus, in immortalitatis & diuinitatis gradu locaberis, tenebris horrendis euitatis.

Teſtimonium Plutarchi, Iamblici, Marci Tullij, Pythagoræ, de præmijs ac ſupplicijs poſt vitam.

Cap. XXVIII.

Cruciatus improborum poſt mortem.

Mors, optanda.

SIMILIA prodidit Plutarchus de ſuppliciis, in eo, quo ſcripſit an rectè dictum ſit, Viuendo latita, a priſcis Theologis ac Philoſophis mutuans, Eſſe tertiam viam, eorum qui impiè, legumq; pręuaricatores vixiſſent, quę tradat animas, εἰς ἔρεβός τι καὶ βάραθρον, in voraginem quandam, teterrimumque barathrum, vbi ſonantia noctis horrendę flumina rapiant, & auferant è medio celandos obliuione ſempiterna pęnis addictos κολαζομένους. Neque enim eſſe vultures ad inferos, qui fibras ſemper renaſcentes, iecurque iam, vel roſtris illis, vel tabo conſumptum depaſcantur. Neq; ſaxa quoq;, & pondera ceruicibus miſerorum ſemper impendentia, quorum iam corpora, & neruos, brachiaque labor, & tempus abſumpſiſſet, ſed vnum verum ſupplicium eſſe malorum, quòd funditus è medio tolluntur, nullis amplius eos actos pręcipites in flumen obliuionis ęternè, viſuris, in abyſſum pelaguſq; profundum hauſtos, vitę omnis, motus, lucis expertes. Vera igitur definitio Plutarchi, de ſuppliciis æternis, quòd longius a Deorum regnis ſcelerati ſummouentur, in tenebroſum, profundum, longiſſimum a luce, & vita, omnique actione carcerem traduntur, merito vocatum ἄῤῥητον, ἀόρατον, infandum, inuiſibile. Has ſeruator tenebras exteriores appellat. Has arbitratur pęnas Plutarchus, quòd luce, & commercio bonorum, beatiſſimaq; actione vitę priuantur. Nemo eos amplius aſpiciet obſcuros, ignotos. At Iamblicus, qui vitam dogmataq; priſcorum Pythagoreorũ diligenter, accurateq; perſcripſit, decerpens ex omnibus illis, Mors, ait, non modò non eſt extimeſcenda pio, ſed multò magis etiam optanda. Aut enim pereunte anima cum corpore, fit omnium malorum reſolutio: aut ea remanente poſt diſceſſum, reſoluto corpore continget vita beatior. Sed quoniam eſt hoc poſtremum (claret enim animam eſſe immortalem) certè nulla eſt alia via certa ſalutis, quam vt optimam, prudentiſſimamque vitam agamus. Nihil enim fert ſecum anima tendens ad alteram vitam, quàm probitatem, vel improbitatem, quæ plurimum prodeſſe, aut obeſſe defuncto noſcuntur. Atque anima quidem melior μετὰ θεῷ οἰκεῖ, cum Deo habitat, per cæli regiones beatas inuecta. Quę verò ſeſe factis impiis contaminauit, impietate, impuritateque teq; ſordeſcens, proficiſcitur ad iudicia ſubterranea, meritis pęnis deputãda. Ob quã cauſam, conandum eſt in hac vita, dum licet, & datur, virtutem ac ſapientiam indipiſci, καλὸν γὰρ τὸ ἆθλον, καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη: Pulchrum enim eſt præmium, & ſpes ingens. Audendumque ei, qui in hac vita moratur, vt omnes voluptates, corporeaq; ornamenta, tanquam aliena, a ſeſe abiiciat, non alieno, ſed ſuo cultu animum veſtiens, ſapientia, & iuſtitia, reliquisve virtutibus: Sicque expectet profectionem ad alteram vitam, velut abiturus, cum voluerit fatum. Quod cum ita ſit, non magnis pecuniarum acceruandarum curis æſtuandum, non gloriæ, non ambitionis: ſed prudentiæ, veritatis & animi, vt ſit quàm optimus, ſtudium capeſſendum. Neque enim fas eſt, quæ vili æſtimari debuiſſent, plurimi facere, neque rurſum, quæ magno in pretio decuiſſent haberi, nihili pendere. Non corporum igitur, & opum, ſed animi. Non enim ex opibus virtus, ſed ex virtute opes. Viro igitur pio neque viuo, neque mortuo, mali quicquam euenire poteſt. Nec viuus, vel mortuus a Deo negligitur. Hæc Iamblicus ex Platone, vt dixi, decerpta. Idem immemores ſui, diuinarum rerum obliuioſos, omniaq; ſtultè credentes ait a priſcis deſignatos, fœminis vrnas ad inferos geſtantibus. Quidam, inquit, eruditus, animum ſtultorum vrnam dicebat, eſſe propter credulitatem, tum propter inſatiabiles, cupiditates, τὸν δὲ κόσκινον ὡς ἔφη πρὸς με λέγων τὴν ψυχὴν εἶναι: τὴν δὲ ψυχὴν κοσκίνῳ ἀπεικάσαι τὴν τῶν ἀνοήτων ὡς τετρημένην, ἅτε οὐ δυναμένην στέγειν, δι᾽ ἀπιστίαν τε καὶ λήθην. Diuinè quoque refert idem Iamblicus, Pythagoram de pęnis inferorum non ſecus atque in vera religione habetur, ſtatuiſſe, admonuiſſeque potius omnem contumeliam perferendam, quàm adduci, vt hominem interficias, πολλῷ δὴ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι, παρήγγελεν, ἢ κτεῖναι ἄνθρωπον, ἐν ᾅδου γὰρ κεῖσθαι τὴν κρίσιν. Marcus quoque Tullius Romanorum omnium eloquentia facilè princeps, cuius teſtimonium in rebus grauiſſimis pro cunctis Romanis ſufficit, vtranque ſortem, bonorum, ſcilicet, ac malorum credidit, ac memorauit, antiquæ famæ ſubſcribens, Illi igitur, inquit, impij, quos cecidiſtis, etiam ad inferos pęnas parricidij luent, vos verò, qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem, & locum conſecuti.

Viro pio neq; viuo, neq; mortuo, quicquam mali euenire poteſt.

De Mundi Exitio. Cap. XXIX.

MVNDVM aliquando immenſis ignibus conflagraturum etiam Stoici crediderunt. De quo Athenagoras, τούτῳ καὶ οἱ τῆς στοᾶς τῷ λόγῳ ἐκπυρωθήσεσθαι τὰ πάντα, καὶ πάλιν ἔσεσθαι φασὶν ἑτέραν ἀρχὴν τοῦ κόσμου λαβόντες, Hac ratione, & Stoici, inquit, omnia inflammanda in poſterum, rurſumque reficienda aſſeruerunt, aliud exordium mundi introducentes. Hæc, & Ouidius videtur reſpexiſſe cum cecinit,

Mundum aliquando conflagratũ iri Stoici aſſeruerunt.

Metam. I.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Affirmantur eadem ab Euſebio, dicente id fuiſſe placitum Heracliti, & Empedoclis, τὸ δὲ γενέσθαι τὴν τοῦδε παντὸς φθορὰν οὐ μόνον χριστιανοῖς ἀλλὰ καὶ τοῖς τῶν ἑλλήνων σοφοῖς δοκεῖ, ὡς ἡρακλείτῳ τῷ ἐφεσίῳ, ὡς ἐμπεδοκλῆ: Totius, ait, iſtius mundi interitum fore, non ſolum Chriſtianis viſum, ſed & Græcorum ſiue Gentium ſapientibus, vt Heraclito Epheſio, & Empedocli. Lucanus item, ſiue quòd eſſet Stoicus, ſiue, quòd hæc de inflammatione, & interitu mundi fama vetuſtiſſima ſit, longo ſæculorum ſucceſſu ad poſteros deuoluta, in eam conſentit:

1. Bellorũ ciuil.

Inuida fatorum ſeries, ſummiſque negatum
Stare diu, nimioque graues ſub pondere lapſus
Nec ſe Roma ferens. Sic cum compage ſoluta
Sæcula tot mundi ſuprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia miſtis
Sydera ſyderibus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina, diuulſi turbabit fœdera mundi.

Lucanus quidem hæc. Patruus autem Seneca ſuæ fortaſſe ſectæ veſtigiis inſiſtens, in Epiſtolis eadem. Non terra, inquit, non cælum, non ſemper hic omnium rerum contextus, quamuis Deo agente ducatur, non ſemper tenebit hunc ordinem, ſed illum ex hoc curſu, dies aliquis deiiciet.

Seneca, de mũdi excidio, epiſt. 75. vide & 3. q. natur. ca. 26. 27. 28. 29.

Lucre. li. 5.

A deiiciet. Lucretius quoque quanquam non Stoicus, idemq; Poeta melior, quàm Philoſophus, credo quòd hæc apud Stoicos legiſſet:

Vna dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animi fallit, quàm res noua, miraque menti
Accidit exitium cœli, terræque futurum.

Apoc. 6. Eſa. 34. Matth. 24. Pſal. 101. Cap. 3.

Lucanus igitur copioſius expreſſit, quod a Chriſtianis exiſtimatur, & prædicatur de his, quæ in interitu mundi contingent. Primum machinam mundi, ſolutis vinculis omnium rerum, turbandam, reuerſuramque ad antiquum chaos: meminit horæ ſupremæ, de qua in ſacris litteris creberrima mentio. Quodque etiam in noſtris litteris refertur, cœlum inuoluendum vt libri volumen, ſic idem; Sydera ſyderibus concurſura, igneaque aſtra in mare lapſura. Id Eſaias; Tabeſcet omnis militia cœlorum, complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & de ficu. Et Seruator in Euangelio; Aſtra de cęlo cadent, & virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc apparebit ſignum filij hominis. Et Dauid; Ipſi peribunt, cœlum & terra, virtutes cœlorum, aſtra. Diuus autem Petrus ſæpe repetit in ſecunda Epiſtola; Cœlum & elementa igni abſumenda, in die iudicij reſeruata igni: οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ, καὶ ἡ γῆ, αὐτοῦ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως: Cœlum iſtud, quod nunc eſt, & terra ſecundum verbum eius igni repoſita ſunt in diem iudicij. Deinde, ἐν ᾗ οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαύσεται: B In qua die cœli fluminis inſtar præteribunt, elementa autem incenſa reſoluentur, & terra, & quæ in ipſa ſunt, colliqueſcent. Paulò poſt; Diem Domini commemorans, ait, δι' ἣν οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται, καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τήκεται: Per quam cęli inflammati, & elementa liqueſcent. Hæc diuus Petrus. Sibylla quoque commemorat amnem ſulphureum de cęlo labentem. Non tacuit etiam alia prodigia, quæ fore in fine mundi in noſtra Theologia prędicuntur. Videnturque ad alia Poetæ hæc in libris Sibyllinis legiſſe. Non diſſenſerunt autem, ſi rectè iudices, Stoici a Chriſtianis in reparatione mundi. Siquidem & noſtri mundum nouum, & terram nouam fore vaticinantur. Senſeruntque Stoici reficiendum mundum, non eundem, ſed quaſi renouandum, aliumque reſtituendum. Noſtri quoque interitum mundi, renouationem interpretantur. Quorum Euſebius: οὐ παντελῶς πρὸς φθορὰν ὁ κόσμος χωρίσει, ἀλλὰ πρὸς ἀνακαινισμόν: Non prorſus, inquit, mundus in occaſum tendet, ſed ad renouationem. Hippolytus quoque, & Hieronymus, & Euſebius idem alibi, & alij plerique, eadem fatentur: Euſebius ſcripturam ſacram interpretans, quæ de interitu mundi apud Eſaiam vaticinatur: ἐπιτηρῆσαι δὲ ἐνταῦθα ἄξιον γινομένους τοὺς λόγους, ὡς οὐ φθορὰν, οὐδὲ ἀπώλειαν, οὐδὲ ἀφανισμὸν ἔσεσθαι τοῦ οὐρανοῦ σημαίνει ὁ λόγος, ἀλλ' ὥσαν ἑλισσομένης βίβλου φανεροῦται τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα, οὐ μὴν φθείρεται ἡ βίβλος, τὸν αὐτὸν τρόπον ἀνελιττομένης τῆς περιεχούσης τὰς τοῦ σύμπαντος αἰῶνος πράξεις, αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις ἀπορεύσουσι τῆς κατὰ τὸν ἀέρα διατριβῆς: τό τε δὴ αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις αἱ πάλαι δίκην ἄστρων πολλοὺς ἀπατήσασαι πεσοῦνται, ἐπὶ καὶ αὐτὸς ὁ σατανᾶς μετασχηματιζόμενος εἰς ἄγγελον φωτὸς πέπτωκεν, ὡς ἀστραπὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Quæ ſunt, Obſeruate hoc loco operæpretium, quæ dicantur: non enim interitum, aut abolitionem, vel C perditionem cœli futuram dicit prophetia: ſed ſicut inuoluto libro, declarantur, & panduntur ea, quæ ſunt inſcripta, liber autem non deletur: ſic obuoluto libro, quo totius ęui res geſtæ continentur, aduerſæ poteſtates decident ex habitatione aeria. Tunc inquam hæ, quæ quondam quaſi ſtellæ multos ſolerent decipere, cadent. Quando & Satanas ipſe in Angelum lucis transfiguratus, cecidit tanquam fulgur de cęlo. Hæc Euſebius, non quidem declarans quomodo ſit rerum innouatio futura, ſed tamen ſentiens non abolendum mundum: Aſtrorum autem lapſum hoc duntaxat loco, in Dæmonas referens. Quod & Cyrillus apertè ſentit: ὅτι τῆς θείας ὀργῆς ἡ ἔφοδος, οὐ κατὰ μόνων ἥξει τῶν ἐπὶ γῆς, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτῶν δραμεῖται τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων· κολασθήσονται γὰρ δι' ἧς ὑφίστανται, δίκης τὴν τοῦ θεοῦ μάχαιραν, τετυραννηκότες μὲν εἰς χρόνους μακροὺς, καὶ ὅλην ἀπωλέσαντες τὴν ὑπούρανον ἐξαιτούμενοι τε τῶν δυσσεβειῶν τὰς δίκας: Diuinæ iræ impetus, non ſolùm contra terreſtria deſæuiet, ſed etiam contra ipſos immundos ſpiritus: plectentur enim gladio illo diuino, cuius iuſtitiæ ſubiacent, qui longo olim tempore tyrannidem exercuiſſent, totaque ſubcœleſti habitatione amiſſa, pęnas repoſcentur ſuarum impietatum. Vides hic refugere Græcos fateri aſtra peritura, virtuteſque cęlorum Dæmonas, quàm aſtra malunt interpretari. Subdit autem Euſebius eadem aſſerens: πρώτας δὲ μετελθοῦσα τὰς ἐν τῷ ἀερίῳ τόπῳ πονηρὰς καὶ ἀντικειμένας δυνάμεις ἡ λεχθεῖσα μάχαιρα τοῦ θεοῦ, δευτέρας ἔρχεται τὰς ἐπὶ τῆς γῆς τῶν ἀσεβῶν ψυχάς: Primum, inquit, gladius Dei corripiet ſceleratas, & aduerſas in loco aerio poteſtates, exinde impiorum in terra degentium animas. Hic & hoc loci virtutes cęleſtes interpretatur, non ſtellas, ſed Dæmonas potius, quia non prorſus cęlum perdendum opinaretur. In hac item ſunt alij Theologi Græcorum, quorum autorum grauiſſima eſt opinio. Siquidem idem, quem ſuperius nominaui Cyrillus, vbi Eſaias ſcribit; Quia cęli ſicut fumus liqueſcent: θάνατον δὲ τῶν στοιχείων

Mundus, & terra noua. Vide Aug. de Ciuita. Dei, li. 20. cap. 16. & 17. & Lactan. 7. c. 4.

Nonnulli putarunt aſtra non peritura.

εὐφυῶς ὀνομάζει τὴν εἰς τὰ ἀμείνω μεταβολὴν, ἐχ ἔν τὸν τῆς κτήσεως ἀναχαρισμὸν οἷον ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, καθάπερ ἐπὶ σωμάτων τῶν ἀνθρωπίνων ἔσεσθαι φησὶν, λυομένων δὲ στοιχείων, τὸ σωτήριον μου εἰς τὸν αἰῶνα ἔσται: Innouationem,ait, reparationemq; ad meliorem statũ apposite dixit mortem elementorũ. Itaque fore prædicit,quemadmodũ corporum humanorum,renouationem rerũ creatarum,quasi a mortuis resurrectionẽ. Resolutis autẽ elementis,salutare meũ erit, inquit, in æternũ. Eadẽ alius Theologus affirmat,qui Seuerus dicitur: οὐ παντελῆ λέγων ἀπώλειαν οὐδὲ γὰρ οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν ἄνθρωποι τοιαύτην ὑποστήσονται, ἀλλὰ τὴν πρὸς καιρὸν καὶ δι᾽ αὐτῆς ἐπὶ ἀφθαρσίαν μεταβήσονται. Quæ sunt, Non omnimodam dicit consummationẽ: Neque enim & hi qui inhabitant ipsam terram,tali interitu subiacebunt: sed temporariam,per quã in incorruptionem mutabuntur. Hæc a Theologis Græcis pari consensu approbantur, quæ noster sensit & affirmauit Hieronymus. Qui in id quod ait Psalmus; Et sicut pallã inuolues eos,& mutabuntur: Ex quo,inquit,ostenditur perditionem cęlorum non interitum sonare,sed mutationem in melius. De quibus dicitur;Erit cęlũ nouum,& terra noua,quæ ego faciam permanere in conspectu meo: probat etiam ex eo,ꝙ omnis creatura ingemiscit, vt mutetur & ipsa in melius,cũ nõ animæ solum suapte natura immortales, sed etiam corpora glorificabuntur,& præteritis antiquis,facta fuerint omnia noua, conformandaq; esse omnia,sicut & Seuerus opinabatur,hominum innouationi. Denique concludit tametsi sententiæ alternarent, glorificatis & innouatis hominibus cætera innouationem secutura: nulla putans posse cõsecutione deduci,vt peritura sint omnia,cùm hominum animæ immortales, corpora verò immortalia surrectura, maxima ac præcipua mundi pars, non sint in nihilum redigenda,sed futura potius meliora. Qui dicit omnem mundum in nihilũ abiturum,dicit etiam animas hominum & corpora,præcipuam mundi partẽ.Hoc autem veritati est contrarium. Ex superioribus autem Diui Petri testimoniis ostenditur resoluenda ardore omnia, & consumenda: Cœlum videlicet & elementa,terram & omnia terrestria. Sed quoniam horribile est ad cogitandum, vt in nihilum redeant omnia,& tum rationes, tum sacrarum litterarum testimonia nihil tale minari noscuntur (Nam & idẽ ille Diuus Petrus,qui toties tantaq; asseueratione clamauerat,igni cęlum & terram & omnia terrestria consumenda,affirmat fore cęlum nouum,terramq; nouam, idq; secundũ promissionẽ diuinam, καὶ νῦς δὲ οὐρανοὺς, καὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν, ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ) videtur hoc constantissime tenendũ,in quo Stoici quoque cõsentiebant cum Theologis, interitum fore rerum quas cernimus,sed ita, vt resolutis his, sit alius mundus,siue ex his reparatus,siue aliunde introductus. Atque cęlum nouum,& noua terra, siue nouus mundus,vt Stoici tradebant,aut ex his ipsis rebus reparandus, reficiendusq; est, aut alius quidam futurus mundus. Primum igitur tota Theologia clamat, cęlum & terram resoluendam. Secundò,resoluenda per ignem omnibus intra cęlum & terram,cum ipsis simul incensis. Hæc accensio sine dubio ita cuncta resoluet, vt penitus intereant & aboleantur. In nouo autem mundo omnes consentiunt. An ergo ex cineribus illis, reliquiisq; ex usti mundi sit tanquam Phœnix ex cineribus suis reparandus,an futurus alius quidam alterius generis mundus,hoc cognitu dignissimum est, maximeq; necessarium. Duobus ergo sensibus potest intelligi mundi perditio, ac renouatio. Primus est, vt omnibus rebus cęlestibus & terrestribus consumptis,futurũ sit aut Chaos, aut id quod erat ante mundum (erat autem nihil.) Secundo, vt abiecta hac forma & natura,penitusq; in nihilum redacta,succedat alia vice eius. Hic innouatio potest intelligi,aut ex illis mundi reliquiis,vt dixi,aut ex aliis quibusdam rebus alter mundus. De perditione prorsus secunda sententia vera est. De innouatione,an renouanda sit terra & aqua & aer,& quasi reformãdus veluti vas recoctum,nouumq; redditum,an pro pręsenti futurus sit alius alia natura,alia substantia,alia forma mundus,in quo non aqua,non aer,non terra,non cœlum ac sydera, sed alius quidam mũdus,difficile expedire est. Videtur autem hoc postremũ Theologia vaticinari,nullam rerum harũ corruptibiliũ futuram,sed alium quendam mundũ. Ac diuus Petrus duobus locis,clarũ super hac re præbuit testimoniũ,in libris recognitionum,quos discipulus eius Clemens cõscripsit, & in hac secunda epistola. Sed primũ audiendus est Didymus ille videns,a quo potest cognitio & finiendi mundi & innouãdi, & ratio cur finem sit habiturus, percipi: παλαιουμένων πάντων τῶν ὑπὸ χρόνον· τὴν γὰρ χρονικὴν ἀρχὴν ἐν τῷ γίνεσθαι λαχόντα, πολλοῦ χρόνου παρατρέχοντος παλαιοῦται, τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ τὸ ἐλλείπεσθαι αὐτοὺς σημαίνει παρεληλυθέναι τὴν χρείαν, καθ᾽ ἣν συνεβάλλοντο τῇ παρούσῃ διακοσμήσει, ὡς γὰρ τὸ περιβόλαιον ἑλίσσεται μετὰ τὸ πληρῶσαι τὴν χρείαν οὕτως ἐπεὶ καὶ τὸν οὐρανὸν, ἅμα τῇ γῇ. παλιναναστοιχειώσις ἔσται μετὰ τὸ παρελθεῖν αὐτὰ κατὰ τὸν λέγοντα σωτῆρα, ὁ οὐρανὸς καὶ γῆ παρελεύσεται: Omnia, inquit, tempori subiecta, senescũt. Nam quæ temporis principiũ nascendo habuerunt,longo tempore antiquantur. Quod ergo canit Psalmus;Veterascent, & mutabuntur: designat eum vsum abiisse ac defecisse, quo rerum ordines sustinebant, alebantque. Vt enim indumentum vbi officio functum fuerit,obuoluitur,sic cęlum ac terræ functæ muneribus suis abibunt, rerumque erit restitutio,iuxta dictum Seruatoris; Cœlum, & terra transibunt. Huc vsque Didymus. Quibus probatissima ratio proponitur, cur mundus finem sit habiturus. Hæc autem summus docet Theologus. Primùm, mundum antiquandum,vetustate & senio interiturum, sed non eo senio, quo res mortales corrumpuntur, atque abolentur. In cœlo tale senium nullum est,sed aliud quoddam,cuius similitudo ex vestibus ostenditur,cùm

Psal.101.

Non interitum cœlorum fore,sed mutationem in melius.

Omnia peribunt.

Mũdi perditio,ac renouatio.

Psal.101.

Luc.21.

D

E

F

A deponimus eas vbi nobis eſſe vſui deſiiſſent, tanquam inutiles eas exuimus, atque obuoluimus. Sic mundus, id eſt, cęlum, non eo delebitur, ꝙ eadem vetuſtate, atque omnia animalia, arbores, maria, montes, aliquãdo ſit defecturus, ſed quia ceſſabit vſus eius, quo rerum tantos ordines peragebat. Totus autem vſus iſte cęli, eſt lucis, caloris, motus, vt omnia gubernet, gignat, alat, vitam omnibus ſuppetat. Hæc autem hominibus fiunt. Homini fulgent ſydera, homini naſcuntur plantæ, animalia, hominis eſt terra domiciliũ. Vt terra hominis eſt, ſic omnia terreſtria. Ac quoniam terreſtria a cęleſtibus aluntur, ea ratione apparet cęleſtia fuiſſe reperta, vt habitatoribus terrarum deſeruiſſent. Itaque omnes vſus, omnes viſibiles ordines, ac rerum facultates, ad hominem reuocantur. Hominibus igitur eiectis in ſempiternum è terra, cui florebunt campi, & montes, quibus equi, boues, cęteraq; animalia naſcentur? Cui cęlũ fulgebit? Quis contemplabitur, admirabiturq; cęli mirabiles ordines, ortus, & occaſus certos, & ratos? Quibus Sol iam ſua luce ſatiatis noctem relinquet, nocte quoque ex quiete refectis, iucundam referet lucem, idq; viciſſim per totũ orbem, aliis diem præſentia, aliis noctem abſentia efficiens? Hic item aliis ęſtatem acceſſu, aliis hyemen diſceſſu prębet, ab vtroque Tropico iter viciſſim, mirabiliq; ordine peragit. Semper agit nunc ęſtatem, nunc hiemẽ, vt omnia reficiantur, humores concreſcant, fruges matureſcant. Hoc ordine ſoli terrarum coloni, totum circunquaque orbem ſurſum ac deorſum occupantes, fruuntur. Solis ipſis oſtenditur excogitatus. His eiectis, aut ad meliorem ſortem, quoniã hæc mortalia & corruptibilia ſunt, ſolum corpoream vitam, non maius quoddam, optatiſſimumq; bonum habentia, receptis, quid Sole opus erit, cùm vita corporea non erit opus? Cùm erit alia vita, quàm & rerum humanarum probat neceſſitas, & myſteria cęlitus reuelata demonſtrant? Adueniente maxima Solis luce, lucernæ & faces remouẽtur: adueniente maxima vita, qua maior deſiderari B non poſſit, & melior, vſus iſte corporeæ vitæ prorſus ceſſabit. Hæc autem efficiuntur a Sole, omnium mortalium formarum autore. Qui nactus terreſtrem humorem, omnes generatim ſpecies elicit è terra, hominibuſq; peragitur is vniuerſus ordo. Quibus amotis, vanus & inutilis erit. Hoc ergo dicebat Didymus, eadem diuus Petrus, & hoc ſenium eſt mundi. Sed duplex poteſt intelligi mundana vetuſtas, naturalis corporis ipſius ętherij, quod ſit natura ſimiliter, atque alia corruptibile, quod neque ratio concedit, & tota Philoſophia, ac Theologia negat. Ratio enim oſtendit ętherium corpus eſſe incorruptibile, qm̃ quod futurum erat cauſa cæterorum, ipſum oportebat eſſe incorruptibile: ne ſi & ipſum interiret, reliquarum rerum eſſet exitium. Quod etiã fuit tot ſæculorũ lapſibus incorruptibile, de cuius magnitudine & qualitate nihil abierit, apparet ſemper in poſterum fore incorruptibile. Nam futuri interitus ac ſeneſcentię, aliqua iam indicia præceſſiſſent: præceſſiſſet mutatio ab exordio ad hãc ętatem: de corpore quoque, quemadmodum in arboribus, montibus, ſcopulis, animalibus ſeneſcentibus, aliquid decidiſſet. Non conſtaret idẽ Sol, non eadem fulgoris eſſet plenitudo, idem radiorũ vigor. Hæc igitur ſenectus nuſquam eſt. Hanc inſeneſcentiã Plato, Ariſtoteles, noſtriq; pariter decantant. Ac Plato in Timæo, Deum ita feciſſe hunc mundum, vt nullam iniuriam poſſet recipere: ἔτι δὲ ἵνα ἀγήρων καὶ ἄνοσον ᾖ αὐτὸν ἐτεκτήνατο, κατανοῶν ὡς ἀξυνιστᾶ τὰ σώματα θερμὰ καὶ ψυχρὰ καὶ πάνθ᾽ ὅσα δυνάμεις ἰσχυρὰς ἔχει περιϊστάμενα ἔξωθεν καὶ προσπίπτοντα ἀκαίρως λύει καὶ νόσους γῆράς τε ἐπάγοντα φαίνειν ποιεῖ: διὰ δὴ τὴν αἰτίαν, καὶ τὸν λογισμὸν τόνδε, ἓν ὅλον ἐξ ἁπάντων, τέλειον καὶ ἀγήρων, καὶ ἄνοσον αὐτὸν ἐτεκτήνατο. Quæ ſunt, Pręterea vt eſſet inſeneſcibilis, & ęgritudinis expers, intelligens, ꝙ ea, quibus conſtãt corpo-C ra calida & frigida, & quæ validas habent vires, exterius imminentia, & importunè incidentia, diſſoluunt, ęgritudineſq;, & ſenium adducunt, & interitum. Ob hanc cauſam hæc ſecum perpendens, vnum totum ex omnibus perfectũ, inſeneſcibile, ęgritudinis expers, ipſum molitus eſt. Hæc antea Timæus Pythagoreus tradiderat, Doricè loquens, ἀκήρατον τῶν ἐκτὸς κηρῶν, οὐ γὰρ ἦν δίχα τουτέων ἄλλα: Incorruptibile ab omni exteriori corruptione. Nihil enim eſt extra mundũ. Cauſam quoque immortalitatis mundi dicit eſſe, ꝙ vbi ſit rerum & elementorum ęqualitas & eadem proportio, alterum ab altero nõ poſſit offendi, indiſſolubilem temperaturam habentia. Similiter Ariſtoteles cęlum ait eſſe, στοιχεῖον οὖσαν ἕτερον τῶν τεσσάρων ἀκήρατόν τε καὶ θεῖον: Elemẽtum ſubſtantia a quatuor reliquis diuerſum, incorruptibile & diuinum. Hęc non illi ſolum putauerũt, ſed etiam a noſtris facilè conceduntur. Chryſoſtomus eloquentiſſimè, vt omnia: οὐχ ὁρᾷς τουτονὶ τὸν οὐρανὸν πῶς καλὸς, πῶς μέγας, πῶς ποικίλως τῶν ἄστρων ἐστεφάνωται χορῷ, πόσον διήρκεσε χρόνον, πεντακισχίλια γὰρ καὶ πλείω ἔτη λοιπὸν ἔστηκεν καὶ τὸ πλῆθος τοῦ οὐκ ἐπήγαγεν αὐτῷ γῆρας ἀλλ᾽ ὥσπερ σῶμα νέον καὶ σφριγῶν ἀνθοῦσαν ἔχει καὶ ἐνακμάζουσαν αὐτῷ τῆς ἡλικίας τὴν ὥραν οὕτω δὲ καὶ ὁ οὐρανὸς, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ἔλαχε κάλλος διετήρησε, καὶ οὐδὲν ἐπὶ τοῦ χρόνου γέγονεν ἀσθενέστερος. Nonne vides, inquit, cęlum hoc vt pulchrum, vt ingens, vt aſtrorum choreis varium? Quantum temporis viguit? Quinque ac plus annorum millia proceſſerunt. Et hęc annorum multitudo ei non adduxit ſenium, ſed vt corpus nouum ac vegetum, floridæ vigentiſq; iuuentæ viret ętate: ſic cœlum quam habuit a principio pulchritudinem, ſemper eadem permanſit, nec quicquam tempus eam debilitauit: hæc Chryſoſtomus. Verè igitur ſuapte natura inſeneſcibile, & inuariabile eſt cęleſte corpus, indelebiliſq; eius pulchritudo. Eſt enim puriſſima ſubſtantia, expers omnis iniuriæ, loco & natura. Corrumpuntur autem omnia aut ab igne, aut aqua, aut aere, aut terra, longè lateque a cęlo diſtantibus. Philo igitur Iudæus, vir eloquentiſſimus, dogma Theologiæ Moſaicæ, teſta-

Mundus quomodo delendus.

Duplex mundi vetuſtas.

Cur immortalis mundus a Platone cõſtitutus.

Annorum multitudo non adducit mundo ſenium.

Philo. dogma, de cælo nunquã interituro.

Cęlum peribit, cum erit cœli vſus inutilis.

Idem penè eſt Lactantij dogma lib. 7. Vide eiuſdẽ Epitomẽ c. 11

Eſa. 34. Matt. 24.

tur eſſe cęlum creatum quidem, ſed non interiturum: quanquam ex libris Moſaicis non probat D quod aſtruit, ſed rationibus duntaxat depugnat, alia labefactari detrimentis extrinſecus irruentibus, alia malis inteſtinis: vt ferrum ſi rubigine corrodatur, ſui ipſius interno malo depaſci, ſin domo vel vrbe concremata, & ipſum concremari contingat, alieno morbo diſſolui: ſic animalia vel propriis morbis cadere, vel cædibus externis, quorum nihil euenire poſſit mundo. Sed illa præponderat ei ratio, quòd a Natura propter ingens robur inſuperabili contineatur, omnes iniurias quæ poſſunt accidere ſuperante. Illa quoque videtur ei validiſſima, nullam fore vnquam cauſam, ob quam Deus in perniciem operis tanti ſeſe vertat. Hæc ille: quæ pòſt melius examinabuntur. Hæc igitur eſt prior inſeneſcentia a nemine negata. Alia eſt quam Philoſophi neſcierunt, cùm vſus cęli inutilis erit, ignis eius & lumen, nulli proderit. Seneſcet ergo cœlum, quia ſeneſcet vſus & cauſa creati & permanſuri cœli. Ideo enim creatum fuerat durabile, vt nunquam vitam hominum interrumperet, & quoad ipſe Deus vellet, viuerent. Succedente vita meliore, quæ nullam a Sole & ſtellis habeat dependentiam, quis eis amplius erit opus? Diuus igitur Petrus docet promiſſionem eſſe cęleſtem, de mundo nouo & terra, in quibus iuſtitia habitat. Amoto igitur pręſenti, ſuccedet cœlum & mundus, in quo iuſtitia inhabitat. Non habitat autem iuſtitia niſi in cęlo, vt Plato quoque & Poetæ dixerunt, in propriæ charitatis ſanctitatiſque domicilio. Apud homines regnat potius iniuſtitia, quæ & diluuium adduxit, & incendium vrbium impiarum profudit, quarum ſuperbia & iniuria maxima memoratur. Iuſtitia autem non ſolum ipſe eſt Chriſtus, a quo omne ius manat, omnis ordo, omnis lex (Nam & Stoici legem dixerunt rationem ſummi Iouis, omne moderamen, & ad eum ſpectat omnium bene, & malefacta diiudicare) ſed etiam omnes qui cęlum adierunt, non ſine iuſtitia peruenerunt. Inde exulant æternum cædes, E rapinæ, quidquid poſſit iuſtitiam profanare. Hoc cęlum reſtabit, hoc vigebit tanquam melius, cum genus humanum ad vniuerſale iudicium adductum fuerit, cum dabitur pietati ingens præmium, aliis ad cęlum Empyrium, quod ſolum erit, ſplendenteſque domos aſcendentibus, aliis ad tenebras exteriores in centro terræ detruſis. Alij ſuſpicient tãtum fulgores æternos, & quaſdam quaſi procul viſiones intuebuntur, voces diuinas longè reſonantes audient, medii inter vndequaque beatos, & vndequaque miſeros. Cęlum igitur iſtud ad corpoream vitam repertum renouabitur. Cęlum Empyrium reſtabit, implens fulgore terras. Tunc erit lumen Solis ſeptem vicibus maius quàm fuiſſet. Solẽ, pro lumine ampliſſimo, largiſſimoque illo Empyrii cœli, quod ab altiſſimis ſedibus omnia ſurſum ac deorſum immenſo lumine colluſtrabit, Vate vſurpante. Reſtabit autem terra, ad quam exuſti cœli reliquiæ peruenient, tametſi ętheria ſubſtantia leuiſſima ſit, qualis nubium albentium, puriſſimarum, altarumque. Reſtabit terra initium mundi, quæ in æternum ſtat, purgata tamen & complanata collibus ac montibus, quod Sibylla dixit. Docuit igitur diuus Petrus in Epiſtola apud Clementem in Recognitionibus, quomodo nouum cęlum ſit futurum. Dixit enim ſuperius, ὁ νῦν οὐρανὸς, præſens hoc cœlum quod cernimus, hoc cœlum quod aſpicis igni reſeruatum. Apud Clementem verò multa ſuper hoc Simonis magi refellens impietates, diſſerit. Vt ſuperius Philoſophorum poſitæ ſententiæ de mundi exitio perpendantur, dicendum eſt, ſi Stoici & Lucretius, vt dicta eorum probare nituntur, rerum abolitionem naturali neceſſitate futuram ſuſpicantur, facilius futurum vt rationi iudicioque Ariſtotelis & Chriſtianorum, mens conquieſcat, quàm ſuſpicionibus eorum. Vera enim eſt ſententia Chryſoſtomi, quam prior Ariſtoteles, maiorque Plato conceperant, corpus ætherium liquidiſſimæ ſubſtantiæ ſuapte natura nec diſſolui, nec vllo ſenio, quemadmodum rerum terreſtres, poſſe contabeſcere. F Quòd enim tot annorum curriculis illęſum fuit, cuius magnitudinem, pulchritudinemque corporis, nulla temporis iniuria labefactauit, nulla ſæculorum macula vitiauit, vtique tale ſemper futurum eſt, cuius fulgor nec vnquam impalluiſſe, nec decreuiſſe perſpectus eſt, quod pati debuit aliquando tot antè ſæculis, ſi futurum erat, certè nunquam patietur, nec aut ſenio debilitatum, attritumque diffluet, nec ardoribus vllis, cuius eſt altiſſima regio, cunctis ignibus inacceſſa, concremabitur, nec vllam quàm cętera corpora iniuriam recipiet. Aliæ rationes apud Ariſtotelem videantur. Quòd igitur Plutarchus ait in libro cõtra Stoicos, eos apertè prædicare, τοὺς θεοὺς ἅπαντας εἶναι γεγονότας, καὶ φθαρησομένους, ὑπὸ πυρὸς κατ' αὐτοὺς ὥσπερ κηρίνους, ἢ καττιτερίνους τινάς: Vniuerſos Deos creatos eſſe & interituros, liquefaciendos ab igne veluti plumbeos cereoſque ratione quidem nulla fieri poteſt: ſed vera tamen Stoici loquebantur, ab anterioribus ſæculis audita, quibus Sibyllæ Prophetæque cantabant fore, vt omnis aliquando cęli compago, magnis ignibus inflammata deflueret. Ad alios eximius Prophetarum Eſaias, ſimiliter atque Stoici ſcripſerat, Tabeſcet omnis militia cęli, Complicabuntur, ſicut liber, cęli, & omnis militia eorum defluet ſicut defluit folium de vinea & ficu. In Euangelio quoque Deus ipſe, Aſtra de cęlo cadent, & virtutes cęlorum mouebuntur. Et Dauid, Ipſi peribunt. Et idem Deus, Cęlum & terra tranſibunt. Virtutes autem cęli, Græci interpretes apud Eſaiam, Stellas interpretantur. Vera igitur Stoici ſcripſerunt: ſed quod diuinis reuelationibus fuerat proditum, illi futurum alia ratione credebant, naturaliter humore omni conſumpto, totam machinam a cęlo vſque in terras conflagraturam. Verum igitur id erit: ſed cùm extra naturæ cæleſtis leges, quibus incorruptibile, nullæque iniuriæ ſubiectum eſt ætherium corpus, ſit futurum, Stoici referre

debuerant

A debuerant,ſi poterant non in ſenium, debilitatemque corporis cęleſtis, aut ignes illos immenſos
mundi,ſed illam potentiam,quam Sibyllæ monſtrauerant, Deum, meliora mortalibus daturum,
cunctis;quo melior lucentiorque mundus ſequatur,renouatis alium mundum facturum. Omnis
enim,ait magnus Paulus,creatura hanc renouationem expectat,ingemiſcens & parturiens,expectansq́;
reuelationem filiorum Dei. Quæ quidem reuelatio futura tunc eſt, cùm claritas ſanctorum
corporum,quę reſurgentia glorificabuntur,manifeſta terris erit,cum qua rerum cunctarum
renouatio conſequetur. Ob id ab ipſis rebus expectata,quarum cum filiis Dei futura ſit in melius
reformatio. Quòd igitur Marcus Tullius,inducit Stoicum referentem, Ex quo,inquit, euenturum
noſtri putant,de quo Panętium addubitare dicebant, vt ad extremum omnis mundus igneſceret,
cum omni humore conſumpto, neq; terra ali poſſet, neq; remearet aer, cuius ortus aqua
omni exhauſta eſſe non poſſet: Ita relinqui nihil præter ignem. A quo rurſum animante ac Deo
renouatio mundi fieret,atq; idem ornatus oriretur. Audierant euenturam mundi conflagrationem
Stoici,ſed ad naturales cauſas eam reuocantes,errabant. Quem errorem facilè meliores Philoſophi
coarguent. Partim probantes nullam offenſam poſſe cæleſte corpus accipere,partim nunquam
futurum, vt omnis humor abſumatur, quòd neceſſe ſit omnem aquam abſumptam, non
in nihilum,ſed in nubes ac vapores euaneſcere: quibus denuo coactis, reparetur aqua,ſemperq́;
is ordo remeet elementorum,nihil in nihilum abire,natura patiẽte. Nunquam,ſi quis arcana Naturæ
contempletur,euenit,vt omnis aer, omnis aqua, cuncti vapores humoreſque in nihilum
aut igneam duntaxat materiam diſſoluantur,eò quòd ſimul ardore Solis humor exhauritur,ſimul
aer frigidus fęcũdus humiditatis reparatur,ſimul in nubes imbriferas grauidatur,ſimul in cauernas
B ſubterraneas,in flumina fonteſq́; emanaturus, recipitur. Nec vlla fit humoris exhauſtio,
quin eadem opera fiat eiuſdem reparatio. Tanta Soli radiãti,potenti,moles humorum per omnẽ
mundum obiecta eſt,vt eodem tempore quo concoquit humores,& terras ardoribus torret, alio
terrarum hemiſphærio regnet humorum copia,vigens, & dominans abſente Sole, & cùm terras
noſtras inflammãt æſtiui dies,humorq́; abſumitur omnis,eiſdem ſub Antipodibus ſæuit hyems,
præcipiteſq́; cadunt ex æthere nimbi. Sẽper hoc ordine vigente, quẽ nulla tollat diuturnitas,tanto
contextu factis elementis,vt alterum alteriùs pernicies nunquam eſſe poſſit,tot ſunt, eruntq́;
ſemper in mundo nubes,humoreſq́;,quantum Solis,& ignis,flammæq́; cæleſtis. Nec dabitur vnquã,
vt abolere poſſit ignis aquam,tantam ſemper futurã,vt iugiter ardoribus Solis reſiſtat, omnemq́;
conflagrationem prohibeat. Sic ardor ſolis diluuia prohibebit,dico autẽ non particulares
aut conflagrationes,aut eluuiones,ſed vniuerſales,quales Stoici ſomniabant,Naturæ legibus nũquam
euenturas,quod euenire non poſſit. Quid? quòd ſi vera dicerent, iam pernicies iſta, & humoris
exhauſtio,principium habuiſſet,aut ad medium adducta fuiſſet. Iam forent ætates torrentiores,
iam minus vbiq; vaporis, iam terras ſqualores preſſiſſent, iam torreri mortales cæpiſſent,
exhauſta maria,flumina,paludes, lacus, quorum nihil hactenus conſpicitur. Supereſt igitur vera
quidem eos tradidiſſe de conflagratione,de nouo mundo,ſed hoc vnum non vidiſſe,non rationibus
Naturæ,ſed illius nutibus hoc euenturum,qui cuncta creauit,potens eadẽ qua creaſſet poteſtate,
cuncta reſoluere. Quem cum bonitas impulerit ad creandum, quo conſilio, & poteſtate
creauit,eadem,pulchros ordines illos,vinclaque tenacia rerum reſoluet. Creauit autem,vt etiam
Stoici fatebantur,hominibus omnia,quibus ſolis deſuper ſtellas micantes accendit, Solis curſus
C Lunæq́; meatus inſtituit,terras proferre cibos iuſſit,animalia bruta ad diuerſos vſus eduxit. Hoc
conſilium cùm generationis omnis cauſa fuerit,idem cunctam generationem remouebit,cùm remoti
fuerint,quibus omnis generatio parabatur. Nulla Naturæ neceſſitas Solis ęternos curſus ſiſtet,
nulla luminis naturalis hebetatio flagrantes eius radios terris auferet. Sic nullus neceſſarius
ignis populabitur aera,& terras,aut inundatio rapiet montes & cãpos vrbeſq́;,ſed quidquid euẽturum
eſt,eius conſilio dabitur, qui rerum leges excogitaſſet. Quas tunc abolebit, reſcindet, cũ
hi quibus parata fuerant omnia,remouebuntur. Remouebuntur autem homines è terra,quod &
a Sibyllis Prophetiſq́; prædictum fuit,& philoſophi ſi profundius conſiderauerint,negare nõ poterunt,
cùm tanta flagitia terras opprimẽt,vt viuere mortalibus ſit miſerabile,vitæq́; mors à cũctis
pręferatur. Hęc vna cauſa,Maior autẽ,& apertior,quòd iudicandi mortales in theatro totius
mundi ſunt aliquando iudice Deo. Quòd tota deificatio animorum & corporum futura eſt,cum
qua neceſſariò curſus iſte vitæ quotidianus interpolabitur,vt ſit locus meliori conſilio,cum conſulet
melius hominibus Deus,hoc ordine vitæ corpore ſublato,bonis præmia debita redditurus.
Quę ſi Philoſophi perſpicere potuiſſent,quanquam ſimiles ſomniantibus quædam ſuper hoc augurabantur,
non recuſaſſent optimam hanc expectatamq́; ab omni re creata renouationem,fateri.
Nam quotidianam vitam non modò non laudarunt eorum plerique, verumq́; bonum non iudicarunt,
vt deplorarint etiam,mortemque ei facile prætulerint. Viderũt igitur rõne duce & incredibili
deſiderio expetiuerunt aliam vitam, tãtum non in ius diuinam prouidentiã vocantes,
ꝙ homines miſerabiliores cunctis animalibus prope creaſſet. Quæ quidem perturbatio tollitur,cũ
felicitas alacritaſq́; maior oſtenditur futura,renouato mundo. Hic omnis animæ tumultus ſedatur,
hic ceſſat admiratio, bonos nunc infelicius agere quàm malos, impunè vigere flagitia, cædes
bonorum volitare, fortunam peſſimos quoſque flatibus ſecundis in portum collocare.

Rom. 8.

De natura Deor. 2.

Error Stoicorum.

Eius poteſtas eſt diſſoluendi, cui⁹ fuit cõdendi, & componẽdi.

Iudicium Dei.

Philoſophi aliam vitã ardenti animo expetiuerunt.

Philo non probat interitũ mũdi.

Deus mũdum non diruet, ſed renouabit.

Itaque quod ait Philo Iudæus, deteſtatus, execratuſque exitium mundi: ὑπὸ δὲ θεοῦ φθείρεσθαι D λέγειν αὐτὸν πάντων ἀνοσιώτατον· ὁ γὰρ θεὸς οὐκ ἀταξίας καὶ ἀκοσμίας, καὶ φθορᾶς ἀλλὰ τάξεως, καὶ εὐκοσμίας καὶ ζωῆς, καὶ παντὸς αἴτιος ἀγαθοῦ, ἀνωμολόγηται παρὰ τοῖς τἀληθῆ δοξάζουσι: Nempe, dicere porrò mundum diuinitus occidere, ante omnia flagitioſiſſimum eſt. Neque enim Deus autor eſt inordinationis, confuſionis, interitus, ſed ordinis, venuſtatis, & vitæ: omniſque eum eſſe cauſam boni, in confeſſo eſt apud eos, qui veritatem profitentur. Dico ego Philoni, renouatio mundi comprobabit Deum bonorum, pulchritudinis, nõ interitus autorem. Non enim diruet mundum, velut opera ſua peroſus, ſed renouabit, reficiet, dabit meliorem, aperiet theſauros bonitatis, quos nunc ſecundum diuitias ſapientiæ ſuæ prudenter occultat. Tum verò maxima largitate pandentur, effundentur arcanæ bonitates. Neque verò demolietur Deus mundum, nihil amplius daturus, aut animo iniquo quod benefeciſſet male perditurus, hoc dicere, flagitioſiſſimum. Sed quoniam ſtatus iſte rerum non optimus eſt, & quo non poſſit melior eſſe, quin etiã multis lachrymis ſæpe defletus eſt à piis, multiſque malis obnoxius iudicatus, Deus pro ſua clementia reſtituet meliorem, vt diruta ſoloque æquata Alba, refecta Roma fuit: Haud minus pro mundo corruptibili, caliginoſo, animorum ergaſtulo, oſtendetur lucidiſſimus, optimus, fortunatus, in fine ceu ſupremum bonum repoſitus. Ille verus ordo, verus mundus, & ornatus, erit vera vita, cum præſens ab ipſis Philoſophis penè pro morte ſit habita. Hæc reſponſio credo non diſplicebit Philoni. Qui quidem dogma Philoſophorum de poſtera mundi æternitate ſequens, & Solem Lunamque, & cunctam cœli pulchritudinem, cum Peripateticis ab interitu defendens, ſacros autores ſuos, quorum religioni initiatus eſſet, cum canunt abolendum, reſcindendumque cęlum, fulgorem ſyderum denigrandum, liquidiſſimam ſtellarum, totamque cœli compagem E ignibus incoctam & tabefactam lapſuram in terras, qua tandem ratione tueatur, libenter didicerim. Verùm noſtri beneficio cœleſti, myſterium aperuerunt. Hæc de exitio mundi dixiſſe ſat eſt.

TRIGESIMVM, ET VLTIMVM CAPVT.

Pietas, fõs beatitudinis.

Sciẽtia & cultus Dei, finis rerum omnium. Eccleſ. 5.

Quæ actiones meliores.

VERVM igitur beatitudinis fontem eſſe Pietatem: (quoniam in actionibus virtutis beatitudo conſtituitur, fons autem iuſtarum, rectarumque actionum eſt Pietas) atque hunc eſſe finem totius felicitatis, omniumque virtutum, atq; actionum moderamen, & qui dicit Beatitudinem, ſeu Felicitatem, Finemq; omnium rerum, nihil aliud eum dicere, quàm Scientiam, & Cultum Dei, & hanc eſſe philoſophorum quoq; ſententiam, declarat mirificè, conſonans cum ſacris litteris, idem Ariſtoteles, qui libros de Moribus ad Eudemum abſoluens, quemadmodum Salomon ſuos claudens, dixit: Finem dicendi faciamus: Deum time, & mandata eius obſerua: Hoc eſt omnis homo. Sic Ariſtoteles illo præclaro fine vſus eſt: Omnes actiones noſtras, omniaque ſtudia, rerumque poſſeſſiones, tanto iudicandas eſſe meliores, quanto magis fecerint, adiuuerint ad cognitionem, & cultum Dei. Deteriora autem cenſenda, quæ nobis impedimento fuerint, quò minus colatur Deus: vt quaſi ſic ſtatuat, ſi quis eius ſententiam planius euoluat, Quoniam, inquit, Felicitatem veluti finem ſupremum quærimus: Felicitatem autem tibi demonſtro, eamque dico eſſe beatum, felicemque animi ſtatum, complexum, ſocietatemque omnium virtutum: Apertius, ait, tibi loquar: ſedes omnium virtutum, & finis ille, ad F quem quicquid agimus, quicquid poſſidere ſtudeamus, reſpiciendum, eſt Contemplatio, & Cultus Dei. Cum, inquit, huc perueneris, tunc finis eſt, tunc beatus eris. Ob hanc cauſam quæcunque te iuuerint, vt huc peruenias, pro melioribus habenda, quæ prohibuerint, impedimentoque fuerint, deteriora iudicanda. Et is terminus verus, hæc optima diffinitio, optimus rerum cognoſcendarum modus. Sic loquitur Ariſtoteles: ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, ἢ σώματος, ἢ χρημάτων, ἢ φίλων, ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν· αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὅρος κάλλιστος, ἥτις δὲ δι᾽ ἔνδειαν, ἢ δι᾽ ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν, καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη.

AVGVSTINVS STEVCHVS EVGVBINVS,

EPISCOPVS KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARIVS, CANONICVS REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris,

DE NOMINE VRBIS SVAE: EVGVBIVM,

quod corruptè legitur apud ſcriptores, & qua ratione ſit proferendum.

B VISVM eſt in calce operis huius docere, quod fortaſſe legentibus non
fuerit ingratum. Si quis eſt, qui neſciat nomen vrbis meæ, non eſt Eu-
gubium, ſed vt apud probatos ſcriptores conſtat, Iguium, & ciuile
nomen non Eugubinus, ſed Iguinus, vel Iguius. At ne noua, atq; au-
ribus inuſitata viderer afferre, ſequutus ſum vulgi conſuetudinem, vbi-
que me Eugubinum appellans. Verùm hoc nomen adeo corruptum,
deprauatumq; eſt apud ſcriptores, vt niſi iudicium, ſolertiaq; Doctiſſi-
morum virorum, & fides antiquorum codicum ſuffragata eſſet, diffici-
le potuerit recognoſci. Nō fuiſſe igitur oppidum ignobile Iguium, de-
clarat, quòd eius meminit Cęſar in Commentariis, Tullius in Epiſtolis ad Atticum, Ptolomæus,
& Strabo in Geographia, Plinius in libris de Naturali hiſtoria, Silius quoq; Italicus. Sed tam va-
riè apud hos omnes deprauatum eſt id nomen, vt apud Cęſarem primo de Bello ciuili vocetur
Tignium, addita litterra T, ex nomine Termi Prętoris Pompeiani, qui præſidio quinque cohor-
tium oppidum defenderet: apud Ciceronem de ea re atque Cęſar loquente Siſiguium, apud
Ptolomæum Iſuium, apud Strabonem Itor, apud Silium Inginum, apud Plinium in deprauatis
exemplaribus ciues dicuntur Inginini. Cauſas autem deprauationis huius, quas vt dixi, mecum
Doctiſſimi huius ſęculi repererunt, quorum iudicio ſuffragati ſunt codices antiqui, explicabo. Di-
co hoc oppidum eſſe, quod in Commentariis Cæſaris de Bello Ciuili deprauatiſſime vocatur
Tignium, de quo Cęſar, cùm Piſaurum, Fanumq; oppida Vmbriæ, ab Eugubio non longe diſtan-
tia, memoraſſet, quæ ipſe ſuis præſidiis occupauerat, ſubiecit his verbis: Interea certior factus,
Tignium Termum Prætorem cohortibus quinque tenere, oppidum munire, omniumq; eſſe Ti-
gniorum optimam erga ſe voluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Piſauri, & Ari-
C mini habebat, mittit: Cuius aduentu cognito, diffiſus municipij voluntati Termus, cohortes
ex vrbe educit, & profugit, milites in itinere ab eo diſcedunt, ac domum reuertuntur: Curio
omnium ſumma voluntate Tignium recipit. Hæc Cæſar. Deprehenderunt igitur eruditi cauſam
deprauationis, nam hoc oppidum, vt eſt apud Lucanum, in Vmbria eſt. Eugubium quoque, vt
Plinius docet, in Vmbria. Illud oppidum Tignium dicit eſſe in Vmbria Lucanus ſcribens de Bel-
lo Ciuili, eo carmine,

Gens Ethruſca, fuga trepidi nudata Libonis.
Iusque ſui pulſo iam perdidit Vmbria Termo.

Et Lucius Florus his verbis: Prima Arimino ſigna cecinerunt, tum pulſus Hetruria Libo, Vmbria Termus, Domitius Corfinio. Nullum autem nunc eſt oppidum in Vmbria, nec vllum extat eius veſtigium, quod vocetur Tignium, & illud oppidum non procul Arimino, & Piſauro, & Fano ſitum erat, vt quod a Cęſare cum his ipſis nominatur, & cenſetur, Eugubium quoque non multum diſtat à Piſauro, & Fano. Cauſa igitur deprauationis, quod multis nominibus accidit, fuit nomen Termi Prętoris, qui litteram primam ſui nominis dedit Iguio, Nam locus in Commentariis habebat, Interea certior factus Iguium Termum Prætorem cohortibus quinq; tenere, facilius enim fuit, vt pro v, legeretur poſtea n, vt quæ vna eademq; littera eſt ſurſum deorſumque verſa. Imperitia igitur ſcriptorum, & deprauatio codicum, fecit, vt prima littera nominis Termi adderetur nomini Iguium. Haud mirum quidem, Nam maiora monſtra olim in omnibus bonis autoribus viſebantur. Huius deprauationis, vel illud clarum argumentum eſt, quòd idem oppidum, quod in Commentariis appellatur Tignium, in Epiſtolis ad Atticum de eiſdem oppidis, quæ adhuc a Pompeianis tenerentur, Cicerone ſcribente, non amplius appellatur Tignium, ſed alia ſimili quadam deprauatione vocatur Siſiguium. Nam cum ſuſpenſus Cicero expectaret quid agerent Pompeiani, qui Cęſare adueniente oppida præſidijs occupauerant, Termus quidē Iguium, Domitius autem Corfinium, quod eſt in Marſis, vt videbis in eiſdem Commentarijs, ſic ſcripſit. Nō iſta expecto, ſed magis quid agat Domitius in Marſis, Siſinguij Termus. Vides idē oppidum non appellari quemadmodum in Commentariis Tignium, ſed Siſiguium in impreſſione Aldina, & manuſcriptis codicibus, nam qui repoſuerunt Tignium ex Commentariis, non remouerunt, ſed auxerant errorem. Agnoſce igitur aliam deprauationem, vt enim Termus dedit primam litteram Iguio, ſic extrema ſyllaba huius nominis Marſis applicata fuit nomini ſequenti, ſi enim remoueris ex eo nomine Siſigui, quod nunc legitur in ea Epiſtola, extremam ſyllabam, Sis, nominis Marſis, remanebit Iguij. Et lectio erit, quid agat Domitius in Marſis, Iguij Termus. Hęc deprauatio quoniam de eodem oppido a Cæſare, & Cicerone ſcribitur, clarius atteſtatur Tignium nihil eſſe, ſed eſſe nomen deprauatum. Nam ſi quid eſſet, eodem nomine a Cicerone atque Cęſare, eodem tempore, de eadem re ſcribentibus, vocaretur, altera quidem alteram deprauationem illuſtrat, veritatemq; demonſtrat. Occupauerat igitur hoc oppidum atq; hoc iter Pompeius, vt quod eſt in locis tutiſſimis, in angulo Apennini, non procul à via Flamminia, vt ſi Cæſar per viam Flamminiam tranſire non poſſet minus etiam deflecteret Iguium, indeq́ue iter Romam cum exercitu dirigeret. Nam hi, qui nuper dixerunt Tignium eſſe qui vocetur nunc mōtem ſanctæ Mariæ in Georgio, in apertiſſimum errorem dilabuntur. Tignium, vt vidimus ex Lucano, & Lucio Floro, in Vmbria eſt, locus autem ille in medio Piceno. Non ſatis erat Eugubio, vt apud bonos autores tantum obſcuritatis ac deprauationis habuerit, vt etiam adeſſent, qui ipſum è ſuis ſedibus tranſportarent in Picenum. Quòd autem verum nomen ſit Iguium, vt apud E Cæſarem, & Ciceronem coarguimus, comprobat item Ptolomæus, qui hoc oppidum appellat Iguium, ponens id inter Tifernum, Sentinum, Peruſiam, quæ ſunt oppipa Eugubio finitima, ſed exigua quadam deprauatione fuit apud eum quoque nomen obſcuratum, legitur enim apud eū Icuium, propterea, quòd Græcis ſimilis eſt littera Gamma atq; Sigma. Itaq; pro ἰγυιον deprauatū fuit à ſcriptore Græco ἰσυιον. Nam ſi litteram Gamma modico apice connectas, γ fiet σ. Vides iam tres excellentes autores inter ſe congruentes, ſed clariſſimum argumentum nomen illud Tignium corruptum eſſe, dicendumq; Iguium, declarat vetuſta quædam hiſtoria, quam ego reperi Eugubij, in qua ſcribitur, Bello ciuili flagrante Eugubinos expuliſſe Termum prętorem Pompeij, & tantis rebus geſtis a Cæſare, & quòd tam bene de Republica meritus eſſet, Curionem prætorem eius cum trium cohortium præſidio excepiſſe, quod quidem in principiis Commentariorum legitur. Itaque quo tempore illa hiſtoria ſcripta eſt, non erat apud Cæſarem nomen deprauatum, verba hiſtoriæ hæc ſunt, Hanc, inquit, vrbem in antiqua quadam hiſtoria Iuliam appellatam inuenimus, quæ vtrum a Iulio Cęſare redeunte victore, quem Eugubini & omnes populi ciuitatum Vmbriæ cum lætitia ſuſceperunt, expulſo Termo duce, qui Vmbriam poſſidebat pro Pompeio, Iulia dicta ſit, an propter Iuliam vxorem Octauiani, determinare non valemus. Hæc hiſtoria, tametſi non adeo Latinè & polite, ſed ſatis ad eorum fidem, quæ ſcripſimus, vt Tignium in Commentariis Cæſaris noſcatur eſſe Iguium, quod a Termo prætore Pompeij teneretur. Nam Lucius Florus congruens cum hac hiſtoria ſcribit, Prima ciuilis Belli arena Italia fuit, cuius arces leuibus præſidiis Pompeius inſederat, ſed omnia ſubito Cæſaris impetu oppreſſa ſunt. Supereſt Plinius, in cuius hiſtoria libro III. de ſexta regione, poſt Foroſempronienſes numerātur Inginini. F Sciendum hunc quoque locum eſſe deprauatum, quod tum ratio, tum fides antiquorum codicum oſtendit. Ac primo, vel hinc liquet non eſſe dicendum, quemadmodum hodie dicitur Eugubium, nam Plinius numerat cuiuſque regionis oppida ſecundum rationem Alphabeti, primumq́ue recenſet, quæ incipiunt a littera A, ſubiicit alia iuxta litterarum ordinem, poſt Forobrenitianos & Foroſempronienſes numerantur Inginini. Plinius ergo recenſuerat noſtrum hoc oppidum ſub littera I, non ſub littera E, nam ſi inciperet nomen à littera E, non nominaſſet ipſum poſt ea quæ incipiunt cum littera F. hoc argumento eſt, deprauate vulgò dici Eugubium. Manifeſta quoque ratio eſt cur deprauatum ſit, vt pro Iguini in Plinio legatur Inginini, nam apex, qui ſolet Latinis ſuperſcribi litteræ I, videtur nonnunquam eſſe breuiatio, cū volentes ſignificare præpoſitionem in, ſuperponimus quendam apicem. itaque exiguum punctū ſup litteræ i, fecit vt putaretur præpoſitio in, atq; vbi dicebatur in Plinio iguini, ab imperito ſcriptore ſubiectum fuit Inguini: poſt alia quoque corruptio facile irrepſit inter litteras, v, n. Hæc eadem corruptio accidit in Silio Italico, qui libro VIII. deſcribens populos Vmbriæ, poſt Hiſcalum ac Narniam, oppida Eugubio finitima, recenſet Inginum, eo carmine,

Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim
Inginum, patuloque iacens ſine mœnibus aruo
Fulginia. Fuit igitur hic quoq; ſimili ratione deprauatum, quoniam apex ſuperſignatus primæ litteræ nominis ab imprudentibus ſcriptoribus pro littera n. acceptum eſt, ſcripſerat enim Silius, qui in hoc carmine ſequitur ordinem Plinij, aliorumq́ue Geographorum in recenſendis Vrbibus,

bus, Iguium,vti apud Cæſarem, Pliniumq; legerat, & interpres Silij ait Inginum oppidum eſſe in Vmbria: nullum autem eſt memorabile oppidum in Vmbria, cui poſſit hoc nomen applicari. Nam quod ait interpres, Inginum à Strabone pro monte accipi, in Græcis exemplaribus Mons ille non Inginum, ſed γιγγοῦνον ὄρος, Mons Gingunum vocatur, his verbis, αὐτοῦ δ' ἐστὶ καὶ ὁ Αἶσις ποταμὸς καὶ τὸ γιγγοῦνον ὄρος. Hos terminos ponit Vmbriæ Strabo, Flumen Aeſin & Gingunum montem, qui hodie quoque vocatur Genga: niſi forte Strabo ſcripſerit Cingulum ὄρος terminus. Nec mirum quòd nebulis infeſtum oppidum Eugubium dicat Silius: ſubiacet enim ei planicies, quam nebula mane ſemper opacat, vehementius illo fortaſſe tempore, ſi planicies erat inculta, & palus nebulam exhalabat. Adde, quòd Eugubium in planicie dicitur fuiſſe ſitum, vbi nebula inumbrat, propterea dicit olim, non ſua tempeſtate. Sciendum quoque hoc nomen apud Straboñe deprauate legi, nam poſt Hiſpellum oppidum Eugubio finitimum, ſubiicit Ιγ τορ. Erat ſcilicet pro Tau, Gamma. Sic Igu. Sed reliquum quoque nomen corruptum fuit, vt alia pleraque non minus deprauatè apud eum leguntur. Sed reuertor ad Plinium, Dum hæc mecum agitarem, Angelus Colotius Epiſcopus Nucerinus, vir noſtri temporis doctiſſimus, in duobus Plinijs, quorum alter eſt venerandæ vetuſtatis, alter ex prima impreſſione cum primò fuit Plinius excuſus, oſtendit, vbi nunc in vulgatis exemplaribus, & his etiam, quæ ſunt impreſſa in Germania, legitur Inginini, omnino eſſe Iguini, hoc ego manifeſtè vidi. Illud autem vehementer in Plinio animaduertendum eſt, cuius me admonuit Iacobus Torellus Fanenſis, vir excellentis ingenij, cuius ferè totum eſt, quod ſuper nomine Iguii ſuperius attulimus, is deprehendit duobus locis mentionem Iguij fieri apud Plinium libro xv. cùm agit de oleo factitio, & libro xxiii. ca. iiii. de oleo quoque ſcribens, ſed is locus non admodum deprauatè legitur, eratq; clarus multis, his verbis:
B Seleucinum, inquit, neruis vtile eſſe diximus, ſicut herbaceum quoq;, quod Enguini circa viam Flamminiam vendunt. Hęc Plinius. Non admodum peruerſum eſt, vt pro Iguini legatur Enguini, quos ait eſſe iuxta viam Flamminiam, vt veriſſimum eſt, attingit enim Iguinus ager viam Flãminiam. Quin Caſtellum Ditionis Iguij (quod ab antiquiſſimis Græcis videtur appellatũ Schiſſa, ἀπὸ τοῦ σχίζειν, propterea quòd ſcinditur illic Apenninus, vt quaſi ſecuri ſectus videatur) via Flamminia medium pertranſit. Hic Iguini oleum herbaceum vendebant, neruis vtile, Herbarum ſiquidem, non facilè alibi naſcentium, ferax illic Apenninus. Naſcitur ad alia Coccus, ſeu Vermiculus affatim lectus ex herba vulgò Pimpinella, Huius igitur olei meminit idem Plinius xv. ſed locus, vt dixi deprauatiſſimus eſt. Audi igitur eum, & confer locum libri xxiii. cum hoc xv. vbi de oleo factitio ſcribit his verbis, Suis, ait, herbis componunt inter Cappadociam & Seleuciam, quod Seleucinum appellant, neruis admodum vtile, ſicut in Italia è gummi. Locus, ſi rectè penſites, perperam habet, vt pro Eguuij legatur è gummi, dicendumq;, Sicut in Italia Eguij. quod locus ipſe teſtatur abunde, nam nullum oleum conficitur è gummi. Adhæc oleum illud, quod ſcribit libro xxiii. neruis vtile, herbaceum eſt, non è gummi. Præterea ſimiles ſunt inter ſe locus ille libri xxiii. atq; quintidecimi, propterea, quòd refert repetitq; eiſdem penè verbis libro xxiii. eadem illa de oleo, quæ ſcripſerat quintodecimo, idq; ipſe Plinius demonſtrat, Diximus (inquit libro xxiii.) neruis vtile Seleucinum, ſicut herbaceum quoq;, quod Eguini vendunt. At vbi hoc dixerat Plinius? videlicet quintodecimo, ibi ſcripſerat oleum herbaceum neruis vtile, non oleum è gummi? Quantus error, vt oleum herbaceum transferatur in oleum è gummi? Et cum idem Plinius ait, Sicut in Italia, iudicat quod clarius repetit xxiii. nempe cir-
C ca viam Flamminiam. Atque obſecro impreſſores omnes, vt poſt hac tam in Cæſare, quàm Cicerone, & Plinio locos illos caſtigatius imprimant: Nam quod ad me attinet, plurimum his debere fateor, qui hæc aperuerunt, in primiſq; Iacobo Torello Fanenſi, perſpicacis ingenij viro, cuius iudicio vt aſſentirer, poſt aliquod tempus fecerunt coniecturæ clariores, & probatæ fidei codices. Igitur nomen vrbis eſt Iguium, ciuile Iguinus, vel Iguius, vt eſt in Cæſare. Magnitudinem viresque oppidi, & quid momenti haberet, teſtatur, quòd illo bello Ciuili, cùm Fanum, Piſaurum, Anconam ſingulis cohortibus Cæſar occupaſſet, miſit huc tres cohortes, & Pompeius quinque cohortium præſidio cum prætore Termo tenebat. Vetuſtatem declarat Mauſoleum extra mœnia, & theatrum, tum complures tabulæ æneæ repertæ in agris, litteris incognitis inciſæ, quas hucuſque legere potuit nemo, ſuſpicantur nonnulli Hetruſcas eſſe, tum tegulę ſepulchrorum, eiſdem litteris impreſſæ, ab aratore inuentæ, cum finibus illis,

Exeſa inuenit ſcabra rubigine pila,
Aut grauibus raſtris galeas pulſabat inanes,
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.

His autem Vrbibus, & his finibus Iguium, vt ſitum cognoſcas, terminatur, a Meridie Peruſia, a Septentrione via Flamminia, quæ penetrat Apenninos montes, ab Ortu Sentino, Saxoferrato vulgò, Nuceria colonia, Foro Flamminij, ab occaſu Tiberno, vulgò Tiferno, in media ferè Italia, nunc ſub ditione Ducis Vrbini.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

CONTRA LAVRENTIVM VALLAM,

De Falſa Donatione Conſtantini, Libri duo.

QVAE Laurentius Valla de falſa donatione Conſtantini diſſeruit, propoſiturus, eaque falſa, & inania, quibuſcunque potero viribus oſtenſurus, in primis commemorandum mihi exiſtimaui, pleroſque ad ſtyli acerbitatem, hiſtoriaſque atroces ſcribendas, ſeipſos perpuliſſe non tam rationibus, ac veritate (cui dandam operam omnibus modis cenſuiſſent) quàm ſæpius odio, atque vt illatas a principibus referrent ingratitudinis iniurias. Idque maxima interdum mala, magnum dedecus attulit principibus: quibus multo quidem auro cicatrices illas, notaſque in ſempiternum tempus a ſcriptoribus inuſtas, redimere profuiſſet. Hoc ſcelus a Laurentio Valla in primis patratum eſſe, memoriæ proditum eſt: quem cùm Romanus Pontifex, qui tunc rerum potiebatur, beneficiis, quibus forſan non eſſet indignus, minimè affeciſſet, ignominia, & dolore permotus, & ad Regem Alphonſum Pontificis hoſtem, profectus, non tam aduerſus priuatam perſonam, quàm ipſam dignitatem inuectus eſt: atque de Falſa donatione librum conſcribens, omnes hic odij, & iracundiæ ſuæ vires effudit, aduerſus eccleſiæ dignitatem irritatus, atque doloris, quo quidem arderet, impetum, contra inſontem vertens, ſimile quid perpeſſus, vt ſi quis ab aliquo igni læſus, aut læſus a Sole, totum ignem, & Solem tollendum è mundo perſuadere niteretur. Aut qui inſano impetu, furentique ſimilis, patrem, matremque, aut amicos, in conſpectu verberibus appeteret. Seu qui non malos oratores, ſed orationem maledictis inceſſat. At irato (vt ſcriptor grauiſſimus ait) nihil eſt credendum. Ipſa quinetiam ſcriptoris natura facilè probare poterit, quæ ſcripſit, ab inimico animo profecta eſſe, qui fuerit alioqui maledicus, ac petulans, qui ſe continere non potuerit, quin ſagittas ſe habere paratas iactauerit, quibus configeret Chriſtum. Quod Pontanus retulit in eo, quem ſcripſit de Sermone. Facilè igitur effectum eſt, vt nihil non acerbum in Eccleſiam ſtatueret. De Laurentio quoque id eruditorum conſenſus reor iudicabit: eum quidem, vt ferebant tempora, eruditum fuiſſe, multumque in obſeruatione Latinæ linguæ ſtudioſis profuiſſe: ſed ei copiã defuiſſe, qua depelleret, ſi qua in litteris, & in Theologia ei ſuborta eſſet dubitatio. Quale de Sole Martij menſis ferunt Medici, habere eum vim humores diſſoluendi, ac commouendi, ſed non exſiccandi: ob eamque cauſam exitialem eſſe. In animos ſæpe non tam imperitorum, quàm eruditorum, dubitationes incidunt, quas propter reconditarum rerum inſcitiam, intimarumque cauſarum ignorationem, ad quas paucis aditus datur, deturbare nequeant. Multa ſuper Donatione, ac Baptiſmo Conſtantini occurret dubitatio, ſcriptoribus inter ſe contraria referentibus: ſed pauci poterunt diſſoluere, quòd pleraque Græcè, & Latinè noſſe oportet, quæ copia Laurentio defuiſſe, vt cui ſecretiores litteras, vetuſtiſſimas hiſtorias Græcas, & Latinas adire non licuerit. Multa de Conciliis Græcè ſcriptis ſcire eum oportuerat, multas cæteris incognitas hiſtorias

E

F

Latinas perſpicere, vniuerſam luſtrare bibliothecam, ſeries temporum, regnorum ſucceſſiones,
ſacra, & profana conferre neceſſe erat. Quid item de Laurentio Romano homine ſentire fas
eſt, qui aduerſus eccleſiam permotus, eam ſcriptis ſuis non modò non adiuuare, ſed perniciem
etiam ei quærere auſus eſt? Quod ſcelus, furorque cum neminem quocunque ex genere procreatum
inuaſiſſe decuit, propterea quòd ab eccleſia Romana maxima in omnes gentes, ſi quis
vetuſtiſſimis monimentis inſiſtat, profecta ſunt beneficia, tum longe magis a Romanis hanc indignitatem
ſubmotam eſſe oportet: quos cogitare neceſſe ſit, Romano Imperio euerſo, quod propter
Imperatorum ſuorum turpitudinem vitę accidit, niſi Deus Pontificatum reſtituiſſet, in quo
Romana maieſtas renaſceretur, futurum fuerit, vt Roma nullo tempore excitata, ac reſtituta,
inhabitabilis poſt hac, fœdiſſima boum, porcorumque futura eſſet habitatio. At in Pontificatu,
& ſi non illa veteris Imperij magnitudo, ſpecies certè non longè diſſimilis renata eſt, qua
gentes omnes ab ortu, & occaſu, haud ſecus Romanum Pontificem venerantur, quàm omnes
nationes olim Imperatoribus obtemperabant. Eorumque iudicium veriſſimum eſt, qui cenſeant,
niſi ſuprema ſacerdotij dignitas Romæ diuinitus excitaretur, tametſi ex veteribus reliquiis
aliqua vrbs ædificata fuiſſet, futuram tamen velut vnam è vicinis vrbibus vt Vetulonia,
Tuder, Interamna, Narnia, nunquam autem in hodiernam amplitudinem fuiſſe venturam. Si
quis Romanus aduerſus eccleſiæ maieſtatem Regiamque Pontificatus digniratem inuehitur,
perinde facit, vt ſi contra patriam ſuſceptis armis non modò ciuium ſuorum, ſed ſuam quoque
domum, familiamque eodem interitu euertere, aut deformare niteretur: ipſam autem patriam
ex imperatrice, Regiaque vrbe ſeruam, ſubiectamque alterius Imperiis reddere conaretur. Is
B furor inceſſit Laurentio, qui non perſpexerit nihil vrbem ſuam futuram, tametſi Romanum nomen
ſæpius iactet, niſi regia Pontificatus maieſtas eam reſtituiſſet, auxiſſet, decoraſſet. Hæc regia
dignitas facit vt in dies melior, ædificiiſque auguſtior vrbs appareat. Id quoque commemorandum
exiſtimaui, quò tam deprauati moris in Laurentio cauſa innoteſcat, repertos eſſe neſcio
quos Romanos, quibus vetus Romanorum idolatria non diſpliceret, profanitatem, paganiſmumque
priſcorum Romanorum adamantes, Chriſtum ob faſtum, famamque maiorum, non
magni æſtimantes, in hæc terreſtria penitus deflexi, de cęleſtibus minus laborantes, deificationem
quandam corpoream, poſthabita cęleſti, ſuſpicientes, antiquatas, exoletasque ceremonias,
& ſuperſtitiones ſæpe ſomniantes. Hi conferunt cauſam (quod Cypriani, Auguſtinique temporibus
obiiciebatur item Chriſtianis) euerſi Romani Imperij in religionem Chriſtianam, ac
magno mercentur, Romanum Imperium potius ſtetiſſe, quam Chriſtianam religionem Romæ
apparuiſſe. Maledictis Conſtantinum appetunt, quem putant diſceſſu ſuo ex vrbe Romanum
Imperium euertiſſe. Facere igitur optimè mihi videtur, qui rationibus, quas potiores exiſtimet,
eccleſiæ Romanæ maieſtatem, cęlituſque in terris inſtitutam dignitatem, ab hoc genere hoſtis
defendat, Donationemque Conſtantini veram eſſe comprobet. Nam eccleſiæ maieſtate defenſa,
cum Roma mater, & magiſtra omnium gentium, tum verò totum Chriſtianorum genus,
quod religionis, ac ſanctitatis, ſapientiæque cęleſtis ab hac Vrbe accepit exemplum, defenditur.
Reſpice enim veteres Pontifices, contemplare flumen Sapientiæ, pietatis, religionis, quæ in omnem
terrarum orbem ab hac vrbe inundauit. Cum ſit igitur perſpectiſſimum, vniuerſum terrarum
orbem ab hac cęleſti ſede, lucem, qua tenebræ per omnes ſparſæ, diſcuſſæ ſunt, accepiſſe:
C certè impietatis, & imprudentiæ plenum conſilium eorum fuit, qui vel cæcitate animi, atque ingratitudine,
vel ob iniurias acceptas irritati, contra eam, nempe communem cunctarum gentium
parentem, atque alumnam, ſumptis armis, eam bello profligare non dubitauerunt: pro cuius
quidem ſanctiſſimæ patriæ dignitate potius vnicuique ſanguis eſſet effundendus: quod nonnulli
hac tempeſtate ſanctiſſimi viri in conſpectu impiorum tyrannorum ſubire non recuſauerunt.
Quocirca perſpicua ſit impia ſimulataque Laurentij pietas, qui ſe cauſa defendendæ veritatis,
etiam contempto mortis periculo, ad ſcribendum contuliſſe prædicat: quod planè contrarium
eſſe, ingenij, linguæque eius ferocia, tum ſcripta maledicentiæ, & procaciæ vbique plena
teſtantur. Quid autem veri ab his expectes, quorum omnis libido in detrahendo eſt, quoſque
rapit velut tranſuerſos impetus arrogantiæ? Sed illud in primis, cum eo pedem collaturus,
proponendum ſapientibus, vt diligenter expendant cenſeo: an verum ſit, quod ab imperitis
prædicari ſolet. Non prodeſſe Reipublicæ Chriſtianæ hanc ſedem habere poteſtatem dominandi,
ſubiectas vrbes, Imperiumque obtinere. Hæc prædicatio ſpecioſa quidem eſt: quòd omnibus
ferè perſuaſum eſt, quos ſcilicet vel odium vel inſcitia in has cogitationes induxit. Maiore
integritate, & quiete, res ſacras, ipſamque religionem ab hac ſede adminiſtrandas, cum rerum
corporearum, terreſtriſque imperij regendi cura dimiſſa, tota in rebus ſpiritualibus moderandis
inſiſteret: habenas autem illas, quas hodie regni tanti obtinet, alteri traderet. Neque in
eo minuendam ſedis huius dignitatem, ac diuitias, ſed augendas potius, amplioreſque opes futuras,
quas ex prouentibus ſacrarum rerum ad eam redigendas, & ex omni orbe conflandas aſſerunt.
Hæc igitur hominum opinio cum prima fronte vera videatur, ſed falſiſſima ſit: nihil earum
rerum, quas futuras exiſtimat, offerens: ac potius pro quiete, & pace, ſeditionum, maximarumque
diſcordiarum cauſas exhibens, totumque terrarum orbem atrociſſimis incommodis
exponens:

exponens: in quo maximè Laurentius Valla deceptus, alios omnes decipere ſtuduit, omnibus D rebus expelli, atque odio haberi debet. Quietem ſcilicet, & pacem, tranquillitatem, & otium necnon maiorem Chriſtianorum ſanctitatem, feruentiorem religionem fore pollicentur, ſi ſedes hæc nullum habeat imperium, nullum regnum, nullas vrbes regendas, quas ei Conſtantinus tradidit, nullos denique prouentus ex vectigalibus prouincijsque: ſed tantum prouentus ſpirituales, quos fore longè copioſiſſimos aſſerunt. At ex præteritarum præſentiumque rerum exemplis, quibus prudentia futurarum colligitur, luce clarius percipies, miſerrimum rerum ſtatum conſecuturum, ſi religioni vires detraxeris, ablatoque Imperio eneruaueris, fræna quibus populorum, principumque violentorum furor coercetur, eripueris, quibus hominum improborum nouas ſectas, atque hæreſes inducere meditantium, conatus ſceleratus compeſcitur, impetus ipſi ſedi, ipſi religioni, ipſi capiti nocere parantium tardatur: has, inquam, vires ſi ademeris, liquidò cernes nihil illo rerum ſtatu fore miſerabilius, redituras veteres hæreticorum tragædias, ſceleratas illas malorum hominum contra religionis caput iniurias, denuoque totam religionem fędè proſtituendam ac conculcandam: nec ſolum ad ſummam inopiam, ſordesque, quod tolerabilius foret, ipſam religionem redigendam: verum etiam peſſimarum opinionum autoribus omnem viam aperiendam. Ac primum perpendas eorum errores, ac detegas, qui prouentus eccleſiæ vberiores fore, dimiſſa cura Imperii, ex rebus ſpiritualibus contendunt. Si quis enim conſideret ea, quæ vbique terrarum apud principes & regulos hac tempeſtate geruntur, qua ſummus Pontifex viribus non eſt inferior, videbit quis ſtatus conſecuturus ſit, ſi cum viribus, & poteſtate dimiſſa, corporalis autoritas tota ad profanos principes tranſierit. Nemo enim ferè nunc principum eſt, quin rerum ſacrarum, beneficiorumque ipſe Dominus, E ac diſpenſator, aut verius occupator eſſe velit: nuſquam ferè, niſi per vim, debitæ pecuniæ perſoluuntur. Quid nullo cogente terrore? In ipſa autem vrbe ſi milites, prætorque alteri principi, quam ipſi Pontifici paruerint, quæ ſtrages erit ſacrorum? quis religionis contemptus? quis non audebit principi, ſi quid imperauerit, obſiſtere, & contra, quàm imperatum ſit, facere? Quis eum exterrebit? alienus prætor ſcilicet, qui in alium quam ipſum Pontificem reſpiciat? Quæ ludibria, quis religionis contemptus ab omnibus magiſtratibus, quæcunque imperauerint, fieri cogentibus, multaque fędiſſima cernentur? Cuiuſmodi priſcis temporibus videre erat, cum mulierculæ propria petulantia ductæ quibuſdam Pontificibus imperare, inſultare, minari, conabantur, niſi earum libidini paruiſſent, ac ſi in eos poteſtatem haberent. Inde tot hæreſes, tot humanæ vitæ incommoda, nondum capitis autoritate licet reuera ſtabilita, non tamen palam cognita, & quo decet honore complexa, omnia magnis ludibrijs iactari, peſſundari tota religio, tempeſtates, iactationes, opinionum agmina, examina ſectarum obambulare? Quanta porrò circa ipſam vrbem, vt olim vaſtitas erit? quæ latrocinia, priuatorumque ędificiorum, atque vrbium conflagrationes, inter ſe Romanis vt quondam armis contendentibus, quæ cædes vexationeſque vbique? Quanta in ipſis viis, quibus ad vrbem itur, prædonum impunitas? Nam Imperatores facilè in Hiſpaniam, aut Germaniam, aliasque longinquas regiones, vt quondam diſcedentes, vrbem, Italiamque vaſtitati relinquent. In primis igitur nulli prouentus erunt, in ſordibus res ſacræ iacebunt, quas non tam paupertate diuitiarumque contemptu, quàm diuitijs regere neceſſe eſt. Nulla religioni reuerentia, nullus metus. Nec ſeſe priuatim ſuoſque rex ſacrorum, nec ipſam etiam religionem tueri poterit. Quod ſi is qui religionis caput eſt, ipſam religionem non tueatur: an principes, quibus alia mens eſt, aliæ curæ, tuebuntur? F Quorum animus potius ad res terreſtres, libidineſque corporeas inclinet? Conſideremus autem, quis regat, tueatur ſalutarius aliquam prouinciam: an is, qui legitimè imperat, cuius eſt peculium ipſa prouincia, qui mores populi noſcat, qui ritus ipſos intelligat: an alius? Quòd ſi religioni opus eſt defenſione, opus eſt præſide, qui ſalutariter eam regat: ſi quid autem aduerſatur, a calamitate prohibeat. Si item tueri non poteſt, qui non habeat poteſtatem, tum non eſt veriſimile melius quenquam aliquam prouinciam defenſurum, quàm prouinciæ principem, non ſcilicet alienum principem: certè neceſſe eſt principem, cui religionis credita cuſtodia ſit, armis & opibus potentem eſſe, tum vt religionem opibus illuſtret, adiuuet, ſuſtentet, velut mens, ratioque corpore, corporeiſque adiumentis ſuſtinetur: tum vt eam ab inimicis tueatur. Inimicitiæ religioni conflantur, vera priuatis hominibus, vel a principibus. A priuatis, quoties nouas hæreſes, noua dogmata exſuſcitant, quibus veteris religionis ineſt pernicies. A principibus, quoties hos improbos alunt, fouent: quoties itèm decretis religionis ſeſe opponunt, quotiens parere recuſant, cum ea, quæ ſunt religionis eripiunt. Non eſt igitur defenſio ſine poteſtate, itemque non eſt magis ſalutaris, magiſque legitima defenſio, quàm a principe ipſius prouinciæ, qui magis ipſam amet. At prouinciam regnumque religionis cui magis carum eſſe credendum eſt, an ipſi principi, præſidique religionis, an alieno, cuius ſcilicet regnum non ſit ipſa religio, ſed alterius generis regnum? Non perſpicis igitur religionis ſacrorumque præſes, ad quem rerum ſacrarum, rituumque diuinorum ſumma redigitur, quod multiplices ſunt hominum improbitates: nec erit tempus vnquam, quin homines ſint in vitia, quàm virtutes: malum, quàm bonum, vt ſunt humana ingenia, propenſiores: niſi fuerit his opibus, atque

A bus, atq; ea poteſtate præditus, qua ſcelera retundat, ſeſe impiis conatibus opponat, compeſcat impia dogmata proſeminantes, fore vt maximi tumultus, variæque corruptelæ per omnes terras exoriantur, quibus diſciſſi inter ſe populi ob dogmatum diſſidia, armis decertent. Cuius quidem rei tot ſunt tradita memoriæ poſteris exempla. Vidit & experta eſt noſtra ætas. Perpendamus autem, niſi religio diuitiis adiuuaretur, quid tandem eſſet? Verè enim quidam rerum non ignarus dixit: Vbi eſt abundantia, eſt obſeruantia rerum ſacrarum, cùm pietas, religio, ritusq; ſacri cum pompa ſacra peraguntur, quę populus cernens veneretur, admiretur. Sordida religio contemnitur. Niſi habeas quibus ſacerdotes alas, niſi loca ſacrorum locupletaueris, nulli erunt ſacerdotes, nulla ſacra loca: deſerentur, ſolitudini erunt. Homines cum ſimus corpore conſtantes, vitam corpoream degentes, quibus corporea ſint neceſſaria, quibus neceſſe ſit populo ſatisfacere non ſapienti ſed ignaro, cęcitatis pleno: niſi, inquam, ſit his opibus inſtructus, ipſe ſacrorum Rex, vt ſummum, maximeq; venerabile caput ſit cõſpicuum, cuius maieſtas exteriorem aſpectum præſeferat, qualis ſummo regum conueniat, nonne facile deſpicietur, totusq; ipſius contemptus ad religionem, ad ipſum Deum perueniet? Contemptis ſacerdotibus, contemnitur Deus. Nonne cum Deus daret ſe in conſpectum, venerabilis, terribilis occurrebat: præcedebant tempeſtates, fulgura, tonitrua, caligo, clãgor tubarum. Talis in monte Sinai, talis ad Eliam venit, talis viſus eſt apoſtolis in monte. Facilè igitur quicunq; alicuius iudicij ſit, perſpiciet ſine corporeis opibus, corporeisq; adiumentis, neq; venerabilem eſſe, neq; ſuſtineri poſſe religionem: propterea quòd homines, non Dij, non angeli ſumus, in corporibus habitantes, rebus ad vitam degẽdam neceſſariis indigentes. Rationibus igitur oſtendentibus eos manifeſtò inſanire, qui ſibi meliorem rerum ſta- B tũ pollicentur, ſi Pontifices imperare deſierint, ſolosq; ſpirituales prouentus habuerint, illa prior potiorq; errores eorum maximè coarguit, atq; vnde maiores vberioresq; prouentus oſtendunt, inde longe deteriores futuros probat, videlicet ſi metus armorum, atq; poteſtas abfuerit, neminem futurum qui pecunias illas perſoluat, easq; in vſum ſuum principes conuerſuros. Quęcunq; ad ſummum ſacerdotem ad vrbem aduehere ius iuberet, princeps ſecurè ſibi, prętexens aliquid honeſti, præripiet. Cuius eſt hodie exemplorum copia maxima, cum in tanta Pontificis potentia vel minimus quiſq; regulorum audet prouentus hos, aut conatus, ſi poſſit, intercipere. Aliud malum ſi religio poteſtate, regnoue caruerit, latiſſimum eſt: quòd impia dogmata, nouasque hæreſes omni tempore ſubnaſcentes, excindi, coerceri qui eas diſſeminant, non poterunt: quibus per omnes vrbes inuulgatis a vera pietate, cultuque ſingularis Dei populi auertentur, vbique erunt maximæ, exitialesque diſſenſiones. Scimus enim ad quos religio poteſtatem ſuam non extenderet, quòd terrore, & potentia frænare eos non poſſet, nihil non auſos hac tempeſtate contra cœlum, cęlicolasque, atrociſſimisque incommodis terras repleuiſſe. Tantundem vbique malorum erit, imperio, gladioque, quo ſeſe tueatur, eccleſiæ, quæ pietas, religioq; eſt, adempto. Vere enim prædicari ſolet, contra hæreticos opus eſſe fuſtibus, non anathematis, quæ contemnunt, aſinos eſſe fuſtibus cędendos, nouorum dogmatum autores. Quoties igitur (tertium malum ſub oculos ponas) Romani ciues intra ſuum palatium Pontifices obſederunt? ædes ſacras diripuerunt? quot ipſi crudeliter necauerunt? quot in mole Adriani comprehenſos ſtrangulauerunt? Quot ſtrages in vrbe, forisque edebantur, inter ſe armis Romanis decertantibus? Quanta circa vrbem vaſtitas, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt? propterea quòd Pontifex ſceleratos C ciues coercere, & in eos animaduertere non poſſet? Nonne id fuit in cauſa cur vrbs crudeliter, ſcelerateque diriperetur? Nonne Romani ciues hoſtes Pontifici eius calamitatis autores fuerũt? Nonne ipſi idem palatium paucis ante menſibus diripuerunt, militibusque introductis omnia ſacra prædæ fuerunt? Hæc ſcilicet ſunt pulchra illa, præclarus ille rerum ſtatus, quem nobis promittunt, qui ſanctæ ſedi regnum auferri oportere contendunt. Inuitant aliæ rationes, vt hoſtes totius Chriſtianæ gentis, omniumque priuatim & publicè inimicos fatearis, qui hæc cupiunt. Eſt enim hoc regnum vt omnium ſanctiſſimum, ſic omnium nobiliſſimum, plenum charitatis, commune totius Chriſtianæ gentis patrimonium, in quo cum omnes gentes, prouinciæque omnes, & vrbes, omnesque familiæ, vt ſæcula tulerunt, præfuerint, ac præeſſe poſſint, iure dici poteſt regnum cunctarum gentium, ad quod nemo ferè non aſpirare poſſit, placidiſſimum ſinum cunctis aperiens, humiles in altiſſimum gradum extollens, ob quod nemo deſperet quin dari poſſit facultas ei fore, vt aliquando ſit Rex. Nam in reliquis regnis quis aliquando ſe regem futurum, niſi ſit è ſtirpe regia, ſperauerit? Hoc regnum modò Hiſpani, modo Germani, nunc Galli, nunc Itali tenuerunt, ipſe Senatus ex omnibus gentibus conſtat. Tota denique ipſa ciuitas ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, conflata eſt, vt meritò poſſit appellari patria omnium gentium, vrbs omnium Chriſtianorum, in qua ſint domicilia cunctarum nationum, omnesque ad ipſas ſupremas ciuitatis dignitates admittantur, omnibus præmia ſint propoſita, nec minus prouehantur humiles, abiectioresque, quàm proceres, ac principes. Cum ſit igitur patrimonium omnium gentium, cùm neminem a ſummis dignitatibus excludat, cum opes hæ non ſint vllius priuatæ familiæ, ſed omnium familiarum, quid aliud dicendum de his eſt, qui hoc regnum ſcriptis euertunt, quàm eos eſſe publicos hoſtes, proditores patriæ, ſuimet homicidas? Hoc imperij genus cum ſacroſanctum eſt, propterea quòd Deo deſeruit, conſtatque eius religione,

& cultu,tum vero optimum eſt,charitatem ſuam,veluti lucem vbique diffundens , omnes complectens.Meliora autem eſſe publica quàm priuata,excellentius eſſe bonum quod plures,quàm quod paucos amplectitur,nemo eſt qui non fateatur.Quemadmodum lux Solis, omnium facũ, lampadarumque luce maior,præſtantiorq; eſt. Quid de ipſa pietate,ac religione,qua nihil in terris melius homines habent , dices? Eſt enim religio dux in cœlum , in terris autem fons iuſtitiæ,qua benè, beateque res humanæ gubernantur,eſtq; minus iniuſtitiæ,iniquitatis, quibus malis turbantur res humanæ,vbi plus eſt pietatis,ac religionis,plus felicitatis,ac beatitudinis. Omnis autem minor pars religionis a maiore regatur neceſſe eſt , eſſe videlicet caput oportet , ad quod totius religionis ſumma redigatur , qui regnum hoc oppugnãt,nempe caput eccleſiarum, cor totius regni ſacri,turbant totam vbique religionem, omnibus vrbibus pietatem detrahunt, id videlicet detrahunt,quo viuitur beatè,& cum iuſtitia in cunctis vrbibus. Omnia miſcent,vrbibus,ac locis omnibus tumultus, diſcordias, ſeditiones cient , propterea quòd priuatis religionibus non eſſet caput,a quo dependet totius corporis ordo.Ac cum per conſenſum religionis, homines ſocientur,conſentiant,vt ex multis gentibus vna quaſi gens efficiatur,omnia diſſociat, diripit,diſſoluit,hoſtis huius maieſtatis,in diſſenſione aũt ſunt omnia mala. Quod facile hodie videre eſt inter Chriſtianos, & Turcas vſquequaque diſſociatos,ac diſſidentes,quippe quos nulla communis coniungat,ſocietq; religio.Omnibus ergo rationibus conſtat,apertiſſimè falli, quibus viſum eſt , eccleſiã nullum habere regnum oportere : quos cum ratio non modo imprudentes,ac malè ſanos,prorſuſque futurarum rerum imperitos,ſed etiam hoſtes priuatim,& publicè, atque etiam patriæ proditores probet:è contra plenos æquitatis,ac bonitatis exiſtimare neceſſe eſt, qui ſtatuerunt hoc regnum, cuius ſudandi rationem cum a piiſſima prudentia, prudentiſſimaque E pietate, tum verò a ſanctis oraculis auſpicati ſunt . Quæ quidem pietas cœleſtiſq; prudentia cum a Conſtantino vbique magno cęperit , confirmata deinceps eſt ab omnibus imperatoribus . Quo fit, vt hoc regnum quantopere ſanctitate , ac claritate præſtat omnibus regnis, quæ toto nunc orbe terrarum noſcuntur , tantopere vetuſtate, quo nec Hiſpaniæ, nec Galliæ, nec reliquarũ nationũ regnum ſit antiquius, ſi quis altius ab hiſtoriis rem dignoſcat,ſingula tempora, exordiaque regnorum diligenter perpendens . Itaque eccleſiæ regnum antiquiſſimum eſt poſt quod exortum ſit regnum Hiſpaniæ, & Galliæ,Pannoniæ,etiamque ipſum occidentale Imperium natum, ac partum a regno ſancto . Nam , & ſi fuit quando in Italia ante regnum eccleſiæ Romani Imperatores Chriſtiani regnauerint , fuit tamen eorum præcipua ſedes Conſtantinopoli,cuius rei teſtimonium eſt, quod in ſecutis temporibus tandem nullus erat Imperator in Italia , nullum Imperium, totaque res in orientem recidit. Nata ſunt igitur occidentalia regna tum poſt eccleſiæ regnum, tum ab ipſa eccleſia, quod vetuſtiſſima monimenta, quæ Laurentio Vallæ magis Grammatico, quam reconditarum ſcientiarum perito, obſcura fuerunt , facile teſtantur. Quibus argumentis colliget prudentiſſimus quiſque,verum eſſe quod circunfertur, hoc regnum a Conſtantino veniſſe. Antiqua, ſcilicet monumenta prodiderunt , quæ ego in omnium oculis explicabo,regna occidentalia velut genitorem autoremque ſuum recognouiſſe regnum eccleſiæ , atque ab eo conſueuiſſe confirmationem accipere , propterea , quòd ab eccleſia , regibus illis a principio fuiſſent donata, conſtitutaque.Cuius regni maieſtas , eo quoque vetuſtior probatur , quòd non a ſeipſo Conſtantinus eam ſtatuit , decretiſque ſtabiliuit , ſed quòd a Deo prius vidit conditam. Quod cum apertè in ſuo decreto ipſe princeps fateatur , facilè nouimus, F ipſum Romanum Imperium , quod poſt aduentum Chriſti in terras exortum eſt, Cum videlicet Romana res ad vnius arbitrium recidit , vetuſtate præcellere ſedis, apoſtolicæ regnum clarius paulò poſt oſtendendum .

Atque decretum illud (vt huc demum deſcendam, ac ſuper his ad dicendum aggrediar) ſiue vt Græcis vocari ſolet quaſi oraculum , Θέσπισμα , Conſtantini , per vniuerſam Græciam circunfertur , eius vniuerſas Gręcorum Bibliothecas plenas reperies, non vna in bibliotheca palatina,quod quidam calumniatus eſt, deliteſcit. Ipſos Græcos voca teſtes , luſtra quot ſunt in Italia Gręcę bibliothecæ.Omnis Græcia piè,reuerenterq; aſſurgit huic edicto , ipſum adorat. Nec fuit tempus vnquam, poſtquam ea ſanxit Conſtantinus , quin fuerint ſemper ea pro veriſſimis habita,ſi rem altius perſpicere cupiens ab ipſis Imperatoribus aggrediaris,qui omnes vnanimiter venerati ſunt vti veriſſimum, ac ſanctiſſimum decretum illud . Ipſę ſynodi confirmauerunt, iidem ipſi Gręci,qui ſcriptis aliquid memoriæ prodiderunt,id abunde teſtantur,Sępe ego percũctatus ſum ex Græcis,propter ſparſam in homines a Laurentio dubitationem,quã fidẽ haberent huic decreto,nunquã non reperi eos conſtanter affirmare,nullam eſſe ſuper eo, apud eos dubitationẽ,imò venerari,adorare.Atq; eo vſq; venerationi fuit decretum illud vetuſtis Imperatoribus,vt cũ libros ſacrorũ canonum confici imperaſſent, quemadmodũ apud Latinos Gratianus, primũ ferè locũ tribuerint inter alios canones huic decreto.Lege enim librũ,qui Græcis inſcribitur, νομοκάνων, lege titulos,vigeſimotertio titulo,reperies vniuerſam eccleſiã ab eccleſia Romana,moderamen, ordinemq; accipere,quemadmodum ſcripſerit decreto ſuo Conſtantinus . Repertum etiam hoc decretum multis in Italię locis, vt vetuſtatem agnoſcas,litteris Longobardicis ſcriptũ.Tempus autem quo litteris Longobardorum veteres vtebãtur, octingentorũ annorum

A rum eſt,ac ſupra. In primis autem ſcire conuenit non donaſſe nominatim Conſtantinum paucas illas vrbes,paucaque oppida,quæ dicuntur patrimonium eccleſiæ,neque enim id in decreto eius reperies: ſed donaſſe vniuerſum occidentem,& quaſi maiori principi ab vrbe decedentem ceſſiſſe,ipſamque Romam caput,domiciliumq; pietatis eſſe decreuiſſe,in qua nefas eſſet,præter quàm præſidem religionis imperare: propterea quòd ſi duo præſides in ea præfuiſſent, vnius autem intereſſet,gubernaculum tenere,magiſtratus adhibere,præſidem ſacrum,quod ei turpe videbatur, ſubiacere magiſtratibus terrenis neceſſe fuiſſet. Duos in vna vrbe,ad quam Petrum apoſtolorum principem religionis caput veniſſe,nouerat imperare, nefarium iudicabat, præcipuè ſi princeps terreſtris habenas Vrbis teneret.

Senſit ſapientiſſimus Imperator,Chriſtum caput,fontem, domicilium religionis ibi poſuiſſe, cùm ad eam miſit principem,ac petram religionis. At duos in eadem vrbe principes regnare, ea maximè ratione fieri non poterat, quòd res terreſtres rebus ſacris dominatæ fuiſſent: accidiſſet videlicet, quod in prouerbio ἄνω τῶν ποταμῶν, id eſt, ire retro flumina. A neceſſitate certè profectum,ſi quis huic neceſſitati parendum exiſtimet,vt quæ Chriſtus decreuit, neceſſario retineantur. Non eſt bonum,doctiſſimus vates ait,Imperium,principatuſque multorum. Malè autẽ habente religione,& ſuccumbente,ipſa etiam res terreſtris periiſſet. Dignum inquit magnus Imperator,ac neceſſarium duximus,vbi caput totius religionis, vbi legatum ſuum Deus ſtatuiſſet, ibi imperium,principatumq; eius vnius eſſe. Hæc ratio in toto decreto clarius apparebit. Sed primum noſſe oportet,quod non dubito quin Laurentio ignotum fuerit,antea quàm piiſſimus Imperator ad ſanctionem,decretumq; deſcendiſſet, ſcripſiſſe primum de ſua illa prodigioſa ſanitate, B quam ſua illa clara prædicatione cunctis gentibus perſpectam eſſe cuperet,beneficij tanti nunquam immemor,ob quod,omnibus ſatanæ pompis, idolatriæq; ſcelere ſeſe penitus abdicauerit, atq; ad ſalutarem Chriſtianorum religionem tranſierit, quemadmodum docuerit eum diuinus pręceptor Syluester. Hic ſuam confeſſionem explicat,qua ſancta Trinitate,omniaq; myſteria,quę prædicantur de ea in religione Chriſtiana,ſuppliciter veneratur, adorat. Tum ſalutem humani generis per Ieſum Chriſtum allatam,cùm in perditionem,decipiente ſerpente,prius abiiſſet. Qui non ceſſet omnibus ſæculis,vt plurimos trahat in exitium,inſidiari,cupienſque eos a veritate deducere,cultum idolorum per orbem induxerit. Qua re commotus Deus, homineſq; miſeratus, miſerit primum prophetas, exin filium ſuum natum ęx Maria virgine,reliquaq; myſteria confitetur,quæ habentur in ſymbolo,quod in ſynodo Nicena fuerat confectum.

Vt hinc liceat coniectare,totam hanc confeſſionem,eandem eſſe, quam eodem tempore Synodus Nicena expreſſit. Hanc fidem,ait,ſe cunctas gentes hortari vt retineant, vt baptizentur, quam vniuerſalis,Summuſq; antiſtes ἱεράρχης Syluester oſtenderit. Miſeratus ait Deus me peccantem,miſit apoſtolos ſuos. Ad poſtremum ait,quòd venientibus ſanctis clericis,& ei vnoquoque imponente manum,tunc eum confitente ſanctam Trinitatem,tertioq; in piſcinam eum Syluestro mergente,quod in primis obſeruandum eſt, χεῖρα ἁψαμένην ἐμοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τοῖς ἰδίοις εἶδον ὀφθαλμοῖς ὑφ' ἧς καθαρὸς ἀναστὰς παντὸς τοῦ ἀπὸ τῆς λέπρας αἴσχους ἐμαυτὸν ἔγνων κεκαθαρμένον. Propriis oculis vidiſſe contingentem ſe de cęlo manum,qua nitidus,puruſq; a turpi illa lepræ contagione conſurgens, viderit ſe penitus expiatum. Tunc omni religione, quam Syluester docuiſſet,cognita, intellectoq;, ſanctum Petrum poſitum vti fundamentum, ac baſim totius C pietatis,dataſque ei claues regni cœlorum,quibus ſolueret, ac ligaret. Hæc, inquit,cùm cognouiſſem,ſanctique Petri beneficio ad perfectam ſanitatem me reſtitutum vidiſſem, διὸν ἐκρίναμεν σὺν πᾶσι τοῖς σατράπαις ἡμῶν ob eam cauſam inquit oportere cum omnibus proceribus noſtris duximus. Hoc,inquam,eſt initium decreti,quod circumfertur. Vides igitur decretum coniunctũ eſſe cum confeſſione,eundem eſſe vtriuſque contextum,vt ſi vera eſt confeſſio, nempe Conſtantinum edidiſſe ſua voce eam confeſſionem,reliqua quoque neceſſariò ſint vera. Eſt enim,quemadmodum dictum eſt,vnus,idemque contextus,vnuſque loquitur vbique. Hoc itaq; prudentibus erit perſpicuum ſuper illo decreto,magniq; momenti argumentum. Nam confeſſio illa ſacroſancta,quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt,eadem eſt, quã in cõſilio Niceno latius Conſtantinus expreſſit, veriſſimumq; eſt, ea confeſſum eſſe exerta voce Conſtantinũ ob quã cauſam vocatur à Gręcis ἁγιώταλος ἰσαπόστολος, Sanctiſſimus,æqualis apoſtolis. Conſule Gregoriũ,contra Iulianum Imperatorem,eiuſdem temporis theologũ. Hæc confeſſio per omnem Græciam circũfertur,omnia ſacraria plena ſunt,eius etiam inimicis Græcis,qui ſemper Romanæ maieſtati inuidiſſent,aſſentientibus. Hæc igitur primum falſas,illas ipſius è pectore natas,non è natura petitas Laurẽtij rationes coarguunt,quibus vniuerſum libellum ſuum ſuperſtruxit. Proponens principio quatuor rationes,quibus funditus donationẽ Conſtãtini euerteret: non eſſe veriſimile Cõſtantinũ donaſſe: minus Syluestrũ acceptaſſe. Si detur Cõſtantinũ donaſſe,non potuiſſe donare, quæ iuris ſui non eſſent. Ad poſtremũ,cum anteceſſore Syluestri Melkiade geſta eſſe, quæ cum Syluestro geſta dicuntur a Conſtantino. Quæ ſingula diligentius per totum librum commemorata ac repetita diluentur. Hæc, vt a principio docuimus, eo maximè refelluntur, quòd donatio coniuncta eſt cum confeſſione, quod Laurentio nunquam perſpectum fuiſſe, liber eius facit,vt credam. Hæc erit prima ratio,cum piiſſima confeſſione Conſtantini coniectum eſt decretum, ſiue donatio, eiuſdem certè eſt vtcumque veritatis. Quam excipit alia ratio, qua procaces D aduerſarij exclamationes, ineptiſſimaque rhetorica diluitur. Neq; enim temerè, inconſideratéq; donauit vrbem, ceſſitq; Conſtantinus: ſed audi tam multas eum tibi rationes reddentem. Ductus eſt ad hæc ſingulari illo diuinitus accepto beneficio, quòd ad eum Petrus veniſſet, quòd ad priſtinam ſanitatem reſtituiſſet, quòd intellexiſſet eum præſidem, caput, fundamentum totius religionis, ꝙ Rex ſacrorum, pietatis Imperator, fuiſſet a Deo declaratus. Maior eſt autem Imperator ſacrorum, quàm terrenorum. Quòd Petri in ſe potentiam expertus eſſet, ad quam ſua potentia nõ attingeret, quòd videret vrbem eſſe ſedem, thronum, regnum ipſius ſummi capitis, cęleſtis Imperatoris, Regis ætherij, ſacri principis. Cum vrbe verò conſequitur Italia, reliquæve prouinciæ adnexæ capiti. Neq; donare caput, membra relinquere fas erat. Nec dubitabit, an compos mẽtis fuerit, qui tot prouincias donauit, niſi qui ipſe deſipit. Nã, qui ea, quæ à pietate, magnoq; erga Deum amore, atq; ab ea prudentia, cuius eſt pietas initium, proficiſcuntur, a dementia proficiſci contendit, ipſe dementiſſimus eſt. Eſt eorum e numero, quibus, vt ait diuinus Paulus, Chriſtum ſponte ſe ſupplicio obtuliſſe, ſtultitia videbatur. Prædicamus ait Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcãdalum, gentibus ſtultitiam. Vtroq; è genere videtur Laurentius fuiſſe, cui ſcandalum, & ſtultitia fuerit, optimum Imperatorem ardentiſſimo pietatis affectu, Imperium ſuum Chriſto donaſſe, ac quaſi ſacraſſe. An dementes ſunt, qui ſe, ſuaque Deo deuouent, qui ſe pro patria in diſcrimen obtulerunt? Stultus viſus eſt Rex Dauid, Micol filię Saul, quòd ante arcam inſpectante populo exiliret, caneret. At quid ei Rex reſpondit? quia Deus eum, quem patrem eius elegiſſet, omnibus modis, gratias pro eo ſe habiturum. Stulti ſcilicet clariſſimi illi viri, nam vitam deuouere, ac quaſi donare, multo maius eſt, quàm Imperium donare, quoties ſe pro cæteris ſeruandis donauerunt. E Oſtendit igitur ratio Laurentium, cui maximus ardor pietatis viſus eſt dementia, vel ethnici, vel Iudęi mentem habuiſſe, quibus ſcandalum, ſtultitiaque fuit ardẽtiſſima Dei charitas, flagrantiſſima pietas, cuius æmulus noſcitur fuiſſe Conſtantinus, propterea dictus Græcis, æqualis apoſtolis, ſanctiſſimus. Cuius ardentiſſimam pietatem, alia facta eius comprobãt, ſi legeris ea, quæ de vita eius ſcripſit Euſebius. Nec ea Sylueſtro, a Conſtantino, ſed Petro, & Chriſto donabantur. Nõ tibi, inquit alius Imperator, cum ſe ante pedes Pontificis proſterneret, ſed Petro. Qui autẽ Chriſto donat, donat non ſua, ſed quæ Chriſti ſunt. Meus eſt enim, ait in pſalmis, orbis terrarum, & plenitudo eius. Quocirca donatio Conſtantini fuit reſtitutio, nec magnæ fuit admirationi Imperatorẽ nõ ſua reddidiſſe, qui fateretur, omnes Romanorum victorias in Deum autorem referendas: quo reliqua dementia Laurentii coarguitur, non potuiſſe Conſtantinum, ſi detur id eum feciſſe, donare nõ ſua. Oblata enim ſunt omnia ipſi Chriſto, & quaſi ſuper altari eius poſita, velut cum Abraham filium, omni regno cariorem, ſuper altari obtulit Deo. Diadema purpuramq; ſibi Conſtantinus detraxit, Chriſto deuouit. Exue, qui velis iſta dignoſcere, recto iudicio perpendere, mentẽ humanam, indue mentem Conſtantini. Non te, rerum iniuſtus æſtimator, humanus affectus impediat, qua ratione, quo miraculo id factum ſit. Terrenum quendam imperatorem exhibere non decet, non proferre terreſtria, cupiditatumq; corporearum inducere teſtimonia. Nam quod Cõſtantinus geſſit, prodigioſum, inſolitumq; fuit miraculum, ardor, pietas fuit. Quæ quidem dementia ſtuporq; ſit hominibus huius mundi, non animis diuinis. Eiuſmodi ſtupor erat, cum apoſtoli Spirituſancto prouecti, variis linguis loquerentur, inſani, ebriiq; ab inſana plebe iudicabãtur. E Laurentius Conſtantinum induxit quaſi ebrium, inſanientem: vocat omnes, vt admirentur, conſiderent, an fieri potuerit, eò ſobrium Imperatorem vecordiæ proceſſiſſe: aſciſcit Imperatorum profanorum affectus acquirendi, retinendiq; Imperij. At cur eſt, quòd in Conſtantino talia miretur, quando ſepoſito afflatu diuino, ſimilia quędam Imperatores profani facere nõ erubuerunt? Cur non admiraris, inſanumq; vocas Diocletianũ, qui ſe ſpõte Imperio abdicauit? Vtrum maioris inſaniæ, totum Regnum ſibimet, an regni partẽ eripere, ſibi tantas opes, pro quibus, ait Laurentius, Reges in arma ruere, abſtuliſſe: aut volentem reipublicæ cõſulere, partem Imperii melius diſpoſuiſſe, commutato rerum ordine, nihil Imperii viribus imminutis? Quo quidẽ Diocletiani exemplo facilè cohibentur illæ Laurentii exclamationes, vanaq; rhetorica, qua coram regibus, & populis rhetoricatur, qui fieri poſſit, vt Conſtantinus abſtulerit ſibi partem Imperii, cùm regnandi cauſa ſoleant Reges ius violare, nihil non miſcere? Quid dices de his Regibus, qui ſpretis honoribus, ob quos itur in arma, ſe in ſolitudines, in monaſteria penitus abdiderunt? Quis eos Spiritus induxit, vt tantas, tot laboribus partas opes, relinquerent, diuinos honores, populorum acclamationes ſpernerent? Conſtantinum miremur, quem diuinus ardor agebat, quem ſalus inſperata ad magnas cogitationes excitabat. Quid alii Imperatores, amore mulierculararum? Nonne Marcus Antonius Cleopatræ, quam miſerè deperibat, cùm in Parthos proficiſceretur, Arabiam, Iudęam, Palæſtinam, multaſque alias prouincias, & quaſi maximam Romani Imperii partem in oriente donauit? Cur hic non inducis ſenatum, populumq; accurrentem, lamentantem, fletibuſque donationem illam prohibentem? Cur hic exaggerationes, exclamationes non profundis, totumq; orientem miſces, quemadmodum in donatione Conſtantini totam vrbem reples tumultu, facis lamentari populum, ſenatum, filios Conſtantini, lamentari ſcilicet, quòd fieret Chriſtianus, quòd mentem diuiniorem concepiſſet, quod agitante Deo totum ſeſe, & quidquid poſſideret,

Deo

A Deo ſacraret? Cur illam Marci Antonij donationem non putas fabuloſam, quia non fuit ſcri-
pta,in æs inciſa,non legitur acceptaſſe Cleopatra? Quid quod ſi donauit, non alienis donauit,
quemadmodum ſuperius dictum eſt, non quaſi Turcis,aut Perſis,aut Aegyptiis, ſed cum dona-
uerit Petro, & Chriſto, res ipſa donata,in toto Regni corpore remanſit. Neque ea Imperij
parte orbata eſt reſpublica. Sed amplificata,incredibiliter illuſtrata. Quod enim Chriſto,& re-
ligioni donatur,non eripitur reipublicæ. Sed in eo reſpublica augetur,fit nobilis. Donare Chri-
ſto aliquam Regni partem,non eſt quaſi abſcindere,ac regni corpus dilacerare,ſed potius augere
Regnum,aucta,& illuſtrata regni parte,qua ſalus toti regno contingit. Aucta in regno amplifica-
taque religione,totum regnum amplificatur:atque ea pars quæ religioni donata fuit, non quaſi
longius abiit,ipſa repub.magna ſui parte,membroque orbata, ſed in ea nobilior, auctiorque re-
manſit.Nec fuit ea donatio quaſi alienatio,quæ tum in ipſo Romano Imperio remanſit, tum ob
eam Imperium nobilitatum,illuſtratum,amplificatumque fuit. Magnus quidem error diuidere
Romanum Imperium in regna terreſtria,atq; ipſam religionem,quaſi duo inter ſe diſiuncta. Ro-
manum Imperium conſtat religione,tum regnis,opibusque corporeis.Cum dicitur regnum ſan-
ctum,religionisque regnum,dicitur præclariſſima pars Imperij Romani. Quare cum hæc pars re-
ligioni fuit conſecrata, non fuit a reliquo Imperio abſciſſa. Nec in eo quiſquam eſt offenſus, in-
quo, reſpub.maxime profecit.Tunc enim religio magnum accepit incrementum,aucta autem re
ligione, regnum augetur, omnium bonorum copia prorumpit.Quid de Laurentio dicam,cum ne
chriſtianum fuiſſe,qui Chriſtianæ religionis aduentum in vrbem,ad imperium Romanum,mœ-
rorem populi,infelicitatem,lachrymas interpretatur? At Lactantius Firmianus prædicat,feliciſſi-
B mum orbi terrarum illuxiſſe diem,cum Conſtantinus iniit principatum,in principio ſuarum In-
ſtitutionum. Qui primus,inquit ad Conſtantinum, Romanorum principum repudiatis errori-
bus, maieſtatē Dei ſingularis, ac veri, & cognouiſti,& honoraſti. Nam cùm ille dies feliciſſimus
orbi terrarum illuxiſset,quo te Deus ſummus ad beatum Imperij culmen euexit,ſalutarem vni-
uerſis,& optabilem principatum, præclaro initio auſpicatus es,cum euerſam, ſublatamque iuſti-
tiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiaſti.Hęc ille. Laurentius męrentes, lachrymā-
tes inducit populos, totamque rempub. & filios Conſtantini, cum ſeſe totum religioni Chri-
ſtianæ deuouere pararet. Iam enim à principio claruit iactantia eius contra Chriſtum, quem
ſumptis ſpiculis vulnerare pararet. Fecit quod promiſit, tota enim hæc eius ſcriptio contra do-
nationem Conſtantini, effuſa eſt, tenditque clam contra Chriſtum. Reddita igitur eſt reſpubl.
longè felicior, ac beatior Conſtantini ſanctiſſimo illo facto,publicamque lætitiam fuiſse par eſt.
Inprimisque familiam ipſius Conſtantini, propinquos, conſanguineos, tum proceres omnes,
omnemq; curiam gauiſam eſſe, quorum in oculis res prodigioſa edita eſset. Imperatorem ſuum
fędiſſima contagione liberatum,nitidū è ſalutari lauacro ſurrexiſse. Nec tam ob principis inſpe-
ratam ſalutem fuiſſe ſtuporem, ac gaudium, quàm ſuper ipſo facto prodigioſo. Res diuinæ, ac
ſanctæ, bonitatis, ac iuſtitiæ plenæ non inducunt homines ad męrorem, ſed lætitiam, gratula-
tionem. Sic quoque diluitur quicquid inducit ſenatum obiicientem Conſtantino, vrbem pro-
uinciasque donantem. Proponens incommoda reipub. ex eo prouentura. Maiora enim cogita-
bat Conſtantinus, quàm illa terreſtria,ſuoq; illo facto,rempub. videbat futuram beatiorem. Ea-
dem ratione non ſunt conſentanea rationi,quę Syluestrum inducit loquentem ſuper oblatis,re-
C pudiantemq; oblata. Vnus enim idemque ſpiritus erat Conſtantino,& Syluestro, quaſq; Con-
ſtantinus rationes propoſuit Imperij ſacrandi,eaſdem,& Syluester agnouerat,nec ſolum non re-
iicere cogebatur oblata, vt potius ampliſſimas haberet gratias Deo ob imperatoris inauditam
pietatem. Eratque conſenſus, mensque vna, dantis, & accipientis. Quidquid de principatu Pe-
tri in illo ſuo decreto ſcripſit Conſtantinus, didicit à Syluestro, à quo de Petro, & Paulo, de Ie-
ſu Chriſto,de tota religione cognouit.Quare probabile eſt, vnum ambobus animum conſilium-
que fuiſse. Nec poterat, aut debuerat ſpernere Syluester, quæ non ſibi,ſed Petro, & Chriſto do-
nabantur.Non hic ego loquacis hominis ſequar veſtigia,vt totidem verba in contrarium propo-
nam, quot Syluestrum,Conſtantinumq; inducit loquentes, ſuper quibus mirè rhetoricatur,mo-
re videlicet eorum,quorum omnis fiducia in verbis eſt.Quę enim munera ſpreuit Heliſeus ſana
to a lepra principe Syriæ, iure potuit ſpernere,quod ſibi dabantur : at de Syluestro longè alia ra-
tio.Succeſsor erat Chriſti,& Petri Syluester,eaq; quæ ſibi dabantur,Chriſto,& Petro dabātur, a
quo fuerat Imperator ſanatus, ad Regnum Chriſti adiungebantur.Inſtituebatur regnum ſanctū,
regale ſacerdotiū,id agi a Deo per Syluestrum videbat Conſtantinus,vt religio ſtabiliretur,am-
plificaretur, magnum autem incrementum accepturā,ſi Romanum Imperiū ei ſubiiceretur.Hoc
factum ferre ſecum omnem felicitatem,ornamentumq; reipub. pluſquam humanum factum ap-
pellandum. Quod ſi Fabij,& Scipiones,ac Cæſares ob auctam rempub. diuinos honores meruiſ-
ſent,longe certè diuiniores debentur Conſtantino. Non poterat,aut debebat hæc ſpernere Syl-
ueſter,animumq; feruentis Imperatoris impedire. Adiunctum eſt illo præclaro facto Imperium
Romanum religioni Chriſtianę,Imperio autem Romano adiūcta eſt religio Chriſtiana,quę fuit
diuiniſſima, maximeq; ſalutaris coniunctio. Hoc tantum commodum, oblatam cęlitus per vni-
uerſum terrarum orbem diffundendæ religionis occaſionem potuitne Syluester repudiare?

Si Rex regum dicitur Summus ſacerdos, ſi regibus imperat, tota hæc gloria Chriſti eſt.Præſtabat D tempore illo naſcentis Eccleſiæ inferre in fidem Chriſti,Imperij partem:futurum erat eo,vt plures crederent. Hocne debuit contemnere Sylueſter ? Hæc ratio quoque eſt,quòd hodierni pijſſimi Imperatores arbitrati ab Imperio non aliena,quæ religio poſſidet, ſed Cōſtantini imitati pietatem,auidè,animoque promptiſſimo parent huic ſancto regno , quæ ab eo poſſidentur , non ab externis teneri,ſed in corpore reipub. exiſtere,ſibi perſuadentes. Atque hæc ſua,& Chriſti, Chriſtianæque reipub. exiſtimantes ea gladio diſtricto defendentibus ſimiles aſpiciuntur.Neque pie, ſed planè impiè,& quaſi vna domo inter ſe,aut membro cum membro pugnante factum eſt,cum inter hoc regnum,& imperatores diſſenſio coorta eſt . Quid enim aliud adfuit , quam cum rabie quis correptus, ipſe ſua membra morſibus diſcerperet ? Eſt vna reſpub. vnum Imperium , quod ab Imperatoribus,quod a regno ſancto poſſidetur . De vtroque velut duobus diſiunctis diſſerere,eſt eorum qui cuiuſpiam interitum cupientes,eique perſuadere conati duos in eodem corpore ineſſe,eum ad ipſiuſmet exitium adigerent. Prima igitur ratio Laurentij , vt ſæpius hæc exagitem,fuit,Cùm populum Romanum,ſenatumque in medium protrahit clamantes , accurrenteſque ad imperatorem,quod rempub. quaſi perdere decerneret,eripiens Imperio,filijsque ſuis tam præclaram Imperij partem.Secundo loco Sylueſter multis cum verbis,multis rationibus auerſatur oblata.Suo facit eum ore loqui Laurentius,qui ſi viueret,nec ore illo ſcelerato locutus eſſet, nec illa mens ei placuiſſet:omnia ſuperius diluta ſunt. Ea fuit facti Conſtantini diuinitas, vt nullam calumniam,nullam controuerſiam patiantur. Longe enim maiora commoda erant prouentura ex illa piiſſima liberalitate , Imperijque conſecratione , quam mala in religionem ex tantarum opum poſſeſſione. Nam coniuncta religione,ac pietate, cum rerum terreſtrium moderatione, E fit ipſa res adminiſtrata melior,ſolidior. Rectius,iuſtiuſque reddit Imperium religio , dirigit, moderatur, erigit,efficit iuſtitiam clariorem,reddit quos complectitur ſeruantiſſimos æqui.Quare non debuit Sylueſter repudiare , quo minus religio cum Imperio ſociaretur, acciperet ſocium Imperium religio.Nam mala quæ quis rhetoricando enumerare valeat,ex opulentia illata in religionem,ſunt longe minora,quàm vtilitas conſequens ex illa ſocietate.In omni autem re conſideratur num commodum præſtet incommodo : vt ſi quis hortum , aut vineam conſiturus,multum ea ex colenda ſudoris profuſurus,multum pecuniæ agricolis impenſurus . Conſiderabit videlicet commodum,fructumq; longe locupletiorem præſtare laborem , pecuniarumque iacturá. Ita accedente ad religionem Imperio,opibus aſſociatis, & Chriſto ſacratis , præſertim religione naſcente,longè maximum fuit commodum , longè autem minor iactura ex poſſeſſione diuitiarum.Nam populi intelligentes Imperatorem ſe & imperium Chriſto ſacraſſe,tam præclaro, tam prodigioſo facto cogitare cogebantur, religionem illam eſſe veriſſimam , ſanctiſſimam , cui tantæ opes, tanto ſanguine partæ ſacrarentur , donarentur , Imperator propter Chriſtum eas contemneret . Fiebatque quòd Chriſtus præceperat, vt renunciares pro nomine eius omnibus quæ poſſides,centuplum accepturus.Si ſapiens a Chriſto iudicatur , qui fratrem, patrem,mátremque relinquat,qui vendat quæ habet,& pauperibus eroget: cur tanta pietate Conſtantinus id imitatus a Sylueſtro non debuit comprobari,non debuit Sylueſter ſuſpicere mentem diuinitus actam, incenſam ardore cęleſti? Si Sylueſter has opes affectaſſet,ſi voluptatibus ſatiandis accepiſſet, ratio de repudiandis opibus audiri poſſet. Nunc cum donantur eccleſijs diuitiæ,cùm donantur altari,cùm ſacrantur Deo , ſacerdotes reiicere nec poſſunt , nec debent , nec aſpernari donantes , F non ſibi dari , & ſacrari , ſed Deo perſpectum habentes , fieri ſacra , fieri theſaurum eccleſiæ , vt cùm calices,cùm veſtes offeruntur . An ſi ſeruo quid tradideris , quod Domino deferat , recuſabit, quaſi poteſtatis ſuæ ſit reijciendi,quaſi ſua reſpuat ? Atqui vapulabit multis , rem Domino oblatam,& donatam, aut ferre recuſans , aut abijciens , vel recuſando tardans impetum donantis . Quare rationes illæ Laurentii de non acceptandis oblatis , cùm ad ſcopum verum non tendant,rem vti eſt, minimè proponentes potius cauillationes,quàm rationes ſunt . Contemnere enim diuitias, noſtras libidines adiuuantes iubemur : non diuitias quæ Chriſto ſacrantur, non opes Chriſti,non ſacrificia quæ ei offeruntur . Data eſt ſacerdoti pecunia vt eccleſiam ędificet, vt dotes virginibus diſtribuat, vt domicilia peregrinis, pauperibus inſtituat: tantam iuuandi homines occaſionem non admittat, quia Laurentius monſtrat pecunias in religionem non eſſe inferendas ? Quod autem ex ore Laurentij repudians Sylueſter prouincias quas Conſtantinus offerret,oſtendit,ſi ſacerdotes regnare cęperint,neceſſariò eis euenturũ vt inter cędes,& ſanguinem verſentur,gubernando,retinendoq; Imperio,eadem poterant opponi antea quàm Conſtantinus donaſſet,ſi quid eccleſiæ tēpore Sylueſtri poſſiderent,ſi quod ius,ſi quid ditionis,ac poteſtatis. Eadem obiicientur,cum Abbatiæ ſacrarētur,cùm Benedicto,cęterisq; ſanctis oppida,caſtra donabantur,cùm in Germania,Hiſpania , ampliſſimi Epiſcopatus ſtatuerentur . Omnibus.n. his locis ius dicitur,ſunt magiſtratus,delinquentes puniuntur,laboratur gubernando, hos labores Benedictus,Auguſtinus,totoq; orbe Chriſtiano ſanctiſſimi quique,qui Epiſcopatus , dignitates eccleſiaſticas erigebãt,non recuſauerunt propter commoda à principio enumerata. Detrimēta autem fore longe inferiora,poteſtatem,ditionemq; eccleſia accipiente,intellexerunt , poſtea quàm primus ardor refrixerat , cæleſtes gratiæ ceſſauerant , miracula non amplius viſebantur.

A Expellenda erat illa Conſtantini donatione, omnis idolatria, confirmandum regnum Chriſti,
tollendi ex vrbibus ſuperſtitioſi cultus, omnis impietas abolenda. Cui autem dubium, facilius
idolatriam excidendam, ſi Imperium religioni ſubiiceretur, aut vtrunque ſociaretur, alterumque
alterius ope adiuuaretur, quàm ſi Imperium religioni dominaretur? Adiuuat religio Imperium,
efficiens id iuſtius, ſanctius, rectius. Imperium autem, nempe opes corporeæ religionem
defenſant. Hæc cùm ſint maxima bona, eos inſanire facile coarguũt, qui leuiora mala proponentes,
ingentia illa bona nituntur euertere: Velut ſi quis orationem contenderet eſſe pernicioſam,
maximorumque hominibus cauſam malorum, clades vrbibus illatas à malis oratoribus
enumeraret. Et in omni genere rerum ſi quis vitia recenſeret, prætermiſſis magnis bonis. Aut ſi
quis quempiam calumniari cupiens, referret quædam in eo leuiora vitia, magnas virtutes ſilentio
prætergreſſus. Coniunctio igitur Imperij, & religionis cùm diuina fuerit, nondum eccleſia
ſtabilita, dum vexationibus iactaretur, dum in eam plurimum poſſent mali, certè indigna ſunt
quæ opponantur, ſi qua vitia comitata ſunt hanc coniunctionem. Quis item eſt, qui neſciat, diuinos
ſcriptores, theologoſque noſtros, quos Romanis Imperatoribus ædidit ætas, ſæpe res illorum
temporum deſcribentes, ſolitos appellare felicitatem illorum temporum, ſolitos prædicare,
Eccleſiam floruiſſe, lætiſſimam fuiſſe, quoties aliquid gratiæ, ac benignitatis ab Imperatoriqus
manaret, Quoties eos, aut perſequi deſiſterent, aut omnino rem Chriſtianam adiuuarent,
ſi quam pietatem in religionem prę ſe ferrent, ſi quibus opibus ſuſtentarent, ſi quid eccleſijs largirentur,
quod miſeris donaretur, quo neceſſitates eccleſiæ ſubleuarentur? Hanc inquam Imperatorum
in ſe propenſam voluntatem, felicitatem ſuorum temporum vocant ſancti Theologi,
B religionis incrementum. Econtra ſæuas hyemes proponunt, procellas, & tenebras, cùm cardine
verſo, tempeſtatibus irruentibus conflictarentur. Si felicitas igitur fuit aliqua in religionem animi
propenſio, ſi patres ſancti exoſculabantur hanc occaſionem, gratias immortales habebant
Deo, Nonne maxima felicitas fuit, maximus mœror infidelibus inceſſit, magna ſuæ ſuperſtitionis
fuit conſternatio, cùm Imperator aduenit, qui non aliquid gratiæ, beneuolentiæque religioni
impẽderet, ſed fulmen gratiarum effunderet, quantum vix aptare liceret. Quoad cogitare
poſſet, qui eum ardorem concepiſſet, vt ſe totum, Imperiumque cum filiis pietati, ac religioni
conſecraret. Ob hanc cauſam exultant ſancti Theologi, prædicant maximam ad eccleſiam tunc
factam bonorum acceſſionem, felicitatem illorum temporum oratione proſequuntur, indefeſſe
concelebrant. At id Laurentio non eſt gratum acceptumque, affert ei mœrorem, luctum veluti
pagano indignanti eccleſiam creuiſſe, id ab Imperatoribus gratiæ in eam exundaſſe, vt Imperium
ei traderent. Quod patribus ſummæ lætitiæ fuit, in eo triumphabant, gloriabantur, Laurentius,
vt id tollat, opprimat, ne tantum lætitiæ, donique cęleſtis ad eccleſiam veniſſe comprobet
(ſolent enim, qui inuident, dolorem ex alterius felicitate capere) artificioſe proponit
Syluestrum ea repudiantem, afferentemque rationes in eccleſiam opes inferendas non eſſe. Cur
non potius inducat Syluestrum neſcio quam cogitationem concipientem, quæ mihi interdum
occurrit, Si quis apud remotiſſimos Indos degens eò noſtris ex locis profectus prędicaret, eſſe ſacroſanctam
in orbe terrarum religionem, cuius caput, ac moderator ab omnibus Regibus, principibuſque
adoretur, iſque tantæ poteſtatis apud eos habeatur, vt omnia Regna nutibus eius regantur,
propter religionis, ac pietatis altiſſimum principatum, quem Reges adorent, quibus
C perſpectiſſimum ſit, ſummum hunc ſacrorum principem, ſucceſſorem eſſe Chriſti, totamque illam
potentiam ac maieſtatem, ſi quis per ætates aſcendat redigi reſoluique ad ipſum Dei filium,
qui quendam ſuum in terris legatum reliquerit, quem homines vti interpretem, magiſtratumq;
eius reſpiciant, ab eo de pietate, ac religione diſcentes. Ob hanc cauſam ſolitum eſſe apud eos,
vt non tam mortalem illum hominem, quàm in eo, Deum ipſum, qui eum ſibi in terris ſuffeciſſet
ſuſpicientes, omnes actiones, muneraque pietatis exprimant, ſumma veneratione tolerantes
abſtinenteſque maledictis, ſi quid is, vt homo peccet, propterea, quòd in eo venerentur filium
Dei. Nonne cogitabunt hæc audientes eam religionem eſſe veriſſimam, à Deo profectam
quam inde ab initio Reges piiſſimè coluerint, cui Regna, opeſque ſuas ſacrauerint, cui ſubiecerint
Romani Imperatores Imperium ſuum, quo non fuit toto orbe terrarum maius? Nonne percipient
ingentem cauſam fuiſſe cur ſeſe deuouerint, ſacrauerintque? Cur ante principis eius pedes
procumbant, eos exoſculantes? Quid etiam hoc loco de Laurentio, & his, quibus eius maledicentia
non diſplicuit, dicam, ſed maximè de ipſo? quàm ſolet ſeipſum mendacium, ac malitia
prodere? quippe quæ contra naturam tendit, quæ autem naturę aduerſantur, non diu ſubſiſtunt,
citius euaneſcunt. Si quis tuetur falſa, quantumuis congeſtis argumentationibus rhetoricando,
veritas tamen cogit eum quippiam efferre, quo tota eius oratio refellitur, conatus malus coarguitur.
Ait Laurentius in aliis ſuis ſcriptis efferens linguam Latinam, non penitus eam concidiſſe,
remanſiſſe, velut in Imperio Romano, in Italia, Hiſpania, Germania, quot nationes Latinè
loquantur, totidem dicendas eſſe Romanum Imperium. Cur igitur non perſpicit huius rei
cauſam Romanæ eccleſiæ fuiſſe maieſtatem, quæ velut filius Romano Imperio ſucceſſit. Hæc
enim hæc fecit, vt Romanum Imperium, quod iam ſeneſcebat, in occaſum præcipitabat, tanquam
propago ex ipſa renaſceretur, Latina lingua retineretur, Latinè loqui nationes perſeuerarent.

rent. Ex arido ſtipite ſurgens formoſa arbos inſitis oculis à Conſtantino ramis felicibus vniuerſum D terrarum orbem occupauit. Filius adoleſcens, patri ſenectute confecto, propediemque morituro ſucceſſit, continuata patris in omne æuum dominatione per filium. Ac verè profertur à nonnullis de eccleſia carmen Virgilianum, oraculum ſummi Iouis.

Imperium ſine fine dedi.

Hoc inquam de eccleſia, de Romanæ ſedis maieſtate verè profertur, quæ fecit vt Imperium Romanorum eſſet ſine fine renatum in ipſa eccleſia. Hinc fit, vt in palatio ſummi Pontificis in cunctis ferè negotiis Latinè loquantur. Eſt enim quaſi populus Romanus, Senatus, plebsq; Romana. Fuit igitur Dei beneficium, vt Conſtantinus hunc filium adoptaret, qui hæres eſſet occidentalis Imperij, quòd maximè Romanum Imperium fuit. Hoc domicilium, hi natales Romani Imperij. Agnoſcant omnes Laurentianam cæcitatem. Indignatur, fremit, admiratur Imperium ad eccleſiam acceſſiſſe, & in Imperij gratiam, non patitur eccleſiæ donaſſe Conſtantinum, dum ſcilicet Romanum Imperium tuetur, non videt ſeſe illud potius euertere. Quòd putat Imperij defenſionem, Non donaſſe Conſtantinum, id non cernit eſſe Imperij euerſionem. Perinde ſi quis quempiam his argumentis defenderet, quibus in mortem apud iudices conflaret. Excepit eccleſia imperium ſeneſcens, Conſtantinus diuinitus inſpiratus hanc ſucceſſionem prouidit, inclinatumque Imperium, eccleſiæ veluti fortiſſimo parieti admouit, alioqui magno interitu ruiturum, in primis ipſa Imperij ſede labente Roma. Non igitur mens ea fuit Syluestro, quam Laurentius ei tribuit, non ea oratio. Syluester, & ipſe Romanus, incomparabiliter melior, ac ſapientior Laurentio, patriæque ſuæ amantior ſummis laudibus extulit Conſtantinum donantem, ſacrantemque Imperium Chriſto, acceptauit, approbauit, gratias Deo egit immortales, tantæ felicitatis autori, E qui tam prodigioſam pietatem magno Imperatori aſpiraſſet, quo patriam ſuam videbat non ruituram, ſed longè nobilius renatam, cum Imperio terreſtri, etiam cęleſtis religionis principatum habituram. Hanc non inuidit patriæ felicitatem, non falſa pietate, falſaque diuitiarum deteſtatione prætenta, quod fingit Laurentius, reprobauit. Mirificè gauiſus eſt, proſpiciens patriæ & religionis mirabile augmentum. Non aſpernatus eſt gratiam cælitus venientem, ſpiritum illum ſanctiſſimum, quo magnus Imperator agebatur non reſtinxit, impetum non tardauit, potius animum incenſum inflammauit amore. Perſpexit, ſatius eſſe Imperium a religione poſſideri, atque adminiſtrari, quàm à profanis, ab inimicis Chriſti, qualis poſtea fuit Iulianus. Si qua apud Antipodes natio antea profana, idolatra, ad Chriſtianam religionem tranſire cupiens, totam ſeſe, & quidquid publicè poſſidetur eccleſiæ conſecraret, an ſacerdos, qui quaſi Rex apud eos inſtitueretur, pietatem hominum contempſerit, repudiarit, perſuaſerit eis id factum eſſe pernicioſum? Quid etiam mirum profana facta eſſe ſacra, velut templa Deorum facta ſunt eccleſiæ ſanctorum? Pantheon tunc omnium deorum fanum, nunc eſt eccleſia virginis. Caſtoris, & Pollucis in foro Romano, nunc Coſmæ, & Damiani. Omnes veſtes, ac ritus profani, nunc ſacri ſunt. Sic imperium antea profanum, factum eſt eo tempore ſacrum, ad religionem tralatum. Claret igitur Sylueſtrum nulla excuſatione reſpuere debuiſſe Imperij donationem, ac conſecrationem, nec eum locutum eſſe, aut loqui potuiſſe, quæ fingit Laurentius. Nec rationibus, & argumentis ex Theologia productis impedire tantum bonum decuiſſe. Repudium diuitiarum alio tempore vtile eſſe poſſe, ſed repudium Imperij accedentis ad religionem, non ſine iniquitate, & ſcelere futurum fuiſſe. Imperij donationem fuiſſe religionis auctionem. Plus F detrimenti paſſuram fuiſſe religionem non adiuncto imperio quàm diuitiis in eam illatis. Nam Imperio non adiuncto, periculum erat idolatriam remanſuram, ac regnaturam. Adiuncto autem Imperio periculum erat ne ſacerdotes inſoleſcerent. Collato vtroque malo, res ipſæ contrariæ quod apud philoſophos fit, intelligantur. Vt ſi quis ſcire cupiens, quæ clarior virtus, Pietas, an Liberalitas, aſſumat contraria vtriuſque virtutis. Pietati aduerſatur Impietas, Liberalitatem, ac opes ſequitur inſolentia. Maius autem malum Impietas, quàm Inſolentia aut Superbia, præſtantius ergo bonum Pietas. Sic maius bonum Imperium veniſſe ad religionem, quàm Imperium contempſiſſe, ne religio in inſolentiam, aut ſuperbiam incideret. Maius malum incidere in idolatriam, quàm iactantiam ex diuitiis. His omiſſis quoniam Laurentius deſcendit ad alia Romæ oppugnationem, Italiæ omnique occidenti bellum indicens, & donationem non fuiſſe conatur oſtendere, etiam ſi ſuperiora argumenta nihil roboris haberent, ea ratione, quod nihil conſtet de acceptatione, non conſtet Sylueſtrum poſſediſſe, de eo diſquiratur. Hoc ſcilicet agunt, qui quempiam circumuenire nituntur, qui quippiam poſſideret, vnde eum deturbare contendunt, non deſunt inquam, qui ſi quid prætendere poſſent, falſoſq; teſtes adducere, veſtem quam poſſides non eſſe veſtem tuam, quò minus id facerent. Aut qui patrimonio tuo, muneribuſque inſidiantes aliquam cauillationem excogitarent, qua tibi patrimonium eriperent, aut munera auferrent, quæ dicerent te rapuiſſe, non te a donante accepiſſe. Eiuſmodi nunc quoque eſt Laurentiana cauillatio. Non habetur ſcriptio acceptationis, nullis tabulis eſt inciſa, non aſcendit Sylueſter in Capitolium, nec per Imperium eſt a Conſtantino circumvectus, non promouit magiſtratus, Prætores, quod faciunt, quibus regna traduntur. Non igitur donatio fuit. At non iſta

leuiaro

A leuiora, ſed longe maiora geſta ſunt, inſpectante toto populo, cunctis proceribus, omni ſenatu, omnibus propinquis, Romanum Imperium eſt conſecratum Chriſto, & Petro, in manibus Sylueſtri donatum. Hoc maximum fuit argumentum ad confirmationem donationis. Hæc maxima fœdera, hi maximi teſtes. Vulgaribus, & plebeis dabis currus, vectationemque, ſummo, & ſacroſancto ſacerdoti ſatis erat, imò maximum erat, Imperatorem procubuiſſe ante altare, ſuper ipſo coram tot teſtibus Imperium ſacraſſe, deuouiſſe. Vt nouum erat, & inuſitatum hoc Conſtantini factum, diuinum potius, quàm humanum, ſic nouo genere celebrationis tranſactum eſt. Quæ Laurentius profert, profana ſunt, plebeia, vulgaria. Hæc ſumma pietate, ſummo cultu exercebantur, non aura popularis, non ſtrepitus, clamorq; plebis aderat, Coram Deo, & angelis eius, coram ſenatu, & proceribus gerebantur. Abfuit ambitio, tumultus, vanitas, oſtentatio. Nouus ſpiritus ſeſe inſinuauerat in mentes illas præſentes, in lachrymas prorũpentes, aſtabant reuerẽter, corde eorũ alia, quàm terreſtria, quàm vana cogitante. Fuerunt grauiſſimæ cæremoniæ, non ante id temporis celebratæ, quia nunquam accidiſſet in Imperio Romano eiuſmodi prodigium. Sed grauius vrgens percunctatur Laurentius, quid egerit Sylueſter abeunte Conſtantino, quæ bella geſſerit, quas ad arma nationes ſpectantes oppreſſerit. Nunquam eum fuiſſe in poſſeſſione, ſi detur poſſediſſe, omnes Cæſares, etiam ipſum Conſtantinum vſque ad vltimum diem poſſediſſe, profert teſtimonium Eutropij de Iuliano filio fratris Conſtantini, qui totum Orientale, & Occidentale Imperium tenuerit. Reperta fuiſſent aliqua numiſmata, ſi Pontifices imperaſſent, quemadmodum aliorum Imperatorum reperiuntur. In ſecunda ratione, ponitur teſtimonium Melchiadis Papæ, Conſtantinum donaſſe palatium Lateranenſe, & quædam prædia, de Imperio B nullum verbum. Agit poſtea de priuilegio. Principio dicam, Non defuit quid ageret Sylueſter poſt diſceſſum Conſtantini, præerat religioni, erudiebat Romanos eorum, quæ Conſtantinus egiſſet, teſtimonio probabat, religionem eſſe veram generis humani ſalutem, per vniuerſum terrarum orbem ad eccleſias de facto Conſtantini ſcribebat, magiſtatibus, Prætoribusque prouinciarum, quæ gubernarent, Chriſtianæ religionis eſſe probabat, ſi quos eueſtigio ad pietatem commouere poſſet, ſin minus, ſinebat eos præeſſe, gubernare. Non potuit fieri ſubita mutatio à profanis ad ſacra, quemadmodum non itur repente a morbo ad ſanitatem. Bonus medicus inſequitur naturam, tempusque, optimus pietatis præſul, non ſubito cuncta turbabat, rapiebat, prouinciis idolatras deturbabat. Satis erat Imperium fuiſſe Chriſto, & Petro conſecratum. Tempus autem, opitulante Deo, paulatim animos mutabat, ſenſim ab idolatria tranſiebatur ad religionem, ſenſim Imperium iam ſemel ſacratum, ad eos redigebatur, quibus fuiſſet ſacratum. Paulatim imperare incipiebat religio, habenas Imperij capere, Ius ſuum acquirere. Nihil hic ſubitum, tumultuarium, nihil ſolitum, quòd non fuit ſolita, ſed inuſitata Imperij mutatio. Non fuit velut ſi mortuo patre, filius ſtatim regnare cępiſſet, Alia mutatio Imperij, alia ſucceſſio. Quemadmodum mortuo, ac reſurgente Chriſto, non protinus omnis mundus factus eſt Chriſtianus, licet tantum initium præceſſiſſet, tantum miraculum in mundo conſpicuum fuiſſet, omnia priſtinæ conſuetudini inſtiterunt, tametſi Chriſtus declaratus eſſet à Deo patre ſuo Imperator mũdi. Remanſerunt iidem Reges, magiſtratus, nec ſubito regnare Chriſtus cępit. Sic totum occidentale Imperium, & ſi erat religioni ſacratum, in manus Sylueſtri traditum, nec ſtatim cœpit Sylueſter Imperare, ac tumultuare, magiſtratus commutare, nec alios eorum loco ſufficere, C omnia miſcere. Nihil horum egit, quòd inſolita eſſet, nouaque, & inaudita Imperij ſacratio, mutatio. Religio cuncta moderatè, patienter agit, interuallo temporis iniecto. Multa contemnit. Ius ſuum non agnoſcit, execratur iactantiam, tumultum, inſolentiam, ſuperbiam. Nihil ei cum ſtrepitu, & perturbatione, ac contentione agere conſuetum eſt. Patienter tempora expectat, ſi quis etiam res illius rapiat, haud propere conſurgit ad arma, regnare patitur quos ad regnum cupiditas rapuiſſet. Omnia ſuffert, benigna eſt, patiens eſt. Itaque non oportebat, tum primum Sylueſtrum, rerum habenas capere. Quiete, & tranquille ad religionem reginam, verumque Imperatorem omnia tranſibant. Interim ea Pontifices vt ſua agnoſcebant, ac fatebantur, publicis edictis, epiſtoliſque ad Reges, & principes ea pro ſuis habebant, vt poſtea probabo. Itaque non oportuit Sylueſtrum bella gerere contra nationes, reipub. tuendæ cauſa, quemadmodum non oportuit eum confeſtim Imperium conceſſum inuadere, auidum regnandi. Non hæc agit religio, principes terreſtres agunt, quibus cupiditas ineſt dominandi. Quocirca non mirum ſi permittente, & conniuente Sylueſtro, multiſque Pontificibus, poſt Conſtantinum in Italia imperatores, qui res occidentales moderarentur, præfuerunt. Eos habuit Sylueſter vti regni Chriſto ſacrati miniſtros, habuit, & habere ſe eis probauit. Volens, & prudens paſſus eſt eos imperare, reiecta in eos cura gubernandi, oſtendebat tamen, & fatebatur ea Chriſti eſſe, Imperiumq; illud religioni deberi donatum Chriſto, & Petro a Conſtantino. An totus orbis miſceri debuit à Sylueſtro, Imperij poſſeſſione capienda, nouis magiſtratibus deſcribendis, omnibus nouandis? Quæ ſi etiam facile, & ſine ſtrepitu fieri potuiſſent, nunquam Sylueſter feciſſet. Clarum tamen erat, Imperium Chriſto, & Petro eſſe ſacratum, clarum perſpectumque ſummis Pontificibus, & eccleſiæ; idque omni tempore, ſæculorumque decurſu fatebantur, litterarum monimentis mandantes. Quod probari multis exemplis poterit. Itaq; quid prohibet fuiſſe donatum Imperium, ſi

Syluester nunquam fuit in poſſeſſione, quaſi non eſſet Chriſtus Imperator mundi, tametſi per cultum nominis ſui apud nationes nondum eſſet in poſſeſſione. Terreſtria ſunt, quæ proponit Laurentius, & ex terreſtribus conatur conuincere, ac deiicere cęleſtia. Non eodem ordine ſancta, pia, cęleſtia tendunt, ac terreſtria, corporea. Aſſumit exempla corporea, mortalia exhibet, Syluestrum quaſi quendam ſatrapam. Commodum, aut Heliogabalum, aut duos filios Seueri, qui ſimul, defuncto patre, pro Imperio inter ſe armis decertarunt. Eadem reſponſio eſt de Numiſmatibus non repertis. Scilicet is labor erat Syluestro, vt profanos principes gloriã huius mundi affectantes, imitaretur, quaſi ſtuduerit vanitatem Romanorum Principum æmulari: Deerant videlicet meliora, quibus gloriam Imperatoris Chriſti propagaret. Vaniſſima proponit Laurentius, nec pudet hominem ex rebus, & exemplis profanorum Imperatorum diſceptare contra Imperium cęleſte, contra religionem. Velut ſi quis animum oppugnaturus, aut mortalem oſtenſurus, exclamaret, pes, manus, oculi ſauciantur, corrumpuntur, ergo ſauciatur corrumpiturq́; animus. Cùm fuerit factum illud Conſtantini cæleſte, diuinum, prodigioſum, cùm Donatio ſit tota cęleſtis, cùm is, qui donabat, & is cui donabatur, & is qui acceptabat fuerint alterius rationis, alterius mentis, ingenijq́ue, quàm principes terreſtres, ipſæq́ue res fuerint omnino diuerſæ. Cur miſces tam diſcrepantia, & ex vno probas alterum? De his igitur, qui poſt Conſtantinum in occidente Imperauerunt, etiam filij Conſtantini, ea eſt reſponſio, non prohibere, quo minus Imperium Chriſto, & Petro fuiſſet ſacratum, quod illi rebus præeſſent, tum, quòd religio nihil miſcet, nec fremit cum ſtrepitu, iactantia, tumultu, tum, quòd ſimul eſſe religionis illa regna poterant, ſimul a Regibus, & principibus, Imperatoribusq́ue teneri. Quemadmodum inſecutis temporibus, tametſi multa regna Pontifices eccleſiæ eſſe fatebantur, idq́ue ipſi reges agnoſcebant venerantes eccleſiam, vti, quæ eis regna donaſſet, id tamen non prohibebat, quo minus eccleſiæ eſſent. Velut cùm Romanis ſinentibus, Reges in Aegypto, Armenia, Pergami regnabant. Chriſtus venit, vt in eodem exemplo perſiſtam, cum medium ſilentium agerent omnia, adueniente Imperatore cęleſti in terras, nullus fuit in orbe terrarum tumultus, nulla perturbatio. Vix agnitus eſt aduentus ille. Mirum erat, tanto ad homines Rege veniente, ſilentium. Quid igitur mirum, ſi donato Imperio nulla fuit in eccleſia iactantia, tumultus, ſtrepitus, oſtentatio? Facta ac declarata eccleſia Imperij Romani regina, Chriſtum Regem ſuum imitata, ſuper ea donatione non adeo gloriata eſt, vt vbique ſe oſtentauerit, omnia miſcuerit, euerterit, Reges poſſeſſione deiecerit, contra Cæſares, qui poſt Conſtantinum in occidente imperare, ac iura antiqua retinere voluerunt, arma ſumpſerit. Eadem modeſtia ſilebat, & conniuebat, illis donata occupantibus, qua, donata accepiſſet. Accepit autem ſine vanitate, oſtentatione terreſtri, accepit quaſi non accipiens, tantum ob gloriam nominis Chriſti, & Petri. Quare exempla de Iuliano Apoſtata a Laurentio producta ex Eutropio, & de reliquis Cæſaribus, qui in occidente poſt Conſtantinum imperauerunt, nullum habent locum, nec tollunt donationem. Multa autem eius mendacia poſt coarguentur, velut, quod ait ex Euſebio, Conſtantinum a pueris cum patre Conſtantino fuiſſe Chriſtianum: cùm Euſebius in vita, ſiue Encomio Conſtantini, quod nunquam Laurentius vidit, apertè fateatur, eum tunc religionem Chriſti penitus agnouiſſe, cùm contra Maxentium pugnaturus, ſignum crucis vidit in cælo. De Melchiade quoq; qui tantum prædia quędam ſcripſerit donaſſe Conſtantinum, poſtea diſquiretur, eoq́ue apertè contra eum probabitur, qui dicat Conſtantinum prædia donaſſe, non ex alio potuiſſe dicere, quàm, quod ſcripſit Syluester, qui ei ſucceſſit. At Syluester ſcribit, Conſtantinum Imperium donaſſe. Sed controuerſia de Melchiade poſtea diſſoluetur, quandoquidem Melchiade martyrio coronato, non fuerit Chriſtianus Conſtantinus, quo imperante, vel ſuperiore ſæculo, interfectus eſt Melchiades. Omnes autem hiſtoriæ fatentur, a Syluestro fuiſſe Conſtantinum baptizatum. Tum hiſtoria, quæ ſcribat, Conſtantinum donaſſe palatium Lateranenſe, & ob reuerentiam ceſſiſſe, eadem ſcribit, donaſſe occidentem, licet id Melchiades non expreſſerit. Et apud Græcos, quæ de Melchiade ſcribuntur, pro falſis habentur, ab Arrianis conficta, vt oſtendam. Sed his omiſſis, ad Priuilegium cum Laurentio veniendum eſt, diſſoluendæq́ue illius calumniæ. Nam, quod de pagina ſcribit, & de eo, qui Gratianus videri voluit, qui ad iura Pontificia quædam adiecerit, mihi de eo nulla cura erit, cuius ante oculos ſunt longe potiora, neque de donatione mihi dicendum eſt ex Gratiano, ſed vetuſtiſſimis autoribus. Neque nomen Paleæ mihi curæ eſt, cùm id ſit nomen barbarum, & apud bonos autores Græcos, & Latinos apelletur Decretum, ſiue Oraculum Conſtantini. Græcè διάταξις, ſiue θέσπισμα, a Latinis Donatio, ab indoctis canoniſtis Palea, ab antiquis pagina donationis. Neque de his, quæ locutus eſt Conſtantinus, dicendum mihi erit, vt apud Gratianum habentur, ac leguntur; ſed vt in antiquioribus exemplaribus Latinis, ac Græcis, vnde forte deſumpſit Gratianus. Quare nunc Gratianum miſſum facio. De teſtimonio quoque Gelaſij ſuper hiſtoria Syluestri poſtea locus erit diſſerendi. Nam Gelaſius, qui fatetur geſta beati Syluestri a pleriſque legi, & approbari, idem hoc ſuo teſtimonio etiam, quę de donatione in ea hiſtoria ſcribuntur, comprobat. Eſt enim eadem hiſtoria, quæ ſi vera eſt in vno, in altero quoque vera ſit, neceſſe eſt. Omnia ſunt inter ſe cõnexa, atque aptata. Quod Gelaſius ſcripſit de geſtis Syluestri, ſcripſit de tota hiſtoria Syluestri,

in qua

A in qua eſt donatio Conſtantini a reliqua hiſtoria indiſſociabilis, ſi quis omnia perſpexerit, vt poſtea docebo. Teſtimonium quoque Iacobi Voraginenſis, cùm oppoſitum fuerit antiquorum, longeq́; illo doctiorum teſtimonium, contra donationem nullum erit. Quod igitur ait primum Laurentius, inter geſta Sylueſtri priuilegium non haberi, prorſus in contrarium eſt. Omnes hiſtoriæ quæ Græcæ, & Latinæ de Sylueſtro meminerunt, ſimul cum geſtis eius habent donationem. Nec alia ferè ſunt geſta Sylueſtri, quàm ea, quæ inter ipſum, & Conſtantinum acciderunt, de baptiſmo, de donatione, de diſceſſu ab vrbe propter donationem. Quare mirabilis hominis impudentia, qui neget in hiſtoria, ſiue geſtis Sylueſtri, quorum meminit Gelaſius, haberi donationem, ſeu priuilegium. At ego teſtes omnes bibliothecas proferam, quæ habent hiſtoriam Sylueſtri cum baptiſmo, & donatione Conſtantini, ſiue priuilegio. Quod poſterius clarè probabitur: Oſtendeturq́; incaſſum tot verba ſuper eo Laurentium profudiſſe inſultantem, & triumphantē, vbi non eſſet opus. Quod autem cupit in auro, vel argento, vt ęreis, ſiue lapideis tabulis inciſam fuiſſe hanc donationē, ridiculū eſt, quàm leuiſſima quęq; captauerit, vt ſuę opinioni faueret. Quaſi hæc tollāt donationem, quę in memoria hominum per ſuccedentes ætates inciſa remanſit omnibus teſtimoniis confirmata, ac corroborata. Quas quidem ſolidas, ac veras tabulas, vel neſciuit, vel noluit in medium afferre Laurentius. Sed delectatur inſultare contra eos, qui hanc donationem, aut Paginam, aut Priuilegium vocauerunt. Quaſi hæc nomina, à recentioribus inducta debuerint tollere vetuſtiſſimam donationem. Iam docui non vocari Paginam, vel Priuilegium priſcis ſcriptoribus, ſed Edictum, ſiue Oraculum, ſiue Ordinationem, aut Conceſſionem Conſtantini. B Omnis labor Laurentij toties vt impius eſt, ſic vaniſſimus eſt captans ex leuiſſimis cauſas calumniandi. Totumq́; hoc calumniarum genus contra donationem cognoſcetur eſſe inane, propterea quòd profert verba ex donatione, vt apud Canoniſtas haberentur, nec curauit, auiditate calumniandi prouectus, proferre ex Gręcis, aut vetuſtis Latinis codicibus verba iſta donationis.

Quod primum exclamat contra principium donationis: Vtile iudicauimus vnà cum omnibus ſatrapis noſtris. Ecce fons totius inſcitię, totius iniquitatis, omnium calumniarum, non profert antecedentia, vnde ventum fuerat ad iſtam conceſſionem. Vnde Conſtantinus ardore prouectus exclamauit, dignum, ſiue vtile iudicauimus. Antecedentia ſunt commemoratio totius miraculi, vt è lauachro purus emerſerit, vt primum ei principes Apoſtolorum apparuerint, quibus docentibus, atque virtutem ſuam inſpirantibus, priſtinæ incolumitati ſit reſtitutus: vt manum è cęlo tangentem, mundantemq́ue lepra corpus aſpexerit. Hęc omnia antecedunt, ob quę ſubiecit: Neceſſarium ſiue vtile duximus, Græcè δεὸν ἐκρίναμεν. Vetuſtiſſima enim hiſtoria à Græcis in ſuam dialecton fuit tralata. Hęc, ait, cauſa nos impulit, vt Imperium Deo, & Petro dicaremus. Antecedit etiam confeſſio totius Trinitatis, & totius myſterij, quo genus humanum fuit redemptum. Quibus commemoratis diuino furore commotus Imperator exclamauit: Hoc viſum eſt nobis, & vniuerſo ſenatui, proceribus, belliq́; magiſtris. Quorum in conſpectu cùm ſanguis innoxius puerorū fundēdus eſſet, facinus exhorreſcēs perorauerat. Audite inquit me, ò proceres. Horum in conſpectu fędiſſima contagione liberatus, Imperium ſacrauit ipſis approbantibus, inauditamq́; ſalutem admirantibus. Si conſideraſſet hęc Laurentius, atq; ea, quæ antecedebant proſpexiſſet, fortaſſe contra reliqua ſcribere, aut veritus eſſet, cum quibus priora oportuiſſet euertere, C aut eum omnino ſceleris puduiſſet. Nam, qui tollit donationem ac conſecrationem Imperii, Cōfeſſionem, totamq́; hiſtoriam euertat neceſſe eſt, Euentus enim confeſſionis eſt Imperij conſecratio. Continuiſſet etiam ſeſe contra donationem, & clarius totum ipſum ſermonem cognouiſſet, nullamq́; cauſam contra ſacra dimicandi habuiſſet, ſi vidiſſet antecedentia, cū in conſpectu procerum, magiſtrorumq́; belli execratus facinus ſanguinis effundendi oraſſet. Eos ibi appellat Proceres. Optimates eoſdem adhibet, cum Imperium adiungit religioni. Quare ſuper his minime admirari debuit Laurentius, nec fuiſſet admiratus, ſi priora vidiſſet. Vociferatur autem contra principium illius edicti, quod in conſpectu Senatus, & illis approbantibus Imperium fuerit ſacratum. Cum nemo ſenatorum, niſi multo poſt, fuerit Chriſtianus. At tu Laurenti prædicas, quæ ignoras. Cur non potius ſuſpicaris, Imperatorem cum matre, & filiis, cum vniuerſa familia ad religionem Chriſtianam tranſeuntibus, multos ex ſenatoribus hoc exemplum imitatos? Nam Helena mater Chriſtiana tunc fuit, & Conſtantia filia. Si potiores Chriſtiani erant exemplum principis ſecuti, cur inferiores multi eſſe non debuerunt, præſertim tanti miraculi teſtes, ac ſpectatores? Huc adde, quod omnes hiſtoriæ demonſtrant, & Euſebius perſcripſit, in exercitu Conſtantini, multos duces, ac prætores Chriſtianos fuiſſe. In exercitu quoque Conſtantii patris. Quinetiam in exercitu Maxentij, ſuperius etiam in exercitu Diocletiani Chriſtianis inimiciſſimi. Hos ergo teſtes adhibet Conſtantinus, ac primum nominat Senatum, tum Optimates, ac Satrapas. Quòd autem indignatur, furit contra nomen Satrapæ Laurentius, ipſumq́ue ſermonem donationis oſtendit minime Romanum. Cui dubium tempore Conſtantini non fuiſſe purum Romanum Sermonem, nec principes illius temporis loqui ſolitos, vt priores Romani Cæſar, Pompeius, ſenatusq́ue? Cuius rei teſtimonia ſunt tam multa, cum in arcu Conſtantini, qui viſitur Romæ habeatur, Diuinitatis inſtinctu ſumpſiſſe Conſtantinum arma contra Maxentium. At nunquam apud priſcos Romanos leges Diuinitatem pro Deo, inſtinctu Dei, ſiue deorum dixiſſent, non more Græco, τὸ θεῖον. Lege epiſtolas Imperatorum in conciliis Niceno, Epheſino, Chalcedonenſi, aliisq́;, quam abhorreant a priſca Romanorum phraſi. Non mirum igitur ſermonem donationis non eſſe purè Romanum. Eſt ſermo illius ſæculi, potius id indicio ſit eo tempore ſcriptum edictum, quòd redoleat ſermonem ſæculi iam in barbariem degenerantis. Lege ſcriptores illius æui, præter vnum Lactantium. Deſine mirari nomen Satrapæ illatum fuiſſe in ſermonem Latinum, quo tempore nòn purè Romanè loquerentur. Quanquam id nomen apud Euripidem, apud Terentium inuenies. Eſt nomen Perſicum in ſermone Græco, a Græcis enim venit ad Romanos, vt Machæra, Sariſſa, primum Germanicum, alterum Macedonicum, pluraq́ue alia. Sermo igitur, ſi legeris illius temporis ſcriptores, non videbitur ab illo ſæculo alienus. Adeas Ammianum, Arnobium, Boetium Seuerinum. Non eſt ſermo, quo ſenatus tempore Cæſaris, ac Pompeij loquebantur, edictaque ſcribebant. Non in lingua ſolum, ſed omnibus penè ritibus, Romanis priſcus candor abierat. Nulla itaque prudentia deſiderat illic puritatem Romani ſermonis Laurentius, deſiderat edictum more priſcorum, aut cùm Reſpub. floreret, perſcriptum fuiſſe. Somniat antiquitatem Romanam, ad eam reuocat ſæculum Conſtantini, de optimatibus, ſatrapis. Et cur de cæteris magiſtratibus ſit ſilentium, admiratur. Inuehitur etiam contra verbum, quod dixerit populos ſubiacentes Romanæ eccleſiæ. Sed ſuus liber falsò habebat Romanæ eccleſiæ, cùm dicendum ſit iuxta vetera exemplaria, Romanæ gloriæ. Lege Græca, τῷ τῆς ῥωμαϊκῆς βασιλείας μεγαλότητι ὑποκειμένῳ λαῷ. Populo, qui Romani Imperij maieſtati ſubiacet. Aliud item exemplar, καὶ τῷ δήμῳ τῷ τῇ δόξῃ ῥωμαϊκῆς βασιλείας ὑπείκοντι. Et populo, qui gloriæ Romani Imperij ſubiacet. Quemadmodum igitur dixit in confeſſione ſubiectos omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos eccleſiæ Romanæ, ſic decuerat intelligere Laurentium ſcriptum eſſe populum, ſiue plebem Romanam ſubiacere Romanæ glorię. Ex ea quoque confeſſione perſpicuum argumentum eſt, quemadmodum apud Reges ac principes fit, vt loquantur ore eorum, quos habent a ſecretis, per quos edicta conſcribant, ſtylusq́; eorum eſt, non Imperatorum, ſic Conſtantinum, illud ſuum edictum donationis, & illam confeſſionem dictaſſe ore alicuius Chriſtiani forſan Epiſcopi, qui magis Chriſtianè, & iuxta ſacras litteras, quàm Romanè loqueretur. Ac forſan quiſpiam Græcus fuit, qui poſtea iubente Imperatore ſcripſerit edictum quantum ei Latinè loqui dabatur. Edita enim eſt confeſſio, & Imperij conſecratio, litteriſque conſcripta poſt aliquod tempus. Eueſtigio quidem confeſſus eſt, & donauit Conſtantinus, ſed hæc litteris mandata ſunt, annis iniectis. De ſtylo igitur donationis non erat cur miraretur Laurentius, potuit excuſare ſtylum eſſe alicuius Chriſtiani, qui non omnino Romanè loqueretur. Qualis vt dixi Arnobius, Ammianus. Sed maximè potuit eſſe aliquis peregrini ſermonis homo, poſtea quàm Conſtantinus Byzantium tenuiſſet. Scire quoque operæpretium eſt verba donationis à Laurentio proferri non adhibitis varijs exemplaribus, ſed quo calumnijs ſuis eſſet locus, dumtaxat, ut legerat apud Gratianũ. Nam quod proſequens profert ex edicto. Eligentes nobis ipſum principẽ apoſtolorũ, vel eius vicarios firmos apud Deũ eſſe patronos, & quæ ſequuntur. In codice Græco poterat varietatẽ ſubnotare. Et volumus, inquit, ipſum principẽ, aut coryphæũ apoſtolorũ καὶ τοὺς διαδόχους αὐτοῦ. Succeſſoresq́; eius ex perſona eius πρώτους πρὸς τὸν θεο πατέρας εἶναι, primos apud Deum eſſe patres. Vides, vt non habeat, Firmos apud Deũ eſſe Patronos, ſed primos apud Deum eſſe patres. Apud Deũ quoq; ſentit rogando, intercedendo, precando: In religione quoq;, & his, quæ ad pietate ſpectant, Primos patres, principem locum inter oẽs patres, habentes. Nec dixit Vicarios, ſed Succeſſores. Sed demus Vicarios eſſe in codice Latino vetuſto, vti eſt, eſt vox vſitata in antiqua eccleſia vſq; ad hæc tempora. In ſermone quæ barbaries? Eligentes eſſe patronos, cum etiã Græci eo modo tranſtulerint προκρίνοντες τὸν μακάριον Πέτρον καὶ τοὺς τὸν τόπον ἐκείνου ἐπέχοντας. Eligentes proponentes beatum Petrum, locumq́; eius tenentes apud Deũ noſtros eſſe patronos. Nonne bonus ſermo? Nec excludit aut iſtum, aut illos, vt tu maligine interpretraris, ſed copulat, coniungit, tam illum, quàm iſtos, tam iſtos, quàm illum, quia ſucceſſores eius. Nobis, & noſtro Imperio. Non barbaries, ſed & ſe, & totum Imperium adducit donatorem, ſe ſuamq́; coronam, ſuum Imperium proſternit Chriſto, & Petro. Terrena Imperialis potentia, Rectè duo adiectiua, Imperialis potentia, quę terreſtris eſt contra, quã iſta Petri cæleſtis tota. Græcum quoq; καὶ ὥσπερ ἡ βασιλικὴ ἐξουσία ἡμῶν εἰς τὴν γῆν σέβεται καὶ τιμᾶται οὕτω θεσπίζομεν σέβεσθαι καὶ τιμᾶσθαι τὴν ἁγίαν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν. Et quemadmodum, inquit, Imperialis noſtra maieſtas in terris adoratur, & colitur, haud aliter decernimus coli, atq; adorari eccleſiam Romanam. Vides vt Laurentius quo facilius proſcinderet, ac debaccharetur, non inſpexit exẽplar emendatius, adhibere etiam Græca, ſi modo notum ei eſſet hæc apud Græcos haberi potuiſſet. Is dicẽdi modus bonus eſt. Non erat cur aſciſceret Lactantiũ. Sunt codices qui habent firmos, quid hoc abſurdi eſt, ſtabiles, veros, ſolidos, ſynceros patronos. Vigor & honorificẽtia. In antiquis emendatis exẽplaribus Græcis διδόντες αὐτῇ δύναμιν, καὶ δόξαν καὶ ἀξίωμα Dãtes ei poteſtatem, honorem, dignitatem, ſiue amplidudinẽ. Nec tumor eſt in oratione glorioſè exaltari, ſed oratio ſacris litteris vſitata, qua vtebãtur, qui ex ore Conſtantini edictũ ſcripſerunt, vtentes ſacrorum librorum vocabulis, quæ reliqui Imperatores, & Theologi vbiq; vſurpare conſueuerũt, ſed de ſtylo in ſecundo libro Arrogare ſibi titulos Dei frequenter Cõſtatinum, A tinum: iniquiſſimus eſt hæc prædicans impudens grammaticus. Proſequitur proferens ex edicto, vbi præfertur eccleſia Romana quatuor eccleſiis, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ: primumque ait, Omitto ſermonis barbariem: iam de hoc dictum. Miſereri nos potius oporteret tantam hominis barbariem, mentiſque caliginem, quę omnem ei lucem, benignitatemque dicendi, & ſentiendi denegauit. Non eſt in exemplari vero eiuſmodi barbaries. Ac primū non eſt, vt tu legiſti, Celſior: &, Princeps cunctis ſacerdotibus: ſed Græcum exēplar vetuſtum habet, Atque eum qui per ętates ſuccedentes futurus eſt Romanus Epiſcopus ὀφείλει εἶναι ἔνδοξος, καὶ ὑψηλότερος παρὰ πάντας τοὺς ἱερεῖς τοῦ κόσμου. Decet eſſe inſignē, omnibuſque mundi ſacerdotibus ſuperiorem. Princeps, vt vides, hoc loco nuſquam eſt, nullaq; in ſermone barbaries, neque pro caſu gignendi, poſitus eſt caſus dandi. Sed demus in exemplaribus Latinis habere eam lectionem, non eſt barbaries ſi quis ſtylum illius temporis reſpiciat, vt poſtea probabitur. Sic quoque Extiterit, pro exiſtat: &, Totius mundi, in toto orbe terrarū. Fides autem, & ſtabilitas habent rectè, & venuſtè πρὸς διόρθωσιν, καὶ στερίωσιν τῆς πίστεως. Ad correctionem, ſtabilimentumque fidei. Hæc loquendi ratio nonne bona eſt? Reliqua vt leuiora prætereo. Quod autem grauiter reprehendit, nec ferendum putat, quo totum edictū euertat, quod cùm a Chriſto primatum acceperit Romana ſedes, & id Gratianus, & octaua ſynodus aſſerat, dicatur in edicto accepiſſe a Conſtantino vixdum Chriſtiano. At non perſpexiſti Laurenti Conſtantinum apertè fatentem, principatum hūc a Chriſto profectum? Ipſum autem Imperatorem, qui Chriſtum imitari decreuiſſet, edicto confirmaſſe, ac comprobaſſe? Hoc clarè profatus eſt Conſtantinus, vt ſuperius demonſtratum eſt. Quare non primus hunc principatū B Conſtantinus conſtituit, ſed a Chriſto conſtitutum confirmauit edicto. Hoc non vidiſſe animi fuit ſtrabi. Secunda calumnia eſt de ſede Conſtantinopolitana, quod de ea fiat mentio in edicto, cum nondum eſſet Conſtantinopolis: nondum Conſtantinus ad eam profectus ei nomen indidiſſet. Reſponſum ſuperius eſt, Conſtantinū quidem ea, quæ ſanctione, aut conſtitutione illa continentur, cùm primum baptizatus eſt, edidiſſe: inſecutis autem non multis annis edictum cōſcriptum fuiſſe. Cuius rei clara ratio eſt, quod in confeſſione, quam lepra expiatus ſcribitur protuliſſe, multa loquitur præclara de Trinitate, de myſteriis Chriſtianæ religionis. At hæc qui noſſe potuiſſet in ipſo limine fidei, & vix dum Chriſtianus? Ergo perſcripſit confeſſionem ſanctæ Trinitatis, myſteriorumque religionis Chriſtianę multos poſt annos, iam doctior, & inſtructior, plenuſque pectore ſacra philoſophia, haud aliter donatio, ſiue edictum donationis cum cōfeſſione coniunctum perſcriptum eſt eodem tempore, nonnullis annis interpoſitis, digeſtumq; inter Imperatoria decreta. Quemadmodū Dauid pleroſque edidit pſalmos in ſenium ętate vergente ſuper his, quæ pertuliſſet multis retro annis, decantās victorias olim auxilio Dei partas, eaſq; carmine digerens, pronuncianſque, velut ſi tunc res accidiſſet. Videat igitur, qui velit, Confeſſionē Conſtantini, quam tractet myſteria Trinitatis, creationem hominis, ac totius mundi, deceptionem ſerpentis, legem ac prophetas, qui de Chriſto vaticinarentur. De verbo Dei ad nos è regnis cęleſtibus delapſo, vtque ex virgine naſci voluerit, tuleritque humanas paſſiones: multaq; pręterea, quæ niſi a doctiſſimo, & in ſacra philoſophia eruditiſſimo proferri nō potuiſſent. Hæc certè a Conſtantino tertio die poſtea, quàm baptizatus eſſet, neque ſciri, neque recenſeri potuiſſent. Eſt igitur vera ratio, hæc poſt aliquot annos, & forſan ſub tempora concilij Niceni fuiſſe digeſta. C In quo concilio eſt diſpoſitio cathedrarum Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ. Daturque primatus Romanæ ſedi. Ad eum canonem concilij Niceni directa eſt confeſſio, & donatio, ſiue ante concilium, ſiue aliquanto poſt, cùm diuinus Imperator religionis Chriſtianæ feruore penitus arderet, vt demōſtrat Euſebius in eius vita, ſiue Encomio. Imperator Byzantium profectus, tactus ardore diuino, nihil non pro Chriſtianæ religionis augmento animo agitabat. Cui dubium igitur, quin cum de principatu Romanæ ſedis locuturus eſſet, neceſſarium ei fuerit inſerere de reliquis Patriarchalibus ſedibus, ſi contendas hæc ab eo fuiſſe a principio perſcripta? Totam hiſtoriam, ſeriemque multorum annorum, neceſſe fuit complecti, vt eſſet edictum perfectum, atque abſolutum. Pronunciatumque eſt edictum, vt a principio res accidiſſet, adiunctis his, quæ tempus attulit de ſedibus Patriarchalibus. Commemorauit autem Byzantium, reſpiciens tempus illud, cùm primum baptizatus eſt: de ſedibus autem Patriarchalibus additum eſt ex his, quæ poſtea conſtituta, atque ordinata fuerant. Hunc ritum omnes hiſtoriæ ſequuntur. In ſacris litteris ſæpe eſt hyſteron proteron, vt cùm Sara dicitur fuiſſe vetula, vt ſibi videretur filium parere non poſſe, non procul inde rapitur a Palæſtinis ob pulchritudinem. In libro Geneſis, cùm agitur de creatione mundi, ſæpe eſt ὕστερον πρότερον, ἀνακεφαλαίωσις recapitulatio, repetitio eorum, quæ dicta ſunt. Et ſæpe referuntur prius, quæ poſterius facta ſunt, ob continuationem hiſtoriæ. Hæc ratio mihi clara videtur. Omnia igitur, quæ locutus eſt Conſtantinus de transferendo, aut tralato Imperio, & quæ de Byzantio declarat, potius contra Laurentium edictum hoc, & hanc confeſſionem perſcriptam fuiſſe temporis intercapedine iniecta. Cùm autem tota donationis hiſtoria principium habeat (quod toties relatum eſt) a confeſſione ſummæ Trinitatis, religioniſque Chriſtianæ in ipſo principio non retulit Imperator vſquam, hæc ſe protuliſſe, ac ſanxiſſe tertia die, ſed eſt ſimplex rei narratio ſublata temporis definitione.

Confitetur autem Imperator ſe è tenebris ad lucem beneficio cœleſti euocatum, traductumque D ad cognitionem veritatis, lumine diuinæ claritatis circumfuſum. Lepræ turpiſſima contagione emaculatum, totamque hiſtoriam recenſet. Quare videtur apertè hæc miraculi commemoratio, hiſtoriæque totius repetitio multo poſt tempore perſcripta. Receſſerat, quod prius accidiſſet, quemadmodum Dauid commemorauit iam ſenex bellum Goliat, & coniurationem Abſalon, commemorauit auxilium Dei ſibi allatum. Itaque referri potuit a Conſtantino, de baptiſmo, de Syluestro, de vrbe condenda ſui nominis Byzantio, poſteris annis, cùm eſſet Byzantij, quòd narratio reſpicit hiſtoriam præteriti temporis, referens miraculum, quod Romæ accidiſſet, & quid ob pietatem, oblatamque cælitus ſalutem, de relinquenda vrbe, Byzantioq; tenenda decreuiſſet. Hic igitur neque mendacium eſt, neque obliuio. Quòd autem ordinem illium ſedium Patriarchalium, præſertim Romæ, & Conſtantinopolis, inſtituerit Conſtantinus, quemadmodum ipſe in ſuo decreto memorat, in quo Vallenſis imperitia cognoſcitur, præter alios declarat Zonaras hiſtoricus his verbis. ἄλλοις τε οὖν ὡς εἴρηται πολλοῖς τὴν πόλιν ὁ μέγας Κονσταντῖνος ἐκόσμησεν, καὶ πρότερον ἐπισκοπὴν ὂν τὸ Βυζάντιον τῆς Θρακικῆς Ἡρακλείας ὡς ὑπὸ Σεβήρου τοῖς Περινθίοις ὑποτεθὲν μετὰ τὴν ἅλωσιν ὡς ἐν τοῖς περὶ Σεβήρου ἱστόριται εἰς τιμὴν ἀνήγαγε πατριαρχικὴν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ τὰ πρεσβεῖα τηρήσας διὰ τὴν πρεσβυγένειαν καὶ τὸ ἐκεῖθεν τὴν βασιλείαν ἐνταῦθα μετενεχθῆναι. Nempe. Multis igitur aliis ornamentis vrbem decorauit magnus Conſtantinus, & cum prius epiſcopatus eſſet Byzantium Heracleæ Thraciæ, quippe a Seuero ſubiectum Perinthiis poſtea, quàm ab eo captum eſſet, quemadmodum in hiſtoria Seueri ſcriptũ eſt, ad Patriarchatus honorem eam extulit, ſeruato vetuſtæ Romæ primatu, tum propter antiquitatem, tum ob eam cauſam, ꝙ illinc Imperium huc eſſet tralatum. His inſcitia Laurentij coarguitur: decretum autem donationis verum eſſe probatur, in quo Conſtantinus ſedes Patriarchales, E quò inter ſe gradu differrent, inſtituit, & declarat, in primiſque Romam decernit omnium eccleſiarum habere primatum, quod nunc ſcribit Zonaras. Hæc nota, perſpectaq; habentes antiqui patres, qui ſub Theodoſio iuniore concilium Conſtantinopoli ex diuerſis prouinciis coegerunt, inter alia diffinierunt, Τὸν μέντοι τῆς Κονσταντίνου πόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Epiſcopum Conſtantinopolis principalem honorem habere debere poſt Epiſcopum Romæ, propterea quòd ipſa eſt noua Roma. Quòd verò reprehendit, quòd Byzantium prouinciam appellet, & quòd Thraciam velit eſſe in Oriente, quæ potius vergat ad Aquilonem. Exemplaria Græca, quæ ad coarguendam Laurentianam cæcitatem, plurimum ſuffragantur, non habent, In Byzantiæ prouincia optimo loco, ſed rectius, & ſine barbarie, καὶ ἐν τῇ χώρᾳ τοῦ Βυζαντίου ἀρίστῳ τόπῳ. Et in regione Byzantij, qui locus optimus eſt, ſiue fertiliſſimus, & amœniſſimus. Cernis vt non dicat Byzantiam prouinciam, ſed prouinciam, ſiue regionem, ſeu ſitum Byzantij: vt ſi dixeris; Situm, aut regionem Romanæ vrbis, Regionem vbi ſita Roma eſt. Sed demus in codice Latino haberi in Byzantia prouincia. Hoc loco adiectiuum eſt Byzantius Byzantia Byzantium. Orientales autem locos, reſpectu Vrbis, & Italiæ appellare regionem Byzantij, ad eo nihil habet abſurdi, vt non alia ratione etiam hodie loquantur in Italia, præſertim Venetiis, cùm profecturi Cõſtantinopolim, aut ad Heleſpontum in orientem ferant ſe proficiſci. Quin ipſam Aſiam minorẽ, quę oppoſita eſt Thraciæ, interiacente freto, hodie vocant Græco nomine Anatoliam, nempe ἀνατολὴν orientem. Hæ regiones in oriente ſunt Italiæ, quemadmodũ Græci vocauerunt Italiam, Heſperiam a ſtella, quæ viſitur eis in occaſu, Imperiumq; Romanum incipiens ab Italia, vocatur occidẽtale, vt orientale F cum Conſtantinopoli reliquæ omnes prouincię. Quod autem reprehenſurus ſubiicit ex edicto, Eccleſiæ beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli pro cõtinuatione luminariorum, poſſeſſionum: prædia cõtulimus, & rebus diuerſis eas ditauimus, & per noſtram Imperialem iuſſionem ſacram tam in Oriente, quàm Occidente, quam etiam a Septentrione, & Meridionali plaga, videlicet in Iudæa, & Græcia, Aſia, Thracia, Aphrica, & Italia, vel diuerſis inſulis, noſtra largitate eis cõceſſimus ea prorſus ratione, vt per manus beatiſſimi Patris noſtri Syluestri ſummi Pontificis, ſucceſſorumque eius, omnia diſponantur. Hæc protulit Laurentius ex edicto, primumque coarguit, quòd videatur aſſerere, fuiſſe tunc Romæ templa Apoſtolorum Petri, & Pauli, multaque alia de luminibus. Primum ſcire operæpretium in antiquis exemplaribus Græcis (quatuor autem ante oculos Palatina Bibliotheca ſuggeſſerat, cùm hæc ſcriberentur) non haberi totam ſuperius propoſitam periodon: ac ſuſpicari cogimur, multis in locis corruptum fuiſſe hoc edictum propter crebras tranſcriptiones, Librorum communis fere calamitas. Igitur in vetuſtioribus exemplaribus ea particula non extat, forſan interiecta ex aliis libris. In duobus vetuſtis codicibus Grecis nihil habetur, de luminibus, de Aphrica, & Aſia, Septentrione, de prædiis poſſeſſionum. In aliis autem duobus exemplaribus, vbi hæc habentur, nullus patet locus Laurentianę calumnię. Nam ſummus Imperator primum memorat, vt ipſe Apoſtolorum templa exædificauerit, eaque ditauerit. Nullas autem eccleſias Apoſtolorum ante id tempus fuiſſe, ſed a ſe ędificatas, dotaſque memorat. Sic enim ſcribit: ᾠκοδομήσαμεν δὲ ἐκκλησίας, καὶ τοῖς μακαρίοις Πέτρῳ καὶ Παύλῳ τοῖς πρώτοις ἀποστόλοις ἃς ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ διαπρεπεῖς, καὶ ἀβρὰς ἀπεφλώαμεν ἔνθα καὶ τὰ γεραίτατα αὐτῶν σώματα κηδεύσαντες μεγάλῃ τιμῇ θήκας αὐτοῖς ἐξ ἐλέκτρου ὥσπερ οὐδεμία στοιχεῖα δύτα:

A χείου δυνάμις ἐστὶν ἰσχυροτέρα κατασκευάσαμεν σταυρόν τε χρυσίου καθαρωτάτου καὶ μαργαριτῶν τιμίων πεποιημένον καθ' ἑκατέραν θήκην ἀνέθημεν χρυσοῖς προσηλώσαντες ἥλοις· αἷς ἐκκλησίαις, ὑπὲρ συνεχείας φωτῶν κτήματα, καὶ ἀγροὺς συνεισηνέγκαμεν. Aedificauimus autem beatis Petro & Paulo primis apoſtolis eccleſias,eaſque argento, & auro illuſtres, & præclaras reddidimus, vbi ſacratiſſima eorum corpora magno cum honore condentes, eis loculos fecimus ex electro, quo nullius elementi vis eſt robuſtior: crucemque ex auro puriſſima, pretioſiſque margaritis ad vtrunque loculum adhibuimus, aureis clauis affigentes. Quibus eccleſijs, vt habeant lumina ſemper accenſa, poſſeſſiones & agros adiecimus. Cernis vt expreſſe fateatur, ſe templa apoſtolorum ędificaſſe, vt mirabilis ſit impudentia Laurentii, qui paginam carpat, quòd aſſerat fuiſſe templa apoſtolorum Romę ante Conſtantinum, pro quorum luminibus Imperator poſſeſſiones adiudicauerit. Quòd beatiſſimum dicat Syluestrum, ac Apoſtolos beatos reſpice rectis oculis modò beatos modò beatiſſimos apoſtolos appellantem. Quanquam ea periodus in emendatis exemplaribus non habetur. Cætera quæ perſequitur, cum ſint nullius ponderis, nullum reſponſum merentur. Mihi quidem maximè probatur, vt periodus de prædiis, & luminibus ſit interiecta. Quæ ſi etiam eſſet ex contextu, facile poſſet defendi: cum apertè de ædificatis eccleſijs, de arcis quibus apoſtolorum corpora condidit, easque auro, & argento,& cruce aurea decorauit, meminerit,quæ fabuloſa eſſe non poſſunt. Eiuſdem inſipientiæ eſt, carpere,quòd dixerit Luminariorum,pro Luminarium. Quaſi id vitium ſcriptoris eſſe non potuerit. De plagis quoque nominatis in edicto indignum eſt,vt reſpondeatur: quòd tum in edicto non habentur,tum ſi cui recta mens ſit, facile poſſit percipere verum locutionis ſenſum. Neque verò ſeſe B prouincias has tribuiſſe fatetur pro luminibus duntaxat, ſed eas in poteſtatem arbitriumque ſpirituale permittit Syluestro. Hæc ſe ait donaſſe,aut arbitrio eccleſiæ ſubieciſſe,ex liberalitate,nempe aſſecutum ſe cœleſte beneficium,liberaliter remunerari. Sed viſum mihi eſt ſubijcere primi Nicolai teſtimonium, vt inde certa coniectura colligatur ſuper luminaribus ac prædiis conceſſis: Nicolaus ſeruus ſeruorum Dei Dilecto filio Michaeli glorioſo Imperatori Græcorum. Oportet veſtrum Imperiale decus,quod omnibus eccleſiaſticis vtilitatibus vigere audiuimus,vt antiquum morem,quem veſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini: quatenus vicem quam noſtra ſedes per epiſcopos,veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicenſem,qui Romanæ ſedis vicem per Epirum veterem, Epirumque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Daciam ripenſem, Daciam mediterraneam, Niſiam, Dardaniam, & Trebalim,beato Petro apoſtolorum principi contradicere nullus pręſumat. Quæ anteceſſorum noſtrorum temporibus ſcilicet Damaſi, Siricij, Innocentij, Bonifaci, Cœleſtini, Xiſti, Leonis, Hylarij, Simplicij, Felicis, atque Hormis de ſanctorum Pontificum diſpoſitionibus agebatur. Quorum denique inſtitutiones ab eis, illis in partibus deſtinatas,per veſtros miſſos, vt rei veritatem cognoſcere queatis,veſtrę Auguſtali potentię dirigere curamus. Pręterea Calabritanum patrimonium, Siculumque, quę noſtrę eccleſię conceſſa fuerunt,& ea quę ad poſſidendum obtinuit,& diſponendum per ſuos familiares regere ſtuduit, noſtris conceſſionibus reddantur. Quoniam irrationabile eſt, vt eccleſiaſtica poſſeſſio,vnde luminaria,& concinnationes eccleſię Dei,fieri debent,terrena quauis poteſtate ſubtrahantur, ſed domus Dei reſtituta,meritum redditoris multiplicet, & ſuſcipientis votum ſpiritualis deſiderij lu-C cris exerceatur. Inter iſta,& ſuperius dicta, volumus vt conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo a noſtra ſede impendatur, vt traditio ab apoſtolis inſtituta, nullatenus veſtris temporibus violetur. His antiqui Pontificis dictis hęc ratio ac coniectura colligitur, ſunt octingenti paulominus anni cum floruit Nicolaus,tempore ſcilicet Michaelis Imperatoris. A Conſtantino magno, qui tricenteſimo paulò ſuperius anno ab aduentu Chriſti floruit,ad Nicolaum ſunt ferè anni quingenti. Reuocat autem tempus ipſe Nicolaus ad Damaſum, qui paulopoſt Conſtantini tempora floruit,imperante ſcilicet Valentiniano. Eius Pontificatum,aſſerit omnes prope prouincias Orientis ac Septentrionis ſolitas a ſede Romana per epiſcopos gubernari in his,quæ ad religionem attinent. Erat igitur ab vſque Conſtantini tempore latiſſimum eccleſiæ Romanæ in Oriente Imperium,id ſcilicet quod ipſe Conſtantinus ſuo priuilegio edictoue ſtatuerat, omnes eccleſias huic principi ſubiectas eſſe oportere. Is igitur talis, ac tantus dominatus, qui vſque a tempore Damaſij viguit in Eccleſia Petri, declarat veram eſſe Conſtantini conſtitutionem de maieſtate Petri, vt toto orbe terrarum religionis princeps, ac pater, & caput haberetur. Alterum, quod maximè in verbis Nicolai obſeruandum eſt,de patrimonio Calabritano, & Siculo diui Petri, idque pro luminibus & concinnationibus eccleſiarum. Quo quidem clariſſimo teſtimonio,cum hæc a priſco Pontifice ſcribantur,probatur veritas priuilegij Conſtantini, in quo ipſe magnus Imperator agit de his patrimonijs pro luminariis & pro concinnationibus. Dementia verò grammatici detegitur,qui irriſit hanc partem in priuilegio veluti fictitiam, barbaram, minimeque intelligibilem? Nihil enim legerat veterum hiſtoriarum, ſed audacia tantum, ac temeritate, veluti vento pulſus,venit ad ſcribendum, in fauorem Alfonſi, apud quem exulabat, propterea quòd in antiquis Imperatorum conceſſionibus habebatur, Calabriam, Siciliamque eſſe ſedis ſancti Petri, conceſſas primum quidem a Conſtantino, idque pro luminaribus eccleſiarumque concinnationibus, tum a cæteris Imperatoribus ipſi eccleſiæ confirmatas. D Audi igitur Conſtantinum,& confer cum his quę ſcripſit vetuſtus Pontifex Nicolaus: Quibus, inquit, eccleſijs apoſtolorum pro concinnatione luminarium, poſſeſſionum prædia contulimus, & rebus diuerſis eas ditauimus, & per noſtram Imperialem iuſſionem ſacram tam in Oriente, quàm in Occidente, vel etiam Septentrionali & Meridionali plaga videlicet in Iudæa, Græcia, Aſia, Thracia, Aphrica, Italia, vel diuerſis locis,& inſulis noſtra largitate conceſſimus, ea prorſus ratione, vt per manus beatiſſimi patris noſtri Sylueſtri Pontificis, ſucceſſorumque eius omnia diſponantur. Hæc Conſtantinus. Vides in his, Calabritanum, Siculumque patrimonium, pro luminaribus eccleſiarum apoſtolorum, pro concinnatione. Verum igitur eſſe priuilegium ex omni parte probatur. Inſequitur reliquam edicti partem noſter Zoilus, vbi Conſtantinus transfert inſignia Imperatoria ad ſummum Pontificem, primum, ipſum Lateranenſe palatium elargitus. Vbi partem hanc edicti propoſuiſſet, maledicentiæ ſuæ crudeliſſimus barbarus laxat habenas, Chriſti,& omnium bonorum apertè inimicus, hoſtis ſacroſanctæ religionis, primum coarguit quod profana veſtimenta ſumpſerit Sylueſter. At non omnia ferè, quæ Romæ quondam profana eſſent, ſacra effecta ſunt? Quemadmodum omnia templa Deorum, facta ſunt eccleſiæ ſanctorum? Ritus item profani, cœperunt eſſe ritus ſacri? Nonne Pantheon, templum omnium idolorum, effectum eſt templum ſanctæ virginis? Nonne in Vaticano templum Apollinis, vbi condita erant corpora apoſtolorum, conuerſum eſt in eccleſiam ipſorum apoſtolorum, vt ſuperius demonſtratum eſt, totque alia? Quibus exemplis, inauditam Laurentii improbitatem cognoſcimus. Sed ad ſingula veniendum. De donato Lateranenſi palatio, quòd bis hoc dicat, quid habet abſurdi? quaſi non omnis hiſtoria eadem ſæpe repetat? De diademate offenditur E Laurentius, quod dixerit Diadema aureum, cum ſoleret eſſe ex panno. Quis contineat animo, & pectore, erumpentem indignationem? Non potuit eſſe diadema, auro, gemmiſque inſigne, atque ita ex ſerico, aut panno? Quod autem ait, non auſurum fuiſſe Conſtantinum appellare ſe Regem, regioque ſe adornare indumento. Non videt tempeſtate Cōſtantini ad eos ritus Remp. receſſiſſe, vt veterum Romanorum ritibus abolitis, alij ex ritibus regum exterorum inferrentur, adorationes, conſecrationes, cum referrentur in Deos, quod priſcis minime fieret. Inſignia igitur erant Imperatorum, qualia cęterorum Regum, additis pleriſque ab ipſis Imperatoribus. Prætereo de nomine Imperatoris, cum à Græcis Imperator appelletur βασιλεύς. Rex, intelligentibus idem valere nomen Regis atque Imperatoris, præſertim eo tempore apud Romanos Imperatores. Itaque Romani, inſecutis temporibus, cum ad vnius arbitrium omnia eſſent deuoluta, erant, quales cæteris nationibus Reges.

Quod autem inuehitur in id, quod in edicto eſt. Simulque Phrygium, necnon Superhumerale, videlicet Lorum quod imperiale circundare ſolet collum. Phrygium, ait, nūquam auditum apud Latinos. At hoc idem, atq; de Satrapa. Quid ſi tunc vſui eſſet id nomen, vt poſtea ſemper fuit ſumptum ex Sermone Græcorum, quibus Phrygium opus eſt inſertum imaginibus aureis, contextumq́; gemmis ſericum, quod Phryges exercere ſolebāt, quemadmodum vocatur in Italia Ricamo, nomine Hebraico, quod Hebræorum ea ſit ars. Erat igitur vſui nomen eo tempore. Græcus codex, declarans quid eſſet Phrygium, Tradimus, inquit, etiam diadema, nempe coronam capitis noſtri ὁμοίως δὲ καὶ τὸ φρύγιον τοῦτ᾽ ἔστι τὴν καλύπτραν, ἢ τὴν μίτραν ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐπώμιον, ἤγουν τὸ λῶρον ὅπερ εἴωθε τὸν βασίλειον περικυκλοῦν αὐχένα. Similiter inquit & phrygium, F nempe tegmen capitis, ſiue mitram, Atque ſuperhumerale, nempe Lorū, quod Imperatoris collū ſolet obnubere. Fortaſſe mitra dicta phrygium, quòd mitra propria eſſet Phrygum, vt poeta:

Et tunicæ manicas,& habent redimicula mitræ.

Codex quidem Latinus ſatis vetuſtus habet. Pileum, vel mitram, phrygium: necnon & ſuperhumerale, videlicet Lorum. Quamobrem cùm apud Græcos, & Latinos receptum eſſet id nomen, cum Græci ſuis exemplaribus eo vti non recuſarint: cur ſuper eo, more grammaticulorum deſtomachatur Laurentius,& Romanitatem in his quæ ad religionem pertinent ſomniat, ac tam leuibus argumentis nititur euertere donationem? Expoſuerunt ergo Græci quid eſſet Phrygium, videlicet pileus, vel mitra, aut capitis tegumentum. De loro quoque clarum eſt ex Græcis, ignoratum a Laurentio. Mos erat humerale vocari lorum, Latino & Græco nomine. Nam alius quoque codex habet καὶ τὸ λῶρον τὸ ὠμοφόριον. Lorum ſuperhumerale. Cum ſint igitur hæc in antiquis Gręcis, ac Latinis exemplaribus, cur irridentur a Laurentio? De Chlamyde, & tunica, eadem ratio. Nam exemplar Græcum habet ἔτι τε τὴν πορφυρᾶν χλαμύδα καὶ τὸ κόκκινον ἱμάτιον. Inſuper,& purpuream chlamydem, & indumentum, aut tunicam coccineam. In antiquo codice Latino, deerat, Tunica coccinea. Alius Græcus codex καὶ χιτῶνα κόκκινον. Et tunicam coccineam. Nec, vt leuiſſimus irriſor putat, hæc ex Euangelio ſumpta ſunt: ſed erant ornamenta Imperatoria. Cui obſcurum eſt de purpura? Nec voluit, vt improbus calumniatur, vtrumque connectere, potius ſi recti iudicii, ſi mentis æquæ fuiſſet, diuerſa exemplaria contuliſſet, vicium codicum conſideraſſet, ſi quid additum, ſi quid detractum, aut variatum quod in ipſis exemplaribus cernitur. Nam Latinus antiquus codex, vt dixi, ex Bibliotheca palatina, non habet Tunicam coccineā.

A Clarum eſt igitur hoc loco purpurã candidam, ſcriptorem ſenſiſſe. Coccineã verò dixiſſe, quid vitij habet, cùm Græci etiam eo modo tranſtulerint, quod Laurentium palam eſt ignoraſſe? Quòd ad poſtremum irridet in edicto concedi Syluestro omnia Imperialia indumenta, num videlicet venatoria, num bellica? Hęc euomat planè maledicus, cui ſtudium ſit omnia carpere? Quòd irridet edictum vbi dicitur, Seu etiam dignitatem Imperialium præſidentium equorum. Obſcurum erat, nec potuit a Laurentio intelligi, conſulamus Græca. Concedentes inquit, ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς βασιλικῶν προκαθημένων ἀξίαν, καὶ τὴν τῆς ἱππέων. Inſuper, & Imperialium pręcedentium, ſiue ante alios ſedentium dignitatem, equites, inquit, Imperatorij, qui ante alios ſedent, dignitatem equitum, qui apud Imperatorem cæteris pręſident, præſtant. Quanquam alius codex peruetuſtus Græcus clarius habet καὶ πάντα τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα καὶ ἀξιώματα τῆς βασιλικῶν ἀλόγων. Et omnia Imperialia indumenta, & honores imperatoriorũ equorum. Nempe inſignia equorum qui Imperatorem antecedunt. Hoc intelligere non potuit Laurentius. De ſceptris imperialibus, dein loquitur impurus, quæ in edicto etiam concedi dicantur. Sceptrum vnum eſt inquit, ſi modò ſceptrum Imperator gerebat. Equidem arbitror, hæc omnia haud dubie Imperatores habuiſſe. Sceptra quoque, numero multo dixit, quemadmodum reliqua omnia. De ſignis loquitur Laurentius, quæ nominantur in edicto, nec voluit intelligere, quid ſcriptor ſentire potuerit. Senſit inſignia Imperialia, facilè quidem intellectu, non tabulas, aut aquilas, ſi modò reſpicere ad hæc blaterator voluiſſet. Commemorat edictum etiam Banda, quod nomẽ fingit ille ſe ignorare. Omnes Græci codices habent Banda, ſiue Banta, nec barbaries in ſermone eſt. Nam quemadmodum in omnibus Græcis ac Latinis exemplaribus B habetur, nomen erat illo ſęculo receptum. Banda ſunt inſignia Imperatoris procedẽtis, ſunt velut vexilla, cæteraq; inſignia. Vnde nunc quoq; Banderę Italico ſermone vocantur, propterea ſubiecit proceſſionem Imperialis culminis. Qua videlicet pompa procedere Imperatores ſolebant. Propterea Græcus codex habet, καὶ πᾶσαν τὴν ἐν ταῖς προόδοις τῆς βασιλικῆς κορυφῆς δόξαν καὶ δύναμιν. Et omnem maieſtatem, potentiamq;, quę cernitur progrediente imperiali magnificentia. Is ſermo mihi ſine buccis, & tumore videtur, ſi Laurentius mentem calumniandi exuiſſet. Cuius inſcitia maximè irridenda, qui non exiſtimet inſecutos Imperatores poſt aliquot ſęcula, neglecta priſca frugalitate, ac modeſtia, procedere ſolitos magna cum pompa, cuius rei plenæ ſunt omnes hiſtoriæ, vt Herodiani, & aliorum, qui de moribus Imperatorum ſcripſerunt. Multa enim illata ſunt in illam Romanorum ſanctam frugalitatem, vt cùm Diui appellari cæperunt poſt Cęſarem. Eos in numerum referente multitudine, eiſq; aras erigente, & ſanctificante, quod apud priſcos minime licuiſſet. Quod potius dixerit Gloriam, quàm Splendorem, Iam oſtenſum nõ oportere ab illo ſæculo expectare nitorem Romani ſermonis. Nec Græci dedignati ſunt vſurpaſſe δόξαν, gloriã. Fit deinde mentio in edicto de clericis, quos Imperator hoc ſuo edicto adornauerit. Quaſi non fuerit eadem conſecutio, vt qui ad ſummum Pontificem ad Chriſtũ, & Petrũ omnia inſignia Imperialia transferre decreuiſſet, non oportuerit etiã officiorum, ac munerũ, & eorũ, qui ea gerunt, meminiſſe. Quod proſequitur Laurentius, quia dicatur in edicto effici patricios conſules. Vera lectio eſt, Vt quemadmodũ ſenatus conſtat patriciis, & conſulibus, (ſunt videlicet eiuſmodi dignitates in ſenatu) ſic quoq; eſſent in ſenatu ſacro clericorum, vt clerici efficiantur patricij, & conſules gerentes eaſdem, aut ſimiles dignitates. Sic enim habent etiã C Gręca τουτ᾽ ἐστι πατρικίους αὐτοὺς γίγνεσθαι καὶ ὑπάτους. Declarat quid ſibi velit patricios eos fieri, & conſules, cęteriſque dignitatibus adornari. Quid eſt, quod hic reprehendas? duo dixit diſtincta, quę te apertè ignorare fateris. Quę de Patriciis, & Senatoribus diſſerit Laurentius, q̃m huic negotio non ſeruiunt, prętereo. Tota enim res eò reuertitur, vt omnia fateatur ſe, vel ignorare, vel quid dicatur in edicto non percipere. At ſi quis lector ad hęc melioris mentis, quàm grãmaticus acceſſerit, omnia clarius percipiet. Nam Græci, qui ſæpe ac multis tralationibus hæc in ſuam dialecton conuerterunt, clarè omnia transferentes cuncta ſe intelligere oſtenderunt. Nec clericos dicit fieri milites. Nec Imperatoria dignitate vult inſigniri miniſtros, qui eccleſiæ deſeruiãt Romanæ, ſed eas dignitates, & quaſi ſacrum quendam ſenatum commemorat, tralatis omnibus ad eccleſiam. Improbitas Laurentiana, quæ nullis ſcriptis eius non occurrit, inuehitur in clericos, cùm poſſint omnia ſi cui candor inſit, rectè interpretari, nullamque aut in verbis, aut ſententiis ſtoliditatem agnouiſſe. Sed quid his facias? qui mentem ſecum improbam attulerunt, velut febricitantes omnia vina iudicant amara. Certum erat Laurentio veritatem, æquitatemque, quo ad eius poſſet, effugere, claudere oculos ad omnia quibus illa donatio probari, ac rectè explicari poſſet. Sed Græcorum, vt dixi, teſtimonium clamat contra eum, qui donationem ſuis litteris toties reſcripſerunt, nec in verbis aut ſententiis iudicauerunt eſſe ſtoliditatem, vt potius ego hominis huius coarguendi, & ad ſingula immorandi laborem inanem, ſtolidum, nulliuſq; prope fructus iudicem, cùm omnia potius ſint cauillantis, quàm recto iudicio decernentis. Concubitores nominat improbus irriſor ex edicto, qui nuſquam ſunt, ſed excubitores palatij, etiamque Græci excubitores poſuerunt vtentes voce Latina καὶ ὥσπερ ἡ βασιλικὴ ἐξουσία διαφόροις ὀφφικίοις κουβικουλαρίων καὶ ὀστιαρίων καὶ ἐξκουβιτόρων κοσμεῖται. Quemadmodum Imperialis magnificentia variis officiis exornatur, cubiculariis, oſtiariis, & excubitoribus.

Vbi ſunt ò caput maledicum Concubitores? Indignumne eſt etiam nominata eſſe in edicto omnia D palatina munera, nominatim cunctis appellatis, vt totus ordo tralatus ad ſacroſanctam religionem, noſcatur non dedignante Imperatore, qui palatium donaſſet, etiam munera palatij exhibere nominatim, quemadmodum ſe ſtratorem fuiſſe commemorat, equumque aliquot paſſus duxiſſe? Deſcendit deinde noſter Zoilus ad veſtimenta, ad mapulas, & linteamina, quòd Mappę ſint menſarum, Linteamina ad lectos pertinent. At Græcos adire oportebat, conſulere vetuſtatem, non in maledicendo duntaxat defixam habere mentem, huncq; ſcopum ſibi propoſuiſſe. Tanſtulerunt hæc Græci, Clericorum, inquit, equos ſanctæ eccleſiæ Romanæ, Μανιπούλοις καὶ ὀθόναις λευκοτάτου χρώματος καλλωπίζεσθαι. Manipulis, & linteaminibus candidiſſimi coloris ornari. Alius autem textus habet σκεπάσμασιν ἐκ σινδόνων. Inſtrati erunt equi eorum ſindone. Vides quid Græci ſenſerunt appellari manipulos, & linteamina, nempe ornamenta equorum cādidiſſima, etiam ſi non purè Latinè ſcriptor edicti ſit locutus. Senſus erat clarus Græcis, ac Latinis priſcis, non finxerunt ſe neſcire, candidè ſunt interpretati. Vt autem eius inſcitia melius innoteſcat, de Manipulis, quod fuit ornamentum pontificalium equorum, quemadmodum dixit in edicto Conſtantinus: audi antiquam hiſtoriam: Conſtantinus, natione Syrus Pontifex, cùm veniſſet Conſtantinopolim, obuiā proceſſit ei Imperator Iuſtinianus, Pontifex, & eius clerus, & primates cum ſellaribus Imperialibus, & frenis inauratis ſimul, & mappulis ingreſſi ſunt ciuitatem. Audis mappulas ornamentum ſummi Pontificis, & aliorum. Eſt item præclarum, ad coarguendam Laurentianam inſcitiam ſuper mappulis, teſtimonium, quod ſcripſit Gregorius Ioanni Epiſcopo Rauennati, quem coarguit, quòd multa fierent in eius eccleſia præter conſuetudinem, & quòd ſibi ornamenta non conuenientia vſurparet, de mappulis autem ſic ſubiicit, Illud autem quod pro vtendis à clero veſtro mappulis ſcripſiſtis, à noſtris eſt clericis fortiter obuiatum, E dicentibus, nulli hoc vnquā alij cuilibet fuiſſe conceſſum eccleſiæ, nec Rauennates clericos vel illic, vel in Romana ciuitate tale aliquid cum ſua conſcientia præſumpſiſſe. Nec ſi tentatū fuiſſet, ex furtiua vſurpatione ſibi præiudicium generari, ſed etiam, ſi in qualibet eccleſia, hoc præſumptum fuerit, aſſerunt emendandum, quod non conceſſio eſt Romani Pontificis, ſed ſola ſurreptione præſumitur. Hæc ille. His intelligi poteſt, Mappulas fuiſſe ornatum clericorum Romanorum, quemadmodum in ſuo priuilegio edidit, & inſtituit Conſtantinus. Intelligi etiam datur quot aliæ inſcitię poſſint occurrere in illo arrogantiſſimi, ac temerarij grammatici libello. Nam de Conone etiam Pontifice in rebus geſtis Pontificum ſcribitur, Is, inquit, apud Siciliam edoctus, natione Thrax, ſedit menſes vndecim. Hic vltra conſuetudinem abſque conſenſu cleri ex immiſiſſem malorum hominum in ſtaia eccleſiaſtorum Conſtantinum diaconem eccleſiæ Syracuſanę rectorem in patrimonio Sicilię conſtituit, hominem nequam, & verſutum. Sed, & mappulo ei ad caballicandum vti, licentiam conceſſit. Sic hiſtoria. Nec dixit equos equitent, vt mira ſit maledicentis cæcitas, ſed decorare his ornamentis equos, & ita equitare. Quod ait de vdonibus ornatu pedum, quod ſe ignorare prædicat, negatq; eos eſſe ex lino, Græci ſic ſunt interpretati, ουδονοῖς τουτέστι λευκοτάτῃ ὀθόνῃ περὶ τὰ ὑποδήματα χρῆσθαι. Vdonibus nempe candidiſſimo linteo, ad pedes vti. Si igitur explicant illi nomen, cur obuoluit Laurentius? Quod autem in edicto ſubiicitur, ſicut cęleſtia, ita & terrena ad laudem Dei decorentur. Dubitat Laurentius, quæ nunc appellenter cæleſtia. Vera lectio verus ſenſus declaratur à Græcis. Vnus peruetuſtus codex habet οὕτω καὶ τὰ οὐράνια, καθῶς καὶ τὰ ἐπίγεια. Sic ſint, habeantq; cæleſtia, quemadmodum F terrena. Quemadmodum terreſtris, ac mortalis principatus inſtruitur, inſignitur, ſic ornetur, decoreturque principatus religionis, ac pietatis, tralatis terreſtribus ad cæleſtia. Alius quoque codex habet οὕτω καὶ τὰ οὐράνια ὡς καὶ τὰ γήϊνα. Sic habeant cæleſtia quemadmodum, & terreſtria ad laudem Dei. Agnoſcis verum, germanumq; ſenſum, quem ſe fingit non percipere Vallenſis. Vera igitur lectio, quam is qui potuit, nec voluit agnoſcere, eſt, comparatio a terreſtribus ad cæleſtia, non è contra, tralatis terreſtribus ad cœleſtia. Quòd autem hæc non putat ſpectare ad laudem Dei, idem liuor, eadem improbæ mentis cæcitas. Quid prohibet, quo minus ad laudem Dei fecerit Conſtantinus, tametſi clerici licentioſius viuant? Quid hoc cum pietate Conſtantini? Quod autem ſubiicit ex edicto (ſunt autem verba obſcuriora) præ omnibus autem licentiam tribuimus beato Syluestro, & ſucceſſoribus eius ex noſtro indictu, vt quem placatus proprio conſilio clericare voluerit, & in religioſo numero religioſorum clericorum connumerare, nullus ex omnibus præſumat ſuperbè agere. Hæc verba cùm ſint obſcuriora, Græcis illuſtrentur. Ante omnia, inquit, concedimus facultatem ipſi ſanctiſſimo patri noſtro Sylueſto vrbis Romæ Epiſcopo, & Papæ, & omnibus, qui poſt eum ſingulis ætatibus Pontificatum tenebunt, beatiſſimis ſummis ſacerdotibus pro honore, & gloria Domini noſtri Ieſu Chriſti, in magna hac catholica, & apoſtolica amplitudine, εἴ τινα τῶν τῆς περιφανοῦς ἡμῶν συγκλήτου βουληθείη καὶ εὐλαβέσι κληρικοῖς συναριθμῆσαι, μηδένα τῶν εἰς τοῦτο καλουμένων δι᾿ ὑπερηφανίαν παραιτεῖσθαι τὴν τάξιν. Si quem ex illuſtriſſimo ſenatu noſtro, vellet reuerendis clericis adnumerare, neminem ex his, qui ad hoc vocantur, per ſuperbiam debere detrectare, aut excuſare ordinem. Vt nemo inquit, impedimento ſit, aut nemo recuſet, ſi quem Syluester ex noſtro ſenatu ad religionem vertere voluerit. Vt ſceptra, vt Imperium, vt palatium, vt omnia in-

ſignia transfert ad religionem, ſic traducit homines ex ſenatu. Alius codex Græcus clarius. Vt ſi
A quis ex ſenatu voluerit, μετὰ ἰδίου θελήματος, καὶ εὐαρέστου γενέσθαι κληρικός, καὶ ἐν τῷ ἀριθμεῖσθαι
μὴ τὶς τολμᾷ ἀπὸ πάντων τῶν ἁγίων κληρικῶν συναριθμεῖ ἐμποδίζειν.
Propria, & ſpontanea voluntate eſſe clericus, & in numero ſanctorum clericorum aggregari, ne
quis impedimento ſit. Is ſermo nonne bonus eſt, licet Latina ſint mendoſiora? Nec inſtituit, ò
Laurenti, quaſi ſacerdotem Melchiſedec Conſtantinus, ſed edicto prohibet ne quis impediat,
eos qui volunt ſacris initiari. Hoc nonne optimum eſt? quibuſnam calũniis obnoxiũ eſt? Quod
ſi verba ſunt paulo a candore Latino remotiora, vitium fortaſſe codicum ſit, quod apparet ex
Græcis exemplaribus. Dixi quoq; in deſuetudinem eo tempore ſermonem Latinum abiiſſe, cõſcriptum
etiam a Chriſtianis epiſcopis edictum fuit, Conſtantino iubente, ob eam cauſam ſunt
pleraq; ex ſacris litteris admiſta. Arguit deinde, quòd iterum reuertatur ad diadema, dubitat an
Cęſares coronarentur. Dubitatio longe Imperitiſſimi, quo nihil apud hiſtoricos clarius ſi Cæſares
ac Imperatores ſentias, qui multo poſt Romanos illos priſcos floruerint. In Hiſtoricis Græcorum,
qui de Imperatoribus Conſtantinopolis ſcripſerunt, in omni Imperatoris vita deſcribẽda,
cùm primum eos principatum ſuſcepiſſe ſcribunt, ferunt eos coronatos diademate a Patriarcha.
Non affero in medium teſtimonium, cùm ſit res clariſſima. Videte ſapientiam Laurentij. Cętera
quæ calumniatur, facilius prætereo, quoniam ab optimo interprete candide poſſunt accipi
de ſermone, quo conſcriptum eſt edictum. Quid? quòd homo maledicus accuſat, quòd raſuram
vocet coronam, quaſi ea non ſit totius eccleſiæ conſuetudo Græcę & Latinæ, & Græci non ſunt
dedignati interpretari, στεφάνην τῆς ἱεροσύνης. Coronam ſacerdotalem? Conſiderate cuiuſmodi
B ſint reliqua, Quando ea, quę ſunt tam clara carpit, calumniatur. Quando reprehendit in edicto
dici Phrygium deſignare dominicam reſurrectionem, atque in id atrociſſimè more ſuo videlicet
inuehitur, quòd Phrygium deſignet Imperium Cæſareum, atque reſurrectionem, duo videlicet
inter ſe pugnantia. Potuiſſet, niſi tenebras menti improbitas offudiſſet, noſſe verum ſenſum.
Omnia enim imperialia tralata ſunt ad religionem à Conſtantino, totum Imperium ſacratum
Chriſto, tum ipſum palatium, ipſa inſigna omnis imperialis magnificentia, quę cùm eſſent antea
profana, facta ſunt ſacra, ſic Phrygiũ, quod mitrà eſt, vt Gręci ſuperius oſtẽdebant, erat quidẽ inſigne
Imperij Romani, ſed cùm eſſet radiantiſſimum, plenum clariſſimarum, illuſtriſſimarumq;
gemmarum, voluit diuinus Imperator hoc inſigne eſſe clariſſimæ reſurrectionis, quæ tenebras
omnes diſiecit, fuitq; luminoſſima. Vnde feſtum luminum vocatur Gręcis. Et Conſtantinus, Euſebio
teſte, primus inſtituit, vt nocte reſurrectionis tota vrbe lumina accenderentur. Hæc lumina,
is reſurrectionis ſplendor, expreſſus eſt gemmis illis flagrantiſſimis, luminoſiſſimis, propterea
Græci locum transferentes ſcripſerunt, ὅθεν τὸ φρύγιον ἐν λευκῇ λαμπρότητι εἰς δεῖγμα τῆς
αἰθρίου κυριακῆς ἀναστάσεως. Vnde Phrygium eximia claritate, in ſignum ætheriæ dominicæ reſurrectionis,
ætheriæ nempe luminoſiſſimæ: percipis ſingula. In reſurrectione omnia candida,
nitentia, ſplendentia. Quid mali fuit, magnum Imperatorem, vna cum Epiſcopis, illo eximio
candore, gemmiſque lucentibus, & ipſo Imperij Romani fulgore reſurrectionem deſignaſſe?
Quæ grammaticus noſſe non potuit, inſcitiæ tenebris latiſſime circumfuſus. Scripta ſunt hæc,
vt ſuperius expoſitum a Conſtantino, longo poſt tempore, vna cum Epiſcopis.

Fuit autem, vt Euſebius oſtendit, eximię pietatis Conſtantinus, myſteriaque religionis Chriſtianę
C adeo percepta habuit, vt ea, quę ſuper his ſcriberet, ab apoſtolis ſcripta viderentur. Reliqua,
quæ ſunt apud Laurentium plena maledicẽtię, & improbitatis, nihil homine peſſimo aliud
quærente, quàm omnia peruerſe interpretari, hucq; toto pectore omniq; animi impetu incumbente,
nullam lucem ad cęcos oculos aſpirare ſinente, ego prętergreſſus, eum cum ſuis tenebris,
inauditaq; illa barbarie dimittam. Quod denuo repetit conceſſam Italiam cum occindentalibus
locis, quod in edicto proſequitur Conſtantinus, debuiſſe nominatim prouincias, vrbeſq; appellare,
cùm id nullius momenti ſit, cur eo diluendo loborem? Quęrit, cur potiſſimum elegerit Byzantium,
vbi Romanum Imperium conſtitueret, ſed cauſam ſcire noluit, in finibus Europæ, &
Aſiæ delectam vrbem, vnde vniuerſum Romanum Imperium facilius gubernaretur. Inuehitur
in Conſtãtinum, peſſime de nomine Romano meritum. Is ſcilicet animus erat ſcribenti, hac
veſania, hoc odio in religionem Chriſtianam ad ſcribendum ſe contulit. Profert Dauid, & Salomonem,
qui in eadem vrbe habitauerint cum ſacerdotibus, & Conſtantinus ait, nefas eſſe terreſtrem
principem dominari, vbi fuerit a Deo conſtitutus principatus cæleſtis. Quaſi non interſit
inter illa Hebraica, atq; magnitudinem Chriſtianæ religionis. Multa reprehendit, multa irridet,
quibus nullum reſponſum debetur. Multa in ſuam ſententiam torquet, quæ ego maiora animo
verſans, & ad ea properans libenter prætereo, pro explorato habens, nihil hæc animos bonos, ac
verè Chriſtianos motura. Nam, quę in extrema edicti parte ponuntur, quibus obteſtatur ſucceſſores
Conſtantinus, vt ea, quæ ſanxit, inuiolata cuſtodiant, quæ miris ſannis cyclops inſequitur,
quis ad ſingula reſpondeat, tẽpus inſumens, quòd aliàs honeſtius, vtiliuſq; tranſigatur? Hęc oratio,
atq; is ſermo Conſtantini eſt, ſed fieri poteſt, vt adhibito aliquo ſacerdote Chriſtiano edictum
fuerit multo poſt tempore conſcriptum. Illud quoq; perſpicuum eſt, idq; ſcripta Conſtantini,
& epiſtolæ, quæ ſunt apud Euſebium, teſtantur eum piiſſimum fuiſſe, Chriſtianæ religionis

apprime gnarum. Potuit igitur fieri, vt verbis eius edictũ fuerit conſcriptũ, quemadmodum tot epiſtolas, orationesq; perſcripſit. De pagina igitur, & quòd propriis manibus ſuper corpus beati Petri eam repoſuerit, & cur reticuetur Paulus, iã dixi, leuiora mihi hæc videri, quàm vt vlla verba in eis defendendis profundãtur. Quęrit Laurentius, vbi tũc eſſet corpus beati Petri, Quaſi nõ eſſet Chriſtianis perſuaſum, atq; per omnes ætates celebre apud ſummos ſacerdotes, ibi eſſe corpus beati Petri, vbi eccleſiam condidit Imperator in templo Apollinis aut iuxta, quod hiſtoriæ teſtãtur vt poſſis doceri. Quòd miratur cur ſacerdotes, & Põtifices non cõſeruauerint paginam eamq; à carie corrodi paſſi fuerint, Eadẽ de euãgeliis, quæ propria euãgeliſtarũ manu conſcripta ſunt, poſſent requiri. Quaſi non potuerit tempus abſumpſiſſe, quemadmodũ oĩa mortalia exeduntur. Repoſuiſſe quoq; ſuper corpus beati Petri poteſt intelligi, corpus eius pagina fuiſſe tactũ, vt eſſet edictũ robuſtioris autoritatis. Neq; vero eſt ad ſingulas calũniatoris blaſphemias, irriſiones qu reſpondẽdũ, ex leuitate, maledicentiaq; profectas, quaſi non multa ſubito exẽplaria cõſcripta fuerint, idq; ipſe Conſtantinus palàm confeſſus eſt. Cum hæc ad omnes nationes prouinciasque conſcripſerit. Sed ego quid agam, poſſumne continere quin Turcæ, Saraceni, Mahumetani vbiq; impiam ſtultitiam, impias irriſiones, ſtolidamq; loquacitatem veris rationibus refellã? Qui veterum hiſtoriarum ignarus, tantum temeritate ac petulantia prouectus inſultat ſanctorum priſcorumq; patrum puriſſimæ ſanctitati, puriſſimis eorum ceremonijs, quas cũ veteres eſſe ignoraret, aut eas cuperet irridere, nouas eſſe petulanter aſſeruit: aut cum magnorum Imperatorum, ſummorumq; Pontificum fuiſſent, eadem peſſima inſcitia, tribuit eas alicui ſtolido clericulo. Multa loquitur ſceleſtus de eo quod dicitur in priuilegio, Imperatorem proprijs manibus repoſuiſſe paginam donationis ſuper corpus beati Petri? At is non antiquiſſimus mos fuit magnorum Imperatorum? De Carolo veræ ferunt hiſtoriæ: Carolus Rex Francorum Chriſtianiſſimus filius Pipini, Germanus Caroli Magni, confirmans promiſſionem, quam genitor eius Pipinus, & ipſe Carolus cũ Germano ſuo Carolo, Magno fecerat beato Petro & eius Vicario ſanctæ memoriæ Domino Stephano iuniori Papæ, quando perrexit in Franciam pro conceſſione, & reſtitutione multarum vrbium ac Prouinciarum in Italia, ac tradendarum, & reſtituendarum beato Petro, omnibusq; eius Vicarijs in perpetuum: Cum eam denuo perlegiſſet, atque ei omnibusq; proceribus placuiſſet, iuſſit aſcribi per Eucherium religioſum, ac prudentiſſimum capellanum, & notarium ſuum, factaq; hac donatione, & propria ſua manu ipſe chriſtianiſſimus Francorum Rex eam corroborans, vniuerſos Epiſcopos, abbates, duces, etiam & graphiones in ea ſcribi fecit. Quam prius ſuper altari beati Petri, & poſtmodum intus in ſancta eius confeſſione ponentes, tam ipſe Francorum Rex, quàm eius iudices, beato Petro, & eius vicario ſanctiſſimo, Adriano Papæ ſacramento ſeſe omnia conſeruaturos, quæ in eadem donatione continentur promittentes, tradiderunt. Apparem ipſius donationis eundẽ Eucherium aſcribi faciens, ipſe chriſtianiſſimus Francorum Rex, intus ſuper corpus beati Petri, ſubtus euangelia, quæ ibidem oſculantur, pro firmiſſima, cautela, & æterna nominis ſui, ac regni Francorum memoria, proprijs manibus ſuis poſuit. Aliaq; eiuſdem donationis exempla per Scrinium huius noſtræ ſanctæ Romanæ eccleſiæ aſcripta, eius excellentia ſecum portauit. Vides omnia feciſſe chriſtianiſſimum Regem, quæ dicitur feciſſe Conſtantinus, quem quidem reor regem imitatum. Quem locum habent hic impij grammatici irriſiones, hoc tam vetuſto exemplo, eius nugamentis oppoſito? Cuius alia quoque admiranda inſcitia coarguenda eſt, qui aſſerat corpus beati Petri non fuiſſe tunc, vbi nunc eſt. At non vetuſtę ſacręque hiſtoriæ docent a Cornelio Põtifice, qui floruit ante tempora Conſtantini, corpus beati Petri leuatum ex Catacumbis repoſitum fuiſſe in Vaticano in templo Apollinis, palatii Neroniani? Vbi ſcilicet nunc templum eius eſt, vbi altare, vbi locus, qui vocatur cõfeſſio, propterea quod ibi Imperatores, ac Reges, & principes confitebantur nomen Chriſti, & Petro colla ſubdebant. Eſt autem ſacerrimus ſub altari beati Petri locus, vbi ſacrum erat euangelium quod Imperatores exoſculabantur, eoque tacto iurabant ſe beati Petri religioni ſubiectos fore. Hæc ignorans grammaticus impiè irriſit. Mira quoque in eo hominis inſcitia, qui putet Elephantiaſim morbum dictum, quòd inter omnes morbos excellat, quemadmodum elephas, inter omnes beſtias: neſciens videlicet, appellatum id genus morbi Elephantiaſin, quod carnem efficiat ſcabroſam, qualem habent elephantes. Conſiderentur reliqua, cuius autoritatis, ac ſapientiæ poſſint eſſe. Quod ait, Leproſum Imperatorem non potuiſſe gerere cõſulatum, ſed in priuatam vitam ſecedere ſolitos leproſos. Quaſi verò Romani, ritus Hebræorum ſeruarent, pręceptis Moſis tenerentur. Videant omnes, quam friuolas calumniandi cauſas quæſierit. Et his putat, ſi Diis placet, euerti, profligariq; totum priuilegium. Eadem leuitas de menſe Martij conſulatus Conſtantini, & quod epiſtolæ dicantur dari, non decreta, & edicta. Ad poſtremum non eſt mihi diſſerendum cum eo ſuper his, quæ ait Romæ eſſe fabuloſa, quæ pro veris habeantur, vt eſt de Biblia Hieronymi, quæ ſua ipſius manu credatur ſcripta. Aliud longè eſt de edicto Conſtantini, aliis radicibus nititur. Sic de effigie apoſtolorum Petri, & Pauli, & de epiſtola Lentuli, de effigie Chriſti. Non ſunt hoc loco diſcutienda. Quod ait ad poſtremum, hiſtoriam de Sylueſtro a quodam Græco perſcriptam, quæ natio ſit ad mentiendum propenſa. Poſt hæc de hiſtoria Sylueſtri, & de dracone. Interea non poſſumus non execrari improbam eorum audaciam, qui iudicia ſuorum animorum effræ-

natæ

A nate ſecuti,præcipiti in denegandis his,quæ ſibi vera non videntur, temeritate tumeſcunt,quo in hominum genere Laurentius tenet principatum,tam magis audax,ac temerarius quàm imperitus,ac ſupra grammaticum non multum ſe attollens. Qui ne in ſua quidem profeſſione ſatis poſſet,duntaxat maledicus, omniaq; mordicus corripiens, vt qui calumnietur, quod in eccleſia exiſtimetur Petrum eſſe dictum Cepha à Græco κεφαλὴ, quod ſit caput apoſtolorum, cùm nemo ſit adeo imperitus,qui neſciat,Cepha Hebraicum eſſe nomen petram,tametſi nonnulli Gręcam vocem ſequantur. Multaq; pręterea proponit ab opportunitate,ac neceſſitate longe remota,quibus velut irrefragabilibus argumentis putat donationem poſſe conuelli, propterea, quòd multa craſſa,ac rudia,fabuloſaq; in eccleſia habeantur,quæ a Pontificibus credantur. At exempla hæc imperitiæ, non ſunt ex doctiſſima eccleſia, ſed potius ex ſcholis grammaticorum imperitorum. Itaq; nihil hęc cum donationę. Nihil nunc agam de his,quę ſcribit de Ludouico Imperatore longè alieniſſima ab ea inſtitutione, qua de donatione ſcribendum quis ſibi propoſuiſſet. Quod Romani Pontifices coronent Imperatores , quod Laurentio videtur in contrarium tendere,vt coronent qui acceperint non videt coronationem fieri velut a Summo Põtifice quemadmodum Conſtantinopolitani Imperatores à Patriarchis coronabantur,& olim Reges à prophetis inungebantur? Velut hoſtis eccleſiæ angitur , excruciatur , coronationem eſſe Pontificum, quæ debeat eſſe populi Romani. Vbiq; etiam præfert hoſtilis animi indicia,cùm velit Romaniſtas Imperatores recuperare Romam. Nihil agam contra eum de hiſtoria Syluestri, de dracone,quæ cùm ſit vetuſtiſſima,à ſummis,ac magnis Pontificibus pro vera habita,leuiſſimi grammatici contra tantorum,tamq; priſcorum virorum autoritatem impetus,quid poſſit? quem B potius decuerat aliis rationibus incommoda,quę in hiſtoria eum offenderent, vitare. Quid refellere contendam,quæ de venenato pectore profudit, in poſtrema ſuæ philippicæ parte,qua contra eccleſiam pręliatur,quam ruere mirum in modum cupiebat,Regi Neapolitano,apud quem exulabat, gratificaturus, ingentem ſacrorum ſtragem ſperans ſe editurum. Sed ego multis eius blaſphemiis propter earum indignitatem omiſſis, ad ſecundum librum pergam. Illud quidem (atq; hic demum finem dicendi faciam) admirandæ inſcitiæ in eo videri poterit, hincq; omnibus palam fiet , quàm temerariè ſeſe contulerit ad ſcribendum , hiſtoriarum ſcilicet veterumq; monumentorum longè imperitiſſimus,aut qui neglexerit,hæc apud antiquiores inſpicere. Profert primum in euerſionem donationis, eam apud Gratianum non haberi, neſcius videlicet vnde Gratianus opus illud ſuum deflorauerit . At ipſos autores audire oportuerat, quos Gratianus eſt ſecutus,apud quos vbiq; donationem reperies. Erant autem in vetuſta Laterani bibliotheca omnia monumenta, quibus Eccleſiæ Romanæ regna patrimoniaque continebantur. Ex his monumentis Anſelmus,& Iuo Carnotenſis vetuſti Theologi,pluresq; alij veterum theologorum decerpentes, quædam ipſi quoque volumina condiderunt, de iuribus ac ritibus veteris Eccleſiæ , quæ ex parte collecta ſunt a Gratiano,qui & ex his,& ex regiſtris priſcorum Pontificum,totum opus conflauit. Hæc perſcrutanda fuerant Laurentio, ex his fontibus, non riuulis bibendum. In pleriſque vetuſtiſſimis exemplaribus, quæ ex bibliotheca Lateranenſi allata ſunt in Vaticanum, inuenies donationem. Quamobrem tota ea pars , qua de Gratiano loquitur Laurentius , quòd apud eum donatio non inueniatur , maximum eſt inſcitiæ, ac temeritatis eius teſtimonium . Hi ſunt ergo marmorei tituli, quos expectare debueras : hæ tabulæ æneæ. Similis inſcitia de C teſtimonio Gelaſij , qui ferat geſta Sylueſtri fidelia eſſe , & in his legi de Conſtantino, de baptiſmo. Nam ſi vetera monumenta ex vetuſta bibliotheca Lateranenſi perſcrutatus fuiſſet, omnibus illis locis reperiſſet eiuſmodi Gelaſij teſtimoniũ. Ibidemq; vidiſſet ex illis Sylueſtri geſtis, de quibus loquitur Gelaſius , deſcriptam eſſe donationem . Quod etiam manifeſto teſtantur vetuſti , vnaq; docti, etiamque in numerum ſanctorum relati Theologi Anſelmus , & Iuo Carnotenſis, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt. Hi proferũt donationem ex geſtis Sylueſtri, quorum meminit Gelaſius. In Bibliotheca Vaticana ſunt vetuſti codices ex priſca Bibliotheca Lateranenſi. Irriſiones igitur, & ſcommata Laurentij inſulſa ſunt,in ipſummet recidentia,ſingulare ſtoliditatis ſuę teſtimonium. Cùm clericulum quendam furciferum nebulonem ridendo quale ſolent Grammaticelli, prædicat autorem donationis. Non erant nebulones Anſelmus, & Iuo Carnotenſis, illuſtres Theologi,eruditione ac ſanctitate magnis regibus,ac populis olim admirabiles , qui donationem non ipſi quidem finxerunt,ſed in antiquiſſimis Eccleſiæ monumentis repertam,in lucem ſcriptis ſuis protulerunt, fidemq; ei conſtantiſſimè habuerunt. Profert Voraginenſem teſtem ignobilem , ignarus videlicet ſanctæ vetuſtatis, ob quam cauſam negauit vllis in locis donationem haberi. Chartula igitur priuiligeij, vt ſuper hoc quoq; tibi reſpondeam,perire non poterat,vt cuius exemplaria toto orbe circumferebantur. Paginam autem priuilegij vocat, quòd ad hunc modum eo ſæculo loquerentur. Nã & in donatione Pipini,Caroli,Othonis,Henrici, inuenies appellari paginam. Priuilegium quoq; adeo non eſt inſolens appellari iſtam orbis terrarum donationem , vt potius imperitiſſimus conuincatur, qui hæc adeo perſpicua neſcierit. Nonne Nicolaus ille primus quẽ toties hoc opere appello,qui iam octingentis annis floruit, ſcribens ad Michaelem Imperatorem,priuilegia, inquit, iſtius ſedis,vel Eccleſiæ,perpetua ſunt, diuinitus radicata,atque plantata ſunt. inſolentem tumidumq; grammaticum palam hæc latuerũt.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris,

LIB. II. CONTRA LAVRENTIVM VALLAM.

De Falſa Donatione Conſtantini.

PRIMVS liber propoſuit ea,quæ Laurentius contra donationem Cõſtãtini ſibi effundenda exiſtimaſſet,quod negotium in duas partes partitum videbatur,quòd ille quaſdam primum validas,vt ei viſum eſt,rationes obiecit,quibus donationem euerteret, atq; omnibus perſuadere niteretur , neq; veram fuiſſe, neq; vtilem, neq; concedi a Conſtantino, aut a Sylueſtro acceptari potuiſſe, ſi contendas fuiſſe donationem. Se- E cunda pars fuit cùm ad ipſum priuilegiũ, verbaq; ipſius ſanctionis ventum fuerat,quorum ineptia argueret recentem eſſe,non veterem, ficticiam non veram donationem. Hic quantum ipſa res poſtulare videretur, prolatis ſingulis calumniatoris verbis,reſponſum eſt.Hoc autem libro,vt negotium ſit confectum,maiora complecti neceſſe eſt, quibus perſuadere ſibi homines poſſint, tametſi nunquam donatio fuiſſet,certè maiora,& clariora cogere argumenta,vt credatur fuiſſe,quàm valere rationes Laurentij ad perſuadendum non fuiſſe. Nam cum apud veteres ſcriptores Græcos , & Latinos, atq; in antiquis conciliis de ijs,quæ inter Sylueſtrum,& Conſtãtinum geſta ſunt,multa extent,cùm multa hinc inde ex vetuſtate de dominatione,& regnis eccleſię argumenta colligantur,certè hęc longe maioris ponderis erunt ad perſuadendum donationem fuiſſe,quàm meræ illæ,nudæq; Laurentij cauillationes ad hanc fidem euertendam. Etenim cui profliganda,euertendaq; aliqua opinio eſt,nemini dubium eſt quin ei propoſitum non poſſit ſuccedere, ſi contra rationes, atq; argumenta ex pectore ſuo prolata, occurrant teſtimonia ex veterum ſcriptis . Vt ſi quis aliqua ſui tãtum capitis ratione perſuadere niteretur nunquã à Romanis, victos, profligatoſq; barbaros fuiſſe,opponerentur ei ex hiſtorijs,columnis, trophæiſq; erectis argumenta, quæ deceptionem inſanientis hominis coarguerent. Huius generis argumenta ſunt cõtra calumnias Laurentij, quæ neque ille vidit,neq; forſan vidiſſe potuit,quod longe pauciſſimi ad hæc ſtudiũ adiecerunt. Quoniam autem magna perturbatio ex hiſtoriis accidit ſuper Conſtantino,ac Sylueſtro,illiuſq; temporis rebus,omnia ſcriptoribus miſcentibus,magnaq; apud eos oſtenditur cõfuſio,forſan operæpretiũ eſſet,hęc quo ad eius fieri poſſet prius euoluere. Quod quidẽ negotii F longè difficillimum, impeditum,ac magnæ controuerſiæ plenum,peneq; inextricabile arbitror. Cuiuſmodi eſt,quod Euſebius doctiſſimus Epiſcopus,& familiaris Conſtantini refert cum cęteris multis,cur Conſtantinus Chriſtianus fieri voluerit,cauſam fuiſſe,qu òd ſignum crucis cõtra Maxentiũ pugnaturus,viderit in cęlo. Quòd ſi hęc cauſa fuit,nõ fuit,quod lepra infectus a Sylueſtro curatus ſit. Horũ vtrũ tollas,magna hiſtoriarum ſequitur euerſio. De baptiſmo quoque eadem cõtrouerſia, omnibus ferè ſcriptoribus, maximè verò Euſebio,Hieronymo,Ambroſio eum perhibẽtibus in extrema ætate fuiſſe baptizatum. Quod ſi verum eſſet,non fuiſſet a Sylueſtro baptizatus. Et alii quidem baptizatum prædicant ab Arrianis,in quibus eſt Hieronymus. Cui opponere poſſis teſtimonium Euſebij vetuſtioris,qui eius familiaris fuit,vitamq; eius vſq; ad exitum vitæ quodam Encomio complexus eſt , in quo ſcripſit ab Epiſcopis Chriſtianis eum fuiſſe baptizatum. De ipſo quoq; Conſtantino quanta diſſenſio,aliis,præſertim Hieronymo,cum quibuſdam Latinis,ſceleratum,impurũ, ſanguinarium,qui in conſanguineos graſſatus fuerit : aliis contra,vel maximè Græcis ſanctiſſimum,apoſtolis æqualem eum proponẽtibus. Similis controuerſia de Sylueſtro,quem prędicant concilio Niceno interfuiſſe,quod annis penè vltimis Imperij Conſtantini celebratum eſt.At probatur ex aduerſo,id fieri non potuiſſe,quòd ineunte principatum Conſtantino, complures annos eccleſiæ iam præfuerat Sylueſter, & principatum iniit Conſtantinus iuuenis,quod Lactantius teſtatur. Concilium autem coegit iam ſenior. Et in ipſo imperij ſui initio non erat Chriſtianus. Cæteriq; ſcribunt Iulium primum legatos ad concilium miſiſſe.De diſceſſu quoque eius ab vrbe magna controuerſia,alij,quod propter imminentia Perſarum bella Byzantium delegerit , vnde vniuerſum Imperium reſpiceret, alii , quòd Chriſto,& Petro cedendum exiſtimarit. Quid de Melchiade dicam , qui ante Sylueſtrum præfuit eccleſiæ,

quem

A quem perhibent a Conſtantino nondum Chriſtiano, aut a Maximino martyrio coronatum. Ac eundem proferunt teſtem ſuper ijs, quæ Conſtantinus iam Chriſtianus donauit eccleſiæ. Mitto de matre Conſtantini controuerſiam apud Græcos fuiſſe eam ſtabulariam, nõ legitimam vxorẽ, ſed pellicem Conſtantij patris, ob eamq; cauſam nothum fuiſſe Conſtantinum. Cæteri contendunt veris, ac germanis nuptiis cum Conſtantio fuiſſe copulatam. Hæc igitur, & id genus multa, cũ inter ſe tantopere pugnent, monere Laurentium debuerant ſimile quid ſuper donatione accidere potuiſſe, ne ſcriptis eã ſubito conuellere niteretur, ſi quid in ea cõtrouerſiæ inueniſſet. Potius eum circunſpicere decuerat, vnde dubitationes in ea occurrentes, contrariis teſtimoniis ſopiret. Has igitur cõtrouerſias forſitan loquendo, deq; donatione diſſerendo diſſoluã, primumq; libri noſtri inſtitutum eſt, vt ſuperius demonſtratum eſt, atque hoc primùm præfabor, Non me quidem velle probare, atque omni ratione contendere, donationem eſſe veram: ſed conceſſo eã dubiam eſſe, clariores ac plures extare rationes, quæ veram eſſe probent, quàm rationes Laurẽtij valere ad probandum non eſſe veram, ſcilicet rem ſuapte natura dubiam, vt hoc Laurentio, ac nonnullis aliis concedam, validioribus argumentis probari eſſe veram. Voco igitur ſapiẽtes, vt hæc diligentius conſiderent, primò coniunctam eſſe donationem cum tota hyſtoria Syluestri, & Conſtantini, quod ipſa narratio, atque ordo totius hiſtoriæ abunde teſtatur, ſi quis antecedẽtia, ac conſequentia conferat; confeſſionem quoque Conſtantini, atque ipſum edictum donationis cùm ipſa hiſtoria eſſe connexum, vt quo loco habenda ſit hiſtoria Syluestri, eodem edictũ, ſiue priuilegium ſit futurum. Sed cùm de hiſtoria Syluestri, ac baptiſmo Conſtãtini fidelia, atque peruetuſta teſtimonia habeantur: eadem certè probabunt edictum Conſtantini eſſe antiquum, B ac verum, vt ſi in aliquo veteri concilio prolata fuit hiſtoria Syluestri, atque ab vniuerſo cõcilio approbata, hoc tantæ autoritatis futurum ſit, vt omnem dubitationem tollat, penituſq; hiſtoriam veram eſſe probet. Cui enim dubium eſt, quin definitiones conciliorum ſuper fide catholica ſummæ ſint autoritatis? In concilio autem ſeptimo, quod contra imaginum oppugnatores Conſtantino, & Irene imperantibus celebratum eſt, Adrianus Pontifex protulit coram vniuerſo concilio teſtimonium ſuper imaginibus ex hiſtoria Syluestri, qui imagines Petri, & Pauli Conſtantino oſtendiſſet. Hoc autem concilium celebratum eſt abhinc plus octingentis annis. Quis autem tantæ erit audaciæ, qui autoritatem ſummi, ac tam vetuſti Pontificis in concilio prolatam aſpernetur, eiq; ſomnia ac delyramenta ſui capitis opponat? Tria firmant, corroborantq; eius hiſtoriæ veritatem: ꝙ vetuſta, ꝙ in concilio prolata, & geſtis concilij inſerta, ꝙ a ſummo, ac ſancto Pontifice producta. Locus igitur ſic habet actione ſecunda, litterę Adriani tralatæ è Latino ſermone in Græcum, vt ſit clarius argumentum hæc non fuiſſe a Latinis iunioribus conficta. Ad Conſtantinum, & Irenem, quos Adrianus aſſimilat magno Conſtantino, & Helenæ matri. Multis omiſſis hæc pro re ex Græco exẽplari vetuſtiſſimo, quod erat in Bibliotheca Palatina:

τοῦτο δὲ ἐν πληροφορίᾳ, καὶ πάσῃ βεβαιώσαι ἴσω ἡ θεοπρόβλητος ἡμῶν βασιλεία, ὅτι τὸ μέγα ἔργον τοῦτο ἐπεχειρίσατε, εἰ τελειωθῇ διὰ τῆς μεσιτείας ὑμῶν καὶ ἀποκατασταθῇ, ἀρχαίᾳ ὀρθοδοξίᾳ ἐν τοῖς μέρεσιν αὐτῆς, καὶ σταθῶσιν αἱ σεβάσμιαι εἰκόνες ἐν τῇ ἀρχαίᾳ αὐτῶν ἀποκαταστασίᾳ, μέτοχοι ἔχετε γενέσθαι τοῦ ἐν τῇ θείᾳ λήξει βασιλεύειν, κυρίου Κωνσταντίνου. καὶ κυρίας ἑλένης τῶν τὴν ὀρθόδοξον πίστιν βεβαιοσάντων, καὶ ἐπὶ πλεῖον τὴν ἁγίαν μητέρα ἡμῶν καὶ καθολικὴν ῥωμαϊκὴν ἐκκλησίαν ὑψωσάντων, καὶ μετ' ἐκείνους τῶν ὀρθοδόξως ὑμῶν βεβασιλευκότων, καὶ κρατησάντων οὗτος ἀναδειχθῆναι, καὶ τὸ ὑμέτερον εὐσεβέστατον θεοδόρητον
C ὄνομα νέου Κωνσταντίνου καὶ νέας ἑλένης, ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ ἐπαινετῶς διαφημιζόμενον δι' ὧν ἡ ἁγία καὶ καθολικὴ ἐκκλησία ἀνακαινίζεται, καὶ μάλιστα ἐὰν τῆς προπαράδωσις τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ ἁγίου Πέτρου, καὶ Παύλου τῶν κορυφαίων τῶν ἀποστόλων, ἀπολαύδῃ, καὶ ἐναγκαλίσεται καθῶς καὶ οἱ ἐξ ἀρχῆς προηγησάμενοι ὑμῶν βασιλεῖς, καὶ ἐτίμησαν τὸν βικάριον αὐτοῦ, καὶ ἠγάπησαν αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας αὐτῶν, τὸ ὑμέτερον θεοδόρητον κράτος, καὶ τιμήσει τὴν ἁγιωτάτην ῥωμαϊκὴν ἐκκλησίαν τῶν κορυφαίων ἀποστόλων, οἷς ἐδόθη ἐξουσία παρ' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ λόγου, λύειν τε καὶ δεσμεύειν ἁμαρτίας ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν τῇ γῇ, αὐτοὶ ὑπαρασπισταὶ γενήσονται ὑμετέρου κράτους, καὶ πάντα τὰ βάρβαρα ἔθη, τοῖς ἴχνεσιν ὑμῶν ὑποταγήσονται, καὶ ὅπου ἂν πορευθῆτε νικητὰς ὑμᾶς ἀναδείξουσιν, αὐτοὶ γὰρ οἱ κορυφαῖοι τῶν ἀποστόλων οἱ τὴν καθολικὴν, καὶ ὀρθόδοξον πίστιν ἀρξάμενοι ἐγγράφως ἐθεσμοθέτησαν τὴν αὐτῶν πίστιν κρατεῖν πάντας τοὺς μετ' αὐτοὺς διαδόχους μέλλοντας γίγνεσθαι τὸν θρόνων αὐτῶν, καὶ ἐν αὐτοῖς διαμένειν ἕως τῆς συντελείας, καὶ οὕτως, καὶ κρατεῖ ἡμετέρα ἐκκλησία, καὶ τιμᾷ τοὺς ἁγίους χαρακτὰς αὐτῶν: ὅθεν καὶ ἑώς σήμερον εἰσὶ περικοσμημέναι, καὶ κεκαλοπισμέναι ἐκκλησίαι ἡμῶν ἐκ τῶν σεβασμίων εἰκόνων αὐτὸν, καθῶς καὶ ὁ μακαριώτατος πάπα Σύλβεστρος μαρτυρεῖ ἐν ἀρχῇ τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν τῶν χριστιανῶν ὅταν ὁ ἐν τῇ θείᾳ λήξει Κωνσταντῖνος ὁ βασιλεὺς εἰς τὴν πίστιν ἐπέστρεψεν, ἡμέρας γὰρ παρελθούσης, καὶ νυκτὸς ἔδη γενομένης ἐπέστρεψε σιωπὴν γενέσθαι, καὶ κοιμωμένου αὐτοῦ, εἰδοῦ παρέστησαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολον ὅ τε Πέτρος, καὶ Παῦλος λέγοντες, ἐπειδὴ ὦ βασιλεῦ νηπίων αἷμα τοθυσίαν γενέσθει περὶ οὗ νοσήματος, οὗ ἔχεις ἐξεβδελύξω, ἀπεστάλημεν παρὰ τοῦ Χριστοῦ δοῦναι σοὶ σωτηρίαν ἄκουσον τῆς ὑποθεσίας ἡμῶν, καὶ ποίησον ὅσα ἐντελλόμεθα, καὶ πέμψας μετακάλεσαι Σύλβεστρον τὸν ἐπίσκοπον, τὸν ἐκφυγόντα, ἐκ σοῦ δι' ὃν ἔχεις, διωγμὸν, καὶ σήμερον ὄντα ἐν τῷ ὄρει, σορακτῇ κεκρυμμένον ἐν σπηλαίαις πετρῶν μετὰ τοῦ κλήρου αὐτοῦ αὐτός σοι παρασκευάσει κολυμβήθραν εὐσεβείας, ἐν ᾗ βαπτίσει σε, καὶ γενήσεται, ἐνσοι ἴασις τῆς λέπρας, καὶ πάντων τῶν νοσημάτων σου καὶ τούτου,

τοῦ ἀγαθοῦ

οῦ ἀγαθοῦ γενομένου εἰς σε, εὐθὺς ἐπίστρεψαι κατὰ παντὸς τόπου τὸν ῥωμαίων, ἐκκλησίας ἀνακαινίζεσθαι· σὺ δὲ αὐτὸς καθαρὸς πᾶσαν τὴν τῶν εἰδώλων λατρείαν ἀποθέμενος, καὶ θεῷ μόνῳ τῷ ἀληθινῷ προσκύνησον, καὶ κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ πορεύου διεγερθεὶς, δὲ ἐκ τοῦ ὕπνου παραχρῆμα συνῆξε πάντας τοὺς τοῦ παλατίου αὐτοῦ, & τὸν ὕπνον ἐξηγήσατο αὐτοῖς, καὶ ἀπέστειλεν ἐν τῷ ὄρει σορακτῆ ἐν τῷ ὁ ἅγιος Συλβέστρος ἦν κεκρυμμένος, μετὰ τοῦ κλήρου αὐτοῦ σχολάζων ἐν ἀναγνώσει τῶν βιβλίων, καὶ ἰδὼν κυκλόθεν αὐτοῦ ἐπιστάντα στρατὸν, καὶ ὑπολαβὼν ὅτι αἰς τὸ μαρτύριον ζητεῖται, εἶπε τῷ κλήρῳ αὐτοῦ, ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας, καὶ ἐξελθόντι ἐρρέθη αὐτῷ παρὰ τῶν στρατιωτῶν περὶ οὗ ζητεῖται, καὶ ἐλθὼν πρὸς τὸν βασιλεία μετὰ τριῶν πρεσβυτέρων, καὶ δύο διακόνων, καὶ ἰδὼν αὐτὸν, εἶπεν εἰρήνη σοι ὦ βασιλεῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, & νίκη· ὁ οὖν βασιλεὺς ἱλαρῷ ὄμματι, καὶ ἁπλῇ τῇ καρδίᾳ δεξάμενος τοὺς λόγους αὐτοῦ παντ᾽ ἂν ὅσα, ἀπεκαλύφθησαν αὐτῷ ἐξηγήσατο τῷ ἁγίῳ Συλβέστρῳ μετὰ οὖν τὴν ἐξήγησιν ἠρώτησεν αὐτὸν ὁ βασιλεὺς Κωνσταντῖνος, οὓς εἶδον Πέτρον, καὶ Παῦλον ποῖοι θεοὶ εἰσίν· ὁ δὲ ἅγιος Συλβέστρος ἀποκριθεὶς εἶπεν· οὗτοι μὲν θεοὶ οὐκ εἰσὶν, δοῦλοι δὲ καὶ μαθηταὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τυγχάνουσιν, οὓς ἐξελέξατο εἰς τὸ ἐπιστρέψαι πάντα τὰ ἔθνη πιστεύειν εἰς αὐτόν· ὁ δὲ ἀκούσας πάλιν ἠρώτησεν εἰ ἄρα εἰσὶν πώποτε αὐτῶν αἱ ἱστορίαι· τότε Συλβέστρος ἀποστείλας διάκονον ἐπέστρεψεν ἐνέγκαι τὰς τὸν ἁγίων ἀποστόλων εἰκόνας· ἃς ἰδὼν ὁ βασιλεὺς ἐκραύγασεν οὗτοι εἰσὶν οὓς εἶδον ἐν ὀρόματι, & οὐκέτι δυσπειστῶ γενέσθω, κολυμβήθρα τῆς σωτηρίας μου, & γενομένης ἐβαπτίσθη, καὶ παραχρῆμα ἰάθη, & ἀναμνησθεὶς οὗ ἔπαθεν ἀγαθοῦ ἀπάρξατο ποιεῖν ἐκκλησίας, ἀναστείλας ἐν αὐταῖς τὰς αὐτῶν σεβασμίας εἰκόνας εἰς σέβας, & ἀνάμνησιν τοῦ ἐνανθρωπήσαντος κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πάντων τῶν ἁγίων· ὥστε ἐπιστρέψαι πάντα τὸν χριστιανισμὸν εἰς φῶς, & ἀλήθειαν, & πόθον τοῦ θείου σεβάσματος, & ἀπαλλαγῆναι πάντας ἐκ τῆς τῶν ἐθνῶν εἰδωλολατρείας, & δαιμόνων πλάνης καθὼς εἶπεν ὁ Γρηγόριος διάδοχος τῶν ἀποστόλων, τοὺς πάντας ἀνθρώπους ἀγραμματίστους, καὶ μὴ δυναμένους ἀναγνῶναι, θεωρεῖν τὰς εὐαγγελικὰς ἱστορίας, καὶ δι᾽ αὐτὸν ἀνάγεσθαι πρὸς δόξαν, & ἀνάμνησιν τῆς εὐσάρκου οἰκονομίας τοῦ κυρίου, & δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Hæc habet exẽplar peruetuſtũ Bibliothecę Palatinę. Hic nõ modo de hiſtoria Syluestri certior fieri poteſt, peruetuſtã eam eſſe: ſed etiam cultũ imaginũ eſſe longè vetuſtiſſimũ, quippe quæ ante tpa Conſtantini magni in eccleſiis haberentur, quibus homines pij ad memoriã earum rerũ excitarentur, quas Chriſtus humana ſumpta figura viſibiliter exercuiſſet. Sed noſtrũ nunc eſt ſuper hiſtoriæ veritate philoſophari, quando tã vetuſta eſt. Græca quę ſunt prolata, ſic Latinè vertere licet. Hoc autem ad ſatisfactionem, & oẽm corroborationem nouerit diuinum Imperiũ veſtrũ, vos opus ingens aggreſſos eſſe, ſi vobis autoribus fuerit abſolutũ, reſtitutaq; fuerit religio catholica, atque antiqua in partibus veſtris, reſtitutæq; fuerint ſacrę imagines in priſtinũ ſtatũ, cõſortes eritis felicitatis Conſtantini & Helenę, qui fidẽ orthodoxã ſtabilierũt, multo autẽ magis ſanctam matrẽ noſtram catholicã Romanam eccleſiã prouexerunt. Ac poſt eos vobis piè ſuccedentibus, atque imperantibus veſtrũ piiſſimum nomen vocandũ eſt noui Conſtantini, atque nouæ Helenæ nomine in vniuerſo orbe terrarũ laudabiliter celebratũ, per quos ſancta catholica eccleſia reuiuiſcat, pręſertim in orthodoxa fide, & eccleſia Petri, & Pauli ſummorũ Apoſtolorum gaudeat, & glorietur, quemadmodũ priores Imperatores ante vos honore affecerunt vicariũ eius, eumq; toto corde amplexi ſunt, veſtra diuinitus vobis cõceſſa poteſtas, atque honore affecerit ſanctiſſimã Romanam eccleſiã ſupremorũ Apoſtolorũ, quibus data eſt poteſtas ab ipſo Dei verbo ſoluendi, & ligandi peccata in cęlo, & in terra, ipſi defenſores erunt Imperij veſtri, & oẽs barbaras nationes pedibus veſtris ſubiicient, & quocunque perexeritis victores vos faciẽt. Ipſi enim proceres Apoſtolorũ, qui catholicã & orthodoxã fidem cõſtituerunt, ſcriptis fidẽ ſuã promulgauerunt, quã oẽs ſucceſſores retinerent, qui in throno eorũ ſeſſuri eſſent, atque in his permanerent vſque in finẽ. Atque ita retinet & obſeruat noſtra eccleſia, & honorat, veneraturq; eorũ imagines. Quocirca etiam vſque in hodiernũ diẽ adornantur, & illuſtrantur eccleſiæ eorũ imaginibus, quemadmodũ beatiſſimus Papa Syluester teſtatur in principio orthodoxæ noſtræ fidei, cũ Conſtantinus diuino inſtinctu electus Imperator, ad fidẽ conuerſus eſt. Nã cũ die abacta, nox obumbraſſet, ſilentiumq; toto palatio eſſet, ipſeq; ſomno premeretur, ecce aſtiterũt ei ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus dicentes; Qm̃ execratus es, ò Imperator, puerorum ſanguinẽ effundere ob ęgritudinẽ tuã, ecce miſſi ſumus a Chriſto, vt tibi reſtituamus ſanitatem. Audi igitur præceptum noſtrũ, & fac quæ tibi iuſſerimus, mittensq; accerſe Sylueſtrũ Epm, qui fugiens perſecutionẽ tuã, latitat in monte Soracte in ſpeluncis cũ clero ſuo. Ipſeq; tibi parabit piſcinã pietatis, in qua baptizabit te, erisq; ſanus a lepra, omnibusq; morbis. Quod beneficiũ conſecutus, ſtatim præcipe in omni loco Romani Imperij, vt eccleſiæ reſtaurentur. Tu verò purus, ac mundus, omnem idolorum cultum abiiciens, Deũ ſolum, ac verũ adora, & ſecundum voluntatẽ eius incede. Experrectus autem Imperator conciliũ totius palatij indixit, eisq; ſomniũ indicauit, ſtatimq; miſit ad montẽ Soractem, in quo S. Sylueſter latitabat cum clero, vacans lectioni librorũ. Cumq; vidiſſet circũ ſe exercitum, ſuſpicatus ſe ad martyriũ q̃ri, dixit clero: Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Cui progreſſo dictũ eſt a militibus, quamobrẽ inquireretur. Cùm ad Imperatorẽ veniſſet cũ tribus presbyteris, & duobus diaconibus, vidiſſetq; Imperatorẽ, dixit: Pax tibi, & victoria de cęlo Imperator. Imperator alacri vultu, ac ſyncero corde amplexatus, ea quæ ab illo dicebantur, quæcunque eſſent ei reuelata, expoſuit S. Sylueſtro. Quibus expoſitis, interrogauit eũ Imperator Conſtantinus, quos

vidiſſet

A vidiſſet Petrum,& Paulum quinam Dii eſſent. Sanctus Syluester reſpondit: Hi quidem Dii non ſunt,ſed ſerui,& diſcipuli domini noſtri Ieſu Chriſti,quos elegit ad cōuertēdas omnes nationes, vt credant in eum. Hoc audito imperator rurſum rogauit eum, num haberentur vſquam de eis hiſtorię,aut notiones? Tunc Syluester,miſſo diacono,iuſſit afferri imagines ſanctorū apoſtolorū, quos Imperator conſpicatus exclamauit,hos eſſe quos oculis, aut viſione conſpexiſſet. Nec amplius dubius ſum,ait: fiat piſcina ſalutis meæ. eaq; facta baptizatus eſt,ſubitoque ſanatus. Memorque quod beneficium eſſet aſſecutus,cœpit inſtituere eccleſias,erigens in eis ſacras imagines ad honorem,& recordationem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui humanitatem noſtram aſſumpſiſſet, omniumque ſanctorum,vt omnes conuertantur ad religionem Chriſtianam, ad lumen,& veritatem,ac deſiderium diuinæ pietatis,omnesq; diſcedant ab idolatria gentium,ac dęmonum erroribus,quemadmodum dixit Gregorius ſucceſſor apoſtolorum omnes homines illiteratos,& qui non poſſint legere,contemplentur euāgelicas hiſtorias in pictura,ac per eas agantur ad gloriam, & recordationem incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti. Hæc a multis in eo concilio. Locus igitur clarus,præclara,& inſignis autoritas,quæ rabida ora, atque omnium cerberorum latratus ſubito compeſcat. Sunt enim cum concilium illud celebratum eſt plus octingenti, aut circiter anni. Conſiderentur quæſo hęc a prudentibus,mecumq; per omnes ætates decurrētes,rationes, argumentaq; euoluant,quibus veritas,quæ ab improbis trahitur in tenebras, è manibus eorum erepta ad ſuum nitorē reſurgat. Tot annis antea celebris erat hiſtoria Syluestri,tempore Adriani Pontificis. Neq;.n.ab illo potuit confingi,cum in conſeſſu tot doctiſſimorum, ſanctiſſimorumq; B virorum prolata ſit. Sin autem nulla ratione fieri poteſt,vt Adrianus eam confinxerit,nonne putes ante eum,vt dixi,plurimis ſæculis celebrē fuiſſe? Neq; enim ſapiens quiſquam ſibi perſuaſerit,ſummum Pontificem recentem fabulam in concilio prolaturum fuiſſe. Quòd ſi non erat tempeſtate Adriani noua,nuperq; conficta hiſtoria Syluestri, Adrianus autem floruit poſt Conſtantinum quadringentos plus minus annos,nonne putes ante annos eius Pontificis eam celebrem, cognitamq; a ſummis Romanis Pontificibus,ſi per ætates aſcendas,attingere ad tempora Conſtantini? Ratio.n.ſic euoluitur. Sunt octingenti anni cum floruit Adrianus,huius Pontificis tempore,hiſtoria Syluestri & Conſtantini nō erat recens,ac noua,progrediebatur igitur ſupra annos Adriani: veriſimileq; eſt non paucos annos,neq;.n.eam protuliſſet,niſi quid vetuſtatis habuiſſet. Probabile igitur eſt eā progredi vſq; in tempora Conſtantini. Minus etiā credibile proferendā a Pontifice in concilio fuiſſe,niſi pro comperto Romæ apud ipſos Pōtifices,& in Romana eccleſia fuiſſet,rem veram eſſe. Ac forſan extabant,quod ipſe Adrianus monuit,clara,recentiaq; monimenta baptiſmi Conſtantini,eccleſiarum ab eo cōditarum,donati imperii,diſceſſus ex vrbe. Neque.n. hæc ſunt noſtræ ętatis vt potuerint a recentioribus pontificibus confingi. Ac niſi autoritatem habuiſſet,qua ob omni ſuſpicione falſitatis redimeretur,nunquā fuiſſet in concilio prolata. Ratio igitur clara ſuper hiſtoria: vetuſtate,qm̄ proferebatur,celebriſq; erat tempeſtate Adriani ſuperare eam octingentos annos,atq; idcirco ſummæ audaciæ homines appellandos, qui nō erubeſcant eam dicere fabuloſam. Ego quidē arbitror,qui omnes pontifices, qui Adrianū anteceſſerunt adeat,agniturum ad tempora Conſtantini hiſtoriam attingere. Quòd ſi hoc conceſſo,quoniam vitari non poteſt,refugis ad aliam calumniam: veram quidem eſſe hiſtoriam,ſed donationem C non eſſe cum hiſtoria ſociatam: ſuper quo Laurentius imperite rhetoricatur,probatum eſt ſuperius,nec vlla ratione negari poteſt, edictum donationis coniunctum eſſe cum confeſſione magni Conſtantini. Confeſſio autem refert totam hiſtoriam Syluestri,& Conſtantini. Si hiſtoria vera eſt,vera quoq; cōfeſſio,propterea quòd non eſt aliud confeſſio, quàm totius illius hiſtoriæ relatio,recenſente ſummo,ac ſancto imperatore, velut Dauid prodigium mundatæ lepræ. Hiſtoriam deſcribit,recenſetque leprā,viſos apoſtolos,accitum Syluestrum,baptiſmum, mundationē, pietatem a Conſtantino conceptam,eccleſiarum ędificia: eadem ipſe imperator canit ore ſuo in cōfeſſione ſubijciens hanc cauſam donati imperii,& quòd ex vrbe ob eam cauſam cedere voluerit,Chriſto,& Petro principatū Romani imperii relicturus. Quidquid igitur firmat,corroboratq; autoritatem hiſtoriæ Syluestri,& Conſtantini,conſtituit etiam confeſſionem, atque edictum donationis. Quæ item apud Græcos habentur, ſimilia prorſus his,quę retulit Adrianus de Syluestro,& Conſtantino,quāti roboris ſunt contra veſaniam Laurentij, & eorum quibus eius maledicentia placuit? Eſt apud priſcos conſtantiſſima fama,Euſebium Cęſariēſem voluminibus,quas Enneadas appellabat, complexum eſſe vitas eorum, qui Apoſtolis vbiq; terrarum vſque ad ſua tempora ſucceſſerunt: & quoniam Syluester ſucceſſor eſſet Petri, deſcripſit eius vitam, omnia complexus, quæ Romæ apud Latinos de Syluestro & Conſtantino circunferuntur. Percurre Vaticanam bibliothecam, vetuſtę Lateranenſis bibliothecę theſaurum, hic perſpicuè noſces quæ de Syluestro, & Conſtantino feruntur, eſſe longe vetuſtiſſima, quorum vetuſtas facilè pudefaciat, ſi ſciret erubeſcere, grammaticum: eiaſque irriſiones,ac blaſphemias, hominis delirantis, ac parum eruditi eſſe comprobet, cum nebulonem, cum furciferum vocat ſcriptorem illius hiſtoriæ, & edicti: cum putat recentem aliquem, noſtrique ſæculi hominem eam finxiſſe,gloriatur, exultat impotenter. Scripta enim eſt ab Euſebio, illius temporis homine, tota hiſtoria, & cuncta quæ narrantur accidiſſe Romæ de Syluestro, & Conſtantino,de lepra,lauacro. Qui illius hiſtoriæ autorem nebulonem appellauit, ignarus erat, quibus argumentis

quam priſca, ac veneranda autoritate teneretur: quorum, quàm doctorum atq; antiquorum ho-
minum teſtimoniis comprobaretur. Si veteres igitur ea prodiderunt de Sylueſtro, & Conſtãtino
cum quibus iuncta eſt confeſſio, & donatio: Cur non magis antiquis aſſentiamur, eorumq; fidẽ,
autoritatemq; ſequamur, quàm arrogantis, ac temerarii imperitis argumentis moueamur?

Sunt aliæ apud Græcos hiſtoriæ de Sylueſtro, ac Conſtantino, de baptiſmo, de lepra abſterſa,
hecq; interiecta ſunt inter hiſtorias priſcorũ ſanctorũ, vt eſt quã titulo deſcribentes, ſic præferũt,
βίος ϗ πολιτεία τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν συλβέστρου πάπα ῥώμης. Vita, ac mores patris noſtri Syl
ueſtri Papæ Romę. Quę hiſtoria complectitur omnia quæ de Sylueſtro ſuperius protulit Adria-
nus. Multaq; præterea quę leguntur apud Latinos: ac pręter alia eſt, quã perſecutionẽ imperato
re Conſtantino, qui nuper ſuffectus in imperio eſſet, exercente, atq; idolorum ſtatuarumq; cultũ
vbiq; ingerente: Sylueſtrũ, qui inſaniæ cedendũ arbitraretur, ad Soractem montẽ cõfugiſſe: ſed
Deum volentem aliquẽ vexationũ finem Chriſtianis eſſe, vlcere peſſimo Imperatorẽ percuſſiſſe
a pedibus ad caput, totumq; corpus fęda contagione fuiſſe maculatum, cui nullis remediis, neq;
medici occurrere poſſent, neq; venefici, aut excantatores vllam poſſent opem afferre, etiam ex
Perſide Magis accerſitis. Itaque ſalute deſperata, ſacerdotes piſcinam cruoris infantium perſua-
ſiſſe: ſed Imperatorem facinus execratum, protinus in regiam iter auertiſſe. Reliquaq; quæ ſupe-
rius propoſuit Adrianus. Atq; inter alia eſt Imperatorem rogaſſe Sylueſtrũ εἴ τινες ὑμῖν θεοὶ πέ-
τρος ϗ παῦλος θρησκεύεται. Num nobis vlli Dii colãtur nuncupari Petrus, & Paulus, reſpondiſſe
Sylueſtrum, Vnum ſingularem Deum colere Chriſtianos, qui cęlum, & terrã creauerit, hos autẽ
non Deos eſſe: οὓς δὲ αὐτὸς ὠνόμασας οὐ θεοὶ ὑπηρέται δὲ θεοῦ, ϗ διάκονοι, οἱ πανταχοῦ τὸ τοῦ Χριστοῦ
κατήγγειλαν ὄνομα, ϗ τέλος ὑπὲρ ἐκείνου τεθνήκασι τοῦ ἐξαγίστου Νέρωνος ἀνελόντος ϗ ἄμφω διὰ σωτή
ριον κήρυγμα. Quos aũt ipſe nominaſti Deos, non Dii, ſed miniſtri Dei ſunt: qui per vniuerſum
terrarum orbem, nomen Chriſti promulgauerunt, demumq́ue pro eo a ſcelerato Nerone interfe
cti ſunt, vterque ob illam ſalutarem prædicationem. Quod hiſtoria hæc (vt ipſe loquar) de prædi
catione magnorum Apoſtolorũ refert, audi, vt Lactantius ei cõſentanee ſcribat, vt hiſtoriæ veri-
tatẽ, ac vetuſtatem agnoſcas. Quæ Petrus, inquit, & Paulus Romæ prædicauerunt, & ea prædica
tio in memoriam ſcripta permanſit, in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurũ eſſe dixe-
runt. Hæc de illa prędicatione Lactantius libro quarto ſcribẽs quemadmodum hiſtoria eos a Ne
rone interfectos fuiſſe. Ex hac hiſtoria quoq; reiicitur, diſſoluitur calumnia Laurentij ſuper edi
cto donationis, cùm in principio imperator ſanciendo diceret, Iuſtũ iudicauimus cum omnibus
proceribus, & ſatrapis noſtris. Quęrit Laurentius, qui proceres, qui ſatrapæ, in ſenatu etiã aſſerit
neminem eo tempore fuiſſe Chriſtianum, at hiſtoria demonſtrat quicquid actũ eſſet à Conſtã-
tino pro religione Chriſtiana, actũ eſſe, pręſente, & aſſentiente ſenatu. Propoſita enim diſſerta-
tione ſuper religione inter Chriſtianos, & Iudæos αὐτός τε ὁ εὐσεβὴς προὐκάθητο Κωνσταντῖνος ϗ
τῆς συγκλήτου τὸ ἔνδοξον. Cõſedit ipſe pius imperator, ac maieſtas totius Senatus, & cũ decer-
neretur de his, qui viciſſent, ταῦτα τοῦ βασιλέος εἰπόντος, ϗ τῆς συγκλήτου καταψηφισαμένης. His
dictis ab Imperatore, & a Senatu decretis, Iudęi exorſi ſunt diſſerere. Cũ his igitur oĩbus iuſtum
iudicauit imperium ſacrare. Et cũ Iudæi nihil amplius haberent, quod opponerent, propoſito à
Sylueſtro de Trinitate exẽplo, de purpura ἐπεκρότησαν ἐπὶ τούτοις ὁ βασιλεὺς ϗ ἡ σύγκλητος. Ap
pellauerunt his Imperator, & Senatus. Itẽq; cùm Iudæi obiicerẽt contra exemplũ αὐτιφθεγμένου
δὲ πρὸς ταῦτα τοῦ αὐτοῦ κράτορος, ϗ τῶν συγκλητικῶν. Cùm ad hæc reclamarẽt Imperator, & Sena
tores. Ad poſtremum cùm diſſertatio ad finẽ deueniſſet, deiectis, ac profligatis Iudæis ὁ μὲν κρα
τὼρ ϗ τὸ ἀκροατήριον ἅπαν ἐπεκρότησεν ϗ ἀπευφήμησαν. Imperator, & vniuerſum auditorium ap-
plauſerunt, & laudibus proſecuti ſunt. Vides igitur quorũ in cõſpectu prodigiũ mundatæ lepre,
diſceptatio de Trinitate, ac religione facta ſit. Hi ſunt proceres, hi Satrapæ, quibus aſtantibus, &
approbantibus ſicut de Trinitate, ſanctiſq; myſterijs actũ, & concluſum fuerat, ſic imperium eſt,
ſacratum. Mirabile quoque argumentum ſuggerit hiſtoria contra veſaniã Laurentij, qui non pu
tat in ſenatu, vllos fuiſſe Chriſtianos, cùm imperiũ ſacratũ eſt. Editis enim miraculis coram Im-
peratore, & Senatu, abſolutis rõnibus de Trinitate, ac religione Chriſtiana, reiectis Iudæis, non-
nulliſq; ex his ad Chriſtianam religionẽ conuerſis, hiſtoria refert, βαπτίζει πρῶτον μὲν τὴν βα-
σίλισσαν ἐπὶ δὲ ταύτῃ ϗ πλῆθος ῥωμαίων οὐκ εὐαρίθμητον. Baptizat Sylueſter primũ quidẽ ipſum
Imperatorem, tum multitudinem Romanorum non exiguam. Qm̃ igitur hæc hiſtoria vetuſta
eſt, eſt enim quam protulit in concilio coram Imperatoribus Adrianus, certè quæ prodidit, pro
veris habenda ſunt, multoq; magis horum vetuſtas colẽda, & amplexanda eſt, etiã ſi in ea quæ-
dã nimis dura viderentur, quàm recentis hominis audiendæ contra eã vaniſſimæ rhetoricatio-
nes. Vt igitur inſpectante ſenatu, & omni Romana plebe, tot miracula edita ſunt a Sylueſtro, nõ
ſolũ lepra mundata, ſed alia etiam, quæ retulit hiſtoria, ſic commotus ad hæc Imperator, & ſe-
natus cum omni populo imperiũ religioni ſacrauerunt, ſeq; Chriſto, & Petro penitus dediderũt.
Nec iniuria Imperator, & Senatus, omniſq; Romana plebs exarſerũt accenſi pietate, incredibili
feruore concepto, vt qui inaudita prodigia viderunt, qualia ferè Hebræi tempeſtate Pharaonis,
qualia viſa ſunt Apoſtolis, omnibuſque Iudæis Chriſto cum hominibus verſante. Audite igitur
pietatem Imperatoris, ac Senatus, audite confeſſionem, quæ ſequitur, annexaque eſt cum hi-
ſtoria, his ſcilicet, quæ retulit hiſtoria accidiſſe inter Sylueſtrũ, & Conſtantinũ præſente Senatu.

A *Confeſſio cum edicto Conſtantini, ex peruetuſtis, ac plurimis Græcorum exemplaribus, quæ nullis propè in bibliothecis non reperiuntur.*

Præponitur primùm a Græcis titulus totius argumenti.

ΔΟΓΜΑ ΒΑΣΙΛΙΚῸΝ ΓΡΑΦῈΝ, ΠΡΑΧῈΝ, ΚΑῚ ΔΟΘῈΝ, τῇ ἱερᾷ, καὶ ἁγίᾳ καθολικῇ, καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ τῆς ῥώμης, παρὰ τοῦ μακαρίου Κονσταντίνου τοῦ ἐν βασιλεῦσι πρώτου Χριστιανοῦ.

Decretum, inquit, imperiale, ſcriptum, actum, conceſſum ſacroſanctę, & catholicę, apoſtolicęque eccleſię Romanę a beato Conſtantino, qui primus omnium Imperatorum fuit Chriſtianus. Hęc prefatio decreti, & confeſſionis. Extant quidem hęc in antiquis Latinis exemplaribus, eaq; huc Latinè proferri poterant, ſed placuit proponere Gręcè, quo maior fides his haberetur, cùm perſpicuum extiterit, non Latinis modò, ſed ipſis etiam priſcis Gręcis hęc habita pro veris, ac ſacroſanctis, quippe cunctis in eccleſiis, venerantur, colunt, pieque ac reuerenter lectitant.

ΕΝ τῷ ὀνόματι τῆς ἁγίας καὶ ἀδιαιρέτου τριάδος, τοῦ πατρὸς δηλαδὴ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος βασιλεὺς Καῖσαρ Φλάβιος Κονσταντῖνος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ ἑνὶ τῆς αὐτῆς ἁγίας τριάδος σωτῆρι δεσπότῃ, καὶ θεῷ ἡμῶν, πιστὸς, πρᾶος, εὐεργέτης, ἀλαμανικὸς, γοτθικὸς, σαρματικὸς, γερμανικὸς βριταννικὸς, οὐννικὸς, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, νικητὴς, θριαμβευτὴς, ἀειαύγουστος, τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ πατρὶ πατέρων Συλβέστρῳ ἐπισκόπῳ καὶ πάπᾳ τῆς μεγάλης πόλεως ῥώμης, καὶ πᾶσι τοῖς αὐτοῦ διαδόχοις ἀρχιερεῦσι τοῖς ἐν τῇ καθέδρᾳ τοῦ μακαρίου Πέτρου μέχρι τῆς τοῦ αἰῶνος συντελείας καθεδουμένοις, ἔτι τε πᾶσι τοῖς αἰδεσιμωτάτοις, B καὶ θεοσεβέσι καθολικοῖς ἐπισκόποις τοῖς ταύτῃ τῇ ἱερᾷ καὶ ἁγίᾳ ῥωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ διὰ ταύτης τῆς ἡμετέρας βασιλικῆς καταστάσεως ὑποκειμένοις, χάρις, εἰρήνη, ἀγάπη, εὐφροσύνη, μεγαλοψυχία, ἔλεος, παρὰ τοῦ παντοδυνάμου θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μετὰ πάντων ὑμῶν τὰ ὑπὸ τοῦ λυτρωτοῦ, καὶ σωτῆρος ὑμῶν κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ: ὅς ἐστιν υἱὸς τοῦ ὑψίστου πατρὸς διὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων αὐτοῦ Πέτρου καὶ Παύλου, μεσιτεύοντος τοῦ πατρὸς ἡμῶν Συλβέστρου τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως, καὶ καθολικοῦ πάπα παραδόξως περὶ ἡμᾶς οἰκτιρμοῖς ἐκείνου γενόμενα: ἀριδήλῳ διηγέσει διὰ τῆς βασιλικῆς ταύτης ἡμετέρας γραφῆς τῆς καθεξῆς ἅπασιν, ἐσπουδάσαμεν παραδοῦναι πρὸς ἐπίγνωσιν πάντων τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ λαῶν τῆς πραότητος ἡμῶν ἐπιφανείας ἔνδοθεν, καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς καρδίας προϊούσῃ ὁμολογίᾳ πρῶτον μὲν, τὴν ἡμετέραν πίστιν προενεγκούσης, ἣν ὑπὸ τοῦ προειρημένου μακαριωτάτου πατρὸς, καὶ εὐχέτου ἡμῶν Συλβέστρου τοῦ καθολικοῦ ἱεράρχου δεδιδάγμεθα πρὸς οἰκοδομὴν τῆς διανοίας ἡμῶν πάντων, ἔπειτα καὶ τὸν ἐφ' ἡμᾶς ἐκχυθέντα τοῦ θεοῦ ἔλεον, πᾶσι διαγγελούσης: εἰδέναι γὰρ ἡμᾶς πάντας βουλόμεθα καθὼς διὰ τῆς προλαβούσης ἱερᾶς ἡμῶν πραγματικῆς διατάξεως ἡμῶν ἐδηλώσαμεν: ἡμᾶς τῆς τῶν εἰδώλων λατρείας τῶν ἀφώνων, καὶ κωφῶν, καὶ χειροποιήτων τῶν διαβολικῶν τε συνθηκῶν, καὶ πάσης τῆς τοῦ σατανᾶ πομπῆς ἀποπηδήσαντας, καὶ πρὸς τὴν ἀκραιφνῆ τῶν χριστιανῶν πίστιν ἥ φῶς ἀληθινόν ἐστι, καὶ ζωὴ αἰώνιος μετελθόντας καθὼς ἡμᾶς αὐτὸς ὁ ὑψωποιὸς, καὶ ἄκρος πατὴρ ἡμῶν, καὶ διδάσκαλος ἡμέτερος Συλβέστρος ἐνουθέτησεν εἰς θεὸν πατέρα παντοδύναμον ποιητὴν οὐρανοῦ, καὶ γῆς ὁρατῶν τε πάντων, καὶ ἀοράτων, καὶ εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ τὸν κύριον ἡμῶν, δι' οὗ τὰ πάντα δεδημιούργηται, καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον τὸ κύριον, καὶ ζωοποιὸν πάσης τῆς κτίσεως παραγγείλας πιστεύειν, ἡμεῖς τὸν πατέρα τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα οὕτως ὁμολογοῦμεν, ὡς ἐν τελείᾳ τριάδι, καὶ πλήρωμα θεότητος εἶναι καὶ μονάδα δυνάμεως θεὸς, ὁ πατὴρ θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, τρεῖς τοίνυν αἱ μορφαὶ, ἀλλὰ μία ἡ δύναμις, συντελεσθησῶν τοίνυν τῶν οὐρανίων δυνάμεων, καὶ πασῶν τῶν C γηΐνων ὑλῶν φιλανθρόπῳ πνεύματι τῆς αὐτοῦ σοφίας, πρῶτον ἐκ τοῦ τῆς γῆς χοὸς ἄνθρωπον πλάσας κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν ἑαυτοῦ, ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦτον ἔθετο τῆς τρυφῆς, ᾧ φθονήσας ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος ἐχθρὸς, καὶ διάβολος τῇ πικροτάτῃ γεύσει τοῦ ἀπειρημένου ξύλου, ἐξόριστον τῆς εὐφροσύνης ἐκείνης πεποίηκεν: ἐκεῖνον τε ἐξώσας, οὐ παύεται τοῖς ἑαυτοῦ δηλητηριώδεσι βέλεσι πολυτρόπως τοὺς ἄλλους κατατοξεύων ἵνα ἑλκύσας τῆς τῆς ἀληθείας ὁδοῦ τὸ ἀνθρώπινον γένος τῇ τῶν εἰδώλων λατρείας τουτέστι τῇ τῆς κτίσεως, ἀλλ' οὐ τῷ τοῦ κτίστου δουλεύειν ἀναπείσειε πάντας ὅπως ἐς οἷός τ' ἐγένετο ταῖς ἑαυτοῦ μηχαναῖς συμποδίσας τούτοις τῇ αἰωνίᾳ σὺν αὐτῷ βασανισθησομένους κολάσει ἀλλ' ὁ θεὸς τοῦ ἰδίου πλάσματος οἶκτον λαβὼν ἀποστείλας τοὺς ἁγίους αὐτοῦ προφήτας καὶ διὰ τούτων τὸ τῆς ζωῆς φῶς τὴν παρουσίαν δηλαδὴ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ κυρίου δὲ ἡμῶν καὶ σωτῆρος καὶ θεοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ καταγγείλας: ὕστερον ἀπέστειλε καὶ τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν καὶ λόγον τῆς σοφίας ὃς κατελθὼν ἐκ τῶν οὐρανῶν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν καὶ γεννηθεὶς ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ μαρίας τῆς παρθένου λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν οὐκ ἀποβαλὼν ὅπερ ἦν ἀλλ' ἀρξάμενος εἶναι ὅπερ οὐκ ἦν θεὸς τέλειος ὡς θεὸς θαύματα ἐπιτελῶν καὶ ὡς ἄνθρωπος ἀνθρώπινα πάθη φέρον οὕτω τὸν λόγον ἄνθρωπον καὶ θεὸν λόγον ἄνθρωπον καὶ θεὸν λόγον νοοῦμεν ταῖς διδασκαλίαις τοῦ ἡμετέρου πατρὸς Συλβέστρου τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως ὥς τε θεὸν ἀληθῆ καὶ ἄνθρωπον ἀληθῆ τὸν αὐτὸν ὑπάρξαι καὶ μηδαμῶς ἀμφιβάλλειν προελόμενος τοίνυν δώδεκα ἀποστόλους τούτων τε καὶ ἀναριθμήτων λαῶν ἔμπροσθεν ὑπερφυέσι θαύμασιν ἔλαμψεν ὁμολογοῦμεν αὐτὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν ἀποπληρῶσαι τοὺς νόμους καὶ τοὺς προφήτας παθεῖν καὶ σταυρωθῆναι κατὰ τὰς γραφὰς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναστῆναι ἀναληφθῆναι εἰς τοὺς οὐρανοὺς καθῆσθαι ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς ἐκεῖθεν ἥξοντα κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος αὕτη ἐστὶν ἡ ἡμετέρα ὀρθόδοξος πίστις παρὰ τοῦ μακαριωτάτου πατρὸς ἡμῶν Συλβέστρου ἡμῖν προενεχθεῖσα νουθετοῦμεν τοίνυν πάντα λαὸν καὶ τὰ διάφορα τῶν ἐθνῶν γένη ταύτην τὴν πίστιν κατέχειν κηρύττειν. καὶ ἐν τῷ τῆς ἁγίας τριάδος ὀνόματι τυγχάνειν τῆς τοῦ βαπτίσματος χάριτος καὶ τὸν

κύριον ἡμῶν καὶ σωτῆρα Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς ἀπείρους αἰῶνας βασιλεύοντα, προσκυνεῖν εὐλαβεῖ καρδίᾳ. ὃν ὁ μακαριώτατος πατὴρ ἡμῶν Σύλβεστρος, ὁ καθολικὸς ἱεράρχης, κηρύττει: αὐτὸς γὰρ ὁ κύριος ἡμῶν ἐμὲ τὸν ἁμαρτωλὸν ἐλεήσας, ἀπέστειλε τοὺς ἁγίους αὐτοῦ ἀποστόλους, ἐπισκεψάμενος ἡμᾶς καὶ τῷ φωτὶ τῆς αὐτοῦ λαμπρότητος ἡμᾶς παρίστραψε καὶ τοῦ σκότους ἐφελκύσας πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσιν μεμετελθεῖν κατηξίωσεν. ἐπεὶ γὰρ ἰσχυρὸν αἶσχος λέπραν ἐπεπήδησεν ὅλῃ τῇ τοῦ σώματός μου σαρκὶ, πολλῶν τε ἰατρῶν ἐπιμέλεια μοι προσήγετο, καὶ τούτων οὐδενὸς σπουδῇ τυχεῖν ὑγίας οἷός τ' ἐγενόμην: ἐπὶ τούτοις, προσῆλθόν μοι καὶ ἱερεῖς τοῦ καπιτωλίου, δεῖν λέγοντες δεξαμενὴν ἐν τῷ καπιτωλίῳ γενέσθαι, καὶ ταύτην ἀθῴου αἵματος καὶ θερμοῦ πληρωθῆναι, ἐκεῖ τε λουσάμενος, οὕτω καθάρσεως δυνηθῆναι τυχεῖν: κατὰ τὰς ὑποθήκας τοίνυν αὐτῶν, πολλῶν νηπίων ἀκάκων συναθροισθέντων, καὶ βουλομένων τῶν ἀσεβῶν, καὶ ἱεροσύλων ἱερέων αὐτοὺς ἀποσφάττειν, καὶ τοῦ ἐκείνων αἵματος πληροῦν τὴν δεξαμενὴν τοῖς δάκρυσι τῶν μητέρων ἐκείνων, ἡ ἡμετέρα προσέχουσα γαληνότης, παραυτίκα τὸ ἀθέμιτον ἔφριξα, ἐκείνας τε ἐλεήσας, ταῖς μητράσιν ἀπετάξαμεν ἀποδοθῆναι, τὰ τέκνα ὀχήματα τε δοὺς καὶ δῶρα προσπαρασχόμενος, χαιρούσας εἰς τὰ ἴδια ἀπεπέμψαμεν: ταύτης τῆς ἡμέρας παρελθούσης καὶ νυκτερινῆς ἡσυχίας ἡμῖν ἐπιγενομένης, καὶ πρὸς ὑπνου καιρίας ἐπελθούσης, παρείσιν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι Πέτρος καὶ Παῦλος, ἐμοὶ λέγοντες ἐπεὶ ταῖς ἁμαρτίαις οὐ συνεχώρησας προελθεῖν, καὶ τὴν ἔκχυσιν ἐβδελύξω τῶν ἀθῴων αἱμάτων, παρὰ Χριστοῦ τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ ἡμῶν ἀπεστάλομεν δώσοντές σοι βουλὴν καθ' ἣν τὴν ὑγίαν ἐπαναλήψῃ: ἄκουσον τοίνυν τῆς ἡμετέρας παραγγελίας, καὶ ποίησον ὅ σοι ὑποτιθέμεθα: ὁ τῆς πόλεως ταύτης ἐπίσκοπος Σύλβεστρος, τοὺς σοὺς διωγμοὺς φεύγων ἐν ταῖς ὀπαῖς τῶν πετρῶν μετὰ τῶν ἰδίων κρύπτεται κληρικῶν: ἐν τῷ ὄρει σωράκτι: τοῦτον πρὸς ἑαυτὸν μετακαλεσάμενος ὑποδείξαντος ἐκείνου, μαθήσῃ τὴν ἀληθῆ τῆς εὐσεβείας δεξαμενὴν ἐν ᾗ τρίτον σου βαπτισθέντος, πᾶσα ἡ τῆς λέπρας ἰσχὺς καταλείψει: οὗ γενομένου ταύτην ἀμοιβὴν ἀντιμέτρησον τῷ σωτῆρί σου: ὥστε σοῖς προστάγμασι τὰς ἐν τῇ οἰκουμένῃ πάσας ἐκκλησίας ἀνακαινίζεσθαι, καὶ σὺ δὲ σαυτὸν ἐν τούτῳ τῷ μέρει καθάρισον ἵνα πᾶσαν δεισιδαιμονίαν εἰδώλων καταλείπων, τὸν μόνον ζῶντα καὶ θεὸν ἀληθινὸν ὃς μόνος ἐστὶ θεὸς ἀληθὴς, σέβεις καὶ προσκυνεῖς, καὶ τὴν ἐκείνου πληροῖς θέλησιν. ἀφυπνισθεὶς τοίνυν κατὰ τὰ διαταγμένα παρὰ τῶν ἀποστόλων διεπραξάμην: προσκαλεσάμενός τε τὸν ἐξαίρετον, καὶ μεγαλοπρεπῆ πατέρα τὸν καθολικὸν πάπαν τὸν ἡμᾶς φωτίσαντα Σύλβεστρον, πάντας αὐτῷ τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐντεταλμένους μοι λόγους ἐδήλωσα, ἀνεζητήσαμέν τε παρ' αὐτοῦ οἵτινες εἶεν θεοὶ Πέτρος καὶ Παῦλος καλούμενοι: ἔφασκέ τε ἐκεῖνος, οὐκ ἀληθῶς θεοὺς τούτους λέγεσθαι: ἀποστόλους δὲ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ εἶναι διισχυρίζετο: πάλιν ἠρξάμην ἐρωτᾶν τὸν μακαριώτατον πάπαν, εἴτινες φανεραὶ τούτων τῶν ἀποστόλων εἶεν εἰκόνες ἵν' ἐκ τῆς γραφῆς γοῦν δυνηθῆμεν διαγνῶναι εἰ δυνατὸν ἐκείνους εἶναι, οὓς παρὰ τῆς ἀποκαλύψεως δεδιδάγμεθα: τότ' ἐκεῖνος ὁ πάσης αἰδοῦς ἄξιος πατὴρ τὰς τῶν θείων τούτων ἀποστόλων εἰκόνας, ἐλεχθῆναι διὰ τοῦ ἰδίου διακόνου ἐπέταξεν: ἃς προσιδὼν, καὶ τὰς ὄψεις ἐκείνων οὓς ὄναρ ἑωράκει ἐν ταῖς εἰκόσι καταμαθὼν, μεγάλῃ φωνῇ τῶν ἐμῶν σατραπῶν ἔμπροσθεν, ὡμολόγησα, τούτους ἐκείνους εἶναι, τοὺς ἐν τοῖς ὕπνοις ὀφθέντας μοι: πρὸς ταῦτα, ὁ μακαριώτατος οὗτος πατὴρ ἡμῶν Σύλβεστρος ὁ τῆς πόλεως Ῥώμης ἐπίσκοπος, χρόνον ἡμῖν ὥρισε μετανοίας, ἐν ἑνὶ σάκκῳ ἔνδον τοῦ ἡμετέρου τῆς λιτερανῆς παλατίου ἵνα πάντα τὰ ὑφ' ἡμῶν ἀνοσίως διαπραχθέντα καὶ ἀδίκως διωκηθέντα νηστείαις ἀγρυπνίαις δάκρυσι καὶ προσευχαῖς παρὰ τῷ δεσπότῃ θεῷ καὶ σωτῆρι ἡμῶν ἐξιλεωσώμεθα. εἶτα κληρικῶν μοι τὰς χεῖρας μέχρι καὶ τοῦ ἀρχιερέως αὐτοῦ ἀφικόμην αὐτόθι τε ἀποταξάμενος ταῖς τοῦ σατανᾶ πομπαῖς καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ καὶ πᾶσι τοῖς χειροποιήτοις εἰδώλοις πιστεύειν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ μαρίας τῆς παρθένου ἑκουσίᾳ γνώμῃ παντὸς ἔμπροσθεν τοῦ λαοῦ ὡμολόγησα. εὐλογηθείσης δὲ τῆς κολυμβήθρας ἐκεῖ με τρίτῃ καταδύσει τὸ σωτηριῶδες ὕδωρ ἐκάθηρεν. ἐν δὲ τῷ κόλπῳ τῆς κολυμβήθρας τεθεὶς χεῖρα ἁψαμένην μου ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τοῖς ἰδίοις εἶδον ὀφθαλμοῖς: ὑφ' ἧς καθαρὸς ἀναστὰς παντὸς τοῦ ἀπὸ τῆς λέπρας αἴσχους ἐμαυτὸν ἔγνων κεκαθαρμένον. ἐκκομιθέντα με δὲ τῆς σεπτῆς κολυμβήθρας λευκοῖς ἱματίοις ἐνέδυσαν. τὴν τε ἑπτάμορφον τοῦ ἁγίου πνεύματος σφραγῖδα παρέχετο τῇ τοῦ μακαρίου χρίσματος ἀλοιφῇ. καὶ τὸ σημεῖον τοῦ ἁγίου σταυροῦ τῷ ἐμῷ μετώπῳ ἐχάραξεν εἰπών. σφραγίζει σε ὁ θεὸς τῇ τῆς πίστεως αὐτοῦ σφραγῖδι. εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. πᾶς τε ὁ κλῆρος ἀπεκρίνατο ἀμήν. καὶ προσέθηκεν ὁ ἀρχιερεὺς εἰρήνη σοι. τῇ τρίτῃ τοίνυν ἡμέρᾳ μετὰ τὸ λαβεῖν τὸ μυστήριον τοῦ θείου βαπτίσματος καὶ μετὰ τὴν ἀπὸ τῆς λέπρας θεραπείαν τοῦ ἐμοῦ σώματος ἐπέγνων μὴ εἶναι θεὸν ἕτερον πλὴν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὃν ὁ μακαριώτατος πάπα Σύλβεστρος κηρύττει τριάδα ἐν μονάδι μονάδα ἐν τριάδι. πάντες γὰρ οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν οὓς ἄνωθεν ἐσέβον δαιμόνια ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων σαφῶς ἀποδείκνυνται: πρὸς τούτοις πόσην ἐξουσίαν αὐτὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν τῷ ἰδίῳ ἀποστόλῳ τῷ μακαρίῳ πέτρῳ παρέχετο ἔν τε τῷ οὐρανῷ κἂν τῇ γῇ σαφῶς ἡμῖν αὐτὸς ὁ τίμιος πατὴρ ἐξέθετο ὅτε ἐκεῖνον πιστὸν εὑρὼν ἐν τῇ ἐρωτήσει εἶπε σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. κατανοήσατε δυνάσται καὶ τοῖς ὠσὶ τῆς καρδίας προσέχετε τί ὁ ἀγαθὸς διδάσκαλος καὶ δεσπότης τῷ ἰδίῳ μαθητῇ συνῆψεν εἰπὼν καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. παράδοξος λόγος καὶ ἔνδοξος καὶ ἐπὶ τῆς γῆς δεσμεῖν τι καὶ λύειν κἂν τοῖς οὐρανοῖς δεδεμένον εἶναι λελυμένον: ταῦτα τοίνυν τοῦ μακαρίου Συλβέστρου διδάσκοντος γνοὺς καὶ ταῖς εὐεργεσίαις αὐτοῦ τοῦ μακαρίου πέτρου ἀκεραιότατα τῆς ὑγίας αἰσθόμενος ἐπανελθούσης τῷ σώματι, δέον ἐκρίναμεν σὺν πᾶσι τοῖς ἡμετέροις σατράπαις.

LAtine ſic ſonant: In nomine ſanctæ,& indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij,& Spiritus ſancti. Imperator Cęſar Flauius Conſtantinus in Chriſto Ieſu vno ipſius ſanctæ Trinitatis, ſeruatore Domino,& Deo noſtro. Fidelis, tranquillus, beneficus, Alemanicus, Gotthicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Vnnicus, pius, felix, victor, triumphator, ſemper Auguſtus, ſanctiſſimo ac beatiſſimo patri patrū, Syluestro epiſcopo,& papæ magnæ vrbis Romæ,& omnibus eius ſucceſſoribus ſummis Pontificibus, qui in cathedra beati Petri vſque ad mundi conſummationē ſeſſuri ſunt, omnibusque venerandiſſimis, ac piis catholicis epiſcopis, qui huic ſacroſanctę Romanæ eccleſiæ per hanc imperialem noſtram conſtitutionem ſubiecti ſunt, gratia, pax, dilectio, alacritas, propitiatio, miſericordia ab omnipotēti Deo,& Patre, & Ieſu Chriſto filio eius & Spiritu ſancto, cum omnibus nobis. Quæ a redemptore, & ſeruatore noſtro Domino Ieſu Chriſto, qui eſt filius altiſſimi patris, per ſanctos Apoſtolos ſuos Petrum, & Paulum, mediatore patre noſtro Syluestro ſummo pōtifice,& vniuerſali Papa prodigioſe erga nos ex miſericordia eius geſta ſunt, clara enarratione per Imperialem hanc noſtram ſcriptionem omni poſteritati ſtuduimus tradere, ad cognitionem,& ſcientiam omnium toto terrarum orbe populorum, penitus ab intimo corde progrediente noſtræ claritatis, ac manſuetudinis confeſſione. Primum quidem noſtram fidem efferimus, ac prædicamus, quàm a ſupradicto beatiſſimo patre, & interceſſore noſtro Syluestro, vniuerſali antiſtite edocti ſumus ad ædificationem mentis omnium noſtrum. Et in effuſam ſuper nos miſericordiam Dei enuntiamus. Scire enim vos omnes volumus, quemadmodum ſacra noſtra ſuperius pragmatica inſtitutione vobis declarauimus, Hos a cultu idolorum mutorum,& ſurdorum,& manufactorum, nempe diabolicarum compoſitionum, & ab omni pōpa ſatanæ digreſſos,& ad puram Chriſtianorum fidem, quæ vera eſt,& vita æterna, progreſſos: quemadmodum nos ipſe mirificus, & ſupremus pater noſter, & præceptor Sylueſter inſtruxit in Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum Dominum noſtrum, per quem omnia facta ſunt,& in ſpiritum ſanctum Dominum,& viuificatorem omnis creaturæ, docens credere, patrem, filium,& ſpiritum ſanctum ſic confiteri, vt in Trinitate perfecta & plenitudo diuinitatis ſit, & vnitas poteſtatis. Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Tres igitur perſonæ ſed vna poteſtas. Perfectis igitur cæleſtibus virtutibus, & omnibus terreſtribus materiis benigno ſapientiæ ſuæ nutu, cum primum hominem ex terreſtri limo finxiſſet ad imaginem,& ſimilitudinem ſuam, hunc in paradiſo delitiarum poſuit: cui cum ſerpens antiquus hoſtis diabolus inuidiſſet, amariſſimo guſtu vetiti ligni exulem ab illa felici vita egit. Illoque expulſo, nō omittit letalibus ſagittis, diuerſis modis alios iaculari, vt deducat a via veritatis humanum genus,& idolorum cultui, nempe creaturæ, non creatori ſeruire perſuadeat omnibus: vt quos poſſit, ſuis artificiis irretitos ęternis ſuppliciis tradat excruciandos. At Deus erga ſuum opificium miſericordia commotus, miſſis ſanctis prophetis,& per hos lumen vitæ, nempe filium ſuum Dominum noſtrum ſeruatorem, & Deum Ieſum Chriſtum annuntians, poſtea miſit etiam ipſum vnigenitum ſuum filium verbū ſapientiæ: Qui deſcendens de cęlo propter noſtram ſalutem, conceptusq; ex Spiritu ſancto, & ex Maria virgine, verbum caro factū eſt, & habitauit in nobis, non amittens quod erat, ſed incipiēs eſſe quod non erat. Deus perfectus, vt Deus miracula faciens, vt homo paſſiones humanas perferens. Sic verbum hominem,& Deum verbum, hominem & Deum verbum ſentimus documentis patris noſtri Sylueſtri ſummi pontificis, vt Deus verus,& homo verus idem exiſtat, nulloque modo dubitetur. Electis igitur duodecim Apoſtolis in eorum conſpectu & innumerabilium populorum admirandis prodigiis inclaruit. Confitemur ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū adimpleuiſſe leges,& prophetas, paſſum eſſe,& crucifixum ſecundum ſcripturas, tertia die a mortuis ſurrexiſſe, aſſumptum eſſe in cęlum, ſedere ad dexteram patris, inde vēturum iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non eſt finis. Hæc eſt noſtra orthodoxa fides a beatiſſimo papa noſtro Sylueſtro nobis expoſita. Hortamur igitur,& monemus omnes populos, variasq; hominū nationes hanc fidem retinere, prædicare,& in nomine ſanctæ Trinitatis, baptiſmi gratiā ſuſcipere,& dominum noſtrum, ſeruatorem Ieſum Chriſtum, qui cum patre, & ſpiritu ſancto in æterna ſęcula regnat, adorare corde pio, quem beatiſſimus pater noſter Sylueſter vniuerſalis antiſtes prædicat.

Ipſe enim Dominus noſter me peccatorem miſeratus, miſit ſanctos Apoſtolos ſuos, viſitanſque nos lumine claritatis ſuæ, nos circunfudit, abſtractoſque è tenebris, ad veritatis cognitionem dignatus eſt deducere. Poſtea quàm enim valida turpitudo lepræ omnem corporis mei carnem inuaſiſſet, a multiſque medicis curatio mihi adhiberetur, quorum ſtudio ſanitatem conſequi non poteram: in his ſacerdotes capitolij ad me venerunt, oportere, dicentes, piſcinam in Capitolio fieri,& hanc innocenti, calidoque cruore repleri, vbi ablutus, expiationem, ac nitorem conſequerer. Iuxta igitur horum monita multis innocentibus pueris collectis, volentibuſque ſceleratis ſacerdotibus eos mactare, eorumque ſanguine replere piſcinam, lachrymis matrum, noſtra ſerenitas permota, eueſtigio exhorruimus execrandum ſcelus, easque miſerati imperauimus reddi filios, datiſque vehiculis, ac multis muneribus, lætas ad propria domicilia dimiſimus. Hac die exacta, nocturnaque quiete ſuperueniente, ſomno nobis deditis, adſunt ſancti Apoſtoli Petrus,& Paulus mihi dicentes: Quoniam ſceleribus impoſuiſti modum, & effuſionem innoxij cruoris exhorruiſti, ecce à Domino, & Deo noſtro miſſi ſumus daturi tibi conſilium quo ſanitatem recipies. Audi igitur præceptum noſtrum, & fac, quæ te monuerimus. Vrbis huius epiſcopus Sylueſter, perſecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum ſuis clericis delitescit, in monte Soracte. Hunc ad te accerſe, eoque docente, diſces veram veritatis piſcinam, in qua cùm ter demerſus fueris, omnis lepræ deformitas te relinquet. Quo facto, hãc remunerationem compẽſa ſeruatori tuo, vt tuis imperijs, & eccleſiæ per totum orbem reſtituantur. Et tu teipſum in hac patre emunda, vt omnem idolorum ſuperſtitionem relinquens, ſolum viuum, & verum Deum, qui ſolus eſt verus Deus, colas, & adores, & eius adimpleas voluntatẽ. Experrectus igitur, iuxta quæ fuerant imperata ab Apoſtolis feci, aduocanſq, eximium, & egregiũ patrẽ vniuerſalẽ Papam, qui nos illuminauit, Sylueſtrũ, oĩa quæ mihi mandauerãt ſancti Apoſtoli ei expoſui, requiſiuique ab eo, quinam Dij eſſent Petrus, & Paulus nuncupati. Ille dixit, eos non appellari verè Deos, ſed eſſe Apoſtolos ſeruatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti. Iterum cępi rogare beatiſſimum papam: Num quæ clarè horum Apoſtolorum haberentur imagines, ſi ex pictura ſaltem poſſem eos agnoſcere, quos ex viſione didiceram. Tunc omnibus modis venerandus ille pater diuorum Apoſtolorum imagines afferri per diaconum iuſſit. Quas ego cõſpicatus, & eorum effigies, quos in ſomno vidiſſem, per eas imagines recognoſcens, magna voce coram ſatrapis noſtris exclamaui, hos eſſe quos vidiſſem in ſomnis. Ad hæc beatiſſimus is pater noſter Sylueſter vrbis Romæ Epiſcopus, tempus nobis pęnitentiæ præſcripſit in cilicio intra noſtrum palatium Lateranenſe, vt omnia a nobis impurè geſta, & iniuſtè perpetrata, ieiuniis, vigilijs, lachrymis, & precibus apud Dominum ſeruatorem noſtrum delerentur. Exinde clericis imponentibus mihi manus, vſque ad ipſum ſummum pontificem perueni: ibique renuntians pompis ſatanæ & operibus eius, & omnibus manufactis idolis, me credere in vnum Dum patrem omnipotentem creatorem cęli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum Dominum noſtrum, cõceptum ex ſpiritu ſancto, & Maria virgine, ſponte in conſpectu omnis populi cõfeſſus ſum. Benedicta piſcina, illic me terna immerſione ſalubris aqua expiauit. Cùmque eſſem in ſinu piſcinæ, manũ tangentem me de cęlo, propriis oculis vidi, & ab ea mũdus exurgens omni lepræ fęditate me mundum cognoui. Elatum autem me ex ſacra piſcina, candidis veſtibus induerunt. Septiformeque Spiritus ſancti ſignum indidit, beatæ vnctionis contactu, ſignũ ſanctæ crucis pater meæ fronti impreſſit, dicẽs. Signet te Deus ſigillo fidei ſuæ, in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti. Omniſque clerus reſpondit, Amen Adiecitque ſummus antiſtes, Pax tibi. Tertia igitur die poſteaquam accepiſſem myſterium diuini baptiſmatis, & poſt lepræ curationem, cognoui non eſſe alium Deum, præterquam Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, quẽ beatiſſimus Papa Sylueſter prædicat, Trinitatem in vnitate, & vnitatẽ in Trinitate. Omnes enim Dij gentium quos olim colebam, eſſe dæmonia, opera manuum hominum, clarè probantur. Ad hæc quantam autoritatem ipſe ſeruator noſter, Apoſtolo ſuo beato Petro tribuit in cęlo & in terra, apertè nobis ipſe eximius pater expoſuit, quando illum fidelem inueniens in interrogatione dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meâm, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Conſiderate principes, & auribus cordis attendite, quid bonus præceptor, dominuſque ſuo diſcipulo donauerit dicens: Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quod ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis. Verbum ſtupendum, & admirabile, in terra ligare, & ſoluere, in cœlis ligatum eſſe, & ſolutum. His igitur cognitis beato Sylueſtro docente, ſentienſque beneficio beati Petri corpori meo redditum ſanitatem, dignum iudicauimus cum omnibus ſatrapis noſtris. Audiſtis cõfeſſionem, ac donationem, ſingulaque myſteria Chriſtianæ religionis confitentem, explicantemque Conſtantinum, omnia præclara, & admiranda ex admiratione Chriſtianæ religionis, miraculorumque inſpectione, ventum eſt ad donationem, conſecrationemque imperij. Ex hiſtoria cognoſcitur cõfeſſio, eodem ordine, ac ſerie, ac conſecutione, ab illo præclaro baptiſmo, prodigijſque ante ſenatum, populumque editis, progreſſus eſt Imperator cum eodem illo ſpectatore ſenatu, ad deuouendum ſe, ſuaque omnia ſummo Deo Chriſto, eiuſque inſignibus Apoſtolis. Noſti eum non præcipitanter, non temerè ad conſecrandum imperium deueniſſe, ſed prius Trinitatem, myſteriaque religionis Chriſtianæ confeſſum, eorum ſe prudentem, ac penitus gnarum, peritumque oſtendiſſe. Fatetur ſe à Sylueſtro eruditum fuiſſe. In ipſa confeſſione, vt cernitis, continetur tota hiſtoria, quæ in concilio fuit prolata. Quæ fides, quæ vetuſtas eſt hiſtoriæ, eadem eſt confeſſionis. Omnia quæ protulit, legitq; Adrianus, Damaſus, Gelaſius, Nicolaus de Sylueſtro, & Conſtantino, expreſſa ſunt in confeſſione de lepra mundata, de viſis Apoſtolis, eorumque imaginibus, de baptiſmo. Additur à Conſtantino, cùm baptizaretur, vidiſſe ſe manum è cœlo, corpus ſuum tangentem, maculaſque abſtergentem. Eiuſdem ſunt ordinis omnia, eiuſdem vetuſtatis, cum confeſſione vides annexam conſequentemque donationem, unum eſt decretum, vnum edictum, quo hæc vniuerſa continentur, vt in ipſo exordio licet conſpicere. Inter alia eſt, quod maxime conuincit Laurentium, ἑκουσία γνώμη παντὸς ἔμπροσθεν τοῦ λαοῦ ὠμολόγησα. Sponte mea, meo iudicio, coram omni populo confeſſus ſum Chriſtianæ religionis myſteria, Iſto populo, & omni ſenatu præſente, omnibuſque proceribus aſtantibus, iuſtum, dignũque iudicauit, omnia ſe Chriſto deuouere. Cuius item ut vetuſtatis, cuius venerationis apud

Græcos hoc decretum, aut edictum, eo fit perſpicuũ, quod tum in Italia litteris vetuſtiſſimis Longobardorum ſcriptum reperitur, egoque oſtendam volenti, tum a Græcorum Imperatoribus inſertum eſt inter alias leges, decretaque imperatorum. In libro iurium eccleſiaſticorum, atque imperialium qui inſcribitur Nomocanon, ſic habet: ὅτι πᾶσα ἐκκλησία ἀπὸ τοῦ πάπα ῥώμης δικαιοῦται ὡς ἐκ τῆς τοῦ μεγάλου διατάξεως ἰδεῖν ἐστὶ τῆς δὲ βίβλου ἡ ἀρχή ἐστι πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ἥτις διαιρεῖται εἰς δέκα τέσσερα τίτλους. Quod omnis eccleſia à Papa Romæ ius accipit, quemadmodum ex edicto Conſtantini cernere licet. Huius libri initium, obedite præfectis, qui liber diuiditur in quatuordecim titulos. Hæc apud Gręcos in libro ſupra propoſito. Vigeſimo aũt capite eſt, πᾶσα πόλις τὰ συνήθη παλαιᾶς ῥώμης ἀκολουθεῖν ὀφείλει. Oĩs vrbs ſeq; debet cõſuetudines Eccleſię Romanę. Tũ ſubiicit. οἷα δὲ εἰσὶν τὰ προνόμια τῆς παλαιᾶς ῥώμης ἁγίας ἐκκλησίας παρίστησιν ἡμῖν τὸ ἰσαποστόλου ἁγίου Κωνσταντίνου μεγάλου γεγονὸν ἔγγραφον θέσπισμα πρὸς τὸν ἅγιον Σύλβεστρον τότε πάπα τῆς ῥώμης ὃ καὶ οὕτως ἔχει. Quæ ſint aũt priuilegia antiquę Romę ſanctæ Eccleſiæ, exhibet nobis ſancti, magni, ęqualis Apoſtolis Conſtan. decretum, ſcriptum ad ſanctum Sylueſtrũ tunc papã Romæ, quod hoc modo habet. Hucuſq; illi. His clarum eſt quam fidẽ habuerint Græci decreto, ſiue edicto Conſtantini. Non contempſerunt: ſed approbauerunt, amplexi ſunt: non crediderunt, quemadmodum vetuſtarum, reconditarumq; litterarum imperitus Grammaticus, eſſe fabuloſum. Sunt alia apud Græcos, & Latinos præclara, ac peruetuſta monimenta, quibus quiſque percipere poſſit, edictum donationis eſſe veriſſimum, à magno Conſtantino editum, ſi per omnes ipſius edicti partes animum vertens eas conferas cum his, quæ dixi monimentis. Velut quod Conſtantinus ſanxit, vt Eccleſia Romana, ſedeſq; Petri eſſet caput omnium Eccleſiarum, & ab ea totius religionis ordo dependeret, ab ea iudicium in cauſis fidei expectandum eſſe, eam eſſe in religione conſulendam. Hoc ſciens perceptumq; habens Carolus Magnus Imperator, eodem tempore quo Adrianus pontifex protulit in concilio hiſtoriam Sylueſtri, ſcribens & ipſe de Imaginibus, cùm imperaret Conſtantinopoli Conſtantinus, & Irene mater, recipiens quæ magnus Conſtantinus ſtatuiſſet, ſic ſcribit libro primo capite ſexto: (eſt autem liber vetuſtiſſimus litteris Longobardicis ſcriptus in bibliotheca Palatina, non credenti videndi fiet poteſtas, Antequam, inquit, diſcutiendorum teſtimoniorum, quæ abſurdè Orientales in ſua ſynodo taxauerunt, ſyluam ingrediamur, dignum duximus, vt qualiter ſancta Romana eccleſia cęteris eccleſiis à Domino prælata eſt, & à fidelibus conſulenda eſt, ſic proſequamur: præſertim cùm non ab alijs ſcripturis, niſi ab his, quas illa inter canonicas recepit, teſtimonia ſint ſumenda. Hæc aliorum doctorum, niſi eorum, qui à Gelaſio, vel à cæteris illius ſanctæ ſedis pontificibus ſuſcepti ſunt, dogmata ſint amplectenda. Nec aliter, atque aliter pro cuiuslibet arbitrio, ſed ſanè, ſobrieq; quæ ab illis dicta ſunt, ſint intelligenda. Ait enim B. Auguſtinus cùm inſtitueret, quæ ſcripturæ eſſent recipiendæ, vel qualiter intelligendæ: Erit igitur diuinarum ſcripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primò totas legerit, notaſq; habuerit ſcripturas, & ſi nondum intellectum, iam tamen lectione duntaxat eas, quæ appellantur Canonicæ. Nã cæteras ſecurius leges, fide veritatis inſtructus, ne præoccupent imbecillum animum, & periculoſis mendaciis, atq; phantaſmatis eludentes, præiudicent aliquid contra ſanam intelligentiam. In Canonicis autem ſcripturis eccleſiarum catholicarum quàm plurimum autoritatem ſequatur. Inter quas ſanè illa ſint, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt. Nam cùm hic cunctis per orbem cõſtitutis ſedibus, Apoſtolicas generaliter proferat ſedes, multo magis illa omnibus præferenda eſt, quæ etiam cæteris Apoſtolicis ſedibus prælata eſt. Sicut igitur cæteris diſcipulis, Apoſtoli, & Apoſtolis omnibus Petrus eminet, ita nimirum cęteris ſedibus Apoſtolicæ, & Apoſtolicis Romana eminere dinoſcitur. Hæc enim nullis ſynodicis conſtitutis cæteris eccleſijs eſt prælata, ſed ipſius Dñi autoritate primatum tenet, dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis. Cui non incongruè beati Pauli doctoris gentium eſt attributa ſocietas, vt illius ſanctæ eccleſiæ omnino firmaretur autoritas. Quatinus altero ad piſcandas animas electo ex piſcatore, altero ad muniendam eccleſiam, ex perſecutore, vt in altero Dei filij vera confeſſio, in altero appareret diuini verbi ſacra prędicatio: cũ alteri conceſſerit idẽ Dei filius claues regni cælorum, alteri clauem aperiendorum legalium verborum. Vtriq; tamen virtutem ſignorum, quo alter ad eum cruce, alter gladio pergens, fidelibus arrabonem corporalis ſarcinæ relinquentes, & exempli fulgore, & verbi decore, & ſancto cruore ſupra dictam eccleſiam Romanam ei dicarent, quam ſupra ſolidiſſimam petram fundatam, nec deſcendens pluuia, nec venientia flumina, nec flantes venti ruere compellerent. Hæc ergo ſanctæ fidei ſpiritualibus munita armis, & à fonte lucis, & origine bonitatis, ſalutaribus ſatiata fluentis, & horrendis atrocibuſq; hæreſum obſiſtit monſtris, & melliflua prædicationis pocula catholicis per orbem miniſtrat eccleſiis. Nam beatiſſimus Hieronymus, vir diuinis legibus, & multarum linguarum peritia eruditus, dum Bethleemiticis moraretur in aruis, & à beato Papa Damaſo Romę poſito de difficilibus conſuleretur quæſtionibus, eum pro cauſis fidei verſa vice conſuluiſſe dignoſcitur, & ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon, vel quibus in Orientalibus partibus communicare debeat, humilibus apicibus, vt apices accipiat deprecatur. Mira res, & magnis prædicanda præconiis, interrogat, a quo interrogatur, conſuluit, a quo conſulitur, qui magiſtrum ſe in interpretãdis diuinis ſcripturis ſentit. in cauſis fidei venerandi pontificis ſe diſcipulum minime erubeſcit, & cui ſacræ legis quæſtionum nexus enodat, vtrum hypoſtaſis dicere debeat, quibus ve in Oriente communicare efflagitat. Vnde datur intelligi ſanctos, & eruditos viros per diuerſas mundi partes prædicationis, & ſcientiæ lampade coruſcantes, non ſolum à ſancta Romana eccleſia non receſſiſſe, ſed etiam tempore neceſſitatis ob fidei corroborationem, ab ea adiutorium implorasſe, quod regulariter, vt præfati ſumus, & exemplis docuimus, omnes catholicę debent obſeruare eccleſiæ, vt ab ea poſt Chriſtum, ad muniendam fidem, adiutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentoſa hæreſum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. A cuius ſancta, & veneranda communione, multis recedentibus, noſtræ tamen partis nunquam receſſit eccleſia, ſed ea apoſtolica eruditione inſtruente, & eo à quo eſt omne donum optimum, & omne datum perfectum, tribuente, ſemper ſuſcepit reuerenda chariſmata, quę dum à primis fidei temporibus cum ea perſtaret in ſacrę religionis vnione, & ab ea paulò diſtaret in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ genitoris noſtri illuſtriſſimi, atq; excellentiſſimi viri Pipini regis cura, & induſtia ſiue aduentu in Gallias Reuerẽdiſſimi, & ſanctiſſimi viri Stephani Romę vrbis antiſtitis, eſt ei etiam in pſallendi ordine copulata, vt non eſſet diſpar ordo pſallendi, quibus erat compar ardor credendi. Et, quę vnitę erãt vnius ſanctę legis ſacra lectione, eſſent etiam vnitæ vnius modulaminis venerãda traditione. Nec ſeiungeret officiorum varia celebratio, quas coniunxerat vnicæ fidei pia deuotio. Quod quidem & nos collato à nobis à Deo Italiæ regno fecimus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ faſtigium ſublimare cupientes. Et Reuerendiſſimi E Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parentes, ſcilicet vt plures illius partis eccleſiæ, quæ quondam Apoſtolicę eccleſię ſedis traditionem in pſallendo ſuſpicere recuſabant, nunc eam omni diligentia amplectantur. Et cui adhęſerant fidei munere, adhæreant quoque pſallendi ordine. Quod non ſolum omnium Galliarum prouincię, & Germania, ſiue Italia, ſed etiam Saxones, & quędam Aquilonaris plagę gentes per nos, Deo annuente ad veræ fidei rudimenta conuerſę facere noſcuntur. Et ita beati Petri ſedem in omnibus ſequi curãt, ſicut illo peruenire, quò ille clauicularius extat, deſiderãt. Ad quam beatitudinem nos peruenire, & in ſanctæ eccleſiæ conſortio, & vnione, ille nos faciat perſeuerare, qui eccleſiam ſuam in Petro dignatus eſt fundare, & ipſo interueniente, cuius cathedræ ſumus ſequaces, regni cælorũ, cuius ille clauiger eſt factus, mereamur effici compotes. Cernitis magni Imperatoris autoritatem, vt aſſerat, confirmet, quod magnus Conſtantinus edicto ſtatuerat. Dixerat Conſtantinus, καὶ τὸν κατὰ καιροὺς αὐτῆς τῆς ἱερᾶς καὶ ἁγίας ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας ὄντα ἀρχιερέα ὑψηλότερον εἶναι, καὶ ἄρχοντα πάντων τῶν ἱερέων τῶν ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ ἀλλὰ καὶ πάντα ὧν δεῖ φροντίζειν πρός τε τὴν θείαν λατρείαν ἢ τὴν στερεώτητα τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως τῇ τούτου κρίσει οἰκονομεῖσθαι. Et qui pontifex per tempora futurus eſt in ſancta eccleſia Romana celſiorem eſſe, atque imperare omnibus terrarum orbe ſacerdotibus. Sed, & omnia gubernare ſancimus, quæ ad religionem Dei ſtabilitatemq; Chriſtianæ fidei ſpectant, eiuſq; iudicio ſubiecta eſſe. Hęc Conſtantinus. Carolus autem, qui hæc in eius edicto haberi noſſet, conſentanee ſcripſit, Sancta Romana eccleſia cæteris eccleſijs a Dño prælata. Et, Tempore neceſſitatis ob fidei corroborationem ab ea audiutoriũ, ſanctos, ac eruditos viros imploraſſe. Et, quod primatum à Deo habuerit. Quę Carolus Magnus de teſtimonio diui Hiero. F ſuper eccleſia Romana ſcripſit, quoniam præclarum eſt, & dignum, quod ab omnibus ſapientibus, ac verè Chriſtianis conſideretur, ſubijciam. Quandoquidem, & magni viri, ſummiq; Theologi, necnon antiquitate conſpicui, inter decreta, & compendium ſacrorum inſtitutorum referre id voluerunt, ſcilicet Anſelmus, & Iuo Carnotenſis. Scripſit igitur Hiero. in hunc modum, cùm in palæſtina degeret. Arriana hæreſi per totum Orientem omnia populante, ac deuaſtante: cuius vocem hodiernam in religione ferocitatem audire oporteret, ipſumq; Vallenſem ſceleratorum anteſignanum perpendere decuiſſet, quid veteres patres de ſede Petri prædicaſſent, tunc intellexiſſet, pijſſimum Conſtantinum omnibus factis expreſſiſſe, quod ſancti illi patres ſcribẽdo, aut loquendo confeſſi eſſent, poſteritatiq; reliquiſſent. Quoniam, inquit diuus ille, vetus oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicã, & deſuper textam, minutatim per fruſtra decerpit, & Chriſti vineam exterminant, vulpes inter lacus contritos qui aquam non habent, vt difficile vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi. Ideo mihi cathedram Petri, & fidem, Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neq; vero tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ. Profligato a ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur autoritas. Ibi ceſpite terra fęcundo dominici ſeminis puritatẽ centeno fructu refert, hic obruta ſulcis frumenta in lolium, auenaſq; degenerant. Nunc in occidente ſol iuſtitiæ oritur, in oriente autem lucifer ille qui ceciderat, ſupra ſidera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos vaſa aurea, & argentea: hi teſtæ, ſeu vaſa fictilia, virgam ferream, & ęternum operiuntur incendium. Quamque tui me terret magnitudo,

tantum inuitat humanitas, a ſacerdote, victimam ſalutis, a paſtore præſidium,ouis efflagito. Faceſſat inuidia Romani culminis, recedat ambitio,cum ſucceſſore piſcatoris, diſcipulo Chriſti loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ,id eſt cathedræ Petri,communione conſocior. Super illam petram ędificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra domum hanc agnum comederit,profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, perit regnante diluuio. Et quia pro facinoribus meis ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam cognomento barbariæ fine diſterminat, non poſſum ſanctum Dñi, tot interiacentibus ſpatiis a ſanctimonia tua ſemper expetere: ideo collegas tuos Aegyptios ſequor, & ſub eorum parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem,Meletum reſpuo,ignoro Paulinum. Quicunque tecum nõ colligit,ſpargit. Hoc eſt, qui Chriſti non eſt,Antichriſtus eſt. Hæc eximius ille Theologus. Audis ſolum in cathedra Petri incorruptam patrum ſeruari autoritatem:in occidente Solem iuſtitiæ exoriri: hic lucẽ mundi eſſe: ſuper illam petram audis ędificatam Eccleſiam Chriſti: profanũ eſſe, qui extra domum hanc degat,veluti qui in Arca Noe inundante diluuio nõ fuiſſet,naufragari: Antichriſti ſigna ſequi, qui non ſequatur doctrinam, & fidem Petri. Verum vt noſcas omnium ſanctorum priſcorum Theologorũ eandem fuiſſe ſententiam: audi etiam vt diuus Ambroſius nõ ſecus locutus fuerit,quam diuus Hieronymus, vterque Conſtantini magni vicini temporibus. Hanc,inquit,ſolam Eccleſiæ nauem Dominus aſcendit,in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus. Quæ nauis in altũ ſæculi iſtius natat,ita vt pereunte mundo,omnes quos ſuſcipit,ſeruet illæſos. Sicut enim Noe Arca,naufragãte mundo cunctos,quos ſuſceperat,incolumes ſeruauit,ita & Petri eccleſiam,conflagrãte ſæculo, omnes quos amplectitur,repræſentabit illæſos. In vrbe,inquit,Roma,quæ principatum,& caput
B obtinet nationum,paſſi ſunt glorioſi Apoſtoli: vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant,illic eccleſiarum principes morarentur. Sic diuus Ambroſius,qui clarè eam priuilegij Conſtantini periodon aſſerit,comprobat,qua magnus Imperator,actus ſpiritu diuino exclamauit: Iuſtum non eſt,vt Dominus terreſtris imperet, vbi Deus conſtituit principatum cœleſtem. En Eccleſiarum principes, en cœleſtis principatus, vt omnes mirificè conſentiunt ſuper re diuina, ac præcipua. Eadem hæc vidit, notaque habuit ſanctiſſimus Athanaſius. Floruit enim eadem tempeſtate, viditq; ipſum Conſtantinum, eiuſque filios: Niceno concilio interfuit, cum haberet percepta,quæ Conſtantinus Chriſti præcepta ſecutus illo edicto ſanxiſſet, ſic ſcripſit: Non erat copia exemplaris Græci, ex peruetuſto Latino, quod erat in Bibliotheca Palatina. Domino beatiſſimo Papæ, & honorabili ſancto patri Felici, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ vrbis Romæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorum, Thebaidorũ, & Libyorum epiſcopi in ſancta Alexandriæ ſynodo gratia Dei conuocati. Pater beatiſſime,quia ſemper anteceſſores noſtri,& nos a veſtra Apoſtolica ſancta ſede, auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere cognouimus,præfatam Apoſtolicam,& ſummam expetimus iuxta canonum decreta,ſedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes,& dogmata, atque ſubleuationes ceperunt. Ad eam quoque quaſi ad matrem recurrimus,vt eius vberibus nutriamur:quoniam non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum. Sic & vos nolite nos obliuiſci, vobis commiſſos,quoniam non leuibus nos inimici noſtri implicuerunt, & quotidie facere moliuntur,afflictionibus,& apprehendere,ac ferreis nos conſtringere minantur, niſi eorum conſentiamus erroribus:quod vobis inconſultis nequaquam agere præſumimus: Canonibus quippe iubẽ-
C tibus abſque Romano nos de maioribus cauſis nihil debere decernere pontifice. Ideoque ad propoſitum currentes,& ad brauium properantes, veſtræ Apoſtolicæ ſedis imploramus auxilium. Quia,vt credimus,non deſpexit Deus preces cum lachrymis ſibi oblatas ſeruorum ſuorum, ſed ob id vos veſtroſque prædeceſſores Apoſtolicos videlicet præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniumque eccleſiarum eis habere curam præcepit, vt nobis ſuccurratis, noſque tuentes,cui omne iudicium epiſcoporum eſt commiſſum,liberare non negetis. Nam ſcimus in Nicena magna ſynodo cccviij. epiſcoporum,ab omnibus concorditer eſſe corroboratum, non debere abſque Romani pontificis ſententia concilia celebrari. Hæc diuus Athanaſius,multaque pręterea grauiora. Audis in ſummitatis arce conſtitutum Romanum pontificem, omne iudicium epiſcoporum ei commiſſum, omnium eum eccleſiarum habere curam,de maioribus cauſis ab ea ſede iudicium expectandum. Ea videlicet quæ ſanxerat,promulgauerat in edicto Conſtantinus. Sed quid me piget,cum præclara ſint, & ad impietatem grammatici conuincendam maximè idonea, proferre quę idem Athanaſius proloquitur: Similiter, inquit,& a ſupradictis patribus eſt definitum conſonanter, vt ſi quiſquam epiſcoporum, aut metropolitanum, aut comprouinciales, aut iudices ſuſpectos habuerit,veſtram ſanctam Romanam interpellet ſedẽ, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi,& ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Ipſa enim firmamentum a domino fixum, & immobile percepit, quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſſimam, dominus Ieſus Chriſtus veſtram Apoſtolicam conſtituit ſedem. Ipſa eſt enim ſacer vertex, in qua omnes vertuntur, ſuſtentantur, & releuantur: & ſicut in Chriſto Chriſtiani, ita in petra, id eſt Petro, Chriſti renouantur Eccleſię. Tu es enim,ſicut diuinum veraciter teſtatur eloquium, Petrus: & ſupra fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ, ideſt epiſcopi,qui Eccleſiam ſuſtinere, & proprijs humeris reportare debent, tibi ſunt confirmatæ. Tibique claues regni cœlorum commiſit,atque ligare,& ſoluere poteſtati tuæ,quæ in terra, & quæ in cœlis ſunt, promulgauit.

Tu profanarum hæreſum,& imperitorū,atque omnium infeſtantiū depoſitor,vt princeps,& doctor,caputq; omnium orthodoxorū doctrinæ,& immaculatæ fidei exiſtis. Igitur ne deſpicias patrum tuorum pater pietatem,bonamq; intentionem,& ſicut illi patres,& prædeceſſores a multis liberauerunt oppreſſionibus,& anguſtiis,ita nos liberare digneris. Nã ſemper fuit veſtræ ſanctę, & Apoſtolicæ ſedi licentia,iniuſtè damnatos,vel excõmunicatos,poteſtati ſuæ,ſua autoritate reſtituere,& ſua eis oĩa reddere,& illos,qui eos condemnauere,aut excommunicauere,Apoſtolico punire priuilegio,ſicut etiam noſtris, & anterioribus cognouimus actū temporibus. Idem Athanaſius: Antiquis enim regulis cenſitū eſt,vt quicquid quamuis in remotis,aut longinquo poſitis prouinciis inſuper ep̃orum querelis,aut accuſationibus ageretur,non prius tractandum,aut accipiẽdum eſſet,quàm ad notitiã almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum,vt huius autoritate,iuxta quã fuiſſet pronunciatum infirmaretur,aut firmauerit. Indeq; ſumerent normam,vnde Eccleſię ſumpſere prædicationis exordiū,ne paſſim ab inſidiatoribus columnæ auerterẽtur Eccleſiæ. Certum eſt enim, ꝙ eidem ſedi veſtræ in honore beatiſſimi Petri, patrū decreta peculiarẽ decreuere reuerentiam Dei,pro rebus inquirendis,atque determinandis,quas ſollicitè decet,iuſteq; ab ipſo pręſulū vertice examinare Apoſtolico,cuius ſollicitudo ſemper fuit,& eſt,tam mala damnare,quàm probare laudanda. His Athanaſij magni,ac ſanctiſſimi Theologi dictis,nemo erit tã vecors,tã improbo ingenio,qui non percipiat,ac perſuaderi velit,modo apud ſe ſit,quoniam hæc dixit is,qui concilio Niceno interfuit,interfuit etiam Conſtantinus, ea quæ ipſe magnus Imperator illo ſuo priuilegio edidit,redolere mentem ipſius concilij,vocem illam Conſtantini,eſſe vocẽ totius concilij,eodem tp̃e editam. Nihil aliud protulit,ſanxitq; Conſtantinus,quàm quod Athanaſio teſte totum concilium Nicenū definiuit,de magna Petri,ac principali maieſtate,quæ tranſierit,perenniter ad ſucceſſores. Hoc irrefragabile eſt teſtimonium ſuper priuilegio Conſtantini,ſuper antiquitate,ac veritate. A cõcilio Niceno natū eſt edictum illud,admirandumq; priuilegiū,didicit ab illis patribus venerari Petri principatū Conſtantinus, a quo vniuerſa regatur eccleſia. Quid amplius eſt in priuilegio Conſtantini, quod non ſit apud Athanaſium de laudibus huius ſanctiſſimi principatus? Quòd autem concilio Niceno, veluti primas interfuerit ipſe declarat his verbis.

Petitio Aegyptiorum Epiſcoporum pro Capitulis LXX. Niceni Concilij ab autoritate Sedis Apoſtolicæ.

DOmino ſancto,& Apoſtolici culminis dignitate venerando,Marco ſanctæ Rom.& Apoſtolicæ ſedis,atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ,Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorum ep̃i. Nicenam ſynodū in contumeliam noſtram, & omnium Chriſtianorum,Arriani incenderunt. Quapropter precamur pater beatiſſime,vt illa nobis exẽplaria,quæ ſanctæ recordationis prædeceſſori veſtro Syluestro miſſa fuere,ſub tota mittatis ſtipulatione. Nam ſub noſtræ præſentiæ teſtimonio per beatos Victorem,& Vincentium presbyteros,& apocrifarios Apoſtolicæ ſedis miſſa ſunt prædicto Papæ Syluestro cum ſtipulatione ſubnixa, capitula lxx. Sanè præſentibus nobis lx. in memorata Synodo capitula tractata ſunt. Scilicet xxx. a Gręcis,Gręca lingua edita: & xxx. a Latinis, Latinè edita. Sed viſum eſt ccc. & xviij. patribus, vt decem capitula adunarentur in congruis locis, & ad formam lxx. diſcipulorum, vel totius orbis terræ linguarum lxx. tanti, & tam excellentis concilij fierent capitula, quæ omnem Chriſtianorum orbem in vna fide firmarent. Nunc ergo optamus, vt a veſtræ ſedis autoritate, quæ eſt caput, & mater omnium eccleſiarum, ea ad correctionem fidelium orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur.

Vt autem noſcas vera eſſe,quæ ſcripſit Carolus magnus,& quæ magnus Conſtantinus,itemq; Athanaſius de ſedis Romanæ principatu: audi quæ longè vetuſtiſſimus Pontifex Iulius primus, poſt Marcum Syluestri ſucceſſor,ſcripſerit orientalibus. His perſuaderi facilè poteris,verè priuilegium a Conſtãtino pio,ſanctoq; Imperatore editum fuiſſe: quippe qui complexus eo fuerit ea, quæ ſuperiores Theologi,& concilium Nicenum vnanimiter confeſſi fuerant. Scribit ergo Iulius orientalibus: Venerabilibus fratribus vniuerſis orientalibus ep̃is Iulius. Porro dudum a ſanctis Apoſtolis,ſucceſſoribusq; eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis,quæ hactenus ſancta, & vniuerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari,nec ep̃m damnari,quoniam ſanctam Romanam Eccleſiam primatum omnium eccleſiarum eſſe voluerunt: & ſicut beatus Petrus primus fuit omnium Apoſtolorū,ita & hęc eccleſia ſuo nomine cõſecrata dño inſtituente,primatus,& caput ſit cæterarum,& ad eam quaſi ad matrem,& apicem omnes maiores eccleſiæ, cauſæ, & iudicia ep̃orum recurrant, eiuſq; iuxta terminum ſumant ſententiam. Nec extra Romanum quicquam ex his decerni debere pontificem. Hæc ille. Quibus clariſſimè probatur, cùm Conſtantinus magnus eodem ferè tempore floruerit, quo hæc ſcripſit Iulius,tantopere ſuo illo edicto hęc de principatu Romanæ ſedis prædicaſſe,tantopere reliqui Theologi ſuis epiſtolis, cæteriſq; ſcriptis idẽ prius aſſeruiſſent. Ipſumq; Conſtantinum cū vetuſtis illis Theologis,os quoque ſuum ſuper his ſumma pietate inflammatū aperuiſſe. Quod & magnus Carolus pariter eſt inſecutus. Similia eiidem orientalibus proſequens Iulius addidit, vt noſcas veterum patrum de ſedis ſancti Petri maieſtate, ac primatu ſententiam: qui quidem principatus, ac maieſtas, non noſtris ſæculis exorta eſt: ſed a Chriſto profectam Apoſtoli, vetereſque Theologi confeſſi ſunt, poſteriſque ſcriptum, ac prædicatum reliquerunt.

Iulius

A Iulius reprehendēs eoſdem orientales,quibus ſemper ferè mos fuit inſoleſcere, audi quid de
Concilij Niceni decretis pro Romanæ ſedis excellentia ſcripſerit:Quid Chriſtus,quid Apoſtoli
de ea ſtatuerint, vt non ſit mirum,eodem tempore ſimilia ſcripſiſſe, ac ſanxiſſe Conſtantinum.

Iulius eiſdem Orientalibus: Si quis ab hodierna die, & deinceps epiſcopum præter huius
ſanctæ ſedis ſententiam damnare; aut propria pellere ſede præſumpſerit, ſciat ſe irrecuperabiliter
eſſe dānatū,& proprio carere perpetim honore,eosq;,qui abſq; huius ſedis ſententia ſunt eiecti,
vel dānati, huius ſanctæ ſedis ſententia,vel autoritate, ſcitote priſtinam recipere communionem,
& in propriis reſtitui ſedibus. Quoniam, & prius, a tempore ſcilicet, Apoſtolorum, hæc
ſanctæ huic ſedi conceſſa ſunt,& poſtea in memorata Nicena ſynodo propter prauorum hominum
infeſtationes,atq; hæreticorum perſecutiones,& inſidiantium molimina fratrum, ſunt cōcorditer
ab omnibus roborata,vt magis ſinguli præuideant, nec talia audeant perpetrare,& caueant
ſi non propter Deum, & honorem fraternum, tamen propter opprobrium hominum, &
ruborem ſuum, atq; canonicam vltionem, ſaltem hæc timore, & verecundia compreſſa ſilentio
comprimantur,amputato ſcilicet totius vſurpationis exceſſu. Quia nullus debet præſumere,quę
ſibi non videntur eſſe conceſſa.Quam in culpam nullo modo potuiſſetis incidere,ſi vnde conſecrationem,
& honorem accipitis,inde legem totius obſeruationis ſumeretis. Et beati Apoſtoli
Petri ſedes,quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis,eſſet,& Eccleſiaſticę magiſtra rationis.

Vellem enim vos magis ad eam dictam canonicam venire vocationem, vt coram vniuerſali
concilio redderetis rationem,cur ſynodum ad ſtatum eccleſiarum,& fratrum in Antiochia ſubuertendum,
& Niceni magni concilij deſtructionem feciſtis. Aut cur nobis inconſultis epiſcopos
B in eam conuocaſtis, ad quam, nec Maximus Hieroſolymitanus venit,nec noſtra interfuit
legatio?Canonibus quippe in Nicena ſynodo iubentibus non debere præter ſententiam Romani
pontificis vllo modo concilia celebrari,nec epiſcopos damnari: cur in prædictorū locum fratrum,
alios poſuiſtis, antequam penes nos,aut noſtros apocriſarios eorum cauſa canonicè eſſet
examinata,finemq; perciperet rectum?Quibus ita geſtis ſcripſi vobis,& omnibus,qui in Antiochia
contra Apoſtolicam, canonicamq; regulam nobis inconſultis fueratis congregati, arguens
vos primum de iniuriis litterarum,Deinde cur Athanaſium ſuoſq; conſecratores ad veſtrum cōcilium
conuocaſſetis, omnibus ſcilicet præcipientibus nihil extra Romanum decerni pontificem,
cui hæc,& maiora eccleſiarum negocia tā ab ipſo Domino,quàm ab omnibus vniuerſorum
conciliorum patribus, ſpeciali ſunt, vt iam dictum eſt, priuilegio contradita. Vobis verò refugientibus,
& ad conciliū totiens conuocatis adeſſe nolentibus,illis quoque in ſua reclamatione,
& iuſta ratione perſiſtentibus, veſtraq; cognoſcentibus crimina, & illorum iuſtam examinantes
rationem,omneſq; eos Niceno concilio comperientes, & noſtris Apoſtolicis iuſſionibus obtēperantes,
viſum eſt nobis,ac vniuerſo concilio, vos diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis
informare,qui pro omniū eccleſiarum ſtatu impigro vigilare debemus affectu,vt ſi quicquam reprehenſione
vſquam inuenitur obnoxium,celeri ſolicitudine,aut ab ignorantiæ imperitia,aut à
præſumptionis vſurpatione reuocemus. His taliter conſideratis, atque decretis, tanquam
omnium curam gerentes,propter ſedis propriæ dignitatem, ſuſcepimus eos in communionem,
ſinguliſq; cū ſuis autoritate huius ſanctæ ſedis rebus propriis reddimus eccleſias. Quoniā huic
ſanctæ ſedi propter prauorum homimum inſidias,ipſo domino inſtituente, & ſanctis eorū ſucceſſoribus
C per ſingula concilia roborantibus,hoc ſemper licuit,licebitque domino auxiliante in
perpetuum. Vnde,qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum,non moleſtè ferat,aliquem ſibi eſſe prælatum,
ſed obtemperantiam,quam ab aliis ipſe requirit gratis, & ipſe dependat. Quapropter increpando
vobis ſcribo,quia nō rectè tractaſtis viros inculpatos,& a nobis minime examinatos, de ſuis
eccleſijs communione priuatos pellentes,& eccleſiaſticę diſciplinæ iniuriam irrogantes,conſtitutaque
Niceni concilij minime ſeruantes, talia indiſciplinatè agere non formidaſtis. Idcirco
quoniam dudum venire vocati,renuiſtis,modò ad certum diem,ideſt, quintodecimo Cal. Nouemb.
vos iterum regulariter litteris,miſſiſque euocemus,vt coram vobis oſtendamus nos,iniuſtam
in eos poſtulaſſe ſentētiā,& de cætero non talia eſſe paſſuros.Eſt enim in antiquis eccleſię
ſtatutis decretum,vt qui aliena inuadit,non exeat impunitus,ſed cum multiplicatione reſtituat.
Vnde & in Euāgelio ſcriptum eſt:Quòd ſi aliquid defraudaui,reddo quadruplum. In lege quoque
cautum eſt, Maledictus omnis,qui transfert terminos proximi ſui, & dicit omnis populus,
Amen.Quare miror vos tam audaces eſſe,& tam imprudenter egiſſe, & terminos, ac iura beati
Petri Apoſtolorum principis inuaſiſſe.Sui enim,vt paulo ſuperius prælibatum eſt,iuris erat, vt
abſque eius ſanctæ ſedis autoritate nullus deberet,aut concilia celebrare, aut epiſcopos ad ſynodum
conuocare, vel eos damnare,aut propriis pellere ſedibus,aut alios in eorum loco ordinare.
Quæ omnia vos temerare non timuiſtis. Quid rogo eſt aliud talis præſumptio, niſi quod
Apoſtolorum ſuorumque ſucceſſorum decreta trāſgredi,& maledictionē ſuperius comprehenſam,
in lege cautam,quā omnis populus vno ore,conſonaque reſponſione per Amen,ideſt,Fiat,
confirmauit,ſuſcipere non timuiſtis? Nam vt reor,talibus tranſgreſſionum funiculis conſtricti,
noſtrum,ne veſtra proderentur flagitia,examen declinaſtis,& ad ſæpe dictam vocationem venire
diſtuliſtis.Sanè manifeſtum eſt,ſuum eos confiteri crimen,qui totiens euocati, abſque ineui-

tabili cauſa venire diſtulerint, & purgandi ſe voluntate non vtuntur. Regula veſtra nullas habet vires, nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis epiſcopis hoc concilium actum eſt, nec Romanæ eccleſiæ legatio interfuit, canonibus præcipientibus ſine eius autoritate concilia fieri non debere. Nec vllum ratum eſt, aut erit vnquam concilium, quod eius non fuerit fultum autoritate. Mihi, cui vice principis Apoſtolorum vniuerſalis eccleſiæ cura commiſſa eſt, ſummopere prouidendum eſt, ne talia deinceps fiant. Quoniam ideo huic ſanctæ ſedi præfata priuilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam de congregandis concilijs, & iudiciis, ac reſtitutionibus epiſcoporum, quàm & de ſummis eccleſiarum negotiis, vt ab ea, omnes oppreſſi auxilium, & iniuſtè damnati reſtitutionem ſumant, & talia ab improbis, nec præſumantur abſque vltione, nec exerceantur abſque ſua damnatione. Aſpice etiam, vt concilium Nicenum, voluerit autoritate Apoſtolica, quæ ſtatuiſſent confirmari, omniaque hæc nouiſſe Conſtantinum.

Petitio Niceni concilij, vt Apoſtolica autoritate confirmetur.

Beatiſſimo Papæ vrbis Romæ Syluestro, Oſius epiſcopus Cordubenſis prouinciæ Hiſpaniæ, & Victor, & Vincentius presbyteri vrbis Romæ, & cæteri epiſcopi CCC. & XVIII. ſalutem. Quoniam omnis corroborata eſt diuinis myſterijs eccleſiaſtica vtilitas, & ea, quæ ad robur pertinent ſanctæ eccleſiæ catholicæ, & Apoſtolicæ, ad ſedem tuam Romanam explanata de Græco in Latinum geſta ſancti concilij ſcribimus. Itaque cenſeat veſtra gloria in veſtræ Apoſtolicæ vrbis ſinu epiſcopos vobiſcum habere concilium, ſicut decet, vt firmet veſtrum ſanctimonium gradus præfixos, vel textus ordinationis. Quoniam quicquid conſtituimus in Niceno concilio, precamur vt veſtri oris conſortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro vniuerſo concilio. Data VIII. Cal. Septembr. Paulino, & Iuliano conſulibus.

Eandem edicti partem, vt penitus noſcas, non eſſe fictitium, ſed vetuſtiſſimum, & à magno Conſtantino prolatum, doctiſſimis priſcis Theologis confirmatum, Theodoritus, qui concilio Chalcedonẽſi interfuit, in libro ſuarum epiſtolarum in epiſtola ad Leonem expreſſit. Exemplar eſt in bibliotheca, ex vetuſto exemplari exſcriptum. Videbis, vt omnes mirificè congruant ſuper Romanæ ſedis maieſtate, laudibus ſummorum Apoſtolorum, eorumque ſepulchris Romę, vt in cauſis fidei ab ea ſede ſit auxilium expetendum, vt ei nitatur tota religio, quæ ſuperius Athanaſius abunde cum magno Carolo, reliquisve theologis. Græca hæc ſunt,

Λέοντι ἐπισκόπῳ ῥώμης.

Ἐν Παῦλος τῆς ἀληθείας ὁ κῆρυξ ἡ τοῦ ϖαναγίου πνεύματος σάλπιγξ πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε Πέτρον ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς, καὶ σμικροὶ πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν θρόνον, ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν: διὰ ϖάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει: πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι: τὰς μὲν γὰρ ἄλλας πόλεις ἢ μέγεθος, ἢ τὸ πλῆθος τῶν οἰκητόρων κοσμεῖ, ἐνίας δὲ τούτων ἐστερημένας πνευματικά τινα λαμπρύνει χαρίσματα: τῇ δὲ ὑμετέρᾳ φορὰν ἔδωκεν ἀγαθῶν ὁ τῶν ἀγαθῶν χορηγός: ἡ γὰρ αὐτὴ πασῶν μεγίστη καὶ λαμπροτάτη, καὶ τῆς οἰκουμένης προκαθημένη, καὶ τῷ πλήθει τῶν οἰκητόρων κυμαίνουσα: πρὸς δὲ τούτοις καὶ τὴν νῦν κρατοῦσαν ἡγεμονίαν ἐβλάστησεν, καὶ τῆς οἰκείας προσηγορίας τοῖς ἀρχομένοις μετέδωκεν: κοσμεῖ δὲ αὐτὴν διαφερόντως ἡ πίστις, καὶ μάρτυς ἀξιόχρεως ὁ θεῖος ἀπόστολος βοῶν ὅτι ἡ πίστις ἡμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ: εἰ δὲ εὐθὺς δεξαμένη τὰ τοῦ σωτηρίου κηρύγματος σπέρματα τοῖς ἀξιαγάστοις τούτοις ἐβεβρίθει καρποῖς, τίς ἀπόχρη λόγος τὴν νῦν ἐν αὐτῇ πολιτευομένην εὐσέβειαν εὐφημῆσαι: ἔχει δὲ καὶ τῶν κοινῶν πατέρων, καὶ διδασκάλων τῆς ἀληθείας Πέτρου καὶ Παύλου τὰς θήκας, τῶν πιστῶν τὰς ψυχὰς φωτιζούσας: ἡ δὲ τούτων τρισμακαρία, καὶ θεία ξυνωρὶς ἀνέτειλεν μὲν ἐν τῇ ἑῴᾳ, καὶ πάντοσε τὰς ἀκτῖνας ἐξέπεμψεν, ἐν δὲ τῇ δύσει ϖροθύμως ἐδέξατο τὰς τοῦ βίου δυσμὰς, κἀκεῖθεν νῦν καταυγάζει τὴν οἰκουμένην: οὗτοι τὸν ὑμέτερον περιφανέστερον ἀπέφηναν θρόνον οὗτος τῶν ἀγαθῶν, τῶν ὑμετέρων ὁ κολοφών: ὁ δὲ ἐκείνων θεὸς, καὶ νῦν τὸν ἐκείνων ἐλάμπρυνε θρόνον, τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἱδρύσας ἐν τούτῳ τῆς ὀρθοδοξίας τὰς ἀκτῖνας ἀφιεῖσαν.

Si Paulus, inquit, præco veritatis, tuba Spiritus ſancti, ad magnum Petrum accurrit, vt ab eo ſolutionem referret ſuper his dubitationibus, quę Antiochiæ inciderant an viuendum eſſet ſecundum legem: Multò magis nos abiectæ ſortis, & exigui homines, ad Apoſtolicum veſtrum thronum recurrimus, vt à vobis medicinam ad ſananda eccleſiarum vlcera diſcamus. Veſtrum enim eſt in cunctis præeſſe, ac dominari, propterea quod ſedi veſtræ omnium laudũ excellentia data eſt. Nam reliquas vrbes, aut magnitudo, aut pulchritudo, ſiue etiam habitatorũ multitudo exornant, quaſdam his omnino carentes ſpiritalia quædam munera reddunt conſpicuas. At veſtræ Vrbi, omnium bonorum copiam largitus eſt bonorum largitor. Hæc enim omnium maxima eſt, ac præclariſſima, præſidetq; orbi terrarum exundans habitatorum multitudine. Inſuper hodiernũ imperium ex ea pullulauit, ſuamq; appellationem non inuidet ſubiectis. In primis autem eam exornant fides, & teſtis locuples diuinus Apoſtolus exclamans, Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Quod ſi ſubito ſuſceptis ſalutiferæ prædicationis ſeminibus, tam admirandorum fructuum edidit copiam, quę certè ſufficiat oratio ad proſequendas religionis ac pietatis laudes, quæ hodierno tempore in ea floreſcit? Habet inſuper ſepulchra præceptorum veritatis, A tatis, patrumque totius orbis Petri, & Pauli, a quibus ad omnes Chriſtianorum animas lumen emicat, Quorum beatiſſima, prorſuſque diuina ſocietas nata eſt in Oriente, omnemque inde mundum radiis illuſtrauit, ſed in occidente occaſum vitæ promptè, & fortiter excepit, atque inde in totum orbem terræ ſplendorem demittit. Iſti ſedem veſtram admirandam, clariſſimamque reddiderunt. Hoc bonorum veſtrorum eſt ſupremum culmen. Eorum Deus etiam nunc ſedem eorum claritate conſpicuam reddidit, veſtra ſanctitate ſuper ea collocata, vnde ſanctæ ac puræ religionis radios diffundit.

Illa quoque pars edicti, qua Conſtantinus prætulit Romanam Eccleſiam quatuor ſummis eccleſiis, nominatim concilium Nicenum hoc ſciens, & eodem tempore, atque Conſtantinus eadem cum ipſo Imperatore confirmans, ſanxit, decreuit Romanam Eccleſiam ante quatuor illas tenere primatum. Statuit etiam, vt audiſti, Athanaſium ſimiliter, atque Conſtantinus, vt conſilium ex ſucceſſoris ſancti Petri cogeretur voluntate, veluti principatum in omnibus ei permittens. Atque id clariſſimum eſt. Nemini enim non perſpicuum eſt, id in concilio Niceno haberi.

Id quoq; non leue argumentum eſt, quo decretum Conſtantini probatur verum eſſe, ipſius ore prolatum, cùm de principatu Romanæ Eccleſiæ ſecutus Chriſtum, totamque ſuperioris Eccleſiæ, quæ veniebat à Chriſto, traditionem ſanxit, quod Ioannes Pontifex ſcripſit Iuſtiniano. Ioannes vrbis Romæ epiſcopus Iuſtiniano Auguſto. Inter claras ſapientiæ manſuetudinis veſtræ laudes chriſtianiſſime principum, puriore luce tanquam ſydus aliquod irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis ſtudio edocta eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ ſedis reuerentiam conſeruatis, & ei cuncta ſubijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius autorem, hoc eſt B Apoſtolorum primum, domino loquente præceptum eſt, Paſce oues meas. Quam eſſe omnium eccleſiarum verè caput, & patrum regulæ, & principum ſtatuta declarant, & pietatis noſtræ reuerentiſſimus declarat affectus. Hæc pauca ex magna epiſtola.

Audis ſtatuta principum ante Iuſtinianum, Romanam eccleſiam omnium eccleſiarum eſſe caput. Statuta ſcilicet, ſiue edictum, ac decretum primũ quidem magni Conſtantini, quem reliqui ſecuti ſunt. Scripſerat autem prior Iuſtinianus ipſi Ioanni ſummo pontifici in hunc modum, vt in eius edictis, ſeu conſtitutionibus cernere licet. Victor Iuſtinianus pius, felix, inclytus, triumphator, ſemper Auguſtus Ioãni ſanctiſſimo Archiepiſcopo almę vrbis Romę, & patriarchę. Reddentes honorem Apoſtolicæ ſedi, & veſtræ ſanctitati, quod ſemper nobis in voto fuit, & eſt, vt decet patrem honorantes veſtram beatitudinem. Omnia, quę ad eccleſiarum ſtatum pertinent feſtinamus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis. Qm̃ ſemper magnum nobis fuit ſtudiũ vnitatem veſtræ Apoſtolicę ſedis, & ſtatum ſanctarum Dei eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, & incõmotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoq; omnes ſacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubiicere, & vnire ſedi veſtræ ſanctitatis properauimus. Et in præſenti ergo hæc, quę mota ſunt, quamuis manifeſta, & indubitata ſint, & ſecundum Apoſtolicæ veſtræ ſedis doctrinam ab omnibus ſemper ſacerdotibus firmè cuſtodita, & prædicata, neceſſarium duximus, vt ad notitiam veſtræ ſanctitatis perueniat. Nec enim patimur quicquam, quod ad eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiã veſtræ ſanctitati innoteſcat, quia caput eſt omniũ ſanctarum eccleſiarum. Per omnia enim, vt dictũ eſt, properamus honorem, & autoritatem creſcere veſtræ ſedis. Petimus ergo veſtrum paternũ C affectũ, vt veſtris ad nos deſtinatis litteris, & ad ſanctiſſimum epiſcopum huius almæ vrbis, & patriarcham veſtrum fratrem, qm̃, & ipſe per eoſdem epiſcopos Hypatium, & Demetrium ſcripſit ad veſtram ſanctitatem, Feſtinans in omnibus ſequi ſedem Apoſtolicam beatitudinis veſtræ, manifeſtum nobis faciatis, ꝙ omnes qui prædicta confitẽtur ſuſcipit veſtra ſanctitas, & eorũ, qui iudaicè auſi ſunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus ita enim, & circa vos omniũ amor, & veſtrę ſedi creſcit autoritas, & quę ad vos eſt vnitas ſanctarum eccleſiarũ inturbata ſeruabitur, qm̃ per vos didicerunt omnes beatiſſimi epiſcopi horum, quę ad vos relata ſunt, ſyncerã ſanctitatis veſtræ doctrinam. Petimus autem veſtram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis acquirere prouidẽtiam. Diuinitas te ſeruet per multos annos, ſancte, ac religioſiſſime pater.

Non eſſe autem mirum Conſtantinum dediſſe eccleſiæ Romanæ principatum, ſed id a maioribus poſitum, ac conſtitutum didiciſſe, primum ab ipſo Chriſto, (quo inſcitia Laurentij coarguitur, qui neget auſurum fuiſſe hunc, eum ex ſuo pectore conſtituere principatum) declarat, quod Anacletus antiquiſſimus põtifex, tertius ſcilicet a Petro, ſcripſit his verbis. Anacletus ſeruus Chriſti Ieſu, in ſede Apoſtolica dño ſeruiens, epiſcopis omnibus, & cæteris cunctis fidelibus qui coæqualem nobiſcũ ſortiti ſunt fidem, Gratia vobis, & pax, atq; conſolatio multiplicetur. Si difficiliores fuerint quæſtiones ortæ, aut epiſcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores cauſæ fuerint, ad ſedem Apoſtolicam, ſi appellatum fuerit, referãtur. Qm̃ hoc Apoſtoli ſtatuerunt iuſſione ſaluatoris, vt maiores, & difficiliores quæſtiones ſemper ad Apoſtolicã ſedem deferantur, ſuper quam Chriſtus vniuerſam conſtruxit eccleſiam. Hęc priſcus ille pontifex. Quid igitur mirum ſi Conſtantinus, cui fuerant hæc a Sylueſtro, doctiſſimiſq; epiſcopis oſtenſa, ſanxit, confirmauit edicto principatum Romanæ ſedis ſucceſſorumque Petri, totq; ei munera largitus eſt, qui videret vniuerſam eccleſiam huic fundamento niti in Chiſtum, id eſt Apoſtolos ſtatuiſſe, eum eſſe totius Eccleſiæ conſenſum. Nec nouum edidit ipſe decretum. Illa quoq; edicti pars, qua magnus Imperator prædicat ſe frænum equi ſancti Syluestri tenuiſſe, equumq; duxiſſe, in quo noſcitur pedum deoſculatio, probatur vera eſſe, quòd ſucceſſores Imperatores non multo poſ tempore ſimilia fecerunt. Nam ingrediente Pontifice Romano Conſtantino, natione Syro, Conſtantinopolim, Iuſtinianus Auguſtus Chriſtianiſſimus cum regno in capite ſeſe proſtrauit, & pedes oſculans pontificis, deinde in amplexu mutuo corruunt. Item cùm Stephanus pontifex proficiſceretur ad excellentiſſimum Francorum regem Pipinum, aduerſus Aſtulſum regem Lõgobardorum auxilium poſtulans: Audiens autem idem Rex eiuſdem beatiſſimi pontificis aduentum, nimis feſtinanter in eius aduenit occurſum vnà cum coniuge, & filiis, & primatibus, & ferè ad centum miliaria filium ſuum Carolum ei miſit cum aliquibus optimatibus, ipſe quoqu in palatio, quod dicitur Ponticone, fere ad trium miliariorum ſpatium deſcendens de equo ſuo, cum magna humilitate terræ proſtratus, vnà cum coniuge, & filiis, & optimatibus eundem ſuſcepit pontificem. Cui & vice ſtratoris vſque in aliquantum locum iuxta eius ſellam properauit, & cum gloria ad palatium duxit, & omnia, quæ ab eo pontifex petiit, impetrauit. Hæc vera hiſtoria prodidit, quam ego ad verbum protuli ex Iuone Carnotenſi, Ille, vt reor ex Anaſtaſio bibliothecario. Vides tot annis antè ab hoc ſęculo vſque à tempeſtate Pipini, ſtratoris officium reges, & imperatores exhibuiſſe ſummo pontifici, iuxta videlicet exemplum magni Conſtantini, quod in edicto donationis ipſe memorauit. Hoc magni Conſtantini, aliorumq; imperatorum exemplum, cùm Federicus ob ſuperbiam imitari noluiſſet, pedemq; pontificis aſcendētis equum tenere more maiorum renuiſſet, atque ad oſculandum Adrianum tertium pontificem acceſſiſſet, non admiſſus, ſed reiectus eſt a pontifice, anno ad hinc quadringenteſimo plus minus. Verùm a proceribus edoctus Imperator, veſtigatis veterum monimentis, repertoq; eam antiquiſſimam eſse conſuetudinem imperatorum, cùm iterum occurriſset pontifici, qui iam diſceſſerat, ex equo exiliens in conſpectu totius exercitus, quem prope vrbem habebat, officium ſtratoris exhibuit, admiſſusque eſt ad oſculum pacis a pontifice. Ille igitur Romanæ ſedis principatus, quem confirmauit, corroborauit edicto Conſtantinus, non autem ex ſuo capite reperit, a Chriſto fuerat inſtitutus, quod pontifices, qui Petrum viderunt, & audierunt, perceptum habuerunt, memoriæ prodiderunt. Nam Anacletus, vt ſuperius oſtendi, ſeruus Ieſu Chriſti ait. Hæc ſacroſancta Romana, & Apoſtolica eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo domino Saluatore noſtro, primatum obtinuit, ſicut beato Apoſtolo Petro dixit. Adhibita eſt, & ſocietas in eadem Romana vrbe, beatiſſimi Pauli Apoſtoli vaſis electionis, qui vno die, vnoq; tempore glorioſa morte cum Petro coronatus eſt, & ambo ſanctam Romanam eccleſiam conſecrauerunt, alijsq; vrbibus omnibus in vniuerſo mundo, tam ſua præſentia, quàm venerando triumpho prętulerunt. Hæc ſanctus, ac priſcus pontifex. Idemq; aſſerit, primam eſſe eccleſiam Romanam: ſecundam nomine beati Petri a ſancto Marco fuiſse Alexandrię conſtitutam, Tertiam Antiochię eiuſdem beati Petri nomine. Hinc argumentum contra Laurentium, ordinem illum eccleſiarum à Conſtantino in edicto nominatarum fuiſſe prius in eccleſia catholica ab ipſo confirmatum. Addita eſt Conſtantinopolitana ſuo tempore. Legat qui velit, qui codicem non habet, veniat, & videat. Quàm præclara ſunt illa, quamque admiranda, quàm corroborant teſtimonium Anacleti, & omnium antiquorum theologorum, qui de principatu Romanæ ſedis ſcripſerunt? Itēq; veriſſimum probant decretum Conſtantini, ea, quæ ſcripſit ſanctiſſimus, vetuſtiſſimusque poſt Apoſtolos theologorum Irenæus de principatu, ac maieſtate Romanæ eccleſiæ, in qua prædicat Apoſtolos vniuerſam fundaſſe religionem. Hic caput, atq; apicem totius pietatis conſtituiſſe, hanc vnam omnium eccleſiarum magiſtram eſſe voluiſſe. Hinc fontem per vniuerſum orbem profluentis ſanctitatis, ac religionis ab eis erupiſse, hinc omnes erudiri oportere decreuiſse, hinc manare veram Apoſtolorum, quaſi alterum Euangelium, traditionem, hic Apoſtolos inquam ipſos traditionem non ſcriptam reliquiſse, quæ ſit alterum quoddam ampliſſimum, vberrimumq; Euangelium. Sic ſcribens aduerſus hæreſes libro tertio. Qui quidem, & omnes pariter, & ſinguli eorum habentes Euangelium Dei, ita Matthæus in Hebræis ipſorum lingua ſcripturã edidit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Eccleſiam.

Eodem libro.

Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium eccleſiarũ enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ a glorioſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo Romę fundatę, & conſtitutæ eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annũtiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſq; ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cęcitatem, & malam ſentētiam, pręterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſse eſt omnem conuenire eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndiq; fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quę eſt ab Apoſtolis traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli eccleſiam Lino epiſcopatum adminiſtrandæ eccleſiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in his, quæ ſunt ad Timotheum epiſtolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: poſt eum tertio loco ab Apoſtolis epiſcopatũ ſortitur Clemens, qui vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis, cùm adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum, & traditionem ante oculos haberet. Non ſolus enim, adhuc multi ſupererant tunc ab Apoſtolis docti.

Poſt pauca.

Huic autem Clementi ſuccedit Euariſtus, & Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſſimè martyrium fecit, ac deinceps Hyginius, poſt Pius, poſt quem Anicetus. Cùm autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleuterius. Hac ordinatione, & ſucceſſione, ea, quæ ab Apoſtolis in eccleſia traditio, & veritatis præconatio peruenit vſq; ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, vnam, & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſia ab Apoſtolis vſq; nunc ſit conſeruata, & tradita in veritate. Audis de principatu Romanæ ſedis admirandam vocem. Audis quid in hac maxima, atq; antiquiſſima, omnibusq; cognita, fundata, & conſtituta a duobus glorioſiſſimis Apoſtolis Eccleſia, traditum ab ipſis Apoſtolis fuerit. Audis traditionē, ac fidei prędicationem, quam Apoſtoli in hac ſede reliquerunt, quę vſq; ad Ipſum Irenæum peruenit, qua confidenter omnes profanos, ac perperam ſentientes, omnes hæreticos cogeret erubeſcere. Ad hanc Eccleſiam, vbi ſit principalior principatus, verumq; religionis robur, omnem Eccleſiam oportere conuenire, omnes Chriſtianos, omnes vbiq; terrarum fideles, in qua conſeruata ſit ſemper traditio Apoſtolorum, ea ſcilicet, quæ Carolus magnus, cæteriq; Theologi dixerunt. Et ea quę complexus eſt edicto Conſtantinus de ſedis huius principatu, ac ſumma veneratione, vt omnes ei gentes, omnes Eccleſias ſubiectas eſſe oporteat, ad hunc fontē recurrere omnes, quoniam hic veram ſapientiam, ac ſacroſanctum Euangeliū Apoſtoli reliquerunt. Non ſunt fictitia, ac tunc primum in capite eius nata, quæ magnus Conſtantinus tam mira de beato Petro & Paulo, de eorum ſede prædicauit illo ſuo inclyto priuilegio, de principali ac magiſtra Eccleſia totius orbis. Sed hæc omnia viderat, intellexerat prodidiſſe, ac ſummo conſenſu deprædicaſſe ſuperiores theologos, qui vſq; a temporibus Apoſtolorū floruiſſent, aut ipſos Apoſtolos vidiſſent. Nam Irenęus diſcipulus fuit Polycarpi, Polycarpus autem Ioannis Euangeliſtę. Ab his manauit ea prædicatio, horum erat certa ſcientia, Eccleſiam Romanam eſſe lumen orbis terrarum, hic eſſe magnum religionis principatum: huius Eccleſiæ ſapientia, quæ fuſa eſſet ab Apoſtolis, omnes hæreticos coarguendos, mittendos ad hanc ſedem, vnde fons Apoſtolicæ ſapientiæ perpetua per omnes ætates ſucceſſione ſcaturiet. Videndum quid hæc Eccleſia ſentiat, quid in ea reliquerint Apoſtoli. Hæc omnia perſpexit, prædicauit edicto ſuo Conſtantinus, admiratus eſt, ſuſpexit hanc maieſtatem, & quanto ſtudio, quantis opibus potuit, veneratus eſt: ſeſe ſuaque omnia ſubiecit, repetens edicto, quæ maiores de hac principali ſede prodidiſſent, eam habere ſuper omnibus principatum. Hinc per ſucceſſionem ab Apoſtolis manare veram doctrinam, purumque religionis fontem, ordinem eſſe hic venientis ab Apoſtolis per eorum ſucceſſores puræ ſapientiæ, ac religionis. Atque obſerua, dicere Ineræum hanc oſtenſionem eſſe pleniſſimam, videlicet maximum argumentum ad probandam religionem Chriſtianam, Euangelicamque doctrinam, & ad conuincendos hæreticos, quòd ab Apoſtolis perueniens ſapientia Chriſti, in hac Eccleſia ſit conſeruata, & tradita in veritate. Qua quidem oſtenſione poſſis omnes hæreticos coarguere, ſecus, quàm hæc Eccleſia doceat, ſentientes. Hæc omnia vidit, admiratus eſt Conſtantinus, edicto commemorauit, ſanxit, aſſeruit, roborauit autoritate imperiali, non quidem tunc primum nata, aut ab eo reperta, ſed cùm eſſent antiquiſſima, vſq; a Chriſto, & ab Apoſtolis deſcendentia, admiratus, ac veneratus: ſuum quoq; ſuper his, cum alijs theologis, ſuffragium tulit. Vidit hunc cæleſtem principatum longè anteire principatum terreſtrem. Quocirca proiecit regnum, ante pedes reginæ huius. Similia his ſcripſit vetuſtus ſcriptor Tertullianus, aſſerens, quæ Irenæus prodidiſſet, aut ex fontibus eius delibans, admirandum certè teſtimonium, ſcribēs de præſcriptionibus aduerſus hæreticos: Percurre, ait, omnes Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem, repræſentantes faciem: proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum: ſi non longè es à Macedonia, habes Philippos: ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ adiecceris, habes Romanam, vnde nobis quoque authoritas præſtò eſt ſtatuta. Felix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam eſt relegatus. Hæc ibi.

Aduerſus autem Marcionem: Quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium. & Petrus, & Paulus ſanguine quoq; ſuo ſignatum reliquerunt. Hęc oīa vetuſtus ſcriptor Tertullianus, quę ſunt in edicto Conſtantini. Id quoq; ſi quis conſideret magno argumento eſſe cernet eximios illos honores contuliſſe Conſtātinū Syluestro, quos ipſe ſuo priuilegio memorat, quod ait Nicolaus primus, vetuſtus ſanè pontifex, ſcribens ad Michaelem imperatorem: Quibus omnibus, inquit, ritè collectis ſatis euidenter oſtenditur, a ſeculari poteſtate nec ligari prorſus, nec ſolui poſſe pontificem, quem conſtat a pio principe Conſtantino, quæ longe ſuperius memorauimus, Deum appellatum: cùm nec Deum poſſe ab hominibus iudicari manifeſtum ſit.

Audis ſummum pontificem a Conſtantino Deum appellatum, habitum pro Deo. Hoc videlicet D factum eſt, cùm eum præclaro illo edicto decorauit, adorauit vti Deum, vti Chriſti, & Petri ſucceſſorem, diuinos honores ei quoad eius potuit, contulit, velut viuam Chriſti imaginem veneratus eſt, totumque id habetur in priuilegio. Poſſent item proferri, quæ ex parte prolata ſunt in concilio Florentino, vt ea, quę ſcripſit diuus Cyrillus in libro theſaurorum, Chriſtus, inquit, accepit a patre eſſe dux, & ſceptrum Eccleſiæ gentium ex Iſrael egrediēs, ſuper omnem principatū & poteſtatem, & ſuper oē quodcunq; eſt, vt ei cuncta genua curuentur, pleniſſimam poteſtatem, ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus commiſit pleniſſime. Hęc Cyrillus Alexandrinus. At Cyrillus Hieroſolymorū patriarcha in perſona Chriſti alloquens Petrū, ait, Tu hæc cū fine, & ego ſine fine, cum omnibus, quos loco tui ponam plenè, & perfectè ſacramento, & autoritate, cū eis ero, ſicut ſum tecum. Maximus item in epiſtola ad Orientales. Omnes, ait, fines orbis, qui dn̄m Ieſum ſyncerè receperunt, & vbiq; terrarum catholici fidem veram confitentes in Eccleſiam Romanorum pontificum tanquam in Solem reſpiciunt. Hęc oīa a magnis, & priſcis Theologis prolata, edicto Conſtantini continentur, eaq; contineri perſpectum Theologis illis erat. Cyrillus itē in libro Theſaurorum fatetur Apoſtolos in Euangeliis, & epiſtolis affirmaſſe, in omni doctrina Petrū eſſe loco dn̄i, & eius Eccleſiam, nempe Romanos pontifices, eius ſucceſſores, ei dantes locum in omni populo, & ſynagoga, in omni electione, & confirmatione. Itemq; eodem loco. Cui nempe Petro omnes iure diuino, caput inclinant, & primates mūdi, tanquam ipſi domino Ieſu, obediunt. Audis primates mundi, Petro velut ipſi Chriſto, caput flectere? quod primus Conſtātinus fecit. Eodem libro autor idem : Vt membra, inquit maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum a quo noſtrum eſt quærere quid tenere debeamus.

Audiſti magiſtrum omnis religionis Petrum, & ſucceſſores, quemadmodum pronunciauit Conſtantinus. Hęc vniuerſa ſunt, quæ decreto fuerunt comprobata, & declarata, ab inſecutis E Theologis prolata, propterea quòd ſcirent, ea ſummum Imperatorem vnà cum Niceno cōcilio edidiſſe, ſecutum Chriſtum, & Apoſtolos. Hocq; perſpicuo argumento eſt, magnum Conſtantinum edictum illud donationis totum conſcripſiſſe, de principatu Petri, & ſucceſſorum, de magnis ornamentis, quæ propter ſummum tanti capitis honorem, atque reuerentiam adhibuit, quod Græci fatentur, cùm non ex ſuo capite id feciſſe, ſed quod intereſſe ſtuduerit magno Nicenæ trecentorum decem, & octo epiſcoporum concilio, atque eodem ſpiritu plenum, ſedē Apoſtolorū principis, quemadmodum a dn̄o in Euangeliis didicerat, omni honore dignam eſſe decreuiſſe. Ibi enim priuilegia dignitatum Eccleſijs per vniuerſum mundum diſtribuentes, & ordinantes Eccleſiam Romanam caput eſſe omnium Eccleſiarum ita dixiſſe: Sciendū eſt ſanè ab omnibus catholicis qm̄ ſancta Romana Eccleſia nullis ſynodalibus decretis eſt prælata, ſed Euangelica voce domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit, cum Petro dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. Prima ergo ſedes eſt cęleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quam beatiſſimi Apoſtoli Petrus, & Paulus ſuo martyrio dedicauerunt. Hæc Nicenum concilium.

Itemq; in alio canone. Veneramur ſecundum ſcripturas, & canonum definitionem, ſanctiſſimum Romanæ, antiquæq; Eccleſiæ epiſcopum primum, & eſſe maximum omnium epiſcoporū. Hoc autē eſt conſonum ſacræ ſcripturæ, quæ inter Apoſtolos Petro tribuit primum locum, tam in Euangeliis, quàm in actis Apoſtolorū. Nònne vides igitur (vt ipſe loquar) quęcunq; Conſtantinus de ſumma Petri maieſtate ſanxiſſet conſona eſſe concilio Niceno, aut inde, eum, ſanctionē F illam didiciſſe, quandoquidem ipſe concilio interfuit. Nonne vides eodem ſpiritu actum imperatorem, atq; ſanctos illos patres? Perſpexit à Chriſto Romę religionis erectam eſſe maieſtatem, imperium ſacrorum, dominatum cęleſtem, cui parere terreſtrem dignum iudicauit. Potuitne tā cęcus, tā impius eſſe, non dicam Romanus Laurentius, ſed aut Parthus, aut Turca, Romano imperio, & religioni Chriſtianę inimiciſſimus, vt non viderit donationē complecti concilium Nicenum, fluere ab illo concilio, à ſpiritu ſanctorū illorū patrum totum illud edictum: illud, inquam, decretum natum eſſe a ſpiritu, quo ſancti patres agebantur? Qui hoc non vidit, atq; harum rerum ignarus, ſuæ barbariæ crudelitatē in ſacerrimos vetuſtatis afflatus effudit, quid aliud fuit, quàm monſtrum, audaciæ aut temeritatis plenum? Cuius non poſſum ſatis admirari, dicamne veſaniā, ac cæcitatem, an incredibilem imperitiam, ipſius autem veritatis inuictam poteſtatem, quæ ſæpe eos contra ſeipſos eadem arma vertere adegit, quibus eam delere paraſſent. Laurentius exiſtimat demum letale vulnus aduerſariis, qui donationē tuentur, ſe impreſſiſſe, atq; vno ictu totā eorum cauſam iugulaſſe, prolata hiſtoria Melchiadis, qui proximè ante Sylueſtrū floruit. Sed primum profert, quod falſiſſimum eſt, Conſtantinum a puero cum patre Conſtantio Chriſtianum fuiſſe. Quod multæ veriſſimæ hiſtoriæ falſum eſſe probabunt, vt erunt, quę de eo dicet Iulianus Imperator, & quæ reſpondit præfectus Aegypti Artemius, qui cum ipſo Cōſtantino domi, militiæq; vixerunt, qui eum dicent a cultu Deorum diſceſſiſſe, quod cum Iulianus ſtultitię, & ſceleribus eius tribuiſſet, Artemius tribuet, quod ſignum crucis viderit in cęlo. Eam ob cauſam nō erat Chriſtianus Conſtantinus, ſi quam cognitionē huius religionis teneret. Quid quòd Lactantius ad eum ſcribens, prædicat eum primum Romanorum principum errores repudiaſſe? Prius ergo inter errores verſabatur. Hocne eſt letale vulnus Laurenti? eſt certè, ſed in tuam vaniloquentiā.

A Venio ad Melchiadem, cuius dictis adeo non tollitur donatio, vt maximè confirmetur, ſtabiliatur, roboretur. Is ita ait: Eccleſia ad hoc vſque peruenit, vt non ſolum gentes, ſed etiam Romani principes, qui totius mundi monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti, & fidei ſacramenta concurrerent, è quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuerſum orbem, ſuo degentibus imperio, non ſolum fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricandi eccleſias, & prædia conſtituit tribuenda. Denique idem præfatus princeps donaria immenſa contulit, & fabricam templi primæ ſedis beati Petri inſtituit, adeo, vt ſedem Imperialem relinqueret, & beato Petro, ſuiſque ſucceſſoribus profuturam concederet.

Hęc pontifex: quę etiam à Laurentio ad verbum proferuntur. Quæ cùm putet ſibi adiumento eſſe ad euertendam donationem: non videt ſtipes hinc maximè donationem confirmari. Non ſentis primum contra te dicere Melchiadem, Conſtantinum patenter adeptum eſſe fidem, quã ſcilicet prius non poſſideret, non ſentis eum teſtari ad fidem concurriſſe Romanos principes, nempe Conſtantinum? fidem patenter adeptum, nempe coram omni populo, quod ipſe in ſua confeſſione fatetur, fidei myſteria confeſſum, & baptizatum. Patenter, quid aliud, quàm Senatu, & omni Populo, Proceribus, & Satrapis expectátibus, & in conſpectu totius vrbis? Deinde vbi continetur, eum reliquiſſe Palatium, niſi in edicto, ſiue decreto donationis? Si verum eſt decretum hac parte vbi teſtatur ſe palatium Lateranenſe, ſedemq; imperialem reliquiſſe, & donaſſe, cur non eſt verum in reliquis? cur abſcindis vnam partem vti verã, reliquam vis eſſe fabuloſam?

In hiſtoria Syluestri non habetur, eum donaſſe palatium, quod tu quoque fateris, ſed in confeſſione, & decreto donationis, ergo id argumento eſt, vere fuiſſe decretum illud tempore Cõſtantini ab ipſo Conſtantino editum, cùm Melchiades id teſtetur, qui his rebus gerendis non B interfuit, ſed præfuit, non teſtis, ſed autor, vt ait Laurentius.

Omnia, quæ Melchiades dicit, habentur in edicto de fabrica templi primæ ſedis, de immenſis donariis, vt ſuperius viſum, de relicto palatio. Cùm hęc igitur, quæ ſcripſit Melchiades, ſumpta ſint ex edicto de relicto palatio, & ſede imperiali, & Petro conceſſa, de fabrica templi, de eius ad fidem acceſſu, quæ potuit eſſe maior ſuper donatione, ſuperq; edicto donationis comprobatio? Tum quid ſibi vult, Regalem ſedem eum reliquiſſe? Vrbem reginam, dominamq; gentium Petro, & ſucceſſoribus vacuam dimiſiſſe, niſi totum imperium in manus eorum tradidiſſe? Nam, qui dat potiora, dat etiã, quæ minoris ponderis ſunt. Dedit caput, dedit ſedẽ imperij, qm̃ reliqua dedit. Sedes, ac natales imperij Romani, eſt Roma, cũ toto occidenti. Minus fuiſset dediſse, regna, regnorum autem caput non dediſse. Itaq; qui caput dedit, quo nihil eſset in omni mundo melius, qui dedit lucem orbis terrarum, vt ille, inquit, vigorem, maieſtatem, vim totius orbis, & vt ait Ariſtides, τοῦ κόσμοῦ ἐπιτομλὼ, mundum paruum, compendium mundi, certè videtur ipſum mundum dediſſe. Quæ fuit igitur cauſa, cur Conſtantinus piiſſimus princeps, ſedẽ imperialem relinqueret, ad quam totius Italiæ, totiuſque occidentis rationes, gubernationesq; redigebantur: niſi quod totũ ipſum occidentem vna tradebat, relinquebat eidem, cui ſedem imperialem relinqueret? Hoc letale vulnus eſt, quo furore prouectus, (venerat enim contra veritatem pugnaturus) Laurentius concidit. Quo ictu exiſtimabat cauſam aduerſariorum penitus collapſuram, concidit ipſe in ſeipſum per amentiam ſuis armis conuerſis, ſuo ſe ipſum pugione transfodiens. Nolo alium teſtem donationis, extollit, admiratur, profert vti veridicum ſcriptorem Melchiadem, qui rebus illis ſpectator, occulatusq; teſtis interfuerit. Audi igitur illam edi- C cti partem, & confer cum his quæ ſcripſit Melchiades. Conſtantinus: Quoniam vbi principatus ſacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Idemque Imperator: Beato Syluestro, eius vicario, de præſenti tradimus palatium imperij noſtri Lateranenſe.

Hoc etiam teſtatur Melchiades fęciſſe Conſtantinum, autorq; a Laurentio approbatur. Approbatur ergo edictum, donatio, decretum, & eodem argumento confirmatur a Laurentio, quo cadere putaſset. Veluti, qui in cęlum expuunt, in eos ſputo reuerſuro. Quid aliud ſcribitur in donatione, quam quod dixit, aſſeruitque Melchiades, illius temporis autor, teſtis locupletiſſimus donationis? Sed verior reſponſio contra Laurentium eſt, eum propter hiſtoriarum inſcitiam, cæcumque iudicium, non potuiſſe percipere verba, quæ Melchiadis eſse feruntur, quæq; ipſe protulit, non eſſe Melchiadis, qui ad imperium Conſtantini non peruenit, vt quem hiſtoriæ ferant martyrio coronatum a Maximino. Ac Melchiades fortaſse nunquam vidit Conſtantinum, nec de eo, deq; donatione eius ſcribere potuit, quæ poſt mortem eius multos annos acta eſt. Ob hanc cauſam verum eſt teſtimonium Græcorum, ab Arrianis confictum eſse, Conſtantinum dediſſe Melchiadi, neſcio quas conſtitutiones. Quod falſum eſſe hiſtoriæ probauerunt, palam oſtendentes, Melchiadem ad tempora imperij Cõſtantini non perueniſſe, ſed a ſuperioribus Imperatoribus fuiſse martyrio coronatum. Lege Damaſum cum multis. Ab Arrianis ergo verba illa Melchiadis, quæ protulit Vallenſis, ficta ſunt, vnà cum illis conſtitutionibus. Hoc hominem fefellit. Hic fuit incredibilis cęcitas, qui ex hiſtoriis doceri non potuerit, Melchiadem de fide, & religione, ac donis Conſtantini ſcribere, ac teſtari non potuiſſe. At miſer exiſtimat ſe rem obtinuiſse, totamque Eccleſiam mendacem probauiſſe, quod ex illis verbis oſtenderit quicquid Constantinus Eccleſiæ donaſſet, non Syluestri, ſed Melchiadis pontificatu factum eſ- D ſe, eamque ob cauſam totam hiſtoriam Syluestri falſam eſſe. Sed eum cæcitas, hiſtoriarumque inſcitia præcipitem egit.

Nunc ad noſtra reuertor, Gelaſius item ſanè antiquus pontifex, longe ante Adrianum, floruit enim paulo poſt Constantinum, quod in antiquo codice Iuonis Carnotenſis, peruetuſti Theologi, profertur, neque enim multi facio Gratianum recentiorem: In geſtis, inquit, beati Syluestri, quæ beatus papa Gelaſius in concilio ſeptuaginta epiſcoporum à catholicis legi commemorat, & pro antiquo vſu multas hæc imitari dicit Eccleſias, in eiſdem ita legitur. Constantinus Imperator quarto die ſui baptiſmatis priuilegium Romanæ Eccleſiæ pontifici contulit, vt in toto orbe Romano ſacerdotes ita hunc caput habeant, ſicut omnes iudices regem. Superius prolata verba (vt ego loquar) ſunt, vt dixi Iuonis peruetuſti theologi. Non pudet autem inſolentem grammaticum, vocare impudentem fabulam, quæ tam vetuſta eſt hiſtoria, a tam magnis theologis probata, tot antiquorum pontificum teſtimoniis vera hiſtoria iudicata? Nam etiã Nicolaus primus in ampliſſima epiſtola ad Michaelem Imperatorem, Conſonat, inquit, huic neceſſariæ ſententiæ ſanctus Syluester, magni Constantini Auguſti batipzator. Audis baptiſmum Constantini per Syluestrum. Damaſus, item qui fermè ſub id tempus floruit, cùm de vitis pontificum vſque ad ſua tempora ſcriberet, ventumque eſſet ad Syluestrum, ibi de baptiſmo Constantini ſcripſit, totumque edictum donationis explicuit. Et hæc ad ipſum Hieronymum ſcribens. Extat etiam in decretis, ſeu rebus geſtis diui Syluestri, quod apud veteres theologos videbis, hoc teſtimonium, ſeu locus ab his theologis prolatus, ad quos priſcorum patrum ſcripta, nondum temporum iniuria, ſublata peruenerunt, ſcilicet, Domino Constantino Augu- E ſto, eodem tempore cùm multi nobiles gauderent, quòd Constantinus eſſet baptizatus à Syluestro epiſcopo vrbis Romæ, & mundatus fuiſſet à lepra, per hoc beneficium, quod accepit a Domino Ieſu Chriſto, per Syluestrum epiſcopum cœpit integre prædicare Dominum Ieſum Chriſtum, & confiteri eius beneficia. Hæc illic. Horum igitur tam vetuſtorum autoritas nonne grammatici impudentiſſimæ temeritati præponderabit? Summa igitur pietas, ac ſanctitas Constantini fecit, vt ea corroborarentur, totumque per terrarum orbem inuulgarentur, principio à Chriſto decreta, ab Apoſtolis, ab antiquis patribus vbique tradita, & ad poſteros deuoluta. Fuit enim verè Constantinus eximia pietate, incredibili religione, ac ſanctitate. Cui ſi quæ calumniæ illatæ ſunt à nonnullis ſcriptoribus, harum maxima pars profecta eſt a ſcelerato Iuliano Imperatore, & ab his, qui in eius gratiam de Constantino falſa ſcripſerunt. Atque hic ego controuerſias illas à principio mihi commemoratas, veriſſimis, & antiquiſſimis teſtimoniis diſſoluam: eorum videlicet, qui cuncta ea viderunt, hiſque interfuerunt: quarum hiſtoriarum, verarumque cognitionum, ſuggeſſit copiam locupletiſſima in Vaticano bibliotheca. Artemius optimus, tum Chriſtianus, tum etiam dux copiarum inuictus, ſummo loco natus, ſummæ apud magnum Constantinum, & Constantium gratię, & autoritatis, qui in exercitu Constantini in eo bello, quod contra Maxentium geſſit, primum pilum ducebat, fuitq; teſtis oculatus ſigni, quod in cælo vidit Constantinus. Is, inquam, cùm ad tempora Iuliani deueniſſet, atque cùm principatum iniret Iulianus, ipſe pręfectus eſſet Aegypti, cùm impius Iulianus Chriſtianos inſectatus, adigeret ad ſupplicia parere recuſantes. Ob eamq; cauſam diuinus Artemius hæc cernens ingemiſceret, nec crudele ſpectaculum ferre poſſet, in Iulianum neceſſariò deſtomachatus F eſt. Quod Iulianus admiratus, auditoq; eum eſſe Chriſtianum, multò magis exarſit, ſed eum blãdis verbis, vt ſolebat, aggreſſus, conabatur ei probare, Constantinum, qui primus Romanorum imperatorum religionem Chriſtianam ſuſcepiſſet, fuiſſe imperitum, barbarumq; hominem, crudelem, ac nefarium in totum genus. Ad quæ neceſſariò magnus Artemius reſpondit, quæ cùm coram imperatore ab eiuſmodi viro prolata fuerint, qui vidit, & interfuit, facilè omnes calumnias contra magnum imperatorem diluent. Iuliano igitur, qui de Constantino oblocutus erat reſpondit Artemius, vt in eius hiſtoria, rebuſque geſtis licet conſpicere. Ac primum Iulianus: ἀλλὰ Κωνσταντῖνος οἰχθρότατοι νεωτερίσας διὰ τὰς φίλας αὐτοῦ ἀνοσιουργίας ἀπέστη τῶν θεῶν ὑφ' ὑμῶν Γαλιλαίων ἐξαπατηθεὶς ἅτε δὴ καὶ παιδείας ἀμέτοχος καὶ μήτε τῆς ῥωμαϊκῆς ἐμπεδευθεὶς μήτε τοῖς ἑλληνικοῖς νόμοις καὶ ἔθεσι ἐγὼ δ' ἀνόσιε τῆς ἑλληνικῆς τε καὶ ῥωμαϊκῆς παιδείας εἰς ἄκρον ἐπειλλημμένος καὶ ταῖς τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν θεολογίαις Ἑρμοῦ τε φημὶ καὶ Ὀρφέως καὶ Πλάτωνος ἐξησκημένος, οὐχ ἥκιστα δὲ ταῖς Ἰουδαϊκαῖς γραφαῖς διωμιληκως καὶ τὴν τούτων τερθρείαν ἐξουθενηκὼς πάλιν πρὸς τὸ πατροπαράδοτον καὶ ἀρχαιότατον καὶ θεοφιλὲς τοὺς ἀνθρώπους ἔθος τε καὶ σέβας ἀνατρέχειν διακελεύομαι.

At Constantinus ò inimiciſſimi, propter ſcelera ei domeſtica deſciuit a Diis, a vobis Galilęis deceptus, vt pote imperitus, qui neque in Romanorum, neque Græcorum ritibus, ac moribus ſatis conſiſteret. Ego verò ò impie, qui Gręcas, & Romanas diſciplinas apprimè calleo, in veterum theologia, Mercurij, & Orphei, ac Platonis, litteris item Iudæorum diu, multumque verſatus, quique eorum ſuperſtitionem contempſi, rurſus ad vetuſtam, ac patriam pietatem, religionemque iubeo homines reuerti. Hæc Iulianus. Denuo coram Artemio ſic oblocutus eſt: ὁ γὰρ Κωνσταντῖνος ὥσπερ οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοεῖς εὐεξαπατητότατος ἀνδρῶν, ἀμαθής τε καὶ ἀνόητος ὤν, ὃς τὴν θρησκείαν ἐνεωτέρισε, καὶ τοὺς ἑλλήνων ἀθετήσας θεοὺς, ἐπὶ τὸν χριστιανισμὸν ἐξέκλινε, τὰς

A ἀνοσίους αὐτοῦ πράξεις ἐπαισχυνόμενος, καὶ ὅτι οἱ θεοὶ αὐτὸν τῆς ἱερᾶς αὐτῶν καὶ παναγεστάτης θρησκείας ὡς ἐξάγιστον, καὶ πονηρὸν πόρρω που καὶ μακρὰν ἀπώσαντο: ἅτε καὶ ὁμογνίου αἵματος γενόμενον αἴτιον: τούς τε γὰρ ἀδελφοὺς ἀπέκτεινεν οὐδὲν ἄτοπον εἰργασμένους καὶ τὴν γυναῖκα Φαῦσταν καὶ τὸν αὐτοῦ υἱὸν Κρίσπον, χρηστόν τε καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα τυγχάνοντα.

Conſtantinus, inquit, quod tu quoque noſti, cùm is eſſet, qui facilè deciperetur, imperitus, ac ſtolidus, ad nouam religionem animum adiecit, Dijsq; Græcorum contemptis, delapſus eſt in Chriſtianiſmum, tum, quòd ob ſua ſcelerata facta erubeſceret, tum, quòd eum Dij velut ſceleratum, & impurum a ſanctiſſima religione ſua, a ſacris, & ceremoniis procul abiecerūt, vt qui ſeſe ſanguine domeſtico commaculaſſet. Nam fratres, qui nihil indignum admiſerant, interfecit. Vxorem quoq; Fauſtam, & filium Criſpum, virum bonum, ac probum. Hæc criminatus eſt Iulianus. Artemius igitur ad ea animosè reſpondit, ſingulas eius calumnias refellens: ὅτι δὲ τὸν μακάριον Κωνσταντῖνον πάντων βασιλέων ὑπέρτερον καὶ τὸ τούτου γένος ἐκοίμισας ἐχθρὸν, καὶ ἀπόπτυστον τοῖς σοῖς ἀποκοιγήσας θεοῖς, πρὸς ἔτι δὲ τὸν μανιώδη καὶ φονικὸν ταῦτα σοι ὑπὲρ ἐκείνου ἀπολογήσομαι: ὅτι ὁ σὸς πατὴρ Κωνστάντιος καὶ οἱ αὐτοῦ ἀδελφοὶ προκατῆρξαν ἀδικήματος, φάρμακον αὐτῷ δηλητήριον κερασάμενοι μηδὲν ἄδικον ὑπ' αὐτοῦ πεπονθότες. ἐκεῖνος δὲ τὴν γυναῖκα Φαῦσταν καὶ πάνυ δικαίως ἀπέκτεινεν ἅτε μιμησαμένην τὴν πάλαι Φαίδραν καὶ διαβαλοῦσαν τὸν τούτου υἱὸν Κρίσπον ὡς ἐρωτικῶς αὐτῇ διακείμενον καὶ πρὸς βίαν ἐπιχειροῦντα καθάπερ κἀκείνη τὸν τοῦ Θησέως Ἱππόλυτον: καὶ δὴ τὸν οὕτως μηδὲν ἐπιμανέντα ὡς οἱ αὐτῆς ἐβούλοντο λόγοι πατὴρ ὢν ἐκεῖνος ἐκόλασε. ὕστερον μέντοι γνοὺς ψευσαμένην καὶ αὐτὴν προσαπέκτεινεν δίκην ἐπ' αὐτὴν δικάσας πασῶν δικαιοτάτην. ἀπέκλινεν μὲν πρὸς τὸν Χριστὸν οὐρανόθεν ὑπ' ἐκείνου κληθεὶς ὅτε πρὸς τὸν Μα-
B ξέντιον δυσκατάμαχητον διηγωνίσατο μάχην. ἐφάνη γὰρ αὐτῷ τότε καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ συμεῖον μεσούσης ἡμέρας ὑπὲρ τὸν ἥλιον ταῖς αὐταῖς ἐξαστρέπτον καὶ γράμμασιν ἐξ ἀστέρων διασημαῖνον τὴν τοῦ πολέμου νίκην. ἡμεῖς τε γὰρ αὐτοὶ τὸ σημεῖων ἐθεασάμεθα καὶ τῷ πολίμῳ παρόντες καὶ τὰ γράμματα ὑπέγνωμεν: ἀλλὰ καὶ τὸ στρατόπεδον ἅπαν τεθέατο καὶ πολλοὶ τούτου μάρτυρες ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῷ σῷ τυγχάνουσι. Quę ſunt: Quod autem in beatum Conſtantinum, omnibus imperatoribus ſuperiorem, totumque eius genus conuitia dixiſti, dicens eum inimicum, inuiſumque Diis tuis, inſuper inſanum, ac ſanguinarium: hæc tibi pro eo reſpondebo: Potius pater tuus Conſtantius, fratresq; eius ſceleris principes fuerunt, qui ei mortiferum venenum miſcuerunt, nullam ab eo iniuriam perpeſſi. Fauſtam quidem vxorem iuſtiſſime interfecit, vt quæ imitata antiquam Phędram accuſauit Criſpum filium, quòd eam deperiret, & quod vim ei afferre conatus eſſet, ſicut illa Hippolytum filium Theſei. Itaque in hunc modum in matrem, vt illa calumniabatur, inſanientem pater eum interfecit. Poſtea cum deprehendiſſet eam mendacem, iuſtiſſimam in eam tulit ſententiam. Adhæſit Chriſto, ab eo vocatus è cælo, cum contra Maxentium bellum difficillimum aggredienti ſignum crucis apparuit in cœlo, media die ſupra ſolem radiis coruſcans, litteris ſidereis victoriam prænuntians. Nos enim, qui bello interfuimus, ſignum vidimus, litterasque legimus, Totus item exercitus ſpectator ſigni fuit. Multique hodie teſtes ſunt in exercitu tuo. Hæc diuinus, ac magnus Artemius: cuius in his, quę ad Conſtantinum attinent, autoritate nulla maior eſſe poteſt, nullum validius teſtimonium. His fit perſpicuum, quæ de Conſtantino magno aduerſa prædicantur, maxima ex parte ab impio Iuliano, & ab his philoſophis, hiſtoricisque, quos ille alebat, ac fouebat, profecta. Hæc ſatis expurgant, quæ
C de Criſpi, & Fauſtæ cæde feruntur, quanquam ſunt, qui negent Criſpum interemptum fuiſſe. Exorta enim eſt in Conſtantinum a Conſanguineis perſecutio, tum quòd iam imperatorium genus a priſca bonitate degenerauerat, omnia ciuili ſanguine, qui regnare cupiebant, complentibus, & in mutuas cędes conſpirantibus, vt ſunt humana ingenia, tum ob eam cauſam, quod tātopere Chriſtianę religioni faueret, quod cęteri, quibus veteres ſuperſtitiones magis probarentur, ferre non poterāt. Diluta eſt igitur calumnia de Criſpo, & Fauſta, de cędibus domeſticorum. De matre quoque ſimilis reſponſio eſt, atque ſuperius. Fuit enim calumnia Iuliani Imperatoris, Chriſtianis inimiciſſimi, quod eadem hiſtoria teſtatur, qui genus ſuum efferens, ſeque ortum ex Conſtantio, Ipſum autem patrem ex Theodora filia Maximini prędicans, de Conſtanrino dicit ὁ δὲ Κωνσταντῖνος ἐξ Ἑλένης φαύλης τινὸς γυναικὸς καὶ ἀσήμου. Conſtantinus verò ex Helena natus eſt, ignobili, & vili fœmina. Eiuſmodi igitur calumniæ ab inimicis proferebantur, vt ſolitum eſt inimicorum genus omnia maledicendo deprauare. Reſpondit igitur ad hæc etiam Euſebius in Encomio, oſtendens filij, & matris ſingularem ſanctitatem, & filii erga matrem incredibilem pietatem. Gerunt igitur mentem Iuliani, cuiuſmodi fuit Laurentius, qui Conſtantino detrahunt, qui cœleſtem eius bonitatem, inauditam pietatem non agnoſcunt. De conuerſione eius ad Chriſtianam pietatem cùm duæ cauſę ferantur, quod ſignum crucis viderit in cęlo, aut quod lepra infectus, baptiſmo maculas deleuerit, non ſunt hæ contrariæ, ſed cum hiſtoriæ non omnia complexæ eſſent, vno tantum commemorato, alterum reticuerunt: eſtque clariſſimum exemplum. Nam Euſebius in Encomio cum de ſigno crucis viſo a Conſtantino, deque his, quæ mox profligato Maxentio geſſit, ſcripſiſſet, reliquamque hiſtoriam proſequeretur de Conſtantino iam Conſtantinopoli regnante, nihil de tranſitu eius ad eam vrbem ſcripſit, nec ſcilicet diſceſſum, nec cauſas diſceſſus commemorauit. Simile fuit reliquorum, qui aut tēpore Euſebij,

ſebij, aut poſt eũ quaſdã hiſtorias conſcripſerunt, ſilentiũ, vt Socratis, Sozomeni, & Theodoriti. D Nihil igitur mirum ſuper lepra multos tacuiſſe, qui ne de diſceſſu quidem Conſtantini ab vrbe quicquam ſcripſerunt, ſed poſt Maxentij bellum, ſubitò in Græciam ex Italia ſcriptores auolauerunt. Fuit igitur primum quidem ſpectaculum crucis in cęlo, paucis autem annis interiectis, fuit lepra. Nam Conſtantinus tametſi in cęlo conſpicatus eſſet crucem, nondũ tamen perfectè Chriſtianus, ſed velut Paganus erat. Adhuc monetæ eius imaginibus Deorum exprimebantur, quarum eſt ingens Romæ copia: vt hę ſunt, quæ habent Solẽ quadrigis inuehentem, & inſcriptionẽ, SOLI INVICTO COMITI. Adhuc Chriſtianorum perſecutiones a præfectis exercebantur. Omnia penè veteris ſuperſtitionis monimenta reſtabant. Cuius ad alia perſpicuum iudicium eſt, ꝙ arcus Conſtantini Romæ, in quo victoria contra Maxentium impreſſa eſt, neque picturas vllas Chriſtianorum, aut crucis habet, neque in litteris vlla fit mentio, vel ſigni viſi, vel cuius auxilio victoria ſit potitus: ſed tm̃ diuinitatis inſtinctu iuſtis armis ſe Rempub. vltum eſſe. Nam columna, quã commemorat Euſebius, multo poſt erecta eſt. At in arcu Titi, & Veſpaſiani, quo triumphus captorum Hieroſolymorum exprimitur, videas candelabrum, arcam, cæteraque myſteria capti templi. Itaque poſt victum Maxentium, poſt viſum crucis ſignum, nõ ſubito ſyncerè Chriſtianus fuit Conſt. acciditq; vt aliquot annis poſt leprę cõtagione macularetur. Quod præter alia teſtimonia etiam Gręcorũ hiſtoriæ comprobant, recenſentes poſt profligatũ Maxentium, cognomentum Flauij Conſtantinum accepiſſe: poſtea lepræ contagione maculatum fuiſſe: καὶ φλάβιος ὠνομάσθη ἐκ κακοχυμίας δέ τινος λελεπρωμένος καὶ δεινεῖ τινὶ λώβῃ προσεοικὼς νεοσφαγῶν νηπίων αἵματι λούσασθαι τῶν ἐν τῷ καπιτολίῳ εἰπόντων θεραπείαν συνέθετο ἀλλὰ καὶ πολλὰ ἀθροισθέντα οἰκτείρας ἀπέλυσεν, πρὸς δὲ καὶ χρήματα πολλὰ ταῖς μητράσιν καταθέμενος πρὸς δὲ τὸν ἱερέα Σύλβεστρον ἐξ ἐπιφανείας Πέτρου καὶ Παύλου τῶν ἀποστόλων δραμὼν, καὶ βαπτισθεὶς ἄνεισιν ἐκ τῆς κολυμβήθρας ὅλος ὑγιής. E Flauius, inquit, cognominatus eſt, ſed cùm lepra attactus eſſet, fœdiſſimumque eſſet ſpectaculum, ſacerdotibus Capitolij ſuadentibus lauacrum ſanguinis puerorum, aſſenſus eſt, ſed multos eorum congregatos miſeratus dimiſit, inſuper donatis matribus. Cumque ad Syluestrum accurriſſet, propterea, quòd ei Petrus, & Paulus Apoſtoli apparuiſſent, atque ab eo baptizatus eſſet, totus ſanus è lauacro egreſſus eſt. Is igitur ſecundus fuit, & quidem verus ſtimulus, quo penitus impelleretur ad Chriſtianam pietatem Conſtantinus. Nihil ego nunc morabor quid Hieronymus in chronicis ſcripſerit, quem auſim dicere nihil veri de Conſtantino retuliſſe. Cùm eum crudeliter dicat interfeciſſe Criſpum, cùm cauſas relictæ vrbis nullas afferat, cùm dicat ab Arrianis eum fuiſſe baptizatum, quæ teſtimonio antiquorum, multorumque Theologorum nullo modo vera eſſe probantur. Perſpicuumq; eſt res Conſtantini parum ei notas fuiſſe. De baptiſmo igitur, cùm magna ſit controuerſia, audiamus priſcos patres quid exclamauerint: Fierine poſſe, vt tam diu Conſtantinus baptiſmum diſtulerit, vt extremo vitæ tempore baptizaretur? Eumne ſanctos patres in concilio Niceno ſedere paſſuros fuiſſe non baptizatum, ſed quaſi paganum? Illene tam ſacras, tam pias epiſtolas, quæ ſunt apud Euſebium de religione Chriſtiana ſcripſiſſet non baptizatus? tàm præclara opera peregiſſet? Concilia conuocaſſet? ad hæreſes tollendas tantopere animum adieciſſet non baptizatus? tanto Chriſtianę pietatis ardore flagraſſet? Et qui pro Chriſti gloria nihil non conaretur, vnam totius pietatis fundamentum, rem per negligentiam in tam longum tempus reieciſſet? Cùm in numerum damnatorum a doctiſſimo vate aſcribatur, qui

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem. F

Hæc patres exclamant, non ferunt ad vltimam vitæ metam prædicari baptiſmũ a Conſtantino fuiſſe dilatum. Quid quod alij ferunt, eum ab hæreticis baptizatum? at Euſebius, & Ambroſius, a catholicis. Quæ indignitas, ſi non fuit ab hæreticis baptizatus, eam notam a ſcriptoribus tam pio Imperatori inuſtam fuiſſe? Ipſa igitur diſſentio probat falſa eſſe, quæ de illo in limine vitæ baptiſmo prædicantur: ac forſitan error is apud hiſtoricos duas habuit cauſas, ꝙ tum Conſtantius filius ſcribitur ſupremo vitæ t̃pe baptizatus. Nam Cõſtantius, vt res geſtæ Artemij teſtantur cũ xl. annis cũ patre, & ſolus imperaſſet, poſteaq; in morbum incidiſſet, qui ei videretur incurabilis, ſtatim accito ep̃o Antiochiæ Euzoio, iuſſit ſe baptizare, pauloque poſt exceſſit: ὡς δὲ φαύλως ἤσθετο ἔχων ἤδη. καὶ οὐκ ἂν βιωσόμενος τὴν ταχίστην τὸν Ἀντιοχείας ἐπίσκοπον Εὐζώϊον μεταπεμψάμενος βαπτίσαι αὐτὸν ἐπιτρέπει καὶ δὴ βαπτισάμενος καὶ μικρὸν ἐπιβιοὺς αὐθότι περιλείπει τὸ ζῆν. Potuit igitur fieri, quod ſæpe apud hiſtoricos accidit, vt cùm ſcriptores liquido rem perceptam non haberent, tribuerent patri, quod accidit filio. Altera potuit errorem feciſſe cauſa, quod ſcriptum reliquit Damaſus de Cõſtantino filio, quem memoriæ prodidit ab Arrianis fuiſſe rebaptizatum. Hæc clarior erroris cauſa propter vnum, idemq; patris, & filij nomen. Tres enim, vt notiſſimum eſt, filios ſuſcepit magnus Conſtantinus, Conſtantinũ, Conſtantium, Conſtantem. Cõſtantinus maior natu, cui Italia, Gallia, Britannia, atque alpes obuenerũt, fuit improbus, qui fratri Conſtanti bellum indixit, in quo cecidit, atque in Arrianorum dogma delapſus, ab eis, vt dixi, denuo baptizatus eſt: quod Damaſus, ſcribens de Felice ſummo Pontifice, cum multis aliis teſtatur: quæ etiam in Eccleſia leguntur, adiuncta neſcio qua de cauſa cum martyrio Simplicij, Fauſtinæ, ac Beatricis. De Felice igitur hiſtoria ad hunc modum prodidit: Felicem ſub Conſtantino filio tino filio Eccleſiæ præfuiſſe. Is, inquit, Conſtantinus Auguſtus concilium hæreticorum, ac Valentis, & Vrſacij, & Arrianorum approbans, qui & ipſe Arrianus erat, ab Euſebio Nicomedienſi rebaptizatus, eiecit ſanctum Felicem vrbis epiſcopũ de ſede epiſcopatus ſui. Ob hęreſim enim Felix eum anathemate percuſſerat. Sic quoque potuit dici a nonnullis, patrem Conſtantinum vltimo vitæ tempore fuiſſe baptizatum, quod filio euenit. In quo complures errauerunt. Quandoquidem de baptizato ab Arrianis patre Cõſtantino grauiſſimi ſcriptores ſcribentes peccauerunt. Quàm facilè igitur fuit, quod toties apud hiſtoricos fit, vt tribueretur patri, quod filiis euenit, vel maximè vbi nominum erat ſimilitudo, vt ſcriberetur ab Arrianis pater Conſtantinus baptizatus, quod filius Conſtantinus peccauit. Illud quoque operæpretium eſt noſſe baptiſmum magni Conſtantini, quem ſcripſit Euſebius in Encomio fuiſſe potius balneum calidarum aquarum, ad quas ęger Conſtantinus ſanitati conſulens acceſſit. Collectis igitur vnà omnibus rationibus, relinquitur; Non fuiſſe baptiſmum Conſtantini ad ſupremum vitæ tempus dilatum: ſed verum, ac ſanctum baptiſmum eius fuiſſe, cùm Trinitatem, omniaque Chriſtianæ religionis myſteria confeſſus, baptizatus eſt a Syluestro. Cui Græcorum hiſtoriæ cunctis locis aſſentiuntur, etiam teſtimonium proferentes ipſum baptiſmi locum, quem ſuis vbique hiſtorijs concelebrant cognitum eis olim atq; admirationi habitum: multò magis, quàm noſtra tempeſtate, qua multa rerum ſanctarum, atq; antiquarum veſtigia Romæ interierunt, nobisque propter conſuetudinem multa vileſcere cęperunt, eaque admirari, ac contemplari deſijmus. Audi igitur teſtem ſuper hoc Theophanem hiſtoriæ ſcriptorem peruetuſtum. Sunt enim ſeptingenti anni, ac ſupra, cùm hiſtoriam ab orbe condito conſcripſit, res vniuerſi æui complexus: τούτῳ τῷ ἔτει ὥς φασί τινες Κωνσταντῖνος ὁ μέγας σὺν Κρίσπῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐν Ῥώμῃ ὑπὸ Συλβέστρου ἐβαπτίσθη ὡς οἱ κατὰ τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην μέχρι σημερὸν τὸν βαπτιστῆρα ἔχουσιν εἰς μαρτυρίαν ὅτι ὑπὸ Συλβέστρου ἐν Ῥώμῃ ἐβαπτίσθη μετὰ τὴν ἀναίρεσιν τῶν τυράννων οἱ δὲ κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐν Νικομηδείᾳ κατὰ τὸν θάνατον ὑπὸ Εὐσεβίου τοῦ Νικομηδέως ἀρειανοῦ φασὶν αὐτον βεβαπτίσθη ἔνθα καὶ ἔτυχε κοιμηθῆναι ἀναβαλλόμενος γὰρ ἦν φασὶν τὸ βάπτισμα ἐλπίζων ἐν τῷ Ἰορδάνῃ βαπτισθῆναι ποταμῷ· ἐμοὶ δ᾽ ἀληθέστερον φαίνεται τὸ ὑπὸ Συλβέστρου ἐν Ῥώμῃ βεβαπτίσθαι αὐτόν· καὶ τὰς ἐπ᾽ ὀνόματι αὐτοῦ φερομένας διατάξεις πρὸς Μελχιάδην πεπλασμένας εἶναι τοῖς ἀρειανοῖς, δόξαν ἐντεῦθεν περιποιῆσαι σπουδάζουσιν ἑαυτοῖς, ἢ καὶ τὸν εὐσεβῆ βασιλέα κοιμίζειν ἐθέλουσιν ἀβάπτιστον δεικνύουσιν ἐντεῦθεν ὅπερ ἄτοπον καὶ ψευδές· εἰ γὰρ οὐκ ἦν βεβαπτισμένος ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ λοιπὸν οὐδὲ μετελάμβανε τῶν θείων μυστηρίων οὐδὲ συνηύχετο τοῖς θείοις πατράσιν ὅπερ ἀτοπώτατον ἐστὶν καὶ λέγειν καὶ φρονεῖν· ἄλλοι δὲ ἀρειανοὶ καὶ ἕλληνες ὡς νόθον διαβάλλουσιν τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον, ψεύδονται δὲ καὶ οὗτοι· ἡ γὰρ γενεαλογία αὐτοῦ βασιλικὴ ὑπῆρχε καὶ πρὸ Διοκλητιανοῦ· ὁ γὰρ πατὴρ αὐτου Κωνσταῖος θυγατριδῆς ἦν Κλαυδίου τοῦ βασιλέως καὶ ἐξ Ἑλένης τῆς πρώτης αὐτοῦ γυναικος ἔλαβε τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον· εἶχεν δὲ καὶ τοὺς ἄλλους υἱοὺς ἐκ Θεοδώρας τῆς θυγατρὸς τοῦ Μαξιμιανοῦ τοῦ Ἑρκουλίου ἀδελφῆς δὲ τοῦ Μαξεντίου τοῦ ἐν τῇ Ῥώμῃ τυραννήσαντος ὑπὸ Κωνσταντίνου περὶ βουλαίαν τὴν γέφυραν ὅτε καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον ἐθεάσατο ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ Φαύστας τῆς γαμετῆς τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου· καὶ μηδεὶς θαυμαζέτω εἰ πρὸ τοῦ βαπτίσματος ἑλληνίζοντες δύο ἀδελφὰς ἔγημαν ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱός· εἰσὶ δὲ αἱ γενέσεις αὐτῶν ὡς ὑποτέ ταυτας

Hoc anno, inquit, vt nonnulli ferunt, magnus Conſtantinus cum Criſpo filio Romæ a Syluestro baptizatus eſt. Quemadmodum hi, qui Romæ habitãt, vſque ad hanc diem in teſtimonium oſtendunt locum baptiſmi, ſiue baptiſterium, ꝙ Romæ ſit a Syluestro baptizatus poſt ſublatos tyrannos. At orientales ferunt eum ab Euſebio Nicomedienſi Arriano ſub extremum vitę tempus baptizatum, vbi etiam fato functus ſit. Ferunt enim eum diſtuliſſe baptiſmum, quòd ſperaret in Iordane flumine baptizari. Sed mihi verius videtur, eum a Syluestro Romæ fuiſſe baptizatum, & conſtitutiones, quæ nomine eius circumferuntur ad Melchiadem, fictas eſſe ab Arrianis, qui ſibi hinc gloriam aucupari ſtuderent, aut pium Imperatorem maculare niterentur, ipſum ſine baptiſmo fuiſſe aſſerentes. Quod planè abſurdum eſt, ac falſum. Si enim non erat baptizatus in concilio Niceno, ſupereſt vt neque diuinorum myſteriorum fuerit particeps, nec orationes cum diuinis patribus habuerit: quod dicere, & cogitare abſurdiſſimum eſt. Cæteri verò Arriani, & Pagani calumniantur vti ſpurium magnum Conſtantinum. Qui & ipſi mentiuntur. Nam genus eius regium ante Diocletianum fuit. Siquidem pater eius Conſtantinus ſororius erat Claudii Imperatoris. Et ex prima vxore Helena ſuſcepit magnum Conſtantinum: ſuſcepit etiam alios filios ex Theodora filia Maximiani filij Herculij, quæ ſoror erat Maxentij, qui Romæ tyrannidem exercuit, interfectusque eſt a Conſtantino ad pontem Miluium, quando ſignum crucis conſpexit in cœlo. Soror item erat Fauſtæ vxoris magni Conſtantini. Neque quiſquam admiretur, ſi ante baptiſmum, cùm adhuc eſſent Pagani, duas ſorores accipiebant pater, & filius. Eſt autem genus eorum ad hunc modum. Quàm validum eſt hoc teſtimonium ad mendacia multorum coarguenda, de baptiſmo Conſtantini, de conſtitutionibus ad Melchiadem, qui anteceſſit Syluestrum, quas Laurentius velut Arrianus protulit, ad euertendam donationem factam Syluestro. Qui etiam velut Paganus inuectus eſt in Conſtantinum, quem dixerit peſſimè de Romano nomine meritum. At eum Theophanes teſtimonio ſuo reuincit. Audi hic ſublatam controuerſiam de Melchiade, cui nihil donare Conſtantinus potuit, quippe qui a

Maxentio, aut Maximino eſt martyrio coronatus, teſte Damaſo. Atque ea, quæ nomine Mel- D chiadis verba proferuntur de donatione Conſtantini conſtat eſſe falſa, ab Arrianis confiϲta: quod malignus Laurentius aut non potuit, aut noluit percipere. Ac vide, quam fallaci coniectura voluerit euerſam eſſe donationem, ſcilicet ex Melchiade, qui ea neque ſcripſit, neque ſcribere potuit. Zonaras quoque, hiſtoricus ſanè, quàm bonus, de magno Conſtantino eadem ſcribit. Poſtquam, ait, multis victoriis potitus eſſet Conſtantinus, οὕτω δὲ μοναρχήσας ὁ Κωνσταντῖνος, καὶ Φλάβιος ὠνομάσθη, καὶ οὕτω πᾶς ἀχρημάτισε Φλάβιος Κωνσταντῖνος, καὶ ἐν Ῥώμη διῆγε. Τῆς μὲν τῶν εἰδώλων θρησκείας οὐκ ἀποστὰς, τὰ περὶ Χριστοῦ δὲ μυούμενος, καὶ ἤδη παραδεχόμενος: σώματος δὲ νοσεροῦ, καὶ πλοῦ σταφύοντος ἐκ κακοχυμίας, καὶ ὕλης μοχθηρᾶς ἐξανθήματα, ὡς λώβην: ταῦτα παρὰ τῶν ἰατρῶν ὀνομάζεσθαι, καὶ λέπρα δὲ παρεικάζεσθαι, καὶ τὴν τούτων θεραπείαν ἀπαγορεύεσθαι εὗρε τοὺς ἱερεῖς τοὺς ἐν τῷ καπιτωλίῳ Διὸς οὐκ ἄλλως λέγοντας τεύξεσθαι θεραπείας αὐτὸν, εἰ μὴ ἐν παίδων νηπίων ἔτι ἀτμίζοντι λούσαιτο αἵματι: αὐτίκα τοίνυν ἐκ πάσης τῆς ἐκείνων χώρας συνῆκτο τὰ νήπια, καὶ ἡμέρα ὥριστο τῆς τούτων σφαγῆς, καὶ ὁ βασιλεὺς ἀπῄει τότε τῷ αἵματι τὸν παίδων λουσάμενος εἰς τὸ καπιτώλιον: αἱ δὲ τούτων μητέρες προϊόντος αὐτοῦ γοερὰς ἠφίουν φωνὰς, καὶ ὠλόλυζον, ὧν ἀκούσας ἐκεῖνος ἤρετο τί τοῦ θρόνου τὸ αἴτιον, καὶ μαθὼν τὰς μητέρας θρηνεῖν τῶν βρεφῶν ὡς ἐκ μέθης ἀνεγρηγορὼς, τὸ μὲν τῆς πράξεως εἶπεν ἀνόσιον, πρόδηλον, ἄδηλον δὲ τὸ ἀποτέλεσμα: εἰ δὲ καὶ τοῦτο ἦν ἀναμφίβολον, κρεῖσσον πάσχειν ἐμὲ ταῖς νόσοις ταλαιπορούμενον, ἢ τοσούτων βρεφῶν καταψηφιεῖσθαι ἀπώλειαν, καὶ ῥομφαίᾳ λύπης τὰς τῶν μητέρων αὐτῶν διελάσας ψυχὰς, καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐπανῆλθεν, ἀποδοθῆναι ταῖς μητράσι προσάξας τὰ νήπια, καὶ χρήματα δὲ, δοθῆναι αὐταῖς, ἵνα αὐτὶ ῥοῦπον ἕξουσιν, ἢ καὶ διπλασίονα τὴν χαρὰν, ὅτι τὰ ζῶντα τὰ εὔγονα ἀπειλήφασι, καὶ ὅτι ἐπὶ τούτοις καὶ χρήματα προσειλήφασι: ταῦτα δὲ διαπραξαμένῳ νυκτὸς αὐτῷ E ἐδοξάτην ἄνδρε παρεστάναι δίττω Πέτρος εἶναι, καὶ Παῦλος λέγοντες οἱ ἀπόστολοι τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰ σωματικῆς ἔλεγον, καὶ ψυχικῆς ὑγιείας βούλει τυχεῖν τὸν ἐπίσκοπον μετακάλεσαι Σύλβεστρον, κἀκεῖνός σοι καὶ τὴν τύμην ἀπώσεται τῆς σαρκὸς, καὶ ζωῆς ἀνωλέθρου καταξώσει σε: ἐπὶ τούτοις ὁ βασιλεὺς τοῦ ὕπνου ἀνεγιαὼν στέλλει τοὺς καταπεμψομένους σὺν αἰδοῖ τὸν ἐπίσκοπον, καὶ παραγενομένῳ τῷ ἱερῷ Συλβέστρῳ, εἰπέ μοι ἔφη ἐπίσκοπε θρησκεύονται παρ' ὑμῖν θεοὶ Πέτρος, καὶ Παῦλος ὀνομαζόμενοι: ὁ δὲ, εἷς ἡμῖν θεὸς γιγνόσκεται ἀπεκρίνατο, Πέτρος καὶ Παῦλος θεράποντες ἐκείνου, καὶ ὑπηρόται εἰσίν: ἐξῆς οὖν, ὁ βασιλεὺς διηγεῖται αὐτῷ τὸ ἐνύπνον, καὶ καθ' ἡμᾶς παρ' αὐτοῦ μυεῖται μυστήριον, καὶ βαπτίζεται, καὶ ἄνεισιν ἐκ τῆς κολυμβήθρας ὑγιὴς ὅλος, καὶ αὐτίκα ἄδειαν τε κηρύττει Κριστιανοῖς, καὶ τοὺς ναοὺς σφίσιν ἀναπετάννυσι, καὶ νέους ἐφίησιν ἀνεγείρεσθαι: κλείει τοὔμπαλιν τὰ ταμένη τῶν ψευδωνύμων θεῶν, ἀδεῶς τε θεσπίζει προσιέναι τοὺς βουλομένους τῇ πίστει τοῦ Χμιστοῦ, βιάζεσθαι μὲν γὰρ μηδένα ἔλεγε βούλεσθαι, τοὺς δὲ ἑκόντας προστιθεμένους τῷ Χριστῷ ἀποδέχεσθαι: ὁ μὲν οὖν οὕτω τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ προσελήλυθε: τὸ κήρυγμα δὲ ἐπλατύνετο, καὶ παρρησία τοῖς Χριστιανοῖς ἐδίδοτο.

Atque in hunc modum, inquit, monarchiam adeptus Cõſtantinus, Flauius cognominatus eſt. Degebatq; Romæ nondum quidem a cultu idolorum abhorrẽs, initiatus tamen Chriſti religione. Ex malis autem humoribus, ac peſſima materia toto corpore oborta, veluti florum copia, impetigine, quæ a medicis vocabatur contagio, ſimilisq; lepræ videbatur, cuius curatio deſperata erat: inuenti ſunt ſacerdotes Iouis Capitolini, qui dicerent, non aliter eum poſſe ſanari, niſi calido infantium cruore ablueretur. Vndique igitur collectis pueris, decretaq; die, qua cędendi eſſent, ibat Imperator in Capitolium, illorum cruore lauandus. Sed matres puerorũ Imperatore aduentan- F te lugubres voces mittebant exululãtes. Quibus ille auditis, cauſam fletus ſciſcitatus eſt. Cumq; didiciſſet matres eſſe, quæ ob pueros interficiendos lugerent, velut ex ebrietate euigilans, hanc rem præ ſe ferre certam, & indubitatam improbitatem, at incertum euentum ſanitatis dictitans. Quòd ſi etiam certus eſſet euentus ſanitatis, præſtare tamen ipſum ęgritudine confici, quàm tot pueros cædendos aſpicere, & gladio mœroris matrum pectora trãſuerberare. His dictis abſceſſit, iubens matribus reddi pueros, eisque inſuper pecunias donari, vt gaudium maius perciperẽt redditis pueris, & pecuniis acceptis. His ad hunc modum peractis, noctu viſi ſunt ei adeſſe viri duo dicentes, ſe eſſe Petrum, & Paulum Apoſtolos Chriſti, qui ſi vellet animi, & corporis adipiſci ſanitatem, Syluestrum epiſcopum accerſeret, qui ei labem carnis abſtergeret, & ęternæ vitæ efficeret dignum. In his Imperator è ſomno euigilans mittit ſtatim qui accerſerent cum honore epiſcopum. Cumque ad eum Syluester acceſſiſſet, Dic, ait, epiſcope, coluntur ne vobis Dij Petrus, & Paulus nuncupati? Nobis, inquit Syluester, vnus duntaxat Deus agnoſcitur. Petrus autem, & Paulus ſerui eius, ac miniſtri ſunt. Enarrat deinde ſomnium Imperator, noſtriſq; myſteriis initiatur, ac baptizatur, & ex piſcina totus ſanus conſurgit. Statimque immunitatem, ac ſecuritatem Chriſtianis publicè concedit, eisque templa aperit, noua attollere ſinit. Contra claudit fana Dæmonum, quæ falsò Deorum ſibi nomen aſciuerant: omnes decernit, poſſe ſecurè qui velint accedere ad fidem Chriſti, nolle quidem ſe cogere quenquam, exoſculari autem, qui ſponte ſe Chriſto dederint. Is igitur ad hunc modum ad fidem Chriſti acceſſit. Prædicatio autem diffundebatur, dabaturque audacia Chriſtianis. Hæc hiſtoria. In qua multa ſunt præclara ab excellentibus ingeniis conſideranda, vt congruunt omnes maiorem in modum ſuper rebus geſtis Conſtantini, & Syluestri, vt quanquam viderit in cœlo ſignum crucis Conſtantinus, non

tamen

A tamen a cultu idolorum protinus desciuerit: quo declaratur cauſa baptiſmi, fitq; perſpicuum, non fuiſſe eum baptizatum, cùm vidit in cœlo ſignum crucis, totaque illa controuerſia diſſoluitur. Quibus verbis facinus mactandorum infantium execratus fuerit. Multaque præterea. Is idem mirificè congruit cum Artemio ſuper cæde Fauſtæ & Criſpi: quod cùm ſit memoratu dignum, etiam hoc teſtimonium huc proferre vehementer operæpretium cenſui. Εἶχε δὲ καὶ ἐκ παλλακῆς ἕτερον υἱὸν Κρίσπον καλούμενον, τῶν ἄλλων νέων πρεσβύτερον ὡς καὶ παρὰ τῷ πρὸς Λικίνιον πολέμῳ πολλάκις ἠρίστευσεν. Τούτῳ ἡ μητρυιὰ Φαῦστα ἐπιμανεῖσα ἐρωτικῶς ἐπὶ μὴ εὐπειθοῦς ἐκείνου ἐτύγχανε κατεῖπε πρὸς τὸν πατέρα ὡς ἐρῶντος αὐτῆς καὶ πολλάκις βιάσασθαι ἐπιχειρήσαντος, διὸ καὶ θάνατον ὁ Κρίσπος παρὰ τοῦ πατρὸς κατεδικάσθη πεισθέντος τῇ γαμετῇ: ὡς δ᾽ ἔγνω μετὰ ταῦτα ὁ αὐτοκράτωρ τὸ ἀληθές, καὶ τὴν γυναῖκα ἐκόλασε διάτε τὸ ταύτης ἀκόλαστον καὶ τὸν φόνον τοῦ παιδὸς εἰσαχθεῖσα γὰρ ἐν λουτρῷ ἡ Φαῦστα σφοδρῶς ἐκκαυθέντι ἐκεῖ τὴν ζωὴν βιαίως ἀπέρρηξε. Suſcepit, inquit, etiam ex pellice alium filiũ nomine Criſpum, maiorem natu, qui in bello contra Licinium ſæpe victor diſceſſit. In hunc nouerca Fauſta amore inſaniens, cùm eum ſibi renitẽtem reperiſſet, detulit ad patrem, ꝙ eam deperiret, & ꝙ ſæpius ei vim afferre conatus eſſet. Quã ob cauſam Criſpus a patre morte damnatus eſt, cũ vxori fidem habuiſſet. Sed poſtea veritate comperta, Imperator vxorem ſupplicio affecit, tum propter eius intemperãtiam, tum ob cædẽ filij. Inducta enim Fauſta in balneum vehementer calefactum, ibi vitam violenter abrupit. Audiſti quæ ſuperius retulit diuus Artemius coram Iuliano. Hæc hiſtoria, ꝙ non oportuit referre Artemium, expoſuit, quo ſupplicio nouerca Fauſta extincta eſt. Sed ego reuertor ad edictum, ſiue decretum Conſtantini, probaturus eum nil aliud ſtatuiſſe ac confirmaſſe, quàm quod apud priſcos patres B conſtantiſſimum eſſet, de principatu, ſummaq; maieſtate Romanæ ſedis: atque ea, quæ ipſe decreuiſſet, ab inſecutis Theologis proceribus ſacroſanctæ Theologiæ, ſummo aſſenſu fuiſſe confirmata, ob eamq; cauſam probari poſſe verè Cõſtantinum ea ſtatuiſſe, ꝙ tum apud maiores vſque ab ipſo Chriſto manantia habebantur, tum a poſteris poſt ipſum Imperatorem ſummo conſenſu celebrata, atque aſſerta ſunt. Quod ergo magna motus pietate Cõſtantinus pronunciauit in edicto, Qm̃ vbi principatus ſacerdotum, & Chriſtianę religionis caput ab Imperatore cęleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt, vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Audiuimus quo conſenſu Theologi ferebant a Chriſto, & ab Apoſtolis fuiſſe decretum, quantopere Græci non minus, quàm Latini aſſentirentur, illic religionis eſſe caput, principatumq; ſacrorum, nec aliud Conſtantinum, quàm vniuerſæ Eccleſiæ, ſanctorumq; Theologorum ſententiam edicto complexum eſſe. Igitur etiam diuinus Chryſoſtomus non longè poſt Conſtantinum, tempore ſcilicet Theodoſij de hoc principatu, Petro a Chriſto tradito, ſimilem cum reliquis Theologis ſentẽtiam tulit, cùm interpretaretur Euangelium Ioannis. ἐνεχείρισε μὲν τῷ Πέτρῳ τὴν πάντων τὸν πιστευόντων προστασίαν: εἰ γὰρ καὶ τὸν Ἱεροσολύμων Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβεν ἀλλὰ Πέτρος τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. Tradidit, inquit, in manus Petri omnium credentium principatum. Nam etſi Iacobus Hieroſolymorũ ſedem accepit, at Petrus totius orbis terrarum. Hæc os aureũ haud diſſimiliter Conſtantino. Vnum ferè vtriuſque decretum, Petrum habere principatum totius orbis terrarum. Principatum inquam religionis, pietatis, ſacrorum. Quod animaduertens magnus Imperator, indignũ, & iniuſtum cenſuit habere poteſtatem, Imperatorem terreſtrem, vbi caput religionis præſideret, ne ordine falſo ſubeſſent cęleſtia terreſtribus. Flex anima ratio, plena rationis, ac prudentiæ conſide- C ratio. Chryſoſtomus item, δεῦρο φησὶ παράλαβε τὰ πρόβατα εἰς τὴν οἰκουμένην ἔξελθε, ἀκολούθει μοι ἐξάγοντί σε πρὸς κήρυγμα, καὶ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἐγχειρίζοντι. Eia age, inquit, accipe pecudes, egredere in orbem terrarum, ſequere me deducentem te ad prædicationem, totumq; terrarum orbem in tuas manus tradẽtem. Hæc aureus Theologus. Quid igitur mirum hæc cognoſcentem, perceptaq; Conſtantinum habentem, quem pietatis ęſtus impelleret, decreuiſſe, atque excellens edictum ſtatuiſſe, de religionis principatu, excitatumq; a Chriſto, vera maieſtate adornare voluiſſe. Eundem principatum, quẽ Conſtantinus admirabatur, ſuperius tempeſtate profanorum Imperatorum cæteri Theologi prædicauerunt: ne putes noua molitum Conſtantinum. Cyprianus magnus, ſanctusq; Latinis Theologus, in epiſtolis de hereticis ex Aphrica Romã nauigantibus. Audent, inquit, nauigare ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, vnde totius fidei ordo, & vnitas pendet. Cernis caput ordinis, vnitatis religionis Chriſtianæ. Hoc Conſtantinus magnus, & ipſe Theologus, nouit, confeſſus eſt, proſtrauit Imperium, religionis capiti diadema regium ſubiecit. Audiat quoque Cypriani vocem de ſede S. Petri hodierna gigantum audacia, quibus quaſi fuit Vallẽſis anteſignanus. Deus, inquit, vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata: Aliud altare conſtitui, & ſacerdotiũ nouum fieri, præter vnum altare, & vnum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit, adulterium eſt, impium eſt, ſacrilegium eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Inde ſchiſmata, & hæreſes, obortæ ſunt, & oriuntur, dum epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur. Cernis veluti prophetantem, ac ſpiritu quodam diuino pronunciantem hodie vnam hæreſim, atque eius præcipuam cauſam ore prophetico prædicentem diuum. Qua ſeptentrionalis ſuperbia, ſummum ſacerdotem contempſit, aliud altare, ſacerdotiumque conſtituit, idque humano furore, cæcitate, dementia, violatis ordinibus, inſtitutiſque diuinis. At Conſtantinus agnouit fundatam eſſe Domini voce vniuerſam Eccleſiam ſuper Cathedra Petri. Eoque adorauit Petrum, & ſucceſſores, ſe ſuaque obtulit. Hoc Cypriani teſtimonium protulit etiam Anſelmus Theologus apprimè bonus, ac ſanctus, etiamque antiquus. Nec te pigeat item eundem audire Cyprianum longè antiquiſſimum Theologum de capite, & vnitate Chriſtianæ religionis, vt agnoſcatur Conſtantinum haud ab re exarſiſſe ſtimulis cœleſtibus actum ad religionem.

Ex Epiſtola Sancti Cypriani.

LOquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam. Super vnum ædificat eccleſiam, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, Accipite ſpiritum ſanctum. Tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua autoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod Petrus fuit, pari conſortio prędití, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur quam vnam eccleſiam etiam in cantico canticorum ſpiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuę electa genitrici ſuę. Hanc Eccleſię vnitatem, & beatus Apoſtolus Paulus docet, & ſacramentum vnitatis oſtendit, dicens. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Quam vnitatem tenere firmiter, & vendicare debemus, maximè nos epiſcopi, qui in eccleſia pręſidemus, vt epiſcopatum quoq; ipſum vnum, atq; indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. His diuini theologi dictis cognoſcitur, antiquam fuiſſe, indubitatamque fidem, caput religionis eſſe ſanctum Petrum, nec vera eſſe, quæ noſtri temporis audacia conata eſt perſuadere, fuiſſe omnes Apoſtolos æquales, neminem plus cæteris habuiſſe, quicquid vni datum eſſet, hoc vnicuique datum eſſe. En ſanctorum theologorum teſtimonium, a quibus vſq; ad ſanguinis effuſionem defenſa eſt religio, inter Apoſtolos tametſi parem poteſtatem omnes a Chriſto Ieſu accepiſſent, caput tamen eſſe ipſum Deum decreuiſſe, ad quod omnia referrentur, a quo dependeret religio. Quare conticeſcat, erubeſcatque inſanorum temeritas. Ipſum autem Laurentium hominem bonarum rerum inſcientiſſimum pudeat, non intellexiſſe quantos honores huic totius ſanctitatis capiti maiores exhibuerint, ſeſeq; exhibere debere perceperint. Nec prodigioſum eſſe, quod Conſtantinus feciſſet, cùm omnis Eccleſia, omnes ab ortu, & occaſu Chriſtianæque ſapientiæ eximij proceres id paribus oraculis efferrent, prædicarent, ſi vel ab ipſis Apoſtolis incipias. Hoc idem etiam diuus ille Nicolaus primus aſſeruit, qui floruit octingentis annis elapſis, etiam ſuperiorum theologorum teſtimonio dicta ſua ſuffulciens, his verbis. Verùm, & inter beatos Apoſtolos, ſicut & prius ſanctus Papa Iulius, & poſtea ille magnus, & ſanctus Leo deſcribit in ſimilitudine honoris, Fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præmineret. De qua forma epiſcoporum quoq; eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent: ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres habetur prima ſcientia. Et rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem in eis ſuſciperent ampliorem: per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret. Quod ſi quidam ex vobis vllo interiori comprehendiſſet obtutu nunquam Rothardum epiſcopum Sueſſionicæ vrbis ſine conſenſu noſtro deponerent, ſed reprehenderent, & in exilium pulſum monaſteriali cuſtodia manciparent. Quid rogo de presbyteris, & de inferioris gradus clericis ageretur, quorum apud nos quoque cauſa a Chalcedonenſis concilij regulis cùm ratio exigit, audiri iubetur, ſi epiſcopos tanta facilitate deponitis? Poſſet quoque colligi argumentum ſuper donatione, atque illius decreti veritate ex palatio Lateranenſi, in quo proximè poſt diſceſſum Conſtantini, pontifices habitare cœperunt. Si enim in decreto donationis continetur, Conſtantinum ſua ſponte, ſua voce palatium Lateranenſe, & id a pontificibus cœpit mox habitari priſco illo tempore, ob hanc cauſam verum eſt decretum a magno Conſtantino promulgatum, quia factum eſt, quod dicit ſe feciſſe, aulamque imperialem pontificibus tradidiſſe. Cur autem palatium, Imperatoriamq; ſedem Syluestro, & ſucceſſoribus reliquerit, ſapientibus perſpicuum erit, percipientque veram cauſam fuiſse, quod totum Imperium ſubſterneret, cederet Petro, Romanam maieſtatem ſubiiceret Chriſto. Quis etiam, niſi demens omnique iudicio deſtitutus, edictum aliqua parte cuius veritatem effugere non poſſet, verum eſse prædicaret, ſed inde abſcinderet aliam partem, eamque falſam eſſe contenderet. Veluti ſi quis vnam Ciceronis epiſtolam vſque ad ſeptem lineas contenderet eſse Ciceronis, poſtea tranſgreſſus alias ſeptem, quas Ciceronis eſse nollet, reliquas ad eundem autorem reuocaret. Aut modò duas lineas illius autoris, modò duas alias alterius, rurſus alias Ciceronis eſse prædicaret, ſicque totam epiſtolam diſcerperet. Ad hunc modum ſi vera eſt donatio cùm loquitur Imperator de donato palatio Lateranenſi, cur reliquam partem vis eſse falſam? Cur nõ putas eiuſdem autoris omnia? cur fides, ac veritas vnius partis nõ firmat corroboratq; reliquas?

A Si uerum fuit, donatam fuiſſe imperialem aulam, quia pontifices antiquiſſimo tempore illic habitare cęperunt, & id habetur in decreto donationis: cur non exiſtimes reliquum decretum eſſe verum, ab eodem authore prolatum? Niſi planè malignus, atque hoſtis atrociſſimus nemo ad hunc modum quempiam inſectaretur, vt prolato teſtamento diceret duas, aut quatuor lineas teſtatorem condidiſſe: reliquas falſas eſſe, non eiuſdem authoris. Quod autem palatium Lateranenſe poſt Conſtantinum mox à pontificibus teneretur, declarat præter alia uetuſtiſſimus codex epiſtolarum Imperatorum, & pontificum, qui eſt in bibliotheca Palatina. Eſt præter alia epiſtola Symmachi præfecti vrbis ad Honorium Imperatorem, qui tunc erat Rauennæ, cum poſt mortem Zozymi ſummi pontificis diſſenſio in clerum incidiſſet de ſucceſſore eligendo: alijque Bonifacium, alij Eulalium probarent, ea de re ſcripſit Symmachus principi Honorio, atque inter alia: Verum cum vir ſanctus Eulalius ad eccleſiam Lateranenſem de exequijs prioris epiſcopi à populo, & à clericis fuiſſet adductus: ibi per biduum cum maxima multitudine, & cum pluribus ſacerdotibus remoratus eſt, ut expectaretur dies conſuetus, quo poſſet ſolemniter ordinari. Cum hoc ita eſſet, ſubitò aliquanti presbyteri cum Bonifacio eiuſdem ordinis ad Theodoræ eccleſiam collecto populo properarunt. Ibique habito tractatu ipſum ordinare epiſcopum velle cęperunt. Quod vbi comperi omnes qui pariter erant ad me, ut venirent presbyteros depopoſci. Hæc & alia. Ad eccleſiam ad palatium Lateranenſe, de pontifice eligendo acclamatura plebs concurrerat, vbi defuncti epiſcopi corpus iacebat. In alia epiſtola ad Imperatores Honorium, & Theodoſium iuniorem: Sed quoniam, inquit Lateranenſem eccleſiam obtruſis penè omnibus ingreſſibus archidiaconus contemptis impiè ſummi ſacerdotis exequiis B diaconibus, & pauciſſimis presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis obſederat: altero die ad eandem eccleſiam, ubi prius ab omnibus fuerat conſtitutum, habita omnium collatione properauimus, ibique participato cum Chriſtiana plebe concilio, quem Deus iuſſit elegimus. Nam uenerabilem virum Bonifacium veterem presbyterum in lege doctiſſimum, ac bonis moribus comprobatum, & quod eum magis ornabat, inuitum, acclamatione totius populi, & conſenſu meliorum ciuitatis, aſciuimus, diuinæ inſtitutionis ordine conſecratum. Hæc & alia. Quibus docemur, non multo poſt Conſtantini tempora ſolitos pontifices Lateranenſe palatium tenere, vbi ipſis defunctis eorum funus celebrabatur, ibique nouus pontifex eligebatur. Hæc quidem ratio ſuper vniuerſo decreto Hectorea mihi eſſe videtur. Nicolaus quoque primus priſcus admodum, optimuſque pontifex, de eccleſia Lateranenſi, quæ dicebatur Conſtantiniana, hæc ait ad collectos Conſtantinopolim: Collecta, inquit, Sancta ſynodo in eccleſia Dei, in qua beatus Petrus Apoſtolorum princeps corpore redolet, & uirtutibus emicat: deinde propter frigiditatem loci in eccleſia Lateranenſi, quæ ab authore appellatur Conſtantiniana, & quæ prima toto terrarum orbe conſtructa eſt. Ibique recitatio. Hæc apud antiquum pontificem: cuius dictum mirum in modum confirmat priuilegium donationis. Teſtatur ipſe fuiſſe in palatio Lateranenſi eccleſiam, quæ ab authore appellaretur Conſtantiniana. Audi autem quid in priuilegio dicat Conſtantinus: ὡς ἡμεῖς ἔνδον τοῦ τῆς λατεράνης ἡμῶν παλατίου ναὸν ὠγείραμεν αὐτῷ σωτῆρι ἡμῶν καὶ θεῷ Ἰησοῦ Χριστῷ ἀπὸ τῶν τεμελίων αὐτῷ μετὰ τοῦ βαπτιστῆρος.

Scire omnes volumus, nos intra palatium noſtrum Lateranenſe templum ſeruatori noſtro, C & Deo Ieſu Chriſto à fundamentis ædificaſſe cum baptiſterio. Eſt item apud uetuſtos ſacrarum hiſtoriarum ſcriptores de eccleſia Lateranenſi hæc narratio. In nomine domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Imperantibus quoque Conſtantino, & Conſtante Auguſtis, Anno IIII. ſub die VIII. Cal. Octobrium, Indictione VI. Præſidente ſancto, ac beatiſſ. Iulio Papa ſedis Apoſtolicæ vrbis Romæ præpoſitis ſacroſanctis, & venerabilibus Euangelijs in eccleſia domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ vocatur Conſtantiniana: Reſidentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus Benedicto Aquilienſe epiſcopo, Rufo ſanctiſſimo Cartamano epiſcopo, Agapito Rauennatis eccleſiæ epiſcopo, Et reliquis cum eis epiſcopis. Sed eſto etiam clariſſima coniectura ſuper edicti, ſiue donationis Conſtantini ueritate, id quod de principatu Romanæ ſedis reliqui imperatores imitati Conſtantinum ſtatuerũt, uidebis omnia ad ueritatem oſtendendam, & ad falſitatem conuincendam confluere. Imperator Valentinianus Auguſtus, omnibus ſub imperio æternę vrbis Romæ, ubique terrarum degentibus. Certum eſt & nobis, & imperio noſtro vnicum eſſe præſidium in ſupernæ diuinitatis fauore, ad quem promerendum præcipue Chriſtianorum fides, & ueneranda nobis religio ſuffragatur. Cum igitur ſedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiã ſynodi firmet authoritas, ne quid præter authoritatem ſedis iſtius illicita præſumptio attentare nitatur, tunc pax eccleſiarum vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas. Hæc cum hactenus inuiolabiliter fuerint cuſtodita, Hylarius Arelatenſis, ſicuti uenerabilis viri Leonis papæ Romani fideli relatione

tione comperimus, contumaci auſu illicita quædam præſumendo tentauit, & ideo tranſalpinas eccleſias abominabilis tumultus inuaſit, quod recens maximè teſtatur exemplum. Hylarius enim, qui epiſcopus Arelatenſis vocatur, eccleſiæ Romanæ vrbis inconſulto pontifice, iudicia, ſiue ordinationes epiſcoporum ſola temeritate vſurpans inuaſit. Nam aliquos inuitis, & repugnantibus ciuibus ordinauit. Quod quoniam non facile ab his, qui non elegerant recipiebatur, manum ſibi contrahebant armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem, vel obſidione cingebant, vel aggreſſione reſerabant, & ad ſedem quietis, pacem prædicaturos per bella ducebant. His talibus, & contra Imperij maieſtatem, & contra reuerentiam Apoſtolicæ ſedis admiſſis, & per ordinem Vrbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum, & de his quos male ordinauerat, lata ſententia eſt. Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias, etiam ſine imperiali ſanctione ualitura. Quid enim tanti pontificis authoritati in eccleſiis non liceret? Sed noſtra quoque præceptio, ac ratio probauit, nec ulterius, nec Hylario, quem adhuc epiſcopum nuncupari ſola manſueti præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides, & reuerentia noſtri violatur Imperij, nec oſculum quod eſt maximi criminis ſubmouemus. Verum ne leuis ſaltem inter eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina uideatur, hæc perenni ſanctione cenſemus, ne quid tam epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri uenerabilis Papæ Vrbis æternæ authoritate temptare. Sed hæc illis, omnibusq́ue pro lege ſit. Quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis authoritas, ita ut quiſquis epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur, ſeruatis per omnia quæ diui parentes noſtri Romanæ eccleſiæ contulerint. Dat. VII. Id. Iulij Romæ Valentiniano Aug. Audiſti præclara, audiſti Valentinianum non ſecus, quàm Conſtantinum de Petri, ac ſucceſſorum maieſtate, & principatu prædicantem, ac ſtatuentem. Conſtantinus oraculum, ſiue conſtitutionem edidit, ut omnes Eccleſiæ gentes, ac nationes omnes, hanc habeant ut caput, fontemque religionis. Idem ſcripſit, expreſſitque Valentinianus poſt imperium Conſtantini paucis annis. Atque obſerua quod ait ad poſtremum: Seruatis per omnia, quæ diui parentes noſtri Romanæ eccleſiæ contulerunt. Qui ſunt enim diui parentes ipſius Valentiniani cum ante eum floruerit Iouinianus, qui duos menſes imperauit? Quid tam paucis diebus potuit conferre? Ante Iouinianum rerũ potiebatur Iulianus Apoſtata Chriſtianæ religionis atrociſſimus hoſtis. Ante Iulianum Conſtantius, filius Conſtantini, penè Arrianus? Cadit igitur iſta appellatio DIVI PARENTES NOSTRI, duntaxat in Conſtantinum: is vnus contulit omnia Romanæ eccleſiæ, aſſeruit eius principatum. Reſpexit igitur edictum Conſtantini cum hæc ſcriberet Valentinianus optimus princeps. Sed nonne eadem reliqui priſci Imperatores, omneq́ue imperiale genus ſtatuerunt, piè, ac ſanctè, ſedem diui Petri uenerantes, ac dictis Cõſtantini ſubſcribentes? Nam quid Galla Placidia maxima, ac pijſſima imperatrix ſcripſit? Galla Placidia Auguſta, Heliæ Pulcheriæ pijſſimæ Auguſtæ filię: Igitur tua clementia ſecundum Catholicam fidem quod ſemper nobiſcum fecit, conſpirare dignetur, ut quicquid in illo tumultuoſo, miſerrimoq́ue Concilio, id eſt Epheſino conſtitutum eſt, omni uirtute ſubmoueatur, & omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicæ ſedis examen, in qua primus beatus Apoſtolus Petrus, qui etiam claues regnorum cæleſtium ſuſcipiens, ſacerdotij principatum tenuit, epiſcoporum cauſa mittatur. Adnotaſti vocem imperialem conſonam oraculis Conſtantini, Sacerdotij principatum à beato Petro Romæ poſitum, adminiſtratumq́ue fuiſſe: huc omnium Epiſcoporum cauſas mittendas eſſe? Quid aliud eſt apud Conſtantinum? Agnoſce ex ſimilitudine ſermonis inſecutorum imperatorum, quid imperator Conſtantinus ſit locutus. Proſequitur in eiſdem Imperator: Domino meo Theodoſio glorioſiſſimo victori, ac triumphatori perpetuo imperatori, & patri, Victor Valentinianus glorioſus ſemper Auguſtus, & filius. Fidem à noſtris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ uenerationis beato Petro Apoſtolo intemeratam in noſtris temporibus conſeruare: quatenus beatiſſimus Romanæ ciuitatis epiſcopus, cui principatum ſacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de ſacerdotibus iudicare. Hæc quoq; q̃ clara ſunt, q̃ omnẽ vetuſtatẽ exhibent nobis? cum adhuc eo tempore religio Chriſti, Apoſtolorumq; prædicatio, & cum hominibus conuerſatio recens eſſet. Paucis ante annis Petrus, ac Paulus Romæ populos erudierant. Reſtabat penè in auribus hominum uocis eorum imago. Audis Imperatorem, Fidem à noſtris maioribus traditam. Repete uelut ſuperius, rem altius. Qui ſunt maiores ipſius Valentiniani, niſi Conſtantinus, quod omne eius genus? Quid, teſte Valentiniano maiores illi crediderunt, quam fidem poſteris tradiderunt? Nempe dignitatem, decus, principatum venerationis, pietatis, obſeruantiæ, eſſe in diuo Petro: retinendumq́ue

eſſe

A eſſe ſumma opum vi. Retineri autem, & conſeruari, ſi ſucceſſor eius habeat locum, facultatemque de cunctis ſacerdotibus, de tota religione iudicandi. Huic antiquitatem contuliſſe principatum ſacerdotij: Antiquitatem, nempe Conſtantinum, Concilium Nicenum, & ante hos, omnes qui in religione Chriſti floruerunt. Cernis inſecutos Imperatores conſtanter aſſerere, ac pro ſacroſanctis habere quæ Conſtantinus edicto decreuiſſet. Huc enim reſpiciunt Valentinianus, Gallaque Placidia, reflectentes aciem ad ea, quæ de maieſtate, ac principatu Petri magnus Imperator cum omni antiquitate conſtituiſſet, prædicaſſetque. Subijcit Galla Placidia: Domino meo victori Theodoſio triumphatori ſemper Auguſto filio, Galla Placidia perpetua Auguſta mater eius: Arbitrium unius hominis, qui in ſynodo Epheſinæ ciuitatis odium, & contentiones potius exercuiſſe narratur, militum præſentia, & metu appetit Conſtantinopolitanæ ciuitatis epiſcopum Flauianum, eo quòd libellum ad apoſtolicam ſedem miſerit, & ad omnes epiſcopos harum partium per eos qui directi fuerant in concilium à Reuerendiſſimo epiſcopo Romano, qui ſecundum definitionis Niceni Concilij conſueti ſunt intereſſe, Domine ſacratiſſime filij, venerabilis Imperator. Hac itaque gratia, tua manſuetudo tantis turbis reſiſtens, ueritatem immaculatam fidei, & catholicæ religionis ſeruari præcipias, vt ſecundum formam, ac definitionem apoſtolicæ ſedis, quam etiam nos tanquam præcellentem ſimiliter ueneramur, in ſtatu ſacerdotij illæſo permanente per omnia, Flauiano, ad concilij, & apoſtolicæ ſedis iudicium tranſmittatur, quam primus ille, qui cæleſtes claues dignus fuit accipere, principatu epiſcopatus ornauit. Quem ſcilicet decet nos huic maximæ ciuitati, quæ Domina eſt omnium terrarum, in omnibus conſeruare. In his, ut cernis, prædicatur,

B declaratur principatus ſacerdotij, ac epiſcopatus fuiſſe in diuo Petro, hacque maieſtate, ac præcellentia ſedem ſuam, Romanamque ciuitatem eum ornaſſe. Ornauit teſte Imperatrice ſedem apoſtolicam, & Romanam eccleſiam Petrus principatu, ac maieſtate epiſcopali, ut eſſet ſucceſſor ſuus, ceu Rex Imperatorque epiſcoporum, Dominus religionis, princeps ſacrorum. Hãc eſſe præcellentem in terris maieſtatem, quam ipſi quoque Imperatores venerentur, adorent. Hanc maieſtatem, atque excellentiam Petrum Romæ donaſſe: vt quemadmodum Domina eſſet omnium terrarum, ſic omni religioni dominaretur, omniaque eius nutu regerentur. Quid aliud locuta eſt Imperatrix, quàm Conſtantinus? Quo quidem uériſſime probatur, edidiſſe eum, priuilegium illud. Ad poſtremum proferre libet quod Imperator Eous cum Armenis, uniuerſoque Oriente, veteris eccleſiæ conſenſum, & ipſius magni Conſtantini decretum confirmantes, in Concilio Florentino vnanimiter dixerunt: quæ cum conſentiant cum magna mirabilis illius edicti parte, profectò reliquam partem vnius, eiuſdemque authoris eſſe cogimur aſſerere ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν καὶ τὸν ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τὸν Χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν, καὶ διευθύνειν καὶ κυβερνᾷν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι, καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι τὰ λαμβάνεται. Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanũ pontificem in vniuerſo terrarum orbe habere principatum. Ipſumq; Romanum ſummum ſacerdotem, ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verũ

C Chriſti vicarium, & vniuerſæ Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac præceptorẽ exiſtere. Atq; ipſi in beato Petro à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenã poteſtatẽ traditã eſſe paſcendi, regendi, gubernandiq; vniuerſalẽ eccleſiã, quemadmodũ & in actis vniuerſaliũ conciliorũ, & ſacris canonibus continetur. Neq; verò mirũ poſteriores Conſtantinopolis Imperatores vnà cũ vniuerſa Græcia decreuiſſe, confeſſoſque eſſe hanc decreti Conſtantini partem, quandoquidem maiores non minus piè confeſſi ſunt. Siquidem Andronicus Imperator, qui floruit anno Domini MCCLXXI. ab hinc ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, tempore Ioannis Vigeſimi primi, cum de religione diſquiſitio incidiſſet, concordiamq; cum Romana eccleſia ſuper oĩbus firmaſſent, præter cætera hęc ipſe Imperator in ampliſſima epiſtola. quæ eſt in bibliotheca Palatina, dixit, αὕτη ὡσαύτως ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς ῥώμης ἐκκλησία ἄκρον καὶ τέλειον πρωτεῖον καὶ ἀρχὴν ἐπὶ πᾶσαν καθολικὴν κατέχει, ἣν ἐν αὐτῇ ἀπ' αὐτοῦ κυρίου ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τῷ τῶν ἀποστόλων ἄρχοντι ἢ τῇ κορυφῇ, οὗ ὁ τῆς ῥώμης ἀρχιερεύς ἐστι διάδοχος μετὰ πλήρους ἐξουσίας παραδέξασθαι ἀληθῶς καὶ ταπεινῶς ἀναγνωρίζει, καὶ καθὼς παρὰ τὰς ἄλλας κρατεῖται τῆς πίστεος τὴν ἀλήθειαν ἐκδικεῖν, οὕτω καὶ ἐάν τινες περὶ τῆς πίστεως ἀναφύωνται συζητήσεις τῇ ταύτης χρεὼν κρίσει διορίζεσθαι, εἰς ταύτην δύναται καὶ βαρυνόμενος ἕκαστος, τοῖς εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀνήκουσιν ἐγκαλεῖν καὶ ἐν πάσαις ταῖς αἰτίαις, ταῖς πρὸς δοκιμασίαν ἐκκλησιαστικὴν ἀφορώσαις πρὸς ταύτας δύναταί τις ἀνατρέχειν τὴν κρίσιν, καὶ ταύτῃ πᾶσαι αἱ ἐκκλησία ὑπόκεινται. Hæc, & plura alia, quorum ſenſus eſt: Hæc ſimiliter ſacroſancta Romana Eccleſia ſupremum abſolutumq; principatum, poteſtatemque ſuper vniuerſam catholicam Eccleſiam habet: quam quidem poteſtatem in ſcipſa iure, & D humiliter agnoſcit eſſe, atque accepiſſe cum plena authoritate ab ipſo domino in beato Petro Apoſtolorum principe, ac vertice, cuius Romanus pontifex eſt ſucceſſor. Et quemadmodum præter alias eccleſias habet poteſtatem de fide iudicandi: Sic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, huius iudicio diſſoluendæ ſunt. Ad hanc vnuſquiſque vexatus prouocare poteſt, & in omnibus cauſis, quæ ad examen eccleſiaſticum ſpectent, ad huius iudicium poteſt quiſque recurrere: Et huic omnes eccleſiæ ſunt ſubiectæ. Hæc Imperator Andronicus, conſentiens cū ſuperioribus Imperatoribus. Similiter Patriarcha cum ipſo Imperatore in ſua epiſtola ſcripſit, καὶ τὸ πρωτεῖον τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ὁμολογοῦμεν, ἀποδεχόμεθα καὶ ἑκουσίως ὑποδεχόμεθα καὶ πρὸς τὴν αὐτοῦ ὑπακοὴν ἑκούσιοι ἐρχόμενοι στέργειν καὶ φυλάττειν ἀπαραπόμπτον ὑπισχνούμεθα καὶ διαβεβαιούμεθα. Paulo poſt. Ὅτι δηλαδὴ ἡ αὐτὴ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς ῥώμης ἐκκλησία, ἄκρον καὶ τέλειον πρωτεῖον κατέχει καὶ ἀρχήν. Etiā principatum ſedis Apoſtolicæ confitemur, agnoſcimus, amplectimur, & uoluntariè ſuſcipimus: Et ad huius obedientiam uoluntarie uenientes, eam amplectimur, & inuiolabiliter ſeruare promittimus, & confirmamus. Hæc ſcilicet Romana ſacroſancta eccleſia ſupremum, abſolutumque habet principatum, ac poteſtatem. Et quæ ſequuntur vnà cum Imperatore. Vt verò reliquæ controuerſiæ principio commemoratę diſſoluantur, omnibus modis falſum eſt, idque tibi, & Nicenum concilium, & hiſtoriæ clarum reddent, Concilium Nicenū præſidente Sylueſtro eccleſię, non fuiſſe celebratum. Iulius enim Tertius floruit. Lege ipſum concilium. Falliturque in eo hiſtoria Tripartita, ex eoque error perſpicuus, quòd ſcribat, eū concilio intereſſe præ ſenectute non potuiſſe. At eundem ſcribit poſt concilium quindecim annos E vixiſſe. Hoc cum exiguo labore poſſit refelli, nec longiores probationes requirat, omittam. Nec verum eſt, in principio Imperij Conſtantini, Sylueſtrum eccleſiæ habenas tenuiſſe. Quod ſi etiam uerum eſſet, cum uiginti quatuor annis præfuerit Sylueſter, potuit facilè vnà cum Conſtantino ab initio principatus peruenire ad annos Concilij: quandoquidem Conſtantinus triginta annos, Euſebio teſte imperauit. Inchoante igitur utroque eodem tempore ſuum principatum, anno autem quintodecimo, uel circiter, Conſtantini, Concilio inchoato, nonne ſuperſunt Sylueſtro nouem anni poſt Concilium? Eſt etiam teſtimonium ſextæ ſynodi, actione octaua. Cum Arrius inquit diuiſor, atque partitor trinitatis inſurrexiſſet, continuo Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Sylueſter laudabilis magnam, atque inſignem contra eum in Nicea ſynodum congregauerunt. De diſceſſu ex urbe cum ipſe Imperator ueram, ingentem, maximeque impellentem cauſam reddiderit: quos alios nos audire fas eſt, eoſque opponere viuæ uocis ipſius authoris? Cum alioquin multos hoſtes philoſophos, & hiſtoricos habuerit èo tempore Chriſtiana religio, qui de ea multa contra verum ſcriberent. Maximeque tunc ab inimicis recens, inualida, nondum regina oppugnaretur. Pronunciauit ergo Conſtantinus: Quoniam vbi principatus ſacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt: iuſtum non eſt, ut illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Quæ potuit eſſe maior cauſa? Si qua prolata, & exiſtimata eſt alia diſceſſus eius ex urbe, id factum eſt partim ab imperitis, & ignaris huius rei, partim ab inimicis Chriſtianæ religionis, qualis fuit Iulianus, Porphyriuſque eius familiaris, Libanius, multique alij philoſophi, & Rhetores, quibuſcum continentia bella Chriſtianis interceſſerunt. F Quæ res impulit Lactantium, ut opus aduerſus hoſtes conſcribens, duas quaſi acies inſtrueret, alteram contra philoſophos, ex inani ſapientia in Chriſtum uirus effundentes: partim aduerſus ineptè ſuperſtitioſos. Sed acrius bellum fuit contra philoſophos. Quot ſcelera Zozimus aduerſus Conſtantinum, ſimili atque Iulianus impulſus odio, conſcripſit? Videbant eum templa Deorum euertentem, nouam religionem, quam illi deridebant, barbaramque ſuperſtitionem appellabant, ubique erigentem, perq; omnes nationes mirabiliter augentem. Partim igitur ignorabant cauſam diſceſſus ex urbe, profectionis in Thraciam: partim malignè ſupprimebant, aut ueram cauſam ſilentio prætergreſſi, aliam abſurdiorem afferebant. Idque etiam à noſtris peccatum eſt, quale fuit a doctiſſimis proditum, cum filius Conſtantinus à Nicomedienſi Euſebio fuerit rebaptizatus, patrem id feciſſe. Similes igitur fraudes commenti ſunt, neſcio qui ſcriptores ignobiles de eius diſceſſu. Super quibus ego, veluti falſis, atque exploſis, nil amplius addam. Quoniam autem ſuperius eam edicti partem, argumenta, & teſtimonia veterum Theologorum probabant à Conſtantino fuiſſe ſancitam, ac ratam, qua maieſtatem, principatumque cæleſtis religionis Petro, & ſucceſſoribus a Chriſto datam aſſerebat, & probabat: nunc aliis rationibus, & coniecturis probandum eſt, illam edicti partem, facile nos induci poſſe, vt credamus conſcriptam à magno Conſtantino fuiſſe, qua regna occidentalia, totumque ipſum occidentem Chriſto, & Petro, Eccleſiæque ſubiecit. Has ſiue rationes, & argumenta, ſiue coniecturas palam eſt Laurentium comiteſq; eius ignoraſſe: quippe quæ in reconditis, & interioribus

A rioribus litterarum theſauris habeantur . Sed cum data eſſet hæc ſcribenti , diuino munere am-
pliſſima librorum Græcorum, Latinorumque copia, unde & ſuper hac re, & reliqua theologia
flores, ac gemmæ colligerentur: hoc ſcilicet laborandum , atque omni ſtudio contendendum
erat, vt hæc præclaræ ſupellectilis facultas, ad honorem Dei, & Eccleſiæ ipſius præſidium
proferretur. Illa mihi videtur clariſſima coniectura ſuper regnis Eccleſiæ à Conſtantino do-
natis, ſuper ea cæleſtis decreti parte, qua ſubiecit Eccleſiæ totum occidentem, prima ex anti-
quiſſimis Pontificum ſanctionibus , ſiue epiſtolis , (vulgo regiſtra uocantur,) quas per vniuer-
ſum terrarum orbem ad reges, ac principes , velut eorum Domini , tranſmittebant : eiſque uti
ſubiectis imperabant , eorum regna Eccleſiæ eſſe fatebantur . Atque hi libri uetuſtiſſimi ſunt.
Qualis eſt liber ſanctionum , ſiue Epiſtolarum , ſiue regiſtrum Gregorij Septimi , qui floruit
ab hinc noſtra tempeſtate iam ſeptingentos annos : cum ſcribens regibus, ac principibus Hi-
ſpaniæ , diceret : Vos ſcitis, quòd antiquitus regnum Hiſpaniæ, eſt Romanæ eccleſiæ . Si
quis igitur euoluat, ac penſitet, inueniet profecto eiuſmodi claram,perſpicuamque rationem.
Quemadmodum noſtra tempeſtate non dicerentur antiqua , niſi quæ ſaltem quadrigentos,
aut quingentos annos ſuperarent : ſic antiqua fuiſſe tempore eius pontificis, qui tot annis ab
hoc ſæculo elapſis floruit, quæ ſupra quadringentos , aut quingentos annos, nempe ultra mil-
leſimum tenderent. Itaque ſi rectè cenſeas , erant antiqua , tempore illius pontificis, quæ fere
ad ipſum Conſtantinum attingebant , a quo ad Gregorium quingenti plus minus anni præte-
rierunt . Si igitur, & obedientiam ipſorum regum , ac principum, & ex uetuſtis monimentis
argumenta contuleris , poterunt facile tibi indicare , illas occidentales prouincias , ac regna à
B magno Imperatore,quemadmodum habetur in edicto fuiſſe Petro conſecrata . Neque enim
nunc commemoro magnam Italiæ partem à Pipino, Carolo, Ottone donatam. Parte alia ſi cõ-
tra reges ipſorum pontificum audaciam conſideres, id poterit indicio eſſe, non tam cæleſtem
poteſtatem gladiumque religionis hos animos eis dediſſe, quàm ſubſtratam, ac ſubactam pe-
dibus eorum poteſtatem. Velut quod proditum eſt de Agapito pontifice, qui profectus Con-
ſtantinopolim, cum cępiſſet ſuper religione altercari cum Iuſtiniano Imperatore, ei dixit Impe-
rator: Aut conſenti nobis, aut exilio te deportari faciam . Cui alacriter põtifex reſpondit: Ego
quidem peccator ad Iuſtinianum Imperatorem uenire deſideraui,nunc autem Diocletianum
inueni: tamen minas tuas non permiteſco . Igitur quod de Gregorio Septimo prodidi , in eius
uetuſtiſſimo, ac præclariſſimo regiſtro, ſeu codice variarum eius epiſtolarum , ac ſanctionum,
in hunc modum habet : Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Regibus, Comitibus,cæ-
teriſque principibus Hiſpaniæ ſalutem . Notum fieri vobis volumus, quod nobis quidem ta-
cere non eſt liberum : uobis autem ad præſentem , & futuram gloriam valde neceſſarium: vi-
delicet, Regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus beato Petro, & ſanctæ Romanæ eccle-
ſiæ in ius, & proprietatem traditum eſſe. Quod nimirum hactenus, & præteritorum ipſorum
incommoda, & anteceſſorum noſtrorum tacuit negligentia . Nam poſtquam regnum illud à
Saracenis peruaſum eſt, & ſeruitium , quod beato Petro inde ſolebat fieri , propter infidelita-
tem eorum,& tyrannidem detentum ab uſu noſtrorum tot annis interceptum eſt,pariter etiam
rerum,& proprietatis memoria delabi cępit . Verum quia diuina clementia conceſſa uobis in
C hoſtes illos, ſemperque concedenda, terrã in manus ueſtras tradidit, ulterius uos cauſam hanc
ignorare noluimus, ne quod ſupernus arbiter, legum,ac iuſtitiæ conditor,de recuperanda iuſti-
tia,& honore ſancti Petri, eiuſque ſanctæ, & Apoſtolicæ ſedis gloria,noſtræ humilitati ad be-
ne merendum contulit , aut nobis ex taciturnitate in negligentię culpam , aut uobis ex
ignorantia, quod abſit , ad detrimentum propoſitæ , & diuinitus oblatæ retributionis obue-
niat , &c. Hæc pontifex ille in libro ſui regiſtri primo, qui erat in bibliotheca Lateranenſi , po-
ſtea delatus in Vaticanum. Cernis vt aſſerat , ex antiquis conſtitutionibus regna Hiſpaniæ eſſe
ſedis Apoſtolicæ,etiam ante quam à Saracenis occuparentur. Quòd ſi retrocedens per annos ,
ante impetum Saracenorum in Hiſpaniam,perrexeris, inuenies rationem fere deduci ad tem-
pora Conſtantini . Hinc certè tot iam annis antè,ea regna ſedis Apoſtolicæ fuerunt. A tempo-
re Conſtantini, aut prope, ius, ac poteſtas hæc cœpit. Eadem propè,aut ſimilis ratio eſt de re-
gno Hungarię,de quo idem: Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei , Dilecto filio Salomo-
ni regi Hungarię ſalutem, &cętera. Sicut a maioribus patrię tuæ cognoſcere potes, regnũ Hun-
garię ſacroſanctæ Romanę eccleſiæ proprium eſt , a rege Stephano olim beato Petro cum om-
ni iure , ac poteſtate ſua oblatum, & deuotè traditum . Præterea Henricus piæ memoriæ Im-
perator regnum illud expugnans, uictoriam adeptus, ad corpus beati Petri lanceam , & coro-
nam regis tranſmiſit , & pro gloria triumphi ſui illuc direxit inſignia . Quo principatum eius
dignitatis attingere cognouit . Hæc & alia . Noris de hoc regno , quòd cum à Barbaris ,
Scythis , ac Pannonibus non Chriſtianis fuiſſet poſt Conſtantini tempora occupatum, ere-

ptumque Romano Imperio, cui Eccleſia hæres ſucceſſit, fuiſſe à Chriſtianis regibus Eccleſiæ Romanæ, cui debebatur, reſtitutum. Quod de Hiſpania luce clarius eſt, quæ & ipſa à Barbaris occupata cum eſſet, Eccleſię reſtituta à regibus eſt. Idem Gregorius de eodem regno ad Geuſam Hungariæ regem eodem libro, ſed non eodem capite: Notum vero tibi eſſe credimus, regnum Hungariæ, ſicut & alia nobiliſſima regna in propriæ libertatis ſtatu debere eſſe, & nulli regi alterius regni ſubijci, niſi ſanctæ, & vniuerſali matri Eccleſiæ Romanæ: quæ ſubiectos habet non vt ſeruos, ſed vt filios. Quod quia conſanguineus tuus à rege Theotonico, non à Romano Pontefice vſurpatiue obtinuit: dominium eius, ut credimus, diuinum iudicium impediuit. Audis quo dominatu imperet Eccleſia: non vt ſeruos, ſed vt filios habeat ſubiectos ſibi. Non deijcit reges poſſeſſione, ſed ſinit eos ut filios dominari, quibus dominantibus etiam ipſa dominatur. Vult tamen agnoſci regina, ac Domina. Audis omnia nobiliſſima regna ſedi Apoſtolicæ ſubiecta eſſe? Et id ſcribebant ipſis regibus, ipſiſque veteres conſtitutiones antiquum dominatum proferebant. Alioqui quæ audacia fuiſſet ea ſcribere, uel maxime priſcos ſanctoſque Pontifices, à quibus iactantia, ſuperbiaque, & ambitio aberat. Vnde igitur hæc regnorum antiquiſſima poſſeſſio uenit ad Eccleſiam, niſi à magno Conſtantino, cum ad urbe Domina gentium ceſſit, eam alteri maiori Imperatori relinquens. De eodem item regno ad eundem regem Hungariæ ſic ſcripſit idem ſummus, ac ſanctus Pontifex, capite ſeptuageſimo: Verum ubi correpto dominio nobili, beati Petri Apoſtolorum principis, cuius regnum eſſe prudentiam tuam non latet, rex ſubdidit ſeſe Theotonico regi, & regale nomen obtinuit: Dominus iniuriam ſuo illatam principi præuidens poteſtatem regni ſuo ad te iudicio tranſtulit. Et ita conſanguineus tuus, ſi quid in obtinendo regno, iuris prius habuit, a ſe ſacrilega vſurpatione priuauit. Petrus enim à firma petra dicitur, quæ portas inferi confringit, atque adamantino rigore deſtruit, & diſſipat quicquid obſiſtit. Hæc magnus ille Pontifex. Denuo cernis regnum illud beati Petri eſſe, id ſæpius, audacterque à Pontefice prædicari. Cernis Romanam ſedem tametſi Domina regnorum ſit, pati tamen, & velle reges ſuis regnare locis reginam tamen vniuerſalem agnoſcentes. Quæſo igitur unde profecta eſt iſta ſedis Apoſtolicæ magna, ac peruetuſta dominario? Qui ſit alicuius iudicij, quid aliud ſentiet quàm à priſco illo Conſtantini tempore veniſſe? Similis ratio eſt de regno Anglorum, quod antiquiſſimo tempore Eccleſiæ Romanæ fuiſſe veterum monimenta teſtantur, etiam antea quàm ipſum regnum oblatum fuiſſet Eccleſiæ à rege Iohanne. In regiſtro Alexandri Tertij, qui ſcribens Gulielmo Anglorum regi, hæc ait: Alexander epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio Gulielmo regi Anglorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nouit prudentia tua Anglorum regnum, ex quo nomē Chriſti ibi glorificatum eſt, ſub Apoſtolorum principis manu, & tutela extitiſſe, donec quidam membra mali capitis effecti, zelantes ſuperbiam patris ſui Satanæ, pactū Dei abiecerunt, & Anglorum populum à via veritatis auerterunt. Et paulo poſt: Nam ut bene noſti, Angli fideles erant, piæ deuotionis reſpectu, ac cognitione religionis annualem penſionem Apoſtolicę ſedi exhibebant: ex qua pars Romano Pontifici, pars Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in vſum fratrum deferebatur. Hæc Pontifex priſcus ſanè, ac ſanctus, quod res eius geſtæ prodant. Ex quo nomen Chriſti, inquit, auditum in inſula eſt, fuit inſula ſedis Apoſtolicæ, eo videlicet tempore, cum paulo ante deceſſerat Conſtantinus. Idem ſummus Pontifex eidem regi Gulielmo, præter cętera ſcribit: In rebus verò ſancti Petri, quæ in Anglia colliguntur, ſic te ut tuis inuigilare monemus, ſic liberalitati tuæ committimus, ut pium, ac propitium debitorem Petrum reperias, & eum tibi ex debito ſubuenire admoneas. Hæc, vt ego nunc loquar, nonne luce clarius comprobant vetuſtiſſimum, vniuerſalemque ſuper regnis occidentis Romane ſedis dominatum? quo liquidisſimo perſpicias, uerisſimum fuiſſe Conſtantinum ſua uoce ſanxiſſe, ſua manu ſcripſiſſe illam donationem. Hiſque omnibus palam fit imperiti grammatici inaudita temeritas, qui ſeſe contra firmisſimam, antiquisſimamque ſummæ ſedis maieſtatem, uelut a rege Turcarum ad eam euertendam miſſus oppoſuerit, vbique ſcommatis, & maledicentia grammaticis vſitata religioni inſultans.

Hoc quoque loco quæſo omnes reſpiciant, atque altisſimè in pectus recondant, quo dominatu ſe mater Eccleſia reginam regnorum agnoſcat, fateatur, non videlicet poſſesſione ſuarum rerum dominis, ac regibus deturbandis: ſed eos cupit, ſinitque regnare, modo dominam, reginamque agnoſcant. Cumque ab Hiſpanis, Gallis, penſionibus beato Petro perſolutis vti regina conſalutetur, adoretur: nonne palam fatentur ſeſe dominæ, ac reginæ ea perſoluere, Chriſtum, & Petrum, veluti Magi muneribus allatis uenerantes? Hac ratione cępit poſt Conſtantinum imperare mater, ab eo inducta in poſſeſſionem. Sed ego reliqua proſequor. Si quidem etiam regnum Danorum eſt peculium, & uectigal ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, quod eadem pontificum vetera monimenta teſtantur. Alexander, idem epiſcopus, ſeruus ſeruorum

A Dei, Dilecto filio Sueui regi Danorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quapropter prudentiam tuam monemus, vt cenſum regni tui, quem anteceſſores tui ſanctę Apoſtolicę Eccleſiæ perſoluere ſoliti ſunt, nobis, & ſucceſſoribus noſtris tranſmittere ſtudeas: ita tamen, vt non ſicut oblatio ſuper altare ponatur, ſed vt ſupradiximus, tam nobis, quàm ſucceſſoribus noſtris, vt certius approbetur, præſentialiter offeratur. Hucuſque ille. Regnum item Ruſciæ iuris, ac ditionis eſt Romanæ Eccleſiæ, quod eadem priſca monimenta præ ſe ferunt. Gregorius idem ſeptimus regi, & reginæ Ruſciæ ſcribens, Dilectis, inquit, filijs Demetrio regi Ruſcorum, & reginæ vxori eius, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Filius veſter limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, & quòd regnum illud dono ſancti Petri per manus noſtras uellet obtinere, eidem beato Petro Apoſtolo debita fidelitate exhibita, deuotis precibus poſtulauit: indubitanter aſſerens, illam ſuam petitionem noſtro conſenſu ratam fore, ac ſtabilem, ſi Apoſtolicæ authoritatis gratia, ac munimine donaretur. Cuius petitionibus, quia iuſtæ uidebantur, tum ex noſtro conſenſu, tum ex donatione poſcentis, tandem aſſenſum præbuimus, & regni noſtri gubernacula ex parte beati Petri illi tradidimus, ea uidelicet intentione charitatis, ut beatus Petrus uos, & regnum ueſtrum ſua apud Deum interceſſione defendit. Hæc perantiquus Pontifex. Animaduertiſti, ac clarè percepiſti, dono beati Petri regnum illud per manus Pontificis tradi poſtulaſſe. Audiſti, Debita fidelitate beato Petro: itemque, Regni noſtri gubernaculum ex parte beati Petri tradidimus. His perſpicuum fit, tametſi regna eſſent eccleſię Romanæ, ea tamen regibus petentibus tradere conſueuiſſe. Tametſi illi regnarent, atque in poſſeſſione conſiſterent: reginam tamen, ueramque regnorum dominam, ac largitricem ſolitos agnoſcere. Nec repetit Romana ſedes hæc regna, regibuſque cupit eripere: ſed uult reges, B Imperatoreſq; regnare, modo dominam, ac reginam, quod toties inculco, agnoſcant, & fateantur. Regnum item Croatiæ, & Dalmatiæ, eccleſiæ Romanæ ſunt, quemadmodum habetur in archiuio ſacri palatij Lateranenſis in regiſtris Gregorij ſeptimi, in quibus hæc de rege, & regno Dalmatiæ leguntur. In nomine domini ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Anno dominicæ incarnationis milleſimo ſeptuageſimoſexto, indictione quartadecima, menſe Octobris. Ego Demetrius, qui & Suinumir nuncupor, Dei gratia Croatiæ, Dalmatiæq; dux, à te domino Gebizo ex Apoſtolicæ ſedis legatione domini Papę Gregorij, poteſtatem obtinens in Salontana Baſilica ſancti Petri, ſynodali, & concordi totius cleri, & populi electione, & Croatorum, Dalmatinorumque regni regimine per uexillum, enſem, ſceptrum, & coronam inueſtitus, atque conſtitutus rex, tibi deuoueo, & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reuerenda iniungit ſanctitas, ut in omnibus, & per omnia Apoſtolicæ ſedi fidem ſeruem. Et quicquid hoc in regno tam Apoſtolica ſedes, quàm legati ſui ſanxerunt, uel ſanxerint, irreuocabiliter cuſtodiam, iuſtitiam excolam, Eccleſiam defendam, primitiæ, decimæ, omniumque ad eccleſias pertinentium procurator exiſtam uice epiſcoporum, preſbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorumque, ut caſte, & regulariter uiuant, prouidebo. Pauperes, uiduas, atque pupillos protegam: parentelæ illicitam copulam deſtruens, legitimam dotem anulo, ſacerdotiſq; benedictione conſtituam, & conſtitutam corrumpi non permittam: hominum uenditioni contradicam. Atq; in omnibus, quæ ad rectitudinis ſtatum congruunt, me æquũ C exhibebo. Ducentorum quoque Byzantiorum tributum meorum omnium conſultuum, primatuum ſancto Petro per ſingulos annos in reſurrectione Domini de mihi cõceſſo regno perſoluendos ſtatuo. Et ut poſt me regnaturi, hoc idem perpetuò ſeruent, ſentio, corroboro, atq; ſancio. Dono inſuper, concedo, atque confirmo Apoſtolicæ ſedi ſancti Gregorij monaſteriũ, cui Vrana eſt uocabulum, cum omni ſuo theſauro, ſcilicet cum capſa argentea reliquias ſacri corporis eiuſdem beati Gregorij continente, cum duabus crucibus, cum calice, & patena, cum duabus coronis aureis, gemmis ornatis, cum Euangeliorum textu de argento, cumque omnibus ſuis mobilibus, & immobilibus bonis, ut ſancti Petri legatis ſemper ſit ad hoſpitium receptus, & omnino in poteſtate eorum. Hoc tamen interpoſito tenore, ut nulli alij poteſtati detur, ſed omni tempore ſancti Petri ſit proprium, & à me, meiſque ſucceſſoribus defenſum, atq; ab omni homine liberum, atque ſecurum. Cuiuſcunque autem audacia, temerario auſu præfatum monaſterium ex aſſignato theſauro priuauerit, terribilem illam iudicis uocem, quam diabolus cum ſuis Angelis auditurus eſt, audiat. Præterea cùm Deo ſeruire, regnare ſit, uice beati Petri, ac domini noſtri Papæ Gregorij, atque poſt ſe ſucceſſorum in Apoſtolica ſede me tuis manibus committo, & committendo hanc fidelitatem iuramento ſtabilio. Ego inquam Demetrius, qui & Suinumir Dei gratia, & Apoſtolicæ ſedis dono, rex, ab hac in antea ſancto Petro, & domino meo Papæ Gregorio, & ſuis ſucceſſoribus canonicè intrantibus ero fidelis: & ut ipſe, ſiue poſt eum futuri pontifices, ſiue legati eorum, aut membra perdant, aut capiantur, neque in conſilio, neque in facto ero. Et conſilium, quod mihi crediderint ad illorum damnum,

num, ſcienti mihi intimabo: Regnum autem quod mihi per manum tuam domine Gebizo D
traditur, fideliter retinebo, & illum, ſuumque ius Apoſtolicæ ſedi aliquo ingenio aliquando
non ſubtraham, dominum meum Papam Gregorium, & ſuos ſucceſſores, atque legatos, ſi in
meam poteſtatem venerint, honorificè ſuſcipiam, & honeſtè tractabo, & remittam, & vndequaque
me inuitauerint, prout potero, ſimpliciterque eis ſeruiam. Hucuſque ille. Quibus omnibus,
ſi rectè perpenderis, videbis eccleſiæ Romanæ eſſe regnum Croatiæ, & Dalmatiæ, vt
quod ipſe ſua voce rex fatetur, inueſtitus atque conſtitutus rex. Et quod ait, Quicquid ſanxerunt,
vel ſanxerint hoc in regno legati ſedis Apoſtolicæ. Itemque quod ait, De mihi conceſſo
regno: & quod apertè, Dei gratia, & Apoſtolicæ ſedis dono, rex. Et illud, Regnum autē quod
mihi per manum tuam domine Gebizo traditur fideliter retinebo. Quibus omnibus apertè
perſpicitur, regnum illud eſſe ſedis Apoſtolicæ, donatum, ac traditum ipſi regi: veram eius patronam
eſſe ſedem Apoſtolicam. Quid igitur ſupereſt in occidente, quod apertè non ſit ſedis
Apoſtolicæ? Clarius etiam perſpicitur, denuoque confirmatur, regnum Aragoniæ eſſe ſedis
Apoſtolicæ, his quæ ſubijciam. Petrus rex Aragoniæ anno tertio Domini Innocentij tertij
Papæ venit Romam ad eundem Innocentium, ab eoque militiam ſolenniter, ac honorificè accepit:
obtulitque ſponte totum regnum beato Petro, & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ: ibiq;
accepit in feudum prædictum regnum. Itemque pro regno Sardiniæ certam pecuniæ ſummā
conſtituit ſe daturum. Itemq; regnum Portugalliæ, eccleſiæ Romanæ eſt. Nam Hildefunſus
cùm prius eſſet dux Portugalliæ, ſiue Luſitaniæ, quòd à priſco tempore nouerat eſſe ſedis Apoſtolicæ
obtulit ipſum, ſubiecit eidem, vectigalque conſtituit. Deinde ab Alexandro tertio rex
appellatus eſt, duaſque auri Marcas cenſum ſingulis annis perſoluit. Regnum quoque Boemiæ E
vectigal pendet Apoſtolicæ ſedi, quod ſcriptum habebatur in bibliotheca Lateranenſi.
Nam Spicionenus tunc dux Boemiæ impetrauit à Nicolao, vt mitram ferre poſſet, cenſumque
conſtituit centum libras argenti. Exin à ſede Apoſtolica rex eſt declaratus. Suetia quoque, &
Noruegia, vt ſubiectæ ſoluunt Romanæ eccleſiæ vectigal, quod in antiquis ſummorum Pontificum
monimentis, & in antiqua bibliotheca Lateranenſi conſpicitur. Omnes enim domus
Suetię ſoluunt cenſum Apoſtolicæ ſedi ſingulos denarios. Regnum quoque Datiæ, vt ſubiectum,
obnoxiumq; Apoſtolicæ ſedi, quod apparet ex regiſtro Paſchalis, annuum vectigal perſoluit,
Laterani datum edictum epiſcopis Datiæ. Ianua quoque in Italia ſeparatim perſoluit
cenſum ſedi Apoſtolicę, Conſules, ſcilicet, & ciuitas pro medietate inſulę Corſicę. Sed quid
ego cuncta commemoro, quem cuncta recenſentem dies deficeret. His omnibus fit perſpicua
barbarica grammatici temeritas. Nam quid aliud appellem hominem pluſquam Turcam, &
Saracenum, vetuſtiſſimę Petri maieſtati, & ſacroſanctę matri eccleſię detrahentem, qui librum
peſſimę maledicentię, arrogantię inauditę plenum conſcripſit, litterarum Gręcarum ignarus,
veterum hiſtoriarum imperitus, & eorum, quę neſciebat, irriſor, ſibi ipſi vaniſſima illa loquentia
mirificè placens? Rex item inſularum de Maij recepit eas à ſancta Romana eccleſia in feudum.
Quid igitur plura proſequar, vt hoc argumentorum genere comprobem vetuſtiſſimam,
ac fere omnipotentem eccleſię Romanę ſuper omnibus regnis, ac regibus poteſtatem, atque
eorum vetuſtiſſimam poſſeſſionem? Quandoquidem plena ſunt omnia Pontificum priſca
monumenta excelſę poteſtatis, qua totum orbem terrarum Imperijs moderabantur, habenas
omnium terrarum tenentes, hocque, vt dixi, non nouum, ſed longe vetuſtiſſimum eſt Imperium. F
Quid euoluam Innocentij tertij edicta cœleſtia, ad omnes occidentis, atque Orientis,
Septentrioniſque principes miſſa? Sed quando propoſita fuit ad comprobandam Conſtantini
donationem ea moles argumentorum, quibus probabatur antiquiſſima Romanę eccleſię,
firmiſſimaque regnorum poſſeſſio: nunc aliud argumenti genus non ineptum erit ad probandam
eam, quam Conſtantinus donauit, aut à Chriſto venientem confirmauit, Romanę ſedis
maieſtatem. Videlicet, audacia, atque intrepidus animus ipſorum Pontificum aduerſus principes,
ſi quid grauius deliquiſſent, velut qui eorum domini eſſent, ipſi autem ſuę poteſtatis cōſcij
in eos ſuę potentię arma vibrarent. In primis memoriæ proditum eſt, Felicem ſecundum,
genere Romanum, Conſtantinum filium magni Conſtantini, propterea quòd in Arrianorum
dogma delapſus, ab Euſebio Nicomediēſi fuiſſet rebaptizatus, excommunicaſſe, hæreticumq;
declaraſſe. Innocentius autem primus, genere Albanus, non eſt veritus Archadium Imperatorem
excommunicare, propterea quòd ab Eudoxia vxore impulſus Chryſoſtomum è ſua ſede
perpuliſſet, qui vetuerat ludere puellas ante ipſius ſimulacrum, idolatriam id eſſe dictitans.
Necnon Anaſtaſius ſecundus Romanus ad Imperatorem Anaſtaſium Eutychis hæreſi maculatum,
legatos miſit, monuitque, vt reſipiſceret. Qui cùm legatos, nec audiſſet, nec uidere uoluiſſet,
multaque indigna ipſi pontifici contra reſcripſiſſet, eum anathemate pontifex damnauit,
Imperatorem contra pontificem frementem, fanda, atque infanda canentem cæleſtis ira in
ipſius

ipſius palatio fulmine percuſſit. At Conſtantinus Syrus ſummus Pontifex Iuſtinianum Imperatorem anathemate perculit, quod Calinicum patriarcham excæcatum relegauit. Sed cùm poſtea Imperatorem ſceleris pęnituiſſet, deiectus vna cum regno in terram, pontificem venientem Conſtantinopolim adorauit, veniamq; impetrauit. Gregorius quoque ſecundus Romanus Leoni Imperatori aqua, & igni interdixit, quod imaginibus bellum indixiſſet. Itemq; tertius Gregorius Syrus exemplum anteceſſoris ſecutus, denuò ob idem ſcelus eum excommunicauit, atque ab eius Imperijs Romam, Italiamque auertit. Omnibus iuramento fidelitatis abſolutis. Coactaq; Romæ ſynodo ferè mille epiſcoporum venerationem imaginum reſtituit declarata contra violatores ſententia. Zacharias autem Græcus genere, Childericum Francorum regem regni gubernaculis velut inutilem deiecit, omnibus à iuramento fidelitatis abſolutis: Pipinum eius fratrem aulæ regiæ principem inſtituit: eumq; Stephanus denuò cum filijs Carolomano, & Carolo inunxit. Qui quidem Stephanus Romanus Imperium à Græcis tranſtulit ad Carolum Magnum, propterea quòd contra Aſtulfum Longobardorum regem, eccleſiam vexantem, vt opem ferret Imperator Conſtantinopolis imploratus rem neglexiſſet. At vero Gregorius quartus Romanus, Ludouicum regem Gallorum Imperio deiecit, contendentibus id proceribus. Necnon Nicolaus primus Romanus duos Imperatores eodem tempore intrepidè excommunicauit, Michaelem Conſtantinopolitanum, propterea quòd Ignatium ſine ipſius pontificis authoritate ſede deieciſſet. Et item Lotharium Imperatorem occidentis, propterea quòd Galdradem pellicem nollet dimittere. Gregorius ſeptimus genere Tuſcus in Henricum Imperatorem, qui eccleſiæ vnitatem ſcindere tentaſſet, excommunicationis ſententiam protulit, eundemque nihil pęnitentem Imperio abdicauit: Rodulphuſque Burgundiorum dux pontifice iubente Imperator eſt declaratus. Vrbanus item ſecundus Philippo Regi Franciæ ſacrificijs interdixit, propterea quòd ſuperinduxerat vxorem alterius viuentis. Adrianus autem quartus genere Anglus, Gulielmum Regem Siciliæ excommunicauit, eundemq; pęnitentem in ſua regna remiſit. Alexander tertius Senenſis Federicum primum Imperatorem ſuperbiſſimum ſæpius admonitum, ſed minimè pęnitentem, in cęna Domini publicè ſententia excommunicationis percuſſit. Sed eum demum pęnitentem in Syriam ad locos ſanctos recuperandos miſit. Innocentius tertius corona redemit Othonem quartum in baſilica ſancti Petri. At propter eius inſolentiam, eum ſummus pontifex excommunicauit, omneſque ſubiectos à fide, & iureiurando abſoluit. Honorius Romanus Federicum ſecundum, quem Romæ coronauerat, Eccleſiæ aduerſantem excommunicauit Gregorius verò nonus in eundem Federicum nimis ferocientem, nulliſq; flagitijs abſtinentem animosè prolata ſententia excommunicationis ſuperbiam eius perfregit. At Innocentius quartus Ianuenſis eundem Federicum in pertinacia ſceleris permanentem veluti eccleſiæ Dei, publicumque hoſtem condemnauit, imperioque deturbauit. Clemens autem quartus, quia Siciliam, & Apuliam peculium beati Petri manu rapida occupauerat, Manfredum filium ſupradicti Federici excommunicauit. Bonifacius octauus contra Philippum Gallorum regem, quòd contra eccleſiam ſeſe extolleret, cùm ei pontifex uetera monimenta explicaſſet, quibus doceret, quod Romanæ eccleſię, & in ſacris, & profanis Gallia ſubeſſet, quo neceſſe eſſet pontificem vti dominum regni ſui, eum venerari, & colere: Cùm ille deſpiceret, eum excommunicauit. Hæc, & id genus multa, ex immenſo oceano regiſtrorum, quæ quidem ego ſciens, & prudens prætereo, quem adeo tardum, atque hebetem non excitent, & ad cognoſcendam, ſuſcipiendamque cæleſtem veritatem non prouocent ſuper vetuſtiſſima regnorum Romanæ ſedis poſſeſſione, ſuper excelſa eius in omni Romano Imperio, quod hæreditario iure ad eam deuolutum eſt, maieſtate: qui regibus, & principibus perperam agentibus non vererentur ſeſe opponere, eiſque & Chriſto, & Petro delegatam, ab Imperatore autem Conſtantino veluti non ſuam, non Romanorum, ſed Chriſti, reſtitutam, ac ſacratam Deo poteſtatem oſtendere. Nam quid ego nunc memorem, quoniā notiora, ac leuiora ſunt, Pipini, Caroli, Ludouici, primi Otthonis, primi Henrici, in Italia donationes? Donauerunt enim hi non ſua, ſed quæ prius eſſent eccleſiæ, à Barbaris autem occupata, ipſiq; eccleſiæ erepta, reſtituerunt. Prius enim eccleſia domina Italiæ, earumque vrbium fuerat, quàm eorum regum, atque Imperatorum nomen, ſuiq; generis fama his in locis audiretur. Et ad eos Imperium ab Eccleſia translatum eſt. Eos eccleſia Imperatores, dominoſq; Italiæ declarauit. Nam quòd illi non donauerint, ſed à Barbaris occupata reſtituerint, declarant verba ipſorum Imperatorum in eorum edictis. In edicto Ludouici filij Caroli Imperatoris hæc habentur: Necnon Exarchatum Rauennatem ſub integritate, cum vrbibus, & ciuitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ piæ recordationis dominus Pipinus rex, ac bonæ memoriæ genitor noſter Carolus Imperator, beato Petro Apoſtolo cùm prædeceſſoribus noſtris iamdudum per ordinationis paginam reſtituerunt.

Hæc igitur non ſunt donata, ſed è manibus Barbarorum erepta, reddita ſunt eccleſiæ. D
In eodem etiam priuilegio legitur: Necnon & cenſum, & penſionem, ſeu cęteras dona-
tiones, quæ annuatim in palatium regis Longobardorum inferri ſolebant. Hæc illic.

Percepiſti Longobardos conſueuiſſe in ſuum palatium inferre, quæ prius eſſent Eccleſiæ:
ob quam cauſam Stephanus pontifex auxilium à Pipino implorauit. Et cùm in eodem priuile-
gio, ac Pipini, Otthonis, primiq; Henrici reſtituitur Eccleſiæ Tuſcia Longobardorum, quæ ſci-
licet à Longobardis occupata, ab eis nomen acceperat. Quod ſuperius de Hiſpania clariſſimũ
vidimus, quæ antea quàm à Saracenis occuparetur, erat eccleſiæ Romanæ. Hæc enim perſpe-
ctiſſima ſunt. Totaq; Italia eſt eccleſiæ: quod ex parte declarant illis ſuis edictis Imperatores,
cùm nihil ferè in Italia monſtrant reliquum, quod non ſit Romanæ ſedis, antequam imperato-
rium nomen transferretur ad ſtirpem Pipini. Hæc igitur alia ſit ſapientibus de donatione Con
ſtantini coniectura, cùm Romana ſedes ante Regnum Longobardorum tot vrbium, ac prouin
ciarum in Italia domina eſſet, quas ei Longobardi eripere conabantur, aut iam eripuerant, cùm
hoc tempus ſit antiquiſſimum, amplius mille annis, videlicet ante aduentum Longobardorum
in Italiam, qui Iuſtiniano imperante è ſuis ſedibus exciti ſunt à Narcete Eunucho, requiren-
dum eſt, vnde tantum imperium, tot prouincias vſque ab eo tempore poſſederit, quis eam in
poſſeſsionem tot vrbium induxerit. Deuenietq; temporum ſupputatio, totaque ratio proxi-
me ad tempora magni Conſtantini. Nam quod Romana eccleſia ante aduentum Longobar-
dorum in Italia dominaretur, ob quam cauſam à Longobardis tot prouincijs ereptis confuge-
re coacta ſit ad Reges Francorum, declarat Adrianus in epiſtola recitata in ſynodo. Dominus,
inquit, Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, patritius Romanorum, noſtris obtempe- E
rans monitis, atque noſtram in omnibus adimplens voluntatem, per ſua laborioſa certamina,
eius Apoſtoli eccleſiæ ob nimium amorem plura dona in perpetuo obtulit poſsidenda, tam
prouincias, quàm ciuitates, ſeu caſtra, & territoria, immo & patrimonia, quæ à perfida Longo-
bardorum gente detinebantur, brachio forti, eiuſdem Dei Apoſtolo reſtituit, cuius & iura eſſe
dignoſcebantur. Sed aurum, & argentum quotidie pro luminariorum concinnatione, ſeu ali-
monijs pauperum non deſinit offerre.

Hæc Adrianus.

Itemque Anaſtaſius Bibliothecarius transferens Græcam hiſtoriam Theophanis ſic ſcribit:
Papa Stephanus vi preſſus, & crudelitate Aſtulphia coactus ſimul etiam ab ipſo adhortatus
eſt ire in Franciam, & facere quæcunque poſſet. Veniens Pipinum prouehit virum in omni-
bus probatiſsimum, qui præerat tunc quoque rebus poſt regem, & debellauerat Arabes, &
occidit etiam principem eorum Abderachman, & multitudinem haud facile memorabilem
iuxta Rhodanum fluuium, & amatur à gente, non ſolum propter hoc, ſed & propter alia prę-
cipua geſta, & pręficitur genti non ignobiliter primus, Soluente ſcilicet eum à periurio in re-
gem commiſſo eodem Stephano. Qui & totondit deceſſorem eius regem, & in monaſterio
cum honore & requie circunſcripſit. Idem Anaſtaſius addit: Stephanus natione Roma-
nus, abijt ad excellentiſsimum regem Francorum Pipinum aduerſus Aſtulphum regem
Longobardorum auxilium poſtulans, &c. Itemque ex rebus geſtis Pontificum hęc ad ver-
bum prolata ſunt: Adrianus natione Romanus, neceſsitate compulſus, direxit maritimo
itinere ſuas Apoſtolicas litteras Carolo excellentiſsimo regi Francorum: deprecans, vt ſicut F
ſuus pater ſanctę memorię Pipinus, & ipſe ſuccurreret ſanctæ Dei Eccleſię aduerſus inſo-
lentiam, & tyrannidem Deſiderij regis Longobardorum. Tunc ipſe à Deo protectus Caro-
lus exaggregans vniuerſi regni ſui exercituum multitudinem, per ſex menſes obſedit eundem
Deſiderium in ciuitate Papia. His teſtimonijs intelligi poteſt, quę Pipinus, & Carolus Ec-
cleſię donarent, fuiſſe prius ipſius eccleſię, à Longobardis occupata: atque ea quidem eccle-
ſiam Romanam poſſediſſe antea, quàm Longobardi in Italiam euocarentur: quod tempus, vt
dixi, deuenit fere vſque ad Imperium Conſtantini.

Sic vndique claris teſtimoniis, & coniecturis perſpicuum fit, vera eſſe quæ Conſtantinus
edicto illo ſuo præclaro ſtatuit, protulit, aſſeruit de maieſtate eccleſiæ Romanæ, de regnis, vr-
bibus prouincijsq; conceſſis. Hoc item clarius probatur his, quæ de Ariperto Longobardo-
rum rege ſcribuntur in eorum rebus geſtis: Aripertus, inquit, rex Longobardorum donationẽ
patrimonij alpium Cottiarum, quæ longa per tempora à iure Eccleſiæ priuata fuerant, ac ab
eadem gente detinebantur, in litteris aureis exarata iuri proprio beati Apoſtolorum principis
Petri reformauit. Sic hiſtoria, ad alpes Cottias Eccleſiæ Romanæ ius pertinebat, à Longo-
bardis iam longo tempore occupatas. Non eſt igitur inſtituti mei ex edictis horum Impera-
torum, quoniam recentiores ſunt, monſtrare quæ ſint Eccleſiæ, nominatimque vrbes, regio-
nes, totamq; ferè Italiam Romanæ ſedis eſſe oſtendere, ſed tantum his omnibus probare, ve-
riſſimas

A riſſimas offerri coniecturas ſuper donatione Conſtantini, quibus vnà collectis, atque ad veritatem comprobandam coactis, irrefragabilis comprobatio efficitur ſuper donatione Conſtantini: inſignis autem deceptio, ſingularis audacia, demonſtratur eius, qui vetuſtatis neſcius, vt Thraſo prodijt in aciem, vt cum Aloidæ manibus magnis reſcindere cœlum Aggreſſi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis. Aut cùm Mezentius contemptor diuum ſuam dexteram Deum appellabat. Is autem ſuam vaniſſimam loquentiam velut Deum habuit, qua ſeſe veri Dei eccleſiam ſternere putaret. Audi igitur quæ ſcripſerit optimus, ac peruetuſtus pontifex Nicolaus primus Michaeli Imperatori de priuilegijs Romanæ ſedis in ampliſſima epiſtola. Si verò noſſe paruipenditis, & ſolum contra priuilegia eccleſiæ Romanæ niſus veſtros erigitis: cauete, ne ſuper vos conuertantur. Durum quippe eſt vobis contra impetum fluminis reluctari, durumque eſt contra ſtimulum calcitrare. Porrò ſi nos non audieritis, reſtat, vt ſitis apud nos neceſſariò, quales dominus noſter Ieſus Chriſtus hos haberi præcipit, qui eccleſiam Dei audire contemnunt. Præſertim cùm eccleſiæ Romanæ priuilegia Chriſti ore in beato Petro firmata, in eccleſia ipſa diſpoſita antiquitus obſeruata, & à ſanctis vniuerſalibus ſynodis celebrata, atque à cuncta eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari. Quoniam fundamentum quod Deus diſpoſuit, humanus non valet amouere conatus: & quod Deus ſtatuit, firmum, validumque conſiſtit. Illeque potiſſimum peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Priuilegia iſtius ſedis, vel eccleſiæ, perpetua ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, euelli non poſſunt: quæ ante imperium veſtrum fuerunt, & permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque poſt nos, & quo-
B uſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt immutilata. Iſta igitur priuilegia huic ſanctæ eccleſiæ à Chriſto donata, ſynodis non donata, ſed iam ſolummodo celebrata, & venerata. Audis imperium, roburque ſedis Apoſtolicæ fuiſſe ante imperium terreſtre, anteaquam translatum eſſet imperium in Græciam. Imperium inuictum, ſine fine, poſt nos, vſque dum Chriſtianum nomen auditum fuerit, futurum, maius hoc imperiū, quàm aliud toto orbe. Vt autem clarius hæc cauſa cognoſcatur: & quàm facilè ſit homines in iudicando decipi, maximè qui ſibi videntur aliquid, intelligatur, viſum eſt aliquot exempla proponere, quibus fiat palam, quis ſtylus eſſet illius temporis, quo Conſtantinus, atq; inſecuti Imperatores loquerẽtur: atq; hinc clareſcat, non modò nō adiuuari Laurentiū ex ſtylo ad euertendā donationē, vt potius hoc in ſuam perniciem tendat, totumq; eius iudicium inſanum cęcumq; prorſus cōprobet. Eſt aūt idem ſęculum Conſtantini, atq; imperatorum, qui vſq; ad Honoriū, & Archadium imperauerunt. In vetuſtiſſimo igitur codice epiſtolarū Pontificum, & Imperatorum, qui eſt in bibliotheca Vaticana, hæc habentur: vt ex his ſtylū cognoſcas. De conſtructione baſilicæ ſancti Pauli: Valentinianus, Theodoſius, & Archadius Auguſti, Saluſtio præfecto Vrbis. Deſiderantibus nobis contẽplatione venerationis antiquitus iam ſacratæ Baſilicā Pauli Apoſtoli pro ſanctimonia religionis ornare, pro quantitate conuentus amplificare, pro ſtudio deuotionis attollere, gratum fuit tuę ſublimitatis officium, quod ad inſpicienda vniuerſa, vt res exigebat, detuliſti, & omnem ſitum locorumq; faciem ſermonis congrui diligentia, noſtræ ſerenitatis auribus intimaſti. Inſtructiores enim nos iubere decuit, quæ iubenda ſunt. Quare
C participato examine cum venerabili ſacerdote: intimatiſq; omnib. & magnificentiſſimo ordini, & Chriſtiano populo, quæ iubemus, ſublimitas tua rem diligentiore tractatu, & plenius rerum inſpectione diſcutiat. Ac ſi placuerit, tam populo, quàm ſenatui, vt vetus quo Baſilicæ præterit dorſum, quodque ripæ Tyberini amnis adiacet, innouari. Ita vt præſens via ſpacij futuri operis applicetur, eatenus per architectos futuræ baſilicę diriget formam, quatenus ſe planities extructioni amica prætulerit, ne vlla inæqualitas ſplendorem fabricæ amplificentiorem ſublimet. Si quidem in omni męnium facie decor ſummus eſt, quem ſeruari oportet prima ſtatim fronte magnarum ædificationum demonſtrat intentio. Iam illud ipſa res exigit, vt & Synopſis operis conſtruendi, fideli tendatur examine, ſumptuſque omnium iuxta pretia rerum, quæ in ſacratiſſima Vrbe prætaxatis plenius ordinetur, atque ad noſtram clementiam debita maturitate referatur, vt communi omnium conſilio, noſtræ quoque ſerenitatis nutus accedat, quo facilius id quod deuota mens ſtatuit, pro tantæ religionis meritis explicetur. Et alia manu principis: Diuinitas te ſeruet per multos annos parens cariſſime, atque amantiſſime. Hæc eſt epiſtola magnorum Imperatorum: is ſtylus illius temporis. Simili ſtylo, atque etiam clariore conſcripta eſt donatio. Eat nunc ſupercilioſus Laurentius, atque inflatis buccis hæc quaſi moderna, quaſi noſtratia, quaſi ſermonem alicuius furciferi, aut nebulonis irrideat, ipſe potius vaniſſimus nebulo, imo verò monſtrum arrogantiſſimum. Eſt alia quoque epiſtola gratulatoria de ordinatione Papæ Syritij. Aue Papiniane chariſſime, nobis populum Vrbis æternæ gaudere concordia, & optimum eligere ſacerdotem, & populi Romani eſſe

cernimus inſtituti,& noſtris gratulamur id euenire temporibus. Proinde quoniam religioſum D Syritium antiſtitem ſanctitatis,ſic præeſſe ſacerdotio voluerunt, vt Vrſinum improbum acclamationibus violarent, noſtro cum gaudio memoratus epiſcopus eſſe permaneat Pipiniane chariſſime,& iocundiſſime. Siquidem magnum innocentiæ, & probitatis exemplum eſt, in vna acclamatione, & ipſum eligi,& alios improbari. Data vi. Cal. Martij, Mediolani. Videte quæſo quis ſtylus illius ſæculi, quo conſcripta fuit donatio Conſtantini, ſtylus inquam ipſorum Imperatorum,non priuatorum hominum. Eſt item alia epiſtola eorundem Imperatorũ ad Prætextatum. Aue Prætextate chariſſime. Nobis licet iuſta videatur fuiſſe vindicta,quæ illic turbulenter exercitam factionem coercitione ſedat, vbi maxima debet eſſe concordia ſcilicet in eccleſia,vel ſede, vel cauſa,quarum rerum vtraque,& modeſtiam poſcit, & cultum. Tamen nos, omnes qui nuper propter illum tumultum deportatione damnati ſunt,& propria lenitate naturæ, & ipſius religionis, ac legis contemplatione miſeremur, Prætextate chariſſime, ac iocundiſſime, Cunctos igitur,qui ſunt eius,& ſortis, & culpæ præcelſa ſublimitas tua noſtri authoritate iudicij liberabit. Hanc verò formam tenebit in poſterum, vt ſi idem priſtino ſtatu reſtituti, aliquid ſpiritu iterum geſſerint inquieto, quo tranquillitas reformata turbetur, ſeueriſsima in eos ſententia proferatur. Nullam enim poſſunt veniam promereri,qui non deſinũt peccare poſt veniam. Hæc Imperatores ſcripſerunt,vt Vrſinus, & qui cum eo eſſent,ab exilio relaxarentur: ſic enim habetur in argumento epiſtolæ. Hæc pauca è multis propoſui,vt hinc prudentes intelligant,quo ſermonis genere Imperatores poſtea quàm in Græciam abierunt, loquerentur. Quinetiam Romæ, & in omni Italia cultus orationis, proprietaſque Romana in deſuetudinem eo tempore abierat. Vidimus etiam quemadmodum locutus fuerit illius temporis homo Melchiades,ſi modo illius eſt quod prolatum eſt. E Quid ego plura ex eiſdem epiſtolis exempla proponam,vt cùm dicunt Vrbem ſacratiſsimam, Enixiſsimo ſtudio, In æuum omne,Egregia ſublimitas tua,Spectata ſynceritas tua,Illuſtris authoritas tua: idq; genus alia, ad quæ Laurentius exclamaſſet. Reuiuiſce pauliſper Lactanti Firmiane. Imo ipſe ex alta imperitæ temeritatis voragine pedem referat,ſuam inſcitiam agnoſcat. Et ſi non agnoſcit ipſe, agnoſcant certè quos ille decepit. Stylus donationis quòd ſimilis eſt ei ſtylo,quo tunc loquerentur Imperatores,non infirmat donationem,probatque fictam eſſe, conſcriptamque à recentioribus: ſed potius probat priſco illo tempore ſcriptam ab Imperatore Conſtantino. Nonne igitur fieri potuit, vt vox barbara ſatrapa vſurparetur eo tempore, quemadmodum tam inſolenter,atque inuſitate loquebantur,vt dicerent Synopſis totius operis, Antiſtes ſanctitatis, Religionis contemplatione, Sanctimonio religionis, Vrbem æternam, Noſtra ſerenitas, Manſuetudinis noſtræ ſenſibus, Naturæ noſtræ manſuetudine leuigati, Amplificatione morum, Suburbicarias regiones. Reſponſionem quoque Imperatorum,appellabant Sacrum reſcriptum, Cęleſtem præceptionem. Ex verbis quoque Melchiadis ſi modo illius ſunt, poteſt cognoſci, quemadmodum dixi, ſtylus illius temporis. Dicit, Patenter adeptum: dicit, Religioſiſsimus: &, Fidem ueritatis: &, Suo degentibus Imperio: &, Prædia conſtituit tribuenda. His omnibus ad poſtremum intelligi poteſt impietas, ingratitudo,temeritas Laurentij, qui cùm aſſerat veterum pontificum iniuriam eſſe de donatione Conſtantini quicquam prædicare, omnibus potius argumentis ſuperius propoſitis fuit clariſsimum, veteribus ſanctis pontificibus, omnibus item Gręcis, ac Latinis Theologis maximam iniuriam facere, qui donationem, ſiue F decretum Conſtantini pro falſo,fictoque habendum prædicent. Vt item clarius innoteſcat Laurentiana impietas,atque eorum Gigantea immanitas, qui ſummis pontificibus tam effrænatè maledicunt: audiant omnes, quid ſuper hoc antiquitas ſenſerit,iudicauerit: quod nos abundè docere poterit Nicolaus ille primus in epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Atque hinc facilè intelligemus, quid veritatis ineſſe poſſit libro Laurentij, in quo nihil non contra veterũ patrum ſapientem ſanctitatem, ſanctamq; ſapientiam ſcripſit. Tempore, inquit, Diocletiani, & Maximiani Auguſti, Marcellinus epiſcopus vrbis Romæ, qui poſtea inſignis martyr effectus eſt,adeo compulſus eſt à paganis, vt templum eorum ingreſſus, grana thuris ſuper prunas poneret: cuius rei gratia collecto numeroſorum concilio epiſcoporum, & inquiſitione facta, hoc idem pontifex ſe egiſſe confeſſus eſt. Nullus tamen eorum ſententiam proferre auſus eſt, dum ei ſæpius omnes perhiberent, Tuo ore iudica cauſam tuam. Noli in noſtro iudicio, ſed in ſinu tuo collige cauſam tuam. Quoniam ex te, inquiunt, iuſtificaberis: aut ex ore tuo condemnaberis. Et idem dicunt: Prima ſedes non iudicabitur à quoquam. Idem Nicolaus hęc inſuper addit: Cùm quidam tempore quodam, contra Sixtum Papam tentaſſent quædã non boni rumoris obijcere, & in concilio, cui Valentinianus Auguſtus intererat, dictum fuiſſet, Non licere aduerſus pontificem ſententiam dare. Surrexit idem protinus Imperator, & in arbitrio præfati pontificis tribuit iudicium ſuum. Hæc diuus ille, Quo veterum patrum exemplo

A plo iuniorum improbitatem detegere, atque eos cęcitatis arguere poſſis, qui tam facile ſummo capiti detrahunt, quem ne idolatriæ quidem crimen lapſum voluerit concilium condemnare: omneſque continuerint os ſuum, vel Imperatores ſuper eo iudicando. At Laurentius vbique ſui ſimilis, expers vbiq; altioris ſapientiæ, nunquam ad ſacra Muſarum adyta admiſſus, his blaſphemijs librum ſuum referſit. Addit item Nicolaus: In tantum autem hanc pręſumptionem ſancti patres apud Chalcedona deteſtati ſunt, vt Dioſcorum Alexandrinum antiſtem inter cętera idcirco potiſſimum ſine reſtitutione damnauerint, quia ponens in cęlum os ſuum, lingua eius tranſeunte ſuper terram, excommunicationem in ſanctum Leonem Papam dictauit. Ita vt in præſentia contra ipſum prolata hoc videantur memorare præcipuè dicentes. Quoniam ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem valde tranſcendit. Præſumpſit enim excommunicationem dictare aduerſus ſanctiſſimum, & beatiſſimum Archiepiſcopum Romę, Leonem. Nunquid ibi legitur inquiſitionem fuiſſe factam, vtrum iuſtè, an iniuſtè Dioſcorus ipſam excommunicationem dictaſſet? Non planè. Sed abſque omni controuerſia hoc in eo vlti ſunt: quia cùm eſſet inferior, potiorem quibuslibet conatus eſt laceſcere iniurijs. Teſte Anatolio Conſtantinopolitano præſule, qui dicit: Propter fidem non eſt damnatus Dioſcorus: ſed quia excommunicationem fecit domino Leoni Archiepiſcopo Romæ.

Obſerua etiam, quæ ſuper his ſtatuerit ſeptima Synodus: Dominicum, inquit, ſermonem, quem Chriſtus ſuis Apoſtolis, & diſcipulis ſuis dixit: Quia qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Ad omnes etiam, qui poſt eos ſecundum ipſos facti ſunt ſummi pontifices, B & paſtores, principes in eccleſia Catholica dictum eſſe credentes, Diffinimus neminem prorſus mundi potentium, quenquam eorum, qui patriarchalibus ſedibus præſunt in honore, aut mouere à proprio throno tentare, ſed omni reuerentia, & honore dignos iudicare. Præcipuè quidem ſanctiſſimum papam ſenioris Romæ: deinceps autem Conſtantinopoleos patriarchas, deinde verò Alexandriæ, ac Antiochiæ, ac Hieroſolymorum, ſed nec alium quemcunque, ſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, vel cōponere, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminum, quod & nuper Photius, & multò ante Dioſcorus. Quiſquis autem tanta iactantia, & audacia vſus fuerit, vt ſecundum Photium, & Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis, iniurias quaſdam contra ſedem Petri principis Apoſtolorum moueat, æqualem, & eandem, quam illi, condemnationem accipiat. Si verò quis aliqua poteſtate fruens, vel potens, pellere tentauerit, præfatum Apoſtolicæ cathedræ Papam, aut aliorum patriarcharum quenquam, anathema ſit. Porro ſi ſynodus vniuerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quæuis ambiguitas, & controuerſia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere. Et aut profectum facere, aut proficere. Non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ pontifices. Orientalium ſynodorum ſedium vicarij dixerunt: Sanctiſſimi vicarij ſenioris Romæ, ac nos, qui reliquarum ſedium vicarij ſumus, hæc omnia diſſoluimus hodie gratia Dei Ieſu Chriſti, qui dedit nobis ſummi ſacerdotij poteſtatem, iuſtè, ac congruè ligandi, atque ſoluendi: quoniam violenter, & coactè omnia facta ſunt. Ille enim Photius prænoſcens, quod non per oſtium intrauit in ouile C ouium, ſed aliunde aſcendit, multitudinem epiſcoporum ad ſe per varias machinationes attraxit, videlicet chirographis, & iuramentis, quæ ipſe confecit. Opinatus per hoc, in curſum ſe habiturum proprium præſulatum. Bachanis, magnificus patritius dixit vicarijs ſenioris Romæ, & reliquarum ſedium: Inducijs Photio datis iam completis, duximus eum rurſus ad hanc ſanctam ſynodum. Audiſti antiquitatem, (ſunt enim ſeptingenti, ac plures anni, cùm ſeptima ſynodus celebrata eſt) quid cenſuerit de his, qui contra ſummum præſulem venenatæ linguæ verba effudiſſent. Non pudet autem minores, ſuorum maiorum veſtigijs non inſiſtere? non eorum ſapientiam attendere? Non hinc ſuam impiam ſtultitiam agnoſcent, agnoſcentes execrabuntur? Quid veri putes ineſſe impij Grammatici libello, quem, contrà quam omnes viri probi, quàm Synodi, quàm Imperatores faciendum ſenſiſſent, aduerſus religionis caput inſtituit, direxit, longe Photio, ac Dioſcoro deterior?

TESTIMONIVM D
IOANNIS IOVIANI PONTANI
DE LAVRENTIO VALLENSI.

Libro eius primo, de ſermone, capite, de Contentioſis.

LAVRENTIVS Vallenſis, in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticiſque, ita & ſcripſit, & diſputare eſt ſolitus, vt minime videretur velle præcipere: nec appareret tam contendere illum de veritate, proprietateq; aut docere velle, quàm maledicerè, obiectareque vetuſtis ſcriptoribus, atque obloqui. Itaque Ciceronem vellicabat, Ariſtotelem carpebat, Virgiſio ſubſannabat. Quippe qui propalam ſit aſſeuerare auſus ſiue Pindarus quiſpiam author is nomine ſuo fuerit, ſiue alio (de hoc enim ambigitur) qui Homericæ libros omnis Iliados non multos admodum in verſus contractos, Latinè conuertit: qui propalam ſit, inquam, aſſeuerare auſus, Pindarum eum Virgilio anteferendum. Eſt autem carminis illius principium, E

Iram pande mihi Pelidæ diua ſuperbi,
Triſtia qui miſeris iniecit funera Graijs.

Tali igitur iudicio hominem, ingenioque tam ſiue retrouerſo, ſiue præpoſtero (quippe qui maximis quibuſque ringeret authoribus, vni tantum Epicuro aſſurgeret) quem, ob communem vtilitatem contendere, aut cognitionem, dicas, atque altercari? qui nec alium velit, curet, ſtudeat, quàm vt detrahat, quibus minime par eſt, ac maledicat? Quando qui cum Laurentio familiarius vixerunt, affirmant illum eo nequaquam conſilio in Grammaticis ſcripſiſſe, ac Dialecticis, quo doceret, diſciplinaſque ab ignoratione vindicaret, atque à ſorde, verùm vt malediceret, obloquendoque detraheret de fama, atque authoritate rerum ſcriptoribus, tum illis qui exemplo ſunt ad ſcribendum alijs, propter antiquitatem, maieſtatemque dicendi, ac præcipiendi, tum illis ipſis, qui tunc viuerent: qui ne dubitauerit ipſe quidem dicere, profiterique palam, habere quoque ſe in Chriſtum ſpicula. Sed nobis propoſitum minime eſt detrahendi homini maximè ſtudioſo: quem ſenem adoleſcens ipſe, cùm è Roma ſe Neapolim contuliſſet ad Alphonſum regem, & inuiſerim etiam reuerenter pro illius, meaque ætate, & plures poſt congreſſiones maxime familiares ita ab eo diſceſſerim vti ex eo, qui de me niſi pleno, atq; amico ore locutus fuerit nunquam. Sunt ex his igitur, quos non tam contentioſos dicas, quàm inſectatores cùm ſingulorum, tum etiam humani generis, quod de Timone traditur, neque veritatis ipſius cultu, & gratia, ſed quod ita quidem ſint à natura inſtituti, atque ab aſſuetudine confirmati, & moribus. F

Facile id euenire potuiſſet, vt Steuchus non addiderit Donationi huiuſmodi teſtimonium, ſicut nec de Roma, ſed potius fuerit ab alio aliquo affixum.

DE

DE ROMA.

Ex præclaris priſcorum ſcriptorum monumentis.

SANCTA Romana Eccleſia,& reuerenda,& amanda eſt,non quia Roma fundata eſt ſuper arenā per Romulum & Remum, profana ſacerdote, & quo neſcitur ſacrilego, editos, ſed quia ædificata eſt ſuper Chriſtum per Petrum & Paulum. Neque quia, illius fraterno primi maduerunt ſanguine muri: ſed quia poſtmodum fraterno agone fuerunt purificati: Cruce videlicet Petri,& ſanguine Pauli: quos eadem fides,& deuotio,ac vnius, eiuſdemq; diei paſſio, verè germanos,& per omnia concordes,ad Dominum virtutum pariter ſubuexit. Cùm ſpurios illos diſcordes perfidia, & ſuperbia ad fratricidium direxerit. Nec quia habuit infame aſylum flagitioſorum,crimina ſua defendentium, non agnoſcentium: ſed quia poſt Deum facta eſt laudabile lapſorum refugium,lapſus ſuos humiliter accuſantium, & ſcelera præcordialiter effugere quærentium. Nec quia inſtituit Senatum, & Curiam ciuilem, & quoddam velamen ſuæ malitiæ,vnam libertaetm: ſed quia hactenus ſancit catholicam diſciplinam, & dirigit eccleſiaſticorum officiorum ordinarias dignitates,decernitq; generales,& ſpeciales vniuerſitati Chriſtianæ leges diuini famulatus, ad veram libertatem gloriæ filiorum Dei. Nec quia produxit Decios,natumq; patremque, illuſtres bellis animas, acremq; Camillum,Et Curios, Syllam, vel nomina vana Catones,Paulos,Brutos, & popularia nomina Druſos,legibus immodicos,auſoſq; ingentia Gracchos, Marcellos, Marioſq; truces, nudoſq; Cethegos: Sed quia patronos ſibi poſt Petrum,& Paulum vendicat Clementem, Xiſtum,Laurentium,Cornelium, Pancratium,Sylueſtrum,Damaſum,Celeſtinum,Leones, Gregorios, Bonifacios, Stephanos,Agathonem,Adrianum,Nicolaum, alios quoque vtriuſque ſexus martyrū, & confeſſorum innumerabiles populos, iuuenum, ſcilicet, ac virginum, ſenum, atque iuniorum. Ea quidem illorum improbitate,inſanaq; patientia,ius ſuæ potentiæ, terra, mariq; protulit: Horum verò modeſtia,& ſalutari diſciplina non ſolum orbem terrarum regit, verùm, & ipſum cęlorum regnum ſibi præſumit, cui violentiam inferre non deſinit. Hæc & ſi ex tyrannis & principibus ſuis,Babylon magna,mater fornicationum,& abominationum terrę,notari meruit: in ea tamen princeps Apoſtolorum Petrus Eccleſiam eſſe electam aſſerit. Hæc & ſi meretrix magna prius, & ebria ſanguine martyrum Ieſu, de vino proſtitutionis ſuæ, ideſt idolatriæ potauit,& inebriauit omnes gentes calice aureo, eloquentia,ſcilicet ſęculari, atque potentia: poſtmodum tamen deſponſata vni viro Chriſto, virginem caſtam ſeipſam exhibet, atque ab ipſo introducta in cellam vinariam, omnibus gentibus præclaro ſalutiferæ confeſſionis poculo,muſta nouæ gratiæ, ac vina veteris acrimoniæ profert, quibus ipſa inebriata, inebriare quærit omnes. Nec ſolùm ſuæ ſepticollis arcis męnia,ſubuerſis delubris,dęmonumq; figmentis & genijs,inſignita Ieſu domini cruce,ſanctorumq; baſilicis, iconijs, & titulis, verùm & plenitudinem orbis. Quæ non tam ciuitas hominum, quàm martyrum dicenda eſt cęmeterium. In qua aut nil, aut minimum ſoli conſtat,quod ſanctorum cruor inficiendo non poſſideat,balnea, propolas, meritoria, templa, theatra, turres, & cryptas, circos,madidaſq; popinas, arcus, & pontes, pomęria, roſtra, forumque, Cum portis,domibus,thermis,ſtabuliſque,cloacis. Sic ſanguinem piorum,quem impia quondam,& crudelis paſſim velut aquam effudit, nunc pia,& mitis ad tutelam ſui venerata ſuſcipit. Et quid plura? Hæc regnum terris, & famam terminat aſtris. Cui non magis terrenum regnum, quàm cęleſte ſucceſſit. Poſtquam enim lapis ille reprobatus,& probatus abſciſſus de monte ſine manibus, regnum Romanorum, & in ipſo Græcorum, Perſarum,Babyloniorum,quę in Daniele,beſtijs crudelibus, & ſtatuæ corruptibilium metallorum ad monſtrationem principis huius mundi in eis tunc regnantis, contriuit funditus,& in fundamento Apoſtolicæ fidei fundatus, impleuit vniuerſam terram, mons magnus eſt factus,fecit nos ex omni tribu,lingua,populo,& natione,regnum, & ſacerdotes Deo noſtro ſuper terra,vt iam non regnet mundus in noſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentijs eius, ſed iuſtitia ſempiterna,quæ eſt Chriſtus, per fidem habitet, atque regnet in cordibus noſtris, noſque cum eo perpetuo regnemus.

AVGVSTINI STEVCHI IGVVINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

ORATIO AD PAVLVM III. PONTIFICEM MAXIMVM.

De reſtituenda nauigatione Tiberis à Truſiamno, agri Peruſini caſtello, vſque Romam.

VT de nauigatione Tiberis ſcriberem, atq; eam tibi, maxime Paule, religionis Chriſtianæ Princeps, reſtituendam proponerem, mouit me cum amor, quo Romam vti Patriam, & quæ me, te clementiſſimo Principe authore in hoc dignitatis gradu collocauit, amplector, veneror, omnes ei priſtinas dignitates, copias, diuitiaſq; cupio, tum idem amor, quo regiones has, quas Tiberis peruagatur, vti alteram patriam diligo, eiſq; maximum commodum ex hac nauigatione profecturum, ingenti voto deſidero. Deniq; mouit me pietas qua te Principem, Dominumq; meum colo, vt quemadmodum Deus ſummus per te multa Eccleſiæ ſuæ ornamenta reddidit: Tu ſolus enim, vt mittam alia, inuicta animi magnitudine, rem antehac inuſitatam aggreſſus, ſanctum ſenatum, cui veluti cardini tota nititur Eccleſia, ex optimis quibuſq;, atq; doctiſſimis viris coegiſti, & Eccleſia vt refloreſceret, author fuiſti. Sic tu prior eſſes, qui rem à ſuperioribus Pontificibus, aut propter inſcitiam, aut quòd tam ſalubria conſilia animo minime agitarent, diuerſa omnino quàm quæ ad publicum vſum ſpectent, cogitantes, intentatam perficeres, & te, atque tuos hoc tam præclaro facinore apud poſteros celebrem redderes. Eſſeſq; de quibus doctiſſimus Vates,

Inuentus aut qui vitam excoluere per artes,
Quique ſui memores alios fecere merendo.

In concilio Deorum collocat nobiliſſimus vates eos, qui fecerunt vt celebrarentur in poſterum ob mortales beneficijs affectos: oſtendens, & in hac vita eis remanere laudem nominis ſempiternam, & apud ſuperos in cętu Deorum ſedes eſſe paratas.

Noram quoque te, ſanctiſſime Pater, ex his eſſe, quibus Heſiodus primum in omni laude locum tribuit, qui ex ſeipſis quæ ſunt optima noſcant, in lucemq; edant. Deinde eis qui cęteros ſalubria ſuggerentes libenter audiant. Tu certè ille es, qui ex fęcundis pectoris tui theſauris optima quæq; depromas, tum libenter audias, qui ſalubria conſulere videntur. Scribam igitur ego ſalubria, laudata, ei qui libenter audit. Scribam autem facilia, & quæ priſcorum Romanorum, à quibus tu genus ducis, probati ſcriptores oſtendunt fuiſſe. Atque ſpero me facile, quæ

ſcribo,

A ſcribo,perſuaſurum: quòd ei ſcribo, qui rerum bonarum eſt cupidiſſimus: & conſulo facilia, prona,quæq; ſolo Principis imperio nullis expenſis fieri poterunt. Tum ea,quæ ad ſempiternum decus ipſius Principis pertineant:itemq; & Romæ,& omnib. prope finitimis terris vtilia: fungorq; hæc ſcribens multarum vrbium quaſi legatione,quæ ad me oratum venerunt, vt hoc earum nomine à tua maieſtate ſuppliciter peterem.Ipſęq; ad ſanctiſſimos iſtos pedes procumbunt,vt nauigatio Tiberis ab agro Peruſino,nempe à caſtro Truſiamno,qua multa flumina influunt in Tiberim,atq; adeo augent,vt ſit nauigiorum capax,reſtituatur vſq; Romam. Ab hoc caſtro,qua multa flumina in vnum alueum coacta incurrunt, truduntq; ſe in Tiberim, iam largus aqua,iam nauigiorum capax Tiberis vſq; Romam nauigabatur. Hinc Romani, quorum omnis amor erga patriā,vt Vrbs omni commeatuū genere eſſet refertiſſima, & vt finitimæ regiones hoc commodo iuuarentur,ita fluminis alueum redegerant, intraq; ripas aquam coegerant,atq; ripas extulerant, vt facilè multa nauigia flumen mercibus, rebuſque ex vicinis agris onuſta, Romam deferret.Plenæ erant lintres vini,olei,fructuum,carnium, altilium, necnon lignorum ad ædificia,mercium quoque,quæ à ſupero mari eò iumentis traducta,hicq; impoſita lintribus Romam traijciebantur. Atq; tanta ex hac nauigatione percipiebatur vtilitas, vt magna vis mercium ex omni Germania, Anglia, partimque Gallia,reliquiſq; ſuperis regionibus, Rauennæ nobiliſſimo eius tempeſtatis emporio, quemadmodum hoc ſęculo Venetijs expoſita,inde mari ad portus,Piſaurum, Fanumq; traiecta, tum iumentis vſque ad eum locum, quo iter breue eſt, delata, deinceps per Tiberim,Romam deferrentur. Nominauerunt Romani locum hunc,vbi merces exponebātur,vnde libera Tiberis incipit nauigatio, Truſiamnum,quòd B illic,vt ſuperius monſtrauimus, multi amnes ſe trudunt in Tiberim, quibus auctus nauigiorum eſt capax.Hanc ob cauſam,& ob hanc longam Tiberis nauigationem, reliquæ quoque finitimæ regiones,quædam ſua flumina ita redegerant,atq; aptauerant, vt paruulis nauigijs, res ex agris in Tiberim deferrent,quæ maioribus nauigijs impoſita, Romam per Tiberim deueherentur. Ex omni agro Spoleti, Mouaniæ, Foriflaminij, omniumq; vicinarum regionum per flumen Tiniam,ſiue vt hodie incolæ vocant, Timiam, quod exiguis nauigijs nauigabatur, in Tiberim commeatus deducebant. Influit autem Tinias in Tiberim paulo infra locum, quem ſuperius monſtrauimus,Truſiamnum, profluit ex monte qui Fulgineo, Spoletoque imminet, medio fere itinere, & per fines earum vrbium,itemq; Meuanatum deuolutus, acceptiſq; nonnullis alijs fluminibus exonerat ſe in Tiberim. Hoc igitur memorans locupletiſſimus teſtis Strabo,qui non modo loca,ſed conſuetudines locorū ſui tēporis, fideliter deſcribit,ait de Meuania: παρ' ἣν ῥεῖ ὁ τινέας καὶ οὗτος ἐλάττον σκάφεσι κατάγων ἐπὶ τὸν τίβεριν τὰ ἐκ τοῦ πεδίου. Iuxta Meuaniam fluere Tiniam,qui exiguis nauigijs res,fructuſque ex regione campeſtri deducat in Tiberim.Non detuliſſent autem nauigijs res in Tiberim, niſi Tiberis quoque fuiſſet nauigabilis. Apparet hodie quoque flumen Tiniam poſſe exiguis nauigijs enauigari, ita alueus directus eſt plenus aquæ ad ripas. Regiones præterea,atque vrbes Romæ propinquiores, Interamna, Narnia, Carſeolum, vicinaque oppida ſubuehebant res, merceſque ſuas in Tiberim, per flumen Narem, ipſum quoque nauigabilem, de quo idem Strabo νάρνα δι' ἧς ῥεῖ ὁ νὰρ ποταμὸς συμ- C βάλλων τῷ τίβερι μικρὸν ὑπὲρ ὀκρίκλων, πλωτὸς δὲ οὐ μεγάλοις σκάφεσι. Per Narniam fluere flumen Narem,qui paulo ſupra Ocriculos miſceatur Tiberi, ipſumq; eſſe nauigabile nauigijs nō magnis. En igitur Nar quoq; nauigabilis,per quem finitimæ vrbes,merces,reſq; omne genus traiectas in Tiberim,Romam maioribus lintribus deducerent. Tertius erat fluuius,quo Etruria demiſſas omnium generatim rerum copias in Tiberim, Romam deferebat: cuius fluminis nauigatione vſq; in Tiberim vtebatur Aretiū, Cortona,Cluſium,Vetulonia,omneſq; vicinę vrbes, is dicitur Clanis, profluit ex paludibus,fontibuſq; Cluſinis haud ferè minor, nec ad ſuſtinenda nauigia minus aquæ ducens, quàm Nar. De eo Strabo cùm copias rerum, quas flumina Romam tranſmitterent,& quibus è locis profluerent,memoraret, recenſens in his fluuijs Clanim ſic perhibet, διὰ δὲ τῆς τυῤῥηνίας καὶ τῆς κλουσίνης ὁ κλάνις. Per Etruriam, agrumq; Cluſinum fluere Clanim. Quartus erat fluuius nauigabilis,quod & Plinius teſtatur, Anio,cuius nauigationem,tu ſanctiſſime Pontifex paucis ante diebus renouare exorſus es. Itaq; propter præcipui,maioriſq; fluminis nauigationem, hæc quoq; nauigabantur, atq; ab vrbe vſque ad agrum Peruſinum à dextra,atq; ſiniſtra fluminis, omne rerū genus confluebat in Tiberim, omnes regiones res ſuas venales lintribus tranſmittebant Romam, vtentes fluminis beneficio, diuino certè munere,quo ſimul magnas itinerum, expenſarumq; difficultates vitabant, ſimul vrbem omni rerum copia refertiſſimam reddebant,ſe quoque pretijs rerum venditarum locupletabant. Atque vt Spoletum,Meuania,Forumflaminij, omneſque vicinæ regiones vtebantur fluminis Tineæ nauigatione, in Tiberim copias inferentes, ſic ad alteram Tiberis partem, Peruſini, Tudertes, reliquæq; ciuitates per totum ipſum Tiberim enauigabant, merces, reſque vęnales, in primis vinum, oleum, altilia, nauibus deferentes. Vt veriſſimum ſit quod D de his fluminibus, quantam, quamq; admirabilem rerum copiam Romam trauſmitterent, ſcribit idem Strabo, deſcribens vrbis vbertatẽ, fluminib. illatam, præter inquit Romanæ regionis fęlicitatem: καὶ οἱ κατακομίζοντες ποταμοὶ θαυμαστὴν παρέχουσιν ὑποχορηγίαν, πρῶτος μὲν ἀνίων ἐξ ἄλβας ῥέων τῆς πρὸς μαρσοῖς λατίνης πόλεος, καὶ διὰ τοῦ ὑπ' αὐτῇ πεδίου μέχρι τῆς πρὸς τίβεριν συμβολῆς, ἔπειθ' ὁ νὰρ καὶ ὁ τινίας οἱ διὰ τῆς ὀμβρικῆς εἰς αὐτὸν καταφερόμενοι τὸν ποταμὸν τὸν τίβεριν, διὰ δὲ τῆς τυῤῥηνίας καὶ τῆς κλουσίνης ὁ κλάνις. Flumina quoque, quib. res ſubuehuntur admirabilẽ afferunt copiam. Primus quidem Anio, qui ex Alba Latina vrbe iuxta Marſos profluens per campos, qui ei ſubiacent, vſque ad confluentem Tiberis fertur: tum Nar, & Tinias, qui per Vmbriam in Tiberim deuoluuntur. Per Etruriam verò, fineſq; Cluſinos fertur Clanis: Hos fluuios memorat Strabo nauigabiles in Tiberim, qui Romæ admirabiles copias ſuppeterent, ex omni regione finitima, res quib. mortales iuuantur, inferentes. Vt aũt ſuperius per flumen Tineam ſcripſerat nauigijs in Tiberim deferri, τὰ ἐκ τοῦ πεδίου, ea, quæ in campis Meuanatum naſcuntur, nempe vinum, oleum, fructus: ſic ex parte memorat, quæ reliquis fluminibus importarentur ad vrbem. τίφοι τε καὶ πάπυρος, ἀνθήλη τε πολλὴ κατακομίζεται ποταμοῖς εἰς ῥώμην. Defertur Romã Papyrus, cremium, ſtorea fluminibus, quæ lacus, & paludes profundunt in Tiberim. Ait flumina, paludes, lacuſque emittere. Hæc inquit flumina deducunt eas res in Tiberim. Eſt igitur clarũ, totum flumen vſque ad confluentem Tiniæ, & Tiberis, qui eſt paulo infra caſtellum Truſiamnum, in agro Peruſino, cui res ipſa nomen dedit, fuiſſe nauigabile multis, prægrandibuſq; nauigijs, quoad natura fluminis pateretur. Huc velut ad portum confluebant omnes, res ſuas vęnales E flumini exponentes, Romamq; ducentes, ſemperq; deinceps Tiberis alijs in eum riuis, fluuijſq; defluentibus fit maior, & ad locum Truſiamnum, hac quoque tempeſtate nauigio, nunquam prope vado tranſitur. Facile autem intelligi poteſt, poſſe ab eo loco, vt olim Tiberim nauigari: quandoquidem in Gallia Ciſalpina videmus hac tempeſtate minimum quemque fluuium, qui cum Tiberi non ſit conferendus, cùm fluit ad Truſiamnum, magnis nauigijs enauigari, cuiuſmodi eſt Meduacus, qui à Patauio Venetias, & contra, nauigationem peragit, deferens grandia, multaq; nauigia, plena hominum, plena mercium, rerumq; vęnalium. Talem fuiſſe par eſt nauigationem à Truſiamno ad vrbem per Tiberim, agentem nocteſq;, dieſq; lembos, maioraq; nauigia, plena hominum, rerumq; vęnalium. Sunt alia quoque flumina, deductioneſque paludum in Gallia Ciſalpina, longe Tiberi minores, magnorum nauigiorum capaces, quibus aut in Padum, aut mare deferunt incolæ res, omne genus. Factumq; in Gallia, hominum induſtria, vt omnis prope eorum regio riuos, ſiue vt ipſi vocant, canales habeat, per quos nauigijs onera in maiora flumina, inde in mare deducant. Nam nec Bononiæ, nec Mutinæ deeſt ſuus riuulus, quo non exigua nauigia ducunt in Padum: idem eſt reliquis vrbibus vſus. Quanto igitur facilius fieret id in Tiberi, longe latiore, atque aqua vberiore?

Pace ſuperiorum principum dixerim, quos ab amore rerum publicarum priuatorum commodorum cogitatio abſtraxit, fuit eorum & Romæ dedecus, non vti tam diuino fluminum beneficio, quæ natura ad dexteram, ſiniſtramq; fluminis ita poſuiſſe videtur, vt ne hoc quidem ad Romanam fęlicitatem deeſſet. Nam reſtituta Tiberis nauigatione, dabitur facultas, vt per totam Etruriam, per flumen Clanim vſque in mare, ad oſtia Arni traijciat nauigatio, quod ſuperiores Pontifices tentaſſe feruntur. Nam Clanis Alliam ingreſſus, influit in Tiberim. F Si per Tiberim ab vrbe verſus Etruriam aſcendas, tum Clanim qua Tiberi miſcetur, nauigio ſubeas, tunc finibus Cluſinis ſuperatis, quòd Clanis ab altera parte verſus occaſum propinquat ad Arnum: Arnus nauigium vſque Liburnum, qua mare influit, adducet. Clanis velut Amphiſbena, propter longius, lateque reſtagnantes fontes, ac paludes, alterum in Tiberim, alterum verſus Arnum caput infundit. Hanc ob cauſam Tiberio Principe, Cornelius Tacitus author, actũ in Senatu, vt totus Clanis propter Tiberis alluuiones, verteretur in Etruriã, Florentinis reclamantibus, his verbis: Actum, inquit, deinde in Senatu ab Aruntio, & Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterẽtur flumina, & lacus, per quos augeſcit. Auditęq; municipiorum, & coloniarũ legationes, orantibus Florẽtinis, ne Clanis, ſolito alueo demotus, in amnem Arnum transferretur, idq; ipſis perniciem afferret. Hęc Tacitus. Audis Clanim trãſferri poſſe in Arnum? Per Tinã vero, atq; Narem, partemq; Tiberis, maximam Vmbriæ partẽ licebit nauigio traijcere. Illud autem, quod ſcribit Plinius de Tiberi. E media fere longitudine Appennini, finibus Aretinorum profluit, tenuis primò, nec niſi piſcinis corriuatus, emiſſuſq; nauigabilis, ſicut Tinias, & Clanis influentes in eum. Nouenorum ita conceptu dierum ſi non adiuuent imbres, ſed Tiberis propter aſpera, & confragoſa, ne ſic quidem præterquam trabibus, verius quàm ratibus longe meabilis fertur. Plinius hæc loquitur, Tiberim vbi naſcitur tenuem eſſe, & per confragoſa, aſperaque delabi, inq; his locis, vbi tenuis eſt, non ita nauigabilem

A uigabilem eſſe: quapropter incolas eorum locorum cogere in piſcinis,gurgitibuſque aquam
per quam coactam rates,ceu trabes per ipſum flumen agant. Hoc igitur refert Plinius de Ti-
beri,vbi oritur,vbi tenuis eſt finibus Arretinorum,atque Tiſernatum: Nam his in locis tenuis
eſt,& per confragoſa,aſperaq; delabitur. Sed vbi ad Truſiamnum appropinquauit, delatus in
planum,tum aquæ multitudine vehementer augetur, tum non amplius pedibus, ſed nauigio
tranſitur,& deinceps vſq; Romam ſemper per planum fertur. Aſſerit quoque Plinius,quod ſu-
perius Strabo,Tiniam,& Clanim in ipſum influentes nauigabiles eſſe. Simili ſenſu intelligen-
da ſunt, quæ ſcribit Plinius Iunior in epiſtolis de nauigatione Tiberis. Is ad Apollinarium de-
ſcribens villæ ſuæ amœnitatem, quæ non procul ab Appennino in Thuſcia ad Tiſernum ſita
eſſet,hæc ait: Cuncta enim perennibus riuis nutriuntur,ibi aquæ plurimum, palus nulla,quia
deuexa terra quicquid liquoris accipit,nec abſorbet,effundit in Tyberim. Medios ille agros ſe-
cat,nauium patiens,omneſq; fruges deuehit in vrbem,hyeme duntaxat,& vere, æſtate ſubmit
titur,immenſiq; fluminis nomen arenti alueo deſerit,autumno reſumit. Hæc quidem Secun-
dus. Principio obſeruandum eſt,villam,quam deſcribit,fuiſſe verſus Appenninum, vbi fontes
Tiberis ſcaturiunt. Meminit enim Appennini in epiſtola,ad alia refert villam à tergo habuiſſe
Appenninum,licet longius. Ab Appennino quoque ſalubres afflatus in eam exhalari,alia Epi
ſtola prædia ſua vicina fuiſſe Tiferno. Erat igitur villa ſupra aut infra Tifernum in Thuſcia, vt
idem meminit,non procul finibus Arretinorum. His locis Tiberis erat nauiũ patiens,ſed hye-
me,& vere duntaxat. Quamobrẽ hęc Secundus non ſcribit de Tiberi, vbi cãpos Peruſinos ſe-
cat,multiſq; fluminibus acceptis, omni tẽpore eſt nauiũ patiens: ſed vbi tenuis eſt,exareſcitq;
B æſtate ſupra Tifernum infraq;. In campis aũt Peruſinis ad Truſiamnum, ſemper largus aqua,
quam è viuis fontibus deuolunt in eũ multa flumina,à Meuiana, à Foroflaminij, ab Iguio ve-
nientia,nunquã non eſt nauium patiens,nullo tẽpore deficit aquarũ vbertas, plus enim illa flu
mina portant aquę,quàm ſolus ipſe Tiberis. Quòd ſi locis illis,vbi Tiberis exareſcit,erat naui-
gabilis,quanto facilius ad eum locum,vbi flumina in eum ſe trudũt,reſtituetur eius nauigatio?
Clare.n. Plinius ſcripſit,omnes fruges ab illis locis in vrbem deuehi, eodemq; reſpicit vterque
Plinius originem Tiberis deſcribentes, & his in locis vnde profluit nauigabilem eſſe ferentes,
difficili nẽpe nauigatione,hyeme,& vere duntaxat. Sed in campis Peruſinis ad Truſiamnum,
pleno fluit alueo omni tempore. Quę verò ſcribit idem Plinius de nauigatione Clytumni,mul
to magis aſſerunt,corroborantq; hæc,quę de nauigatione Tiberis ſcribimus. Nam Clytumnus
eſt fons vberrimus,qui ad mœnia Meuaniæ,Timia receptus nomen ſuum amittit. Vbi profluit
Clytumnus,vt ſuperius monſtratũ eſt,appellatur. Fons ampliſſimus, pluribus venis ſcaturiẽs,
ſubitoq; natus,ingens flumen,nauium patiens. Is, vt diximus, cum Tinia & Claſio Iguicio ad
caſtrum Truſiamnũ Tiberi miſcetur. Si igitur nauigabatur Clytumnus,quẽ Tiniã vocat Stra-
bo,atq; in Tiberim fruges deuehebat,certe ipſe Tiberis,in quem ſcaphas, & cymbas, lintreſq;
tranſmittebat Clytumnus,ſiue Tinias,nauigabatur. De eo igitur idẽ Plinius in epiſtolis: Vidi-
ſtinè aliquando Clytumnum fontem? Si nondum,& puto nondũ,alioqui narraſſes mihi: vide,
quem ego (pęnitet tarditatis) proxime vidi. Modicus collis adſurgit antiqua cupreſſu nemoro-
ſus,& opacus: hunc ſubter fons exit,& exprimitur plurib. venis,ſed imparibus, eluctatuſq; fa-
C cit gurgitem,qui lato gremio pateſcit purus,& vitreus,vt numerare iactas ſtipes, & relucẽtes
calculos poſſis. Inde non loci deuexitate,ſed ipſa ſui copia, & quaſi pondere impellitur. Fons
adhuc,& iam ampliſſimum flumen,atq; etiam nauium patiens,quas obuias quoque,& contra-
rio niſu in diuerſa tendentes,tranſmittit,& perfert,adeo validus,vt illa,qua properat, ipſe tan-
quã per ſolum planũ remis non adiuuetur,idem ægerrime remis, contiſq; ſuperetur aduerſus.
Iucundum vtrunq; per iocum,ludumq; fluitantibus,vt flexerint curſum,laborẽ ocio,ocium la
bore variare. Ripæ fraxino multa,multa populo veſtiuntur. Quas perſpicuus amnis velut mer-
ſas viridi imagine adnumerat. Rigor aquę certauerit niuibus,nec color cedit. Adiacet tẽplum
priſcum,& religioſum. Stat Clytumnus ipſe amictus, ornatuſque prętexta. Præſens numen,
atque etiam fatidicum indicant ſortes: Sparſa ſunt circa ſacella complura, totidemque Dei,
ſua cuique veneratio, ſuum nomen, quibuſdam verò etiam fontes. Nam præter illum
quaſi parentem cæterorum, ſunt minores capite diſcreti, ſed flumini miſcentur, quod pon-
te tranſmittitur. Is terminus ſacri, profanique. In ſuperiore parte nauigare tantum, in-
fra etiam natare conceſſum. Balneum Hiſpellates, quibus illum locum diuus Auguſtu-
dono dedit, publice præbent, & hoſpitium. Nec deſunt villæ, quæ ſequutæ fluminis amę-
nitatem,margini inſiſtunt. In ſumma nihil erit, ex quo non captes voluptatem: nam ſtudebis
quoque, & leges multa multorum omnibus columnis, omnib. parietibus inſcripta, quibus
fons ille, Deuſque celebratur. Plura laudabis,nonnulla ridebis,quanquam tu verò, quę tua
humanitas, nulla ridebis. Vale.

Hæc Plinius de Clytumno,quæ de Tinia,ſiue Timia ſuperius Strabo, Vnius fluminis duo nomina, D quemadmodum Iſter,& Danubius,Tiberis, & Albula, ſiue Timia iuxta Meuaniam hodie quoque ab incolis vocatur. Clytumnus vbi naſcitur, à Clytumno Deo, cui templum eſt ſuper ripis eius fluminis. Sed Tinia fluuius eſt Fulginatum,in quem ad Meuianam ſeſe Clytumnus effundit. Huius nauigationem, vt vidiſti, copioſe, luculenter enarrat,deſcribitque Plinius. Quod item prodidit Strabo Narem fuiſſe, quo tempore ſcriberet, nauigabilem. Tacitus etiam Romanæ ſcriptor hiſtoriæ probauit, cùm de Piſone ex orientis locis in Italiam reuertente, fugamq; accelerante ob ſuſpicionem oblati veneni Germanico, libro tertio ſcriberet. Ab Narnia vitandę ſuſpicionis,an quia pauidis conſilia in incerto ſunt,Nare,ac mox Tyberi deuectus auxit vulgi iras,quia nauem tumulo Cęſarum appulerat. Cernis,vt aperte doceat,illum deuectum fuiſſe flumine Nare : & quoniam Nar influit in Tyberim infra Hortinos, Tyberi quoque deuectum eſſe, appuliſſeque nauim ad buſta Cęſarum. Quo nunc quoque naues ex Sabinis, viciniſque locis adactæ, onera velut in portu deponunt, è conſpectu Mauſolei Cæſarum, iacentis, fractique obeliſci, qui cum cæteris ornamentis, quæ Strabo deſcripſit, obibat Mauſoleum in Campo Martio. Cuius etiam loci meminit Virgilius de funere Marcelli.

Vel quæ Tyberine videbis   Funera cum tumulum præter labere recentem.

Conſtat igitur Romanos,quorum animi magnitudinem, ingenteſq; opes,cùm varia vbiq; terrarum monimenta,tum vero reperti paſſim in vijs,quibus itur ad vrbem, pontes, arcus, ipſæq; viæ cęruleis lapidibus,aut glarea,vaſtiſq; ſaxorum molibus inſtratæ teſtantur, non modo E facultatem terreſtris itineris euntibus ad vrbem,cùm ad Narem ventum eſt,paraſſe:vbi Flaminia via ex Carſeolo ad hoc oppidum per pontem mirę magnitudinis ſuper Narem aſcendit, ſed etiam fluuio copiam nauigandi,vitato horrendi montis tranſitu,præbuiſſe,perſpicuumque eſt,ſi qua ſaxa hac tempeſtate in eo flumine reſonantia, nauigationem impedire videantur, ex adiacentibus montibus ea decidiſſe,facileque non nata,ſed aduentitia remoueri poſſe. Perſpiciendū nunc quàm facile,quam nullo negotio,quàm nullis expenſis,hęc nauigatio poſſit reſtitui. Cuius rei exemplum erit,vt docuimus,Gallia omnis trāſpadana,ac ciſpadana,in qua nulla propemodū vrbs eſt,quæ priuatis expenſis non ſibi deductiones fluminū,aut paladū accommodauerit,quę nauigijs tranſmittantur.Si vna igitur vrbs Bononia, Mutina, Patauium, riuulos illos (vt ſic loquar) ita direxit,aptauit,collocauit,vt nauigarentur,quanto facilius eſſet ſummo,ac potentiſſimo principi,populis ſuis, qui Tyberim accolunt, imperare, vt flumen expurgent,alueum dirigant,ripas propter alluuiones attollant,quod illi circumpadani Galli vbique ad ſua flumina quotidianis operis ſtudent? Id cùm fecerint noſtri,eadem atque illi commoda conſequentur.Nam,vt mittam nauigationis beneficium,maximū certè,ac diuinum, tum multum agri vbiq; lucrabuntur, quod Tyberis vagus, ac liber, nec intra ripas propter incolarum ſegnitiem coercitus, alluit,ac populatur.Pluſquam decem millia paſſuum agri,Peruſini,atque tudertes lucrabuntur,ſi ripas fluminis coarctauerint,direxerintq;, atque marginē, aggeremq; altius extulerint.Id facientes,tum aptabunt fluuium nauigijs idoneum, tum prohibebunt ne amplius agros alluat,quemadmodum infra Ocriculos vſque Romam, & oſtia fertur lateribus incluſus, vt quod perhibet Plinius,nulli fluminum minus liceat,incluſis vtrinque lateribus. Id F certe etiam in agro Peruſino, Tudertique foret. Omnes igitur magna cum voluptate, lætiſſimiſq; animis, hanc operam ſuſcipient, omnium aderit excellens ſtudium, vnde tantum commodi,atq; lucri conſequentur,nec laudes tuas,Summe Pontifex, vllo æuo celebrare deſiſtent. Quinetiam ad me plerique rogatum venerūt, vt his de rebus tecum ſumme Princeps agerem. ne omitteres eos hoc tanto beneficio afficere.Atque quod in Gallia fit,vt minora nauigia vſq; ad ampliora flumina deducant,Inde maiores lembi excipiant, fieri quoque poſſet in Tyberi,vt minora nauigia à Truſiamno ducerent,vſquequo Clanis, aut Nar influunt. Hic maiora nauigia exciperent,nam illic quamlibet magnorum nauigiorum capax eſt Tyberis. Præſtiterit igitur fidum,prudentem, beneuolumque hominem negotio præficere, qui iuſſu tuo populis imperet, circum Tyberim ſedentibus, alueum fluminis dirigere,coercere,arctioremque facere, aggerem attollere, & iuxta Gallicam conſuetudinem ſalices, populoſq; pro ripis plantare, quorum radicibus agger contineatur. Vidi ego longe difficiliora, propter vtilitatem tamen à priuatis vrbibus, hominibuſque fieri. Inuenti ſunt priuati homines,qui Rauennæ latiſſimas paludes auderent exhaurire, quas frumentis conſererent. Bononienſes immenſas paludes, quas fluuius eorum Rhenus, Pado propinquus inſtagnat, ſuperioribus annis hauſerunt, imperatis vndique operis, qui cum fluminis aggerem altius extuliſſent, fecerunt, vt omnis ille propter alluuionem inutilis, paludoſuſque ager, optimus deinceps eſſet. Id fieri longe facilius

A cilius ad Tyberim poſſet, propterea quòd latius duntaxat euagatur, paludes aũt efficit nullas. Quid? nonne diuinos honores Principes illos meruiſſe fatemur, qui ſummo ſtudio publica commoda iuuiſſent, qui paludes exhauſiſſent, flumina direxiſſent, pontibus inſtrauiſſent, nonne hoc vno Romanos admiramur, obſtupeſcimus, magnitudinem animi eorum conſiderantes, cum quædam adhuc tantæ magnitudinis ueſtigia viatoribus occurrunt. Certè tu, Summe Pater, qui ſanguis eorum es, non potes, quod hactenus vbique præſtitiſti, eorum gloriam, magnitudinemque animi non æmulari. Atque illud quoque perſpiciendum eſt, quantum commodi non ipſis modò populis, quantæ copiæ prouenturæ ſint Romæ ex hac nauigatione: verum etiam quid quæſtus, quid lucri publico ærario, quantum vectigal: optime enim noſti Summe princeps, quàm multa, quàm laudati vini genera fert omnis regio, quæ nauigatione fluminis vti poſſet: deferrent igitur Romam quicquid optimi vini apud eos naſcitur, atque omnis illa pecunia, quæ Corſicam, Regnumque Neapolis, vinis diuenditis, importatur, in urbibus, regionibuſque tuis remaneret. His populos tuos locupletares, quæ quanta ſit, vix enumerari poteſt. Adde, quod Vrbs cum vini penuria maxime laboret, tunc eſſet refertiſſima. Quid, quòd ab eis regionibus magna vis altilium, quod hodie quoque difficile fit, Romam inferretur? Quid olei copiam memorem? quid carnes? plus enim vnum nauigium adduceret, quàm 50. iumenta, quicquic hodie multorũ iumentorum dorſo, magno cum labore, ſũmis expenſis Romã affertur, vno nauigio, vitatis expenſis afferret̃. Multa quoq; ſunt, quæ dorſo iumẽtorũ propter iacturã portari nõ poſſunt: mitto merces, mitto veſtẽ, omneq; cibariorũ genus, nã unico verbo Strabo ſuperius expoſuit, cum ſcriberet flumen afferre Romã θαυμαςὴν ἀπο
B χορηγίαν copiam admirabilem. Quanta igitur erit vrbium tuarum lætitia, quod gaudium hac nauigatione reſtituta? Neminem qui cum hac de re ſum loquutus, inueni, qui non uotis intentiſſimis eam efflagitaret, ſuplexque oraret, tibi id faciendi mentem Deus aſpiret. Scio quidem non defuturos, qui vel tibi pręclari operis, uel ei qui ſcripſit, egregij propoſiti famam inuidentes, uel certè quòd in animos eorum, humilia ſemper, atque abiecta ſpectantes, magnarum rerum cogitationes adhærere nequeant, te quacunque liceat eis ratione ab egregio facinore deterreant. Nullis enim ſæculis inuſitato, atque admirando opere reperto, quod carperet, atque obrueret, præſto non affuit inuidia, uti imperante Nerone ſcripſit Tacitus de Lucio Vero, Romanarum legionum in Germania Legato. Is cum cerneret Moſellam, atque Ararim fluuios, quorum primus Rheno receptus influit Oceanum Germanicum: alter receptus Rhodano, deuoluitur in mare mediterraneum in meridiem, propinquas inter ſe habere origenes, nempe in celtis vidit fieri poſſe, ut interiecta foſſa vtraque flumina connecterentur, atque à mari mediterraneo per Rhodanum, tum per Ararim, exin per foſſam in Moſellam copiæ ſubuectæ hinc per Rhenum, in Oceanum inducerentur, ſublatiſque itinerum difficultatibus nauigabilia inter ſe Occidentis, Septentrioniſque littora fierent. Huic igitur operi inuidiſſe ſcribit Selium Gracilem Belgicæ Legatum deterrendo Lucium Verum, periculoſum eſſe Romano Imperio, atque ipſi Legato, ſi Germanicas legiones inſuefaceret Gallicas affectare copias, quæ hac nauigatione affatim ſuppeterent. Inuidiam igitur indicauit Tacitus, tectam quidem, atque fucatam ratione. Multa enim commoda mortalibus abſtulit inuidia, monſtrumque horrendum,
C quaſi regia larua, rationis ſumpta figura aggreditur principum animos, doliſque fallacibus eos à uirtutibus auertit. At quibus eſt robur benefactorũ, laudẽ memoriamq; rerũ præclarè geſtarũ omnibus præſtare perſpectum habentes, ſuaque ſponte honeſti cupiditate flagrantes, quam facile diſſipat Aquilo nubes tenebroſas reddita terris ſerenitate, tantopere animi ſui magnitudine, illis inſanorum hominum fabulis eiectis, ſeſe à laude deduci, aut vllis ſibi caſibus dedecus, nomenque eripi non ſinunt, vanis perſuaſionibus ad aures aditum denegantes. Addidit ad proſtemum, ubi hoc commemoraſſet Tacitus, plerunque conatus honeſtos inuidia prohiberi, obijcere ſeſe exaduerſo velut acerrimam inimicam, graueque aduerſariam conatibus honeſtis inuidiam. Certè igitur principibus maxime perſpiciendum eſt, ne quemadmodum Caſſandram Teucri, ſic ipſi bona vtiliaque canentes audire contemnant. Quod ſi tu Romam viis, plateiſque patefactis, atque directis, veterique ędificiorum deformitate deiecta, longe meliorem pulchrioremque reddidiſti: ſi propugnaculis, & ante hac inaudito muri genere munijſti: Principis apoſtolorum inchoatum a ſuperioribus pontificibus ædificium templi, ſed longo tempore intermiſſum, magno ſtudio repetitum excitare cœpiſti: ſi magnorum principum inter ſe conciliandorum cauſa, tantum itineris obijſti, longe autem maiora a te expectamus in dies: Certe & hanc tantæl audis occaſionem, tale, ac tantum virtutis tuæ teſtimonium prætermittere non debes. Omnium verò in te laudes, acclamationeſque confluent, uerum Pontificem, patrem patriæ celebrabunt, teque de ſtirpe Romana procreatum, Romanum facinus edidiſſe prædicabunt.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris.

De rouocanda in Vrbem aqua Virgine.

ORbis terrarum domina, mater omnium gentium, bonarum rerum fœcunda parens, maieſtatem eius memoriæ repetenti incredibile deſiderium accendit, vt eam, ſi non qualis, ac quanta fuit, quoddam certè tantæ magnitudinis aliquãdo meis oculis videam ſimulacrum, quod omnium gentium denuo in ſe oculos, atque ora conuertat, communemq; parentem omnes agnoſcentes ad inſtaurandam claritatem eius vniuerſos concurrere cernam. Atque hoc meum deſiderium, neque prodigioſum, inuſitatumque haberi poteſt, neque earum rerum, quas naturæ facultas non admittat: ſed earum, quæ & naturam habeant, vt fieri poſſint, & quæ noſtris oculis facile conſpicerentur, ſiqua publici commodi, ſolidæque gloriæ cupiditas, principibus noſtris ineſſet. Simul præteritos annos, totamque poſteritatem animo complectentes, quæ ſtudia hodiernam hanc amplitudinem Romæ conciliarint ſecum conſiderarent, quibus cauſis omnes nationes hanc ſedem venerandam, colendamque ſibi maxime exiſtimarint. Quibusve pietatem, uenerationemque omnium gentium Roma aſſecuta fuerit. Tum quid aliud ſuperſtes fuerit his, qui olim rerum potirentur, aut poſſit eſſe quantas velint, cumularint opes, patrimoniaque auxerint, ſuos in excelſo dignitatis gradu collocauerint quàm gloriam, famamque rerum geſtarum. Quarum rerum conſideratio, quid aliud agere cogat eos, qui rebus moderentur, quàm gloriæ ſummi Dei, atque immortalitati ſuæ enixè ſtudere: quæ omnis in amplificatione publicæ vtilitatis perſpicitur? Cui veteres Pontifices omni conatu, totaque animi contentione incumbentes, dum nihil publica charitate antiquius habent, dum paterna beneuolentia cunctos generatim amplectuntur, fecerunt vt hunc locum omnes nationes ſacroſanctum habentes velut pietatis domicilium venerarentur, & ad hoc ſanctius ærarium pecuniam ſacram omnibus è locis mitterent quas optimi principes in publicos vſus transfigerent. Itaque ſi parem gloriam, atque immortale decus inſequuti principes adamaſſent, iam Romam ex toto orbe Chriſtiano, ſubſidijs huc confluentibus in priſtinum ferè decus reſtitutam conſpicari liceret, in quam plurimis ab hinc annis tanta pecuniæ vis eſt illata, vt eæ res effici potuerint, quæ Romæ veterem potentiam, magnitudinemque operum facile conſequerentur. Mirari certè neceſſe eſt, cum tantus laudis campus pateat, cum magnitudinem animi multis in rebus principes comprobare poſſint, quorum tanta ſit apud omnes nationes authoritas. quibus reges parere gaudeant, quin ad hanc occaſionem excitati maximas res, ipſique in primis vt, tum vniuerſo Chriſtianorum generi profuturas animo concipientes, ſeſe ſimillimos Deo eximijs factis oſtendant. Quos viuentes vniuerſi laudibus in cælum ferant, fauſtis acclamationibus proſequentes, incolumitatem, ſalutem que eis optantes, defunctos veluti Deos colant, eorum memoriam cum admiratione repetentes. Quis autem non perſpicit quanta materia laudis conſequendæ propoſita ſit, cum multa hinc inde iacentia, pietatem, cha-

A ritatemque alicuius principis deſiderent, qui rerum reſtitutarum gloriam à cæteris neglectam
ſibi præripiat, quam curis inanibus, celeriterque extinguendis, ac perniciosis factis animos
implicantes, cæteri nèc ſenſu perceperunt, nec oculos in hanc meliorem partem conuerterunt,
quorum dum viuerent interitus ab omnibus expetebatur, defunctos contemnunt, execrantur.
Eum certè, qui celſæ huic religionis arci præſidet, conuenit eſſe, de quo prædicare
ſolent philoſophi πειθαρχεῖν τῷ νῷ obtemperare menti, & rationi, quem amore iuſtitiæ conflagrare
norint omnes, quam ijſdem illi aſſerunt, veſpertinum matutinumq; ſidus claritate ſuperare
οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος, ὅτω θαυμαστός. Neque Luciferum aiunt, neque veſperum tantopere admirabilem
eſſe. Romam igitur cum vetuſta religione, ac pietate, quam ſanguine ſuo illuſtres
animæ peperere nobis, reſlorentem, & ad cultum ornatumque priſcum reſtitutam aſpicere
cuperem, huc me demum multa colluſtrantem, veteresque ruinas animo verſantem, miſerantemque
cupiditas deduxit, vt aquam Virginem reuerſam in Vrbem, largiterque domos, ac
paradiſos, vt quondam, foraque influentem cernerem. Quam quidem meam cupiditatem,
ne vana, aut impoſſibilia affectaſſe viderer, non ipſa modo ratio, ac rei contemplatio, ſed item
experientia, & vſus, probataque oculis res, vehementius incendit. Omnium enim aquarum,
olim Romani patriæ ſuæ, ac publicæ vtilitatis amantes, induxerant in Vrbem, quibus urbs,
omnis, teſte Strabone, velut altero Tiberi largiſſime confluebat, vna hæc imprimis largior,
vberiorque omnibus, & ad hodiernam vrbem accommodatior, minori diſpendio reuocari
poſſet. Ortus autem huius aquæ, à Iulio Frontino, exitus ex arcu, paſſimque per Vrbem memorijs,
intelligi poteſt. De toto autem aquæ ductu diſcere licet, ſi per agrum Romanum ab ortu,
B atque exitu aquæ, veſtigia quæ nunc extant, & ſpiramenta in ſubterraneum aquæductum
deſcendentia ſecutus, totum aquæ iter oculis complectaris. Sed finis Aquæ Virginis nemini
non perſpicuus eſt, cum omnes qui campum Martium incolunt, quò nunc maxima pars Vrbis
deducta eſt, hauriant ex fonte, inciſique marmore tituli teſtentur, hanc eſſe aquam Virginem.
Eſtque porta Septorum, qua ſepiebatur, ſecludebarurq; campus Martius à reliqua Vrbe,
ad eius caput aqua tranſiens tum per campum Martium delapſa pomaria, lucos, necnon lacum
naumachiæ influebat. Hac porta tituli marmorei conſpicui teſtes ſunt inde tranſeuntis
aquę, cuius vetuſtare collapſos, Titus Claudius Germanicus Cæſar reſtituerit. Nicolaus etiā
Quintus memoriam facti ſui poſteris relinquens, inſcripſit marmori, quod omnes, qui haurirent,
proſpectarent ſeſe fontem Virginem ſuis expenſis reſtauraſſe. Siſtus autem ſuperioris
memoriæ Pontifex quod eius aquæductus detrimenta quædam ſarſiſſet, obtinuit vt à Poetis
ei caneretur.

Virgineam Triuij quod repararis aquam

Nemo igitur eſt, cui non ſit perſpicuum, Fontem Virginem eſſe, quem nunc vulgo vocant fontem
Triuij, quod tituli priſcorum Imperatorum, & recentium Pontificum teſtantur. Sed maxima
perturbatio, multiplexque inſcitia obiecta eſt, quòd ſi quis iter à campo Martio reflectat
manantis aquæ exordium ſcrutaturus, cum ſeſe in ſubterraneum iter mox aqua recondat, vix
mille paſſus egreſſis urbem ex puteis illis cognita, inde recedens ab oculis, nulliſque amplius
C indicijs perſpecta, quum etiam depreſsis uallibus occurrentibus, per quas in lucem prodire
opere arcuato eam oportuiſſet, nulla eius ueſtigia, nullos arcus, nulla omnino indicia cernas.
At Iulius Frontinus docet Octauo ab urbe milliario Aquam Virginem in agro Lucullano, in
locis paluſtribus uia Collatina concipi, tum totum iter aquæ explicans, maxima parte ſubſtructionibus,
aut ſpecubus ſubterraneis, nonnullis autem locis propter demiſsiores ualles, opere
arcuato, à cliuo ad alterum cliuum fluere monſtrauit. Sed cum multas iuxta eam uiam
aquas concipi uidens, nullas tamen hodierno tempore cernes, ſeu conſpicuis operis arcuati
ſtructuris, ſeu ſubrerranea foſſa ad vrbem delabi. Nec fortaſſe ad hanc vſque ætatem repertus
eſt, qui huc ingenium appuliſſet, cogitationemque exacuiſſet, vt cum in vrbe titulos marmoreos
ampliſſimos Virginis teſtes, ipſumque fluentem fontem habeamus, nullis tamen toto
Romano agro colluſtrato locis, Aquam virginem deſcriptam à Iulio, quę hodie influat in
vrbem depſehendamus. Tū controuerſiam quis diſſoluat, quænam ſit exigua illa aqua quæ hodie
ex Fonte virginis hauritur, cū Virgo, quam deſcripſit Iulius, non veniat ad Vrbem, & fons
ipſe hodiernus cum tenuis eſt, ut dixi, tum breue iter extra Vrbem uix ad mille paſſus progreditur?
Meo igitur opere, mea in hanc omnium gentium matrem, lucem orbis terrarum, pietate,
hoc omne patefactum eſt, (ſi quem Deus demittat è cælo, qui factum hoc immortale ſecutus,
æternnmq; ſuæ bonitatis in Vrbe teſtimonium relinquens, non leues illas Siſti, aut Nicolai
ſuper aquæductu minutias, ſed omne laudis tantæ corpus amplexus, totam ipſam aquam,
tot annis à mœnibus vrbis exulem, incredibile huic magnæ patriæ vtilitatem, commodumq;
allatu-

allaturus reuocet. Quis enim venerabili bonarum artium genitrici, omnium mortalium benefactrici, non omnia bona, omnem lucem, ornatumque cupiat? Itaque incredibili ſtudio (ferebar enim cupiditate inueniendi, quæ magno commodo clariſſimę terræ futura proſpicerem, incendendique ad hanc laudem, quos Deus ad eam deſtinaſſet) reperta mihi eſt omnis ab ipſis largiſſimis ſcatebris ad vrbem vſque per agrum Romanum vaganti, illaque ſpiracula ſequẽti, via non quidem nunc fluentis aquæ, ſed quæ felici priſcorum Romanorum ſæculo, forſan ad tempora Gottorum manabat in Vrbem, alluens, quemadmodum ſuperius docui, campum Martium, quem locum omnium toto orbe pulcherrimum, amęniſſimumque fuiſſe ſcripſit Strabo. Reperta eſt autem nec labore, nec tempore exiguo, cum omnis penè aquæductus ab origine ſit ſubterraneus, omniaque tanto temporis ſpacio vetuſtas miſcuerit in agris, vt cùm quatuor, aut ſeptem puteos introrſus iter aquæ monſtrantes repereris, hic neceſſario nullis amplius vel multa indagine repertis, neſcius quam in partem ſpiramentorum ordo procurrat, incępto deſiſtas. Sed quid non ſtudio, atque induſtria, opponat ſeſe difficultas omnis licet, mortales conſequuntur? Quo non aſpirat ardor, quem ſpeculando, mentemque exercendo ſemel concepiſſes? Recte priſcis dictum eſt, DEVS ADIVVAT FACIENTES. Itaque iuxta viam Prænestinam, & Collatinam ab vrbe ſeptimo, aut octauo milliario, in locis paluſtribus ſcatent vberrimi fontes, ijſque nuſquam in omni agro Romano pulchriores, aut largius, abundantiuſque in lucem exilientes. Atque ex propinquis montibus, vt par eſt, ea liquorum copia in hunc locum cogitur, vt omnia fontibus irrigua, largas vndique ſcaturigines manare cernas: vt recte ſcripſerit Iulius, locum eſſe paluſtrem, non quidem aqua ſegni, aut lacunis reſtagnantium aquarum, ſed multitudine, ac largitate gelidorum, ſalubriumque fontium. Ex his largus, ac perlucidus amnis coactus non procul inde recipitur Aniene, qui ex monte Tyburtino præcipitans, celeritatemque ruinæ vbique demonſtrans, ſeſe Tyberi miſcere paulo longius properat. Hanc celeritatem, atque hunc Anienis iuxta fontium horum ſcaturigines præcipitem curſum conſtat Romanis indicio fuiſſe poſſe fontes hos, licet accurrerent editi colles. Romam deduci, quod deiectioribus locis, depreſſiorque ſit Roma, nempe campus Martius, vt ad quam Anio cum Tyberi citatus fertur. Itaque opere Signino circumiecto, quod ſolidiſſimum, & ad continendas aquas aptiſſimum eſt, coactiſq; in vnum omnibus ſcatebris, atque his cliuis qui occurrerent, quorum plenus ager Romanus eſt, ſuffoſſi, at conuallibus circumacto ſemper per cliuos aquæductu vitatis, aut in his arcus attollentes, Romam in campum Martium, qui depreſſior locus eſſet, Roma autem in collibus habitaretur, aquam deduxerunt. Hæc veſtigia paſſim per agrum Romanum reperies, nunc videlicet tumulos effoſſos, quod ordo frequentium, & inter ſe propinquorum ſpiramentorum demonſtrat, quibus dum erueretur aquæductus, materiam effoſſam egerebant, deinceps autem ipſum aquæductum cum vſus poſceret expurgabant, aut in aliqua conualle, videas nunc integros arcus, nunc eorum fragmenta. Ab ipſis autem fontibus, quòd demiſſiore loco exprimuntur in lucem, continuo per colles obiectos ſpecus agere neceſſe fuit, ac longiſsime per ſubterraneum meatum iuxta viam Præneſtinam, & Collatinam aquam deducere. Inde tribus, aut quatuor paſſuum millibus propter hanc viam confectis, flectitur ad viam Tyburtinam, reditura ad Anienem, quem à principio itineris reliquiſſet. Hunc in magna conualle per arcus, qui ripæ fluminis imminet non procul à ponte Nomentano, prætergreſſa redit in viam Nomentanam eaque per effoſum collem traiecta, oblataque alia conualle atque arcus aſcendens, flectitur Romam verſus ad uiam Salariam, ſeu Collatinam, Pincianamue: Exinde uineta ingreſſa, ac ueluti cubito ad ortum, & meridiem ſeſe retorquens, occaſu, & ſeptentrione relicto, inter portam Flaminiam, ac Pincianam ſubit mœnia urbis ſemper meatu ſubterraneo, donec ad radices collis in campum Martium egreſſa ſuper portam Septorum fundit ſeſe per uicos urbis. Ipſæ igitur uiæ indices ſunt itineris. Operæ pretium autem eſt noſſe, quæ nunc in urbe ex fonte Virginis hauritur aqua, non eam eſſe, quæ locis paluſtribus ſeptimo ab urbe milliario, in agro Lucullano concipitur, authore Iulio: Sed cùm ipſe Frontinus in deſcriptione huius aquæ, aſſerat eam in illo ſubterraneo itinere multis acquiſitionibus creſcere, repertis ſcilicet dum aquæ ductus ſeruili manu effoderetur, nonnullis aquæ venis hiſque aſſociatis, hæ ſunt videlicet quę hodiernum fontem conficiunt vix mille paſſus extra Vrbem ortum habentes. Non eſt igitur hæc principalis, ampliſſimaque illa aqua, vberrimi illi, illuſtreſque latices, ſed tenues riuuli, non procul vrbe naſcentes. Ipſa quinetiam aquæductus magnitudo indicat, non riuulis illis fuiſſe paratum. Pleno autem alueo fluxiſſe docent currentis aquæ in pariete dextra, lęuaque impreſſa veſtigia. Cum igitur fons hodiernus ea tenuitate habitatoribus incredibilem alacritatem afferat, quid fore putes, ſi quantus eſt ad ſcaturigines afflueret? Medius fidius omnia fora, domos, palatia, hortos fontibus irrigua videremus. Ipſam planè Vrbem huius aquæ cõmodo reflorentem, ingenti ad eam

colonorum

A colonorum facta acceſſione ſpectaremus. Hos igitur admirandos, illuſtreſq; fontes eſſe aquam Virginem omnibus poetis, hiſtorijsque celebrem, cum totus aquæductus, quem indicibus ſpiramentis ſecuti veniemus ad vrbem, tum verò Frontini deſcriptio perſpicuè comprobat, quod plenus ſcaturiginum, quod paluſtris hodiernus locus, quod ſpacium ab vrbe ipſum eſt, & iuxta viam Præneſtinam, & Collatinam, quod iter aquæ totum penè ſubterraneum medijs effoſſis, penetratisque mōtibus, & quaſi eorum viſceribus adapertis, vt vix mille paſſus ſuper molibus arcuatis exeat in lucem, locis deiectioribus. Cumque ſpatium ab vrbe ad fontes recto itinere ad ſeptem millia paſſuum extendatur, propter inflexiones tamen aquæ quod Romani effodere mōtes, ac per aquam circumagere maluerunt, quam in vallibus arcus attollere, niſi neceſſariò cogeretur, efficitur vt hoc ſpatium ad alia milia ſeptem paſſuum augeatur. Hi fontes hodie vocantur Salones, omnibus notiſſimi, niſi quod ignotum erat hanc eſſe Aquam virginem, hos olim fontes in Vrbem ſolitos influere. Atque adeo res obſcura fuit, ut etiam illuſtres Romanæ curiæ viri, qui ad hanc aquam villas extruxerunt, inſcripſerint marmore, hanc eſſe aquam Appiam, quos apertè fefellit codex mendoſus Iulij Frontini, quo deſcribens aquam Appiam, dixit eam concipi via Præneſtina ſiniſtrorſus. Sed propter ſimilitudinem ſcriptionis ſiniſtrorſus, ac dexſtrorſus effectum eſt, vt de aqua Appia mendoſe ſiniſtrorſus ſcriberetur, quòd in alijs pleriſque fit. Sed docere illuſtres illos viros poterat reliqua pars deſcriptionis aquæ Appiæ, quam proſequitur Iulius, qua docuit caput huius aquæ eſſe ad Salinas, & ingredi vrbem per portam Capenam, ſiue Appiam. Quod iter tenere non poſſe fontes Salonis, quod ager Romanus ad eam partem, nempe ad præcipitantem Anienem, maxime deprimitur, nemini non perſpicuum eſt. B Exurgitque agri Romani dorſum ad ortum æquinoctialem portaſque orientales vrbis. Quo quidem aſſurgere minime Salonis aqua potuiſſet. Sed quid moror? nonne ipſi vulgo aqua Appia notiſſima eſt? vt quam veteris appellationis remanente veſtigio, vocant, Aqua d'Acio, quæ quidem eodem itinere quod Iulius docuit iuxta portam Appiam, ſiue Capenam prolapſa, demum viam Hoſtiēſem interſecans deuoluitur in Tiberim ſemper ad meridiem: at Virgo in occaſum, & Septentrionem. Ipſe quoque Virginis aquæductus conſpicuis illis viris index eſſe poterat, hanc Appiam eſſe non poſſe, quod eueſtigio iuxta fontes illos ingrediens terebratum collem, ac longiſſime per agrum Romanum circumacta tandem urbem influit in campo Martio, ubi marmorei tituli aquam Virginem demonſtrāt. Percepta igitur inſignis aquæ origine, deprehēſis, indicatisque egregijs fontibus, nec non eorum itinere cognito, ac quanta futura ſit vrbi ex aqua commoditas, omnibus perſpecto, iam certè perſpicuum eſt, quid laudis aſſecuturus ſit, quos titulos ſibi, trophæumque erecturus, cui mentem ad hæc aſpirabit Deus, magnum ſuę laudis architectum eum conſtituens. Ac quanquam animi magnitudo ex difficilibus reddit facillima, vt ſi qua etiam grauior occurrat hoc in opere difficultas, ea magnam mentem tanto commodo propoſito deterrere non debeat, attamen eadem nos prudentia, & rerum comprobatio quæ fontium originem, iter, & omnem huius rei naturam indicauit, docuit item nullam obſtare cauſam, quo minus iniuria temporum, grauiſſimarumque Italiæ calamitatum concurſu collapſam ſanctiſſimi facti memoriam reſtituamus, atque eam minus, quàm videatur, ſi nobiſcum cogitauerimus, labefactatā reparemus. Non enim proponitur nunc vt nouum aquæductum, C quod fortaſſe opes hodiernæ præſtare non poſſent, effodiamus, nō ex longinquis ſpacijs aquā ad vrbem euocamus, ſed expectantem noſtras, & ad ſe ſuos fontes implorantem reduci aſtare paratum, non magnas expenſas poſcentem, exiguo labore refici poſſe, inque eo omnia nobis fore procliuia prædicamus. Eſt integer totus, ſaxa illa, moleſque tumulorum, efforata eadem ſunt nullo labentis æui detrimento deleri, atque euerti potuerunt, idem collium ſitus, eadem locorum natura. Nihil ex priſtina conſuetudine ferè demutatum. Omnis enim aquæductus eſt ſubterraneus, nō ut reliqui in altam Romam excelſis fornicibus aquam traſportantes, quos ſenio, & Barbarorum iniurijs collapſos reficere noſtræ opes forſan non poſſent. At paucis locis cogemur duntaxat meatu infernè perpurgato, arcus reficere, quorum nunc etiam fundamenta extant, nonnunquam ſubſtructiones, quæ ſuperſunt redintegrare. Quæ omnis expenſa ipſis architectis authoribus, qui ad hæc viſenda, ſolerterque perpendenda ſæpius conuenere, vix ad quindecim millium aureorum ſummam accedit, ſi quis modò rectam ſecum rationem inire inſiſtat, ſecumque cogitet, quantus operarum numerus omni ſubterraneo meatu expurgando ſufficiat, aut quid reficiendi paucis illis arcubus pecuniarum debeatur. Oſtenſa quoque prudentibus, rerumque peritis ratio eſt eueſtigio recuperandarum expenſarum cum refecto aquæductu, redditaque Vrbi vberrima aqua, qui Romanis olim mos fuit, idque nonnullæ Italiæ vrbes retinent, vt aquæ volentibus in ſuas domos deducere venundentur, quod pretium longe multiplex inita ratione futurum eſt, quàm expenſæ reficiendi aquæductus. Tanta autem hæc aqua eſt, vniuerſam vrbem poſſit alluere velut amnis decurrens,

atque deprehenſum quoque architectorum ratione eſt vbi in Campo Martio ex ſpecubus illis D
prodit in lucem, cum locus is ſit ad radices collis, reliqua deinceps hodierna vrbs ſit plana per
totum campum Martium,reliquamque planiciem,in qua publicæ operæ fuerunt,templa,thea
tra,thermæ, vrbs autem in collibus habitaretur,hunc locum altiorem eſſe omni ipſa vrbe,vt du
ci poſſit aqua per omnem. Primum in foris vberes ſpectare fontes publiceque haurire licebit
ante portam Flaminiam, vrbem ingreſſis, tum per omnem ipſam viam ad forum ſancti Marci.
Tum in foro Pantheon, in campo Floræ, demum per omnem vrbem, omnibus illuſtrium vi-
rorum domibus exiliente aqua,Citriorumque lucos obeunte,non fontes ficticios,quorum iam
ingens copia Romæ eſſe cępit, ſed veros naturaleſque Latices fluere medijs in penetralibus
aſpiciemus: quo ſpectaculo, quid iucundius eſſe poſſit? Quis non laudibus in cælum feret, di-
uini muneris authorem, quando Nicolaus, & Siſtus ſibi immortales titulos excitari voluerunt,
ob leues neſcio quas huius aquæ ſarctas iacturas, idque non per totum aquæductum, ſed ad
caput tantum. Quis hodie virorum præpotentum eſt, quin ſibi intra palatium quibuſuis ex-
penſis paret hanc voluptatem, vt quando ſalientis aquæ, veroque riuo decurrentis facultas de-
negata eſt, eam ſimulatis fontibus ſcatentem,murmurantemque aſpiciat? Mitto veriora, ſoli-
daque commoda. Aqua venali ex Tiberi vtitur Roma ſalubri quidem illa, quod ex montibus
defluens, cruditates omnes multa ſpacia per ſaxa, harenamque deuoluta relinquit, aut quòd
ſulfureus Nar excoquens redigit reliquam aquam ad naturam mitiorem. At illi fontes ſaluber
rimi quoque ſunt ex vicinis montibus longa ſpacia prolabantes, æſtate, tactu gelidiſſimi, hye-
me calidiores, quod ſalubrium aquarum indicium eſt. At quanta lætitia erit, quæ rerum ex- E
optanda commutatio ab aqua venali, cuius ſæpe inopia eſt, quam ex longinquo flumine alla
tam, eamque ſæpius limoſam, ac turbidam emere, ac ſubito bibere cogimur, ventum eſſe ad
aquam omnibus expoſitam, ac paratam ad veros, vbereſque fontes, vnde omnes ad ſatieta-
tem hauriant, & commodè vtantur? Quid aliud hoc planè futurum eſt, quàm ipſam denuo
condere vrbem? At quæ nam fraus, aut inuidia nunquam non conatibus honeſtis inimica, diſ-
ſuadensque vtilia, nos deterreat ab incœptis, quibus proxime ad ſuperos accedamus, futuras
ſcilicet has intolerabiles impenſas, aut cum ſint inclyta, plenaque laudis, deijciat,ac deprimat,
non eſſe tanti, vt huc aduertere mentem principes deceat. Iterum itaque moneo debere nos
huc omnem cogitationem, vimque animi conferre, intentè perpendere, num vera ſint quæ
ſcribantur. An Reipub. tantopere interſit rationibus ſcribentis perſuaderi. An verè hæc ſit
aqua Virgo, atque his ex locis adueheretur vrbem, an extet antiquus aquæductus integer fe-
rè totus quippe ſubterraneus intra montium, ſaxorumque duritiem cuniculis actis, toſoque
ſuffoſſo. An is verus ſit virginis aquæductus, & an facile poſſit opus non magnis expenſis re-
ſtitui. Magnas autem dico, quæ ſuperent opes hodiernas. At ego contendo multa quotan-
nis ſolitos facere pontifices longe maioris impedij. Quòd ſi hæc refugiunt, ne quid detrimenti
publicum ærarium patiatur, at populum, quoniam totius vrbis hoc beneficium eſt, in ſingula
capita ad hoc opus concurrere iubeant. Nam neque multum erit quod à ſingulo exigatur.
Sed hæc mihi facillima videntur, ſi modo non deſit, aut ſuccumbat animus, qui ſæpe ad bona, F
laudataque frigeſcit. Nec ſubit virtutis imago. Paucos enim euexit ad æthera. Hoc me qui-
dem omni ſpe deſtitutum ægritudine conficit deuium iter noſtrum, ſecluſumque a conſortio
Deorum aſpicientem,in cęlumque auolaſſe,quæ terras aſpectu iucundiſsimo ſolari conſueſſet,
& crudelem inter algores,noctemque profundam nos deſeruiſſe, vt nouem exulare ſorores om
nique aditu prohiberi videremus. At erit cum reflorentem vrbem, cum ver antiquũ rediſſe lę
tabimur. Nulla noſtros oculos res exoptata diffugiet, excuſſaque hyeme terris irradians no-
uus ardos afflabit. Et Charites manibus ſpargent lilia plenis. Quæ igitur, vt ad lymphas re-
deam,tam abiecta Italiæ vrbs eſt, (nam ſæpe parua magnis, ut ille inquit, rectè conferuntur,)
quæ non etiam difficili tranſitu fontes ſeu flumina ad ſe deduxerit? Aliæ ſaxa inter ardua, &
ſcropulos, præruptas, aſperaſque rupes, iter fontibus aperientes, nullis ſumptibus parcentes,
quale Iguuij patriæ meæ aquæductum ſuſpiciendo obſtupeſces, aut Peruſiæ longiſsimè pe-
titam,& ex alto monte in infimas valles tubis plumbeis ruentem,hinc tantundem in alterũ col
lem reſurgentem,forumq; vrbis,quod altiſsimo in loco eſt, aſcendentem aquam aſpicies.Quæ
quidem, & magna fuit audacia,& non credendis ſumptibus exacta.Brixia Cenomanorũ vrbs,
tantum fructum ex aquæductu in eam procul deducto percipit, vt nemini non liceat, vel pri-
uato,ac plebio emptam aquam deducere in atrium, pomarium,omnemq; domum. Quid cæte
ras vrbes memorẽ res omnium oculis expoſitas explicans? Solane regina orbis, principũ incu-
ria,ſuis in perpetuũ commodis ornamentiſq; carebit? Non redibit, quæ facile redire poſsit, ad
eam vetus pulchritudo? Quid autem ipſi principes morantur,an dum eos manibus prenſantes
ad ipſas ſcaturigines per totum aquæductum,ad poſtremos in vrbe puteos,ac ſpiramẽta dedu-
camus,

A camus, eiſque dextra protenſa effoſſos colles, uiamque ſectam intra ſupercilia, & interiorem
laticis meatum oſtendentes, non fabuloſa, atque arbitraria, ſed maxime probata nos referre doceamus?
Iterum edico oportere exhaurire aquæductum, terra, rebuſque aliis egeſtis longo tempore
eo deuolutis, ex quo uidelicet efferatur ad ipſos fontes aquæductu, ſiliginoq; opere deleto
quo latices cogebantur, qui mox ſemitam illam ſubterraneam ſubibant, delapſi per planum ad
Anienem redierunt relicto itinere ad Vrbem, ipſe autem interior meatus inde procurrens uacuus
aqua media ſecat iuga, frequenti puteorum ordine ſupernè perſpectus, quos ſecutus, primum
in uiam Præneſtinam ingredieris, eos ſemper habens à læua multis caprificis ad fauces
enatis, ſed cum ad Vrbem propius acceſſeris, oblata ingenti ualle flectit iter à uia Præneſtina
uerſus uiam ſeptentrionem per agros, donec tranſgreſſus uiam Tyburtinam, ſemper in ſeptentrionem
uerſus Anienem deſcendit. Hoc autem in flexo itinere progreditur, quod ualles obſtabant,
ac præſtare Romanis uiſum eſt per tofum inciſum, per ſpecus, aut cuniculos longiſſimè
pertinentes quam opere arcuato, niſi cum neceſſitas compelleret, aquam ducere, cum in eo minores
ſumptus fierent. Nam extruendo opere arcuato, calce, ſabulo, lateribus, tum ædificandi
peritos adhibere opus erat, at effodiendis tumulis, ſeruorum multitudine res expediebatur. Fit
quidem ut nonnullis locis cognitionem, indiciaque aquæductus amittas, neſciuſque per agros
circumuagari cogaris, ueluti ſi quis uenationi inſiſtat, ſed demum redit in lucem ſpiramentorum
ordo. Quorum pleraque agricolæ feruntur obſtruxiſſe propter crebros iumentorum caſus.
Omnis autem hæc ſpiramentorum uia, facile perſpicietur, nullaque amplius obſcuritas
B ſcrutantibus offeretur ſi ſubeuntes operæ meatum aquæ perpurgando detexerint, iterque ante
oculos apertum, expeditumque ad urbem uſque tenere cęperint. Fieri autem id prædicant
oportere non æſtate, propter algores interius à ſuperno calore refugientes hominibus intolerabiles.
Hyeme autem ob diuerſam cauſam ſupernum frigus, ut in puteis, fontibuſq; fit, natura
li calore non ferente calet intimus meatus. Supereſt igitur, ut ſi cui noſtra ætate rem maximi
commodi edendo ſeſe celebrem, & quod caput eſt, gratum, acceptumque ſuperis reddere propoſitum
fuerit, huicque rei omnibus modis ſtudendum ſibi perſuaſerit: ſupereſt inquam vt tãtæ
laudis comparandæ occaſionem elabi non ſinat, neu diutius amiſſorum fontium incommodum
veteraſcere, aut hanc aboleri memoriam patiatur, ipſumque aquæductum, qui tametſi
nonnullis iniurijs acceptis, effringi tamen, euertique non potuit, ſaltem ne ſenio, ac deſuetudine
fatiſcens, funditúſque labefactatum amittamus, vt nulla poſthac hominum memoria poſſit
reſtitui. Quam quidem iacturam haud inuitus fatear, futuram non mediocrem vrbis calamitatem.
Et quoniam ea temporum alacritas tenebris abactis, renidere iam cępit, vt in dies
vrbs ex fędiſſimis miſerijs, quibus eſſet obruta, paulatim reſurgat. Iam enim ſeditioſorum ciuium,
qui quotidianis eam cladibus deuaſtabant, furor compreſſus eſt. Iam publicis viis, aut
in ſyluis inſidiari ſoliti latrones è medio ſublati ſunt, quorum teterrima importunitas infeſta
omnia itinera reddiderat, ipſa autem eorum latibula, denſiſſima nemora penitus patuere, omniaque
in agris aperiri cęperunt. Iam hi, qui ei nihil non iniuriarum ad omne tempus inferre
C parati eſſent, longius ſubmoti ſunt. In dies autem domicilijs, viarum pulchritudine, tectorum
venuſtate, ad priſtinam magnificentiam illuſtratur, fitque maior ad eam colonorum concurſus,
tempus quoque poſceret, vt hæc quoque redditi fontis felicitas cæteris ad eam redeuntibus
gratijs adderetur.

FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sancti Saluatoris.

Pro Religione Chriſtiana aduerſus Lutheranos, quo in opere hæc continentur.

Explicatio & Deſcriptio totius hæreſeos.

Cauſæ a quibus ſit profecta.

De vnitate religionis ab vno capite.

De duplici cultu, ſiue duplici religione, ideſt interiore, & exteriore.

De his, ex quibus exterior conſtat religio.

De cultu Dei ex hymnis, & laudibus in eum.

De cultu Dei ex confeſsione.

De cultu Dei ex abſtinentia, a voluptatibus.

De cultu Dei per imagines.

Quibus addita eſt eiuſdem præclariſsima ad Eraſmum reſponſio, in qua falsò ſibi obiecta crimina diluit.

REVERENDISSIMO DOMINO
D. ALEXANDRO FARNESIO
EPISCOPO HOSTIENSI, AC PRIMO CARDINALI,

AVGVSTINVS STEVCHVS EVGVBINVS
EPISCOPVS KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARIVS,
Canonicus Regularis, Congregationis Sancti Saluatoris,

S. P. D.

Cogitanti mihi ampliſsime Pater, ac præterita tempora cum noſtris conferenti, illa prope beata, hæc autem miſerrima ſemper videri ſolent. Nam vt omittam quantum omnium Chriſtianarum gentium mores deprauati ſint, quàm vetus pietas conciderit, quis ſine lachrymis aut cogitare, aut referre poſsit, quas clades hoc tempore omne genus chriſtianum ſit perpeſſum? Neq; vero ad luctum tam mala corporis, quæ & ipſa maxima fuerunt, commouent, quàm animi, e quib. incommoda corporis ſoleant proficiſci. In his primum habere locum facilè crediderim peſtem Lutheranam, quam qui diffinire velit, non alio modo diffiniat, quàm contemptum pietatis, ruinam atq; occaſum, ſiue oppugnationem religionis. Hoc enim in moribus ac vita multorum eam peſtem ſequentium animaduertimus, qui religionem nihil aliud eſſe putant, quàm vt Epicurus dicere ſolebat, iugum ac moleſtiam humanæ vitæ. Itaq; hanc opinionem ſi quis recte perpendat, omnium impietatum fontem inueniet fuiſſe. In quo non tam præſentium ſcelerum, ſed futurorum multo maiorum vis inſit. Venietq; dies niſi Deus opituletur, cum ſuperſtructis huic veluti fundamento, multo grauioribus malis, omni pietate cultuq; diuino genus humanum remaneat deſtitutum. Heu igitur ſortem infandam noſtrorum temporum, quando & grauiſsimis bellis exagitati, peſtilentia confecti, obſeſsi fame fuimus, animi autem peſsimis opinionibus ſunt corrupti. Quod eo quoque eſt acerbius, quòd cum manifeſtam ante oculos ruinam habeamus, pauci ab erroribus reſipiſcant, nec ſuperioris vitæ curſum immutent, ſed pertinaces hæreant eodem, & quod dictu quoque miſerius eſt, addamus ad priora mala ſemper aliquid, nec intelligamus hoc ipſum hęreſes & ſuſcitare atque alere. Cum nulla ſit alia earum deſtruendarum ratio, quàm optimum ac vere Chriſtianum vitæ genus, In ſacerdotibus vero ſi pariter cum modeſtia, recondita quoque ac vetus eſſet eruditio, hæ & aliæ huiuſcemodi peſtes facile poſſent aut minui, aut ſopiri. Sed raro inuenias vtrunque, quòd alij malis litteris, alij penitus nullis dediti ſunt. Atque a principibus aiunt nonnulli hoc malum proficiſci, quòd eorum admodum pauci aut philoſophentur, aut faueant philoſophiæ. Hincq; aiunt eos facilius maledictis Lutheranorum, aliorumq; patuiſſe, quibus ſoleant inſcitiam præcipue ac ſoccordiam obijcere. Quæ culpa tantum abeſt a te Præſul Ampliſsime, vt magnam ante omnes laudem promerearis, quòd & a pueris omni litterarum generi deditus fuiſti, & ea tua eſt humanitas, ea pietas, vt vnus omnibus exemplo eſſe poſsis, quem imitentur multi, aſſequantur pauci. Scripſi igitur quædam non ex profeſſo contra Lutherum, ſed contra eos qui aut eadem opinentur, quæ & ille, aut opinari poſsint. Neque vero omnia quibus hæreſis illa conſtat complecti voluimus, quòd non adeo ſit neceſſarium propter magnam eorum qui eam redarguerunt multitudinem, ſed communiora tantum, & quæ ad omnes prope gentes pertineant attigimus. Neque etiam me hoc opere, quiſquam putet vniuerſam Germaniam voluiſſe reprehendere, in qua vt ſemper olim, ſic nunc optimi ac doctiſsimi florent Chriſtiani, ſed eos tantum, qui ibi nati diſsimiles bonis atq; maioribus ſuis eſſe voluerunt. Quod opus qualecunque eſt tibi ſapientiſsime Antiſtes inſcribitur, vt meæ erga te pietatis ſit perpetuum monimentum. Vale.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sancti Saluatoris.

ADVERSVS LVTHERANOS,

Liber Primus.

Quo prauitas illius Hæreſeos explicatur.

SI quis omnium temporum caſus, ex quo condita eſt chriſtiana religio, ſecum prudenter perpenderit, omnemque ab eius origine progreſſum, hæreſeſque, atque clades, quæ ex hæreſibus acciderunt euoluerit, nihil accidiſſe peruerſius, & ad deſtruendam veritatem, veramq; pietatem accommodatius inueniet, ea hæreſi, quæ Lutheri quidem appellari meruit, ſed cuius non ille ſolus author fuerit. Sed quia is, & apertius, quam reliqui, & barbarica quadam immanitate percitus, eam ſuſcepit, defendit, & auxit, omnem ſibi eius repertæ authoritatem vſurpauit. Huius eo fuit crudelius, & efficacius detrimentum, quo ſub prætextu tollendarum ſuperſtitionum, quæ ad Chriſtianam religionem iam longo tempore adhæſiſſent, tacita nullumque de ſua malignitate præbens indicium irrepſit, quouſq; lachrymoſiſſimas, & funeſtiſſimas animorum, & corporum ſtrages dediſſe cognita eſt. Neque enim animis ſolum attulit teterrimam labem, ſed infinita propemodum homicidia ea tanquã ſæuiſſima Erynni concitante, perpetrata ſunt. Ex hac diſſidia totius humani generis proruperunt bella quoque, & vrbium, multarumq; gentium excidia, & infinita ſanguinis humani effuſio. Adulteria, & fornicationes, ſacrilegia, & inceſtus veluti leuiora prætereo, nec commemoro quantam omni lumini caliginem offuderit, quam omnes leges reſciderit, quam deformarit formoſiſſima, quam optima reddiderit peſſima, Et quos à ſuperſtitione ſe liberare promiſerat, quam omni religione ſpoliarit, & ad extremam impietatem protraxerit. Hoc enim habuit iſta fœdiſſima, & ſine dubio peſtilentiſſima factio, vt quæ per totum orbem chriſtianum famam vulgaſſet purgandæ à ſuperſtitione pietatis, fidemque omnibus hominibus fecerat id vnum ſe agere, vt ſcelera, & vitia corrigerentur, emendarentur prauitates, ineſcatum ea promiſſione genus humanum, & à religione remouerit, & peſſimis erroribus imbuerit, quod à nobis non ſine multis lachrymis refertur. Iam enim per iſtos effectum eſt: vt Chriſtum credere crucifixum pene ſuperſtitio ſit, neque tam ſanctum ſit quicquam, quod non ſuperſtitionis labe pollutum cenſeatur. Sicque & fugata eſt religio, & impietati totus patuit locus. Neque imperitiſsimorum eſt apud eos quiſquam, cui non ludibrio ſit chriſtiana religio, eam potius ſuperſtitionem appellanti. Iamq; piſtoribus, agricolis, nautis, & omni hominum colluuie in res ſacras dicteria, & cauilla dictitantur, contemnuntur fana, altaria negliguntur, ritus, cęremoniæ, conſuetudines, omnia dicuntur. Tantaq; fuit authorum huius hæreſeos impietas,

vt ſędiſvt fędiſſime, ac ſceleratiſſime in exitium religionis mentiri non erubuerint, cum omnia dicunt quæſtus gratia fuiſſe reperta, cum vetuſtatem ſubtrahunt, nouaq; eſſe mentiuntur. Et quo non prouexit eos Erynnis? Quo furor non animauit? Non vocauit audacia? Quid crudelitatis in eorum pectore eſt derelictum, quod non euomuerint? Quem lacerandi, atque maledicẽdi locum intactum omiſerunt? Quæ aræ, Qui foci, quæ ſanctitas non eſt eorum maledictis profanata? Quas litteras præterea tum ſanctas, tum alienas non euerterunt, quas in ſua placita torquerent? Vidimus earum rerum exempla nuper in Italia, & quod eorum præceptores ſcribendo feciſſent, factum eſſe re ab imperitis eius factionis, cognouimus. Vidimus inquam beſtias ſanguinarias, & quas vera pietas lenire quondam potuerat, nunc erroribus imbutas, priſtina pietate nudatas, ad priorem crudelitatem, & quidem maiorem reuerſas, omnibus feris ſeuiores, ſed in templa præcipue, in religionem, in omnem, quam a Deo, & a veteribus accepimus ſanctitatem. Nec iniuria quidem. Vt enim pietate efficimur mites, atque humani, omnique morum barbarie exuimur, Sic rapimur in contrarium ab impietate. Atque eam omnium corruptorum dogmatum naturam, vimque fuiſſe ſcimus, quod qui ea fuiſſent amplexi, in omne flagitium breui prolapſi fuerint, ſuaq; placita & armis, & facibus, ac ſaxis defenſarint, & qui contraria ſentirent aggreſsi ferro violenter fuerint. Cum vera pietas contra, & ad manſuetudinem nos cohortetur, & iubeat, ſi quis opinionibus noſtris repugnet, nullam propterea vim inferre, ſed benigne, atque humane, quæ veritas ſit exponere. Sed quid iſtorum admiramur crudelitatem, cum in alia innumera flagitia hæreſi concitata, deuenerint? Admirari deſinemus ſi Arrianorum, ſi Manichæorum, aliorumq; hæreſes perſpexerimus, quarũ perditæ ac deploratæ opiniones in eorum rebus gerendis cernebantur, qui eas ſequerentur. Hæc igitur hæreſis eo fuit omnibus crudelior, & in omni genere calamitatum fęcundior, quod, cum eſſet peſtilentiſſima, nihil tamen indicij dedit in principio, ſed Chriſtianorũ principum: Pontificum, Cardinalium, atque Epiſcoporum, monachorumq; errores, & peccata emendare pollicita, fecit ſe hac promiſsione probabilem, aperuitq; ſibi omnium ad aures aditum, Nullum errorem, nullam impietatem, nihil peſtilens præſeferebat, ſed humanitatem, ſed commiſerationem, quod in tantis peccatis verſaremur omnes. Hac pollicitatione allexit maxime imperitos, omnemq; plebem, quippe quibus ſemper infenſa fuerit religio, & eccleſiaſticorum peccata plurima viderent, & inuiderent eorum opibus. Itaque nihil potuit eorum auribus fieri gratius, quam ſi eorum damnari vitam audirent, quos peccantes eſſe non ignorarent, & in eorum taxandis moribus, atque accuſandis delectabiliter verſarentur. Exoſculati ſunt omnes, tandemq; cœlitus veniſſe ferebant, qui Chriſtianorum vulnera curaret, rempub. noſtram in priſtinum decorem reſtitueret, ſublatis multis ſuperſtitionibus, quas, aut hominũ imperitia, aut quæſtus auiditas (vt ipſi prædicabant) attuliſſet. Hæc fuit prima huius hæreſeos oſtentatio. Illius igitur principes, ſiue ſua imperitia ſiue (quod eſt veriſimilius) ſua impietate potius hanc profeſsionem aggreſsi, admouerunt arbori ſecurim, & vt, quod optabant conſequerentur, radices ipſas amputare cęperunt, & qui lolium ſe purgaturos fuiſſent profeſsi, triticum pariter euulſerunt. Cęperunt autem a prioribus, quibus veluti fundamentis reliqua niterentur, primumq; caput ipſum religionis petierunt: in quo cęterorum membrorum vigor, & robur contineretur, Huc ſuæ nefariæ impugnationis arietem intorſerunt. Huc omnia Diaboli iacula, omnem apparatum bellicum contulerunt, arbitrati ſi poſſent illud proſternere, reliqua ſine dubio ruitura, conſeruaturoſq; ſe vt deiecto paſtore, omnis ad oues ſibi, ceu lupis aditus pateret: impuneq; graſſari liceret. qua expectatione ne fruſtrati quidem fuiſſent, niſi eorum profana mens cognita celeriter fuiſſet, & auxilium cęlitus attuliſſet Deus. Itaque authoritatem adimere ipſi capiti cęperunt, eam neque a Deo profectam oſtendentes, neque confirmatam, & collaudatam ab Imperatoribus omnem hiſtoriam corrumpẽtes, ac violentiſsime in ſuas opiniones nihil non trahentes, ſummouentes autem vel artificioſe occultantes, quæ illorum prauitati aduerſarentur: aut parum quadrarent. Neque ſatis certum eſt, an commiſeranda eorum in ea re impietas, vel ſtultitia potius ridenda ſit, qui ſuos errores probabiles facere conati, ex cauſis, neque congruis, neque vlla parte veriſimilibus id fecerunt. Et poſthabitis veterrimis monimentis, ſordidos quoſdam, & recentes ſcriptores amplexi ſint. Sed hæc poſtea. Poſt hunc conatum, vtcunque illis ſucceſsiſſet, reliquos ordines aggreſsi ſunt, anſam ſemper ſumentes ex peccatis noſtris, vt quia male diuinis inſtitutis, & legibus vteremur, probarent ex eo peſsime leges ſancitas fuiſſe, abolendumq; eſſe quicquid optimi, ac ſanctiſsimi viri condidiſſent: immo quod condidiſſet Deus, quia nos praue viueremus, & parum quę fuiſſemus profeſsi, adimpleremus. In qua re licet eorum admirari crudelitatem, Vt enim religionem euerterent, eamq; apud multitudinem infamẽ redderent, quicquid delinquitur apud monachos, & religioſos, id in exemplum aſſumpſerunt, & quod immanitati, & barbarie illorum

rum erat conſentaneum, maledictis etiam amplificauerunt. Nullum probrum, Nullam calumniam omittentes, quam non intorquerent. Expertique eorum mores ſumus, qui, vt in agendo crudeliſſimi ſunt, & præcipiti furore ad cędes, ad incendia, leuiſſima de cauſa rapiuntur, Sic ſcribendo crudelitatem, & ſæuitiam, ac barbariem exercent. O genus hominum immane, omnique humanitate, & pietate deſtitutum. Cur cum religioſæ vitæ infamiam producere conarentur, cur inquam tot bona tacuerunt, quæ ex ea, & profecta ſunt, & ſingulis diebus proficiſci noſcuutur? Vbi enim veteris modeſtiæ, chriſtianæq; vitæ forma remanſit? Vbi virtutes exercentur, ac vigent tanto tempore? iuſtitia ſcilicet, innocentia, modeſtia, caſtitas, creberrimæ orationes, aſſiduaq; ieiunia, quæ tanto in pretio apud veteres habebantur? Obijcient mihi ſcio, (qui eſt improborum mos) ſcelera paucorum, atque ex his colligent totum genus eſſe profanum. Neq; genus ſolum, verum etiam ipſa inſtituta, ipſas leges, ipſam ſanctitatem, quo quid deteſtabilius dici poteſt? Ac ſicut apud barbaras nationes fit, vt cum quis peccauerit, in vltionem totam domum extinguat, ædes etiam incendant, ſic etiam iſti venerabiles Germaniæ præceptores, propter improbos aliquot, infinitum optimorum virorum numerum ſub eandem impietatis cenſuram barbarice traxerunt: eandemq; petulantiam in omnes exercuerunt. In eos inquam, qui eis pietate, & omni virtutum genere longe præſtarent. At peccatur in his cœtibus. Quis neget? Vtinamq; eſſemus veterum illorum ſimiles: aut ab eorum inſtitutis non receſſiſſemus potius, a quibus & noſtra culpa plurimum abſumus: & natura eſt quoque comparatum, vt omnia orta aliquando occidant, & legum obſeruandarum feruor paulatim extinguatur, & primi, atque medij, & nouiſſimi, maximeq ſint virtutibus diſſimiles. Idq; eſt commune omnium humanarum rerum vitium. Tam vita monachorum hoc paſſa eſt, quam tota in vniuerſum chriſtiana reſpub. Optimi quoque cuiuſq; gentis mores eadem ratione immutati ſunt. Sed num propterea vera ſunt quæ furibundi illi iactitant? plurimum abeſt. Suam potius barbariem, ſuam feritatem ſecuti, virus euomuerunt, dentes ſanguinarios deuorandiq; auidiſſimos infixerunt. Odiumque, quod ex priuatis inimicitijs contraxerant, inhumaniſſime proſecuti ſunt. Et tandiu perdurauit, quandiu eius incendio illi conflagrarunt. Vitam igitur monachorum aggreſſi, eam varia, ac multiplici petulantia dilacerarunt: In moribus, habitu, inſtitutis. In moribus luxuriam, ſocordiam, ingluuiem notabant, in hæc peſſimis, & barbara crudelitate digniſſimis contumelijs ſunt inuecti, nulla falſa, & improba calumnia prætermiſſa, quaſi alieni ab his ſceleribus ipſi eſſent. In habitu vero tantam varietatem ſtomachati ſunt. O ſapientiſſimam gentem: & cui omnia tempora ſeſe accommodare debuerint: vt religionum repertores, qui varijs temporibus nati ſunt, perſpicere, quę tam monſtroſis ingenijs quadrarent, debuerint. quaſi in tanta temporum, & inuentorum diuerſitate, res aliter cadere potuerit, & religionis, ac pietatis Chriſtianæ veritas inde pendeat, aut offendatur aliquo modo ea varietate. Non hoc pietati attulit exitium, ſed eorum propagandi nominis libido, eorum ſuperbia, eorum iactantia, eorum infinita, & prodigioſa peruerſitas. Hæc orbem chriſtianum miſerabiliter perturbauit, homines adeo diuulſit, & eos a ſe inuicem. Hæc fecit vt templa, aræ, foci, quæq; ſancta etiam apud gentes habita ſunt, non modo non venerationi fuerint, ſed abominationi, quia ab his orbis terrarum impijs euerſoribus, ſuperſtitioſa huiuſmodi eſſe dicta ſunt. Per omnes terrarum partes diabolica ſcripta miſerunt, iactantes nihil in his eſſe pietatis, ſed ſuperſtitionem cuncta repeririſſe. Neque minus deiecta, & profanata ſunt hæc his temporibus, quam Iuliano apoſtata imperante: ſed ex varijs cauſis, varioq; prætextu: illo aperte chriſtianos execrante, his ſub habitu chriſtianorum, chriſtianam pietatem euertentibus. Eoq; facilius, quæ moliebantur perfecerunt, cum poſt tot tantaq; ſacrilegia multis adhuc ſit perſuaſum, eos non eſſe malos. Hæc eorum peruerſitas fecit, vt infinitus pene illorum numerus qni ſuam caſtitatem Deo vouiſſent, eamq; promiſſionem ſacramento confirmaſſent, ab his hominibus perſuaſi, vel peruerſi potius, ruptis violatiſq; fęderibus, in omnem incęſtum proruperint. Vid[illegible]; mirabiles orbis terrarum præceptores, qui nunc vitam monachorum velut incęſtam infamantes, vt omnes ab ea ſuſcipienda abſterrerent, nunc eorum caſtitatem impetentes, quaſi iure ſeruare non poſſent, omnibus modis dediſſe operam coniuncti ſunt, vt ſanctiſſimum vitæ genus perſtringerent. Ad hæc etiam laicos incenderunt, diuitias eis, atque opulentiam eccleſiarum oſtendentes, eripiendaſq; ex eorum manibus prædicantes. Ex quo miſerabiles tumultus, & cædes infinitę, & peſſimę diſcordię conſecutę ſunt. Id quod eorum pręceptor Diabolus optabat ac ſitiebat maxime, qui noſtris ſeditionibus veluti ſuauiſſimo pabulo paſcitur, finemque omnium votorum, omnium machinarum, molitionumque præſtituit: vt charitatem, & amicitias diſſoluat, quod ex eo cunctas miſerias intelligit manare. Quam rem per iſtos, præter omnes hæreticos conſecutus eſt. Eadem ratione impetebant Deo ſacratas virgines, eas ad matrimonia multis rationibus vocantes, quod neque iure, neque naturaliter virginitatem ſeruare poſſent. Iure quidem, quod ex ea re ſterilitas conſequeretur, quæ humano generi perniciem afferret. Naturaliter vero, quod id fieret etiam repugnante natura: ideo ſumma cum difficultate, atque id paucis daretur aſſequi. Ac corporis etiam ex eo morbi prouenirent. Hæ rationes multis placuerunt, quippe quæ ad voluptates, quas ſuapte natura quiſque appetit, vocabant. Ex eo & fędera cum Deo pacta multæ ruperunt, & aliæ quæ permanſiſſent, pudoris & continentiæ habenas relaxarunt. Hæc diabolus per iſtos adeptus eſt. Sed vt omnia inter ſe probe conſentirent, ac nuſquam tartareæ furiæ non a Diabolo miſſæ viderentur, factis quaſi primis gradibus, & ad animos iam omni aditu impetrato, ad ea quæ propoſuerant proceſſerunt. Poſtquam enim abunde omnem, quo religio ſuſtinetur ordinem, triſti atque abominabili fama defędaſſent, ad diuos ipſos veniendum ſtatuerunt, eos non aperte quidem oblatrantes, Sed ita caute, vt neque ipſi viderentur impij, neque maieſtas illa tamen non infringeretur. Primumq́ue ea diruere aggreſſi ſunt, quæ aut Deo conciliant homines, aut diſiunctos reuocant in gratiam, orationes ſcilicet, ac pęnitentiam, quam confeſſionem dicunt. Neque vllæ tam duræ, & inhumanæ aures ſunt, & audiendis rebus iniquiſſimis tam attritæ, quæ non abominaturæ, ac deteſtaturæ ſint ea, quæ ex illa teterrima hominum cloaca verborum fęditas effundebatur. Halitum peſtilentiſſimum cum oratione peſtilenti commiſtum, quo tanquam draco ille, homines furioſi Deum in rebus ſuis appetebant. Dij immortales, quas contumelias, Quæ probra in ſanctos pſalmos atque hymnos, omnemq́ue orationem, quam a vetuſtiſsimis accepimus iactarunt? Quam ea deriſerunt? Quibus nominibus appellarunt? Quis audiendo non exhorreat? Confeſsionem vero quantis, quibusve probris inſecuti ſunt? Immo quibus calumnijs, atque impijs mendacijs? Animaduertite quæſo viri Chriſtiani furorem barbaricum. Omnium, quæ vel a Deo, vel ab hominibus Deo quamproximis inſtituta reperta ſunt, nihil ad hominum ſalutem accommodatius, ad ſcelera expianda, eademq; rurſum non admittenda ſalutarius præcipi potuit, quam vt ſacerdotibus, modo probis, peccata exponerentur. Ex quo & crimina expiantur, & nemo eſt, qui non ſummam vtilitatem ex ſacerdote reportet, dum multis rationibus ad bene viuendum inducitur. Scelerum quanta ſit magnitudo edocetur, dum inter peccata quid interſit, eruditur, & in his, quæ neſciendo perpetrarat, in poſterum ne labatur, fit prudentior. Quæ odia. Quæ inimicitiæ non deponuntur, cum eo ventum fuerit? Quis porro non diligentius abſtinet a peccatis, cum intelligit homini ſua eſſe pandenda peccata? Quis ex ea confeſsione non efficitur clementior, ad pietatem propenſior, ad eleemoſynam, ideſt miſericordiam effuſior? Cui non accedit vitiorum maius odium? Maior in Deum pietas? Procliuior, ac coniunctior in hominem charitas? Quot porro fuerunt, qui cum aliena inuaſiſſent, eaq́ue multis annis apud ſe defoſſa tenuiſſent, reddere per confeſsionem coacti ſint? Quantum auri pondus ſingulis annis apud optimos ſacerdotes deponitur, quod clam reſtituant, quibus fuiſſet ſublatum? At vero iſtæ furiæ, diabolicæq́ue Harpyæ, quarum contactu tota eſt fędata religio, qui ſanctitatem omnibus modis vexarunt, turpiſsimeq; affecerunt, quo aſtu, quibus technis, tam ſalutare inſtitutum hominibus adimere conati ſunt? Primum negarunt eſſe vetus inſtitutum, & a priſcis chriſtianæ religionis authoribus repertum, repertum autem ſuperioribus annis. Non fuiſſe præterea eius reperiendi vllam honeſtam cauſam, ſed auaritiam ſacerdotum, qui retia quaſi vbique tetendiſſent, quibus pecunias caperent. Itaque permultis etiam, quæ dixiſſent veri quamſimillima viſa ſunt, abieceruntque ſalutarem illam expiationem. Sic illa orbis chriſtiani portenta omnia deuaſtabant, pectoraq; religione vacua reddebant. Tu vero Deus optime, atque maxime, cuius mens per omnem, & priorem, & poſteriorem æternitatem porrigitur: qui tempora, qui mores, qui omnem & veritatem & falſitatem optime noſti: Tu inquam, huius ſceleratæ hæreſeos interitu, quæ in exitium tuæ religionis coniurauit, eorum impia maledicta, ſæuaſque calumnias falſas oſtende. Et qui tuam religionem tam inhumaniter acceperunt, tot inſidijs circumuentam pene oppreſſerunt, qui hominibus chriſtianis impijſsimæ falſitatis præceptores fuerunt; conuerſa illa funeſta clade, quam cæteris moliti ſunt, in eorum caput, doce num tu, tuique ſacerdotes, auaritia impellente, inſtituta ſanctiſsima condiderint. Et qui Arrium digna ſuis flagitijs, ac mendacijs morte multaſti, ſic ora nefanda mentita cœlitus oſtende. Sed ad eorum prauitates reuertor. Id fuit clariſsimum malignitatis eorum teſtimonium, cum ſacerdotum auaritia repertam confeſsionem dixerunt, id quod paulo poſt addiderunt. Mox enim, & arbitrio ademerunt libertatem, & quod prius natura, & Deo docente liberum arbitrium vocabatur, ij cęperunt vocare ſeruum arbitrium. Vt ablata, & benefaciendi, & peccandi libertate, oſtenderent, neque peccatorum pęnas eſſe luendas, quia inuiti, & contra arbitrium peccaremus, neque benefactorum fore vlla merita, quia non de noſtra voluntate fluxiſſent. Atque ita duplici ruina pietatem impetebant, eius interitum ſitientes ſemper. Scelus quoque, quod additum eſt fuit hæreſi vniuerſa conſentaneum. Cum enim ex ſacris libris, tum veteris, nouique teſtamenti, tum ſanctiſſimis ſcriptoribus, crebra in eorum hæreſim teſtimonia depromerentur: imitati omnium hæreticorum prauitatem, alia vocarunt in dubium, an eorum eſſent, quorum exiſtimarentur, alia etiam ſi ipſorum eſſent dicta ſanctorum, non multi ſe facere dicebant. Potuiſſe ſiquidem, & illos, ſicut reliquos peccare. A maledictis quoque, ac cauillis in eos non abhorrebant, tum ſanctitati, tum doctrinæ detrahentes, & luminibus chriſtianæ Reipub. vt poſſent, caliginem offundentes. Vix enim æſtimari poteſt, qua inſolentia, qua ſuperbia intumuerunt, vt ſibi aliquid homines tribuerent præceperunt: qua cenſura omnes taxabant, quo faſtu pontificẽ, epiſcopos, omneſque ordines inceſſebant. In cœlum etiam linguam ſuam ponere auſi ſunt. Ex ijs autem, quæ in dubium vocabantur fuit maxime Dionyſius Areopagita, & Apocalypſis beati Ioannis. Quanquam non eorum inuentum. Nam & apud græcos complures de Dionyſio dubitarunt, reſponſumque eſt eorum maledictis. Apocalypſim quoque refert Auguſtinus, quoſdam hæreticos Ioannis negaſſe. Sed hi, omnes hæreticorum ſordes in lucem reuocare conati ſunt. Verum hoc loco hæreſim explicamus, non refellimus, vt ſit omnibus euidentiſſimum, quas machinas ad euertendam religionem hi excogitarint, in cuius excidium ſine dubio coniuraſſe cernuntur. Quicquid enim eam innixam ſuſtineret, ſunt latenter eruere conati, vt his deiectis, quibus vocabamur ad pietatem: ipſa quoque pietas corrueret, & ex hominum memoria pelleretur. Non pelleretur tantum: ſed obliuione ſempiterna extingueretur. Sed deteſtabiliſſimam tragędiam denudantes proſequamur. Ventum erat ad impietatis apicem, & maius aliquid erat audendum, quo digno tanta coniuratio fine clauderetur: in Euchariſtia inſolentes gladiatores chriſtianos vehementer falli aſſeruerunt, quod panem illum corpus eſſe dominicum crederent. Quid exhorruiſtis chriſtiani quaſi aliud quæſierit cętus impijſſimus, quam hoc ipſum, quam quicquid in terris diuinum eſt defędare, omneque ad cęlum iter intercludere, ſalutem nobis cęleſtem adimere, & amorem illum, quo tanto in genus humanum deflagrauir Deus, infructuoſum, atque inanem reddere. His igitur miniſtris diabolus vſus, imò illorum cupiditatibus vſus, facinus omnium memoria ſæuiſſimum in genus humanum molitus eſt, non minus quàm cum primis deceptis parentibus, per totum genus calamitatem deduxit. Eorum inquam cupiditatibus veluti miniſtris vſus eſt, quorum animos ſciebat acerrimus hoſtis inaudita honoris, & famæ cupiditate deflagrare. Inſitam quoque mentibus illis quandam crudelitatem, qua facile irritata, veluti rapidiſſimæ, beſtiæ ad vltionem conuolarent. Quamobrem eos hac ratione inſtigare eſt aggreſſus. Perpeſſi fuerant aliquid ab omnibus propę eccleſiaſticis. A ſummis quidem, quod ad eum quem ſe mereri putabant, non fuiſſent honorem prouecti. Atque hinc exordium execrandæ tragędiæ fecerunt, ſimulantes noſtris ſe peccatis commotos, reprehenſionem conſcribere voluiſſe. A maledictis autem, vt eorum erat naturæ conſentaneum inchoarunt. Sed non tam ſæuiebant in principio: cum vero in ijs ipſis quæ iactaſſent priuatim ac publice ab eccleſiaſticis argui cępiſſent, tunc cum acerbiſſime irritati, cruentarum more beluarum proruerunt, ac vnumquenque obuium dentibus arripientes, crudeliter diſcerpſerunt, atque ſub hoc impetu tota tragędia peragebatur: erat quoque eruditionis ſuæ illis maxima opinio, qua ſe præ cęteris plurimum valere perſuadebant: gloriam quoque apud omnes affectantes, ſunt autem gloriæ præſertim de litteris auidiſsimi, omnia ea ſuſceperunt, e quibus nominis, atque famæ plurimum poſſent adipiſci. Tribus igitur malis irritati, hæreſim condere ſunt aggreſsi. Inſita illorum animis crudelitate, Affectatæ gloriæ repulſa, eruditionis ſuæ oſtentandæ incredibili cupiditate. Neque enim adeo verum eſt, ex peccatis totius eccleſiæ hanc hæreſim eſſe ſuſcitatam. Nam, & ſuperioribus annis eadem viguere peccata, atque vitia, & hi ſi voluiſſent diligenter attendere, non erat cur tam crudeliter inceſſerent omnes. Scire quoq; debuerant, in eccleſia ſi mali epiſcopi, & Cardinales inuenirentur, inueniri etiam bonos, litterarum, ac probitatis ſtudioſiſſimos, in pauperes maxime miſericordes, omnis iuſtitiæ, atque æquitatis amantiſſimos, quorum quamplurimi, & omnibus noti ſunt, & alij inueniuutur, quorum obſcurior ſit fama. Verum, vt hanc partem penitus non defendimus, & pancos vere dici poſſe chriſtianos putamus, ſic deteſtamur eorum immanitatem, qui omnes ordines, ferinis & hæreticis vocibus allatrarunt, vocibus inquam, quæ viam ad euertendum mundum affectabant. Fuit quidem iſta ſimulatio, quod noſtris improbitatibus indignarentur, verum euentus ſceleratiſsimas mentes enudauit. Quid enim attinebat religionis, nunc vnam, nunc alteram radicem ſuccidere, ſi caſtigandi mundi prouinciam ſuſcepiſſent? An prius euertendum eſſe ſtatuerunt, vt eorum ſanctitate dehinc reſtitueretur? Qua porro fręti pietate tantũ auſi ſunt facinus?

Quid tandem in ipſis erat, quo ad tantam rem excitarentur? An non ſola barbaries, ſola ſitis ampliandi nominis, & præſumpta iam in omnes maledicendi conſuetudo, & (vt expreſſius dicatur) illarum mentium impietas domeſtica ad ſcelus amplexandum impulit? Quæ natio fuit audacior unquam, & quæ de ſuis viribus maiorem opinionem ac ſpem concepiſſet? per plebem incedebant execrabiles præceptores, ſuperbiam, ac iactantiam, & feritatem anhelantes, peſſimos de tota religione rumores ſpargentes, vitia, ac peccata eccleſiaſticorum detonantes. Emerunt apud vulgus imperitum probitatis opinionem, quod tam acriter vitia obiurgare viderentur. O miſeram igitur Germaniam, quæ ad furorem, ad amentiam ſe vocari non cognoſceret, quam exitus comprobauit. In quo totius à principio in finem vſque fraudis, atque improbitatis imago ſe ſe monſtrauit, & digno exitu nefanda tragędia concluſa eſt. Hanc igitur tam vaſtam hæreſim, vel potius tyrannidem, quæ religionem, ſuperſtitionem vocauit, quæ probos ad improbitatem, pios ad impietatem traxit, ad intemperantiam modeſtos, quæ omne genus ſanctitatis in honeſtiſsimis nominibus deſędauit, quæ caſtitatem, quæ orationes, quæ ieiunia deteſtata eſt, quæ quicquid fuit ſancti hominibus, vel eripuit, vel eripere conata eſt, quæ facilitatem omnibus ſceleribus præbuit, quæ peccantibus maiora ſuaſit, eiſque recipiendi ſeſe, ac pęnitendi copiam ſubtraxit, quæ pronum in illicita ſemper populum, ruptis religionis vinculis, ablato pietatis timore propenſiorem ad peccandum reddidit: quæ res infames laudauit, laudabiles autem vituperauit: quæ peſsime cum de toto orbe chriſtiano, tum de ſua Germania, quæ olim optimos edebat chriſtianos, merita eſt, quæ infiniti mali chriſtianis fuit cauſa. Ex qua bella, cædes, diſcordiæ, omnis in Deum, & in res diuinas contemptus proceſsit, quæ crudeliſsime viros optimos apud plebem dilacerauit: non lacerauit tantum, ſed ſeuiſsime in illos accendit, ob quã infinitus ſanctiſsimorum virorum numerus neci datus eſt. hanc inquam tam nefandam, tam luce indignam hæreſim quis non auerſabitur? non refugiet? quis omnium ſcelerum voraginem, flagitiorum omnium colluuiem non aſpernabitur? quæ voces in ea confutanda, reprobandaq; tacere poterunt? quæ manus erit tam impia, quæ lapidem, quæ telum in hoſtem generis humani, inimicam diuinitatis non conijciat? Bonorum virorum vituperatricem, immo Dei contemptricem, ac blaſphemam? Cui vnum fuit ſtudium diſiungendi a mutua charitate populi chriſtiani, & quod crudelius eſt, ab amicitia diuina remouendi. Hanc igitur peſtem noſtris temporibus ortam, ne ſine omni miſeriarum genere eſſemus, quando & bella, & fames, & peſtilentia fuere. Eaq; acciderunt, quæ vix vlla maiorum noſtrorum memoria accidiſſe noſcuntur, hanc inquam ex omnibus portentis conflatam beſtiam vidimus, vaſtamq; in populo chriſtiano ſtragem edidiſſe, cognouimus. Amouerat enim ex animis omnem pietatem, ac religionem, latiſsimamq; ad peccandum viam aperuerat, eoq; maximam populi partem ſibi conciliarat. Nam caſtitatem, ac ieiunia, quæ ſolent mortalibus videri grauiſsima ſubtraxerat. Confitendi quoque ſua ſcelera, quod & ipſum ad non peccandum, quaſi repagines, atque obijces erat, præceptum damnauerat. Omnes ſacerdotes inuiſos populo reddiderat, aliaq; innumera erant dedecora, quæ corpus infandi monſtri perficerent. Scripſerunt igitur contra exitialem hæreſim ex omni genere complures, alij aliam eius partem amplexi. Quidam etiam in vniuerſam. Horumq; alij & docti & eloquentes, quidam vtraq; carentes facultate. Horumq; maximus numerus. Siquidem hoc negotium proprie monachorum videbatur eſſe, qui neque eloquentiam multifaciunt, & eruditionis præſertim veteris penitus ſunt expertes. Linguarum nullam tenent peritiam, græcæ præſertim, qua maxime gloriatur Lutherus ac ſequaces. Itaque cum hoſtibus, qui & eloquendi vim haberent, & qui varia rerum, & linguarum cognitione iuuarentur, congreſsi, cum ineptiſsime in refellendo ſe habuiſſe viderentur, errorem pleriſque addiderunt, vt Lutheri dogmata refelli non poſſe putarent. Cum alioqui eſſent ad confutandum maxime expoſita, & præter ſummam, & apertam impietatem eſſent adeo puerilia, nullaque prudentia conſcripta, vt Manichæorum, Ophianorumq; monſtra eſſent pene credibiliora. Sed quoniam acumine quodam dicebantur, & omnia ea videbantur tollere, quæ grauia ſunt hominibus, & quia ad voluptates inuitarent quas libenter omnes amplectimur, abundare rationibus, ſuperioreſq; in demonſtrando Lutherani credebantur. Adde quod ex moribus praue viuentium religionem delere conabantur; quæ ratio non mediocriter valebat apud imperitos. Si quid enim verbi cauſa in confeſsione peſsimus quis ſacerdos grauiter peccaſſet; mox expoſito apud plebem facinore, confeſsionem vti rem peſtilentem eſſe tollendam prædicabant, & ab omnibus acclamabatur. Si quis etiam Romanus Pontifex auare agere videretur, non in priuatam perſonam, ſed in ſacroſanctam ſedem inuehebantur, illius authoritatem ſitientes opprimere. Atque hac ratione, optimi, ac ſanctiſsimi Pontifices, & qui fuiſſent, & qui futuri eſſent, barbarico furori ſubijciebãtur.

Epiſcoporum quoque ac monachorum criminandorum eadem ratio: in exemplum perditorum quorundam vita producebatur, duoq; ex his peſtilentiſsimæ mentis ſuæ mala illi colligebant: tum quòd in omnes exemplum accommodabant: tum quòd ipſe ordo, ipſe gradus, ac ſanctiſsimus magiſtratus infringebatur. Vili autem plebecula quid ſtultius? quid mobilius? Aſſentiebant igitur; ſuorumq; præceptorum ſapientiam laudabant. Illi laudibus allecti, atque incenſi maiora in dies moliebantur. Quicquid truculentiſſimæ beſtiæ, & ſanguinis humani nunquam ſaturæ ſcriberent, totum in vituperando Romano Pontifice, in lacerandis Epiſcopis, in dehoneſtanda monachorum vita verſabatur, in appellanda religione chriſtiana ſuperſtitione, in vituperandis aris, ac templis, nunquam ab hoc genere ſeuiſſimi gladiatores ceſſabant. Illaq; truculentia, quam illi genti tribuunt ſcriptores, nuſquam non apparebat, vt viderentur perpetua quadam rabie conflictari, nullaſq; litteras his ſuis maledictis non conſpurcarunt. Ac mihi quidem videntur illi optime intellexiſſe, qui litteras in animo peſsimis opinionibus imbuto, eſſe quaſi gladium in manu furioſi dixerunt. Quid verò diſtat a furore deteſtabilis eorum crudelitas, qui philoſophia, & litteris, quibus ad excolendam humanitatem, & ferocitatem, quæ ex cęli rigore contrahitur, mitigandam, vti debebant, ad lacerandos omnes homines profligandamq; omnem pietatem ſunt abuſi? O rem crudelitate barbaricam, ſcelere inauditam, grauitate inuſitatam. Quam vtilius & ad ſalutem ſuæ patriæ, & ad vniuerſam religionem chriſtianam fuiſſet: ſi nullas vnquam litteras tenuiſſent, & a religione nullam rerum diuinarum cognitionem accepiſſent, quandoquidem ad omnium exitium quales quales ſint, eis vtuntur. Sed finem tandem queſtibus faciamus, ac ſecundum librum, quem inſtituimus aggrediamur.

LIBRI PRIMI FINIS.

AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI,

EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS Congregationis Sancti Saluatoris,

Liber Secundus.

De vnitate religionis Chriſtianæ, quæ ex vno capite, vnaq́ ſede Romana pendeat.

LVTHERANAE igitur hæreſeos, cum multa ſunt tanquam vnius Hydræ capita, tum vnum eſt vel maxime cęteris fęcundius, à quo reliquorum ſine dubio origo manauit errorum. Vnum eſt enim vt Cyprianus ait totius Eccleſiæ caput in terris, repræſentans eum qui caput eſt cęleſtis Eccleſiæ. Hoc igitur qui tollit, innumerabilibus aditum aperit erroribus. Omne diſsidium, omnem diſcordiam inuehit, Serit quoddam per omnium mentes contagium. Iacit fundamenta omnium hæreſeon. Nam factiones quæ Græcę hæreſes appellantur, tunc oriuntur, cum ſublata eſt ea, quæ ab vno capite pendebat vnitas. Tunc membra inter ſe diſsident, Tunc audaciſsimus & arrogantiſsimus quiſque omnia audet cominiſci. Fanda & nefanda in populos profundit. Ipſæ quoque factiones Hæreticorum inter ſe digladiantur, dum quiſque propriæ fauet gloriæ. Dum ſuum nomen cupit fieri celebrius. Hæc tum ex memoria præteritarum & veterum Hæreſeon ſunt manifeſta, tum ex his quæ hac tempeſtate acciderunt, Cùm peſsimus quiſque vituperata prius & apud populos producta Romanæ ſedis vnde pendet vnitas authoritate, nefarios paſsim errores diſſeminarunt. Hæreticorumq́ue ab eis examina emerſerunt. Miſeroſq́ue populos in diuerſos errores impulerunt. Omnibus autem ſceleribus, tanquàm fundamentum ac baſis ſubijcebatur capitis Eccleſiæ eiectio ac reprobatio. Id quod & alios complures Hæreticos feciſſe eſt notiſsimum. Vnitas igitur hæc, cum generatim omnibus in rebus eſt: tum vero in his, quæ vel natura conſtant, vel cęlitus inſtituuntur. Vt vbi maior eſt ordo, maiusq́ue conſilium, id quoque ſit maius, quod æquitatem parit atque ordinem. Igitur Lutheranorum Hæreſis præter omnes impietates, quas inuexit in orbem Chriſtianum, in primis vnitatem religionis Chriſtianæ tollere conata eſt. Idq́ue non modo Barbarico quodam furore, & natiua quadam immanitate correpti fecerunt, ſed faſtu etiam & arrògantia, qua ſibi ſcientiam ſacrarum & profanarum literarum ante omnes tribuebant. Per quam ſibi omnia licere, & nec tam mortales, quam ipſos ſuperos ab ſe appeti poſſe putauerunt. Cumq; & ſcientia eſſent imperiti, & inſitam haberent propagandæ famæ cupiditatem, ea dixerunt, quæ ne infantiſsimi quidem dixiſſent, in producendis autem ex ſacris ſcripturis teſtimonijs, mirabilis, apparuit eorũ peruerſitas, quod cum infinita ex altera parte ſtarent contra opiniones eorum teſtimonia, ea vel deprauarunt, vel ſiluerunt, vel ne ab vllis legerentur, operam dederunt. Lucem atque aſpectum veritati eripientes, ne cognita eorum dogmata nefaria corruerent, & impietatem ac mendacia genus humanum docuiſſe viderentur. Quædam vero, eo furore, ea quam dixi propagandæ laudis cupiditate, ſic effuderunt, vt poſtea turpiſsimæ falſitatis conuicti, reuocare ſe ipſos ſine maximo dedecore non potuerunt. Conſultiusq; ſibi eſſe duxerunt, ſi quæ ſcripſiſſent, pertinaciter potius defenderent, quam recantarent. Huiuſq; generis malorum omnes eorum libri pleni ſunt, quos nefarijs illis ſuis opinionibus referſerunt. Poſſemq; hoc loco multa id genus proferre, quæ primo cogitationum ſuarum calore illi euomuerint, neque varijs ſcriptoribus conſultis, neque conſulta ipſa veritate, ſed ab Hæreſi in omnem inſaniam raptati. Incredibile ſi quidem eſt, quam iactabundum ſit illud genus, vbi ſe gloriæ aliquid adipiſci poſſe arbitrantur. Neque retinent impetum cum ſuccurrit aliquid, maxime cum ſe vera dicturos exiſtimant. Hanc gloriam præter modum affectant in litteris. Vt quoniam res per ſe glorioſa eſt,& magnifica, & quia Barbari vocati atque habiti prius ſunt,alterum acquirerent philoſophando, alterum propulſarent. Honore videlicet adepto, dedecore deiecto. Vnaq; ea re ſe barbaros a ſcriptoribus vocatos arbitrantur, quod imperiti litterarum eſſent, cum tamen non ad litteras illi,ſed mores potius reſpicerent. Vbi igitur litteras attigiſſe cęperunt, mirabili ſunt omnes ardore accenſi ad ſcribendum,repleuerūtque conſcriptionibus orbem vniuerſum,cum ad editionem propere conuolarent, alterq; alterum præcurreret. Et barbariem quidem linguæ fortaſſe deterſerunt,ſed pectoris Barbariem nō depoſuerunt. Nam quod olim impetu corporis,atque armis faciebant, ruentes ſcilicet ac ſine vlla humanitate viuentes, ob quod Barbari vocabantur, hoc faciunt nunc ſcribendo. Raroque eorum ſcripta videas, non ſuam gentem, ſuoſque ſcriptores redolentia. Suſceptis igitur litterarum ſtudijs, duæ affectiones, in illis hominibus inter ſe commiſtæ ſunt, feritas illa priſtina, & opinio adeptæ ſapientiæ. Additumque feris ingenium eſt, ex hiſq; duobus effectibus, iactantiam & crudelitatem pepererunt. Ex quo non tam eccleſiam, fędiſſimis & barbarie ſua digniſſimis contumelijs affecere, ſed in alios etiam ſcriptores inuecti ſunt. Vna ea re quod optabant maxime, gratiam ſe & famam eruditionis adipiſci apud omnes arbitrantes. Ex eadem etiā cauſa profectum, vt hiſce temporibus, antea inauditum, cenſuram grauiſſimam arripientes, & quaſi homines eſſent cœlitus miſſi,omni ſanctitate,ac pietate condecorati,caſti, continentes,ſobrij, non ebrioſi, non ingluuiei,& luxui dediti,diſputare de religione cęperint. Eam omnem caſtigare,& renouare,vetera inſtituta abolere, abolere cęremonias conati fuerint. Quicquid ſcriptum ſancitumque a maximis ſanctitate & eruditione viris eſſet,viliſſimo loco habuerint. Nullus gradus, nullæ leges, nulla inſtituta, nulla ſanctitas, nulli non homines illis diſplicuerint. Antiquiſſimorum, celeberrimorumque ſcriptorum authoritatem nihili facientes, ſuam illis authoritatem præferri maluerint. Vt ſi quid diuini illi ac cęleſtes viri dixiſſent, & in oppoſitum ſtarent,hi meliores, illorum repudiare, ſuam comprobare ſententiam optarint. Vt relicta tota vetuſtate, reiectis antiquiſſimis monimentis, contempta ab Apoſtolis vſq; omni ſcriptorum celebritate,vnis iſtis fidem habeat genus humanum. Nihil ſit antiquioribus credendum, ſi contra perſuadeamur ab iſtis. Nulli ſtandum, Nihil aſſerendum, niſi ſit horum authoritate comprobatum. Imo neque hac,vel illa lege viuendum, non philoſophandum,nulla religio ſuſcipienda, nulla inſtituta,nullæ leges,niſi illorum cęleſti ſapientia conſulta. Nam tanquam cęli & terræ momi exorti ſunt. Omnium ſunt contemptores ac deriſores, ſed præcipue ſacrarum rerum, & eius, quod habeat vllam religionis ſpeciem. Omnibus detrahunt, omnibus maledicunt, calumniantur omnia, vexant,ac proſcindunt. Ingenium enim ſibi & ſapientiam ante omnes tribuunt, vt nullam opinionum ſuarum falſam eſſe poſſe putent. Aiunt tyberim liquiſſe Romam, Athenas Mineruam, & ad ſeſe conuolaſſe. Italiam, ingenium,ſapientiam,eloquentiam amiſiſſe, ſe ſolos infuſæ cęlitus ſapientiæ patuiſſe. Cęteros eſſe tanquam humi reptantes pecudes, Religionem eſſe ſuperſtitionem, Omnes magnis & infinitis erroribus detineri. Hæc igitur tanta præſumptio, tam inaudita vbique terrarum audacia ex eo proceſſit, quod genti per ſe prius iactabundæ & glorioſæ, additum ſit id, ex quo naſci poſſet maior iactantia. Cumque ſint admodum pauci, qui ob eruditionem,& ſcientiam non inflentur, quem tandem hunc affectum in eis futurum credimus, qui ſint natura inſolentiores? quare nemini mirum videri debet, quod tanta ſit illorū ingeniorū procacitas, cum oīum bonorum virorum, bonarumq; rerum contemptu. Eſt autem riſu digniſſimum, quod frigidi & tardi a ſtupidis vocemur,quod charitatem nos doceāt,& modeſtiam in nobis chriſtianam deſiderent, qui ſeditionum peſſimarum authores fuiſſent,quod luxus,intemperantiæ, & gulæ Epiſcopos, & monachos arguant,qui omni modeſtiæ nuntio remiſſo, in ea vitia ruant præcipites, quod monachi vtres & ingluuioſi, ab edaciſsimis & ebrioſiſsimis vocentur. Quod reijciantur antiquiſsima inſtituta,veterrimæ leges aboleantur, ſanctiſsimi ſcriptores a deſpicatiſsimis quibuſdam ſordidiſsimiſq; hominibus, & qui precario gloriolam apud plebem mendicarent, exauthorentur: quibus nullæ virtutes eam audaciam inijcere potuiſſent. Tanta vero fuit oſtentationis libido,vt perſpicere non potuerint fore, vt omnibus gentibus Chriſtianorum, eſſent deriſui, ac ſolis vulgaribus quæ dicerent fore probabilia: Sed rapiebat eos tranſuerſos æſtus gloriæ,ac nominis comparandi,& domeſtica illa feritas, & odium quo deferuebant in religionem. Adiuti quoque ſunt culparum noſtrarum multitudine, quæ ordinem premunt Eccleſiaſticum. Quas tamen non erat cur illi tam petulanter reprehēderent, quos nulla ſanctitas in taxandis vitijs alienis,audaces poſſet efficere. Sed qui ſibi ſuorum criminum eſſent conſcij, aut a mordendis alijs abſtinere penitus debuerant,aut humaniores eſſe in reprehendendo,aut ſine impietate erat id faciendum,vt vitijs caſtigatis,religio defenderetur, non eadem cum illis plaga feriretur. Quod ſummæ improbitatis eorum,fuit teſtimonium. Nos igitur expoſituri cauſam cur quidam Germani hoc tempore ſedis Romanæ dignitatem,& principatum, cui totus terrarum orbis a Deo,& vetuſtiſſimis Imperatoribus ſubiectus eſt, tollere conati fuerint, & indefenſionem huius impietatis quid aggreſſi fuerint, exitium ſcilicet, & euerſionem totius religionis, hæc diximus. Aliam quoque cauſam non minus fortaſſe veram proferemus. Si quis enim ſecum reputauerit, cur præter omnes chriſtianas nationes, non ſolum nunc, ſed ſæpe alias ſolæ illæ nationes diſſidium cum Eccleſia fecerint, ac tam crudeli odio in eam accenſi fuerint, & errorem præceptores eorum defendentes, omnes propemodum ſcripturas extorſerint, eam quoque cauſam inueniet fuiſſe. Vt enim Germani præter omnes exteras nationes, ægrè,ac ſummis cum difficultatibus olim ſub Imperio Romano continebantur, iniquiſſimo ferentes animo, vt qui ſibi fortitudinem ante omnes gentes tribuerent, & corporis, atque animi viribus ſe cęteris præſtare cognoſcerent, aliorum iugo premerentur, & non ipſi potius eorum domini eſſent, maxime cum ſibi bellicam gloriam vendicarent, & aſſueti prius eſſent cuidam vagæ libertati, ſic poſtquam Imperij ſedes ad eos tranſlata eſt, quæ eſſet ante Romanorum, etiam eam dignitatem ſemper inuidiſſe Romanis,& Italis cogniti ſunt, quæ, & omnium eſſet maxima, & omnia terreſtria, etiam ipſum terrenum Imperium eſſet illi ſubiectum. Quod nos & a Deo, & ab ipſis etiam Imperatoribus inſtitutum paulopoſt oſtendemus. Quæ quia eorum neque eſſet,neque iure eſſe poſſet, eam & reiecerunt, & vituperare,& infringere,atque imminuere nunquam deſtiterunt. Ideoque non tam hoc tempore quam olim, ſæpe ab ipſa Eccleſia defecerunt. Neque enim noui quicquam attulere Lutherani, ſed partim vetuſtas, partim recentes hæreſes ſuſcitarunt. Sed hæc eo fortaſſe ſunt nunc peſtilentiora, quod litteris, & doctrinis adiuuantur. Sic & diſſidium iſtud,hoc omnium præteritorum ſit fortaſſe peſſimum, quòd diſerte, & adhibitis ſcripturis,licet perperam interpretatis,confirmatur. Fuiſſe vero illis diſsidia cum Romana Eccleſia, & quidem maxima,maximeq; diuturna, multa docent teſtimonia, quorum cęteris prætermiſsis, vnum tantum proferemus: Idoneum certe ad rem oſtendendam, & dignum,quod ab omnibus Chriſtianis obſeruetur, vt cognoſcant vitio ipſius gentis eſſe factum,vt ſeſe ab Eccleſia diſſociarent, non vitio religionis,ſicut ipſi calumniantur,aut eorum qui religionem adminiſtrent. Hoc autem eo maxime citare voluimus, quòd videatur horum temporum imaginem repræſentare. Iuo ſanctiſsimus ac doctiſsimus, vt ea tempora ferebant,Eccleſiæ Carnotenſis quæ eſt in Gallijs Epiſcopus,cum ad paſchalem ſecundùm,ſummum Pontificem ſcriberet, hæc ait. Domino & patri ſuo paſchali,ſummo Pontifici,Iuo humilis, Carnotenſis Eccleſiæ miniſter,filialis obedientiæ famulatum. Nouit veſtra paternitas,quia regnum Francorum, præ cęteris regnis Dei, ſedi Apoſtolicæ ſemper fuit obnoxium. Idcirco quantum ad ipſas regias perſonas pertinuit, nullà diuiſio fuit inter regnum & ſummum ſacerdotium, quod ergo hactenus cum pace,& vtilitate eccleſiæ obſeruatum eſt, humiliter petimus, vt de cętero obſeruetur, & regni Francorum pax,& ſummi ſacerdotij,nulla ſurreptione diſſoluatur. Quod idcirco prælibauimus, quia audiuimus clericos Tornacenſes ad Apoſtolicam ſedem veniſſe petituros, vt Apoſtolica pręceptione proprium poſsint habere Epiſcopum, & Nouionenſis Eccleſiæ fruſtrari priuilegium,quod ne fiat ſicut filij & fideles, & rogamus,& conſulimus. Vt ſtatum Eccleſiarum,qui quadringentis fere annis durauit,inconcuſſum manere concedatis. Ne hac occaſione ſchiſma, quod eſt in Germanico regno aduerſus ſedem Apoſtolicam,in Galliarum regno ſuſcitetis. Et quæ ſequuntur in libro ſuarum epiſtolarum,qui eſt in bibliotheca doctiſsimi,ac ſummi viri D. D. Dominici Grimani Cardinalis, quam poſt eius obitum, ad chriſtianæ religionis decus,& vtilitatem ſtudioſorum,Marinus eius ex fratre nepos,& ipſe Cardinalis,litterarum patronus, Venetijs, in noſtro cęnobio ſancti Antonij erexit. Audiſtis igitur ſchiſma Germanorum id temporis aduerſus Eccleſiã? Fluxere ab eo tempore quadringenti duo anni. Ex quo apparet, Germanos,qui ea tempeſtate,qua religio chriſtiana erat incolumior, & eccleſia maiori erat venerationi, rebelles fuerunt, ſciſſuramque fecerunt,facilius id eos auſuros fuiſſe hac tempeſtate, non tam quòd peccata in eccleſia creuerunt,quam quòd ab omni pietate,& veneratione paulatim receditur, & quia ſunt nũc eruditiores. Hunc enim fructum ex litteris conſecuti ſunt, vt eas in exitium religionis didiciſſe videantur. Quod non de omnibus dico,quod igitur eos facturos contra pietatem, contra diuinas leges par erat, qui in ipſa prope recenti conuerſione calcitrabant? Simul vero in hac epiſtola quæ vetuſtiſsima eſt, obſerua regnum Francorum, & cętera regna appellari regna Dei, eaq; omnia ſummo ſacerdotio eſſe ſubiecta demonſtrari. Et regnum Francorum illi præ cęteris ſemper paruiſſe? Ex quo colligitur ab eo tempore, quo Franci (vt eius vtar vocabulo) religionem chriſtianam ſuſcepiſſent, ſemper Romanæ ſedi paruiſſe. Eorumq; eccleſias ad nutum ipſorum Pontificum fuiſſe adminiſtratas, vt etiam ex reliquis eius libri epiſtolis colligitur. Eſt autem eius temporis ſpatium vſque ad hanc ætatem, ſupra octingentos annos. Illud quoque obſeruatione dignum, quòd Romanum rogat Ponticem, ne admiſſis tornacenſibus eſſet cauſa diſcordiæ, quæ eſſet, & in Germania. Ex quo,ex affectibus hominum, non vera, & legitima cauſa, ea diſcordia in Germania ſurrexiſſe cognoſcitur. Sed reuertor vnde digreſſus ſum. Si quis igitur ipſorum Lutheranorum naturam cauſam fuiſſe dixerit, vt Eccleſiam hoc tempore non ſolum aſpernati fuerint, verum etiam illi crudeliter detraxerint;ac maledixerint, fortaſſe non falletur. Credimus ne igitur eos id facturos fuiſſe, ſi ſumma dignitas apud eos fuiſſet? Fuiſſe vero exteras nationes dignitatis huius appetentiſſimas, optaſſeque ſemper, vt ad ſe transferretur, relinqueret Romam, atque Italiam, declarat etiam factum Clementis quinti, qui cum eſſet Gallus, ſedem in Galliam tranſtulit, vbi & eum numerum cardinalium ex Gallis creauit, vt optaſſe videretur omnem futurum Pontificem eſſe Gallum. Quod ſæpe, & ab aliis ex alijs gentibus eſt attentatum. Sed peccarunt in eo ſupra omnes Lutherani non tam ſua ipſorum culpa, quàm culpa ſuorum præceptorum,qui eis perſuaſerunt,non eſſe tanti faciendum Romanum Pontificem,quanti fieret ab omnibus. Eamq; maieſtatem non illi diuinitus collatam, neque ab antiquis imperatoribus fuiſſe confirmatã, ſed ipſum ſibi eam vſurpaſſe. Atque hæc cum dicerent, duas, vel tres extortas ſcripturarum interpretationes proferebant, ſiue aſtu id facientes, ſiue tanto, quanto ingenio valerent, præcipitantes, ſcilicet ſuas cogitationes, eaſque ad maturitatem peruenire non permittentes.ex qua cauſa fiebat,vt ſiquid priori ſententiæ contrariũ libros legendo poſtea reperiſſent, prudenter occultarent,ne tam turpiter hallucinati prius viderentur.Sola enim libido eos detinebat,atque illuc tantum intentos habebant animos,vt Romanum Pontificem:qualis qualis eſſet,ſiue bonus,ſiue malus, totis conatibus lacerarent, omnemq; eccleſiam maledicentia, & procacia dehoneſtarent. Proferam vero paulopoſt impietatis huius euidentiſſimum teſtimonium.Et iuniores quidem ſuorum maiorum,& eorum,qui celebriores apud eos eſſent morem ſequuntur,vt ſi quid ſcribãt, totum Germanæ procacitatis ſit plenum, moxq; impreſſionibus,quarum eſt apud eos maxima copia,traditur,perq; oẽm Germaniã, vno temporis momento deuolat, doctiq;, & indocti ſcribunt poemata paſſim. Eam ob cauſam inflammantur odio quotidiano, venenumq; ſibi inuicem ſuggerunt ſicut aſpides, vt neque ſacrarum literarum adiuuet eos lectio, neq; præceptis vllis propellant ex animo virus, ſed inde potius ſumũt detrimentum, vnde capiendum fuerat remedium. Nulluſq; eſſet tam ſanctus ſcriptor, tã eloquens,tam e medijs cęli penetralibus demiſſus,qui perſuaderet eis, non eſſe chriſtianam religionem ſuperſtitionem. Et epiſcopos,atque monachos quales quales ſint,non eſſe extremis ſuppliciis deputandos,propter improborum aliquot exemplum,quibus reliquos oẽs cenſent eſſe ſimiles. Atq; hæc non de bonis, & vere Chriſtianis, qui apud eos plurimi ſunt, etiã mihi notiſſimi,dico,ſed vulgaribus,& his literatis,qui vulgaribus eſſe ſimiles voluerunt, & qui Lutheranam Barbariem amplexi ſunt. Quo igitur erant natura prius in diſſenſionem ab eccleſia Romana propenſiores,hoc ſunt facilius a ſuis præceptoribus, ad priſtinum odium exaſperati. Nunc aliam cauſam ſi placet, audite. Etenim accurate, & diligenter perſpicientibus cur in Germania crebriores,quã tota Europa exortæ fuerint hæreſes,diutiuſq; viguerint, ea cauſa eſt exiſtimata,quòd ſit ea gens ſimplicior, ac minime ad fraudes, & dolos euigilans, ſed cui facile poſſint,quæ dicuntur,fieri probabilia. Cumq; omnis multitudinis errare, teſte Ariſtotele,proprium ſit,tum hoc illis accidere crebrius, & fortius neceſſe eſt, qui moribus ſint ſimpliciores. Facile igitur eorum animi impelluntur, & ad perſuaſionem aures habent accõmodatiſſimas,modo quis ſit paulo eloquentior. Eamq; ob cauſam euenit,vt Martinus,atque impietatis eius comites,quaſi per gradus ſenſim procedentes,nunc vnam,nunc alteram hęreſim inuexerint,donec in eas fabulas,ac nefaria dogmata ſint progreſſi,quæ Turcę difficilius oẽſq; religionis Chriſtianæ hoſtes credidiſſent.Ea tamen populi Germanię,& crediderunt, & comprobarunt.Neq; populi ſolũ,verumetiam eruditiores, & qui minime vulgares eſſent habẽdi. Nam Martinus primum maledicere Pontifici Romano cœpit, tum eius autoritatem imminuit, poſtea negauit eum reliquis epiſcopis eſſe maiorem, ſed æqualem eſſe omnibus dixit, Proceſſit vlterius, dignitatem, autoritatemque omnem abſtulit. Tandem Petri ſucceſſorem eſſe negauit. Negauit Petrum Romam aliquando veniſſe, immo Italiam vnquam vidiſſe. Miror cur non Petrum dixerit nunquam fuiſſe. Sed hoc contra Romanum Pontificem nihil erat. Per eoſdem gradus in euertenda religione proceſſit. Primum, ſecundum euangelium dixit eſſe viuendum, proiiciendaſque e medio tot ceremonias. Hucuſque bene habet, ſi de ceremonijs Hebræorum, vel ſuperſtitionibus loquatur? progreditur, tollit confeſſionem, quia pariat ſcandalum. Tollit imagines, quia fit idolatria in eis adorandis. Tollit ieiunium, quia inuentum eſt ab hominibus, & his, qui decernere talia non poſſent, Romani videlicet Pontifices. Tollit cęlibatum, quia contra iura naturæ,

& in perniciem generis humani. Serpit vlterius, gratisque auditoribus ſeſe accommodat. Deſtruit monachatum, quia in monaſterijs ſeipſos ſepeliunt, & ea deuouent, quæ non poſſunt. Idem in virgines decernit. Atque hic veluti in medio itinere requieuit, vt maiores eſſent in progreſſu vires. Rurſum igitur inchoat Tragędiam. Dubitat aliquid de Euchariſtia, Negat ſeptem ſacramenta. Dubitat rurſum de Baptiſmo. Liberum arbitrium, vocat ſeruum arbitrium. Negat omnes ſcripturas præter vtrunque teſtamentum. Falluntur hiſtoriæ, Sanctiſſimi patres decipiuntur, delirant vetuſtiſſimi ſcriptores. Tandem omnis religio eſt illi ſuperſtitio. Non ſunt inferi, Non eſt purgatorium, omnia fabulæ, ac ſomnia. Hæc igitur in cōuentu totius Germaniæ improbus ille dicebat, & audiebatur, Nihil mali illis dicere videbatur, non vociferabantur, non lapides iactabant, non os impium coercebant, ſed erant ad auſcultandum aures attentæ, & quia ab homine verſipelli, & fraudulento, & furioſo ea dicebantur, facillime credebantur. Hæc quidem in Gallia, Hiſpania, Italia, reliquisve Chriſtianorum prouincijs nunquam accidiſſent. Permiſſa ſunt, vt dicerentur, & credita in Germania, propter hominum ſimplicitatem, propter odium, quo in Romanam eccleſiam, quæ caput totius eſt religionis, eſſent incenſi. Non enim Hiſpani, non Galli, non Itali paſſi hominem fuiſſent, ſed in ipſis eum conatibus interrupiſſent, & e medio luem execrabilem ſuſtuliſſent, principes autem, & magiſtratus Germaniæ quorum intererat, impietatem extinguere, libenter audiebant, quicquid aduerſus eccleſiam diceretur, tantum erat inimicitiarum in eorum animis, contra Pontifices, & eccleſiaſticos omnes conflatum. Ideo quarto loco hanc cauſam ponamus. Siquidem, & illud hāc hæreſim apud Germanos ſuſcitaſſe creditur, quod forte primo loco fuerat ponendum, multiplices, ſcilicet, corruptelas, quas ſcelerati, & imperiti ſacerdotes repererunt, & ad ipſam puram, ac ſanctam religionē adiunxerunt. Vt enim apud Hebræos, legi ſanctiſſimæ ab auaris ſacerdotibus corruptelæ additæ fuerant: ſic in nōnullis locis factum eſt in religione chriſtiana. Verum ſicut corruptelæ ſunt ſuo nomine vocandæ, ſic quicquid eſt religio, non debet inter eas corruptelas cenſeri, quod factum eſt à nōnullis Germanis. Eſt enim pura, ac ſacroſancta religio, quàm à Ieſu Chriſto, & Apoſtolis, eorumq; ſanctiſſimis ſucceſſoribus accepimus. ſunt & nonnulla, quæ neque religionis nomine, nec religio, eorum nomine debet appellari. Fieri igitur ſecus non poterat, vt quoniam eſt natura comparatum, vt omnis optima reſp. omnis ſanctus, atque laudatiſſimus ſtatus, ſenſim recidat in contrarium, priſtinumq; decus amittat, quin, & Chriſtiana religio idipſum pateretur, & ab imperitis, & prauis hominibus aliqua parte lędederetur. Sed non erat cur deſtrueretur ipſa religio, ſicut neque obliteranda erat lex diuina propter ſacerdotum illorum improbitatē. Non confeſſio tollenda, non imagines auferendæ, non vita, quam monaſticam vocant, tam execrabiliter vituperanda. Non omnibus procacitatibus, omni petulantia, omni barbarie, in ipſam ſanctitatem, & modeſtiſſimos viros vtendum. Quoniam igitur faciles erant Germani ad perſuadendum, ſimplices ad inducendum, facile quoque ſunt in religionem eorum plures a ſuis præceptoribus irritati, propoſitis quibuſdam corruptelis, quarum auxilio religionem extinguere illi conabantur. Et qui per ſe in odium erant propenſi, nulla ſunt difficultate, ad maiores, acerbioreſque inimicitias concitati. Genus quoque eſt hominum iracundiæ, & furori ſubiectum, & quo plus habent audaciæ, eo minus rationis, neque intelligunt cum incanduerunt, quid faciant, ſed ferarum more ruunt. Nihilq; illis periculoſius, vbi paulum fuerint prouocati. Frenandus igitur impetus fuerat, agendumque rationabiliter, vt ſi qui auare, & impie peccaſſent, eorum vitam tantummodo inſectarentur, non etiā probos eidē petulantiæ ſubderent. Quod certe faciunt illi, dū in vniuerſum omnibus vituperandis incūbunt. Aut ipſæ ſeorſum corruptelæ fuerant deteſtandæ, non vna cū illis religio tollenda. Quarto igitur loco, ex quo tantum incendium proceſſerit, non dubium eſt, quin ſacerdotum auaritia, eorūq; æterna cupiditas fuerit, qui tanquam exactores, ac vectigales, tributis eſſent præfecti. Qui infinita mala; ſcelerata inflammante auaritia, perpetrarunt, vituperabilemq; Romanā ſedē fecerunt, quia crederentur ea non ſine pontificum voluntate fieri. Quod certe non erat, nihilque eorū illi reſciſcebāt, ſed eorū libido cūcta confundebat, omnēq; ſanctitatē venalē faciebat. Ex quo execrabiliſſimo, ac teterrimo facinore, execrabile, & teterrimū ſcādalū naſci fuit neceſſe. Vt enim improbitate, & auaritia imperatorū, & perpetuis exactionibus, quibus populos vexabāt, olim Maumethēſiū ſecta exorta eſt, ſic ex hac improbitate ſacerdotū, fęda hæreſis, ſæuūq; diſſidiū eſt ſuſcitatū. Sed hæc impij exactores, improbiq; ſacerdotes fecerūt, cū alioqui innumerabilis multitudo, nō modo a tāto piaculo inſons fuerit, ſed vehemēter etiā execrata fuerit. Nō ſunt præterea tot mala, quot iactāt Luterani, odij, & inuidiæ propriū eſt, exaggerare calūnias, exaggerare ſcelera. Deſcribunt hi omnium flagitiorum Ideā, eāq; vni Epiſcoporū, aliorumque ſacerdotum affigunt: ſed vix vnum reperias, in quem tot probra conueniant, niſi ſit perditiſſimus, & ab omni penitus pietate remotiſſimus. Quod in tanta ſacerdotum multitudine non eſt impoſſibile. Vnum igitur huiuſmodi aſſumpſerunt, cuius mores, atque nequitiam omnibus vellent eſſe communem. Reſpuendæ itaque, & excutiendæ corruptelæ e tota Germania, retinenda verò religio, quæ cultu Dei interiore, & exteriore continetur. Qui ſi interiorem illum approbarint, exteriorem abiecerint, breui ad priſtinam illam barbariem reuertentur. Satis fortaſſe eſt ſapientibus, ſi Deum interius colant, ſed vulgares, niſi extrinſecus ceremonijs, & diuinis inſtitutis prouocentur, amittent tunc pietatem, cum ſuperſtitionem effugere docebuntur. Quod certe iam prope accidiſſe videmus. Sunt in Italia Germani, qui ieiunium, & à carnibus in quadrageſima abſtinere, ſuperſtitionem eſſe putent, ideo ne in paraſceue, quidem abſtinent: ſed hoc leuius, ſi cum alijs multis malis comparetur. Quid memorem militum Germanorum in Italia crudelitatem, qui erant infecti hac hęreſi? Quot ſanctos viros trucidarunt, quia putarent ſacrilegium, quicquid vllam haberet pietatis ſpeciem? quot ſacras virgines diſcerpſerunt? Diuorum reliquias, ac memorias Romę, & alijs locis, turpiſſime conſpurcarunt? Quas eorum maiores tot terrarum ſpacia tranſmittebant veneraturi. Et cum propria ſit militum crudelitas, & impietas, horum fuit multo maior, ac deteſtabilior, propter hæreſim. Digni igitur ſunt, quos omnes chriſtianæ gentes execrentur, ac veluti furioſos, tartareos ſpiritus, refugiant. Hoc enim emolumenti peperit plurimis, eorum hæc hæreſis, vt vulgares quidem, ac ruſticos reddiderit truciores, omnemq; eis humanitatem detraxerit, vt ad antiquam illam barbariem reuerſi pene videantur, ciuiliores autem, &, qui litteris incumbunt, alio genere crudelitatis effecerit immites, vt ſcribant. ſ. procaciſſime, omneq; ſcriptorum genus calumnijs, & maledictis, & iactantia, & oſtentatione repleant. Principes fuere Eraſmus, & Martinus, quorum poſtremi, qui ſcripta legerit, illico barbaricam mentem agnoſcet. Hominem furijs exagitatum, iactantem ſuas minas, & verius exprimam, ſentiet aliquam e feris, quæ penitiſſimas incolunt ſyluas, ſua verba loquentem, verba dico, non humana, ſed ferina. Vt ſi Leones rabidiq; canes poſſent loqui, non alia lingua, alio ſono ſint locuturi. Poſtremo tanti incendii, atq; ruinæ cauſa refertur aliqua ex parte in quædam monachorum, ſiue religioſorum genera, in quibus cum bonarum litterarum imperiti, malarũ autem peritiſſimi pleriq; inueniantur, ex eo duæ affectiones in animis eorum naſcuntur, vt tum bonas contemnãt litteras, ac vera, & digniſſima ſtudia deteſtentur, tũ ob illam malam philoſophiam cui dediti ſunt, cuius eſt propriũ, hominem glorioſum, & arrogantẽ efficere, oẽs bene eruditos, & contemnant, & in eos ſæpe crudeliſſime inuehantur. Cũq; ſe ipſos religionis chriſtianæ columnas arbitrentur, ſui iuris eſſe putant, hæreticos perquirere, eoſq; e tenebris extractos publico incendio concremare. Itaq; tanta eſt eorum arrogantia, tantũ ſuperciliũ, vt ferri ſæpenumero nõ poſſint. Leuiſſimis de cauſis crimẽ hæreſeos intentant, & in manifeſtum periculum etiam bonos viros ſæpiſſime adducunt, ſed eos inuadunt præcipue, qui aut contra ſua dogmata aliquid inuexerunt, aut qui nouum aliquod eruditionis genus prodiderunt. Sicut ſuperioribus annis accidit propter noua quædam, & iſtis theologis incognita, nobiliſſimo principi, Ioanni Pico Mirandulano, quem nihil tale merentẽ, venerandi quidã patres hæreticum pronunciarunt. Quanta vero tragędia iſtis annis Ioanni Reuchlino viro bono, & erudito, propter eruditionẽ hebraicam, ab his de quibus agimus, excitata eſt? Hæc igitur, & huiuſmodi multa, irritarunt omnes doctos viros, & eo adegerũt, vt ſe ſcribendo vlciſci curarint. Vt libros contumeliis eorum repleuerint, fanda, & nefanda aduerſus omnem religionem protulerint. Quis enim etiam cui recta mens eſt, non ſtomachetur, cum eos audit ſuas illas nugas, indoctam illam, ac diſputatricem theologiam, veræ, ac ſynceræ philoſophiæ præferre? Hoc eſt, cum cęnum nitẽti auro, cum tenebræ luci præferuntur? Cum veteres theologos, humaniſtas, & grammaticos appellant? eoſq; theologorum nomine, quia ſophiſtæ nõ fuerint, dedignantur. Alii præter hæc, quæ modo enumerauimus mala, etiam id habent peculiare, ſtomachoſum, inuiſum, atq; odioſum, quòd eorũ pleriq;, ſe vehemẽter in cõſortium, & amicitiã principũ, ac nobiliũ coniiciunt, ſecretorum, quæ nihil ad ſe pertinẽt, ſunt cõſcii, quòd quęſtus gratia, eorũ nõnulli oẽm angulũ irrepũt, omnia conãtur, quòd nimiũ hypocritæ ſint, quòd nimiũ ſe in negocia ſæculariũ immiſceãt. Ex quo grauiſſima ſæpe mala oriri neceſſe eſt. Quæ cum ab aliquibus improbis emerſerunt aliquando, totum dehoneſtarũt ordinem, odioſumq; apud plebem, & eruditos fecerunt. Fecerunt, vt tales omnes eſſe crederentur. ex quo execratio, & contẽptus totius religionis conſequutus eſt. Omnium ceremoniarum, omnium diuinorum inſtitutorum abhominatio, propter peſſima tantum quorundam exempla. Ineptam igitur illã, & contemptiſſimã, ac faſtuoſam theologiã, malamq; viuendi rationẽ, quæ bona ſui parte ex falſa iſta theologia profecta eſt, hãc hæreſim, hoc incẽdiũ excitaſſe certiſſimũ eſt. Non modo. n. ad bene viuẽdũ per illã eruditionẽ nihil promouemus, verũ ea magis infatuat mentẽ humanam, adimitque ſenſum, ac guſtum ſanctarum ſcripturarum, totumq; peſtifera quadam contagione inficit animum. Vt niſi quis ſecum attulerit ab incunabulis bonitatem naturæ, ab ea in multos errores adducatur. Eſt enim impura theologia .i. erroribus, & ambitione philoſophorum contaminata. Nec in ea præter nomen, & gloriam, & oſtentationē, quæritur quicquā. Quia igitur hi, quos memorauimus, huic ſupra cęteros addicti ſunt, factū eſt, vt ea tales eos reddiderit, qui, & in ſe, & in totā religionē multos concitarint. Igitur poſtquam eo ſe crimine commaculaſſent Lutherani, quod ſedi Apoſtolicæ detrahere, maledicere, eamq; calumniari cęperunt, omnes illico mirabilis inceſſit ardor totius a fundamentis conuellēdę religionis, inuaſitq; vna omnes opinio, vt quemadmodum fictam non veram, recentem nō veterem, humanitus nō diuinitus acquiſitam ſedis Romanæ authoritatem ſe reperiſſe putabant, ſic cętera in ipſa tota religione arbitraria dicerent, & prædicarent. Partim, & in ipſius ſedis odium id factum eſt, vt quia ceremoniæ, atq; inſtituta fere omnia a Pontificibus Rom. eſſent profecta, in eorū inuidiā etiam illa tollerentur. Quicquid igitur a pontificibus eſſet natum, putarunt eſſe tollendū, eque hominum memoria penitus obliterādum. Quamobrem non eſt dubium, quin in hac hæreſi ſit illud peſſimum, quod ſummi capitis tollit authoritatem. Tunc enim totius religionis contemptus ſequitur, cum quod in ea eſt præcipuum damnatur, id, quod Cyprianus ille illuſtri voce proclamat. Neq; vero ignorabamus ipſi innumerabiles prope fuiſſe, qui hanc prouinciā ſuſcepiſſent, defendendę a latratibus ferarū, ſedis Apoſtolicæ, imprudenteq; iure merito, me ab omnibus iudicandum, qui rem teſtatiſſimā, omniq; ſapienti certiſſimam velim confirmare, in tanta præſertim eorum, qui de ea ſcripſerunt multitudine, ſed quoniam ea ſumus allaturi, quę nemo hucuſq; in huius rei defenſionem attulerit, probaturiq; euidentiſſimis teſtimonijs ſumus, Romanum Pontificem, idem eſſe in moderanda religione, quod ſit Imperator in regno terreno, ac multo quoq; maius, eo, quòd non tam ab hominibus, ſed etiam a Deo, inuenta ſit tanta dignitas, quantam homo mortalis poſſet capere, hoc non erubuimus breuiter de his ſcribere. Sed ſicut pauloante oſtendimus, aliquando Germanos ab eccleſia Romana diſſenſiſſe, vt conſtaret, quam in id eſſent propenſi, ſic oſtendamus nunc, non primum Lutherum auſum, huius authoritatis auferendæ facinus, ſed permultos etiam ante ipſum, maximeq; apud græcos. Mitto primum commemorare maximam Græcorum ſuperbiam, qui, vt Conſtantinopolim, nouā Romam vocabant, ſic ipſius vrbis patriarcham, æqualem Romæ veteris Pontifici eſſe volebant, quam ſuperbiam, vt compeſcerent ſapientiſſimi Imperatores, ſæpe decreto ſanxerunt Pontificem Rom. omnium eſſe primum, id, quod euidentiſſime probaturi ſumus. Aggrediamur igitur, ipſaq; ex quocunque ſcriptore verba proferamus, maximeq; Græca, vt, quia Græci Romanis ſunt vetuſtiores, eorum authoritate, hanc rem euidentiſſime comprobemus. Fuiſſe igit̄ apud illos, qui hāc authoritatē tollere eiſdē frȩti rationibus, quibus, & Lutherus ſint auſi, declaratur in cōſcriptionibus Nicephoræ Grigoræ, qui liber eſt in bibliotheca diui Ant. Canonicorū Regulariū Cōgregationis ſancti Saluatori, Venetijs, quam Dñicus Grimanus, & Marinus eius ex fratre nepos Reuerē. Card. ibidē erexerunt, ibi hæc ſcribit Barlahā Græcus, monachus, qui, & ipſe poſtea hæreſim condidit. Nā cū de proceſſu Spiritu ſancti falli latinos, eorūq; Pontificem diceret, ſic ſcripſit ad Nicolaum Archiepiſcopum, Μὴ τοῦτο οἴου σεβάσμιε πάτερ, ὅτι τοῦ πάπα τῶν ὀρθῶν ἐκπέσοντος δογμάτων, τὸ πᾶν ἀπώλετο τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἡ τοῦ θείου πέτρου πίστις ἐξέλιπεν, καὶ οὐκ ἔτι βικάριος τοῦ χριστοῦ ἔσται ἐν τῇ γῇ ἕκαστος γὰρ τῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων βικάριος ἐστὶ τοῦ χριστοῦ, καὶ τῶν ἀποστόλων διάδοχος ὥστε κἂν ἅπαντες οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐπίσκοποι τῆς ὀρθῆς ἐκπέσωσι πίστεως, εἷς δὲ μόνος τοῖς ὀρθοῖς ἐμμείνῃ δόγμασι, οὗτος ἐστὶ ἐν τῇ γῇ τοῦ χριστοῦ βικάριος καὶ ποιμὴν τῶν ἀπολειφθέντων ὀρθοδόξων προβάτων καὶ ἐν τούτῳ ἡ τοῦ θείου πέτρου σωθήσεται πίστις μεῖζον γὰρ ἀξίωμα, ἢ τὸ τοῦ ἐπισκόπου παρὰ τῶν θείων ἀποστόλων οὐκ ἐγένετο οὐδὲ γὰρ ἔστιν ἐν ταῖς τῶν ἀποστόλων γραφαῖς μνεία ἢ μητροπολίτου. ἢ ἀρχιεπισκόπου. ἢ πάπα, ἢ πατριάρχου, οὐδὲ πάλιν ἐπισκόπων ἐπισκόπου ἄρχειν ἐθέσπισαν οὐ γὰρ ἂν ἔχοι τις τοῦτο δεῖξαι ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων νομοθεσίας, ἀλλ᾽ ἅπαντες οἱ ὑπ᾽ αὐτῶν χειροτονηθέντες ἐπίσκοποι ἰσότιμοι ἀλλήλοις καὶ ὁμοταγεῖς ἐγένοντο. διὸ καὶ ὁ ἅγιος κλήμης οὐκ ἐπὶ τὸ ἄρχειν τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐπισκόπων, ὑπὸ τοῦ θείου πέτρου προεβλήθη, ἀλλὰ μόνον ἐπίσκοπος ῥώμης ἐγένετο. καὶ ὅσον γε ἐκ τῆς τοῦ κορυφαίου χειροθεσίας. οὐκ ἄλλο ἔχει ὁ πάπας, ἢ τὸ εἶναι ῥώμης ἐπίσκοπος, οὐκ ἄρχων τῶν ἄλλων γενόμενος ἀλλὰ ὁμοταγής, οὐ γὰρ ἐπειδὴ παπᾶς εἴωθεν ὀνομάζεσθαι, ἤδη τὸ ὄνομα τοῦ τὸ ὑπεροχῆς τινός, ἢ ἀξιώματος δηλωτικόν ἐστιν. καὶ γὰρ καὶ τὸν ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον, παπᾶν εἰώθασιν ὀνομάζειν, καὶ παρ᾽ ἡμῖν ἕκαστος τῶν ἱερέων, παπᾶς ὀνομάζεται, παπᾶς γὰρ λέγεται πατὴρ ὥστε καὶ ἕκαστος ἐπισκόπων, εἰ καὶ μὴ ὀνόματι, ἀλλά γε πράγματι παπάς ἐστιν τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ ποιμαινομένων, Quorū is ſenſus eſt. Nō eſt ꝙ arbitreris Reuerēde pater, idcirco vniuerſā eccleſiā cōcidiſſe, Petriq; fidē defeciſſe, ꝙ Papa a rectis dogmatib. deuiarit, neq; ꝙ non ſit amplius Vicarius Chriſti in terra. Quilibet .n. Orthodoxus Epiſcopus, Vicarius Chriſti eſt, & Apoſtolorum ſucceſſor. Quare etiam ſi oēs orbis terrarum Epiſcopi, e recta fide cecidiſſent, vnus ſupereſſet, ille Vicarius eſſet Chriſti, & legitimus Paſtor relictarum in recta fide pecudum, in eoq; vno fides Petri ſeruaretur. Nulla enim dignitas maior eſt ab Apoſtolis conſtituta, quàm epiſcopatus. Neque in ſcripturis Apoſtolorum inuenies vnquam nomen Metropolitani, vel Archiepiſcopi, vel Papæ, ſeu Patriarchæ. Neque vt epiſcopus alteri epiſcopo imperaret, illos decreuiſſe, neque quicquam huiuſmodi eos vnquam ſtatuiſſe. Sed omnes qui ab illis electi fuiſſent epiſcopi, æquales inter ſe erant, vnaque omnium authoritas. Ideo & ſanctus Clemens non eſt præfectus a Petro, vt omnibus orbis terrarum epiſcopis eſſet maior, ſed ſolum epiſcopus Romæ creatus eſt. Atque ex eo, quòd ei manus impoſuerit ſupremus Apoſtolorum, nihil eſt aliud aſſecutus, quàm quòd epiſcopus Romæ eſt effectus non quòd alijs ſit præfectus. Neque enim, quòd Papa vocatur, eo aliqua excellentiſſima dignitas ſignificatur. Nam, & epiſcopum Alexandriæ, ſoliti ſumus vocare Papam, & omnes Sacerdotes apud nos eo nomine ſolent vocari. Papa enim patrem ſignificat. Quamobrem quilibet epiſcoporum, ſi non nomine, ſaltem re, eſt Papa ſuarum pecudum. Hæc quidem ille. Vidiſtis igitur Lutheranæ prauitatis imaginem, & adamuſſim expreſſum ex officina eius hominis hæreticum, vel potius præceptorem, & anteſignanum. Hoc differunt, quòd Martinus natus ad Oceanum, iactantius loquitur, vt quaſi gladiatorem, vel thraſonem quendam ſua facinora iactantem, prodigioſaſque minas intentantem audias. Is aliquanto agit modeſtius. Sed ad eius verba nos aliquid reſpondeamus. Homo ad hæreſes ſuſcitandas, & ipſe natus, & factus, non potuit, & hæc ex eadem ſentina non proferre. Fuit enim is Barlaham bifariam hæreticus, primum, quòd proceſſum Spiritus ſancti ex filio negauit, qui fuit Græcis olim communis error. In eoque dicit Romanum errare Pontificem, quaſi ſentiret cum omnibus Italis, quos illi putabant hæreticos. Qua de re ſæpe ſæpius diſputatum eſt. Altera eius hæreſis eſt, & quidem fœdiſſima, quæ per ſua capita digeritur apud Græcos, vt in eodem libro videre licet, & inter alia ὅτι ὁ θεὸς χριςιανῶν, ȣ̓ ἐςὶν ἁγία τριὰς, ȣ̓κ ἐςί τρια πρόσωπα, ἀλλὰ μία ἐςὶν ὑπόςασις, ἓν πρόσωπον. hoc eſt, quòd Deus Chriſtianorum, non ſit ſancta Trinitas, neque tres perſonæ, ſed vna hypoſtaſis, vnaque perſona: contra quem coegit ſynodum Philotheus patriarcha Conſtantinopolis, eumque in ipſa ſynodo hæreticum pronunciauit. Mirabor igitur hominem, talia de Romano dixiſſe Pontifice, qui etiam, quæ ſunt apertiſſima, & maxima in noſtra religione, negare non erubuit? Et qui ſummo Deo maledixit, non fuit difficile, vt de homine a Deo conſtituto ea diceret. Vides igitur eos, qui ſummi capitis authoritatem, vel dignitatem abſtuliſſent, etiam aliarum hæreſεων authores fuiſſe. Ex eadem quippe mente omnia fluunt. Fuit igitur vndique Martino ſimilis. Vterque enim ſedi Apoſtolicæ detraxerunt, non ſua ipſius gratia, ſed gratia aliarum hæreſεων, quæ ſuſcitari, aut ſuſtentari non poterant, niſi ſublata illius primi, cuius intereſt, omne venenum extinguere, ſibiloſque ſerpentium ſopire, authoritate. Hæc igitur, quæ ab eo dicta ſunt, partim eſſe falſa noſcuntur, quòd ab homine hæretico, & in alijs facinoribus deprehenſo fluxere, partim quòd fuerit Græcus, qui ſemper inuiderunt eam ſedem Romanis: deinde quòd ea, quæ dicuntur, ſine vlla ratione dicuntur. Poſtremo quòd ipſe ſeipſum videtur pene refellere. Primumque, & ſecundum ſunt apertiſſima. Oſtenſum enim eſt, eum fuiſſe hæreticum. Dictum quoque, Græcos præſertim recentiores, minuſque probos, ſæpe id eſſe conatos. Reſtat vt alia duo comprobemus. Primum non negat, Petrum fuiſſe coryphæum, ideſt ſupremum, & quaſi altiorem omnibus Apoſtolis. Quod a Lutheranis non ita conceditur, & in eius rei gratiam nihil non moliuntur, nullas non ſcripturas extorquent, eoſque paucis ante diebus, & Oecolampadius quidam, Theophylactum euangelij Ioannis interpretem fœdiſſime corripuit, omittens, quæ interpres ille de excellentia Petri diſſeruiſſet: finxitque ſibi eo loci ipſum contextum defuiſſe, de qua re paulo poſt. Deinde fatetur ipſum Petrum Romæ fuiſſe epiſcopum, & ſucceſſorem ſibi Clementem reliquiſſe, quæ a Lutheranis hominibus, qui nihil non negant, facile non concederentur. Putarunt enim hi Germani, id abunde teſtari excellentiam Romani Pontificis, ſi Petrus primus omnium fuiſſet Apoſtolorum. Atque ideo hoc improbare, vt tolleretur illud, conati ſunt. Itaque quoniam huius etiam teſtimonio, talem inter ſe gradum habere debent epiſcopi, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, qualem habuerunt ipſi Apoſtoli, non eſt dubium, quin Petri ſucceſſor, ſit cæteris maior. Quoniam igitur Petrus maximus fuit Apoſtolorum, ad omnium maximam Vrbem miſſus eſt, vt vbi caput eſſet Imperij, ibi etiam caput, & fons religionis. Vt inde tanquam ex corde, cœleſtis fidei vigor in vniuerſum orbem effunderetur. Quo igitur conſilio factum dixerimus, vt princeps Apoſtolorum, ad reginam Vrbium accederet, alij Apoſtoli non accederent? Duo igitur inter ſe diuinitus conſenſere, vt, & Petrus eam ſedem, non alius Apoſtolorum conſtitueret, & ibi conſtitueret, vbi totius orbis contineretur Imperium. Quod ſapieniſſimi Imperatores videntes ſequenteſque diuinum conſilium, edicto confirmarunt eam eſſe ſedem Chriſtianæ religionis. Quid enim Conſtantinum, & Iuſtinianum, & Phocam, aliosque induxit, vt talia de primatu religionis ſancirent, præcipue vero Conſtantinum, qui cognoſcens Petri ſucceſſorem eſſe Pontificem Romanum, & ibi ſucceſſorem, vbi ſummum eſſet Imperium, intellexit ſapientiſſimus Imperator, ibi fundamentum religionis totius mundi a Deo fuiſſe poſitum. Quid enim eum mouit aliud, vt paulo poſt in eius decreto videbimus? Nonne igitur ſeipſum refellit iſte Barlaham, tum quòd Petrum dicit ſupremum Apoſtolorum, Romanumque fuiſſe Pontificem, deinde quòd confirmatum, ſancitumque ab Imperatoribus ait fuiſſe, vt is eſſet omnium primus, ſic enim proſequitur. Τοδέ γε εἶναι πρῶτον ἀδελφὸν πάντων κατὰ τὴν οἰκουμένην ἱεραρχῶν ὑπὸ τῶν ἐυσεβεστάτων βασιλέων, κωνσταντίνου τε, καὶ ἰουστινιανοῦ, καὶ τῶν θείων συνόδων, τῶ πάπα δεδώρηται διὰ τὸ βασιλεύουσαν εἶναι πόλιν τὴν ῥώμην. ἐύλογον γὰρ ἡγήσαντο τοῦτον εἶναι τῶν ἱεραρχῶν πρῶτον, ὃς ἐν τῆ ἀυτῆ πόλει κατοικοῖ, τῆ πάντων πρωτευούση βασιλίδι, Hoc eſt, eum autem primum fratrem omnium orbis terrarum epiſcoporum eſſe, a pijſſimis Imperatoribus, Conſtantino & Iuſtiniano, & ſanctis ſynodis Papæ eſt conceſſum, propter reginam vrbium Romam. Rationabile ſiquidem exiſtimarunt, eum eſſe primum epiſcoporum, qui in vrbe regia, & omnium maxima præſideret. Hæc ille. Sed attendite obſecro Græcorum inuidiam, ac ſuperbiam, quæ hic, & vbique fit manifeſta. Primum dicit, hunc primum fratrem aliorum epiſcoporum ab Imperatoribus fuiſſe conſtitutum: quãquam enim reuera Pontifex frater, & pater omnium ſit, ſicut & Chriſtus Apoſtolos fratres vocauit, tamen non hoc iſte innuit, ſed quandam æqualitatem, vt nihilo ſit maior, quàm reliqui fratres: eum igitur mendacij accuſemus. Non enim vel Conſtantinus, vel Iuſtinianus, fratrem aliorum epiſcoporum eum nominarunt, ſicut fingit iſte. Et de Conſtantini decreto paulo poſt videbimus. Nunc id ipſius Iuſtiniani proferamus, quod, & ab ipſo aduerſario citatur. Sic enim centeſimo trigeſimo capite ait. Θεσπίζομεν κατὰ τοὺς τῶν ἁγίων συνόδων ὅρους, τῶν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης ἐπίσκοπον πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, ideſt decernimus ſecundũ ſanctarum ſynodorum definitiones, ſanctiſsimum veteris Romæ epiſcopum primum eſſe omnium ſacerdotum. Non ergo fratrem eum appellauit. Deinde quæro, quid poteſtatis eſſet Imperatoribus, eum, vel eum epiſcopum efficiendi primum, niſi diuinitus ſcirent id fuiſſe decretum, aliàs certe maxima fuiſſet præſumptio. Sed videbimus in decreto Conſtantini, quid eum impulerit, vt Rom. Pontificem præferret cęteris, omniumq́; principem pronunciaret: tum mirabimur hunc græculum, qui hæc non ignorabat, qua ratione potuerit, his commentis adduci, vt de re tam manifeſta mentiretur, veritatiq; tenebras offunderet. Facile igitur intelligitur, quid hunc induxerit, vt religionis caput Romæ nollet eſſe, idem ſcilicet, quod, & Lutherum, & quoſdam alios Germanos, inuidia inquam, & ſuperbia, idque ex reliqua eius tota ratione apparet. Siquidem Patriarcham Conſtantinopolitanum ait, nunc eſse primum omnium, quia cum Pontifex Romanus a recta fide deuiaſset, & is ab Imperatoribus ſecundo loco poſt ipſum fuerit conſtitutus relinqueretur, vt primus omnium ipſe eſſet. Hoc autem ea gratia fuerat dictum, vt Pontifex Romanus non ſolus Vicarius Chriſti eſse monſtraretur. Sic enim ſequitur ὥστε ἐπεὶ ἐκεῖνος τῶν ὀρθῶν ἐξώκελλε δογμάτων, καταλείπεται πρῶτος εἶναι τῶν ἄλλων πάντων, ὁ ἡμέτερος πατρίαρχης. Hoc eſt. Quapropter quoniam ille, Romanus, ſcilicet Pontifex, e rectis dogmatibus excidit, relinquitur, vt omniũ primus, ſit noſter patriarcha. Huc ergo tendebat omnis eius conatus, vt ſuo patriarchæ, ſublata epiſcopi Romani dignitate, adularetur. Finxit ergo ſolum ab Imperatoribus, non etiam a Deo primatũ Ro. ſedis fuiſse conſtitutum, ne eſset inferior ſuus Patriarcha, de quo, neque ab ipſo Deo, neque ab Apoſtolis, quicquam fuerat conſtitutum, ſed ab Imperatoribus ſolum. Atque hæc quidem in iſtum græculum dicta ſint, vt commonſtraremus, non eſse mirum, ſi quidam ex Germanis, caput religionis imminuere ſint conati, quando aliæ quoque nationes, eiſdem malis affectibus impulſæ, idem attentarint. Vt conſtaret etiam, non eos hoc eſse auſos, qui a qualibet alia hęreſi eſsent intacti, ſed qui ex eodẽ fonte, & hanc, & alias protuliſſent, & qui pectus alijs quoque peſtibus haberent infectum, & hoc facinus, tanquam fundamentum reliquorum ſcelerum eos primum iecisse. Apparet enim hoc potiſſimum in ipſo Luthero: Cuius tũc fortaſſe authoritatem admiſiſſemus, ſi hoc tantum fuiſſet auſus, aut ſi qua modeſtia, ſi quibus rationibus, ſuam opinionem comprobaſſet, ſed quia maiora ſcelera poſtea in eo vidimus, facile intelleximus, quarum rerum gratia, prima excogitaſſet. Nos igitur omnes rationes ſic connectamus. Primum, dico Petrum principem Apoſtolorum a Ieſu Chriſto fuiſſe conſtitutum. Deinde, omnes epiſcopos, & ſacerdotes tales eſſe inter ſe, quales ipſi eſſent Apoſtoli, in quorum locum ſucceſſerunt. Quoniam vnus erat Apoſtolorum princeps, ſic vnum eſſe neceſſario principem ſacerdotum, ſicut erat in veteri lege. Rurſum dico ſummos ac pijſſimos Imperatores, non aliam ob cauſam, primatum Romano dediſſe

Pontifici, quàm quia prius a Deo id factum animaduerterant. Lutherani igitur, & Græci, in deſtruenda ſedis Romanæ authoritate, hoc differunt, quòd Lutherani, neque Petrum Principem Apoſtolorum, ac quaſi maiorem volunt fuiſſe, neq; ab Imperatoribus confirmatam eam dignitatem confitentur, tenat enim exiguam litterarum peritiam, qua, & freti, in omnes leges, & ſtatuta, impetum fecerunt. Græci vero, qui & Romanis eſſent vetuſtiores, & qui ſuos antiquiſſimos ſcriptores ſcirent, de primatu Petri ſæpius ſcripſiſſe, quique decreta Imperatorum apud ſe haberent, vtrunque confeſſi ſunt, ſed etiam ipſi, non inſcitia, ſed malignitate, & inuidia, quæ eſſet veritas, & quam ſui ſcriptores prodidiſſent, aperiri noluerunt. Nos igitur non contra Lutheranos quidem, qui nullas rationes volunt: qui Iudæis in placitis ſuis pertinaciores ſunt, ſed ad eos, quibus plus rationis eſt, & qui peſtilentiſsimis eorum ſcriptis fidem fortaſſe adhibuerunt, non alio vitio, quàm quia neſcirent aliud, ſcribemus, & vtrũque, quod Lutherani negarunt, comprobabimus. Primo vero, appellatum non ſolum ab ipſo Ieſu Chriſto, verumetiam ab omnibus poſtea Chriſtianis, Petrum Apoſtolorum principem demonſtrandum eſt. Secundo, vetuſtiſsimorum etiam ſanctorum authoritate, ſoli Petro totius orbis terrarũ curam atq; adminiſtrationem fuiſſe commiſſam, reliquis vero Apoſtolis priuatas nationes, ac particulares eccleſias, comprobandum. Ac primum adeo mihi certum, atque exploratum videtur, vt eum qui neget hebetiſsimum, qui comprobare velit, imprudentiſsimum iudicem. Plena ſunt omnia Græcorum monimenta, plenæ litteræ Latinorum, nihil offertur crebrius, nihil tam vbique occurrit. Hucuſque rei vel id ſit maximum indicium, quòd ſolus Petrus cum alio Chriſtianę religionis lumine, Romam miſſus ſit: prima mundi ſydera, ad primam rerum ſedem, ad Imperatorem ipſum. Ac de Paulo quidem ſatis conſtat ex Actis Apoſtolorum, de Petro vero, quod Lutheranorum impudentiſsimi quidam negare auſi ſunt, præter infinita propemodum teſtimonia, eſt vox ipſius magni Conſtantini, quam in ſuo decreto audiemus, eſt Clementis, Euſebij, Egeſippi, Cypriani, Tertulliani, Lactantij, qui proximi temporibus illis fuerint, teſtimoniũ. Sed maxime Lactantij citare volui, qui, & oraculum de capiendis a Veſpaſiano, & Tito Hieroſolymis, ab ipſis Apoſtolis prolatum, ſeruatum Romæ vſque ad ſua tempora, ſcribit. Cuius hæc ſunt verba libro diuinarum inſtitutionum quarto, capite vigeſimo. Sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt, & ea prædicatio in memoriam ſcripta remanſit, in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Iudæos, & Ciuitates eorum ſolo adęquaret. Ipſos autem, fame, ſitiq; confectos, obſideret. Tum fore, vt corporibus ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe inuicem. Poſtremò, vt capti venirent in manus hoſtium, & in conſpectu ſuo acerbiſsime coniuges ſuas vexari cernerent, violari, ac proſtitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique ferro, igniq; vaſtari. Captiuos in perpetuum terris ſuis exterminari: Eo quòd exultauerunt ſuper amantiſsimum, & probatiſsimum Dei filium. Itaque poſt illorum obitum, cum eos Nero interemiſſet, Iudæorum gentem & nomen Veſpaſianus extinxit, fecitq; omnia, quæ illi futura prædixerant. Audis Petrum, & Paulum Romam veniſſe, atque ibi prædicaſſe, eorum prædicationem in memoriam ſeruatam fuiſſe? Audis Hieroſolymorum, & Iudaicæ gentis excidium eos prædixiſſe? Et quod maius eſt, eos a Nerone peremptos fuiſſe? Atque hæc quidem dicuntur ab illo, qui fere audiſſe potuit ab his, qui ipſos Apoſtolos audiſſent. Non aliter quoque, Suidas refert, Philonem Iudæum, cum Romæ legatione gentis ſuæ fungeretur, habuiſſe ſermonem cum diuo Petro, amicitiamque feciſſe in hunc modum. Λέγουσι δὲ τοῦτον ἐπὶ γαΐου καλλιγόλα ἐν τῆ ρώμη κινδυνεῦσαι, ὁπηνίκα πρεσβευτὴς τοῦ οἰκείου ἔθνους ἀπεστάλη, καὶ ὅτε τὸ δεύτερον ἦλθε πρὸς κλαύδιον ἐν τῆ αὐτῆ πόλει. διαλεχθῆναι τῶ ἁγίω ἀποστόλω πέτρω. καὶ τούτους ἐσχηκέναι φιλίαν. καὶ διὰ τοῦτο τοὺς σπουδασὰς μάρκου τοῦ μαθητοῦ πέτρου ἐν ἀλεξανδρεία ἔπεσί κεκοσμηκέναι, Fertur inquit, ſub Caio Calligula hunc Philonem Romæ obijſſe, dum gentis ſuæ eo loci legatione fungeretur. Rurſumque, cum ad Claudium eſſet miſſus, aiunt eum in eadem vrbe, ſermonem cum diuo Apoſtolo Petro habuiſſe, amicitiamq; feciſſe, ob eamq; cauſam, verſibus eos exornaſſe apud Alexandriam, qui Marcum ſequerentur, quem ſciebat diſcipulum Petri fuiſſe. Sic ille. Irenæus quoque ſcriptor vetuſtiſſimus ſæpe aduentum Petri ad Vrbem commemorat, quem vna cum Paulo, ait ibi fuiſſe peremptum, ſed ipſum cruci affixum fuiſſe. Idem Euſebius in Hiſtoria eccleſiaſtica'. Egeſippus ſcribit ſuo tempore viam qua ad martyrium ducti Apoſtoli fuiſſent, oſtendi ſolitam, Oſtendi ipſorum Apoſtolorum Trophęa. Videmuſq; hic paſsim non ſolum de aduentu ipſius Apoſtoli mentionem fieri, verumetiam de ipſo tanquam principe reliquorum. Quid, quòd vetuſtiſsimus Cyprianus, ſedem Romanam vocat, Petri Cathedram, ſæpe in ſuis epiſtolis: Præſertim in tractatu de ſimplicitate prælatorum, ideſt quòd vnus oporteat eſſe prælatus non plures? Atque hac quidem re omnes, & Græcorum, & Latinorum libri referti ſunt, vt qui hoc neget, Solem in mundo etiam eſſe neget. Neget quæ perſpectiſſima ſunt. Primum vero ac quaſi principem Apoſtolorum appellatum, ac conſtitutum fuiſſe Petrum, eſt & ipſum clariſſimum. Quem omnes Græci, Dionyſium Areopagitam ſecuti, vocant Corypheum, hoc eſt, ſupremum, extantemq; alijs. Sic enim de eo magnus Dionyſius, de Diuinis nominibus ſcribit. Aderamus, inquit, nos ſacroſanctæ Virginis Mariæ funeri, παρῆν δὲ καὶ ὁ πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. Hoc eſt, aderat & Petrus ſublimitas illa ſuprema, ac vetuſtiſſima omnium theologorum. Apicem, & faſtigium vocat Petrum theologorum, theologos, Apoſtolos, omneſque prophetas intelligens. Vetuſtiſſimam vero, quòd omnibus Apoſtolis eſſet vetuſtior. Secundum hanc appellationem conſone etiam ſcribit ſynodus quinta Pontifici Romano Agapeto, hoc modo, ἀρχιεπισκόπῳ τῆς ρωμαίον καὶ πατριάρχῃ ἀγαπητῷ. ὁ κύριος τὸν τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποςόλων θρόνον καταπιςεύσας μακαριώτατοι. Sanctiſſimo ac beatiſsimo patri patrum principi epiſcoporum, principi patrum Agapeto. Dominus, qui vobis ſedem principis, ac maximi Apoſtolorum credidit. In ſecunda quoque ſynodo Petrus vocatus eſt κεφαλὴ πίςεως καὶ τῶν ἀποςόλων, caput fidei, & Apoſtolorum, ibidem & θεμέλιον & κίων. Fundamentum, & columna fidei. Synodus autem tertia ſic ait. ὁ κορυφαῖος ἀποςόλων πέτρος ὁ ἐπὶ τῆς μεγάλης ῥώμης θρόνῳ καθεζόμενος. Supremus ille Apoſtolorum Petrus qui in throno magnæ Romæ ſedit. In eadem quoque ſynodo τὴν τῶν ἀποςόλων διαδοχὴν, Apoſtolorum ſucceſsionem vocarunt Romanam ſedem. In eadem quinta ſynodo dicitur, quòd quemadmodum Petrus ad profligandum Simonem Magum Romam miſsus fuerat, ſic beatus Papa Agapetus aduerſus Anthimum Hæreticum, contra quem ſynodus collecta fuerat. In eadem Græcorum etiam ſuperbia fatetur, ſe Romanæ ſedi eſſe ſubiectam. Nam patriarcha Conſtantinopolitanus, ait, ἡμεῖς ὡς ὑμετέρα ἀγάπη ἐπίςαται τῷ ἀποςολικῷ θρόνῳ ἐξακολουθοῦμέν τε καὶ πειθόμεθα. Hoc eſt. Nos vt veſtra nouit dilectio, Apoſtolicam ſedem ſequimur, eiq; obedimus. Sed ne tempus in producendis teſtimonijs conteramus, quorum producendorum nullus eſſet finis, fateri neceſſe eſt, eos qui rem illuſtriſſimam, ac nulli non perſpectam negare conati ſunt, omnis impietatis, ac ſtultitiæ limites exceſſiſſe. Nec de Luthero quicquam mouemur, quem docent ſcripta eius fęedisſima, furorem eſſe verius, quàm hominem, in quo nulla modeſtia, nullum humanitatis appareat veſtigium, etiam ſi neſciremus. Sed mouent nos illi, qui homines, non beſtiæ volunt videri, qui ſe Chriſtianos iactant, qui ſe ex litterarum ſtudijs aliquem fructum cępiſſe oſtendere curant, qui politiores ſunt, qui vocant alios ad pietatem, hos inquam miramur, quòd, & eaſdem res ipſi aut inuexerint, aut ſuſtentarint, amplioreſque fecerint, & quod vel neſcirent ſe mentiri, vel ſcire diſsimularint. Nec intelligant qua ſe impietate fędauerint, quam ſi patres illi ſanctiſsimi, omnibusq; Hæreſibus infeſtiſsimi, reuiuiſcerent, omnes vna voce deteſtarentur, hoc maxime, quod ſciſſuram facit inter Chriſtianos. Melius enim eſt vnum etiam malum eſſe caput, quàm aut nullum, aut plura. Qua enim acerbitate inuehitur in hos? Cyprianus nam, & id temporis hoc Hæreticorum non defuit genus. Sed fallimur, loquimur pertinaciſsimis hominibus, petras emollire tentamus, qui incluſam in pectore habent feritatem, quæ non ſinit eos veritatem aſpicere: irreconciliabiles mentes placare cupimus, quæ etiam ſi ipſe illuceſceret Chriſtus non placarentur, propter illarum duritiem. Sed loquemur etiam ſi pauci audierint, aut etiam nullus. Nam, & riui, & fontes fluunt, etiam ſi nemo hauriat. Et loquemur ſi non infectis hac peſte, & qui natura ſecum gerunt feritatem, ſaltem reliquis Chriſtianis, aut etiam ipſorum Germanorum his, qui ſapientiores ſunt, magiſq; veritatem, quàm vnius temerarij, & impij hominis, quæ apud vilem plebeculam nata ſit, authoritatem amplectuntur. Quorum, & plures eſſe ſcimus. Neque tam deſperata illius gentis res eſt, vt omnes tam vecordes ſint, vt hominis blaſphemi, truculentiſsimi, temerarij, iactabundi, minacis inſolentiam non cognoſcant, in quo omnia ſunt, præter id quod eſt Chriſtiani, qui Germaniam peſsimo ingratitudinis ſcelere delinquere coegit, vt Romanam Eccleſiam execraretur, calumniareturque, a qua Chriſtianam religionem ſuſcepiſſet. Vt enim beatus Gregorius Chriſtianos effecit Anglos, ſic diuum Petrum, & ſanctum Clementem Galliam, atque Germaniam miſsis Dionyſio, Ruſtico, alijſque compluribus, Chriſtianos reddidiſſe, in antiquis Græcorum monumentis inuenimus. Pro qua gratia nunc non modo repulſam, quod eſſet tolerabile, ſed blaſphemias, contemptum, irriſionem, omne contumeliarum genus recepit. Recepit, vt eum non modo viuere permitteret, verumetiam aleret, ac foueret, qui factus eſt ad vaſtitatem religionis Chriſtianæ, ad dehoneſtationem ſanctorum, ad defędandum cęlum maledictis, ac barbarie, ad lacerandos viros bonos, eorumque labores. Cuius lingua a nullo procacitatis genere abſuit vnquam, cuius mens nihil non exitiale eis in omnes meditata. Hæc ab illis recepit Romana ſedes, quæ ei non ſolum chriſtianam religionem, ſed etiam Imperium largita fuerat. Quæ litteras, quæ diſciplinas, quæ leges, omnia denique, quæ apud eos laudata habentur. Nunc ad reliqua ſi placet accedamus. Scimus igitur, omnium prope ſcripturarum teſtimonio, beatum Petrum non ſolum Romam veniſſe, ſed etiam Apoſtolorum principem fuiſſe, eamque authoritatem ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe, idque, & ſanctas omnes ſynodos intellexiſſe, & ob id honorem ſummum, obedientiamque Romano Pontifici exhibuiſſe. Nunc aliquanto validioribus rationibus id ipſum comprobemus. Atque is eſt locus, quo detegitur Lutheranorum illorum malignitas, qui ſedi Romanæ ſuam dignitatem abripere conabantur. Et quam nulla ratione & doctrina docente id fecerint, ſed prauitate, & peruerſitate. Impellente furore quodam, & rabie, ac pertinacia, quemadmodum in ſua duritia Iudæi, perſiſtunt, qui ne ſi Chriſtus etiam coram eis prodigioſa miracula perpetraret, dicunt ſe credituros vnquam. Ita inquam hi, ſi mille ſanctorum voces docerent Petri primatum, aut tegerent, aut penitus negarent. Audite igitur omnes gentes, audite inauditum, & inuſitatum genus improbitatis. Oecolampadius quidam, qui poſtea aliarum impietatum fuit aſſertor, qui Baſileæ paucis ante menſibus contra Euchariſtiam concionabatur, vt, & ipſe ſibi, quemadmodum & Lutherus, nominis aliquid vtcunque compararet, cum Theophylactum Ioannis interpretem, e Græco in Latinum tranſtuliſſet, ventumque ad eum locum eſſet, vbi dicitur, Petre amas me, paſce oues meas, vbi ipſe Theophylactus, late de authoritate, ac dignitate, & principatu Petri diſſeruit, eius omnem ſententiam, Oecolampadius negare quidem erubuit, vt qui eum prius approbaſſet, latinumque faceret, ſed aliud commentus eſt, & qui ſcirent idem haberi apud Chriſoſtomū, Ne enim in lucem tantum teſtimonium veniret, ipſis etiam Lutheranis approbantibus, affirmauit ſibi textum ibi defuiſſe: quod quam falſum ſit, & commentitium, non eſt iudicatu difficile, ſi quibus illorum hominum peruerſitas, ac rabies, qua in reliquis vtuntur, ſit nota, qua, & ſcripturas deprauant, ſi poſſunt, ſi non poſſunt, vel negant, vel occultant, vbi contra hæreſes eorum aliquid diſputatur. Deinde non eſt veriſimile, ibi contextum defuiſſe, cum, & in præcedentibus non ſit mutilatus, & poſtquam de Petri dignitate eſſet diſputatum, ſubſequatur, etiam in tranſlatione Oecolampadij. Tum non deerat is locus in omnibus exemplaribus, quæ habentur in Italia, & in Cathena aurea Sancti Thomæ, vbi Theophylactus citatur. Sed profecto, illud fuit, ſepultam veritatem voluerunt, ne patefacta, eorum hæreſi noceret, & prauitati aduerſaretur, quod facilius intelligetis, ſi ipſum Theophylactum loquentem audieritis quem mutum eſſe voluit ille. Non citabo totum locum, ſed quæ potiora ſunt, Petrique dignitatem magis oſtendunt. Ait ergo Theophylactus, vbi Oecolampadius dixit, contextum ſibi defuiſſe. Verba Euangelij, ὅτι οὖν ἠρίςησαν. λέγει πέτρω. Hoc eſt. poſtquam eſſent epulati, dicit Petro. Theophylactus. ἐπειδὴ τέλος εἶχεν αὐτοῖς τὰ τοῦ ἀρίςου, τῷ πέτρω τὴν προςασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων ἐγχειρίζει, οὐκ ἄλλῳ δὲ, ἀλλὰ τούτῳ ταύτην δίδωσι. πρῶτον μὲν ὅτι πάντων ἔκκριτος, καὶ ςόμα τοῦ χοροῦ παντὸς, ἔπειτα δεικνὺς., αὐτῶ ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξηλειμμένης, καὶ τὴν μὲν ἄρνησιν οὐ προφέρει, οὐ γὰρ ὀνειδίζει λέγει δὲ ὅτι εἰ φιλεῖσμε προΐςασο τοῖς ἀδελφοῖς. Hoc eſt. Poſteaquam cenatum eſſet, præfecit Petrum ouibus totius orbis terrarum, quam dignitatem, atque authoritatem non alteri tradidit, ſed illi ſoli, primum quòd reliquis omnibus eſſet maior, per cuius os totus Apoſtolorum chorus loquebatur, deinde oſtendit ei, vt eſſet optimæ ſpei, quòd negationis crimen eſſet deletum: atque ipſam negationem quidem minime hoc loco commemorat, ne videatur exprobare, ſed ei potius dicit. Iubeo te fratribus præeſſe, quoniam diligis me. Hæc ille. Vidimus ergo etiam Theophylacti teſtimonio, datam eſſe Petro totius mundi proſtaſian, quaſi dixeris Imperium, adminiſtrationem, principatum, ſummamque authoritatem. Vocatum etiam cęteris ἔκκριτον, ideſt præcipuum, ſelectum, egregium, ſuperiorem, ac maiorem, quæ ambo confidenter negantur a Lutheranis. Mirorque cur non vocarint Papiſtam etiam Theophylactum, qui tam egregie hoc loco laudarit Petrum. Sed ſine ſumma ignominia facere id non poterant: potius quod eſſet accommodatius fecerunt, ſubtrahentes eius verba, quod, & in reliquis eſt ab eis factum, quæ Petri aut Romani Pontificis vllam commendationem continerent, vt is qui paucis ante diebus, negauit, ſe cum Strabonis opere Epiſtolam ſimul interpretis Guarini imprimere voluiſſe, quòd meras tantum ſummi Pontificis laudes decantaret, quaſi Pontifex ille, non eſſet omni laude digniſſimus, cuius auxilio, Græcę, & Latinæ litteræ reuixerunt. Sed illud eſt profecto, quod omnes eos homines docuit Martinus Pontificem, ſiue bonus ſit, ſiue malus, ſiue faueat litteris, ſiue non faueat, ſemper ſe blaſphematuros. Coniuratum eſt ab omnibus in præceptoris barbaricam pertinaciam, ſæuiſſimamque rabiem. Sequitur Theophylactus. Ἐρωτᾶ δὲ ἔκκριτον, ἅμα μὲν δεικνύων ὅσην φροντίδα ποιεῖται τῶν πιςευόντων, καὶ ὅτι τοσοῦτον ἀγαπᾶ τὰ, πρόβατα ὡς καὶ τῆς εἰς αὐτὸν ἀγάπης τοῦτο ποιεῖται τεκμήριον, τὸ τῶν δὲ προΐςασθαι ἅμα καὶ τῷ τρισσῷ τῆς ἐροτήσεως καὶ τῆς ὁμολογίας τὸ τρισσὸν τῆς ἀρνήσεως θεραπεύειν. Hoc eſt. Interrogat vero

Petrum præcipue, ſimul quidem oſtendens, quantam gerat curam de fidelibus, quantumque ſuas diligat pecudes, vt etiam hoc velit eſſe teſtimonium, amoris, ac dilectionis ipſius Petri erga ſe, quòd eum, ſcilicet, ouibus præficiat. Triplici quoque confeſſione, purgat crimen triplicis negationis. Hucuſque ipſe interpres. Atque hæc quidem ſunt eiuſdem prope generis, cuius, & ſuperiora: vbique eandem confirmat ſententiam de Petri principatu, & de tradito eius cuſtodię orbe terrarum. Sequitur vero, vbi in Euangelio dicitur, καὶ τοῦτο εἰπὼν, λέγει αὐτῷ ἀκολούθει μοι, ideſt. Et cum hoc dixiſſet, ait illi, ſequere me. Theophylactus, ἐνεχείρισε μὲν τῷ πέτρῳ τὴν πάντων τῶν πιστευόντων προστασίαν. εἰ γὰρ καὶ τῶν ἱεροσολύμων ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλλαβεν, ἀλλὰ πέτρος τῆς οἰκομένης τῆς ἁπάσης, hoc eſt. Tradidit quidem Petro omnium credentium cuſtodiam. Etenim Iacobus ſedem Hieroſolymitanam accepit, at Petrus ſedem totius orbis terrarū: hęc Theophylactus. Quantum erat hoc teſtimonium, ad profligandam, diſſipandamque illorum hæreſim, impietatemq; conuincendam, qui Romanum Pontificem tot contumelijs appetiuerunt, in cuius Cathedra beſtiam, & abominationem ſedere dixerunt. Ecce voce ſanctorum, immo ipſorum hæreticorum voce, quandoquidem hæc occultare noluerunt, quæ in manifeſtam hæreſeos ſuæ perniciem tenderent, ecce inquam veritas innotuit, patet ab eorum prauitate eſſe profectum, non a ratione, vt hoc tempore, tantum facinus auderent. Eadem autem hæc habentur pene ad verbum apud Chryſoſtomū ſuper Iohannem, cuius quaſi abbreuiator fuit Theophylactus. Addit vero Theophylactus δεῦρο φησὶ παράλαβε τὰ πρόβατα εἰς τὴν οἰκουμένην ἔξελθε, ἀκολούθει μοι ἐξάγοντί σε πρὸς κήρυγμα, καὶ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἐγχειρίζοντι, ideſt. Suſcipe oues, in orbem terrarum egredere, ſequere me, inquit, deducentem te ad prędicationem, & tradentem in tuas manus orbem vniuerſum. Et alia, quæ apud ipſum ſequuntur. Hæc igitur ſunt, quæ Oecolampadius ex contextu Theophylacti ſubtraxerat. Apparet, ex qua cauſa id fecerit. Nihil his teſtimonijs poteſt dici, aut efficacius, aut apertius. Reuocabunt forſan ſententiam, cum viderint tot clariſſimos, ac vetuſtiſſimos viros, eorum hæreſi penitus aduerſari. Plura enim inconſiderate, & inſcite, ſuaſq; potius opiniones ſecuti, quàm diligenti meditatione adhibita protulerunt, & ſi diſſidium illud, cuius ſupra meminimus, quod Germani contra Romanam ſedem contraxerant, aliquando extinctum eſt, ſic puto indies, propter crebra, & aſſidua litterarum ſtudia tantam opinionum prauitatem eſſe depellēdam. Quoniam vero Theophylactus, vt diximus, Chryſoſtomum præ cęteris ſecutus eſt, videnda quoque illius eſt ſententia, quæ eiſdem prope verbis de principatu Petri ab ipſo explicatur. Prætermiſſis alijs, dominus de huiuſmodi rebus Petrum alloquitur, eo, quòd is eſſet eximius Apoſtolorum, & os diſcipulorum, & apex totius Apoſtolici collegij, ideo negatione deleta, tradit ei omnium fratrum ſummam adminiſtrationem, & reliqua. Et paulopoſt. Si vero dixerit quiſpiam, quo modo Iacobus thronum aſſumpſit Hieroſolymitanum, illud ſane dicam, hunc totius orbis ſedem ab ipſo domino accepiſſe. Et paſſim toto eius capite vltimo in Ioannem, eum inuenies ſæpe de hac Petri ſumma authoritate ſcripſiſſe. Vides etiam, quod diſcrimen velint eſſe inter Hieroſolymitanum thronum, ideſt ſedem Iacobi, & ſedem Petri, vt illa particularis ſit, hæc vniuerſalis, totum orbem amplectens, omnia gubernans. Et thronum quidem Hieroſolymitanum ſcimus, omnium poſt ſedem Romanam primum olim fuiſſe, cui thronus etiam Alexandrinus erat ſubiectus, vt declaratur in ſynodis. Relinquitur igitur, vt ſedes Petri ſit omnium maxima, quia etiam teſtimonio ſanctorum, illi totius mundi adminiſtratio eſt credita, & maximæ ſedes illi ſunt ſubiectæ. Non ſunt ergo Itali Papiſtæ, ſed diuinam ſequimur authoritatē, ſequimur principes Chriſtianæ religionis. Videant ipſi, potius quam impietatem incurrant, quòd, & Dei ſanctorum conſilijs, ac ſententijs, ſua præferre dogmata, ſuas blaſphemias ſunt auſi, quod ſi eſſemus, malumus, cum vetuſtiſſimis illis, & doctiſſimis, ac optimis hominibus male ſentire, quàm bene ſentire cum ipſis, qui, & recentes ſunt, rerumque nouitate delectantur, & nullam probitatem, nullam modeſtiam habere noſcuntur, & non priuatas perſonas, priuatoſque Pontifices redarguunt, ſed ſacroſanctam ipſam authoritatem. Sed quoniam de Gręcis multa citauimus, reliquum eſt, vt de latinis aliqua proferamus, præſertim vetuſtioribus. Vnoque, vel duobus locis erimus contenti. Ex latinis, qui de rebus diuinis ſcripſerunt, vetuſtiſſimum habemus Cyprianum. Cuius authoritatem commendabilem, & omni aſſenſu dignam, facit non ſolum vetuſtas, verumetiam ſanctitas, ac martyrium. Animaduertamus igitur Lutheranorum improbitatem. Hi, vt Romanum Pontificem æqualem cęteris eſſe demonſtrarent, cum alijs rationibus conati ſunt probare, tum etiam ex ſanctiſſimi huius viri Epiſtolis, quòd is, cum ad Cornelium Romanum Epiſcopum, ſcriberet, eum ſemper appellarit, aut fratrem, aut collegam, non his vſus ſit appellationibus, quæ maiorem aliquam authoritatem ſuper cęteros exprimerent. Hæc eorum fuit ratio, potius de appellatione, quàm eorum, quæ ſcriberentur in Epiſtolis diligenti conſideratione profecta. Qui fortaſſe etiam non ignorarunt, quæ de principatu Romanæ ſedis, diuus ille ſcripſiſſet, ſed quia contra eos tenderet, reticuerunt, ac ſuppreſſerunt. Neque animaduerterunt, nihil tam eorum prauæ hæreſi aduerſari, quàm ea, quæ eo libro ſcribuntur. Igitur ſæpenumero, Diuus Cyprianus docet, vnã omnium fidelium eſſe eccleſiam, vnumque corpus, ſed hanc vnitatem, ex vno capite pendere ſicut natura ſit comparatum. Vnum eius caput, vnum fontem, vnam originem. Itaq; in epiſtolis, de quibuſdam hæreticis, qui Romam ex Aphrica nauigabant, ait. Audent nauigare ad Petri cathedram, & eccleſiam principalem, vnde totius fidei ordo, & vnitas pendet. Ecce Romanam ſedem vocat Religionis Chriſtianæ caput, vnde omnis pendeat religio. Vocat eam eccleſiam principalem, & Petri cathedram. Et is fuit etiam Lactantio vetuſtior. Idem contra Nouatianum ſchiſmaticum, ait, eum, adulterum, & contrarium caput feciſſe, quòd viuente Cornelio Pontifice Romano, alterum ipſe Nouatianus inſtituiſſet. Idem de ſimplicitate prælatorum, ideſt, quòd hi, qui præſunt in eccleſia, non geminati eſſe debent, ſed vnus: vbique diſputat vnicum eſſe totius eccleſiæ caput, producitque ex Euangelio verba; Tu es Petrus: & illud, Paſce oues. Euidentius quoque huius ſummi capitis vim explicat dicens, quòd tametſi omnes Apoſtoli parem, poteſtatem, ac authoritatem poſt reſurrectionem accepiſſent a domino dicente: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, Si cui remiſeritis, & quæ ſequuntur, tamen vt vnitatem idem dominus monſtraret, vnitatis eiuſdem originem, ab vno incipientem, ſua authoritate diſpoſuiſſe, & exordium ab vnitate, ideſt ab vno proficiſci, vt eccleſia vna monſtretur. Quam hæc refellunt igitur illorum pertinaciam, & peſſimas machinationes, fabulamque ſui erroris impudentiſſimi, quàm hoc tempore, per omnẽ Europam diſſeminarunt, deſtruunt? Docet ergo vnum totius religionis eſſe caput, Romanũ videlicet Pontificem. Si hæc ſcripſiſſet hoc tempore Cyprianus, eum Papiſtam proculdubio pronunciaſſent Lutherani, & crudeli odio perſequerentur, cuius, & ipſi repræhenſionem audirent, qui ſua tempeſtate Nouatianum, talia molientem, grauiter obiurgabat. Si fuit igitur eccleſiæ prope naſcentis tempore viuente, ſcilicet Cypriano, ſi fuit inquam, per totam eccleſiam, & apud ſanctiſſimos doctiſſimoſque viros, ea cognitio, eaque confeſſio, in Romano Pontifice eſſe vnitatem, eſſe originem, eſſe exordium vnitatis Chriſtianæ religionis, quid induxit iſtos nouos homines, vt aliud perſuadere niterentur, an non prauitas, an non inauditum, & inuſitatum impietatis genus? Sed proferamus ſi placet aliquid ex Hieronymo, doctiſſimo, ac ſanctiſsimo viro, atque etiam peruetuſto. Vnuſque tantum locus ſatis erit. Nam cum eſſet in Syria, ſcribit ad Damaſum Papam, conſulitque eum, quibus cum eſſet illi communicandum, cum ibidem omnia, Ariana peſte eſſent infecta. Nihilque ait eſſe tutum, ſed ad monachos etiã eam labem vſque penetraſſe, ſeque intra ſolitudines etiam immiſiſſe, in ſe monachos ipſos inſurgere, ſe autem clamitare, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Orat quoque ipſum ſummum Pontificem, vt qui Apoſtolos honore ſequatur, ſequatur & merito, Se autem ouiculam domini, & animam pro qua Chriſtus mortuus ſit, ne contemnat, ſed doceat cum quo ſit illi communicandum. Ex his ergo colligimus, Petri Cathedram, principium, & caput eſſe totius religionis. Quam, qui ſequeretur, errare haudquaquam poſſet, & ad quam in hæreſibus, & incertis dogmatibus, ſit recurrendum. Recurrit ad eã Hieronymus vir doctiſſimus, neque ſuæ doctrinæ, & ſanctitati adeo fidit, quin ex Romano Pontifice velit fieri certior, quibus cũ ſit illi viuendum. Hodie Lutherani, multo ſapientiores, ac doctiores ſe putant Romano Pontifice, ac neq; eum in incertis dogmatibus conſulerent, ſed ex aduerſo potius impeterent, eũq; magis eſſe hæreticum prædicarent. Ecce doctiſſimi, ac ſanctiſſimi viri, qua humilitate, qua manſuetudine ad Petri ſedem recurrunt, ac quamuis eſſent omni genere litterarum inſtructiſſimi, conſulebant tamen, vt tuto non ſe, ſed religionis fontem ſequerentur, quem ſciebant eſſe in ſede, & eccleſia Romana. Et tamen etiam nunc ſi is viueret, taliaque faceret, non effugeret, quin Papiſta vocaretur a Lutheranis. Quanquam quid hoc illis dedecoris afferret, quibus inſtitutum eſt, ſanctiſſimos quoque, ac venerabiliſſimos viros defędare ridiculoſis nominibus, & maledictis impetere? Nihil illos, vel ſanctitas, vel doctrina Hieronymi remoraretur, quin eum, ſi ita Romanam ſequeretur ſedem, e Germania pellerent, & lapidibus etiam, quod in alios optimos fecerunt, obruerent. Hoc ipſum, recurrendum ſcilicet ad Romanam eccleſiam, indicat abunde multis in locis Hiſtoria non ſolum vetuſtiſſima, verum etiam Græca, quam vertit in Latinum Caſſiodorus Senator Romanus, qui poſtea monachus factus eſt, Vbi Author libro quarto, capite nono, de Concilio ſcribens, quod ſub Conſtante, & Conſtantio, Arriani in Antiochia fuiſſent, idque propter multas cauſas improbaretur, maxime quòd non fuiſſet a Romano Pontifice conceſſum, ait. Sed neque Iulius interfuit maximæ Romæ præſul, neque in locum ſuum aliquem deſtinauit, cum vtique regula eccleſiaſtica iubeat, non oportere præter intentionem Romani Pontificis Concilium celebrari. Hæc quæ hoc loco dicuntur multo etiam ante Hieronymum acciderunt. Cur igitur etiam ex illo vetuſtiſſimo tempore conſtitutum fuerat, ne Romani Pontificis iniuſſu fieret concilium, niſi quòd eam ſedem eſſe religionis fontem intelligebant? Caput totius religionis Chriſtianæ? Vnde fides, vnde omnia dogmata pendere, & examinari debeant? Quid ad hanc rem poteſt expreſſius, atq; apertius inueniri? Declarat idem ipſe ſcriptor hoc ipſum euidentius, capite quintodecimo, qui de diſcordia variorum Epiſcoporum ait: Cognoſcens ergo Romanus Pontifex crimina ſingulorum, & omnes Nicæno Concilio concordare comperiens, eos in communionem ſuſcepit, omnium curam gerens, propter ſedis propriæ dignitatem, ſinguliſque reddidit ſuas eccleſias, & orientalibus Epiſcopis ſcripſit, culpans quod non recte viros inculpabiles &c. Hæc vniuerſa, quem adeo tardum, atque hebetem, vel etiam pertinacem veri non admonerent, & ad intelligendum non excitarent? Quid enim eſt, propter ſedis proprie dignitatem? an non vna voce, de re nulli non confeſſa, omnes conueniunt? Et hæc, vt ſæpius dixi, ſunt vetuſtiſſima, paulo poſt Conſtantini magni obitum. Sequenti etiam eius libri capite, orientales epiſcopi, Romanam eccleſiam, matrem pietatis antiquitus fuiſſe dicebant. Non ſolum, ſcilicet, eo tempore, ſed etiam multis retro annis, a fidei, ſcilicet, exordio, ea ſedes, fuerat mater pietatis. Græci hoc fatentur, ipſi atteſtantur, nihil ipſi comminiſcimur. Non eſt igitur, vt Lutherani mentiuntur, recens vſurpata hæc dignitas, ſed a Deo conſtituta, & ab omnibus Orthodoxis confirmata, omnium ſanctorum virorum conſenſu approbata. Soli hæretici, & hi qui alia facinora longe etiam maiora perpetrarunt, reprobare conati ſunt. Eademque diaboli cohortatio, ad hoc eos impulit, quæ impuliſſet ad alia, aut erat impulſura, ſed fundamentum hoc erat aliarum impietatum. Quoniam igitur per ſanctorum voces, & teſtimonia, res eſt abunde comprobata, reſtat, vt Romanos etiam Imperatores eadem ipſa confirmaſſe monſtremus. Eoque libentius, & promptius hoc facturus ſum, quo impijſſimorum quorundam, & audaciſsimorum turba, hoc tempore, quo philoſophari in bonis litteris cęptum eſt, non minima exorta eſt, qui putāt, omnia, quæ oculi eorum non viderunt, incredibilia. Præcipites ad negandum, ad reijciendos omnes ſcriptores, promptiſsimi: & quominus habent eruditionis, hoc ſunt audaciores. Horū pater, & anteſignanus fuit Laurentius Valla, vir peſsime de lingua latina meritus, quippe, qui id operam dediſſe cognoſcitur, vt, & Romanæ linguæ nobiliſsimorum, & Græcę ſcriptorum, laude deiecta, vnum ipſum veneraretur poſteritas. Cuius, ſi paulo altior fuiſſet eruditio, infinitam vaſtitatem in tota non modo philoſophia, verumetiam religione feciſſet. Sed facile contemnitur, quia ſupra crepidam non aſcendit. Quem non lacerauit barbarum illud, & truculentiſsimum ingenium? Cui execrabilis, & fędiſsima lingua pepercit? Quod eo magis indignamur, quo vir ſimpliciſsimus Grammaticus, noctes, atque dies in obſeruatione vocularum attritus, veluti Rhadamantus quidam, quaſi ſedit pro tribunali, taleque de ſcriptoribus omnibus tulit iudicium, quale ſtultiſsimę menti ſuæ placuiſſet, ob quam rem, potius monſtrum, quàm virum eum fuiſſe dixerim. Habent hoc proprium omnes gramaticelli, vt quo remotiores ab omni eruditionis laude ſint, hoc furioſius eam appetant, glorioſiſsimumq; putāt, in magnis viris reperire aliquid, in quo a ſeſe animaduertantur, & in eo ſe mirabiliter oſtentant. Hic eſt ille bonorum ſcriptorum maledicentiſsimus, & inuidiſsimus zoilus, qui alios de tranſlatione e Græco, grauiter carpebat, omnium imperitiſsimus in eo inuētus eſt. Quid enim eius Latino in Thucydide fędius? quod potuit eſſe illius imperitiæ, & audaciæ locupletius teſtimonium? Opus eſſet altero Laurentio, ſi dignis contumelijs eſſet afficiendus. Atque vtinam ſi erat Grammaticus, ſortis ſuæ meminiſſe voluiſſet, & ſe infra pellem ſuam continuiſſet. Ad theologandum ſi dijs placet peſsimo illo, & ſæuiſsimo ingenio ſe contulit. Vbi, & omnibus ſanctis ſcriptoribus maledicere cępit, alios deridens, alios eos negans, quales fuiſſent. Eodem, & hic vſus iudicio, quo, & in reliqua ſua profeſsione vſus fuiſſet. In hunc igitur ſum paulo acerbioribus verbis inuectus, quòd cum talis extiterit, eum tamen Lutherani in cœlum laudibus tollunt, vnum hunc admirantur. In quo vix riſum continere poſſum. Video (quod dicitur) in illos eſſe vero verius, dignum inuentum patella cooperculum. Cumque ſint innumerabiles prope ſcriptores, omni & eruditione, & eloquentia mirabiles, vnus in his tātummodo Laurentius placuit Lutheranis. Legite ipſum Martinum, quibus laudibus eum attollat. Inuenerunt enim ſibi accommodatiſsimum, & quàm ſimillimum ingenium. Inſolentiſsimum, ſcilicet, & præceps, & tumidum, qualis tota illa factio eſt. Taleque video illis in ſuo Laurentio accidiſſe, quale Lucretio in Epicuro. Quem dicit velut ſolem æthereum exortum, genus humanum ſuperaſſe, & ſtellas omnes reſtinxiſſe, dictiſq; veridicis hominum pectora illuminaſſe. Quis in vtroſque effuſe non riſerit? Ita profectò monſtroſa ingenia parit ſæpe natura, quemadmodū, & corpora. Quoniam igitur audaciſsimus ille, & procaciſsimus, addam etiam imperitiſsimus Laurentius, ſuum fallaciſsimum, & præcipitoſum iudicium ſecutus, pleraque negauit apud

Latinos ex quibus,quòd Dionyſius,quem habemus,non ſit ille Areopagita. Et quòd Conſtantinus Imperator,nunquam eccleſiæ ea ſit largitus, quæ in hiſtoria de Syluestro Papa referuntur, totamque eam narrationem veluti commenticiam reprobat, atque ita multis eſt perſuaſum,nunquam verum fuiſſe,vt Conſtantinus Imperator eccleſiæ Romanę dignitatem confirmarit,eique terrenum etiam Imperium largitus fuerit. Primum, quod attinet ad Dionyſium,clariſſimis rationibus ab alijs refellitur. Refelletur etiam in futurum,cum in lucem opera Dionyſij cum commentarijs Græcis venerint, vbi qui edebat commẽtarium, dicit ſe id ex Imperio Athanaſij feciſſe, & aliæ occurrent rationes,quæ ſtultam refellant audaciam. Hoc loco, omnia ea vera eſſe monſtrabimus,quæ de Conſtantino Imperatore, & Syluestro Papa accidiſſe feruntur. Confirmaſſe ipſum Imperatorem eccleſiæ dignitatem,omnemq; illi dignitatem,qua hoc tempore vtitur eſſe largitum. Proferam verò decretum ipſius Conſtantini Gręce ſcriptum, exſcriptum ex libro, qui erat in Bibliotheca palatina, Conſtantinopoli, in quo libro omnia iura eccleſiaſtica continebantur, & ordines, ac gradus eccleſiarum erant digeſti. Deſcriptum eſt ex ipſo libro,tempore Innocentij Tertij, quo tempore, Benedictus Cardinalis miſſus eſt ad Imperatorem,& Græcos, vt de fide Catholica diſſereret. Qui cum eſſet Conſtantinopoli,iuſſit ſuo interpreti,ex eo libro ipſum exſcriberet.Hoc autem modo habet. Ἐκ τοῦ νομοκάνονος τῆς βίβλου. τῆς συνοψισθείσης ἐκ προτροπῆς τοῦ μακαριωτάτου πατριάρχου κωνσταντινουπόλεως κυρίου μιχαὴλ, καὶ τοῦ θεοσεβοῦς βασιλέως κυρίου μανουὴλ, παρὰ τοῦ θεοδώρου τοῦ βαλσαμῶν τοῦ πρώτου διακόνου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ χαρτοφύλακος χρηματίσαντος, ὅτε καὶ τὴν βίβλον ταύτην συνέθετο, ὕστερον δὲ γεγονότος πατριάρχου μεγάλης ἀντιοχείας, ἀποδεικνύοντος ὅτι πᾶσα, ἐκκλησία, ἀπὸ τοῦ πάπα ῥώμης δικαιοῦται, ὡς ἐκ τῆς τοῦ μεγάλου κωνσταντίνου διατάξεως ἰδεῖν ἐστὶ, τῆς δὲ βίβλου ἡ ἀρχὴ, πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις, ἐστὶν. ἥτις διαιρεῖται εἰς δεκατέσσαρα τίτλους. Hoc eſt. Ex libro iurium eccleſiaſticorum, conflato ex iuſſu beatiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani domini Michael, & Pij Imperatoris domini Manuelis, a Theodoro Balſamenſi, qui tunc erat primus Diaconus magnæ eccleſiæ,& ſcriniorum cuſtos, cum ſcilicet hunc librum coaceruauit, poſtea verò fuit Patriarcha magnæ Antiochiæ. Quo libro oſtenditur,quòd omnis eccleſia, ex Pontifice Romano pendet, & ab eo rectitudinem accipit, ſicut licet videre ex edicto magni Conſtantini, eius autem libri principium eſt. Obtemperate his, qui præſunt, qui diuiditur in quatuordecim titulos. Hæc ipſe author in principio. Quo apertiſſime declaratur, nihil hoc loco eſſe ficticium, ſed,& perſonæ citantur, quæ librum in compendium redigi præceperint, & qui id fecerit. Cuius cum plures ſint tituli, qui ad alias eccleſias pertineant, & quid vnoquoque contineatur, ibidem breuiter ſit expoſitum, non putaui alios eſſe proferendos, ſed vltimum tantummodo, cuius gratia, de reliquis in ipſo libro habetur mentio. Cum igitur de ſtatutis aliarum eccleſiarum diſſeruiſſet, Antiochena videlicet, Conſtantinopolitana, atque alijs, Vigeſimo capite regiorum edictorum ait,haberi hoc Πᾶσα πόλις τὰ συνήθη τῆς παλειᾶς ῥώμης ἀκολουθεῖν ὀφείλει, Hoc eſt, omnis vrbs conſuetudines veteris Romæ debet ſequi. Deinde addit. Οἷα δὲ εἰσὶ τὰ προνόμια τῆς παλαιᾶς ῥώμης ἁγίας ἐκκλησίας, παρίστησιν ἡμῖν τὸ ἰσαποστόλου ἁγίου μεγάλου κωνσταντίνου γέγονος ἔγγραφον θέσπισμα πρὸς τὸν ἅγιον σίλβεστρον τὸν τότε πάπα τῆς ῥώμης, ὃ καὶ οὕτως ἔχει. Hoc eſt. Quæ ſint autem priuilegia veteris Romæ ſanctæ eccleſiæ, docet nos ſancti,& æquales Apoſtolis, magni Conſtantini decretum, ad Syluestrum tunc Romæ Pontificem, quod in hunc modum habet. Hæc fere antequam ipſum decretum protuliſſet, præmiſit, nunc ſingula quæque perſpiciamus, ipſumque Conſtantinum loquentem audiamus. Δέον ἐκρίναμεν μετὰ πάντων τῶν σατράπων ἡμῶν, καὶ πάσης συγκλήτου, καὶ τῶν ἀρχόντων, καὶ μετὰ παντὸς τοῦ λαοῦ τοῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῆς ῥωμαϊκῆς δόξης, ἵνα ὡς ἅγιος, πέτρος ἐκ προσώπου τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ἐστὶν εἰς τὴν γῆν. οὕτως οἱ διάδοχοι αὐτοῦ ἔχωσι πλέον, παρ' ὃ ἔχει ἡ βασιλία σῆς δόξης ἡμῶν, καὶ τὸ παρακωρηθῆναι ὑφ' ἡμῶν καὶ ἀπὸ τῆς βασιλίας ἡμῶν. καὶ θέλομεν ἡμεῖς, αὐτὸν τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, καὶ τοὺς διαδόχους αὐτοῦ ἐκ προσώπου αὐτοῦ πρώτους πρὸς τὸν θεὸν πατέρας εἶναι, καὶ ὥσπερ ἡ βασιλικὴ ἰδρυσία ἡμῶν, εἰς τὴν γῆν σέβεται, καὶ τιμᾶται, οὕτω θεσπίζομεν σέβεσθαι καὶ τιμᾶσθαι τὴν ἁγίαν τῶν ῥωμαίων ἐκκλησίαν καὶ πλέον, παρὰ τὴν βασιλείαν, ἡμῶν καὶ τὸν γηινὸν θρόνον, τὴν ἁγίαν καθέδραν τοῦ ἁγίου πέτρου δοξάζεσθαι, καὶ ὑψοῦσθαι, διδόντες αὐτῇ δύναμιν, καὶ δόξαν, καὶ ἀξίωμα, καὶ διακρίνοντες θεσπίζομεν ἵνα ἔχῃ τὴν ἐξουσίαν ἀρχικὴν, καὶ εἶναι ταύτην τὴν κεφαλὴν τῶν τεσσάρων θρόνων, ἤτοι θρόνου ἀλεξανδρείας, τῆς ἀντιοχείας, τῶν ἱεροσολύμων, καὶ τῆς κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἁπλῶς εἰς ὅλας τὰς ἐκκλησίας, ἁπάσης τῆς οἰκουμένης. καὶ ὁ ἐπίσκοπος, ὁ μέλλων εἶναι, εἰς τὴν ἁγίαν ῥωμαίων ἐκκλησίαν, ὀφείλει εἶναι ἔνδοξος, καὶ ὑψηλότερος παρὰ πάντας τοὺς ἱερεῖς τοῦ κόσμου, καὶ εἴ τι ἐστὶν πρὸς θεραπίαν τοῦ θεοῦ, καὶ πρὸς διόρθωσιν, καὶ πρὸς στερέωσιν τῆς πίστεως τῶν χριστιανῶν, ἵνα κρίνηται παρ' αὐτοῦ. δίκαιον τὸ ἐστὶν, ἵνα ἐκεῖσε ὁ ἅγιος νόμος ἔχῃ τὴν κεφαλὴν, καὶ ἀρχὴν ὅπου, ὁ ἅγιος νομοθέτης, ὁ σωτὴρ ἡμῶν ἰησοῦς χριστὸς, τὸν μακάριον πέτρον ἐκέλευσε κρατεῖν τὴν καθέδραν, καὶ ὅπου τὸ πάθος τοῦ σταυροῦ ἔπαθε, καὶ μακαρίου θανάτου ποτήριον ἔπιε, καὶ ἐγένετο ἀκόλουθος τοῦ μαΐστρου, καὶ κυρίου αὐτου, καὶ ἐκεῖ τὰ ἔθνη, ἵνα κλίνωσι τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, διὰ τὴν ἐξομολόγησιν τοῦ ὀνόματος τοῦ χριστοῦ, ὅπου ὁ διδάσκαλος αὐτῶν, ὁ μακάριος ἀπόστολος παῦλος διὰ τὸν χριστὸν ἐκτείνας τὸν τράχηλον, στέφανον τοῦ μαρτυρίου ἐδέξατο, καὶ ἕως τοῦ τέλος τοῦ κόσμου, ἵνα ἀναζήτωσι τὸν διδάσκαλον, ὅπου τὰ τῶν ἁγίων αὐτοῦ λείψανα ἀναπαύονται, καὶ ἐκεῖ ὕπτιοι, καὶ εἰς τὴν γῆν ἡπλωμένοι, τοῦ οὐρανίου, καὶ βασιλέως, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ δουλεύομεν ὀφφικίοις ὅπου ἐδουλεύσαμεν τῷ ὑπερυφάνω ἐκείνω βασιλεῖ. Hucuſque prima decreti pars. Quorum is ſenſus eſt. Neceſſariũ duximus vna cum principibus noſtris, vniuerſoque ſenatu, atque magiſtratibus, & omni populo, qui Romanæ paret potentiæ, vt quemadmodum beatus Petrus ex perſona Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti fuit in terris, ſic habeant eius ſucceſſores in quo longe noſtro præſtent Imperio, &, vt nos, & Imperium noſtrum cedat eis loco. Et volumus ipſi, ipſum principem Apoſtolorum, eiuſque ſucceſſores, ex perſona eius, primos eſſe patres apud Deum, & quemadmodum Imperij noſtri potentia honoratur, & colitur in terra, ſic decernimus honorari, & coli ſanctam Romanam eccleſiam. Ac multo etiam plus Cathedram ſancti Petri glorificatam eſſe, & exaltatam ſupra terrenum ſolium, & Imperium noſtrum. Concedentes illi potentiam, & gloriam, & authoritatem, & decernentes quoque ſancimus, vt habeat ſummam potentiam, & ſit caput quatuor Cathedrarum, videlicet Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, & Conſtantinopolitanæ, & in vniuerſum, omnium eccleſiarum totius orbis. Et epiſcopum, qui Romanam teneat eccleſiam, eſſe debere glorioſum, & excelſum ante omnes ſacerdotes orbis terrarum, Ac ſi quid eſt ad cultum Dei pertinens, aut ad emendationem, vel confirmationem Chriſtianæ fidei, iudicari volumus ab ipſo. Iuſtum ſi quidem eſt, vt ibi ſancta lex habeat caput, & originem, vbi ſanctus legiſlator & Saluator noſter Ieſus Chriſtus beatum Petrũ iuſſit tenere ſedem, & vbi cruci idem Apoſtolus affixus eſt, & poculum fęlicis hauſit mortis, ac fuit conſectaneus magiſtri, & domini ſui. Ibique gentes omnes præcipimus, vt ſua flectant capita in confeſsionem nominis Chriſti, vbi eorum magiſter, & beatus Apoſtolus Paulus propter Chriſtum collum porrigens, martyrij coronam accepit. Et ad vſque mundi finem, vt requirant præceptorem, vbi ſanctorum eius requieſcunt reliquiæ, atque ibi ſupini, & venerabundi, regis cœleſtis Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſeruiamus officijs, vbi ſeruiuimus ſuperbo illi regi. Hucuſque ipſe Imperator. Attendiſtis cauſas, quibus pijſsimus Imperator in tantam erga rem diuinum ſanctumq; ſacerdotium, venerationem prorupit? Quid illi hunc venerandi Dei eiuſque ſacerdotes ardorem iniecit? Intellexit, ſcilicet vir ſapientiſsimus, id prius a Deo fuiſſe conſtitutum, Ipſum Ieſum Chriſtum iuſsiſſe, ut Petrus Romæ ſedem teneret. Videbat huius ſedis cęleſtem dignitatem, duorum maximorum Apoſtolorum conſeſſu nobilitatam, ſanguine conſecratam, voce, & prædicatione inſignitam. Vidit ipſum Saluatorem non ſine cauſa principem Apoſtolorum Romam adire iuſſiſſe, Non in ſuo capite, hanc dignitatem, hunc principatum reperit, ſed reperit in conſilijs & voluntate diuina. Neque eam ob cauſam Romano Pontifici tribuit primatum, quòd Roma, cuius eſſet epiſcopus, omnes vrbes antecederet: nullam eiuſmodi protulit ipſe cauſam, ſed illud dixit. Iuſtum eſt, vt ibi ſancta lex habeat caput & originem, vbi ſanctus legiſlator & Saluator Ieſus Chriſtus, beatum Petrum iuſſit tenere ſedem. Hæc fuit cauſa, quæ hanc peperit factionem, quæ Conſtantino perſuaſit, vt edicto confirmaret, quæ iuſſu Dei, prius ſancita vidiſſet. Quid igitur blaterabat inuidus ille Græculus? Quid dicent hoc loco Lutherani? Ecquid in eos clamat ius, attẽdunt? Ecquid ſuam pertinaciam, ſuam improbitatem intelligunt? Non ſeſe qua impietate perſtringunt, animaduertunt? Ecce non ſunt hæc ficta, vt tumidus ille, & temerarius Laurentius Valla putabat, cuius ſententiæ, quaſi cęleſti Oraculo, ſubſcripſere concordes Lutherani. Tanta enim fuit in illo monſtro, verius quàm homine, audacia, vt quæ non vidiſſet ipſe, iudicaret eſſe fabuloſa. Sed proſequor reliquam edicti partem. Παραδιδόαμεν οὖν αὐτοῖς τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις τοῖς μακαρίοις κυρίοις μου τῶ πέτρω καὶ παύλω, καὶ μετ᾽ αὐτοὺς τῶ μακαρίω συλβέστρω, καὶ πατρὶ ἡμῶν τῶ μεγάλω ἐπισκόπω καὶ καθολικῷ πάπα τῆς πόλεως ρώμης. καὶ πᾶσι τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ, οἵτινες ἕως τοῦ τέλους τοῦ κόσμου μέλλουσι προκαθῆσθαι εἰς τὸν θρόνον τοῦ μακαρίου πέτρου, ἀπὸ τῆς σήμερον, τὸ ἡμέτερον βασιλικὸν παλάτιον, τὸ λατερανένσιον, τὸ ὑπερβαῖνον, καὶ ὑπερνικῶν τὰ ὅλα τοῦ κόσμου παλάτια. Ἐπέκεινα δὲ, καὶ τὸ διάδημα, ἤτοι τὸν στέφανον τῆς κεφαλῆς ἡμῶν, ἅμα καὶ τὸν λορὸν καὶ τὸ ὠμοφόριον, ὅπερ περικυκλοῖ τὸν βασιλικὸν τράχηλον. ἅμα καὶ τὴν πορφύραν χλαμύδα, καὶ χιτῶνα κόκκινον, καὶ πάντα τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα, καὶ ἀξιώματα τῶν βασιλικῶν ἀλόγων ὁμοίως καὶ τὰ βασιλικὰ σκῆπτρα, καὶ πάντα τὰ σιγνα, καὶ τὰ βάντα, καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήματα τῆς βασιλικῆς μεγαλειότητος, καὶ τὴν δόξαν τῆς ἡμῶν ἐξουσίας ἄνδρας τε εὐσεβεστάτους κληρικοὺς, πολλῶν τάξεων τῆ αὐτῆ ρωμαϊκῆ ἐκκλησία δουλεύοντας θεσπίζομεν κοσμεῖσθαι καὶ ἔχειν ἐκείνην τὴν ὑψηλότητα καὶ μεγαλοσύνην, ᾗ κεκόσμηται ἡ μεγάλη σύγκλητος ἡμῶν, ἤτοι οἱ πατρίκιοι, καὶ κόνσουλοι, ἤτοι οἱ ὕπατοι καὶ τὰ λοιπὰ ἀξιώματα, καὶ ὡς ἡ βασιλικὴ στρατία κεκόσμηται, οὕτω θεσπίζομεν κοσμεῖσθαι καὶ τὸν κλήρον τῆς ἁγίας ρωμαίων ἐκκλησίας, καὶ οἵα

τρόπω,

τρόπον, ἡ βασιλικὴ δύναμις διὰ πολλῶν ὀφφικίων κεκόσμηται, ἢ τὸ, κυβικουλαρίων, προταρίων, ἐξκυβίτων, οὕτω καὶ τὴν ῥωμαίων ἁγίαν ἐκκλησίαν κοσμεῖσθαι θέλομεν. καὶ ἵνα κατὰ πλάτος τὸ ἐπισκόπινον φῶς ὑπερλάμπῃ, θεσπίζομεν καὶ τοῦτο, ἵνα οἱ κληρικοὶ τῆς ἁγίας ῥωμαίων ἐκκλησίας καβαλικεύωσιν ἀλογακκιος μημένα δὶ ὀθονίων λευκῶν, καὶ ὡς ἡ ἡμετέρα σύγκλητος φόρει ὑποδήματα ἢ τοισανδάλια λευκὰ δὶ ὀσθονίων, οὕτω καὶ τὰ οὐράνια, ὡς καὶ τὰ γηινὰ, πρὸς αἴνεσιν τοῦ θεοῦ. ἐπέκεινα δὲ, πάντων διδόαμεν ἄδειαν, καὶ παραχωροῦμεν αὐτῷ τῷ ἁγιωτάτῳ πατρὶ, ἡμῶν συλβέστρῳ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ πάπα τῆς πόλεως ῥώμης, καὶ πᾶσι τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ μακαρίοις ἐπισκόποις εἰς τιμὴν καὶ δόξαν τοῦ κυρίου, καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, εἰς τὴν αὐτὴν μεγάλην καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, ἵνα ἐάν τῆς συγκλήτου βουληθῇ μετὰ ἰδίου θελήματος καὶ εὐαρέστου γενέσθαι κληρικὸς, καὶ ἐν τῷ ἀριθμῷ τῶν ἁγίων κληρικῶν συναριθμεῖσθαι, μήτις τολμᾷ ἀπὸ πάντων, ἐμποδίζειν, τοῦτο. Ἐθεσπίσαμεν δὲ πρὸς τούτοις, ἵνα καὶ αὐτὸς ὁ θεοσεβὴς πατὴρ ἡμῶν συλβέστρος μέγας ἐπίσκοπος, καὶ πάντες οἱ διάδοχοι αὐτοῦ, καὶ ἐπίσκοποι, ἵνα φορῶσι τὸ διάδημα, ἤτοι τὴν στεφάνην, ἣν παρεδώκαμεν αὐτῷ, ἐκ τῆς κεφαλῆς ἡμῶν ἐκ χρησίου καθαροῦ, καὶ μαργαριταρίων ἀτιμήτων, καὶ ἵνα αὐτοὶ χρήσονται εἰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν εἰς αἴνεσιν τοῦ θεοῦ, καὶ εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου καὶ κορυφαίου, καὶ ἀποστόλου, αὐτὸς δὲ ὁ μακάριος συλβέστρος πάπα. ὑπὲρ τὴν στεφάνην, ἤτοι τὴν παπαλύθραν ἣν εἶχε πρὸς δόξαν τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πέτρου, οὐκ ἤθελε βαστάζειν στέφανον ἐκ χρυσίου, ἢ μαργαριταρίων, ἡμεῖς δὲ διότι οὐκ ἤθελεν ἐκ χρισίου στεφάνην ὁ ἅγιος συλβέστρος τὸν ὑπέρλαμπρον λωρον σημαίνοντα τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν, τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ αὐτοῦ ἰδίαις χερσὶν ἐπεθείκαμεν, καὶ κρατοῦντες τὸν χάλινον τοῦ ἵππου αὐτοῦ διὰ τὴν προσκύνησιν καὶ τὸν φόβον τοῦ ἁγίου πέτρου, στράτωρος ὀφφίκιον ἐποιήσαμεν, θεσπίζοντες ἵνα πάντες οἱ διάδοχοι αὐτοῦ τῷ λώρῳ χρήσονται εἰς, τὰς προελεύσεις πρὸς μίμησιν τῆς βασιλείας, διὰ τοῦτο δὲ ἵνα μὴ τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς καταφρονῆται, ἀλλὰ πλέον παρὰ τὴν βασιλείαν ἡμῶν τὴν γηΐνην, καὶ κράτους δόξαν κοσμεῖται, ἰδοὺ τὸ παλάτιον ἡμῶν ὡς προείπομεν, καὶ τῶν ῥωμαίων πόλιν, καὶ πάσης τῆς Ἰταλίας, ἢ δυσμῶν χώρων ἐπαρχίας τόπους καὶ κάστρων τῷ προγεγραμμένῳ μακαριωτάτῳ ἐπισκόπῳ, καὶ πατρὶ ἡμῶν συλβέστρῳ καθολικῷ πάπα παραδιδόαμεν, καὶ ἀφήκαμεν αὐτῷ καὶ τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ ἐξουσίαν, καὶ δύναμιν στερεὰν βασιλικὴν προστάγματος, διὰ ταύτην τὴν θείαν κέλευσιν, καὶ πραγματικὸν σύστημα ἐθεσπίσαμεν διαμένειν, καὶ τοῖς ἀνδράσι τῆς ἁγίας τῶν ῥωμαίων ἐκκλησίας, εἰς τὸν αἰῶνα παρεχωρήσαμεν, τὴν βασιλείαν, ἡμῶν, καὶ τὸ κράτος τῆς βασιλείας εἰς τὰς ἀνατολικὰς χώρας μεταφέρειν, καὶ ἐν τῇ βιζαντίᾳ χώρᾳ τόπῳ χρησίμῳ τὴν πόλιν ἐπὶ τῷ ὀνόματι ἡμῶν ἱδρυνθῆναι, καὶ τὴν ἡμῶν βασιλείαν ἐκεῖ συστῆναι διότι ὅπου ἐστὶν ἡ ἀρχικὴ ἱερατεία, καὶ ἡ κεφαλὴ τῆς χριστιανικῆς θρησκείας ἀπὸ τοῦ βασιλέως τῶν οὐρανῶν διδομένη, ἄδικον ἐστὶν ἵνα ἐκεῖ ὁ γήϊνος βασιλεὺς ἔχῃ ἐξουσίαν, τοῦτο δὲ τὸ ὕφος τῆς βασιλείας ἡμῶν ἰδίαις καταστρώσαντες εἰς τὰ τίμια λείψανα τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ κορυφαίου πέτρου ἐθήκαμεν, καὶ ἐκεῖ ὠμόσαμεν ταῦτα πάντα ἀπαράθραυσα διαφυλάττειν, καὶ διὰ τοὺς διαδόχους ἡμῶν βασιλεῖς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἡμῶν ταῦτα φυλάττειν παραδεδώκαμεν τῷ πατρὶ ἡμῶν τῷ ἁγίῳ καὶ καθολικῷ ἐπισκόπῳ καὶ πάπα, καὶ δὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ ἐπισκόποις τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ προσνεύοντες παραδιδόαμεν ὅλα τὰ προγεγραμμένα, καλῶς εἰς τὸν αἰῶνα διαφυλάττεσθαι. Huſque edictum. In cuius fine, hæc habebantur. Τέλος τῆς διαθήκης καὶ διατάξεως τοῦ μεγάλου καὶ ἐν ἁγίοις κωνσταντίνου, ἥτις ἐγράφη παρὰ νικολάου τοῦ ὑδρεντίνου, ἐν τῷ μεγάλῳ παλατίῳ ἐν κωνσταντίνου πόλει ἀπὸ τῆς βίβλου ὡς προείρηται, τῇ προτροπῇ τοῦ κυρίου Βενεδίκτου τοῦ καρδηναλίου, καὶ τοῦ τοποτηρήτου Ιννοκεντίου τοῦ τρίτου πάπα ῥώμης, ὧν καὶ τότε προρηθεὶς νικόλαος, ἐξελληνιστὴς καὶ ἑρμηνεὺς αὐτοῦ τοῦ καρδηναλίου, καὶ τῶν γραικῶν ἐν ταῖς τῶν περὶ δογμάτων διαλέξεσι, ἔτει σ ψ ιε ἰνδικτιῶνος ι μηνὸς δεκεμβρίου. Quorum omnium, latine hæc eſt ſententia. Tradimus igitur ipſis ſanctis Apoſtolis, beatis dominis meis Petro, & Paulo, & poſt ipſos beato Syluestro, & patri noſtro, Magno epiſcopo, & vniuerſali Papæ vrbis Romæ, omnibuſque ſucceſſoribus eius, qui vſque in finem mundi, ſeſſuri ſunt ſuper thronum beati Petri, ab hodierno die noſtrum regale palatium Lateranenſe, quod ſupereminet, atque excellit omnibus mundi palatijs. Inſuper, & diadema, ſeu coronam capitis noſtri, ſimul, & lorum, & humerorum ornamentum, quod circumuertit regium collum. Inſuper, & purpuream chlamydem, & pallium coccineum, & omnia regia indumenta, & inſignia regiorum equorum. Similiter, & regalia ſceptra, & omnia ſigna, & banta, & reliqua ornamenta regiæ magnificentiæ. Gloriam quoque potentiæ noſtræ, homineſque religioſiſſimos, clericos multorum ordinum, qui Romanæ ſeruiant eccleſiæ præcipimus ornari, & habere illam celſitudinem, & magnificentiam, qua exornatur maximus ſenatus noſter, videlicet, Patricij, vel Conſules, & reliqui magiſtratus. Acquemadmodum regius exercitus ornatus eſt, ſic iubemus ornari & clerum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſicut regia poteſtas, per multa officia inſignitur, videlicet cubicularios, portarios, excubitores, ſic, & Romanorum ſanctam Eccleſiam inſignitam volumus, & vt late Epiſcopale lumen effulgeat. Præcipimus, & hoc, vt clerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, equitent iumenta ornata inſignibus albis. Et ſicut noſter Senatus fert calceos, ſeu ſandalia alba, ſuper ipſa ornamenta, ſic, & iſta quæ cęleſtia ſunt quemadmodum, & terrena ad laudem Dei. Inſuper omnium damus immunitatem, & cedimus ipſi ſanctiſſimo Patri noſtro Syluestro Epiſcopo, & Papæ vrbis, Vrbe Roma, & omnibus ſucceſſoribus beatis epiſcopis ad honorem, & gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti, in eadem maxima, & Apoſtolica eccleſia. Ac ſi quis ex Senatu voluerit propria, & procliui voluntate fieri clericus, & in eorum ſancto ordine adnumerari, vt nemo impedire talem poſſit. Iubemus inſuper, vt, & ipſe pius pater noſter Sylueſter, magnus epiſcopus, & omnes ſucceſſores eius, & Epiſcopi, ferant diadema, ſeu coronam, quam tradidimus ei ex capite noſtro, ex auro puro, & margaritis preciosiſſimis, &, vt ipſi vtantur, in ſuis capitibus, ad laudem Dei, & honorem ſancti, & eximij Apoſtoli. Ipſe vero beatus Sylueſter Papa, præter coronam, ſeu Papalem mitram, quam habebat ad gloriam Dei, & beati Petri auream coronam geſtare noluit, & margaritis ornatam. Nos autem quia noluit, lucidiſſimum Lorum, quod ſignificat ſanctam Reſurrectionem, ſancto eius capiti proprijs manibus impoſuimus. Et tenentes fręnum equi ſui, propter adorationem, & venerationem ſancti Petri, ſtratoris officium adimpleuimus, decernentes, vt omnes ſucceſſores eius, Loro vtantur cum proficiſcuntur, ad imitationem Imperij. Ne vero authoritas Pontificalis eſſet contemptui, ſed etiam ſupra noſtrum terrenum Imperium coleretur, ecce noſtrum palatium, vt pauloante diximus, & vrbem Romam, & totius Italiæ occidentaliumque locorum prouincias, & caſtrorum tradidimus ipſi beatiſſimo epiſcopo, & patri noſtro Sylueſtro, vniuerſali Papæ, & conceſſimus ei, illiuſque ſucceſſoribus, potentiam, ac authoritatem ſtabilem regiam, perque hanc diuinam huius præcepti iuſſionem, & efficaciſſimum collegium ſanximus eam permanere, viriſq; ſanctæ Romanæ eccleſiæ in perpetuũ ceſſimus. Imperium, noſtramq; potentiam in orientis regiones transferentes, in regionem Byzantij, locum ſaluberrimum, ac fertilem, vbi noſtram regiam conſtitueremus, vrbemque de noſtro nomine conderemus. Quia vbi ſit ſummum ſacerdotium, & caput religionis Chriſtianæ a rege cęlorum poſitum, nephas eſt, vt rex terrenus habeat potentiam. Nanque Imperij noſtri ſublimitatem proprijs manibus ſpernentes, ad precioſas reliquias ſancti, & principis Apoſtoli Petri depoſuimus, ibique iurauimus, hæc omnia nos inuiolata cuſtodituros, & per ſucceſſores noſtros Imperatores, hæc in commentarijs ſeruanda tradidimus patri noſtro ſancto, & vniuerſali epiſcopo, & Papæ: & per eum, omnibus ſucceſſoribus eius epiſcopis domini noſtri Ieſu Chriſti, annuentes tradidimus omnia quæ ſcripta ſunt, optimè cuſtodienda. Finis teſtamenti, & edicti magni, ac ſancti Conſtantini, quod exſcriptũ eſt a Nicolao Hydruntino in magno Palatio, apud Conſtantinopolim, ex libro, quem a principio diximus. Iuſſu domini Benedicti Cardinalis, qui locum tenebat Innocentij tertij Papę Romę. Erat .n. tunc ipſe Nicolaus interpres ipſius Cardinalis, & per eum dogmata apud Græcos explicabat. Anno a mundo condito ſexies M D C C X V. Indict. x. menſe Decẽb. Secundũ vero computũ latinorum ab Incarnatione Domini, Anno M C C. ac vigeſimo plus, minus. Quare ab eo tempore, quo decretum exſcriptum eſt, fluxerunt anni trecenti, ac viginti quattuor, ac paulo plures. Agitur enim nunc annus Milleſimus, quingenteſimus uigeſimus octauus, cum hæc ſcriberentur, eius qui ſcribebat trigeſimo primo. Huius Nicolai Hydruntini habet̃ in bibliotheca, D. Dominici Grimani, quę in Cęnobio Canonicorum Regularium Congregationis S. Saluatoris Venetijs, apud ędes S. Antonij erecta eſt, diſputatio de proceſſu Spiritus ſancti ex filio, Græce, & Latine ab eo deſcripta, qua Græci cum ipſo Benedicto diſſeruerunt, vt ibidẽ meminit ipſe Nicolaus. Habetur aũt hoc decretum etiam in præfata bibliotheca, ad nos autem ex Apulia allatum eſt, ex libro vetuſtiſſimo exſcriptum. Pronunciauit ergo pijſſimus Imperator, & confeſſus eſt, caput religionis Chriſtianæ, per beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum Romæ a domino fuiſſe poſitum. Ad eorum reliquias ait ſe Romanæ potentiæ faſtigium ſummiſiſſe, quaſi eorum manibus Imperium illud permitteret. Et in ſucceſſoribus ſancti Petri ait ſe uenerari ipſum Ieſum Chriſtum, & ſanctos Apoſtolos Petrum, ac Paulum. Vidimus eum ſæpe eſſe confeſſum ſacroſanctam ſedem, multo præſtare ſedi Imperij terreni, & eum aperte diſtinxiſſe, quid inter vtrunque regnum intereſſet, quorum alterum cęleſte, alterum terrenum vocauit. Vidimus id officium peregiſſe, quo ſe ſubiectum ſacroſanctæ religioni demonſtraret. Atq; id adeo verum fuit, ut oẽs Conſtantino ſuccedentes Imperatores, talẽ ſubiectionẽ exhibuerint. Siquidẽ, & his diebus, & dum hęc imprimerentur Bononiæ Carolus Imperator inuictiſsimus, Hiſpaniarum rex, uir optimus, atq; Chriſtianæ concordiæ amantiſsimus, & quẽ nemo poterit unquam, non dico cõmendare, ſed ne admirari quidẽ, cuius ſanctiſsimus, atq; optimus animus, neq; a ſæuiſsimis hæreticis, quorum fuit hoc tempore innumerabilis multitudo deprauari, neque tot victorijs, quibus potitus eſt, corrumpi potuit, is inquam etiam dum ſæuirent hæretici, dum in omnem religionis gradum furentes debaccharentur, eam pietatē, eam religionem, atque reuerentiam exhibuit Romano Pontifici, quam hoc decreto ait ſe Conſtantinus beato Silueſtro exhibuiſſe. Nam in præfata Vrbe, omni populo inſpectante, poſteaquàm à Pontifice Clemente Septimo coronam accepiſſet, illo aſcendente equum, ſtratoris officiū exhibuit, pedem ſuſtinuit, frenum tenuit, equumq́ue aliquot paſſus duxit. Quanta igitur eſt Lutheranorum, quam inuſitata non dico impietas, ſed barbaries potius, qui lacerare, & defędare cōtumelijs ſemper conati ſunt, quod pijſſimi imperatores, tanta pietate venerati ſunt? Vtq́ue ille Romanum venerando Pontificem, ipſum primò Ieſum Chriſtum, non beatos Apoſtolos, & cognoſcebat, & fatebatur ſe venerari, ſic iſtos, quia blaſphemant, proſcindunt, calumniantur eā ſedem, in Deum, & Apoſtolos grauiter peccare neceſſe eſt. Non defendo vitam moreſque cuiuſquam, qui quales ſint, viderit ille, cuius eſt hoc, & alia iudicare. Nihil ad aſſentationem comminiſcor, qui lugeo, atque ingemiſco, quòd hoſtibus, qui ſemper noſtris ceruicibus impendent, detur mordendi, atque obloquendi occaſio. Cui diſplicet, quòd non poſſimus fidenter, atque alacriter eorum reſpondere maledictis. Verum, vt ipſe maximo crimine non carerem, ſi crimina cuiuſquam defenderem, ſic eos in contrarium maxime peccare neceſſe eſt, qui priuatarum perſonarum culpas, in puram, ac cęleſtem religionem conferunt. Qui non perſonas, ſed religionem, quæ nihil tale meretur, infeſtant contumelijs, inaudito genere calumniarū obruunt, trahunt in inuidiam totius orbis terrarum. Conſtant illi odium irrecōciliabile. Hoc certe inimicos rerum bonarum, non malorum hominum eos oſtendit. Apparet quoq;, quid religioni Chriſtianæ profuerint. Id certe, ſi non aliud, docere eos poterat, tales eorū conatus à diabolo fuiſſe, e quibus ſint infinita mala profecta, ſed ad edictum Cōſtantini reuertor. Hoc igitur eſt teſtamentum, cuius commemoratione, græcorum, & latinorum literæ plenæ ſunt. Nam, & græculus is, quem ante citauimus, Conſtantinum eccleſiæ Rom. principatum dediſſe confeſſus eſt. Huius, & in iure imperatorio fit mentio. Cui ſubſcribens poſtea Iuſtinianus, ſic ait, θεσπίζομεν κατὰ τοὺς τῶν ἁγίων ὅρους, τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης ἐπίσκοπον πρῶτον εἶν πάντων τῶν ἱερέων. Hoc eſt, præcipimus ſecundum ſanctarum ſynodorum deffinitiones, Rom. Pontificem primum eſſe omnium ſacerdotum. Ex quo licet animaduertere, etiā ſanctas ſynodos hoc ſanxiſſe, & confirmaſſe. Quod quia patriarcha Conſtantinopoli ſeruare nolebat, ſed ſe principem omnium aſſerebat, Phocas rogante Sancto Bonifacio, etiam idipſum confirmauit, apud Paulum diaconum in Phoca his verbis. Hic rogante Bonifacio, ſtatuit ſedem Romanæ Eccleſiæ, vt caput eſſet omnium eccleſiarum, quia eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omniū eccleſiarum ſcribebat. Hæc ille. Quanta fuit inuidiſſimorum græcorum ſuperbia, qui ne hoc quidem ſolum inuidere latinis, ſed etiam terrenum imperium, quod peſſimis barbarorum largitam eſſe fortunam quærebantur, latinos, peſſimos barbaros appellantes, ſicut ſcribit Diony. Halicarnaſeus, & Polybius Megalopolitanus. Nec tacenda eſt eorum improbitas, qui in omnibus prope Strabonis exēplaribus, locum abraſiſſe inueniuntur, vbi ille de Italia ſcribens, late Romanorum canit laūdes. Quorum nequitiā imitatus Laurentius Valla, vt homo erat inuidiſſimus, atq; arrogantiſſimus, negauit Conſtantinum Eccleſiæ, quicquā aut honoris, aut dignitatis fuiſſe largitū. Quod etiā apparet ex qua cauſa feciſſet, quia. ſi cū Romę verſaretur, nō potuerit, quæ peteret aſſequi ſacerdotia. Aufugiens igitur ad regem Neapolitanum, quē hoſtē ſciret pontificis eſſe, aduerſus eū ibi ſtilū exacuit, deq́; falſa donatione Cōſtātini ſcripſit. quæ res multis Italorum eſt notiſſima. Atq; hunc, & Græcos illos crediderim imitatos Lutheranos, vt non magis ſancto zelo, quā vera inuidia fuerint incitati, vt ſit multis modis manifeſtum. Non quærā igitur hoc loco, an Cōſtantinus a beato Silueſtro ſit baptizatus, cum pleriq; Græcorū referant eum Nicomediæ, ab Arriano Euſebio fuiſſe baptizatum, quod ſcripſit in Chronicis Hieronymus, ſecutus magis quoſdam Græcos, qui, & alia pleraque alijs ſcriptoribus contraria de Conſtantino ibidem retulit, præſertim Gregorio Nazanzeno, qui pijſſime eum commendauit, eiuſque tempore Romanum imperium mirabiliter creuiſſe commemorat ob eius pietatem. Et is propior illis temporibus fuit, quam Hieronymus. Si autem vera ſunt, quæ ſcripſit Gregorius de eo, non videntur vera, quæ ſcripſerit Hieronymus, quòd Criſpum filium crudeliter, & Licinium interfecerit, & ab Hæretico baptizatus fuerit. Nam Criſpum minime interfecit, Licinium autē profligauit, quòd iā Chriſtianos cæpiſſet perſequi. Teſtantur Socrates, & Sozomenus cōtra Hieronymum, teſtatur ſynodus Nicæna in præfatione, quæ ſanctitatem bonitatemq́; Conſtantini longiſſime cōmemorat. Facile igitur potuit latere Hieronymum, eum fuiſſe Romę baptizatum, quando alia notiora eū latuerūt, imo cōtraria ſcripſit, Græcos quoq; pleroſq;, ſicut Euſebium, potuit ille latere baptiſmus, quādo ne latinis etiā quibuſdā fuit notus. Inuenio etiā ī Hiſtoria vetuſtiſſima, q̄ eſt ī bibliotheca a me ſæpius cōmemorata, mētionē de baptiſmo Cōſtantini.

ſtantini. Quem poſteaquam Romanos a tyrannide Maxentij liberaſſe ſcripſiſſet, tandem hæc intulit. καὶ φλάβιος ὠνομάσθη. ἐκ κακοχυμίας δέ τινος λελεπρωμένος, καὶ δεινῇ τινὶ λώβῃ προσεοικώς, νεοσφαγῶν νηπίων αἵματι λύσασθαι, τῶν ἐν τῷ καπιτωλίῳ εἰπόντων θεραπείαν, συνέθετο ἃ καὶ πολλὰ ἀθροισθέντα οἰκτείρας ἀπέλυσεν. πρὸς δὲ καὶ χρήματα πολλὰ ταῖς μητράσιν καταθέμενος. πρὸς δὲ τὸν χριστιανὸν ἱερέα σύλβεστρον, ἐξ ἐπιφανείας πέτρου καὶ παύλου τῶν ἀποστόλων, δραμὼν καὶ βαπτισθεὶς ἄνεισιν ἐκ τῆς κολυμβήθρας ὅλος ὑγιής. Hoc eſt. Ac Flauius cognominatus eſt, ſed cum ex mala humorum affectione in lepram incidiſſet, dirumq; aſpectum præ ſe ferret conſulentibus ſacerdotibus Capitolij, ſanguine nuper cęſorum infantium, morbo ſtatuit per ablutionem ſuccurrere. Quos iam plurimos collectos, miſeratus dimiſit, inſuper donatis matribus. Poſtea ad Chriſtianum ſacerdotem Syluestrum accurrens, apparentibus illi Apoſtolis, Petro, & Paulo, ab eoque baptizatus, incolumis e lauacro aſcendit. Hæc ille. Idipſum in confeſſione ſua, quæ nuper cum operibus diui Clementis in Germania impreſſa eſt, fatetur ipſe Conſtantinus, vt licet omnibus aperte cognoſcere. Vbi Imperator optimus fatetur ſe lepræ morbo detentum, medicos accerſiſſe, illos infanticidium ſuggeſſiſſe, ſe facinus exhorruiſſe. Petrum, ac Paulum, noctu, ſibi apparuiſſe, & reliqua, quæ habentur in hiſtoria ſancti Sylueſtri. In Germania hoc impreſſum, & toti orbi ad videndum expoſitum. Atque hanc rem, quia notiſſimam eruditis arbitror, altius perſcrutandam minime cenſeo. Eruditos autem dico, non quales Lutherani, qui cum duas Græcas voculas tenuerint, Laurentianum aſſumunt ſupercilium, cum nondum in archana litterarum penetrarint, & ad ſuum arbitrium de quauis re dijudicant. Clarum igitur eſt, ipſum Conſtantinum Romam reliquiſſe, vt eam ſoli Chriſto, atq; Apoſtolis traderet. In qua tametſi Imperatores aliquot, poſt eius mortem regnarint, ideo tamen factum eſt propter ſummam neceſſitatem, cum videlicet duo eſſent, vel tres Imperatores, quos eadem regia Conſtantinopoli capere non poſſet. Factum etiam propter occidentalium rerum periculũ. Orta quippe poſt Conſtantinum grauiſsima in occaſu bella, opusq; erat præſentia Imperatoris. Sedes tamẽ pręcipua fuit Conſtantinopoli, eadem eſt cauſa quòd Romanus Pontifex, tot prouincias non retinuerit, quas Conſtantinus conceſſiſſet, quòd renuerint ſancti illi Pontifices eam adminiſtrationem, & quia non ita conceſſiſſet Conſtantinus, vt ab eis tanquam regibus adminiſtraretur, ſed vt eſſet eorum in his locis ſumma authoritas, vt omnes illis nationes vti patribus, obſequerentur, quod apparet in his, qui poſt Conſtantinum fuere Pontificibus, quorum multo maior fuit authoritas, ac poteſtas, & veneratio, quàm ſit hac tempeſtate, poſſemq; ab illo tempore, per omnes ætates deſcendere, & ſummam, atque excelſam ipſorum Pontificum cum ſumma ſanctitate coniunctam dignitatem oſtendere. Verum ſunt adeo nota, vt neminem eſſe putem, qui neſciat. In ſanctis autem omnibus ſynodis, quæ poſt Nicęnam celebratę ſunt, apparuit principatus ſemper Romanæ ſedis, quas cum deſcribunt Græci omnes ſcriptores, immo ipſemet ſe ſynodi docent, ſub quo Imperatore, & quo Pontifice Rom. factæ ſint. Nam de prima ſic ſcribũt. ἡ πρώτη ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος γέγονεν ἐπὶ τοῦ ἐν ἁγίοις βασιλέως κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου καὶ σιλβέστρου πάπα ῥώμης. Hoc eſt. Prima, ſancta, & vniuerſalis ſynodus fuit ſub ſancto Imperatore Conſtantino Magno, & Sylueſtro Papa Romæ. Quo loco fallitur hiſtoria tripartita, quæ ſub Iulio, qui ſucceſſerit Sylueſtro, hanc ſynodum docet eſſe celebratam. Ex eoq; error eſt manifeſtus, ꝙ ſcribat non potuiſſe Rom. Pontificem ſynodo adeſſe præ ſenectute, & tamẽ monſtrat eum poſt ſynodum, vltra xv. annos vixiſſe. Quare, & hac ratione, & omnium ſcriptorum authoritate dignus ibi ſcriptor reprehenſione eſt. De ſecunda quoque ſynodo in hunc modum ſcribitur. ἡ δευτέρα ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος γέγονεν ἐν κωνσταντίνου πόλει ἐπὶ θεοδοσίου τοῦ μεγάλου βασιλέως, καὶ Δαμάσου πάπα ῥώμης Hoc eſt, Secunda, ſancta, & vniuerſalis ſynodus, celebrata eſt Conſtantinopoli, ſub Theodoſio maiore Imperatore, & Damaſo Papa Romæ. De tertia ſimili modo. ἡ τρίτη ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος γέγονεν, ἐν ἐφέσῳ τὸ πρότερων. ἐπὶ δὲ Θεοδοσίου τοῦ μικροῦ βασιλέως, καὶ κελεστίνου πάπα ῥώμης. ideſt, Tertia, ſancta, & vniuerſalis ſynodus fuit epheſina prima, ſub Theodoſio iuniore Imperatore, & Celeſtino Papa Romæ. Et de quarta. ἡ τετάρτη σύνοδος οἰκουμενικὴ γέγονεν ἐν χαλκηδόνι ἐπὶ Μαρκιανοῦ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως, καὶ λεῶντος πάπα ῥώμης. Hoc eſt. Quarta vniuerſalis ſynodus facta eſt Chalcidone, ſub Marciano pijſſimo Imperatore, & Leone Papa Romæ. Sic de quinta. ἡ πέμπτη ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος γέγονεν ἐν κωνσταντίνου πόλει, ἐπὶ Ιουστινιανοῦ τοῦ πέμπτου βασιλέως καὶ βιγιλίου πάπα ῥώμης. ideſt, Quinta vniuerſalis ſynodus facta eſt Conſtantinopoli, ſub Iuſtiniano V. Imperatore, & Vigilio Papa Romæ. De ſexta, eadem ratione, ἡ ἕκτη ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος γέγονεν ἐν κωνσταντίνου πόλει, ἐπὶ κωνσταντίνου τοῦ πατρὸς μὲν Ιουστινιανοῦ, ἀπογόνου δὲ ἡρακλείου, καὶ ἐπὶ ἀγάθωνος τοῦ πάπα ῥώμης. Hoc eſt, Sexta, ſancta, & vniuerſalis ſynodus celebrata eſt Conſtantinopoli, ſub Cõſtantino patre Iuſtiniani, nepote vero Heraclij, & ſub Agathone Papa Romæ. Animaduerte vero, quòd quamquam hæc præceſſerit antecedentem, propter ſummam tamen illius dignitatem illa præfertur huic, licet fuerit poſterior.

Septima quoque ſcribitur, ἡ ἑβδόμη ἁγία σύνοδος καὶ αὐτὴ οἰκουμενικὴ γέγονεν ἐν νικαίᾳ τὸ δεύτερον, ἐπὶ κωνσταντίνου βασιλέως, καὶ εἰρήνης τοῦ αὐτοῦ μητρὸς, καὶ ἀδριανοῦ πάπα ῥώμης, Hoc eſt, ſeptima ſancta ſynodus, & ipſa vniuerſalis, celebrata eſt Nicęæ, ſecundo ſub Conſtantino Imperatore, & Irene matre, & Adriano Papa Romæ. Hæc non tam, vt hunc locum adiuuaremus, protulimus, quàm vt rem gratam ſtudioſis faceremus. Vltimo loco ponam decretum Concilij Florentini, in quo Græci, & Armeni principatum Romanæ ſedis clariſſime confeſſi ſunt, quod Concilium Arabice, Græce, & Latine, ſcriptum eſt, vt ipſi exemplaria proprijs oculis vidimus. Gręci ergo vna cum Imperatore, & Armeni, veterum ſanctorum dicta, & ſynodorum, atque Imperatorum edicta ſequentes, ſic dixerunt. Diffinimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum vicarium Ieſu Chriſti, totiuſque eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, & doctorem exiſtere. Et ipſi in beato Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi, vniuerſalem eccleſiam à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum, & in Concilijs vniuerſalibus, & ſacris canonibus continetur. Sic illi. Audiſtis ergo, vt confirmant, hoc ante per concilia, & canones, fuiſſe decretum? Atque hi ſunt canones, qui ſupradicta iura Conſtantini, aliorumque Imperatorum continebant. Vt nihil ibi poſſit eſſe ſuſpectum, atque apocryphum, vt ad ſua forte præſidia recurrentes, mentirentur Lutherani. Demum traditam eſſe a domino beato Petro poteſtatem, vt poſſet ligare, & ſoluere, eamq; facultatem ſuis ſucceſſoribus relinquere, ſic ex Clemente cognoſcite, qui ad Iacobum fratrem Domini, de obitu beati Petri, & de his, quæ ante obitum dixiſſet, ſcribens, ſic prima ſuarum Epiſtolarum ait. Clementem hunc epiſcopum vobis ordino, ipſiq; trado, a domino mihi datam poteſtatem ligandi, & ſoluendi, vt de omnibus, quæ decreuerit in terris, hoc decretum ſit, & in cęlis, ligabit enim, quod oportet ligari, & ſoluet quod expedit ſolui. Ex quibus apparet, quomodo illud Euangelij ſit intelligendum: Quodcunque ligaueris &c. quod extorquent, & peruertunt Lutherani, & qui eorum placita ſequuntur, vt auferant omnino Romano Pontifici ligandi, ac ſoluendi poteſtatem. Ecce vidimus, ipſi Apoſtoli, quomodo eum locum intelligerent, vt qui prius a Domino edocti, atque inſtructi fuiſſent. Veritas igitur nemini, niſi pertinaciſſimis, obſcura eſt. Erit autem, & his nota, ſed illis, qui gloriam, ac nomen rerum nuper ab ſe repertarum ſe adeptos arbitrantur, non recantabunt impietatem, ne priſtinum decus amittant, vt pluris nomen, quàm veritatem feciſſe noſcantur.

LIBRI SECVNDI FINIS.

AVGV-

AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sancti Saluatoris,

ADVERSVS LVTHERANOS,
Liber Tertius.

Quòd Chriſtiana Religio non ſit ſuperſtitio.

QVONIAM verò Lutherani, & hi quibus eorum placita placuerunt, quorum eſt ingens numerus,eam in omnium pectore opinionẽ ſuſcitarũt,pietatem Chriſtianam,maximis infectam eſſe ſuperſtitionibus,totoq; tempore in ea cõfeſſione perſiſtunt, ſemper ingerunt auribus omnium mortalium,non religionem nos priuatim,ac publice, ſed ſuperſtitionem habere præ manibus, Et quod crudelius eſt, non Iudæis modo nos ęquales ſępenumero faciunt,ſed multo etiam miſeriores,ac ſuperſtitioſiores,dicendum aliquid eſt contra inauditam hãc crudelitatem,quæ lacerat,ac dedecorat tam fęde populum chriſtianum. Neq; religionẽ ſolã infamat,ac dehoneſtat,ſed etiã eos,qui religionẽ,qua nihil nobis melius præſtare potuiſſent,cõdiderunt. Primum ipſum eius parentẽ Deũ,tũ reliquos omnes ſanctiſſimos,ac doctiſſimos viros,quorum genus e cęlo fuiſſe dixerim. Atque hæc quidẽ ſæua proclamatio,barbaricaq; aſſertio,quãtã omniũ corruptelarum luẽ,veluti ſcelerum rapidiſſimus torrens,ſecum in hunc mundum attulerit,quàm mores totius chriſtiani populi corrupetit,in quam omnium peſſimarum opinionũ voraginem totum genus humanum coniecerit,nulla ratione explicari poteſt.Quem enim vtriuſque ſexus peſſima lues nõ corripuit?Cui non mentem funditus euertit ? Nulla fuit vnquam diabolo tam opportuna, tã valida virtutum oppugnatio.Nec vllam tam diuitem,tam variam,& copioſam e bellis ſuis reportauit victoriam,nec beatiorem duxit vnquam,deuicta pietate,triumphum . Hæc denique, hæc fuit digna ſuis fraudibus molitio , Nunquam ſe in facinoribus ſuis geſſit præclarius. Nihil elaborauit vnquam, in quo tot per compita tartarea,deuictarum gentium ſuſpẽderit exuuias. Oppreſſa enim ibi eſt pietas, vbi contra ſuperſtitionem ſtari videbatur . Ibi corruit religio,vbi defendi , & propugnari credebatur. Victoria penes impietatem reſtitit , quam Lutherani contra ſuperſtitionem congredientes,religioni fuerant polliciti.Atq; id vitio ne, & errore ipſorũ acciderit,an conſulto,& pręmeditato,id,& quaſi ex coniuratione geſſerint,non facile eſt dictu. Etenim tam fędum,ac tetrum rerum exitum eos expetiuiſſe , non eſt fere probabile , qui nullã illis vtilitatem , ſed calamitatem vniuerſis attulerit. Rurſum cum eos in media ſtrage, in ipſo ſanguine exultare videamus, & ſi quæ reſtiterunt reliquiæ pietatis, etiamnum eas inſequi videntur ſine dubio,& huius mali prius cupiditate exarſiſſe, & non alium exitum, a principio ſibi animo præfixiſſe. Quæ ſi vera ſunt,auſim eos cum perditiſſimis eorũ tartareis ducibus conferre,cum furijs, cum peſſima quaque generis humani Tiſiphone , quam ad hanc coniurationem inuocaſſe videntur, & ſanguinem trucidatæ pietatis illi deuouiſſe. Atque hoc inuenti ſunt omnibus hæreticis deteriores,quo induti pietatis habitum,ſeſe in caſtra religionis intulerunt, &, vt erant proditores , ingentem ibi ſtragem ediderunt , dum aliud ſentire viderentur , quàm quod præ ſe ferrent. Notumque eſt,quàm magis ſint hoſtes occulti , ac manifeſti formidandi , qui ſub amicitiæ prætextu,acerbiſſimas inimicitias exercent . Eos igitur tanto eſt chriſtiana religio peſtilentiores experta, quanto minus illi inſidiari videbantur . Atque hoc quidem, vt dixi,potuit fortaſſe eorum errore accidiſſe, vt dum emendare vellent religionem , impietatem ingeſſerint . Sed ſi ad hoc munus ſuſcipiendum , non a ſeipſis incitati, ſed a Spiritu ſancto uocati acceſſiſſent, alium profecto exitum eorum conatus habuiſſent. Verum cum gloriæ, & famæ ſpe, tum alijs quibuſdam animi peſsimis motibus, inhumanum, & ut uerius dixerim, diabolicum officium ſuſceperunt, ut in ipſo opere appareret, a quo miſsi fuiſſent. Nam, & charitatis, quæ omnium honeſte ſuſceptarum actionum perpetua eſt comes, nullum in eorum dictis, & factis uiſum eſt veſtigium, ſed quæ illi contraria eſt potius crudelitas, & inhumanitas, totius tragœdiæ habenas moderata eſt. Quid enim eſt ab illis dictum, quod non eſſet tumoris, faſtus, atque arrogantiæ plenum? quæ nullum habent cum charitate commercium. Quid uero ab his ſpectare poteras, quos crudelitas, atque arrogantia, ueluti tranſuerſos ad ſcribendum rapiebat? Nonne ipſa uerba teſtantur, ipſe ſonus, ipſa tota loquendi ſeries, quæ pectora loquentium fuerint? Quis ſpiritus mentem impleuerit? Diuinus ſpiritus benignus eſt, humanus eſt, non extollitur, neque extollit. Non inflatur, neque permittit inflari quos complexus fuerit. Tollit arrogantiam, tollit ſuperbiam, oſtentationem, feritatem, omneſque id genus ſordes exra mentem exterminat, ſicut ſole tenebræ repente fugantur, ſic incontrarium peruerſus ſpiritus, primum humanitatem, atque ſuauitatem adimit animo, ingerit ſuperbiã, Barbariem inducit, inducit aliorum contemptum, Serit appetitum nocendi, odium, & execrationem aliorum, Nulla denique eſt peſtis, quam non breui ad animum accumulet. Ac ſic affectæ mentes, & in agendo, & loquendo manifeſtius oſtenduntur. Neque uero factum eſt unquam, ut quæ diuinus ſpiritus tentaſſet efficere, non felicem ſemper euentum ſortita fuerint. Quæ autem ſtragem aliquam animorum, ſiue corporum attulerunt, diabolicam, ſine dubio fraudem indicarunt. Vtrunque in hoc Lutherano conflictu conſpectum eſt. Quære enim quid emolumenti Chriſtianis attulerit hæc hæreſis: ſi corpori, inuenies per eam infinitas eſſe cædes perpetratas: ſi animo, nulla fuit crudelior peſtis unquam, quæ magis ſenſum labefactarit humanum. Detrimentumque fuit in artificio, quia eiecta, & propulſata eſt pietas, vbi eam purgare ſuperſtitionibus promiſerant. Imbutique ſunt omnes mortales peſsimis opinionibus, ut ſiquid agant pium, mox occurrat ſuperſtitionis ſuſpitio. Quis igitur dignis, ac ueris lacrymis tantam calamitatem deplorauerit, qua omne pene Chriſtianum genus eſt attactum? Hoc nouum certe fuit genus hæreſeos, quæ nihil contra, vel diuinitatem trium perſonarum in uniuerſum, vel aliquam trium perſonarum moliri uiſa eſt, quod aliæ fecerunt hæreſes, ideoque magis manifeſtæ, & labem ſuam minus cęlantes. Hęc autem tantum abeſt, vt Deo aduerſari uideretur, ut reſtituere potius eius ſyncerum, & rectum cultum crederetur. Eoque habuit multo plures, qui eius fidem ſequerentur. Qui quidem primum, illa probabili ſpecie allecti, totos ſe illius fidei commendarunt. Moxque in fidem recepti, & ad imitationem admiſsi, ibi totius impietatis myſterium imbiberunt. Primum autem, ut intelligerent in religione Chriſtiana, nihil eſſe non ſuperſtitioſum. Ineſſe aris, & focis, ineſſe templis, ieiuniis, orationibus, caſtitati ſuperſtitionem, quæ nihil ad verum Dei cultum attineant, ſed animum potius anxium, ac ſollicitum iugiter teneant, quale ſit ſuperſtitionis. Neque Deum hiſce rebus uehementer delectari, neque illum talia genus humanum unquam docuiſſe, uel præcepiſſe, ſed ineptos quoſdam, atraque bile laborantes homines, aut etiam ſolos Pontifices inueniſſe. Hæc cum audirent ſapientes, non ſunt repente incitati, ſed tempus, & inducias conſulendi de tota re poſtulauerunt, conſiderandumque, ſibi diligentius dixerunt. Vulgares autem, & quibus graue religionis iugum iamdudum eſſet, ingenti plauſu, quæ dicerentur, exceperunt, quippe qui ſe miſera quadam ſeruitute liberandos credebant, & in Chriſti libertatem eſſe vindicandos. Chriſti enim cultum, iam cum ſuis præceptoribus ſentientes, eſſe dicebant non carnibus non ueſci, non quotidie çonfiteri, non adire templa, non coram imaginibus orationes fundere, ſed aliam quandam religionem, quæ ab illis ſuis ſacerdotibus, nuper eſſet in hunc modum cęlitus delata, quæ animum cum Deo, & proximo coniunctum ſemper teneret. Hæc quidem erat nouæ illius religionis promiſsio, atque oſtentatio, cum priſtinæ illius, & quam omnes populi Chriſtiani à Deo, & ſapientiſſimis totiuſque orbis præceptoribus traditam haberent, detrimento, atque ruina. Et rationes quidem uidiſtis, quàm eſſent probabiles, quàm prurientibus auribus accommodatæ. Dicendum igitur aliquid contra fallaciſſimam hanc gentem, demoſtrãdumq; quo pacto, animum dũ liberare a ſuperſtitione promiſerint, cũ in miſeram impietatis ſeruitutẽ coniecerint. Num hæc quã vniuerſum Chriſtianorum genus a principio habuit religio, ſit ſuperſtitio? Num poſſit eſſe alia recta colendi numinis ratio? Num populi potuerint ad cultũ Dei, aliis rationibus adduci? Ac de his quidẽ breuiter diſſeremus. Neque.n. ex profeſſo id agimus hoc loco: hæreſis quippe, quæ tã uaſta ſit, nõ põt facile, & ſine lõga diſputatione refelli, ſed eius nos tantũ improbitatẽ detegemus, & fraudes quaſdam diabolicas in lucem extrahemus. Primumq; de religione aliquid dicendum, ut oſtendamus hanc, & vetuſtiſſimos patres noſtros habuiſſe, & nos, pauciſſimis exceptis, non aliud exercere in religione, quam quod illi tradidiſſent. Dico primum, in ſenſu humano poſitam eſſe rationem quandam, qua ad cultum Dei quiſq; pro ſua ſapientia excitetur. Hincq; illam ſapientiſſimorum virorum vocem eſſe profectam. Nullam eſſe, tam feram gentē, tam cultus humani, & rationis expertem, quæ non alicuius Dei numen ueneretur, ac ſuppliciter colat. Eſt.n.animi, & rationis id proprium, ut ſenſus in eo prope nullus futurus ſit, in quo nullus ſit ad uenerandū Deū inſtinctus. Poſitum itaq; ſit, in homine interiore, quem rationē, ſiue animū vocamus, ipſam ſuis artibus fabricaſſe naturā uim quandam, atq; impulſum, vt ſponte noſtra ad amorem numinis, quæ ueneratio, & cultus dicitur, incitemur. Is impulſus unde naſcatur, etiam ſcitu eſſet digniſſimum, ſed quia partim, non eſt huius loci ea explicatio, partim, quia copioſe ſuper eo, in libris de pietate diſputauimus, mittemus hæc in præſens tempus. Neque enim magnarum diſputationum fundamenta iacimus, partim, quòd id uberrime tractatur in ſanctis litteris, ut nihil aliud prope continere videantur. Viget igitur ea uis in ſenſu, cogitant omnes gentes eſſe aliquod multo hominem præcellens, cui parere debeat, ac ſubijci homo. Hæc ratio latere in animo ſemper non poterat, ſed lucem, & aſpectum appetebat. Tum, & illi, qui ſibi colendum eſſe Deum ſentiebant, putarunt non ea ſolum cogitatione, & intelligentia, ipſum cultum contineri, ſed alio quodam effectu, qui ab illa cogitatione, & intelligentia proficiſceretur. Reperta igitur ſunt templa, & aræ. Reperta ſacrificia, repertæ ceremoniæ, quæ omnem eum cultum complecterentur, qui ſenſu prius fuiſſet conceptus. Vtque oratio, quæ profertur ore, non differt ab ea, quæ corde concipitur, tantum loco diſcrepans, ſic, & is interior cultus, & exterior, idem neceſſario ſunt. Atque hic miſerrime, & ſe, & alios, fefelliſſe Lutheranos certiſſimum eſt, qui reiecerunt, & dānarunt exteriorem hunc cultum, quem qui tollit, interiorem quoq; illum tollat neceſſe eſt, ſi non ſapientibus, ipſi certe multitudini, quæ leuem interioris illius tenet rationem; ideo extrinſecus, opus eſt eam excitare ad illam interiorem intelligentiam. Atque fuit hæc ratio, cur tantam in religione ſtragem Lutherani fecerint. Nam, cum & vulgares, & ſapientes in colendo Deo pares eſſe uoluerint. Sapientes enim animo, & ſenſu tantum Deum adorare recte poſſunt, ad hanc legem etiam imperitos trahentes illi, aſſeuranteſque, exteriorem hanc eſſe ſuperſtitionem, utranque pietatem pariter ſuſtulerunt. Exuti igitur omni pietate, meræ feræ relicti ſunt. Cumque pietas omnem ex animo propellat immanitatem, omnemque truculentiam, ac quicquid ibi ferinum inuenerit, repente abigat, atque exterminet, hi, qui omnem religionem amiſerunt, non mirum, ſi non homines, ſed furiæ diabolicæ, & ſpiritus è tattaro progreſſi, videantur. Aufer enim homini religionem, ſuam etiam illi naturam abſtuliſti, ut cum feris facile tum poſſit comparari. Hæc igitur fuit fraus illa Diaboli peſtilentiſſima, quam per Lutheranos intulit in mundum. Sublatis enim aris, ac templis, ſublatis ſanctis Dei, & ſanctorum Imaginibus, quæ memorabilia ipſorum diuorum quaſi facta narrarent, ſublatis etiam cęremonijs, quibus Dei exterior ueneratio exprimitur, etiam ille bonus animi ſenſus eſt extinctus. Nonne uerò ſapientes, religionem exteriorem apud quaſcunque gentes reperiſſe credimus? Vt enim eloquentiæ, & ſocietatis humanæ congregandæ authores, ſapientes fuiſſe uolunt, ſic religionem, ſapientiſſimos quoſque, quæ præſtat eloquentiæ, rebuſque omnibus humanis, excogitaſſe neceſſe eſt. Ductam tamen ab interiore, quæ illorum animis concepta fuiſſet religio, ut igitur illi pietatem, quo meliores, ac mitiores efficerent homines repererunt, ſic truculentiores effectos eos neceſſe eſt, quibus Lutherani pietatem ademerunt. Quod certe etiam apertiſſimum eſt. Sed ad aras, templa, cęremoniaſque reuertor. Quis ergo non percipit, omnem exterius apparentem religionem, eſſe rem præclariſſimam, atque humano generi utiliſſimam? Tres autem cauſæ ſunt, quibus ad eam laudandam, approbandamque moueamur. Primum, quod omnis exterior religio exprimit, ac repreſentat eam, quæ in animo exiſtit, pietatem, atque uti eam ſanctiſsimam mentem prædicamus, quæ notionem, ac iugem meditationem diuinitatis ſecum habet, ut ei quaſi ſemper ſacrificet, ſic eandem laudem, & commendationem debet promereri, qui Deum exterius ſemper ueneratur. Deinde, quòd ſit a ſapientibus reperta, ut animi atque intellectus religionem docuerit quidem natura, & inuexerit, hanc uero quæ cernitur, illi in medium extulerint, qui capacius, quâm reliqui, edocti prius a natura, quique cæteris eſſent ſapientiores, populos ad rem æquiſsimam inducere optauerint. Poſtremo, quòd ad utilitatem generis humani ſit condita, atque ita, cum tres honeſtiſsimę cauſę condiderint religionem, qui eam tollunt, a tribus in contrarium peſsimis cauſis inſtigari neceſſe eſt. Primo, carent interiore pietate: tum, nulla ſunt pręditi ſapientia: poſtremo, non modo non utiles, ſed exitiales potius humano generi eſſe concupiſcunt. Hic illi occurrent fortaſſe, & ſe non religionẽ, ſed ſuperſtitionem damnaſſe dicent. Verum hic non modo mendaces, ſed etiam fallaciſſimi deprehenduntur. Mendaces quidem, quod ſceleratiſſime mentiuntur, dum id dicunt eſſe ſuperſtitionem, quod ſit religio, vt paulopoſt probabimus. Fallaces autem, quòd genus humanum deprauatis nominibus fallere ſtuduerunt. Perinde ſi quis volens alios auertere a capeſcenda ſapientia, eam ſtultitiam eſſe diceret. Sed hæc, vt dixi, multo clarius paulopoſt oſtendentur. Declaratum eſt igitur ordinem fuiſſe naturæ, vt religio prius animo, ac ratione conciperetur, poſtea ſapientiſſimi quique, & vtilitatis humanæ ſtudioſiſſimi, eam foris exprimerent, vt magis ad tam ſacrum rationalemque affectum omnes animarent, ac inter nos, & Lutheranos de priore illa religione fortaſſe nulla eſt controuerſia. Dicent enim & ipſi, quod & nos ante ſtatuimus, animi religionem eſſe venerationem Dei, eſſe animi motum, ſeſe ad cultum Dei ſui excitantis. In ſecunda vero ſtatuenda, neceſſario diſcordia eſt. Nam illi aut nullam eſſe volũt exteriorem, ac ſecundam religionem, aut aliam, quàm nunc exercent populi Chriſtiani: Appellant enim eam ſuperſtitionem. Itaque vtrunque comprobemus, neceſſario, ſcilicet, quendam eſſe exteriorem Dei cultum, & hunc alium eſſe non potuiſſe, quàm eum, quẽ nunc tenent chriſtiani, vt ſi eſſet alius, eſſet potius ſuperſtitio. Ac de prima quidem ratione, quoniam ſatis multa diſſeruimus, non multa verba faciemus. Diximus igitur rationis humanæ, atque naturæ fuiſſe, vt Deum veneratione dignum agnoſcerent etiam Barbaræ, & immanes nationes. Hæc agnitio non æqualis eſt in omnibus, ſed longe ea, quæ in animis ſapientum continetur, præſtat ei quam tenent vulgares ea de re. Vt enim iuſte recteque viuendum, non æque videtur omnibus decorum, ac magnificum, & tamen ad id, & noſtræ naturæ principijs, & iure ſocietatis humanæ prouocamur, ſic numen eſſe colendum, non tam cognoſcitur ab omnibus. Ipſa quoque cognitio tametſi cunctis ineſſet, multo tamen diuinior, atq; maior ea eſt, quæ ſapientis animo continetur. Appello ſapientes hic, quales in omni natione reperias, nonnullos, ſcilicet qui cum multitudine non ſentiant, ſed priuatum vitæ genus, priuatas opiniones ſequantur. Horum eſt ante omnes ſenſus diuina cognitione, & veneratione plenus. Quoniamque intelligunt nullam eſſe in humanis, tam iuſtam rem tamq; hominibus vtilem, quàm vt oĩum mẽtes ſumma colendi Dei cognitione imbuãtur, Hoc enim eſſe oĩum bonorum principium, fontẽq; iuſtitiæ, concordiæ, & ſocietatis humanæ principiũ, eo inducti ſunt, vt quantas poſſent rationes excogitarent, quibus populos ad tantã æquitatem allicerent. Conſilium igitur Dei, ſapientiſſimorumq; omnium fuit, vt magna Dei colendi cupiditate mortales incenderentur propter iuſtitiam, atq; vtilitatem. Nõ ſolum videlicet, quia foret id iuſtiſſimum, verũ ẽt vtiliſſimum. Quoniamq; populos in errores propenſos animaduerterant, & his, quæ ad corpus attinerent, maximis, & perpetuis curis inſiſtere, & ad id non tam neceſſitate, quàm praua quadam, & ſtolida cupiditate compelli, vt nihil in terris aliud prope molirentur, quàm vti formicæ, diuitijs, & cõmodis huius vitæ accumulandis incumberent, & ob id auerti vnũquemq; ab optimis rerũ maiorum ſtudijs animaduerterẽt, operam dederunt, ne vulgus dum corporis vtilitates quæreret, in naturam beluinam degeneraret, & ne ipſa quidem bona corporis inueniret: quia vbi nõ eſt Dei veneratio, neq; concordia, neque charitas, & iuſtitia eſſe poteſt. Fugata vero iuſtitia, nulla erit, aut ſolida, aut diuturna inter homines lætitia, ſed luctibus, & cędibus perpetuis conficientur. Viderunt igitur ſapientiſſimi illi viri, immo ipſe Deus, vt niſi populi aliqua numinis venerandi opinione imbuerentur, fore, vt homine nulla belua eſſet crudelior, & immanior. Ad id vero illos excitare magna quoq; occurrebat difficultas. Quippe qui, vt dixi, tantum, ad huius vitæ cõmoda viderentur procliues. Reſiſtendũ tñ huic prauitati pro viribus duxerunt. Repertaq; ſunt ab illis ea, quæ diſceret populus eſſe grata Deo, & quibus qualiacunq; eſſent, numini deuincirentur, ſacrificia, præcationes, hymni, ritus quidam, adire templa, quæ Dei domus credebantur. Atq; eo ſuæ pietatis officium vulgares exprimebant, qui nihil ſcirent aliud eſſe Deo carum. Dicoq; duplex eſſe ſacrificium, duplicem pietatem, excelſam quandam, alteram humilem. Prioremq; in caſtiſſimis de Deo, deque rebus humanis, opinionib. conſiſtere, cogitare de Deo, quæ digniſſima Deo ſint. Eum puriſſimis animi cogitationibus habere conceptum. Nihil indignum de eo ſentire. Suum ſpiritum, illius ſpiritui ſubdere. Se prolem eius agnoſcere. Atq; hæc eſt eximia & præſtantiſſima pietas, quam proprie ſapienti tribuemus. Oſtendi quẽ dicerẽ eſſe ſapientem, ne nomine decipiamur. Altera pietas humilior eſt, ac depreſſior, poſita in ceremonijs, & ritibus quibuſdam, qui tantum Deo grati ſunt, quanta ſimplicitate, & pietate peraguntur. Tantumq; ſufficiet plebeio, & vulgari, humilis iſta pietas, quantum ſapienti excelſa illa ac grauiſſima veneratio. Illud quoque eſt vero verius, fieri non poſſe, vt vtraque pietas, vtrique generi conueniat. Vt enim non omnes ſapientiſsimi, ſic non omnes ad excelſam illam pietatẽ poſſunt aſpirare; attamen, & humiliores placent Deo, capillus caprę, & calix aquæ frigidæ fuit gratus Deo,propter offerentis charitatem,ac pietatem.Qui ergo humilem hũc cultũ ſuſtulerit, imprudentiſſimus ſit neceſſe eſt.Qui vocet etiam ipſum ſuperſtitionem. Nam,& minima ſunt grata Deo,etiam quæ mortales putent abiectiſſima,propter offerentiũ pietatẽ.Quoniamq́; vulgares,ad maiorem illam religionem attingere non poſſunt, exuentur omni pietate, ſi quis,& hanc illis accommodatam abſtulerit.Quod a Luteranis eſt euidentiſſime perpetratũ. Quanquam illi non ſolum leuem iſtum,& humilem cultum ſuſtulerunt,ſed illum etiã diuiniorem.Ea ſi quidem penitus intercipere laborarunt,quæ tum ad eximiam inducerent pietatem, tum eius quandam ſpeciẽ repræſentarent,vt id videretur, & amaretur ab omnibus, quod pauciſſimorum erat ante,mente comprehenſum,ibiq; deliteſcebat. Quoniamq́ue de duplici cultu promiſcue hæc pauca diximus,de ſecundo aliquanto plura diſſeramus, tunc videbimus, & interiorem,& exteriorem religionẽ Chriſtianorum eſſe ſanctiſſimam, ac diuiniſſimam, ac maxime cœleſtem. Vt ille ſit perditiſſimus, qui ipſam appellet ſuperſtitionẽ, non minus,ac ſi diuos, dæmonas diceret,agnoſcemusq́; tam illis ipſis,qui mẽtiuntur,exitialẽ calũniam, quam his,qui eos audiunt.Nam cũ plures fuerint olim religiones, aliæ quidẽ deſpicatiſſimæ, atq; abiectiſſimæ,vna vero fuit digniſſima religio chriſtiana,quæ ducta eſt ab illa veteri melioreq́; omnibus, quæ tunc inuenirentur, religione. Quo autem præſtat hæc reliquis omnibus,illud videlicet eſt, quòd talem eſſe exteriorem religionem neceſſe eſt,qualis ſit cõcepta de numine opinio. Vt qui propius,vel meditando,vel munere Dei, ad eius cognitionem acceſſerit,is perfectiorẽ, honeſtioremq́; religionem ſit conditurus. Atqui gentes nihil de natura diuina habebant cognitum, præter id,quod a natura ipſa didiciſſent.Eaq; ratio fecit,vt ineptiſſima eorũ eſſet religio, vt ſaltu, & agitatione corporis,ludis,& armis,& pompis,ac cædibus interdum,ac victimis humanis Deum delectari putarent,atq; ex his eorum conſtaret religio.Quia igitur error in mẽte, & falſa in animo concepta fuerat religio, errabatur etiam in exteriore cultu. Poterant vero alia de Deo didiciſſe,ſicut,& eorum pleriq; didicerunt: ſed neq; naturam ſecuti, perfecte edocti fuiſſent. Ratio igitur,quòd omnium præcipua,& præſtantiſſima ſit chriſtiana religio, ea eſt,quòd tum a Deo eſt condita,& reperta,tum ab his,qui Deum audierunt, & eius vocem, ac præcepta coram perceperunt.Ex quibus caſtiſſimam, ac ſanctiſſimam religionem condiderunt: Quę nõ ſit aliud,quam illius diuinæ cognitionis,& amicitiæ,quam illi cum Deo habuere,ſpecies repreſentata,& ideo neceſſaria,quæ nos ad eam inducat amicitiam,atq; coniunctionẽ feliciſſimam. Dicamus igitur,religionem ſcientiam eſſe colendi Dei.Ius,& formam,& rationem,qua puriſſimus,ac perfectiſſimus Dei cultus continetur,vt in eum locum,ac ſtatum adducamur, vbi fuiſſent illi, qui eam repererunt. Huius ergo diuinæ, ac ſapientiſſimę religionis maieſtatem, & incredibilem infinitamq́; vtilitatem tres potiſſimum rationes oſtendunt: Inuẽta eſt enim a Deo, abſoluta,ac perfecta,a diuinis,ac ſapientiſſimis hominibus,grauiſſimiſq; cõcilijs roborata. Deinde,quòd vtilitatem incredibilem afferre cernitur his,qui eam ſequuntur. Efficit enim eos iuſtos,caſtos,modeſtos,pios,nullaq́; eſt maior vtilitas ea, quæ de virtutibus naſcitur. Atque hæc quidem,quæ dixi,adeo certa ſunt, vt ſi quis ea neget, impudentiſſimus omnino ſit. atque hoc eſt,quòd Luterani,dum tollunt religionem, tollunt omnem virtutem, & in feras, & quidẽ immaniſſimas, homines transformant. Dico igitur,religionem chriſtianam non tam interiorẽ illam,quam exteriorem,& eam quæ ritibus,ac ceremonijs cõtinetur, eſſe diuiniſſimam,pulcherrimam,grauitate,honeſtateq́; plenam,quæ homines,niſi corruptiſſimi ſint,facile molliat, & ad meliora transformet. Nihilq́; in ea eſſe, nullum inſtitutum, nullam partem, quæ non ſit admirabilis, & eorum ſanctiſſimam,cęleſtemq; ſapientiam atteſtetur,qui eam repererunt.Dicoque hanc fuiſſe cauſam,vt illi tam diuina inſtituta reperirent, quòd eſſent ſpiritu diuino pleni. Neque aliud eſſe hanc religionem,quam mentium illarum ſapientiſſimarum expreſſionem. Dico quoque nullum eſſe ex his inſtitutis, quod nõ poſſit ſua bonitate vnumquẽque allicere ad pietatẽ,modo aliud in cauſa non ſit.Neq; aliã eſſe poſſe rationẽ,qua ducamur ad pietatẽ.Itaq; quoniã hæc de chriſtiana religione dicimus,nõ illa interiore,ſed exteriore,& ea,quę ab omnibus cõſpicitur,quæ oculis patet intuentiũ populorũ,quæ ritibus,& ceremonijs cõtinetur,appellandæ ſunt ſuo nomine ſingulæ illius partes,vt facilius, quod dicimus intelligatur. Vbi igitur religio Romanorũ,ludos exercebat,ignẽ in cuſtodiã vrbis aſſeruabat,põpas peragebat,ſumptuoſa ſacrificia offerebat,ſaliebat, atq; alia id genus fieri poſcebat, in hac vera generis humani religione,lõge alia fiũt.Primoq; eã duobus ſanctiſſimis mẽbris cõſtare aſſero,pietate erga Deũ,charitate,ſiue iuſtitia erga homines. Cætera,quæ in ea exerceantur,horũ ad alterũ ſemper ſpectare, Omnemq; eius ritũ,omnẽ ceremoniã,aut Dei venerationẽ exprimere,aut ad ſalutẽ, & charitatem erga alios pertinere.Ergo,& numeroſiſſima templa,& aræ copioſę erectę ſunt, quas homines adeuntes,Deum ſuum uenerarentur.Ibiq; ritus ſanctiſſimos honeſtiſſimoſq; intuentes,intus ad maiorem pietatem cõmouerentur.Hymni autem,qui Deo canũtur,partim precationes ſunt quædam, partim præcepta, partim totius chriſtianæ religionis confeſſio, quæ Deum omnium fuiſſe rerum repertorem prædicat. Eius inauditam maieſtatem, infinitam potentiam, miſericordiam & clementiam incredibilem, bonitatem inęſtimabilē, charitatem erga genus humanum manantem ex eius bonitate, ſine fine prædicat, & confitetur. Et id quanquam a ſolis ſacerdotibus fiat, fit tamen in confeſſionem totius chriſtiani populi, totiuſue Eccleſiæ. Eaq́; re nulla iuſtior, nullum tam efficax ſacrificium. Habemus enim gratias de innumerabilibus ab eo acceptis beneficijs, eorumq́; nos eſſe memores oſtendimus. Atque hoc quidem ſanctis hymnis efficitur. Quid vero de ſacra miſſa dixerim, cuius tot ſunt ſacramenta, quot verba, quot ritus? qua tota ſeruatoris noſtri paſſio continetur, ac repræſentatur? Vbi diuinum ſacrificium perficitur, pro ſalute totius chriſtiani populi hoſtia imolatur? De qua re non multa hoc loco verba facio, quòd non meum eſt inſtitutum, & a plurimis eſt de eo diſputatum. Imagines autem per templa depinguntur, non vt errantem vetuſtatem ſequamur, quæ portenta, & beſtias, & turpitudines, fędiſſimaſq; fabulas, tetraſq; Tragædias oculis ſpectantium exhibebat, & quæ magis erant tenebris, ac latebris occultanda, in propatulum extrahebat. Aut certe pingebant eos, qui nunquam fuiſſent. Herculem, Mercurium, Saturnum, quorum, aut falſo vita commemoraretur, aut qui homines fuiſſent, eorumq́; res geſtæ nihil haberent memoratu, & imitatione dignum, ſed aut furta eſſent, aut cædes, & inceſtus, & quæ his ſimilia ſunt. His non ſunt ſimiles imagines Chriſtianorum. Sed quia Saluatoris noſtri, ſanctiſſimorumq́ue Heroum res geſtæ legi ab omnibus non poterant, inuentum eſt, vt etiam picturis deſcriberentur, quas, qui intuerentur, non minus haberent notas, atque hi, qui libros adijſſent. Neque video, etiam veterũ teſtimonio, quid inter picturam diſtet ac ſcripturam, quàm, quòd altera loquendo, altera tacendo docet. Quid enim intererit, ſi aut Euangelium legatur, vbi ad crucem adductus Ieſus Chriſtus deſcribitur, aut ſi longo ordine totam rem depictam aſpicias? Dicerem etiam aliquãto fortius mouere picturam, quàm ſcripturam. Neque propterea ſimulacra ipſa adorantur, quę eſt Lutheranorum iniquiſſima calumnia, ſicut moris eorum eſt, & chriſtianos calumniari, & ipſam innocentem religionem. Atque his peſſimis mendacijs nobis extorquere pietatem nituntur. Quis quæſo adeo vecors eſt, ac ſenſu, & ratione tam deſtitutus, qui ipſas imagines adoret? Ne mulierculis quidem etiam delirantibus id accidit. Quod ſi vlla pietas illis exhibetur, in eius fit gratiam, cuius eſt imago, quem quaſi videre videntur, & alloqui. Atque id non diſplicet Deo, cum in ſuum cultum, ac venerationem totum fiat. Vtcunque autem excitemur ad pietatem, & cognitionem Dei, refert minime. Pro viribus eſt curandum, vt quauis ratione ad eius cultum ſubleuemur. Sed plura diſſerere de hac re ſuperſedeo hoc loco. tum, quòd in re certiſſima, non multa dicẽda ſunt, tum, quia in calce aliqua teſtimonia proferemus, quibus magnorum hoc inuentum eſſe virorum probabitur. Quid igitur horum, quæ nominauimus, eſt ſuperſtitio? Quis tam impius erit, tam barbaro, ac truculento ingenio, tam fęda, & ſpurca lingua, qui audeat tam turpiter mentiri? Quandoquidem, & à Deo, & maximis viris ea ſunt excogitata, & ea gratia excogitata, vt pietatem noſtræ mentes conciperent, vt patris, & cõditoris noſtri eſſemus memores, eumq́; perpetuo veneraremur. Inueniant illi ſi poſſunt meliorem pietatem, genuſque aliud religionis præſtantius, quo maior erga res diuinas affectus acquiratur. Et ignaræ, ac terrenæ mentes habitum animi ad res terreſtres, ac mortales procliuem magis deponãt. Atque vtinam ad vnguem veterem illam religionem ſequeremur, quæ certe, & ipſa eſt, quam nunc habemus, ſed multis ademptis, multis appoſitis propter ſacerdotum tum ignauiam, tũ imperitiam. Quas ergo ceremonias Lutherani quaſi vituperaturi, appellant, veræ quidem ceremoniæ ſunt, ſed quid aliud quæſo ſunt in religione ceremoniæ, quam pietatis honeſtiſſima, ac pulcherrima exhibitio? quàm formula colendi Dei? quàm diuini myſterij peractio? Atq; omnes, quæ in religione ſunt ceremoniæ, tum ſunt a viris ſanctiſſimis excogitatæ, tum ea gratia excogitatæ, vt vel ſacramentum natiuitatis, vel paſſionis dominicæ repræſentarent. Sic & veſtes, & varius habitus, variusq́; ſitus, ac motus, & is, qui in miſſis, & qui in omni celebratione fit, eum habet finem certum, vt diuinum aliquid repræſentet. Hæc ergo, qui tollunt, exteriorem religionem tollunt. tollunt ea, quibus Dei cultus exprimitur. Itaque in eo ipſo duplex eſt error, alter Lutheranorum, alter eorum, qui ceremonias quidem approbant, ſed his ſolis eſſe contenti videntur. Vt enim errant illi, ritus religionis auferentes, quia, & ipſam auferunt, ſic hi, qui per ceremonias ad ea non animaduertunt, quæ per eas deſcribuntur, neque excitant mentem, oblatis rerum ſanctarum quaſi ſignis, ſed quaſi non aliam ob cauſam ſint repertæ, quàm, vt ſic exhiberentur: ita ritus illos celebrant, vt nullam ex his aſſequantur vtilitatem, nullumq; faciant ad res diuinas progreſſum. Atque hoc etiam anſam maledicendi, ac religionis euertendæ dedit Lutheranis. Eadem vero in cæteris fuit eorum improbitas, religionem tollẽtium, quòd male a ſacerdotibus adminiſtrarentur. Sic illam prius laborantem atque ægram, altero malorum cumulo crudeliter oppreſſerunt, aut opprimere ſunt conati. Ritus ergo, ac cæremoniæ, cum ſigna rerum diuinarum, ac quaſi, ſignificationes ſint, neque tolli debent tanquam non neceſſariæ, & vtiles, neque ſolis illis eſt animus applicandus. In his ergo (vt ad propoſita reuertar) quid quæſo inuenias non diuinum? non ſacerrimum? non ſumma veneratione digniſſimum? non ſummo conſilio, ſummaque prudentia, ſumma etiam pietate excogitatum? Euolue totam religionem, modò candido iudicio facias, ipſos autores inuenies, non ſine grauiſſimo conſilio, acerrimoque ſenſu, & quod eſt diuinius, infinita erga nos poſteros charitate, ſanctos exterioris huius pietatis ritus inſtituiſſe. Illud quidem hoc loco dixerim, non infinitas, aut immodicas eſſe debere has cæremonias, ſed adeo certas, ac temperatas, vt tum ad commemorationem rerum diuinarum per eas excitemur, tum nullam afferant, propter prolixitatem, moleſtiam. Ne ſpiritus, qui fuerit conceptus extinguatur, vt alia quoque munera religionis queamus peragere, Doctrinæ, ac ſapientiæ incumbere, ſacras litteras nocturna diurnaq; manu verſare. Ex qua re incredibilis fructus peruenit ad religionem. Per eruditionem certe, hæreſes, quæ fere ab inſcitia proueniunt, extirpantur, aut exoriri non permittuntur, per eandem animus mirabiliter expiatur, rerum humanarum appetentia exuitur, honeſtioraq; cupit, & meliora. Atque hęc non de omnibus prædico, ſed his modo, qui nulla affectione praua extrinſecus excitantur. Alioqui, ſi aut gloriæ cupidus, aut iactabundus, aut ingenio turbulento, & maleuolo, quis ad hæc ſtudia ſe contulerit, non modò nullum faciet ad pietatem progreſſum, ſed inde potius inferet ſibi cæteriſque iacturam, vnde alij profuiſſent. Licuit id in hæreticis omnibus olim, licet nunc in Lutheranis cognoſcere, quibus propter eorum improbitatem, litteræ fuere impietatis ſuæ fomentum, atq; inde iactãtiam, & barbarum auxerunt ſpiritum, quòd ſe eo iudicij, ac ſapientiæ perueniſſe opinarentur, vt pro ſuo arbitratu, iudicare de vnaquaque re, facile, & expedite poſſent, vſque adeo de ſe tumida opinione cõcepta, vt ſuam cenſuram, non modò terram, ſed etiam cęlum attingere poſſe putarent. Hunc ſenſum ex litteris, quales quales forent, conceperunt. Sed hæc obiter. Moderatã igitur, ac ſobriam cæremoniarum copiam approbo, immoderatam reijcio. Vitupero Lutheranos, qui eas vti ſuperſtitionem damnant, ob eamq; cauſam, neque Miſſas audiunt, neque templa vllatenus adire noſcuntur, omnia ſuperſtitiones, ac ceremonias eſſe prædicant. Non ieiunant, non confitentur, ſunt enim hæc illis ſuperſtitiones. Sacerdotes tanquam laruas, ac lemures deuitant, nihil videre ſe putant deteſtabilius. Hos ergo deteſtor. Qui autem ſunt ſolis cæremonijs contenti, nec animum ad ipſas res applicant, hos etiam graui cenſura dignos puto. Qui opinantur his ſolis ſe poſſe placare Deum, eumq; ſpiritum non concipiunt, quem cęremoniæ, & ritus deſyderant, & quærunt, qui exteriore tantum cultu Deum venerantur, neque intelligunt, hunc nihil prodeſſe, niſi mens, & pietas interior adſit, niſi enim fuerit in præcordijs Deus, quid proderit eum exterius venerari? Atque hæc quidem de his maxime dicuntur, quorum paulo maior eſt, quã mere vulgarium captus. Neque enim plebs vſque adeo poteſt ad altiorem cultum, mentẽ erigere, ſed tantum ineſt hiſce pietatis, quantum ad colendum Deum ſit illis ſatis. Proximũ nunc eſt, vt aliam religionis partem explicem, quam velut ſuperſtitioſam vexare ſolent Lutherani, qua mentis humanę expiatio continetur. Omnem enim religionem ſic diuidimus, vt eius quędam pars ritibus ac cæremonijs conſtet, idq; per eam quæratur, vt omnis vita, & res geſtæ Saluatoris noſtri quaſi repræſententur, ne vnquam e noſtro pectore recedant. Secundo loco ponitur, quod ad omnes animi expiationes pertinet, quibus, & quidã Dei cultus exprimitur. Hæ variæ ſunt, vt varijs modis a rebus diuinis diſiungitur homo. Tres ſunt in vniuerſum cupiditates, quæ per humanas mentes ęuagantur. Voluptatis, Honoris, quæ eſt ambitio, Rerum, quæ eſt auaritia. Sed validius appetimus voluptates, quæ, niſi ſimus cauti, omnem ad ſeſe animi affectum attrahunt, & adeo deuinctum tenent, vt ad alia aſpirare non poſſit. Ex quo efficitur, vt Dei conditoris noſtri obliuiſcamur. aut leuius amemus, quã par ſit. Diſtractæ enim ſunt alio vires animi, eo, quòd illuc ſumus intenti, quod vehementius amamus. Vna igitur eſt præcipua animi expiatio, abſtinere a voluptate, quam neceſſario excogitauit natura, vt ad ea, quæ deſtinarat, animantes adduceret. Sed cauendum eſt id, quod & ipſa reſpuit natura: ne dum minoribus, & corporis bonis decipimur, ab his, quæ multo maiora ſunt auocemur, quæ in amicitia, & commercio Dei ſunt poſita. Quorum tanto eſt perfectior acquiſitio, quanto noſtra erga Deum charitas, propius nos ad illum admouerit. In omni igitur vita, illud præcipue, & tota contentione, omniq; ſtudio, & opera conandum, vt Dei amicitiam nobis conciliemus, qua continẽtur omnia maxima, ac ſempiterna bona. Vna itaque, iterum affirmo, præcipua eſt animi expiatio, à voluptatibus temperare, aut earum eſſe penitus expertem. Harum enim diſiunctione, magis coniungimur cum Deo. Quis igitur non, vt diuinos ac cęleſtes viros admiretur, qui hoc expiationum genus repererunt, cuius fuit prius inuentor Deus? Aut quis auſit vituperare

perare, niſi perditiſſimus? quale eſt omne genus hæreticorum, qui contra verum perpetuas exercent pugnas, contra lucem præliantur. Quibus euerſio pietatis eſt tropheum. Hi vni hanc religionis partem inceſſunt, qui priorem quoque oppugnarunt. Eſt autem ea in ieiunijs, & caſtitate ſita; in abdicatione, & contemptu rerum, quæ mortalibus ſolent videri iucundiſſimæ. Ex quo efficitur, vt,& tantopere mortalia diligantur, quantopere promereantur, tum cum Deo arctior conſequatur amicitia. Neque vero vocibus illis blaſphemis, quarum tumultu totus orbis reſonauit appetenda fuerant tam ſancta inſtituta, ſed ad vitia tota erat culpa transferenda. Quid enim demeruit religio, ſi non ſeruatur, ſi mali homines ſunt? Quid in quam demeruit religio, quæ nobis eſt certa via ſalutis? quæ quos complexa fuerit, extollit ad immortalitatem, ſubleuat ad ſuperos? Hac igitur religionis parte, quam expiationem appellauimus, non modo à rebus caducis, & fragilibus auellimur, ſed ea etiam, quæ ſunt nobis gratiſſima, quaſi Deo conſecramus. Sicut Dauid, qui aquam, quam ſummis votis expetiuerat, noluit guſtare, ſed obtulit Deo. Vt enim acceptum Deo putamus, ſiquid ad eius altare offerimus, & ſi ob minima quidam non modo non contempti ſunt, ſed etiam approbati, & accepti Deo fuiſſe feruntur: quanto eſt acceptabilius ſacrificium, ſuas illi offerre voluptates, quæ longè ſunt mortalibus cariores, quàm omnes diuitiæ? quippe, qui diuitias propter voluptates, non voluptates propter diuitias concupiſcunt, Maius igitur offerunt, qui detractas ſibi voluptates offerunt, quàm qui diuitias: quoniam non multum iacturæ ſe facere opinantur, ſiquid ex immenſo aceruo detraxerint. At ſiquis voluptates, præſertim opulentioribus, qui ſe propter eas natos putant, detraxerit, vitam ipſam detraxerit. Atque hoc in vniuerſum de omnibus voluptatibus eſt dicendum. Neque porro dubium eſt, quin inter eas primum locum habeat Venus, ſecundum autem, quæ ad gulam ſpectant, ac reliquæ deinceps. Maximam ergo Deo hoſtiam obtulit, qui ſe ab his propter ipſum abdicauit, eaſque illi quaſi conſecrauit. Ille vero amatur magis a Deo, in altioreque diuinitatis gradu collocatur, a quo nouit ſe Deus vehementius amari. Amat autem vehementius, qui facit, quæ ſolent ardentiſſimi amatores, qui ſe ſuaque omnia dedicant rei amatæ. Atque hæc eſt ratio, quòd is eſt ad omnes virtutes aditus. Hinc omne genus pullulat cęleſtis pulchritudinis. Nam cum ſapientiſſimus quis Deo voluptates conſecrandas intellexit, vt amor ille, qui erat diſtractus ad voluptates, conferatur ad Deum, excellentiſſimum breui, ac diuinum faciet progreſſum. Cognouit ergo ſapientiſſima religio (tametſi & veteres illi vmbram quandam lucis huius viderunt, nam & illi Deo acceptam caſtitatem putabant) hunc eſſe ad altiſſimam, proximamque Angelis pietatem acceſſum, ſi minus, quàm fieri poſſet, animus eſſet illecebris voluptatum infectus. Erat que id tota religione comprehenſum, ſi vel Dei, vel Deo quàm proximorum virorum, diuina præcepta percurras. Quod intelligentes prudentes, atque vtilitatis humanæ, quæ de religione proficiſcitur, ſtudioſi, ea viuendi genera conſtituerunt, quæ cernuntur hodie per totum orbem Chriſtianum. Quæ ſimilia inſtituta, cum apud nonnullas exteras nationes olim viguerint, fuerunt multis admirationi, eaque inter mira, & pulcherrima retulerunt. Tribus autem potiſſimum inſtitutis conſtat chriſtiana reſp. diuitiarum, & ambitionis contemptu: amat enim Deus, quam dedit omnibus æqualitatem; tum animi lenitate, ac manſuetudine, qua Deo, & his, qui ab eo conſtituti ſunt, non repugnamus; poſtremo puritate, ac caſtitate. Eaque cum eſſent propria omnium chriſtianorum, vt non cenſeretur chriſtianus, qui hæc non profiteretur, in his ſolum religionibus, atque inſtitutis remanſerunt. Eamque Ieſum Chriſtum inſtituere remp. voluiſſe cernimus, quam poſt aſcenſum in cęlum, mox ſecuti ſunt, & oſtenderunt mundo Apoſtoli. Quam, niſi errores noſtri contra tuliſſent, per omne tempus eramus retenturi. Sed, vt dixi, ſolum in his cętibus, & quas religiones appellant, remanſit eius quædam forma. Nam propria ſpernere, eaque in commune conferre, vitam innocentem, nullique noxiam degere, crebris orationibus Deum precari, abeſſe ab iniquiſſimis bellis, hoc fuit priſcorum Chriſtianorum. Atque id volebat Ieſus Chriſtus huius reip. princeps, & autor, fieri, vt qui ſui eſſe cuperent, generis humani corruptelas relinquerent, illamque vitæ puritatem ſequerentur, qua factus a Deo homo eſt. Sed neque ſum neſcius, etiam hæc ipſa inſtituta, quàm multum, & a Chriſtiana rep. & a ſuis principijs recedant, quàm ſancti mores, & tria, quæ dixi inſtituta collapſa fuerunt, quàm minime vigeat ille rerum contemptus, illa vitæ puritas, atque innocentia. Sed hæc temporum culpa eſt, quæ, vt venuſtiſſimam quamque rem reddunt deformiſſimam, ſic euertunt etiam pulcherrimas reſp. & alio deformant habitu, quæ in ipſa inuentione eſſent admirabiles. Hæc a me dicuntur, vt oſtendam ieiunia, & caſtitatem, rerumque ſuarum contemptum, quibus ſtat tanquam altero præſidio noſtra religio, non modo non eſſe tanquam ſuperſtitiones reijciendas, quod faciunt Lutherani, ſed deplorandum potius, quòd ſanctum, ac cæleſte vitæ genus fuerit, collapſum, priſtinumque decus amiſerit. Oſtendi quoque hanc eſſe ueram Reip. Chriſtianæ formā, quam & Apoſtoli ſuo tempore inſtituerunt, atque ita vtramque religionis partem ſumus amplexi. Primam, quæ ritibus, ac cęremoniis continetur, quibus altiſſima ſalutis humanæ myſteria, ac maieſtas ſingularis Deí, honor, ac ueneratio explicatur. Quibus eius nomen iugiter laudatur. Altera continet aliam colendi Dei rationem, quæ omnium eſt Chriſtianorum, tum maxime Sacerdotum, quorum propria eſt ſapientia, atq; religio. Quod tametſi ſpecioſius quam verius a me dicitur, dico tamen idem omnibus pulcherrimis inſtitutis eueniſſe, ut conciderent tandem, quia non ſemper bonis res gubernanda traditur. Fateorque peſſimas in ipſam religionem conſuetudines irrepſiſſe, inſcitia & iniquitate Sacerdotum. Sed hoc inter nos, & Lutheranos diſcrimen eſt, quòd malas conſuetudines, quæ religionis uenuſtatem deformant, ipſi execramur, & tollimus, illi eodem gladio linguæ feriunt, ac trucidant vtranque, & per prauos mores, tanquam proditores, ad eccleſiæ ruinas perferuntur. Tantoque magis ſunt peſtilentes, quanto minus id eſſe uidentur, quod ſunt. Purgetur ergo religio, maneant ſancta ueterum inſtituta, indicatur bellum moribus ſceleratis, defendatur ſapientiſſima, & admirabilis religio. Maneat id, quod diuinum decus affert populo Chriſtiano, qui eo maxime inſigno ſecernitur ab alijs, quòd ſapientisſime, & uera ratione colit Deum, ſi ſuæ religionis præcepta ſequatur. Diximus igitur de cultu exteriore, ut eramus ante polliciti, uidimus utranque, interiorem, & exteriorem, eſſe in hac religione admirabilem uitæ cęleſtis imaginem, ſacram, ac puriſſimam ſanctitatem. Quoniam autem tria præcipue grauiſſima inſtituta, ex quibus ſine dubio, pręſertim duobus, ſtat noſtra religio, tollunt Lutherani, Monachatum, confeſſionem, & imagines, ea maxime ratione, quòd ab imperitis, & recentioribus quibuſdam inuecta quæruntur. Nunc aliquot exempla eſſe tum uetera, tum a ſapiētiſsimis diſcuſſa, & approbata, proferamus, atq; ita finē uerbis faciemus. Agam aūt breuib. ꝙ res nō ſit huius loci, eroq; duobus, aut tribus teſtimonijs in vnoquoq; contentus. Primoq; de monachatu teſtimoniū proferā, tū de cōfeſſione; poſtremo de imaginibus. Admirati ſunt, vt diximus, plerique gentilium philoſophorum, hoc apud Chriſtianos viuendi genus, maxime vero Porphyrius, & Philon apud Iudæos, & inter admiranda referre non dubitarunt. Quorum prior ſcribit de ſacerdotibus Aegyptiorum, quos falſo ita nuncupauit, eo nomine ſignificans ſacerdotes ſuorum Deorum, ſed erant monachi Chriſtianorum, vt aperte omnes intelligunt. Eos ergo laudans, & admirans, ait.

Τὰ γοῦν κατὰ τοὺς αἰγυπτίους ἱερέας χαιρήμων ὁ στωικὸς ἀφηγούμενος, οὓς καὶ φιλοσόφους ὑπειλῆφθαι φησὶ ϖαρὰ αἰγυπτίοις, ἐξηγεῖσθαι ὡς τόπον μὲν ἐξέλεξαν ἐμφιλοσοφῆσαι τὰ ἱερά, ϖρός τε γὰρ τὴν ὅλην ὄρεξιν τῆς θεωρίας συγγενὲς ἦν ϖαρὰ τοῖς ἐκείνων ἀφιδρύμασι διαιτᾶσθαι, ϖαρεῖχέν τε αὐτοῖς ἀσφάλειαν μὲν ἐκ τοῦ θείου σεβασμοῦ, καθάπερ τινὰ ἱερὰ ζῶα, ϖάντων τιμώντων τοὺς φιλοσόφους, ἠρεμαίοις δὲ εἶναι, ἅτε τῆς ἐπιμιξίας, κατὰ τὰς ϖανηγύρεις, καὶ τὰς ἑορτὰς συντελουμένης μόνον, τὸ δὲ λοιπὸν, σχεδὸν ἀβάτων ὄντων τοῖς ἄλλοις τῶν ἱερῶν, ἁγνεύσαντας γὰρ, ἔδει ϖροσιέναι, καὶ ϖολλῶν ἀπεσχομένους, καὶ τοῦτο ὥσπερ κοινὸς τῶν κατ᾽ αἴγυπτον ἱερῶν θεσμός ἐστιν, ἀπειπάμενοι δὲ ϖᾶσαν τὴν ἄλλην ἐργασίαν, καὶ ϖόνους ἀνθρωπίνους, ἀπέδοσαν ἄλλον τὸν βίον τῇ τῶν θείων θεωρίᾳ, καὶ θεάσει διὰ μὲν ταύτης, τό, τε τίμιον, καὶ ἀσφαλὲς καὶ εὐσεβὲς ϖοριζόμενοι, διὰ δὲ τῆς θεωρίας τὴν ἐπιστήμην, δι᾽ ἀμφοῖν δὲ ἄσκησιν ἠθῶν κεκρυμμένην τινὰ, καὶ ἀρχαιοπρεπῆ, τὸ γὰρ ἀεὶ συνεῖναι τῇ θείᾳ γνώσει καὶ ἐπιπνοίᾳ, ϖάσης μὲν ἔξω τίθησιν ϖλεονεξίας, καταστέλλει δὲ τὰ ϖάθη, διεγείρει δὲ ϖρὸς σύνεσιν τὸν βίον, λιτότητα δὲ ἐπετήδευσαν, καὶ καταστολὴν ἐγκράτειάν τε, καὶ καρτερίαν, τό, τε ἐν ϖαντὶ δίκαιον καὶ ἀπλεονέκτητον, σεμνοὺς δὲ αὐτοὺς ϖαρεῖχεν, καὶ τὸ δυσεπίμικτον, οἵ γε παρὰ μὲν αὐτὸν τῶν λεγομένων ἁγνειῶν τὸν καιρὸν, οὐδὲ τοῖς συγγενέσιν αὐτοῖς, καὶ ὁμοφύλοις ἐπεμίγνυντο σχεδὸν, οὐδὲν ἀλλοθεωρούμενοι, ὅτι μὴ ϖρὸς τὰς ἀναγκαίας συναγνεύουσι χρείας, ἢ ἁγνευτήρια, τοῖς μὴ καθαρεύουσι ἄδυτα καὶ ϖρὸς ἱερουργίας ἅγια κατανεμόμενοι, τὸν δὲ ἄλλον χρόνον ἁπλούστερον μὲν τοῖς ὁμοίοις ἐπεμίγνυντο, τῶν δὲ ἐξωτικῶν τῆς θρησκείας οὐδενὶ συνεβίουν, ἐφαίνοντο δὲ, ἀεὶ θεῶν, ἢ ἀγαλμάτων ἐγγὸς, ἤτοι φέροντες ἢ ϖροηγούμενοι, καὶ τάσσοντες μετὰ κόσμου τε, καὶ σεμνότητος, ὧν ἕκαστον οὐ τῦφος ἦν, ἀλλὰ τινὸς ἐνδείξεις φυσικοῦ λόγου, τὸ δὲ σέμνον κἀκ τοῦ καταστήματος ἑωρᾶτο, πορεία τε γὰρ ἦν εὔτακτος, καὶ βλέμμα, καθεστηκὸς ἐπετηδεύετο, ὡς ὅτε βουληθεῖεν μὴ σκαρδαμύττειν, γέλως δὲ σπάνιος, εἰ δέ που γένοιτο μέχρι μειδιάσεως, ἀεὶ δὲ ἐντὸς τοῦ σχήματος χεῖρες, καὶ σύμβολον γε ἦν ἑκάστῳ τῆς τάξεως ἐμφαντικὸν, ἣν ἔλαχεν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ϖλείους γὰρ ἦσαν αἱ τάξεις, δίαιτα δὲ λιτὴ καὶ ἀφελὴς, οἴνου γὰρ, οἱ μὲν οὐδ᾽ ὅλως, οἱ δὲ ὀλίγιστα ἐγεύοντο, νεύρων αἰτιώμενοι βλάβας, καὶ ϖλήρωσιν κεφαλῆς, ἐμπόδιον αἷς εὑρέσιν, ἀφροδισίων τε ἔφασαν αὐτὸν ὀρέξεις ἐπιφέρειν, ταύτῃ δὲ, καὶ τῶν ἄλλων εὐλαβῶς εἶχον, ἄρτους μὲν οὐδὲ ὅλως ἐν ταῖς ἁγνείαις χρώμενοι, εἰ δὲ ποτὲ μὴ ἁγνεύοιεν, σὺν ὑσσώπῳ, κόπτοντες ἤσθιον, τὸ ϖολὺ γὰρ αὐτοῦ τῆς δυνάμεως καθαιρεῖν ἔφασαν ὕσσωπον ἐλαίου δὲ ἀπείχοντο μὲν ὡς τὸ ϖολὺ οἱ ϖλεῖστοι δὲ καὶ ϖαντελῶς, εἰ δέ που μετὰ λαχάνων χρήσαντο παντελῶς ὀλίγοις, καὶ ὅσον παρηγορῆσαι τὴν αἴσθησιν, ἰχθύων δὲ ἀπείχοντο πάντων. Et alia quæ perſequitur ille falſa multa admiſcens, aut quæ magis priſtinæ illi eccleſiæ conuenirent. Cum lex Moſaica ab euangelica ritibus non eſſet diſtincta, ſed ijdem mores eſſent vtriuſque. Horũ autem, quæ citauimus, is eſt ſenſus. Narrat, inquit, Chæremon Stoicos, ea, quæ de ſacerdotibus Aegyptiorum feruntur, quos apud Aegyptios in philoſophorum loco, ait haberi. Primũ eos locum ad rem ſacram idoneum, in quo commode philoſopharentur, elegiſſe. Vt enim quietius ſpeculentur, ad templa, & imagines diuorum eos conſidere, inde duplicem illis commoditatem proficiſci. Vt tum ſummæ venerationi habeantur, omnibus eos tãquam ſacrum genus venerantibus, tum in profunda pace, tranquilloque otio conquieſcant, cum denegatus ſit eis etiam mutuus acceſſus, & colloquium, diebus feſtis exceptis. Reliquo autem tempore, non ſolum aliorum, ſed ne mutuo quidem commercio perfruuntur. Puros enim eos adire templa neceſſe erat, ac factis prius multis expiationibus, multarumque rerum abſtinentia ſuſcepta. Eaque communis ferè lex eſt omnium Aegyptiorum ſacerdotum. Abhorrentes autem ab omni actione, & labore humano, totam vitam ſpeculationi dedicant rerum diuinarũ. Quibus rebus pietatem, & honeſtatem adipiſci nituntur, rerumq; omnium peritiam. Ex quib. ſtudijs efficiunt morum exercitationem quandam archanam, & vetuſtate digniſſimam. Nam perpetuum in ſpeculatione diuinarum rerum ſtudium perficit, vt res plures non appetamus: Tollit quoque affectiones, & vnumquemq; ad ſolertiam excitat. Frugalitatem quoque, & oẽm abſtinentiam exercebant, iuſtitiam, multarum rerum poſſeſſione neglecta, multi faciebãt. Reddebat autem eos venerabiles, rarus ille aliorum ad eos acceſſus. Si quidem ipſo expiationum tempore, ne cum maxime quidem propinquis, nedum alijs colloquebantur, niſi ijs, quos ad expiationes neceſſarias admittere oporteret: ipſaq; templa ad rem ſacram eſſent aperiẽda. Alias raro quidem inter ſe, cum externis vero nunquam verſabantur. In templis autem, & ad diuorum imagines ſemper aſſiſtebant, aliquid diuini operis ibi molientes, idq; omni cũ modeſtia, & honeſtate. Quod non erat indicium arrogantiæ, ſed naturalis prudentiæ, ac rationis exemplum. Ipſaq; grauitas ẽt ex toto habitu erat manifeſta: Nã, & inceſſus erat compoſitus, & oculi in terrã defixi, vel modeſte compoſiti, vt cum vellent, non conniuerent. Rarus riſus, ſi vero vllus, non vſq; ad cachinnũ. Manus in decoro ſemper. Erat aũt in vnoquoq; ſignum ordinis, quẽ in ſacris eſſet ſortitus. Plures enim erant ordines. Victus frugalis, ac ſimplex. Vinũ alij quidem nullatenus, alij exiguum deguſtabant, quòd tum neruos lædere, caputq; replere, tum ſpeculationem impedire putarent, & Veneris appetitum excitare. Hac de cauſa, & alijs multis abſtinebant, pane tempore expiationum omnino non veſcebantur. Alio tẽpore, cum Hyſſopo macerato tantum, ꝙ Hyſſopum omnem illi vim detrahere crederent. Oleo in totum ferè abſtinebant. Alij præterquam in oleribus nunquam eo vtebantur, eoq; adeo exiguo, vt ne perciperetur quidem. A piſcibus in vniuerſum abſtinebant. Hucuſq; Porphyrius. Videtis in his vitam monachorum, quam is Porphyrius etiam, Chriſtianorum hoſtis admiratur, & Chæremon ille Stoicus. Admirantur prophani, & inimici Chriſtiani nominis, execrantur, & maledicunt Lutherani, & qui Lutheranis fauent. Nam vita, quæ hodie dicitur Monachorum, & Religioſorũ, non eſt alia quàm ea, quæ hoc loco deſcribitur. Eo excepto, ꝙ hæc omnia remiſſiora, ac laxiora inueniuntur nunc, propter inſtituti vetuſtatem. Qua re nulla fuiſſet vnquam apud Chriſtianos vtilior, ſi priſtinũ decus ſemper retinuiſſet. Hoc ẽt viuendi genus admiratus eſt Philon Iudęus, qui quoniam Chriſtiani ſub prima eccleſia, ritibus Moſaicis vtebantur, eos, qui eſſent Alexandriæ, & in Palæſtina, perq; totam Aegyptum in ſolitudinibus commorarentur, tanquam gentẽ ſuã laudans, & admirans, hæc in eo libro, quem inſcripſit, de vita cõtemplatiua, de illis ſcripſit. Πολλαχοῦ μὲν οὖν ἐστι τῆς οἰκουμένης τὸ γένος, ἔδει γὰρ ἀγαθοῦ τελείου μετασχεῖν καὶ τὴν ἑλλάδα, καὶ τὴν βάρβαρον, πλεονάζει δὲ ἐν αἰγύπτῳ, καθέκαστον τῶν ἐπικαλουμένων νομῶν, καὶ μάλιστα περὶ τὴν ἀλεξάνδρειαν, οἱ δὲ πανταχόθεν ὡς ἄριστοι, καθάπερ εἰς πατρίδα, θεραπευτῶν ἀποικίαν στέλλονται πρός τι χωρίον, ἐπιτηδειότατον, ὅπερ ἐστὶν ὑπὲρ λίμνης μαρίας κείμενον, ἐπὶ γεωλόφου χθαμαλωτέρου, σφόδρα εὐκαίρως, ἀσφαλείας γε ἕνεκα καὶ ἀέρος εὐκρασίας. Ἐν ἑκάστῃ δὲ οἰκίᾳ, ἐστὶν οἴκημα ἱερόν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον ἐν ᾧ μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, μηδὲν εἰσκομίζοντες μηδὲ ποτόν, μηδὲ σιτίον, μηδέ τι τῶν ἄλλων, ὅσα πρὸς τὰς τοῦ σώματος χρείας ἀναγκαῖα, ἀλλὰ νόμους, καὶ λόγια θεσπισθέντα διὰ τῶν προφητῶν, καὶ ὕμνους καὶ τὰ ἄλλα, οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναύξεται, καὶ τελειοῦται, τὸ δὲ ἕωθεν μέχρις ἑσπέρας διάστημα σύμπαν αὐτοῖς ἐστιν ἄσκησις, ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἱεροῖς γράμμασι, φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες, ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζουσιν ἀποκεκρυμμένης φύσεως ἐν ὑπονοίαις δηλουμένοις, ἐστὶ δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἱ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται γενόμενοι, πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπολειπόμενοι καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι μιμοῦνται τῆς αἱρέσεως τὸν τρόπον. ὥστε οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν σθεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν. ἀριθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράσσοντες. Εγκράτειαντε ὥσπερ τινὰ σθεμέλιον. προκαταβαλλόμενοι τῇ ψυχῇ, τὰς ἄλλας ἐποικοδομοῦσιν ἀρετάς. σιτίον ἢ ποτὸν οὐδεὶς ἂν αὐτῶν προσηνέγκατο πρὸ ἡλίου δύσεως. Hæc Philon, & alia his ſimilia. Quorum is ſenſus eſt. Multis orbis terrarum locis inuenitur hoc hominum genus. Tanti namque tanquam perfecti boni oportebat, & Græcos, & Barbaros eſſe participes. Verum in Aegypto copioſius abundat, his, ſ. locis, quas præfecturas appellant, vel maxime autem circa Alexandriam. Optimi igitur quique ex omni loco tanquam in vnam patriam mittuntur coloni in locum opportuniſſimum, qui ſtagno Mariam ſupereminet, iſque collis eſt, non multum editus, vbi tum ſecure, & quiete viuũt, tum cęli illius ſumma temperie perfruuntur. In omni autem habitaculo, domus eſt ſacra, quã venetatorium, ſeu monaſterium, ſiue initiatorium vocent, in quo ſoli cõmorantes ſacratæ vitę myſterijs initiantur. Eo nihil, aut eſculentum, aut potulẽtum, aut aliud id genus infertur, quod corporeas neceſſitates ſpectet, ſed habentur leges tantum, atq; oracula a prophetis fuſa, hymni quoque, & alia, quibus ſcientia, & pietas continetur, & docetur. Totum autem ab aurora ad veſperam diei ſpacium exercitationi datur, diuiniſque literis, & patriæ philoſophiæ incumbunt. Eaſq; allegorice interpretãtur, quòd latere ſub eis alium quendam ſenſum arbitrentur, cuius quaſi ſigna ſint ipſa verba. Habent, & ſuorum veterum monumenta, qui vitæ illius inuentores fuerunt, quorum myſticis interpretationibus tanquam exemplis vtentes, & ipſi eadem ratione myſtice interpretantur. Itaque non modò ſpeculantur, ſed, & ipſi cantus, & hymnos diuinos edunt, omni metrorum genere compoſitos, numeriſq;, & modulatu concinnos. Abſtinẽtiam ſic exercent, vt eam cæteras virtutes ſuperædificaturi, veluti fundamentum iaciant. Cibũ, ac potum nemo ante ſolis occaſum degoſtare ſolitus eſt. Hucuſque Philon. Intelligimus ergo monachatum tum veterrimum eſſe inſtitutum, tum admirationi omnibus ſapientibus habitum. Quis ergo ferat Lutheranorum Barbaram, & inauditam audaciam, qui ea, quæ omne hominũ genus eſt admiratum, ſoli ipſi reprobare, & contemnere auſi ſunt? Quibus diſplicuerunt, quæ tum chriſtianis, tum gentilibus philoſophis admiranda viſa ſunt? Templa, ſcilicet, ieiunia, caſtitas, omnis abſtinentia, orationes, ſeceſſus. O nouum igitur, & prodigioſum hominũ genus, ſed ad reliqua procedamus. Oſtendendum mihi nunc eſt aliquot exemplis, ſecretum hunc modum confitendi, quo nunc paſſim vtitur Eccleſia, in quem tanquam recentem, & a ſacerdotibus quæſtus gratia repertum, tam Barbarice, ac petulãter Lutherani inuehũtur, veterrimũ Eccleſiæ fuiſſe inſtitutum, & a diuinis ſanctiſſimiſq; hominibus approbatum. Omnes autem veteres patres confirmarunt, & ſcribendo prodiderũt, quod, & ratione ipſa ſit manifeſtum, neceſſariam eſſe ſuorum apud ſacerdotes confeſſionem delictorum. In qua re bifariam diſſentiũt ab inuicem Lutherani, alij negãt penitus ſacerdotibus eſſe confitẽdum, idque autoritate ſcripturarum confirmare nituntur, alij hoc ipſum aſſerunt quidem, ſed clanculariam, aut auricularĩa, quam vocant, veterem eſſe non putant. Quoniam autem ſecundum confirmat primum, vt ſi ſit clancularia, ſit etiam apud ſacerdotes, quoniamq; prior illa confeſſio, qua cõfitendum Deo tãtum aſſerunt, a nemine negatur, non eſt cur de eis quicquam dicendum ſit. Triplex igitur, vt facilius omnia intelligamus, eſſe confeſſionis genus dicendum eſt. Omniaque hęc genera à catholicis confirmantur. Primum, quo confitemur Deo, quo plenæ & noui, & veteris teſtamenti litteræ ſunt. Quo vſi ſunt non tam Hebrei, quàm omnes prope gentes. Alterum quo ſacerdotibus Dei publice, non in aurem, & priuatim confitemur, quo ritu vſam eſſe veterem eccleſiã docent hiſtoriæ. Eumque ſolum apud antiquos illos fuiſſe volũt Lutherani. Tertium, quod neceſſario eſt in Eccleſia repertum, vt quia confiteri publice peccata omnia homines minime poterant, & ratio id fieri vetabat, priuatim apud ſacerdotem, quiſque venena ſuorum vomeret peccatorũ. Prior igitur manifeſtiſſima eſt, nullamque patitur controuerſiam. Secunda tertia quidem manifeſtior, ſed non tam clara, quàm prior, & ab omnibus confeſſa. Tertia tollitur in totum a Lutheranis. Eſt ergo prior notiſſima, ſecunda neceſſario ſtatuitur, ſi ſtatuatur tertia. Quam ob rẽ de tertia ſolum relinquitur diſſerendum. Ac ſecunda quidem, quãquam in nonnullis facinoribus vſi veteres ſunt, credendum eſt tamen non fuiſſe tantam illorum temporum, aut cęcitatẽ, aut crudelitatem, vt adulteria, fornicationes, & quæ his turpiora ſunt, cogerent quenquam in propatulo confiteri. Hoc enim, & ſcandalum cæteris peperiſſet, & dedecus, ac ſempiternam infamiam confitenti dediſſet. Quam ob rem vbicunque confeſſio apud ſacerdotes, apud veteres fuiſſe memoratur, de ſecreta eſt. omnino intelligendum, propter has rationabiles, & iuſtiſſimas cauſas. Ex quibus neceſſario conſequi docemus, omnes, quotquot inueniũtur, inueniũtur autem quamplurimi, in ſcripturis Græcis, & Latinis loci de confeſſione, ſecretam illam, qua & nunc vtimur innuere. Primum igitur legimus in Epiſtola prima Clementis, cuius opera nuper etiam in Germania ſunt impreſſa, Petrum cum præcepta daret Clementi, hæc verba dixiſſe. Quod ſi forte alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod vllum ex his, quæ ſuperius memorauimus,latenter irrepſerit. non erubeſcat,qui animę ſuæ curã gerit,confiteri hæc,huic qui præeſt,vt ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur. Vides ergo in his confeſſionem ſecretam,& a principe Apoſtolorum inſtitutam? Vides eum præcipere, vt ei confiteamur,qui præeſt,nempe ſacerdoti,vt ab ipſo per admonitionem,& optimum conſilium ad ſanitatem reuocetur peccator. Legimus quoque in Euangelio,venire ſolitos ad Ioannem Baptiſtã Iudæos,vt baptizarentur cõfitẽtes peccata ſua. Id quod annotauit Baſilius de inſtitutione monachorum,dicens,Peccatores olim ſua peccata apud ſanctos ſolitos confiteri. Si ergo confitebantur Iudæi Ioanni,aut palam,aut occulte. Si palam,omnibus audientibus, num fornicationes, num furta, num ſacrilegia, num cędes occultas fatebantur? Si autem hæc non fatebantur quidem,ſed peccatores, & præuaricatores promiſcue ſe eſſe dicebant, nulla facta ſpeciali peccatorum mentione, quæ confeſſio ea fuiſſet? Et tamen dicit,eos ſua peccata ſolitos confiteri. Hoc ergo conſtituto,intelligimus,& euidenti coniectura percipimus,non primum tunc cępiſſe ritum confitendi apud Iudæos,ſed fuiſſe etiam ante illud tempus. Non enim eſt veriſimile, voluiſſe tunc, hunc ritum inchoare Iudæos, ſed ſicut moris olim eſſet ſacerdotibus ſua peccata confiteri, ſic Ioanni, quem ſacerdotem, & virum ſanctiſſimum eſſe putarent,crimina, & errata ſua fatebantur. Colligo igitur,multo etiam ante Chriſti aduentum confeſſionem apud ſacerdotem fuiſſe,& Apoſtolos eam fuiſſe ſecutos,& populos docuiſſe. Hinc eſt,quòd Dionyſius Areopagites,& ipſe Apoſtolorum diſcipulus,clariſſime meminit huius confeſſionis, quod teſtimonium,omnem imperitorum audaciam deberet retundere,niſi præcipites in aſſerendo,pertinaces in defendendo eſſent ea,quæ præcipitanter ſtatuiſſent. Demophilum igitur reprehendit Dionyſius in Epiſtola ad eundem, quòd cum eſſet Monachus non ſacerdos, non recte procidenti coram ſe peccatori,quaſi ſacerdos eſſet, aſtitiſſet, & veluti impium reieciſſet. Tum ſacerdotem miſerabilem appellaſſet,qui poſtea eundem peccatorem confitentem audiuiſſet, eũq; a peccatis abſoluiſſet: his verbis. Tu verò,vt tuæ litteræ indicant, procidentem ſacerdoti impiũ (vt ais) atque peccatorem, neſcio quo pacto,cõtra diſciplinæ ordinem aſtans, calce abieciſti, cum ille quidem verecunde,quod oporteret, fateretur ſe ad peccatorum remedia quærẽda veniſſe. Neque exhorruiſti inſuper, & ſacerdotem optimum lacerare conuitijs, miſerabilem eũ dicens,qui pęnitentem,& impium iuſtificaſſet. Hæc ille. Ex quibus intelligimus,peccatorem ſe eo tempore ſacerdoti obtuliſſe,vt facta confeſſione delictorum,ab eo iuſtificaretur,ideſt abſolueretur,& ex iniuſto iuſtus per remiſſionem fieret. Intelligimus peccatorem a ſacerdote,remedia delictorum quæſiſſe. Quæ omnia deſtruunt multa dogmata Lutheranorum. Qui neque ſacerdotibus confitendi morem,volunt vetuſtum eſſe. Neque a ſolis ſacerdotibus peccatorũ eſſe abſolutionem quęrendam. Vnumquemque peccata audire,& remittere poſſe. Ecce Dionyſius ait,Demophilum,cum non eſſet ſacerdos,contra ordinem, contra inſtitutionem peccatori aſtitiſſe, eumq; reieciſſe. Intelligimus tunc ordinem, & inſtitutum fuiſſe, vt ſoli ſacerdotes facerent remiſſionem peccatorum,& delinquentes ad eos tanquam ad medicos,recurrerent. Et is ordo,hæc inſtitutio erat tempore Apoſtolorum,vt eos id inſtituiſſe,aut inſtitutum in veteri lege,retinuiſſe,conſentaneum ſit. Venio nunc ad ea commemoranda, quæ habentur in hiſtoria, quæ dicitur Tripartita,quam conſcripſere tres viri Græci tempore Theodoſij iunioris, qui regnauit anno Domini Quadringẽteſimo quinquageſimo, quo in loco primum dicitur,hunc cõfitendi ritum eſſe peruetuſtum. Vt inde facillime intelligamus, vt ſi eo tempore eſſet hæc inſtitutio vetuſta,conſequi,vt multis retro temporibus fuerit reperta. Dicentur autem eſſe vetuſta hoc tempore,quæ iam quadringentis,aut quingentis, vel etiam pluribus annis effluxerint. Sic, & quæ tempore eorum ſcriptorum,ideſt Theodoſij tempore,erant vetuſta,neceſſario quadringentis,aut quingentis retro annis fuerant inuenta. Ergo a tempore Apoſtolorum vſque, fuerat ritus confitendi clam ipſi ſacerdoti,inſtitutus. Sed iam ipſum ſcriptorem audiamus. Ex libro nono, capite trigeſimo quinto. Quoniam autem omnino non peccare,diuinum,& vltra humanam naturam eſſe cognoſcitur,peccantibus autem,& pęnitentiam agentibus,veniã Deus præcepit,qui vero confiteri refugiunt,maius onus acquirunt:propterea viſum eſt antiquis Pontificibus, vt velut in Theatro,ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi, delicta pandantur. Et ob hanc cauſam,presbyterum bonę conuerſationis ſeruantemque ſecreta, ac ſapientem virum ſtatuerunt, ad quem accedentes, hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. At ille ſecundum vniuſcuiuſque culpam,indicebat & mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus ſeruatur eccleſijs,maxime Romæ,vbi eſt certus locus pænitentium. Hæc ille, vt alia cõplura eodem capite. Docet primum antiquos Pontifices,presbyteros optimos ac ſapientes,& qui peccata non effunderent, conſtituiſſe, qui aliorum crimina audirent, & ſapienter cuique delictorum pænam imponerent. Nec moueamur, quòd dicat. Vt in Theatro totius populi delicta pandantur. Non enim ad confeſſionem: ſed pænitentiam hoc ſpectat, quam publice faciebant delinquentes. Sed confeſſio fiebat occulte cum ſacerdote. Atque ideo dicit eligi ſolitos presbyteros, qui ſecreta ſeruarent. Quorſum enim hoc ſpectaret, ſi confeſſio publica fuiſſet? Erat ergo ſecreta confeſſio: ſed manifeſta pęnitentia. Aut ſpectantibus omnibus, ad ſacerdotem accedebant, ibiq; ſecreto confitebantur, ſicut fit hodie. Omnibus ergo ſpectantibus confitebantur, vt omnibus ſurripiendi ſeſe a tam ſalubri inſtituto, auferretur occaſio. Confitebantur ergo vt pęna delictorum a ſacerdote imponeretur. Atque id abunde declarat, neceſſariam eſſe apud ſacerdotē confeſſionem, vt ab eodem poſſit peccantibus pœnitentia præſcribi. Quis autē poteſt mulctā ſtatuere, niſi norit peccata? Delicta igitur cognoſcat neceſſe eſt, ſi pænitentia ab eo imponenda eſt. Quis autem hoc debeat facere, niſi ſacerdos? Quis enim vere poteſt hanc ſibi pænam indicere, niſi delicta cognoſcat? Fortaſſe ſapientes, aut vulgares, & mulierculæ? Quid, quòd perpauci admodum ſua delicta cognoſcunt: & in ſtatuenda pæna, quiſque in ſe foret clementior: Atque hoc eſt, quod ait Cyprianus, neceſſe eſſe, vt ſacerdoti confiteamur, vt ſatisfiat, & remittatur ſcelus per ipſum, his verbis. Confiteantur ſinguli quæſo vos fratres delictū ſuum, dum adhuc, qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per ſacerdotes apud dominum grata eſt. Ecce ſatisfactio, & remiſſio per ſacerdotes, quam ſolam docet eſſe Deo gratam. Hortaturq; ad hanc, tanquam noſtræ ſaluti neceſſariam, & ſine qua, decedere ex hac vita non debeamus. Pęnitentia vero, quæ ſolebat reis imponi, vt ipſe ſcriptor declarat, erat. Dum enim ſacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionē non percipientes, cum gemitu, & lamentatione ſeipſos in terra proſternunt. Et paulopoſt. At illi afflictionibus ſponte vacantes, aut ieiunijs, aut abſtinentia lauacri, aut ſuſpēſione ciborum, aut rebus alijs, quæ iubentur, expectant commune tempus, quod decreuit Epiſcopus. Hæc ille. Atque ita ad communionem poſtea admittebantur. Vt ergo delicta cognoſceret ſacerdos, & ſecundum eorum qualitatem imponeret pęnam, inſtitutum fuerat, vt illi omnes ſua peccata confiterentur. Quod etiam in veteri lege fiebat in delictis grauioribus. Cumq; is autor de confeſſione, & pęnitentia, multa dixiſſet, poſtea ſubdit. Hæc ergo antiquitus Romani Pontifices, vſque ad noſtrum conſeruauere tempus. Docemur ergo antiquiſſimam eſſe hanc legem, quæ erat vetus anno Domini quadringenteſimo, paulo plus, quando ſcribebat hiſtoriam is autor. Atque ideo grauiſſime, & in ruinam populi Chriſtiani peccauit Eraſmus, & alij quidam, qui & nouum dixere hoc inſtitutum, & in contumeliam, rete pecuniarum ipſum vocarunt, auerteruntq; multos & a confeſſione ſuorum delictorum, & pænitentia. Qui tametſi alias fortaſſe nō mali ſunt, hic tamen, eos non poſſumus non execrari, ac deteſtari, non tam, quòd contra dignitatem Chriſtianæ religionis peccauerunt, quàm, quòd contra veritatem, ea prædicantes, quæ omnino eſſent falſa. Et ex qua prædicatione nullum emolumentum ſibi, cæteris autem exitiale detrimentum compararent. Deteſtantur hi fraterculos, quòd de lana caprina toties diſputēt, at ipſi de eo toties diſputarunt, toties auribus mortalium id ingeſſerunt, quod non ſolum nullam haberet dignitatem, ſed quod eſſet etiam peſtilētiſſimum. Quod per totum orbem Chriſtianum facile cognitum eſt. Deteſtantur presbyteros, quòd peſſimis exemplis populum perturbent Chriſtianum, at ipſi id doctrina fecerunt, quod illi facerent exēplis. Deſyderant alios mores, modeſtiam, & bonitatem chriſtianam toties abſentem deplorant. At nō autores ipſi fuerunt, vt ſi quæ ſupereſſent reliquiæ pietatis, aut penitus apud eos conciderint, aut remanſerint quidem, ſed adeo deturpatæ, & conuulſæ, vt nihil prope interſit, ſi vel penitus corruiſſent. Hæc illi vtinam vidiſſent, ne tam ſuo ingenio, & laudi cum malo populi Chriſtiani, fauerent. Sed reuertor vnde digreſſus ſum. Docet autem idem ſcriptor, quo modo apud Græcos ſublatum ſit hoc inſtitutum, quod non eſt hoc loco neceſſarium meminiſſe. Addit demum. Et ex illo tempore antiquitatis conſuetudo ſublata eſt, dum, vt arbitror, minora peccata præ pudore confeſſionis, & ſubtilitate examinantium patrarentur. Audis quid pronunciet, illorum damnans furorem, qui ſanctum antiquitatis inſtitutum abſtuliſſent. Minora, inquit, prius peccata patrabantur, propter confeſſionem. Græcum autem nomen ὀλιγώτερα, vel ἥττονα ſignificat etiā pauciora. Minus ergo prius peccabatur. Quod et hoc tempore eſt facillime cognitum, cum ſublata apud nonnullas gentes confeſſione, omnibus ſceleribus aditus patefactus eſt. Hoc eorū beneficium, qui mores populi Chriſtiani corrigebant. Quis vero non intelligit, ita ſublatum hoc antiquiſſimum chriſtianorum tūc inſtitutum apud Græcos, quemadmodum, & proceſſum ſpiritus ſancti ex filio negabant, & ſuum patriarcham Romano Pōtifici præferebant, & eorum ſacerdotes more Iudæorum ducunt vxorem? Non ergo defendit iſtos huius inſtituti euerſores, quòd apud Græcos ipſum non reperiant. Fuit, ſed ſublatum eſt. Quanquam ipſum repetierint, vt hodie Venerijs, ſacerdoti videmus eos ſua crimina confiteri. Age vero ex Origene oſtendamus, eius etiam tempore fuiſſe hanc confeſſionem, ac tunc nihil mouebit nos dictum Chryſoſtomi, qui multo Origene poſterior floruit. Is ergo ſuper Leuiticum, cap. 2. docet Chriſtiano minime eſſe deſperandum,quòd cum rot haberent Iudæi ſacrificia,quibus ſe a peccatis expiarent, nullum huiuſmodi habeat populus Chriſtianus. Eſſe enim in Euangelio, & remiſſiones peccatorum. Vnamque earum eſſe confeſſionem apud ſacerdotem. Eius verba hæc ſunt. Non tamen deſperes, audito quanta in lege ſint ſacrificia pro peccatis. Audi quantæ ſunt remiſſiones in Euangelio. Prima eſt in Baptiſmo. Secunda in Martyrio.Tertia per Eleemoſynã. Quarta, cum fratribus remittimus.Quinta cũ conuertimus peccatorem ab errore uiæ ſuæ. Sexta per abundantiam Charitatis.Septima per Pęnitentiã duram, & laborioſam,cũ peccator lauat lachrymis lectum ſuum, & fiunt ei panes die,ac nocte.Nec erubeſcit Sacerdoti domini peccatũ ſuum confiteri,& medicinam quærere. Hæc Origenes. Citatq; teſtem huius extremæ remiſſionis pſaltẽ. Dixi confitebor aduerſum me &c. Et ſancti Iacobi.Si quis infirmatur vocet presbyteros Eccleſiæ. Colligit ergo confeſſionẽ ex dictis Apoſtolorum, & ex veteri lege. Colligit vero Origenes. Vides ergo confeſſionẽ tempore Origenis fuiſſe: Audis illud: Non erubeſcit ſacerdoti Domini, peccatũ ſuum confiteri. Non dicit Deo, ſed eius ſacerdoti, neque corã multitudine: Quid.n. ſtultius & periculoſius? Hanc remiſſionem uocat duram,atque aſperam. Fiebat.n.quemadmodum docuit hiſtoria Tripartita, atq; hanc innuit Origenes. Quam vult ẽt Apoſtolos præcępiſse, dum citat teſtimonium Iacobi. Quanta igitur fuịt quorundam Germanorũ fallacia,qui perſuadere Chriſtianis conati ſunt, hoc eſſe nouum inſtitutum,& a Sacerdotibus lucri cauſa repertum? O barbaricam inauditamque crudelitatem. His mendacijs deſtruere religionem conati ſunt. Poteſt igitur dici quicquã expreſſius, & euidentius? Atq; hoc loco non confeſſio publica,vt clarum eſt, intelligitur, ſed ea quæ fit in aurem. de qua hiſtoria loquitur Tripartita. Quoniamq́ue id a ueteribus fuerat inſtitutum, confirmatum & approbatum inde eſt ab Apoſtolis, ut Origeni placet: Ideo Cyprianus & ipſe Latinorum ſcriptorum uetuſtiſſimus, innuit clariſſime multis in locis eam confitendi conſuetudinem: Sed præcipue lib. 3. Epiſtola decimaſeptima: Vbi monet,vt ſiqui lapſi eſſent, & idolatræ effecti, ſed poſtea delicti eos pęniteret, & ob id rurſum vrgerentur ad martyrium, aut alio genere infirmitatis detinerentur, non expectandum eſſe ipſum Epiſcopum, ſed quilibet Presbyter,uel etiam Diaconus audiret confeſſionem. Eius verba hæc ſunt. Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud Presbyterum quenque præſentem, vel ſi præsbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cęperit apud Diaconum quoque exomologeſin facere delicti ſui poſſit, ut manu eis in pęnitentiam impoſita,ueniant ad dominum cum pace, quam dari martyres, litteris ad nos factis deſyderauerunt. Sic Cyprianus. Audiſtis exomologeſin, quæ confeſſio latine dicitur. Eamque apud Sacerdotem, & adeo neceſſariam, vt ſi non adſit maior Sacerdos, cuius intererat audire, propter neceſſitatem audiatur à minoribus, ut nulla ratione ſine ea, ex hac uita recedatur, quemadmodum fit hodie apud optimos Chriſtianos. Idem ſermone de lapſis ait. Quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti ſunt, tamen, quoniam vel cogitauerunt hoc ipſum, dolenter,& ſimpliciter apud Sacerdotes Dei confiteantur, Exomologeſin conſcientiæ ſuæ faciant, animi ſui pondus exponant: ſalutarem medelam,paruis licet vulneribus,exquirant. Et alia his ſimilia ſcribit de hac re. Ecce non nouum eſt inſtitutum, ut plerique calumniantur, neque ad quęſtum excogitatum. Neque enim ſiqui improbi Sacerdotes, aliquas corruptelas ad ſanctiſsimas leges adiunxerunt, ipſarum ea culpa dicenda eſt, ſed improborum illorum, ut lex ſyncera remaneat, corruptelæ ammoueantur,ac uituperentur, Et magis quid innumerabilibus prope mortalibus utilitatis attulerit confeſſio,conſiderandũ, quã quomodo eam pauci aliquot ſcelerati ſacerdotes deprauarunt.Nã,& alia ſanctiora inſtituta ſunt ab improbis aliquo modo dehoneſtata.An non hoſtia ueneno infecta, quidã necati ſunt? Ergo & ſacra cõmunio propter hanc improbitatem tollenda eſt? Dico igitur confeſsionẽ apud Sacerdotẽ, diuinã eſſe,& uetuſtiſsimam inſtitutionem, & quã Origenes putet Apoſtolos præcepiſſe,quę fuerit etiam in ueteri lege. Quam diuus Petrus præceperit,Dionyſius Areopagites demonſtrarit.Quam ſancti patres neceſſariam in hac vita,& crediderint,& prædicarint. Vt eſſet per eam remiſsio cunctorum delictorum,vt miſericordiam promereremur, & indicta a Sacerdote pęnitentia,peccata lueremus. Neque enim fieri poteſt,ut ſi ſecreto apud Deum confiteamur,uel noſtra peccata pęnitus cognoſcamus,uel meritas pœnas nobis imponamus. Raroque hac ratione conuerteremur ad Dominum, niſi miraculoſe,ut aiũt,ab eo prouocaremur,& aliquis Angelorum aſtaret, qui, & confiteri nos iuberet, & qua utendum pęna commonſtraret. Intelligimus ergo omnem hanc Lutheranam peſtẽ ex duabus cauſis eſſe natam, arrogantia, & imperitia. Quæ duæ peſtes ſimul coniunctæ eos ad omne facinus, omnem ſtultam aſſertionem, adegerunt. Nunc ad tertiũ, quod inſtituimus accedamus,

mus contenti hæc pauca de confeſſione attuliſſe. Damnant iſti grauiſſimi homines religioniſque Chriſtianæ vindices, qui tanquam e cęlo lapſi ad eam liberandam videri volunt, vti rem impiam, quòd in templis habeantur imagines, eoque omnes Chriſtianos, idolatras fieri contendunt. Plurimoſque eſſe dicunt, qui non Deum, ſed ipſa mera, ac nuda ſimulacra venerentur, & colant. Tollendas igitur, vt ab imperitis inuectas, & Chriſtianis idolatriæ, & ſuperſtitionis cauſas. Idque iam multis etiam perſuaſerunt. Quis enim non adducatur, vt credat, ſi vera eſſent, quæ prædicant illi? Sed falſa ſunt, & a malis, & arrogantibus, imperitiſque hominibus dicuntur. Dicuntur ab his, qui hæc, & alia maiora in religione Chriſtiana damnauerunt. Qui nihil ſe peccare exiſtimant, in quãcunque partem linguam conuertant. Primum igitur eſt falſum, quenquam imagines ipſas adorare. Nemoque tam rudis, tam vecors eſt, qui in eo peccet. Lutheranorum eſt hæc calumnia, qui falſis accuſationibus, & Chriſtianam pietatem, & ipſos Chriſtianos non ceſſant inceſſere. Dico etiam non fuiſſe ab imperitis inuentum, vt Chriſti, & diuorum vultus, ac res geſtæ, pictura deſcriberentur. Sed inuentum a veteribus, viris ſanctiſſimis pariterque doctiſſimis, examinatumque bonum, an malum eſſet, & comprobatum potius eſſe bonum, quàm malum. Diuinoſq; patres illos, omnes haſce calumnias, & vidiſſe, & confutaſſe, demonſtraſſeque non eſſe imagines Chriſtianorum, ſicut idola gentium, aperteq; inter vtrunque diſtinxiſſe. Age ipſa teſtimonia proponamus: Primumq; oſtendamus, non Lutheranorum primam fuiſſe hanc audaciam, vt auferrent imagines, ſed pleroſque alios, tale facinus auſos fuiſſe, & vt temerarios, & errantes a ſcriptoribus fuiſſe damnatos. Paulus ergo diaconus hiſtoriæ Chriſtianæ conſcriptor, hæc de Leone Imperatore ſcribit. Per idem tempus Leo Auguſtus ad peiora progreſſus eſt, ita, vt compelleret omnes Conſtantinopolim habitantes, tam vi, quàm blandimentis, vt deponerent imagines vbique, tam Saluatoris, quàm eius genitricis, & omnium ſanctorum, eaſq; in medio ciuitatis incendio concremari fecit, Et quia plerique e populo, tale ſcelus fieri præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alij parte corporis mulctati ſunt. Huius errori Germanus patriarcha non conſentiens, a propria ſede depulſus eſt, & eius loco Anaſtaſius preſbyter ordinatus eſt. Hæc Paulus Diaconus. Paulò vero ſuperius ſcripſerat. Hac tempeſtate, Leo Imperator apud Conſtantinopolim, ſanctorum imagines depoſitas incendit, Romanoq; Pontifici ſimilia facere, ſi Imperialem gratiam habere vellet, mandauit. Sed Pontifex hoc facere contempſit. Omnes quoque Rauennæ exercitus, vel Venetiarum, talibus iuſſis vno animo reſtiterunt. Et niſi eos Pontifex prohibuiſſet, Imperatorem ſuper ſe conſtituere aggreſſi fuiſſent. Hæc ille. Ex quibus clarum eſt, Lutheranos, veteres errores, qui ſopiti ab optimis viris fuiſſent, ſuſcitaſſe. Agnoſcimus quoque, quàm peſſimus is error iudicaretur, cui fere totus orbis reſiſtebat. Quem pontifices, quem exercitus, quem plebeij execrabantur. Ob quem prius trucidari, in exilium deportari pleriq; maluerunt, quàm eum ſuſcipere. Is ipſe ſcriptor, quibus verbis ipſum deteſtetur, vidimus. Eant igitur Lutherani, & ſuis inuentis glorientur, ꝙ omnium hæreſeon colluuiem non inuenerint ipſi, ſed ſub inferorum tenebris ſepultam, in lucem extraxerint. Si ergo ea tempeſtate, Imperator impius ob eam rem ab omnibus Chriſtianis iudicatus eſt, ut in eius locum alium ſufficere conarentur, quid de his dicemus, quorum eſt aperta impietas, qui religioni bellum indixiſſe noſcuntur? Quos euertere mundum deſideraſſe palam eſt? Nam ex ipſis ſanctis ſynodis teſtimonia petamus, quæ, & eos qui tollerent ſacras imagines, uelut errantes damnauerunt, & huius religionis ritum rationibus confirmarunt. Docueruntque cur imagines eſſe permitterentur, Primum Ichmarus Remenſis diſſerens de imaginibus cap. uigeſimo ait, tempore Caroli in Gallijs Concilium fuiſſe celebratum ſolum de ueneratione imaginum, Ibique fuiſſe diffinitum, ut haberi imagines in templis permittentur. Neque enim eo tempore hoc genus hæreticorum, ac furor beluarum ex ultima barbarie profectarum defuit, Ex quorum lutulentis fontibus, ſuas hæreſes hauſiſſe Lutherum, eſt clariſſimum. Lege uero Petrum cognomento venerabilem, Abbatem Cluniacenſem, cui cum ſæuiſſimis brutiſſimiſque hæreticis fuit bellum. Qui crucem non modo, non adorandam cenſebant, ſed conſpuendam etiam, & comburendam, quippe, quæ Redemptorem noſtrum ſuſpenſum tenuerit. Hi, & inanes eſſe preces pro defunctis aſſerebant. Ieiunia, & caſtitatem penitus tollebant. Euchariſtiam reijciebant, Alijſque peſſimis opinionibus, hæreſis eorum conſtabat. Fuerunt autem iam prope quadringentis annis elapſis. Quorum errores refellit acutiſsime Abbas ille Cluniacenſis. Progreſſa uero ea peſtis fuerat ex interiore Germania. Vnde & Lutherus, & Ioannes Vns, & Vuiclef, atque alia prodigia. Hæc autem ex Latinis, Græcos nunc uideamus. Eſt liber, qui inſcribitur Dogmatica panoplia, in quo omnes hæreſes confutantur, ibi præter alia eſt titulus κατὰ τῶν εἰκονομάχων. Hoc eſt contra oppugnantes imagines. De qua re hæc adhibentur ex authorib. ad cõprobationem.

bationem. προσκυνουμένης τῆς εἰκόνος, ὁ χριςὸς προσκυνεῖται, οὗ ἐςὶν ὁμοίωσις, καὶ οὐχ ἡ ὑποδεξαμένη τὴν ὁμοίωσιν, ὕλην, καὶ ὥσπερ ἐπὶ τοῦ κατόπτρου διαγράφεται τρόπον τινα, τὸ πρόσωπον τοῦ βλέποντος αὐτὸ, καὶ μένει τῆς ὕλης κεχωρισμένης, κἂν θελήσειτις ἀποσπάσασθαι τὴν ἐμφαινομένην ἰδίαν εἰκονα, τῇ μὲν ὕλη προσέφυ, τὴν εἰκόνα περιεπτύξατο, καὶ μεταςάντος αὐτοῦ συναπέπτει καὶ τὸ ἴνδαλμα, διὰ τὸ κεχωρίσθαι τὴς ὅλης τοῦ κατόπτρου, τὸν αὐτὸν τρόπον, ὁ τὴν εἰκόνα τοῦ σωτῆρος ἢ τῆς θεομήτορος, ἤ τινὸς τῶν ἁγίων ἀσπασάμενος, εἰ καὶ προσφύεται τῇ ὅλῃ, τὴν εἰκόνα, καὶ οὐ τὴν ἤλην ἀσπάζεται, καὶ ἀφανισθέντος τοῦ ἐκτυπώματος, ἐφ᾽ ᾧ ἡ προσκύνησις, ἔμεινα ἀπροσκύνητος ἡ ὕλη, μηδὲν τοκοινωνοῦσα τῷ ὁμοιώματι. Hoc eſt. Chriſtus adoratur, cum eius adoratur imago, cuius ipſa eſt ſimilitudo, non adoratur materia, quæ recipit imaginem. Ac quemadmodum ſolet in ſpeculis fieri, vt intuentis repręſentetur imago, maneatq; a ſpeculi materia ſeparata, ac ſi vellet quis imaginem amplecti materiæ adhæreret, imaginem comprehenderet, ac recedente ipſo, auolaret imago, eo quòd a materia ſpeculi eſt ſeparata: eodem modo, qui Saluatoris, aut genitricis Dei, aut alicuius ſanctorum amplectitur imaginem, hæret quidem materiæ, verùm imaginem, non materiam veneratur. Nam ſublata ex ligno imagine, ipſum lignum non adoramus, cui cum imagine nulla eſt communicatio. Hæc ibi. Nonne igitur aperte refellitur Lutheranorum calumnia? Nonne reſponſum eſt eorum falſis accuſationibus? Docuit euidentiſſimo exemplo, nos non ipſam materiam adorare, ſed imaginem, vt Dei imago eſt. Nam ſublata imagine, caret lignum omni veneratione. Rurſum ibidem dicitur. Τὰς ἱερὰς εἰκονας ἀναςηλοῦμεν, ἵνα ταύτας ὁρῶντες, δι᾽ αὐτῶν δοκοῦμεν ὁρᾶν τὰ τούτων ἀρχέτυπα, καὶ γίνονται ἡμῖν ὑπομνήματα καὶ παρηγορία τοῦ πόθου, τοῦ πρὸς τὰ τούτων πρωτότυπα. Hoc eſt. Sacras imagines erigimus, vt eas videntes, eos videre videamur, qui per eas repræſententur. Suntq; monimenta quædam, & conſolationes eius deſiderij, quo deſideramus videre Deum, & ſanctos. Et paulopoſt. ὅσον συνεχῶς αἱ εἰκόνες ὁρῶνται, τοσοῦτον οἱ ταύτας ὁρῶντες διανίςανται πρὸς τὴν τῶν ἀρχετύπων, μνήμην, καὶ ἐπιπόθησιν. Hoc eſt. Quanto crebrius imagines videntur, tanto magis, qui eas intuentur, ad recordationem, & deſideriū excitantur eorum, qui per eas repræſentantur. Rurſum ibidem docemur, quomodo imagines adorandæ ſint. ἡ μὲν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, λατρεία, τῇ μακαρίᾳ τριάδι παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ἀπονέμεται, ταῖς δὲ ἁγίαις εἰκόσιν, οὐ λατρεία πάντως, ἀλλὰ προσκύνησις καὶ ἀσπασμὸς, καὶ τιμή. Hoc eſt. Ea quidem adoratio, quæ fit in ſpiritu, & veritate, ſoli ſanctæ Trinitati a fidelibus exhibetur. Sanctis autem imaginibus, non cultum, ſed venerationem, & honorem exhibemus. Et paulo poſt. οὐχ ὡς θεοὺς, τὰς εἰκόνας προσκυνοῦμεν, οὐδὲ τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας ἐν αὐταῖς ἔχομεν, οὐδὲ τὸ θεῖον σέβας ἀπονέμομεν, ταῦτα γὰρ οἱ ἕλληνες, ἀλλὰ μόνον τὴν σχέσιν, καὶ τὴν ἀγάπην τῆς ἡμῶν ψυχῆς, ἣν ἔχομεν πρὸς τὰ πρωτότυπα διὰ τῆς τοιαύτης προσκυνήσεως ἐμφανίζομαι, ὅθεν τοῦ χαρακτῆρος λιανθέντος, ὡς ξύλον, τὴν πότε οἰκόνα κατακαίομεν. Hoc eſt. Non tanquam Deos, imagines adoramus, neque in ipſis ſperamus, neque diuinam venerationem eis exhibemus, Hoc enim gentiles faciebant, ſed ſolum animi noſtri affectum, ac diſpoſitionem, quam erga res repræſentatas habemus, exprimimus. Quapropter ipſa figura deleta, lignum, in quo prius erat imago, comburimus. Hæc ibi. Ex quibus facile omnis Lutheranorum calumnia diluitur. Nullus eſt fraudibus eorū locus. Occurritur eorum maledictis. Falſæ accuſationes deteguntur. Sed audiamus etiam Ioannem Damaſcenum, quid his maledicis reſpondeat. ἐπειδή τινες ἡμῖν καταμέμφονται προσκυνοῦσιν τε καὶ τιμῶσι τὴν τε τοῦ σωτῆρος, καὶ τὴς δεσποίνης ἡμῶν εἰκόνα, ἔτι δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων, καὶ θεραπόντων αὐτοῦ, ἀκουέτωσαν ὡς ἐξ ἀρχῆς ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατὰ οἰκείαν εἰκόνα ἐποίησε, τινὸς γὰρ ἕνεκεν, ἀλλήλους προσκυνοῦμεν, εἰ μὴ ὡς κατὰ εἰκόνα θεοῦ πεποιημένους, ὡς φησὶν ὁ θεοφόρος, καὶ πολὺς τὰ θεῖα βασίλειος, ἡ τὴς εἰκόνος εἰς τὸ πρωτότυπον διαβαίνει, καὶ ὁ μωσαϊκος δὲ λαὸς, τῇ σκηνῇ, κύκλωθεν προσεκύνει, εἰκόνα καὶ τύπον φέρουσῃ τῶν ἐπουρανίων, μᾶλλον δὲ τῆς ὅλης κτίσεως. idest. Quoniam nonnulli nos accuſant, quòd Saluatoris noſtri, ac reginæ, & reliquorum ſanctorum, ac ſeruorum eius imaginem adoremus, audiant a principio Deum ad imaginem propriam hominem feciſſe. Nam quam ob rem nos inuicem adoramus, niſi quia ad imaginem Dei facti ſumus? ſicut ait diuinus, rerumque diuinarum plenus Baſilius. Honor qui exhibetur imagini, ad ipſum exemplar recurrit. Et populus Moſaicus tabernaculum per circuitum adorabat, quod, typum & imaginem ferebat rerum cęleſtium, immo vero totius creaturæ. Et paulo infra. ἐπειδὴ δὲ οὐ πάντες ἴσασι γράμματα, οὐδὲ τῇ ἀναγνώσει σχολάζουσιν, οἱ πατέρες συνεῖδον ὥσπερ τινὰς ἀριςείας, ἂν εἰκόσι ταῦτα γράφεσθαι πρὸς ὑπόμνησιν σύντομον, ἀμέλει πολλὰ τὴς μὴ κατὰ νοῦν ἔχοντες τὸ τοῦ κυρίου πάθος, τὴν εἰκόνα τοῦ χριςοῦ ἐςαυρωμένου ὁρῶντες καὶ τοῦ σωτῆρος πάθος εἰς ὑπόμνησιν ἐλθόντες πεσόντες, προσκυνοῦμεν, οὐ τῇ ὕλῃ, ἀλλὰ τῷ εἰκονιζομένῳ, ὥσπερ οὐ τῇ ὕλῃ τοῦ εὐαγγελίου, οὐδὲ τῇ τοῦ ςαυροῦ ὕλῃ προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τῷ ἐκτυπώματι, ὡσαύτως καὶ ἐπὶ τῆς θεομήτορος, ἡ γὰρ εἰς αὐτὴν τιμὴ, εἰς τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκωθέντα ἀνάγεται, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἁγίων ἀνδραγαθήματα εἰκονίζομεν, ἐπαλείφοντα ἡμῆς πρὸς ἀνδρείαν καὶ ζῆλον, καὶ μίμησιν τῆν αὐτῶν ἀρετῆς καὶ δόξαν θεοῦ, ἐστὶ δὲ ἄγραφος παράδοσις. Hoc est. Quoniam non omnes ſciunt litteras, nec lectionibus incumbunt, decreuerunt patres, vt egregia ſanctorum facta, ad memoriam ſub compendio depicta redigerentur. Itaque perſæpe fit, vt non cogitantes Saluatoris paſſionem, eam reuocemus ad memoriam, imagine crucifixi conſpecta. Genuq; flexo adoramus, non ipſam materiam, ſed eum, qui depictus eſt. Vt enim non materiam Euangelij, ita neque materiam crucis adoramus, ſed ipſam effigiem. Quemadmodum, & Dei matrem, non enim in eam, ſed in eius filium refertur veneratio. Eadem ratione præclaras res geſtas ſanctorum depingimus, quia nos incendunt ad virtutem, inflammantque zelo, vt eorum virtutes velimus imitari, Ex quo, & Deum glorificamus. Eſt autem traditio non ſcripta. Sic Damaſcenus. Obſeruare igitur hoc loco operæprecium eſt, quòd ait, traditionem eſſe, vt imagines Dei, & ſanctorum depingantur, vt ab Apoſtolis ſit traditum, & per ſuccedentia ſęcula fuerit obſeruatum. Ex quo, & tempore Lactantij, Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, & Ambroſij imagines Diuorum in templis pingebantur. Nam præter illud, quod legimus in vita beati Sylueſtri Papæ de imaginibus Apoſtolorum, quod fortaſſe deriderent more ſuo Lutherani, eſt conſimile exemplum, in vita beatorum Geruaſij, vel, vt aiunt quidam, Oribaſij, & Prothaſij, quam fideliſſime conſcripſit beatus Ambroſius; Quo loco ſcribens diuinus ille vir de ratione, qua reuelata fuiſſent ei beatorum Martyrum corpora, docet ſibi noctu quendam aſtitiſſe in hunc modum. Tertia verò nocte defecto ieiunijs corpore, non dormienti, ſed ſtupenti, cũ quadam mihi tertia perſona apparuerunt; quæ ſimilis eſſe beato Paulo Apoſtolo videbatur, cuius me multum pictura docuerat, & quæ ſequuntur. Ecce pingebantur tempore Diui Ambroſij imagines, & idolatriæ loco res non habebatur. Et beatus Apoſtolus ea ſpecie voluit apparere, qua eſſet in templis depictus, vt intelligas, non repudiatam ab illo tanquam flagitioſam corporis, ac vultus ſui picturam. Euſebius quoque refert ſtatuam ad ſimilitudinem vultus Ieſu olim formatam, vſque ad ſua tempora perduraſſe. Et ſua tempeſtate Saluatoris, & Apoſtolorum Petri, & Pauli imagines ſolitas effingi, & tabulas depingi. Hoc de Hiſtoria eccleſiaſtica lib. 7. cap. 14. Sed & antiquas eorum imagines a quibuſdam conſeruatas ſe vidiſſe perhibet. Nimirum ergo ſtulti ſunt, tum Lutherani, tum alij quidam, qui nolunt imagines haberi, ne ſimus idolatræ. Quid enim hoc ineptius? Quid falſius? Sed audite, quomodo idola gentium, & ſanctas imagines ipſi ijdem patres ab inuicem diſtinxerint. τῶν μὲν βδελυκτῶν εἰδώλων τὰ πρωτότυπα ψευδῆ, θεοὶ μὲν ὀνομαζόμενα, δαίμονες δὲ ὄντες, τῶν δὲ σεπτῶν εἰκόνων ἀληθῆτα ἀρχέτυπα, τῆς μὲν γὰρ ὁ χριστὸς κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, τῆς δὲ ἡ θεοτόκος, καὶ τῶν ἄλλων εἰκονων, οἱ ταύταις ἐπιφημιζόμενοι ἅγιοι διὸ καὶ εἰκόνες, ὡς ὁμοιώματα, ἐκεῖνα δὲ παντάπασιν ἀνοίκεια, ὧν εἶναι λέγονται, καὶ ἀμέθεκτα, ποῖον γὰρ τὸ μὴ ὄντος εἴδωλον, εἴδωλα οὖν ὡς εἰδότα ὄλλειν, καὶ διαφθείρειν τοὺς τιμῶντες αὐτα, καὶ τὰ μὲν εἴδωλα, ὕλαι μόνον, αἱ δὲ εἰκόνες, ὕλαι μὲν καὶ αὗται, ἡγιασμέναι δὲ τοῖς ἐντετυπωμέναις ὁμοιώμασι τῶν ἁγίων. Hoc eſt. Execranda idola, nihil habent quod repræſentent, & quod repręſentant, falſum eſt. Appellantur enim Dij, cum Dæmones ſint. Sacrarum autem imaginum vera ſunt archetypa. Alia enim Chriſtum ſecundum humanitatem, Alia Dei genitricem refert. Sic & cętertæ diuorum imagines, Ideo imagines ſunt quaſi quædam ſimilitudines. Idola vero omnino eorum propria non ſunt, quorum eſſe dicuntur. Quæ igitur ſimilitudo eius rei eſſe poteſt, quæ non ſit? Idola igitur, vt nomen interpretemur, dicuntur quaſi εἰδότα ὄλλειν. ideſt, ad perdendos alios expoſita, qui ea venerentur. Atq; idola quidem, ſolum materia ſunt, imagines autem, materia quidem & ipſæ, ſed ſanctificata diuorum effigie, quæ impreſſa eſt. Hucuſque ille. Nouimus ergo non eaſdem eſſe ſanctorum imagines, & idola gentium, vt Lutherani calumniantur. Ecce diuini patres docuere nos, quid impijs iſtis hæreticis reſpondere debeamus. Sic tandem intelligimus, omnes Lutheranorum hæreſes, eſſe veteres aliorum hæreſes. Hiſque ſemper aliquos optimos viros, aut ſynodos reſpondiſſe. Imperitis autem, & qui eorum tantum ſcripta perlegunt, oracula fundere videntur, eoſque rerum nouarum putant repertores. Ob id eorum ingenium admirantur, ſed tantum diſplicent bonis, & eruditis ingenijs, quantum placuere plebeijs, & vulgaribus.

LIBRI TERTII FINIS.

RESPONSIO
AVGVSTINI STEVCHI
EVGVBINI,
EPISCOPI KISAMI, SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARII, CANONICI REGVLARIS
Congregationis Sancti Saluatoris,
Ad Eraſmum.

NON poteram hoc tempore gratiam vllam, Eraſme; accipere gratiorem, quàm vt abs te litteras acciperem. Eo autem tuæ litteræ fuerunt gratiores, quòd in his multa tuæ beneuolentiæ erga me apparent veſtigia, & modeſtiam in his ſummam perſpexi. Nam quod ad beneuolentiam attinet, ab ea profectum dixerim, vt ea quæ tibi ſentis nunc quaſi Cyclopeia Saxa, ſæuamque Charybdim præteruecto accidiſſe, me tam ſæuum pelagus nunc primum intrantem, ea ipſa vitanda moneas, & in famæ theatrum prodeuntem, qua memet arte ſpectatoribus exhibeam, commoneſacias. Non poteſt hoc niſi magni beneficij haberi loco, vt ad pericula te conferens, per multa, ac varia diſcrimina, eum nanciſcaris, qui te ſuo periculo faciat cautiorem: Nam is tacere vtique potuiſſet, nulla ſua fortaſſe culpa. Huius officij nomine magnas me fateor tibi debere gratias. Hanc occaſionem præbuere tibi noſtræ in vetus teſtamentum annotationes, in quibus multa tibi aſſeris placuiſſe, nonnulla viſa fuiſſe, de quibus permagni referat me admoneri, vt ſim poſthac cautior. Quam tu παραίνεσιν multis verbis complexus es. Cępi igitur epiſtolam tuam diligentiſſime euoluere, vt quod mihi in fronte promiſeras, ſtatim conſequerer. Perlectis autem omnibus, promiſſa non omnino reſponderunt. Nam pro admonitionibus, reprehenſiones, & quædam non minimi ponderis crimina reperi. Certe ſi cohortante, & inducente te humanitate tua ſcripſiſſes, beneuolentiſsime feciſſes: ſed ſi quo ſtomacho ad ſcribendum te contuliſti, dico te nullam habuiſſe probabilem cauſam, cur ſic afficereris in eum, qui te in tacito conſcientiæ ſuæ arcano admiraretur, & qui palam te cum tui nominis reprehenſione nunquam citaſſet. Atque hanc omnem cenſuram tuam, partim video ex violatæ à me exiſtimationis tuæ ſuſpicione pependiſſe, partim quia te non perinde, vt voluiſſes, laudaſſem. Quo fit, vt tum mihi officiũ tuum placuerit, tum non placuerit ſatis, cum omnia fuerint à te excogitata, vt ſuſpectam calumniam dilueres. Hoc quanquam tuum fuit inſtitutum, ſolerter tamen id obumbraſti, dicens, multum mea, & aliorum referre, vt abs te admonear. Vt ſuperne monitor videaris, interne ſis reprehenſor. Itaque ſyncerius munus iſtud exequutus fuiſſes, niſi ſuſpicio, & alius quis affectus, te in diuerſa rapuiſſet. Huc autem trahuntur omnia, quæ tu cenſura digna exiſtimaſti, & cum defenſione tua multorum ſuſcipis patrocinium, vt qui illos læſit iniuſte, te quoque iniuſtiſsime læſiſſe videatur. Duo uero intelligo hanc tibi ſuſpicionem mouiſſe. Primum, quòd acerbius quorundam ſuperbiam, in quibus, & te dubitas eſſe petitum, perſtrinxerim. Alterum, quòd uno tantum loco memor tui fuerim, ſed contemptim, ut tu interpretaris. In his quibus procacitas reprehenditur, quoniam id potiſsimum procacitatis genus fuerat reprehẽſum, quo multi hoc tēpore Diuis,rebuſq; ſacris parum honoris habuerint, ſic te geras, ut conquiſitis ex annotationibus meis quantos maxime potuiſſes, qui propoſito tuo deſeruirent, locis, me quoque vnum ex eorum numero ſtudeas efficere: ut aut ego eodem crimine inuoluar, aut fateri cogar illos reprehenſibiles non fuiſſe,a quorū ego non multū abfuerim procacia. Et tamē dū hæc facis,te ex animo gloriæ meæ fauere dicis,& humaniſſimi monitoris partes prædicas te ſuſcepiſſe. Perbelle etiam rogas,ut quæ reprehendis,eo animo accipiam,quo dicuntur. In illam vero totus incumbis obiurgationem,qua ego aduerſus procaces uſus fuiſſem,unde & te ad ſcribendum excitaſti,ex qua tu multa,quæ mihi obiectares,uitia collegiſti. Conuitium in ſenectā, ſermonis inconſtantiam,& quandam iuuenilem uel exultationem,uel delirationem, pro deliratione ſenili,quam me tibi dubitas obieciſſe,agens cauſam. Itaq; quoniā ex hac ſuſpicione,quæ tuis litteris continetur,vniuerſa pendent,facile intellexi magis conquiſita, & optata à te,quæ in me reprehendis,quàm inuenta fuiſſe.Hanc cauſam fuiſſe duxi,ꝙ ſecus multa quàm a me poſita fuiſſent,fueris interpretatus,& quod etiam ad leuiſſima quæ carperes,deſcenderis, ut uel errata à typographis,quæ in excudendo libro fuerant admiſſa,ea tibi uiſa ſint, de quibus me tu uir doctiſſime commonefaceres.Quod tametſi fuerat ante notum,nullaque ex eo in me culpa redundet, a te tamen animaduerſum. humaniter accipio.De his uero,quæ ſecus interpretatus es,& illis quæ iuſte fortaſſe fuerant a me multis in locis reprehenſa,a te uel in aliud torquendo,uel imminuendo defenduntur.Super his,inquam,eadem modeſtia, & eadem libertate tibi reſpondebo,qua tu es erga me uſus.Vtar autem eo libentius hac libertate, quòd ad eam me paſſim, ſed in calce præcipue epiſtolæ tuæ,inuitaſti.Viciſſim autem obteſtor te mi Eraſme,nequid à me iniquo animo dictum ſuſpiceris.Nam te mihi eruditio tua reddidit amiciſſimum, ſemperque uenerandum,ut tametſi nunquam viderim,plurimum tamen ſemper dilexerim.Nec me iuuenem putes canitiem tuam unquam contemptui uel habuiſſe,vel habere potuiſſe: nulla fuit unquam in me dementia talis. Hoc tantum in te diſplicuit,ꝙ ſcriptis tuis effeceris,ut alium te eſſe mortales multi ſuſpicarentur, quàm ſis. Atque idcirco euenit tibi, ut in armis omnem ferè ætatem egeris, ſemper cum multis digladiatus ſis, nunc tela intorquens, nunc obiecta repellens, plurimos enim ac plurima, audax tua perſtrinxit iuuenta. Grauiſsimamque illis annis ſuſcepiſti prouinciam,ut de moribus omnium ſeueriſſime cenſuram exerceres. Quod & ſi bono animo abs te factum cuncti interpretari debent, præſtabat tamen id modeſtius facere, & minore cum licentia. Sunt multi,qui te Saxonicæ Hęreſeos aliquam cauſam præbuiſſe dicant, non quod is animus tibi fuerit, ut hunc haberent res euentum: ſed quod nimia tua uel licentia, uel incauto,& inattento zelo, ut ſic dixerim, aſſerant eſſe factum. Atque hoc qui dicunt, non pauciſſimi ſunt, nec prorſus ineruditi, idque ex libris tuis putant ſe facile demonſtrare poſſe. Complures affirmant prudentiæ tuæ fuiſſe, ut ſi quas fraudes, ſi qua ſcelera aliquorum haberes nota, ea potius abſconderes, quàm in theatrum totius mundi extraheres: cum omnes ſcripturæ doceant, aliorū peccata eſſe reticenda,ne manifeſtata, ſint improbitatis iniquis exemplum, aut ne reddant cętera in Religione uituperabiliora. Hanc autem rationem ueram ſcribendi fuiſſe arguunt,ex eo quod ex contraria ratione magna per omnem populum ſcandala coorta fuerint. Hæc mi Eraſme amiciſsime tecum, & per epiſtolam. Non enim mihi animus eam in lucem edere, niſi tu aliam cauſam præbueris. Sed his omiſsis, ad uerba tua ueniendum eſt. Animum mihi primum, & fortunam gratularis, doctiſſimum appellas, ut iſtarum forte laudum ſtupore percuſſus, non ſentiam morſus tuos, totamque iſtam cenſuram, quam in me exercuiſti. Ordiris a laudatiſsima biblioteca Grymanica, id eſt a laudibus tuis, & hac tam pulchra occaſione ad me delaberis. Annotationes meas percurriſti uerius, quam legiſti: Imò legiſti, & relegiſti, omniaque attente luſtraſti, ſicubi eſſet, quod tu poſſes carpere, ſed tanquam monitor,non reprehenſor. Hæc editio, ais, ſcatet prodigioſis mendis. Quod potius in Aldinos hæredes recidit, ſed condonandum ſaltem hoc amicitiæ fuerat,quæ cum illis olim tibi interceſſit. Dicis me uideri in quoſdam, quaſi priuato affectu ſtomachoſiorem, uelut in Lyranum, & Epiſcopum Foroſempronianum, ſuſpicariſque ideo me in iſtos affectu priuato inuectum fuiſſe, quod eſſent Germani. In quo non poſſum non mirifice maiorem in te candorem deſiderare. Iſta uidelicet ſynceritate ueniſti ad monendum, ut me diceres priuatum affectum habere. Primum,quod ais,me illius Epiſcopi nomen non niſi cum reprehenſione citare: hoc nuſquam tu probare poteris, cum ipſe eum citans,ſemper eruditioni eius plurimum tribuerim. Quod recte interpretari uoluiſſes, nec te alius affectus in aliam cogitationem abſtuliſſet: intellexiſſes utique. Quamquam poteram ex his,quæ ille de Ioanne Pico incomparabilis eruditionis, & ſanctitatis uiro dixit, facile anſam, ſi uoluiſſem, ſumere: quem magnum, ac præſtigioſum, tantum, tam Chriſtianum uirum, fuiſſe, credo, quia aduerſus Aſtrologos ſcripſit, prædicare non erubuit. Vide quæ modeſtia epiſcopi tui fuerit. Tū quod putas ideo me hunc, & Lyranum, quaſi in ius traxiſſe, quod vterq; fuerit Germanus, hinc profectum eſt, quod opinaris me in te quaſi Germanum inuectum fuiſſe, indicans ex alijs locis expreſſius hanc ſuſpicionē. Erat igitur modeſtiæ pariter, ac prudentiæ tuæ, mi Eraſme, verū diligentius perſpicere. Hos.n.ideo citaui, ꝙ alter de Hieronymiana editione quædam loquatur, alter, ꝙ cū ſciret Hebraice, in omne vetus teſtamentum Hebræos ſecutus, ſcripſerit. Nam neſciebā quidem, Deum teſtor, Lyranū Germanum fuiſſe. Vide quantū a cogitationib. tuis abfuerim. Leuius aūt eſt, quòd priorē comparas cū Reuclino, ut tuo iudicio ſit ille maior, quia meo iudicio Reuclinus ſuperiorē gradum uideatur tenuiſſe, & hoc propter ciuilem præfationē in Reuclinū, quā Epiſcopo non addiderim, cū tu tamen Reuclinū apotheoſi donandū cenſueris. Nec uides quā hæc ridicula ſint, quā minime te tanto viro digna. Quòd ſi in Reuclinū hominē Germanum ſum ciuiliter præfatus: diſcere certe hinc debueras, priuatū illū affectū nuſquam eſſe in Germanos, ut tu videris ſuſpicari. Atq; hic me in aſſeuerando fortiorē, quā in probando diligentem eſſe clamitas. Fortiter, inquis, reiicis aliorum opiniones, veluti epiſcopi Foroſemproniani, qui cenſet Latinā editionem non eſſe Hieronymi. At non erant rōnes eius refutandæ, partim, quia non eſſent magni ponderis, partim, quia ex his quæ præceſſerant, ſatis opinor, notū erat, noſtrā editionē eſſe Hieronymi, & in his ipſis ſolutio argumentorū epiſcopi continebatur? Eum, inquis, nec audiendū exiſtimas. At vbi eſt hoc in meo libro? vbi hoc a me dicitur? Qua porrò obliuione aſſeris hoc uno fretum argumento, me opinionem eius reieciſſe, quòd præfationes ſint Hieronymi, cum appareant in operis exordio aliæ rationes? Proponis exemplū de gemina præfatione in Iob, negaſq; earum vllam in eam verſionē competere: Quod quomodo oculos mentemq; tuā effugerit, ſatis admirari non poſſum. Hieronymus teſtatur ſe duplici labore in Iob deſudaſſe: vno, quo librum uertit ex hebraico totum, altero, quo collata editione LXX. cum ipſo fonte, qua tunc Latini, & Gręci vtebantur, ſuperflua obeliſcis confoſſa, redundare monſtrabat, aſteriſcis aūt quæ defuiſſent, addita ex hebraico apparebant. De utroq; labore in eius pręfatione prima, eius hæc uerba ſunt: Vtraq; aūt editio, & LXX. iuxta Græcos, & mea iuxta hebreos, meo in Latinum labore uerſæ ſunt. Illam igitur iuxta hebræos, in Latinū uerſam, ſuā eſſe confitetur Hieronymus, quæ eſt ea, qua hodie Latini vtuntur, ſi conferas hebraica. Negare igitur non potes neutrā harum præfationum in eam editionē congruere, cum prior palā hoc innuat, hoc ſpectet; illius, non alterius editionis, ac libri, ſit præfatio. Dicis fortaſſe eam editionem non eſſe ex hebraico: at facile intelliges, ſi tum LXX. tum hebraica contuleris, quod mihi eſt notiſsimum. Nec poſſum uidere, qua tandem ſapientia perſuadeant ſibi nonnulli, Latinam ueteris teſtamenti editionē non eſſe Hieronymi: quod non modo imperitiæ, ſed ſummæ quoq; ingratitudinis ſemper mihi uiſum eſt. Non enim de his loquor, quos ſine laude non nominarem. Nam ſi una præcipua pars bibliorū, id eſt omnes prophetæ, manifeſtò eſt editio Hieronymi, ſiquidem in ſuis commentarijs citat ſuam ex hebraico, quæ eſt, qua hodie vtitur eccleſia, eamq; opponit editioni LXX. qui fieri poteſt, ut reliqui quoq; libri non ſint ex editione eius, cum etiam clare non ſit editio LXX? Prophetæ igitur ſunt editio Hieronymi, cæteri libri quomodo non erunt, cum a LXX. ubiq; fere diſſentiat noſtra? Quid temperatum eſſe poteſt, vbi tanta eſt varietas? Deinde qui fuerunt illi proceres, qui auſi ſint editionem Hieronymi deprauare, id eſt mutare nonnulla? Et ſi mutarunt nonnulla, cur non omnia? Vbi ſunt illa loca, quæ ſunt admiſta? Hæc tu uir doctiſſime probare debueras, qui fortes alios in aſſeuerando actutum clamaſti. Sed hæc ad alia properans, ueluti leuiora, ac notiora trāſcurro. In eo quod infers (pace tua) duplex lapſus. Probabilius eſt, inquis, Eccleſiaſticos proceres, cū iā fere recepta eſſet editio Hieronymi, mutaſſe quædam ab illo uerſa ex vetere translatione, aut ex LXX. reſtituiſſe nonnulla. Primum non poteſt eſſe probabilius, cum nō ſit verum. Quæ enim manifeſtò uera ſunt, nec probabilia quidem eſſe poſſunt. Cur autem non ſit verum, ſatis apparet ex tota editione: potius ſi quid additum eſt, aut immutatū, ex errore putandum eſt ex alijs editionibus adrepſiſſe, ueluti in illum locum: Et reſpexit Dominus ad Abel. Veteres quidem codices habebant, & inflammauit Dominus, quanquam is non omnino ſit error. Rariſsimum autem eſt hoc genus. Separas deinde ueterem editionem ab editione LXX. cum vetus editio, qua utebatur olim eccleſia LXX. fuerit, ob quorum reuerentiam nolebat Auguſtinus ab Hieronymo quicquam innouari. Quod te Hieronymus ipſe, abunde docere poteſt. Si ego igitur, ut ad ſuperiorem rationem redeam, ob has leuiſsimas cauſas ſtomachoſior in quoſdam, eiſdem tu non in quoſdam, ſed in omnes ſtomachoſior uideris, cum vbique ſatis libere ſis locutus. Quis eſt mortalium, ac ſuperum, de quo non, ut tibi uiſum eſt, pronunciaueris? Sed hæc miſſa faciamus. Proſequeris in hunc modum. Interdum odioſius attingis Auerroiſtas, ut uidearis in totum damnare Philoſophiam Ariſtotelicam. Hanc collectionem, vir erudītiſsime, quis non admirabitur? Quis enim non percipit longe diuerſiſſimum eſſe damnare Auerroiſtas, & Ariſtotelis tollere philoſophiam? Verius hoc eſſe dixerim, ut qui luculentiorem velint habere philoſophiam Ariſt. malos eius interpretes ſubmoueant. Et tu putas tolli philoſophiam Ariſt. cum Auerroe, alia non opinor ratione, niſi ut quamplurima congereres, quæ tu, uelut meus Ariſtarchus, reprehenderes. Illud porrò odioſius, quod qui dãnet Auerroiſtas, tollat philoſophiam Ariſtotelis, cum tu genus hoc philoſophorum non ignores, quos ſi tu attigiſſes, pulcherrime abs te factum opinareris. Sed quia ab alio damnati ſunt, non probas: & diſplicet in aliis, quod tu ubiq; licentioſiſſime feciſti. Quoniam igitur non tollo philoſophiã Ariſtotelis, nec verba mea hoc innuunt, ſequitur, vt quæ in hanc ſententiam dixiſti, nullum hic locum habeant, & auiditate potius calumniandi ſint a te producta. Illud quoq; non minus alienum a mente mea, & à veritate, ut quia quoſdam Platonicos errare in philoſophia Platonis dixerim, nullã reliquerim philoſophiam Platonis, eodem uidelicet lepore, quo, & illud ſuperius, Damnas, inquis, Auerroiſtas, ergo Ariſtotelicam philoſophiam adimis: Damnas Platonicos, Platonis quoq; philoſophiam aufers. Quis hoc argumentandi genus, & ab inſcitia quadam ipſarum diſciplinarũ, quamquã nihil te fugit, & ex auiditate carpendi profectũ negauerit? Quib. enim Platonicorum nota eſt philoſophia, ſciunt quantum eorum decreta diſtent a mente Platonis. Idem de Auerroiſtis dicendum. In contrariumq́; recidit argumentatio. Nam qui tollunt Auerroem, tollunt genus ἀλλόκοτον philoſophandi in diſciplina Ariſtotelis, tollunt multas falſas opiniones, in quas ille trahit nolentem Ariſt. Sic Platonici quædã portenta deduxere ex Platonis philoſophia. Sublatis aũt his, utriſq; philoſophiæ interpretibus, non ea ipſa tollitur, ſed aſſerĩt, & illuſtratur. Quod ſi placet hoc argumentãdi genus, quid prohibet, quo minus itẽ ſic colligas? Hieronymus damnat malos Chriſtianos, ergo, & Chriſtum, & Chriſtianã religionẽ, quia te iudice, qui dãnet male philoſophantes, ipſam damnat philoſophiã? Profiteris, inquis, te ſcribere aduerſus philoſophiam Platonicã. At vbi a me dictũ eſt? expreſſa verborũ meorũ eſt deprauatio, de quibuſdã Platonicis locutus ſum, non Platone. Cætera quoq;, quæ a te in hanc ſententiã dicuntur, quia longiſſime a re abſunt, prætermitto. Nemo certe erit, qui hæc, quæ hucuſque commemoraſti accurate perpendens, nõ æquiorẽ in te mentẽ deſideret. Facis accuſatorẽ totius gentis, qui tuus nõ quidẽ accuſator ſit, ſed ſuſpiceris tu accuſatorẽ. Eodẽ genere criminis facis bonarũ diſciplinarũ accuſatorẽ, qui diſciplinis abutentes obiurget. Quid, ſi quis te contemptorẽ totius Theologiæ diceret, quia Theologaſtros inſectaris vbiq;? Quid, ſi contemptorẽ Chriſtianæ religionis, quia ſuperſtitioſos cultores, ut ais, vbiq; dãnaſti? Quid, ſi hoſtẽ omniũ generatim cęnobitarũ, quia quoſdã ſegnes, & impuros laceraſti? Excuſare aũt te ſolitus es, quod non bonos, ſed malos ſoleas reprehendere. Eadem ratione debueras, ſi quis in te candor erat, interpretari noſtra. Itaq; neceſſario factum eſt, ut dum tibi patrocinaris, criminibus falſis, falſa crimina dilueris. Dico autem falſa crimina, quia ſuſpicatus es me reprehenſorem tuum, & hæc omnia, ſi Dijs placet, ſub admonitoriæ epiſtolæ prætextu. Triplex eſt autem criminatio apud te. Reprehenſorem bonarũ diſciplinarũ pronuncias, cui diſciplinas perperã exponentes non probentur. Reprehenſorem totius prouinciæ prædicas, qui male in prouincia uiuentes arguat. Eadem probitate paulo poſt aſſeres reprehenſorem interpretũ, qui interpretationes diuerſas inter ſe conferat. Vt ſi quis quippiam oſtenderet Hieronymum diuerſum ab hebraico tranſtuliſſe, eum reprehenſorem Hieronymi diceret, & tamen Hieronymus calumniatores uocat, qui interpretationes, & collationes ſuas, ueterum interpretum reprehenſionem dicerent. Quod de nauigatione dicis, nunquã mihi ſpero continget infelix nauigatio, nam eos ſcopulos pro uiribus declinabo, in quos uolens, nolens, neſcio, nauicula tua illiſit. Quanquam quod dicis optimum eſt, & hac in parte debeo tibi plurimum. Tumultuaria lectione multa prædicas me deuoraſſe. Hoc quoque, quocunque animo ſit dictum, boni conſulo. Nam me doctiſſimum paulo poſt appellas. Quo animo à te hęc dicantur, tu ſcis: accipiuntur autem æquo animo, etiam ſi non æquo à te dicerentur. Ad illa nunc uenio, quæ tibi occaſionem, & animum, ad ſcribendum, præbuerunt. Sunt autem ea, quæ in annotatione nominis Adam per digreſſum dixerã. In quibus hoc mihi quaſi præfandum. Scis Eraſme clariſſime, nec diſſimulare potes, quibus fatis δὲ κακῇ τύχῃ, noſtra hæc ſæcula uexata fuerint, ut cum optimis ſtudijs, quæ iam tot annos ſepulta iacuerant, infinitum etiam malorum examen emerſerit, quorum cauſas non poſſumus niſi in mentes illas referre, quę ſua, & imprudentia, & cæcitate, in perniciem ſunt his ſtudiis abuſæ, à quibus bona naſci debuerant. Hocq́ue malum, etſi ab his profectum eſt, earum tamen non fuiſſe culpa, ſed, & ferocium animorum, & procacium linguarum certum eſt. Cum autem miniſtra, & interpres animi mali eſt lingua: quas edere ſtrages ſolet? Poteſt autem aliquando fieri, ut tametſi non malus animus ſit, interpretari tamen cogitationes eius lingua, uel neſciat, uel non poſſit, ut alia prorſus dicat, quam animus ſentiat. Hinc non animi tantum bonitatem ad ſcribendum, ſed & prudentiam maxime neceſſariam eſſe dicunt, quæ poſſunt certe utraq; eſſe ſeiuncta. Plures.n. prudentes ſunt ad eloquendũ, & occultandũ ſuorũ animorũ prauitatem

uitatem callidiſsimi. Alios rurſum inuenias, quibuſcum ſi familiariter viuas, eos, & ſimplices, & fideles, & innoxios experiaris. Accidit autem ſępe, vt quo quiſque eſt melior, eo etiam ſit iracundior. Qui ſi iratus ſe conferat ad ſcribendũ, aliud prorſus eſſe videatur, ac ſit. Hęc de oratione dixerim, quæ mater fuit hoc tempore multorum malorum, vt certiſſimũ exemplum viderimus eorum, quæ de oratione rhetores locuti fuerant. Multas, ait ſummus orator, vrbes eſſe conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias oratione comparatas. Rurſus, non minimã per diſertiſſimos homines inuectam partem incommodorũ. Hæc exempla multo fuerunt hac tẽpeſtate notiora, & clariora. Suſcitatis enim ſtudijs, & eloquentia, quæ diu in tenebris delituerant, magna vis incommodorum coorta eſt, atq; etiam multo quàm cęteris temporibus maior, vt quæ non ſolum ad res terrenas, ſed etiã ad cęleſtes peruaſerit. At dices, quorſum hæc? nimirum, vt oſtendam me alieniſſimum ab omni contumelia hominem, non ſine cauſa ſuper his indoluiſſe. Nemo tam facilis, mitiſq; ingenij eſt, quem non exulcerarit illorum lingua, horumq; fuit numerus non exiguus, quorum tu Eraſme ſcelera, vel excuſas, vel diſſimulas. Dicis Saxonem interdum fortiter negligere ſanctorum authoritatem, cum hoc faciat vbique: diſſimulas vllam in libris iſtorum eſſe blaſphemiã, cum non aliud quàm blaſphemiæ ſint, & vituperationes maieſtatis diuinæ. Non eſt opus hoc commemorare, declarauit hoc ipſum nuper Ekius, qui in libello collegit pluſquam trecẽtas illorum horribiles blaſphemias: productis ipſis authorum nominibus, quorũ numerus eſt quindecim, plus minus, Hęreſiarchæ, quas quia deteſtabiles ſunt, ſine horrore commemorare non poſſum: È quibus ſunt illæ, quod CHRISTVS deſperatus clamauerit. Deus, Deus meus, &c. Quòd eius anima deſcendit ad inferos, datura & ipſa, vt reliquæ omnes, pęnas peccatorum. Quòd ſi extarent ſcripta Iouiniani, Eluidij, Vigilantij, multò præſtare ſcriptis Hieronymi apparerent, quos ille iniuſte carpſerit. Quòd Miſſa pro viuis, atq; defunctis nihil ualeat. Quòd ieiunia ab eccleſia inſtituta, ſeruari nõ debeant. Quòd liceat alias quam in miſſa conſecrare. Quòd ſacrificis, ac monachis uxorem ducere, & monialibus nubere liceat. Sexcenta ſunt, quæ memorem, ſi ſit ocium, ſtultiora longe, ac turpiora. Et hæc adeo uera ſunt, ut diſputanda coram ſapientiſſimo, ac Chriſtianiſſimo Imperatore fuerint propoſita. Hiq; omnes adeo in peruertenda religione concordant, ut in eius exitium coniuraſſe uideantur. Hæc tibi non uidentur blaſphemiæ, uir optime, ac ſolertiſſime? Defendis aũt, uel excuſas lepide illos, propoſito alio genere blaſphemiarum, quod tu Romæ audieris, alienè ſcilicet à re propoſita, ut tu quoque ſentis: quaſi de moribus populorum, de ſordibus uulgarium, non de hæreſibus agatur, non de noxia, non de peſtilentib. dogmatiſtis. Quã odioſe etiam attingis, qui in alijs hãc modeſtiam deſideras, hic, & alibi Romam ipſe uides. Sed reuertor ad ea, quæ ſuperius propoſuerã. Tota illa factio diſplicuit. Quòd ſi tibi uideor aduerſus illos acerbius alicubi eſſe locutus, candoris, & ſummæ humanitatis erat tuę, id ſic interpretari, ut non in totam gentem, non in modeſtiſſimos uiros ea caderet obiurgatio. Potius exiſtimare debueras, me Chriſtiano zelo eſſe commotum, ueluti qui qua audita turpitudine incandeſcunt. Id non praui, & maligni, aut ſuperbi animi indicium eſſe puto, ſed pro æquitate, & honeſtate Chriſtiana indignantis. Dices fortaſſe: At habes me iuſtum interpretem: cęterorum habenda eſt ratio, fateor, ſed quanto iuſtior, tanto maior ſolet eſſe indignatio. Tũc optimus quiſquis rapitur tranſuerſus in furorẽ, cogitq; excedere decoris formam, erumpẽs animo, & pectore indignatio, ueluti Moſes confractis tabulis. Phinees aũt conſimili quadam ratione indignatus, duos interfecit. Ingenſque petulantia linguæ, neſcio an aptius quàm alia petulantia poſſit oſtendi. Quibus nominibus eorum poteram exprimere ueſaniam, quàm ut eos crudeles, & inhumanos, Cyclopes, ac Gygantes appellare, homines ſcilicet arrogatiſſimos, ac ſuperbiſſimæ linguæ. Neque hæc conuitia ſunt, quæ mores improbos inceſſunt, alioqui conuitiator eſſet Eſaias, qui ait: Ò gentem peccatricem, populum peccatis onuſtum, filios ſceleratos. Conuitiator CHRISTVS, cum Iudæos hypocritas appellaret. Paulus item, cum Pontificem parietem dealbatum diceret. Tu quoque non is ipſe eſſes: & hæc de lingua tantum. Nam cõtra doctrinam eorum, in annotationibus nuſquam ferè congredior. Ideo non erat cur tu probationes, & argumenta, & refutationes paſsim exigeres, ut diceres, facile eſſe cuilibet iacere conuitia, ſolidam doctrinam contra talia exigi. Hæc tu contemptim: ſed ſi recte perpendas Eraſme, non erat illius libri hoc negocium: ſolidas autem rationes contra nonnulla eorum dogmata alibi attulimus. Ideo tecum, aut cum illis nulla erit mihi hic de confeſſione concertatio, cuius uideris patrocinium hic ſuſcepiſſe, qui primus omnium bellum illi intuliſti. Vtinamque cum pectore nunc conſentiat oratio. Quamquam colloquia tua, & quæ præteritis annis uidimus fortiter deſtruunt, quæ fortiter à nobis aſſeruntur. Quòd ſi optas me tacuiſſe, multo magis optandum eſſet, ut tu nunquam ullum uerbum ſuper hac re feciſses. Nam confeſsio à te primo in ſuſpicionem protracta eſt. Sed bene habet, quòd ſententiam, aut ſermonem mutaſti.

Reuertor ad ſuperiorem rationem, num te cum illis perſtrinxerim. Fateor Eraſme multa diſplicuiſſe olim in tuis libris, ea uidelicet, quæ pepererunt multos rerum diuinarum contemptores, non recte certe dicta tua interpretantes, qui tua freti, & doctrina, & authoritate, omnia, quæ a te contemni, & damnari cernebant, arripuerunt mordicus, & non uita ſolum cœperunt ea ſpernere, ſed & lingua: appellabantque (te ducem ſequentes) ubique genus illud religionis exterius, ſuperſtitionem. Nam cum tu, quacunque cogitatione id feceris, monachorum uitam inceſſeris, ventres pigros, & ſi quod aliud eſt probroſarum appellationum genus, eos vocans: cum in ieiunia ſæpe inuectus, cum abſtinentiam a carnibus, eſum piſcium immodice inſectatus ſis, de tuo ſtomacho cæteros iudicans: cum pſalmodiam, quam ſacroſanctam ab Apoſtolis vſque, apud veteres ſcimus fuiſſe, ſpreueris: cum reliquias Diuorum, & qui eas venerentur, ſæpe deriſeris: omnem denique vulgarem iſtam, & minorem pietatem exibilaris, eieceris, plures, quibus hæc maxime placerent, ad eorum, & maiorum rerum contemptum excitaſti: tuamque illam perpetuam deriſionem imitati, ſimpliciores quoque ad omnium rerum contemptum pertraxerunt: habitusque eſt hiſce diebus ieiuniorum, caſtitatis, pſalmodiæ, te duce, maximus contemptus. Nam Saxonis, & cæterorum, qui eadem contemnerent libri, publice in Italia vendi non potuerunt. Quantum autem libri tui monachorum vitæ obeſſe crediti ſint, id abunde teſtatur, quod publico conſenſu, & edicto legi, & haberi apud nonnullos eorum interdicti ſunt. Sed hæc culpa tua non fuerit, fuerit eorum, qui ſcripta tua non recte, & cum iudicio legerunt, nec mentem tuam uere ſunt interpretati. Credo enim te non ipſam ſanctitatem, ſed ſuperſtitionem tantum, & imperitiam damnaſſe. At modeſtius, & meliore ratione, dicunt nonnulli, fuiſſe faciendum. Quorſum enim attinebat (vt exemplum proponam) ut eo modo quorundam uitia attingeres, ſicut in tuis colloquijs attigiſti: quàm enim noxia pocula ibi propinaſti? Quos blaſphemiarum fontes aperuiſti? Hæc eſt uera prouidentia, grauiſsime cenſor Eraſme. Vſque ad præcordiorum intima penetrat uobis dolor, ſi quid de fama ueſtra a quopiam detractũ arbitramini: apologias, reſponſiones paratis: & non putatis alios ſentire dolorem, cum eos tam crudeliter deſędatis. Mitius, clamas, attingendum gentis totius nomen: tu quo modo id obſeruas, qui dum unum, aut alterum attingis, totum ordinem dehoneſtas, ſtupratorem uirginum ſacrarum illic tacite introducis, ſed non taces in exomologeſi tua. Quæſo dũ hoc facis, nõ de oĩbus præbes cauſam iudicandi? At quantũ ſcandalũ eſt hoc populo Chriſtiano. Teſtes certè ſunt prouinciæ, quæ ad euerſionẽ monaſteriorũ iſtiuſmodi documẽtis imbutæ, conſpirarunt. Vidi ego, & legi his oculis epiſtolã tuã, in qua religioſo cuidã reſpõdes, qui te ad religionẽ reuocabat. Ibi aperte dicis, nullũ in religione Chriſtiana maius malũ inueniri potuiſſe, quã cũ religiones iſtæ repertæ ſunt. Sed dices non eſſe tuã epiſtolam, gratulor ſi ſic eſt. Mirantur aũt multi, cur tu grauiorib. annis, in tuis colloquijs, quæ alioqui tuã, & eloquentiam, & acumen reſipiunt, tot mala tacite interſerueris. Neque ego conrra te inertium, ac ſuperſtitioſorum monachorum vitam, moreſque defendo, ſed ſuccurrendi malis iſtis aliam dico eſſe rationem, quàm, vt in populum aliquot priuatorum ſcelera ſpectanda proponantur. Hæc mihi inter inſignes Dei in te dotes, amantiſsime Eraſme, diſplicuerunt. Eo autem in te ſum animo, vt te amantiſsime colam, & venerer, laudemque tuam, quam cum alijs in locis, tum vero in Italia maximam es aſſequutus, non modo tibi non inuideo, ſed quàm maxime poſſum prædico apud omnes, & extollo, ſæpeque in tuorum ſcriptorum lectione recreor. Neq; is ſum, qui captem cauſas detrahendi cuiquam, minus etiam eruditiſsimo homini, cuius debẽt omnes laboribus, & doctrinæ plurimum. Ingenium mihi eſt ab omni odio, & inuidia alieniſsimum. Nihil minusvenit quicquam in mentem, quàm, vt priuatum illum, quem ſuſpectum habuiſti, affectum in quempiam conciperem. In Auguſtinum igitur, vt ad ſuperiora reuertar, in prioribus editionibus, cum neſcio quid ſecus, quam tibi viſum fuiſſet, interpretatus eſſet, ſic deſtomacharis: Obſecro te lector, nonne videtur tibi verſari in alio mundo? ¡Hanc tam contumelioſam deſtomachationem in poſterioribus editionibus; vt video, poſtea mitigaſti. Quã nauiter, vt ſoles, diſsimulas hoc loco. De nominis etymologia nihil contendo, tantum illud, quod per obliuionem omiſeris, dixiſſe id Cyprianum. Do autem tibi, ne cuncta voluiſſe defendere uidear, frigidum commentum eſſe nominis Adam. Sed, & eam etymologiam eſſe, inficias ire non potes. Hoc ego dicebam, mirorque te id genus etymologias in Platonis Cratyllo non uidiſſe. An non ſimile eſt, quod ait de nomine ζευς διός, quaſi dictus ſit δίον ζωή, & Apollo quaſi ὅς ὁμοπολῶν, mutatis litteris, & id genus alia. Et quæ creberrimæ ſunt apud profeſſores Cabalæ, ſi placet exemplum. Nec uſquam eſt hoc argumenti genus. Hæc ouis eſt morbida, nulli igitur ſunt ſani boues. Quantum enim ab hac ratione argumentandi diſtem, tuo, & aliorum iudicio relinquo. Sed nugæ iſthæc ſint, & puerilia, quæ, & tu æquo longiora feciſti. In ea igitur tam uehementi, tam atroci, tam uaria, ut tu ais, deſtomachatione, quos petam, quibus

bus rationibus adductus,facile intelligere potes. Quòd ſi in te, tua grauitate indignius aliquod dixiſſe videar,non animo ad nocendum deſtinato, ſed pro Chriſtiana dignitate indignante,me id dixiſſe exiſtimare debes. Videbam optimum genus pietatis haberi comptemptui, uidebam omnia ſuſcitari,quæ Iouinianus ſuo tempore conabatur inuehere, quę acerrima irritamenta,è libris tuis petebantur.Quod ſi tu,vt par eſt,in iſta grauiſſima ſanctiſſimaq́ue ætate multa reuocaſti,omnia mitiora feciſti, tum grarias immortales Deo habeo plurimas, tum me poſthac polliceor fore, & pietatis, & eruditionis tuæ vbique laudatorem . Ideo de delirio , quæ tam multa indignabundus effudiſti,nullum habent hic locum: neque enim, vt tu arbitraris, in ætatem tuā ea dicta ſunt,ſatis enim eſt perſpectum quorſum ea pertineant. Nam colloquia, & exomologeſis, grauioris ætatis tuæ lucubrationes ſunt. Illud quoque,quia ab animo meo eſt alieniſſimum, potius rideo,quam refello, quod admiſcuerim in his uerbis perſonam.Non igitur,quod de eruditione gloriemur,in qua ſiue æquemus, ſiue ſuperemus diuinos illos uiros, ſanctitate certe ſumus adeo inſeriores,ut ſine lachrymis referri non poſſit . Hic, inquis, admiſces perſonam tuā . Vide quo candore iſta interpretaris Eraſme,quaſi me cum illis ęquem eruditione,cum hoc ego tantum poſuerim,vt me, ſicuti ſum, cum multis alijs delinquentem oſtenderem . Quas anſas hic conuiciandi quæſiſti ? Nec pateris oculos tuos videre ex, quò referantur, ut doceam uidelicet primas partes non doctrinæ, ſed pietatis eſſe ? Sunt enim plures, qui ſpreta pietate, omne ſtudium ad litteras, & philoſophiam conferant. Sunt qui diuinitatem in multa rerum cognitione, non in exquiſitiſſima ſanctitate ſitam eſſe ſibi perſuadeant . Et hi ſunt maxime, qui magis in ſanctis eruditionem explorent , quam ſanctitatem . Quàm multos inuenias , quibus ſi detur optio , potius doctrimam, quàm ſanctitatem Hieronymi deligant . Diſſentire autem à Diuis , non nefas eſſe puto,ſi ſine faſtu fiat, ſine illorum contumelia, ſine iactantia eorum, qui diſſentiunt, ſine grauiore ſcandalo, ſi qua veriſsime,ſi ex natura,non ex tuo capite,ſi in ſumma neceſſitate diſſentias . Quas conditiones ſi perpendas Eraſme,raro in illis Hæreſiarchis inuenias, in te non tam raro. Si putas te a me contemptum, quia a te diſſenſerim,nonne a te contemnuntur Diui, a quibus diſſentis ? Nam cum me diſſentientem ab illis,ut me tibi facias ſimillimum, conaris oſtendere, longe aliud eſt, nec quadrat animus,nec exempla . Si uerum eſt, Auguſtinū Hebraice ignoraſſe, qua forma exprimam, ſi quid ab illius linguæ proprietate diſſonum interpretatur , an alio modo quàm Auguſtinus Hebraice neſciens, in contrarium accepit: vel ſimili ratione. Si Hieronymus aliud quàm habeat in contextu Hebraico uertit, quibus uerbis illud oſtendam . Hæc ratio clara apud candidos eſt . Abs te uero ſæpe pro præfationibus ponuntur etiam contumeliæ . Dicis Auguſtinum uerſari in alio mundo : eundem interdum aſſeris nimium credulum fuiſſe . Hæc in prioribus editionibus tuis , quæ poſtea , ut video , mitigaſti . Hieronymum quibus nonnunquam coloribus depingis ? Hæc omnia ſatis nota ſunt, cum multi etiam libellos iſtiuſmodi contumeliarum ex tuis ſcriptis excerpſerint . Quantum igitur inter me, & te,hac in re diſcrepet , rectiſsimis iudicijs relinquo . Sed antequam ad hæc deſcendam, ad eum locum uenire animus eſt, quo tantum te dicis a me nominatum , & contemptim, & diſſentiendo . Quare autem a te diſſenſerim, ut alia ferè omnia , ſic hoc ipſum diſſimulas,& perperam animum, & verba mea interpretaris . Primumq́ue non recte ſuſpicaris, te à me eſſe contemptum, quia diſſenſerim . An non intelligis , quam euertat hæc tua ſuſpicio quicquid dixiſti ? Conatus es perſuadere,is qui à quopiam diſſentiat, non ſtatim conſequi , ut eum contemnat . Verba enim tua hæc ſunt . Ita ne protinus contemnit pietatem , & eruditionem Auguſtini, cui quicquam in illius uiri ſcriptis non probatur ? Contra te ipſum igitur argumentaris: Diſſentis, ideo contemnis . Me non nominas , niſi diſſentiendo, ergo tantum contemnendo. Nam uerbum quod præſeferat contemptum, aliud ibi nullum eſt . Hæc argumentatio palam colligitur ex verbis tuis . Idem genus argumentationis etiam in principio poſuiſti , cum Foroſempronianum, & Liranum, a me contemptos putaſti , quia diſſentirem ab illis : & quod riſu dignius, & a ſenili ſuſpicione profectum, quia eſſent Germani . Diſſentio autem , & nomino te, non contemptim, vt tu putas: neque enim ob id fama eruditionis tuæ apud me periclitatur, ſed ob hanc cauſam. Nam cum textus Hebraicus habeat,Ioſeph ſolitum accuſare fratres , & ita uerterit Hieronymus in noſtris codicibus, & cæteri omnes interpretantes Græci, & qui ſacras litteras exponunt, ita dicendum oſtendant tu hæc: vel neſciens , uel diſsimulans, non ſolum in paraphraſi diſſentis, ſed in tua lingua expreſsius dicis , eſſe verius quod habetur apud LXX. quàm quod habeatur in noſtra editione . Hoc autem cum dixiſti, Hebraicum puto quomodo haberet,ignorabas . Id ego dixi me admirari,cur neſcieri,hoc habere Hebraicum,quod noſtra haberet editio . Dixi autem multis in locis, quòd uon ſolum in lingua,ſed etiam in paraphraſi hoc comprobaſſe . Senſus autem Typicus a littera pendeat neceſſe eſt , Tipus autem eſſe non poteſt, vbi perperam littera legitur . Nemo præferret opinor LXX. Hebraice veritati.

Ego ſi quando præfero LXX. Hieronymo, ex hebraico facio, non contra ipſum fontem. Vides quam ſimus diſſimiles. Hieronymus enarrat, quod illi verterunt, quia recepta erat eorum editio, nihil dum verterat ipſe ex Hebraico. In alio loco, vbi ais, te me attigiſſe: diſperеam, ſi quid ſiniſtri de te animus meus, vel ſomniabat quidem. Mea uerba hæc ſunt, Geneſeos cap. 46. Hæc ergo eſt eius nodi ſolutio, quem dicunt Hieronymum ligaſſe, ac non ſoluiſſe. Quæſo te, mi Eraſme, ſi tu hunc nodum ligaſſe, & non ſoluiſſe Hieronymum dixiſti, quid mihi de te dicendum fuerat? Qua forma poteram dicere modeſtius? Si tecum conſuetudinem habuiſſem, ſi quando te alloquutus fuiſſem, in hunc fortaſſe modum dixiſſem: Hunc nodum doctiſſimus meus Eraſmus affirmat Hieronymum ligaſſe, ſed non ſoluiſſe: & omnis tibi ſuſpicio violati à me nominis tui adempta fuiſſet. Venio nunc ad eos locos, quos, vt tibi contra me patrocinareris vndique conquiſiſti. Nam cum ſuſpicatus eſſes, meam illam obiurgationem bona parte in te directam, quam generatim in vituperatores rerum ſacrarum iratior effuderã, cuius principium ex verbis quidem tuis fuerat ſumptum, quibus tu ab Auguſtino contemptim diſſenſeras, me tum ab ipſo Auguſtino, tum ab alijs multis in locis diſſentire, conaris oſtẽdere, vt quod tibi vitio dediſſem, in idipſum ipſe ſæpenumero ceciderim, generoſe tu quidem, & perurbane, ſed nihil ad rem. Non enim ego, ſi quando à dictis ſanctorum receditur, reprehendo, ſed mordacitates, ac dicacitates quaſdam, & vt ſic dixerim, contemptum: quale illud tuum de eodem Auguſtino, quòd verſetur in alio mundo. Quid enim hoc aliud eſt, quàm eum dixiſſe veſanũ, ac furentem? Id genus vrbanitatibus libri tui referti ſunt. Si quid igitur tale in meis ſcriptis reprehenderis, fatebor me tui, & illorum, eſſe quàm ſimillimum. Quamobrem, cum à me de paradiſo dicitur, Quapropter fabulas eſſe arbitror, quas iſte paradiſus comminiſci homines fecit, niſi Adam peccaſſet, fore, vt in eo iugiter homines habitaſſent, & quæ ſequuntur. In his, inquis, qui hoc crediderunt, eſt Auguſtinus, & non vereris appellare fabulas. Satis Eraſme apparet genus loquendi, neque tu, qui ex leuiſſima quaque cauſa quæritas locum detrahendi, potes hic quicquam, quod mordacitati tuæ deſeruiat nanciſci. Nam neminem appello, tum apparet, quantum omnibus deferam, tum retracto, ſi male ſentio. Quis hic, niſi ipſiſſimus Momus haberet, quod carperet? Tu ſolus ſtudio contradicendi, vt te tanquam magiſtrum pręſtares, inueniſti quod vituperares, tum in his, non prorſus eſt Auguſtinus: Non enim opinor, is credidiſſet, terram nunquam habitandam, ſi nunquam homo peccaſſet: proſequeris. Interdum erumpis in laudes Hieronymi, ſed non citra ſugillationem eccleſiæ, quam alicubi ſcribis in tantis erroribus fuiſſe futuram, niſi vir ille diuinos libros vertiſset ex Hebræorum fontibus. Primum, inquis, durum eſt piorum auribus, eccleſiam teneri errore, præſertim in ſacris litteris. Audi quàm omnia vir grauiſsime extorſeris, quàm omnem angulum calumniandi euolueris, quàm in contrarium nihil non deflexeris. Si quid laudatur, carpis: ſi iure reprehenditur, non fers: vt omnia exacerbare voluiſſe manifeſtò conuincaris. Duplices ſunt errores in fidem: & in dogmatibus, & in ſcripturis, vt ſecus aliquid legatur, quàm ſit legendum. Illud genus primum, in eccleſia certum eſt, eſſe non poſſe. Non enim errare poteſt eccleſia. Secundum genus poteſt inueniri, ſicut inuenitur interdum, vt legantur codices ſecus, quàm ſint legendi. Hoc genus ſuo tempore oſtendebat eſſe Hieronymus creberrimum apud LXX. vt licet paſſim, & apud Hieronymum, & ipſos LXX. volenti cognoſcere, & hos errores negare, non potes. Tota nunc eccleſia legit: Et interfecta eſt terra, à ſanguinibus eorum, cum ſit legendum, Et infecta eſt. Vbique canitur; Quadraginta annis proximus fui generationi huic: cum dicendum ſit; Faſtidio habui generationem iſtam, vel huiuſmodi. Canitur ſemper, Vt uideam voluntatem domini: cum dicendum ſit, voluptatem. Eſt enim Græce τερπνότητα, Hebraice נעם. Hoc igitur genus in eccleſia eſſe poteſt. At tu non ſolum hoc genus, quod ſcandalum non habet, ſed & illud ſuperius in eccleſia eſse uoluiſti, & eſse multis in locis affirmaſti, ex quo aduerſum te totus mundus conſurrexit. Nam Ieiunia, Cęlibatum, Confeſsionem, Septem ſacramenta, volens, an aliud agens, neſcio, certe non mediocriter labefactaſti. Hæc ego non quaſi tibi exprobrans dico, ſed ut tibi amice, ac libertate eadem reſpondeam, qua tu paſsim cum amico uteris. Cætera quæ ubique inſectaris, quæ tu tanto ſtudio, tametſi uideri non uis, conquiſiſti, fingiſq; ea quaſi ſeſe tibi obtuliſse, cum frigidiſsima ſint, & tu ſtudio contradicendi ea facias acerbiora, & uituperabiliora, cum multa deprau̇es tuis interpretationibus, multa in diuerſum ſenſum diſtrahas, cum LXX. & Hieronymum eodem genere à me uelis eſse contemptos, qua tu licentia in eiuſmodi interdum ſoles uti: Hæc inquam neque refellam, neque ſuper his tibi reſpondebo. Nam Hieronymo tantum honoris habui, quantum ſanctitas, & eruditio ſummi, & incomparabilis uiri promereretur. Solos eos criminis iſtius reos facito, qui prætulerunt illi inſanos hæreticos, quorum mores, & doctrinam fuerat iuſtiſsime inſectatus: non eſt quod mihi hanc calumniam facias, quæ procul eſt, eritque ſemper à moribus meis. Hactenus amiciſsime, teſte

Deo, tibi reſpondi: nunc quoniam pro tua modeſtia prædicas me amicitiæ tuæ fore participē ſi qua te admonuero, ut hoc quod promittis conſequar, audi quæſo non quaſi monitorem, ſed tanquam filium, ſi libet, aut certe amicum, quæ pro Chriſtiana charitate propono. Nam hoc, & in vniuerſum proderit multis, & gloriæ tuę non mediocris hinc fiet acceſſio. Præſtaret primum vir clariſſime, te eſſe minus iracundum. Quòd ſi natura ad id propenſior es, ſaltem eſſet conandum, ne vllum veſtigium iræ in oratione extaret. Nam quanquam legamus, iracundiores eſſe meliores, deceret tamen, id ſcriptis oſtendere, quod eſt in vita, ac moribus hac parte. Tum quod ſuadent plerique eruditi viri, non debent omnia a te defendi, nec omnes ſunt ictus à te excipiēdi. Nec putare debes grauitatis eſſe tuæ, te omnium hominum latratibus opponere. Sed multos eſſe, quos tu merito poſſis contemnere. Hoc pacto tum cæteri minus inflammabuntur, tranquilliusq; agetur tecum: tum vbi in Apologijs tempus inſumitur, in ſtudijs grauioribus tranſigetur. Id quò facilius obtinere poſſes, præſtaret multa ſcribendo præterire, quæ cum nihil promoueant, ſed ſcandalizarent potius, in totum eſſent reticenda, & adimenda vitæ tuæ tanta perturbatio. Interdum optarim te in recriminandis ijs modeſtiorem, quos te putes criminatos, ut omitteres multa nomina probroſa, morſus, ac dicteria, recordarique illius: Non maledictum pro maledicto. Nam quod profanis turpe fuiſſet, multominus homini Chriſtiano decorum eſſe putandum eſt, longe autem minus ſacerdoti, poſtremo viro eruditiſſimo, & qui talem à cæteris modeſtiam exigat. Nam ut cætera omittam, quis vnquam tam atrociter in quenquam deſæuit, vt ei obijceret quaſi crimen, fatum, aut mortem, veluti tu Alberto Carporū principi, cui, & mortem obieciſti, & inſultaſti, quod eiectus eſſet è principatu. Credis ne, Eraſme, fore quenquam, qui iſta legens non exhorreat? Eum qua tandem modeſtia primum Carporum principem, poſtea exulem apud Gallos, deinde ſycophantam, poſtremo Franciſcanum eſſe dixiſti? Sycophāta videlicet, quia te in ius uocarit? Et non pudet te, cæteris prædicare modeſtiam? Non pudet etiam, ſi Dijs placet, eam à Diuo Hieronymo ſæpe exigere? Iraſceris tu, ad Apologias properas, ſi quis, uel ſummam cutem attingat tuam, letale vulnus interpretaris, ſi quis te laudibus nō exornet. At reor legeras, ſatis eſſe homines imprudentia lapſos, non erigere: vrgere vero iacentes, aut præcipitantes impellere, eſſe inhumanum. Quanto ſatius fuiſſet ſimpliciter fidei, ac pietatis ſuæ hominibus reddere rationem, quàm ueſtes franciſcanas, exilia, iniuriasq́ue fortunę, & mortem commemorare? Quocirca, & illud eſſet laudatiſſimum, ſi minus morſibus, dicterijs, ac ſalibus vir præclare fideres, parciusq́ue ijs utereris, quibus, & cauſa tua infirmatur, & Chriſtiano minime conueniunt ſales, & ſcommata, tum non debemus his ſolis rem noſtrā velle defendere. Nam dum alium irrides, dum carpis alium, dum ſalibus, & iocis in omnes inſultas, plurimum exiſtimationi tuæ detractum eſt. Poſtremo, quod mihi, cæteriſq́ue Chriſtianis propono, non debemus tanti facere gloriam iſtam litteris partam, ut pro ea in gladios, atque arma putemus eſſe ruendum, perinde quaſi hæc futura ſit noſtra immortalitas. Præclara quidem res eſt, omnigena rerum ſcientia, ſed longe clarior, manſuetudo, & ταπεινοφρώνησις, & uiuendo GIESV CHRISTI exprimere uitam. Tempus erit cum omnia librorum conflagrabunt monumenta, ſola probitas in omni humano opere celebrabritur. Non quòd hęc dicens, a ſcribendo prohibeam, ſed ut hoc bonum, ad maius bonum paratum oſtendam. Nam ſunt qui dicant, dum unus in omni mortalium genere eſſe cupis, dum neminem pateris tibi, aut æquari, aut præferri, dum tibi principatum uendicas, inter eruditos, te multum à modeſtia receſſiſſe, ac quædam feciſſe, quæ apertum liuorem præſeſerrent. Id quoque optarim, ut minus eſſes cauilloſſus, ac curatius perpenderes, quid hominem Chriſtianum, doctiſſimumq́ue deceret. Nam ut taceam cætera, quanta eſt hæc cauillatio, ut qui de te non ſentiat magnifice, totam Germaniam contemnat. Scio ego Germaniam doctiſſimis iuxtà, ac Chriſtianiſſimis hominibus eſſe refertam, multoſq́ue noui quorum prohibitas, ac doctrina eſſet mihi admirationi: è quibus Iulius Pflug, Iacobus Zeilierius inſignis mathematicus, Ioannes Marquardus, clariſſimus uir Georgius Boemus, alijq́ue. Quare ex certa uoce cauillationem appello, quod te non laudans, quod in procaces quoſdam, & Lutheranos quædam deſtomachans, Germaniam uituperarim. Hoc crimen minime agnoſco. Nam homines factioſi, nouarumq́ue rerum ſtudioſi, ne prudentiſſimæ quidem Germaniæ placuerunt. Nemo certe hoc tempore, aliqua Chriſtiana pietate, doctrinaq́ue imbutus fuit, qui non coactus fuerit, ſuper iſtorum leuitate aliquid clamare. Quod à me factum, cum omnes æqui, boniq́ue conſulere deberent, tum uero ipſe, qui magnam tibi hac in re licentiam arripuiſti. Niſi forte unus eſſe uoluiſti. Sed qui homines ſunt, ſicut tu; & Chriſtiani, ſicut tu; eodem eos ſenſu præditos eſſe, quo, & tu; & ad res indignas indignari, perinde, ac tu, neceſſe eſt. Eadem eſt cauillatio de interpretationibus, de philoſophia, & quòd tota in oratione videris tecum ipſe pugnaſſe, vt non tanta mecum, quanta tecum tibi fuerit contentio. Reuclinum quaſi ægre fers à me laudatum, quem tu, neſcio qua authoritate, in numerum Diuorum retuliſti. Corrigis, quòd aduerſus Auerroiſtas deſtomacher, quos tu in omnibus libris tuis uſque ad rauim conuitiatus es. Editionem, qua vtitur eccleſia, negas eſſe Hieronymi, & in annotationibus, cæteriſq; libris, dicis Hieronymum ſic ex Hebraico vertiſſe. Confeſsionem voluiſſes à me validius aſſertam, quam quomodo tu tractes, vel tua colloquia clamant. In Lyranum neſcio quid ſtomachi dicis præmeferre, quem tu ubi potuiſti, carpſiſti, irriſiſti, laceraſti. Quare, vir doctiſsime, cogita diligentius, quid te deceat, contemne multa, multa ſcribendo retice, nec arbitreris hoſtes omnes, qui aliquid in te reprehendant. Sunt plura alia, quæ libens prætereo, ne, & ſenem, & eruditiſsimũ docere voluiſſe videar. Cupio tamen prudentiſsime perficias, ne odia gliſcant; & ne ex paruis initijs creſcant in immenſum, occurrendum eſt manſuetudine. Nam ſtatim, & aduerſario obſtruitur os, & lectores mira voluptate demulcentur. Vt ſe mutuo Chriſtiani, chriſtiana charitate moneant, mirifice probo: ſed procacitates, & contumelias abhorrere prorſus ab ea, quam profitemur religione, clamo. O` miſera ſęcula noſtra, ſi doctrina, quæ cęleſte munus, & humani generis eſt decus, aut hæreſes nobis pariat, aut ſanctiſsima fędera, quibus vnuſquiſque in CHRISTO deuinctus eſt, diſiungat. χαίρετε γράμματα ſi hæc ſunt, citius raſtris, ac ligonibus cenſeam inſudandum. Quare obſecro te, vt finem, & mecum, & cum cęteris contendendi aliquando facias. Non ſunt è quauis cauſa iurgia excitanda. Non eſt tam famæ pertimeſcendum, vt ſi quis, uel parum honorifice noſtri memor fuit, uel de nobis prorſus conticuit, in diſcrimen adductum, aut profligatum ab eo nomen noſtrum arbitremur, nec cum falſis ſuſpicionibus, & animorum noſtrorum cogitationibus dimicandum. Chriſtiani hominis non eſt, ſi ſe iniuſtis criminibus putet eſſe petitum, eodem genere iniuriam ulciſci. Si placide mecum agere eſt animus: vltro amicitiam tuam amplector, & oſculor, tantumq; præter amicitiam honoris, ac cultus tibi exhibeo, quantum à me iuuene, tibi ſeni, Tyrone in Chriſtiana philoſophia, ueterano debetur. Ac ne quæri poſsis, diſcordiarum me principem fuiſſe, & ut eam, quam tibi prædico modeſtiam, & tu ad eam me inuitaſti, primus ſequar, hoc fine epiſtolam claudo. Vt tibi omnes, ſi quas intuliſti, iniurias, condono, ſic idem abs te peto, atque obſecro, ut ſi qua in re, uel in hac epiſtola, uel alibi, te nolens offendi, tum hoc ipſum uiciſsim condones, tum animo minime iniquo, & iniuriarum ſitibundo factum, interpreteris. Dominus IESVS CHRISTVS augeat gloriam tuam in hoc ſęculo, & in futuro. Vale. Datum Regij Lepidi. VIII. Calendas Auguſti, Anno à partu Virgineo. M. D. XXXI.

RESPONSIONIS AD ERASMVM FINIS.

RERVM MEMORABILIVM ET MATERIARVM PRAECIPVARVM IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM

[illegible]

RERVM MEMORABILIVM, ET MATERIARVM PRAECIPVARVM, IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM,

Locupletiſsimus Index, Foliorum numeris, ac marginalibus litteris accommodatus.

ABRAHAM *Chaldæus veteris Theologiæ hæres, quid viderit eiuſdem ætas.* 2.b,c
Abrahamus natus antea, quàm deceſſiſſet Noe. 1.d
Abſtinendo à vitijs aſſuefaciendus animus ad virtutes. 192.a
Abſurda, quæ æternitatem mundi conſequantur. 128.a
Abſurditas ex opinione de mundi æternitate. 105.c
Abſurditas, quæ conſequitur æternitatem muudi. 100.b
ex Abſurdo, abſurdius. 106.e
ex Abſurdo vno plura naſcuntur incommoda. 186.a
vbi eſt Abundantia, eſt obſeruantia rerum ſacrarum, quomodo. 211.a
Abuſus verbi. 18.d
Acmon & Mercurius philoſophi vetuſtiſſimi. 47.f
Actio animi. 172.f
Actio animi ſegregata à corpore. 128.d
Actio, Dei quæ. 72.d
quæ Actiones meliores. 207.e
Adam de cælo fugatus. 164.d
Adami ætas. 1.c
Adami lapſus & fuga è paradiſo. 185.d
Adam nobiliſſimus. 1.c
Adam quomodo creatus. 166.d
Adamus Deum & angelos viſibili forma vidit. 1.f
Aditus ad patrem nobis nullus, nia per mentem. 11.e
Adiutores non fuerunt dij in creatione. 167.a
Adraſtria ſcelerum vltrix. 203.b
Aegyptij edocti à Zoroaſtre. 20.e
Aegyptij, & Chaldæi conſtanter mundi creationem aſtruunt. 74.d
Aegyptij, omnium rerum principium ter acclamabant. 33.d
ab Aegyptijs præceptoribus Græca philoſophia profecta eſt. 114.d
Aegyptius Theuth. 29.f
Aenigmatis vtendum cenſet Plato ad arcendos imperitos. 76.c
Aer creatus. 118.d
Aerem dæmonibus aſſignatur natura à Deo non eſſe credendum. 150.d
Aeris vſus. 135.d
Aer non habet alia animalia quàm volucres. 150.f
cur Aer, ſedes dæmonum non liquet. 155.a
Aer vnde. 121.c
Aeſchilus de Deo. 44.e

ætas { *Abraham.* 2.b
Adam.
Mathuſalæ. 1.d
Noei. } 2.b

tres Aetates philoſophiæ. 1.f
Aeterna lux beatis. 56.d
Aeternitas αἰών. 56.b
Aeternitas Dei. 75.d
Aeternitas Dei, mundi creatio. 107.b
Aeternitas, Deo peculiaris. 102.b
Aeternitas, eſt deificatio quædam. 101.b
Aeternitas & tempus non idem. 130.f
Aeternitas mundi perinde execrabilis, vt mundorum infinitas. 102.a
Aeternitas mundi, ſcelus inexpiabile. 98.e
Aeternitas mundi tollit pietatem. 128.a
æternitas præterita non trahit futuram. 183.d
æternitas rerum, non eſt melior creatione rerum. 99.b
æternitatem aſtruere ijs, qui diſcernunt de ijs, tantum, quæ fiant in tẽpore, abſurdiſſ. & plane difficile. 102.d
æternitate mundi poſita tollitur pietas. 128.a
æternitatem mundi qui ſtatuerint. 102.f
æternitatem mundi ſequitur omnium virtutum euerſio. 105.f
ex æternitate mundi, nihil boni. 100.f
in æternitate, nihil maius, & minus. 54.d
æternitatis aſſertores quid velint. 100.d
æternitatis mundi primus aßertor Ariſtoteles. 127.e
æternitatem & Præterium, quid. 11.b
cælum, Aether, ab æterno curſu nomen habet ἀπὸ τοῦ ἀεὶ καὶ τὸ θεῖν. 103.c
æther, vt accipiatur ab Ariſtotel. 28.e
æuum Deorum, quod. 140.c
æuum & tempus, non idem. 116.f
affectionem vnam, & ſolam habet bonitatis, Deus. 75.f
affectioues, quid. 155.d
affectionem mouendarum vim habere dæmonas. 155.d
affirmatione melior negatio. 9.f

τὸ Ἀγαθὸν καὶ τὸν νοῦν, quid. 4.b
ea agenda quæ Deo grata. 189.f
agens intellectus & cauſa prima. 187.d
Ἀγγέλλειν in ſacris, idem quod ἑρμηνεύειν philoſophis. 150.c
Ἁγιώτατος ἰσαπόστολος à Græcis vocatus Conſtantinus quare. 212.c
agi cum mortuis melius quàm cum viuis. 132.f
Αἴτιος Platoni, quid. 5.c.e
alexandri Aphrodiſei error. 110.a
alexander Peripateticorum princeps, vnus è ſummis. 84.c
allegoriarum ſtudioſus Proclus. 145.d
ſola alteritate mentem à bono ſeparari, non ſubſtantia. 33.c
ambroſia, nectarque. 139.a
qui à Deo Amantur, aut qui odio habeantur. 89.c
amelius Platonicus. 27.d
amici, vt angeli, colendi, inimini, vt ferè placandi. 195.e
cur amicitia omnia læta faciat. 92.c
amicos ad amicos accedere facit Deus. 44.c
ammon & acmon, idem. 47.f
amor Deus. 78.d
amor dæmon. 78.d
amor, Chaos, Terra. 125.e
amor ante Chaos. 124.b
amoris vinculum in animalibus. 8.a
amor ſapiens & verus, qui. 126.c
amor, ſpirituſſanctus. 37.f
amor vnde naſcatur. 92.c
anaxagoras. 3.d
anaxagoræ ſententia. 16.b
anaxagoras νοῦν poſuit rerum principium ex veterum ſententia. 4.a
andronici imperatoris ſuper Eccleſiæ Romanæ principatum ac poteſtatem teſtimonium. 236.c
ἄνεμος, anima. 30.e
angeli, ab opifice Deo creati, ſed dicere quomodo, non eſt noſtræ facultatis. 54.a
angeli abſoluti & mundani, qui. 146.f
angeli appellati homines angelorum vitam æmulantes. 157.f
angeli boni & mali. 157.a
angelicarum poteſtatum nomina. 142.e
angeli creati ab vnitate. 48.e
angeli dæmones. 138.c
angeli, Dij minores. 54.c
angeli, dominationes, poteſtates, throni. 78.f
angeli, & archangeli. 55.f
angeli, & dæmones nomine non differunt. 148.e
angeli, exigua Dei portio. 58.d
angeli filij Dei vocantur. 138.d
angeli humana forma. 29.a
angeli inferiores à ſuperioribus non pendent tanquam cauſis & authoribus. 145.f
angeli intercedunt inter Deum, & homines, non dæmones. 151.b
angeli internuncij & interpretes. 151.c
angeli in terris viſi, quando. 152.e
angeli, media inter Deum, & homines natura. 137.b
angeli miniſtri Dei. 63.f
angeli minores quid accipiant à maioribus. 146.a
angeli nobis dati cuſtodes. 152.c
angeli non ſunt aerij, ſed cæleſtes. 150.e
angeli nuncij. 149.c
Angeli omnes creati à mente. 36.e
angeli omnes pendent ab vnitate. 37.c
angeli participes diuinæ virtutis, quomodo. 148.a
angeli peregrinorum forma diuerſati apud pios & innocentes viros. 142.a
angeli præfecti mundo. 82.e
angeli quomodo facti dæmones. 158.a
angeli ſacris litteris dicti, qui dæmones pagani. 149.c
angeli tanquam germina & propagines. 48.e
angeli viſi in acie pro ſuis dimicantes. 157.d
angeli vnifici coniunctores ductores. 144.b
angelorum appellationes. 7.e
angelorum bonorum officium eſt offerre preces hominum Deo. 151.a
angelorum duæ ſpecies. 6.f
angelorum officium. 144.b
angelorum, ſeu Deorum definitio. 152.c
angelorum tres hierarchiæ. 143.a
angelos bonos & malos eoſdem eſſe ſtatuerunt homines ſimilitudine decepti. 151.a
angelus & homo Dei imago. 6.f
angelus nationi præfectus. 163.c
angelus, officij nomen, non naturæ. 39.e
anglorum regnum ex antiquiſſimo tempore Eccleſiæ Romanæ fuiſſe veterum monumenta teſtantur. 237.e
anima actus corporis organici. 178.e
anima à Deo creata & Deo ſimilis. 167.d
animabus omnibus dominatur mens. 41.b
anima, cæli quid. 77.c.133.f
anima dijs finitima. 170.f
anima, ebria facta diuinitus. 175.b
de animæ procreatione. 91.b
animæ per aera volitantes dæmones. 154.f
animæ, quomodo ad Deum reuertantur. 186.e
animæ ſeparatio à corporeis illecebris. 172.a
anima, & mens differunt. 170.a
quot animæ, tot ſpecies animarum. 6.f
animæ vehiculum. 122.b
anima expers corruptionis. 46.f
anima extrinſecus adueniens. 168.e
neque anima fuit, neque chaos ante mundum. 133.f
anima humana ex ſubſtantia diuinore. 77.c
anima immortalis, quo argumento intelligitur. 178.c
animalia aerea. 77.a
animalia aeria inuiſibilia, dæmones putantur à Philone. 157.b
animalia in ſeminibus, quomodo. 120.a
animalia mitia. 135.a
animalia nata poſt creatam terram. 119.b
animalia omnis generis, naturam, id eſt Deum ſequuntur. 62.d
animalia perdurant ſpecie, non numero. 129.c
animalia perpetua, non ſecundum numerum, ſed ſpeciem. 168.b
animalia ſingula Deus armauit. 45.f
animalium vſus. 135.c
animal, quibus conſtat. 178.f
animal ſanctum homo. 166.b
de anima malefica Plutar. reprehenditur. 133.e
anima, mens, Bonum. 33.d
anima mentiformis, mens vniformis. 11.f
animam cur expetant dæmones. 160.a
animam effici puram, Dei cultu. 189.b
animam, liberam, ſuique iuris creauit Deus. 96.d
anima mundi, mens ſapientiaque perfecta. 59.c

de Anima mundi multorum ſententiæ. 31.d.e.f
Anima mundi. 30.f.40.d
Anima mundi ignea. 10.c
Anima non Deus, ſed opus æterni Dei. 174.f
Anima non eſt Deus, ſed opus Dei. 180.d
Anima, non fit deterior ob mortem. 179.e
Anima quibus conſtet. 6.f
An anima in omni mundi parte neceſſario exiſtat. 154.c
Anima rationalis & mundus, duo Templa Dei. 22.a
Animarum diſtributio. 169.b
Animarum origo, mens. 10.a
Animarum numerus, finitus, vel infinitus. 128.b
Animarum triplex ſortitio. 204.a
Animas particulares reuerti ad animam vniuerſi, dogma vetuſt. philoſoph. 186.d
Anima vniuerſi. 55.f
Animi à Deo creati è nihilo. 128.a
Animi à Deo creati, & cur eos de cælo lapſos in corpora creditum eſt. 164.c
Animi à Deo veniunt, & ad Deum redeunt. 186.e
an Animi æterni. 181.b
Animi beati contemplatione diuina. 194.c
Animi creatio à Deo. 74.b
ſi Animi decerpti à Deo, ergo & creati. 181.d
animi origo, & migratio. 172.f
animi origo cæleſtis. 171.f
animi radiationes. 147.f
animis longe plura videmus quam oculis. 25.d
animi ſunt mundo meliores. 127.f
animi ſuperceleſtes: & quod eorum munus. 139.f
de animorum beatitudine Senecæ verba. 173.c
animorum è corporibus exeuntium duæ viæ etiam apud Ciceronem. 199.c
animorum illuminator ſolus Deus. 187.e
de animorum tranſitu. 122.c
animos mori ſatius fuit ſi antea vixerint, quàm in hanc venire vitam. 184.f
animum aduerſari corpori. 180.a
animum non eſſe interitui obnoxium quomono probatur. 180.b
animus, auulſio à Deo. 176.e
animus contemplator mundi. 172.c
cur animus corpori colligatus. 178.b
animus mundi. 85.c
animus mundi, diuinus ſpiritus. 131.b
animus diuinus, non Deus. 182.b
animus non eſt tantum corporis harmonia. 180.a
animus noſter Deo ſimillimus. 23.d
vrgetur animus per abſurdas infinitates, vt finitum rerum ſtatum tandem agnoſcat. 101.e
animus per omnes mundi partes intentus, Deus. 53.a
animus, ſeparabilis, diuinus, deiformis. 174.a
animus vt expietur. 96.a
animorum infinita millia philoſophi temere poſuerunt. 108.e
annorum multitudo non adducit mundo ſenium. 206.c
ἄνθρωπος homo dictus quomodo. 166.b
antipater, de Deo, 91.a
antipodes eſſe, certiſſimum eſt. 102.d
antiqua Theologia de mente. 4.d
antiquus quid. 69.b
ἀόρατος θεοῦ λόγος. 9.c
apologia pro chriſtianis. 46.b
apollo Pythius vnde dictus. 161.f
apollo caco dæmon fuit. 161.c
inter apoſtolos quamuis æqualis fuerit poteſtas, Petro tamen eſſe caput ad quod omnia referuntur Deum decreuiſſe. 234.d.e
aqua principium rerum. 124.f
de aqua virgine in vrbem reuocanda. 245.e
Aragoniæ regnum eſt ſedis Apoſtolicæ. 238.d
aratus antiquiſſimus. 127.b
Aratus de Ione. 54.f
arbitrium liberum. 176.b
arcana Dei non ſunt ſcrutanda. 57.d
ab arcano Deo creati alij Dij, quid. 53.d
archangeli, & angeli. 157.d
archetypus animæ, mens. 8.d
architectus mundi vnus. 85.c
archytas de Deo. 47.b
argumenta Epicureorum, ad tollendam Dei prouidentiam. 111.b
argumentorum de mundi æternitate repetitio. 105.a
argumentum de mundi æternitate refellitur. 101.c
arguuntur chriſtianæ religionis reprehenſores. 37.b
in Ariſtotelem, qui motum infinitum ſtatuit, vt etiam Deum infinitum, & infinitæ potentiæ agnoſcat. 51.d
apud Ariſtotel. quædam particula veteris ſapientiæ. 51.a
Ariſtoteles. 3.d
Ariſtoteles, æternitatis mundi primns aſſertor. 127.e
Ariſtot. coactus eſt fateri vnum Deum. 48.f
ariſtoteles de Deo. 60.a
ariſtoteles diſſimulauit ſe vidiſſe libros veterum. 28.b
ariſtoteles & Plato, ratione, Seneca vero natura Deum faſſus eſt. 86.f
ariſtoteles & Plato, duo principes ſucceſſere primis philoſophis. 59.b
ariſtoteles ex ariſtoiele refutatur. 103.b
ariſtoteles hic nominat Deum vnum. 71.e
ariſtotel. homo doctus, ſed non æque bonus. 63.b
ariſtoteles reſipuit. 68.f
ariſtoteles Theologus. 72.c
ariſtot. veritatem fateri coactus. 81.e
ariſtot. vt viri docti ſolent, ſua mutauit. 62.f
ariſtotelis duplex error. 104.d
ariſtotel. error vnde manarit. 37.e
ariſtotelis flagitium, qui ſphæris cæleſtibus diuinitatem tribuerit. 139.
ariſtotel. metaphyſic. vt Deum definerit. 44.a
ariſtot. opinio de actione, & prouidentia Dei. 63.e
ariſtotelis opinio de mente. 4.a
ariſtotelis philoſophiæ epitoma. 62.e
ariſtotelis ratio ſophiſtica: 103.a
arriani diſiungebant mentem à Deo. 11.e
arrianorum error. 42.c
artemius, vir optimus teſtis oculatus ſigni, quod in cælo vidit Conſtantinus. 231.e
artes natas, & abolitas infinities, Platoni, quomodo intelligatur. 108.c
artifex mirabilis, Deus. 75.d
artifex optimus, Deus. 59.d
aſcendendum ad primum, & altiſſimum. 16.a
primus aſcenſus ad mentem debet eſſe, vt ad bonum perueniatur. 13.f
aſcititia cæli diuinitas. 73.e
aſclepius de Deo. 47.e
aſſuefaciendus animus ad virtutes, quomodo. 192.a
aſtra, Dij. 78.d
aſtra in numero Deorum habet Plato. 76.b

Aſtra non peritura nonnulli putarunt. 205.c
Aſtra non ſunt Dij, quod nos viuere faciant, & ſuſtineant. 78.a
Aſtra pro Dijs habita, veteribus. 137.c
Aſtrorum fabuloſa diuinitas. 138.b
qui aſtruxerint mundi creationem. 111.d
A te Homerica, eſt Satanas. 163.b
Athanaſii teſtimonium de ſedis Romanæ principatu. 227.e
Athenagoræ philoſophi Chriſtiani ſimilitudo. 36.d
Atlantis inſula demerſa nimbis ingentibus, Platoni, quod intelligendum de diluuio quod fuit Noei tempore. 109.c
Attributa Dei. 96.e
Attributa mentis diuinæ. 7.f
Audacia Ariſtotelis notatur. 129.a
Auerroes, auctor impius, & barbarus. 163.c
Aucta in religione totum regnum amplificatur. 213.a
Auicennæ error. 41.f
auguſti genus alacrior Antonij genio. 163.c
Auguſtus Octauius, quos anno imperarit. 18.c
Auctor rerum omnium, Deus. 74.f
Autor & cuſtos idem, mundi. 88.b
Autoritas mentis, quid. 9.a
Autoritas veterum philoſophorum frangere debet ineptias iuniorum & recentium. 116.e
Authorum profanorum teſtimonijs vera Moſis doctrina colligitur. 114.b
αὐτοκράτωρ. 4.f
αὐτοφανὴς, Deus. 57.c

B

BAlaham bona prædixit & tamen ſceleſtus. 161.f
Balaham Magus. 3.d
Balaham vaticinatus. 165.f
de Baptiſmo Conſtantini à Beato Syluestro teſtimonium Theophanis. 233.b
Baptiſma Conſtantinum non diſtuliſſe vſque ad vltimam vitæ metam. 232.e
quem Baptiſmum Conſtantini quidam dixerunt in extremo vitæ lumine fuiſſe potius balneum aquarum calidarum recuperandæ valetudinis ergo. 233.a
Baptiſmus Conſtautini per Syluestrum à Nicolao probatur. 231.d
Barbari Græcis vetuſtiores. 117.e
Barbari qui, & à quibus nuncupati. 27.e
à Barbaris ad Græcos ſapientia dimanauit. 2.c
à Barbaris ad Græcos venit philoſophia. 76.d
Beatæ vitæ ruina, mundi æternitas. 100.d
Beata mens contemplando. 140.c
an Beati aliquando fuerint dæmones, & quod tantum flagitium admiſerint, vt damnari meruerint. 162.a
Beati dij, quomodo. 140.c
Beati dij, qui, & quo loco. 139.f
Beati in hac vita, qui. 204.a
Beatiores non ſunt improbi, quanquam diuites. 112.d
Beati poſt exceſſum, qui. 201.f
Beati, qui. 190.b
quinam Beatiſſimus, reſponſ. Anaxag. 193.f
Beatitudinis animorum deſcriptio. 173.b
Beatitudinis cæleſtis deſcriptio. 203.e
Beatitudo cæleſtis, quæ. 139.d
Beatitudo cælicolarum quæ. 68.b
Beatitudo diuinam pulchritudinem immitari. 198
Beatitudo non eſt compoſiti. 169.e
Beatitudo nulla verſari inter aſtra. 186.a
Beatitudo perfecta in animo cognoſcente. 169.f
Beatitudo quid. 140.d
Beatitudo quid, Ariſtoteli. 128.a
Beatitudo ſita iu mentis actione. 128.a
Beatus quis. 195.b
Bellorum ciuilium reſtincto incendio natus Chriſtus. 18.a
Belluæ duæ in nobis, furor & cupiditas. 192.b
Bellum veritati intulerunt Epicurei. 111.c
Bene agere, magis ex philoſophia eſt, quam bene loqui. 192.b
Benedictio in ſemine. 176.a
Beneficium dare, eſt Deum immitari. 87.c
non licet Bene quid fieri, niſi ad regulam diuinam referatur. 189.a
Beneuolentia diuina, ex creatione mundi cognita. 102.c
Beſſarij Cardinalis laus. 41.e
Beſtiarum anima mortalis. 168.b
Boemiæ vectigal pendet Aſtoſtolicæ ſedi. 238.e
Bona bonis; at eadem malis mala cenſenda. 196.c
Bona cuncta præſtari à Deo. 73.b
Bona, & Omnia idem. 32.c
Bona omnia à Deo. 97.e
Bona noſtra, non eadem ſemper. 136.a
Bona, quæ putantur, ſæpe deprauant, & contra mala, vt calamitates, reddunt hominem meliorem. 110.d
Bona, quę vulgo putantur. 196.b
Boni dæmones Angeli. 147.b
non Boni dæmones, quia incorruptibiles. 154.b
Boni, & improbi, poſt mortem, quomodo rationem reddant. 201.e
Boniforma exiſtentia. 39.b
Boni, ſunt amici Dijs. 92.f
Sonitas creatoris, amor. 124.b
Bonitas Dei, creationis mundi cauſa. 110.a
Bonitas Dei maior quam hominum. 134.d
Bonitas Dei mundi genitrix. 80.d
Bonitas Dei ſingularis à rebus in infinitum coniuncta. 105.f
vna Bonitas, ſimplexque vnitas. 38.c
Bonitatem ſuam clariorem fecit Deus in malorum, & improborum promiſcua cum bonis creatione. 112.c
idea Boni, vt a Platone deſcribatur. 79.d
ab ipſo ſummo Bono, Mens. 11.d
Bonorum angelorum officium eſt offerre preces hominum Deo. 151.a
Bonorum remuneratio. 140.d
Bonorum remuneratio hac in vita non fit omnibus. 99.f
Bonorum ſedes, & malorum diſtinctæ. 200.a
Bonos affici malo cur patitur Deus. 86.d
Bonum, & pulchrum, idem. 126.e
Bonum, & vnitas. 37.a
Bonum, eſt maius cognitione ipſa. 79.f
Bonum eſt vltra ſubſtantiam. 13.d
Bonum fons & principium pulchri. 14.a
Bonum maximum in vita rationali. 169.f
Bonum, Mens, Anima. 33.e
Bonum, pater. 4.a
vt ad Bonum perueniatur, primus gradus ad mentem facien-

faciendus. 13.f
Bonum principium rerum. 95.f
Bonus minime fallax neque præſtigiator. 153.d
Bonus niſi vnus. 2.d
Bonus, nulla perturbatione tangitur. 195.f
Bonus, ſolus Deus. 5.f
Bonus, tempore tantum a Deo differt. 87.b

C

Cacodæmonis commentum, & illuſio. 161.a
Cæcitas ea eſt humana, vt quod putat honore afficere, contaminet. 105.e
cæleſtes dij, qui. 153.a
cælicolæ dij verè beati. 138.e
cælicolæ horrent & lætantur numen Dei. 58.a
cæli diuinitas, eſt Barborum ſuperſtitio. 137.e
de cæli materia opinio Empedoclis. 103.e
cæli & terræ generatio. 9.c
cæli nomine, quid. 29.b
à Cælo anima demiſſa. 168.e
ex cælo duo hominibus vtilia, lumen & calor. 32.c
de cælo, ſententiæ. 103.e
cælum Dei domicilium. 63.d
cælum diuinitatis locus. 56.b
cælum frabricatum. 108.b
cælum non eſt Deus, aut ſi ſit ea diuinitas creata dici debet. 77.f
cælum, non eſt illa quinta natura de qua Ariſtoteles. 104.a
ante cælum, non fuit tempus. 103.c
cælum peribit, cùm erit cæli vſus inutilis. 206.d
cælum plenum diuinorum corporum, Ariſtoteli. 61.a
cælum, pro aere. 154.f
cælum propter homines factum. 101.b
cælum propter motum ſuum abmirabilem non eſt Deus appellandus. 82.d
cælum quid apud Ariſtotelem. 139.c
calamitates æternæ, ſi mundus æternus. 132.e
calcidius Platonicus. 40.c
callimachus de Deo. 44.c
calumniæ de Conſtantino à Iuliano imperatore profectæ diſſoluuntur. 231.e
campi. 135.a
canes terreſtres dæmones. 155.e
canis Aegyptiorum, Deus. 78.d
caput Eccleſiarum, vt ſit neceſſe eſt, ad quod totius religionis ſumma redigatur. 211.d
ſi is, qui caput eſt religionis ipſam non tueatur, alij non tuebuntur, quare. 210.e
caput religionis eſſe S. Petrum Cypriani teſtimonio probatur. 234.d
carnifices impiorum, dæmones. 159.c
carnis oſſium, neruorum fabrica. 167.c
caroli Magni teſtimonium in lib. de magnib. de maieſtate ac principatu Eccleſiæ Romanæ. 226.b
multis caſibus, varijſque res ſæpè mutatæ. 108.d
de caſu dæmonum, paganorum ſententia. 163.a
cauernæ. 135.a
altera cauſa cur quidam errauerint ferentes Conſtantinum fuiſſe iu extremo vitæ limine ab hæreticis baptizatum. 232.f
quam cauſam finalem lucis afferat Moſes. 82.c
cauſa, quæ creauit omnia, Deus. 24.b
cepha quid ſignificet. 221.d
Cerberus quinam dæmon. 155.f
Chaldæi, & Aegyptij, conſtanter mundi creationem aſtruunt. 74.d
Caldæi, & Hebrai, ſoli ſapientes. 17.d
Chaldæi primi homines. 3.c
de Chao Heſiodi fabula. 2.e
Chaos apud Platonem. 133.f
Chaos modificatum à mente. 4.a
Chaos, mundi naſcentis initium. 123.f
Chaos, neque fuit, neque anima ante mundum. 133.f
Chaos ordinem anteceſſit. 27.e
Chaos, quid & vnde. 120.b.f.126.b 127.a.
per Chaos, quid intelligendum. 124.f
Chaos terra, ὕλη. 9.b
Charit as non ficta, maximum bonum. 195.c
charitas parentum. 136.d
charitas quid. 195.d
chriſti ad nos aduentus. 199.f
chriſtianæ theologiæ ſumma. 15.a
chriſtiana religio, quomodo verior. 189.e
chriſtianorum nomen inuiſum philoſophis. 96.e
chriſtianorum philoſophia, ſola vera dignaque ſapientiæ nomine. 3.a
chriſtianum à puero cum patre Conſtantio non fuiſſe Conſtantinum. 230.f
qui Chriſto donat non ſua, ſed quæ Chriſti ſunt, Donat. 212.e
de Chriſto ſolo verè intelligenda fuerant, quæ de Pollionis filio male prædixerat Vergilius. 18.b
chriſtus imago Dei inuiſibilis. 80.a
chriſtus, paulo poſt Ciceronis mortem natus. 17.f
chriſtus ſeruator ſapientiam pene deletam reſtituit. 164.c
chryſoſtomus de principatu Petro à Chriſto tradito ſimilem cum reliquis fert ſententiam. 234.c
cicero eloquentiæ, & philoſophiæ princeps. 141.e
Cicero inconſtans. 141.d
cicero, quamuis ſuperſtitionibus numeroſus, tamen Deum vnum ſæpè confeſſus eſt. 85.a
cicero, quo tempore ſcripſerit libros de Diuinatione. 17.f
cicero, ſæpè, iuxta vulgi conſuetudinem Deos nominauit. 85.b
cleanthes de Deo. 48.b
de Clericis quos Imperator ſuo edicto adornauerit. 218.c.d
cogitare & intelligere proprium hominis. 164.f
cogitatio Dei, quàm efficax. 166.d
cogitationes poſteriores, meliores. 63.a
cognitio Dei, finis omnis philoſophiæ. 189.b
in cognitione Dei magna iucunditas. 93.a
modeſte colendum Deum. 197.a
colendus Deus ſilentio, puriſque cogitationibus. 95.c
commenta Procli de Deo. 144.c
nihil commentitium de Deo affertur à Platone, & Aegyptiis. 24.a
commentum de anima mudi improbatur. 31.c
longe maiora commoda erant prouentura ex Conſtant. liberalitate, quàm mala. 213.d
commoditas fontium. 135.a
nihil tam commodum, quin incommodum videri poſſit. 134.f
nihil commune Deo, & dæmoni. 159.e

Communio bonorum ſub Apoſtolis. 195.d
Comparatio Dei cum Sole. 48.b
Comparationes præclaræ, ad ſignificandam Dei potentiam. 62.c
Comparatio pulchra. 80.a
Comparatur Deus potentiſſimus cum potenti rege Xerxe. 61.d
Concilia non debere abſque Romani pontificis ſententia celebrari. 227.c
Conciliantur Proclus Platoneus, & Pſellus Chriſtianus. 6.f
Conciliatio doctrinæ Chriſtianæ cum oraculo Sibyllino. 17.a
Conciliatio loci D. Ioannis cum Procli verbis de mente Dei. 11.e
Conciliatio Triſmegiſti cum Plotino. 31.c
Conciliat Philonem cum Mercurio Triſmegiſtus. 7.c
conciliatio philoſophiæ Plotini cum ſacra D. Ioannis Theologia. 15.f
concordia apud omnes gentes in vera Dei cognitione. 7.f
conditiones corporum non ſunt ad animos tranferendæ. 183.b
confeſſio Conſtantini eadem quam in Synodo Nicena expreſſit. 212.b.c
confeſſio Conſtantini nthil aliud quàm hiſtoriæ Sylueſtri relatio. 223.c
confeſio Conſtantini quid tractet. 217.b
confeſſio cum edicto Conſtantini ex peruetuſtis, ac plurimis Græcorum exemplaribus. 224.a
confeſſio, locus in templo beati Petri cur ſic dictus. 220.f
conflagrationes tantæ non fuerunt, vt iactabant Aegyptij. 109.a
quare confugere coacta ſit eccleſia romana ad reges Francorum. 239.c.d
non confudendæ perſonæ in Trinitate. 40.a
coniunctio genitoris & geniti. 12.e
coniunctio maxima ex maxima perfectione. 13.d
conſanguinitas hominum cum Dijs. 174.c
ſibi bene conſcij, mortem non horrent. 200.d
conſenſus hominum. 173.c
conſenſus Theologiæ Moſis, & Triſmegiſti. 118.c
conſeruatio mundi eſt à Deo. 60.f.
conſideratio filij, nos ducit ad Patris conſiderationem. 15.e
è conſideratione hominis, admiratio cultuſque creatoris. 98.f
in omni re conſiderandum num commodum præſtet incommodo. 213.e
conſilio non caſu membra humana facta. 134.c
conſilium Dei in rerum molitione. 112.a
conſolatio pulcherrima de morte fratris. 172.d
conſtantia martyrum, vnde. 198.d
Conſtantini ardentiſſima pietas. 212.e
conſtantini Dantis, & Sylueſtri accipientis conſenſus menſque vna. 213.c
conſtantini facto Reſpub. felicior reddita. 213.b
à conſtantino regnum eccleſiæ veniſſe. 211.e
quæcunque conſtantinus de ſumma Petri maieſtate ſanxit conſona ſunt concilio Niceno. 230.e
conſtantinus à Sylueſtro baptizatus. 231.e
conſtantinum non diſtuliſſe baptiſmum vſque ad vltimam vitæ metam. 232.e
conſtantinus conſtantini magni filius ab Arriani baptizatus denuo ab Euſebio Nicomedienſi rebaptizatus. 233.a
conſtantinus primus Romanorum imperatorum religionem Chriſtianam ſuſcepit. 231.e
Conſtantinus filius, ſupremo vitæ tempore baptizatus. 232.f
conſtitutio Conſtantini religioni principis teſtimonio Nicolai probata. 217.c
conſtitutiones Melchadi conceſſas fictas eſſe ab Arrianis. 233.c
conſtituit atque ordinauit omnia mens. 14.b
contemnere diuitias iubemur non, quæ Deo ſacrantur. 213.f
contemplatio, beatitudo, Nectar, Voluptas idem. 68.e
contemplatio Dei, quæ. 140.c
contemplatio, & εὐδαιμονία, idem. 68.c
non omnis Contemplatio eſt felicitas, ſed tantum Dei cognitio. 194.a
contemplatio eſt propter finem, nempe Deum. 193.b
contemplatio finis philoſophiæ, & quomodo. 193.a
contemplatio, magnum negotium in philoſophia. 129.b
à contemplatione rerum ſcientiæ primordium 1.f
contemplationes noſtræ plerunque fallaces. 169.e
contemplatio ſola digna Deorum vita. 140.a
contemplatio, ſtabilis eſt Dei voluptas. 68.d
contemptis ſacerdotibus contemnitur Deus. 211.a
continet omnia Deus quomodo. 9.a
contradicendi libidine cæcutit Simplicius. 113.e
contradictio in Ariſtotelis doctrina de mundi æternitate. 158.e
contradictio Platonis. 77.a
controuerſia quæ in hiſtoria Sylueſtri rebuſque geſtis conſtantini, diſſoluuntur. 221.e
copia rerum inſolentiam parit. 135.c
cornutus de Chao & amore. 126.a
corona ſacerdotalis quid. 220.a
corpora demonibus tributa Platonicis. 150.b
corpora dæmonum. 154.b
corporea omnia diſſolubilia. 183.b
corporeo nomine, res diuina declarata. 21.f
corporis & fortunæ bona, quæ. 197.b
corporis humani & mutorum animalium differentiæ. 136.d
corporis humani ſtructura, qualis. 165.e.167.c.171.c
corpus æthereũ non diſſolui nec ſenio contabeſcere. 206.c
corpus, animi carcer. 172.a
corpus beati Petri eſſe vbi eccleſiam condidit Imperator, in templo Apollinis, aut iuxta. 220.c
corpus è terreſtri materia. 165.e
nullum corpus extra cælum. 139.d
corpus mortale. 166.d
corpus humanum affectibus malis mancipatum a dæmone occupatur. 155.c
corpus mortale hominis, non homo ipſe, id eſt mens. 180.d
corpus nos auocat à philoſophando. 192.c
corpus odiſſe par eſt eum qui ſe verè amare volet. 193.e
corpus, vel mane, non habent continendi vim. 51.e
corruptioni obnoxium mundum facit Plato. 108.a
κόσμος, & διακοσμοῦσα, quid. 5.b
crater, liber Triſmegiſti. 122.a
quotidie creari animos quam ſimul omnes, rationi magis congruum. 186.b
creari, & naſci philoſophis idem. 56.f
creata omnia Deo. 81.f
omnia creata a Deo plena pulchritudinis. 89.b

ab vno creata omnia. 53.d
creata omnia à Deo, cur. 86.f
non creat Deus, perenniter. 105.e
creatio anima, radiatio. 175.d
creatio animi à Deo. 74.b
creatio cognitio, quid præſtet. 98.f
in creatione Dij non fuerunt adiutores. 167.a
creatio duplex, ſenſibilis & intelligibilis. 41.b
creatio & ordo rerum. 120.c
creatio, & pulchritudo rerum cęleſtium, quæ. 78.b
creatio humana trahit etiam vna ſecum creationem cęterorum. 131.f
creatio mundi. 14.c
creatio mundi à Deo, quæ & quomodo. 107.d
creatio mundi à vetuſtis confeſſa. 116.c
creatio mundi triplici firmata ratione. 114.c
de creatione cęli maiorum conſenſus. 103.f
à creatione dæmonis ad peccatum non fuit ſpatium. 162.d
ex creatione, minime ſequitur in Deo mutatio. 106.b
creationem mundi confeſſi ſunt phiſici. 126.f
de creatione mundi, & eius principio Plutarchi locus. 116.c
creationem in Deo æternam dum ſtatuit Proclus, Deum neceßtati, & impotentiæ alligauit. 105.f
creationem mundi, maiores tradiderunt. 29.c
de creatione mundi non loquuti Græci, niſi poſt Triſmegiſtum. 122.a
creationem mundi, qui aſtruxerint. 111.d
de creatione mundi, veterum opinio. 30.b
ex creatione, quæ nata bona. 98.f
in creatione vera Dei bonitas. 134.d
creationis mundi cauſa, Dei bonitas. 110.a
creatio rerum, vt cognoſcatur. 30.d
creatio viſibilis, & inuiſibilis. 6.d
de creato mundo Platonis autoritas. 104.f
creatores duo, velut vnus. 41.e
creatori nihil placere donec peruenerimus ad recordationem ſacrorum ſignorum, & gratias egerimus. 6.f
creator omnium Deus, & angelorum. 143.d
creator vnus, vt veritas vna. 97.f
creator viſibilium, & inuiſibilium, Deus. 53.c
creatum cęlum ſtatuerunt quique ſtatuerint. 103.a
credendum ſenibus vult Ariſtoteles. 76.d
idem credidiße omnes, duobus argumentis oſtenditur. 2.a
crimen ſæpe confertur in inſtrumenta non in eos qui ijſdem abutuntur. 112.a
croatiæ, & Dalmatiæ regnum Eccleſiæ Romanæ eſſe, ex regiſtris Gregorij probatur. 238.b
tametſi crucem in cęlo conſpicatus eſſet Conſtantinus, nondum tamen perfecte Chriſtianus. 232.d
cruciatus improborum poſt vitam. 204.c
cultus Dei finis philoſophiæ. 131.f
cultus Dei quid hac in vita præſtet. 195.f
cultus Dei primus eſſet debet. 90.e
cuncta, quæ pater habet, & mens habet. 15.d
cuncta ſunt a Deo, & per eum, & ab ipſo, & peripſum. 183.a
cuſtodia hominum non eſt à Dijs data, ſed a Deo. 157.b
cyprianus de cathedra Petri. 234.b
De cyrilli locus. 14.f.31.d
cyrillus de anima mundi. 31.d

D

Dæmones nidore ſacrificiorum delectari. 156.e
Dæmonas præfici hominibus ex Platone. 151.e
Dæmon auctor ſcelerum. 159.b
Dæmones ad quid facti, iuxta Chriſipnm. 191.a
Dæmones, aeria animalia. 154.f
Dæmones aerij, & terrei. 155.c.163.e
Dæmones alij nequiores alijs. 158.c
Dæmones angeli. 138.c
Dæmones an aliquando beati fuerint, & quod tantum flagitium admiſerint vt damnari meruerint. 162.a
Dæmones boni, & mali. 158.c
Dæmones boni & mali, philoſophis agniti. 149.d
Dæmones creatori rebelles. 162.d
Dæmones, cur genus aerium. 163.a.
Dæmones cur putandi ſunt aerij. 150.f
Dæmones, cuſtodes hominum. 148.e
Dæmones damnati cur, & quomodo. 162.e
Dæmones eſſe & quales. 154.d
Dæmones, & angeli nomine non differunt. 148.e
Dæmones ex aduerſo opponi Deo. 159.d
Dæmones hominibus præcellentiores. 157.f
Dæmones horribiles, & carnifices. 201.c
Dæmones illuſores. 156.a
Dæmones immundi. 156.e
Dæmones mali. 92.b
Dæmones mendaces. 153.c
Dæmones, miniſtri, & carnifices à Deo conſtituti. 160.a
Dæmones non ſunt beati, & cur. 151.d
Dæmones occupare corpus humanum affectibus malis mancipatum. 155.f
Dæmones, omnium conſenſu, mali. 153.f
Dæmonum oraculum de Deo vero, vnoque. 55.a
Dæmones poetici, qui. 152.f
Dæmones praui, a ſua dignitate deiecti. 150.c
Dæmones puri ſpiritus, ſed corporei aliquantulum. 155.b
Dæmones qua conditione ſortiti ſunt res humanas. 152.b
Dæmones, qui. 53.f
Dæmones, ſacrificijs delectantur. 159.c
Dæmones ſceleſtiſſimi. 153.d
Dæmones ſcelerum dant pęnas. 158.f
Dæmones ſuam ipſius naturam deprauarunt, alij à Deo creati. 159.e
Dæmones terreſtres, natura mendaces. 155.b
Dæmones vagantur per omnia. 160.b
Dæmones vnde dicti, & qui dæmones habiti. 148.c
Dæmon homicida ab initio. 162.e
de Dæmonibus, Pſellus. 6.c
de Dæmonibus ſi quid factum, id ponderandum ad maiorum veritatem. 156.a
Dæmon inuidit homini. 162.d
Dęmonis rogari reſponſum, quid Deus. 57.a
Dæmonis vocabuli deductio è lingua hebraica. 148.c
Dæmonum Socratis, Deus. 78.d
Δαίμων quaſi δαημον, D. Auguſt. de ciuit. Dei. 54.e
Dæmon, quid calcidio. 163.e
Dæmon, rerum abſtruſarum declarator. 58.b
Dæmon, ſcelerum princeps. 156.
Dęmon, ſiue angelus dux hominis. 157.a
Dæmon tenebrarum, & inſcitiæ nomine nuncupatus. 159.b

Dęmon vaticinatus de ſuo interitu. 58.a
Dæmon, vis vniuerſalis. 149.a
Damaſcius de Deo. 49.b
Damaſcius Platonicus. 33.d
Damnati dæmones cur & quomodo. 162.e
Danorum regum peculium & vectigal Romanæ eccleſiæ. 237.f
omnia dat, Deus bonus, nihil accipit. 81.b
Decreta Magorum ſparſa in philoſophiam Pithagoreorum & Platonis. 20.f
Decreta punitio à lege tanquam à Deo. 71.b
Decretis veterum philoſophorum confirmari Chriſtianam religionem. 190.a
Decreto Conſtantini omnis Græcia reuerenter aſſurgit, ipſum adorat. 211.f
Decretum aut edictum Conſtantini in Italia litteris vetuſtiſſimis Longobardorum ſcriptum reperitur. 226.a
non eſt defenſio ſine poteſtate. 210.f
vt definiatur Deus ab Ariſtotele. 59.f
Definitio dæmonum ex Ariſt. & Plat. 154.b
Definitio Deorum, ſeu angelorum. 152.a
Definitio Idearum ex Dionyſio. 10.d
Definitio pulcherrima de Deo. 52.f
Dei bellaces Homerici. 44.c
Dei bona permanentia. 136.a
Dei corpus, non eſt mundus. 88.b
Dei cùm Sole comparatio. 48.b
Deificari mundum, nefas fuit. 129.a
Deificatio cœli, barbara ſuperſtitio. 104.c
Dei filius πρωτότυπος. 23.c
Dei naturalis æternitas. 102.c
Dei nomina varia. 120.c
Dei patris deſcriptio. 36.e
Dei verbum, mundus intelligibilis. 26.e
Dei vocabulum multis dici modis. 147.d
Delectantur dij rebus optimis & ſui ſimillimis. 140.b
Deliria philoſophorum in ijs ſtatuendis quæ non intelligunt. 115.e
Dementia Laurentij notatur. 212.e
Δημιουργός, Deus. 74.f
Democriti ſententia de Deo. 10.c
Deo acceptiſſimus, quis. 64.e
de Deo antiqua fama. 28.f
à Deo creata intelligentia. 74.c
à Deo creata omnia. 81.f.86.f
à Deo creata omnia plena pulchritudinis. 89.b
à Deo cuncta bona præſtari. 73.b
à Deo, Deos creatos. 64.c
ex Deo, & per Deum nobis omnia. 61.a
de Deo magnificè locuti, etiam religionis diuinæ imperiti. 12.b
Deo naturale eſt æternum eſſe, vt mundo principium habuiſſe. 107.c.111.f
in Deo omnia perfectiſſima. 50.f
Deo parendum, natura docente. 69.e
Deo præclara eulogia. 16.c
à Deo pulcherrima quæque perfecta. 92.e
Deos ob ambulare vrbes. 142.c
de Deo quanquam aliquid dixeris, non tamen cum dixeris quem perfecte cogitare non potes. 97.b
Deorum duo genera apud Platonem. 74.e.75.c.138.a
Deorum duo genera νοητοὶ καὶ νοεροὶ, intellecti, & intelligentes. 35.b
Deorum eſca & lux quid. 148.b
Deorum nullus hoſtis homini. 153.e
Deorum tria genera Ariſtoteli. 73.d
Deorum tria genera in veteri philoſophia. 137.d
de Deo ſanctóque ſpiritu opiniones. 30.e.f
Deos appellare aſtra, barbara ſuperſtitio. 59.f
Deos curare res humanas conſentaneum. 64.e
in Deo, ſempiterna poteſtas, ſapientia, beatitudo. 47.e
Deo ſimilis Mens. 11.f
nullos Deos putarunt philoſophi, præter aſtra. 107.e
Deo trino ſobijciuntur poteſtates omnes miniſtræ. 40.f
cum Deo vnita mens. 11.f
Deſcenſus annorum. 168.d
Deſcriptio Dei pulcherrima. 62.a
Deſcriptio Idearum, & quæ earum ratio. 10.d
Deſcriptio Platonis conciliatur per partes cum D. Ioannis loco apocalypſeos. 202.c.d
pulchra Deſcriptio verbi. 19.f
Deum amicos facere. 83.c
Deum cum materia miſtum abſurdum eſt dicere. 89.e
Deum cuncta ponderibus, & menſuris feciſſe. 91.d
Deum eſſe, quid cogat confiteri. 85.d
fateri Deum eße, quid maxime cogit. 88.f
Deum facere ex homine. 297.f
Deum, ignorari ab homine nefas. 43.f
Deum immitare. 90.a
Deum inuocari ab eo, qui ſit de rebus diuinis diſputaturus vult Plato. 78.a
Deum laudari ab homine par eſt. 177.c
Deum nihil latet. 57.d
Deum non debere ea eſſe conditione, & ſorte, vt nos. 102.e
Deum rebus adeſſe moderatorem, quàm eas non curare. 110.b
Deum remunerari probos. 65.e
Deum ſequi, vera philoſophia. 189.a
Deum ſingularem, quomodo deprehenderint philoſophi. 59.c
Deum vnum hic nominat Ariſtoteles. 71.e
Deus ab æterno ſolus: Dij vero, id eſt animi diuiniores creati. 53.c
Deus, acerrimi oculi eſt. 23.a
Deus ad vindictam tardus. 90.b
Deus Aeternitas. 131.a
ſolus Deus æternus. 183.f
Deus anima mundi. 186.e
Deus, animus per omnes mundi partes intentus. 53.a
Deus, auctor rerum omnium. 74.f
Deus αὐτοφυής. 75.d
Deus beatus ex ſeipſo. 147.c
Deus, bonos amat, & affligit. 87.c
Deus bonus, & boni cauſa. 80.c
Deus, cauſa, finis, meta rerum omnium. 97.a
Deus, Cauſa quæ creauit omnia. 24.b
Deus Coryphæus. 61.f
Deus, Creator, Spiritus, Sapientia, Moſi. 82.a
Deus cum ſe in conſpectum daret, venerabilis ac terribilis occurrebat, quare. 211.a
Deus cum ſole comparatus. 146.d
Deus cur permiſerit edi oracula per malos ſpiritus. 161.e
deus, Dæmonium, 149.b
deus deorum. 78.e
Deus δημιουργὸς. 74.f
Deus, ens dactus tribus teſtimonijs. 50.a
Deus ens ὁ ὢν 25.d
Deus eſt, & quidem æternæ. 50.c
Deus eſt, fuit, & ſemper erit. 52.c
Deus, eſt per quem viuimus. 62.d

Deus eſt ſolum ipſum bonum. 81.b
Deus eſt ſumma natura. 21.e
Deus eſt vbique. 59.e
Deus, & idea non ſunt duo principia. 16.e
Deus, & infinitum, idem Ariſtoteli. 51.c
Deus, & materia, duo principia rerum omnium. 24.c
deus, & natura, cur coniunctim nominentur. 84.e
deus, & natura, duo principia rerum. 8.d
deus & natura, idem. 59.d
deus, & natura, meliora faciunt. 128.f
deus, & natura nihil agunt fruſtra. 59.d.86.f
vnus Deus, & ſolus æternus. 54.e
deus ex operibus claret. 48.b,166.a
deus extra tempus. 97.d
deus exuperat omnem ſcientiam. 83.f
Deus, Fatum, Prouidentia, Natura, Mundus, Iupiter. 87.e
deus, filius ac proles Dei. 82.b
deus habet poteſtatem euertendi mundi. 57.b
deus hominibus præfectus, vt ſuperior, & melior. 73.d
deus hominumque deumque pater Homero appellatus. 142.a
deus hoſpitalis. 138.f
deus, Idea idearum. 80.
deus ille qui eſt. 47.a
deus Imperator. 69.b
deus, immenſæ ſcientiæ, ſapientiæ, potentiæ. 51.e
deus ineffabilis. 78.f
deus inenarrabilis, & inueſtigabilis. 76.b
deus ingentia curat, parua fortunæ relinquit. 90.c
deus initiationum, & myſteriorum princeps. 22.b
deus, ipſe ſibi obiectum felicitatis. 68.a
deus, ipſum ens, & ipſa infinitas. 49.e
deus irradiat omnes angelorum ordines. 144.f
deus iuſtus, ſed moderatè. 58.b
Quid Deus, iuxta Senecam. 84.e
deus, largitor rerum bonarum. 66.f
deus, lex & ordo vniuerſi. 70.c
deus, lux, ardor. 159.b
deus maior omni mundo. 117.a
deus maxima mundi pars, vt intelligatur. 88.a
deus maximus ac ſingularis. 54.c
deus Mens, Cauſa, Opifex, Platoni. 82.a
Deus Mens, & ratio. 8.d
deus, minime ocioſus. 106.f
deus mirabilis artifex. 75.d
deus, mundi & ordinis autor. 130.b
deus mundum non diruet, ſed renouabit. 207.d
Deus, naturaliter æternus, mundus verò creatus. 107.b
deus, natura vis rectrix. 69.d
deus, neceſſario vnus, & niſi ſit vnus, ne quidem eſſe Deus poteſt. 49.a
deus, non eſt anima cœli. 105.d
deus non eſt iniuſtus. 67.b
deus non eſt mali cauſa. 80.d.159.f
deus non fecit mundum ſui cauſa. 141.e
deus non inuidit ſapientiam mortalibus. 65.b
deus, non modo bonorum, ſed & malorum cauſa mundum creauit, & cur. 112.b
deus, non ſolus intellectus agens, ſed primus. 179.a
deus nunquam celauit ſuam diuinitatem ac benignitatem. 13.e
deus nunquam ocioſus, in æterna nempe contemplatione ſui, quæ eſt actio perfectiſſima. 111.c
deus omnia bona poſſidet, & ſeipſum contemplatur. 66.d
Deus omnia continet, quomodo. 9.a
deus omnia creat, ordinat, & conſeruat ſine labore. 61.c
deus omnia poteſt. 182.d
deus omnia ſuo quaſi ſapientiæ pelago complectitur. 16.b
deus omnia vidit, & nouit. 65.a
vnus Deus omnibus linguis, & nationibus confeſſus. 43.e
deus omnium rerum antiquiſſimus. 126.d
deus operatur ſine tempore. 117.a
deus optimus in omnibus. 67.e
deus optimus maximus, qui. 68.b
deus optimus ac ſempiternus. 44.a
deus pater, bonum. 24.c
deus pater, cauſa filij, Filius cauſa mundi. 27.a
deus pater & creator omnium cur appellatus. 90.f
deus, pater luminum. 12.b
deus, pater omnis ſubſtantiæ bonorumque. 15.d
deus, pater primus, ſecundus ipſa eius progenies. 14.d
cur deus patitur bonos affici malo. 86.d
deus perfectiſſimus. 50.f
Deus φυτουργός. 76.a
deus princeps, animi creator. 141.a
deus principium, medium, & finis omnium rerum. 47.c
deus prouidet rebus omnibus. 83.a
deus, ψύχωσις dictus à Pythagora. 46.f
deus, qualis ſit ſciri non poteſt. 5.f
deus, quid, Epitecto. 93.c
deus quid Senecæ. 87.f
deus, quomodo beatus. 89.d
deus quomodo mundus. 57.a
deus, quomodo ſpeculatur ſeipſum. 39.c
deus quorum gratia factus. 92.b
deus ſapientiæ fons. 65.a
deus ſcelerum vindex. 99.c
deus, ſe contentus, nil indiget mundo. 106.a
deus ſecundus, verbum Philoni. 25.f
deus ſemper adeſt omnibus, ab omnibus ſegregatus. 96.e
ſolus Deus ſemper bonus. 44.f
deus ſemper habet quod eſt habiturus. 93.a
deus ſemper idem, hominis vero natura non vna, & ſimplex. 68.c
ſolus deus ſempiternus. 102.b
deus ſingulariter ęternus, non indiguit creatione rerum. 105.e
deus ſuam maieſtatem hominibus patefecit quomodo. 1.f
deus ſummum bonum, inuiſibilis, Mens, intelligentia, ſapientia, multiſque alijs modis appellatus a diuerſis. 6.a
Deus ſummus iubet, ſecundus ordinat, tertius intimat. 40.c
cur Deus terminatus & ſphæricus, Parmenidi. 52.b
Deus, θεὸς dictus. 68.b
deus τὸ ἓν, vnitas. 49.d.138.c
deus τὸ πᾶν & ἕν. 50.d
deus τυποτής. 25.c
deus vatibus vtitur miniſtris. 83.a
deus verus. 78.c.84.d
deus, virtute ſuperior. 67.d
Deus

Deus viſibilium & inuiſibilium creator. 53.c
deus viuit, non in tempore. 105.a
deus vnitas & bonum. 10.b
deus vniuerſalis, & primus, verusque Deus. 67.b
deus vniuerſalis intellectus dæmonis uomine. 149.c
deus vnus apud Platonem. 138.b
deus vnus, à quo omnia facta. 12.d
deus vnus neceſſario. 70.f
deus vnus proprie. 140.e
ſi deus voluerit. 83.b
deus, vt imperator, & dictator aliquis cælo præſidet. 64.b
deus ζῶον νοητὸν. 123.d
Diabolus initio cecidit, & nunquam beatam vitam cum angelis duxit. 162.c
Diei ſupremæ ſpes, quid conferat. 99.e
quarta Die lucem creatam, quomodo intelligitur. 114.e
dij ab eodem fonte, & genere orti. 140.d
dij ac dæmones pro iiſdem accepti. 148.a
dij à dæmonibus differentes. 154.a
dij à Deo ſati. 78.c
dij à Deo vno, & primo ſummoque. 143.c
dij alij non ſunt quàm angeli. 138.d
dij, Angeli vocati. 137.f.153.a
dij à ſupremo conditi Deo. 149.c
dij beatè viuunt. 169.e
dij beati, qui, & quo loco. 139.f
dij Beati, quomodo. 128.a
dij cælicolæ vere beati. 138.e
dij caſtigatores ſcelerum. 139.a
dij cum hominibus habent ſocietatem. 151.d
dij curatores, qui. 138.d
dij, cuſtodes hominum, Angeli. 138.f
dij dæmones. 54.c
dij deorum. 54.a.77.e
dij δολιχαίωνες. 6.d
dij, & angeli, idem Homero. 158.d
dij, & angelorom mentio in ſacris, & profanis litteris. 142.c
dij fabuloſi, & Deus verus. 44.b.60.d
dij facti hominum opinione. 78.c
dij falſi. 78.c. 188.e
dij Homerici noxij ſæpe. 138.f
dij humana conſpecti forma. 142.b
dij minores angeli. 177.f
dij minores miniſtri Dei. 60.d
dij minores, qui. 138.a
dij minores, vt beati fiant. 68.a
dij non miſcentur mulieribus. 153.a
dij non natura boni, ſed opinione humana. 81.c
dij non ſunt ideæ. 144.e
tres dij Numenio. 34.b
dij, omnium conſenſu mali. 153.f
tres dij Platoni. 98.e
neque dij poetici, neque dij aſtrorum pro dijs prouidentibus habendi. 141.c
dij primæ ſubſtantiæ, & cœleſtes intelligentiæ. 60.d
dij principes. 138.f
dij, quomodo beati. 194.b
dij qui dicendi. 68.c
non à dijs, ſed à Deo mundum fuiſſe conditum prædicarunt idololatræ. 43.e
dij ſunt Deo ſimiles, quomodo. 68.d
dij varij. 137.a *Poetici.* 138.a
dios, & ζεύς. 54.c
Diligentia Græcorum in philoſophia excollenda. 2.a
Diluuij annus. 1.c
De eo vaticinium. ibid.
Diluuium deucalionis, fuit diluuium noei. 109.c
ante diluuium ſancti homines. 135.b
Diſceſſu Conſtantini ab vrbe, quare multi tacuerint. 236.e
Diſciplinam omnem, & artem priſcis cognitam iniuria temporum extinctam. 28.c
Diſputationum omnium finis. 100.b
Diſſimulatur Ariſtoteles eorum, quæ à priſcis audierat, & didicerat, vt mundi æternitatem aſtrueret. 28.e
Diuinæ leges primæ hominibus latæ. 190.e
tria diuinæ naturæ nomina. 84.a
Diuina intelligentia mouens orbes cæli. 64.a
diuina magnitudo, vt eſtimetur. 84.f
Diuina natura, ſubſtantia bonitatis. 93.c
Diuina non ſunt metuenda, humanis cogitationibus. 107.c
Diuina quæ. 70.f.168.c
Diuina ſapientia. 194.e
Diuinatio omnis eſt ſpiritualis, & mentalis, non terrea. 161.a
Diuinitas aſtrorum fabuloſa. 138.b
Diuinitas, Iupiter. 123.a
Diuinitas niſi vna. 50.c
Diuinitas patris, & filij coniuncta. 17.c
Diuinitas quid. 126.e
Diuinitas ſingularis. 63.d
Diuinitas ſola æterna. 99.a
de diuinitate inconſtanter ſenſerunt pagani. 79.n
non ſunt duæ diuinitates, neque duo creatores. 38.e
Diuinitatis confeſſio vſurpata omnibus ſæculis. 83.e
Diuinitas maxima poteſtas. 66.f
Diuinitatis myſterium in perſonarum diſtinctione, verbis exaggerat Plotinus. 14.e
Diuinum corporis opificium. 167.b
Diuinum quid. 25.a
quid Diuinum ſit. 181.a
Diui parentes noſtri, in quem cadat hæc appellatio. 235.e
Diui, qui apud Chriſtianos. 140.e
Diuitias contendere noſtras libidines adiuuantes iubemur non, quæ Chriſto ſacrantur. 213.f
Δοκεῖ *apud Ariſtotelem, quid.* 65.c
Doctrina de Deo, fœdata, Chaldæorum ſuperſtitione. 68.e
Doctrina deprauata de Deo, quomodo. 78.e
vera doctrina Moſis, etiam authorum prophanorum teſtimonijs colligitur. 114.b
Doctrinam Moſis irriſit impius Simplicius. 113.c
Doctrina Peripateticorum de animorum immortalitate, impia quomodo. 174.d
Doctrina Platonis de Bono, mente, Anima non recens fuit. 15.b
Doctrina Platonis de cæleſti felicitate. 147.c
Doctrina Platonis profecta ab Aegyptijs. 23.f
Doctrina Procli fabuloſa. 145.e
Doctrina varia de dæmonibus. 144.d
Doctrina vera Dionyſii corrupta Procli commentis. 145.b
Dogma Chaldæorum de Patre & filio. 9.e
dogma Phil. de cælo nunquam interituro. 206.d
dogma Philonis alienum à Moſis doctrina. 150.e
tria dogmata diuina apud Platonem. 80.f

Domi-

Domicilium Dei, altiſſima cæli pars. 60.f
Dominus & Deus impurus homo appellatus. 61.d
Dominus exercituum, Deus. 17.b
Domorum & ædificiorum vſus. 136.c
Domus maxima aut vrbs, totus mundus. 22.d
Donare Chriſto aliquam Regni partem, non eſt dilacerare, ſed potius augere. 213.b
Donatio Conſtantini cum confeſſione coniuncta. 212.c.d
Donationem Conſtantini, cùm primum baptizatus eſt factam fuiſſe, ſed conſcriptam aliquo poſt tempore. 217.b
Donationem Conſtantini cum tota hiſtoria Sylueſtri coniunctam. 222.b
Donatio Conſtantini non fuit amplificatio, ſed potius reſtitutio. 212.e.213.a
ad iſtam Donationem quare ductus Conſtantinus. 212.c
Donauerunt reges Eccleſiæ non ſua, ſed quæ prius eſſent Eccleſiæ, à Barbaris autem occupata, & prius erepta reſtituerunt. 239.d
Dubitatio multa ſuper Donatione Conſtantini, quæ vix à multis diſſolui poteſt, quare. 209.e
Duobus Dijs aſcripta creatio. 34.c
de Duobus principijs error Zoroaſtris. 95.e
Duos in vna vrbe, Rom. imperare nefarium iudicauit Conſtantinus. 211.f

E

Eccleſiæ regnum antiquiſſimum. 211.e
Eccleſiæ Romana omnia regna nobiliſſima ſubijci, quæ ſubiectos habet non, vt ſeruos, ſed vt filios. 237.c.d
Eccleſia Lateranenſis ab autore Conſtantiniana appellata prima toto orbe terrarum conſtructa. 235.c
Eccleſia Romana ante aduentum Longobardorum in Italia dominabatur. 239.e.f
ab Eccleſia Romana maxima in omnes gentes profecta ſunt beneficia. 210.a
Eccleſiam Romanam ſedemque Petri eſſe caput omnium eccleſiarum ſanxit Conſtantinus. 226.a
Eccleſia vna ſuper Petrum Domini voce fundata. 234.e
Edicto prohibet Conſtant. ne quis impediat eos qui volunt ſacris initiari. 220.a
Edictum Donationis Conſtantini Damaſus explicat. 231.d
Effecta bonæ mentis. 156.b
εἶ ſcriptum pro foribus templi Apollinis. 50.b
quamuis par ſit Electio inter Apoſtolos, vni tamen datum eſt cæteris præminere. 234.e
Elementa. 184.c
Elementa non adoranda, ſed Deus, elementorum author. 88.f
Elementorum confuſio, non erat Chaos. 120.f
Elephantia ſis morbus quare ſic dictus. 220.f
Elogia vnius Dei. 48.c
Empedocles. 3.d
Empedocles de creatione rerum. 53.d
Empedocles de Deo. 48.c
Empedoclis opinio. 16.b
Empyreum cælum. 56.b
Encomium ſapientiæ. 195.b
Ens, Mens Idea. 13.e
ad Ens proceſſio vnitatis. 37.f
Entis attributa. 50.c
Eoi cum Armenis, vniuerſoque Oriente in Concilio Florentino definitiones de ſedis Romanæ principatu. 236.b
Epictetus vir bonus, natura duce veritatem intuitus. 93.c
Epicureæ ſectæ deſtructio, eſt veræ religionis confirmatio. 133.c.194.c
Epicurei, bellum veritati intulerunt. 111.c
Epicureorum imperitia. 113.b
ἔρος, amor, Dei nomen. 124.b
Error Ciceronis idem qui Platonis. 181.f
Errores Ariſtotelis. 137.c
Errores ſuos confeſſi ſunt Hippocrates, Auguſtinus, & alij. 60.f
nulli Errores tam craſſi, vt vera de Deo perſuaſio penitus tolleretur. 86.e
Error Iamblichi. 157.c
Error intolerabilis Simplicij. 116.a
Error occultus, errore manifeſto detegitur. 101.d
Error paganorum quorundam de Anima. 31.f
Error philoſophnrum de animis. 184.d
Error philoſophorum, qui ex Ariſtote. loti pendent. 176.e
Error Pici Mirandulani, & Ficini. 42.d
Error Platonis de Dæmonibus. 150.a
Error Platonis, qui cælum, Deum putarit. 60.a
Error Plutarchi. 92.b.159.d
Error Procli de angelis mundanis, vt appellantur. 147.a
Error Stoicorum de mundi conflagratione. 207.a
Erymnis & dæmon. 159.d
Erymnis, miniſtra Adaſtriæ. 203.b
Erythrea Sibylla, quæ & Eriphile. 21.a
Eſca Deorum quæ. 147.c.148.b
Eſſe & permanere. 77.c.84.a
Eſſe melius eſt, quam non eſſe. 167.f
non eſſe melius prorſus quàm male eſſe. 132.b
quicquid in alio Eſt, etiam ab alio eſt. 38.c
εὐδαίμονες, qui. 149.b
εὐδαιμονία, & contemplatio. 68.c
Eudorus de Deo. 52.d
Euentus confeſſionis Conſtantini, eſt Imperij conſecratio. 216.c
Eugubium oppidum vbi ſitum. 208.b.f
Eulogia Dei magnifica. 9.c
non Eundum per publicam viam, quid. 196.e
Euripides de Deo. 45.e
Euſebij teſtimonium de hiſtoria Sylueſtri, & baptiſmo Conſtantini. 223.c
Examinatur totum edictum Conſtantini contra Laurentium face tralationum Græcarum, quæ eum latuerunt. 216.f
Exemplar & cauſa mundi, mens. 15.b
Exemplaria & res ipſæ, quid differant. 52.f
Exemplaris cauſa cur inducta à Platone. 117.a
Exemplaris mundus. 53.b
Exemplar omnis pulchritudinis habet mens. 14.a
Exemplar pleniſſimum, Verbum Dei & cur. 21.f
Exemplis popularibus vtendum aliquando in rebus arduis, & Theologicis. 40.b
Exiſtendi impoſſibilitas profecta ex abſurditate. 101.f
Exitioſæ incantationes. 153.d
Expiatio animi perducit homines ad vitam beatam. 192.e

F

Fabulæ Platonis, de ſolis ortu, & occaſu. 82.c
Fabuloſa miſta veris. 79.e
Fabuloſa quædam de dæmonibus tradidit Plato. 149.e
Fabuloſi dæmones. 158.b
Fabrica corporis humani, 167.e
Fabrica humani corporis ad admirationem diuinæ ſapientiæ nos excitat. 178.f
Facies Dei, vt Sol. 202.c
Fama antiqua de Deo. 28.f
Fama antiquiſſima de animorum immortalitate. 187.f
Fama antiquiſſima, incerto authore, abulterata fabulis. 166.f
Fama de cuſtodibus hominum angelis, vetuſtiſſima. 163.f
Fama peruulgata apud homines antiquiſſimos. 61.b
Fallaces dæmones, veri nihil oſtendunt. 155.e
Fallaces Græci. 2.a
Falſa ſæpe induunt veritatis imaginem. 148.b
Falſa ſapientia. 191.d
Fateri Deum eſſe, quid maxime cogi. 88.f
Fatum quid. 87.e
non eſt Fatum, non fortuna, niſi velis. 197.d
Feliciſſimum non naſci, aut breuem eſſe vitam. 133.a
Felicitas, actio, non ocium. 107.a
Felicitas Deorum in ſcientia perenni, & contemplatione. 147.b
perfecta Felicitas, in quo ſita maxime. 169.c
Felicitas perfecta, quæ. 67.f
Felicitas vulgaris. 86.d
Felicitatis terminus, Deus. 193.f
Feræ ad quid creatæ. 135.b
ex Feris plura commoda, quàm incommoda. 136.a
Ferrum datum ad vſum non exitium. 136.b
Feruores, & frigora terræ, ad quid. 135.d
Feſtum luminum Græcis, vnde ſic dictum. 220.b
quæ Fiant à Deo, & quæ ab hominibus. 81.f
Fides, & ratio, ſeu perſuaſio de Trinitate data non ex hominum inſtituto, ſed diuino munere. 38.f
nihil Fieri, aut conſeruari poſſe, niſi authore Deo. 78.b
Filij Dei, qui appellati. 158.b
Filij Deorum. 153.a
filiorum Dei nomine, pios homines intelligi. 163.a
tres Filios ſuſcepit Conſtantinus magnus. 232.f
Filium Ideam & λόγος Philoni. 26.f
Filius cauſa animæ. 12.b
Filius Dei prædicatus veteribus longe ante carnis aſſumptionem. 3.f
Filius, imago Dei & exemplar hominis. 22.f
Filius imago patris. 15.a
Filius mens ſecunda. 27.c
Filius mens ſecunda. 27.c
Filius, moderator vniuerſi. 22.c
Finem hominis ſtatuerunt Plato, & Ariſtotelem. 188.d
idem Finis conſtitutus à philoſophis, & Chriſtianis. 189.e
Finis omnium rerum, Deus. 32.c
Finis philoſophiæ, vt videas Deum. 193.b
Finis rerum humanarum. 188.c
Flagellis deor puniuntur dæmones malium. 158.d
Flos Mentis. 71.a
Flumina. 135.a
fons animorum. 35.b
Fons erroris omnis. 101.b
Fons legum omnium, Deus. 70.c
fons miſteriorum platonicorum, è veteri Ægyptiorum, & Hebræorum Theologia. 21.e
Fons Pater, quid. 33.c
Fons, ſapientiæ, Deus. 64.f
Fons totius iniquitatis, & inſcitiæ non proferre antecedentia. 216.b
fons vnus rerum. 3.d
fontales Dᴏ apud Chaldæos. 147.a
fontes. 135.a
forma formarum, λόγος. 19.a
formationem hominis ex ſacris litteris accepit Plato. 166.f
fortuna dæmon. 149.b
fortuna, Deus occulte operans. ibid.
fortunæ nihil permittendum, Deus omnia moderatur. 90.c
fortuna quid. 66.f
fortunati non continuo amici Dei habendi. 67.a
Frænum equi S. Bylueſtri tenuit Conſtantinus equumque duxit. 229.d
fructuum terræ varius vſus. 62.d
à fundamento ad ædificium nullum interuallum. 129.e
furor, & cupiditas, belluæ duæ in nobis. 192.b
furtum Procli. 143.a.146.a

G

Gallæ Placidiæ de maieſtate ac principatu beati Petri teſtimonium. 236.a
Gelaſii teſtimonium Preuilegium Romanæ eccleſiæ pontifici datum, confirmans. 231.d
tria Genera dæmonum apud Platonem. 152.f
tria Genera Deorum Ariſtoteli. 75.d
duo Genera rerum. 79.f
Generare quid philoſophis. 69.a
Genere poſteriores, ſapientia inferiores. 2.f
Generis humani primordium, vbi. 2.b
Geneſin de qua Moſes, quis fecerit. 9.c
Geneſis Moſis non fuit ab Ægyptijs accepta. 113.f
duo Genij cuique hominum dati. 163.b
Genij, dij minores. 151.e
Geniti Dij. 54.a
Genitor ac genitus. 30.d
Genitor charitate, & dignitate imperans eſt. 68.f
Genitor, & Genitum, vnum ſunt in Deo. 15.f
Genitor & genitus. 12.d
Genitor vnus, æternus. 8.f
Genius, cuſtos hominis. 163.c
Genius, ſiue angelus bonorum. 152.e
Genus aqueum, ſemideum. 149.f
Genus humanum diuinum eſſe. 168.f
Genus philoſophiæ triplex. 28.e
Gigantes ex angelis natos nonnulli aſſerunt. 158.d
Gignendi mundi cauſa iuſtiſſima. 74.b

Τὸ γινόμενον aliud, & τὸ ὄν. 49.f

γνῶθι σεαυτὸν ſcriptum litteris aureis in templo Apollinis. 50.b

Gradatio pulcherrima. 32.d

primus Gradus ad mentem faciendus, vt ad bonum perueniatur. 13.f

duo Gradus bonitatis diuinæ. 110.a

Gradus primus religionis. 188.d

Græci à Barbaris didicerunt. 29.d

Græci à Chaldæis, & Aegyptijs edocti. 4.a

Græci inſignes in ſcrutanda omni doctrina. 2.a

Græci qudam peruerſe intellexerunt, & nomina immutarunt. 2.a

ex Græcis, & vetuſtis Exemplaribus probatur Laurentium verba Edicti perperam intellexiſſe. 216.e.f

Græcos à Barbaris diſciplinas ſumpſiſſe. 117.f

Græcos, & Romanos multa latuerunt. 2.a

Græcos feciße meliora, quæ ab alijs acceperunt an uerum ſit. 119.f

apud Græcos hiſtoriam ſylueſtri haberi ſummæ fidei, & quid contineat. 223.d

Grandiloquentia Homeri, unde. 2.d

Gratiani opus unde exceptum atque conflatum. 221.b

omnia Gubernat Deus ſolo nutu. 52.b

H

Habet Deus ſemper, quod eſt habiturus. 93.a

Habitatio ſub rectis, nobilior. 136.e

Hæreſis Manichæorum, qui Deum mali cauſam aſſererent. 80.e

Hæres primæ ſapientiæ Plato. 30.d

Hæretici à.prophanis autotibus ſuum errorum hauſerunt. 19.f

contra Hæreticos opus eſſe fuſtibus, non anathematis, quare. 211.c

Hæreſeos noſtrorum temporum explicatio, & deſcriptio. In addit. 2

Hæreſeos noſtrorum temporum cauſſæ. In addit. 5

Harmoniæ autor Deus. 90.f

Harmonia corporis humani opificem Deum arguit. 175.f

Harmonia rerum tota in numero, & proportione. 71.f

Hebe, quid. 68.c

Hebręa lingua omnium linguarum præcipue orientalium mater. 30.a

Hebræi cæci, & ignari veræ ſapientiæ. 12.f

Hebræi non nouerunt Patrem. 25.c

non Hebræi ſolum aliquid de Deo nouerunt, at etiam nationes aliæ. 61.b

Hebræorum cæcitas. 27.f.30.d

Hebræorum ſcientia nobilior, ac ſyncerior. 2.c

Hegeſiæ ſermo de vitæ miſeria, quid attulerit. 99.c

Heracliti ſententia. 16.b

Hermiæ error detectus. 146.e

Hermias Platonicus. 20.f

Heſiodi partitio. 149.a

Heſiodus. 3.d

tres Hierarchiæ angelorum. 143.a

Hierarchia prima, & ſecunda angelorum. 145.b

Hippocrates, Auguſt. & alij ſuos errores confeſſi ſunt. 60.f

regna Hiſpaniæ eſſe ſedis Apoſtolicæ etiam antequam à Saracenis occuparentur. 237.b

ex Hiſtoria diuina Triſmeg. duo, noſcenda. 118.b

Hiſtoria præclara Ariſtotelis de eorum pietate, qui ex incendio Aeternæ montis parentes liberarant. 64.d

Hiſtoria Sylueſtri apud Græcos haberi ſummæ fidei, & quid contineat. 223.d

Hiſtoria Sylueſtri prolata in Concilio ſeptimo, ab Adriano ſummo pontifice contra imaginum oppugnatores. 222.b

in Hiſtorijs ſacris ſæpe eſt hyſteron proteron. 217.c

ante Homerum, & Heſiodum, multi præſtantes viri floruere. 2.c

Homerus 3.d

Homerus, de Deo. 54.d

Homerus de rerum principio. 125.b

Homerus, Iouis nomine Deum intellexit. 91.f

vera de Homine creato fama, fabula apud Græcos. 165.d

Hominem à Mente creatum aſſerit Philo. 7.c

Hominem creatum poſt omnium rerum informationem. 165.f

Hominem non negligit Deus. 96.e

Hominem probum poſt exceſſum à vita fieri dæmonem. 199.e

Homines ad quid nati. 214.f

Homines beati quando. 194.d

primi Homines colloquio, & præſentia Dei fruebantur. 1.b

Homines cur mænibus indiguerint. 136.e

Homines deuij, tantum ſupplices ad Deum redeunt. 32.e

Homines Dijs æquales. 69.b

Homines, diuini pars ſpiritus. 171.f

Homines falſo boni, & Dij appellantur. 81.b

Homines fieri angelos, quid. 152.e

Homines meliores, & diuiniores, qni. 153.f

Homines minoris ſapientiæ quam dæmones. 43.b

Homines participes virtutum diuinarum. 67.f

Homines permulta neſciunt, & ijdem rerum quas vident, minime rationem poſſunt reddere. 184.a

probi Homines poſt mortem non proprie dici dæmones. 149.f

Homines ſceleratos auerſantur Angeli boni. 152.d

Homines ſui iuris, & liberum habentes agendi principium. 197.d

omnes Homines, vel maximo diluuio non fuerunt immerſi vndis. 109.a

exhominibus heroes, ex heroibus dæmones. 153.b

homini maximum bonum, quod. 190.b

hominis cauſa creata omnia. 141.c

hominis creatio, & in hanc vitam huncque mundum introductio. 176.f

hominis creatio à Deo. 170.f

hominis ortus, ex Architæ Tarentini ſententia. 164.e

hominis pulchra deſcriptio ex Cicerone. 171.b

hominum beatitudo, quæ. 194.b

hominum cuſtodia non eſt a Dijs, ſed à Deo data. 157.b

hominum genus diuinnm. 178.e

hominumque Deumque pater Deus Homero appellatus. 142.a

hominum virtutes. 67.d

homo à Deo creatus. 47.d

homo ad imaginem Dei factus. 173.e

homo, animal ad ſocietatem natum. 136.d

homo animal nobiliſſimum, & ſanctiſſimum. 167.b

Homo animal puriſſimum. 166.c
Homo animus viuens, & operans. 186.f
cur Homo creatus à Deo. 177.a
Homo creatus vltimus. 119.d
Homo, Dei abſciſſio, & radius. 23.d
Homo duplex. 177.e
Homo factus à Deo. 131.f
Homo imago Dei. 171.c
Homo immortalis. 178.f
Homo maximum Dei opificium. 165.b
Homo mente priuatus, cui ſimilis. 192.f
Homo naturæ beatæ ſimulachrum, abſciſſio, aut radius. 6.d
Homo natus contemplandum. 166.a
Homo, planta cæleſtis. 28.f
Homo, poſtremo à Deo creatus. 130.a
Homo poſtremus creatus. 166.b
Homo propter rationem non eſt Deus appellandus. 82.d
Homo, quomodo fieri poſſit Dei formis. 13.f
Homo, res iocularis à Deo factus. 267.d
Homo ſibi, non Deus, malum creat. 92.d
omnis Homo ſimilis verbo, quomodo. 23.d
Homo, ſimulachrum, & imago Dei. 93.e
Homo ſpectator, & interpres Dei. 133.c
Homo ſuperat belluas ſola ratione. 165.a
Homo verus, pars diuina. 170.a
Homo paruus mundus. 50.f
Hoſpitalis Deus. 138.f
Humana philoſophia, quæ. 196.c
Humana ſapientia nullius pretij. 191.b
Humani corporis fabrica. 171.c
Humani corporis fabrica, ad admirationem diuinæ ſapientiæ nos excitat. 175.f
Hyle, & chaos, mundus informis. 120.d
tres Hypoſtaſes. 32.b
de tribus Hypoſtaſibus principalibus, Plotinis liber. 12.a

I

IAmblici error, & confeſſio veritatis. 94.e
Iamblich. de Deo, & angelis. 54.d
Iamblichus de myſterij. 20.f
Iamblichus de hominis ortu. 164.f
Iamblichus diuinus appellatus. 189.a
Iamblichus diuinus Platonicus appellatus. 131.e
Ibis ſacra Mercurio. 20.b
Idea Boni, quid. 79.c
Idea boni, vt à Platone deſcribatur. 79.d
Ideæ à ſummo bono. 36.d
Ideæ Platonis. 10.d
Ideæ, quæ. 88.c
Ideæ, quænam ſint. 16.e
Idea rerum vniuerſarum, Dei: particularium, hominis. 8.e
Ideæ, ſedem habent in mente. 13.f
nomine Ideæ ſummi boni, Plato non intelligit vniuerſale bonitatis. 80.b
Idea, & τὸ νοητὸν. 34.f
Ideæ vires infinitæ ſapientiæ Dei. 16.e
Idea idearum, Deus. 80.b
Idea in mente. 15.d
Idea lucis omnis, Deus. 57.d
Idea mundi. 78.e
Idea mundi, ceu mundus intelligibilis eſt mens. 16.a
Idea quid apud priſcos. 144.e
Idearum deſcriptio, & definitio. 10.d
Idea vere accepta quid deſignet. 144.f
Idiomata primo Hebræo ſimilia. 1.f
Idolatriam facilius excidendam ſi imperium religioni ſubijceretur, aut vtrumque ſociaretur, quàm ſi imperium religioni dominaretur. 214.a
Idololatræ prædicarunt non à Dijs, ſed à Deo mundum fuiſſe conditum. 43.e
Idolatria naturam corrupit. 44.e
Iecoris formatio. 167.c
Iehouah Hebræis, quid. 3.f.25.e.49.e.54.c
à Ieiunio corporeo, peruenitur ad verum animi ieiunium. 192.b
magnum Ieiunium abſtinere à ſcelere. 191.f
Ignea mundi anima. 10.c
Ignem in ſilice eſſe quid. 120.a
Ignis elementaris, & mixtus. 121.a
Ignis non accuſandus quod adurat. 135.f
Iguium Oppidi nomen. 208.b.c
Ignorantia melior cognitione. 9.e
Ille, qui eſt. 33.e.47.a
Illuſio cacodæmonis. 161.a
Imago æternitatis, tempus. 103.b
Imago Dei, Angelus, & homo. 6.f
Imago, Dei, Mundus. 52.f
Imago, & ſpeculum bonitatis, Mens. 16.e
eſt quædam Imago in homine virtutis Dei. 67.e
Imago mentis, Mundus. 15.c
Imago ſenſibilis mundi. 120.a
Imago τοῦ ὄντος, Verbum. 26.d
humana Imbecillitas facile obliuione capitur. 98.c
Immediate operatur Deus. 117.b
Immiſſiones per angelos malos. 157.e
Immobiles cauſæ, & immobilia principia. 60.d
Immobilis Deus. 47.a
Immortales animi. 174.f
Immortalitatis animorum fama. 164.b
cur Immortalis mundus à Platone conſtitutus. 206.c
Immortalitatem animorum conſequi præmia, & ſupplicia. 202.f
Immortalitatem animorum faſſus Ariſtoteles. 127.f
Imperator mundi filius. 16.f
Imperator ſacrorum quam terrenorum maior. 212.d
Imperfecta, triſtia, & in quibus dedecus eſt non merentur æternitatem. 100.
Imperialia omnia tralata ad religionem à Conſtantino. 247.c
Imperio Romano adiuncta religio chriſtiana per Conſtantinum. 213.d
cum Imperio Romano ſcripta multa interciderunt. 2.d
ſi Imperio Romano vires ademeris, nihil illo rerum ſtatu miſerabilius. 210.a
Imperium à Religione poſſideri atque adminiſtrari ſatius, quàm à profanis. 214.e
Imperium legis, eſt imperium Dei. 70.d
Imperium Romanum duplici ratione ſacroſanctum. 211.c
Impietas maius malum, quàm inſoleatia aut Superbia. 214.e
Impietas noxia. 71.d
Impietates Aegyptiorum execratus Moſes. 114.a
impoſſibile animos retro fuiſſe ſempiternos. 183.f
impoſſibilis æternitas præterita. 183.d

Improbi cur felices. 86.d

Improbi non amantur à Deo. 67.a

Improbitas ad miſeriam ſatis eſt. 112.d

Improbus ea inſectatur, quæ mala putantur, bona vero ſilentio tranſigit. 134.f

Impuri ac ſceleſti, qui animam mortalem faciant. 187.f

Incantores & deceptores dæmones. 153.c

omnis Incantator malus. 153.d

Incendia, & diluuia fuiſſe neceſſe eſt, aut vniuerſalia, aut particularia. 108.f

Incommoda vitæ, quanta. 134.c

Incorruptibilis anima Deorum. 178.c

Indiuiduorum perennitas. 129.d

Inenarrabilis & inueſtigabilis Deus. 76.b

Infernus. 200.a

Inferorum deſcriptio. 203.c

Infinitas, ipſa diuinitas. 51.c

Infinitas quid ſit. 101.d *ex Procl.* ibid.

Infinitum duplex, philoſophis. 101.f

non eſt infinitum, quod aliquando habuit principium. 102.a

Infinitum, ſæpe numeroſum, & incomprehenſibile homini ſignificat. 108.e

Ingrati philoſophi, Deum non agnoſcentes. 94.a

Inimicorum genus maledicendo omnia deprauare ſolitum eſt. 232.c

Initium mundi arguitur ex eo, qui primus nomina impoſuit. 130.c

non in quem cadit Iniuria, miſer eſt, ſed qui facit. 112.d

tria Inſeparabilia, tempus, motus, cælum. 102.f

Inſtitutionem ſedium Patriarchalium à Conſtantino præſertim Romæ, & Conſtantinopolis fuiſſe probatur. 217.d

Inſtrumentum Dei, eſt Natura. 88.f

Inſulæ beatorum. 194.d

Inſulæ beatæ, quæ. 200.c

Intellecti, & intelligentes cur angeli apellati. 145.b

Intellectus agens, & cauſa prima. 187.d

Intellectus duplici modo accipitur. 170.e

Intellectus homo verus. 186.f

Intelligentia à Deo creata. 74.c

Intelligentiæ & dæmones, duo genera Deorum Platoni. 75.c

Intelligentiæ orbium cæleſtium, Dij. 60.b

Intelligentia primi orbis, Auicennæ commenta. 41.f

Intelligentia, quid. 170.b

de tribus Intelligentijs, Proclus. 34.c

Intelligere ſeipſum, ſolius Dei eſt. 66.e

non interitum cælorum ferè, ſed mutationem in melius. 205.d

Interitum mundi non probat Philo. 207.d

Inuenta varia Mercurij. 20.c

Inuidia quid. 162.d

Inuidi dæmones, & truces. 247.d

Inuiſibilis Dei claritatis, Sol eſt exemplum. 89.f

Inuiſibilis Deus, ex operibus manifeſtus. 121.e

Inuocari Deum ab eo, qui ſit de rebus diuinis diſputaturus vult Plato. 78.a

Ioan. Grammat. arguit Proclum imperitiæ. 104.b

Ioannis Iouiniani Pontani, de Laurentio Vallenſi teſtimonium. 241.d

Iob, ſapiens ex terra Hus. 2.c

quicquid de Ioue locuti pagani id de vero Deo intelligi. 79.c

Iouis currus, & Deorum exercitus. 130.a

Iouis nomine Deum intellexit Homerus. 91.f

Irato non eſt credendum. 209.f

Irradiationem non intellexerunt Platonici. 148.a

Irradiari, & irradiatio. 145.b

Ide Iſide, & Oſiride. 133.c

Italia à Græcis Heſperia dicta, qnare. 217.c

Iudicandum, audita parte vtraque. 130.c

Iudices infernales in campo veritatis. 202.a

Iudices inferorum. 200.c

Iudicium Dei. 207.c

Iulius de Romanæ ſedis excellentia. 228.a

Iupiter ante omnia. 123.c

Iupiter, cur filius Saturni. 79.b

Iupiter cur pater hominum, & Deorum idem rex. 69.a

Iupiter & Deus, idem. 54.f

Iupiter, & mens, an idem. 79.b

Iupiter nomen ſempiterni Dei. 69.b

Iupiter quid, Proclo. 54.f

Iupiter, quomodo Deorum maximus. 54.c

Iurare in verba magiſtri non ſemper tuum. 178.d

Iuſti homines, dæmones poſt mortem an verum. 153.a

Iuſtini locus, in Apolog. 44.b

Iuſtitia, & Nemeſis. 91.c

Iuſtum, & ſanctum eſſe eſt aſſimilari Deo. 189.d

L

LAbor homini propoſitus, cur. 155.f

Labor in Deum non cadit. 126.e

Lacuum commoditas. 135.b

Lapis euocans dæmonas. 155.a

de Lapſis animis opinio, vnde. 186.c

Lapſus Adami, & fuga è paradiſo. 185.d

Largitor rerum bonarum, Deus. 66.f

Lateranenſe palatium à Conſtantino datum, mox à pontificibus habitari cœpit. 235.a

Laudatio religionis. 188.b

Laurentij impietas ac temeritas declaratur. 240.f

Laurentij Vallenſis calumniatoris imperitia ſuper his, quæ de Donatione Conſtantin. ſunt manifeſtatur. 221.b

Laurentius Iudæis aſſimilatur. 212.d

Laurentius Valla eruditus quidem, ſed ei copiam defuiſſe, qua dubitationem ſi ei ſuborta eſſet depelleret. 209.f

Laus Heſiodi, Empedoclis, Orphei. 53.f

Legati dæmones angeli boni. 150.b

Legatio angelorum eſt, non dæmonum officium. 150.c

Leges diuinæ, primæ hominib. latæ. 190.c

Leges naturæ admirabiles. 184.b

tres Lecti, qui. 75.b

Legis diuiniſſimæ placita. 70.d

Lex Deus. 62.c.70.c

Lex orta cum mente diuina. 41.a

Lex recta ratio. 70.c

Liber de mundo, an ſit Ariſt. dubitatur. 70.c

Liber de mundo Ariſt. philoſophiæ compendium. 60.e

Liberum agendi principium. 96.d

Liberum arbitrium quidem, ſed diuino agens auxilio. 197.d

Liber Plotini de trib. hypoſtaſibus principalibus. 13.a
Libri Hebræorum amiſſi temporum iniuria. 2.d
Libri Platonici ex Magorum doctrina. 4.c
Libri Sibyllini Romæ aſſeruati in Capitolio. 17.e
Librorum Platonicorum deprauatores. 74.d
centum Libros ſcholiorum ſcripſit Plotinus in Numenij philoſophiam. 14.e
Licentia Syluestro tradita ex edicto Conſtantini, qualis. 219.f
Linguarum varietate euerſa eſt antiquorum ſapientia atque doctrina. 1.f
Litterarum γ. & σ. apud Græcos ſimilitudo nominis Iguium lectionem deprauat. 208.e
Litterarum inuentio, & plurium artium. 130.c
Litterarum ſacrarum ſola incorrupta ſapientia. 143.e
Litterarum vſus poſt diluuium. 1.e
Loco differentes dæmones. 158.d
Locus Ciceronis de prouidentia diuina. 85.d
Locus ex Miloniana Ciceronis. 64.b
Locus Geneſeos obſcurus quidem, ſed non falſus tamen. 114.e
Locus Geneſis à quibuſdam male intellectus. 157.f
Locus impiorum, & pœna. 201.a
Locus Platonis de Deo trino. 30.e
Locus Senecæ, ex lib. de Vita beata. 86.c
Locutiones Platonicæ. 32.e
ὁ λόγος κοσμοιοτυποτις. 25.a
λόγος ὁ ἀποφύτις. 22.e
λόγος, quid. 19.a
λόγος, ſermo quare ita vertatur 22.c
λόγος θεοῦ ἀόρατος. 9.c
Loquuntur ſenes dulcius. 62.f
Lex, quid. 111.c
Lucem creatam quarta die quomodo intelligatur. 114.e
Lucretij cæcitas, & imperitia. 135.d
Lucretius arguitur impietatis, Plutarchus excuſatur. 133.d
Lucretius calumniator rerum diuinarum. 134.f
Lucretius impius. 134.a
Lumen de luce. 18.e
Lumen de lumine. 11.d
Lumen mentale. 8.f
Lumen naturæ, cognitionem Dei docuit. 49.c
Lumen primum, & ſecundum. 9.a
vnum Lumen vniuerſi. 187.a
Luminis cæleſtis genus. 56.c
cur Lunam fecit Deus. 77.e
Lux ad quid, Platoni. 82.c
Lux creata. 118.b
Lux duplex. 118.b
Lux, & eſca deorum quid. 148.b
Lux noſtra, muta, & quaſi mortua. 18.c
Lucis omnis principium, Deus. 58.c
Lux veritatis Dei à ſeipſo. 146.c

M

Machinam mundi ad antiquum chaos reuerſuram. 205.a
Magica ars vbi potentiſſima. 3.d
Magi de mente paterna. 6.c
Magi de Trinitate locuti. 4.c
Magi Perſarum, & Chaldæorum. 3.d
Magi qui ita appellati. 3.d
Magi, vnde didicerint. 4.a
Magni Dei confeſſio ſemper fuit apud ſapientes. 82.f
diuina Magnitudo, vt æſtimetur. 84.f
ad probandam Maieſtatem quam Conſtantinus Romanæ ſedi donauit, aut à Chriſto confirmauit, argumentum. 238.f
Maiores Valentini, qui vocentur. 235.f
Mala nulla apud ſuperos. 138.f
Mala ſunt coniuncta bonis. 112.e
Maleficij omne genus fieri miniſterio dæmonum. 153.d
Mali dæmones, non ſunt hominum cuſtodes. 160.c
ſi Malo afficiat Deus, id optima cauſa facit. 80.d
Malos puniri non eſt malum. 110.e
eminens Malum ſi religio poteſtate regnoue caruerit. 211.b
de Mappulis vdonibusque, quæ nominantur in priuilegio Conſtantini, quæ ſub cognitionem Laurentij non venerunt. 218.d.e
M. Tullij laus ex Lactantio. 63.b
Mare ad quid creatum. 135.e
Martyrum conſtantia, vnde. 198.a
Maris commoditas. 135.c
Materia rerum, Chaos. 124.d
de Materia, error ex libris Triſmegiſti. 91.c
cum Materia miſtum eſſe Deum abſurdum eſt dicere. 89.e
Materia non eſt initium infinitatis, ſed multiplicitatis. 151.b
Materia prima qualis. 133.e
Mathuſala Adamum vidit. 1.d
Mathuſalæ ætas. 1.d
Maxentio profligato ſignoque crucis viſo non ſubito ſincere Chriſtianum fuiſſe Conſtantinum. 232.e
Medij dæmones inter Deum, & homines. 150.f
terra in Medio, cur. 66.b
Melchiades donationem Conſtantini confirmat contra Laurentium. 231.a
cauſa Meliorum, deſtruimus deteriora. 101.a
Membrorum ſitus, & ratio. 168.a
Mendacium, & falſa miracula dæmonibus familiaria. 153.e
Mens, ab ipſo bono. 11.d
Mens actu, mens operans incorruptibilis. 178.f
Mens, ἀγαθοειδὴς. 15.b
Mens aliquid in ſe melius habet quàm æternitatem. 11.a
Mens { οὐδενὶ μεμιγμένος, ἀπαθής. } 8.b
Mens archetipus animæ. 8.d
Mens autoritatis, quid. 9.a
Mens, author, cauſa, Pater, Deus. 65.f
Mens αὐτοκράτωρ. 4.f
Mens, cauſa. 79.b
Mens cauſa mundi, αἴτιος. 5.d
Mens cauſa mundi, & exemplar. 14.b
Mens chaos diremit. Anaxagoræ. 23.c
Mens cognata Dijs. 140.b
Mens creatrix. 36.f
Mens creatrix mundi. 119.f
Mens creauit hominem ſibi ſimilem. 163.c

vna

vna Mens, cuius omnes ſumus participes. 186.a
Mens, cum vult, creat. 16.d
Mens, Deo ſimilis. 11.f
Mens Deum contemplando quid aſſequatur. 39.d
Mens, Deus, principium. 66.d
Mens, Deus, Proles Dei, & Regina mundi. 5.e
Mens Diuina progenies, filia mundi, & Sapientia. 5.d
Mens διακοσμοῦσα. 5.b
ſola Mens diuina. 174.c
Mens diuina, animi noſtri origo. 6.f
Mens diuiniſſima omnium, quæ cogitari poſſunt. 66.c
Mens dominatur animabus omnibus. 41.b
Mens duplex. 170.b
Mens duplex Philoni. 7.d
Mens, & filius, & ſapientia. 18.f
Mens, & Verbum, priſca, & cognita ſæculis omnibus vocabula. 19.f
ſola Mens exterius aduenit, & ſola diuina. 69.f
Mens exterius aduenit, ſolaque diuina. 128.d
Mens exterius eſſe Ariſtoteli. 72.d
Mens filius. 4.a
Men fuit ante corpus. 170.d
Mens, genitrix animæ. 39.a
Mens habet exemplar omnis pulchritudinis. 14.a
Mens hominibus à Deo conceſſa, cur. 132.d
Mens humana Deus. 78.d
Mens humana formata archetypum verbum. 23.d
Mens immortalis. 170.a
Mens in bono omnia annuntians, tanquam imago illius. 16.d
Mens in homine Deus. 180.c
Mens, λόγος, intelligentia, Ratio. 4.d
Meus mundi Daus Thaleti. 10.b
Mens mundi meliores origo. 14.a
Mens mundi nata æternaliter, & ante omnia tempora. 131.d
Mens mundum creauit. 3.d
Mens, mundus intelligibilis & idea mundi. 16.a
Mens nata inexplicabili modo. 12.d
Mens non abſciſa ex Dei ſubſtantia, ſed quaſi explicata. 169.a
Mens noſtra, imago mentis diuinæ. 16.e
Mens noſtra, imago primæ mentis, & quomodo. 11.d
Mens omnium pulcherrima. 15.c
Mens opifex cum Mente, Patre. 7.a
Mens origo animarum. 10.a
Mens πανωγεια. 8.e
Mens poſt patrem ſtatuta. 11.a
Mens princeps diſtincta ab alijs. 9.f
mens princeps, rerum omnium cauſa, Platoni. 10.b
mens primo ſapit. 38.c
mens, principium. 66.a
mens, principium antiquius. 35.f
men, quid. 19.b
mens, radiatio Dei. 171.f
mens, radius, & quaſi ſcintilla à Deo. 147.f
mens ſecunda opifex. 27.b
mens ſeparata à reliquis animæ partibus. 174.a
mens, ſe viſibilem fecit, quibus. 36.f
mens ſine labore, & qnieſcens omnia facit. 14.c
mens ſola æterna, & ante omnia ſæcula. 12.f
mens, ſpiritus, ſapientia. 9.f
mens, ſubſtantia, & ens. 16.c
Mens ſubſtantialis. 35.b
mens verum ens & vera ſubſtantia. 16.d
mens vltramundana. 9.e
mens vniformis, Anima mentiformis. 11.f
Mens vnita cum Deo. 11.f
mens vnum multa. 10.f
mentale lumen. 8.f
à mente hominem creatum. 7.c
nihil ab alio ſegregatum præter Mentem. 41.b
mentem à Bono, ſola alteritate ſeparari non ſubſtantia. 33.c
mentem eſſe res omnes. 16.c
de mente, Platonis ſententiæ. 4.c.4.f
mentes diſtinguntur per ſuas ſubſtantias. 187.d
mentes duæ, Philoni. 8.d
duæ mentes, quid apud Triſmegiſtum. 18.d
tres mentes, Reges, ſeu intelligentiæ. 34.d
mentis bonæ effecta. 156.b
mentis æternæ ſtatus duo. 131.e
mentis diuinæ attributa. 7.f
mentis duæ operationes. 12.a
laus Mercurij à rebus inuentis. 20.c
mercurij Ter maximi verba de creatione rerum. 75.e
mercurius conciliatur ſibijpſi. 81.c
Mercurius, cur Triſmegiſt. id ter maximus appellatus. 20.b
Mercurius, & Acmon philoſophi vetuſtiſſimi. 47.f
mercurius Theuth, eiusque inuenta varia. 20.c
mercur. Triſmeg. fons Græcæ philoſophiæ. 8.c
mercurij Triſmegiſti laus. 42.b
mercurij Triſmegiſti locus de Deo, ſanctoque ſpiritu. 31.a
mercurium Triſmegiſtum Plato, & Pythagori ſunt ſecuti. 117.f
mercurius Triſmegiſtus vtitur nomine verbi ad mentem ſignificandam. 18.c
mercurius Triſmegiſtus. 3.d
meta, finis, cauſa, rerum omnium Deus. 97.a
michael princeps hebræorum. 150.f
de migratione animorum ad alteram vitam fama vetuſtiſſima. 198.c
Minerua quid, niſi opifex Dea? 33.f
miniſtri Dei, non Dij appellandi genij. 157.b
miracula falſa dæmonibus familiaria. 153.e
miſeri non ſunt qui pœnas dant. 80.e
miſer non eſt in quem cadit iniuria, ſed qui facit. 112.d
mitram imperialem, ſiue phrygium datum ſummo ſacerdoti in ſignum æternæ reſurrectionis. 220.b
moderatorem rebus adeſſe Deum magis conſentaneum quàm eas non curare. 110.b
mænibus cur indiguerint homines. 136.d
monarchia vna in toto mundo. 70.f
monſtra in locis callidioribus. 136.a
montes. 134.f
monumenta quibus Eccleſiæ Romanæ regna patrimoniaque continebantur, erant in vetuſta Lateranenſi bibliotheca. 221.b
morbus & mors temere deploratur à Lucretio. 136.b
mores, verba, viri dæmonij. 149
mors, cur Socrati non diſplicuerunt. 139.d
mors eſt portus tempeſtatum huius vitæ. 172.d
mors optanda, cur. 204.c
mors quid. 198.c

cur Mortem minime ſibi metuendam Socrates putarit. 198.f
Mortem non metuere, ſignum magni animi. 173.c
in Mortem nulla culpa conferenda, ſed in noſtras cupiditates, qui eam acceleramus. 136.c
Mos antiquiſſimus Imperatorum. 220.e
Moſes admirabilis apud omnes. 113.f
Moſes non fuit edoctus ab Aegyptijs, 114.c
Moſes non omnia ſcripſit. 53.e
Moſes, omnium ſcriptorum antiquiſſimus. 113.e
Moſes, quam cauſam eſſer at finalem lucis. 81.f
Moſes ſcriptor primus. 139.f
Moſes vetuſtiſſimus. 30.b
Moſis & Heſiodi ſententia. 4.b
quanquam Moſis doctrina ab Aegyptijs manaſſet, fabuſa tamen dicenda proinde non fuit 114.d
Mos oraculorum, vt ſint obſcura. 7.d
vno Motu Deus omnia regit. 61.e
Motum mentem dediſſe omnibus quieſcentibus dixit Anaxagoras. 4.a
Motus cauſa. 5.d
Motus omnes, ad vnam naturam referendi. 112.f
an Moueamur impulſu alicuius numinis. 163.d
quod ſemper mouetur, æternum de Deo duntaxat intelligi. 181.f
Mouetur cęlum à Deo, cuius nutu creata omnia. 104.c
Multitudo & vnitas. 97.c
Mundi æternitas, ruina vitæ beatæ. 100.d
Mundi æternitas ſpecioſa quidem, ſed non naturalis. 107.c
vnus Mundi archirectus. 85.c
Mundi creatio à Merc. Triſm. deſcripta 117.f
Mundi creationem æternam, quo ſenſu accipiendum ſit. 116.b
de Mundi creatione, omnium conſenſus. 98.c
de Mundi creatione rationes abſurdæ. 103.a
Mundi, & ordinis autor Deus. 130.b
de Mundi exitio prophetarum, & Stoicorum variæ ſententiæ. 206.f.& ſeq.
non Mundi molitione, ſed contemplatione ſui, Deum beatum. 111.f
Mundi naſcentis initium, Chaos. 123.f
Mundi orbes cæleſtes. 55.c
de Mundi opificio, Philo. 6.c
Mundi ortus qualis. 3.d.14.a.b
huius Mundi ſapientia reprehenſa à Cicerone. 191.d
liber de Mundo Ariſtotelis, philoſophiæ compendium. 60.e
de Mundo diuerſæ opiniones. 116.c
è Mundo diuino omnia viſibilia oriri. 53.b
Mundo meliores ſunt animi. 128.f
Mundo melius habuiſſe principium, & cur. 102.b
Mundum ab æterno eſſe putat Plotinus. 14.b
Mundum aliquando conflagratum iri Stoici aſſeruerunt. 204.e
Mundum corruptioni obnoxium facit Plato. 108.a
Mundum creare, & redimere, officium filij. 25.b
Mundum creauit Deus, verbo, non manibus. 121.d
Mundum deificari, nefas fuit. 129.a
qui Mundum fuiſſe ab æterno ſtatuunt, quibus rationibus vtantur. 98.d
Mundum nouum, & terram nouam fore. 205.b
Mundum, ſui cauſa non fecit Deus. 141.e
ſi Mundus æternus ſtatuatur, ſequitur rerum omnium inaudita perturbatio. 99.d.99.e
Mundus antiquiſſimus, Peleus, & Tethys. 125.b
Mundus à Patre regitur per filium. 26.b
Mundus archetypus. 220.a
Mundus, communis vrbs hominum, & Deorum. 92.b
Mundus creatus, Deus vero naturaliter æternus. 107.c
Mundus creatus quorum gratia. 111.f
Mundus, & anima rationalis, duo templa Dei. 22.a
Mundus exemplaris, mentalis. 118.b
Mundus ex mundo. 53.a
ſi Mundus fuiſſet ab ęterno, longe plura veterum ſcripta haberemus. 109.b
Mundus idealis, ipſum Dei verbum. 50.a
Mundus, imago Dei, quomodo. 52.d
Mundus, imago mentis. 15.c
Mundus intelligibilis, cauſa exemplaris creati mundi. 116.f
Mundus melior. 165.e
Mundus mentalis. 19.c
Mundus νοητὸς in mente tanquam archetypo. 15.d
Mundus, non eſt Dei corpus. 88.b
Mundus, non eſt vniuerſitas. 50.f
Mundus non eſt tanti, vt æternus eſſe debuerit. 132.b
Mundus non poteſt eße æternus, ſi animi ſint immortales. 127.f
Mundus non vniuerſum, ſed pars vniuerſi. 50.e
Mundus, omnium rerum coordinatio. 60.f
Mundus quomodo delendus. 206.a
Mundus, quo ſenſu Deus appellatur. 77.b
Mundus, res omnium pulcherrima. 226.d
Mundus, templum ſanctiß. 89.b
Mutatio eſt multiplex. 106.b
Mutatio in Deo minime ſequitur ex creatione. 106.b
non omnis mutatio mala. 106.c
Myſteria abſtruſa tandem ſoluit Deus. 92.f
Myſteriorum Platonicorum fons, è vetere Aegyptiorum, & Hebręorum Theologia. 21.f

N

NAſci, & creari philoſophis idem. 56.f
non Naſci optimum. 99.c
Nata mens inexplicabili modo. 12.d
Nata omnia diſſolui. 183.c
Nata omnia pereunt. 50.b
non omne Natum dißoluitur. 183.b
Natura conſeruatur ſecundum ſpeciem non ſecundum numerum. 72.c
Natura dęmonum qualis. 160.c
Natura, Deus. 72.e.141.d
Natura Deus, idem apud philoſophos. 171.d
Natura diuina, & humana, à Philoſophis male coniuncta. 181.e
Natura docuit vnum eſſe colendum Deum. 91.f
quę Naturę aduerſantur, non diu ſubſiſtunt. 214.d
Naturę continua opera. 184.b
Naturæ diuinæ potentia, quàm admirabilis. 61.e
duæ Naturæ iadiuiſibiles. 23.c
ne vera Naturę inquiſitio fabulis deprauetur cauendum eſt. 149.f
Naturæ leges. 190.d
Natura eſt inſtrumentum Dei. 88.f
Natura, eſt ordo rerum. 134.a

Natura & Deus, nihil agunt fruſtra. 59.d
Natura, & tempus à Deo proficiſcuntur. 131.a
Natura hominis non vna, & ſimplex, Deus verò ſemper idem. 68.c
Natura inuentum Dei. 129.e
Naturales dæmones qui. 152.f
ad Naturam beſtiarum deducimur ſi mundi ſtatuatur æternitas. 100.c
Natura mentalis verbi eſt opifex. 19.d
Natnra, modicis delectata. 102.e
Natura non affectat infinitatem. 101.a
Natura omnibus gratificata. 135.d
Natura poſtulat, vt ſit prius, & poſterius. 117.c
prima Natura, quæ Theophraſto. 84.a
Natura quid, phil oſophis. 112.f
Natura quid. 87.f.88.e
Natura ſemper homines impulit ad cognitionem, & confeſſionem vniùs Dei. 45.a
Natura ſummi Dei non eſt, vt animorum humanorum natura. 182.c
de Nauigatione reſtituenda Tiberis, à Truſiano, agri Peruſini caſtello, vſque Romam. 242.e
ſi Neceſſitas ponatur, tollitur Deus. 91.b
Nectar Deorum quid. 67.c.68.e.140.a
Nectar, & Ambroſia. 139.a
Negatio, melior affirmatione. 9.f
Negligens circa Dei cultum, qualis. 196.a
Nicolai teſtimonium de priuilegijs Romanæ ſedis à Chriſto conceſſis. 240.a
Nilus. 135.a
Nobiliſſima regna nulli regi alterius reſigni ſubijci niſi vniuerſali matri Eccleſiæ Romanæ. 237.f
Nocere, non eſt boni. 93.a
Noei ætas, & vaticinium de diluuio. 1.c
Noe in medio temporum conſtitutus. 1.d
Noe quid viderit & audiuerit. 2.b
νοητὸν, ὁρατὸν. 80.a
Nomen angelorum & dæmonum cur ſimile. 148.d
Nomen dæmonis variè vſurpatum à poetis, & philoſophis. 148.e
Nomen Dei apud varias nationes. 54.e
nullum Nomen Deo coaptari. 96.b
Nomen Patris, & Filij. 4.d
Nomen Patris, vnitas. 37.f
Nomina angelicarum poteſtatum. 142.e
Nomina attributa angelis. 192.e
Nomina Dei apud Senecam. 88.e
duo Nomina Dei, Pater, & bonus. 81.a
Nomina Dei patris, & filij. 40.e
Nomina Dei, Trini, & vni. 37.f
Nomina Dei varia, & eorum ratio. 62.d
Nomina deorum, quibus ignota. 140.f
varia Nomina Deo tributa. 45.b
Nomina diuinæ naturæ, tria. 84.a
Nomina Filij apud Theologos veteres. 25.f
tria Nomina filij Dei. 22.b
tria Nomina filij Dei apud Orpheum. 24.e.25.d
Nomina primitiua plus ſignificãt, quàm deriuatiua. 50.b
Nomina productionis, & conuerſionis. 37.b
Nomina Trinitatis apud Proclum. 145.d
Nomina verbi plura. 26.d
tria Nomina, vim, & naturam dæmonum declarantia. 154.e
Nomine dæmonum malos intelligi. 159.c
Nomine Dei nimium licenter abuſi veteres. 79.a
tribus Nominibus Deus à Seneca appellatus. 87.d
Nos non debere eſſe nimium de vita ſolicitos, ſed Deo curam reliqnendam. 83.c
Nos ſumus exigua Dei portio. 56.f
Notio, rei notæ ſimilitudo. 9.f
νοῦς καὶ αἴτιος, Deus. 8.d
νοῦν Nomen ad Hebræis deflexum. 4.d
νοῦν rerum omnium principium. 4.a
νοῦς, vnde, & quid. 40.c.120.b
Noxa dea. 78.d
Noxia cur vitanda. 71.c
Nubila, & impedita hominum contemplatio. 194.c
Nugamentum non philoſophi, ſed argutantis ea de re, quam ignorabat. 109.e
Numenij Pythagorei laus. 27.a
Numenius agnoſcit Trinitatem. 34.b.& 40.a
Dei Numen vnius aſſertum à M. Tullio. 85.d
Numeri Pythagorei, & opinio de triade. 35.a
Numerus animarum finitus, vel infinitus. 128.b
Numerus teſtatur infinitam Dei poteſtatem. 71.f
Numina, tria tres reges, vnus Deus. 10.f
Nuntiator Deorum peregrinorum appellatus D. Paulus. 149.c
ſolo Nutu omnia gubernat Deus. 52.b
Nymphæ, dæmones. 153.b

O

OBiecta veræ religiones. 191.b
totum Occidentem Conſtantium Eccleſiæ ſubieciſſe coniecturis probatur. 236.f.& ſeq.
Oceanus pater. 124.f
Oculi duplices. 111.d
Oculus iuſtitiæ omnia videt. 92.a
Officia angelorum, & dæmonum ſupplicia à Deo aſſignata. 157.e
Officia dæmonum. 155.b
Officia ventorum. 87.a
Officia vera regis, eaque optima. 71.a
Officium angelorum. 55.f.144.b
Officium filij, creare mundum, & redimere. 25.e
magna Olympi capacitas. 57.e
Olympus vnde dictus. 56.c
Omne quod non eſt primum, non eſt ſimplex. 38.b
Omnia ab vno creata. 53.d
Omnia ad honorem Dei facienda principibus. 90.e
Omnia Deo parent. 190.d
Omnia, & Bona, idem. 32.c
Omnia exiſtere circa omnium regem. 32.a
Omnia facta à Deo vno. 12.d
Omnia hominis cauſa creata. 141.c
Omnia immortalia, & immortabilia in cælo ex Ariſtotele. 56.f
Omnia in Deo latitabant antequam creata eſſent. 123.c
Omnia in Deum deſinunt, per media. 39.e
Omnia non ſunt viſibilia. 87.f
Omnia pendent à Deo, ſed per mediam mentem. 12.b
Omnia peribunt. 205.e
Omnia ſimul fecit Deus. 117.c
Omnia ſunt ab vnitate. 12.a
Omnia terna apud Platonem. 13.c
Omnia viſibilia oriri è mundo diuino. 53.b
Omnipotens Deus. 97.e
aliud τὸ Ὄν, aliud τὸ γινόμενον. 49.e
τὸ ὂν philoſophorum. 33.f

ὄντως, quid. 24.c
ὁ ὢν ϗ τὸ ὄν, quid ſignificent. 11.c
ὁ ὢν in ſacris litteris, eſt τὸ ὂν Platoni. 50.a
Opera dæmonum. 156.b
Operationes animorum, quæ. 169.b
Operationes, & narrationes, vt differant. 115.f
duæ Operationes mentis. 12.a
Operationis initium à cogitatione. 166.c
Operatur Deus ſine tempore. 117.a
ex Operibus claret Deus. 48.b
huius Operis duplex ratio. 2.e
Opifex Deus. 66.a
Opifex rerum, Deus. 91.d
ſi ſemper Opifex, ſemper fuit artificium, captioſum, & falſum argumentum. 106.a
Opifex ſolertiſſimus, Deus, Pindaro dictis. 44.d
tres Opifices Amelio. 35.a
ab Opifice vniuerſi producta omnia. 55.e
Opinio Chaldæorum de vnitate. 49.f
Opinio de mundi æternitate, elementa, & mundi partes Deos fecit. 101.e
Opinio erronea de angelis amore mulierum captis. 162.f
Opinio Platonis erronea de animarum ſatu. 185.e
Opiuio Platonis de Cælo beato, & incorruptibili. 82. e
Opinio Pythagoræ, & Platonis de mundo. 116.c
Opinione vulgi falciſſima Laurentius deceptus alios omnes decipere ſtuduit. 210.f
ab Opinione vulgi non pendendum. 183.a
Opinionis Platonicæ abſurditas. 185.a
Opinionum mutatio in viris doctis. 62.f
Opinio veterum de mundi creatione. 30.b
omnium Optimum ac præſtantiſſimum Deus. 52.a
Optimum quod gignit & gignitur. 13.c
Oracula, cur verſibus edi deſierint. 45.e
Oracula edi per malos ſpiritus cur permiſerit Deus. 161. e
Oracula Sibyllæ Erythææ de filio Dei. 16.f
ab Oraculo Apollinis multa bona, & impoſturæ nullæ. 161.c
Oraculorum nos. 7.d
Oraculum Apollinis. 95.b
Oraculum apud Iuſtinum. 58.d
Oraculum Chaldaicum. 145.c
Oraculum Xenophonti redditum. 161.e
Oraculum dæmonis de Deo vero. 56.a
Oraculum dæmonum de Deo vero, vnoque. 55.a
Oraculum de ſancta Triade. 43.a
Oraculum ex Proclo, de Deo. 58.b
Oraculum Mercurij de Deo. 8.d
Oraculum ore prophetarum, vt natura, ore philoſophorum. 94.c
Oraculum Sibyllæ publicè cognitum. 17.f
Orbes cæleſtes mundi. 55.c
Orbi, cui non eſt principium comparata æternitas. 107. b
ordinem angelorum non à Platone, ſed a Dionyſio mutuatus eſt Proclus. 146.b
de Ordine rerum, Ariſtotelis placitum. 129.b
ordines Angelorum, principatus nominati. 7.e
ordinis ratio à Deo. 77.f
ordo admirabilis, & pulchritudo partium vniuerſi. 134.f
ordo cæli inuentum Dei. 76.f
ordo certus ſeminum, quid. 134.b
Ordo confeſſionis, & donationis Conſtantini qualis. 225.f
Ordo, & lex vniuerſi Deus. 70.c
Ordo quidam rerum, ſed inchoatus. 133.c
ordo rerum omnium à mente. 65.f
ordo ſemper idem, & idem locus in aſtris. 62.b
ordo tertius angelorum. 145.f
organi ædificio facultatem operari. 179.c
origines omnium hominum, non ſunt ſacris expreſſæ biblijs. 1.d
origines tres, tanquam vna. 32.f
origo animi cæleſtis. 171.f
origo animi & migratio. 172.e
origo mundi melioris. 28.b
ornatus mundi, argumenta, & exempla diuina maieſtatis. 89.a
orphei Theologia, duplex. 122.e
ab orpheo Græci edocti. 29.f
orpheus. 3.d
orphæus de Deo. 46.c
orphæus, Theologiæ Græcæ princeps, & eius laus. 24.e
orphæus vnum tandem, vnumque Deum agnouit. 24. e
an orta omnia occidant. 182.e
omnia orta, peritura. 105.a
de ortu Solis Triſmegiſti ſententia. 103.f
ortus omnium ad vnam cauſam reuocandus. 56.d
oſcitantia in legendo quid afferat. 178.d
οὐρανὸς vnde dicitur. 115,e

P

Paganiſmum tueri ſtatuebat Simplicius cum Porphirio, & Proclo. 113.c
Pagani veritatem Chriſtianam inſectabantur cuius miſteria latebant in ſcriptis Platonicorum. 15.f
Paganorum Dij. 78.e
quid cogit Paganos, confiteri Deum eſſe. 111.c
Paginam donationis proprijs manibus ſuper corpus beati Petri repoſuit Imperator. 220.d
Pagina priuilegij, quare ſic dicta. 221.f
παῖδες, vnde dicti. 167.d
cur in Palatio ſummi pontificis, in omnibus fere negotij Latine loquantur. 214.d
cur Palatium Imperatoriamque ſedem Sylueſtro, & ſucceſſoribus reliquerit Conſtantinus. 234.f
Paleæ nomen barbarum quid ſignificet. 213.f
παλιγγενέσια improbatur. 185.d
Paludes, lacus, mare. 135.b
magnum Pana mortuum Tyberij tempore Plutarchus tradit. 160.e
Panomphæus rex, Deus. 57.e
παντέλειος quis vocatur. 19.c
πᾶν τὸ ὂν. 38.n
Paradiſi nomen. 200.c
in Paradiſo poſitus homo. 177.b
Paradiſus, auimorum ſedes. 175.a
Parcæ tres. 62.d
magis Parendum Deo, quàm hominibus. 190.c
Parens vniuerſi Deus. 74.a
Parmenides. 3.d
Parmenides circuitione conatus explicare miſterium τριάδος. 16.b
Parmenides, & Meliſſus non fuerunt ab Ariſtotele ita reprehendendi. 49.c
Pars iubens, & pars obtemperans. 179.f

Pars mundi maxima, Deus, vt intelligatur. 88.a
à Particulari vniuerſale inferre, abſurdum. 183.c
Paſtor, & Rex Deus. 22.c
Paſtor gregis humani, Deus. 83.b
Pater dictat, filius operatur. 9.e
Pater & bonus, duo nomina Dei. 81.e
Pater & filius non ſeparantur. 38.e
Pater, & creator omnium Deus, cur ita appellatus. 90.e
Pater, & vita & lux & vita. 18.e
Pater, exemplar filij. 22.f
Pater genitor entis. 16.b
Pater luminum, Deus. 12.b
Paterna mens, paterna ſapientia. 42.f
Paterna mens, quid. 6.f
Pater noſter Deus. 55.d
Pater, rectè ἀνενδεὴς *appellatus.* 15.e
Pater τὸ πρῶτον. 22.e.34.e
Patientia diuina virtus. 90.b
à Patre eterno filius æternus genitus. 18.d
à Patre filium angelum miſſum, maximum Theologiæ ſacramentum. 14.e
ad Patrem additus nobis nullus, niſi per mentem. 10.e
Patrem nouerant ſuperiores, Hebræi verò non. 25.e
πατρικὸς νόος. 9.a
Patris ac Filij diuinitate eiuſdemque cognitione nihil maius. 3.b
patris & filij coniuncta diuinitas. 17.c
Paulus, clarius Platone de Deo locutus. 32.b
D. Paulus Nuntiator deorum peregrinorum appellatus. 149.b
pedum deoſculatio notatur. 229.d
nemo Peccat inuitus. 197.d
perditio ac renouatio mundi. 205.e
de Perenni Philoſophia. 2.f
omnis Perfectio à Deo. 96.c
perfectio animi, quæ. 195.c
perfectio, & ipſum eſſe, idem. 25.d
peripatetici deprauant interdum dicta Empedoclis. 53.e
peripatetici impudentes in rebus arduis, vt diuinitate agitanda. 63.c
in Peripateticis quibuſdam, quo plus inſcitiæ, eo plus arrogantiæ. 167.e
peripateticorum cur non vera philoſophia. 192.f
dare Perpetuitatem cęlo, quod habuit ptincipium Ariſtot. conatur Plato minime. 104.b
petitio Niceni concilij, vt ab apoſtolica authoritate confirmetur. 228.d
phanes, Sol. 146.b
phanes ſol à φαίνεσθαι. 124.e
pherecydes primus animi docuit immortalitatem. 180.f
pherecydes Syrus, de Deo. 48.a
pherecydis ſententia de Deo in amorem ſe transformantem. 124.c
phidiæ artificium ingenioſum. 31.d
philo animam adumbrat, quomodo. 6.e
philo, cum beato Petro loquutus, Romæ. 26.f
philo de allegorijs legis. 21.d
philo de Deo filio mirabiliter loquitur. 25.f
Philo Iudæus de mundi creatione. 116.d
Pilolaus de Deo. 47.a
philoponus rectè cenſuit, Ariſtotelis exploranda eſſe verba. 113.d
Philo, quo tempore philoſophatus eſt. 26.c
Philoſophandi via duplex. 47.c
græca Philoſophia ab Aegyptijs præceptoribus profecta eſt. 114.d
Philoſophi à Barbaris edocti. 29.e
Philoſophia Chriſtiana, quid. 198.a
Philoſophia Chriſtianorum ſola, vera, dignaque ſapientiæ nomine. 3.a
Philoſophia, dæmonum, id eſt diuina. 149.b
Philoſophia de bonis cæleſtibus quaſi per vmbram docuit. 192.f
Philoſophiæ pars præcipue de moribus. 100.b
Philoſophiæ propagatio. 122.d
philoſophiæ tres ætates. 1.f
Philoſophiæ tres partes. 3.a
philoſophiæ triplex genus. 28.f
philoſophi aliam vitam ardenti animo expetiuerunt. 207.c
è Philoſophia maxima vtilitas petitur. 132.a
philoſophia Moſaica, omni ſapientia vetuſtior. 126.a
philoſophia non eſt aliena à Chriſtianorum doctrina. 94.f
philoſophia, non nouiſſimis tantum ſæculis, ſed vetuſſimis. 24.d
philoſophia noſtra eadem, qualis veterum. 13.d
philoſophi ante Platonem. 46.a
Philoſophia Platonis vnde hauſta. 20.b
philoſophia prima altera perfectior, cur, & quando obſcurata. 1.f
philoſophia prima quomodo reiecta, & per manus tradita. 3.a
nulla eſt Philoſophia quæ Deum ita doceat, & commonſtret, vt Chriſtiana. 193.c
philoſophia Simplicij, veritatis eſt obtenebratio. 116.a
philoſophia vera, quæ. 189.e
philoſophia vetus, & noua couſentientes. 27.e
philoſophia vetus ſenior. 127.d
philoſophia vna ex omnibus vera, Chriſtianorum. 191.a
philoſophia vtilior, qnæ Deum aſtruit quàm quę negat. 71.c
philoſophi conſentiunt inter ſe de animorum immortalitate. 172.b
philoſophi, fabulis vel hominum autoritatibus nimium addicti. 94.d
philoſophi, ingeniorum oſtentatores. 111.b
philoſophi ingrati, Deum non agnoſcentes. 94.a
philoſophi, nullos Deos putarunt præter Aſtra. 107.e
veri philoſophi, qui. 190.c
philoſophi, quomodo deprehenderint Deum ſingularem. 59.c
philoſophi, quo vetuſtiores, eo in doctrina puriores. 46.c
coguntur philoſophi recentes veterum philoſophorum ſententiæ ſubſcribere. 45.b
ingrati philoſophi, veritatem non agnoſcentes. 83.f
philoſophi veritati aduerſantes, verum faſſi. 109.d
philoſophi veritatis hoſtes. 93.d
philoſophi viderunt in parte. 35.c
magnus philoſophorum conſenſus ſuper hac animorum è corporibus exeuntium ſorte. 200.f
philoſophorum error. 92.e
philoſophorum iuniorum inſolentia. 121.d
phiſici, creationem mundi confeſſi ſunt. 126.f

Phocylides de Deo. 45.a
de phrigio ſeu mitha imperiali & Loro, quæ Vallenſis ignorabat. 211.e.217.f
nihil pietate ac religione melius. 188.b
quę à pietate, & virtutibus ſeparata eſt non eſt ſapientia. 191.d
ſublata pietate, pereunt & cæteræ virtutes. 100.c
à pietate, virtutes manant omnes. 197.e
pietas apparens, ſi vtilis eſt, certe vtilior ea, quæ vera eſt. 71.b
pietas Conſtantini. 212.d
pietas fons beatitudinis. 207.e
pietas, omnium virtutum princeps. 188.e
pietas pretioſiſſima. 195.a
pietas primò exercenda. 72.f
pietas quid. 71.b
pietas tollitur, æternitate mundi poſita. 118.a
pietas, virtus omnium præſtantiſſima. 100.c
qui pie vixerint, ad cæleſte ſedem ire poſt mortem. 185.b
piorum chorus. 203.a
quæ pipinus & Carolus Magnus Eccleſiæ romæ donauerunt fuerant prius ipſius eccesiæ à Longobardis occupata. 239.e
multis placuiſſe, eſt diſplicere ſapientibus. 196.c
plagæ mundi caloribus, & frigoribus inhabitatæ. 134.e
planetarum curſus. 61.e
plato. 3.d
plato à Platone correctus. 152.a
plato, à quibus didicerit. 34.e
plato confeſſus mundi creationem. 107.e
Plato cur ac vſus ſimilitudine. 75.c
plato dubius. 148.c
plato & Ariſt. eadem confeſſi, quæ Moſe. 66.b
plato, & Ariſtoteles ratione, Seneca vero natura Deum faſſus eſt. 86.f
plato, & Ariſtoteles ſucceſſe primis philoſophis. 59.c
plato facit aliquem à mortuis excitatum, de vita ſecunda diſputantem. 201.c
plato floruit ante Chriſtum natum. 208. & eo plus. 15.a
plato, fuit Moſes, attica lingua loquens. 113.e
plato, hæres primæ ſapientiæ. 30.e
plato inconſtans, qui ortum ſempiternum ſtatuat. 133.f
plato, interdum fabulator. 167.b
Plato in Timæo Deum verum confitetur. 73.e
plato magos imitatus. 20.d
plato, medium incedit inter poetas, & oratores. 78.f
plato, more vulgari, & poetico loquutus de Deo. 53.f
platonici cæci, qui tam mira dixere, tamen veræ religionis expertes. 12.f
platonici locuti digna ſpiritu Dei. 42.a
platonicorum Theologia, mira. 11.d
platoni locus in Epinomide. 32.b
platonis dictum. 30.c
platonis doctrina de Deo ſummo, & Dijs præclara. 144.f
platonis error de animo ingenerabili. 182.c
platonis magiſtri. 77.b
platois præclarè dictum de Deo. 47.f
platonis regeneratio. 82.e
Platonis ſententia de mente. 4.c
Plato Philebo. 5.a
aut Plato Philoniſat, aut Philo Platoniſat. 21.d
Plato, prophetas imitatus, obſcurè diſputauit. 24.c
plato ſecum diſſidet, opinione de reminiſcentia. 185.c
plato ſibi contradicit. 77.4.e
plato Triſmegiſtum ſecutus. 76.a
plato vixit ante Chriſtum plus 309. annis. 34.d
plato, vnde libros ſuos hauſerit. 2.b
plethon, Gemiſto Platonicus. 20.d
locus Plinij corruptus emendatur. 209.c
plinius, palienus à Theologia. 86.a
liber plotini de tribus hypoſtaſibus. 15.f
plotini laus. 13.a
plotini locus de prouidentia. 14.a
plotini locus de ſpiritu Dei. 31.b
plotinus de tribus rerum originibus. 33.b
plotinus minime religionem noſtram nouit. 13.a
plotinus princeps Platonicorum. 13.e
plutarchus de Sibylla. 21.a
plutarchus excuſatur. 133.d
plutarchus excuſatur, Lucretius arguitur impietatis. 133.d
plutarchus, Deos angelos vocat. 54.d
plutarch. ſibi ipſi contrarius. 109.f
plutarch. vnum Deum faſſus. 91.f
pœmander apud Triſmeg. quis. 117.f
pœmander, quid. 9.a
pœmander quis, & quomodo legendus. 119.e
pœnæ damnatorum. 200.c
dare pœnas, non eſt malum, cùm ſit liberare à maximo malo. 80.e
vera pœnitentia. 195.e
poetæ Deum vnam faſſi ſunt. 44.b
poetici Dij noxij. 153.
quæ de pollionis filio malè prędixit Virgilius, de Chriſto ſolo intelligenda fuerant. 18.a
Pontifex Romanus in ſummitatis arce conſtitutus, quare. 227.c
ſummorum Pontificum, qui contra reges, ſeu principes ſententiam ex communicationis tulerunt eosque è gubernaculis deturbarunt catalogus. 239.a
populi, qui poſt Chaldæos floruere. 3.c
populus Iſrael angelo Gabrieli creditus. 151.f
porphyrij locus præclarus de mente. 12.c
porphyrius, & Iamblichus etiam nolentes vera dixerunt. 131.d
portugaliæ regnum eſt Eccleſiæ Romanæ. 238.d
portus tempeſtatum huius vitæ, mors. 172.d
poſteriores caſtigatius de Trinitate loquuti. 33.c
poſteriores genere, ſapientia inferiores. 3.a
poſtiquus, quid. 69.b
poteſtas Dei ſumma, qui Solem flectere poſſit. 82.d
eius Poteſtas eſt diſſoluendi, cuius fuit condendi, & componendi. 207.b
in quo Poteſtas eſt mouendi, in eodem eſt ſiſtendi. 182.f
poteſtas maxima diuinitatis. 66.f
poteſtate diuina continetur vniuerſum, Ariſtoteli. 72.b
poteſtates inuiſibiles inſinuant ſe humanis animis. 156.c
poteſtates omnes miniſtræ Deo trino ſubijciuntur. 40.f

Præcepta aurea, de vitanda omni intemperantia. 196.d
Præcepta phocylidis parænetica. 45.c
præceſſit Chaos, ſecuta eſt naturarum mutatio. 124.a
præfecti angeli hominibus cur. 157.d
qui dæmonas Præfectos hominibus eſſe dicit calumniam Deo facit. 160.d
Præmia bonis propoſita, pœnæ improbis. 110.e
præmia cæleſtia non amittunt iam adepti. 162.a
exigua Præmia iuſtis hac in vita. 201.b
nulla Præmia ſtatuuntur bonis, ſi mundus æternus eſt. 100.a
præteritum pro pluſquam præfecto vſurpatum. 115.d
prauitas dæmonum eſt fortuita, non naturalis. 159.f
primæ ſubſtantiæ, Dij, Ariſtoteli. 117.c
primæua de Dijs philoſophia. 152.d
prima & ſecunda die creatas eſſe res omnes à Deo, quomodo intelligendum. 115.a
prima Sapientia perfecta, ſed temporum ſucceſſione diſſipata. 2.f
prima Theologia purior. 49.e
primum & ſecundum lumen. 9.a
primus, Deus pater, ſecundus ipſa eius progenies. 14.d
primus Deus, ſecundus Deus. 27.a
primus, & ſecundus, vnus & idem Deus. 14.f
primus motor celebratur ab Ariſtotele. 139.b
primus, non tempore, ſed natura. 11.b
princeps ciuitatis, tanquam Deus aliquis. 69.c
princeps cui religionis cuſtodia credita eſt armis & opibus pollere debet, quare. 210.f
princeps humani generis, quid viderit & fecerit. 2.b
princeps, imago Dei quomodo. 90.b
princeps initiationum & myſteriorum Deus. 22.b
princeps religioni addictus, eſt in tuto. 70.d
eundem principatum quem Conſtantinus admirabatur ſuperius tempeſtate profanorum imperatorum cæteri Theologi prædicauerunt. 235.b
principatum Romanæ ſedis non ab Apoſtolis ſed ab ipſo Chriſto ſtatutum. 229.e
principatum Romanum non primis Conſtantinus, ſed à Chriſto conſtitutum. 217.b
principem terreſtrem dominari vbi fuerit à Deo conſtitutus principatus cæleſtis, nefas. 220.c
principes Dij cur dicti. 90.b
principes in Deum pij. 90.e
duo principes philoſophis ſucceſſere primis Plato, & Ariſtoteles. 59.b
tria principia. 37.e
tria principia Platonicorum. 12.a
duo principia rerum. 8.d
duo principia rerum omnium. 24.b
duo principia rerum, ex Orphei doctrina. 123.e
principia rerum omnium in verbo latitant. 19.e
duo principia ſtatuere, planè erroneum. 91.b
iiſdem principijs conſtitutis, ſequitur idem eſſe quod de principijs exiſtat. 28.d
in principio, ideſt, in ſapientia. 23.a
principijs vnius nutu, belli certamen initur. 61.f
principium antiquius, mens. 35.f
principium, bonum, vnitas, idem. 95.f
principium cauſarum, Deus. 65.d
principium immobile per ſe. 41.e
principium intellectuale, & inuiſibile Deus. 52.d
principium mens. 66.a
vnum principium motuum omnium. 112.f
principium omnium rerum ter acclamabant Aegyptij. 33.d
principium principiorum. 95.f
magna principum quorundam potentia. 61.c
aliquod principium rerum fuiſſe, magis naturæ conſentaneum eſt. 98.c
ad vnum principium retulerunt omnia philoſophi omnes. 38.d
principium ſempiternum, & præcellens quibus modis intelligitur. 102.c
omnium rerum principium, vnitas. 48.f
principium vnde ſumptum ſit. 121.c
principium vnum, & immobile. 49.c
principium vnum rerum omnium. 1.b
priſci cur meliores. 130.c
principi meliores notis, quia Deo propiores. 29.a
priſci norant creatorem Deum, patrem non norant. 24.c
priſcis philoſophis inſinuata doctrina de vita futura, à Chriſto declarata. 198.b
priuilegia ſedis Apoſtolicæ qualia. 240.a
priuilegij Conſtantini veritas Nicolai teſtimonio probatur. 217.c.d
quod probatur melioribus id certius. 3.d
probitas vnde petitur. 65.b
omnis probitatis origo pietas. 188.b
probos remuneratur Deus. 65.e
procli abſurditates. 106.d
procli error. 143.d.144.b.145.c
procli furtum. 143.a
procli locus de mente ſeu ſapientia vltra mundana. 7.d.10.a
proclus ante Simplicium vixit. 97.a
proclus refutatur, qui à Platonica doctrina deſciuerit. 36.a
proclus, veritatis deprauator, quamuis doctus. 104.e
de Procreatione animæ. 91.c
progeniem Deorum ſe dicebant Priſci. 198.d
proles vnica τηλύγετος. 57.e
prolis nomen, Ens & mens. 37.f
prometheus quid. 165.d.165.f
propago conſeruatur continua ſpecie. 72.c
prophetantes à ſenſibus abſtrahebantur. 161.b
in Proportione, & numero tota rerum harmonia. 71.f
propoſitio diſputationes de veris Dijs. 137.f
propoſitiones philoſophorum. 98.f
propoſitionum diſiunctarum partes omnes non ſemper veræ. 107.f
propoſitum Dei, bonitas. 88.c
prudentia Dei certa & neceſſaria. 84.b
de prouidentia Dei, & eius actione opinio Ariſtotelis. 63.e
ſi non ſit prouidentia Dei, homo Deo melior. 67.e
prouidentiæ teſtimonia innumerabilia. 141.c
qui prouidentiam Dei negant, naturam bonitatis eius neſciunt. 76.a
ad prouidentiam Deum tollendam, argumenta Epicureorum. 111.b
prouidentia Deorum vniuerſa, & particularis. 140.b
qui prouidentiam diuinam tollerent quanto errore tenebantur. 3.a
prouidentiam diuinam veriſimilem eſſe ponit Ariſtoteles. 141.d
prouidentia, mundique gubernatio, rectiſſime Deo tribuitur.

buitur. 109.f
Prouidentia quid Plotino. 14.c
prouidentia quibus diſtinguatur. 67.c
ſi prouiſum eſt æterna ſucceſſione à Deo, ſic, & cæteris æquum eſt eum prouidere. 72.d
pſallendi ordinem Romanum omnes Eccleſiæ ſequi conantur. 226.e
pſalmi, & hymni non à ſolis Hebræis decantari. 46.b
ψυχὴ, & νοῦς, differunt. 170.a
ψόχωσις dictus Deus à Pythagora. 46.f
in quo Pugnet aduerſus Platonem Ariſtoteles. 108.c
Pulcherrima quæque à Deo perfecta. 92.e
Prima pulchritudo, & exemplar pulchritudinis Deus. 12.e
Pulchritudo pulcrifica. 39.e
Puniri malos, non eſt malum. 110.e
Punitio decreta à lege tanquam à Deo. 71.b
Purgatorij locus. 204.a
qui puri abeunt ex hac vira, beati. 199.a
purum pure contingere, quid ſit. 197.a
pyramis quid apud Triſmegiſt. 19.c
pythagoræ & pherecidis decreta. 16.b
pythagoræ ſymbola. 114.e
pythagoras. 3.
pythagoras de Deo ex Cyrillo. 46.e
pythagoras in Aegyptio peregrinatus duos, & viginti annos. 165.b
pythagoreorum reconciliatio. 195.e

R

Radiationes animi. 147.e
Radius Dei angelus, vt humana mens. 148.b
Raſura vocatur corona ſacerdotalis. 220.b
Ratio, ad quid homini data. 77.e
Ratio & mens caſtigat errorem. 101.d
Ratio, in homine optimum. 178.f
quomodo rationem reddant poſt mortem probi, & improbi. 201.e
ſola Ratione ſuperat homo belluas. 165.a
Rationes Alexandri Aphrodiſei, quibus animas immortales probat. 178.d
quibus Rationibus vſi, qui mundum fuiſſe ad æterno ſtatuant. 98.d
Ratio, pars diuini ſpiritus merſa in corpus humanum. 173.a
Ratio, pudor, veritatis impetus, homines adigunt ad confeſſionem prouidentiæ Dei. 99.f
Rebus corruptibilibus æternitatem dare quid conferat. 100.f
de rebus grauibus dubiè affirmant philoſophi. 173.a
Rebus omnibus & ſingulis Deus prouidet. 84.b
in Rebus ſolum creatis eſt prius, & poſterius. 105.c
Refellere Deos qui non eſſent facile fuit. 141.e
circa Regem omnium exiſtere omnia. 32.a
circa Regem omnium omnia, & illius cauſa omnia. 35.f
Reges, & principes magis ſequuntur ore eorum quos habent à ſecretis. 216.e
Reges ſancti, angeli. 55.e
non tres Reges, ſed vnus. 34.d
Regione aerij dæmones. 150.d
Regio æteria dijs cælectibus, aeria dæmonibus plena. 150.a
ſalutaris Regitur, atque tuetur prouincia ab eo, qui mores populi nouit, & cuius eſt peculium ipſa prouinci quam ab alio. 210.f
Regna Hiſpaniæ, & Hungariæ eſſe ſedis Apoſtolicæ iam inde ab initio ex beati Gregorij ſcriptis probatur. 237.c
duo Regna Platoni. 80.a
Regnum Dei primum quærendum. 72.f
Regnum, præclariſſimum genus reipub. 70.e
Regnum cælorum prædicatum nouiſſimis temporibus. 198.f
Regnum romanum omnium ſanctiſſimum, ac nobiliſſimum. 211.c
Regum Eccleſiæ præcipua ſedes Conſtantinopoli primum fuit. 211.e
an Reipub. Chriſtianæ vtile ſit ſedem Romanam habere potectatem dominandi. 210.c
Rei vnicuique bene conſultum, cur. 13.f
Religio à Deo, non ab homine tradita. 78.b
Religio cæleſtis, vnde, & eius ſeries. 2.f
Religio Chriſtiana, magiſtra bonorum omnium. 197.f
Religio Chriſtiana vetuſtiſſima. 16.d
Religio cuncta moderate agit interuallo temporis iniecto. 214.d
Religio duobus conſtat. 194.f
Religio eſt cultus, & notio ſummi boni. 12.f
Religio, & Theologia ſæculorum omnium. 49.d
qui religionem Chriſtianam contempſerunt cæci, & ignari peccarunt in ſua ipſorum dogmata. 189.e
Religionis vnitas ab vno capite. In addit. 12
Religio duplex, Interior, & Exterior. In addit. 17
Religio Exterior ex quibus conſtet. In addit. 17
de Religione minime aliquid ſtatuere poterant qui religionis fundamentum euertebant. 113.b
ſine Religione nihil eſt homine miſerius. 188.b
quod Religioni donatur, & Chriſto, non eripitur Reipub. 213.a
Religionis Chriſtianæ reprehenſores arguuntur. 37.b
Religionis diuinæ imperiti, etiam de Deo magnificè locuti ſunt. 12.c
Religionis incrementum, felicitatem temporum vocant ſancti Theologi. 214.b
Religionis maleficæ, veræque, & ſanctæ effectu. 134.
Religionis minor pars è maiore regatur neceſſe eſt. 211.c
ſi Religioni vires detraxeris, illo rerum ſtatu nihil miſerabilius. 210.e
quæ Religio vera. 95.a
ſola Religio vera Chriſtiana. 188.f
Religio vna nunquam definiens. 12.f
Religio vna totius generis humani neceſſaria. 3.b
vna Religio, vnaque ſcientia de Deo. 94.e
Reliquiæ multę ex naufrdgio vetuſtiſſimorum ſcriptorum. 2.e
Reminiſcentia. 184.e
Reminiſcentia de rebus ęternis, antè. 186.a
Rem, quę non appareat non eſſe, non ſequitur. 112.e
Rem ſempiternam creauit Deus, quę nunquam prius extitiſſet. 183.e
Remuneratio bonorum. 140.d
Renouatio quid ſupponat. 100.f
de Renouatione ſæculi, locus Senecę. 173.a
Repetit qua autor partitione ougnatum ſit contra calumniatorem primo libro. 221.e

Repetitio antedictorum. 25.a
Repetitio breuis ſuperiorum. 101.b
Repetitio breuis totius capitis. 4.e
Repetitio ſuperiorum. 68.e
Repetuntur quædam à ſcriptoribus ad concinnum ordinem. 116.a
Repudium diuitiarum aliò tempore vtile eſſe poſſe, ſed repudium Imperij accedentis ad religionem, non ſine iuiquitate futurum fuiſſe. 214.e
Rerum dininarum non inferiorum contemplatio hominem beatum facit. 194.d
Rerum humanarum finis. 188.c
Rerum infinitas abſurda. 101.c
Rerum omnium antiquiſſimus, Deus. 126.d
Rerum omnium creandarum facilitas à Deo per ſpeculi ſimilitudinem intelligenda. 75.c
Rerum omnium genitarum optimus mundus, cur. 77.c
Rerum omnium ſcientia, ab Adamo hominibus tradita. 1.c
de Rerum ordine, placitum Ariſtotelis. 129.b
Rerum vniuerſalis, ſpiritualis formaliſque ſubſtantia, mens. 16.e
Res antiquæ incorruptiores. 49.e
Res antiquiſſima Deus, vtiliſſimum omnium. 92.e
Res corporeæ tribuuntur Deo, docendi cauſa. 123.b
Res diuina declarata nomine corporeo. 21.f
Res hnmanæ mutabiles, Deus minimè. 106.e
Reſipuerunt philoſophi, vel inſcij. 98.a
Reſipuit Proclus. 79.a
Res nulla creata maior creatore. 96.f
Res omnes creatas à prima & ſecunda die quomodo intelligendum. 115.a
Reſponſum dæmonis. 57.f
Res prioris ſæculi obſcuratæ. 2.f
de Reuocanda in vrbem aqua virgine. 245.e
Rex differt ingenio, genere idem eſt. 69.a
Rex exercituum, Deus. 83.b
Rex, imago Dei viua. 70.f
Rex minoribus negotijs intentus duntaxat, non vere habendus rex. 70.f
Rex omnium bonorum Deus. 32.c
Rex romanorum Chriſtus. 17.f
Rex ſæculorum. 24.b
Rex veritatis, & dominus vniuerſi. 16.c
Rex viſibilium, & inuiſibilium, Deus. 24.c
omnes Ritus deuij, violenti. 48.c
Ritus prophani romanorum cæperant eſſe ritus ſacri ſub Conſtantino. 217.e
de Roma, ex præclaris ſcriptorum monumentis. 242.a
Romam caput domiciliumque pietatis eſſe decreto Conſtantini. 212.a
Romana ciuitas patria omnium gentium, atque vrbs omnium Chriſtianorum. 219.b
à Romana Eccleſia non recedunt viri ſancti, ſed ab ea implorant adiutorium. 226.d
Romana Eccleſia non ſynodicis conſtitutionibus, ſed ipſius domini authoritate cæteris præeſt. 226.c
Romana ſedes omnium reginam ſe agnoſcit, non videlicet, vt regna repetat, ſed vult reges imperatoreſque regnare, modo dominam ac reginam eam agnoſcant. 237.f
Romani, carmina Sibyllæ non intellexerunt. 16.f
vrbs Roma nihili fuiſſet, niſi ſupremi ſacerdotij dignitas eam reſtituiſſet. 210.a
Romanorum, & Græcorum ignorantia. 2.a
Romanum imperium quibus conſtet. 213.a

S

SAcra Deo facienda non aliud agens. 197.a
quæ Sacrantur Deo, ſacerdôtes reijcere, nec debent, nec poſſunt. 213.e
ſacrificia fieri ſolita ad auertandos dęmones. 154.a
ſacrificijs delectantur dæmones. 159.c
ſacrificiorum nidore delectari dæmonas. 156.e
ex Sacris litteris, & philoſophorum libris, præclara Dei opificia in admirationem rapiuntur. 184.c
ante Sæcula, à Deo nata mens. 12.e.f
ſæculorum diuturnitatem, non æternitatem ſtatuit Plato. 108.e
ſalus expectatur, Chriſto rege. 18.a
ſanctorum hominum actiones. 199.c
ſapiens ſtoicorum. 106.d
ſapiens ſimilis Deo, excepta morte. 172.d
ſapientes omnes de mente conſentiunt. 5.a
ſapientia à Barbaris. 76.e
ſapientia abdita, apud quos. 34.e
ſapientia à Deo data. 191.c
ſola ſapientia, beatos facit. 197.b
ſapientia Chriſtianorum æterna, aliquo ſplendore inſinuata veteribus. 20.a
ſapientia cur homini data. 133.b
hodierna Sapientia de Deo, qualis æſtimanda. 93.f
ſapientia Dei oritur à fonte ſuæ naturæ. 56.e
ſapientiæ Chriſtianæ robur charitas. 195.d
ſapientiæ coniunctam eſſe ſtultitiam eſt neceſſe. 112.d
primæ Sapientiæ fures, & ingrati philoſophi. 96.f
ſapientiæ magnitudo, facit excellentem virtutem ac bonitatem. 89.d
ſapientia & amor, idem. 124.d
ſapientia, & pietas Hebræorum & Iob vnde. 2.c
ſapientia & virtus, non cadunt in res viles & mortales. 180.c
ſapientia eſt cum Chriſto. 192.c
ſapientia eſt pietas & cognitio Dei. 195.b
ſapientiæ veræ effecta. 190.f
ſapientiæ veteris veſtigia. 1.f
ſapientia filius Dei. 34.a
ſapientia, manna: eademque cæleſtis beatitudo. 23.b
ſapientiam humanam cur nihili fecerit Socrates. 194.e
ſapientiam pene omnino deletam reſtituit Chriſtus. 164.c
ſapientia, omni motu velocior. 85.f
ſapientia omnium ætatum temporumque vna, prioribus obſcura, poſterioribus vero clara illuxit. 83.e
ſapientia omnium ſæculorum, quæ perobſcura fuerat apparuit noſtris ſæculis lucidiſsima. 16.c
ſapientia patris. 9.a.b
ſapientia pietatis fructus. 162.c
ſapientia quid. 65.c
ſapientia ſemper fuit, quanquam erroribus obſcurata. 47.d
ſapientia ſiue Veritas tribus gradibus ad homines progreditur. 2.f
ſapientia, ſolius Dei profeſsio. 64.f

Sapientia tribus modis periclitata. 2.c

Sapientia vetus, vt communicata varijs populis. 2.b

Sapientiſſimi ex veteribus, qui. 53.c

Satan, cur principes mundi appellatus. 159.a

Satrapæ nomen vnde venit. 216.e

Saturnus dæmon. 54.e

Saturnus quid. 124.c

Scelera videt Deus. 92.d

Scelerum caſtigatores, Dij. 139.a

Scelerum princeps dæmon. 156.d

de Sceptris imperialibus. 218.b

ſcientiæ altera primordia. 1.e

ſcientia, & cultus Dei, finis rerum omnium. 207.e

ſcientiam Adami multi exceperunt pauci perceperunt, & cur. 1.c

ſcientia Hebræorum ſyncerior ac nobilior. 2.c

omnem ſcientiam exuperat Deus. 83.f

ſcientia à primis tradita patribus, hominum incuria, & barbarie labefactata eſt. 1.e

ſcientia prima vnde nata. 1.b

ſcientias ſecretas ſibi familiare, habuerunt Chaldæi, & Perſæ. 3.d

ſcientia veterum ſæculorum, tanquam hæreditas poſteris tradita. 3.c

ſcientia vnum rerum omnium. 1.b

ſcintillæ multæ lucis dininæ in philoſophia Ariſtotelis. 28.e

ſciri non poteſt qualis Deus ſit. 5.f

ſcripſerunt primi Homerus, & Heſiodus. 2.e

quæ ſcripſerunt priſci, & ſancti Theologi de excellentia ſedis Apoſtolicæ, ſimilia his, quę decreto ſuo complexus eſt Conſtantinus. 230.d.e

ſcriptor primus Moſes. 129.f

ſcriptores multos legerat Plato. 5.a

ſcriptores, quo vetuſtiores, eo melius de vno Deo loquuti. 142.d

ſcriptorum mos in narrando. 115.c

ſcriptorum pars melior ſeruata. 2.d

ſedem beati Petri viſitare eamque in omnibus imitari conantur Eccleſiæ. 226.c

ſedes, ac natales Imperij Romani eſt Roma, cum toto occidenti. 231.b

ſedes bonorum, & malorum diſtinctæ. 200.a

ſedi Apoſtolicæ omnia regna nobiliſſima ſubiecta, quomodo. 237.c

de ſedibus Patriarchalibus in edicto Conſtantini nominatis. 217.b

de ſedis Apoſtolicæ præcellentia Valentiniani, & Gallæ placidiæ teſtimonia. 235.d.e

ſedum cæleſtium deſcriptio. 202.c

ſemen quid. 168.c

ex ſeminibus, cuncta producuntur. 129.c

ſeminis vis in animalibus. 167.f

ſeminum certus ordo, quid. 134.b

ſempiterna poteſtas, ſapientia, beatitudo, in Deo. 47.c

ſempiternitas vitæ futuræ impeditur ab æternitute præſentis. 132.b

ſenatum nominat Conſtantinus Optimates ac ſatrapas. 216.d

ſenatus Romanus ex omnibus gentibus conſtat. 211.c

ſenecæ laus. 171.e

ſenecæ loca, quibus Deus vnus cenſetur. 86.d

ſenecæ locus de Deo. 59.e

in euectam differendum iudicium de Deo. 30.c

Senſus brutorum melior, & diuinior, quàm corpus ſit ſenſus expers. 104.d

vt Senſus fallaces ſunt, ſic animus ſæpe. 101.d

tres Sententiæ cur dæmones peccarint. 162.d

ſententiæ veterum philoſophorum, coguntur etiam recentes ſubſcribere. 45.b

ſententia communis omnium gentium de dæmonibus. 154.d

ſententia de Deo. 69.e

ſententia Democriti de Deo. 10.c

ſententia paganorum de caſu dæmonum. 163.a

ſententia Platonicorum de mente. 7.f

ſententia Plotini de anima mundi. 31.e

ſententia Porphyrij de mente principe ſeu vltramundana. 9.f

ſeparationis aquæ à terra ratio. 119.d

ſerapis de Deo. 58.b

ſeraphin quid. 7.e

ſermo Donationis non erat purè Romanus. 216.c

ſermo omnis magni genitoris, Theologia. 2.c

vnus ſerpens tentauit primos parentes. 162.e

ſeruator humani generis cognitus Gentibus. 24.b

ſexuum diſtinctio à Deo. 73.a

ſhem filius Noe. 3.c

ſibylla Erythræa. 3.e

ſibyllæ Erythrææ oracula. 161.f

ſibylla Erythreæa, vnde denominata. 16.f

ſibyllæ Perſicæ vaticinia de Chriſto ſeruatore. 18.b

ſibyllæ multa prædixerunt. 21.a

ſibyllæ tres apud quos. 20.f

ſibyllæ Shambethe Chaldæa 24. librcs ſcripſit. 2.c

ſibylli verſus. 17.a

ſibyllini verſus non intellecti Paganis. 43.c

de ſibyllis mira quibus non eſt omnino creditum. 20.f

ſignum magni animi, mortem non metuere. 173.c

ſilentio, puriſque cogitationibus colendus Deus. 95.c

ſimilem ducit Deus ad ſimilem. 44.c

ſimilitudine rerum corporearum ludificatus Proclus. 107.a

præclara ſimilitudo ex Platone à ſpeculo, & lecto, vt probetur rerum omnium creatio à Deo. 75.a

ſimonides de Deo. 44.e.65.a

ſimplicij errores de æternitate. 113.b

ſimplicius de Deo. 95.c

ſimplicius vna cum Porphyrio, & Proclo paganiſmum tueri ſtatuebat. 113.c

ſimulachrum nullum Deo conſtitutum, vt alijs Dijs, cur. 5.f

ſimulata Laurentij pietas reprehenditur. 210.c

ſingularis Deus. 44.a

ſobrietas, & continentia, eſt Dei cultus. 191.f

ſocietas inter Deum, & homines per angelos. 157.0

ſocratis doctrina de unimorum præmijs. 199.b

ſocrates veræ ſapientiæ, aſſertor. 191.c

ſocratis dæmonium. 153.a

ſocratis dęmon. 149.c

cur ſol à Deo creatus. 78.a

ſol à Deo ſemel factus, à Moſe bis deſcriptus. 115.d

ſol, animal ſempiternum. 76.f

ſol creatus, cur. 118.f

ſol Deus. 78.d

Sole nihil venerabilius apud Paganos. 74.f
Sole quieſcente, nullum poteſt eſſe tempus. 105.c
Sol, & Aether vnde factus, Triſmegiſto. 103.d
Sol, & Luna ſimulachra Dei pulcherrima. 89.f
Sol filius ſummi boni. 34.a
Solis bona. 119.b
Solis commoditas. 135.c
Solis creatrix. 33.f
Solis curſus, & creatio. 63.f
Solis equi. 103.a
Sol lucens, & viſibilis, imago eius, qui eſt in mente. 15.d
σῶμα, vel σῆμα, quid. 164.d
Sol nullus erat ante creationem. 131.c
Sol, præclarum indicium Dei. 89.f
Sol primum creatus, deinde alia omnia, Ariſtoteli. 64.a
Sol vocatur, verbum Dei, quare. 22.a
Somnium Iacob. 142.c
Somnum per ſomnum melius ſciri. 9.f
Sophocles de Deo. 45.a .127.b
Sortitio animarum triplex. 204.a
Sortiti ſunt dæmones res humanas qua conditione. 152.b
Spatium omne, quomodo intelligamus. 106.e
à Speciali ad vniuerſale non valet ita conſecutio. 105.b
Specie perdurant animalia, non numero. 129.d
Speculatio animi, alia quàm omnes aliæ actiones. 172.e
ex Speculo, & lecto ſimilitudo, vt probetur rerum omnium creatio à Deo. 75.b
Spes neceſſaria virtutibus. 99.d
beata, Spes, quæ. 199.a
Spiritualis, & mentalis eſt diuinatio omnis non terrea. 161.a
Spiritus, anima. 12.b
Spiritus corpore nudati non poſſunt mulieribus commiſceri, & cur. 158.b
Spiritus domini ferebatur ſuper aquas, quare. 119.a
Spiritus immundi. 155.e
Spiritus ſancti appellatio nomine animæ. 36.e
Spiritu ſancto cuncta viuificantur. 42.c
Spirituſſanctus hypoſtaſis. 40.f
Spiritus ſublimiores hominibus comites dati. 132.d
Statoris officium reges, & imperatores ſummo pontifici exhibent. 229.d
Status cæli duplex. 131.c
Status mentis æternæ. 131.c
Stellæ ante herbas. 121.c
Stellam prædixit Sibylla. 17.d
Stella ſupercæleſtis. 26.e
pia Stoici verba. 94.c
Strabonis locus de Moſe. 113.f
Studiorum omnium meta, ſapientia. 194.f
Stygij canes. 155.f
Stylum donationis eſſe alicuius Chriſtiani qui non omnino Romanè loqueretur. 216.f
quis Stylus quo Conſtantinus, & alij Imperatores huius temporis vterentur. 240.b
Subſtantia animæ, non eſt à ſemine. 168.d
Subſtantia bonitatis diuina natura. 93.c
Subſtantia idem atque mens, bonum vnitas. 11.c
Subſtantia mentalis. 35.b
Subſtantia quid. 147.f
Subſtantiæ ſupercęleſtes, creatæ. 144.a
Subſtantia noſtra, non eſt ipſe Deus. 187.c
Succeſſio continua. 168.a
Suetia & Noruegia ſoluunt Romanę Eccleſię vectigal. 238.e
Suidę laus. 42.a
Summi pontificis ſuper alias poteſtas qualis. 227.c
quid pro Summo bono habitum apud omnes. 93.d
Summum bonum multis modis intelligendum. 79.f
Summum, non niſi vnum eße poteſt. 49.b
συν θεῶ, iuuante Deo. 83.a
Superbia regis Aſſyriorum. 162.d
Superiores patrem nouerant. 25.c
Superſtitio barbara, Deos appellare aſtra. 59.f
Superſtitione Chaldæorum doctrina de Deo fœdata. 68.e
Superſtitionem miſcere cum religione, periculoſum. 151.a
Superſtitio vnde primum. 76.e
Superſubſtantialis vnus. 147.e
Supplicia ſubterranea. 155.f
è Suppoſitione rei falſæ, verùm collegit Plato. 108.a
Supremi Dei cognitio, vera ſapientia. 189.f
non eſt Supremus, niſi vnus. 197.c
Suſtentatio rerum à Deo, quomodo. 32.b
Sydera Deos putarunt Plato, & Stoici. 10.c
Syluę. 135.a
Sylueſter non poterat ſpernere, quę non ſibi, ſed Petro, & Chriſto donabantur à Conſtantino. 213.c
quibus Sylueſtri hiſtoria firmetur. 222.b
Symbolum Athanaſii. 201.f
Symbolum Dei, quid. 177.d
Syrianus de Deo. 52.e

T

TEletarches, quid. 145.d
Templa apoſtolorum Petri & Pauli à Conſtantino ędificata. 218.a
duo templa Dei, Mundus, & anima rationalis. 22.a
templa Deorum, cęleſtis patria. 201.d
templa Deorum cęleſtes ſedes. 139.d
templa Deorum Romę facta eccleſię ſanctorum ſub Conſtantino. 217.e
de tempore tantum habemus τό νῦν, Ariſtoteli. 103.a
temporis partes, i. reuolutiones, cum mundo conſtituit Deus. 77.f
ſi non ſit temporis principium, quid ſequatur. 104.f
temporum anni viciſſitudines. 135.e
tempus anteactum incomprehenſibile Platoni. 108.d
tempus cum cęlo, & mundo natum. 103.a
tempus eſſe potuiſſe, nondum creato cęlo, falſum. 105.a
tempus & ęternitas non idem. 130.f
tempus & ęuum non idem. 116.f
tempus imago ęternitatis. 103.f
tempus, motus cælum, tria inſeparabilia. 102.
tempus non poteſt dari, in quo tempus inceperit. 104.f
tempus non poteſt eſſe ſine cęlo. 131.b
tempus, optimus pietatis pręſul, omnia ſenſum perficit. 215.b

Tempus vnde colligitur. 105.a
Tenebræ, Chaos, hyle. 118.c
Tenebræ ſuper faciem abyſſi, quid. 120.e
cur Ter maximus appellatus Triſmegiſtus. 42.b
verus Terminus veræ philoſophiæ. 193.c
Terra, Chaos, ὕλη. 9.b
Terræ ortus. 124.b
Terra, & aqua creatæ. 118.e
Terra, & aqua primo creata, & cur. 114.f
Terra inanis, & vacua initio, quomodo. 91.c
cur Terra lata, vel rotunda. 66.b
Terreſtres, cur dicti dæmones. 155.f
Terreſtribus conatur Laurentius conuincere ac deijcere cæleſtia. 215.d
nulla in Terris felicitas. 193.f
Teſtimonia de Mente. 8.c.d
Timpnia magorum, & Sibyllarum de filio Dei. 3.e
Teſtimonia Veterum de principatu Eccleſiæ Romanæ. 227.a.b
ex Teſtimonijs paucorum elicienda veritas. 3.b
de Teſtimonio animæ. 156.c
Teſtimonium antiquitatis. 29.a
Teſtimonium grauiſſimum vetuſtatis. 198.e
Teſtimonium Ioannis Iouiani Pontani de Laurentio Vallenſi. 241.d
Teſtimonium ſuper imaginibus ex hiſtoria Sylueſtri, qui imagines Petri, & Pauli Conſtantino oſtēdiſſet. 222.b
Teſtimonium vetuſtatis fideliſſimum. 30.b
Theatrum mundi. 89.c
Thales. 3.d
Thales Mileſius Deum dixit antiquiſſimum, & ingenitum. 47.f
Thaletis placitum de aqua principio rerum, quod intelligendum. 126.c
Themiſtius ſibi contradicit. 187.b
Theodorus Platonicus de duplici mente. 8.e
Theophraſtus. 3.d
Theologia Aegyptiorum veneranda. 114.d
Theologia concatenata. 33.b
noua Theologia detexit, quę latebant in vetere. 27.f
Theologiæ antiquæ de mente teſtimonia. 4.d
Theologiæ chriſtianæ ſumma. 15.a
Theologiæ finitima poeſis. 49.e
Theologiæ maximum ſacramentum filium à Patre angelum miſſum. 14.e
Theologia Empedoclis. 50.f
Theologia, & religio ſæculorum omnium. 49.e
Tdeologiæ Gręcę princeps Orpheus, & eius laus. 24.e
Theologia Græcorum à Barbaris. 76.a
Theologia Græcorum, & Barbarorum eadem. 29.e
Theologia Græcorum vnde nata. 37.a
Theologia maiorum ſcyrpis, & latebris abſconſa, atque figmentis obruta. 1.c
Theologia mira Platonicorum. 11.d
noſtram Theologiam nihil aliud eſſe, quàm Priſcæ, & caligantis ſcientiæ reuelationem. 201.d
ſuam Theologiam, vnde Proclus hauſerit. 37.c
Theologia naturalis. 59.b
Theologia nouiſſima. 3.e
Theologia perennis. 47.e
theologia Plotini de Genitore. 13.e
theologia prophana, cæleſti Theologiæ aſſenſum præbuit. 197.e
prima Theologia, quæ tradidit. 47.a
in Theologia quid, maximum. 3.b
theologia Stoicorum, aut noſtra, aut è noſtris. 176.d
Theologia Triſmegiſt. quàm conſentiens cum Moſaica. 117.f.118.c
Theologia vetus Hebr. Chald. & Aegypt. nunquam cælum, & aſtra pro Dijs habuit. 137.d
tota Theologia, vnde ducatur. 17.c
Theophanis teſtimonium de baptiſmo Conſtantini. 233.a
Theophraſtus de Deo. 70.a
Θεοῦ nomen quibus tributum. 148.a
Theſauri Iouis, apud Orpheum, quid. 122.e
Τέσιπσμα. Conſtantini non in vna bibliotheca deliteſcit, ſed omnis Græcia ipſum adorat. 211.f
theuth Aegyptius. 29.f
theut, vel Tat, filius Mercurij. 19.e
tiguium nomen deprauatum, pro Iguium. vbi ſitum c.e 208.b.d.e
titanes, & Titanium nomen dæmoniacum. 160.c
torquentur animo quibus inſtat fatalis diem. 200.d
traditio ſapientiæ quæ principium ſumit à Deo. 3.a
de Tranſitu animorum. 122.c
de Tranſitu Conſtantini, aut eius ex vrbe diſceſſu hiſtorici nihil ſcripſerunt. 232.d
tres mentes, reges, ſeu intelligentiæ. 34.d
tres Sibyllæ apud quos. 20.f
triada ſunt venerati, Platonici. 35.a
tria de Deo ſtatuunt veteres, eſſe principium incorruptibile, immortale. 51.c
de ſancta Triade, oraculum. 43.a
Τριάδος myſterium explicarę conatus Parmenides. 16.b
tria numina, tres reges, vnus Deus. 10.f
tria principia Platoni, vnitas, mens, anima. 36.b
tria ſemper ab æterno. 42.c
tribus maximè homines probi fiunt. 65.b
à Tribus, omnia dependent. 33.a
trinitas cauſa omnium. 144.e
Trinitas, ſupremum Theologiæ cacumen Platonicis confeſſa. 35.d
de Trinitate fides, & ratio, ſeu perſuaſio data non ex hominum inſtituto, ſed diuino munere. 38.f
S. Trinitatem omniaque myſteria, quæ prædicatur de ea in religione Chriſtiana veneratur Conſtantinus. 212.b
in Trinitate non confundendæ perſonæ. 40.a
de Trinitate poſteriores caſtigatus loquuti. 33.c
trinitatis pulcherrima diſtinctio, & declaratio. 33.a
trinus Deus, terna diuinitas agnita Platonicis. 40.d
triſmegiſti de verbo teſtimonium. 19.b
triſmegiſti, & Platonis de Deo, aſſertio. 81.d
triſmegiſtus, Moſem ſequutus. 107.f
triſmegiſtus ſummam diuinitatem confeſſus. 46.a
tu es Delphis inſcriptum. 92.f
typhones, & gigantes, mali dæmones. 163.b
typhon, vis dæmoniaca. 156.b

V

VAgantur per omnia dæmones. 160.b
Vagi dæmones cęloq; labentes. 159.a
Vagitus infantium. 136.c
Valentiniani & Gallæ Placidiæ teſtimonia de præcellentia ſedis apoſtolicæ. 235.d.e
Vanitas idearum Procli. 144.f
à Vapore terreſtri non pendent diuinatio. 161.b
vatibus miniſtris vtitur Deus. 83.c
modus vaticinandi Appollinis Pythiæ naturam inclina-

tam declarauit. 161.d
Vaticinia non per bonos tantum, ſed & malos edita. 161.f
de Vdonibus. 218.f
Veneficia, & incantationes, ſunt malorum dæmonum. 151.c
Ventorum commoda. 135.f
Venti cur creati. 87.a
Veraciſſimus Moſes, quibus ſignis colligitur. 114.b
Vera contemplatio non verſatur circa minora. 194.c
Vera eſt à Deo Philoſophia. 199.d
Veram philoſophiam, vt philoſophi aſſeruerint. 191.a
Veram religionem abſentem philoſophi admirati. 195.f
cum Veram ſapientiam nullius veterum docuerit, neceſſe fuit eam doceri poſtremo à Deo vero Ieſu Chriſto. 191.b
Vera pietas. 71.c
Vera pietas, & religio, vnde, & quam vtilis. 188.f
Vera religio quid. 189.d
Verba Dyoniſii ad friuola commentitia detorſit Proclus. 143.e
duo Verba, vnum exemplaris, inuitationis alterum. 23.b
Verbo Dei creata omnia. 21.f
in Verbo latitant principia rerum omnium. 19.e
Verbo mundus ſuſtinetur. 26.c
Verbo non manibus, Deus mundum creauit. 121.d
Verbo omnia facta. 19.c
Verbum, Creator mundi. 6.d
Verbum Dei cæli, & terræ creatorem Deus cognouit. 25.d
Verbum Dei diuiniſſimum, Platoni. 12.a
ipſum Verbum Dei, munds idealis. 50.a
Verbum Dei ſuſtentatio mundi. 72.b
Verbum Dei vinculum indiſſolubile totius mundi. 8.f
Verbum, dux ad perueniendum ad Deum. 21.f
Verbum opifex. 18.f
Verbum, organum Dei. 22.f
Verbum prolificum. 19.d
Verbum quid. 19.b.25.a
Veri dæmones, qui & quales. 153.c.163.e
Veriorem, & meliorem eſſe non potuiſſe religionem, quàm ſit chriſtiana. 188.f
Veritas apud paucos reſiſtit. 1.d
Veritas demerſa in profundo. 63.a
Veritas habet ſuos impetus. 198.c
Veritas hiſtoriæ Sylueſtri tribus firmata. 222.b
Veritas nunquam latuit. 15.f
Veritas ſemper clareſcens. 18.e
Veritas tandem reuelata, quæ diu latuerat. 34.f
Veritas vna ſemper eſt, & fuit. 97.e
Veritas vna, & creator vnus. 97.e
Veritatem Chriſtianam inſectabantur pagani cuius myſteria latebant in ſcriptis Platonicorum. 15.f
ſolam Veritatem, & ſapientiam ſuperſtitem. 98.b
Veritatem fateri coactus Ariſtoteles. 28.d
Veritatis æſtus, rapit interdum imprudentes. 129.e
Veritatis deprauandæ cauſſa. 1.e
Veritatis deprauator Proclus, quanquam doctus. 104.e
Veritatis hoſtes philoſophi. 93.d
Veritatis imaginem falſa ſæpe induunt. 148.b
Veritatis magna vis. 18.f
Veritatis veſtigia omnibus ſæculis, atque apud omnes. 1.f
Verſus acroſtichi. 17.e
Verus amor, materia vniuerſi. 125.e
Verus Deus. 44.c.78.c
Veteres ad ſcribendum ſegnes cur. 2.d
apud Veteres, nihil de infinitate. 51.d
Veterum monumentorum inſcius Laurentius Valla. 221.a
Veterum ſæculorum ſcientia, tanquam hæreditas poſteris tradita. 3.c
Vetuſtas mundi duplex. 206.b
Vetuſtas hiſtoriæ Sylueſtri, & quod proferebatur celebriſque erat tempore Adriani, veritatem illius probant. 223.b
quicquid à Vetuſtate proditum fuit colendum, & complectendum. 29.b
Vetuſtate deteriores ſcientiæ. 1.e
Vetus, & noua philoſophia conſentientes. 27.e
Vetus theologia. 3.c
Vetus theologia Hebr. Chald. & Aegyp. nunquam cælum, & aſtra pro dijs habuit. 117.d
de Veſtibus omnique Imperiali magnificentia. 218.a
quo vetuſtiores philoſophi, eo in doctrina puriores. 46.c
Vetuſtiores philoſophi, meliores, poſteriores vero, deteriores. 113.d
Vetuſtiores veriores, poſteriorum vero ratio fuit obſcurata. 98.b
Vetuſtiſſimus ſcripturarum ſenſus verior. 164.d
duæ Viæ. 198.c.199.c
Videmus longe plura animis, quàm oculis. 25.d
Videt omnia Deus. 57.e
Vinculum amoris in animalibus: 8.a
Vindex ſcelerum Deus. 99.e
ad Vindictam tardus Deus. 90.b
de ſera Vincta numinis. 45.c
Vir bonus, dæmon. 78.e
Vires Dei ſuperant omnes naturæ difficultates. 182.e
Viri ſancti, & eruditi neceſſitatis tempore, non ſolum à ſancta Romana eccleſia non recedunt, ſed etiam ab ea adiutorium implorant. 226.d
Vir non Chriſtianus principia Chriſtianæ ſapientiæ approbauit. 27.d
Viro pio neque mortuo, quicquam mali euenire poteſt. 204.d
Virtus, ſimilitudo Dei. 197.f
Virtus Diuina infatigabilis. 71.f
Virtus humana, quæ. 90.a
Virtus quid. 171.a
Virtutes heroicæ. 67.e
Virtutes inſignes non omittendę in vitijs notandis. 136.a
Virtutes ſuperior, Deus. 67.d
Virtutis radicibus ſublatis, tota philoſophia perit. 100.c
Virtutnm diuinarum homines participes. 67.f
Virtutum maxima pietas. 73.b
Virum bonum à Deo negligi. 201.a
Viſibile, & intelligibile. 79.e
Viſibiles aliquando angeli. 151.c
Viſibilia non ſunt omnia. 87.d
Viſibilibus exemplis, inuiſibilia capienda. 18.d
viſibilis Deus, quomodo. 121.f
viſibilis mundus inſtructus à diuiniſsimo verbo. 132.c
viſio Conſtantini cùm baptizaretur. 226.a
viſionis diuinę dulcedinem nunquam guſtaſſe dæmonas. 162.b

Viſio Triſmegiſti. 117.f
vita angelorum, quæ. 144.b
vita cælicolarum. 60.c
vita Deorum, quæ. 67.d
vitæ domina eſt anima. 175.c
vita hæc noſtra, peregrinatio. 173.d
vitæ huius breuitas, beatitudine, vel ſupplicijs minime penſitanda. 110.d
vitæ incommoda, quanta. 134.e
de vitæ miſeria quid attulerit ſermo Hegeſiæ. 99.c
hæc Vita fugienda ſapientibus. 132.a
vita hominibus ad ſupplicium data. 132.e
vita hominis duplex. 169.c
alia Vita melior eſt, quàm hæc corporea ſit. 106.f
nemo vitam inſpirat, niſi Deus. 39.a
vita, Mens, dea. 39.d
vita pura, digna ſuperiorum ſocietate. 109.e
quid eſt Vita, ſi ſit æternus mundus. 99.c
vita vera ſecundum mentem. 169.c
vitiorum agmen inducitur, tollitur virtus, ſi mundus æternus. 99.e
viuos homines, mortuos eſſe. 200.b
qui piè Vixerint, ad cæleſtem ſedem ire poſt mortem. 185.b
vna bonitas, ſimplexque vnitas. 38.c
vna, veraque religio polluta quidem hominum errore, ſed in ſapientum retenta animis. 177.d
vnam eſſe omnium animam, quomodo intelligendum. 186.d
vnitas, cauſa, & autor vitæ omnium. 52.e
vnitas, Dei, Chaldæorum opinione. 49.a
vnitas Dei, tribus argumentis probatur. 54.c
vnitas diuiniorum vnitatem creatrix. 97.b
vnitas entis, & ens vnitatis, eſt. 37.f
vnitas, & vnum principium. 49.c
vnitas immobilis. 49.f
vnitas ineffabilis, principium omnium. 36.e
vnitas Iupiter. 123.e
vnitas mentem præcellit. 11.c
vnitas menti præfertur, & cur. 37.b
vnitas, omnium rerum principium. 48.e
vnitas per excellentiam. ibid.
vnitas principium. 49.c
vnitas, principium, bonum, idem. 95.f
vnitas principium, Phanes, terminus, apud Hermiam, quid. 146.c
vnitas ſupereminens omnium deorum, ideſt, angelorum cauſa. 143.f
vnitas ſuprema ante omnia producit diuinas ἑνάδας. 143.b
vnitatem eccleſię docet Paulus, & Cyprianus. 234.d
male collegerunt vnitatem eſſe vbi eſſe vbi eſſet ſimilitudo. 187.c
vnitates, angeli. 143.c
ad vnitate viſibilia, & inuiſibilia profecta. 48.d
vnitatis contemplatio, eſt finis contemplationis. 94.f
vnitatis intuitus finis omnis philoſophiæ. 193.e
Vnitatis proceſſus ad ens. 37.f
vniuerſalis participatio eſt ſolius Dei. 144.c
vniuerſi natura vna, variæ, & quidem infinitæ functiones. 112.f
vniuerſum à mente profectum. 14.b
vniuerſum, & mundus, qui differant. 50.e
vniuerſum, & vnum idem. 60.f
vniuerſum, mentis imitatio. 9.b
vniuerſum quibus conſtat. 72.a
ab vno omnia pendent, ſed per mediam mentem. 12.b
vnum, & Bonum. 37.d
vnum, & vniuerſum, nomina Dei ex Xenophane. 52.a
vnum principium, tres perſonæ. 42.e
vnus Deus à cunctis confeſſus. 50.e
vnus Deus apud Platonem. 138.b
qui Vnus eſt, nomine non eget. 48.f
vnus mundus, & non plures, quare. 107.d
vnus rerum fons. 3.d
vnus ſuperſubſtantialis Deus, alij ſubſtantiales. 147.e
vocabula Patris, & filij eadem atque Boni, & mentis. 13.e
vocem Conſtantini eſſe totius concilij vocem. 227.d
voluntatis liberæ omnes angeli creati. 158.a
voluptas venerea mortifera. 192.c
veræ voluptates, quæ. 83.b
voraginenſis, ſanctæ vetuſtatis ignarus. 221.c
non paucas Vrbes Conſtantinus principi eccleſiarum dedit, ſed vniuerſum occidentem. 212.a
vrbs maxima aut domus, totus mundus. 22.d
nihil vtile ſine ſapientia. 195.b
quæ ad vtilitatem veniunt ſpecierum, ea cadunt ad interitum indiuiduorum, ſi omnia ſint ab æterno. 99.b

X

XEnophon de Deo. 48.a
Xenophanes non phyſicus, ſed Theologus. 52.a
ὕπαρχος filius Dei dicitur. 22.c

Z

ζεὺς διος quid. 69.a
Ζῆνα καὶ δία, quaſi δι' ὃ ζῶμεν. 62.e
qui Ζήνα, vel διά, Deum appellarint. 54.e
Zanaras, totam hiſtoriam Sylueſtri recenſet congruitque cum Artemio ſuper cæde Fauſtæ, & Criſpi. 233.d.e.f
Zoroaſter, & Mercurius, vetuſtiſſ. 113.e
Zoroaſtris error de duobus principijs. 95.e
Zoroaſtris philoſophia. 20.e

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

QVI LEGITIME CERTAVERIT

VENETIIS, MDXC.

Apud Dominicum Nicolinum.